

Digitized by Google



Digitized by Google



Hist 3275

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

900000147990

Digitized by Google

E. Bibliotheca G. Windii

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SA

FRII

ELI

Digitized by Google

SAMUELIS DE PUFENDORF,

DE

REBUS GESTIS

FRIDERICI WILHELMI MAGNI,

ELECTORIS BRANDENBURGICI.

BIBL. UNIV. GAND.

G. P. Busch. Sculp. a' Berlin. 1732.



G. P. Busch Sculp: à Berlin. 1732.

SAMUELIS DE PUFENDORF,
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI
WILHELMI
MAGNI,
ELECTORIS BRANDENBURGICI,
COMMENTARIORUM
LIBRI NOVENDECIM.

A

LIPSIÆ ET BEROLINI,
IMPENSIS JOANNIS ANDREÆ RÜDIGERI, 1733.

UNIV. GAND

SERE

F

M.

SAC
CHICA
RI, PRU
MONTI
RUM, VAN
BUSSÆ DUC
MINDÆ E

L



B

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO TERTIO

MARCHIONI BRANDEN-
BURGICO,

SACRI ROMANI IMPERII AR-
CHICAMERARIO, ET PRINCIPI ELECTO-
RI, PRUSSIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ
MONTIUM, STETINI POMERANIÆ, CASSUBIO-
RUM, VANDALORUMQUE, NEC NON IN SILESIA, CROSNÆ ET SCHWI-
BUSSÆ DUCI, BURGGRAVIO NORIBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII
MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERÆ, MARCÆ ET RAVENS-
BERGÆ, DOMINO IN RAVENSTEIN, LAUENBURG
ET BUTOU,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME
ELECTOR
DOMINE CLEMENTISSIME.

Postquam operi huic publicam in lucem prodeundum fuit, ubi sine dubio varia diversorum judicia pro cujusque captu aut affectu, ac fore nudæ nimium veritatis odium apud multos subiturum est, non decori solum ratio, sed & necessitas requirebat, ut in ipso quasi limite Reipublicæ literariæ ante omnia SERENITATEM TUAM adiret, ejusque pacem & tutelam decenter exposceret. De hac enim ubi cautum fuerit, quid cæteri judicent, aut indignentur, parum mihi curandum videtur. Eandem autem mihi propitiam fore multa sunt, quæ certam fiduciam pariant; Nam auspiciis atque impensis SERENITATIS TUAE istoc opus compositum fuit, sic ut idem,

merito

merito favorem, qui e communi naturæ lege ab autoribus in opera derivari suevit, sibi haud temere polliceri debeat. Sed præcipuæ ad SERENITATIS TVAE gratiam eidem conciliandam fecit, quod, cum inter officia, quæ parentibus a liberis debentur non postremum sibi locum vindicet, istorum gloriam atque memoriam apud posteritatem conservare, historia ex omni monumentorum genere & splendidissima sit, & quæ quam maxime vetustatis, omnia opera humana arrodentis, dentes eludat. Nam exequialis pompa quantumvis sumtuosissima, qua magnorum virorum funera honorari mos est, cito in oblivionem abit, nullo aut modico sui vestigio relicto. Arcus, picturæ, tropæa, statuæ, mausolea, numismata & alia id genus monumenta aliquandiu ætatem ferunt, sed demum eidem succumbunt. Tum nec animi indolem, sed gestorum summa duntaxat capita, exprimunt, ac non nisi uno in loco conspicienda se præbent. Ast vero historia magnorum virorum memoriam conservat, quamdiu ulla literarum apud genus humanum æstimatio est, usque adeo ætates vim non timet, ut ei potius a vetustate pretium accedat, ac pro lubitu multiplicari atque renovari valeat: Tum non minus exacte habitum animi, cuivis ad imitandum aut admirandum expositum, quam pictoris tractus faciem, exprimat: Unique haut quaquam solo velut natali

adfixa hæreat, ſed facili negotio diffundatur, quousque aliquis extat, cui ejusdem intellectus eſt. Eo Splendidius autem iſthoc monumentum, quod SERENITAS TVA DIVO PARENTI SVO erigendum curavit, habendum eſt, quod non adeo multi Principes dentur, quorum res geſtæ juſtum volumen impleant. Plurimorum quoque facinora usque adeo ſanæ rationi & juſtitiæ non quadrant, ut occultari potius & orbis notitiæ ſubtrahi, quam in lucem protrahi, mereantur. Enim vero DIVI PARENTIS TVI regimen in ejusmodi tempora incidit, ac ejusmodi negotiis occupatum fuit, quæ maximum monumentum circa ſtatum Europæ habuerunt; ſic ut dimidii ſeculi acta recolentibus FRIDERICUS WILHELMUS non poſſit non frequentiſſime occurrere haut poſtremam perſonam inter eos agens, quorum motus publicos fata Regnorum & Rerum publicarum ſequuntur. Tum vero in omnibus actionibus unus idemque ſemper, conſilio ac armis ſuo juſto titulo parta tueri, ac patriæ orbisque Chriſtiani ſalutem & quietem omni ſtudio quærere, nec privati intuitu emolumenti quid huic adverſum admittere. Iſte ſcopus quemadmodum ejus Indolis eſt, ut, ſi omnes Principes eum ſibi præfixum haberent, res humanæ ſeſe quam optime habituræ eſſent: ita eundem immoto tenore ſecutum eſſe, ſumma ac ſolidiſſima Principis laus habenda eſt. Scilicet

licet

licet immane quantum falluntur, qui ex eo præcipuam Principum gloriam exſplendeſcere arbitrantur, ſi immenſis cædibus campos ſtraverint, ſi multas urbes ſolo æquaverint, aut ruinis & incendiis deformaverint, ſi magnas provincias evaſtarint, & in ſolitudinem redegerint. Nam & talia provenire poſſunt a peſtilentia, a fulminibus, ab inundationibus a locuſtarum agminibus, a diuturna ſiccitate, & aliis ejusmodi malis, quæ mortales horrere ac deteſtare ſolemus. Multo minus præclarum quid eſt, & ob quod quispiam aliis præferre mereatur, ſi neget jura ſibi nota ſuisque nihil non arroget armis, ſi ſolum ſe eminere, cæteros velut umbras volitare, credat, ſi, nulla juſtitiæ aut fidei habita ratione, vicinos inſultet, & quæcunque ſibi arrideant, eripiat, finesque quocunque modo pio ferre inſtituat. Qui haut immerito inter peſtes humani generis habentur, qui ut quam primum rebus humanis eximantur, commune omnium votum eſt: cum præſtantia hominis inde metuenda ſit, ſi ad Dei bonitatem quam proxime accedat, qui majeſtatem ſuam bene faciendo potisſimum exſerere gaudet, & optimus prius, quam maximus, audit, imo maximus, quia optimus. Iſthæc porro inſtituta Sectantem Divum Parentem Tuum, & bonorum omnium approbatio, & incrementis Ejusdem favens fortuna, usque adeo concomitata eſt, ut florenti jam a pluribus ſeculis

culis Brandenburgico nomini & familiæ plurimum ſplendoris atque autoritatis circumpoſuerit, ac ditiones ſuas egregiis acceſſionibus, ſed citra cujusquam injuriam, auxerit; Sic, ut ejus memoria meliori orbis parti ſuæque Familiæ perpetua veneratione ferri, Ejusque virtus huic præcipue ad Imitationem extare debeat. Ac ſane DIVO PARENTI TVO id quoque felicitatis contigit, ut Eundem haberet FILIVM ſucceſſorem, ac ſuorum inſtitutorum Imitatorem. Inciderunt ſane prima SERENITATIS TVAE tempora in gravisſimos Europæ motus, qui & purioribus ſacris & publicæ libertati oppresſionem minabantur. Heic Heic indignum perſona Tua duxiſſes, moroſis deliberationibus trutinare num ſervandæ ſaluti publicæ manus admovendæ ſint; nec vero patriæ calamitas in occaſionem cauponandi, & ſordidum lucellum captandi, operam vero ſuam caro vendendi, arrepta fuit. Sed protinus, repudiatis, quæ offerebantur, lautis, ſed demum in patriæ exitium erupturis, conditionibus, optima fide in cauſam deſcenſum, nulla propriarum opum parſimonia; aliique alacritate exempli ad paria incenſi. Ac legionum Tuarum virtus Brandenburgici nominis gloriam ad Orientem non minus quam Occidentem illuſtrat. Quæ peculiari volumine congerere aggreſſus ſum, ſaltem cum pace, quæ brevi inſtare videtur, abſolvendo, ſi

Deus

Deus vires ac vitam prorogaverit. Sane fallitur, qui credit, inter publicam ruinam fortunas suas obliquis auspiciis salvos fore. Quin contra is quam optime propriæ saluti prospicit, qui circa probe temperatam Europæ compagem laborat. Neque vero ea temporum semper conditio est, aut ea continuo occasio arridet, ut novas provincias acquirere liceat; Sed prius partas tueri, ac probe excolere, non minor, quam quærere virtus est. Ac suis quam maxime contentos sæpe divina benignitas lætissimis incrementis mactat. Cum itaque hanc historiam argumentum tantopere commendet, minus mihi solicito esse licet, num & extrinsecus cultus isti respondeat; in quam neutram partem judicare mihi tutum fuerit, sed idem erudito orbi integrum relinquere præstiterit. Mihi sufficit, incorruptam veritatem e genuinis fontibus candide posteritati exposuisse, quo nomine nemo quid offensæ ostendere potest, qui cogitaverit, etiam illos, quos humanis pœnis suum fastigium exemit, nullo modo liberam generis humani censuram effugere posse, & si maxime ipsis vivis cives mussitare necessium habeant, aut adulatorum natio etiam turpissimis facinoribus colorem circumponere norit; Id tamen effici non potest, quo minus saltem posteritas cuique decus juxta & dedecus rependat. Sed & hic provectum par est Deo devotas gratias persolvere, quod vergente

gente jam ætate vires valetudinemque largitur, huic operi perficiendo, cui quantum laboris sit impensum, illi demum æstimare norunt, quibus talium penitior intellectus est. Quod superest annorum atque virium SERENITAS TUA ELECTORALIS suo jure sibi vindicat: quæ ut non minus gloriæ atque incrementi, quam DIVUS PARENS, domui sui inferat, ex animo voveo cujus & constantem gratiam mihi meisque humillime deposco.

Scribebam Berolini
Die XXVI. Sept. A. R. S.
MDCXCIV.

Augustæ SERENITATIS TUÆ

Devotissimus humillimusque
Servus

SAMUEL de PUFENDORF.



SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

EPITOME.

INgressus Operis. 2. Facies rerum per Germaniam, & Marchiam, cum Fridericus Wilhelmus regimen susciperet. 3. Georgius Wilhelmus Elector moritur. Fridericus Wilhelmus succedit. Ministri quidam mutantur. Comitis Schwartzenbergii artes. 4. Is offensam Electoris sentit. 5. Elector suspectos præfectos amolitur. 6. Idem circa levandas Marchiæ calamitates satagit. Sveci per Marchiam grassantur. 7. Schwartzenbergii consilium circa Pomeraniam. 8. Elector hostilibus adversus Suecos supersederi jubet. Id Schwartzenbergio displicet. 9. Electoris super hoc sententia. 10. Werbense castellum diruitur. 11. Equitatus Cæsari conceditur. Missio Cæsaris ad Electorem. Arnheimiana consilia. 12. Præparatio ad tractatus cum Svecis. 13. Super induciis Stetini incassum agitur. 14. Leuchtmarus in Sveciam mittitur. Ejus mandata. 15. Conventio cum Svecis super induciis. 16. Responsum Leuchtmaro datum. 17. Apud Cæsarem super his induciis acta. Inanes apud Cæsarem super Marchiæ miseriis querela. Suspiciones Cæsaris in Electorem. Super æquivalente pro Pomerania exigua spes. 18. Motus super interceptis literis. 19. De actis a Leuchtmaro ad Cæsarem refertur. 20. Genius Comitiorum Ratisponensium. 21. Difficultates circa investituram Borussicam. De tempore investituræ. 22. Poloni de Electore queruntur. Elector objecta purgat. Legatis Electoris respondetur. 23. Super cautione ab Electore exhibenda disceptationes. Gravamina Polonorum. 24. Legatio Regis ad Electorem. Alia Electoris cautio. Elector Warsaviam proficiscitur. Protestatio contra investituram interposita. 25. Senatorum monita. Electoris declaratio. Investitura Polonica peragitur. Investitura Cæsarea. 26. Marchia exercitibus inundatur. 27. Super induciarum pacto mitigando incassum laboratur. Electoralium Legatorum mandata. 28. Mora a Svecis interponuntur. 29. Tractatio Stralsundæ suscipitur 30. Ibidem acta. De procuratorio. De bonis Ordinis Joannitici. Cæsar pro Schwartzenbergio juniore frustra intercedit. 31. Circa alia capita incassum disceptatur. 32. Tractatio suspenditur. Legati re infecta discedunt. 33. Stetini negotiatio nullo fructu repetitur. 34. Nova in Sveciam legatio. Mandata Legatorum super negotio Reginæ Matris. 35. Super moderandis induciarum legibus. 36. Super Reginæ Matris negotio convenitur. 37. Acta ob id negotium in Dania. 38. Super induciarum legibus mitigandis frustra satagitur. 39. Sollicitudo Electoris circa continuandam ab hostilibus cessationem. 40. Svecorum circa connubium Christinæ mens exploratur. 41. Polonorum ad Electorem Legatio. 42. Super induciis perficiundis iterum agitur. Legatorum mandata. 43. A Legatis Stetini acta. Electoris declaratio Temporaria conventio. Id negotium denuo movetur. 45. Nova cum Svecis conventio super Francofurto, & Crosna restituendis. 46. Elector ratihabitionem induciarum eludit. 47. Cum Hassis circa sublevandas provincias Clivicas acta. 48. Cum Hassis amicitia reparatur. 49. Conventio cum Landgravia super reddendis oppidis Clivicis. Insolens Hassici tribuni factum. 50. Elector Cæsari acta sua adprobare studet. 51. Gallasii adversus Electorem importunitas. 52. Electoris ad hæc declaratio. 53. Cæsaris ad proposita declaratio. 54. Electoris circa componendum inter Svecos, Danosque bellum conatus. 55. In Svecia super eodem negotio acta.

FRIDERICI WILHELMI Electoris Brandenburgici res pace ac bello, consiliis aut per arma gestas componere aggredior; quem Majorum suorum decora longe supergressum virtus, atque prudentia sua clarissimorum hoc seculo Principum numero inseruit, parta præ reliquis sui fastigii eminente autoritate, ac ditionibus insigni accessione dilatatis. Opus arduum, ac varietate eventuum, dexteritate consiliorum non delectationis minus, quam fructus cordatos apud lectores pariturum, ni ausu speratuque improbum foret, ingenio styloque, utroque modico, sublimia rerum æquari posse. Ejus quippe argumentum non solis Marchiæ, aut Germaniæ finibus circumscribitur, sed per magnam negotiorum partem, quæ nostra memoria Europam exercitam tenuerunt, diffunditur; quod Elector Noster tam diuturni regiminis spatio cum plerisque, Orbis Christiani Regibus, Principibusque, ac Rebus publicis vel bellis collisus, vel amicitiæ, fœderumque rationibus innexus fuerit; sic ut selectissimam dimidii fere seculi notitiam hæc historia polliceatur. Quæ omnia ex fide posteritati tradi non solum ad gloriam Serenissimæ Domus interest; sed & illustria per documenta prudentiam alere cupidos penitius introspicere juvabit exemplum Principis, qui per tot, tamque graves rerum conversiones immotus stetit, ac inter horrentes hinc inde scopulos, reflantesque subinde ventos clavo semper obnixus adhæsit, portumque gloria mactus, nec sine præmio tenuit. Quam animi constantiam, ac circa rite libranda rerum momenta solertiam, Divini Numinis favore subnixam, eo majore cum plausu fama fert, quo difficilius alias negotia expediunt Principes, qui magno alicui corpori, qualis Germania est, copulari agitant, ad cujus compagem, nexumque communem illis semper respiciendum est; quam qui nemini perpetuo quopiam vinculo implicitii, aut obnoxii, rationes suæ ditionis unice consilio habent. Accedit, quod Electoris Nostri provinciæ a Lithuania ad Belgii limitem porrectæ potentissimos Europæ Status vicinitate contingunt: qui cum fere studiis, ac utilitatibus immane quantum dissideant, nimirum exquisitissima circumspectione opus fuit ad istorum destinata æstimanda, propriaque consilia ita temperanda, ne alicubi navis ad brevia adhæresceret. Enim vero ut omnia isthæc ornata satis, ac tanto Principe digna historia me expositurum polliceri audeam, longe a modestia mea, tenuisque ingenii conscientia abfuerit. Cum tamen fidem, candoremque, quæ maximam partem officii historiam condituro incumbentis absolvunt, summo ubique studio repræsentare sedeat, si quid adscititii cultus defecerit, benignus Lector facile veniam indulgebit. Potius erit tantum pelagus ingressuro Divinum Numen in vota vocare, ut spatium vitæ, animique, & corporis vires huic labori sustinendo, absolvendoque suppeditare dignetur. Simul quia hoc ipso tempore, quo manum operi admoveo, Fridericus Wilhelmus ad cœlestia excessit, cujus memoriæ posteris transmittendæ maturos annos, ac non dispari labore subactum calamum devovi; ut FRIDERICVS TERTIVS, tanto parente dignissimus Filius, ac successor, ab isto cœptam gratiam continuet; quo aliis curis exsolutus, queis mortalium animi distrahi, aut refrigerari solent, huic unico operi alacris, lætusque vacare possim.

§. 2. Cæterum quo idoneus velut aditus ad memoranda Friderici Wilhelmi Electoris gesta pandatur, conveniens fuerit paucis attigisse, quæ rerum facies per Germaniam, peculiaresque ipsius ditiones fuerit, quo tempore Idem harum regimen suscepit, ne per mollia & declivia ad isthanc magnitudinem provectum arbitremur. Fuit igitur tunc utriusque durissima conditio, & quæ solicitam admodum circumspectionem desiderabat, ne jam antea maximis miseriis mersa patria immedicabili exitio obrueretur. Per quatuor amplius lustra atrocissimi belli incendium Germaniam, ac Marchicas ditiones depastum fuerat, nec quando istud, aut quo exitu sistendum foret, animo satis prospicere licebat. Id bellum quo fonte promanarit, & quibus se gradibus tam late diffuderit, cum alii, ac nos ipsi dudum exposuerimus, pluribus heic recensere superfluum fuerit. Verbo tantum monuisse suffecerit, Domum Electoralem Brandenburgicam uti per diuturnam superstitionem inolitos circa sacra errores per subjectas sibi provincias abolere fas judicaverat; ita quæ ista occasione vindicata fuerant emolumenta legitimis rationibus tueri studuisse, procul habitis consiliis violentis, aut ad turbandam patriæ quietem tendentibus. Sic & post suborta controversia Juliacensis ut potius per amicam transactionem, quam sumtis armis componeretur, Joanni Sigismundo Electoris nostri avo laboratum fuit. Mox cum Fœderatis per superiorem Germaniam Protestantibus, qui *Unionis* sibi vocabulum indiderant, copias parare placuisset, subinde ab Eodem in pugnam prurientibus ingestum fuit: satis haberent injuriam adversæ partis arcuisse, neu per offensas ultro præbitas fumantem jam sub cineribus ignem in flammas proritarent. Dehinc ut erumpens apud Bohemos seditio mature componeretur, votum erat. Et quanquam Friderico Electori Palatino ob affinitatis vinculum, & quia rei Evangelicæ interesse videbatur, amplissima quæque fortunarum accessio optabatur; nunquam tamen Idem Elector autor ipsi esse sustinuit, ut oblatum a turbido populo diadema acceptaret, non proviso adversus Domus Austriacæ, factionisque Pontificiæ molem idoneo paratu; quin potius monuit, ne solidam fortunam splendidioribus, sed lubricis atque incertis permutare properaret. Cum tamen istum sua infelicitas recentibus juxta, avitisque bonis evolvisset, Georgio VVilhelmo, filio ac successori semper cura fuit, quantum verbis, studioque conniti dabatur, prolapsas Palatini res instaurare, diu etiam collegam Bavarum a Cæsare suffectum adspernatus, donec prævalentibus ubique Cæsaris, ac sociorum armis adversus torrentem niti, ac alienæ calamitatis nullo fructu accessionem fieri imprudens visum. Præsertim cum & tunc servandæ Borussiæ cura animum adverteret, translatis in vicina Gustavi Adolfi Regis Sveciæ armis, ne forte istius belli contagium pretiosissimam Domus Brandenburgicæ provinciam corriperet. Interim diffusa per utramque Saxoniam Cæsaris arma Marchicas quoque terras inundavere, hospi-

Facies rerum per Germaniam & Marchiam, cum Fridericus Wilhelmus regimen susciperet.

hospitiorum vocabulo per gravissimas exactiones exhaustis civibus; ad quæ mala averruncanda nil virium suppetebat inter veteres Cæsaris ditiones, & quas recens invidiosæ jam antea potentiæ hic adjungere agitabat incluso. Ac preces & querimoniæ incassum consumebantur apud superiores fortuna nimium secunda ebrios, queis per blanda verba, promissaque nunquam effectum habitura patientiæ oppressorum illudere artificium erat. His malis aliquam se medicinam allaturum ferebat Gustavus Adolfus Sveciæ Rex magno cum successu indormientibus fortunæ suæ Cæsareis ingruens; cujus tamen adventu molestiæ belli mutabantur magis quam tollebantur, reliquis miserorum civium adesis per eos, qui graviores hospites expulerant. Ac peculiaris cura Electorem coquebat, ne per istum Regem Pomerania gratis interciperetur, quam idem rebus suis per Germaniam fundamentum invitante situs opportunitate destinaverat. Ostendebatur tamen eminus via non sine insigni Domus Brandenburgicæ incremento eas difficultates superandi, ni præmatura ejus Regis mors istud consilii in herba suffocasset, postquam deinceps Sveci satis habebant bellum decore, nec citra præmium ponere, eorumque animis odium adversus exterorum imperia penitus inoleverat. Post fata Ejusdem quæ paulum adhuc inter vacillantem tot sociorum concordiam, ac indiversum tendentia studia constiterant Protestantium arma, inauspicatum ad Norlingam prælium uno velut ictu prostravit. Horum res præcipiti lapsu ruentes ut temporario quodam remedio sublevarentur, & quia exterorum auxilia in medicinam civilium malorum adhibere anceps valde, & suspectum habebatur, Pragensis pax properata fuit. Cujus labes, in exitium demum summæ rerum apud Protestantes eruptura, etsi Electori Brandenburgico, aliisque perspicacioribus satis pelluceret; tamen cum nec alienæ vires, nec propriæ in promtu essent, quibus incitans se denuo fortunæ Cæsareæ æstus sisteretur, duræ quantumvis leges admittendæ fuerunt, non tam quod probarentur, aut ad diuturnitatem valituræ crederentur, quam ne præpotentis victoris ira intempestive provocaretur. Et ipsum tempus, conversiones etiam haut prævisas rebus offerre solitum, mollius remedium suggesturum sperabatur malis, quæ tunc violentam curationem respuebant. Videbantur tunc Sveci tanta clade debilitati uno impetu solo Germanico iterum deturbandi; in quos ut & a Brandenburgico Electore hostilia sumerentur, istorum temporum conditio subigebat, cum in præmium acceptatæ pacis Pragensis Pomerania ostentaretur, & Sueci suorum duntaxat armorum rationes sequerentur, quid aliis fieret incuriosi; quos & Pomerania, aliique respectus tunc Domui Brandenburgicæ reddebant insociabiles. Sed cum post incassum effusos primos impetus Cæsaris, ac Saxonis vires in languorem ire, ac in angustum antea redactæ Svecorum vires diffundere se iterum cœpissent, longe asperior Marchiæ calamitas incumbebat, Svecis data opera Pomeraniæ vicina euastantibus, ut ipsa circum inopia hanc ab hostium invasione tutam præstaret. Istos frangere nec Cæsarei valebant, alibi quoque districti, qui & ipsi provincias Ordinum velut alienas proculcabant; nec propriæ vires in promtu erant, ad summam rerum momenti quid allaturæ. Ita, quæ miseranda eorum sors est, qui belligerantibus vicinis ab idoneo se paratu haut instruxere, inter arma prævalentium media hærebat Marchia, utrique parti contemta, prædæque exposita: nec quid consilii capiendum foret, in expedito erat. Nam ut abrupta cum Cæsare amicitia in Suecorum partes transiretur, nullus color erat, ac talia ausis in promtu ultio imminebat. Et Suecis sese adjuncturo, ni validis copiis succingeretur nulla gratia & autoritas, obstante quoque super Pomerania inexplicabili nodo. Et tamen quid continuata in Suecos hostilitate proficeretur, haut adparebat; cum & plena Cæsaris victoria exitium libertati Ordinum, sacrisque purioribus minaretur, & invalescentia in dies Suecorum arma vix spei quid relinquerent, 1641. citra plurimorum annorum laborem, ac infinitam sanguinis & impensarum profusionem istos Germania dejici posse. Ad quod ipsum ni præstabilem operam navassent Brandenburgici, metus erat, ne isti Pomeraniam sibi retinerent in pensationem sumtuum; velut quorum armis ea provincia exteris erepta fuisset, Marchia tunc utrinque Cæsareis ditionibus coarctanda. Ac rebellionem induens Catalonia, Lusitanique Castellanorum imperium excutientes animos Gallis ad bellum extrahendum addebant, Cæsaris viribus non parum accisis. Ita Marchia tunc inter sacrum saxumque destituebatur. Nec e Clivicis provinciis Electori multum proveniebat, quas Hassi, aliique tributis bellicis emungebant.

§. 3. Inter ista curarum ancipitia mors Georgium Wilhelmum Electorem Regiomonte rebus humanis eximebat, relicto unico filio Friderico Wilhelmo, vicesimum tunc ætatis annum agente, qui per leges publicas imperio jam per se obeundo capax protinus hæreditatem adiit, dignationemque Electoralem exercendam assumsit. Mors Patris, simul sua successio iisdem literis Cæsari, cognatisque Principibus per Germaniam, tum Regibus Galliæ, Magnæ Britanniæ, Daniæque, & Poloniæ, ac Ordinibus Fœderati Belgii, Principique Arausionensi significata fuit, quibuscum Domui Brandenburgicæ veteres amicitiæ, & officiorum rationes intercesserunt. Primum novi Principatus specimen erat quosdam ministros adsciscere, spectatæ fidei, nec affectibus emolumento Electoris, præsentique rerum statui discrepantibus imbutos, amotis, de quorum animo secus judicabatur. Ut is hinc regimen auspicaretur, subigebat Adami Comitis Schwartzenbergii potentia, penes quem summa fere consiliorum sub Patris imperio fuerat. Ei studium in partes Cæsaris erat enixius, quam ut legitimi Germaniæ status meminisse videretur; cujus ea est indoles, ut non, sicuti in cæteris gentibus, quæ regnantur, omnis imperii vis in una domo sit, reliqui fere servientium conditione agant; sed ubi Cæsari certus potentiæ modus legibus, ac recepto more definitus; & qui Ordines audiunt, maximam Reipublicæ partem constituunt, quos inter Electores peculiari fastigio eminent. Quo fine & Comes iste veteres quosdam ministros velut ipsius consiliis adversos muneribus demoverat, subrogatis aliis, qui placitis suis succinerent. Et pollebat vir iste mira dexteritate animis Principum adrependi, nec solertia ingenii, ususque res tractandi deerat. Sed præter nimiam in Austriacas rationes propensionem in transversum rapiebat labes, qua plerumque

Georgius Wilhelmus Elector moritur. 20. Nov. st. vet. 1640.

Fridericus Wilhelmus succedit.

Ministri quidam mutantur.

Comitis Schwarzenbergii artes.

que Romanis ritibus addictorum animi infecti funt, ut pium credant suæ sectæ res quacunque ratione promovere, adversæ partis fortunas hostili odio subrutum ire. Is igitur cum antea semper, quæ in favorem Protestantium, & qui horum tunc causam fulciebant, Suecorum consilia agitabantur, evertere studuerat, aut saltem Cæsareis clam perscripserat, quo prævisa minus nocerent: tum præcipue, postquam prolapsis istorum Norlingensi prælio rebus omnia in Cæsarem vergerent, Electorem Georgium Wilhelmum consiliis suis plane in istius partes traxerat, ac, ut in Suecos hostilia sumeret, permoverat. Quo autore dehinc anno 1637. conventio cum Cæsare inita fuerat, ut copiæ Electorales, quæ tunc istius exercitui jungebantur, in Cæsaris simul, & Electoris verba adigerentur. Quod uti circa eos, qui in expeditionem educebantur, non iniquum erat; ita ut idem ad præsidiarios munimentorum Electoralium porrigeretur, :um summo periculo conjunctum habebatur. Quantillum enim restabat, ut Cæsar non plenus Marchiæ Dominus foret, cum obnoxios sibi habeet præter Gubernatorem provinciæ, (nam Elector n Borussiam digressus istum Marchiæ regendæ imosuerat,) præsidiarios Spandoæ, Custrini, & Peizæ, ocorum situ & operibus longe munitissimorum, a uibus universa Marchia dependet. Quorum & ræfecti peculiariter Comiti erant obnoxii, iidemue ob respectum Cæsaris laxius Electori sese obrictos credebant, eoque plus licentiæ sibi arrogaant velut ex parte alieni. Nisi quod Conradus orgstorfius Cüstrini præfectus egregia in Elector.em fide Comiti infensus ageret, quem & hic loco iovere, aliumque sibi obnoxium sufficere cupieit, defuncto Electore Georgio Wilhelmo, id munimentum sibi retenturus velut in solo Magistri rdinis Joannitici situm, quodque adeo ab isto Orne dependere par sit. Ista totum Marchiæ stam in ancipiti ponentia cum Filio nativa judicii ctitudine, ac fidissimis Domus Electoralis minis improbarentur, Comes Electorem illecebris is perpulerat, ut horum quidem præcipui muneius suis exuerentur, & ipse Filius ab omni consilium, quæ tunc agitabantur, rerumque notitia arcetur. Cum igitur Comes potentiam suam hoc ɔdo firmasset, novus Elector haut tutum judicat statim ab initio imperii, & antequam ipse res is stabiliisset, offensam in istum palam exserere; l misso Wernero Schulenburgio de gratia sua urum esse, ac Marchiæ administrationem contiare jubebat; tum ut præsidiarios in verba ipsius igeret, quorum præfectis functiones proroga.atur. A quibus tamen Comes novum Sacraentum haut exegit, sed ut porrecta manu fidem rent, satis habuit. Inquirebat tamen Elector, ad iosnam usus adhibitæ forent chartæ puræ, Patris anu subscriptæ, quas ille in Borussiam discedens omiti reliquerat. De quibus hic rationem red-ebat, restitutis, quæ supererant. Cæterum non ontentus Elector dextræ datæ vinculo quasi niis langvido præsidiarios utique sibi soli jus jundum præstare volebat; id quod eo magis necessitium videbatur, quod Electori relatum esset, Cærem cupere tribus istis munimentis suum militem nmittere. Quod etsi Schvvartzenbergius a Cæare unquam desideratum negaret: diserta tamen mandata ad præfectos mittebantur, ne ullum a Cæsare militem intra ista munimenta reciperent; id quod & legibus pacis Pragensis repugnet.

§. 4. Quanquam autem literæ Electoris ad Comitem propitia omnia præ se ferrent; quia tamen nova subinde jussa ab isto veniebant destinatis hujus adversa, & capita iterum in aula proferebant, quos Comes hactenus oppressos tenuerat: quid animo circa se volveret Elector, haut difficulter divinare licebat. Unde Comes ultro petebat cura rei militaris se exsolvi, sola rerum civilium cura relicta. Id quod dudum factum fuisse optabatur, quod per calida & obnoxia ejusdem consilia irritatis Svecis occasio præbita fuerat extremam Marchiæ vastitatem inferendi. Enimvero mox Electori juxta, & Comiti mors opportuna consulebat, & utrumque gravi cura exsolvebat; illum quidem, ut suspectum atque prægravem ministrum citra molestiam amoliretur; hunc, ut necessitatem reddendæ rationis declinaret. Cœperat mense Februario Comitis valetudo morbo tentari, cui ortum præbuisse creditur rumor, quasi ab Electore in Borussiam evocatus foret ad causam super actis suis dicendam. Quo nomine tamen is literas se accepisse negabat, ac velut rebus suis confisus jactabat, promte se venturum, si Elector jubeat. Ac in Aula Cæsaris differebatur: *tantas esse Schwartzenbergii illecebras, artesque deliniendis Principum animis, ut dubitandum non sit, quin novi Electoris gratiam sibi pigneraturus sit, si eundem accedere detur.* Acceperat mox idem literas Ratispona scriptas, quæ Electorem gravissimam in ipsum offensam concepisse asseverabant. Unde animo consternatus statim horrorem febrilem sensit, ac sexto post die extinctus est apoplexia, uti medici judicabant, quod dissecto corpore in reliquis visceribus nil vitii adpareret, ac solum cerebrum copiosiore sanguine suffusum foret. Nam calculꝰ in vesicula fellis ovi columbini magnitudine repertus ad mortem nihil fecisse credebatur.

Is offensam Electoris sentit.

3. Mart.

§. 5. Audita Schvvartzenbergii morte Elector Conradum Borgstorfium Cüstrini præfectum Spandoam properare jubebat, ut defuncti supellectilem obsignaret; cui Augustus Mauritius Rochovius Spandoæ præfectus obsistebat, causatus id absque Cæsaris venia fieri non posse, cui & ipse juramento sit obstrictus. Nec minus frænum mordebant Hermannus Goldackerus Peizæ, & Crachtius Berolini præfectus, qui & gregarium militem in societatem flagitii pertrahere conabantur. Sed quos mox in ordinem redegit Ernestus Marchio, Joanne Georgio Marchione, quem vulgo Camoviensem nuncupabant, natus, quem Elector regendæ Marchiæ in locum Comitis surrogarat. Is Rochovium, qui in solius Electoris verba jurare præfracte abnuebat, offensa dissimulata blandis verbis Berolinum evocabat, velut magni momenti negotium cum ipso communicaturus; venientem præfectura exuebat, & tantisper in custodiam dabat, ne Spandoam reverti posset, quoad alius præfectus ei munimento constitutus esset. Is uti præfecturam sibi adimi patiebatur; ita tribunatu legionis, quæ præsidium ibi agitabat, abdicare se renuebat, causatus, legionem Cæsaris esse, cui ante quadriennium, cum in expeditionem educeretur, Sacramentum dixerit. Ast Marchio, inanibus tergiversationibus insuper habitis, legionem in solius Electoris verba adegit, alium-

Elector suspectos præfectos amolitur.

Rochov.

Goldack.

Crachs.

Jegerdörffer. 1641.

1641. aliumque eidem tribunum imposuit. Rochovius iste eo ferociæ excesserat, ut jactare non dubitaret; *si quavis intentaretur, se Spandoæ munitiones subjecto pulvere disjecturum, & ad Cæsareos transiturum.* Qui & post Berolinensi custodia elapsus pedestrem legionem pro Cæsare conscribebat. Nec minus Goldackerus, & Crachtius in custodiam dabantur, qui & ipsi ad Cæsareos profugerunt, fortasse turbas daturi, ni Marchionis prudentia in tempore eosdem oppressisset. Ægre tulerat Cæsar, quod Elector milites suos suo duntaxat, non etiam ipsius simul sacramento obstrinxerat. Id quod tamen a Saxone nunquam factum erat; & justior Electori querendi causa suppetebat, quod omnes, qui in offensam suam incurrissent, ad Cæsarem se conferrent, ibique tutelam, & gratiam invenirent. Ferocius quoque jactare se cœperat Schvvartzenbergii filius, Magistrum se Ordinis Joannitici utique laturus, quod pater ipsum sibi Coadjutorem dixisset, ac vi possessionem prædiorum Electoralium invasurus, quæ pater hypothecæ titulo ob mutuo datas pecuniæ summas obtinuerat. Sed Elector reposuerat; *ad munus Magistri viam ipsi non patere, nisi suo consensu velut supremi ejus Ordinis Protectoris accedente: & prius creditum ad liquidum esse deducendum, quam hypotheca invadi possit.* Unde Comes multa digna indigna fremere, ac inter alia in aulam Cæsaris scribere: *Electorem cum multis suorum Svecis amicum, Cæsari hostem esse.* Quibus super literis cum ad reddendam rationem vocaretur, (nam illæ interceptæ, notisque evolutæ fuerant,) noctu se Berolino proripuit, & in Aulam Cæsaris profugit, minitatus; sese Electori, quantum posset, nociturum.

Elector circa levandas Marchiæ calamitates satagit. §. 6. Schvvartzenbergio, aliisque parum fidis amotis Electori deinceps integrum fuit levandis Marchiæ calamitatibus ea remedia adhibere, quæ ipse in præsens maxime accommoda judicabat: quæque ni propere applicarentur, in solitudinem agri videbantur redigendi, munitis quoque locis fame perdendis. Provinciales atrocitate, ac diuturnitate malorum desperationi proximi, a quibus miles cum importunitate stipendia, & alimenta extorquebat, cum defensionem non præstaret; ac iisdem pro libidine insultabat, parum solicitus, quid a Consiliariis mandatorum veniret. Præfecti quoque non obscure minas jacere, ni protinus ipsorum avaritiæ satisfieret. Commercia velut inter mortua jacebant, Albi, Odera, VVartaque fluminibus clausis: & alicubi tanta agrorum vastitas erat, ut intra complura milliaria hominum nil, ac pecudum conspiceretur, ac inter alia observaretur, in districtu Ruppinensi quatuor duntaxat vicos utcunque integros superesse. Sed & Sveci longe sævius, quam antea grassabantur, seu ut novi Electoris animum per aspera ad repetendam ipsorum amicitiam compellerent, seu ut ultionem reponerent incursionibus, queis subinde a milite Brandenburgico in Pomerania, Meclenburgica, Lusatia, & Silesia lacessiti fuerant, nullo ad summam rerum fructu. Nam cum hosce de nova in Pomeraniam irruptione agitare Svecis innotuisset, Torsto Stalhantschius, postquam Cæsarei in hiberna concessissent, e Silesia in Marchiam vertebat, ac Zossena arce tertio assultu expugnata Berolino, Coloniæque minabatur, quas urbes una cum arce pulcerrima Electoris sede repetitis mandatis a Banerio in cineres ut redigeret se jussum ferebat.

Sveci per Marchiam grassantur. Stalhantsch. Januar. Zossen.

Quod cum non serio agi, sed terrori duntaxat ciendo jactatum Elector judicaret, Schvvartzenbergius tamen præsidia e Ratenavia, Brandenburgo, Fehrberlino, Potstamo, aliisque modicis oppidis evocata ad tuendam urbem contrahebat; tum suburbiis Coloniæ ignem immittebat, qui & multa Electoris ædificia magni pretii absumebat; hoc valde indignante, quod ita propere ad extrema decursum esset, nullo adhuc hoste comparente. Ac si is modus tuendi res nostras adhibendus sit, igne injecto easdem corrumpere, nil opus fore, militem tanto sumtu alere. Præsertim cum Stalhantschius mox in Silesiam revertisset, nec propius Berolinum processisset. Sicuti & illud Elector improbat, quod Schvvartzenbergius Zossenam arcem muniisset, eique præsidium imposuisset; cui vacuæ nihil noxæ ab hoste illatum fuisset. Ex altera parte Axelius Lilius per Meclenburgicam ingruebat, occupataque Havelberga, Ratenavia totaque Havelandia, aliisque circum locis late provinciam tributis emungebat, simul ipsis Electoris præfecturis, reditibusque manus injiciebat. Causam ejus irruptionis tulerat, ut novos delectus, quos Schvvartzenbergius agitare dicebatur, dissiparet, simul Brandenburgicorum in Pomeraniam excursiones præverteret. 1641. *Axel. Lilius.*

Schvvartzenbergii consilium circa Pomeraniam. 2. Jan. §. 7. Super hisce malis avertendis cum consultatio institueretur, Schvvartzenbergius quidem, dum adhuc viveret, per literas Electori id consilii suggesserat: *Nemini incognitum esse, Svecos in præmium belli Pomeraniam sibi destinare; qui & sæpius jactasse auditi sint, si vel bini Electoratus offerantur, Pomeraniam tamen sibi potiorem esse. Sed & quosdam Ordinum Imperii in Conventu Noribergensi, & Ratisponensi disseruisse; a ratione alienum, & Christiana doctrina placitis indignum esse, Pomeraniæ causa totam Germaniam hostili juxta & amico militi vastandam exponere, bello tam exitiabili diutius extracto; nec aliam viam esse Svecos amoliendi, quam cessa Pomeraniæ parte. In hac ipsa sententia esse Cæsarem, ac defuncti Electoris mentem super eo negotio exquisivisse. Hic quanquam ista proposita initio plane adspernatus fuerit, ac utique totam Pomeraniam sibi retinere maluerit, multis in eam rem rationibus adductis, ac quantum non sua minus, quam totius Germaniæ intersit, ne valida, ac bellicosa natio, ac uti adparet fines suos proferre cupida, in Pomerania niduletur, unde Germaniam a tergo distinere possit, Gallo ex altera parte incumbente: ad extremum tamen amorem pacis prævaluisse, ac ut immeritam quantumvis exprobrationem declinaret, velut in sui gratiam patria misera foret, declarasse; si Cæsari & Ordinibus videatur, consentire se, ut Svecis pars Pomeraniæ detur, ea tamen expressa lege, ut sibi protinus alibi eodem jure seu dominii seu hypothecæ tantundem tradatur, quod ipse in casu hypothecæ redditurus sit, ubi pars Pomeraniæ Svecis oppignerata sibi restituta fuerit. Atque huic declarationi Legatos Electorales in Conventu Noribergensi & Ratisponensi semper inhæsisse. Quod si igitur nulla alia via occurrat, Pomeraniam per transactionem aut arma propria sociorumve recuperandi, non adparere, quare, non deinceps quoque ei sententiæ sit insistendum, cum pacem calamitates Germaniæ tantopere exposcant, modo in præsens alia ditio paris cum cessa pretii obtineatur. Nam pace semel facta incassum ipsis apud Cæsarem & Ordines circumcurrendum fore. Quod si per peculiares tractatus Pomeraniam a Svecis recuperare placeat, id quod difficillimum futurum sit,*

sit, ideo tamen bellum his cum Cæsare ac imperio haut desiturum; nec minus, quam hactenus non Pomeraniam solum, sed & Marchiam incommoda armorum sensuram. Quod idem metuendum, si aliorum auxilio adhibito Svecos Pomerania expellere aggrediamur, cum isti expensas belli nobis tanti sint imputaturi, quanti tota ea regio est; & cum istas exsolvere nostras vires excedat, tantisper earundem nomine terras recuperatas ab illis insessum iri, sic ut hoc modo non nisi hostem mutaturi simus.

§. 8. Ista etsi satis recte, & ad mentem Electoris se habebant; tamen cum in futurum prominerent, præsentibus Marchiæ miseriis haut consulebant. Unde Elector omnibus probe expensis saluberrimum in præsens rebus suis judicabat, hostilia adversus Svecos omittere, sibi noxia, his etiam profutura, quod inde ansa arriperetur Marchiam funditus evastandi; præsertim cum suæ copiæ eousque imminutæ forent, ut parum noxæ nisi vellicando, & excurrendo inferre hosti possent. Ac nisi mox armis pausa imponeretur, Sveci universam Marchiam tributis subjecturi erant, interceptis omnibus Electoris proventibus, munitis demum locis fame perituris, ac Cæsareis forte in Marchiam pertrahendis. Igitur promulgato edicto suis imperabat, *ne Svecos intra sua stativa ubicunque locorum* [...]*xtra Marchiam lacesserent, aut turbarent, neque ab inco-* [...]*is Pomeraniæ omnem vim, rapinamque, & violentas ex-* [...]*ctiones abstinerent, neu istos contributionum causa in captivitatem abriperent, ac jam abreptos dimitterent. Tum* [...]*t Marchii cum Svecis super tributis amice transigerent,* [...]*c tutelares ab iisdem literas peterent, velut e duobus malis* [...]*inus. Ubi iidem vim illatum veniant, quantum pos-* [...]*nt, ingruentes propulsasse satis haberent, ultro eosdem* [...]*e invaderent.* Atque ne id edictum in speciem pro- [...]ulgatum videri posset, præfectus turmæ, qui in [...]ecienburgicam ad prædas agendas excurrerat, [...]erolini capite plectebatur. Præfecto quoque Cü- [...]rini injunctum, ut mercatorum navigiis inter Ste- [...]num & Francofurtum hinc inde libere commeare [...]rmittet. Sane ipsi Ordines Marchiæ apud Ele- [...]orem enixis precibus institerant, ut ad inducias [...]m Svecis perveniretur, quo mitigatis paulatim [...]imis ad veterem amicitiam regressus foret. Id [...]od Schvvartzenbergio haut probabatur: *Ea consi-* [...]*apud Cæsarem & Ordines diffidentiam adversus Ele-* [...]*rem recens imperio potitum excitatura, cum tamen isto-* [...]*m favor novis ipsius rebus quam maxime proficua sit.* [...]*Sveci ab Electoralibus copiis metuere desinant, facile* [...]*is fore e præsidiis Pomeraniæ & Meclenburgicæ sex mi-* [...]*um millia educere, queis in Cæsarem sociosque utan-* [...]*r; quod his non possit non magnopere displicere. At ipsos* [...]*ecos, si tam langvida Electoris consilia animadverterint,* [...]*quod etiam ante cœptos tractatus huc descenderit, exi-* [...]*am ejus rationem habituros, ac inter tractatus duras* [...]*ditiones obtrusuros. Quin cum ita crudeliter Mar-* [...]*iam habuerint, dignos esse, quibus omni adhibita vi* [...]*io reponatur. Et cum iidem pleraque Marchiæ loca* [...]*ederint, nil fore, unde noster miles alatur, si istis, quæ* [...]*mparint, nullo turbante frui liceat. Tum subtractis* [...]*meis proventibus primaria munimenta retineri non* [...]*sse, ac nostra arma plane collapsura, in quibus salus* [...]*archiæ vertatur. Denique Svecos forte longius gras-* [...]*turos, si nusquam vim sibi opponi videant. Igitur valde* [...]*cumspecte negotium induciarum cum Svecis tractan-* [...]*m: saltem inscio Cæsare nil suscipiendum. Alias* [...]*lectorem omnia sibi ab hoc auxilia præclusurum, seque* *solum libidini Svecorum expositurum. Sane in hoc negotio initium tractandi non apud Svecos esse faciendum, sed apud Cæsarem, cui per Legatos, qui Ratispona sunt, misera Marchiæ conditio ob oculos ponenda. Et cupere quidem se in fide Cæsaris atque Imperii immotum persistere; sed quia res Svecorum indies gliscant, sua in deterius ruant, ac metus sit, ne ipse hoc modo penitus sua ditione exuatur; igitur Cæsarem, & Electores consilium poscere, quod in præsens sibi sequendum sit. Id nisi præmittatur, tractatum cum Svecis non posse non graves in ipsum suspiciones apud istos excitare.* Svadebat inde Comes, ne Elector copias suas imminueret, aut exautoraret, antequam super induciis plene conventum sit: alias enim Svecos conditiones pro lubitu intensuros. 1641.

Porro quod Elector judicet, hac ratione faciliorem paci viam sterni, idem & a Luneburgicis, atque Hassis jactari, qui & ideo negent hostilitatis quid sibi cum Cæsare intercedere. Nec inficiari se, Cæsarem utique ad pacem amplectendam constringi posse, si Ordinum unus post alterum ab ipso se disjungat, Svecorumque societati accedat. Sed an non in Electorem maximum inde damnum sit redundaturum, penes prudentes judicium fore. Sane quod Cæsar summa cum ditionum propriarum molestia Svecos armis urgere pergat, in gratiam Electoris fieri, ac ut ipsum in Pomeraniæ possessionem immittat; id quod leges Pacis Pragensis jubeant. Ast ubi Elector ultro manus negotio subtraxerit, conventione cum Svecis inita super ponendis hostilibus, ac ut sibi neutrarum esse partium liceat, ac ipse beneficio Pacis Pragensis renunciet: Cæsarem id facile pati posse, velut qui hoc modo obligatione, qua per eam pacem se induit, liberetur. Atque huic perinde fore, Sveci, an alius Pomeraniam possideat, quod ipsi per eam nihil decedat postquam Sveci jam declararint, se istlhanc provinciam in feudum a Cæsare & Imperio recognituros. Equidem ostentare Svecos æquivalens quid pro cessa Pomerania, sed dubio admodum eventu, & non citra summas difficultates repræsentandum. Disparem quoque esse Electoris conditionem a Luneburgicis, & Hassis: Nam iis Svecos non modo nil adimere, sed & potentiam eorundem augere velle; quorum illis Hildesiensem, his Fuldensem, & Hirschfeldensem præsulatus promiserint. Cum contra prævalente Cæsare, Svecis succumbentibus, circa cupitas ditiones utrisque spes in ancipiti futura sit. Enimvero Svecorum incrementa Electori damno cedere, in illos translata Pomerania tota, aut ejus parte, vel etiam addita forte portione Marchiæ, quæ situs opportunitate quam maxime iisdem blandiatur. Ast florentibus Cæsareis armis salvam Electori fore Pomeraniam. Et quia multis Ordinum persvasum sit, cum Svecis nisi Pomeraniæ jactura decidi non posse, in ea sententia hos magis confirmatum iri, si perspexerint, Electorem id negotium, quod ipsum proxime tangit, non eo studio, quo Pater, amplecti, ac inito medio statu ostendere, se de jure suo aliquid remissurum.

§. 9. Enimvero ista pleraque ab Electoris mente discedebant. *Nam neque sibi animum esse, copias suas exautorare, antequam de Svecis cautum sibi sit, cum sibi plane inermi quævis conditiones impingi queant. Nec exemplum Luneburgicorum, & Hassorum imitari, aut a Cæsare deficere velle; sed id duntaxat spectare, ut afflicta Marchia a continuis malis tantisper respirare detur, quæ Cæsare hoste non minus graviter incubitura sint. Cæterum nec a Cæsare bellum solam ob Pomeraniam geri. Id enim si foret, longe satius fuisse, tractatus Patri suo ab Oxenstierna Cancellario propositos suscipi, & ad finem perduci, quam bello tam exitiabili implicari. Sed &* *Electoris super hoc sententia.*

Ratis-

1641. *Ratispona jam variissimam de Pomerania mentionem fieri: de qua sola si ageretur, parum circa pacem apud Aulam Cæsaream difficultatis fore, aliena haut ægre amissuram. Rationem, quare ipse Svecos lacessi vetuerit, fuisse, ut omnia avertantur, quæ subjectis suis exitio cedant, ac ut status suarum ditionum pro captu temporum firmetur. Ac satis nosse, ideo quatuordecim vicos infra Custrinum sitos a Svecis inflammatos, quod subtribunus Hartmannus Goldackerus in Pomeraniam irruperit, prædasque egerit, & ante Stetinum molendina aliquot incenderit; cui & Sveci palam denunciarint, haut omissuros se paria reponere. Ita malignum valde operæ pretium factum tributis e Pomerania exactis. Et absurdum vindictæ genus esse, si injurias per Svecos nobis illatas in Pomerania exequamur, quam utique inter nostra habemus. Sed nec ideo Svecos præsidiis suis per Pomeraniam, & Meclenburgicam militem detracturos, cum metuendum ipsis sit, ne edicta nostra super omittendis hostilibus revocemus. Denique vitio nobis Cæsarem haut daturum, quod postquam copiæ nostræ eo usque redactæ sint, ut hostem vi ultro illata urgere nequeamus, satius ducamus, vim utcunque arcere, nec plura conari, quam quousque vires nostræ pertingant.* Cæterum extincto Schvvartzenbergio id negotium nullo obluctante expeditius procedebat. In specimen renascentis amicitiæ Elector citra lytrum dimitti jussit Joannem Nicodemi Lilliestrœmium, & Kempendorfium militarem quæstorem, repudiato Saxonis postulato, quo istum sibi tradi voluerat. Ejusdem dimissioni Elector initio hanc legem addi voluerat, ut ad se in Borussiam accederet, super induciis cum Regina conditiones propositurus. Sed cum is mandati defectum, & valetudinem excusaret, citra exceptionem ut ad suos abiret indultum.

Lilliestrœm. Kempendorf.

Werbense castellum diruitur.

§. 10. Ad levandas quoque Marchiæ molestias Electori visum Werbense castellum, in angulo ad confluentes Albis & Havelæ positum solo æquare, ne Cæsarei, qui tunc cum exercitu in vicina accesserant, id occuparent, & vectigal a prætervectis ibi navigiis exigerent, cujus dulcedine inescati haut

23. Aug. ita facile id postea deserturi erant. Ea de re cum Cæsari innotuisset, is per literas ab Electore exquirebat, quibus de causis ejus castelli demolitio sus-

25. Sept. cepta foret. Ad quas ab hoc responsum: *Id munimentum magnos sumtus requirere, ut sartum tectum servetur; ac gravia inde damna sensisse Marchiam, nullo alio fructu, quam ut aliquoties alienis id insidentibus facultatem præbuerit Veterem atque Mediam Marchiam cum districtu Prignicensi tributis subjiciendi, & exercitum non unum in Marchiam pertraxerit, qui citra id eo penetraturus non fuerat; commerciis quoque & navigatione fluminum per idem occlusis, aut vectigali oneratis. Quod & dudum destruendum fuisse, ni Schvvartzenbergius proprium ob lucrum id servasset, ejus opera exactis pecuniis, quæ apud telonium ad Lenzenam nomine usuræ ob creditas pecunias ipsi assignatæ fuerant. Sed & alias id castellum arrodente utrinque flumine ita male habitum, ut citra maximos sumtus refici haut potuerit. Unde Marchiæ incolas ejus destructionem anxie expetiisse. Et consilio cum viris militaribus habito judicatum, haut dignum id esse, quod tantis sumtibus servetur, non alium usum præbere aptum, quam ut pons navalis ibi extructus ex eo defendi queat: cum tamen Albis pluribus locis æque commode navalibus pontibus sterni queat. Demolitionem quoque ejusdem jam mense Februario fieri jussam, cum de adventu Cæsarei exercitus nulla adhuc suspicio esset; quod & statim effectui datum foret, ni Svecorum irruptio intervenisset; quos oculos ad id castellum adjecisse* 1641. *constabat, suis ad eorum vim repellendam haut sufficientibus, cum tuendo ei castello vix mille militum præsidium sufficiat. Igitur opus tantarum impensarum, exigui usus funditus disjectum, ita ut reparari amplius nequeat, ad evitandam in Aula Cæsarea indies gliscentem suspicionem, velut ipse cum Svecis colludat. Denique eo destructo vicinis damni aut præjudicii nil fieri, quin commodi potius quid conciliari. Nam eodem in alienas manus delapso Albim claudi, & commercia intercipi, aut onerari posse. Igitur offensam se Cæsaris non metuere, si citra ullius fraudem subjectos suos superfluo onere levare officii sui duxerit.*

§. 11. Sed & minuendis Marchiæ oneribus *Equitatus Cæsari conceditur.* facere censebatur, quod reliquum erat equitatus Cæsareo exercitui transcribere, Archiduce Leopoldo Wilhelmo eum evocante. quod jam antea Cæsareo sacramento devinctus esset, nec in Marchia suppeteret, unde aleretur. Qui & excursionibus in Svecorum stativa hos irritaverat, ut ipsi quoque vindictæ reponendæ Marchiam popularentur. Sane quod Stalhantschius nuper Banerii jussu in Marchiam irruperit, causam fuisse istius querelas, suis copiis in Silesia & Lusatia nil quietis per Brandenburgicos concedi, quorum & grassationes per Lusatiam Saxoniæ Electori displicuerint. Easdem prædæ duntaxat causa fieri, nullo ad summam rerum momento, & non nisi miserorum provincialium exitio. Istos porro equites, qui & præfracte in solius Electoris verba jurare abnuebant, amittendi plausibilis occasio nascebatur, quod Cæsar eosdem sibi concedi postulasset, missis in Borussiam ad ipsum Georgio Adamo Borzita Comite Martinitzio, & Joanne Kaltschmidio. Hi post solennia super obitu Patris, susceptoque regimine verba disserebant; *Spem esse Cæsari, Electorem in fide erga ipsum atque Imperium perstiturum, & ad defensionem Germaniæ quicquid possit operæ navaturum, occlusis ad eorum consilia auribus, qui ab eo instituto ipsum avertere instituant.*

Missio Cæsaris ad Electorem Martinitz. Kaltschmid.

In eundem sensum Uladislaus, Poloniæ Rex, ad *15. Mar.* Eundem scripserat, Cæsaris citra dubium instinctu; ut studium in Domum Austriacam continuaret. Addebatur a Cæsareis narratio super statu armorum, & quid consilii circa res præsentes Cæsar agitet. Ad quæ Elector, quæ tali occasione decora habentur, reponebat; uti & ad ea, quæ Maria Augusta suo nomine præsentibus congrua proponi jusserat. Inde ad graviora conversi Legati *ostendebant; cum ex omnibus hostium Imperii actionibus adpareat, pacem, quam verbis jactent, cordi ipsis non esse, sed id potius eosdem agere ut Germaniam sub jugum mittant, Ordinesque externo dominatui subjiciant; sicuti & Banerius eam ob causam ad Ratisponæ mœnia se ostenderit, ut Conventum ibi Ordinum, simul pacifica Cæsaris destinata dissiparet: hunc adversus ista rem ita disposuisse, ut, si pacis consilia nihil proficiant, hostibus ubique valido armorum paratu occurri queat. Eo fine etiam opera Francisci Alberti Lauenburgici Ducis cum Joanne Arnheimio* *Arnimb.* *conventum, ut is exercitum paret e Cæsareis legionibus in Silesia hærentibus, quibus tres equitum, totidem peditum Legiones recens conscribendæ sint accessuræ; quo nomine ingens pecuniæ summa ipsi numerata sit. Cum autem non Cæsaris solum, sed & totius Germaniæ intersit, per Arnheimii exercitum arma Svecorum distrahi, postulare Cæsarem, ut Elector eum in finem copias suas subministret, Arnheimii imperio subjiciendas.* Super ista porro Arnheimii expeditione paucis monendum, eum virum,

Arnheimiana uti consilia.

uti semper Svecorum progressibus sese objecerat; ita præcipue post custodiam Holmiensem subigente vindictæ libidine ad eum finem summa vi incubuisse. Quo fine e Svecia elapsus Daniam, Poloniam, Silesiam, & plerasque Germaniæ provincias peragraverat. Qui cum judicaret, haut aliam rationem esse Svecos solo Germanico depellendi, quam erepta Pomerania, eam ob causam exercitum contrahere instituit, dum Svecorum primariæ copiæ alibi per Cæsareos duces distinentur. Eo super negotio Franciscus Albertus Lauenburgicus apud Cæsarem egerat; cui cum ista destinata apprime probarentur, Tilemannus Secretarius ad Arnheimium mittitur super iisdem transacturus. Ei hic declarabat: *Si Cæsar Silesiis exercitium sacrorum Evangelicorum restituere velit, ob quod ademtum ipse imperio in exercitum Saxonicum sese abdicaverit ideo, quod nomine Saxonis Silesiis fidem in eam rem dederit, se Cæsari operam suam addicturum.* Quæ omnia Cæsar annuerat, VVratislaviensibus permotis, ut sexaginta florenorum millia persolverent, quibus reliqui Silesiæ Ordines ducenta millia addere debeant ad viginti militum millia conscribenda: his Brandenburgicas, & Saxonicas copias adjungendas. Destinatum ipsi Oderam & Albim in potestatem redigere, Luneburgicis quoque Ducibus oppressis. Ipse tamen pacto duntaxat Cæsari volebat adstringi, jurisjurandi vinculum adspernatus. Circa quod pactum subscribendum dum Dresdæ occupatur, apoplexia incurrens istis conatibus eum evolvit paucis post Schvvartzenbergii mortem diebus, qui cum vivus semper arcana commercia miscuerat. Ejus viri morte Saxo valde indoluit, nec Daniæ minus Rex, qui & eo dolore consiliorum istorum particeps arguebatur; etsi revera ejusdem machinationes patriæ suæ nunquam profuerint, semper nocuerint. Ipse inter extrema jactaverat: *propositum sibi fuisse, exercitum, quem paratum iret, in Electoris Brandenburgici manus tradere, Pomerania eo facilius adquirenda; etsi studium suum valde refrigeratum sit, postquam ipse Regium montem nuper transiens sat contemtim fuerit habitus.* Et idem Cæsari scripserat; Electori non eam esse sententiam, quam ipse optarit. Enimvero Arnheimius multa de bello extrahendo disseruerat Electori parum grata, cui in votis erat, ditionem suam quamprimum armorum calamitatibus liberare. Porro ad proposita a Legatis Cæsareis Elector respondebat: *curam Cæsaris circa Imperii salutem magnopere sibi probari, & quod ista etiam ad ipsius se ditiones porrigat; ad eum finem ipse, quantum valeat, conferre sit paratus. Sed Marchiam per mala belli plane exhaustam, peditatum ita decrevisse, ut vix præsidiis primariarum munitionum sufficiat. Ad qualemcunque Marchiæ tutelam trecentos equites retenturum; reliquos militiæ Cæsareæ transcripturum.*

§. 12. Ast præparando cum Svecis tractatui super induciis Hamburgum mittebatur Samuel Winterfeldius; cui Avauxius Legatus Gallicus, quem primo loco accesserat, multa cum amicitiæ testatione confirmabat; *hanc missionem Regi suo admodum gratam futuram, qui & Electori impense faveat, ejusque res singulari cura complectatur. Sibi quoque volupe fore, operam suam ipsius heic negotio accommodare; ac compertum sibi Svecorum favorem in eundem inclinare.* Ultro addebat, Regem Galliæ circa Pomeraniam utilem Electori operam navaturum. Apud Salvium Legatum Svecicum idem dehinc exponebat de Electoris desiderio circa instaurandam cum Regina Sveciæ amicitiam, quam præteritorum temporum iniquitas abruperit. De quo cum Ipse multis modis testatus sit, Svecos contra infestis animis per Brandenburgicam ditionem grassatos; cui malo sistendo remedium nunc exposcere. Salvius ista pronis auribus admittere; lætum sibi, Electorem in concepta semel sententia persistere, super qua tamen cum nondum certi quid conventum sit, hostilia omitti non potuisse, præsertim cum equites Brandenburgici sub Stetinum usque excurrentes, incendiisque sævientes Suecis paria reponendi necessitatem attulerint. Ad se quidem bellica negotia non spectare; apud duces tamen ea de re moniturum. Innuebat dehinc, Joannem Liliehæckium Orientalis Pomeraniæ præsidem mandata super induciis tractandi habere; sed satius fore huic negotio in ipsa Svecia fundamentum jacere, Leuchtmaro illuc misso. *Leucht-mar.* Judicabat Winterfeldius, causam irrumpendi in Marchiam Axelio Lilio dedisse Legatos Cæsaris ad Electorem missos, & quia equitatus reliquiæ Cæsareo exercitui adjunctæ sint; quod Sveci natura suspicaces verbis sibi satisfieri nolint, ubi facta secus sint: qui & commodis suis acriter invigilent, nec initium reconciliationis a se profectum videri velint. Querebatur etiam Salvius, equites Brandenburgicos Cæsaris se militiæ addictos jactare, eoque rapinis & populationibus licentius grassari; unde iisdem compescendis a Svecis paria fuisse reponenda. De cætero confirmabat: injunctum sibi, apud ipsum testari, Reginam cupidam reparandæ cum Electore amicitiæ, quam abruptam fuisse doleat.

§. 13. Placuit inde a Joanne Lilliehæckio literas tuti itineris pro Electoris Legato in Sveciam abituro petere: in cujus responso cum titulus Ducis Pomeraniæ omissus esset, literæ redhibitæ sunt. Missi tamen haut eo secius Stetinum Otto Sverinus, & Leuchtmarus; qui apud provinciæ præsidem circa quinq; capita proponebant: *Ut sint induciæ, quoad cum Regina transactum fuerit: ut Svecicus miles ex Havelandia revocetur: Marchiæ incolæ nullis tributis, aut violentis exactionibus premantur: utque amicitia utrinque colatur.* *Super inducüs Stetini incassum agitur. Lilliehak. Sverin.* Ast ibi negotium longe difficilius repertum, quam speratum fuerat, Præside post varios scrupulos vicissim postulante; *ut in securitatem tractatuum Elector Custrinum, & Castellum a Cavea Ursi militari vocabulo dictum tradat, a Svecis retinendum, si eos tractatus turbari contigerit: ut stationes militares, prout nunc per Marchiam dispositæ sunt, deinceps quoque maneant: Elector copias suas citra fraudem Sveciæ exautoret: ne denique mittantur, qui tributa per Svecorum hospitia extorqueant.* *Bernka-sten.* Dura erant ista, & quæ magis proposita videbantur tentando Electoris animo, quam ut serio istis inhærere Sveci vellent. Sed cum præsidem Svecicum eo se jactare adpareret, ut iniquas conditiones paulatim mitigando negotium cauponaretur, satius visum in Svecia ipsos fontes adire. Nam Reginæ eam rem cordi esse inde colligebatur, quod Salvius monente Winterfeldio ad Lilliehæckium scripsisset, ut hostilibus in Electoris terras abstineat alendæ ipsius in Svecos inclinationi. Pari argumento ad Stalhantschium, & Axelium Lilium ab eodem literæ datæ fuerant.

§. 14. Sic igitur placuit Gerhardum Romilianum Kalchun cognomento Leuchtmarum in Sveciam

1641. am ablegare, Electori cumprimis fidum, & adolescentiæ ipsius quondam rectorem, qui & multis Sveciæ Senatoribus notus erat. Occasio arripiebatur, quod Ordines Imperii e Conventu Ratisponensi literas, quas ad Reginam, Senatum, Ordinesque Sveciæ scripserant, Electori commendarant, ut eas per certum hominem in Sveciam perferri, ac responsum ad easdem exigi curaret. Et alias Elector una cum Moguntino e Collegio Electorali designatus erat negotio pacis promovendo. Leuchtmaro injunctum, ut de obitu Electoris Georgii Wilhelmi Reginæ significet; cujus officii dilationem excusaret per gelu solito diutius sæviens, quo maritimum iter interclusum fuerit, aliaque impedimenta. Inde literas Ordinum Imperii ad Reginam, & Senatum reddat, per quas luculento indicio refellantur malevolorum rumores, velut eo Conventu magis de extrahendo bello, quam reducenda pace agatur, testatus de serio in pacem, amicitiamque cum Regno Sveciæ instaurandam studio, tum universorum Ordinum, tum præcipue Electoris. Ast literas ad Ordines Sveciæ haut placebat ab ipso Leuchtmaro iisdem reddi, ne id forte a Regina in sinistram partem acciperetur, velut ipsa per populum monenda, aut impellenda sit ad id, cujus cupidinem verbis semper præ se tulerat; sed præstare visum Senatui eas tradi, qui optime norit, quomodo eædem Ordinibus insinuandæ sint. Ad eas literas responsum exposcat, ac videat, num Regina aliquid propositura sit, tractatibus pacis promovendis idoneum. Inde exhibeat literas manu Electoris scriptas ad Cancellarium Oxenstiernam, cui post honoris verba ostendat, *quantopere Electori semper consilia illorum hominum displicuerint, qui tanto dissidio Reginam inter, ipsiusque Patrem causam dederunt, idque data occasione testari haut omiserit: sed cujus animi ipse graves pœnas luerit, dum velut extraneus quispiam ab omni paternorum consiliorum communicatione exclusus fuerit. Hucusque tamen immotam sententiam stetisse, amicitiam vicinitate & cognatione commendatam, & quasi avita hereditate ad se transmissam continuare, & quæ per prava consilia eadem sit luxata reparare. De hoc se apud Reginam, & Cancellarium primo loco testari voluisse, quod Illa propinquo sibi sanguine jungatur, cujus & Pater singulari ipsum amore complexus sit, quem & ipse post cineres magna veneratione prosequatur. Hic autem optime norit, quid olim in Germania sit actum, qui & egregium in eam rem studium declararit. Unde per ipsum secreto cognoscere velle, qua via ad istum scopum pertingere liceat, & an non is consultum judicet ab induciis initium fieri, ac post eo obtentu ad Electorem a Regina Legatos mitti, quibus simul de restituenda cum ipso amicitia dari mandata queant.* Istæc ubi non repudientur, super suspendendo in unum vel alterum annum armorum usu agat his legibus, ut eo spatio non solum hostilia, sed & tributa, & colligendis militibus stationes per suas ditiones cessent; commerciis libertas nullo novo onere restituatur; loca, queis Sveci ad necessarios fluminum transitus non indigeant, reddantur; præsidia locorum, queis isti ad plenam usque transactionem se carere haut posse arbitrentur, aliunde alantur, quo Marchiæ ab oneribus belli paulisper respirare detur. Id si placeat, a Regina ad duces suos scribendum, ut hostilibus adversus Electoris ditionem abstineant; prout & ipse gravi sub pœna suis interdixerit, ne Svecis extra Marchiæ fines molestiam facessant, etsi haut eo secius iidem infenso modo eam provinciam nuper populati sint. Tum impedire studeat, ne hi tractatus ad Banerium, aut Salvium rejiciantur, quod istud dispendio temporis, multisque ambagibus ansam præbiturum sit. Ubi de Pomerania quid injiciatur, mandato se destitui excuset, & quod ea res ad aliam negotiationem pertineat. Cæterum confidere ipsum, Svecos haud ideo per Germaniam arma sua circumtulisse, ut Reginæ proximus cognatus hæreditaria ditione exuatur, aut ut ipse luat, quæ ab aliis citra suam culpam admissa sint. Sed spem esse, Oxenstiernam hanc rem ita temperaturum, ut tractatio formulæ illi, quam ipse Sigismundo Gœtzio Cancellario anno 1635. tradiderit, aptetur. Operam quoque det, ut Pomeraniæ negotium in præsenti statu relinquatur, nec ad plenam usque transactionem in eo quid alteretur. Ostendat quoque Cæsarem declarasse, sibi haut displicere, si Electori super Pomerania cum Svecis convenire possit; ac optare Electorem, ut Oxenstierna ipse eam tractationem suscipiat; de cujus amicitia, justitia, & æquitate iste plurimum sibi polliceatur. Quod si Oxenstierna demonstrare instituat, Patrem Electoris hostilia orsum, ex quo fonte animorum utrinq; exacerbatio promanarit; super ea re in disceptationem ne descendat, sed potius petat, ut antegressa oblivioni dentur. *Nemini ignotum, unde ista omnia promanarint, & Patrem Electoris commiseratione magis, quam accusatione dignum esse. Saltem Electorem ab omni culpa immunem, qui in nullam partem eorum consiliorum admissus sit.* Quod si Iste regerat; Electorem suscepto regimine vicariam Marchiæ administrationem Schvvartzenbergio prorogasse, respondeat: *Eum virum plerosque militares præfectos sibi obnoxios reddidisse, ac antehac eo usque rem provexisse, ut præsidiarii munitissimorum locorum Cæsari juxta, & Electori jurejurando obstringerentur. Adversus quod haut aliud remedium fuisse, quam ut hic initio præfectos suo solius sacramento adigeret, circa quod nonnulli sat acriter tergiversati sint, & equitatus in hunc usque diem id recusarit. Et Comitem, si Elector offensam apricatus fuisset, ductores obfirmaturum, ac fortasse Cæsareum militem, ab Electore plane non pendentem, intra munitiones fuisse recepturum. Nec exautorari potuisse suspectos quosdam ductores, antequam soli Electori sacramentum dixissent; quod alias, quamdiu Cæsaris se milites simul jactassent, oblatam ab Electore missionem acceptaturi haut fuerint. Ast postquam isti fidem huic soli obstrinxissent, ejusmodi subinde mandata ad Comitem missa, e quibus ipsi facile fuerit colligere, Electori haut quidquam in animo esse ex ejusdem consiliis pendere, quare ita eum consternatum, ut ex animi mœrore, ac sensuum perturbatione mortuus credatur. Ac si diutius supervixisset, experturum fuisse, num ipsius consilia Elector probarit.* Si Oxenstierna literas ad Pomeraniæ Ordines, & scriptum publicum circa jus Electoris in eam Provinciam objiciat, reponat; istas enixo rogatu certorum hominum scriptas tuendo ipsius juri; in quibus auxilii Cæsarei mentionem ideo injectam, ne initio regiminis Aulæ Cæsareæ suspectus redderetur, cum nondum constaret, quid a Svecia sibi expectandum foret, neve adeo utrique parti invisus destitueretur. Ubi sinistre accipi senserit,

Ejus mandata.

Gœtze.

1641. ſerit, equitatum ſexcentorum non amplius capitum Cæſari traditum, excuſet; illos Electori ſacramentum non dixiſſe, ſed Cæſareos ſe milites tuliſſe; quos in ordinem redigere haut licuerit. Sed pedites citra difficultatem ſolius Electoris ſacramento potuiſſe adſtringi, cum id apud omnes Imperii Ordines uſu receptum ſit. Cum conſiliis Arnheimii Electori nil fuiſſe negotii. Contra nunc Svecis integrum eſſe, vel ſextuplo plures ſuorum præſidiis detractos in hoſtem ducere; ac eo magis ipſis caveri convènta ab Electore ſervatum iri, quod iſte nil militum retinuerit, præter neceſſaria præſidia, & trecentos equites arcendis prædonum catervis. Quod ſi Sveci tranſitum fluminum apud Electoris munimenta poſtulent, reponat; id eſſe præter indolem ſimplicium induciarum, nec alteri parti tranſitum concedendum. Sed quo minus ſupra aut infra munimenta tranſitus ſumatur, Electorem non prohibiturum. Si de irruptione Hermanni Boothii in Livoniam idem moveret, ipſe reſpondeat; neque Electorem, neque conſiliarios, qui patris tempore fuerint, in ullam ejus negotii partem veniſſe. Equidem Polonos in Comitiis ea irruptione graviter indignatos Patrem Electoris conſcium arguiſſe; qui id tamen conſtanter negarit. Ac licet ab iſto Boothio delectus per Boruſſiam agi ſenſerit, eos tamen impedire aut quo ſpectarent, curioſe inquirere ſuum haut duxiſſe, quod pactis inter Domum Auſtriacam, Regnumque Poloniæ uni in alterius ditione militem conducere integrum ſit. In univerſum, ſi quæ forte exprobranda ſint, de ſincera Electoris intentione teſtetur; ad odioſas diſceptationes ne deſcendat. Nam Electoris non fuiſſe conſiliis ſe ingerere, ad quæ vocatus non ſit, aut iis contradicere, de quibus liquido ſibi non conſtiterit, aut Patri ſe opponere non ſine violatione decori, & honoris eidem debiti. Cæterum de tranquillanda Germania, & tractatibus ei fini inſervientibus in commune diſſerat, quæ peculiariter Electorem tangant, ſicco pede tranſeat. Præter iſta injunctum, ut Regina medio ſtatui Clivicarum ditionum faveat; id quod eo facilius obtineri poſſe videatur, quod ipſe Cæſar eo nomine Legatum ad Fœderatos Belgas miſerit. Si Sveci tractatus ſuper pace cum Polonis ſuſcipere velint, confirmet; Electorem proximis Comitiis apud Regem & Ordines Poloniæ ſuo nomine moniturum, ac nil operæ iſti promovendæ omiſſurum. Inſuper petat, ut belli oneribus eximatur dotalitium Matris Ducatus Croſnæ & Zullichæ, una cum præfecturis Sveta, Vierrada, Freienvvalda, & Neuenhaga; ſuper quorum locorum immunitate Cæſar quoque verbis laxioribus caverit, quod vocabulum neutrius ſtatus auribus iſtius aulæ parum gratum accidat. Denique Oxenſtiernæ commendet cauſam Marchionis Erneſti, quo is futuris tractatibus Carnoviæ Ducatum recuperet, vel paris pretii ditione potiatur. Nec minus ut idem pro cauſa Palatina nitatur, quod alias Catholici in omnibus Collegiis publicis majorem partem faciant, & Evangelicos ſuffragiorum numero obruant.

Booth.

§. 15. Iſthanc legationem Leuchtmarus dextre admodum obivit, inita ſuper induciis conventione in hunc ſenſum: *Sit inviolabilis armorum quies per biennium a die exhibita ratificationis inter Reginam Svecia, & quacunque loca Illa in Germania poſſidet, aut deinceps poſſidebit ab una, & Electorem Brandenburgicum cum omnibus ſuis ab altera parte; quo temporis ſpatio haut licitum ſit invicem ladere, aut quid hoſtile intentare: nec Regina quid cum ſubditis Electoris in Marchia moliatur, quod huic fraudi eſſe queat, ſicuti nec Elector quid moveat cum miniſtris Regina, aut Pomerania incolis. Commercia civium utrinque ſint licita: nova vectigalia ne inſtituantur; qua belli tempore introducta ſunt, aboleantur, & omnia ad antiquum modum redigantur. In Boruſſia quoque libera negotiatio ne impediatur, de qua jam pactis Induciarum Polonicarum cautum.* Clivicæ ditiones ſeponebantur, velut quæ ab hoſtibus & amicis inſideantur. *Hoc temporis ſpatio penes Electorem maneat poſſeſſio totius Marchia, exceptis locis, qua Regina relinquuntur, nempe Drieſena, Landsberga, Croſna, Francofurto, Garlebia cum ſubjectis territoriis, e quibus redigatur, quantum præſidiis alendis ſufficit juxta conventionem ſuper ea re ineundam. Iis in locis juriſdictio militaris ſit penes præfectos oppidorum; civilis juriſdictio, & œconomia præfecturarum Electori peculiarium huic illibata maneat. Bona Magiſtri Ordiniſque Joannitici tantiſper Svecis relinquantur. Caſtellum Werbenſe Elector intra octiduum a die ratificationis in manus Suecorum tradat; contra Sveci reſtituant Electori oppida Tangermundam, Stendaliam, Sehauſam & Oſterburgum cum ſubjectis territoriis. Quod ſi id caſtellum non tradatur, neque dicta oppida a Svecis reſtitui neceſſum ſit; ac caſtellum iſtud ob inevitabilem ejus occupandi neceſſitatem his induciis exemtum ſit, omni interim Marchia harum beneficio gaviſura. Utrique parti liceat annonam intra munitiones ſuas inferre. Per hoc tempus Elector ob majorem Pomerania ſecuritatem hoſtibus tranſitum per Spandoam, Cuſtrinum, & Peizam non concedet, nec eoſdem annona, inſtrumentoque bellico juvabit. Si hoſtes in Marchiam irruperint tantis cum copiis, ut repelli non poſſint, & in Pomeraniam, aut Meclenburgicam tendant, aut ſi ratio belli Svecis tranſitum per Marchiam cum exercitu, & copiis impoſuerit, induciæ ideo pro interruptis haut habeantur, ſed miles ex inſeſſis, viciniſque locis quantum fieri poteſt, minima cum provincialium moleſtia ſuſtentetur, delegatis ab Electore circa annonam diſponentibus. Liceat Dominis loci manus injicere privatis graſſatoribus, in eoſque tanquam prædones animadvertere. Intermedio tempore Electori haut ſit integrum, nova munimenta per marchiam extruere in fraudem Svecorum. Contra Sveci delectibus militum in Marchia abſtineant. Captivi utrinque ſine lytro, aut literis reverſalibus dimittantur. Si quid ante ratificationem immutatum fuerit, id in ſtatum reponatur, qui fuit die decimaquarta Julii. Super reſiduis contributionum deinceps conveniatur. Si quid a privatis contra leges induciarum patratum ſit, id damnum ex æquo reſarciatur ab iis, qui dederunt, & læſa parti jus citra moram dicatur, ſalvis de cætero induciis. Iſta conventa aut ſancte ſerventur, Regina & Elector operam ſe daturos promittebant; & ſi a privatis contra fiat, id reparetur, noxiique plectantur.* Subſcripſerant id pactum Philippus Sadlerus, Alexander Erskeinus, & Joachimus Tranſæus una cum Leuchtmaro, illi Reginæ, hi Electoris nomine. Holmiæ die 14. Julii anno 1641.

Sadler, Erskein, Tranſæus.

§. 16. Ad propoſita autem a Leuchtmaro in eum ſenſum a Regina reſponſum: *Dolere ſibi, ſalutaria ſua conſilia, ac pronum in commoda Domus Electoralis Brandenburgica animum antea locum non inveniſſe, tum,*

Reſponſ. Leuchtmaro data.

nec

1641. *nec mature rationem initam tollendæ diffidentiæ, & prævertendis hostilibus, remque adeo inter se, & avunculum suum in apertum bellum erupuisse. Cui sopiendo quod remedium Elector filius quærat, id dignitati & officio ipsius quam maxime congruere. Quanquam autem sibi causa non desint, quare propositam rationem rejiciat, velut rebus suis minus accommodatam, nec publicæ tranquillitati producendæ sufficientem: in gratiam tamen propinqui sanguinis consensisse, ut per biennium arma utrinque cessent; & ut istud pactum ratum habeatur effecturam, simul ut conventa conditiones impleantur, pacisque negotium promoveatur, ac confidere, Electorem, quicquid penes se sit, ad honestam, tutam & justam pacem constituendam collaturum.* Super Clivensi negotio Eadem declarabat: rebus suis haut conducere, ut ipsa se ejus provinciæ negotiis ingerat, quod Hollandorum valde intersit, ne destinata ibi bellica turbentur; & quia Landgravia Cassellana res ibi suas firmarit occupatis quibusdam locis; cui & necessum sit pridem fixam in Westphalia sedem belli retinere, ac pro re nata per eandem arma latius proferre. Contra Cæsari facile esse concedere, ut istæ provinciæ bello eximantur, quo subtractis istis tributis Hassorum arma imminuantur. Quanquam & e pactis adversæ partis cum Duce Neoburgico manifestum sit, eam conventis haut stare, *Neuburg.* ac armis complecti, quantum rebus suis expedire, judicaverit. Igitur negotium illud differendum, quoad communicatione cum Landgravia & aliis Sveciæ sociis facta, de communi sententia aliquid statui queat. Super dotalitio Viduæ Electoralis Regina consentiebat, ut dictæ præfecturæ belli oneribus eximantur, modo Elector caveat, ne hostis ea loca occupet, aut ex iisdem damni quid Svecis inferat. Sed ut præsidium Svecicum Crosna & Zullicha deducatur, rationem belli in præsens non ferre; quæ & ideo belli oneribus eximi nequeant. Quantum tamen licuerit subditis istis parcendum, nec nisi extrema necessitate transitum ibi sumendum. De promovenda Marchionis Ernesti causa prolixe pollicebatur Regina, nec minus de Palatina, modo & reliqui studium ipsius fulcire velint. Conventum præterea fuit, ut Reginæ ministrum Custrini habere liceat, qui curam gerat, ne quid contra pacta fiat; & si tale quid agitari sentiat, Ministros Electorales moneat, aut ad gubernatorem Stetinensem referat: tum ut subditorum Svecicorum negotia in terris Electoralibus promoveat; quem & muneri isti vacantem nemo impediat, & Elector peculiari tutela prosequatur. Cæterum causas dilatæ significationis de morte Patris probabat Regina, multo cum verborum honore dolorem super ejus obitu, & gaudium super suscepto ab Electore regimine testata, cui studium pacis enixe commendabat, ad quam reducendam & Ipsa omni studio feratur. Ab Eadem quoque Leuchtmaro literæ responsoriæ ad Ordines Imperii tradebantur. Porro Leuchtmarus, quod absque justo procuratorio eam conventionem conclusisset, scriptam cautionem exhibere necessum habebat, intra trimestre procuratorium se ad conceptam formulam ab Electore obtenturum, idque in Sveciam missurum, uti & post factum fuit. *18. Dec.* Ratificatio tamen ejus pacti ob lentum Leuchtmari ventis reflantibus iter, aliaque gravia negotia Electori incumbentia paulo tardius, quam conventum erat, expedita fuit.

§. 17. Ista porro cum Svecis conventio uti rebus Electoris summe tunc necessaria erat; ita dubium non habebatur, quin eadem Cæsari summe displicitura foret, aliis quoque Ordinibus pari modo sibi consulturis, & quia non obscure insinuabatur, Cæsarem tuendis Ordinibus non sufficere, ac bellum potius privatas ob rationes, quam pro salute totius Imperii gerere, cui nemini se subducere fas foret. *1641. Apud Cæsarem super his induciis acta.* Unde & cupierat Elector eam negotiationem a Cæsare in antecessum probari. Quo fine jubebat legatos suos Ratisponæ, Joannem Fridericum Læbium, Petrum Fritzium, & Matthæum Wesenbecium, postquam solennia de obitu Patris, Filiique successione exposuissent, apud Cæsarem, ejusque ministros super intolerandis Marchiæ miseriis queri, queis nullum ab armis remedium restare videatur. *Inanes apud Cæsarem super Marchiæ miseriis querela. Læben. Fritz. Wesenbec.* Nam spes erat istos ultro suasuros, ut Elector tantisper induciis cum Regina initis sibi consulat: Enimvero de his altum silentium, nec obscurum erat, tale quid Cæsari parum gratum fore, velut a suis rationibus abhorrens, & cui Ordinum mala tanquam aliena adspiciebantur. Nec aliud repositum, quam Stalhantschium jam Marchiæ finibus excessisse, ac Martinitzium Comitem idoneas rationes propositurum servandis Electoris ditionibus, ipsiusque militi alendo. Ac miserat Cæsar mandatum Goltzio, copiarum suarum per Silesiam duci, ut Stalhantschium Marchia extraheret, obsesso uno aut altero loco, quem Sveci in Silesia occupaverant. *Goltz.* Cæterum statim atque Elector rerum potiebatur, Cæsari suspicio nascebatur, huncce telam consiliorum a Schwartzenbergio cœptam haut pertexturum, quod veteres consiliarii per istum expulsi muneribus suis restituerentur. *Suspiciones Cæsaris in Electorem.* Cum tamen Elector significasset; Comiti munus vicarii per Marchiam regiminis prorogatum, ac sibi fidem, cultumque adversus Cæsarem immotum persistere; hic satisfactum sibi verbis testabatur. Eidem dehinc Legati Electorales proponebant, ut Svecis summa potius pecuniæ, quam cessa Pomerania satisfiat; aut si utique ejus provinciæ pars cedenda foret, ut ea daretur jure hypothecario, non perpetui dominii, ac ut protinus Electori tandundem terrarum eodem jure traderetur. Tum ut ipsi liceat separatis cum Regina tractatibus tentare, num id negotium amica via componi queat; utque iisdem aliquis nomine Cæsaris intersit declinandæ suspicioni. Neque enim se quidquam citra consensum Cæsaris conclusurum, sed omnia ad hunc bona fide relaturum. Vicissim petere, ne *9. Febr.* inconsulto se super Pomerania cum Svecis quid agatur. Ad quæ Cæsar multa de suo in Electorem studio, ac in eundem fiducia testari; nec ipso inscio & invito cum Svecis transactum iri. Tum in arbitrio ejusdem relinquebat, num aliquem suorum Hamburgum mittere velit, interfuturum illis, quæ tunc inter Conradum Lutzovium, & Salvium ibi agebantur. *Lutzov.* Quod tamen mox a Cæsareis retractabatur, obtentu, Salvio nil mandati esse super satisfactione Svecica transigendi. Polidem Legati jussu Electoris apud Trautmannsdorfium obiter jecerant, quid Electori pro Pomerania dandum sit, si utique ejus pars Svecis cedenda foret? *Super æquivalente pro Pomerania exigua spes. Trautmansd.* Quibus iste sat frigide: *cum nondum constet, quid Svecis dandum sit, prematurum esse super æquivalente*

1641. *valente Electori tribuendo agere.* Ac adparebat Cæsareos super ea pensatione Electorem ad Ordines velle rejicere. Sane ut mature de eadem cogitaret Elector, sat rationum erat, quod nulla spes esset, Svecos data pecuniæ summa solo Germanico dimoveri posse, in quorum animis cupido Pomeraniæ altas jam radices egerat. Ac jamdudum Cæsar Schvvarztenbergio scripserat, Pomeraniam armis recuperari nullo modo posse. Quod nunc multo difficilius futurum erat, Marchia plane exhausta, ut venienti licet Cæsareo exercitui post comesa omnia iterum recedendum esset, Svecis mox reversuris spicilegio absolvendo. Sed & in Aula Cæsarea ne verbum quidem audiebatur de Electore in Pomeraniæ possessionem mittendo, quod leges Pacis Pragensis dictabant; sed subinde de parte ejus provinciæ Svecis concedenda jactabatur, velut quod declinari nequeat, ac uti cum hoste quibuscunque conditionibus decidendum sit. Præsertim cum Cæsar de hæreditariis suis ditionibus nihil decerpi vellet, ac onus Svecis satisfaciendi in Ordines devolvere constituisset, ad quod Catholici teneri se negabant, Evangelicis idem supra vires suas querentibus. Quin fremebant; iniquum esse, in Electoris gratiam bellum extrahi non sine extremo Germaniæ periculo. Et cum Lotharingiæ Duci, e Pace Pragensi restitutionem ditionis suæ postulanti, non nisi laxioribus verbis responsum esset; *in colloquiis de pace cum Gallis ejus rationem habendam, nec ipso invito eam concludendam:* id multo magis Electori erat metuendum, quod Catholici Ordines Lotharingo faverent. Unde contra Legati Brandenburgici nulla circuitione usi jactabant; *Electorem ne unum quidem rusticum prædium e Pomerania concessurum, nisi terris pari pretio receptis.* Ita necessarium erat, Electorem ipsum circa res suas satagere, ac in commodum suum solida consilia capessere; quæ ab aliis profectura erant, inter rationes ne referre. Nec obscurum erat, ni Regina Sveciæ super isto æquivalente conniteretur, dubiam ejus obtinendi spem esse, quod Cæsar Electoris potentiam gliscere nollet; qui & cumprimis matrimonium inter Reginam Sveciæ, & Electorem horrebat non minus atque Polonus; quo succedente in apertum hostem transiturus Elector censebatur. Cujus animo tentando Cæsar per Ferdinandum Curtium Comitem Legatis Electoris proponebat: *cum anno 1637. inter se, & Electoris Patrem ministro Blumenthalio pactum super recuperanda Pomerania fuerit initum, quo hic sese obstrinxerit ad conscribenda sex peditum millia, equites mille, & expeditioni parata tenenda, eoque fine Cæsar centum millia florenorum ipsi solverit; quas copias Cæsari pariter, & Electori jurejurando fuisse obstringendas, earumque usum, ubi opus sit, Cæsari concedendum, salva interim utrique data fide, easdemque pro re nata ad recuperandam Pomeraniam adhibendas: igitur Cæsarem confidere, Electorem filium ista conventione statuum ac militem suum in utriusque verba adacturum.* Quod ab Electore surda aure transmissum, nec de isto pacto sibi quid constare, aut eo se teneri. Disserebant quoque ministri Cæsarei: *Cæsarei haut persuaderi, Electorem in Svecorum partes transiturum, apud quos nulla emolumenti spes adpareat.* Nam etsi hi pro Pomerania Magdeburgicum, & Halberstadiensem Præsulatum ostentent; illum tamen nondum occupatum, hunc ægre tuendum. Ac istos obtenta Pomerania parum solicitos fore, quid in ejus locum Elector nanciscatur. Sed si Elector Svecis Pomeraniam gratis dare velit, rem in expedito fore, ac pacem longe facilius processuram. Cum igitur Cæsarei circa æquivalens mentem suam aperire tergiversarentur, Electorales quærebant; num Cæsari placeat ab Electore cum Svecis super Pomerania tractatus institui, ut adpareat, quousque ipsorum se cupita extendant, quo cum Ordinibus Imperii super ea pensanda agi queat. Sed nec id Cæsareis arridebat hoc obtentu, quod Salvius Hamburgi facultate tractandi destituatur, nec deceat in Sveciam eum simul ire, quem Cæsar isti negotiationi adjuncturus sit. Et quamvis eam rem aliquoties urgerent Electorales, Cæsarei tamen semper liquidum responsum per verborum ambages declinabant.

1641. *Motus super interceptis literis.*

§. 18. Altius in animum Cæsaris penetrabant literæ a Salvio, & ducibus exercitus Svecici ad Stalhantschium scriptæ, ut is hostilibus in Electoris ditionem abstineat. Eas cum Trotta tribunus per tubicinem Peiza in Silesiam ad istum curare vellet, Goltzius interceptas ad Cæsarem miserat. *22. Jan. Trottæ.* Earum argumentum malevoli interpretando accendebant, velut Elector non de medio statu solo, sed de fœdere quoque, ac sociandis cum Regina armis agitet. Etsi revera longe molliora præ se ferrent literæ, quarum exemplum Electoralibus Ratisponæ communicabatur Electori transmittendum, ac ut exquirerent, quid hic consilii ceperit; quo Cæsari constet, quid ab eodem sibi expectandum sit. Observatum fuerat, Cæsarem, dum istas literas legit, colorem mutasse, ac non parum animo perturbationis concepisse, jactantem: diversa omnia se ab isto credidisse, ac sperasse, de missione in Sveciam sibi prius fuisse indicaturum; qua de matrimonio Reginæ actum iri suspicatus fuerat. Quantum enim rebus suis præjudicium foret afferendum, si jam Electores in hostium partes transire non dubitent? Et Saxo ad Cæsarem literas dederat: Brandenburgicæ actiones sibi haut satis placere, & se ad eundem scripturum, ut salutaria consilia capessat. Nam forte per ætatem quæ ex usu sint non satis perspicere, nec rerum anteactarum accuratam notitiam habere. Cujus & Legati quæ Ratisponæ super peculiaribus induciis jactarint, sibi nullo modo probentur. Quia porro iidem Legati antehac de Marchiæ inopia tantopere questi fuerant, ne forte ea necessitas Electorem ad talia consilia compelleret, Cæsar significabat; Se Piccolomineo injunxisse, ut insignem frumenti vim munitis Electoris oppidis inferat. *Piccolomini.* Ad quæ Legati nihil respondebant, quod tentandi duntaxat gratia id dici crederent, cum exercitui Cæsareo vix sat annonæ suppeteret. Et ipse Elector eam rem suspectam habebat, ne forte eo prætexto Cæsar abuteretur ad eas munitiones in suam potestatem redigendas. Unde & Marchio Ernestus monebatur, ut ab insidiis probe sibi caveret. Arripiebat tamen hanc occasionem Elector, ut a Cæsare sibi concedi peteret annonam, & paratum bellicum, quem Custrini quondam Cæsarei congesserant. Quod & iste multa cum verborum humanitate annuit. Cujus quoque ministri magna cum asseveratione testabantur, Cæsari nunquam

in

1641. in mentem venisse, Pomeraniam nomine sumtuum bello impensorum sibi retinere; id quod Electori terrendo rumor sparserat. Paulo post ipse Cæsar ad Electorem scribebat: *Se consultum duxisse interceptas literas, quarum exemplum adjungatur, ipsi communicare, ut perspiciat, quibus artibus hostes Eidem talia attribuant, quorum diversa plane sibi de ipso polliceatur, velut Patris vestigia nunquam deserturo; de quo & Comiti Martinitzio tam prolixe testatus sit.* Ad quæ Elector: *Gratias se Cæsari agere, quod intercepta litera in animo ipsius nil sinistræ suspicionis generarint; ac firmiter sibi persuaderet, se pollicitis Martinitzio factis staturum, nec paterna vestigia relicturum. Ea fiducia ne Cæsarem fallat, operam se daturum, nec officio erga ipsum, & Imperium unquam defuturum. Cæterum literas illas nil sibi adferre præjudicii posse, præsertim cum non constet, qua intentione scripta sint. A Cæsare deficere nunquam sibi in mentem venisse; nec ut sibi neutrarum partium esse permittatur, ullum verbum a se factum. Id tamen ultro fateri, gratissimum sibi fore, si licitas per rationes amicitia non inter se solum, & Reginam Sveciæ ob cognationem; sed & inter hanc, & Cæsarem, totumque Imperium restitui queat. Et id ipsum a Cæsare nunc quam maxime agi, suos Ratispona legatos referre. Ut ejusmodi Edictum, cujus exemplum adjungatur, per Marchiam a se promulgaretur, summam necessitatem expressisse; quod non solum Mecklenburgici, & Pomerani, sed & cumprimis Saxoniæ Elector, graviter questi sint, provincialibus per ipsius militem plurimum damni inferri, nulla inde hostis noxa, qui & irritatus in Marchiam pelliciatur, incendiis rapinisque longe atrocius nunc sæviens, quam Patre imperante factum sit. Inter has calamitates non inficiari a civibus suis conditionem rerum præsentium sibi ob oculos positam, eorumque se precibus fatigatum, ne hostilibus ultro illatis Sveci ad paria reponenda invitentur. De Lilliestræmii in Borussiam itinere facile fuisse ut Sveci huic suggesserint, quo molestiam carceris evaderet. Cæterum uti Marchia hucusque nullis a Cæsare, aut Saxone auxiliis, lacerata fuerit, rem ipsam loqui; nec mirum, se juxta, civesque a tantis malis respirationem optare. Huc si licita via pertingere detur, Cæsare haut invito id futurum. Nam se, & ditiones suas servari; Cæsari, ac Imperio haut noceri. Ipsam naturam cuivis dictare, ut modestiam verborum adhibeat, ubi resistendi vires defecerint, & per ista ad salutem opera pretium fiat. Ut neutrarum partium sibi esse concedatur, nil se scripsisse, nec eo nomine quenquam misisse; id tamen fortasse ab iis optari, qui talia scripserunt; nec se citra Cæsaris consensum ad ista descensurum. De causa missionis in Sveciam ipsi Cæsari constare; cui Leuchtmarum adhibitum proceribus ibi notum, ac responso ad literas Ordinum extundendo idoneum. De fœdere, aut conjunctione armorum cum Svecis, quod malevoli jactarunt, in literis interceptis nullum verbum exstare; quæ & si maxime tale quid loquerentur, id sibi fraudi esse non posse; ac diversum plane actiones suas docere. Cum enim equitatum suum ipse Cæsari tradiderit, nec plus militum retinuerit, quam præsidiis munimentorum necessarium sit, facile inde colligi, de armorum conjunctione, aut fœdere se nunquam cogitasse.*

14. Jul.

11. Aug.

De actis a Leuchtmaro ad Cæsarem refertur. 21. Aug.

§. 19. Paulo post Leuchtmaro e Svecia reverso Elector legatos suos Ratisponæ apud directorium Moguntinum proponere jubebat: *Cum petitum a se fuerit, ut Ordinum Imperii literas Holmiam mitteret, ac responsum ad eas curaret, eo fine Leuchtmarum a se in Sveciam ablegatum; qui & injunctum negotium diligenter expediverit, uti ex relatis ab eo ad Ordines literis adpareat. Plura in præsens a se effici non potuisse, cum a se plus requisitum non sit. Quod si deinceps plura ejus generis sibi committere velint, indefessam ac fidam operam navaturum, quippe cui nil magis cordi sit, quam ut pax reducatur.* Eadem Legati apud Cæsarem exponere jubebantur, addito; *Leuchtmarum sæpe, idque enixe institisse, ut Sveci majore studio, quam hucusque factum, negotium pacis agere, & conventum tractatibus instituendis maturare velint; id quod ab ordinibus Imperii vehementer optetur. Ea occasione mentionem injectam induciarum ad certum tempus ineundarum, quarum insignis usus futurus sit, circa negotium pacis tanto efficacius abs se urgendum; cum haut commode officium suum interponere queat apertam hostilitatem in Svecos professus. Præterea haut ignotam Cæsari miseram Marchiæ faciem, quam ipse sine gravi animi commotione cogitare nequeat, a Svecis atrociter laceratæ, quorum incursiones in futurum prohibere supra vires suas sit. Ex quo Cæsar facile judicare queat, se vel invitum ad amplectendas inducias compelli, ni totam Marchiam in solitudinem redigi velit; nec persistente hostilitate munimentis suis de annona prospici posse. Agros incultos jacere, commercia intercipi, e Polonia subvectionem adimi, clauso a Svecis Warta flumine; cujus liberam navigationem cum Poloniæ Rex sæpius quæsierit, eam obtineri non potuisse, nisi intervenientibus induciis. Ex Electoralibus præfecturis tantum in præsens non provenire, quantum Marchionis Ernesti sobriæ aulæ sufficiat. Nec inter hostilia corpus Patris defuncti in Marchiam deferri posse, quod ipse inter extrema jusserit. Miseras quoque civium reliquias enixis precibus flagitasse, ut induciæ fierent, ne perseverantibus belli malis solum vertere cogantur; quos solatio cassos destituere a Principis officio alienum fuerit. Denique & communicationem cum Clivicis ditionibus interclusam fuisse. Sperare igitur, Cæsarem haut in sinistram partem accepturum, si in id, quod declinare haut licuerit, consentiendum sibi fuerit. Cæterum neutrarum se partium fieri, aut a Cæsare deficere, nunquam sibi in mentem venisse. Sed induciarum aliam esse rationem. Cum enim ipse Cæsar literis ad Schwartzenbergium scriptis judicaverit, Pomeraniam per arma recuperari non posse, eo tempore, quando res Marchiæ longe melius se habebant, Patrique suo non spernenda copiæ supererant; non sibi solum, sed & Cæsari utilius fore, si per inducias Marchia utcunque servetur, quam ut ipse armis incassum motis munitas quoque urbes periculo exponat, & ad operam patriæ navandam plane se inhabilem reddat, quæ nunc circa pacem promovendam commodius se sumi queat. Quin etsi haut perspiciat, quomodo annona deficiente aliquod in Svecos operæ pretium fieri queat, Imperio, aut Marchiæ levamento futurum; tamen si Cæsar judicet, Svecis in Pomerania cladis quid inferri posse, per inducias viam illuc non intercludi, sed res in priore statu belli manere, ac se partibus Cæsaris addictum persistere. Neque vero aliis Ordinibus, ut suum exemplum imitentur rationem esse, quos neque tanta necessitas subigit, neque eorum terra, uti sua, quantaquanta Svecorum incursionibus patent. De cætero se Cæsari, Imperioque sincera fide addictum persistere, in cujus fraudem nihil unquam sit admissurus.* Eadem apud præcipuos Cæsaris ministros Legati exponere jubebantur, quos re exactius ponderata dubium non erat æquius de ista actione judicaturos, ubi considerarent, quid ipsis faciendum foret, si suo loco positi forent. Quod si isti de induciarum 1641.

 rum

1641. rum legibus exquirerent, responderent; sibi de his haut ita exacte perscriptum, ne forte Cæsarei exemplum pacti exposcerent; sed facile conjicere, Svecos commoda sua e manibus noluisse amittere, & occupata loca pacto præsertim tam brevis temporis retinere cupiisse, quod & per inducias inter Hispanum, & Belgas factum sit. De biennio mentionem injectam. An pure conclusum sit, sibi non constare; adductas tamen rationes ita graves esse, ut credere cogantur, Electorem urgente necessitate jam conventionem absolvisse. Id quoque Elector Legatis suis significabat, in Svecia palam jactatum fuisse, Cæsari, & Ordinibus pacem cordi non esse, quod Amnestia, quæ pro universali venditetur, tam multis exceptionibus circumscripta, Pax Pragensis confirmata, Palatinoque restitutio denegata sit. Svecos equidem in pacem pronos, quam honestam, æquam, & ad universos porrectam magnopere cupiant; sed arma prius haut ponere decrevisse, quam Germania in statum anni 1618. plene reposita. Et quanquam sat causarum sibi sit, ut pacem optent, malle tamen per integrum adhuc seculum bellum gerere, quam pacem admittere, Imperii libertate in pristinum haut restituta; quo Orbi constet, injuriam sibi fieri, dum arguuntur, velut proprii duntaxat commodi causa bellum extrahant, ubi cupitis sibi potiti sint, amicorum & sociorum causam oblivioni daturi. Id quod Legati data occasione, ubi de republica sententiam dicerent, memorare jubebantur, ut Ordines inde judicare possent, quantis difficultatibus tractatus pacis involvendi sint. Cæterum ad ista, quæ super induciis Legati apud Cæsarem, & ejus ministros exponebant, nihil distincte respondebatur, nisi quod in externo gestu præ se ferrent, quæ ab Electore acta forent sibi non iniqua videri.

§. 20. Ut porro Elector hisce consiliis inhæreret, ea, quæ in conventu Ratisponensi tunc tractabantur, non parum ipsum confirmabant. Sane multo enixius ibi de continuando bello, seu, uti loqui malebant, de conservando exercitu Cæsareo agebatur, quam antea de pace jactatum fuerat. Præsertim postquam Cæsareis non parum spirituum accesserat e properato Banerii receptu, quem & paulo post ipsius mors sequebatur; cui causam dedisse hostes vulgabant intemperantes haustus vini Hungarici Ratispona submissi, & secutam mox in receptu defatigationem. Ubi tamen judicabant rerum periti, a Piccolomineo graviter erratum, quod non recta in Banerium iverit, sed circa Slangium intercipiendum tempus triverit. Nam illo perdito nec hunc potuisse evadere. Ac ideo Piccolomineum inter, & Gleenium acre jurgium exortum, quorum & hic eam ob causam tunc ab exercitu discesserit. Sane post Banerii mortem res Svecorum in ancipiti stabant, Cæsareis semper decretoriam plagam captantibus, qua succedente Luneburgicos, & Bremensem Præsulem dura conditio manebat. Cæterum quod Ordines circa Cæsaris exercitum velut suum tantopere laborarent, id Electori valde suspectum erat, quod hac ratione totum Imperium magis, magisque bello velut proprio implicaretur, in quod deinceps omnes quoque sumtus devolvendi sint. Tum eidem necessitatem impositum iri arma tamdiu in Galliam gerendi quamdiu hujus in Hispaniam bellum duret, ne hæc tota mole virium Gallicarum obrueretur. Id quod ac illis palam agebatur, qui Hispani favore imbuti erant. Ita pax in longum protrahebatur, Ordinibus interim plane exhaustis, & ad jugum subeundum fractis. Unde & Legati Brandenburgici circa talia negotia sententiam dicere abnuebant, mandatis se defici excusantes. Neque tamen obnixe reluctari e re ducebant, quo minus in istis consultationibus pergeretur ne forte aliquando exprobraretur, causam non recuperatæ Pomeraniæ sibi imputandam, quod apparatum belli eo fine faciendum sufflaminarint. Etsi satis constaret, bellum haut quidquam super Pomerania geri; quin Cæsarem potius secretis tractatibus Hamburgi super satisfactione cum Svecis satagere. Iidem Legati etiam, quantum poterant, renitebantur, ne Pax Pragensis firmaretur, ac in vim publicæ legis transiret, Saxonicis frustra monentibus, ne eam pacem ita aperte impugnarent. Nec Cæsareis arridebat, quod Brandenburgici juxta, atque Luneburgici, & Hassi ita fervide contenderent, ut Amnestia citra exceptionem conderetur. Abs qua Gvalterus Lesleus Cæsarem ita abhorrere ostendebat, ut omnia potius aleæ belli exponere malit. *Lesle.* Haut eo minus tamen, cum Recessus Imperii adornaretur, Brandenburgici denuo monebant; sibi consultum videri tranquillando Imperio Amnestiam ad omnes porrigi, neque tot conditionibus circumscribi, aut ejusdem effectum suspendi, & omnia in statum, qui anno 1618. fuerat, reponi; nullo effectu, nisi quod eorum monita actis insererentur. Unde & cum Cæsar Amnestiam Ratisponæ concinnatam ubique promulgari juberet, Elector nolebat eam per totam Marchiam publicari, obtentu, ne forte a Svecis contumeliose haberetur; sed extremis duntaxat valvis arcis eandem affigi satis ducebat, stationario milite adposito. Qui & permittere nolebat, ut edictum avocatorium alibi, quam in arce sua affigeretur, aut ut præfecti Peizæ, & Cotbusii cum Francisco Alberto Lauenburgico Duce, qui id petierat, literarum commercia alerent. Qui & uti Svecis militem in ipsius ditione ut colligerent indulgere nolebat, quod id extra indolem induciarum esset: ita non minus Cæsareos idem tentaturos clam impedire decreverat, ne Svecis prætextum daretur in ipsius ditionem irrumpendi, velut novos hostium delectus dissipaturis.

§. 21. Inter præcipuas quoque curas novi regiminis erat, ut Electori cum Uladislao Poloniæ Rege super investitura de Ducatu Borussiæ conveniret. *Difficultates circa investituram Borussicam.* Eas molestias ut anteverteret jam ante biennium Electoris Pater misso Petro Bergmanno apud Uladislaum Regem, & quosdam Proceres sibi studentes egerat, ut se vivo Filius investituram acciperet, ac homagium præstaret; de quo & antea Rex ultro ipsi spem fecerit. Enimvero utut tam Uladislaus, quam Proceres eam rem utilitatibus Regni haut repugnare agnoscerent; plane tamen de eadem silendum judicabant, ne ipsa properatio Ordinum animos omnia nova aversantium suspicione perstringeret, eoque hi nodum in scirpo quærendi, & difficultates movendi ansam arriperent. Nunc autem id negotium eo circumspectius erat tractandum, quod metus esset, ne Polo-

1641. Poloni, dura tunc Electoris conditione abusi, molestas quasdam conditiones obtruderent, inprimis circa portus, quos in potestate habere, aut saltem super iisdem sibi caveri cupiebant. Ac confirmabat Harburgi Avauxius, se tractatu Stumsdorfiano auribus suis percepisse, Polonos in Pillaviam oculos conjecisse, deque eadem invadenda agitasse. Eoque monebat, ut Elector accuratam ejus curam haberet, quod etiam publice interesset, ne is portus Polonorum in manus incideret; ac inter alia classi Hispanicæ, ante biennium a Belgis profligatæ, destinatum fuisse in Mari Baltico portum aliquem occupare. Pollicebatur quoque, Regi Galliæ diligenter scripturum, ut is in Polonia causam Electoris suo favore fulciat. Sane & Magnæ Britanniæ Rex Uladislao negotium Electoris commendabat, velut qui cum avitam ipse colat amicitiam, ut investitura absque novis oneribus modo pristino ipsi conferatur. Avauxius quoque, ac Legatus Anglicus Winterfeldio Hamburgi dissuadebant, ne Elector ipse feudum in Polonia inter Comitia acciperet, aut saltem a veneno probe sibi caveret. Sed & intelligebatur, tunc cum Bavaro circa exoletum jus in Pomeraniam in Principem Joannem Casimirum transferendum agitari, qui & vigore vetusti pacti actionis aliquid in Camminum prætendebat. Ac suspicio erat, istum Pomeraniæ respectum causam esse, quare Princeps ille nuptias cum sorore Electoris ambiret. Cæterum ejus investituræ causa Elector paulo post Pa-

9. Jan. tris mortem Warsaviam ablegaverat Wolfgangum

Kreitz. Kreitzium, & Joannem Cosbotum, una cum ordi-

Cosbot. nario ibi Residente Joanne Hoverbeckio institu-

Hoverbeck. ros, ut Elector ante Comitia isto ritu per Legatos defungi posset, ne forte unus, & alter malevolus,

De tempore investituræ. audaciam præbente multitudine, & conventus licentia, scrupuli quid moveret, aut protestationem interponeret, neu conditiones prioribus duriores sibi impingerentur; etsi alias, cum jus sit hæreditarium, veteribus pactis nil posset adjici, nisi de mutuo consensu. Ea cum post varias difficulta-

27. Febr. tes, quæ movebantur, Legati ad Regem admissi exposuissent, jussi sunt Electori renunciare: investituram ipsi per se exemplo Patris recipiendam; nec eum ritum ante Comitia in proximum mensem indicta obiri posse. Malebant plerique Senatores, ab Electore durantibus Comitiis homagium præstari. Quorum impetum ut Rex eluderet, Electori id recusanti gratificaturus, tempus ad cogitandum ea de re sibi sumebat. Nam & avo Electoris Joanni Sigismundo, durante Ordinum conventu ea solennia acceptanti, per hos isti negotio sese ingerentes haut parum molestiæ datum fuerat. Etsi Rex confirmaret, non esse, quare Elector sibi a protestationibus metuat. Eas enim, si privatæ sint, fraudi esse non posse; publicas se non admissurum, si vel maxime eam ob causam Conventus sit abrumpendus; nec passurum, ut *Nuntii Terrestres* ei se negotio immisceant. Præstare tamen, ut indictio acceptandæ investituræ ante Comitia fiat, ipse ritus post Comitia peragatur, ne ista infeudatio negotium Comitiale videatur, aut Comitia ejus causa indicta credantur.

Poloni de Electore queruntur. §. 22. Arguebant porro Poloni tanquam pactis repugnaris, quod Elector propria autoritate administrationem Borussiæ suscepisse feratur, antequam eadem ipsi a Rege Poloniæ delata sit. Nam 1641. morte prioris Principis rem velut ad interregnum rediisse, ac tantisper a Regentibus publica lege constitutis provinciam fuisse gubernandam. Inprimis ægre tulerat Rex, Conventum Ordinum 1640. Borussiæ mense Septembri a Patre indictum, post hujus obitum a Filio continuatum, Ordinibus in id consentientibus. Quibus a Rege mox injunctum est, ut Conventum dissolverent. Qua de 24. Febr. re cum Elector modeste quereretur, & causas jussi 1641. exquireret, Rex non nisi laxioribus verbis respon- *Elector* debat. Elector tamen objecta purgabat: *Haut objecta quidquam se ante homagii oblationem regimen provinciæ purgat. invasisse. Equidem cognitionem omnium, quæ a Regentibus agerentur, cepisse. Sed ideo jubendi vetandi autoritatem sibi non arrogasse, nec ut titulus suus rescriptis Regentium præmitteretur tulisse.* Hoc modo cum Regi satisfactum esset, simul Legati gnaviter laborassent, ut pleraque Electori præjudicium allatura e formula responsi expungerentur, aut emendarentur, (inter quæ erat, quod Rex *Commissarios* in Borussiam mittere vellet, quod vocabulum Ele- *Legatis* ctor adspernabatur,) tandem in hunc sensum Le- *Electoris* gatis responsum: *Regem non mediocrem dolorem con- respondetur. cepisse ex obitu Electoris Georgii Wilhelmi, sibi amicissimi, in cujus natum parem affectum transferat. quem ipse filii loco habeat, & ab eodem patri debitam observantiam expectet. Cujus & specimen is jam exhibuerit, dum post Patris decessum uti pactis dispositum, administrationem Ducatus sibi haut vindicarit, sed eandem Regentibus integram reliquerit; tum quod ad investituram accipiendam, & homagium præstandum paratum se profiteatur; circa quæ Regem pactis congrua libenter præstiturum. Cæterum cupere quidem Regem Electori gratificari, ut per Legatos ista solennia peragantur. Quia tamen primævum diploma, antecessorum Electoris expressæ cautiones, & alia pacta secus disponant, ab iis non videri discedendum; præsertim cum e pactorum præscripto sub eum actum variæ ceremoniæ sint repræsentandæ, ac gravia quædam negotia colloquium cum ipso exposcant. Igitur utrinque expedire, ut ipse Warsaviam se conferat. De tempore Regem Electori opportune significaturum. Interim Elector eandem animi moderationem servaret, quoad a Rege investitus & confirmatus fuerit. Circa administrationem Borussiæ ab Electore ante præstitum homagium gerendam, simul de pleniore cautione Legatos cum Commissariis Regiis collocuturos, quam brevem moram Elector ægre haut ferret.* Probabat quoque Rex, quod Elector interim ad penitiorem jurium ac privilegiorum Ducatus & provincialium notitiam capiendam incumbat; & quod polliceatur, si quæ gravamina iniquitate temporum irrepserint, ea ad normam pactorum reducere: circa quæ corrigenda & ipse pro jure directi & supremi dominii autoritatem suam sit interpositurus.

§. 23. Porro Elector Regi ejusmodi cautio- *Super* nem, antequam regimen Borussiæ ipse susciperet, *cautione* obtulerat: *Hac lege administrationem provinciæ sese ab Electo- capessiturum, ut ad suscipiendam investituram condicto re exhi- tempore sistere se velit; interim ante præstitum a se homa- benda di- gium subditos jurejurando haut adacturum.* Enim- *sceptatur.* vero isthæc cautela Regi non sufficere videbatur, qui eidem hæc quoque capita inseri volebat: Ut sacramentum præfecti Pillaviensis ad antiquam formulam concipiatur: Templum ritus Catholici sartum

1641. ſartum tectum ſervetur, ac uberioribus reditibus dotetur: Verſus Poloniæ quoque fines templa præbeantur cultui Romano exercendo. Ac præſtare, ut in præſens de conditionibus agatur, quam poſt ubi Elector poſſeſſionem nactus ſit. Præſertim cum Reſpublica circa feudum hoc admodum circumſpecte procedat, ne id forte a tam potente Principe aliquando Poloniæ penitus avellatur. Gravamina porro quæ jactabantur, & quorum emendationem Poloni Electorem poſcebant, hæc erant: *Ut Regiomonte templum Catholicorum reficiatur: ibidem in eorundem uſum novum templum exſtruatur: Catholicis ibidem oratoria erigere licitum ſit, nec minus matrimonia conſummare, & funera deducere more Romano: Concionatoribus Evangelicis haut fas ſit doctrinam Catholicam Romanam pro ſuggeſtu traducere: Sectæ novæ ne admittantur ab Eccleſia Romana diſſidentes exceptis, quæ Auguſtanam Confeſſionem amplectuntur: Elector Pillaviam idoneis munimentis & præſidio firmet: idem Regi quotannis triginta florenorum millia exſolvat: extraneis ne liceat in Boruſſia Ducali bona immobilia coëmere; qui nec ad ullam dignitatem, nedum præfecturas admittantur: jus indigenatus nemini concedatur: Incolis Boruſſiæ & cumprimis Nobilibus ne præjudicetur in cauſis controverſis, ſed omnia juxta jura provincialia Anno 1609. dirigantur: nunquam appellationes incolarum Boruſſiæ ad Regem impediantur, ſed eas per notarium inſinuare tuto liceat: Elector executionem decretorum regiorum in cauſis appellationum absque mora procuret: Idem absque conſenſu Regis nullo prætextu pactum de neutro ſtatu velut Dux Boruſſiæ cum ullis Reipublicæ hoſtibus ineat.* Sed maxima difficultas erat circa vectigal Pillavienſe, quod cum a defuncto Electore Regi in biennium conceſſum eſſet, idque jam expiraſſet, Rex ulterius eodem frui cupiebat. Quod cum Ordines Boruſſiæ nullo modo concedere vellent, Electori circa inveſtituram plures ſcrupuli movebantur, quos legatus Kreitzius augebat, qui a Rege munere Præfecti provincialis donatus valde indignabatur, in eo ab Electore ſibi prælatum Joannem Eberhardum Tettavium ſupremum Burggravium. Et Kreitzius iſte Regis favore ſubnixus eo inſolentiæ proceſſerat, ut in præfecturam Dulſenam ſibi a defuncto Electore conceſſam cum triginta equitibus irrumperet, præfectumque ab Electore novo conſtitutum vi ejiceret.

...vami- ...Polo- ...um.

§. 24. Circa eas difficultates amovendas cum Warſaviæ incaſſum ſudaretur, Rex demum Gerhardum Dænhofium Comitem, & Dnialinſcium Secretarium Regium ad Electorem ablegat. Hi allocutione ad eundem Ducis Borusſiæ vocabulum omiſerunt, quod ab Electore diſſimulatum, utut antea idem reſignare literas Regis abnuiſſet, quod titulus is omiſſus eſſet; quas tamen mox acceptavit, cum Legati errorem Cancellariæ arguerent. Iſti Legati multa Warſaviæ mota remiſerunt, ac demum cautione Electoris in eum ſenſum ſcripta adquieverunt: *Cum ipſe a Rege Poloniæ inveſtituram Ducatus Boruſſiæ petierit, homagiumque obtulerit, & tamen ob legitima quædam impedimenta ſolennis iſte actus ita cito peragi non potuerit; ſe gubernacula Ducatus ſua autoritate gerenda ſuſcepturum, ut interim ſpondeat, ſe ſe pactis feudalibus per omnia ſatisfacturum, Ducatum juxta privilegia gubernaturum, ſi quæ præteritis temporibus aberratum ſit, ad normam pactorum correcturum, homagium feudale quovis opportuno tempore ad id evocatum præſtiturum; ante id præſtitum a ſubditis dicti Ducatus jusjurandum haut exacturum.* Ea cautione accepta Legati Electori adminiſtrationem Ducatus offerebant. Denuntiabat inde Rex Electori miſſo Andrea Kreitzio, ut ad diem octavum Octobris VVarſaviæ præſto ſit capiendæ inveſtituræ. Quam & Elector triduo ante cum digno ſe comitatu ingreſſus, ac a Rege admodum honorifice exceptus eſt. Aderat ibi Legatus Gallicus Carolus Avaugurius, qui nomine Regis Chriſtianisſimi officia ipſi offerebat, ſi quid forte controverſiæ moveretur. Sed omnia ita feliciter citra inſignem difficultatem tranſigebantur, ut iſtius opera haut deſideraretur. Nec ratio habebatur proteſtationis, quam Tholibovius quidam nomine Palatinatus Breſtenſis, & Inocoladislavienſis interpoſuerat, velut invalida, & jure deſtituta foret collatio feudi, in Electorem Fridericum Wilhelmum propediem ſuſcipienda; quam in rem hæ rationes adducebantur. *In collatione ejus feudi primo in Domum Brandenburgicam facta plures & iteratas proteſtationes Nunciorum Terreſtrium intervenisſe, gravibus rationibus ſuffultas, ob quas id feudum legitimum haberi non poſſit. Per leges autem Regni nullo modo pro firmis ac legitimis haberi acta, quibus vel unus Nuntius contradixerit. Patrem Electoris parta Boruſſiæ poſſeſſione, quæ tamen obſtantibus proteſtationibus legitima haberi nequeat, pactis & conſtitutionibus haut ſatisfeciſſe. Nam fanum licet Regiomonte exercitio ritus Romani extrui curaverit; id tamen data opera fundamento minus ſolido impoſitum, ut propinquam nunc ruinam minetur: Catholicæ religionis exercitium reliqua Boruſſia plane exterminatum: Jura patronatus adempta: varias, eaſque abominandas ſectas introductas Calvinianorum, & Arianorum, cum præter Auguſtanam Confeſſionem profeſſam nulla alia induci debuerit: Antiquam Nobilitatem eodem Ducatu excluſam, & novam e Marchia receptam: dignitates & munia antiqua abolita: Capitaneatus quosdam extinctos: Incolas tributis & actionibus inſolitis exhauſtos: Appellationes ad Regem ſuper exponendis querelis non admiſſas: vectigalia maritima contra jus & æquum inſtituta, indeque laceſſendi externos Principes occaſionem præbitam: portus Pillaviæ & Memelæ juſto præſidio haut firmatos, per quos hoſtis prioribus annis Boruſſiæ infuſus ſit: naves ad cuſtodiam portuum non comparatas: pecuniam nomine ſubſidii, & in vim contributionis ex pacto debitam in ærarium publicum ſæpe non illatam: regimen ejus Ducatus, quod per Regentes adminiſtrari debuit, ante homagii præſtationem uſurpatum: aliaque multa hactenus pro libidine commiſſa, per quæ juribus Regis & Regni, velut ſupremi, & directi domini derogetur; per quæ adeo pacta violata, atque abrupta ſint. Igitur ſe nomine dictorum Palatinatuum proteſtari, quod in conceſſionem ejus feudi poſt Comitia faciendam non conſenſerit, ac jura regni ad Ducatum Boruſſiæ reſervaſſe.*

1641.
Elector Warſaviam proficiſcitur.
5. Octobr.
Avaugour.
Proteſtatio contra inveſtituram interpoſita. Tholibofski.

§. 25. Nec longe tamen abibant, quæ nomine Regis per Senatores apud Electorem monebantur. Ad quæ Elector, cum cautio Legatis Regiis Regiomonte exhibita ipſis ſufficiens non videretur, declarabat. *Templum vetus ritus Romani, ex pacto Regiomonte erectum, quod in præſens ruina proximum eſſe Regi relatum ſit, ſine mora communicato cum architecto Regis conſilio pro re nata ad perfectionem operis inſtaurandum, & a ruinæ periculo tutum præſtandum.*

Senatorum monita.
Electoris declaratio.

1641. *dum. In novo templo, quod in usum sacrorum Evangelicorum prope istud templum strui sit captum, necdum perfectum, sacra haut exercenda vitandis quæ ex utriusque religionis hominum congressibus oriri queant, dissidiis, quoad interposita ædificia eo usque absoluta sint, ut inter utrumque templum platea intercedant, portas vero ita avertendas, ne templa adeuntes sibi invicem occurrere necessum habeant; Electoremque operam daturum, ne occasione ejus ædis Catholici circa cultum suum exercendum impediantur. De altero templo in usum ritus Romani extruendo, dotandoque Electorem quantum in se promoturum, ut Rex cum Ordinibus Ducatus quamprimum agere possit. Oratoria pro usu Catholicorum, quo minus a Nobilibus vi pactorum condantur, & conserventur, Electorem non prohibiturum. Omnibus subditis Ducatus Romana sacra professis liberum fore templa Catholicorum frequentare, matrimonia etiam cum Evangelicis in templis Catholicorum more Romano contrahere, sepulturas publice ritu solito peragere citra impedimentum, aut mulctam aliquam. Concionatoribus Evangelicis sub pœna arbitraria ab Electore imperandum, ut omnibus calumniis, convitiis, scommatibus, libellis famosis, & contumeliosis scriptis, homines potius, quam doctrinam tangentibus, abstineant: sicuti & vicissim Warmiensis Episcopus velut vicinus prohibiturus sit, ne tale quid a Catholicis in Evangelicos admittatur. In cæteros turbatores divinorum officiorum, concionumque Ecclesiæ Romanæ, ut summario processu in Judicio Aulico agatur, salva ad Regem appellatione, Electorem edicturum. Eundem quoque prohibiturum, ne quæ secta, a Romana Ecclesia doctrina aliena, præter Augustanam Confessionem, ejusque Apologiam professa introducatur. Eundem portus Pillaviæ & Memelæ pro viribus exactissima diligentia perfecturum, ac validis præsidiis firmaturum, præfectis impositis e patritia nobilitate locupletibus; qui ab Electore constituti, ubi justam ob causam Regi displicuerint, liberum huic fore Electorem monere; qui & jusjurandum præstituri sint ad formulam, de qua Regem inter, & Electorem conveniendum. Ut autem de munitionibus & præsidiis eorum portuum Rex & Regnum eo melius edoceri queant, & nunc, & opere perfecto, ubi evidens periculum imminebit, Revisorem a Rege designatum, cui plusquam duodecim homines in comitatu habere integrum non sit, cum consensu Electoris, aut eo absente consiliariorum Regentium admittendum, nec quo minus præsidia illa perlustret impediendum. Ab Electore quotannis pensionem tricies mille florenorum titulo subsidii ordinarii solvendam, addito duplo, ubi contributiones publica necessitate exigente in Comitiis decreta fuerint. Extraneos ad coëmtionem prædiorum non admittendos, nec illis dignitates, præfecturas, & munia, sed tantum indigenis Nobilibus Ducatus Borussiæ tam Catholicis, quam Augustanam Formulam profitentibus conferenda. Super indigenatus jure exteris in posterum concedendo Electorem intra annum de consilio Regis statuturum. Contra incolas Ducatus, præsertim Nobiles locupletes, tam in civilibus, quam criminalibus actionibus citra causæ cognitionem nunquam de facto procedendum; appellationes iisdem haut denegandas, neque notarios, quo minus eas suscipiant, prohibendos. Executio decretorum regiorum, ut in omnibus judiciis Ducalibus cum debita Regis reverentia fiat, Electorem edicturum. Formula jurisjurandi a subditis Ducatus Electori præstandi hæc verba inserenda; Uti domino meo hæreditario feudi tanquam Duci in Borussia, Serenitatisque ejus hæredibus feudi masculis. Eundem quocunque prætextu neutralitatem tanquam Borussiæ Ducem cum ullis Reipublicæ hostibus intuitu ejus Ducatus, nisi Rege expresse consentiente, haut initurum. Denique nullas arces cuipiam principi aut Reipublicæ externæ venditurum aut oppigneraturum.* 1641.

Promittebat insuper Elector Regi centum florenorum millia annua e vectigalibus, quibus Rex quinquaginta millia addi cupiebat. Sed petebat Elector, ut is dicta summa ad quiescat, quod detractis aliis sumtibus e Pillaviensi vectigali parum sibi supersit. Ita Investitura sollenni ritu peracta, ad contactum vexilli mandatario quoque Marchionis Ernesti Bernhardo Kœnigseckio admisso, ac post jusjurandum præstitum Elector ad dextram Regis assedit, Joanne Casimiro sinistrum hujus latus tegente. *Investitura peragitur. Kœnigseck.* Post quatriduum eadem, qua receptus erat, pompa Elector VVarsavia discessit. *11. Oct.* Regium montem ingressum Nobiles civesque solenni paratu læti excepere, omissis tamen ludicris spectaculorum, quod Patri justa nondum facta essent. *1. Nov.* Cæterum tanti habebatur id negotium ex voto fuisse peractum, ut etiam Carolus I. Magnæ Britanniæ Rex aliquot post menses Josephum Averium Prolegatum in Borussiam mitteret, Electori gratulaturum de suscepto regimine, & cumprimis re feudali in Polonia bene confecta, & quod illæsus evasisset pericula, quæ ibidem Ipsum manere poterant. *Mart. 1642. Averij.* Quibus obiter addebatur commendatio causæ Palatinæ, ut eam Elector, quantum posset, fulcire pergeret. Cui, quæ decora erant, reponebantur. Ast citra ullam difficultatem successit investitura apud Cæsarem super ditionibus ab Imperio dependentibus, quam nomine Electoris Jo. Frid. Lœbius suscepit, qui & in animam Electoris juravit. *Investitura Cæsarea.* Adsistebant ceremoniæ cæterorum quoque agnatorum mandatarii, Marchionum Ernesti, Christiani VVilhelmi, Christiani Culmbacensis, & Alberti Anspacensis; qui apprehenso Lœbii pallio ab hoc pronuntiatis annuerunt duntaxat, non & ipsi jurarunt. *5. Jul. 1642.* Investituram super Ducatu Cliviæ, adjunctisque ditionibus petenti responsum; causam esse controversam, & tantisper acquiescendum decreto in eam rem Anno 1630. condito.

§. 26. Rebus in Borussia constitutis judicabat Elector, præsentiam suam ad Marchiam a miseriis recreandam plurimum facere posse; nec minus tractatibus pacis, qui tunc adornabantur, utile esse, ipsum loco minus remoto degere. *Marchia exercitibus inundatur.* Quod tamen accessus in Marchiam cupito longius differendus foret, in causa erant exercitus, quibus initio anni quadragesimi secundi Vetus cumprimis provincia inundabatur. Nam qui recens imperium in arma Svecica susceperat Leonardus Torstensonius post absumta per agrum Luneburgicum alimenta in Marchiam Veterem castra transtulerat, quoad occasio in Cæsareas ditiones irruendi arrideret. *Torstenson.* Quibus conatibus avertendis & ipsi Cæsarei eodem penetrabant, si qua possent Svecos ad oram maritimam retracturi. Tanta hospitum multitudine obruta regio non poterat non misere proteri, si

 vel

1642. vel maxime ducibus exacta disciplina militem coërcere cordi foret. Sed de industria vastitatem provinciæ affectare videbantur Cæsarei, toto isto bello plus immanitatis, quam Sveci exserentes, etiam ubi amicorum specie accesserant; apud quos ductores quidam non obscure jactare audiebantur: Electorem de ducenda Sveciæ Regina meditari, vires Cæsari æmulas sibi paraturum: sed se alas probe ipsi admutilaturos, ne nimis alte subvolare queat. Sveci tamen mollius saltem loquebantur, necessitatem belli haut diuturnam excusantes. Et cum Marchio Ernestus Ottonem Severinum ad Torstensonium mitteret, de molestiis belli in Marchiam devolutis questurum, velut induciis recens initis violatis, hic multa cum verborum humanitate responderat: Induciarum legibus transitum per terras Electoris licitum, ubi ratio belli exigat, ac eo casu a provincialibus annonam esse suppeditandam, exactione & dispensatione per præfectos Electorales instituenda, quo injuriæ militares absint. Unde & se adventum suum quæstoribus provincialibus denuntiasse, tutelarem militem obtulisse, super sustentatione exercitus convenire voluisse. Sed istos postulata sua insuper habuisse, agrestibus quoque vi ultro illata milites lacessere ausis; quibus si paria reposita sint, autoribus injuriæ imputandum. Porro cum hostis in has partes verterit; sibi eadem sequendum. Et quia Electorales præfecti annonam curare abnuerint, sibi super ea corradenda fuisse disponendum; præsertim cum castello Werbensi non tradito Vetus Marchia priori conditioni sit relicta. Se tamen cupere provinciam istis molestiis liberare statim, atque ratio belli id permiserit; ac si necessaria ultro suppeditentur, accurata disciplina militem coërciturum. Ac transibat paulo post dux Svecicus in Silesiam festinato satis itinere, ac modestia militi imperata; etsi ipsa transeuntium multitudo qua contigerat omnia protereret. In diversa parte Stalhantschius sub finem superioris anni tota Silesia expulsus per Ducatum Crosnensem, ac Sternbergensem districtum hiberna ceperat, provincialibus ad extremam inopiam adesis. Quem cum Electorales rogarent, ut alio stativa transferret, causabatur, sibi hinc discedere integrum haut esse, quoad cautum sit, Cæsareos hac parte non irrupturos, aut Crosnam & Francofurtum invasuros; promto tergiversandi obtentu, ubi pro ratione sola belli ratio est. Sed & post semel exoneratam tantam proluviem Marchiæ sub autumnum par aut major inundatio metuebatur, Torstensonio post solutum Briegæ obsidium apud Gubenam in finibus Marchiæ considente, catervis late ditionem Electoris persultantibus; cui & quæ ex Svecia supplementa veniebant, transitu Marchiæ haut parum damni dabant. Post ea tamen tempora Marchiæ ab exercitibus minus molestiæ fuit, belli mole in remotiores Germaniæ partes devoluta; nisi quod sequenti anno Torstensonius e Moravia in Holsatiam tendens tractum ad Albim properato quantumvis itinere non parum affligeret.

in. §. 27. Decætero hostilia quidem Suecos inter, m Electoralesque cessabant; nulla tamen securitai. tis certa fiducia, quod pacta induciarum nondum ratihabitione firmata essent. Quæ ut accederet diligenter ab Electore laboratum fuit, ut 1642. tamen prius mitigari vellet, quibus enormiter lædi videbatur. *tigando incassum laboratur.* Ac jam sub finem superioris anni Joannes Oxenstierna ad tractatus pacis plenis cum mandatis destinatus Stralsundam adpulerat, ratificationem pacti a Leuchtmaro conclusi secum adferens, qui & cum percepisset, ab Electore Stetini fuisse inquisitum, num quis Reginæ nomine adesset absolvendo negotio, statim commissarios eo fine designavit. Cui mox Elector per literas significat: gratum auditu sibi fuisse, ipsum super induciis firmandis movere. *20. Dec. 1641.* Quo minus sua ratihabitio pridem allata sit, moram fuisse e tarda Leuchtmari navigatione adversas ob tempestates, ac suo Warsaviam itinere. Sed elapsis feriis protinus Stetinum mittendos, qui id negotium perficiant. Huic ab Electore destinabantur Leuchtmarus, & Joannes Georgius Bomius Novæ Marchiæ Cancellarius. *Born. 28. Dec. 1641.* Illorum mandatis repetebantur causæ susceptarum ab Electore induciarum, velut minoris e duobus malis. *Electoralium legatorum mandata.* Tum ratificatio pacti Holmiensis tradebatur, cum Suecico Instrumento permutanda, ut tamen nonnulla duriora prius refingerentur. Inter quæ erat, ut pactum adjectum aboleretur, quo conventum erat, ut Suecis certum hominem Custrini habere liceat pactorum observationi invigilaturum. Molestum quippe & contumeliosum esse Electori, privato homini plus quam sibi fidei adhiberi; & si quid contra inducias fiat, a Pomeraniæ Gubernatoribus æque commode moneri posse. Tum & præfecto Custrinensi se injuncturum, ut conventis sese conformet; qui & in eam rem Reginæ scripto cavere debeat, si ipsa opus judicet. Et maxime decorum, si par fides utriusque ratificationi habeatur; præsertim cum minor ad pacta violanda libido apud eum esse soleat, in quem vindicta promtius exerceri queat. Nec præter necessitatem aliquid abs se exigi par esse, quod variis molestiis, ac suspicionibus, contemtuique ansam præbere queat. Et quia Sueci ideo isthoc postulasse videantur, quod Cæsareus quidam annonæ præfectus Custrini hactenus egerit, eum jam inde avocatum, postquam Cæsar, quem ibi congesserat, penum Electori donavit. Quod si autem Cæsar intelligat, a Suecis ministrum Custrini haberi, suo quoque nomine aliquem ibidem admitti postulaturum, pari Electoris molestia sive indulgeat, sive recuset. Ita tamen hujus articuli abolitionem urgeri volebat Elector, ne ideo tractatus plane abrumperetur. Quæ super libertate commerciorum convenerant, ita explicari volebat, ne durantibus induciis nova onera mercibus imponerentur; quæ tamen introducta jam sint, etiam per belli tempus auctiora retinerentur, velut non modicam proventuum suorum partem facientia. Super Clivicarum ditionum medio statu operam darent, ut Regina declararet; se pro illa obtinenda apud socios laboraturam, si & Cæsar, sociique in eam consenserint; quo Elector eo efficacius super eadem concedenda apud Cæsarem instare queat. Circa præsidiorum alimenta prius eorundem numerum exquirerent, quo super istis cum Ordinibus provincialibus agi possit. Tum tentarent, num Sueci

1642. uno aut altero oppido præsidium deducere velint, ac inter alia Garlebia, ubi præfectus suæ tantum avaritiæ litet, nullo in publicum fructu. Tum ostenderent, Werbense castellum gravissimis de causis dirutum, & antequam cogitari posset, super illo in Suecia aliquid motum iri: ac in præsens rem non amplius esse integram. Et quia oppida Veteris Marchiæ Suecis nullum usum præbeant, spem esse, hos ista in vicem castelli destructi haut detenturos. Porro contributiones pro locis per Suecos insidendis ad moderatam summam redigere laborarent, ac super modo illas exigendi convenirent. Et quia inter loca reservata Lœckenitza non nominabatur, præsidium inde amovendum aut nullo Marchiæ onere alendum. Circa bona Ordinis Joannitici temperamentum admittendum. Transitus denique per Marchiam sumendos via brevissima, & quantum potest citato itinere ac ut injuriæ militum a provincialibus arceantur. Apud Oxenstiernam Legati privatim testarentur de sincero Electoris animo, ac ne præterita ipsi imputentur, quorum nulla penes eum culpa sit. Simul explorarent, num super formula ab ipsius Patre anno 1635. concepta circa Pomeraniam tractatio suscipi queat; ac num ipse eam in rem mandatis sit instructus. Placuerat etiam initio, ut Legati impedire conarentur, ne quid circa Pomeraniæ regimen a Suecis in præjudicium Electoris novaretur; aut si id impetrari nequeat, modesta protestatione interposita huic jus suum integrum reservarent. Mox tamen satius visum ab istis nihil moveri, quod novationes illæ dudum introductæ essent, quas solicitare præsenti negotiationi noxium videbatur.

Mora a Suecis interponuntur. §. 28. His cum mandatis legati Stetinum pervenere, ubi tractationem suscipi cupiebant. Quacunque transierant, Pomeranorum in Electorem studia eminebant, qui & ab istis petebant, ut sua *24. Jan.* desideria apud Suecicos provinciæ rectores commendarent. Id quod Legatis circa reconciliationis initia haut consultum videbatur, velut suspicionibus ansam daturum. Cæterum complures per dies Stetini hærebant Legati, antequam super continuandis tractatibus Oxenstierna significaret, *6. Febr.* qui suspenso animo speculabatur, quam in partem Cæsarei tunc Marchiæ infusi sese daturi essent. Post longas demum moras idem Stralsunda respondebat; negotium id non sibi commissum, sed Lilliestrœmio, & Gerhardo Reenschildio. *Reenschild.* Id quod Legatis suspectum erat, quod isti solenne esset negotia difficultatibus implicare, hic pecuniis extorquendis, quam gravibus negotiis tractandis aptior haberetur: & quia Oxenstierna negotium non Stetini suscipi volebat, sed Stargardiæ oppido lacero, & plane vastato. Circa quod cum delegati Suecici negarent quidpiam mutare se posse, Leuchtmarus Stralsundam ad Oxenstiernam excurrere constituit. Quod cum Sveci sentirent, ipsum ibi antevertere incertum qua de causa properabant. Cæterum satis adparebat, Suecos ideo moras nectere, quod Cæsareis in Marchiam transgressis perspicerent, legibus induciarum a se satisfieri non posse: ac ut sede belli in Marchiam translata licentiam militarem ratio belli excusaret. Unde & Oxenstierna, cum alias ipsius nihil interesse videretur, Stetino repudiato Stargardiæ insistebat; & cum Electorales hanc rejicerent, Golnoam proponebat, nihilo commodius oppidum. Ita cum per iniquitatem temporum ex isto pacto Marchia parum fructus captura esset, Electorales quoque non magnopere properandum judicabant; præsertim cum admisso Custrinum Svecico Ministro, id quod tam vehementer cupiebant, Cæsar gravi suspicione perstringendus esset; istique situm oppidi, paratumque bellicum & opes, consiliaque Electoralium expiscari in proclivi esset futurum, patente etiam ad corrumpendum militem occasione. Et quia Sveci in Germanis parum fiduciæ collocare solebant, rationis erat cum istis quoque circumspectius agi; præsertim cum ministrorum animus sæpe Principum candori haut respondeat. Sed & contingere poterat, ut Cæsareis transitus pontis ad Custrinum indulgendus esset, si forte Francofurtum, Crosnam, aut Landsbergam oppugnare instituerent. Sane jam iidem apud Ratenaviam pontem navalem Havelæ injicere parabant; quod cum Marchio Ernestus impedire conaretur, Archidux Leopoldus Wilhelmus protestabatur: gravem Marchioni rationem reddendam, si ipse destruendo Cæsareo exercitui causam præberet.

§. 29. Porro Stralsundæ Oxenstiernam Leuchtmarus moram circa ratificationem. & dilatum hactenus negotium purgare, simul causas repudiatæ Stargardiæ afferre. Tum exquirere, num mandatum ipsi sit super formula anno 1635. concepta tractationem suscipere, multis extollens affectum Regis Gustavi Adolfi in Electorem, quem a Filia continuari optet. *Tractatio Stralsundæ suscipitur.* Oxenstierna causas morarum probare: Dammum, quod in Stargardiæ & Golnoæ locum Leuchtmarus proposuerat, rejicere; nec de ministro Custrini habendo remittere, rem transactam causatus, ac jam id caput instrumento ratificationis insertum. Nec audere se ad Reginam ea de re scribere, ne totius negotii reformatio suscipi videatur. Ac ita tecte istum Custrini degere posse, ut Cæsari de eodem nihil innotescat. Super Pomerania nihil sibi mandatum: Reginam tamen ei rei componendæ pronam esse. Formulæ dictæ salutarem tunc fuisse scopum, sed nunc rerum faciem plane mutatam. Cæterum si tractatio Osnabrugæ haut ita propere sit ordienda, optare se, ut negotium induciarum se præsente Stralsundæ suscipiatur. Ea de re Leuchtmarus cum collega aonsultaturus Stetinum revertebat. Ubi num in eum locum consentiendum esset, in utramque partem rationes se ostendebant. *In aprico esse, varios dilationum prætextus a Suecis quæsitos: & ipsum Oxenstiernam epistola quadam scripsisse, sua præsentia ad perficiundos tractatus opus haut esse, quod Delegati sufficientibus mandatis instructi sint. Stralsundam quoque remotiorem esse, quo pertrahi forte non e dignitate Electoris sit. Nec minus provincialibus delegatis onerosum, sumtuosumque tam longe a penatibus suis discedere, itineribus quoque non satis tutis. Ac plus rumoris apud Cæsareos excitari, si eo abeant, ubi & ob peregrinorum confluxum negotium ita secretum haberi nequeat. Esse præterea periculum in mora, ut negotio quam primum finis imponatur instante sementis tempore; quod Stralsunda forte vario obtentu extrahi possit.*

1642. *posset. Quod si convenire sibi cum Suecis nequeat, distantiam loci plus temporis requirere, ubi res cum Electore fuerit communicanda.* Validiores tamen habebantur rationes, quæ eam profectionem haut recusandam suadebant, quod pleraque jam exasciata forent, neque expediret negotium in suspenso relinqui; ac Electoris interesset tam ancipitibus temporibus quamprimum nosse, quid a Suecis expectandum sibi foret. Ac Delegati Suecici Stralsundæ agebant, qui quando Stetinum regressuri essent, haut constabat. Et Golnoæ, cui Sueci insistebant, maligna annonæ copia. Denique speciosius erat cum ipso Oxenstierna, quam cum Delegatis tractare, quibus & subinde iste consulendus erat; id quod Stralsundæ brevi manu fieri poterat.

Stralsundæ acta. 9. Mart.

§.30. Ita ambo Legati Stralsundam accedebant, ubi negotium maturari petebant, cum duos jam menses inter inanes moras consumserint. Oxenstierna rem perfici Reginæ cordi esse asseverabat; quæ tamen, non coram se, sed apud Delegatos disceptanda sit. Procuratorium tamen ipsorum introspicere cupienti Electorales reponebant; *se literis Electoris ad Oxenstiernam fidem sibi facientibus sat ampla agendi facultate instructos videri.*

De procuratorio.

Peculiari procuratorio ut instruerentur Electori superfluum judicatum, quod hæc negotiatio priori connexa, eique accessoria sit; ac si novi casus emergant, de quibus in procuratorio nihil extet, haut eo minus sub spe rati concludi posse. In civilibus quoque actionibus receptum, partem etiam citra procuratorium in judicio admitti, si de rato caveat. Ac Electorem duntaxat dura quadam mitigari, ambigua declarari cupere. Nec in Germania moris esse, ut præter fiduciarias literas etiam procuratorium exhibeatur. Ejusmodi juris apices inter eos captari solere, quibus diu hostilia invicem exercita fuerunt, non inter amicos, aut qui paululum errore potius, quam ex odio collisi sunt. Et cum Elector tam crebro testatus sit, quantopere colophonem huic negotio imponi optet, non omnia ad unguem exigenda, nec ut heic vado id adhærescat committendum. Quod si tamen procuratorium utique necessarium judicetur, se curaturos, ut id ab Electore submittatur, procedente interim negotiatione, quod temperamentum Holmiæ quoque admissum. Ita post levem querelam Oxenstierna consensit, ut scripto caverent, intra mensem procuratorium pergamenæ inscriptum huc adferendum; ac si citra id spatium res perficiatur, ipsis haut eo minus discedere integrum fore. Disceptatione suscepta Sueci rigidiores sese sperato exhibebant. De Werbensi castello remittere abnuebant, ita ut Legati demum declararent; Electori ferendum esse, si Sueci id instaurare velint, ut tamen ipsorum sumtibus id fiat, & ne alendi præsidii onus Marchiæ imponatur. Sed acerrima super bonis Ordinis Equitum a Divo Joanne dictorum surgebat, quæ Sueci plane sibi retinere cupiebant.

De bonis Ordinis Joannitici.

Contra Electori, ut circa ista vindicanda omni ope conniteretur, graves causæ erant. Cum enim ipse patronus ejus Ordinis esset, in fraudem hujus juris cedere poterat, si remissius res istius egisse argueretur. Ac Commendatores inter Ordines ipsius provinciales censebantur, nec peculiarem statum, quod Sueci credebant, constituebant. Indecorum quoque sibi eos deserere, quibus commendæ ob egregia merita collatæ fuerant, ac ut tantum non in alios transscribantur permittere. 1642. Ea bona non in usum Reginæ, sed lucro paucorum privatorum cedere. Si in re tam exigua Regina Electori haut gratificetur, omnes judicaturos, circa majoris momenti negotia nihil huic æqui ab ista sperandum. Cancellarium quoque Regni in Suecia declarasse; quod super Ordinis Magistri bonis pacto insertum sit, in odium Joannis Adolfi Schvvartzenbergii Comitis factum, ne hic ea dignatione bonisq; potiretur, cujus pater tam male de Suecia, ipsoque Electore meritus sit. Sed si ea dignitas in Ernestum Marchionem transferatur, haut ægre se huic ista bona cessuros, ac circa Commendas Equitibus, cumprimis Conrado Borgstorfio, satisfacturos. Atqui Electorem nunquam Schvvartzenbergium ad istud muneris admissurum, ac id Marchioni collaturum, cujus connubio & sororem natu majorem destinaverit. Simul exponebant, quomodo Cæsar superiore anno in gratiam ejus Comitis Justum Gebhardum ad Electorem miserit, rogatum, ut ne hic ulterius locum iræ adversus defuncti Schvvartzenbergii hæredes conceptæ dare velit; tum filio Magisterium Ordinis reddat, actionemque huic Coloniæ ad Spream motam in Aulam Cæsaream remittat, ac bona Patri possessa a sequestro liberet.

Gebhard. Cæsar pro Schwartzenbergio juniore frustra intercedit.

Ad quæ ab Electore responsum: *se in filium Comitis neque iram neque odium concepisse; causam ipsius judicibus commissam, nec gratiam justitiæ adversari. — Super Magisterio Ordinis cognitionem illis commissam, queis ea veteri more competat, quos certum sit nunquam Schwartzenbergium juvenem Magistrum admissuros. Se porro defugere non posse, quin subjectorum querimoniis aurem præbeat adversus ministrum, quem omnes Marchiæ prægravem, ac in exercendo munere mala fide versatum clamitent. Denique bona a patre relicta filio restitutum iri, si probatum fuerit, pecuniam revera a defuncto Comite patri suo creditam, & ab isto præfecturas ad mensam Electoralem spectantes pignori oppositas, huic oneri alias haut obnoxias.* Ita Cæsaris intercessionem elusam. Nec minus a Supremo Ordinis Magistro Melitensi injunctum Seniori, & reliquis Commendatoribus, ut filium Comitem patris successorem admitterent, in quem & defunctus Elector paulo ante obitum eam dignationem contulerit. Qui conventu Custrini habito responderint: 19. Febr. *Electionem fuisse illegitimam, cum jus Canonicum beneficia a patre vivente in filium transferri vetet, ne eadem hæreditatis indolem induant: quin expresse ne valetudinario quidem alium substitui velit, cum Coadjutor sufficiat. Id quod & statuta Marchica, & rescriptum Joannis Sigismundi Electoris velint. Et* 11. Jun. 1611. *Svecos odio in Comitem bona ejus Ordinis misere vastasse. Quin & in aula Electoris palam jactari, Comitem patrem per supposititium diploma filio magisterium cessisse, quo fine adhibita sit charta pura Electoris manu subscripta.* Ne tamen Cæsar ea repulsa offenderetur, Læbio, ut hunc de omnibus edoceret, injunctum. Enimvero ista Oxenstiernam, ad quem a Delegatis referebantur, parum movebant, qui reponebat: cum Elector jam istud caput instrumento ratificationis inseruerit, ei postulato jam renunciasse, nec in pactis conventis immutari quid fas esse. Ad quæ Electorales: ista quidem vim pactorum conventorum habere e Svecorum parte, utpo-

1642. utpote Holmiæ confecta, ubi Commissarii sententiam eorum, penes quos summa rerum, eominus percipere poterant. Sed Leuchtmarum longe a Principe suo egisse, cui & tunc de Marchiæ conditione haut exacte constiterit; & cum in Svecia conclusio negotii urgeretur, additis minis, hostilia alias in Marchiam resumenda, utcunque ipsi pactum fuisse perficiendum, emendatione duriorum conditionum ad ratificationem dilata. Unde Electori, qua læsum se pacto judicet, monere integrum esse. Quod Elector instrumentum ratificationis subscripserit, idque Sveci inspexerint, id pacto extremum complementum non addere, sed traditionem, quam non nisi certo modo & correctis iniquis facere jussi sint. Addebantur querimoniæ; Electori tam promtum sese ad amicitiam offerenti nulla re satisfactum; quem si credant e timore, aut animi abjectione ad inducias descendere, immane quantum fallantur. Nam divinitus ea constantia & generositate istum dotatum, ut paucos in ea pares, neminem superiorem habeat. Sed quicquid factum, e desiderio amicitiæ profectum, & quod etiam teneris annis amicitiam Regni Sveciæ Domui Brandenburgicæ proficuam judicaverit.

Circa alia capita incassum disceptatur. §. 31. Nec minus acriter super alimentis præsidiorum Svecicorum disceptabatur, circa quæ liberalitatem in præfectos, & milites suos Sveci de alieno ostentabant, ac magnitudine summæ postulatæ, quæ quadringenta uncialium millia superabat, Electorales exsternabant, cum hactenus inter hostilia in quatuor præsidia Drisenæ, Landsbergæ, Francofurti & Crosnæ haut ultra quadraginta tria uncialium millia impensa fuerint. Electorem quæsiti induciis cives parte onerum levare voluisse; eoque postulata conditioni regionis evastatæ attemperari par esse. Nec in solum Electorem, sed & ipsos Svecos ex induciis fructus redundare, Pomerania per eas in tuto collocata. Nec ab Electore postulari posse, ut propriis e reditibus aliena præsidia alat, aut ære alieno contracto suas terras ob eam causam pignori opponat. Si moderata petantur, & quæ intra vires sint, libenter se præstituros, quibus militem carere non posse norint. Ad quæ cum Sveci nil aliud reponerent, quam ut sibi demonstretur, ubi in formula sumtuum a se exhibita modum excesserint; Electorales iniquitate postulatorum conspecta, & quod Sveci, qua provinciales conventa haut impleverint, Electoris reditibus manus injecturi sint, declarabant: ni æquiora proponantur, abeundum sibi, & rem ad Electorem referendam, negotiatione ad unum & alterum mensem suspensa. Eoque nomine codicillos ad Oxenstiernam dabant, num ipse forte remedium adferre posit, cujus Parens in Svecia pollicitus sit, eam rem quantum liceat moderandam, ut Elector intelligat, Svecos haut libenter ipsius ditioni graves esse velle. Qui cum responderet; non ita mordicus postulatæ summæ inhærendum, in tractatione progredi placuit. Ubi pactum adjectum Electoris declarationi seponebatur. Circa VVerbense castellum Sveci contendebant, hoc destructo pacta violata, eoque Electorem ad istud reficiendum, sibique tradendum teneri, quippe cum ex eo prohiberi queat, ne Cæsarei Dœmitzæ annonam inferre possint. Sed cum Electorales ostenderent; rem non amplius esse integram, ac ideo eam conditionem alternative expressam; tum demolitionem ante conclusas inducias factam; ea res itidem seposita fuit. Postulabant quoque Electorales, ut Garlebia præsidium deduceretur, nullo ad custodiendum transitum usu; uti & Francofurto, cujus par conditio sit, ponte in præsens ibi destructo. Ac Cæsarem cavisse, ob Academiam nullum a se præsidium huic oppido imponendum, idemque de Crosna promisisse; unde nullum Svecis periculum iis e locis imminere. Sed Sveci reponebant; Garlebiam colligendo militi inservire. Francofurtum Landsbergæ & Crosnæ interjectum, quorum oppidorum inter se communicatio intercipiatur, si Cæsarei Francofurto præsidium imponant; in quorum pollicitis parum fiduciæ reponendum, quæ ratione belli obtentui sumta facile eludantur. Lœkenitzam cum Sveci considerari vellent quasi munitionem exteriorem Stetino antepositam, Electorales ibi saltem præsidium absque onere Marchiæ Ukeranæ alendum contendebant. Cæterum cum Sveci sententiæ suæ inhærerent, Electorales ostendebant; non posse a se ad permutandam ratificationem procedi, sed Electoris declarationem expectandam. Ad quæ Sveci: incongruum esse, rem ratihabere, & in mandatis aliter disponere. Contra Electorales; ratificationem non esse puram, ac diserte nonnulla in pacto Holmiensi ad ulteriorem tractationem seposita. Posse tamen ratificationem hac cum conditione tradi, ut quæ adhuc disceptantur, pro non ratihabitis censeantur, ulteriori tractationi subjicienda. Aderat mox declaratio Electoris in eum sensum: *Ministrum Custrini admitti non posse, præfectum tamen scripto cauturum pacta a se servatum iri. Ac si Sveci utique ministrum in Marchia habere velint, satius fore, eum Berolini degere, & aulam sequi, quam Custrini latitare, ubi alias præfecto ex aula sint mandata expectanda. De Magisterio ad ulteriores tractatus posse seponi. Sed summam pro alendis præsidiis enormem plane esse, ac præstare hostilitatem relinqui. Sane Svecica præsidia vix sextam partem ejus, quod nunc postuletur, hactenus percepisse, cum adhuc Marchia sit satis incolumis esset. Ac se cupiisse in Marchiam accedere, quo tractatibus pacis propior foret; sed unde alendum, si Sveci talia exigere pergant?* Ad extremum tamen Electorales nomine istorum alimentorum centum uncialium, viginti modiorum millia offerebant, in quorum partitionem ineundam Ordines provinciales convocabantur. Qua summa cum & Sveci acquiescerent, spes erat, reliqua brevi expeditum iri.

§. 32. Dehinc utrinque formula conventionis concipitur, ubi licet super alimentis præsidiorum utrinque consentiretur, perspectum tamen Electoralibus, Svecos circa reliqua parum, aut nihil remisisse, ac talia exigere perstitisse, quæ ab omni ratione & æquitate abhorrebant. Nam super bonis Magistri ad ulteriorem cum Regina tractationem seponere abnuebant; tum, ut castellum Werbense cum consensu Electoris instauraretur, contendebant; id quod citra gravem Cæsaris offensam fieri non poterat. Simul totam Veterem Marchiam induciis eximere, ac bona Magisterii non *Tractatio suspenditur. 29. Mart.* 1642.

1642. non sibi solum retinere, sed & eadem ab oneribus publicis eximere volebant, ad quæ velut corpori Marchiæ inserta tenentur. Sed longe iniquissimum erat, quod dictæ summæ detrahi nollent, quæ exercitus Svecicus in Marchiam progressus consumeret, ac ipse efficeret, quo minus conventa præstari possent. Tum quod peculiares Electoris reditus, Matrisque dotalitium velut pignoris in vicem detinere, nec solis Ordinum promissis adquiescere vellent. Denique quod commercium salis, inter Regalia Electoris habitum, inter monopolia referrent, idque una cum omnibus belli tempore introductis aut intensis vectigalibus in gratiam Stetinensium aboleri postularent. Igitur Electoralibus nihil remedii supererat, quam ut apud Oxenstiernam super horum emendatione instarent, ac si nihil obtineri posset, negotium paulisper suspendi postularent, quoad ampliora ab Electore mandata peti queant, quod Svecorum postulata iis, quæ habeant, repugnent. Neque vero perspiciebant Electorales, quo fonte ista Svecorum durities promanaret, siquidem his amicitia Electoris cordi esset, uti hucusque creditum fuerat, & Leuchtmarus Electori confirmarat: præsertim cum ea rebus ipsorum haut indecora, aut inutilis esse videretur. Nunc circa minutias ita tenaces de primario negotio parum spei relinquebant. Igitur Oxenstiernæ denuntiabant, in præsens ad conclusionem a se procedi non posse, sed

2. April. negociationem paulisper suspendendam. Nam responsum Electoris advenerat: si Sveci postulatis suis insistant, rem in suspenso relinquendam, præsertim cum ipse in Marchiam accedere agitet, tractationem ibi, aut missis in Sveciam Legatis, persecuturus. In præsens id confirmasse satis haberent, ut cessatio hostilium utrinque maneat, ac super ea scripto caveatur; reliqua, super quibus conveniri non potuerit, deinceps componenda. Quo scripto suæ quoque, & ministrorum suorum securitati caveri volebat in itinere in Marchiam, ac dum ibi commoratur, ne a Svecico milite injuriæ quid, aut contumeliæ inferatur. Super alimentis Svecicorum præsidiorum ad Marchionem Ernestum scripsisse. Ita Legati dilata in mensem tractatione Stetinum revertunt, ubi Leuchtmarus ulteriorem Electoris declarationem expectare statuit.

5. April. Legati re infecta discedunt.

Cæterum per hos tractatus Electorales parum amicitiæ a Svecis sensisse sibi visi sunt. Sane cum ita præfracte abnuerent, ne, si quæ loca transitu, hospitiis, aliisque belli oneribus vastarentur, eorum rata portio conventæ alimentorum summæ detraheretur, satis adparebat, eosdem integra sibi omnia servare cupere circa provinciam pro lubitu exhauriendam, nec ut Marchia a belli calamitate respiret optare. Scrupulum quoque injiciebat, quod Stalhantschius Sonneburgum arcem munitionibus firmare institueret, velut Svecis bona Ordinis vi tuituris, qui & Commendam Schifelbeinam eidem in decennium donasse * dicebantur. Oxenstierna tamen ægre ferre videbatur, Electorales re infecta Stralsunda discedere; ac remedium se allaturum, si quid ingrati a delegatis Svecicis factum ipsis esset. Sed Electorales reponebant: si formula a se concepta admittatur, rem confectam esse; ast ubi Sveci suæ formulæ insistant, ad Electorem sibi rem esse referendam, quod in istam consentire mandatis suis prohibeantur. Ostendebat quoque Oxenstierna, vix a se ratificationem tradi posse, quod Ordines Marchiæ alimenta præsidiorum nondum inter se dispertiti sint. Leuchtmarus contra Holmiæ ausum se in unum & alterum consentire sub spe rati, etsi satis præviderit, ac demonstraverit, id Electoris in fraudem cedere, sperasse tamen, dum ratificatio peragitur, ista mitigari posse. Sed cum videat, Svecos ita obnixe insistere iis, quæ duntaxat sub spe rati conclusa sint, in talia amplius consentire temerarium fore. Declarabat quoque Oxenstierna, interea temporis nil hostile susceptum iri; opus tamen esse certum tempus designari, intra quod Electoris declaratio sit adferenda: quam intra diem quartum Maji adfore Legati spondebant. Cæterum tanta Svecorum asperitate quid consilii capiendum foret, facile adparebat, si res Electoris meliore loco fuissent. Fortasse etiam expediebat a parte Electoris difficultatis quid ostendi, quo documentum caperetur, num Sveci ita mordicus suis postulatis inhærere decreverint, ut etiam id negotii plane abrumpi mallent, quam paulisper concedendo amicitiam Electoris sibi pignerare. Sed in præsens hujus conditio talis erat, ut adversus torrentem haut niti sapientis foret, & non tam de captanda Svecorum benevolentia, quam servandis civibus agenti adversæ partis morositatem ferre haut degener haberetur. Super Pomerania quid propositi Svecis foret incassum ex Oxenstierna expiscari conabantur Legati, animi sensa occultare callentissimo. Aderat post Electoris declaratio in hunc sensum: *Svecorum postula-* *10. Maji.* *ta scopo suo, quem circa quærendas inducias sibi præfixerat, plane adversari. Nam isthac Marchiæ conditione tantam summam corradi nullo modo posse, si Sveci Veterem Marchiam cum Magistri bonis retinere velint, quæ tertiam fere partem ditionum Marchicarum faciant. Nam hac ratione cives plane ad incitas redigi. Unde sufficere, si interim hostilia cessent, ac sibi in Marchiam profecturo securitas præstetur, simul necessaria ad usum aulæ aliunde advehere liberum sit.* Ac eo minus spei erat, Svecos de postulatis suis quid remissuros, quod Magistri bona in Torstensonium collata dicerentur, qui & possessionem eorum ceperit, arce Sonnenburgensi operibus & præsidio firmata.

§. 33. Legati interim Stetini substiterant, quoad Oxenstierna eodem accederet, qui cum super moderandis conditionibus agere jussi erant, exigua cum spe, quod iste ostenderet, a conventis Holmiæ discedi non posse. *Stetini negotiatio incassum repetitur.* Qui & idem disserebat, *8. Maji.* Leuchtmari exceptionem, qua se Holmiæ sub spe rati conclusisse dixerat, inanem esse; cum ipsius acta procuratorium post exhibitum, ac ratificatio Electoris, cui omnia conventionis capita inserta fuerint, confirmarit. Quod si Elector in uno aut altero capite læsum se judicet, post ratificationes permutatas de iis agi posse; sed ante eas conventa refingi par non esse. Huc si Electorales descendere nolint, rem sibi ad Reginam referendam, ejusque sententiam exquirendam. Sed si facultate concludendi instructi non sint, supervacuum esse novum *Recessum* formari. Nam etiam citra hunc Torstensonium hostilibus abstenturum; ac se insuper eam rem per literas ipsi commendaturum. Ad quæ Leuchtmarus: *non haberi pacta con-*

con-

1642. *conventa, nisi quibus ratificatio accesserit. Procuratorium ad tractatum referri, in quo ratificatio reservata sit. Nec adparere, quis sit usus ratificationum si omnia, quæ sub spe rati conclusa fuerint, utique adimplenda sint, nec ratificaturo monita sua exponere liceat. Quamdiu etiam ratificatio intra suas manus hæreat, eam effectu carere, ac exceptionem in ipsius mandatis haberi. At nihil frequentius, quam pacta priora posterioribus derogare, aut peculiari pacto adjecto prius corrigi. Sane hanc Electoris mentem fuisse, etsi ratificationi articuli Holmiæ conventi sint inserti; pacto tamen adjecto eosdem corrigi, aut explicari posse. Qui & Svecis quantum licuerit gratificatus fuerit, relicta in ipsorum arbitrio per biennium Pomerania, in quam nemini mortalium præterquam ipsi jus competat, tot insuper locis in Marchia concessis. Ac si idem omnia citra exceptionem annuat, ipsis Svecis velut ignavum contemtui habendum. Recessu etiam opus esse, quod citra hunc Electori vix tuto in Marchiam accedere liceat; ac post tam prolixos tractatus exprimendum utique esse, qua ratione invicem discesserint.* Oxenstierna ad hæc multa verba reponere, sed quæ ad rem nihil faciebant. De Recessu se deliberaturum. Tandem Electorales dicebant: bona cum spe ad ipsum se accessisse; non levi contra cum animi perturbatione discedere. Sane in aprico erat, Svecis decretum esse Electoralem premere; ac vulgatum erat Joannis Lilliehæckii dictum ad quempiam, qui Marchiæ inducias gratulatus fuerat, a malis respirationem daturas: *non esse a Svecis concedendum, ut Elector vires recipiat.* Sane haut cordi iisdem esse calamitatibus Marchiæ mederi, indicio erat, quod quicquid querimoniarum provinciales moverent, unus ad alterum rejiceret, ac militares homines Oxenstiernam parum curarent, qui & rem remisso brachio agebat. Molestum quoque erat Legatis Stetini inspicere, quomodo Svecici ministri circa administrandum Pomeraniæ imperium se tam magnifice jactarent; ex quo plebi opinio nasci poterat, quasi Elector jus suum in eam provinciam abdicasset. Quanquam autem modica spes foret quidquam proficiendi, negante Oxenstierna, alia se mandata e Svecia accepisse; placuit tamen eidem Electoris declaratio-

11. Maji. nem scripto exhiberi in hunc sensum. *Circa pactum adjectum placere, ut præfectus Custrini scripto caveat de conditionibus induciarum servandis, aut ut minister Reginæ palam aulam Electoris, ejusdemve Vicarii in Marchia sequatur. Magistri bona Sveci retineant eo duntaxat fine, ut Schwartzenbergius junior inde excludatur, hac tamen lege, ut ideo Magistri ditio, & Commenda ab Ordinum Marchicorum corpore ne divellantur, sed pro more ad onera provincia ratam partem conferant. Castellum Werbense haut instaurandum, nec ideo totam Marchiam Veterem sibi subtrahendam. Summam alimentorum pro præsidiis enormem esse, quanta nec unquam antehac exacta sit, præsertim si Sveci tam insignes partes a Marchia separare velint. Tradita ratificatione suos sibi reditus restituendos, e quibus sibi utique vivendum sit. Commercium salis & vectigalia auctiora sibi relinquenda, nec juri stapula Francofurtana prejudicii quid afferendum, nec Stetinensibus plus tribuendum, quam olim usu receptum. Denique navigationem Warta fluminis Polonis aperiendam. Ubi super his conveniri nequeat, tractatus differendos usque ad suum in Marchiam reditum, aut Legatos in Sveciam mittendos. Quo casu tamen cessationem hostilium conventione firmandam, ac ut sibi, suisque ministris in Marchiam accedere, tutoque ibi commorari liceat.* Ast Svecus circa nihil horum certi quid statuere, sed omnia Holmiam rejicere, etiam de tuto Electoris in Marchiam accessu. Instabant dehinc Electorales, ut instrumentum pacti formaretur in hunc sensum: *cum circa capita quædam conveniri non potuerit, id induciis fraudi non fore, & tractatus resumendos, ubi Regina atque Electoris declaratio circa indecisa capita allata fuerit.* Addebatur, efficiendum esse Svecis, ut Marchia fructu induciarum, re ipsa gaudere queat. Nam ne de aliis insultationibus memoretur, Gubenæ præfectum nunc minari, se agrestium pecora abrepturum, & sub ipsa Berolini mœnia populationem facturum. Sed Oxenstierna prioribus insistere; e Svecia sibi declarationem expectandam, nec in Recessum circa suspensionem armorum consentire posse. Ferebat tamen Legatorum discessum sibi dolere, ac, ut certum tempus repetendis tractatibus statueretur, monebat. Id quod Leuchtmarus fieri posse negabat, sed rem ad Electoris in Marchiam adventum differendam, cujus itineri nondum certa dies dicta sit. Se tamen ipsi e Borussia per literas de ea re significaturum. Interim ut hostilia quiescerent rogabat; de quo iste spem etsi sat frigide faciebat, ut satis adpareret, nec Legatorum discessum, nec novam in Sveciam legationem ipsi placere. Ita post inanem tot mensium operam Legati diversi Leuchtmarus in Borussiam, Bornius Custrinum discessere. 1642.

§. 34. Ut igitur Electori penitius constaret, quid a Svecis sibi expectandum foret, denuo Legatos in Sveciam mittere decrevit Sigismundum Gœtzium Cancellarium, & Leuchtmarum. Præcipua mittendi causa ferebatur admodum plausibilis, ac favori apud Svecos conciliando cumprimis idonea, ut Regina Mater Maria Eleonora e Dania educeretur, quam ibi degere Svecis acerbum erat; nec minus ipse Daniæ Rex sumtuosam hospitem honeste admittere optabat. Super hac re Legati primo proponere jussi sunt: *Dolere Electori, Reginam Matrem nescio quo instigante e Svecia discessisse, in cujus consilii conscientiam pater suus nunquam pervenerit. Quod factum cum infectum fieri nequeat, potius esse remedia eidem circumspicere. Super quibus Regina ut ipse curam atque officium interponere instituat, per propinquam cognationem, & singularem quondam Gustavi Adolfi Regis in se amorem compelli.* Inde seposita Stralsundæ induciarum capita ex voto Electoris adornare niterentur. Ne qua negotio remora injiceretur, præter fiduciarias literas Legati quoque procuratorio instruuntur, quod istud requirere Svecis solenne sit. Ubi ad negotium de Regina Matre perveniatur, id præcipue laborarent, ut ea in Sveciam reducatur, dotalitio restituto. Quin adversus ipsam graves querelæ movendæ sint, dubium non esse. Scilicet eandem administrationi Regni sese ingerere conatam: tutores clandestinis pravorum hominum suggestionibus graviter accusasse, præcipuo in Cancellarium Regni odio, quem belli in Germania protracti arguebat prædæ causa, cujus tantam vim in Sveciam congesserit; in quem vindictam Numinis se exoraturam, ut ejus nepotes, posterique ad inopiam sint redigendi.

Nova in Sveciam legatio.

Mandata Legatorum super negotio Reginæ Matris.

1642. gendi. Nationem Svecicam non ipsam modo aversari, sed & ejus odium atque contemtum animo filiæ implantatum ire: reditus suos dissolute admodum dispensasse gravi insuper ære alieno ad ducenta uncialium millia contracto: cum exteris secreta literarum commercia miscuisse: super filia cum Friderico Daniæ Regis filio maritanda agitasse, invitoque regno Regem obtrudere, aut dissidii causam serere laborasse: cujus & animum a Palatino Carolo Gustavo avertere studuerit, quem Christinæ sociandum Senatores hujus Patri suaserint. Denique gravi cum contumelia in defunctum Regem Maritum, Filiamque, ac totum Regnum clam profugisse non ad amicos, sed ad Danos, infensam semper invisamque Svecis nationem. Talia si jactentur, Legati reponerent; de hisce Electori non constare. *Rem inter proximo sanguine junctos actam; eoque præstare eam silentio premi, quam accusatione differri. Forte & qui retulere rem in majus exaggerasse. Aliorum potius instinctu ad talia propulsam, pericula ac necessitatem falsam fingentium, quam quod ipsa animum Svecis adeo aversum gesserit, aut pravam intentionem foverit. Nil insolitum esse, Principes quandoque ab iis, quos fidissimos sibi credant, ad noxia pellici. In posterum cautius acturam:* & quæ alia molliendæ invidiæ faciant. Ita tamen sermonem temperarent, ne vel Reginæ facta defendere, vel eadem arguere videantur, cum ipse judicem eo in negotio se ferre nolit. Quod si id obtineri nequeat, ut in Sveciam revocetur, instarent, ut saltem reditus dotalitii præbeantur: ut solutio pecuniarum ipsi dandarum accurate disponatur: ut Filia Matris æs alienum diluat, aut ut saltem pars dotalitii ejusdem alimentis, reliquum debitis solvendis impendatur. Quod si Sveci ejusdem in Dania commorationem ægre ferant, ostenderent, Electorem eandem libenter ditionibus suis excepturam, modo super sustentatione rite dispositum fuerit. Cui fini maxime accommodum videri Custrinum, promta ibi e Polonia per Wartam subvectione. Nam quod Elector hunc locum Borussiæ præferat, causam esse, quod inaudierit Polonis id minus gratum fore, ac sermonibus in Reginæ contemtum cedentibus ansam daturum. Nam Polonis liberrimas esse linguas, qui nec Regibus suis parcant; quorum dicacitatem Elector ipse initio regiminis senserit. Plura offerre Electorem non posse ditionibus suis bello ad inopiam redactis. Legati quoque apud Cancellarium Regni per tertium explorarent, quousque is super hac re Danico Holmiæ ministro communicandum censeat. Cum aliorum Principum Legatis super eadem sermones miscere abstinerent, quod aliorum non intersit, quid inter parentes, ac liberos agitetur. Quid in hoc negotio profecerint Reginam Matrem misso Nobili edocerent, ac de studio Electoris in ipsam testati, ut quæ offerantur conditiones acceptet, persuadere niterentur.

mo- dis a- gi-

§. 35. Circa capita induciarum, super quibus nondum convenerat, Electoris ea sententia erat. Satius videri ministrum Svecicum palam in ipsius aula residere, quam clancularium aliquem Custrini delitescere, plus suspicionis excitaturum, quam si in omnium oculos incurrat. Igitur cum Svecorum nihil intersit, circa eam rem haut amplius fore difficiles. Castellum Werbense destructum esse, antequam constaret a Svecis id desideratum iri, idque eo duntaxat fine, ut Dœmitzæ præsidiarios arctius includere possent. Ac inter tractandum spem factam, expugnata Dœmitza prætensionem in castellum expiraturam. Equidem optare Electorem, ut Meclenburgicus Dux arce sua potiatur, quod Commercia Albis promoturum sit. Sed ad hunc finem Castellum VVerbense parum facere, quod Dœmitza longe numerosius præsidium, quam id Castellum capiat. Circa enormem summam pecuniæ & frumenti ad alenda præsidia, & quod Veterem Marchiam a reliqua ditione avellere Sveci cupiant, Legati ostenderent, id contra scopum esse induciarum, quæ necessariam duntaxat sustentationem pro præsidiis stipulentur: nunc tantum exigi, quod & locupletandis præfectis sufficiat. Ac jam Leuchtmaro in Svec[illegible] promissum, si exercitus Svecicus laxioribus se spatiis diffuderit, circa sustentationem illam moderamen adhibitum iri; id quod jam contigerit. Nec de separanda Vetere Marchia induciarum pacto mentionem factam. Circa summam tributi conniterentur, ut ea saltem centum uncialium millia, viginti frumenti millia ne excedat, pro omnibus præsidiis Svecicis ubicunque sitis: tum ut Electori sua ditio integra relinquatur, nec transitu, hospitiis, aliisve modis evastetur, uti nuper a Torstersonio Veteri Marchiæ, & a Stalhantschio Crosnensi, ac Sternbergensi districtui factum. Omnibus autem exhaustis integram summam exigere iniquum esse. Plura ne annuerent, & quæ supra vires sint. Ad moderata præstanda se promtum fore. Si sua præsidia Sveci curent, Electorem quoque ut propriis prospiciat par esse. Ubi super summa convenerit, Electorem ita inter provinciales eam dispertiturum, ut præsidia debito potiantur; quo ipso & controversiam super Electoris Regalibus, & Electoralis Viduæ dotalitio expirare. Circa Magisterium Ordinis Electorem cauturum, se volente Schvvartzenbergium ad id non adspiraturum. Id tamen durum nimis, subjectos Ordinis tributis eximi, eorum rata parte in alios devoluta. Si ejusmodi declaratio obtineri queat, Svecos Marchioni Ernesto dignatione Magistri potito Sternbergensi ditione cessuros, eam haut parum profuturam excludendo Comiti, istique promovendo. Porro durantibus induciis nova vectigalia ne imponantur, vetera, usuque recepta maneant; quo jure & omnes Germaniæ Principes nemine contradicente uti. Si igitur tale quid abrogetur, Electorem ob amicitiam Svecorum deterioris fore conditionis, quam alios eorum hostes. Et præfecturis patrimonium Principatus constituentibus vastatis vectigalia potissimam redituum partem facere. Sane id postulatum instinctu Stetinensium prolatum, queis vectigalia Electoris fraudare solenne sit; qui, postquam Electorali Domui cum Polonis super libera VVartæ navigatione convenisset, in Polonia coëmtas merces velut ad Polonicos proceres spectantes professi sint, quamdiu Electoris ditionem transirent; in Pomeraniæ flumina delatos pro suis agnoverint, quo utrinque vectigalibus aliquid decerperent. Unde spem esse Electori, majorem 1642.

sui

1642. suirationem habitum iri, quam aliquot mercatorum, lucro suo undiquaque inhiantium. Commercio salis Antecessores suos ab anno 1588. nemine contradicente usos, quo biennales ob inducias ut ipse decedat, Svecos haut postulaturos. Circa Pomeraniam nihil in præsens movendum, sed id alteri occasioni reservandum. His adjungebatur commendatio causæ Palatinæ, & Carnoviensis apud futuros pacis tractatus, exigua in futurum spe, si heic nihil obtineatur. Præterea Legato Gallico Electoris commoda jubebantur commendare, ac turbida temporum excusare, quod tam pauca hactenus cum Gallia communicare datum sit. Ac si Cancellario Oxenstiernæ id non displicere intelligant, gratum Electori fore ostenderent, si Legatus iste in universum Reginæ declaret, res Electoris cordi sibi esse, quo amicitia inter Regem & istum eo melius coalescat.

Super Reginæ Matris negotio convenitur. §. 36. Porro Legati Holmiam advecti, ubi omnibus honoris indiciis excipiebantur, utut jussi essent mandata apud Reginam exponere, hac uti videbatur de industria absente apud Tutores de missione sua verba faciebant, penes quos & alias rerum administratio erat. Qui vt Latino sermone Legati uterentur monebant; alias Svecico responsum iri. Privatis congressibus cum super negotio Reginæ Matris ageretur, Sveci ostendebant; gratissimam sibi esse operam, quam Elector heic impendat, quicum tractare, quam cum ipsa Regina Matre, malint. Istam ad dotalitium reverti in præsens non posse. Sed si Electoris in ditionem concedere velit, huic triginta uncialium millia numeranda, e quibus sex non amplius millia Reginæ pro lubitu dispensare integrum sit; ne ipsa argento pro more dissipato necessariis careat, aut Electori molesta fiat. E reliquis aulam ipsi pro captu formandam. Æs alienum ab ipsa intra Sveciam contractum dissolutum jam esse. Si quid ejus in Dania conflaverit, sibi curæ non esse. Reginæ filiæ gratissimum fore, si mater in aula Electoris agat. Prius tamen ab hac exquirendum, num ipsa Holmiæ conventis adquiescere velit. Nam si utique in Dania morari pertendat, nihil amplius heic movere placebat. Inter quæ minister Danicus apud Senatum proposuerat: *Si Reginæ nihil pecuniæ detur pro lubitu dispensandum, id Regi suo ignominiæ cessurum, quo casu malle ipsum ad meliora tempora Reginam secum servare.* Quod satis intempestive moveri Senatus censebat; ac suspicio erat, Danum istam in Svecorum odium e Regno suo haut amissuram. Contra Electorales demonstrabant; Principem suum huic se negotio haut obtrudere, atque hoc onere supersedere maluisse: sed ipsum Daniæ Regem petiisse, ut Reginam intra ditionem suam accipiat, ejusque curam agat. Quin ad Poloniæ Regem scripsisse, ut Electorem ad idem permoveat. Et mox Danicus minister Electoralibus fatebatur; gratum fore suo Regi, si ista apud Electorem sit, modo pecuniæ quid pro lubitu dispensandum accipiat. Cæterum post modicam disceptationem in has leges conventum, ut quia Regina Mater nec ipsa in Sveciam reverti volebat, nec Senatus eam ultro rogandam ducebat, tantisper in domo paterna ageret, quoad filia sceptrum capesseret. In arbitrio ipsius relinqui, in Marchiam, an in Borussiam concedere malit, ubi Elector ipsi de commoda sede, ac sustentatione prospecturus sit. Contra Svecos Electori, ex quo tempore illa in hujus ditiones adpulerit, numeraturos summam, quanti reditus dotalitii taxati erant, quadraginta millium thalerorum Svecicorum, qui viginti sex sexcentos sexaginta sex cum duobus tertiis uncialium faciant, quibus Regina filia ter mille, trecentos triginta tres unciales cum una tertia additura sit. Horum dimidiam partem statim Gedani solvendam, alteram partem initio septimi mensis ab ejusdem adventu, pari deinceps ordine. Mittendam quoque supellectilem argenteam, & alia Grypsholmiæ relicta, exceptis aulæis ad eam arcem spectantibus. Addebantur octo millia uncialium, ut eo decentius e Dania posset discedere. Cavebatur quoque, si Christinæ interim humani quid contingat, ea conventa a Regno Sveciæ servatum iri: super quo peculiare Senatus consultum fiebat. Id pactum ad Reginam in Daniam mittendum, quod, ubi hæc probaverit, Elector quoque idem firmaturus sit: ubi eadem istud repudiarit, omnia irrita futura. Subscripserant id pactum e Reginæ parte Petrus Sparrius, Jacobus Steinbergius, Joachimus Transæus, Andreas Gyldenclovius.

1642. 26666⅔. 24. Sept. *Sparre. Steinberg. Gyldenclo.*

Acta ob id negotium in Dania. §. 37. Ei negotio ut colophon imponeretur, Elector sequenti anno Lœbium in Daniam misit, cum Regina vidua ac rege ibi acturum, quo pactum Holmiense ab ista acceptaretur. Ubi jubebatur demonstrare; id eo magis cordi fuisse Electori, quod & ipsa Regina e Svecia digressa petierit, ut ipsius curam suscipere velit, de quo & Daniæ Rex per Legatum institerit; & ipsa Regina Sveciæ misso Axelio Oxio apud Elisabetham Charlottam Electoris Matrem enixe institerit, efficeret, ut ista honesto modo e Dania abducta in Marchiam aut Borussiam concedat. Id negotium primo apud Regem proponeret, cujus cumprimis ratio habenda erat, ut qui profugæ hactenus loca & lautia præbuerit; peteretque, ut Reginam ad probandum pactum Holmiense permoveat. Simul missionem ad ipsum huc usque dilatam excusaret intercapedine locorum, quam mox repræsentaverit, postquam Berolinum accesserit. Addebatur, ut Rex Electoris commoda cordi habeat apud instantes pacis tractatus, cui conciliandæ is hactenus operam navarit sane laude dignam. Circa Commorationem Reginæ Elector initio Custrinum commendabat; sed cum illa Borussiam vel ut natale solum mallet, ut eo longius Svecis disjuncta ageret, multa adhuc Marchiæ loca insidentibus, Insterburgum offerebat, locum amænum & commodum, ubi & eidem gratis ligna, pisces, & ferinam præbiturus erat. Rex Daniæ suis navibus eam mense Junio in Borussiam trajecturus erat, quod eadem Svecicam navem ingredi nollet. Ut ipsa de ministris suis adsciscendis disponeret, Regina pertendebat, Electore tamen excipiente, ne qui adsumerentur Svecis exosi, sibi suspecti. Quo præcipue innuebatur Bernardus Waldavius, quondam aulæ apud defunctum Electorem præfectus, post filii gratia evolutus; qui sinistros admodum sermones in hunc jactaverat, ac totum hoc negotium

Oxe. *Waldau.*

1642. tium nunc subversum cupiebat. Sed circa pecuniæ dispensationem maxima difficultas erat, quam Regina utique sibi vindicare cupiebat, tutore sibi haut opus jactans, ac quo libera ageret Sveciam se deseruisse. Elector contra etsi ex hoc negotio ne obulum quidem lucri captaret; ultro tamen onus in se attrahere præsenti rerum suarum conditioni haut conveniens judicabat. Igitur Reginæ arbitrio pecuniam relinquere nolebat largiendi nimiæ, ne si illa hanc pro more dissipasset, onus alendi in ipsum devolveretur, cum indecorum esset, istam sua in ditione inopia premi; quod & Sveci nullo modo concedere volebant. Ac ni hoc obtineatur, Elector negotio huic plane se subducturus erat. Ita Regis Daniæ autoritate demum Regina consensit, ut præfectus Insterburgi, ubi Reginæ sedes futura erat, pecunias e Svecia mittendas acciperet, ac Reginæ juramento se obstringeret, se pecunias illas unice ad ipsius necessitates juxta dispositionem ab eadem factam impensurum, tertio quoque mense rationibus accurate redditis, & quæ sub finem anni erogationibus superfuerint, Reginæ in manus traditurum, pro lubitu una cum sex uncialium millibus ab ipsa dispensandum. Hoc

25. April. 1643. peracto ratificatio pacti Holmiensis permutabatur, Svecis valde probantibus negotium ita ex voto confectum. De quo dubitare cœperant, quod Rex Daniæ antea in Sveciam scripsisset, se de conventione super Regina Matre inaudivisse; sed haut credere, eam isti probatum iri. Cui Rectores Sveciæ sat abrupte responderant; si ipsa nolit, se id negotium suo loco relinquere. Etsi constabat, Regem utique amoliri cupere hospitam prægravem, & per quam satis perspiciat obtinere se haut posse, quod speraverat, Friderici filii cum Christina connubium. Inter tractandum Rex Daniæ vetuerat, ne Lœbius cum ipsa Regina colloqui posset.

Super induciarum legibus mitigandis incassum satagitur.

§. 38. Cæterum in Svecia Legati Electorales post confectum Reginæ Matris negotium, cum super mitigandis quibusdam induciarum capitibus agere cœpissent, Sveci primo querebantur, Electoris ratihabitionem tamdiu dilatam, & jam transacta denuo disceptationi subjici. Sed Electorales ostendebant; se non fuisse in mora, ac de summa alimentorum ad alios tractatus diserte rejectum, abs qua pleraque alia adhuc controversa dependeant. Inde Sveci pacto adjecto desistebant, quod alias minister sibi in aula Electoris sit habendus. Sed circa summam contributionis tota difficultas vertebatur, Svecis disserentibus, libenter se isto onere Electorem fuisse levaturos, ni intolerandum soli Sveciæ esset omnes belli impensas sustinere; Legatis incassum miseram Marchiæ conditionem tanto oneri imparem occinentibus, quæ & ipsis Svecis satis sit perspecta. Unde isti postquam destinata sua circa restituendam Ordinum Germaniæ libertatem multis verbis extulissent, simul quantos sumtus in bellum id erogaverint, pro alendis præsidiis Marchicis, Garlebiensi quoque incluso, centum quadraginta uncialium, quadraginta modiorum millia poscebant. Addebatur, ne Elector ægre ferat, si necessitate exigente Castellum Werbense instauretur, tum ut commercium salis abrogetur. Quæ supra vires Marchiæ Legati demonstrabant, & Electori sua quoque præsidia alenda; ac ut summa Stralsundæ 1642. oblata adquiescere velint, quæ & ipsa ægre corradenda sit; circa quam & Elector caveri velit, si forte aliquid ei summæ desit, reditibus suis manus haut injiciendas. Plura annuere sibi per mandata sua non licere. Ista cum incassum jactarentur, scripto demum Legatis id responsi traditum: *Electori a Regina gratias agi pro opera in Matris negotium impensa. Super induciis præcedente anno pactum initum, quod nulla amplius discussione opus habere videatur, excepta tributorum summa; quo & onere Regina libenter Electorem levare velit, ni is Marchia situs esset, ut suis copiis transitu per eam hinc inde sit utendum, quo fine & ibi nonnulla loca præsidiis firmanda sint. Ut omni onere liberetur Marchia, præsentem rerum conditionem haut ferre, cujus & modum ita taxarint, ut æquitatis rationem sibi constitisse credant. Sed quia Legati negarint in eam summam per mandata sua consentire se posse, ac Elector ipse brevi in Marchiam accessurus sit, ubi re cominus inspecta, & adhibitis in consilium Ordinibus provincialibus inter delegatos utrinque negotium melius expediri queat; igitur in eum finem mandata Joanni Oxenstierna transmissum iri, ut tributa quantum res ferat moderetur.* Alias Cancellarius Electoris consilia multis verbis extollebat, cujus Legati Ratisponæ post mortem parentis saluberrimas pro incolumitate ac libertate Imperii sententias dixerint. In ea mente ut idem persistat, rogabat, quo saltem uterque Circulus Saxonicus in pristinum statum reponatur. Sane Fridlandum, quando Wismariam cum quatuordecim navibus bellicis obtinebat multa mala dare potuisse, si commoda sua ipse intellexisset. Svecos non hostes Imperii, sed Cæsaris duntaxat, & Domus Austriacæ esse. Tum ut Saxonem ad aliam sententiam induendam permoveret. Multis quoque laudibus ferebatur Mater Electoris, pietate ac prudentia insignis fœmina quæ semper Schvvartzenbergii consiliis adversata sit. Quæ & detestabatur Ablegatus Gallicus Rorteus, qui Regem Christianissimum arctio- *Rortes.* ri fœderi cum Electore ineundo pronum fuisse ferebat, ni salutare institutum iste retulisset.

Sollicitudo Electoris circa continuandam ab hostilibus cessationem.

§. 39. Dum ita negotium induciarum in longum protrahitur, solicitus erat Elector, ne forte Sveci iterum hostilia per Marchiam resumerent, non citra dispendium suum iterum sopienda. Cui incommodo prævertendo Stetinum mittitur Wernerus Schulenburgius, apud Joannem Oxenstiernam testaturus, Electorem cupidum esse negotii istius ad finem deducendi. Sed cum operæ pretium fieri nequeat, antequam ipsi mandata super *Jul.* capitibus controversis e Svecia mittantur, petebat significari, quando ea mandata advenerint, quo statim ab Electore Legati Stetinum accedere queant. Ac dilato licet hujus in Marchiam itinere tractatibus moram non fore. Interim petere, ne ob suspensionem tractatuum cessatio ab armis expiret. Addebatur, disposuisse Electorem, ut quicquid Svecicarum rerum esset per Oderam hinc inde libere vehi posset: qui & speret, non minus immunem a vectigali transvectionem concessum iri, quæ ipse suis usibus e Borussia in Marchiam adportari curet. Ad quæ ab Oxenstierna responsum; vectigalia in fluminibus facile se remissurum;

1642. rum; sed ab iis, quæ in ostiis maris solvi sueverint, neminem exemtum esse. Cum diutius id
19. Sept. negotium infectum penderet, Elector per tubicinem literas ad Oxenstiernam misit; se brevi in Marchiam venturum, ubi tutiorem sibi commorationem speret ob Svecorum res in Silesia potiores.
7. Oct. Ad quæ Oxenstierna non dissimulare; mirari se tot per moras negotium extrahi. Sibi super capitibus controversis dudum mandata transmissa præsentibus temporibus accommoda. Credere tamen legatos Electorales Holmiæ rem confecturos.
12. Nov. Alias in se nihil moræ fore. Mox reversis e Svecia Legatis Elector Reginæ significabat, se in Marchiam delatum negotium induciarum resumturum, petito ut regii delegati idoneis mandatis instruantur. Scilicet circumspecte admodum cum gente acri, & arma in manibus habente agendum erat, ne ex ejusmodi dilationibus ludibrium suspicata in hostilia iterum prorumperet.

Svecorum circa connubium Christinæ mens exploratur. §. 40. Enimverò legationis in Sveciam negotia jam memorata non nisi prætextum præbuisse constans tunc per Europam opinio erat, ac longe altiora fuisse petita, connubium nempe Christinæ, dotale Regnum Electoratui sociaturum. Sane mirum non erat, Principi ejus ætatis, ut de matrimonio cogitare & posset & deberet, dignas se conditiones circumspicienti de hac in mentem venisse. Sed quæ matrimonium illud suaderent, aut dissuaderent, in utramque partem rationes se ostendebant. *Equidem conjunctio tam amplarum ditionum productura erat Monarcham maxima & in Germania, & in Polonia, & in tota Europa autoritatis, ex quo rebus Protestantium per Germaniam ingens firmamentum accessurum erat, tum Polonia Protestantibus paratum præsidium, si qua injuria inferretur.* Unde & infesti aut æmuli Sveciæ id connubium magnopere horrebant. Et quanquam novus sponsus dotale bellum accepturus esset, Polono, Danoque mox arma cum Cæsare junctis, languidis fortasse Gallorum & Belgarum auxiliis, ipsisque Germaniæ Principibus invidia ægrescentibus: tamen victore exercitu succinctum haut defectura videbatur facultas istis difficultatibus exsuperandis. Sed summa negotii in eo vertebatur, an Reginæ iste sponsus, Svecis iste Rex placiturus sit. Nam neque illa invita ad connubium trahi poterat; & eadem licet consentiente, si totius nationis animi aversi essent, graves turbæ intestinæ metuendæ erant, Sveciæ sub exterorum Regum imperio haut insolentes; per quas recens Corona non nisi oneri cessura erat, avitis ditionibus fortasse periculo exponendis. Prudentis igitur erat, antequam ea res palam susciperetur, utrorumque animos, quomodo in Electorem inclinati essent, explorare. Id quod ut dextre facerent, Legatis erat injunctum, ne si res secus caderet, repulsæ opinio Electorem adspergeret. Cæterum quo minus Reginæ mens circa id matrimonium cognosci posset, Rectores Sveciæ effecerant, ipsa tunc ad perlustrandas provincias sat diluto sub colore ablegata. E proce-
Brahe. ribus id negotium potissimum Petro Brahæo, Axelio, & Gabrieli Oxenstiernis, illi Cancellario, huic Thesaurario Regni, paucisque aliis oblique insinuabatur; qui singularem in Electorem affectum verbis testabantur, ac ferebat Gustavus Hornius, 1642.
se ejus negotii communicandi causa ad Reginam *Horn.*
profecturum. Eoque Legatis non parum spei faciebant, etsi nil certi affirmando, ac ad futuras deliberationes rem rejiciendo omnia sibi integra servarent, circa induciarum tamen mitigationem duriores, quam ut cum futuro suo Rege agere viderentur. Unde & deinceps tecte admodum cauteque Elector eam rem tractabat, ut nec abrupte spem forte nondum maturam elideret, nec cupidinem apricando ludibrio se, aut periculo exponeret.

Polonorum ad Electorem legatio. §. 41. Id porro negotium cum alios vicinos adverterat, tum Polonis præcipue scrupulum injecerat, qui & antea per Dænhofium Electori Uladislai Regis sui sororem obtulerant, quo ejus cogitationes a Christina averterent; nunc autem
Ossalinski Ossalinium Cancellarium cum numeroso ac splendido comitatu Regium montem mittebant. Is palam ferebat, se ad inspiciendas Pillaviæ munitiones venisse, de quibus perficiundis Elector scripto caverat; qui & hoc deducente istas lustravit probavitque velut quas probe firmari Poloniæ magnopere intersit. Sed præcipua veniendi causa erat, ut matrimonium Svecicum impediret. Eo fine proponebat; *Uladislao a variis relatum, Electorem connubium cum Christina affectare, eoque fine Legatos in Sveciam misisse; id quod homagio præstito repugnet, ac sine dubio graves molestias, forte & atrox bellum sit pariturum. Notum esse Electori jus Regis sui in Sveciam, quo nunquam cedere decreverit: unde spem esse, ipsum tanquam vasallum Rege & Republica insciis nec consentientibus eas nuptias declinaturum. Regem quidem in præsens eam rem incertam ducere, ac rumores inanes ab otiosis hominibus, aliena incassum arbitrantibus, sparsos. Mature tamen sibi vigilandum fuisse, & monendum, ne post jactetur, rem non amplius esse integram, sed facta transacta omnia; ac Regem idonee caveri sibi velle, id nunquam futurum.* Addebatur, cùm Rex æque Electorem, atque Neoburgicum Ducem sororis suæ sponsum singulari amore prosequatur, optare ipsum, ut omne dissidium inter pariter dilectos tollatur; eoque sequestrem se offerre; ac ubi Elector sententiam suam super hoc negotio exposuerit, jussum se Regis quoque mentem aperire. Huic ab Electore responsum: *de matrimonio ineundo nondum sibi susceptam cogitationem: multo minus de Svecicis nuptiis secum statuisse. Nam legationem in Sveciam spectare ad inducias absolvendas, & componendum filiam inter, & matrem dissidium. Se quidem nunquam matrimonium initurum Regi aut Regno Poloniæ præjudicio cessurum: nec quid ex homagio debeat, sibi excidisse, cujus religio sat validæ cautionis instar sit, qua majorem præstare nequeat.* Sed cum Ossalinius distinctam magis declarationem exigeret, Elector reponebat: *de connubio Svecico neque se cogitasse, nec ab aliis super eodem sibi propositum. Si tamen deinceps quid moveatur, se pro filiali observantia haut omissurum cum Rege communicare.* Hæc declaratio antequam ab Electore fieret, Ossalinius quatuor primariis Borussiæ consiliariis jussu Regis denuntiabat, ut pro obligatione, qua huic obstringantur, accurate observent, numquid super eo matrimonio agitetur, idque proti-

1642. protinus ad Regem referant, addito, *id ubi successerit, fœdus & conjunctionem inter Regnum Poloniæ, & Domum Brandenburgicam consistere non posse.* Quæ verba ab ipso bis magna cum asseveratione repetebantur. Ea res consiliarios ita exsterriabat, ut Electorem anxie rogarent, eo connubio supersedere vellet, velut Borussiæ exitioso; cum dubitandum non sit, quin Poloni statim id feudum commissum declaraturi sint. Quibus solandis, cum Legati e Svecia revertissent, confirmabat, inanem esse tam late diditum rumorem de nuptiis Svecicis; simul scriptam ostendebat Reginæ declarationem a Legatis allatam; ex qua pateat, de nuptiis ne verbo quidem mentionem factam. Nam interat Electoris, id negotium intra paucorum conscientiam versari, ac ab ejusdem notitia illos arceri, qui præter ipsum alii quoque obstricti essent. Ast quod de opera Regis circa negotium Juliacense interponenda Polonus movebat, Electori haut placebat, studium Regis in Neoburgicum suspectanti. Color tamen honestus recusati officii dicebatur, duodecim adhuc annos conventioni super possidendis interim istis provinciis superesse, eoque præmaturum id negotium nunc moveri.

Super induciis perficiendis iterum agitur.

§. 42. Quia porro varia obstacula interveniebant, quo minus induciis Svecicis ultima manus imponeretur, Elector non sine solicitudine promtum subinde se atque cupidum iisdem perficiundis ostendebat, ne forte Sveci ex istis moris sinistra suspicati repente ad hostilia iterum provolarent. Unde crebræ ad Joannem Oxenstiernam literæ dabantur, super animo Electoris in

3. Jan. 1643.

eam rem prono testantes, simul nuntiantes, ipsum Kalendis Februarii Regiomonte iter Custrinum versus initurum, ubi conventu Ordinum provincialium indicto super modo tributi sit statuendum, ad quem hucusque induciarum perfectio adhæserit: quo peracto Legatos cum plenis man-

16. Febr.

datis missum iri. Mox iter ingressus de sua præfectione, ac dein adventu Custrinum significabat;

23. Febr. 5. April.

ac paulo post; Ordines suos jam congressos, ac intra paucos dies Gœtzium, & Leuchtmarum Stetini fore. Scilicet profusa humanitate agendum videbatur cum viro suspicace, ac ingenii austerioris, ut isto tam in hoc negotio, quam futuris de pace colloquiis æquiore uteretur. Etsi contra Svecorum in Electorem sat adstricta foret liberalitas, qui petenti, ut res in usum aulæ suæ e Borussia per Pomeraniam vehendæ a vectigalibus immunes forent, in universum id annuere dubitaverant, immunitatem iis duntaxat in præsens rebus indulgentes, quæ jam Stetinum adpulerant. Decreverant porro Marchiæ Ordines; quia provincia cum aliis belli malis, tum continuis copiarum hinc inde itineribus plane exhausta sit, operam dandam, ut Sveci summa annua centies mille uncialium adquiescere velint. Id si obtineri nequeat, satius videri, ei summæ aliquid adjicere, quam abrupto hoc negotio in hostilia relabi.

Legatorum mandata.

7. April.

Legatis Stetinum euntibus injunctum, moras excusare, quæ Electoris iter in Marchiam retardaverint; tum ut Sveci oblata jam tributi summa adquiescere velint operam dare. Ipsis Marchiæ inopiam, & quibus causis ea provenerit, abunde perspectam; ac Electori trium munitionum præsidia alenda, quas servari ipsius quoque Sveciæ intersit. Svecis necessitates belli ingerentibus virium defectum opponerent. Si Sveci utique majorem summam pertendant, cum Deputatis Ordinum, qui simul Stetinum profecturi erant, rem communicarent, & ad Electorem referrent. Ubi cum Svecis super summa convenerit, Electori distributionem ejusdem reservarent, nec permitterent, ut Sveci ejus exactioni se immisceant, aut ipsi exsecutionem faciant. Tum ut solutio fieri possit moneta vulgari, non pretio ad uncialium species taxato, ac ut aliæ quoque merces militi in solutum dari queant. De cætero Electoris dispositioni tota provincia cum Vetere quoque Marchia relinquatur; nec Sveci regalibus ejusdem, ac reditibus manus injiciant, neu sylvas vastent, ferasque venentur. Tum ut conventæ summæ detrahatur rata portio eorum locorum, quæ hospitiis Svecici aut Cæsarei militis insideantur. Itinera quoque militum non necessaria omittantur, necessaria tempestive significentur, quo mature apparatus iis promovendis fieri queat, ac nomine isto aliquid summæ detrahendum, quod crebro transitu provinciales mire atterantur. Torstensonio a Regina injungendum, ut conventa accurate servet. Ut commercium salis, & auctiora vectigalia Electoris ne solicitentur, quæ subruere Stetinenses valde satagebant. Magistri quoque bona, ac peculiariter Commendam Lagoam, & Schifelbeinam Sveci Conrado Borgstortio, & Georgio Winterfeldio restituant. Denique Viduæ Electorali reditus Ducatus Crosnensis illibati relinquantur. Hoc negotio absoluto tentarent, num Oxenstiernæ super Pomerania agere placeat.

§. 43. Circa ista Legatis proponentibus ab *A Legatis Stetini acta.* Oxenstierna responsum: Reginam ad inducias firmandas, ac ampliorem amicitiæ cultum proclivem. Penes ipsos esse, secum, an cum dele- 19. April. gatis tractare malint. Etsi haut inficietur, se ad hoc negotium peculiari procuratorio haut instructum. Nam præcipue communis se pacis negotio obeundo destinatum; hoc obiter injunctum, si istud succedere non contingat. Ac quia idem ad Kalendas Julias auspicandum sit, vix tempus sibi superfore huic absolvendo. Quousque tamen heic moretur, paratum se eidem vacare. Super Pomerania tractationem suscipi non posse, nisi perfectis induciis; post quas, ubi diutius hoc loco morari liceat, mandatum sibi istam quoque suscipere. Electorales contra in arbitrium ipsius referebant, per se an per delegatos agere malit. Nec procuratorii defectum a se attendi, quibus sufficiat, decreto Regio se ad ipsum remissos esse. Ea res Electori nonnihil scrupuli injiciebat, quod iste circa id negotium mandatum sibi esse negaret; cum frequentissimum ludibrii genus sit, rem ab uno ad alterum rejicere. Oxenstierna negotio per se suscepto, in Legatorum procuratorio ea verba desiderabat, quod missi sint ad exhibendam ratificationem; quæ verba in priore procuratorio extiterint. Istaque ut insererentur insistebat, etsi Legati id haut necessarium ostenderent, ac negotio perfecto utique rati-

1643. ratihabitionem exhibitum iri, quæ & Stralsundæ jam ostensa, ac nunc in promtu sit. Quam ipsam tradendam Oxenstierna contendebat, utut nonnulla ejus capita deinceps mutata essent. Quod & ipsum Legatis suspectum videbatur, velut id captaret Oxenstierna, ut propriam Electoris confessionem eliceret, hostilia inter Svecos, & Brandenburgicos extitisse, quo tempore Dux Pomeraniæ fato functus sit. Nec minus durum videbatur super castello Werbensi iterum moveri. Interim dum salutationis honorem Oxenstierna Legatis reponit, injecto super ingenio Electoris sermone, Legati & corpore egregium, & vi judicii atque memoriæ pollentem extollebant, simul indefessam sedulitatem totos dies in consilio sedendi, & quæ agantur propria manu annotandi. Nec ebrietati, vitio tunc Germaniæ Principibus fere familiari, deditum, nisi quod more nationis hospites mensæ adhibiti honoris gratia paulo liberalius aliquando sint invitandi. Quæ omnia Oxenstierna magnopere commendabat, illud inprimis, quod ipsum non tæderet consiliarios audire; quæ tutissima sit via Principibus imperium auspicantibus ad penitiorem rerum suarum cognitionem perveniendi. Ita Gustavum Adolfum Regem mature sceptro admotum Senatores suos diligenter auscultasse, eoque artes imperandi ad summam perfectionem imbibisse. Augurari se, Electorem cœptam virtutis viam strenue percursurum, ac singulare Germaniæ lumen futurum, quæ in præsens paucos habeat Principes, de quibus eximii quid prædicari queat. Ast circa rem ipsam Oxenstierna centum quadraginta uncialium millia annua alendis præsidiis, ac castelli Werbensis restitutionem exposcebat. Ad quæ Legati: de castello per errorem pactis insertum. Nam Electori in mentem venire non potuisse, a Svecis loca quædam petenda, quæ non possiderent; etsi facile crediderit, eosdem locis jam insessis præsidia haut facile deducturos. Leuchtmaro haut constitisse id castellum jam destructum. Archiducem tunc cum exercitu Cæsareo in vicina hærentem oculos in id conjecisse; unde provinciales ejusdem destructionem tam anxie quæsivisse, velut defensioni provinciæ inutilis, & non nisi commerciis impediendis inserviturі. Quod & integrum licet persistens citra gravissimam Cæsaris offensam Svecis ab Electore tradi non potuerit, utut huic forte connivere licuerit, ab iisdem vi illud intercipi. Ad istius jam destructi reparationem ipsum adigere velle, a ratione abhorrere. Si Dæmitzam Sveci expugnent, habituros quod quærant. *Electoris Declaratio.* Ista cum a Legatis ad Electorem referrentur, huic mirum videbatur, Svecum tantopere in procuratorio verba de tradenda ratificatione exigere; cum tamen prius ipse tractatus sit adornandus, quo perfecto tempus esse ratificationem exhibendi. Dum procuratorium ad mentem Oxenstiernæ refictum exhibituri sint Legati, testari jubebantur, a se non priorem ratificationem, sed quæ tractatibus nunc perficiundis addenda sit, intelligi, idque in acta referri curarent. In Werbensis castelli reparationem nullo modo consentirent, utpote magnam sibi molestiam apud Cæsarem creaturam, qui factum id indolem induciarum supergressum pro plena cum Svecis conjunctione habiturus sit, fortasse hostem ipsum declaraturus ab exercitu destitutum. Igitur Reginam sibi haut fore tam iniquam, ut tantilli emolumenti causa tanto periculo exponere ipsum velit. Sane ni ejus castelli destructio properata fuisset, Archiducem jam de eodem invadendo agitasse, qui & istud destructum ægre admodum tulerit. Ast quod Oxenstierna ostendat, super Pomerania se nolle agere, nisi post perfectas inducias, id indicio esse, in eam rem nil mandatorum ipsi datum. Super summa porro tributi multa disceptatio. Ac ab Oxenstierna, cum de proposita summa nil sibi remittere integrum esse testaretur, hoc temperamentum propositum, ut ab utraque parte constituantur, qui singula præsidia recenseant, ac inita super illorum alimentis ratione cum præfectis tantisper transigant, quoad responsum e Svecia advenerit, ut tamen summa centum quadraginta millia ne excedat; Si minoris decidi possit, id provinciæ levamento cessurum: ac ita inducias plenam vim habituras. Enimvero id Electoralibus displicebat ob morositatem & artes præfectorum numeros supra verum augere callidorum. Ac demum satius visum in singulos menses decem uncialium millia offerre, quoad alia declaratio a Svecia allata esset. In quod Oxenstierna ad extremum consensit, adjectis mille modus frumenti: de cætero utraque pars ad leges pacti Holmiensis se componeret; hostilia, & petulantia militum sisterentur, quæ ne præsente quidem Electore omittebantur, magno hujus cum dolore, quod nec mederi istis posset, ac talia ante oculos suos impune patrari ignominiosum foret. *Temporaria conventio.* Elector reditus suos retineret, sat quidem tunc tenues, & sumtibus aulæ utcumque sustinendis vix sufficientes. Eundem conventæ summæ distributionem & exactionem in se recepturum, operamque daturum, ut quodvis præsidium sua portione potiatur. Reliqua apud Reginam quærenda. Ab Oxenstierna ad Torstensonium scribendum, ut conventa curate observentur. Ea conventio in duos menses inibatur, quæ post tacito utrinque consensu prorogata fuit. Super Werbensi castello Oxenstierna remittebat; sed scripto concipere conventionem, quod legati requirebant, abnuebat; etsi eo nomine ad Electorem literas daret. His actis Legati Stetino discesserunt. *18. Maji.*

§. 44. Haut eo secius ista transactio post a Svecis solicitabatur. *Id negotium denuo movetur.* Nam & Oxenstierna Electori ut conventa manerent postulanti respondebat; ad conventum tempus ista servanda; a Svecicis tamen ministris reditus Electoris per insessa a se oppida exigendos, ac in rationes referendos, qui summæ conventæ imputandi sint. Et idem de hinc Soltquellam, & Stendaliam progressus Electori scribebat; eam se Veteris Marchiæ faciem reperisse, ut non difficile judicet tributi modum ad centum quadraginta uncialium millia augeri. *Saltzwedel. 27. Jul.* Tum necessarium sibi videri, castellum Werbense instaurari. Eum in vicina progressum Elector Berolinum amice invitabat; sed quem honorem is obtentu properandi itineris declinabat. His igitur difficultatibus amovendis, simul affectui Reginæ ac Procerum in se explorando Elector Baronem Efferanum cum literis & muneribus in Sve- *Von Efferen.*

1644. Sveciam ad Reginam mittit. Ad istas responsum: de summa centies quadragies mille uncialium nil posse remitti, cum prælidia querantur, decem millia menstrua suis necessitatibus haut sufficere. Transitus militum injuriis temporum imputandos, ac tanto æquiore animo ferendos, quod Svecicis armis propositum sit publicam Germaniæ libertatem firmare. Super bonis Magistri agi posse, ubi pactum Holmiense ratihabitum fuerit. Borgstorfio ob studium in res Svecicas *Aug.* Commendam Lagoam restituendam. Ast ne crebris ad Svecos missionibus Elector Cæsaris offensam contraheret; literis ad hunc scriptis demonstrabat, *summa se necessitate compulsum ad recreandos utcunque cives suos inducias cum Svecis iniisse, cujus rationes quin ipse pro sapientia sua probaris, sibi dubium non esse. His induciis inter alia conventum, ut neutri belligerantium parti transitus per ipsius munitiones aut prope easdem concedatur. Idne Cæsar in sinistram partem acciperet, velut quod declinari a se non potuerit; cum Sveci postularent, ut sibi transitus iste indulgeretur, Cæsareis negaretur. Quod cum in Cæsarem officium dedecere visum sit, id demum fuisse annuendum, ut neutri parti transitus ibi daretur. De cætero fidem suam adversus ipsum, atque imperium semper illibatam persisturam.*

§. 45. Mox tamen, qui hactenus circa postulata sua ita rigidos sese exhibuerant Sveci, tractabiliores fore sperabantur, præter Germanicum novo cum Danis bello impliciti. Unde quam sub finem anni missionem Stetinum decreverat Elector, omittebat, initia novi belli speculaturus; nec cum Oxenstierna Osnabrugæ, uti hic cupiebat, super induciarum pacto perficiundo agere consultum ducebat, quod ea res multorum animos adversura esset; ac satis habebat monuisse, ut placita Stetini tributi summa persistat, ac militaris licentia corrigatur. Quo fine literæ ad istum dabantur; tractatus absolvendis induciis hactenus dilatos, quod declarationem Reginæ super summa abs se oblata expectarit. Interim sibi curæ fore, ut communes tractatus de pace promoveantur. Addebatur: dolere sibi bellum inter vicina regna exarsisse, cui componendo operam suam libenter commodare velit, si partibus ita videatur. Et quia judicabat, Svecos pluribus jam copiis post duplicatum bellum in campo opus habituros, eoque faciliores fore circa præsidia uni & alteri oppido non ita valido deducenda, quod a Cæsareis expugnatum Svecorum rebus nocere posset: igitur ad Torstensonium in Holsatiam Hardenfeldius mittebatur, qui super reddentis Crosna & Francofurto jaceret. Hic multa cum verborum humanitate ostendebat, etsi mandata super hac re non habeat, sperare tamen, Reginæ se adprobaturum, ut ea oppida certis conditionibus Electori tradantur. Qua super re agendi mandata Lilliestrœmio transmissum iri. Cum hoc igitur mox Leuchtmarus Svetæ congressus negotium suscepit. Postulabat primo Svecus, ut Elector caveat, ista oppida a Cæsareis in potestatem haut redigenda. Ad quod Leuchtmarus: Cæsarem Crosnensi oppido de neutro statu cavisse, quod vidua Electoralis suo milite custoditura sit. Francofurtum Elector suo milite insessurum, quod & ipsum bello exemtum iri 1644. spes sit. Plus cautionis Electorem præstare non posse. Ultro ista nunquam cessurum. Adversus justam oppugnationem non Svecos magis quam se loca parum valida tueri posse. Postulabat inde Svecus, ut Elector per hæc oppida transitum Svecicis copiis, non item Cæsareis concedat. Id quod Leuchtmarus adspernabatur, ne Elector hostem se Cæsari ferret. Ac ipsis Sveciæ Rectoribus consultum visum fuerat, hac rerum facie Electorem in amicitia Cæsaris & Imperii, aut saltem extra inimicitiam persistere. Nam posse a Cæsare ansam inde arripi Electorem a colloquiis de pace excludendi, ubi tamen hic Svecis utilem operam navare queat, par officium ab his recepturus. Ac per loca invalida utrique parti transitum indulgendum, ni utrinque huic renuntiare placeat. Sed validas munitiones ex decreto Ratisponensi ab omni transitu exemtas, circa quas cuique Ordinum pro lubitu disponere integrum sit. Postulatum quoque, ut penes Svecicum præsidium etiam oppidis digressum tributa manerent. Id quod iniquum Leuchtmaro habebatur. Unde enim Electorali præsidio alimenta invenienda? Ac militem istum, si alibi ejus opera adhibeatur, haut difficulter annonam inventurum. Ita formula pacti adornabatur, utrinque ratihabenda quibusdam ad Torstensonii declarationem rejectis. Ad quem ab Electore missus Georgius Ehrentreichius Borgstorfius isti negotio perficiundo, ac ut Ga[...]bia quoque præsidium deduceretur: tum ut exploraret, num opera sua conciliandæ inter Borealia Regna paci grata sit futura. *Ehrentreich.* Torstensonius primo edictum promulgare, quo militi suo omnes excursiones in Marchiam gravi sub pœna interdicebantur. Tum postulare, ut nomine duorum oppidorum, in quorum præsidia hactenus quadraginta uncialium millia erogata fuerant, deinceps viginti octo millia solverentur. Electori quoque castellum apud Zullicham tradendum; tum pontem Crosnæ destruendum. Elector scripto caveret, se pro virili impediturum, ne oppida ista ab hoste occupentur. Ac si Cæsarei per vim eadem expugnarint, Svecis integrum fore vi hosce iterum ejicere, Electore annonam obsessoribus suppeditaturo. Tabellariis liberum transitum per ea loca permittendum. Omnes res, quæ præter ea loca in Silesiam ad præsidia Svecica vehantur, ab omni onere immunes transirent. Castellum Schuttoviæ extructum solo æquaretur. Garlebiam concedi non posse, saltem compescendæ rusticorum Drœmlingensium ferociæ. *Drœmlingen.* Ut Crosnæ Ducatus extra omnia belli onera ponatur, Reginæ se commendaturum. Ita *Jun.* Francofurtum & Crosna, castellumque ad Zullicham educto Svecorum præsidio Electori restituta sunt. Interea & Elector Wernerum Schulenburgium in Sveciam miserat, a Regina petiturum, ut Ducatus Crosnensis velut matris suæ dotalitium ob omnibus belli oneribus exemtus ageret, simul ut Garlebia, & Soltquella præsidium deduceretur. Quorum prius annuebat Regina; *16. Jul.* posterius a rationibus belli alienum ostendebat.

§. 46. Hucusque cum rem perduxisset Elector, haut amplius circa firmandum induciarum pactum censebat laborandum; etsi super eo Le- *Elector ratihabitionem*

gati

1644. induciarum eludit.

gati Svecici Osnabrugæ subinde moverent, causati, de amicitia Electoris sibi satis cautum non esse, quamdiu is omnia sibi integra reservet. Ac eo fine rem extrahi, ut si Sveci cladis quid accipiant, Electori citra obstaculum in diversas partes descendere liceat. Contra Elector ostendebat; non esse, quare nunc ea ratihabitio tantopere desideretur, cum circa constituendam pacem quam maxime laboretur. Svecis in promtu exercitum, ut nil hostile istis a se inermi sit metuendum, ac ipsam debilitatem sat cautionis præbere. Alimenta, de quibus convenerit, præsidiis exacte solvi, nec injuriæ quid Svecis ab ullo Electoralium illatum. Sane jam antea Legati Svecici declaraverant, ea ratihabitione nunc supersederi posse. Unde post tam acriter eandem exposci, suspicione non carebat, nec, quid ea re quæreretur, satis constabat. Vellentne Electorem insimulare pacti violati ob non traditum castellum Werbense; an ob confessionem hostilitatis actionis quid in Pomeraniam obtendere; an Cæsaris odio eundem objicere; aut denique induciarum tempus jam elapsum declarare, velut in biennium duntaxat conclusarum? Unde & Elector consiliarios id negotium probe discutere jusserat; qui censuerant; res, ex quo pactum Holmiæ conclusum sit, valde mutatas. Unde necessarium videri, antequam ratihabitio tradatur, capita induciarum denuo incudi subjici, superflua omitti, quæ desiderentur suppleri. Id quod per Legatos utrinque Osnabrugæ commodissime fieri queat. Legibus induciarum ita & ornatis non difficiles sese circa ratihabitionem fore. Non tamen consultum videri, id negotium festinanter agi; quod circa nonnulla capita post aliter convenerit, nec Elector quidquam contra inducias fecisse argui possit. Ubi tamen citra gravem offensam ratificatio eludi amplius nequeat, ad extremum eam exhibendam, prout articulis Holmiæ conclusis quadret; quod in his Sveci nil immutari velint. Circa ejusdem tamen traditionem protestandum, Electorem nolle teneri ad castellum Werbense restituendum, nec summæ jam placitæ aliquid additurum: tum ut pace non secuta induciæ in biennium a die exhibitæ ratihabitionis durent. Extrahebat tamen semper traditionem ratihabitionis Elector obtentu remissionis circa summam tributi obtinendæ, super qua subinde apud Svecos movebat, Garlebiæ quoque, & Landsbergæ restitutionem exposcens, ac super injuriis militum querimonias miscens. Quo fine & sequenti anno Octavius Holmiam mittebatur, qui re infecta redibat. Inter ista Elector paulatim cogitationes de matrimonio cum Christina exuere, quod ipsius Legati Osnabrugæ e Svecicis nil certi exsculpere valuissent, mentem suam ambagibus & obscuritate dictorum involventibus. E Svecia quoque intellectum fuerat, a Cancellario Regni id negotium obtentu discrepantium circa sacra opinionum, & ob Cleri Svecani dissona suis scitis mire formidantis aversionem indies dubium magis reddi, sic ut ejus conditionis spes plane evanesceret. Ac ita dura circa Pomeraniam Legati Svecici Osnabrugæ proposuerant, quæ cum opinione futuri connubii plane non congruebant. Scripserant quoque in Sveciam super hoc negotio Regina mater, & Gœtzius ad sibi obnoxios, acriter responsum exposcentes: quibus demum pertinax silentium depositæ plane spei instar habebatur. Unde & Electori, (id quod Lœbius svaserat,) haut placebat eo nomine Legationem in Sveciam mittere, ne irritus ludibrio se exponeret; cum publice procum agere, nisi spe prius explorata, haut ejus sit, qui dignitatem suam amet.

Octav. 1645. April.

1644.

Cum Hassis circa sublevandas provincias Clivicas acta.

§. 47. Uti porro Marchiæ Sveci, ita ditionibus Clivicis Hassicæ copiæ hactenus graves incubuerant; quæ & paulo antequam Elector imperio potiretur Calcariam oppresserant, ac partem orientalem Ducatus Clivici cis Rhenum sitam tributis subjecerant, Belgis Fœderatis incassum intercedentibus. Ac eminebat cumprimis ferocia Caroli Rabenhauptii tribuni Hassicis copiis eo tractu præfecti, impudentia dicta jactantis, cum Electorales ministri monerent, ne præter necessitatem sylvas vastaret. Ea super re cum Elector apud Landgraviam viduam Ameliam Elisabetham quereretur, hæc respondebat; Rabenhauptium ob impudentes sermones increpitum, cui & vastatione sylvarum interdictum: super tributis sese rem penitius explaraturam. Nec eo secius post Hassi numerosis cum copiis Cliviam urbem, & Santenam insidebant, excusante supremo istorum duce Caspare Ebersteinio Comite, id exiguum ad tempus fieri; de cætero se, quantum detur, ditionibus Electoris libenter parciturum. Contra Elector initio apud Landgraviam agere instituebat, ut universa Clivensis ac Marcana provincia oneribus belli eximeretur, ac Hammo, Calcariæ, & Lipstadio præsidia deducerentur, circa posterius oppidum hac ratione addita, quod in hoc Elector Coloniensis obsoleti quid juris obtendat, quem post, ubi idem forte interceperit, inde dimovere arduum sit futurum. Ea postulata ut Belgæ Fœderati fulcire vellent, petebatur. Sed quibus præmaturum videbatur super Lipstadio reddendo movere; circa Cliviam Electori satisfieri posse. Tributa rationibus belli excusabantur. Scribebant tamen iidem post Ebersteinio, ut tributa, in orientali parte Clivicæ omitteret; de quo & Electorales instabant. Ad quæ is ambigue, necessitates belli ingerere; Cliviæ oppido tamen se militem deducturum, & Marcanam ditionem, quantum possit, sublevaturum. Quo tempore & Christianus Ludovicus Luneburgicus Dux Comitatum Ravensbergicum tributis subjicere conabatur alendo præsidio Hamelensi. Color dicebatur, quod ea ditio ex parte ad Ducem Neoburgicum spectet. Sed his conatibus protinus sese opponebant ministri Electorales, cum ipsi Electori scribere haut decorum videretur; eum Comitatum solius Electoris esse, qui & non Inferiore Saxonico, sed Westphalico Circulo contineatur, ut nec ejus Circulo nomine, cujus iste præfectum se ferat, hic Comitatus ipsum tangat.

1640. Nov. Rabenhaupt. 1641. 12. Aug. Oct. Eberstein. 7. Apr. 1642. 23. Apr.

Cum Hassis amicitia reparatur. Witgenstein.

§. 48. Mox tamen, quæ iniquitate temporum hactenus refrixerat, amicitia ac vetus conjunctio cum Cassellana Domo recalescere cœpit. Super qua instauranda primum Landgravia movebat per Joannem Witgensteinium Comitem; præterito tempore in Electorales ditiones patrata excusans necessitate ac rationibus belli, officiorum leges se-

qui

1643. qui nesciens. Arma a marito suo sumta e decreto Lipsiensis Conventus, dein ob bonum publicum retenta. Cum hostis e ditionibus istis opes sustentandis suis copiis quæreret, non potuisse non se quoque paria affectare, ne sua arma per inopiam tabescerent, gliscente hostium potentia. Mittitur dehinc administrandis Clivicæ rebus ab
27. Jan. 1643. Norprad. Electore Joannes Norpradius, cui injunctum, cum Hasicis ducibus amicitiæ commercia exercere; tum aliquid militum conscribere, præsidio Cliviæ oppido arcique futurum, quod regimen provinciæ Emmerico iterum huc transferre cuperet. Quo fine & Eberfteinius Comes isti oppido neutrum statum, & a tributis exemtionem annuebat. A quo & Elector postulabat, mille unciales menstruos de tributis provinciæ in usum Clivici præsidii sibi relinqui; quod hic ad Landgraviam rejiciebat. Monebatur porro Norpradius, ubi id pecuniæ obtineret, ne idem aliter impenderet, quam in usum præsidii Clivensis, neu suspicionem excitaret, velut insignem armorum paratum facturus; id quod varias ob causas noxium futurum
1. Jul. erat. Super tradenda dehinc Calcaria & Lipstadio instanti Electori, Landgravia modeste ostendebat; posterioris oppidi eum esse situm, ut ad tributa exigenda, aliorumque locorum suis copiis insessorum communicationem eo carere haut queat. Tributa impendi sustentationi copiarum, quæ non parum momenti adferant publicæ libertati, sacrisque purioribus apud instantes super pace tractatus stabiliendis. Neque vero ea se loca Electori, sed hostibus, qui ea insederant, eripuisse, citra ullam tergiversationem restituenda, quamprimum pax convenerit. Sed & ea loca operibus muniisse propriis sumtibus, non pecunia e tributis corrasa; ac confidere, se eadem adversus quamlibet hostium vim tuituram. De cætero Electori se quantum possit gratificaturam.

Conventio cum Landgravia super reddendis oppidis Clivicis. 19. Oct. 1644. §. 49. Sequenti anno Cassellis cum Landgravia opera Witgensteinii in hæc capita transigitur; *Landgravia Gocham, aliaque similia loca Clivensis ditionis protinus, Calcariam sub initium futuri anni deductis præsidiis Electori restituet; tributa occidentalis partis provinciæ Clivicæ remittet, acceptis reliquis: interim licentiam militum coërcebit: Electori sumtus firmandæ Calcariæ impensos, qui ad sexaginta uncialium millia exsurgunt, condonabit, ut tamen in hanc conventionem socia Regna consentiant. Contra Elector apud Cæsarem operam dabit, ut & ipse Hammo præsidiarium militem dimoveat; id ubi præter spem obtineri haut poterit, Landgravia loca Clivica quibus hæc cesserat redditurus. Cui & integrum erit paratum bellicum, penumque Calcariæ, aliisque locis exportare, ac tributa hactenus in orientali parte Clivica exigi solita retinere.*

Insolens Hassici tribuni factum. Cæterum coalescentem tunc maxime amicitiam Rabenhauptius Hassicis copiis eo tractu præfectus, levi de causa fere turbaverat. Norpradius provinciæ Clivicæ nomine Electoris præfectus pauculas cohortes conscriptum ibat, quarum partem Santenæ oppido immiserat, denuntiatione prius Eberfteinio, ipsique Rabenhauptio facta; etsi nullo ab hoc responso accepto; quod fas sibi crederet oppidum ad Electorem spectans, nulloque præsidio insessum in hospitium sui militis adhibere. Ea re intellecta Rabenhauptius valida manu contracta Novesio movens id oppidum invadit, ac resistente sic satis tirone milite perruptis 1644.
vi portis expugnat. Miles Electoralis partim cæditur, partim captivus abstrahitur, simul oppidum militari impetu diripitur. Quin idem insuper minabundus denuntiabat, ut miles Electoralis Clivia quoque dimoveatur, alias vi se istum inde ejecturum, quod ad occidentalis Rheni ripam alienum militem tolerare nequeat. Suis quippe hospitiis Santenam fuisse addictam, ac rationes belli juribus dominorum prævalere etiam amicorum. Sane Hassici duces jus sibi esse arbitrabantur novos delectus dissipare, ne aliena arma juxta se invalescerent, ipsorumque hospitia ac tributa interciperent. Ac iste miles ipsi Landgraviæ nonnihil suspicionis injecerat; quem ut opprimeret, Eberfteinius Rabenhauptio mandata dederat. Nec eo minus ex conventione Hassicus miles Gocha, Cranenburgo, aliisque locis excedebat, denuntiato tamen, ne eadem milite Electorali insideantur, neu delectus ibi instituantur. Enimvero id factum Elector ægerrime ferre, eoque nomine graviter apud Landgraviam queri, ad supplicium Rabenhauptium deposcens. Neque enim tam exiguam manum suspicioni, ac inde promananti tam infestæ actioni idoneam causam præbuisse, ac eos delectus consentiente Principe Arausionensi, Belgisque Fœderatis institutos. Ad quæ Landgravia testabatur; Rabenhauptii facinus sibi quam maxime displicere, se inscia susceptum, quem & acriter eo nomine increpaverit, pœna ejusdem reservata. Simul omnia in integrum restitui jubebat, tale quid in posterum haut admittendum spondens. Cæterum sparserant tunc malevoli, delectus Electoris sane modicos id spectare, ut ordines Clivici ad annuenda iniqua, & privilegiis suis adversa onera compellerentur, utque ipsa Belgarum præsidia in oppidis Clivicis in angustum redigerentur. Cui calumniæ diluendæ Norpradius ad Principem Arausionensem, ac Ordines Generales Hagam proficisci jubetur, simul a Principe requisiturus, ut is operam suam apud Landgraviam interponat, quo Electori pro ista injuria satisfiat. Avauxius tamen Legatus Gallicus Monasterii suadebat, ut Elector id factum iniquitati temporum adscriberet: ac se una cum Svecis autoritatem suam interpositurum, ut ipsi satisfiat. Et post Rabenhauptius literis ad Electorem scriptis, non nihil tamen ferociæ militaris spirantibus, ejus facti veniam petebat; quam & is in gratiam Landgraviæ indulgebat, haut ignarus, quam multa illis toleranda sint, qui inter armatos ipsi inermes desident. Calcaria dehinc, & occidentalis Cli- Mart.
vicæ pars Electori ex parte reddita, etiam Ele- 1645.
ctoris ratihabitione nondum allata, testandæ benevolentiæ, quæ nec repetebatur, utut Cæsarei nonnisi triennio post Hammo præsidium deducerent. Lipstadium tamen, licet Elector semel atque iterum ejus restitutionem peteret, ab Hassis Aug. 1648.
post pacem demum redditum fuit.

Elector Cæsari acta sua adprobare studet. §. 50. Sic igitur Elector ditiones suas, quantum iniquitas temporum ferebat, molestiis belli levare conabatur. Ast contra ne frequentior cum istis negotiatio, qui adversus Cæsarem arma gerebant, hunc sibi infensum redderet, eo major cura erat, quod repetitas in Sveciam missiones altius

1644. tius penetrare fama differre non desineret, quas & malevoli apud Cæsarem interpretando accendere haut omittebant. Igitur e re visum Cæsari consiliorum suorum rationes adprobare, subnatasque in ejusdem animo suspiciones evellere. Quo fine Joannes Fridericus Lœbius in aulam Cæsaris mittitur, cui injunctum infinitam molestiarum congeriem excusare, quo minus Elector maturius devotum ipsi animum missa legatione declaraverit. Simul memorare, Electorem ab initio suscepti regiminis in id enixe incubuisse, ut studium Cæsaris circa reducendam Germaniæ pacem pro virili fulciret, ac primo optasse, scopum istum hostibus per arma expulsis obtineri posse; prout & copias a Patre relictas servare studuerit, easque aliquoties Svecorum hospitiis immiserit. Sed quo nihil aliud profectum sit, quam ut prævalentes viribus Sveci atrociora reposuerint, totamque Marchiam, exceptis primariis munitionibus, in potestatem redegerint, ac miserrime habuerint, subtractis reditibus, unde copiæ suæ ulterius sustentari possent. Unde necessitatem sibi impositam inducias affectandi, ni cives ante oculos suos pereuntes, aut solum vertentes conspicere mallet; qui & consumta patientia enixissimis precibus tantorum malorum remedium flagitarint. Atque id se per Legatos in Conventu Ratisponensi Cæsari denuntiasse, ac non sine hujus consensu tractationem cum Svecis suscepisse, quæ & eousque successerit, ut hostilia utcunque omitterentur, civibusque suis paululum respirandi occasio daretur saltem hactenus, ne miseriis ac fame perire, aut ad exteros profugere cogerentur. Quanquam ne sic quidem finem malis inventum, non Svecis solum, sed & Cæsareis per transitus & hospitia provinciam proterentibus. Post & magno labore obtentum, ut Sveci præsidia sua Crosna & Francofurto deducerent, id ipsum ut quæreretur Cæsareis ministris suggerentibus. Ea Cæsar ut probaret rogabatur, tum ut Crosnensi Ducatui, Matris suæ dotalitio, immunitate a belli oneribus ante hac promissa frui daretur, nec minus Francofurto velut Musarum sedi. Quod si Cæsar quæreret, num Elector Svecis ob recepta ista oppida aliquid solverit, aut transitum hinc inde concesserit, responderet: ab Electore quotannis ingentem summam alendis Svecorum præsidiis erogandam, qui non nisi modicum quid nomine Francofurti & Crosnæ remiserint, præsidiario Electoris militi sustendando. Licentiam quoque hinc inde transeundi per ista oppida Svecos sibi stipulatos; cujus tamen effectus ut eliderentur, pontem Crosnæ se destruisse, eo, qui Francofurti erat, jam antea subruto, sic ut ea loca transeundo Oderæ non amplius inserviant: alias ubi necessitas exigeret, Cæsareis copiis transitum illac denegandum haut fuisse. Inde exponeret, Electorem non sine ingenti suo dolore percepisse, malevolos quosdam ipsum Cæsari suspectum reddere conatos, actionesque suas sinistris interpretationibus exagitasse, velut in fraudem Cæsaris tendentes. Quin & nunc malignis rumoribus differri, oppida Cliviæ Duisburgum, Dynslacam, & Holtam a Belgis, deducto milite præsidiario, sibi restituta; inde insignes equestrium ac pedestrium copiarum delectus institutos, magni cujusdam ausi indicium. Ista 1644. omnia cum inani suspicione nitantur, Cæsarem rogaret, ne ejusmodi criminationibus fidem adhiberet. Nam Belgas Fœderatos se petente post præviam negotiationem ea loca sponte tradidisse, nil aliud sibi stipulatos, quam ut operam daret Elector, ne eadem in aliorum manus incidant. Sane optandum esse, alia quoque oppida Hassis infessa recuperari posse; id quod Electori emolumento, nemini fraudi sit futurum. Manum aliquam militum conscribendam fuisse, cum Electori nil copiarum illis locis foret, ad præsidia istorum oppidorum, & coërcendis prædonum catervis, quæ nullo in publicum fructu provinciales ingentibus molestiis obruant. Ad extremum moneret; haut ita pridem Gallasium misso Berolinum Sigismundo Heusnero militari quæstore *Heusner.* postulata quædam proposuisse, quibus Elector pro re nata satisfecerit. Id tamen digerere non potuisse, quibus causis iste permotus Electorem liquidum responsum popolcerit, qui ab hoc sibi expectandum foret; cum tamen Elector, prout eminente quo fulget in Imperio munere dignum, semper se gesserit, Cæsare vicissim multoties de sua in eundem benevolentia testato. Nec acerbius quid ipsi accidere posse, quam si fides sua in dubium revocetur. Igitur Cæsar ducem suum per malevolorum sermones forte in transversum actum, meliora edoceret, monitum, ut deinceps cum ipso velut Imperii Electore agat, & ditionibus suis hostilia abstineat, quas iste hactenus cædibus, rapinis, & exactionibus misere exercuit; cum magis deceat defensionem Ordinum professum ad fidum Imperii Principem conservandum, quam perdendum incumbere.

(Left margin, beside "um flagitarint. Atque id se per Legatos in Conventu": 1641.)

§. 51. Gallasius quippe cum Regi Daniæ *Gallasii* auxilia adversus Svecos laturus in Holsatiam ten- *adversus* deret, quem diximus quæstorem Berolinum mi- *Electo-* serat; qui abruptis verbis postulaverat, ut si cum *rem im-* Cæsaris & Imperii exercitu longius sibi progredi- *portuni-* endum sit, Elector citra ambages declararet, quid *tas.* ab ipso sibi expectandum sit. Tum significaret, *10. Jul.* sibi imperium in exercitum commissum, ut Ordines hostium jugo oppressos in libertatem vindicet, ac Germaniæ pacem restituat, pristinæ felicitatis genetricem, cujus fructus in Electoris quoque ditiones redundaturus sit. Ei fini opus esse a provinciis Electoralibus necessaria suppeditari, sociasque operas jungi, cum contra Elector misso ablegato petierit ditionibus suis plane parci. Atqui complura earundem loca adhuc ab hoste insideri, cui omne genus subsidii præstetur. Unde par esse, ut Cæsaris & Imperii arma multo enixius subleventur pecunia, annona, & locis ad struendum & asservandum penum idoneis. Ac utut obtendatur, hosti haut sponte tributa solvi, ac Marchiam vastatam esse: sibi tamen videri, quæ hosti exhibeantur, etiam Cæsareo exercitui pro liberandis Ordinibus pugnanti præstanda esse, quo hostis in angustum redigatur. Equidem se de fide Electoris in Cæsarem non dubitare: necessitate tamen in præsens exigente rem ipsam repræsentari velle. Vicissim se auxilium & protectionem Electori promittere, cujus & dispositioni relinquat, qua ratione quæ petantur sint exigenda, & præstanda. Ast si Elector ejusque ministri

E

1644. nistri nihil ad rem conferre, ac solam inopiam occinere velint, extra culpam se fore, si hostis morem imitari, ac necessaria vi extorquere instituat, provincia uti tali casu fieri solet habita. Circa isthæc, quæ Electoris mens sit, citra interpositam moram nosse cupere.

Electoris ad hæc declaratio. 7. Jul.

§. 52. Ad hæc tam aspere & impudenter proposita Elector decenti cum gravitate reponebat: *Cum hactenus consiliis & actionibus dignum se sublimi, quod gerat, munere gesserit, id postulatum, ut protinus quid Gallasio a se expectandum sit, declaret, valde inopinum, idemque altius penetrans videri. Ac nisi de Cæsaris in se benevolentia tam multis indiciis sibi constaret, hanc expostulationem multum diffidentiæ redolentem haut paulo acerbiorem sibi fuisse futuram. Parentem suum dum Cæsaris partibus obnixe adhæret, omnia sua periculo exposuisse, sic ut Marchiam Svecorum armis impar, & nullo a Cæsareis copiis alibi districtis auxilio, relinquere, & in Borussiam concedere coactus sit. Se quoque dum vires tulerint, arma pro Cæsare movisse, & aliquoties irruptiones in Svecorum stativa fieri curasse; sed iis nil aliud profecisse, quam ut calamitates civium suorum incenderit, longe prævalentibus Svecorum armis, qui tota Marchia oppressa suis copiis unde sustentarentur subtraxerint. Inde equitatum suum petenti Cæsari concessisse, testando in hunc studio ac circa alia omnia sincerum, pacisque cupidum animum bonis omnibus adprobasse. Equidem notoria necessitate compulsum, quam nulla ratione dispellere dabatur, anxie orantibus civibus inducias affectasse, ac, ut hostilia ad tempus omitterentur, obtinuisse. Id abs se factum in neminis offensam aut fraudem, ut Marchia aliquatenus imminenti exitio eriperetur, ac munitiones, e quibus totius Electoratus salus dependebat, servarentur; queis ubi subtracta annona hostis potitus foret, ingens periculum ipsas Cæsareas provincias manebat. Ac sese in antecessum Cæsari rationes, ob quas sibi huc descendendum foret, exposuisse; qui & declararit, se misera Marchiæ conditione indolescere, nec esse, cur ipsum in suspicionem trahat, si licita ratione gementi sub onere provinciæ levamenti quid conciliare queat. Unde eo minus sperare, istarum induciarum nomine sinistris se suspicionibus oneratum iri, cum haut eo minus fides sibi in Cæsarem atque Imperium constiterit, ac his induciis nemini noxa quid, sibi non parum utilitatis provenerit, civibus, ac primariis munitionibus servatis. Cæterum haut infitiari, inducias istas magno sibi fuisse redimendas haut quidem sponte, sed subigente inevitabili necessitate; ac ista usibus Imperii impendere maluisse; quo intuitu & Cæsar ipsius provinciis a publicis oneribus levamenti quid indulserit. Nec tamen sibi decretum omnia plane subsidia Cæsareis armis denegare; & quanquam Gallasii desideriis per omnia satisfacere non detur, nulla præsertim pecunia, quæ dari possit, copia; annonam tamen, quantum provincia vires ferant, præbiturum. Ac optare, mature id sibi fuisse denunciatum; nam nunc, repente infuso exercitu, tantæ multitudini sufficientem commeatum ita promte congeri non posse, provincialibus præsertim per grassatorum excursiones prope ad desperationem adactis. Igitur ad provinciæ conditionem postulata attemperaret, ne sibi, suoque militi præsidiario ac civibus necessaria plane subtrahantur; tum militis sui licentiam coërceret. Nam quod Gallasius hostium se morem imitaturum minetur, vi militari extortis, quæ provincialium facultates excedunt, id se a viro generoso haut expectare; sed eundem potius ita secum acturum, prout primarium Imperii membrum ab hujus capite tractari par est. Locum struendo penui a se designari non posse, quod ignoret, quo ducii destinata tendant, & quod speret exercitum haut diu intra Marchiam hæsurum; nec præter metropolim, primariasque munitiones locum insignis firmitatis sibi superesse.* Isto cum responso quæstor dimissus. Imperaverat insuper Gallasius Soltquellæ oppido ingentem annonæ vim intra angustissimum temporis spatium congerendam, gladium flammasque cunctantibus interminatus. Nec minus per exercitum Cæsareum jactabatur, Electoris ditiones plane evastandas, quod is cum Svecis medium statum pepigisset, ac cum Gallis secreta commercia misceret. Tale quid etsi a Cæsare imperatum Electori haut persuadebatur: haut eo minus tamen, ne ejusmodi suspiciones radices agerent, missionem Lœbii festinandam judicaverat. 1644.

Cæsaris ad proposita declaratio. 14. Sept.

§. 53. Ast Lœbio quod injunctum erat exponenti Cæsar humaniter respondit: *a malevolis etiam in innoxios sinistra spargi seculi morem esse, nec sibi a talibus parci, nec digna esse, quæ Elector ad animum revocet. Sane de ipsius consiliis, actionibus, novisque delectibus varia fuisse jactata, per quæ tamen ipse ad exuendam in eundem benevolentiam haut quidquam permoveri potuerit, sed semper de istius constantia ac fide optima quæque sperarit; ac gratum sibi esse, super hac amplius sibi nunc caveri. A Gallasii quæstore factam propositionem modestius adornari debuisse. Rationem quoque fuisse Soltquellanos annonam poscendi, sed tam atroces minas addere supervacuum, atque indecens habendum. Cliviæ quædam oppida ab Electore recepta non sibi ingratum. Quin Electori jus sit militem conscribendi abnui non posse.* Haut eo minus animadversum est, per delectus istos Cæsaris animum suspicione perstrictum fuisse. Unde cum hic nollet, Electorem usque eo invalescere, ut momentum aliquod in bello ad librandas partes adferre posset, ac ne forte Hassis sese jungeret, quo copiis illis, quæ in Clivensi provincia conscribebantur, ipsum exueret, literas ad eundem dederat, quibus postulabat; ut militem suum recens conscriptum Gleenio jungeret, qui exercitui ad defendendam Westphaliam comparato præfuturus sit. *24. Aug.* Cui ab Electore responsum; cum ob discrepantes Ordinum sententias negotium de Westphalico exercitu nondum absolutum sit, nec aliæ in promtu copiæ sint, quibuscum conjunctio fieri queat, Cæsarem tale quid a se haut postulaturum; præsertim cum delectus sui, valde quidem modici, nil aliud spectent, quam ut præsidia parentur tuendis oppidis suis per Belgas traditis. Provinciam quoque per prædonum manipulos ita male haberi, dum se longe remoto nemo non isti insultare gaudet, ut vel existimationis causa sistendis ejusmodi vexationibus aliqua manus comparanda fuerit. Sed & sibi decretum brevi in eam provinciam proficisci, id quod a copiis plane destituto fieri nequeat. Ac neminem ex Ordinibus Imperii paris secum dignationis esse, qui non aliquot cohortibus militum sit instructus. Igitur Cæsari haut displiciturum, si paucas istas copias sibi servet, propriis usibus adhibendas. Exquisiverat quoque a Witgensteinio Comite Gleenius causas, ob quas Elector in Clivica & Marcana ditione militem conscriberet. Cui responsum; id valde

1644. valde mirum Electori visum iri, ab isto tam scrupulose id quæri, cum æque ipsi, ac aliis Ordinibus integrum sit ad sui tutelam copiarum quid parare, nullius in fraudem. Quod si libido sit ipsum Electorem ea de re percontandi, amplius responsum haut defore. Cæterum intellexerat Lœbius, Cæsarem questum, ab Electore Svecis centum viginti millia uncialium numerari, ad contributiones Imperii nihil conferri. Id quod sibi in præsens ferendum sit. Sed si occasio arrideat Svecos istis commodis exuendi, eam se e manibus haut amissurum. Quibus a Lœbio reponebatur: *Electorem necessitate compulsum hostilia a Svecis redemisse; eadem a Cæsare redimi opus haut fuisse, cujus sit Electoris ditionem tueri, nequaquam hostilibus intentatis premere.* Eo fidentius autem Lœbius, quæ res exigebat, exprobrabat, quod eodem tempore Moguntinus, & Coloniensis Electores per literas Cæsari exposuissent, *Gallos toto Rheni superioris tractu potitos, Moguntiam captam, eum Electorem sede sua pulsum; eadem Coloniensi in horas metui. Satius fuisse consilia in privatas utilitates tendentia pridem repudiata, ac potius de summa rerum cum Electoribus, quorum fortunæ saluti Imperii innectantur, & qui plurimum quod amittere possint, habeant, communicatum fuisse. Jam rem eo rediisse, ut tractus Rhenanus in potestatem hostium redigatur, quem Westphalicus mox sit secuturus. Petere itaque ut Cæsar declaret, an ipsos ditione sua ejectos recipere, ac unde sustentari queant suppeditare velit, & qua ratione ipsos tuiturus sit.* Sed & Galliæ Rex Engviano Duci injunxerat, ut Bavarum ferro flammisque persequeretur: simul tamen huic scripserat; si Cæsari nil auxilii ferre velit, a quo & nil suppetiarum vicissim recipere queat, ipse solus sistendis Galliæ viribus impar, a se, ut medius agat, eidem indulgendum: sin minus, malorum obventurorum culpam ipse sibi imputaret. Earum literarum exemplum Bavarus Cæsari mittebat, autographum mox per consiliarium ostensurus, petito; Cæsar ista secum expenderet, ac statueret, quid Gallo respondendum sit, & qua ratione Cæsar ipsum defendere, ac sibi super ea defensione certo præstanda cavere velit. Atque isthæc Bavarus eo fidentius expostulabat, quod ob auxilia, quæ hoc bello Cæsari præstabat, nil sibi sumtuum nomine, uti quondam bello Bohemico, stipulatus esset, sed adquieturum se promisisset, quicquid lucri aut damni fortuna belli præberet. Cum igitur reliqui paris fastigii Principes pro re nata fortunis suis consulerent; quo
20. Sept. obtentu idem Electori vitio verti possit? Demum ad querelas Lœbii a Cæsare responsum: *optandum sibi, Electoris ditiones a belli molestiis liberas agere posse, quæ & sua culpa haut provenerint: cui & licentia militis sui valde displiceat, velut qui semper ejusmodi querimoniis ad se delatis ducibus suis injungat militem intra disciplinæ leges coërcere, ac delinquentes citra exceptionem pœnis afficere. Sed non ignotum Electori, si periculum aut repentina in bello destinata haut permittant commeatum secum portare, ac miles cibariorum nihil inveniat, non posse non multa confuse fieri, nec famelicos contineri posse, quo minus ad victum quærendum excurrant: id quod & propria sua ditiones sæpe senserint. Alias placere sibi, ab Electore Crosnam & Francofurtum recuperatum; quibus locis promissam antea protectionem & immunitatem nunc renovandam. Super minis, quæ apud exercitum suum sparsæ sint, se inquisiturum; nec talium autoribus impune fore. Sane ista ducibus suis injungere sibi in mentem haut venisse, nec apud se ejusmodi criminationes unquam locum invenisse: quid alii loquantur, præstare non posse. Ita cum ipso semper acturum, uti cum fido Electore agi par sit. Quantum possit ipsius ditiones belli molestiis levaturum, ac si utique necessitas exigat easdem deinceps transitu aut hospitiis tangi, curaturum, ut Electori mature id significetur, quo in antecessum confusioni vitandæ necessaria parari queant. Ac sperare, Electorem ubi ratio belli exigat, ipsius exercitum pro virili sublevaturum, & communi oneri ferendo humeros haut subtracturum. Alias expedire sibi videri, ut Elector copias suas exercitui ad defensionem Westphaliæ parando conjungat; etsi non velit iis copiis ipsum privare, quibus proprias ad necessitates indigeat.* 1644. Postulaverat Lœbius, a Cæsare scripta ad Gallasium mandata super vi ab Electoris terris abstinenda sibi tradi. Id quod obtinere non poterat, ministris reponentibus, Cæsarem quod e re sit utique ad ducem suum perscribi curaturum. Cæterum cum eo tempore Veneti super præcedentia præ Electoribus in aula Cæsaris satagerent, Lœbius jactaverat; se occasione data locum supra Venetum Legatum esse capturum, si vel in vestigio alterutri sit occumbendum. Unde ne forte inter sacra, queis Venetus semper assistere solebat, turbæ surgerent, ministri Cæsarei sub sacrorum tempus Lœbium invisebant, quo ab ingressu sacelli eum impedirent. In reditu Lœbius Dresdæ Electorem Saxonicæ salutare, ac super vetere inter utramque Domum Electoralem conjunctione continuanda testari jussus erat. Ubi cum moveretur, Electorem hucusque parcius, quam pro paterna necessitudine amicitiæ officia coluisse, nondum misso ad ipsum Legato, hic modeste exprobrabat, officium consolationis & gratulationis apud Electorem ab ipsis omissum.

§. 54. Circa idem tempus novas Electori curas injiciebat subito exortum inter Svecos Danosque bellum. De quo & Cæsar ipse per literas significarat, exquisito, quid ipsi de Svecorum in Holsatiam irruptione videatur, & quid idem circa hoc negotium faciendum judicet? Ad quæ Elector: Sibi hoc bellum inopinum plane videri; sed cum a partibus nil communicatum sibi sit, non habere quod dicat, nisi quod ipsum impense roget, ne ideo tractatus pacis abrumpi patiatur, quibus instruendis cum tantum laboris sit impensum, quanto difficilius futurum semel abruptos instaurare. Sed & a Daniæ Rege propositum fuerat, ut Cæsar irruptione in Pomeraniam, & Meclenburgicam facta Svecorum vires distraheret. Id quod Elector enixe apud Cæsarem deprecabatur. Ita quippe exhaustam Marchiam, ut sede belli in hanc devoluta exercitus sine dubio sit destruendus, subtractis simul proventibus, quibus & ipse, & præsidia sua sint sustentanda. Quia autem metus erat, ne per id bellum tanto cum labore jam maxime coalescens ad colloquia pacis congressus dissolveretur, ac Protestantium interesset, ea Regna per mutuam inter se collisionem haut debilitari, simul eo bello Pomeraniæ ac Borussiæ molestia inferri posset; utrique bellantium propinqua cognatione junctum decere videbatur, operam suam componendo bello offerre. Quo de instituto Cæsari prius per literas significabat; cui & post quid responsi a Re-

Electoris circa componendum inter Svecos Danosque bellum conatus.

16. Jan.

1644. 29. Mart. a Regibus accepisset communicabatur. Eo fine in Daniam ablegabatur Wernerus Schulenburgius rationes Regi expositurus, quæ Electorem ad id officii affectandum moverent. Ubi si gratum responsum acceperit, Holmiam inde proficisci jubebatur, paria propositurus. Si opera sua Daniæ Regi acceptaretur, ex hoc exquireret, an non super præliminaribus mentem suam significare placeat; ac tractatibus agitandis Lubecam proponeret. Ast si objiciatur, jam Belgas, aliosque Principes sequestres acceptatos, ad se referret. Super Svecorum injuriis querelas moventibus Danis reponeret, de his Electori non constare; nec judicium suum in alterutram partem interponeret. Quicquid tamen responsi in Dania acciperet, id in Sveciam delatus Reginæ communicaret. Cæterum Schulenburgius in Dania paulo frigidius excipiebatur, quod opinio de nuptiis inter Reginam & Electorem, & secreto aliquo fœdere Danorum animis penitus inolevisset, eoque hunc Sveciæ addictiorem verebantur. Et cum integrum mensem Hafniæ reditum Regis e classe, quæ tunc ad portum Gothoburgensem hærebat, expectasset, & neque filius Princeps, nec senatores literas ad Regem acceptare, aut responsum dare auderent, demum literis Hafniæ relictis Lubecam mari revertebat, quod Dani Rege absente nollent ipsi diploma tuti itineris dare, quo statim e Dania in Sveciam transire posset: utut iste quereretur, id sibi negari, ab amico Principe venienti tam plausibile officium suscepturo. Nec se ea conditione agere, ut exploratoris partes obire velit. Ipso digresso a Rege Hafniam reverso Electori responsum: gratias se pro
23. Jul. oblato officio agere. Sed quia ipse jam antea super bello componendo mentem suam Galliæ Regi, Belgisque Fœderatis exposuerit, qui & eam in rem operam suam obtulerint, ac Legatus e Gallia in viam se dederit, expectandum sibi esse, quid iste allaturus sit.

In Svecia super eodem negotio acta. §. 55. Lubeca in Sveciam Schulenburgius trajecit, ubi eadem, quæ in Dania proponere jussus erat: tum ut neutram in partem judicium ferret, si ibidem super Danorum insultationibus querelæ moveantur. Quæ in Svecia responderentur, ad Daniæ Regem referret, ejusque sententiam ulterius exquireret. Si Sveci objiciant, Belgas sequestres a se jam acceptatos, reponeret; nil obstare plurium operam simul admitti, uti quondam in Borussia factum sit. Id tantum considerationis esse Electori, quod Belgæ priorem præ Electoribus locum affectent, rem veteri mori, qui in legis vim invaluerit, repugnantem, quam & breve ante tempus obtendere cœperint, id quod antea neque 1644. intra neque extra Imperium ausi sint. Sane de istius Reipublicæ novitate, ac vetusta Electorum autoritate nemini non constare. Et nupero conventu Noribergensi, ac Ratisponensi decretum fuisse, ne cuipiam externo Statui, exceptis Regibus, Electores loco honoratione cederent. Unde sperare Electorem, Reginam haut permissuram, ut Belgis aliquid heic in fraudem Electorum suscipere integrum sit. Peteret quoque, ne occasione hujus belli navigatio ad portus Borussiæ turbetur; de quo & in Dania monitum fuerat. Cæterum super induciis mentionem haut injiceret. Sed si Sveci ultro super iisdem moverent, modeste reponeret; Electorem optasse dudum eas perfectas fuisse; nec studio moras ab isto necti, sed spem fuisse, Reginam summa Stetini oblata contentam fore, præsertim cum Marchiam nuper Crocovii, & Kœnigs- *Crocov.*
marckii, ac post Torstensonii transitus etsi sat mo- *Kœnigs-*
destus haut parum afflixerit, ne quid de damnis per *marck.*
Cæsareum exercitum illatis moveatur. Quin nec conventam summam corradi potuisse. Ac quæ amplius postulentur, magis paucorum avaritiæ explendæ, quam bono publico sublevando inservitura. Reliquorum quoque oppidorum præfectos præsentibus adquiescere, nisi quod Duvvali- *Duvval.*
us Garlebiæ insatiabilis sit. Ac spem esse, Reginam magis Electoris rationem, quam avari hominis habituram. Quia etiam Goldsteinius tribunus retulerat, Torstensonium ostendisse, Electorem, si apud Reginam instet, facile obtenturum, ut reliquis Marchiæ locis præsidia Svecica deducantur, tributis plane abolitis: Schulenburgio injunctum, ubi cætera expedita fuerint, de istis quoque movere. Sed Regina id modestis verbis excusabat, res suas in Germania id non permittere; ac facili momento faciem belli mutari posse, ut iis locis ipsa opus habitura sit. Sed super oblata seque- 16. Nov.
stris opera responsum: eandem sibi gratissimam esse, ac mense Januario sequentis anni tractatus initium habituros. Ad quos si Elector suos quoque Legatos mittere velit, non minus gratum sibi fore, modo & Daniæ Regi idem placuerit. Simul monebat, ut Elector libertatem commerciorum sibi commendatam habeat, quo ista a Danorum oppressionibus liberetur. Super hoc Reginæ responso cum Elector ad Daniæ Regem referret, denuo opera sua oblata, hic respondit: eam abs se li- Dec.
benter admissum iri, ni Gallus jam, & Belgæ circa pacis negotium aliquamdiu sategissent. Ita invito alteri officium obtrudere haut e dignitate visum.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER SECUNDUS.

EPITOME.

ACta Deputationis Francofurtanæ. 2. Mandata Legato data. 3. De adeundis ſuper pace tractatibus Deputati diſſentiunt. 4. Electoris de his judicium. 5. Diverſa diverſorum in eo conventu ſtudia. De nova Deputatione ad componenda gravamina. 6. Electoris de hiſce judicium. 7. De translatione Deputationis. 8. Diſſenſiones circa Deputationem continuandam gliſcunt. 9. Super nova Deputatione ad componenda gravamina Electoris ſententia. 10. De cauſa Palatina. 11. De conferendis pecuniis. 12. Ob bellum inter Svecos & Danos animorum motus. 13. Ob literas Legatorum Gallicorum motus. 14. De diſſolutione hujus Conventus. 15. Conventus Francofurtanus diſſolvitur. 16. Tractatus pacis demum ſuſcipiuntur. 17. Inſtructio Legatorum Electoralium, qui Monaſterium deſtinantur. Gallorum circa cerimonias ſcrupuli. 18. Inſtructio Legatorum Oſnabrugam deſtinatorum. 19. Ingreſſus, & receptio Legatorum Electoralium Oſnabrugæ. Svecorum ſuper cerimoniis difficultates. Circa procuratorium monita. Moguntini offendunt. 20. Monaſterii quoque ingreſſus fit. 21. Difficultas cum Gallis ſuper titulo. 22. Legatus eo nomine in Galliam mittitur. 23. Diſceptatio ſuper præcedentia cum Veneto. 24. Colliſio eo nomine declinatur. 25. Controverſia inter Electorales & Principales ſuper titulo Excellentiæ. 26. Super modo tractandi diſceptationes. 27. De decreto Lengrichæ facto. 28. Alia Catholicorum artes. 29. De religione Reformata paci ſacra disertis verbis includenda. 30. Electoris ſuper hac re ſententia. 31. De Colloquio Thorunienſi. 32. Super Pomerania diſceptationes. Sveci initio ſua cupita diſſimulant. 33. Iidem mox ſua deſtinata apertius pandunt. 34. Galli Svecis favent. 35. Sveci aliquando mollius loquuntur. 36. Cum Cæſareis ſuper Pomerania acta. 37. Electoris circa iſtæc ſententia. Abbatis Corveiani in Rugiam prætenſio. 38. Sveci aperte ſibi Pomeraniam depoſcunt. 39. Sveci ad noſtrorum rationes reſpondere conantur. 40. Cæſarei noſtros adverſus Svecorum poſtulata obfirmant. Mox de Pomerania cedenda ingerunt. 41. Galli Pomeraniæ parte cedendum ſvadent. Eorum rationibus reſpondetur. 42. Belgarum opera ſolicitatur. 43. Ordines Imperii frigide rem agunt. Lotharingiæ Ducis inania promiſſa. 44. Pomeranorum Deputati anxie agunt. 45. Elector Regis Poloniæ operam ſolicitat. Rex Poloniæ ad tractatus pacis mittit. 46. Cæſarei Svecis Citeriorem Pomeraniam promittunt. 47. Noſtri per Gallos rem extrahere laborant. 48. Svecorum ſuper hoc negotio componendo varii ſermones. 49. Electoris de hiſce judicium. 50. Cæſarei Svecis totam Pomeraniam promittunt. 51. Sveci duriores ſe oſtendunt. 52. Elector cum Svecis ſuper Pomerania tractare conſtituit. 53. Galli de ſtudio ſuo in Electorem teſtantur. 54. Sveci parum adhuc moderationis oſtendunt. Id negotium Belgis, & Imperii Ordinibus commendatur. 55. Seperati cum Svecis tractatus incaſſum quæruntur. 56. Gallorum mens a noſtris penitius exploratur. Veneti ſententia. 57. Galli Electorem ad cedendam dimidiam Pomeraniam permovere conantur. 58. Cæſarei Electorem diverſa ratione urgent. 59. Cum Svecis denuo ſeparati tractatus ſuper Pomerania tentantur. 60. Conſultatio ſuper negotio Pomeranico. Rationes pro extremis tentandis. 61. Rationes pro declinandis extremis. 62. Cæſarei Svecis denuo Citeriorem Pomeraniam offerunt. 63. Sveci tractatibus peculiaribus pronos ſe oſtendunt. 64. Circa hos denuo movetur. 65. Alia ratio ſervandæ Pomeraniæ ab ejus provinciæ Deputatis propoſita. 66. Svecorum ſuper iſta mens. 67. Separati tractatus incaſſum tentantur. 68. Elector ab omnibus urgetur. 69. Circa Reformatam Religionem acta. Electoris de his ſententia. Id negotium ad compoſitionem vergit. 70. Hervordia Imperialibus civitatibus ſeſe inſerere conatur. 71. Cerimonialia. Principum Legati Electoralibus titulum Excellentiæ negant. De Legatis primariis & ſecundariis. Controverſia cum Belgicis Legatis. 72. Elector Belgas in ſtudium ſui excitare conatur. Elector matrimonium contrahit cum Ludovica Auriaca. Apud Belgas parum promovetur.

Acta Deputationis Francofurtanæ.

ITa quidem Elector circa cives ſuos belli oneribus levandos laborabat. Sed cum malorum pars maxima, quoad pax plane reſtituta foret, maneret, necniſi quietis temporibus idoneas parare vires liceret, citra quas armatos inter inermis ſemper injuriis opportunus agit, omni ſtudio ad pacem promovendam incumbebat; cujus ſpes e ſolis tractatibus ipſi pendere videbatur, eo magis gliſcentibus patriæ malis, quo diutius bellum extraheretur. Nec minus in aperto erat, per conſultationes inter ſolum Cæſarem Ordinesque agitatas malo medicinam haut fieri, quas, cum ad privatas fere paucorum rationes attemperarentur, exteri dudum viſceribus Germaniæ inhærentes parum curabant; ac Cæſaris, ſociorumque arma fortuna fere adverſa premebat. Sane quam parum ad hunc finem Ratiſponenſi Conventu profectum

1643. ctum esset, res ipsa loquebatur. Unde & Electori ad Conventum Deputatorum, qui post Francofurti ad Mœnum habebatur, Legatos mittere parum curæ erat. Rejecta huc fuerant, quæ ad instaurandam Justitiam inter turbida temporum fere collapsam facere videbantur, quod Ratisponæ de his agendi spatium non foret. Sed Moguntinus, Coloniensis, Bavarus, & Saxo Electores judicaverant, juribus vigorem haut rediturum, nisi restituta pace; eoque Ordinibus, ex quibus ea Deputatio componitur, denuntiatum fuerat, ut eos, quos missuri sint, mandatis super reducenda pace instruerent. *De hac Electoris judicium.* Ast Elector judicabat, operam ludi consultationibus separatis, non adhibita quoque parte altera. Omnia Noribergæ, ac Ratisponæ anxiis deliberationibus trutinata; nec tamen pacem inveniri potuisse, nedum isthunc congressum huic parandæ suffecturum. Eoque cum operam, sumtusque incassum consumere haut placeret, Moguntino omissam missionem excusabat. Sed cum non hic solum repetitis literis, sed & Cæsar instaret, ut cum Conventum per Legatos obire ne differret, demum Matthæum Wesenbecium eo mittere statuit, ne reipublicæ curam abjecisse argueretur, atque obstitisse, quo minus miseriis Germaniæ sistendis remedium inveniretur. *25. Mart.* Qui & cum Francofurtum perveniret, aliquamdiu multos consessus habitos, ac propositionem jam factam reperit.

Mandata Legato data. §. 2. Legato injunctum initio *protestationem interponere, quod Dux Cliviæ, Juliaci ac Montium, cui antiquitus in Ordinaria Imperii Deputatione locus competat huc vocatus non sit. Tum ut cum eo, qui in senatu Principum Pomeraniæ nomine suffragium laturus sit, prius super sententia dicenda conveniret, ne discrepantia inter se censentes ludibrio essent. Cæterum etsi Moguntinus indicto hoc conventu de Justitia quidem & pace instauranda actum iri significaverat: Elector tamen hunc conventum ei fini obtinendo haut suffecturum censebat. Nam legum vocem inter armorum strepitus non exaudiri; & sapienter quantumvis constituta, ni pax adfuerit, effectu caritura. Unde audiret Legatus, quæ in eam rem ab aliis proferrentur, ac dilata sua sententia Electori omnia integra servaret. Ut autem de ratione reducendæ pacis cogitatio suscipiatur, id summam necessitatem exigere, armis plus mali quam levamenti Germaniæ adferentibus. Nec id opum superesse, quibus bellum justa mole gerendum instrui conveniat, Ordinibus indies magis exhaustis, nec ullo adversus licentiam militum e decretis publicis fructu, quæ contemtu perrumpantur. Igitur opus esse congressu omnium quorum interest, ubi partis utriusque consensu pax firma, omnesque complexa condatur. Ejusmodi conventum quæ remorentur, ut amoveantur, omni studio Legatus conniteretur. Ibi quippe audita adversæ partis postulata deliberationi subjici, ac solida consilia capi posse. Si quis ex Ordinibus sit, qui omnem ante actorum ultionem citra exceptionem abolendam censeat, omnibus in statum, qui ante motus bellicos fuit, repositis, ei adstipularetur; quod nisi plena omnium restitutione facta stabilis pax sperari nequeat, nemine non, qui læsum se judicet, ad sua recuperanda connixuro: e quo non possit non nova motuum seges subnasci. Ast si nemo alius super hisce moveat, ipse quoque invisam imperantibus rem tangere supersederet, quod jam antea ipse in conventu Ratisponensi pro plena dejectorum restitutione sat acriter connixus sit. Ubi inter deliberationes super pace mentio injiciatur de parte Pomeraniæ Svecis cedenda, velut citra quam pax obtineri nequeat, reponeret: Meminisse quidem Electorem, a parente suo quondam Noribergæ declaratum, ac a se ipso post probatum; etsi durum juxta ac iniquum sit, sibi præ aliis onus impingi, cui e Svecico auxilio nil nisi provinciæ vastitas provenerit: tamen si pax alia ratione inveniri nequeat, se amore patriæ partem Pomeraniæ Svecis relicturum, siquidem protinus paris pretii ditio sibi tradatur. Sed quia ea conditio tunc acceptata non fuerit, nec se eadem amplius teneri velle.* 1643. Quæ in eam rem proponantur, ad ipsum Legatus referret. Quin de alendo ad pacem usque Cæsareo exercitu agendum sit, dubium non esse, etsi proximo Imperii decreto secus dispositum inveniatur. Ubi quidem nemo suaserit arma prius ponenda, quam adversa pars idem fecerit. Id duntaxat in quæstione esse, num par sit Ordinibus tolerandos impingere sumtus belli, quod nullo horum fructu ob privata commoda Domus Austriacæ, Hispani, ac Bavari geratur. De hoc tamen Legatus multa movere abstineret, ac id tantum pertenderet, Marchiæ inopiam huic oneri plane imparem; de qua si quis adhuc dubitet, delegari posse a Cæsare, si ita videatur, qui conditionem ejus provinciæ cominus arbitrentur. Ac quæ hosti solvenda sint, vix utcunque corradi posse. Et frustra necessitatem occini, ubi nullæ præstandi vires suppetunt. Quo minus tamen alii, qui velint, quid conferant, ne intercederet; quos & alias Cæsarei etiam citra publicum decretum hospitiis ac tributis satis premant. Ubi de constituenda militari disciplina moveatur, diceret; operam & oleum perdi, irritis tot decretis in eam rem antea conditis. Ac duces Cæsareos eo insolentiæ excessisse, ut jactare non dubitent; nova tabularia extruenda, in quæ Ordinum querelæ super militum licentia reponendæ sint. Sane adsuetudine peccandi ita corruptos milites, ut omnem disciplinam adspernentur. Et Marchiæ quantacunque disciplina haut quidquam consuli, quam sola pax servare possit. Si de induciis cum hoste ineundis proponatur, eas dissuaderet, velut non nisi duris conditionibus obtinendas, & Germaniam plane pessumdaturas. Ac sine dubio durantibus induciis militem uni vel alteri premendo adhibitum iri. Denique Evangelicorum querimoniis faveret, & ne quid in eorum fraudem decernatur permitteret; ac ut Palatinum negotium ad colloquia de pace remittatur instaret.

§. 3. Cæterum id præcipue ab initio hoc Conventu agebatur, ut Principes ac Civitates liberæ si non aperte, saltem obliqua ratione tractatibus de pace excluderentur, ne ibi in collegia digesti cum jure suffragii, sed tantum velut singuli nulla autoritate adessent. *De adeundis super pace tractatibus Deputati dissentiunt.* Id quod Principibus admodum displicebat, ingens præjudicium metuentibus, si tam celebri occasione ab exercendo circa bellum ac pacem jure arceri se paterentur. Unde cum Electorales invidiosum nimis judicarent aperte istis facultatem ad tractatus accedendi abnegare, super modo mittendi difficultates moverant; de quo disceptatio quam maxime fervebat, quo tempore Wesenbecius Francofurtum accederet. Electorales censuerant, non nisi Ordinarios e suo collegio Deputatos ad negotiationem ibi admittendos, & quanquam reliquis Ordinibus eodem

ire

1643. ire intregrum sit, haut tamen deliberandi aut concludendi jus iisdem fore, sed ipsis quæ desiderent ad Legatos Cæsareos & Deputatos Electorales referenda; id quod Conventu Ratisponensi decretum sit. Ast Principales, Austriacis exceptis, initio delectos e singulis Circulis eo mitti voluerant, & cum Electorales eam multitudinem velut secreti incapacem, & confusioni facilem repudiarent, præsentem Deputationem in locum tractatuum transferendam contendebant, quam Electorales in tertio quopiam loco subsistere malebant. Isti quippe ni admitterentur, satis prævidebant, jus belli & pacis penes solum Cæsarem & Electorales fore, quo & Austriaci rem deduci cupiebant. Unde isti haut immerito metuebant, ne Germania infinito bello ad libidinem Hispanorum extrahendo gratis implicaretur. Sed & super negotiis congressu VVestphalico expediendis parum conveniebat, quod Electorales pacem cum exteris duntaxat ibi curandam censerent, ad futura Comitia rejectis, quæ ipsos Ordines inter se collidant, controversiis. Sed Principalium major pars concludebat; & pacem cum exteris, & domesticarum querelarum compositionem junctim ibi tentandam, quod utrumque ad duraturam Germaniæ quietem requiratur. Quam sententiam etiam quidam Catholicorum, queis onera belli præcipue incubuerant, magno ardore defendebant. In universum autem omnes Ordines negotia Germaniæ a commodis Hispaniæ separari, nec hæcce istis quocunque modo immisceri volebant; id quod Austriaci cupierant.

Electoris de his judicium. 29. Maji. §. 4. De his Electoris judicium erat; ita propinquis de pace tractatibus isthunc Deputatorum Conventum haut diu duraturum. Supervacuum quoque, & negotio remorando fore, conventum in loco tertio agitare. Sed & inane censebat gaudium, quod Catholici quidam e morte Ludovici XIII. Galliarum Regis ceperant, velut alia nunc ibi consiliorum tela ordienda sit. Non enim dubitandum, quin, eadem dudum prævisa in antecessum a ministris consilia ordinata fuerint. Ac Gallos utique nullo sacrorum communium respectu maximas vires adversus Hispaniam, Italiam, & Burgundicas provincias vertere, sat gnaros a Protestantibus Germaniæ nil sibi metuendum; qui & arcto fœdere Svecis, Hassisque illigati sint. Et quid æquius, quam omnes Ordines libertati conscientiæ, qua Deo inserviant, ac pristinis juribus relinqui? Nec placebat, solos Electorales tractatibus pacis adesse velle. Etsi enim eminentiam & autoritatem fastigii sui omnibus modis tueri cordi foret; hanc tamen causam non solos Electores, sed universos Ordines tangere, qui & æqua cum Electoribus onera belli senserint, ac non minus quam hi concludendis ibi teneri debeant. Ex actis quoque Imperii constare, etiam ad minoris momenti negotia omnium Ordinum consensum fuisse requisitum. Nec aliquid obstare, quo minus & certos per delegatos cum adversa parte tractetur, & eorum quorum interest super præsentibus negotiis sententiæ audiantur, atque cum illorum consensu decernatur. Ac si Electores tantum negotium sibi solis vindicent, fieri posse, ut aliquando ab ipsis ratio rerum gestarum exigatur, novam turbarum materiam præbitura. Quin & pluribus ambagibus implicitam fore negotiationem, si Ordines in tertio quopiam loco agant. Nec præsumendum, ipsos Ordinum Legatos quid divulgaturos, ad quod tacendum teneantur. Imo pleraque arcana magis per scribas, aut interceptis literis propalari, quam si ipsi legati inter se sermones conferant. Ac dubium esse, num Regii cum solis Electoribus agere velint. Sed & circa negotia inter colloquia de pace discutienda Principalibus adstipulabatur Elector, quod bellum hoc e turbis in ipso Imperio enatis promanasset, quibus haut sublatis incassum stabilem pacem sperari. Nam Pragensi pace mala patriæ haut sublata, sed in aliquot duntaxat annos dilata, imo irritata magis; qua & exteri adstringi nolint. Ac ni Ordines ipsi de exscindenda domesticorum malorum radice cogitent, exteros necessitatem allaturos, qui hunc semper præcipuum armorum suorum colorem jactarint. Nec nostri arbitrii fore, qua ratione pacem formare placeat; sed qui tanta vi Germaniæ visceribus incumbunt, utique in partem ejus negotii venturos. Igitur Wesenbecius Principalium desideria fulcire jubebatur. Si monita sua locum non inveniant, conscientiæ se satisfecisse. Quod autem tunc Bavarus tres Circulos, Bavaricum, Svevicum, & Franconicum inter se unitos suam sub directionem trahere agitaret, id altioris indaginis Electori videbatur; præsertim cum & uterque Rhenanus, & VVestphalicus, cujus directionem Coloniensis Bavari frater affectabat, hisce adjungi possent. Id quod ipsi quoque Cæsari valde periculosum futurum erat, tribus Electoribus ea ratione Bavaro obnoxiis futuris. Super qua re idem tunc cum Gallis secreto agebat. Igitur & hisce destinatis Legatus, quantum posset, reniti jubebatur. 1643.

§. 5. In isthoc porro conventu, uti perturbata republica fieri solet, in diversa studia tendebatur. Equidem Saxonicus Legatus Joannes Leuberus testabatur, Electori suo Catholicorum consilia non amplius probari; ac sibi injunctum pacem urgere, & quæ eam remorentur, exceptiones amnestiæ additas, ac gravamina removere; causæ Palatinæ compositionem suadere; in nova tributa haut consentire; cum Brandenburgico amice communicare. Sane se consilia, quæ Saxo hactenus secutus sit, & quæ Sebottendorfius adhuc foveat, sæpe deplorasse, ac pro re nata contra tendisse. Ac nunc Saxonem deprehendisse, eadem magno sibi constitisse, vastata ditione, & reditibus per Svecos interceptis. Et Catholicos utrumque Electorem Saxonem, & Brandenburgicum prius plane enervatos, nunc auxilio destitutos hostium libidini relinquere, Saxone insuper publice multorum criminationibus obnoxio. Ast Cæsarei satis quidem agnoscebant, Francofurti ad summam rei nullum operæ pretium fieri; ne tamen Ordines in collegia digesti ad tractatus pacis accederent, acriter renitebantur obtentu multitudinis confusionem pariturae. Revera quod metuerent, ne plerique Ordinum Regiorum favore cupita sibi horum autoritate pervincerent. Igitur Deputationem Francofurti subsistere magnopere contendebant, ad quam omnia, quæ apud tractatus pacis agerentur, referenda sint. Nec se repugnare, quo minus & Principes eo Legatos mittant, modo ne in collegium congregati negotiis tractandis sese ingerere instituant. Et heic Francofurti

Diversa diversorum eo in Conventu studia. Leuber. Sebottendorf.

1643. cofurti ante omnia causam Palatinam esse expediendam; cui promovendæ Cæsar in vicina accessurus sit. In quo Bavarum, & qui ei studebant, adstipulantes habebant, quod iste metueret, ne Ordines eam causam conventu Westphalico expediendam urgerent, velut ingens paci obstaculum præbentem. Sed & ne apud tractatus de pace super gravaminibus circa religionem enatis ageretur, a Cæsareis propositum de *Deputatione* extra ordinem constituenda, per quam ista discuterentur, & quæ initium post absolutam pacem captura sit. Ac disserebat Bavaricus; *hoc negotium exterorum arbitrio haut submittendum, si vel maxime id affectent; sicuti quondam Galli transactione Passaviensi exclusi fuerint. Catholicos sæpe optasse eas querelas componi, quod causam suam solidis fundamentis inniti norint; nec e diffidentia istius discussionem differri velle; sed quia certo sibi persuadeant, per eandem tractatus de pace abruptum iri, culpa in istos redundatura, qui id negotium eo pertraxissent.* Enimvero Elector rebus Protestantium valde periculosum censebat, paucis quibusdam decisionem tantæ controversiæ delegari, si vel maxime pares numero ex utraque religione eligerentur. Nam per experientiam constare, fervorem Protestantium, quos gravamina minus tangunt, ad extremum tepescere, ac si Catholici vel unum ex istis in suam sententiam pertraxerint, statim majorem suffragiorum partem ab ipsis stare jactari. Inprimis suspectum esse, catholicos hujus congressus initium post pacem demum conclusam fieri velle; cum non constet, quamdiu tractatus duraturus, & quid ibi decidendum sit. Nam sine dubio Regios circa exscindenda discordiæ semina operam navaturos, ac inprimis Svecos circa Evangelicorum res stabiliendas laboraturos. Et aperte nimis Catholicorum artes pellucere, qui hoc obtentu eludere cupiant, quæ in eam rem a Regiis proponenda sint. Sed & illud ferendum non videbatur, quod cum isti Deputationi obeundæ omnes Electores nuncuparentur, solus Brandenburgicus silentio præteriretur etiam a Saxonico, licet is antea privato sermone diversum pollicitus esset. Ex quo omnium aversatio in sacra Reformata patebat; ac Bavaricus VVesenbecio haut dubitabat in os dicere: Reformatis ad ejusmodi actus exercendos nondum facultatem publice collatam; cum tamen proximis Comitiis Brandenburgici cum Saxonicis ad discutienda gravamina designati fuerint. Sed & altius penetrabat, quod negotium istud ad tam paucos revocaretur; e quibus Altenburgicus Saxoni obnoxius, ac Darmstadiensis Cæsari addictissimus erat, qui & ob causam Marpurgensem in Reformatorum oppressione salutis suæ rationes collocarat; Wurtenbergico cominus incumbens Cæsaris, Bavarique potentia libertatem adimebat. Contra tota inferior Saxonia, ac inprimis Brunsvicensis Domus præteriebatur. Et jactabant Bavaricus, & Coloniensis: frustra sperare Protestantes, exteris querimonias circa religionem curæ fore. Nam se æque Galli favore niti, quam illos Svecorum; ac utriusque privata emolumenta respici, Gallis Alsatiæ, Svecis Pomeraniæ inhiantibus; reliqua insuper haberi.

De nova Deputatione ad componenda gravamina.

Electoris de hisce judicium.

§. 6. Cum porro VVesenbecius instaret, ut amnestia, abolitis omnibus exceptionibus Ratisponensi decreto additis, promulgaretur, Saxonicus svadebat, ne eam rem ita fervide urgeret, sed satis haberet istam duntaxat clausulam deleri, qua illius effectus suspendebatur. Ac Cæsarei ministri, qui donata in Wurtenbergico Ducatu bona possidebant, Moguntinum permovebant, ut Wesenbecii sententiam eluderet; aliis quoque Catholicis adspernantibus amnestiam in melius mutari. Ast Elector judicabat; in sola abolitione clausulæ suspensivæ haut subsistendum, sed amnestiam nulla exceptione poscendam. Nec dubitabat, quin de eadem in conventu Westphalico movendum foret, ubi adpariturum, quousque Regii pro illa connixuri sint. Tum Wesenbecio injungebat, acriter contenderet, ut universis Ordinibus Osnabrugam accedere integrum sit; quod alias ipse solus, quantumcunque connitatur, causæ communi sustinendæ impar sit futurus. Conventum autem Deputatorum Francofurti continuari, aut monasterium transferri haut expedire. Nam Francofurtum nimis dissitum, & eum conventum non nisi moram negotiationi injecturam, nullo operæ pretio facto. Nec ditionem suam sumtus tolerare posse alendis tribus legationibus, Francofurti, Monasterii, & Osnabrugæ. Sed & Monasterium parum idoneum isti disceptationi videbatur, quod Galli Gravamina e religione orta parum curaturi essent, Nuntio Pontificis, & Veneto sequestribus Catholicos aperte favore suo sublevaturis. Ac quæ Svecorum autoritate apud Gallos non obtineantur, ea Protestantes haut quidquam molituros, si vel maxime omnes Monasterii adsint, Catholicis heic sine dubio prævalituris. A Svecis solam Pomeraniam respici, insuper habitis Ordinum negotiis, id sibi haut persuaderi, quod toties diversum publice testati sint. Displicebat quoque, Cæsarem, Bavarum, aliosque tantopere admissioni Principum ad tractatus reluctari. Nam annitentibus Regiis istos demum ingratiis horum recipiendos. Nunc honestius esse, hanc gratiam a Cæsare occupari. Et in præsens eam esse Germaniæ conditionem, ut consilia destinatis Regiorum attemperanda, pacisque leges ex illorum fere arbitrio formandæ sint.

De translatione Deputationis.

§. 7. Post multam disceptationem in Collegio Electorali per majorem partem conclusum; hunc conventum Francofurti ad conclusionem usque pacis continuandum, solo Wesenbecio eundem ad locum tractatuum transferendum censente. Id quod & plerique Principalium cupiebant, Cæsareis non parum indignantibus, quod hi jactassent, Regios citra ipsos ad negotiationem non descensuros. Id quod secreti cujusdam commercii supicionem faciat, quam & Salvii literæ confirment, velut desideria sua vi pervincere animus esset; ac Cæsarem talium non immemorem futurum. Ita cum commune decretum Collegiis dissentientibus fieri non posset, discrepantes Electoralium & Principalium sententiæ ad Cæsarem referebantur. Ab hoc missum post decretum super continuanda Francofurti Deputatione; de qua & idem antea ad Electorem scripserat: cum Ordinum sententiæ in continuationem ejus Conventus propendeant, se quoque eisdem adstipulari, ac propediem in vicina loca accessurum, ubi cominus Odinum consilio uti queat. Ac triginta horarum spatio communicationem Monasterium inter, & Francofurtum fieri posse. Haut eo minus 4. Aug.

Wesen-

1643. Wesenbecius super eo decreto ad Electorem se relaturum dicebat, idemque multi e Principalibus faciebant, spatio ad consultandum petito; quos quid acturi essent VVesenbecius speculari jubebatur. Et eousque Elector quoque responsum ad literas Cæsaris dilaturus erat. Ac mox qui fortissime pro bono publico locuti fuerant, Brunsvicensis, VVurtzburgensis, & Noribergensis domum discedebant, testati tamen id non fieri abrumpendo conventui, sed ut idonea mandata a superioribus suis petant. Sane Langenbeckius Brunsvicensis discedens aperte differebat: Cæsaris decretum unice id spectare, ut Principes jure suffragii circa bellum & pacem excludantur, prout & Cæsar Comitem Schvvartzenbergium VVurtzburgum, Kœnigseckium Constantiam miserit, ut eos Præsules in suam sententiam pertrahat. Auditurum ergo, quid sui Principes facturi sint, quos in hanc continuationem consensuros haut credat. Ita hunc conventum ultro dilapsurum, invidia ejus rei non in solos Protestantes redundatura, quod VVurtzburgensem, aliosque Catholicos non minus pacis desiderium teneat. Quanquam enim Cæsar, & Bavarus hisce persuadere nitantur, de summa religionis nunc certari; eosdem tamen satis perspexisse, unice privata aliorum commoda respici, ob quæ ipsis pereundum sit. Unde & apud tractatus pacis id præcipue curandum, ut Hispanica a Germanicis negotiis plane separentur. Et quia hoc apud Cæsarem non commodius, quam opera Bavari obtineri queat, huic circa causam Palatinam aliquomodo satisfaciendum, simul amnestiam ad omnes porrectam sanciendam, & omnia in statum, qui ante hos motus fuit, reponenda. Denique cum Catholici hactenus deprehenderint, vi adversus Protestantes nihil profici, exteris in partes descendentibus; optime istos sibi consulturos, si præsentes juxta ac secuturas molestias jactura redimant, ac Præsulatibus & Cœnobiis in præsens per Protestantes possessis renuntient, ac horum possessores eo nomine inter Ordines Imperii habeant, Evangelicis vicissim deinceps haut ulterius processuris. Et cum Bavaricus jactaret; ista bona pro derelictis non habenda, si vel maxime per integrum seculum eo nomine bellum gerendum sit; reliqui Catholici eum rigorem adspernabantur, quod nossent, Bavaro tantum de Electorali dignitate agi; cujus confirmationem a Papa intercedente Gallia obtinuerat. Universis tamen spes adhuc in eventum aliquem Norlingano similem reponebatur, quem Torstensonio tunc in Moravia agenti ominabantur; unde & rem eousque in suspenso relinquebant.

Langenbeck.

Dissensiones circa Deputationem continuandam gliscunt.

§. 8. Uti autem plerisque Deputatis displicebat institutum Cæsaris conventum Francofurti continuare decernentis: ita, & ipse Bavarus eum quidem subsistere, sed Monasterium transferri cupiebat; quod Anglo, & Dano Palatinam causam eodem pertracturis sibi Electoralis collegii favorem in promtu esse vellet, quo amoto per Principales solos Francofurti nil effici poterat. Vicissim quod major Principalium pars Deputationem ad tractatuum locum transferendam conclusisset, id illis Principibus displicebat, qui extra numerum Deputatorum erant. Unde circuli Franconici Ordines Norībergæ congregati decreverant, suo nomine peculiarem Legationem ad congressum VVestphalicum mittendam; quod exemplum alii sine dubio imitaturi erant. Porro licet nondum reversis, qui domum discesserant legatis, Austriacum Directorium in Collegio Principum decretum Cæsaris super continuanda Deputatione adprobandum contendebat, frustra Brandenburgico nomine Pomeraniæ illorum reditum expectari postulante, & VVurtzburgensi ac Noribergico mox reversis de tanta festinatione querentibus. Moguntinus quoque idem negotium properabat, frustra contradicente VVesenbecio, quem semper reliquis contrarium Coloniensis arguebat, ac Electorale conclusum Principalibus communicabat; qui non nisi in unum & alterum diem dilationem petebant, quoad Langenbecius, qui jam in itinere erat, revertisset. Sed cum Austriacus omnem moram respueret, conclusum Cæsareis Commissariis traditum fuit. Ast Langenbecius jam reversus citra dissimulationem differebat: ut ut ipse conclusum subvertere amplius nequeat, stipulaturum tamen sibi, ut si ex hac continuatione, quam & Galli ægre ferant, tractatibus pacis remora, aut difficultas injiciatur, isto hautquaquam teneri velit. Cui & VVurtzburgensis succinebat. Unde eludendis horum destinatis Cæsarei de Comitiis Ratisponæ indicendis movebant, ubi amnestia haut paulo amplior sit promulganda; quibus ob majorem autoritatem Archidux Leopoldus VVilhelmus præsidere debeat. Ac Coloniensis pro sententia dicere non dubitabat, perinde absurdum esse Reges postulare, ut omnes Ordines colloquiis de pace intersint, quam si Cæsar istorum regnorum ordines eodem evocandos contendat. Quod dictum Electori plane a ratione abludere videbatur. Qui & circa continuationem Deputationis suo loco relinquebat, & cum ea corrigi non possent, Legatum suum ea de re tacere deinceps jubebat, ne majoris partis sententiæ contradicendo se jactare velle videretur. Quæ Langenbecius movere constituerit salutaria esse, ac facile viam inventum iri, ut apud tractatus Legati Regii audiantur, & re ipsa perspiciatur, Francofurti decreta incassum cudi. Ambiguas quoque valde spes esse, quas Catholici in successibus armorum suorum reposuerint, ad quos ab istis omnia consilia attemperari manifestum sit. 1643. 7. Nov.

§. 9. Quia autem Wesenbecius novam Deputationem, quam cæteri componendis gravaminibus agitabant, inutilem censuerat, Coloniensis & Bavaricus ejus sententiam non citra acerbitatem impugnaverant, velut Elector de industria id negotium ad tractatus de pace pertrahere studeret, id quod ne ab exteris quidem & hostibus expetatur. Sane tractatibus inde non parum difficultatis accessurum, ac inde eosdem abrumpendi occasionem arripiendam, gravi culpa eo nomine in ejusmodi consiliorum autores redundatura. Cui criminationi refellendæ Wesenbecius nomine Electoris cordatam admodum sententiam promebat: *Sibi haut esse peculiares querelas, quas ad congressus de pace pertrahere cupiat. Id tantum optare, ut omnis discordia fomes tollatur, & pax quamprimum inveniatur. Præsentem rerum faciem haut aliam conjecturam prabere, quam pacem cum exteris obtineri non posse, nisi posita domi discordia. Eo-*

Super nova Deputatione ad componenda gravamina Electoris sententia.

1643. *que se judicasse circa adornandam isthanc Deputationem non adeo festinandum, quoad adpareat, quid apud tractatus pacis suscipiatur, ac num Regii primam belli causam, e mutuis Ordinum querelis promanantem, simul sublatam velint. Hoc facto, & compositis gravioribus, super facilioribus facile conventurum. Quin inde potius dissolutionem tractatuum secuturam, si postulantibus Regiis de gravaminibus ibi tractatio abnuatur; ac manentibus discordiæ seminibus bellum acrius exarsurum. Sane non posse non, ubi de ponendis armis agitur, causas tangi, ob quas ad eadem provolatum sit. Atqui nemini ignotum, hoc bellum e mutua Ordinum diffidentia ortum, quod querelis circa religionem medicina mature non fuerit adhibita: per intestinas turbas exterorum arma in Germaniæ viscera pertracta. Domesticas controversias ita exteris implicitas, ut hæ sine illis solide componi nequeant. Exteros quoque super pacis observatione ut sibi caveatur postulaturos. Atqui cautionem præstari non posse, nisi membris Imperii inter se conciliatis: id quod & Regibus certissimæ instar evictionis futurum sit. Frustra e pace Pragensi occini, gravamina ad quadraginta annos sepesita. Nam Reges incerta ista repudiaturos, quibus & ea pax non nisi parum fida dilatio belli civilis habeatur. Et quia decem anni, ea ipsa pace componendis gravaminibus designati, jam cesserint, eo magis Regios compositioni isti nunc instituros. Denique Reges publice testari, quietem Germaniæ sibi cordi esse, abs qua ipsorum securitas dependeat; utque concordia inter Ordines redeat, ac oppressi pristinæ libertati, bonisque restituantur. Saltem eorum patrocinium haut neglecturos, qui ipsorum causa fortunis exuti sunt. Suecos literis publicis Ordines ad componendas querelas invitasse. Apud Gallum quoque rationes reipublicæ religioni prævalituras, quem oppressionem Protestantium quærere haut adpareat, velut qui bellum cum Catholicis gerat, ac Protestantibus in suo Regno publicam securitatem præstet. Minimum de istis gravaminibus propositurum, quæ tempore hujus belli originem ceperint; id quod ex ejusdem cum Suecis fœdere manifestum sit. Etsi ipse ista ad Leges Imperii, pacemque super sacris conditam interveniente amica partium disceptione componenda, hautquaquam autem aliis velut pro imperio decidenda judicet. At optandum fuisse, amicam transactionem maturius quæsitam, rebus adhuc integris, nec moras subinde interpositas, dum successus armorum captantur. Inprimis satius fuerat supersedisse tot edictis, decretis, interpretationibus in fraudem Protestantium publicatis, ac susceptis inde reformationibus & exsecutionibus, quæ ne nunc quidem cessent; nec dissimulatum fuisse, altius penetrantes Compositiones Pacis, & Classica belli divulgari; quæ multorum oculos in se converterint, animosque terrore ac desperatione impleverint. Unde gliscente diffidentia, animisque exacerbatis in arma civilia prorumptum, quibus & exteri sua miscuerint. Quin rem eo rediisse, ut non solum exteri interna Germaniæ mala causam armis suis præferant, sed & summa rerum aleæ armorum exponatur, si exteri a tractatione nostrarum querelarum removeantur. Nam aliam nunc rerum faciem esse, quam quando olim Legatus Gallicus a transactione Passaviensi rejiciebatur; potioribus nunc Regiorum armis, qui circa adornandam Germaniæ pacem non postremas sibi partes vindicaturi sint. Igitur inane fore quicquid heic decernatur, non adhibita parte altera, cui Pragensis pax, Ratisponensi decretum, Francofurtensia scita flocci sunt, quibus ipsa nullo modo teneatur. Et quo magis Cæsareos ista postulata aversari Reges animadvertant, eo sententiæ suæ pervicaciores fore, ac istos velut paci aversos accusaturos, tractatione in ipso limine abrupta. Nec se tamen repugnare, quo minus in antecessum Deputati nuncupentur, inter quos Brunsuicensem Domum nominet; quorum numero nec ipse excludi velit. Etsi optet, partes utrinque ita se gerere, ut gravaminum nomine neque extraordinario congressu, nec disceptatione apud tractatus pacis opus sit; sed ista ultro expirent, ac sublatis diffidiis corpus Imperii sincera concordia restituatur.* De cætero utraque pars per se suos selectos designaret. De tempore ac loco præmaturum nunc statuere, incerta tractatuum duratione, ac forte alia ibi remedia inventum iri plerisque abolendis, quod Regii haut temere novi belli fomitem relicturi sint. Neque suam mentem fuisse, ut universi Ordines ei conventui adhibeantur; majoris tamen partis præsentia opus videri cum cæterorum consensu; ac neminem invitum excludendum. Nec a multitudine timendum in negotio, ubi suffragia singulorum, consensus omnium requiritur; potius discordiam erupturam, ubi quibusdam exclusis reliqui solis sibi decidendi autoritatem arrogare instituant. Nec multitudinem esse, sed duas duntaxat partes, quarum quælibet super sua sententia inter se convenire queat, uti in quibusvis compositionibus fieri mos est. Quin & Passaviensi transactioni adfuisse totum collegium Electorale, & e Principibus Salisburgensem, Aichstadiensem, Palatinum, & Bavarum; Legatos misisse Wurtzburgensem, Joannem Marchionem Brandenburgicum, Brunsuicensem, Pomeranum, Wurtenbergicum. Ad has rationes etsi dissentiens pars quod reponeret nil solidi haberet; subinde tamen post quoque a Cæsareis, & Catholicis de ista Deputatione movebatur, jactantibus, ne si Regii quidem invitent, super gravaminibus apud tractatus pacis tangendum, velut maximam difficultatem parituris; ac frustra Protestantibus spem in Suecis reponi, cum Catholicis Gallos in partes suas trahere in proclivi futurum sit. 1643.

§. 10. Interim allatæ erant Daniæ Regis *De causa*
literæ ad Collegium Electorale, quibus causam *Palatina.*
Palatinam ad tractatus pacis remitti petebat. Ea *14. Nov.*
de re cum referretur, Coloniensis censebat; cum ejus causæ penes solum Cæsarem velut supremum feudi dominum sit cognitio, non penes exteros Reges, nec Cæsar, & Bavarus consensuri sint, ut eadem ibi disceptetur; igitur hanc Viennam remittendam, ubi jam partium consensu agi cœpta sit; Danumque rogandum, ut Angliæ Regem, ipsumque Palatinum ad idem probandum permovere velit. Id si recusent, eam causam Francofurti suscipiendam. Consentiebat Saxonicus, nisi quod adderet, si Francofurtum repudietur, ad pacis colloquia eam rejiciendam. In eandem sententiam Moguntinus ibat. Wesenbecius plane eam causam apud tractatus pacis expediendam censebat. Jusserat Elector, si responsum ad Regem nomine Electorum expediatur, istum subscriptione abstinere. Sed si nomine Legatorum duntaxat conciperetur, subscriberet quidem,

sed

1643. sed actis simul inseri curaret, id se fecisse, quod major pars concluserit, cui adversari non potuerit. Testaretur tamen, id non e privato affectu fieri, quod aliqui forte arguant, sed e sincero in bonum publicum studio; ac magnopere optare, ut ea causa aliquando ad æquam transactionem deducatur. Eodem tempore, ut Bavaro in hac causa satisfieret, propositum fuerat, ut Salisburgensis Electoratu Trevirensi potiretur, ac Bavaro Salisburgensis ditio traderetur; quoad ex ejus reditibus tredecim milliones, quos Cæsarem poscebat, recepisset. Sed id irritum fuit, Bavaro bonis sacris misceri abnuente.

De conferendis pecuniis. Dec. §. 11. Ad extremum proponebant Cæsarei de solvendis per Ordines centum mensibus Romanæ expeditionis, quia Galli, Svecique Turcam, auro dato in Cæsarem excitare sategerint; quod periculum tamen hujus vigilantia non citra ingentes sumtus apud avarissimam nationem averterit. Unde haut grave fore Ordinibus pecunias erogare, ipsorum conservationi impendendas. Relatione facta censebat Wesenbecius: Si bellum continuandum sit, milite & pecunia utique opus esse: nec se intercedere, quo minus ab Ordinibus quid conferatur. Sed ab Electore contribui nil posse ob ditionem plane vastatam, & quia valida præsidia in munitionibus suis alenda sint, quas servari Germaniæ quam maxime interfit, Svecici insuper tributi onere incumbente. Nuper quoque per Dæmitzæ obsidium Veterem Marchiam, Rupinensem, & Prignicensem tractum, Crocovii in Pomeraniam irruptione, insequentibus e vestigio Svecis, Novam Marchiam, & Sternbergensem agrum protritum. Addebat, potius quocunque modo pacem occupandam, quam, dum spes in armis collocatur, omnia, quæ supersunt, aleæ exponenda. Ast Coloniensis & Bavaricus citra dubitationem pecunias conferendas affirmabant. Saxonicus ampliabat. Contra Schvvalbachius Moguntinus disserebat: *Poscendi pecunias modum non esse, ac nemini constare, quo ista impendantur. Equidem a Saxone, & Brandenburgico, quorum ditionibus hostis incumbat, nil exigi posse; sed eo majus onus in alios Circulos, ac omnes Catholicos redundaturum. Atque his postulatis merito esse supersedendum, quoad querelis de militum injuriis sistendis remedium sit allatum*; *Schwalbach.* haut mediocriter indignatus Bavaro, velut talium omnium autori. Sane Electorem suum malle duas legiones conscribere, & in proprium, atque Imperii usum alere, ut certo constet, cuinam usui sua portio impendatur. Saxonicus post modicum tempus interjectum pecunias utique conferendas ajebat, sed annexis aliquot conditionibus; scilicet quia conjunctione omnium Ordinum opus sit, quo exteris resisti queat, a Cæsare amnestiam rite formandam, & Palatinam causam expediendam: cui & Moguntinus assentiebat, idemque Wesenbecio non obscure insinuabat, Electori Brandenburgico Cæsarem parum fidere, quod is modicum in hunc studium ostendat, ac agitatas cum Regina Sveciæ nuptias ejusdem animum haut parum inquietare. Ac idem literas Lutetia scriptas ostendebat, queis narrabatur ab Electore Secretarium illuc missum, qui consensum Galliæ circa connubium istud impetraret ob arctam inter ea Regna tunc conjunctionem. Ast in collegio 1644. Principum plerique negabant quæstionem pecuniariam ad Deputatos, sed ad universos Ordines spectare. Brunsuicensis ad transactionem cum Cæsare provocabat, per quam Principibus istis integrum sit, ratam portam portionem tuendæ propriæ ditioni impendere. Nec eo minus Directorium Austriacum conclusum ita formabat, velut major pars consensisset, ne quidquam protestantibus, qui dissenserant. Post cum de summa conferenda referretur, Coloniensis, & Bavaricus citra hæsitationem centum menses annuebant, ut & Saxonicus Brandenburgicus priora repetebat; Electorem nil conferre posse, nisi quantum munitionibus suis tuendis requiratur. Addebat tamen, ne Reges socii credant, Ordines de solo bello solicitos pacem insuper habere, Cæsarem simul monendum de amnestia quamprimum publicanda. Sed Principales respuere ista, velut supra Deputationis mensuram posita, persistebant. Cæterum cum conclusum hoc super negotio in Electorali Collegio formandum esset, Elector quidem exceptionem suam nolebat inseri, ne alii Ordines ad hoc exemplum provocarent, aut ideo ad pecunias conferendas pigriores redderentur. Sed ne forte ea summa aliquando reliquorum titulo ab ipso exigeretur, Legatus Cæsareos acceptilationem poscere jubebatur. Eam si dare hi abnuant, dictam exceptionem concluso inseri curaret. Si nec hanc admittant, protestationem interponeret, & in acta referri postularet. Cum igitur cæteri Electorales hanc exceptionem concluso inserere nollent, & ne verba quidem, queis majoris duntaxat partis consensus notabatur, ferrent; Wesenbecius protestabatur, Electorem hoc concluso nolle teneri, nec id ipsum sibi, suæque ditioni aliquando fraudi fore; quod in ejusmodi negotiis obligationem pariturís unius dissensus sui ipsius respectu æque validus sit, atque alterius assensus, præsertim ubi gravis, eaque legitima causa adferri possit. Ad extremum ita poni volebant; Moguntinum, Coloniensem, Bavarum, & Saxonicum excepto Brandenburgico unanimiter convenisse. Sed quia hæc exceptio ita crude posita invidiosa juxta, & captiosa videbatur, tandem acerrime contendente Wesenbecio additum; *præter Brandenburgicum, cujus Legatus ob literas ad Cæsarem ab Electore scriptas in nihil consentire potuerit.* Inter quæ Bavaricus cavillabatur; satis adparere, istum ad causam publicam nil conferre velle; reponente Wesenbecio, neminem hoc bello plus damni perpessum, quam Brandenburgicum. Cui succinebat Schvvalbachius; ita rem se habere; *non neminem ex Ordinibus hoc bello opibus, & potentia gliscere, alios pessum ire. Ac præter dominandi libidinem apud Austriacos, & Hispanos, causam calamitatis, quæ Catholicos obruerit, esse penes Bavarum, qui primus Saxonem hostiliter invadendum suaserit, e quo prælium ad Lipsiam secutum sit. Quin post id prælium vires Sveco pares, aut superiores superfuisse: sed Tillio non licuisse, cum reliquis se ducibus conjungere, eumque ad tegendam Bavariam evocatum fuisse.* Tandem Bavaricus sibi mandatum ferebat, hujus tributi nomine Electorem Brandenburgicum haut urgere; tantum cavendum, ne id in exemplum ab

1644. ab aliis trahatur; Schvvalbachio seorsim frementе; Bavarum privatas tantum res agere, ac potentiam parare Cæsari quoque formidabilem, ac omnibus Catholicis gravem: tum neque Coloniensem, neque Bavarum, nec Saxonem quid conferre, sed omne onus in minus potentes Ordines devolvi. Ast apud Principales Austriacus, Bavaricus, Burgundicus proposita affirmaverant; Wurtzburgensis, Constantiensis, Prælati, simul Brunsuicensis ac Noribergicus acriter negaverant; Darmstadiensis ambigue. Cum Austriacus Wurtzburgensem in suas partes trahere niteretur, hic aperte jactabat: *causas belli non e religione, quod aliqui Catholicorum credant, sed e rationibus status, atque dominatus derivandas esse.* Austriacus contra, & Bavaricus disserebant: *penes solos Reformatos culpam harere; ac optandum fuisse, Catholicos antehac cum Lutheranis convenisse, & Reformatos extra Imperium eliminasse.* Mox cum sententiæ Electoralium, & Principalium conferrentur, hi negare persistebant, id negotium huc pertinere. Ita discrepantes collegiorum sententiæ ad Cæsarem referebantur. Ubi Moguntinus relationi inserere parabat, decisionem Cæsari committi, ni Principales ea verba acriter respuissent.

Ob bellum inter Svecos & Danos animorum motus.

§. 12. Ast nuntiata Svecorum in Holsatiam irruptione ingens Francofurti inter Catholicos lætitia, velut isti jam in casses sese induissent. Ac Cæsarei apud Wesenbecium disserere; jam tempus esse Electorem circa recuperandam a Svecis Pomeraniam satagere, bello Danico implicitis. Nam nunc junctis copiis Torstensonium intra Holsatiæ angustias opprimi posse, præsidiis Svecicis interim provinciali milite inclusis, quæ mox fame subigente ultro ruitura sint. Tractatus Westphalicos in ipso limine expiraturos. Ac jam Cæsar, Bavarus, Coloniensis, & Saxo inter se agitabant nonnulla capita Pragensis pacis mitigare, ac rem ad Comitia pertrahere. Bavarus quoque causam Palatinam Viennam revocandam clamare. In congressu quoque Passavii inter Cæsareos, Hispanos, ac Bavaricos habito propositum fuerat, ut edictum anni 1629 de restituendis bonis sacris denuo promulgaretur, & exsecutioni daretur, velut tempore quam maxime opportuno, dum Saxo viribus nudatus languet, & duo Reges Protestantes bello inter se implicantur. Ubi & decretum fuerat, ut Bavarus Brisgoviam, & Alsatiam in potestatem redigeret, ac Brisaco eminus incluso in Galliam penetraret, ingruente ex altera parte Beckio, & Lotharingiæ Duce. *Beck.* Quæ cum incassum caderent, sola in Dano spes reliqua erat; cujus successus dum captatur, hunc conventum extrahere artificium erat variis consultationibus super Cameræ Spirensis translatione, securitate, stipendiisque Assessorum augendis; ac omnes bellum magis quam pacem spirare, simul de septem a Cæsare exercitibus *12. Mart.* formandis magnifica crepare. Ac disserebat Schwalbachius: *dudum super Dano ad arma Svecia inferenda permovendo fuisse laboratum, parario Polono. Sed Danum hucusque excusasse, Belgas Svecorum socios mari multum sibi prævalere. Quod si tamen Anglus turbis intus compositis sociam sibi classem jungat, aleam se jacere haut formidaturum.* Ast nunc Danus Cæsarem ac Bavarum auxilia poscere; cui & spei non parum in Friderico filio Bremensium Præsule, ac Luneburgicis Ducibus repositum erat. Simul a Coloniensi Præsule petierat, ut cum copiis suis versus Bremensem provinciam procederet; quo facto se per Gluckstadium decem millia militum trans Albim effusurum Kœnigsmarckio intercipiendo. 1644. Jam igitur Cæsarei cupidinem pacis exuere, ac eventus belli aucupari, ac de dissolvendo hoc conventu agitare, antequam Monasterio de adventu Gallicorum Legatorum nuntiaretur. Ac jactabat Moguntinus: non esse quod tantopere Monasterium properent, ubi plus de reconciliandis Svecis, & Danis, quam de Germaniæ rebus agendum sit. Quin & tractatus Westphalicos plane dissipari optabant, præsertim cum Regii ostendissent, se nisi Ordinibus admissis negotiationem haut orsuros; ac Dano sequestre amoto ob partium super honoratiori loco certamina viam habendis congressibus haut fore. Ac satius esse abruptis tractatibus armorum successus aliquamdiu speculari; magno quidem cum dolore Electoris, si eam spem pacis elidi contingeret, etsi ob accessum Legatorum Gallicorum meliora ominaretur. Veniebant mox a Rege Daniæ literæ ad Electorale Collegium, auxilia adversus Svecos poscentes. Circa quas Bavarus disserebat: utile id, & æquum esse. Sed cum Danus postulet, ne Imperium cum Svecis absque ipso pacem concludat, vicissim quoque eidem absque Imperio cum Svecis pacem haut ineundam. Placebat etiam, quod Danus scripserat; sibi negotium de Principibus ad tractatus admittendis valde sinistre fuisse relatum; sed nunc Electorum declaratione sibi plane satisfactum. Nec minus gaudebat, a Cæsareis, Hispanis, ac Veneto salutationem Monasterii tanta cum verborum humanitate, ac fronte in lætitiam composita obitam fuisse, ut Avauxius inter reciproca honoris verba jecerit, duarum septimanarum spatio pacem confieri posse. Nam pace cum Gallis inita fabam in Svecis cudendam. Unde Dano animos addendos, ac mature de Imperii auxilio ipsi cavendum, antequam is ad transigendum cum Svecis compellatur. Nam toto belli tempore occasionem & fortunam haut melius Germaniæ, quam in præsens. allubuisse; & quo diutius ea captata fuerit, tanto alacrius eidem manus injiciendas. Nec sine fœda ingrati animi culpa eum Regem deseri posse; qui si hoc bello succumbat; Germaniam quoque conclamatam esse. Ast Elector responsum ad Dani literas a Wesenbecio subscribi nolebat, quod ipse nil auxilii eidem promisisset, uti Cæsar & Bavarus fecerant, nec copias haberet, quas aliis commodaret: ac oblato jam Sequestris officio auxilia alterutri addicere haut congruebat, Responso ad eas literas collegium Electorale postulaverat; ut nec Rex cum Svecis pacem faceret non comprehenso Imperio, prout ipse petierit, ne citra se Germania cum Svecis transigat. Quod postulatum Elector inutile judicabat, cum Danum nulla ad id obligatio stringeret; ac Svecos talibus non nisi irritatum iri.

Ob literas Legatorum Gallicorum motus.

§. 13. Porro Deputationem dudum languentem, ac per inania tempus extrahentem repente excitarunt Legatorum Gallicorum literæ; quibus Ordines ad obeundos de pace tractatus invitabant, non sine multa verborum acerbitate in Cæsarem velut publicæ libertatis oppressorem. Eas literas Cæsar insolentes, famosas, concitandis in se Ordi-

1644. 4. Jun. Ordinum animis inventas, autoresque diffamatores, atque calumniatores increpabat. Simul apud Ordines proponi jubebat, qua ratione istæ ulciscendæ essent; ac num tractatio cum Legatis suscipienda sit, antequam sibi de tanta injuria satisfactum fuerit, si vel maxime isti legationi suæ autoritatem idoneis diplomatibus circumposuissent. Nam adhuc circa eorundem procuratoria scrupulus movebatur ob ætatem Regis minorem, eaque censebantur a Principe Regii sanguinis subscribenda, accedente post & Parlamenti ratificatione. Quo ipso ansam abrumpendi tractatus quæri non in obscuro erat, si fortuna belli arrideret. Ast Elector etsi aculeatas istas Gallorum literas vehementer improbaret, nec Cæsarem arguere posset, quod tantam injuriam tacite concoquere nollet: consultissimum tamen judicabat, responso ad easdem supersedere, aut saltem circa id adornandum ita circumspecte agere, ut ne tractatus inde retardentur, aut penitus abrumpantur. Sicuti nec ad Gallorum literas, quas pari argumento ad ipsum scripserant, responsi quid reponere statuerat. Sed nec universorum Deputatorum nomine literas mittendas censebat, quod vix crederet omnibus idem probatum iri. Nec e re esse solos Electores invidiam facti in se derivare, quod non hos tantum, sed universos Ordines tangat, culpa in eosdem redundatura, si quid detrimenti respublica inde ceperit. Nec plus eo responso profectum iri, quam ut Galli literas suas defendant, ac allegatis exemplis veris, an fictis adstructum eant, ne injuriam a se factam agnoscere videantur. Inde ad scripta hinc inde edenda procursum iri, parum gloriæ Imperio paritura. Igitur præstare silentio istas dissimulare, ut criminationes magis spretæ quam agnitæ videantur. Cæsarem quoque rogandum, ne id factum fervide nimis ulciscatur, neu acri responso istos increpet, multoque magis; ne ad asperiora progrediatur. Nam non dubitabant quidam jactare, eosdem salvum conductum commisisse, nec pro Legatis amplius habendos. Id quippe utilitatis nihil, damni plurimum allaturum aucta animorum exacerbatione, & abruptis tractatibus tanti temporis, impensarumque jactura conciliatis, non sine extremo Imperii exitio. Quod infinitis modis nocentius sit, quam aliquot contumeliosa verba generoso silentio digessisse. Ac si utique offensam testari Cæsar velit, præstare id apud ipsum Galliæ Regem fieri, modo ne tractatus inde abrumpantur. Sane Cæsaris existimationem magis testimonio Ordinum de republica bene administrata, quam exterorum & æmulorum crimina-

24. Jun. tionibus stare. Cæsari, qui electorem per literas consuluerat, quid facto opus foret, responsum, *Optare se, id literarum a Gallis nunquam scriptum. Nec suadere, ut silentio objecta velut adprobentur, sed idonea responsione opposita castigentur. Sed qua via heic ineunda, ipsius Cæsaris, aliorumque Electorum sententiam prius cognoscere malle. Sane sibi haut consultum, nec pro dignitate Imperii videri, Cæsarem suo nomine cum Legatis Gallicis ad mutuas scriptiones descendere, sed potius, quæ e re videntur, ad ipsum Galliæ Regem referre. Interim ne tractatibus pacis mora injiciatur, istas tantisper dissimulandas, nec ideo consilia pacis abjicienda, testanda animi mansuetudini, & in pacem studio. Ac neminem ex Ordinibus ob eas literas venerationi fideique in ipsum quid detracturum.* Sed intepescente paulatim ira Cæsarei censebant, ad eas literas nil responsi reponendum, sed publicum scriptum eo nomine edendum, quo objecta diluantur. Id quod & Moguntino probabatur. Sed Bavarus ad ipsum Galliæ Regem scribendum censebat. Aliqui eas literas Legatis remitti volebant, improbante Electore, ne isti hoc ita interpretentur, velut declaretur, nil ordines negotii cum istis deinceps sibi esse cupere. Ac potius a Deputatione Cæsari suadendum, ut offensam apud Regem, Matremque Regentem testetur: cum ipsis Legatis publico nomine nihil agat. Quod si aliqui utique scribere suo nomine velint, se non intercedere, modo crabrones ne irritentur. Se quidem suo nomine haut scripturum. Ac si Deputati literas remittere velint, expostulatione addita, Wesenbecius subscriptione abstinere jubebatur: Nam in re tam delicata non posse nimium circumspectionis adhiberi. Dudum belli malorum se tædere, ac optare aliquando Germaniæ, & Marchiæ quietem restitui, unicam pristinæ felicitatis recuperandæ viam. Eandem omnibus patriæ amantibus votorum summam. Cæterum relatione in Senatu Electorali facta Coloniensis, Bavarus, & Moguntinus literas redhibendas censebant, saltem eas, quæ ad universos Deputatos scriptæ erant. Sed quia Saxonicus, & Brandenburgicus mandata adhuc a se expectari ferrent, conclusum differebatur. In Senatu Principum Austriacus, Bavaricus, Burgundus, Monasteriensis, & Prælati itidem literas remitti volebant, acriter contradicentibus VVurtzburgensi, Constantiensi, Brunsvicensi, Pomerano, Hasso, Noribergensi, & Coloniensi. In priorem sententiam mox Saxonicus quoque discedebat, quod Elector suus ob Pragensem pacem perstrictus esset; id quod ab ipso digeri nequeat. Ita major pars Electoralium literas remittendas censebat, frustra contradicente Wesenbecio. Quanquam autem Principales in eam redhibitionem literarum vix consensuri viderentur; Elector tamen nolebat, cum literæ tantum a Deputatis Ordinariis Moguntino, & Bavarico essent subscribendæ, Wesenbecium de suo dissensu protestari, sed satis haberet, in concluso majoris partis mentionem expressam. Sane ipse Schvvalbacius Wesenbecii sententiam optimam judicabat, nec esse cur ea literarum remissio præcipitetur; sed prius videndum, num forte Galli Monasterio discessuri sint. Tunc demum enim de apologia cogitandum, ac istis exprobandum, ad ejusmodi invitationem Ordinum neminem salva adversus Imperium obligatione accedere potuisse, sed potius eosdem hac importunitate protelatos. Sed mox divulgata Brandenburgica sententia cæteri hærebant, ac nutante summa rerum nil festinandum judicabant. Ipsi quoque Austriaci non amplius redhibitionem literarum urgere; sed satis fore, si de offensa Gallis per sequestros significetur. Ac mox cum Galli tantos ad Rhenum progressus facerent, literæ illæ paulatim silentio involvebantur.

§. 14. Enimvero cum hoc conventu nihil ad summam rerum profici dudum Ordines animadverterent, & non alio fine eundem extrahi, quam ne solidum e colloquiis de pace fructum Germa- *De dissolutione hujus conventus.*

 nia

1644. nia reportaret, ac ut bellum potius aleretur; plerosque jam olim ejusdem tædium ceperat. Sane Cæsar successus belli captans Legatis suis scribebat, ne ad dissolvendum Conventum ansam præberent, utut nihil seriæ rei heic perageretur. Unde & Elector Wesenbecio injunxerat, quantum posset, finem Conventus urgeret, quod dudum ibi tempus frustra teratur; ac si moras nectere non desinant, a se ipsum inde avocandum. Sed & non nisi eventus armorum captari vel id indicio erat, quod cum Wesenbecius, Gallis jam Monasterium, Oxenstierna Osnabrugam ingressis, Moguntinum moneret, an non & ipsis mox eo accedendum sit; iste responderet; nil certi adhuc decretum, ac sat mature de eo ipsi significatum iri. Ea rerum facie nil effici ibi posse, ac dum nutans belli fortuna utrinque respicitur, neutri parti pacem cordi esse. Sane si penes Austriacos victoria stet, libertatem Germaniæ deploratam. Nec ignotum, quid Gallo victore expectandum sit. Ac moventibus jam undique exercitibus brevi de fortuna partium decidendum. Ac intra præliminaria adhuc ibi hæreri; ubi ad rem ipsam accessum sit, tunc demum
10. Aug. sua præsentia opus fore. Post denuo monenti VVesenbecio Moguntinus excusare; absque Dano nil agi posse, & penes exteros morarum causam. Quare enim Sveci Dano arma intulerint; aut Galli tam acerbas literas scripserint? Ac malis imminentibus nullum aliud remedium, quam a Comitiis, & Consiliorum armorumque conjunctione; cui & cæteri Electorales, excepto Saxonico, adstipulabantur. Isti a Wesenbecio repositum; Conventibus Ordinum nihil adhuc profectum; ac quicquid consiliorum propositum sit, ac decreta insuper facta inania fuisse. Et nunc quoque, qui incertis consilia sua superstruxerint, rationem per-
24. Sept. turbaturos. Sane cum Gallasio ad Bemburgum aqua hærere cœpisset, Cæsar jam ultro Electorem monebat, ut Legatos Monasterium mittat, id quod jam fieri non inutile judicet. Nam Daniæ Regem declarasse, se non impedire, quo minus procuratoria Monasterii hinc inde tradantur. Addebat tamen, conventum Francofurtanum haut eo minus continuandum. Et quia plerique Ordinum in diversa a Cæsaris destinatis tendebant, Moguntinus insinuabat, non ægre Cæsarem latu-
28. Sept. rum, si isti hinc facessant. Etsi mox Cæsar eidem scriberet, ne eum Conventum dissolvi pateretur; in quo tamen dudum nihil agebatur, absolutis etiam, quæ super instauranda justitia fuerant mo-
5. Oct. ta. Propositum inde a Moguntino; quia procuratoria Monasterii permutata jam sint, necessarium videri ab Electoribus Legatos eo mitti. Sed quæstionem esse, num missio ad modum collegii sit adornanda, ac Monasterium, an Osnabrugam eundum? Nam & Catholici jam pacem anhelabant ob Svecos terra marique in Dania victores, & Gallasii exercitum destructum, turbante quoque in Hungaria Ragozio. Cæsareorum mens erat, ut extraordinaria Deputatio, cui anno 1636. Moguntinus & Brandenburgicus destinati erant, cessaret, ac negotia per ordinarios Deputatos Moguntinum & Bavarum obirentur, adhibito Saxone, ubi eadem Evangelicos spectent. Nec eo minus Deputationem heic continuandam. Enimvero hicce conventus ultro jam ad finem vergebat, quorundam Ordinum Legatis iter Westphaliam ver- 1644.
sus ingressis. Et Elector circa missionem ad tractatus non amplius alios sibi respiciendos ducebat, sed testando suo in salutem patriæ studio quamprimum eo missurus erat. Ac jam ipse Ba- 5. Dec.
varus, incassum renitentibus Cæsareis, insuper habita hac Deputatione suos Monasterium ablegabat. Qui & Collegium Electorale ibidem adesse cupiebat, præsidio sibi futurum, si causa Palatina susciperetur. Idem tamen, & Coloniensis addiderant, a Cæsare alios Ordines monendos, ne ad eos tractatus accedant, contradicente Wesenbecio. Jam quippe tertia vice Ordines a Regiis invitatos, ac Electorales in utroque loco adesse debere. Tandem conclusum, ad 5. Jan.
Collegii modum eo accedendum, ac non ampli- 1645.
us repugnandum, quo minus & alii Ordines eodem accedant; quod & Bavarus Cæsari suaserat. Ne nunc tamen Cæsar Francofurtanum Conventum solvi volebat, ne & reliqui Ordines in Collegia digesti colloquiis pacis interesse vellent. Demum adferebatur decretum Cæsaris: Ordinibus 28. Jan.
quidem integrum fore ad tractatus proficisci, ut tamen hic Conventus nihilominus subsisteret. Id quod Principales consensu adspernabantur, excepto Austriaco, & Burgundo, ac utique Deputationem solvendam contendebant. Deliberatum quoque inter Electorales, quid tituli Galliæ Regi dandum esset, postquam is vocabulum *Regia Dignitatis* fastidiret. Saxo *Serenitatem* tribuendam censebat. Bavarus *Majestatem* jam dederat, quod exemplum & Coloniensis imitaturus erat; Moguntino indignante, nihil antea Collegii consensu decretum. Elector censebat, initio semel facto citra offensam titulum Majestatis denegari non posse, quæ offensa Clivensi ditioni sit luenda. Etsi Moguntinus censeret, si iste cum Saxone in Serenitatis vocabulum conspirare velit, se per majorem suffragiorum partem in huncce titulum consensurum ad autoritatem collegii tuendam.

§. 15. Quanquam autem Coloniensis, Bavaricus, Saxonicus, & Brandenburgicus in collegialem missionem ad tractatus pacis, & dissolutionem conventus Francofurtani consensissent, Moguntino non amplius contradicente: hic idem tamen adhuc circa Legatos suos Monasterium mittendos cunctabatur, quod decretorii prælii in Bohemia parem eventum, qui olim in Albo monte fuerat, expectaret. Sed post pugnam ad Jancoviam jam Austriaci, & Moguntinus hunc Conventum continere non amplius poterant, spe hactenus concepta in contrarium versa; & jam plerique ultro discessum parabant. Ac postquam VVesenbecius pro dissolutione Conventus sententiam dixisset, Moguntinus in eandem conclusum formabat, dubitans tamen, an non id prius ad Commissarios Cæsareos referendum, & Cæsaris decretum expectandum sit. Id quod VVesenbecius haut necessarium ducebat. Ac Cæsar statim post cladem in Bohemia acceptam Bavaro significaverat; se non repugnare, quo minus Deputatio ad loca tractatuum transferatur. Quod & Principales citra exceptionem decreverant. Et jam in eum finem Cæsareum decretum aderat, quod tamdiu supprimebatur, quoad Ordines mentem suam declarassent.

Conventus Francofurtanus dissolvitur.

1644. sent. Moguntini quoque Legati iter ingrediebantur, 17. Mart. prælii adversi eventu stimulos subdente, ac a cæteris velut agmine facto eodem tendebatur, queis unica spes in separatione Gallorum a Svecis reponebatur, & quod isti æmulatione ob nimios horum successus perstringendi videantur. Mox Electorales hunc Conventum plane dissolvendum, Principales in VVestphaliam transferendum concludebant, nequidquam contradicente Austriaco, & Burgundo; quibus insuper habitis Wurtzburgensis, Bavaricus, & Hassus digressi isti abrumpendo initium faciebant, non expectata Cæ- 11. April. saris declaratione. Quæ mox in hunc sensum promulgata fuit: *Etsi gratum sibi fuisset, hunc Conventum servari; velle tamen Ordinum placito se attemperare, ac in sententiam Principum descendere, ut isthac Deputatio Monasterium transferatur.* Quod & demum Electoralibus probatum. Nam cum adversa belli rem tandem serio agi subigerent, Deputationem transferri necessum erat, quod in Westphalia nemo esset, qui Directorium inter Ordines 14. April. gereret, jam ultro eodem confluentes. Paulo post & decretum Cæsaris promulgabatur; *Ad Calendas Maij anni sequentis Conventum extra ordinem ad componendas circa religionem querelas Francofurti habendum.* Contra quod Wesenbecius in Collegio Electori hactenus protestabatur, ut si Regii super istis gravaminibus moverent, eadem Osnabrugæ discuterentur, nec adhunc Conventum rejicerentur. Addebant Cæsarei, Cæsarem nunc consentire, ut clausula suspensiva e decreto Ratisponensi circa amnestiam expungatur. Id quod olim negatum usui esse poterat, nunc idem annui serum erat. Etsi quia decretum hoc nunquam comparuit, Conventus istius indictio inanis fuit. Instabat etiam Coloniensis, & Bavarus apud Gallos, ut tractatus Coloniam transferrentur, nimirum ut Coloniensis præsulatus belli molestiis eximeretur. Quod etsi Gallis per fœdus Svecicum non liceret; id postulatum tamen eo obtentu eludere malebant, velut futuro anno aliquid in eam urbem tentare meditarentur. Ita Conventus iste solutus est, nullo operæ pretio facto, nisi quod Protestantes animadversis Catholicorum artibus eo cupidius ad tractatus VVestphalicos ruerent. Elector autem ex iis non parum existimationis adquisivit, tanquam qui solus Collegarum pro bono publico maxime connixus esset, ac animi sensa citra fucum exposuisset, ejusmodi sententiis dictis, quarum soliditatem vel cum invidia adversariorum ipse eventus comprobavit.

Tractatus pacis demum suscipiuntur.

§. 16. Cæterum quo tenuior ex ejusmodi conventibus atque consiliis fructus ad reducendam Germaniæ pacem proveniebat; eo ardentius Elector optabat tandem aliquando super communi pace colloquia procedere; quæ sola & patriæ calamitatibus remedium allatura, ipsique ad stabiliendas res facultatem præbitura sperabantur. Ea colloquia quare Cæsarei, septem integros annos circa expediendam Hamburgi præviam conventionem cauponati, ac separata pace Svecos amoliri conati, tanto studio declinarint; facile intelligunt, quibus aliqua eorum temporum, & consiliorum, quæ tunc in aula Cæsarea agitata sunt, notitia est. Sed cum neque subdola, & clandestina tractatione, neque armis Svecos Germania dimoveri posse adpareret; quin jam 1645. Torstensonius belli sedem in Cæsareis ditionibus firmatum iret, Cæsaris quoque viribus memorabili ad Lipsiam prælio contusis; tergiversationes demum abrumpendæ, ac tractatus serio jam 15. Jul. 1643. obeundi erant. Et jam ipse Cæsar Electori per literas significabat, a se Joannem Nassovium, & Joannem VVeickardum Aurspergium Comites una *Aursperg.* cum Isaaco Volmaro, & Joanne Cranio plena cum *Volmar.* agendi facultate constitutos; quorum & instructio, *Cranc.* sed non nisi vulgarissima continens, communicabatur. Accedebant hortatus, ut & Elector suos eodem mittere velit, ipsius Commissariis consilio adfuturos. Mox & Cranius Osnabrugam prægressus scribebat: cum Legati Svecici Minda Osna- 30. Sept. brugam se conferre prius abnuant, quam alii quoque Legati accesserint; igitur Elector suos iter huc maturare juberet. Eadem Monasterio Nassovius, 25. Sept. & Volmarus ingerebant, Electoris operam velut a Collegio Electorali deputati exposcentes. Quibus ab hoc responsum: *Se invitationis ab ipso Cæsare factæ memorem, nec suos in mora fore. Sed quia intelligat, Regiorum neminem adhuc adesse, nec qui secum delegati sint Moguntinum, & Coloniensem; non videri sibi profectionem festinandam, sumtusque incassum prodigendos, qui his temporibus sat difficulter expediantur. Ubi aliquod opera pretium fieri posse adpareat, suos protinus iter ingressuros.* Dehinc & Cæsar tentando E- 18. Nov. lectoris animo, quem ob nuptiarum Svecicarum opinionem non parum suspectabat, interceptas Legatorum Svecicorum literas communicabat, quibus inter alia isti scripserant: *conjunctionem inter fœderata Regna esse quam maxime necessariam nec absque illa publica securitati tam bello quam pace satis cautum fore. At Cæsarem Francofurti jam in eo desudare, ut sibi soli tractandæ pacis arbitrium vindicet. Id quod si per desperationem Ordinum, bello quacunque ratione exire ardentium, obtinuerit; imperium nullo limite circumscriptum ab ipso usurpatum iri, non sine gravi Regnorum vicinorum periculo. Igitur Legatis Regiis ad loca tractatuum propius accedendum, & quia negotiationi maximus vigor ab armis sit accessurus, horum paratus eo magis sibi intendendos, quo propius ista jam absit.* Ad quas literas Electori nihil respondere placuit, nisi eas se accepisse, ac pro communicatione gratias agere. Inde orto inter Svecos, Danos- 1644. que bello, cum Daniæ Rex sequestris munere, 10. April. quod hactenus exercuerat, evolutus esset, Cæsar Electorem consulebat; quid facto nunc ipse opus judicet? Ad quæ hic: operam utique dandam, ne tractatus abrumpantur: ac posse negotiationem Osnabrugæ etiam citra sequestrem succedere, adhibitis duntaxat internuntiis, si ita videatur. Addebantur hortatus, ut Cæsar restitutis in integrum Ordinibus civili concordiæ firma jacere fundamenta velit. Sed post cum spes, quam in eo bel- 19. Octob. lo collocaverat Cæsar, decollasset, ad tractatus iterum confugiendum erat; ad quos ut & Elector suos ablegare vellet, iste demum hortabatur; significans simul, Daniæ Regem, qui hucusque absque se colloquia de pace succedere noluerit, nunc permisisse, ut procuratoria hinc inde traderentur: id quod ut propediem fiat, suis sese injunxisse.

§. 17. Cum ergo belli adversa Cæsarem *Instructio* jam ad pacem serio amplectendam compellere *Legatorum Ele-* viderentur, Elector, ne in mora foret, suos itineri para-

1644. *Borussorum, qui Monasterium destinantur.* *Læben.* *Fritz.* *Von der Heiden.* *Portman.* *Fromhold.* *4. Dec.*

paratos esse jubet. Ejus Legationis Princeps designabatur Joannes Witgensteinius Comes, prout res ferret Osnabrugæ, aut Monasterii curaturus. Osnabrugensi negotiationi destinantur Joannes Fridericus Læbius Baro, & Petrus Fritzius, in cujus apoplexia debilitati locum Matthæus Wesenbecius suffectus est. Monasterii Fridericus Heidenus, ac Joannes Portmannus, & in hujus locum post Joannes Fromholtus agere jussi. Quia autem conventus iste longe celeberrimus futurus erat, & cui similem Europa hactenus non viderat; inprimis curandum erat, ne quod præjudicium dignitati Electorali adferretur, deinceps inter exempla allegandum. Igitur Legati utrinque operam dare jussi, ut fastigio Electorali debitus honos exhibeatur, ac is ipse, quo Legatus Venetus jam mactus erat: id quod & Cæsar annuerat, eoque nomine ad Commissarios suos scripserat. Nec minus ut ab aliis quoque Legatis eundem sibi honorem tribui curarent, quo Præsul Osnabrugensis, a Coloniensi mandatis instructus, erat potitus, eodem in recipiendis ac reddendis visitationibus observato modo, ut per omnia pares cerimoniæ adhibeantur, nec ipsi minoribus honoris signis, quam alii Electorales Legati, adquiescant. Qui Monasterium abituri erant, apud Cæsareos primo congressu exponere jubebantur; cum Elector ex decreto Ratisponæ anno 1641 condito designatus sit, ut Cæsareæ legationi circa tractandum pacis negotium adsit; igitur isti ut satisfaciant huc se accessisse, operamque suam offerre. Adderent excusationem tardioris adventus, quod Electoralium ditionum conditio non permiserit, diu citra necessitatem locis tam sumtuosis agere. Sequestribus tam salutare negotium commendarent, ac si quæ tangantur Electorem spectantia, ne quid in ejus fraudem fieri permitterent. A Gallis, cum ipsi posteriores Monasterium accessuri sint, priorem visitationem expectarent; quorum in pacem studia laudibus ferrent, iisdemque Electoris emolumenta commendarent. Ad istos ab Electore Quilovius præmissus fuerat, quæ circa cerimonias ipsorum mens esset exploraturus. Cui Avauxius declaraverat: si Elector Regi suo *Majestatis* titulum daret, quod jam alii Electores præter ipsum & Saxonem fecerint; se effecturum, ut ejusdem Legati Veneto pares habeantur: quod alias difficultate cariturum non sit, præsertim cum Hispani id se facturos negent. Ac sane in promtu erant a Bavaro & Coloniensi literæ queis eo titulo Gallus honoratus fuerat; circa quem Elector hærebat, ne Collegis præjudicii quid adferret; in eundem tamen & ipse consensurus, si iste *Serenissimi* titulum redderet, ac Legatis ipsius, dum eum alloquuntur, caput tegere permittat, id quod aliis dignatione infra Electores concessum sit. Idque jam Electoris Avo Joanni Sigismundo ab eodem oblatum, si *Majestatis* titulum tribuere vellet. Se Poloniæ Regi, cui nomine Borussiæ vasalli vinculo innexus sit, *Majestatis* titulum dare, *Serenissimi* ab eodem recipere. In idem si Galli, & Hispani consentiant, Svecos, aliosque Reges haut ægre exemplum secuturos. Sed si isti prioribus formulis inhæreant, nobis quoque vetus *Regiæ Dignitatis* vocabulum retinendum. Alias nemini cederent, præterquam capitibus coronatis, & collegis ordine prioribus.

Quilov. *Gallorum circa cerimonias scrupuli.*

Nec sperare, aliquem controversiam circa isthoc moturum, nisi quod Veneti Electoribus insciis a Ferdinando II. decretum obtinuisse dicantur, cui tamen, statim atque in notitiam horum pervenit, contradictum sit: Idque exemplum Belgæ non ita pridem imitari audeant, insolita ipsis olim ambitione. Hos igitur, ne, quod prætendunt, actu quopiam firmare queant, diligenter prohibeant, de cætero omni humanitate eosdem prosequentes. Porro ubi ab omnibus Electoribus missis collegium repræsentare placeat, prout & non deputatos hoc conventu excludi nolle credibile sit, id quidem facile concederent. Sed si Cæsar solus suo nomine rem agere velit, uti alii Reges absque Ordinibus suis solent, id Regios haut toleraturos, qui hactenus, ut Imperii Ordines heic compareant, tanto studio expostulaverint. Unde ipsi eorum sententiæ adstipularentur, qui Cæsari svadeant, non in consilium duntaxat, sed & ipsam ad tractationem Legatos Electorales adhibendos. Id quippe Electores suo jure postulare, & eo magis dignationem Cæsaream exsplendescere, ejusmodi succinctam proceribus, qualibus nemo Regum aliorum gloriari potest. Quod si & universi Ordines ad hos tractatus admittantur, id lubenti animo concederent. Sed si denuo ad Deputationem res devolvatur, ne isti quidem repugnarent, ut tamen ab ea ipsi nullo modo excludantur. Nam & jam semel Electorem inter Deputatos designatum, nec minus ipsius rationes, quam aliorum in hoc conventu verti; præsertim cum Protestantibus non possit non esse fraudi, si solis Ordinariis Deputatis, Moguntino, & Bavaro, locus heic futurus sit. Nec apparere, quo jure cæteris Imperii Ordinibus suffragium adimi queat; cum multorum fata ab eventu horum tractatuum pendeant, ac in Comitiis circa negotia longe minoris momenti Ordinum consensus requiratur, si decretum omnes obligaturum sit condendum. Præsens autem negotium ita esse comparatum, ut universis ad idem promovendum connitendum sit, eoque & universos in conscientiam eorum, quæ agantur, admittendos. Nec tutum Electoribus solis tantum negotium in se suscipere, cujus nomine graves rationes reddendæ sint, ubi minus prospere idem successerit, ac res Imperii aliam deinceps faciem induerint. Igitur Legati omni studio contenderent, ut ad hanc tractationem omnes Ordines admittantur, testati, Electorem Deo, universoque Imperio excusatum fore, si ex ista accessus negatione conventum re infecta dissolvi contigerit. An autem Ordinum suffragia per Circulos, quod Franconici, ac Svevici velle videntur, an, uti in Comitiis fieri svevit, per Collegia ferantur, sibi perinde esse. Porro ad majorem suffragiorum partem Legati haut temere adstringi se paterentur. Quanquam enim alias majoris partis consensus plerumque prævaleant; in præsens tamen ejusmodi negotia occurrere posse, circa quæ nec Elector, nec alii Ordines Evangelici majoris partis sententia stare queant. Si etiam id agi sentiant, ut Ordines Protestantes per vocabula sectas notantia dividantur, ac dispari jure censeantur, ei instituto contradicerent, nec præter receptum publice morem alio nomine eos designari paterentur, quam Protestantium, aut Augustanæ Confessioni addictorum. Præterea reliquorum

Ordi-

1644. Ordinum Legatis ipsi facilem accessum, auresque præberent, & æqua eorundem desideria suo suffragio fulcirent, favori & amicitiæ conciliandæ. Quia etiam Galli de restituendo Trevirensi proposuerint, optandum esse id a Cæsare posse impetrari, istiusque Legatis in Collegio locum dari, de quo & ipse sententiam suam ad Cæsarem perscripserit. Ac sane in actu tam solenni par videri, Collegium Electorale haut mutilatum adesse. Nec ratione niti, quod Cæsar in Trevirensis vicem Lotharingum restitui postulet, cujus dispar plane conditio sit. Qua ratione tractatio instituenda sit, commodissime in ipso loco posse conveniri, modo ut nihil absque ipsius, aliorumque Ordinum Protestantium præscitu, & consensu concludatur, nec, ut soli Catholici negotium temperent, concedatur. Id quod eo magis cavendum, quod & Sequestres, & pars, quicum agendum, Catholicis ritibus addicti sint. Id quoque prohibere studerent, ne prolixe exagitatis hinc inde præsentis belli causis animi magis exasperentur. De summa rerum mandata in præsens dari non posse, cum ab aliis fere pendeat, in quas leges pax condenda sit: ac ob partium renitentia invicem studia negotiationem ita citato gradu haut processuram, ut non spatium sit pro re nata de sua sententia ipsos edocendi. Denique cum Osnabrugensibus collegis quæ agantur sedulo communicarent, quo utrinque uniformes sententiæ dicantur.

Instructio Legatorum Osnabrugam destinatorum. §. 18. Paria fere Legatis Osnabrugæ moraturis injuncta. Cæsareis Commissariis adsisterent, ac tum universi Collegii, tum peculiaria Electoris emolumenta observarent. Ac licet ipse cum Moguntino huc peculiariter deputatus fuerit; quo minus tamen aliis quoque Electoribus locum suum tenere integrum sit, haut repugnarent. Ab Electoralibus, si qui priores ibi adfuerint, priorem visitationem expectarent. Gallorum, & Svecorum Legatorum conversatione quam parcissime uterentur declinandæ Cæsaris suspicioni; nec tamen aversionis quid ab iis ostenderent, ne progressu tractatuum communicationem cum iisdem sibi præcludant. Operam quoque darent, ut causa Palatina ibidem expediatur, circa quam id memoria tenerent, Electoris Patrem Mulhusii anno 1627 Bavarum non aliter Collegam agnovisse, quam certis cum exceptionibus, ab ipso Cæsare haut improbatis, & quidem ut consensus ultra Maximilianum ne porrigeretur. Quia denique spes sit, pace facta quemlibet iterum bonis suis potiturum, ac in eo Electorem paris conditionis cum aliis futurum; haut congruum videri, super Pomerania ultro quid movere. Sed si alii de eadem injiciant, omnibus illis contradicerent, quæ in sui fraudem proponantur, implorato quoque Dani sequestris favore; simul studia Pomeranorum alere conarentur.

Ingressus & receptio Legatorum Electoralium Osnabrugæ. 29. Mart. 1645. §. 19. His cum mandatis profecti Witgensteinius, Læbius, & Fritzius primo Ravensbergæ subsistebant, præmisso Osnabrugam Quilovio, ut apud Cæsareos, & Svecos de adventu ipsorum significaret; simul ab istis exquireret, num e decreto Cæsaris concessum ipsis honorem circa deductionem in urbem, priorem visitationem, a dextra incessum, in istorum ædibus priorem locum, & titulum Excellentiæ tribuere velint. Adderet excusationem moræ ob controversiam a Veneto motam. 1645. *Lamberg.* Ista omnia Lambergius Comes Cæsareus Legatus citra scrupulum annuebat: tantum orabat, ut introitus in sequentem septimanam post Paschatis festum differatur, ne meditationes passioni Salvatoris debitæ per inania interrumpantur. Inde *Cum Svecis super cerimoniis difficultates.* Svecos iste accedebat, qui super mora sat acriter querebantur, ac Electorem in culpa esse, ut alii quoque Ordines ita tarde accedant. Super cerimoniis primo laxioribus verbis respondebant; se facturos, quod Galli Legato Coloniensi fecerint. Sed cum Quilovius liquidam magis declarationem peteret, circa Excellentiæ titulum tergiversabantur; simul denuntiabant, si monasterium prius ingrediantur, eoque Gallis eminentiæ quid dent, se quæ annuerint retractaturos. Qua lege istos urbem introire posse Quilovius negabat. Sane Veneto eum titulum tribui; ac Electorem ea republica digniorem se censere. Episcopo Osnabrugensi Coloniensis Plenipotentiario ideo eum titulum haut datum, quod ipse Principis dignatione sit, eoque *gratiam Principalem* velut Excellentia potiorem accepisse. Ac si id vocabulum Electoralibus abnuant, non aliud quam dederint repositum iri. Ad quæ Joannes Oxenstierna stomachabundus: ni ipse *Excellentiæ* titulo honeretur, ac isti *Electoralium Legatorum* nomine contenti sint, satius fore congressu supersederi. Nec ira decedebat, etsi Quilovius reponeret: eam rem Ordinum animis non parum scrupuli injecturum, ubi intellexerint, Svecos, qui hactenus circa asserenda eorundem sacra, dignitatem, ac libertatem verbis tam magnificis jactarint, nunc fastigium Electorale imminutum ire, negatis quæ ipsi Cæsarei tribuant. Igitur cum nil aliud reponeret, quam a Cæsare leges sibi præscribi non posse, Quilovius dicebat; ad Legatos ista sibi referenda, ac moræ causam in Svecos redundaturam. Ac satius fore, Moguntinos expectari, quibus velut ordine prioribus iste nodus sit expediendus. Præter ista Quilovius petebat; cum Cæsarei spem fecerint de remittendo tributo, e Ravenspergica, & Hammensi præfectura exigi solito, quod in menses singulos ad unciales mille quingentos surgebat; ut Sveci quoque sexcentos unciales, quos indidem exigant, remitterent, sumtibus legationis eo melius tolerandis. Id quod Oxenstierna primo præfracte negabat, nil sibi cum tributis militaribus negotii esse causatus. Sed reponente Quilovio; paria Luneburgicis Ducibus inconsulto Torstensonio ab ipso indulta; demum promittebat, id se negotium huic commendaturum. Cæterum adversus istam Svecorum circa titulos tergiversationem in promtu remedium erat, ut ipsis idem, quem darent, titulus regereretur, si rebus Electoris expediret, eorum offensam contrahere. Sed in præsens præstare videbatur Electori literas ad Legatos Svecicos scribere hoc argumento: *haut decere, quia Catholicorum Electorum Legati Monasterii pro dignitate habiti sint, suos minoris æstimari; cum tamen par sit, sui velut Evangelici, Reginæque Sveciæ, ac aliis Regiis, Electoralibus, & Principalibus familiis arcta cognatione innexi majorem rationem haberi, quam istorum, quorum pars minus illustri prosapia orta sit. Unde spem esse, ipsos curaturos, ne quid debiti honoris suis detrahatur, ac Electoralis dignitas illibata persistat.* Sed eæ literæ haut trade-

1645. tradebantur, quod ea lis interventu Jacobi Lampadii ita componeretur, ut nostri Svecos Legatos Regios, hi illos Legatos Electorales salutarent. (*16. April.*) Ingressu in urbem facto cum Cæsarei nostros salutatum venire vellent, Lambergius postulabat, ut ipse cum Collega suo a curru usque ad conclave colloquii nostros præcederet. Sed si nostri ipsum viserent, primarium duntaxat Legatum præcessurum, inde se cum collega secuturum, secundario nostro vestigia legente. Id cum nostri abnuerent, demum consensit, ut ex asse nostri paria cum ipsis facerent. Sveci quoque, omisso temperamento jam dicto, visentes ultro Excellentiæ titulum offerebant, in eo Cæsareis discrepantes, quod ministrorum currus præcederent, ipsis subsequentibus; cum Cæsareorum Legatorum currus primum locum tenerent, ministrorum sequerentur. (*Circa procuratorium monita.*) In procuratorio a nostris exhibito Sveci notabant, quod nostri missi dicerentur, ut Cæsareis adsistant, non ut tractationem pacis suscipiant, & concludant. Nam Cæsarem ipsis hostem esse; cui si isti adsistant, adversus inducias fieri, nec circa communem causam Evangelicorum & gravaminum tuto cum ipsis communicari a se posse, quam Cæsarei hinc exclusam ad peculiarem conventum rejicere velint; cum sibi sedeat, prius intestinos motus e gravaminibus ortos sopire, de præmiis suis post agere. Quod negotium tamen ipsi soli moliri nequeant, sed Protestantibus quoque, ac præcipue Brandenburgico Electori, in quo ipsi plurimum fiduciæ reposuerint, manus admovendas, suaque destinata fulcienda. Ad quæ nostri, procuratorium ex decreto Collegii Electoralis anno 1636. formatum, quod Elector secutus sit suspicionis declinandæ causa. Nec ulterius Cæsareis sibi adsistere fas, quam quatenus eorum consilia ad salutem Imperii, & pacem spectant. Alias non minus Electori in votis esse, ut gravamina hoc loco expediantur. (*Moguntini offendunt.*) Ast Moguntinis, qui ante nostros Osnabrugam ingressi erant, ea cerimonia non citra offensam Svecorum peracta erat; e quibus isti sciscitati fuerant, quem ordinem in pompa uxores suæ obtenturæ essent; velut ideo huc venissent, ut circa mulierculārum vanitatem demulcendam satagerent, aut quasi hæ negotiorum publicorum partem facerent; indignati quoque, ipsos a se delegatum cum curru obviam missum in curru sedentes, ac per fenestram prospectantes audisse, & quidem post Quilovium, quem nostri præmiserant cerimoniis ibi observandis. Augebat offensam, quod post nostrorum ingressu primarius Legatus Moguntinus ipse obviam his processisset, eosque ante delegatum Svecicum allocutus esset. In cujus rei ultionem Sveci nostros, serius licet urbem ingressos, præ Moguntinis salutabant. Cujus ignominiæ sibi illatæ causam cum Moguntini in nostros conferrent, hi reponebant: ipsos Moguntinos in culpa esse, quare sibi talia nunc accidant. Ne istos præverterent, se tertia vice oblatam a Svecis salutationem recusasse. Num sibi ob ipsorum cum Svecis litem honoris commercia cum his omittenda? Si ideo visere ipsos nolint, causam dissidii penes eosdem fore, exteris forte lætitiæ materiam præbituri. Cum post Moguntini nostros consilium poscerent, quomodo hac lite honeste extricare se possent; hi negabant, in ejus se partem venturos. Demum tamen nostrorum interventu Sveci declarabant; si Moguntini testentur, quæ adversus leges cerimoniarum facta sint, non studio patrata, nec ipsos parem secum locum affectare, se vicissim declaraturos, fraudi ipsis non fore, quod Brandenburgicos priore loco visitarint. Ea declaratione utrinque facta, solita honoris signa invicem exhibita fuerunt. 1645.

§. 20. Monasterium quoque Witgensteinius, Heidenus, ac Portmannus citra offensam ingressi sunt, Præsulis Osnabrugensis curru invecti, quem & Bavaricus Legatus insidebat, ne curribus istorum seorsim incedentibus a Veneto turbæ moverentur. (*Monasterii quoque ingressus fit.*) Currus nostris obviam miserant Cæsarei, Avauxius, Venetus, Sabaudus. Savedra, & Antonius Brunus Hispani statim atque urbem introiissent, currus a se haut obviam missos excusabant, quod de ipsorum adventu sibi non constitisset; alias se officio defuturos non fuisse. Servientus sero se Osnabruga reversum ferebat. Inter alios nostri Nuntio quoque Pontificio per Nobilem de adventu suo significabant; qui humanis verbis eum honorem redhostiebat. Osnabrugensis, & Bavarici cum nostros inviserent, disserebant: *ante omnia laborandum, ut Regiis satisfiat, iique Germania dimoveantur. Reducta pace querelas Ordinum commodius expediri posse; idque ipsis Evangelicis utilius fore, quod Galli nihil huc opera collaturi sint, velut qui in omnibus fœderibus salvam religionem Catholicam exceperint.* Quibus repositum; id Svecos haut concessuros, qui utique gravamina, radicem belli, heic exscindi velint. E Fabio Ghisio cum exquirerent, num placeat ipsorum visitationem admittere, is respondit: *si Nobilem sacris Romanis addictum ad se mittere velint, gratum id sibi fore: ipsis a se accessum concedi non posse.* Nec fastiditum officium ulterius obtrudere placuit, cum præsertim nemini Evangelicorum ab isto æqui aliquid sperandum esset. Cum Venetum salutarent nostri, is inter alia de matrimonio Electoris cum Regina Sveciæ disserebat; ac cum nostri ista a se ignorari ferrent, addebat: Sibi persvaderi, Svecos magis de Regno in Rem publicam refingendo, quam de novo Rege adsciscendo solicitos esse. Nec disparia memorabat Volmarus; matrimonium Svecicum commodissimam esse rationem litem super Pomerania componendi. Sed Reginæ nuptias tarde processuras, Svecis libertatem magis quam Regnum exoptantibus. Quæ & post Trautmansdorfii sententia erat.

§. 21. Circa visitationem autem Gallorum difficultas surgebat, quod hi utique Regi suo Majestatis titulum tribui vellent, Serenissimi reddere Electori recusarent; & cum ex iis quæreretur, qua ratione negotia cum ipsis communicari possent, respondebant; per tertium. (*Difficultas cum Gallis super titulo.*) Qua in re Servienti major quam Avauxii austeritas adparebat; quorum & hic de studio suo in Electorem amplis verbis testabatur. Cui & favor apud Germanos quæsitus erat diuturna cum his conversatione, & quia insignem pacis cupidinem præ se ferebat. Equidem Cæsarei super eo negotio consulti censebant: postquam a Coloniensi, & Bavaro initium jam factum sit, singulos Electores id exemplum vix defugere posse. Sed totum Collegium Electorale eo titulo abstinere singulis minus invidiosum fore. Spes erat nostris, se per æmulationem inter Gallos, (*9. Maii.*)

&

1645. & Hispanos eam difficultatem superare posse. Itaque cum Hispani visitationi se obeundæ offerrent, iis responsum: Gallos jam de eadem denuntiasse; & quia non constet, qua hora venturi sint, se ipsis indicium facturos, quamprimum isti hoc officio defuncti sint. Idque statim Gallis significant, si forte per æmulationem eum honorem occupare velint; simul offerrentes, cerimonias absque præjudicio adhibendas, quoad superiores utrinque istas vel probarint, vel repudiarint. Sed cum Servientus id temperamentum adspernaretur, Hispanis significatum, si velint, posse ipsos salutationem obire; quod & ab his factum, Seposita tamen post fuit ea lis hac lege, ut nostri nulla Majestatis mentione *Regis Christianissimi* vocabulum tantum adhiberent. Nam Avauxius confirmarat, Regem nunquam Electori *Serenitatis* titulum daturum, quem ne Regum quidem ulli det: ac præstare, ut ea liticula tantisper suspendatur, ac seria magis expediantur. Et exemplo semel introducto cæteros quoque eundem titulum postulaturos. Alias se nostros eodem honore, quo Cæsarei, affecturos, paria vicissim ab iisdem expectantes. Ast Electori valde molesta erat ista Gallorum durities, cujus nulla causa adparebat, cum Electoralis Domus Brandenburgica multis abhinc annis Galliæ regnum omni officiorum genere coluerit; nec alius Regum majestatis titulum velut vi ab ipso extorquere instituat, qui & revera a recepto hactenus more abeat. Quanquam & super eo conveniri haut arduum sit, ut parum humanum videatur in primo congressu tantam morositatem ostendere. Quid a Bavaro, Coloniensi, ac Trevirensi factum dicatur, sibi non constare; nec id decreto Collegii Electoralis toties iterato congruere; nec unius exemplum reliquis imitandi necessitatem afferre. Ac si Gallus eo titulo honoretur, alios Reges idem postulaturos; quos tamen non dubium sit, quin & ipsi eum honorem aliquo augmento pensaturi sint, Sed quia Gallus in præsens talia solus pertendebat, par esse, ab ipso quoque dignitatis suæ rationem haberi, & quid iste reponere velit, intelligi. Ast cum in præsens res non ferret ejus Regis offensam contrahi, demum consensit, eidem Majestatis titulum tribui. Vicissim Gallus, si non *Serenitatis*, aut *Celsitudinis Electoralis*, saltem *Fratris* titulum redderet; ac de cætero ipsius Legatos eodem modo haberet, uti alios, qui proxime Reges sequuntur.

Legatus eo nomine in Galliam mittitur. §. 22. Ei controversiæ componendæ, ne studia tanti Regis in se refrigeraret, Elector Fabianum Donam in Galliam mittere decrevit; cui & injunctum, Regi negotia ipsius apud tractatus Westphalicos commendare, ac faciem aulæ Gallicæ explorare. Is cum ex itinere Legatos Gallicos Monasterii salutaret, Monguevillius & Avauxius monebant, ne, ut tali casu solet, duplices literas fiduciarias diversis cum titulis exhiberet, sed nulla exceptione Regem Majestatis titulo honoraret, expectans, quid tituli vicissim Rex Electori ultro reddere velit. Nam in Gallia haut solitum cerimonias cauponari. Ac fortasse Electorem brevi in ejusmodi statum reponendum, ut Fratris, aut Avunculi vocabulum denegandum haut sit. Regiæ Dignitatis vocabulum non sine offensa utique repudiatum iri. Id consilium Elector secutus Donæ, ut citra exceptionem, aut stipulationem Regi Majestatis vocabulum tribueret, injungebat. Is postquam itinere per Batavos capto, Electoris causam Arausionensium Principi contra Neoburgicum Ducem commendasset, sequenti anno Lutetiam delatus insigni honore exceptus fuit. Regem tunc tenera ætate alloquenti Mater respondit. 1646. Mart. Persvasum Gallis fuerat, istum ob matrimonium aliquod venire; ac ex eo sciscitabantur, num gratum ipsi sit futurum tale quid proponi. Is negabat, super eo negotio sibi quid mandatum: Sed si quæ proponantur, ad Electorem relaturum. Mazarinus multis verbis exponebat, quanti Elector in aula Gallica fiat ob dotes animi, corporisque plane insignes, ac laude dignum regimen. Circa Pomeraniam cum Dona moneret, ut in ea causa Electori Rex faveat, ne Sveci cum ipsius detrimento in Germania opes comparent, Gallorum autoritati detractaturas, utque eorundem progressus sistantur, Mazarinus laxioribus verbis; a Gallia Electoris commodis quantum detur velificandum; nec gratum fore a Svecis Pomeraniam ipsi subtrahi. Ac in eam rem mandata Legatis Monasterium mittenda. Idem, cum Dona Electoris causam adversus Neoburgicum commendaret, velut Galliæ inutilem, & Hispanis plane addictum, qui & præcipuas ipsius munitiones insideant, respondebat; Neoburgici in Gallia nullam rationem haberi, qui & nil aliud agat, quam ut literis scribendis alios obtundat. Ac jactabat Briennius; ad Electoris placitum decem militum millia in promtu fore, queis Hispani Juliaco, Cæsarei Dusseldorpo ejiciantur. Ad quæ Dona: Spem adhuc superesse Electori amicæ compositionis, nec ad extrema temere ruendum; ac optare istum, ut Gallia operam suam sopiendæ controversiæ accommodare velit. Circa quam liberaliter promissum. Sed cum Dona instaret, si res ad manus deducatur, quid Electori a Gallia expectandum sit; Mazarinus laxius respondebat; a Neoburgico Gallicam interpositionem vix repudiatum iri. Circa titulos Mazarino sciscitanti, quid inter Regem Poloniæ, & Electorem usu receptum, cum Dona responderet: Regi *Majestatem* dari, ab eo *Serenitatem* Electori reddi, iste reponebat: non sperare se tale quid a Galliæ Rege postulatum iri: haut eo minus tamen, quantum fieri possit, Electorem eximio honore ab aliis distinguendum. Sed multo importunius repugnabat Briennius, qui multa incongrua miscendo magnam circa exterorum res inscitiam apricabatur. Præcipuus color erat, quod per minorem Regis ætatem circa talia novare nihil liceat. Ad extremum tamen proponebat: Si Elector Regi lingua Gallica scribere velit, uti Albertus Archidux antea fecerit, titulo *Fratris* ipsum honorandum. Albertus autem initio epistolæ *Domine*, (Monseigneur) scripserat, & in fine, *vester humilimus & obsequentissimus frater, ac servitor vestræ Majestatis.* (Tres humble & tres obeissant Frere & Serviteur de V. M.) frustra regerente Dona: *Serenissimi ac Potentissimi Regis* vocabulum potius esse, quam *Domine*: nec in Germania moris esse aliter, quam lingua Teutonica, & Latina scribi. Ita cum per tres amplius menses iste detentus fuisset, infecta circa titulum re discessit, Mazarino causante, defuisse, qui in consilio secreto super eo nego-

1645. tio monuerit; de cætero amplissima quæque pollicitus, ac Legatorum Monasterii operam Electori semper præsto fore.

Disceptatio super præcedentia cum Veneto.

§. 23. Operosior adhuc erat disceptatio cum Legato Veneto, quem honoratiori præ Electoralibus loco inhiantem hi nullo modo ferendum censebant. Jactabat is antiquitatem, opes, ac libertatem suæ Reipublicæ nemini obnoxiæ, quæ quondam Cypri regnum, nunc Cretæ possideat. In aulis Regum regio se honore mactari solere, ac anno 1636. a Cæsare decretum obtinuisse, quo præ Electoribus locus sibi adjudicetur. Electorales contra: *antiquitatem in se nil dare, quod jure non competat: ac Electorale fastigium a multis retro seculis floruisse. Equidem Electorum suffragiis ad supremam dignitatem provehi Cæsarem, Imperii Germanici caput; id tamen fieri certa conventione interposita, per quam Cæsari præcipua summi imperii jura nisi consentientibus ipsis, exercere non liceat, sic ut iidem nullo modo cum aliorum Regnorum proceribus comparari debeant. Eorum numero comprehendi quoque Regem Bohemiæ, ut jure suo Collegium Electorale Regium in Germania collegium nuncupari queat. Unde & veterum Electorum quosdam Regibus sese æmulos gessisse; ac quorundam ditiones amplitudine Regnis non concedere, quæ ad supremorum instar Principum regant, cum exteris fœdera feriant, bella gerant, pacem, induciasque ineant. Cyprum dudum amissam, quam & cum adhuc possiderent, non per Proregem gubernarint, sed in provinciæ formam redegerint. At Sabaudum tam de ista insula, quam potiore dignitate litem movere. Cretam quoque characterem regni olim perdidisse. Duci Venetorum non coronam Regiam, sed mitram Ducalem imponi, cui neque dignitas, neque potestas, aut administratio regia concedatur. At licet demum impetraverint, ut ipsorum Legati in Conciliis, in sacello Pontificis scamno Legatorum regiorum consederint,* *Nolla Sala Reale.* *ac Romæ in conclavi regio audiantur, cum ante in Ducali auditi forent, ac in Gallia pari cum regiis honore afficiantur: ideo tamen prærogativam præ Electoribus hautquidquam obtinuisse. Nam Electoralibus eodem scamno considendi, paremque cum regiis honorem recipiendi jus esse, in cujus & antiquissima possessione sint, non demum nudiustertius jure per clancularium decretum quæsito, inscii s Electoribus, nulla prævia causæ cognitione; cui statim, ubi de eo resciverint, Electores contradixerint, jusque suum sibi reservarint; idemque decretum, quo Electoribus illustri admodum ratione satisfieret, proxima Capitulatione Cæsarea abolitum fuisse. Sane potuisse a Cæsare Remp. Venetam honoribus efferri, sed non in fraudem Electorum; quorum fastigium surgat, prout ipsorum Venetorum dignatio gliscat, præ quibus isti priorem semper locum obtinuerint. Et Romæ, & in aula Cæsarea Electorales Legatos sedem capere rubro pulvinari holoserico instratam, unoque gradu elatiorem, cum Venetus scamnum plano in pavimento insideat. Cerimoniale Romanum ita pronuntiare:* Principes Electores Romani Imperii digniores habentur aliis Principibus præter Reges. *At pluribus exemplis demonstrari posse, Electorales Legatos Venetis semper antehabitos; & hos vel ultro cessisse, vel post longam disceptationem cedere coactos. Anno 1490 cum in Sacello Pontificis Romæ Legatus Venetus ex improviso Moguntini Electoris Legato litem super digniore loco exemplo antea inaudito movere ausus esset, Pontificem protinus pro Moguntino sententiam tulisse,* *1645.* *eumque proxime post Cæsareum, & Lusitanum Legatum ante Venetum considere jussisse. Quem locum, quamdiu adfuit in aula, & urbe eidem assignavit, ac in eam rem instrumentum ipsi tradi curavit. In pompa funebri* *7. Dec. 1493.* *Friderici Tertii Imperatoris Viennæ Electorales Legatos proxime Maximilianum Romanorum Regem secutos: inde Gallicos, Hungaricos, & Bohemicos, dehinc Austriacos, Bavaricosque ac demum Venetum incessisse. Pari* *1519.* *modo in funere Maximiliani I. Viennæ Venetum non Electoralibus tantum, sed & Austriacis, ac Bavaricis postpositum. In Concilio Tridentino Electorales, & inter eos Brandenburgicum Christophorum Strassium juxta* Von der Strassen. *Pontificis, & Galliæ Regis Legatos collocatum. Ac licet Veneta Legatio tunc Bavarico super digniore loco litem moveret, ac demum pervinceret, ut hic interposita protestatione e consessu discederet: ab Electoralibus tamen tandem tale quid postulare non ausam, sed his solitum locum citra controversiam reliquisse. In nuptiis Ferdinandi II. Gracii Venetus altiorem honoris gradum cum deposceret, orta disceptatione actum copulationis ad duas horas extractum, ubi Cæsarem, adstipulantibus omnibus Principibus, & Legatis, qui frequentes aderant, pro Legato Palatino pronuntiasse, cui Venetus loco cedere necessum habuerit. Anno 1636 cum Episcopus Osnabrugensis Ratisponæ consecraretur, Comitem Schwartzenbergium, Legatum Brandenburgicum præ Veneto locum tenuisse. Et quanquam Cæsar in sacello Aulico Venetis, & Florentinis proximum a Nuntio locum assignarit; Electores tamen de ea re questos esse, ac postulasse, ut suis Legatis, ubi adfuerint, debitus locus tribuatur. Venetum quoque heic Monasterii in processionibus subinde priorem locum affectasse, ac regiis se adjunxisse, quod semper Electoralibus, quamdiu adfuerint, improbatum sit. Sic cum nuper Osnabrugensis processioni in festo Paschatis habitu sacro interfuisset, istaque finita hunc in templo deposuisset; ac Venetus interim ad latus Galli consedisset; ne Electoralibus præjudicium fieret, templo eundem excessisse, ac per Nobilem Nuntio, & Veneto significasse, se processione fatigatum devotioni suæ domi vacaturum.*

Collisio e nomine declinatur.

§. 24. Videbatur porro ea controversia in nervum eruptura, si, uti captum fuerat, adventantibus Legatis, qui jam aderant, currus obviam mittere pergerent. Sane cum Josephus Bergaignius Archiepiscopus Cameracensis ab Hispano Legatus Monasterium introiturus esset, *13. Jun. Bergiague.* Venetus jactabat, se protinus hinc discessurum, si quid ingrati sibi accidat. Id quod cum alii, tum Cæsarei declinare cupiebant, differentes; haut indecorum fore ipsi velut sequestri plusculum honoris indulgeri; quem favorem multo auro apud Cæsarem a Venetis emtum Sveci arguebant. Sed nec omissa pompa incognitus urbem introire Hispanus volebat, quod temperamentum propositum fuerat. Hoc igitur super negotio Cæsarei Electoralibus congressi referebant, sese per Nuntium Veneto proposuisse, ut ipse vel Nuntii rhedæ insidere, vel uterque domi manere velit. Illum utrumque rejecisse, ac omne temperamentum adspernari, decreto Cæsaris, ac possessione nixum, quæ si ulla ratione turbetur, extemplo hinc abiturum. Igitur duo adhuc temperamenta superesse, ut vel deinceps nemo adventantibus obviam vehatur, quam qui eidem principi subsit, aut ut in recipiendis Legatis Electorales juxta, ac Veneti domi maneant. Sed & ista Venetum repudiasse. Nam Reipublicæ haut proba-

1645. probatum iri, si ipse in Nuntii rheda considens Cæsareos, & Regios præcedat. Legatum quoque Hispanicum ægre laturum, si non eodem honore, quo alii, fruatur. Ac suspicari Nuntium, a Gallis Venetum obfirmari, quo occasio sit conventum abrumpendi, cum isti solum Nuntium sequestrem admittere nolint. De cætero Cæsari cordi esse, ut Electorali Collegio sua dignitas, & eminentia salva constet; ac se non repugnare, quo minus Venetus in Nuntii rheda considat, modo idem Nuntio, Venetoque ipsi placeat. Venetum occasione salvorum conductuum sequestris munus invasisse, quod Nuntius circa eosdem in Gallia impetrandis operam navare noluerit, quam Venetus tunc Lutetiæ agens ultro obtulerit: eo initio circa alia quoque adhibitum. Igitur ut quæ ratio heic ineunda sit, ex Electoralibus nosse cupere. Ast hi consultatione habita consensu decernebant; *Venetis non esse cedendum, quorum neque jus ad præcedentiam, quam sibi arrogant, nec possessionem agnoscant. Ac eo minus nunc remitti posse, quod Venetus ad decretum Cæsareum provocet. Quin hoc exemplo Genuates idem postulaturos velut regni Corsici possessores, qui & paucos ante annos coronam auream inter insignia reipublicæ confici curarint. Nec Belgas paria postulare omissuros. Si Venetus hinc discedat, modicum id damnum fore. Nam falli si credat, in præsens opera ipsius careri non posse, ac ita postulata sua velut vi perviciurum. Venetos jam olim eadem quæ nunc Regna possedisse; igitur mirum, unde nova nunc eminentia iis subnata sit. Eosdem Cardinalibus cedere, queis unicum dignitatis fundamentum, quod caput Ecclesiæ Romanæ eligant, cum de cætero Electoribus nullo modo comparandi sint. Nam neque opes istis supra privatam sortem; & ditionibus destitutos inter Principes censeri non posse, evilescente quoque dignitate inter tam multos diffusa. Equidem optimum fore, si Cameracensis ingressum usque ad Pegneranda adventum differat, aut tantisper citra pompam urbem introëat: interim ab Electoribus mandata petenda.* Sed Cæsarei censebant, satius fore, si utrique domi maneant. Etsi Venetus ægre aures sit præbiturus, quod ipsa temperamenti propositione ei contradicatur, & contumelia inferatur; ac Senatum jussisse, ita aliis operam navaret, ne patriæ juribus quid derogaret. Brandenburgicis autem eo minus, ut Veneto cederent, causarum erat, quod ex istius opera nil sibi favoris expectarent. Sed illa collisio tunc vitata fuit Hispano citra pompam urbem ingresso. Ele-

9. Jun. ctoris mens ea super lite hæc erat: Supremum, quo Veneti sua in ditione gaudent, imperium, aliis extra idem positis præjudicio non esse. Domum Austriacam regni non unius dominam Electoribus super honoratiore loco litem non movere. In collegio suo Regem esse, ad cujus latus reliqui sedeant; a quo ut divellantur ferre non possint. Priscis temporibus multos potentes Reges in Germania imperasse, in Bavaria, Saxonia, Wandalia, qui suo tempore Venetis concessuri haut fuerant, quorum terras Electores jam maximam partem possideant. Optimum tamen temperamentum fore, ut receptionibus abstineatur, ac apud adventantes excusatio fiat non dissimulata absentiæ caussa, ut contradictio eo sit conspectior. Post tamen Nuntius, ut ea controversia declinaretur, eam rationem commentus est, ut adventantes non nisi per collegas suos reciperentur; cæteri omnes abessent.

Ita Duci Longuevillano sui tantum Galli obviam prodiere tanto cupidius, quod non admixtis aliis suam pompam eo splendidiorem fore judicabant. 1645. Is ingressus Electoralibus Legatis Excellentiæ titulum offerebat, si Celsitudinis ipse vocabulo honoraretur. Pegneranda post pari modo urbem introiit, deducentibus suis Hispanis; qui initio Electoralibus Excellentiam abnuebat; quem contra Elector nisi dato hoc titulo a suis visitari nolebat. Mox tamen cum iste a suo Rege juberetur Electorales eo titulo honorare, visitationes utrinque peractæ sunt.

§. 25. Pertinacior adhuc lis erat, quæ inter Electorales, & Principales Legatos super Excellentiæ titulo surgebat. Originem isti dederant Bavarici, & Colonienses, qui negabant, Principales sese ad visitationem admissuros, ni cautum sit, istos saltem primariis ipsorum Excellentiæ titulum tributuros. Contra Brandenburgici disserebant: *Controversia inter Electorales & Principales super titulo Excellentiæ.* *Eum titulum Electoralibus in Comitiis, aliisque conventibus nunquam datum, ac rem novam esse, quam sibi obtrudi Principes haut passuri sint, Luneburgicis jam acerrime repugnantibus. Si ista expresse postulantibus abnuantur, contumeliam eo conspectiorem fore. Si eam ob causam ad visitationes non admittantur, novas divisiones generari. Et jam antea Principes queri, Electores fastigium suum justo altius tollere, non sine depressione Principum: eoque curatius heic præjudicium evitare velle. Ac forte querimoniarum congeriem adversus Electorales ab istis prolatum iri, novam molestiarum materiam. Igitur satius fuisse, inane hoc litigium hautquidquam motum, & in cujusque arbitrio relictum, quo titulo Electorales salutare velit; nec dubium, quin sua cuique humanitas quod deceat, suggestura fuerit. Cæterum sibi injunctum eundem honorem exigere, quem alii Electorales accipiant; atque ita istorum esse, eam controversiam ad liquidum deducere.* Ac sane adparebat, Catholicos Electorales hanc litem sevisse, ut inter Electorales Evangelicos, & Principales conjunctio impediretur, ne vel communem causam unitis consiliis agere, vel tractatibus incassum solutis fœdere Svecis junctim sociari possent. Ac quanquam molestum esset agendi tempora ejusmodi inanibus consumere; haut tamen facile habebatur de isto titulo remittere ob Venetum, quem eodem honorare Principales non dubitabant. Cæsarem quoque esse fontem omnium in Imperio dignitatum, cujus placito reliqui Ordines teneantur adquiescere; qui cum per Legatos suos Electorales hoc titulo mactaverit, quos Regii, & Venetus secuti sint; quo colore Principales eundem denegent? Ac metum esse, ne & exteri horum exemplo eum titulum retractent; id quod non possit non eminentiæ Imperii fraudi cedere. Circa isthoc litigium Elector judicabat; *id intempestive admodum fuisse excitatum, quo tempore Ordinum concordia quam maxime opus sit; cum revera iste titulus inter Ordinum Legatos novus sit. Mota tamen semel controversia vix remitti quid salva dignitate posse. Ac mirum videri, Principes ipsis eum honorem negatum ire, quem extranei exhibeant; quod in eo ipse dignitatem magis, & autoritatem Imperii quam propriam respiciat, ac sibi in præsens nihil accrescat, quod non ab omni retro memoria Electoribus debitum fuerit.* Nolebat tamen, suos ea super re cum Principalibus acriter contendere, sed satis habere, ut non minore honore, quam alio-

 rum

1645. rum Electorum Legati ab istis habeantur. Porro circa eam litem Cæsarei ferebant; non aliud sibi in mandatis datum, quam ut primariis duntaxat Legatis titulum Excellentiæ impertirent, non secundariis, nisi eminentiore nobilitatis gradu fulgerent. Cum contra Elector judicaret, non conditionem ejus, qui mittatur, sed dignitatem mittentis respiciendam; ac simplici utique nobili, ubi sacro se Ordini addicat, ad ipsum Electorale fastigium viam patere. Sed in eo Cæsareorum sententiam sequi Moguntini malebant; unde & Bræmserus, antiquissima licet familia ortus, ut eo titulo frui posset, Baronis dignationem apud Cæsarem impetraverat. *Contra nostri censebant; se non aliter æstimari posse, quam pro ea dignatione, in qua ab Electore suo constituti sint, quod pari agendi facultate & juncti, & singuli gaudeant, ac non minus præsente quam absente Witgensteinio Comite Electoris vices sustineant.* Idque Comiti Nassovio denuntiabant, addito, sibi non tam Cæsaris rescriptum, quam Electoris dispositionem sequendam.

Bræmser.

4. Jul. Electorales porro congressu habito decernebant, eo titulo haut cedi posse. Ac a Cæsareis petendum, ut Principales ad eum titulum tribuendum permoveant; alias communicatione cum his abstinendum, nec eorundem visitationes admittendas. Quo tamen parum proficiebatur, Luneburgicis præcipue acriter resistentibus, qui & alios obfirmatum ibant. Et Meclenburgicus in mandatis habebat, eum titulum non dare, si vel maxime alii id faciant. Etsi isti postea differerent; paratos se eo titulo Moguntinum, & Brandenburgicum honestare, non item Bavarum ejus dignationis recentem, & qui plura ejusmodi novarit. Sed & Oxenstierna Principibus hoc in negotio favebat, cum tamen idem Sabaudo eum titulum tribuisset, qui utique inter Imperii Principes censetur; mirante Electore, quare Sveci circa istud ipsi adversarentur, cum tamen eorum Regina nulli Domui propius conjuncta sit, quam Brandenburgicæ. Sane non ambitione se agitari, sed vetustissimum jus contra Venetos utique sibi tuendum. Et quid lucri, aut damni a Venetis vel Sveci vel Principes expectent, ut Venetis præ Electoribus favere velint? Etsi maluerat Elector, id litigium amica transactione compositum, nec ad Cæsareos relatum fuisse, queis e distractione Ordinum emolumentum suum quærere artificium sit. Sed & licet Cæsarei Legati Electorales Excellentiæ titulo dignarentur, Austriaci tamen idem abnuebant. Unde & horum visitationem non admittere Electorales decreverunt. Et quia Venetus Legatus Austriacis cedebat, decreto autem Cæsaris Veneto præcedentia præ Electoribus assignabatur; non obscurum erat id quæri, ut & Austriaci digniorem præ Electoribus locum affectarent.

Super modo tractandi disceptationes.

§. 26. Porro uti Cæsarei, dum præviam conventionem adornant, acerrime obluctati fuerant, ne Ordinibus ad tractatus, præsertim cum jure suffragii, accedere liceret: ita cum regiorum constantia, & belli adversa in hoc consentire subegissent, haut eo secius omnes artes adhibebantur, ut fructum ejus rei eluderent, simul Ordines inter se distractos regiis avellerent, ipsos denique regios inter se committerent. Quibus destinatis ne poti-
21. Maji. rentur, nostri omnibus viribus renitebantur. Cum enim Lampadius Luneburgicus, & Argentoratensis Cæsareis significassent, sese hoc conventu super negotio pacis jus sententiæ dicendæ exercituros, hi ea de re ad Electorales referebant. Ubi Bavarici, succinentibus Coloniensibus, contendebant; id postulatum repugnare decreto Imperii anno 1641. condito. *Deputationem* quoque Francofurtanam Monasterium translatam. Ac licere sane Ordinibus huc accedere, ac desideria sua apud Cæsareos, & Electorales proponere; circa quæ ut ipsis satisfiat opera danda sit, ne jus suffragii desiderare possint. His & Moguntinus adstipulabatur. Nostri contra; *Principum & Civitatum Legatos cum jure suffragii utique ad tractatum admittendos. Id Electorem Cæsari serio suasisse, sibique ut idem heic loci urgeant injunxisse. Esse hæc de pace colloquia omnibus communia; omnium heic rationes verti; unde omnia communi consilio suscipi, ac peragi par esse. Bellum non solius Cæsaris, & Electorum, sed totius Imperii nomine gestum. Ordines non minus onera hujus belli, quam Cæsarem, & Electores sensisse, nec istorum pecuniis parcitum fuisse. Eosdem quoque teneri, ut deliberent & promoveant, quæ ad salutem Imperii spectant. Ad commune incendium restinguendum quoslibet cives adcurrere par esse, præsertim si & propriæ ædes ardeant. Nec minus eosdem iis adstringendos, quæ heic concludenda sint. Forte & quæ Reges sibi in satisfactionem deposcent, ad ipsos spectatura. Salva Capitulatione nec bellum in Imperio suscipiendum, nisi cum consensu non solum Electorum, sed & Ordinum, nec alio modo pacem ineundam. Ex actis publicis constare, etiam ad multo minoris momenti negotia universorum Ordinum consilium & consensum fuisse requisitum. Ac Electoribus, ubi cæteros excludere pertendant, gravem eo nomine rationem aliquando reddendam. Diffidentiam inter caput & membra non parum auctum iri, ubi his suspicio injiciatur, suffragii jus in dubium vocari, uti Civitatibus jam ex parte factum sit; & eo exemplo jus Electorum quoque solicitati posse. Quin Ordines dubitaturos, num Cæsari pax cordi sit, ac Regibus sese arctius innexuros, ut cupita sua ingratiis Cæsaris pervincant. Ac fixum istis juri suo insistere; quod ubi negetur, novam motuum materiam præberi. Regios quoque absque Ordinibus ad tractationem accedere nolle: inde tam solicitam invitationem fecisse; ac vi demum destinatis potituros non sine ignominia Cæsaris, temporisque, ac sumtuum jactura. Interim mutata belli fortuna negotiis longe plus difficultatis injici posse. Neque vero admissione Ordinum Cæsareæ dignitati magis quid decedere, quam ejusdem potestati legislatoriæ quid detrahitur, quod constitutiones de consensu Electorum, & Ordinum ipsi condendæ sint. Nec minus quæ Electoribus debetur eminentiam observari posse, quæ maxime exsplendescat, aliis quoque Ordinibus admissis. Decreto Ratisponensi, & translatione Deputationis jus suum Ordinibus adimi non potuisse. Nec ideo iisdem jus suffragii decedere, quia a Cæsare evocati huc non sint. Potius ideo debuisse evocari, quia jure suffragii gaudeant. Et longe satius fuisse, eam gratiam a Cæsare occupatam, nec Regibus id beneficium Ordines debere, non sine istius præjudicio. Nec caussam adparere, quare Cæsar, aut Electorales tam arduum onus reddendæ rationis in se suscipere velint; cum tractatibus re infecta abruptis culpa ipsis attribuenda sit, quod vel æquas conditiones non admiserint, vel negotium sinistro modo egerint. Quin sumtus belli deinceps negaturos; nec legibus pacis adquieturos, velut in qua sui ratio satis habita non sit,*

uti

1645. *uti circa Pragensem pacem factum.* Ad has rationes Cæsarei quod reponerent nihil aliud habebant, quam sibi a mandatis discedere integrum non esse, rem tamen ad Cæsarem relaturos. Eadem Moguntini dicebant. Elector autem censebat; *si vel maxime scopo suo non potiatur, sufficere tamen sibi apud Ordines eam a se suspicionem removisse, quasi in exclusionem istorum & ipse consenserit. De cætero Ordines pro sua causa niterentur, ne invidia in se solum redundet.*

De decreto Lengrichæ facto. 30. Jun. Lengrich. §. 27. Eundem in finem Cæsarei Lengrichæ congressum cum Electoralibus instituerant, in quo Moguntini, Colonienses, & Bavarici acriter contendebant, ut sola Deputatio Francofurto Monasterium translata tractatibus interesset, non admotis Ordinibus, quos ea Deputatio non contineret; sic ut Bavarici demum jactarent; si & reliqui Ordines admittantur extra Deputationem constituti, eum conventum *monstrum Comitiorum* nuncupandum. Nostri contra strenue reniti, ac multis demonstrare; *neque translatam Monasterium Deputationem circa tractatus pacis consistere, nec qui extra eam sint Ordines excludi posse; sed omnes Ordines nullo discrimine ad consultationes cum jure sententiæ dicendæ admittendos: idque cum legibus Imperii conveniat, monstrum Comitiorum vocari non posse. Id potius hoc vocabulo notandum, si Deputati absque universorum Ordinum consensu & mandato de omnibus promiscue negotiis haut commissis, ipsaque pace exclusis cæteris consultare aggrediantur. Eum Deputatorum conventum Ratisponæ ad promovendam justitiam constitutum eoque nullo effectu consultationes super pace suscepturum; ac quod idem Francofurti hoc negotium involare ausus sit, id decreto Imperii anno 1641 condito adversa fronte repugnare. Sane Deputatorum potestatem nunquam ad omnia se negotia extendisse; sed ubi inter Comitia super constituenda Deputatione decretum fuit, causas semper distincte expressas. Nec penes Deputatos fuisse suam sibi potestatem absque universorum Ordinum consensu prorogare, ac eo fine translationem sui ad congressum Monasteriensem decernere, in fraudem præsertim cæterorum, quos exclusum eant. Recessu proximo anni 1641 diserte cautum, ut Electores, & Principes ad tractatus pacis Legatos mittant. Frustra occini, novum id genus Comitiorum fore. Nam & ante seculum Conventus Deputatorum haut in usu fuisse, quoad illos introduci placuit, quod peculiares id causa, ob quas universos fatigare tanti non visum, id requirebant. Ac id demum novum genus Comitiorum fore, si Deputati tum alia, tum pacem spectantia negotia sibi nullo mandante vindicent. Neque compertum, Imperium omnibus ad consultationes admissis detrimenti quid cepisse; quin potius consiliorum copia res bene succedere. Et quia omnia ad salutem reipublicæ referenda sunt, ad quam nihil interest, hoc an illo modo consultationes instituantur, sane nil repugnare, conventuum indolem, ac consultandi modum alterari, salvo reip. statu, & incolumi cujusque suffragio. Sic Auream Bullam jubere, ut Francofurti fiat electio. Nec tamen si ea alibi graves ob causas suscipiatur, ideo electionem nullam fore. Parem rationem esse, quod eadem lex Noribergæ primam diætam haberi vult. Denique si ideo extra Deputationem positi ad consultationes admittendi non sunt, quia id legibus Imperii repugnet; nosse cupere, quare & tunc leges Imperii ita scrupulose observata non fuerint, quando absque consensu Ordinum bellum susceptum, ac præter necessitatem extractum, Ordines inviti transitu, hospitiis, tributis onerati, & alia patrata sunt, quæ non in usum Imperii, sed exitium cesserant?* Adversus hasce rationes cum reliqui nihil adferre possent, demum tuenda Deputatione desistebant, ac decernebant; rogandum Cæsarem, ut omnes & singulos Ordines ad consultationes circa negotia pacis, sententiasque dicendas admittere velit, denuo denuntiato, ut suos huc mittant, nullo certo tempore præfixo, addita tamen comminatione, haut eo minus heic conclusa vim pragmaticæ sanctionis habitura, qua & ipsi stringendi sint, nulla in contrarium admissa exceptione. Quoad tamen isti advenerint, Monasterii consultationes inter Ordines institui posse; & ut Senatus ibi frequentior sit, quosdam Ordinum Osnabruga huc evocandos, Moguntinis, & Brandenburgicis cum binis e Principum & Civitatum numero apud Svecos persistentibus. Enimvero huic instituto Sveci acerrime reclamabant, postulantes, ut per tria Collegia pari utrinque Ordinum numero consultaretur non sine minis, ubi minoris quam Galli æstimentur, Torstensonium in Moravia separatim cum Cæsare pacem conclusurum. Sed & Elector haut credebat Ordines in id decretum consensuros: nec Svecorum rationes improbari posse, qui & causas suspicandi habeant. Nam introductum semel modum tractandi haut temere mutandum; ac Protestantibus magno id præjudicio fore, si sequestres, & multitudo Catholicorum spectentur. Hos enim ideo tractatus in unum locum contrahere conari, ut Ordines reliquos sibi habeant obnoxios. Quo fine & efficiant, ut plurimi Ordinum tenuium, quibus alias neque facultas erat, nec voluntas ad tractatus accedendi, sua suffragia aliis delegaturi sint, quo Evangelicos numero obruere possint. Et hac via quin a Catholicis æmulatio, & separatio fœderatorum regnorum, belloque sacro ansa quæratur, illis demum dubium esse posse, qui præterita ignorant, aut memoriam exuerunt eorum, quæ nuper Francofurti palam jactata sunt. Denique decreto a solis Electoralibus condito reliquos Ordines adstringi non posse. Interim dolendum esse, ejusmodi litibus tempus incassum teri, nec ad rem accedi. Nec satis sibi Cæsareos consulere, dum capitalem hostium cladem captant; quod alea belli æque hosti, atque ipsis favere possit. Enimvero id decretum inane erat, quod Principales contenderent, utrinque per trina Collegia, uti in Comitiis solet, consultationes instituendas. Arguebant mox nostros reliqui Electorales apud Venetum, quod repudiata Collegarum sententia Principalibus accessissent, cum ipsi negotium ad paucos revocare maluissent, exclusis reliquis Ordinibus. Sed nostri reponebant; modum consultandi per tria collegia usu receptum, ac præliminari pacto, decretoque Ratisponensi congruere; ac moræ culpam penes Colonienses, & Bavaricos esse, qui istum admittere abnuerint. Ad extremum tamen & hi una cum Moguntinis hactenus consentiebant, ut consultationes per tria collegia haberentur, non tamen, quod nostri volebant, ut Collegia inter se divisa in utroque loco essent; ita ut si ab uno Principe duo Legati adsint, unus Osnabrugæ, alter Monasterii ageret; si unus duntaxat sit, is utro vellet loco maneret, in altero loco per delegatum suffragium ferret. Ast illi integra collegia in utroque loco agere volebant. Cum autem hac ratione in uno loco duo, in altero 1645.

unum

1645. unum duntaxat esse posset, dissensio inter Regios inde proventura erat; quod potior haberetur, cui duo collegia adessent. Id quod ab istis quæri manifestum erat.

Aliæ Catholicorum artes.

§. 28. Nec minus Cæsar ut Ordines Regiis avelleret, ac gravamina hisce tractatibus amoveret, de Comitiis indicendis agitabat; quod metueret, ne heic Catholici sese Gallis, Evangelici Svecis arctius innecterent. Ab istis tamen Bavarus abhorrebat, quod heic favore Gallorum cupitis facilius sese potiturum speraret. Sed Moguntinus in eadem proclivis erat; Trevirensi necessitas adferri poterat. De Saxonis mente non constabat. Ast reliqui Ordines præsertim Evangelici eadem maxime aversabantur, cum non obscurum esset, quo ista spectarent. Nec minus nostri acerrime reluctabantur. Id nimirum agi, ut Ordines sumtibus exhauriantur, tædioque morarum curam reipublicæ abjiciant. Inania fore, quæ in Comitiis decernantur, cum Regii teneri iis nolint, legesque sibi obtrudi adspernentur. Sed & id agitabant Cæsarei, & Catholici, ut Ordines in locum tertium, Tremoniam, aut Paderbornam pertraherent, ibique tamdiu eos detinerent, quoad in modum consultandi sibi placitum consenserint. Ubi & jactabant se super gravaminibus ex æquo transacturos, ut exterorum opera opus haut sit futurum. Sed omnes istæ machinationes dissipabantur nostris præcipue renitentibus, qui Evangelicis inculcabant; *aut nunc, aut nunquam; & ultimum hunc esse ipsorum conatum, quo nisi faventibus Svecorum armis res suas probe stabilierint, tantam sanguinis opumque profusionem incassum una cum spe periisse. Sed, nunc fortes sententias dicendas, ut causa belli heic funditus exscindantur, ac libertas demum, dignitasque Ordinum firmetur, cui & privatorum salus innexa sit.* Satis ostendebant istæ artes, quam ægre ad æquas pacis rationes Catholici descensuri essent, qui & mira inconstantia fluctuabant, prout nuntii de successibus armorum referebant; uti adversis abjecti, ita secundis insolentes, & placita retractare, aut alterare callidi. Sane cum sub id tempus Rex Poloniæ circa insulam Oesaliam, quam Dani pace facta Svecis cesserant, turbas movere nuntiaretur, spe mittendi auxilii Danico Gubernatori facta; Cæsarei magna jam spirare, si ad manus ibi res perveniret; nec paulo dexterius sese ista occasione, quam Danico nuper bello, usuros. Denique & quod Catholici Monasterii primo loco de satisfactione agi cupiebant, id Electori valde suspectum erat, quod istis spes foret, hoc negotio absoluto reliqua a Regiis frigide tractanda. Sed Elector judicabat, longe solidius super exterorum satisfactione agi posse, postquam prius dissidii hactenus, & diffidentiæ inter Ordines materia sublata fuerit.

Dortmund. (margin)

De religione Reformata paci sacræ disertis verbis includenda.

§. 29. Ita amotis tricis ad rem ipsam accedebatur; de qua cum alio opere plenius a nobis traditum sit, jam dicta repetere supervacuum fuerit. Igitur ista exsequi suffecerit, quæ Electorem peculiariter spectant, aut in quibus ipse insigni operæ pretium fecit. Inter quæ non e postremis erat, quod is securitati sacrorum Reformatorum hac pace caveri vellet, idque verbis simplicibus & laxioribus, nil exceptionis, aut insidiarum habentibus, & quæ cavillationibus, vanisque disputationibus obnoxia haut essent. Quo modo ut a Svecis super iis sacris paci religionis includendis in propositione sua poneretur, nostri, Cassellanique obtinuerunt. Contra Cæsarei in *Replica* alleverant verba aculeata, & contumeliæ plena; Reformatos paci sacræ includendos, *si velint, & quiete vivant.* Simul reliqui Protestantes, qui Lutherani vulgo vocantur, monitis super Svecica propositione non modo caveri sibi a Reformatis postulabant, ne in ditionibus suis circa sacra quid novarent, sed & quædam verba inseruerant, Reformatis non modico præjudicio cedentia. Pro vocabulo enim præsentis temporis *comprehenduntur*, quod Sveci posuerant, isti *comprehendentur* substituerant, velut Reformati antea pace sacra exclusi fuissent. Tum seipsos *invariatæ* Augustanæ Confessioni addictos nuncupabant, vocabulo Recessibus Imperii incognito, & quod nuper in Pragensem pacem irrepsit; quo ipso discrimen aliquod captari adparebat, cum tamen ex mente Electoris hautquicquam repugnaret, eundem Augustanæ Confessioni addictum, simulque Reformatum esse. Sed & sibi solis videbantur potestatem arrogare in consortium Augustanæ confessionis recipiendi, quos placeat, ac velut horum patroni tutelam iis & securitatem pollicebantur; ut tamen eosdem nollent exercere omnes actus, qui per leges Imperii Augustanæ Confessioni addictis conceduntur, in primis circa jus sacra in suis ditionibus reformandi. Suspectum quoque erat vocabulum *fruendi* velut usufructu duntaxat, non & dominio velut ac possessione ejus juris gavisuris. Denique ignominiæ plenum videbatur, a paribus literas reversales exigere; iisque tantum non leges præscribere. Sed & istorum plerique id spectabant, ut Reformati tolerari magis, quam pleno sacræ pacis jure gaudere viderentur. Quæ etsi nullo modo ferenda censerent Reformati, ac spes esset, se ingratiis Lutheranorum apud Cæsareos, & Regios quæ cupiebant pervicturos: tamen leniter agere placebat, ac tentare, num Lutheranos rationibus ad sibi cupita permovere possent. Unde nostri demonstrabant: *Intempestive admodum Evangelicos novam inter se litium telam ordiri, cum longe satius sit junctis animis rem gerere, ac communibus, queis sacrorum nomine premantur, incommodis mederi; cui rei Svecorum propositio ansam præbeat. Sane Pontificios nil magis optare, quam ut gliscentibus inter Protestantes dissidiis utrosque opprimere queant. Si unquam vigilandi tempus fuerit, id nunc esse. Ac ideo in Cæsarea declaratione tam jejunam & contumeliosam Reformatorum mentionem factam, velut quorum ingenia pacem ferre nequeant, ut ipsos inter se committant.* Simul Cassellanos monebant, ut quod periculum causæ communi immineat, Gallis demonstrent, si per Cæsareos divisio inter Protestantes hac via producatur. Et satis agnoscebant Lutherani, utrorumque interesse id dissidium componi, ne Catholicis ludibrium præbeant, adversus divisos facile invalituris. Unde monita sua ita mitigabant; *non aliam se cautionem Reformatos poscere, quam ut paci isthæc conditio addatur; Reformatos Principes Lutheranis petentibus exercitium suorum sacrorum concessuros, de cætero præsentem sacrorum statum relicturos: ac in futurum si Reformati novas ditiones adquirant, integrum quidem ipsis fore sua ibi sacra exercere, ut tamen & Lutheranorum* 1645.

sacra

1645. sacra in eo, quo ista invenirent, statu relinquerent. Super ista controversia Oxenstierna censebat; apud nullam religionem jus reformandi valere par esse; ac crudele admodum videri, ut Princeps ditione potitus a suis sacris diffidentes subjectos cogere velit ad credendum id, quod ipse credit, non per quod isti salutem sese obtenturos sperent. Ac sane Svecis suspectum videbatur, quod Reformati tanto fervore jus sacra novandi ingererent. Quibus Witgensteinius reponebat: Id jus ab initio sibi competiisse; sed id Catholicos potissimum respicere, ne magnam proventuum partem absorbeant; quod isti clero solitum, ubi sedes figere datum sit. Haut quidquam autem Electori in animo esse in ditionibus, quas jam possidet, aut deinceps nacturus est, circa sacra quid novare. Eundem in Marchia, in Borussia omnia in eo statu, quem invenerit, reliquisse. Ordinibus provincialibus ubique circa sacra sua cautum esse. Eundem ob religionem nemini plus aut minus favere, sed omnes cives pari affectu complecti. Ac id suspicionis a Catholicis promanasse quibus dissidia inter Evangelicos fovere artificium sit. Avauxius quoque disserebat: prospiciendum esse Galliæ, ne Reformatorum per Germaniam potentia nimium gliscat, Hugenottos Galliæ auxilio aliquando sublevatura. Qui & Cassellanis responderat: Landgraviam quidem circa sua sacra defensum iri; sed eam tutelam ad alios porrigi non posse.

Electoris super hac re sententia.

§. 30. Circa isthanc controversiam ea mens Electoris erat: Haut se sperare, aliis Evangelicis Ordinibus, quorum nihil interest, decretum esse ipsi circa regimen suarum ditionum leges præscribere, cum ipse rerum alienarum cura haut quidquam angatur. Eam sibi rerum divinarum notitiam, ut in conscientias suorum civium imperii nil arrogare sibi velit, sed id soli Deo relinquendum intelligat. Non ex opinionibus hominum, multo minus e diversis Evangelicorum libris ritualibus, sed prout quisque fidem suam fructibus pietatis probaverit, justum illum judicem die decretorio sententiam laturum. Cæterum teste Numine sibi constare, a se, ac majoribus suis nullius civis sui conscientiam turbatam, cultumve impeditum; ac in posterum se effecturum, ne cui justa querendi causa sit. Et utique cum Oxenstierna sentire, cum magna crudelitate conjunctum esse, si Princeps cives ad placita sua circa religionem vi cogere instituat. Unde & Lutheranos Ordines male facturos, si solis sibi facultatem ejusmodi sævitiam exercendi reservare velint. Quod enim crudele sit, si Reformati id faciant, non minus tale esse, si a Lutheranis fiat. Alias Augustanam se Confessionem profiteri, nec ullum esse articulum in ea decisum, qui inter Protestantes unquam in controversiam vocatus fuerit; sed super quæstionibus nonnullis extra istam positis hactenus disceptatum. Per octoginta quoque jam annos utriusque religionis Ordines Augustana formula consortes dictos, habitosque. Unde mirum videri, per quosdam Lutheranos Reformatis beneficium pacis sacræ abjudicari ob controversias inter utriusque partis Theologos agitatas, de quibus in Augustana Confessione ne apex quidem extet. Quod si autem illis extra eam Confessionem sentiendi libertas competat, eandem & sibi denegari non posse: ac cavendum ipsis, ne & iidem ab Augustana Confessione discessisse arguantur, id quod nobis jam exprobrent. Sane quid controversiarum super omnipræsentia corporis Christi inter Tubingenses, Marpurgenses, Saxonicos, & Brunsvicenses Theologos agitatum sit, nemini ignotum; quarum opinionum non nisi una vera esse queat. Quod si quis ideo, quia alteri opinioni adstipuletur, consortio Augustanæ Confessionis, pacisque sacræ excludendus fuerit, multorum Ordinum securitas vacillatura esset. Colloquio Marpurgi inter Lutherum, & Zwinglium habito super unico articulo, num verum corpus & verus sanguis Christi corporaliter in pane & vino sit, conveniri non potuisse: super reliquis transactionem initam paucos ante menses, quam Augustana Confessio exhiberetur; cujus articulo decimo, per ipsum Lutherum concepto, ejus controversiæ nulla mentio extet. Unde ad nihil amplius adstringi se posse, quam quod super ea re Confessio expresserit. Equidem haut inficiari, cum omnium Theologorum sententiis se non conspirare. Atqui nec ipsis inter se convenire; nec necessitatem quampiam ad amplectandas istorum opiniones nos adstringere. Quin ipsi Luthero manducationem, quæ fide fit, præcipuam partem hujus mysterii haberi, de qua vulgus magis solicitum esse, quam de Symbolorum in sensus incurrentium fruitione optandum sit. Nullo jure Reformatos Augustana Confessione excludi posse, quod corporalem præsentiam in pane, & oralem manducationem corporis Christi mente concipere, & credere nequeunt; cum illi ipsi, qui eam præsentiam, & manducationem docent, tam de modo præsentiæ quam manducationis inter se haut consentiant. Ac oralem illam manducationem opere extrinseco constare, ac piis juxta, improbisque communem esse; cujus articuli si tanta necessitas foret, male fecisse Lutherum, quod eundem Confessioni haut clarius inseruerit. Ac fortasse, si is articulus hoc modo expressus ibi fuisset, Philippum Landgravium Confessioni haut subscripturum fuisse. Sed & inane esse discrimen invariatæ & variatæ Augustanæ Confessionis, non nisi Ordinum distractioni inserviens. Nam in Colloquio Lipsiensi Theologos nostros, Hassicosque juxta atque Saxonicos professos, sese nil Augustanæ Confessioni adversum credere, aut docere, nec super ullo articulo, qui ibi definitus est, controversiam inter nos esse. Id quoque exemplar ejus Confessionis, quod Matthias Hoæus Pupillæ inseruit, ab omnibus utrinque Theologis adprobatum. Id exemplar si invariatam Augustanam Confessionem exprimit, Reformatos ab ejusdem consortio excludi non posse, qui isti se adstipulari profiteantur. Sicuti nec eo conventu motum quid fuerit, quasi Reformati pacis sacræ capaces non essent. Sed & debuisse Principum Legatos supersedere labore conditiones designandi, sub quibus Reformati paci sacræ sint includendi. Id quippe ab ipsis non desideratum, nec quare desideraretur causam fuisse; quod ea res inter Ordines ab anno 1566. nunquam controversa fuerit; sed singulos Ordines utriusque religionis Augustanæ Confessionis, eique superstructæ pacis sacræ consortes habitos. Electorem Palatinum inter Evangelicos Ordines nemine contradicente directorium exercuisse, etiam præsente Saxoniæ Electore. Ac si quid publicis Imperii Conventibus nomine Electorum Augustanæ Confessioni addictorum conclusum fuerit, id Palatinum semper subscripsisse. Equidem haut ignotum turbidos quosdam Theologos disputare ausos, quinam pace sacra contineantur, aut qui minus. Quos potius decuerit libris sacris evolvendis vacare, quam circa leges Imperii publicas, inter quas & pax sacra est, cavillandas satagere, quarum custodia illis haut quidquam commissa est. Sane hos Ordinum Imperii dignatione haut censeri, nec si quid publici circa pacem sacram actum sit, eosdem unquam in consilium adhibitos; quorum & licentia fræna a Principibus suis haut ita laxata,

3. Octob. 1529.

1631.

Hoë.

1645. *republica interfuisse. Ast inter ipsos Ordines eo nomine nihil unquam motum, ne a Catholicis quidem. Palatinum, Avum, Patremque nostrum ad omnes actus Electorales, ac inprimis electionem Rudolfi II, Matthiæ, Ferdinandi II, & III. admissos. Reformati Electoris suffragium tantundem valuisse, quantum Catholici, vel Lutherani. Palatinum cum Moguntino ordinarii Deputati munere in Collegio Electorali functum; cui reliqui Electores sacrorum nomine nunquam litem moverint, sed semper eum velut collegam honore, & amore prosecuti sint, donec per inauspicatas turbas rerum facies mutata fuerit. Quod si Reformati ab Augustana Confessione discessisse arguantur, non ab exsecutione incipiendum, sed prius demonstrandum fuerit, quo articulo id factum, idque e publicis Reformatorum Confessionibus, non e scriptis unius vel alterius doctoris. Nam si singulorum doctorum placita toti Ecclesiæ imputanda sint, fortasse, si quis curatius rimetur, non minus absurditatum apud Lutheranos Theologos inventum iri. Augustanam Confessionem, prout ab Ordinibus exhibita, pacique publica sanctimonia munita fuit, in pragmaticam Imperii sanctionem evaluisse. Unde quod semel nomine omnium Ordinum conclusum fuit, per paucorum contradictionem, qui eo tempore haut vixerunt, sed e contractu majorum jus suum nacti sunt, everti non posse. Quod autem nos ore duntaxat Augustanam Confessionem profiteamur, animo dissoni, criminationem esse, cujus si quis autorem se ferat, pro merito retundendum. Ac non minus par esse, istos nostris verbis fidem adhibere, quam ipsi suis verbis adhiberi volunt; cum non magis nos recessus animorum apud ipsos inspicere queamus, quam iidem nostros. Id quoque concedi non posse, Lutheranos prærogativam heic affectare, aut possessionem nostram tolerantiæ vocabulo elevare; aut ut ipsi cautionem aliquam nos poscant. Nec magis ferri posse, aliquid a nobis postulari, quod conscientiæ securitati, supremoque in ditiones nostras juri repugnet. Si enim certis cum conditionibus paci sacræ nos includi patiamur, eo ipso nos professuros, Augustanam Confessionem ad nos nihil spectare; nec facultatem nobis fore civibus nostris libertatem sacrorum præstandi; cum ad pacem sacram provocare nequeamus, si ipsi eadem non comprehendamur. Catholicos quoque pari jure, atque nunc Lutherani conantur, limitationes obtrudere, cautionesque exigere posse: cum non penes solos Lutheranos sit, quem ipsi pace sacra complecti velint, sed & Catholici in partem veniant; quod pax sacra non inter solos Ordines Evangelicos, sed inter hos, & Catholicos constituta sit. Et cavendum esse Lutheranis, ne quæ in Reformatos meditantur exempla, in ipsos recidant. Sane nondum exolevisse memoriam edicti anno 1629. promulgati, quod si exsecutioni datum fuisset, haut melius Lutheranorum res, quam Reformatorum se habituras fuisse. Denique non esse, quod Pomeranorum sacris metuatur, quibus quæ promittantur, fide viro Principe digna servanda sint; nec magis eorum conscientiis, quam aliorum nobis subjectorum vim inferendam. Cum ad officium Principis sufficere judicemus, operam dare, ut fidei capita, quibus summa religionis Christianæ stat, recte se habeant, ac pietatis opera a civibus excolantur. Ob subtilia controversiarum, quæ sæpe doctissimi non capiunt, aut vocabulorum magis lubricitate, quam rerum soliditate innituntur, turbas dare, & odiis in Christianos sævire, indignum in religione habendum, quæ velut peculiarem notam a sectatoribus suis exigit dilectionem. Quod si autem Ordines Evangelici id agant, ut qui hoc nomine censentur, deinceps hæresin mutuo objectare desistant, nec ob articulos controversos summam fidei Christianæ non spectantes haut ulterius inimicitias exerceant, nec una pars alteram in sua ditione persequi velit; id institutum sibi valde probari, ac omni studio incubiturum, ut inter Reformatos, atque Lutheranos concordia, saltem mutua tolerantia, amicitiæque cultu constans, ineatur.* Et sane cum circa id tempus Luneburgici Duces apud Electorem super componendis inter Evangelicos controversiis proponerent; hic istud sibi optatissimum ostendebat, nec se, ubi occasio arrideat, quidquam ei negotio promovendo omissurum. Sane inter viros in tractandis reipublicæ negotiis versantes tantam dissensionem non observari; inter Ordines quoque Imperii a multis retro annis, non obstante ista sententiarum discrepantia, omnes amicitiæ numeros invicem impletos. Ac penes alios judicium fore, utra Evangelicorum pars circa tuendam veritatem ac libertatem hactenus enixius studium ostenderit. A Theologis, quorum fere animis acerbitas penitus inolevit, se parum amici sperare, queis & in sui ordinis homines leves sæpe ob causas acerrime debacchari pudor non sit. Si tamen circa hos quoque in concordiam redigendos idonea via ostendatur, studium suum non defore. Ista porro, quæ memoravi, etsi nostri solicite aliis inculcarent; iis tamen parum proficiebatur, Lutheranis sententiæ suæ mordicus inhærentibus. Quia autem ista ex lite Protestantium rebus ingens noxa provenire poterat, Catholicis in sinu gaudentibus, Witgensteinius eandem Salvio componendam commendabat; qui & promtam suam operam offerebat. Ac censebat Witgensteinius duplici modo Lutheranis occurrendum, ut vel exceptiones suas plane omitterent, vel quæ a Reformatis postulent, in suis quoque ditionibus admitterent, eoque jure, quod in hos statuerent, ipsi quoque uterentur. Sane cavendum erat, ne in nervum res erumperet, quod Reformatorum nonnulli jactare inciperent; se potius a Lutheranis causam suam disjuncturos, quam juri reformandi renuntiaturos; his contra testantibus, se nec posse, nec velle sacrorum socios in Marchia, Pomerania, & alibi prodere, quicquid inde eventurum sit. Ac inprimis fervidos sese ostendebant, qui a Saxoniæ Electore dependebant, Altenburgici, Vinarienses, Meclenburgici, & Darmstadienses, quorum & aliqui privatum forte commodum respiciebant. Svecis tamen annitentibus paulatim calor remittebat; ac declarabat Oxenstierna, verba de Reformatis mansura, uti in propositione sua extent; ac solum Altenburgicum rationi adhuc obluctari, reliquos moderatius jam sentire. 1645.

§. 31. Facit argumenti similitudo, ut hoc loco aliquid de Colloquio illo attexamus, quod hoc anno inter trium religionum Theologos Thorunii habitum fuit. *De Colloquio Thoruniensi.* Decreverant Episcopi Poloniæ Synodo Warsaviæ habito redintegrandæ per id regnum Ecclesiæ Romanæ colloquium quod vocabant *charitativum* indicere; ad quod circa fidem a se dissidentes in sequentem annum ad fraternam disceptationem, Thorunium invitabant. *Thorn. 1643. 4. Oct. 1644.* Eodem, ut Elector quoque Theologos suos Borussicos mittere vellet, & Uladislaus Rex, & Gniesnensis

1645. nensis Archiepiscopus humanissimis literis requirebant. In id num Electori consentiendum foret, re in consilium deducta, in utramque partem disputatum fuit. Sane utræque literæ amicissimis verbis conceptæ erant, & concordia, quæ obtentui sumebatur, laude digna, & omni studio affectanda habebatur. Nec eo fine colloquia adhiberi incongruum erat, si non plenæ concordiæ, saltem mutuæ tolerantiæ inveniendæ inservitura. Thorunium quoque oppidum tutum, & insidiis vacuum judicabatur. Nec tamen deerant rationes, quæ istam invitationem agnosci dissuaderent. Episcopos Poloniæ aliquam sibi jurisdictionem in nostras Ecclesias arrogare videri, dum nostrates velut citant ad colloquium, loco ac tempore, numeroque Theologorum præfixo, ac *pastoralem* suam *solicitudinem* jactant, tum quod Gniesnensis *Apostolica Sedis gratia constitutum se Archiepiscopum, & Legatum natum* fert. Verendum quoque esse, ne dissidium inter Lutheranos, & Reformatos in Borussia & ipso intendatur, quod utrique ad colloquium evocati sint. Imo Evangelicos Poloniæ hoc modo a reliquis per Europam Protestantibus avelli posse, insuper habituris, quid Polonici, & Borussici Theologi concludant. Forte & Pontificiis persuasum, non esse nobis idoneos viros, qui cum ipsis in disceptationem descendere audeant; ac ansam captari, qua jactent, a nostris causam suam haut rite defensam, ut inde prætextum præbeatur iis, qui alios ob respectus ad ipsorum ritus transire cupiant. Porro & scopum colloquii, qui præfertur, obtineri nullo modo posse, unionem religionis Pontificiæ, & Evangelicæ; quod tantopere istorum intersit autoritatem Pontificis, & missam, illam sacerdotum nutriculam, persistere. Unde metuendum, ne forte alium finem id colloquium spectet, Protestantibus haut lætabilem. Sane ex aliis istorum Episcoporum actis constare, eorundem animos a verborum mansuetudine discrepare, nec meliora ab iisdem, quam aliis Italiæ, Hispaniæ, Galliæ Præsulibus speranda. Contra disserebatur, si colloquium oblatum recusetur, non solum Pontificios triumphaturos, velut nostri causæ suæ diffisi lucem fugiant, nec eo minus omnes rationes reducendæ concordiæ adspernentur; sed & ansam inde arrepturos hosce tanquam pertinaces hæreticos, & proprio judicio damnatos durius premendi. Ac Christianorum officium esse publicam suæ fidei confessionem non declinare; præsertim cum non Episcopi solum, sed & ipse Rex colloquium exposcat. Qualis confessio præstanda sit non apud eos solum, qui bona fide agunt, sed & qui fraudes, atque insidias meditantur. Cumque idem non ob confessionem solum, sed & velut via paci ineundæ offeratur; absurdum fore, nos uti causa meliores, ita viribus dispares, tractatus plane repudiare; idque prætextum fore Pontificiis culpam omnium malorum e dissidio religionis ortorum in nos devolvendi. Plausibiliter quoque istos jactare, non ibi instituendas disceptationes scholasticas, ubi disputantes magis famam ingenii, linguæque volubilis, quam gloriam Dei, & pacem Ecclesiæ affectant; quæ & magis animis exacerbandis, Ecclesiæque divellendæ, & obscurandæ veritati, quam paci promovendæ inserviant; sed amicam duntaxat sententiarum collationem spectari, ut intelligatur, quantum illæ invicem discrepent, aut conspirent; & quomodo rejecta inutili circa vocabula disceptatione, saltem circa aliqua capita unionis ratio iniri queat. Occasionem quoque fore doctrinam nostram clarius proponendi, & a criminationibus purgandi apud illos, qui nostra placita magis e Jesuitarum relatione, quam nostrorum scriptis hausere. Forte & Electorem eo facilius liberum Reformatis cultum in Borussia obtenturum, quod non Lutherani solum, sed & Reformati ad colloquium invitati sint. Denique si ideo colloquium declinemus, quod de sincera Episcoporum intentione dubitetur, contemtum inde, & odium in nostros non modice intensum iri. Cautela tamen adhibenda erat, ne hoc prætexto privilegiis, libertati, publicoque cultui Protestantium in Polonia quid derogaretur, utcunque colloquii eventus caderet; & ne ideo aliqua jurisdictio in nostras Ecclesias postularetur. Inprimis ne colloquium id autoritatem sibi sumeret controversias decidendi, sed ut super rationibus concordiæ ineundæ duntaxat consultaretur, addita protestatione, nobis haut animum esse per hoc colloquium ab aliis in Europa Protestantibus secessionem faciendi; sed finito colloquio quæ heic placuerint cum aliis Ecclesiis communicanda, & ex earum judicio tentandum, num propius ad scopum accedi queat. Prævalebant hæ rationes, ut Elector suos quoque ad id colloquium mittere constitueret, addito Theologis uno & altero e consiliariis, qui colloquii directoribus adsiderent; hos quippe admissum iri Rex initio annuerat. Mox tamen idem retractabat, causatus colloquium id e Polonis duntaxat, & Lithuanis consistere debere, directoribus non nisi ex utraque natione adhibendis, quibus Ossalinius Cancellarius præses sit futurus. *Ossolinski.* Et cum Elector obtenderet, id juri suo, quod ex pacto sibi velut Duci Borussiæ, primo & proximo post Regem Principi, competat, derogare; responsum; eum conventum non esse Ordinum Regni, ubi ipsi utique primus inter Ordines locus debeatur, sed non nisi peculiarem congressum inter Catholicos, & Dissidentes. Unde visum Electori neminem consiliariorum eo mittere; ac Theologis quidem ut eodem se conferrent concedere, ut tamen non nisi privato nomine adessent, nec ipsius nomine in publico comparerent. Porro ad id colloquium Elector e Germania exciverat quoque Georgium Calixtum Theologum Helmstadiensem, cui ut tanquam privatus adsisteret, Principes sui indulserant. Hic cum Thorunium pervenisset Regiomontanis nondum præsentibus, a Gedanensibus aspere rejectus, rogantibus Reformatis promittebat, præmissa tamen protestatione, sese ipsis in causa communi adversus communes adversarios pro virili adfuturum. Sed mox Regiomontanis accedentibus sociare se paratus erat, si Elector jubeat; id quod hic in ipsius arbitrio relinquebat. Præter istos Elector quoque eodem miserat Joannem Bergium, & Fridericum Reichelium, Professores Francofurtenses, jussos ut velut privati Evangelicis contra communes adversarios adsisterent, quæ agerentur probe observarent; tum inprimis tentarent, num infelix illa inter Reformatos, & Lutheranos rixa imminui, & concordia

1645. cordia magis magisque promoveri queat. Qui tamen nullum operæ pretium faciebant, cum nemo aliam concordiæ legem admitteret, quam ut cæteri repudiatis prius placitis ipsius sententiæ accederent; quod quam difficile sit, animi humani indolem intelligentibus satis patet. Et pronuntiaverat Joannes Hulsemannus, cum partes in articulis, fundamenta religionis Christianæ complexis, tantum distent, quantum a cœlis terra, omnem concordiæ rationem desperatam esse.

Super Pomerania disceptationes. §. 32. Ast super Pomerania apud tractatus pacis acerrima disceptatio surgebat; circa quam Svecis concedendam cum faciles admodum fore Cæsarem Ordinesque Elector animadverteret, velut de alieno solutione facta, peculiari tractatu cum Svecis eam difficultatem expedire optaverat. Equidem de restitutione ejus provinciæ non dubitabat, quæ nullo jure intercipi poterat. Ac si Sveci verbis suis fidem constare vellent, qui hactenus semper jactaverant, ideo se arma gerere, ut amicis sua restituantur; haut decebat Reginæ proxima cognatione junctum terris suis exui, quantumvis opportunitate situs blandientibus. Id molestissimum erat, se non sine contumelia tamdiu Pomeraniæ regimine excludi, aliosque ejus reditibus gaudere. Equidem ut Sveci durante bello nonnulla loca securitatis causa retinere vellent, facile ferri poterat, super quibus cum ipsis transigere Elector cupiebat. Ac spes erat, eosdem haut ita morose secum acturos, velut de cujus amicitia satis ipsis constare possit. Et quia tractatio pacis in longum extrahenda videbatur, eo magis e re erat, quamprimum negotium componi, ne Pomerani plane pro derelictis haberi se crederent. Igitur Legatos suos ex Oxenstierna sciscitari jubebat, num facultate instructus sit super ea provincia tractandi, & quas conditiones sit laturus? De quo cum nostri apud istum moverent, ac ne Regina inter satisfactionem, quam postulatura sit, Pomeraniæ mentionem faciat, sciscitati, quid ea demum in præmium belli exposcat: is animi sensa ambagibus involvere; ac habuisse quidem se mandata peculiari conventione super Pomerania cum Electore transigendi, sed quæ expirarint, induciarum ratihabitione non secuta: unde novum sibi e Svecia rescriptum expectandum, quod communicaturus sit. Gemina Salvius disserebat; omissam ratificationem obstitisse, ne super arctiore conjunctione inter Sveciam, & Electorem ageretur; ac inde Svecis diffidentiam adversus hunc enatam, velut alia consilia agitantem. De cætero non quidem fatebatur, Svecos in Pomeraniam oculos conjecisse: quid tamen futurum sit sibi non constare: ac posse Electori æque commodas situ regiones curari, Silesiam, & Magdeburgensem Præsulatum. Haut vitio vertendum Legatis, quod pro commodis Principis sui contendant. Idem & sibi faciendum; non tamen ideo offensam Electoris contrahere velle. Contra Cæsarei nostris referebant, a Daniæ Rege literas Cancellarii Oxenstiernæ ad filium interceptas, quibus hic jussus sit Ordines delinire, sibique adjunctos permovere, ut Svecis satisfieri æquum declarent, tum qua ratione id effici queat disserere inciperent; ubi demum de terris insinuarent, quarum commodus situs Sveciæ emolumenti quid polliceretur. Per quas ambages Pomeraniam designari neminem latere. In hanc ne Elector consentiat isti svadebant. Nam haut credere, Electorem præsulatibus, qui ostententur, onerari velle, vix salva conscientia possidendis velut Numini dicatis, nec lucro cessuros: tum semper Svecos observatores cervicibus imminentes habiturum. Nostri confirmabant; Electorem ne latum pedem de Pomerania abdicaturum, ac ut Cæsar ejus defensionem præstet, petebant. Ast a Pomeranis missi Ecstedius, & Rungius apud nostros exponebant, spem sibi fuisse, Electorem occasione belli inter Svecos, & Danos orti ad recuperandam Pomeraniam usurum, præsidiis Svecorum invalidis, ac provincialibus adventum Electoris anxie circumspectantibus, quem & tunc Sveci non parum metuerint. Sed nunc occasionem elapsam ægre redituram. 1645. *Ecsted. Runge.*

Sveci initio cupita sua dissimulant.

27. Oct.

Iidem mox apertius desiderata sua pandunt. §. 33. Mox tamen apud Pomeranos Salvius differebat: *Hucusque de Svecia præmiis se obscurius jecisse; sed cum nunc ad rem accedendum sit, haut amplius dissimulandum, Pomeraniam vix a se dimittendam. Ac Cæsarem, cum Sveci pecunia sibi satisfieri abnuissent, Rugiam, Stralsundam, totamque citeriorem Pomeraniam jam antea obtulisse.* Situm ejus regionis ipsis admodum arridere. *Ipsam Sveciam munitæ urbis speciem referre, scopulos litoribus adsitos valli, Mare Balticum fossæ instar esse, Pomeraniam velut exteriorem munitionem præjacere. Igitur ut isti plena securitas constet, Pomeraniam utique retinendam. Sed ut Elector indemnis præstetur, aliquod præsulatus ipsi tribui posse Halberstadiensem, Mindensem, Verdensem Osnabrugensem, ac nonnullos in Silesia principatus, commodo admodum situ, ac ut eidem suo in territorio deinceps iter in Clivicas ditiones pateat.* Cum Pomerani regererent: controversiam super Pomerania forte per arctius conjunctionis genus tolli posse, & sic Sveciæ lucro cessuras eas provincias, quas omissa Pomerania in præmium belli postulaturi sint; Salvius respondebat: eam rationem sibi quoque maxime probatam; sed putare, id negotium non dextre fuisse actum. Interrogati, num sub Sveciæ, an Electoris imperio esse malint, reponebant: *si sui juris, neminique obstricti agerent, hac de re in utramque partem differi posse; nunc se Electori in eventum fidem jurejurando addixisse; qua voluntati sua legem ponat. Nec mirum se tantis hactenus oneribus pressos iisdem levari cupere.* Ad quæ Oxenstierna: Catholicos satis laboraturos, ut Sveci Pomerania potiantur. Id quod Pomerani credere se negabant; cum ex ea provincia futuro tempore Sveci Cæsari, aliisque Catholicis negotium dare queant. Iisdem deputatis, cum quædam provinciæ postulata scripto comprehensa tradere vellent, Salvius dicebat: curas omitterent, dominum ipsis non defore; sed postulata eorundem hoc loco discuti non posse. Ac frustra occinebatur privilegium Pomeranis a Cæsare datum; eam provinciam nullo tempore ulli præterquam Electori Brandenburgico tradendam; cui privilegio fœdus cum Rege Gustavo Adolfo sit superstructum. Mox & Salvius apud Witgensteinium non dissimulabat, a Svecis Pomeraniam expeti, ac bene sibi consulere Electorem, si mature quid sibi agendum statuere velit. Ad quæ Witgensteinius; *mirum Reginam a proximo cognato talia postulare: Electorem omnia potius tentaturum; necdum eo redactum, ut omnia,*

1645. *omnia, quæ postulentur, annuere necessum habeat. Nec meritum, ut tantam jacturam faciat. Haut parum mali inde proventurum, si Sveci, & Elector eo nomine collidantur; quo casu Catholici Gallis se sociaturi sint non sine rei Evangelicæ exitio. Non posse inveniri regionem, quam Elector æque liquido titulo possidere queat, & quæ pari situs commoditate ad reliquas ipsius ditiones quadret; quam & pari cum Marchia pretio æstimet, Stetini deinceps aula sua sedem fixurus. Ubi Sveci semel cupitis potiti fuerint, longum Electori fore Ordines pensationem poscere.* Ad quæ Salvius: *Electorem nunquam Pomeraniæ possessione gavisum, eoque minore sensu ea cariturum. Absque Svecis si fuisset, in hunc diem Pomeraniam in Cæsaris, aut Bavari manu fuisse futuram: his vi expulsis possessionem armis a se obtentam. Tum plerasque præfecturas Ducales pignori oppositas, & Rugiam ita obæratam, ut vix quingenti unciales inde proveniant. Denique Ordines quondam Heilbrunnæ congregatos Sveciæ insigne præmium promisisse.*

Galli Svecis favent. 8. Nov. §. 34. Sed & apud Witgensteinium Longuevillius disserebat: *Svadendum esse Electori, ut circa Pomeraniam manus det, quam Sveci amissuri non sint, si vel per multos adhuc annos eo nomine bellum gerendum sit. Electori, quocunque se vertat, nullibi auxilii quid expectandum. Cæsarem forte multa promissurum, pauca servaturum: Polonos Gallico fœdere illigari: Daniam viribus exhaustam; reliquos debiles: Non gratis tamen unam Provinciam Svecos postulare. Nil insoliti ditiones permutari. Fortissimum Regum Franciscum I. & sapientissimam Venetorum rempublicam temporibus se accommodasse, ac duras leges accepisse; quæ exempla imitari præstet, quam, dum sola animi magnitudo in consilium adhibetur, summam rerum periculo exponere. Denique necessitatem heic leges dictaturam.* Inter quæ tamen subinde de singulari suo in Electorem affectu testabatur. Ad quæ Witgensteinius cum multa alia, tum & id reponere: *Toti Imperio maximo præjudicio fore, si inde Galli Brisacum, & Alsatiam, hinc Sveci Pomeraniam insideant, Germaniam in medio positam pro lubitu laceraturi. Ac si talia postulari non omittantur, fore ut ab Electore legatio hinc avocetur.* Ad quæ extrema ne descendatur Longuevillius rogabat; simul temperamentum, nuptias cum Christiana, ostentabat, ad quas promovendas ipse omnibus viribus connixurus sit. Post Avauxius, & Servientus Witgensteinium adeuntes multo cum verborum honore denuo svadebant, ut Elector pro Pomerania æquivalentem ditionem accipere velit. Nam si ad bellum rem deducat, fortunas suas maximo periculo expositurum. Se teneri ad promovenda Sveciæ desideria, etiam aliquid ex iniquo trahentia, ac optare, a se viam iniri posse, ut amicitiam utrinque illibatam servare detur. Equidem jure ab Electore nil postulari posse; nec an Svecorum desideria justitiæ regulis quadrent, se anquirere velle. Sane e victricibus armis, ac Dano ad duram pacem compulso spiritus iis gliscere. Amplius ipsum urgere nolle; sed autores esse, ut Elector propius ad hæc loca accedat; tunc enim sine dubio omnia melius successura, quam si e Borussia istius sententia sit exquirenda. Interim omnia quæ proponantur, audiret, nec per nimium calorem negotium præcipitaret. Cum etiam Veneto eam causam Witgensteinius commendaret; hic reponebat: rem inter regios jam transactam, qua decessuri non sint. Svecorum postulata æquitate niti. Nec par esse, ut eam ob causam Elector paci moram injiciat. Necessitatem durum telum. Ut tamen abrupta ista molliret, addebat; Sequestribus utramque partem monendam esse, ut rationem audire velint.

1645. Sveci aliquando mollius loquuntur. §. 35. Haut eo minus Sveci aliquando ad mollia aut ambigua revolvebantur, ac inter alia Salvius testabatur; longe sibi abesse eam mentem, ut Electoris terras vi detinere, aut intercipere velint, aut invito quid extorquere; sed si quid super parte terrarum Sveciæ opportunarum agendum sit, ita plausibilia se propositures, ut & ipse Elector, & Cæsar ista probaturus sit; etsi mallent, a nostris indicari, qua ratione Elector satisfieri sibi optet. Et si ista omnia non sufficiant, unam adhuc superesse, qua arctior conjunctio iniri, omnisque controversia declinari possit. Ad quæ Witgensteinius; *penes Reginam esse, quid in eam rem proponere placeat. Sibi nondum constare, an id Electori optandum sit. Sane Svecos jactasse, ejusmodi conditiones Electori ferendas, quas citra fraudem Domus sua acceptare nequeat. Per idem quoque Cæsari, Imperio, exteris Regibus suspectum exosumque fore, ac ditiones hæreditarias, accedente temporum mutatione, evidenti periculo expositurum. Saltem Polonos velut commissa felonia manum Borussiæ injecturos.* Salvio mirum videbatur, tam nobilem conditionem ab ipso frigidius æstimari. Addebat, sibi parum constare, quid Regina, Regnique Ordines decreturi sint. Certo tamen affirmare posse, Electorem in Svecia magni fieri. Simul rogabat, num Galli de hoc negotio apud ipsum mentionem fecerint. Quod hic affirmabat; ac istos ei promovendo promtos se tulisse; quod tamen ideo factum arbitretur, ut mentem ipsius expiscarentur. Nec id aliter se habere, Salvius reponebat. Nam & Gallos, si apud se hocce de negotio disserere cœpissent, semper de studio suo in idem amplis verbis testatos. Ubi super modo id perficiendi agi cœptum sit, alio sermonem avertisse, manifesto indicio, Gallos tacita jam æmulatione agitari. Ast Oxenstierna ab his abeuntia apud alios disseruerat: *A multis jam Reginam nuptias ambiri, inter alios ab Augusto Magdeburgico Administratore, & Carolo Gustavo Palatino. Esse quoque e Svecica nobilitate, qui matrimonium regium spe sua haut superius judicent.* Cum reponeretur; *horum neminem Electori comparandum,* is respondebat: *ita rem esse, ac propendere in ipsum Ordinum Regni studia. Sed si ea res non succedat, unicam fere causam a sacrorum diversitate fore.* Cum regereretur: *moderate circa talia sentire Electorem, ac sæpius Lutheranorum templa frequentare; tum nullius conscientiam solicitare;* is respondebat: *sacerdotes, & plebem in Svecia plus sibi a Reformatis, quam Pontificiis metuere. Hos enim aperte grassari, quibus & ideo facilius resisti possit: illos callide destinata sua tegere, ac ita textre artes suas expromere, ut caveri vix queant.* Sed cum ostenderetur, per pacta connubialia satis provideri posse, ne pars una alteram circumscribat; Oxenstierna aliud dubium movebat: *Pomerania Electoratui juncta, si e matrimonio Reginæ & Electoris liberi non proveniant, istam deinceps Electoratui adhæsuram. Si plures uno filii nascantur, primogenitum Regem fore, alterum Electorem; qua ratione Pomeraniam iterum a Svecia separandam, atque tunc huic tantum bellum præmii expers futurum.* Ad quæ

1645. quæ responsum: Super his per pacta commode disponi posse, & quoad Electoris progenies superfuerit, primogenituræ jus valiturum, ita, ut idem Rex, Electorque, ac omnium utrinque ditionum dominus futurus sit. Quæ cum Oxenstiernæ haut repudianda viderentur, iterum ad religionem revolutus opinionibus Calvini rigidius addictum arguebat, quod in Senatu Principum ita fervide jus reformandi urgeat, ut non Pomeranis solum, sed & Svecis molestiæ a novatione circa sacra metuendæ sint, eo matrimonio succedente; quas a patria sua ut avertere studeat, Senatorio munere obligari. Equidem se propositione sua Reformatorum mentionem fecisse; sed eo nomine a Regina, & Senatu acriter increpitum; ac mirari, quod Elector in Senatu Principum per Wesenbecium Reformatum sententiam dici curet, cum tamen tota Pomerania sacris Lutheranis addicta sit; cui ex eo non modicus scrupulus injiciatur. Ac ni religio obstet, reliquis omnibus circa matrimonium expediendis viam inveniri posse. Addebat tamen; sibi a suis e Svecia scribi; non posse a se, quantumcunque nitantur perspici, quid animi Reginæ circa nuptias sit; sic ut sibi de Reginæ destinatis haut constet. Paulo post Oxenstierna apud Witgensteinium disserebat: *Reginam antehac de affectu Electoris in Sveciam non nihil fiducia concepisse, eoque decrevisse post ratihabitas inducias arctiorem conventionem præcipue circa Pomeraniam moliri. Sed quia post repetita licet monita induciæ imperfecta hæreant, ac Elector omnia sibi integra servare, ac vix aliud quam hostis manere voluerit, tantis super satisfactione motis difficultatibus; esse Reginæ causas, quare parum ipsi fidat, peculiaresque cum eodem tractatus declinet, negotio isto ad communes tractatus remisso.* Nec sententia dimovebatur, quicquid in diversum Witgensteinius reponeret. Simul ut Ordines circa id negotium in partes suas pertraherent Sveci, his operam circa expedienda Gravamina pollicebantur, si ipsis circa Pomeraniam faverent. Quod ab iisdem avide arreptum, eminente pro Svecis Cassellanorum studio, ut his vicissim circa sua desideria faventibus uterentur. Unde & mox cum in Senatu Principum Wesenbecius Ordinibus Electoris causam contra Svecos commendaret, hi ita frigide istud excipiebant, ut ab iisdem nil subsidii expectandum facile adpareret.

Cum Cæsareis super Pomerania acta. §. 36. Sed & Cæsarei, a quibus antea Svecis partem Pomeraniæ sæpius oblatam constabat, ita ambigue loquebantur, ut quid animi super hoc negotio iis esset, liquido perspici non posset. Equidem Nassovius Comes Witgensteinio confir-
1. Nov. mabat; Cæsari fixum sedere, ne latum quidem pedem de terris Imperii concedere; hortatus Electorem, ne quid circa Pomeraniam titubet.
13. Nov. Mox & Cranius Osnabrugæ apud nostros prolixe de antiqua conjunctione inter Domum Brandenburgicam, & Austriacam præfatus exponebat; *Longuevillium Monasterii circa permovendos Catholicos Ordines satagere, ut Svecis Pomerania detur, velut extra quam nihil inveniatur horum satisfactioni aptum; ac non solum Evangelicos Osnabrugæ in id consensisse, sed & ad idem pervincendum operam promisisse. Eam autem rem Germaniæ affatim mali & periculi, Electori plurimum molestiæ allaturam, quippe cui hoc casu perpetuus exercitus sit alendus; & exorto bello istius ditionem primum vastationi expositum iri. Equidem quosdam Catholicorum id insuper habituros, pacem utcumque redemisse contentos. Ast Cæsari molestissimum, Germaniaque periculosissimum videri, Pomeraniam dominos mutare; nec omisisse apud Catholicos instare, ne in id consentiant; qui & facile rei tam perniciosæ refragaturi sint, nisi a Protestantibus huc pertrahantur. Nam his annuentibus illos facile secuturos. Si igitur Electori cordi sit Pomeraniam retinere, apud protestantes instaret, ut ei translationi se opponant. Cæsarem ne pedem de terris Imperii, & cumprimis de Pomerania invito Electore largiturum. Et si Svecis utique aliquid dandum sit, Cæsarem laboraturum, ut summa pecuniæ decidatur. Ac si Electori ea mens firmiter sedeat, de suo nihil se daturum, spem esse, Svecos omissa terrarum petitione pecunia contentos fore. Sane Cæsarem de suis ditionibus Electori æquivalens hautquidquam concessurum, uti Longuevillius jecerit: tantum terrarum Cæsari eripiendum, ut his receptis facile adquieturus sit.* Ad quæ nostri: Electorem nunquam Pomeraniam quocunque modo alienaturum; nec tale quid ejus provinciæ Ordinibus, suæque Domui adprobaturum. Quod Evangelici in hoc consenserint sibi incognitum. Id nosse, Svecos de Catholicorum opera in hanc rem gloriari. Vel ex superfluo tamen istos se dehortaturos; Cæsarei modo omni vi obniterentur. Cranius regerebat; Cæsareis persuasum fuisse, Electori cum Svecis secretam conventionem intercedere, cujus vi Pomeraniam illis cessurus sit, recepto æquivalente; cum & mox hanc per Reginæ nuptias recuperaturus sit. Nunc artificium Regiorum pellucere. Nam Monasterii jactari, Protestantes consentire, Osnabrugæ Catholicos. Sed quia adventante jam Trautmanstorfio ad rem serio sit accedendum, idonea sibi mandata curarent, ut si quid super Pomerania moveatur, statim Electoris sententiam cognoscere possint. *Trautmanstorf.* Nostri: mandatum sibi ejusmodi postulatis omni vi resistere. Haut eo minus ista Electori relaturos. Addebat Cranius; E re esse, ut Elector e Borussia propius accedat, ne solus in mora sit; nam ferrum nunc serio cudendum. Monasterii quoque Cæsarei apud Witgensteinium disserebant; *Cum Elector Pomerania cedere nolit, Cæsari quoque decretum Electoris destinata omni vi fulcire. Sed si Sveci postulato suo depelli nequeant, æquum esse, ut Electori per eos, qui hac via pace fruuntur, decenter satisfiat. Nec obscure innuebat, pensationem pecuniæ faciendam, cui summa vetera contributionum reliqua sint imputanda, sic ut his detractis parum superfuturum sit.* His cum nostri acriter obluctarentur, Cæsarei ulterius instabant: *Postquam Ordines unanimes consentiant, ut Sveci Pomerania potiantur, quo solutione de alieno defungi possint, & vero Cæsaris vires jam valde distrahantur, ut, quantum velit auxilium Electori præstare nequeat; nosse velle, quid eo casu ab hoc expectandum sibi sit, & quas vires is propriis tuendis comparare queat, ac num fœdus inire placeat, ut hostis per arma in ordinem redigatur?* Ac sine circuitione Trautmanstorfius dicebat; Cæsarem solum Electori Pomeraniam præstare non posse, cui defensio propriarum ditionum sat negotii det. Ad quæ Witgensteinius: cum ejusmodi postulata Elector prævidere haut potuerit, nil mandatorum in eam rem sibi datum. Potius isti mirum auditu fore, cum nunc pacis causa conventum sit, de novo bello cogitari.

Ac

Ac valde anceps fore, reliquas jam satis exhaustas provincias recuperandæ Pomeraniæ impensum ire, in qua quantuscunque exercitus atterendus sit. Ipsam accessu difficilem, & per Svecos ita vastatam, ut ob defectum annonæ vix primariæ cuipiam munitioni obsidium circumponi, nedum bello sedes figi queat. Svecis quoque in proclivi fore, munitis oppidis subvenire, bellumque Electoris ditionibus infundere, latius inde per Germaniam spargendum. Addebat; relatum sibi, Cæsareos conari Electorem regiis suspectum reddere, hosque in istum incitare; sed ad extremum eo destituto pacem facturos, nulla ipsius ratione habita. Ad quæ Cæsarei: *eas offucias esse, ac potius regios id agere, ut cupitis suis potiti commoda Ordinum insuper habeant. Salvium apud istos exquisivisse, an non Cæsar Svecis circa Pomeraniam gratificaturus sit. Sed huic dudum perspectum, quanti sit, clavem Germaniæ exteris in manus dare. In omnem tamen eventum protestari, ne quid e ditionibus Cæsareis Elector in æquivalens sibi deposcat. In id enim Cæsarem nunquam consensurum, nec ejus possessionem isti unquam quietam futuram.* Witgensteinius ad hæc: Electorem de æquivalente non cogitare, sed sua retinere cupere. Contra Longuevillius nostris indicium faciebat; Cæsareos ipsi insinuasse, *se Galliæ omnia, quæ desiderent, libenter concessuros, si modo suas rationes a Brandenburgici causa disjungere velit, ac satis habeat obtinuisse, quæ ipsam tangant. Sane Electorem Regiorum destinatis ubique obsistere, ut non sit, quare ipsi faveant. Ast Regiis longe aliam mentem esse, ac in eo tantum rem verti, ut Elector statuat, qua ratione sibi super Pomerania satisfieri velit. In eam rem duas esse vias, matrimonium Reginæ, & pensationem, quam ne rigide nimis adspernaretur Elector; hunc quippe magno suo cum emolumento ea provincia cessurum, modo is circumspecte agat, & regiorum favore in suum commodum dextre utatur.* Mox tamen alio congressu Galli nil nisi necessitatem occinere: *demum tamen Electorem vi compellendum ad id annuendum, quo sponte cesso magnas sibi amicitias, nec minora commoda pignerare queat. Nam vires non esse, quibus Svecis resistatur, quorum animis cupido Pomeraniæ penitus inoleverit.* Ad quæ Witgensteinius; *in præsens quidem Electori arduum fore idoneas Svecis vires opponere: durius tamen esse jure suo decedere: & quanquam Regnorum amicitiam magni faciat, haut tamen ab ipso postulatum iri ut in istorum gratiam plures, ac periculosos hostes sortiatur. Quid enim? Num Cæsar, Danus, Poloni, Belgæ, alii, quos commercia tangunt, æquis oculis adspecturos, Electorem exteris januam invadendis ditionibus Cæsareis pandere, ad Belgas Mari Baltico excludendos operam conferre, Polonorum capitali hosti accessum præbere, & quantum in se dominium Maris Baltici jam antea potenti nationi conferre?* Ad ista Galli: *Qui ipsos amicos habeat, ei Cæsarem, Danumque haut metuendos: Polonum per matrimonium Galliæ obstrictum.* Witgensteinius: *non cum Rege solum Electori negotium esse, sed vel maxime cum Ordinibus Poloniæ, qui omnem occasionem captent ipsum Borussia exuendi, quam privatis usibus in Capitaneatus dividere cupiant.* Occinentibus dehinc Gallis opportunum Svecis Pomeraniæ situm, citra quam de pace ipsis sat cautum non sit, nec amicis suis in Germania, ipsique Electori, si opus sit, auxilium ferre queant; reponebat Witgensteinius: *Pomeraniæ situm longe magis Electori opportunum, cui & citra eandem temporibus mutatis haut satis cautum sit adversus potentiam Svecorum, vicina invadere & proterere soetorum. Si Elector junctim ditiones suas possideat, forte aliorum auxilia non magnopere desideraturum. Denique si extrema necessitas ingruat, obfirmato in patientiam animo, quoad tempestas desævierit, quieturum, ac temporum conversionem expectaturum. De Svecia tale quid ipsum haut meritum, cujus commoda, quantum ratio tulerit, fere solus propugnarit, quo nomine multum suspicionis in se pertraxerit. Spem quoque fuisse, Svecis per Gallos æquiora suggestum iri, qui nunc acrius Electorem, quam Sveci, adversus ipsas Galliæ rationes urgeant, cujus facti fortasse eos pœnitentia aliquando subitura sit.* Ad extremum tamen mitius loquebantur Galli, multis testati, quantopere Elector in Gallia æstimetur, ac diligatur; addito, insisteret iste consiliis tam gloriosis, ac utrique regno fœderato valde proficuis, non sine spe, mutata rerum facie ipsi plene satisfactum iri.

§. 37. Enimvero Electori magnopere displicebat, Legatorum suorum rationes tam parum adplausus invenire. *Electoris circa ista hæc sententia.* Sane quid Ordines Heilbrunnæ quondam fœderati Svecis polliciti sint, ad se nil spectare. Parentem suum ei fœderi haut accessisse, nec ejusdem acta rata habuisse. Inane esse, quod Sveci de opportuno Pomeraniæ situ jactent. Nam & eam ita Marchiæ junctam, ut cum hac unam & eandem provinciam facere videatur: ac si aliqua ejus parte carendum fuerit, clavem velut Electoratus a se amitti. Ac si ea ratio aliquid valeat, metuendum esse, ne Svecia limites suos longius porrectura sit. Qui in pensationem ostentantur Præsulatus, neque commoditate, neque juris soliditate cum provincia nostra hæreditaria comparandos. Jam olim Duces Pomeraniæ eam ditionem tanquam feudum a Domo Brandenburgica agnovisse, quod post in pactum mutuæ successionis mutatum sit. A majoribus nostris dudum titulum, atque insignia Pomeraniæ gestata, insigni quoque provincialium in nos affectu. Danum juxta, Polonumque ægre laturum, Svecos ibi pedem figere, ac ad latus huic consistere: præsertim cum huic non nisi induciæ cum istis sint. Quod si igitur bellum iterum erumpat, provincias nostras in medio positas utrinque proculcatum iri. Facile quoque Sveciæ in nos benevolentiam mutari posse, quantumlibet ipse, posterique circa eandem conservandam satagant, præsertim ubi turbido ingenio gubernator provinciæ imponatur. Si Svecis utique cordi sit, locum inter Ordines Imperii sortiri, id per alias ditiones æque obtineri posse. Nec pro expectativa jus suum ad Pomeraniam haberi posse: quin toto orbe se indubitatum Ducem Pomeraniæ censeri; ab ipsa Christina hoc se titulo nuncupari; hoc ipso conventu in Senatu Principum Pomeraniæ nomine sententiam dicere. Pacta vetusta inter Majores nostros, & Pomeraniæ Duces, sæpius repetitas investituras Cæsareas, & de casu in casum iterata homagia una cum dominio possessionem quoque earum terrarum nobis dare. Inane esse ratiocinium Salvii, si Sveci non venissent, Cæsarem aut Bavarum Pomeraniam fuisse retenturos. Nam eam ipsam ob causam Regem Gustavum Adolfum arma se gerere professum, ut amicis ditiones

1645. nes suas vindicaret; qui & sancte jurarit, nil se terrarum nostrarum cupere. Æs alienum, quo provincia oneretur, pace reducta, a se dissolvendum, nec eam causam ad istam abdicandam valere. Nec moveri se, quod reditus ejus provinciæ tantopere extenuentur. Nam eos sibi sat amplos esse, modo iis reipsa potiatur; ac contentum se eo, quod justo titulo a majoribus in se derivatum sit. Provinciis Silesiacis sibi haut consuli. Ea enim ratione e Statu Imperii inter Status collegæ sui Regis Bohemiæ redigendum. Nec in Silesiam quid actionis movere, præterquam in Carnoviam. Nec in causa esse velle, ut Cæsari pars patrimonii alienanda sit. Cæsaris aut Saxonis promissa, quæ ferantur, se non stringere, quippe de alieno, & citra mandatum facta; quibus & a se semper contradictum sit. Ac negotiationem Schœnbeckianam successu caruisse. Vidisse etiam Gustavum Adolfum, nullo se jure Pomeraniam nobis eripere posse, & cum vi grassari justitiæ repugnaret, ejusmodi rationem proposuisse, per quam statui Sveciæ per nostrum securitas præstari posset; quæ Svecis si non omnibus, saltem proceribus nota sint. Igitur Elector Legatis suis injungebat; Svecis declararent, ne Pomeraniam petere pergerent; se volentem ea haut cessurum: si vim adhibeant DEO rem committendam, ac viam circumspiciendam nostrum jus adversus arma injusta asserendi. Haut consultum tamen videbatur adhuc in Svecia de hac re agere, aut apud alios querimoniis personare, antequam Sveci publice istam deposcerent. Interim data occasione omnes de jure nostro edocerent, & quanta injuria futura sit, nostra nobis erepta alteri tradere. Præsulatuum jacturam facilius digeri posse, quam terrarum hæreditariarum. Illos ad dies vitæ possideri, nullo ad posteros jure transmisso. Pomeraniam esse propugnaculum nostri Electoratus, ac lineam communicationis cum Borussia, ita ut ista intercepta utramque hanc langvere necessum sit. Si e Borussia quid in Marchiam transvehendum sit, prius e Svecia literas *salvi passus* petendas, non sine fastidio impetrandas. Nec huic molestiæ per pacta remedium adferri posse, quæ facile eluduntur, ubi utile justo præponderat. E Pomerania Sveciam, qua hominum memoria porrigitur, nil molestiæ sensisse, nec a nobis tale quid unquam metuendum. Nec se ideo Pomeraniæ tantopere insistere, quod Reginæ gratificari nolit, sed quia eadem carere citra ingens detrimentum rerum suarum nequeat. Haut dari posse æquivalens, quod æque feliciter commoda ditionum nostrarum connectere aptum sit, atque Pomeraniam, si vel triplo majores proventus istud habeat. Per hanc pedem sibi ad mare figi, ac occasionem parari per commercia ditiones nostras florentes reddendi; præsertim cum maximam Oderæ partem ipse jam possideat, quo magna Marchiæ portio, tota Silesia, & pars Poloniæ per Wartam utatur, per Stetinum communicandis, quæcunque e mari petenda sint. Subducta Pomerania eum fluvium, & adsitas eidem provincias fere inutiles reddi, inprimis si cum tempore Svecorum animi mutentur. Cum anno 1635 Sveci animum ad præsulatum Magdeburgicum adjecissent, & tantum præfecturam Barthensem peterent communicationi cum Magdeburgo exercendæ, Parentem ipsius vivo adhuc Duce Pomeraniæ id annuere dubitasse, quod metueret, ne ista concessione ditiones suæ turbis involverentur. Denique ad fœdus & conjunctionem cum Regina, ac regno Sveciæ semper se paratum fuisse, & adhuc esse; per quam Sveci de nostro statu longe justius sibi cavere possint, quam si eundem lacerare aut destruere instituant. Cæterum tunc apud Cæsareos quoque Abbas Corveianus movebat, Rugiam insulam feudum esse a Corveia dependens, quod morte ultimi possessoris velut caducum ad id cœnobium devolutum sit. Jactabat iste, eam insulam ab Imperatore Lothario Cœnobio donatam, ideo quod profecti inde Monachi Pomeranos, Rugianosque ad fidem Christianam converterint. A qua licet post Rugiani iterum defecerint, Abbatem tamen semper dominium animo conservasse: Quo fine & præsentem Abbatem magnæ dignationis virum de ista insula investiisse. Ad quæ nostri reposuerant; *de jure Abbatu sibi haut constare. Id nosse, postremum Pomeraniæ Ducem non sine successore in isto Imperii feudo decessisse: cum Elector a Cæsare ejus provinciæ nomine investitus sit, jure ita solide fundato, ut Abbati rationem redditurus non sit.* Cum Cæsarei responderent: sine dubio Electorem esse legitimum successorem; si tamen nihil adversus Abbatis jus excipere posset, haut grave fore feudum ab hoc recognoscere; nostri regerebant: haut persvaderi sibi, Abbatem se pro domino Rugiæ gerere, a quo illa in feudum recognoscenda sit. Sane ab Electore eam insulam pro simplici feudo Imperii haberi, de quo & a Cæsare investitus sit. Ac judicabat Elector, Abbatem otio abundare, ut talibus comminiscendis vacare possit. Hactenus ne mutire quidem ausum; nunc & ipsum in turbido piscari velle. Cæterum optandum esse, ut cum isto solo sibi negotium sit, qui prohibiturus non videatur, quo minus ipse Rugiam retineat. Ac satis isti esse debere, quod Landgravia istam Abbatiam pensandis belli sumtibus sibi non postulet. 1645. *Abbatis Corveiani prætensio in Rugiam.*

§. 38. Enimvero postquam hactenus ambigue super Pomerania jactatum esset, jam demum Sveci, dum *replicam* Cæsareis exhibent, inter alia istam aperte in præmium belli deposcebant. Wittgensteinio acriter cum Oxenstierna expostulanti, quod blandis sibi pollicitis illusum foret, hic excusabat: propositum quidem sibi fuisse in præsens de ea silere. Sed hæsitantem a Trautmanstorfio impulsum audacter profari, quæ animo volveret. Et cum is neque circa Pomeraniam, neque circa Præsulatus quid contradixisset, sed ad solam Silesiam *bona verba* exclamasset; inde se collegisse, Cæsari Pomeraniam parum curæ esse, modo propriæ ipsi ditiones salvæ sint. Cæterum quia diversa sibi mandata diverso tempore mittantur, semel dictis se non semper stare posse: id quod Reginæ imputandum, non sibi, cui jussa exsequi necessum sit. Electorem tamen a se indemnem præstandum. Simul svadebat, ut apud Ordines Imperii instet, ne circa transferendam Pomeraniam consensum præbeant; id enim sibi molestum haut fore. Ast si Elector in Cæsaris partes transire velit, id sibi ferendum esse. Nam confidere, se Pomeraniam adversus quoslibet tuituros. Nec aliter sibi persuaderi, *Sveci aperte Pomeraniam sibi deposcunt. 5. Jan.*

1646. ſvaderi, quam Electorem ſuos mandatis inſtruxiſſe ſuper eadem cum ipſis tranſigendi, quam per rationes Regni a ſe affectatum iri facile judicare poterat. Addebatur, Principem ætate florentem haut gravatim tractu litorali in gratiam Reginæ ceſſurum, quo ipſa ad ſecuritatem ſui Regni, ſimul firmand[illegible] Proteſtantium rebus opus habeat. Ad quæ Witgenſteinius: *inhumanum valde eſſe Electorem Pomerania velle exuere, quæ firmamentum ſtatus ipſius, ac vinculum connectendæ Marchiæ & Boruſſiæ ſit; quæ triginta octo oppidis, ac trecentis nobilibus familiis conſpicua ſit, quarum ſingulæ denis, vicenis viris conſtent, ad duo millia equitum feudalium præbere ſolitas. Immunem belli iſto onere urgere haut fas eſſe. Si quid Sveci de Sileſia, aut Præſulatibus obtinuiſſent, quod cum quibusdam Pomeraniæ locis permutare placuiſſet, Electorem facilius ſtatuere potuiſſe, quantum ipſis gratificandum foret. Aſt nunc poſtulari, ut ditiones indubitati juris relinquantur, & e Sileſia, & Præſulatibus penſatio petatur, nil aliud quam Cæſaris, & aliorum offenſam parituram, occaſione data deinceps expromendam.* Inde a noſtris ſcripto concipiebantur rationes; quare Elector Pomerania cedere non poſſit, præmiſſa proteſtatione, ne ſiniſtre accipiantur duriora verba hinc inde inſperſa. Quæ deinde Svecis valde inſtantibus tradebant, ea lege, ne aliis iſtæ communicarentur, ac ſe haut ideo ad diſceptationem ſcripto faciendam deſcenſuros. Sveci plauſibiles eſſe rationes agnoſcebant, & quæ idoneum negandi colorem præberent. Sed non defore viam id negotium amice ac citra damnum Electoris componendi. Si ſuper cæteris rebus tranſactum ſit, pacem ad præmium Sveciæ haut adhæſuram. Quæ verba quinquies repetebant. Denique Electoris erga Sveciam ſtudium amplis verbis commendabant. Sed cum noſtri haut eo minus negarent, Electorem Pomerania ceſſurum, Oxenſtierna paulo commotior diſſerebat; Reginam haut credidiſſe, Electorem ita durum fore circa provinciam, cujus amplam penſationem ipſa exhibitura ſit. Sane par eſſe, ut ab ipſo aliquid præſtetur ob pacem publicam, quo ſecuritas Sveciæ muniatur. Equidem quæ de jure Electoris in eam provinciam ingerantur, a ſe non ſolicitari. Cæterum iſtius patrem in Svecos arma geſſiſſe, ac horum rebus plus ipſo Saxone obſtitiſſe; unde & ſibi eam provinciam armis fuiſſe obtinendam. Hunc quoque declinata induciarum ratihabitione omnia ſibi integra ſervare ſtuduiſſe; quæ nunc non amplius deſideretur ad amica aut hoſtilia æque paratis. Svecos nec poſſe, nec velle Pomerania deſiſtere. Igitur vi ipſos depelleret, aut aliam rationem expediret, per quam iiſdem ſatisfieri queat. Circa quæ Electori mirum videbatur, omiſſam induciarum ratihabitionem adduci velut cauſam, quæ Reginæ ſtudium in ipſum imminuerit; cum nunquam maxime de pace agatur, qua induciæ ultro expiraturæ ſint. Nec ullam Svecis diffidentiæ rationem eſſe, valida aliquot oppida Marchiæ inſidentibus, ac tanta tributi ſumma quotannis ipſius provinciales emungentibus. Si tamen valde cupiant, non recuſare ſe ratihabitionem tradere, modo capita pacti præſenti tempori adaptentur. Id vero plane abſurdum, ſecuritatis titulo Pomeraniam ab iſtis affectari, ac vicinum eo nomine terris ſuis plane exui. Et qua ratione ipſos Germaniæ, ſibique cavere velle, Pomerania potitos nil periculi huic illaturos? Denique deſtinata ſua nimis prodere Svecos, quando concionatoribus Oſnabrugæ interdixerint, ne de ſuggeſtu preces pro pace recitarent, quibus inter alia extabat, *ut quilibet ſuo contentus ſit, ne ex avaritia & cupidine alienarum terrarum diſſidia ac bella oriantur.* 1646.

Habermanni Preces ad diem Jovis.

§. 39. Aliquot diebus interjectis Sveci ad rationes a nobis traditas reſpondere aggrediebantur. *Non eſſe, quod Elector conſcientiæ ſuæ metuat, qua Pomeranis ad præſtandam protectionem obſtrictus fuerit, ſi Ordines Pomeraniæ viciſſim ſua obligatione exſolvantur, & alias conſcientiam rationibus ſtatus cedere.* (Quæ Salvii verba fuerant.) *Si pro pace ac ſalute Imperii de ſuo jure deſiſtat Elector, exiſtimationem potius gliſcere; idque factum Domui ſuæ, & agnatis facile adprobaturum, præſertim egregia penſatione accepta. De opportuno Pomeraniæ ſitu negari non poſſe; ſed & hunc Sveciæ magis arridere, ac rebus Proteſtantium præſidium inde parari; ac alias terras datum iri Marchiæ non minus commodas: ſed in Germania nihil occurrere, quod Sveciam æque deceat. Securitati Electoris per arctiſſimum cum Svecia fœdus conſuli. Vicinorum iras haut metuendas. Sveciam Electori adverſus Polonum tuendo ſufficere. Damnum jam ſatis domitum. Belgas in Sveciam nil tentaturos, ac ſi velint, hanc cum iſtorum hoſtibus fœderibus ſociandam. Cæterum de jure Electoris in Pomeraniam ſatis ſibi conſtare, nec id in dubium vocare: ſed frequens eſſe, ejuſmodi jura per intervenientes caſus alterari; quod deducere ſibi in proclivi ſit, ni ſuperfluum judicetur, inutilem diſceptationem ſuſcipere. Nam ſpem eſſe haut ſerio Electorem de Pomerania recuſare, velut luculenta materia ſtudium in Reginam, & patriæ tranquillitatem teſtandi.* Noſtri acceptabant, a Svecis jus Electoris in dubium haut vocari, cui & per fœdus inter Guſtavum Adolfum Regem, & Pomeraniæ Ducem nihil detractum ſit. Ex quo multa diſceptatio ſurgebat, nullo exitu, niſi quod Salvius jaceret; dolere ſibi, aliam viam non eſſe, qua Sveciæ ſatisfiat. Sed perinde fore, Regina an Elector Pomeraniam poſſideat. Cum noſtri Oxenſtiernæ exprobarent, quod nuper dixiſſet; compoſitis Imperii negotiis ad ſatisfactionem pacem haut adhæſuram, iſte cavillabatur; perſuaſum ſibi fuiſſe, Electorem circa Pomeraniam haut tergiverſaturum. Sed forte legatos a Regina ad Electorem brevi mittendos omnem difficultatem amoturos.

Sveci ad noſtrorum rationes reſpondere conantur.

§. 40. Aſt Cæſarei contra initio noſtros obfirmare, ne quid Pomeraniæ Svecis Elector annuat, ſed Cæſari potius arma ſociet; nec deeſſe adhuc Germaniæ vires, queis Sveci iterum expellantur. Nam verbis diſſenſum teſtari, multasque rationes commutare haut ſufficere; ſed declarandum, quid facere Elector decreverit, ſi Sveci Pomerania ultro decedere nolint. Ad quæ noſtri: Electorem haut temere ad extrema deſcenſurum; ſed ſi amica remedia incaſſum cadant, ſat temporis fore de adhibenda vi differere. Sed nec obſcure innuebant, ſibi, atque Catholicis omnibus perſuaderi, Electorem clam cum Svecis ſuper cedenda Pomerania conveniſſe, ea lege, ut pro hac alias ſibi terras adquireret. Id quod noſtri conſtanter inficiabantur. Qui & Cæſareis ſuper enormitate Svecicorum poſtulatorum querentibus,

Cæſarei noſtras adverſus Svecorum poſtulata obfirmant.

1646. tibus, adversus quæ unicum remedium sit junctis Ordinum cum Cæsare viribus istos Germania exturbare, reponebant: ejusmodi Ordinum conjunctionem fieri non posse, nisi querimoniis horum sublatis; a quo Cæsareos juxta, & Catholicos abhorrere constabat. Sane optandum fuisse, dudum Cæsarem cum Ordinibus, & hos inter se super iis, queis utrinque se læsos arguant, amice & ultro transegisse. Tunc enim omnes incubituros fuisse ad Cæsaris æque, & Imperii incolumitatem servandam, nec istos extraneis Regibus id beneficii debituros, qui nunc iisdem hoc modo delinitis sua postulata pervincere instituant. Enimvero altas nimium radices eam persuasionem apud Ordines egisse, absque Regiorum opera nil æqui a Cæsare obtineri posse. Unde nec Trautmanstorfium sinceri studii fidem adsequi, utut non citra ambitionem circa componenda gravamina sese jactet. Mox tamen cum nostri acriter quererentur, Electorem nullius culpæ compertum pro omnibus velut piacularem victimam objici, ipsiusque dispendio pacem communem redimi; & jam olim Saxonem intempestive de Pomeraniæ parte in Svecos transferenda jactasse, Trautmansdorfius reponebat: sese hac super re cum Svecis acerrime contendisse; sed vix aliud obtentum iri, quam ut Electori dimidiæ partis jactura defungi liceat, cum Sveci totam spe devorasse videantur. Igitur quietem patriæ ne invideret, & iniquitati temporum sapienter sese accommodaret. Ad quæ Witgensteinius commotior fremere: Electori non tam Svecorum postulatum, quam quod Cæsarei præter fas & æquum in id consenserint, acerbum iri visum. Sane aliter ab ipsis sibi promissum; nec Cæsarem fugere, istius provinciæ alienatione irreparabile damnum Germaniæ inferri, dum Borealibus ad hanc invadendam via panditur. Trautmansdorfius contra: ista sibi satis perspecta. Sed Svecos eo postulato desistere nolle; ac Cæsari pace utique opus esse, quam hæreditariis suis ditionibus emere haut placeat. Et quia Elector multas suarum præfecturarum pigneri exposuerit, insignem pecuniæ summam ab Ordinibus Imperii collatam huic dari posse, qua æs alienum dissolvere, consolidatisque ditionibus ærarium suum probe constituere queat. Ad quæ Witgensteinius: Electorem ignominiæ loco habiturum talia sibi proponi. Non esse, quod alii de ære istius alieno soliti sint, quod haut magnopere ipsum premat. Nec levius Electorem jactura suarum ditionum, quam Cæsarem tangi. Sed nec sufficere, ut Cæsar iniquo postulato assentiat, sed quam maxime Electoris, suæque Domus consensum requiri. Equidem si Svecis æqua præmia decernantur, ratam portionem ipsum conferre paratum. Sed ut tota sua ditione decedat, id nullo jure postulari posse. Trautmansdorfius necessitatem ingerere. Si data pecuniæ summa Electori haut consulatur, terras non deesse, quibus divisæ invicem ejus provinciæ combinari queant. Se ipsum ad eundem, ubi e Borussia venerit, profecturum, eique, ut ista probet, persuasurum. Quod frustra fore Witgensteinius asseverabat. Cæterum dolendum esse, per Cæsareos Svecis pertinaciam additam, ut tam acriter postulato suo insistant. Ni isti ita facile consensum suum præcipitassent, hos alia fuisse consilia capturos. Ita culpam hujus molestiæ in solidum penes Cæsarem, ejusque ministros hærere; cum tamen Electori spes fuisset, meritum se, ut major sui ratio haberetur. Trautmansdorfius; meliora se optasse, ac cum Collegis acriter apud Svecos desudasse; sed nulla ratione a sententia ipsos dimoveri potuisse. Ac tamen exitiosi belli finem quovis pretio fuisse quærendum. Simul insinuabat, super satisfactione cum Regiis prius transigendum, quam ad componenda gravamina accedatur. Witgensteinius: ex hoc satis adparere, qua via Sveci apud Cæsareos Pomeraniam pervincere instituant. Ad quæ Trautmansdorfius commotior: admodum sinistre in aula Cæsaris accipi, quod Elector tantopere instet, Hammo oppido Cæsareum præsidium deduci, ac altius quid agitari suspicionem esse. Contra Witgensteinius; innocentes Principes suspicionibus haut onerandos. Cæsari officium suum dictare, ut etiam non rogatus sua Ordinibus restituat. Ac gravem Electori rationem esse, quare istius oppidi restitutionem exigat, quod alias ipse Calcariam Landgraviæ ex conventione teneatur reddere. Ad rationes, quæ nostri prælegebant, ob quas Elector Pomerania cedere non possit, Trautmansdorfius reponebat; eas gravissimas esse, ac a Cæsare Electori Pomeraniam haut invideri, Fragensem pacem testem esse. Si Ordines imperii induci queant, ut Cæsarem magis, quam extranea regna respiciant, spem esse, Electori eam servari posse. Sed istorum plerosque Regibus innecti, postulata horum probare, eoque istos devinctum ire, ut ad gravamina ipsorum expedienda operam suam polliciantur. Unde se haut perspicere, quæ via ineunda, si Sveci insuper habitis rationibus Pomeraniam sibi deposcere pertendant. Nam pace utique opus esse, ingruente jam quam maxime a Turca periculo. Cæterum omnia se tentaturum: sed si nihil proficiat, optime consulturum sibi Electorem, si necessitati manus det. Cui & cavendum sit, ne, si nimium reluctetur, Sveci arma, quæ terra marique parent, in Borussiam vertant. Sed nostri nil aliud sibi mandatam, reponebant, quam cessioni Pomeraniæ omni ratione reniti. Trautmansdorfius contra: valde metuendum esse, ne Svecia, quam alias Mare Balticum Germania disjungit, utique tractum hujus litoralem affectet. Quod si autem Elector ditione sua carere nolit, quod & vitio ei vertendum non sit, avertendo patriæ exitio, pacique inveniendæ nil aliud superesse, quam ut inter Reginam, & Electorem nuptiæ contrahantur, quibus dein super Pomerania facile conventurum sit. Nostri ista eludere, velut parum sibi cognita. Proceres Sveciæ clavo reip. tractando adsuetos ægre hunc e manibus amissuros. Ast Trautmansdorfius eam rem utique, successuram affirmabat, idemque omnes civilium rerum peritos judicare. Ac majoris esse pacem, quæ per id matrimonium Imperio concilietur, quam præjudicium, quod eidem forte inde metui queat. Unicum in Svecia Axelium Oxenstiernam esse, qui matrimonium isthoc impedire moliatur, quod Erico filio optet. Sed istum senio gravem, & eodem mortuo omnia mutatum iri. Quæ nostri magis expiscandi causa, quam serio dici censebant, quod Domus Austria- 1646.

Mox de Pomerania cedenda ingerunt.

cæ

1645. cæ minime interesset, Sveciæ Regnum cum Brandenburgicis ditionibus combinari. Eoque rogabant, ut is abjecta hac cogitatione eo rem dirigat, quo Electori ditiones suæ salvæ maneant. Svadebat quoque Volmarus, ut nostri relationibus hebdomadariis, tanquam publicis mentiendi instrumentis, inseri curarent; Electorem cum Mosco fœdus super servanda Pomerania agitare. Quod a nostris repudiatum, velut forte Svecis ad periculosa consilia capienda ansam præbiturum.

Galli Pomerania parte cedendum suadent.

§. 41. Nec minus nostri apud Gallos sedulo instabant, ut favore suo Electorem sublevent, quo Pomerania ipsi salva sit; excusato, quod circa Gallicam satisfactionem ita aperte studere ipsis non potuerint, ne Sveci id adversus ipsos allegarent. Simul rationes, quæ Electoris causam fulciebant, inculcare. Circa quas Longuevillius Dux disserebat: *Svecorum equidem postulata enormia esse, nec a quopiam jus Electoris in Pomeraniam in controversiam vocari. Negari tamen non posse, ni Sveci intervenissent, ac præsens tunc armorum Cæsareorum status perstitisset, Electorem Pomerania plane excludendum fuisse; de quo satis sibi constet. Unde par esse, Svecis saltem aliquam ejus partem pro navata ista opera concedi, aliis terris pensandam, non minus opportunitatis ac securitatis præbituris. Gloriosum quoque ipsi fore hac ratione pacem accelerasse. Nec perspicere, qua alia ratione Sveci istis terris dimoveri queant. Sane sibi ea de re contendenti a Svecis repositum; Electorem non ita circa hoc negotium laborasse, ut serio id ab ipso agi credatur. Debuisse enim id missis Legatis quærere, simul de affectu suo in Reginam testari. Quæ unica sit via negotium id amice componendi, ac Pomeraniam aliquando cum Electoratu uniendi. Equidem non sine invidia jactari, Electorem per proxima cognatione junctam ditione sua tantum non exspoliari. Enimvero illam arctiori vinculo rationibus sui regni innecti, cujus firmitatem & securitatem ante omnia habere teneatur; quæ & necessitatem ipsi imponat præmium belli e Pomerania petendi, quod nulla alia in Germania regio sit, quæ emolumenti quid, & securitatis Sveciæ dare queat. Neque vero a Svecis postulari posse arma ita ponere, ut futuris bellis nesciant, quid ea Germaniæ parte cautionis ipsis sit. Nec ullam molestiam Electori a Svecia metuendam, si arctiori fœdere huic jungatur, cui eadem prona sit: quod & ipsum isti apud alios non parum auctoritatis circumpositurum sit. Equidem se optima quæque Electori cupere; sed ob arctum fœdus, quo nunc duo regna junguntur, non posse non Svecis suffragari, præsertim non tam lucrum, quam securitatem status sui captantibus. Reliquos Principes, quos ob pacta mutuæ successionis Pomerania tangat, facile permoveri posse, ne huic rei se opponant, ubi perspexerint, pacem alio modo obtineri haut posse. Dani quoque & Poloni rationes tanti non faciendas, ut ideo Germania, & major orbis Christiani pars diutius sanguini innatare debeat. Et utrique ejusmodi terrarum jacturam fuisse faciendam, quæ non minus opportuno situ gavisæ sint. Saltem neutrum Pomeraniæ nomine cum Svecis bellum orsurum, Polonum classe destitutum in Sveciam nihil valere, nec Ordines in bellum consensuros. Danum non temere aleam denuo jacturum. Igitur quæ præsens conditio subigat, admitterentur, ne rebus in deterius euntibus duriores forte leges subeundæ sint.* Adversus quæ nostri

Eorum multis demonstrabant: *Regem Gustavum Adolfum initio belli professum, se venisse, ut amicos oppressos liberet.* 1646.

rationibus respondetur.

Atqui malignum amicitiæ specimen, hosti extorta sibi retinere, & quæ in hoste improbes imitari. Frustra jactari, Electorem nunquam Pomerania fuisse potiturum, absque Svecis si fuisset Cæsareos ejicientibus. Nam Cæsarem utique pactum successionis inter Domum Brandenburgicam, & Duces Pomeraniæ firmasse, & Electoris patrem de hac provincia investiisse; quem salva existimatione & fide publica eadem iterum exuere non potuerit, nec eam injuriam totum Imperium fuisse toleraturum. Nec Electori in proclivi esse in hoc negotio manus dare, quod statum Electoratus quam maxime afficit, nec facilitatem posteritati suæ unquam adprobaturum. Potius Svecia cupidinem suam vinceret, nec alienas terras amicorum cumprimis affectaret. Gloriam promotæ pacis haut nimis caro emendam. Et quare non Svecia eam sibi gloriam vindicatum eat; cum major favor prosequatur eum, qui de damno vitando, quam qui de lucro adquirendo certat? Nullam quoque necessitatem esse, quæ Svecos ad appetendam Pomeraniam subigat, nisi quam ipsi ultro sibi finxerint. Et si iste mos invalescat, nemini de sua ditione satis cautum fore; cum alteri semper ea ratio in promtu sit, sibi ob securitatem status sui necessitatem ad aliena adpetenda imponi. *Sveciam jam antea a natura satis munitam, ut e Germania nil molestiæ timendum ipsi sit. Et si huic rationi utique pondus aliquod insit, eam quam maxime pro Electore militare, ad cujus securitatem quam maxime faciat Pomeraniæ possessio, quæ & communicationem inter Marchiam & Borussiam copulet. Frustra occini; Electoratum Brandenburgicum substitisse, cum Pomerania peculiares Duces haberet, ac Electori ferendum fuisse, si horum stirps adhuc duret. Nam hosce nullis hostibus cinctos fuisse, a quibus periculum immineret; eosdemque comiter semper Electorum amicitiam coluisse, sicut Marchiæ ac Pomeraniæ regimen vix dignosceres; nec terræ suæ bona satis intellexisse. Contra Svecis Danos, ac Polonos hostes esse, quorum collisionibus non possit non Elector implicari. Ac plurimum interesse, debilem & ejusdem reip. participem vicinum habeas, an validam rationem extraneam, quæ in alieno solo pedem figere instituat, ac limites data occasione proferre haut aversetur. Nam quæ fœderibus vis sit, ubi vires & occasio arrideat, nemini rerum humanarum perito incognitum.* Ad isthæc cum Galli nil præter necessitatem reponere possent, demum rogabant, ut Elector temperamentum aliquod proponeret. Ad quæ nostri: jam anno 1635 actum fuisse super Magdeburgico præsulatu Svecis tradendo, & ut præfectura Barthensis iisdem ad communicationem concederetur. Posse & ab Electore unum & alterum cautionis in vicem certum ad tempus indulgeri. Id quod Galli a ratione haut abhorrere agnoscebant. Ast Electoris super disputatis per Gallos ea sententia erat: *Quod postulatis Svecorum annuere nequeat, id non provenire e pervicacia quadam animi, sed quia exitium sui status inde proventurum metuat. Eum jam ante quatuor potentibus regnis medium interjacere, Polonia, Bohemiaque longo limite junctum, & Dania Sveciaque velut a fronte objacentibus; quorum nulli via precludatur, quo minus ad se accedere possit, si velit. Nunc Sveciam inter præcordia ipsius pedem figere conari, quo paulo minus quam servitio, aut perpetuo metui obnoxium tenere queat. Id vero admodum indignum esse, ad isthoc operam collatum ire amicos nostros, quales Galli verbis se ferunt, qui post ruina jam implicitos ægro animo adspectaturi sint, nulla medendi amplius fa-*

1646. *cultate. Sed nec dignos Christianis sermones esse; justitia quidem a vestris partibus stat, nec ita de nobis meriti estis; sed in præsens ita fieri necessum est. Vis & injuria vobis toleranda est, ut aliorum libidini satisfiat. Et cur non rationes status, quas tantopere crepant, illi potius parti prosint, quam justitia quoque sublevat? Multa quoque de pensatione spargi, sed nihil exprimi, quod reliquis ditionibus ipsius opportunum sit. Si Magdeburgensis & Halberstadiensis provincia, & in Silesia Glogoviensis ac Saganensis ducatus petantur, (nam de Carnoviensi & Crosnensi mentionem injici ludibrium esse,) nil aliud se assecuturum, quam ut offensa Cæsaris & junctissimorum amicorum incurratur.*

Belgarum opera sollicitatur.

§. 42. In Fœderatis Belgis major fiducia Electori reponenda videbatur, haut arcto fœdere Sveciæ innexis, & quos propriæ rationes permoturæ credebantur, ut circa Pomeraniam enixius studium ponerent. His igitur Elector per suos Legatos inculcabat; *neminem esse ita imperitum rerum, quin Svecos id agere intelligat, ut dominium Maris Baltici ex asse sibi vindicent, omnibus eidem adsitis Principibus exclusis, nullo amicorum, inimicorumve discrimine. Nec certius quid Electori expectandum esse, quam ut erumpente cum Polonis bello pari ex ratione portus Borussiæ & Curlandiæ affectaturi sint, non minus opportunitate situs, quam Pomeranicos & Meclenburgicos arrisuros. Ita omnibus istos portubus ad hoc mare potituros, Lubeca excepta, adsitorumque populorum commercia pro libidine temperaturos, queis & bellum immittere in proclivi futurum sit. Simul communicationem ipsi cum amicis claudi, ut neque istis ad se nec sibi ad istos accessus absque Svecorum permissu pateat. Denique limitem Imperii ea parte in horum potestate fore. Quæ omnia Belgas æmulatione accendere idonea sint; præsertim cum Sveci videantur e Pomerania longius manus porrecturi, & quæ arrideant invasuri; unde Electoris ditiones non possint non perpetuis turbis inquietari.* Isthæc atque alia ad rem facientia cum nostri Belgarum Legatis sedulo ingererent, quos & ut ad solidi quid hoc in negotio præstandum instigarent, Cæsarei nostros monuerant; isti quidem ferociter jactabant; *sibi nullo modo concedendum, ut Sveciæ regno Pomerania adcrescat. Nec in occulto esse, quantum reipublicæ suæ malum immineat, si Sveci ex utroque latere Maris Baltici portus atque commercia in manu suo habeant. Elector modo acriter obnitatur. Si vim meditentur Sveci, haut segnius sese occursuros. Quin malle se cum Hispano levioribus conditionibus decidere, quo liberum sit validos nimium vicinos Mari Baltico avertere. Ac si utique in præsens prohibere nequeant, quo minus Sveci Pomeraniam nanciscantur, vix triennium elapsurum, quin cum Dania fœdus sint inituri ad istos maris dominatores in ordinem redigendos. Ac habere se causas, quare ab astutia Svecorum sibi caveant, a quibus tractatione Bræmsebroënsi gravius quam unquam antea circumventi sint.* Ac revera Belgæ apud Cæsareos & Gallos institerant, hi ne in alienationem Pomeraniæ consentirent. Etsi Trautmanstorfius diceret; istos apud se non nisi verbo tetigisse, haut placere sibi Svecos Pomerania potiri. Sed Salvius judicabat, ejusmodi commendationibus parum profici; ac Belgas facile placari posse, si ipsis confirmetur, circa vectigalia & commercia nihil novatum iri; quibus ubi cautum fuerit, perinde ipsis fore, quisnam Pomeraniam possideat. Nec Svecis alias rationes deesse Belgis gratificandi; qui idcirco haut temere 1646.
Svecorum amicitiam repudiaturi, multo minus bellum ipsis facturi sint, Hispanico cumprimis adhuc incumbente. Ac sane ultra verba sat langvida tunc non procedebatur. Nam decreverant Ordines Fœderati, ut Legati sui cum Svecis super Pomerania modeste loquerentur, ac ne rationibus suæ reipublicæ per eam præjudicii quid inferatur, monerent; addito invitis se valde futurum, si in Electorem a Cæsare aut Svecis durius quid statuatur. De cætero haut obscure insinuabant Legati, vix solidi quid a Belgis susceptum iri, ni Elector circa matrimonium cum Austriaca certi quid statuat. Scripserunt tamen iidem literas ad Reginam Sveciæ, queis petebant, ut ipsa Electorem demum ad quietam Pomeraniæ possessionem pervenire patiatur, quo & hic communis pacis fructu gaudere queat. Ac valde molestum sibi fore, si eundem hoc in negotio lædi contingat; præsertim cum ejusdem incolumitas ipsorum remp. multos, eosque graves ob respectus afficiat. Et judicabat Servientus, si Sveci ista plane insuper habeant, ac toti Pomeraniæ insistant, olim inter hos & Belgas ad arma perventum iri. Post tamen cum Sveci spem facerent, sese parte Pomeraniæ contentos fore, Belgæ quoque remissius loqui: Si Electori arma in promtu sint, majus pondus ejusdem dictis futurum. Sed nunc ista parare anceps esse. Nam si vel minimum Elector sese moveat, Svecos protinus in viscera reliquarum ipsius ditionum penetraturos; ac amicis difficile fore eidem subvenire. Promittebant tamen quantum possint se facturos. Galli quoque ex his quæsierant, quid facturi sint, si Sveci suo postulato desistere nolint; & an vi opposita istos impedire animus sit? Ad quæ Belgæ plane obmutescebant. Cum Galli denuo interrogarent; num si Sveci Pomeraniæ insistant bellum decernere, & arma cum Gallis conjungere velint, quo ipsi consilia sua ad id attemperare queant; isti negabant aliud sibi injunctum, quam ut causam Electoris verbis commendent. Esse quoque sibi fœdus cum Svecis, quod quamdiu ab his servetur, nil hostile adversus eosdem sibi suscipere fas esse; præsertim si Cæsar & Imperium Svecis evictionem præstet. In eundem sensum Trautmanstorfio eadem interroganti responderant, multis verbis de rationibus suis jactantes, solidi nihil. Cæterum disserebant: *summa rerum parum periculi imminere, si maxime Svecis Pomerania obtingat. Nam Danos, Polonosque juncto Brandenburgico istorum vires semper librare posse, ubi iidem non amplius tot victoriis incluto Germanorum exercitu succingantur; nec Belgas saltem tecte istis compescendis operam conferre neglecturos.* Quæsierat quoque e Belgis Salvius; num quid habeant, quod opponant, quo minus Svecis Pomerania cedat; ac num ipsis lubentibus id futurum sit? Cui Belgæ reposuerant; non esse sibi injunctum certi quid heic declarare, aut sese opponere. Sed brevi mandata accepturos cum Collegis suis, qui Hagam profecti sint. Id tantum dicere; optare Belgas circa Pomeraniam nihil mutationis contingere, quod per id commercia in Mari Baltico turbari queant. Quibus Salvius confirmabat, circa ea nihil novatum, nec vectigalia intensum iri. Alias disserebant iidem; etsi Sveci partem Pomeraniæ in præsens nanciscantur, haut

diu

1646. diu tamen eam retenturos. Nam si, uti solent, commercia premant, Belgas id haut toleraturos. Eam occasionem a Dano cupide arreptum iri vindictæ de Svecis sumendæ, cui Anglia proprias ob rationes accessura sit. Polonum quoque ac Moscum ea rerum facie haut quieturum. Ita Sveciæ affatim bellorum fore. Enimvero larga semper istis copia fandi erat, cum res nunc manus posceret; qui & ipsi discordes inter se agebant, & in dies fere diversa differebant. Ivere tamen post Osnabrugam tres Belgarum Legati, Pawius, Donia, & Clantius, qui nostris memorabant, se causam Pomeranicam, & rationes reip. suæ circa Mare Balticum Gallis diligenter commendasse; qui & ample promiserint, ut iis tuto confidi possit. Apud Svecos se laxioribus verbis super Pomerania movisse, quod & valde inhumanum sit, amicum Principem ditionibus suis exuere; nec Imperium tolerare queat portus in alterius manus pervenire, & illa parte exteris januam pandi ad incursiones pro lubitu faciendas. Ultra intercessionem procedere, aut solenne sequestrium officium suscipere sibi haut injunctum. A Svecis responsum; jure belli Pomeraniam a se deposci, & quia Elector citra ipsos ea potiturus nunquam fuerit, velut Bavaro jam, & Lotharingo a Cæsare destinata. Ac se circa commercia & vectigalia nihil novaturos.

Paw. Clant.

Ordines Imperii causam Electoris frigide agunt.

§. 43. Nec majus præsidium in Ordinibus Imperii inveniebatur, qui omnes belli tam diuturni tædio pacem anhelabant, quam alieno dispendio redemisse lucro sibi ducebant, pars etiam non obscura in Domum Brandenburgicam invidia, cujus opes accessione Pomeraniæ non parum incrementi sumturæ erant. Unde & vix verbo Electoris causam commendare audebant, veriti, ne onus satisfaciendi Svecis in se devolveretur. Simul ingens anxietas suberat, ne ista occasione Elector cum Svecis collideretur, magno cum periculo communis Protestantium causæ. Ac in universum bene cum Electore actum iri judicabant, si dimidiæ Pomeraniæ jactura defungi licuerit. Multo minus autem eadem causa Catholicos Ordines tangebat, qui metuebant, ne si ista fervide ageretur, antequam sibi cum Protestantibus super mutuis querelis convenisset, Sveci Præsulatus Catholicos in Westphalia majore numero sibi deposcerent, Protestantibus facile suffragaturis. Qui & non aliter quam summa pecuniæ Electori pro Pomerania satisfieri volebant; & cum nostri ipsorum interpositionem in ea causa quærerent, excusabant eandem infructuosam fore, antequam gravamina composita sint. Quos & constabat ista omnia ad Cæsareos referre, & de compacto cum hisce loqui. Quin & de Ordinibus Osnabrugensibus Witgensteinio referebat Oxenstierna; illos ad se ob negotium Pomeraniæ accedentes declarasse; *mirum sibi videri a Brandenburgicis tantas querimonias super Pomerania excitari in quam tamen Electori nihil juris sit. Eam quippe per victricia Svecorum arma occupatam, quæ & prohibuerint, ne idem penitus sua ditione ejiceretur. Unde iniquum esse eundem hoc nomine pensationem accipere. Saltem ægre se consensuros, ut isti aliquot præsulatus dentur. Quia tamen Domui Brandenburgicæ expectativa in Pomeraniam fuerit, expeditissimam viam esse, si Svecis dimidia ejus pars concedatur, reliqua pars penes Electorem citra compensationem maneat.* Valde tamen instantibus nostris demum per Deputatos magno numero Svecos adiere laxioribus verbis causam Electoris commendaturi, sola hac ratione adducta; quod penes Electorem non magis quam alios Imperii Ordines culpa hujus belli hæreat, ne Svecis satisfactionem abnuisse viderentur, simul ut his tacite Gallorum exemplum imitandum insinuarent, qui ab autore belli satisfieri sibi voluerant. Ad ista Sveci pariter laxioribus verborum formulis responderant, velut qui satis norant, istos hoc officio obiter duntaxat defungi voluisse. Solus Lotharingiæ Dux promtissimum se sublevandæ Electoris causæ ferebat; etsi nulla ipsius apud tractatus ratio haberetur, & idem quam maxime alieno auxilio indigeret. Ac decem sibi militum millia jactabat, quibus quinque millia additurus sit; quæ nemini auxilio adducere quam Electori malit. Addito, unicum illum armis suis scopum propositum, ut Imperium in statum, qui ante bellum fuerat, restituatur, & quisque Ordinum suo jure potiatur; idque ad Electorem referri jubebat. Hic etsi in istis nihil fiduciæ reponendum nosset, jubebat tamen Legatos humaniter gratias illi reponere, nec oblata adspernari, ac verbis amicitiam alere, saltem onerі aut noxæ haut futuram. 1646.

Lotharingiæ Ducis inania promissa.

Pomeranorum Deputati anxie agunt.

§. 44. Ast Pomeranorum Deputati tota Osnabruga circumcurrere, ac ne Electoris imperio subtrahantur obsecrare, admodum animo perturbati, cum Cæsareos Svecis insignem Pomeraniæ partem concessuros intelligerent. Tum nostros confirmare, immota se fide Electori adhæsuros, modo is in ipsorum alienationem ne consentiat. Ac a suis sibi injunctum adversus translationem suæ provinciæ publice protestationem interponere. Eadem ingerebat a Stralsundensibus missus, addito, satius sibi fore nonnihil adhuc molestiæ tolerare, quam dura Svecorum imperia subire. Post cum serio super Pomerania Svecis concedenda agi perciperent, apud Legatos Svecicos quam jussi erant protestationem exponebant. Quibus Sveci respondebant: cum Elector ipsos omni auxilio destituerit, non esse, quod istum amplius respiciant. Quem Pomerani facile excusabant, non voluntate sed viribus destitui ad alienis armis oppressos vindicandos. Simul addebant: cum Svici tam multa hactenus super matrimonio jactarint, cur nunc ita acriter Pomeraniæ deposcendæ instent? Nam si serio nuptias agitent, quæ ab omnibus promtissimum remedium componendæ huic controversiæ habeantur, hoc modo Pomeraniam affectare cum ipsorum damno conjunctum, cum in ejus locum alias provincias in præmium belli nancisci queant, Pomerania nuptias ultro secutura. Istis Oxenstierna primo reposuerat, ab Electore eam rem serio non agi. Sed iisdem acrius urgentibus Oxenstierna, qui tunc in convivio vino incaluerat, demum erumpebat: *Reginam circa nuptias aliud consilium cepisse, nec de iis amplius cogitandum, cum cœlibem exigere vitam decreverit.* Porro isti Deputati, cum apud nostros instarent, ut si Electori sua provincia reddatur, vectigalia a Svecis introducta aboleantur, commerciis pristina libertas restitueretur, simul privilegia sibi, & sacra sua salva sint, fatebantur super sacris a Svecis scrupulum sibi injectum, quo ipsorum animos ab Electore averterent, quod We-

1646. Wesenbecius in Senatu Principum ita acriter pro jure reformandi contendisset. Id quod nostri ita excusabant; Electori hautquidquam in animo esse ulli ob sacra negotium facessere. Sed ideo ejusmodi sententiam fuisse dicendam, quod Lutherani postularent, cæteros quoque Ordines Reformatos subjectis suis ad Electoris exemplum literis cavere utique debere; cum Elector aliis præjudicium adferre nolit. Iidem Pomerani ostendebant; plerosque superioris Germaniæ Ordines, Altenburgicum, Vinariensem, Wurtenburgicum, Darmstadiensem, alios promisso super componendis gravaminibus inescatos, si super Pomerania ipsis favere velint. Inferiores Saxones, inprimis Lubecenses & Bremenses adhuc reluctari, qui viciniam Svecorum horreant. Cumprimis Cæsareos & Catholicos haut invitos Pomeraniam dimissuros, ne de provinciis hæreditariis aut præsulatibus aliquid decerpatur. Sed nimirum quid Pomerani differerent, Sueci parum curabant, qui ne isti frænum mordere possent, satis providerant.

Elector Polonia Regis operam solicitat. §. 45. Isthac animorum inclinatione animadversa Elector nil aliud superesse sibi judicabat, quam ut extraneos Principes, quos id negotium aliquo modo tangebat, in sui favorem excitaret. Id quod tamen caute tractandum erat, ne si Svecis innotesceret, eos duriores redderet, aut ad asperiora suscipienda impelleret. Eum in finem Joannes Hoverbequius apud Poloniæ Regem velut proprio motu exponere jubetur, quid super Pomerania a Svecis affectata rumor ferat, qui & inanis esse haut videatur. Simul demonstraret, quam periculosum Poloniæ sit futurum, ejusmodi vicinum nancisci, qui cum bellum nondum sit compositum, & qui e Livonia quoque immineat, nulla alias obligatione eidem innexus; cui in promtu sit, quandocunque lubido subierit, paratum in Germania exercitum Poloniæ infundere. Ei malo prævertendo Rex Cæsari demonstraret; quam ancipitem in statum Poloniam non minus, quam Silesiam & Bohemiam conjecturus sit, Pomerania Svecis tradita; quæ cum hactenus Germaniam ab eo latere objectu maris tutam præstiterit, nunc in hanc juxta, & Poloniam per istam patulum aditum strui. Nec Danubio Rhenoque adsitis securitatem amplius constitutam, ad quos, quamvis longius a periculo remoti videantur, quam facile belli flamma trajicere queat, hoc ipsum bellum docuisse. Igitur Cæsarem oraret, ne ipse in alienationem Pomeraniæ consentiat, neu, ut Ordines Svecis circa hanc faveant, permittat. Sane Electorem ultro haut cessurum; sed vi arcendæ imparem esse. Præterea quia Galli fervide pro Svecis contendere cœperant, eidem injunctum, ut Poloniæ Rex Gallis demonstraret, quantopere Poloniæ intersit, ne hæc Svecos ex utroque latere vicinos habeat, queis eam turbandi semper facultas futura sit. Nam Polonos nunc gratia apud Gallos pollere ob recens Regis cum Nivernensi virgine matrimonium. Nec minus ut eadem apud Daniæ Regem, ac Principem Arausionensem moveret, quorum utriusque interesset, ne Svecorum potentia in Mari Baltico glisceret; quo & ipsi quantum possent operæ ad eam rem impediendam conferant. Ipse quoque Elector id negotium Bregio Legato apud Polonos Gallico, qui *Bregy.* Regiomonte eum inviserat, diligentissime commendaverat. Qui pollicebatur sese Mazarino per secretas literas solicite ingesturum, ne Svecorum destinata a Gallis foveantur, utque Electori suæ ditiones salvæ persistant. Quæ non plane effectu caruisse eventus ostendit. Cæterum & ipse Poloniæ Rex ad eos tractatus Roncolium, & Matthæum Cracovium mittebat, ejus Regni rationes circa Pomeraniam Legatis ibi commendaturos. *Rex Polonia ad tractatus pacis mittit. Roncalio.* E quibus Cracovius Osnabrugam delatus offerebat, sese operam nostris circa servandam Pomeraniam sociaturum. Sed quia Rex Poloniæ de hac missione in antecessum Electori haut communicarat, ac metus erat, ne Sveci suspicione perstricti ansam inde arriperent infesti quid in ipsum tentandi; nostri eidem suadebant, ut negotium id seorsim agat, nec ipsos eidem immisceat; tum ipsorum conversatione parcius & cautius utatur. Is igitur cum Trautmanstorfio exponeret, Poloniæ securitatem non pati, ut Svecis Pomerania ad Oderam usque flumen cedat; hic abrupte: Cæsarem & Imperium in Poloni gratiam bello immersum hærere haut amplius posse, cum hic ne unum quidem equum hoc bello in auxilium Cæsari instraverit. Ad quæ Cracovius: *Polonos ob inducias cum Svecis, ac conditionem Regni sui plus præstare non potuisse. Et tamen Joachimo Ernesto Cracovio, atque Mitzlafio non solum liberos militum delectus, sed & itum reditum per Poloniam in Pomeraniam irrumpentibus permisisse.* *Mitzlaf.* *Sed nec Electori tanquam vasallo Poloniæ, si vel maxime velit, fas esse Svecis Pomeraniam usque ad Oderam concedere, quod ex ea Sveci in Poloniam irrumpere, ac inde trans flumen recipere se possint, Poloniæ vindicta facultate interclusa. Nec parum sua interesse ob commercia, quæ alias per VVartam fluvium exercere fueverint. Sed & Polonos semper Pomeraniæ curam suscepisse, velut limitem ipsorum tegentis. Unde cum superiore seculo Carolus V. Ducem Pomeraniæ, quod hic fœderi Smalcaldico nomen dedisset, proscripsisset, Sigismundum Regem Cæsari denuntiasse; ni istum omittat, se causam istius suam facturum, nudo acinace misso. Unde Polono sequestre ducem Cæsari reconciliatum, ut tamen ducenta uncialium millia multa nomine solvenda essent. Quam ob causam Ordines Pomeraniæ a Duce stipulatos, ne is deinceps fœdus absque ipsorum consensu ineat. Testabatur tamen idem, Regem nolle ut ob Pomeraniam nova turba surgant, aut bellum ideo extrahatur; sed potius nonnibil circa eandem Svecis indulgendum, ut pace facta tam formidabilis Svecorum exercitus dissolvatur.* Cui ostendebant Cæsarei: optandum sibi esse, Pomeraniam penes Electorem manere. Sed neminem inveniri, qui vel tantillo auxilio ipsos sublevare velit. Connixuros se tamen, ut dimidia provincia decidi possit, Galli eidem responderant; in tempore ipsum advenire; nam serio nunc negotium suscipiendum. Ægre tamen Svecos tota Pomerania decessuros. Belgarum Legati dixerant, se mirari, Polonum id negotium non majore studio amplecti. Nam etsi induciæ adhuc durent, aliquando tamen eas expiraturas, ac per easdem istum non teneri, ut rem tanto sibi præjudicio futuram dissimulet. Sed Cracovius censebat; Polonis satius fore firmam cum Svecis pacem concludere, quam ob Pomeraniam multa tricari, ac bello cum his ansam struere. In Polonia varietatem religionum dari, qua Sveci, ubi in bellum

1646. lum res eruperit, in commodum suum usuri sint. Nostris quoque quærentibus, num Poloni arma sua Electori jungere velint ad Pomeraniam recuperandam; is tacendo respondebat. Idem nomine Regis actionem movebat in Rugenvvaldam, Stolpam, & Slagenam, velut in quas isti jus pignoris competat, ac protestationem interponebat; quam cum nostri Svecis ostenderent, hi suspicabantur, id ad terrorem ipsis incutiendum fieri, ac Polonos a se nihili fieri asserebant. Sed nostri excusabant, non alio fine id fieri, quam ut constet, quantopere Elector ab omni parte impetatur. Sed Salvius confirmabat eam actionem inanem esse, ac sibi instrumenta inspecta, quæ data sint anno 1506. ab Episcopo quopiam Camminensi, qui revera Episcopus non fuerit, & in cujus insignibus crux solita non adpareat; ac eadem sine dubio supposititia esse. De cætero judicabat; non magni esse Poloni operam. Satis constare sibi, quomodo isti Regi cum Svecia conveniat. Ab eodem absolutum Poloniæ imperium affectari, eoque clam in Polonia militem magno studio parari. Et quia Gustavus Adolfus Rex ipsi quondam auxilia in eam rem pollicitus sit, si actioni in Sveciam renuntier, eundem jam in eventum, ac si solus id effectui dare nequeat, Svecorum auxilia solicitasse, quæ & dicta lege promissa eidem sint. Unde ipsum id agere, ut si filius eidem nascatur, is se vivo Rex designetur, quo regnum hæreditarium fiat. Unde non esse quod speretur, Polonum Sveciæ se destinatis serio objecturum.

Cæsarei Svecis Citeriorem Pomeraniam promittunt.

§. 46. Inter hæc nostri Cæsareis Legatis rationes precesque ingerere haut destiterant, ne Pomeraniam Svecis annuerent. Qui contra Electorem ad arma cum Cæsare jungenda invitabant, Melandro cumprimis, & Blumenthalio satagente. Id quod nostri studiose declinabant: id nimirum esse, quod Sveci captent, quo prætextum sit Pomeraniam tanquam jure belli retinendi, cæterasque Electoris ditiones infestandi. Unde cum Cæsarei in cassum ista solicitari viderent, quæ & forte librandis Svecorum armis suffectura haut erant, ostendebant, a Bavaro se non citra importunitatem ad pacem urgeri: & quia solus Cæsar hosti haut par sit, demum ad talia remedia descendendum, quibus alias libenter supersedere velint, non obscure de Pomerania, & Alsatia innuentes. Nostri contra obtestari, ut se insciis de Pomerania Svecis nihil promittant, velut qui eo sint ingenio, ut semel pollicita retractari haut patiantur: utque saltem res integra retineatur, quoad Elector e Borussia propius accesserit. Sane cum tot anni circa præliminare pactum adornandum consumti sint, haut par esse nunc ita properari, ut non sententia Electoris, de cujus salute agitur, prius audiatur. Ast hisce insuper habitis Cæsarei Svecis Citeriorem Pomeraniam obtulerunt; nostris id exprobrantibus jactantes, penes Cæsarem haut esse, Pomeraniam per arma Electori servare. Jamdudum se questos, Electorem in Borussia abesse tarda admodum communicatione; ac Regios juxta, Ordinesque longiorem moram adspernatos. Ac tremebundus nec citra magnam animi commotionem Trautmansdorfius dusserebat; *se diutius pacem remorari non posse. Bavarum bello utique exire, & exercitum dissolvere velle, in cujus gratiam a Cæsare Gallis Alsatia concedenda fuerit; qui & nunc Austriacorum auxilia majoribus suis bello Palatino care imputata cum fœnore reposcat. Turcam quoque tota mole ingruere, cui quicquid virium Cæsari supersit, opponendum. Svecos rationes Electoris haut curare; nec in præsens eloquentia rem confici posse. Cæsari Alsatiæ, per sexcentos annos possessa jacturam fuisse digerendam, cum Elector Pomeraniam nunquam possederit.* Ad quæ nostri, haut sperare se, hoc modo cum Electore actum iri, ut ipsius ditiones se invito condonentur. Ne rem præcipitaret: Electorem propediem propius adfore. Ad quæ Trautmansdorfius non citra impatientiam; eadem per quatuor hactenus menses incassum jactata; summam rerum diutius in ancipiti hærere non posse. Simul magnopere circa expediendam regiorum satisfactionem satagebat, ut eadem absoluta gravaminum decisionem ad Conventum Ordinum rejiciendo eluderet. Cum nostri exprobrarent; Cæsareos antea semper ingessisse: obnixus modo staret Elector; Cæsarem ne rusticum quidem prædium de Pomerania ipso invito alienaturum; Trautmansdorfius prolixe disserebat: *ultra vires neminem stringi. Se omnem lapidem movisse, ut Svecos eo postulato dimoveret; cum id obtineri non potuerit, bellum ideo a Cæsare continuari non posse. Non minus Cæsari fuisse optandum, a se Alsatiam, quam ab Electore Pomeraniam retineri. Sed cum nec propria vires pertingant, & ab Ordinibus nil subsidii accedat, nimirum dimittendum esse, quod servari nequeat. Omnia tamen ex placito Ordinum adhuc pendere, qui ubi ita se gesserint, ut Imperium integrum servari queat, simul viam ostenderint, qua Svecorum manibus Pomerania extorqueri possit, Cæsari rem longe gratissimam facturos. Enimvero considerandam esse præsentem Germaniæ faciem. A Svecis munita oppida magno numero teneri; agros ita vastatos, ut numerosus exercitus ibi subsistere nequeat. Cæsarem tuendis suis terris non sufficere, Saxonem ad incitas redactum; cæteros nec velle quid, nec posse. Quid igitur faciendum restet? Equidem Electori injuriam fieri: sed idem accidere innocentibus pupillis Archiducis Oenipontani, quorum terræ Gallis tradantur. Ac eo facilius Electorem eam jacturam digerere posse, quod jus suum ad Pomeraniam e mera Cæsarum gratia obtineat, collata a Carolo V in Marchiones expectativa, pactoque mutuæ successionis confirmato, quod ut faceret nulla obligatio ipsum tenuerit quin id feudum apertum tenere potuerit, e placito deinceps conferendum.* Nostri contra: *Cæsarem utique obstrictum fuisse, ad ista pacta confirmanda Marchionibus Brandenburgicis veterem actionem in Pomeraniam fuisse, a quibus & olim Duces hancce in feudum recognoverint. Super eadem gravia inter Marchicos, & Pomeranos bella gesta, quæ dein opera Ducis Brunsvicensis anno 1529. composita sint ea lege, ut vetus Marchionum jus in pactum mutuæ successionis mutatum sit, ac confirmationis causam in Cæsareo diplomate merita Domus Brandenburgicæ allegari.* Quæ uti Trautmansdorfius suo loco relinquebat, ita demum quod reponeret nihil habebat, quam Domum Austriacam, & Brandenburgicam eadem calamitate oppressam teneri, queis nullum aliud, quam a societate mali solatium sit. Cæterum nondum plene & cum vi obligationis Pomeraniam Svecis oblatam; sed inter sermocinandum de citeriore provincia mentionem injectam: quam tamen Sveci acceptare noluerint, sed exhibita *duplica* quæ ad extremum sibi sen- 1646.

1646. sententia sedeat declaraturos. Idem apud Svecos de Crosna & Carnovia Electori in pensationem danda injecerat, velut in quam huic illiquidum aut nullum jus sit. Apud nostros de Halberstadio, mox & de tanta pecuniæ summa movebat, quanta alias Svecis danda fuerit; nostris regerentibus, ejusmodi terras pecunia taxari haut posse. Cum igitur rationibus & protestantibus nihil proficeretur, Legati enixe mandatis instrui se petebant, num ad extrema rem deduci velit Elector. Cui negotio promtius expediendo, simul ut de conditione tractatuum liquidius constaret, Lœbius ad Electorem jam a Borussia moventem iter suscepit.

Nostri per Gallos tempus extrahere laborant.

§. 47. Ut igitur rem ad Electoris usque adventum extraherent, nostri summo opere laborabant, apud Gallos cumprimis, qui nunc plus benevolentiæ præ se ferebant. Ac disserebat Longvevillius; *se utique justitiam a parte Electoris agnoscere, sed quia Sveci animum in Pomerania defixerint, dolendum esse, rem ab isto hactenus non nisi contradicendo actam, nec dudum peculiares tractatus susceptos. Semper se credidisse, ni Elector dimidiam Pomeraniæ partem accepta idonea pensatione cedat, propriis commodis obstiturum, ac a prudentia hucusque demonstrata discessurum. Nam si nudis verbis obluctari pergat, verendum esse, ne Cæsarei Svecis totam Pomeraniam annuant, non inclinatione in hos, aut quia credant eosdem diu quiete istius possessione gavisuros, sed ut Sveciæ plures hostes excitent, simul ut Electorem permoveant, junctis cum Cæsare armis hanc ulcisci. Unde & eosdem Electorem semper obfirmasse, ne quid Svecis annuat, spe facta, Cæsarem ipsi semper adstiturum, ac Pomeraniæ nil condonaturum. Quo artificio obtenturos se speraverint, ut vel Elector cum Svecis committeretur, partibus inde Cæsaris accessurus, vel Sveci non amplius pro pensatione Electori præstanda laborarent, qua Cæsar se exsolvi cupiat. Equidem haut constare sibi, num forte Elector multarum ditionum Dominus Pomeraniam gratis tradere malit, gloria reductæ pacis contentus, an vero temporum conversiones aucupetur isti per vim recuperandæ. Hæc si mens sedeat, aperte se profiteri, quantum vis Electori amicissimos acturos, quod fœdus cum Svecia requirat. Alias spem sibi fuisse Electori saltem dimidiam Silesiam in Pomeraniæ vicem obtinendi, unde & Svecos de ista in* replica *mentionem injecisse. Sed quia Elector de nulla Pomeraniæ parte cedenda spem fecerit, Svecos offensos æquivalentis curam abjecisse, nec de Silesia amplius movere, & ingratiis Pomeraniam retenturos. Quo facto longum fore Electori, a Cæsare aut Ordinibus pensationis quid extundere.* Addebat Servientus, *Cæsareos a se postulasse, ut Svecos ad relinquendam Bremam ac Verdam permoveat, totam pro his Pomeraniam accepturos. Id se recusasse, quod Gallia veterem amicum terris suis expoliare nolit in gratiam Archiepiscopi nullo beneficio cogniti. Ex quo collegeris, non esse Electori infensiorem hostem quam Cæsarem, eoque ipsi cavendum, ne plane cum Svecis rationes perturbet.* Cum nostri reponerent; se egisse uti jussi sint. Non credidisse Electorem, suas rationes tam parum ponderis fuisse habituras, aut respectum temporarii fœderis legibus æternæ justitiæ & æquitatis prævaliturum; Longvevillius interrupto sermone: *Jus Electoris & rationes bonas esse, sed in præsenti causa non magis valere, quam olim iis in tractatibus, quibus Galli Navarram, Neapolim, Siciliam, Mediolanum, Flandriam, Artesiam, ob infelicitatem temporum paci emendæ amittere necessum habuerint.* 1646.

Cum nostri exciperent: ibi hostem hosti quid extorsisse, heic amicum amico sua ereptum ire; Gallus reponebat: Electoris patrem abrupta cum Svecis amicitia in Cæsaris partes transiisse, atque cudendæ Pragensi paci operam navasse. Nostri contra: Svecos post obitum Ducis Pomeraniæ hostilia expromsisse; Electorem contra amicum magis quam hostem egisse, ac tuendis ditionibus aliquid copiarum aluisse, nulla Svecos lacessendi libidine. Pacis Pragensis solum Saxonem autorem esse. Eam impedire non magis penes istum, quam alios Ordines fuisse; ac permittendum, quod corrigi non poterat. Si quid infesti in Svecos patratum sit, per ministros factum. Saltem qui nunc rerum potitur Electorem omni culpa vacare. Cæterum abs se aliter agi non potuisse, Nam si utique Sveci Pomeraniam affectabant, exprimendum erat, quam partem cuperent, quid pro ea rependere vellent: si super pretio inter ipsos convenire non poterat, communium amicorum opera erat adhibenda: Nunc absurdum esse, alteri sua prius eripere, non expresso, qua ratione eidem vicissim satisfaciendum sit. Ac valde periculosum fuisse Electori, cessioni Pomeraniæ pronum se declarare, ac post expectare, quodnam æquivalens Sveci offerre velint, quod fortasse præstare non possint. Ad extremum tamen Longuevillius spem faciebat; rem ad Electoris usque adventum suspendi posse, modo is iter acceleret. Addebat Avauxius, qui singulare in Electorem studium præ se ferebat: *Sese Svecis crebro suasisse, ne ita atrociter Electorem offenderent, juvenem, intrepidum, vegetum, potentem, cujus ditiones si juncta jaceant, Daniæ Regno prævaleant. Sane se nullum Principem tota Germania magis æstimare, & qui plus spei in posterum de se præbeat, & quem ipse singularem Galliæ amicum ducat. Sed omnem operam se lusisse. Igitur temporibus se accommodaret, & dimidium Pomeraniæ æquo animo amitteret. Cæterum Trautmansdorfium quidem jactare, pacem a se brevi confectum iri; sed eventum aliter ostensurum; ac negotium Electoris non difficulter ad ipsius adventum extractum iri.* Porro cum Galli objicerent, Electori dudum in peculiares tractatus super Pomerania descendendum fuisse; nostri reponebant, id salva conscientia & existimatione fieri non potuisse. Nam utut ipse inæstimabilem provinciam alienare in animum induceret, obstitisse obligationem in Cæsarem & Imperium, isthoc facto lacerandum. Ac satius fuisse a Svecis, uti promiserant, de Pomerania haut fuisse propositum, sed ditiones hosticas specioso magis prætextu ad exemplum Galliæ petitas; quibus obtentis cum Electore super permutatione agi potuisse. Nunc vero istos Electori suam provinciam adimere velle, ac insuper ab ipso postulare, ut operam ad sua aliis eripienda navet, aut omni pensationi renunciet. Cæsareos jactasse, Svecos solam sibi Pomeraniam cupere, reliqua eo fine postulare, ut Electori satisfiat. Sed si hic Pomeraniæ cedere abnuat, Svecos rationi locum daturos, & destinatis istis abscessuros. Quo colore igitur ab Electore peculiares tractatus quæri potuisse? Ad quæ Galli hoc ipso Cæsareos Electorem Svecis se jungere, ac Cæsarem a præstatione æquivalentis liberare conatos. Nam nunc

Sve-

1648. Svecos continua contradictione offensos negare, ad æquivalens curandum se teneri, & a Cæsare Ordinibusque ægre quid obtentum iri. Cæterum nondum rem plene transactam, ac tempus fore agendi, ubi Elector in vicina accesserit. Nam Cæsarem de Pomerania nil aliud, quam quantum penes ipsum fuerit, donasse; ac diserte approbationem eorum, quorum interfit reservasse; nec absque Electoris consensu quid conclusum iri. Obiter quærebat Longuevillius; num Elector in vicem Pomeraniæ Brisgoviam & urbes Sylvestres recipere velit, quæ loco Palatinatus Superioris Palatino Eelctori propositæ fuerint. Quod nostri responso indignum judicabant.

Svecorum super hoc negotio componendo varii sermones. *14. Mart.*

§. 48. Nec minus nostri Svecos subinde rationibus urgere pergebant, ne isti Electoris terras adpeterent, neu inter tam propinqua cognatione junctos, & quos in utilissimam invicem amicitiam manifestæ causæ jungant, perpetuarum semina inimicitiarum spargerent. Quibus Salvius non parum turbari se ferebat, ac ingens in Electorem studium professus contendebat, matrimonium Reginam inter & Electorem utique successurum, ingerente quantumvis Svecorum parte. Simul orabat, ne Elector præcipitato circa id consilio majori animorum exacerbationi locum præbeat. Certo sibi constare, ista litigia in nuptias desitura. Id quod cum nostri risu eluderent, pergebat: *satis se perspicere, ipsis omnia, quæ in Svecia contingerint, cognita esse. Sperare tamen se, aliosque amantes patriæ viros extra culpam habitum iri. Non nisi unum aut duos esse in Svecia, quos inter Axelius Oxenstierna princeps sit, qui obstiterint, quo minus id matrimonium dudum fuerit perfectum. Illum tamen senio & valetudine gravem, quo amoto nemo futurus sit aufurus.* Ad quæ nostri: *Electori non minus conservationem sui, quam Svecis, curæ esse. Talia non nisi illudendo isti jactari, ac ut inania captando summam rerum suarum destructum eat. Lilliestræmium nuper ad exercitum missum agnovisse, nuptias quidem promtissimam esse viam negotio Pomeranico componendo. Sed in Germania plus sermonum de iis audiri, quam in ipsa Svecia.* Salvius tamen monitis suis de non properando alio matrimonio insistere, ac demum addere; *si præter spem suam id non succedat, non defore aliud remedium ei negotio extricando. Equidem asperiore esse ingenio Svecos, sed ad extremum tamen rationem audire. Cæterum Sveciæ internam constitutionem gravem morbum minari. Præstantissimos viros fato functos, ac res utcunque per Axelium Oxenstiernam, dum vivat, sustineri. Sed eo extincto neminem fore summæ rerum tractandæ parem; ac id se Danicos inter tractatus, quibus ipse præfuerit, observasse. Nam quamdiu idem Holmia abfuerit, haut fuisse, qui idoneum ad suas Osnabruga relationes responsum reponere voluerit. Ac animo se jam mala Sveciæ prospicere, de quibus, qui in culpa sint, rationem redderent. Equidem Svecos insolenter se jactare, ac gloriandi nimios esse; sed rem ipsam longe infra famam subsistere. Supplementa, quæ adulto vere expectentur, minora esse, quam ferantur. Maritimum adparatum ter mille plus minus agrestibus litorum accolis constare, queis nullus rei nauticæ usus. Tum præcipuos, per quos regni negotia expediantur, per morositatem in diversas sententias trahi.* Igitur svadebat, exiguam adhuc patientiam adhiberent nostri: fortasse fata viam brevi inventura, quæ in præsens non adpareat. Inde remoto velut sipario libere differebat: *Cancellarium Regni periculosa agitare consilia; per quatuordecim dies velut extra se raptum conclavi se inclusisse, nemine admisso, ac vinculum cudere, futuro regi circumscribendo. Id quippe eum agere, ut hic mancipii potius, quam Regis conditione sit, nec penes hunc, sed Reginam armorum arbitrium existat. Prolem quoque, si qua nascatur, paterna conditione, qui peregrinus sit, æstimandam, nullo ad regni successionem jure, ac ut post istius obitum Reges deinceps per suffragia Ordinum vetere more eligantur. Id quod tamen hi nunquam concessuri sint, qui facile prospiciant, quid dissidiorum, tumultuum, ac cædium inter ipsos ea occasione surrecturum sit, certissimam ad perdendum regnum viam. Igitur avertendo a Svecia exitio, simul fulciendis per Europam Protestantium rebus, præsentissimum remedium esse nuptias inter Reginam & Electorem, quas ipse, adducto quoque, licet ægre, in eandem sententiam Collega, Reginæ magnopere commendarit, rerum facie exacte & fideliter ipsi ob oculos posita. Quo ipso bonorum civium officio functi sint; ubi rem successus destituerit, extra culpam futuri. Auditum sibi, Electorem brevi Clivos profecturum nuptiis cum Auraica parandis. Quas ne festinaret petebat; nam affectatum inter Reginam & Palatinum matrimonium haut successurum.* Addebat de dissidio suo cum collega, cujus actiones sibi haut probentur, qui & nunquam ad paternam autoritatem enixurus sit, dotibus ingenii longe inferior. Denique familiam Oxenstiernarum Sveciæ incrementa & felicitatem ob privatum, quod ipsa captet, emolumentum impedire. Isthæc tanta cum libertate prolata ipsa insuetati candoris species nostris suspecta reddebat, quod de rebus patriæ suæ tam aperte loqui Legatum parum decere videretur. Ac fortassis ista eo spectare, ut Electore in securitatem dato Borussia, uti tunc fama erat, Svecorum invasioni pateret. Alias uterque Legatus petebat, ne ita rigide nostri suis postulatis reluctarentur. Se nihil Pomeraniæ velle nisi cum consensu Electoris. Reginam sua postulata Electori facile adprobaturam, modo ne hic sua consilia præcipitet. Distinctius tamen mentem suam explicare non posse, antequam *duplicam* Cæsarei exhibuerint; qua edita citra ambages ad rem accessuros. In Præsens cum Cæsareis nondum sibi convenisse, nec de Silesia adhuc remisisse. Haut ita simplices se, ut cum solo Cæsare super Pomerania transigere velint, sed semper consensum Electoris adhibituros. Simul ejus consilia laudibus extollebant, velut qui semper de republica cordatas sententias dixerit, sed quem alii haut fulcierint. Ac citra tergiversationem declarasse, Svecis satisfactionem deberi, ac se ad ratam partem conferendam paratum esse; quod reliqui in Senatu Principum agnoscere noluerint. Ast si tamen idem circa Pomeraniam nihil remittere velit, nil aliud superesse, quam ut armis arreptis ipsos expellat. Ad quæ extrema ut ruat, prudentiam & moderationem ipsius haut permissuram. Equidem hactenus non alia sibi mandata esse, quam ut toti Pomeraniæ insistant, idque tam in emolumentum Sveciæ quam Electoris fieri. Nam sive nuptiæ, circa quas conciliandas pro virili nitantur, succedant, seu minus, egregium pro Pomerania æquivalens se stipulaturos, quod Electoris ditioni- 1648.

1646 bus accessurum sit, Pomerania Sveciæ inserta. Posse tamen ad dimidium rem deduci, quam & Cæsarei jam Hamburgi obtulerint; nec adparere, qua alia ratione Sveciæ securitati consuli queat. Cum nostri de Magdeburgo, Brema & Verda injicerent, isti reponebant: Magdeburgum nimis remotum, ac nil roboris & securitatis Sveciæ præstare aptum. Bremam adversus Danos commodam, sed minorem. Sibi terris opus esse, ubi non solum exscensionem facere, sed & exercitum alere posfint. Inter quæ tamen subinde ad vetera & toties refutata revolvebantur: Electoris patrem Svecos armis lacessivisse: ab hoc inducias haut firmatas, eoque statum belli mansisse, hostilibus licet suspensis. Se eidem tractatus super Pomerania obtulisse, eo gradu arctius ad fœdus descensuros securitatis suæ stabiliendæ. Sed rem ab isto in suspenso relictam, & contradicendo tempus extractum. Interim occasionem elapsam. Sed nec æquivalens amplius a se præstari posse. Id se antea promisisse; sed cum id acceptatum non fuerit, a Cæsare idem petendum, cui abunde sit, unde Electori satisfaciat; præsertim cum Regina haut parum offendatur, quod ab Electore Polonus, Danus, Belgæ ad arma in Svecos arripienda stimulentur. Ad quæ Witgensteinius tum alia, quæ in rem erant, tum circa matrimonium solita sibi libertate regerebat: *Electori nunquam animum fuisse Svecos ostentato matrimonio ita decipere, uti jam adpareat circa Pomeranicum negotium cum ipso agi. Nam initio Svecos minorem Reginæ ætatem excusasse, & ipso Cancellario Regni suggerente conventum, ut ubi Christina octavum decimum ætatis annum expleverit, negotium non solennem per Legationem, sed per missum privati forma ageretur. His omnibus ab Electore obtemperatum. Reginam Matrem ad filiam, Gœtzium Cancellarium ad Ax. Oxenstiernam scripsisse. Hunc per Paulum Helmes Curlandiæ Duci insinuasse, Sveciam ad nuptias inter ipsum & Reginam inclinare.* *Benckendorf.* *Inde Benckendorfium obtentu privatorum negotiorum Holmiam missum, qui & aliquoties secreta cum Cancellario colloquia habuerit, cui hæc missio, modusque citra strepitum negotiandi valde placuerit, quo rei certitudo optime explorari, ac ea forte irrita sinistri rumores declinari queant. Ubi iste per semestre tempus exegerit, & accessum quidem ad Reginam per Cancellarium obtinuerit, eique negotium exposuerit: sed tale demum responsum reportasse, ex quo haut difficile collectu fuerit, quid Electori expectandum sit. Ita Reginæ sermonem cum Oxenstierna conspirasse, ut facile adpareret de compactorem geri. Consanguinitatem & diversa sacra objecta, quasi non ab initio de istis constiterit, aut ea tanti sint, ut ideo matrimonium rejici debeat, tantum robur Sveciæ circumpositurum; præsertim cum satis caveri possit, ne circa recepta Sveciæ sacra quidquam novetur.* Ad quæ Salvius expallescere, ac facta utcunque excusare; spem tamen nondum plane sibi decessisse. Oxenstierna ridere; rem debito modo urgendam, nec protinus de successu desperandum. Arborem non uno ictu prosterni. Se ex animo Electori favere, ac si is, quod futurum speret, aliquando tabularium Svecicum inspecturus sit, liquidis documentis perspecturum, quantopere omnibus literis ejusdem commoda Reginæ commendaverit. Rationes, quas Regina & suus Pater matrimonio objecerint, haut idoneas tanti momenti negotio impediendo. *Kleist.* Majoris esse missionem Kleistii in Hollandiam, per quam effici possit, ut spes, quæ in Svecia foveatur, plane evanescat. 1646 Potius in Sveciam Legatos mittendos, de nuptiis juxta & Pomerania transacturos. Nam valde ægre laturam Reginam, si, dum ipsi circa matrimonium satagunt, Hagæ de alia conditione agatur. Dixerat quoque peculiari colloquio Biœrnclovius: *circa matrimonium ex parte Reginæ rem adhuc integram esse. Quæ prius facta sint, suo loco se relinquere; sed nunc negotia ac studia in Svecia mutata, ac omnes, ut istud succedat, optare. Et qui antea id impedire laboravrint Oxenstierna nunc id quam maxime promovere velle, quod novum inde sibi præsidium sperent adversus Carolum Gustavum Palatinum, qui Petro Brahæo & Carolo Gyldenhielmio junctus Cancellarium inveterata autoritate dejecerit;* *Gyldenhielm.* *ac postquam spes decollaverit regnum in familiam suam per Ericum filium transferendi, malle id penes Principem esse animo magnificum, ac propriis opibus florentem, quam Palatinum pauperem, & quem metus sit, ne multum ex indole patris trahat, sua pecunia parci, publica avari.*

Electoris de hisce judicium. §. 49. Super hisce sermonibus Elector judicabat; laxos nimium illos esse, & ambiguos, quibus tuto inniti haut possit. Eoque haut prudentis esse inter ancipitia ista apertius super connubio movere. Ac videbantur isti id duntaxat spectare, ut ipse circa cedendam Pomeraniam facilior redderetur, ac inani spe ab aliis cogitationibus averteretur domui suæ stabiliendæ necessariis. Nec aliud colligi posse ex iis, quæ e Svecia nuntientur. Ac si expendatur, quam aspere ditiones suæ a Svecis habitæ sint, quam enormibus tributis exhaustæ, ac civium suorum querelæ surda aure ab iisdem transmissæ, ac nunc post tot amicitiæ specimina a se exhibita Pomeraniam deposci; nullum propensi in ipsum animi indicium colligi inde posse. Si quoque matrimonium ipsis cordi foret, absurde confirmationem induciarum tantopere urgeri. Unde haut placebat Legatos suos super isto negotio mandatis instruere, de quo non amplius sibi laborandum esse, quæ Benckendorfius retulerat, satis ostendere. Nisi forte post hujus discessum animorum & consiliorum mutatio ibi facta, deque ea certo sibi cautum sit. Cujus tamen malignum indicium recens adpareat, quod Wittenbergius iter in Silesiam Magdeburgo non recta per Saxoniam & Lusatiam sumserit, *Wittenberg.* sed flexo præter necessitatem agmine Marchiæ partem protriverit, rapinis, cædibusque hostilem in modum grassatus. Ex eo igitur tempore Elector cogitationem de matrimonio cum Christina plane seposuit; quod a Gustavo Adolfo Rege destinatum Axelius Oxenstierna evertit, spe filium Ericum eidem connubio jungendi. Sed qua spe istum & Reginæ generositas, nuptias cum subdito adspernantis, & Caroli Gustavi fervens tunc gratia evolvit; a quo & ipso tamen affinis Magnus Gabriel Gardius animum Reginæ hactenus avertit, *De la Gardie.* ut nullas plane nuptias inire constitueret. Per quod id obtentum iri sperabatur, ut vetus eligendi Reges mos revivisceret, stabiliendæ procerum potentiæ inserviturus. Quæ destinata tamen a Christina assumtus in Principem hæreditarium Carolus Gustavus elusit. Cæterum id quoque Electori mirum videbatur, e Kleistii in Hollandiam

1646. landiam missione Salvium tam sinistra suspicari. A se quippe nil aliud quæri, quam ut apud Ordines Fœderatos vetus amicitiæ, ac viciniæ necessitudo recolatur, istique invitentur, ut adductis rationibus apud Svecos operam navare velint, quo sibi cum hisce amicitia constet, ac ditiones suæ serventur. Quod ideo in suspiciones patere non debeat, quia apud istorum socios & amicos ea opera quærebatur. Et absurdum plane esse, cum Sueci haut dubitent ipsius ditiones expetere, sibi vitio dari ad eas servandas amica ratione conniti. Nec magis digerere poterat Elector, quo Sveci de ratihabitione induciarum moverent eo tempore, quo circa pacem tanto studio satagebatur. Sane insideri a Svecis totam Pomeraniam, & quædam Marchiæ oppida. A se impleta, quæ pactis illis convenerint; nihil hostilitatis adversus eos exercitum; nullam quærelarum causam præbitam. Accedere, quod status rerum a tempore conclusarum induciarum valde mutatus sit, ac ipsi Legati Svecici antea declararint, ejus instrumenti traditionem a se haut desiderari. Unde eas suspiciones non nisi ab ipsorum conscientia promanare, ac agno ad inferiorem licet fluenti partem consistenti culpam turbatæ aquæ impingi. Ut tamen & istud prætextum illis adimeret, Legatis instrumentum ratihabitionis Osnabrugam mittebat, Svecis si utique velint tradendum, ea tamen lege, ut Sveci vicissim ratificationem suam exhibeant, de Werbensi castello non amplius moveant, plus quam Stetini conventum fuerat, ne exigant, præsertim post vastitatem a Wittenbergio illatam; utque istarum leges in secreto habeantur, ac pace non secuta eædem ad biennium durent. Intellectum tamen mox, Svecos ideo suspicione perstrictos, quod Electoris permissu Poloni mille amplius milites in Borussia collegissent, quorum destinata Svecos latebant; unde de firmandis induciis in mentem hisce venerat.

Cæsarei Svecis totam Pomeraniam promittunt.

§. 50. Quia porro Sveci ostenderant, sese decretoriam super Pomerania sententiam haut declaraturos, nisi edita a Cæsareis *duplica*; igitur Witgensteinius apud Trautmansdorfium instabat, ne de Pomerania quidpiam isti scripto insereretur. Id quod hic multa causatus demum annuebat. Haut eo secius Cæsarei, cum animadverterent Svecos Electori ob pertinacem Pomeraniæ negationem offensos, & matrimonii cum Regina spem evanescere, exiguam ejusdem rationem amplius habebant; eoque non solum privato congressu totam Pomeraniam nullo addito præsulatu, sed & mox solenni actu citeriorem adjunctis præsulatibus, certis tamen cum conditionibus, offerebant, ac reservato eorum, quorum intererat, consensu, ut tamen neque verbo neq; scripto de aliqua pensatione mentionem facerent. Ea de re cum nostri quererentur, Trautmansdorfius sæpius ingesta repetere: *Cæsari quoque jacturam faciendam, ut reliqua servet. Electori tantum pecuniæ datum iri, quantum alias Svecis destinatum sit. Se non valuisse Gallis resistere, & Bavaro in pacem ruentibus, quorum & hic minetur, se cum Gallis seorsim transacturum, idemque de Alsatia hisce concedenda sententiam dixerit: Mirari se, dudum Electorem propius non accessisse, cum tanta ejus res agatur. In armis nihil præsidii; verbis nihil profici. Ni iste cum Svecis super Pomerania transigat, Cæsarem cum Svecis pacem initurum, insuper habito qua ratione Elector cum amicis suis id negotium extricaturus sit. Cum dudum constiterit, a Svecis Pomeraniam affectari, dudum negotio manum serio fuisse admovendam: ac sine dubio aliam spem ipsum fovisse, quæ nunc decollaverit.* Ultro dein cum nostris expostulare ob fervidas admodum sententias dictas, & calida nimium consilia. In Palatina causa non Bavarum solum, sed & Cæsarem ab ipsis offensum: circa amnestiam quoque & Cassellanam satisfactionem nimis liberales fuisse. Cui nostri; Electorem semper nullo causarum discrimine ejusmodi consilia fovisse, quæ imperio salutaria judicaverit, ac pleraque bonum, quem collimarint, scopum attigisse. Unde duriter secum agi, si ob sententias ex mandato dictas Cæsaris offensam incurrant. Si cui tamen de se queri placeat, Electori se rationem reddituros. Ad molliora tamen demum revoluti Cæsarei ostendebant; *Pomeraniam ea lege Svecis oblatam, ut facile ad Electorem redire possit; qua & interim non Sveciæ, sed imperio subjecta futura sit. Istud tamen Electori præjudicio non cedere, ac si hic minoris cum Svecis decidere, aut totam provinciam servare sibi possit, id Cæsari haut ingratum fore. Quin cum omnia ab Electoris consensu suspensa fuerint, ne prædium quidem rusticum in Svecos se transtulisse. Sane Pomeraniam Cæsaris non esse, eoque nec hunc eandem alienare posse.* Nostri contra; *Svecos haut credere, a Cæsareis oblata Pomerania nihil actum esse; quin jam aperte jactare, si Elector contradicere pergat, eum Pomeraniæ juxta & æquipollentis jacturam facturum: cum tamen gradatim procedi potuerit, quo Electori spatium foret consilia cum exteris digerendi, quæ nunc tanta festinatione plane turbata sint.* Cæterum de pecunia dixerat Salvius; Cæsareos de quadraginta auri tonnis mentionem injecisse, quantum antea Saxo Svecis obtulerat; ac Electorem aliquot myriadas Cæsari debere nomine contributionum e Crosnensi Ducatu, quæ isti summæ detrahi queant; reliqua successu temporis in contributionines Imperii imputari posse. Contra Elector; si Cæsarei de contributionibus Crosnensibus moverent, quas ipse haut quidquam agnoscebat, reponi jusserat: se vicissim multos milliones reposcere, quod Fridlandus, quondam proprio ausu viginti Legiones per Marchiam disposuerit, quæ hospitiorum vocabulo provinciam aliquot per annos misere exhauserint. Cum igitur tam iniquo modo cum Electore ageretur, nostri protestationem scripto conceptam adversus ista Lambergio & Cranio Cæsareis Legatis insinuabant. Qui placidis verbis reponebant: id se improbare haut posse. Sed Servientum in culpa esse, qui instinctu Præsulis Osnabrugensis Svecos obfirmarit, ut toti Pomeraniæ insistant, sperantis hac ratione Verdam ipsius præsulatum conservatum iri: & ob Bavari importunitatem quovis pretio pacem esse redimendam. Nec minus nostri in Senatu Principum super isto facto protestationem interponebant; quam plerique silentio transmittebant, pauci laxioribus verbis tangebant. Interrogaverant nostri prius Svecos, num ingratum ipsis sit futurum, ejusmodi protestationem a se fieri, præsertim cum penes Cæsarem non sit fidi Imperii Principis ditiones hoc invito alienare; ac talia exempla in ipsos recidere queant, si Ordinibus Imperii adscribi velint.

 Quod

1646. Quod a se facile ferri posse dicebant Sveci, præsertim cum oblatis a Cæsare contenti non sint, ac super præmiis suis absque præscitu eorum, quorum interſit, transigere nolint.

Sveci duriores se ostendunt. §. 51. Ast cum nostri etiam apud Svecos quererentur, inscio & invito Electore ita de ipsius rebus disponi velut pro derelicto habitis; Oxenstierna multis verbis testari, se citra istius consensum nil conclusuros, omniaque bona fide communicaturos, &, si pari candore secum agatur, egregium æquivalens præstandum. Mirum tamen, eundem tamdiu in Borussia hærere, velut rerum suarum incuriosum; ac famam ferre, ipsum per alios Svecis negotium facessere conari, quibus tamen magnopere cordi sit, ne is damni quid patiatur; ac utrisque expediat, amice inter se transigere, ac mutuam operam navare. Witgensteinius contra: Electorem moneri, Svecos aliquid in Borussiam aut Marchiam tentaturos. Quod Oxenstierna constanter inficiari; simul optare, ut Elector ocyus in vicina accedat, suosque mandatis instruat ad tractatus cum ipsis super Pomerania suscipiendos. Nam *a Cæsareis id agi, ut Electorem circumveniant, ac cum ipsis super satisfactione transigant, insuper habito Electoris consensu. Se tamen ita cum hoc acturos, prout illos deceat, queis amicitiam servare cordi sit. Enimvero rem jam serio agendam, quod aut pax sibi propere habenda sit, aut bellum tota mole in Cæsaris ditiones devolvendum, quo hic ad pacem amplectendam compellatur.* Demum interrogabat, num Elector plane in cessionem Pomeraniæ consentire nolit, etiam idoneo æquivalente accepto? Quod nostri ignorare se ferebant. Sed si ipse pandere velit, quam Pomeraniæ partem Sveci affectent, & quam pensationem Electori destinent, Electorem pro captu postulati pacis atque amicitiæ causa quantum in se facturum. Sed antequam de utroque constet, certi nil decreturum. Oxenstierna nil nisi de tota Pomerania ingerere, velut quæ commode dividi nequeat, quin litibus materia præbeatur; & Electori utique prius mentem suam declarandam. Addebat, Trautmansdorfium declarasse; quæ ipse Svecis suo atque collegarum nomine super Pomerania promiserit, id Legatorum Electoralium consensu factum; quod vivis testibus probaturus sit. Quæ nostri ficta ajebant; ac cum dein Cæsareos interrogarent, num revera Trautmansdorfius talia dixisset, hi isthoc negabant, ac Svecum mendacii arguebant hoc indicio, quod Sveci ab ipsis postularint, ut consensum Electoris sibi præstent; circa quem ipsi operam suam polliciti sint, modo & Sueci pariter connitantur. Si igitur nostri jam consensissent, quid opus fuerat Svecos a Cæsareis de consensu Electoris præstando stipulari? Paulo post tamen Oxenstierna duriora disserere: *Reginam scripsisse, quamdiu Elector circa Pomeraniam contradicat, se nil ab ipso amici expectare posse. Cæsareos totam Pomeraniam obtulisse; fatuos se fore, si non acceptent. Electori tantum spem fuisse ad Pomeraniam; eam a Cæsare in Reginam translatam, qui talia retractare possit. Potiturum tamen istum pensatione si velit; alias sibi hanc parum curæ fore.* Simul querebatur, eundem in Svecos excitare Danum, Moscum, Anglos, Belgas, alios, atque ipsum arma parare. Kleistium Hagæ Belgis portus Pomeraniæ offerre, ac liberum sacrorum suorum usum, si Svecos ea provincia expellant. Quæ nostri inficiabantur, ac contra arguebant, hostili Wittenbergii grassatione nil aliud quæsitum videri, quam ut Elector ad paria reponenda irritaretur, quo ipsis prætextum nascatur, ad istum hostis instar tractandum, ac Pomeraniam detinendam. Quod in Borussia duo admodum militum millia conscripta sint, id instante Poloniæ Rege factum; qui, si Elector recusasset, proprio arbitrio delectus suscepturus, ac in istius ditione nidulaturus fuerat. Quod Polonus militem conscribat, id non magis Svecis, quam Electori suspectum esse, cui in Borussia multum molestiæ detur; sed id prohibere penes ipsum non esse. Si Electori animus fuisset armis in Svecos agere, haut tamdiu quieturum, nec omnes idoneas occasiones neglecturum fuisse. Nec posse diffiteri Svecos, quod cum exercitu suo, tunc non optime se habente, tantos in ditionibus Cæsareis progressus fecerint, haut parum contulisse, quod per Electorem a tergo districti haut fuerint. Mox cum Deputati Ordinum apud Svecos monuissent, ne Cæsari nimium potestatis conferatur, quasi pro lubitu circa aliena disponere possit; utque ipsi ad alias potius ditiones animum adplicarent, omissa Electoris innocentis provincia: isti placide id admittere visi sunt, haut inficiati, Cæsareos de alieno plus justo fuisse liberales; nec id sibi probandum, cum & ipsi inter Ordines Imperii adscribi velint. Simul insinuabant, saltem dimidiam Pomeraniæ partem a se adpeti, in cujus redhostimentum operam circa expedienda gravamina navare velint, si Ordines cupitis ipsorum faveant. Qui hoc pollicito facile deliniebantur, ut Electorem fatis suis relinquerent. Paulo post Salvius nostris svadere pergebat, ut Elector idoneum hominem in Sveciam mittat, qui super Pomerania cum ipsa Regina tractaret, ac in aliam sententiam eandem pertraheret. *Nam in præsens instabilem aulæ Sveciæ faciem esse, nunc hoc circa ardua negotiorum expedienda quid valente, nunc alio, postquam Cancellarii autoritas labefactata fuerit, a cujus fere arbitrio ista olim dependebant. Expedire quoque Reginæ opinionem adimi de paratis ab Electore armis, aliisque in ipsam incitatis; qua de re multa Gedano Holmiam perscribi. Equidem a se nonnihil peccatum, quod initio alias terras non postulaverint, cum Electore dein permutandas. Sed quia ab isto nil elici potuerit, haut tutum visum Pomerania desistere. Esse tamen adhuc tempus rei ex voto conficiendæ, modo Elector pandat, quid pro Pomerania velit. Sese nuper apud Cæsareos de Glogovia & Sagano injecisse, quod alias nihil perspiciat, quo Electori satisfieri queat. Nam Halberstadium non sufficere, in cujus partem, Ascaniensem Comitatum, Anhaltini Principes aliquid antiqui juris prætendant. Si tamen Magdeburgum post obitum præsentis possessoris addatur, spem esse, rem ex voto confici posse. Sed Cæsareos ad hæc plane descendere noluisse, jactantes Electorem nomine trium præsulatuum, Brandenburgi, Havelbergæ, Lebusii, tum Crosnæ Cæsari & Imperio multum tributorum debere. Nec bannum ob subtractam Imperio Borussiam plane exolevisse. Ista si in rationes veniant, calculum aliter ponendum.* Ad quæ nostri; Cæsareis si talia moveant responsum non defore. Addebat Salvius, *Cæsareos haut inficiatos, Electorem abs se ad arma instigatum, ac ut Pomeraniam vi vindicet: sed satis scivisse, eum huc non descensurum. Etsi ipse Electorem* 1646.

1646. *rem vix ab omni culpa absolvat, si cogitet, quæ consilia ex aliquo tempore in istius aula sint agitata; quæ tamen non tam ex Electoris ingenio, quam aliorum instinctu profecta credat, & quia penitissima rerum notitia forte eundem fugiat. Ordines quoque Imperii, & Gallos offensos, quod nihil certi consilii ab Electore capiatur, eoque consensu decrevisse, ob hoc negotium pacem haut differendam, si vel tota Pomerania Svecis sit relinquenda.* Denique cum nostri significarent; Electorem paratum esse tradendæ induciarum ratihabitioni; hi *serum id esse excusabant; quod in Svecia percrebuerit, Electorem utique arma parare juncta cum Polono, & Dano societate Pomeraniam recuperaturum. Unde spem nuptiarum sat antea liquidam plane evanuisse, ac Reginam his minis offensam nunquam nubere statuisse. Cum itaque Pomeraniam amica ratione nancisci nequeat, belli continuandi necessitatem huic imponi, ut induciis amplius locus non sit. Igitur diserte Electori declarandum, num in cessionem totius Pomeraniæ consentire velit. Nam in ipsum redundare culpam tanti sanguinis inter has moras effusi, cum alias facile pax inveniri possit. Satis se animadvertere, aliquid fermenti Schwartzenbergici in consilio Electoris superesse, & cunctando tempus extrahi, ut per cladem aliquam Svecorum occasio in arma erumpendi captetur. Enimvero bis octoginta bellatorum millia in Germanico solo esse, & clade licet aliqua accepta non statim summam rerum periclitaturam, aut Pomeraniam ideo recuperandam.* Nostri ad hæc mutatos Svecorum animos, tantamque asperitatem mirari, & quæ jactentur ficta omnia asseverare: nec ideo quid proficiebant. Ac veniebat eô tempore Osnabrugam e Svecia Marinus, Reginæ apud Helvetios Residens, qui referebat, Electorem in Svecia valde exosum redditum per quosdam, qui Gedano, & Regiomonte literas in Sveciam scriptitent, qui unanimes referant; Electorem non solum ipsum arma parare, sed & Polonos, Danos, Belgas in Svecos incitare; quæ Cleri Sveci animos valde in eundem asperaverint, e quibus urbana, & rustica plebs fere dependeat, magnam in Svecia reipublicæ partem faciens. Unde necessum videri, ab Electore Legatum in Svecia versari, sed quem moderato esse ingenio oporteat, quod Sveci suspicaces admodum, atque irritabiles sint, nec choleram aliorum, atque importunitatem ferre queant. Enimvero Electori haut placebat Legatum in Sveciam mittere, aut anxia excusatione suspicionem accendere. Nec consultum visum fuerat pro tota Pomerania æquivalens proponere, ne Sveci istam a se pro derelicta haberi crederent, quam ob situs opportunitatem retinere, quam tripli pretii provincias adquirere malebat.

Elector cum Svecis super Pomerania tractare consituit.

§. 52. Sic igitur incassum consumebatur, quicquid nostri rationum ingererent servandæ Pomeraniæ, ac apud Svecos jus & æquum, tam propinqui sanguinis conjunctio, atque innocentia per rationes status atque commoditatis superabantur. Nec erat, qui causam ipsius efficaci modo sustineret; cum Cæsarei præter promissa sua Svecis Pomeraniam jam annuissent, Galli ejusdem consensum urgerent, Ordines Imperii vix favoris aliquid ostenderent. Neque ad extrema rem deducere consultum erat ab armis haut instructo; ac ubi vel paululum se movere cœpisset, Svecis tota belli mole inter primos conatus ipsum oppressuris. Nil igitur supererat, quam ut temporibus cederet, ac partem Pomeraniæ recepta idonea pensatione Svecis relinqueret; testatus tamen, sese toti imperio, vicinisque Regibus excusatum esse velle, si quod malum istis in futurum ex hac alienatione proventurum sit. Mandabat igitur Legatis suis, a Gallis contenderent, ut rem inter ipsum, atque Svecos ad amicam compositionem deducant, suscepto sequestrium munere; aut si Sveci solenne officium adspernentur, saltem velut communes amici operam suam interponerent; quod & idem a Belgis peterent. Simul a Svecis cautionem exigerent, ne, ubi deinceps cum Polonis bello implicentur, Borussicorum quid portuum, terrarumve affectent, non minus forte opportunitatis obtentu, quam Pomeraniam, arrisurum. Quæ & ne permittant, Belgis ingererent. Apud Cæsareos parum esse, quod agant, qui & jam antea nostros ad Svecos rejecerint. Ne tamen anxie istos hoc negotium celarent, quod conclusio utique ad eorundem notitiam pervenire debeat. Tum excusarent, Gallorum & Belgarum interpositionem fuisse adhibendam, tanquam Sveciæ sociorum, & qui apud hanc multum possint. Apud Ordines Evangelicos diligenter instarent, ut Svecos ad æqua permoveant. Cum Pomeraniæ deputatis acta communicarent, eorumque sententiam exquirerent, quomodo ea provincia quam commodissime partienda videatur, postquam universos ejusdem Ordines consulere integrum non erat. Istis quoque testarentur, Electorem adversus istam partem, quæ forte cedenda sit, non minus benevolentiæ retinere, ac non tam sui quam illorum gratia tractatus suscipere, ne bello iidem involvantur. Apud Svecos proponerent, ita quidem Electorem sese adversus Sveciam gessisse, ut spes fuerit, hanc non ita rigide cogitata sua in ipsius provincia defixisse. Ne tamen in mora pacis sit, in tractatum super parte Pomeraniæ descensurum; nam tota cedere nullo modo posse; ac confidere istis quoque in eam rem idonea mandata esse. Expectaturos igitur, quid postulaturi sint; tum & se quoque sententiam suam exposituros. Et quanquam adhibiti sequestres majus negotiationi pondus addant, permissum tamen nostris, ut citra istos quoque cum Svecis tractarent, modo quæ publice & privatim agerentur sibi conformia sint. Quod si Sveci prius nosse cupiant, quid terrarum Elector ipsis concedere velit, ostenderent, malle ipsum integram retinere, nec decorum sibi fore unam magis, quam alteram partem offerre. Sed ubi Legati aut sequestres æqua, nec ipsi noxia nimium petant, studium se Sveciæ gratificandi luculenter ostensurum. Si demum res exprimenda sit, gradatim Rugiam insulam, addita præfectura Bartha & Tribsesa annuerent, inde Stralsundam quoque, ut tamen ei urbi privilegia salva maneant, ad extremum terras usque ad Penam fluvium, ut tamen Wolgastum cum portu penes Electorem maneat, cum Sveci alias sat portuum retenturi sint. Denique tentarent, num Sveci quam partem Pomeraniæ accepturi sint, lege *subfendi* Electori relinquere velint, quod ea ratione de amicitia ipsius satis caveatur; præsertim cum securitatem Regni sui potissimum a se respici jactent. Ubi super nominando æquivalente urgeantur, responderent: malle Electorem suis contentum agere,

1646. re, nec aliena adpetere. Si tamen utique sui quid amittendum sit, neminem vitio versurum, si ditiones commodo situ desideret. Nam quantacunque pecuniæ summa ipsi haut consuli. In æquivalens porro deposcerent Halberstadium Mindam, Hildesiam, Osnabrugam, & Monasterium præsulatus, in secularium ditionum indolem mutandos, & hæreditario jure a Domo Brandenburgica deinceps possidendos, tum expectativam ad Magdeburgum; & in Silesia Glogoviam, Saganum, Sveidnitiam & Jauram, ab omnibus oneribus & tributis exemtas: plenam insuper possessionem ditionum Juliacensium; ac ut Elector a satisfactione militari immunis sit. Si Sveci exclament, enormia ista esse; nostri reponerent, Electorem sua malle retinere, ac Pomeraniam ob situm ipsi esse inæstimabilem, cui par tota Germania non inveniatur, quin pretium affectionis ulterius adhuc porrigi posse. Exquirerent etiam, qua ratione Sveci cavere velint, Electorem ab ipsis e Pomerania, & ab aliis in ditionibus æquivalentis loco acceptis turbatum non iri. Insuper ut terræ ipsi uno tractu relinquantur, nec Svecis interjectum quid habeat: ut Odera fluvius ex asse liber penes ipsum maneat, neu Svecis ejusdem ostia intercludere liceat. Denique ut Stetinum utique sibi relinquatur, quod alias commerciis ipse exuendus, ac ita includendus sit, ut nulla mari communicatio amplius pateat. Cæterum caute agerent, nec quid præcipitarent, sed ab ipsius in vicina adventum rem integram servarent. Ubi tractatus succedant, Cæsareis quantum expediat communicarent, ostenso, necessitate Electorem ad hos tractatus accessisse, postquam ipsi oblata ultro Svecis Pomerania horum cupidinem immensum obfirmarint; ac ni res ab ipsis præcipitata fuisset, forte commodiorem transigendi rationem iniri potuisse. Unde penes Electorem nullam fore culpam malorum, quæ in futurum inde oritura sint; qui id unice egerit, ut suum cuique restitueretur. Et quia Sveci vicissim quædam obtulerint ad Cæsarem spectantia, quæ ipsi in eventum retenturos se jactant, ac Electorem extra omnem belli culpam positum sua gratis amittere par non sit; Cæsarem id in sinistram partem non capturum, quin studium ipsius pro tranquillando Imperio agniturum, quod tam pretiosa se ditione exuere sustineat; cum etiam minima Pomeraniæ parte cessa reliquæ suæ ditiones haut exiguo periculo exponantur. Ast circa matrimonium Reginæ nullum amplius verbum fieri volebat Elector, cujus inani spe tamdiu sese lactatum dolebat. Animadvertisse quoque se, si maxime Regina ad nuptias animum adplicet, marito regni habenas haut committendas, eoque liberos ipsius pro peregrinis habendos, quibus successio ad regnum nisi prævia Ordinum electione haut pateat. Cum tamen Gustavus Adolfus Rex per Gœtzium & Leuchtmarum patri Georgio Wilhelmo significarit, Christina cum Friderico Wilhelmo filio juncta penes hunc regimen Regni fore, & Ordines jure eligendi cessuros, quousque descendentes ex ipso superfuturi sint, quo regia Sveciæ, & Electoralis dignitas in uno capite unianτur ad robur ac securitatem utrique statui addendum. Unde toti se orbi ludibrium debiturum, si nunc non paulo plus quam cubicularii munus apud Reginam obiturus sit; cum tamen patrimonio haut pœnitendo, ac dignitate ad regiam proxime accedente gaudeat, ad posteros hæreditario jure transmittendis. Per Benckendorfium quoque denuntiatum sibi fuisse, sacra sua in Svecia haut toleratum iri. Nam si alia sacra in urbe, alia in arce exerceantur, atque his, qui clanculum sententiam Calvini forent, se adjungant, totum regnum eo offensum iri, ac forte classicum canentibus sacerdotibus in seditionem abiturum. Sane Carolum IX. Regem, si diutius supervixisset, quod nimis in Reformatorum scita inclinaret, regno ejiciendum fuisse. Enimvero uti sibi nunquam in mentem venerit circa sacra aliena quid novare, aut ulli mortalium ob religionem molestiam facessere; ita vicissim nolle suorum sacrorum exercitio renuntiare, aut eo nomine negotium sibi fieri. Quod si igitur quæ denunciata sint contigerint, ad miseram se conditionem redigendum, facile quoque Reginæ affectu in se refrigerando; ac sine uxore cum liberis velut exteris domum mittendum, aut plane, quod & aliis contigit, certo Sveciæ loco includendum. Ac sibi persuaderi, id caput de sacris Reginæ animo altissime infixum, quando Benckendorfio dixerat; *alias invincibiles rationes statum connubium cum Electore haut permittere.* Igitur nostri ansam haut præberent, ut de matrimonio amplius mentio injiciatur. Non tamen se intercedere, quo minus, si Salvius ultro moveat, nostri velut citra mandatum differant, ipsum in tam duras leges matrimonium haut initurum; quin si omnia annuat, quæ ab eo desiderentur, metuendum esse, ne Sveci, eundem velut privatum in potestate habeant, regimen quoque ditionum ipsius Germanicarum invadant, solo subscribendi literas honore relicto; quem in finem Pomerania tam impense expetita istis egregie subservitura sit. Enimvero olim, cum patri ipsius de hoc connubio proponeretur, id præcipue fuisse spectatum, non ut Pomerania sibi subtraheretur, sed ut per istud Svecia & Electoratus sub unius Principis imperio invicem illigati mutuas operas præstarent. Ac Oxenstiernam Cancellarium has leges tulisse: *quamdiu Elector in Svecia agat, aliquos e Germanicis consiliariis ipsi adfuturos, per quos Germanica negotia expediantur, quibus Svecici Senatores sese ingesturi haut sint. Contra in Germania morantem quosdam Senatores Svecicos comitaturos, expediendis regni negotiis, queis itidem Germanici consiliarii sese immixturi non sint. Sed ubi inciderint, quæ utrumque statum pariter afficiant, ea ab utrisque uno consilio junctis deliberanda, fraterna inter se fide atque concordia ad communis Principis & utriusque status salutem incubituris.* Ea tunc temporis consilia fuisse, quæ nunc plane mutata intelligat. 1646.

Galli de studio suo in Electorem restantur.

§. 53. Ast nostri intellecta Electoris voluntate, in antecessum Gallis significant, hunc temporum iniquitati cedere constituisse; ut tamen quam minima jactura defungi queat, eundem in ipsorum favore plurimum fiduciæ collocasse. Ad quæ Galli: *magnopere se circa Pomeranicum negotium curis distrahi. Nam hinc se magni æstimare Electoris amicitiam, a cujus Domo ipsorum natio insignia officia perceperit. Inde Svecis sese fœdere illigari, qui in sinistram partem accipiant, si ea de re verba faciant, suspica-*

ti

1648. *ti velut tam egregium belli præmium ipsis invideant, ac impedire studeant ne eorundem potentia in Germania stabiliatur. Ita studium suum in Electorem fere inutile reddi. Et esse quidem Svecos bello egregios; sed ubi de emolumentis agatur, asperiores haberi; ac sine dubio durius justo cum proximo Reginæ cognato agere.* Haut eo minus nostros hortabantur, ne in totam Pomeraniam consentirent. *Svecorum postulatum æquitati, ac Gustavi Adolfi promissis, scopoque repugnare; ac utut res ex eo tempore nonnihil mutatæ sint, tam ampla tamen nullo jure istos exigere posse. Nam expensas Svecorum hoc bello valde tenues fuisse; tota ipsos Germania contributiones exegisse; a Gallis insignia subsidia accepisse, ut plus pecuniæ hoc bello in Sveciam illatum, quam inde exportatum sit. Unde neminem istorum postulato adstipulaturum, ac se clanculum omni modo Electori fauturos, idoneam quoque pro parte Pomeraniæ pensationem curaturos, modo præsulatus non deposcant, sed de Cæsareis ditionibus proponant. Sic enim Cæsarem ultro præsulatus oblaturum, eoque se extra invidiam apud Catholicos fore. Nec in præsens metuendum, rem hanc præcipitatum iri. Nam Trautmansdorfium nunc segnius quam antea pacem urgere, cui id propositum fuerit, ut quid circa quævis, quæ heic agitentur, ad extremum obtineri queat, exploraret, inde ipsum discessurum, & eventum belli speculaturum, num forte clades aliqua Norlingana similis rem Cæsaris restituere possit.* Norlingana. *Præsertim cum Regii exercitus Bavariam petant, unde id commodum speretur, ut Bavarus in angustias redactus non minore anxietate Cæsaris opem implorare cogatur, quum sæpe huic istius auxilium humili prece extundendum fuerit. Simul Cæsarem una aut altera Bavari in ipsum prætensione liberari posse, hoc quoque deinceps non ita acriter pro Gallica satisfactione laboraturo.*

Sveci parum adhuc moderationis ostendunt. §. 54. Ast Sveci, quibus & ipsis nostri super adferendis brevi mandatis significaverant, nil nisi totam Pomeraniam ingeminare, circa quam mirum, Electorem tam esse difficilem, cum tamen Domus Brandenburgica præcipua fuerit, quæ Regem Gustavum Adolfum in Germaniam pertraxerit. Nec ullum Germaniæ Principem quam istum esse, quem rationes status sui magis subigant ad colendam cum Svecia amicitiam; quæ nullo vinculo magis adstringi possit, quam si circa Pomeraniam ipsis gratificetur. Hanc ni obtineri queant, velut unicum tot bello exhaustorum laborum pretium, nulla se necessitate ad pacem compelli. Quin contra si vel maxime pacem nunc Germaniæ dent, aliud mox sibi bellum ordiendum, quod Sveciæ status longam pacem adspernetur. Huic enim perpetuum militem ad quinquaginta millia alendum, ob turbidos vicinos, quem domi gratis annonam comedere dispendio sit, ni bellis externis adhibeatur. Unde Axelii Oxenstiernæ mentem esse, expedire Sveciæ bella e bellis serere. In pensationem offerebant Crosnam & Carnoviam, quam Cæsarei pro suis habeant, tum Saganum & Glogoviam, ac tres præsulatus Marchia comprehensos; expectativam in Magdeburgicum præsulatum, ac possessionis Clivicæ confirmationem. De Halberstadio jam omittebant. Ac judicare Cæsareos, hac ratione Pomeraniam sat care redemtam. Præter hæc nihil habere quod offerant. Nam aliis sua eripi non posse, & Gallos nolle Præsulatibus Catholicis manum injici. Quæ a Lampadio Brunsvicensi Legato Svecis suggesta credebantur, qui Electoris commodis valde reluctabatur. Ad quæ nostri præter alia regerebant: Sagano modicos reditus; Glogoviæ nulla *bona mensalia & cameralia*, ac proventus e vectigalibus, & cerevisia exigui momenti esse. Ac ista tantum dicis causa jactari, quod constet, ipsos jam Silesiæ renuntiasse ea lege, ut Electoris consensum circa Pomeraniam impetrent. Tum de tribus præsulatibus absurde moveri, qui dudum pars ditionum Electoralium habeantur. Lebusium olim extinctis canonicatibus præsulatus formam exuisse; ac reliquorum nomine Electorem sessionem in conventibus nec habere, nec desiderare. Sed & Sveci propositos ab Electore sequestres Gallos, Belgasque admittere abnuebant, velut superfluos, ac sibi cum nostris solis facile conventurum. Ac ista a Regina minarum in vicem haberi, velut istorum autoritate aliquid ipsi extorquendum sit; præsertim cum constet, Electorem magnopere amicitia Belgarum confidere. Cæterum penes Electorem solum culpam esse omnium malorum, e protracto bello provenientium. Hæc enim causa nisi obstitisset, reliqua dudum absolvenda fuisse. Ast se non ita simplices esse, ut reliqua expediant, satisfactione sua nondum ad liquidum deducta. Ac in proclivi fore sibi, per biennium adhuc bellum in alieno gerere. Sane & Marchiæ Ordines Electori svasisse, ut de Pomerania cum Svecis amice transigat, ad quam recuperandam opes sibi haut suppetant. Ad extremum tamen profitebantur, se in Sveciam scripturos, num super parte Pomeraniæ, ad quam Elector se obtulerit, tractatus suscipere debeant. Circa quæ Electori videbatur; non esse quare Sveci de sua difficultate querantur, cum nemini non constet, cessa Pomerania Sveciæ se plane obnoxium acturum. Illos anno 1634 Bartham duntaxat portus gratia petiisse, quod viderent (ea verba tunc erant,) *Pomeraniam ab Electoris statu avelli non posse.* Ac si ita facile de Pomerania annuisset, forte gliscente appetitu de Marchia quoque Uckerana, & Nova moturos fuisse, Pomeraniæ valde opportunis, ostentato e Præsulatibus redhostimento. Penes se porro hautquidquam culpam belli extracti esse, sed penes illos, qui aliena appetant. Quod a Svecis sequestres rejiciantur, amicorum conjunctissimi, quorum operam & in bello Danico componendo admiserint, indicio esse, ipsos causæ suæ diffisos de istorum adprobatione desperare. Injungebat porro Elector suis, ut e repudiato a Svecis Belgarum officio ansam arriperent hos ad causam ipsius acrius amplectendam urgendi. Qui Electoris consilium probabant, temporibus cedere docilis; ac quæ nunc amittantur, post forte recuperanda, Svecis Germanico milite exutis. Ac insolens valde atque austerum esse, suam operam repudiatam. *Id negotium Belgis & Imperii Ordinibus commendatur.* Sed & Ordinibus Imperii Elector denuntiari jubebat; cum Sveci adductis rationibus a petenda Pomerania depelli non potuerint, amore pacis ac in patriam caritate demum super hac cum Svecis tractatus suscepturum. Id autem antequam fiat, necessum esse, Svecos omissa tota Pomerania ad moderatiora descendere. Igitur ut Ordines eo nomine apud Svecos intervenire velint, rogabat. Ea re Monasterii in Senatu Principum pro-

1646. proposita, Catholici tepidos admodum se exhibebant, excepto Constantiensi, & Lotharingo; quod metus esset, ne si hoc negotium susciperent, eo ipso Svecis sese obstringere viderentur ad præstandam satisfactionem, atque hi ad Catholicos præsulatus animum adjicerent. Nec majus in Senatu Electorali studium ostendebatur, Moguntino maxime adversante, qui & Principales, quid apud se actum foret, edocebat. Demum a Catholicis in eam sententiam discessum; ubi gravamina prius composita sint, ab Ordinibus inter se junctis causam suscipiendam, ut Elector Svecorum postulato liberetur. Quo ipso Electorem obstringere cupiebant, ut Evangelicos Ordines permoveret, quo circa gravamina Catholicis concederent. Osnabrugæ Ordines responderant; se deliberaturos, quæ rei commode expediendæ ratio ineunda sit. Etsi constabat, etiam illos ipsos, qui pacto mutuæ successionis Domui Brandenburgicæ illigati erant, in diversa abire, & Svecos ut postulatis suis insistant obfirmare. Ac jam Brunsvicenses super Halberstadio difficultates movere incipiebant. Ast Cæsarei ægre ferre, quod nostri Ordinum interventionem quæsivissent ipsis præteritis. Id quod nostris mirum videbatur, quod isti utique formulæ pacis diserte inseruissent; Cæsarem Svecis Citeriorem Pomeraniam, quantum penes se sit concedere, consensu tamen Ordinum Imperii, & eorum quorum interest reservato. Cur enim Electori permissum non sit in tanti re momenti Ordinum operam quærere, ac quantum possit causæ suæ consulere; præsertim cum eadem universum Imperium tangat? Ac cum Cæsarei Pomeraniam, Svecis, quantum in se, dare festinarint, nullo colore semel concessa retractare, ac vela retro dare poterant.

Separati cum Svecis tractatus incassum quæruntur. §. 55. Allatis ab Electore mandatis Legati utrinque Lengrichæ congressi deprehendebant, eadem ad præsentem rerum faciem parum quadrare; eoque pressiora mandata expetebant, quæ ad dimidiam Pomeraniam pertingerent; & pensationem non parum temperandam. Interim ne quid in tentatum relinquerent, apud Svecos post exhibitas ad id negotium literas fiduciarias exponunt: *Electorem non sine admiratione percepisse Svecos insuper habito suo in ipsos studio, ac propinqua cum Regina cognatione Pomeraniam affectare, nemine non improbante. Et quia hic agendi modus plane a ratione abhorreat, Cæsarem suspicatum, secreta quid conventionis sibi cum Svecis intercedere super finibus utrinque proferendis. Eoque ipsum aulam Cæsaream admodum iniquam expertum, ac parum abfuisse, quin obtentu hospitiorum sua ditio exercitu Cæsareo inundaretur. Ac constituisse quidem Electorem Legatos suos hinc avocare, rem fatis committere. Vicisse tamen caritatem patriæ, cujus pacem remorari nolit, eoque demum decrevisse partem Pomeraniæ e pretio affectionis taxatam recepto æquivalente cedere, de cujus conditionibus agere se jussos sequestribus Gallis & Belgis, ac re cum Pomeraniæ Ordinibus communicata, citra quorum consensum Electori nihil concludere fas sit.* Ad quæ Sveci; *super admittendis sequestribus nil sibi mandatorum esse; ac si eo nomine prius in Sveciam scribendum sit, multum temporis elapsurum. Ac facile sibi solis inter se conventurum, nec plus Electorem amissurum, propositione per se, quam per sequestres facta. Et ut ipsi consentiant, sumtibus aucam dari, ac Legatos magnifice donandos. Quin magnos sequestres vix aliud quam difficultatem negotiis adferre. Ac constare sibi, Belgicos Legatos ab Ordinibus Fœderatis acriter increpitos, quod his insciis et se officia paratos tulerint; quod & Galli sint declinaturi. Facilius eos admitti potuisse, si citra solennia velut communes amici operam suam ultro obtulissent. Sed nec concedendum sibi, ut hac ratione negotium ad separatos tractatus pertrahatur. A Cæsare & Ordinibus satisfactionem se postulare; hanc quomodo expediant, ipsorum curam fore. Se quoque propositionem haut facturos, sed quid ipsi offerre velint expectaturos. Se quidem totam Pomeraniam sibi deposcere: extra hanc incassum negotiationem suscipi. Eam sibi sententiam stare, ne inani spe ipsos detineant.* 1646. Ad quæ nostri: non esse Electoris mentem id negotium a communibus tractatibus abstrahere: sed quia sua res agatur, super hac inter ipsum & Svecos transigendum, idque deinceps communi paci velut partem inserendam. Ut autem Cæsari & Ordinibus de Pomerania pro lubitu disponere integrum sit, concedi non posse, velut de re aliena; nec eam potestatem ab Electore in istos collatam. Officia Sequestrium, aut quocunque vocabulo adpellari placeat, vel ideo necessaria esse, quod neutris partium injunctum sit de negotio proponere, eoque a tertio interveniente id faciendum. Saltem ut ab Electore id fiat non congruere, cui ditiones suæ venales non sint, & qui non nisi amore pacis, ac ut gratificando Sveciæ sibi amicitiam pigneret, huc descendat. Ac ab illis utique initium negotio faciendum, qui aliquid ab aliis exposcant. Id quoque testari, Electorem nunquam tota Pomerania decessurum. Unde Sveci nunc reipsa ostenderent studium pacis, quod tam amplis verbis testentur. Multa inde disceptatio, ac inter alia Oxenstierna jaciebat: Svecis morem esse, ut quod semel statuant, id & æquum judicent, eique inhæreant, nec mercatorum ad instar cauponentur. Ad quæ nostri: *Si cujus vis postulati æquitas a judicio ejus, qui postulavit, dependeat, nihil toto orbe iniquum fore; cum nemo seipsum damnare sueverit. Omnes quoque tractatus inter duas partes versari, quarum unam dictare alteri non posse, quid in eo negotio justum & æquum sit, sed alteram quoque audiendam; alias nunquam ad firmam conclusionem perventum iri.* Jactabat quoque Salvius: *Cæsari & Imperio directum dominium in Pomeraniam competere, cujus vi Cæsar Regno Sveciæ utile dominium contulerit, probantibus Imperii Ordinibus. Possessionem Svecos a longo tempore obtinuisse. Igitur Electori præter nudam prætensionem nil superesse, quæ tanti æstimanda non sit.* Ad quæ nostri: *Recognosci sane Pomeraniam velut feudum a Cæsare; sed hunc jus suum jam exercuisse, collata in Electorem investitura, quam in alium transferre non amplius queat. Et quæsitum atque radicatum Electoris jus prætensionis vocabulo eludi non posse. Quin Cæsareos profiteri, se ne vicum quidem Pomeraniæ condonasse. Nam non plus concessisse, quam Cæsar habuerit, quod re vera nihil sit. Ex fœdere autem inter Regem Gustavum & Ducem Pomeraniæ anno 1630 inito satis adparere, qualem Pomeraniæ possessionem Sveci nacti sint.* *Artic. IV. & V.* Sed quia Elector rem haut præcipitari jusserat, quæ & nondum matura videbatur, ad hunc relaturos se nostri ferebant, protestati tamen, ne quid eodem inscio statueretur. Sveci quoque id negotium ad responsum e Svecia adferendum rejiciebant. Se

quippe

1646. quippe Reginæ demonstrasse, Cæsareos consensum Electoris circa Citeriorem Pomeraniam præstandum recepisse: Gallos svadere, ut Sveci hac contenti sint. Eadem Ordines rogare; ac peculiariter ad Palatinum Carolum Gustavum scripsisse, ut Reginam ad rationem audiendam permoveat. Unde sibi expectandum esse, quid Regina decretura sit. Addebat Salvius: se Cæsareis denunciasse; quia ipsi consensum Electoris circa totam Pomeraniam præstare nequeant, se ad prius postulatum de tota Silesia revolvi, cum non Elector, sed Cæsar ipsis satisfacere teneatur; ac sibi sat facultatis esse e Silesia, & Præsulatibus Electori pensationem exhibendi. Cæterum quia super alienanda Pomeraniæ parte Elector consensum Ordinum ejus provinciæ necessarium judicabat, nostris monentibus Deputati istorum declarabant; nil magis sibi in votis, quam ut sub Electoris imperio degere sibi liceat, ac ut is totam provinciam retinere laboret, modo ne ad bellum res deducatur. Sed cum nostri a Svecis peterent, ut Ordinibus Pomeraniæ conventum habere, ac super hoc negotio deliberare & statuere liceret, isti respondebant: id penes Reginam, & Torstensonium esse ejus provinciæ gubernatorem. Ad quem cum Elector eo nomine literas daret, hic ad Oxenstiernam rem rejiciebat. Ast hic negabat sibi cum Pomerania quid negotii esse; sed a Wrangelio id quærendum, qui Torstensonio successerat. Eodem de conventu cum & Deputati Pomeranorum moverent, Oxenstierna iratus conventicula ista nulli usui fremebat. Unde non obscurum erat, si e consensu Ordinum provincialium res dependeret, Svecos de Pomerania parum sibi polliceri.

Gallorum mens a nostris penitus exploratur. §. 56. Ast ut quæ Gallorum mens esset penitius exploraretur, nostri hisce exponebant; acerbum Electori fuisse visum, ab iisdem postulata Svecorum justa declarari, ac se ex fœdere ad illa pervincenda teneri. Nam ea si sententia stet, parum spei in Galliæ amicitia ipsi reponendum; nec ejus officio utendum. Ad quæ Galli. *Quod aliquando durius cum ipsis loquantur, id non ideo fieri, quod Electori non optime cupiant; sed ut apud Svecos sibi fides constet, qua consumta nil amplius isti prodesse valituros; simul ut ipsius Electoris mentem expiscarentur. Cæterum sibi cum suspicacibus hominibus rem esse, quibus ne minima diffidentiæ causa præbenda sit. Ac facile se prospexisse, Svecos ipsorum officium hoc in negotio haut admissuros, quod nec obtrudere istis queant, & quo ipsi libenter supersedere velit; cum ob fœdus Svecicum operam, quam cupiant, Electori præstare nequeant. Saltem solenni forma sequestres agere non posse. Sed Imperii Ordines quam maxime decere circa id negotium satagere; quo facto se velut communes amicos citra sequestrium pompam interventuros, ac negotium ad optatum finem deducturos. Vinceret modo sese Elector, ac temporibus cederet, rerumque conversionem expectaret. Cessa Citeriore Pomerania & Stetino rem confici posse; pensationem, si proponatur, haut defuturam. Stetino Svecos haut depelli posse, quod absque illo Pomeraniæ portus inutiles sibi futuros ferant. Rem tamen integram servaturos, quod Elector propius accesserit.* Nec dissimulabant, tædio se Svecicæ societatis captos, ac optare, ut istos amica ratione a se amoliantur: fidem tamen fœdere obstrictam implendam. Nec obscura in Svecos invidia æstuabant Galli, ne istorum potentia in Germania nimium glisceret. Unde satis constabat, Gallos nihil ex benevolentia in Svecos, aut quod eorum opes augeri cuperent, facturos, nisi quantum fœderis, ac præsentium temporum rationes exigant. Nec disparia Galli Legatis Belgicis, ad amplectendam Electoris, causam ipsos hortantibus, responderant: Sibi velut sociis, pro Svecis nitendum, nec his invitis sequestros se ferre posse. Amicos tractatus ab Electore nimium dilatos: interim rem longius processisse, ac Cæsareos totam Pomeraniam obtulisse. Ad quæ Belgæ demonstrabant, quantum Protestantium, & qui his amicitia jungantur, intersit, eam rem amice componi, ne in bellum erumpat Catholicis emolumenta pariturum, qui semper Austriacas partes fulciant. Unde tam Gallorum, quam Belgarum rationibus, congruere, Catholicorum opes in Germania haut præponderare, sed per Protestantes in æquilibrio retineri. Pacem haut duraturam, si tanti animi Princeps, ætate vegeta, magnisque cognationibus succinctus tantopere offendatur. Galliam a Domo Brandenburgica insignia officia accepisse, ac deinceps accepturam, si & amicitiam ejus, & vires conservet. Ad quæ Galli satis tepide demum quærebant: num Belgæ semper ad hunc modum locuturi sint? tunc enim se paribus sermonibus tuto uti posse. Belgæ contra: Electoris conservationem velut amici ac vicini a se utique optari; ac non se tantum pro illo locuturos, sed & alios inventum iri, paria facturos, qui hactenus siluerint. Ita studii sat erat, sed quod ultra verba processurum haut videbatur, quamdiu tam validus Svecis exercitus in Germania subsistebat, quo hi confisi quid alii sermocinarentur insuper habebant. Ac si ad fortiora remedia descendendum foret, ipsum Electorem cumprimis manus admovere oportebat; sed quod effectui dare arduum & anceps futurum erat, Legatis hinc inde mittendis, quibus multæ difficultates hinc inde occursuræ erant. Inprimis a Belgis vix aliquid solidi expectare licebat. Apud hos nuper multum operæ insumtum fuerat, ut bello sese inter Svecos & Danos immiscerent; plus tamen obtineri non potuisse, quam ut classis mitteretur, speculandi potius causa, & ut Svecorum successus libraret, quam ut in Danos rem gereret, a quibus tamen Belgæ antea gravissime læsi fuerant. Qui & nunc, cum acrius premerentur, num quid solidi ab ipsis auxilii sperari possit, multo questu onera ac difficultates status sui differebant, cui respiratione opus sit, quam & subditi votis expetant. Ac multa expendenda esse, antequam ad extrema descendatur. Eodem tempore Magnus Gardius e Regina in Galliam Legatus impense apud Regem instabat, ut is ad Electorem ac universos Ordines literas daret, quo Svecis tota Pomerania detur, velut sine qua pax sperari nequeat. Sed cui Rex citra ambages declaraverat: velle se fœdus cum Svecia bona fide servare, ac ut hæc satisfactione potiatur, operam navare. *Sed ut Electori sua extorqueat, aut Ordines, ut eodem connitantur, impellat, sibi haut decorum. Sequerentur Sveci ipsius exemplum, & ab iis præmia belli petant, qui huic causam dederint, idque tot per annos aluerint.* Denique ne quid intentatum relinquerent nostri, Aloysio Contareno Legato Veneto hanc quoque causam commen- *Veneti sententia.*

1646. mendatum ibant. Qui excusabat, officium suum sese Osnabrugam haut extendere. Alias consulere se, ut Elector temporibus cedat, ac futura conversione rerum sua recuperet. Nostri contra: satius esse in præsens bona Electoris intacta servari, quam iis semel amissis mutationem temporum expectari, incertam, & forte nec ipsam difficultate carituram. Nec ita facilem regressum dari ad ea, quibus semel renuntiaveris, Venetus; mutationem expectato citius futuram. Unde sibi perinde haberi, pax perpetua, an triginta annorum induciæ fiant; ad quem scopum ipse toto hoc tractatu consilia sua dixerit. Renuntiationem, ubi iniquitate temporum invitus compulsus fuerit, exprobrari haut posse. Cæterum dimidiam Pomeraniam dudum conclamatam; ac multos ex Ordinibus id spectare, ut Elector vel dimidiam ultro abdicet, vel totam perdat.

Galli Electorem ad cedendam dimidiam Pomeraniam permovere conantur.

§. 57. Galli porro, ut negotium Pomeranicum ad temperamentum aliquod deducerent, animos utrinque ad moderationem disponere laborabant. Ac nostris quidem significabat Longuevillius; Cæsareos ipsi per sequestres indicasse, sed ad extremum Svecis dimidiam Pomeraniam addicturos, cum obligatione Electoris consensum super eadem obtinendi: penes Electorem Ulteriorem provinciam cum Stetino mansuram, ac Svecis insignem pecuniæ summam ab Ordinibus Imperii solvendam. Si Sveci, ut adparet, Stetino cedere nolint, eam pecuniam Electori cum Halberstadiensi præsulatu attribuendam. Id se Svecis per San-Romanum significasse: hos respondisse: brevi se mandata e Svecia expectare. Id se nostris communicare, ut Elector mature statuat, quod obtineri queat, pacique promovendæ inserviat. Ut is Halberstadium cum pecunia acceptet magnopere se suadere. Aliam viam non dari, ac si tergiversetur, Cæsare & Ordinibus adversis usurum. Nostri contra orare, ut Galli impediant, ne talia publice offerantur. Subtracto Stetino & Wolgasto Ulteriorem Pomeraniam nihili esse, & Marchiæ commercia plane mari secludi. Tum ut Ordinibus Pomeraniæ Stetini liceat conventum agitare, ac per Deputatos hisce tractatibus adesse Galli id necessarium negabant, & eorum sententiam nullum pondus habituram velut armis oppressorum. Ac Stetino cedendum, ne Elector totam Pomeraniam, & forte amplius amittat. Etsi Servientus id iniquum agnosceret, ac perinde fore, si quis hominem restituere vellet capite prius truncatum. Cum nostri jacerent: Si Poloni ac Belgæ se immisceant, Svecis non mediocrem scrupulum injectum iri; Galli regerebant: Polono citra Ordinum consensum nihil licere; ac ipsius Ablegatum id duntaxat jussum proponere; Regem Poloniæ nolle, ut tota Pomerania penes Svecos maneat; de parte difficilem haut fore. Cæterum verbis rem haut confici, ac si Polonus ulterius progredi, & in Svecos aliquid tentare velit, se ipsi obstituros, cum pace sibi opus sit; ac Gallia in nullius gratiam bellum extrahere, aut novum ordiri queat. Ac Roncalium Polonicum ministrum diserte declarasse; cum Svecis Regi suo nihil negotii fore, eumque inducias ad finem usque sancte servaturum: Et Crocovium captandæ Electoris gratiæ fervidius forte se jactare, quam in mandatis habeat. Belgas quoque nihil aliud 16
quærere, quam ne Elector totam Pomeraniam amittat; id quod & a se spectetur; ita ut Odera limes sit, insuper habita vetere divisione, litigiis materiam præbitura. Ac cum inter se ac Cæsareos fere transactum sit, ac spes pacis cum Hispanis allubescat, haut ulterius tractationem super Pomerania differendam, ne reliquis compositis ista non sane ex commodo Electoris raptim expediatur. Cum nostri reponerent; ista haut satis respondere fiduciæ, quam in Gallia Elector collocarit; Longuevillius prolixe admodum de studio suo in Electorem testari. Sed eo rem rediisse, ut istud quantum optet, expromere nequeat. *Se ab initio Svecos permovisse, ut totam Silesiam, quæ Cæsarem spectat, sibi deposcerent. Unde spem fuisse rem ita temperandi, quo Svecis juxta atque Electori satisfieret. Sed dum hic contradictioni insistit, Cæsareos totam Pomeraniam obtulisse, Svecos vicissim de Silesia remisisse: unde causam longe difficiliorem redditam. Nam etsi Cæsarei consensum eorum, quorum interest, & Imperii Ordinum exceperint; Svecos tamen credere, obtento supremi domini consensu cum reliquis facile sibi conventurum. Sic ut Cæsarei Electorem graviter læserint, tota Pomerania velut ex facili promissa, qua nunc Sveci magno molimine iterum depellendi sint. Præsertim cum Svecis in promtu sint rationes, colorem aliquem juris postulato suo afferentes, nostris sat cognitæ. Cum his ita fervide se locutum, ac si Electoris Legatus foret; sed nil amplius extudisse, quam ut dicerent; non nisi de tota Pomerania sibi in mandatis esse, nec de parte tractatum a se suscipi posse. Sequestrium porro munus apud Svecos fœderatos Galliæ a se obiri non posse. Sed velut communes amicos libenter operam navaturos, ubi serio res agi cœperit. Ordinum Pomeraniæ consilium adhibere longum fore, nec ideo pacem Orbis Christiani differri posse. Circa æquivalens duas duntaxat vias adparere, ut vel Elector Svecis Citeriorem Pomeraniam usque ad Oderam incluso Stetino relinquat, satisque habeat Ulteriorem provinciam retinuisse, quod Sveci utique totam Pomeraniam armis vindicaverint, eaque jam a Cæsare concessa sit: vel ut totam Pomeraniam Svecis relinquat, accepto Halberstadio cum Glogovia, & Sagano.* Addebantur preces, tergiversandi finem faceret, ne pervicacia duriores conditiones pariat. Nam neque Svecos, neque Cæsarem, Ordinesque Imperii, neque se eam ob causam pace amplius carituros, quæ demum concludenda sit, Pomeranico negotio in præsenti statu relicto. Nostri ad hæc: Mirum Svecos tam parum sibi constare. Oxenstiernam nuper de citeriore Pomerania cum Stetino, & Cammino jecisse. Quid cum illis agi possit, queis dicta sua retractare nullus pudor est? Sane adparere studio id agi, ut res cum Electore ad bellum deducatur. Repugnantia sibimetipsi dicere, qui tractare, & omnia tamen retinere velint; cum indoles tractatuum requirat, ut aliquid accipiatur, aliquid remittatur. Quas adducant rationes facile dilui posse. *Cæsaris concessionem Electori fraudi esse non posse, cum penes istum non sit, alterius terras redimendæ suæ paci condonare, nec Svecos, inter Ordines Imperii referendos, id exemplum probaturos. Quod Elector Pomeraniam haut possederit, nil ad rem facere. Habuisse eum jus per pacta quæsitum, cujus conditio obitu Ducis postremi purificata sit. Quo minus possessionem multos ante annos capesse-*

1646. *capesseret, Svecorum armis prohibitum. Recte quoque eam provinciam ipsi hæreditariam dici posse ob jus a patre in filium transmissum: quod nec lucrativo titulo partum sit, sed multo sanguine & impensa constiterit, antequam ad pactum successorium res deduci potuerit. Beneficium Regis Gustavi Adolfi ob Cæsareos expulsos grato animo agnosci. Sed id in amicorum gratiam ipsum præstitisse, ac fœdere Pomeranico testatum, se nil eorum, quæ ab hoste recuperarit, sibi retenturum, sed omnia veris dominis redditurum, haut imputatis belli sumtibus. Nondum liquido constare, Pomeraniam Bavaro aut Lotharingo donatam fuisse; ac si factum sit, Svecos tali exemplo justitiam causæ suæ haut fulturos. Consensum Ordinum Pomeraniæ adhiberi necessarium esse, cum sine illis quæ agantur nulla futura sint. Vias, quæ proponantur, acceptari non posse, cum Elector nunquam totam Pomeraniam, aut Citeriorem cum Stetino dimissurus sit. Si paci mora inde nascatur, in culpa esse, qui iniqua postulent. Si Sveci Electoris Patri beneficii quid exhibuerint, hunc vicem rependisse. Qui bona naufragi servet, præmium mereri, sed Regem Gustavum eidem renuntiasse, & Electorem paratum esse ratam partem conferre. Sed totum eo nomine abripi; a ratione alienum esse.* Cum igitur Galli nihil haberent, quod adhæc reponerent, nostri rogabant, ut res integra servaretur, quoad ab Electore mandata veniant, aut ipse propius accedat. Galli id promittere tergiversabantur: tempus jam esse concludendi, plerisque expeditis; ac Cæsareos rogandos, ut verba sua, queis Pomeraniam Svecis obtulerint, in favorem Electoris pressius interpretentur; tum ut Ordines Imperii hanc causam majore studio amplectantur. Post longam disceptationem Galli triplicem viam negotium componendi proponebant: dandam Svecis totam Pomeraniam; Electori Bremam, Verdam, Halberstadium, Glogoviam & Seganum: vel Svecis Citeriorem Pomeraniam & Stetinum; Electori Ulteriorem provinciam cum Halberstadio: vel Svecis Citeriorem provinciam absque Stetino; Electori Ulteriorem cum Stetino citra aliam pensationem. Quæ omnia a nostris rejiciebantur. Demum Galli dicebant: *justitiam pro Electore stare, sed hanc præsenti rerum facie locum haut inventuram: ac consilia & vota rebus, non res consiliis & votis attemperandas.* Svadebant porro Galli nostris, ut apud Svecos tractatibus sese paratos ostenderent ea lege, ne de tota Pomerania agatur. Nostri promtos se ferebant, sed per Ordines Pomeraniæ non posse: rogabantque, Svecos permoverent, ut istis Stetini convenire liceat, consensui suo declarando. Sed Galli post referebant, Svecos ad istud petitum aures occlusisse. Saltem non alia lege id permittendum, quam ut convocatio fiat nomine Reginæ, ac ut ab hac aliquis conventui intersit, auditurus quæ agantur. Quod ipsi Galli iniquum agnoscebant, cum convocatio pars imperii sit, quod in Regina Elector haut agnoscebat. Cæterum sufficere, si isti conclusa adprobent; nam in antecessum istorum consensum expetere tardum fore. Svecos quoque addidisse; si Elector nil certi statuat, rem præsenti in statu relinquendam, satisque a se committendam; ac se id in clarigationis vicem habituros, quod haut aliud obstinato silentio spectetur, quam ut idonea occasio captetur armis Sveciæ illatis Pomeraniam vindicandi. Demum cum nostri desisterent solenne Gallorum officium expetere, ac satis haberent, ipsos tanquam communes amicos operam interponere; Galli rem quidem se extracturos, quoad Elector advenerit, pollicebantur. Cæterum enixe svadere, ut Elector certum consilium pro indole temporum capiat. Nam Cæsareos, cum tanta obstacula superari nescia cum circa alia, tum circa Pomeraniam se objiciant, statuisse cum Svecis in quadraginta annos inducias inire, quibus durantibus Sveci Pomeraniam, & quæ alia in Electoris ditione insideant, retenturi sint, maximo cum hujus præjudicio, præsertim fœdere inter Cæsarem & Regna ineundo ad compescendum illum, qui inducias violaturus sit. 1646.

§. 58. Ex altera parte Cæsarei nostros diversa ratione urgebant, qui initio his ad se evocatis exponebant; a Svecis jactatum, Electorem ipsis totam Pomeraniam relicturum, recepta vicissim Glogovia, Sagano, & Halberstadio. Id si verum sit, Cæsarem ægre laturum ditionibus suis hæreditariis manus injici. Nostri contra querebantur, Cæsareos Svecis totam Pomeraniam annuisse; & cum ab omnibus destituantur, demum necessitate subigente tractatus super parte Pomeraniæ obtulisse cum conditione recipiendæ pensationis. Sed quia Sveci defectum mandati excusarint, tractatus non successisse, nec de pensatione propositum. Cæterum bene facturos, si verba sua declarare velint, quo Gallis opinio adimatur, quasi Cæsarei Svecis totam Pomeraniam dederint. Cæsarei excusationem nostrorum acceptare. Sed nova declaratione opus non esse, cum perspicua verba formulæ a se exhibitæ ostendant, se Electori nil præjudicii attulisse, aut quidquam ejus alienasse. Ac confidere, Electorem nil terrarum Cæsarearum adpetiturum, cum notorium sit, a Carolo V. Domui Brandenburgicæ Pomeraniam *ex gratia* collatam. Id vocabuli nostri haut digerentes negabant, gratiæ Cæsaris eam provinciam deberi; sed majores gravia & sumtuosa bella ob eas terras gessisse, & cum interveniente Brunsvicensi Duce lis demum amice composita, & certum pactum initum esset, Cæsaream confirmationem & investituram ex debito accessisse. Inde nostris relatum, Cæsareos denuo Svecis Citeriorem Pomeraniam cum Rugia obtulisse, uti a Ducibus ea divisa fuerit, in quam spes sit Electorem quoque consensurum: sed eo renuente Cæsarem Ordinesque Imperii super evictione istis cauturos. Ea de re nostri apud Svecos querebantur; nec ex ipsorum usu esse tantam potestatem Cæsaris agnoscere, ut alienas terras pro lubitu condonare possit; rogantes, ut res integra ad Electoris adventum servetur. Oxenstierna reponebat: cum Cæsarei ista ipsis obtulissent porrectis dextris, se respondisse; mirum esse, tam absurde secum agi, & nomine Cæsaris ditiones offerri, de quibus huic disponendi jus non sit. Citra Electoris consensum nil se Pomeraniæ acceptaturos. Ita tunc nihil amplius actum. Confirmabat is, a se super Pomerania nil conclusum iri, nisi consentiente Electore, utque eidem vicissim satisfiat. Nam si isthanc Cæsaris potestatem agnoscant, eodem modo sibi, quod nunc accipiant, alio tempore iterum posse eripi. Nec se negotium tanti momenti præcipitaturos. Addebat Salvius; eam rem a Cæsareis obiter tactam; qui & dixerint,

Cæsarei Electorem diversa ratione urgent. 16. Sept.

 Si

1646. Si Svecis iſta placeant, ſe cum Electoralibus deinceps acturos, ac Electori eo nomine ſatisfacturos. Placebat igitur noſtris, e Cæſareis percontari, quousque hos ſermones recognoſcerent, pro re nata Electoris jus interpoſita proteſtatione reſervaturi. His igitur quid intellexerint exponunt, rogantes ne nimium feſtinent: hac quippe agendi ratione pacem magis retardari quam promoveri. Alienata hac Pomeraniæ parte Electori Mare Balticum occludi, eumque Sveciæ obnoxium, ſibi atque Imperio inutilem reddi, extinctis commerciis, interrupta quoque communicatione cum Boruſſia. Adverſari iſta decreto Imperii, & repetitis Cæſaris promiſſis; circa præmia Regum nil absque conſenſu eorum, quorum interſit, ſuſcipiendum. Sperare igitur ſecum communicatum iri, antequam talia Svecis offerantur. Nec tantum in mora haut longa periculum eſſe, ut Electori, qui propediem in vicinia futurus ſit, immedicabile præjudicium inferendum ſit; præſertim cum ſuper induciis agitari feratur. Neceſſum quoque eſſe Ordines Pomeraniæ convocari, & eorum ſententiam cognoſci, citra quorum conſenſum nil validi concludi queat. Cæſarei citra ambages reponebant; *non inficiari ſe, quin Svecis præter alia Citeriorem quoque Pomeraniam obtulerint, pro qua Electori Halberſtadium ſit dandum. Sed ad hoc ſumma ſe neceſſitate impulſos, quod Cæſar Ordinesque diutius bello premi nec poſſint, nec velint. At ſpem fuiſſe, hoc modo Svecos a tota Pomerania averti, Electorique dimidiam provinciam ſervari poſſe. Cui id ingratum non ſit futurum, cum ipſe declararit, ſe amore pacis & patriæ de ſuo aliquid conceſſurum. Ac ſapientis eſſe minore malo majus declinare, exemplo, Cæſaris, cui Alſatiæ, & Briſaci jactura fuerit facienda. Ac cum valido hoſte utcunque decidendum. Non tamen præjudicii quid Electori creatum, quod Sveci oblata non acceptaverint, nova mandata e Svecia ſibi expectanda cauſati. Interea & ipſis ſpatium eſſe mandata ab Electore petendi. Plura a ſe obtentum iri nullam ſpem eſſe.* Cum noſtri ad hæc reſpondere pararent, Trautmansdorfius interrupto eorum ſermone pronuntiabat: *Cæſarem non poſſe diutius bellum gerere. Facile eſſe Electori ſpectatorem alienorum malorum agere, cujus ditiones diu velut alta pace ad conſervationem exercitus Cæſarei nihil contulerint; cum hoſtis tot per annos intra Cæſareæ ditionis viſcera hæſerit. Si res ratiocinando confici queat, plus ſatis juſtitiæ penes Electorem eſſe. Sed tam imbellia tela a Svecis ſperni. Polonos & Belgas nil præter inania verba interponere. Neminem non opportuna ſibi tempora aucupari, dum interim Germania in cineres ſubſidet.* Nec aliud reponebatur, utut noſtri oſtenderent; hoc modo Electoris cauſam valde vulneratam, quod Sveci oblatis obnixe inhæreant, ac ſe utique prius audiri debuiſſe. Petebant dehinc noſtri, ne in ſiniſtram partem accipiatur, ſi Ordines apud Svecos ſuper Pomerania interveniant, quod Galli ac Belgæ promiſerint, modo iſti rem fervide agant, ſe ſuccinere paratos. Cæſarei non repugnare ſe ferebant. Cæterum jam Evangelicos Oſnabrugæ incaſſum moviſſe; unde Catholicos judicaſſe, multo minus ſe operæ pretium facturos.

20. Sept.

Cum Svecis denuo

§. 59. Interim Legati Svecici noſtris ad ſe evocatis ſignificabant, mandata ſe accepiſſe ſuper Pomerania cum ipſis tractandi, ſciſcitantes, num & iisdem procuratorium ſit; & quam Pomeraniæ partem cedere, quodve æquivalens Elector velit? Cæterum malle ſe nullis ſequeſtribus tractare, vel ut ſuperfluis. Si tractatus ſuccedant, Reginæ placere arctius cum Electore fœdus inire rebus Proteſtantium fulciendis. Noſtri; non quidem procuratorium, ſed inſtructionem ſibi eſſe: ſi tamen iſtud deſideretur, mox adferendum. De ſequeſtribus Electori perinde eſſe. Igitur panderent, quam Pomeraniæ partem velint, & qua penſatione. Sed cum Sveci a noſtris utique proponendi initium fieri contenderent, noſtri pro idoneo æquipollente præter Rugiam inſulam offerebant etiam Principatus Rugiani partem, quæ in continenti ſita eſt, ubi Bartha ſat commodum portum præbere queat. Quod Svecis cum irriſu rejectum, cavillantibus, iſta vix Baroniæ aut Comitatui æquiparanda. Ni plura dentur, tractatus inanes fore. Citeriorem Pomeraniam ab omnibus ſibi adjudicari; ac id duntaxat expediendum reſtare, quantum de Ulteriore provincia Electori concedendum ſit. Noſtri contra extra dubium ponebant, Ulteriorem Electori integram relinquendam, & de Citerioris parte agendum. Rugiam & Stralſundam loca eſſe haut ſpernenda. Sed quid penſationis poſtularent, pandere tergiverſabantur, metu invidiæ, & ne Ordines crederent, Electorem e cauponatione Pomeraniæ lucrum captare. Sveci contra urgebant; proponerent, quid pro tota Pomerania velint; ita pro rata partitionem fieri poſſe, ſed noſtri neque pro tota neque pro dimidia æquivalens exprimere conſultum ducebant. Poſt multam diſceptationem Sveci deliberaturos ſe ferebant. Addebantur hortatus, ut Elector deſideriis Reginæ ſe attemperet. *A Cæſareis, & Hiſpanis ſeſe obſirmatos, ut toti Pomeraniæ inſiſtant, evictionem pollicitis; qui quid hac liberalitate ſpectent, ſe haut fugere, ut nempe Svecia, & Electore inter ſe commiſſis Proteſtantium vires debilitentur. Sed Reginam malle amice cum Electore tranſigere.* Poſt interjectos pauculos dies Sveci denuo noſtros urgebant, ut æquivalens pro tota Pomerania proponerent, inter Reginam & Electorem dividendum. Quod noſtri adſpernabantur; ſed pro oblata parte Magdeburgum, Halberſtadium, Hildesheimium, Mindam, Oſnabrugam Præſulatus, & in Sileſia Glogoviam, Saganumque deſignabant. Quod poſtulatum enorme cenſebant Sveci, nec pretium affectionis, quod noſtri jactabant, in ejusmodi tractatibus locum invenire. Contra cenſebant, quæ Cæſarei pro tota Pomerania obtulerint, ſpernenda non eſſe; tres præſulatus Marchia contentos hæreditario jure deinceps poſſidendos, abolitionem actionis nomine reliquorum tributurum, ac alienatæ quondam Boruſſiæ, & Croſnæ. Quæ a noſtris itidem cum irriſu rejecta, ſua ſibi dari oſtendentibus. Quæ autem extrema Svecorum ſententia foret, noſtri explorare non poterant, niſi quod de Ulteriore Pomerania innuerent, excepto Cammino: & æquivalens haut defuturum. Excurrebant inde Witgenſteinius & Lœbius ad Electorem, e Marchia in Clivicam provinciam per vicina Oſnabrugæ tendentem accelerato itinere, ne a Cæſareis aut Gallis adiri, & cominus ad conſenſum alienandæ Pomeraniæ præbendum urgeri poſſet.

Separati tractatus ſuper Pomerania tentantur.

1646. 24. Oct. possset. Inde Osnabrugam reversi procuratorium adferebant, sed veteribus mandatis de parte duntaxat Pomeraniæ superstructum. Id quod Sveci rejiciebant, istud toti Pomeraniæ utique adaptandum contendentes. Simul offensam testabantur: manifestos nostros esse ludibrii, & inanium dilationum; & hoc modo rem haut successuram.

Consultatio super negotio Pomeranico. §. 60. Jam igitur in ancipiti erant Electoris res, postquam rationes suæ nullibi locum invenirent, ac Sveci, qua cedere demum constituerat, partem Pomeraniæ adspernarentur. Qui & jactabant, Pomeraniam se facile tuituros, si quis eripere velit, ferociam addentibus armis victricibus, & quod Elector alieno auxilio destitutus, nec propriis copiis valeret. Igitur jussu Electoris qui utroque in loco agebant Legati Lengrichæ congrediuntur, consilium capturi, utrum præstet pro servanda Pomerania Martis aleam tentare; an ob temporum iniquitatem in Svecorum postulata descendere? *Rationes pro extremis tentandis.* Ut extrema tentarentur svadebat Electoris conditio, flos ætatis, vires corporis, magnus & imperterritus animus, injuriæque impatiens, cui intolerandum videbatur ab hominibus pervicacibus; ac rationes audire adspernantibus sua velut pro imperio eripi. Quæ injuria tanto acerbior sit, quod illi fiat, qui istis dignatione ac potentia parum concedat. Justissimam armorum causam esse, si ea pro suis defendendis arripiantur. Et ubi aliena auxilia deficiant, proprium Martem ciendum. Neque tamen auxilia Electori defore, inprimis a Cæsare & Catholicis Ordinibus, Saxone, aliis. Nec enim aliam ob causam Svecis totam Pomeraniam a Cæsareis oblatam, quam ut Elector cum istis committeretur. Hactenus quippe hunc induciarum obtentu in partem belli venire abnuisse, sæpius licet invitante Cæsare. Nunc hoc artificium adhibitum obliqua ratione istum in arma pertrahendi, & omnes vicinos, quorum rationes in Mari Baltico versantur, excitandi, haut leve momentum partibus addituros. Sane Cæsari hautquidquam cordi esse Svecis Pomeraniam velut portam Germaniæ, ex qua illum deinceps iterum invadere queant, ultro concedere, nec animum eandem recuperandi abdicasse: Sed occasionem illos isto aditu Germaniæ depellendi solicite captare. Ac si Cæsarem forte sua promissa super evictione cohibeant, aliorum tamen auxilia haut defore. Lotharingum copias suas ultro offerre. Danum occasionem promte arrepturum, qui illatam injuriam nunquam digesturus sit, & qui per rationes sui Regni pati nequeat, ut Sveci Bremensi ditione potiantur. Polonum quoque in partes venturum, qui post elapsas inducias Borussiæ metuat, quo bello Elector quoque implicandus sit. Et neque Poloniæ neque Daniæ tolerandum, ut Sveci parta Pomerania soli dominium Maris Baltici sibi arrogent. Eandem causam Belgas subigere, cumprimis si Sveci pro more suo vectigalia intendant. Nec Hanseaticos minus perspicere, quanti sua intersit. Meclenburgicum quoque ob interceptam Wismariam gravissime affici. Pomeranos excusso Svecorum jugo pristinam libertatem ardere, ac Principem legitimum & suæ nationis, quam externos dominos, optare. Germanum militem, quo maxime vis Svecica hoc bello stetit, istorum sacramentum adspernaturum, quando non amplius totam Germaniam tributis emungere licebit, cessantibus quoque Gallicis subsidiis, & expirante religionis respectu, qui istum hucusque in Catholicos impegit. Fortasse & Galliam Electoris partes amplexuram, æmulatione in Svecos, & alienationem bonorum sacrorum ægre ferentem, nec parum morositate ac pervicacia horum offensam. Sveciam solam bello haut sufficere, amoto aut imminuto milite externo, per continuos delectus viris exhaustam, modica copia Sociorum nauticorum; id quod nupero bello Danico adpariturum fuerat, ni naves ac nautæ ex Hollandia subvenissent. Nullum quoque ibi ærarium, ac revera Svecorum potentiam non sua vi nixam, qui hactenus Germanorum, & Gallorum pecuniis fulti magnifici incesserint. Forte & in Svecia motuum quid oriturum, e discordia procerum, & plebe bellorum fessa; inprimis si Reginam cælibem extingvi contingat, & proceres summam rerum ad se trahere instituant, id quod affectare credantur. Igitur pari duritia Svecis obviam eundum, ac ferro rem cernendam.

§. 61. Ex adverso manifestum erat, ista certum ad bellum tendere, cujus funestos fructus Germania tot per annos senserat, a quo protrahendo placitis Christianis penitus imbuti animi non possint non abhorrere. *Rationes pro declinandis extremis.* In præsens quoque Electoris ditiones bello attritas pace reficiendas. Quæ pro armis afferantur rationes fere incertas & in futurum prominentes. Ancipitem aleam belli, in quo bis peccare haut liceat. Unde omissis extremis amicam viam tentare potius videri. Quavis ratione obstinati ingenii homines amoliendos, qui eo securius in bella ruant, quod satis norint, nemini extraneo cupidinem subiturum ad ipsorum terras invadendas; cum contra ista natio jam olim migrationum sveta meliores sedes quæsitum iverit, ac late arma circumtulerit. Ac Cæsari, Dano, Polono, soli Sveciæ externo milite haut fultæ facile prævalituris, duras leges subeundas, ac contumeliam acceptam concoquendam, jacturaque non modica pacem redimendam fuisse. Victoriam quoque non semper a justiore parte stare, ac pleraque magna imperia injustis armis incrementa sua debere. Ipsum Gustavum Adolfum circa hanc Pomeranicam causam jactasse; *Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa incipit.* *Lucanus.* Ad arma non procedi, ni extrema necessitas subigat, ac nulla compositionis ratio supersit; quæ nondum defecerit. Facile fuisse Mansfeldio Comiti, Christiano Brunsvicensi, Bernhardo Vinariensi Ducibus omnia in armis reponere, qui nil quod amitterent habuerint; queis gladius census fuerit, in quo salutem, gloriam, omnia reposuerint. Wilhelmum Landgravium desperatis rebus arma retinere, ac Regiis se innectere coactum; quorum auxiliis haut suffulto ruinam declinare non licuerat. Equidem Electore in Svecos movente Cæsarem & Catholicos in partes descensuros, ut Protestantes mutuis cladibus atterantur, quo fine & Pomerania velut pomum Eridis in medium projectum sit. Nec obscurum, quid Cæsar, ac Saxo junctis armis quæsierint, ac ut ipsi oculos in Pomeraniam conje-

1646. conjecerint, aliaque agitaverint, quæ altius penetrantes pacis Pragensis leges insinuant. Frustra ostentari a Lotharingo auxilia: qui si quid valeret, ipse sibi consultum iret. Desperatum, extorrem, novam rapinarum materiam quærere, non nisi inermibus formidabilem; cui a defuncto Cæsare spem de Electoratu, & Pomerania velut jam commissis factam. Equidem credi par esse, Danos oblatam ultionis occasionem arripere haut omissuros, nec mare Balticum, Bremamque neglecturos: dubium tamen, num in præsens pro Electore arma sumturi sint, quem postremo bello in Svecos pronum judicarint ob neglectam Pomeraniæ recuperandæ occasionem. Incertum quoque, num Poloni inducias jam abrumpere, & a Rege collectum militem alere velint, aut cui fini hic destinetur. Sane ejus Ministros Monasterii sat languide rem agere, ac nonnisi rationes Status Regii crepare, quæ apud alios parum ponderis habeant. Equidem Belgas commercia sua in Mari Baltico, queis Svecica vectigalia valde infesta habentur, haut neglecturos; qui & Svecis Bremensem provinciam invideant, quam malint ad Embdæ ac Frisiæ instar sibi adnecti. Mari quoque istos Svecis prævalere, cumprimis pace cum Hispano facta, modo Danus Oresundam apertam præstare velit. Sed num Danus istud annuere velit recenti cum Svecis pace, incertum esse; non minus ac Belgas protinus in Svecos fœderatos arma accepturos, cum per pacta commodis suis prospicere in proclivi sit. Hanseaticos per se nihil posse, ac potentiorum favorem captare inter rationes suæ conservationis habere; utut avulsa Wismaria & Stralsunda incassum ringantur. Ut tamen omnes isti ad auxilia ferenda parati dentur; metuendum haut secius esse, ne Sveci, ubi talia agitari sentiant, molientem occupent, uti Dano nuper factum. Qui antequam machinationes suas cum Cæsare, Polono, aliisque rite digerere posset, a Svecis tota belli mole obrutus ad turpem pacem compulsus sit; utut Svecica res nunquam majore in periculo, quam tunc fuerit, quo &, nisi Belgarum navibus fulta, vix eluctatura erat. Et paria tentare Svecis nunc eo promptius fore, quo minus maritimæ quid potentiæ in Mari Baltico metuant. Multum quoque interesse, alienos populari fines, an tuos uri, exscindique videas: plusque animi esse inferenti periculum, quam propulsanti. Denique Cæsarem & Ordines nulla dissimulatione jactare, se Svecis circa Pomeraniam evictionem præstituros. Ita Electori negotium toto cum Imperio fore, non sine invidia, velut is solus paci obsistat, exterisque innexus pluribus malis Germaniam oppressum eat. Quin recuperata tota Pomerania socios haut quidquam vacuis manibus domuitionem paraturos, sed refusionem sumtuum exacturos, eo nomine quibusdam hypothecæ in vicem detentis. Et quid circa Clivicas urbes Belgæ egerint, odiosum esse memorare. Sane in votis esse Meclenburgico pulcerrimum Wismariæ portum recuperare. Sed nunquam eo nomine arma moturum, velut qui Sveciæ recuperatam ditionem in acceptis ferat, a Cæsare jam in alios translatam. Pomeranos quoque jugo Svecico jam adsuevisse; veteres Brandenburgicæ Domui addictos fere extinctos, reliquos meticulosos; novos homines ad munia provectos; mercatores commerciis Svecicis innixos, ac familiaritatem inter utramque nationem contractam. Incumbere quoque præsidia Svecica, omnesque eorum motus observare: unde primoribus operam dari, ut omni suspicione vacent: multos solum vertisse. Porro præfectorum plerosque in exercitu Svecico indigenas esse, aut Scotos, pauciores Germanos, quos & cingulum ponere Sveci haut ægre laturi sint. Nec Svecis aliena auxilia defore. Esse illis victorem exercitum, & potentiam non uti olim spernendam: qui, ubi semel res successerit, Marchiam inundaturi sint, primariis munitionibus fame pressis. Internos Sveciæ motus inter rationes haut referendos, nec tale quid expectandum, antequam cum omnibus vicinis pacem sibi paraverint; ubi forte ambitio quid ausura sit, ut Numini ansa præbeatur nutritam successibus superbiam castigandi. Contra ut pacifica ratio negotium componendi quæratur, ipsam pacis bellique indolem suadere, & omnes Principes pacem anxiis votis expetentes, cujus desiderium & ipse Elector ubique testatus sit; sæpius quoque fassus, Pomeraniam Svecis haut iterum per arma extorquendam, quam totius Regni viribus tuituri sint. Equidem iniquum esse, Electori de suo communem pacem redimendam. Cogitandum tamen in tanta rerum perturbatione non omnia ad apices juris exigi posse, ubi resp. e tantis fluctibus eripienda est: ac quod damnum boni publici causa patiendum sit, alios pensare teneri. Præsertim cum culpa belli non penes Electorem, sed Cæsarem & Catholicos hæreat, qui Stralsundæ nulla justa causa obsessæ necessitatem attulerint auxilia externa implorandi. Ac omnes agnoscere, pro Pomerania Electori redhostimentum esse præstandum. Ast si hic amicam transactionem adspernetur, non solum Pomeraniæ, sed & æquivalentis jacturam facturam, ac de reliquis insuper ditionibus periclitaturum. Contra nihil esse, quod Electoris res servare, ac per quietem firmare possit, quam cum Svecis quacunque ratione super Pomerania decidere, arcto insuper cum iisdem fœdere inito, quod apud Cæsarem, Bavarum, Catholicos, Saxonem quoque æmulatione æstuantem, ac Polonos ipsi autoritatem sit circumpositurum. Ea sententia licet ad extremum Electori quoque staret; tamen adhuc quantum dabatur reluctari constituerat, saltem ut eo pinguius æquivalens obtineret, & quam minima jactura defungeretur, cum facilem se præbenti sine dubio Sveci totam Pomeraniam extorturi fuerint. Cæterum optandum videbatur fuisse, Electorem ante communes tractatus cum Svecis transegisse, quod & Cæsarei, omnesque Ordines sibi persuaserant, eoque ab initio tantopere ipsius legatos respexerant, velut omnem statim difficultatem sublaturos. Qui mox ubi diversum sensissent, isto posthabito proprias res curarant, ac cupidine pacis Svecorum postulata statim annuerant, parum soliciti, qua ratione Electori damnum reparandum sit, modo ipsi oneri sese subtraherent. Unde cumprimis necessarium videbatur Legatos Svecicos demulcere. Nam his quoque Electori alienatis, Cæsareis ea cura futura erat, ut Svecis quacunque ratione satisfacerent, molestia prensandi penes Electorem relicta, cui de- 1646.

mum

1646. mum quantulacunque pensatione ad libidinem istorum taxata adquiescendum erat.

Cæsarei Svecis denuo Citeriorem Pomeraniam offerunt.

§. 62. Eo magis autem omissa tergiversatione demum serio ad rem accedendum erat, quod Cæsarei interim Svecis denuo totam Citeriorem Pomeraniam stipulata manu promiserant, evictionem iisdem, aut Electoris consensum præstituri. Eo super facto cum nostri protestationem apud Cæsareos interpositum irent, hi respondebant: *a Gallis sese ad hoc compulsos, qui exprobraverint, reservato consensu Ordinum Imperii, & eorum quorum interest nihil actum fuisse. Unde eo modo fuisse offerendum, qui obligandi vim habeat, ac super Ordinum Imperii consensu cavendum. Nec de Electoris consensu dubitare, qui nullam aliam viam ostenderat Pomeraniam servandi. Ac si maxime rem in antecessum nostris communicassent, hos tamen nil nisi contradictiones fuisse reposituros.* Ita nostri protestationem exhibebant, qua Electori sua jura reservabant. Ad quæ Cæsarei: se improbare haut posse diligentiam ministrorum Principis sui commoda observantium. Sed nec sibi posse vitio verti, si bonum publicum promoveant. Se cum Gallis transegisse, ac pacem ad solum hoc negotium hærere, cui expediendo nullam aliam rationem inire sciverint. Nec male nostros facturos si de suo dissensu Svecis significent. Sibi spem fuisse, Electorem efficacem operam Cæsari juncturum, ac viam ostensurum fuisse his difficultatibus emergendi. Et quicquid nostri exciperent, nil nisi *necessitas, & periculum in mora ingerebatur. Nam si Cæsar uno adhuc prælio decretorio succumbat, de tota Pomerania actum iri. Si quilibet commoda sua ex asse observare, & omnia ad unguem exigere velit, Germaniam nunquam ex hoc bello emersuram.* Cæterum constabat Trautmansdorfium magnum præ se gaudium tulisse, quod speraret ita Svecos se constricturum, ut scripto declarent, se etiam absque Electoris consensu Pomeraniam acceptaturos; quod ab ipsis deinceps retractari nequeat. Ita enim Catholicorum destinata obtineri, præcipuis Protestantium infinita lite commissis.

Sveci tractatibus peculiaribus pronos se ostendunt.

§. 63. Ast inter Legatos Svecicos Salvius quidem initio statuerat, non adeo necessario Electoris consensum requiri, cum Svecia etiam citra hunc Pomeraniam tueri queat. Sed Oxenstierna semper censuerat, citra Electoris consensum nil validi posse concludi. Et uterque rationes suas scripto conceptas in Sveciam miserat. Sed Cancellarius responderat: Salvii rationes haut spernendas, sed filii sui potiores esse, quibus inhærerent, quoad alia mandata acciperent. Unde nostris ostendebant; omnes ad conclusionem ruere, ac ipsos hortari, ut ne amplius Electoris rationem habeant, qui studio negotium extractum eat; ac se ipsis evictionem præstituros. Id ubi successerit, immedicabile vulnus Protestantium rebus allatum iri, præsertim cum Gallis nulla componendorum gravaminum cura sit. Igitur hortabantur, Elector temporibus se ad commune exitium declinandum accommodaret. Nam si vel maxime in Belgis confidat, eventum tamen belli dubium, & plurium ditionum jacturam posse facere. Ac jam maxime id agi, ut satisfactio utriusque Regni adornata Pacis Instrumento inseratur, quod qui acceptare nolit, suo periculo facturum. Etsi nostri reponerent; hoc modo pacem Pragensem nascituram; nec Svecos ita improvidos futuros, ut Pomeraniam absque Electoris consensu possidere velint; cum facile prospicere liceat, quid Polonicis induciis finientibus accidere ipsis inde queat. Porro Sveci, ut ostenderent, velle se negotium hoc amice componi, dicebant se contentos fore, ut Legati procuratorium in totam Pomeraniam accipiant, cui hæc verba sint inserta; ut tractarent *juxta tenorem mandatorum, quæ super eo negotio habeant.* Ac confirmabant, nihil fraudulenti, aut periculosi contra Electorem quæri; sed sibi caute agendum ob æquivalens, quod pro parte Pomeraniæ Electori concedenda sibi debeatur. Inserendum quoque procuratorio, post compositam causam Pomeranicam de arctiore fœdere tractandum, atque concludendum. Ea res cum altioris indaginis videretur, Legati Electorales ex utroque loco Lengrichæ congressi consultabant; num Electori svadendum sit, ejusmodi procuratorium totam Pomeraniam complexum dare? Sane super tali, quod ad partem duntaxat provinciæ porrigatur Svecos nullo modo ad tractandum accessuros, & Electorem tamen decrevisse cum Svecis conventionem tentare. Ingens periculum statui Electoris, rebusque Protestantium oriturum, ni hoc negotium amica via componatur: atque id omnes amicos, ipsosque Pomeraniæ Ordines cupidine pacis expetere. Ac ita procuratorium id adornari posse, ut Electori fraudi ne sit. Contra per id Svecos ad tractandum adstringi, simul intercipi periculosum decretum, alias in Electorem condendum, omniaque inde proventura mala, quæ Catholici ad destruendas Protestantium res aucupentur. Sed nec repudiandum videbatur, quod Sveci de arctiore fœdere moverant. Id quippe Electori posse autoritatem addere circa Borussiam adversus Polonos, & fulciendis Protestantium rebus. Svecis hoc ipso animum addi, ut pro æquivalente eo acrius nitantur. Denique & posse procuratorium laxis verbis concipi, ut tamen diserte ad mandata restringatur: quo ipso omne præjudicium declinetur, quod materia tractanda non e procuratorio, sed e mandatis sit petenda. Cæterum præstare, ut duo procuratoria formentur, quorum uno de Pomeranico duntaxat negotio mentio fiat, quod & Cæsareis ostendi possit, quibus de fœdere nihil significandum. In altero de fœdere quoque exprimendum, cujus apud Svecos usus sit. Nostris Lengricha reversis Oxenstierna Witgensteinio exponebat: Monasterii acriter conclusionem urgeri, ac se solum adhuc expectari. Omnes aperte jactare; inanes esse cum Electore tractatus, nec ejus legatis procuratorium esse, sed eos tempus duntaxat ducere, quoad alea belli vertatur. Id quod sibi non amplius ferendum sit. Eosdem quoque Salvium obfirmasse, ut firmiter Pomeraniæ insistat, super qua universi cautionem interposituri, aut consensum Electoris quovis modo præstituri sint. Unde metuere se, ne conclusio ipsis invitis præcipitetur. Iste porro pronum valde Electori se ostendebat, pollicitus nostris rogantibus per sex adhuc dies negotium se extracturum, quo nostri responsum ab Electore accipere possint. Qui & Monasterium abiturus polli-

Margin notes (right): 1646. — 28. Oct. — 1. Nov. — 7. N.

1646. pollicebatur, nil ibi de Pomerania, & Svecica satisfactione actum iri, sed omnia Osnabrugam remittenda. Sed quia metuat, ne nostris eodem sequentibus omnes ipsum ad tractatus ibi suscipiendos urgeant, quod iisdem præsentibus vix declinare liceat; ideo svadebat, ut nostri Osnabrugæ subsistentes procuratorium expectent. Tunc se Gallis dicturum; injunctum sibi cum nostris agere, queis procuratorium propediem sit afferendum, & ideo Osnabrugam sibi revertendum: Nam ignominiosum esse Reginæ, vel Regiis, si ob præmia sua Cæsareos & Gallos affectari debeant. Id quod nostri annuebant, utut Cæsarei Witgensteinium valde oraverant, ut Monasterium proficisceretur. Addebat Oxenstierna; *Cæsareos, Ordines, & Gallos plane judicare, non necessarium, nec utile esse, Svecos cum Electore agere, sed se negotium Pomeranicum suo periculo decisuros, evictione Svecis præstita. Ast sibi satius videri cum Electore transigi. Nam alias agnosci potestatem Cæsaris pro lubitu ditiones adimendi, dandique. Jam antea multos actus valde periculosos intra paucos annos in Imperio contigisse. Bavarum a Pontifice confirmationem Electoratus obtinuisse; Electorem Coloniensem nepotem suum ex fratre ab eodem in Coadjutorem confirmari curasse. Cæsarem Palatino ditionem, dignitatemque ademisse, ac proprio ausu insalutatis Ordinibus alteri tradidisse: Trevirensem per decennium in custodia detentum, ac demum velut ex gratia traditis literis reversalibus dimissum. Multis Principibus Imperii ditiones & oppida erepta, ac partim aliis data, partim a Cæsare adhuc detineri. Quod si ad hæc accedat, ut Sveci ereptam innocenti Electori provinciam sibi delatam acceptando probent, hoc ipso eosdem omnia quoque præterita laudare, Gustavi Regis destinata inficiari, sinistram famam, & magnam culpam contrahere, ac deinceps idem in ipsos exemplum recidere posse.* Reliquerant ibi Sveci in formula satisfactionis spatium, cui æquivalens pro Electore esset inserendum; ut huic quod vellet postulare integrum foret: cui Cæsarei, Hispani, Galli, reliqui acriter reclamaverant, nil præter Halberstadium daturi. Sed Oxenstierna noluerat, eoque intempesta nocte Monasterio discesserat. Contra dicebat Contarenus, se mirari, quod Elector non Svecos solum, sed & Cæsareos a se alienet, ac neutri parti firmiter adhæreat. Inter ista Elector apud Ordines Imperii nil præsidii aut favoris inveniebat. Monasterii instinctu Cæsareorum per tria Collegia deliberatum fuerat, num ad promovendam Svecicam satisfactionem, ad quam unice res hæreat, ad Electorem mittendum sit. Id quod major pars negaverat, ac totum negotium ad Cæsareos rejecerat: qui declaraverant, nihil se aliud suscepturos, nisi isto negotio expedito. Qui & Cracovium arcessitum Regi Poloniæ scribere jusserant; circa Pomeraniam Citeriorem, Wollinum, & Stetinum non amplius rem integram esse: & Cæsareos, omnes Catholicos Ordines, Gallos, Hispanosque Svecis evictionem præstituros. Unde nostri singulos Monasterii circuibant, ac quam pravi res exempli foret, tali modo circa Ordinum ditiones disponi demonstrabant. Simul quærebant, num a Principibus suis injunctum ipsis sit eam evictionem suscipere. Igitur ea desisterent, Svecosque ad alia permoverent, rogabant? ab his responsum; inter Cæsareos & Svecos acta sibi solenni modo haut communicata, nec ad deliberandum proposita, nec eo nomine quid conclusum: nec sibi mandatum sententias dicere Electori fraudi futuras: potius optare, ut is sua retinere possit. Sed ad pacem properandum, ac spem esse, istum exemplo Cæsaris de suo nonnihil cessurum. 1646.

§. 64. Afferebatur inde novum procuratorium, ea forma, quam Sveci voluerant, adornatum. *Circa hos denuo movetur.* Quo exhibito id duntaxat desiderabat Oxenstierna, quod Teutonica lingua conceptum foret, utque in Latinam verteretur, postulabat. *11. Nov.* Id quod nostri facile annuebant. Cupiebat idem procuratorium per noctem secum retinere deliberandi causa; de cætero nil cauponationis adhibiturum. Ac in antecessum denuntiabat, Svecos Citeriore provincia cum Stetino & Odera haut decessuros. Nostri contra: Electorem non posse, nec velle Stetino & Odera excludi, ni statum suum subverti velit. Eum San-Romano a Gallis ad se misso asseverasse; malle se extrema quævis tolerare, quam Stetino & Odera decedere. Oxenstierna repetitis prioribus adjungebat: Cæsareos sibi dixisse, parum an multum de Pomerania Sveci Electori concedant, nil tamen pensationis extra Halberstadium huic datum iri. Quin jactasse: Electori nullum plane jus ad Pomeraniam competere. Ad quæ nostri: *Satis adparere, quo fine isti talia spargant; ut quo minus de Pomerania Svecis cedatur, eo minore ipsi pensatione defungantur. Cæterum iniquissimum esse, Cæsarem belli autorem immunem abire; ab Electore pro omnibus impensas belli solvendas.* Postera die Oxenstierna ad nostras reversus dicebat: *12. Nov.* *ambagibus se haut usurum, nec per gradus processurum. Reginam sibi deposcere Citeriorem Provinciam cum præsulatu Camminensi, Wollino & Stetino: reliqua ulterioris provinciæ Electori relinquenda. Cogitarent, si Fridlandus Pomeraniam tueri potuisset, Electorem nihil ejus accepturum fuisse. Quod quanquam injustum futurum fuerat, a se tamen istam non alia lege peti, quam Elector consentiat, ac indemnis præstetur.* Cæterum super Odera, Stetino, Wollino, & Cammino non segnius nostri quam Oxenstierna contendebant. Addebat hic; per peculiaria pacta caveri posse, ne Electoris commercia & navigatio impediatur. Cum nihil proficeretur, hic demum fremebat: hac ratione Svecos totam Pomeraniam retenturos, cum perinde sit, partem an totam absque Electoris consensu teneant. Nostri testabantur, se extra culpam fore malorum, quæ inde proventura sint. Nulli bono adprobari posse, tantum sanguinis Christiani profusum, & privati emolumenti causa ad extremum res Protestantium everti. Ita iratus Oxenstierna discedebat. Indicabant inde nostris Cæsarei; Svecos ipsis nuper Monasterii duplicem viam proposuisse; vel Citeriorem Pomeraniam adjuncto Cammino, Wollino, & Stetino cum consensu Electoris, datoque huic æquivalente; vel si consensus obtineri nequeat, totam Pomeraniam cum Cæsaris & Imperii evictione. Alterutrum Electori subeundum; sed præter Halberstadium Cæsarem ne rusticum quidem prædium concessurum. Eam sententiam stare, nec Cæsarem diutius bellum gerere posse. His cognitis Witgensteinius Oxenstiernæ exprobrabat: quare igitur sibi peculiaribus tractatibus

tibus illuserit, si jam ita duras & iniquas Electori conditiones Cæsareis tulerit? Hic reponebat; plurimos fuisse, qui hac ratione Electori injuriam factam crediderint. Haut eo minus integros se tractatus cum nostris servasse. Nullam tamen moderationis spem ostendebat, nisi quod super Cammino adhuc tractatio possit institui. Si Elector precibus non indecoris apud Reginam rem egisset, molliora consilia ab eadem capienda fuisse. Continuis & abruptis negationibus pari asperitate occursum. Demum erumpebat: Electorem pravis consiliis usum, & adhuc uti. Certe nuptias valde festinasse, unde sibi haut modica solicitudo injecta sit. Se quippe omni studio in id incubuisse ut inter Reginam & Electorem matrimonium coalesceret. Ac certe per Reginam non stetisse. Meticulosi admodum proci fuisse, modico Borea reflante retro vela dare. Sibi propositum fuisse, Electori Coronam imponere. Sed cum huic aliter visum fuerit, offensam se Reginæ metuere. Saltem consultum fuisse nuptias differre, quoad tractatus absoluti fuerint. Nunc autem Reginam ac Ministros sibi persuasuros, Electorem ob irritum connubium Svecicum offensam animo concepisse, & occasionem aucupaturum vindictam sumendi, perpetuæ diffidentiæ fomitem. Præterea per nuptias cum Arausionensi Electoris Domum haut firmari, quin forte in magnas difficultates conjici posse. Nam istius patrem Danis studere. Unde Svecis Oderam utique in potestate habendum, quo Belgis, si ex usu sit, penum occludere queant. Nam circa talia fœderibus haut tuto confidi, quæ charta, atramento, & frustulo ceræ constant, sed eam cautionem æstimari, quam sibi quisque præstare possit & quam in manibus habeat. Unde Svecis totam Pomeraniam retinendam. Nam primarios Reginæ ministros hactenus semper has nuptias respexisse, quæ ex gravissimis rationibus ad finem tractatuum dilatæ sint. Quanquam si serio res acta fuisset, etiam in antecessum cautionem super iisdem obtineri potuisse. Addiderat Salvius; etsi a privatis multus sermo de istis nuptiis fuerit; Electorem tamen nunquam easdem eo modo, uti inter id fastigii homines moris est quæsivisse: ac constare sibi, eum repulsam haut fuisse accepturum. Haut eo minus laborandum esse, ut amicitia utrinque servari possit. Quæ nostri dicta judicabant, ut qualiscunque color tam duris postulatis ne deesset. Sane constabat, tunc Magnum Gardium suis artibus Reginam a nuptiis Caroli Gustavi avertisse, cui iste insinuaverat, ut exemplum Elisabethæ Anglicanæ imitari constitueret. Ita in ancipiti hærebat Electoris æquivlenas, quod Sveci quoque hunc destituere viderentur ab aliis jam desertum. Ac nominata Glogovia Cæsar, Hildesia Coloniensis, & Bavarus offendebantur.

Alia ratio fervanda Pomerania ab ejus provincia Deputatis proposita.

§. 65. Interea Ordinum Pomeraniæ Deputati, externa imperia subire anxii, aliam viam meditati fuerant, qua & Elector Pomeraniam retineret, ac Svecis alia ratione satisfieret, datis Præsulatibus Brema, Verda, Halberstadio, Minda, Osnabruga; ac Hildesia cum Comitatibus Hoija & Diepholto permutanda, tum Comitatu Schavvenburgico, & præsulatus Monasteriensis tractatu ad Amasum fluvium. Ac ut Sveciæ ab Electore cautum sit, isti expectativam in Pomeraniam, ac simultaneam investituram conferendam, provincialibus in eventum extinctæ familiæ Electoralis homagium Sveciæ præstituris. Ita Svecis duplici modo satisfieri, re ipsa, & spe in futurum. Id temperamentum nostri Trautmansdorfio communicaverant, tantum temporis indulgeri orantes, ut Sveci super eo Reginæ sententiam exquirere possint. Qui reponebat; *haut credibile esse Svecos tota Pomerania decessuros, ita opportuno Sveciæ situ. Sibi videri id commentum Svecorum extrahendis tractatibus, quousque ipsi cum Gallis Cæsarem plane subverterint. Sed in præsens Cæsaris res tanto in periculo versari, ut conclusio utique acceleranda sit. Ac propediem ipsis talia propositum iri, queis Electorem adquieturum spes sit. Adversæ fortunæ in præsens cedendum.* Nostri Trautmansdorfio centum uncialium millia offerre, si pervinceret, ut isthoc temperamentum acceptetur. Addebant rationes; a Cæsare nil amplius satisfactionis nomine exactum iri: ditiones ejusdem in securitatem reponi, Electore velut fido vicino retento: Poloniæ rem gratam fieri longius amotis Svecis: Electorem quoque tanto beneficio Cæsari magnopere obstrictum iri: Imperio ex illa parte constantem quietem expectandam sublata invidia omnium, quorum rationes in Mari Baltico versantur. Nec a Svecis idem repudiandum, quibus cogitandum sit, subtracta Pomerania Electorem gravissime offendendum, qui & nunquam fiduciæ quid in istis collocaturus sit. Unde nec Svecis ejus provinciæ tutam fore possessionem, accedente a Dano, Polono, Belgis invidia. Nec a Pomeraniæ Ordinibus cautum iisdem fore, quos Elector juramento nunquam exsoluturus sit; quo subsistenti isti fidem Sveciæ adstringere nequeant. Circa præsulatus eo minus difficultatis fore, quod in hæredes non transeant; quorum temporarios possessores aliquid amore pacis facere par esse; id quod alii Electori sæpe occinuerint. In Svecorum manibus Mindam, Osnabrugam, Bremam, Verdam jam esse. Præsuli Osnabrugensi alia ratione satisfieri posse. Ac Oxenstiernæ id non parum probari, abs quo & ex parte profectum sit. Sed Trautmansdorfius, pacem haut moram ferre ingeminabat. Se quidem hac propositione non offendi; monere tamen Electorem, ne per ista circumduci se patiatur. Familiare esse Oxenstiernæ dicere; destinata sua bona fuisse, sed reginam noluisse. Gallos sacrorum intuitu in id consentire non posse. Sane Galli dicebant; qui talia pronunant, rerum conditionem penitus haut inspexisse, nec Svecorum mentem intelligere, aut arcani quid consilii sub eo fovere. Belgæ quoque id rebus suis admodum periculosum judicabant; ac maluerant Electorem istis locis in pensationem potiri, tegendo ipsorum statui, & promto utrinque auxilio. Quibus nostri contra demonstrabant; quia hac ratione Sveci Luneburgicorum & Hassorum vicinia implicentur, Belgarum amicitiam necessario iisdem colendam esse; qui & Visurgis ostium iisdem claudere queant; ac facilius a Regno suo remotos ad rationem audiendam compelli posse.

Svecorum mens super ista.

§. 66. Super isthoc temperamento Legati Svecici in diversa omnia abibant. Nam id Salvio plane repudiabatur. Oxenstierna autem id non

 parum

1646. parum sibi placere ferebat, nec de successu dubitare, modo tempus extrahere liceat adversus Gallos tantopere urgentes, quoad e Svecia responsum acceperit. Querebatur insuper, hos tractatus ita difficulter procedere, ut etiam eo nomine cum Collega sæpe collidatur. Sæpe se negotium maturo consilio disposuisse; sed si literæ e Svecia veniant, alia mandata adferri destinatis suis plane repugnantia; ac sibi tamen Reginæ jussa capessenda. Unde sibi inconstantiam exprobrari non posse. Omnia a se consilia ad amicitiam inter Reginam & Electorem referri. De temperamento se diligenter ad Reginam scripsisse, & brevi responsum expectare. Unde Elector certi quid statuere ne properaret. Nam si in divisionem Pomeraniæ consenserit, Cæsareos & Gallos eam statim accepturos, eique obnixe inhæsuros. Querebatur inde Salvium suis consiliis plane repugnare. Nuper Monasterii negotium tantum non evertisse, ac ni ipse eo venisset, ad conclusionem absque Electoris consensu, quod initio Galli suaserant, descensurum fuisse. Valde quoque displicere scriptum a Salvio Monasterii exhibitum. Unde raptum se inde profectum, ac Salvii periculo reliquisse, num id Cæsareis exhibere velit, an minus. Id quod & ab hoc postea factum sit. Tunc quoque apud Gallos rationibus se pervicisse, ut mutata sententia declararint, haut consultum esse citra consensum Electoris concludere. Simul rogabat, ut Elector æquipollens pro tota Pomerania proponat, idque ambigue, ut qui Pomerania cesserit, dictas ditiones accipiat; scilicet Bremam, Verdam, tractum Amasanum, (quatuor præfecturis Monasteriensibus Cloppenburgo, Vechta, Meppa & Hummelinca constantem) Mindam, Osnabrugam, Comitatum Schavvenburgicum, & Hildesiam cum Comitatibus Hoya & Diepholto permutandam. Ita totum tractum a Brema Schavvenburgum usque unam sub ditionem redactum egregii Principatus instar habiturum. Ac spem esse, Reginam omissa Pomerania hac terras in præmium belli electuram, adjuncta simultanea Pomeraniæ investitura. Nam hoc modo ipsi scrupulum adimi, velut turpe sibi sit pervicaciæ Electoris cedere. Si Cæsar in hos præsulatus consentire nolit, se in vicem partis Pomeraniæ, quam Elector accepturus sit, totam inferiorem Silesiam postulaturum. Ita Cæsareos facile Præsulatus dimissuros. Simul evictioni Pomeraniæ ita duras leges additurum: quæ præstari non possint, postulatis in cautionem munitis quibusdam locis, & grandi pecunia alendis præsidiis, quæ Svecis tunc in Pomerania habenda sint. Equidem Salvium datis in Sveciam literis scripsisse, ut tota Pomerania Electoris ingratiis retineatur, idque apud plerosque applausum invenisse. Sed se eundem rationibus in suam sententiam pertraxisse, ut iterum scripsisse se ferat, se nunc collegæ assentiri. Gallis conscientiam suam ingerentibus se responsurum: cur ipsi conscientiam suam immisceant? Quid ipsis negotii cum Germaniæ præsulatibus? Se ipsis silentibus negotium confecturum. Addebat; *satius videri Svecia terras uno tractu accipere, sibi tuendis suffecturas; quam hinc inde sparsas particulas. Ac ista congruere destinatis Gustavi Adolfi, debilitandis Catholicorum partibus: & hoc modo præmia belli non ab amico, sed ab hoste peti. Et si alia ratio non sit, hanc sufficere, quod hostes suadeant totam Pomeraniam absque Electoris consensu accipi. Nam credi par esse, ab hoste non fidele consilium dari, sed fraudem strui.* Petebat tamen ista secreta teneri, ne Salvius rescisceret, ei consilio reluctaturus; neu scribis talia committerentur, qui sæpe rimarum pleni sint. Tum ne curarent, si ipsi acrius nostros urgerent, minis subinde interspersis. Nam & eodem modo secum agi. Cæterum si ista non succedant, se extra culpam esse. Ast cum Witgensteinius super hoc negotio cum Salvio loqueretur, hic istud sibi haut displicere ostendit, quod & in Svecia commendaturum se ferebat: ac si de eo ita solide informatus fuisset, cum Monasterii ageret, aliter fuisse locuturum. Eidem exponebat quoque Witgensteinius; Trautmansdorfium gloriatum, ita Salvium se constrinxisse, ut elabi non posset; & quantumvis prudentem in casses se induisse, promisso, Svecos Pomeraniam absque consensu Electoris acceptaturos. Id ipsum quippe Catholicos dudum captasse, Electore a Svecia disjuncto hæreticis fulcrum ad Mare Balticum subtrahere. Salvius; se non ita constrictum, quin elabi possit. Cæterum omnibus pacem inclamantibus se resistere non posse. Ad extremum uterque Legatus Svecicus declarabat; *Si isthoc tempe-* 10. Dec. *ramenti obtineri queat, id Svecia utile juxta ac gloriosum fore. Nam & egregio ipsam præmio potiri, ac de Pomerania eidem caveri, ac res Protestantium probe stabiliri. Sed quia ipsi sententiam suam jam declararint, nec diversa proponere decorum sit, nostri laborarent, ut Cæsarei & Galli in hanc sententiam pertrahantur, & Evangelici Ordines eodem connitantur. Se non dubitare, quin id temperamenti a Regina acceptari atque pervinci possit, utut pluculum temporis requiratur. Optimam viam esse hanc rem componendi; sed invito Electore Pomeraniam accipere statui suo noxium.* Addebat Salvius: *Si de hoc temperamento ante biennium incidisset, id facile pervincendum fuisse: sed nunc difficulter id successurum.* Iidem & nostris suggerebant; ex usu esse, ut Evangelici Ordines per Deputatos ipsis ob oculos ponant, quam periculosum sit Protestantium rebus, Svecos ob Pomeraniam cum Electore committi; eoque peterent, ut ipsi animum ad alia vertant: qua occasione de dicto temperamento mentio injici queat. Id negotium nostri Magdeburgicis, Altenburgensibus, atque Vinariensibus commendabant, qui & prolixe operam suam offerebant. Idem cum ad congressum Evangelicorum referretur, Luneburgici præcipue renitebantur, ob Hoyam, & Diepholtum Comitatus Principatibus æquiparandos ob reditus opimos, & situm. Nam Hildesiam etsi proventu parem varia propter obstacula obtineri non posse. Potius mirari, quod nostri Halberstadium adjuncta Minda & Osnabruga pro dimidia Pomerania non acceptent; ad quas ditiones curandas Ordines operam collaturi sint, quod satis animadvertant, Svecos simul res suas ad Mare Balticum firmare, ac Domum Luneburgicam in angustias redigere velle. Denique Electori tam amplas esse ditiones, ut facile parte aliqua gratificari aliis possit recepta pensatione. Sibi injunctum impedire, ne Domus Luneburgica oblique satisfactionis negotio involvatur. Sed & Altenburgici, ac

Vina-

1646. Vinarienses, utut Wesenbecio secus promisissent, & ipsorum nihil interesse videretur, ad id negotium evertendum circum cursabant. Obtendebatur, negotium multis difficultatibus ansam daturum, pace etiam ultra annum extrahenda: Tum Catholicos ita offensum iri, ut omnes junctis viribus bellum sacrum sumturi sint. Ac si Gallia ipsos destituat, Svecos tantæ moli haut suffecturos; nec Evangelicis Principibus arma in promtu esse. Denique novam tractandi velut telam ordiendam, ac tantum laboris hactenus exhaustum inane fore.

23. Dec. Sed mox totum id negotium subverterunt literæ Reginæ istud temperamentum respuentis, ac jubentis, ut Monasterii factæ declarationi inhæreatur: Oxenstierna excusante; optima sibi fuisse consilia, sed iis haut fuisse obtemperatum.

Separati tractatus incassum tentantur. §. 67. Isthoc igitur temperamento haut succedente Elector demum consentiebat, ut peculiares tractatus serio susciperentur, in quo si amicitia utrinque constare deberet, Svecis toto Odera desistendum erat; quibus tamen ejus fluminis usus, non minus atque Electori portuum liber sit futurus. Sed si Wollinum retineant, una navi bellica exitum in mare claudi posse. Fines longius a Stetino ad Uckeram fluvium ponendos. Piscatione in Lacu Dulci ex adverso usque Uckermundæ Svecos uti posse. Ad extremum tamen & Wollino cedere volebat, modo Stetinum retineat, ex quo ditio sua incursionibus Svecorum pateat; quod & Svecis magis inserviturum sit, ut ipsi ægre faciant, quam quod inde insigne lucrum capturi sint; cum in proclivi sit Oderam supra id oppidum inutilem reddere, fossa ex eo in Spream, & Albim ducta; quale opus jam olim cœptum; ac superesse veteres fossas, quæ reparari queant. Vicissim petebat Halberstadium, expectativam ad Magdeburgum, quod per integrum seculum penes Brandenburgicam Domum fuerit, cui quatuor præfecturæ sint iterum addendæ; Tum Hildesiam, Mindam, & Schavvenburgum Comitatum. Glogoviam & Saganum declinandæ, Cæsaris offensæ Sveci sibi stipularentur, ac post in ipsum transferrent. Tum ut Camminum cum Canonicatibus hæreditario jure penes ipsum sit inprimis postquam Poloni Lauenburgum & Butoviam Pomeraniæ detraxerint. Insuper ut actio Saxonicorum in Juliacum extingvatur, ac Neoburgicus ad ipsi satisfaciendum compellatur. Nostri igitur exhibito procuratorio ad mentem Svecorum formato tractationi se paratos ferebant. Sveci in eo quod desiderarint nil inveniebant: sed negabant rem amplius esse integram. Nam postquam per procuratoria tantum temporis effluxerit, ac Cæsarei, Gallique acerrime institerint, ad extremum invitos quantumvis declinare non potuisse, quin sententiam suam Gallis scripto exhiberent, quam ab his acceptam Cæsarei per Plettenbergium ad Electorem miserint, hujus menti explorandæ. Spem sibi fuisse, Electorem dudum de Pomerania cum ipsis fuisse transacturum. Sed quia negotium tamdiu extractum, ac postremum procuratorium ita sero allatum sit, ac Elector diserte declararit, se Wollino, Stetino, Gartzio, & Odera flumine decedere nolle, quod à suis mandatis plane discrepet; cum Cæsareis sibi agendum fuisse, qui totam Pomeraniam obtulerint, Cæsare & Imperio evictionem præstituro. De *1646.* eo se deliberaturos, ac nostrarum sententiam exquisituros. Sane Ordines Sveciæ pacem enixe cupere. Per annum amplius Pomeraniam se ambitiose ab Electore incassum expertisse: Quid aliud sibi faciendum fuisse quam ut ad eos se converterent, apud quos exitum negotio invenire possent? Oblatam a Cæsareis totam Pomeraniam non potuisse non acceptare, ac ita se in mandatis habere. Nostri contra ostendebant, Svecos jam antea de Ulteriore Pomerania remisisse. Quod Salvius agnoscebat, ac controversiam duntaxat de Wollino, Stetino, Gartzio, & Odera flumine fuisse. Sed nunc rem non amplius esse integram. Nostri protestatione interposita quærebant; cum Cæsarei tam liberales de alieno fuerint, an non de redhostimento mentionem fecerint? Salvius dicebat, se interrogante, quid Electori vicissim dandum foret; Cæsareos respondisse, ne pilum quidem. Sat se nostris blanditos pro dimidia Pomerania, promisso quoque æquivalente; sed quia id acceptare noluerint, nil amplius iisdem deberi. Id quod tamen Sveci haut probabant, addentes; si Elector in totam Pomeraniam consentiat, ac æquipollens, quod præstari possit, petat, se summa vi pro ipso connixuros. Cæterum Pomeraniam dividi haut posse. Nimium confidere Electorem Belgis, ac ab ipso & ministris Hagæ minas spargi, quæ, ut Sveci rebus suis prospiciant, moneant. Et eam causam esse, quare nunc duriora mandata sibi e Svecia mittantur, quam ante istius in Hollandiam adventum. Ad quæ quicquid nostri regererent, frustra erat. Qui & ne quid intentatum relinquerent, Evangelicis Ordinibus inculcabant, quam periculosum rebus ipsorum communibus foret, simul exemplo noxium, si Svecis Electore invito Pomerania detur, ipsis evictionem præstituris. Qui & omnes quantum in se operam pollicebantur.

§. 68. Porro Cæsarei ut eo promtius consensum Electoris extorquerent, Georgium Plettenbergium ad ipsum miserant, denuntiaturum, quousque res Monasterii deducta sit, ut Svecis Citerior Pomerania cum Wollino, Stetino, Gartzio, & Odera flumine consentiente ipso, aut si refragetur, tota provincia tribuatur, Cæsare & Imperio evictionem præstituris. Addebantur hortatus, ne pacem amplius remoretur omnibus tantopere expetitam, Germaniæque necessariam. Huic Elector responderat: *de suo in pacem studio satis constare posse e sententiis & actis suorum Legatorum, & uti semper speraverit, ejusmodi pacem initum iri, quæ omnia semina futurorum motuum aboleat, ad quam & ipse omnibus suis consiliis collineaverit. Unde insperatum sibi ac durum plane videri, cum ipse aut sui majores extra hujus belli culpam fuerint, se ante omnes lædi, ac ruina involvi. Ac Deo se, temporibusque committere, quod alii se inconsulto ditiones suas alienare audeant, evictione insuper Svecis promissa. Credere etiam, cum tot aliæ regiones a Svecis in satisfactionem propositæ disceptando hisce detrahi potuerint, nullam necessitatem fuisse, quæ ad suas potissimum ditiones condonandas descendere subigeret. Sane aliter se de Cæsare & Imperio meritum, ac juri & æquo, tum legibus Imperii & Capitulationibus repugnare ita agi cum fido & extra omnem culpam posito* *Elector ob omnibus u[illegible]etur. Plettenb.*

1646. *Electore. Se tamen legatis suis scripturum, quid ad extremum pacis causa cedere, & quam pensationem habere velit. Nam sibi rem prius cum Agnatis, & Ordinibus Pomerania communicandam. Sed &, qua proponatur, partitionem Pomerania ita comparatam esse, ut in eam consentire nequeat, ni statum suum subverti velit. Et quod offertur aquivalens ita vile esse, ut responsum haut mereatur.* Nam non nisi de Halberstadio dictum fuerat. Eodem fine Galli San-Romanum miserant, qui denuntiaret, Svecos Citeriorem Pomeraniam cum Wollino retenturos. Circa Stetinum & Gartzium id temperamenti inventum, ut penes ipsum optio sit, dicta oppida, an duodecies centena uncialium millia accipere malit; etsi in hoc Sveci nondum consenserint: Et persvasum ipsis magnum quid se præstitisse, si rem huc redigere possint. Ista si respuat, nullam amplius concludendæ paci moram fore, insuper habito, quid ille consilii capturus sit. Ultra hæc nihil se posse, ac si respuantur, credituros, officia sua parum grata fuisse. Amicos juxta ac hostes tantam pervicaciam improbare; ac non solum Svecos, sed & Cæsarem, Hispanum, Ordines Imperii, Galliam denique licet invitam sibi adversos habiturum, ni consilia præsenti tempori accomoda ineat. Eum Elector omnibus honoris & benevolentiæ signis cumulaverat, pari tamen responso dato, quod Plettenbergius acceperat. Quo reverso Galli nostris dicebant: *Se mirari Electorem ita mordicus certa terrarum portioni inhærere, ac tam multa de dando jactare, cum de Pomerania nihil adhuc habeat; tum circa aquivalens tantopere a ratione abhorrentia petere. Sane se exhorruisse, eo responso intellecto; ac videre istum in periculo versari ut omnium fortunarum jacturam faciat.* Ad Co-

23. Dec. legii quoque Electoralis literas, queis paria ingerebantur, ab Electore in hunc sensum fuit responsum: *Cordi esse sibi ad promovendam pacem pro virili contendere. Sed ita raptim a se statui non posse de re, in qua salus sua Domus vertatur. Ac cogitandum ipsis relinquere, num aquum sit, fidum Imperio Electorem ita tractari, ac ditionibus suis exui, nec eosdem, si Principes sui heic sint, ut in talia consentiant, suasuros. Cum Agnatis tamen suis in Franconia, & Ordinibus Pomerania communicaturum, & sententiam suam legatis suis perscripturum. Interim sperare ipsos pro necessitudine collegii operam daturos, ut sua sibi serventur, nec ipse per festinationem obruatur.* Excusabant post Electorales apud nostros; eas literas haut quidem in fraudem Electoris scriptas, sed hujus duntaxat sententiam exquiri; ac instantibus Cæsareis e majore suffragiorum parte decretas. Nec eo minus Monasterii in Collegio Electorali post reditum San-Romani propositum atque decretum fuerat; si Elector in Citeriorem Pomeraniam cum Stetino, Wollino, & Gartzio consentire nolit, Svecis totam Pomeraniam velut feudum Imperii dandam, Imperio evictionem præstituro. Etsi contra Cæsareis difficile visum fuerat eam evictionem expedire; quod Sveci ostenderent, exercitum sibi in Germania habendum sumtibus Imperii alendum; simul traditis quibusdam munitis locis sibi cavendum. Qui & apud nostros post Plettenbergii reditum disserebant: Modo in præsens vinceret se Elector, intra decennium recuperaturum, quæ nunc amittat. Quin a Cæsare una vice gratiam eidem, posse indulgeri, quæ pluris sit, quam quæ nunc amittat. 1646.

Unde optime sibi consulturum, si hujus semper amicitiam colat. Cæterum satius esse Pomerania, accepta pensatione, cedere. Si enim illa propriis viribus sit recuperanda, opus fore viginti quinque millibus bellatorum, magnisque sumtibus, queis tolerandis exhaustæ ipsius provinciæ haut sufficiant. Pomeraniæ oppida natura fere munita, & eo bello istam plane evastandam. Ubi alea Martis secus cadat, totam Pomeraniam, & plura forte, periisse. Ubi adscitis sociis rem agere instituat, cogitandum, quantæ Belgarum rationes circa Mare Balticum versentur, ad quod ubi semel pedem fixerint, haut facile iterum inde cessuros. Danum quoque jura patronatus in Rugiam & Stralsundam vindicaturum; Polonos actionem in Rugenvvaldam, Stolpam, & Slagenam moturos, simul nomine expensarum molestos fore, difficilius forte, quam Svecos, amoliendos. Iidem tamen Cæsarei mox querebantur, quod Elector destinata sua, quæ Belgarum ope agitet, non antea ipsis communicarit. Tunc enim cum Svecis eo se haut processuros fuisse, unde pedem referre nequeant. Sed nostri reponebant: ipsos in culpa esse, qui de cedenda parte Pomeraniæ non antea secum communicarint; quin potius semper se obsirmarint, ne quid Electoris nomine annuerent; Cæsarem ne rusticum quidem prædium isti condonaturum. Sed quia ipsi se insciis cum Suecis egerint, Electori haut consultum visum sua destinata vulgare. Ad extremum concludebant Cæsarei; aliquam Electori jacturam faciendam: neminem velle Cæsari auxilii quid ferre, loculos esse exhaustos, vires afflictas. Si citra partem Pomeraniæ pax obtineri nequeat, se nescire, quid aliud consilii suscipiendum sit. Sed cum nostri haut eo magis propositis assentirent, Cæsarei ferocius; cum Brandenburgicis ea qua 29. Dec.
hactenus modestia non amplius agendum; sed absolvendos cum Svecis tractatus, sive consentiant isti, seu minus. Nam quia Elector Plettenbergio responderit, sed ad legatos sententiam suam perscripturum, ac tamen ostenderit, Stetino ac Odera flumine se haut decessurum; non aliter se colligere potuisse, quam istum proposita adspernari; eoque in Svecorum arbitrium contulisse, num totam Pomeraniam sub Cæsaris & Imperii evictione accepturi sint. Svecos oblata neque acceptasse, neque abnuisse, sed deliberandi spatium sumsisse. Simul multis invectos fuisse in Domum Brandenburgicam, quæ Regem Gustavum Adolfum in Germaniam evocaverit, multis promissis oneratum; post per sedecim annos negotiationem circa Pomeraniam incassum extraxerit. Ut causa sibi non sit, quare Electori multum gratificentur. Sed & Galli nil aliud ingerebant, quam ut Elector pro captu præsentium temporum liquido declararet, qua parte Pomeraniæ carere, & quid redhostimenti velit. Alias Cæsareos cum Svecis, ipsius consensu insuper habito, conclusuros; nec id impedire penes se esse. Dolere sibi, Electorem aliquot per dies non procul Monasterio noluisse consistere, ut colloquendi cum ipso facultas foret. Se pro Stetino, Wollino, & Odera fluvio omnia incassum tentasse. Ac credere, multum pro indole temporum obtenturum Electorem, si

Ulte-

1646 Ulteriorem Pomeraniam retineat, accepto idoneo æquivalente. Quærebatur quoque Longuevillius; Electorem tamdiu tergiversatum, justitia & æquitate confisum, imbellibus, ubi arma prævalent, vocabulis. Ni temporibus se accommodet, metuendum esse, ne omnes pacis cupidi ei se opponant, & quæ ipsi exposita sint emolumenta impediant. Æquivalens quoque ab eo propositum pluris esse, quam totam Pomeraniam & Marchiam. Hoc modo sibi Electorem haut consulere, ac Cæsareis, Svecis, atque Ordinibus necessitatem adferre alia consilia capessendi. Frustra ipsum molestias in futurum a Svecis metuere, quibus communis *guarantia* remedium sit allatura. Et adversus ista a nostris rationes, protestationes, preces incassum consumebantur. Iidem tamen Galli, cum instinctu Cæsareorum & Præsulis Osnabrugensis de Lipstadio, & aliis circum locis ad Electorem spectantibus inter Landgraviæ satisfactionem proposuissent, nostris monentibus destitere: simul super Magdeburgo se in Electorem transferendo satagere, reluctantibus licet Saxonicis, testabantur. Sveci denique declarabant, Stetino & Odera se haut cessuros. Pomeraniam se Cæsareis eripuisse, non Electori, cui & eo nomine nihil debeant. Si hic ad extrema rem deducat, id sibi ferendum: ipse tamen videret, quomodo ea res successura sit. Sperare tamen meliora eum consilia capturum. Se jussos cum ejusdem consensu Citeriorem Pomeraniam adjuncto Stetino, Wollino, Colberga, Cammino, Golnoa, & Damno retinere, reliqua ipsi restituere, & quantum in se commodum æquivalens præstare. Forte tamen Reginam, si circa reliqua facilem se Elector præbeat, Camminum & Colbergam ei relicturam. Ni consentiat totam se Pomeraniam a Cæsare & Imperio accepturos. Hoc modo quoque propositionem de Stetino, aut duodecies centenis uncialium millibus sublatam, super libera Oderæ navigatione facile conveniri posse. Semel adhuc ad Electorem missum iri. Ni cedat, ipso invito negotium concludendum. Ita demum post incassum consumta omnia, queis inermium causæ sustineri solent, invito Electori eo descendendum erat, quo necessitas majori malo declinando trahebat.

Circa Reformatam religionem acta. §. 69. Inter ista summam rerum suarum spectantia Elector haut omittebat curam suorum sacrorum, quo istorum securitati hac pace rite caveretur; qua super re non tam cum Catholicis, quam Lutheranis disceptatum fuisse supra diximus. Scilicet vindicatum ibant sibi Reformati jus placita sibi sacra per suas ditiones introducendi, velut partem imperii, seu *superioritatis*; quod Lutherani abnuebant, ex metu potissimum, ne id jus a Reformatis in ipsos exerceretur; præsertim ubi deinceps ditiones Lutherana dogmata professas ad istos devolvi contigerit. Equidem Trautmansdorfius sat æquum se gerebat, ac spem faciebat de expungenda invisa clausula, *si velint & quiete vivant*, modo ipsis cum Lutheranis convenire queat. Sed Sveci Lutheranis animos addiderant; non fuisse sibi propositum, Reformatos citra exceptionem pace sacra comprehendere, ac verba sua præter mentem suam porrigi. Neque enim se arma gessisse, nisi pro Augustanæ Confessioni addictis. Qui & dixerant; sibi hactenus id negotium frigide fuisse tractandum ob importunitatem sacerdotum, qui voluerint, ut ipsi ministros se odii, quo id genus hominum fere in diversos opinionum flagrare solet, præberent; quorum instinctu haut superfunctorie a Regina sint increpiti. Sed nunc alia se mandat aaccepisse, ac si negotium ad se remittatur, ex voto Reformatorum acturos. Cæterum cumprimis utile sibi videri, inter ipsos Evangelicos prius conveniri, quam ad consultationes super gravaminibus accedatur. Adiere mox Svecos nostri cum Cassellano, Anhaltino, & Wetteravico, petentes, ut isti inter ipsos & Lutheranos interponere se velint, quo verba, prout in Svecica propositione expressa sunt maneant. Sveci promittebant operam permovendis in eam sententiam Lutheranis, quibus invitis ut quid obtrudant, sibi decorum non sit. Sed quia de jure reformandi quæstio sit, incongruum sibi videri, Reformatos super eo contendere, velut qui corde & ore Augustanam Confessionem profiteri se testentur. Quare igitur id jus in socios fidei suæ, fratresque exercere velint? Ad quæ nostri: sibi haut quidquam in animo esse, vel Lutheranis, vel ulli mortalium ob sacra negotium facessere, aut conscientiis aliorum dominari; imprimis Electorem literas, queis civium suorum sacris caverit, sancte servaturum; juri tamen quæ partem aliquam imperii Ordinibus competentis constituat, se nihil detrahi velle. Inter quæ Cassellani Vulteius, & Schefferus id temperamenti in medium afferebant: *cum reformandi vocabulum ita exosum sit; inter partes super subditorum jure conventionem ineundam, ut omnes & singuli subditi sacris suis relinquantur. Ita cuique jus suum territoriale salvum manere, & cuivis civium adversus reformationem caveri. Eam commodissimam, & Christianis dignissimam rationem fore id negotium componendi, si hoc modo super reformandi jure reciproce statuatur. Ac eo minus Lutheranis metuendum, quod utraque pars Augustana Confessionis fundamento innitatur: unde absurdum esse, istos mutuo se reformare aggredi. Quæ extra eam sacerdotibus inter se disputentur, suo loco relinquenda, nec inter capita fidei censenda.* De quo temperamento ad Lutheranos se relaturos Sveci ferebant. Ac memorabat paulo post Salvius; *in eandem sententiam multos Lutheranorum inclinare, qui perspiciant, ea inter se & Reformatos collisione suas vires valde debilitari, Catholicorum gliscere. Nam si verba, prout in Svecica propositione exprimuntur, nullo additamento relinquantur, periculum esse, ne ipsi reformationis periculo subjiciantur, ubi principes sacerdotibus, novandi prurigine, ac male temperato Zelo laborantibus aures prabeant. Et tamen si disertis verbis jus reformandi detrahatur,* territoriale *imperium mutilari. Igitur de jure reformandi & territoriali silentio involvendum, velut extra controversiam posito, & subditis duntaxat cavendum, ut inter utriusque religionis principes receptorum sacrorum exercitio relinquantur, nec ipsorum conscientiis vis inferatur. Tum ut magistratibus iura patronatus salva sint, jure præsentandi penes congregationes existente, queis invitis pastores non sint obtrudendi. Reditus templorum uti in præsens sunt, maneant. Si subditis novum templum extruere placeat, faciant id suis sumtibus, & ministris Ecclesia ac scholarum de suo Salaria expediant sine veterum templorum detrimento.* 1646.

 Quod

1646. Quod temperamentum ut ex partis utriusque placito adornaretur, inde opera dabatur. Sveci tamen post, secus atque promiserant, ex placito quorundam Lutheranorum quædam verba Reformatis fraudi futura Instrumento Pacis insertum ibant; quod nostri pejus judicabant, quam si id negotium plane silentio involveretur. Ac censebant aliqui, Reformatos causam suam per literas Reginæ commendare debere. Id quod nostris consultum haut videbatur, quod illæ literæ speciem cautionis sint habituræ, & Svecos id interpretaturos, velut arbitrium sacrorum ipsis deferretur; id quod noxium juxta atque indecorum sibi sit; ac satius utique fore partes inter se transigere. Eo in negotio cumprimis fervor Altenburgensium eminebat, ac Darmstadiensium, velut quorum intererat circa controversiam Marpurgensem, ut Reformati cupitis suis exciderent. Singularem contra moderationem præ se ferebant Brunsvicenses. Inter Legatos Svecicos Oxenstierna Reformatis æquior, Salvius durior habebatur. Cui & objicienti, hactenus non nisi duas religiones, Papisticam, & Augustanæ Confessioni congruam pace sacra comprehensam, nostri respondebant: *neque initio, neque post, unquam publicis Imperii actibus discrimen inter Lutheranos & Reformatos factum. Naumburgi anno 1561. ab universis Evangelicis conventionem initam, ac Augustanam Confessionem denuo renovatam, Cæsarique transmissam; cui conventui a parte Reformatorum Fridericus Elector Palatinus cum aliis adfuerit, actaque subscripserit. Equidem post in Comitiis Augustanis anno 1566. Friderico isti a Catholicis controversiam motam, velut pace sacra excludendo propter opinionem circa cœnam mysticam a reliquis abeuntem. Sed Lutheranos istis conatibus obstitisse, quod satis animadverterent, inter ipsos divisionem quæri, quo disjuncti eo facilius opprimi possent. Unde & Fridericum Electorem id decretum Comitiale sua manu subscripsisse. In conventu quoque Lipsiensi omnes literas nomine Ordinum Augustanam Confessionem professorum expeditas, nullo inter Lutheranos & Reformatos discrimine. Ubi & Saxonici Theologi agnoverint, super nullo articulo Augustana Confessione contento controversiam inter ipsos esse. Equidem ante annos non ita multos a rixosis quibusdam sacerdotibus disputari cœptum, Augustanam Confessionem, eique superstructam pacem sacram ad Reformatos haut spectare. Quibus tamen cogitandum fuerat, eam Confessionem initio quidem opera Theologorum conceptam. Sed postquam eadem ab Ordinibus subscripta, Carolo V. Imperatori tradita, eique transactio Passaviensis, ac pax religionis superstructa est, omnesque publici actus Imperii ad eam provocant, velut inter Constitutiones Imperii relatam; istam Ordinum Confessionem, non amplius Theologorum esse. Unde & si quid in ea declarandum aut interpretandum sit, id ad universos Ordines spectare, non ad paucos quosdam, multo minus uni parti addictos Theologos. Et si ubi talia agitantur, horum quoque sententiam cognosci par sit.* Quæ & ad sensum Electoris erant; cui gratum fuisset, nihil hoc tractatu circa sacra motum fuisse; qui & ipse de iis mentionem injici passurus haut fuerat, nisi a Cassellanis initium factum fuisset; quos semel eam caussam ingressos destituere nolebat. Nam *Reformatos in quieta possessione pacis sacra esse, nec habuisse quod metuerent; eo se nomine oppugnatum iri. Privatorum hominum disputationes, penes quos haut sit ullum in pacem sacram recipere, aut eadem excludere, fraudi ipsis non esse. Ni ista sibi sententia staret, conscientiis civium vim haut inferendam, & cuique circa religionem rationem Deo adprobandam; sibi non minus atque aliis Catholicis & Lutheranis Ordinibus integrum fuisse sacra per ditiones suas reformare. Sed jam inter se, suosque Ordines provinciales mutuis literis* reversalibus *cautum, ut nemo sibi a reformatione metuere, multo minus alios ea cura exercere debeat, quos haut tangat, qua ratione ipse suis imperet. Sed postquam semel hæc controversia mota sit, quæ honeste indecisa relinqui nequeat, optimum fore verba nude posita manere, uti in formula Svecica extant, exclusis Cæsareorum assumentis. Quod si aliqui Principales super reformandi jure convenire velint, se non repugnare, modo res ita temperetur, ne Catholici ansam inde arripere possint in universum Evangelicis jus reformationis in dubium vocandi, pacemque sacram perrumpendi. Eam autem obligationem ita temperandam, ut reformatio invitis civibus suscipienda non sit; tum ut eadem utramque partem æque stringat, ita ut non magis Lutheranus potestatem habeat, reformatis provinciis hæreditate ad se devolutis, circa harum sacra quid novandi, quam isti hanc potestatem Reformatis concedere volunt. Sed si Lutherani dimoveri nequeant ab exigenda super non reformando cautione, præstare nullam Reformatorum mentionem in Instrumento Pacis fieri. Nam etiam citra hoc suum cuique statum salvum fore, nec ullum e Lutheranis Ordinibus alterum ob religionem hostili modo invasurum, quicquid cerebrosi homines disputent, aut scribant. Mirum tamen Svecos circa Reformatorum causam ita frigidos se exhibere, si meminerint, quid hi ad causam communem contulerint, & quid ipsi iisdem promiserint. Cæterum nunquam quæstionem fuisse, num Reformati in pacem sacram sint recipiendi; sed anno 1566. a Catholicis disputari cœptum, num isti eadem sint excludendi, ubi Evangelici Ordines, Cæsare interrogante, num Fridericum Palatinum Electorem Augustanæ Confessionis consortem agnoscant declararint: convenire hunc secum in præcipuis articulis, cumprimis de justificatione, circa cœnam mysticam discrepare: haut quidquam tamen ideo pace sacra excludendum. Ac nemini suis sacris haut addicto decidendi potestatem competere, num aliquis Augustanæ Confessionis particeps sit, an minus. Ex eo tempore non Reformatos minus, quam Lutheranos omnibus conventibus interfuisse, ac jura sua circa sacra & civilia nullo impediente exercuisse, cum Pontificiis ipsos dividere invicem conantibus restitisse. Haut eo minus Pontificios omnes occasiones captasse Spiræ, ac in Judicio Aulico per fictitium illud discrimen Reformatos fatigare, ac viam sibi hoc modo ad communem Evangelicorum oppressionem munire, quoad tandem in hos bellum res eruperit, ubi Ferdinando II. propositum fuerit, postquam edicto suo anno 1629. Evangelicos in universum enervasset, peculiari decisione Reformatos Imperio eliminare, Lutheranis beneficio ordinis gavisuris. Quod enim Catholici quoque hanc controversiam moveant, quibus conditionibus Reformati sacra paci sint includendi, causam non esse, quod magis Lutherana, quam Reformata religioni faveant; sed esse artificium lites inter Evangelicos fovendi, distrahendis horum viribus, & ut data occasione contra utrosque invalescere queant. Cæterum pacem sacram neque de Lutheranis, neque de Reformatis loqui, sed de iis,* 1646.

Electoris de his sententia.

qui

1646. *qui Augustanam Confessionem profitentur; quod hi aeque atque illi faciant.* Inter quæ multis ludibrium, aliis indignationem movit, quod Gedanenses certum hominem Holmiam mittere non dubitassent oratum, ne Sveci Reformatorum causam apud tractatus pacis foverent. Cujus importunitatem Petrus Brahæus abrupto responso protelarat: *qui fuerunt socii belli, iidem & erunt pacis.* Demum mitescentibus paulatim animis in universum placuit, jus Ordinum circa sacra haut tangere, ac tantum subditis consulere, ne, ubi diversæ religionis Principes sortirentur, ipsis quoque religionem mutare necessum foret; quam in rem Salvius formulam conceperat. In qua illud a Reformatis desiderabatur, quod se Augustanam Confessionem professis opposuisset, cum & ipsi hac classe censeri velint; & quod Lutheranis prærogativæ quid præ Reformatis tribuisset; velut quod Lutheranis reformata ditione potitis consentientibus Ordinibus sua sacra introducere liceat, non item Reformatis pari in casu; ac ut nobiles, civitates, & vicani sub Reformato Principe publicum exercitium introducere possint, quod Reformatis sub Lutherano Principe fas non sit. Nam Reformati paci utrinque jure agendum esse contendebant; ad quod demum admittendum Belgarum legati Altenburgicum & Vinariensem, Lutheranorum hactenus acerrimos, se permovisse jactabant. Unde aliam Reformati formulam proponebant: *Quamvis ante hac, & præsertim in Comitiis Augustanis 1566. quæstio a nonnullis moveri cœperit, utrum Reformati, qui & ipsi Augustanam Confessionem Carolo V. Imperatori exhibitam se toto pectore amplecti constanter asseverabant, ac etiamnum publice profitentur, a pace religiosa excludi deberent; tamen ut omnis omnino dissensionis materia tollatur, constans tam Imperatoriæ Majestatis, quam omnium Electorum Principum atque Statuum, conciliante id Regia Majestate Sveciæ, mens atque publica conventio hæc est, quod dicti Reformati cum suis ditionibus ac subditis a pace religiosa neutiquam excludi, sed quæstione illa penitus rejecta atque abolita, prout & hoc ipso rejicitur atque aboletur, tam pacis religiosæ, utpote illa comprehensi, quam hujus pacificationis, omniumque articulorum in utraque pace existentium pleno & pari cum cæteris statibus jure participes esse debeant.* Ea formula post multis modis hinc inde interpolata & reficta fuit, donec tandem in illam, quæ Instrumento pacis inserta est, conveniretur. Electoris mens præcipue fuerat, ut oppositio inter Augustanæ Confessioni addictos, & Reformatos declinaretur, aut saltem ut eorundem unio clarius exprimeretur, post verba, *qui Reformati vocantur* addito, *utpote qui etiam Augustanam Confessionem amplectuntur.* Qui & Lutheranis, ac inprimis Saxonicis durioribus denunciaverat, se circa communem Evangelicorum causam, & adornanda Gravamina hil operæ sumturum, ni circa Reformatos sibi satisfieret, ut sub Augustana Confessione comprehenderentur. Id tamen a Lutheranis obtineri non poterat, qui omnem compositionem cum Reformatis omittere, quam istud concedere malebant. Et in hoc cardo controversiæ vertebatur, de qua tanto fervore litigabatur. Quin Lutherani pro vocabulo *amplecti*, ne quidem *profiteri* admittere volebant; cum tamen notorium foret, Augustanam Confessionem in Reformatorum Scholis publice doceri; ac in speciem duntaxat jactari ferebant, quod Reformati ore & corde Augustanam se Confessionem profiteri dicerent. Unde non aliud temperamentum inveniri poterat, quam ut ista oppositio obscure & ambigue exprimeretur, etsi Electore jubente vocabula *inter illos* adhuc insererentur, multis licet Lutheranis contradicentibus; quæ non solum ad proxime præcedentia verba, *Augustanæ Confessioni addictis*, sed & ad remotiora *Ordinum Imperii* trahi possent. Equidem quidam Reformatorum de sententia Theologorum Belgicorum censebant, Reformatos tertiam partem constituere, eoque oppositionem ad Augustanæ Confessioni addictos admitti debere. Nam non minus nunc Reformatos pacis religiosæ capaces, eaque receptos declarari, quam superiori seculo cæteri Augustanam Formulam professi; & Pontificios tum aliis scriptis publicis, tum *Compositione Pacis Dillingensi* ostendere conatos, Lutheranos dudum ab ea Confessione discessisse, eoque ipso pacis sacræ beneficio excidisse. Sed nostri ab Augustana Confessione velut pacis fundamento separari nolebant, præsertim cum superiori seculo quæstio non de receptione Reformatorum in pacem sacram, sed de exclusione fuerit, quæ inclusionem præsupponit; quæ exclusio tamen nunquam pervinci potuit, quo minus Reformati inter Augustanæ Confessioni addictos referrentur, utut circa articulum X. aliqua dissensio fuerit. Quanquam autem aliqui Lutherani fervide laborarent hoc conventu quæstionem plane invertere, ac de nova receptione disserere auderent: tamen Reformati id maxime spectabant, ut res suas firmare, ac juxta Lutheranos Catholicis se opponere, deque horum auxilio cavere sibi possent. Nam deinceps dissidio exorto, si Reformatis solis adversus Catholicos, & Lutheranos consistendum sit, non parum istis præjudicii adferri posse videbatur. Unde satius habebatur, unionis inter Evangelicos fundamentum jacere, aliis deinceps conventibus solidandæ, quam dissidio locum relinquere, per cavillationes & calumnias alendo. Etsi ad extremum concinnata jam formulæ Saxonici Electorales acerrime resisterent, præfracte negantes, Reformatos *invariata* Augustana Confessione anno 1530. tradita, aut pace sacra comprehendi; ac nullo modo verba, *unanimi omnium Ordinum Imperii consensu*, ferre volebant, simul Lutheranis utique jus reformandi vindicatum ibant. Ac condiderat in eam rem atrox scriptum Jacobus Wellerus, Dresdensis Theologus; quo Electori Saxoniæ persuaserat, non posse ipsum salva conscientia in eam formulam consentire. Ac Reformatam religionem utique decreto Imperii anno 1566. in Imperio prohibitam. Unde & Saxonici legati protestationem adversus ista verba interponebant. Quorum acerbitatem nostri, contraria protestatione posita retundebant; præsertim cum cautum esset, ne adversus hanc pacem protestationes admitterentur. Simul ostendebant, dicto imperii decreto sermonem esse de sectis & opinionibus, quæ ab utraque religione, antiqua, & Augustana Confessione se disjunxerint, iisque adversentur; id quod de Reformatorum placitis dici nequeat. Enimvero Electori 1646.

Id negotium ad compositionem vergit.

1646. ri acerbum admodum accidebat, per Saxonicam protestationem perpetuum dissidium inter Evangelicos foveri, multa deinceps mala pariturum, ipsorumque res non parum labefacturum. Super quo componendo ipse tantopere laboraverat, eoque fini circa concedenda, quæcunque salva ratione postulari poterant, facilem se declaraverat. Quin & ipsis Cæsareis ista protestatio valde displicebat, quos cum nostri interrogarent, quid ea acturi sint? respondebat Volmarus; se eandem rejecturos, ac istum articulum retenturos, uti semel in eum consensum sit. Ingentem esse temeritatem, cum id negotium, per tres annos agitatum, jamdudum conclusum sit, nunc in protestationes erumpere. Ac se ipsis Saxonibus exprobrasse; *haut perspicere se, quo fine scriptum id exhibitum fuerit. Nam si pacem Saxo velit promovere, hanc ad istam viam non esse. Sin eandem impedire studeat, Catholicos quidem facile spectaculo isto frui posse, ut Protestantes mutuo se lacerent. Sed quis fructus hosce sit mansurus, se non capere.* Ad quæ Saxonicus Legatus nihil aliud responderit, quam sibi jussa Principis exsequenda fuisse. Addebat Volmarus: si ipse adfuisset, cum ea protestatio exhiberetur, se istam rejecturum fuisse, ac Lambergium & Cranium ex Aula reprehendendos, quod eandem acceptaverint. Nam & vocabulum *Pontificiorum* in en extare, quod in scriptis publicis adhibendum non sit, & Cæsarem semel conventa in dubium trahi nolle.

Hervordia Imperialibus civitatibus sese inserere conatur.

§. 70. Inter turbida ista temporum, cum Elector ab omnibus undique premeretur, Hervordia, Comitatus Ravensbergici municipium, occasionem dari rebatur, numero civitatum Imperialium sese inserendi. Cujus Syndicus apud Directorium Moguntinum Cæsareas literas protulerat, quibus ea civitas ad hunc conventum evocata fuerat; ac mox in congressu Evangelicorum super Gravaminibus inter alios Urbicos comparebat. Quod ubi Wesenbecio animadversum, protinus Magdeburgicum, qui directoris vicem obibat, monuit, ne iste admitteretur, velut a municipio missus. Is excusabat, haut vocatum accessisse. Apud Moguntinos cum nostri adversus hæc attentata protestationem interponerent, hi ostendebant: Hervordiam anno 1641. Ratisponæ Recessum Imperii subscripsisse; in præsens huc evocatam; ac Cæsareos denuntiasse, omnes, qui prolatis invitatoriis a Cæsare literis apud Directorium nomina sua profiterentur, admittendos. Nostri contra; scriptam suam protestationem Ratisponæ fuisse acceptatam, & in Archivo Moguntino repertum iri. Nam etsi ab eo oppido missus insciis legatis Electoralibus in Senatum Civitatum irrepserit, tamen hos statim atque resciverint effecisse, ut isti inde discedendum iterum fuerit: & Cæsareos ob invitationem ignorantiam excusasse. In formula quoque Recessus Imperii ejus civitatis nomen non reperiri, ac non constare, quomodo id in exemplar impressum irrepserit. Ita nostrorum protestatio admissa est. Etsi Syndicus iste nequidquam jactaret; Hervordiam olim, & adhuc anno 1548. civitatem Imperialem nullo contradicente fuisse: post autem a Duce Juliacensi cum consensu civitatis, intervenientibus certis pactis, salvisque juribus exemtam. Adversus quod tamen mox, & præcipue postquam Neoburgicus Juliaco potitus sit, advocatus fisci Spiræ processum moverit, & eousque perduxerit, ut Hervordia libera civitas Imperialis declararetur, adversus turbatores *pœnalibus mandatis manutenentiæ* emisfis. Unde illam Ratisponæ iterum vocatam & admissam. 1646.

Ceremonialia. Principum legati Electori alibus titulum Excellentiæ negant.

§. 71. Non parum quoque negotii in tanto Legatorum concursa dabant inania titulorum, & ceremoniarum. Inter quæ non postremum erat, quod Principum Legati Electoralibus *Excellentiæ* titulum præfracte abnuerent; quam ob causam & hi non per primarios, sed secundarios duntaxat legatos cum istis communicabant. Id quod Principales recepto mori adversari querebantur, eoque istiusmodi communicationem non amplius admittere volebant, quoad illi titulo Excellentiæ renuntiarent. Offerebant tamen, si Electorales præjudicium inde metuerent, se istud tituli Veneto quoque negaturos. Ea de re cum a Moguntino relatio facta esset, in Collegio Electorali conclusum fuit; *novum quidem esse in Imperio titulum Excellentiæ dare aut exigere: Sed quemlibet antiquo more pro dignatione inter alloquendum nuncupari. Non esse tamen quod Principales querantur, cum hic sit peculiaris conventus; & Electorales eum titulum postulent hautquidquam deprimendo Principum fastigio, sed dignitati & eminentiæ Imperii tuendæ, ac ut Reip. Venetæ conatibus obsistant, suamque præcedentiam adversus istam tueantur. Cæsarem quoque jussisse eum titulum Electoralibus hoc in conventu dari; cui Principes reniti non debeant, velut fonti dignitatum & titulorum. Alias Regios quoque eum titulum retractaturos, quem ipsi Principales introduxerint, dum Veneto eum dedere. Interesse quoque Domuum Principalium, quæ ab Electoralibus descendunt, Collegii Electoralis dignationem gliscere. Denique & alias Respublicas, Belgas, Helvetios, Genuam, ut Electoribus præferantur, postulaturos.* Unde Principalibus demonstrandum, hunc titulum istis præjudicio haut cedere. Interim negotia haut intermittenda, & e consilio Trautmansdorfii Teutonica lingva promiscue appellandos *Electorales Dominos Legatos*, qui primarii juxta ac secundarii intelligantur, quoad Principum sententia exquisita fuerit. Nonnihil quoque turbarum dabat discrimen inter legatos primarios & secundarios, a Coloniensis potissimum plenipotentiario Præsule Osnabrugensi introductum, exemplum imitante Longuevillio; qui cum Principali dignatione esset, pari gradu cum Doctoribus Juris censeri nolebat. Nostri tamen secundarii Bruno Hispanico Legato, Excellentiæ titulum ipsis haut danti eundem quoque subtrahebant. Qui excusabat, se ipsos duntaxat consiliariorum in vicem adjunctos. Sed cum hi ostenderent, omnes se paci agendi facultate ab Electore instructos, eum titulum iisdem reddebat. Bavarici quoque in mandatis habebant, ne ipsorum secundarii Principum primariis cederent; in quam rem etiam in Collegio Electorali decretum factum est; quod & antiquo more erat receptum. Contra Austriacum Directorium Monasterii decretum condiderat, ut secundarii Electorales primariis Principalibus cederent. Ac

Delegatis primariis & secundariis.

Bruyn.

Traut-

1646. Trautmansdorfius, ſecus quam antea fecerat, honoratiore loco præ ſecundariis noſtris incedebat, ac ſedebat. Qua de re, veluta Rebuſpublicis in exemplum trahenda, cum noſtri apud Volmarum quererentur, hic reſpondebat; ſe velut pari dignatione ſuperiorem ipſis locum haut abnuere. Sed Viennæ decretum eſſe, ut is duntaxat primariis, idque ſi illuſtri loco Comites aut Barones orti ſint, detur; ac præter noſtros neminem ea de re moviſſe. Noſtri autem ob Reſpublicas id concedendum non putabant, quod Belgarum Legatis utique dignior locus concederetur. Sed & negotium iſtud confundebant Saxonici, qui Oſnabrugam ingreſſi Excellentiæ titulum neque affectabant, neque aliis tribuere volebant. Qui tamen ut ad collegas ſe conformarent monebantur; quod in diminutionem collegii redundet, ſi minoris ſe, quam Venetum & Belgas haberi patiantur. Ac ſi in Collegio diſcordiam eſſe Regii obſervarint, hos quoque eum titulum ſubtracturos, a quo & inceſſus, locusque dependeat. Ac ipſum Cæſarem ita conſtituiſſe. Atque id Saxoni per curſorem ſignificandum. Interim iſtos velut privatos agere poſſe; præſertim cum ferant, præcipua mandatorum ſe nondum accepiſſe, communicatione per ſecundarios cum ipſis facienda. Super iſtis Electori videbatur; a ſuis iſti titulo haut renuntiandum; ſi tamen quandoque omittatur diſſimulandum potius, quam acriter contendendum. A Moguntino tamen conſilium exquirerent, & quid pro captu obtineri poſſit ſtatuerent. Id tamen mirum videbatur, primarios Principum Legatos ſecundariis Electorum cedere nolle. *Id enim recepto mori repugnare, & non conditionem privatam legati, ſed dignationem mittentis reſpiciendam, cujus locum iſte ſuſtinet. Ac e fiduciariis literis oſtendi, quæ cuique legato dignatio ſit circumpoſita. Ac ſi primarium ægrotare contingat, ſecundarium plane ad conſeſſum admiſſum non iri, ſi huic plena legati dignatio denegetur. Equidem ut plures ejusdem Principis Legati pro conditione ſua inter ſe locum ſortiantur, rationi congruum eſſe. Sed diſcrimen inter Legatos primarios & ſecundarios antea in Imperio eſſe inauditum; quod nec a Cæſare provenerit, cujus nihil interſit, ſed ab iis, qui per id peculiaris quid autoritatis ſibi circumponere cupiunt. Forte & arcani quid ſubeſſe, atque id quæri, ut Electoribus ſpecioſo hoc prætextu gravium ſumtuum neceſſitas imponatur, ſi ipſorum legati multos per menſes nullo reſponſo in aula Cæſarea agere cogantur: aut ut ſaltem obliqua via Venetus iſtis anteponatur. Ac demum eo rem redituram, ut, ſi non ſemper illuſtri loco nati Legati mittantur, quales non ſemper artibus Legato dignis inſtructi occurrant in conſilio, aliisque publicis congreſſibus locus Electoris vacuus deſtituatur. Eos autem qui in Senatu & alibi ad Electorum perſonam repræſentandam digni habentur, in privatis congreſſibus ſecus tractari, incongruum atque ignominioſum fore. Sed & Principales abſurde iſto ſe diſcrimine jactare. Nam in Senatu Principum non omnes, qui primarios ſe gerunt, illuſtri loco natos, quosdam nobiles quidem eſſe. Quam incongruum autem fore, ſi Electoralis legatus nobilis, Principali haut nobili cedere debeat? Ac demum eo rem redituram, ut legati non dignatione mittentium, ſed propria conditione æſtimentur.* Fuerat quoque in cauſa id diſcrimen inter Legatos primarios & ſecundarios, ut noſtri Belgarum Legatos ſolenniter haut viſitarent; quod hi ſecundariis dextram manum, & priorem inceſſum negarent. Nec admittebatur a noſtris temperamentum, ut primarius duntaxat ipſos inviſeret, cæteri morbum ſimularent: aut ut primarius Electoralis præcederet, inde ipſi univerſi ſequerentur, ſecundariis agmen clauſuris. Cum tamen Cæſarei & Hiſpani hiſce priorem inceſſum permiſiſſent; quem & Longuevillius obtulerat, ni noſtri ob dignitatem viri, & potentiam Galliæ, & quod cum ipſo tractandum foret, eo honore haut uti decorum judicaſſent. Nec ſeparari ſe volebant noſtri, quod omnes eodem plenipotentiæ diplomate continerentur, pacique agendi facultate inſtructi forent. Sed & quare Belgis cedere non poſſent, graves rationes erant. Nam ſi ſeparatim ſpectarentur, ſupremus eorum Ducem Geldriæ cæteri Comites aut Dynaſtas repræſentabant. Si conjunctim conſiderarentur, a republica miſſi erant, quæ citra controverſiam Venetis cedebat. Hi autem Auſtriacis cedunt, qui Electoribus ne controverſiam quidem movent. Sane Cæſar in decreto Venetis dato anno 1636. exceperat, id Domui Auſtriacæ præjudicio non fore; unde nec Electoribus id fraudi eſſe poterat, qui Auſtriacos præcedunt. Sed nec ſupremum Belgarum imperium adhuc extra controverſiam erat; ac dicebant Bavarici; ſingulos legatos Belgicos octavam legationis partem repræſentare. Sed fatebatur Ripperda; ſe a Gallis ad hoc obfirmari, ut Electoralibus hanc controverſiam moveant, minantibus, ſi hiſce concedant, hactenus delatum honorem ipſis ſubtractum iri. Ita omiſſis viſitationum ſolennibus colloquia non niſi inter ſingulos, aut velut, ex fortuito occurſu in loco tertio citra pompam fiebant.

Contro-

1646.

verſia cum Belgicis legatis.

§. 72. Haut eo minus Elector rebus ſuis non parum præſidii in Fœderatis Belgis repoſitum judicabat, qui & jam olim Domui ſuæ in negotio Juliacenſi adſtiterant; eoque amicitiam per aliquot tempus velut ſopitam inſtaurare, ac novo fœdere adſtringere conſultum ducebat. Eam ob cauſam Evvaldus Kleiſtius Hagam miſſus, cui injunctum, apud Generales Ordines veteris amicitiæ memoriam recolere; ac inprimis operam eorum expoſcere circa Pomeranicum negotium, quod & ipſos aliquatenus tangebat. Simul ut ſuper Neoburgico Duce querelas moveret, qui pactis cum Brandenburgica Domo initis ſatisfacere multis partibus neglexerat; ſimul peteret, ut iſti huic ſe controverſiæ interponant, ac pace Monaſterii concludenda ab Hiſpanis ſtipulentur, ne hi ſeſe immiſceant, ſi Neoburgicus ad rationem audiendam ſit compellendus; præſertim cum & Belgarum pax turbanda ſit, ſi Hiſpani Neoburgico auxilia ferant, cum Belgæ ex fœdere Electori adſiſtere teneantur. Fuerant quoque inter Cliviæ Ordines non pauci Romanibus ritibus addicti, ſtudio in Neoburgicum ob communia ſacra proni, qui calumniis Electorem onerare conabantur, velut privilegia ejus provinciæ ſubverſurum; quæ iſti quondam, dum per iniqua tempora Principum ſuorum neceſſitatibus ſubveniunt, obtinuerant. His ne fidem adhiberent Belgæ

Elector Belgas in ſtudium ſui excitare conatur.

1646. gæ rogabantur, cum Electori constitutum sit privilegia Ordinum firmare, ac querelis satisfacere, quamprimum in has oras accesserit; quin ne Belgas quidem Sequestres recusare, si ei negotio componendo vacare velint. Ac injuste istos queri de pecuniis ad alendum militem conferendis, quas Neoburgicus multo majores imperabat. Nam Clivici Ordines multa apud Belgas, tanquam privilegiorum suorum defensores, questi fuerant de iniquis oppressionibus; & quæ initio velut precario petita fuerint, mox ab invitis quoque extorqueri. Tum suis querelis ad Electorem delatis remedia non fuisse adhibita. Qui & conventione inter se inita certos e suo numero designarant, queis cura suorum privilegiorum cordi esset, quos vicissim universi indemnes præstare deberent. His igitur instantibus Belgæ ad præfectos suos Clivicorum præsidiorum scripserant, ut modesto modo exactiones a Clivico regimine impositas sisterent. Causa, quare circa alienos cives satagerent, ferebatur; quod Clivensium privilegia sibi præstanda incumbant, & quia eadem provincia grandi ære alieno ipsis teneantur, sua interesse, ne cives ad inopiam redacti eidem dissolvendo impares fiant. Quibus Elector in hunc sensum scribebat: Haut persvaderi sibi, ista mandata in fraudem militis, quo ipse ad custodiam sui corporis opus habeat, tendere, qui citra stipendia servari nequeat. Ac potius e bonæ viciniæ officio ducturos, cives ad lubenter toleranda onera, per temporum iniquitatem declinari nescia, adhortari; præsertim cum ipsorum quam maxime intersit, eam provinciam servari. Eadem ut singulis fœderatarum provinciarum commendaret, Elector Adolfum Wernerum Pallantium ad Geldrorum, Ultrajectinorum, & Transisalanorum conventus, Allartum Philippum Borgiũ ad Frisios, & Groninganos circummittebat. Qui omnes amplissimis verbis studium suum deferebant. Etsi circa negotium Pomeranicum ultra verba processuri non viderentur, quod langvidius istos tangebat; ac ipsi bellorum fessi, nec domi concordia satis firma novo bello occasionem struere horrebant; formidabili quoque tunc Svecorum potentia, quos ad quietem componi amici juxta ac hostes optabant, quo invicto isto exercitu exuerentur. Et candidissimus quisque istorum citra ambages dicebat: quantum verbis & literis Electori gratificari possint, libenter facturos: sed ut in ejus gratiam novo se bello implicent, statum suum non ferre. Sed & postquam cogitationes de nuptiis cum Christina Regina evanuissent, quæ jam vacillantia per consilia jactari cœperat, ad aliam conditionem dispiciendam serio se convertit Elector; quod matrimonium diutius differre ætas ipsius, & Domus Electoralis, quam ipse solus sustinebat, & amica civium vota non paterentur. Igitur animum ad Ludovicam Friderici Henrici Arausionensis Principis filiam primogenitam adjecit, olim cum in Batavis ageret sibi cognitam: in qua præter eximias animi corporisque dotes spectabatur cognatio ab avia Electoris Ludovica Juliana Wilhelmi I. Arausionensis filia; tum istorum Principum ingens gloria, & egregia bello facinora; par circa sacra sensus; conjunctio cum Belgarum Republica; quæ & spem opimæ hæreditatis in ipsius Domum allatura erat, quod pater Fridericus Henricus anno 1644. testamentum condidisset, quod Ludovica ista, ejusque descendentes omnium Domus Arausionensis bonorum hæredes ex asse constituebantur, si filium Wilhelmum, ejusque lineam extingui contigisset. Earum nuptiarum causa, & ut tractatibus pacis propior esset, Elector sub initium anni e Borussia in Cliviam se conferre instituerat. Cui tamen itineri moram injecit Poloniæ Rex misso Regium, montem Lescevvangio tribuno, qui significabat; Svecos terra marique arma magno studio parare, certos Poloniam ac Borussiam invadere. Simul postulabat, ut Elector portus suos probe custodiat, ac ante discessum res provinciæ in omnem eventum ordinet, congesta cumprimis ingenti pecuniæ summa, quæ necessitate exigente in promtu sit. Ac Regem eo nomine splendidam legationem missurum, cujus caput Cancellarius Regni futurus sit. Ast Electori, cui metus iste inanis habebatur, neque de pecunia placebat, provincia jam satis exactionibus onerata; ac inprimis iam splendidam legationem deprecabatur, Svecos suspicione perstricturam. Ac sufficere literas eo nomine ad Ordines provinciales dari. Unde Electori aliquandiu in Borussia hærendum erat, conventusque Ordinum habendos, quoad circa id negotium dispositum foret; quod alias Uladislaus Rex magna bellandi cupidine flagrans ipso absente Borussiæ res pro lubitu temperaturus videretur, ubi & non parum militis conscripserat. Demum rebus in Borussia ordinatis mense Majo in Marchiam movit; ubi æstas exigebatur, quoad adpareret, quomodo se res apud tractatus daturæ essent. Inde Septembri mense in Cliviam transitur, unde matrimonii ambiendi causa Cunradus Borgsdorfius ad Arausionensem Principem ablegatur, qui Joannem Fridericum Schletzerum præmiserat, quo Principem extra Hagam in aliquo suo prætorio convenire posset, ne in oculis omnium suscepta negotiatio ante tempus importuno rumore differretur. Tam splendidam conditionem cum Princeps prono animo acceptasset, Elector ipse exiguo cum comitatu propere Hagam se confert ibique nuptias celebrat nulla pompa, velut in alieno, & apud Belgas magnificentiæ haut adsuetos, ac cum invidia istam adspecturis, ac ne extraneos Principes invitare necessum esset. Paucos ante dies ipse consessum Ordinum Generalium ingressus fuerat, deducentibus per transversam Aulam singularum Provinciarum Deputatis, & triginta rhedis. Consessum ingressus ubi paululum assedisset, mox surgens, pileoque mensæ imposito, pariter stantibus aperto capite Ordinibus, decora oratione de fœdere, quod Pater suus cum hac Republica inierit, quodque continuari præsentes suæ res exigant, memorare cœpit. Tum uti Sveci in præmium belli Pomeraniam sibi deposcant, in quam Domui suæ ultra duo secula jus quæsitum sit, investituris Cæsareis, ac provincialium jurejurando firmatum, nulla quoque a se offensæ causa præbita, Diu reluctatum ad extremum se vicisse, ac certam Pomeraniæ partem cedere constituisse, recepto æquivalente. Si tamen ipsi judicent, istud Statui suo Belgarumque

Margin notes: 1646 (right) — *Pallant.* — *Borg.* — *Elector matrimonium contrahit cum Ludovica Auriaca.* — *Mart. Lescewang.* — *Schletz.* — *27. Nov. st. v.* — *Apud Belgas parum promovetur.*

1646. rumque haut conducere, eorundem sententiam, dum res adhuc integra sit, nosse cupere; quo fine Commissarios poscebat. Atque isto casu Ordinum interpositionem, ac si hæc nihil profecerit, auxilia requirere. Addebantur querelæ de Neoburgico, quem sua autoritate permovere velint, ut pactis stet, ac de injuriis hactenus illatis sibi satisfaciat. Denique de sponsalibus cum Arausionensis filia significabat, super quibus, quid ipsis videatur, cognoscere cupiat. Fine dicendi facto, postquam ipse, Ordinesque assedissent, a præside conventus, omnibus capite tecto sedentibus, magno cum verborum honore responsum. Cæterum initio Belgæ ingens in Electorem studium præ se ferre; nec abnuere periculum commerciis suis imminens, si Sveci adquisitis Pomeraniæ partibus plenum Maris Baltico dominium nanciscerentur. Unde & Elector suos legatos jusserat caute procedere, nec negotium præcipitare; præsertim cum summa rerum mutare, nec pax ita in propinquo videretur. Enimvero Belgis sedebat, ultra officia, quæ verbis præstantur, in eam causam non descendere, ac, quæ eo nomine suscepta erat Hagæ negotiatio tarde procedebat, utut ob periculum, quod in mora erat, consiliarii Electorales (8. Dec.) apud Ordines Generales acriter instarent, exhibito scripto de fœdere defensivo promovendo, cujus scopus sit mutua amicitia ac defensio; inprimis ut Belgæ causam Pomeranicam serio amplectantur, ac missa in Sveciam legatione, tum apud tractatus Westphalicos Svecos ad æquiora permoveant. Quo fine tres viæ propositæ sint, 1646. ut vel Elector Pomeraniam a Svecis velut subfeudum recognoscat, vel hi præsulatus Westphalicos in vicem Pomeraniæ accipiant, vel denique Citeriore Pomerania ad Penam fluvium usque contenti sint. Sed Svecos ista adspernatos, etiam Ulteriorem provinciam, detracto Stetino, Camminoque mutilare, Marchiamque navigatione atque commerciis plane exuere velle. Consilio igitur Electori adessent, ac operam navarent, ut Sveci de postulatis remittant, aut saltem huic idonea pensatio præstetur; præsertim cum Sveci hanc præcipuam belli causam jactent, sua cuique restituere, ac Bavarus ipsorum hostis insignes terras lucratus sit. Simul formula fœderis exhibebatur. In qua Belgis displicuerat, quod Elector postularet, ut in causam Pomeranicam, & adversus Neoburgicum altius descenderent, quam rationibus Reip. suæ tunc conduceret; simul ut præsidia Belgica oppidis Cliviciis deducerentur, quod pace cum Hispanis facta iis non amplius opus esset. Unde ad præposita Belgæ responsum tarde moliebantur, vel quod nossent Svecos Pomerania dimoveri non posse, vel quod pax jam eo processisset, ut spatium non esset vim avertendis Svecorum cupitis adparare; vel quia tanti non putabant, ob aliena commoda Remp. suam post tam diuturnum bellum novos in fluctus mittere. Ita fœderis istius negotiatio in longum extracta; post aliquot demum annos perfecta fuit.

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI WILHELMI MAGNI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER TERTIUS.

EPITOME.

1647. *ELector Svecorum postulata annuere constituit. 2. Ea declaratio sera prope est. 3. Tractatio Osna-* 1647.
bruga suscipitur. 4. Belgarum opera circa id negotium. 5. Aspera negotiationis initia. 6. De-
claratio Electoris Svecis exhibetur. 7. Sveci ægre tota Pomerania depelluntur. 8. Elector Sveco-
rum cupidini indulget. 9. Negotium Pomeranicum concluditur. 10. Circa æquivalens difficulta-
tes; 11. & peculiariter circa Magdeburgum; 12. Halberstadium; 13. Mindam; 14. & Caminum. 15. Sveci
conventa refingere conantur. 16. Quid Electori ista pace amissum, quid adquisitum. 17. Circa fœdus
cum Svecia incassum movetur. 18. Circa Carnoviam restituendam frustra satagitur. 19. Hervordia in or-
dinem redigitur. 20. Elector loca sua sibi restitui, & tributa remitti frustra quærit. 21. Gallorum suspi-
ciones discutiuntur. 22. Cum Cæsareis super evacuando Hammo Acta. 23. De Juliacensi causa. 24. Cir-
ca dimovenda oppidis Clivicis Belgarum præsidia frustra agitatur. 25. In Neoburgicum represalia. 26. Cir-
ca Poloniam acta. 27. Acta circa electionem Joannis Casimiri. De suffragio Electoris. 28. Pax West-
phalica concluditur. 29. Elector ut sua sibi tradantur laborat. 30. Idem de permutatione æquivalentium
agitat. 31. Circa ratificationem Pacis difficultates. 32. Circa traditionem Halberstadii, & Mindæ Sve-
ci tricantur. 33. In conventu Noribergensi ab Electore acta. 34. Noriberga pro Electore parum proficitur.
35. Halberstadiensis, & Mindensis ditio Electori traditur. 36. Circa restituendam Pomeraniam difficulta-
tes. 37. Electoris declaratio. 38. Elector per alios idem negotium Noribergæ urget. 39. Alia legatio
inanis. 40. Recessui Noribergico noxia Electori clausula inseritur. 41. Legatio in Sveciam. De permu-
tatione Præsulatuum cum Pomerania. 42. A Kleistio Holmiæ acta. 43. Reginæ declaratio. 44. Amplior
super limitibus disceptatio. 45. Elector de Commissariis Svecis frustra queritur. 46. Kleistius Holmiæ ni-
hil proficit. 47. Reginæ extrema declaratio. 48. Kleistius e Svecia irritus discedit. 49. De conventu li-
mitaneo. Scrupuli circa procuratoria. 50. De loco congressus. 51. Super ductu limitis disceptatio. Sve-
corum rationes. 52. Nostri respondent. 53. Tractatus extrahitur. Super limite transigitur. 54. Super
vectigalibus controversia. 55. Sveci vectigalibus obnixe inhærent. 56. Elector temporibus sese accommodare
instituit. 57. Id negotium demum concluditur. 58. Summa capita Recessus limitanei. 59. Legatus in au-
lam Cæsaream mittitur. Ejus mandata. 60. In Aula Cæsaris frigide res geritur. 61. Svecorum petitis in
aula Cæsaris obsistitur. 62. Aula Cæsarea magis in Electorem inclinare incipit. 63. Elector Pragam ad Cæ-
sarem accedit. Cerimonialia. 64. Elector in Unionem Electoralem recipitur. 65. Cum Svecis Ratispona
certatur. 66. Refusio damni ob detentam Pomeraniam frustra quæritur.

Elector Svecorum postulata annuere constituit.

HUcusque Elector nullum non lapidem moverat, ut Pomeraniam sibi conservaret integram, aut saltem ne Oderæ navigatione excluderetur. Quo fine negotium quantum poterat extrahere conabatur, num forte casus aliquis mutationem rerum viamque ad votum ipsius rei expedi-

undæ pareret. Ast nunc haut amplius tergiver-
sationi locus supererat; ac Witgensteinius Co-
mes Clivos excurrens demonstraverat; *ni proti-*
nus in Pomerania partes Svecis cupitas consentiat, to-
tam periisse nulla pensatione, ac graves insuper ab
hisce molestias imminere, acriter osuris, quem tanto-
pere læsissent. Igitur mandata in hunc sensum con- 3. *Jan.*
cipiuntur ab isto propere Osnabrugam deferen-
da: *Cum tractatio super Pomerania in tam ancipi-*
tem statum devoluta sit, ac ipse ab omnibus undique
urgeatur, nec ei malo avertendo ulla ratio supersit,
nullo

1647. *nullo alicubi auxilio adparente: post maturam deliberationem satius visum temporum iniquitati in præsens cedere, quam omnia fortunæ alea exponere. Si itaque post omnem operam consumtam obtineri nequeat, ut Odera fluvius, aut saltem Stetinum penes se maneat. Svecis demum Citeriorem Pomeraniam cum locis adjunctis se concessurum. Sed in pensationem exposcere Præsulatus Halberstadiensem, Mindensem, & Magdeburgicum, ac ut Glogoviensi & Saganensi Ducatu aut Osnabrugensi ditione frui tantisper liceat, quoad Magdeburgi possessionem nancisci queat. His addendum Comitatum Schauwenburgicum, & duodecies centena uncialium millia, Gallis antea illi parti proposita, cui Stetino sit cavendum. Haut tamen se designato equivalente ita mordicus inhæsurum, ut ideo pacem remorari velit, sed eo contentum fore, quod enixa opera obtineri possit; & quia ideo ad tam acerbum decretum descendat, ut Orbis Christianus exitiabili bello eripiatur, spem esse, a Divino Numine hanc jacturam Domui suæ alia via pensatum iri.* Cupiebat quoque liberam navigationem & commercia in Odera flumine sibi stipulari, & ut insignia sibi, ac titulus, simul nomine Ulterioris Pomeraniæ sessio atque suffragium in Diætis Imperii maneant. Tum ut Sveci circa causam Juliacensem ipsi faveant, siquidem illa hoc conventu expedienda sit. Simul Sveciæ Regno amicitiam & arctius fœdus offerebat pignoris in vicem, a se infesti nihil in idem agitari. Equidem penes se non esse prohibere, quo minus mendacia a malevolis de machinationibus suis spargantur; sed qui prudentes statum ipsius expenderit, facile agniturum, haut sibi animum esse cum Svecis hostilia agitare; cum utrinque expediat amotis suspicionibus sinceram inter se amicitiam colere. Quod si Sveci obtendant, se solos haut sufficere æquivalenti præstando, arma se hisce sociaturum, siquidem iidem ista deponere nolint, antequam ipsi satisfactum sit. Addebatur, ut Marchiæ loca cum instrumento bellico & machinis, tempore occupationis ibi inventis, restituantur, ut & bona Magistri Ordinis Equestris, cum *Commendis* & præfecturis eo spectantibus, & nominatim Wildenbruca. Tum ut donationes a Regina in Ulteriore Pomerania factæ aboleantur, remissis quoque contributionum reliquis. Quod si Sueci Ulteriorem sibi Pomeraniam cum Stetino & Oderá relinquant, se ipsos ad simultaneam investituram admissuros, ut extincta prosapia Electorali ea provincia potiantur. Ista legati cum Deputatis Pomeranorum communicare jubebantur, ostenso, in præsens necessitati vel eam maxime ob causam cedendum, ne innocentes provinciales exitio involvantur, si ea lis ferro cernenda sit.

Ea declaratio sera prope est. §. 2. Enimvero ut his conditionibus Electori decidere daretur, haut satis liquida spes amplius restabat. Sane post reditum Plettenbergii in Senatu Electorali Monasterii propositum fuerat: *Cum Elector huic liquidum responsum haut dederit, Sveci autem negotio finem imponi urgeant, simul extrema necessitas ac salus patriæ subigat pacem maturari, antequam nova expeditio suscipiatur, novis casibus ansam datura; statuendum esse, num ulterior Electoris declaratio moranda sit, an vero citra dilationem ea lege cum Svecis transigendum, ut Citerior ipsis Pomerania, ubi iste consenserit, sin minus, tota concedenda sit.* Ubi per majorem Collegarum partem decretum; a Cæsareis Gallisque petendum, ut protinus Osnabrugam sese conferant, ac cum Svecis agant, num Citeriore Pomerania contenti esse velint: id ubi obtineri nequeat, in totam Pomeraniam quocunque modo transigant. Electori unius mensis spatium indulgendum consensui suo super Citeriore provincia declarando; quo deficiente negotium pro concluso habendum. Ita Moguntinus, Treverensis, & Coloniensis censuerant: sed Bavaricus contenderat; non expectata Electoris declaratione, nec ulla dilatione data pure negotium concludendum. Saxo mandatum peculiare sibi in hanc rem negabat, ac ut conclusio differatur, quoad ipse ad Principem retulerit, petebat; præsertim cum per *Electoralem Unionem* collegæ teneantur suas invicem ditiones tueri. Sed prævalente majore parte conclusum in eam sententiam factum, Cæsareisque traditum fuerat. Cum quoque nostri Osnabrugæ apud Evangelicos Ordines instarent, aut saltem de pensatione Electori expedienda cogitarent, Langenbecius Luneburgicus Legatus dolentis specie reponebat: *rem non amplius esse integram: Electoris responsum ita acceptum velut negasset, eoque cum Svecis transactum fuisse. Evangelicis haut licere hac de re amplius movere, ne Svecos offendant, & compositionem gravaminum impediant. Nec istos tractatum resumturos, postquam cupitam sibi tantopere totam Pomeraniam obtinuerint. A decreto Electoralium Principales & Urbicos haut temere dissensuros. Catholicos objecturos; qui pensationem suadeat, eam præstaret. Quia tamen evictioni ab Ordinibus præstanda dura lex dicta sit, non ita raptim expedienda, forte occasionem tractationi sese præbituram.* Nec minus Longuevillius exprobrabat, agendi opportunitates inter infinitam cunctationem elapsas. Ad quæ nostri reponebant: *in causa fuisse, quod Cæsarei initio suaserint, ne quid de Pomerania in fraudem Imperii Elector cedat. Tum ipsos Gallos Svecorum postulata improbasse; Belgas declarasse, si vel unicus in Pomerania portus Svecis tradatur, id suo statui haut ferendum; Polonos de officio vasalli ingessisse; Ordines testatos, optandum sibi Pomeraniam penes Electorem manere; ipsos denique Svecos spem temperamenti alicujus inveniendi fecisse. Unde credidisse Electorem, per eos quorum interest Svecos a postulatis suis dimotum iri. Nec quemquam facile sua condonare, ac statum suum periculo exponere, quamdiu ulla spes ista servandi supersit. Inprimis Belgas pollicitos, se legatis suis mandata huc missuros, ut eo de negotio cum Svecis agant; quæ tamdiu dilata sint.* Gallus uti hæc suo loco relinquebat; ita ostendebat, neminem non questum, ab Electore nuper laxioribus tantum verbis in futurum prominens responsum datum. Unde Cæsareos & Sequestres decrevisse, quia pax Germaniæ tam necessaria sit, eam quocunque modo properandam, nec morandum unius aut alterius dissensum; cui evidens ratio persuadere nequeat, eo esse adquiescendum, quod præsens rerum conditio ferat. Ac Electori considerandum fuisse, quæ necessitas pacis sit Turca cumprimis ingruente; 1647.

 quan-

1647. quantis copiis jam succingatur Svecia, & quanta vi Pomeraniam amplexa sit, ac si Sveci consentiant, ipsum Halberstadio & Magdeburgo potiturum, Oderæ jacturam Albi pensari haut paulo nobiliore flumine. Cæsarei quoque nostris ad se

4. Jan. evocatis proponebant; ab Electore extremam declarationem in ipsos rejectam; etsi liquido testatus sit, Stetino, & Odera, adsitisque huic oppidis se haut decessurum. Jam vero Suecos hisce postulandis immotos insistere, & conclusionem acriter urgere, infinitum alias bellum minitantes. Cum igitur res ad extremum redacta sit, ex ipsis sese Electoris mentem intelligere velle. Ad quæ nostri; cum Elector rem ad agnatos & Ordines Provinciales retulerit, ita brevi declarationem adferri non potuisse: igitur omnia integra servarent, quoad ista advenerit. Ast Cæsarei Svecorum declarationem proferre in hunc sensum: *cum Elector in partem consentire voluerit, totam sibi Pomeraniam retinendam evictione per Imperium præstanda, quæ non verbis & scriptis, sed re constare debeat; ut ab Imperio viginti militum millia alantur, per Pomeraniæ præsidia distribuenda, ac insuper ubi necessitas exigat omnibus viribus ea provincia defendatur. Eo casu a Cæsare parem militum numerum alendum Svecis librandis.* In has leges ut pax concludatur Svecos urgere; istæ si repudientur, bellum continuandum. Judicabant tamen Cæsarei, austera ista adhiberi, ut Elector eo citius ad annuenda ipsis postulata pertrahatur. Alias tam imperiosa dicta haut decere legatos, ad pacem condendam missos, nec eidem promovendæ facere. Quanquam autem dura admodum ista sint, & perpetui instar belli Germaniæ conciliatura; non tamen iisdem se reluctari posse, cum in eventum jam consenserint, ac Poloni, Galli, Belgæ, quos ea res tangat, præter imbellia verba nihil conferant. Equidem Pomeraniam ob commoditatem, & quam isti Germaniæ tractui præstare queat securitatem supra æstimationem esse, sed omnibus respectibus prævalere necessitatem.

Tractatio Osnabrugæ suscipitur. §. 3. Ita ejus negotii expediendi causa Osnabrugam se conferebat Volmarus, Trautmansdorfio intra paucos dies secuturo. Eodem & tendebat Avauxius, in quo nostri plurimum fiduciæ reposuerant; qui tamen jactabat; Cæsare dante, Sveci acceptantibus, Ordinibus Imperii consentientibus Galliæ operam parum profecturam. Spem tamen esse, Oderam limitem fore, ac Wollinum penes Electorem mansurum; ac se Svecis vehementer suasisse, ne quid citra Electoris consensum accipiant. Commodum quoque istis diebus Belgarum legati mandata super

Gent. Knuit. negotio Pomeranico acceperant, e quibus Gentius, Knuitius, Ripperda, & Clantius Osnabrugam eo nomine ibant. Hi nostris confirmabant; *se antehac super eo negotio cum Svecis egisse, quantum suæ Reipublicæ interfit; sed nunc pro Electoris commodis connixuros. Et licet recens hujus cum sua Rep. conjunctio haut intervenisset; tamen diutius ad Svecorum conatus sibi tacendum non fuisse; ac plus se, quam nuda verba ad causam allaturos.* Cæterum cum Volmarus Osnabrugam pervenisset, Sveci e Cæsareis, prælecta Electoris declaratione Plettenbergio data, quærebant; num hanc, utpote 1647. Stetinum, Gartzium, Wollinum, & Oderam planis verbis abnuentem negationis in vicem accipiant, & quid dein consilii, sint capturi? Sane se hesterno die procuratorium a nostris exhibitum rejecisse, quod animus sibi sit cum Cæsareis concludere, istorum contradictionibus insuper habitis. Cum Electore sedecim per annos super diversis Pomeraniæ partibus agitatum, nullo successu. Eam se recuperasse, ne hilo quidem ab isto in id collato. Unde totam jam a Cæsare & Imperio accepturos. Id quod Cæsarei haut adspernabantur; ac Sveci leges evictionis designandas in se recipiebant, cum id Cæsarei declinarent. Ista cum Volmarus nostris exponeret, hi postquam incassum rationes & preces oggessissent, demum addebant; si utique res huc deducatur, ingentem pensationem pro Pomerania exactum iri. Ad quæ Volmarus: *pro dimidia Pomerania Halberstadium promissum; plus datum non iri. Patrem Electoris circa Svecos in Germaniam evocandos plurimum fategisse; id filio nunc luendum. Melius tamen rem successuram, si huic duodecim militum millia cum Cæsareo exercitu conjungere placeat. Nostros tam multa de Polonis, Belgis, ac Danis jactasse, quorum nemo reipsa ostendat, Svecorum postulata sibi displicere. Quin ergo soli Cæsari faciendum?* Ita adparebat tanta negotii festinatione Cæsareos id agere, ut pensationem pro Pomerania Electori præstandam effugerent. Sveci autem Stetinum, & alia, quæ tam invitus Elector amittebat, hac ratione extortum ibant. Ac suspicionem injecerat Wittenbergius tunc e Superiore Silesia in inferiorem movens; quod Galli expugnandæ Electoris pertinaciæ fieri interpretabantur. Sed nec dubium habebatur, quin saltem major Ordinum pars quæ agerentur adprobatura foret, Collegio Electorali Monasterii jam exemplum reliquis præeunte. Jam quoque Trautmansdorfius Osnabrugam delatus nostris denunciabat; jam tempus esse pacem fieri. Principes ad negotia, quæ emendari nequeant, ab amicis non vi, sed rationibus adducendos; quibus & Electorem cedere par sit. Huic Cæsarem, Ordinesque demonstrasse, quousque descendendum sit; nec id corrigi amplius posse. Igitur satius haberet, partem quam totum amittere. Svecos toti Pomeraniæ insistere: si Elector renitatur, non modo æquivalens haut accepturum, sed Landsbergam, Driesenamque ac forte Hammum ac Lipstadium insuper perditurum. Cum nostri reponerent; a San-Romano hactenus inaudita fuisse postulata, ut Elector Crosnam Cæsari reddat, Svecis duodecies centena millia, Landgraviæ sexcenties mille unciales det: Cæsarei de Crosna, & pecunia Svecis danda remittere; sed de Landgravia hanc rationem adducere, quod Elector, ubi consensefit, Halberstadium & Magdeburgum accepturus sit, quarum ditionum pretium Pomeraniam longe excedat. Nostri contra: Pomeraniam, si opportunitatem situs respicias, Magdeburgo triplo pretiosiorem esse. Et Catholicis incumbere, ut Landgraviæ satisfaciant, quæ & Electorem sibi delegari haut sit passura. Post multam disceptationem Trautmansdorfius denuntiabat; ni paucos intra dies consensus Electoris super Stetino

1647. tino & Odera cedendo accedat, cum Svecis ita conclusum iri, ut vel Citeriorem Pomeraniam adjuncto Stetino & Odera consentiente Electore, vel totam eodem refragante accipiant, nec posteriore casu ipsi pensationis quid fore.

Belgarum opera circa id negotium. §. 4. Ast Belgarum Legati super sua expeditione nostris referebant; se ubi Osnabrugam venissent, quæ jussi fuerint in favorem Electoris apud Svecos exposuisse. Hos initio respondisse; sero ipsos venire, quod responso per Plettenbergium allato cum Cæsareis jam super tota Pomerania convenerint. Sed cum e Cæsareis intellexissent, ea de re quidem agi cœptum, sed nullo adhuc exitu; se multis rationibus Svecis demonstrasse; interventioni amicæ Reipublicæ merito apud ipsos pondus inesse debere. Ad quæ revera præter verba humanitatem mentientia parum repositum, & Svecos varia diverticula quæsivisse; ac sibi rem ad Reginam referendam, cum jussi sint super tota Pomerania concludere, insuper habito Electore. Contra se in faciem Svecis objecisse: ob brevitatem temporis alia ipsos mandata, quam de quibus nuper significarint, accipere haut potuisse. Ac responsum Plettenbergio datum postulata non negasse, sed distulisse; quod & e Svecorum sententia formatum fuerit. Ipsos quippe Witgensteinium rogasse, ut Electori persuadeat, Plettenbergium vel differret, vel ei plane negaret, quo transactio exclusis Cæsareis inter solos Svecos & Electorales succedere posit. Cum autem Elector ipsis hac in re morem gesserit, jam eosdem hæc in sinistram partem rapere, ac eo obtentu tractationem plane repudiatum ire. Svecos contra ostendisse; se nunquam Oderam limitem voluisse, sed & ea comprehendisse, quæ Stetino & Gartzio subsint, adjuncta quoque saltem majore Caminensis Præsulatus parte. Viduis Ducalibus iridem dotalitia sua retinenda; nec minus, quæ Regina donaverit, rata fore. Quod si & Poloni, in quas actionem moveant, præfecturas auferant, Pomeraniæ Ulterioris parum superfuturum, sic ut satius videatur Electorem Svecis totam Pomeraniam relinquere, ac de idonea pensatione alibi sibi prospicere. Et ut Electorem ad ista inducere velint contendisse, se contra affatim rationum regerentibus. Demum cum ipsi super æquivalente exquisivissent, Svecos de Halberstadio, aut Magdeburgo tetigisse; se excipientibus, istud exiguum nimis, hoc in longum prominere; ac de Minda, Osnabruga, Monasterio, aliisque jecisse. Svecos liquidam declarationem declinasse, ac prolixe memorasse, uti sedecim per annos cupidi fuerint arctiorem cum Brandeburgicis amicitiam contrahere cessim semper euntibus. Eo fine initio totam Silesiam sibi depoposcisse, ut Electori inde satisfacerent. Hoc consilio cum exciderint, ea, quæ alias huic destinaverant, præstare non posse. Statim porro atque Avauxius Osnabrugam pervenerit, inter ipsos adhibitis nostris decretum fuisse, ut nostri extremam Electoris declarationem Svecis atque Cæsareis non per gradus, sed una vice exponerent; id quod & factum sit. Id cum parum apud Svecos proficeret, Avauxium initio e Svecorum sengiversatione offensam præ se tulisse, nec Gallos ludibrio habendos, qui Svecis requirentibus hanc alternativam Electori proposuerint. Sed post refrigerari visum, ac confessum, re penitius inspecta se comperisse. Svecos totum Oderam sibi destinasse. Quæ mutatis sibi mira fuerit visa. Addebant, optare se plus quam factum sit, Osnabrugæ efficere potuisse. Sed cum perspicerent, enixam quantumvis operam ludi, ne diutius existimationem Reip. suæ prostituerent, nullo Electoris fructu, & forte aliquo cum damno, abrupta negotiatione discessisse. Equidem objecisse Avauxium, molliter nimium ipsos cum Svecis loqui. Enimvero morem suæ gentis esse, per humanitatem initio ad destinata sua grassari; ubi ista non proficiat, eo duriora ac validiora consilia capere. Contra Avauxius tradebat; Svecos a Spiringio certiores *Spiring.* redditos, in Belgio a privatis quibusdam inter fabulandum ferociæ quid adversus Svecos ostendi; sed ubi publicæ consultationi res subjiciatur, satis adparere, Belgas ob Pomeraniam ne unum quidem equum instraturos. Id constabat, Ordinum Generalium decretum circa negotium Pomeranicum Hagæ jam vulgatum fuisse, antequam istorum Legati Monasterii mandata acciperent, eoque officia istorum, provisa Reip. intentione, nil ponderis apud Svecos habuisse. Vicissim Belgæ jactabant: intra viginti annos haut accidisse negotium, quod suam Remp. magis quam hoc Pomeranicum tangat. Ac si Hispanos amoliti sint, rationes suas curatius observaturos. Simul Avauxio indignabantur, quod is operam ipsorum apud Svecos inutilem reddiderit, ut ipse solus gloriam confecti negotii sibi vindicaret. Longuevillius contra optabat; *Belgas nunquam Osnabrugæ fuisse, aut cum Svecis super Pomerania ullum verbum commutasse. Nam tacendo plus scrupuli ipsis injicere potuisse; sed nunc frigidis sermonibus Svecorum se ludibrio exposuisse. Quo ipso Gallis quoque terriculamentum periisse, quo hactenus Belgarum offensam Svecis ostentarint.*

Aspera negotiationis initia. §. 5. Interea Witgensteinio Osnabrugam reverso nostri scripto quo declarant; Electorem primam alternativæ partem amplecti, addito, quid pensationis in vicem exigat. Super quo nostri prius Avauxii sententiam exquirebant, in *7. Jan.* quo maxima ipsis fiducia reposita erat, & qui sæpius asseverarat, Galliæ plurimum interesse, Electorem servari, ac idem primo adventu suo cum Svecis acri jurgio collisus fuerat. Cupiebant nostri Oderam limitem esse; id quod & a Gallis propositum fuerat. Sed Avauxius reponebat; *destinatum id quidem sibi fuisse, sed a Svecis nunquam acceptatum. Quanquam si Elector prius consentire voluisset, res huc deduci potuerit. Sed a se Svecos cogi non posse, duros & insatiabiles. Igitur citra cauponationem mentem declarandam, aut totam Pomeraniam gratis perdendam, id quod omnes Ordines utriusque religionis desiderent. Ac si nostri cunctentur, sese hoc negotio abdicato Monasterium reversurum.* Nostri hoc periculo perspecto, id negotium hactenus Avauxio committebant, ut e Svecis quæreret; si Elector in priorem alternativæ partem consentiat, excepto Camino, & Colberga, quam Sveci literis suis ad Gallos mense

1647. se proximo Novembri remiserant, num contenti esse velint; reliquam Ulteriorem Pomeraniam eidem relicturi, ac operam obtinendæ æquæ pensationi collaturi? Alias enim sibi metuendum, ne ubi isthoc hodie annuant, Sveci cras plura exposcant, quoad totam Pomeraniam per partem absorpserint. Ad quod ab Avauxio relatum; acriter se hoc super negotio cum Svecis decertasse; sed hos insuper habitis omnibus rationibus toti Pomeraniæ institisse. Ita sibi a Regina injunctum; nec intra sex septimanas alia mandata e Svecia adferri posse: ac dubitare, num Regina semel placitis decessura sit. Tum Cæsareis de acceptanda tota Pomerania fidem se dedisse, quam istis urgentibus retractare nequeant; eoque horum sententiam quoque exquirendam esse. Sed nostros hoc de negotio verba facturos Sveci plane audire nolebant, inficiati quoque, se a Witgensteinio petiisse, ut is ad Electorem proficisceretur. Ac cum nostri de Belgis mentionem injicerent, Oxenstierna cum contemtu; quid sibi cum Belgis? si expectare nolint, in malam rem abirent. Cum igitur Cæsarei in utramque partem plurimum possent, Fromholtus Volmarum promissa ingenti pecuniæ summa Electori autorare instituebat haut sane detrectantem, si efficeret, ne Sveci tota Pomerania potiantur. Hic referebat, Salvium ultro ad se accedentem dixisse; meminisse se cum Cæsareis super tota Pomerania conventum; sed a Gallis & Belgis non sine importunitate tantum non cogi, ut ad alternativam redeatur. Atqui non solum apud Cæsareos verbis se adstrinxisse, sed & in Sveciam scripsisse, super tota Pomerania jam transactum. Igitur consilium expetere, quomodo salva existimatione ad alternativam deveniri queat. Ad quæ Volmarus responderat; id factu facillimum; nam se statim Svecos fide dato exsoluturos; ac nil adhuc inter ipsos plene conclusum. Circa literas in Sveciam Gallorum & Belgarum importunitatem excusari posse. Cæterum haut credebat Volmarus, Legatis Svecicis ejusmodi mandata a Regina esse, quod quatuor congressibus de his mentionem non fecissent. Equidem contingere potuisse, ut post reditum Plettenbergii cum Svecis super tota Pomerania transigeretur, ni duras nimium leges isti proposuissent; ut Brema, & Verda in secularem conditionem redigantur, extinctis Capitulis; Brema urbs capite diminuta tanquam municipium, ut & Wilzhusana præfectura controversi juris ipsis tradatur; ut denique subditi provinciarum, quas nacturi sint, a Cæsare adstringantur ad obeunda munia militaria, ubicunque iis opus sit. Id quod cum ipsi recusarint, Svecos ostendisse, se postulata sua scripto concepturos; id quod hucusque haut factum. Ex quo ipse conjiciat, Svecos sententiæ ambiguos vacillare. Cæterum se operam daturum, ut res ad alternativam reducatur.

Declaratio Electoris Svecis exhibetur. 9. Jan. §. 6. Nostri de hinc Electoris declarationem scripto conceptam Avauxio, & Belgis ostendebant; quibus placebat priorem alternativæ partem circa conditionem acceptandam; nec æquivalens nimis intendendum, ne contradicentium multitudine totum negotium subvertatur. Tum Osnabrugæ mentionem haut faciendam, sed simpliciter terrarum quid petendum, quo uti frui liceat, quoad Magdeburgi possessio vacua fuerit reddita. Quo fine Avauxius Glogoviam, & Saganum proponendum judicaverat. Sed nostri Cæsarea affectare haut consultum ducebant. Hoc scripto per Avauxium tradito Sveci nil aliud reposuerant, quam primo intuitu multas difficultates occurrere, sed se deliberaturos. *10. J* Ast Trautmansdorfius censebat, æquivalens enorme postulari, inprimis Mindam, & Osnabrugam obtineri non posse, & Schaumburgum jam aliis assignatum. Cum nostri de Minda saltem instarent, quo Electori transitus Visurgis pateat; is jactabat, *magnam se rem præstitisse conciliato Magdeburgo: ac Electorem Halberstadio, Magdeburgo, ac Minda potitum æquo animo Citeriore Pomerania carere posse. Nam eidem haut integrum fuisse futurum tractu litorali uti, multo minus proprias naves extruere, ac maritimæ quid potentiæ comparare. Sed nunc egregias eidem ditiones adcrescere. Halberstadium Magdeburgo, hoc Marchiæ continuari: Albim Odera potiorem: Inferioris Saxoniæ directorium adquiri; eo Germaniæ meditullio duodecim militum millia posse ali, queis in quamcunque partem iter pateat.* Super eodem scripto Gentius Legatus Belgicus judicabat: *Sapienter facere Electorem, quod temporibus cedat, & aliquid amittere velit, quo cætera servet. Equidem si Sveci eidem nullibi quam in Marchia nocere possint, se haut suasurum, ut vel unicum Pomeraniæ vicum cedat. Sed nunc Svecos, ubi is tergiversetur, exercitu Marchiæ infuso omnia ita evastaturos, ut eidem ne unam quidem legionem alendi facultas sit futura. Sed & si maxime Belgæ copias Electori auxilio mittere velint; metuendum tamen esse, ne Sveci istas opprimant, antequam eo perveniant, ubi earundem usus esse possit. Præsentem quoque pacem haut diu duraturam, ac deinceps occasionem nascituram damnum in præsens acceptum reparandi. Belgas de suis rationibus cum Svecis agere non posse, antequam Elector cum hisce transegerit, & adpareat, num hi Pomeraniam retenturi sint. Tunc demum Belgis actionem nascituram, & caussam ipsis fore cum Svecis velut earum terrarum dominis loquendi, id quod hactenus inter bellicam possessionem non decuerit. Intercedere quidem sibi cum iisdem pacta super commerciis, sed quæ presse ad Pomeraniam directa non sint. Unde super novis pactis agendum fore, quamprimum isti, quid circa commercia Maris Baltici animo agitent, aperuerint; ac metuere se, ne ista Controversia ferro cernenda sit; cui occasioni Elector quoque manum immittere queat. Denique Svecis longe difficilius fore terras partas tueri, quam easdem bello quæsivisse. Nam hoc vi exercituum effectum, quos alienis sumtibus aluerint; ad istud pecunia opus fore, quam neque in recentibus provinciis, nec in Svecia ipsius ærario inventuri sint.*

§. 7. Declarabat inde apud Avauxium O- *Sveci ægre*
xenstierna; alternativæ locum non esse, ac sibi *tota Po-*
totam Pomeraniam habendam. Cui iste; *id haut* *merania*
successurum; nec Electorem in plura consentire posse, *depellun-*
quam San. Romanus ipsi proposuerit. *Quod cum Sve-* *tur.*
corum rogatu factum sit, Galliam ad istam existimationem teneri: ac si Sveci talibus insistere pergant, sibi hinc discedendum non sine gravi Regis sui in istos offensa. Oxenstierna ut aliquantisper maneat

neat

1647. neat hortari; ac rem amplius discuti posse. Si ad totam Pomeraniam non procedatur, saltem Caminensem Præsulatum adjiciendum. Gallus contra; eo Præsulatu Svecos jam destitisse; addito, si vel unum vicum præter ea affectent, quæ proximo Monasterii congressu postularint, ac per Gallicam legationem Electori proponi curaverint, se abdicato hoc negotio discessurum. Nam ne a fœderatis quidem exigi fas esse, quod existimationem ipsorum tangat; ac turpe esse negotio alterum implicare, inde media velut via eundem destituere. Haut eo secius Oxenstierna jactare: haut amplius priore parte alternativæ stari posse, quod interea rerum mutatio contigerit. Nec eo fine se Gallis declarationem suam scripto tradidisse, ut ipsi eam Electori mitterent, sed ut Cæsareis communicarent, & per hos responsum peterent. Id a Cæsareis factum, & Electorem a Plettenbergio proposita negasse. Id Cæsareos sibi significasse, totamque Pomeraniam obtulisse, quam ipsi acceptarint. Ei conventioni sese inhæsuros.

Elector Svecorum cupidini indulget. 15. Jan.

§. 8. Sed quia Avauxius animadverterat, Svecos non solum toti Oderæ, sed & præcipue illis partibus Citerioris provinciæ inhiare, quæ ultra istum fluvium siti sunt; hos quoque istis concedendos suadebat, quod omnes Ordines, & inprimis Evangelici nihil magis optent, quam ut Sveci tota Pomerania potiantur, quo ipsi necessitate exsolvantur Electori æquipollens præstandi. Circa quos nostri jussu Electoris haut difficiles se præbebant, modo a Svecis serio pax quæratur. Alias enim sibi longius procedendum haut ducebant. Simul ut Sveci iniquis suspicionum supersedeant rogabant, velut ab isto in hosce hostilia agitentur. Quarum non aliud fundamentum erat, quam asperiora quædam ab ipso jactata dicta, & Belgarum interpositio solicite quæsita: cum nemini mirum videri debeat, si ad tam nobilem provinciam ægre accedat. Sed ubi semel ad transactionem descendere decreverit, rationis utique esse, ut vicinis tam potentibus amicis, quam infestis uti malit, arctiore quoque

16. Jan. fœdere mutuæ defensionis iisdem sese innexurus. Demum Salvius Witgensteinio autographa Reginæ mandata ostendebat; queis præter sæpius memorata Greiffenhagam quoque, & Wildenbrucam sibi deposcebat, addito, ne sui legati Stetino quacunque ratione depelli se patiantur. In ista si Elector consentiat, adquiescerent; si vel minimum reluctetur, toti Pomeraniæ insisterent, Imperio evictionem præstituro; quod & statui Sveciæ commodissimum videatur. Atque hanc Reginæ sententiam Cæsareis se jam & Gallis significasse; nec plus spatii ad deliberandum, quam in crastinum diem indulgere. Cum Witgensteinius de duritie harum legum quereretur, Salvius regerebat, ante quatuor menses longe minoris decidi potuisse. Sed post Electoris matrimonium consilia in Svecia mutata, ac quæ ab hoc Hagæ acta sint, gravibus suspicionibus ansam dedisse. Interim Sveci bis ad Avauxium miserant quæsitum, an non nostri in totam Pomeraniam consentire velint? Quod cum hic pernegasset, ac ut talibus petendis desistatur, vehementer hortatus esset; Sveci demum promiserunt, scripto se concepturos, quid *annexorum* vocabulo comprehendant. Prius tamen Cæsareis locuturos. Unde Avauxius suadebat, ut nostri protinus Cæsareos adirent, eosque hortarentur ad Svecorum impetum fortiter sustinendum; quo eluso spem sibi transactionis esse. Nam hisce a Svecis propositum iri; ubi in totam Pomeraniam secum transigere velint, se ipsis cauturos, præter Halberstadium & Magdeburgum Electori nihil dandum, cum hæ ditiones totam Pomeraniam pretio æquent. Unde Fromholtus eo nomine Volmarum adibat; qui ample pollicebatur, ultro quoque hortatus, ne nostri in totam Pomeraniam consentiant, nec per ostentatam a Svecis pensationem seduci se patiantur, quæ ab istis præstari nequeat. Addebat; ni Elector in cessionem dimidiæ Pomeraniæ consensisset, defugere se non potuisse, quin totam provinciam Svecis addicerent. Imo ni Sveci ultro rem extraxissent, sed ante allatam Electoris declarationem ad finem negotii properassent, responsum Plettenbergio datum negationis loco accipiendum Svecosque tota Pomerania potituros fuisse, nullo deinceps ad retractanda conventa remedio. Sed nunc rem integram; & Electoris declarationem petito Cæsareorum & Svecorum congruam. Unde se firmiter alternativæ inhæsuros; tanta quoque hactenus festinatione haut fuisse usuros, ni Bavari importunitas subegisset. Nec dictis fides deerat. Nam contendentem super tota Pomerania Salvium Cæsarei acriter retundebant; semel dictis utique standum ostendentes. Tradebant inde Sveci sua postulata scripto concepta Avauxio; quæ hic multis modis iniqua, & prioribus Svecorum scriptis repugnantia arguebat. Pollicebatur tamen se istos ad molliora pertracturum. Nec minus eadem Volmaro, cui a nostris communicabantur, admodum aspera videbantur; qui & valde metuere se dicebat, ut Svecos amica ratione Germania amoliri contingat, sed conjunctione utique omnium Ordinum opus esse, ad istos vi ejiciendos; graviter questus a Catholicis consilia sua neglecta, & gravamina ante conventum hunc haut fuisse composita; cujus mali præcipua penes Bavarum, & Osnabrugensem præsulem Franciscum Wilhelmum hæreat. Eo quoque suadente nostri scripta utrinque protinus Trautmansdorfio communicabant, ne hic clam cum Svecis super iniquo redhostimento agitari suspicetur. Id quod tamen Avauxii notitiæ subtrahendum, qui penes se solum negotii confecti gloriam esse volebat. Porro repositam nostrorum ad Svecicum scriptum declarationem uti Cæsarei plane probabant; ita Avauxius referebat, Svecos jactasse, ni nostri propius ad rem accedant, se hoc ipso die cum Cæsareis super tota Pomerania transacturos. Igitur nostri satius haberent aliquid retinere, quam totum amittere, quod sentiat ingens Svecorum desiderium tota provincia potiundi Evangelicorum favore irritari. Nostri ferebant, ab Electore sibi injunctum, id negotium in ipsius arbitrium referre, quod ita moderaturus sit, ut ne quid nisi ratione congruum, & statui suo tolerabile imponatur. Ac confidere, Avauxium promissa a Svecis sibi facta tuiturum, quo-

17. Jan. (margin, beside "Svecicum scriptum declarationem")

1647. postquam ipse in omnia/bis cupita consenserit. Cæterum in eo nostrorum declaratio Svecis nondum satisfaciebat, quod hi utramquem Oderæ ripam, nostri eum fluvium limitem habere vellent, & quod iidem donationes in Ulteriore Pomerania, per quas Regina duodecim præfecturas in alios contulerat, ab Electore, ratas haberi cuperent. Iidem Piriciam, & Colbaciam præfecturas, quas petierant, remittebant, sed Golnoæ acriter insistebant. Exegerant quoque ab Electore duodecies centena uncialium millia, sed quæ remissuros istos Avauxio spes erat. In Caminensem denique præsulatum id juris sibi reservare volebant, quod antea penes Citerioris Pomeraniæ Principes fuerat. Ista Avauxius utique amplectenda ostendebat, ne spatio quidem ad exquirendam Electoris sententiam indulto. Nam vel tantillum extracto negotio totam Pomeraniam gratis perituram, quam Sveci acriter affectent, stimulantibus insuper plerisque Protestantibus, qui tot Præsulatus in Domum Brandenburgicam conferri ægris oculis adspiciant, queis alias ipsis gaudere licuerat. Nec Cæsareos id curaturos, cum hoc casu Archidux Leopoldus Wilhelmus Halberstadium sit retenturus. Quin sibi a Svecis juxta, & Protestantibus Ordinibus vitio verti, quod ipse hisce destinatis obstet, atque Electori partem Pomeraniæ servare nitatur. Nostri, quid Sveci affectent, aut Ordines invideant, suo loco relinquebant. Sed de Cæsareis sat cautum sibi esse, nunquam totam Pomeraniam Svecis concessuros. Ad quæ Avauxius: Cæsareos unum & alterum diem constantiam præstituros; sed si Sveci urgere non desistant, necessitatem excusaturos, in Protestantes facti invidia devoluta. Ita nostris aquam hæsuram. Nam rationibus, quarum abunde nostris sit, apud Svecos nihil profici, arma tenentibus, queis cupidines suas metiantur. Igitur citra moram certi quid in alterutram partem statuendum. Nostri negotio in consultationem adducto considerabant, ab omnibus se desertos, minas effectu haut cariturtas, Svecis mandatum esse Golnoæ insistere, etsi ejus causam ignorare se Salvius profiteatur; tum donationes prima alternativæ parte comprehendi, quibus ideo Galli contradicere non possint. Insuper Avauxium non solum nil sub spe rati concludi velle; sed & asseverare, apud Svecos nihil obtineri posse, utpote qui nihil magis optent, quam postulata negari, quo totius Pomeraniæ invadendæ color sit. Igitur quo necessitas trahebat, sequendum erat; præsertim cum Avauxius ingereret, Svecos de Piricia, & Colbacia, simul duodecies mille uncialibus remisisse; unde & a nostris vicissim aliquid concedendum esse, indole tractatuum, addendo, remittendoque in unum coire solitorum. Ita nostri ostendebant; etsi ab initio quicquid mandatorum sibi fuerit exposuerint; sperare tamen Electori se adprobaturos, ut Svecis Odera cum utraque ripa cedat, & quidem ex Orientali parte ea latitudine, qua quinque viri pariter incedere possint, quo spatio litora communes leges metiri soleant: vicissim Sveci suis donatariis satisfacerent. De Golnoa demonstrabant; Electorem hac ægre carere posse, cum Svecis fere inutilis sit. Nam cum sedes Pomeraniæ Ulterioris Stargardiæ sit collocanda, Golnoa sub tractu non esse ligna ad ignes & ædificia; simul hoc modo Electorem plane Odera secludi, in quem alias per fluentum, quod Golnoam præterlabitur, accessus sit. Ac sperare, si ea de re Regina edocta fuerit, ultro remissuram. Avauxius de hoc oppido ad Reginam rejiciendum censebat. Volmarus quoque a nostris acta probabat, magnopere suadens, ne tractatus abrumpi paterentur. Nec esse quod de Golnoa conservanda curent, cum vicissim Electori Minda sit speranda, qua hunc potius, quam alium quemvis potiri cupiant, siquidem is Præsulatus in conventione super Gravaminibus Evangelicis adjudicetur. Nec minas, quæ spargantur, inania terriculamenta habendas, quæ, ni conclusio occupetur, utique repræsentandæ sint. Ast nostrorum declarationem ab Avauxio Svecis allatam hi primo plane rejicere. Sed Avauxio connitente Salvius spem compositionis ostendere, modo nostri Golnoam concedant. De qua cum Avauxius ad nostros referret, hi in isthoc oppidum, & ad id spectantia, consentiebant, sed non ulterius; quod intellexissent, ingentem Sylvam Golnoæ vicinam non ad hanc, sed Fridrichswaldam præfecturam pertinere. Addebatur conditio, ut vicissim donationes irritæ sint, ac jus, quod Sveci in Caminensem præsulatum, & Capitulum prætendant, aboleatur, simul Electori integrum sit apud Reginam de Golnoa remittenda agere. Id cum Avauxius Svecis retulisset, Oxenstierna stomachabundus dixerat: non esse quod amplius circa hoc negotium opera sumatur. Nam satis apparere, quales nostri sint, qui concesso digito ulnam affectent. Se jam in eo esse, ut negotium in Sveciam referat; interim cum Cæsareis conclusurus. Avauxius ad nostros reversus horum declarationem probare, ac ab iisdem omnia, quæ par sit, facta. Sed per Svecorum duritiem omnia jam conclamata videri. Haut eo minus nostris valde rogantibus iste eadem adhuc vespera Svecos adibat, omnem lapidem moturus, ne, quod minati fuerant, tunc in Sveciam scriberent. Qui reversus referebat; ingens sua opera malum tunc ab Electore depulsum, ac in tempore se venisse, antequam in Sveciam isti literas mitterent, ac Ordinum quorundam importunitati aures præberent, totam Pomeraniam ingerentium. Ac spem nunc sibi amicæ transactionis esse; etsi Sveci circa collationem Prælaturarum in Capitulo Caminensi idem jus cum prioribus Pomeraniæ Ducibus adhuc prætendant. Ista cum nostri Cæsareis communicarent, hi svadebant, ut nulla interposita mora conclusionem occupent, quod ipsi a Svecis juxta, & Ordinibus ita urgeantur, ut vix resistere amplius valeant. Nec esse, quod pensationem morentur, quam nostri uno actu expedire cupiebant. Nam de Halberstadio, & Magdeburgo certum esse, quæ ex Ordinum sententia Pomeraniam pretio longe excedant. De Minda tempus daturum. Accedebat inde Witgensteinius ad Oxenstiernam, qui multis de Electore querebatur; pertinaci valde

Margin notes: 1647. — Piritz. Colbatz. — 1647. — 19. Jan.

1647. valde ingenio ipsum esse, qui Svecis tantopere circa totam Pomeraniam reluctetur, & acerba eundem in Sveciam odia coquere. Sed nec tolerandum, a Gallis tantum non leges Svecis præscribi. Ac jam plura stomachari parabat, cum commodum literæ e Svecia adferuntur, quibus legati, si Stetino cessissent, id retractare jubebantur, simul Wollinum, Gartzium, Dammum, & Golnoam retinere: ubi nostri abnuant, in totam Pomeraniam concluderent, si vel maxime id Cæsareis quoque parum sit gratum futurum. Unde Oxenstiernæ statim ira residere; simul de donationibus remittere, ac collationes apud Capitulum Caminense Reginæ non alio cordi esse, modo Pomeraniæ Ordines privilegia sua violari haut querantur. De Golnoa apud Reginam agi posse. Paulo post tamen Avauxius diversa referebat; Svecos istis collationibus ad Citeriorem Pomeraniam spectantibus desistere non posse. Nam Salvium offensum, quod Oxenstierna se inscio talia concesserit, jactasse; hunc sine dubio ebrium fuisse, nec postera die dicta sua agniturum. Unde confestim nostros declarationem super collatione *Prælaturarum, & præbendarum* poscebat. Nam negotium jam iterum plenum confusione esse, & alias e Svecia venisse literas; ac Oxenstiernam ob suam contradictionem cholera inflammatum hac ipsa hora Cæsareis denuntiaturum; sibi jam toti Pomeraniæ utique insistendum. Et mox Cæsarei significabant, Oxenstiernam jam jam adfuisse, frementem, se cum nostris super prima alternativæ parte hactenus egisse; sed quia nil nisi diverticula rem extrahendi sint adhibita, jam se decrevisse, abrupta cum nostris negotiatione totam Pomeraniam, evictionem præstituro Cæsare atque Imperio, absque Electoris consensu acceptare. Ac si Cæsarei haut protinus annuere velint, non eo secius hanc provinciam a Svecis retinendam. Ita brevi Svecos Cæsari amicos fore. Cui Trautmansdorfius: Cæsari Svecorum amicitiam gratam esse, non tamen ut ideo Electori præter rationem infensum se exhibere velit. Incassum tractationem cum illis agitari, quorum dictis non major constantia insit. Satius fore citra ambages declarare, bellum an pacem velint, quam ita proterve sibi illudere. Ita Oxenstiernam statim se iterum proripuisse, quem tunc vino incaluisse constabat. Ea res Avauxium non mediocriter offendebat; nec tantam ignominiam suo Regi inferendam, qui sequestris vices susceperit. Ac promittebat illa adhuc vespera apud Svecos rem se confecturum. Cui tamen Salvius nuntiabat; serum jam esse, & rem in crastinum differendam. Cæterum donationes remitti non posse, nec Oxenstiernæ se dictis teneri, miro dissensionum inter collegas specimine.

Negotium Pomeranicum concluditur. §. 9. Sequenti die Volmarus monebat, ne ad donationes negotium nostri adhærescere paterentur, cum diutius Svecorum atque Ordinum importunitatem Cæsarei sustinere nequeant. Unde Witgensteinius apud Salvium rationibus, & *20. Jan.* pollicitis efficiebat, ut demum promitteret, se eam rem ad placitum Electoris compositurum; modo per Rungium Pomeranorum Deputatum Oxenstiernæ demonstraret, ni donationes aboleantur, Electori Ulteriorem Pomeraniam plane infructuosam fore. Et Avauxius ita Oxenstiernam presserat, ut hic inficiari non posset, de donationibus se jam antea remisisse. Mox & Rungius accedens multis rationibus effecerat, ut uterque Legatus testaretur, a se nil aliud quam amicitiam inter Reginam & Electorem quæri; ac porrectis manibus donationes remitteret. Quod & mox Avauxio a Svecis significatum. Inde Witgensteinius apud Oxenstiernam multo cum verborum honore gratulatione defungebatur, rem hucusque deductam, simul æquivalens commendabat. Cui hic pari humanitate occurrebat, ac abolita anteactorum memoria constantem deinceps amicitiam perstituram. Inde ab utrisque conventionis formula concepta, quæ mox inter Salvium & Witgensteinium excussa fuit. Ubi super limitibus placebat, accuratam eorum definitionem ad Commissarios in Pomerania utrinque constituendos rejiciendam. Super Camino Salvius concedere abnuebat, quo minus Sveci in partem Capituli venirent. Nec permittere volebat, ut Elector Stetini titulo uteretur, aut alternis sententiam in Comitiis diceret, sedemve caperet. Administratorem quoque olim Magdeburgicum ad investituram recipere nolebat, quod hic ritus Romanos professus foret. Denique abolitionem donationum secreto instrumento inseri placebat, declinandæ militum offensæ. Oxenstierna tamen judicabat, de Camino se contra Salvium pervicturum, ut id penes Electorem maneat, ac Sveci collationem duntaxat præbendarum, quæ ad Citeriorem Pomeraniam spectant, retineant. De titulo Stetini e Pomeranorum Deputatis accuratius cognosciturum. Circa sessionem in Comitiis tentaturum, ut Domus alternantes Reginæ cedant, a qua nostri Electorem disjungi nolebant. De Camino, & Duce Croyæ ad declarationem Reginæ sepositum. De immunitate a vectigalibus in Odera pro rebus ad Electorem spectantibus Avauxius haut judicabat huic conventioni inferendum, quod ista alias Electori per communem Germaniæ morem competat. Ita *28. Jan.* demum fideli opera Avauxii, & solicito nostrorum studio in certam formulam consensum fuit, quæ a Secretariis Legationis utrinque subscripta, & apud Avauxium deposita fuit, quoad pace perfecta Instrumento publico insereretur. Cæterum judicabat Languevillius, Electorem hac controversia egregie defunctum. Nam Svecis ab ipsius patre in Germaniam pertractis Cæsarem graviter offensum, qui dein Cæsaris in partes transgressus Svecis hostem se gesserit. Electorem neutras partes secutum, sed inermem, eoque nemini formidabilem, nec insigniter amandum. Sed & Biærndovius asseverabat; insigne felicitatis specimen habendum, quod Elector in ipso tempore alternativam arripuerit. Nam declaratione per duas adhuc septimanas extracto totam Pomeraniam gratis periisse. Ac sibi a Regina, & Senatu exprobratum, quare legati oblatæ jam toti Pomeraniæ non institerint; ac non parum sibi laborandum fuisse, ne isti eo nomine in Reginæ offensam incurrerent,

1647. *Circa æquivalens difficultates.*

§. 10. Non parum tamen difficultatis reſtabat ſuper redhoſtimento pro ceſſis Pomeraniæ partibus expediendo: circa quod Oxenſtierna poſt rem Pomeraniæ compoſitam operam ſuam pollicebatur, excuſans hucusque acta, queis importunæ Evangelicorum ſoli citationes non minimam cauſam præbuerint. Inprimis Brunſvicenſes, & Altenburgicos tantum non extra ſe rapi viſos: quibus ipſe regeſſerit; Saxonibus nullam irarum cauſam. *Neminem Proteſtantium ex hoc bello plus lucratum, quam Brunſvicenſes, ſi Electorem Saxoniæ excipias. Nam iſtis ſex non amplius præfecturas ſuperfuiſſe; ſed ſexaginta nunc recuperatas expedita inſuper cauſa Hildeſienſi admodum difficili.* In univerſum autem Evangelici fremebant, jam triennium ſe ſuper Præſulatibus ſudaſſe, ac unam Lubecam ſervaſſe, ſeptem in Domum Brandenburgicam derivatis. Nec deerant, qui e *matricula* Imperii calculum ita ponerent, ut triplam, aut quadruplam penſationem Electori contingere oſtenderent. Ibi enim Svecis ceſſa octingentis florenis taxari; cum ex adverſo Magdeburgum 1300. Halberſtadium 432. Minda 184. Caminum totidem florenis taxetur. Quibus per invidiam adjiciebatur Boruſſia Ducalis 900. Brandenburgum 64. Lebuſium 120. Havelberga 240. florenis taxata. Unde & initio, cum noſtri ſolo Halberſtadio & Magdeburgo adquieſcere nollent, Trautmansdorſius aſperis verbis jactabat; *Sibi dudum fuiſſe integrum, conceſſa Svecis tota Pomerania æquivalentis præſtandi neceſſitatem declinare; ſed in Electoris gratiam noluiſſe. Se quoque duodecies centena millia Svecis, & quadringenta uncialium millia Landgraviæ ab eodem ſolvenda diſpunxiſſe, præter tredecies centena uncialium millia nomine tributorum e tribus Marchiæ præſulatibus Imperio debita. Quorum benefactorum exigua nunc gratia adpareat. Unde circa iſta quæ offerantur acceptanda nil tergiverſarentur: alias ſe negotium Moguntino Directorio traditurum, ad tria Imperii collegia referendum; ubi conſulta ſint facienda Electori haut ſane lætabilia. Inprimis cum tam multi Ordines repugnent, quo minus hic præſulatibus iſtis potiatur. Sane Brunſvicenſes minatos, ſe bello potius certaturos, quam paſſuros, ut in iſtum Halberſtadienſis, ac Magdeburgenſis ditio conferatur.* Cui Witgenſteinius haut ſane trepidus regerebat: *Si Ordines ſuper Præſulatibus multa tricentur, non poſſe Electorem defugere, quin ad Sileſiam cogitationes referat, quam Galli ac Sveci ſæpe proponi ſvaſerint, ni reſpectus Cæſaris iſtum cohibuiſſet.* Quæ cum Cæſarei valde deteſtarentur, poſita ferocia rem bene ſucceſſuram ferebant. Tum & ſuper totiens exprobratis tributorum reliquis noſtri oſtendebant: *Marchicos Præſulatus a tempore memoriam excedente Imperio nihil tributi nomine exſolviſſe; nec regalia & feuda ab eodem recognoviſſe; ſed homagium ſemper Electoribus Brandenburgicis pro ſe, & ſubditis ſuis præſtitiſſe, conventibus Ordinum provincialium interfuiſſe, ac onera provinciæ pariter cum aliis Electoralibus ſubditis toleraſſe; neminem præterquam Electorem competentem judicem agnoviſſe: nec in conventibus Imperii aut Circuli ſeſſionem & ſuffragium obtinuiſſe. Nam e ſola matricula, ubi aliæ rationes non accedant, dignationem Ordinum Imperii alicui competere haut poſſe demonſtrari.* Ita Trautmansdorſius declarabat; Cæſarem iſta tributa in præteritum remiſſurum; in futurum non poſſe, quod Ordines matriculam ita convelli nolint; nec proceſſum in Camera ſuper exemtione iſtorum Præſulatuum pendentem nudo Cæſaris placito aboleri par eſſe. Elector tamen de abolitione iſtorum reliquorum, & quæ ſuper Boruſſia mota fuerant, nolebat publice Inſtrumento inſeri, ſed ſatius ducebat a Cæſare eo nomine ſingulari ſcripto ſibi caveri.

Et peculiariter, circa Magdeburgum.

§. 11. Peculiariter autem Capitulum Magdeburgenſe quantum poſſet reluctabatur, ne is Præſulatus in Electorem conferretur, utque adeo jus electionis ſibi, ſalvum maneret; quibus ſuccinebat Auguſtus Dux Adminiſtrator obtentu jurisjurandi, quo ſalva iſtius jura ſe præſtiturum promiſerat. Ac quia hujus ſolius autoritati parum ponderis erat, Brunſvicenſem Domum in partes trahere conabatur, electo in Coadjutorem Erneſto Auguſto Duce e dicta Domo. Metus quoque erat, ne Auguſtus Dux, ſi forte patre ac fratre majore natu mortuis Electoratu potiretur, reſignationem Præſulatus recuſaret obtentu actionis in Juliacenſes ditiones. Quo nomine quondam Saxoniæ Elector Pomeraniam retenturus fuerat, ſi fortuna ipſi circa Svecos inde expellendos faviſſet. Nonnulla quoque inter Præſulem & urbem Magdeburgenſem controverſa erant; quæ Elector per Ducem Auguſtum ad liquidum deduci cupiebat. Sed & Saxo dominium directum in præfecturam Eglam prætendebat; in cujus vicem noſtri par jus in quatuor præfecturas ex eo præſulatu Saxoni addictas ſibi reſervare poterant, quod de iſto in Pacis Inſtrumento expreſſum non foret. Etſi id poſtea neceſſarium non videretur, cum iſtæ alias extincta familia Saxonica ob pactum mutuæ ſucceſſionis in Domum Brandenburgicam devolvendæ eſſent. Eglam ut noſtri peterent, ſtatim poſt pacem Electori tradendam, Volmarus ſuggeſſerat; tum & quod Adminiſtrator non pauca bona Capitularibus donarit; quod Elector ratum habere non teneatur. Sed quæ Capitulum moverat, ſimul Coadjutoris electio in fraudem horum tractatuum facta, haut curabantur. Saxoniæ Elector facile adquieſcebat, modo ipſe quatuor præfecturas, & filius Auguſtus Præſulatum quoad viveret retineret, ac provincialium ſacra ne turbarentur. Brunſvicenſium ferocia dicta noſtri ſpernebant, qui cumprimis ægre ferebant, directorium Saxoniæ Inferioris hæreditario jure in Electorem conferri. Nam noſtri frementibus reponebant: *Par fuiſſe eos ultro inſtigatos, ut Pomeraniam vi ſibi vindicarent, conſenſu Electoris inſuper habito.* Sed & Sveci directorium iſtud ægre ferebant: ſaltem id alternis vicibus gerendum cum Bremenſi Ducatu contendebant.

Halberſtadium.

§. 12. Super Halberſtadio Capitulum exhibito ſcripto demonſtraverat; ſibi a tempore Caroli M. fundatoris jus liberæ electionis fuiſſe, ac ſe in partem regiminis cum Præſule venire. Ferdinandum Cæſarem, & Leopoldum Wilhelmum Archiducem promiſiſſe, id jus ſe ſervaturos, & reſi-

1647. resignationem in manus Capituli faciendam. Nec se tertios innocentes jus suum amittere, aut mancipiorum instar in commercium venire posse, e condominis ad subditorum conditionem redactos. In eum præsulatum Electori nil actionis esse, qui non nisi calamitates sustinendo bellum senserit. Sed ista spernebantur, non minus quam Coadjutore e Domo Brunsvicensi sumtus, cum jam nossent, eum præsulatum a Cæsareis Electori jure hæreditario addictum, & Archidux juri suo nondum renuntiasset. Sed & Fridericus Holsatiæ Dux quondam Bremensis Archiepiscopus, super eodem Præsulatu movebat. Is vivo adhuc Christiano Brunsvicensi Coadjutor factus erat. Sed post cladem Parentis anno 1626. Archidux electus fuerat; & pace Lubecensi anno 1629. omnibus præsulatibus pro se & filiis cesserat. Id factum patris sibi fraudi esse non debere Fridericus contendebat; ac frui tantum præsulatu cupiebat, quoad Regno Daniæ potitus esset. Sed reponebat Trautmansdorfius; *istum Bremam gratis accepisse, ejusque fructibus tot per annos gavisum: nunc par esse, ut actione sua pacis amore cedat. Si pace Lubecensi se haut teneri arguat, restitueret terras, quas Cæsar ea pace reddiderit. Sed & Regem Daniæ vectigal Glucstadiense per duodecim annos usurpasse, quod ad quadriennium duntaxat a Cæsare indultum fuerat.* Majore vehementia a Brunsvicensibus res agebatur, qui adversus translationem Præsulatuum scriptam protestationem interponebant: *Capitulis jus liberæ electionis a prima fundatione tot per secula exercitum eripi non posse citra consensum eorum, quorum interest. Variis quoque nominibus Brunsvicensi Domui in eos præsulatus jus competere. Fridericum Coadjutorem esse Raceburgi, Georgium Wilhelmum Bremæ, Ernestum Augustum Magdeburgi; Joannem Fridericum, & Antonium Ulricum Halberstadii esse Canonicos, omnes ex ea Domo Duces. Horum unum non posse non eum Præsulatum nancisci, ubi jus electionis huic integrum persistat. Unde si Magdeburgi atque Halberstadii status mutetur, Ducibus Brunsvicensibus non minus jus esse quam Electori Brandenburgico redhostimentum postulandi. Quo nomine Hildesiam, Osnabrugam, & Mindam sibi deberi; quibus pervincendis Oxenstierna operam pollicitus sit.* Quibus utut importune perstrepentibus Cæsarei modeste respondebant. Sed cum finem non facerent Trautmansdorfius demum erumpebat: *Si Cæsari bellum facere velint, cogitandum huic esse, jam antea hostium se non expertem; nec desperare quin istis quoque resisti queat.* Ita illi non parum refrigerati discedebant, sero questi, quod Hallorum exemplo in armis ad belli finem haut perstitissent. Iidem & in Reinsteinensem Comitatum actionem movebant, ob arcem a se extructam, & paludes exsiccatas. Quibus repositum; structuram e proventibus Præsulatus factam; ac non nisi voluptatis causa fossam excavatam, ut cymba Gruningam accedi posset. Sed quia Brunsvicenses perspiciebant, a se impediri non posse, quo minus Electori Halberstadium addiceretur, saltem particulas quasdam eidem decerpere instituebant, Gruningam cœnobium, cum prædio Schavvena, castrum Westerburgum, & cœnobium Walckenrietham. Quo nomine cum nostri Svecos adpellarent, hi rem ad Cæsareos rejiciebant. Cæsarei contra 1647. ferebant; a Svecis rem acriter urgeri, nec sibi constare, quibus rationibus Brunsvicensium postulata nitantur. Haut tamen credere Electori aliquid decessurum, quod ista bona ad Capitulares spectent. Quanquam autem tam Cæsarei quam Sveci pollicerentur, sibi Electoris commoda cordi fore; tamen postquam Brunsvicenses quadraginta uncialium millia inter utrosque distribuissent, Cæsarei dicta loca hisce addicebant, nostris post incassum protestantibus. Arguebat Oxenstierna Cæsareos pecunia corruptos, ac ea ratione semina dissidiorum inter præcipuos Protestantium spargi. Cæsarei contra a Svecis compulsos se ferebant, ut Brunsvicensibus gratificarentur; ac multa sibi his tractatibus præter placitum admittenda fuisse. Quanquam autem post Brunsvicensium rationes diluerentur, quæ & Archidux Leopoldus Wilhelmus inanes demonstratum ibat; tamen quia ex istis velut ad Capitulum spectantibus Electori parum proventurum erat, ac Cæsarei, Svecique promitterent, se in reductionem quartæ partis Canonicatuum Halberstadiensium consensuros, cui alias Brunsvicenses contradicturi erant; placuit has minutias missas facere. Nolebat tamen Volmarus Catholicos Canonicatus, sed solos Evangelicos extingui, ne hoc quidem temperamento admisso, ut ita extinguerentur, prout possessores fato concederent, nullo sacrorum discrimine. Sed & cum innotuisset, Electori Halberstadium assignandum, Anhaltini Principes condictionem comitatus Ascaniensis nomine instituebant, ac eo fine scriptum publicabant, vocabulo *Manifesti Ascaniensis.* Cui post a Capitulo Halberstadiensi aliud oppositum, hoc titulo: *Eclipsis Manifesti Ascaniensis.* Sed Elector istam prætensionem plane rejiciebat, nec cum Anhaltinis quicquam negotii eo nomine sibi esse volebat: sed ipse Instrumento Pacis nitebatur, quo citra exceptionem is Præsulatus sibi traditus fuerat, evictionem Cæsare atque Imperio, Sociisque Regnis præstituris. Si Anhaltini juris quid sibi competere arbitrarentur, Cæsarem & Imperium appellarent. Prout & ipse Cæsar istos ad se remitti jusserat.

§. 13. Ast super Minda major difficultas surgebat, quam Cæsarei juxta ac Sveci nostris promiserant, siquidem is Præsulatus penes Evangelicos maneret; Gallis quoque enixam operam offerentibus, utut Avauxius in Francisci Wilhelmi Præsulis gratiam paulisper reluctatus fuerat. Et initio quidem istam ad tempus duntaxat fruendam annuebant, quoad Elector Magdeburgi possessionem nactus foret: post tamen, ut perpetuo jure teneretur, consenserunt. Sveci tamen post promissa sua eludere, velut quæ intra nudos sermones citra vim obligandi constiterint. Causa erat, quod ipsorum super Pomerania transactio non paucis in Svecia displiceret. Ac dicebat Salvius; *sibi potissimum imputari, quod Sveci tota Pomerania potiti non sint. Sed Reginam secum conspirare, ac sibi semper curæ fuisse inter Reginam & Electorem amicitiam stabilire. Ast Cancellario easdem cum Mazarino rationes; bellum alere non tam in usum* Mindam

1647. *patria quam suum, suaque crumena.* Cæterum eam ob causam Brunsvicensium spem circa Mindam alebant Sveci, quoad confirmatio a se actorum e Svecia veniret, ut hac non secuta ansam haberent a conventis resiliendi. Sed isthac allata Brunsvicensium exigua ratio habebatur. Cæterum jactabatur, Reginam jussisse, ut Gustavus Gustavi F. Minda dum viveret frueretur, quod Osnabruga tam multos competitores habeat. Eam Meclenburgico in locum Wismariæ destinari. Brunsvicenses demum spe eandem devorasse; quorum rationes hæ adducebantur; *eam ditionem reliquis suis ditionibus opportuno situ admodum blandiri. Ducis Georgii opera urbem olim expugnatam, cui & a Svecis una cum præsulatu donata sit. Hæreditarium jus advocatiæ armatæ ei Domui in istam urbem competere. Eandem Domum de Visurgi flumine a Cæsare investitam. Urbi jus esse munitionis & præsidii; unde facile dissidia oriri posse, si Elector urbi militem immittere, aut trans Visurgim ducere instituat.* Quibus rationibus nostri nervorum nil inesse ostendebant. Cæterum Cæsarei nostris acriter assistebant, ac testabatur Trautmansdorfius, se vel enorme redhostimentum Electori non invidere; ac Svecos, qui nunc pro Brunsvicensibus nitantur, sibi autores fuisse, ut Minda Electori promitteretur, siquidem ea penes Evangelicos maneat. Quod cum Oxenstierna a se factum inficiaretur, nostris urgentibus demum hactenus agnovit, ut dicta obligationis expertia intervenisse diceret. Sed ut Sveci scrupulos movere desinerent, Avauxio suadente Salvio viginti uncialium millia a nostris offerebantur, quorum decem millia statim, reliqua in diem numeranda erant. Unde is omissis tricis prolixe operam suam circa id negotium pollicebatur. Simul monebat, Oxenstiernam quoque muneribus demulcendum, qui forte a Brunsvicensibus corruptus sit, aut e Svecia secreti quid mandati acceperit. Nam hoc delinito omnia probe successura. Caverent tamen nostri, ne isti innotescat, a se id consilii suggestum. Nam se conscio ne centum millibus uncialium eundem redimi posse. Is quoque referebat, se Reginæ scripsisse; *malum consilium dare qui suadeant, ut ipsa Electorem offendat, & invitum ad quid compellat. Nam hoc modo ipsam potentibus amicis nudatam necessitate exigente ab his subsidii nil expectare posse.* Id Salvii consilium nostri secuti Oxenstiernæ viginti quinque uncialium millia offerebant, quæ is citra tergiversationem acceptabat; ac statim immutatus operam suam prolixe offerebat, modo nostri simul ad rationem ineundam incumberent, qua Brunsvicensibus satisfieri queat. Quo fine a nostris Osnabruga proponebatur. Ita & Oxenstierna super Mindensi Præsulatu operam promittebat. Super cognomine urbe tamen monebat, ut huic privilegia a Svecis concessa rata sint. Ad quæ nostri: de illis dispiciendum fore, ubi homagium præstandum sit. Alias in Germania præter Cæsarem & Imperium neminem privilegia dare; ac Electorem Mindensibus longe promtius circa privilegia gratificaturum, si id modeste quærant, quam si per Svecos talia ipsi extorquere instituant. Sed & monebat Equester Ordo ejus Præsulatus; Mindensibus jus districtus atque præsidii haut indulgendum, quod nec iisdem competat; quibus & proventus haut sint reparando vallo, & cohorti militum alendæ. Unde sine dubio a Svecis præsidium accepturos, non sine periculo vicinorum claustra Westphaliæ, & Saxoniæ insessuris. Ac fatebatur Oxenstierna; Mindenses in Svecia quosdam muneribus obstrinxisse, ut quæ a Suecis acceperint privilegia tueantur. Ad extremum Cæsarei proponebant, Franciscum Wilhelmum Præsulem in cessionem Mindæ consentire nolle. Unde satius sibi videri, ab Electore quatuor præfecturas Schaumburgicas acceptari, majore proventu, & non minus commodo Visurgis apud Rintelam transitu. Sed nostri longe recusare; rebus conventis standum, & istis præfecturis Cassellano satisfaciendum. Nec ulterius instabant Cæsarei, excusantes, se non potuisse defugere, quo minus urgente Præsule istud tentarent. 1647.

§. 14. Circa Camminum sibi retinendum frustra satagebat Ernestus Bogislaus Croyæ Dux, quem defuncto ultimo Pomeraniæ Duce Capitulares Præsulem postulaverant. Cujus & Legatus venitebatur, ne is præsulatus in secularem ditionem redigeretur; cum tamen huic ista mutatione nihil decederet, quod jam inter Duces Pomeraniæ & Præsulatum istum conventum foret, ut semper ex istorum numero Præsul eligeretur. Duo, qui tunc Cammini supererant, Capitulares cum adversus secularem formam Præsulatui inducendam protestari conarentur, irrisui fuere; cum longe sublimioribus ferendum esset hac pace constitui, quæ ipsis displicerent. De cætero Elector Capitulum in gratiam Nobilium conservare cupiebat. Sed quia Cæsarei juxta ac Sveci istud patrimonio Principis applicare volebant, Elector quoque annuebat, cui haut eo minus super isto in favorem Equestris Ordinis disponere integrum erat. Sed & consentiebat Elector, ut Sveci Præbendas quasdam ad Citeriorem Pomeraniam spectantes retinerent, modo vicissim operam navarent, ut sibi aliquot Canonicatus Magdeburgi, atque Halberstadii extinguere, ac patrimonio Principali adscribere liceret. Restabat expediendum, quo modo Præsulatus isti ab Electore possidendi forent: Nam initio jactabant Cæsarei; si Capitulares bene habeantur, administrationem facile per electionem in Domo Brandenburgica conservari posse. Nam hæreditario juri omnes Evangelicos Principes contradicturos. Sed cum nostri contenderent, Electori suos Præsulatus eodem cum Svecis jure possidendos, Trautmansdorfius sat aspere; haut sperare Electorem idem cum Svecis postulaturum, qui totum Imperium everterint, & cupita vi pervicerint. Haut eo minus nostri quæ voluere obtinuerunt. Circa titulum quoque Cæsarei in formula Instrumenti ita posuerant: *Ratione tituli conventum est, ut Dominus Elector Brandenburgicus Dux Archiepiscopatus Magdeburgensis & Princeps Halberstadiensis, Mindensis, & reliquorum suorum Episcopatuum adpelletur & scribatur.* Sed nostri postrema verba ferre nolebant, quod id agi adpareret, ut Elector tres præsulatus Marchicos velut separatas ditiones agnosceret, eoque nomine ad tributa Imperio solvenda sese adstringeret. Cum nostri Electorem satisfactioni militari exemtum cuperent, *Et Camminum.*

Traut-

1647. Trautmansdorfius id abrupte rejicere, magnam id invidiam Electori pariturum apud omnes Ordines, neque Cæsarem onus uni Ordinum ablatum in alium transferre posse. Demum & hic articulus inter Svecos, & nostros adornatus fuerat: *Bona vicinitas, & amicitia inter Regiam, & Electoralem Domum, nec non utriusque statu & subditos; libertas item commerciorum terra marique, ut & navigationis cum navibus non bellicis tam in itu quam in reditu, stationesque non modo per Oderam & reliqua flumina, sed & ad litora, portusque Pomerania & Mare Balticum, atque inter Marchiam Brandenburgensem, Pomeraniam, & Prussiam juxta ac exportatio & distractio mercium in urbes & oras adjacentes, libera & eadem maneant, qua fuerant ante bellum, salvo jure legeque cujusque loci.* Additum fuerat, ut Ordinibus Pomeraniæ ex una parte in alteram domicilium transferre integrum foret. Id quod Salvius a Regina sinistre acceptum fuisse ferebat, eoque idem, uti & memoratum articulum ad separatam conventionem, quæ super limitibus in Pomerania ineunda erat rejiciendum svadebat. Post transacta omnia literæ a Lascari militiæ Melitensis Magistro ad Electorem allatæ sunt, ne Ordinis Equestris a D. Joanne dicti bona per Pomeraniam in Svecos transferantur; utque Elector ista protegat, nec in alienationem consentiat patrimonii ad eum Ordinem spectantis, quem flos nobilitatis Europææ componat, quique indies de publico Christiani orbis bono præclare mereatur. Cui ab Electore responsum: rem non amplius esse integram, ac sibi quoque egregias ditiones fuisse amittendas; nec penes se fuisse prohibere, quo minus quædam ad Ordinem spectantia Svecis assignarentur.

Sveci conventa refringere conantur. *16. Mart.* §. 15. Enimvero nostris difficillima licet negotiatione defunctis omni cura vacare haut dabatur, quod Sveci paulo post conventis stare abnuerent, limites in Ulteriorem Pomeraniam proferre cupidi, ac ut donatariis per Electorem satisfieret. Inter causas mutationis fuerat, quod Rosenhanius Reginæ scripsisset; Longuevillium dixisse, Electorem adhuc Hagæ in Svecos hostilia machinari. Cum nostri Gallum eo nomine compellarent, is plane inficiabatur. Ac talia rationibus Galliæ repugnare, quæ pacem desideret, cum ista ad bellum extrahendum spectent: ac forte ab ipsis Svecis conficta, hoc prætexto negotiis intricandis. Compertum tamen post, a vetustis id literis ortum, ante compositum negotium Pomeranicum scriptis, quibus Longuevillius Svecos monuerat, ne Electorem ita duriter haberent, cui cum alii, tum & inprimis Belgæ amici sint. Cæterum quare conventa solicitarentur, hic color dicebatur; Oxenstiernam juvenem, Salvium inscitia locorum per Avauxii prudentiam ac Witgensteinii vehementiam circumventos. Tum & expectativa postulabatur in Novam Marchiam, quæ olim pars Pomeraniæ fuerit; simul in districtum Sternbergensem, & Loccknitzam: nostris frustra ingerentibus, jus Ducum Pomeraniæ in Novam Marchiam cum ipsorum familia extinctum. Ea re audita Volmarus horrescere, ac Svecos hoc modo in Germania nimium potentes fore: spem tamen esse, prosapiam Marchionum perennaturam: ac Svecis, ubi semel arma exuerint, fræna deinceps haut laxanda. Post Sveci Witgensteinio proponebant; quia Cæsarei edita Instrumenti formula a quibusdam conventis resilierint, ac Hamburgensem præsulatum abnuant, se quoque Mindam sibi retenturos. Unde & ipsi in sua formula Mindæ mentionem non fecerant. Inconstantiam exprobranti Witgensteinio Oxenstierna negabat tractatus cum nostris susceptos, sed sermones invicem commutatos, quibus Secretariorum duntaxat subscriptio accesserit. Ad extremum tamen declarabat: summam rerum mansuram; sed unum & alterum emendandum. Ac Salvius id temperamentum proponebat; ut Elector Svecis Camminum concedat, ipsi Mindam vicissim præstituris. Nam Duci Croiæ Camminum affectanti Svecos favere, qui a Svecia uxorem petiturus sit. Nostri reponebant; mirum videri, pro Hamburgensi Præsulatu, cui nihil redituum sit, Camminum postulari, unde octodecim uncialium millia proveniant: quo & Elector plane carere nequeat, cui portus utique illa ora habendus sit. Ac Salvio cavillante: genti maris inexpertæ portum nulli usui; nostri regerebant: in Borussia navigandi initium a se factum; ac contracta cum Svecis amicitia artes maritimas exactius percepturos. Addebat Salvius; Electorem in Magdeburgo & Halberstadio plus accepisse, quam quanti tota Sveciæ satisfactio sit. Nostri ex invidia talia fingi, ac si negotium circa Mindam expediat, promissam pecuniæ summam protinus repræsentatum iri. Contra Cæsarei declarabant, quæ circa Mindam promiserint, bona se fide servaturos: si Sveci resilire velint, suo periculo facerent. Super Capitulo Hamburgensi, unde vix quingenti floreni annui redeant, in Svecorum arbitrium se contulisse, quid statuere velint. Si Sveci iniquis postulatis insistant, Cæsari haut imputaretur. Tandem aliquando Ordines perspecturos, quam fraudulenter & avare Sveci rem agant. Sed & Avauxius ista improbare; ac videri istos bellum animo volvere; hortatus, ut Cæsarei nostrique conventis firmiter stent. Oxenstierna tamen ad extremum fines longius proferre cupiebat, causatus, Salvium inepte rem gestisse, cui & eo nomine ratio reddenda sit. Nostri contra demonstrabant; *Electorem spe conventa servatum iri in omnia istorum placita consensisse. Constare quoque a Regina conventionem probari. Tantum privatos quosdam lucro suo inhiare prolatis finibus. Nil fiducia in Svecia Electori reponi posse, ni major conventorum sanctimonia sit; & hoc modo nil fœderum cum illa iniri posse. Sane Svecia amicis utique in Germania opus fore, inter quos Elector primum teneat locum, qui sinceris amicitiæ speciminibus devinciendus sit.* Quibus auditis Oxenstierna mitescere visus est, ac demum in formulam consensum, quæ post Instrumento Pacis inserta est; quam hoc loco repræsentabimus, quantum ea Electorem spectat.

1647.

8. April.

26. April.

13. Maij.

§. 16. *X. Porro quoniam Serenissima Regina Svecia postulaverat, ut sibi pro locorum hoc bello occupatorum restitutione satisfieret, pacique publica in pace Impe-* *Quid Electori ista missum,*

1647. *Imperio restauranda condigne prospiceretur: Ideo Cæsarea Majestas de consensu Electorum, Principum, & Statuum Imperii, cumprimis Interessatorum, vigoreque præsentis transactionis concedit eidem Serenissimæ Reginæ, & futuris ejus hæredibus ac successoribus Regibus Regnoque Sueciæ sequentes ditiones pleno jure in perpetuum & immediatum Imperii feudum.*

Quid adquisitum.

Primo; Totam Pomeraniam Citeriorem, vulgo Vor Pommern *dictam, una cum Insula Rugia iis finibus contenta, quibus sub ultimis Pomeraniæ Ducibus descripta fuerant, Adhæc e Pomerania ulteriori Stetinum, Garz, Dam, Golnau & Insulam Wolkin, una cum interlabente Odera, & mare vulgo* das Frische Haff *vocato, suisque tribus ostiis* Pene, Suvine, & Dievenavu, *atque adjacente utrinque terra ab initio territorii Regii usque in Mare Balticum, ea latitudine litoris orientalis, de qua inter Regios & Electorales Commissarios circa exactiorem limitum, & cæterorum minutiorum definitionem amicabiliter convenietur.*

Hunc Ducatum Pomeraniæ, Rugiæque Principatum una cum ditionibus, locisque annexis, omnibusque & singulis ad ea pertinentibus territoriis, præfecturis, urbibus, castellis, oppidis, vicis, pagis, hominibus, feudis, fluminibus, insulis, lacubus, litoribus, portubus, stationibus, antiquis vectigalibus, & reditibus, & quibuscunque aliis Ecclesiasticis ac secularibus bonis nec non titulis, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, & prærogativis, cæterisque omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus juribus ac privilegiis, quibus antecessores Pomeraniæ Duces ea habuerant, incoluerant, & rexerant, Regia Majestas Regnumque Sueciæ ab hoc die in perpetuum pro hæreditario feudo habeat, possideat, iisque libere utatur, & inviolabiliter fruatur.

Quicquid etiam juris in collatione Prælaturarum & præbendarum capituli Caminensis antehac habuerunt Duces Pomeraniæ citerioris, habeat in posterum Regia Majestas Regnumque Sveciæ perpetuo, cum potestate eas extinguendi, reditusque mensæ Ducali post modernorum Canonicorum & Capitularium decessum applicandi; quicquid autem ulterioris Pomeraniæ Ducibus competierat, competat Domino Electori Brandenburgico una cum integro Episcopatu Caminensi, ejusque territorii, juribus & dignitatibus, ptout infra pluribus explicatur.

Titulis & insigniis Pomeraniæ tam Regia Domus, quam Brandenburgica promiscue utantur, more inter priores Pomeraniæ Duces usitato. Regia quidem perpetuo, Brandenburgica vero, quam diu ullus e masculina linea superfuerit. Absque tamen Rugiæ Principatu, omnique alia prætensione ullius juris in loca Regno Sueciæ cessa. Deficiente vero linea masculina Domus Brandenburgicæ omnes præter Sueciam alii titulis & insigniis Pomeranicis abstinebunt: Atque tunc quoque ulterior Pomerania tota, cum citeriore Pomerania, totoque Episcopatu, & integro Capitulo Caminensi, adeoque omnibus antecessorum juribus & expectantiis consolidata ad solos Reges Regnumque Sueciæ perpetuo pertinebunt; spe interim successionis & investitura simultanea gavisuros: ita ut etiam Ordinibus subditisque dictorum locorum pro homagii præstatione solito more caveant. 1647.

Dominus Elector Brandenburgicus, cæterique omnes officiales & subditos singulorum supradictorum interessati, exsolvunt omnes locorum vinculis & sacramentis quibus hucusque sibi, suisque Dominis obstricti fuerant, eosque ad homagium & obsequia Regiæ Majestati, Regnoque Sueciæ more solito præstandum remittunt; Atque ita Sueciam in plena justaque eorum possessione constituunt, renunciantes omnibus in ea prætensionibus ex nunc in perpetuum: Idque pro se suisque posteris peculiari diplomate his confirmabunt.

XI. Pro æquivalente autem recompensatione Electori Brandenburgico Domino Friderico Wilhelmo, quod ad promovendam Pacem universalem juribus suis in Pomeraniam citeriorem, & Rugiam una cum ditionibus locisque supra annexis cesserit, præstanda, eidem, ejusdemque posteris & successoribus, hæredibus atque agnatis masculis cumprimis D. D. Marchionibus Christiano Wilhelmo, olim Administratori Archi-Episcopatus Magdeburgensis, itemque Christiano Culmbacensi, & Alberto Onolzbacensi eorundemque successoribus & hæredibus Masculis statim atque Pax cum utroque Regno & Statibus Imperii composita & ratificata fuerit, a Sacra Cæsarea Majestate de consensu Statuum Imperii & præcipue interessatorum, tradatur Episcopatus Halberstadiensis, cum omnibus juribus, privilegiis, Regalibus territoriis, & bonis secularibus & Ecclesiasticis quocunque nomine vocatis nullo excepto, in perpetuum & immediatum feudum. Constituatur item Dominus Elector statim in possessione ejusdem quieta & reali, eoque nomine Sessionem & votum in Comitiis Imperii, & circulo Inferioris Saxoniæ habeat: Religionem autem & bona Ecclesiastica in eo statu relinquat, quemadmodum per Dominum Archi-Ducem Leopoldum Guilelmum inita cum capitulo Cathedrali pactione ordinata fuerant. Ita tamen, ut nihilominus Episcopatus Domino Electori, totique sua Domui & agnatis masculis supra nominatis, cum eorum successoribus & hæredibus masculis ordine, quo sibi invicem succedent, hæreditarius maneat, atque Capitulo nullum jus in eligendo & postulando, vel etiam regimine Episcopatus, iis, quæ eo pertinent, reliquum sit, sed modo dictus Dominus Elector & juxta ordinem successorium reliqui supra nominati ea potestate in hoc Episcopatu utantur, qua reliqui Principes Imperii in suis territoriis utuntur. Liceatque quartam partem Canonicatuum (excepta Præpositura in hanc computationem non numeranda) decedentibus successu temporis modernis eorum possessoribus Augustanæ Confessioni addictis, extinguere eorumque reditus mensæ Episcopali incorporare. Quod si tot Canonici Augustanæ Confessionis non sint, qui quartam partem totius corporis canonicorum, dempto Præposito, conficiant, numerus suppleatur ex Catholicorum decedentium beneficiis.

Cum etiam comitatus Hohensteinensis pro ea parte, qua feudum est Episcopatus Halberstadiensi, consistens in duabus Dynastiis sive præfecturis Lohra & Klettenberg, & quibusdam oppidis una cum eo pertinentibus bonis ac juribus, post ultimo defunctum Comitem hujus familiæ, eidem Episcopatui adplicatus atque a Domino Archi-Duce Leopoldo Guilielmo, tanquam Episcopo Halberstadiensi hactenus possessus fuerit;

hunc

1647. *hunc eundem comitatum porro quoque penes istum Episcopatum irrevocabiliter permanere placuit, adeo ut Domino Electori tanquam hareditario possessori jam dicti Episcopatus Halberstadiensis de memorato Comitatu disponendi libera facultas esse debeat, non obstante nec vigorem habente ulla contradictione quæ a quoquam in contrarium moveri possit.*

Teneatur idem Dominus Elector Comitem a Tattenbach in possessione Comitatus Rheinstein conservare, eidemque investituram a Domino Archi-Duce de consensu capituli concessam renovare.

Eidem Domino Electori pro se & successoribus suis supra scriptis tradatur Episcopatus Mindanus cum omnibus juribus & appertinentiis, pari ratione ut ante memoratus Episcopatus Halberstadiensis, in feudum perpetuum a Sacra Cæsarea Majestate de consensu Statuum Imperii, statimque post conclusam & ratificatam hanc Pacificationem Dominus Elector pro se & successoribus suis in possessione ejusdem quieta & reali constituatur, eoque nomine Sessionem & votum in Comitiis Imperii universalibus & singularibus, ut & circuli Westphalici obtineat. Salvis tamen civitati Mindensi suis Regaliis & Juribus in sacris & profanis cum mero & mixto imperio in criminalibus & civilibus, præsertim jure districtus ejusque jurisdictionis exercitio concesso, & pro nunc apprehenso, aliisque usibus, immunitatibus, & privilegiis circa pristina jura ipsis legitime competentibus; ita tamen ut pagi & villæ, domusque ad Principem, Capitulum, totumque clerum & equestrem Ordinem pertinentes, & respective in districtu & intra mœnia civitatis sita, omnino excipiantur, & de cætero jus Principis & Capituli inviolatum, maneat. Dicto Domino Electori & successoribus suis Episcopatus quoque Caminensis in feudum perpetuum ab Imperatore & Imperio concedatur, eodem plane jure & modo, ut supra de Episcopatu Halberstadiensi, & Mindano dispositum est; sed cum hoc tamen discrimine, ut in Episcopatu Caminensi integrum sit Domino Electori Canonicatus post decessum præsentium Canonicorum extinguere, atque sic successu temporis totum Episcopatum Ulteriori Pomeraniæ adjungere seu incorporare.

Similiter concedatur Domino Electori expectantia in Archi-Episcopatum Magdeburgensem, ita quidem ut quandocunque eundem morte aut successione in Electoratu, vel quacunque alia concessione præsentis Administratoris Domini Augusti Ducis Saxoniæ vacare contigerit, totus iste Archi-Episcopatus cum omnibus eo pertinentibus territoriis regalibus & juribus prout supra de Episcopatu Halberstadiensi dispositum est, Domino Electori, suisque posteris & successoribus haredibus & agnatis masculis, non obstante ulla electione, aut postulatione interea temporis sive clam sive palam facta tradatur & conferatur in feudum perpetuum, sitque eidem vel iisdem jus autoritate propria vacantem apprehendendi possessionem.

Interea autem teneatur Capitulum una cum ordinibus & subditis dicti Archi-Episcopatus statim conclusa pace Domino Electori, & toti Domui Electorali pro se, atque omnibus in ea successoribus & haredibus atque agnatis masculis se sacramento fidelitatis & subjectionis eventum obstringere.

Civitati vero Magdeburgensi pristina sua libertas & privilegium Ottonis I. die 7. Junii Anno nongentesimo quadragesimo, etiamsi temporum injuria deperditum, ad preces ejusdem humiliter porrigendas a Cæs. Majest. renovabitur; tum etiam privilegium muniendi & fortificandi ab Imperatore Ferdinando II. concessum, quod cum omnimoda jurisdictione & proprietate ad quadrantem milliaris Germanici extendatur; sicut & reliqua illius privilegia & jura in Ecclesiasticis & politicis salva & inviolata maneant, cum inserta clausula, quod in præjudicium Civitatis reædificari non debeant suburbia. 1647.

Cæterum quod ad quatuor Dynastias seu præfecturas Querfurt, Gutterbock, Dam & Borck *attinet, cum illæ jam olim Domino Electori Saxoniæ traditæ sint, in ejusdem quoque ditione permaneant in perpetuum, cum hac tamen reservatione, ut quæ hactenus ratione earundem ad collectas Imperii & circuli contributa fuit quota a dicto Domino Electore Saxoniæ in posterum exsolvatur, eaque Archi-Episcopatui demator, & hujus rei ratione expressa fiat provisio in matricula Imperii & circuli. Ut autem inde causata imminutio redituum Cameralium, & ad mensam Archi-Episcopalem pertinentium aliquatenus resarciatur, jam dicto Electori Brandenburgico & successoribus suis non solum statim post conclusam Pacem Præfectura* Eglen, *quæ alias ad capitulum spectabat, pleno jure possidenda & fruenda tradatur, cassato processu a Comitibus de Barby aliquot abhinc annis desuper moto; sed etiamfacultas sit, obtenta Archi-Episcopatus possessione quartam partem Canonicatuum Cathedralium illis decedentibus extinguendi, eorumque reditus Cameræ Archi-Episcopali applicandi. Quæ vero debita a præsente Domino Administratore Augusto Duce Saxoniæ hactenus contracta sunt, ex reditibus Archi-Episcopalibus, existente modis supra dictis casu vacantiæ & devolutionis, dicti Archi-Episcopatus ad Dominum Electorem Brandenburgicum & successores suos neutiquam dissolvantur, neque integrum sit dicto Domino Administratori posthac novis debitis, oppignorationibus & alienationibus sæpe dictum Archi-Episcopatum in præjudicium Domini Electoris, ejusque successorum, hæredum atque agnatorum masculorum quoquo modo onerare.*

In his vero Domini Electoris Archi-Episcopatibus de cætero salva maneant Ordinibus & subditis competentia eorum jura & privilegia, cumprimis invariatæ Augustanæ Confessionis exercitium, quale nunc ibi viget; nec minus locum habeant ea, quæ in puncto Gravaminum inter utriusque Religionis Status & Ordines Imperii transacta & conventa sunt, quatenus scilicet non adversantur illi dispositioni, quæ supra in articulo quinto de Gravaminibus §. 8. continetur, incipiente: Qui Archi-Episcopatus, Episcopatus, & aliæ fundationes atque bona Ecclesiastica &c. *& finiente:* subjecta manento; *utpote quem æque hic valere debere, ac si verbotenus insertus esset, & supra dictos Archi-Episcopatum, & Episcopatus hæreditario & immutabili jure apud Dominum Electorem atque Domum Brandenburgicam, omnesque in ea successores hæredes & agnatos in perpetuum plane, ut de reliquis terris ipsorum hære-*

1647. *hereditariis juris est, permanere oportet. Ratione tituli autem conventum est, ut jam dictus Dominus Elector cum tota Domo Brandenburgica, & in ea omnes & singuli Marchiones Brandenburgici Duces Magdeburgenses, & Principes Halberstadienses & Mindenses appellentur & scribantur.*

Regia quoque Majestas Sveciæ restituat Domino Electori pro se & successoribus suis heredibus atque agnatis masculis;

Primo, reliquam Pomeraniam Ulteriorem cum omnibus appertinentiis, bonis, & juribus secularibus & Ecclesiasticis, pleno jure tam quoad dominium utile, quam directum.

Deinde Colbergam cum toto Episcopatu Caminensi, omnique jure, quod Ulterioris Pomeraniæ Duces hucusque habuerunt, in collatione Prælaturarum & Præbendarum Capituli Caminensis, ita tamen ut salva maneant jura Regiæ Majestatis Sveciæ supra concessa; atque Ordinibus & subditis in restitutis partibus Ulterioris Pomeraniæ, Episcopatuque Caminensi competentem eorum libertatem, bona, iura & privilegia, secundum tenorem literarum Reversalium (quibus etiam Ordines & subditi dicti Episcopatus gaudere debent, ac si iis directe data essent) cum libero Augustanæ Confessionis exercitio, juxta invariatam Augustanam Confessionem, absque ulla perturbatione perpetim fruendo circa homagii renovationem & præstationem omni meliori modo confirmet & conservet.

Tertio, omnia loca quæ præsidiis Svecicis infessa tenentur per Marchiam Brandenburgicam.

Quarto, omnes Commendas & bona ad ordinem Equestrem Divi Johannis spectantia, quæ extra territoria Regiæ Majestati Regnoque Sveciæ cessa continentur, una cum Actis & regestis, cæterisque literariis documentis originalibus hæc loca, juraque restituenda concernentibus, communibus vero & utramque nempe tam Citeriorem, quam Ulteriorem Pomeraniam afficientibus in authentica & probante forma, quæ in Archivo & Chartophylaciis aulæ Stetinensis vel alibi intra vel extra Pomeraniam reperiuntur.

Circa fœdus cum Svecia incassum movetur.

§. 17. Cæterum cum hoc modo Electori, omnibus modis incassum reluctato, Sveci utique vicini essent habendi, natio potens & bellicosa, consultum videbatur stabiliendæ in futurum quieti eorum amicitiam sibi pignerare. Quo fine Legatis mandata dabantur super fœdere mutuæ defensionis cum Svecia ineundo; quod tamen in præsens secreto habendum sit, alias utrique parti damno futurum. De quo cum post negotium Pomeranicum nostri moverent, Sveci initio ad tractationem super limitibus in Pomerania instituendam id rejiciebant, etsi præliminaria hoc loco expediri queant. Sed quia id in diem prominebat Elector de Witgensteinio & Fromholto in Sveciam ejus rei causa mittendis agitabat. Quibus tamen haut consultum videbatur eam legationem suscipi, antequam de eventu horum tractatuum constaret, cum pace conclusa omnia facilius sint processura. Nam bello manente solicite deliberandum esse, quousque Sveciæ innecti expediat, cum maximi momenti sit in bellum cum Cæsare erumpere, forte & Poloni arma attracturum. Facile quoque faciem belli verti posse, ut alia consilia sint capessenda. Ac sine dubio in Svecia negotium extractum iri speculando tractatuum eventui, simul ut cum legatis Osnabrugæ communicetur, magno cum temporis & sumtuum dispendio. Unde Elector jubebat Salvii sententiam explorare, num is e re judicet, in præsens ejusmodi fœdus iniri, quo iidem amici & hostes habeantur. Nam tractatus adhuc nutare, incertum an in atrocius bellum desituros. Et Cæsareos valde frigidos sese circa reddendum Hammum exhibere. Ad quæ Salvius candide; missionem hanc præmaturam, adhuc ambiguo, bellum mansurum, an pax secutura sit. Et posse quidem legatis in utrumque casum mandata dari, sed ea valde imperfecta fore. Ac utrique parti anceps visum iri sententiam promere, antequam de tractatuum successu, animorum inclinationibus, & maxime de silentio cautum sit; id quod tam solenni legatione fieri nequeat; ac inde forte utrique parti incommodum nasciturum, si argumentum hujus legationis evulgetur. Locum quoque calumniis posse dari, velut Elector super bello continuando convenerit; quæ falsæ licet non citra molestiam dispellantur. Sed & eum laborem imperfectum fore, & multo temporis: certo tractatuum exitu omnia utrinque in expedito fore. Addebat; *quicquid humanitatis & amicitiæ Cancellarius præ se ferat; constare tamen sibi, ipsum & duos alios, quos non nominabat, nil aliud quærere, quam ut Electorem, ipsamque adeo Reginam opprimant. Quo fine viam investigent, qua Reginam apud omnes Regni Ordines invisam reddant, quod hi in ipsum solum respiciant; simul eandem amicitiæ Electoris aliorumque exutam pro lubitu temperare queant. Unde consultum fore, si Elector post conclusam pacem, ubi ipse in Sveciam abierit, legationem eodem mittat fœderi conficiendo. Tunc enim se curaturum, ut legati ipsam Reginam plene informare possint, quorum dicta ipse fulturus sit.* Cum nostri regererent; *Svecis facile esse opportunitates temporum expectare, qui Marchiæ interim visceribus inhæreant. Restituerent modo interim quæ teneant loca, ac abunde cauturum Electorem, e sua ditione nil periculi istis inferendum.* Salvius; *de his in præsens tacendum, ne Svecis suspicio injiciatur, & destinata sua Electoris commodum spectantia inania reddantur. Brevi patientia opus esse. Præsenti rerum facie tam Cæsari, quam Svecis improbatum iri, si negotium tantopere præcipitetur.* Quæ rationes cum & Electori placerent, de fœdere nil amplius motum, nisi quod nostri a Salvio peterent, ut formulam fœderis, & quibus articulis id constare debeat, designare velit, quo Electori istam expendendi spatium sit. Id quod hic difficile sibi fore causabatur, cum circa id nil peculiarium mandatorum habeat. Ac penes Electorem esse ista concipere, qui fœdus affectet, ac optime nosse debeat, cui usui idem ipsi inserviturum sit. Sed ista melius in Svecia peractum iri, ac se jam Reginæ spem fecisse, ipsam ab Electore missa legatione honorandam.

Circa Carnoviam restituendam frustra satagitur.

§. 18. Inter ista Carnoviensis quoque Ducatus in Silesia restitutionem nostri quærebant, cujus postremus possessor Joannes Georgius Marchio, quod se turbis Bohemicis miscuisset, eodem exutus fuerat; qui per legem amnestiæ Electori tanquam hæredi restituendus erat. Cæsarei contra sibi mandatum ferebant, nostros super eo moventes rejicere. Nam Carnoviam velut caducum feudum jam ad Rudolfum II. tanquam Bohemiæ Regem fuisse devolutum, nec ultimi possessoris proscriptionem consolidationis

tionis

1647. tionis causam esse. Nostri contra; non quæri de titulo, sed restituenda possessione. Qua obtenta sibi demonstrare in proclivi fore, id feudum non esse, sed bonum hæreditarium jam olim Domui Electorali adquisitum, & ad postremum usque Ducem quiete possessum, a Regibus, prout quisque successerit, confirmatum. Sed amica cum Cæsare compositione defungi se cupere; nam alias in proclivi sibi esse Principi Lichtensteinio in præsens possessori actionem intentare. Et esse in Silesia inferiore Saganum & Svvibussam, modici proventus loca, quibus Carnovia bene redimatur, extingvendo etiam Electoris apud Cameram Uratislaviensem credito; cum Cæsarei id creditum cum reliquis Crossnensium tributorum compensandum jactarent. Saltem negotium istud huc non spectare, & in
26. April. aula Cæsarea jus desiderantibus dicendum. Sed cum nostri libellum eo nomine exhiberent, hi paulo commotiores reponebant: Haut credidisse Cæsarem, tam amplo pro Pomerania redhostimento præstito, sibi super Carnovia negotium datum iri, quam Amnestiæ inseri Cæsar graves ob rationes tolerare nequeat. Ac si nimium urgeantur, negotio Mindensi manum subtracturos. Adversus quæ quidquid nostri oggererent, nil aliud responsi extundi poterat, quam in aula Cæsarea Electori super hac causa satisfactum iri.

Hervordia in ordinem redigitur. §. 19. Hervordiam, Comitatus Ravensbergici municipium, civitatibus Imperialibus sese inserere ausam superiore libro detigimus. Hæc
1545. municipali conditione ab initio usa, Abbatissæ
19. Maij. ejus loci subjecta fuit, quæ in Wilhelmum Juliacensem Ducem jus suum in eandem transtulit per cessionem a Cæsare confirmatam. Cui Advocatus fisci Spiræ actionem intendit, velut eandem in classem liberarum civitatum pertracturus. Adversus hunc a civitate causam mul-
1630. ta per lustra actam, interveniente Abbatissa & Duce, donec inter turbida belli civitate in acto-
1631. ris partes concedente raptim infrequenti judicio
31. Mart. sententia ferretur; sed cujus effectus, impetrata revisione, suspensus fuit. Cum haut eo minus eadem multa novare, jura Principis invertere, omnique obsequio subducere se instituerat, Elector istam in ordinem redigere decrevit; præsertim postquam transactione temporaria cum Palatino Neoburgico totus Comitatus
8. April. ipsi in solidum cessisset. Unde præfecto Spa-
Eller renbergæ Ellero in mandatis datum oppidum
20. Aug. occupare, illæsis tamen incolis; qui multa luce raptim portis se infudit nulla cæde, cum nemo resisteret; nisi quod miles prima irruptione obvia quædam diriperet, quoad mox a præfectis licentia comprimeretur. Id factum, velut prope ob oculos tam illustris conventus patratum, quam maxime paci reducendæ operantis magna cum invidia differebatur. Sed nostri utroque tractatuum loco id factum excusare, Electoris jura in oppidum deducere; quæ primo impetu admissa sint, minoris esse, quam jactentur. Sed plerique judicabant, omissa de jure disputatione facto colorem e præsenti armorum conditione petendum, quæ destinata bellantium oppido imminentium præverti svaserit. Cæterum cum 1647.
Moguntinus libellum a mandatariis oppidi exhibitum Ordinibus publicasset, nostri graviter querebantur, se insciis talia acceptari, & ad consultandum proponi; eoque petebant rem differri, quoad ab Electore quæ res exigat exhibita sint; qui sane inauditus damnari nequeat. Contra Moguntinus: quia Cæsar ab Oppido missum per singulare rescriptum admiserit, cui parendum sibi sit, se in præsens non posse non concessam semel oppidi admissionem tueri. Nec amplius rem esse integram, utpote super qua hodierno die Monasterii consultatio sit instituenda. Grave quoque periculum in mora jactari, quod alias omnes cives oppido ejecturi se dicantur. Ad hæc Nostri: quæ ab oppido allegentur colorandis suis ausis, illicito modo obtenta. Nec negotium istud ad hunc conventum spectare. Hinc Königsmarckium, inde Lamboium oppido imminere, quibus id facile a factiosis in fraudem Electoris tradi possit. Nec vitio vertendum rebus dubiis securitati suæ invigilasse. Nullum in mora periculum, & imperium Electoris civibus probari. Quin mandatarium oppidi decurionibus mandatum renuntiasse. Ita per inania satagentes ludibrium debituros. Sed Moguntinus propositi pervicax ne unum quidem diem rem differri volebat, saltem quoad constaret, num eadem Monasterii proposita foret. Nostri tamen apud Ordines pervincebant, ut eo die conclusum ne fieret, sed Electoris declaratio prius audiretur. Ac plerique agnoscebant, eam causam huc non spectare, mirati, hanc ita calide a Moguntino agi, qui tamen tam multos aliorum libellos suppressisse piaculo non duxerit. Haut eo secius Osnabrugæ in Senatu Principum decretum fuit, literis ad Electorem scriptis causæ informationem petendam. Fervidius adhuc rem amplectebantur Urbici, velut id exemplum ad se spectaret; ac inprimis per vim a militibus patrata magna cum invidia differebant; etsi mox a decurionibus Hervordiensibus literæ ad Electoris Legatos venirent, quibus mandata a se circa hoc negotium data revocabant. Saxonici adversus acta ab Electore protestationem interponebant, quibus nostri opposita formula occurrebant. Brunsvicenses quoque oppidi se defensores adscitos ferebant; nostris inficiantibus. Nec minus Monasterii, Fromholto nequidquam reluctante, & contrario scripto Hervordensem libellum falsi arguente, sat asperum decretum conditum. Ast Cæsarei sat æquos Electori se gerebant, hanc causam suscipere adspernati, velut huc non spectantem. Sveci in neutram partem inclinationem ostendere. Galli factum magnopere probare. Mox ab oppido missi apud Electorem prius acta excusare, aut veniam petere, ac in futurum obsequia promittere, tum ut sua sibi privilegia salva maneant, orare; quibus hic benigne pollicebatur. Iidem apud legatos arguebant a se missos mandata excessisse. Nam se Ordinum duntaxat intercessionem quæsivisse, deprecandis oneribus militaribus & ut res amice componeretur. Id quod nostri dissvadebant, cum Elector jam declararit, se erga oppi-

1647. oppidum clementiam Principe dignam exserturum, ac justa ejusdem privilegia servaturum. Nec eo minus referente Moguntino de intercessione decretum, ac literæ sat acerbæ conceptæ. 27. Sept. Quas Volmarus mitti dissvadebat; nec Electorem offendendum, qui tantam Ordinum potestatem haut agnoscat, ut istis ad reddendam rationem teneatur. Ad jurisdictionem Cæsaris hæc spectare, apud quem Elector responsurus sit, si quis queratur. Qui & ita circa hos pacis tractatus se gesserit, ut merito ejus ratio habenda sit. Nec tutum incerto adhuc tractatuum eventu tam potentem Principem protelare, ob accusationem unius oppidi nondum ad liquidum deductam. Denique non esse moris, ut si unus Ordinum apud alterum intercedat, rationes supplice libello non sine acerbitate expressas ipsis literis inserat, velut rationem decidendi continentes. Id enim solenne esse mandatis ex Aula Cæsarea aut Camera Spirensi emanantibus. Ac si eæ literæ plane omitti non possint, saltem aspera dispungenda, & intra solam intercessionem subsistendum. Sed non solum nostri laborabant, ut eæ literæ plane supprimerentur: sed & ab oppido Deputati rogabant iis literis supersederi: quod & ita factum. Missi inde ab Electore Hervordiam, qui causam istam cum decurionibus disceptarent, documentis utrinque examinatis. 29. Nov. 7. Dec. Ea discussa & composita oppidani homagio se promtos offerebant; quod & Electori, qui huc se contulerat, præstitum, in arrham obsequii vase aureo, & chirographo ter mille uncialium tradito. Et quanquam post Advocatus fisci, ac *Furstenaw* turbidus quidam Antonius Furstenavius, cuius mandatum revocatum fuerat, Electori negotium deinceps quoque facessere auderent, conatus tamen utriusque retusus fuit, & oppidani nova conventione obsequium legitimo Principi adstrinxere.

Elector loca sua sibi restitui & tributa remitti frustra quærit. §. 20. Porro cum adornatis licet plerisque Cæsarei haut eo minus pacem aversari viderentur. Bavaro ad rumpendas cum Svecis inducias permoto confisi; Galli Electori svadebant, arma quantum daretur parare, quo is parti pacis cupidæ adsistere, rebusque momentum adferre posfit. Quam in rem Elector quidem valde pronus erat, plus satis expertus, qua conditione inermis inter circumquaque armatos agat. Sed nullo modo valida parari manus poterat, ni Sueci, Hassique ipsius oppidis præsidia deducerent, ac tributa remitterent, cives suos plane ad incitas redactura. Igitur petebat ut Galli cum istis ea de re agerent, pollicitus se proventus istos non nisi dictis destinatis impendendos. Longuevillius objiciebat; Svecos Hassosque non alia lege consensuros, quam ut sibi cautum sit, Electorem in ipsorum partes transiturum. Ad quæ nostri: Electori curæ esse pacem promovere, non bellum continuare. Unde verendum esse, ne si is partes illorum citra exceptionem amplectatur, iisdem hac virium accessione confisi bellum extrahere malint. Ac agnoscebat Longvevillius, haut consultum Electori in Regias partes descendere, ni constiterit moram pacis penes Cæsarem esse. Ac si Regios pacem adspernari constet, Cæsareis partibus accedendum. Nam Electori juxta atque Ordinibus pacem salutarem, bellum exitiosum esse. Ac grandi nimis pretio tributa militaria redimi, si ideo belli necessitas imponatur. Ista quidem Longuevillius eodem candore, quasi Electori minister esset, svadere se testabatur. Etsi eodem tempore e Gallia veniens Viquefortius aureos montes adferebat; *Viquef.* *Si fœdere Gallis innecti velit Elector, statim Ulteriorem Pomeraniam cum oppidis Marchicis, simul Halberstadium & Mindam ei traditum iri, adjecta annua eaque grandi pecuniæ summa.* Galli dehinc cum Svecis ea super re locutos se ferebant; sed hos excusasse, militaria ista apud duces bellicos, aut Reginam quærenda. Addidisse tamen, eadem vix impetranda. Nam si Svecico exercitui accepta aliqua clade in Pomeraniam refugiendum sit, Cæsareis ingens commodum, sibi maximam molestiam proventuram istis locis ab Electore insessis, qui eadem adversus Cæsarem amicum extremis viribus defensurus haut sit. Quod & ipsum Electoris ditionibus damno futurum sit. Unde satius esse, omni studio ad pacem urgendam incumbere. Sed revera Sveci Electori parum fidebant, quibus nondum de Spandoa exciderat, qua Electoris patri ab ipsis restituta hic in Cæsaris partes transierat. Sed & Oxenstierna ultro arguebat; rumorem esse, Electorem Bavari exemplo inducias renunciaturum. Simul missio Kleistii in aulam Cæsaris altius penetrare videbatur. Sed & omnia solicite circumspectantibus scrupulum injecerat Schlezerus Hafniam missus; cui tamen nil aliud negotii erat, quam ut a Rege Daniæ obtineret, quo naves Borussicæ, dum Oresundam transeunt, non durius quam Belgicæ habeantur. Nam talia obtentui sumi dissimulantis majoribus destinatis in deteriora credenda proni interpretabantur. Nec minus suspectum habebatur, quod Melander Cæsareus dux Westphalia in superiorem Germaniam tendens, Electoris colloquium ex itinere petierat; qui declinare id non poterat, cum e Gallia & Svecia missis accessum præberet.

Gallorum suspiciones discutiuntur. §. 21. Præter ista Gallos suspicione perstrinxerat Ribencurtius, ab Archiduce Leopoldo Wilhelmo Belgii tunc Gubernatore Cliviam missus, ut pro Schvvartzenbergio Comite apud Electorem intercederet. Unde a malevolis, aut vana fingere avidis spargebatur; Electorem copias Archi-Duci sociaturum, & ab eo supremum in copias Cæsareas imperium per Westphaliam susceptum. Augebat suspicionem, quod cum Elector antea Hagæ de fœdere cum Gallia posuisset, hactenus de eo nihil amplius movisset. Qua de re Galli sciscitatum ad Electorem miserant; qui misso scriptam declarationem tradebat, qua Galli satisfactum sibi profitebantur. *Sibi verti vitio non posse, si citra fraudem Galliæ amicitiam Hispanorum haut aversetur velut vicinorum, ne noceant. Cæterum ita hactenus consilia se sua temperasse, ut sinistris suspicionibus onerari haut debeat.* Vicissim querebatur, expetitum titulum adhuc a Gallia sibi negari. Unde sibi necessitatem impositum iri ultro oblatum Regi Majestatis vocabulum retractandi: tum quod sibi Hagæ agenti

1647. agenti Servientus visitationis honorem non exhibuisset; id quod Longuevillius quoque, & Avauxius improbabant. Circa titulum Galli minorennitatem Regis obtendebant, qua durante ministris haut fas esse circa talia quid novare. Promittebant tamen ea de re in aulam se scripturos. Circa intermissam visitationem Servientus excusabat; *istam se Electori denunciandam curasse; sed quia a Kleistio intellexerit, in receptione, sessione, & deductione ita se non posse tractari, uti in mandatis habeat, satius duxisse istam omittere, quam aut Electori displicere, aut Regis se reprehensioni obnoxium reddere. Nam priorem incessum & dextra manus honorem sibi denegatum, cum tamen nuper Dania Rex Thuillerio Legato Gallico priorem locum citra controversiam dederit; quem eundem & Regina Svecia primum in mensa locum occupare voluerit, id quod iste ob reverentiam sexus recusarit.* Sed nostri ostendebant, *exempla disparia esse. Nam Thuillerium ad Regem Dania, Reginamque Svecia cum literis fiduciariis & mandatis missum, & utrumque in ipsorum terris ac regiis invenisse; unde par fuisse hunc ab iis tali honore excipi. Sed Servientum ad Electorem haut missum fuisse, nec ad hujus aulam venisse; sed istum Regis sui negotiis occupatum Haga egisse, quo & Elector post accesserit; unde utrumque velut hospitem in tertio loco simul commoratum. Eoque facile judicatu esse, quid hoc casu inter Electorem, & legatum Regium decuerit.* Ad quæ Servientus quid reponeret nihil habebat, nisi quod ad mandata sua provocaret. Sed & post Elector legatis Gallicis exprobrari jubebat, quod literis ad ipsum datis non aliud vocabulum adhibuissent, quam quo etiam homines de plebe in Gallia honorari solent (*Monsieur.*) & quod sub finem vocabula adfectum testantia (*cortesiam* Itali vocant,) manu scribæ adjecissent. Id quod isti excusabant; se non aliud honoris vocabulum adversus Coloniensem & Bavarum Electores adhibuisse; & circa subscriptionem idem adversus Regem usurpari, quin in Gallia vitio dari, si quis ad majorem scribens *cortesiam* per alium exprimat, quam cujus manu tota epistola scripta sit. Contra & Galli in instrumento ratificationis ab Electore exhibitæ ferre nolebant, quod is titulo Regis Christianissimi adjecisset *Domino Cognato & Affini nostro colendissimo.* Sicuti & e Saxonica ratihabitione verbum *consanguinei* delendum fuerat, promtis ad id Saxonibus, qui tunc Galliæ admodum blandiebantur, captando ejusdem circa Juliacensem causam faveri.

Cum Cæsaris super evacuando Hammo acta. §. 22. Hammo Marcani Comitatus oppido ut Cæsareum præsidium deduceretur, cum antea sæpisisme institerat Elector, tunc eo accrius urgebat, quod collectas copias Clivici Ordines diutius alere abnuerent, quas Elector augeri potius, quam dimitti e re ducebat. Id negotium velut militare Legati Cæsarei a se rejecerant. Sed idem Melander, qui cum Elector congressus fuerat, abrupte negabat, acriter ex adverso contendens, ut idem cum Cæsare, Bavaro, & Coloniensi arma conjungat. Cui ista subinde ingerenti demum Elector reponebat; si ipse per hanc cum Cæsare conjunctionem ditionibus suis exuatur, num Cæsar alias daturus sit? Alias ejus viri ferocia Electori non parum displicebat, inter multa vana jactitantis, se Svecos vel solis suis equisonibus Pomerania ejecturum. Cæterum ejusmodi armorum conjunctionem res Electoris tunc non ferebant ac Joannes Philippus Schœnbornius, recens tunc Elector Moguntinus creatus, enixe dissvadebat; nullas causas esse, quare in bellum adversus Svecos erumpatur, quamdiu ulla pacis spes supersit. Tum & consilia ipsius ad pacem spectantia magnopere probare; ac id omni modo urgendum, ut cum Trautmansdorfio conventa serventur, insuper habita quorundam sacerdotum contradictione. Nec fieri posse, ut plerique & potentissimi Ordinum ad arma cum Cæsare jungenda permoveri queant. Sibi autem recentissimis Electorum cumprimis ad pacem incumbendum, quibus diutissime hacce fruendi spes sit. Cæterum cum Electori magnopere cordi esset, ut Hammo potiretur, Evvaldum Kleistium in aulam Cæsaream mittebat petiturum, ut Cæsareus miles eo oppido deducatur, cui Königsmarckius immineat, qui tamen pollicitus sit, ejus se obsidium in præsens dilaturum, ubi præsidium Cæsareum decesserit; simul idem medii status beneficio fruiturum, si Electoralis miles impositus sit. Tum ut tributa e Marcano & Ravensbergico Camitatu in usum præsidii Hammensis hucusque exacta remittantur, quibus Elector ad proprium militem sustentandum opus habeat. Hammo quippe ab hostibus expugnato sibi facultatem adimi aliquid copiarum parandi, quibus Cæsari ac patriæ officii quid præstare queat: ac Svecis viam inde præbitum iri toti Westphaliæ subigendæ. Satis quoque cautum esse Cæsari, si id oppidum in fidi Electoris manu sit, accurate custodiendum, ne in hostium potestatem perveniat. Tum Cæsareis transitum quotiescunque voluerint, concedendum. Ni hoc impetret, ex pacto Landgraviæ Calcariam restituendam. Si Cæsar, quod & antea factum, postulet, ut Elector copias secum societ, ac suscepto in Westphalicum exercitum imperio rem in Svecos, eorumque socios gerat; demonstraret Kleistius, id præsenti suarum terrarum conditione fieri non posse, ac Cæsari & imperio nulli fructui, sibi suisque ditionibus exitio cessurum, Marchia Svecorum libidini exponenda. Eodem nomine Joachimus Fridericus Blumenthalius a Cæsare ad Electorem missus fuerat, cui hic liquidum responsum dare noluerat, antequam quid Kleistius obtinuisset, intellectum foret. Sed & a Coloniensi petierat Elector, operam suam interponeret evacuando Hammo, & remittendis tributis, cui iste misso Furstenbergio ea lege promittebat, si Elector copias cum Cæsare jungeret; alias ægre ista obtentum iri. Porro apud Kleistium, quem multa cum humanitate Cæsar audierat, hic tempora excusabat, quo minus præsidium deduci possit. Nec vero aliam viam esse extraneos pacis osores eliminandi, quam ut omnes Ordines vires secum jungant. Ministri quoque Cæsarei varia causabantur: A Königsmarckio nullum periculum; Cæsari non satis cautum; ac nota esse exempla eorum, qui post deducta oppidis suis Cæsarea præsidia fecerint, quicquid lubitum fuerit. Ac satis adparebat Bavari conjunctione ei aulæ spiritus accessisse. Tum quærebant, num quid amplius in mandatis habeat? Et Kleistio 1647.

 negante

1647. negante dicebant; *difficile fore Cæsari tam langui-da Electoris declaratione Hammum reddere; nec adparere, quare in præsens ea res tam fervide quæratur. Nam si pax fiat, Istum id oppidum ultro recepturum. Si bellum maneat, facile habiturum quod velit, si Cæsari copias conjungat. Nam ut neutrarum partium maneat, vix concedendum, cum Sveci Hassique circumjecta regione pro lubitu usuri, ac longe lateque Lipstadio excursuri sint.* Nec urgere desistebant; *haut aliter sibi persuaderi, quam Hammense negotium obtentui sumtum, & secreta mandata super conjunctione cum Cæsare in Svecos data. Nam gravissimas rationes Electorem huc ducere, siquidem isti pacem adspernari pergant; præsertim Cæsare per Bavarum jam firmato, ac Svecorum rebus statim collapsuris, ubi vires ipsorum in Pomerania distracta fuerint.* Sed cum talia sibi mandata Kleistius negaret, isti reponebant; a Cæsare initium conjunctionis factum: spem esse Electorem bona sua agniturum, ac oblata haut repudiaturum. De quo antequam certi quid intelligatur, vix expetitum responsum expectari posse. Gemina ipse Cæsar per literas Electori ingesserat. Inde scriptum responsum Kleistio tradebatur: *Hammum sub sola medii status lege evacuari non posse, lubrica hostium fide; præsertim cum Cæsar omnes Ordines adhortaturus sit, ut omisso ambiguo statu junctis cum ipso viribus rempublicam amplectantur. Si tamen Elector copias Cæsari sociaverit, simul demonstraverit, qua ratione id oppidum adversus hostem defendi queat, concesso quoque Cæsareo militi transitu, Cæsarem ipsi gratificaturum; quod tamen citra fraudem fiat eorum, qui jus in Juliacenses ditiones prætendunt.* Sed hac declaratione non contentus Kleistius ulterius urgebat: ni petitis annuatur, nullam facultatem esse Electori copias, quæ alicujus momenti sint, parandi; pollicitus

1648. insuper; si oppidum id ab hoste impetatur, &

25. Febr. Elector ei tuendo non sufficiat, Cæsarea arma in auxilium evocanda. Ast cum iste in sequentem usque annum laxis pollicitationibus differetur, Kleistius demum erumpebat; ni Cæsarei ultro tributis exigendis desistant, Electorem vi istos prohibiturum. Et mox cum Lamboius haut eo minus pecunias vi extorquere institueret, Elector in ultionem vicos quosdam Coloniensis ditionis diripi jussit. Id cum altius penetrare videretur, Belgis præsertim intervenire instituentibus, qui non sine minis ad Coloniensem eo nomine scripserant; Cæsar moderationem tributorum polliceri, & præfectum Hammi Electoris jussibus obnoxium fore; simul cum Cæsareis in Westphalia ducibus super sustentandis Electoris copiis agendum. Ac præcipuum scrupulum esse, ne alii Ordines hoc exemplo itidem tributorum remissionem expostulent. Tum super armorum conjunctione ingeminari haut cessabatur. Sed Kleistius ista repudiare. Nam si vel unum uncialem Cæsarei exigant, Svecos & Hassos idem facturos. Qui & jam tributa remiserint ea lege, si

28. Mart. idem a Cæsareis fiat; qui nunc, ubi hos tergiversari intellexerint, eadem iterum exacturi sint. Quo fine literæ talia denunciantes fingebantur. Post e Kleistio quærebatur; num post Cæsaream declarationem ab Electore nil mandati super armorum conjunctione allatum sit? Nam hunc Melandro de ea spem fecisse certis sub conditionibus, quæ jam magnam partem extent. Cæsarem 1648. quippe omnia ad pacem contulisse, quam exteri acceptare detrectent, & metum esse, ne arma eousque in manibus tenere velint, quoad Imperium plane pessumdederint. Cæsari autem, cui soli onera belli incumbant, vitio haut vertendum, si haut temere tanti momenti locum citra idoneam cautionem amittat. Sed si ad conjunctionem Elector descendat, rem facile successuram. Kleistius, super hac nil sibi mandatum. Sed probe perspicere, si in tantilla re tam morosa circumspectio adhibeatur, Electori longe plus considerationis adhibendum in negotio, quod summam rerum spectet. Et quia ingens ex hac tergiversatione diffidentia erga Electorem pellucebat, discedendi veniam exposcebat. Sinistre porro a Cæsareis acceptum fuerat, Belgas huic se negotio immiscere, qui eo nomine literas ad Cæsarem scripserant, velut Cæsar hac ratione vi compellendus esset. Id quod Kleistius non Electoris instinctu, sed ultro a Belgis factum excusabat, subigentibus ejus reipublicæ rationibus; & ipsi Electori tolerandum provinciales ad Belgas velut patronos respicere. Proponebatur inde; remitti contributiones pos- 29. April se, sed ne id in Exemplum trahatur, publice simulandum, istas adhuc exigi. Et mox a Cæsare responsum editur: tributa in duobus Comitatibus cessatura. Sed Hammum in præsens reddi non posse. Mox evacuando Hammo hæc lex dicebatur; ut Elector extremam Instrumenti Pacis formulam a Cæsareis Osnabrugæ exhibitam, & inprimis §. *Tandem omnes* adprobaret; quippe qui totum Cæsaris statum, ejusque securitatem ac præcipuos ejus ministros, exulum spoliis locupletatos, tangeret. Sed id negotium jam ex voto Cæsaris compositum erat; etsi Elector censuerat, id haud quidquam ad Ordines referendum, sed inter solos Cæsareos & Svecos expediendum, ut ejusdem invidia in hosce redundaret. Re tamen apud Ordines proposita rationis duxerat, propter paucos exules, delicti 4. Jul. non plane immunes, bellum cum exitio patriæ haut continuandum. Cum res adhuc traheretur ac Kleistius subinde discessum urgens blandis verbis attineretur, demum a Cæsare alia declaratio datur: *Hammo præsidium deducendum iis legibus; ut Cæsareis per id transitus hinc inde concedatur quoties velint, hostibus denegetur: Si id oppidum impe-* 11. Maji. *tatur: denique ut Elector formulam Instrumenti Pacis a Legatis Cæsareis auxilia petantur: denique ut Elector formulam Instrumenti Pacis a Legatis Cæsareis nuper editam ex asse probet, idque Osnabrugæ apud Svecos declaret, & ad eandem tuendam una cum aliis Ordinibus incumbat.* Ex his priora Kleistius facile annuebat; sed postremum deprecabatur. Nam cum Ordines magno jam studio super Instrumento isto consultent, ejusmodi præjudicium non modo effectu cariturum, sed in dubium revocaturum sinceram intentionem, de qua Cæsarei tanta cum asseveratione testati sint, ipso quoque Instrumento in suspicionem vocando, ac Electoris apud Ordines autoritate & fide in compromissum deducendo. Tum Regios ansam arrepturos pari ratione aliorum suffragia sibi pignerandi. Denique Hammo cum tractatibus pacis nihil

1648. nihil cognationis esse. Ad extremum dum Kleistius declarationem nullis conditionibus scriptam exposcit, sive detur, seu minus discessurus, nec ista ludibria Electore indigna diutius toleraturus; nuncius de intercepta per Königsmarckium Pragæ parte advolat. *31. Jul.* Unde abrupta cauponatione in traditionem Hammi consentitur ea duntaxat lege, ut Cæsareis transitus concedatur, ac ubi impeti id contingat, a solis Cæsareis auxilium exposcatur. *11. Sept.* Nec mora ad Lamboicum mandata mittuntur, ut præsidium Cæsareum inde deducat; quod & mox effectui datum, ac oppidum Electori traditum. Svecis tamen, ne forte ea res suspicionem injicere posset, demonstrabatur; *leges traditioni ejus oppidi adjectas ipsis fraudi non esse, cum apud Lipstadium fluminis Lippiæ transitum ipsis pateat; ac penes Svecos sit prohibere, ne Cæsarei in auxilium evocentur; si isti obsidium oppidi omittant, ad quod suscipiendum nulla belli ratio subigat.* Cæterum quare ita enixe istius oppidi evacuationi Elector insisteret, arcana causa suberat, accurato silentio prætnenda, ne ista evulgata ultro monuisse videretur, qua parte noxa sibi inferri posset. Scilicet metus erat, ne Cæsareus ibi miles mutato in speciem sacramento Saxonicum se professus possessionem Comitatus Marcani & Ravensbergici nomine Electoris Saxoniæ arriperet, quam is quondam incassum affectaverat.

De Juliacensi causa. §. 23. Cum porro Juliacensis controversia neque ad præsens bellum spectaret, & jam antea sat arduis negotiis conventus iste insudaret; sub finem tamen Sveci in gratiam Caroli Gustavi Palatini non sine vehementia instabant, ut Bipontina quoque Domus inter partes litigantes cum Brandenburgica, Neoburgica, & Saxonica exprimeretur. Id quod Electori eo plus scrupuli injiciebat, quo validiore exercitu competitor iste foret succinctus. Unde legatis suis injungebat, juncto cum Saxonibus & Neoburgicis consilio eniterentur, ut quæ verba in Bipontinorum favori Sveci inserere conabantur, iterum dispungerentur. Id ubi obtinere non posfint, demum citra anxietatem consentirent. Nam Bipontinos ea nominatione non plus juris nancisci quam antea habuerint; nec aliis præjudicium inde nasci, cum isti utique ab initio inter consortes litis nomen suum professi sint, apud Judicium Cæsaris Aulicum scripto asserere conati; quæ in ditionibus Juliacensibus feudalia reperiantur inter Neoburgicum, Bipontinum & Burgaviensem tripartito, allodialia inter jam dictos & Brandenburgicum quadripartito dividenda. Quam intentionem, tam Brandenburgici, quam Neoburgici solidissimis rationibus dudum destruxerant. Demum expeditissimum visum nullam Partium nominatim exprimi. Haud eo secius post conclusam jam pacem Carolus Gustavus apud Cæsareos, Reginamque Sveciæ institerat, ut & ipse se in possessionem istarum ditionum ope Svecicarum copiarum immittere posset. Cuius & Pater Joannes Calimirus jam dudum cum agnato Palatino Bipontino egerat, ut huius actionem in Clivicas ditiones in se transferret. Qui & sequenti anno apud Kleistium Electoris legatum de eo conatu haut inficiatus fuerat; addito, jus successionis Bipontinæ Domus privilegio Caroli V. fundari; eo dum *provisionalis* possessio a reliquis capitur, 1648. peculiari scripto anno 1610. de suo jure sibi cautum; ac e postrema inter Electorem & Neoburgicum conventione inique se exclusum. Unde vitio sibi verti non posse, si aliquando frui cupiat jure sibi debitis, quibus hucusque carendum fuerit. Eoque se id agere, ut totius Bipontinæ Domus jus redimat; inde cum possessoribus amicam transactionem, aut aliam viam tentaturus. Ast iste conatus & a Cæsareis repudiatus velut flammam belli vix sedatam instauraturus: & Regina, ut quid per vim in ea causa susciperetur neque autoritatem, neque vires suas accommodare volebat.

§. 24. Coëunte jam inter Hispanos Belgasque pace Elector horum præsidia occasione belli oppidis quibusdam Clivicis immissa deduci par judicabat, velut cessante causa; id quod etiam conventio, quam Electoris Pater cum istis iniverat haud obscure innuebat. Ac Electori ex obligatione, qua Imperio tenebatur, incumbebat operam dare, ne ista oppida limitanea in alienam ditionem concederent. *Circa dimovenda oppidis Clivicis Belgarum præsidia frustra agitatur.* Et quia hæc res difficultate haut caritura metuebatur, Elector legatos suos apud Cæsareos, Ordinesque, imprimis Coloniensem & Neoburgicum, nec minus apud Hispanos instare jubebat, ut hi velut proprio instinctu deductionem istorum præsidiorum post pacem conclusam urgerent. Et Cæsarei quidem, etsi Belgas ægre huc permoveri posse judicarent; haut tamen e re ducebant plane tacere, ne istorum usurpatio silentio adprobata videretur. Sed cum ea res a reliquis languide ageretur, Elector Hagam legatos mittebat Philippum Hornium, Ottonem Suerinum, Wiricum Bernsavium & Joannem Portmannum, qui una cum fœdere antea proposito id quoque negotium perficerent. *April. Wiric. Bernsav.* Enimvero istud tunc fœdus præcipue ad deductionem illorum præsidiorum adhærescebat, quibus certum tempus præfigi Elector volebat; & quia Belgæ defensionem ad Prussiam, Marchiam, Pomeraniamque porrigi abnuebant, velut nimium remotas, cum priora fœdera Clivicas duntaxat ditiones complexa essent. Sed & ipsi Ordines Clivici urbes istas in Belgarum, quam Electoris manibus esse malebant, qui & apud Ordines Generales petierant, ne quid eo fœdere in fraudem suorum privilegiorum constitueretur; quæ ab istis sarta tecta, prout receperant, præstari commode nequeant, præsidiis istis deductis. Belgarum duritie offensi legati discedebant. *Jun.* Sed paulo post reversi postulabant saltem Emmericam, & Gennepam in præsens reliqua intra decennium evacuanda, si Electori & Ordinibus videatur ea præsidia ob bellum Hispanicum non amplius necessaria esse. Id quod cum Belgæ unice a suo placito dependere vellent, legatique Electori idem contumeliosum ducerent, istis urgendis cum Svecis fœdus hunc initurum minabantur. Sed & hoc ipso nihil magis profectum, sic ut tunc istud negotium una cum fœdere infectum maneret. Haut tamen sine ratione Belgæ oppida ista insidere videri volebant. *Cum Cæsareas ditiones Sequestris vocabulo occupari jussisset, intercepto jam Juliaco oppido, Electore ac Neoburgico rogantibus ad recuperandum* 1610.

Julia-

1648. *Juliacum operam ſe contuliſſe. Poſt orto inter hoſce diſſidio, cum Hiſpani Neoburgico ſtudentes Veſaliam invaſiſſent, ſe Emmericam & Reſam implorante Brandenburgico occupaſſe, ac tuendo hujus juri munimentis firmaſſe, tum ut Regimini Electorali per turbida belli refugium foret. Sed nec præſentia tempora, ut miles inde educatur, permittere. In conventionibus temporariis cum Neoburgico nihil ſecuritatis; ac pacem inter ſe & Hiſpanos non obſtare, quo minus hi Neoburgico auxilium ferant. Nec a Cæſare ſatis cautum eſſe, qui Electorem atque Neoburgicum haut quidquam legitimos poſſeſſores agnoſcat, nondum digeſto dolore, tam opimum bolum ſibi prareptum. Sed nec Electori eſſe facultatem ea oppida tuendi, cum præſidiis alendis oppidani haut ſufficiant, modico quoque patrimonii Principalis proventu.* 1631. *Ac imperatis tributis provinciales fremere velut violatis privilegiis ipſo Electore firmatis per quæ hic nec oppida præſidiis, nec provinciam tributis onerare debeat. Quin ſe, quando reliqua earum provinciarum loca reſtituerint, Veſaliam, Reſam, & Emmericam excepiſſe ſuo præſidio inſidendas, Cæſare, Hiſpano, Electore, & Neoburgico conſentientibus. Harum reſtitutio ſi nunc importunius poſtuletur, ſibi fas eſſe impenſas munitionum repetere, quibus nullo tractatu cum Electore renunciaverint. Saltem jure retentionis integrum ſibi fore iiſdem incumbere, quoad grande æs alienum fuerit diſſolutum. Equidem iſta præſidia magnis ſumtibus ſibi alenda: tanti tamen eſſe clauſtra provinciarum ſuarum in tuto collocari.* Nec plus circa fœdus proficiebatur, utut legati oſtendiſſent, Electorem a Svecis juxta Galliſque in fœdus ſolicitari; quibus autem prius præbere noluerit, quam conſtet, quo fœdus hoc jam ante annum agitari cœptum evaſurum ſit. Nam Belgæ iſta æmulationi accendendæ jactari credebant; eoque omnia Electoris poſtulata tepide accepta, ac circa fœdus tunc nihil promotum.

In Neoburgicum repreſalia.

§. 25. Inter quæ Neoburgicus, inſuper habitis cum Electore conventis, Evangelicos per Juliacenſem & Bergenſem provinciam habitantes gravibus oneribus opprimebat, ne concionatoribus quidem, ædibuſque ſacris parcens. Quorum tutelam cum non poſſet negligere Elector, nec tamen in promtu eſſet remedium citra turbas id malum corrigendi, adhibita talione ad aliam mentem permovere iſtum inſtituit. Quo fine & ipſe paria onera Pontificiis per ſuam ditionem imperat, facile id factum Cæſari atque Ordinibus adprobaturus, quod Neoburgici iniquitas ad iſta confugere ſubegiſſet, ſtatim ceſſatura, ubi hic injuſte imperata revocaverit. Nec eo minus, velut initium injuriæ non ab ipſo profectum foret, Neoburgicus querelam ad Cæſareos detulerat; qui noſtris exponebant; *Colonienſem & Neoburgicum ſibi demonſtraſſe, Electoris edicti ſui in Catholicos per Clivicam provinciam habitantes haut juſte hanc cauſam adducere, quod a Neoburgico paria onera in Evangelicos per Juliacenſem ac Bergenſem provinciam impoſita fuerint. Nam iſtos ab antiquiſſimis temporibus immunitate gaviſas: Proteſtantes autem in uſum ſacrorum ſuorum bona a privatis coëmiſſe, quæ cum onere tranſlata ſint.* Sed noſtri reponebant: *non eſſe quare Colonienſis huic ſe negotio ingerat, quod Elector in ſua ditione nullum præter ſe Ordinarium agnoſcat. De cætero id non odio in diverſa ſacra profeſſos, ſed talionis jure factum: ac ſacerdotes Pontificios, ſi interrogentur, lubenter faſſuros, non habere ſe, quod de Electore querantur, cujus tutela & gratia ipſis abunde allubeſcat. Ac non eſſe, quare recentia Proteſtantium bona ſacra minor favor proſequatur, quam vetera Pontificiorum; cum & hæc antequam Eccleſiæ tranſcriberentur, oneribus obnoxia fuerint.* Cæterum ad hoc remedium ſibi fuiſſe deſcendendum, quod alias Belgæ huic ſe negotio miſturi fuerint, non minus Neoburgici quam ſuo præjudicio, quorum imperium non parum imminuatur, quod iſti quaſi ſuo jure harum provinciarum tutelam ſibi arrogent. 1648.

Circa Poloniam acta.

§. 26. Aſt in diverſa parte curam Electori injiciebant res Poloniæ, invaleſcentibus Cæſareis, & rebellibus ruſticis Tartorum auxilio ſuffultis; qui late graſſantes ingens malum ei regno minabantur, Boruſſiam demum, ni ſiſteretur, contagio afflaturum. Et gliſcebat periculum, quod circa id tempus fato functus eſſet Uladislaus Rex, fortitudinis laude inſignis, Polonis circa eligendum novum Regem in factiones diſtractis. Ei malo occurrere Elector majore ſtudio, quam ſucceſſu nitebatur. Nam ut Boruſſiam milite firmaret, Polonis inde pro re nata ſubventurus, a Belgis copias, queis pace cum Hiſpanis facta ipſi non amplius opus habebant, ſimul ducenta uncialium millia mutuo petebat in ſecuritatem crediti vectigal Pillavienſe oppigneraturus. Sed Belgæ cum aperte negare nollent, ea lege conſentire ſe ferebant, ſi apud Ordines Generales pecunia inveniri poſſit, quæ nulla erat; ac ſi pignus idoneum detur, cum negarent, penes Electorem eſſe, id vectigal oppignerare citra conſenſum Polonorum, ac Boruſſiæ Ordinum. Quæ ludibria honeſtiorem negandi modum Belgæ ducebant. Mazarinus quoque Cardinalis ſuper eadem ſumma credenda appellatus præter blanditias, & pollicita laxa, atque in futurum prominentia nihil præſtiterat, exhauſto tunc Galliæ ærario. Sed & aliud impedimentum objiciebant Sveci, apud quos cum Elector Oſnabrugæ per legatos ſuos poſtularet, ut ipſorum conſenſu per eorundem ſtativa manum aliquam in Boruſſiam traducere liceret; hi abnuebant, haut diſſimulantes eam Sveciæ ſuſpectam fore, velut adverſus Livoniam aut alibi in hujus fraudem adhibendam. Quibus incaſſum noſtri occinebant; tot ſinceri ſui animi ſpecimina Electorem edidiſſe, ut merito iniquis ſuſpicionum ſuperſederi debeat; cum præſertim manifeſtæ ejus facti cauſæ adpareant, atque id conſervatio Boruſſiæ tam ambiguis Poloniæ rebus magnopere deſideret, Ordinibus quoque Poloniæ ipſum enixe in auxilium ſolicitantibus. Quin & eundem ſæpe fœdus ſuum Sveciæ obtuliſſe, quæ iſtud non repudiaverit, ſed ad pacem usque diſtulerit, ut merito pro Sveciæ ſocio haberi debeat. Atque ideo Electorem juſſiſſe Legatis Svecicis communicari, a ſe militem & pecuniam apud Belgas quæri, ne diſſimulando ſuſpicionem excitaret. Sed Salvius reponebat: ſibi quidem de animo Electoris ſatis conſtare, cujus & interſit Sveciæ amicitiam colere; cum ſatis conſtet quid Poloni tempore Sigiſmundi Regis in Boruſſiam, Curlandiam, & Radziviliana bona machinati ſint, quod

1648. quod non aliter quam Gustavi Adolfi Regis autoritate, suo ministerio impeditum sit. Ac se jam in Sveciam scripsisse, ut apud ministros Reginæ insolitas adversus Electorem suspiciones extirpet. Dehinc & Electoris jussi nostri proponebant, supremos Borussiæ consiliarios ad firmitatem induciarum inter Sveciam & Poloniam facturum judicasse, si istæ hoc tractatu obiter ratæ haberentur. Sed id adspernabatur Salvius; quod controversia inter regna ista Germaniam haut tangat; nec rupturæ periculum sit, modo Poloni eo nomine ad Reginam literas dent; quæ responsura sit, inducias a se sancte iri servatum: id quod Polonis sufficientis instar cautionis sit. Sed & quia haut temere ominabatur Elector, controversiam inter Svecos & Polonos atrox in bellum erupturam, ni mature composita foret; tentandum censebat, num forte interregni tempore ei sopiendæ occasio arrisura sit; cum nondum esset, qui utrumque usurpatum Sveciæ titulum iterum deponere ignominiæ sibi duceret. Igitur nuntiata Uladislai morte e Legatis Svecicis percontabatur, num gratum Reginæ sit futurum, si ipse operam suam paci inter ea Regna
7. Aug. conciliandæ interponere instituat? Quam Regina acceptam sibi multa verborum humanitate declarabat; utut apud Curlandiæ Ducem eos tractatus parum sibi cordi esse ostendisset; ac Veneti ideo ad sequestris munus obeundum admissi viderentur, ut ob controversiam super præcedentia Elector inde protelaretur; Salvio licet excusante, Reginæ de ista controversia in mentem haut venisse. Et mox cum Regina Ericum Sparrium super isto officio ad Electorem mitteret, hic promtam suam operam offerebat; ut tamen difficultatem super præcedentia ostenderet; præsertim cum & Belgæ sequestres adsciti essent. Nec minus apud Polonos id negotium urgebat Elector, velut ad salutem ejus regni cumprimis facturum, si durante interregno pax perpetua cum
Hoveri. Svecis ineatur. Quam in rem ipse sequestris operam suscipere paratus erat, si utrique parti ita videretur. Hoverbequium tamen apud Polonos id agere jubebat, ut hi in eam rem ipsius operam requirerent, quo negotium majore cum autoritate gerere posit, quam si ultro sese ingessisse videretur. Cæterum multum facilitatis tractatui allaturum, si Joannes Casimirus titulum Sveciæ deponat, aut saltem suspendat.

Alia circa electionem Joannis Casimiri. §. 27. Idem Joannes Casimirus cubicularium suum Evvaldum Sackium ad Electorem miserat, suffragii ambiendi causa; circa quod Elector huic lubenter gratificabatur, ab eodem vicissim quædam stipulatus, de quibus is explorata jam
Sack. 6. Oct. spe regni scripto cavebat. *Se Electori, ejusque Domui & posteris sarta tecta præstiturum omnia jura & prærogativas, e pactis cum Regno Poloniæ ipsi competentes, ac nominatim jus sessionis, consilii, & suffragii in electionibus, a quibusdam malevolis injuste impugnatum. Tum ne ipse præsens investituram accipere teneatur, sed per legatos eo ritu, homagiique præstatione defungi possit, quo beneficio & ipsius posteri gavisuri sint. Et quia supremus Regum Deus fiduciariis inter mortales Regibus subjectorum corpora duntaxat ac bona certis legibus subdiderit, imperio in conscientias sibi soli reservato: igitur se regiminis sui tempore Borussis ob* *1648.* *religionem nil molestiæ daturum, simul Reformatis, quia Augustanam Confessionem manu & ore profitentur, semper uti Lutheranis liberum, idque publicum sacrorum suorum exercitium concessurum. Denique & operam daturum, ut quia Electori numerosa præsidia Pillaviæ & Memelæ alenda sint, ad securitatem Poloniæ multum inservientia, vel subsidii quid ei conferatur, vel annua pensio, quæ nomine Borussiæ præstanda est, aut saltem extraordinaria remittatur.* Enimvero Poloniæ Ordines, quibuscum super iisdem rebus Hoverbequius agere jussus erat, Electori jus suffragii abnegare conabantur, velut libertati ipsorum prægrave futurum: & hunc si omnium Reipublicæ consiliorum particeps fiat, suo dissensu omnia consulta eversurum. *De suffragio Electoris.* Nam etsi, quod Hoverbequius excipiebat, jus contradicendi cuivis Nobili competat, id tamen ab Electore exercitum longe plus ponderis habiturum, quam si alius eodem utatur. Nam huic ob gratiam Regis & civium amicitiam contradictione demum desistendum esse; qui respectus in Electorem non cadant. Aliqui ferocius jactabant; extrema potius tentanda, quam id jus Electori concedendum, quo ipsi ad pacem cum Hungaris & Bohemis conditionem deducendi sint. Quin Cosaccorum rebellionem minus periculosam, quæ partem duntaxat terræ decerptura sit; isto summam libertatis peti. Ac Electorem, ubi semel ad Comitia sit admissus, ac vel minimam regni cupidinem ostenderit suffragantibus Evangelicis ita validam factionem habiturum, ut nemini audacia sit futura de alio Rege proponendo cogitandi. Ad quæ respondebatur: quia in Polonia, ut quis legitimus Rex fiat, omnium & singulorum consensus requiratur, in proclivi fore Electori, si ista ambitione agitetur, Nobiles per Borussiam bona possidentes permovere, ut ipsum suffragiis suis Regem nominent, nec iisdem desistant, tanto præsidio freti. Ita eidem saltem in proclivi fore prohibere, ne quis alius Rex fieri queat. Cum nil rationis quod reponerent haberent, demum id more haut receptum causabantur. Alii fas esse negabant, Candidatum regni in loco Comitiorum comparere. Atqui constare, Palatinum Calisiensem, ejusque adhærentes Electori suffragium daturos. Ac ipse Joannes Casimirus ferebat; si electio ipsum prætereat, se Coronam Poloniæ nemini magis, quam Electori optare. Sane inter alios tunc candidatos Elector quoque circum ferebatur, rationibus, uti solet, ut in utramque partem adjectis. *Vires animi corporisque integras, easque eximias, animum fortem, tractandæ reipublicæ usum, benignitatem, liberalitatem, ad laborem impigram promtitudinem; in Imperio Germanico autoritatem & potentiam; fœdus & amicitiam cum Belgis bello jam Hispanico exsolutis; cum Polonis in Marchia, Pomerania, & Borussia viciniam; communes cum Republica rationes circa conservationem intestinæ pacis, & commerciorum in Mare Baltico: copias in promtu, queis Poloniæ adversus ingruentes jam Tartaros, & Cosaccos succurrere queat. Contra obstare judicabatur æmulatio Austriacorum circa incrementa Domus Brandenburgicæ, Svecorum suspiciones quorundam civium metus; Gedanensi-*

1648. *um molimina, quos semper ea cura solicitos habuerit, ne Elector viam inveniat commercia ab ipsorum urbe ad suos portus pertrahendi. Sed præcipuum esse, quod apud Catholicos, quæ maxima pars sit, odium ac diffidentia adversus ipsius sacra tolli nequeat.* Alii contra censebant, jus istud suffragii tanti non esse, ut ideo impensa ducenties mille uncialium facienda sit, si, quod leges regni requirunt, Elector ipse Comitiis interesse velit, pro ratione dignitatis Polonorum paratum superaturus. Sed quia jam nec ipse adesse, nec per legatos jus istud exercere posit, circa renovandam investituram super eodem agendi occasionem fore. Alii disputabant; Electori quidem per pacta jus consilii, & prærogativam sessionis deberi, cui tamen jus suffragii haut necessario conjunctum sit; cum plurimis jus suffragii competat, qui ad consilium adspirare nequeant. Cum igitur certum esset, Electorem ab Ordinibus Poloniæ ad ferendum suffragium haut iri admissum, id temperamenti plerisque ejus fautoribus placebat, ut ejusdem suffragium scriptum & obsignatum exhiberetur, nullo ignominiæ periculo, & citra sumtus. Id quippe si a Gniesnensi Archiepiscopo admittatur, in possessione ejus juris Electorem constitui; sin minus, interposita protestatione id posse integrum servari.

Radzivil. Sed Jano Radzivilio placebat, Electorem ultro ac citra denuntiationem huc venire, ac suo jure uti debere; ubi ipse cum sibi addictis pro istius dignitate tuenda omnibus viribus sit connixurus: ac neminem fore, qui præsenti sese opponere sit ausurus, ubi serio rem agi viderit. Alias enim qui dubitanter petat, viam ad repulsam parare. Eo tamen casu Gniesnensi Archiepiscopo loco cedere haut dedignandum, velut qui interregni tempore personarum reipublicæ repræsentet; id quod & Electoris pater fecerit. Denique & aliqui proponebant, ut Elector aliquem candidatum commendaret, ac simul eidem suffragium suum adderet, quo ipso jus suum exercuisse censendus sit. Sed obstabat, quod Poloni conventionem inter se iniissent, hostem patriæ & communis libertatis habitum iri, qui ante tempus a Gniesnensi constitutum Regem nuncupaturus sit: & quia hoc modo præmature declaraturus erat, utri e duobus fratribus competitoribus Joanne Casimiro, & Carolo addictus foret, non sine gravissima alterius offensa. Enimvero Electori rationes, quæ contra jus suffragii adductæ fuerant, debiles admodum videbantur. Sane nunquam sibi in mentem venisse liberæ Ordinum electioni quid derogare. Nec jus istud abdicare placebat, velut suo fastigio inferius. Id tamen utique adparebat, præsentiam ipsius multum momenti allaturam obtinendis suis desideriis, & componendo inter fratres regios dissidio; quam & alias confusus Poloniæ status, & imminens inde Borussiæ periculum exigebat. Sed quia res Germaniæ istud iter haut ferebant, ac Poloni Comitia properabant ob tumultus Cosaccicos, ac ut Ragozii machinationes perverterent, quem Arriani, & Russi ad regnum evehi cupiebant; placebat scripto suffragium ferre. Id si reciperetur, habere quod velit, sin minus, protestationem interponendam ob omissam ad Comitia invitationem, & suffragii negationem, uti & ipsius pater electione Uladislai fecerat. Præter ista Elector Legatis suis Joanni Hoverbequio, & Carolo Friderico Oelschnitzio injungebat apud novum Regem agerent, ut sibi per legatos ritu renovandæ investituræ defungi liceat; utque ad ipsius successorem primarius quispiam Senator Regium Montem mittatur, apud quem is homagium præstare possit. 1648. 1633. Oelschn.

Cæterum Legati ad Ordines, quos Serenissimæ Reipublicæ vocabulo honorabant, tecto capite verba faciebant, quæ magis formam suffragii quam commendationis habebant, ut quanquam Joannis Casimiri nomen non exprimeretur, quo facto Elector suffragii jure excidisset, ita tamen innueretur, ut facile ab omnibus intelligi posset. Et sane ut hic corona potiretur, Hoverbequius præstabilem operam navarat, pertractis in partes ejusdem multis proceribus e Majore cumprimis Polonia, sic ut ipse fateretur, quod corona Poloniæ potitus sit, id post Deum Electori se debere. 7. Nov.

Suffragium porro Electoris scripto conceptum justo temporis articulo oblatum fuit statim post hymnum Sancti Spiritus decantatum, atque Gniesnensi in manus traditum, præsente Jano Radzivilio. Idque Præsul acceptavit citra contradictionem, hoc dato responso: *Serenissimus Elector & Dominus vester habebit suas cum aliis partes:* super quo exhibito legatis scriptum testimonium tradidit. Quod tamen contradicentibus Ordinibus juxta alia electionis acta impressum haut fuit. Ac dicebat nostris Ossalinius Magnus Cancellarius: *se mirari satis non posse civium suorum imprudentiam, ac scævitatem ingenii, quod non intelligant quanto ipsis honori sit, tam potentem Imperii Electorem comitiorum suorum participem habuisse. Ac si is candidatum quempiam aliquot militum millibus fulciat, non minus ipsos periculum manere, quam quod e suffragio metuant.* Quia autem Electoris suffragium a Gniesnensi acceptatum fuerat, ideo protestatio non contra Rempublicam dirigebatur, sed contra secretarium, qui acta composuerat. In literis autem queis legatis a Republica testimonium dextre confecti negotii dabatur, nostri ea verba poni volebant, electum esse *ad mentem* Serenitatis suæ Joannem Casimirum, non *ad desiderium*, quæ formula ad extraneos in hoc negotio adhiberi solet, ut Elector hoc ipso ab extraneis distingueretur. Cæterum Elector novo Regi, Reique publicæ per legatos suos diligenter ingerebat, ut circa Sveciæ titulum parum difficultatis moverent, nec circa instituendos de pace tractatus moras necterent; tum ut Cosaccos concessis ipsorum desideriis quamprimum pacarent. Alias enim facile tertium quempiam, turbidis Poloniæ rebus allectum, interventurum, qui huic juxta atque Borussiæ irreparabile damnum sit illaturus. Quod fidum prudensque consilium neglectum immensa mox mala Poloniæ peperit. 17. Nov. Ossalinski.

Sequenti mox anno investituræ ritus renovatus fuit per legatos Electoris jam dictos, adjuncto Wolffgango Creitzio; quibus eo actu duæ priores ingeniculationes in honorem Electoris remissæ sunt; ac post peractam cerimoniam in conclavi Nuntiorum Terrestrium primus legatorum Creitzius Regi ad latus, cæteri paulo remotius, tecto omnes capite assederunt, pari cum Legatis Regiis honore habiti. Sed circa donaria Aulæ officiales magna cum importunitate nostros 15. Febr. 1649. Creitz.

1649. nostros urgebant, sic ut ducenta millia florenorum Polonicorum in eam legationem impendenda fuerint; e quibus nonaginta millia Regi donata, ut Electori per legatos hoc ritu renovandæ investituræ defungi liceret.

Pax Westphalica concluditur. §. 28. Interea pax in Westphalia demum ad finem perducta erat, Electore cum primis acriter connitente; qui & toto isto tractatu sententias dici jusserat, ad salutem patriæ, ac libertatem Ordinum, sacrorumque securitatem quam maxime facientes, declinatis aut disturbatis consiliis, quæ ad bellum alendum subinde coquebantur. Quæ inter erat, quod extremo tractatuum anno, cum pax nutare videretur, a quibusdam proponeretur, ut ab Evangelicis Ordinibus exercitus viginti quatuor millibus constans conscriberetur, qui ubi Cæsar forte cladis quid acciperet, Svecorum vires librare posset. Quod consilium Brunsvicenses præ reliquis commendabant. Sed Saxo id declinabat, quod pecuniis suis parceret; nec minus Elector, quod a suis rationibus plane abhorreret armis cum Svecia collidi; nec ad extrema descendere expediret, nisi alia omnia incassum prius fuerint tentata. Nam etsi paratus iste armorum neutri se parti addicturus esset; judicabant tamen prudentes, ni pax brevi sequatur, declinari non posse, quin alterutri parti accedatur. Quia porro Electoris multum intererat Hispanos si non amicos, saltem haut infensos habere, quos pace Westphalica valde offensos constabat; ad Archiducem Leopoldum Wilhelmum Belgii tunc Gubernatorem *5. Febr. 1649.* Otto Sverinus Bruxellas mittitur, qui excusaret, *commoda Hispania ad Circulum Burgundicum spectantia apud tractatus pacis haut ex voto observata fuisse. Id quippe non alio fine factum, quam ut florentes nimium successus exterorum armorum sisterentur, ac inprimis Cæsarea ditiones imminenti periculo eximerentur.* Cui ab Archiduce responsum: Id factum se jam apud Hispaniarum Regem excusasse. Etsi optandum fuerit, tam fidi, beneque meriti socii majorem rationem fuisse habitam, id quod suo loco relinquat. Nec eo secius se nomine Regis veteri amicitiæ excolendæ operam daturum. Addebat quoque Sverinus; quia Servientus aliquoties ab Electore requisiverit, ut pax inter Hispaniam & Galliam concilianda cordi eidem sit; hunc in eam rem promtam suam operam offerre, si quid eidem promovendæ adferri posse judicetur. Cui Archidux gratias reponere. Pacis moram penes Hispanum non fuisse. De oblato officio in neutram partem, ut satis colligeretur, Electori eodem supersedendum esse. Sed cumprimis Archiduci proponebatur; *Svecos militi exautorando initium facere detrectare, antequam militaris pecunia exsoluta foret, qua per Ordinum inopiam ita brevi corradi non poterat; simul multa adversus pacis leges patrare, suppletis quoque per hospitia legionibus, sic ut Germania majore in periculo post pacem, quam antea versari videatur. Cum autem istorum progressibus præcipuam causam dederit distractio Ordinum, qua a Gravaminibus promanarit; nullum videri efficacius remedium stabiliendæ saluti Germaniæ, quam ut Cæsar, Catholicique Ordines sancte servent, quæ Instrumento Pacis Evangelicis circa Amnestiam & Gravaminum compositionem promiserint, in eamque rem istis idonee caveant, si vel maxime pacem a Regiis abrumpi contingat. Unde Archiducem rogari pro sua autoritate operam conferret, quo Evangelici quamprimum ejusmodi cautione potiantur, citra quam animorum conjunctio inter Ordines haut speranda sit.* Qua de re is apud Cæsarem sese moniturum pollicebatur; idque ab ipso factum indicio erat, quod post a Cæsare ad Electorem literæ darentur, quibus hunc consilium poscebat; quid faciendum, si Sveci militem exautorare, ac infessa oppida restituere abnuant? Quæ cum altius penetrare, & ad instaurandum bellum spectare viderentur, Elector liquidum responsum dare declinabat, id unice hortatus, ut omni ope ad promovendam pacis executionem incumbatur, quod Germaniæ salus plane conclamata esse videatur, si tam diuturnis procellis quassata nunc novos in fluctus retrahatur. 1649.

§. 29. Cæterum ea maxime cura Electorem tenebat, ut quæ tanto labore cum Svecis coierat conventio, citra novas difficultates executioni daretur. Quo fine jam ante conclusam pacem super limitibus in Pomeraniæ regendis Osnabrugæ transigi cupierat, ut nihil restaret executioni pacis remoram injecturum, ex anteactis haut temere conjectans, quod deinceps accidit. Id quod Legati Svecici abnuebant, id in Pomerania expediendum, cum circa talia necessum sit in rem præsentem veniri; & si idem heic suscipiatur, moram paci allaturum. Et cum nostri urgerent, ut saltem delegarentur, qui tantisper id negotium in Pomerania susciperent, negabant sibi potestatem substituendi esse. Ac satius fore circa pacem absolvendam conniti, qua perfecta circa reliqua facile conventurum. Sed & Salvium consulebant nostri; num a Regina postulandum jam sit, ut Electori debita loca, deducto milite Svecico, tradantur? Qui brevi temporis patientia opus esse ferebat, quoad ipse explorandæ menti Reginæ in Sveciam scripserit. Nam nolle se quidquam peti effectu cariturum. Vix tamen persvaderi sibi, Reginam tale quid concessurum, nisi post perfectam pacem. Nec eo secius post hanc Sveci moras nectebant. Conceperant nostri scriptum, quo super tradendis Electori debitis ditionibus, oppidisque, ac regendo limite monebant; simul quæ in conventione expresse cessa non forent, Electori reservata demonstrabant. Inter ista præfectura Stetinensis & Wollinensis erant, quæ una cum oppidis hautquidquam cessa intelligi possint, velut quæ nunquam ad ista oppida, sed ad patrimonium Ulterioris Pomeraniæ Principum spectarint, de quo nihil cessum sit. Quibus accedant multa alia jura, quæ Principibus Ulterioris Pomeraniæ in Citeriorem competierint, de quibus cum Instrumentum Pacis mentionem haut faciat, eadem, adhuc penes Electorem manere. Super quibus multa disceptatio surgebat, Sveci ostendebant, initium reddendi oppida suo milite infessa a superioribus Germaniæ partibus faciendum. Limitem haut prope ripam Oderæ, sed paulo laxius versus interiora provinciæ Electoralis constituendum. Nec Electorem circa *Elector ut sua sibi tradantur laborat.*

 ceden-

1649. cedendam Svecis Piriciam & Colbaciam præfecturas difficilem fore. Nostri contra: verba transactionis sat perspicua esse, nisi quis studio tricari velit. Electorem in plura haut consensurum, quam jam fecerit. Ac hominibus cordatis mirum iri visum, paci tam recenti jam vulnera intentari. Quod si utique obscuri quid occurrat, tertii cujuspiam arbitrio rem subjiciendam. Sveci contra arbitrio opus esse negabant, ac illa prius expedienda, quæ extra dubium posita sint; de cæteris postea videndum. Præfecturæ Stetinensis majorem partem cis Oderam sitam, qua carere ipsi nequeant: minorem partem transflumen haut ægre Electorem concessurum. Si Elector de hac scrupulum moveat, aut ripam quinque pedum latitudine definire pertendat, omnia infecta a se haberi, prout ante conventionem fuerint, ac tantisper se interdicto *uti possidetis* gavisuros. Certe in Svecia aliam decisionem repertum iri. Cum nostri, ut Svecos urgerent, jacerent; ab Electore ratificationem Pacis, ac diploma cessionis tradi non posse, antequam norit, quid Pomeraniæ penes ipsum maneat; Sveci contra negabant, a se ratificationem Reginæ edi posse, antequam cessio non solum Electoris, sed & Marchionum in Franconia exhibita fuerit. Si nostri apud tractatus quædam tacite reservarint, se longe plura reservasse. Quæ jura Ulteriori Pomeraniæ in Citeriorem competierint, Sveciæ cessa fuisse, non vice versa. Nostri contra; cum prioribus Pomeraniæ Ducibus hinc inde quædam jura reciproca fuerint, controversiis prævertendis expeditissimum fore, ut ista jura utrinque velut per compensationem simul omnis communio & mixtura tollantur, & utrique parti sua portio libera tradatur. Quod & Oxenstiernæ placebat; qui tamen post id a se dictum inficiabatur, haut insolens nec timidus verba sua retractare. Sed cum nostri pertinacius instare viderentur, Salvius præter solitum commotior demum erumpebat; *Num memoria anteactorum apud nostros jam exoleverit? Sane Electorem Svecorum ope octo Principatibus potitum, computatis tribus in Marchia præsulatibus, qui per edictum anni 1629. restitui debuerint; quo ipso duplum Pomeraniæ pretium exsolutum sit. Ac ni Rex Gustavus Adolfus intervenisset, nullam Pomeraniæ partem ad Domum Brandeburgicam fuisse perventuram, velut inter alios jam distributa.* Ad quæ nostri: *memoriam benefactorum haut quidquam animo excidisse. Sed amici esse alteri sua conservare, non subtrahere. Quæ de duplo pretio jactentur, Electorem reipsa confutare velle, oblatis Reginæ Magdeburgo, Halberstadio & Minda cum duobus uncialium millionibus, si Citeriorem Pomeraniam reddere velit.*

Elector de permutatione æquivalentium agitat.

§. 30. Ast Elector ex hisce initiis conjectans, quantum sibi controversiarum cum Svecis surrecturum esset, ut semel ista molestia defungeretur super permutandis cum cessa abs se Pomerania tribus præsulatibus agere instituit, grandi pecuniæ summa adjecta. Quam in rem Salvio ingens præmium pollicebatur; si eam permutationem perficere possit. Is initio rem serio agi negabat, quod præsulatus isti non solum Pomeraniæ Svecicæ pretium excederent, sed & opportuno situ continuum tractum Rheno tenus efficerent. Tum penes Electorem haut fore tantam pecuniæ summam repræsentare. Sed cum nostri seria se loqui asseverarent, ac super pecunia in certos dies conveniendum, Salvius differebat; eo casu primarias Pomeraniæ urbes penes Svecos hypothecæ nomine mansuras; ac tribus præsulatibus Caminum quoque & Rugiam insulam addendam. Quæ nostri velut ludibrium adspernabantur; cum id quam maxime ab Electore quæreretur, ut omni communione sublata nil fomitis novas ad turbas superesset. Ita Salvius ad Reginam relaturum se ferebat; magnopere tamen svadere Electori utique addictissimum, *ne id negotium præcipitetur, suo judicio isti haut quidquam proficuum. Hac quippe permutatione ipsius statum valde debilitandum; ditiones separandas, & cum nunc Svecos ex uno latere vicinos habeat, deinceps e pluribus habiturum. Quod si isti e Svecia copias per Wismariam & Rugiam in terram exponere, ac in provincias suas deducere instituant, transitum semper per Meclenburgicam & Marchiam sumendum, perpetuam molestiarum atque offensarum materiam. Sed nec Ordines Imperii id concessuros.* Super eadem permutatione consulti Cæsarei censebant; *a Svecis eam vix admissum iri, utpote qui tanto ardore tractum maritimum quæsiverint. Eandem quoque Electori damnosam magis quam proficuam. Nam utique videri casus iri datum, ut is cessas nunc partes cum reliqua Pomerania consolidet. Sed nec Evangelicos consensuros, quibus extincta familia Electorali circa præsulatus istos spes supersit; quæ plane decollet iisdem in regnum translatis legi mortalitatis haut obnoxium. Periculosum quoque Svecos pedem media in Germania figere, ubi magnos exercitus parare aliosque pro lubitu invadere queant. Igitur satius fore Instrumento Pacis stare, nec ansam differendæ ratificationum permutationi præbere. Pace firmata Electorem communi evictione fruiturum, si quæ præter Pacis leges ab ipso exigantur.* Unde Electori placebat in præsens nihil amplius hac de re a Legatis moveri, ac Cæsareis, Ordinibusque indicari, ipsum Salvium resiliisse, atque intolerandas plane conditiones proposuisse. Nam satis adparebat heic nihil profici, ac ipsos in Svecia fontes adeundos. Nam principes facilius persvaderi, quam ministros, & rationem a consanguinitate ductam apud Reginam pondus habere posse, apud ministros inter inania reputari. Denique si ad blanditias verborum descendendum sit, eas decentius apud Reginam prodigi, quam apud ministros, quorum insolentia istis intractabilior reddatur. Inter hæc Electori in mentem venerat, si Svecis jura Ulterioris Pomeraniæ Principibus in Citeriorem competentia utique concedenda sint, in pensationem Magisterium Sonneburgicum deposcere. Ast Legatis haut consultum videbatur de hoc tangere, sed potius id nemine consulto vindicare. Nam Catholicos hoc ipso monitos ansam arrepturos istis destinatis sese opponendi, velut post conclusam pacem circa bona sacra nil amplius novare fas sit. Nec minus Evangelicos contradicturos ex invidia, aut quia sua interesse putent; cum præsertim plausibile prætextum in promtu sit, ratificationibus jamjam permutandis. Sed & priores Electores 1649.

1649. ctores circa hoc Magisterium, cum immediatus status non sit, nullum Imperii jus agnovisse, nec recognitionis nomine Melitam quid misisse, donec postremus Magister Schvvartzenbergius Comes deliniendo Magistro Melitensi pecuniæ quid exsolverit spe concepta, inter Ordines Imperii id Magisterium relatum iri. Qui conatus cum irritus fuerit, & Magistrum, & Commendatores vetere consvetudine inter Ordines provinciales censeri, tributis pariter cum hisce obnoxios.

Circa ratificationem Pacis [illegible]

§. 31. Sed quia rectio limitum in Pomerania in longum itura videbatur, rationis non erat ab Electore diploma cessionis exhiberi; cum nondum constaret, quantum ipse cessurus esset, & istius instrumenti traditio ad executionem pacis pertineret; quam nec Sveci amplius urgebant. Ast circa ratificationem pacis res altioris indaginis erat, quod Sveci jactarent; ni Elector tradita sua ratificatione declaret, se supra dictis prætensionibus renuntiare, istam a se haut acceptatum iri. Ac ordines Evangelici non sine minis fremebant; si Elector negata ratificatione pacem moretur, reparationem damni ab ipso quærendam. Nec disparia sentiebant Cæsarei, quibus nostri significabant; ab Electore ratificationem non posse tradi, antequam Sveci caverint, id ipsi circa ea, quæ ex pace eidem debentur, citra fraudem fore; ac ut Sveci, ubi amica compositio non successerit, eo stare velint, quod Cæsar & Ordines æquum judicaverint. Ad quæ Cæsarei: non posse ipsis vitio dari, quod circumspecte agant, cum hominibus astutis & duris. Frustra tamen sperare ipsos, a Svecis quam desiderent scriptam cautionem edendam; qui potius ut Electori ægre faciant; denuo cessionis diploma expostulaturi sint, haut depellendi, nisi violentis remediis, quæ præsens tempus haut admittat. Quo ipso commutationem ratificationum & quæ inde pendet, pacis executionem impediri maximo cum damno & publico Imperii, & privato Electoris. Nostri contra; saltem Electori per Ordines cavendum, de Ulteriore Pomerania non plus sibi extortum iri, quam is in Pacis Instrumento consenserit. Ad quæ Cæsarei; æqua postulari; & quæ jam communi evictione contineantur. Sed Ordinibus vix facultatem fore ante ratificationes hinc inde traditas ea super re consultandi; cum eadem non a paucis Deputatis expediri queat, sed per tria Ordinum collegia discutienda sit. Quod cum non possit non in publicum emanare, Svecis magnam suspicionem injectum iri, velut jam super ipsis in ordinem redigendis agatur, & ad abrumpendam pacem viam sterni. Ast ubi Elector ditionibus suis potitus, ac Sveci dimisso exercitu minus formidabiles redditi sint, ejusmodi declarationem etiam soluto Ordinum conventu facile obtentum iri; præsertim cum Cæsar intra semestre a ratihabita pace Comitia sit indicturus. Sed cum nostri exciperent; Electoris causam interea posse vulnerari, eoque saltem scripto ipsius jus integrum servandum; Cæsarei id perlectum acceptare haut recusabant, modo silentio tegeretur, quoad ratificationum commutatio peracta, & copiarum pars exautorata fuerit, ne Sveci hoc intellecto tricandi ansam arripiant. In eundem sensum loquebatur Moguntinus, cui par scriptum a nostris exhibitum. Sed Svecis citra exceptionem ratihabitio tradita fuit. 1649.

§. 32. Postulabat inde Elector a Legatis Svecicis, ut ipse in possessionem Ulterioris Pomeraniæ, & Præsulatuum, qui pro cessa Citeriore provincia assignati eidem fuerant, immitteretur, quod Sveci jam ditionibus in belli præmium acceptis reipsa fruerentur. Sed isti cum id negotium suæ facultatis esse negarent, Elector ad Carolum Gustavum Palatinum, supremum Svecicæ militiæ Ducem, Witgensteinium Comitem & Christophorum Albertum Schœnaichium Mindam obligat, quo iste tunc agebat, idem ab hoc petituros. Qui initio respondebat; ubi conventio, quæ Noribergæ adornanda sit, absoluta fuerit, se in mora haut futurum. Interim copias suas ex istis provinciis alendas, queis solitum non sit ad alienum arbitrium victitare. Sed & queis prædia donata fuerint, super impensis in ea factis satisfaciendum, saltem ut jumenta, & pecora inde abducere liceat. Id quod Elector haut annuere constituerat, quod hac ratione prætensionum modus haut futurus esset. Sed nostris acrius instantibus declarabat iste; *quanquam Sveci ad tradendos Præsulatus, antequam executio pacis ad liquidum deducta fuerit, non teneantur: tamen quo minus Elector regimen istorum capessat, se haut obstiturum, modo Cæsarei Commissarii constituantur, qui hunc in possessionem immittant; ac Archi-Dux Leopoldus Wilhelmus Halberstadii, & Franciscus Wilhelmus Mindæ subditos juramento exsolvat. Tunc a se quoque designandum, qui ministros a Svecis ibi constitutos exautoret. Qua de re Joannem Oxenstiernam moneri posse, cui super eadem in mandatis daturus sit. Pomeraniam tradi non posse, nisi super finibus convenerit, aut saltem cessionis instrumentum traditum sit.* Cum nostri exciperent; *qui ad regendos fines designati sint Lilliestramium, Hempelium, Svalenbergium privatis respectibus duci, quod donationes suas suorumque in Ulteriore Pomerania sub ditionem Svecicam prolatis finibus moliantur;* Palatinus reponebat: *non dubium esse, quin id negotium ob privatum lucrum difficultatibus sit involvendum, eoque satius fore, ab Electore ipsos fontes adiri.* Idem tamen concessam antea a tributis immunitatem Ravensbergico & Marcano Comitatui prorogabat, utut hancce pace sublatam causaretur; rogans tamen, id silentio tegi, & ista tributa ad alios usus adhibenda fingi; quod ista exemtio apud alios Ordines magnam invidiam sibi creatura sit, utpote qui decreverint, nemini immunitatem indulgere, quod uni demtum onus aliis accrescat. Nec minus e decem cohortibus, queis per Clivicas ditiones hospitia assignata fuerat, quinque velut non modici beneficii loco remittebat. Idem de cætero multis verbis de suo in Electorem studio testabatur, etsi norit, sinistra de se apud isthunc sparsa fuisse; quæ ut ex animo ejicere velit rogabat. Sane si quæ in præsens parum grata accidant, sibi admodum molesta esse. Sed per turbida temporum non omnia ad unguem exigi posse. Cæterum cum post super eodem negotio Oxenstierna appellaretur, is primo negabat mandatorum quid se

Circa traditionem Halberstadii & Mindæ Sveci tricantur.

28. Febr.

Schœn.

6. Mart.

Hempel.

1649. Stenbock. se accepisse. Tum extrahendo tempori varia super donatariis cavillari; inprimis ut Petro Brahæo Comiti præfectura Ascaniensis, & Gustavo Ottoni Stenbockio Gofelda ad certos annos fruenda relinqueretur. Id si Elector annuat, traditionem sine mora faciendam. Sed urbe Mindensi præsidium deduci non posse, nisi conventione Noribergæ absoluta. Quod autem Mindenses regimen provinciæ intra mœnia sua recipere tergiversentur, id absurdum plane esse. Ad extremum tamen cum declarasset, Reginam non amplius, quod in Mindensem præsulatum prætendat, habere, ac ad Königsmarckium atque Stenbockium jam mandata transmissa, ut iste Halberstadiensem, hic Mindensem Præsulatum Electori tradat; ad hujus quidem capessendam possessionem ab Electore mittitur Fromholtus, & Schonaichius; qui præmissis in urbem fiduciariis literis a Stenbockio inter displosiones machinarum, aliaque honoris signa recipiuntur. Sed cum in rem præsentem veniendum esset, iste causabatur; declarationem quarundam dictionum obscurarum petendam; demum contraria se mandata e Svecia accepisse fassus; ac satius fore ipsam urbem simul cum præsulatu tradi, ubi Noribergæ super executione conventum fuerit. Et cum nostri acerrimas querelas moverent, ludibrio habiti, ac tanta cum pompa recepti, ut irriti dimitterentur; idem excusabat, decentius sibi visum, eos in urbem recipere, quam ut iter relegerint obviam mittere. Qui & nostris postulantibus literas acti negotii testes uti solet, dare abnuebat; quod isthoc negotium non abruptum, sed suspensum duntaxat sit. Quo fine & nostri discedentes Derenthalium in urbe relinquebant. Ad Halberstadium acceptandum missus erat Borgstorfius, cui Kœnigsmarkius dicebat; nulla sibi in eam rem mandata esse; quin potius prohibitum se istum Præsulatum tradere, quod Ordines circa conferendam pecuniam militarem moras nectant: cum tamen Elector suam portionem jam repræsentasset. Eo super negotio Contarenus judicabat: *dolendum esse Svecos ob privata quadam, eaque sat modica emolumenta graves & ad summam rerum valituras rationes negligere, ac ita aspere offendere Principes vicinos, potentesque qui in posterum, prout ab istis habiti sint, noxam aut commodum iisdem adferre queant.* Ea tamen contumelia Electorem haut permovebat, ut hic Cæsaris literis obtemperandum duceret, queis voluerat ab eodem aliisque Ordinibus Legatos Viennam mitti, super executione pacis consultaturos, circa quam Sveci tergiversari, ac suspecta quædam machinari videantur. Nam eam missionem iste intempestivam judicabat, velut magnas suspiciones excitaturam, quoad spes adhuc superfit amica ratione executionem posse obtineri. Quanquam & alii censebant, in Germania moris non esse, ab Ordinibus legatos in aulam Cæsaris mitti super negotiis totum Imperium spectantibus acturos.

8. Jun. (margin, beside "chius; qui præmissis")

In Conventu Noribergensi ab Electore acta.

§. 33. Ex hisce haut absurde augurabatur Elector, quantum sibi laboris exhauriendum foret, antequam ditiones suas tam tenacibus manibus eriperet. Unde ne quid in se desideraretur, & Noribergæ apud Carolum Gustavum Palatinum, supremum militiæ Sveciæ ducem, cui pacis exsecutio commissa erat, & apud ipsam Reginam in eam rem instabat. Tum & mature designabat, qui limitum ductum, & alia in Pomeraniam rejecta expedirent. Ac Noribergam quidem ad conventum a supremis utrinque exercituum ducibus indictum, quo & Ordinum legati frequentes coibant, ab Electore missus est Matthæus Wesenbecius. Cui compendio injunctum, quoniam quid ibi proponendum esset, in antecessum haut constaret, plurium suffragiis sese adjungere, & apud Catholicos æque atque Evangelicos instare, nequid adversus leges pacis in fraudem aliorum statuatur, utque citra moram conventa exsecutioni dentur; quod metuendum sit, ne in longum extracto negotio vix utcunque sedatum, incendium in novas flammas erumpat. Nam a regiis hautquidquam desertum iri illos, qui in sua restituendi sunt, quique prætextum bello præbuerunt; nec hosce istis prius adhærere omissuros, quam sua recuperarint. Præsertim cum constet, Svecicos duces tam lucrosam militiam invitos deserere, ac Carolum Gustavum Palatinum non obscure fremere, pacem intempestive properatam. Hunc quippe expeditionem trans Danubium agitasse, qua spes fuerit insignia Protestantibus commoda, ac plenam sacrorum libertatem provincialibus Cæsareis obtinendi. Inprimis eo jubebatur incumbere, ut miles quamprimum exautoretur & loco præsidiis alienis insessa suis quæque dominis reddantur; inprimis ne Elector in postremum locum rejiciatur, neu ejus ditiones itineribus exautorati militis atterantur; id quod facile declinari possit, si qui Silesiam insederant, Odera flumine Stetinum vehantur, reliqui Wismariam versus abducantur. Tum ut quæ provinciæ Electori pro cessis Pomeraniæ partibus attributæ sint, citra moram tradantur; præsertim cum & Svecorum intersit Catholicis tergiversandi colorem ne præbere, quos ipsi ad faciendam restitutionem urgeant.

Noriberga pro Electore parum proficitur.

§. 34. Ast Noribergæ non minus difficultatum, quam metuebat, Elector apud Svecos reperit. Cum enim catalogus deducendorum præsidiorum conciperetur, Cæsarei quidem facile annuebant, ut *in primo termino* Pomerania & oppida Marchiæ ponerentur. Contra Sveci sua formula Ulteriorem Pomeraniam, ut & Lockenitzam, atque Schifelbeinam plane omiserant; simul utramque Saxoniam & Westphaliam, in quibus Electoris ditiones sitæ sunt, in tertium *terminum* rejecerant. Ea de re cum Wesenbecius apud Palatinum quereretur, is initio *per omissionem per errorem factam excusabat, nec de prajudicio Electori adferendo cogitatum, cui sua utique sint restituenda, Lockenitzam & Schifelbeinam in Pomerania sitam se credidisse, idque emendatum iri. Sed rationem belli hoc ordine præsidia deducenda dictare, ut tergo semper cautum sit, eoque initium à superioribus faciendum, locis mari proximis ad extremum servatis. Certa itinera militis ex autoritati se curaturum, ut Electoris ditionibus quam minimum molestia inferatur. Super Pomerania nil mora futurum, quamprimum super limitibus convenerit.* Super Minda tantum obiter monebat, velut jus præsidium proprium

1649. prium constituendi ei competat, non tam proprio, quam Alexandri Erskeini instinctu, quem Mindenses eo fine muneribus mactarant; Wesenbecio reponente, ipsis in tractatibus id jus rejectum. Idem Palatinus, cum Wesenbecius querelam moveret super ludibrio, quod missis ab Electore Mindæ contigerat, addito, haut eorundem esse Catholicos ad restitutionem compellere, & Electori Eglam, ac debitos Præsulatus detinere; primo quidem spem faciebat, brevi istos Electori tradendos. 17. Jun. Sed mox significabat, alia sibi mandata e Svecia fuisse missa; a quibus discedere sibi haut liceat; istis traditionem rejici, quoad super limitibus in Pomerania sit conventum. Id vero sibi valde molestum accidisse, ac se jam in Sveciam scripsisse; haut congruere, talibus prætextis restitutionem inhibere, quam Ordines magno studio urgeant; quibus ingens suspicio injicienda sit, ubi executionem pacis tali modo eludi videant. Ac contumeliæ sibi esse sua pollicita ac jussa irrita reddi. Addebat, sese Electoris studium circa promovendam pacem diligenter commendasse; cui & eo nomine præ cæteris gratificandum sit. Ominabatur quoque Kleistium in Svecia haut operæ pretium facturum, velut qui durius & jactantius loquatur, quam Reginæ aures ferre possint. 2. Jul. Idem post referebat, responsum se ad suas literas accepisse; quibus compositio super limitibus acriter ingeratur, qua non absoluta Regina Ulteriorem Pomeraniam Electori redditura non sit. Nec Novæ Marchiæ oppida in catalogum evacuandorum referri posse, antequam e pacto induciarum reliqua tributorum persoluta sint. Nec Præsulatus tradendos, nisi rata parte pecuniæ militaris repræsentata. Talia jussa sibi molestissima esse, sed circa quæ præter obsequium nil sibi relictum. Ad quæ cum Wesenbecius regereret; ista ad Ordines sibi referenda, Palatinus respondebat: id per se licere; cæterum hisce non aliud a se responsum iri datum, quo si adquiescere nolint, Reginam Holmiæ adeundam. Quanquam revera in Ordinibus parum præsidii erat, quorum quilibet pro se nitebatur, quid aliis eveniret parum solicitus; manifesta etiam Urbicorum in Electorem iniquitate, qui Hervordiam catalogo evacuandorum inserere, ac in statum quem affectabat, collocari cupiebant, velut inita cum Electore conventio per pacem expirasset. Et quia omnes finem tractatuum, simulque belli molestiarum anhelabant, nemo pro Electore impense contendebat; utut demonstraretur, hunc Ordinibus valde instantibus in cessionem Pomeraniæ ea lege consensisse, ut sibi paria reponantur. Cæsarei tamen verbis prolixe testabantur, sese Electorem circa Pomeraniam & Novam Marchiam haut deserturos. Jul. Instante dehinc Wesenbecio, ut Pomerania iterum catalogo reddendorum exprimeretur, Palatinus respondebat: initio tractatuum eam fuisse insertam, sed post jussu Reginæ expunctam. Tum tractatum limitaneum maturandum, quo perfecto in se moram non fore. Nec vitio dari Reginæ posse, si ista prius expediri velit, ne postea litium materia supersit. Mox connitentibus Cæsareis Sveci demum Ulteriorem Pomeraniam catalogo recipiebant, sed cum additamento: *Salvis tractatibus limitaneis*; quo depelli non poterant, quicquid rationum ingereretur; repudiato etiam, quod Elector proponi jusserat, temperamento sane æquissimo & omnibus probato; ut Sveci tantisper loca, quæ controversa judicarent, ad finem tractatuum retinerent, redditis protinus haut litigiosis. Ordines tamen istud additamentum haut ita formidandum censebant, quod ejus sensum hunc crederent, restitutionem faciendam salvis tractatibus, ita ut nec illa his nec hi illis impedimenta sint. Ast Sveci alium sensum animo fovebant, ut restitutio non prius sit facienda, quam post eam tractationem absolutam. Quæ ambiguitas quoque Wesenbecio imponebat, ut non magnopere super ista clausula laborandum duceret, quoad post perfecto catalogo aliis eam verbis expressam cerneret; immemor, ambigua pactorum verba in illorum favorem trahi solere, qui potentia prævalent. Ne autem prætextum deesset, quare tantam diffidentiam circa Electorem ostenderent, multa de ejusdem machinationibus apud Belgas contra Sveciam spargebantur, quibus magna cum circumspectione obviam eundum sit. Quin nec inficiabantur, Consiliarios Stetinenses privata ob emolumenta restitutioni Pomeraniæ remoram injicere, ac sinistra admodum Holmiam, & Noribergam referre. Ipse autem Palatinus id negotium a se removebat, offensus, quod promissa sua servare haut concessum sibi fuerit, & quia circa id nil potestatis sibi relictum; tum ne enixo studio suspectum se Svecis redderet, velut Principum Germaniæ favorem captaret. Nec dissimulabat, sibi haut placere modum isthunc Electori sua extorquendi, honesto orbi hautquidquam adprobandum. 1649.

§. 35. Interim ut Halberstadiensis, & Mindensis præsulatus sibi traderentur, Elector apud ipsam Reginam per Evvaldum Kleistium institerat, questus, a se ad capessendam possessionem missos non sine ignominia irritos discessisse obtentu adversorum e Svecia mandatorum. Quale factum eo minus sperari potuerit, quod leges pacis diserte dictitent, ut Egla statim post conclusam pacem, (qua Gustavus Banerius Joannis F. excedere moretur, præsulatus autem statim post ratihabitam pacem tradatur. Ac quod etiam Svecici ministri paratos se tulerint, ac ipsum ad suos mittendos permoverint, Joanne Oxenstierna confirmante, Königsmarckio, & Stenbockio injunctum, utrumque præsulatum tradere, statim atque Electorales Commissarii advenissent. Nam licet aliis Principibus sua nondum sint restituta, peculiari tamen se jure niti, quod Sveci jam ab anno tricesimo septimo Pomeraniam insederint; aliquot myriadibus e reditibus ejus provinciæ perceptis. Ac Catholicos isthoc exemplo restitutionem a se faciendam detrectaturos. Ad quæ Regina; se in culpa non esse, ut traditio præsulatuum retractaretur: nec sibi constitisse, Palatinum, & Oxenstiernam super eadem cum Electoralibus egisse, quod & huic sat acriter exprobratum sit. Cæterum quia Noribergæ tractatio hæreat, nec ipsa se Electori ad tradendos præsulatus obstrinxerit; sibi haut posse imputari, alios plura promissi *Halberstadiensis & Mindensis ditio Electori traditur.* 21. Jul.

missis.

1649. misisse, quam præstare queant. Nam pessime rebus se suis consulturam, si, Cæsareis tam suspectas moras alentibus, ipsa tam opportuna loca e manibus amittat, antequam de pacis exsecutione constiterit. Mox tamen scripto declarabat:
17. Jul. *præsidia sua oppidis ad Electorem spectantibus deduci non posse ante perfectam Noribergæ conventionem, quo negotium id per Tabulas Pacis remissum sit. Nec rationi congruere, ut initium restitutionis apud loca maritima fiat, ac securitatis firmamenta præmature abdicentur. Possessionem tamen Halberstadiensis & Mindensis ditionis Electori tradendam hactenus, ut jurisdictionem & reditus administret: quam in rem mandata ad Palatinum sint mittenda. Interim in oppido Minda, & Halberstadio præsidia Suecica permansura, alimentisque fruitura, quoad juxta ordinem Noribergæ definiendum ista deducantur.*
15. Sept. Hisce Reginæ mandatis exsequendis eo promtiorem se Palatinus exhibebat, quod ipse eo nomine diligenter in Sveciam scripsisset, cujus & rationibus pondus ibi fuerat. Qui & ferebat, primam Kleistii in Svecia propositionem effecisse, ut mandata sua super tradendis præsulatibus revocata sint, Regina per istam suspectante infesti quid ab Electore agitari. Volebat tamen Palatinus, Oxenstierna suggerente, mandato tradendæ Mindensis provinciæ hanc conditionem addere, ut super jure præsidii, quod Minda sibi tribuebat, prius transigeretur. Ad quæ Wesenbecius; jam Osnabrugæ a nostris demonstratum, id jus oppido haut competere; ac cum jam de eo formulæ conceptæ a Svecicis insertum esset, nostris contendentibus iterum dispunctum fuisse. Etsi Elector non repugnat, quo minus jure suo potiatur civitas, ubi deinceps idem liquido demonstrare possit. Ac suspectum admodum videri Electori, rem ita liquidam ejusmodi conditionibus circumscribi. Confirmabat tamen Palatinus; insidiarum nihil subesse, ac jam antea Oxenstiernam de jure præsidii movisse, cui & de hoc exactius constet. Post tamen declarabat; eam conditionem, quæ ab Oxenstierna profecta sit, & de qua nil sibi constet, traditioni provinciæ haut obstaculo futuram. Sane nil aliud rationis se audisse, quam quod Svedi Mindensibus, cum id oppidum ingrederentur, promiserint, se decurionibus discessu suo claves portarum reddituros. Ac posse ea de re amplius agi, quando præsidium Svecicum sit deducendum. Eam ob causam ne quid tricarum circa id tempus moveretur, Elector cum Palatino conveniebat, ut legio illa, quæ Mindæ præsidium agitabat, alias exautoranda, Electoris sacramento transcriberetur, sic ut eadem oppido haut educeretur, sed mutato duntaxat sacramento ibidem maneret. Tradito præsulatu Elector oppidum quoque Mindam in verba sua adigere cupiebat. Sed id Sveci hoc prætexto eludebant, quod idem parum decorum sit Electori, quamdiu alienum præsidium ibi agat. Capitulares quoque Mindenses apud Volmarum attestationem quærebant, velut Electori haut fas sit quartam canonicatuum partem suis reditibus adplicare; Electore contra demonstrante, cum ea verba Halberstadiensi præsulatui addita fuerint, non opus fuisse eadem circa Mindensem quoque exprimi, quæ & illa clausula contineantur, *pari ratione ut Episcopatus Halberstadiensis.* Et causam ejus concessionis esse, quod Mindensi præsulatui præfecturæ Schaumburgicæ detractæ fuerint. 1649.

§. 36. Ast circa Pomeraniam res parum procedebat, Svecis ultro indignantibus, id negotium ab Electore apud Cæsareos & Ordines ita fervide agi; ac moræ culpam in ipsum rejicientibus, quod misso in Sveciam Legato novos ibi tractatus moliatur, per quos Stetinensis negociatio turbetur. Ac ipsi Cæsarei censebant, tractatus super eodem negotio diversis locis institutos sibi mutuo impedimento esse. Elector tamen excusabat; eam missionem ideo fuisse faciendam, quod ipse circa negotium finium Osnabrugæ rejectus fuerit; nec Stetini Commissarios operæ pretium facere posse, antequam in Svecia fuerit definitum, quod initium ducendo limiti, & qvousque statuendum; id quod totius negotii fundamentum sit. Cæterum compellendis ad æqua Svecis Elector Wesenbecio injunxerat, ut subscriptionem pacti Noribergici declinaret, quasi defectu mandati; tum ex Ordinibus quæreret, num ipsi utique evictionem Electori sint præstituri, ubi ipse subscriptionem evitare non possit, ac num censeant eidem sufficere, ut interposita protestatione jus sibi suum integrum reservet? Enimvero Ordines circa sua singuli soliciti aliena parum curabant, magno desiderio ad conclusionem properantes. Nec Electori peculiariter super evictione cavere volebant, ne Svecos suspicione perstringerent, velut fœdera jam in ipsos cudi inciperent; ac communem *guarantiam* sufficere censebant. Ast Cæsarei, qui super Pomerania apud Svecos acriter institerant, Wesenbecio ostentebant; *Svecos insuper habita sua contentione immotos declarare, se Ulteriorem Pomeraniam non nisi post ductum limitem, ac Nova Marchia loca non nisi reliquis tributi induciarii solutis reddituros. Eos quippe nolle incertos agere, ac non nisi ad liquidum deductis finibus literas infeudationis adornari posse. Ordines quoque Pomeraniæ id negotium expediri cupere. Nec ipsis sufficere, tantisper loca controversa detinere, ac deinceps litibus implicare, quarum radicem nunc exscindi velint. Eoque clausula* salvis tractatibus *depelli nulla ratione posse. Unde quantumvis a Cæsare serio sibi injunctum sit Electoris causam tueri, non tamen sibi liquere, quid amplius agendum sit. Nam eam ob causam arma resumere haut consultum, quod solus Cæsar bello sustinendo non sufficiat, ac Ordines regiis innexi omnia hisce annuant, saltem ultra verba non processuri. Summam autem rerum ideo in ambiguo relinqui, ne Electorem quidem desideraturum. Sane Svecorum postulata iniquissima, quibus arguendis ad arbitros sit eundum, & ab Electore Cæsarem, a Svecis Gallum eo fine proponendum. Id si longum videatur, Svecorum postulata tantisper annuenda, quæ metu extorta ad diuturnitatem haut sint valitura; saltem adpariturum, quid destinatorum intus foveant, & num his obtentis Pomeraniam tradituri sint. Nam esse qui suspicentur, ideo ab ipsis Ulteriorem provinciam detineri, ut si Poloniis pax cordi non sit, Poloniam ex ea infestare queant.* Ast quæ de arbitris Cæsarei jecerant, Electori & Ordinibus impense probabantur, qui & super

Circa meram tuenda difficultates.

29. Aug.

25. Sept.

1650. super his apud Palatinum per Deputatos proponebant; Sed qui constanter contraria Reginæ mandata excusabat.

Electoris declaratio. 1650. 22. Febr.

§. 37. Cum itaque circa negotium Pomeranicum apud Svecos rationibus nihil proficeretur, ejusmodi consilium Electori erat capiendum, quod neque pacem impediret, neque propriis ipsius rationibus nimium officeret. Itaque Wesenbecius Cæsareis atque Ordinum Legatis denuo demonstrare jubebatur; *quam duriter, & adversus pacis leges secum agatur, Pomerania sua hucusque & deinceps quoque detinenda. Equidem meminisse, quid super congressu circa fines regundos Osnabrugæ convenerit, cui accelerando ipse subinde apud Legatos Osnabrugenses institerit, ac jam suos ei negotio expediundo ante quinque menses designaverit. Sed per Svecos stetisse, quo minus ejus initium adhuc fieri potuerit. Cum ita iniquum sit alienam ob procrastinationem se suis ditionibus excludi, ipsos se consilium exposcere, quid sibi agendum, ne pacis legibus exclusus suæ provinciæ jacturam faciat.* Quod si autem isti obtentu deficientis mandati sententiam dicere abnuant, ac Sveci destinatis suis inhæreant, Wesenbecius dextre declarare jubebatur; Electorem præter omnia, quæ ad communem patriæ pacem jam contulerit, id quoque cupere, ut congressus Stetini succedat, atque intra bimestre tempus ad finem deducatur. Quo casu Pomeraniam in tertium terminum absque conditione referendam. Ast si præter spem congressus iste intra dictum spatium haut absolvatur, Electorem loca, quæ circa ductum limitum Sveci in dubium vocent, ad exitum congressus in horum manibus relicturum, ea lege, ut Sveci vicissim reliquam Pomeraniam intra tertium diem citra moram restituant. Ne autem hæc declaratio ita accipiatur, velut Elector beneficio pacis se excludat, aut contentæ ibi guarantiæ renunciet, Wesenbecius apud omnes legatos ipsosque Gallos testari jubebatur; Electorem omnia sibi pacis beneficia reservare, quam pro norma negotiationis Pomeranicæ habeat. Tum ne Sveci ansam inde arripiant istum congressum in infinitum extendendi, & quam adhuc affectare videantur Pomeraniæ partem obliqua via detinendi, a Cæsareis atque Ordinibus ante subscriptionem conventionis certos e suo numero designandos, qui ubi intra bimestre congressus Pomeranicus ad finem haut sit perductus, in ista causa velut arbitri sententiam pronuntient. Id quod neque Sveci declinare, neque Cæsarei atque Ordines recusare possint, utpote ad quod per leges guarantiæ teneantur. Denique a Cæsareis petat, ne Sveci de provinciis suis Germanicis investiantur, quoad negotium id absolutum fuerit, præsertim cum ante designatum limitem literæ infeudationis formari nequeant, utpote in quibus omnia loca sint exprimenda. Id si obtineatur, Wesenbecio facultas dabatur Electoris nomine conventionem subscribendi. Quia etiam Svecici Commissarii in Pomerania eo prætexto utebantur ad limitaneum negotium extrahendum, quod Kleistius in Svecia circa idem satageret, Elector declarabat, istum hautquidquam limitum gratia missum, sed ut pro re rata operam det, ne quid legibus pacis adversum Electori obtrudatur, ac si qui nodus occurrat, cui solvendo Commissariis facultas non sit, apud Reginam quæ res exigat promovere queat; quo ipso Commissionis progressum utique accelerari. Super hisce Cæsarei censebant; *Electori pro præsenti rerum statu circumspecte procedendum, ne hucusque conventa subvertantur. Interim abunde ipsi super evictione cautum. Vix tamen sibi persuaderi, Svecis animum esse Ulteriorem Pomeraniam plane retinendi, sed occasione illa tantisper utendi, quoad perspiciant, quomodo tractatus cum Polonis sint successuri, & qualem sese Elector adversus ipsos gesturus sit. Cæterum ab Electore proposita æqua esse atque accommoda stringendis Svecis, ut sententiam suam promant, num congressus iste cordi ipsis sit. Dubium tamen esse, num Sveci Cæsarem arbitrum admissuri sint, utut tanquam Status Imperii legibus publicis teneantur. Suspensionem investituræ in aula Cæsarea ultro secuturam, at ipsos Svecos profiteri, non prius illam a se quærendam, quam in Pomerania sint omnia ad liquidum deducta. Nec consultum videri Electorem circa subscriptionem conventionis Noribergicæ tergiversari, ne communi se tractatu excludere, & peculiari niti velle videatur; cum tamen ad istius normam limitanea negotiatio dirigenda, nec velut peculiare conventio consideranda sit.* Sed & Ordines ab Electore proposita æquitati & rationi consentanea censebant, ac suffragiis suis ista sese fulturos pollicebantur, etsi dubitent a Svecis arbitros admissum iri. In omnibus tamen caute agendum, ne Sveci concepta offensa hactenus conventa retractent; quod in commune noxium, & Electori plus molestiæ pariturum sit. Ac id cumprimis agendum, ut per Ordines Svecis simpliciter commendetur, Pomeraniam absque conditione catalogo restituendorum inserendam. Id ubi obtineri nequeat, haut obsistendum, quo minus conventio absolvatur. Sic igitur Cæsarei verbis super hoc negotio apud Palatinum diligenter instabant; qui nil aliud quam defectum mandati obtendebat; ac se tamen per literas jam apud Reginam effecisse, ut ea negotii in Pomerania initium fieri jusserit, de cujus felici exitu dubitandum non sit. Ab Ordinibus quoque numerosa Deputatio eodem nomine decernebatur, cujus tamen accessus Palatino sat ingratus erat, nulla gratificandi facultate.

1650. 9. Mart.

Elector per alios idem negotium Noribergæ urget.

§. 38. Quia autem suspicio fuerat, a Wesenbecio rem langvidius agi, ab Electore Norimbergam quoque missus est Schœnaichius tribunus, forte militari professione Palatino acceptior futurus, cui injunctum hunc invitare, ut in Sveciam tendens Electoris hospitio uti velit. Sed præcipuum negotium erat super restituenda Pomerania Ulteriore instare, continuis tributis exhausta, cujus proventus saltem a conclusa pace ad Electorem spectent, qui hactenus tamen intercepti sint; cum Elector quæ sibi incumbant, jam præstiterit aut protinus repræsentare sit paratus. Tum ingentem pecuniæ vim per inducias in tributa erogatam, & enixo Electoris studio effectum, ut milites tam opimo præmio potirentur. Unde nunquam credidisse, se, qui tantum favoris pro rebus Sveciæ ostenderit, circa sua recuperanda post illos habendum, qui infesta adversus

1650. verſus eandem arma geſſerunt. Et quanquam nonnulli, qui per legem Amneſtiæ & Gravaminum debebant, nondum reſtituti ſint; id tamen Electorem non tangere, qui nil alieni detineat: nec par eſſe, ipſum aliena delicta luere, & ſuis tantiſper carere; ſed potius tergiverſantes immiſſo milite ad officium faciendum compellendos. Hoc quippe modo pervicaciam Catholicorum ali, cum videant, eos, qui legibus pacis ſatisfecerint, per onera belli poſt pacem opprimi, contumacibus immunibus. Quod ſi Palatinus excuſet, ſuper hiſce nil ſibi mandatum, ſaltem oppida Veteris Marchiæ redderet, reliquorum præſidia imminueret, cohortes in ditionibus Electoris hoſpitantes exautoraret, Mindenſium poſtulato circa jus præſidii ne faveret, reditibus Electoralibus parceret. Ad iſta Palatinus multa cum verborum humanitate reſpondebat; *Si res ſua ferant iter per Marchiam ſumere, honorem apud*
3. Jan. *Electorem divertendi cupide ſe arrepturum, per mutuum adſpectum & colloquia firmanda amicitia tantopere ſibi aſtimata. Cæterum quod præſidia e ditionibus Electoris nondum deduci potuerint, id non Sveciæ imputandum, ſed illis, qui exſecutionem pacis hucusque extraxerint: nec Svecos ad iſtud per Tabulas Pacis obſtringi; nec ſecuritatem tum communem Proteſtantium, tum iſtorum peculiarem admittere, ut pluribus locis præſidia deducantur, aut plus militum dimittatur, antequam de exſecutione pacis cautum ſit. Circa levanda onera ditionum Electoralium facturum quantum poſſit, ac quantum mandata permittant.* Erant qui literas Electoris ad Palatinum ſcriptas arguerent velut juſto vehementiores. Sed in ipſo nil offenſæ eo nomine eminebat; ac veroſimile erat, iſtum Electori fuiſſe gratificaturum, ſi per mandata Reginæ id licuiſſet. Ne tamen ea legatio plane inanis eſſet, Electori Halberſtadium, Homburgum, & Oſtervvicum deducto milite Svecico traditur; Adduntur dono machinæ, quæ tropæorum indolem non haberent, & ſi quid paratus bellici ibidem reperiretur.

Alia legatio inanis. §. 39. Haut eo minus Elector miſſo Ehrentreichio Borgſtorfio apud Palatinum denuo
2. Mart. tentabat, num Ulterior Pomerania citra exceptionem catalogo reſtituendorum inſeri poſſet. Cui hic ternas a Regina literas oſtendebat, queis expreſſis verbis jubebatur Pomeraniæ reſtitutionem usque ad conventionem ſuper finibus rejicere; qua abſoluta hancce citra moram redditum iri. Idem negotium Borgſtorfius Cæſareis atque Ordinibus commendabat; qui verbis quidem ampliſſime pollicebantur, cum rem præſtare penes ipſos non eſſet. Idem a Palatino petebat, ut Electori machinas, quæ Drieſenæ, Landsbergæ, & Garlebiæ reperirentur, donaret; quod Elector audiſſet, ipſum compluribus circa talia
22. Jun. gratificari. Quod is tunc ambigue pollicebatur, ſed poſt pure, cum eandem ob cauſam Elector Fridericum Gœtzium ad ipſum ablegaret. Porro Borgſtorfius e Carolo Guſtavo Wrangelio exquirere jubebatur, num ipſe tractatibus limitaneis in Pomerania præfuturus, & quando eorum initium faciendum ſit? Nam reliquos Commiſſarios moræ cauſam in ipſum rejicere, quod eo abſente ad iſtud negotium accedere ſibi haut integrum ſit. Qui ſe idem pro virili promoturum ampliſſimis verbis teſtabatur; ſed quæ inania fuiſſe exitus oſtendit. 1650.

§. 40. Cum itaque nullo modo obtineri *Receſſui*
poſſet, ut Sveci ad reddendam Pomeraniam ci- *Noriber-*
tra exceptionem ſeſe obſtringerent, cæteris ne- *gico noxia*
gotiis jam expeditis, Volmarus e Weſenbecio *Electori*
ſciſcitabatur; *num Electori ſententia ſedeat, cum* *clauſula*
Svecis non eſſe concludendum, niſi pure in Pomerania *inſeritur.*
reſtitutionem conſentiant; an vero haut animus ſit negotium impedire, ac ſatis habeat jus ſuum proteſtando ſervaſſe? Nam priore caſu memorem ſe fore mandatorum Cæſaris, nec iſtius cauſam abdicaturum. Altero caſu ſatis ſe noſſe, Ordines proteſtationibus haut commotum iri, quo minus & ipſi ad concluſionem ruant, ac Cæſarem ſecum trahant. Ad quæ Weſenbecius: Electorem ſibi injunxiſſe, ne conventionem ſubſcribat, niſi obtenta citra conditionem Pomeraniæ reſtitutione, ſed apud Cæſareos atque Ordines proteſtationem interponat. Ex quo cum adpareret, Electori haut eſſe propoſitum concluſioni obſiſtere, placuit apud Palatinum denuo ſuper diſpungenda ea exceptione inſtare; apud quem ſi nihil proficiatur, concedendum eſſe, quod prohiberi non poſſit. Sed cum hic mandata ſua uti antea obtenderet, etſi ſpem faceret, ubi in Sveciam pervenerit, ſe id negotium pro virili promoturum; a Weſenbecio proteſtatio apud Cæſareos & Moguntinum interpoſita, & ab his acceptata fuit, in eamque rem utrinque teſtimonium ipſi exhibitum. Ea proteſtatio ſubſcriptionem præcedebat, quam cum Weſenbecius valde licet inſtante Palatino detrectaret, id temperamenti inventum, ut decreto Ordinum certi Deputati faciendæ ſubſcriptioni deſignarentur, a quibus Weſenbecius nominatim eximebatur, cum Colonienſis qui & ipſe inter Deputatos non erat, ſilentio præteriretur. Cæterum cum Sveci ab initio jactaſſent, reſtitutioni Pomeraniæ hæc duntaxat verba addenda, *ſalvis tractatibus ſuper limitibus & aliis minutiis:* poſtea hæc verba ita interpolarunt, ut Electori maximæ fraudi forent. *Loca autem poſterioris Pomeraniæ, quæ D. Elector Brandenburgicus vigore Inſtrumenti Pacis habiturus eſt, tunc evacuabuntur & cedentur, quamprimum inter Regiæ Majeſtatis Sveciæ, & Electoris Brandenburgici ad id deputatos Commiſſarios ſuper deſcriptione limitum & aliis minutiis conventum fuerit.* Hoc modo iterum ſe poſthabitum, & tractatibus Pomeranicis ingentem plagam illatam ægerrime ferebat Elector; quod Sveci nunc prætextum nacti forent quantum vellent controverſiarum movendi, ac Electoris ditione tantiſper pro lubitu fruendi. Ac ſatius videbatur neminem ipſius nomine Noribergæ fuiſſe, ne ante legati ſui ora iſthæc agerentur; præſertim cum ea verba valde inſidioſe poſita forent, nullo præfixo tempore, intra quod tractatio iſta abſolvenda eſſet. Unde jubebatur Weſenbecius Cæſareos conſilium expoſcere; num e re videatur a Cæſare Commiſſarios obtinere; qui amicam compoſitionem tentent, aut hac a Svecis repudiata ſententiam pronuntient? Queis haut videbatur hac via operæ pretium futurum, quæ & multis ambagibus, nec paucis ſumtibus con-

1649. constet, ac sine dubio a Svecis rejicienda sit; ac sententiam licet latam citra exsecutionem fore. Unde pollicebantur, Reginam non prius investiendam, quam reddita Pomerania; quæ expeditissima istam cogendi via sit. Alias reliqua loca ad Electorem spectantia convento tempore a Svecis reddebantur, nisi quod circa Mindam aliquid moræ interponeretur, quoad copiæ, quæ in præsulatum Leodiensem missæ erant exigendæ pecuniæ militari, quam iste detrectaverat, cis Visurgim regressæ essent; quo facto & ista urbs Electori tradita fuit.

7. Sept. Legatio in Sveciam. §. 41. Nec plus in Svecia profecerat Ewaldus Kleistius, per quem Elector compendiosam viam prævertendis omnibus disceptationibus tentaturus erat, ac num forte ipsam apud Reginam facilius ratio & æquitas, quam apud ministros locum inveniret. 14. Febr. Ei in mandatis datum, ut post gratulationem super reducta Germaniæ pace exponeret, quam enixe Elector studuerit amicitiam ab initio statim suscepti regiminis constitutam excolere, & in futurum quoque sibi pignerare; quo fine diu decretam legationem nunc huc miserit. Tum rogaret, ut Regina negotium regundorum finium, & quæ alia circa Pomeraniam expedienda restent, in Svecia expediat. Simul ut ad tollendam communionem, discordiæ semina parituram ipsi ad Ulteriorem Pomeraniam spectantia oppida, ac jura restituat; de quo Legati Svecici, & Avauxius inter tractatus spem fecerint. Quo ipso Electorem, ejusque Domum æterno beneficio sit obstrictura, simul orbi ostensura, pluris sibi cognationis necessitudinem, & futurorum dissidiorum suppressionem, quam modicum emolumentum fuisse. De quo Elector eo certiorem spem conceperit, quo majore studio ipse apud Cæsarem atque Ordines contenderit, ut Regina æquo ac glorioso belli præmio potiretur, cessa quoque pretiosissima suarum ditionum parte, præsertim cum Gustavus Adolfus Rex publice testatus sit, nil se alienæ ditionis affectare. Quo pollicito ipse velut proximus cognatus præ cæteris gaudere debeat, qui & statim ab obitu patris arma in Svecos deposuerit, ac iteratis legationibus amicitiam quæsierit, magna insuper pecuniarum vi e ditionibus suis in usum Svecorum erogata, & totiens toleratis exercitium itineribus, atque hospitiis. Inprimis autem ostenderet, quanquam Electori tum ab aliis, tum ab ipsis legatis Svecicis objectum fuerit, quæ ipse processis Pomeraniæ partibus receperit harum pretium longe superare: ipsum tamen Salvio declarasse, se acceptos Præsulatus, superadditis duobus uncialium millionibus, receptis istis Pomeraniæ partibus Reginæ concessurum. De permutatione Præsulatuum cum Pomerania. Atque *istbanc permutationem denuo offerre non odio in Reginam, aut ut conventa retractare velit, aut quod semel concessa Svecia invideat; sed alias ob graves rationes. Nam quadam loca Regina concessa longius in Ulteriorem Pomeraniam porrigi; quosdam proventus e provincia Electorali Svecia addictos, mansisse multa jura communia; limites inter Pomeraniam utramque, & Marchiam sat confuse ductos; esse denique feuda quapiam, super quibus inter priores Pomerania Duces quantumvis fratres & agnatos acriter litigatum, inter Electores autem Brandenburgicos & Pomeranos etiam bello certatum sit. Metuenda quoque dissidia circa commercia & vectigalia, non cum ipsa solum, sed & Casare, viciniisque Regibus & rebuspublicis, qui olim navigationem per Oderam frequentarunt, cujus ostia nunc a Regina insideantur. Hos vetusta pacta cum Imperio Romano & Ducibus Pomerania, ac diuturno usu adquisitas immunitates plenas aut certo modo definitas allegare, quibus per pacem Westphalicam velut rem inter alios actam nil derogari potuerit, haut dubie per vim istas asserturos, non sine præsenti Electoralium ditionum periculo. Gliscere quoque apud exteros invidiam adversus Sveciam ob insessum tractum Germania litoralem, quo ipsi velut indagine cingantur, subvectione insuper e Pomerania & Casareis provinciis per Oderam precludenda, aut commerciis per gravia vectigalia premendis. Sed quorum nihil Regina atque Electori metuendum sit, si Regina acceptis aquivalentibus huic Pomeraniam relinquat. Nec eo secius Svecos præstantissimum Germania portum Wismariensem retinere, ad Oceanum ostia Visurgis & Albis patere, per qua Præsulatibus succurri queat, accedente insuper Casaris & Imperii guarantia; & Electorem certis pactis ad auxilia ferenda sese obstricturum.* 1649. Inprimis curas suas super futuris inter Sveciam & Domum Electoralem dissidiis intendi, quod Commissarii Svecici jam nunc, pace tam recenti contra expressas pacis leges optimas Ulterioris Pomeraniæ præfecturas, sylvas, jura ac bona patrimonialia principatus, tum Lockenitzam arcem in Marchia sitam deposcant; Electoris postulata ipsis instantibus exhibita velut pacem molientia ingenti cum invidia differant, omnem sequestrium operam adspernati, ac nondum tractatibus manum admovere promti, utut ab Electore sæpius invitati, & acceptis, uti ipsi fateantur, ad tractandum mandatis; cum tamen id negotium jam ante biennium suscipi oportuerit. E quibus in proclivi sit rationem subducere, quid secuturis temporibus futurum sit, si nunc illi ipsi legati, qui nomine Reginæ cum nostris pacta concluserunt, recenti adhuc omnium memoria, sub oculis publici conventus clara Instrumenti verba solicitent, ac insuper nunquam concessa, aut a nostris diserte negata deposcant. Sane præfecturam Stetinensem & Wollinensem a cognominibus oppidis plane distinctam non ad hæc, sed ad patrimonium Principatus Ulterioris Pomeraniæ spectare; quam a nostris nunquam cessam Sveci nunc obnixe postulent, insuper habitis nostrorum rationibus; ac ni protinus cedatur dissidio ansam quæri arguentes, ac hostilia minari haut timidi. Unde multo magis metuendum, ne deinceps odii, queis res parum cognitæ, aut odium in Electorem, plures controversias moveant. Quarum declinandarum cura Electori necessitatem imponat Reginam rogandi, ut propositam permutationem probet. Equidem haut fugere Electorem, quid adversus istam reponi queat: retinendam Reginæ Pomeraniam, Sveciæ munimenti instar præbentem adversus Catholicos, experimento jam capto per stativa Cæsareorum in Pomerania & Meclenburgica imperium Maris Baltici affectatum; & quia haut alia via commodius cæteris in Germania jam partis terris, sacrorumque sociis necessitate exigente subveniri queat. Præsulatus quoque non continuo tractu positos, ac Wismariam longius a Svecia remotam, ac Pomeraniæ uberiora quam istis vectigalia. Electori

1649. ctori non esse causam querendi ob cessam Pomeraniæ partem, quod nisi victricia Svecorum arma obstitissent, Catholici non solum Pomeraniam retenturi, sed & insuper præsulatus in Marchia sibi vindicaturi fuerint. Ad hæc enim reponi posse; *per Wismariam, Albisque & Visurgis ostia iis quæ obtenduntur incommodis obviam iri posse, promto insuper Electoris auxilio per certa pacta adstringendo. Tum Regina tot præsulatibus per diversos Imperii Circulos partis longe facilius fore Catholicorum machinationes impedire, quam si solam Bremam & Ferdam obtineat a Pomerania dissitas, ac viribus tenues. Ast si istis Minda, Halberstadium, & Magdeburgum accedat, aliquod instar regni componi, cui necessaria e Mari Baltico per Wismariam, ex Oceano per Albim subvehi queant. Nec minus vectigalium e fluminibus, quæ per istos præsulatus labantur, provenire posse, quam e Pomerania, idque minore exterorum invidia, nec obvia probibendi facultate, ceteris quoque præsulatuum reditibus Pomeranicos excedentibus. Quæ de periculo Pomeraniæ olim & Marchiæ a Catholicis imminente jactentur, Electori haut comperta. Sane patrem ipsius de Pomerania fuisse investitum; nec de reducendis Marchiæ præsulatibus quid auditum, quos invidia amplo nimis Principatuum titulo differat. Et si maxime talia agitata fuissent, Reginæ tamen haut fas esse Electori quidquam subtrahere obtentu lati auxilii, quod mercenarium esse haut debuerit. Sane Gustavum Adolfum præmio e Protestantium terris petendo magna cum asseveratione renuntiasse, cujus & expeditione promovendæ Electoris pater non parum subsidii attulerit.* Quod si autem Regina eam permutationem respuat, Kleistius Mindam jubebatur offerre pro partibus Ulterioris Pomeraniæ Reginæ concessis, addito tractu cisoderano Uckermundam usque. Aut si & hanc conditionem adspernetur Regina, ut saltem partes Ulterioris Pomeraniæ cum Minda permutare velit. Ex quo Regina judicare possit, Electori haut animum esse ipsam defraudare, sed ad prævertenda in futurum dissidia malle quid jacturæ facere. Addebatur de aliis juribus communibus, aut in alterutrius ditionem tendentibus, ut tollendæ litium materiæ mutuo cederentur aut permutarentur. Tum ne limites, quod Svecici Commissarii volebant, a Wildenbruca per rectam lineam Golnoam, & inde præter Camminum in mare ducantur, sed a Dammo secundum ripam cognominis locus, Oderæ, & Divenoæ ita regerentur, ne Electori de sua provincia plus quam latitudo litoris decedat, ultra viginti quatuor pedis haut porrigenda. Insuper ut dimidia machinarum pars, quæ adventu Svecorum Stetini & Wolgasti repertæ fuerint, & ex Archivo illa documenta Electori dentur, quæ Pomeraniam Electoralem spectant: ut rata portio contributionum imperialium Electoralis provinciæ ad rationem cessæ partis attemperetur; reliqua tributorum aboleantur; hospitationes tollantur: ne donatariis refusionem meliorationum exigere liceat: ut quævis donationes, oppignerationes, alienationes a Svecis in Ulteriore Pomerania, & æquivalentibus factæ initæ sint; ne Regina quid juris Episcopalis in Ulteriore provincia exercere instituat: ut denique omnia Svecica præsidia e locis Electori competentibus deducantur; aut ubi super limitibus protinus convenire nequeat, saltem loca haut litigiosa reddantur. Horum quamdiu aliquid desit, ab Electore cessionem Citerioris Pomeraniæ tradi, aut cives jurejurando exsolvi haut posse. Isthæc mandata cum Consiliariis Electoris, qui Berolini degebant communicarentur, hi parum fausti de successu ejus permutationis ominabantur; ac id duntaxat urgendum censebant, ut limites ad liquidum deducerentur, ac Elector in possessionem ditionum sibi debitarum perveniat. Nam metuendum esse, ne ubi novi tractatus suscipiantur, Sveci his pro lubitu extractis Osnabrugæ conventa executione cassa relinquant. Neque verosimile esse, ab iisdem Pomeraniam deserendam tam opportuno ad bella Danica situ. Observabant quoque isti, haut provocandam esse ad veterem Pomeraniæ divisionem, fratres inter & patrueles factam, quæ expiraverit, postquam totius Pomeraniæ hæreditas in Electorem devoluta sit. Ejus quippe obtentu Svecos eadem jura, quæ Duces Citerioris Pomeraniæ in Ulteriorem obtinuerint vindicaturos, nil jurium vicissim Electori in Citeriorem provinciam concessuri, velut quæ in ipsos omni cum jure transscripta sit. Ac satius fuisse nullam de reciprocis istis juribus veterum Ducum mentionem factam, mutata plane ejus provinciæ conditione: postquam nunc cum potente Regno negotium est. His monitis aurem præbens Elector Kleistio injungebat, ut ante omnia restitutionem Ulterioris Pomeraniæ, aliorumque a Svecis insessorum locorum exigeret. Quia tamen Avauxius & legati Svecici spem fecerint loca Ulteriori Pomeraniæ detracta saltem ex parte recuperari posse, id obtinere laboraret. Isthoc ubi non succedat, ac Svecis ea persvasio sedeat, Electorem plus accepisse, permutationem offerret. Id tamen maxime caveret, ne hoc negotium a Svecis longas ad deliberationes & tractationes rejiciatur, dilata interim Electoralium ditionum restitutione. Eoque etsi Sveci ostendant, aliquam permutationem sibi placere, eam seponeret, quoad restitutio facta sit. Denique operam daret, ut tractatui limitaneo a Regina designentur homines haut cerebrosi, & quorum privatæ rationes eo in negotio haut vertantur. Inprimis ne Lilliestræmius ei tractatui adhibeatur, ingenio pervicax, & tricas nectere callidus, simul implacabili odio in Domum Brandenburgicam flagrans; cui causam dederat, quod olim dum incautius e Silesia Stetinum tendit, a Brandenburgico milite interceptus, ac multo argento exspoliatus fuerat. Cui malo accesserat gravissimus e diuturna Spandoæ custodia morbus; cujus memoriam ab Electore sub initium regiminis concessa libertas abolere haut poterat, quo minus qua posset Brandeburgicis commodis obstaret. Simul affinibus suis, quæ in Stetinensi ac Colbacensi præfectura donationis aut hypothecæ titulo possidebant, servare studium erat. Ac fassus erat Kleistio Magnus Gardius cum Kleistio ex itinere collocutus, *plerasque controversias circa limites e privatorum commodis promanare.* Qui & addebat; *neminem regno Sveciæ bona fide addictum alia posse svadere, quam quæ amicitia inter hoc & Electorem servanda faciant.*

3. April.

§. 42. Kleistius cum apud Reginam super permutatione exposuisset, hæc multa cum verborum asta. *A Kleistio Holmiæ acta.*

1649. borum humanitate deliberaturam se ferebat. Su- 9. April. per Lilliestræmio moventi dicebat; huic mandata potius sua, quam amicorum commoda respicienda fore. De cætero sperare, Electorem ab ipsa nil postulaturum, rationibus Sveciæ repugnans. Electorem instantibus cum Polonia tractatibus sequestrem invitatum, ex quo agnitus sit, quantum in ipsius amicitiæ fiduciæ reposuerit. Ast Oxenstierna permutationem istam sinistre accipere, velut hautquidquam amicitiæ officium sit, pacto publico addicta alio obtentu solicitare, novosque ad tractatus pertrahere. Cum tamen a Kleistio rationes & mens Electoris ipsi explicarentur, paulum mitigatus censebat; super hac re nihil agi posse ante compositum negotium limitaneum. Ac Electorem declinata induciarum ratihabitione effecisse, ut Svecia circa ipsum magna utendum circumspectione judicet. Nec obscurum erat ab ipso permutationem haut probari. Interim blanditiarum, laxorumque pollicitorum affatim, quoad post compositas in Germania res Pomeranicum negotium pro lubitu temperare possent, conquisita undique tricandi materia; aliquando & cavillante Regina, non spernenda a Kleistio proponi, si Halberstadium & Minda eodem quo Pomerania loco sita forent. Alii apertius jactabant, viam potius ostendendam, qua tota Pomerania Sveciæ adquiri possit. Id autem palam irrisui erat, quod limitibus Pomeraniæ definiendis passus proponerentur, cum victoriæ favor longe laxio- 9. Jul. rem mensuram indulgeat. Inde colloquio inter legatos a Regina & Kleistium instituto, Sveci disserebant; *circa regendum limitem norma vicem subiturum non adjectum pactum, sibi incognitum, ad quod Kleistius provocet, sed ipsas Pacis Tabulas; quæ cum ambigui sint sensus, insuper habita pressa* litoris *significatione fines retro Golnoam recta linea in mare ducendos. Tum Electori in Citeriorem Pomeraniam Svecia addictum nihil juris concedi; sed quid jurium Regina in Ulteriorem Pomeraniam retinere velit, in hujus arbitrio fore. Propositam permutationem in præsens effectui dari non posse, citra offensam eorum, qui paci conciliandæ operam navarunt, & quorum rationes ista pax tangit; ac Reginam, ni Pomerania gravissimas ob Regni rationes arrisisset, longe ampliorem ab Imperio satisfactionem exacturam fuisse, quam quanti sint illa, quæ ab Electore nunc offeruntur. Nec magis arridere permutationem partium Pomeraniæ Uckermundam usque cum Mindensi Præsulatu; cum hoc modo Odera cum tribus suis ostiis Svecia decedat, quo demto commoditas & securitas, quæ potissimum quæsita sit, non amplius constet. Cæterum loca Electoris Svecico præsidio insessa redditum iri, prout Noribergensi conventione disponendum sit. Nam quamdiu dubium adhuc circa effectum pacis supersit, prudentia leges haut ferre, præsidia quibusdam locis hinc inde deduci, Noribergensi tractatu adhuc nutante. Circa Ulteriorem Pomeraniam moram non fore, ubi super limitibus, & aliis convenerit.* Præter ista Sveci circa Ernestum Bogislaum Ducem Croyæ movebant, ut ei satisfieret, velut qui Episcopatu Camminensi legitime potitus sit. Quibus a Kleistio repositum: Electorem presse Instrumento Pacis inhærere, quo is præsulatus citra exceptionem sibi addictus sit: ac ipsi cum eo Duce facile conventurum, ut non sit, quare Sveci huic se negotio ingerant. Sicuti & sequenti anno (d. 16. Novembris) inter Electorem & eum Ducem Berolini ita transactum est, ut hic quidem omni jure ad eum Præsulatum renuntiaret, Elector vicissim eidem bina die centum uncialium millia solveret, ac præfecturæ Stolpensis usumfructum ad vitam concederet; quinquaginta tamen uncialium millibus ad Electorem reversuris, ubi Ducem absque prole decedere contigerit. Circa vectigalia Ulterioris Pomeraniæ retinenda velut obiter jacientibus repositum; ei postulato & Tabulas Pacis, & mentem contrahentium repugnare; cum utique ea provincia cum omnibus juribus Electori addicta fuerit; ac inauditum sit, unum Imperii Principem, qua classe nunc Regina censeatur, in alterius territorio vectigal exigere. 1649.

§. 43. Paulo post Regina scripto declarabat: *permutationem citra confusionem & imminutionem securitatis fieri non posse, quæ sibi magis, quam proventus, cordi fuerit. Circa limites & alia negotia, ubi Kleistio idonea fuerint mandata, cum ipso heic loci actum iri. Limitum haut certiorem esse normam, quam Instrumentum Pacis, quo perspicue definiatur, limitem ab initio territorii regii eoque a finibus Novæ Marchiæ, & Wildenbruca ducendum. Golnoam quoque expetitum non ob sui pretium, sed firmando limiti. Igitur lineam a Wildenbruca per Banam, atque Golnoam in mare ducendam. Sed quos vicos, sylvas, lacus, montes illa transire debeat, a se definiri non posse; sed id penes Commissarios fore, in rem præsentem venturos: queis id cumprimis observandum fuerit, ut deinceps dissidiorum nihil Sveciam inter & Electorem subnasci queat.* Ad quæ cum Kleistius ostenderet; iniquum esse obtentu tegendæ ripæ tantum terrarum tractum complecti velle; Regina demum spem faciebat, inter tractandum aliquid remitti posse. Sed ut Lilliestræmius eo negotio demoveretur, nullo modo obtineri poterat, quod Regina ejus consilio & opera circa administrandam Pomeraniam præcipue uteretur; ac aliis licet constitutis ab hujus nutu pendendum foret. Quin metuendum erat, ne hujus rejectionis contumelia ad inolitum odium accedente, vindictæ libido acrius grassaretur. Sane is interim designationem finium e Pomerania transmiserat, quæ præfecturam Colbacensem, Fridericivvaldensem, & Piricensem cum Piricio & Cammino oppidis, centumque prope vicis Electori adimebat. Additum erat consilium, ne Nova Marchia & Lœckenitza Electori reddantur ante absolutum limitaneum negotium. Quorum iniquitatem multis demonstrabat Kleistius: nullo colore initium ducendi limites apud Wildenbrucam & Banam in finibus Novæ Marchiæ quæri, ac inde per rectam lineam Golnoam tendi. Sane in Tabulis Pacis neque Wildenbrucæ, neque Novæ Marchiæ eo fine mentionem fieri. Initium quippe territorii Regii eo loco capiendum, ubi limes inter Regias & Electorales terras primum inveniendus, & post amicam compositionem constituendus est. Jam autem Wildenbrucam longe ab Odera remotam antiquo & certo limite contineri, velut Citerioris Pomeraniæ partem, æque a Nova Marchia, quam Ulteriore Pomerania distinctam, sic ut novæ conventio-

Regina declaratio. 27. Jul.

1649. ventionis materia ibi haut sit, quæ per Tabulas pacis fieri debeat in adiacente flumini terra, designandæ litoris latitudini, Osnabrugæ quoties de hac re sermo fuit, initium territorii Regii apud Greiffenhagam Oderæ adsitam disertis verbis designatum, quod & Avauxius conceptis suis formulis expresserit. Electorem nunquam Golnoam ea mente cessisse, ut limitis vicem subiret, neque de hoc ullum verbum in Tabulis Pacis extare. Ac inter tractandum, Avauxio testante, diserte placuisse, sub ea nil præter oppidi patrimonium comprehendi. Cæterum secundum Oderam limitem ducendum, ac latitudinem ripæ ex æquo & bono definiendam. Unde iniquissimum esse, obtentu limitum Electori tantum terræ subtrahi; cum omnis Ulterior Pomerania, qua disertis verbis Sveciæ non attribuitur, Electoris sit. Nec eo tractu ad securitatem opus esse, quod Oderam non solum vastæ paludes, sed & territoria Greiffenhagæ & Dammæ tegant. Unde Kleistius Reginam orabat, Holmiæ fundamentum æquitati congruens poneret, quod Commissariis in Pomerania normæ loco sit, ne istis per infinitas cavillationes rem extrahere liceat; adeoque ex genuino pactorum sensu Wildenbrucam & Golnoam suo loco relinqueret, & limitem secundum Oderam duci juberet, & ita securitatis atque commoditatis rationes præ oculis haberet, ut ne intolerabile damnum Electori inferatur. Contra Reginam ad æquiora proclivem in diversa trahebant, quorum privatim intererat; eorumque rationes a commodis regni petitas cum alii, tum præcipue Oxenstierna Cancellarius fulciebant, Electori semper iniquus; quid id agebant, ut Kleistius laxioribus pollicitus onustus e Svecia dimitteretur, ac negotium integrum ad Joannem Oxenstiernam & Lilliostræmium rejiceretur; queis artes defuturæ non erat in longum tempus Electorem sua ditione arcendi, super vectigalibus controversia ad extremum seposita, si forte sperato maturius cavillationes circa limites consumtæ forent. Ut igitur Kleistii negotiationi pondus accederet, Elector datis literis a Regina petebat; *talia ab ipso exigere parceret, neu suam Pomeraniam aut Novam Marchiam obtentu controversiæ limitaneæ detineret. Sane se, qui amore pacis & in gratiam Reginæ opportunissima seditionis parte exuerit, multo durius haberi, quam professos Sveciæ hostes. Nec per se stetisse, quo minus negotium limitaneum dudum fuerit susceptum, sed idem a Legatis Reginæ in Sueciam, e Svecia in Germaniam rejectum. In promtu quoque esse pecuniam militarem, & diploma cessionis circa loca Svecis citra controversiam assignata, modo reliqua sibi restituantur, locis controversis tantisper penes Reginam mansuris. Igitur petebat, cum ipse quæ penes se fuerint præstiterit, suas sibi ditiones reddi; simul ducendo limite justum fundamentum constitui, cujus latitudini quadrantem milliaris a flumine sit indulturus.* Sed harum literarum exiguus fructus adparebat; ac fatebatur Regina Bregio Vicecomiti, Legato Gallico, qui tunc e Polonia in Sveciam diverterat; quæ Elector desideret, magis e suis ministris quam ex se pendere, quod præter publicas, etiam privatorum rationes eo in negotio vertantur.

Bregii.

Amplior super li- §. 44. Sveci dehinc alio congressu declarabant, loca præfecturæ Stetinensis, trans Oderam sita, sine contradictione ad Reginam spectare; & quin hæc jam limitem designarit, eodem Electori adquiescendum, siquidem id negotium ad finem perduci velit; quicquid Kleistius in contrarium regeret. Respuebatur quoque temperamentum Noribergæ propositum, ut si inter partes super limitibus conveniri nequeat, Cæsar ex Electoris, Gallus e Reginæ parte sese interponerent, & causam ex æquo & bono deciderent. Nam Cæsaris Ordinumve sententiam heic admitti non posse, tanquam partis contrahentis, ac interpretationem tabularum pacis ab istis adferendam velut in propria causa nullum habere pondus. Nec esse quod ingeratur, Ordinibus utique guarantiam pacis incumbere. Hanc quippe in locis controversi juris locum non invenire, cum ne in liquidis quidem multum valuerit, uti exemplo Franckenthaliæ adpareat. Igitur optime sibi consulturum Electorem, si cum Regina potius transigere studeat. Etsi revera Sveci metuebant, ne Elector id negotium Noribergam pertraheret, id quod ipsi diligenter detrectabant, & jam cum quibusdam Ordinibus egerant, ut idem ad peculiares tractatus rejiceretur, quo ipsis cum Electore pro libidine agendi facultas foret. Nam eo negotio Noribergæ suscepto Cæsar utique, Ordinesque declaraturi fuerant, quæ sua mens super isto Instrumenti Pacis loco foret; postquam jam non amplius super minutiis, sed oppidis, regionibus, & regalibus juribus controverti cœpisset; iique sine dubio secundum Electorem pronuntiaturi essent. Eam sententiam si acceptassent Sveci, perierat prætextum Pomeraniam tamdiu detinendi: sin rejecissent, totus articulus de satisfactione convellebatur. Et cum Sveci sæpius testati fuissent, se cum Cæsare, ac non cum Electore præcipue contraxisse, nullus color erat, rejecta Cæsaris sententia suæ duntaxat autoritatem tribuere. Unde & Noribergæ totum negotium extenuabatur, ac inprimis de maritimo vectigali silebatur; quo nomine apud Reginam Palatinus, & Erskeinus magnam gratiam inierant, quod hoc modo saltem ad proxima Comitia Svecis res integra maneret. Elector tamen, quare id negotium Noribergæ haut acrius egisset, hunc colorem dicebat; ut quantus fiduciæ in Reginæ æquitate collocarit, ostentaret.

1649. mitibus disceptatio. 8. Dec.

§. 45. Nec plus proficiebat Elector aliis ad Reginam literis scriptis, queis Commissarios in Pomerania arguebat, tanquam apud quos jus & æquum, ipsæque Pacis Tabulæ nihil valeant; sed qui limitis ductum sola commoditate & securitate metiri velint, ob quam tamen alteri sua subtrahi haut fas sit. Qui &, ubi ipsorum velut pro imperio dictata non statim acceptentur, asperis verbis suos legatos protelare non vereantur. Interim suam Pomeraniam privatis quibusdam fruendam concedi, pari suo damno atque contumelia. Nec eosdem dubitasse ad Reginam referre, quasi Kleistio nil facultatis ad agendum sit collatum, quique adeo congressibus Holmiæ cum deputatis Regiis Reginæ illudat. Etsi enim, postquam Stetini eo prætexto tractatio suspensa sit, quod duobus simul locis de eodem negotio agi nequeat, ipse declaraverit, Kleistio injunctum eos tractatus Holmiæ haut concludere, sed tantum progressum tractatio-

Elector de Commissariis Svecicis frustra queritur. 12. Jan. 1650.

1650. ctationis Pomeranicæ maturare, & alia quædam apud Reginam expedire: haut ideo tamen se ab eodem acta abnuere, aut ejus mandata revocasse. Unde Regina ulterius istum audiret; sed suis Stetini injungeret, ut citra moram suas ipsi terras reddant, oblatis a se adquiescant, & inanibus disceptationibus tempus terere parcant. Ad quæ Regina: pleno Senatu decretum esse, Stetinensem præfecturam, & quæ jura Elector vindicare instituat, utique ad se pertinere; unde nolle se super iis amplius verba fieri. *Nec inter Principes moris esse limites passibus, aut ulnis admetiri.* Cæterum complures a Lilliestræmio delineationes limitum mitti, quibus pleramque Colbacensem, ac totam Fridrichsvvaldensem præfecturam amplectatur, velut ob sylvas ædificandis navibus commodam, quarum aliquas ipsa rationi haut congruere judicet. Nec probari sibi limitem injuste in aliena protensum, sed per Tabulas Pacis assignatis adquiescere, idonea securitate
5. Febr. muniendis. Unde & limitem ita commodissime duci, quo flumina, paludes, & angustiæ ad securitatem facientes invitent. Quo fine ipsa lineam in tabula designabat, per quam Colbacensis quidem & Piricensis præfectura, quam Commissarii ad territorium Svecicum pertrahere conabantur, a Regina remittebatur, id quod Electori magni beneficii loco imputabat. Sed Golnoæ ac mari interjectis, magnam Caminensis præsulatus partem facientibus, desisti vix posse. Nam valde inconcinnos & anfractuosos fore fines, ni Golnoa intra hosce redigatur. Adversus quæ Kleistius multis disputabat; *Colbaciam & Piritziam jam Osnabrugæ negatam nunc beneficii locum subire non posse. Stetinum, Dammum, Wollinum, Golnoam jam id securitatis adferre provinciæ Regiæ, ut novis monimentis opus non sit. Tractationem institutam non ad plures terras adquirendas, sed ad fines duntaxat regendos. Et quomodo per Tabulas Pacis integer præsulatus Caminensis pleno jure Electori addici potuerit, si dimidia ejus pars obtentu finium decerpatur, reliqua etiam per satisfactionem Croyæ Duci dandam satis oneranda? Saltem de tam insignibus partibus mentionem in Instrumento fuisse faciendam.* Nam vocabulo *adjacentis terræ, quo solo Sveci nitantur, vicinas ripæ partes, non tantum terræ tractum notari. Frustra Salvium nunc jactare, eam sibi mentem fuisse, cum tractatus agitaretur. Id enim verbis fuisse exprimendum: tacitis cogitationibus tanta terrarum spatia absorberi non posse. Denique non de concinnitate, sed de æquitate sermonem esse.* Cæterum non pauci e proceribus ultro in obscuritatem Instrumenti Pacis invehebantur; a Salvio affectatæ; cui artificium fuerit obscure & ambigue scribere, ac consarcinatis e foro vocabulis peritiam juris ostentare, litigiorum in futurum materiam. Ac jactabat Cancellarius, re limitanea composita utriusque rationes arctam invicem amicitiam requirere; etsi sibi non parum suspectum videatur, quod Elector in fœdere cum Belgis agitato horum usui omnes suos portus offerat, præsertim cum Daniæ Rex navibus eorum bellicis transitum per Oresundam indulserit. Alias laudandum esse Electoris studium circa tranquillandam Germaniam, quod Noribergæ luculenter declararit: Haut eo minus Kleistius Holmiæ non nisi per inania differebatur, Commissariis in Pomerania interim pro lubitu grassantibus, queis mora lucro erat, & quantumvis iniquissima postulata emolumento Coronæ velabantur, quod solum mandatis suis sequi jussi fuerant. Qui & eo fidentius quæ videbantur ad Reginam referebant, quod post finita colloquia, uti moris, protocolla inter se conferri abnuerent, etsi constaret, ex iis, quæ nostri ad calamum dictarant, multa deleta, infractis aliis, de quibus mentio nunquam facta erat. Quorum tamen relationibus per propria commoda corruptis plus fidei, quam Electoris verbis tribuebatur. Ac jam super vectigalibus ad oram Ulterioris Pomeraniæ apertius movere incipiebant, jejunis sese ratiunculis jactantes; *Electorem in ista tacite consensisse, qui istis uti ipse nequeat velut eidem haut permissis. Concessionem autem Sveciæ factam effectu gaudere debere, ne pactum illusorium fiat. Qui effectus sequi non possit, si in portubus ita vicinis tanta vectigalium inæqualitas inveniatur, omnibus commerciis ad eos portus confluxuris, qui a vectigalibus immunes sint. Nec rationem habitam fuisse Meclenburgici legati, qui apud subscriptionem exclamaverit; per amorem Dei adhuc tria verba; in locis cessis quem Salvius eluserit reponendo; res jam est in portu.* Prorsus quasi ratiocinando alteri jus suum adimi posset. Iidem & propositæ abs se limitis delineationi mordicus inhærebant, velut extra controversiam positæ, etsi Kleistius Holmiæ eidem semper contradixisset. Tum in Camminensi præsulatu jura patronatus & alia Principum propria sibi vindicabant, exactis quoque cum importunitate tributorum reliquis, quæ Elector nunquam agnoverat, simul admixtis aliis quæ ad præsens negotium non facerent. Quibus pervincendis Pomeraniæ restitutio negabatur, cum ipsis tricando negotium pro lubitu extrahendi facultas foret. Denique & iidem Ordines Ulterioris Pomeraniæ novis tributis onerabant, ac ut constanter Reginæ adhærere vellent, animabant. Quæ omnia sermone ac scripto Kleistius Reginæ exponebat, petens, *Regina istis imperare velit, ut ne formulas a se inventas, sed Instrumentum Pacis pro norma habeant: omnia a mente pactorum publicorum negotia seponant, commoditatem & securitatem publicam privatis lucris ne obtendant, sed æquitati & rationi circa ductum limitis locum relinquant; denique ut Elector quamprimum terris suis potiatur. Sane cum Regina tanta moderatione inter florentissima arma circa hostes usa sit, cum amico & cognato Principe ita duriter agi fas non esse.* 1650.

§. 46. Ast ista omnia Holmiæ eo securius spernebantur, quod Noribergæ Pomeraniæ restitutio ad finem limitanei tractatus dilata fuisset, cum sufficeret loca litigiosa seposuisse. Nam hoc ipso Svecis facultas data videbatur Electori quicquid libido ferret extorquendi. Ac Salvius ad veterem cantilenam revolvebatur: Electori modicam terræ portionem haut curandam, qui non solum tam pingui redhostimento potitus sit, sed & per arma Svecica præsulatus Marchicos, & Borussiam adversus erumpentia jam anno vicesimo nono Cæsaris, Polonorum, & Catholicorum destinata servarit. Alii asperius fremebant: *Kleistius Holmiæ nihil proficit.*

Non

1650. Non ita tenaciter Electori agendum. Haut videri eidem conclusionem negotii cordi esse, qui circa minima servanda tam anxie satagat. Latitudinem litoris decem perticis mensurare velle contumeliosum, nec dignum eo qui offert, & cui offertur. In Svecia sæpe inter rusticos & privatos decem perticas non curari. Tam *vile oblatum* merito a Regina respui. Si tractationem istam amicitia moderari debeat, digna amico, & utrique parti decora offerenda. Et cum ante ista perfecta Ulterior Pomerania restitui nequeat, præstare, ut Elector promte decidat, quam circa minutias cauponetur. Nunquam Svecos intra angustias juridici litoris includi voluisse: nec perticas a se quæri, sed securitatem. Serum jam esse super obscuritate Instrumenti queri. Cur enim Electorales Osnabrugæ mentem suam non clarius explicarint? Sane sibi eum sensum, quem nunc obtendant, semper præ oculis fuisse. Et vectigalia Noribergæ Svecis videri addicta, quod de istis in contrarium nihil dispositum sit. Accedebat jam & nova offensæ causa, quod Elector lingva Teutonica Reginam non titulo *Serenissima* & *Potentissima*, sed tantum *Serena* honoraret; cum istud tamen & Cæsar faciat; quod non possit non contumeliæ loco accipi, eoque literas tali titulo non amplius admittendas. Etsi Kleistius id excusaret; cum Regina titulum *Sereni*, quem Cæsar det, Electori neget, hunc quoque ad veterem titulum rediisse. Si Regina de hoc Electori gratificetur, hunc eidem de isto satisfacturum. Nam circa titulum *Regiæ Majestatis*, quem Regina repudiato hactenus recepto *Regiæ dignitatis*, exigebat, citra collegarum consensum statui ab isto non posse. Sed reponebat Magnus Gardius: parsimoniam circa titulos, quo Elector erga Reginam semper usus sit, multa sæpe bona intervertisse: & quia ipse Electori bene cupiat, optare, ut circa istos temperamentum inveniri queat. Sed & cum interim

20. Jul. Vidua Ducis Pomeraniæ, cui dotalitium Novi Stetini constitutum erat, obiisset, Electore hærede relicto, Sveci hunc hæreditatem adire vetabant, ejusque præfecturæ proventum indulgente Regina Lilliestrœmius invadebat. Kleistio ea de re querenti responsum: Electorem hac hæreditate frui non posse, quoad tractatio limitanea absoluta sit, quod Noribergæ Ulterior Pomerania tantisper sibi adjudicata sit. Isto incassum regerente: Mirum videri Reginam pace jam facta id sibi vindicatum ire, quod durante bello non possederit: ac ex decreto Noribergensi forte retineri posse, quæ jam possidentur, non nova quoque adquiri. Ac ejusmodi agendi modum plurimum ex aviditate Regio fastigio indecora trahere.

Regina extrema declaratio. §. 47. Demum Regina in universum id responsi ad Kleistii querimonias dabat: *Electorem, si egregium quod acceperit redhostimentum spectet, non habere, quod modica quæpiam circa negotium limita-*

9. Aug. *neum curet; sed par esse, ut Regina libenter gratificetur circa unum & alterum locum securitati & commoditati ipsius inservientem. Initium territorii Regii apud Wildenbrucam esse. Golnoam limite excludi haut posse. Camminum in ripa situm ut penes Sveciam maneat, securitatem requirere, quæ summæ instar rationis sit. In ista si consentire Elector nequeat, nullam expediundo negotio viam superesse. Reginam pronam esse de postulatis nonnihil remittere: idem & Electori faciendum. Non adparere, quid extracto negotio Elector lucretur, Reginam valde cupere negotio finem imponere, nec cordi esse Electoris terras diutius detinere, quam pacta publica permittant. Si Elector offerat rationi consentanea, a se vicissim profectura, quæ æquanimitate sua digna sint.* Sic igitur manifestum erat, rationibus, & contradictionibus nil amplius apud Svecos profici. Qui jam magno studio id agere incipiebant, ut investitura quoque obtineretur, de qua bonam spem conceperant, super amicitia Cæsaris haut modice gloriabundi. Unde obliqua via ad Ulteriorem Pomeraniam grassaturi erant, quam cessam Axelius Oxenstierna digerere non poterat, subinde Salvio exprobrans; si ipse Osnabrugæ fuisset, totam se Pomeraniam fuisse pervicturum. Sed nec pecunia quid profici poterat, nam Elector ad quinquaginta uncialium millia inter potentes in aula distribui jusserat, si id negotium ex ipsius voto perficeretur. Enimvero istis quidem pecunia salivam movebat, sed factionibus distracti metuebant, ne æmuli ansam inde arriperent ipsos gratia Reginæ dejiciendi. Et pecunia licet accepta ad certi nil sese obstringere volebant. Unde eam gratis profundere haut placebat. Sed & quæ in Caroli Gustavi opera spes collocata fuerat, evanuerat, postquam is Noriberga in Sveciam discedens Electoris colloquium declinaverat; qui post Kleistio excusabat; merum fuisse, ne multa a se peterentur, quæ præstare non posset. Accedebat ad privatorum avaritiam gliscens ærarii inopia per enormes sumtus exhausti, cui qualecunque levamentum avide arripiebatur. Sed & Sveci Ordines utriusque Pomeraniæ invicem dividi volebant, antequam Citerioris provinciæ Ordines in eam conditionem, quam ipsi volebant, redacti forent, ne comparatio regiminis Electoralis sensum dominatus aspiraret, qui Citerioribus Pomeranis acerbus accidebat. Igitur satis adparebat, a Svecis id negotium ad extrema deductum iri, & indultis licet omnibus Electorem haut eo magis sua provincia potiturum. Unde & Electori durus cuneus adhibendus erat, implorato Cæsare, ut negata investitura Sveci ad æqua compellerentur. Ac indies asperius cum Kleistio agebatur, cui querenti, a Svecis Ordines Ulterioris Pomeraniæ novis tributis onerari, Regina abrupte reposuerat: non esse quod alius circa ista sibi quid præscribat, quamdiu possessio ejus provinciæ pactis publicis fundata sit. Nec quæ proferebantur attestationes circa vectigalia Cæsareorum & Moguntini a Svecis curabantur; reponentibus; istas obnoxias esse, ac sibi in proclivi esse pares obtinere. Quin cum Elector ea vectigalia in provincia sua admitti posse negaret, Regina ultro offensam se ferebat, ac velut tanto magis refractarium increpabat, quo plus ipsi indulgeretur. Artes leguleiorum sibi incognitas, nec alium agendi modum adhibituram, quam qui inter Principes receptus sit. Sibi quidem facile tolerandum, ut ulterior provincia adhuc suis in mani-

1650. manibus permaneat. Mirari ab isto circa minutias tot ambages adhiberi, tanto cum ipsius dispendio. Dudum eundem ad quietam suæ provinciæ possessionem potuisse pervenire, si majorem jacturam minore calluisset redimere. Indecorum inter Principes super tantillis rebus tamdiu litigare. Ad quæ Kleistius: In Svecia rationibus nihil effici; ac Electorem in mora non esse exinde satis adparere, quod ex ista tantum ipsi damnum proveniat. Quæ via expediundo negotio proponatur, intolerandam esse. Ac cavendum Electori, ne ab Imperio sibi aliquando exprobretur, præter Tabulas Pacis tam multa Svecis concessisse. Contra Regina cavillabatur; id periculum facile se præstituram, si vel maxime totam Ulteriorem provinciam sibi condonet. Ad quæ Kleistius; magno nimis constare id experimentum; ac tutissimum esse quemque suo contentum agere.

Kleistius e Svecia irritus discedit. §. 48. Non poterat non Electori acerbum accidere præter tantas indignitates quas patiebatur, moram quoque tractatuum sibi attribui, cum tamen plura jam, quam debebat, Svecis indulsisset. Cum itaque nihil in Svecia profici cerneret, Kleistium inde evocabat; qui licet aliquando blandioribus verbis, ac laxioribus pollicitis demulceretur, Stetinenses tamen Commissarii ab asperitate sua non discedebant, & eo securius tempus cavillando ducebant, quod sibi persvaderent, Electori ad fortiora tentanda non satis virium esse. Igitur alia via ineunda erat, & ad eos res referenda, ob quorum salutem ipse inæstimabiles Pomeraniæ terras tradiderat, & qui pro reliqua parte ad evictionem præstandam tenebantur. Equidem animus fuerat denuo Reginam per literas rogare, ut plus apud se valere patiatur æquitatem & cognationem, quam paucorum privatorum commoda, & insatiabilem sua ipsi eripiendi cupidinem; sed quia illa ob titulum priores literas remiserat, scriptione abstinere placuit. Equidem Bavarus Reginæ, quam ipsa volebat, titulum dederat. Sed si solis exemplis standum esset, ipse a Regina quoque postulare poterat, quem Poloniæ Rex sibi tribuebat. Et quæ ipsa cupiebat daturo, vicissim quæ Cæsar aliique Reges non abnuebant reddenda erant. Igitur Kleistius negotium limitum Reginæ commendare, & omnia amica offerre jubebatur. Ac circa istud quidem parum difficultatis fore credebatur. Sed circa vectigalia obnixe hærebant Sveci, ac contrario suorum legatorum testimonio Cæsareorum attestationem librabant. Simul jactabant; æqua transactione plus profecturum Electorem, quam si præfracte illis contradicere pergat, ac in participationem admisso nullam querendi causam superfore. Regina Kleistio postulata sua scripto exponenti respondebat laxis verbis, nullo sensu, & omnia in Pomeraniam rejiciebat.

De Conventu limitaneo. §. 49. Ipse porro agendi modus a Svecis in conventu limitaneo adhibitus satis arguebat, hisce decretum quidquid placeret Electori extorquere, detenta interim hujus provincia eo fidentius, quod neque Electori idoneæ vires essent, quas istis opponere posset, & Germaniam a diuturno bello vix respirare incipientem Cæsar juxta Ordinesque novos in fluctus pertrahere horrebant, recenti adhuc terrore nominis Svecici. Contra Electori acerbum valde erat ditionem suam alienæ libidini, ac privatorum fere odio circumcidendam dedere; cum inter gentes moris non sit tam insignes terrarum partes in auctuarii vicem condonare, ac in ejusmodi conventionibus stricti juris quæ expressa non sunt, hautquidquam cessa intelligantur. Et confestim omnia annuendo non nisi ad plura postulanda incensurus eos erat, velut e facili injuriam tolerans. Unde quantum dabatur repugnabat, ut postulatorum iniquitati aliquid decerperet, ac subinde quædam concedendo æquanimitatem suam, & studium amicitiæ servandæ ostenderet; ac demum iniquitati hominum temporumque cedendo quam minimo damno defungeretur, saltem orbi probaturus, per facilitatem aut socordiam sua sese haut prodegisse. Cum igitur diu institisset, ut congressus regendis finibus quamprimum haberetur, demum isti ordiendo dies Stetini dicta est. Ei obeundo ab Electore constituti Joannes Georgius Bornius, Jo. Fridericus Buchius, Franciscus Palenus, Georgius Zitzevvicius, qui durante congressu fato concessit, & Fridericus Rungius. His die condicta Stetinum ingressis Joannes Oxenstierna morarum causam in Kleistii legationem conferebat, qui rem limitaneam in Svecia expedire aggressus sit. Sed cum hæc ocularem inspectionem desideret, ac duobus simul locis tractari nequeat, Reginam de sententia sua ad Lilliestrœmium perscripsisse. Ita præter Reginæ voluntatem negotium fuisse extractum. Addebat, Instrumentum quidem Pacis fundamenti loco ponendum, sed summam rei circa ejusdem interpretationem verti. Prima difficultas circa procuratoria movebatur, quæ Sveci ante congressum inspicere cupiebant, causati, id apud se more receptum, & rationem idem exigere, cum attentione opus sit. Nostri autem primo congressu ista exhibere ac permutare volebant, quibus considerandis deinceps sat temporis fore. Sveci contra; editionem procuratorii ad prævium adparatum tractatus pertinere, & ita Osnabrugæ observatum; per quod cum tractaturi autoritatem sibi circumponant, necessum esse prius inspicere, num idem recte se habeat. Nec operæ pretium esse ob hinc inde tradenda procuratoria congressum instituere, ac eo peracto statim iterum digredi. Nostri igitur ne moræ ansam præberent, quam a Svecis captari adparebat, hac in re istis cedendum ducebant, qui & alias honoris causa prius ad se mitti cupiebant. Itaque procuratorium suum ad Svecos misere, Svecico vicissim recepto. A nostris in Svecico notatum, quod in titulo loco *Serenitatis* positum esset *Celsitudinis*, ac pro verbis, quæ in Tabulis Pacis extant, *litoris orientalis*, extaret *partis orientalis*, id quod eo suspectius videbatur, quod jam Osnabrugæ loco *litoris* voluerant substituere *lateris*, quod nostris instantibus iterum dispungendum fuerat. Sveci contra in nostrorum procuratorio desiderabant, quod id forma patente aut diplomatica, uti inter Principes assolet, adornatum non esset: tum quod tantum ripa orientalis Oderæ, non autem Lacus Dulcis, & alia loca exprimerentur, ubi limes ad Mare usque Balticum

Right margin notes: 1650. — 25. Mart. — Buch. — Palen. — Zitzevv. — Scrupuli circa procuratoria. — 27. Mart. — 28. Mart.

cum

1650. cum ducendus sit; & quod in illo mentio fieret alterius conventionis præter eam, quæ Tabulis pacis expressa sit, negante Oxenstierna Osnabrugæ præter isthæc alia convenisse. Quo ipso quæ interveniente Avauxio convenerant, & a Secretariis utrinque subscripta, sed postulantibus Svecis seposita fuerant, elisum ibant. Tum in Electorali neque totum Reginæ titulum, neque cognationis vocabulum repræsentari, uti in Regio. Denique nec *æquitatis* vocabulum in isto ferre volebant. Simul postulabant a nostris scripto caveri, aliud emendatius exhibitum iri. Quos cum nostri pacem cautionem poscerent, hi negabant suum procuratorium ullo defectu laborare: nam vocabulum *partis* ita late patere, ut etiam *littus* significet; nostris excipientibus, eam ipsam ob causam illud non admittendum, quod laxum nimis sit, ac magnam provinciæ portionem denotare queat. Sed

30. Mart. cum Sveci suæ sententiæ inhærerent, nostri id temperamentum proponebant, ut utraque pars protestando jus sibi suum integrum servaret, & ita ad tractationem accederetur; Svecis negantibus moris esse ante ingressum tractatuum protestationes interponi. Ea disceptatio complures dies absumebat, nulla Svecorum molestia, quod durante conventu ducenos unciales menstruos in augmentum salarii acciperent. Demum super

17. April. certa formula procuratorii conventum, & ut nostrorum protestatio actis insereretur. Sed cum ad eam formulam a nostris novum procuratorium exhiberetur, Sveci circa id denuo scrupulum movebant, quod novum sigillum, cui insignia provinciarum recens partarum inserta erant, isti impressum recentius esset, quam subscriptionis dies. Ita nostri aliud curaturos se recipiebant, cui vetus sigillum impressum, ita ut titulus & sigillum conspirarent. Sed Electori satius videbatur novum procuratorium conficere novo cum titulo, quod vetera sigilla confracta essent. Isthæc porro a Svecis ad Reginam odioso admodum referebantur, quasi nostri moras quærerent, & non obscure bellum spirarent.

De loco congressus. §. 50. Proponebat dehinc Oxenstierna; cum Lilliestræmio moderanea tractatuum a Regina commissum sit, iste autem morbo detentus

1. Maji. loco convento in curia adesse nequeat, & vero omnes tres Commissarios regios adesse oporteat, si quid solidi peragi debeat; igitur nostris haut molestum fore, tractatus in ipsius ædibus ante lectulum ægroti auspicari. Id quod nostris haut parum suspectum videbatur, ne infensissimus vir hoc prætexto gloriolam captaret, quod Electoris legati inter latebras cubiculi, ac ægris solitas sordes considere necessum habuerint. Simul adparebat, istos per talia tempus ducere, quoad Noribergensis conventus solutus esset, liberius insultandi facultatem præbiturus. Quia tamen Electoris tantopere interesset tractationem maturari, in id descensum, ut congressus in Lilliestræmii ædibus haberetur, quoad is convaluisset; præsertim postquam Sueci declarassent, si nostrorum quispiam ægrotaret, se quoque in nostra ædes accessuros. Ac jusserat Elector, circa talia, quæ summam rerum non spectent, haut cauponari, nec animorum exacerbationi ansam præbere. Interim nostris petentibus, ut Sveci mentem suam super ductu limitis scripto declararent, tanquam 1650. præcipua hujus negotiationis parte, hi prolixum & sat aculeatum scriptum proferebant; cui inter alia fundamenti loco substernebant: *Pomeraniam Electori demum pace Westphalica adquisitam, & cujus possessionem aut jurisdictionem sibi clam palamve tribuere nequeat, ante traditionem a Svecis faciendam; eoque injuste queri Electorem, a Svecis in eadem jurisdictionem exerceri. Tum haut necessum esse Pomeranos Citeriores sacramento Brandenburgico exsolvi, jam per Tabulas Pacis subditos Reginæ hereditarios factos, & isto vinculo jam liberatos.* Addebantur capita tractandorum, super quibus mandato instructi sint. Quorum cum magna pars Tabulis pacis, aut rationi repugnaret, nostri opposito scripto demonstrarunt; *Electori Ulteriorem Pomeraniam non tradendam sed restituendam esse; ac Svecos præstanda præstare prius oportere, quam Citeriorem provinciam pleno jure possideant.* Ex isthoc agendi modo cum Elector judicaret, Svecos tam iniquis postulatis documentum capturos, quid constantiæ ipsi subsit, vacillantem ad durissima quæque admittenda compulsuri; suis injungebant, ut mascule contradicerent, ac ante omnia fines regendos urgerent; quo facto se circa reliqua æquitatem suam sat ipsis adprobaturum. Ast Sveci contra nostrorum scriptum varie differre: non obscure minari Electorem, quando dixerit; *se non sperare, Svecos affectatis vectigalibus summi imperii jura in ipsius ditione exercere ausuros, ex quo plura, quam forte credatur, incommoda sint oritura.* Electori incertum quo fine *competentia* reservari. Reginæ possessionem in Ulteriore Pomerania *vitiosam* adpellari, & quæ huic adstruendæ rationes adhibeantur, *id petere* dici, *quod sit in principio.* Ast cum nostri ostenderent, alias dictiones non suppetere, si Electoris causam defendere velint, & quæ super possessione isti jactent, a scitis jurisprudentiæ plane abire iidem demum agnito errore ad *jus retentionis* devolvebantur, haut minus lubricum; cum Tabulas pacis facta mentione tractatus limitanei non statim Svecis facultatem dederint provinciam Electoris eousque detinendi, quoad iste tractatus absolutus foret.

§. 51. Postquam igitur placuisset primo loco super limite agere, Sveci Reginæ circa hunc, declarationem edebant; quam fundamentum tractationi fore jactabant, utpote Kleistio petente factam. Ast eam nostri rejiciebant: *Kleistium contradixisse; responsa legatis Principum data hautquidquam eandem vim obtinere cum rescriptis ad civium preces repositis, queis utique adquiescendum sit. Non habere indolem amicæ compositionis, si quis alteri leges obtendere instituat, ac Reginæ securitatem & commoditatem quærendam esse jure tertii illæso. Tabulis Pacis diserte exprimi partem Ulterioris Pomeraniæ; quæ Reginæ cedere debeat; reliqua omnia ad Electorem spectare. Nec eam interpretationem ferri posse, qua limes aliquam multa milliaria in provincia interiora porrigatur, & qui centum amplius vicos ac quartam fere provinciæ partem intercipiat. Quem Sueci cupiant limitis ductum nil commoditatis habere, quippe per inaccessa fore loca procedentem, ubi is signari vix possit; ac ita commoditatem quærendam, ne vicinus incommodum ac damnum*

Super ductu limitis disceptatio.

1650. *damnum inde sentiat. Sed nec securitatis quid eo in ductu esse. Nam Oderam jam ante adsitis uliginibus ita muniri, ut navigationi & commerciis ejus ex altera terra nil impedimenti adferri queat: quam si Electori turbare libido foret, ad ripam Novæ aut Ukeranæ Marchiæ longe majorem facultatem esse. Sed & circa limitem id potissimum respiciendum, ut occasiones litium declinentur; quod longe certius obtineatur, si iste secundum flumen ducatur, quam si in interiora excurrat.*

9. Maji. Svecorum Pa- taimet. Sed his insuper habitis Sveci ductum limites a se designatum operose adstruere laborabant. *Pa- Eam Osnabrugæ adjectum inane esse, quippe haut confirmatum, quicquid Avauxii attestatio ostentetur. Osnabrugæ limitem haut definitum, sed ejus designationem huc rejectam. Littus orientale extra dubium Reginæ concessum, cujus latitudo heic quæratur. Initium limitis ab initio territorii Regii capiendum, non interrupto ductu. Nec pacta repugnare, quo minus initium id sumatur, ubicunque id inveniatur, ac Reginæ commodissimum sit, simul scopo limitis optime quadret. Latitudinem ultra ripam extendi oportere, cum alias latitudinis vocabulo notari nequeat; eoque ipso elidi ductum nostrorum, qui in sola ripa hæreat.* l. 5l. ff. de V. S. *Latitudo si amice sit definienda, non grammaticorum, aut geographorum placitis inhærendum, sed quid Reges inter populosque usu receptum sit, ac scopo contrahentium, genuinoque pactorum sensui congruat, respiciendum. Nam per grammaticam litoris definitionem amicam compositionem excludi, nec tractationi locum relinqui. Quin ipsis in partis a grammatico sensu recedi, cum litus non sit fluminum aut lacuum, sed maris: ac Lacum Dulcem mare vocari. Igitur circa latitudinem limitis ex jure gentium ducendi quærendum esse justum territorium, ubi idonea securitas commoditas inveniatur, & ubi spatium subsistendi sit; tum sylvas, flumina, angustias viarum, paludes, per quæ naturaliter Principum territoria dirimantur. Ac securitatis quidem circa fines quam maxime rationem haberi; quæ non oppidis Stetino, Dammo, sed parti Ulterioris Pomeraniæ, quæ Reginæ competit, quæratur. Eam uti in objectu lacuum, angustiarum, montium, ac paludum consistat; ita commoditatem sufficientibus sylvis, pascuis, venatione, ac similibus æstimari. Præsertim cum Regina non tam magnitudinem ditionum, quam securitatem & commoditatem respexerit. Nec Tabulis Pacis repugnare, si Electori de Ulteriore Pomerania quid decedat, quo se potiturum speraverat. Alias enim hunc congressum supervacuum fore, & non tam Reginæ, quam Electoris commoditatem quæsitum iri. Nec aliter conventionem super limite institui posse, quam ut aliquid Electoris territorio decedat.* Per hæc igitur Sveci justitiam postulatorum suorum satis adstruxisse sibi videbantur.

Nostri respondent. §. 52. Ad ista nostri reponebant: *Tabulas Pacis utique pro norma habendas. Sed si denuo postulentur, quæ ibi negata sint, ad acta utique legatorum recurrendum. Ex his apparere, Legatis placuisse, initium limitis non a Coselitza, sed Greiffenhaga sumendum, atque inde amica compositione in Mare procedendum, tum ut præfectura Colbacensis & Piricensis penes Electorem haut admutilata maneant. Ex actis quoque constare, Avauxium & nostros magnopere contendisse, ut limes in medio fluminis esset. Sed Svecos totum flumen sibi poposcisse, Electori a navigatione & commerciis excludendo, aut saltem ut hæc sibi obnoxia redderent; quo fine & alteram ripam sibi stipulatos, ut ab Electore excitata munitione navigatio turbari posset. Ex quo adpareat, tam vastam latitudinem, quæ nunc affectatur, Legatis Svecicis tunc ob oculos haut fuisse. Extra controversiam quoque ponendum, omnes partes Ulterioris Pomeraniæ, quæ post acrem disceptationem Reginæ cessæ sunt, expressis verbis denominatas, præter quas obliqua ratione nihil exigendum, sed earum limes duntaxat exactius definiendus. Initium territorii Regii nequaquam sumi posse, ubicunque Reginæ placuerit. Nam Osnabrugæ conventum, ut a Greiffenhaga sumeretur; ac Wildenbrucam jam antea certis finibus circumscriptam. Litori latitudinem non denegari: sed ut ea obtentu commoditatis & securitatis in Electorale territorium sit porrigenda, ferri non posse. Inter Principes haut receptum, ut simili casu una pars in fraudem alterius certum limitem eligat, ac eo stare hunc pro imperio compellat. Quin sæpe Principes super modica terræ portione acriter contendisse. Amicæ compositionis indolem haut admittere, ut una pars alteri velut leges præscribere instituat. De continuo & non interrupto limitis ductu in Tabulis Pacis nihil extare. Enorme admodum esse, circa limitem semper respiciendum esse justum territorium, & quæ jactentur commoditates. Nam pro captu territorii illum quoque definiendum. Commoditatem & securitatem in proprio, non in alieno territorio quærendam, cujus & affatim Reginæ sit in locis cessis; tum salvis vicini juribus, ne ex unius dispendio alteri compendium nascatur. Nec salva justitia ampliorem limitis latitudinem posse indulgeri, quam quæ auctarii rationem habere queat. Denique plus securitatis esse in locis cessis, quam si limes aliquot milliaria in plana terrarum porrigatur. Camminum quoque non ideo Electori subtrahi posse, quia ad aquam posita sit. Eam quippe haut sitam in ripa Divenoæ, qui fluvius non præter Camminum, sed inter VVollinum & exiguam insulam Cristoam labitur, & cujus ripa orientalis occidentali latere ejus insulæ terminanda sit; sed ad lacum cognominem haut navigabilem, cujus nulla in Tabulis Pacis mentio sit. Nec munitum esse id oppidum: ac si maxime Elector id munitionibus firmet, id suo jure facturum, quem non minus suæ securitati quam Svecos prospicere par sit.* Super hisce igitur multis congressibus acriter disceptatur, neutris concedentibus, ac Svecis instantibus, ut a nostris initium limitis interius ducendi fieret. Cum igitur Elector perspiceret, moram tractatuum non Reginæ solum, sed & Deputatis ejusdem lucro esse, cedendi necessitatem sibi impositam perspiciens primo decem perticas in latitudinem ripæ offerebat; & cum Sveci id respuerent, cum irrisu cavillati, se de suo quoque ductu decem perticas remissuros, demum nostri declarabant; se ad Oderam & Dulcem Lacum proxime sitos vicos & agros cum Brusenfelda & Stepenitza Svecis cessuros, salvo tamen Camminensi oppido. Tum Electorem abolendæ communioni omnibus juribus 27. Jun. Ducum Ulterioris Pomeraniæ in loca cis Oderam sit renuntiaturum. Quæ oblata Sveci adspernantes non prius se quid relaxaturos ferebant, quam nostri liberalius annuissent. Nec muneribus aliquid profectum iri spes erat. Nam Schvvalenbergio quidem, ut Witstocum & Waltinum in Colbacensi præfectura opima prædia retineret cordi erat, cui nostri eorum usumfructum

1650. ctum dum viveret offerebant. Sed Lilliestræmius nullis muneribus patebat, quin oblata ultro vulgaturus erat, autoritati apud Reginam stabiliendæ. Et durum erat jus suum a infenso homine licitari, velut isti parum fideretur. Demum tamen & Sveci aliquid remittere videri volebant, illo limitis ductu oblato, quem Kleistius e Svecia miserat, per quem Electori adhuc insignis districtus decedebat; nostris vicissim duos vicos adjicientibus. Heic aliquamdiu subsistebatur, Svecis a se proposita acerbitate verborum ac gestuum tuentibus, ut nostri istorum colloquia horrerent. Ac quando nostri quere bantur, Svecos Ulterioribus Pomeranis tanquam subditis uti, asperis verbis impetebantur, velut legitima Reginæ possessione turbata, tanto fidentius, quod conventio Noribergensis omnes rationes, queis nostri hactenus contra detentionem Pomeraniæ pugnaverant, uno ictu prostravisset, magno Svecorum cum gaudio. Qui & cum nostri plura largiri abnuerent, in Sveciam sibi acta referenda, & alia mandata expedienda ferebant, negotiatione interim plane interquiescente. His moris ægrescentes nostri ostende-
28. Jul. bant; non posse non Electori acerbissimum videri, postquam cessa ditionum suorum præstantissima parte inæstimabilia Sveciæ commoda adversus vicinos conciliaverit, simul Germaniæ pacem redemerit, ipsi soli hujus beneficio carendum, eidem debitis maximo damno, paci contumelia detentis. Sane ob quædam limitanea loca totam provinciam subtrahere, non ejus esse, cui justitiam, aut fidæ amicitiæ, viciniæque leges colere cordi sit. Ast Sveci ista floccifacere, ac nil nisi securitatem & commoditatem occinere, perinde ac si hoc in limite totius regni salus verteretur. Tum contra Electori veteres ditiones suis armis servatas, recenter partas imputabant, quarum intuitu haut ita anxie circa fines cauponan-
8. Aug. dum. Evocabat dehinc Elector nostros Berolinum, ut curatius cum illis super ejus negotii
22. Aug. conditione consultaret. Qui Stetinum regressi iterum haud spernendum spatium Svecis cedebant, his vicissim paululum quid relaxantibus, ac plura exposcentibus. Interim Lilliestræmio in Sveciam digresso nullum operæ pretium fieri poterat, quod iste solus confecti negotii gloriam captaret. Haut eo minus nostri, ne in mora fuisse arguerentur, cæteros urgere. Ni conditiones latæ acceptentur, necessitatem Electori sane invito imponi negotium id ad Cæsarem deferrendi; qui plura jam fecerit, quam e legibus pacis teneatur: ac in quæ obtulerit acceptentur,
31. Aug. istis se amplius stringi nolle. Ad quæ Sveci nihil aliud, quam jussos se haut longius progredi, ac ni nostri plura oblaturi sint, frustra congressus institui. Oxenstierna quoque ad inspiciendum limitem Stetino discedebat. Ita cum rem ad Lilliestræmii reditum extrahi adpareret, Elector quoque Bomium & Buchium Stetino evocabat, relictis ibi Paleno, & Rungio, ne tractatum abrumpere videretur.

Tractatus extrahitur. 1651. §. 53. Inter hæc Oxenstierna semel atque iterum super congressibus resumendis monere, quo nostros averteret, ne aliam viam inirent ex his molestiis emergendi. Qui licet animo ista 1651.
ludibria præciperent, congressibus se iterum offerebant; & cum Oxenstierna causaretur, tres 27. Febr.
Commissarios adesse oportere, digressos revocabant. Sed nihil præter totiens ingesta de securi- 3. Mart.
tate & commoditate canebatur, donec reversus e Svecia Lilliestræmius magnifice jactaret de eximio Reginæ studio, ut negotium prompto ac bono fine clauderetur. Sed quatuor congressibus Sveci nil præter vetera memorare. Quinto ta- 13. Mart.
men congressu paulo largius remittebant, & omissis super commoditate ac securitate hactenus jactatis de Cammino cum Golnoa permutando proponebant: & quia hæc istud pretio non parum superat, in supplementum deposcebantur, quæ hactenus commoditatis & securitatis nomine expetita fuerant. Cum ista a nostris non nisi certis conditionibus admitterentur, Sveci offensi ad Reginam sibi referendum ostendebant, simul de Cammino per Golnoam redimendo retractabant, quod alias sibi deberetur. Tum 3. April.
aculeata verba jacere; ac quo plura indulgebantur, eo lentius moliri. Nec eo secius nostris moræ culpam impingere, quod per particulas ipsis admetiri velint, quæ universa demum cedenda forent. Ipsi post longas disceptationes, 4. Jun.
ne plane tractationem abrumpere velle viderentur, iterum modicum quid remittebant. Sed mox erumpentibus inter Electorem & Neoburgicum turbis haut obscure innuebant, ex harum eventu consilia sibi circa temperandam hanc tractationem capessenda. Contra Elector, 16. Jul.
cum Sveci super permutanda cum Cammino Golnoa retractassent, demum consensit, ut Sveci Camminum retinerent, modo circa reliqua tractabiles se præberent; simul plura circa ductum limitis relaxabat, ut aliquando molestissimo negotio defungeretur. Inter hæc tractatus inter Svecos Polonosque Lubecæ suscipiebantur, ubi quidam limitaneum negotium eodem rejiciendum svadebant. Id quod etsi Electori 14. Aug.
multas ob rationes haut expedire videbatur; tamen apud Svecicos Deputatos id abnuere haut placebat, num forte hi æquiores se præbituri forent, quod iisdem non posset non ingratum esse, gloria perfecti negotii privari. Ast hi obten- 27. Aug.
to licet Cammino prioribus insistere, ac non obscure innuere, multa adhuc superesse ducendis tractatibus. Cum igitur status rerum turbulentus esset, cui & tot per annos sua Pomerania subtrahebatur, nec Sveci rationibus flecti possent, demum quovis modo ad finem properare instituit; cum contra Sveci plerisque locis quæ in Colbacensi atque Piricensi præfectura affectaverant, desisterent. Et cum Elector circa sylvam Stepenicensem, qua Sveci ob lignationem Stetini & Wollini carere nolebant, his gratificaretur, iidem & jura communia, quæ in Ulteriorem Pomeraniam prætendebant remisere. Ita 15. Oct.
tandem negotium istud absolutum, ac scripto 13. Nov.
conceptum fuit, ac limes, qua opus videbatur *Super limite transigitur.*
notis signatus. Ac ut Schwalenbergio satisfieret, qui aliquot prædia Colbacensi in districtu hypothecæ nomine insidebat, Elector octo uncialium millia ipsi numeranda in se recepit, in quatuor quoque annos usufructu concesso.

§. 54.

1651. Super vectigalibus controversia.

§. 54. Ad liquidum jam deducto limite nostri reddendæ Pomeraniæ diem statui petebant. Quod Sveci optandum quidem sibi ferebant, sed per mandata se prohiberi, quoad & super vectigalibus transactum sit. Ac supervacuum videri heic circa id satagere, sed satius esse Electorem cum ipsa Regina mutuis scriptis, aut alia via convenire. Quæ ad ducendum tempus spectare manifestum erat, quo diutius Pomeraniam retinendi prætextum foret; simul ut interim specularentur, quid Viennæ circa investituram obtineri posset. Ac ne forte Elector vectigalia promto annuendo finem negotio imponeret, Lilliestrœmius ducenta uncialium millia velut e tributis inducialibus reliqua non sine importunitate exigere cœperat, ea ipsa quoque detenta Pomerania pervicturus, etsi id negotium ad hoc tractatus haut spectaret. Porro Elector satius ducebat summa pecuniæ ad centum triginta uncialium millia velut per aversionem data Svecos amoliri, quam eosdem in communionem tam nobilis juris in sua ditione admittere. Simul ne quid intentatum relinqueret, Kleistium ad Electores Rheno adsitos, Platenum ad Saxonem, & Cracovium ad Bavarum mittebat, Svecorum iniquitatem demonstraturos, ac ut istos consilium poscerent, quid sibi agendum censeant, ac ut Cæsarem ad habenda quamprimum Comitia impellant. Nec minus apud Reginam instabat; suis injungeret, ut tandem aliquando tergiversationibus finem imponant. Nam id negotium in Sveciam pertrahere haut placebat, ubi omnia lente expediebantur, & omnia e relationibus ex Pomerania pendebant, nec ibi defuturis prætextis negotium quamdiu libido ferret extrahendi. Urgendis autem Commissariis Svecicis demonstrari jubebat; *spem sibi fuisse, postquam tot indebita Regina indulsisset, aliquando rem in expedito fore. Sed nunc perspicere plures ambages quæri, ac rem in Sveciam rejici. Quod cum non sibi solum, sed & toti Imperio fraudi sit, nil amplius annuere posse, quoad in provinciam suam restitutus sit. Sibi quidem ferendum esse, ut Sveci eadem pro lubitu utantur. Sperare tamen eos, qui pacem præstandam receperunt, id curaturos, ne tam insignis pactorum pars eludatur.* Ad quæ Sveci: se nostrorum super vectigalibus declarationem in Sveciam misisse, ac inde jussos cum ipsis haut amplius in disceptationem descendere. Ita ante acceptam Reginæ sententiam haut fas sibi super provincia reddenda statuere. Id quod eo suspectius nostris erat, quod dudum e Svecia responsum adferri poterat; ac quod ad moram utcunque purgandam multa in medium adferebantur decidenda, quæ huc non spectabant, aut commode expediri non poterant, nisi Electore in Pomeraniam reposito. Quorum & pleraque nostris contendentibus ad separatam tractationem seponebantur. Porro circa vectigalia id cumprimis nostri ostendebant, cum per leges Imperii haut liceat nova vectigalia instituere, Electori quoque fas non esse in hanc tractationem descendere ante exquisitam Cæsaris & Electorum sententiam. Interim consentire, ut Sveci post restitutam Pomeraniam ista ad plenam usque causæ decisionem retineant. Cum Sveci istud insuper haberent, nostri ulterius petebant, ut Sveci isthæc vectigalia, Electori ejusque posteris relinquerent, ut ubi post extinctam familiam Electoralem ea Pomeraniæ pars ad ipsos devoluta fuerit, radicato jam jure istis vectigalibus post fruerentur. Quod & ipsum tamen temperamentum, etsi de eo admittendo Biœrnclovius Viennæ spem fecisset, a Svecia repudiatum.

Platen.

16. Jan. 1652.

18. Jan.

1652. Sveci vectigalibus obnixe inhærent. 12. April.

§. 55. Post longas disceptationes Reginæ demum declaratio in hunc sensum edebatur; *se rationibus suis noxium deprehendere, jure vectigalium per arma & pacta parto, ac Tabulis Pacis clare expresso decedere, aut idem alterius arbitrio subjicere. Unde ista a suis publicanis in utraque provincia sine exceptione exigenda; nec provinciam Electori ante traditum iri, quam is contradictione destiterit. Sed his admissis, & ubi cætera quæ restant expedita fuerint, circa traditionem non amplius moram fore.* Ast Elector ut mentem Reginæ super hoc negotio penitius exploraret, Duci Croyæ, qui circa id tempus in Sveciam profectus fuerat, in mandatis dederat, obiter eandem expiscari. Qui inde revertens referebat; *si Elector firmus persistat, Svecos demum rationem admissuros, nec ad abrumpendum tractatum processuros. Cæsareæ decisionis mentionem injectam odiosum valde iis fuisse, inprimis ne a Meclenburgico id in exemplum trahatur, quod ab ipsis in hoc negotio magis Rostochium, quam Ulterior Pomerania respiciatur. Cæterum his rationibus Reginam inniti, quod credat Tabulis Pacis jus suum fundari, & quia metuat, ne abolitis per Meclenburgicam & Ulteriorem Pomeraniam vectigalibus, Svecicis portubus solitudo adferatur, aut heic quoque eadem tollenda ob Rostochium medio inter Wismariam & Stralsundam situ. Ut eadem ad æqua compellatur effici posse non tam investitura impedita, quam parum curet velut in possessione provinciarum constituta, quam prohibita instantibus Comitiis sessione, quam utique exercere cupiat. Ac si intelligat, Biœrnclovii negotiationem Viennæ ad vadum adhærescere, tractabiliorem fore.* Haut eo secius Sveci, labefactandis nostrorum animis, multo ferocius quam antea se jactabant; & cum nostri tentandi gratia iis significarent, sese ad extruendum Fridericivvaldæ stabulum quinquaginta arbores cædi jussuros, Sveci negabant id a se permittendum, ne Elector ex hoc actu possessionem provinciæ obtendat; quam prohibere sibi injunctum, quamdiu is in vectigalia non consenserit. Ad quæ nostri: facile ex his mentem Svecorum perspici; unde Electori pro re nata consilium capiendum. Simul Citeriores Pomeranos dehortabantur, ne Svecis sacramentum dicerent, antequam obligatione sua exhibito cessionis instrumento exsoluti fuerint. Nec minus Ulteriores Pomeranos obfirmabant, ne Svecis tributa amplius persolvant, aut eorum jurisdictionem agnoscant; qui tamen minis ac vi militum facile ad imperata facienda compellebantur. Interea nostri circa minutias componendas laborabant, ne Sveci apud Cæsarem causari possent, multa adhuc indecisa restare. Simul omnem moderationem adhibebant, & qua poterant temperamenta admittebant, ut Svecis ansa adimeretur culpam morarum in ipsos rejiciendi. Ast Lilliestrœmius apud no-

1652. ſtros explorabundus movebat, annon Elector permoveri poſſit, ut conceſſa vectigalium communione apud Cæſarem & Ordines deſinat inveſtituræ & invitationi ad comitia intercedere. Cui noſtri abruptè: apud Svecos quicquid fuerit rationum fruſtra conſumtum. Electorem quoque tantum æquitatis exhibuiſſe, quantum etiam pagano, cui aliquis honeſtatis ſenſus, permovendo ſufficere poſſit. Nunc nil aliud remedii reſtare, quam ut illos conſilium & opem poſcat, ad quos id negotium ſpectet, ac inveſtituram & invitationem ad Comitia tamdiu impediat, quoad ſuam provinciam recuperarit, ac Sveci cauſam vectigalium cognitioni Cæſaris & Ordinum ſubjiciant. Atque ut hoc inſtituto deſiſtat, neminem ſanum ſuaſurum. Quod dictum Lillieſtrœmium valde mordebat. Sed & Biœrnclovius Viennæ jactaverat, Pomeraniæ Ordinibus vectigalia modorate taxata haut improbari. Quod cum in Electoris fraudem fingi adpareret, noſtri contrario Pomeranorum teſtimonio id elidebant.

7. Jun.

Elector temporibus ſe accommodare inſtituit.

§. 56. Haut eo minus Electori placebat duplici via negotium id impellere, deſideriis Svecorum in aula Cæſarea obluctando, & continuata Stetini negotiatione. Cujus conſilii utilitas eo magis adparebat, poſtquam præter ipſius ſpem Regina ad Comitia a Cæſare invitata fuiſſet. Nam Cæſari placuerat moderationis favorem captare, ne Svecis ulla querendi cauſa relinqueretur, quo deinde, ſi reſtitutionem abnuere pergerent, cum totius Imperii conſenſu adverſus iſtos agere poſſet. Interim noſtri circa vectigalia unum atque alterum temperamentum proponebant, ac primo quidem, ut Sveci ea tantiſper retinerent, quoad ſuper hiſce tranſactum ſit: inde ut ad ſexennium iis fruerentur, provincia protinus reſtituta. Sed Sveci omnem temporariam tranſactionem adſpernabantur, velut quibus perſuaſum erat, Electorem ubi ſemel provincia ſua potitus ſit, id negotium ad déciſionem Cæſaris pertracturum, qui ſine dubio ſecundum ipſum litem daturus erat. Poſt & per Ducem Croyæ centum uncialium millia offerebantur redimendæ liti: nam ut directe id faceret haut congruebat, ne quod hactenus impugnatum fuerat, jus agnoſci videretur. Ac in aula Cæſarea hæc vis litem componendi promtiſſima habita fuerat. Sed Sveci & hoc rejecto demum afferebant; ſe Electorem ad dimidiæ partis communionem admiſſuros; id quod huic multis nominibus diſplicebat. Nam & ipſa communio, litium genetrix, moleſta erat: & inhumanum videbatur, Reginam ob tantillum emolumentum tantum ipſius dignitati ac ſupremo juri præjudicium inferre velle, quod illibatum eidem in Ulteriorem Pomeraniam competebat; inprimis ubi iſta directionem vectigalium ſibi arrogaret, eaque pro lubitu intendere aut remittere, mercesque taxare inſtitueret. Quo admiſſo commercia provinciæ alienæ libidini obnoxia futura erant, ſibique tolerandum, ut Svecici publicani civibus ipſius inſultarent; qui & juriſdictioni ejuſdem exempti aſylum quodpiam facinoroſorum ſtructuri erant, jure quoque confiſcandi per eoſdem exercendo. Sed quæ incommoda Sveci elevabant, aut remedia adverſus ea proponebant. Tandem a Svecis hæc Reginæ declaratio edebatur: *Se haut credidiſſe ab Electore repudiatum iri, quæ ipſa promte expediendo negotio in medium attulerit. Nam utut ei nil juris ſit, quare circa admittenda per Tabulas Pacis legitime quæſita vectigalia tergiverſetur; teſtandæ tamen æquitati, ac ſtudio circa ſervandam amicitiam de jure ſuo hactenus remiſiſſe, ut iſtum in dimidiam partem ejus vectigalis admittere velit. Quanquam autem hoc per Electorem repudiato fas ſibi ſit omiſſa participatione jus ſuum quovis modo tueri: tamen ſi adhuc Elector in iſtam conſentire velit, ſibi placere, ut cum Electoralibus ſuper eadem agatur; ut tamen Elector in conſortium directionis haut admittatur. Iſta ſi Elector adſpernetur, ſe omnia, quæ Electoralibus circa hanc propoſita ſint retractare, ac negotium prout nunc eſt, relinquere, rejecto omni circa participationem aut redemtionem tractatu.* Elector contra Svecis confirmabat, ſi reſtitutionem provinciæ ſuæ non amplius morentur, ſe commoda Sveciæ non minus quam propria apud Cæſarem, Electoresque promoturum; ſimul de itinere ſuo Pragam ad Cæſarem ſignificat, avertendæ ſuſpicioni, cumprimis teſtatus iſtud ad abrumpendos hoſce tractatus haut ſpectare. Sed & cum interim Sveci de ſucceſſione in Novam Marchiam, ac Sternbergenſem diſtrictum, cum Vierrada, & Lockenitza moviſſent, non amplius valde reluctandum ſtatuerat, ſi forte iſti circa reliqua tractabiliores ſe exhibituri ſint. Quanquam de iſta Tabulis Pacis ne verbum quidem erat expreſſum; ac revera iſtud jus Ducum Pomeraniæ, quod ex pacto mutuæ ſucceſſionis cum Marchionibus Brandenburgicis quæſierant, in vicem ejus juris, quod Marchionibus in Pomeraniam partum erat, cum ipſorum familia plane expiraverat. Eoque vocabulum *expectantiarum*, quod in Tabulis Pacis extat, huc trahi non poterat; cum longe diverſum ſit *expectantia* a domino feudi collata in feudum deinceps aperiendum: aliud ſpes ſucceſſionis, ex pacto familiarum nata; qui ubi poſt extinctam alterutram familiam altera ad ſucceſſionem vocata eſt, una cum pacto expirat, velut ultimo ſuo complemento obtento. Unde & ſi forte alius quiſpiam alio titulo partem ejuſmodi ditionis nanciſcatur, ex vetere iſto pacto mere perſonali nil prætendere, nec in id ſuccedere poteſt; cum regnum Sveciæ nullo modo jus ſuum ad Pomeraniam a veteribus ejus provinciæ Ducibus, ſed longe alio titulo acceperit. Adeoque quia jus iſtud non Ducatui Pomeraniæ, ſed ſtirpi Ducum Pomeraniæ quæſitum, & ex horum parte cum iiſdem extinctum erat; idem nullo modo in eos transfire poterat, qui Pomerania ex alio titulo, non a prioribus Ducibus derivato potiebantur. Sed nec æquum habebatur id jus a Svecis peti, cum reciprocum jus Marchionibus reponere non poſſent ob indolem regnorum mortalitatis conditioni haut obnoxiorum. Ac caſu iſto aliquando emergente grande præjudicium Germaniæ naſciturum inde erat; cum in materia ſtatus metuenda & præcavenda ſint hodie, quæ poſt centum annos futura ſunt. Quia tamen id periculum hinc demum imminebat; quando res humanæ non amplius Electorem ejuſque familiam tacturæ erant, & alia ratio e moleſtiis, quibus tamdiu exercebatur, eluctandi non ſuppeteret, ſegnibus ad ſublevandum ipſum omnibus; eam curam Domui Auſtriacæ,

Marginal dates: 7. Jun. — 4. Jul. — 29. Aug. — 1652. 17. Octob. — 26. Oct.

ac

1653. ac Poloniæ delegabat, quos iste casus præcipue spectaturus erat, Sveciæ tunc ditionibus ad utriusque fines late porrigendis.

Id negotium demum concluditur.

§. 57. Cæterum in hoc quidem negotio Cæsar atque Ordines censebant, Svecis ad ista vectigalia neque e Tabulis Pacis, neque aliunde quidquam juris competere. Ac Cæsarei Legati, qui Osnabrugæ fuerant, testabantur, sibi nunquam in mentem venisse, Svecis vectigalia ad totum litus Maris Baltici concedere; sed quia in præcedente *paragrapho primo* vectigalia antiqua duntaxat ipsis indulta fuerint, ac iidem *paragrapho sequenti* postularint, etiam nova vectigalia a se instituta ad oram Meclenburgicæ & Pomeraniæ addi, se pacis causa illa annuisse iis in locis, quæ Sueciæ cessa sint, & amplius nihil: per articulum autem *nonum* Instrumentis Pacis nova vectigalia aliis in locis abolita esse. Haut eo secius Elector, cum statum Germaniæ ac vicinorum trutinasset, tum ut cives suos exterorum oppressioni subduceret, demum in participationem dimidii vectigalis consentire decrevit ea lege, ut Sveci Ulteriorem Pomeraniam citra moram restituant, ac ipsius postulato in comitiis suffragentur, ut sibi satisfiat de eo, quod per ductum limitis, & ob detentam per triennium provinciam decessit. (17. Jan. 1653.) Cui declarationi faciendæ Philippus Hornius Stetinum mittatur; qui tamen, si Sveci adhuc difficultatem moverent, testari jubebatur; Electorem postquam omnia, quæ penes se sint, præstiterit, legatos suos avocaturum. Nec tamen permoveri Sveci poterant, ut citra moram negotio colophonem imponerent; sed prius rem ad Reginam referendam causabantur, revera ut specularentur, quid Ratisponæ futurum sit. Nam si ibi Regina locum inter Ordines obtinuisset, haut defuturum erat prætextum Electorem ulterius illudendi. Eo major necessitas incumbebat Electori mordicus decreto Cæsareo inhærendi de non admittendis ad comitia Svecis (3. April.) nisi post redditam Pomeraniam. Demum longam post expectationem literæ a Regina ad Commissarios afferuntur, quibus ista ad instructionem adjunctam provocabat, sed quam Secretarius per (7. April.) violentiam adjungere neglexerat; quæ tamen paucos post dies allata fuit. Ita Sveci multa incassum causati diem tradendæ Pomeraniæ constituunt Kalendas Junii, quæ tamen post ad sextam prorogabatur, qua præsidium Svecicum Colberga excedebat, ac per delegatos regios Ulterioris Pomeraniæ regimen in nostrorum manus resignabatur. Sic tandem Elector sua tantopere dilecta, etsi valde admutilata Pomerania potitus est, post tot frustrationes eam quoque indignitatem tolerare coactus, ut pactis insereretur, *ipsum amicitiæ gratia, & ex singulari favore in partem vectigalium sua provinciæ admissum.*

Pomerania quis Regiis limes.

§. 58. Ista conventione exacta designabatur limes inter Regium & Electorale territorium in Ulteriore Pomerania, quo Electori præter alia multa ademta sunt, quæ ad Stetinensem & Wollinensem præfecturam pertinuerant cum Camminensi oppido. Simul declarabatur, etsi per Tabulas Pacis Electori permissum sit Capitulum Camminense extinguere, in gratiam tamen equestris ordinis id se conservaturum, designato, quantum juris in idem Reginæ atque Electori competeret. 1653. Jura communia, quæ prioribus Pomeraniæ Ducibus fuerant, utrinque sublata, nisi quod simultanea investitura in Ulteriorem Pomeraniam & Camminensem Præsulatum cum *eventuali* Ordinum homagio Sveciæ Regno reservaretur. Consensit quoque Elector quantum in se cum sua familia in expectativam Regni Sveciæ in Novam Marchiam, districtum Sternbergensem, nec non in castra Vierradam, & Lockenitzam, & adjuncta eis bona cis Marchicos fines in Pomerania sita, quam priorum Ducum Pomeraniæ familia habuit; ut familia Marchionum Brandenburgicorum extincta Reges Sveciæ ejus provinciæ possessionem adprehendere queant, prævia tamen Cæsarea confirmatione, interim simultanea investitura gavisuri. Quia tamen Pomeraniæ Ordines jam antea Electori fidem juratam dederunt, ita ut in præsens utrique sacramentum dicere nequeant, istos haut eo minus intra semestre spatium post firmata hæc pacta cauturos, hæc conventa a se servatum iri. Regina dehinc testandi affectus gratia Electorem in dimidiam partem recens institutorum vectigalium in Ulteriore Pomerania admittebat, quibus exigendis certæ leges concipiebantur. Super commerciis conventum, ut ea inter utriusque cives sint libera, nec impediatur utrinque mercium importatio, exportatio, & distractio, nec eadem novis oneribus premantur, salvo tamen utriusque jure occludendi portus, ac provinciam, ubi annonæ caritas subegerit, ac salvis loci cujusque privilegiis, prout ante hoc bellum fuerunt. Æs alienum, quo Pomerania publice tenebatur ad 581466. florenos ita divisum, ut a Regina 105106. ab Electore 476360. essent solvendi. Denique & super exsequiis postremi Pomeraniæ Ducis Bogislai XIV. conventum. De reliquis tributorum inducialium ad peculiarem congressum rejectum. Ea pacta Stetini nomine Reginæ subscripsere Arvidus Forbusius, Io. Nicodem. Lilliestræmius, & Henricus Schwalenbergius; ab Electoris parte, qui supra expressi sunt. (4. Maji. Forbus.) Peculiari pacto cautum super immunitate a vectigalibus pro frumento, cibariis, utensilibus, instrumento venatorio, aliisque similibus minoris pretii ad aulam necessariis, e Marchia in Borussiam & vice versa transvehendis, ubi idonea certificatio fuerit exhibita. Traditum & diploma, quo Elector in omnia, quæ Svecis cesserat, renuntiabat, subditosque jurejurando exsolvebat. Tum conventio inita, circa simultaneam investituram in Ulteriore Pomerania observanda, simul formula literarum concepta, queis a Regina Ordinibus Pomeraniæ Ulterioris super privilegiis cavendum, & ne Sveci ejus provinciæ administrationi sese ingerant, superstite Marchionum prosapia: nec minus formula reciproca, qua Pomeraniæ Ordines Reginæ cavere debeant; tum literæ Electoris, queis Pomeraniæ Ordinibus hæc pacta servanda injunguntur, cum formula jurisjurandi, quo Ulteriores Pomerani, & Camminenses tam Nobiles, quam oppidani Reginæ in eventum fidem obstringere debeant.

§. 59.

1651. Legatus in aulam Cæsaream mittitur. §. 59. Cæterum initio hujus tractationis Electori spes fuerat, facile sibi super hisce rebus conventurum cum Regina cognata, & quia graves rationes sinceram inter ipsos amicitiam suadebant. Sed cum ita inique & contemtim secum agi conspiceret, Cæsaris opem implorandam censuit, etsi Svecis tunc ob recentes victorias ferocibus parum formidandi, præsertim cum in arma erumpere rationibus tunc Germaniæ haut expediret. Missus igitur Viennam Matthias Cracovius Electoris nomine exponere jubetur; *qua sibi difficultates circa recuperandas Pomerania reliquias, cujus nobiliorem partem redimenda communi paci prodegerit, objiciantur; quam iniqua Sveci postulaverint; quam multa ipse præter debitum concesserit, quæ millionis pretium exsuperent. Quibus cum istorum aviditas impleri non potuerit, nil aliud sibi superesse, quam Cæsaris opem exposcere, ne Svecorum petita circa investituram admittat, quoad hi ex legibus pacis præstanda præstiterint, ac provinciam hactenus detentam cum fructibus perceptis & percipiendis sibi restituerint; monita per literas Regina, ut a legibus pacis recens conclusæ ne discedat.* Ejus mandata. Addebatur, ne Ordines Citerioris Pomeraniæ Svecis homagium præstarent, nisi Reginæ satisfactum sit; neu Svecis permittatur Ulteriorem provinciam tributis amplius exhaurire. 5. Mart. Ad ista Cæsar initio, uti assolet, laxioribus verbis omnia prona pollicebatur, Ac Ferdinandus Curtius in antecessum significabat; Curtz. *Electorem optime sibi consuluisse, causa ista ad Cæsarem delata. Nam Svecis obtenta investitura in proclivi fuisse futurum restitutionem Electoralis provinciæ eludere; quos jam dudum pænituerit totam Pomeraniam non pervicisse. Ad vectigalia nullum istis jus competere, quæ & totum Imperium tangant. Ad Reginam a Cæsare literas dari non posse, titulis nondum liquidis; unde ei scopo obtinendo aliam viam ineundam.* Quia etiam Sveci valde se jactabant exceptione Noribergensi conventioni inserta, Joannes Cranius Legatus quodam Cæsareus asseverabat, *sibi & Collegis Noriberga a Cæsare injunctum fuisse, ut abrumpi potius tractatus, quam Electorem ea clausula adversus Instrumentum Pacis insuenda onerari patiantur, quod jam tum pelluceret, quid per eam Sveci quærerent. Id Cæsaris jussum se Wesenbecio ostendisse. Sed quia is Svecis importune urgentibus conclusioni haut intercesserit, ea verba fuisse retenta; quæ ut corrigantur, nunc opera danda sit. Ac utcunque ea se habeant, saltem in infinitum non posse porrigi, sed civiliter interpretanda intra spatium legis, seu petenda investitura; cum ipse ablegatus Svecicus agnoscat, circa limites prius transactum oportere, quam investitura accipi possit.* Ast ad petita Cracovii Judicium Aulicum decernebat: de inhibitione investituræ præpropere moveri, quæ nondum a Svecis aperte quæsita sit. Cum Biœrnclovio agi non posse, quoad is idoneas literas fiduciarias exhibuerit; quibus allatis nomine Cæsaris cum ipso hac de re loquendum. Per Piccolomineum literas nomine Cæsaris ad Carolum Gustavum scribi posse. Jus Reginæ a Citerioribus Pomeranis jusjurandum exigendi abnegari non posse. Utut Cracovius reponeret; obligationem esse reciprocam, & a Svecis quoque prius legitima præstanda. 2. Jun. Porro & aliqui ex eo collegio suadebant, *abrumpendam ab Electore cum Svecis tractationem limitaneam, ac a Cæsare impetrandum, ut Moguntino & Saxoni causæ cognitio delegetur.* Contra alii demonstrabant; *ad istam rem magnis sumtibus opus esse. Ultra ætatem hominis processum judiciarium duraturum. Nam etiamsi delegati cognitione absoluta ad Judicium Aulicum acta retulerint, incertum tamen, secundum quem sententia ferenda sit: nec defore in aula Cæsarea qui Electori suas ditiones invideant. Ordinibus quam parum nitendum sit, Electorem jam Osnabrugæ ac Noriberga documentum cepisse. Ac si demum Ordines exsecutionem sententiæ suscipiant, remedium morbo periculosius fore, maximis molestiis in Marchiam devolvendis, & auxilio magni imputando.* Sed & circa id tempus animi Viennæ turbabantur, ob sumta ab Electore in Neoburgicum arma; de quibus jam Coloniensis, & Moguntinus questi fuerant, insuper habitis Imperii legibus novos in Germania tumultus excitari. 15. Jun. Quid Cæsare opus, si quilibet sibi judex esse velit? Eo exemplo Svecos in Marchiam posse irrumpere. Et quo tunc colore Cæsaris tutelam implorandam? Mox instante Cracovio Judicium Aulicum ulterius declarabat: *non eam sibi mentem, ut ductus limitis in arbitrium Svecorum reponatur, sed ad arbitrium boni viri aut judicis temperetur.* 18. Jun. *Ac si Sveci rem præter rationem extrahant, Cæsari fas esse autoritatem suam interponere. Interim pleniorem circa id negotium informationem ab Electore petendam. Citeriores Pomeranos quo minus homagium præstent, prohiberi non posse, idque ob vocabulum* ex nunc, & ab hoc die, *quod in Instrumento extet. Et quare nostri non majore circumspectione circa concipienda Pacis verba usi sint?* Ast in Secretiore Cæsaris Consilio decretum, ut Biœrnclovio de Cracovii querelis indicium fieret, idemque moneretur, ne Sveci contra Tabulas Pacis Electori molestiam inferant. Ut tamen ultra verba procederet Cæsar sperandum non erat. Nam si Sveci ejus rescripta spernerent, non erat, quomodo suam & Imperii autoritatem tueretur, ac fortius quid audentem Ordines deserturi erant. Quin Cæsar durantibus turbis Juliacensibus vel minimum apud Svecos hoc super negotio movere sustinebat, declinandæ horum offensæ, ne forte istis turbis se immiscerent, novumque belli incendium excitarent. Nec deerant qui suspicarentur, haut ingratum Aulæ Cæsareæ accidere, Reginam atque Electorem dissidio distrahi.

§. 60. Inter istud Aulæ Cæsareæ frigus super limite in Pomerania transactum erat, ut In Aula Cæsaris frigide res geritur. præter vectigalia parum restaret; de quibus Elector haut consultum judicabat sententiam Judicii Aulici nimium urgere, ne sibi post facultas cum Svecis transigendi adimeretur. Simul Biœrnclovio duodecim uncialium millia offerebantur, si is utilem operam hoc in negotio navare possit; qui & oblatum citra tergiversationem acceptabat, ac quantum penes se pollicebatur, testatus se discessu suo Reginæ suasisse, ut cum Electore & Meclenburgico super vectigalibus transigat, ne ipsa primo in Comitia ingressu quid invidiosæ litis adferret, gratiam ejusdem refrigeraturæ: quam in sententiam & Regina inclinarit.

Secum

1651. Secum quoque conspirasse Salvium, sed prout sit ingenio timido, maluisse, ut id consilium ab alio potius quam ipso proponatur. Sed Axelium Oxenstiernam duriorem esse, & quod semel manibus teneat retinere pervicacem. Lilliestrœmio quoque se molliora ingessisse, sed a quo asperis literis protelatus sit; qui ignarus aulæ Cæsareæ ad extrema rem impellere ardeat. Alias constabat Stetini citius finem negotio imponi posse, ut maxime Svecis cedendum quid foret, quam ope Cæsaris; cui non constabat, quodnam pondus suæ sententiæ additurus esset, si Sveci eidem parere detrectassent. Accedebat, quod etsi literis Caroli Gustavi circa Vectigal Warnemundanum, ac legatorum Svecicorum testimonio parum autoritatis esset, velut in negotio proprio; Judicium tamen Aulicum istud rejicere abnuebat, nisi ab iis quorum intererat refutatum. Quanquam etiam sat prætexti foret Reginæ ad comitia non invitandæ, quod investituram non accepisset, nec præstanda præstitisset: tamen metus erat, ne præterita licet cum Gallis ultro ad comitia mitteret, ac multa ibi in odium Cæsaris moveret. Unde visum Electorum prius sententiam exquirere, quid suscipiendum, si Regina monita Electori satisfacere abnuat? Quod tamen & ipsum quibusdam cum periculo conjunctum videbatur, ne Regina id in clarigationis vicem acciperet. Ita multum temporis frustra Viennæ consumebat Cracovius; quod Cæsarei negarent cum Biœrnclovio agi posse, antequas is legati autoritatem sibi circumposuisset, hic autem literas fidei edere nollet, quoad super titulis convenisset. Et cum Cracovius rogaret, ut saltem ad regimen Pomeraniæ scriberetur, Cæsari postulata Reginæ super vectigalibus displicere: id ipsum tamen quoque rejectum, quod non congrueret ad istud prius, quam ad Reginam literas dari. Unde Electori necessarium videbatur apud Collegas instare, ut Cæsarem ad maturanda Comitia impellerent. Quanquam enim non necessarium videbatur super hisce Comitiis indicendis Electorum consensum requiri velut Instrumento Pacis jam decretis: Cæsari tamen placebat autoritati horum conservandæ præcavere, ne reliqui Ordines hunc actum, si citra præviam Electorum requisitionem Comitia nunc haberentur, in præjudicii vicem deinceps allegare. Post longum spatium interjectum in Judicio Aulico demum decernitur; *Electori Saxoniæ, & Augusto Brunsvicensium Duci committendum, ut Reginam super omittendis vectigalibus, ac restituenda Ulteriore Pomerania per literas moneant.* Nam omnes nullo excepto agnoverant, ista per injuriam a Svecis postulari, & hanc detineri. Et jam Biœrnclovius editis fiduciariis literis legatum se gerebat, ac in mandatis sibi datum ferebat super investitura agere, quod hucusque inficiatus fuerat. Unde Cracovius petebat, ut quoad Pomerania reddita sit, non solum investitura Svecis ne conferatur; sed nihil, quod Electori fraudi esse queat, suscipiatur, ne concepta quidem literarum investituræ formula: tum ut jam cum Biœrnclovio super vectigalibus & restituenda Pomerania agatur. Inprimis ne Regina ad Comitia invitetur, qui efficacissimus videatur cuneus

11. Jan.

2. Febr.

ad æqua ipsam permovendi, quod illa firmandis suis rebus valde cuperet possessionem suffragii ferendi inter Ordines Imperii capessere. Quod & ipsum Elector apud Legatum Cæsareum, qui Comitiorum causa missus erat, urgebat. Ast quo circumspectius in Aula Cæsarea procedebatur, eo fidentius Sveci postulatis suis insistebant, quod satis nossent, ob ista vectigalia bellum haut sumtum iri. Et cum Cracovius quereretur; *Svecos circa hæc nullum judicem agnoscere velle, ac interim provincia Electoris tanquam sua uti; additis precibus, ut Cæsar per rescriptum Regimini Pomeraniæ injungat exactionibus abstinere, ac provinciam reddere, simul Ulteriores Pomeranos vetet tributa amplius Svecis solvere, aut eorum jurisdictionem agnoscere:* Judicium Aulicum decernebat; *petita Electoris jure niti. Sed ut ad Regimen Pomeraniæ scribatur non congruere, cum nondum ad Reginam scriptum sit; sed Biœrnclovium monendum, ut istis ausis desistatur. Ad Ordines tamen Ulterioris Pomeraniæ literas inhibitorias dandas.* Tutius quoque videbatur invitationem Reginæ ad Comitia non plane omittere, sed ei conditionem addere, ut præstanda prius præstet. Adiere dehinc Biœrnclovium Curtius, Wolckensteinius, & Gebhardus, super vectigalibus eum compellaturi. Ei ad protocolla provocanti reponebatur; *decisionem hautquidquam e protocollis sumendam, cum multa tractentur, quæ non perficiantur: sed Tabulas pacis ostendere, quid conclusum sit, itaque standum esse.* Svecus contra referebat; *cum Cæsarei Osnabrugæ initio totam Pomeraniam Sveci obtulissent,* paragraphum Ad hæc *in Instrumento uti jam extat formatum. Inde cum Avauxii importunitate eo res esset redacta, ut Ulterior provincia Electori relinqueretur, Avauxium quidem postulasse vectigalia in hac provincia omittenda, & dicta verba corrigenda. Sed cum Salvius recusasset, ea verba mansisse. Inde Brandenburgicos cum aliis citra contradictionem communem pacem subscripsisse.* Ad quæ Cracovius excipiebat: *e narratis, quæ suo loco relinquat, haut evinci posse, Svecis licitum esse tam ignominiosam Servitutem Electori imponere; quod postquam Avauxius de iis remittendis monuisset, Sveci haut eo secius permiserint, ut sequenti articulo Ulterior Pomerania Electori cum omnibus juribus citra exceptionem addiceretur. Unde Svecos, si quid Electori noxium animo agitassent, vectigalia expresse debuisse excipere; præsertim cum a Cæsareis significatum fuisset, quo sensu Ordines memorata verba acceperint, ut nempe ad sola loca cessa porrigenda sint. Ad quod cum Salvius nil aliud responderit, quam id, per se clarum esse, nec post Noriberga vel verbo ea de re motum fuerit, ubi tam multa in favorem Sveciæ indulta sint; facile intelligi violentam istam interpretationem subsistere haut posse. At Biœrnclovium suo se gladio jugulare, dum fatetur,* paragraphum Ad hæc *positum, quando Sveci totam Pomeraniam postulabant. Atqui cum iidem deinceps hoc postulato desisterent, consequens fuisse, tantum de vectigalibus, quantum de ipsa regione remitti. Nec nostris necessum fuisse, apud subscriptionem pacis protestari, quod sequenti articulo per verba* pleno jure, & cum omnibus pertinentiis *sat cautum ipsis foret, Svecis haut licitum fore tam insignem supremi imperii partem in terris Ele-*

1652.

3. Mart.

6. Mart. Gebhard.

1652. *ctoris sibi arrogare, aut iisdem servitutem impingere.* Sed in liquida quantumvis causa Cæsarei caute ad-
10. Mart. modum procedebant. Ac citra dissimulationem differebat Curtius: *non esse quod Elector ægre ferat, a Cæsare non plus fervoris hoc in negotio ostendi. Quis enim postulare a Cæsare possit, ut se prostituat, si Sveci mandata insuper habeant? Electorem tamen bene fecisse, quod Svecis omne querendi prætextum præripuerit, oblata his vectigalium fruitione, quoad res decisa sit. Hoc ipso enim odiosis verbis Noribergensi pacto insertis ab ea satisfactum.*

Svecorum petitis in Aula Cæsarea obsistitur. §. 61. Interea omnibus modis obsistebatur, nec Sveci obtentis in Aula Cæsarea quæ voluerant, Pomeraniæ redditionem in infinitum eludere possent. Unde cum Biœrnclovius apud Judicium Aulicum *indultum* quæreret, quod major ejus consessus pars cum conditione decreverat; ac de eo Cracovius quereretur, responsum; Electori commodo cedere, a Svecis ea de re moveri, quæ ansam ipsis ad æquiora compellendis præbere possit. Sed & cum Biœrnclovius elevando Cæsareorum Legatorum testimonio jactaret hoc post conclusam pacem compositum; id verum negabat Cranius. *Nam diu ante per Ordinum Deputatos Salvio denunciatum, ut paragraphum Ad hæc clarioribus verbis ad loca cessa restringeret: ad quod a Salvio responsum, id per se intelligi, & ideo relinquenda ea verba, uti posita sint: ac de Regina æquitate nemini dubitandum.* Elector quoque, ut moderationem suam ubique ostenderet, permittebat, ut Regina ad Comitia invitaretur, si Ulteriorem Pomeraniam restituerit. Ast si quæsitum *indultum* eo porrigendum sit, ut Svecis interim isthanc retinere integrum sit, Cracovius interposita
26. Mart. protestatione reniti jubebatur. Nam satis animadvertebat Elector, ut negotium suum ad finem perduceret multa patientia, & juris sui remissione opus esse, quod Cæsar circa indicenda comitia moras necteret, nondum de voluntate omnium Electorum certus circa filium Ferdinandum in Regem Romanorum eligendum. Unde Aula Cæsarea anceps agebat offensæ utrinque declinandæ. Et e Svecia Elector intellexerat, Reginam quidem destinatis suis pervincendis aliquandiu firmiter inhæsuram; ad extremum tamen ea vel plane remissuram, vel ad amicam compositionem deducturam potius, quam Cæsaris Ordinumque decisioni eam causam submittat. Simul omnem lapidem moturam, ut jus suffragii inter Ordines exercere incipiat; ac potius cum Electore quovis modo super vectigalibus transacturam, quam ut ea occasione accessus ad comitia impediatur. Super invitatione porro Reginæ ad Comitia Bavarus, & Saxo simpliciter declaraverant, eam plane omittendam, antequam ista legibus Pacis reddita Pomerania satisfecisset. Sed Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis cum Palatino censebant, literis invitatoriis eam conditionem addendam, ut ad sessionem & suffragium admittatur, ubi prius Instrumento Pacis satisfecerit. Cui sententiæ & Cæsar accedebat; additurus & epistolam sua manu scriptam, qua ad reddendam Pomeraniam ipsam hortaretur; cui pondus futurum sperabatur velut primæ. Etsi Electori haut placebat conditionem ita laxe, si præstanda præstitisset, 1652.
fuisse conceptam, præsertim cum ea verba etiam de laudemiis intelligi possent. Unde Cracovius sermone apud Cæsarem instabat ita ea verba declarari, ut & Pomeraniæ restitutionem exprimerent. Nam exhibito scripto id petere haut placebat, ne id abnegatum Sveci in Electoris fraudem traherent. Cæsarei tamen id factum ita excusabant; moris non esse partium jura literis invitatoriis immiscere, sed ea a partibus litigantibus in Comitiis proponenda. Ut tamen Electori satisfiat, literis familiaribus ad Reginam id monitum iri. Ad quæstionem, quid cum Svecis suscipiendum, ubi sententiæ Cæsaris super vectigalibus parere abnuant, Trevirensis responderat; non audere se in tam arduo negotio sententiam præcipitare. Cæsari tutissimum fore id negotium usque ad Comitia differre. Ac in eum fere sensum cæteri Electores responderant. Eo magis cavebat Cæsar, ne quid in hac causa admitteret, quod Ordinibus displicere posset, præsertim metu potentiæ Svecicæ in istius aula nondum exolito. Per Curtium tamen Cæsar Cracovio testabatur; nil magis sibi cordi esse, quam ut Electori opem præstet effectu solidam: sed credere apud Reginam plus amica ratione, quam asperis rescriptis obtineri posse. Ast ubi familiares suæ literæ nihil efficiant, de aliis remediis cogitandum. Cæterum Reginæ ad Comitia invitandæ hanc præcipuam fuisse causam, quod istis literis utique inter Ordines agnoscenda fuerit, ubi deinceps aliquid eidem rescribi; aut imperari opus sit. In universum autem præstandorum duntaxat mentionem fuisse faciendam, quod nondum constiterit, num alii quoque Ordines querelarum quid adversus Reginam moveant. Unde non debuisse quædam præstanda exprimi, reliqua omitti. Ita patebat, a Cæsareis offensam Svecorum declinari, ac molliter duntaxat intercedendo causam Electoris fulciri; ne isti, quod Curtius obtendebat, per ministrum suum, (quem revera nullum Bizantii habebant,) Turcam extimularent; aut quia fortasse fœdus cum Svecia agitabant, cui se pronum Biœrnclovius offerebat; aut inprimis, ne Sveci causam religionis & gravaminum futuris Comitiis susciperent. Spes tamen erat, si Elector ipse Pragam accederet, omnia melius successura, quod Cæsar filium valde cuperet Regem Romanorum creari, valetudine sua in deterius jam vergente. Elector contra judicabat, nondum sat judiciorum sibi adparere, suam præsentiam Pragæ valdæ desiderari. Unde Cracovius, si de adventu ipsius quæratur respondere jubebatur; *hunc nondum ea conditione agere, ut sua præsentia Cæsari admodum grata accidere possit. Nam si ad Cæsarem accedendum ipsi sit, malle gratiarum actione apud hunc defungi, quam molestis querelis tædium sui excitare.* Inter ista Pragam, quo 10. Jul.
Cæsar Vienna se contulerat, Volmarus quoque veniebat Electori addictus; qui referebat; *Osnabrugæ nostros a se monitos, a Svecis distinctam minutiarum enumerationem petendam. Sed quia hi ea admonitione insuper habita cum istis separatim egerint, sibi quoque id fuisse ferendum; ac se statim animadvertisse, sub eo vocabulo nil aliud latitare, quam ut Sveci inde viam affectent totam Pomeraniam retinendi. Ac*

stare

1652. *ſtare adhuc eam ſibi ſententiam, etiam lite ſuper vectigalibus compoſita haut eo magis Svecis cordi fore Pomeraniam reddere. Ad comitia Svecos utique vocandos fuiſſe. Nam ſi heic ea de re agendum fuerit, Ordines ante omnia decreturos fuiſſe, inauditos damnari non poſſe; ac Reginam præteritionem iſtam gravis injuriæ loco habituram. In præſens nil aliud ſupereſſe Electori, quam ut initio Comitiorum proteſtetur, ne Sveci ad ſeſſionem & ſuffragium admittantur, quoad legibus pacis ſatisfecerint, ac feudale vinculum ſubierint. Sane Cæſarem ante reſtitutionem iſtis inveſtituram haut collaturum; prout & verba in literis invitatoriis ita ſint poſita, ut Cæſari integrum ſit eam hiſce interpretationem accommodare. Si reſtitutio ante initium Comitiorum præſita non ſit, Svecis denuntiari poſſe, ut ſeſſione & ſuffragio abſtineant. Nam quod Biœrnclovius jactet, Svecos ſtatim per Inſtrumentum Pacis inter Ordines Imperii receptos, ac Inveſtituram nil præter cerimoniæ vim habere, id inane eſſe. Nam ut Sveci jus iſtud pace partum exercere queant, neceſſum eſſe, ut per juramentum fidelitatis Cæſari & Imperio ſeſe obſtrinxerint & alia per Tabulas Pacis debita præſtiterint. Quod autem Gebhardus Cæſari fœdus cum Svecia ſuadeat jactans, Domum Auſtriacam plus in hac, quam in quovis ex ordinibus Imperii confidere poſſe; id ne redivivum quidem Ciceronem ſibi perſuaſurum, ſi conſilia & actiones ejus Regni hactenus expromta conſiderentur. Circa inhibitorias autem literas a Judicio Aulico decretas metuendum eſſe, ne Regina non ſolum iſtis haut obtemperet, ſed & in contemtum Cæſaris provinciam majori militum numero premat: quo facto Cæſari haut patere viam autoritati ſuæ tuendæ. Præſertim cum Electores haut directe exponere audeant, quid Cæſari in Svecos ſuſcipiendum ſit, ubi monita adſpernentur ſed omnes excuſent, rem eſſe, de qua proximis Comitiis deliberandum ſit.*

Aula Cæſarea magis in Electorem inclinare incipit.

§. 62. Interim Biœrnclovius ſolicite id agebat ut Cæſareos ad tradendum *indultum* pelliceret, jactans in gratiam Cæſaris Reginam ſuis mandaſſe, ut negotio Pomeranico protinus finem imponant, ac Electori ſuam provinciam tradant. Adverſus quæ Cracovius demonſtrabat: nunquam importunius, quam nunc, a Commiſſariis Svecicis ibi actum non alio fine, quam ut Electorem ad extrema arripienda irritent. Quo ne deſcederet, Electori qui in aula Cæſarea

5. Jun. favebant, admodum diſſuadebant. Quin & Regina literas valde quidem acerbas ad Cæſarem dederat, hoc argumento: *Sibi relatum, Electorem inſtare, ne ipſa inveſtiatur, aut ad Comitia admittatur, niſi reſtituta Ulteriore Pomerania. Atqui ſe per conventionem Noribergenſem jure eam provinciam retinere, quoad negotia ad congreſſum iſtum rejecta fuerint expedita. Vectigalia ſine exceptione ſibi conceſſa in iis locis, quæ tunc obtinuerit, penſando utcunque æri alieno, quo præfectura Pomeranica premantur; adverſus quæ nihil valeant teſtimonia per ſubreptionem obtenta. Haut æquum fuiſſe Electori octo Principatus concedi pro pauculis præfecturis obæratis dimidia Pomerania, ni vectigalia quoque acceſſerint. Fuiſſe Electori ſpem ad Pomeraniam, ſed debilem & obſcuram. Nec ignotum eſſe, quo jure, & quam lubrica poſſeſſione iſte tres Præſulatus Marchicos cum tot annorum debitis Imperio tributis per ſeculum amplius uſurparit: quæ omnia ut is in perpetuum retineret, a ſe apud Cæſarem & Ordines fidelem operam* 1652.
præſtitam. Nec dum ei ſatisfactum credi? Solum Magdeburgum in matricula pluris taxari, quam utramque Pomeraniam. His ſe commendante acceſſiſſe Halberſtadium, & Mindam, nullo alio merito, quam ob ceſſa quantulacunque vectigalia. Meclenburgicum quoque in ditiones ſuas repoſitum, qui nunc ob Warnemundanum vectigal tantos clamores tollat. Nimirum apud multos beneficia eousque grata eſſe, quoad exſolvi poſſe videntur; ubi multum exceſſere, pro gratia odium rependi. Indignum eſſe ab Electore poſtulari, ut ni ipſa vectigali decedat, & provinciam reſtituat pro ſtatu Imperii haut habeatur. Id vero eſſe aperte pacem turbare, per quam ab ipſo ejus ſubſcripta momento inter Ordines relata ſit, non per inveſtituram demum referenda, quæ cerimonia tantum ſit. Eas indignitates amoveri poſtulabat; pollicita ubi ſuper vectigali tranſactum ſit, a ſe Pomeraniam redditum iri. Ad has literas etſi parata materia Electori nihil reſpondere placuit, quod ab ejuſmodi exprobrationibus non poſſit non ad ingentem animorum exacerbationem procedi. Cæſar quoque fatebatur non modica ſe ſolicitudine diſtrahi, cui & ab initio haut probabatur temperamentum a Biœrnclovio propoſitum de admittendo in partem vectigalium Electore; quod utique hoc modo Sveci in ſupremorum quoque jurium partem admitterentur. Sed & demum 12. Sept.
decretæ inhibitoriæ ad Ordines Ulterioris Pomeraniæ dabantur, modeſto valde ſenſu; ut ſi Regina Sveciæ ipſos tributa & alia poſcat, demonſtrent, id ipſi haut competere. Ac Cæſar ægre tulerat, a Regina ad literas ipſius familiares Italico idiomate ſcriptas nihil fuiſſe reſponſum; & commotior teſtabatur, Electori coram Deo & hominibus injuriam fieri. Unde ſuadebat Volmarus, ea inclinatione utendum, & omni opera contra nitendum, antequam propoſitio in Comitiis fiat. Nam ſi Sveci ad hanc audiendam admittantur, ægre impediri poſſe, quo minus deinceps inter Ordines locum capiant. Atque eo magis vigilandum erat, quod a Regina miſſus Benedictus Oxenſtierna Pragam acceſſiſſet inveſtituræ petendæ cauſa. In cujus fiduciariis literis id Cæſar deſiderabat, quod ter in iis poſitum eſſet, *decenter & amanter petimus*; &, *ut inveſtitura ſuper Pomerania fieret juxta conventionem cum Electore Brandenburgico initam.* Quæ conventio, cum ut ederetur, poſtulatum eſſet, nuſpiam adparebat. Contra Cracovius obnixe contendebat; ne quid in Electoris fraudem fieret, ipſi quoque Cæſari & Imperio nociturum; præſertim poſtquam hactenus apud Svecos neque Cæſaris atque Electorum literis, neque conceſſis ab Electore pleriſque poſtulatis quantumvis duris quidquam profectum ſit, quo minus quam orſi ſint injuriam pertexant; utut quoque Cæſar invitatoriis ad Comitia literis ultra debitum iiſdem indulſerit, ac ab Electore ad redimendam ſuper vectigali moleſtiam centum triginta uncialium millia oblata ſint. Igitur Oxenſtiernæ ſignificatum, niſi reſtituta Electori ſua Pomerania Reginam neque ad capiendam inveſtituram, neque ad comitia admitti poſſe. Quod ut ad Bremam quoque & Ferdam extenderetur, ſi for-

1652. te sepofita tantisper Pomerania ejus nomine locum capere vellet, Cracovius petebat. Nam hoc modo eam sessione potituram, Pomeranica lite in longum extracta. Erant qui suspicarentur, Cæsareos Consiliarios per mollia consilia rem istam componi optasse, ut laudemio & muneribus, quæ sat opima spe devoraverant, potirentur. Sed cum animadversum esset, Oxenstiernam fere vacuum accessisse, in contrarium vertebant. Simul *indultum* jam decretum abolebatur, circa quod edendum sese haut festinasse jam gaudebant; cum alias eo edito prætextum non esset, quare Oxenstierna ad investituram non admitteretur; etsi isti differendæ a Cæsareis apud Svecos alia obtendebantur. Quia tamen Cæsarei quam maxime optabant, eam litem citra arma componi, jam magnopere suadere incipiebant, ut Elector in partem vectigalium admitti satis habeat; differentes, *non statim jura fisci exerceri, ubi publicani commissas merces abripiant. Bavaro quoque vectigalia Austria supra Anassum oppignerata, ejusque publicanos in aliena ditione vectigalia exigere. Ac ubi semel Elector sua provincia potiatur, facilius viam inventum iri, eam molestiam plane amoliendi, ac alteram quoque dimidiam partem redimendi. Interim jus istud ab Imperio confirmari, & Electorem dimidia parte frui. Contra si Elector data pecunia summa Svecorum postulata redimat, verendum esse, ut Ordines ipsi permittant ea vectigalia capere, quæ ipse per Tabulas Pacis illicita esse hactenus contenderit. Equidem Electori affatim juris esse, sed exsecutionem hærere; ac Palatini Electoris legatos jam nunc clamare, Ordines ne teruncium quidem ad recuperandam Pomeraniam collaturos. Saltem exsecutoribus de refusione impensarum cavendum fore. Ac si Svecis uti verosimile est resistentibus in bellum res erumpat, præter ancipitem hujus aleam dubium quoque esse, num occupatæ partes protinus sint restituendæ. Neque Ordinum auxilio nitendum esse, quorum pars Svecis addicti, alii æquivalentia invideant.* Cæterum omnes suadebant, si Elector Pomeranica lite extricari velit, ut ipse Pragam accedat; ubi umbra ejus plus effectura sit, quam si omnes consiliarios mittat. Idque eo magis necessarium videbatur, quod Sveci conventu Inferioris Saxoniæ Luneburgi habito, frustra contradicente Electore ad sessionem admissi fuerant. Ita demum Elector ipse Pragam accedere decrevit, quod & Cæsar, & reliqui Electores valde desiderabant, Philippus Hornius, & Matthias Cracovius mature Ratisponam se conferre jubentur, ut Svecorum ibi desideriis obsisterent.

Elector Pragam ad Cæsarem accedit. Hatzfeld. §. 63. Invitatus porro fuerat Elector a Cæsare & literis familiaribus admodum humanis, & per Melchiorem Hatzfeldium. Id quod initio iste excusabat, quod non tantam sui rationem hactenus in aula Cæsarea habitam judicaret, ut statim eo accurrendum foret, ubi sua opera Cæsari prodesse posset. Nam ideo Electores Cæsar Pragam tunc attrahebat, ut eorum suffragia filio suo cognomini ad fastigium Regis Romanorum conciliaret. Sed prætextum sumebatur, quod sua præsentia in terris Westphalicis opus sit ob subortum tunc inter Anglos & Belgas bellum. Interim Pomeranicam causam commendabat, quod hospes Cæsari gratias agere, quam querimoniis molestus esse malit. Post tamen cum in Clivicis ditionibus nil periculi adpareret, ac Elector in Marchiam se contulisset, denuo a Cæsare literæ veniunt; singulari solatio sibi cessurum, si Electoris conspectu frui contingat. Monebant quoque Moguntinus & Saxo; e re Collegii Electoralis esse ipsum accedere, quod Galli & Sveci instantibus Comitiis Electorum autoritatem circumscribere meditentur, ut ne plus quam reliqui Principes valeant. Igitur urgente insuper negotio Pomeranico Elector nolebat amplius velut affectata absentia Cæsari & Electoribus sinistra suspicandi ansam præbere. Itinere decreto Elector de adventu suo per literas Cæsari significat. Berolino progressi agmen ducenti homines, ducenti sexaginta octo equi componebant. Nam numerosiore comitatu Cæsari hospiti molestus esse nolebat. E Lusatia Dobrsenscius cum literis ad Cæsarem præmittitur de die adventus significantibus. Ad fines Bohemiæ cum literis a Cæsare familiaribus obviam venit Ludovicus Sintzendorfius Comes, qui Cæsaris nomine exceptum deduceret; eique per hujus terras loca & lautia præberet. Ad dimidium a Praga milliari consistens agmen in concinnum ordinem digeritur. Inde progressis ad quadrantem milliaris ab urbe Cæsar cum Rege Hungariæ obviam venit splendido cum comitatu sexaginta amplius sejugum curruum. Cum utrinque ad viginti passus adversa agmina propinquassent, omnis Electoris comitatus in pedes descendens hunc quoque curru egressum præcedebat. Nec minus Cæsar curru egressus decem passus Electori obviam tendebat. Prima salutatione Cæsar Electorem osculum manui figere parantem haut ferebat. Inde Hungariæ Rex salutatur. Cæsar in currum regressus Electorem ut eodem ingrederetur invitabat. Post mutuum humanitatis certamen Elector Regi Hungariæ in curru Cæsaris honoratiorem locum concedebat. Dum urbs introitur octoginta majores machinæ displosæ, una duntaxat vice. In ipsa urbe duæ peditum legiones dispositæ erant, & ipsæ semel tubis festivum perstrepentes. Cum curru descendissent, Rex Hungariæ & Elector nudis capitibus Cæsarem capite tectum præcedebant. Cum Elector per dimidiam horam in Cæsaris conclavi moratus esset, discedens a Rege Hungariæ per anterius conclave ad initium usque scalarum deducitur. Sequenti die ad solennem audientiam in curru Cæsaris advecto hic ultra limen conclavis sui obviam prodiit tecto capite, & hoc salutato solus, nudoque capite cum solo istud ingressus est. In eo duæ sellæ positæ erant, quarum uni tergo mensæ obverso insidebat Cæsar, alteri exadversum positæ Elector, tapetibus utrinque substratis. Sedens inde, ac monente Cæsare capite tecto verba fecit Elector, multa cum eloquentia exponens, quæ conciliandæ gratiæ facere poterant. Inprimis super negotio Pomeranico, quod & cæteri Electores commendaverant. Circa quod Cæsar opem suam pollicebatur; præsertim quod Oxenstierna super eo componendo nil in mandatis habere

Margin (right column): 1652. — *24. Oct.* (beside "Berolino progressi") — *Cerimonialia.* — *Dobrzenski.* — *3. Nov.* (beside "Bohemiæ") — *Sintzendorf.* — *5. Nov.* (beside "Ad dimidium") — *6. Nov.* (beside "Sequenti die")

1652. habere se fateretur. Post colloquium in sesquihoram extractum Cæsar discedentem iterum ultra limen sui conclavis prosecutus est. Augusta eundem ad januam sui conclavis excipiebat, ubi binæ sellæ eodem modo, uti in conclavi Cæsaris, dispositæ erant. Apud hanc interpretis vice fungebatur Fuggerus Comes, quod eadem non nisi Italica lingua uteretur. Colloquium per semihoram durabat. Regem Hungariæ Elector apud currum excipiebat, ac progresso ad sinistram ei incedebat, tecto uterque capite. Elector Regem conclave ingredientem juxta & egredientem præcedebat. Cum Elector Regi visitationis honorem reponeret, isti ad currum obviam veniebat Aurspergius Comes, supremus aulæ præfectus. Rex in summis scalis excipiebat, ac dexter ipsi incedebat; conclave uterque simul tecto capite introibat. Discedentem Rex ad primum scalarum gradum prosequebatur, longius iturus, ni Elector ut regrederetur orasset. Moguntinus quoque velut Collega apud currum ab Electore excipiebatur. Sed Lichtensteinio Principi nobilis tantum ad currum obviam missus, eumque ipso in conclavi Elector excepit. Cum Saxo Cæsarem & reliquos Electores epulo exciperet, omnes Electores, qui prius ad ædes convivatoris accesserant, ad currum usque Cæsaris procedebant. Dum scalas adscendunt, priore loco incedebat Elector Saxoniæ cum filio primogenito, inde Rex Hungariæ, & Elector Brandenburgicus, tum Cæsar solus tecto capite, quem Moguntinus & Trevirensis sequebantur. Istæ cerimoniæ uti citra offensam peragebantur, ita querelarum nonnihil movit Legatus Hispanicus Castello-Rodericus, quem ad se accedentem Elector apud summas scalas exceperat, ac dextræ manus honorem concesserat, prior tamen conclave ingressus. Ea super re Hispanus per Enckefortium offensam testabatur, quod reliqui Electores ipsi ad infimos scalarum gradum obviam prodiissent. Igitur dum altera vice Electorem Hispanus visitat, ita conventum fuit, ut Elector per totas superiores scalas usque ad primum gradum inferiorum scalarum obviam ipsi descenderet; discedentem iterum ad quartum gradum inferiorum scalarum comitaretur. Quo facto Hispanus nolebat Electore inspectante currum conscendere; sed currum ante portam progredi jubebat, ibi demum eundem ingressus. Ad epulas Hispani Moguntinum, & nostrum eodem curru advectos ad currum iste excipiebat; inde tres eadem linea adscendebant, Moguntino a dextris, nostro in medio, ad sinistram Hispano incedente. Electore Praga digresso nullus in armis miles, nec machinæ displosæ: & quia Cæsar e podagra decumbebat, Rex Hungariæ extra urbem ad illum usque locum comitatus est, ubi exceptus fuerat. Sintzendorfius ad fines usque Bohemiæ comitabatur. Aussigia Elector literis familiaribus Cæsari gratias agebat; cui pari literarum genere a Cæsare responsum, quæ omnes exquisita verborum humanitate constabant. Electorem & Pragæ & intra fines Bohemiæ Cæsar immunem agere voluit. Fructus ejus itineris fuit, Cæsaris benevolentiam amabili præsentia pignerasse, ac suffragantibus Collegis decretum obtinuisse, ut Svecis neque investitura, neque indultum annueretur, nec locum inter Ordines capere liceret, antequam Electori Ulteriorem Pomeraniam reddiderint.

Fugger. — *Aursperg.* — *2. Nov.* — *Castel. Rodrigo.* — *Encke.* — *Aussig.*

§. 64. Dum Elector in reditu Dresdæ apud Saxonem divertit, solenni ritu in *Unionem Electoralem* receptus est. Antiquum id fœdus est, jam ante duo secula primo institutum, ac post semel atque iterum interpolatum, quo præcipue disponitur super controversiis inter ipsos obortis Collegarum opera componendis, & ut junctis consiliis communem Imperii salutem, simul mutua ope, ditiones ac jura sibi peculiaria tueantur. Id fœdus per turbida belli fere interruptum Moguntinus instaurandum monuerat, ac Saxoni commiserat, ut hac occasione Brandenburgicum eidem adstringeret. Ritus hoc modo peractus. In conclavi Saxonis duæ sellæ purpura vestitæ collocatæ erant, quorum uni, quæ januam versus spectabat ipse Saxo, alteri ad latus nonnihil oblique positæ Brandenburgicus insidebat. Utrique non nisi terni assistebant; isti Oppelius, Henricus Frisius, & Secretarius; huic Blumenthalius, Putlitzius, & Lœbius. Ab Oppelio verba primum fiebant de antiquitate & scopo hujus fœderis; & quam insignem illud prioribus temporibus usum præbuerit, quod allubescente jam pace instaurari e re visum fuerit. Inde interrogabatur Elector, num & ipse eidem adscribi velit? Cui a Blumenthalio præter alia, quæ ad rem faciebant, responsum, Electorem receptioni paratum esse. Inde post recitata Unionis capita uterque surrexit, ac Saxone quærente, num omnia intellexerit, & fœdere contenta servare velit, Brandenburgicus ajebat, prius tamen jurisjurandi formulam, quæ paucis verbis constabat, perlecturus. Ita elatis digitis, verbis conceptis ab hoc juratum.

1652. — *Elector in Unionem Electoralem recipitur.* — *23. Nov. 1446.* — *Oppel. Fris.*

§. 65. Elector igitur uti præcipuam recuperandæ Pomeraniæ spem in decreto Pragæ obtento reposuerat; ita vicissim Sveci ut eo insuper habito destinata sua pervincerent, omni ope connitebantur. Ac initio a Regina Ratisponam missus Fridericus Bohlius instabat, ut ne Regina circa debitum sibi locum turbetur. Cui decretum Cæsareum Pragæ conditum communicabatur, addito, quamprimum is ab Electore attestationem exhibuerit, eidem a Regina Ulteriorem Pomeraniam cum Camminensi Præsulatu restitutam, ad ipsius petita liquidum responsum datum iri. Contra ab Electore ad Comitia missi Matthias Cracovius, Nicolaus Ernestus Platenus, Joannes Fromholtus, & Joannes Portmannus Ordinibus diligenter inculcabant; ab Electore quidem, ne tantum non ad tributariam conditionem redigeretur, vectigali in sua ditione constituto, centum triginta uncialium millia Reginæ oblata; ac his repudiatis demum in participationem consensum. Ita cum omnia quæ desiderabantur, Elector annuerit spem fuisse, Svecos circa reddendam Pomeraniam non amplius moram facturos. Sed cum nostri ista Svecis Stetini proposuissent, hos defectum mandati excusasse. Ex quo Elector conjecerit, aut nunquam istis cordi fuisse Pomerania decedere, aut eosdem inter eas tergiversationes

Cum Svecis Ratisponæ certatur. — *Bohle.*

1653. sationes provincia tamdiu frui velle, quoad viderint, num decretum Pragense Ratisponæ valiturum sit. Nam antea sæpius testati fuerant, ad unicum vectigal negotium adhuc hærere, cui si Elector annuerit, conclusionem protinus secuturam. Quin Benedictus Oxenstierna Pragæ declaraverat; modo Cæsar Electorem permovere velit, ut Reginam in partem vectigalis admittat, rem transactam esse. Eo magis decreto Pragensi nunc innitendum. Addebatur, qualem sese adversus Svecos Elector gesserit, utque multarum myriadum jacturam facere maluerit, quam novis turbis occasionem præbere. Ac male agere Bohlium, quod asseverare non dubitet, omnia jam esse transacta, & moram penes Electorem esse. Sed & Elector Svecis Stetini denuntiaverat, suos adhuc per sex septimanas ibi hæsuros; si interim Sveci plenam vectigalium directionem postulare non desistant, nec negotio finem imponant, se non amplius velle teneri iis, quæ circa ductum limitum & reliqua concesserit. Porro adigendis ad æqua Svecis tutissimum videbatur propositionem Ratisponæ tantisper differre, quod nullam Svecis offensæ causam præbere poterat. Ac tanti erat, isthoc negotium citra novos motus composuisse; ac nunc unius vel alterius mensis mora Svecos ad officium faciendum potius compellere quam postea ingentibus cum impensis, pari periculo Electori evictionem præstare. Deinde & Ordinibus in memoriam revocandum, quo in statu Germania durantibus Noribergæ tractatibus fuerit, & quod Sveci ad exautorandum militem, & reddenda tot munita loca descendere prius noluerit, quam noxia ista verba Conventioni insererentur. Unde quia tanto Electoris incommodo ac damno omnium ipsorum quies redemta fuerit, ipsis vicissim modicam moram haut ægre ferendam. Præsertim cum hæc causa jam toti Imperio communis facta sit, postquam Elector plus quam tenebatur fecerit; eoque ab omnibus connitendum, ut ista ante omnia expediatur. Ac tempus interim non inutiliter collocari posse, digesta & præparata tractandorum materia. Svecorum querimonias incassum jactari, cum penes ipsos sit negotium expeditum præstare. Jusserat tamen Elector, si propositio nullo modo differri possit, id saltem eniti, ne Sveci ad hanc audiendam, aut ad deliberationes publicas admittantur. Ast si his insuper habitis Sveci loco potiantur, Elector suos, interposita protestatione adversus omnia in fraudem sui tendentia, discedere, nec propositioni adesse volebat; ipse quoque haut obligandus illis, quæ in fa-

9. Febr. vorem Cæsaris decernenda sint. Igitur Ordines, cum & moras amputare arderent, nec tamen Electorem in tam justa causa destituere vellent, tubicinem Stetinum mittebant, super conditione tractatuum certa relaturum, quo digrediente Biœrnclovius dixerat; ubi iste Stetinum pervenerit, intra biduum omnia expedita fore. Ast Lilliestræmius ibi dixerat; sibi de ejusmodi mandatis nihil constare. Unde nostri acrius super differenda propositione instabant, quod Svecicorum ministrorum dicta sibi non constarent. Interim e Svecia literæ Stetinum allatæ erant, pollicentes extremam Reginæ declarationem die X. Martii venturam; eoque Stetinenses Commissarii rogabant, ut propositio adhuc in quatuor aut quinque septimanas differatur. Unde Elector nostros jubebat id cum Svecicis legatis communicare, quo & isti circa eam prorogationem laborarent, ne ipse solus invidiam protractæ propositionis sustineret. Sed 13. Mart quia haut eo secius Sveci Stetini lubricos adhuc sese ostendebant, laxis verbis jactantes, bonam spem promtæ transactionis esse; eoque & Electorem jam admissioni legatorum Svecicorum haut amplius repugnaturum, hic istarum artium jamdudum gnarus per suos Ratisponæ Cæsari atque Ordinibus exponi jubebat; *se non tam privato commodo duci, quam obligatione, qua sibi pro curanda Imperii salute incumbat, ut denuo inculcet non esse honestiorem ac tutiorem viam ex hoc negotio emergendi, quam ut cum Regina accurate juxta Tabulas Pacis agatur; per quas jure sessionis & suffragii in Comitiis frui nequeat, nisi præstitis prius, qua cum ipsa convenerunt. Qua conditione & ipsa invitata sit; ac eam missa huc legationis causam ab eadem ferri, ut pax plene executioni detur, & stabiliatur; quo fine utique necessarium sit, ut & ipsa, qua ex sua parte adhuc desiderantur, præstet. Sed quia postrema Stetinensium declarationi solidi nil superstruendum, amputandis infinitis ludificationibus, & avertendis incommodis, qua e Svecorum admissione aut exclusione oriri queant, regia via incedendum, ac remota larva Regina literis per peculiarem cursorem missis, certoque ad respondendum tempore constituto, denuntiandum; e promta præstatione, aut qua non speretur tergiversatione judicatum iri, pacem servare, an eam imperfectam relinquere cordi sit; ac eo spatio elapso, sive respondeat, seu minus, ad propositionem & consultationes progrediendum, non prius admissis ipsius Legatis, quam paci satisfactum sit. Caterum hanc viam e molestia isthac emergendi minimum incommodi habere, ac in concursu tot periculorum communem salutem respiciendam, insuper habitis incommodis, e protracta propositione natis; qua nullo modo comparanda sint cum malis ex abrupta pace proventuris. Nec se aliam sententiam dicturum, si cujusvis alterius ex Ordinibus res ageretur.* Quod si præter spem ea dilatio non annuatur, peterent, ut a Cæsare & Ordinibus idonea remedia prius proponantur, per quæ ipse Pomerania potiri queat. Circa id petitum Brunsvicenses cumprimis studium suum declarabant, nisi quod per istas dilationes electionem Regis Romanorum promoveri haut placeret. Sed alii plerique decreto Pragensi teneri nolebant, velut se insciis facto, ac evictione se solutos jactabant per verba Recessui Noribergensi inserta. Alii id temperamentum commendabant; si propositio differri nequeat, Svecis certum diem dicendum, intra quem Pomeraniam reddere debeant; & hac conditione istos ad sessionem admittendos, ut redditione non secuta actus isti nulli sint, ipsique deinceps consessu & consultationibus excludantur. Ast Urbici neglecto Electoris petito propositionem fieri urgebant, ob causam ut adparet Hervordiensem, quam turbulentus quidam homo nullo a civitate mandato resuscitatum ibat, haut veritus petere, ut Elector a Comitiis excluderetur, quoad ista in prætensum statum reponeretur: qui tamen pro impudentia petiti repulsus fuit. Contra Sveci, ne istæ literæ mitterentur, acriter renitebantur, quod indies Reginæ declaratio Stetini expectetur, & hanc forte offensam in transversum abituram, inpri-

1653. inprimis si dies præclusioni constituta sit. Ad quæ nostri: *talia sæpius dicta nullo effectu, unde non immerito certiora postulari. Imperium Germanicum tantæ dignationis Remp. esse, ut ab hoc missæ literæ nemini Principum dehonestamento esse queant. Nec offensæ causam præberi, si quis moneatur præstare, quæ a se deberi ipse agnoscat. Et laudandos Ordines, qui cum merito indignari possint, mitissimam componendi negotii viam elegerint.* Et quanquam ad terrendos nostros spargeretur, Svecos ulciscendæ huic contumeliæ irruptionem in Borussiam agitare; nostri tamen iis rumoribus insuperhabitis obnixe postulatis suis insistebant. Cæsar tamen aperte suo se decreto 11. April. staturum declarabat; quo nomine Elector gratias ipsi agebat, quod ea constantia effectum sit, ut Sveci mandata demum sua, quæ complures per dies suppressisse videbantur speculando Ratisponæ eventu, expromserint, ac tradendæ Pomeraniæ Kalendas Junias designarint. Quia tamen Sveci postea hunc diem ad sextum ejusdem mensis prorogarant, Electori nondum diffidentia discedebat, ne si Kalendis Junii ad sessionem admissi forent, postremo sextiduo novos scrupulos moverent. Præsertim cum Regina antehac ad Cæsaris literas, queis ipsam ad satisfaciendum Electori hortatus fuerat, amovendo auspicandis comitiis obstaculo, respondisset: Electorem in mora esse, qui indebita postulando annum integrum extraxerit, haut contentus oblata per liberalitatem dimidia vectigalis parte. Neque se ad reddendam Pomeraniam teneri, nisi confecto isto negotio, & tradito cessionis diplomate. Sibi majorem succensendi causam esse, quod ob tantillum negotium sessione arceatur. Ista tamen a se dici, non ut Cæsarem & Imperium offendat, aut ut Electorem incusationibus oneret, sed tantum ut causam morarum apud tractatus Stetinenses ostendat. Quos cum ad finem perductos intellexerit, quam primum ratificatio perfici potuerit, mandata suis daturam, ut Ulterior provincia Electori restituatur. Ea declaratione allata Cæsarei ferebant, extante jam Pragensis decreti conditione propositionem non amplius differri posse, Svecis juxta atque Ordinibus importune urgentibus. Igitur quæ demum Electori sententia stet nosse cupiebant. Nostri contra quærebant; quid solidæ cautionis Electori præstandum sit, eum utique provincia sua potiturum, si Sveci dicta die restitutionem non faciant? Circa 1653. quod cum Cæsarei nil certi expedirent, nostri magno cum labore tempus extrahebant, Ordinum invidiæ ferendæ vix amplius pares, qui jam discessum suum non obscure minabantur. Sed in ipso articulo advolans de restituta Pomerania nuntius omnes ista cura exsolvit.

Refusio damni ob detentam Pomeraniam frustra quæritur.

§. 66. Ita quidem maximo labore Ulterior Pomerania e Svecorum manibus eripienda fuit, qua per quadriennium ab his detenta, Elector æquum censebat damni eo nomine capti refusionem ab Ordinibus sibi faciendam, quam octingentis uncialium millibus taxabat. Sane ipsum Cæsarem & Ordines agnovisse, eam causam Imperii communem esse; & Electorem Pomerania, quam retinuisse malebat, pacis causa cessisse; ac Ordines Noribergæ, ne pacis exsecutio protraheretur, in odiosa verba consensisse; ex quo consecutum sit, ut Sveci interim multarum myriadum damnum ipsi dederint. Atqui ubi quis publicam ob utilitatem de suo impenderit, id ab iis, in quorum utilitatem id cesserit, pensari par esse. Præterquam quod Ordines per susceptam guarantiam teneantur operam dare, ut quisque suo potiatur. Re ista in Collegio Electorali proposita Trevirensis disserebat; *neutram partem moræ culpam agnoscere, ac Ordines quod penes se fuerit fecisse, qui per semestre spatium propositionem ideo expectarint. Qui & negent ad refusionem damni se teneri, de qua Tabulis pacis, aut Noribergico pacto nulla mentio fiat; ad quam ea res exigenda sit, non ad communem juris sententiam. Sane & alios damnum passos nulla refusione. Ac Electorem utique dimidia vectigalium parte potitum, quæ alias ipsi per leges Imperii non competebat. Ista tamen se velut privatim disserere; cæterum mandatis in eam rem haut instructum.* Eo colore & reliqui in Collegio Electorali, & Senatu Principum petitum eludebant. Quale responsum & Elector animo præceperat; haut ideo tamen de ista refusione omissurus, quod ejusmodi prætensionum sæpe aliquis usus sit, saltem novis oneribus, aut paribus postulatis velut per compensationem elidendis. Ista in sequentes annos excurrentia conjungere placuit, ne separatio obscuritatem conciliaret. Nunc ad ordinem temporum revertimur.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI WILHELMI MAGNI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER QUARTUS.

EPITOME.

Collisio cum Palatino Neoburgico. Origo Juliacensis controversia. Facti species. 2. Jus Domus Brandenburgicæ. 3. Neoburgici rationes. 4. Bipontini rationes. 5. Saxonicorum fundamenta. 6. Prætensio Comitis de Manderscheid, Ducis Bullionensis, ac Ducis Nivernensis. 7. Pravia circa hanc controversiam solicitudo. Conventio Francofurtana. 8. Considerationes Brandenburgicorum ante obitum Ducis Joannis Wilhelmi. 9. Brandenburgicus & Neoburgicus possessionem adprehendunt. Transactio Dortmundana. 10. Considerationes Austriacorum circa hanc controversiam. 11. Gallus auxilia sua Principibus offert. Hallensis conventio. 12. Cæsar Juliacensibus provinciis sequestrem immittit. 13. Utrinque auxilia solicitantur. 14. Leopoldus Juliaco iterum expellitur. 15. Congressus Coloniæ irritus. Conventio Juterbocensis. 16. Transactio inter Electorem & Neoburgicum frustra tentatur. 17. Discordia inter Principes gliscit. Electoris considerationes. 18. Res demum in nervum erumpit. 19. Belga concordiam instaurare satagunt. 20. Hispanorum destinata erumpunt. 21. Xantensis transactio. 22. Pactum Dusseldorpiense primum. 23. Alterum pactum Dusseldorpiense. 24. Tertium pactum Dusseldorpiense. 25. Inter Electorem & Neoburgicum ad arma decurritur. 26. Publica Electoris declaratio. 27. Motus animorum super isto negotio. Cæsar a bello dehortatur. 28. Elector legatum Viennam mittit. 29. Cæsar rem utique componi cupit. 30. Elector in compositionem proclivis est. 31. Archiducis officium declinatur. Lotharingus huic negotio se immiscet. Belgæ sequestres se offerunt. 32. Iidem operam suam interponunt. 33. Elector ipse cum Palatino colloquitur. 34. Essenæ tractatus suscipitur. 35. A Cæsareis Commissariis acta. Res componitur. 36. In conventu Lubecensi ab Electoralibus acta. 37. Circa cerimonias in Comitiis a Legatis Electoralibus observanda. 38. De electione Regis Romanorum. 39. Locus & tempus electionis. 40. Monita circa capitulationem. 41. De peculiaribus Electorum juribus. 42. Elector postulata sua ante electionem pervincere non potest. 43. Cerimonia. 44. Elector circa privata negotia parum proficit. 45. Neoburgici inanes in Electorem conatus. 46. Pro Evangelicis per Cæsareos ditiones frustra interceditur.

1651. Collisio cum Palatino Neoburgico.

DUm Elector molesta cum Svecis disceptatione super limite Pomeraniæ defungitur, apud Juliacenses provincias repente flamma dissidii cum Palatino Neoburgico Wolfgango Wilhelmo eruperat; quæ grande incendium minabatur, ni mature oppressa fuisset. Ea res, & quia Electori non semel cum eo Principe negotium fuit, monet, ut originem Juliacensis controversiæ, hoc seculo admodum celebris, altius repetam, & quo jure tum Domus Brandenburgica, tum reliqui competitores nitantur, & quid cum Neoburgico

Origo Juliacensis controversia.

potissimum circa eandem agitatum fuerit. Ditiones, quas nunc Cliviæ, Juliaci, ac Montium Ducatus, cum Marcæ & Ravenspergæ Comitatibus, ac Ravensteina dynastia componunt, ab initio in plures, easque modicas particulas divisæ pluribus Regulis possessæ sunt; quorum aliqui successu temporum suas opes variis accessionibus auxere, aut junctis per matrimonia atque hæreditates pluribus partibus egregias provincias condidere, titulo quoque ac dignitate cum opibus exsplende-

1339. scente. E quibus Wilhelmus Juliaci ac Montium possessor a Ludovico Bavaro Ducis dignatione 1651.

mactus fuit, quam & post Carolus IV. confirmavit. Parem titulum Adolfo Cliviæ antea Comiti 1356.

Sigismundus Cæsar in Constantiensi Concilio contulit. 1413.

Hic Adolfus cum Ordinibus suis Clivicis 1418.

& Marcanis pactum condidit, jurejurando utrinque sancitum, super uniendis in perpetuum istis provinciis, quo gliscenti Burgundorum, ac Brabantiorum potentiæ pares forent; & ut eædem ordine primogenituræ inter fœminas quoque valituræ deferrentur. Istæ provinciæ sub finem seculi decimi quarti ad duos duntaxat possessores pervenerunt, Wilhelmum Juliaci & Montium, & Joannem II. Cliviæ Ducem, eundemque Marcæ Comitem; quorum liberi Joannes III. Clivensis, & Maria Juliacensis matrimonio sociati omnes istas ditiones junxere, ea in pactis dotalibus dicta lege, ut eædem in perpetuum deinceps unitæ, e juris primogenituræ prærogativa ab uno filio, aut mascula stirpe deficiente primogenita filia regerentur; quæ pacta post a Cæsaribus diverso tempore confirmata sunt. Ita cum Wilhelmus Juliacen- 1411.

sis fato concessisset, Johannes III. omnes istas provincias suo imperio complexus est. Quamquam autem vetustissima illarum regionum consuetudine feuda in universum ad fœminas quoque devolvi sueverint; Albertus tamen Saxoniæ Dux spem

a Cæ-

1651. a Cæſare Friderico III. ad Ducatum Juliaci & *16. Jun. 1483.* Montium obtinuit, ſi eos vacare contigerit; a *1486.* Maximiliano I. poſt renovatam, utrumque inſcio & inaudito Wilhelmo Duce. Sed idem Imperator poſt, ubi de conditione earum provinciarum melius edoctus fuiſſet, ad elidendam Saxonum *1508.* ſpem jus Mariæ Juliacenſis nova declaratione confirmavit; ac mox omnes quas vocant *4. Maij. 1509.* *expectantias* a Friderico patre ad eas provincias conceſſas abolevit, addito inſuper promiſſo, ſeſe absque onere Joannis Ducis ſuper ſpe iſta Saxonibus *17. Jul. 1516.* ſatisfacturum. Simul Carolo nepoti ſuo facultatem contulit Joannem Clivenſem tam proprio ejus, quam conjugis Mariæ nomine de Ducatu Juliaci & Montium inaugurandi. Ex iſto Joanne Clivenſi, & Maria Juliacenſi natus eſt filius unicus Wilhelmus, & tres filiæ; quarum primogenita Sibylla Joanni Friderico poſt Saxo- *1539.* niæ Electori, altera Anna Henrico VIII. Angliæ *Eliſpe-…* Regi nupſit, tertia Æmylia cælebs manſit. Wilhelmus hic omnium earum ditionum dominus e Maria Ferdinandi I. Cæſaris filia duos ſuſtulit filios, Carolum Fridericum, & Joannem Wilhelmum: filias itidem quinque, Mariam Eleonoram Alberto Friderico Boruſſiæ Duci, Annam Philippo Ludovico Palatino Neoburgico, Magdalenam Joanni Palatino Bipontino, ac Sibyllam Carolo Marchioni Burggaviæ nuptas; quinta *1546.* Eliſabetha in pupillari ætate obiit. Idem Wilhelmus fœmineæ ſucceſſionis, & juris primogenituræ declarationem & confirmationem, omni- *1559.* bus in futurum controverſiis excludendis, obti- *1566. 1580.* nuit; quam ſequentes Cæſares Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rudolfus II. approbaverunt. *1575.* Cum Wilhelmi primogenitus Carolus Fridericus Romæ improlis obiiſſet, tota ditio in ſecundogenitum Joannem Wilhelmum, qui jam Epiſcopatu *1572.* Monaſterienſi inauguratus erat, devoluta fuit. Dotalibus porro pactis Mariæ Eleonoræ conventum erat, *ut ex vi unionis, per Adolfum Cliviæ Ducem anno 1418. ſancitæ, & pactorum dotalium inter Joannem Clivenſem & Mariam Juliacenſem initorum, ubi ipſius fratres nulla prole decedere contigerit, ipſa, ejusdemque ſoboles hæres exaſſe omnium ditionum eſſet. Quo caſu tamen ipſa ejusve hæredes præter viginti quinque aureorum millia dare teneretur redimenda omni actioni, quam eadem in iſtas ditiones movere poſſit.* Quæ diſpoſitio quoque poſt pactis dotalibus ſecundogenitæ Annæ totidem verbis inſerta fuit. Qua lege & iſta Anna cum ſponſo Philippo Ludovico Neoburgico pro ſe & hæredibus ſuis ditionibus iſtis renunciavit, non niſi in eum caſum jure ſucceſſionis reſervato, quo nulla ſoboles e ſorore natu majore ſuper- *…* eſſet. Quæ & verba reliquarum ſororum pactis dotalibus expreſſa ſunt. Ejus Mariæ Eleonoræ, quæ decem menſes ante fratrem Joannem Wilhelmum mortua eſt, filia primogenita Anna Joanni *…* Sigismundo poſt Electori Brandenburgico nupſit; ex quo matrimonio Georgius Wilhelmus itidem *…Mart. …* Elector Brandenburgicus, Friderici Wilhelmi pater genitus fuit. Mox cum Joannes Wilhelmus improlis fato conceſſiſſet, Joannes Sigismundus *…uſ.* curatorio uxoris nomine per Stephanum Harden- *April.* feldium Nobilem Clivicum publico tabellione ac teſtibus præſentibus Clivenſi oppido, Duſſeldorpii ac multis aliis locis poſſeſſionem adprehendit, publice affixis inſignibus Brandenburgicis. Quanquam autem uti e dictis manifeſtum eſt, in iſtis provinciis ſucceſſio linealis cognatica fuerit conſtituta, cujus vi e Maria Eleonora deſcendentes reliquos omnes excludebant: haut eo minus alii quoque ad eam hæreditatem petendam animum adjecerunt; Saxonica Domus, Palatinus Neoburgicus, ac Bipontinus, ac Marchio Burggavius. Quibus acceſſere Erneſtus Comes de Marca, & Manderſcheid, nec non Dux Bullionius, & Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis. Hi ſinguli poſtea exhauſto omni cauſidicinæ adparatu apud Judicium Aulicum Cæſareum intentionem ſuam fulcire ſategerunt; quæ in compendium redacta non parum lucis controverſiæ, non tam ſua indole quam partium cavillationibus obſcuræ, adferre poterunt.

1651.

§. 2. Jus igitur Brandenburgicæ Domus conſvetudine muliebris ſucceſſionis nititur, ex antiquo Francorum jure in Gallia Belgica ac vicinis regionibus introducta; cui pactum Unionis ab Adolfo Cliviæ Duce, & jus primogenituræ, per multa ſecula ibi receptum, ſuccenturiatur. Per quæ ſucceſſio cognatica conſtituta fuit, in qua cuique jus ſuum per ipſam nativitatem ſuo ordine quæritur, nullo diſcrimine, num ejus parentes in poſſeſſione ditionis fuerint, an minus. Ac uti in eadem quidem linea, & eodem gradu ætatis, ſexusque ratio habetur, ſic ut mas fœminam, & major natu minorem excludat: ita ob ſexum aut ætatem nunquam de linea in lineam tranſitus ſit. Id porro jus primogenituræ Neoburgicus, cum Maria Eleonora adhuc in vivis ageret, ſolicitare conatus eſt; ſed hac mortua vela vertit, ac idem jus primogenituræ tueri inſtituit, ſed ſenſu improprio ac diſciplinæ juris incognito, primogenitæ vocabulum illi tribuens quæ moriente fratre inter ſuperſtites prima eſt, utut ex prædefuncta primogenita ſoboles ſuperſit. Cui & pacta majorum, & inprimis pacta dotalitia Boruſſica, Neoburgica, Bipontina manifeſte contradicebant. Ac nullo fundamento Neoburgicus juri primogenituræ iſtam conditionem affingere auſus eſt; *ſi caſum deficientis maſculæ ſtirpis vivendo attigerit*; quæ velut nulla ratione nixa merito explodebatur. Pactis porro dotalibus Boruſſicis nihil clarius, quæ Anna Neoburgico nupta ſuis quoque pactis dotalibus, ac ſolenni renunciatione comprobavit; qua non niſi eo caſu ſibi jus ad eas provincias reſervavit, quo primogenitæ ſororis proſapia ſit extincta. Ac cum in pactis dotalibus Boruſſicis cautum eſſet, ut in caſu ſucceſſionis provinciæ Clivicæ per conſiliarios indigenas, non per Boruſſicos gubernentur, de ſeparatione, diviſione aut diſtinctione nullum verbum ſit: quod omittendum haut fuerat, ſi tunc creditum fuiſſet, provincias illas diviſionem admittere.

Jus Domus Brandenburgicæ.

§. 3. Aſt Neoburgicus iſta feuda per primævam ſuam indolem maſculina contendit; utut idem ab eo, dum contra Saxones diſputat, negaretur. Duces tamen cum ab aliis Cæſaribus, tum Wilhelmum Juniorem a Carolo V. privilegium obtinuiſſe, in quo poſt extinctos hujus filios etiam filiæ, & earum *maſculi* hæredes ad ſucceſſionem vocentur. Ex quo ratiocinabatur, cum Maria Eleonora ante fratrem Joannem Wilhelmum defuncta ſit, eaq; ipſa non filium ſed filiam duntaxat Annam Brandenburgico Electori junctam reliquerit; igi-

Neoburgici rationes.

1651. tur ipsius matrem Annam Juliacam, & se velut hujus filium ex eo privilegio ad successionem vocatum. Sed a Brandenburgicis repositum fuit: *Carolinum id privilegium vetusta majoratus & unionis jura haut tollere, quæ ante duo secula in Juliacensibus ditionibus constituta, & a diversis Cæsaribus probata Wilhelmus Juliacensis a Carolo V. quoque firmari petierit suffocandæ liti a Saxonibus ab anno 1511. ad annum 1521. motæ, quasi ea ditiones masculina feuda forent, morte Ducis Wilhelmi Senioris aperta, & vi Cæsarea expectativa ad ipsos devoluta. At nullo modo vel Ducis Wilhelmi petentis, vel Caroli V. privilegium concedentis mentem fuisse, recepta ejus Domus pacta, modumque succedendi, de quo ipse probe informatus fuerat, mutare, aut eidem quid derogare, de quo ne verbo quidem mentio ibi extat. Cui & si expressis verbis clausula derogatoria inserta esset, in fraudem Ordinum provincialium, quorum itidem intererat, nihil eandem operari potuisse. Quod autem eo privilegio filiæ & earum hæredes masculi nominentur, id ex formula scribarum profectum, frequentiores casus exprimere solitam. Nec ibi de filiis duntaxat primi gradus, sed indefinite sermonem esse de hærede masculo ex filia, sub quo & remotioris gradus soboles possit intelligi. Ac in successione lineali ob sexum in remotiorem lineam transitum haut fieri notorii juris esse. Quod autem Neoburgicus post jure familiaritatis simul ad possessionem admissus fuerit, id ob conditionem istorum temporum factum, & potiore Domus Brandenburgicæ jure reservato.*

Bipontini rationes. §. 4. Ast Bipontinus contendebat; feuda ista ad omnes filias, tunc cum frater moreretur superstites, ex æquo pertinere, eoque Brandenburgicæ Domui de feudalibus nihil, de allodialibus quartam partem jure repræsentationis deberi. Quo fine cum Neoburgico asserere instituebat, per privilegium Caroli V. filias eorum feudorum, quæ antea ad masculos duntaxat spectarint, capaces declaratas; in quo & hic succedendi ordo præscriptus sit, ut filiæ primi gradus, quæcunque defunctis Wilhelmi filiabus futuræ essent superstites, nulla vero eo tempore in vivis existente earum demum filii succederent. Quo ipso filia Mariæ Eleonoræ Anna a successione exclusa sit. His repositum; *Carolino privilegio hautquidquam novum succedendi jus constitui, sed jam receptum vel ex superfluo firmatum, quod & primogenituram, & fœminarum successionem, & provinciarum unionem involvat.* Idem quoque cum pactis dotalibus Borussicis graviter premeretur, eo demum devoluebatur, ut assereret: Wilhelmum Ducem cum ista conderentur, mentis non satis fuisse compotem. Quod Brandenburgico tum ob alias rationes inficiati sunt, tum quod omnium filiarum pacta dotalia exacte sibi respondeant; & cumprimis Borussicis condendis Philippus Winnebergius Baro Imperialis Consilii Aulici Præses nomine Cæsaris, tum & a Joanne Wilhelmo Saxoniæ Duce earum nuptiarum conciliatore legati adfuerint; ac Cæsar Maximilianus datis literis post ea pacta probarit. Quæ & ipsa Bipontinus renuntiatione facta aperte stabiliverit. Nec admissus in partem Neoburgicus Bipontinum adjuvat; cum id longe alias ob causas factum sit, quam quod Neoburgici jus superstite primogeniæ linea agnosceretur. Eadem a Burgaviensi jactata, cujus actionem Neoburgicus, cedi sibi curavit, cum antea acerrime negaret, ullum jus junioribus sororibus competere, quousque primogenita & hujus descendentes supersint. Cæterum in conventu Noribergensi ad exsequendam Pacem Westphalicam instituto Cæsar importune urgentibus Ordinibus Carolo Gustavo e Bipontina stirpe Palatino titulum Juliacensium provinciarum, ab hoc desideratum, tribuerat; adversus quem nostri protestationem interponere supervacuum duxerant, velut nullam præjudicii vim habiturum, quod istud factum esset nulla prævia causæ cognitione, & ne forte iste pertinaci abnegatione pacis fructus tantopere cupitos moraretur. Ac revera absurdum erat, cum Cæsar eum titulum iis, qui e prioribus sororibus descendebant, abnegaret, eundem tribui isti, qui non nisi tertiæ sororis jure niteretur. Quanquam & post Cæsar eum titulum tribuere omisit, Carolo Gustavo Rege frustra apud Plettenbergium Cæsareum ministrum querente. (1654.) 1651.

§. 5. Saxonici expectativa in Ducatum Juliaci, & Montium a Friderico III. Alberto data, & a Maximiliano confirmata, nituntur: quæ & ad fratrem ejus Ernestum post extensa fuit, si ob defectum masculorum hæredum eos Ducatus aperiri contigerit. Quibus præter alia repositum, *in Saxonico diplomate mentionem duntaxat fieri Ducatuum Juliaci ac Montium, & quidem quantum ab Imperio dependent; quo ipso bona allodialia aliunde adquisita excludi, magnam earum provinciarum partem facientia. Tum de Ducatu Cliviæ, & Comitatu Marcæ ac Ravensperga, nec non dynastia Ravensteina nullum ibi mentionem fieri; ut mirum sit, quo prætexto ex Alberto descendentes omnium harum provinciarum titulos & insignia sibi arrogent; cum tempore factæ concessionis Wilhelmus Senior eas provincias non habuerit, nec post unquam adquisierit.* Cæteri Duces Saxoniæ pacta dotalia inter Joannem Fridericum Saxoniæ post Electorem, & Sybillam Joannis III. Juliaci & Cliviæ Ducis filiam, a Carolo V. confirmata laudant, quibus post Wilhelmum, Joannis Clivensis, & Mariæ Juliacensis filium, ejusque hæredes extinctos Sybilla ejusque hæredes ad successionem omnium harum provinciarum vocentur. Ad quæ Brandenburgici; *hoc ipso, dum ea feuda masculina jactant, Albertina linea Saxonibus contradici; ac mirum adeo esse, sibi repugnantia asserentes in litis consortium potuisse coire, nisi prætexto cessa alienæ litis, aut intuitu potentioris patrocinii factum id dicatur. Cæterum diploma Friderici III. neque ab ipso Cæsare, neque a Cancellario Imperii subscriptum, & absque consensu Electorum, ipso quoque Duce Wilhelmo inscio, concessum; quod & post a Maximiliano I. abolitum fuerit. Tum & expectativam illam sub conditione indultam, quæ postea defecit. Post eam quippe indultam Wilhelmo Seniori filiam Mariam natam, horum ducatuum hæredem; quæ & post mortem patris scientibus & patientibus Saxonibus ad successionem admissa, illiusque maritus Joannes Dux Cliviæ a Carolo V. in Comitiis publicis solenni ritu de iisdem investitus fuit. Equidem Saxonicos jactare, investituram horum Ducatuum a se petitam, ac breve testimonium eo nomine datum. Atqui eosdem neque investituram obtinuisse, neque eam petitionem post iterasse, nec ullam actionem Cæsari aut possessoribus movisse, ac hos ex eo tempore quieta provinciarum possessione per integrum seculum gavisos; sic ut si maxime juris*

Saxonicorum fundamenta 1495.

8. Aug. 1526. 154

1511.

21. Jun. 1511. 1518.

1651. *ris quid fuiſſet, id dudum præſcriptione extinctum foret. Cæteros Saxones a Joanne Friderico & Sybilla Clivica deſcendentes fruſtra ad pacta dotalia inter hos provocare cum conditio hiſce addita nondum extet, ſuperſtite adhuc Wilhelmi Sibyllæ fratris proſapia. Adverſus quam incaſſum objiciunt, maſculam ſtirpem extinctam; cum & ipſi a fœmina jus ſuum derivent. Porro ab Albertinæ lineæ Saxonibus fruſtra oſtentari inveſtituram a Ru-*
1600. *dolfo II. impetratam; quippe quæ poſt litem jam cœptam in fraudem eorum, quorum intererat, his inauditis conceſſa ipſo jure nulla ſit; ac vel eo nomine abſurda habenda, quod Electori Saxoniæ non tantum de Juliaci & Montium, ſed & Cliviæ Ducatu, & Marcæ atque Ravenſbergæ Comitatu data ſit; cum Alberto Saxoni non niſi ſpes de Juliaco ac Montenſi Ducatu indulta ſit. Cui & inſuper clauſula,* ſalvo jure tertii *addita, & ſcripta cautio tradita ſit, illam in præjudicium reliquorum competitorum, potiora jura habentium, hautquaquam valituram.*

Prætenſio Comitis de Manderſcheid. §. 6. Præter hos Comitatum Marcæ petebat Erneſtus Comes Manderſcheidius, his rationibus nixus; quod iſte feudum maſculinum ſit, ac ipſe agnatus Ducis Joannis Wilhelmi communem cum hoc ſtirpem referat ad Engelbertum II. Marcæ Comitem, circa annum 1320. florentem, qui duos filios reliquerit Adolfum Marcæ Comitem, & Eberhardum dynaſtam Arnsburgenſem. Ex illo Joannem Wilhelmum, ex hoc ſe recta linea maſculina deſcendere. Sed a Brandenburgicis demonſtratum, *eum Comitatum fœmininæ indolis eſſe; nec Manderſcheidium agnationem ſuam ſat liquido deduxiſſe: ac conceſſa licet proſapia Engelbertum ejus Comitatus primum adquirentem haut fuiſſe; denique iſtum jure primogenituræ, ac perpetuæ unionis excludi, cui ex ejusdem majoribus per duo amplius ſecula nemo*
1317. *intercesserit. Denique Engelbertum, a quo Manderſcheidius ſtemma ſuum derivat, ob admiſſam feloniam ab Imperatore Ludovico Bavaro proſcriptum, boniſque omnibus exutum, Comitatu Marca in Theodoricum X. Cliviæ Comitem translato, quem hic poſtea Margareta filia Adolfo Engelberti filio nubenti in dotem dederit.*
Ducis Bullionenſis, Eandem actionem movere cœperant Bullionii Duces, qui & ipſi genus ab Engelberto II. Marcæ Comite, ejusque filio ſecundogenito Eberhardo Eberhardo Arnsburgenſi derivatum ibant velut Lumayanæ & Bullionenſis familiæ conditore. Cui idem quod Manderſcheidio reſponſum; qui & litem cœptam dudum deſeruit. Actionem deni-
a Ducis Nivernenſis. que movit Carolus Gonzaga Nivernenſis Dux & Mantuæ Marchio in dimidiam partem omnium bonorum per Joannem I. Cliviæ Ducem Engelberto filio ejus ſecundogenito relictorum, maternus ſibi abavus fuerit. Sed ejus actionem elidit jus
1418. primogenituræ in his ditionibus ab Adolfo I. Cliviæ Duce conſtitutum accedente Ordinum provincialium conſenſu. Qui & Engelhardus cum fratre Joanne II. Cliviæ Duce Joannis I. filio primogenito ſuper hæreditate paterna, maternaque tranſegit, & acceptis Comitatibus Niverniæ, ac Rhetelii, aliiſque in Gallia bonis in Ducatum Cliviæ & Comitatum Marcæ renuntiavit, ſimili ceſſione per Joannem Ducem in bona Gallica facta. Quin & ab anno 1487. quo Joannes I. Cliviæ Dux mortuus eſt, iſtius majores nil actionis moverunt, ſic ut ea dudum præſcriptione ſit extincta. Unde 1651.
& Nivernenſis pridem judiciali ſententia pro deſertore litis declaratus fuit.

§. 7. Cæterum ſtatim ab initio prævidebatur, ſurrecturam inde controverſiam longe difficillimam ob plurium competitorum concurſum; & quia earum provinciarum ſtatus ultro in confuſionem ruebat, quod Wilhelmus Dux longo ſenio debilis regimini, quæ debebatur, curam præſtare haut poſſet, miniſtris uti aſſolet privata ſua emolumenta ſectantibus. *Prævia circa hanc controverſiam ſolicitudo.* Quæ mala augebantur ſuccedente filio Joanne Wilhelmo, qui animo juxta ac corpore debilis non niſi vocabulum Principis ſuſtinuit. Eo fidentius armis in vicinia certantes Hiſpani, Belgæque inermes provincias inſultaverant, ubi qui fiduciarium regimen gerebant proceres, ipſique provinciales Ordines conſiliis, ſtudiiſque in diverſa tendebant. Unde illa præcipue cura erat, ut ſi forte ortum inter competitores disſidium non protinus componi poſſet, id inter ipſos ſolos agitaretur, ne tertius quiſpiam ſeſe immiſcens ſperatum bolum præriperet. Nam ſi ad manus inter hæredes perventum foret, dubium non habebatur, quin & in vicinia bellantes obtentu partium fulciendarum tam opportunam ſibi regionem invaſuri, & Cæſar ſequeſtris titulo eandem velut litigioſam inſeſſurus eſſet. Eo cauſa igitur movebat Joannis Wilhelmi ſorores, earúmque maritos, ut hiſce malis prævertendis in conventu Ordinum provincialium Duſſeldorpii habito conſultationem inſtituerent. Ubi cum ſcopum ſuum aſſequi non poſſent, languido plerorumque in novos Principes ſtudio, queis vicarii dulcedinem imperii continuare privatis opibus proficuum ducebatur; placuit Francofurti ad Mœnum congreſſum repetere. Ubi inter affines Principes fides data acceptaque fuit ſuper cura iſtarum ditionum junctis conſiliis ac viribus tam apud Cæſarem quam alios ſuſcipienda, ac ne iſtæ Imperio avulſæ in exterorum poteſtatem incidant, aut invicem ſeparentur in fraudem futurorum hæredum, aut aliorum quorum intereſt. *Conventio Francofurtana. 8. Febr. 1593.* Tum ut eædem juxta receptas leges adminiſtrentur, quoad controverſia ſuper jure ſuccedendi amica tranſactione, aut per judicis ſententiam compoſita foret, ſervato quoque ſacrorum hucuſque recepto exercitio. Ac ubi Ducem fato concedere contingat, neutra pars alteram circa jus ſucceſſionis impediat, neu dolo, aut vi utatur; ſed quilibet, quod ſibi competere jus arbitretur, ad legitimam cognitionem & deciſionem communium amicorum, aut judicum rejiciat. Addebatur, ne iſthæc conjunctio juri eorum quorum intereſt, aut provinciarum privilegiis fraudi foret. Iſthæc conventio poſtea Plavenæ apud Nariſcos repetita atque interpolata fuit.

§. 8. Aſt quo minus inter partes mature ad tranſactionem accederetur, (nam nondum mortuo Joanne Wilhelmo in jus ire haut conveniebat,) aut ſaltem partium jura in anteceſſum diſcuterentur, & ad liquidum perducerentur, in cauſa erat Joannes Bipontinus Dux, qui dum varia conventioni ſemel conceptæ addi poſtulat, effecit, ut negotium in principio velut ad vadum adhæreſceret. Ortæ mox fuere turbæ circa præſulatum Argento- *Conſiderationes Brandenburgicorum ante obitum Ducis Joannis Wilhelmi.*

1651. gentoratensem, quem hinc Joannes Georgius Marchio Brandenburgicus, inde Carolus Cardinalis Lotharingicus ad se raptabant, quorum huic Catholici, illi Protestantes Canonici suffragati fuerant; quæ Electoris cogitationes aliquantisper a negotio Juliacensi averterunt. Sed & extitere quidam, qui variis adductis rationibus censebant; ista cum affinibus conjunctione Domui Brandenburgicæ haut consuli. Unde flaccescebat cura exsecutioni dandi, quæ nuperis conventionibus
1603. placuerant, ac demum Onolzbaci communi agnatorum consensu conclusum; quia id negotium ex incertis casibus pendeat, paulisper sublistendum, & in neutram partem quid statuendum, probe captatis occasionibus. Interim conventionem super conjunctione in medio relinquendam, prout deinceps ex usu videbitur retinendam aut rejiciendam. Nam ea conjunctione Brandenburgico juri non parum præjudicari, cæterorum prætensionibus pari fere gradu collocatis. Unde factum, ut deinceps inter affines nil juncto consilio, prout convenerat, susciperetur. Contra svadebatur, Brandenburgicis id agendum, ut prima quaque occasione arridente earum provinciarum possessionem arripere properarent, quod hanc nacti cum cæteris competitoribus transigere, aut jure experiri in proclivi sit futurum. Quo fine & cum Belgis
1605. Fœderatis conventio inibatur. Et ea sine dubio expeditissima via erat, si ita in promtu foret arduam rem effectui dare, quam verbis proponere. Enimvero id consilium multæ difficultates circumstabant. Nam Juliacenses ditiones non uno velut complexu arripi poterant, quippe a se invicem disjunctæ, ac singulæ peculiare corpus constituentes. Dein inter cives quidem non pauci erant, qui Brandenburgico quam cuivis alteri subesse malebant. Sed qui ad clavum sedebant, id spectabant, ut omnes competitores tantisper arcerentur, quoad controversia super successione composita foret. Unde metus erat, ne si rei manus admoveretur, illi sese opponerent, quos minime decebat, cæteris quoque competitoribus quantum possent obnixuris, promto quoque ad mittenda auxilia Cæsare, quam ea res & publicum ob munus, & ob privatas rationes non parum tangebat. Ac si Cæsari ipsi copiæ in promtu non sint, adesse in Belgio Hispanos, quorum & quam maxime intersit, quem vicinum habeant; præsertim cum nonnullæ harum provinciarum partes fiduciario jure a Domo Burgundica dependeant. Unde nil magis ex voto Hispanis videbatur, quam ut permissu Cæsaris eas provincias sub ditionem redigere possent: & sic facto a Brandenburgicis initio, Hispani aliique protinus se moturi, ac quantum quisque posset sibi rapturi erant. Quin metus erat, ne Neoburgicus aliique competitores actionem suam in Austriacos, aut alios potentiores transferre mallent, quam ut se exclusis Brandenburgicum iis terris quiete frui paterentur. Tum & Saxo, Nivernensisque, ac alii cætera discordes in eo facile conspiraturi erant, ut Brandenburgico earum provinciarum possessionem occupare conanti extrema vi sese objicerent. Unde non poterat non horribilis confusio oriri; præterquam quod non adparebat ratio immensos sumtus ad hoc requisitos expediendi; ac belli alea semper anceps ob oculos versabatur. Adversus quæ incommoda haut satis remedii habebatur in conventione cum Belgis, quorum auxilio adscito majoribus adhuc difficultatibus negotium videbatur implicandum, Ordinibus provincialibus ritui Romano addictis, tum Cæsare, Hispano, ac vicinis Catholicis Principibus magis irritandis, ut invisos ob socios Brandenburgici conatibus eo acrius reniterentur. Quorum & res tunc ad Rhenum languebant, prævalentibus ibi Hispanis, & plura loca Juliacensibus provinciis contermina obtinentibus. Inprimis autem inane futurum erat Belgarum præsidium, si quæ jam inter ipsas & Hispanos pax agitabatur successisset, Hispanis haut laturis, istos per pacem tam late potentiam suam proferre. Ac si Belgæ insuper habita Cæsaris autoritate eas provincias quocunque prætexto insederint, ac pro suo lubitu aliquem in earum possessionem collocarint, Cæsar non poterat non id contumeliæ loco accipere. Unde Hispanis plausibilis causa nascitura erat vel pacem abrumpendi, vel easdem provincias nomine Cæsaris itidem invadendi. Ita novo bello surrecturo arenam Juliacenses provinciæ præbituræ erant; cui an Brandenburgicus ansam præbere debeat, aut num Belgæ aleam istam jacturi forent, altioris indaginis quæstio habebatur. Quod si autem subsistente inter Hispanos & Belgas bello Brandeburgicus horum auxilio uti vellet, hisce vicissim auxilia ferenda, ac plane in societatem belli adversus Hispanos veniendum erat, cujus exitus nondum prospici poterat. Denique nulla ratio adparebat pecuniam, quam Belgæ ob auxilia ista sibi deposcebant, corradendi, ingentibus sumtibus in Borussica tunc negotia erogandis. Ob has igitur rationes in ambiguo hærebant Brandenburgicorum consilia, utut Ordines Juliacenses ad Electorem, aliosque competitores circummitterent, ad accelerandam controversiæ decisionem hortantes, simul enixe protestantes, ne vi quid suscipiatur. Nec minus Neoburgicus amicis sese tractatibus paratum offerebat, quos & Galliæ Rex, & Palatinus Elector suscipi hortabantur. De quibus cum Elector spem verbis faceret, ac haut eo minus inter incerta tempus labi pateretur, omnis moræ, ac inde proventuri mali culpa ipsi impingebatur. Enimvero non tam voluntas istum, aut cura deficiebat, quam quod nullam viam perspiceret rem ex voto expediendi, ac tam arduum esset certi quid consilii capere. Nam vim tentare ob causas jam adductas haut licebat, quam & reliqui competitores deprecabantur; ac Neoburgicus apud Gallum, Anglum, & Albertum Archiducem circumiens, ac de jure, quod sibi competere arbitrabatur, eos edocens sollicite contendebat, ne, si qui ad vim faciendam auxilia apud ipsos quærerent, audirentur. Decisionem autem controversiæ ante obitum Ducis urgere non minus anceps erat, nondum excussis apicibus juris, & quia causa apud Cæsarem agenda erat valde suspectum; cui & processum pro lubitu extrahere licebat, ac lite pendente, statim atque Dux Joannes Wilhelmus expirasset, provincias in sequestrum missurus erat, haut defuturo prætexto eas sibi penitus vindicandi. Quæ & præcipua ratio fuerat conjunctionis inter competiores ineundæ, ut sequestratio præverteretur. Igitur tutissimum quidem videbatur transactionem tentare,

1651. re, si vel maxime aliquid de jure suo foret remittendum, eamque quamprimum suscipiendam, quoad Maria Eleonora adhuc superstes esset, cujus pacta dotalia cæteræ sorores jurata renuntiatione confirmaverant: qua forte harum filii se teneri negaturi sint, velut proprio jure ad successionem vocati. Enimvero neque isthæc transactio in expedito erat. Nam Brandenburgici judicabant, sua interesse negotium in speciem duntaxat agi, expiscandis Neoburgici destinatis, ac interim omnia sibi integra reservari. Sed Neoburgicus statim ad summam causæ accedi cupiebat; qui ubi nostros ludificantes animadverteret, deteriora suspicatus apud Cæsarem, & Ordines provinciales impediturus erat, ne Brandenburgicus occupata possessione ipsum præverteret. Supererat, ut una pars alteri data pecunia, aut parte provinciæ satisfaceret. Ast neque Brandenburgici pecunia jus tam liquidum vendere volebant; ac an reliqui idem vellent, incertum erat. Ut data ditionis parte istis satisfieret, privilegium Unionis obstabat. Etsi vero simile videbatur, Ordines provinciales potius in divisionem consensuros, quam ut bello, in quo de ipsorum corio ludendum erat, implicari vellent; præsertim cum diversis corporibus constarent, quæ demum sub Wilhelmo Juniore juncta fuerant, sacris insuper, & studiis dissidentes. In eo autem omnes consentiebant; frustra esse Electorem, si ad tractandum accedens eam animo fixam sententiam habeat, ut nullo modo remittere quid velit de eo, quod jure sibi competere autumet. Unde præstare certa portione per amicam viam obtenta adquiescere, quam in certo judicii aut belli eventu totum captare. Inprimis autem circa amicam tractationem id cavendum erat, ne durante controversia tertius interveniens provincias intercipere. Saltem eo fine conventio ineunda erat, ut contra tertium quemcunque partes sese jungerent, ac tantisper quietem provinciarum servare studerent.

Brandenburgicus & Neoburgicus possessionem adprehendunt. 1609. 4. Mart. §. 9. Inter has consiliorum fluctuationes mors demum Joannem Wilhelmum rebus humanis exemit; qua audita Joannes Sigismundus protinus per Hardenfeldium plura per oppida possessionem nomine uxoris Annæ velut unicæ defuncti hæredis capessit. Nec eo secius Neoburgicus, utut tempore posterior, pro hærede se gerere, ac pariter hinc inde matris, suoque nomine possessionem arripere. Mox & a fratre Electore Ernestus Marchio adest nomine istius regimen provinciarum administraturus. Uterque promulgato scripto titulum ostendere, utque ab Ordinibus provincialibus legitimi ipsorum principes agnoscantur postulare. Sed hisce satius videbatur regimen tantisper penes consiliarios esse, quoad super successione inter competitores convenisset: id quod & statim missis literis a Rudolfo Cæsare imperatum. Principes cum satis perspicerent, ubi inter ambigua ista, & antequam pedem in provinciis fixissent inter se colliderentur, fore ut uterque sperata hæreditate excideret, eo facilius aurem præbebant Mauritio Hassiæ Landgravio, istis sese conciliatorem interponenti; qui hisce Homburgum ad se invitatis amicam transactionem persvadere studebat. Ubi cum varii modi Maji. 1609. provincias ad plenam usque causæ compositionem gubernandi frustra essent propositi, placuit 1651. sub finem Maii Dortmundæ congressum institue- Transactio re. Ubi eodem Mauritio sequestre in hæc capita Dortmunda- conventum; *ut utrique, quoad causa per sententiam judicis aut partium conventionem composita fuerit, amice inter se agant, prout tam propinqua necessitudine junctos decet; ac adversus omnes earum provinciarum regi-* na. 31. Maji. *men usurpaturos consilia viresque jungant, simul quæ ad emolumentum verorum hæredum, ac provinciarum faciunt, promovere nitantur; idque ad tempus quadrimestre, si forte interim Elector ipse advenerit. Inde Dusseldorpium profecti Consiliariis ac Ordinibus provincialibus quid gestum sit denuntiarent, atque istis tantisper, adjunctis quibusdam ex Ordinum numero, provinciarum administrationem commendarent. Tum sacramento istos, cæterosque provinciales obstringerent, in ejus fide & obsequio ipsos fore, qui verus harum ditionum hæres pronuntiandus sit; sive Brandenburgicum, sive Neoburgicum ea sors tangat. Tum ut defuncto Duce digna exsequia, Viduæ idoneum dotalitium curarentur. Archiva porro obsignarentur; vasallis id requirentibus indulta concederentur, conventus Circulares, & Comitia obirentur, denique omnia quæ necessitas exigat fierent. Interim neutrius partis juri tam in possessorio quam petitorio quidquam derogaretur, sed utrique jus suum salvum sit, ad plenam usque causæ decisionem; ac neuter in alterius fraudem sibi quid arrogaret. Denique Bipontino, & Burgaviensi, jus suum si quod competat, inte-* 31. Maji. 1609. *grum esset.* Atque hæc omnia rata fore consertis dextris inter se promiserunt. Ibidem quoque conventum, ut causa principalis amica tractatione, aut ubi hæc non successerit compendiario arbitrorum processu (*Austregas* vocant) definiretur, cui absolvendo tempus novendecim mensium, agendique modus statuebatur; ac ut exsecutio sententiæ penes Ordines provinciales foret, queis solus victor legitimus Princeps sit agnoscendus. Arbitri nominabantur Saxoniæ Elector, Dux Saxoniæ Coburgicus, Brunsvicensis, Hassus, Badensis, Meclenburgicus, Pomeranus, Holsatus, Anhaltinus, e quibus utrique duos optare liceat, adjuncto uno Comite, & civitate Imperiali Evangelica sacra professis; in quos utrinque compromittendum, Arbitri per delegatos jurejurando adstrictos sententiam legibus congruam pronuntiarent. Interim utraque pars omni vi supersedeat, quin junctis consiliis laboret, ut compromissum subsistat, nec ea causa abs quopiam alio avocetur. Eam conventionem etsi conditio temporum magnopere suaderet; adparet tamen per eandem jus Domus Brandenburgicæ ad totam hæreditatem haut parum alteratum; cum longe plus efficaciæ habeat alterum in possessionem junctim admittere, quam verbis jus suum integrum servare. Hac conventione absoluta, ac Wolfgango Wilhelmo jure familiaritatis in communionem recepto, uterque Princeps Dusseldorpium se conferebat. Ubi ab Ordinibus provincialibus junctim pro Principibus harum provinciarum acceptati sunt, etsi refragantibus e Senatu nonnullis; Qui & vicissim Ordinibus super privilegiis, juribus atque sacris receptis scripto caverunt. Quia etiam tam a singulis, 4. Jul. quam utrisque junctim literæ ad Cæsarem alios- 1609. que scribendæ erant, quibus facile inseri poterant verba in unius vel alterius commodum trahenda; conventum quoque ejusmodi verba neutri præjudicio

1651. 20. Jul. 1692. dicio cessura, sed omnia juxta sensum & scopum pacti Dortmundani interpretanda. Quia denique per negotia provinciæ utrique non semper Dusseldorpii hærere licebat, sed subinde in diversa loca erat excurrendum; pactum quoque fuit conditum, ut conventio Dortmundana haut eo minus firma persisteret, ac neutra pars in alterius fraudem quid susciperet. Tum si quid noxæ abs quopiam alterutri inferatur, alter ad eundem vindicandum operam navaret. Quod si alteruter capiatur aut moriatur, superstes regimen provinciarum communi nomine continuaret, quoad alius in ejus locum surrogaretur.

Considerationes Austriacorum circa hanc controversiam. §. 10. Ast Aulæ Cæsareæ ingratum admodum accidit, Principes istos propriis auspiciis possessionem tanti momenti provinciarum arripuisse; quod eo modo interverteretur emolumentum, cujus spem ex isto casu Domui Austriacæ conceperat; & quia inter secretas ejusdem rationes habetur, impedire, ne qua alia Principalis in Germania Domus ad æmulam isti potentiam assurgat. Unde re in consilio Imperatoris proposita Levinus *ab Ulm* Imperii Vicecancellarius scripto conceptam sententiam tradebat: *Inter aliquam multos Principes ad Lutheri dogmata transgressos nemini tantum potentiæ obtigisse, ut Catholicis; & cumprimis Austriacæ Domui formidabilis foret, utut id magno studio affectasse videantur. Equidem Augustum Saxoniæ Electorem sat longe provectum, principem prudentia insignem, & magna opum vi e metallis Misniæ tunc quam maxime florentibus mactum. Qui tamen pro sua providentia in Austriacos nil moliri ausus fuerit, antecessorum exemplo territus, an quia super vires id perspexerat. Nam Saxoniæ Electoris ditiones, opulentas quantumvis, numerosum equitatum alere non posse, ac navigatione destitutas ad patranda ardua parum idoneas esse, imminente quoque Bohemicarum, & Austriacarum ditionum potentia. Unde consultius isti visum captato Austriacorum & Catholicorum favore apud partes suas autoritatem sibi circumponere, quam supra vires nitendo Catholicos lacessere. Ita & a suis velut pacis & incolumitatis ipsorum statorem magna veneratione habitum; & Catholicos velut publicæ tranquillitatis rationes sectantem æstimasse. Ejus filium Christianum majora sperantem properata morte sublatum. Ast circa Brandenburgicam Domum breve intra tempus ejusmodi mutationem contigisse, ut per hanc Protestantibus ad majora audenda fiducia nasci posse videatur. Ex ea Domo primis Electoribus sat modica fuisse initia; qui & insuper bellis Pomeranicis debilitati, plerique Nova Marchia præfecturis Equestri Ordini oppigneratis satis habuerint recens partam dignitatem tueri, nulla altius quid moliendi libidine. Sed prima potentiæ fundamenta jecisse Albertum Electorem Moguntinum, & Magdeburgicum Archipræsulem, ejusque fratrem Joachimum I. Electorem, par Principum prudentia nobilissimum, per quos Magdeburgicus præsulatus in eam Domum illatus, atque post conservatus fuit. Accessisse dehinc Sternbergensem districtum, Rupinum, Bernsteinam, Vierradam, Svetam, Sommerfeldam, Corviciam, Storcaviam, Sarmundam, aliasque, singulas quidem modicas, sed ipso numero insigne incrementum. Successisse dehinc Alberto Marchioni rem in Borussia, ut temporiam antea ditionem hæreditario titulo possideret. Tum Electorem Joachimum II. ejusque fratrem Joannem, ut gliscentem Domus suæ potentiam alerent, insignem operam Imperio & Domui Austriacæ navasse, in quam facti sumtus liberaliter pensati fuerint vectigalibus in Albi, Odera, Havela & Sprea, simul tributo in polentam & cerevisiam concesso. Post exutis ritibus Romanis tres præsulatus, multasque Abbatias, cœnobia, atque Commendas accrevisse, præcipuum ærarii robur. Egregias hasce ditiones in Joannem Georgium Electorem devolutas; qui filio eidemque successori Joachimo Friderico Joannis Marchionis filiam collocarit; unde cum Joannes hic filium non relinqueret, Novam Marchiam ad generum devolutam. Joachimi Friderici filium Joannem Sigismundum primogenitam Ducis Borussiæ filiam Annam in matrimonium assumsisse, Juliacenses ditiones domui Brandenburgicæ illaturum, enormi jam opum augmento. Sane Marchiam & Borussiam conjunctas jam antea quibusvis Germaniæ principatibus præponderasse. Ast Accedentibus jam Juliacensibus quoque provinciis habere Domum Austriacam, & omnes Catholicos, quod sibi metuant. Esse quippe eas ditiones opulentas, situ opportuno ad flumina navigiorum patentia, Rhenum, Mosam, Ruram; validis munitionibus firmatas; tum populum bellicosum inque armis exercitatum, ac potentiorum fœderibus subnixum. Ac indicio opulentiæ earum ditionum esse, quod Wilhelmus Juliaci Dux cum Carolo V. Cæsare bellum gerere ausus sit, de quo hic jactare solitus: a Saxone, & Hasso sese telo petitum, sed a Juliacensi sauciatum. Cum porro & hoc accedat, ut Brandenburgicorum aversus semper Catholicis animus fuerit deprehensus, ex incremetis ejus Domus ruinam Romani ritus in Germania pendere. Præsertim cum nova dogmata tantopere Cæsareas per provincias invaluerint, & Austriacos alias ubique hostes æmulique circumstent, Brandenburgico accedente grave negotium daturi. Ac uti Belgium primus gradus ad præsens Domus Austriacæ fastigium fuit; ita ejusdem jacturam cætera quoque secum tractura videri; quam in rem Juliacas provincias ingens momentum dare posse; in quas Brandenburgico liquidissimum jus sit. Nam quod omnes hæ provinciæ fœminina successionis capaces, ac connubiorum occasione junctæ sint, apud rerum peritos dubio carere. Extare uniones & conventiones per Cæsares firmatas, quæ e superstitibus filialibus primogenitam solam ad successionem vocent; ac reliquas solenni cessione suam sobolem ab ea hæreditate exclusisse. Ac superesse primogenitæ primogenitam, quæ in locum & jus matris subierit. Nec sufficere privilegium Carolinum ad jus huic quæsitum auferendum, cui & commoda interpretatio eum sensum tribuere possit, qui receptæ consuetudini, ac vetustis pactis quadret. Quin Ferdinandum Cæsarem omnem scrupulum tollere, & obscuro privilegio lucem affundere. Ac in istum casum provinciales dudum sacramento adactos. Brandenburgicum quoque adprehensa rite possessione merito tuendum, quoad alii in petitorio potius suum jus deduxerint. Enimvero esse adhuc remedia avertendo isti periculo. Nam novis sacris addictos velut vertigine correptos in sese mutuo impelli. Potentiam Brandenburgicam nondum in justam firmitatem coaluisse, convelli haut adeo difficilem. Borussorum animos adhuc tumere, quorum ferociam Poloni alant cupidine istam sibi provinciam adjungendi; sic ut ingruente gravi necessitate Brandenburgicus non habeat, quod isti nationi magnopere confidat. Juliacensium quoque affectum adhuc frigere velut in nondum visum, aut assuetudine vel per beneficia conciliatum, plerisque ob diversa sacra aversantibus. Marchiam milite vacu-* 1651.

1651. *vacuam, populis longa pace, abundantia languentibus. Juliacensium provinciarum regimen ob diuturnos Principum morbos admodum dissolutum. Marchiacos, Borussos; Juliacenses inter se fere incognitos: ipsas provincias magna terrarum intercapedine disjunctas. Nec cum exteris fœdera ad liquidum perducta. Quæ tamen omnia cum pedetentim ad justam firmitatem evalescere possint, eo curatius principiis obstandum. Et quia proscriptio, qua Albertus ob Borussiam Imperio subtractam notatus fuit, nondum abolita sit, inde a Cæsare ansam posse arripi Brandenburgicum Juliacensi successione arcendi. Ne autem Protestantibus occasio nascatur fœderibus sese adstringendi, adhibita arte ipsos inter se committendos, prætextum præbituro Saxoniæ Electore; cujus legati super actione in eas provincias movenda jecerint, ex spe in Albertum Saxoniæ Ducem quondam a Friderico Cæsare collata, inani quantumvis fundamento. Nam eam vel hoc duntaxat casu valere, si masculina juxta ac fœmenina stirps Juliacensium Ducum extincta sit, id quod nondum contigerit; vel Cæsari isti falso fuisse persvasum, eas provincias tantum masculinam successionem admittere, eoque velut ex errore profectam initam esse, præsertim cum eadem jus tertii salvum fore excipiat. Sed & expectativam istam absque consensu Electorum datam, cujus confirmatio a sequentibus Cæsari-*
viii. *bus ne petita quidem, nedum obtenta fuerit. Et extincto sine prole mascula Wilhelmo Juliacensi Duce generum Joannem Cliviæ Ducem eas ditiones nactum, ac in sua prosapia per centum prope annos retinuisse, utut initio Georgius, & Henricus Saxoniæ Duces Alberti filii acriter reniterentur; qui tamen ab anno vicesimo secundo superioris seculi actionem omiserint, eorumque posteri ad præsens usque tempus siluerint, Cliviæ Ducibus titulum ac locum Juliacensem citra contradictionem concedentes. Saltem istud jus qualecunque in petitorio prius deducendum, antequam Saxo ad possessionem admitti queat. Neque vero ista Saxonem fugere: sed gliscentem vicinæ Domus potentiam suspectari; simul ægris oculis adspici, quod Saxonicæ Domui proximo antea post Austriacam fastigio velut de gradu descendendum sit, alia insurgente. Unde a Saxone non tam id agi, ut ipse Juliacensi ditione potiatur, quam ne eadem Brandenburgico adcrescat. Eam itaque invidiam alendam, & Saxoni ultro stimulos subdendos, certo Catholicorum & Austriacorum lucro, sive isti in transactionem descendant, seu lite collidantur. Maturato tamen opus esse, antequam Brandenburgicus illis in provinciis pedem fixerit, & protinus Sequestrem eisdem immittendum velut litigiosis; cui opera danda sit, ut unum & alterum munitum oppidum in potestatem redigat; tum paratis copiis, ac per edicta monitoria & avocatoria provinciales sibi adjungat, gratioso ibi Austriaco nomine ob clementiæ famam, & studium in ritus Romanos. Colorem plausibilem dici posse; ita facto opus fuisse supremo harum causarum judici ad præcavendas in Germania turbas. Cæterum eidem decretum nullius jus violare, sed rem sententia judiciali, aut amica transactione componere. Inde propositis edictis partes citandas, ostenso erga omnes æquo animo, ne alicui prætextum nascatur Cæsarem velut suspectum judicem recusandi. Ac spem esse, utramque partem hujus sententiæ causam suam submissuram: saltem de Saxone dubium non esse. Forte & Brandenburgicum fuco haut statim animadverso in casses ultro ruiturum. Ubi Cæsari initio inter partes amicam transactionem tentandam; interim clam utrumque permovendum, ut Cæsari jus suum cedat, Saxoni superiore Lusatia,* 1651. *Brandenburgico Inferiore oblata. Nec defore, quod Neoburgico detur. Cui isthæc ratio haut arrideat, ei viam juris patere: ac ubi Cæsar sequestris titulo eas provincias insederit, processum in infinitum extrahi posse. Ast si partes decisionem importune urgeant, advocato fisci interveniendum, atque eam conclusionem pervincendam esse; Brandenburgicum ob Alberti Borussici proscriptionem hæreditate excidisse; Saxonis jus illiquidum; inde utrumque excludendum, ac declarandum, eas provincias ad Imperium devolutas. Ast si partes neque ad contestationem litis, neque ad transactionem permoveri possint, sed utique ferro rem cernere cupiant; facile ferri posse, ut isti inter se commissi mutuo vires atterant, Catholicis eo spectaculo fruituris, ac præda demum ad Cæsarem perventura. Et Saxonici clam auxilia, sed modica, submittenda, quo alteri par esse queat; nec occasionem defore incalescentes penitus atterendi, aut insigniter debilitandi. Nec modicum usum mandatis inhibitoriis sub pœna proscriptionis, aliisque similibus fore. Denique ubi e re videatur, partes per mutua damna ad lassitudinem datos, facile autoritate Cæsarea iterum conciliari posse.*

§. 11. Ast Gallus, cui facile, quod austriaci agitarent, subolebat, Principes missis literis confirmare: *variis sibi causas esse, utpote divinitus sua constituto in præstantissimo Europæ regno, cur pro publica civibus quiete, & felici orbis Christiani statu curam gerat. Neque accidisse quidquam, ex quo tempore regno suo pax reddita fuerit, in quo affectus hujus testandi occasio foret, cui ipse defuerit: idque vel exemplo Fœderatorum Belgarum constare, qui nunc ope sua latissima pace fruantur. Eoque simul ac de Joannis Wilhelmi obitu intellexerit, non expectandum sibi duxisse, donec ipsi aliique hoc officium a se requirerent; verum proprio animi instinctu pro benevolentia sua curam hanc significare voluisse. Ac pergratum sibi accidisse nuntium de concordia inter ipsos firmata, quam cum publica provinciarum tranquillitate conjunctam fore non dubitet. Ac si forte aliqui turbare conentur, adversus eos præsto a se auxilium fore.* Simul ut rem sibi cordi esse testaretur, protinus militem in finibus regni disponit. Tum quæ sub Belgis Fœderatis copiæ Gallicæ militabant, ad Cliviæ limitem ire jussæ. Sed & Belgas ultro rationes reipublicæ suæ monebant, ut Austriacorum conatibus obsisterent; eoque & ipsi jam auxilium suum, ubi res exigeret, aperte offerrebant, postquam Gallum in partes descendisse comperissent. Quibus cum Principes per legatos pro tam luculenta benevolentia gratias agerent, & porro auxilium atque tutelam implorarent; hi gratam sibi concordiam Principum testabantur; nec ubi vis aliena ingruat eorum defensionem omissuros. Nec minus Germaniæ Principes Catholici ac Protestantes, jam antea non parum inter se suspectantes, ut tanti momenti provincias suis utrique partibus adjungerent, fœderibus inter se nectebantur. Ac Protestantes quidem eo potissimum nomine Halæ Svevorum conventum agitabant; ubi inter alia decretum, ut quæ inter Brandenburgicum & Neoburgicum convenerant, Saxoni, & Bipontino fraudi ne forent; ac ut Marchio Christianus congressum inter Saxonem & Brandenburgicos Electores curaret, ubi modus arbitrorum expeditissimus sit constituendus

Gallus auxilia offert.

Hallensis conventio 13. Febr. 1610.

1611. dus. Interim Brandenburgicus atque Neoburgicus regimen provinciarum ex Dortmundano pacto conjunctim gererent, simul Joanni Bipontino caverent, apprehensionem possessionis a se factam ipsi fraudi haut fore.

Cæsar Juliacensibus provinciis sequestrem immittit. §. 12. Contra Cæsar edictis primo partes ad accipiendum judicium evocare. Cui Principes vicissim concordiam mutuam nuntiabant, ac jus suum demonstrabant; orantes insuper, indecora in hæreditatibus ejusmodi citatione deinceps abstineret, neu quidquam ipsis inconsultis statueret. Igitur ad efficaciora remedia conversus Leopoldum Archiducem, Passaviensem atque Argentinensem Præsulem, sequestris titulo ad eas provincias occupandas mittebat; qui postquam conventui Catholicorum Wurtzburgi habitorum interfuisset, festinato itinere, ac dignitate per viam dissimulata Juliacum contendit; ubi per Nestelradium, (qui e conventu Ordinum provincialium Dusseldorpii habito clam digressus, Juliaco, cujus præfectus fuerat, præsidium introduxerat, primusque se Principibus opposuerat,) velut a Cæsare legatus publicis grati adventus signis exceptus fuit. *Nestelr.* Is mandati literas edere, queis Cæsar affirmabat, *quanta cura vivo adhuc Joanne Wilhelmo felix earum provinciarum status sibi fuerit. Nunc autem plures eam hæreditatem petere, ipsumque ceu legitimum judicem ad dicendum jus orare. Unde si qui actionis quid moverent, iis Pragam ut venirent, aut legatos destinarent, imperasse. Contra tamen factum esse, & provincias occupatas in ipsorum perniciem, ac Cæsareæ Majestatis contemtum. Quamobrem visum Leopoldum illuc mittere, qui suo nomine plena cum potestate easdem administraret.* Is igitur simul Juliacum venit, illico ad rem armis gerendam animum adjecit, ac militem contraxit, paratu bellico Colonia curato. Et cum Principes defensionem parare intelligeret, edicto vetare instituit; *ne quis sub ipsis stipendia faceret, neu iis obsequii fidem daret. Qui delinquerent, si provinciales forent, confiscatione bonorum & exilio multarentur; extranei capite pœnas luerent.* Tum ad Senatum & præfectos scribere; ne se Principibus sacramento obstringerent, neu tributa penderent. Haut eo secius pergere Principes, ac oppida circumire, ac in sua verba adigere, ea lege, ut salva Cæsari Majestas esset, cui debitum honorem habituros se promittebant; atque ita negotium transactoros, ne quod inde provincialibus damnum detur. Tum monere, ne Cæsarei edicti minæ anxios ipsos haberent. Nam tutelam sibi in proclivi; tum urbibus privilegia sua, ac religionem sartam tectam mansuram. Morientibus Ecclesiasticis, & avitæ religionis antistitibus alios ejusdem religionis indigenas sufficiendos cum iisdem omnino reditibus. Scholarum regimen penes Consules & Senatum, ut cuique loco mos, mansurum. Tributa hactenus solita mansura, quæ intendere haut liceat, nec præsidiis oppida ac provinciam onerare. Ast Leopoldus cum Principibus maximam fiduciam in Belgis Fœderatis positam nosset, hisce misso legato una cum literis significat: *notum sibi, quam varius passim de suo Juliacum adventu rumor spargatur; nec dubium, quin & ipsis malevoli perperam quædam persuaserint, alienandis eorundem animis. Ea de causa celare adventum non diutius consultum putasse, quem de Cæsaris sententia maturarit, tuenda ipsius majestati, & publicæ provinciarum saluti.* Simul exemplar decretorum Imperialium, citationisque, & mandatorum exhibere; *unde exploratum esse possit, nullum privatum commodum a Cæsare spectari, quod fortasse quidam Austriacæ familiæ infensi jactent: tantum satisfactum velle Electoribus atque Principibus, quos ea res tangat. Quibus jus suum salvum cupiat, donec legitimus hæres adparuerit; qui quamdiu in obscuro sit, ad ipsum velut supremum feudi dominum devolutam provinciarum administrationem, quam privilegiis illæsis, liberoque sacrorum usu exerciturus, pacemque illis publicam sartam tectamque præstiturus sit. Porro deprecari, ne spe auxilii animos aliis contra Cæsarem additum irent, supremum talium judicem, cujus mandatis non parere nefas sit. Igitur in publicum consulerent, & manifestam provinciarum calamitatem averterent, quam contumacia partium ab ipsis adjuta minetur.* Ad quæ Ordines; *in votis sibi semper fuisse, ut istarum terrarum principatus ad legitimum hæredem sine turbis perveniat. Ideoque cum Ducis mors nuntiaretur, literis ad Senatum, & Principes competitores datis, pacis atque concordiæ autores fuisse; lætatosque magnopere, postquam convenisse inter ipsos super administratione intellexissent, ac stabiliendæ paci operam atque auxilium promisisse. Qui cum sanctam sibi majestatem Cæsaris, ac competitoribus ex æquo & bono satisfacturos se promiserint, adeo liquido ipsorum jure, quod & binis jam conventibus Ordines provinciarum comprobarint; mirari se vehementer, cur aut improbet ista Cæsar, aut ipse huc advenerit, Imperii tranquillitatem haut leviter perturbaturus. Neque enim defuturos, qui legitimam Principum successionem forti manu asserturi sint. Confidere tamen, facile ipsum, Cæsaremque cognita causa sententiam suam mutaturos.* Eadem res Archiduces quoque non parum sollicitos habuit, qui potentiam Fœderatorum augeri aut fulciri per istos vicinos nolebant. Igitur id maxime nitebantur, ut universum negotium arbitrio Cæsaris permitteretur, manente penes eundem tantisper provinciarum regimine. Qui & misso in Galliam Richardo legato Regem, quo *Richardo* niti istos præcipue constabat, orabant, ut eosdem autoritate sua permoverent ad sententiam Cæsaris expectandam. Ast ei Regi procul aberat tam insigni incremento res Austriacorum firmam sive ad tempus tantum earum provinciarum administrationem vindicaret Cæsar, sive istis adjudicaret, qui ad nutum ejus postea sese compositurі essent. Præsertim cum vir nobilis, quem ad eundem Regem Leopoldus ablegaverat, apud Sillerium, & *Sillerus. Villerog.* Villaregium disseruisset; Imperii ditiones, quæ virilis sexus hærede destituerentur, ad Cæsarem devolvi, qui conferre rursus illa cui velit, aut statuere de iisdem pro lubitu possit. Verum qui partes tam illustres, potentesque contendant, id ab ipso agitari, ut dum causa disceptatur, sequester iste se pro domino earum ditionum gerat. Ac insuper Rex verebatur, ne induciæ Belgicæ, quæ non ita pridem ipso sponsore coierant, hac occasione iterum abrumperentur.

Utrinque auxilia solicitantur, §. 13. Interim res magis ad vim spectare incipiebat, Leopoldo indies magis se firmante, cui Archiduces clam belli instrumenta submittebant, exautorato quoque ni speciem milite, quem iste suo

1611. suo sacramento adigeret. Tum & Juliacum novis munitionibus instruebatur, ac latius per provinciam vires extendebantur. Et mox Pallantus, pridem Archiducum stipendio usus, hinc in Brandenburgici sacramentum transgressus, arcem suam Bredenbendam Leopoldo prodidit, qui e suis præsidium imposuit. Eo curatius Principes ad amicos Reges Principesque querimonias deferre; quam rigide secum Cæsar agere instituat, qui legitimos hæredes debita successione privare instituat. Simul impedire conantur, ne Leopoldo commeatus bello trahendo advehi possit.

Merod. Qua de causa Archiduces misso Philippo Merodio Principibus exponebant: *Sæpe a Cæsare indicatum, quibus de causis legatum dignitate eminentem in has provincias miserit, saluti ac tranquillitati earum servandæ. Eum mandata exsequentem ne impedire aggrediantur enixe se rogare, Passim quippe fama se accipere, vias intercludi, ac Belgii sui commercia perturbari; tum consilia Leopoldi eludi, commeatumque prohiberi; quæ res gravius aliquod malum minetur. Unde non potuisse non ipsis significare, molestum sibi, itinera in provincias suas intercludi; id quod Imperii legibus, pacique provinciarum adversum sit. Ac acerbum Leopoldo, se suosque commeatu arceri, velut mandata Cæsaris transgressus vetiti quid admisisset. Igitur monitos ipsos velle, cœpta omitterent; neu bello se instruerent, aut hostile quid tentarent. Ni fecerint, necessitatem sibi imponi alia consilia capessendi, quo rempublicam salvam præstare possint. Interim meliora sperare, & responsum amicitia sua dignum expectare.* Ad quæ a Principibus responsum; *ægre sibi accidisse, quæ necessaria defensioni parentur a nonnullis per calumniam traduci. Leopoldo majorem honorem pro præsenti rerum statu, & data ab ipso occasione haberi haut posse, quando terras sibi creditas vindicare, ac tutari teneantur; quas a se deseri judicio orbis, posteritatique nunquam adprobaturi sint. De cultu suo in Cæsarem nulla occasione testari omisisse. Militum nonnihil necessitate compulsos conscripsisse, & quia idem a Leopoldo fieri acceperint. Non tamen vim se parare, sed defensionem; & id unum operam dare, ne incauti opprimantur. De intercepto commeatu, aut turbatis Belgii commerciis nil sibi constare. Instrumentum bellicum ne Juliacum inferri paterentur, justo metu fecisse. Nec dubitare, quin isti pari rerum facie idem sibi permissuri sint. Porro paratos desistere, statim atque constiterint, a Leopoldo quem legerit militem sacramento solutum, Juliacumque redditum. Cum Archiducibus amicitiam sartam tectamque cupere; quos & sperent operam daturos, ut Leopoldus tam perniciosis consiliis desistat, ac tranquillam possessionem sibi relinquat, neu provinciarum pacem perturbet.* Ita constitutis rebus cum bellum metueretur, Principes Hagam ablegant, qui Ordinibus Fœderatis exponerent; *Sperasse se, possessionem provinciarum a Cæsare inconcussam sibi relictum iri; cujus rei etsi Pragæ, quo Elector Brandenburgicus ad Cæsarem ejus negotii causa profectus erat, spes facta sit; non tamen securos esse, aut rempublicam negligere posse, quamdiu propositum Leopoldus urgeat, ac Juliacum per vim retinere pergat. Igitur consilium se & auxilium ipsos poscere.* Ad hæc responsum: *quanquam non desperent, quin Cæsar pro sua prudentia cœptam possessionem turbare omissurus sit, Juliaco restituto, ac revocato Leopoldo; tamen omnino autores esse, uti rebus suis consulant, spesque in incerto ne habeant. Eo fine Reges Principesque, quorum amicitia, aut fœdere utantur,* 1651. *monerent, ut legatos suos idoneis mandatis instruant, quo certa auxilia decerni queant. Nec se consilio defore, & militem, bellique instrumenta & alia suppeditaturos, quantum reip. rationes tulerint.* Qui in Britanniam a Principibus missi fuerant plus verborum, quam solidæ spei retulerant. Nec minus Cæsar Legatos circummittere, ut aliis destinata sua adprobaret. Et ad Galliæ quidem Regem missus Joannes Georgius Hohenzolleranus Co- Hohenz. mes, qui exponeret: *antiquo Imperii jure cautum, ut de ambigui juris hæreditatibus ipse decerneret.* Cui Rex vicissim: *orare se, ut credere Cæsar velit, omni studio illorum Principum amicitiam sibi conservandam esse. Nunquam tamen eam mentem sibi fuisse, ut sive hac occasione, sive alia quacunque aliquid susciperet, quod autoritatem Cæsaris in Germania imminueret, turbarumve causam daret. Cæterum Principes, de quorum hæreditate disceptetur, vetere amicitia ac fœdere sibi junctos, quibus & auxilium tuendæ legitimæ successioni promiserit, tum quod jure eosdem niti arbitretur, tum quia isti testentur, omnem sese honorem Cæsareæ Majestati deferre paratos. Unde enixe orare, ut benigne agere placeat, ne nimius rigor mali quid pariat. Quippe ut præter æquitatem ipsos fovere plane nolit; ita in tam justa causa veteres amicos & socios haut deserturum.* A Saxone quoque in Galliam missus Wolfgangus Mansfeldiæ Comes, Regem de istius jure edocturus, id responsi retulit: *Se quidem pari cum majoribus suis affectu bene ipsi ac familiæ universæ cupere; idque reipsa præstiturum, si qua se occasio offerat. Sed quando alii quoque Principes eam sibi successionem vindicent, antiquo fœdere Galliæ Regno innexi, valde gratum fore, si ita animos componat Saxo, ut amicorum interventu de toto negotio transigere haut gravetur: idque amicis, & multiplici necessitudine junctis dignum fore. Neque expedire, ut rem longa ambage differant, valde quidem partibus perniciosa. Secus si fiat, maximo sibi dolori futurum, qui Germaniæ pacem inter prima vota ponat. Id consilium benevolo ex animo proficisci.* Ivit quoque Saxonicus Legatus ad Fœderatos Belgas, & in Angliam postulatum, ne partibus se immisceant, neu Cæsaris decretum impediant. Fœderati responderunt: *curandum sibi esse, ne formidandos ea parte vicinos habeant; eoque Brandenburgico, atque Neoburgico jam auxilia ad tutandam possessionem promisisse. Ac sperare, quando Saxo jam a seculo fere purioris religionis protector fuerit, nunc tantum decus hautquidquam corrupturum. Quin daturum potius operam, ut cum cæteris Principibus pacem adjuvet, negotiumque placide componere studeat.* Idem fere responsi in Anglia datum.

§. 14. Hæ dum fiunt, haut cessabat Leopoldus copias augere, ac Juliacum vicinumque cœnobium munitionibus firmare, alia quoque loca amplexurus, ne Principes obstitissent. Juliaco ac Bredenbenda evagari miles, commeatus intercipere, prædam, captivosque abducere. Principes contra obsessione Juliaci suscepta in arctum Leopoldi res redigere laborabant. Itaque militem per vicina oppida distribuere, qui quotidie excursaret, ac annonam resque alias Juliacum importari prohiberet. Durenum oppidum, situ atque opere satis validum, duobus Juliaco milliaribus dissitum, Principibus fidem suam obstrinxerat; nec eo minus pars oppidanorum Leopoldo favebat;

Leopoldus Juliaco iterum expellitur.

1651. bat; qui reliquis potentiam Cæsaris, ac proscriptionem ostentantes tandem effecerant, ut id oppidum neutrarum se partium declararet. Igitur profectus eo Neoburgicus cum equitatu, oppidanis portas occludentibus, per quatriduum in suburbio se continuit. Leopoldus fecialem eo miserat, qui oppidanis proscriptionem denuntiaret, si Principibus fidem darent. Unde isti territi studia in Principes inhibebant, donec pauci aliquot conglobati aperta per vim porta Neoburgicum admisere. Is statim vincula feciali injecit, instrumentaque ademit, tum magistratum in custodiam dedit. Mox tamen omnibus veniam pollicitus, si Principibus denuo sacramentum dicerent, præsidium loco imposuit. Ubi sine mora a Leopoldo ablegatus adest Furstenbergius, qui erepta feciali instrumenta reposceret, ac congressui super componendo negotio armorum cessationem impetraret. Sed dum id se agere simulat, Coloniæ proscriptos a Cæsare Principes promulgat, & Altenhoviam per insidias capere tentat. Ac cepisset, ni centum quinquaginta equites pridie ingressi propugnassent, centum viginti quinque ex iis qui oppugnaverant cæsis. Gleschа quoque miles Leopoldi ejectus, munitionesque dirutæ. Apud Eifelam quoque aliqua manus e Lucenburgico agro ad Leopoldi stipendia convenerat, ac Sleidam excussa porta invaserat. Verum missus illico Solmensis Comes cum tribus machinis eam recuperavit, capto ibi Mansfeldio, & Durenum abducto, ubi persoluto pretio mox dimissus est. Joannes quoque Ridbergæ Comes comparata pro Leopoldo aliqua manu quædam in Marcano agro & Ravensbergensi moliebatur; jamque Bilefeldam, & vicina quædam loca aggressus majora consilia agitabat, ni missi pedites bis mille, equitumque alæ aliquot eum repressissent. Missi quoque a Principibus ad Colonienses, qui rogarent, ecquid in partes ire velint? Si negarent; tum nec permittendum ab ipsis esse, ut Cæsaris aut Leopoldi mandata contra ipsos in sua urbe publicentur, neu hostile quid tentetur. Qui respondebant: certum sibi partibus abstinere, idque Leopoldo quoque denuntiaturos. Jamque munitiones quædam a Principibus supra & infra Juliacum strui cœperant, excursionibus Cæsarei militis compescendis. Unde oppidani multi, advenæque Belgæ inde excedere in loca magis secura, ut intestina dissidia, quæ inter magistratus & cives gliscebant, bellique mala evaderent. Enimvero sperato lentius succedebat negotium, quod interea Henrici IV. Regis Galliæ mors quæ inde venire debebant auxilia retardasset; citra quæ soli Belgæ aperte in partes descendere dubitabant. Ac æmulo Archiducis studio induciæ vacillabant; quas novo tractatu firmari e re videbatur. Ita magna pars æstatis extracta, donec sub finem Julii Belgarum copiæ, instantibus Principibus, Juliaco admoverentur. Machinis dehinc muri verberati, & propius admotis operibus cuniculi struebantur. Sed præsidium intus validum, & præfectus egregius Joannes Ruissenburgius Rhasetus acriter repugnare, ac crebris eruptionibus obsessores fatigare. Ac jam nutare videbatur obsidium, cum e Gallia auxilia accedunt decem peditum millia, mille ducenti equites, in quos Chastræo Mareschallo imperium. Ita

18. Aug. 1610.

arctius pressa urbs, & cum nulla spes ejus liberandæ adesset, ne virtutem suorum frustra fatigaret præfectus, super eadem & Bredenbenda dedenda honestis legibus transegit. Excessere milites Juliaco mille sexcenti, Bredenbenda centum octoginta; ac Leopoldus inglorius tentatas provincias reliquit. Ejus oppidi custodia de consensu Regum, Principumque, ac Fœderatorum Friderico Pithano commissa, qui principibus possidentibus jurejurando obstringebatur: cui id munus in singulos annos usque ad coortas postmodum turbas prorogatum fuit. 1651. 2. Sept.

§. 15. Ast Cæsar, expulso quem submiserat sequestre, ne id negotium deposuisse videretur, delegatos Coloniam mittit, eidem amice componendo, quibus & a compluribus Electoribus atque Principibus missi accesserant. Ubi proponebatur, ut Brandenburgicus, & Neoburgicus Saxones quoque usque ad causæ decisionem in communem provinciarum possessionem admitterent. Cui ab initio Brandenburgicus acriter resistebat, tandem hactenus consensit, si super modo & conditionibus communionis conveniri possit. Unde post operam navantibus Christiano Marchione Brandenburgico, & Mauritio, atque Ludovico Hassiæ Landgraviis, Juterboci conventus est indictus, isti communioni Saxonicæ adornandæ. Ubi demum convenit, ut *Saxones quoque una cum Brandenburgico & Neoburgico eas provincias indivisim possideant; sed quarum administratio penes Consilium esse debeat selectis e numero Ordinum viris compositum, quod omnibus simul possessoribus jurejurando sit devinctum. Sed penes quem ejus directio esse debeat, alio tractatu statuendum. Ubi super eo Consilio querela moveantur, a Principibus delegandos, qui causam cognoscant, atque componant. Ei quoque Consilio certam regiminis formulam de communi consensu præscribendam.* Has porro conditiones a Saxonibus, si in communionem admitti velint, Brandenburgicus exigebat, ut iidem ipsi atque Neoburgico investituram apud Cæsarem promoveant, ac quam isti Pragæ a Cæsare investituram obtinuerant ne allegarent, quo utrinque tam titulo quam possessione pares forent. Quorum posterius quidem Saxones facile annuebant: sed ut Brandenburgici & Neoburgi investituram proprium in præjudicium promoveant, id haut congruere. Non tamen repugnare, quo minus ipsi circa eam obtinendam satagant, salva Saxonica investitura: cui quærendæ sex menses post obtentam a Cæsare reconciliationem designabantur: interim utraque pars titulo & insignibus provinciarum uteretur. Ast ubi a Cæsare investitura obtineri nequeat, admissionem in possessionem adhuc per annum differendam. Quia etiam Brandenburgico certa pacta cum Neoburgico erant, qui ipse non aderat, nec a se missos plenis mandatis instruxerat, Brandenburgicus recipiebat operam se daturum, ut Neoburgici ratihabitio quamprimum accedat. Qua obtenta junctim se a Cæsare petituros, ut hanc transactionem adprobet; ac Saxonem laboraturum, ut Brandenburgicus, & Neoburgicus, & qui alii hoc in negotio Cæsari sese opposuerant, huic reconcilientur. Inde ab hisce provinciales Ordines convocandos, eosque permovendos, ut in receptionem Saxonum

Congressus Coloniæ irritus.

Conventio Juterbocensis.

1611. num consentiant. Saxones quoque cautioni, quam uterque Bipontino dederat, se obstringerent, adprehensionem possessionis istius juri, si quod sit, fraudi haut fore. Ante receptionem Saxones utrique sumtus in capessendam possessionem impensos, prius ad liquidum deductos, exsolverent, numeratis in antecessum quadringentis quinquaginta florenorum Misnicorum millibus, sed restituendis, ubi secundum Saxones lis data fuerit. Hanc conventionem juramentis in animam, ac per fidejussores, tum scripta Ordinum provincialium cautione firmandam. Tum uno post receptos Saxones anno per juratos arbitros decisio causæ fieret, statimque executioni daretur, ita ut bienni spatio totum negotium expeditum sit. Super partiendis reditibus agendum, ubi prius in æs alienum & bona oppignerata inquisitum fuerit. Recens introducta in fluminibus vectigalia abolenda. Ubi dissidia inter partes nascantur, quæ per ipsas solas, aut interventu amicorum componi nequeant, ei qui læsum se arbitretur haut integrum fore ab hoc pacto resilire, aut vim tentare, sed ad arbitros provocandum. Denique partes mutuum auxilium circa hoc negotium pollicebantur. Subscripserant id pactum Christianus Saxoniæ, Joannes Sigismundus Brandenburgensis Electores, Joannes Georgius, Augustus, Joannes Casimirus, Joannes Ernestus Saxoniæ Duces: tum velut Sequestres Christianus, & Joachimus Ernestus Marchiones Brandenburgici, Mauritius, & Ludovicus Hassiæ Landgravii, & Christianus Anhaltinus Princeps. Enimvero pactum isthoc effectu caruit, quod Electoris uxor Anna, & Neoburgicus istud adprobare abnuerent. Unde & Saxones eodem omisso jus suum apud Judicium Aulicum deducere instituebant.

Ibid. 2. Mart.

Tentatio inter Electorem, & Neobur. [illegible] frustra [illegible].

§. 16. Tentatum inde semel atque iterum inter Electorem, atque Neoburgicum super componendo penitus negotio, quod facile perspiceretur, communionem hautquidquam ad diuturnitatem valere; eo impensius satagente Neoburgico, quod in iis provinciis summam patrimonii sui reposuisset, cum Electori opimis antea ditionibus gaudenti minus anxio eventum negotii expectare liceret. Ac Custrini quidem inter Electorem, & Palatinum Wolfgangum Wilhelmum frustra super eo negotio tractatum. Nec magis post idem Palatinus Regiummontem profectus post multam disceptationem negotio exitum invenire potuit. Conclusum tamen interim, ut intra quatuor menses iterum Dusseldorpii aut Clivis conventus institueretur, adhibitis selectis Ordinum provincialium, & Belgis velut sequestribus, omnique ope laborandum, ut negotio summa manus imponi possit. Interim utrique junctim adversus alios competitores causam communem tuerentur, ac vim illatam sociata opera propulsarent. Et quia Neoburgicus in pactum Juterbocense consentire nolebat, Elector quoque, ea conditione deficiente, non amplius isto tenebatur, præsertim cum neque Saxones eodem stetissent. Idque ab Electore Saxonibus denuntiatum, oblato tamen ulteriore cum utroque ipsorum tractatu. Nam Electori soli deinceps neque cum Saxonibus, neque cum aliis competitoribus agendum videbatur; id quod & vicissim Neoburgicus promittebat. Ac si alteruter tale quid faceret, alterum quoque hoc tractatu non amplius stringendum. Cum dehinc sequenti anno Elector ad inspiciendas Juliacenses provincias profectus esset, a Neoburgico enixe compositio negotii quærebatur, proposito connubio suo cum Electoris filia Anna Sophia, (quæ post Friderico Ulrico Brunsvicensium Duci nupsit,) cui dotis loco Brandenburgicum jus ad eas provincias attribuendum sit. Quod postulatum cum Electori haut satis modestum videretur, orto acri jurgio, (quidam asperiora vulgavere,) Neoburgicus gravi offensa contracta discessit, haut obscure vindictam minatus. Ita jam antea maligne cohærens concordia, quam socia regna diuturnam ferre non possunt, plane abrupta fuit, ac gliscens indies simultas magis indies erumpere cœpit. Unde & cum inspicere Juliacum Elector destinasset, prohibentibus qui Neoburgico studebant pacis servandæ causa id omisit.

1611. 14. Mart. 1612.

Discordia inter Principes gliscit.

§. 17. Ast Neoburgicus abjecta cum Electore transigendi spe, quem & causa, & potentia, & apud communes amicos autoritate potiorem perspiceret, alia consilia capessere, ac validis sese amicitiis fulcire aggressus est. Et cum apud Protestantes, Gallosque Electoris ratio magis haberetur ad Catholicam, Hispanicamque factionem sese convertit. Eo fine nuptiæ contrahebantur cum Magdalena Maximiliani Bavariæ Ducis sorore, Principe tum propriis, tum Ligæ Catholicæ, viribus in cujus copias imperium ipsi collatum erat, prævalido; cujus & frater Coloniensem & Leodiensem ditionem Juliacensi vicinam obtinebat. Accedebat favor Hispanorum, & qui horum factioni addicti erant, ipsiusque Cæsaris, Alberto Archiduce istarum nuptiarum conciliatore. In novæ amicitiæ autoramentum abdicatis Protestantium sacris Romani ritus adsciti, seu seria animi in istos inclinatione, seu obstringendis partium studiis, queis quocunque modo istos ritus propagasse palmarium pietatis specimen habetur. Ea res Electori non parum curæ injiciebat, quod dubium non esset, quin Neoburgicus tam valida conjunctione ad subvertendum æmulum usurus esset. Ac jam res eo rediisse videbatur, ut unus alteri prævalere, eundemque communione exuere conaretur. Nam viam juris spectare, ac tanti momenti ditionem armis vindicatam in arbitrium judicis haut leviter offensi conferre, anceps admodum erat. Nec in transactionibus amplius spei quid erat, duro hactenus & iniquo semper Neoburgico, ac deinceps intractabili magis futuro tam validæ affinitatis fiducia. Ut autem ad vim decurretur, quæ sola restabat affatim quidem causarum suppetebat, liquido nostro jure; adversus quod Neoburgicus solum Carolinum privilegium jactabat, quo tamen præsens casus haut definiebatur; ac ipse Neoburgicus id destruebat, dum jus primogenituræ adversus Bipontinum obnixe propugnat; cum eo privilegio omnes sorores promiscue ad successionem vocentur. Id quod indicio sit, id e pactis majorum, & indole feudorum istorum interpretandum esse. Ab Electore quoque possessionem prius, quam a Neoburgico adprehensam; quod & jus sibi in pacto Dortmundano reservarit. Unde

Electoris considerationes.

1651. de Electori vitio vertendum non erat, si post consumtam frustra patientiam suo jure uteretur, & a communione discederet, quæ & hactenus magnam confusionem atque molestiam dederat, ac subditis non amplius tolerabilis erat; præsertim Neoburgico indies magis suspecto crebris apud exteros negotiationibus, ac nunc nuptiis Bavaricis, ac milite in vicinia clam collecto. Qui & varias jam querimonias miscebat, non obscure minas jactans, ni ad placitum ejusdem istæ emendentur. Neque tamen animus erat Neoburgicum plane hæreditate excludere, sed provincias abolita communione sub unum Principem redigere. Porro consultum fore id negotium suscipere, antequam novus Princeps Dortmundanum & alia pacta confirmarit, ac occasionem rei gerendæ occupare, dum Neoburgicus absens circa nuptias distinetur. Enimvero istæ consultationes in eo demum hærebant, quod rerum omnium est primum, quod ad exequendum idonea facultas deficeret. Neque enim quid copiarum, & quæ alia ejusmodi conatibus necessaria habentur, in promtu erat; & summa spes in Belgarum auxilia vertebatur, qui & jam plane in Brandenburgicas partes propendebant, postquam Neoburgicus Hispanis sese illigasset; sed quos in præsens Reip. suæ rationes vix promti quid consilii capere patiebantur.

Res demum in nervum erumpit.

§. 18. Dum ita incassum apud Electorem consilia exitum non invenientia agitantur, apud Juliacenses provincias res indies magis ægrescere, non obscura amplius Principum dissensione; præsertim postquam Elector defuncto fratre Ernesto filium Georgium Wilhelmum regendis provinciis surrogasset, conciliando civium favori, velut masculum e Clivensi matre hæredem: quem decimum octavum annum haut egressum Neoburgicus palam insultare, ipse pleno jam ætatis robore, & animi corporisque dotibus prævalidus, ac istius mandatum in dubium revocare haut veritus, sibi soli regimen provinciarum competere jactabat. Ac postquam idem novam uxorem adduxisset, in eadem Dusseldorpii aula armatæ utrinque excubiæ statuebantur, & quidam e Brandenburgici familia graviter admodum de compacto sauciabatur. Sed & mox apertius Neoburgici destinata erumpebant, quod cum mense Martio Bruxellas sese iturum vulgasset, pridie quam digressurus esset, munitionem Juliacensem, & cohortem ibi suam inspecturum profiteretur, cui cohorti novos præfectos suspectæ fidei datos intellexerit; qui portam aliquam occupare conati sint. Unde Brandenburgicus amicis primum, inde seriis verbis dehortabatur, ne Juliacum iret, demum interminatus, ni sententiam mutet, Pithano interdicturum, ne eum admittat. Ast cum is nihilominus Juliacum contenderet, Pithanus a Brandenburgico per literas monitus aditum negaret, neque evocatus venire ad eum vellet, irarum plenus iterum abiit. Hisce rebus Brandenburgicus permotus, cum & parum tutus deinceps Dusseldorpii videretur acturus, & tamen se digresso metueret, ne hoc simul atque Juliacum a Neoburgico in potestatem redigeretur; fidum hominem Meursam misit, qui ad securitatem suam milites aliquot e Belgico ibi præsidio postularet. Ibi absente tunc præfecto a senatu militari aliquandiu deliberatum, anxio quid in tali re sine mandato statuendum sibi foret; tandem tamen centum amplius milites cum ductoribus duobus eodestinare placuit. Qui cum mane ex adverso Dusseldorpii advenissent, excitatus a Neoburgicis ingens tumultus, & vocati ad arma cives. Brandenburgicus autem, cognito Neoburgicum post acceptam Juliaci repulsam irato animo Leodium abiisse, nec præterea quidquam tentasse, milites istos eo ipso die in præsidium reverti jussit. Inde Neoburgicus ejusque partes secuti passim vulgavere, Brandenburgicum de occupando Dusseldorpio consilia habuisse, eamque in rem militem istum advocasse. Ast Pithanus arcis Juliacensis præfectus ea rerum difficultate, cum ducentos non amplius milites in præsidio arcis haberet, e quibus centeni singulis Principibus sacramento obstricti erant, consilii incertus, quonam pacto inter hæc dissidia Principum se atque arcem tutam haberet, ad Fœderatos Ordines rerum Statum refert. Quibus cum necessum videretur providere, ne quid in illis partibus respublica detrimenti caperet, certæ fidei virum ocyus mittunt, qui animum illi confirmaret, ac hortaretur commissam semel arcem utrique Principum conservare, ac providere, ne alter ab altero per injuriam opprimatur. Quod si periculum subigat, licere ipsi modo maxime convenienti se munire, non aliter tamen, quam salvo utriusque Principis obsequio. Interim & Ordines blande Principes hortantur, quieti publicæ & mutuæ amicitiæ consulerent, prout tam arcto sanguinis vinculo junctos par sit, ac provinciarum istarum status exigat. Ast Pithanus consilio isto licet accepto diu adhuc quid faceret incertus hærebat. Sed cum Brandenburgicus non amplius tutum sibi Dusseldorpii commorari arbitratus Vesaliam inde Clivos concessisset, Pithanus periculo jam propius admoto e vicino præsidio milites ducentos introducit, seque adversus vim communit. Mox factum ipsum, causasque Principibus nuntiat, affirmans, paratum se stare dato semel sacramento, & in utriusque obsequio perseverare. Nec ægre Brandenburgicus tulit. Ast Neoburgicus vehementer indignari; cujus & ministri palam fremebant, eum biduo tantum prævertisse. Tum & miles ejus insolenter se jactare, ac atrocia minari. Demum Dusseldorpio occupato familiares Brandenburgici arce juxta atque oppido expelluntur, remanentibus delegatis, & consiliariis ejusdem inter multa licet indigna quotidie devoranda. Ea res Pithanum permovit, ut communicato cum reliquis ductoribus consilio, Neoburgici cohortem arce Juliacensi excedere, ac Dusseldorpium ire juberet, iterato nihilominus ad Principes nuntio, se arcemque in obsequio utriusque semper fore.

Mart. 1614.

5. Maij. 1614.

5. Maij. 1614.

Belgæ concordiam instaurare satagunt.

§. 19. Ast Belgæ veriti ne ex istis initiis novi flamma belli surgeret, ad Principes, & eorum consiliarios Dusseldorpii, aut Clivis agentes literas mittunt; enixe petentes, ne quid propter res præteritas temere novarent, utque amicitiam, ac contractus antehac initos servarent. Tum literas ad Reges Galliæ, & Angliæ, Palatinum Electorem, ipsumque Coloniensem dare. Qui pro suo quisque studio responderunt. Sed cum Neoburgicum militi legendo acriter incumbere inciperet, rur-

1611. rursus per literas Principes, & Coloniensem monent; providerent, ne ad arma veniatur: ac delegatos suos Vesaliam ineunte Junio destinarent, ubi ratio ineunda sit, quomodo utrique Principum satisfieri, ac provinciarum tranquillitas servari possit. Neque in speciem res ingrata Coloniensi, ac Principibus fuit. Unde Vesaliæ congressu habito Coloniensis, ac Belgarum legati instare, ut præteritorum sancita oblivione præsentia constituerentur, milesque recens conductus sacramento solveretur, nec deinceps alius scriberetur, neu quid hostile tentaretur. Ac promissum a Belgis, Juliacum utrique Principum servatum iri. Tum Reges Galliæ, Angliæque fidem suam interpposituros. Quin paratos se ferebant Belgæ Juliacum statim tradere, simul, ac de certa custodia inter Principes convenisset. Queis non contenti delegati Neoburgici reponere; minus tutum sine milite Principem suum, & ante omnia Juliacum restituendum. Cumque militum par propositus numerus esset, quo se uterque tueretur, ac Juliaci restitutio iterato promitteretur, ubi inter ipsos convenisset expositis causis cur aliter fieri non posset; isti rem se Principi relaturos, suaque opera promoturos receperunt. Sed reversi in sententia perstiterunt, requirentes, ut negotium in adventum Legatorum Gallicorum & Anglicorum proferatur, de quo Principi nuntiatum sit. Qui tamen nihilominus legere copias, & Dusseldorpium munire pergebat, pecuniam suppeditante Bavaro, Ligæque innexis Principibus, ipsoque Pontifice. Ita sine fructu Vesaliensis conventus fuit. Venere paulo post ab utroque Principe Hagam legati; & a Brandenburgicis quidem contra infesta Neoburgici consilia & opera auxilium petitum. Sed Neoburgici Juliacum reddi, & conventum Vesaliensem instaurari postulabant. Eadem a Coloniensi, & Seniore Palatino missi ingerebant. Belgæ utrique amica omnia respondere: tum paratos se restituendo Juliaco, si inter Principes convenerit. Quin si hisce inter se convenire nequeat, id se facturos, quod Legati Regum Galliæ, Angliæque, Electorumque ac Principum fœderatorum faciendum censuerint. Et cum Belgæ interim, audito Bruxellis omnia armorum paratu strepere, commeatum & alia bello necessaria Juliaco intulissent, legatis Principum declaravere; nihil id de negotii amice componendi voluntate ablaturum. Quin dolere sibi tot ærumnas, quas Principibus, subditisque, & vicinis consilia Neoburgici minentur. Cum responso hoc discessere legati, spe a quibusdam eorum facta, intra mensem se reversuros ad negotium Vesaliense iterandum. Paulo post & e Gallia, & Anglia nuntii adferuntur; eos Reges non tantum rogatu Principum, sed & Hispaniarum Regis & Archiducum extra ordinem Legatos destinasse, qui autoritate sua intercessuri sint, ne quid alicubi hostile abs quoquam tentatur, simul negotio componendo operam navaturi.

§. 20. Ast Hispani dudum invidia ægrescere a Belgis paulatim istarum provinciarum arbitria invadi, ac tanto magis exardescere, postquam Juliacum istos in potestate habere comperissent; quod instaurato post inducias bello ingentia Belgis commoda paria sibi damna allaturum erat. Unde & ipsi unum atque alterum oppidum invadere constituunt, tenendis in æquilibrio partibus, aut mutua restitutione rebus in integrum reponendis. 1651. Ac fremebant militares viri, Hispanicum nomen obsolescere indecoris induciis, ac imminuto exercitu; cujus nunc supplendi, simul autoritatis recuperandæ insignem præberi occasionem languente per intestinos motus Gallia. Igitur trajecta ex Hispaniis magna argenti vi validus exercitus instruitur, cui, ut labente mense Augusto ad trajectum Mosæ recenseretur indictum. 12. Aug. 1614. Commovit ea res Belgas, ut per literas ex Archiduce quærerent, quem iste miles petat? Se quidem circa negotium Juliacense optime velle, idque hactenus gesta satis testari. Quibus responsum: servatas hucusque Archiducibus bona fide inducias esse, quas & deinceps servare sedeat. 8. Aug. Tum ad Juliacense negotium componendum plures, utilesque modos in promtu esse. Venit mox Bruxellis Hagam Coloniensis legatus, qui testabatur; *constare affectum hero suo, & rem tranquillatam cupere: ac promissum ab Archiducibus, non ultra Trajectum ad Mosam ituras copias. Ac Coloniensem atque Archiduces plane probare, ut Juliacum, prout legatis Galliæ & Angliæ visum sit, tradatur in manus Mauritii Hassiæ Landgravii, aut Christiani Anhaltini, aut Philippi Wilhelmi Auriaci; qui parti utrique ex æquo favere debeant, donec aut transactum inter Principes possidentes negotium, aut jure terminatum sit.* 10. Aug. Aderat a Rege Angliæ Henricus Wottonus, qui lente festinandum suadebat; tum missis per nobilem ad Archiduces literis petebat; armis abstinerent, ne quid Regem suum offenderent, neu legationem sibi inutilem redderent. 12. Aug. Cui nil aliud responsum, quam hunc, qui literas attulerit narraturum, quid audiverit ac viderit. Nam eo ipso die Ambrosius Spinola in castra profectus est. Cum interim Maurerius Regis Galliæ legatus, & Wottonus non uno congressu cum Ordinibus Fœderatis, & Coloniensi legato circa componendum negotium satagunt. Ast Hispani ut Belgarum animos averterent, ne mature ipsorum destinatis occurrere possent, Aquisgranum iter intendunt, in quod sententia proscriptionis a Cæsare promulgata erat, executione Ernesto Coloniensi Electori, & Alberto Archiduci commissa. Unde & aquilam insigne Imperii præ se ferebant. Cum ad urbem advenisset Spinola, castra metatus & dispositis opportuno loco machinis, postero die mandatum Cæsaris, ac datam sibi potestatem Senatui, civibusque nuntiari curat, simul deditionem imperat. Illi ad vim propulsandam impares clerum, Nuntiumque Apostolicum, & primarios aliquot cives extra portam mittunt, pro vita ac salute omnium supplices Spinolam precaturi. Mox tradita civitas, & clementiæ Cæsaris permissa; cujus præsidio amoto duodecim cohortes equitum peditumque introductæ, ac ne quis intrare aut exire possit, portæ occlusæ sunt. Dein Senatu Protestantium abrogato Catholicus antea exautoratus restituitur, comprehensique primarii aliquot turbarum autores, militesque, quorum opera Consulum alter per mœnia clam dimissus evaserat. Ordinatis Aquisgrani rebus Durenam versus castra movet Spinola, cives obviam euntes claves oppidi velut Cæsarei exercitus Duci obtulerunt. Interea & Neoburgicus copias

1651. pias suas recensebat; nec minus Brandenburgicus circa militem contrahendum, quo se tueretur, laborabat. Idem ab Electore Palatino factum, qui ad Bilefeldam suos in procinctu esse jussit. Ast Spinola imposito Durenæ præsidio Mulhemum pergit, eoque occupato, ac relictis militibus quingentis, qui vallum dejicerent, Berchemum, Casteram, Grevenbrucam, Orsoium & Duisburgum nullo negotio in potestatem redigit. Inde structo apud Rheinbercam navali ponte, Rhenum transgressus Vesaliam vertit. Urbs ea diuturna licentia Duces Cliviæ protectores magis, quam Principes agnoverat, ac fere ad modum Imperialium civitatum agebat. Quo nomine cum extra partes positam se censeret, oblatum a Belgis præsidium repudiaverat. Quo admisso periculum evasisset, quod Spinolæ stricte injunctum esset, ne in Belgas arma moveret, aut iis ansam præberet abrumpendis induciis. Unde improviso Spinolæ accessu turbati cives, legatos statim, & vini honorarii plaustra duo obviam mittunt, tum de adventu gratulantur, & causam quærunt. Ille respondet; reponendam in eum statum urbem, quo sub Carolo V. fuerit, & præsidium admittendum. Quo ad cives relato, hi inter se conjurant, ad extremum vitæ spiritum pro aris & focis strenue se dimicaturos. Itaque Spinola toto cum exercitu circumfunditur. Ast oppidani initio feroces eruptione facta aliquot ex obsessoribus sternunt; sed pluribus ingruentibus retro cedunt. Spinola vim acriter admovendo, nec minus ample promittendo brevi animos civium labefactabat, aliqui etiam proditionem magistratuum arguebant, ut nulla necessitate subigente ditionem facerent. Leges dictæ sunt: *ut milites mille non amplius reciperent, per hospitia distribuendos, sine ullo civium onere, suo stipendio victuros; excessuros statim atque Belga Juliacum reddiderint. Circa statum civitatis ac sacrorum nulla mutatio fieret: privilegia salva essent. Brandenburgico addictis in urbe quamdiu libitum agere liceret sine noxa. Tormenta & belli adparatum retinerent: præsidiarii una cum armis illæsi abirent: civibus*

1. Sept. *qui velint migrare integrum foret.* Inter ista Brandenburgicus Belgis nuntiat, Aquisgranum & Durenam occupatas, & auxilium promtum rogat. Itaque eo ipso die, quod periculum in mora esset, exercitum Belgæ Gravenwertam ocyus ducen-

6. Sept. dum decernunt cum universo instrumento. Quo cum perventum esset, Mauritius Nassovius oppida multa capta intelligit, & mox etiam de Vesalia dedita nuntiatur. Unde ne longius Spinola progrederetur, postridie Emmericum copias ducit, & præsidium æquis valde conditionibus admittere cogit. Idem mox Reesæ effectum, quæ frustra a Neoburgico & Spinola tentata fuerat. Ita castra ibi metatus præfecto Neomagensi mandat, Gochum, Gennepam & Ravensteinam occuparet, capto contra a Spinola Xanteno.

Xantensis transactio. §. 21. Dum ita certatim aliena oppida hinc Hispani, inde Belgæ captant, nonnulli provinciarum consiliarii de negotio componendo iterum proponunt. Unde Mauritius, & Spinola suos Biselicam mittunt tractatibus suscipiendis. Ubi facile adparebat, Spinolæ nil aliud propositum, quam blandis verbis tempus eximere, nec quidquam ex oppidis occupatis restituere. Nam breves inducias adspernatus si in totum quadriennium ab armis cessari velint, se haut refragari ferebat; interim Belgarum præsidia Juliaci, alibique mansura. 1651.
Interim Hagam Refugius venit a Galliarum Rege extra ordinem legatus; qui una cum Wottono legato Anglico in castra se contulit. Ubi habito cum Principibus exercituumque ducibus consilio placuit Xanteno, medio inter utraque castra situ, præsidium educi, ibique tractationem suscipi. Ubi præter Gallos, Anglosque Legati quoque ab Electoribus Coloniensi, Palatino, simul Archiduce Alberto, Belgisque, ac utroque Principe convenerunt. Negotio suscepto omnibus in confesso erat, originem discordiæ a communione nimium arcta promanasse; eoque novam transactionem meditabantur, qua ditionibus in duas æquales partes divisis sua quisque portione seorsim gauderet, titulo & insignibus in commune manentibus. Ubi duo modi proponebantur; ut unus Principum divisionem faceret, alter optionem haberet; aut ut singulis semestribus divisas provincias alternis possiderent. Circa Juliacum quoque proponebatur, ut vel oppidum versus munitiones arcis dejicerentur, vel Juliacum a Belgis, Vesalia ab Archiduce insideretur, facta utrinque restitutione, ubi inter Principes lis plane composita fuerit. Circa divisionem provinciarum primus modus Neoburgico probabatur, velut expeditissimus, & minimis difficultatibus obnoxius. Sed Brandenburgicus in alternam possessionem inclinabat, adstipulantibus quoque Belgarum legatis, etsi reliquis ea ratio non minus confusionis paritura videretur quam communio. Juliacum munitionibus nudari Galli, Angli, Belgæque cupiebant, ut Hispanis Vesaliæ restituendæ necessitas foret; sed cui Hispani omnibus modis reluctabantur, haut ignari, quanti esset id oppidum in potestate habere, resurgente cum Belgis bello. Mox communi consensu repudiata fuit alternans possessio, ac demum conclusum, ut æquali provinciarum divisione facta sors jaceretur, utri optio concedenda sit. Unam provinciarum partem constituebat Ducatus Clivensis cum Comitatu Marca & Ravensberga, ac dynastia Ravensteina, & quæ in Brabantia & Flandria possessiones essent; alteram Ducatus Juliacensis & Montium cum eorum appendicibus. Capita conventionis hæc erant. *Omnibus locis præsidia deducantur, & nominatim Juliaco ac Vesalia. Neutri Principum integrum sit tertio cuipiam munitum locum tradere, aut citra alterius consensum ei præsidium imponere. Tum singuli ad custodiam corporis non plures quinquagenis equitibus, centenis peditibus alant. Quæ a mense proximo Majo extructa sunt, solo æquentur, ac neutri parti fas sit novas munitiones excitare, quoad primaria causa decisa fuerit. Omnes qui occasione harum turbarum bonis exuti sint, restituantur: si quid novatum fuerit, id aboleatur. Principes diversis locis habitent. Proposita provinciarum divisio citra fraudem Unionis, ac Dortmundani, Halensisque pacti fiat. Juliacum oppidum simplici tantum muro sit munitum; arx solo æquetur. Ea destructio dum fit, oppidum id & arx in Ordinum provincialium manu sit. Partem suam uterque Principum communi nomine administret. Vacantia beneficia alternis mensibus conferantur.*

1651. *tur. Reditus provinciarum post detractas expensas aequaliter dividantur. Quae ante proximum mensem Octobrem alienata fuerint, eorum effectus in suspenso sit usque ad causae primariae decisionem; post Octobrem mensem alienata restituantur. Salva denique sint reservationes, oblationes, cautiones, & alia declarationes per Principes aliis competitoribus facta.* Subscripserant id pactum a Rege Galliae Refugius, & Benjamin Maurerius, a Rege Angliae Henricus Wottonus, & Joannes Dichelsonius; ab Unione Evangelica Joannes Albertus Solmensis Comes, & Benjamin Bœnnigshusius; Belgarum denique nomine Dietericus Bass, Albertus Joachimi, Joannes van Goch, Marcus Lyclama, Borre van Amerongen, Sveder van Harsolte. Quod isthoc pactum velut priorum confirmatio haberetur, eoque ab iis duntaxat subscriptum fuit, qui ad priora operam contulerant: eoque Archiducis, & Coloniensis legati ad subscriptionem haut admissi. Sponsio hoc modo concepta ad Principes mittitur, addita obtestatione, ut tot malis avertendis, quae provinciis immineant, eam admittant; ni fecerint, coepto opere sibi deinceps abstinere decretum, ne qua culpa merito sibi tribui possit. Respondit Brandenburgicus, adquiescere se paratum. Neoburgicus scrupulis prius aliquot motis, tandem ad legatos Regum scribit; laetum sibi, sedula ipsorum opera tandem rem transactam: rogare tamen ut executio inhibeatur, donec ab Electore Brandenburgico, ejusque uxore ratihabitio allata sit, maxime quod ab hac nil mandatorum sit exhibitum. Quod praesidia captis urbibus deducenda attineat, paratum dare obsidem filium, ea lege, ut Mauritius aliquem pari dignatione exhibeat. Id cum legatis minus probaretur, tandem consensum Neoburgicus promisit, & negotium statim effectum habiturum, ubi a matre Electrice Brandenburgicus mandata ostenderit. Quae ubi prolata sunt, in negotii effectum consensit, resque literis, sigillo appenso autoratis, consignata fuit: cui & Ordinum provincialium adprobatio accessit. Conventione ita perfecta, primum, quod executioni dandum, erat exercituum e provinciis deductio; id quod ita faciendum videbatur, ne in futurum similes motus pari praetexto surgerent. Unde inter Spinolam, & Mauritium agi coepit, ut uterque scripto se obligaret de non introducendo in posterum milite, nec ulla harum provinciarum invasione tentanda; cui ratihabitio Regis Hispaniae & Archiducis, atque Belgarum Foederatorum accedere debeat. Sed circa formam ejus pacti dissensio oriebatur, quod Spinola eam declarationem liberam & absolutam vellet, & quae separatam obligationem contineret; cum Mauritius eandem ad pactum Xantense referri vellet, adspernante Spinola, quod legati Archiducis ad istius subscriptionem admissi haut fuissent. Ei dissidio componendo legati frustra insudabant, de industria negotium remorante Spinola, qui & ab initio haut bona fide ad tractationem accesserat; Sed ut negotio in hiemem extracto ipsum anni tempus Mauritio necessitatem imponeret exercitum dissolvendi; cui ipse par non erat, suorum plerisque per praesidia sparsis. Et jam mensis September erat, legatis taedio morarum discessum minantibus, ni conclusio fieret: cum ex Hispania literae ad Archiducem Bruxellas adferuntur, queis stricte jubebat, ne tractatus Xantensis absolvatur, neu Vesalia restituatur, quam Rex suis copiis atque impensis occuparit, sed omnia in praesenti statu relinquantur. Ita negotium circa restitutionem oppidorum infectum mansit, & legati indignati in diversa abiere. Mauritius copias suas in Belgarum fines reduxit. Spinola relictis Vesaliae tribus peditum millibus, trecentis equitibus, caeteros per provincias distribuit, hiemem militari licentia acturos. Paulo ante quam Xantenae pactum perficeretur, a Caesare Matthia missus in castris aderat Comes Hohenzolleranus, impediturus, ne quid in fraudem autoritatis, aut rationum Caesaris concluderetur; ac ut provinciae controversae in sequestrum mitterentur, quoad causa primaria decisa fuerit: tum ne quid inter Brandenburgicum & Palatinum conveniret in praejudicium Domus Saxonicae. Sed quidquid is contra niteretur, conventio conclusa fuit. Eam ut Hispaniae quoque Rex probaret Archidux enixe institerat; qui & demum hactenus assensit, ut eadem executioni daretur, ac Vesalia cum aliis locis restitueretur, si Belgae idem facerent, praestita cautione deinceps eas provincias ab ipsis haut invadendas. Neoburgicus, qui Bruxellas se contulerat, ut pro auxilio praestito gratias ageret, id negotium, quantum se spectaret, in arbitrium Archiducis conferebat, Hohenzolleranum tamen, qui & ipse Bruxellas delatus urgebat, ut decisionem Caesaris placito committeret, Saxonesque in possessionem excludendo facilius Brandenburgico simul admitteret, variis propositis conditionibus eludebat, queis sibi caveri volebat, ne a praesenti rerum conditione ad incertas spes propelleretur. Coepit inde Archidux cum Belgis agere super cautione, ne deinceps copiae provinciis controversis quocunque praetexto immitterentur; circa cujus conventionis formulam adornandam multum temporis consumtum, Belgis eam ad pactum Xantense velut ejus appendicem referri cupientibus, Archiduce ob rationem supra adductam id abnuente. Volebant quoque Belgae, id promissum dirigi ad Reges Galliae & Angliae velut pacti Xantensis conciliatores, Hohenzollerano contra contendente, ut idem primo loco ad Imperatorem referretur. Inter istas disceptationes, dum utraque pars sententiae suae praefracte inhaeret, negotiatio expiravit, Hispanis interim Belgisque occupata loca insidere pergentibus, queis Principes obnoxii precario fere regimine agebant, illustri documento, quam periculosum debilioribus sit, potentiores in auxilium vocare. Belgae tamen pactum Xantense confirmabant, idque praestandum recipiebant, testati loca occupata in fraudem Principum a se haut detentum iri. Quo praetexto subinde earum provinciarum negotiis sese ingerebant, id cumprimis operam dantes, ne circa sacra a Neoburgico quid novaretur.

12. Nov. 1614. *9. Nov.* *14. Dec. 1614.*

§. 22. Inter ambigua ista complures anni elabebantur, & surgente in Germania gravissimo bello decisionem judicis expectare longum erat, cujus non parum suspecti arbitrio partes tam potentes haut temere subjecturae se erant, executione quoque sententiae adversus eosdem admodum difficili. Unde provinciales Ordines, in quos ejus confusionis incommoda maxime redundabant, utrum-

Pactum Dusseldorpense primum.

1651. utrumque Principem precibus demum permovebant, ut postquam vis tam infeliciter cecidisset, rem temporaria transactione tantisper componerent. Eo fine Schvvartzenbergius Comes ab Electore mandatis instructus Dusseldorpium se confert. Ubi pactum conditur, neutrius Principis prætensioni in universam hæreditatem porrectæ fraudi futurum. *11. Maji. 1624.* Ejus summa capita hæc erant; *Circa sacra provinciarum pactis dotalibus Borussicis staretur. Quo Cæsari debitus honos exhibeatur, junctim hujus pacti confirmationem, ac investituram simul petendam. Nec minus Hispanos, & Belgas simul Gallos, & Anglos requirendos, ut hanc conventionem tueantur. Tum operam dandam, ut provinciæ oneribus militis extranei juxta propriique leventur. Præterita oblivione sepelienda, & in futurum concordiam colendam. Si quid deinceps diffidii oriatur, id non vi, sed amica ratione componendum. Quoties ex alterutra parte casus mortis evenerit, is superstiti intra tres menses significandus, ut aliquem constituere possit homagio interfuturum, ac disponendo in futurum regimini. Utraque pars plenum titulum & insignia harum provinciarum gerat. Cliviæ Ducatum ita dividendum, ut penes Electorem maneat pars infra Iselburgum & Winnchendoncum sita. Sed ambo hæc loca, & quidquid superius situm Neoburgici sit, feudis eandem divisionem secuturis. Electoris insuper fore Comitatum Marcæ, & Ravensbergæ cum præfectura Windecca in Ducatu Montium sita: Neoburgici præter dictam partem Cliviæ, Juliaci ac Montium Ducatuum cum dynastia Ravensteina.* Circa successionem designatio fiebat admodum quidem inusitata, & ad masculos restricta, cum Principes possessores jure fœminarum niterentur. *Si Elector ejusque mascula linea sit extincta, Comitatum Marcæ ad Georgii Wilhelmi fratrem Joachimum Sigismundum, ejusque masculos descendentes devolvendum, dimidio Ducatus Cliviæ, & Ravensberga ad Neoburgicum redituro. Ubi Joachimi Sigismundi linea mascula itidem expiraverit, Comitatum Marcæ ad Saxones iturum ea lege, si antequam casus contingat, hanc transactionem probaverint. Si recusent, eum Comitatum Wolfgango Wilhelmo Palatino, ejusque prosapiæ masculæ tribuendum. Hac quoque sublata Ducatum Montium, & dimidium Cliviæ ad Electorem rediturum. Sed ad Ducatum Juliacensem Palatinum Augustum, ejusque masculos descendentes, aut his non extantibus Palatini Joannis Friderici masculam prosapiam, aut utriusque horum linea deficiente Georgii Wilhelmi, aut ejus fratris Joachimi Sigismundi stirpem vocandam. Sed qui hoc modo Juliacensi Ducatu potitus sit Marchio, partem Ducatus Cliviæ, aut alterutrum Comitatuum, optione penes ipsum manente, vetustissimo juxta primogenituræ lineam hæredi e Bipontinis tradat, siquidem hi ante eum casum isthanc transactionem ratam habuerit. Si alterutri Principum vendere quid atque alienare placeat, alteri Principi prius id offerendum. Apud Hispanos & Belgas instandum, ut illi præsidium Vesalia, Orsoia, & Gocha, hi Reesa, Emmerico & Ravensteina deducant. Sed si una pars id recuset, alteri quoque præsidia ista retinere integrum sit, illæsis juribus atque reditibus Principum, & ut ipsi ex iis locis hostilia invicem ne intentent, aut saltem provinciales a belli molestiis immunes patiantur. Adversus reliquos competitores utrique junctis sese viribus tueantur. Si cujus actio redimenda sit, æquales utroque partes conferantur. Novas munitiones præsertim in finibus, suspicionem irritare aptas, neutri parti extruere liceat. Ubi Belgii Princeps, & Fœderati Ordines hanc transactionem probarint, ab utroque Principe eandem jurejurando firmandam.* *1651.* Enimvero & hoc pactum effectu caruit, quod Cliviæ Ordines id improbarent, provinciæ suæ divisionem haut ferentes.

§. 23. Aliquot post annos Princeps Arausionensis compositionem tentabat, ex qua Electori Clivia, Marca, Ravensberga & Ravensteina, Neoburgico Juliaci & Montium Ducatus cedere debebat cum bonis in Brabantia & Flandria sitis. *Alterum pactum Dusseldorpien. 1628.* Sed eam conventionem turbavit Schvvartzenbergius Comes, tunc nomine Electoris Clivensis ditionis Gubernator; qui sequenti anno aliud pactum Dusseldorpii iniit, in annos viginti valiturum, ni interim causa per transactionem, aut judiciali sententia penitus componatur. *9. Mart. 1629.* Per id Electori cedebat Clivia, & Marca, Neoburgico Juliacum, Montes, & Ravensteina cum bonis Brabanticis & Flandricis, & actionibus in omnia bona ab his ditionibus alienata, quas Joannes Wilhelmus Dux habuerit. Ravensberga in communione manebat. Simul Neoburgico optio relinquebatur, intra annum Cliviam, an Montes eligere vellet. Qui & cum sequenti anno Cliviam optaret, Belgæ obstitere, qui Neoburgicum ea parte vicinum habere nolebant. *26. Aug. 1630.* Quibus intervenientibus effectum fuit, ut Neoburgicus Montium Ducatu adquiesceret. Additum erat, ut quia in eo pacto Neoburgici conditio multis modis potior erat, hic intra triennium Electori centum sexaginta septem uncialium millia numeraret. Eo contractu mala fide Schvvartzenbergium egisse, ac Electorem enormiter læsisse Fridericus Wilhelmus post graviter questus est.

§. 24. Cæterum cum ne postremum quidem pactum a Neoburgico per omnia impletum foret, Fridericus Wilhelmus Elector e Borussia tunc in Cliviam delatus Cunradum Borgstorfium ad Neoburgicum ablegabat, qui avertendis turbis, quæ tunc intempestive admodum oriri possent, ita transegit; ut Elector superiore pacto adquiesceret, modo Neoburgicus ex sua parte istius legibus plene satisfaceret. *Tertium pactum Dusseldorpien. 1647.* Vicissim Neoburgicus Electori Ravensteinam dynastiam cedebat. Comitatus Ravensbergicus hucusque pro indiviso possessus ita dividebatur, ut Electori præfectura Sparenberga & Vlota, Neoburgico Ravensberga & Limburgum tribueretur, sublata communione. Post tamen Elector cum Philippo Wilhelmo Palatini filio ita transegit, ut receptis duabus præfecturis Ravensbergicis, a patre Wolfgango Wilhelmo ipsi cessis, isti Ravensteinam traderet, persvasis Belgis, ut suum inde præsidium amoverent. Super directorio Circuli Westphalici tunc quoque conventum, ut id ab utroque junctim alternis diebus gereretur. Declarabat quoque Elector, se nolle teneri conventione, quam Neoburgicus super jurisdictione Ecclesiastica cum Coloniensi Præsule inierat. Quia etiam super novationibus circa sacra multæ querimoniæ hinc inde motæ fuerant; placuit delegatos utrinque constitui, qui omnes querelas excuterent, & tem- *8. Apri. 1647.*

pla

1651. pla erepta illis restituerent, qui eadem anno 1609. habuerint; exercitium autem sacrorum tam publicum quam privatum constituerent, prout quavis anni 1612. parte fuerit; idque in proximum decennium valiturum esset. Sed & Belgæ Fœderati, qui e præstatione pacti Xantensis defensionem sacrorum in hisce provinciis sibi vindicabant, nonnullos Romano ritu sacerdotes importunius in Evangelicos sævientes e Juliacensi ac Montensi ditione abreptos Rheinbercæ, & Orsoiæ jam ab anno 1643. in custodia detinuerant. Isti nunc intercedente Electore libertati restituebantur, ea lege ut deinceps sacris Evangelicis addictos turbare, ac persequi omitterent.

Inter Electorem & Neoburgicum ad arma devenitur.

§. 25. Enimvero uti Neoburgicus circa reliquas conventiones sat lubricum se gesserat: ita id nunquam a se impetrare potuerat, quo minus Protestantes, quorum sexaginta amplius millia in ipsius ditionibus habitabant, variis modis vexaret, sævo hominum Romanis ritibus addictorum more, illos hostili odio premere, qui diversa placita circa cultum Numinis sectantur. Istam persequendi libidinem etsi Belgæ subinde refrigeratum irent, male habitis quodam talionis jure Romanis sacerdotibus; Electori tamen non modico præjudicio cedere videbatur, si cives sui apud exteros prædium quærerent. Igitur demum & ipse Protestantium per Juliacensem & Montensem Ducatum tutelam suscipere instituit; in quos per pacta jus ipsi integrum hactenus reservatum fuerat. Quanquam enim divina scita religionem vi propagari haut permittant; eadem tamen non prohibent, quo minus vis injusta eo nomine intentata propulsetur saltem per eos, quos ad suscipiendam aliorum protectionem idoneæ rationes subigunt. Sed & constabat Neoburgicum circa delectus agendos satagere, & apud alios circa submittendum sibi militem instare, ut non obscure invasionem aliquam Elector metueret. Cui antevertendæ, ut aliquando istas Protestantium vexationes sisteret, simul ad servanda pacta Neoburgicum adduceret, post consumta incassum monita vim demum adhibere instituit. Et suadebant aliqui, ut repentino assultu Palatinum Dusseldorpii opprimeret. Sed cum id nimis invidiosum haberetur, satius visum Sparrium cum valida manu Montium Ducatui immittere, qui Angermundam arcem quinquaginta pedibus insessam admotis machinis, inde & Ratingam cum vicina arce in potestatem redigit. Hinc munitis ad Angerortam castris considens emissis late catervis ditionem Montensem tributis subjiciebat, prout eos conatus ab aliis acceptari sentiret vel ulterius persecuturus, vel mature repressurus.

...blica ...ctoris ...lara- ... Jun. ...651.

§. 26. Mox & publicato edicto Ordinibus Juliacensibus & Montensibus denuntiat: *ut ipsorum jura tueatur, & repressis Neoburgici continuis oppressionibus in quietum eosdem statum reponat, necessitatem sibi impositam unum & alterum locum in potestatem redigendi. Ex quo ne sinistri quid suspicentur, cum nil aliud sibi cordi sit, quam datam ipsis cautionem fartam tectam præstare, & contra quid molientibus summa vi resistere; tum quæ contra facta sint corrigere, ac pacta inter Principes & Ordines provinciales inita servare.* 1651. *Inde monet, ne deinceps ulla tributa Neoburgico exsolvant, nec auxilii quid præstent, sed sibi soli adhæreant; si contra fecerint, rebellium loco habendos.* Aliud dein scriptum publicat, quo rationes horum conatuum latius exponuntur. *Scilicet postquam ab avo suo, & Neoburgico harum ditionum possessio sit adprehensa, cum Ordinibus provincialibus inter alia conventum, ut non minus Catholica, quam Protestantium sacra, prout quolibet loco in præsens recepta sint, deinceps quoque serventur, neu cujusquam conscientia, aut cultus publicus turbetur. Quæ pacta* 14. Jun. *Neoburgicum, postquam ipse ad Romanos ritus transiit,* 1614. *sancte se observaturum, ac contra facientes pro virili repressurum publico scripto testatus sit: quod promissum eodem anno pactis Xantensibus iteratum sit. Ast istum deinceps fidei datæ immemorem Evangelicos cives acerrime persecutum, publico & privato sacrorum exercitio gravi sub pœna prohibito, expulsis concionatoribus, ablatis templis, & reditibus. Tum plurimos ob baptismum, matrimonii consecrationem, auditos sacros sermones gravi mulcta emunxisse, aut terris carceribus inclusisse, in multis urbibus jus civitatis aut habitationis abnegasse, muneribus publicis arcuisse, avitis sepulcris exclusisse, aut ad ea argento redimenda compulisse, alicubi mortuos sepulcris erui, & alio loco defodi jussisse. Alibi edictum, ut ambulante processione isti vias gramine sternerent, ac cum armis adsisterent, ad panem mysticum in genua provoluti, ni fustibus prosterni vellent. Denique & solitum illi, Protestantes cives præ Catholicis militum hospitiis, & aliis oneribus opprimere. Isti malis per iterata toties pacta frustra remedium quæsitum eluso etiam ante triennium delegatorum congressu, queis excussis singulorum querelis res ad leges publicæ cautionis ordinare injunctum erat. Et* 1648. *ne color deesset jactatum; sacra non ad normam peculiarium cum provinciis pactorum, sed ex Pace Westphalica ad statum anni vicesimi quarti componenda. Cum tamen querelæ circa sacra in Juliacensi ditione nunquam ad communia Imperii gravamina spectarint, nec bello Germanico causam præbuerint, eoque nec per communem super Gravaminibus Imperii dispositionem tolli potuerint. Sed nec Palatinum ea pace contentum fuisse, aut eam subscripsisse, sed in uno & altero eidem contradixisse sic ut ex actu a semet oppugnato commodum trahere nequeat. Quin postrema conventione probasse, ut res ad annum hujus seculi duodecimum reducatur, cum jam sex ante menses Osnabrugæ de anno vicesimo quarto decretum esset. Ad quem annum cum tunc Neoburgicus Juliacense quoque negotium reduci vellet, nostris contradicentibus aliter conclusum, ipso post agnoscente ac probante. Sed & quia pactum istud non de sacris solum, sed & aliis magni momenti negotiis, disponit, penes Palatinum non esse, in quibusdam capitibus eo stare, cætera negligere. Denique totam causam Juliacensem Instrumento Pacis seclusam ad peculiares tractatus sepositam fuisse; prout & Legati Cæsarei Osnabrugæ declararint, circa sacra temporario pacto inhærendum. Un-* 7. Mart. *de ferri non posse, Palatinum nuper edicto Dusseldorpii impresso omnes conventiones circa sacra irritas ausum declarare, quæ usui anni vicesimi quarti repugnent; quem ipsum tamen annum dicis duntaxat causa jactet, cum Protestantes plane extirpare eidem maxime in votis sit.*

1651. *fit. Cum igitur Palatinus cautionem ab utroque Principe Ordinibus datam infringere, ac partem postremi pacti propria ex libidine abolere ausus sit; se quoque non amplius eodem teneri posse; præsertim cum ultra dimidium læsus sit, ac Palatinus ex quo tempore in possessionem harum provinciarum irrepsit, immensa tributorum vi easdem plane exhauserit. Unde necessitatem sibi impositam conservando suo juri, & ad rationem Palatino reddendo, tum tuendis civium privilegiis, aut ut injustæ oppressiones sistantur, unum & alterum locum in potestatem redigendi. Quod institutum Cæsari aliisque Principibus probatum iri confidat.*

Motus animorum super isto negotio. §. 27. Enimvero ea res omnium vicinorum animos haut modica solicitudine implevit, ne flamma belli per Germaniam vix extincta denuo surgeret, Neoburgico quoque atrocibus querimoniis in aula Cæsaris, ac alibi differente, velut media pace citra denuntiationem vi armisque oppressus foret. Cumprimis Cæsar, qui rationibus suis novum bellum quam maxime adversum ducebat, ea re non parum commotus fuit, quod allato Electoris edicto longe graviora, quam jactabantur, suspectaret, quasi tacita Evangelicorum conspiratione omnes Catholici peterentur. Unde & apud Biœrnclovium anxie inquirebatur, num Svecia forte sub isto negotio latitaret. Qui cum id constanter negaret, Cæsarei eum monebant; esse quod Sveci sibi caveant, quod lite hac brevi composita Elector auxilio Belgarum, aut Polonorum, quamprimum hi cum Cosaccis transegerint, aliquid in ipsos tentaturus videatur. Ac ipse Biœrnclovius passim circumiens id factum sinistra admodum interpretatione exagitare: adversa id fronte paci repugnare, nec Cæsari ferendum quietem publicam tam audacter temerari. Sed & Wilhelmus Ego Furstenbergius, cujus sororem senior Palatinus in matrimonio habebat, Viennæ ingenti cum invidia jactabat; Palatinum ex improviso oppressum, ac ditionibus exuendum; cui milite & pecunia subveniendum sit. Cum Electore ex legibus Imperii agendum, nec ei investituram de Halberstadio & Minda conferendam, antequam Palatino satisfactum sit. Sine dubio his initiis gradum ad majora strui. Si is modus probetur, nemini securitatem a vicino canstare. Coloniensis quoque Moguntino scripserat, sub hoc negotio Galliam, Sveciam, Belgasque latitare. Cæsar igitur pacis in Germania servandæ cupidissimus, quo ditiones suas diuturno bello afflictas recrearet, ac filio rempublicam bene dispositam

Cæsar a bello dehortatur. traderet, autoritatem suam, priusquam incendium latius serperet, interponendam ratus literas ad Electorem dat, quibus omnem vim inhiberi

3. Jul. monet. Simul avocatoria jam edicta cudebantur, queis Electoris miles in Neoburgicum rem

25. Jul. gerere vetabatur. Ad Cæsaris literas ab Electore responsum: *Ut istbac susciperet compulsum se querelis Juliacensium; & quia Neoburgicus magno studio arma paret, ac aliorum auxilia excitet, valida Lotharingicorum militum manu jam evocata. Eundem quoque non amplius teneri velle cautione provincialibus data; quo tamen eo magis stringatur, quod is ab avo suo, qui primus omnium vacuam possessionem adprehenderit, in communionem, salvo potiore Domus Brandenburgicæ jure, precario receptus fuerit. Quam iste post variis modis violarit, ac mox auxilio Hispanorum* *1651.*
eundem plane istis ditionibus expellere instituerit, multa *1614.*
deinceps præter fas sibi arrogans, nunquam pactis exacte impletis. Commissionem Cæsaream ordinandis rebus Ecclesiasticis probari a se non potuisse, velut Statui sacrorum, qui anno vicesimo quarto fuerit, superstructam. De cætero placere sibi causam successionis juxta dispositionem Pacis Westphalicæ expediri; interim se conservaturum, quæ jure sibi competant, ac rogare, ut Cæsar suam possessionem, qua Neoburgicus ipsum exuere laboret, tueatur.

§. 28. Ne autem Cæsar adversæ partis querelis, ac suggestionibus in transversum ageretur, Elector Joachimum Fridericum Blumenthalium Viennam ablegat, ut Cæsarem plenius de causis horum motuum edoceat, & quam iniquum Neoburgicum semper ipse, parensque expertus fuerit. *Elector legatum Viennam mittit.* Qui & cum Lotharingo, ac Monasteriensi, præsule secreta commercia misceat, ut Electore in Borussiam digresso provincias istas sibi soli rapiat. Ac prænuntias jam literas mitti asperis exprobrationibus refertas; minasque jactari a filio, Electorem ne latum quidem pedem Clivicæ terræ retenturum, nec veritum isti pecuniæ summam offerre cedendo suo in has provincias juri. Ista igitur destinata sibi fuisse antevertenda; nec id sacris Romanis fraudi fore. Quin ni ipse huc descendisset, Catholicos a Belgis easdem molestias fuisse sensuros. Frustra quoque timeri, ne id negotium latius sese diffundat. Id enim neminem alium tangere, ac Electorem copiis suis nemini molestum fore, nisi quis ultro lacessat; modo Cæsar vicinos moneat, ut se solum cum Neoburgico cernere patiantur. Super repudiata autem ab Electore Cæsarea Commissione, in Augustum Brunsvicensium Ducem, & Præsulem Monasteriensem collatam, legatus demonstrare jubebatur, eam a Palatino in fraudem Electoris inauditi per obreptionem obtentam, dissimulato, controversias circa sacra in provinciis Juliacensibus non ad normam pacis Westphalicæ, sed peculiaribus ex pactis componendas. Unde istum hanc agnoscere haut potuisse, ne Palatino ansam ad subvertenda ea pacta præberet. Ac sane cum Osnabrugæ super gravaminibus prius conventum fuerit, quam inter Electorem & Neoburgicum pactum iniretur, per rerum naturam posteriori pacto per prius derogari non posse. Atque eandem sibi mentem constare aliquamdiu ipsum Neoburgicum ostendisse, donec cum Elector sinistras ejusdem interpretationes admittere nollet, hic velut temperamentum proposuerit, ut Instrumentum Pacis pro norma heic haberetur. Id cum Elector velut multis Evangelicorum ecclesiis fraudi cessurum repudiasset, Neoburgicum spreta ratione velut pro imperio istud obtrudere ausum.

§. 29. Enimvero Viennæ haut dissimulabatur offensa in Electorem, quod pacem tam recentem turbatum ire videretur. *Cæsar res utique componi cupit.* Ac jam Judicium Aulicum censebat, vicinos Principes ad ferendum Neoburgico auxilium esse excitandos. Catholici quoque in universum postrema edicti verba, quo Elector Palatinum pro possessore provinciæ agnosci vetuerat, ita interpretabantur, quasi Romana

[1651.] na sacra peterentur; eoque velut sacro bello indicto ab omnibus Catholicis hanc litem communem faciendam. Hispani quoque hoc audito motu circa reddendam Franckendaliam hærebant. Subsedere tamen brevi tumentes animi post factam a Blumenthalio demonstrationem, ac facile adparebat ultra verba, ac minas Cæsarem haut prosessurum [sic]. Unde & cum Furstenbergius peteret, ut quatuor militum millia, quæ a Cæsare in Belgium destinabantur, Palatino concederentur, Cæsar æque atque Hispani id abnuerunt, multum imminuta cura, postquam intellectum foret, Svecos, Belgas, Brunsvicenses, aut Hassos extra consortium ejus negotii esse. Urgente tamen Neoburgico, ut Cæsar id sibi factum displicere significaret, [5. Jul.] responsum Blumenthalio propere datum: *rationes ab ipso allatas haut sufficientes videri huic facto defendendo; eoque sui muneris duxisse Electorem monere, ut hostilibus desistat; quem ad omnia æqua promtum se declarare gratum sibi sit, nec diversum Palatino animum esse. Ac eo fine delegatos a se datos, ut omnia amice componantur.* Venere mox aliæ a Cæsare literæ, quibus ostendebatur; *ut maxime ita se habeant,* [14. Jul.] *quæ Neoburgico objiciantur, hunc tamen vi rem haut egisse; ac cives Juliacenses ista spectare, quorum causam Elector suam facere, aut armis vindicare nequeat. Ac si utique Ordinibus provincialibus injuria facta sit, apud se præsidium ipsis fuisse, quo fine & Commissarios a se constitutos. Quæ Elector de machinationibus Palatini arguat, conjecturis niti, circa res nondum in actum deductas. Sane amotos a Palatino quosdam sacerdotes ob ambiguum cautionis publicæ sensum; sed ob eam causam non statim ad arma fuisse eundum, cum subsidium juris in promtu foret. Igitur denuo monere, ut vis amoveatur, ne sibi ad remedia Instrumento Pacis præscripta descendendum sit.*

[*Elector in composi- tionem proclivis est.*] §. 30. Permovebant ista Electorem, ut voluntate Cæsaris præfracte renitendum haut duceret; præsertim cum universorum Romanos ritus sectantium favor in Neoburgicum propenderet, qui omnem invidiam in Electorem derivaturi erant, si hoc initio novi belli flamma latius diffunderetur. Ac suspectum quam maxime Cæsari visum fuerat, quod Elector per Blumenthalium cœpta sua duntaxat excusaret, non simul & declararet, quem ad finem ista porrigantur. Sed & consulti a Cæsare Moguntinus, Coloniensis, & Bavarus responderant; periculosam hanc rem esse, & ex qua atrociore quam nuper bello Germania involvi queat. Unde Cæsari prospiciendum, ut malum in herba opprimatur, antequam extranei se ingerant, qui haut cessaturi sint e turbis Germaniæ commodum suum aucupari. Saxo sententiam dicere abnuerat, velut quem causa Juliacensis tangeret; testatus tamen, extra conscientiam se negotii esse, ac Brandenburgici consilia valde mirari. Palatinus Elector sententiam rogatus non fuerat, quod investituram nondum accepisset. Altius quoque penetrabant a Biœrnclovio Viennæ jactata: *Pacem haut dubie abruptam; ac si talia impune fieri queant, præstitisse a Svecis arma haut fuisse posita. Ac si Cæsar gravius quid in Electorem statuere velit, Svecos paratos fore exsecutioni faciendæ. Sane habere Svecos, quod sibi ab Electore caveant.* Accedebat impatientia provincialium, qui jam non obscure fremebant; alium sibi protectorem circumspiciendum, ni protinus dissidium componatur suo exitio continuandum. [1651.] Inprimis Belgæ arma Electoris suspectabant, ne quid in favorem domus Arausionensis tunc morte Principis haut parum depressæ tentaret: ac forte Polonus in gratiam affinis Neoburgici Borussiam invasurus erat. Et quoscunque Principes super hoc negotio Elector consuluisset, omnes properam transactionem suadebant, antequam plurium accessione bellum se diffudisset. Et si jam novam ad transactionem super his provinciis accedendum forent, triginta amplius Principes erant, qui actionem in eas moturi. Ac spem faciebat Cæsar, modo Elector negotio composito ista ipsum cura exsolveret, circa causam Pomeraniam ei quantum possit favoris exhibiturum. Nam multis licet asperiora ingerentibus in placidiora idem propendebat, postquam Blumenthalius confirmasset, Electori hautquidquam propositum pluribus in partes pertractis bellum serere, ac literis Cæsaris obtemperare paratum, modo Neoburgicus parem voluntatem exhibeat. Sed Cæsar citra conditionem voluntati suæ obtemperari volebat. Simul Melchiorem Hazfeldium, veteranum Ducem cum secretis mandatis in Westphaliam mittebat, ut amicam transactionem tentaret; aut si hæc respueretur, collato cum vicinis Præsulibus consilio copias cogeret, incendio quamprimum restinguendo. His causis motus Elector ad [11. Aug.] Cæsaris literas respondebat; *Sat causarum se attulisse, queis speret quibusvis conatus se suos adprobaturum. Ne tamen Cæsari displiceat, cordi esse negotium amica ratione componere. Unde oblatam a Belgis velut priorum pactorum sponsoribus interpositionem acceptasse, quod & Neoburgicus fecerit. Jam quoque aliquamdiu hostilia omisisse, quæ iste exercere pergat. Si itaque hunc Cæsar ad amica admittenda hortari velit, in se paci moram non fore.* Addiderat Elector literas propria manu scriptas sensu valde modesto, quæ Cæsari admodum arriserant.

§. 31. Cæterum initio statim turbarum Leopoldus Wilhelmus Archidux, Belgii Hispanici tunc Gubernator, iis componendis operam suam obtulerat, misso Ribaucurtio Barone. [*Archiducis officium declinatur. Ribauc.*] Sed quam Elector, Bruxellis nihil æqui expectans, multo cum verborum honore declinabat, excusans sibi velut per injuriam provocato ignominiosum fore in tractatus consentire, cum adversa pars summa vi arma paret. Ac se propediem missurum, qui Archiducem de tota causa plene edoceat. Interim se nihil in fraudem Hispaniæ, aut vicinorum suscepturum: ac vicissim sperare, Archiducem adversæ parti nil auxilii præstiturum; nec aliter se toto imperii sui tempore de Hispanis meritum. In eundem sensum Petro Buschmanno responsum, quem Coloniensis cum hortamentis pacis ad Electorem miserat. Ast Neoburgicus subigente vindictæ libidine, & quia plures partibus suis proniores sperabat, ad Belgas Fœderatos obiter querimonias suas detulerat. Sed præsentius subsidium in Lotharingicis copiis visum, quamlibet prædandi occasionem arripere avidis. Eas Carolus Dux per Rheingravium Electori auxilio simul paci conciliandæ operam obtu-

1651. 1. Jul. obtulerat. Cui hic pro isthoc officio gratias egerat, ut tamen id secreto haberetur petens, ne Palatinus ansam arripiat exclamandi, a se alimenta bello longius spargendo quæri: tum ut is animus persisteret petebat. Ast dicto citius aliquot Lotharingicæ legiones Neoburgico in auxilium accedebant, manifesto indicio, istum Electori non nisi illudere voluisse. *Lotharingus huic negotio sese immiscet.* Qui & jam antea infensa meditari visus fuerat, ingrati flagitio Clivensibus Ordinibus exprobrato, quod cum ipse in Electoris honorem provinciæ isti pepercisset, nullo vicissim munere ab istis mactus fuerit. *14. Jul. Mart.* Et maluerat Elector objecta offa eum delinitum fuisse. Ejusdem igitur copiæ Marcanum Comitatum ingressæ omni licentiæ & immanitatis genere grassabantur, Neoburgico excusante, sibi oppresso auxilia undecunque petenda fuisse. Ast Cliviæ & Marcæ Ordines apud Belgas Fœderatos instabant, ut hi conciliando Electore & Palatino operam navare velint, simul Hispanos & Lotharingum dehortari, ne huic liti se immisceant; quo ipsorum quoque reip. interfit quietem hisce provinciis constare. *Belgæ sequestres se offerunt.* Belgæ in eam rem proni, cum Elector Hagam excurrens per Sverinum, Diestium, Weimannum, & Copesium super causis instituti sui horum Deputatis exposuisset, sequestres se offerebant. *Diest. Copes.* Qui eam operam a se haut repudiari ferebat, ubi Palatinus mentem suam prius declaraverit; qui alias cavillaturus sit, Electorem velut causæ & viribus suis diffisum eandem ambiisse. De cætero Belgæ eousque ab alendo bello abhorrebant, ut ne vasallis quidem Electoris, qui sub ipsis munia militaria gerebant, permittere vellent saltem aliquot per menses operam isti navare, ni penitus militiam suam abdicare vellent. Unde & Elector non ultra quatriduum Hagæ moratus Clivos revertit, multis ista arma suspectantibus, velut ad premendam factionem Arausionensi Domui adversam parata. Quin cum Elector ostenderet, Vesaliam se concessurum, quod Clivis non satis tutus agere videretur, Belgæ præfecto sui præsidii mandaverant, probe introeuntes observaret, ne forte urbs repentino impetu ab Electore occupetur.

Belgæ se interponunt. §. 32. Quanquam autem Elector Belgarum interpositionem non adeo festinari vellet; tam quia Palatinus quoque in eam consenserat, ac istos magno studio ab ipso instituti delectus, & missus Bruxellas Joannes Mauritius Nassovius magna suspicione perstringebant, iter accelerare jubebantur Joannes Gentius, Jacobus Wassenarius, Antonius Carolus Parmentierus, & Joannes Beeckius; *van der Beecke.* nulla in alterutram partem ostensa inclinatione. His, cum Clivis causam adventus sui exposuissent, Elector de studio suo in pacem Germaniæ tanta sua jactura redemtæ, tum de causis, quibus ad id consilii capessendum impulsus fuerit, demonstravit; addito, ab armis ponendis se haut alienum, si quæ a Palatino adversus pacta sint patrata emendentur, sibique satisfiat. Super admittendo ipsorum officio par esse, ut Palatinus mentem suam prius declaret, quam ipse salva existimatione id acceptare queat. Nam neque literas ab isto Hagam missas, neque Legati ejusdem dicta ejus rei sufficientem fidem facere; neque verosimile videri ab eodem Belgarum operam acceptatam, exclusis Hispanis, & aliis, qui & sibi honestis conditionibus sequestres sese obtulerint. Profecti inde Dusseldorpium Legati eadem apud Neoburgicum exposuerunt; qui animo commotior non prius ad tractatum sese descensurum jactabat, quam Elector suas copias e Montensi provincia deduxerit, damnumque datum reparaverit. Quo facto sese ipsorum officium admissurum, adjuncta Cæsaris, Hispani, atque Imperii Ordinum opera. Belgæ contra id negotium ad se solos pertinere contendebant, velut pacti Xantensis sponsores; in cujus partem minime omnium Hispani admitti queant, qui & nunquam id postulaverint. Post aliquam disceptationem demum Palatinus declarabat; sibi placere legatos conciliandis partibus operam in vicino quopiam loco quamprimum suscipere. Sed quia alii quoque Principes hanc in rem officium suum obtulerint, quod & ipse acceptarit, haut ingratum fore Belgis istos quoque admitti, qui sine offensa rejici nequeant. Hoc cum responso reversis Clivos legatis Elector quoque declarabat: *ipsorum officium a se admitti, ac confidere, eos commoda sua, & quietem Ecclesiarum in Juliacensi & Montium provincia cordi fore, quo & sibi satisfiat, & ista in statum, quem publica cautio exigit, reponantur.* Ob quæ verba adjecta Palatinus negabat sese Electoris declaratione posse adquiescere, utut legati demonstrarent; *ea conditionem in se haut habere, sed tantum petiti instar, ad quod implendum ipsi non teneantur.* 18. Jul. Ne tamen negotium ad hoc adhæresceret, Legati obtinuerunt, ut Elector simplicem declarationem ederet, istis verbis omissis. Ac sane adparebat a Palatino Belgas Sequestres admissos, non quia placebant, sed quia citra offensam rejici non poterant. Unde & mox iis significabat; a Cæsare se literas accepisse cum responso Blumenthalio dato, ex quo adpareat, a Cæsare jam decisionem factam, cui utique standum sit, ut frustra sit plura circa id negotium movere. Igitur legati Electorem hortarentur, ut, quod Cæsar jusserit, militem protinus sua provincia deducat, oppida reddat, damnum sarciat, omnia in pristinum statum restituat, in futurum caveat. Sed & circa Essenam pro loco tractatuum acceptandam tergiversabatur, inops oppidum causatus, nec tot hospitibus recipiendis idoneum, in ejus vicem Colonia aut Novesio proposito. Quod cum Belgis velut remotius displiceret, ei scrupulo amovendo iterum Dusseldorpium concesserunt.

Elector ipse cum Palatino colloquitur. §. 33. Ast Electori compendiosiorem viam tentare placebat expediendo negotio, quod multitudo sequestrium, quæ propediem expectabatur, plus difficultatis allatura videretur, & Belgæ loco sperati auxilii multum suspicionis ostenderent. 25. Jul. Itaque literas propria manu ad Palatinum exarat, generoso admodum sensu: *Mirum equidem ipsi visum iri, se hoc rerum statu scribere; sed ubi mentem suam intellexerit, fat perspecturum, id proprium ipsius commodum, ac communem quietem spectare. Unde si ita videatur, sibi placere cum ipso pro-*

1651. *pe Dusseldorpium colloqui, ac tentare, num lis promtius expediri, ac sincerior amicitia constitui posit, quam hactenus opera ministrorum factum. In ipsius arbitrio fore locum & tempus congressui habendo designare.* 27. Jul. *Verbo Principis se cavere, bona fide rem a se agi.* Pa- 19. Aug. latinus responso, quo colloquium acceptabat, 9. plus querelarum admiscuit, quam apud tam candide agentem decebat. Congressus habitus apud Angerortum aperto campo tribus tentoriis positis; quo & Belgarum legati sese contulerunt. Maluerat Palatinus cum Electore arbitris remotis colloqui, quod senex subacta prudentia a magni animi Principe emolumenti quid captaret. Sed placuit Electori consiliarios utrinque adhibere: ubi multa inter hos disceptatio surgebat, qua incalescente, Elector ista abrumpi jubebat, ac viam potius stabiliendæ amicitiæ investigari. Belgarum quoque legati ad colloquium admissi sedulo concordiam ingerebant, ad quam demum & Palatinus inclinare visus est. Cum inde epulis simul Principes accumberent, Lotharingici quidam tribuni accedentes, cum promtæ transactionis spem esse intelligerent, fremebant: haut integrum esse Palatino citra Lotharingiæ Ducis consensum tractatus suscipere, qui istius amore alia destinata omiserit; ac jam plures ab ipso legiones adventare. Unde instaurato colloquio Palatinus cessim ibat, ac neutro remittente, abrupto congressu Dusseldorpium reverti instituit. Pervicere tamen Belgici legati, ut suspensa duntaxat tractatio perendie resumeretur: interim propositum, ut hostilia omitterentur, & utrinque in alterius terris occupata restituerentur, copiis intra propriam ditionem revocatis. Et Gentius cum Palatino Dusseldorpium abibat concinnando induciarum instrumento, in quas pronum se ferebat senior Palatinus. Sed filius Philippus Wilhelmus, & alii vindictæ libidine, ac Lotharingico auxilio feroces rem extrahebant, ac sacerdotes concursantes, simul Lotharingici præfecti senem Principem ita fatigabant, ut hic morbo inde corriperetur. Ast dum Dusseldorpii res confuse geri- 11. Aug. tur, Elector jamdudum condicto loco adventum Palatini expectaverat; qui & moras pertæsus tubicinem mittebat, abrupte sciscitaturum, venturus sit Palatinus, an minus? Unde Palatinus offensam Electoris sentiens, Gentium præmittit, absentiam suam excusaturum, quem mox consiliarii sequuntur. Qui Electorem ignominia moræ gravissime irritatum invenere, Belgicorum Legatorum, & Comitis Waldeccii opera vix sedatum, Neoburgicis confirmantibus, si Elector contumeliam sibi illatam putet, se Palatinum permoturos, ut ad satisfaciendum Electori Duisburgum accedat. Eo super facto Elector graviter apud Cæsarem conquestus est; dum ipse ita promte voluntati Cæsaris obtemperat, Palatinum per ludibria tempus eximere. Instantibus dein Belgis Palatinus, ut Essenæ congressus instituatur, demum assensit; cui demulcendo Belgæ duos sacerdotes Juliacenses, ob molestias Protestantibus datas in custodia Rheinbercæ detentos, libertati reddiderant. Mox tamen circa inducias, quæ Angerortæ verbo convenerant, turbatum, quod Lotharingici causarentur, a Brandenburgicis militem suum tutelarem Boecomi cæsum; eoque cum quingentis equitibus Marcam ingressi magnam populationem faciebant. 1651. Nec e convento Blankensteina arx restituebatur, nec miles hospitiis Marcanis deducebatu,r & juvene Palatino, & multis eas inducias adsperantibus, velut per quas necessum sit intra proprias ditiones recipere Lotharingicum militem petulantia tam infamem. Et cum jam copiæ Neoburgicæ ad duodecim millia adsurgant, in proclivi fore Cliviam inundare. Sed Palatinus senio cautior, & Belgas in se irritare metuens demum consensit, ut quæ Angerorti super omittendis hostilibus placuerant, effectui darentur.

§. 34. Ita Belgarum legati Essenam abiere, *Essena* quo & ab Electore venerunt Joannes Mauritius *tractatio* Nassovius, Erasmus Seidelius, Joannes Port- *suscipitur* mannus, & Adamus Isingius; a Neoburgico Ko- *18. Aug.* nigsveldius, & Wispenningius Barones cum Al- *Seidel.* thosio Cancellario, & duobus aliis. Coloniensis *Ising.* quoque Fridericum Furstenbergium, & Thomam *Konigsv.* Dusselium miserat, sequestrium officia obituros. *Wispenn.* Cæterum ut Electori penitius constaret, quid in *Althofer.* omnem eventum a Belgis sibi expectandum foret, per suos horum legatis exponi jussit, & Neoburgico Argentorati, & Francofurti delectus magno studio agi. Unde nosse cupere, quid a Belgis pactorum sponsoribus sibi sperandum sit. Sed Belgæ frigidius id accipiebant: *veteres eos delectus esse, & parum metuendos. Super guarantia quid declarare præter mandata sua esse; nec ut de eadem apud Ordines Generales moveatur consultum videri, negotio lento, & in vulgus emanaturo, ac incerto eventu: ac si responsum votis adversum detur, Neoburgico pertinaciam accessuram. Sane omnes in ea Republica a novo bello abhorrere. Id tamen conformare posse, uti Electoris arma Belgis magnam suspicionem injecerint; ita hoc nunquam permissuros, ut Neoburgicos Electori prævaleat, aut ut extraneus miles Cliviam intret. Cæterum Evangelicâ sacra vi pacti Xantensis se constanter tuituros.* Ex quo responso satis adparebat, Electori fiducia Belgarum amicam tractationem haut eludendam. Porro super sacris per Juliacenses provincias ordinandis, quæ primaria tractatuum materia erat, Belgæ censebant, præsenti congressu circa eadem in perpetuum constitui non posse, operosa admodum inquisitione, quisnam status sacrorum ubique locorum anno seculi hujus nono fuerit. Neque vero adversam partem unquam concessuram, ut Protestantes citra exceptionem ubicunque placuerit publico rituum suorum exercitio gaudeant; qui & ipsi agnoscant, ejusmodi amplis postulatis sibi haut consuli; ac satius fore, certa loca in Ducatu Juliacensi & Clivensi nominari, publico cultui templisque, salva ubique conscientiæ libertate; id quod & obtineri posse spes sit. Interim statuendum, quid Protestantibus tantisper sequendum, quoad super summa rerum consensu partium, aut per arbitros conventum sit, cui negotio finiendo certum tempus designandum. Atque ista Palatinus quoque colloquio Angerortæ habito probaverat; sed nunc Neoburgici desiderabant, ut ubi ista ratione res non componeretur, eadem ad Delegatos Cæsareos rejiciatur. Id quod nostri declinabant, quod hi sine dubio rem ad normam

 anni

1651. anni vicesimi quarti compositurи erant, non sine
detrimento Protestantium, qui isto anno pauca
templa in Juliacensi provincia habuerant; ac Pa-
latinus Angerortæ consensisset, negotium ad cau-
tionem Ordinibus datam dirigendum; id quod
a Neoburgicis retractabatur eo colore, quod Cæ-
1647. sar utique velit ad leges pacis Westphalicæ hanc
quoque litem dirimi. Simul pensando damno
centum millia uncialium remitti postulabant, quæ
Palatinus e proximo pacto Electori debebat; &
qua hæc non pertingant ad arbitros eundum. Quæ
cum a nostris repudiarentur, Neoburgici declara-
bant; ni intra quatriduum res heic componatur,
hostilia resumenda, tractatibus haut eo minus
sub clypeo continuandis. Nam instaurandis in-
duciis Sparrius, & Reuschenbergius, ille Electoris,
hic Neoburgici supremus militiæ præfectus Kei-
sersvvertæ congressi fuerant, ubi declaratum, eas
utrinque observatum iri, quoad iisdem renuntia-
tum sint, inde viginti quatuor horarum spatio ad
arma redeundum. Etsi Reuschenbergius jaceret,
ultra sex dies eas haut duraturas. Qua super a-
speritate Elector apud Cæsarem per literas quere-
batur, & ut Neoburgicus eo tantum fine tempus
ducat, quo copiis firmatus bellum majore vi gere-
re possit. Cui Cæsar respondebat; modo ipse
arma deponat, se Palatino, ut & is arma exuat, in-
juncturum. Ast sequestribus nostri demonstra-
bant: Cæsareos Delegatos lente rem agere, mul-
tosque sumtus in eosdem faciendos; ac si eorum
sententia alterutri partium displiceat, revisionem
patere; quæ circa arbitrorum pronuntiata locum
non habeat. Tum non esse parem amantis tanti
momenti negotium ita angusto limite includere,
præsertim cum morarum causa penes Electorem
non sit: ac inter arma tractatus lubrice procedere,
conditionibus pro istorum successu temperari soli-
tis: inprimis cum a Cæsare mandata dehortatoria
jam venerint, quibus Elector se pariturum decla-
rarit. Belgæ suadebant, ut Elector loca Marcæ
bene custodiat, quo Lotharingis spes hiberno-
rum præscindatur; nec sublatis licet induciis sta-
tim in arma ruat, quo invidia resurgentis belli in
Palatinum devolvatur. Ast Neoburgicus jam fe-
rocior tridui spatium constituebat, intra quod, ni
abs se proposita probentur, inducias expiraturas.
Et quanquam pars legatorum Dusseldorpium ab-
irent, ut Palatino mitiora persuaderent; is tamen
3. Sept. ad Electorem eum in sensum scribere; *cum ipsius
legati controversiam circa sacra Cæsareæ decisioni sub-
mittere, ac in propositam a se pensationem consentire
nolint: nec sibi tolerandum sit, tantam vim militum
suæ ditioni incumbere; ideo induciis a se renuntiari.*
Cui ab Electore responsum: *circa literas Cæsa-
ris dehortatorias, & apud tractatus Essenæ ita
se egisse, ut omnium adprobationem speret, nec
resumendis hostilibus causam præbuisse. Unde se pu-
blice protestari, malorum omnium culpam penes Pala-
tinum esse. Ac insuper Sparrio duci suo injunxisse,
ut vim arcuisse contentus arma haut inferat, ni neces-
sitas subigat; quo constet, quanto honore abs se man-
4. Sept. data Cæsarea habeantur.* Ea super re ad Belgas
Fœderatos literas dabat Elector; *dolere sibi, ipso-
rum officium hucusque irritum fuisse; nec dubitare,
quin de adhibita a se æquitate Legati ipsorum retule-
rint, ac quam omnis culpa penes Palatinum hæreat,
cui arma, quam transactio, magis probentur; nec de* 1651.
assensu & consilio Reipublicæ amicæ, ac vicinæ dubitare.
Tacitæ istæ preces erant, ut solidiora ad ipsum
sublevandum Belgæ moverent. Enimvero pa-
lus invidiæ ac suspicionis apud Belgas in Ele-
ctorem quam Palatinum sentiebatur; ac nil nisi
præsidia ad Rhenum augebantur, studio in neu-
tram partem declarato. Simul a Neoburgico
ferociam duntaxat simulari censebant, quo Ele-
ctorem ad acceptandam Cæsaream Commissio-
nem exclusis Belgis induceret. Nam ut pruden-
tia celebris Princeps extrema ætate, cui alienis
copiis & pecuniis res gerenda erat, nulla neces-
sitate fortunas suas aleæ exponeret, verosimile
haut videbatur. Porro solutis licet induciis Neo- 8. Sept.
burgici declarabant, per triduum adhuc ab armis
cessandum, si forte interim ratio expediendæ
controversiæ iniri queat. Ac concipiebatur a
Caloniensibus formula transactionis, qua id age-
batur, ut Belgæ a tuendis Juliacensium sacris ex-
cluderentur; *post frustra tentatam per deputatos u-
trinque, & sequestres compositionem ad Cæsareos Com-
missarios rem devolvendam.* Id quod Belgis displi-
cebat, qui facile providebant, a Cæsareis id a-
ctum iri, ut ipsi a temperandis Germaniæ nego-
tiis dimoverentur. Unde & nostris ingerebant;
haut fore e dignitate Electoris Cæsareæ Com-
missioni se subjicere, quod omnes credituri sint,
ipsum a Neoburgico invitum huc detractum.
Cæterum se facile sacra præsenti statu servaturos.
Contra nostri censebant; hoc modo Evangelicis
securitatem haut parari, ac plus persecutionum
potius attrahi, permanente præsenti rerum con-
fusione. Tum gratiam servatorum sacrorum in
solos Belgas redundaturam. Denique Cæsareos
delegatos haut eo secius commissum negotium
suscepturos. Propositum dehinc a Belgis, ut ar- 10. Sept.
ma intra certam diem deponantur, miles dimit-
tatur, sacra prout ante triennium fuerunt mane-
ant, salvo utriusque partis jure. Inde pacatis
rebus super ratione totum negotium componen-
di conveniendum. Eam tutissimam & brevissi-
mam viam esse, qua & Cæsari obsequium præ-
stetur, & provinciæ vastationis periculo eripian-
tur. Quæ a nostris probabantur, modo Palati-
nus ita stringatur, ut rem ad Cæsareos Delega-
tos pertrahere haut possit. Neoburgici æqua
ista agnoscebant, sed sibi mandata non esse iis
acceptandis, ad quæ petenda Dusseldorpium sibi
abeundum. Interim renuntiationem induciа-
rum, quam denuo facere jussi sint, suspensuros.
Postulabant nostri a Belgicis, ut Neoburgicos
scripto a solvendis induciis dehortari velint: quod
hi annuebant, si id ab ipsis aperte petatur; nam
ut ultro id faciant haut decere. Sed Electori id e
dignitate haut videbatur. Ita Neoburgici cum
formula Belgarum Dusseldorpium abiere, qua a
Palatino rejecta inducias iste finitas declarabat, te-
status tamen tractatus haut eo minus Novesii, aut
Keisersvvertæ continuandos. Color dicebatur;
ab Electore Delegatos Cæsareos declinari, & re- 15. Sept.
parationem damni, simul cautionem in posterum
abnui. Quæ nostri absurde dici arguebant, ni
pro imperio agere Palatino datum sit. Nam nec
sua postulata ab hoc admissa, cum ipsi a sequestri-
bus proposita citra moram acceptarint. Adde-
batur

1651. batur protestatio tali casu solita. Postulabant nostri a sequestribus testimonium sibi exhiberi, æqui nihil in se desiderari passos. Id quod isti recusabant; insolitum id esse, & hoc modo alteri se parti suspectos reddi. Novo inde congressui habendo Novesium proponebatur, probante Electore, quo & Belgarum legati se conferebant. Sed quia interim a Cæsare ad hos motus componendos missi Melchior Hazfeldius Comes, & Joannes Anethianus advenerant, Neoburgicus incassum ibi rem agi excusabat. Ita & Belgæ Clivos sese contulerunt.

A Cæsa- re Com- missariis du. §. 35. Commissarii Cæsarei primo utrique mandata Cæsaris exhibent super omittendis hostilibus, & exautorando milite. Ni pareatur omnes Circulos jussos arma parare antevertendo quod Germaniæ minetur periculo. Quibus Elector promtum se statim ostendebat, Hatzfeldio id apud Cæsarem commendante, improbata Palatini tergiversatione. Inde ab iisdem propositum; si Neoburgicus ad ea, quæ Elector literis suis ad Cæsarem retulerit, nil quod excipiat habeat, ac Elector, qui prior arma arripuerit; ea primo quoque loco deponat, in Neoburgicum edicta inhibitoria & avocatoria promulganda, ni & ipse arma protinus exuat. Id quod &, cum Neoburgicum induciis renuntiasse intellexerint, a se factum sit. Qui cum declararit, suas copias adhuc quatriduum, ex quo ipsi ad Electorem advenerint, in hujus provincia substituros nullo hostili actu suscepto, nisi lacessantur; igitur postulare jam ut Elector citra ambages mentem suam declaret super acceptanda Commissione Cæsar. ea in Brunsvicensem Ducem, & Monasteriensem Episcopum collata; nec minus super reparatione damni, & in futurum cautione. Ad quæ Elector: Arma a se jam posita; & si quæ alia postulentur facturum, si Neoburgicus paria faciat. Cæsarem Commissionem se nunquam defugisse; sed quia in hoc negotio solita jam remedia placuerint, superart. VII. pervacuum esse ad extraordinaria decurrere. Istam quoque solo Neoburgico ambiente decretam, & anno vicesimo quarto superstuctam, adversus ipsam Pacis Westphalicæ dispositionem. Pensationem damni a Palatino sibi deberi ob damnum in Marcano Comitatu post inducias datum. Denique quo minus a Cæsare ratio cautionis in futurum proponatur, se non repugnare. Ast Legati Cæsaream Commissionem eo acrius urgere, quo magis eandem ab Electore declinari animadvertebant. Nam *Cæsari utique summum ejusmodi litium judicium competere: nec ea Commissione lædi posse Electorem, velut ad leges pacti Noribergici adstricta, & ab Electoribus probata; quam & conventus Noriber-* 1. Mart. 1650. *gicus literis ad Ordines Fœderatos commodissimum remedium istis litibus componendis habuerit. Si qua difficilis aut dubia occurrant, ad Cæsarem, aut Comitia rejici posse. Decisione quoque a Cæsare, aut Comitiis facta promtam fore exsecutionem, non adhibita exterorum suspecta opera. Partium inter se conventa Cæsarem ignorare; ac dubium, an hoc inscio iniri potuerint, quorum sponsores exteros admittere majestati Imperii repugnare. Nec Belgis querendi causam esse, quod Cæsar diu ante, quam hi sequestres se ferrent, eam Commissionem decreverit; cujus & sit cavendis in Imperio motibus autoritatem suam interponere.* Cæterum quia Cæsareis legatis non tam curæ erat ipsam litem componere, quæ tanti non videbatur, quam belli semina suffocare; tamdiu Coloniæ aut 1651. in vicinia hæsuros se ferebant, quoad ab Electore miles exautoratus foret; quod se digressis recidivam metuerent; præsertim cum uterque non sine vehementia reparationem damni expostularet. Et cum isti denuo Electorem de milite suo dimittendo monerent, hic factum id respondebat; sed si æquum in utramque partem studium testari velint, Neoburgicum tergiversantem monendum esse. Qui sane Lotharingicos auxiliarios difficilius amoliebatur, quam evocaverat, præreptam opimorum hibernorum spem non parum indignantes. Quibus & cum semel digressi denuo reverterent, Cæsareis urgentibus demum facessendum fuit. Concepta quoque a Cæsareis conventio, & Clivis ab Electore subscripta, Palatino, haut quidquam reluctante vindictæ cupidine, subscribenda fuit. Ejus conventionis summa capita hæc erant: *Ab utro-* Res componitur. *que acceptari Commissionem in Præsulem Monasteriensem, & Augustum Brunsvicensem Ducem collatam, cui e parte Electoris Augustus Anhaltinus Princeps, & Ludovicus Henricus Nassovius Comes, e Neoburgici parte, Paderbornensis, & Osnabrugensis Præsules sint adjungendi; queis cognoscendum, num ea controversia ex Instrumento pacis, an e pactis, & cautionibus Principum decidenda sit. Quod a majori parte decretum fuerit, eo citra provocationem standum. Si quæ dubia occurrant Commissionis captum superantia, ea ad Cæsarem referenda. Interim omnia in eo statu relinquenda, qui ante hos motus fuerit, & quæ mutata sint, ad eum statum revocanda. Ubi quis provincialium læsum se arbitretur, querelam ad Principes, non ad exteros deferendam. Negotia civilia manerent, prout pacta Principum, & cautiones provincialibus datæ designent.* Addebatur de exauterando milite, de captivis utrinque sine lytro dimittendis, anteactorum oblivione, ac ut Principes, si quid deinceps controversiæ surgat, armis non exsequantur, ni pœnam fractæ pacis incurrere, ac jus successionis in has provincias committere velint. Belgæ hoc modo 11. Octob. a compositione hujus negotii se exclusos doluerunt magis, quam questi sunt.

§. 36. Porro Neoburgicum isthoc negotium in causa erat, ut Elector ad primum congres- In tractatu Lubecensi ab Electoralibus acta. sum Lubecæ inter Svecos, Polonosque super condenda pace institutum legatos mittere non posset; etsi & iste re infecta protinus dissolveretur. Ad 1652. alterum tamen, qui in sequentem annum indictus erat, ab Electore missi eo sunt Joannes Hoverbequius, Joannes Ernestus Wallenrodius, & Wallenr. Reinholdus Derschovius. Hi jubebantur primo Derschov. explorare, in perpetuam pacem, an prorogandas inducias Poloni inclinarent, quod ex hoc Electori consilia capessenda forent. Quanquam pacis exigua spes allubesceret, quod neque Sigismundi posteri titulo Sveciæ, nec Sveci Livonia desistere vellent. Et Joannes Casimirus Rex clam oblata per Christianam quadringenta uncialium millia adspernatus fuerat, jactans; tali pretio Regna non taxari, ac ne Livonia quidem data suo jure cessurum. Tum diligenter invigilent, ne iterum suo dispendio pax aliena redimatur, quod formula quædam transactionis passim volitaret, ut Regi Poloniæ Ducalis Borussia, & pro hac Electori a Svecis Bre-

1652. Bremensis, ac Ferdensis ditio daretur, permutationis genere valde quidem importunos quod commentum post anxiam inquisitionem ab otioso quodam Gallo promanasse compertum. Denique apud Svecos instarent, ne circa certamen dignitatis cum Venetis, & Belgis in fraudem Electoralis fastigii quid admitteretur. Quanquam adparebat inter ipsos tractatus facile temperamentum aliquod inveniri posse, declinatis communibus congressibus, ac negotio per peculiares visitationes discusso; sed qua ratione subscriptio facienda foret, non ita in promtu consilium erat. Si Sveci per irruptionem Hermanni Bothii in Livoniam inducias violatas arguant, nostri testarentur, Electoris patrem ejus consilii plane ignarum fuisse; ac incompositam manum nullo paratu ruentem manifestum indicium privatæ temeritatis esse. Ac Polonos immissam a Banerio finibus suis apud Landsbergam Svecorum manum velut in compensationem objicere posse. Cæterum super præcedentia cum Venetis Elector dubitabat, num Cæsar ad amplectendam Electorum causam solicitandus foret. A quo Saxo nil obtentum iri judicabat, occulto in Venetos favore. Ac si tanquam Dux Borussiæ tractatibus adesse velit, Electorali fastigio nil præjudicii fore. Poloni quoque ambigue scripserant; Rempublicam Venetam in locum Angliæ surrogatam, & Electorem inter Sequestres eum locum, quem ipsius pater, habiturum; magno quoque horum in istam rempublicam studio. Quia tamen Electoris insignes eo in tractatu rationes vertebantur, sic ut eo abesse commode non posset, dignitas quovis modo legatis tuenda erat. Enimvero cum hi Schœnbecam duobus Lubeca milliaribus accessissent, ingressum suum in urbem instructuri, ac præmisso Secretario super cerimoniis in antecessum explorassent; Sveci super titulo Excellentiæ scrupulum movebant, quod tractatibus Westphalicis Principum legati Electoralibus eum tribuere gravati sint. Chanutus quoque Legatus Gallicus cavillabatur; *ambiguum adhuc esse, num rite ab Electore sequestris munus suscipiatur, quod iste idem a Regina oblatum hac cum conditione acceptarit, si apud tractatus prior præ Belgis locus sibi assignatus fuerit; & quia idem ad instauratos jam tractatus denuo invitatus non fuerit.* Ad quæ a nostris repositum: *Electoralibus legatis Excellentiæ titulum in omnibus Regum aulis dari, nec apud Westphalicos tractatus a regiis legatis negatum. A Regina quoque Electorem non solum ad priorem congressum misso Erico Sparrio, sed & post ad nunc instauratos per literas invitatum.* Ac adparebat, ista a Gallo moveri, ut Elector his tractatibus excluderetur; unde & Galliæ Rex velut primus sequestrium Electorem ad resumendos hosce tractatus invitare omiserat. Etsi contra Poloni singularem in nostros favorem præ se ferrent. Ea difficultate remota nostri apud Polonos obtinuerunt, ut sibi adventantibus prima visitatio, manus dextræ honos, ac omnibus simul Excellentiæ titulus tribueretur. Ast Chanutus declarabat, se primam quidem visitationem obiturum, sed non nisi primo Legato Excellentiæ titulum, & priorem locum daturum, reliquos velut consiliarios istius habiturum, prout id Monasterii

1653. 4. Jan.

observatum & conventum fuerit. Ad quæ nostri reponebant: *de tali conventione Monasteriensi non constare; nec si constet, huic tractatui legem dare posse. Svecorum quoque, Polonorum, ac Belgarum plures uno legatos adesse, ac congressu Stumsdorfiano sex legatos ab Electore missos pari omnes honore habitos.* Is tamen excipiebat: *Svecorum & Polonorum velut litigantium aliam esse rationem quam Sequestrium. Illis enim ob gravitatem negotii inter se consultandum, ad quod plures requirantur: sequestris munus ab uno obiri posse: unde a Gallo & Venetis singulos duntaxat missos. Belgas a diversis provinciis venisse, quorum & Monasterii plures fuerint, omnes titulo Excellentiæ mactis.* Chanuto succinebant Sveci, favoris in Venetum manifesti, quem Gallus huc pertraxerat spe facta neminem a Brandenburgico adfore. Elector in ancipiti agebat, quod neque revocatis suis legatis ansam abrumpendis tractatibus dare, nec suam & collegarum dignitatem in compromissum mittere vellet. Nec difficultas tollebatur tali temperamento, ut unus quidem sequestris officium sustineret, reliqui duo Electoris peculiaria commodo observarent; quod Sveci ostenderent, hoc casu se reliquos duos velut a Duce Borussiæ missos habiturum. Polonis tamen suadentibus nostri Lubecam ingrediebantur, quod ita prope jam accessissent; & saltem a Polonis & Belgis quem cupiant honorem accepturi essent. Ac turpe videbatur in ipsa Germania exteris cedere, id exemplum aliis deinceps imitaturis. Post ingressum eodem temporis momento omnibus legatis de suo adventu significabant. Poloni cerimonias rite obiere. Chanutus significabat; dolere sibi, a Svecis eum scrupulum motum; sed quia jam ad Regem eo nomine scripserit, responsum sibi expectandum. Sveci contra, dum visitationem suam nostris denuntiant, simul ostendebant; se uni tantum Excellentiam, & primum locum daturos, culpam in Chanutum conjicientes, qui huic controversiæ ansam dederit. Sed revera isti eam litem Electori movebant ulciscendæ molestiæ, quod per ipsum eorum legati Ratisponæ concessu arcerentur. Quibus & plures rationes incassum ingerebantur: *Si maxime cum honorem nostris Osnabrugæ negassent, id tamen heic in exemplum trahi non debere, ubi Elector non inter partes censeatur, sed ad sequestris munus exercendum invitatus sit. Svecos inter Imperii Ordines adscriptos horum dignitati ut faveant par esse; qui & ipsi Electorum favore indigeant tanquam novitii; nec eorum quidquam interfit, cum in hoc discrimen Regiorum & Electoralium Legatorum haut consistat. Et cur non inter Polonos quoque separationem fecerint, quorum unus & alter nomine duntaxat Lithuaniæ missus sit?* Eo indignius autem id erat, quod tribus Belgarum legatis citra tergiversationem prior locus, & petitus titulus datus foret; qui & junctim visitationem reposuerant. Unde nec id temperamentum admitti poterat, ut duobus revocatis unus tantum legatus Lubecæ maneret. Sed & Venetus jam primam salutationem obire abnuebat non tantum ob litem super priore loco, sed quia in Italia negabat morem esse, ut serius venienti prima visitatio detur. Ast quod Belgæ quoque visitationem non condicerent, id tanto absurdius erat, quod isti paucos ante annos Electoribus citra

1653. 29. Jan.

1653. citra controversiam loco cessissent. Nihilominus revocare suos nolebat Elector, quod delatum sequestris munus deserere haut deceret, & suis absentibus occurrere possent, quæ præjudicio cedere ipsi poterant. Unde volebat, ut sui etiam citra solennes visitationes sequestrium officium tuerentur. Sed quia mox iste conventus ultro diffluebat, ea controversia simul intercidit. Ingenue post Ratisponæ Polonicus Legatus Matthiæ Cracovio fatebatur; *Polonos Lubecæ pacem haut quæsivisse, quod Sveci Livoniam restituere nollent, ac simul ut Joannes Casimirus titulo Sveciæ, & gratis quidem renuntiaret postularent: sed id tantum egisse, ut qui restabant novem induciarum anni firmarentur, ne Sveci ex incursione Bothii in Livoniam ansam abrumpendarum induciarum arriperent.*

Circa ceremonias in Comitiis a Legatis Electoralibus observanda. §. 37. Isthæc porro controversia, quæ nostris Lubecæ movebatur, Electori dignitatis suæ retinentissimo ansam præbebat, ut Ratisponam ad Conventum Ordinum Imperii mittendis stricte injungeret, quid circa solennia rituum sequi deberent. Quæ inter erat, ut si Principum quispiam prout solet mensæ Cæsareæ adsistens caput tegeret, Electorales quoque legati revocato vetere more caput tegerent. Nam anno 1642. Palatinus Neoburgicus tecto capite fuerat, Electoralibus legatis demto pileo adstantibus; id quod Elector emendari cupiebat. Circa visitationes id observandum, ut si adventu ipsorum Elector quispiam adsit, exhibitis literis legationis fidem facientibus solenni ritu ab isto audiri postulent. Ubi aliorum Electorum legati prius adsint, post factum de adventu suo denuntiationem primam ab his visitationem exciperent. Ea si non exhibeatur, nec ipsi eosdem visum eant. Si legati Regii adsint, explorandum esse num habeant, quæ apud Collegium Electorale proponant, an minus. Illo casu expectandum, quoad negotia sua apud Collegium exposuerint; quo facto visitationem peragendam. Sed si ad Collegium nihil habeant negotii, visitationem obeundam, prout prior quis tempore, aut posterior in urbem accesserit. Circa Principes apud Comitia præsentes Electorale quidem fastigium requirebat, ut isti prius Electorales legatos viserent. Consentiebat tamen Elector, ut si isti apud nostros visitatione per suos duntaxat consiliarios defungerentur, eo honore contenti visitationem Principibus reponerent. Id ubi a Principibus non fiat, ipsi quoque eosdem salutare omitterent. Sed apud serius accedentes Principes primam ipsi visitationem obirent. Ast Principum legatos sive ante seu post advenerint, priore loco ne inviserent, ac istos id officium prius haut obeuntes plane non accederent. Circa salutandos exterorum Principum ac Rerumpublicarum legatos solito more agerent. Apud Regios & Electorales legatos primam visitationem junctim obirent. Porro quanquam Elector censuerat, omnes suos legatos pari dignatione habendos; cæteri tamen Electores judicabant, dispari modo primum legatum, qui absentis Electoris personam sustineret, quam reliquos habendos, ac isti duntaxat priorem præ Principibus locum deberi. Tum epulante Cæsare, ubi Principes pileum capiti imponant, idem primario legato faciendum; cæteris intecto capite adstandum. Idque discrimen inter legatum repræsentantem, & reliquos etiam decreto in Ferdinandi III. electione anno 1636. stabilitum, Brandenburgica quoque legatione suffragante. Haut eo minus Elector judicabat, omnes pariter legatos personam Principis referre, ac apud exteros, & nominatim Belgas ita observari, ut omnes, qui simul mittuntur, legati pari dignatione habeantur, eodemque titulo potiantur. Quod si tamen Collegium Electorale a diversa sententia rationibus & protestationibus dimoveri non possit, id decretum ita temperandum, ut inter Ordines Imperii duntaxat idem observetur, nec circa exteros in conventibus extraordinariis intra & extra Imperium, præjudicio sit. Ac haut esse, quare ipsum Collegium suæ dignitati derogare quid velit. Sane se Monasterii adversus Gallos, Svecos, Venetos, ac Belgas ad extremum id sustinuisse, nec unquam cedere voluisse. Haut eo minus nostris circa legatos Svecicos dubitationis quid suboriebatur. Isti quippe duplicem se personam sustinere ferebant, Regiam, & Principalem, ac visitatione denuntiata, velut Regii legati excipi, omnesque nostros legatos præcedere cupiebant; titulum quoque Excellentiæ primo legato abnuentes. Nostri contra; non aliter ipsos, quam Ducis Bremæ & Pomeraniæ legatos considerari posse ostendebant; ac a Blumenthalio ad supremas scalas, a cæteris hujus collegis ad infimas exceptum iri, ac isto solo præcedente cæteros secuturos. Nec alio ritu a se receptum Comitem Ranzovium a Daniæ Rege Holsatiæ nomine missum. Re ad Electorem relata, cum non consultum videretur Svecos tunc irritari, iste initio dubitabat, an non Svecorum postulato cedendum foret. Sed cum cæteri Electorales idem abnuerent, Elector prostituta dignitate Svecorum gratiæ adrepere ignavum ducebat. Ad extremum tamen Sveci visitatione defuncti sunt eo ritu, quem nostri volebant. Etsi de cætero iidem sat frigide acciperent, cum nostri post compositum negotium Pomeranicum arctæ amicitiæ cultum istis offerrenti, testati, *neminem esse, qui tum fœdere jungi malit Elector, quam cum Svecis, modo hi adquiescere velint per pacem Westphalicam partis, nec in Germania plus terrarum affectent.* Circa Neoburgicum quoque paulisper hærebat Blumenthalius, quod in Bavarica & Palatina Domo receptum diceretur, nemini Electorali legato proprias intra ædes loco cedere, prout & Schvvartzenbergius Comes, & Conradus Borgstorfius Neoburgico, ad quem missi fuerant, in ipsius ædibus loco cesserant. Ejus tamen visitatio omissa fuit, postquam Wurtenbergicus, Darmstadiensis, Simmerensis Palatinus, & Julius Henricus Lauenburgicus Blumenthalio prioris loci honorem apud se detulissent. Etsi iidem quem suis in ædibus honoratiorem locum dabant, in loco tertio tribuere nolebant. Catholicorum tamen Principum nemo nostros accedebat. Cæterum non sat concordibus studiis id negotium ab Electorali Collegio agebatur. Nam & qui præsentes aderant Electores, sibi prærogativæ quid deberi censebant præ absentium legatis. Et Saxonici a Legato Hispanico, quem salutatum iverant, dex-

1653. dextræ manus honorem, & omnes tres quidem, sed non titulum Excellentiæ acceperant, quem ne magnopere curarent, velut scholas redolentem a suo Principe jussi fuerant: quos tamen discedentes Hispanus per scalas deduxerat, nec prius recesserat, quam omnes tres currum ingressi forent. Cæsar istas controversias silentio transmittebat, quod judicaret, Electores per easdem permotum iri, ut alia vice ipsi ad Comitia accedant, quod a præsentibus in sui emolumentum plus obtenturum se speraret, quam a legatis absentium.

Vautort. Cæterum cum nostri Vautortium legatum Gallicum inviserent, hic citra tergiversationem omnes tres pari dignatione habebat; quod tamen Chanutus Lubecæ abnuerat: nec circa Excellentiæ titulum scrupuli quid moverat, ut Hispano istum abnuenti contrarius esset. Qui & ipse tamen sibi utique titulum Excellentiæ in literis ad Electorem ab ipso scriptis deposcebat, pollicitus insignem se operam Electori in aula Cæsarea navaturum. Sed huic haut e dignitate videbatur fumum vendere callido se præbere. Venerat quoque a Poloniæ Rege legatus, ut Regem Hungariæ Electoribus commendaret; qui tamen, quod primariis Electorum legatis Excellentiæ titulum abnueret, auditus haut fuit. Id quod isti a legato Hispanico suggestum credebatur, qui depressa aliorum Principum dignitate fastigium regium extollere studebat.

De electione Regis Romanorum. §. 38. Porro istorum initia Comitiorum lente admodum procedebant dilata propositione, quoad Ulterior Pomerania a Svecis restituta foret. Qua mora in commodum suum usus Cæsar, interim filium Ferdinandum Hungariæ Regem Romanorum Regis dignatione extolli properabat, ne forte Galli Svecique, tractis in partes Ordinibus, isti sese instituto opponerent, quod jam apud tractatus Westphalicos agitaverant.

18. April. 1647. Sane Sveci apud Cæsareos acriter institerant, ut Instrumento Pacis hæc verba insererentur: *quod in casu, quando vivente Imperatore ad electionem Regis Romanorum deveniendum esse videatur, causa moventes in Comitiis universis Imperii Statibus proponi, eorumque sententia desuper exquiri debeant.*

24. April. 1647. Sed cum Cæsarei id concedere nollent, velut re per Auream Bullam jam definita, Sveci eo postulato destiterant, id duntaxat desiderantes, ut in Comitiis perpetua aliqua Capitulatio conciperetur. Sed & hoc repudiatum, tanquam negotium ad solos Electores spectans. Haut eo minus cum paucos post dies Sveci formulam Instrumenti conceptam exhiberent, articulo de Juribus Ordinum utrumque cognitioni Ordinum in Comitiis subjecerant. Sed cum Cæsarei nullo id modo admitterent, ac diversis congressibus demonstrassent, id plane receptæ in Imperio consuetudini repugnare, ea verba dispositiva demum ex adornato Instrumento plane

30. Maii. 1647. expuncta fuere, nudis titulis de electione Regis Romanorum, & perpetua Capitulatione substitutis ea mente, ut proximis Comitiis decidatur; num quæstio, an Rex Romanorum sit eligendus, & Capitulatio perpetua ejusmodi indolis negotia sint, ut super illis cum Principibus & Ordinibus in Comitiis agendum sit? Nam si is sensus fuisset, quod hæc materia extra controversiam ad Ordines spectet, Sveci haut quidquam passuri fuerant ea verba, quæ decisionem quæstionis continebant, deleri. 1653. Haut eo minus timebat Cæsar ne ista controversia a Svecis nunc renovaretur, apud multos Ordinum applausum inventura, qui Electorale fastigium ægris oculis adspiciebant, idemque imminui optabant. Quæ & præcipua ratio missi ab Hispano in Sveciam Antonii Pimentelli fuerat, ut Christinæ persuaderet, ne electioni Ferdinandi obsisteret. Pimentel. Cæterum super ista electione Electori ita videbatur: *magni momenti negotium esse viventi Imperatori successorem designare, ac per leges Imperii ad electionem haut temere procedendum nisi vacante solio. Quem in casum etiam constituti sint ex Electorum numero, qui vicariam administrationem gerant. Quin & aliquando periculo non vacare electionem vivo Cæsare, quod plures orientem solem, quam occidentem adorare soleant, ac difficile sit duobus dominis servire; præsertim cum ne id quidem novum sit, ut æmulatio & dissensio ministrorum patres quoque, & filios inter se collidat. Posse etiam duplici imperio onera duplicari; contra negotiorum expeditionem difficiliorem reddi, ab uno ad alterum rejectis, quibus finem dare non placeat. Enimvero haut insuper habenda pericula, quæ hac rerum facie, & strepente apud vicinos armorum adparatu Germaniæ incurrere possit; quibus prævertendis haut præsentius remedium sit, quam electio idonei in futurum Imperii administratoris. Et quia eadem Collegarum mens sit, non esse, quare ipse ab his sese disjungat.*

Locus & tempus electionis. §. 39. Porro cum & alias penes Electores foret pro re nata locum electioni designare, nec per eam negotia Comitiorum turbari placeret, electione Ratisponæ instituta; Augustam Vindelicorum ire visum est, cum Noribergæ templum haut extaret, in quo sacra ritu Romano celebrari possent. Nam vetusto more receptum, ut electionis tempore omnes Principes, eorumque legati urbe exesse cogantur, ne iis quidem exceptis, qui Electorum cuipam ministeria sua addixerint. Etsi ubi ipse Cæsar adfuerit, dissimulari solitum fuerit circa illos Principes, qui in Aula istius munia gererent; qui tamen scripto cavebant, id Electorum juribus, ac dispositioni Aureæ Bullæ fraudi haut fore. Ast circa tempus suscipiendæ electionis Pragæ quidem Elector consenserat, ut conventus fieret ad disponendum super futura Imperii administratione prævertendis interregni periculis. Dubitabat tamen, num tantopere properandum esset, ne forte Cæsar hoc obtento reliquis Imperii necessitatibus languidius prospiceret. Ac declinandæ suspicioni facturum, id negotium adhuc paulisper differri, capitulatione interim adornata, & Ordinum desideriis expeditis, ac inprimis ut sibi Pomerania prius a Svecis restituatur. Sed cum Cæsar id negotium maturari urgeret, Moguntinus misso Sebastiano Wilhelmo Meelio Electorem permovebat, ne circa tempus scrupuli quid moveret. Meel. Neque enim electionem ad Comitia spectare, sed e solo Electorum arbitrio pendere; & Imperii negotia haut eo minus successura. Et cum initio Moguntinus electioni diem decimum quartum Aprilis constitui cuperet, is Electore instante ad diem decimum quartum Maji prorogatus est, ne

1653. ne ob tantam festinationem Collegium apud Ordines male audiret. Literæ queis ad electionem invitatio fiebat a Meelio tradebantur adhibito tabellione, qui super insinuatione instrumentum conficeret. Diserte tamen Elector monebat, ea se conditione in electione consentire, ut neque publica Imperii, neque peculiaria sua negotia negligantur. Cæterum cum ipse Elector isti actui obeundo accedere Augustam non posset ob motus bellicos in Polonia, quorum periculum etiam Marchiam afflabat, & quia Pomeranicum negotium adhuc hærebat; missus qui ipsius vices eo actu sustineret Joachimus Fridericus Blumenthalius Baro, cui Nicolaus Ernestus a Platen, & Joannes Portmannus succenturiabantur. His inter alia injunctum, ut negotia Electoris privata, Pomeraniæ restitutionem, creditum Wratislaviense, & Carnoviensem causam ante Electionem expediri curarent, eademque tantisper differatur, ubi citra offensam Cæsaris & Electorum id obtineri queat. Sin minus, ut saltem Cæsar Ratispona haut discedat, quoad ipsi satisfactum sit. Si ne hoc quidem obtineri possit, haut decedere videbatur, communi placito per importunas contradictiones reluctari. Ea tamen mandata post restringebantur, ut ante electionem ipsi utique satisfieret.

Monita circa capitulationem. §. 40. Cum porro Capitulationis Cæsareæ adornatio e præcipuis sit juribus, queis Electorale fastigium fulget, hæc ut ad communem Imperii utilitatem dirigeretur Electori quam maxime curæ erat. Super hac Cæsarei censuerant; *Electoribus operam esse dandam, ut cæteri Ordines ad electionem plane non admittantur; ad formandam autem capitulationem quam minimum, & ne istorum prærogativæ quid decedat. Huc enim spectare machinationes exterorum, dum Ordines reliquos in partem ejus negotii pertrahere conantur, ut his cum Electorali Collegio commissis totum Imperium dissidiis confundant.* Ast Elector suis injungebat, ut circa formandam legem Regiam monita Ordinum probe observarent; quorum tamen nullum jus circa eandem conficiendam agnoscat, velut quod ex asse ad Electores spectet. Quæ communem Imperii statum, aut Electorum prærogativam tangant, cum universo Collegio; quæ Protestantium rem, cum Saxone, & Palatino communicarent; operamque darent, ne Catholici, qui majorem jam Collegii partem faciant, aliquid in fraudem Protestantium Capitulationi inferant, utque circa electionem Ferdinandi III. neglecta monita nunc observentur. Probe tamen considerarent, quid commode effici possit, & ne inani contentione privatam offensam contraherent, nullo in publicum emolumento. *ad art. 1. & 14.* Peculiariter autem monebatur; *Advocatiam Ecclesiæ Romanæ promissam in Protestantium præjudicium allegandam, aut adhibendam non esse: sed ut hisce jus ex Instrumento Pacis quæsitum utique salvum sit. Eaque verba ita formanda, ut non solum speciem reservati a Protestantibus Electoribus facti, sed & vim eligendum obligandi habeant.* *ad art. 2.* *Ut pax religionis perpetuum sit concordiæ vinculum, ac turbulenta scripta, queis istius firmitas solicitatur, ne tolerentur; autoribus eorundem mulctatis. Ut Ordinibus utriusque religionis par ubique favor ac defensio præstetur. Ut Rex Romanorum cum aliis Imperii constitutionibus servandis sese adstringat, tum inprimis Instrumento Pacis velut pragmaticæ sanctioni, ac Ordinationi Cameræ, & Executionis, utque exsecutiones sententiarum intra quemlibet Circulum per ejus membra fiat, nec ex uno Circulo in alium trahantur. Ut Romanorum Rex, si quid dubii circa sensum legum publicarum, ac præcipue Pacis sacræ occurrat, ejus interpretationem sibi non arroget; sed e consensu universorum Ordinum circa eam statuat, inprimis circa controversias, quæ religionem, ritus, scholas, consistoria, bona sacra, & similia spectant. Nam par utique esse, ut quæ pax per transactionem utriusque partis consensu coaluit, ejusdem interpretatio pari ratione fiat.* *ad art. 4.* *Ut Rex decretum anno 1636. in favorem Venetorum super præcedentia præ Electoribus expresse aboleat.* *ad art. 8.* *Ut inquiratur, num relationes super alienatis Imperii bonis Cancellariæ Moguntinæ sint illatæ; quæ casu eos Collegio communicandas, & de communi consilio quod e re sit statuendum. Eamque dispositionem ad illa quoque feuda porrigendam, quæ neglectu debitæ renovationis ad Imperium devoluta sunt.* *ad art. 15.* *Ut si publicus Imperii exercitus sit parandus, supremus ei dux ex Electorum aut Principum Imperii numero nequaquam extraneus, præficiatur.* *ad art. 24.* *Quæ Cæsari ab Ordinibus tributa annuantur, in destinatis ad hoc urbibus acceptentur, deque his Imperio ratio reddatur.* *ad art. 27.* *Dispositionem illam, ut nemo a judice suo ordinario excludatur, expressis verbis eo porrigendam, ut quilibet Austregis suis, & prima instantia fruatur.* *ad art. 21. & 22.* *Quæ circa vectigalia statuta sunt, stricte observanda, abolitis, quæ hactenus secus admissa sunt, & omnibus ad veterem Imperii usum revocatis.* *ad art. 35.* *Uti bellum insciis Electoribus haut suscipiendum; ita si bello cum consensu & auxilio Electorum atque Ordinum adquisitum quid fuerit, aut recuperatum, id Imperii lucro cessurum.* *ad art. 38.* *Ut circa Vicariatus Imperii vocabulum* JURIS PONTIFICII *dispungatur, cui circa talia nihil efficaciæ concedendum sit. Ut Ordinibus Imperii accessus semper ad ipsum Cæsarem & Regem Romanorum pateat.* *ad art. 42.* *Ut qui investituram quærunt, ad edenda familiæ pacta ne compellantur, quæ multi haut libenter vulgari volunt. Ut Ordines ob nondum acceptam investituram, aut indultum, ubi extra culpam fuerit, sessione & suffragio in conventibus ne arceantur. Ut inter* GRAVIA IMPERII NEGOTIA, *quibus statim ab initio Electorem consensus adhibendus est, expresse numerentur, quæ proscriptionem Ordinum, & interpretationem legum publicarum tangunt; eoque fine a singulis Electoribus in Aula Cæsarea delegati præsto sint.* *ad art. 43.* *Ut Judicium Aulicum pari Assessorum ab utraque religione numer. constituatur.* *ad art. 44.* *Ut Moguntinus biennali visitatione Judicii Aulici quavis vice unum e Secularibus Electoribus alternatim sibi adjungat. Ut nulla causa a Judicio Cameræ ad Aulam Cæsaream avocetur. Ne Ordines Imperii Cæsareis decretis e Sanctiore Consilio in negotiis cognitionem præviam requirentibus urgeantur.* *ad art. 48.* *Ut denique Electoribus sua prærogativa salva sit, nec ipsis, eorumve legatis nullus extraneus Princeps, ejusdemve legati præferantur. Addebatur ut futurus duntaxat Imperator designaretur; nulla juxta Cæsarem administratione collata, nisi quæ Cæsar ipsi delegaverit, aut hic extra Germaniam egerit.* Enimvero dum Lex Regia adoptatur, ea quidem monita, quæ universos Ordines, aut Electorum eminentiam spectabant, observabantur. Sed

1653. quæ peculiariter Protestantium commoda tangebant, nostri pervincere non poterant, non nisi a Palatino Electore suffulti; eoque ad Comitiales deliberationes rejiciebantur; ac Regem utique jurejurando ad futurum decretum Comitiorum fore adstringendum. Ut plus libertatis Protestantibus per ditiones Cæsaris habitantibus in capitulatione Electores stipularentur, id reliqui Ordines Evangelici haut quadrare censebant, ac eam causam ab universis Protestantibus Ordinibus agendam, quorum intercessioni Cæsar sine dubio multum daturus sit. Ac ostendebat Saxo, atque Palatinus, Cæsarem hoc modo stringi non posse, cum ea conventio non ipsum, sed futurum Regem spectet. quæ monita a reliquis Ordinibus exhibita fuerant Electorum prærogativæ imminuendæ, unanimi consensu rejecta sunt. Ecclesiastici quoque Electores graves querelas super Pontifice & Curia Romana movebant, qui non in Ecclesiasticis solum, sed & civilibus causis adversus Imperii leges ipsorum jura usurpet; eoque separatum articulum legi Regiæ inseri cupiebant, ut ftuurus Rex istas usurpationes ne probet, & adversus eas ipsos tueatur.
ad art. 30. Quibus nostri facile adstipulabantur, & inde ansam arripiebant eo liberius monendi, ut *Concordata* Principum Germaniæ cum Sede Romana adversus pacem Augustanam & Westphalicam, & quæ ibi super religione, & bonis sacris disponuntur, ne allegentur, neu vim ullam obtineant; nec permittendum esse Nuntio Pontificis, ut is alios a contractibus etiam jurejurando firmatis absolvere audeat. Optaverat quoque Elector plures candidatos ab aliis nominari, quod eo casu major suffragantium autoritas ac gratia existat. Sed in præsens id nullo modo fieri poterat, ac si ipse id faceret, sua autoritas apud Collegium multum imminuenda, simul ingens offensa apud Cæsarem, filiumque incurrenda fuerat, effectus in longum porrectura. Et jam Pragæ de suffragio suo Cæsari spem fecerat. Nec ita tecte ea res insinuari poterat, ut non animadverteretur, quo fonte eadem promanasset. Denique cum major pars aperte in Regem Hungariæ inclinaret, irrito conatu nil præter invidiam pariebatur.

De peculiaribus Electorum juribus.

§. 41. Porro & nostri omni ope ad servandam Electorum eminentiam, & præcipua jura invigilare jubebantur, adhibito tamen discrimine pro diversa eorum jurium indole. Quorum quædam istis competunt per Auream Bullam, & expressas Imperii leges, aut notoriam & a longissimo tempore introductam consvetudinem. Velut quod circa honores in curia Imperatoris omnibus præferuntur; Cæsarem & Regem Romanorum soli eligunt, eundemque suo nomine pacto adstringunt; soli consensum in novis teloniis instituendis præbent; in negotiis salutem Imperii spectantibus certo tempore conventus inter se agitant; in communibus diætis peculiare corpus constituunt; in Deputatorum Imperii conventibus semper junctim adesse possunt; ne quid memoretur de aliis minoris momenti, quæ vel in desvetudinem abiere, vel aliis quoque Principibus communia facta sunt. Præter hæc inter Electorum quoque jura referre nonnulla solent, quæ non expressis legum verbis concessa sunt, sed ex hisce consequi putantur. 1653.
Quale est, ut quod pro salute Imperii in conventibus Collegialibus decreverint, id a cæteris Ordinibus citra exceptionem probetur. 1.
Ut penes ipsos solos arbitrium sit, num Rex Romanorum sit eligendus. 2.
Ut capitulationem non suo tantum nomine concipiant, sed & integrum ipsis sit eidem quas velint conditiones inserere, nec monita cæterorum Ordinum attendere necessum habeant. 3.
Ut non concedere teneantur eandem ab Ordinibus recenseri. 4.
Ut delinquentium Ordinum proscriptio, publici militis directio, novorum Principum creatio, Judicii Aulici constitutio, pacisque exsecutio non aliter facienda sit, quam prout in Capitulatione ab iisdem dispositum sit. 5. 6. 7. 8. 9.
Enimvero cum non id solum esset considerandum, ut Electorum potestas utcunque emineret; sed & quomodo id citra ullius offensam, salva pace & concordia publica, simul communi Ordinum libertate, ac veteri more, fieri posset, & quidem ne vel proprius Electoris vel communis Protestantium status periculo exponeretur; ita decernebat Elector, ut circa primam quidem jurium classem Principibus nihil indulgeretur. Ast circa alteram classem concedi posse, ut super quatuor prioribus articulis idonea temperamenta adhibeantur. Circa reliqua autem stabat Electori, sententiæ Principum accedere, eamque quantum daretur fulcire; quod inde Electorali dignationi vel nihil plane decederet, vel non tantum adcresceret, ut ideo sibi lis cum Evangelicis contestanda foret utriusque damno redundatura. Si enim circa tuenda primæ classis jura cum cæteris collegis conspiret, obtineri debitam Electoribus eminentiam, simul Principum in hos benevolentiam servari, qui ista jura iisdem haut invident. Ast ubi circa posterioris generis jura frigidius agat, ac in Principum partes inclinet, Imperii tranquillitatem stabiliri, simul prohiberi, ne quod Electoribus in specimen tribui videatur, id in augmentum potentiæ cedat omnibus suspectæ. Dignitatem quippe Electoralem non eo usque porrigendam, ut libertas publica amittatur, aut sub obtentu Electoralis eminentiæ vis imperii obliqua ratione in Cæsarem, & Catholicos derivetur, ingenti cum Evangelicorum præjudicio. Sed nec stabilem posse haberi dignitatem, quamdiu contradictione non caret, cum neque in ipsa Germania, neque apud exteros valitura sit, ni splendorem suum a potentia Imperii, & vires a concordia membrorum assumserit. Igitur ex Electoris judicio in eo temperamentum consiliorum vertebatur, ut ita eminentia Electoralis assereretur, ne summa rerum in paucos quosdam, solumque adeo caput rediret.

Elector postulata sua ante electionem pervincere non potest.

§. 42. Ast circa privata sua postulata Elector operæ pretium videbatur facturus, si Blumenthalius cum mandatis duos ante menses Ratisponam accessisset. Sed quia Elector crediderat, haut ita stricte conventa electionis die standum esse, tardius istum iter ingredi jusserat, cum jam consultationes Ratisponæ essent absolutæ, ita ut eidem Noriberga recta per Donavvertam esset

Augu-

1653. Augustam properandum. Heic cum Cæsar juxta ac reliqui Electores creationem Regis magnopere urgerent, cui & omnia parata erant, in maximam solicitudinem nostri conjiciebantur, quod citra offensam & salva sui Principis existimatione eam proferre, non possent. Nam Elector ad extremum stricte injunxerat, sua postulata ante electionem expediri; quod vereretur, ne Cæsar obtentis quæ cupierat, manibus deinceps pollicitis lactare ipsum pergeret, quod & Patri ejusdem factum erat. Igitur Blumenthalius extrema tentare certus Moguntino quid in mandatis habeat exponit. Sed quia perspiciat, Cæsarem ita brevi spatio tantam pecuniæ summam corrogare non posse, aut Lichtensteinium Principem Carnovia dimovere, Electori Glogoviensem Principatum tantisper tradendum. Moguntinus his auditis consternari se ferebat. *Cæsarem delegare paratum, qui cum ipsis eo super negotio agant, ac Electori utique satisfacturum. Sed electionem differri nullo modo posse, omnibus jam paratis. Repugnare id existimationi & conscientiæ Electoris, privatam ob causam rem tanti in publicum momenti extrahere velle; in quam moram & nemo Collegarum consensurus sit, qui in decem duntaxat dies Augustæ sibi de necessariis prospexerint; ac Cæsaris reditum Ratispona ab Ordinibus non sine impatientia expectari. Causam quoque talem sibi videri, ut non audeat eam aliis exponere; cum Cæsar æquæ solutioni paratum se declaret, in quem & omnium favor sit inclinaturus, nemine non jactaturo, Aureæ Bullæ adversari, electionem ab ejusmodi conditione suspendere.* Ad quæ Blumenthalius: haut credidisse Electorem, legem Regiam ita propere absolvendam, non prius expensis Ordinum monitis. Tunc enim sat temporis fuisse futurum postulatis ejusdem explendis. Sed Moguntinus nullo modo, ut ista probaret, permoveri poterat. Inde Blumenthalio eadem apud Cæsarem exponenti hic respondebat; *Haut sibi persuaderi, Electori destinatum electioni moram injicere. Dubitare quoque num talia ipsis mandata fuerit daturus, si scivisset, a se delegatos jam constitutos, qui intra mensem expediundo illi negotio manum admoturi sint, circa quod Electori utique ex æquo satisfacturus sit.* Cum Blumenthalius de Glogovia injiceret, Cæsar repetebat: se super credito, & Carnovia, prout causa Ratisponæ comperta fuerit, utique satisfacturum. Sed id heic fieri nullo modo posse; cum nec documenta, nec consiliarii, quibus ea causa cognita, heic præsto sint. Rogabat, ne Elector ipsi, Domuique suæ tantam contumeliam nullo suo merito inferat. Cum reliquis Electoribus sibi plane convenire, quibus nunquam adprobari possit paratæ jam electioni moram injici. Vicissim se Electori, si quid gratum possit, facturum. Addebat de studio Reginæ Sueciæ in Domum Cæsaream, quæ & fidem dederit de reddenda ad Kalendas Junias Pomerania. Ad quæ Blumenthalius velut rem in medio relinquens nil aliud, quam de causæ æquitate reponere, & quantum fiduciæ in Cæsaris benevolentia Elector reposuerit. Ast Ferdinandus Curtius prolixius demonstrare; *postulata ista privata cum electione, quam omnes necessariam judicarint, nil cognationis habere. Iniquissimum esse Cæsarem in causa tam vetusta & intricata tam arcto spatio circumscribere velle; præsertim cum Elector Praga non plus postularit, quam ut creditum ad liquidum deducatur, & ratio ineatur ipsi circa Carnoviam satisfaciendi, cui rei jam delegati sint nominati. Crediti Wratislaviensis usuras nondum liquidas, & forte compensationem opponi posse. Carnovia Lichtensteinium ita brevi non posse ejici. Glogoviam Leopoldo Wilhelmo Archiduci datam ob cessum Halberstadium, quod inscio eripi nequeat; nec Cæsarem eo munimento & transitu Oderæ carere posse. Contra electionem differri non posse. Electores magno sumtu Ratisponam profectos, ubi ob dilatam propositionem nullum operæ pretium fecerint. Si & heic operam tempusque perdant, grandem invidiam Electori incubituram. Nec esse Electori diffidentiæ causam, tanto favoris documento circa causam Pomeranicam exhibito. Comitem Schwartzenbergium cum ante Ferdinandi III. electionem eadem postulata exposuisset, rationibus victum iisdem destitisse. Cæsarem his non parum turbari, ac prope nescire, quam in partem eadem acceptare debeat. Interim negotium electionis Collegio commissurum, nec ei sese ingesturum. Ipsi re expensa decernerent, quid Principi suo, toti Imperio, & Collegio quam maxime proficuum ac decorum sit.* Ad quæ nostri: *Sibi a mandatis discedere nefas. Brevissima via rem expediri posse data Electori Glogovia, quæ & antea Suecis oblata fuerit; qua concessa Elector quoque nomen Wratislaviense remissurus sit. Ac Leopoldo Wilhelmo a fratre Cæsare facile satisfieri posse. Electori haut propositum electionem remorari; sed & responso, quod Meelio datum sit, patere, Electorem ea conditione invitationem ad electionem acceptasse, ut prius desideriis suis satisfiat. Objici jure haut posse, Cæsarem instante electione constringi, & eidem extorqueri ab Electore, quod alias obtenturum se diffideret. Nam longo jam tempore super hoc negotio laboratum, ac dudum de Glogovia propositum, ut Cæsari sat spatii fuerit de eo cogitandi. Schwartzenbergium quod mandata sua neglexerit male audisse, velut qui privata potius, quam Principis sui negotia egerit; & forte hanc præcipuam esse rationem tam strictorum mandatorum, quod tunc tam prolixa pollicita effectus destituerit. Haut tamen Electorem Cæsari diffidere, ac de ipsius favore longe ampliora sibi pollicere, prout & majores sui Domum Austriacam insignibus meritis sibi devinxerint. Non ita propere ad electionem convolari posse, antequam Capitulatio perfecta fuerit. Eo spatio sibi satisfieri posse.* Ast Curtius negare, tam angusto tempore rem expediri posse. Regem Hungariæ quod nunc exhibeatur honoris longe majoris æstimaturum, quam quo post partam supremam dignitatem colendus sit. Eam ob causam Venetos eidem post deductam sororem Regis Hispaniæ sponsam Mediolano regresso parem honorem exhibuisse, quo antea regiam sponsam mactaverant; cujus se nunquam immemorem fore idem professus sit. Nostri ad hæc; neque Electorem ab ullo sese officiis vinci passurum: sed eidem triste admodum adpariturum, totiens iterata promissa ne nunc quidem repræsentari, quando Cæsar aliis Electoribus & Principibus tam liberaliter gratificatus sit. Sed ista omnia incassum disserebantur, ne spatio quidem admittendum Electori cursorem indulto. Ac Moguntinus multis demonstrabat, quæ incommoda secutura sint, si nostri hanc ob causam ab electione se removeant. *Repugnare juramento Electorum, publicum negotium ob privatum commodum remorari. Electori id parum decorum, ac dissidii & diffi-* 1653.

1653. *diffidentia ansam Collegis prabiturum. Aula Casarea gravem suspicionem injectum iri, velut monstri quid alatur. Apud Casarem pro benevolentia odium & contemtum in Electorem subiturum, ejusque negotiis in ista aula nunc & deinceps noxa futurum. Ac nostris incassum contradicentibus haut eo minus destinatis suis potiturum. Se quoque nostris excusandis ad Electorem literas daturum, ac si opus sit totum Collegium ipsis de indemnitate cauturum.* Simul mittebatur a Cæsare decretum, intra mensem id negotium Ratisponæ per certos delegatos susceptum iri. Ita nostri hactenus flexere, ut electioni interfuturos se profiterentur, quod cæteri Electores non obscure jactarent, eum actum etiam ingratiis nostrorum successurum, die quoque constituto, quo conclave ingressuri sint. Ac Cæsar scripto istos ad rem maturandam hortabatur, quod ob dilatam tamdiu propositionem nonnulli Ordinum jam Ratispona discessissent; ac si circa electionem moræ quoque necterentur, dissolutio Comitiorum metuenda foret. Cæterum non parum offensam Aulam Cæsaream nostrorum postulatis constabat, velut fidem Cæsareorum pollicitorum elevantibus. Quam offensam nostri eo colore emollire conabantur, quod Electori persvasum fuisset, electionem haut ita promte successuram, quin eadem in unum aut alterum mensem dilata sat spatii foret negotiis suis expediendis. Interfuere dehinc nostri recensendæ capitulationi, quæ jam Ratisponæ concepta erat, suaque monita in medium afferebant; sed quorum complura dissensu majoris partis rejiciebantur, in primis de pari numero Assessorum utriusque religionis in Judicio Aulico, de libero sacrorum usu pro Evangelicorum Ordinum legatis & mandatariis; velut quæ solos Electores non spectent, eoque in Comitiis pertractanda sint. Et quia Saxonici, & Palatinus nostros haut fulciebant, nil reliquum erat, quam ut hi protestando omnia sibi integra servarent. Sane toto isto conventu Saxonici, & Palatinus omnibus sese promtos exhibebant, quæ Cæsari placere intellexerant. Sed quæ libertatem, ac desideria Ordinum spectabant, Coloniensis, & Bavarus magno studio urgebant, Trevirensi in plerisque adstipulante. Moguntinus offensam Cæsaris declinare, ac moderationis laudem captare studebat. Cæterum Elector a suis acta probabat; *nec sibi propositum fuisse ob privata sua negotia publicum actum impedire, quem ita festinatum iri haut crediderit. Recte tamen istos postulata sua exposuisse vel cum offensa aula Casarea. Ita enim hactenus secum actum, ut mirum esse non debeat, si post tot verborum ludibria rem ipsam aliquando tenere cupiat. Dilationem propositionis in quinque menses non sibi, sed honori Regina Soecia datam, qua & maximum ipsi Casari commodum pepererit.* In quem sensum & Elector Moguntino respondebat, cum de offensa Cæsaris ipsi per literas significasset.

Cerimonia. §. 43. Cæterum cum istiusmodi actuum non exiguam partem cerimoniæ absolvant, earum nonnullas heic annotasse non abs re fuerit. Et nostrorum quidem legatorum adventu Blumenthalius velut Electoris personam eo actu gesturus solenni apud Cæsarem audientia duobus sejugibus ad aulam vehebatur, nobilibus, & reliquis ministris præcedentibus. Ad infimas scalas Aulæ Mareschallus, apud conclave Equestris Ordinis quod vocant, supremus aulæ præfectus, & ad procætonem supremus Camerarius ipsum excipiebat. Discedentem singuli ad eundem usque locum deducebant. Pari honore Primarius Bavari legatus Maximilianus Curtius affectus est. Sed Saxonicus cum ejusmodi receptionis ritus haut desideraret, audientia potitus non est. Quamprimum Blumenthalius verba facere inciperet, Cæsar ut caput tegeret jubebat; quod & hic fecit, ac quanto spatio ter oratio dominica recitari potest tectus perstabat, post detracto pileo reliquum sermonem absolvebat. Ad Regem Hungariæ omnes tres legati accedebant, qui statim atque istius manum osculati fuissent, Blumenthalius Rege jubente caput texit, ac toto tempore tali habitu perstitit, nisi quod ad Cæsaris nomen pileum levabat, quod idem & Rex faciebat: reliqui duo nudato capite adstabant. In actu electionis Blumenthalius Electoris velut archicamerarii munia solennia obibat, ac cum post peractam electionem sacrum esset celebrandum, designato Regi in Sacello habitum Regium circumponebat. At sceptrum non ipse, sed Zolleranus Comes, velut hæreditarius Imperii Camerarius præferebat, utut in electione Ferdinandi III. Schvvartzenbergius Comes id gestasset. Nam nuper decretum a Collegio fuerat conditum, ut absentibus Electoribus hæreditarii Officiales istas functiones obirent. Sicuti & pomum Truchsesius, & gladium Pappenheimius præferebant. Et indecorum futurum erat, si primarius legatus infra Bavari & Saxonis officialem incessisset. Et cum Zolleranus munus suum ab Electore recognosceret, quicquid faceret, velut ipsius mandatarius facere censebatur. Quia porro dum certa precum formula recitatur, Cæsar coronam deponere solet, Palatinus propere accedens eandem tollere cœperat; sed simul adproperans Blumenthalius manum quoque admovebat, ac ægre id ferenti Palatino demonstrabat; id ad Camerarii officium spectare, cujus sit Regem solennibus vestimentis induere, & exuere. Et quia Cæsar Blumenthalii rationem probabat, hic post finitas preces solus ipsi coronam iterum imponebat. Etsi post, cum acta evolverentur, compertum, coronam Cæsari demere haut præcise cum Archicamerarii munere conjunctum, sed id a Cæsareis summis cubiculariis promiscue fuisse factum. Caroli Magni ense Palatinus, manum simul admoventibus secularium Electorum legatis, Regem accingebat, uti antea conventum fuerat; etsi electione Ferdinandi III. Bavarus id solus fecerat otiose adstantibus legatis Saxonico, & Brandenburgico. Sed in ipsa Regis coronatione Blumenthalii circa imponendam aut deponendam coronam nullæ partes erant, quod eo actu coronam Regi Ecclesiasticus semper Elector demere svevisset, demtamque Limburgio velut Pincernæ hæreditario tradere; prout coronatione Ferdinandi III. a Coloniensi factum fuerat. Nec eo minus post Ratisponæ in coronatione per errorem Palatinus & Blumenthalius ad levandam coronam accedebant, ac jam eo nomine contendere cœperant. Sed intervenientes Consiliarii Cæsarei pronuntiabant, neutri id competere,

1653. petere, ac Trevirensem eo actu functurum. Ita
5. Jun. utrique adquiescendum erat. Ad coronationis solennia spectanda, quod tunc super restituta Pomerania Ratisponæ nondum nuntiatum esset, cum nostri Svecicos quoque Legatos invitatos audirent, protinus a Moguntino ut id corrigeretur, petebant. Sed qui respondebat: istos invitatos non velut Ordinum legatos, sed tanquam peregrinos, nec certum iisdem locum assignatum: ac se in gratiam Electoris novum decretum Pappenheimio misisse, in quo verba illa, quasi intuitu provinciarum Svecicarum invitarentur, omissa fuerint.

Electoris privatis negotiis parum profic.

§. 44. Electione peracta, cum nostri negotiis Electoris manum demum admovendam monerent, Cæsarei haut eo secius ad veteres tergiversandi artes revolvebantur, initio quidem Wratislaviensi nomini Crosnensia tributa in vicem compensationis objicientes. Sed cum nostri ab istis immunitatem jam per Ferdinandum I. confirmatam demonstrassent, simul quæ super remittendis usuris isti moverant rejecissent, demum integra summa, sortem juxta usurasque complexa, trecentis uncialium millibus velut per aversionem taxabatur. Sed ad solutionem nulla ratio patebat, quod Cæsarem tunc quam maxime adhuc æs alienum premeret, bello Germanico contractum, quod ad centum viginti milliones adscendere ferebatur. Unde id demum temperamentum propositum, ut Comes Schvvartzenbergius quicquid bonorum in Electoris ditionibus possideret, huic cederet, cui vicissim Cæsar super trecentis uncialium millibus satisfacturus sit. Quod negotium tamen post triennium demum absolutum fuit. Ast circa restitutionem Carnoviensis Ducatus nihil proficiebant nostri, utut demonstrarent; *Georgium Marchionem eam ditionem a Schellenbergio ante seculum amplius oneroso titulo velut hereditariam & propriam sibi suisque heredibus comparasse; quem contractum Ludovicus, & alii deinceps Reges confirmarint. Unde Brandenburgicæ Domui jus quæsitum, retractationi haut obnoxium. Georgio successisse filium Georgium Fridericum; quo defuncto eam ditionem tam ab intestato, quam vigore donationis inter vivos, ac tandem subsecuti testamenti in Joachimum Fridericum Electorem devolutam. Et quia conventione Geraviensi, qua super successione familiæ Electoralis in universum dispositum est, constitutum, ut is Ducatus quidem alicui Marchioni tradi possit, sed ea lege, ne extra familiam Electoralem alienetur; inde eundem post Marchioni Joanni Georgio assignatum. Unde eum velut fideicommisso familiæ affectum istius facto aut delicto familiæ subtrahi non potuisse. Ac frustra objici, eam translationem Ducatus in Joannem Georgium absque consensu Regis Bohemiæ velut directi domini factam. Accessisse enim consensum tacitum, & scientiam atque patientiam cum diuturni temporis præscriptione, dum iste Joannes Georgius nemine contradicente inter ordines Regni Bohemiæ agnitus, & ad eorum conventus vocatus fuit, tolerata quoque onerum publicorum parte; cujus tanquam temporarii possessoris culpa toti Domui innocenti jus suum auferri haut potuerit.* Contra Cæsarei Carnoviæ confiscationem legitimam contendebant, quam etiam leges Bohemiæ in bonis fideicommisso obnoxiis permittant. Quin Marchionem 1653.
Georgium Fridericum eum Ducatum a Regno Bohemiæ velut feudum masculinum agnovisse, ad quem reliqui Marchiones Brandenburgici simultaneam investituram non obtinuerint. Qui & post consolidatus sit non tam ob feloniam, quam quia mascula prosapia descendens primi adquirentis defecerit. Demum tamen ei actioni redimendæ centum millia uncialium offerebat, e mensibus Romanis propriarum ditionum imputanda. Sed Elector terris datis non pecunia sibi satisfieri volebat. Ita Cæsarei, quod causa dubia sit, processu judiciario opus esse dicebant; a quo cum Elector valde abhorreret, velut in quo Cæsar partis juxta ac judicis personam gesturus esset, nil aliud supererat, quam ut ea res ad commodiora tempora in suspenso relinqueretur.

Neoburgici inanes in Electorem conatus. 11. Mart.

§. 45. Poterat tamen Electori qualicunque solatio esse, quod nec Neoburgicus infensa admodum spirans Ratisponæ quid adversus ipsum obtinere valuisset. Sane Senior Palatinus Wolfgangus Wilhelmus etiam post pacem initam tantam adhuc acerbitatem animi ostendebat, ut dum Juliacensem in Comitiis locum scripto sibi vindicat, hanc pro se rationem adducere haut dubitaret; non habere Electorem quod contradicat, utpote qui armis adversus ipsum sumtis omne jus ad eas provincias commiserit. Cui retundendo dignum scriptum Elector concipi jusserat, ni isto interim mortuo indecorum fuisset visum in eum scribere, quem mors rebus humanis exemisset. Nec eo secius filius Philippus Wilhelmus Ratisponam accedens sumtus in ista arma factos Electorem reposcebat, quorum nomine actio conventione per Cæsareos Commissarios facta dudum extincta erat. Cui a Cæsare responsum; ut Elector cum isto transigat, aut ad petitionem ejusdem respondeat. Sed cum is mox animadverteret, in aula non semper res verbis respondere, per Monasteriensem Præsulem nostris offerebat; si super istis impensis cum ipso agere velint, se arctius cum Electore fœdus initurum. Quod tentandi duntaxat causa fieri adparebat. Idem quoque jactabat, novam super ditionibus Clivicis inter se atque Electorem ineundam transactionem, cui plus securitatis insit, prioribus pactis jam perruptis. Simul apud Hispanos auxilium quærebat, Electori ad satisfactionem compellendo; quod tamen ab istis abrupte negatum. Sed ista postulata nostri facile refellebant; per Cæsareos delegatos negotium citra exceptionem compositum; ac Electori potius actionem competere de pensando damno per inducias a copiis auxiliaribus apud Marcanos dato. Ac delegati Cæsarei testimonium exhibere abnegabant, quod iste postulaverat, super rebus, quas sibi in Aula Cæsarea persequendas reservasset. Nec minus idem sinistre apud Cæsarem detulerat fœdus, quod tunc cum Belgis Elector agitabat, velut eo spectans, ut si sententia in causa Juliacensi adversum ipsum lata foret, Belgarum ope eandem eluderet. Id quod nostri per leges pacis licitum ostendebant; nec in cujuspiam id offensam, sed firmando Electoris statui quæri. Solicitabat etiam Poloniæ Rex apud Ordi-

1654. Ordines Imperii pecuniarium subsidium adversus Cosaccos, cui præter nostros & Neoburgicum nemo suffragabatur; ac ipse Cæsar toto bello Germanico sibi a Polonis nil auxilii latum exprobrabat. Nec eo minus Neoburgicus apud Polonos minister spargere non erubuerat; petitum Polonorum ab Electore impeditum magis quam promotum fuisse. Ac jam non modicam huic invidiam apud istam gentem conciliaverat, ni Moguntinus Polonicum Legatum veriora edocuisset. Eidem quoque cum apud Regem Sveciæ per legatum instaret, ut is judicialem decisionem controversiæ Juliacensis in ipsius favorem promovere velit, responsum; facilius sibi cum Electore, quam cum ipso conventurum. Nam offenderat Regem, quod de dividenda cum ipso hæreditate nullum plane verbum fieret. Qui & post Legato Brandenburgico dicebat, istum aliquoties ad se literas eo de negotio dedisse, sed sensu ita ambiguo, ut expiscandi duntaxat causa scriptas adpareret; eoque nil aliud respondisse, quam de eodem patrueli suo Bipontino curæ esse, velut ejus lineæ principi. Sed & Cliviæ Ordines missis Ratisponam Deputatis negotium Electori facessere conabantur, incentore talium Winnenthalio Barone; etsi multi ex equestri Ordine, & oppida Clive, Duisburgum, & Xantenum adversus ista protestati fuerant. Afferebant isti querimonias super motis nuper armis, simul petituri, ut unio provinciarum per Cæsarem confirmetur, ac sententia super controversa successione acceleretur, quo aliquando de legitimo ipsis Principe constet. Tum ut omnis miles exautoretur, Hamnoque, & Lipstadio munitiones detrahantur, ac sibi inter se, quod tributorum publicæ necessitates exigant, colligere liceat. Quin & non dubitabant nostris significare, vetitum sibi super mandatis suis cum ipsis communicare. Credebatur a Neoburgico suggestum de quærenda unionis confirmatione, qui victoriam ejus litis, ubi sententia pronuntiaretur, animo præceperat. Nec minus Vinarienses, Bipontinique, succinentibus Svecis, ut ad sententiam procederetur instabant. Sed Cæsarei censebant; quamdiu e re Cæsaris non sit bellum conflari, tutius ipsi esse negotium id in longum protrahere, quam intempestiva sententia pronuntiata finire, novam controversiam paritura; & reliqui Electores amicam potius compositionem svaserant. Enimvero quanquam nostri petitorum absurditatem multis demonstrarent: apud Cæsarem tamen isti audientia, & responso sat benevolo potiti sunt, inprimis circa præsidium Lipstadio deducendum. De quo cum nostri quererentur, Curtius reponebat; *Cæsarea decreta non semper fulminum vim habere, ac si Elector rationes in contrarium regerat, ista enervata jacere.* 1654.

§. 46. Parum quoque proficiebatur intercessione Ordinum Protestantium, quæ nostrorum maxime instinctu apud Cæsarem fiebat super laxiore paulum libertate sacrorum Evangelicis per hujus ditiones indulgenda; de quo & Instrumento Pacis reservatum fuerat. Id negotium Cæsari valde exosum erat, qui & a Silesiis, & Austriacis eo nomine cum libello supplici missum protinus Ratispona facessere jusserat. Unde cum & Saxonici sat frigide istorum causam susciperent, & Palatinus, ut eximie pro iisdem contendat, res suas ferre negaret; inter nostros quoque dissensio erat, quod ne Electori quidem expedire videretur eminente studio Cæsaris offensam sibi attrahere. Sed his, quid sibi agendum sciscitantibus, ab Electore responsum: *si ex utilitatis rationibus omnia sint metienda, plures sibi, quam Palatino causas esse, quare suscepta pro hominibus haut suo merito invisis intercessione Cæsari molestus esse non debeat. Sed quia supplex Silesiorum libellus contumacia nihil, venerationis in Cæsarem plurimum habeat, Instrumento quoque Pacis Ordinibus permissum sit pro istis intercedere, ac spes sit tam submissis precibus animum Cæsaris emolliri posse; religioni sibi esse id officium alios ob respectus defugere. Rectoribus quippe civitatum divina negotia hautquidquam in postremis habenda, quod mortales Numinis providentiæ omnes suas fortunas in acceptis referant; ac nullum officium Deo gratius haberi possit, quam verum ejusdem cultum modo legitimo promovisse; nil quoque humanitati convenientius sit, quam ærumnis illos levare, quibus id unicum objici queat, quod bona fide Deum colere cupiant.* Unde nostri magno studio istorum causam amplecti jubebantur, haut territi aspero missis eorundem responso dato; cujus causa forte fuerit, ut Cæsar prævisa jam Ordinum Protestantium intercessione, hos eo magis obstringeret, in eorum gratiam indulto, quod istis negaverat. Sed tunc quidem nostrorum enixa quantumvis opera incassum consumta fuit, Cæsare post multas dilationes demum reponente: *si hoc in negotio contra instrumentum Pacis nihil faciat, non habere quempiam, quod de ipso queratur.*

Pro Evangelicis per Cæsareas ditiones frustra interceditur.

SAMUE-

1655. 1655.

SAMUELIS PUFFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER QUINTUS

EPITOME.

Occasio novorum motuum. Electoris circa componendas turbas Bremenses studium. 2. Legatio Regis Sveciæ ad Electorem; Electoris ad Regem. 3. Ejus mandata. 4. Secretiora mandata. 5. Dobrzenii negotiatio in Svecia. 6. Ulteriora circa Borussiæ portus mandata. cis est suspectus. 8. Utrinqve circa alterius mentem explorandam satagitur. 7. Elector Svesilia in futurum disponit. Conjecturæ de scopo armorum Svecicorum. 9. Elector conculum immineat? 11. Num Electori ex hoc bello lucrum captandum? 10. Num quod à Polonia periplectendum? 13. Electorem in Borussiam abire placet. De transitu Svecis concedendo. 12. Sveci, an Poloni fœdus amsarem in hoc negotio consideratio. 15. Elector Polonos ad pacem quærendam hortatur. 14. Circa Cænia Electoris auxilium implorat. 17. In Polonia omnia sunt confusionis plena. 16. Major Polosimiro Rege agitata. 19. Joannis Casimiri circa pacem cum Svecis mens. 18. Cum Joanne Ca-21. Super fœdere cum Belgis agitur. 22. Fœderis ejus summa capita. 20. Electoris de his judicium. ctus adparet. 24. Belgarum consilia. 25. Saxoni circa fœdus Belgicum satisfit. 23. Ejusdem exiguus tunc fru-Gallis acta. 27. Ad Cæsarem legatus mittitur. Ejus mandata. 26. Cum Anglis, & sar seqvestrem se offert. Nova Electoris declaratio. 28. Cæsaris declaratio languet 29. Cæ-ctorem missio. 13. Mandata Bonino data. Cæsaris responsum frigidum. 30. Cæsaris ad Ele-saris declaratio. 34. Extremum Cæsaris responsum. 32. Nostri Viennæ incassum moliuntur. 33. Alia Cæ-Svecis rem sibi integram servare studet. 35. Facies tunc aulæ Cæsareæ. 36. Elector cum lo divertere studet. 37. A Svecico ablegato proposita. 39. A Rege liqvidum responsum elici neqvit. 38. Elector Regem a bel-junt. 41. Electoris de hisce judicium. 40. Svecorum destinata magis crumdata. 43. De conditionibus fœderis Electoris mens. 42. Tractatio Stetini suscipitur. Electoralium Legatorum mance incassum movetur. Nostri de societate belli proponunt. 44. Stetinensis negotiationis initium. 45. De pacptatur. 47. Tractatus paulisper seponitur. 46. Super articulis fœderis incassum disvalde anceps videtur. 48. Waldeccii apud regem acta. 50. Tractatio Stetini continuatur. 49. Negotium fœderis ctatus adhærescit. 51. Electoris super his sententia. 53. Elector tractatus persequi instituit. Nova mandata. 52. Traproficitur. 55. Elector plura adhuc concedere statuit. 54. Circa tractatus nihil ctor societatem belli declinat. 56. Nostri nullum operæ pretium faciunt. 57. Elector in Borussiam tendit. Ele-59. Tractatus iste perficitur. 58. Idem cum Ordinibus Borussiæ agit. 60. Fœdus Borussicum. 61. Exiguus hujus fœderis fructus est. Joanni Casimiro id valde probatur. Is Electori summum Borussiæ imperium offert. 62. Ad Moscum missio. 63. Tractatio cum Svecis reassumitur. 64. Alia Electoris ad Regem missio. Alia mandata. 65. Nostri parum proficiunt. 66. Elector de invasione per literas qveritur. Regis responsum. 67. Regis literæ ad Electorem. 68. Elector temporibus cedere cogitur. 69. Super induciis agitur. 70. Tractatus demum absolvitur. 71. Transactio cum Sveciæ Rege. 72. Pacta feudalia. 73. Pactum peculiare super Warmiensi præsulatu.

Vix demum gravissimis è difficultatibus eluctatus fuerat Fridericus Wilhelmus Elector, animumqve reficiendis per diuturni belli calamitates afflictis provinciis dederat, qvæ longæ pacis dulcedinem blanda sibi spe destinaverant; cum alieni mox contagium belli in magnos ipsum fluctus iterum abripuit, qvibus non modice jactatus ad extremum gloria mactus, nec sine emolumento emersit. Provectus nuper ad Sveciæ regnum fuerat Carolus Gustavus, ad qvod abdicandum Christinam dissoluta extremis annis administratio, demum in ipsius aut regni exitium eruptura, simul fastidium patriorum sacrorum compulerat. Is, qvanqvam inter primordia imperii, ac rebus domi nondum sat digestis aut firmatis, Poloniam invadere decreverat, tunc intestina confusione debilem, & duplici jam hoste distractam, cupidine Borussiam cum Svecia jungendi, è suis portubus divitias, ac plenum Maris Baltici dominium ipsi parituram. Qvi conatus Electori cumprimis periculosus erat, fiduciario tunc vinculo Poloniæ innexum, & quod, regia Borussiæ parte abrepta, sua qvoqve portio ipsa situs opportunitate victoris cupidinem stimulatura erat. Et experiendo jam documentum ceperat, qvantopere apud illam gentem commoditatis rationes valerent, in se qvidem iniqvissimæ,

1654. sima, cum eædem longe efficacius legitimo possessori faveant. Constitutum alias Electori fuerat, post compositam ac digestam Pomeraniæ litem sinceram cum Sveciæ regno amicitiam colere, qvod neqve ex ullo vicinorum status ipsius plus firmamenti, ac securitatis capere posset, modo bona fide nil amplius eidem decerpere cuperet; neqve Sveciæ ullius in Germania Principis conjunctio utilior, qvam Brandenburgici foret. Sub Christinæ tamen imperio habendi libido, & è continuis victoriis ferocia effecerat, ut cum isto longe asperius ageretur, qvam privatæ necessitudines, publicæqve rationes svaderent. Unde & cum post compositam Pomeraniæ controversiam Electoris Legati in conventu Ratisponensi Svecicis offerrent concors suum circa promovenda negotia publica utrosqve spectantia studium; hi ista non sine frigore ac fastidio acceperant, velut fas foret ultro ei irasci, qvi sua haut æqvo animo amittere potuit. Eo major cura erat, ne apud Bremenses erumpens flamma latius diffusa novum bellum pareret, cum veteris tristia monumenta adhuc ubiqve in oculos incurrerent. Qvo in negotio Elector judicium suum in neutram partem expromere decreuerat, ne alterutri ansa offensæ in se præberetur; eoqve legatis suis injunxerat, ut Ratisponæ Svecicos ad amicam rationem litis sopiendæ ineundam hortarentur, ac ne in extrema prorumperetur. Nec minus Bremensibus, cum ad ipsum qverimonias suas deferrent, amicam transactionem ingerebat, repudiatis, qvæ super commodandis aliqvot cohortibus, ac militis per Mindensem & Ravensbergicam provinciam conducendi licentia petierant. Per literas qvoque tam Stadense Regimen, qvam Bremensis civitas monebatur, amica disceptatione, qvam armis litem expedire mallent. Simul ad utrosqve missus Matthæus Wesenbecius molliendæ animorum exacerbationi omnem lapidem movebat; qvi & præparandis tractatibus ad inducias rem deduxit, qvas mox transactio secuta est.

Electoris circa componendas Bremenses turbas studium.

§. 2. Istæ turbæ ne Ordinibus Germaniæ suspicionem injicerent, velut novum in Germania bellum Svecia meditaretur, neve aliorum accessione ex hisce initiis vastius incendium surgeret, simul testando suo in Imperium studio, Rex Carolum Christophorum Schlippenbachium Comitem ad præcipuos Ordinum mitteret. Is primo loco Electorem accedens multis verbis de affectu Regis in ipsum testabatur, inficiatus qvæqve à Cæsareis sparsa, velut hic post compositum negotium Bremense in Clivicas ditiones movere agitet, ac malevolos non minus sinistre de Electoris in Svecos machinationibus differre. Idem initio causam armorum, qveis parandis Rex occupabatur, in bellum inter Polonos ac Moscos referebat, per qvod regi non liceat imparato desidere. Post tamen cum per secreti speciem super destinatis Regis in Poloniam per ambages jaceret, ac portus Borussiæ utiqve Regi habendos, largiter tamen pensandos de alieno, & quod bello incerti exitus adhuc adqvirendum erat, Electoris animum gravi suspicione perstrinxerat. Præsertim cum aliqvoties eam sententiam apud eundem jactaret: *Deum hoc tempore non amplius cum Principibus per prophetas & somnia loqui, sed ubi commoda occasio arrideat vicino suo damnum inferendi, ac fines suos proferendi, eam divinam vocationem habendam.* Hic ut istius legationis honorem reponeret, simul penitius explorandis Regi destinatis, Joannem Ulricum Dobrzenium in Sveciam misit. Ei literæ legationi fidem facientes duplici forma datæ sunt, unæ veterem formulam *Regiæ Dignitatis*, & *Dilectionis vestræ* vocabulum retinentes. Qvas si acceptare detrectaret Rex, alteras *Regiæ Majestatis* titulum exprimentes produceret. Schlippenbachius qvippe spoponderat, si Elector eo tituli honore Regem præverteret, *Serenitatis Electoralis* titulum ipsi vicissim reponendum, ejusdemqve legatis non minus honoris, qvam Venetis, ac Belgis exhibitum iri. Alias enim, qvia Sveciæ à tempore Gustavi Adolfi nil dignitatis adcreverat, nec Electori decesserat, citra præviam conventionem præsens Rex nil amplius postulare poterat, qvam qvo iste contentus fuerat.

Legatio Regis Sveciæ ad Electorem. Schlippenbach. 1654

Electo[ris] ad Re[gem] re[sponsio]

Dobrzenski.

§. 3. Is igitur apud Regem Electoris verbis exponere jussus est; *magnopere se Regi obstrictum, qvod non solum statim per literas de suscepto regno significarit, sed & splendida legatione sibi præ aliis de amicitia confirmare voluerit. Ac sicuti religio atqve cognatio, situsque regionum se inducant, ut præ omnibus cum Rege conjungi optet; ita tam luculenta demonstratione facta laboraturum, ut circa probandum suum erga eundem studium nemini cedat. Ut porro mutuus hic affectus utriusqve securitati, ac Germaniæ qvieti cedat, se suis ad Deputatorum Francofurti conventum missis injunxisse, cum Regiis consilia fideliter sociare, sacris ac libertati Germaniæ tuendis: ac si Regi placeat suam mentem circa istum conventum pandere, suis se qvoqve imperaturum, ut ad eundem scopum connitantur. Præsens qvippe tempus admodum opportunum videri ad aliqvod operæ pretium circa commoda Protestantium faciendum, si ipsi, velut qvi utraqve in Saxonia plurimum valeant, consilia junxerit. Bremenses porro turbas non solum apud Pontificios tacita gaudia, ac forte longius spectantia consilia, sed & apud Protestantes non modicus suspiciones excitare, ut qvi nondum digestis præteriti belli malis etiam umbram novarum turbarum, & quæ illis fomitem præbere possint, horreant. Unde se communes ob rationes, & qvia nulla invidia aut suspicio in Regem cadere qveat, quæ non in se qvoque redundet, non posse qvin ipsi demonstret; longe consultius videri vel de jure suo aliqvid remittere, qvam arreptis armis civitatem ad desperationem compellere. Alias si ipse citra bellum, aut diffidentiam Protestantibus excitandam Regis commoda promovere qveat, nulli studio aut opera se parciturum. Ac certo confirmare, si Rex tuta seqvatur, ac moderatione Protestantium animos conciliet, ampliora & in futurum utiliora, qvam sumtis armis obtenturum.* Qvod si legatus interrogetur, qvid Elector, ubi Bremæ vis intentetur, facturus sit; negaret sibi in eam rem qvid mandatum, qvod Elector haut crediderit, ad arma iterum redeundum: autumare tamen hunc nil factu-

Ejus manda[ta] 23. Oct.

1654. factorum, legibus Imperii repugnans. Cæterum eo firmiorem spem esse, officium salva Regis autoritate susceptum haut fore infructuosum, qvod Slippenbachius asseveraverit, Regem haut pertendere, ut præsidium urbi imponatur, sed ut omnia in statum, qvi sub prioribus Archiepiscopis fuit, restituantur. Ac amplius qvid saltem affectari rebus Protestantium noxæ futurum. Ubi legatus deprehendat, hisce monitis locum dari, ac Regis consilia cum pace Imperii, & Electoris rationibus conspirare, dextre exploraret, qvonam arctior illa conjunctio à Slippenbachio insinuata, spectet, & qvæ ejusdem leges statuantur. Ast si de portubus Electoris mentio injiciatur, velut boni publici intersit in Regis potius, qvam Electoris manu eos esse, mature insinuaret; *nullas unquam tam speciosas conditiones proponi posse, quibuscum illos permutare velit; utpote in quibus præcipua securitas sui status consistat; & pro quibus tuendis reliqua omnia periculo expositurus sit.* Deniqve qvia bellum in Polonos nunqvam tanta modestia geri qveat, qvin inde Electoralibus ditionibus gravis calamitas incubitura sit, id bellum summo studio dissvadere niteretur; simul ostenderet, *id firmissimum fundamentum arctioris cum Electore conjunctionis fore, si Rex eo solo seqvestre circa componendam litem Polonicam uti velit, qui non minus juris & æqvi, quam amicitiæ cum Rege rationem habiturus sit. Sane opportunum magis tempus hisce tractatibus vix optari posse; ac à Polonis Electorem præcipue respici, ne is spe amicæ transactionis deficiente aliam viam rebus suis in tuto collocandis ineat. Ac ob amicitiam, quæ ipsi cum præcipuis Senatorum intercedat, plus autoritate sua effecturum, quam qvemvis aliorum Principum.* Addebatur, ut legatus exploraret, qvomodo Regis amicitia cum Mosco & Hispano sese habeat; id qvod nosse sua intersit, anteqvam ipse eidem arctius innectatur. Tum qvi sint secreti articuli fœderis nuper cum Cromvello initi: qvis scopus scripti recens publicati super actione Domus Bipontinæ in Juliacenses provincias, & num qvid consiliorum inter Bipontinum, Birkenfeldensem, & Sulzbacensem cusum fuerit. Deniqve num à Cæsare quid super futura electione Regis Romanorum ibi motum, & qvæ Regis super ea mens sit.

Instructio mandata. §. 4. Præter ista Dobrzenius Regi secreto exponere jubebatur: maxime sibi in votis esse solidam inter se atqve Seciæ regnum amicitiam stabiliri. Nam & coniunctionem Principum Mare Balticum accolentium & suam & omnium Protestantium securitatem admodum firmare, ac inimicis non parum terroris incutere; eoqve publice & privatim utriqve utilissimam, dissidium quam maxime noxium esse. Qvod si igitur Rex de suis destinatis Electori pandere velit, hunc eadem, modo paci Westphalicæ, suæqve conscientiæ non adversentur, sedulo promoturum, ac saltem ne qvis è Germania tergo ipsius ingruat, prohibiturum. Qvo fine ipse non solum exemplo Seciæ cum vicinis Principibus fœdus sit initurus; sed & ita res suas jam disposuerit, ut promissa sua repræsentare in proclivi sit. Et qvia Moscorum in Lithuania progressus sibi non modicam curam injiciant, optare se, ei periculo junctis viribus obviam iri posse. Præterea cum ipse perceperit, à Polonis conditiones æternæ pacis Seciæ offerri, se ad negotium id absolvendum Polonos enixe hortaturum non sine minis, ob prava istorum consilia periculo se sua haut expositurum, & ni æqvas leges admittere velint, alia ratione securitati suæ consulturum. Ast si Rex ad consilia sua executioni danda portubus Electoris opus sibi esse significet, declararet; *qvi istos affectet, amicum ipsi esse non posse: ac si boni publici ratio habeatur, sibi necessitatem haut imponendam credendi, suam perniciem tam plausibili prætexto qværi; nec pollicitis de restituendo à se fidem adhiberi, quando exemplum Pomeraniæ nondum memoria exoleverit. Quod si autem Regi placeat super commerciis, navigatione, & aliis institutis mentem suam declarare, se facile studium suum erga Seciam adprobaturum, modo & suæ securitati caveatur. Ast ubi vis portubus istis intentetur, qvicqvid virium sibi fuerit, opponendum, excitis undecunqve auxiliis. Qvo casu qvid damni Protestantium rebus, simul qvid emolumenti illis proventurum sit, qvi utriusqve exitium optant, Regi non obscurum esse. Se tamen haut qvidqvam exemplo Patris blandis sibi verbis os sublini passurum; ac ni solide agatur, haut inventum iri, qvi istorum ludibriis sese præbeat.* Deniqve si qværatur, qvid Nicolaus Byzæus Berolini egerit, qvi cum formula fœderis è Belgio in Poloniam profectus fuerat, responderet: Electori de isto negotio antea nil constitisse, ac in ea formula non pauca esse, qvæ sibi displiceant. Sed quod ipse cum Belgis, aliisqve ad suam securitatem qvid conferre valentibus, rationes ineat, neminem vitio daturum, cum præsertim palam jactetur suas ditiones affectari. 1654. de Bye.

Dobrzenii negotiatio in Secia. 21. Nov. §. 5. Dobrzenio in Seciam delato prima disceptatio surgebat super titulo ad eum modum, qvem Slippenbachius proposuerat. Nam reponebatur; non alium titulum Regibus, qvam *Serenissimorum* dari, qvos aliqvo discrimine reliqvos Principes diadematis honore non fulgentes eminere par sit. Nec se Poloniæ exemplo moveri, electitii Regni, & cujus origines vix sexcentos annos attingant. Velle se tamen in gratiam Electoris exteriore inscriptione titulum *Serenissimi* exprimere, sed intus *Celsitudinis Electoralis.* Id si Electori non sufficiat, tantisper antiqvis formulis utendum, qvoad deinceps super ea re conveniatur. Nam mirum desiderium Regem tenebat audiendi, qvid iste allaturus esset. Ita literæ fiduciariæ cum titulo *Regiæ Dignitatis* exhibebantur. Ad primam propositionem Rex respondit; *gratam sibi hanc testationem amicitiæ tantopere sibi æstimatæ, quam & certum sit ipsa vicinia commendatam indefesso studio colere. Simul generosam ejusdem constantiam circa sustinendas Protestantium res enixe fulturum; & quæ heic errata admissa sint, quæ ipse privatus perspexerit, sed quorum causæ ex parte ipsum lateant, reparare laboraturum.* Addebantur qverelæ de Saxonis frigore, ac Palatini debilitate: contra Brunsvicensium, & Wurtenbergici fervens studium laude dignissimum.

1655. Se qvidem suis, qvos Francofurtum missurus sit, mandaturum, ut cum Electoralibus pro libertate Imperii, & salute Protestantium, consilia ac suffragia jungant. Et qvia Elector è primariis Imperii membris sit, sibi autem inter Principes duntaxat sententia dicatur, ipsius se vestigia libenter secuturum, qvod liberiores suæ pro republica sententiæ statim in suspicionem trahantur. Bremense negotium ocyus componi sibi maxime in votis; sed qvia adpareat aliis manus in pugnam prurire, sibi qvoqve indecorum formidinis qvid ostendere. Alias regnandi recentem pace frui malle; qvam experiendo didicisse labores belli, & ancipitem armorum fortunam. Super componenda lite Polonica cum noster moveret, Rex regerebat; *optare se iam dissidium radicitus sublatum. Et cum republica qvidem haut arduum fore convenire; sed Joannem Casimirum bis tractatus elusisse; ac si iste ita agere pergat, vix se id toleraturum. Eqvidem proxima æstate super tractatibus mentionem injectam, sed non alio fine, qvam ut tempus æstivum extraheretur. Dolendam esse Polonorum conditionem; sed ipsos esse fortunæ suæ fabros, nec unqvam istis cordi fuisse bona fide cum Svecis decidere. Et qvi in itinere legatus esse dicatur, idoneis mandatis haut instructum; alias citra ambages negotio finem imponi posse. Et qvid animo iidem agitent, è postulatis Byæi apud Electorem propositis, de qvibus sibi constet, satis conjici posse.* Circa amplectendas Germaniæ res merito sibi caute incedendum ob suspiciones Ordinum in Sveciam; de qvorum etiam scopo, atqve constantia sibi cautum non sit, qvos & fere peculiaris commodi respectus in transversum rapiat. Unde & sibi haut consultum visum arma Inferioris Saxoniæ ex fœdere Hildesiensi adversus Bremenses excitare, qvod certorum hominum eminens circa affectandum in ista imperium cupiditas scrupulum sibi injecerit, ne ista in se verterentur, communi rumore idem asseverante. Unde gratum sibi, Bremenses turbas ad compositionem spectare, qvo & lætitia Catholicis, & inanis suspicio Protestantibus tollatur. Cæterum qvo clarius pellucebat, Svecos in Poloniam oculos conjecisse, eo magis arma ab Electore tanto studio parari suspectum habebatur; eoqve cum Dobrzenius laxioribus duntaxat verbis uteretur, distinctius super Electoris destinatis expiscari cupiebant, ac ut ab isto primum formula conciperetur, super qvibus Electori cum Rege convenire placeret.

Ulteriora circa Borussiæ portus mandata. 4. Jan. 1655.

§. 6. Porro qvia circa Borussiæ portus Electori maxima cura erat, hic denuo Dobrzenio injungebat, ut si à Rege super istis tradendis moveretur, id plane fieri non posse ostenderet. Per illos qvippe aditum pandi in Borussiam, atqve Lithuaniam, partemqve Poloniæ, penes qvorum possessorem facultas sit earum regionum commercia moderandi, autoritati apud amicos juxta atqve inimicos parandæ materia. Eosdem patrimonii principalis nobilissimam partem facere, unde promtissimus sibi ac certissimus proventus; qveis & status suus ibi potissimum innitatur, & communicatio cum aliis in Germania ditionibus contineatur, qvibus muniendis maximos sumtus impenderit. Et quia tale qvid petere, aut abnuere in se offensam habeat, operam dandam, ut Rex plane istis affectandis supersedeat; qvin si de qvantocunque eorundem pretio refundendo injiciatur, ne referre qvidem talia ad se audere asseveraret. *Sane quæ Slippenbachius tentandi gratia jecerit, in joci vicem accepta. Electorem nunqvam à fide & conscientia sua impetrare posse, ut hoc modo citra idoneam causam plus damni Poloniæ inferat, qvam huic tantis armorum successibus per Moscos illatum, interceptis simul vicinorum ac fœderatorum suorum commerciis. Fidem se plane atque autoritatem consumturum talibus adversus jurata pacta admissis, quæ & damno sibi, & ignominiæ insuper cedant. Quin ignaviæ ac vecordiæ probrum sese incursurum, si sub amicitiæ specie ultro huc descendat, quo nullus unquam Princeps nisi extrema armorum vi compulsus fuit. Traditis in alienas manus portubus secuturam tractus litoralis jacturam, & eximii juris, quo nemo Principum toto orbe gaudet, colligendi succini; perituros reditus alendo milite; provinciam deinceps Polonis prædæ futuram, qui nunc ob istos portus ipsum offendere, aut ad desperata consilia compellere horreant; impune deinceps jussa sua à provincialibus spretum iri, parato refractoriis hinc apud Svecos, illinc apud Polonos patrocinio. Deniqve per intensa vectigalia pressis commerciis è tota provincia parum sibi rediturum, ac Regiomonti vel extabescendum, vel ab iis pendendum, penes qvos portus sunt. Ita quod sub constantis amicitiæ, & singularis in se affectus specie proponatur postulatum, revera ita asperum ac noxium esse, ut à professo hoste post plenam victoriam nil gravius imperari queat. Ne Carolum V. quidem capto Francisco Rege tale qvid postulare ausum. Ipsos Svecos cum proximo bello Danum mari expulissent, existimationem orbis veritos Oresundam inter leges pacis haut retulisse. Nec Cæsari duriores conditiones latas, cum iidem Pragam insiderent, & Viennam terrore armorum suorum afflarent. Enimvero vinculum cognationis, & hucusqve à se acta longe amiciora à Svecis expectare jussisse. Etiam apertis dissensionibus & offensis justo dolori eam in se vim haut concessisse; ut qvid permitteret aut susciperet statui Sveciæ noxium. Qvin demum maluisse damnosas sibi, aut indecoras conditiones subire, qvam ad extrema rem deducere. Ratisponæ circa Bremense negotium præ cæteris Ordinibus Sveciæ se favisse. Ipsum provinciarum utrinqve situm amicitiæ mutuæ tantum non necessitatem imperare, quæ mutui instar munimenti sunt, ac amicitiam inter ipsos utriqve totum apud Imperium, omnesqve vicinos autoritatem circumponere. Contra Svecos talibus susceptis apud omnes Germaniæ Ordines sinistram suspicionem incursuros, non sine perniciosa Protestantium distractione. Denique nec ullum eorum, qvi maritima potentia pollent, id æqvo animo laturum. Firmata tamen inter ipsos amicitia super Borussiæ portubus ita constitui posse, ut Sveciæ multum commoditatis, aut saltem nil infesti proventurum inde sit. Frustra de æqvivalente occini, qvod nuspiam reperiri possit: ac Parentem suum, quo tempore Austriaci imperium Maris Baltici agitabant, oblatam ab his pro unico portu Pillaviensi totam Silesiam repudiasse. Eo absurdius*

1655. *Jurdius sibi visum à Slippenbachio talia ostentata, quæ nec comparati cum iis portubus qveant, nec adhuc in Svecorum potestate sint, sed demum sua opera non sine ruina propriarum ditionum adquiri debeant. Ac si, prout anceps est belli alea, successus fefellerit, existimationem juxta ac rem sibi perituram. Frustra qvoqve objici, Polonos debiliores esse, quam ut ejusmodi offensam ulcisci audeant, aut possint. Nam eos ad extremum cessa Smolenscia, & Severiensi provincia pacem redimere posse, omnesque deinde vires in Borussiam effundere, contumeliosis ipsi actionibus intentatis.* Istæ rationes à Dobrzenio Senatoribus qvibusdam insinuatæ efficiebant, ut tunc qvidem Holmiæ de portubus istis sileretur; qvi & valde sibi improbari ferebant inconsideratos Slippenbachii sermones præter mandatum jactatos, qvi Regi qvoqve non parum displicuerint.

Elector Svecis est suspectus. 8. Jun. §. 7. Porro non minus Elector Regi, qvam hic isti suspectus erat, idemqve ultro in culpa esse arguebatur, qvod nondum arctior inter ipsos conjunctio, communi securitati inservitura, facta sit. Cui accusationi retundendæ Elector Dobrzenium jubebat Svecis demonstrare: post restitutam Pomeraniam se aliqvoties super receptione in fœdus Hildesiense movisse; circa qvam Sveci valde frigidos se exhibuerint, exiguo qvoqve studio in arma Inferioris Saxoniæ ostenso. Unde sibi parum decorum visum frustra se istis obtrudere. In conventu Circuli haut placuisse ea de re movere, ne unum negotium alteri impedimento foret. Post conventum cum ad tractatus accedere voluisset, Brunsvicenses defectum mandati excusasse. Se tamen utiqve arctius Regi innecti cupere, qvam pro modo fœderis Hildesiensis, ac mutuam defensionem stipulari omnium ditionum conterminarum. Qvo fine octo militum millia scribere decreverit tuendis suis finibus adversus late grassantia Moscorum arma, jam propius Borussiam moventia. Qvæ cum neminis offensam spectent, in suspicionem trahi non debeant; præsertim cum ipsi Sveci, aliiqve Imperii Ordines exemplo præiverint, ac Lotharingi, Condæiqve in fines Germaniæ irruptiones causam dederint, ne istas famelicas catervas Cliviæ infundendi libido subiret. Ac ista arma Regi qvoqve emolumento cedere posse, si arctius adstringere amicitiam is velit, cui ipse semper paratus sit. Qvin mirum sibi videri, si ad tantos Moscorum progressus Rex qvietus desideat, ac non potius ei bello componendo operam navare, partiumqve vires in æqvilibrio tenere instituat. Vicissim & illud Electori scrupulum movebat, qvod cum Slippenbachius tam multa super fœdere jactasset, nunc Sveci ad Dobrzenii propositionem præter laxiora verba nihil reponerent, ipsumqve non nisi variis qvæstionibus exercerent, cum tamen ipse sententiæ mutandæ nullam ansam præbuerit. Qvia igitur Electoris valde intererat qvamprimum nosse, qvid eo futurum sit, Dobrzenius aperte jubebatur qværere, qvo fœdus illud spectarit, & qvæ ejusdem leges proponantur? Nam & Svecicus minister Wolfsbergius Berolini de arctiore fœdere multa jactabat, qvod digesta prius materia solenni post legatione sit absolvendum. Cæterum qvia interim Morstinius è Polonia Holmiam pervenerat, Electori consilia sua ad successum negotiationis istius attemperanda erant. Cujus circa literas fiduciarias etsi Sveci scrupulum movissent, ac ideo accessum ad Regem negarent: tamen qvia Poloni Lubecæ nostris legatis omnia officia exhibuerant, Elector jubebat, ut Dobrzenius istum inviseret, & qvantum posset ejusdem negotium promoveret; tum ut penitius Svecorum destinata expiscaretur. Morstinius iste asseverabat; errata literarum unice scribarum ex incuria irrepsisse, ac Polonis pacem utiqve cordi esse; qvi & solo Electore sequestre uti velint. 1655. *Morstin.* *27. Jun.*

§. 8. Enimvero Svecis non minus cordi erat, è Dobrzenio Electoris destinata exsculpere. Unde Ericus Oxenstierna Cancellarius magnifice præfatus de fiducia, qvam Rex in amicitia Electoris collocarit, tum de utilitate, qvam Svecia ex eadem intra & extra Germaniam capere possit, nosse cupiebat, qvo consilia Electoris utrinqve spectent. Cui noster: intra Germaniam ei curæ esse, ut libertas Imperii, salus Protestantium, & propriæ ditiones salvæ sint. Extra Germaniam maxime in votis esse, si opera sua pacem inter Sveciam, Poloniamqve conciliare detur. Ad qvæ Oxenstierna: Polonis pacem cordi haut esse, è formula fœderis à Byzo venditata, & tam vitiosis literis, qvas Morstinius attulerit, adparere. Mox & Dobrzenius expetito Regis colloqvio super fœdere per Slippenbachium proposito confirmabat, ab Electore id summopere expeti; ac ut Regi placeat super ejus conditionibus mentem suam pandere. Rex non minus desiderium ejus fœderis absolvendi præ se ferre. *Sed qvia Electori Germaniæ status optime sit perspectus, qva parte is medicina indigeat, ac sibi ad ipsius egregia consilia merito respiciendum sit, se cupere ejusdem sententiam prius cognoscere. Nam cum sibi haut liqvido constet, qvid consiliorum in Germania agitetur, in præsens nil aliud posse dicere, quam se præclara Electoris destinata, ubi de iis sincere indicatum fuerit, pro viribus fulturum, eoqve fine cum eodem arctiori nexu jungi cupere.* Inde multis de pervicacia ac ludibriis Poloni qveri, qvicum amice transigere valde optarit; ac sat aperte Canasilio ostendisse, qvæ via terminandæ controversiæ sit ineunda. Sed postrema missione adparuisse, Polonis nunqvam cordi fuisse bona fide secum transigere. Ita necessitatem sibi allatam alia ratione securitati suæ prospiciendi. Ac sperare Electorem nullo modo ipsi adversaturum, cui vicissim super amicitia cauturus sit. Dobrzenius contra Electoris operam circa conciliandam pacem offerre, ac spem facere, abunde Regi satisfactum iri. Sed hic nil aliud regerere, quam modum agendi à Joanne Casimiro adhibitum isthanc operam inanem reddere, de qva & sero jam fere cogitetur. Gratum tamen sibi fore, si Elector Polonum ad æqva admittenda permovere possit. Inter hæc per Sveciam omnia paratu armorum strepere, etsi qvis iisdem petendus esset *Utrinq; circa alterius mentem explorandam satagitur.*

1655. esset, publice nondum cognitum foret. Vero tamen simillimum videbatur in Poloniam oculos conjici, debilem, & interna discordia distractam, Borussis qvoqve animo fractis, & qvorundam Polonicorum ductorum in Svecos inclinatione. Nec inolitum apud Svecos in Polonos odium nullis rationibus convellere aut emollire dabatur, qvia talia differentes aversabantur, velut occasionem rei tam bene gerendæ intercipere conantes; ac inter arma multo honestius de pace agi. Interim de portubus nullum verbum; ac subinde de Regis in Electorem affectu iterabatur.

Elector consilia in futurum disponit. April. §. 9. Ex hisce satis judicavit Elector, gravem tempestatem in vicina erupturam, qvam si avertere non daretur, saltem suas res in tutum subducere rationis erat. Eam ob causam Consiliarios suos, qveis ad intima reipublicæ accessus patebat, præsentem rerum faciem probe expendere jubebat, ac sententiam suam exponere, qvod in omnem eventum videatur suscipiendum; præsertim cum multi cavillarentur, Berolini consilia vacillare, nec firmum iis scopum præfigi; qvam ob causam & aliis curæ non esse ad eadem se componere. *Conjecturæ de scopo armorum Svecicorum.* Ubi prima disqvisitio erat, qvoniam nondum certo constabat, num Polonia utiqve à Svecis peteretur, cum non minores rationes ad invadendum Moscum invitare deberent, ratiocinando investigabatur, qvid super Svecorum destinatis vero simillimum foret. Sane durum creditu videbatur, à Svecis inducias abruptum iri, qvibus sexennium adhuc restabat. Ac utut nonnulla adversus pacta à Polonis admissa arguerentur, iisdem tamen pactis modus præscriptus erat talibus citra arma componendis; præsertim cum à Polonis rupturæ metus non sit, qvam præverti alias prudentia suadeat. Id qvippe in universum habere omnes respublicas, ut ob tarditatem motus ab iisdem neqve promta sperare auxilia, neqve repentinam invasionem metuere debeas; ac minime omnium apud Polonos, ubi omnes Nobiles ad publicas consultationes admittuntur; eoqve fieri non potest, qvin tanta in multitudine ne unus qvidem reperiatur, qvi tam pravo & periculoso consilio contradicere audeat. Ac illos usqve adeo ab alienis invadendis abhorrere, ut ante aliqvot annos per Senatores rationem ineundam svaserint coercendi intra certos terminos diffusi nimium imperii. Reges qvoqve circumscripta admodum potestate haut idoneos esse ad Regni fines novis incrementis proferendos: ac nunc insuper Regem inter atqve Ordines grave dissidium gliscere. Supremos militiæ Polonicæ Duces senio debiles, & modica autoritate: Lithuanos inter se discordes agere. Peditatus magnam penuriam, & ob afflicta commercia argenti egestatem. Ne Moscis qvidem, & Cosacis repellendis vires suppetere. Qvin nativam gentis superbiam eousqve à cupidine paris victam, ut ultro missis in Sveciam legatis eam ambire decreverint. Contra apud Svecos etsi inferiores qvoqve Ordines, & qvorum in aliis regnis ratio non habetur, ad publicas consultationes vocentur; tamen experientia constare, eos fere in speciem adhiberi, & maximi momenti negotia à sollis Regibus, & Senatu etiam contra istorum sententiam decerni. Sed & apud hosce diuturna pace raro statum citra intestinas turbas fuisse, qvibus avertendis externa bella inter remedia sint. Regem ipsis esse ætate vegeta, animo intrepidum, audentem, qvi magnum desiderium jam ostenderit per arma inclarescendi. Esse ob priorum temporum successus tantam sui fiduciam, velut ipsam fortunam in sacramento habeant. Ac sane nuper Bremense negotium melius successisse, quam plerisque creditum fuerat. Sveciæ quoque situm istos ad alios lacessendos invitare, quod etiam adversam fortunam expertis nemo vindictæ exigendæ causa illuc penetrare possit, aut velit. Ipsis qvoqve persvasum haut temere commodiorem occasionem dari posse, qvam qvæ nunc sese ostendit, dum vicini vel aperta invicem hostilitate distinentur, vel prioribus bellis fatigati nova horrent. Ac talia ipsos sermonibus non obscure amplius jacere; simul militem magno studio colligere, ac oblatum circa pacem officium frigide acceptare. Luxu denique suo ita exhaustos, ut ejus alendi non nisi per monopolium commerciorum spes sit. Porro ab iisdem neque Moscum neque Cæsarem respici indicio esse, quod tractationem cum Polonis declinent, ac Electoris fœdere cum Belgis offendantur. Neque tamen deerant rationes, qvæ bellum Svecis dissvadere poterant. Anceps admodum esse Regem imperio recens suscepto, nec dum per sobolem firmato, in longinquum bellum descendere, relictis domi, qui & ipsi coronam affectare non dubitarant. Ac statum simul, existimationemque aliæ exponere; aut per onera, quæ bellum quodvis comitantur, civium animos, ac inprimis agrestium alienare, quos adhuc à priore bello armorum tædium ceperat, novis oneribus impositis facile frænum morsuros. Haut minus periculoso, si Duci cuipiam præcipuæ Regni vires in manus tradantur, præsertim revocata donationum à Christina factarum parte non paucis offensis: cum contra constituta æterna cum Polonis pace & Regis, & Regni status egregie firmari posset. Atque istam ex voto obtinendi nunc occasionem mire blandiri, Electore in id incubituro, ut non Livonia solum Svecis relinqvatur, sed & pars Lithuaniæ, & successio olim Curlandiæ adjiciatur. Esse quoque jam Electori valida arma, non modicum momentum, cui accesserint. Tum nec Belgas, nec Anglos passuros, sua commercia in Mari Baltico turbari, aut intercipi, ac ejusdem arbitria ab uno vindicari. Non omissurum quoque Cæsarem, atque Danum Svecorum vires distrahere, præsertim ubi fortuna vacillare incipiat. Ac semel calamitate aliqva debilitatis omnes, qui odia per metum hactenus pressere, pariter insurrecturos. Denique neque Galliæ expedire, ut vel Svecia bello Polonico implicita existimationem, viresque suas prodigat, vel cupitis petita plenum Maris Baltici imperium sibi rapiat. Libratis tamen in utramque partem rationibus tutissi-

1655. tutissimum videbatur omnia ita disponere, velut utique Svecis cum Polonia bellum futurum sit, ac præcipue, insuper habitis verborum blandimentis, reipsa Borussiæ securitati prospicere. Sane jam tum, quando super vectigalibus Pomeraniæ disceptabatur, animadverti potuisse, ipsos ad Borussiæ portus animum adjecisse. Ac memorari consilium Regi ab Axelio Oxenstierna datum, ut omnibus portubus a Riga Lubecam usqve occupatis viam sibi ad imperium Germaniæ muniret. Quia porro aliquot annis opus videbatur subigendæ Poloniæ, siquidem ejus possessio firmanda foret; id Rex primo acturus videbatur, quomodo Electorem ad amicitiam, & armorum conjunctionem pelliceret, quod maximam Regni partem in potestatem redegisset. Eo facto vel decuplo majores subactæ Poloniæ portiones ablaturus erat situ ipsi minus opportuno pro istis portubus, quando jam eo provectus foret, ut preces suæ imperii vim haberent. Porro cum in ingens alicui adpetitus apud eam nationem sentiretur, haut defuturum erat prætextum abrumpendis cum Polonia induciis. Sane multos ante annos à Svecis palam jactatum; violatis totiens per Polonos induciis se non amplius teneri, ac bellum, ubi occasio arrideat, instaurare sibi fas esse. Ast hæc præcipuum ad ardua tentanda incitamentum, nunc mire arridebat, conditione Poloniæ longe deteriore, qvam sub prioribus Regibus fuerat. Uladislao prudentiæ & constantiæ affatim fuisse, cui Joannes Casimirus nullo modo comparandus sit. Et quamquam adversus istum quoque Ordinum diffidentia fuerit; eidem tamen artes hisce fundandis suppetiisse. Et tanto studio arma parari non poterant, maximo oneri futura, ni ex alieno alerentur.

Num quid à Polonis periculum immineat?

§. 10. Nec minus circumspiciebatur, num à Polonis periculi quid Electori immineret, non quidem quod probabile foret, ultro hostile quid in Electorem ab istis tentandum, sed ne forte istos necessitas subigeret ad aliquid Svecis annuendum, quod huic fraudi cederet. Sane Moscum magnos jam in Polonia progressus fecisse, ac majores facturum metui. In Polonico exercitu confusionem ac discordiam gliscere, non modica quoque inter Regem & Senatores diffidentia. Quod si insuper Svecus integris viribus novus hostis ingrueret, aut Mosco sese jungeret, præsens exitium Reipublicæ Polonicæ imminere videbatur, oppressa penitus Ordinum libertate, quæ vita carius æstimatur. Huic malo declinando metus erat, ne durissimis licet conditionibus cum Svecis deciderent, in lucro habituri, si partem de alieno solvere possent. Sane diversis è locis referebatur, Polonos per Fridericum Holsatiæ Ducem Regi Sveciæ insinuasse; siquidem hic Moscos Polonia iterum ejicere, ac recuperata ab hisce loca Poloniæ restituere velit, se non solum actioni in Sveciam & Livoniam renuntiaturos, sed & dominium directum in Curlandiam, & Borussiam Svecis concessuros. Quin à multis annis apud Polonos consilia fuisse agitata circa subducendam Domui Brandenburgicæ Borussiam. Id si fiat, ingens periculum Electoris in Borussia status incurrebat. Sveci enim sine dubio jus istud suum latius extensuri, atque hunc longe arctioribus limitibus circumscripturi erant, potentia maritima facultatem suppeditante: nec omissuri partem vectigalium, & directionem commerciorum sibi arrogare. Ordinum quoque provincialium animis ob similes ritus sibi conciliatis. Nec parum autoritati Electoris decessurum erat, si alteri ex Imperii Ordinibus fiduciario nexu illigaretur, cujus non potentia solum, sed & obligatio respicienda foret. Quanquam vix verosimile videbatur, Polonos unquam ad hanc conditionem descensuros, quippe quorum summa rerum fere à Borussia dependeat. Quia tamen his temporibus nihil contemnendum sit, apud Regem Daniæ, & Holsatiæ Ducem per Byzæum, qvi è Polonia in Belgicum regressus apud hos diverterat, explorandum, num quid solidi istis rumoribus subsit. Interim quantum possit operam dandam, ut induciæ salvæ persistant, quarum præstatio Electori ex pacto incumbebat. Id quod & in procliui futurum erat, si Electori idoneæ vires forent, quibus utrique parti formidabilis esse posset. Sed nunc nil intempestive movendum, ne alienum periculum in se derivaret; sed speculandi prius erant successus rerum, quo Svecorum arma tenderent, qui Polonis ad resistendum paratur, quæ in pacem studia. Eoque præsentissimum periculo declinando remedium habebatur, partibus in pacem permovendis sequestrem sese interponere. Cum enim ex unione illorum Regnorum Electori commodum juxta atqve detrimentum provenire posset, id suscepto isthoc officio temperare, aut prævertere licebat; aut saltem partium inclinationem explorandi, ac utrinque autoritatem parandi occasio præbebatur.

Num Electori ex hoc bello lucri quid captandum?

§. 11. Id igitur vero simillimum videbatur, Svecos tam pulcram occasionem, forte nunquam redituram, invadendi Poloniam arrepturos, aut saltem hujus hostibus auxilia laturos; aut irruptionem simulaturos Polonis ad cupitas sibi conditiones compellendis; forte & antiquam viam occupatis Borussiæ portubus repetituros. Vicissim & miser Poloniæ status parum spei præbebat ad imminentem calamitatem citra damnum declinandam; quin è duobus malis minus eligendum, ac vel Cæsarem, aliosque duris quantumvis legibus in auxilium evocandos, vel à Svecis enormi precio pacem emendam, Electori quoque fraudi cessuram, ut istos in Moscum sibi adjungant. Inter hæc ancipitia, qvæ huic consiliorum ratio foret ineunda, ac ad quem scopum collineandum, ardua disceptatio erat. Nam satis foret sua conservasse, atque extra belli molestias subduxisse, neutri patri auxilia ferentem, aut offensæ ansam præbentem? An vero occasio vel arripienda, vel affecta sit amoliendis oneribus, quæ dependens adhuc è supremo Poloniæ jure Borussia generabat? Sane commissionibus, adpellationibus, controversiis circa fines, aliisque multis exerceri grave erat, cum

1655. cum contra suffragium in Comitiis in dubium revocaretur, saltem interregni tempore quantivis futurum, ut Regni candidato necessum foret favorem Electoris ambire, & ad ejusdem commoda vicissim promovenda se obstringere. Num denique inter turbida ista ad proferendos fines connitendum foret? Ubi id quidem extra dubium habebatur, quin Electori omnibus modis connitendum esset, ut sua tueretur etiam excitis illorum auxiliis, quorum intererat, ne Borussia in alienam ditionem incidat. Idque licitum fore etiam adversus Polonos, si & hi quædam in ipsius damnum moliantur. Equidem utilissimum esse Svecorum amicitiam conservare. Sed quin, ubi Borussiam invadere instituant, vi sint arcendi, dubium non esse. Ubi autem alia via quam per Borussiam in Poloniam penetrare instituant, haut necessarium esse Electori, protinus arma istis opponere; sed id sedulo agendum, ne ad evertendam Poloniam invalescant, Electoralem quoque provinciam in appendicis vicem abrepturi. Tum partem, è qua maximum periculum metuitur, tamdiu obliqua via debilitandam, quoad æquis conditionibus admittendis promtam sese exhibuerit. Super amoliendis è Borussico feudo molestiis non omnium eadem sententia erat. Quidam enim disserebant; Borussorum animos magis clementia & lenitate, quam per rigida imperia concilianda. Plus potentiæ Electori accessurum, si earum ditionum, quas jam possidet, statum probe digerat, quam si quædam novare, aut plura adquirere nitatur. Nec tanti esse aleæ quid exponere, ut plus autoritatis & potentiæ apud Ordines Poloniæ, aut Borussiæ adquiratur, cum id tractatis per prudentiam animis facile obtineri queat. Ac sæpe, dum umbra captatur, ipsum corpus amitti. Sed Georgius Fridericus Waldecciæ tunc Comes vehementer svadebat, ut Elector hac rerum conversione nexu fiduciario apud Polonos exsolvere sese studeret, Nam in universum potius haberi sui juris esse, quam alteri obnoxium agere; ac grave magno Principi, advocatorum fisci, & cognitorum Regiorum importunitatem experiri. Cumprimis intolerandum magno Electori, per ipsos natales tam insignium ditionum domino, in verba Regis jurare, qui favore Senatorum, aliquando & pravo ambitu regno potiatur, in quo modica ipsi autoritas, ac multa sæpe indigna toleranda. Sed eo nexu solutum Electorem imperium Borussiæ ad justi instar Principis ex placito gesturum, ac in Germania, alibique sua destinata promtius executurum. Contra persistente ista obligatione ipsi nunquam de ea provincia satis cautum esse. Nec ignotum, uti Sigismundus Rex quondam una cum Cæsare agitaverit, quomodo Domum Brandenburgicam non Borussia solum, sed & ipso Electoratu exueret. Nec deinceps defuturum, qvod malevolis prætextum facessendis molestiis præbeat. Denique hoc modo è secundo gradu in primum procedi. Ast ut super adquirendis quibusdam Poloniæ partibus satagatur; id nemini consultum videbatur; cum quibusvis constaret, quam ancipitis aleæ negotium esset, aliis sua vi armisque ereptum ire; nec in medio quid expositum foret, quod citra alterutrius offensam arripi posset. Electorem quoque salva conscientia ex fine cum Svecis arma sociare haut posse. Nec tali conjunctione portubus ipsius satis caveri adversus Svecorum aviditatem, quos metus sit ne eosdem in firmamentum fœderis stipulari velint. Nondum quoque iisdem de plena à Polonis victoria cautum esse, qui nec victi adhuc sint, ac sæpe victis in præcordia virtutem redire; ac sæpe initia belli à fine toto cœlo differre.

§. 11. Anquirebatur etiam, si res non ferat utriusque conjunctionem declinare, utrius fœdus potius amplectendum videretur? Ubi ab utraque parte graves sese rationes ostendebant. Nam Poloniæ juxta atque Electoris interesse, Borussiam non minus adversus actionem Magistri Ordinis Teutonici, & Imperii, quam incursiones aliorum tutam præstari; quo fine tamen Elector modica auxilia conferre tenebatur, nisi qua extrema necessitas urgeret. Quo vinculo & Polonorum animi Electori conciliabantur, sic ut vel unius amici inter istos opera quævis Regis aut Senatorum inimica consilia infringi possent, accedente unius ministri industria, & modica pecunia. Insuper Lithuaniæ, & Majoris Poloniæ incolis ob Borussiæ portus ad Electorem respiciendum. Nec ita avidos esse commerciorum, aut lucri Polonos, ut circa ista quid novare cupiant. Reformatos, & qui alii in Polonia à ritibus Romanis dissentiunt, in eundem favore propendere. Multos proceres ipsi amicos, generosorum consiliorum amantes; quosdam & cognatione implicitos. Interregno existente spem eidem esse corona potiundi, saltem in electione quæ sibi expediant stipulandi facultatem dari. Esse id Regnum antiquum, legibusque stabilitum, eoque plus fidei & constantiæ ab isto expectandum. Denique idem ad recuperandam aliquando Pomeraniam non parum conferre posse. Præterea judicio orbis Poloniæ causam probari, velut quæ nullam ob idoneam rationem impetita innoxiæ defensioni operetur, ac utcunque erepta pacis causa cedere velit. Æque Poloniæ atque Electoris interesse, ut gliscens Sveciæ potentia prematur, utque illa è præsenti calamitate emergat, quo fine si Elector operam navet, amplissima ipsum præmia mansura. Quæ, & plura alia magna specie jactari poterant, ni id maxime cavendum foret, ac intempestive ostentato in Poloniam studio Elector recentia Svecorum arma in se averteret, ac alienæ se calamitati velut piacularem victimam subderet. Ast Sveciæ conjunctionem commendabat opportunus utrinque ditionum situs, per quem nullibi promtius atque efficacius Electori, quam à Svecia auxilium accedere queat. Easdem quoque utrinque rationes esse circa servandas Protestantium res, pacemque Westphalicam, qua & Svecorum provinciæ, & Electoris præsulatus firmentur; ac illorum quoque interesse Ulteriorem Pomeraniam ob spem successionis salvam esse; tum

1655. tum ut libertas Imperii, & jura Ordinum illæsa perstent. Circa commercia quoque multa cum Svecis communia esse, modo prius super iisdem rite conventum fuerit. Periculum quoque à Mosco imminens Svecorum ope facile dispelli posse, postquam Polonia ipsa sibi tuendæ haut sufficit. Ex adverso apud Svecos non pauca occurrebant ab Electoris rationibus abeuntia. Penitis medullis infixa cupido Maris Baltici, portuumque Electoris, omniumque fluminum, quæ in istud mare exonerantur; queis potitos enormibus vectigalibus commercia oneraturos. Poloniæ imperio auctis plus facultatis ad nocendum accessurum. Ministros Svecicos jam haut obscure jactare; id agendum, ut Electoris potentia infringatur. Ubi Borussiam subegerint, Juliacenses ditiones affectaturos, quo pedem ad Belgarum fines figant. Quod si viribus suis confidant, haut omissuros tum circa alia, tum circa commercia leges dare. Ita incrementa Sveciæ, præsertim ubi Poloniam adquisiverint, in ruinam Electoris statum tractura. Sed nec consultum videri, cum Svecis super dividenda Polonia fœdus inire. Nam hos sine dubio potiores partes sibi vindicaturos, ac portus Borussiæ Electori extorsuros, oblatis in pensationem quibusdam mediterraneis locis; ac vel pueris societatis leoninæ indolem cognitam. Inter ancipitia hæc rationum momenta, & quia conjunctio cum Polonia Electorem in præsens exitium tractura videbatur, haut placebat saltem inter belli initia alterutri parti accedere, sed extra belli se consortia tenere, ac circa conciliandam pacem satagere. Nam ea ratione saltem partium consilia explorari, & omnia rerum momenta observari poterant, simul præcaveri, ne inter partes quid in fraudem ipsius concluderetur. Neque vero ulla ratio erat, quare is eo officio arceretur, cum contra inducias nil fecerit, nec in Borussia fieri passus sit: ac armis Svecicis sæpe inter magnas difficultates luctantibus, à Borussia distrahere eadem noluerit, utut aliis vehementer instigantibus. Ast ubi alteruter plane succumbat, eundum quo fortuna ducat, & felices colendos, miseros fugiendos, ac in tanta futurorum caligine ex eventu consilia moderanda. De cætero quia Electoris rebus utilissimum erat Poloniam in præsenti statu subsistere, ei servandæ omnis opera navanda erat, ut tamen ne propriam ipse rem euerteret, Ac interim summa vi arma paranda, quod nemini alterius conservatio tantopere cordi sit, quam sua cuique. Ac triste nimis documentum Elector ceperat, quæ conditio sit inermis duos bellantes desidentis, ac utriusque insultationibus expositi. Tum aliorum auxilia excitanda, queis vel ipsius, vel Poloniæ salus curæ erat. Sed quia successus belli in obscuro latebant, omnia rerum momenta trutinanda, & dextre vela ad ventum obliquanda erant, ac per incuriam navis ne everteretur, ac utcunque alea caderet, aliqva ratio expediendæ salutis superesset.

§. 13. Juxta hæc cumprimis necessarium videbatur ipsum Electorem in Borussiam se conferre, sed non prius quam ab exercitu probe foret instructus, qui securitatem juxta atque autoritatem eidem circumponeret. Sed quia Electoralis provincia tanto exercitui, quantum præsens tempus requirebat, diu alendo haut sufficiebat, Regia pars in partem oneris trahenda erat, oblata vicissim protectione; ut tamen caveretur, ne præmaturos conatus Sveci præverterent, aut hostilia in Electorem properarent. Sed statim atque Sueci in Poloniam verterint, ab Electore quantum possit opportunorum locorum ad Vistulam, & alibi occupandum, excusata apud Svecos securitate sui status, & quia iisdem ad communicationem cum aliis suis ditionibus opus sit. Polonis autem confirmandum, ea loca post pacem redditum iri. Tum hospitia quantum possint dilatanda, iisque ad firmandas copias utendum imperatis tributis, quorum invidiam coërcito intra modestiam milite mitigandam. Etsi ista commoda quamdiu licet rapienda sint, instabili istorum hominum fide, ubi calamitas aliqua accepta fuerit. Super istis porro Regem Poloniæ consulere haut expedire, ne vicissim auxilia sibi adversus Suecos stipulari velit, id quod Sueci in hostilitatis vicem accepturi sint. Deliberatum quoque fuit, num Suecis petentibus transitus per Electoris terras in Poloniam concedendus sit? Equidem per leges Imperii Ordinibus talem licentiam petere, atque concedere integrum esse: nec in præsens vires suppetere ad transitum prohibendum, quo & tentato belli malis Electoris ditio involvi possit. Potius tamen habebatur eum dissimulare, quam ultro annuere, ac apud Polonos prohibendi impotentiam excusare. Ast per Borussiam, ejusque portus transitus nullo modo concedi poterat, salvis cum Polonia pactis, per quæ vicissim Polonis haut licebat aliis in Ducalem Borussiam transitum indulgere.

1655. Borussiam abire placet.

De transitu Svecis concedendo.

§. 14. Sed & hoc in negotio ad Cæsarem erat respiciendum, ne ab eo Electoris rebus periculi qvid proveniret. Nam nuntiatum erat, Polonos à Cæsare auxilia quærere; id quod Electori periculosum erat ob vetustam actionem, quam Austriaci & Imperium in Borussiam movent. Et constabat, non paucos in Polonia solio vacaturo Cæsaris filium destinare. Ac in aula Cæsarea magno studio satagebant, ut Moscum Polonis conciliarent, polliciti, si iste pacem cum his inire velit, armis in alios conversis, omnia quæ ad Smolensciensem districtum pertinent, ipsi cedenda. Addebantur minæ, viam se nosse, qua Magnus Tartarorum Hamus per Astracanum ipsis immittendus sit, Svecis & Polonis ex altero latere incubituris. Cæterum quod Electori non expediret Leopoldum Poloniæ Regem eligi, in aprico erat. Nam quo minus virium futuro Regi à natalibus, & aliorum conjunctione foret, eo major & constantior Electoris autoritas & securitas istis locis futura erat. Ac gliscebat periculum, si idem quoque ad fastigium Cæsareum proveheretur. Igitur ut idem impediretur, Ordinibus Poloniæ demonstrandum erat, quam multis controversiis Domus Austriaca

Circa Cæsarem in hoc negotio consideranda.

1655. striaca sit implicita, Rempublicam quoque ipsorum intricaturis. Ac uti nil ipsis præstabilius sit tali Rege, summa rerum in eo vertatur, ut Regno quies, Ordinibus concordia constet. Et posse ipsos documentum capere è Joanne Casimiro, ac fratre Uladislao, & utriusque patre Sigismundo; qui dum de recuperanda Svecia agitant, in tantam calamitatem Regnum pertraxerint, cui alias parum à Svecia metuendum erat. Tum & de aliis candidatis cogitandum, qui & Austriacorum electionem aversentur, & ad eandem impediendam facultatis quid habeant. Ac forte re cum Evangelicis Senatoribus communicata Radzifilium ad affectandam coronam stimulandum. Qvin & Svecis parem scrupulum contra Austriacos injiciendum. Quod si & ob vergentem in dies in deterius valetudinem Cæsaris super creando Romanorum Rege moveatur, eam electionem omni studio declinare decreverat Elector, quoad in Borussia distractus teneretur; quo post per otium curare posset, quæ salus Imperii, & res Protestantium exigeret. Neque enim circa id negotium festinato, aut in arena capto consilio erat opus, uti proxima electione, quando detenta adhuc à Svecis Pomerania Cæsar utique devinciendus erat. Et ista electione, ac sequentibus Comitiis multa Elector didicerat, quæ Pragæ sperare haut poterat. Atque hoc super negotio cum Bavaro, Trevirensi, & Palatino consilia conferenda videbantur. Monuerant etiam aliqui, ne dum Elector in Borussia distringitur, Neoburgicus forte in Cliviciis provinciis negotium facessat. Sed plerique ab eo nil esse periculi judicabant, viribus destituto, & magis Electorem metuente. Nec Cæsar passurus erat, electione filii sui nondum liquida alicui Electorem molestiam inferri; præsertim cum idem summopere à novo in Germania bello abhorreret.

Elector Polonos ad pacem quærendam hortabatur. §. 15. Consiliis hoc modo digestis maxima cura erat copias augere, in quibus hac rerum facie præsentissimum præsidium habebatur. Inde omnis lapis movebatur, num inter duo Regna, antequam in arma erumperetur, Elector pacem conciliare possit. Qvo fine is & Gallum, Belgasque per literas hortabatur, ut ad idem negotium secum incumberent. Et postquam, quo Suecorum destinata tenderent, satis explorasse sibi videbatur, ut Polonos quoque, ad leges pacis, pro captu temporum necessarias magis quam decoras, disponeret, laborabat; qui inani fœdere cum Belgis agitato gravi suspicione Svecos perstrinxerant. Ejus fœderis formulam Hagæ cusam Nicolaus Byæus in Poloniam attulerat, quam inde in Belgium remeans Electori communicaverat, judicio hujus explorando. *11. Octob. 1654.* Cui ab hoc responsum: id fœdus altius penetrare videri, ac illud probe pensitandum, antequam certi quid statuatur; in quo & multa occurrant, quæ statum atque jura sua tangant. Unde se libratis hinc inde rationibus per ablegatum Regi sententiam suam expositurum. Nam & se id laborare, ut dudum agitato cum Belgis fœderi colophonem imponat. *14. Febr.* Post Polonorum Proceres per literas ab Electore petebant, ut si quid de Svecorum molitionibus innotesceret, ipsos moneret, ac aditus Poloniæ probe custodiret. 1655. Unde missus ab Electore in Poloniam Uladislaus Zarvadskius, qui ab ipso explorata communicaret. *Zarvadski.* Jussus est iste testari de solicitudine ipsius pro Rep. Poloniæ, *cujus conditionem eo magis doleat, quod ob insolitam diffidentiam & discordiam adparatus tantis malis avertendis deesse videatur. Se quidem ad sublevandam Remp. omnia, quæ penes se sint, & qua Rex occasionem præbere velit, collaturum. Nec se missionem ad Moscum, quam Rex desiderarit, recusaturum fuisse, si ulla spes operæ pretium faciendi allubuisset. Quod si deinceps Cæsar aut Gallus id negotium suscepturi sint, se istis libenter operam sociaturum. Ac sane præsentium temporum faciem svadere, ut cum Mosco vel iniquis conditionibus decidatur; quo idem armis, quibus nunc instructus est, exuatur, simul aliorum conatus reprimantur, qui præsentes turbas in suum commodum versuri videantur. Sane & si haut speret, Regem Sveciæ blandiente nimium occasione inductum inducias abrupturum; constare tamen à multis bellandi avidis eum stimulari; nec ab Ordinibus Regni sui ab eo instituto retrahi, velut qui domesticam quietem & securitatem armis extrinsecus occupatis firmari arbitrentur. Relatum quoque sibi, jam Christinæ tempore centum amplius facta apud Svecos annotata, queis Poloni pacta violasse arguantur. Quin defunctum nuper Cancellarium scriptum clarigationis vicem subiturum jam delineasse. Schlippenbachium quoque Berolini jactasse; Borussiam pulcherrimam esse regionem, ac dignam, ob quam tempus induciarum contrahatur. Sed nec in tractatibus spem reponendam, quos vel instaurare sint recusaturi obtentu vocabulorum semel atque iterum, quæ in pactis extant; vel iisdem licet susceptis leges admodum intensuri sint ne cessione quidem Sveciæ ac Livoniæ contenti. Quam grave porro Reip. futurum sit, si præter Moscos & Cosaccos Sveci quoque ingruant, in aprico esse. Quantum terrarum bello Cosacio evastatum? Nunc si Sveci ostia quoque maris claudant, suppressis commerciis reliquas provincias ad paupertatem redactum iri.* Igitur ablegatus inquireret, quos apparatus Poloni in eum eventum facturi sint, & qvid ab his sibi expectandum. Si ad fœdus cum Belgis agitatum provocent, quasi in eo utriusque securitati prospectum sit, Polonis ostenderet, quantis ejusdem formula defectibus laboret. Id totum fere navigationis securitatem, & commerciorum maritimorum libertatem spectare, quibus Polonia haut utatur. Promitti mutuum auxilium, non modo si navigatio & commercia penitus sufflaminentur, sed & si duntaxat iniquo onere premantur, aut si piscatura impediatur; & quidem si id non tantum contra jus gentium, sed & contra initas conventiones fiat. Sic revera hoc fœdus nil aliud futurum, quam evictionem pacti inter Anglos & Belgas nuper initi; quod onus nemo temere in se suscepturus sit, qui isto supersedere queat. Contra disertis verbis excipi intestinas seditiones, & bella terrestria, ad quæ Polonis maxime respiciendum fuerat. Unde si Sveci promittant, se commercia & vectigalia in præsenti statu relictu-

1655. licturos, Belgas vi hujus fœderis haut obstrictum iri ad auxilia Reip. ferenda, utut portus ejusdem aperta vi invadantur. Conventum quoque esse, ut auxilium demum post tres menses à facta notificatione, & post abruptos tractatus mittatur, nec ultra Idus Novembris continuetur. Si itaque Gedanensis aut Pillaviensis portus mense Junio impetatur, dum Belgis significatio fit, & adornatur tractatio, facile Julium mensem elapsurum, per ipsos tractatus facile tres menses consumendos: ita vix duas septimanas auxiliis ferendis superfore. Denique Belgas non alia lege ad auxilium se obstringere, quam ut viginti navibus à se mittendis pari numero classis Polonica se jungat; atqui hanc nuspiam adhuc adparere. Ast si Poloni universæ nobilitatis evocationem velut extremum refugium ostentent, demonstraret; *eam medicinam morbo ipso vix molliorem esse, velut vastationem totius Regni tracturam. Tum & constare turba invitorum hominum, nulla disciplina, disparibus armis, discordibus sententiis, exigua opera.* Quod si à se auxilium petant, exquireret; unde pecunia conducendo militi sumenda? Quæ cautio super refundendis impensis præstanda? Quid ab istis respondendum sit, ad se referret.

Major Polonia Electoris auxilium implorat. Opalinius Mart. Wolzog. §. 16. Vicissim ad Electorem Majoris Poloniæ nomine Christophorus Opalinius Posnaniensis Palatinus Ludovicum Wolzogenium mittebat, qui communicari peteret, quæ Poloniæ nosse expediret; tum consilium imminenti periculo declinando, simul auxilium exposceret, ac peculiariter militem & instrumentum bellicum firmandis limitaneis locis, cujus nulla sibi copia sit. Ac spem esse Electorem Poloniæ periculo non segnius quam proprio commotum iri. Cupiebat quoque ab Electore rumorem spargi, ipsum nunquam Rempublicam Poloniæ deserturum. Insuper ut consilium suppeditetur, qua ratione cum Daniæ Rege sit agendum, ut ex ea parte Svecis metus incutiatur, ipsique Dano demonstretur, quantum periculi eidem è nimiis Svecorum successibus immineat. Nec minus ut Elector operam suam apud Belgas interponat, conciliando inter hos, & Poloniam fœdere. Denique ut consilium præbeat, qua ratione tractatus de pace cum Svecis instaurari possint? Enimvero periculosum Electori videbatur, illorum defensionem suscipere, qui sibi consulere ipsis non possent; & quæ cum parte Regni conventura erant, lubrica habebantur; cum ad certi quid consilii capiendum consensu totius Regni opus esset, ac notitia, quid ab istis præstari possit. Igitur verbis laxioribus respondere placebat: *memorem se obligationis, qua Poloniæ obstringatur; nec auxilium suum ipsis defore, ubi intelligat, quid domesticarum virium iisdem in promtu sit. Ubi à tota Rep. quid petatur, ita acturum, ut affectum suum ei facile adprobet. Si Poloni ad Daniæ Regem mittere velint, idem se facturum; prius tamen sibi constare debere, quid conditionum isti proposituri sint. Nam cum sua quoque magnopere intersit, caute sibi procedendum, ne omnis spes quæsiti auxilii adimatur. Se apud Gallos & Belgas monuisse, ut securitati Maris Baltici prospiciant. Cumprimis noscendum sibi, quo copiarum atque pecuniæ paratu instructi sint. Nam inanem esse voluntatem viribus defectam. Tum concordia ipsis opus, & conspirantibus in unum consiliis. Sed ita crude ipsorum petito annuere sibi periculosum, & hoc modo protinus se cum Svecis committendum. Igitur suas prius vires expedirent; tunc se quoque manum admoturum.* Haut eo secius tamen Elector post Zarvadskium Majoris Poloniæ conventum adire jubebat, velut privatim sciscitaturum; quid Electori hac rerum facie præsidii ab ipsis sit expectandum. Si respondeant, Reip. suæ conditionem esse, ut ipsa Electoris auxilio indigeat, reponeret; parandis copiis præsenti pecunia opus esse: & hac etiam parata vix quenquam Polonicam militiam amplexurum ob confusam administrationem, tardam solutionem, & intempestivam parsimoniam exteris invisam. Si ab Electore copias sibi commodari cupiant, ostenderet; eum suo milite ipsum opus habere, cum tuendis Borussiæ finibus vix octo peditum, quatuor equitum millia sufficiant. Nec Germanum militem ita facile in alium transscribi posse, cum ductores data fide non ultra teneri se credant, quam quod conventa serventur. Ac neminem inter Electoris copias reperiri, qui non malit dimidium apud hunc, quam duplum apud Polonos stipendium merere: præsertim cum post missionem præfectos apud hunc alia munia maneant, quorum apud Polonos nulla spes sit. Quod si petant, ut Elector proprio milite proximos Poloniæ aditus custodiat, regerent: Anceps admodum Electori videri, inter tam perversa Polonorum consilia commercii quid cum his contrahere; eoque suam ipsi securitatem seorsim quærendam. Et quamdiu sua circa pacem officia à Svecis non plane rejiciantur, caute sibi agendum, ne speciem studii in alteram partem inclinantis præbeat. Quod si tamen ea super re apud Electorem instent, sine dubio petitis potituros. Enimvero apud istos nil proficiebatur, ac parandis armis tempora inter dubitationem frustra elabebantur. Aliqui instabant, ut Elector raptim tria militum millia iter ingredi juberet, tuendis limitaneis munitionibus. Nam iis à Polonico milite semel insessis, Electoralem deinceps militem cum ignominia exclusum iri. Ast Electori haut placebat, magnis sumtibus conductum militem in periculum projicere, nondum facta conventione, cui ineundæ Poloni locum, aut diem haut dixerant. Nec committendum sibi à Polonis credi, se etiam citra peculiare pactum ad ejusmodi auxilia ferenda teneri. Enimvero istorum plerique ultro scrupulos movere, in alios rem, aut in futurum rejicere. Tum exitum comitiorum sibi expectandum excusare. Limitanea quoque loca proprio custodire milite cupiebant, periculosum esse jactantes in ista externi Principis militem recipere. Sed Electorali milite in campo utendum; cui & annonam in itinere exhibere mos Poloniæ non ferat, Landsbergam delatis menstruum stipendium solvendum, ac ubi fines Poloniæ

1655. 13. April. Nec eo minus diffidentiam ostendunt. 26. Maii.

1655.

loniæ tetigerint, ſacramento Regis & Reip. adigendos. Ad quæ Zarvadskius: *mirari ſe diffidentiam tam manifeſte pellucentem. Sane his legibus ab Electore nil ſubſidii expectandum; qui & extra culpam futurus ſit, ſi Reſp. ipſorum detrimenti quid capiat.* Ita hic poſtquam denuo de ſtudio Electoris teſtatus eſſet, irritus diſceſſit.

In Polonia omnia ſunt confuſionis plena.

§. 17. Sic igitur tunc apud Polonos confuſa omnia; qui & variis è rumoribus metum, inde ſpem ſumebant. Pleriſque inania credebantur, quæ de Svecorum in Poloniam deſtinatis jactarentur. Quin aliqui querelis non abſtinebant; falſis terriculamentis ſupervacuorum ſumtuum cauſam ſibi præbitam. Nam à ſacerdotibus ſibi ſuis confirmatum, nil periculi imminere: etſi pauci prudentiores ſtultitiam ſui vulgi deplorarent. Sed & cum Elector Holſtium architecturæ militaris peritum Cuſtrino miſiſſet ad inſpiciendum Poloniæ limitem, aditusque, & loca, quibus præſidium à ſe imponi Poloni cupierant, num ad vim arcendam idonea forent; iſti ſuſpecta ab eodem quæri arguentes, in cuſtodiam abreptum ægre demum expoſtulante Electore dimiſerunt. Ac jam periculo ſe defunctos credebant, quod tantum temporis à Svecis ſibi indultum fuerit, ut ſelectos agreſtium, etſi nulla bellandi peritia, ad loca limitanea deducere, ac univerſæ Nobilitatis in arma evocationem obtinere poſſent. Ad eandem formam res per reliquam Poloniam erant, nec uſpiam certi quid aut ſolidi conſilii. Tum intempeſtive admodum Electorem ad querelas turbidorum quorundam Boruſſorum aſperis ex Aula mandatis protelare non dubitaverant; quæ tamen Palatinus Poſnanienſis per literas excuſare conabatur: *Multa apud ipſos non malitia, ſed quadam neſcio improvidentia, an negligentia agi: tum & animum Regis non ſemper ad negotia intentum, & quid, quoque modo agatur, diſponaturque ſubinde incurioſum eſſe.* Aſt Lithuanos metus immanitatis Moſciæ plane exſternaverat, cui declinandæ plurimi protectionem Svecicam circumſpiciebant, ſuper qua & Epiſcopus Vilnenſis multa cum Curlandiæ Duce agitabat. Contra Radzivilii optabant, ut conditionibus utrinque proficuis in Electoris tutelam concedere poſſent; quin ut is demum plane corona potiretur; quæ & multorum aliorum vota erant, non tantum ob fortitudinem, aliasque virtutes Regno dignas; ſed & quia alias poſt obitum Joannis Caſimiri proximum jus hæreditarium ad Lithuaniam ipſi competebat. Nam Friderico Marchioni Brandenburgico uxor fuerat Sophia Jagellonica, Caſimiri Regis Poloniæ filia, è qua natus fuit Albertus Senior, primus Boruſſiæ Dux; è cujus filio cognomine genita filia Anna Joanni Sigiſmundo Friderici Wilhelmi avo nupta fuit. Is tantum ſcrupulus urgebat, num eo caſu Elector armorum paratus facere poſſet aut vellet, aliis competitoribus, ac inprimis Svecis repellendis par eſſet. Sed deerat tempus ſat laxum ad rem tanti momenti digerendam, atque executioni dandam.

Holſt.

Cum Joanne Caſimiro

§. 18. Cum ipſo quoque Joanne Caſimiro Rege varia miſcebantur, nullo exitu quod vel talia ab Electore peterentur, quæ præſtari non poſſent, vel iſte inter dubia conſilia vacillaret. Hic per literas Electori ſignificabat; *ſe magno metu à Svecia afflari, quod Carolus Guſtavus Morſtinium audire abnuat. Sibi tamen decretum tres Coronas & leonem ſigillo ſuo haut detrahere. Sed miſſo Goraiſci extrema pro pace tentaturum, cui promovendæ ut Elector una cum Holſatiæ, & Curlandiæ Ducibus officia ſua interponere velit, ſe rogare. Miſſionibus ad Moſcum ſe haut fatigaret, quoad ipſe id petierit. Tum Boruſſiæ portus probe cuſtodiret, de quibus Sveciæ tradendis ſibi nunquam in mentem venerit, uti ſtolidus rumor vulgaverit. Inſuper Svecos tranſitu per ſuas terras probiberet, interſepto inprimis itinere inter Draheimum, & Slochoviam. Simul cum omnibus quorum interſit conſilia conferret infringendis Svecorum conatibus. Inprimis ut Cæſari, & Ordinibus demonſtraret, quanti Germaniæ interſit Poloniam in præſenti ſtatu ſervari.* Circa quæ Elector quantum poſſit operam ſe navaturum pollicebatur, ita tamen ut ne gratis alienam calamitatem in ſe traheret. Miſſus inde à Rege ad Electorem Joannes Tonſcius, conſilium avertendo à Svecis periculo expoſcens. Cui ab Electore reſponſum: *Præſentibus Poloniæ temporibus tuta magis quam ſpecioſa congruere; eoque ſerio id agendum, ut Svecis ſatisfiat, ac ſepoſito tantiſper dignitatis reſpectu quamprimum legatos in Sveciam mittendos; quorum negotium ipſe pro virili ſit promoturus.* Significabat dehinc Rex Electori de literis à Senatu Sveciæ ſcriptis, quibus multa à veritate abeuntia ſibi impingantur, quas & ideo in clarigationis vicem acceptet. Et quia intellexerit, Svecos per Pomeraniam irrupturos, petebat ne Elector hiſce tranſitum per ſuam provinciam concedat, ac ut loca impediendo hoſtium itineri opportuna tempeſtive muniat, ac inprimis Notezii fluminis ripas tribus reditum millibus cuſtodiat. Tum caſtris commodo loco poſitis iter Svecorum interſepiat, aut ſaltem exercitu ſuo terga iſtorum premat, Polonis à fronte occurſuris. Qualia uti rerum humanarum peritus haut facile gratis ab altero poſtulaverit; ita eadem abnuiſſe cuivis nullo offenſæ metu licet, qui ſuo ſibi jumento malum arceſſere ſtolidum ducit. Sed & ab Ordinibus Boruſſiæ Ducalis Rex ſubſidium pecuniarium extra ordinem poſtulabat, conducendo militi impendendum ad litora Boruſſiæ cuſtodienda. Id quod Boruſſi abnuebant, jacentia commercia excuſantes; id onus Elector deprecabatur, quod à ſuo milite ſat oneris eoſdem manſurum eſſet.

1655. Rege agitata. 16. Mart

Goraitski.

23. Apri

Joannis Caſimiri circa pacem cum Svecis mens.

§. 19. Significaverat porro Elector Regi, è Svecia in aulam ſuam adveniſſe ablegatum Wolfsbergium, ſed qui de tractatibus pacis nullum verbum fecerit, cauſatum, ſe haut crediidiſſe Electorem facultate ſuper eadem agendi inſtructum. Unde rogabat Elector, ut Rex plena mandata ſuo, ac Reipublicæ nomine ipſi mittat, queis bona fide in Poloniæ commodum uſurus ſit. Iis cum mandatis miſſus à Rege Berolini aderat Bartholdus Rautenfelſius, queis *plena & abſoluta poteſtas* in Electorem conferebatur *omni meliore modo ac ratione cum Svecis tractandi, ſtatuendi atque concludendi, prout ipſi æquum & juſtum fuerit viſum, pacem perpetuam, aut prorogandas inducias:* ut tamen literis caveret, non in alias leges ſe con-

24. Apri

Rautenfels.

1655. conclusurum, quam adjuncta instructio admittat. Si quid ultra concedatur, non nisi à Regis ratihabitione valiturum, His porro conditionibus Joannes Casimirus perpetuam pacem admissurum se ferebat; *ut æterna sit ante actorum oblivio inter prosapiam Sigismundi, & Regem Ordinesque Sveciæ; ac omnia decreta in fraudem & ignominiam istius facta aboleantur. Titulum & insignia Sveciæ quoad vita superest ipse gereret, cum morte sua desitura. In pensationem bonorum gentilitiorum & feudalium Wasianæ Domus minimum ducenta uncialium millia dentur. Pensandæ resignationi juris hæreditarii in Sveciæ Regnum tota Livonia à Duna flumine ad Narvam usque familiæ Sigismundanæ hæreditario jure tradatur, ac Regno Poloniæ post liminio restituatur, exulibus Livonis prædia quoque sua recuperaturis. Nam & Livoniam jure ad Poloniam spectare, & Esthoniam jam olim in disceptationem venisse: & quia Sueciæ Regnum Livonia longe potius sit, Sveci quoque promittant, se circa alia Polono pro re nata gratificaturos. Pace sic facta fœdus inter utrumque Regnum ineatur de armis Mosco inferendis propriis utriusque partis sumtibus. Ast ubi hisce legibus pax coire non posset, prorogationem induciarum concludendam in tempus ex Electoris judicio definiendum. Circa quas præter jam dictas conditiones id quoque stipulandum, ut Sveci propriis sumtibus arma ad finem usque belli cum Polonis socient, pace non nisi ex utriusque consensu concludenda. Si Sveci insignem provinciam Mosco eripuerint, qua Regi pro Svetia & Livonia satisfieri queat, de pace perpetua pro lubitu tractationem suscipi posse. Post exploratam Svecorum mentem super loco, tempore, & modo tractatuum ab Electore statuendum. Cum in Electorem plena agendi potestas sit collata, non opus esse missis ab utraque parte Commissariis, non nisi exacerbationi animorum & protrahendo negotio inservituris; sed sufficere singulos utrinque adesse parcendis sumtibus; qui de necessariis moneant. Sumtuum belli nomine non habere Svecos quod postulent, cum è Livonia decuplum amplius tot per annos perceperint. Qui & jam olim exulibus Livonicis se satisfacturos receperint, ac ante triennium pro cessione Sveciæ, & Livoniæ per Curlandiæ Ducem quadringenta uncialium millia obtulerint. Livoniam Regno Poloniæ ab Imperio Romano permissam, ut huic adversus Turcas, Tartarosque tegendo eo plus roboris foret. Titulum & insignia Sveciæ Regem in Polonia duntaxat usurpaturum, iisdem abstenturum, si ad Regnum Sveciæ scripserit. Si nulla sit spes obtinendæ Livoniæ, Sveci fidem darent, se occasione hujus conjunctionis ex hostico æquivalentem provinciam suis sumtibus occupaturos Regno Poloniæ tradendam, salva nihilominus particula Livoniæ à Polonis adhuc possessa & ut redhibeantur omnia, quæ ante hoc bellum Curlandi fuerant, cum Dalensi præfectura, & bonis exulum Livonicorum. Si tamen Sveci certas ob causas Polonis Livoniam in manus tradere nolint, eam in Curlandiæ Ducem transferrent, eodem quo Curlandiam jure possidendam.* Ast irritis tractatibus Rex, ut arma secum jungat Elector, petebat. In præmii vicem ostentabatur recuperatio Citerioris Pomeraniæ. Præter domesticas Poloniæ vires esse spem pacis cum Mosco & Cosacis, socia inde arma secum juncturis. Interesse quoque Dani & Belgarum, ne Sveci Gedano, & Pillavia potiti commercia Maris Baltici pro lubitu temperent, majoribus ausis materiam. Curlando Livoniam posse promitti, si naves suas Danis Belgisque in Svecos junxerit. Belgas quoque monendos, ut Hamburgensibus, & Oldeburgico Comiti juncti Bremensem provinciam irrumpant, quod horum omnium cervicibus Sveci immineant; qui & initio belli Germanici Westphaliam invaserint, ut incrementis ipsorum obstantes Belgas cominus observare possent. 1655.

Electoris de his judicium.

§. 20. Enimvero Elector istas conditiones hisce temporibus hautquidquam accommodatas judicabat, quas Sveci pro animorum præsenti habitu in ludibrii vicem accepturi erant. Ac mirum erat, Joannem Casimirum, qui aliquot ante annos multo leniora obtulerat, tantum ferociæ nunc spirare. Sane postquam Sigismundi stirps ad unum redacta esset, senem & orbum, qui titulum Sveciæ dum viveret retenturus sit; stolidum erat, inanem renunciationem, quam natura mox gratis procuratura erat, dispendio tam opportunæ provinciæ redimere, adjecta cumprimis Estonia, & Narva, de qua Poloni antea mentionem haut fecerant. Et cui usui Joanni Casimiro jus hæreditarium in Livoniam erat conferendum, cum ipso brevi tempore plane extinguendum? Igitur quanquam alias mandatarii, & sequestris persona in eundem cadere non videbatur; tamen cum id negotium suscepisset Elector non captando lucro, sed ne quid per tractatus in ipsius fraudem statueretur, subtilitates juris curare haut placebat. Ast quæ Rautenfelsius mandata attulerat, nonnisi animorum exacerbationem apud Svecos excitatura erant. Nam utut iste super hisce moderandis spem injecisset; tamen ejusmodi licitationes hac rerum facie locum non habebant. Ac cumprimis ita cauponari non decebat, qui sequestris, ac mandatarii partes simul obibat, & cui præcipuus scopus erat, ne res ad manus perveniret. Id quod nulla alia ratione obtinere dabatur, quam si ipse Sveco statim demonstrare posset, amica transactione eadem, quæ per incertam armorum aleam, adquiri posse. Denique cum Rautenfelsius à solo Rege mandata attulisset, Sveci hæc, ni & à Republica eadem afferrentur, haut curaturi erant. Igitur Elector isti per suos *10. Mart.* ostendi jubebat; procuratorium haut ita adornatum, uti Svecis placere queat. Saltem sigillum eos offensurum, in cujus medio umbone Lithuanicus eques extabat, brachium sinistrum parma tegens, in qua insigne Sveciæ obscurius expressum erat, etsi in margine tres coronæ non adparent. Nam id sigillum ferri posse, quod mergitem Wasienam in medio repræsentet, quod velut Joanni Casimiro gentilitium adimi non poterat. Sed & ejusmodi conditionibus in medium propositis Svecos statim protelandos, in præsens quidem valde irritabiles, & omnia in sinistram partem interpretantes. Ad quæ Polonus: *Procuratorium Reipublicæ mox secuturum. Conditiones persuadendo mitigari posse. Gustavo Adolfo Livoniam occupandi prætextum fuisse, ut securitati suæ familiæque prospiceret; qua obtenta restitutionem faciendam. Falso Svecos credere, omnia quocunque modo occupata ipsorum esse.*

1655. *Posse conversionem rerum contingere, per quam male parta revomere cogantur. Quo liberalius à Polonis offeratur, eo avidius Svecos petere. Carolo Gustavo recens regnum æquitate magis, quam armis stabiliendum. Polonos quovis modo cum Mosco decisuros, ut Sveco occurri possit. Antea Cæsarem singulis trienniis protestationem interposuisse, ut Livonia Imperio restitueretur, cui nunc per istius conniventiam Sveci tamdiu incumbant: quæ nunc restituta non parum roboris Poloniæ additura sit. Sed in præsens Polonos ad peculiaria haut descensuros, antequam perspexerint, num Sveci circa fœdus contra Moscos, & alia ipsis gratificaturi sint.* Nostri contra; *si præsens tempus, Svecorumque vires considerentur, has conditiones longe infra habitum iri. Hos armis probe instructos, multa loca possidere, è quibus Poloniæ nocere queant; ac plura affectare, quam jam possideant. Ac mortuo jam fratre Regis Carolo Ferdinando jus in Sveciam ultro expirare. Quin eosdem negare, se induciis ulterius teneri, velut sæpius per Polonos violatis.* Polonus ad hæc; *quæ Bothius, & alii fecerint, à Cæsare profecta. A Livonia Svecorum fortunam cœpisse; eandem & caussam ruinæ ipsis esse posse.* Nostri: *si nulla alia sint mandata, tractationem incassum iri sumtum. Nam Svecos Livoniam dudum pro sua habere. Ac tamen in votis esse Electori, ut res componi possit.* Polonus; *summam negotii circa satisfactionem verti. Svecos decuplo plus è Livonia percepisse, quam in bellum impenderint; quam & quare invaderent, nulla causa fuerit. Ad quæ metu quis compulsus sit, retractationi obnoxia. Gratis jus hæreditarium ad tantum Regnum cedi non posse. Joannem Casimirum quantumvis solum è Sigismundi familia superstitem, tantum quadraginta sex annos natum esse. Oblatam per Curlandum pecuniæ summam contumeliæ in vicem accepisse. Nondum plane prostrato haut opus esse supplices manus tendere.* Ita post inanes disceptationes iste Berolino, ubi dissimulata persona egerat, discessit. Et quia mox duo legati in Sveciam mittebantur, judicabat Elector, Polonis haut cordi fuisse, se parario negotium suscipere, sed tantum ab ipso aliquid expiscari conatus, quem secreta cum Svecis commercia miscere suspicabantur. Unde perspecta Polonorum pervicacia Elector per Zarvadskium Joanni Casimiro demonstrabat: *hoc Poloniæ statu Sveco tantis viribus occurri non posse, ut felix successus inde sperari queat. Unde suadere se, quibuscunque conditionibus pacem, Regnique salutem redimere. Ast si iste inter ancipitia consilia tempus extrahat, & omnia aleæ expositum eat, sibi vitio datum non iri, si statum suum quocunque modo in tutum subducat. Nec Regi consuli, si ipse nullo*
18. Jun. *Poloniæ fructu alieni exitii accessio fiat.* Idem cum jam Stetini tractatum orsus esset, de iis Regi significabat, petens, ut is mentem suam declarare velit super conditionibus pacis, ad præsentia tempora adaptatis. Nam hisce haut cognitis circa sequestris munus frustra à se laborari. Ad quod nil aliud à Rege responsum, quam legatos jam in Sveciam plenis cum mandatis profectos.

Super fœdere cum Belgis agitur.

§. 21. Cum igitur Svecorum bellandi cupido, ac distorta Polonorum consilia nullam spem relinquerent, imminentem tempestatem per amicam negotiationem avertendi; rationis erat, Electorem ad sui conservationem omnes cogitationes intendere, ne aliena ruina involveretur. 1655. Eum in finem conducere videbatur fœdus mutuæ defensionis cum Belgis absolvere. Super isto multos per annos incassum laboratum fuerat, ob languens tunc Belgarum, in Domum Arausionensem studium affectu quoque in Electorem refrigerato, & quia post per Anglicarum bellum aliis negotiis vacare haut licuerat. Et plerique crediderant, id fœdus Reip. oneri magis, quam robori fore. Ac est ista ejus Reip. indoles, ut non nisi propriis, eisque urgentibus rationibus permoveantur ad auxilia aliis expedienda. Quæ ubi se ostendant, etiam citra fœderis obligationem ista suscepturi sunt. Imo ut maxime fœdus existat, ni tamen sua ipsos utilitas impellat, potius iisdem fuerit notam non servati pacti incurrisse, quam superfluos sumtus, atque pericula suscepisse. Igitur diu res in eo hærebat, quod Belgæ fœdus ad Clivicas duntaxat ditiones extendi vellent, aut non alia lege, quam ut vicissim Principes illi, qui quondam 1613. *Unioni Evangelicæ* nomen dederant, huic quoque accederent. Id quod præstare penes Electorem non erat. Sed & remoram injicere conatus fuerat Neoburgicus, permoto Cæsare, ut ad Belgas Fœderatos literas daret; queis hi monebantur eo fœdere desistere, tanquam periculoso, & quod autoritati Cæsareæ, Imperiique legibus fraudi cedat, nec minus aliis, queis in Clivicas ditiones actio competit. Ac par esse Electorem potius Cæsareæ decisioni se submittere, prout & pace Westphalica dispositum sit. Sed & vicissim offensæ non parum demonstrabat Elector adversus Belgas ob exclusum à muneribus majorum suorum Arausionensem Principem. Qua de re per literas idem Ordinibus Generalibus significabat; *eam hac indole esse, ut plane fidem suam excedat; cum majores Principis longe aliud meriti sint, qui primum velut lapidem huic Reipublicæ, ac tam dulci libertati jecerint, ac insignibus subinde meritis id beneficium cumulaverint.* Unde & Electoris jussu Joannes Copesius, cum Ordinibus pacem cum Anglis initam gratularetur, Angliæ mentionem haut fecerat, sed laxioribus verbis lætum sibi testabatur, Rempublicam è tam gravibus fluctibus emersisse. Idem quoque non dissimulabat offensam, quod Belgæ fœderis cum Polonia formulam, re cum ipso haut communicata, concepissent, cum tamen sibi quoque in Borussia portus forent. Sed post cum à Borea tempestas surgeret, communes rationes id fœdus facile conciliabant. Ac jam ultro Belgæ conditionibus, quibus antea idem eluserant, desistebant, hanc præcipuam ejus causam professi, ut conatibus Svecorum resistatur portubus Borussiæ imminentium. Neque audiebantur Clivici Ordines, qui pecunias ab Electore imperatas & delectus velut privilegiis suis repugnantes arguebant. Nam talia conditione temporum defendi, aut excusari, ac onera civium necessitatibus reip. metienda; nec ulla privilegia impedimento esse debere negotiis, quæ servandæ reip. suscipiuntur. Ac nolebant nostri expressis verbis pacti Xantensis mentionem fieri, ne Belgis prætextum esset alienorũ civium pervicaciam adversus

legiti-

1654. legitimum Principem alendi. Cupiebant Belgæ Gedanenses quoque huic fœderi innectere; sed illi res suas seorsim sibi habere volebant. Cum pleraque discussa essent, nostris oblique insinuabantur, Belgas partem præsidii Pillaviensis sibi deposcere, ut eo plus coloris auxilio suo foret; ac id revera Electori levamento esse, ac plus oneris in Belgas devolvi, suo militi stipendia exsoluturos. Nec ideo possessionem loci periclitari, quod præter indolem Reip. sit multis terris adquirendis inhiare; ac id ad certum duntaxat tempus fore. Sed quia nostris eam in rem mandata non erant, id silentio transmittebatur. Cæterum antequam de successibus Svecorum audiretur, Belgæ varia tricando fœdus id extrahere, qui Suecorum quidem destinatis remoram injicere cupiebant; sed suspicio suberat, ne Elector non tam Sveciam imminui, quam suam potentiam gliscere cuperet, ostenso summi in Borussiam imperii cupidine; cui non Poloni solum, sed & Borussi privilegiis suis metuentes obsistebant. Molestum quoque erat nostris, quod Belgæ de Cromvello in hoc fœdus adsciscendo mentionem injicerent, cujus nomen Electori detestabile nostri ferebant; ac subinde Svecicam societatem minabantur, ni isti tricarum desinerent. Sed & inter tractandum à quibusdam non pauca inficete aut odiose jactabantur. Ex ipsis Commissariis quispiam nostris in os dicere haut erubescebat: à se amicitiam Electoris parum curari, velut qui satis norint, ab eodem vicissim nil auxilii sibi expectandum. Nec dubitabant digniorem sibi præ isto locum deposcere, simul stipulari, ut sui cives in Electoris portubus non ulterius quam in præsens onerentur, omnibusque fruantur privilegiis, quæ cuivis alteri nationi unquam concedenda sint. Jactabatur quoque à nonnullis; haut alio fine id fœdus ab Electore quæri, quam ut ipsos turbis implicet, aut pecunia emungat, tracta in se eorundem militia ope Wilhelmi Nassovii Principis, qui summum in Belgicas copias imperium post Brederodii obitum habi- (bidero-d.) turus erat. Quin Belgis, si sua ipsis conservatio cordi sit, amicitiam potius cum iis contrahendam, queis diversæ à Brandenburgico rationes, utpote qui caput sit eorum, qui juvenem Arausionensem fastigio majorum suorum, libertati valde periculoso, admotum cupiant. Ac Svecorum, Anglorum, aut Hispanorum amicitiam colendam, haut oneri futuram, & queis nullum in istum Principem studium. Prævaluere tamen, qui commercia Maris Baltici in tuto collocanda judicabant, quibus periculum tunc à Svecis imminere videbatur. Ac honestum prætextum quærebatur sub nomine Electoris tutelam Borussiæ adversus Svecos suscipiendi, ut non hostili animo, ac ut Svecis bellum facerent, sed implendæ suæ ex fœdere obligationi ei negotio se in- (ppelb.) gessisse viderentur. Ad extremum Svecicus minister Appelbomius fœdus istud impedire conabatur, exhibito Ordinibus scripto, quo inter alia memorabat; Regi suo cum Electore probe convenire, ac jamdudum inter hoc fœdus fuisse conclusum, ni rumores obstitissent, quasi Belgæ Electorem in Regem instigarent, promisso terra marique auxilio, ac insuper pecunia. Ad quod scriptum à Belgis nil responsi repositum. Ita demum fœdus istud ad subscriptionem deductum. 1655. 27. Jul. Quo ipso & Clivicorum Ordinum querelæ compressæ, spe levandorum onerum facta, & Winnenthalio custodia exoluto, pro quo Ordines provinciales in ducenta uncialium millia cavebant, ab ipso deinceps nil in Electorem tentatum iri.

§. 22. Fœderis ejus scopus ferebatur, sincera Fœderis ejus summa capita.
amicitia, ac mutua defensio ditionum tam Electo-
ris, quam Belgarum adversus omnes, qui hostili mo-
do eas invadere audent; peculiariter quoque inclu-
sis provinciis ad Mare Balticum sitis; ac si qua vis 1.
& injuria navigationi atque commerciis Belgarum 2.
in Mari Baltico inferatur, novorum onerum impo- 3.
sitione, aut iisdem plane interceptis; aut si in alteru- 4.
trius ditione, ac peculiariter in Clivensibus provinciis
Evangelicorum sacrorum turbetur. Ubi fœderatorum
unus invadatur, de eo statim alteri significandum: 5.
qui protinus tentare tenebitur, num amica ratione 6.
res componi queat. Id si non obtineatur, intra ter- 7.
tium mensem, ac prius etiam si periculum urgeat,
auxilium submittendum. Id fœdus neutrius emi-
nentiæ ac juribus derogabit, nec respectui, atque ob- 8.
ligationi, quam Elector Cæsari, Romano Imperio,
ac Poloniæ Regno debet; uti nec aliis fœderibus,
pactisque, quæ utrique parti cum aliis intercedunt.
Subveniret Elector Belgis duobus militum millibus, 9.
hi Electori duplo numero, idque sumtibus mittentis.
Si pecunia magis placeat, quatuor uncialium millia
menstrua mille peditibus æquivalebunt. Licebit
quoque loco pecuniæ instrumentum bellicum aut na-
ves accipere. Qui auxilium mittit, haut ideo te-
nebitur pacem cum illo abrumpere; qui alterum, cui
auxilium præstatur, invaserit. Ubi conventus mil- 10.
litum numerus haut suffecerit periculo depellendo,
præmissa conventione plura præstanda. Belgæ Cli-
vicas provincias quantum potest transire parcant: 11.
sed ubi necessitas subigit, miles modeste, & citra in- 12.
solita provincialium onera transeat. Belgæ oppi- 13.
da Cliviæ, quæ adhuc insident, præsidio firment, sal- 14.
vis Electoris juribus, nec ut ex eo præsidio Belgis
ullum jus in ea loca quæratur; & ubi utrisque
videatur, præsidiis inde amotis, eadem loca in
Electoris manus consignentur. Interim præsi-
diarius miles civibus & provincialibus molestus
ne sit. Elector naves & merces Belgarum in suis 15.
ad Mare Balticum portubus ultra receptum jam 16.
modum ne oneret, nisi summa necessitas aut commu-
nis utilitas id requirat, non aliter tamen quam com-
muni consensu; nec ab aliis ista onera introduci to-
leret; nec eos portus alteri tradat, oppignoret, aut 17.
quidvis juris potestatisve in eos concedat. Com- 18.
merciis civium utrinque libertas constet. In id fœ-
dus si alii quoque recipi velint, id utriusque consen-
su fiat; ac inprimis Protector Angliæ, ut huic fœ-
deri accedat, ab utrisque invitetur. Durante hoc
fœdere cives utrinque ab onere emigraturis alias in- 19.
cumbente immunes sint. Duret hoc fœdus in octo 20.
annos, ut tamen biennio ante elapsum id tempus su-
per eodem prorogando inter partes agatur. Ubi id
prorogari non placeat, expirante hoc fœdere utrin-
que

1655. *que in eam conditionem redeatur, quæ prioribus conventionibus definitur, quibus interim plenus vigor constabit. Uterque operam det, ut huic fœderi tum alii, tum Inferiores Saxones, & Westphali*
21. *accedant. Ne delectus in fœderatorum ditioni-*
22. *bus iis permittantur, adversus quos ex fœdere auxilia præstanda sunt. Fœderatorum uni in alterius*
23. *terris liceat militem, socios navales, aut naves conducere, nisi is, in cujus terris id qværitur, ipse opus*
24. *habeat, aut alia obstacula id excusent. Itinera*
25. *utrinque terra marique tuta præstentur. Elector operam det, ut alii quoque Ordines Imperii acce-*
26. *dant. Ratihabitionum commutatio intra duos menses fiat.*

Ejus fœderis exiguus tunc fructus adparet.

§. 23. Enimvero fœderis tanto tempore agitati vix alius tunc fructus adparuit, quam ut Sveci gravissimam inde diffidentiam ostenderent. Nam cum tractatio tantum temporis absumsisset, ac Belgis haut persvaderi posset, intra paucos menses tantum Regnum à Svecis prope eversum iri, auxilium tarde expediebatur; quod nec tantæ moli sustinendæ sufficiebat, ac ingruens hiems trajectionem in Borussiam impediebat. Ac omnes crediderant, Electorem utique ad proximam usque æstatem hostes propulsaturum, qua sat auxiliorum adfuturum sit. Nec aliqui diffidentiam adversus Electorem dissimulabant, audito, tractatus inter ipsum, Svecosque agitari, qui quo evasuri essent haut constabat. Post ratihabitionem testabantur; verbis ac promissis suis ab ipsa re pondus accessurum, ac Electoris amicitiam atque salutem magnopere sibi cordi fore. Venerunt mox ab Electore literæ, queis de suo in Borussiam adventu significabat, cujus res ita constitutas inveniat, ut quatuor millibus peditum maxime opus sit. Nam non Moscos solum ejus finibus propinquare; sed & Svecos in ipsius portus varia movere, qui & delectuum vocabulo provinciæ molesti sint. Quin Wittenbergium denuntiasse, se copiis ipsius in Borussiam tendentibus obstiturum: ac ipsum Regem declarasse; Electorem se in Borussia non alio, quam reliquos Poloniæ Ordines, modo habiturum. Ac cum Sveci in superiora Poloniæ digressi iter suum remorari non possint, jactasse; è Livonia se exercitum Borussiæ immissuros. Eadem cum Electorales ministri Belgis ingererent, & moras amputandas urgerent; hi, ut scripto nostri postulatum conciperent, volebant additis rationibus, quare protinus ad ista auxilia repræsentanda ex fœdere teneantur; nam ad singulas provincias sibi de eo referendum. Sed nostri ostendebant; neque Electori, neque ipsis Belgis expedire, si Svecis id innotescat. Mox instituto colloqvio Belgæ negabant militem à se mitti posse, quod dum is colligitur, ac in Borussiam ducitur, multum temporis elapsurum sit, multis quoque in itinere deserturis. Sed si pecunia suppetat, in Germania militem conducere in promtu esse. Nec tantum offensæ apud Svecos contrahi argento, quam milite misso. Etsi nostri militem malebant, quod illo in præsens opus foret hosti repellendo, ac ad famam id valere, civibusque animos addere. Etsi haut rationis videretur, rem initio importunius urgendo Belgarum affectum refrigerare, cui testando etiam centum viginti millia florenorum menstrua in subsidium Electori offerebant. Simul propediem Legatos ad Regem Sveciæ mittendos, ac mari aperto classem quinquaginta navium bellicarum in Mare Balticum venturam. Interim spem esse, Electorem sustinendis Svecis parem fore; nec pacem cum his initurum, abdicato hocce fœdere, aut iisdem aliquid potestatis circa vectigalia indulturum. In conjunctione cum Borussis Regiis saltem temporarium subsidium esse posse, quoad validiora admovere spatium sit. Etsi indignabantur Gedanenses ita difficiles ac lentos esse, velut qui censebant, eam conjunctionem oneri magis quam firmamento sibi fore, ac se etiam citra istam Poloniæ fidem suam satis adprobaturos. Sed Belgæ svadebant, indulgendum istis initio quantum possit, ut sublatis suspicionibus solidæ amicitiæ fundamenta sternantur; cætera successu temporis ultro proventura: ac post Belgas quoque isti unioni nomina daturos. Censebant tamen aliqui, Electorem cum Ordinibus Borussiæ Regiæ agere non posse, quin cum Svecis pacem abrumpat. Plures contra judicabant, si Elector cum populis liberis, ac nondum subactis, consensu Polonorum fœdus contrahat, neminem super eo qverendi causam habere. Jusserat quoque Elector cum Hollandis super ducentis uncialium millibus mutuo dandis agi, vectigalibus Pillaviæ & Memelæ oppigneratis: qui demum his legibus consentiebant, ut Belgicum præsidium Pillavia reciperetur ad solutionem usque debiti, sumtibus Electoris alendum; ac ut usuræ semisses addita semuncia darentur, è proventibus ejus portus per proprium hominem recipiendæ. Eam pecuniam impendendam conducendis duobus militum millibus, qui quatuor millibus à se mittendis adjungendi sint, imposito præfecto, qui sibi placeat. Cum nostri conditiones istas duras, periculosas, inhonestas, & mercenarias arguerent, Joannes Wittius disserebat: Rempublicam nihil lucrari, nec omnia à se gratis posse fieri. *de Witt.* Cogitandos quoque sumtus in classem faciendos. Se nil aliud quærere, quam ut armis suis plausibile prætextum circumponant. Nostri anxii erant, quid agendum foret. Nam ad has leges subeundas mandata haut habebant: ac tamen necessitatem tantam incumbere Electori posse, ut ei quovis modo subveniendum foret. Ac consultum videbatur, Belgas immisso Pillaviæ præsidio cum Svecis committi. Igitur tutissimum ducebant quasvis conditiones admittere, ratihabitione tamen Electori reservata. Nam ubi Elector necessitate exierit, eam sponsionem abnui posse. Sed si aliter servari nequeat, quamvis rationem salutis expediendæ honestam haberi. Subinde tamen nostri super maturando auxilio instabant, ne medicina post mortem adferatur, neu Electorem quibusvis conditionibus decidere necessitas subigat. Contra Belgæ disserebant: se ultra promissa fecisse oblato pecuniario subsidio, cum Electori nondum

dum

1655. dum apertus hostis fit. Ac à multis se moneri, Electorem, si tolerabiles conditiones à Svecis obtinere possit, eas non repudiaturum. Quibus sermonibus tamen à studio suo in ipsum haut dimoveantur. Ingravescente tamen in dies Electoris in Borussia discrimine nostri in antecessum animos Belgarum mollire studebant, ut minus offenderentur iis, quæ per necessitatem Electori subeunda forent. Ac mox cum inter istas moras idem ad transigendum cum Svecis compulsus foret, omnis ista negotiatio intercidebat.

Belgarum consilia. §. 24. Cæterum Belgarum consilia tunc id potissimum respiciebant, ut Daniæ Regem cum Svecis committerent; apud quem legati ipsorum instare jubebantur, ut integra sibi omnia servaret, quoad classis sua in Oresundam accesserit. Tunc enim ab isto solidi quid statui posse, ubi à se rem serio agi viderit, in præmium belli exposita amissarum provinciarum recuperatione. Electori fœdere cum Svecis inito non consuli, quibus non de Polonia & Lithuania, sed de Maris Baltici imperio agatur. Nec curandum esse, si tantisper loca mediterranea vastentur, modo ora maritima servetur. Moscum quoque instigandum in Livoniam, ut ibi aliquo portu maris potiatur, cui in Danis, Belgisque multum fiduciæ repositum sit; per quem & Cosaci sedari possint. Is ut Electori quoque faveret, literæ ad eundem à Belgis scribebantur. Ab Anglia porro Svecis auxilii nil venturum; ne à Gallia quidem, cujus sacerdotes Polonum destitui valde doleant, ac Svecis occasionem dari ritus Romanos opprimendi. Etsi cum Galli sperent utili Svecorum opera se usuros, iidem in hoc infelti nihil suscepturi sint.

Saxoni circa Belgicum fœdus scripsit. Sten. Cirke, n. 08. §. 25. Porro ne Belgicum fœdus Saxoni scrupulum injiceret, Elector verebatur, apud quem à Rege Sveciæ missus Steno Bielkius Dresdæ multa cum gratia agebat; qui ne forte Saxonem, dum Elector circa alia distinetur, ad movendum Juliacense negotium induceret, metuebatur. Unde Elector Lœbio Vienna remeaturo injungebat, ut Saxonem edoceret; id fœdus antiquum esse, cujus effectus circa capessendam, retinendamque possessionem Juliacensium provinciarum egregius adparuerit. In quo nil reprehendi queat, nisi quod genus hominum sit, quod universo orbi exosum reddere cupiat, quicquid rationibus suis adversari videtur. Sane eo fœdere Belgas nil defendendum suscepisse, nisi legitimam Electoris possessionem, & si quid jure iis ditionibus adquiri possit, salva judiciali circa eam causam sententia, in qua & Saxo adquiescere decreverit. Sed & ita Belgarum Rempublicam hactenus egisse, ut ab ea vis injusta haut sit metuenda.

... An- ... §. 26. Ab Anglis, Gallisque Electori multo minus auxilii tam præcipiti occasione erat expectandum. Equidem ad Angliæ Protectorem Olivarium Cromvellum Elector Joannem Fridericum Schlezerum miserat, quem iste non minore quam à Rege ablegatum honore receperat, ac amplissimis verbis de suo in Electorem studio jactaverat; inter alia valde detestatus eorum actiones, qui hoc tempore, quo Romanæ sectæ addicti tantos spiritus gerant, ex mera fines proferendi libidine orbem Christianum distrahant; ac sibi omni ope prohibendum, ne Principes Evangelica sacra professi inter se collidantur. Ac se missis Legatis, & alia ratione impediturum, ne Electoris, aut Belgarum rationes turbentur. Præter talia uti ab isto nil expectandum erat; ita nec Sveci habebant, quod in ejus amicitia confiderent, cui quod in Hispanos meditabatur bellum sat negotii dabat. Quod tamen socii nihil cum Schlezero susciperetur, causa habebatur, quia Cromvellus majoris dignationis legatum ab Electore missum iri crediderat; & quia opinio erat, Electorem cum expulso Rege Angliæ secreto fœdere necti. Apud Gallos quoque Elector per Abrahamum Vicquefortium instabat, ut Svecos ad instaurandos cum Polonis de pace tractatus permoveant, uti ipse apud Polonos facturus sit. Cui responsum; Avaugurio injunctum, ut eam rem serio apud Sveciæ Regem urgeat, simul ut inter Electorem, atque Sveciam amicitiam servare studeat. Nec tamen ejus operæ effectus conspiciebatur; ac satis adparebat Gallos per emolumenta, quæ à Svecica amicitia sperabant, & per affectum in Polonos, in diversa distrahi; præsertim cum occasione belli Polonici Svecos cum Austriacis committi posse spes foret. Post & à Cæsare literæ ad Regem Galliæ dabantur, quas cursor in ipsius Regis manus tradere jussus fuerat. Earum argumentum erat; *à Svecis enormia adversus ritus Romanos in Polonia patrari, ac statum ejus Regni exitio proximum esse. Unde petere, ut is operam navare velit tuendis sacris ac ut pax omnes complexa ineatur.* In Gallia sinistre acceptum tanti momenti literas per cursorem redditas, & quod hic apud Cardinalem Mazarinum, uti moris est, accessum haut quæsivisset. Quo ipso Cæsar monuisse videbatur, per Cardinalem stare, quo minus pax coiret. Unde sat frigide isti responsum; operam constituendæ inter vicinos paci datum iri. Per eundem cursorem Regina Christina literas ad Regem Galliæ miserat, quibus super mutatis sacris significarat; *quod propositum sibi jam ante octennium fuisse captum, sed ob incumbens tunc regimen effectui dari haut potuisse.* Ad eas literas à Gallis nihil responsum tum ob alias causas, tum quod hisce duntaxat verbis subscriptum foret; *vestra bona amica Christina.* 1655. *Vicquef.*

§. 27. A Cæsare præsentius auxilium sperandum videbatur, quo propius Poloniæ res ipsum tangebant, ingenti periculo eidem incubituro, si Rex bellicosus, sacrorumque diversus ad latus ipsi consisteret, tanto terrarum tractu communem limitem eumque patentem habiturus. Ei literis datis Elector sua commoda laxioribus verbis commendaverat. Quibus Cæsar responderat; sese ipsi libenter subventurum, si norit, adversus quem auxilio opus sit. Igitur ab Electore missus Viennam Lœbius, qui Cæsari exponeret; *quomodo ipse connixus fuerit, statim atque adparatum armorum apud Moscos ac Svecos animadverterit, super firmanda inter Svecos, atque Polonos pace agere; nec tamen impedire potuisse, quo minus in extrema erumperetur. Et quia ipse præsen-* *Ad Cæsarem legatus mittitur.* *12. Aug.* *Ejus mandata.*

1655. *præsentius remedium dispicere non possit prohibendo. ne Polonia invadentibus omni ex parte hostibus succumbat, quam ut Cæsar, aliique Principes interventu suo pacem inter Polonos, eorumque hostes conciliare studeant; se non potuisse quin Cæsarem roget, maturatis legationibus opus tam necessarium urgeat, ne tantum regnum in solitudinem detur. Id officium requirere propinquam cum Polonia conjunctionem, & cultam hactenus inter Germanos, Polonosque commodam amicitiam, ac egregiam horum adversus communem Christiani nominis hostem navatam operam. Nec dubium esse, quin Sveci à Cæsare oblati officii singularem rationem sint habituri. Interea quia metus fuerit Borussiam quoque his turbis implicitum iri, necessitatem sibi impositam arma parandi, in eam provinciam abeundi, quo eidem tutandæ præsto esse queat. Eoque ditiones suas in Germania sitas Cæsaris protectioni commendare, simul tam arduis temporibus consilium ipsius exposcere.* Præter ista legatus explorare jubebatur, quam in partem delectus sui in aula Cæsarea acceptentur. Quod si pro more ejus aulæ petita scripto sint exhibenda, id observaret; ut nulla mentione peculiarium causarum, aut meritorum unius aut alterius Regni nil nisi Cæsaris officium, ac consilium, quomodo ipse inter talia gerere se debeat, paucis verbis rogaret. Inter sermones cum ministris ostenderet; etsi bellum nunc inter extraneos Reges geratur, Germaniæ tamen interesse id mature sopiri, incolumi adhuc Polonia, & ut omnia in pristino statu persistant. Sane ingens momentum in Polonia esse, sub bellicosum Principem, & haut precario imperaturum redacta. Quid valido isto equitatu in egregiam disciplinam composito ac justo peditatu accedente non effici posse? Quam in proclivi tunc futurum superato Odera in Germaniæ interiora penetrare, ac late populationem dare? Addebatur de extraneis delectibus à Cæsare in Germania prohibendis. Inprimis cavendum, ne si Svecus Polonia potiatur, Silesiam, veterem ejus Regni partem, vindicet. Nec fidendum à Stenone Bielkio Dresdæ jactatis; Regem Sveciæ nil Silesiæ affectare, sed duntaxat Borussiam Regiam, Livoniam, Curlandiam, & Lithuaniam; Poloniam penes Joannem Casimirum manere posse. Refusionem tamen impensarum simul quæri. Tum spem esse Electorem Regis voluntati se accommodaturum; collisionem utrique haut ex usu, ac non nisi malevolis gaudia parituram. Denique exploraret, quid auxilii à Cæsare Electori necessitate requirente expectandum; ac num Cæsar Borussiæ defensionem suscepturus sit, si Elector eam velut feudum ab Imperio recognoscere velit. Cæsar eam missionem sibi gratam esse, ac Electoris consilia, actionesque à se æstimari testabatur; cum antea ejusdem arma isti non parum scrupuli movissent, Quanquam autem is initio insigne studium pro Polono aperte haut ostenderet, velut qui quam maxime à novo bello abhorrebat: satis tamen perspiciebat sibi utique huc descendendum; præsertim quod metus esset, ne Turca quoque aliquam lacerandæ Poloniæ partem invaderet. Inde Lœbius scripto exponebat: *Electorem semper Sveciæ amicitiam quæsivisse, offensæ nullam occasionem præbuisse, de controversia istorum regnorum nil participasse, nec circa actiones & titulos illorum quid suscepisse, quod alterutri parti fraudi esse queat. Haut eo secius Regem Sveciæ minitabundum jactasse, Electorem à se in Borussia non alio quam hostis loco haberi posse. Equidem Electorem in Borussiam abiisse egregiis copiis stipatum. Sed cum à Livonia quoque bellum ingruat, ac obductæ glacie aquæ in intima provinciæ aditum pandant, eundem hosti ex utraque parte parem haut esse. Eoque à Cæsare petere, protinus quatuor peditum, duo equitum millia sibi auxilio in Silesiam ad fines Poloniæ mitteret, quæ ipse statim inde evocare queat.* Addebatur de suscipienda pacis inter ea Regna conciliatione, ac ut Regi Sveciæ scribat, damnoso per ipsius ditiones transitu supersedere velit. Ad quæ promta declaratio petebatur, ne Elector, ubi in angustias redactum, & ab omnibus desertum se conspexerit, necessitate ad talia descendere cogatur, quæ non omnibus arrisura sint. Cæsar ad hæc verbis: Electoris se periculo indolescere. Missurum, qui conditionem ipsius penitius inspiciat, & quousque ejusdem se vires porrigant. Inde pro rei necessitate mentem suam declaraturum. Polonis sequestrem jam sese obtulisse. Stenonem Bielkium Saxoni confirmasse; gratum Regi fore, si Cæsar bellantibus sese interponat; qui & Viennæ negotia sua prudenter ac modeste proposuerit. 1655. 11. Oct.

§. 28. Inde scripto declarabat Cæsar; *libenter se officium conciliandæ pacis suscepturum, ac statim Moguntino & Saxoni scripturum, ut in eo operam sibi jungant. Cæterum vix nosse quid consilii capiendum sit, ut Electori utile auxilium ferre possit.* Cujus & curam auxerat Joannes Casimirus in Silesiam refugus, quem potius ex uno loco regni in alium fugisse decuerat, quoad aliunde auxilia venirent. Spes tamen erat, Regem Sveciæ id haut sinistre accepturum, cum & olim Fridericus Palatinus ad Electoris Patrem in Marchiam confugerit, ibique egerit, quod in Batavos concederet; in quod hospicium Cæsar nil offensæ ostenderit. In eo responso observabatur, à Cæsare Borussiam Electoris provinciam nuncupari. Quærebat inde è Lœbio Justus Gebhardus; num certo constet, Electorem cum Rege Sveciæ plane in tractatus haut descensurum, nec sine consensu Cæsaris quid conclusurum, sed utique armis sua tuiturum? Id quod scitu necessarium sit, antequam Cæsar in tam arduo negotio quid statuat. Ad quæ Lœbius laxioribus verbis: modo Cæsar sententiam suam exponat, eam se Electori perscripturam, ac quid huic de ea videatur communicaturum. Nam quia Cæsarem consilii ancipitem, bellique timidum perspiciebat, haut consultum videbatur expromere, quid Elector offerat, antequam de istius sententia liquido constet. Sed Cæsar per Gebhardum Electoris mentem utique explorandam prius ducebat. Nam è tribus, quæ in hoc negotio pateant, viis unam necessario esse ingrediendam, ut Elector vel Polono adsistat, vel *Cæsaris declaratio languet. 20. Oct.*

1655. vel Sveco se jungat, vel in neutram partem concedat. Si de primo Cæsari constiterit, studium ipsius Electori non defore. Sed simul cogitandum, multos bonæ voluntatis pœnas dedisse, ac sæpe, qui suppetias alteri latum venerit, primo loco oppressum. Quod & sibi contigisse Daniæ Rex adhuc queratur. Quod si altera via placeat, facile intelligi posse, Cæsarem adversus amicum, cognatum, & eadem sacra professum salva conscientia, nil suscipere infesti posse. Ubi denique postrema via arrideat, id vel fieri oportere utriusque partis consensu: quo casu Elector auxiliis opus non habeat; vel eidem necessum fore intra fines suos subsistenti etiam invitis Svecis neutri se addictum tueri; circa quod magna circumspectione opus sit. Unde Cæsari de Electoris sententia utique constare debere. Nam si Cæsar, postquam Electore petente, bellantibus sequestrem se obtulerit invitato in partem curarum Moguntino & Saxone, auxilium, in quod alias valde proclivis sit, annuerit, idque reipsa præstiterit, protinus à Sveco officium suum repudiatum iri; id quod isti ignominiosum futurum, ac everso pacis negotio bellum producturum sit. Sed Lœbius dato semel responso inhærere: Non aliud sibi in mandatis datum, quam Cæsaris auxilium implorare, quem latere non possit, quo modo cum fido Imperii Electore agendum, & uti præcavendum sit, ne alteri, ac forte ipsimet paria eveniant, janua ad invadendam Germaniam aperta. Electorem cum Polonis arma sociaturum credi vix posse, cum Joannes Casimirus regno facessierit, hujusque magna pars in Sveci fidem se dediderit. Ut cum Sveco Elector se jungat, nulla cupidine ipsum impelli, qui sua consilio & ope Cæsaris tueri satis habeat. Neutras partes Electorem sequi valde cupere, modo id citra periculum, & grave detrimentum fieri queat. Nil porro novi esse, auxilia ferre, & sequestris partes agere. Quanquam super hoc negotiationem suscipere sibi haut injunctum. Cum igitur è Lœbio nil certi exsculpi posset, Cæsar Starenbergium Comitem mittere constituit, cominus inspecturum, quæ circa hoc bellum Electoris consilia, quæ vires, & qua ratione sibi ab ipso subveniendum judicet. Cum
5. Oct. post Lœbius responsum urgeret, Curtius Comes id se mirari ostendebat: nam rem esse arduam, & exquisitæ deliberationis indignam. Haut præsentius consilium esse, quam ut Elector exercitum quantum possit augeat. Idem & à Cæsare agi, in auxilium Electoris prono. Sed negotium longe majoribus difficultatibus implicitum, quam ipse tetigerit: ac ideo Electori non ingratum fore, si Starenbergius aliquandiu apud ipsum moretur. Scilicet satis adparebat, Cæsarem nolle bello præmature implicari, armis nondum satis instructum, ac prius speculari fortunam partium cupere. Unde & pati nolebat, Joannem Casimirum quid copiarum in Silesia contrahere, nè forte Svecos eodem pelliceret. Ac judicabat Steno Bielkius, haut ingratum Cæsareis fore, si Elector cum Svecis collidatur. Cum igitur Cæsarei ambigue agerent, Lœbius itidem, quæ in mandatis habebat, premebat. Scrupulus quoque Cæsareis injectus fuerat, quod Elector Francofurti per Joannem Portmannum Ordinum Imperii operam circa componendum bellum Polonicum petiisset. Nam si Elector sententia forte mutata non soli Cæsari, sed toti Imperio id officium deferre vellet, ei quidem plus ponderis accessurum, sed eo ipso rem in longum extrahendam. Cum igitur nemo ad auxilium Electori ferendum sese accingeret, haut obscure Lœbius insinuabat; *eo rem sine dubio redituram, ut Electori cum Svecis pro captu temporum sit transigendum. Equidem ministros Svecicos semper suasisse, ut Rex Electorem pro lubitu agere sineret, nec circa eum sibi adjungendum laboraret, quo ansa foret totam Borussiam subigendi. Nam de regia parte eosdem haut dubitasse etiam ante tantos armorum successus. Sed Carolo Gustavo magis placuisse Electorem secum jungi; ac in eo duntaxat hærere, quod hic supremo cum imperio Borussiam suam obtinere velit, quam Rex à Svecia fiduciario jure dependere cupiat.*

§. 29. Post longas moras demum à Cæsare decretum, ut misso Pœttingio Comite ipse officium suum circa conciliandam pacem Sveciæ offerret. Diu deliberatum fuit, num mentio facienda foret, ab Electore id expetitum. Sic enim pronum hujus in pacem animum eo liquidius perspectum iri: ac si id officium repudietur, aut mora eludatur, Cæsari juxta atque Electori favorem quæsitæ pacis apud omnes partum iri. Ad extremum tamen placuit, Electoris mentionem haut fieri, obtentu sumto, quod tunc super hac legatione cum ipso communicandum foret, id quod negotio moram allaturum sit. Sed circa auxilium instanti Lœbio subinde copiæ, quæ jam in Silesia agebant, ostentabantur. Tum plenioribus istum mandatis instrui oportere; ac tanti momenti negotium mature digerendum; nequidquam Lœbio occinente, dum Romæ deliberatur, Seguntum perituram. Inter hæc ab Electore ad Lœbium literæ veniunt; *quoniam à responso Cæsareorum consiliariorum perspexerit, iisdem captum à se consilium incognitum fuisse circa partem belli Polonici capessendam: igitur se nunc significare, postquam à Svecis idoneam cautionem obtinere haut potuerit, cum Borussis Regiis super mutua defensione convenisse, ac spem sibi esse primaria oppida saltem ad ver usque tueri. Simul cum Rege Joanne Casimiro diligenter consilia communicare, ut Cæsare auxilium non subtrahente res Poloniæ facile restituenda videatur.* Ista cum Borussis conjunctione cum Sveci pacem abrumpi arguant, Cæsari non amplius metuendum, ne in bellum ipse pertrahatur, se extra periculum subducto igitur Cæsari confirmaret, ubi hic caussam susceperit, se nunquam citra ipsum cum Svecis transacturum, eamque in rem fidem suam obstricturum. Sed quia propediem irruptio Svecorum metuenda sit, enixe instaret, ut circa submittenda auxilia mora ne fiat. Enimvero ista Cæsarem à cœpto consiliorum tenore haut dimovebant, quin mox Lœbio isthoc responsi scripto tradi juberet; *Cæsarem equi-*

Cæsar sequestrem se offert. Pœting.

Nova Electoris declaratio. 10. Nov.

Cæsaris responsum frigidum. 12. Nov.

1655. *equidem haut sperare, Regem Sveciæ præter promissum, quo armis hisce neque ulli Ordinum molestum se fore confirmarit, in Electoris ditiones infesti quid tentaturum. Si quid tale tamen præter spem evenerit, Cæsarem officii sui memorem Electori auxilia haut negaturum, quod & per Starenbergium eidem caverit: ac si adversus pacem Westphalicam Electoris ditiones in Imperio sita invadantur, pro viribus ipsi subventurum. Vicissim ab Electore paria expectare. Quod si Elector huc missurus sit, qui ulterius ipsius sententiam exponat super stabilienda utriusque securitate, se quoque mentem suam declaraturum. Interim petente Electore officium sequestris obtulisse. Super transitu copiarum, & delectibus extraneis cum Saxone communicasse; ejus sententia cognita ad Deputatos Francofurtum relaturum, quod utrumque negotium communem Imperii securitatem spectet.* Ad ista caute admodum concepta, & Svecis nullam offensæ causam præbitura, cum Lœbius reponeret, quid circa Borussiam Cæsar facturus sit; ad Starenbergii reditum adquiescere jussus est.

Cæsaris ad Electorem missio. §. 30. Paulo post Lœbii adventum Cæsar Joannem Reichardum Starenbergium ad Electorem miserat consiliis ejusdem, ac viribus cominus explorandis. Sed prætextum sumebatur, ut gratias Electori ageret pro facta communicatione super statu Poloniæ; vicissim literarum à Rege Sveciæ ad Cæsarem scriptarum, & ab hoc responsi copiam faciens. Tum ut Electorem consilium posceret, quid hoc rerum statu pro salute Germaniæ sit suscipiendum. Equidem Cæsarem Svecorum pollicitis haut diffidere: in eo tamen cum Electoris sententia conspirare, è præsenti Poloniæ statu ingens Germaniæ periculum imminere, ac ortum ibi incendium facile flammam huc diffundere: ac Cæsaris, Electorisque provincias ei periculo proximas. Unde Cæsari gratum fuisse auditu, Electorem copias parasse, quas ita instructas speret, ut ea parte fines Imperii extra periculum sint. Cæsarem quoque ita exercitum auxisse, ut avertendis, quæ è turbido Poloniæ statu provenire possint, periculis sat validus sit. Eo magis autem securitati Imperii consuli, si communicatis consiliis procedatur, ac certi quid statuatur, qua ratione Germania adversus omnem invasionem tuta præstanda sit. Cæsarem in se nil desiderari passurum, ac gemina ab Electore expectare. Cæsarem consilio & opera ipsi præsto futurum, modo sibi ostendatur, qua ratione id commode fieri possit. Ad quæ Elector Starenbergio demonstrabat; *quantopere Polonicum negotium Cæsarem, totamque Germaniam tangat; nec dubitare, quin Cæsar eo mature perpenso ita statuerit, ut aliis suo exemplo ad amplectendam rempublicam calcar addere possit.* Sed Starenbergius ad ista nihil, neque de peculiaribus Electoris rationibus, aut quæ Cæsari ad ferendum auxilium facultas: sed id duntaxat testari jussum; *probari Cæsari ab Electore arma parari. Ipsum legiones suas ad viginti septem bellatorum millia supplevisse. Ac optimum fore, si Elector per legatos plenis mandatis instructos cum Cæsare in certas leges conveniat.* De Cæsaris auxilio non nisi laxioribus verbis spem faciebat.

Igitur cum duras à Cæsare conditiones agitari judicaret Elector, nec omnia, quæ circa hoc negotium observanda forent, literis tuto committi possent, Georgium Boninum Viennam mittere constituit. Starenbergius hoc cum responso dimissus est: *Cum Polonia interjectu suo Germaniam semper ab irruptionibus barbarorum tutam præstiterit, ac commodam se vicinam omnibus finitimis exhibuerit, nemine lacessito aut oppresso, ac suis finibus contenta unicuique suum reliquerit; Germaniæ eo laborandum, ut id Regnum præsentibus turbis ereptum in pristinam conditionem reponatur, in eaque conservetur. Ac Cæsarem de Germania, propriisque ditionibus eximie meriturum, si circa componendam inter duo Regna controversiam efficacem operam navet. Grato quoque se animo agnoscere, quod Cæsar sibi ad primum periculi impetum exposito auxilium obtulerit, de modo ejusdem expediendi per Starenbergium sciscitatus. Uti non dubitet, rem verbis responsuram; ita se vicissim Cæsaris, Domusque Austriacæ commoda pro virili promoturum. Sed quia in hoc negotio multa occurrant, de quibus Cæsarem penitius edoceri oporteat, ideo se, suggerente ipso Starenbergio, Boninum in aulam Cæsaream ablegare, quæ res ferat, ibi expediturum.* 1655.

§. 31. Huic porro injunctum Cæsari exponere; *Cum præsens Poloniæ status Germaniæ, facile ingens periculum conciliare queat, id regnum non velut alienum adspiciendum, sed quo servato nostræ quoque securitati prospiciatur. Et quia Cæsar ipsius consilium postulaverit, sibi videri Germaniæ suas rationes probe trutinandas esse, num expediat Poloniam velut propugnaculum orbis Christiani opprimi, aut cum bellicosa natione combinari, finibus Imperii nullo ad invadendum obstaculo incubituræ. Ei fini remedia dispicienda, ut omnia in pristinum statum, vicinisque commodum reponantur. Equidem optandum, rem amica tractatione posse componi. Ast cum hæc antea incassum tentata fuerit, quando nondum Svecis tanti armorum successus arridebant; minus nunc eadem confidi posse post tantam rerum mutationem factam, Rege extra fines Regni profugo, Ordinibus metu perculsis, ac magnam partem Sveco sese dedentibus, qui & omnia jam sua in manu posita arbitretur. Igitur ne oblatum paci conciliandæ officium sine fructu sit, eidem idoneo armorum paratu pondus addendum, simul communi saluti prospiciendum. Ac inprimis occasionem occupandam, dum res adhuc ancipites sunt. Nam sero medicinam parandam, tota Polonia, ac Borussia Regia sub jugum missa, ac se quoque oppresso, aut secuta Ordinum Poloniæ, circa quam satagitur, submissione. Eoque citra moram validum exercitum opportunis locis immittendum. Ad deliberationem Deputatorum id negotium rejicere serum esse, quorum nec omnibus par in publica commoda studium. Istis tamen serio prospiciendum, ut exteris interdicatur per Germaniam militem conducere.* Sed circa peculiaria Electoris desideria legatus Cæsari proponere jubebatur, quomodo ipse in has turbas præter culpam suam sit pertractus; quæ Sveci à se postulent; & quomodo ipse se gesserit circa alendos tractatus juxta, ac paranda arma. Ast si Cæsar aliique vicini neglectis suis rationibus *Mandata Bonino data. 6. Nov.*

nibus

1655. nibus manum pariter haut admoveant sibi demum ista amplectenda fore, quæ necessitas imperet, ac duris quantumvis conditionibus totius jacturam redimendam. Sed quia Cæsar ad opem ferendam pronum se ostenderit, rogare, ut ante hiemem tria peditum, totidem equitum millia è copiis in Silesia consistentibus sibi concedat, ad suos usus suo sub imperio adhibenda. Tum exquireret, quantis copiis, & ubi Cæsar rem gerere constituerit, quod alias istud auxilium communi causæ sustinendæ haut sufficiat. Si legatus intelligat, Cæsarem serio manum negotio admoturum, ac vires pro magnitudine periculi in promtu esse, ac super conditionibus moveri incipiat, ostenderet, Electorem operam daturum, ut Cæsaris filius Regno Poloniæ, ubi Ordines id obtulerint, & huic id acceptare placeat, potiatur, alioque modo eidem satisfiat; his tamen legibus, ut Cæsar omnibus viribus una secum, & cum Poloniæ Ordinibus connitatur, quo pace facta irruptionibus in Germaniam deinceps occurratur: ac ut omnia circa sacra & civilia in pristino statu relinquantur. Vicissim juncta secum opera efficiat, ut sibi Regia Borussia cum Pomerellia hæreditario jure concedatur, una cum Ducali parte supremi imperii jure nulla superioris agnitione possidenda; prout & Joannes Casimirus, & qui eidem adfuerint proceres circa Ducalem partem sibi jam obtulerint. In quam, ubi Electoris stirps tam masculina quam fœminea cum agnatis extincta fuerit, Domus Austriaca demum successura sit. Cæsarem tamen scripto cauturum, abs se aut successoribus in eas Regni Poloniæ partes nihil unquam actionis movendum, neque arma eum prius depositurum, quoad Elector in earum terrarum jure ac possessione stabilitus sit, extincta etiam Magistri Ordinis Teutonici, & quorumvis aliorum in Borussiam actione. Equidem id petitum quibusdam forte invidiosum visum iri. Sed cogitandum, neque Cæsari, neque Imperio, quin ipsi Poloniæ perniciosius quid accidere posse, quam si Borussia in Principis, maritima potentia instructi, ditionem concesserit. Nam eam esse unicam viam, qua Svecia orbi se formidabilem reddere possit; quorum in manu tunc futurum sit Poloniæ commercia intercludere, aut cum maximo lucro, aliis opprimendis impendendo, permittere. Id autem metuendum non esse, si portus Borussiæ penes talem Principem maneant, qui non aliter, quam Poloni hactenus, iisdem usurus sit, & qui pacta, quæ super commerciis cum Polonia iniri possint, potentia maritima confisus infringere haut queat. Ac si Cæsar quoque ad Mare Balticum autoritatem sibi comparare cupiat, se cum ipso, ac Polonis vires conjuncturum, ut is Livonia & Rigà potiatur. Nam Electorem ea cura tenebat, ne Sveci Poloniam Cæsari offerant ea lege, si ipsis Borussiam concedere vellet; id quod jam Ericus Oxenstierna non dissimulaverat. Unde Elector apud Cæsarem periculum à Svecis impendens omnibus modis legatum exaggerare jubebat; ac ubi duo tam valida Regna sub unum caput redigantur, abs quo & solo commerciorum Maris Baltici moderamen dependeat, Germaniæ non plus quietis sperandum esse, quam libidini prævalentis vicini placuerit, aut eam non nisi duris, ac generosæ nationi intolerandis conditionibus redimendam. Ac altius penetrare, quæ Schlippenbachius de regno Bohemiæ Austriacis adimendo, ac in patrimonium Imperii vertendo jactarit, ex quacunque demum stirpe Cæsar eligatur. Circa reliquas conditiones parum difficultatis fore sperabatur: ut Braunsbergam facta permutatione Electori adquirere liceret: ut Cæsar missis legatis alios Poloniæ hostes avertat: ut in hanc conjunctionem alii quoque pertrahantur, saltem ne qui contra eandem quid suscipiant; ut neuter absque altero pacem aut inducias ineat, nec arma prius ponat, quam utrisque satisfactum sit: denique inter utrosque fœdus perpetuum his regionibus tuendis ineatur. Ast ubi legatus sentiat, Cæsarem nil solidi ad hanc rem collaturum, eas conditiones silentio premeret, ac significaret; hoc modo Electori necessum fore suis rebus utcunque consulere. Quod si citra stipulationem alicujus conditionis Cæsar auxilium ferre Electori velit, id acceptaret. Præter hæc accurate observaret, num quid Viennæ cum Svecis agatur; ac si tale quid sentiat, tanto majore circumspectione utatur. Quia etiam persecutionem Protestantium, quæ hoc tempore in Silesia fervebat, Sveci in usus suos vertere poterant, ostenderet, illam in præsens admodum importunam videri, qua & plane supersederi satius sit. 1655.

§. 32. Delatus Viennam Boninus una cum Lœbio nil deprehendere poterat, per quod Electoris necessitatibus ita promte, uti res exigebat, consuli posset: ac promissiones in futurum ita languebant, ut nil certi superstrui iisdem liceret. Unde nostris visum sine mora expromere, quæ in mandatis habebant, grata Cæsareis auditu, ut tamen nihil ad rem responderent, ac quæstionibus duntaxat eosdem urgerent. Nostri autem ideo tam candide agebant, quod res Electoris moram non ferret; & quia Hatzfeldius è Silesia triginta amplius articulos in aulam miserat, in quos Elector cum Svecis transegisse ferebatur. Unde nostri istorum dubitationem alituri videbantur, si circa conditiones proponendas diu cauponarentur. Sed eo ipso nihil proficiebant, quod Cæsari fixum sederet per hiemem speculari, num quæ pacis spes? an Joannis Casimiri partes surrecturæ? quid Imperii Ordines huc collaturi sint? quis suis juxta ac Svecicis delectibus successus? quæ Electoris fortuna, & conservandi exercitus ratio? quid consiliorum Angli, Dani, Belgæ capturi sint? Ista omnia prout se darent, ita & Cæsar sua dispositurus erat. Interim Cæsarei ministri nostros inani negotiatione ludebant, intima eorundem expiscari conabantur, non veriti & eosdem si possent obligatione induere, dum ipsi omnia sibi integra reservant. Nec dubitabant interrogare, utrum Elector copias suas Svecis, an Cæsari concedere malit?

Nostri Viennæ incassum moliuntur.

15. Dec.

1655. Piccolomineus tamen candide disserebat: *quamquam ipse Electoris rebus apprime studeat, non posse tamen Cæsari suadere, ut petita sex militum millia Electori tradat. Nam eo facto istum ita instructum esse oportere, ut Svecum cum exercitu ingruentem excipere queat. Ac ut numerus militum præsto sit, multa tamen requiri, ut cum iis res geri queat. Isthæc antequam in promtu sint, haut consultum quid movere. In eo tamen diligenter laborari, ut quod nunc non potest, futuro tempore fiat.*

Alia Cæsaris declaratio. 19. Dec. §. 33. Cum digresso Lœbio Boninus ulterius instaret, Cæsar huic id responsi dabat; *Poloniæ Regem oblatum à se officium acceptasse; sperare Svecum idem facturum, de quo ipse Electori communicaturus sit.* Jejunitatem responsi arguenti Bonino Curtius reponebat: *Promtam Cæsari voluntatem esse ad succurrendum Electori; sed duas difficultates obstare. Nam neque biberna tempestate cum copiis iter posse fieri; nec in eo statu rem militarem Cæsaris esse, qui ad tam arduam expeditionem requiratur. Ac oblato sequestris officio ad arma procedi non posse. Saltem Pœttingii reditum expectandum. Interim Regiomonti à Svecis nihil periculi; Et si ad ver usque eorum impetus eludi possit, sat negotii eosdem deinceps habituros.* Addebat Aurspergius; antequam è Borussia nuntii huc adferri queant, res ibi plane potuisse mutari. Portmanuum de hoc negotio Deputatis Francofurti proposuisse; sed quibus statim scrupulus injectus sit, quod idem isthæc secreta teneri petierit. Ad quæ Boninus: Electoris consilia certis fundamentis inniti, queis persistentibus circa eadem mutationem haud metuendam. Scilicet cupere eundem, pristinum Poloniæ statum servari: sublimitatem status, animique magnitudinem conditiones, quas Sveci ostendant, adspernari. Ut generosa sua seu destinata adversus tantam potentiam pervincere queat, apud alios, quorum intersit, auxilium quærere. Id si obtinere queat, bonum publicum haut deserturum. Ubi ab aliis mora nectatur, forte necessitatem allatum iri ad curam publici boni abdicandum, ac ad permittenda, quibus prohibendis par non sit. Ex eo quod res secreta teneri petatur, nil sinistri posse conjici: nam consilia præmature vulgata plerumque eludi. Quod si igitur Cæsar serio rem suscipere velit, Electorem quoque protinus manum admoturum. Sin iste tantum otiosus alienos labores spectare velit, nimirum silentio opus esse, ne importunæ jam antea Svecorum suspiciones nullo fructu augeantur. Inter quæ legatus Hispanicus Castillorodericus asseverabat; *quæ ab Electore quærantur, cum veris Cæsaris rationibus congruere: nec consultatione heic, sed facto opus esse.* Contra Cæsarei fremebant; *Facile Hispano esse alterius periculo consilia dare, ac nullum ludum tam difficilem esse, quem spectare haud leve sit.* Colloquio dehinc instituto Cæsarei nihil asserere, sed tantum quærendo instare; num Elector perpetuo atque insolubili fœdere obstricturus sese sit ad eosdem cum Cæsare hostes, amicosque habendos? Quod cum noster annuerit, ac quid vicissim Cæsar præstiturus esset, exquireret, isti jactabant: id negotium ab universis Imperii Ordinibus suscipiendum. Noster contra: auxilia à se desiderari; circa quæ si Cæsar quasdam conditiones stipulari velit, ac inprimis circa adquirendum Poloniæ Regnū, in eam rem mandata sibi esse. Ad quod Cæsarei responsum declinare; ac inter cætera Comes Oetinganus jacere: Si Poloni Svecum sibi Regem adsciscere velint, non habere Cæsarem quod contradicat, non magis quam Electorem, si Borussia ipsi relinquatur. Ac forte Electori jam cum Sueco clam convenisse, & hac missione Cæsaris duntaxat destinata explorari; nostro valde indignante, Electorem argui, velut tam vilis opera in Svecorum gratiam ab ipso obeatur. Sane serio ab Electore rem agi facile agniturum, qui Cæsaris, Electorisque rationes intellexerit. Circa quæ Legati Hispanici judicium erat: *Solitum esse aulæ Cæsareæ occasiones commodis suis idoneas negligere. In negotio Bremensi egregia capta fuisse consilia, sed executionem hæsisse.* *Oeting.*

Extremum Cæsaris responsum. §. 34. Ad extremum â Cæsare Bonino responsum: *Electoris sententiam super conservando pristino Poloniæ statu ad bonum orbis Christiani, ac vicinorum quietem facere. Idem & se sentire; quo fine & Electoris suasu circa conciliandam inter partes pacem operam suam obtulerit, cui ut pondus accedat, se laborare, ut totum Imperium in hoc negotium pertrahat: tum & ita rem suam militarem disposuisse, ut cuivis periculo occurri posse speret, si & alii Ordines officium suum faciant. Enimvero quosdam suadere, hoc negotium à se haut tangendum: aliquas etiam integras legiones in exterorum usum conscribere. Sane se tantum numerum, qui ab Electore petatur, exercitui suo detrahere haut posse periculosis de adventu Tartarorum, & Cosaccorum nuntiis, ac itinere in Borussiam per hiemem, & interjectos Svecos intersepto. Ita inconsulto conatu suum militem perdi, Electorem haut sublevari, cui mox respirandi facultatem præbituri sint Tartari, quibus Svecus obviam tendere necessum habeat. Interim & è Belgio auxilia ventura. Quod si is â Svecis in Germania invadatur, se non defore.* Ad quæ Boninus: *Perinde esse, in Borussia, an in Germania Elector invadatur. Nam ibi ejusdem viribus destructis ad sublevandam Germaniam deinceps parum momenti allaturum. In præsens non aliunde quam à Cæsare auxilium peti posse: Belgicas copias anni tempestate intercludi: A Tartarorum adventu Electori nil levamenti, quos Svecus potius per Poloniam non suam grassari passurus sit, quam ut isti spatium det vires suas confirmandi. Si miles Cæsareus hieme in Borussiam penetrare nequeat, Svecos impressione alibi facta distrahendos; aut recens adventantes eorum turmas in Nova Marchia intercipiendas.* Cum Cæsarei id posse fieri negarent, Boninus regerebat; *intra unum & alterum mensem fieri posse, quod nunc non possit. Saltem spem Electori faciendam, quando auxilium expectare debeat. Alias neminem vitio eidem versurum, si utcunque detur cum Sveco transigat. Si nunc tot scrupuli moveantur circa sublevandum à copiis adhuc probe instructum, quid prostrato fore? Igitur satius esse periculum amittendæ ditionis qualicunque transactione prævertere.* Sed cum Cæsarei prius dictis nil adderent, isti discessū adornabat, velut ampliora mandata allaturus, non quasi negotium plane deponeret. Valedicenti Cæsar dicebat; se Electorem ante

omnes

1655. omnes ejus Collegas æstimare; tum variarum literarum exempla communicare, ne plane offensus abiret. Ferebat quoque, se Electoris propositionem Francofurtum ad Deputatos Ordinum missurum. Id quod Boninus deprecabatur, ni protinus auxilium Electori ferre velit; sat ipsi jam inimicitiarum à Svecis. Si tamen Cæsar suo nomine eam rem ad istos referre velit, se non intercedere. Id quod Cæsarei abnuebant. Boninum Vienna agentem
Kley. ablegatus Svecicus Kleyus diligentius quam opus esset inviserat, quo eundem Cæsareis suspectum redderet.

acies ... aulæ Cæsa... §. 35. Fortasse non abs re fuerit, quæ tunc erat aulæ Cæsareæ faciem heic exprimere. Cæsari podagra, ac adversa valetudine debili, ut non nisi sella gestari posset, recreatio quandoque è venatione erat. Ea corporis constitutio inter alias in causa erat, quod tanta cupidine teneretur belli declinandi, ac imminente mox fato pacatam rem publicam successori tradendi. In ejusdem gratia primum tenebat locum Joannes Weicardus Princeps Aurspergius, quem tueri hic omni arte studebat. Cum antea Cæsar insignem erga Leslœum Comitem favorem ostenderet, & Aurspergius metuere inciperet, ne iste suis luminibus officeret, primo variis eundem criminationibus evertere conatus est; ac cum id frustra esset, gubernationem Croatiæ, lucrosissimum inter Cæsareas provincias munus, obtulit. Quo idem motus aulam, ac supremi in Principis gratia gradus spem abdicare, invidiæque cedere constituit. Exinde solicitum Aurspergio studium fuit haut permittere, ut quispiam in gratia Cæsarea longius progrederetur, quam sibi expedire videretur. Quo fine officia aulica ita disposuerat, ut proceres non nisi junctim, & certis horis in aula adparerent, quo mutuo sibi obstarent, ac nemo Cæsaris colloquio diu frui posset. Reliquo tempore Cæsarem non nisi inferioris sortis famulitium circumstabat. Maxima pars temporis in gynæceo exigebatur, quo aulicis nobilibus haut liber accessus est: queis & fœminas ibi invisere, aut alloqui non licet, nisi ubi aulica ministeria sunt obeunda, & pluribus simul præsentibus. Sed Aurspergio velut supremo aulæ præfecto liber ubique accessus patebat, cui & fœminas omni modo colere, conviviis excipere, muneribus devincire, non minus atque illos, qui privata circa Cæsarea ministeria obibant, instrumentum servandæ potentiæ habebatur. Ubi animadverteret, à Cæsare virum quempiam meritis insignem æstimari, anxie oculos in eum convertere sveverat, subornatis etiam è vulgari famulitio observatoribus. Tum & ejusdem promotioni atque commodis studere, sed ut occasio non foret sæpius & familiarius ad Cæsarem accedendi. Ast ubi idem altius in Cæsaris gratiam penetrare instituerct, intentato crimine ut fortunis everteretur, opera sumebatur. Unde prudentibus ejus aulæ constabat, quo usque circa ambiendam Cæsaris benevolentiam progredi tuto possent. Tum & Jesuitæ inter fulcra retinendæ potentiæ adhibebantur. A nemine tamen ipsi plus periculi, quam à Legato Hispanico imminebat, 1655.
præsertim ubi unum vel alterum consilium, quod iste adversus hunc pervicerit, uti sæpe factum, Cæsari ejusque Domui damno cederet. Erat alias iste Castello-Rodericus vir prudens, fidus, atque candidus, quantum muneris conditio ferre poterat; quem & ideo Aurspergius ea statione dimovere nitebatur, isto inter alia artificio usus, ut omnia Regis Hispaniæ desideria à Cæsare abnegari efficeret velut in odium invisi legati, ut alius gratiosior huc mitteretur. Contra eas artes Hispanus obnixus stabat, haut cedere certus, ac Regem edocebat causam quare ipse minus acceptus in aula sit, non esse penes Cæsarem, sed unice penes Aurspergium. Et cum antea Cæsari persvaderetur, istum Hispaniæ Regem inducere conatum, ut prætcrita Cæsarea Domo Oenipontanam virginem duceret, id ut falso traditum Cæsar intelligeret, legatus effecit. Ita elusis, qui intentabantur, ictibus id obtinuerat, ut semper in sanctius Cæsaris consilium advocaretur. Id quod successionibus ejusdem vix indulgendum videbatur, quod Aurspergius Cæsari ac toti fere aulæ persvasisset; *Pontificis, Hispani, ac omnium exterorum consilia Germaniæ parum fructuosa esse, quam isti turbis involvere studeant, ut sibi quietem aut levamentum quærant.* Sic ut tunc Hispanica consilia in aula Cæsaris parum ponderis haberent.

§. 36. Comprobavit eventus fœderis Belgici, ac petiti à Cæsare auxilii, ad leges prudentiæ, ac præsentium temporum habitum consilia sua ab Electore fuisse instructa; dum primo omnium pacem inter diffidentia Regna servare, ac interim armis se firmare studet, quo officio suo major foret autoritas; aut ubi isthoc inane esset, pro captu temporum sua servare posset. Ei fini necessarium erat amicitiam cum Svecia quoad liceret servare, ac tractatus alere, quousque tempus certa consilia suppeditaret. Et cum nullius magis quam ipsius interesset pacem inter ista Regna servari, rationis erat nullam ejus firmandæ occasionem negligere. Unde & à Polonis facultatem agendi sibi dari petierat; & Dobrzenio injunxerat, ut è Sveco distinctius cognosceret, quid à Polonis desideret, & in quo demum adquiescere velit: qua notitia ipse in Regis utilitatem, ac utriusque Regni tranquillitatem usurus sit. Cui Rex responderat; *sibi necessitatem imponi rebus suis prospiciendi adversus periculum, à Mosco, & Polonorum ferocia incumbens. Non esse, quod Elector vagos quosdam sermones incautius jactatos moretur. Se quippe ipsi fide boni viri, & cui fraudes miscere insolens, cavere velle, nil se in ejusdem fraudem facturum, ac amicitiam tantopere æstimatam vel publici boni causa servare decrevisse; ac optare, ut Elector ejus specimen, quomodocunque placeat, quamprimum capere velit. Vicissim sperare istum quoque ipsius destinatis haut obstiturum, quæ Germani injuria suspectent.* *Elector cum Svecis rem integrã sibi servare studet.* *17. Mart.*

§. 37. Germania missus à Rege Berolinum Bartholomæus Wolfsbergius proponebat; qui initio testabatur, à Rege se venire alendæ per frequentia indicia amicitiæ, ac ut *A Svecico ablegato proposita, 21. Mart.*

1655. ac ut Elector à se ad conventum Deputatorum & alio mittendis injungere velit, quo cum Regiis diligenter consilio socient super iis, quæ ad communem Imperii, ac Protestantium salutem, simul sartæ tectæ præstandæ paci Westphalicæ faciant. Addebat de sermonibus à Schlippenbachio per inconsiderantiam jactis, quos Rex haut jusserit, ac mirari, quomodo talia isti in mentem venire potuerint, nisi forte ultro ad eosdem inductus fuerit. Porro à Rege arma parari ob bellum inter Moscos atque Polonos, ipsius finibus imminentes; quæ non magis cuipiam suspecta esse debeant, quam quod eandem ob causam Elector Borussiam milite firmet. Ei super oblata amicitia ab Electore multo cum verborum honore responsum: *Circa rempublicam cupide consilia se juncturum, idque suis jam proximo Ordinum conventu injunxisse; sed à Svecicis id sat frigide acceptum. Nunc propioris conjunctionis spem esse. Gratum sibi Schlippenbachii sermones è mandato Regis haut promanasse, quos & ipse nunquam ad animum revocarit, velut à prudentia Regis alienos. Se tamen istis ansam non præbuisse, sed illum eo nomine peculiariter audiri petiisse nudo sub æthere, ac remotis arbitris. Ubi eum à se in vivarium abductum ista ultro evolvisse; quæ cum ex inconsiderantia profecta arguantur, ipse viderit, quomodo Regi se excuset. Quod à Rege arma in Moscum parentur, à se non posse improbari. A Rege nil nisi amica se expectare, nec ad alia causam præbiturum.* Præter ista denuo operam suam paci conciliandæ offerebat, qua forte Regi non minora emolumenta procuraturus sit, quam quæ per incerti exitus arma petitum eat.

Elector Regem à bello divertere studet.

§. 38. Quia autem Wolfsbergius tam multa super studio Regis circa rem Protestantium, & libertatem Ordinum jactaverat, Elector Dobrzenio injungebat, ut suis verbis institutum Regis laudaret, quod & ipse pro virili fulturus

12. April. sit. Tum ut super Imperii negotiis eum edoceret, quam fragili ista talo stent, queis medendis à Rege manum secum admoveri par sit. Sed quia Rex circa arma paranda satagat, de quorum scopo varie judicetur, se non parum metuere, ne Rex per ea à tam laudabili negotio avertatur eo ipso tempore, quo circa idem egregium operæ pretium fieri poterat. Quanquam autem Regis destinata sibi haut cognita sint, nec ad eadem investiganda curiositatem suam porrigere placeat; amore tamen in bonum publicum, Regemque non posse quin testetur; gratum sibi fore, si ad tranquillandam Sveciam instructis amicis tractatibus aliquid conferre possit, quo Rex aliis curis exsolutus publicæ saluti stabiliendæ vacare queat. Inprimis autem super ancipiti Poloniæ statu pro amicitiæ jure consilia cum ipso conferre cupere. In dies gliscere Mosci per Poloniam arma, quæ nisi sistantur, ingens periculum non huic solum Regno, sed & Borussiæ, ipsisque provinciis Svecicis imminere. Præsertim cum Poloni non solum subigente necessitate Tartaros, quibus non magis quam hostibus fidendum, auxilio evocarint, sed & metuendum sit, ne Turca demum Christianis inter se attritis ingruat. Adversus tantum periculum tegendæ Borussiæ delectus se egisse nullius in offensam. Prout & Rex etsi neutri partium hostis, ob arma in finibus suis versantia caute copias firmet. Tollendæ tamen huic curæ optari à se, ut Regi placeat operam secum jungere bello inter Polonos & Moscos componendo. Nec minus se juxta atque Regem à cura boni publici distrahi per controversiam inter Sveciæ Poloniæque Regna nondum sublatam; è qua proventura malorum seges si in herba opprimatur, susceptis denuo super æterna pace tractatibus, opus id fore cumprimis salutare, & sanctimonia Christiani officii dignissimum. Cujus desiderium cum Rex per ablegatum suum ostenderit, & vero periculum in mora, ac pactis nuncupatos sequestres excire longum sit; expeditissimum videri se parario id negotii quamprimum suscipi. Quam in rem denuo se operam suam offerre, quo æqua, tuta, & honesta pax constituatur, in qua dignitati, ac securitati Sveciæ rite caveatur. Cui fini expedire, à Rege sibi indicium fieri, in quo ipsius rationes heic vertantur. Cum etiam Rex significarit, tuendæ inter ipsos amicitiæ facturum, si Elector ejusdem destinatis impedimentum haut objiciat; nosse se cupere, quo ista spectent, & qua ratione id fieri possit, cum tale quid nunquam sibi propositum fuerit. Cæterum constare sibi, Polonos temporibus suis ad amplectendam pacem urgeri, cujus ex voto obtinendæ ea jam Sveciæ sit occasio, qualis deinceps sperari vix queat. Et esse sibi cum præcipuis Poloniæ Senatoribus amicitiam, per quos omnia se obtenturum confidat, quæ ad securitatem Sveciæ necessaria sint, ac salva æquitate postulari queant. Quod si super admittendo suo officio scrupulus moveatur, Dobrzenius jubebatur reponere; se pactis induciarum inter sequestres expresse nominatum; ac sua quam maxime interesse inter ea regna pacem quamprimum constitui. A Christina quoque ad id officium sese per literas, & misso ablegato invitatum. Unde idem nunc repudiari & pactis adversum, & sibi ignominiosum fore. Admisso suo officio ablegatus ulterius proponeret: Electorem quidem de utroque Regno confidere durantibus induciis hostile quid tentatum haut iri. Quia tamen etiam inter tractatus accidere quid possit in rupturam valiturum; æquum ac juri gentium consentaneum esse, ut durante sequestris officio à neutra partium ditionibus suis, ac inprimis Borussiæ quid molestiæ inferatur, suisque copiis tutus transitus concedatur, in eamque rem utrinque indonee caveatur. Injectum quoque sibi à Schlippenbachio scrupulum, ne forte portus sui, Pillavia, ac Memela ab utroque, aut alterutro Rege in securitatem, aut receptum petantur. Quanquam autem Rex vagos ejusmodi sermones sperari jusserit, ac per Wolfsbergium confirmarit, se nil Electoralium terrarum ipso invito affectare; subesse tamen metum, ne forte oblata æquivalente à se volente portus istos obtinere speret. Id ubi agi sentiat, omnibus modis huic postulato obsisteret, in quod ipse illæsa conscientia, & citra destructi- 1655.

1655. structionem sui status consentire nequeat. Inniti portubus hisce suam securitatem, iis velut claustris amissis totius provinciæ jacturam secuturam: in iis summum Principatus jus consistere, quod pacis ac belli tempore autoritatem sibi pariat: iisdem conservari communicationis lineam cum provinciis suis in Imperio sitis: horum alienationem juratis pactis, ac fiduciario vinculo, quo Poloniæ obstrictus sit, repugnare, ab hac proditionis ac perfidiæ se crimine notatum iri. Nec parum se terreri exemplo Patris, adversus quem graves inquisitiones susceptæ fuerint, cum anno 1626. Gustavus Adolfus eo inscio Pillaviam in potestatem redigeret; etsi non fraus atque conscientia, sed negligentior duntaxat custodia arguetur. Quin omnibus Regibus, atque Rebuspublicis, queis aliquæ commerciorum rationes, æmulationem orituram, si portus isti in Svecorum manus perveniant; unde novorum motuum materia oritura sit, commerciis Maris Baltici, ac cumprimis Borussiæ exitiosa. Ac Svecos, si veras sui status rationes expenderint, id postulatum ultro omissuros, velut perpetuæ diffidentiæ fomitem. Neque vero inveniri posse, quid huic portui æquiparandum. Nam quale sit, pro certis ac justissimo titulo possessis dubia, & ancipiti adhuc Marte quærenda captare, omnibus insuper fortunis aleæ expositis, neminem non intelligere; quæ nec quantovis pretio cedere per conscientiam liceat. Ac posse, dum sincera inter ipsos amicitia colitur, ita circa eos portus disponi, ut eorum commoditate Rex reipsa frui queat; saltem ut infesti nihil ex iisdem ipsi metuendum sit. Quod si igitur Rex caverit, Electoris bona aut jura hucusque possessa, aut deinceps adquirenda nullo modo à Sveciæ Regno læsum aut imminutum iri, Dobrzenius isti declararet; Electori maxime cordi esse à majoribus suis cum Sveciæ Regibus cultam amicitiam servare, atque arctius adstringere; quam mentem & Regi esse Schlippenbachius asseverarit, etsi super legibus ejus conjunctionis nihil certi adferri potuerit. Ac paratum se esse fœderi Hildesiensi accedere, idemque ad omnes suas ditiones, tam in Germania quam extra sitas extendere, modo circa id à se nihil exigatur, quod obligationi, qua Poloniæ teneatur, adversum sit. Id si Regi placeat, sese omnia isti fœderi perficiundo collaturum, ac cupere, ut Rex ejusdem formulam sibi tradi curet. Nam cum de hac conjunctione à Rege primum mentio facta sit, par esse ab eodem scopum istius, ac leges designari; id quod & sibi utilius sit. Ne tamen forte ad ista inania hoc negotium adhærescat, ablegatus proponere jubebatur: Electori id in Imperio spectari, ut instante Deputatorum conventu pax, & securitas Germaniæ, resque Protestantium salva persistat; id quod tempestiva conjunctione eorum, queis paria consilia agitantur, facile obtineri queat. Eam ad modum Hildesiensis fœderis formari posse, ut tamen suæ ditiones ubivis sitæ includantur. Non posse tamen justo se studio negotiis Germaniæ vacare, quamdiu ob gliscens inter duo Regna dissidium distrahatur; qua curâ per solum Regem in præsens levari possit. Nec dubitare se, quin ipse, fretus cum Joanne Casimiro, & Proceribus Poloniæ amicitia, Regi obtenturus sit, quæ salva æquitate postulari queant, modo Rex se conciliatore uti, ac secreto pandere velit, quæ ad Sveciæ securitatem stipulari cupiat. Sane eum ægre Deo atque hominibus adprobaturum, si hac rerum facie amica via repudiata armis certare, ac commercia tot populorum turbare velit, cum omnia æqua citra sanguinem obtinere liceat. Esse tamen ante omnia cavendum, super portubus nil molestiæ sibi exhibitum iri; citra quod nec Regi sociari, nec per se quid pro communi Protestantium causa moliri queat. 1655.

§. 39. Ista quanquam Dobrzenius diligenter ingereret, non tamen responsum elicere poterat, ex quo mens Regis penitius intelligi posset, & quod scopo Electoris satisfaceret. Cæterum laxioribus verbis à Rege jactabatur; gratum sibi fore, si Poloni ab Electore ad rationem admittendam permoveri possint. Causam offensæ Electori se haut præbiturum. A Schlippenbachio dicta non agnoscere. Eundem in possessione eorum, quæ legitime competunt, à se haut turbandum; inque id, qua ratione Elector cupiat, cautionem daturum, Wittenbergio injunctum, ut si fieri possit, cum Electore, aut aliquo ejus ministro colloquatur, aut ut utrinque ministri certo congrediantur. Eadem per Biœrnclovium repetebat, scripto cautionem traditurus, si opus esset, & ita mos ferret. Post inter sermocinandum Rex jaciebat; cum nullo magis, quam Electore prædam se partiri cupere. Quæ verba cum legatus clarius explicari peteret, à Rege nil aliud responsum, quam cupere se cum ipso Electore colloqui. Nec plus ad expiscandam Regis sententiam à Dobrzenio profectum, dum ostendit, Joannem Casimirum misso ad Electorem Tonscio studium pacis testatum, ac spem esse, renuntiationem in Regnum Sveciæ, & cessionem Livoniæ facile obtineri posse, id quod nemini antecessorum ipsius contigerit. Ita citra sanguinem opus immortali gloria dignum patrari, pluribus Deo gratis actionibus viam munitum. Electorem quoque eodem obligari, ac plus facultatis adquirere egregia Regis destinata fulciendi. Sed ista omnia silentio, aut laxis responsis eludebantur, de studio Regis circa colendam cum Electore amicitiam, ac ut formula fœderis distinctis capitibus adornata exhibetur. Ac cum Rex potentior sit, decorum esse hunc ad fœdus invitari; vel etiam ministros utrinque super eodem concinnando congredi posse. Inter quæ subinde suspiciones suas pandebant Sveci, quod Elector Gedanenses monuisset, ut sibi prospicerent, aut quod cum Polonis fœdus contraheret, cujus formulam edi à legato petebant. Vicissim Electori non modicum scrupulum injiciebat, quod Gustavus Hornius, Livoniæ tunc Gubernator, Rigæ à Memelensi cive quæsivisset; num, ubi invadantur, resistendi ipsis sit animus; ac num oppidani Svecicum quam Brandenburgicum mili-

A Rege liquidum responsum elici nequit. 7. April.

1655. militem præsidiarium malint? Ad quæ cum iste quæ fides exigebat respondisset: Hornius id laudabat, addito, instantibus inter Svecos & Polonos tractatibus id quoque agendum, ut Memela & Pillavia apud Svecos sequestro deponantur.

Svecorum destinata magis erumpunt. §. 40. Sed jam magis indies erumpebant indicia Poloniam peti, ac renuntiatio in Sveciam, Livoniæque cessio vile quid habebatur; tum Regia Borussia aperte in præmium belli destinabatur; quo fine arctius Regem cum Electore conjungi optare. *5. Maii.* Circa oblatum sequestris officium expectandum, quid Polonici *12. Maii.* legati sint allaturi. Etsi parum quadrare videatur, eum sequestrem, & socium simul agere velle. Mox tamen dè fœdere responsum: *Optari à Rege conjunctionem circa omnia, quæ Electorem ubicunque locorum tangant. Sed si conjunctio ad modum fœderis Hildesiensis quæratur, eam in præsens non nisi ad ditiones Germanicas porrigi posse, quod Rex turbis Germaniæ implicari nolit.* Nam id à Rege cavebatur, ne dum Cæsari, aut aliis suspicio injicitur, destinatis suis in Poloniam remora injiceretur. Nec dissimulabat à fœdere, quod Elector cum Belgis agitet, non parum sibi scrupuli injici. De officio sequestris non quidem plane rejiciebatur, sed ad legatorum è Polonia adventum differebatur. De portubus Borussiæ ne verbum quidem. Mox cum ab Electore literæ propria manu ad Regem scriptæ redderentur, hic multis verbis de suo in istum affectu testabatur, ac se protinus Benedicto Oxenstiernæ, ac Lilliestrœmio mandaturum cum nostris suscepto colloquio conjunctioni viam munire. Se quidem in hac, quæ imminere videatur, Poloniæ laceratione Electoris commoda generose ac sincero animo amplexurum. Equidem Electorem non parum contulisse, ut à Belgis classis armaretur, quibus ipse aliquando paria repositurus sit. Nec id eidem vitio dari posse, quod nondum de sua amicitia cautum ipsi foret. Sed nunc omnem diffidentiam exuendam. Elector contra, ut & ipse Regi suspicionem adimeret, Wolfsbergio significabat; à se uni & alteri loco Borussiæ Regiæ præsidium imponendum tuendæ inter suas ditiones communicationi, id quod Rex in sinistram partem ne acciperet. Tum de Belgico fœdere ostendere; cum id antea ad Clivicas duntaxat provincias pertineret, nunc ad omnes suas ditiones extensum. Confirmabat inde Rex, se ob amicitiam cum Electore, ac ne Gedanensibus suspicionem injiciat, consilium de invadenda per Borussiam Polonia mutasse, & Wittenbergium in Majorem Poloniam tendere jussisse. Addito, sibi decretum Electorem non inquietare, sed si is extra belli consortium utrinque removere se velit, ipsius securitati ample se cauturum. Optare tamen, ut conjunctio animorum, armorumque quamprimum constituatur. Sibi nil aliud quæri, quam ut Elector in ejusmodi statu collocetur, in quo propriis viribus subsistere queat; cujus incremento non minore studio, quam propria sit promoturus. Sane parum decorum sibi videri, Electorem Romani Imperii in Borussia alteri obnoxium agere. Sed mox cum 1655. Dobrzenius de occupandis ab Electore quibusdam Borussiæ Regiæ, & Majoris Poloniæ locis significaret, Rex id audiebat nullo in alterutram partem eminente affectu, ut, probaret id, an improbaret, judicari non posset. Tantum nomina eorum locorum sciscitabatur, ac num Rege Poloniæ conscio id factum sit. Inde questus ordiebatur; è Wolfsbergii literis se perspicere, Electorem tam crebris suis testationibus parum confidere, & à circumventione sibi metuere: Id quod longe abesse debeat. Ipsos inter se Protestantes suspicionibus distrahi; quæ causa fuerit, ut ipse non sine diffidentia de conjunctione cogitare potuerit. Nunc Polonicum negotium ingresso ante omnia enitendum, ut eodem defungatur, dehinc constanter bono Germaniæ publico vacaturus. Interim Electori optionem relinqui, num inter turbida hæc neutras partes sequi, & qua commodissimum videatur, suæ securitati cavere velit; aut quod ipse malit, atque utilissimum judicet, cum ipso rem gerere placeat? Addebantur literæ propria manu scriptæ ad Electorem, verbis humanissimis, quibus is omnia ad Electoralis Domus emolumentum facientia ample offerebat; ac propediem à se Stetinum mittendos; qui cum ipsius legatis agere incipiant.

§. 41. Circa hæc speciosa quantumvis dictu Electori non deerant, quæ desideraret. *Electoris de hisce judicium.* Nam & citra ambages dixerat Schlippenbachius, si bellum cum Polonis cœperit, Regi Pillavium utique habendam: & Elector quavis occasione ita se pronum amplectendæ Regis amicitiæ declaraverat, ut si serio hic ejusmodi conjunctionem affectaret, ipsius Domui proficuam, tamdiu inanibus verbis tempus extracturus haut fuerit ipso inter ancipitia destituto. Ac dudum de Wittenbergii, aliorumque colloquio spem factam, quorum neutrum secutum sit. Accedere nunc, quod antequam sibi tam probabilis suspicio exemta, ac super regiis destinatis quidquam communicatum sit, transitus per Pomeraniam petatur denuntiato, ad rem gerendam protinus accedendum. Uti autem dubium non sit, quin iis locis bellum erupturum sit, quæ suas rationes quam maxime tangant; eoque constare sibi utique debuerit, quid à stringendis jam armis sibi expectandum: Ita vel ipso Rege judice sat causarum sibi esse, quare hac rerum facie patientiam exuat, ac speciosis verbis diffidat. Et cum non ostendatur, qua ratione Regis arma sibi quoque bono cessura sint, nullo jure transitum & similia, queis ista promoventur, à se exigi. Equidem Regis amicitiam ante omnia sibi æstimari, eique à se prosperos rerum successus optari: pravalere tamen amorem proprii status, ut omnes reliqui respectus seponendi sint, ac inter hæc incerta transitum à se prohiberi fas esse. Igitur amovendis penitus suspicionibus Dobrzenius ista omnia Regi demonstrare, simul serio instare jubebatur, ut quod tam sæpe pollicitus sit declaret, quid circa hoc negotium ab ipso sit expectandum. Et quia metus erat, ne Benedictus Oxenstierna suscepto colloquio id tantum ageret, ut Electoris men-

mentem expiscaretur, inde facta ad Regem relatione tempus extraheret; itidem peteret, ut iste plenis à Rege mandatis instruatur. Denique cum Svecorum arma alacriter progressura videantur, dum circa tractatus satagitur; idem à Rege modeste postularet, ut hic tantisper scripto caveat, seipsius ditiones, portus, vectigalia, commercia & alia jura haut affectaturum, turbaturum, aut tributis oneraturum, nec eadem invasurum, aut per tractatus obtinere laboraturum; sed omnia in præsenti statu relicturum, ac ut in melius provehantur operam daturum. Nam ipsius Regis interesse, ut ejusmodi cautione solicitudo sibi adimatur. Enimvero Rex in procinctu jam stans ista omnia in Germaniam rejiciebat, ac Dobrzenio in signum peculiaris amicitiæ, ut Electorem Cæsari, Belgisque suspectum redderet, permittebat, ut classem secum conscenderet, cum id aliorum legatis abnueret; jussum tamen ut silentio id teneret, ne alii ad isthoc exemplum provocarent.

Cum Wittenbergio super transitu acta. 22. Jun. 26. Jun. Rec. Imp. de anno 1555. & 1564.

Interea Wittenbergius literis transitum per Electoris ditiones in Poloniam petierat, ad Instrumentum pacis Westphalicæ, ac jus gentium provocans. Cui ab Electore responsum: *sibi satis constare, quid Tabulis Pacis disponatur, ad quod sese compositurus sit. Sed quia eædem jubeant, ut non solum transitus sumtibus illius, qui eum petit, ac sine noxa fiat, sed & reliqua omnia, quæ legibus Imperii statuuntur, prius præstentur; utque transitus prius præfecto Circuli significetur, indicato simul, quem expeditio spectet, & eam non adversus Imperium, ejusve membra tendere, ac per aliquos è membris Circuli eo nomine idonee caveatur, de quibus in literis nulla mentio fiat, nisi quod sola militis transitum modestia promittatur; at sibi non constet, an non iis armis aliquis petatur, cujus ratio sibi habenda sit; ideo se ad ipsius petitum simpliciter respondere non posse; sed petere, ut, antequam iter ingrediatur, quæ legibus Imperii requirantur, præstet.* Sed iste leges parum curans iter in Poloniam pergebat. Literas tamen Wittenbergii, suumque responsum Elector Cæsari communicabat; qui hoc quidem valde probabat.

Tractatus Stetini suscipitur. 26. Jun. Legatorum Electoris ... 1. Julii.

§. 42. Significabat mox Benedictus Oxenstierna de suo Stetinum adventu, ac mandata sibi esse tractatus cum Electore suscipiendi. Unde hic protinus Georgium Fridericum Waldeccæ Comitem, & Ottonem Sverinum Baronem eodem ablegabat. His injunctum primo congressu dicere; se invitante Rege huc venisse super stabilienda amicitia acturos. Si Oxenstierna prior propositionem edere abnuat, ipsi ad pollicita Regis provocarent, queis sæpe spem fecerit, se super destinatis suis amice cum Electore communicaturum, ac super ipsius securitate idonee cauturum. Sed isto tergiversari persistente, proponerent: Sibi semper curæ fuisse, ut gliscens inter Sveciam Poloniamque lis æquis conditionibus componatur. Quin & animadverso licet, Regis arma Poloniam spectare, haut ideo id studium deposuisse, quod utique à Christianis Principibus bellum pacis causa sumi debeat. Eoque non Holmiæ solum de ista proposuisse; sed & cum Polonis egisse, ut ad æquam Sveciæ satisfactionem præstandam animum adplicaret. Quod si igitur Oxenstierna, quo Regis cœpta spectent, aperire velit, se promovendo negotio operam navaturos. Ubi is rem ad Regem rejiciat, orarent, ut Regi Electoris verbis significent; *sincerum in utrumque Regnum studium sibi haut immerito solicitudinem imponere, ut Regi, ejusque ministris probe considerandum suadeat; etsi res Poloniæ in præsens male se habeant; favente tamen Numine in melius eos mutari posse. Cum itaque Rex hac rerum facie citra sanguinem renuntiationem in Sveciam, pro qua ipsius antecessores atrocia bella gesserint, ac alia insuper obtinere queat, quæ sequestribus extra partium studia positis æque videantur; spem sibi esse Regem malle tam fructuosam pacis tractationem amplecti, quam hac repudiata extrema tentare; ad quæ Principes, queis Christiana placita cordi sunt, non nisi summa necessitate urgente, & ubi nil aliud remedii superest, procurrere debent. Huc accedere, quod petita Polonia alii populi, queis bellum jam cum Polonis est, ingentes progressus facturi sint, aliis insuper barbaris, Christiani nominis hostibus, in partes trahendis. Ac jam famam ferre Chmielnicium Cosaccorum ducem ea lege Turcæ se subjecturum, ut cum quadraginta armatorum millibus adversus quoslibet isto jubente sit militaturus.* *Chmielnizki.* *Nec minus nunciari, Regem Hungariæ ad Poloniæ coronam invitari. Equidem de horum consiliorum eventu præmature se haut ominaturum: certum tamen esse, Regem hac expeditione ita distractum iri, ut longe ipsi absuturum sit, firmandis in Germania Protestantium rationibus, Ordinumque libertati manum admovere; nec Electorem Regis auxilio destitutum operæ pretium facturum magno cum bonorum omnium dolore; præsertim cum in præsenti Deputatorum conventu id agatur, ut quæ ibi expediri debebant negotia, ad Judicium Aulicum rejiciantur.* Si Svecus super conditionibus moveat, nostri sciscitarentur, num Regi sufficiat renuntiationem in Sveciam, & totius Livoniæ cessionem obtinuisse? Si iste de sumtibus belli insuper injiciat, nostri differerent; posse eo nomine quæri partem quampiam terrarum, sed non eo loco sitam, ut, inde commercia onerari, apud alios æmulatio, ac nova litium seges germinare queat; eoque omnem de novis vectigalibus cogitationem abjiciendam. Ast ubi adpareat, non nisi inter arma de pace agère Svecos velle, nostri cautionem toties à Rege promissam repræsentari peterent, tum quo Regis destinata tendant, explorare studerent. Cautionem istam ita concipiendam, ut Rex scripto se obliget Gallo & Belgis sponsoribus; *se hac aut alia expeditione, aut per tractatus nullum jus dominii directi aut utilis, superioritatis, protectionis, telonii perpetui aut temporarii, ordinarii vel extraordinarii, aut quocunque nomine in Electoris terras in aut ante portus ejusdem, & merces importandas, exportandasque ac naves, in Imperio, aut sub Poloniæ Regno in Borussia sitis ditionibus deinceps quæsiturum, aut acceptaturum. Quin si Rex ejusmodi jus aut actionem per tractatus obtineat, aut Poloniæ Regno potius idem velut accessorium sese adquisivisse arbitretur; ea tamen cessione, aut quæsito per arma jure in terras aut aquas Electoris nunquam usurum.* Tum

1655. *ut Rex omnes Electoris provincias ubivis sitas transitu, hospitiis, delectibus onerare abstineat; bellicis navibus in ejus portus ne accedat, aut saltem nil hostile ibi exerceat, aut alios exercere patiatur. Tum quia Elector ob fiduciarium Borussiæ nexum Polonis ad centum equites auxilio mittendos teneatur, ne in hostilitatis vicem Rex accipiat, si isti ab ipso præstentur; quod & Gustavus Adolfus Rex ipsius patri indulserit. Vicissim Electorem in Regem nil hostile tentaturum, aut ab aliis tentari jussurum, sed amicitiam bona fide culturum, ac tractatibus pacis Sveciæ commodis fauturum.* Denique quia Schlippenbachius jactarit, Regi constitutum, commercia melius ordinare, nostri exquirerent, num Oxenstiernæ in eam rem aliquid mandatorum sit.

De conditionibus fœderis Electoris mens.

§. 43. Quod si autem nostri intelligant, Oxenstiernam idonea agendi facultate instructum, ac Regis destinata eidem cognita esse, in has leges cum ipso fœdus concludere studerent: *Etsi Joannes Casimirus, Rex, & quidam ejus antecessores, ac ipsa Polonia Respublica cum Electore, ejusque majoribus ita egerint, ut hic obligatione erga istos solutum se judicare queat; non tamen palam pacem cum eo Regno abrumpendam sibi videri, sed ita res sibi suas disponendas, ut & ditiones suas tueri, & inter tractatus pacis æquam satisfactionem obtinere queat. Eo statu uti ipse nil hostile in Regem Sveciæ suscipere decreverit, inque id fidem dare velit; ita Regem vicissim cauturum, ab eo nullum damnum suis ditionibus inferendum, ac suis destinatis nil impedimenti objectum iri. Quia etiam necessarium sit, à se loca quædam idonea ad Notezium, Wartam, aut Vistulam vel interius sita occupari, servandæ communicationi inter Borussiam & Novam Marchiam; id Regem haut ægre laturum, nec impediturum, si ea loca titulo protectionis, aut alio sibi adjungat, copiasque suas ibi disponat. Tum ne in præsulatu Warmiensi, Electoris ditione undique cincto, aliis quam Electoralibus copiis agere liceat:* *Ermeland.* *Ac quæ ex altero latere ad tegendam adversus Moscos Borussiam utilia sint, ne impediantur. Quod si Poloni Electorem ob permissum transitum aliasve causas, aut ob amicitiam cum Svecis cultam hostili modo habeant, ne Rex cum ipsis eo inscio tractet, concludatve, quoad idem debita satisfactione potiatur.* Ea satisfactio his partibus constabat. Cum Poloni propria ex libidine primas feudalis contractus leges mutarint, idque modo ad Electoris agnatos extenderint, modo eosdem exclusum iverint, additis intolerandis conditionibus, ut eo nexu Elector penitus liberetur. Cum etiam Lithuania ab Electoris majoribus possessa sit, ac aliqua mutatione contingente ipsi in eandem actio competat, ut Rex eam actionem fulciat. Ac si à Joanne Casimiro citra turbas nihil heic obtineri possit, ut post hujus obitum is Magnus Ducatus, aut saltem Borussia Regia fiduciario nexu exsoluta in Electorem, ejusque posteros hæreditario jure derivetur; haut repugnaturo Electore, quo minus Marchionum familia penitus extincta eæ provinciæ in perpetuum Regno Sveciæ adcrescant. Tum ut Rex si quam habere se arbitretur actionem ad Juliacenses & Clivicas provincias plane aboleat. Denique ut Regi de suo in ipsum studio plenius constet, se operam daturum, ut is post fata Ferdinandi in fastigium Cæsareum provehatur. Ast ubi Oxenstiernam haut plenis mandatis instructum sentiant, ista duntaxat velut privato sermone jacerent. Quod si Sveci Belgico fœdere offendantur, nostri confirmarent, nil illo contineri, nisi quod antiquis fœderibus super defensione terrarum Clivicarum, ac nupera inter Sveciam & Angliam super commerciis conventione constitutum sit. Ubi vel mandata Oxenstiernam deficiant, aut alia difficultas surgat, negotium non plane abrumperent, sed ita duntaxat suspenderent, ut quamprimum suppletis defectibus instaurari, & absolvi possit. In præsens autem ante omnia securitati suarum ditionum caveri curarent, ac ut hospitia sua dilatare sibi nulla Svecorum offensa liceat. De hac legatione Elector statim per suos Viennæ, Parisiis, Bruxellis, & Hagæ vulgari jussit, velut paci conciliandæ suscepta. 1655.

Stetinensis negotiationis initium. 7. Jul.

§. 44. Cum Waldeccius, & Sverinus Stetinum pervenissent, comperiebant Svecis etiam minutias sermonum Electoris cognitas esse, ac per certos homines ab ipsis subornatos Berolini varios rumores spargi Electoris sententiæ eliciendæ. Unde ipsis servando secreto placuit duplices literas scribere, unas Sverini manu, queis vera rerum series contineretur; alteras velut publicas per scribam ficta narrantes, ut perfida garrulitas sibi ipsi ludibrium strueret. Primo congressu Oxenstierna ostendebat; *8. Jul.* quoniam duo ab Electore legati advenerint, sibi injunctum Lilliestrœmium collegam adsciscere. Equidem nosse istum Berolini exigua in gratia esse. Sed nunc non ultro solum in meliora inclinare, sed & à Rege jussum omni studio ad stabiliendam cum Electore amicitiam incumbere, quæ isti maximi æstimetur. Ad quæ nostri: Parum solidi hucusque è Svecia profectum, quæ Electorem in gravissimas suspiciones conjectum iisdem nondum liberare velit; quin eam bellum jam orsam nulla super ejus scopo communicatione, de qua tamen toties spes facta sit. Tum isthunc congressum tamdiu extractum. Nec constare sibi an ipse ita plenis mandatis sit instructus, prout præsentis temporis conditio requirat. Nam facile judicari posse, Electorem tanti belli, cui rationes suæ sint implicitæ, hautquidquam otiosum spectatorem acturum. Oxenstierna contra queri, diffidentiam tam profundas radices egisse; ac debuisse Electorem Regis exemplum imitari, qui tam multis super isto relatis fidem haut adhibuerit. Ac hisce verbis Regem sibi scripsisse; etsi certo sibi referatur, quam multa Elector adversus ipsum machinetur; his tamen insuper habitis sententiæ suæ se inhærere, ac solidum fidæ amicitiæ fundamentum heic ponere velle. Cæterum fiduciariæ istius literæ sat restrictæ erant, ac de pace nullum ibi verbum. Tantum exprimebatur, cum Elector *ob surgentes in Polonia motus & periculum inde imminens ostenderit, animum ineundo fœderi propensum;* inde Oxenstiernæ injunctum, *agere super fœdere pro defensione respe-*

ctive

1655. *sive regnorum, provinciarum, & jurium singulis nostrorum competentium respectu Regis & Reip. Poloniæ ineundo & continuando usque dum æquæ, & tam Regi quam Electori tolerabiles pacis conditiones fuerint obtentæ.* Unde haut verosimile erat, ipsum super pace in mandatis quid habere; de qua cum nostri moverent, is frigide ac subridens dicebat; id prætextum huic negationi circumponendum, atque idem se apud omnes jactare. Wittenbergius, quo minus Electorem accedere potuerit, multitudine negotiorum excusabatur. Cæterum omnem diffidentiam seponendam; ac ubi Elector in eo proposito, de quo in Sveciam scripserit, persistat, tam firmam amicitiam coalituram, ut Svecia ac Brandenburgica emolumenta eadem deinceps classe censenda sint. 7. Jul. Sub idem tempus Schlippenbachius Berolinum veniebat, ac secreta admissione potitus Electorem de amicitia Regis securum esse jubebat, à quo jussus sit sermones suos ita interpretari, ne is suspicionem inde concipere possit. Cæterum is varie disserebat, aliquando jactans Regem non plus cupere quam Lithuaniam, & partes Livoniæ propinquas; mox tractum maritimum, sed cum consensu Electoris, cui nihil decedere debeat. Ab eodem quoque Bohemiæ Regnum in patrimonium Imperii destinabatur, ac uni è Protestantibus Cæsaream dignitatem conferendam; quam tamen Rex non affectet.

De pace incassum agitur. §. 45. Porro cum nostri super pace Stetini proponere inciperent, adductis rationibus, quare æqua pax ancipiti bello præferenda sit, Oxenstierna fatebatur; Regem in pacem non inclinare, eoque nil sibi super eadem mandatum. Nec videre, cui usus pax in præsens sit, cum Polonia, etiam quiescente Svecia, per externos hostes, & dissidia procerum, Joanni Casimiro Regnum abrogare conantium, alias pessum itura sit, sic ut Regi ob securitatem Sveciæ hoc bellum suscipiendum fuerit. Ac mirum fore, ni & Elector ista expenderit, ac manum simul admovere decreverit. Cum itaque circa pacem nullum operæ pretium fieri posset, nostri super pandendis Regis destinatis, & quid ab hoc Electori expectandum sit, urgebant. Ad quæ idem magnifice, sed laxis verbis de emolumentis, quæ Electorem ex istis destinatis mansura sint. Sed antequam hic socium se belli declaret, ad distincta descendi non posse. Per ambages tamen de dividenda Polonia insinuabat. Sed proponendi initium à nostris faciendum. Nostri quanquam expressis mandatorum verbis id haut juberentur, ac Electorem hoc bello haut implicari optarent; tamen ut super hoc mentem suam explicarent, multæ, gravesque rationes subigebant. Nam ad extremum Electorem huc descensurum norant, quod ni socia arma jungeret, ea faba in ipsum cudenda foret, & qua rectum cursum tenere haut licet, vela ad ventum obliquanda. Ac si, dum ipsi sententiam suam premunt, Sveci magnos progressus fecissent, fortasse societas plane deneganda, aut longe duriores leges subeundæ erant. Ac citra hoc re infacta discedendum erat. Igitur declarabant; Electorem arma simul arrepturum, sed his legibus, ut securitati ditionum suarum modo supra dicto caveatur; ut citra offensam Regis debitas Poloniæ præstationes exhibere liceat; ut non necessum sit protinus in hostilia adversus Poloniam erumpere; ut ipsi integrum sit à Polonis aliquot loca accipere, suarum ditionum securitati, & inter se communicationi inservitura; ut dignum hac opera pretium ostendatur; ut pax non ineatur, nisi Electori satisfactum sit. Ad quæ Oxenstierna: Etsi videat Electorem prius Regis successus speculari velle, tamen die crastino responsum daturum, quod ipsis probandum sit. Id nostri expiscari non poterant, num Regi decretum esset totam Poloniam evertere, ejusve statum mutare. Id enim à se ignorari iste asseverabat; ac credere ipsum Regem idem nescire, quod talia à successu armorum pendeant. Satis tamen animadverti poterat, hoc bello vasta peti. Circa securitatem ditionum Electoralium Oxenstierna ostendebat; si ejus cautionis formula sibi exhibeatur, statim eam à se in justum instrumentum redigendam. Nam Regi decretum, Electoris statum in melius provehere, haut imminuere. Circa fœdus idem ferebat, mandata sibi esse non nisi ad Polonicum negotium spectantia; nostris reponentibus; cum utriusque rationes tam intra Germaniam, quam extra eandem conspirent, facile quoque ob præstitum Regi auxilium alias Electoris ditiones periculum incurrere posse; eoque fœdus ad omnes ditiones porrigendum. Oxenstierna ad hæc: Conjunctionem circa Poloniam primo loco constituendam; reliqua commode secutura. Electori in præsens multos hostes, ac ea fœderis extensione suspicionem apud alios excitatum iri, quasi Rex novos in Germania motus ciere instituat. Quod si occasione hujus belli Elector invadatur, par esse, ut ipsi auxilia ferantur, idque fœderi inserendum. 18. Jul. Post explorandæ Svecorum sententiæ nostri rogabant; si Rex, antequam longius bello se immergat, Regiam Borussiam, & Pomerelliam ab ipso potissimum respici innuerit, per tractatus obtinere queat, an non eadem contentus pacem inire velit? Oxenstierna talia quæri ægre ferens; super pace nil sibi mandatum. Vix credere bello nondum cœpto de hac jam agendum. Unde nostri ulterius instabant: Cum ex hoc colligi possit, Regem longius tendere, quid demum illud sit, & quam is metam suis armis præfigat? Quod & iste obtentu ignorantiæ declinabat. Fœdus Belgicum, circa quod tunc laborabatur, amicitiæ cum Rege adversari idem arguebat; quo nec opus sit, ac Electori cavendum, ne Belgas in suis portubus nidulari permittat, haut facile iterum ejiciendos; prolata quoque ejus fœderis formula, quam nostri fictam ostendebant. Tandem declarabat; si Regi à nostris scripto caveatur, id fœdus ipsi fraudi haut futurum, nec Electorem ullas naves, nisi Pillavia aut Memela periclitetur, auxilio evocaturum, eo articulo probato ad reliqua se porrecturum. Id scriptum nostri citra hæsitationem tradebant, ne Sveco suspicandi ansa præberetur; cum circa conservationem

1655. *Nostri de societate belli proponunt.*

1655. Borussiæ summa fœderis verteretur. Instabat inde Svecus, quam cito, quomodo, & quantis cum copiis Elector Regi se juncturus sit? id quod cupide expeti animadvertebatur. Ad quæ nostri prolixe demonstrabant; id neque negotio proficuum, ac Electori valde periculosum, statim arma stringere. Id quod & Svecus agnoscebat, ut tamen tempus aliquod saltem laxius nuncupari vellet, quando destinata publicanda sint. Circa directionem belli nihil à ratione alienum postulabatur. Cum Rex bellum suis auspiciis gerat, inter cujus auxilia Elector sit, penes Regem fore statuere, quis belli scopus, quando prælia sumenda, obsidiones suscipiendæ, pax ineunda, prævia tamen super omnibus cum Electore conventione. Electori in suas copias illibatum maneret imperium, ac is ea parte rem gereret, qua cum Rege convenerit. Conjunctionem copiarum prius decenter expetendam: Hospitia sorte cernenda, quibus Elector pro ratione copiarum pariter cum regiis fruatur. Quia tamen Polonia pauper regio sit ac ni miles hospitiis modeste utatur, ipsa egestas bello mox finem imperatura sit, omnia ordine dispensanda. Inter hæc omnia insignis modestia ostendebatur; ac ipse Lilliströmius rationes adducebat, quare in præsens Electori haut sit quiescendum, sed meliorem statum affectandum; testatur, sibi à Rege injunctum, cum nostris candide agere. Addebatur, Regi cum Cæsare, Hispano, ac inprimis Dano, Cromvello, Galloque optime convenire. De præmiis belli Sveci ultro movebant, operam datum iri, ut Elector supremo in Borussiam imperio, simul Warmiensi præsulatu, excepta Braunberga, & Samogitiæ parte potiatur; nec prius arma posituros, quam in id consensum fuerit. Cupere tamen, ut Elector Svecico exercitui quinque peditum, tria equitum millia jungat. Enimvero quæ à Svecis offerebantur Electori parum arridebant. Nam Warmiæ citra Braunsbergam parum pretii esse; & hac excepta satis patere, quid circa commercia Sveci agitent. Samogitiam tenuissimam esse Polonicarum provinciarum. Contra sibi optime congruere, quæ à Svecis affectabatur, Borussiam regiam, & Pomerelliam. Unde satius videbatur Electori, ab utroque seorsim rem geri, ac ut ipse citra offensam, ac impedimentum Svecorum hospitia sua dilatare, ac ea loca occupare conaretur, quibus animum adjecerat. Nec placebat copiis se suis exuere, easque Svecis tradere ob incertum emolumentum, & quo forte ipse prius, quam Sveci, potiturus sit, sed & quo iterum ab hisce pro libidine exui queat.

Super articulis fœderis incassum disceptatur. 12. Jul.

§. 46. Sequenti congressu nostri postulabant, ante cœptos tractatus à Svecis cautionem super securitate ditionum Electoralium exhibendam. Id quod Sveci arguebant indoli tractatuum repugnare, nec exemplum dari, tale quid ab ullo Principe postulatum fuisse. Dehinc isthæc fœderis capita proponebant: Ut Elector ad finem usque belli arma cum Rege societ; certum copiarum auxiliarium modum designet, easque propriis sumtibus sustentet, fruituras tamen hospitiis ad regiorum morem: ut moderamen belli penes Regem sit; ac peculiariter conveniendum, qua Electoris exercitus rem gerere debeat: Ut idem aliis fœderibus huic repugnantibus renuntiet. Si quid ad securitatem Elector desideret, secreto articulo addendum. Enimvero Electori haut placebat Belgico fœderi desistere, certas Svecis copias concedere, aut hoc fœdus ad Poloniam duntaxat adplicare. Ac lucrum quod ostendebatur longe tenuius erat, quam pro amplitudine promissorum, queis tam sæpe à Rege oneratus fuerat. *17. Jul.* Unde is suis injungebat, ut articulum de securitate primo loco suscipiant; ubi circa eum scrupulus moveatur, ad alia quidem procedant, nihil tamen perficiant nisi isto absoluto. Circa dubia nihil sub spe rati concluderent, sed defectum mandati excusarent. Inde suo nomine declarari Svecis jubebat: Sibi decretum propediem cum exercitu in Borussiam ei tuendæ movere, ac confidere, id Regem non impediturum; quam in rem Svecicos legatos cautionem poscerent. Vicissim se destinatis Regis haut obstiturum. Tum se, ubi Vistulam transierit stativa alendis suis copiis in Polonorum ditionibus, vel horum ingratiis occupaturum; quod à Rege haut impeditum iri speret. Cæterum cum ipse fiduciario vinculo Poloniæ innectatur, non posse huic se hostem declarare citra gravissimam causam; non minus tamen proficuam Regi operam navaturum. Quod si Sveci publicam hostilitatis declarationem urgeant, nostri ostenderent, id sibi noxium, Svecis haut prodesse. Nam tunc Vistulæ transitum difficilem sibi fore; ac deinceps se parum idoneum habitum iri promovendis pacis tractatibus in ipsius Sveciæ emolumentum. Ast ubi pax recusetur, aut à Polonis plus causarum suggeratur, circa istam declarationem nihil moræ futurum; etsi etiam citra hanc fieri possit, quod eandem secuturum sit. Ubi Polonia Electori bellum non indicat, intra tres menses ab hujus in Borussiam adventu à Svecis eam declarationem haut exigendam, quo ipse officium pacis conciliandæ eo efficacius obire queat. Sed à Svecis sibi significandum, quibus conditionibus per Polonos oblatis adquiescere velint. Interim à neutro, in alterius fraudem cum Polonis transigendum. Ast si Poloni statim in hostilia erumpant, Electorem quoque palam in eos arma moturum; quo casu Rex operam daturus sit, ut suæ copiæ terra marive tuto in Borussiam pervenire queant. Transitum per Pillaviam initio plane recusandum. Ast ubi Sveci eo postulato desistere nolint, conveniendum, ut copiæ non nisi modicis navigiis in portum adducantur, nec una vice plus quam ducenti aut quadringenti milites exponantur; qui & nullibi pernoctent, aut iter sumant, nisi qua ab Electore, aut Pillaviæ præfecto præscriptum sit. Certum copiarum numerum non posse definiri, sed in Electoris arbitrio fore, quousque exercitum augere velit. Militem propriis sumtibus conscribendum; qui tamen inter tractatus à Polonis repetendi sint. Electori eodem modo hospitiis suis frui, uti Regi, integrũ fore. Utrique imperium in suas copias illibatũ mansurum. Exercitus non nisi communi con-

1655. consensu jungendos. Eo casu penes Regem fore tesseram dare; reliqua communi placito expedienda. Ubi alteruter conjunctionem aliquot millium exposcat, necessitate aut communi utilitate id requirente, supremum imperium post factam conjunctionem penes eum fore, cui copiæ missæ sunt, harum tamen duce in consilium bellicum semper adhibendo. Submissas auxilio legiones mittente id desiderante, aut è communi placito remittantur iisdem quibus advenerint numeris, supplemento ex ejus hospitiis petendo, cui auxilio venerint. Svecis ad occidentale, Electori ad Orientale Vistulæ latus rem gerendam: utrique parti illa loca, quæ sibi stipulatus sit, tradenda, statim atque pax conclusa fuerit. Retineret utraque pars suos fœderatos, sed iis adversus socium ex hoc fœdere ne uteretur, siquidem huic fœderi satisfiat, ac postulata securitas præstetur: atque istis conventa pecunia aut milite adsistere integrum sit, quod circa hujus fœderis fraudem fieri possit. Electori præmium sit Graudentum, Neuburgum, Mewa, vectigalibus in præsenti statu relinquendis, Warmia, totaque Samogitia; tum tractus inter Notezium & Wartam fluvios à Nova Marchia ad Borussiæ Ducalis fines sex milliaria in latitudinem porrectus, denique & Elbinga ob lites declinandas, quod ejus commercia per Pillaviense ostium exerceantur. Svecis postulata sua ita temperanda, ut verosimile sit ista obtineri posse, ne socii ob ea infinito bello implicentur; quæ nunc ipsis pandenda sint. Novos portus struere haut licitum fore. Ratihabitionem intra tres menses faciendam: interim neuter alterius destinatis obsisteret. Durante hoc fœdere de æterna unione agendum. Circa ea, quæ ex hoc fœdere promanant, mutua evictio præstaretur.

Tractatum super successu 11. Jul. §. 47. Inter hæc Rex è Svecia Wolgasti adpellens Oxenstiernam ad se evocaverat, ut super successu tractatuum referret, testatus cupidum se colloquii cum Electore, ubi primum per urgentia negotia liceret. Is ante discessum dicebat; à nostris ob diffidentiam negotium difficile reddi, cum tamen Rex justiores suspicandi causas insuper habeat, ac potius eas hoc tractatu funditus tolli cupiat. Sane Plettenbergium Cæsarem ablegatum mira de Electoris in Regem machinationibus retulisse. Quorum fidem nostri elevabant, quod Cæsaris haut intersit amicitiam inter Regem & Electorem coalescere. Addebat iste; fœdus, quod Hagæ cudatur, unice contra Regem tendere; cui doleat plus fiduciæ in Belgis, quam ipso collocari, qui tam amplis verbis de sua amicitia caverit. Tum Regem contumeliæ sibi ducere, si per Belgas terreri posse videatur. Suspectum quoque Regi, quod Elector tam sæpe confirmarit, se ipsi lautas à Polonis conditiones obtenturum, velut secreta cum his commercia alat, quibus & omnia à nostris communicari constet. Ad quæ nostri; ab Electore utique pacem optari; ac ideo honestas pacis conditiones sponderi, quod Rempublicam pacis valde cupidam constet, quæ etiam invitum Joannem Casimirum, ut temporibus sese accommodet, compulsura sit. A Svecis nil hactenus sibi communicatum, quod facere mereatur. 1655.

Waldeccii apud Regem acta. §. 48. Ad Regem quoque jussu Electoris Wolgastum Waldeccius excurrebat, adventum isti gratulaturus, simul literas ab Electore traditurus, queis significabat; etsi optatam à Benedicto Oxenstierna cautionem non obtinuerit, spem tamen esse in posterum id fore. Interim si oblati à Polonis tractatus succedant, rogare; ut Rex ipsius rationem habeat, ac pacem, nisi propositæ à se conditiones annuantur, ne perficiat. Nam quia hactenus apud Polonos ita acriter institerit, ut Regi satisfiat, simul Wittenbergio transitum concesserit, istis valde suspectum se redditum. Simul in Sveciæ securitatem cessurum, si ipse conditiones Regi jam notas obtinuerit. Afferebantur eo ipso tempore nuntii super deditione duorum Palatinatuum majoris Poloniæ. Queis lætatus Rex Waldeccio dicebat: his successibus se haut mutandum, quo minus reipsa Electori ostendat, fidum se ipsi amicum esse. Sed revera post hæc fortunæ auspicia fœdus, ac amicitia Electoris minoris habebantur, velut quibus non amplius opus foret. Ac jactabatur, hoc momento negotium concludendum; alias tractatus inanes fore. Inprimis Rex negabat, fœdus Belgicum cum suo consistere posse; aut se unquam concessurum, ut Belgæ Mare Balticum intrent, aut circa idem aliquid disponant: ac potius cum Dano fœdus eo nomine initurum. Atqui eo capite fœderis Belgici de commerciis Maris Baltici non onerandis sublato, reliqua inania erant. Ac id fœdus duntaxat defensionem spectabat contra hostem; cujus & usus adversus Regem futurus non erat, si expetita cautio præstaretur. Ac non magis Electori vetitum Belgis ex eo fœdere auxilium præstare, quam Rex suis fœderatis conventa auxilia repræsentare prohibebatur. Quia tamen Rex id fœdus tantopere aversabatur, quod tunc nondum absolutum erat; eousque indulgere isti Elector decreverat, ut id caput ad ejusdem placitum formare vellet, modo Rex prius terrarum ac portuum suorum securitati idonee caveat. Ast Rex nullo modo ferre volebat super Mari Baltico ab aliis quid conveniri; ac si Elector huic proposito inhæreat, negotium irritum esse. Probe id nostris expendendum, nec sibi deinceps imputandum, si ea rerum conditio emergat, ut sibi Electore vel socio vel hoste utendum sit, repudiato neutrarum partium statu. Si Electori sua amicitia placeat, se operam daturum, ut is ex eadem insignem fructum capiat. Nec se perspicere, cujus partibus alias accedere velit. Nam à Polonis Electorem illudi; ac sibi constare, quid hic cum Polonia Majore egerit, quo tempore jam hæc cum ipso convenerat super iis, quæ jam palam eruperunt. Ipsum Cæsarem Borussiæ inhiare. Quid præsidii apud Belgas inventurus sit brevi experturum. Jussisse tamen tractatus Stetini continuari, quo protinus Oxenstierna sit remeaturus. Adversus petulantiam sui militis, quæ arguatur, remedia se curaturum. 21. Jul.

§. 49.

1655. *Negotium fœderis valde anceps videtur.*

§. 49. Ita circa hoc negotium major sese in dies difficultas ostendebat. Cum enim metus esset, ne Rex inter prosperos armorum successus duriores subinde conditiones Electori obtruderet, citra moram certi quid decernendum videbatur, siquidem hic isti utique jungi vellet. Præsertim gliscente Regis in Electorem suspicione, qui palam jactaverat; se nunc perspicere, vera esse quæ nonnulli dixerint, ab hoc suam amicitiam haut expeti; ac id potius inter summa curarum habere, Svecos iterum Germania eliminare. Ac dum eodem inter ambigua tempus teritur, agendi opportunitatem à se negligi. Simul metuendum erat, ne Rex iter Electoris in Borussiam impediret; quod ita sæpe ingeminaret; constare sibi oportere, quid ab Electore expectandum sit. Neque vero satis adhuc certum erat, num fœdus cum Belgis successurum esset, aut num hi sat valida auxilia subministraturi sint, si à Svecis vis intentetur. Ac num ab illis ipsis Electori super portubus suis satis cautum sit; num denique impensas belli nimio taxaturi sint. Vicissim nec de illo satis constabat, num hoc fœdere adversus omnes à Svecis molestias satis prospectum foret, adversus quas è fœdere Belgico præsidium sperabatur; cum contra id ipsum valde obstaret, quo minus cum Svecis fœdus coalescere posset; simul idem collisioni cum Svecis ansam præbere poterat, si vel maxime id rationes Electoris non tangeret. Nam si Sveci alios in Mari Baltico portus invaderent invitis Belgis, hi Electorem poscere auxilium ex fœdere poterant ad Svecos inde pellendos; cum tamen hoc fœdere succedente eidem obligatio incubitura eratSvecos in eorum possessione tuendi. Nec dubium, quin Sveci ubi quem portum hisce locis nancisçantur, commercia ad suum genium ibi tractaturi sint; quod quidem ne damno sibi sit, forte fœdere prospici posse. Ac si Belgæ ob subtracta sibi commercia Svecis litem moveant, se in alienum certamen pertractum iri. Inprimis cum constet, Belgas fœdus hoc non tam ideo quærere, ut portus istos Electori conservent, quam ne Sveci iisdem potiantur. Equidem si ante aliquot annos id conclusum fuisset, quod Elector diligenter quæsierat, non habituros Svecos, quod quererentur. Sed idem nunc uno cum Svecis tempore perficiendum erat, quod si suo fœderi adversum, ac plane superfacuum clamabant. Præsertim cum Cæsar, & omnes eidem addicti suspicionem Svecorum in Electorem alerent; ac Moguntinus Schlippenbachio dicere non dubitaverit: *imprudenter facere Svecos, qui Electori fidant tam varia adversus ipsos molito; qui & nunquam constantem, cum ipsis amicitiam culturus sit.*

Tractatio Stetini continuatur. 23. Jul.

§ 50. Advolabat dehinc Berolinum Schlippenbachius cum literis à Rege ad Electorem, queis communicabat, quæ ad Cæsarem scripserat super causis belli Polonici, ac observandis Westphalicæ pacis legibus. Ipse multa de affectu Regis in Electorem addebat, & uti Benedictus Oxenstierna diploma securitatis afferat: Sed vicissim Regi circa Belgicum fœdus gratificandum. Ad quæ Elector: *Diplomate, quo superiores adversus inferiores utuntur, sibi non consuli sed per justos tractatus cavendum.* Hi ubi absoluti sint, Gramzoam se venturum, ut ad colloquium Regis cominus accedere possit. Interim reverso Benedicto Oxenstierna Stetini tractatio resumebatur, ubi iste hac formula Electori cavere volebat: *S. R. Majestas assecurabit Electorem, quod non velit ipsi in Borussia Ducali quidquam præjudicii adferre, sed potius hoc agere, ut dictam Borussiam cum omnibus pertinentiis, portubus & juribus, prout eam nunc possidet, eandem posthac & in perpetuum quiete possideat, in eaque possessione pro viribus à S. R. Mte manuteneatur.* Cum inde nostri de commerciis monerent, Sveci reponebant: Super his peculiari articulo agendum. Regem tamen in eo non detrimentum Electoris, sed emolumentum quæsiturum. Suspectum tamen erat, quod Lilliæ strœmius dicebat; Anglos & Belgas queri, ab Electore plus vectigalium exigi, quam per pacta debeatur. Id tamen à se insuper haberi. Nam colligebant inde nostri, Svecos Electori circa vectigalia leges dictaturos, querelis Anglorum & Belgarum obtentui sumtis. Conjunctionem nostri non prius fieri posse dicebant, quam Elector in Borussia sit, eaque tuto perfici queat. Sveci contra; à Polonis Electori nil amplius timendum, & Regem recta Vistulam versus tendere, tegendo Electoris itineri. Eum articulum Sveci ita conceperant, ut Rex & Elector adversus Polonos, & omnes, qui ipsorum destinatis terra marive obsistere velint, unitis consiliis & viribus rem gerant, simul omni communicationi & fœderibus huic tractatui ac destinato adversantibus renuntient. Contra nostri super servando fœdere Belgico incassum nitebantur; nec *mari* se quidquam posse. Quod Sveci non ultra porrigi volebant, quam quousque è terra & arcibus propugnari queat. Si Elector obtentu hujusce belli in Germania invadatur, se indemnem ipsum præstituros. Ad hæc destinata efficienda Elector alienis copiis ne uteretur, sed solo Regis auxilio acquiesceret. Tum statim atque publica declaratio facta sit, Regi quatuor militum millia mittat, pro lubitu hujus utenda, quorum numeri citra impensam Electoris supplendi sint; cum reliquis copiis Grodnam versus rem gereret. Circa moderamen belli ita placebat; Si Elector cum exercitu apud Regem sit, hunc tesseram daturum, hospitia & itinera ordinaturum. Si Regius exercitus citra Regem Electori societur, regimen penes hunc fore. Si uterque exercitus absque Principibus jungatur, penes regium Ducem, paris cum Electorali dignationis, imperium fore. Si alteruter hosti sustinendo impar sit, unus alteri pro re nata subveniret. Si tamen is, cujus auxilium exposcitur, ita cum hoste sit implicitus, ut tuto inde eluctari non possit, & alteri cessim eundum sit, receptum versus propria hospitia faciendum. Regem Electori certa hospitia adsignaturum, quibus pro lubitu uti queat, ut ea tamen ne plane exhauriat. Militem in utriusque ditione conscribe-

1655. scribere utrinque liberum sit. Si Elector per suos aliquem locum occuparit, Regi assignatum præsidium in hujus quoque verba adigendum. Hactenus tunc Oxenstierna proponebat, Regi Stetinum adventanti occurrere properans, cum nostri omnia una vice audire maluissent.

Electoris super his sententia 13. Jul. §. 51. Ast Electori super his ita videbatur: *A Svecis fœderi Belgico dominium Maris Baltici frustra opponi, quod à se non affectetur; nec, cui idem competat decidere, se cupere, nec cum Belgis super eo quid convenisse. Commercia autem & quæ ab his dependent, rem esse, quæ omnes tangat. Nec dominum maris violari, si quævis regio securitatis & emolumenti sui curam habeat. Si tamen id fœdus jam conclusum sit, Regi se cauturum, eo se non usurum, quamdiu hic tractatus servetur. Si nondum perfectum id sit, non nisi de Civis ditionibus tacturum, nec hoc fœdere absoluto circa istud Rege inscio quid suscepturum. Ast ut aperte Belgico fœderi renuntiet, id plane fieri non posse; cum hoc modo omnis spes conjunctionis cum Belgis ineundæ abrumpatur. Si præter istam declarationem quid à se exigatur, non quæri, quid Regi prosit, sed ut ipse omni auxilio & amicitia orbatus à Rege solo pendere cogatur. Contra isthac renuntiatione Belgas summopere offensum iri, quorum tamen amicitia ipse etiam extra hoc negotium opus habeat. Regem velle, ut sibi fidatur: Sed ex ejusmodi postulatis non nisi diffidentiam generari.* Cautionem hoc modo concipi cupiebat Elector. *S. R. Mtas promittit, quod suæ serenitati Electorali in Borussia Ducali nihil unquam sive per hoc bellum, sive per tractatus cum Polonis, aliisve præjudicii, noxæ, damnive afferre, sed hoc potius agere velit, ut dicta Borussia cum omnibus pertinentiis, portubus, juribus & teloniis, prout eam nunc possidet, non modo posthac & in perpetuum quiete possideat, in eaque possessione à S. R. Mte defendatur, quam cito eadem à S. S. El. requisita fuerit; sed etiam à nexu vasallagii, quo S. S. El. Regi Regnoque Poloniæ hactenus obstricta fuit, penitus liberetur, ita ut deinceps jure proprietatis, dominii directi & utilis absoluto in Borusia illa gaudeat, nec superiorem ullum agnoscat. Si S. R. Mti Regnum Poloniæ, sive dominium directum in dictam Borussiam Ducalem offeratur, aut Regnum Poloniæ armis subjugetur, aut protectionis aliove quovis titulo S. R. Mas illud obtineat, nullo tamen tempore, ullove modo S. R. Mas, ejusve successores quidquam juris quomodo etiam illud indigitari possit, in dictam Borussiam sive superioritatis, protectionis, dominii directi aut utilis, telonii perpetui aut temporarii, ordinarii aut extra-ordinarii, in portubus sive ante portus S. S. Electoris acceptabunt, prætendent, aut exercebunt. Commercia, quæ in prædicta Borussia aut ab incolis illius Ducatus cum aliis nationibus populisque exercentur, à S. R. Mte nullo modo impediantur, nec ullis teloniis, licentis, aliisve impositionibus à S. R. M. onerabuntur. In Borussia Regali novi portus, transitusque nunquam parabuntur, nec ulla ratione commercia à Borussia Ducali avertentur. Si qua telonia Suæ S. is quisquam in dubium vocaverit, R. Mas. S. Sti adsistet, eaque pro viribus propugnabit.* Porro hostilia in Polonos se profiteri non posse, antequam in Borussiam pervenerit, ac ita se instruxerit, ut Polonorum incursiones prohibere possit. Vocabulum *mari* plane excludendum. Dum Sveci ab ipso alienas copias ad bellum hocce persequendum adhiberi nolunt, id indicio esse, istos partibus suis omnes adjungere, ac ipsi tantum sibi fastidita relinquere velle. Quatuor millia militum à se Svecis concedi non posse. Circa modum belli gerendi, aliaque à Rege ita disponi, velut is jam Regno Poloniæ potitus sit, se clientelari nexu eidem obstricto. Si copiæ in vicem cautionis tradendæ sint, potiore jure eas se à Svecis postulare posse, quod validiori suæ vires sat cautionis præstent. Delectus militum in suis provinciis concedi non posse, nec eas in Svecicis à se desiderari. Voluisse quidem antea propius Stetinum progredi; sed nunc nolle Regi hoc ipso spem accipiandi conditiones tam iniquas & contumeliosas facere; nec hoc tractatuum statu in vicinia exercitus Svecici satis tutum se credere. Ad damnum suum haut festinandum videri. Si Rex ad finem tractatuum Stetini non manserit, faciendum quod res ferat, ac rem divinæ providentiæ committendam.

Tractatus adhærescit. 24. Jul. §. 52. Ast Stetini cum denuo ad colloquium descenderetur, circa præmia belli à Svecis movebatur; Regem Warmia carere non posse, quod Regia Borussia tam angustis finibus sit inclusa, ac Electori longe majorem in Lithuania tractum dandum, provinciæ suæ conterminum. Ac parum ipsi prodesse Warmiam demta Braunsberga. Nostri contra: à Rege Warmiam, in media sua provincia positam, sibi jam oblatam, à qua in Lithuaniam rejici nolint Sveci; circa hanc Electori abunde satisfaciendum, modo super isthoc facilem sese præbeat. Scilicet rationem belli & commoditatis requirere, ut Elector Regi ad belli usque exitum Memelam tradat, & ut huic Pillaviæ præfectum constituere concedatur, utrique sacramento obstrictum. Id vero nostri magnopore abominari, ac postulati iniquitatem arguere, quo nisi desistatur, omnem tractationem inanem esse, circa quod ne temperamentum quidem admitti posit. Unde nostri jubebantur amica specie discedere, ac non nisi tutum iter Electoralibus copiis in Borussiam stipulari. Svecos quippe ex jure gentium transitum per Electoris ditionem petiisse; eodem jure istos huic transitum per alienum territorium abnegare non posse. Cum Sveci sequenti die isto po- 25. Jul. stulato non desisterent, nostri fremebant: *nulla necessitate urgeri Electorem, ut belli præmia tanti emat, quæ nec in doni vicem à Rege, non magis quam hic ab ipso, acceptare velit; cum ipse in hoc bello plus aleæ subeat.* Addebant Sveci: *cum Elector contra induciarum leges Pillaviæ vectigalia exigat, quæ ad diuturnitatem tuiturus non sit, Regem in eorum partem admittendum; qui ita circa eadem dispositurus sit, ut Electori deinceps plus inde, quam nunc proventurum sit. Sed & rationem commerciorum exigere, ut super iis deinceps exercendis*

1655. *cendis conventio ineatur. Nam Electorem solum circa eadem disponere par non esse, quod Regis quoque intersit non solum ob cives suos, qui ibi negotiantur, sed & ob ditiones, quibus eo tractu potiturum se speret. Atque id quoque Electori insigni emolumento cessurum.* Nostri ad hæc: *cum semel atque iterum postulata fuerint, per quæ via ad evertendum Electoris statum muniatur; non amplius obscurum inani tractatu sibi illudi. Adversus induciarum pacta ab Electore nihil factum, velut qui sui regiminis tempore vectigalia imminuerit. Sed proventum nunc, quam olim uberiorem, quod de fraudationes accuratius observentur.* Demum citra ambages declarari postularent, num Regi his conditionibus inhærere placeat? Sveci ad Regem relaturos se ferebant, incassum blanditiis nostros in suam sententiam pertrahere satagentes. A meridie accedens Schlippenbachius molestum sibi esse simulabat ita duriter cum ipsis agi, ac recte eosdem ista postulata rejecisse. Satius esse ad ipsum Regem querelam deferri. Hoc modo Electorem non posse non ad abrupta consilia compelli. Cum obscurum non esset istum subornatum, ut molliendo huic negotio occasio quæreretur, nostri ad Regem accedentes, quæ in rem erant, exponebant; addito, *cum exercitus regius denuo Electoris ditionem transire instituat haut petita venia, nedum præstitis, quæ leges Imperii requirant; necessum fore Electori eo nomine querelam ad Cæsarem & Imperium deferre. Ac sane ingentis contemtus specimen esse insalutato Principe iter cum exercitu ingredi, ac provinciales ad necessaria militi suppeditanda cogere; præsertim cum priore transitu in Nova Marchia multa petulanter patrata sint, vicis aliquot direptis atque incensis. Cæterum in partem vectigalium Regem nullo modo admitti posse, Cautionem ab Electore exigi, cum huic ista opus sit adversus validiorem. Regem antea literis manu sua scriptis confirmasse, sibi Domus ipsius incrementa curæ fore; nunc per tractatus optima patrimonii parte excitum ire, quod summæ calamitatis loco esset, si per improspera belli amittendum foret. Jam in aprico esse, quid circa vectigalia agitetur: Ac fortasse plura in recessu haberi. Ingens ludibrium orbi debiturum Electorem, si nulla necessitate amicitiam Regis tanta nobilissimorum jurium jactura emerit.* Igitur Electoris nomine declarare; *omnia quæ ipsius portus, ditionesque, atque inde pendentia eximia jura, quæ in præsens possidet, eorumque alienationem aut circumscriptionem spectaret, hujus tractatus materiam nullo modo esse posse.* Rex ad hæc paucis: *Milites modeste transituros. Multa primo intuitu dura tractando emolliri: Ac ubi serio res utrinque agatur, temperamenta non defore. Ita cum Rex in Poloniam properaret, nostri amica specie discessere, polliciti, in Nova Marchia præsto fore, qui negotium persecuturi sint.*

Elector tractatus persequi instituit. §. 53. Quanquam autem propositæ à Svecis conditiones Electoris rationibus minime omnium congruerent: Non tamen ideo tractatus plane abrumpere è re visum. Nam neque de auxilio, quod quidem magnitudini periculi responderet, uspiam sat cautum erat; ac quousque propriæ vires valituræ essent, nondum liquidis Svecorum progressibus, haut constabat. 1655. Ac si iniquior fortuna utique ad transigendum compelleret, honestius juxta ac facilius erat cœptos dudum tractatus qualibuscunque conditionibus perficere, quam post ferociter abruptum negotium inter adversa non sine indignitate pacem mendicare. Igitur placebat Electori Legatos mittere, qui Regem in Poloniam sequerentur alendis tractatibus. His in mandatis dabat Elector, ut quantum possint Regi pacem ingerant, se parario conciliandam; *Nova mandata.* aut saltem hoc tractatu caveri curarent, ne prius cum Polonis pax ineatur, quoad conditiones, quæ ipse hoc fœdere sibi stipulatus sit, simul impensæ in militem obtentæ fuerint. Cum Rex ultro de supremo Borussiæ imperio in ipsum conferendo moverit, idem operam navaret, ut Poloni in id consentiant, idemque ad alias partes, quas in satisfactionem obtenturus sit, porrigatur. In protectionem Borussiæ, quam a se affectari Rex ostenderit, ne consentirent. Equidem differre inter se protectionem, & jurisdictionem; aliquando tamen & confundi, aut saltem à potentioribus sub protectionis titulo plenissimam dominationem exerceri. Quod si Rex ambiguo hoc vocabulo plura quærat, oblique retractari, quod palam promissum sit, æternumque diffidentiæ fomitem feri. Tutelam portuum Borussicorum fœdere mutuæ defensionis æque obtineri posse. Ac forte Regem obtentu fœderis protectitii pinguius quoddam jus aucupari, ut eo prætexto naves bellicas in iis portubus velut defensionis causa collocare, aliosque inde arcere queat. Atqui sibi quàm maxime curæ esse, portus in sua potestate habere, ut tamen receptum & transitum Regi certis legibus indulgere paratus sit. Ut fœdus nunquam violetur magis quæsito jure protectionis, quam simplici fœdere prohiberi posse. Ut quoque in præsenti Rege nil diffidentiæ collocetur, non cautum tamen esse, an non successores isto pacto abusuri sint. Si Sveci objiciant, Electorem forte ex summo in Borussiam imperio partem dominii in Mare Balticum vindicaturum, declararent; se non repugnare, quo minus fœderi inseratur, isti juri à se renuntiari, si jus litorale, & quod antecessoribus suis in portubus Borussiæ competierit, illibatum relinquatur, ac ut proprias merces suis navibus exportare liceat. Tum se durante hoc bello nullam navem armatam, ad hostes Sveciæ spectantem, suos in portus admissurum. Quod si tamen Sveci vocabulo *protectionis* immoti insistant, fœdus potius, quam istud, omissuri, demum in id consentirent, hisce legibus, ut presse adhibeatur vocabulum *fœderis protectitii*, non *protectionis, clientelæ*, & similia, idque ita concipiatur, ut reipsa ex eo nil aliud colligi possit, quam defensio certis conditionibus circumscripta, utque quantum detur præstationes sint reciprocæ. Ut protectio duntaxat portus Memelæ & Pillaviæ spectet. Ut eadem tantum adhibeatur, ubi portus vi hostili impetantur, ac non nisi se postulan-

1655. postulante, ac sumtibus assistentis à se haut refundendis. Ut idem fœdus *nullam potestatem, superioritatem, dignitatem, regale, directionem commerciorum, jus præsidii aut hospitiorum in portubus, jus conducendi militem, jus transitus sumtu Electoris, collectas, tributum protectionis, aut impensarum, aut quocunque alio nomine* in se suosque cives attrahat. Tum ne Rex obtentu hujus fœderis ullam partem regiminis circa sacra & civilia tangat, nec querimonias incolarum Borussiæ admittat. Ut hoc fœdus nuda defensione absolvatur; reliqua sibi velut summo Principi illibata persistant; nec id dignitati suæ ullo modo fraudi sit, nec circa conventos titulos ideo quidquam mutetur. Ut penes se solum sit moderamen commerciorum in suis portubus ac ditionibus; nec se tamen repudiaturum, si quod consilium à Rege suggeratur circa commercia, ad majus suarum ditionum emolumentum ordinanda. Denique ut vectigalia Pillaviæ ad præsentem modum deinceps quoque exigantur. Ubi tamen Rex in locis, quæ in præmium belli sibi destinat, ista intenderit, id sibi quoque integrum fore. Sed ut Rex in partem telonii Pillaviensis admittatur, fieri nullo modo posse. Quia circa idem tempus Belgicum fœdus absolutum fuerat, Elector peculiariter suis injungebat, neo in aliquid fœderi isti adversum consentirent. Ac veniens è Belgio Daniel Weimannus demonstrabat, quæ Sveci postulent de vectigalibus, directione commerciorum, exclusione Belgicarum navium è nostris portubus; cum Belgico fœdere consistere non posse, ac istis gravem offensæ causam præbitura. Qui ubi semel se spretos ac fœdus suum, quod multis negaverint, tam vili æstimatum viderint; nunquam deinceps, quicquid evenerit, Electoris rationem habituros; tum Clivicos Ordines in ipsum obfirmaturos, ac multis aliis modis molestos futuros. Igitur nostri confirmare Regi jubebantur, Electorem operam daturum, ut Belgicæ naves Mare Balticum ne intrent, ac si quid in Svecos tentare velint, se neque his, neque Gedanensibus, auxilii quid præstiturum: Tum expirante eo fœdere nullum aliud, quod Mare Balticum tangat, initurum. Ista si Rex admittere nolit, testarentur; postulari ab Electore, quæ fieri nequeant, ejusque dignitati detrahant, eundemque multis malis involutura sint. Nil tamen, quod Belgicum fœdus tangit, scripto offerrent, ne Sveci isto apud Belgas contra ipsum abutantur. Cæterum negotium properarent, ac si Svecos tergiversari animadvertant, haut diu morati amica specie discederent.

Weiman

Circa tractatus adprofi- ciscitur.

§. 54. His cum mandatis Sverinus & Dobrzenius Regem Furstenvvaldæ assecuti sunt. Ubi colloquio habito Rex quidem de præsidio Pillaviæ ac Memelæ imponendo remittere: Contra exigere, ut Elector fœderi Belgico renuntiet, ac ob Borussiam fiduciario vinculo Sveciæ se innectat, simul Regem in partem vectigalis Pillaviensis admittat. Super quibus conditionibus aliquoties in itinere Teupicii, ac Ragosnæ frustra disceptabatur, Svecos ob enormes successus majora in dies spirantibus. Unde nostri cum talia annuere in mandatis se habere negarent, Berolinum sibi revertendum causabantur amplioribus mandatis petendis: Quibus Rex duas formulas tradi jubebat, unam fœderis, alteram mutuæ inter se & Electorem obligationis. Contra Rex, qui nec ipse tractatus cum Electore abrumpi volebat, Schlippenbachium Ragosna ad eundem mittebat cum literis, queis gratiæ pro concesso transitu agebantur. Addebatur magna vis amicorum verborum, solidi nihil. Unde Electore denuo visum eosdem ad Regem remittere his mandatis instructos: *Summopere à se optari, inter duo* 21. Aug. *Regna pacem constitui, nec se alienæ liti implicari. Sed cum pacis exigua spes sit, ac Rex sua arma cum ipso in Poloniam jungi exposcat; se gravitate rei, legibusque conjunctionis mature examinatis judicasse, tutissimum sibi fore neutri parti accedere, ac extra belli consortia intra quietam possessionem, ac defensionem suæ Borussiæ subsistere. Neutrius status basce fore leges; ut is sit perpetuus, & ad omnes utriusque ditiones ubicunque sitas porrectus, ac inprimis ad Borussiam Ducalem, eique subjectas præfecturas Polonicas & Lithuanicas. Ut unus loca alterius ne impugnet, aut in potestatem redigat, aut eos, qui commercii causa accedunt, quibusvis exactionibus oneret. Electoris copiis è Marchia in Borussiam liber transitus concedatur. Ut Rex nunquam sive per tractatus pacis cum Polonia, sive offerentibus ultro Polonis, aut per contractus quosvis ullum jus ad Borussiam Ducalem, vel etiam spem successionis petat, stipuletur, aut admittat. Contra Elector promittebat, in Regem hostile nil se suscepturum, nec destinata ejusdem impediturum.* Cupiebat quoque Elector stipulari, ut sibi Warmiam in protectionem recipere liceret, ut tamen ideo negotium non abrumpatur. Ac si immunitati ab armis in perpetuum frui non detur, ut ea saltem in unum annum concedatur. Ast ubi Rex utique pertendat, ut ipse in partes transeat, id quidem sibi difficilé fore ob vinculum, quo Poloniæ teneatur; sed ubi id declinari nequeat, temporibus cedendum, ac sui conservationem ante omnia habendam. Igitur demum declararent, se maturandæ paci arma Regi sociaturum, modo sua sibi integra relinquantur, nec leges velut victo impingantur, renuntiatio fœderum, illimitatus portuum usus, moderamen commerciorum, vectigalium participatio. Circa hæc si remiserint Sveci, nostri reliqua capita adornarent. Ubi istis obnixe inhæreant, negotium quantum possint dextre extraherent. Circa Borussiam & Warmiam tentarent, num Rex nuda protectione contentus esse velit: Sin minus, eam à Regno Sveciæ in feudum recognoscendam. Secretis mandatis adjungebatur, si Sveci æquos sese hoc fœdere præbeant, se consentire, ut deficiente stirpe Electorali Pillavia & Memela in Sveciam devolvantur; ut tamen agnatis, in quos eo casu Borussia derivanda sit, pares aliunde proventus attribuantur.

1655. *Elector plura adhuc concedere statuit.* 30. *Aug.* §. 55. Ast Legati in Poloniam delati secundissimas Svecorum res repererunt, ac Electoris amicitiam in dies minoris fieri, quod etiam citra hanc scopo se suo potituros confiderent. Unde cum legati metuerent, ne subinde duriora obtruderentur, ac protracto negotio Elector irreparabile damnum incurreret; quid hic ad extremum ob iniquitatem temporum concedere decrevisset, nosse cupiebant. Quibus Elector injungebat, ut Regi demonstrarent; *par utique esse secum agi tanquam cum Electore, & cui forte nascendi divinitus ditiones contigerint haut sane spernendæ; nec à se exigenda, quæ tolerari, aut fieri nequeant, suamque existimationem destruant. Quam fœdum enim esse, quæ tam potenti Reipublicæ honore suo velit oppignerato promiserit, ipsa inscia & invita citra necessitatem retractare, ac omnes amicos ac fœderatos abdicare? Saltem id indulgendum, ut sibi rem ad Belgas referre, eorumque mentem exquirere liceat. Sane ingens servitii specimen esse, non nisi alterius permissu fœdera contrahere posse, aut jam rite inita revocare cogi. In partem alienorum vectigalium venire velle iniquissimum esse; & quid Regem dicturum, si ab ipso alter tale quid postulare auderet? Ut talia a se exigantur, causam nunquam dedisse, ac suis contentum aliena non concupiscere, nec sua tamen prodigere velle. Sed & omnium, qui commercia exercent, Anglorum, Belgarum, Galliæ, Daniæ, Hanseaticorum interesse, ne quid circa Borussiæ commercia novetur; qui ut eadem in præsenti statu maneant, omnem lapidem sint moturi. Denique eam nobilissimam suorum proventuum portionem, in quam quid Rex ullo colore prætendere possit, ne bilum quidem sit.* Sed ubi rationibus nihil proficiatur, demum consentirent, ut post Electoris fata Sveci in tertiam, aut dimidiam partem admitterentur, ac ad extremum se quoque vivo, deductis tamen prius, quæ alendo ac vestiendo præsidio Pillaviæ ac Memelæ, simul sartis tectis servandis munitionibus requiruntur, ac ut penes se solum sit publicanos constituere, qui Regi non nisi ad reddendas rationes obstringantur. Ut tamen vicissim Rex in consortium belli ipsum ne pertrahat, ac ditionibus suis molestiam ne inferat. Denique & in vectigalis intensionem consentirent, modo ea communi consensu fiat, nec iis, quorum interest, querendi ansa præbeatur. Addebatur de coërcenda militis petulantia, qui in Electorali ditione haut modestius, quam in hostico agat. Tum ut sui legati ad secuturos pacis tractatus admittantur; ubi apud Polonos instandum, ut quæ post annum 1525. introducta sint onera, ac inprimis provocatio, aboleantur. Tum ne iidem jura in Ducalem Borussiam Svecis cedant, quod hoc ipso nexus fiduciarius dissolvatur, nec fas sit vasallum ad mancipii instar invitum in alienam ditionem tradere. Svecis contra ostenderent, ejusmodi cessione, velut re inter alios acta se non obligari; quæ & redimendæ licet pacis causa fiat, jure tamen invalida sit. Quod si tamen istis nil proficiatur, cum Svecis super jure protectorio, aut *vasallagio* transigerent in leges jam dictas. Simul reparationem sumtuum in conscribendum exercitum factorum reposcerent, cujus necessitatem sibi istorum controversia ad se nihil spectans imposuerit. 1655.

§. 56. Ast nostri, cum non sine gravi molestia per infesta prædonibus itinera Cracoviam eluctati essent, Svecos admodum frigidos erga se invenerunt, velut qui tota jam Polonia se potitos credebant; & mensem amplius nil cum ipsis, subinde licet instantibus, suscipiebatur. *Nostri nullum opera pretium faciunt.* Tandem Rex illis denunciabat; cum super abdicatione fœderis Belgici; ac vectigalium participatione mandatis idoneis instructi non sint, domum ipsis licere proficisci, quandocunque placuerit. Sed cum præsidiarium sibi deducendis militem peterent, ac valedicere Regi pararent, iter Regis ad fines Hungariæ excusabatur. Eo reverso cum Alexandro Erskeino, & Laurentio Cantensteinio colloquium habitum, quo nostris significatum; duo capita jam dicta ad ulteriorem Electoris declarationem seponi, interim conceptam formulam percursuros, ac nostrorum monita audituros, protestari tamen, ni Elector in duo illa capita ad Regis placitum consentiat, cæteris stringi se nolle. 24. *Sept.* 26. *Sept.* A nostris oblatam formulam haut probabant, de eadem ad Regem relaturi. Inter ista tædia nostri subinde rogabant, ut vel Rex suam declararet sententiam, vel sibi discedere liceret, Warsaviam reversuris, quo Rex Poloniæ Ordines evocaverat velut diadematis suscipiendi causa. 10. *Oct.* Sed neutrum annuebatur, vario obtentu vel machinationum Electoris, vel occupationum Regis, quæ huic negotio vacare haut permiserint. Demum Rex per Erskeinium, præmissa morarum excusatione, spem faciebat rei brevi expediendæ; ac successibus suis se permotum potius ad plura Electori remittenda, quam intendendas conditiones. Sed cum in rem præsentem veniretur, ad fœdus Belgicum negotium adhærescebat. Nam sancte quidem affirmabant Sveci, se Belgis querendi ansam haut præbituros; sibi tamen haut ferendum, alios super Mari Baltico quid disponere, aut istorum navibus bellicis terrorem sibi incuti. Tum & participationem vectigalis urgebant, ut tamen Electori aliquid præcipui capere liceret. Ac circa reliqua non nisi vagis sermonibus agebant, agnatos quoque Electoris ad successionem Borussiæ admittere absentes, velut jam antea exclusos. Ita Legati Cracouia discesserunt hoc cum responso: *Electori in duo ista capita esse consentiendum: Super reliquis facile conventum iri.* 18. *Oct.* Addiderat Rex literis ad Electorem datis: *In potestate ipsius fore ita se declarare, uti utriusque communi bono conducere censuerit. Sibi firmum semper mansurum cæptum fœderis tractatum omni sinceritate perficere, optarique, ut salutare opus quamprimum absolvi possit in utriusque emolumentum & securitatem.* Ast Elector censebat, salva fide ulterius se progredi non posse, nisi adhibito Belgarum consensu. *Elector societatem bel declina* Et quia Sveci in dies duriores se exhibebant, ac parum spei erat negotii feliciter conficiendi, simul inhumanum videbatur in Regem af-

flictum

1655. flictum arma stringere; Dobrzenio, quem denuo ad Carolum Gustavum mittebat, injungebatur, non nisi cautionem illam exigere, quam is Electori literis propria manu exaratis promiserat, sic, ut ipse extra contagium hostilitatis maneat, & si eundem quid velit, ad communes tractatus aut amicorum interpositionem remittat. Nam usque adeo se, majoresque suos in ejus litis partem nunquam venisse, ut per pacta ipse sequester sit constitutus. Ac reliqua Regni Poloniæ membra, si hostilibus abstineant, suis bonis relinqui; ut nil causæ sit, quare ipse durius quam cæteri tractetur, nisi forte ideo recte suis bonis aliquem spoliare fas sit, quia eadem alteri commodatis specie blandiuntur.

Elector in Borussiam tendit. 17. Sept. §. 57. Inter hæc, dum Svecorum vires circa Cracoviam hærent, Elector nemine obsistente copias suas in Borussiam duxerat, transmisso apud Montaviam Vistula. Et quia Sveci hinc è Livonia propinquabant, inde ad Vistulam aliquot loca in potestatem redegerant; ne propriæ ditioni inclusus mox inopiam sibi faceret, extra ejusdem fines militi alimenta quærere instituit. Ei Gustavus Otto Stenbockius apud Novodvvoram Masoviæ consistens, monenti, ne fines suos infestaret, responderat satis quidem frigide; se in præsens alia mandata à Rege non habere, quam ut Electoris ditioni noxam ne inferat. Sed præfecti militares, qui ab Electore missum non cognoverant, palam differuerant, sibi per Borussiam hiberna quærenda. Igitur rationis erat quamdiu liceret extra propriam ditionem copias habere, & cum Ordinibus Borussiæ Regiæ defensionem adornare; nil tamen hostile in Regem moliri, quod neque ipse, neque sui cives huic bello causam dederint, ac Regum lis ipsos non tangat. Idque ut legati sui Regi significarent, jubebat, ac ne ideo dubitaret tractatibꝰ colophonem imponere, neu in ipsum hostilia sumeret; suisque imperaret ipsius finibus & hospitiis abstinere. In Svecos à se nil hostile tentatum iri, & quæ cum Borussis agitentur, meram defensionem spectare. Cæterum Elector in Borussiam delatus apud Gedanenses, tum Ludovicum & Jacobum Weieros, Sigismundum Gyldenstiernam, simul Joannem Cossum, & Joannem Gambicium, illum Palatinum, hunc Culmensem Episcopum super Borussiæ defensione agere cœpit, velut quibus ea unica salutis via pateret, pacem quærere, ac defensionem parare, ne tanquam victi quasvis pacis leges admittere cogantur. *Weier. Coss. Gambic.* Sibi egregium militem in promtu. Ipsis sat spatii arma parandi, dum Sveci ad Cracoviam distinentur. Terras hasce integras esse & inexhaustas, ad quarum conservationem nil opus esse præterquam conjunctione animorum & consiliorum; ac paratum se præcipua istorum loca suo milite firmare. Enimvero apud plerosque somnolenter & confuse res agebatur, apud aliquos desperatio eminebat. Gedanensibus, penes quos præcipuus rerum gerendarum nervus, insignis morositas; ut qui propriis confisi viribus opes suas circa defendendos alios consumere nollent. 1655.

Elector cum Ordinibus Borussiæ agit. 24. Sept. §. 58. Sub idem tempus Mariæburgi conventum agitabant Ordines Borussiæ Regiæ, quo Elector Fabianum Donam Comitem, & Fridericum Jenam mittebat, qui istos ad maturandas consultationes hortabantur, cum periculum sit in mora; nec id consilium, quod jam meditentur, laudari posse, nisi peractum. Ordines vicissim peculiares conditiones à nostris audire cupiebant: nam ad laxa isthæc decerni à se nihil posse. *5. Oct.* Cum itaque tergiversatio diffidentiam excitatura esset, nostri declarare jubebantur: Electorem hautquidquam juris quid in Borussiam quærere, sed in unum spectare, ut consilia & vires communi defensioni jungantur. Quæ autem ipsis vires sint, sibi haut perspectum, sed quemque suas facultates optime nosse. Et cum pacis aut medii status exigua spes sit, cuique declarandum, quid pro sui defensione, & quam cito collaturus sit. Si Electori moderamen negotii deferre velint, conditiones esse proponendas, & illas secum discutiendas. Etsi cum iisdem viribus utraque provincia protegenda sit, satius videri intra conjunctionem subsisti. Ubi inter ipsos convenerit, Electorem statim Regi Sveciæ significaturum, ut hostilia terris fœderatorum inferre parcat, & si quid cum hac provincia agere placeat, ad communes tractatus remittat. Cum Sveci nondum vim intulerint, nec initium offensæ à nobis proficisci par sit, Svecicos præfectos monendos, aut Pauziga, & aliis Pomerelliæ locis vim abstineant. Si desistere nolint, vi pellendos, ac si eum in finem præsidiario milite uti velint, Electorem suo milite oppida tuiturum, quibus ubi postuletur iterum cessurus sit. Si Sveci arma inferre pertendant, ac Ordines idoneam defensionis rationem proposuerint, paratum esse Electorem ipsis defendendis suscipere, quæ ratio belli suaserit. Inter tractationem pacis Electorem operam daturum, ut Ordinibus pristina jura ac privilegia, singulis bona sua serventur, & non nisi communi consensu concludatur. Interea laborandum, ut Masovii in societatem pertrahantur. Tum protinus Nobiles ad arma vocandos, quoad circa copias aliter disponi queat. Denique idoneis locis penum congerendam, ac instrumenta bellica paranda. Quod si objiciatur, exigua esse quæ ab Electore conferantur, reponerent; ideo intra nudam defensionem subsisti, ut tanto commodius amicæ compositioni à se opera dari possit. Ac præsens utique auxilium ferri, dum præsidia oppidis imponuntur, quo Ordines suis copiis alibi rem gerere queant. Nec plura Electorem abnuere, ubi de constantia & viribus Ordinum cautum sit. Denique hostilia Ordinibus jam inferri cœpta, ut consultationi non amplius locus supersit, num vis repellenda sit. Isthæc autem non placebat in consensu Ordinum proponere, sed singulis privatim non sine circumspectione insinuare; quod Elector non videri vellet sese obtrudere, sed ultro ambiri.

1655. Petentibus tamen Ordinibus nostri demum coram deputatis ista exposuerunt, testati; consiliorum & armorum præsentissimum esse præsidium securitati harum terrarum. Tum ut commune periculum probe expendant, ac tempus dubitando ne terant, simul omnes alios respectus, ac sinistras suspiciones seponant. Post interpositam deliberationem Palatini ostendebant, conjunctioni se paratos. Sed à majoribus urbibus missi super tam arduo negotio sententiam dicere dubitabant, quod tantum ad colloquium huc evocati sint, ignari quid proponendum fuerit, eoque iustis mandatis destituantur. Simul petebant à nostris sibi communicari, quæ, ubi conjunctio arriserit, in mandatis habeant. Ad quæ nostri; cum ipsi in hanc exemplo Palatinorum consentire nolint, distinctius ista exponi supervacuum esse. Ac nemini incognitum, quid conjunctio bellica requirat; fidam consiliorum communicationem, pecuniam, militem, arma, annonam. Electori conditionem Regiæ Borussiæ ignotam; ipsis optime constare, quid humeri valeant. Esse Electori viginti bellatorum millia rite instructa; circa plures conducendos satagi; à potentibus sociis auxilia expectare. Eundem nemini hostilibus sumendis causam præbiturum: Sed nec hostilia in suam ditionem toleraturum. Ad quæ isti multa cum gratiarum actione octidui dilationem petebant afferendis domo mandatis. Et quia non nisi tres Palatini, & trium majorum urbium deputati aderant, interim equestrem quoque ordinem, & minora oppida evocanda. Privatim tamen urbici innuebant; difficile sibi fore præter propriorum præsidiorum stipendia quid erogare. Interea Palatini ad Electorem miserant Joannem Potuliccium Comitem, & Nicolaum *de Linda*; qui proponebant; Ut isthæc conjunctio fiat citra fraudem Regis Poloniæ, eaque bona fide servetur; ut si qua Borussiæ Regiæ loca ab Electore occupentur, restituantur: Exercitus Electoris Regiæ Borussiæ damnum ne inferat. Elector militem suppeditet recuperandis locis per Svecos occupatis: Bellum quantum possit extra fines Borussiæ geratur: Borussis integrum sit munita loca proprio milite insidere. Si Sveci ingruant, junctis viribus obviam eundum. Neutra pars sine altera inducias aut pacem concludat. Ordinibus liceat certos homines intra castra Electoris. Addebatur, Ordines declaraturos, quantum copiarum contracturos se confidant.

Potulikki.

§. 59. Redierunt inde Mariæburgum ab Electore legati cum formula conventionis, jussi, si urbes abnuant, cum Palatinis concludere, ac tentare, num citra strepitum Mariæburgum, Elbinga, & Thorunium in potestatem redigi queat. Tractatione suscepta plerique arguebant, Electorem proprii duntaxat commodi causa vicinorum conjunctionem affectare; nostris communem eum fructum ostendentibus. Venerant & tunc Regiummontem Massoviorum deputati, ingens studium pro Joanne Casimiro Rege præ se ferentes; ac nefas esse neutras partes sequendo Reipublicæ debita auxilia subtrahere. Sed cum audiretur, Mariæburgi inter Ordines dissensionem esse, Palatinus eodem proficiscebatur. Ac judicabat Elector, satius esse Massovicum negotium cum Borussico pariter absolvi velut ad eundem scopum tendens. Ostendebant isti sat odiorum in Svecos, sed ut mallent bellum Electoris, quam suis sumtibus geri. Enimvero Mariæburgi Gedanenses Belgarum auxilia præcipue respiciebant; qua civitate se subducente non modo amittebantur, quæ ipsa ad communem causam conferre poterat, sed & Belgæ reliquam Borussiam parum curaturi erant. Post multam disceptationem demum Ordines Jacobum Weierum, & Joannem Ulricum Schafgotschium ad Electorem Regiummontem mittebant absolvendo ibi negotio. Quo facto Elector suos Mariæburgum remittebat, instrumentum conventionis exhibituros, simul ut tres majores urbes in conjunctionem, & ratas partes conferendas permoverent, Electorem jura istarum haut turbaturum, ac ipsas considerato patriæ periculo ad ejusmodi consilia seduci se haut passuras, per quæ communia arma impediantur. Electorem nil oneris ipsis impositurum. Tantum significarent, quid ad hoc negotium collaturæ sint. Ast Gedanenses excusabant, tertium apud se ordinem ab hoc negotio abhorrere, Thorunienses primo ferebant, aliquot se militum centurias recepturos; post causabantur, nova quædam obstacula incidisse. Mariæburgenses ægre ferebant, à Weiero ipsis insciis super recipiendo Electoris præsidio conclusum; quo in oppido Elector Gyldenstiernæ imperium, quod à Rege Poloniæ acceperat, relinquebat; multa quoque de Polonis questi, & Weiero infensi. Demum majores urbes viginti dierum spatium ad deliberandum petebant. Cæterum dissensionis istius causa erat non solum penes quorundam ministrorum Lutheranorum intempestivum zelum, & male fundatas suspiciones, queis & alios imbuere studebant: Sed & dudum gliscens inter Nobiles & urbes super tributis dissidium, quod hæ illos arguerent, se ab iisdem prægravari, ac publicam pecuniam utcunque corrasam prave dispensari.

Tractatus iste perficitur. 15. Oct.

1655. *1. Nov. Schafgotsch.*

§. 60. Sic igitur inter Electorem & Borussos Regios in has leges conventum. *Sit hac conventio citra Regis Poloniæ præjudicium. Maneant omnibus sua jura salva. Ne quid detrimenti capiant ritus Romani, & bona sacra. Eadem nullius offensam spectet, sed solam hujus provinciæ tutelam. Neutra pars absque alterius consensu ab ea decedat, nec pacem, inducias, aut neutrum statum ineat. Liceat Borussiæ Ordinibus consiliarios suos habere in castris Electoris. Summum militiæ regimen penes Electorem sit. Ordines Borussiæ Electori jungant quatuor militum millia, ac præsidiarium militem Electoris oppidis suis recipiendum alant. De hac conjunctione Regi Poloniæ significandum, nec minus Sveciæ Regi; qui & rogandus sit, ut copias suas è finibus Borussiæ abducat, loca occupata restituat, ac pace frui permittat iis, qui ad*

Fœdus Borussicum. 12. Nov.

1655. *quid ad pacem citra fraudem tamen Regis Poloniæ omnia conferre parati sint. Id si nolit Sueciæ Rex, utraque pars auxilium invicem ferat. Interim monendos duces Svecicos, ut vim abstineant; nolentibus arma opponenda. Si qua loca Regiæ Borussiæ ab Electore inter hos motus occupentur, ea dein restituantur. Addebantur quæ observanda sint copiis conjunctis. Electori liceat quingentos milites præsidio imponere Mariæburgo: Tum quot è re videbitur Dirschaviæ, Slochoviæ, Leoburgo, Strasburgo, Braunsbergæ, Gaudento; qui ab Ordinibus alendi sint. Bello finito omnia in pristinum statum reponantur. Alii quoque ad hanc conjunctionem invitentur. Tribus majoribus urbibus viginti dierum spatium ad deliberandum concedatur.* Minuta recensere nihil attinet.

Exiguus hujus fœderis fructus est.

§. 61. Cæterum hoc fœdere id spectabat Elector, ut copiis suis alendis hospitia laxaret, ac rem ad proximam usque æstatem extraheret, ubi plures Svecis hostes surrecturos spes erat. Sane & Masovii, ac quisque vicini districtus, tum & Lithuani quidam istius protectionem ambibant. Ac sub finem anni Potocius, ac Landcoronius eidem scribebant; se abdicata Svecorum fide patriam vindicare decrevisse; quibus rite ordinandis non nisi tempore opus erat. Enimvero facile adparebat, parum roboris ei fœderi futurum, disjungentibus se majoribus urbibus. Et constabat à Svecis Borussiam majoris quam totam Poloniam æstimari. Quod si ab hisce una aut altera earum urbium, torrentem fortunæ secuta, & studio jam in eosdem imbuta, in partes Svecicas pertracta fuerit, ista unio brevi expiratura erat, reliquis harum exemplum imitaturis, obtentui sumta militum petulantia, & quia Ordinum Poloniæ deditio cæteris pudorem abstulerat. Et quia Svecus facile prospicere poterat, futura æstate plures sibi hostes incubituros, non dubium erat, quin tota mole Electorem opprimere sit conaturus: Cui & ab omnibus destituto satius habebatur temporibus cedere, quam totam provinciam belli calamitatibus exponere. Sane & post transactionem cum Svecis Weierus huic fœderi irascebatur, velut rebus suis noxio. Nam dum Electoris miles oppida insidet, suum alibi periisse: Ita se nunc imparem esse munitis locis defendendis. Ast Joannes Casimirus eam conjunctionem summopere probabat literis Glogovia Minore scriptis, quibus ad constantiam hortabatur Electorem, ac de restituendis suis rebus spem faciebat; tum de auxilio Tartarorum, simul Potocium cum exercitu ad se rediisse significabat. Missus quoque ab eodem Joannes Tonscius in grati animi indicium pacta circa Borussiam renovata offerebat, quorum hæc capita erant: *Rex & Respublica eximit Ducatum à dominio suo directo & supremo, omnique jurisdictione, quæ Regi competierat; eoque nomine à nexu juramenti exsolvit omnes incolas Ducatus, idque ad decessum usque lineæ Electoralis utriusque sexus, & aliarum linearum reliquorum Marchionum duntaxat sexus masculini. Post redibit illa Borussia ad corpus Poloniæ; nec interim in cujusvis externi potestatem & possessionem etiam temporariam tradatur. Exercitium religionis Catholicæ iis locis, ubi nunc viget, in eodem statu conservetur. Calendarium novum retineatur. Jura, privilegia Ordinum, & privatorum Ducatus cum libero exercitio religionis Augustanæ in eo statu, qui nunc est, integra permaneant, non excluso tamen libero usu Reformatæ religionis. Appellationes ad Regem cessanto. In earum locum constituatur tribunal Ducatus generale, quod de causis cognoscat alias ad Regem devolvi solitis. Moneta cudatur monetæ Poloniæ & Lithuaniæ conformis. Telonia maritima & terrestria non augeantur, sed in præsenti statu conserventur; sicuti nec Rex in Lithuania novum vectigal instituat in gravamen Borussiæ. Si novum placeat institui, fiat id consensu utriusque, Regis & Electoris. Loco canonis annui Elector deinceps præstabit Reip. 1800. pedites, ducentos equites cataphractos, quoties opus, extra limites Ducatus sumtibus Reip. alendos. Totidem promittit Resp. Electori. Collectio militum utrinque libera sit. Elector neminem hostem per portus Borussiæ admittat, eosque bene custodiat. Cum nemine quid concludat in Reipublicæ præjudicium. Paria præstabit Respublica. Controversiæ inter utriusque subditos per Commissarios ex æquo & bono componantur. Pacta hæc quamprimum à Rege & Rep. adprobata fuerint, juramento confirmentur, idque juramentum à singulis successoribus utrinque repetendum. Id conceptum à Rege & Rep. probatum iri Tonscius spondebat.* Vicissim Rex ab Electore suscipi postulabat defensionem Borussiæ, Gedanique, & quantum detur vicinorum Palatinatuum: ut fœdus cum Belgis in usum Poloniæ adplicetur: Ut minimum duo millia Regi obviam mittantur; ut neuter cum Svecis absque alterius consensu paciscatur. Electori amplius devinciendo à Rege jus hæreditarium in Sveciam velut proprium, & Livonia à Rep. in feudum offerebatur. Sed ista quo minus tunc perfici possent, ingruens Svecorum vis prohibebat.

Potocki, Landcoronski.

Joanni Casimiro istud valde probatur.

15. Nov. ab Electori summum Borussiæ imperium offert.

Ad Moscum missio. 6. Jul. 1654.

§. 61. Sed & ut à Moscorum invasione tutam præstaret Borussiam, Electori curæ erat. Ad eum superiore anno Czar nuntium cum literis miserat super bello inter ipsum & Polonum orto: Cujus causa adducebatur justus titulus ipsi à Polonis haut tributus, & quia hoc crimine obnoxii pœnas haut dederint. Afferebantur simul multi codices, quibus ignominiosa in Michaëlem Fœderovicium, & ejus parentem Patriarcham contineri arguebantur. Ad eas ab Electore responsum: *Haut concipere se animo posse, quomodo cuipiam super pace aut fœdere cautum esse queat, si privatorum sermones aut literæ ad istam abrumpendam sufficere judicentur. Sed & nullam offensam, quæ adducatur, ita atrocem, ut non amica compositione tolli possit.* Tum sequestrem se ipsi offerebat, idem apud Polonos facturus. Polonos à se auxilii nil expetiisse, qui & propriis viribus ita instructi sint, ut isto non indigeant. Id responsum Elector Polonis communicabat. Sane utile erat vires Polonorum super verũ extolli, nec quid timoris ostendi: quanquam revera nemo esset, qui Mosco tunc resistere posset, quo minus vel in Borussiam usque omnia

Fœderowitz.

1655. omnia evastaret: Promiserat tamen Czar, Borussiam à suorũ aut Cosacorũ irruptione immunem fore; cui promisso firmando Elector Lazarũ Kittelmannum ad istum mittebat Vilnæ tunc agentem, quæ urbs miserrime à Moscis lacerata fuerat. Eum Mosci transversis fere itineribus ad urbem ducebant, ne stratas cadaveribus vias conspiceret, immanitatis eorum testes; ac propere admotum iterum dimittebant. Proposuit iste de officio Electoris circa componendum bellum, ac ut Borussia extra belli contagium habeatur una cum aliis regionibus, quæ Electoris sese protectioni commissuræ sint. Id Officium si acceptetur, ab Electore statim justos legatos mittendos, qui & de fœdere simul tractaturi sint. Neque id officium repudiari posse, quia Elector fiduciario vinculo Poloniæ innexus sit. Eo enim non obstante eundem sequestrem Polonos inter & Svecos pactis constitutum: Nec Borussiæ tantum Ducem, sed & potentem Imperii Electorem esse, multarum provinciarum Principem, exercitu instructum, & Belgarum, aliorumque fœderibus fultum. Sed Czare ad ista responsum: *Polonos tantum contumeliæ sibi intulisse, ac sua arma ita prospera fuisse, ut ne latum quidem pedem terræ redditurus sit, ni Polonus delictum suum agnoscat, ac per legatos veniam petat, belli sumtibus restitutis.* Dabantur tamen literæ tutelares, queis Moscis & Cosacis injunctum omni hostilitate adversus Borussiam abstinere; nulla mentione facta earum terrarum, quæ deinceps Electori se dedituræ sint.

Tractatio cum Svecis reassumitur. §. 63. Inter hæc Sveciæ Rex subacta Cracovia, & compulso ad deditionem exercitu Polonico, Borussiam versus descendebat, ductis secum multis Quartianorum millibus. Simul ex altero latere post compositam utcunque Lithuaniam validis cum copiis ingruebat Magnus Gardius. Decretum isti erat, Electorem tota vi opprimere, ne per hiemem spatium foret, formidandas ipsi vires contrahendi. Ac jam catervæ Svecicæ in Borussiam infusæ, qua nostris occurrebant, hostili eos modo tractabant. Igitur Electori visum, Regi obviam mittere Christianum Ernestum Pudevvelsium, qui huic Il- *11. Nov. Pudeweis.* sæ inter Sendomiriam & Warsavium occurrit. Per eum Elector Regi exposuit; se cum exercitu Vistula trajecto in suam Borussiam pervenisse; addito quasdam prædatorias turmas nullius sacramento addictas in provinciam suam pervasisse damno haut modico dato: Unde necessitatem sibi allatam tuendis suis finibus aliquot loca limitanea milite suo insidendi. Quibus tamen locis in fraudem Regis haut sit usurus, si, uti spes est, omnia inter ipsos convenerint. Ad quæ Rex: de Electoris in Borussiam adventu libenter se intellexisse: Optare, ut ipsi placeat amicitiam secum colere, circa quam stabiliendam in se nil desideratum iri. De copiis Electoralibus interroganti Regi cum responsum esset; decem millia è Germania venisse, totidem per Borussiam conscripta, is subridens, Polonorum ista exemplo dici, queis in duplum augere vires moris sit. Eidem non procul Thorunio digredienti Rex dicebat; *Nunquam se credidisse, circa fiduciam, quam semper in* 1655. 10. Nov. *Electore collocaverit, tantopere se deceptum iri. Nam nunc intelligere, ab ipso non solum fœdera in se icta, militem Borussiæ Regiæ, & aliis sibi debitis locis impositum; sed & catervas longe in se velut hostem emitti.* Equidem nemine magis quam Electore amico uti cupere. *Unde &, cum adhuc in Svecia ageret, soli isti de suis destinatis indicium fecisse, quibus idem nunc tantopere reluctetur. In votis sibi esse, ut eidem amicitiam cum ipso colere cordi sit.* Ad quæ Pudevvelsius: Haut dubitandum Regi de animo Electoris in pacem prono, cujus legati tamdiu apud ipsum in Polonia hæserint, demum re infecta dimissi. Unde eum non aliter judicare potuisse, quam, subactis cæteris, secum quoque pro lubitu actum iri. Sed ubi Rex reipsa ostenderit amicitiam Electoris sibi cordi esse, anteacta facile corrigi posse. Ad quæ Rex: *optandum sibi, ne Elector jam aliis arctius se innexuerit. Sane eo nomine non parum se offensum, ut facile hostilia reponere possit, ni ad communes Protestantium rationes à se respiceretur. Sed harum intuitu omnia se oblivioni daturum, ac istius amicitiam bona fide amplexurum.* Addebat, *ne catervæ in se emittantur, quæ, si à suis acriter repellantur, culpam malorum inde proventurorum penes se haut fore. Per continuas actiones bellicas sibi non vacasse cum nostris ad Cracoviam agere. Sed Dobrzenium propediem remittendum, ut mentem suam Electori ulterius declaret. Interim quoad hic regressus fuerit, isti à se nil hostile metuendum: Nec se amicum esse desiturum nisi lacessatur.*

§. 64. Cæterum quia Pudevvelsius tamdiu *Alia Electoris ad Regem missio.* in Polonia hæserat, ac reversi Cracovia legati Regem diffidentiæ plenum retulerant; Elector, rem servare integram cupidus, Dobrzenium insuper ad Regem miserat, rationes conjunctionis Borussiæ si posset eidem adprobaturum. Bellum quippe, quod nunc geratur, non tam ipsa Regna, quam familiam Regiam tangere; unde Ordinibus fas esse alterius protectionem adsciscere, declinandis, quæ imminere videntur, malis. De cætero molestum esse Electori, quod Rex ipsum infinito bello implicare, ac ab omnium aliorum amicitia atque fœderibus abstrahere agitet, obtrusis simul intolerandis conditionibus, conscientiæ, existimationi, ac dignitati suæ repugnantibus. Unde vix aliud colligi potuisse, quam Regem sententiam circa fœdus cum ipso ineundum mutasse. Quia tamen maxime cordi sibi sit Regis amicitiam servare, ac belli mala provinciæ suæ avertere, denuo Dobrzenium misisse petendæ cautioni dudum promissæ. Tractatus cum Borussis nullius offensam spectare; quos & omissurus sit suæ ditionis securitate obtenta. Eidem injunctum, si Rex nosse cupiat, quomodo Elector circa Borussiam se gesturus sit, se Poloniæ corona potito, ita sermones suos temperaret, ut quæ Regis circa eam rem mens sit, penitius expiscaretur: Simul innueret, uti Rex facile sibi persvadere possit, haut in proclivi ipsi fore Poloniam invito Electore obtinere; ita hunc confidere,

1655. fidere, Regem potius ejusdem conditionem in melius mutaturum, quam istis inhæsurum, quæ hucusque contra pacta irrepserint. De cætero diligenter caveret, ne res in bellum erumpat; ac si quid querelarum Rex moveat, confirmaret id emendatum iri, nec hostile quid ab Electore expectandum. Ast hic reversus renuntiabat; ista Regi haut satisfacere, ac sine dubio Electori propius ad rem accedendum, quod non amplius negotio per artes extrahendo locus sit. Ac jam Rex Borussiam ingressus hostilia ordiebatur, catervas Electoralium pellebat, pecuniis redimendo incendio oppida emungebat, præfecturas Electorales hospitiis occupabat, nostris contra nil molientibus, nisi quod necessaria defensio exigeret. Igitur è se visum Laurentium Christophorum Somnicium, & Dobrzenium ad Regem mittere his cum mandatis: *Se venisse testando Electoris animo in pacem prono, & collisione inter eadem sacra professos abhorrente, ac ut hactenus agitatos tractatus absolvant: Ac spem esse Regem posita diffidentia ab Electore velut cognato, ac eminente inter Protestantes Principe nil postulaturum, quod hujus conscientiam, bonam fidem, atque existimationem lædat. Et quia causa hujus belli ipsum non tangat, nec idem in ejus partem venerit, olim quoque in sequestrem adscitus, confidere ipsum à Rege exemplo antecessorum in id bellum haut pertractum iri, concessa insuper suæ ditioni securitate. Quam in has leges petat, ut nunc & in futurum nil hostile ipsi intentetur; ditio ejusdem ab hospitiis, exactionibus, stativis, ac quibusvis belli molestiis immunis sit; ne in eadem ulla jura fiscalia contra quemcunque & quocunque prætexto exerceantur; ac ut jura sua dignitasque Principalis illibata sint. Tum ut Borussis Regiis, quocum cura Electori ex conventione incumbat, liceat legatos ad Regem mittere, super securitate sua cum ipso tractaturos.* Si Carolum Gustavum Poloniæ regno potiri contingat, has sibi conditiones stipulari cupiebat Elector, ne ad ullam armorum conjunctionem teneatur; ut certis legibus temperata Borussiæ recognitio non à Sveciæ, sed à Poloniæ Regno fiat: Ut Warmia integra sibi concedatur, hæreditario jure à se deinceps possidenda. Circa fœdus Belgicum Electorem hactenus cessurum, ut sibi tantum spatii indulgeatur, quo cum Belgis super eo negotio communicare possit. Nam indignum admodum esse id postulari, ut fœdus tamdiu agitatum, & paucas ante septimanas ratihabitum citra necessitatem fœderatis insciis retractetur; præsertim cum, si amicitia inter ipsos constet, id Regi nocere nequeat. Circa participationem vectigalis, ubi rationibus nil proficiatur, eo demum descenderent, ut Rex in mediam eorum partem admittatur vel subtractis prius, quæ alendo præsidio, ac servandis munitionibus requirantur, vel ut iis sumtibus tolerandis Warmia concedatur, post extinctam familiam Electoralem Sveciæ Regno accessura; ac ut Rex citra Electoris consensum circa vectigal nil novet. Ubi à Svecis ultro mentio injiciatur, num gratum Electori sit futurum Carolum Gustavum Regno Poloniæ potiri; responderent; ubi is diademate Poloniæ redimitus fuerit, ipsum non repugnaturum, eliminando tamen Joanne Casimiro arma sociare non posse. Denique si quæratur, quid Cæsareus legatus apud Electorem egerit, responderet; eum de periculo exposuisse, quod finibus Imperii è turbis Polonicis provenire possit, & quæ Electoris sit sententia exquisivisse, prout in gravibus negotiis à Cæsare fieri mos sit.

Somnitz. Aliis mandata.

§. 65. Nostri cum Regiis Thorunii primo congressu Electoris provinciæ securitatem poscebant. Sveci contra; si Elector Mariæburgo militem deducat, ac intra suos se fines contineat, nil mali illatum iri. Alias vitio sibi verti non posse, si intra ejusdem provinciam sese penetrent. Nostri regerebant; Electorem istis locis præsidia imposuisse, non ut ea retineat, sed ob sui securitatem, qua obtenta iisdem protinus decessurum; nec eandem Regi rationem esse in Electoris terras irrumpendi. Sed Sveci ista loca evacuanda pertendebant, antequam ad tractatus accederetur, nostris incassum querentibus, ita ne cum hoste quidem agi. Cum inde nostri super protectitio fœdere moverent, Sveci nexum fiduciarium urgebant; cujus tamen conditiones remissa adpellatione temperari possint. Nostri contra demonstrabant; cum istud vinculum intuitu Poloniæ jam exoleverit, nec Electori cum bello negotii quid fuerit, à Svecia vero nullo modo dependeat, fundamenti loco ponendum, Electori in suam Borussiam supremum imperium competere. Svecis tamen urgentibus hactenus demum nostri cedebant, ut super vocabulis litigandum non censerent, modo res ipsa retineatur; ut nempe Electori regimen pro arbitrio gerere integrum sit, cui Rex sese ingerere haut debeat. Pro Borussis Regiis cum peterent, ut horum deputatis tuto accedere liceret, ne verbo quidem responsum. Svecis quoque postulantibus nostri dominio Maris Baltici renuntiabant conditionibus supra expressis. Moderamen commerciorum Sveci negabant Electori posse relinqui, quod tamen Regi aperte haut asserebant, sed omnia communi consilio ordinanda jactabant, in quo tamen potiores suas partes fore norant. Ostendebant etiam Sveci, cum Elector multa Regi adversa machinatus sit, hac cautione opus esse, ut quicquid copiarum Elector exautoraverit, Regi accepta pecunia transscribat, aut hic dimidiam præsidii partem Pillaviæ habeat, aut præfectus Regi sacramentum dicat: Quorum neutrum nostri admittebant. Circa renuntiationem fœderum nostri temperamenta quædam proponebant, quibus & Sveci adquiescere videbantur: Etsi ea renuntiatione jam opus non esset, quod in augmentum, & participationem vectigalis consensum esset. Circa usum portuum Sveci verbis laxioribus postulabant, ut hi Regi pateant, cui & integrum sit hoc tempore naves bellicas ante eosdem in statione collocare. Ista tamen omnia sermone exponebantur, Svecis scriptam adhuc formulam edere tergiversantibus. Post Regem Thorunio digressum Ericus Oxenstierna ita

Nostri parum proficiunt. *27. Nov.* *28. Nov.* 1655.

1655. na ita declarabat: *Ni Elector præsidia ex oppidis Regiæ Borussiæ deducat, Regem in Ducalem provinciam moturum. Pro parte vectigalis Warmiam concedi non posse. Supremum & liberum in subditos imperium Regem Electori forte relicturum, si non expressis verbis, tamen reipsa, nec ejusdem administrationi se ingesturum. Directionem vectigalium & commerciorum Regem sibi deposcere: Circa constituendos publicanos id sequendum, Quod Colbergæ receptum. Consultissimum fore, Electorem de suis quoque mercibus importandis & exportandis vectigal exsolvere ad vitandas fraudationes. Nam & in Svecia Regem vectigal sibi solvere. Quicquid copiarum exautoraret Elector, Regi concedendum data pecunia, aut parte terræ pignoris loco. Liberum portuum usum Regi indulgendum; posse tamen Electorem suæ securitati consulere.* Ista cum
1. Dec. nostri annuere non possent, Regem Thorunio Freistadium sequebantur, extremam declarationem petentes, & ut interim hostilibus abstineatur. Sed Rex istis insuper habitis stativa in Electoris provincia capiebat, eamque validis catervis persultabat, immissis etiam Quartianis, etsi jussis, ut ad leges disciplinæ militaris agerent, valde quidem laxæ, ubi in stipendium imputantur, quæ miles ex hostico rapuerit.

Elector de invasione per literas queritur? 1. Dec. §. 66. Ista hostilium intentatione Elector irritatus ad Regem literas dabat hoc sensu; *A se omnem lapidem motum servandæ ipsius amicitiæ, ac nil aliud quæsitum, quam ut res suas in tuto collocaret. Ac suos legatos adhuc apud eundem agere, quos grato cum responso dimissum iri spes sit. Sed cum interim præter spem hostilia inferantur, trucidatis aut captis quibusdam suarum catervarum, eo nomine visum querimoniam ad Regem deferre, quod speret ista citra mandatum patrata, ac ut autores facinoris plectantur, interdi-*
Putcammer. Regis responsum. 3. Dec. *cto, ne quid tale deinceps fiat. Eo fine Putcammerum misisse; qui simul testaturus sit, amicitiam Regis magnopere sibi cordi esse.* Ad has literas Freistadio à Rege responsum: *Electorem quidem satis testatum de studio amicitiam cum ipso colendi, eamque arctiore fœdere stringendi. Id autem non respexisse solam utriusque status securitatem, cum neque à Rege Poloniæ quid periculi Electori immineret, & adversus se ipso fœdere satis muniretur. Suspecta tractatione duras ab isto fœderi leges dictas, quibus ipse quantum potuerit sese attemperaverit, quæ tamen post à nostris retractata, aut variis modis interpolata fuerint. Inter hæc sibi innotuisse, ab isto fœdera in ipsum cudi, ac quosdam Palatinatus deditioni pronos in transversum actos. Unde necessitatem sibi allatam in Borussiam vertendi non hostili in eundem animo, cui nil damni inferre animus sit; sed ut re cominus inspecta, quæ mutato jam Poloniæ statui noxam allatura videantur, idonea ratione antevertat. Borussiam ingressum comperisse monitis suis locum haut relictum; sed & fœdere inito Borussiæ defensionem susceptam, sat imperiose denuntiato, ut copias suas ea provincia abstineat, locisque occupatis decedat. Unde miram sibi visam Electoris admirationem, catervas ejusdem Borussiam Regiam, provinciam alienam, vastantes hostili modo habitas. Si ergo is serio rem agat, id citra moram reipsa demonstret, ac commercio cum hostibus abstineat. Neque enim tempora sua lentas nundinationes expetere. De sincero suo in pacem animo dudum legatis significasse; & eandem* 1655.
adhuc mentem persistere. Enimvero Electori molestissimum erat à Rege postulata in dies aspe- 4. Dec.
rari. Unde suis denuo injungebat Regi ostendere, quantum detrimenti res Protestantium captura sit ipsis inter se collisis. Sibi nil aliud curæ, quam sua quiete possidere, ac nulli se molestum exhibere. Saltem Regi ad hostilia sumenda ansam haut dedisse. Durum fuisse per inanes tractatus dilatum, inde aliquoties ad eos absolvendos invitatam, Rege interim destinata sua persequente. Id tamen se hucusque digessisse. Sed si Rex intolerandis postulatis rixæ ansam quærat, Dei ac sociorum auxilio confisurum, judicio penes cultam humani generis partem relicto. Simul Regem orandum; sanguini Christiano parcat, secum velut cum viro Principe agat, nec se ad inhonestas conditiones adigat. Amicitiæ officiis se haut inferiora præstiturum. Addebantur literæ ad Regem: *Cum ab eo dele-* 9. Dec.
gati postulaverint, ut ipse traditis portubus ab aliena deinceps libidine dependeat, tantum non circumscripto quoque literarum & sermonis cum aliis commercio, quæ & nullo jure à se extorqueri possint, & Rex literis suis alia omnia promiserit; igitur spem esse Regem demum iis contentum fore, quæ à suis legatis oblata sint. Ast his post longam disceptationem Sveci formulam exhibebant, qua sua quidem emolumenta accurate observarent, Electoris rationes levi brachio tetigerant. Nexum feudalem, uti apud Polonos fuerit, deinceps cum Regno Sveciæ fore, eumque fundamenti invicem tractatibus substernendum, nisi quod molliores conditiones Electori sint concedendæ. Circa reliqua capita in verbis posse aliquid temperamanti adhiberi, re ipsa salva. Cum inter alia Sveci Quartianis stipendia exsolvi poscerent, Somnicius exclamare; eam apertam esse insultationem, hominibus, qui cædibus ac rapinis ita barbare grassati sint, præmia persolvi. Svecis contra frementibus, Electoris copias diu hospitia Svecica insedisse, atque exhausisse. Addebantur minæ; Regem, qui Preusmarcæ tunc metabatur, recta Regiummontem tendere, tractatui ibi concludendo; nostris tantam violentiam frustra arguentibus. Discedebat inde Somnicius, Electoris 15. Dec.
sententiam exquisiturus, Dobrzenio apud Regem subsistente, num ad molliora inflectere ipsum posset. Sed Rex quoad Mariæburgum & alia provinciæ Regiæ oppida insiderentur velut in apertæ hostilitatis specimen, fas sibi ducebat hostilia Electoris ditioni inferre. Equidem nuntii, qui de Catholicorum adversus hos progressus machinationibus afferebantur, non parum scrupuli Regi injiciebant: Sed eo magis festinabat totam Borussiam, in qua summa rerum ipsi vertebatur, vi aut per transactionem subigere. Nec dissimulabat Rex; consideratis Electoris actionibus jam se perspicere, quantum iste ipsi nocere possit. Unde sibi

1655. ſibi vitio dari non poſſe, ſi hac rerum facie in futurum ab eo ſibi caveat. Sed & multas ob cauſas anceps, Principem nemini obnoxium in medio ſuarum ditionum tolerare. Nec eo minus per minacia, per blanda Electorem ad tranſigendum permovere Sveci ſatagebant. Sane jactabat Schlippenbachius, multos provincialium apud Regem de ſtudio ſuo teſtatos, animo in Electorem valde exulcerato, ut Regi in proclivi ſit Ordines Ducalis Boruſſiæ ſibi adſciſcere. Contra Ericus Oxenſtierna promtum ſe ferebat, tractatibus vel Regiomonte abſolvendis. Ac Rex ipſe ſubinde ingens deſiderium præ ſe ferebat cum Electore colloquendi, ac eundem in ſocietatem ſuam pertrahendi.

Litera Regis ad Electorem. 16. Dec.

§. 67. Ne tamen ſola vi agere, ac voluntatem pro ratione habere videretur Rex, prolixis literis Creutzberga datis omnem culpam à ſe removere, & in Electorem transfundere inſtituit. *Ad nullam*, inquit, *expeditionem magis invitum ſe acceſſiſſe, non quod dudum juſtæ indignationis & belli cauſas non habuerit, ſed quod amicitiæ inter ipſos rationes & commoda, ut & civium iisdem ſacris utentium innocentia mitiora ſuggeſſerint, ſaltem ut Electori ſpatium deliberandi indulgeretur, ac miles interim, quantum daretur, à violentia cobiberetur. Eo fine Freyſtadio literas dediſſe, quibus ſeptimo demum die reſponſum ſit; qua mora ſe compulſum arma in viſcera provinciæ Electoralis inferre, cognoſcendæ cominus Electoris ſententiæ. Aſt hunc culpam amicitiæ turbatæ à ſe amoliri, & in ipſum conferre auſum, inter alia queſtum, miniſtros regios de portu Pillavienſi & Memelenſi ipſi magnopere cupitis jactaſſe, quos & mox Stetini palam popoſcerint, addita vectigalium participatione, commerciorum moderamine, aliisque exiſtimationem ac ſecuritatem Electoris afficientibus. Tum Wittenbergium Sparrio ſcripſiſſe, ſe copias ejusdem, ubi in Boruſſiam tranſire aggrediantur, hoſtium loco habiturum; quin à ſe ipſo legatis ejusdem ſæpe denuntiatum, ſe cum Electore in Boruſſia non aliter, quam cum hoſte, & quovis alio è Poloniæ Ordinibus acturum. Enimvero iſta in ſe dura longe diverſam faciem inducere, ſi quodque eorum ad ſua tempora, & in iis nata conſilia expendatur. Serio amicitiam Electoris à ſe affectatam facile agniturum, qui ſanguinem propinquum, viciniam, communes rationes, atque mutuo benefaciendi opportunitates expenderit. Unde & ab initio ſuſcepti Regni, ac deinceps de iſta enixe teſtatum. Schlippenbachio de portubus Electoris à ſe nihil mandatum, ac iſtam ſuſpicionem è nimia & intempeſtiva ſolicitudine natam. Decreto bello Polonico paratum ſe fuiſſe iſti cavere, nil damni ex eo bello eidem proventurum, modo ſuis deſtinatis officere ſuperſedeat. Sed Electorem arctiore ad huc vinculo ſibi innecti cupientem per Waldeccium, ac mox ſe ipſum Wolfsbergio ſignificaſſe; tot ingeſtis per Polonos moleſtiis excutiendis non aliam iniri poſſe viam, quam in ſocietatem belli ſecum venire, ſi penſandis belli ſumtibus Warmia, pars Samogitiæ & Lithuaniæ, cum ipſa Boruſſia ſupremi imperii jure poſſidenda addicatur. Sibi in tantum bellum ituro & non niſi candida ab amico Principe expectanti ſocietatem placuiſſe, ſed conditiones enormes viſas, quibus temperandis congreſſu inter utriusque legatos habito operam à ſe datam. Inter quæ ut partem vectigalis, & directionem commerciorum ſibi depoſceret, ea ratione motum, quod Reip. Poloniæ in Ducalem Boruſſiam ſupremi dominii nomine inſignia quædam jura competere norit, ſed quæ iſta ſint ita liquido deſcernere haut potuerit. Unde ſuper jure Regis & Reip. Poloniæ transacturo cautione opus fuiſſe, ut cuique debita jura cognoſcerentur. Partem vectigalium jure ſe poſtulatam, quæ à Guſtavo Adolfo primum jure belli introducta, cum pacto induciarum tolli debuerint, ab Electore uſurpentur, ac ab iis mercibus exigantur quæ partem magnam à Regiis provinciis deſcendant, ipſi quoque Sveciæ oneri redundantia. Ut Pillavia & Memela depoſceretur fœdus Belgicum in cauſa fuiſſe, velut deſtinatis ſuis repugnans, quo niſi deſiſteret Elector, citra cautionem iſtam ejus ſocietatem ſibi haut tutam viſam. Sed Electorales legatos ratione poſtulati inſuper habita, vel Acheronta à ſe movendum minatos Stetino diſceſſiſſe. Cum inde ipſe adhuc Stetini hærens intelligeret copias Electorales contrahi, Wittenbergium injunctum, ut, iſtis talia loquentibus & agentibus, ac crebris cum aula Polonica literarum commerciis, ſibi proſpiceret, ac Duces Electoris poneret; fœdere nondum perfecto, & quamdiu de animo hujus non conſtet, Boruſſiam ne intrarent, ni hoſtium loco haberi vellent. Poſt legatis in itinere accedentibus ſe in ſupremum & liberum Borusſiæ & Warmiæ regimen conſenſiſſe, reſervato tantum ſibi aliquo beneficentiæ jure; remiſiſſe penſionem annum, petendis portubus abſtitiſſe: Partem vectigalium, & abolitionem fœderis Belgici, qua huic repugnet, jure exegiſſe. Cum iſtis ſatisfactum crederetur, tertia vice everſos prius placita fere omnia retractaſſe, aut additis exceptionibus eliſiſſe.* 5. Sept. *Simul ratihabitum fœdus Belgicum, de claſſe in Mare Balticum immittenda cum Belgis actum; ſua poſtulata paſſim iniquitatis accuſata, Borusſiam, & vicinos Palatinatus adverſus ſe in arma vocatos. Unde merito à ſe declaratum; ſi Elector talia agere perſeveret, non aliter cum ipſo, quam cum hoſte agendum. Legatos diſcedere cupientes à ſe haut detentos, ſed moram negotio injeciſſe, molem actionum bellicarum, & Electoris in contraria nitentis ſtudium, ac poſtulatorum iniquitatem. Licuiſſe iſti intra limites amicitiæ conſiſtere, ac vel ſcripta cautione, vel verbo legito tutum intra ſua agere: Sed eundem ultro ſocietatem belli elegiſſe, ſerione, an ut interim arma parandi ſpatium foret, incertum. Sane aliquan diu favere Svecis viſum, mox infeſta omnia oſtendiſſe. Tum vero conjunctionem cum Borusſis quibusdam, conſilia & fortunam Joannis Caſimiri adhuc ſequentium ſibi non potuiſſe non moleſtisſimam eſſe. Equidem Boruſſos aliquatenus excuſari poſſe nondum armis ſubactos, & alieno magis quam proprio inſtinctu in id negotium pertractos. Aſt Electorem tractatu, cui nondum renuntiatum*

1655. *fuerat, Regiam Borussiam sibi cessisse, ut praetextum non deesset, quare ejus defensionem adversus ipsum susciperet. Ista tamen, & quae plura moveri possint oblivioni se tradere, modo tandem aliquando serio res geratur, nec tempus studio teratur, ut sibi agendi opportunitates corrumpantur, malevolis accedant. Praecipuum, idque immotum sibi postulatum esse, ut Elector eodem, quo hactenus Poloniae, in futurum Sveciae vinculo innectatur. Si circa reliqua mitigari quid cupiat, facile id annuendum, modo suae securitati inde nil decedat. Ast si à se oblata repudientur, fieri posse ut provincia penitus evastetur, ac Elector, irreparabili suae Domus damno, hac tractandi occasione excidat.*

Elector temporibus cedere cogitur. §. 68. Non deerant, quae ad ista reponi possent; quibus & aequitatis species plane decebat, si consideraretur, reliquos Principes nulla obligatione teneri, ut aliorum cupidini rationes suas attemperent. Sed satius habebatur in praesens exprobrationibus, non nisi ad exacerbandos animos facturis, adversus validiorem supersedere. Igitur id potius agendum videbatur, ut quam minima jactura decidi posset. Equidem quae à Rege postulabantur durissima erant, & qualia Poloniae Reges exigere nunquam ausi fuerant: Ac ista subeuntem aeternum servitium manebat, quod velut ultro arcessitum exuere nunquam licebat. Quin perinde erat provinciam vi eripi, cum admissis ejusmodi conditionibus non posset non istius jactura consequi. Ac consiliarii Borussici jactabant, sanguinem potius ac bona aleae se expostituros, quam tam grave jugum una cum Principe subire, Regiomontanis quoque graviter indignantibus, nonnullos parum grata de suo in Electorem studio huic suggerere ausos. Haut consultum tamen videbatur ad extrema rem deducere, sed nonnulla remittere potius quam de toto periclitari, quod nuspiam auxilia, aut qui Svecorum vires distrahere conarentur, adparerent. Igitur negotio Risenburgi iterum suscepto Sveci pertendebant, ut Borussia feudum esset Regni Sveciae, sublatis tamen adpellationibus, ac annuo canone, mutata quoque formula jurisjurandi, ac ut isthoc per legatos praestari posset; quibus tamen in genua procumbendum sit, cum & idem Rex Pomeraniae nomine apud Caesarem facere teneatur. Equidem & supremum ejus regimen offerebatur. Sed cum id tale posset intelligi, quale Principibus Germaniae competit, metus erat, ne Sveci obtentu dominii directi patrocinium Ordinum provincialium susciperent, quod Elector nullo modo admittere valebat; etsi mallet negotium potius ad foedus Belgicum & participationem vectigalium adhaerescere.

19. Dec. Super his cum nostri diu incassum disceptassent, ac jam velut re desperata discessum adornarent, Ericus Oxenstierna negotium haut abrumpi hortabatur, ac Regi rem utique cordi esse confirmabat, peculiare quoque suum circa eandem perficiendam studium offerens. Electori haut visum negotium deponere, utut praeterita poene fidem consumsissent, modo ista omitterentur, quae plus sibi contumeliae, quam Svecis fructus conciliatura erant. Itaque circa usum portuum regiis navibus sat securitatis praestare constituit, dummodo & suae securitatis prospiceretur, ac istae è praescripto gubernatoris in introëunda & commercando se gererent. Ad partem quoque vectigalis consentiebat, modo hoc ita taxetur, ut ne commercia nimium onerata suis portubus plane expellantur, nec aliis portubus minus, quam Pillaviae & Memelae capiatur. Sperare tamen, Regem vicissim de Warmia ipsi gratificaturum. Ignominioso tamen postulato de stipendio Quartianis exsolvendo plane supersedendum. De Mariaeburgo facile desiderio Regis annui posse: Ac ita copiis se suis usurum, ut Regi suspicionem ne injiciat, ac potius utriusque utilitas promoveatur. Diu tamen rem in suspenso haberi nolebat, quod non Borussiam solum, sed & Pomeraniam, & Novam Marchiam Svecicus miles popularetur. 1655.

§. 69. Inter ista Rex longius subinde procedebat, ac occupatis circum oppidis Regiomonti propinquabat. Ea de re Somnicius, & Dobrzenius graviter querebantur; inter tractatus eousque provectos arma jam sedi Principis admoveri. Sane Elector postea fassus est; potuisse Regem à Waldeccio intercipi, uti ipse huic injunxerit: Sed Waldeccium ea jussa exsequi neglexisse. Ast Rex sancte testabatur, id praeter suam voluntatem contigisse errore metatorum, atque idem à ratione belli abhorrere; eoque se retrocessurum, ac, si Elector pariter facturus sit, hostilia omissurum. Ita negotium fere ad solam Warmiam haerebat, qua nisi Elector potiretur, Borussia sua nunquam à transitu hospitiisque militum, ac aliis belli molestiis immunis futura erat. Caetera idem annuerat. Ac haut eo minus Sveci provincialibus persvadere conabantur, ab eodem omnes aequas conditiones repudiari, ac negotii conclusionem extrahi. Super oblatis autem induciis Electori videbatur, iis sibi opus non esse, ut qui nunquam Sveciae hostis fuerit, & sua tantum defendisse satis habuerit, suasque copias ingruentibus Svecis cessim ire jusserit, tolerato quoque, ut ante ora sua diei incenderentur. Ut populationi & caedibus finis imponatur, penes solum Regem esse, si is ditione ipsius excedat, & vim amplius inferre desinat. Nam sibi cum Rege bellum non esse, nec ei se causam dedisse. Post Mottenhagae, quo Rex interim concesserat, multis super Warmia certabatur, ac Ericus Oxenstierna minarum vice accipiebat, quod nostri ea desistere nollent. Nam Regem ad victi instar acturum, si Electori satisfactionem praestet. Idem multa de armorum conjunctione jactabat, in quam si Elector consentire velit, se eidem genuina Regis destinata communicaturum, & quanta incrementa ejusdem Domus inde captura sit. Sed cum res exitum non inveniret, Ericus Oxenstierna Regiummontem se iturum ferebat, ejusmodi conditiones Electori laturum, quae sine dubio hic cupide amplexurus sit.

Super induciis agitur. 28. Dec.

31. Dec.

§. 70.

1655. *Tractatus demum absolvitur.* §. 70. Cum isthoc Regiomonte plures per dies acriter disceptatum, quoad in unam pacti formam convenire possent. Cumprimis in fiduciarium nexum ægre descendebat Elector, quod metus esset, ne deinceps aliter cum ipso, quam pro Electorali fastigio, ageretur, ac Sveci se velut subjecto uti vellent. Contra Svecus nexum istum fundamenti loco ponendum contendebat futuræ inter Sveciæ Regnum, ac Brandenburgicam Domum necessitudinis. Equidem Electorem, si Stetini tractatus occupasset, conditiones quas vellet obtinere potuisse; sed ei nunc mutata rerum facie feudi legem utique subeundam. Et tamen etiam Reges salva sua dignitate à Cæsare feuda recognoscere. Cum nexus feudalis declinari amplius non posset, nostri caveri cupiebant, ne ideo libertati suffragiorum in publicis Germaniæ conventibus quid decederet, neve si hæc destinatis Regis non semper responderent, offensæ aut diffidii ansa inde arriperetur. Tum si quid unquam ab Electore, aut ejus successoribus in leges feudi commissum arguatur, Regi nunquam integrum sit eo nomine ad privationem feudi procedere. Ut Electori ususfructus, *subinfeudationes*, jura fisci, & territorialia, & quæ ab his dependeant, illibata persistant. Ne Elector inter Ordines Regni Sveciæ referatur, nec legibus ac statutis ejusdem obnoxius sit, aut in conventibus Ordinum Sveciæ comparere necessum habeat. Ut feudalis nexus non prius vim suam exserat, quam finito bello. Ut ne Commissarii in provinciam mittantur variis inquisitionibus instituendis, aut componendis inter Ducem & Ordines controversiis, prout sub Polonico statu factum. Ut etiam antequam intra conventum tempus investitura facta sit, penes Electoris posteros regimen provinciæ maneat, nec intra idem Sveciæ Reges ullam sibi directionem sumant, etiam ubi successorem minorennem esse contigerit; cui ab antecessore Duce Borussiæ tutores pro lubitu constitui queant, modo ad isthæc pacta servanda sese obstringant. Ut Elector ad nihil amplius teneatur, quam hisce pactis expressum sit. Ut super usu portuum & participatione vectigalium, eorumque augmento per secretum articulum disponatur, neque hæc prius exerceantur, quam cum Belgis super iisdem conventum sit: Tum ut eadem vectigalium in Livonia, & Borussia taxatio observetur. Ut auxilia, de quibus ferendis conveniendum sit, non prius repræsentare necessum sit, quam post solitum vasallis jusjurandum præstitum. Ut directio rei militaris Electoris arbitrio in sua ditione relinquatur, ipsique sua tueri, ac munire pro lubitu integrum sit. Si provinciam hanc aliquando ad Regnum Sveciæ devolvi contingat, Ordinibus provincialibus jura ac privilegia sua salva maneant. Ut circa monetam & tabellarios à Rege nihil novetur. Denique ut Electori fas sit Reformata sacra tueri, prout & idem provincialium sacra haut turbaturus est. Sed ex his aliqua duntaxat obtineri potuerunt; reliqua à Sueco rejecta sunt. Nec minus difficultatum circa Warmiensem præsulatum movebatur. Maluerat quoque Rex post factam conclusionem copias ab Electore exautorari, ac Svecicæ militiæ transscribi. Ast huic haut prudentis videbatur tam periculosis temporibus arma exuere, ac bellantium sese libidini exponere; eoque satius videbatur exercitu retento pro re nata in societatem belli descendere. Ita postquam Oxenstierna aliquoties discessum minatus esset, ac nullus amplius tergiversationi locus relinqueretur, subeundæ demum fuerunt leges, quas declinare non dabatur. Quarum æquitati usque adeo diffidebant Sveci, ut ratihabitioni permutandæ non nisi quatridui spatium indulgere vellent, ne forte digresso Rege Elector, quæ necessitas imperaverat, hac remittente adspernaretur. Cæterum sperabat Elector, id factum facile sese æquis rerum arbitris adprobaturum. Nam & maxima Poloniæ pars Sveciæ se Regi dediderat, ipsis exercitibus solennni sacramento fidem ei suam adstringentibus, ac, Joanne Casimiro extra Poloniæ fines profugo, nemo amplius, qui Svecis sese opponeret, adparebat. Frustra quoque operam consumserat Elector, ut sibi extra hujus belli consortia neutri partium addicto agere liceret. Nam Rex Sveciæ suis juxta ac Polonicis copiis succinctus in ipsius sese provinciam insuderat, sub ipsum Regiummontem progressus, tantæ hominum multitudini, quæ istam urbem stipaverat, alimenta subtracturus, tota interim provincia evastata. Sed nec uspiam ulla auxilii spes allubescebat; ac cives enixissimis precibus fatigabant, ut maturata transactione præsenti ipsos exitio eriperet. Sed & intra Regiummontem, urbem parum munitam, sese cum exercitu tenere, & extracto in æstatem bello conversionem rerum captare, imminens brevi fames, & grassari jam incipientes contagiosi morbi haut patiebantur; præsertim cum nulla adhuc spes surrecturæ Polonorum fortunæ adpareret. Cum Svecis autem prælium tentare numero prævalentibus, & tanto successu ferocibus anceps erat, relicta urbe, in qua summa rerum Borussiæ vertebatur, & ubi unicus receptus supererat; cujus & cives, ob insolita belli onera, jam antea ægros variis artibus labefactare Sveci conabantur, ubi quid adversi accidisset, facile in desperationem prolapsuros.

Transactio cum Sveciæ Rege. §. 71. Porro Regiomonte tunc dissidium, quod inter Regem & Electorem surrexerat, in has leges compositum fuit opera Erici Oxenstiernæ, quem Elector eo nomine dono vicies mille uncialium mactabat. *Amoveantur ea, quæ speciem diffidentiæ hactenus invicem præbuerunt; ac omnia utrinque acta adversus commodum, aut in damnum alterius perpetua oblivione sint sepulta. Omnis ubique hostilitas & inimicæ actiones atque consilia invicem cessent, commoda vero mutua sedulo promoveantur. Rex militem suum Borussia Ducali & Warmia intra viginti quatuor dies à ratificatione facta educat, relictis omnibus tam mobilibus, quam se moventibus, quæ quidem hactenus consumta sunt, consumtorum damno utrinque compensato;*

1656. *pensato; nec ab eo tempore istis provinciis à Sveco milite tributa imponantur. Egredienti Svecico militi à Brandenburgicis annona præbeatur. Tribus legionibus assignata è Warmiensi præsulatu duodecim uncialium millia, nec amplius exigere licitum sit. Elector contra omnem suum militem nulla amplius tributorum exactione absque damno & injuria incolarum Regali Borussia & Pomerellia educat, Mariæburgo inprimis & Slocbovia, aliisque locis intra quatuordecim dies, relicto ibi commeatu, apparatuque bellico, & quæ alia ad ista loca pertinent. Qui è Polonia & Lithuania cum rebus suis in ditiones Electoris refugerint, illis quinque septimanarum spatium sit Regis gratiam implorandi; aut sub Electoris imperium concedendi salva libertate & facultatibus. Qui publica fide ab hostibus ad Electorem accesserunt, iis tuto abeundi sit libertas, nec minus his, qui Electorali militiæ nomina dederunt. Reliquorum, qui hisce legibus se non attemperarint, bona inter Regem & Electorem æquis portionibus dividantur. Qui ex Ordinibus Regalis Borussiæ hactenus Electori conjuncti fuerunt, eos Rex Electore commendante in gratiam recipiat. Si cujuspiam è dedititiis Poloniæ aut Lithuaniæ bona ab Electore detenta fuerint, protinus restituantur. Bona, jura, & actiones Electoralibus subditis in Borussia Regali competentia iisdem salva sint. Omnium anteactorum sit amnestia, nec ulli Ducum, aut militum fraudi sit adversæ parti operæ quid navasse. Qui bona mobilia aut immobilia sub alterius partis ditione possederint, in integrum restituantur. Qui apud alteram partem sacramentum dixerint, illis manere ibi sit integrum.* Subscripserant eam conventionem nomine Regis Ericus Oxenstierna; nomine
7. Jan. Electoris Otto Sverinus, Laurentius Christophorus Somnicius, & Joannes Ulricus Dobrzenius.

§. 72. Pacta autem feudalia peculiari instrumento in hunc modum adornata sunt.
Pacta feudalia. *Quia ex parte Poloniæ conjunctio illius Reip. cum Ducatu Borussiæ primo est derelicta, Elector quoque*
1. *non amplius eidem obstrictus, vigore hujus conventionis pro se & legitimis suis successoribus masculis penitus renuntiat omni dependentiæ, nexui, & vasallagio, quibus hactenus intuitu Ducatus Borussiæ Regibus, Regnoque Poloniæ obligatus fuit. Illo autem vasallagii vinculo, quo Elector hactenus Regibus Regnoque Poloniæ obstrictus fuit, eodem*
2. *(conditionibus duntaxat iis immutatis, quæ inferius exprimuntur) ab hoc die conclusæ tractationis se suosque posteros Borussiæ Duces Regi, ejusque successoribus Regibus Regnoque Sveciæ obstringit, atque Ducatum suum Borussiæ ceu Regum Regnique Sveciæ feudum nunc & in perpetuum recognoscet. Intra annum à die ratihabitæ hujus transactio-*
3. *nis Elector, aut si ipsum vivis interim excedere contigerit, ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes masculi eo ordine succedendi, qui in Electorali Domo receptus est, investituram à Rege vel successoribus ejus Regibus Sveciæ juxta formulam conventam, & ritus, qui hactenus inter Reges Poloniæ & Duces Borussiæ usitati fuerunt, petet & impetrabit, ea tamen conditione innovata, quod liberum sit* 1656.
Electori, ejusque successoribus, vices suas in actu investituræ legatis suis plenipotentiariis sustinendas demandare. Etiamsi vero homagium corporali juramento in animam Electoris per legatos præstan- 4.
dum annuo spatio differtur: Obligatio tamen vasallagii à die hujus tractationis incipiat, adeo ut nunc statim non minus quam in posterum Elector & insequentes Borussiæ Duces nihil agant, aut in Ducatu suo constituant, quod Regi, ejusque successoribus Regibus, Regnoque Sveciæ damno, injuriæ, aut præjudicio futurum sit. Quod tamen ita intelligendum est, ut quandocunque Duces Borussiæ jure suo competenti in administratione Ducatus utuntur, nihil tale commisisse videantur. Eadem investituræ ratio constanter servabitur, quotiescunque casus innovati feudi contigerit, scil. ut inter annum 5.
innovatio feudi postuletur, nisi prorogationem ejus termini Reges, Regnumque Sveciæ Borussiæ Duci, ad singularem ejus requisitionem indulserint. In 6.
recognitionem tum supra dicti, tum Warmiensis quoque feudi Elector ejusque descendentes, & legitimi successores masculi circa extraditionem literarum investituræ solvent quatuor millia ducatorum aureorum, quotiescunque investitura Ducatus Borussiæ in illos iteranda fuerit. Præter istam summam aliis donativis in officiales Regios erogandis ob investituræ ritus Elector, ejusque posteri Borussiæ Duces non adstringentur. Quoties armis infe- 7.
stari, aut bello involvi Reges Regnumque Sveciæ contigerit ratione terrarum, quæ præsenti bello Regi Regnoque Sveciæ acquirentur, vel si hostilis aliqua vis à prædictis terris arcenda erit, Duces Borussiæ tenebuntur mille peditibus & quingentis equitibus Regi Regnoque Sveciæ assistere, eosque usque ad terminos terrarum Borussiæ, & sex hebdomatibus, postquam è finibus Borussiæ egredientur, sustentabunt. Deinde autem Rex Regnumque Sveciæ de necessaria sustentatione, & stipendio militari iis prospiciet. Quandocunque commodio- 8.
re ac breviore itinere exercitum aut copias militares Regum Sveciæ per Ducatum Borussiæ, aut aliquam ejus partem duci oportebit, liber transitus hinc inde sine mora & impedimento illis pateat: Ita tamen ut Ducibus Borussiæ, aut eorum vices in ejus Ducatus regimine gerentibus de illis prius significetur. Quemadmodum autem absque sumtu Ducum & incolarum Borussiæ transeundum erit prædictis copiis: Ita ductoribus earum inprimis incumbet curare, ut abstineatur ab omni damno & injuria tum incolarum, tum terrarum, quas transituræ sunt. Usus portuum maritimorum 9.
Ducalis Borussiæ Regibus Regnoque Sveciæ ejusve subditis semper maneat liberrimus, salvis iis, quæ de solutione teloniorum infra constituuntur, ita ut liceat navibus mercatoriis cujuscunque generis eos portus ingredi, & inde enavigare, vel in statione & ad anchoras ibidem consistere. Permissum quoque si naves ibidem reficere, & commeatum atque alia necessaria justo pretio comparare. Eadem

libertas

1656. libertas maneat navibus bellicis, sed his conditioni-
bus, ut quamprimum anchoras jecerint, adventum
suum indicent gubernatoribus portuum, fidemque
faciant per literas tuti itineris, se Svecicas esse;
tum ut conveniente distantia, unde periculum
fortalitiis imminere non possit, & si portus capacitas
admiserit, extra globi tormentarii jactum commodo
tamen ad stationem loco subsistant. Nec numero
militum aut nautarum, unde periculum excitari po-
terit dictis fortalitiis, aut justæ suspicioni causa præ-
beri, in terram sine scitu & consensu gubernatoris
10. Ducalis egrediantur. Hostibus Regum Regnique
Sveciæ, ubi per specialem significationem Electori
tales esse denuntiati fuerint, neque transitus unquam,
neque aditus ullus aut receptus vel per ditiones ter-
restres, vel per portus Ducalis Borussiæ, quoad pote-
rint Duces ibidem id prohibere, concedatur. Cum-
primis durantibus belli præsentis motibus promittit
Elector quantum in se est per portus Ducatus Borussiæ
Regi ejusque ditionibus nihil hostile intentatum aut
11. illatum iri. Elector, ejusque successores legitimi
masculi in nullam Regalis Borussiæ partem, in cujus
possessione vel usu vi pactorum cum Regno Poloniæ
hactenus non fuerunt, jus nullum aut actionem sibi
vindicabunt. Navibus bellicis in Mari Baltico in-
sciis & invitis Regibus Sveciæ Duces Borussiæ non
utentur, salvo tamen jure illis, illorumque subditis
utendi navibus mercatoriis, item piscandi, colligen-
di succini, aliisque litorum juribus, quæ ipsis hacte-
12. nus competierunt. Convenit etiam inter Regem &
Electorem, ut vectigalia in portubus Ducalis Borus-
siæ instituantur; circa quæ iste modus observabitur,
ut non graviora onera imponantur navibus aut mer-
cibus per Ducales portus transvehendis, quam in Re-
galis Borussiæ portubus exigentur, de quibus commu-
ni consilio administrandis peculiari instrumento
quamprimum convenietur. Reditus quoque omnes
è teloniis istis & confiscatione mercium atque navium
provenientes Rex Electorque, & eorum utrinque
posteri in duas æquales partes inter se divident. Hoc
onere exemto sint ea, quæ Regnum Sveciæ & Du-
catum Borussiæ propria sunt, & ad bellicum adpara-
tum confecta peculiari eorundem usui inservientia,
non vero ad mercatum aliquem destinata per dictos
portus transmittentur, quorum singulæ species pecu-
liari instrumento designabuntur. Cæterarum vero
mercium, quibuscunque navibus per portus Ducales
transvehendarum eadem ratio in solutione telonio-
rum habenda erit, quæ in cæteris Borussiæ Regalis
13. portubus observabitur. Si Elector conventiones, pa-
cta, & correspondentias cujuscunque generis cum ullis
ad præsentes Poloniæ motus pertinentibus personis
aut statibus intra vel extra Poloniam iniverit, vel
fœdera cum aliis gentibus sancierit, aut hoc tempo-
re tractanda susceperit, ea fœdera aut conventiones
sub quocunque nomine aut prætextu intelligi possunt,
vim eatenus nullam habeant à momento conclusæ hu-
jus transactionis, quatenus huic conventioni præju-
dicant, & vel directe vel per indirectum Regis Re-
gnique Sveciæ securitati & commodis adversantur.
14. Post extinctos Electoris legitimos descendentes ma-
sculos circa successionem in feudum Ducatus Borus-
siæ, uniuscujusque prætensio cui tunc aliqua in eum
Ducatum competere videbitur, eo in statu manere
& relinqui debet, in quo fuit tempore postremæ in-
vestituræ à Regibus Poloniæ per Electores susceptæ. 1656.
Vicissim Reges Regnumque Sveciæ Electorem, ejus- 15.
que legitimos successores masculos in possessione ju-
sta, plena & perpetua Ducatus Borussiæ cum omni-
bus juribus & pertinentibus, quibus Elector secun-
dum pacta cum Poloniæ Regno hactenus Ducatum
hunc possedit, & eo usus est, tuebuntur, neque illum
ulla ratione in eo Ducatu vel ejus jurium & perti-
nentium usu & possessione turbabunt. Rex pro se 16.
& successoribus suis, Regnoque Sveciæ Electorem
ejusque successores legitimos masculos exolvit & li-
berat in perpetuam, tam annua ordinaria, quam
extraordinaria pensione seu Canone, quem hactenus
Duces Borussiæ Regibus Poloniæ pendere debuerunt.
Tum exemtos fore declarat in posterum Duces Bo-
russiæ onere exhibendarum ad usum Regis quatuor
navium, quo hactenus ad tutandam oram mariti-
mam Regibus Regnoque Poloniæ obstringebantur.
Concedit Rex Electori, ut erigat summum in Du- 17.
catu suo Borussiæ tribunal, ubi de appellationibus
cognoscatur, ita ut nullæ plane causæ, quæ hactenus
ab instantia Electoris ad Regum Poloniæ tribunal
per appellationem devolvi consveverunt, per quem-
cunque modum ad Regem Regnumque Sveciæ & quod-
vis aliud judicium devolvi, trahi, aut avocari pos-
sint aut debeant. Id judicium Elector cum consi-
lio Ordinum Borussiæ instituet, & cum cura id aget,
ut justitia rite administretur, & privilegia Ordinum
legitime adquisita, & longo usu obtenta, modo huic
conventioni non contrarientur, illæsa conserventur.
Elector præterea exercitium liberum invariatæ Au-
gustanæ confessionis proteget & manutenebit. Ubi 18.
inter Electorem ejusque status provinciales lis orta
fuerit, ea vel coram Austregis ab Electore & Sta-
tibus pro æquali parte nominandis componatur, aut
decidatur, vel ut Elector è suis consiliariis quoscun-
que voluerit, & totidem viros Status nominent, qui-
bus Rex unum jungat, qui ejus nomine huic judicio
præsit. Omnes hi nominati viri juramento, quo uni
vel alteri parti obstricti sunt, exsolventur, & alio ju-
ramento promittent, se insuper habito omni alio re-
spectu ex conscientia in causis sibi commissis proces-
suros, & secundum jura decisuros. Circa res oeco- 19.
nomicas, & quæ ad eas spectant, Elector solus libe-
ram habeat dispositionem à nemine impediendam.
Liberum sit Regi Regnoque Sveciæ in Ducali Borus- 20.
siæ, & vice versa Electori in Regali Borussia, si opus
fuerit, milites colligere, absque tamen damno & sum-
tu ejus partis, ex cujus ditione miles ille colligitur.
Si miles ex unius stipendio in alterius ditiones trans-
fugerit, nulla ratione admittatur in protectionem,
sed sine mora restituatur. Si Electori ejusque suc- 21.
cessoribus Borussiæ Ducibus ob hanc conventionem
periculum aliquod à quocunque in feudum Borussi-
cum immineat, Rex Regnumque Sveciæ omni me-
liori modo eum eosve proteget. Pariter Elector
ejusve successores pro virili Regi Regnoque Sveciæ
assistent, si occasione & ex causa hujus conventionis
feudalis Ducatus Regalis Borussiæ armis infestetur.
Quod si autem Rex in terris per hoc bellum Poloni-
cum tam intra quam extra Borussiam adquisitis,
aut alias ob hanc conventionem in iisdem impugne-
tur, Elector supra dictis D. equitibus M. pediti-
bus Regi adsistet. Familia Electorali Ducum Bo- 22.
russiæ extincta, si devolvi Ducatum Borussiæ con-
tingat

1656. *tingat in possessionem & dominium utile Regis, Status prædicti Ducatus, quamprimum Regi Sveciæ visum fuerit, juramento se obligabunt, quod nulli alii quam Regibus Regnoque Sveciæ velint adhærere, & suam fidem ac devotionem præstare. Vicissim Rex nomine suo & successorum suorum Regum, Regnique Sveciæ promittet & assecurabit, quod eo casu emergente istorum jura ac privilegia tueri velit. Rex Episcopatum Warmiensem dependentia & nexu omni, quo hactenus Regno Poloniæ & Episcopis suis devinctus fuit, liberat, & exsolvit, jubetque cessare omne illud jus, quod ei Regno, eisque Episcopis in illum competierat, eumque Episcopatum nunc corpori terrarum Borussiæ eximit, salvo tamen dominio Regis Regnique Sveciæ in illum directo, eumque extinctis Capitulis & qualitate Episcopali, ut & incorporatis eorum reditibus, prædiis, juribus, & adpertinentibus omnibus & singulis intra limites prædicti Warmiensis Episcopatus hactenus comprehensis, (iis exceptis proventibus, juribus, & jurisdictionibus, quæ extra Episcopatum ad illum aut ejus Capitula hactenus spectarunt, exceptis item locis quibusdam, de quibus peculiari Instrumento dispositum est,) in seculare feudum convertit, idque pro corroboranda magis magisque mutua confidentia inter se & Electorem, quæ uterque per hanc transactionem invicem combinatur, Rex concedit & confert Electori pro se & omnibus suis ex legitimo matrimonio descendentibus masculis possidendum, & eo utendum fruendum, ceu Regum Regnique Sveciæ feudo masculino. In aliam vero quam Electoris ex legitimo matrimonio descendentium masculorum lineam successio feudi Warmiensis non extendatur, sed si illa aliquando expiraverit, in dominium utile Regis, ejusque successorum, & Regni Sveciæ debet revocari. Ob utrumque tamen tam Warmiense, quam Ducatus Borussiæ feudum Elector ad non amplius subsidium militum, quam supra expressum tenebitur, sed iisdem feudi conditionibus, iisdemque prærogativis Warmiensem ditionem, ac Ducatum suum Borussiæ possidebit & reget, salvis Statuum & incolarum ibidem privilegiis, quatenus secularisationi huic, & conventionibus cum Rege initis non adversantur. Hæc conventio itidem intra quatriduum ratificanda & permutanda sit.*

§. 73. Super præsulatu Warmiensi peculiare pactum adjiciebatur, quo Rex sibi reservabat Capituli Canonicalis sedem Frauenburgum cum præfectura cognomine, ita ut oppidum istud cum præfectura penitus à Warmiensi Principatu separetur, iis quibus nuperrime limitibus comprehensa. Sed si qui reditus extra eam præfecturam ad Capitulum Frauenburgense pertinuerint, in aliis Warmiensis præsulatus locis, illi utique ad Electorem pertinere intelligerentur. *Braunsberga autem ea lege à Rege Electori conceditur, ut quantocyus munitiones diruantur, præsidio inde educto, nec unquam eadem instaurentur. Instrumenta ad Warmiensem Præsulatum spectantia, quatenus Electori concessus fuit, quæ Frauenburgi asservantur, Electori tradentur. Regi porro intuitu oppidi & præfecturæ Frauenburgensis nihil juris competat in ulla loca, reditus aut jura, in reliquo Præsulatu Warmiensi sita, quæ antea ad Episcopum aut Capitulum pertinuerant; nec vice versa Electori quid in loca reditusque oppidi & præfecturæ Frauenburgensis. Quod si Episcopus & Capitulum Warmiense jura quædam aut reditus extra limites ejus præsulatus hactenus habuerunt, illorum nihil Elector sibi vindicabit, sed penes Regem eadem deinceps manebunt.* Perfectis hisce pactis Elector mox Regem Bartensteini invisit, ubi quinque dies inter ipsos per omnia sinceræ amicitiæ signa non sine hilaritate exacti fuere. Ac poterat ista amicitia diuturna sperari inter Principes, quorum uterque alteri admirationi erat, si vel ista congruentibus utriusque rationibus magis quam violentiæ superstructa fuisset, vel eadem Svecis fortuna perstitisset.

Pactu pecul re sup Warm ensi Ep scopatu

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER SEXTUS

EPITOME.

*1 ELector de pace facta Cæsari significat. 2. Motus animorum apud Belgas ob eam pacem. 3. Ele-
ctor Belgis de ea transactione significat. 4. Belgis nondum satisfit. Electoris de his judicium.
5. Electoris in Belgium missio. 6. Objecta contra eam pacem diluuntur. 7. Aliæ circa id fœdus
difficultates. 8. A Bonino Hagæ acta. 9. Ab Electore Legatus in Angliam mittitur. Ejus
mandata. 10. Cum Cromvello agitata. 11. Cromvelli consilium. 12. Fœdus Gallicum. 13. Cum Sve-
cis super illustratione pactorum agitur. 14. Sveci conjunctionem cum Electore affectant. 15. Con-
sultatio super conjunctione cum Svecis. Rationes pro conjunctione cum Svecis. 16. Ad eas re-
spondetur. 17. Rationes contra conjunctionem. 18. Iis rationibus respondetur. 19. Aliud consilium
circa eam conjunctionem. 20. Elector tractatus cum Svecis suscipit. Legatorum mandata. 21. Su-
per armorum societate cum Svecis agitur. 22. Tractatio reassumitur. Nova mandata. Regis de-
claratio. 23. Super legibus conjunctionis disceptatur. Regis declaratio. 24. Electoris sententia.
25. Tractatio continuatur. 26. Fœdus Mariæburgicum. 27. Articuli separati. 28. Articuli secreti. 29.
Illustratio pactorum feudalium. 30. Cum Polonis acta. Joannis Casimiri votum. 31. Elector Mosci
amicitiam servare studet. Legatio ad Moscum. Ejus mandata. 32. Apud Moscum acta. Mosci ad
Electorem legatio. 33. Cæsari de conjunctione cum Svecis significatur: Ut & Regi Poloniæ. Qui re-
spondet. 34. Belgis de capto consilio significatur. 35. Belgarum tunc circa id negotium consilia. 36.
Elector in Polonos tendit. 37. Prælium ad Warsaviam. 38. Secundæ diei pugna. 39. Tertiæ diei pu-
gna. 40. Missio ad Cæsarem. 41. Electori à plerisque Imperii Ordinibus parum favoris exhibetur.
42. Elector Belgas Svecis conciliare studet. 43. Belgarum circa pacem inter Svecos & Polonos consilia.
44. Cum Svecis super abolendo pacta Regiomontano acta. 45. Pacta Labiaviensia. 46. Articuli secre-
ti. 47. Belgis de ea transactione significatur. 48. Cum Polonis acta. Poloni cladis quid nostris infe-
runt; quibus ultio reponitur. 49. Elector circa pacem satagit. 50. Consultatio super præsenti rerum fa-
cie. 51. Elector Sveciæ Regem ad pacem hortatur. 52. Elector pacem inter Svecum & Danum serva-
re studet. Kleistii mandata. Alia mandata. 53. Regis Daniæ declaratio. 54. Kleistius iterum in
Daniam mittitur. Nova mandata. 55. A Kleistio in Dania acta. Dani responsum. 56. De tracta-
tuum successu spes imminuitur. 57. Iidem hærent. 58. Danus Electorem solicitat. 59. Elector Da-
niæ Regi bellum dissuadet. 60. Dani in bellum ruunt. 61. Kleistius adhuc Hafniæ detinetur. Idem
frustra circa pacem satagit. 62. Elector rebus Svecorum diffidere incipit. Cum Ragozio acta. 63.
Austriaci Electorem Svecorum partibus abstrahere nituntur. Fœdus Austriacorum cum Polonis. 64.
Belgarum in Electorem animus. Cum Anglis acta. 65. Elector Svecum ad pacem hortatur. 66. Sve-
cus Electorem in partibus retinere studet. 67. Elector res suas paulatim à Svecis disjungit. 68. Cum
Polonis super pace agi incipit. 69. Reginæ Poloniæ circa Electorem studium. Ejusdem literæ. 70. E-
jusdem hortatio ad pacem. 71. De supremo Borussiæ imperio à Polonis obtinendo agitur. Danorum
super eo sententia. 72. Circa pacem inter Svecos & Danos considerationes. 73. Belgarum de ista
mutatione judicium. 74. Sveci tractatus cum Polonis impedire student. 75. Tractatio cum Polonis ab-
solvitur. 76. Simulata conventio. 77. Vera pacta absolvuntur. 78. Pacta Welaviensia, seu Bydgo-
stiana. 79. Fœdus in Svecos. 80. Conventio super Lauenburgo & Bytovia, ac civitate Elbingensi.
81. Electoris cautio super reddenda Elbinga. 82. Oppigneratio præfecturæ Draheimensis. 83. Formu-
la juris jurandi.*

1656.

Elector de pace facta Caesari significat.

POstquam Electori haut contigerat bellum inter Svecos Polonosque, antequam exardesceret, intercepisse, aut dum istud desaevit, studio in neutram partem declarato extra ejusdem consortium se tenuisse, sed duris admodum conditionibus cum Carolo Gustavo Sveciae Rege transigere necessum habuerat: Proximum erat, ut facti sui rationes iis adprobare studeret, quorum offensam aut suspicionem incurrere suis rebus noxium ducebat. Unde protinus Caesari per literas significat, uti ad eam transactionem compulsus sit, *12. Jan.* dum Svecus post majorem Poloniae partem deditam Borussiae infusus stativis dimidio à Regiomonte milliari positis fame populosam urbem, jam & contagiosis morbis infestatam, urgere instituit. Quibus calamitatibus si maxime diutius obluctari, tempusque extrahere placuisset, civibus provinciaque praedae expositis; nusquam tamen ullam auxilii spem adparuisse. Quin nec Viennae consilia fuisse capta dispellendo praesenti periculo idonea, lento & incerto remedio, quod oblatum conciliandae pacis officium parere poterat. Neque vero alibi distractionem virium Svecicarum potuisse suscipi, nisi Germania simul bello involveretur; cui occasionem praebere sibi religio fuerit. Unde spem esse, Caesarem considerata praesenti rerum facie judicaturum, ab ipso nil aliud factum, quam quod salva ratione Christianis placitis congrua corrigi haut potuerit. De caetero testari, de sua Caesarem devotione nihil decessisse. Ad quas literas Caesar respondit: *7. Mart.* Gratam sibi communicationem, & quod Electori officium adversum se & Imperium constet. De ipsa transactione in neutram partem. Observabatur in iis literis, Borussiam bina vice provinciam Electoris nuncupari.

§. 2. Ast apud Belgas audita ea transactione non modica consternatio passim eminebat; *Motus animorum apud Belgas ob eam pacem.* ac uti magnum istud corpus Reipublicae tot capitibus constans multo labore impulsum fuerat, ut jam velut effuso cursu in bellum adversus Svecos rueret, infringendae potentiae commerciis ipsorum tam infestae; ita non citra impatientiam se jactabat, quod ita repente ad quietem retraheretur. Unde, prout solitum ibi est plebi, non paucorum iniqui adversus Electorem sermones erumpebant. Multiplici modo fidem ab isto violatam: Borussiae Regiae protectionem promissam, fidem Regno Poloniae debitam, foedus cum Belgis ante paucos menses percussum uno momento abrupta. Susceptas Svecorum partes, qui totius orbis judicio bellum haut necessarium movisse arguantur. Jam ab initio cum Svecis collusisse, ac Belgis os sublevisse; nunc repente clientem se istis declarasse abolitis, queis aliis innectebatur, foederibus. Si quid in fraudem hujus Reip. conclusum sit, in proclivi fore sibi ultionem è Clivicis terris petere. Moderatiores tamen ultro agnoscebant, necessitatis legem omnibus reliquis fortiorem. Fidem laudatam poenas dare, ubi ultra vires & rationem conniti instituat. Electoris exercitum Regiomonti inclusum pabulo, lignis, & pecunia caruisse; quem & in campum educere adversus validiorem hostem haut consultum fuerit, unico receptu forte intercludendo, Svecum Welavia occupata jam Fischhausam tendisse. Ita Electori periculum amittendae Borussiae incubuisse, quam Marchia & Pomerania secutura fuerit. Nemini incognitam conditionem Principum, qui semel suis ditionibus exuti sint, & quam difficilis ad easdem regressus sit. Praecipuis suis terris spoliato modicam apud Belgas auctoritatem fuisse futuram; qui dum inter se discordes deliberant, & cavillationibus tempus trahunt, in hanc necessitatem eundem conjecerint. Ab aliis destituto satius esse rebus suis consulere, & qualemcunque pacem occupare, quam in gratiam aliorum tot egregias regiones amissionis, aut saltem vastationis periculo exponere. Caeterum ea maxime solicitudo tenebat, ne commodis suis in Borussia eo pacto detractum quid foret, aut ne Gedanensibus par deditionis necessitas incumberet, praesertim cum conditiones pacti à nostris premerentur. Eas quippe sibi cognoscere necessum esse, quod ad easdem mandata legatis suis in eas oras mittendis sint attemperanda. Ac inter incerta ista paratum classis, instante aestate in Mare Balticum mittendae, haerere.

§. 3. Ast Elector suos Hagae ministros Belgarum animos paulatim praeparare jusserat, *Elector Belgis de ista transactione significat.* ut postquam turbidos motus querelis deplevissent, defaecatiore judicio ipsam rem aestimarent. Unde postquam hi singulis quae in rem fuerant insinuassent, demum Ordinibus publice denuntiant: Sibi quidem ab Electore non-*16. Febr.* dum in eam rem quid mandatum, nec integrum pacti exemplum transmissum. Libenter tamen, quantum sibi constet è privatis ad se literis etsi non publico nomine demonstraturos, cum Svecis nihil convenisse, quod in fraudem foederis cum hac Republica percussi tendat. Unde petebant delegatos sibi adjungi quibus ista communicent. Sed Belgae reponebant; haut esse è dignitate Reipublicae, per delegatos audiri, qui non nisi privato nomine quid expositurі sint. Igitur ne tergiversando suspiciones accenderent, placuit nostris in consessu Ordinum Electoris nomine exponere: *Numinis favore Electorem bello, provinciam exitio, socios necessitate auxilium multo cum periculo & sumtu repraesentandi exolutos, dum tractatio cum Rege Sveciae suscepta demum in pacem desiit. Cujus fructus cum & in hanc Remp. redundaturus sit, eandem ab ipsis quoque probatum iri spem esse, quod pro spectata sua sapientia judicaturi sint, tuta ambiguis, pacem tolerabilem cuivis bello praeferendam, praesertim inter eos, quorum neuter absque publico damno vinci poterat, & quibuscum huic Reip. semper pax culta fuit, deinceps quoque summo studio continuanda. Dolendum fuisse, inter vicinos, ac tam propinqua necessitudine junctos dissidium exortum; nec defugere Electorem potuisse, quo minus omnibus viribus vim illatam propul-*

1656. *propulsaret, cum pace media inter arma frui non posset. Sed cum Sveciæ Rex honestas conditiones offerret, per quas Elector non solum suas terras, portus, munitiones, jura retinebat; sed & pro captu augebat; nullam rationem fuisse diutius inter ambigua hærendi, ipsa naturæ lege dictitante, ut suæ saluti quisque invigilet, ubi alteri nil amplius auxilii præstare datur. Poloniam victricibus Svecorum animis succubuisse, ac membra tam vasti corporis imperio alterius successisse, sic ut nec Poloniæ Rex in Regno, nec Regnum in Rege maneret. Quæ insperata exempla & Electori rationes suppeditarint, quare non diutius tantæ potentiæ incassum obluctaretur, nulla amplius protectione à fiduciario domino expectanda; & quia nullum aliunde auxilium adparebat nisi vel serum, vel cum majore periculo conjunctum. Ita enixissimis suorum civium precibus motum pacem amplexum, per quam amicitiarum vicino Principe instaurata, & via munita sit eidem cum antiquis istius fœderatis stabilienda, publico juxta ac privato bono. Et quia Electori satis constet de prono Ordinum in ipsius auxilium studio, si propriis viribus pacem obtinere non licuisset, id grato eundem animo agnoscere; simul confirmare, hoc tractatu eum non minus hujus Reipublicæ, quam proprias rationes respexisse, nec quidquam annuisse, quod impedire possit, quo minus idem è fœdere huic Reip. debita præstet. In posterum quoque studium circa promovenda istius emolumenta approbaturum, velut cujus rationes ita cum hac Rep. implicitæ sint, ut hujus prospera juxta & adversa ipsum non possint non summopere afficere.*. Simul communicabatur articulus nonus & duodecimus pacti Regiomontani mollibus verbis traductus, & leni interpretatione temperatus. Nam cætera Belgas non tangere, & cur in præsens premantur graves rationes esse.

Belgis tandem satisfit. §. 4. Ista quidem utcunque Belgarum animos deliniebant, ut tamen ostenderent, ejusmodi laxæ declarationi certi se quid consilii superstruere haut posse; Sed utique totum pactum sibi inspiciendum, rebus suis ad id disponendis. Id quippe requirere morem inter socios receptum, & ipsam æquitatem, veteremque amicitiam: Tum & consilia sua, legationem, adparatum classis, commercia velut vado adhærescere non sine fremitu sui vulgi. Ea pace omnia prius facta decreta interrupta, ac summam rerum non parum immutatam. Non constare, quid ab Electore sibi expectandum sit, qui ipsis actorum copiam non faciat; nec à Svecis, quos in hujus gratiam non parum offenderint. Mille amplius naves in Mare Balticum properare; quæ si iter ingrediantur, periculo se exponant; domi detentas magnum commerciis damnum inferant. Aliqui apertius tam longis tergiversationibus irascebantur; ac sine dubio pravi quid subesse, quod tanto studio occultetur, cum bona & plausibilia premere nulla ratio svadeat. Eas querelas nostri retundebant, significato, ab Electore peculiarem Legatum eo nomine mittendum: Quod & ipsum suspicionem illis augebat, velut nectendis moris inventum. Ita quidem non parum in fermento erant Belgæ. Sed quibus ingenium ejus populi penitius perspectum erat, judicabant spatium ei indulgendum, ut commota billis inanibus sermonibus in ventum effusis desæviret, quoad ratio ultro rediret. Nec plura istis communicanda, quod multa pactorum loca molestissimæ censuræ obnoxia sint futura, multisque rumoribus ansam datura. Nec consultum videri agnoscere, velut è necessitate, aut debilitate huic descendendum fuerit. Illam quippe autoritatem non conservare, hanc amorem non conciliare. Eo esse istos homines genio, ut non respiciant, nisi illos, qui nocere possunt. Fugiendos eos esse aliquantisper, si quis eosdem attrahere velit; una manu benefaciendi, altera nocendi facultatem ostentandam. Molestissimos esse judices, si quis dominos eos faciat; ac suorum in alios factorum nimium oblivisci, si de iis, quæ in se facta sint, sententiam ferre debeant. Ab iisdem excusationem pro confessione culpæ, quæ honoris causa differuntur, pro deprecatione accipi. Quod si Elector propriis viribus, aut Svecorum auxilio autoritatem tueri possit, ultro ad blanditias descensuros. Saltem in hostilia non erupturos, quicquid vulgus garriat. Atque eo minus abjectionis quid adversus illos ostendendum, quo magis iisdem solitum est odisse, quibus aliquid beneficii dandum fuerit; ac neminem amare, quem non metuant, solo jacturæ periculo affectus eorum trahente. Igitur Electori anxia nimium excusatione autoritatem haut prostituendam, nec istos velut arbitros actionum ipsius constituendos. Nam pro veteri ferocia ægre sibi imperare posse, ut amicos suos magno honore colant, aut Domui Arausionensi addictis sese innectant, nisi summa id necessitas requirat. Ac eorum quidem interesse, ut Sveci penitus Borussia pellantur, non tamen ut Poloni omnibus ejus provinciæ portubus potiantur; eoque per rationes suæ Reip. stringi, ut ad Borussiam Electori servandam incumbant. Igitur externis benevolentiæ signis ejus Reip. amicitiam velut aliud agendo servandam, malevolorum in eadem conatibus hoc modo elidendis: Ac tempus demum ægros animos ultro sanaturum. Enimvero judicabat Elector, haut congruere de continuando fœdere loqui, & pactum Svecicum Belgas celare. Unde Weimanno injungebat, ut quæ commercia spectent in antecessum communicaret; reliquorum copiam Boninum facturum. Ac revera isto pacto nihil contineri Belgico fœderi repugnans. Ast si Belgæ censeant, ex eodem consequi posse quid rationibus ipsorum repugnans, id præter suam mentem accidere, nec per suas vires averti potuisse, cum alii manum negotio non admoverent, de quorum commodis agebatur. Quin ex actis constare, ea quæ Belgas tangunt ad extremum usque disceptata, ac pro iis se diutius, quam pro suis emolumentis certasse. Nec adparere, qua fronte is, qui nihil contulit, arguere velit alterum, qui quantum vires ferrent connixus est. Denique & ipsos quondam Gallis fœdere promisisse, se absque his cum Hispanis pacem haut inituros; nec eo secius cum judicarent Gallos 1656.

1656. honesta pace potiri posse, cum Hispanis convenisse, oblata circa conciliandam inter Gallos, Hispanosque pacem sua opera. Jubebat quoque Elector redhiberi, si quid pecuniæ per Belgas nostris numeratum foret, remissis collybi literis, quas ipse acceperat.

Electoris in Belgium missio. Legati mandata 23. Febr.

§. 5. Ut igitur Elector ostenderet, Belgarum amicitiam cordi sibi esse, Georgium Boninum Hagam mittere constituit, qui inita cum Svecis pacta communicaret, simul exponeret; *etsi per ista in statu suo nonnulla mutatio contigerit, nec ipse dubitet, quin rerum imperiti multa sinistra de iisdem judicaturi sint; arbitrari tamen, Ordines expenso ipso pacto, rerumque facie, pro sua prudentia facile judicaturos, aliam viam haut potuisse Borussiam extremo exitio eripiendi; ac se nemini cordato adprobaturum fuisse, si omnia aleæ exponere, quam necessitati parere maluisset. Se statim, ubi de armis Svecorum, & quo ea tenderent intellexerit, iisdem sistendis omnem operam navasse, aliosque quorum intererat idem ut facerent monuisse. Equidem uberem sibi de Polonis querendi causam fuisse. Majores suos à primo tempore, quo fiduciario nexu Poloniæ Regno illigati fuerint, ad singulas fere eiusdem renovationes novis, iisque molestissimis conditionibus oneratos. Romanorum rituum exercitium, annuam pensionem, novam adpellationem obtrusam, civium animos Principibus abstractos, horum autoritatem, ipsamque justitiam protritam, multa intoleranda pro libidine per Borussiam disposita, non sine damno ac perturbatione provinciæ, quæ & demum in ipsius agnatos extendere non dubitarint. Spem tamen sibi semper fuisse, ista ultro emendatum iri, ac lenia potius, quam aspera remedia captasse; conscientiam quoque potius & obligationem suam, quam utilitatem & autoritatem spectasse, alia via forte longius provehendam; ac Polonos fideliter monuisse, ut imminentem tempestatem declinare studerent. Sed eorum nonnullos ista velut rumores ab hæreticis disseminatos, & inania terriculamenta, superfluis sumtibus ansam præbitura, increpasse; reliquos ejusmodi consilia cepisse, quorum non alius exitus, quam qui secutus est, sperari potuerit. Unde proprias sibi vires ad sui defensionem fuisse expediendas, non spernendis comparatis copiis. Sed apud Cæsarem nil auxilii potuisse obtineri. Exterorum aliquos alienam calamitatem per otium spectasse, alios ad dilacerandam & perdendam Poloniam strenue incubuisse. Ipsos Polonos inter se discordes, consternatos, quorum & plerique Sveco se dediderint. Regem inter hæc regno profugisse. In Borussia urbes, penes quas rerum gerendarum nervus, ab Equestri Ordine secessionem fecisse, non obscuro indicio deditionis mox faciendæ. Interea cum tractatus ita succederent, ut conscientiæ suæ eos adprobare posset, Regem Sveciæ copias è Lithuania in Borussiam evocasse; ipsum suis, ac ferocibus, Polonorum catervis stipatum eodem irrupisse, ac aperta provinciæ evastasse. Ut igitur reliqua velut è naufragio servarentur, cives suos, & ipsos Poloniæ jurejurando innexos anxie institisse, calamitatis ipsorum rationem habeat, & consideret, etiam quæ à proprio milite proveniat medicinam non absque provinciæ exitio adhiberi. Salutem populi quibusvis aliis respectibus prævalere. Spem auxilii nullibi adparere, aut seram, nec forte suffecturam. Quæ dum in* 1656. *cassum expectatur, vi hostium, aut lue, ac fame in loco tanta hominum multitudine constipato pereundum esse. Ne legatos quidem promovendæ compositioni missos ab iis, qui ad auxilia ferenda sese obstrinxerant. Cum Poloni obligationi suæ non satisfecerint, se quoque per præsentissimum periculum suo vinculo exsolutum; ac fas sibi fuisse qualicunque transactione salutem quærere, ac per incertam spem præsentia mala haut intendere. Post impletum vasalli officium Principis quoque fuisse explendum, & ita pro antiquo Poloniæ statu servando connitendum, ut ne proprius subverteretur. Cum itaque Rex Sveciæ ipsum Cancellarium mitteret conditiones offerentem si non omni ex parte gratas, tamen præsentem calamitatem dispellentes, ac interea hostilia cessarent, à se in pacem consensum. Ac sibi circa hoc negotium fuisse considerandum non modo quid detrimenti ditiones regiis fere immixtæ, sed & communia sacra captura forent, si ipsos inter se collidi contigerit; cujus nunc emolumenta juncta opera tanto efficacius promoveri possint. Cæterum constanti se amicitiæ juxta fœdus excolendæ promtum fore, ac paria ab ipsis expectare.*

Objecta contra eam pacem diluuntur.

§. 6. Ast colloquio cum delegatis Ordinum instituto, si qua adversus Svecicam pacem objiciantur, nostri diluere jubebantur. Si enim arguatur Svecicum pactum cum Belgico fœdere simul consistere non posse, eoque ipso Belgas hoc fœdere exsolvi, reponerent; Cum utrumque fœdus mutuam duntaxat defensionem spectet, utrique vim suam perstare posse; ac si utique in Svecico quid extet, quod Belgis oneri cedat, id præter mentem suam ei insertum. Saltem expressis verbis ejusmodi nil eo contineri. Num autem quid inde consequatur, se Belgarum sententiam cogniturum; & quia Rex declaraverit se circa stabiliendam cum Belgis amicitiam ipso sequestre lubenter usurum, se quantopere sociorum commoda cordi sint, luculenter demonstraturum. Præterea Belgis cogitandum, si commune ubique commodum observandum fuerit, communi auxilio se quoque fuisse fulciendum. Nunc solum se inter ineluctabiles difficultates destitutum. Et si quæ molesta id pactum contineat, ea se primo & quam maxime tangere: Eoque facile intelligi, quam invitus ipse ad talia descenderit, nec plus pro sociis quam pro seipso conniti potuisse. Ideo autem fœdera quæri, ut commune emolumentum communi auxilio asseratur; eoque unum ad utilitatem omnium defendendam suo solius sumtu ac periculo non teneri, ni debito modo ipsi adsistatur. Frustra à Belgis occini, per anni tempestatem non potuisse promissum auxilium mitti, ad quod repræsentandum tunc obligati non fuerint, cum idem tertio demum mense post hostilem invasionem præstari debuerit. Ac de cœtero credidisse, ita ab Electore res dispositas, ut ad tempus auxilio designatum sustinere hostem potuerit. Nam articulo septimo fœderis caveri, si eum qui invaditur periclitari contingat, auxilium etiam ante tres menses quam promtissime expediendum. Atqui Electori periculum admoveri cœptum, quamprimum Sveciæ Rex ipsius portus ac terras

1656. ras affectabat, ac declarabat, se ipsum non aliter quam Poloniæ Ordines tractare posse, idemque scripto Wittenbergius ducibus ipsius denunciabat. Eundem quoque, dum Belgicum fœdus agitatur, Sveci destinata Ordinibus Generalibus aperuisse, formulas pacti ab his oblatas transmisisse, exquisita super hisce illorum sententia, & quousque istæ rationibus Reipublicæ repugnarent, ut mature idonea iis emendandis remedia expedirent. Quin proximo autumno acriter institisse, ut classis in Mare Balticum mitteretur, aut ut saltem venturæ species simularetur. Quin cum absque omni periculo sequestris officium tam diligenter expetitum suscipi potuerit, ne id quidem obtentum, ut vel epistola ad Regem Sveciæ in ipsius favorem mitteretur. Equidem corrogata pecuniæ summa indicium factum, cordi Belgis esse ipsum ope sublevare. Enimvero id negotium, uti reliqua omnia, longe tardius processisse, quam pro incumbentis necessitatis magnitudine. Quin circa pecunias credendas ejusmodi conditiones propositas, ut per fœdus id ipsum amittendum sibi foret, cui servando fœdus quæsitum fuerat. Ac si vel maxime in patientiam animum obfirmare ipse valuerit, cives tamen anxie ingessisse, sub immanitate non tam Svecici militis, quam Quartianorum succumbendum esse, quorum sævitiam in evastandis provinciis nemo facile superaverit. Sed & Cæsarem negotium hoc ad collegium Electorale rejecisse, velut inter extrema luctantem ægrotum herbis futuro Maio germinaturis curaturus. Quin ea in aula id actum, ut validus exercitus pararetur magis exsequendis privatis destinatis, quam ut ipse, aliique oppressi amici in tempore sublevarentur. Cum igitur ab aula, quam ea res præcipue tangere videbatur, nil opis sperari posset; haut immerito dubitatum, num ipse solo Belgarum auxilio subnixus tantæ moli sustinendæ par foret. Potius in aprico fuisse, provinciam, & exercitum inter infestos morbos & pecuniæ inopiam periturum, nulla ad reparandas vires facultate. Quin & præstito licet auxilio, eoque sufficienti; tamen metum fuisse, ne idem, qua modum fœdere definitum excederet, exemplo pecuniæ creditæ ita duris conditionibus circumscriberetur, ut Borussiam plane pro derelicta habere præstaret. Ista omnia cum tolerabili transactione averti, & quies parari potuerit, communi utilitate deinceps commodius procuranda, quam inter ancipitia atque incerta; Belgas ipsos agnituros, in præsens urgentibus malis efficacius remedium transactione haut fuisse. Præsertim cum iidem non obscure insinuarent, certa & tuta pro ancipitibus arripienda, ac nemini vitio dari posse, si ante omnia saluti suæ prospicere instituat. Imo cum Sveci jactarent, easdem adhuc superesse artes, quibus præterita æstate adventum Belgicæ classis eluserint; quin ipsas inter provincias fœderatas super auxiliis mittendis parum conveniret, ac pleræque eam rem sat frigide agerent. Cum interim Sveci successus suos urgerent, quibus multi Germaniæ Principes ipsum floreni Teutonici militis adducebant. Denique si Belgæ amicitiam ipsius plane abdicare instituant, cavendum illis esse, ne eosdem ad Rhenum vicinos accipiant, quos ad Mare Balticum tantopere formidant. 1656.

§. 7. Ast ubi Belgæ quærant, qua ratione, fœdere suo persistente, in controversiis è Mari Baltico & ejus commerciis exsurgentibus promissa auxilia se præstari possint, reponere jubebantur; spem sibi esse rem ibi in apertum bellum haut erupturam, ac se paratum ad omnia litigia pro virili avertenda. Svecos quoque docuisse, inter ipsos Belgasque complura fœdera extitisse, quibus Sveciæ, Daniæque imperium in Mare Balticum citra controversiam agnitum fuerit, quibus salvis haut integrum sit Belgis classes bellicas eidem mari immittere. Et cum status Borussiæ hactenus mutatus sit, ut ea deinceps feudi nexu à Svecia dependeat, ubi Belgas cum Svecis bello collidi contingat, se istis velut Sveciæ jam nomine dominii directi obligatum ad oram Borussiæ auxilio ferendo teneri non posse. De cætero ubi pinguior ejusmodi obligatio ex jure gentium non obstiterit, sese firmiter fœdere staturum. Sane etiam sanctissima fœdera per jus gentium varias exceptiones pati, ac non raro earum vim per alia pacta magis valida intercipi. Ac cum Respublica pari jure similibus in casibus utatur, se ideo ab ista reprehendi non posse. Circa augmentum vectigalium si Belgæ moveant, nostri confirmarent, se omnem operam daturum, ut articulus XII. fœderis Svecici elidatur; in quem si ipse ab initio consentire voluisset, longe lautiores conditiones obtineri potuisse. Sed dum obnixe reluctatur, tempora interim mutata, ac Regem rebus in Polonia confectis in Borussiam vertisse. Eum articulum si cuipiam, sibi certe molestissimum esse, eoque tamdiu restitisse, ut sua circa tuendum commune bonum constantia, reliqua onera hoc pactum comitantia, attraxerit. Sed & inter tractandum Svecis diligenter ingestum, quid fœdus Belgicum circa eam rem disponat, & quomodo ipse isthæc Belgis communicare teneatur; eoque caput istud ad aliam tractationem, cui & Belgæ adhibendi sint, seponendum esse. Quanquam autem ut Svecio pacto id inseretur, obtineri non potuerit; se tamen communicationem cum Belgis verbo sibi excepisse, Svecis contra declarantibus, sese viam monstraturos, qua diffidia cum sociis ob hocce pactum declinari queant; & quia sibi amicitiam cum Belgis servare cordi sit, gratum fore si Elector arctius stringendæ inter ipsos amicitiæ operam navare velit. Denique nondum circa augmentum vectigalium quid convenisse, ac se perspecta Belgarum sententia horum commodis in ea tractatione quantum possit velificaturum. Quod si porro Belgæ objiciant; dum Svecorum navibus bellicis statio in portubus Borussiæ promissa est, articulum XVI. fœderis Belgici sublatum, quo Elector sese obstrinxerit ad nemini jus ullum aut potestatem in eos portus cedendum: Nostri

Aliæ circa id fœdus difficultates.

1656. Nostri reponere jubebantur; postquam Elbinga in Svecorum ditionem concesserit, transitum navibus Svecicis commode negari haut potuisse. Ac ita accurate caput illud circumscriptum esse, ut nil peculiaris juris, aut potestatis in eos portus Svecis collatum agnoscatur. Quin & cum portus Pillaviensis grandium navium bellicarum capax non sit, transitus concessionem fere inanem esse. Si Belgæ quærant, num suis quoque navibus Belgicis idem juris hoc casu, quod Svecicis, competat, nostri responderent; istos articulo XVII. suis navibus mercatoriis usum portuum stipulatos; bellicas in Mare Balticum per fœdus cum Svecis, quorum imperium in idem agnoscant, adducere non posse. Si ulterius sciscitentur, num articulus XIII. fœderis Svecici Belgico deroget, reponerent: Electori nunquam mentem fuisse fœdus Belgicum tollere. Quod si autem intuitu Borussiæ Ducalis unus vel alter effectus fœderis certis casibus cessare debeat, ex eo fœdus sublatum haut intelligi; cum non fœdus, sed provincia illa mutationem subierit. Quanquam nec adpareat, quomodo ibi locorum Belgæ cum Svecis collidi queant. Denique si Belgæ Electorem sumtus in armandam classem, & alia ipso petente impensos reposcant, exciperent; nihil adhuc præstitum, nec in usum ipsius versum. Contra Electorem, ut ex fœdere isto communia commoda eo curatius observaret, tractatum cum Svecis ad iniquum admodum tempus extraxisse; quod speraret, socios exhibito auxilio convento officium quoque impleturos. Quod cum factum non sit, ac ipse in summas inde difficultates inciderit, vastata insuper provincia, & exasperatis conditionibus; sibi potius actionem adversus Remp. competere ad refundendum damnum ejus occasione illatum. Etsi spes erat, Belgas de hoc postulato plane mentionem haut injecturos.

A Bonino Haga acta. *9. April.* §. 8. Boninus Hagam delatus, consultatione cum Vidua Arausionensi, & Weimanno habita, constituebat quidem splendido adparatu uti, quo Belgæ hac missione honorari se agnoscerent. Sed ut pro justo sese legato gereret haut placebat, quod super cerimoniis nondum inter Electorem & Belgas convenisset, ne intempestiva disceptatio animos ulceraret, queis deliniendis legatus venerat. Sed nec visum acceptas pecunias redhibere, ne Belgæ id velut signum offensæ, aut insultationis acciperent. Sed & haut placuit publice de querelis adversus Polonos aliquid movere, ne ob has magis, quam ex necessitate Elector ad paciscendum cum Svecis descendisse videretur, & ne à fautoribus Poloniæ ipsi contradiceretur. Privatis tamen colloquiis de iisdem posse injici. Denique nec expedire videbatur Belgas urgere, ut scripto declarent, fœdus *25. April.* cum ipsis utique adhuc persistere. Cæterum cum Boninus apud Ordines Generales, quo jus- *29. April.* sus fuerat, exposuisset, privato inde congressu caput nonum & duodecimum fœderis Svecici communicabat. Ac inprimis circa participationem vectigalium monebat, Reges Poloniæ jam olim diversas actiones circa portus Borussiæ movisse, velut quod Duces certum navium numerum in Mari Baltico in istorum usum habere teneantur, ipso quoque vectigalium jure in dubium vocato. Quod etsi Duces nunquam agnoverint; redimendæ tamen molestiæ in pensionem annuam fuisse consentiendum. Cum igitur Carolus Gustavus, qui in præsens pro Rege Poloniæ se gerit, quævis Poloniæ jura sibi vindicaret, eam litem non aliter declinari potuisse, quam Svecis in partem vectigalium admissis. Cum porro Boninus præter dicta capita nil aliud communicare vellet, Belgæ postulabant, ut scriptam cautionem ederet, pacto Svecico nihil contineri, quod hisce fraudi esse queat. Id quod hic recusabat. Equidem Electoris mentem non fuisse tale quid admittere. Sed ei negotium fuisse cum hominibus, utcunque concessa latius extendere gaudentibus, cujus specimen idem in negotio Pomeranico ceperit. Ad extremum tamen cum citra offensam, ac suspicionem Belgarum pactum celari non amplius posset, placuit post stipulationem exquisiti silentii istud delegatis prælegere, nullo tamen exemplo tradito. Præparandis animis præmittebatur; Joannem Casimirum è regno profugisse, idque velut pro derelicto habuisse. Inde plurimos Poloniæ proceres intervenientibus solennibus actibus in Sveci partes transisse, eumque pro suo Rege admisisse, vi eis intentata, qui eundem agnoscere noluerint. Unde plerisque articulis fundamenti in vicem substerni, Carolum Gustavum Poloniæ Regem esse; utut satis constaret, titulum bellicæ adquisitionis nondum satis firmatum, qui tamen pro captu temporum tunc solicitari non potuerit. Unde & præstationem homagii in annum dilatum, num interim pax futura, aut Sveco possessio Poloniæ firmanda sit. Sed & quædam studio obscurius posita, ut deinceps ex æquo ad Electoris & Belgarum rationes interpretando aptari possent. Cæterum quia Bonino nihil injunctum erat, quod apud Belgas ageret, ne forte plus quæstionum ipsi moveretur, & quia parum è dignitate erat diu otiosum Hagæ morari; in consessu Ordinum audiri petebat, haut indicato, quid propositurus esset: eoque obtento istis valedicebat. Quod, etsi inopinum, iidem acceptabant, debito verborum honore reposito. Denuo tamen ad secretum colloquium vocabant, & exemplum pacti Svecici petebant: Id quod iste abnuebat, ut tamen id legendum istis daret, ac ab iisdem describi dissimularet. Addebat, si Belgæ Electoris loco fuissent, vix credere ejus emolumenta & fœdus ita accurate observaturos fuisse. Nec deesse exempla etiam potentium Rerumpublicarum, in talia consentientium, quæ ipsæ injusta & iniqua agnoverint; haut obscure indigitans, quid Hollandi bello Anglici circa exclusionem Principis Arausionensis admisissent. Inde citra moram Boninus discessit, haut expectato, quoad conventus Ordinum Hollandiæ absolveretur, ne aliquid videretur quæsivisse, quod non obtinuerit. *25. Ma.*

1656. rit. Ostendebant verbis Belgæ, hac legatione sibi satisfactum: sed num serio ita sentirent dubium habebatur. Sane digresso Bonino Ordines Generales scripto declarabant; quæ pacto Svecico super augmento vectigalium disponantur, hautquidquam articulo XVI. fœderis Belgici conspirare: eoque ipsos confidere, Electorem nihil admissurum, quod huic articulo repugnet. Scilicet vetus vulnus recruduerat, quod non nisi pedetentim coalescere poterat. Unde summa rerum Electori in eo vertebatur, ut armis autoritatem suam tueretur, & spes illa Belgis adjicienda foret, brevi necessum eidem fore subsidia horum implorare.

4. Jun.

Ab Electore legatus in Angliam mittitur.

§. 9. Ast in Anglia id Electoris factum majorem adplausum sortiebatur. Insinuaverat superiori anno Cromvellus Electori per legatum Gallicum, gratum sibi ore, si quis ab hoc missus in Angliam veniret, ac eo fine se negotionem cum Svecis extracturum; qui multis jactaverant, quam lautas conditiones eidem Rex obtulerit, si arma secum sociare vellet. Unde Elector Joannem Fridericum Schlezerum in Angliam proficisci jussit, publica tamen persona tantisper dissimulata, quoad Protectoris, populique Anglicani studia in ipsum perspiceret. Qui & sat æquos Electoris se causæ præbebant, haut parum mirati, Svecos à Principe, à quo nunquam læsi sint, & cujus benevolentiam difficillimis temporibus senserint, munita loca in cautionis vicem exigere. Ac molestum sibi fore testabantur, si inter Regem & Electorem in arma res erumperet; operam quoque suam polliciti evitando dissidio rebus Protestantium tam noxio. Inde isti ab Electore mandata transmittuntur cum literis legationi fidem facientibus, quibus Cromvello titulus dabatur *Serenissimi ac Celsissimi Principis, Domini & Amici colendissimi.* Eum si iste adspernaretur, promitteret Electorem cæterorum exemplum haut ægre secuturum. Maluerat Elector, ut Schlezerus negotiationem prius profligaret, quam personam publicam indueret. Ne tamen iste agendi modus suspicionem excitaret, per fidos homines apud Cromvellum explorare jubebatur, publicata, an dissimulata persona negotium suscipi mallet. Eidem post honoris verba exponere injunctum: *Postquam gliscens inter Svecos Polonosque dissidium demum in apertum bellum eruperit, per quod suæ quoque provinciæ periculo involutæ, & commercia turbata fuerint; non potuisse se, quin de eo negotio communes utrimque rationes spectante ad ipsum referret. Et quia priora inter eas nationes bella Anglis sequestribus suspensa sint, Electorem judicare, Protectoris operam magnum pondus habiturum; eoque ut missa legatione partibus sese interponere velit rogare. Addito, mercatores ex Anglia, ac vicinis locis apud Borussos veteri conditione provinciæ, ac vectigalium egregie se habuisse. Sed quid deinceps futurum sit, ubi duo regna validissima cum adjunctis pulcerrimis provinciis, sub unum capud redigantur, è cujus placito deinceps dependeat commercia & vectigalia temperare, omnesque Maris Baltici portus aperire, & claudere; Protectorem pro sua prudentia facile perspecturum. Nec dubium, quin idem dudum ista mature expenderit, ac circa eadem consilia ceperit bono publico proficua. Cui cum & privatæ Electoris rationes insolubili nexu illigatæ sint, confidere, & hasce ipsi tum ob alias causas, tum ob communia sacra curæ fore, ac si eo nomine vis inferatur, ope & consilio adfuturum. Nunc vero Svecum postulare, ut Elector Borussiam, hucusque Poloniæ feudum, ab ipso deinceps recognoscat, cum tamen Polonus nondum debellatus sit, multo minus Regnum abdicaverit, nec adhuc ab universis Regni ordinibus imperio in eundem collato. Ab eodem exposci liberum transitum per Pillaviam & Memelam, à Poloniæ Regibus nunquam desideratum, augmenta vectigalium, moderamen commerciorum, exclusis à successione agnatis, quibus tamen è prima collatione jus quæsitum fuerat. Denique expostulari, ut Elector fœderi cum Belgis nuper inito renunciet eo ipso tempore, quo ad idem suscipiendum Protectorem, & alios invitare meditabatur. Ista omnia cum conscientiæ, existimationi, aut rationibus sui status, atque commerciorum repugnent, Protectorem rogari, apud Regem operam interponat, ut talibus exigendis supersedeatur. Præsertim cum Elector, Poloniæ licet fiduciario vinculo innexus, nunquam in partem hujus belli, prout nec ipsius majores, venerit, ac eam privatam semper Regiæ Domus litem duxerit, cui sopiendæ ipse juxta Paterque suus sequestris officium obierint. Unde cum Electori causa non fuerit, quare vel Sveci vel Poloni intentionem fulciat, ac in electione Joannis Casimiri ea lex dicta sit, ut hic in Sveciam nihil actionis moveat, eique ubi Respublica postulaverit, renuntiet: Eoque ipse neque suo nomine, nec velut Reip. membrum de hac Domus Regiæ lite unquam participaverit; haut sperasse invitum se à Sveco in id bellum & quidem ita duris conditionibus pertractum iri. Unde confidere, Protectorem tum ob communia sacra, tum ob commercia & evidentem causæ justitiam, ubi amica officia haut proficiant, efficacioribus remediis eidem adfuturum, quo possessio sua salva ipsi sit.* Post hæc exponere jubebatur, gratum auditu fuisse Electori, à Protectore causam Pedemontanorum susceptam, & quod idem dissidia inter Protestantes saltem ad moderationem Christianis dignam, ac mutuam tolerantiam perducere laboret, opus admodum salutare, cum importuna ista, & inauspicata litigia per Germaniam præcipue infinita damna non sine Ecclesiæ juxta ac Reip. perturbatione produxerint. Super quibus destinatis ut Protector consilia cum Electore sociare velit, rogare, qui & ipse exemplo majorum suorum ei negotio promovendo operam accommodare cupiat. Et quia Elector Ratisponæ & alibi apud Pontificios magnum odium contraxerit, ob propugnata tanto fervore Potestantium commoda, & ut utrique religioni addictorum suffragiis par valor foret: spem esse Protectorem ipsi vicissim adfuturum, velut qui pari studio ad fulciendas Protestantium res feratur; præsertim cum Electorem solum fere destitutum iniqua insuper quorundam Protestantium odia premant. Denique ubi Schlezerus sentiat, Cromvellum Electori fœdere innecti velle, exploraret, num is fœderi

Ejus mandata, 30. Oct. 1655.

1656.

1656. fœderi Belgico adscribi, aut num peculiare inire cupiat; ac de eo ad ipsum referret: Simul insinuaret, Electorem Anglicanæ nationi in suis provinciis quantum commode possit favoris exhibiturum. Ast prima admissione non nisi communia emolumenta laxis verbis commendaret, ac officium ejus componendo cum Svecis dissidio peteret: Inde prout animorum habitum sentiret, privatis colloquiis ad peculiaria accederet.

Cum Cromwello agitata. §. 10. Cæterum Protector jam antea ad Consilium retulerat; num ultro sequestrem se Regi, atque Electori afferre deberet? Sed placuerat id officium differri, quoad idem expeteretur, ac legatus Svecicus, quicum magni momenti negotia agitabantur, expeditus foret. *16. Nov. 1655. Nieupor.* Et cum Belgarum Legatus Neoportius super eodem officio ulterius instaret, Cromvellus ostenderat: Sibi eam rem utique cordi esse, ac omni modo impedire cupere, ne in Borussia res ad manus deducatur. Sed nondum dispicere commodum locum, ubi ea tractatio suscipienda, & quis ei legationi obeundæ admovendus sit. *23. Nov.* Inde cum Schlezerus tempus exponendis mandatis posceret, Protector id gratissimum sibi esse significabat; utut Sveci eidem persvadere sategissent, nullibi quam in aula Brandenburgica plus odii adversus istius fastigium fuisse ostensum, aut plus infensorum sermonum jactatum. Post exhibitas tamen fiduciarias literas accessus vario obtentu differebatur, quoad per legatum Belgicum, qui Protectorem urgebant, scrupuli exemti essent. *14. Dec.* Demum magister officiorum Schlezero indicabat; Protectorem quidem publice ipsum audire velle: Sed quia accelerando negotio facturum, ac forte gratius Electori futurum sit, privatim ipsum admittendum, eodem tamen honore mactum, qui etiam maximorum Regum ministris exhibeatur minore quam plenorum Legatorum dignatione. Cum Schlezerus, quæ jussus erat, hoc modo exposuisset. Protector in hunc sensum respondit: *Gratum sibi ipsius adventum, & causam, ob quam missus sit. Sibi semper fuisse persuasum, à Deo, dum ipsum gubernaculo hujus Reip. admovit, simul eam sibi injunctam obligationem, ut omni opera connitatur ad servandam inter Principes Protestantes fidem, ac Christiano nomine dignam amicitiam. Id quod si unquam antea nunc necessarium sit, quando truculentus ille, & sanguinem sitiens spiritus, qui Pontificiorum animis penitus inolevit, immani sævitia in Waldenses exercita, ac turbis inter Helvetios alitis tam aperte se exerat; manifesto documento, quid isti in universos Protestantes meditentur, si occasio detur. Id qui non agnoscat, in summa rerum ignorantia versari; qui talibus non excitetur, magno se crimine adstringere. Sed gravius peccare, qui hac temporum facie ad ambitionem, ac aliena habendi cupidinem satiandam, aut commercia ad se pertrahenda abuti non dubitent; cum nunc potius res urgeat communi causæ invigilare, nullo discrimine, Lutheranus quis, an Reformatus audiat. Equidem se, quantum intestinæ turbæ permiserint, summo studio in id incubuisse, ut dissidia inter Protestantes tollerentur, aut averterentur. Quamprimum clavo Reip. admotus fuerit, id primum negotium habuisse, ut pax cum Belgis, ac fida amicitia reduceretur; quo scopo allubescente Numinis gratia se potitum. Parem curam circa alios habuisse. Ac uti Christiana scita pacem cum omnibus hominibus colere jubeant; ita sibi votum fuisse omnibus amicum agere. Quin si intra triennium ab Hispanis æquas conditiones obtinere licuisset, bellum adversus eos majore vi, quam hucusque factum, non fuisse susceptarum. Nam antea jam bellum Anglis cum ista gente fuisse. Equidem gravem sibi calamitatem divinitus immissam fallente expeditionis in Americam successu, ac penes Numinis providentiam esse, quem exitum ei rei daturum sit. Potuisse tamen ad extremum tam cum Hispanis, quam Gallis pace potiri, si privatum commodum sequi placuisset. Ast non solum ob studium cum vicinis amicitiam colendi, sed & ideo hos istis prætulisse, quod multæ Reformatorem myriades pace, ac honestis conditionibus in Gallia perfruantur; cum contra apud Hispanos in morem abierit vim conscientiis inferre, ac omnes sacra puriora professos vi, aut clandestinis artibus subversum ire. Ex his Electori judicare in proclivi fore, quam molestum sibi futurum sit, si ipsum cum aliis collidi contigerit. Ac ideo intima animi sui sensa Deo teste prolixius exposuisse, quam mos suus ferat. Cæterum per delegatos pluribus cum ipso agendum.* Observabatur Ragozium valde à Cromvello æstimari; quem & maluerat Poloniæ Regno, quam Svecum potiri, quod is Reformatorum tradita sequeretur. *11. Jan. 1656.* Inde cum plures per dies delegatos frustra expectasset Schlezerus, ipsius Cromvelli colloquio iterum potitus querebatur; Electorem invitum à Rege Sveciæ in bellum pertrahi; cum contra Sveci dissidiorum inter ipsos causam in Belgas referrent. Cui Cromvellus: Sveco sine dubio graves causas fuisse, quare Poloniam ingressus sit, ac semper jactasse, id incremento purioribus sacris cessurum. Sed haut novum esse, profanis cœptis ejusmodi colorem circumponere. Id quod tamen in Regem aut quemvis alium dicere nolit, cum occulta hominum consilia rimari penes se haut sit. Ac satis nosse aliorum censuris se quoque obnoxium, qui arguant, ipsum religione ac divino nomine, omnibus merito maximi æstimandis, in prætexti duntaxat vicem uti. Sed quæ mens sibi fuerit, futuras actiones testaturas. Cæterum si genuinas bellorum, quæ hodie agitantur, causas perpendat; è pravis ea libidinibus quin profluant neminem inficiaturum. *Jan. 1656.* De causis autem litis Regem inter & Electorem judicare non posse ob intercapedinem locorum, & quia earum terrarum rationes, ac jura inter Anglos parum cognita sint. Sane Svecos referre, Ducalem æque, ac Regiam Borussiam appendicem esse Regni Poloniæ; eoque Carolum Gustavum Electori injuriam non inferre, quod post primarium in potestatem redactum accessiones quoque sibi vindicet. De quo cum Schlezerus ipsum penitius edocuisset, addebat; brevi adpariturum, quantopere sibi cordi sit dissidia inter Protestantes præcavere, Simul quærebat, quæ via ineunda foret Belgas inter & Svecos amicitiam servandi, & quid consilii Da-

nus

1656. nus capturus videatur? Sed mox cum nuntii de pace inter Regem & Electorem constituta adferrentur, omnes insignem lætitiam testari. Ac post ipse Elector per literas Protectori de ea significabat. Quibus Schlezerus jubebatur adjungere; non obscure Belgas innuere, eam sibi transactionem haut arridere; cum tamen nondum super argumento pacti, & num id ipsos tangat, iisdem constet. Ac sane Electorem eorundem semper rationem habuisse, nec unquam offensæ aut suspitionum ansam præbiturum, velut quibus fœdere innexus sit, & ad quos propediem legatum eo nomine mittere decreverit. Sed quia Protectoris autoritas magnum pondus habitura sit, si rationes communis rei Protestantium Belgis ingerantur; petere operam navare velit, ut Svecos inter & Belgas amicitia conservetur. Quod si Cromvellus ea pacta sibi communicari postulet, ipsi soli, & ea duntaxat, quæ commercia spectant, ostenderet.

25. Jan.

Cromvelli consilium.

§. 11. Cæterum super statu Electoris Cromvellus judicabat: *arma ei haut ponenda, nec negotium semiperfectum relinquendum, ac junctis cum Sveco armis specie socii, ac communis fortunæ occasionem huic adimendam aliquid contra pacta suscipiendi. Si Sveci ultro à pactis discedant, bonum id fore; sin minus, in eorum utique partes concedendum. Nam eousque Electorem progressum, ut à Mosco, Cosacis, Tartaris, Polono, ipsoque Cæsare nil præter odium & exitium ipsi expectandum sit, ubi victoria penes istos steterit. Eoque immeritam calamitatem declinaturo omnes vires intendendas, obfirmato in utramque fortunam animo. Præsenti rerum facie Svecos Electori ex asse amicos aut hostes esse oportere: media consilia sectanti servitii periculum imminere. Ac si Elector noluerit bona fide Svecis amicus esse, hostilitatem fuisse continuandam. Armis denique autoritatem ipsi apud armatos, propriosque cives stare.* Eadem & prudentum in Gallia sententia erat. Ac multi è Belgis agnoscebant, postquam Elector semel aleam jecerit, ludum esse continuandum; quod neque Belgis neque Electori profuturum sit Svecos opprimi, ac Polonorum vires resurgere; quod inde Protestantium partes insigniter sint debilitandæ. Eoque rationes Electoris requirere, ut ea pax solida sit, nec effectu destituta; ac sapienter facturum, si Polonis haut temere confidat. Post significationem de pace factam Schlezerus nil aliud agebat, quam ut verbis amicitiam alere

15. Jan. studeret; nisi quod de abolenda seclusione Domus Arausionensis moventi Cromvellus responderet; pluribus documentis opus esse, quam adhuc ab isto prolata sint, ut credat, eam Domum in ipsius res benevolentia propendere. Cæterum quia eo tempore Cromvellus unice in bellum Hispanicum intentus erat, haut tædio fuerit, nonnulla super ejus belli causis è clarigatione heic inserere. Ea igitur

3. Nov. 1655. demonstrabatur; Anglicanam nationem jam antea cum Hispanis bello in America implicitam fuisse; eoque invasionem quarundam ibi insularum nuper factam non novum bellum, sed continuationem veteris habendam; aut potius retorsionem ob varia in Anglos ibi locorum contra gentium jus patrata; nec minus contra vetera pacta inter Henricum VIII. & Carolum V. & contra genuinum sensum transactionis inter Elisabetham & Philippum II. cœptæ, & à Jacobo VI. perfectæ. Cædes ab Hispanis exercitas, naves mercesque spoliatas, & publicatas; in servitium abstractos homines; incolas expulsos insulis vel tempore belli occupatis, vel alias legitimo titulo quæsitis. Ad quæ omnia Hispanis nil coloris sit præter donationem Pontificis, & primam detectionem. Prius quod attinet, sane promtum esse Pontificem ad disponendum super Regnis & provinciis; Christo tamen, cujus vicarium se ferat, in eo admodum dissimilem, qui circa bona litigiosa ne arbitri quidem partes suscipere voluerit; cum huic integra regna, Angliam & Hiberniam donare placuerit. Atqui se istiusmodi potestatem haut agnoscere; ac credere Hispanorum cordatos idem facturos, si Pontifex tantundem ipsis adimere instituat, quantum dederit. Detectionem terrarum, & quod Hispani insulis, fluminibus, promontoriis Americæ vocabula imposuerint, non adprehensa simul & servata locorum possessione, inanum esse titulum, cui nullum jus superstrui possit. Anglis contra curæ fuisse non alia loca occupare, & coloniis insidere nisi incolis vacua, vel ubi indigenæ juxta ipsos habitare permiserint, terris excolendis non sufficientes; id quod omni jure permissum sit. Unde judicasse, non melius à se impendi potuisse vires maritimas divinitus concessas vindicandæ existimationi suæ nationis, ac reponendis damnis, tum stabiliendæ nunc & in futurum securitati, quam ut bellum persequatur iis locis, ubi Hispani pacem habere nolunt, ac Anglos ad piratarum aut ethnicorum modum tractant, etiam ubi fortuito causa, aut per necessitatem eodem adpulerint. Multa insuper posse memorari de innocenti sanguine tot myriadum ab Hispanis effuso, qui Nemesin inclamet; de inveterato odio, ac tamdiu agitatis in Angliam consiliis, ac uti jam olim deliberarint, utrum satius sit Angliam prius subigere, eo facilius recuperando Belgio, an à Belgis incipiendum, quo ad Angliam opprimendam via sternatur. Accedere cædem Ashami legati anglicani in Hispania nondum expiatam; ac tam multa seminaria per Hispanicas ditiones instituta, ubi Anglici sacerdotes, & Jesuitæ alantur: demum sanguinolentam inquisitionem Hispanicam, & impiam Pedemontanorum trucidationem, quam verosimile sit ab Hispanis missionariis exitatam. Id porro bellum Protectoris in Hispanos adeo opportunum Gallo accidebat, ut summo studio istum fœdere sibi innectere studeret, etiam concesso, ut Cromvellus eundem *Gallorum Regem*, non *Galliarum* nuncuparet, alias ipse Protectoris quoque Franciæ, vocabulum, sicut Angliæ, assumturus: Simul pateretur, Cromvellum Instrumento suo nomen, titulumque ante Gallicum ponere.

§. 12. Idem Galliæ Rex cum vereretur, ne forte Austriaci quid in Alsatiam mo- Fœdus Gallicum.

1656. moverent, ejusdem viribus à Belgio divertendis, fœdus mutuæ defensionis Electori per Lumbres. Legatum suum in Polonia Antonium Lumbanum jam mense Julio superioris anni obtulerat: in quod & facile Elector consensit, qui itidem solicitus erat, ne se in diversa parte districto à malevolis quid in Clivicas ditiones
24. Febr. tentaretur. Id fœdus Regiomonte conclusum
24. Oct. octavo demum post mense ratihabitum fuit. Scopus eidem præscribebatur conservatio pacis Westphalicæ. Capita ista erant. *Sit ab*
1. *hac hora deinceps firmum, strictum, & inviolabile fœdus, societas, & amicitia inter Christianissimum & Navarræ Regem ab una; & Serenissimum Principem ac Dominum, Dn. Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum ab altera, partibus, pro communi defensione Statuum, ditionum, terrarum, arcium, locorumque omnium, quæ utraque pars in Imperio Romano possidet, vel ad quæcunque in eodem jus aliquod habet, sive titulo successionis ab antecessoribus, vel ex cessionibus factis per prædicta Instrumenta Pacis tam Monasteriensis, quam Osnabrugensis.*
2. *Vigore hujus fœderis, si forte contingat, ut Serenitas sua Electoralis ab aliquo Principe vel Rep. quocunque tandem nomine censeantur, infestetur vel oppugnetur, vel turbetur in dictis ditionibus, indeque dependentibus, ac Ser.S.El.i competentibus juribus, terris, arcibus, locisve suis in Imperio Romano sitis sua Christianissima Majestas bona fide spondet promittitque, se Eidem intra spatium duorum mensium à die notificationis suppetias laturum exercitu MD. equitum, & V. M. peditum, tormentisque levioribus campestribus bellicis, prædicto numero peditum equitumque convenientibus, quousque*
3. *S. Ser. as El. is iisdem opus habuerit. Hoc inprimis cauto, ut in optione arbitrioque Sæ. Ser. is El. is sit vel militem ipsum, vel pecuniam tanto militi subsidiisque æquipollentem poscere. Alterutrum vero elegerit Sa. R. Mas. sine mora suppeditabit. Sua quoque Ser. as El. is vice versa spondet, promittitque vigore præsentis fœderis, se intra spatium trium mensium, à die itidem notificationis computandorum, exercitu DC. equitum, & MCCCC peditum, tormentisque bellicis levioribus campestribus huic numero convenientibus, quousque sua M. as iisdem opus habuerit, Eidem suppetias laturum, si forte contingat S. am Mtem hostiliter invadi à quocunque Principe vel Statu, quisquis tandem ille sit, in tribus Episcopatibus Mediomatricensi, Tullensi & Virodunensi, in Landgraviatu superioris & Inferioris Alsatiæ, Sundgovia, cum civitate Brisacensi & Philippsburgo; ac generatim in omnibus & quibuscunque per Instrumentum Pacis Monasteriensis suæ Mti.*
4. *cessis locis. Copiis auxiliaribus in ditionibus suis de commeatu sufficienti prospicietis, qui eas requisiverit, residua vero stipendii militaris quisque suis*
5. *copiis solvet. Si forte vires hostium tam validæ essent, ut eisdem reprimendis, manutenendisque locis oppugnatis majores copiæ auxiliares requirerentur, prædicti Domini Rex, & Elector promittunt utrique, se numerum habita proportione stipulatarum utrinque suppetiarum tam equitum quam peditum, quantum per rationem status negotiorumque suorum licuerit, sumtu impensisque auxilium requirendis aucturos. Quarum refusionem finito bello alter alteri eo modo rationeque prout convene-*
ris præstiturus est. Quicunque promissis submissis- 6.
que ab una alteravè parte suppetiis præfectus fuerit, imperium in copias suas exercitumque auxiliarem subsecuta etiamnum conjunctione armorum retinebit; ita tamen ut sub auspiciis præcipui exercitus Ducis Generalis militet, ejusque jussis pareat; hic vero in omnibus non nisi communi consilio agat. Suppetiis sive exercitu auxiliari ea pars, qua eun- 7.
dem imploraverit, vel illius militiæ Dux utetur libere, prout rebus, Statui, rationibusque suis id expedire judicaverit, sive ad defensionem Statuum, ditionum, locorumque suorum, sive ad inferendum bellum, oppugnandumque in propriis terris ac ditionibus illum, illosvè, qui eundem aggressi fuerint. Quic- 8.
quid de aggressorum ditionibus adquiretur, in quas nihil nisi ex jure belli prætendi potest, æquis partibus prædicti Rex & Elector inter se partientur. Sua 9.
Ser. as El. is promittit, se in omnibus bello quæsitis locis vasallos & subditos tam seculares quam religiosos cujuscunque ordinis sint, in exercitio libero ac quieto religionis Catholico-Romanæ, usuque templorum ac bonorum relicturam. Vice versa Ra M. as promittit, se Protestantes Evangelicos quoscunque in iis, quæ à se occupata fuerint, in exercitio religionis, usuque bonorum conservaturam. Ea pars 10.
quæ suppetias petierit, nullum tractatum pacis vel induciarum inire poterit, sine expresso assensu alterius; ne quidem suspensionem armorum, ubi id status bellique ratio efflagitaverit, nisi ad summam trium septimanarum pro utroque exercitu, quam neutiquam prorogare licebit. Durabit autem hac 11.
societas, fœdusque defensivum respectu Statuum ditionumque prædictorum Dnn. Regis & Electoris sex annorum spatio à die ratificationis præsentis tractatus, (ita ut ante decursum eorundem de prorogatione ejusdem vel alia aliqua conventione agatur.) Quo tempore tractatus cum aliis Statibus, Principibusque instituere non potuerunt in præjudicium præsentis. Non derogabit autem vel præjudicabit 12.
hic præsens tractatus pactis conventis cum Serenissimo Rege Sueciæ, Ordinibus Belgii Fœderati, vel aliis quibuscunque communibus utrique parti amicis & fœderatis, ab iisdem vel alterutro eorum hactenus initis. Adeo ut si forte lis vel dissidium inter hosce fœderatos oboriatur, altera pars non obstricta sit vigore hujus præsentis fœderis ac conventionis alia ratione intervenire, nisi ut munere mediatorio tanquam communis amicus fungatur, bonaque fide omnia officia impendere, ne dissidia in apertum erumpant bellum. Ratificatio intra trimestre 13.
à die conclusi fœderis tradatur, & permutetur.
Elector inde Regi ob ratihabitum fœdus per 3. Nov.
literas gratias agebat, & quod is declarasset, sibi ipsius emolumenta maxime cordi fore, nec ab ejusdem rationibus suas unquam separaturum; tum & quod *Fratris* titulo ipsum honorasset, cui vicissim *Majestatis* titulum impertierit, quem nulli Regum tribuerit, nisi qui *Serenitatis Electoralis* vocabulum reddat: id quod & Regem deinceps facturum speret. Ac cum Elector Regem ducenta uncialium millia, hic istum legiones aliquot posceret, uterque frustra fuit.

§. 13.

1656. Cum Svecis super illustratione pactorum agitur. 3. Febr.

§. 13. Cæterum uti Electori multa dura, non pauca quoq; obscura, & molestam interpretationem patientia in pactis Regiomontanis admittenda fuerant: Ita cum Svecos jam tractabiliores fore censeret, viribus intempestivo Jaroslaviam usque itinere non parum attritis, & rebellantibus per Poloniam, atque Lithuaniam deditiis, super istis emendandis agere constituit. Quo fine Dobrzenius ad Regem proficisci jubebatur cum designatione eorum, quæ in pactis Elector illustrari, aut emendari cupiat. Addebatur intercessio pro Episcopo Warmiensi; ut Rex ipsi assignaret, unde vitam tolerare posset; tum pro Ordinibus Borussiæ velut sibi fœderatis. Cupiebat quoque Elector audire rationem qua sibi amicitia cum Belgis constare possit salvo cum Svecia fœdere; quam Rex suggesturum se promiserat. Denique ut modus fieret damnis, quæ transeuntes Pomeraniam & Novam Marchiam Svecorum copiæ subinde dabant. Ubi Elbingam pervenisset Dobrzenius, absente Rege negotium suum Erico Oxenstiernæ exponere cœpit; qui valde cupidum se ostendebat, ut amicitia inter Regem & Electorem arctius stringeretur; sed circa petita decerni nil posse, Rege in altiora Poloniæ digresso. Adparebat quoque, Svecos sibi à Belgis metuere, ac optare, ut Elector diffidentiæ inter ipsos tollendæ operam navet. Ad quæ Elector declarari jubebat; non repugnare se, quo minus arctior inter ipsos conjunctio fiat; sine dubio tamen summam negotii melius successuram, si prius ingrata quædam è medio removeantur. Cæterum asperam rerum faciem, & periculum undique imminere, cui facile totus orbis Christianus involvi queat. Unde mature consilia capessenda, quibus ista avertantur, ac inprimis, ut barbarorum irruptio arceatur. Cum etiam præcipui Catholicorum catholicorum capita conferant, ac pacem inter Regem atque Electorem parum æquis oculis respiciant, delectibus magno studio actis; dispiciendum esse, quomodo hi arcendi, aut deliniendi sint, quo pax Germaniæ constet. Ad quem scopum ipse cum Rege consilia, viresque sit sociaturus. Sed prius ab Oxenstierna declarandum, num idoneis ad hanc rem mandatis à Rege sit instructus; num de genuino Regis scopo communicare velit: Num super causa Juliacensi satisfacere ipsi queat? Ea si facultas sit, statim ad summam negotii esse accedendum. Denique ut super vectigalibus tractatio instituatur, cui & Belgæ adhibendi sint.

15. Febr. — 30. Mart. (marginal dates)

Sveci conjunctionem cum Electore affectant.

§. 14. Ast Oxenstierna id maxime agebat, ut per ambages ad armorum conjunctionem inter Regem atque Electorem viam sterneret. Equidem haut sibi propositum cuipiam Electorem negotio immergere, quod conscientiæ, rationi atque æquitati repugnet. Enimvero Germaniam omni ex parte bellorum incendiis cingi, ut illa iisdem quoque corripienda videatur. Unde super scopo armorum statuere in proclivi fore. De stativis militum, & moderamini belli parum itidem controversiæ fore, quod Rex nil petiturus sit, recepto mori & æquitati repugnans. Unde vix quidpiam restare, super quo conveniendum sit, quam auxiliorum modum, & belli præmia. Sane nunquam credendum sit, Regis proprias vires sufficere ad absolvendum bellum, quod citra cujuspiam auxilium tam feliciter orsus est; haut tamen recusaturum in partem gloriæ Electorem admittere, adquisitis quoque terris pro ratione collatæ operæ dividendis. Nec disparia idem differebat paulo post, cum de victoria Regis de Czarnecio nuntiatum esset: Regem hosti penitus opprimendo aliquandiu istis locis hæsurum. Sed quia metuendum sit, ne alii huic se bello immisceant, & vero Regis atque Electoris rationes invicem implicitæ sint; ideo Regem optare occasionem sibi præberi, qua studium suum in Electorem declarare queat; utque expensis utriusque status viribus, Staut defectibus, in omnem eventum consilia digerantur. Equidem soli Poloniæ compescendæ Regem abunde sufficere. Sed ut avertantur eorum conatus, qui extra Poloniam huic bello ingesturi se videantur, cum Electore ex æquo conveniendum. Et quia Rex vereatur, ne Belgæ Hispanis se innectant, Electorem huic gratissimum facturum, si illos permovere queat, ut legatos huc mittant, quibus quantum res ferat satisfaciendum sit.

Consultatio super conjunctione cum Svecis.

§. 15. Enimvero invalescentibus Polonorum viribus, qui Electori ob transactionem cum Rege Sveciæ graviter succensebant, utut initio odium premerent, ac varios per nuntios eum in suas iterum partes invitarent; difficillima surgebat consultatio, utri partium huic accedendum foret. Nam non solum utrinque tot se rationes offerebant, ut ad eas discernendas non tam judicio, quam divinatione, aut alea opus videretur: Sed & consiliarii Electoris inter se divisi circa summam rerum acerrime dissentiebant, Waldeccio quidem pro conjunctione cum Svecis summo studio connitente, cui Hoverbequius, Somnicius, & Fridericus Jena non minus fervide contradicebant. Hi in universum contra conjunctionem objiciebant; ea omissa Electori de amicitia Mosci cautum esse. De Ragozio incerta adhuc omnia. Facile fieri posse, ut Poloni iterum cum Cosacis transigant. Grave esse, quod Svecus permittere nolit ante transactionem ab Electore legatos ad Polonum mitti. Denique Oxenstiernam negare, super pace sibi quidquam in mandatis datum; cum tamen tractatibus de bello conditiones pacis, quibus obtinendis idem suscipitur, prius definiendæ sint. Ex quo adpareat, Svecos sua commoda quæsitum ire cum Electoris periculo, nulla emolumentorum ipsius habita ratione. Inprimis Jena rationes in utramque partem adductas diligenter excutiebat: è quibus, quæ conjunctionem svadebant, hæ fere erant. Electorem transactione cum Sveco Poloniæ Regno plane renuntiasse; & quia is ex hacce teneatur Svecorum hostibus transitum aut comorationem in suis portubus, ac ditionibus haut concedere, Polonos eundem postulantes non nisi opposita vi arceri posse: quo casu etiam citra conjunctionem cum Svecis hosti-

Rationes pro conjunctione cum Svecis.

1656. hostilia in Polonos sumenda, cum contra Sveci heic Electori ad nil peculiare præstandum obligentur. Imminens à Mosco, aut Polono periculum ab Electore non posse per amica remedia averti, quin Sveci protinus fidem violatam clamaturi sint; quibus iste promiserit non solum casu pactis expresso quindecim militum centuriis, sed & totis viribus adsistere, si ipsi ob id pactum impugnentur. Quin & citra eam obligationem Electori Svecorum causam amplectendam, quod potioribus Polonorum rebus ipsi non modo de Borussia, sed & aliis ditionibus periclitandum sit; cum Svecia ad tuendam duntaxat Borussiam, non idem Germanicas ditiones citra peculiare pactum teneatur. Nam citra prævium pactum alios in auxilium excire, anceps esse, cum isthoc sæpe enormiter taxari soleat. Igitur utique opus videri, Electorem sibi de Svecorum auxiliis in omnem eventum arctiori fœdere prospicere. Præsertim cum verendum sit, ne hi negatam conjunctionem in causam hostilitatis arripiant. Porro jam in præsens Regis atque Electoris rationes mutuo innexas. Utrique Pontificios infensos, queis si facultas nocendi sit, par exitium imminere: Unde etiam extra fœdus Electori Svecorum causam velut propriam amplectandam. Atqui hoc citra fœdus Svecis omnia integra manere, ut, ubi videatur, inducias aut pacem inire posint Electore vel excluso, vel molestis conditionibus onerato. Totam præterea factionem Pontificiam invasione Poloniæ offensam, in cujus partem quisquis venerit, iisdem inimicum manere. Ac inprimis, quicquid Elector testetur, nunquam istis persvaderi, serio ipsi cum Svecis hostilia intercessisse; cum idem Præsulatum Warmiensem acceptarit, cujus munita loca ipsius copiis insessa, Sveci nondum vi oppugnarant. Nec dubium esse, quin validi delectus, quos Pontificii agitant, a Polonicis turbis occasionem acceperint. Qui perspectis Svecorum destinatis sine dubio præoptaturi sint Svecos in Polonia alteri, quam primum ab hisce & Anglis ictum intra proprias terras expectare. Cum igitur Elector à Pontificia factione hostis habeatur, cui & ab ipsis Svecis varia pericula immineant, ni sese iisdem rite innexuerit, nec ut solus res suas sustineat sat virium suppetat; nil superesse, quam ut ad conjunctionem descendatur. Præsertim cum Svecis non uno loco vicinis utatur, adversus quos Poloni in campo consistere nequeant, subactis jam nobilissimis Regni partibus, ac inprimis pede in Borussia firmato. Eosdem jam ultro Electoris societatem prensare, post forte si ab isto ambiatur negandam. Tum purioribus sacris addictos, ac olim Protestantium partes strenue sustinuisse. Et cum Electori utique in alterutras partes videatur concedendum, plus apud istos securitatis sperandum, quam vel apud barbaros, vel Protestantium sacris infestissimos; qui & insuper non speranda societatis præmia ostentent. Forte & ope Svecorum plenam possessionem ditionum Juliacensium obtineri posse, quæ nunquam per evidentissimas quantumvis juris rationes pervincenda sit ob tot competitores, & aulæ Cæsareæ alio inclinantia studia. Electorales quoque provincias valde exhaustas hac conjunctione insigniter sublevatum iri, copiis in alienas terras eductis. Svecos id agere, ut controversia Polonicæ finis imponatur, & pax Westphalica plenæ exsecutioni detur, quam Pontificii hucusque impedierint; quibus destinatis velificari omnes imperii Ordines teneantur. Denique Electorem à Rege & Rep. Poloniæ sæpissime, idque atrociter læsum, ignominiosis actionibus subinde pulsatum; denique hactenus Warsaviæ nihil fuisse facilius, quam ad turbulentissimi cujusque civium preces adversus eundem processus decernere. 1656.

§. 16. Adversus ista non deerant, quæ reponi possent pari veri specie. Electorem, quamvis urgente necessitate nexui fiduciario erga Poloniam renuntiarit, non ideo hujus hostem evasisse, nec à Polonis talem haberi, qui potius ejusdem amicitiam magno studio, & oblatis lautis conditionibus quærant; pro quibus hostilia reponi, haut ulli cordato probatum iri. Admissis amicis tractatibus, quibus pronos sese Poloni ostendant, omnia, quæ ab his imminere videantur, pericula declinari posse. Electorem, ut Borussiam suam servaret, cum Svecis pactum inivisse: Cur non eundem ob finem cum illis transigat, à quibus præter voluntatem secedendum fuerat, præsertim sacramento nondum Svecis dicto? Nec Svecis velut crimen argui posse, quod circa Poloniam factum ipsi probarunt. Bavarum Ulmæ cum Svecis inducias inivisse, ut hos terris suis demoveret; quarum mox pœnitudo subierit, rationibus status diversa suggerentibus. Saxonem post amissam Lipsiam ad neutras se partes contulisse, insuper habito Cæsaris fœdere. Nec ideo fas fore Svecis in Electorem hostilia sumere. Nam etiam salvo cum hisce fœdere haut teneri ipsum ad fulcienda eorundem arma, quibus justitia non constet, ubi citra sanguinem his tolli, & æqua satisfactio obtineri queat. Sane quid Sveci animo agitent, parum constare, nisi quod ex anteactis apareat, ipsos æque validum, aut potentiorem juxta se ferre non posse, plenum dominium Maris Baltici affectare, ac omnes vicinos in ordinem redigere velle. Quæ plane à rationibus Electoris abeant: Et quæ nuper circa Borussiam conjungi cœptæ sint rationes, ultro dissociandas, ubi Polonis reconciliatis à Pontificiis nil amplius periculi immineat. Equidem hos non parum, nec citra causam in Electorem irritatos, diffidentia quoque eorundem per Svecorum artes in proprium commodum aucta. Se omissa cum Svecis conjunctione, facile scrupulos iisdem eximi posse; ac eorundem amicitiam Electori multis partibus proficuam futuram. Probe autem armatum lacessere neque Catholicis neque Svecis temere libidinem subituram. Warmiam hoc modo Svecorum manibus subductam, rationibus Electoris ita exigentibus, ipsum præsulem facile excusaturum. Et ubi Elector demonstraverit, invitum se in bellum pertractum, non amplius metuendum à Pontificiis, ne præ- *Ad ea respondetur.*

1656. ne prævertendis pluribus damnis ipsum occupare velint; quod alias non citra rationem facere poterant,initio læsionis à Protestantibus facto. Sed nec metuendum esse, ipsum in medio destitutum utrique parti prædæ fore. Nam utut neutri parti solus par sit, neutrum tamen ultro lacessito necessitatem allaturum, ut sua accessione alteram partem validiorem reddat. Sed nec Svecos adhuc sua destinata pervicisse, & res eorum jam nutare videri. Ac ubi eorum fortuna cessim eat, ea quæ in Borussia teneant, instrumenti vicem subire posse paci promtius expediendæ. Sed ubi partium vires in æquo maneant, Svecos satius habituros pactis per quietem frui, quam inter perpetuum bellum incerto exitu jactare. Hos porro Electoris societatem quærere non studio in hunc, sed ut ejusdem exercitu potiti res suas stabiliant. Quæ contra Electorem rationes subigant tam ancipitis aleæ negotium suscipere, haut adparere. Circa deligendum socium non tam respiciendum, quæ is sacra profiteatur, quam utrum suæ religionis scita opere ipso exprimat, ac scopum istis congruum suis conatibus præfigat. Causam autem hujus belli non è sacris promanasse, sed ê cupidine totum litus australe Maris Baltici imperio amplectendi. Ac justam etiam initio causam post vitiari, ubi ab adversa parte pax & satisfactio oblata fuerit. Videndum quoque non solum quid, sed & à quo offeratur. Ostentari à Svecis, quæ vi aliis erepta sunt, quorum possessio nondum transactione firmata est; circa quæ vindicanda is, cui erepta sint, quam maxime connititur. Quem evictionem præstiturum? Causam Juliacensem longe difficiliorem fore, irritatis hac conjunctione in Electorem omnibus Pontificiis; ac facilius possessa jam periculum incurrrere, quam plura adquiri posse. Gravius afflictum iri Electoris ditiones, si is omnibus se Svecorum negotiis immiscere, ac perpetuum sibi bellum despondere velit. Ut pax Germanica executioni detur, justum esse, sed eum in finem violenta adhibere remedia, quibus eadem plane subvertatur, absurdum. Denique de injuriis per Polonos illatis Electorem nunquam sat acriter questum, nec reparationem postulasse; quod si factum foret, non dubium, quin eidem satisfaciendum fuerit. Nunc istarum vim dissimulando exolevisse.

Rationes contra conjunctionem. §. 17. Vicissim adversus eam conjunctionem disserebatur: In universum societatem cum potentioribus periculosam; quibuscum utut forte initio bene conveniat, rebus tamen prospere succedentibus super ipsa præda lites oriri, ubi debiliori ea portione adquiescendum, quem potentioris libido assignaverit. Requiri ad eam societatem effectui dandam insignes opes, non in præsens solum, sed & per totum belli tempus haut interrupto tenore continuandas. Eas Electori de suo in promtu haut esse, provinciis jam per delectus, & stativa exhaustis. A Svecis præter tenuia hospitia nil expectandum; quæ ubi sufficiant, ad tempus exercitui prospectum. Sed si adversi quid accidat, ut assignatis hospitiis frui non liceat, aut si infelici prælio certetur, ubi tunc supplementa, & receptum Svecos utcunque res cadat, indemnes evadere posse, amissis duntaxat iis, quæ antea non habuerant. Sed Electori calamitatem maxime incubituram; cui cum in præsens apertus hostis non sit, præter necessitatem potentissimos in ipsum inimicos irritandos; exprobraturos nunc reipsa ab eo probari Svecorum actiones, quas initio detestatus fuerat. Experientia porro constare, potentiores fœdera tamdiu servare, quamdiu expedit; ad quæ servanda à debilioribus cogi nequeant, specimine ab ipsis Svecis in hac Polonica lite edito. Neminem quoque Pontificium Electori justam belli causam præbuisse. ac data licet causa amicam viam prius tentandam. Quod si idem armis probe instructus in neutram partem concesserit, multum momenti additurum bellantibus ad pacem permovendis, quiete interim ditionibus suis servata. Ast suscepta conjunctione Germaniam pace sua excussam novo miseriarum barathro immergi. Exercitum alere haut ita arduum fore, debita disciplina compositum, ac si non tam multitudo, quam probata virtus respiciatur: Tum ut in plures stipendia haut assignentur, quam revera sub signis sunt. Equidem nonnihil difficultatis habere copias dispartiri; id tamen tanti non esse, quam per societatem Svecicam omnes horum hostes in se pertrahere: Præsertim cum non in obscuro sit, quo animo in Electorem ea natio sit. Quamdiu ejusdem res secunda aura vehebantur, de conjunctione altum silentium. Nunc fortuna tergum obvertente, sua damna per Electoris vires reparare velle. Denique postulari, ut citra necessitatem, & idoneam causam in alterius gratiam plenum ancipitis aleæ negotium suscipiatur non alio præmio, quam quod de alieno non sine proprii exercitus destructione incerto exitu quærendum sit. 1656.

Iis rationibus respondetur. §. 18. Neque tamen deerant, quibus hæ rationes elevarentur. Declinanda sane cum potentioribus fœdera, si iis supersederi queat, si eadem inæqualibus conditionibus ineantur, si potentior ultro ambiendus, & velut rogandus sit; quorum nihil præsenti casu adpareat. Ne post victoriam lites inter socios oriantur, perspicuis pactorum verbis caveri posse, ac divisa in antecessum præda. Ac ni ulterius credere velis, quam manu teneas, omnia pacta frustra fore. Compendium belli sumtuum fieri posse, si semel totis viribus ad obtinendum scopum potius incumbatur, quam languido conatu carptim hostes vellicentur, nullo quod ad summam rei faciat damno illato, nec sibi operæ pretio facto. Non ita ad incitas redactas esse provincias, ut militem proba disciplina coërcitum alere non possint. Cæterum utrique parti dubiam Martis aleam; ac si utique cladis quid accipiatur, id non statim omnibus exercitibus incubiturum; & integros supplementorum, ac receptus vicem præstituros. Nondum equidem quempiam in hostilia adversus Electorem erupisse; sed sufficere Pontificios irritatos, quibus non vires solum, sed &

1656. sed & voluntas nocendi sit; & occupari recte posse, qui citra iustam causam infensi imminent. Quid actionis Leopoldus Wilhelmus Archidux in Borussiam foveat, notum esse: ei si uti fama fert expetitio in Poloniam delata sit, facile rationem subduci posse, quo istud spectet. Sed nec inito fœdere Svecorum actiones probari, è quorum societate non nisi propria defensio quæritur; nec istas scrupulosas moderandæ conscientiæ tiæ regulas in ejusmodi negotiis locum habere. Ob communem Principum morem sane cum Svecis quoque circumspecte agendum. Haut temere tamen sinistri quid expectandum, quamdiu Elector exercitum suum in potestate habuerit: ac ipsos jactare, justissimas sibi fuisse causas, quare cum Polonis pacta abruperint. Præterea justum metum ad causam belli sufficere, ubi constet, alterum reipsa hostilem animum expromere posse, ac velle; quem occupare fas piumque sit. Pontificios jam ad quosdam hostilitatis actus processisse. Ipsum Pontificem conciliationem inter Gallos, Hispanosque, ac inter omnes suæ sectæ Principes conjunctionem majore quam unquam studio urgere, non alio fine, quam evertendis, qui istius se imperio subduxerunt. Amica prius remedia tentare necessum haut esse, ni spes sit per ea periculum averti posse. Ast ubi constet, amica tractatione suscepta periculum invaliturum, aut adversarium vires interim firmaturum, aut inanibus pactis illusurum: stultum fuerit humanitatis officia, simul egregiam occasionem res suas stabiliendi prodigere, ac aliorum se ludibrio præbere. Atqui Pontificios nunquam ad paciscendum descensuros, nisi subigente necessitate, & nunquam animo pactum bona fide servandi, velut quod ex istorum placitis circa talia versetur, quæ ne jurejurando quidem confirmari possint. Armatum inter armatos neutri parti addictum consistere anceps, ac suspectum: Unde utramque partem id acturam, ut istum destruat, ubi eundem sibi adjungere nequeat. Præsertim cum Elector solus utrique parti haut par sit, & copiæ per diversas provincias spargendæ sint, ne in uno loco conglobatas inopia demum conficiat. Quin fieri posse, ut in odium Electoris partes inter se conveniant, periculosa semper inter duos validos populos conditione eorum, qui dum neutras partes sequuntur, utrisque invisi juxta, suspectique agunt. Ab ista quoque conjunctione Germaniæ periculum haut imminere, ac Svecos testari, sibi haut propositum Imperii pacem turbare, sed illos, qui hactenus exsecutionem pacis impedierunt, uno atque altero ex Ordinibus oppresso, ad meliorem mentem revocare, ac pacem consilio magis quam armis firmare. Provincias porro Electoris eo redactas, ut quantacunque disciplina observetur, istæ alendo exercitui non sufficiant, in cujus tamen conservatione summa rerum vertatur. Denique à Polonis Electori nil amici expectandum; quibus sustinendis cum solus Elector non sufficiat, per ipsam necessitatem Svecicam societatem imperari. Rationibus ita utrinque excussis Jenæ demum placebat, conjunctione armorum cum Svecis in præsens esse supersedendum: tractatus tamen non abnuendos: nec eo minus apud Svecos juxta ac Polonos tentandum, num bellum amica ratione componi queat. Denique ab utraque parte securitatem quærendam; quam quæ præstare abnuat, adversus hanc cum altera societatem ineundam. 1656.

§. 19. Succincte magis sententiam suam expresserat Somnicius, qui rationes, quare conjunctio cum Svecis suscipienda sit, has adferebat; quod Electori cautum non sit, bene à Polonis secum actum iri; cum Joannes Casimirus Rex literis ad Ordines Borussiæ non obscure ipsum perjurii insimulaverit, voto simul nuncupato, se nullos Protestantes, ac inprimis Germanos in suo Regno toleraturum. Non secuta conjunctione provincias Electoris à proprio milite consumendas. Pacem facillime obtinendam, armorum societate cum Svecis inita; qui urgendi sint, ut quid terrarum adquirere velint, exprimant. Nec vitio verti Electori posse, si quod per has turbas provinciæ suæ valde exhaustæ sint, satisfieri sibi curet. Quæ tamen rationes aliis haut sufficere videbantur saltem ad suppeditandum justum colorem, quo Elector Svecorum causam suam facere possit, præsertim cum eo ipso se suosque ingenti periculo ac diuturno bello expositurus sit. Eoque contra ostendebant: Optimum fore, paci inter duo Regna conciliandæ operam navare, nec in partem belli venire; interim arma retinere, ac militiam probe ordinare. Sane pacta cum Svecis velut necessitate extorta à quibusdam Senatoribus Polonicis haut reprehendi; ac eos, qui copiis præsunt, verbo ac scripto testatos, se ut damnum ditionibus Electoris inferatur haut passuros. Qui nuper adfuerit à Polonis missum confirmasse; haut difficile fore cum Joanne Casimiro convenire, qui stulte facturus sit, si hoc Poloniæ statu plures sibi hostes faciat. Interim Electorem per tractatum sibi apud Polonum cautionem quærere posse. Eam utut obtinere nequeat, ob provinciæ defensionem armorum societate opus non esse, quod Sveci per pacta jam ad eandem teneantur. Quod si demonstrari queat, Electorem à Polono fidei violatæ argui, injuriam huic suam exprobrandam, & ut isti satisfaciat postulandum; quod antequam recusatum sit, ad arma provolari non posse. De voto nondum ita liquido constare, ut istud in causam belli valere queat. Nec ideo tantum arma aliis inferenda, ut occasio sit militem alendi. Quo plures porro in bellum descendant, & quo plures satisfieri sibi postulent, eo intricatiores pacis tractatus reddi. Si Elector Svecis accedat, alios vicissim Polono accessuros: Ita ob multitudinem bellantium minus spei ad pacem superesse. Sed nec salva justitia Svecos satisfactionis quid à Polonis exigere posse, nec Electorem ad eam extorquendam operæ quid conferre. Hunc quippe ante bellum recepisse, curaturum se ut Poloni

Aliud consilium circa eam conjunctionem.

1656. Poloni istis satisfaciant; id quod ab iisdem fuerit repudiatum. Unde sive definiant Sveci, quid terrarum hoc bello petant, seu minus, ad eas adquirendas Electorem recte conniti non posse. Cæterum revera Electorem huic bello multa impendisse, quæ ut ipsi refundantur æquum sit. Nam Polonos quantovis pretio redemturos fuisse, ut causa, ob quam Electori arma paranda fuerint, nunquam extiterit, ac ut sibi bello supersedere licuerit, quod nec sua culpa surrexerit, & cui declinando omnia à se tentata fuerint. Unde refusionem poscendum, à quo bellum profectum sit. Quæ cum ita sint, Electori omissa belli societate potius junctis cum Dano & Belgis consiliis ad pacem conciliandam incumbendum, ac tanquam sequestri inter Polonos, Svecosque securitatem quærendam, æque periculoso, hi an isti prævaleant; ac propriis viribus ab utrisque libertatem vindicandam. Eandem quoque apud Belgas prudentissimi cujusque sententiam esse Weimannus scripserat. Ast Waldeccæ Comes eam conjunctionem anxie ingerere, velut unicum remedium rebus Electoris in tuto collocandis, ac solidæ paci procurandæ. *Nam si Sveci difficultatibus eluctentur, ac Mosco satisfaciant, id quod in proclivi istis videatur, Electorem in medio destitutum iri, utriusque partis libidini obnoxium. In Belgis spei nihil reponendum, quibus Sveci satisfacturi sint. Cæsarem haut temere in arma erupturum. Apud Polonos confusa omnia, & ob ferocia gentis ingenia tuti nihil; vires tumultuario conglobatas, ac facile dissolvendas. Desidendo Electorem provinciam juxta atque exercitum nullo fructu consumturum. Inita societate militem exerceri, de alieno ali, insignem Poloniæ partem adquiri, uno Posnaniensi Palatinatu septuaginta oppida contineri. Posse boc modo etiam locum ad Vistulam accipi conjungendæ cum Marchia Borussiæ; quo hactenus Elector non sine incommodo caruerit. Plus securitatis eidem esse, plus autoritatis, quam si neutri partium se addicat. Ita denique societatem Svecicam amplectendam, ut ne amicitia cum Mosco abrumpatur.*

Elector tractatus cum Svecis suscipit. 1. Maii.

§. 20. Quanquam autem Elector hoc modo per discrepantes consiliariorum sententias, eorumqne rationes in ancipitia distraheretut; tamen cum Polonorum ferociam, ubi à tot cladibus respirassent, non immerito suspectam haberet, partibus in æquilibrio retinendis super societate cum Svecis, quorum res vacillare cœperant, agere constituit. Quo fine Waldeccæ Comitem, & Nicolaum Ernestum Platenum Frauenburgum ablegat, apud Oxenstiernam Cancellarium exposituros:

Legatorum mandata.

Priori tractatu super arctiore conjunctione mentionem injectam, ejusque ineundæ varias rationes in medium adductas: Unde se venire sciscitatum, num ejusmodi temperamenta inveniri queant, per quæ utriusque securitas stabiliatur. Circa quæ ut Svecus mentem suam prior declaret, postularent. Id recusanti dicerent: Electorem præsenti rerum statu tutissimum juxta atque utilissimum utrique bellantium parti ducere, funestam controversiam amica potius via componi, quam in ambiguum armorum exitum rejici: Ac spem esse Polonum æquas conditiones admissurum; quam in rem ipse quoque cum aliis operam sit collaturus. Joannem Casimirum tam confusis Poloniæ rebus regno profugum, & plerisque civibus in Svecorum partes transgressis, Svecorum armis ubique victricibus, citra alienum auxilium vires iterum recollegisse: Qui prius defecerant, eidem se adjunxisse: intra breve tempus non spernendos progressus fecisse; ac metuendum esse, ne hisce turbis quicquid est Pontificiæ sectæ ac barbararum nationum sese immisceat, simul Poloni Borussiæ se infundant. Omnium armorum exitus esse ancipites; ac posse hac occasione Protestantium res in ruinam agi. Ista subinde ingererent, sed simul testarentur, amicitiam Regis ab Electore maximi æstimari. Quod si Svecus reponat; serum jam esse de pace cogitare, ac non nisi ferro rem cerni posse; eoque fine conjunctionem Electoris expeti, quam hic Bartensteini pollicitus sit; nostri repetito ad pacem hortatu super conjunctione ostenderent; nihil circa eam trrnsactum, nec de certis conditionibus mentionem factam; nec eam probe discussam, prout tam arduum, ac summum rerum tangens negotium requirat. Sane Electori curæ fore mutuam amicitiam augere: Sed considerandum Svecis in quantum se periculum iste conjiciat, si haut lacessitus in partes descendat, & non Polonum solum, sed & forte Turcam, Moscum, Cæsarem, Pontificem, omnesque hisce addictos in se irritet, quibus nullo modo par sit. Quæ tamen cum Rege convenerint, iis Electorem staturum, simul paci conciliandæ operaturum. Si Svecus haut eo secius conjunctionem urgeat, interrogarent; quid cautionis & præmii Electorem mansurum sit, tot hostibus, tamque potentibus in se tractis? Ubi de quatuor Palatinatibus Majoris Poloniæ antea jam oblatis jaciat, (nam de Ucrania, & Podolia ineptum esse memorare,) nostri reponerent: Ista adhuc ambigua, nec Electori tutam aut quietam eorum possessionem unquam fore, vi & cum periculo cæterarum ditionum tuendam, incerto exitu. Etiam solido præmio ostentato temerarium esse omnes suas fortunas aleæ exponere, ac tot hostes sibimet immittere, nulla injuria cognitos, nec tentata prius amica via. Tum ea conjunctione in partem omnium Svecicarum veniri, simul ansam turbandæ paci Germanicæ præberi. Unde nullo alio autoramento ad societatem armorum permoveri posse, quam supremo in Borussiam imperio, ac renuntiatione Domus Bipontinæ in Juliacenses ditiones, Rege ad plenam earum possessionem adquirendam, & tuendam connixuro. Tum ut fœdus omnes Electoris ditiones, & rationes complectatur, ac ad octo duntaxat annos porrigatur adversus omnes, qui Regem ob Polonicum, hunc duntaxat ob Juliacense negotium invasuri sint. Denique ut Rex protinus huic Majorem Poloniam pleno ac hæreditario jure citra recognitionem tradat, ac eundem in quieta istius possessione constituat. Addebatur 1656.

1656. tur de modo ferendi auxilii, ac ut fœderi includatur Cæsar & Imperium cum omnibus Electoris sociis; utque fœdus meram defensionem, nullius offensam spectet. Denique ut Belgarum amicitia conservetur rite ordinatis commerciis; circa quam rem Elector sequestris officium sit interpositurus. Secretis mandatis legati testari jubebantur, Electorem hac societate id spectare, ut Poloniæ pax sua cum securitate & satisfactione promoveatur. Si circa supremum Borussiæ imperium Sveci abnuant, eam ob causam tractatus non abrumperent, & aliquo conditionum temperamento adquiescerent. Ad extremum quoque Posnaniensi & Calisiensi Palatinatu decederent. Participationi vectigalis Gedanensis ne insisterent. Circa annos fœderis pro re nata statuerent. Tum ut Electori amicitiam Mosci servare integrum sit stipularentur, ac ne huic rem in Lithuania gerere necessum foret, offensæ hujus declinandæ, cui tunc è vicinia apertum Borussiæ latus patebat. Ad extremum ob conditiones feudi in melius mutandas negotium ne infectum relinquerent.

Super armorum societate cum Svecis agitur. 3. Maii.

§. 21. Ista cum nostri apud Oxenstiernam Frauenburgi exposuissent, is initio memorata præsentium rerum conditione differebat: Mosco haut fidendum, ac Joannem Casimirum cum Cosacis Leopoli super reconciliatione agere. Unde tempus esse sociatis viribus communi saluti invigilare. Sibi à Rege injunctum, tractatus super societate, prout Bartensteini designatum sit, absolvere. Decrevisse Regem, cum nemine prius arctiori se fœdere illigare, quam cum Electore transactum sit; ac tunc ex ejusdem consilio omnia agere. Ad quæ nostri; Optandum fuisse Regiomonte, & Bartensteini Regis destinata fuisse detecta, & quæ vires forent iisdem exsequendis: quo facto Electorem citra moram sententiam suam fuisse declaraturum. Sed dum ista premuntur, interea magnam rerum mutationem factam. Inter incerta consiliorum commercia cum amicis, delectus, & alia firmandis rebus suspensa. Cosacos & Tartaros, quorum tunc conjunctionem Sveci sperarint, nunc saltem utri accessuri sint, in ambiguo agere. Moscum, qui amicus tunc mansurus sperabatur, non obscure bellum meditari. Regi super Ragozii societate nondum cautum. Belgas suspicione perstrictos. Totatam Poloniam frænum momordisse. Exercitus nostros valdè imminutos: supplementorum exiguam facultatem ob ferventes ubique delectus. Ingruere Cæsaris copias: Pontificem & Catholicos arma parare. Igitur Electori placere, cum Rege quidem amicitiam ad pactorum leges colere; interim circa solidam pacem conciliandam omnibus viribus laborare. Eoque rogare, ut quæ Regi desiderentur pacis conditiones pandantur, quæ ipse per legatum Joanni Casimiro expositurus sit; cum is semper confirmarit, Svecos bello Polonico solos sufficere, nullius auxilii indigos. Ad quæ Oxenstierna: Res quidem aliquantum mutatas, non tamen ita, ut reparari nequeant, si Electori manum admovere placeat. Num Cosaci & Tartari Polonis auxilia laturi sint, adhuc incertum; ac ut isti veniant, Electorem per dubitationes producto tempore non plus securitatis obtenturum. Quo magis vires Polonorum gliscant, eo acrius exarsuram libidinem ob pactum cum Svecis initum Electorem ulciscendi. Quæ forte Polonus Electori promittat, Cosacos & Tartaros non stringere. & in Comitiis ista vel ab uno Nobili everti posse. Quamdiu Polonis spei quid supersit speciosis pollicitis Electorem lactandi, vix unquam ad pacem descensuros: simul Moscum eo citius in arma erupturum, ubi viderit, Svecos atque Electorem haut conjunctim rem agere. Jam antea quoque teneri Electorem ad prohibendum, ne per ipsius ditionem Svecis noxæ quid inferatur. Nec minus Polonos in hostilitatis vicem accepturos, si Elector, quod per pacta teneatur, omnia cum Polonis commercia, ac Regii missi accessum, simul commorationem eorum, quo quotidie Regiomonte infesta in Svecos machinantur, prohibeat. Dum Elector otiosus desidet velut neutri partium addictus, hostes confirmari; qui junctis viribus strenue impugnati posita ferocia facile pacem amplexuri erant. Circa pacis conditiones nil sibi mandatum. Interim tempus labi non parum imminuta Regis in Electorem fiducia; cum præsertim variis rumoribus ac suspicionibus ansam præbeant subinde à Polono missi, ac certi homines in aula Electoris infesta struentes, quos suo tempore nominare in proclivi erit. Si itaque quid agendum sit, ea quæ Bartensteini mota fuere persequenda, ad quæ sua mandata referantur. Moram penes nostros esse, suspicionibus haut carentem. Nostri contra: Electoris conjunctionem parum profuturam, plurimum periculi parituram. Armis Sveco sociatis à finibus suis longius progrediendum, unde Mosco, si invadendi libido sit, recta Regiummontem iter patere: si in hunc eatur, Polonis eandem viam pandi. Statim atque Elector gladium stringat, Cæsarem atque Catholicos, quæ sibi ab isto imminere suspicentur, occupaturos. Posse quoque ad Rhenum res Electoris pessumdari per arma Principum Catholicorum haut frustra fœdere junctorum. Difficillimæ esse tutelæ provincias tam late dispersas, nec sine destructione exercitus, nulla supplementorum spe. Ita Electoris societatem Regi parum profuturam. Contra omissis armis ab eodem negotium pacis optatum ad finem perducendum, aut saltem orbi demonstrandum, penes Svecos culpam extracti belli haut esse: Apud Cæsarem & Imperium adversa Regi impedienda, ac inprimis Protestantes hujus rationibus innectendos. Qui statim audita armorum societate libidinem bellandi detestaturi sint, Germaniæ novas turbas parituram. Oxenstierna jam dicta repetere; nostrorum rationes elevare, Electorem si quiescat à Polonis certo decipiendum: Catholicis spiritus accessuros; protestantes in Imperio animis collapsuros. Si Elector societatem abnuat, id ferendum, & alios amicos affectandos, consiliis 1656.

filiis pro captu rerum ordinatis. Electorem jam per pacta stringi, ut novo tractatu super defensione opus non sit. Istis si stet, per Ducalem Borussiam nil sibi metuendum: Borussiam Regiam propriis viribus tuituros. Quod in Pomerania inferri queat periculum, ex æquo sustinendum, aut rationes Sveciæ plane abdicandas. Quicquid à Svecis fiat, id amore in Electorem fieri, & quia suas rationes nemini magis quam huic illigatas videant. Sibi Borussiam tot munimentis subnixam tueri in proclivi fore; ac si Moscus turbet, facta cum Polonis pace in hunc ruituros. Sed Electori provinciæ suæ à munitionibus destitutæ adversus Polonorum invasiones tuendæ non aliam rationem superesse, quam conatibus horum, dum adhuc longe à finibus absunt, oppressis. Cum itaque Svecus tantopere conjunctionem urgeret, nostri proponebant; ut Elector contractas copias velut consensu Polonorum in Masovia, aut alibi extra suos fines, ubi Regi videretur, disponeret, nulla hostilitate nisi adversus lacessentes exercita: tum velut sequester missa ad Polonos legatione conditiones pacis à Rege significandas hisce proponeret, omnem operam ut acceptentur daturus. Oxenstierna: nova ista pleraque esse, curatius sibi expendenda, de quibus post pluribus agendum. Ita incassum nostri laborabant circa explorandam Svecorum mentem, quem hi scopum belli Polonici sibi proposuissent.

Tractatio resumitur 18. Maii. Nova mandata.

§. 22. Paulo post Regem è superiore Polonia in Borussiam regressum iidem ab Electore legati adiere. Quibus injunctum enixe postulare, ut ipse linea communicationis inter Marchiam, & Borussiam concedatur, utque Rex actioni in Juliacenses ditiones renuntiet, si non pro tota Domo Bipontina, saltem pro suo fratre, & sororibus. Cum enim verbo promiserit, in ea causa nullum Electori abs se periculum fore; haut dubitaturum istos permovere ut cautioni cum ipso subscribant. Circa scopum conjunctionis Electorem non parum perturbari, quod Rex totum Poloniæ regnum lacerare pertendat, nobiliore parte sibi destinata. Equidem & isthuc & plura huic non inviderì: haut tamen adparere, quæ ratio istis tuendis sit. Nam deletis licet in præsens Joannis Casimiri & Polonorum viribus; in posterum tamen non defuturam occasionem istis recuperandis. Nec defore alios, qui hisce conatibus sese opponant. Unde omnes Electoris fortunas ingens discrimen incursuras. Sat equidem causarum huic esse eam societatem amplectendi, modo scopus cum æquitate conjunctus sit, ac vires ei obtinendo suppetant. Si Svecis Poloniam plures in partes discerpere animus sit, prius ostendendas vires, quibus id exequi ac tueri queant; quid supplementorum è Svecia & Germania expectent; qua ratione prohibere velint, ne Cæsar, Belgæ, Moscus, Cosaci, Tartari, tota Catholicorum factio huic se negotio ingerat. Sane cum Electoris ditiones Svecicis ubique fere in propugnaculi vicem prætendantur, ut Sveci vulnus recipere non possint, nisi per istius latus; graves eidem causas esse, ne quid temere heic statuat. Quod si ideo Rex de pace & ejus conditionibus mentionem fieri nolit, ne in vulgatum Polonis spiritus addat, facile concedi posse, ut de eodem in fœdere prætereatur, modo iste literis propria manu scriptis, ac nemini communicandis caveat, sua postulata non ulterius porrigenda, quam qua probabilis eadem obtinendi facultas sit. Cum itaque legati apud Regem Mariæburgi exponerent, Electorem nosse cupere, quomodo utriusque res his locis in tuto collocari, simul amicitia suspicione vacans stabiliri queat; iste reponebat: optatam sibi fuisse armorum cum Electore conjunctionem, nec constare sibi, circa quid ea adhæserit, quo minus dudum perfecta fuerit. Sane in se moram non fuisse. Id à se respici, ut hisce locis tranquillus status constet; cui fini adhibenda sint, quæ adversam partem ad amplectandam pacem permovere queant. Cum nostri de Mosco injicerent, de quo sibi Elector cavere cupiat, salva tamen cum Rege amicitia: hic prolixe memorabat, quantum injuriarum ipsi Moscus intulerit, in primis circa epistolam, quæ in hujus manus pervenerit, ad Slotarencam Cosacorum Ducem, qui viginti militum millia sibi obtulerit. Cui ipse actis gratiis ostenderit, ejus auxilio se non indigere; & quia Cosaci cum Czare transegerint, huic juncti communem hostem persequerentur. Eam Epistolam à Slotarenca Czari communicatam falsa interpretatione in alienum plane sensum detortam. Id quod ipse per legatos Czari demonstraverit, ac falsarium interpretem ad supplicium depoposcerit. Cæterum cupere se Czaris amicitiam conservare: sed si ab eo invadatur, pro re nata consilium capiendum; ac in eum casum sibi Tartarorum & Cosacorum auxilia præsto fore. Unde caute sibi cum Czare agendum, ne istos protelet. Moscis morem esse alta spirare, & cupita feroci impetu extundere velle, ubi dentes contra ostendas, mox flaccescere. Se tamen in hoc negotio Electoris consilium secuturum. Animadversum est, fuisse qui Regi societatem cum Electore dissvaderent; quem & suspicione perstringebat Rodomius quidam Regiomonte commorari, qui occultos congressus cum multis in aula miscere ferebatur.

Regis declaratio. 18. Maii.

Slotarenca.

Redomski.

Super legibus conjunctionis disceptatur. 19. Maii.

§. 23. Ubi dein nostri cum delegatis à Rege Erico Oxenstierna, Scheringio Rosenhanio, & Stenone Bielkio colloquium susciperent, Oxenstierna sermonem ingressus memorabat; post fundamenta amicitiæ Regiomonte jacta Electorem Bartensteini testatum, à se arctiorem cum Rege conjunctionem optari. Id quod huic gratum fuerit. Hactenus tamen ob expeditionem in Poloniæ remotiora moram injectam. Nunc placere Regi, ut sepositis aliis respectibus ad ipsam rem accedatur. Ubi prius constare debeat, num Elector arma cum Rege obtinendæ communi securitati sociare velit; inde super ejusdem conditionibus & fructibus consultandum. Ad quæ nostri: supervacuum esse disputare, uter prior societatem affectarit, & utrius magis intersit eam fieri.

1656. Solida, quam inania Electori cordi esse. Igitur ante omnia expendendum periculum, in quod Elector hac conjunctione se conjiciat, ac quæ vires tanto negotio exsequendo sint. Nec minus sciendum, quem belli scopum sibi præfixerit Rex, & quousque occupata per Poloniam tueri sedeat; & quid opis Elector conferre queat. Tum dispiciendum, qua ratione periculum amovendum, in quod utraque pars incurrere queat; inprimis uti Mosco, Polonis, Cæsari, Catholicis in universum obviam eundum, quos sine dubio Elector in se irritaturus sit. Æquum præterea esse, ut postquam hoc negotio tam multos sibi hostes comparet Elector, de suis amicis sibi caveat; neu pacta per violentas interpretationes in molestum huic sensum detorqueantur, uti jam fieri cœperit. Sed & varios rumores spargi, ob quas Electori caute procedendum sit; ac negotium ita adornandum, ne in posterum mutatis Principibus, aut ministris omnia subverti queant. Ad hæc Oxenstierna; Stare Regi bellum Polonicum persequi, & armis quæsita armis tueri, Electorem accepta priori pacto Warmia in partem belli venisse. His tractatibus Regem plura additurum, si isti manum simul admovere placeat. Adversus futura, quæ ostentantur, pericula optimum remedium fore, si negotium Polonicum prius conficiatur. Inde in proclivi fore remedia dispicere, quibus pericula, si quæ à Cæsare, Mosco, aliis immineant, averruncentur. Quæ in pactis ambigua videantur, illustrari posse. Nostri: destinata Regis nimium porrigi; & cum omnis belli finis pax sit, constare oportere, quibus conditionibus eadem per hoc bellum quæratur, aut quas terras armis recens quæsitas Rex sibi destinet, num totam Poloniam, an aliquas partes; & an super reliquis tractatio suscipienda, & Joannes Casimirus iterum ad coronam admittendus sit. Ac Electori consultissimum videri, quamprimum id honeste fieri queat, bello excedere, ac pactorum possessionem firmare, ut eo melius illis, qui forte se ingesturi sint, sociata vi occurri queat. Nec adparere, unde sumtus tolerari queant bello diutius gerendo. Unde Electori haut placere bello sese immergere; ni spes sit eidem brevi colophonem imponi posse. Cæterum firmandæ amicitiæ opus esse declarari pacta Regiomontana, quæ in multis præter genuinum sensum extendantur; puta, quod Wolfsbergius postulet, à Polonico Legato proposita, & ab Electore responsum scripto sibi communicari; quod ab Electore exulibus Polonis receptus præstari non debeat, ac plura id genus. Tollenda quoque in futurum dissidiorum semina, inprimis Juliacensem actionem, quæ nunc velut Coronæ adcreverit. Equidem quamdiu rationi ac legibus locus sit, neminem Electori præferri posse. Sed cum ea lis non alium judicem quam gladium videatur habitura, transactione eandem componendam. Denique cum Elector Mosci arma in se trahere nolit, consilium cupere, qua ratione id periculum declinandum, & quid de oblato per istum fœdere, aut medio statu Regi videatur. Contra Oxenstierna: Non alium posse scopum constitui, quam persecutionem belli. Sibi haut tutum videri Electorem extra bellum manere ac eundem à Rege ingenti beneficio obstringi, oblata armorum societate, ac parte prædæ. Num de pace verba fieri posse, vix dum cœpto bello? Nec constare, an pacem Joannes Casimirus accepturus sit: sane nondum eam quæsivisse: aut num Resp. inauspicatum Regem iterum admissura sit. Carolo Gustavo ad persequendum quæ cœperit sat virium esse; ac ab eo Joannem Casimirum & Polonos eo redigendos, ut ab iis metuendum nihil amplius sit. Unde unicam quæstionem esse, num Elector Regi arma sociaturus sit? In bello certos sibi terminos præfigere, quos migrare non liceat, multum incommodi habere, nec in contrahendis fœderibus usu receptum, simul incertum, & quandoque cum ignominia conjunctum esse; quod ejusmodi destinata sæpe fallant, & vel majus emolumentum, vel gravior necessitas alibi adparens consilia mutare subigat. Fortasse non defuturos, qui emolumentis à Rege oblatis libenter adquiescere velint, circa expiscanda ejus destinata haut ita solicitos, forte nec ipsi satis adhuc digesta. Ei curæ esse, Electorem & alios socios oppressis Polonis in tuto collocare; qua declaratione, ac ostensis commodis hunc contentum fore spes sit. Cum Moscis rem adhuc in ancipiti esse. A Cæsare nondum quid suscipi, quod Regem offendere posit. Quæ in pactis displiceant, de inceps expedienda. Negotium Juliacense nihil ad Polonicum bellum spectare, super quo Electori per pacem Westphalicam satis cautum. Id si nunc tangatur, Saxonem, ac Neoburgicum offendendos. Quin Cæsarem & Imperii Ordines credituros, Regem de bello in Germaniam pertrahendo agitare. Neque Regem, qui capud familiæ Bipontinæ non sit, sua renuntiatione agnatis præjudicare posse. Neque decorum Coronæ, Regi suo svadere, ut jura sua pro derelicto habeat; quam potius par sit eo incumbere, ut idem pluribus ditionibus mactetur. Igitur Regem nosse cupere, quid Elector facturus sit. Alias isti alia consilia capessenda, ac amicitiam cum ipso unice pactis jam initis metiendam. Nostri adhæc: In votis esse Electori amicitiam cum Rege firmare; prius tamen materiam diffidentiæ amovendam. Circa Juliacense negotium nil amplius postulari, quam quantum penes Regem sit, & ne Regnum Sveciæ huic liti implicetur. Qua spe omnes suas fortunas Elector periculo exponat, nosse oportere; quicum tractus aliquis terrarum paria non faciat. Potius eidem circumspiciendum, ne tantis fluctibus sese committat. Ita cum neutri longiꝰ progrederentur, ea tunc disceptatio exitum non habuit. Mox tamen Oxenstierna nostros monebat, ut formulam fœderis conciperent. Regi decretum deditios tueri, ac id omne pro adquisito habere, quod armis complexus sit: nec ut Joañes Casimirꝰ resurgat passurum, sed potius aliis in partes pertractis Poloniæ Regnum laceraturum. Nec tutum sibi cum isto tractatus suscipere, nec tempestivũ adhuc de pace agere.

Id

1656. Id tamen facile concedere Regem, ut Elector cum Mosco pacem servet, utque fœdus ad Livoniam & Samogitiam haut extendatur. Quod si Elector obnixe Juliacensi renuntiationi inhæreat, Regi certum duntaxat militum numerum concedendum, quo is pro lubitu utatur. De cætero cupere Electori circa omnia satisfacere, quæ in pactis ambigua, aut suspecta videantur. Ast Waldeccio Rex ipse declarabat: *alterutrum necessarium esse, ut Elector vel secum arma jungat, vel in adversas partes concedat. Se quidem ipsi circa omnia satisfacturum, & quæ Bartensteini pollicitus sit, bona fide repræsentaturum. Circa renunciationem Juliacensem facile ipsi gratificaturum, si id eidem utile, nec sibi turpe sit. Se quippe Seniorem Domus non esse, nec in fraudem agnatorum condonare quid posse: ac omnes judicaturos, ex metu se fecisse, quod in potestate sua non sit. Promissurum tamen, se in hac causa nil suscepturum, nisi per amicos tractatus, aut via juris, ac Electori adversus vim intentantes opem laturum; iis, quæ inter hunc & Neoburgicum convenerint, sese haut ingesturum. Sed quia ipse Electori optimam Poloniæ partem, delectibus agendis valde opportunam, tradere velit; hunc quoque operam navaturum subigendo Gedano, quo sibi firmandis in Borussia rebus maxime opus sit. Pro qua opera ipse eidem peculiariter satisfacturus sit, vel concessa parte Gedanensis vectigalis, vel Pillaviensi penes eum solum relicto.*

Regis declaratio. 22. Maii.

§. 24. Per isthæc quidem Sveci satis fiduciæ ostentaverant, velut Electoris auxilio parum indigerent. Id quod huic optandum videbatur, quod tunc spes foret, turbas hasce tanto citius finiendas, suisque terris tranquillitatem reducendam. Enimvero curas solicite premi adparebat, si numerus ac potentia eorum spectaretur, qui se istorum destinatis oppposituri erant. Mirabatur tamen, Regem jam circa Juliacense negotium tantum difficultatis movere, cum antea tam prolixe operam ad istas ditiones ipsi adquirendas obtulisset. Præsertim cum ipse ad tam periculosæ plenum opus aleæ vocaretur, postquam omnes ad bellum Svecis inferendum se movere incipiant, & indies invidia adversus Regem gliscat; cujus & exercitus valde sit imminutus, vix ulla supplendi facultate; Joanni Casimiro contra ingens turba agglomeretur. Enimvero se non tam privatis emolumentis, quam cura boni publici, & sacrorum puriorum duci; quæ ingens periculum maneat, si quam cladem Sveci accipiant, longe prævalituris tum Pontificiorum partibus. Ac si Sveci duris rebus à se destituantur, Polonis tantum ferociæ accessurum, ut pace repudiata ad istos plane opprimendos incubituri sint, bello in ipsam Sveciam, aut saltem Livoniam prolato. Contra si Sveci soli citra ipsius auxilium hoc negotium ad finem perduxerint, aliquando ultionem eorum sibi metuendam. Igitur stare sententiam cum istis arctius jungi, ea tamen lege, ut unicus sibi tractatuum scopus sit pacem recuperare; ad quam legati omnia referre jubebantur, ac Svecis demonstrare, quanti ipsorum quoque intersit pacem quamprimum fieri, antequam fortuna tergum obvertat. Quo fine opus sibi sit leges pacis nosse, & quid inter adquisita Rex numeret. Tum caverent, ne Belgæ offendantur; sed ut potius circa commercia & vectigalia ita transigatur, ne istis causa nascatur huic negotio sese opponendi. Ut quoque hic tractatus in secreto habeatur, quoad adparuerit, num Polonus oblatas conditiones acceptaturus sit, an minus. Pensandis damnis, quæ ipse hoc bello acceperit, tres aut quatuor uncialium milliones exigerent, & hypothecæ in vicem totam Poloniam Majorem cum omni jure, in cujus possessione ipse à Rege sit tuendus: ita tamen ut si Polonia integra subsistat, ea pecunia à Rep. exigatur. Sed si eadem discerpenda sit, satius fore dictam Poloniæ partem penes se jure hæreditario manere. Denique circa conjunctionem id caverent, ne isthac occasione suæ sibi copiæ subtrahantur, aut data opera atterantur.

Electoris sententia. 22. Maii.

§. 25. Cum itaque nostri denuo Regi de pace proponerent, ab hoc responsum fuit: pacem à se cum Joanne Casimiro citra fortunarum suarum ruinam iniri non posse, nisi idem plena imperandi potestate gaudeat; ad quam ipse operam conferre nolit; aut si ea res penes se solum foret, satius fore pro se ipso conniti. Enimvero Poloniam à se solo subigi haut posse; unde eam inter alios dispertiendum, quorum quilibet pro se operam daturus sit, ut incolas suæ partis ad novum imperium admittendum permoveat. Id tamen famæ, simul Electoris, gratiæ daturum, ut Joanni Casimiro portionem aliquam, quoad huic vita superstit, relinquat, puta partem Russiæ, aut Mosoviæ, quo ut iste descendat, per Reginam obtenturum se speret. Sibi Borussiam, Cujaviam, & Samogitiam, ac si fieri queat Cracoviam sufficere. Reliqua inter Electorem, Ragozium, & Cosacos dividi posse, penes Moscum quoque magna Lithuaniæ parte relicta. Ipsos quoque Poloniæ proceres inter se discordes exitium suum promovere. Solum fere Czarrecium Joanni Casimiro adhærere, quem pleraque Nobilitas aversetur. Lubomirscium abolita regia dignitate optimatium imperium moliri. *Cæterum conjunctionem inter se & Electorem oportere fieri: alias hunc certum exitium, & se forte cum ipso manere.* Multa inde cum delegatis Regiis disceptatio. Volebant hi fœdus ad totam Poloniam porrigi, & è Lithuania ad Brescienſem Palatinatum, reliqua Lithuania exclusa, & quidem contra Joannem Casimirum, & omnes, qui intra hunc tractum hostilia in Regem sumturi sint, ut iidem quoque ab Electore pro hostibus habeantur, omni cum iis communicatione, & receptu in ipsius ditionem ademto. Elector tria equitum, totidem peditum millia Regi certo sub Duce mitteret, qui cum hoc ad certum locum invadendum se juncturi sint. Eo peracto Electorem seorsim rem gerere posse, salvo tamen supremo Regis moderamine. Vicissim Regem Electori daturum Palatinatum Posnaniensem & Calisiensem, quantum ultra Wartam flumen versus Germaniam jacet, una cum Siradiensi districtu.

Tractatus continuatur. 25. Maii.

Czarnecki. Lubomirski.

29. Maii.

1656. Contra nostri certas provincias, puta Borussiam, Pomerelliam, Cassubiam, Majorem & Minorem Poloniam, ac Masoviam designari volebant, intra quas fœderis sese vis exsereret; reliquis exclusis. In præmium societatis deposcebant Majorem Poloniam, quantum sub Petricoviensi tribunali continetur, simul lineam communicationis Soltaviam versus, & transitum aliquem Vistulæ: ac ut Electori integrum sit cum suo milite pro arbitrio rem gerere, nec opus habeat citra necessitatem & præviam deliberationem copias sociare, nisi ubi periculum in mora sit; quo casu sola significatione facta Elector quatuor millia regiis sit adjuncturus. Sveci ad hæc: vim fœderis à nostris angustiis nimium terminis includi. Nam interesse, ut bellum remotissimis locis geratur, ut è citerioribus copiæ ali queant. Lithuaniam tamen, excepta Brescia, tum Podoliam, Voliniam, Pocutiam, Braclaviam, & quæ versus Borysthenem excurrunt, seponenda. Sed Russiam Rubram & Nigram, Podlachiam, Samogitiam, Curlandiam, & Semgalliam utique includendas. Mosco super iis, quæ jam occupavit, litem haut movendam, modo ulterius ne grassetur. Laneiciam prioribus sese adjecturos, vicissim tamen quasdam Electoris in Borussia præfecturas, Hollandiam, Mariæwerderam, Risenburgum, permutatione sibi adquisituros; nostris regerentibus, præmature de permutatione agi, possessione nondum firmata. Locum ad Vistulam Sveci abnuebant, velut per quem ipsorum terræ interscindantur. Inter ista complures dies incassum effluebant, quod Svecis spes esset, propriis se viribus hostem ad Warsaviam conglobatum disjecturos. Ac ostendebat Oxenstierna Waldeccio, non immerito quid diffidentiæ adversus Electorem ali, quod plerique circa ipsum omnem lapidem moveant, quo ejusdem animum immutent, & reliquos consiliarios vel suspectos reddant, vel in suam sententiam pertrahant. Electoris generosum animum, & egregia destinata sibi satis perspecta. Sed simul constare, Principum præclare studia evanescere, ni promta ministrorum opera subleventur. Cæterum super conjunctione id præcipue Sveci urgebant, ut Elector certum militum numerum præberet, à Rege pro lubitu adhibendum. Cum contra Electori, ubi in Polonos hostilia sumenda forent, negotium tota vi aggredi placeret, quo pax eo citius extunderetur. Monebant quoque Sveci; si Elector circa regimen Borussiæ quædam mutare velit, idque per literas ad Regem referat, ab hoc ipsi satisfactum iri. Sed adversus pacta Ordinum privilegia abrogare intempestivum videri, quibus potius in præsens omnis suspicio adimenda sit. Circa præmium quoque belli acrius cauponabantur Sveci, quam par erat de alieno liberalitatem exercentibus. Ac circa Juliacense negotium Rex parem declarationem Electorem poscebat, qualem hic ab isto expetierat. Id quod Electori mirum videbatur; cum utrius jura & conditio circa eam causam admodum disparia forent; nec sibi per pacta cum Neoburgico id integrum esset, quibus convenerat, ut ipsi inter se juncti adversus reliquos competitores causam agerent. Unde satius visum isto postulato plane supersedere. Ita cum à Svecis moram necti adpareret, speculando ad Warsaviam eventui, nostris, ne cupide nimis societatem ambire viderentur, ad Electorem regredi placebat, velut extrema mandata petituris. Sed laborante Warsavia cum Rex conclusionem negotii urgeret, nostri adjuncto Dobrzenio Mariæburgum remeabant. Ubi cum Belgarum legatis consilia conferebant, quid Electori in præsens faciendum. Nam viribus Polonorum gliscentibus eum sine dubio horum aliorumque barbarorum sævitiæ exponendum, simul viam Catholicis sternendam ad Protestantes per Poloniam extirpandos. Contra si Sveci soli bellum patrarent, horum viciniam sibi valde molestam fore, suis juxta ac Belgarum rationibus turbandis. Quæ ita temperare, ut communes Protestantium juxta, ac privatæ ipsorum rationes salvæ persistant, magno artificio opus esse. Belgæ declinando, quod imminere utrinque perspiciebant, periculo præter pacem nil ingerere norant. Ad quæ nostri: omnia Electoris destinata ad hanc tendere. Sed quomodo vel Svecus salvis hoc bello adquisitis, vel Polonus quamdiu spes sit istum iterum expellendi, ad eandem amplectendam allici queat, id opus, id laborem esse. Electori à Sveco non permitti de pace agere: nec Polonos istum de pace acturum audituros, nisi tractatibus cum Sveco renuntiet; quo ipso Polonorum rationibus implicito ab horum libidine pendendum esse. Svecos contra pace sibi consuli prius negare, quam super Gedano cautum sit, in quo securitas partarum à se terrarum consistat. Belgæ censebant: Si Sveci Gedano medium statum concedant, sua Republica evictionem præstitura, aut ut ea civitas certis conditionibus libera relinquatur, Svecis sat cautionis esse. Demum tamen dicebant: si bellum inter duos Protestantes geratur, facilius consilia expediri posse. Sed quia oppresso Sveco Catholicis barbaris janua aperiatur ad exsequenda sua destinata, molestias Svecicæ societatis tanti non faciendas. Nec Electori commodum esse quiescere, quod aperta ipsius provincia aliter in tuto collocari nequeat, quam longe amotis qui nocere possint. Simul hac conjunctione cohiberi, qui forte in Germania Svecis negotium daturi sint. Ita demum cum utrinque res moram non ferret, alea jacienda, & in conjunctionem consentiendum erat, quod Electoris & communes Protestantium rationes non ferrent, Svecos ita præcipites Polonia exturbari. Viribus partium ad æquilibrium deductis facilius erat neutri obnoxium agere, ac paci conciliandæ operam navare. Neutras partes in præsens sequi haut integrum erat, ni victoris se libidini exponere vellet.

6. Jun. (left margin) — 24. Jun. (right margin)

§. 26. Ejus fœderis scopus præferebatur præsens in Poloniæ Regno bellum sopire, ac pacem obtinere utriusque statui & securitati con- *Fœdus Mariæburgicum.*

convenientem, ac inprimis à parte Electoris hostiles irruptiones ditionibus hujus arcere, periculo è Polonia non parum expositis. Capita hæc erant.

1. *Sit maneatque inter S. Regiam Majestatem, ejusque successores Regnumque, Sveciæ ab una, & suam Ser. em. El. em ejusque posteros, & ditiones ab altera parte, firma, infucata, & sincera amicitia & confidentia, ita ut una pars alterius, ejusque terrarum, ditionum, & subditorum emolumentum, commodum, & incrementum pro virili procuret, ac promoveat, damna vero & jacturas avertat & arceat; simul vero utraque unanimem operam adhibeat, quo infra descriptus Provinciarum, Palatinatuum & Districtuum circuitus in tranquillum statum, & ad optatam securamque pacem deduci possit; adeoque ad hunc finem ambæ partes arctius nunc fœdus ineant, ac arma sua conjungant.*

2. *Hoc fœdus respiciet, & dirigetur solummodo contra omnes illos, qui S. am R. am M. tem Regnumque Sveciæ in Regno Poloniæ, & quidem nominetenus in subsequentibus Provinciis, Palatinatibus, & districtibus, utpote Prussia, Pomerellia, Cassubia, Cujavia, Rava, universa majore & minore Polonia, Masovia, Terra Dobrinensi, Plotsko, Podlachia; pariter quoque in Palatinatu prope Leopolim, qui vulgari more & in specie solet appellari Palatinatus Russiæ, item in Belzensi, & terra Chelmensi, similiter in Palatinatu Brescianensi Lithuaniæ, (hoc expressa conditione, quod auxilium S. S. æ El. is non extendatur in hoc Palatinatu contra Magnum Moscoviæ Ducem, quatenus ille in eo aliquid antehac occupavit, vel jus aliquod hoc tempore prætendit;) in Samogitia, Curlandia & Semigallia (ita tamen, ut hoc fœdus contra Ducem Curlandiæ non explicetur, cui S. S. El. is nihil præjudicare cupit,) una cum omnibus ad memoratas provincias, ac terras pertinentibus Palatinatibus, districtibus, & ditionibus hostiliter aggredi & turbare ausi, vel in posterum durante hoc fœdere ausuri sunt, sive id fiat ab incolis, sive ab externis, quos omnes S. S. El. is pro hostibus habitura est, iisque, quatenus id quidem prohibere & impedire poterit, in suis ditionibus nequaquam concessura ullos transitus aut refugium, neque diverticula ulla, aut conductiones militum, neque emtiones cujuscunque commeatus vel adparatus bellici (quæ tamen omnes & singulæ libertates & commoditates reciproce pateant utrique fœderatorum in alterius terris ac ditionibus, observatis rite circa eas præsentium priorumque pactorum legibus.) Quin multo magis S. S. El. is iis omnibus & singulis una cum S. R. M. te resistet, eorumque molimina & hostiles conatus quovis modo coërcere & impedire tenebitur. Reliquæ in Lithuania, aut alias ad Regnum Poloniæ spectantes Provinciæ, utpote Podolia, Volinia, Braclavia, aut quocunque nomine veniant, quarum superius nulla mentio facta est, aut sub nominatarum ibidem provinciarum terminis non continentur, huic fœderi nullatenus includi intelligantur, neque Suæ R. M. ti Sua S. El. is in iis opem ullam ferre vi hujus pacti obstringatur.*

3. *Similiter si in hoc bello Polonico quispiam Suæ S. El. li in Ducatu Prussiæ, aut Principatu Warmiæ vim inferre, aut ejusdem provincias vexare aut desolari aggressus fuerit, S. R. M. tas promittit, quod Suæ S. E. auxilio ventura sit, atque supradictum aggressorem pro hoste habitura, omnemque simul datura operam, ut pericula à Suæ S. E. terris averti possint.*

4. *Quod si etiam hostium aliquis ex circulo superius descripto in terras alterutrius confœderatorum in Germania sitas illi circulo vicinas irrumpere tentaverit, tum uterque confœderatorum teneatur intentionem hostilem cohibere, & avertere, ita ut alter alteri fideliter & absque mora necessaria adferat auxilia, & illi in tempore adsit.*

5. *Suprema directio belli intra sæpius nominatas, & superius indicatas terras & loca manebit penes S. R. M. tem exceptis Suæ S. E. in supra dicto circulo sitis propriisque provinciis, in quibus Suæ S. E. rerum bellicarum directio competet. Interim tamen & S. R. M. tas & Sua S. E. non neglectura sunt fidam, amicam mutuamque circa negotia isthuc pertinentia communicationem, & deliberationem,*

6. *Suæ S. El. li integrum sit cum exercitu suo in tanto numero, quantum vires permiserint, separatim agere in locis, provinciisque illis, ubi habito desuper consilio S. R. M. ti & Suæ S. El. aut per se ipsas, aut per earum plenipotentiarios statuere visum, & utriusque partis consensu & sententia constitutum fuerit. In hujusmodi deliberationibus pariter definiendum erit, qua ratione Suæ S. El. exercitui commeatus, absque ulla in illis locis, ubi expeditio paratur, collocatorum præsidiorum & stativorum regiorum vel aliarum dispositionum turbatione procurari possit. Cæterum remaneat Suæ S. El. in hujusmodi separatis actionibus plena sui exercitus dispositio non solum in militaribus, ubi ad hostem accedendum, vel cum eo decertandum, sed etiam cum movetur exercitus, cum in castris vel alias locatur, commeatus eidem & sustentatio providetur, loca in securitatem transitus, reditusque, & commeatuum muniuntur, & reliqua agitentur, quæ expeditionibus militaribus usitata esse sueverunt. In specie vero convenit, quod in iis in primis locis, ubi bellum geritur, vel etiam in hostili solo, quærendus erit exercitui Suæ S. El. commeatus & cætera ad proficiendas supra dictas actiones necessaria. Si vero contigerit, ut hoste adeo urgente ex iisdem nihil ad militum sustentationem adferri possit, tunc ex aliis vicinis & prope adjacentibus oris necessaria cibaria & pabulationes militibus Suæ S. El. sunt curanda, ita tamen ut id fiat ordine, ac prævia scientia & dispositione Regiorum ministrorum, ibi locorum residentium. Pollicetur etiam Sua S. El. quoties id per tempus & tabellariorum copiam licuerit, cum S. R. M. te se semper communicaturam, statumque rerum in tempore indicaturam: quemadmodum etiam Sua S. El. spondet, quod velit iis rei gerendæ rationibus, quantum fieri poterit, insistere, quæ S. R. Mti pro rerum & temporum circumstantiis consultissimæ visæ fuerint, vel etiam, si S. R. Mti placuerit aliquem ministrum in Electorali exercitu habere, eundem consiliis suis adhibebit. Omnia & singula loca & fortalitia, quæ ad circuitum S. R. Mtis spectant, Su. æ R. Mti reserventur, atque illa, quæ ibidem separatis Electoralis exercitus actionibus occupantur, sine discrimine in potestatem & dispositionem S. R. Mtis devolventur, ita ut S. R. Mti liberum sit, quantocunque sic videbitur, proprium præfectum & præsidia illis imponere; quibus tamen injungetur, ut & illi in iis actionibus bellicis, quæ ad communem scopum per-*

1656. *tinent, Suæ S. El. promtam operam & convenientia obsequia præstent. Quod si vero ex regio exercitu tot copiæ non adfuerint, quæ iustis ubique præsidiis sufficient, ideoque Electoralia præsidia hujusmodi fortalitia & munita loca occupaverint, jubebit Sua S. El. præfectum & milites præsidiarios, literis reversalibus Regio Ministro in Electorali exercitu commoranti traditis, mox sese obstringere, dicta loca, quandocunque S. R. Mti ita libuerit, sine ulla exceptione S.R.Mti reddituros. Quemadmodum & Sua S. El. ipsa sancte promittit, & hisce pactis sese obstringit, simul actiones bellicæ aliquo in loco finitæ fuerint, & S. R. Mtas id requisiverit, omnia omnino munita loca se evacuaturam, eademque in S. R. Mtis Svecicæ ditionem atque plenariam dispositionem absque ulla contradictione vel tergiversatione tradituram & restituturam; S.R. Mtas autem teneatur curare Suæ S. El. præsidium secure ad suos deduci. Quod si vero ratio belli vel necessitas utriusque exercitus Regii*
7. *& Electoralis societatem & conjunctionem aliquando efflagitaverit, S. R. Mtas aut ipsa, aut per suos plenipotentiarios deputatos super ea re conferat, ita ut certus conjunctionis scopus proponatur & constituatur; conjunctione autem facta, quamvis præsente S. S. El.li, suprema directio belli competet S. R. Mti, ea autem quæ consilio prius communicato cum S. S. El.li unanimi consensu decreta fuerint, S. S. El. iis facienda Generalibus suis insinuet, & iis convenienter cum exercitu suo liberrime disponat. Præterea conventum est, durante ejusmodi conjunctione, ut inter utriusque fœderati exercitus in castrorum distributione, vel militum sustentatione, item in præliis, obsidionibus, oppugnationibus, partitionibus, cohortium emissionibus, captivorum redemtionibus, vel commutationibus, & ejusmodi commoditatibus, ac laboribus aliis æqua utriusque ratio habeatur, secundum numeri utrinque proportionem, & usitatas belli consuetudines & leges, ita ut Electorales præ Regiis laboribus non graventur, nec absque Suæ S. El. consensu distrahantur, sed conjun-*
8. *ctim retineantur. Atque ut S. R. Mtas absque prævia cum S. S. El.li deliberatione certum auxilium militum obtineat, quo secundum intervenientes belli rationes vel in suo exercitu, vel alibi libere utatur, vi hujus instrumenti firmiter sese obstringit Sua S. E. quod quovis tempore, quandocunque id postulatum fuerit, absque mora vel contradictione ulla in auxilium S. R. Mti IV. M. egregiorum, & bene armatorum Germanicorum vel aliorum externorum militum (quorum dimidia pars equestris, reliqua pedestris erit,) in parato tenebit, eosque ad nutum & voluntatem S. R. Mtis quocunque in locis supra nominatis vocabuntur, mittet. Hos sicuti quidem patietur S. R. Mtas plerumque separatim agere, ita ubi opus esse visum fuerit, eos accersere, aut alicui exercituum suorum adjungere; tenebuntur sine mora se sistere; in qua conjunctione reservatur S. R. Mti suprema directio in omnibus actionibus bellicis, adscito in consilium Generali Electorali, qui auxiliares tum copias ducet, ad quem jussa ad eum spectantia dirigentur. De cætero remanebit penes illum liberum suorum imperium, jussorum distributio, & reliqua ab officio Generalis dependens cura: juxta quæ id quoque prospectum est, ut dictæ copiæ auxiliariæ in actionibus militaribus, laboribus, utilitatibus, stationibus & sustentationibus,* 1656
ut & commutationibus, & redemtionibus captivorum secundum justam proportionem æqualiter cum Regiis habeantur, quemadmodum hoc superius circa conjunctionem amborum exercituum pluribus expressum est. In hujusmodi conjunctione subjicientur milites ejus legibus, & disciplinæ militari, penes quem suprema directio residet, servata tamen Generali auxiliatricium copiarum in sibi subditum corpus justitiæ administrandæ copia; unde quoque tenebitur ea, quæ ab ejus militibus adversus leges militares commissa sunt, constituto, more belli, judicio partium studio vacuo corrigere, & punire. Quamdiu autem auxilia hæcce apud S. R. Mtem manent, illa neque secunda vice, neque supplementa eorum petenda, mittendave erunt; cessante autem causa decersitionis, semper ad exercitum aut secura loca S. S. El. li remittantur. Quod si accidere possit, ut bellum in superius nominatas Suæ S. 9.
El. provincias ac terras trajiciatur, ibique tantum periculum creetur, ut eidem resistendo vel superando Sua S. El. propriis viribus sibi non confidat: in tali casu promittit S. R. Mtas, omnem se operam & auxilium Suæ S. El. allaturam, de qua, si tempus eam opportunitatem permiserit, S. R. Mtas, & Sua S. El. vel ipsæ vel per plenipotentiarios deliberabunt, utrum consultius institui poterit, conjunctione armorum & exercituum, an vero divertendo hostem in alia loca. Cum vero evenire facile possit, ut res deliberationem non patiatur, in eum eventum promittit S. R. Mtas facta sive per Suam S. El. sive ejus plenipotentiarium periculi admonitione & auxilii petitione, sine mora & contradictione sex millia militum in auxilium se missuram, qui in Suæ S. El. provinciis Suæ S. El. directioni suberunt; in reliquis autem id totum præfecto Generali Regio integrum erit, quodcunque in superiori articulo de Generale Electorali adductum & approbatum fuit, ita ut libera eidem præfecto Generali sit dispositio in sibi commissos milites, S. S. El. lis militaria imperia ad eam dirigantur, eaque inter suos distribuat, & omnia, quæ ab officio ejusmodi Generalis dependere solent, ei competant, ipse quoque ad consilium bellicum adsciscatur; quemadmodum & ille cum suis militibus in laboribus militaribus supra Electorales non gravetur, sed iisdem commoditatibus cum illis fruatur; cessante vero periculo rursus ad exercitus Regios cum suis remittendus est. Præterea quoniam 10.
contingere potest, ut conjunctio forte inter binos Generales, Regium & Electoralem fiat: ad submovendas igitur quæstiones, & lites de ipsorum munerum prærogativa convenit, quod quemadmodum eo casu, quo Regius & Electoralis pares officio militari conjungantur, Regio cedet Electoralis in præcedentia & prærogativis in militia consvetis; multo magis si Regius officialis munere fuerit superior: Ita si Regius officialis Electorali officio militari inferior sit, cedat ille præcedentia & prærogativis in militia consvetis Electorali, qui superioris fuerit officii. Quod vero imperia militaria concernit, obtineat id quisque Generalis aut Officialis in suas copias, Regius in Regias, & Electoralis in Electorales, eaque, quæ ad actiones bellicas pertinent, communicatis consiliis suscipiantur, in cæteris vero, quæ vel ipsas copias concernunt, vel minutiora aliqua circa officiorum ac munerum militarium prærogativas, ea consvetudo

& illa

656. *& ille mos observetur, qui inter copias Regias Sve-*
ticas, & alias Electorales in Imperio Germanico du-
11. *rante ibidem proximo bello usitatus fuit. Quan-*
doquidem ita comparatum est, ut S. R. Mtis & Sua
S. El. terræ & ditiones ita invicem cohæreant, & nunc
etiam vigore hujus Tractatus finibus propioribus con-
jungantur, & velut implicentur, proinde necessarium
visum est, ut de transitu militum per memoratos in
Polonia circulos certum aliquod definiretur: qua-
propter conventum est, quando agmina & cohortes
nullæ, sed pauci saltem milites vel officiales per præ-
dictas terras transiverint, tunc iis quidem salvus
passus, sed suis impensis & sumtu proprio conceda-
tur. Quando vero legiones vel cohortes per supra
indicatas ditiones agminatim aut turmatim ductæ
fuerint, gaudebunt illæ non solum salvo passu, sed
etiam per ordinatos ad id certos commissarios ne-
cessariis tantum & non superfluis cibariis, & neces-
sariis pro equis alimentis. Nullatenus autem com-
3. *mittendum est, ut exactiones quæcunque fœderati*
terris imponantur, aut quidquam ad luxum extor-
queatur; neque tardo transitu & stationibus oneran-
dæ & affligendæ provinciæ. Si vero quisquam con-
tra hanc constitutionem agere non veritus fuerit, ob-
ligabitur ad restitutionem damni, ac insuper condi-
4. *gnam pœnam subibit. Quamdiu hoc fœdus & ar-*
morum conjunctio durabit, tenebitur uterque fœde-
ratorum hyberna, & ad supplementa copiarum de-
5. *stinata stativa in propriis ditionibus & provinciis in-*
stituere, nisi quod S. R. Mtas auxiliaribus Suæ S.
El. copiis supra dictorum quatuor millium militum
sicuti propriis suis militibus quotannis attribuet hy-
berna, ex quibus menstrua stipendia accipere possint.
Quando vero Sua S. El. subsidio militari sex millium
militum à S. R. Mte misso necessum habuerit, illud
pari ratione cum suis sustentet. Ubi vero iis opus
non habuerit, aut suos in hyberna demiserit, Regios
etiam milites in tuta loca ad S. R. Mtis ditionem in
hoc supra dicto circulo pertinentia secure & tempe-
6. *stive deduci curabit. Hæc confœderatio & armo-*
rum conjunctio stabilis, solida, & indissolubilis vi-
geat inter S. R. Mtem Sveciæ, & Suam S. El. Bran-
denburgensem, ut & eorum respective Regna, pro-
vincias & ditiones, quoad institutum pacis in primo
articulo indigitatum ope & auxilio divino procu-
rari & revocari possit. Quod si vero cum utrius-
que partis in Polonico hoc bello hostibus præsentibus
& futuris, pacis vel tractatuum aliqua ratio obtige-
rit, promittit S. R. Mtas, se eos nec sine scitu Suæ
S. El. amplecti, nec in iis, quæ interesse Suæ S. El.
concernunt, sine ipsius communicatione ac voluntate
concludere velle. Vice versa promittit Sua S. El.
cum nullis utriusque partis hostibus huic bello sese
intermiscentibus, nisi sciente & volente S. R. Mte
separatim se tractare, aut concludere velle: quin po-
tius ambæ partes omni possibili modo & opera actio-
nes suas bellicas, tractatus, & consilia omnia eo diri-
gant, & componant, quo utriusque partis mutua uti-
litas & commoda quærantur, & curentur, damna
vero & jacturæ bonafide & pro virili avertantur.
6. *Quemadmodum præsens hoc fœdus contra nullos, qui*
ipsimet in sæpe memorato Poloniæ circuitu hostili-
ter sese non ingesserint, initur aut dirigitur: ita (sal-
vo tamen hoc fœdere) aliis fœderibus, amicitiis &
obligationibus, nominetenus vero paci Osnabrugi &
Monasterii Westphalorum anno 1648. cum Imperio 1656.
Romano conclusæ, ut & perpetuis cum Magno Mo-
scoviæ Duce pactis & amicitiæ legibus nihil deroga-
bit aut detrahet. Ratihabitionum permutatio-
ni quatriduum duntaxat concessum. Subscri-
pserant à parte Regis Ericus Oxenstierna, Sche-
ring Rosenhanius, Steno Bielkius: ab Electo-
ris parte Georgius Fridericus Comes de Wal-
deck, Nicolaus Ernestus de Platen, Joannes
Uldericus Dobrzenski de Dobrzenice, Mariæ-
burgi d. 15. Junii 1656.

§. 27. In eo confœderationis tractatu *Articuli*
id quoque agitatum, quomodo absque prævia *separati.*
deliberatione, quæ forte inter abruptas occa- *15. Jun.*
siones agendi tempora consumtura erat, Rex
ab Electore certum auxilium vi primarii in-
strumenti obtineret, quo secundum interve-
nientes belli rationes vel in suo exercitu vel
alibi pro arbitrio uteretur; super qua re ita con-
ventum. *Promittit Sua S. El. quod hoc anno* 1.
quamprimum velit non tantum promissum in ipsis
pactis IV. M. militum subsidium, sed insuper etiam
integras suas copias, quantas ipsius vires & præsens
rerum status permiserint, vigore quinti articuli in
ipso societatis bellicæ fœdere adversus communem
hostem & in campum educere, ac militaria negotia
actualiter aggredi & suscipere; idque iis in locis, &
eo modo, quemadmodum inter S. R. Mtem & Suam
S. El. peculiarius interim conveniet. Vicissim S. R. 2.
Mtas pollicetur, quod siquidem Sua S. El. superius
indicata ratione societatem belli nunc statim aggre-
diatur, quamobrem & S. R. Mtas subsidium IV. M.
militum, cujus evocandi libertatem alias haberet,
vigore articuli VII. in ipso supra dicto fœdere, apud
exercitum Suæ S. El. remanere sinet, nec inde alio
in loca evocabit toto hoc anni tempore, quod super-
est ad principium usque subsequentis anni 1657. nisi
contingat interea certas ob causas abrumpi universi
exercitus Electoralis actiones bellicas; quo casu,
(quem tamen vix accidere credibile,) S. R. Mtas
sibi reservat auxiliares illas copias IV. M. militum
ad se accersendi liberam facultatem, sicut illa S. R.
Mti vi fœderis competit.

§. 28. Super præmiis hujus conjunctionis *Articuli*
secreto pacto convenire placuit, quod hisce *secreti.*
capitibus constabat. *Quoniam Sua S. El. vigo-* 1.
re instrumenti confœderationis hoc eodem die con-
clusi primo auxiliatricem operam S. R. Mti præstan-
dam suscipit, atque ad præsens hoc Poloniæ bellum
accedit, S. R. Mtas in sublevationem sumtuum &
satisfactionem Suæ S. El. li tradit ac cedit totos
Palatinatus Posnaniensem, & Calisiensem, exceptis
tantum iis locis, quæ sita sunt à leva lineæ, quæ in-
cipiendo à finibus Novæ Marchiæ è regione fortali-
tii Drisensis ducitur ad Rogosna, relinquens prædi-
ctum oppidum cum agris, pascuis, & cæteris eo pro-
prie spectantibus à dextra sub ditione Suæ S. El. un-
de recta linea deinde ad Schermensel, & proximos
Cujaviæ versus Gembitzam terminos, (ita tamen, ut
si Gembitza in Cujavia sita sit, S. R. Mti, si vero
in Calisiensi Palatinatu, Suæ S. El. maneat,) usque
ad limites Palatinatus Lanciciensis continuabitur,
relicto itidem oppido vel pago Schermensel cum agris,
pascuis, & aliis eo proprie spectantibus sub ditione
Suæ S. El. adeo ut hisce nunc descriptis terminis ac
limi-

1656. limitibus ditiones S. R. Mtis, Regnique Sveciæ a
læva versus Notesium amnem, atque Cujaviam, &
Suæ S. El. à dextra versus Wartam in Majori Po-
lonia ab invicem perpetuo distinguantur. Hac tan-
tum addita conditione, quod si per ejusmodi rectam
lineam à finibus Novæ Marchiæ è regione propugna-
culi Drisensis Rogosnam & inde Schermensel, &
proximos Cujaviæ versus Gembitzam terminos
aliqua bona Regalia, aut Ecclesiastica interci-
dantur, maneant illi parti, intra cujus limites situa-
ta erunt; si vero privatorum bona dirimat su-
pra dicta linea, maneat quidem eorundem possessor
in bonis suis integris, sed dominium tamen utriusque
agnoscat, ratione earum terrarum, quas sub utro-
que possidet. Præterea cedit S. R. Mtas Suæ S.
El. totos Palatinatus Lanciciensem, & Siradiensem,
una cum adjacente terra Vielunensi cum omnibus
appertinentibus districtibus, bonis, & reditibus tam
regalibus & secularibus, quam Ecclesiasticis, intra
usitata illorum confinia sitis. Qui Palatinatus omnes
& singuli una cum terra Vielunensi, & omnibus in
illis comprehensis bonis tam secularibus quam Eccle-
siasticis ad Suam S. El. cum omni jure ac omnimodo
superioritate absque ulla ullius dependentia, & ad
quoscunque heredes tam masculos quam fœminas
transitorie pertinere debent. In quem finem etiam
S. R. Mtas spondet ac promittit, se omnia loca ac
fortalitia illis in oris S. R. Mtis præsidiis munita,
intra mensis spatium à die hujus tractatus numeran-
dum, Suæ S. El. tradituram, & sua præsidia inde
2. absque ulla dilatione abducturam. Quemadmo-
dum S. R. Mtas in ipso confœderationis instrumen-
to articulo 3. Suæ S. El. promisit, si quispiam Duca-
tui Prussiæ, Episcopatui Warmiæ vim aliquam in-
ferre, aut hostiliter aggredi auderet, se eundem ag-
gressorem pro hoste habituram; ita hisce quoque si-
militer spondet, si quisquam sub continuatione hu-
jus belli Polonici provincias in Polonia, Suæ S. El.
beneficio proxime præcedentis articuli cessas, vi in-
vaserit, vel hostiliter desolatus fuerit, omnem se ope-
ram daturam, ut ejusmodi hostis & invasoris cona-
tus impediantur, periculaque in tempore inde aver-
3. tantur. Quicquid autem in præfatis munimentis
& locis, quæ beneficio primi articuli Suæ S. El. ce-
dunt, tormentorum, bombardarum, instrumentorum
bellicorum, & commeatuum repositum est, id reser-
vabitur potestati S. R. Mtis sive hujusmodi inde au-
ferri & avehi voluerit, sive etiam pro suo & Suæ S.
El. commodo aliter de eo convenire & statuere; iis
vero in locis, ubi frumenti aliquid superfuerit, S. R.
Mtas promittit, se ejus tantum curaturam relinqui,
quantum pro præsidii Electoralis necessaria sustenta-
tione per mensem opus fuerit. Cæterum provide-
bitur de vectura prædictorum commeatuum & in-
strumentorum bellicorum, ut ex terris Suæ S. El.
cessis in munitum aliquem locum intra territorium
S. R. Mtis devehantur. Vel si inde mox avehi tu-
tum non fuerit, incertis vel securis aliquibus præ-
sidiis & locis Suæ S. El. ad meliores opportunitates
4. sarta tecta servabuntur. In sæpius memoratis pro-
vinciis, quæ evacuantur, & jure proprietatis Suæ
S. El. cedunt, quamvis Sua S. El. dispositionem in
Ecclesiasticis habeat, vigeat tamen juxta alia libe-
rum exercitium Christianæ religionis secundum in-
variatam Confessionem Augustanam, nec ullibi ullo
modo impediatur. Religioni huic addicti imperturba-
bate prædicta libertate gaudeant. Templa, scholæ 1656.
& alia eo spectantia ædificia extruere non impedian-
tur, quin potius promoveantur, adeoque subditi in
legitimo jure & æqua libertate conserventur. Bo- 5.
na Regalia, & spiritualia omnibus à S. R. Mte one-
ribus libera & immunia circa evacuationem, & dis-
cessum Suæ S. El. tradantur, atque tunc contribu-
tiones S. R. Mti non solutæ cessare debent. Quod
vero concernit bona Nobilium à S. R. Mte oppigne-
rata, vigore hujus omnibus iis, quibus oppignerata
sunt, licitum sit secundum literarum Regiarum te-
norem uti jure concesso. Reddita vero iis, qui ta-
lia bona Nobilia consecuti sunt, debita satisfactio-
ne, tenebuntur eadem sine controversia restituere.
Quamdiu autem illi in possessione bonorum oppigne-
ratorum manent, nihil in illis bonis adversus Suam S.
El. machinari obstricti sint, nec exemptionem one-
rum prætendant, quin ea potius cum cæteris Nobi-
libus paria subeant. In reliqua loca in tractatu 6.
confœderationis descripti Poloniæ circuitus omnia
& singula Sua S. El. nullum omnino jus vel præten-
sionem retinere intelligatur, quamvis etiam contin-
gat, Suam S. El. suis copiis nonnulla occupare.
Quemadmodum & S. R. Mtas quodcunque in Suæ
S. El. subsidium secundum modum alibi præscri-
ptum aliquid egerit, promittit, eo nomine nullam
satisfactionem vel pro se, vel pro militia sub quo-
cunque prætextu à Sua S. El. sese flagitaturam. Si- 7.
quidem continget turbatas nunc Poloniæ res supre-
mi Numinis beneficio ad pacatum atque securum
statum reduci, vi hujus præsentis conventionis S. R.
Mtas Regnumque Sveciæ, & Sua S. El. aut ejus
posteri obstringi intelligantur, quod debeant mutua
opera atque auxilio se invicem conservare, ac ma-
nutenere circa omnes ditiones ac terras, quæ tunc
cuique fœderatorum in perpetuam possessionem intra
sæpe memoratum Polonicarum provinciarum circu-
lum reservabuntur. De modo autem ipsius conser-
vationis, & manutentionis tunc post introductam in
prædictas regiones quietem uberius & in specie trans-
igendum est.

§. 29. Quia etiam dum pactum Regio- Illustra-
montanum deproperatur, aliqua ambigua tio pacto-
& obscura remanserant, disceptationi dein- rum feu-
ceps ansam præbitura, visum tunc quoque dalium.
ista illustrare. Quo fine in sequentia capita
conventum. Quanquam feudalia nuper pacta 1.
Ducatus Borussiæ, & Principatus Warmiensis inter
S. R. Mtem, & Suam S. El. peculiari eoque strictio-
ri nexu S. R. Mtem Regnumque Sveciæ ab una, &
Suam S. El. ab altera parte nunc combinent, atque
uniant: dicta tamen pacta, & ipse nexus feudalis
ad negotia Imperii Romani non debet trahi, nec
præjudicare Suæ S. El. juribus, dignitatibus, & li-
bertatibus in Imperio Romano. Si quæ inter S. 2.
R. Mtem ejusque successores Regnumque Sveciæ ab
una, & Suam S. El. ejusque descendentes masculos
Borussiæ Duces & Principes Warmenses ab altera
parte controversiæ graviores feudum concernentes,
in quibus aliis in feudis ad privationem procedi pos-
set, exoriantur, per commissarios ab utraque parte
numero æquali constitutos exortarum controversiarum
circumstantiæ exquirantur, & ratio amicabilis compo-
sitionis cumprimis & studiose ineatur: ea vero frustra
succe-

succedente non nisi secundum leges & consvetudines feudales procedatur. Si super finibus, & aliis negotiis & causis, quæ hisce pactis definitæ non sint, dissensiones emergant, pariter per Commissarios à S. R. Mte, & Sua S. El. constitutos componantur. Quod attinet jura fisci, postarum, monetæ, vectigalium per lacum vulgo Frischhaf *dictum Regiummontem transvectis, & alia quæcunque territorialia jura, quandoquidem articulus XV. pactorum feudalium continet & disponit, quod Sua S. El. debeat manuteneri in justa & plena Ducatus Borussiæ possessione cum omnibus juribus, nullis penitus exceptis ex iis, quibus eum Sua S. El. secundum pacta, & conventiones hactenus possedit, & eo usa est: Ideo S. R. Mtas hoc ipso contestatur, se velle quantum in se est conservare Suam S. El. circa omnia & singula eidem competentia jura. Quod si vero in uno & altero supra specificatorum jurium dubium aliquod vel hactenus sit natum, vel postbac oriri possit, super illis S. R. Mtas accepta plena rei controversæ informatione eam componendæ talis controversiæ rationem cum Sua S. El. inibit, quæ potissimum affectioni & concordiæ conservandæ, propagandæque conveniens esse poterit. Interea maneat Sua S. El. quæ & ipsa compositionem ejusmodi dubiorum, quantum in se est, non evitabit, sed provehet, in eo statu, in quo initio moderni belli Polonici fuerit. Si Sua S. El. aut quisquam successorum ejus decedet, relicto hærede masculo adhuc minorenni, statim à die*
4. *excessus Suæ S. El. aut successorum ejus tutores interim in nomine eorundem regimen Prussiæ Ducalis, & Warmiensis Principatus suscipient, & ea expedient, quæ Sua S. El. tanquam Dux Prussiæ in negotiis regimen concernentibus egit atque expedivit. Tutores autem hi testamento aut quacunque alia dispositione fidem tantum de voluntate disponentis faciente à Sua S. El. & successoribus libere constituentur; hoc observato, ut nullo modo hostes Sveciæ sint, & juramento se coram defuncti consiliariis superstitibus obstringant, se omnia, quæ pactis inter S. R. Mtem & Suam S. El. continentur, fideliter tempore administrationis observaturos. Tutores vero mox à præstito tali juramento, & suscepto regimine formulæ à se præstiti juramenti de verbo ad verbum conceptæ subscribent, & eandem S. R. Mti in originali transmittent. Si successores jam adulti,*
5. *h. e. XVIII. annorum fuerint, statim à die obitus prædecessorum suorum Ducatum Prussiæ absque ullis solennitatibus præviis regent, & libere uti antecessores sui administrabunt, nullis ipsis à S.R. Mte, aut alio quopiam objectis impedimentis; ita tamen ut & illi à primo suscepti regiminis die ad feudalium, aliorumque inter S. R. Mtem Regnumque Sveciæ, & inclytam Domum Electoralem Brandenburgicam pactorum observationem æque obstricti esse habeantur, ac si ipso opere feudi investituram suscepissent, quam etiam constituto in pactis tempore petere debebunt.*
6. *Quod subsidium D. equitum & M. peditum, quod S. R. Mti Sua S. El. vigore pactorum feudalium articulo XXI. præstare tenetur, declarat se S. R. Mtas, quod Sua S. El. non obstringatur in propria persona in expeditionem prodire. Quod vero dicti subsidiarii milites in expeditionibus constituti supplementum & cæteras ejusdem conditiones attinet, ea habeatur ratio & observantia, qualis antea durante nexu cum Polonia observata fuit. Si tamen aliquis ex supra dicto Electoralis militis numero in provincias Electorales aufugere præsumserit, teneatur Sua S. El. talem transfugam, ubi ille deprehendi iterum poterit, S. R. Mti restituere. Commeatus vero his copiis non nisi quamdiu in Ducali Borussia substiterint, aut sex ab eorum egressu septimanis à Sua S. El. præbebitur. Postea vero ipsis de sustentatione, & stipendio militari secundum pacta à S. R. Mte provideatur.* Cum etiam transiens terras Electorales miles Svecicus ingentia damna daret, post conjunctionem inter Regem & Electorem conventio super moderando transitu inibatur. Qua tamen provincialium querimoniæ non extinguebantur, præsertim cum Svecicæ turmæ in Ulteriorem Pomeraniam sese subinde recipientes Polonos eodem attraherent.

§. 30. Porro ut ad isthoc consilii Elector descenderet, tum aliæ rationes subigebant, tum vel præcipue, quod nil amici à Polonis expectandum ipsi pateret, si hosce Svecis raptim profligatis ita repente emergere contigisset. Qui & parum curabant, quod Elector protestatus esset, se ob pactum initio anni cum Svecis initum Polonorum hostem haut evasisse, sed deinceps quoque extra partes acturum. Equidem Joannes Casimirus Rex Electori reditum suum intra Poloniæ fines literis Landshuto scriptis significaverat, spe facta, se brevi Svecos Borussia abstracturos, modo ipse firmus persisteret. Sed id serum jam erat. Nec eo minus Leopoli splendida legatio ad eundem designabatur, cui obeundæ nominabantur Wenceslaus Comes à Lesno Episcopus Warmiensis, Jacobus Weierus Palatinus Mariæburgensis, Stanislaus Witoroski, Stephanus Czarnecki, Stephanus Kobienski, & Nicolaus Podlodovvski; qui omnes pro uno, & unus pro omnibus exponerent, Regi ac Reip. haut persvaderi, Electorem cum Svecis transegisse, aut si quid in speciem factum sit, id mox correctum iri, denuntiato simul, militiam Polonicam deserto Sveco ad legitimum Regem evertisse. Ex istis solus Podlodovius ad Electorem accessit; qui petebat, ut Elector abdicato Sveco ad ferendum Poloniæ auxilium sese accingeret. Cui hic respondit; quanquam è nexu fiduciario non nisi centum equites Polonis auxilio submittere teneatur; tamen se toto cum exercitu iisdem subvenire haut recusaturum, ubi prius constet, qua ratione sibi super sumtibus hujus expeditionis, tum adversus periculum à Svecis imminens satis caveri queat. Unde eum legato in certas conditiones conveniebantur, qui pollicitus fuerat, sese curaturum, ut istæ à Joanne Casimiro ratæ habeantur. Post & per literas petebat Joannes Casimirus, ne Elector bona eorum, qui in Ducalem Borussiam confugissent, inprimis Pacii in fiscum redigi pateretur. Quod & ab hoc præstitum, utut iis bonis Sveci valde iminerent. Gosievius quoque qui eo ipso tempore Regiomonte egerat, quando cũ Svecis tractabatur, ac Electori vehementer svaserat, ut per conventionem cũ Svecis immi-

Cum Polonis acta. *24. Jan.* *10. Febr.* *19. Mart.* *Pax.* *Gosciewski.*

1656. imminenti sese periculo eriperet, demum Electore insalutato inde se subduxerat. Id quod Joannes Casimirus literis ad Electorem excusabat; eum non bello captum, sed dolo collegæ sui Radzivilii Regiummontem pellectum, mox aperta vi detentum; nec Svecis unquam sacramento obstrictum, eoque non indecorum ei fuisse quocunque modo in libertatem pervadere. 2. Jun. Sed & Polonorum instinctu Tartarorum Hanus literis ad Electorem scriptis conjunctionem cum Svecis dissvadebat. Cui Elector responso suo causas initi cum hisce pacti exponebat; quo non obstante sibi curæ fore pacem inter bellantes Reges promovere; ac spem esse, Hanum idem facturum. Haut eo minus constabat, vulgus Polonorum magnopere Electori infensum esse, velut capiti Protestantium, ob quos toleratos ista sibi evenisse à sacerdotibus infatuati credebant. Quin & multi Senatores in Electorem culpam conferebant irruptiones Svecorum in Poloniam, quod is transitum hisce per suas terras concessisset; utut demonstraretur, id prohibere penes Electorem non fuisse, cum Pomerania plana, & ubique pervia sit regio, nec in promtu fuerit exercitus sat validus istis arcendis. Sed & non parum suspicionis injiciebat Electori votum à Rege Joanne Casimiro in templo Cathedrali ad altare majus coram imagine Beatissimæ Mariæ Virginis Leopoli conceptum inter missæ sacrificium à Nuntio Apostolico celebratum proxime ante elevationem venerabilis hostiæ, universo clero & populo audiente, & annuente, Senatuque, & tota Aula, Regis verba excipiente, seque iisdem obstringente. Quod conceptis verbis, exprimendo religionis istius genio, transcribere placeat.

Joannis Casimiri votum. 1. April.

Ego Joannes Casimirus, tui filii Regis Regum, ac Domini mei, tuaque miseratione Rex, sanctissimis tuis advolutus pedibus Te in Patronam meam, meorumque dominiorum Reginam hodie deligo, atque me meumque Regnum Poloniarum, Magnum Ducatum Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Czernichoviæ &c. exercitus utriusque gentis, populos universos tuæ singulari tutelæ atque patrocinio commendo. Tuam operam atque misericordiam in hoc calamitoso ancipitique Regni mei statu contra hostes Sacræ Romanæ Ecclesiæ supplex imploro. Et quia maximis obligatus beneficiis tuis impellor una cum gente mea ad novum, idque fervidum tibi serviendi desiderium, promitto deinceps meo, satraparum, populorumque meorum nomine tibi, tuoque Filio Domino Jesu Christo, me cultum ubique & honorem tuum per ditiones regni mei omni studio propagaturum. Promitto præterea ac voveo, me ubi præpotenti tua intercessione, & Filii tui magna miseratione de hostibus, & præcipue Svecis victoriam obtinuero, apud S. Sedem Apostolicam procuraturum, Tibi, tuoque Filio in gratiarum actionem, ut dies hic quotannis solennis & festus, idque in perpetuum habeatur, daturumque cum Episcopis Regni mei operam, ut id quod promitto a populis meis impleatur. Cum vero magno animi mei dolore luculenter videam, propter gemitum & oppressionem hominum conditionis plebeiæ in Regna mea immissa à Filio tuo justo judice flagella pestis, bellorum & aliorum malorum per hoc septennium; promitto insuper ac voveo, me serio cum universis Ordinibus pace constituta rationes omnes initurum, ut à gravaminibus injustis, & oppressionibus populus Regni mei eximatur. Fac ò misericordissima Regina & Domina, sicut eam mentem mihi ad hæc concipienda vota dedisti, ita gratiam apud tuum Filium ad eadem impleuda impetres. 1656. Haut eo secius Joannes Casimirus paulo post edictum promulgavit quo conscientiæ libertas firmabatur; quod Dissidentium eo in Regno haut spernendæ vires essent, quos ad desperationem adigere haut consultum erat. Cæterum etsi unus & alter à Joanne Casimiro ad Electorem mitteretur, qui ut desertis Svecis ad ipsius partes rediret, solicitabat; oblatis tamen nihil tuti suberat. Ac mox cum Poloni respirasse sibi viderentur, ab iisdem missus veniebat, ut sub perduellionis pœna Elector intra triduum relictis Svecis Polonico exercitui sese jungeret. Cui ab Electore responsum; sese cum priore legato in certas leges convenisse; earum ratihabitio si adferatur, istis sese satisfacturum. Sed cum legatus de iisdem quid sibi constare negaret, irritus dimissus est. Nec enim adparebat, qua ratione tunc Elector salvis suis rebus à Suecis expedire se posset, qui è Regia Borussia graves imminebant tale quid tentanti. Ac adversus hosce Polonos, Tartarosque in auxilium evocare, medicina erat morbo ipso nocentior. Pronum tamen semper in pacem & conservationem Poloniæ animum idem ostendebat, rogans, ut Regi idoneas eum in finem conditiones proponere placeat. Ad extremum venit Theodorus Maidelius, supremus Poloniæ Venator, cum literis ad Warsaviam scriptis; quibus denuntiabat Joannes Casimirus, sese validum jam exercitum contraxisse, in quo sex millia veteranorum peditum sint, è præsidiis detractorum; quibus sustinendis Sveci haut quidquam pares futuri sint. Addebat, si credere Elector nolit, Regi exercitum esse quadraginta bellatorum millibus constantem, aliquem è præfectis suis mitteret isti perlustrando, quem ipse illæsum remissurus sit. Tum satis quidem imperiose postulabat, ut Elector ad Joannis Casimiri partes rediret, ac omnibus suis copiis in Suecos rem gerere velit; cum tamen per vetera pacta non nisi centum equites auxilio mittere teneretur. Attulerat quoque idem literas à Joanne Casimiro ad supremos Borussiæ consiliarios, & Ordines; quibus eos ab obsequio Electoris abstrahere conabatur, quas literas tamen Ordines sine mora Consiliariis tradiderunt. Unde Elector probe observari jubebat, quinam ad illum introirent, & quibuscum is colloquia misceret. Visum tamen Electori eundem aliquot per dies Regiomonte detinere Svecis eo magis urgendis, ut conditionibus à se proponendis annuerent: cum rationis non esset tanto res suas periculo exponere nullo operæ pretio facto. Sed cum tractatus cum Svecis ad finem vergerent, iste re infecta dimittebatur, cum responso:

18. Jun. Maidel. 9. Jun.

Ad

1656. Ab Electore unicè pacem respici, ac ut Joannes Casimirus eidem animum adplicare, ejusque conditiones proponere velit: simul quæ ipsi leges æquæ videantur, Maidelio explicabat. *17. Maii.* Nec eo minus inter missitationes istas Poloni minas in Electorem jactatas repræsentare cœperant, irruptione in præfecturam Novo-Stetinensem facta. Obtentui jactabatur, velut in conventu Deputatorum Francofurti declaratum foret, Polonis fas esse violentas retorsiones adversus Electoris ditiones suscipere. Id quod tamen fictum erat, cum eo nomine nil in isto conventu propositum esset, ac ne verbum quidem responso ad literas Polonicas de eodem insertum esset; etsi Austriacorum, & paucorum aliorum sententiis, ac privatis sermonibus tale quid insinuatum foret.

Elector Mosci amicitiam servare studet. *Majo mense.*

§. 31. Porro uti Electorem gravissimæ caussæ subigebant, quare arma cum Svecis in Polonos stringeret: ita contra cura fuit Mosci amicitiam servare, abs quo infesto Borussiæ alias ingens periculum imminebat, velut cui Caunum usque progresso apertum è Lithuania ejus provinciæ latus patebat. Præsertim cum Czar ultro ablegatum Regiummontem misisset, confirmandæ à bello immunitati superiore anno promissæ. Qui & postulaverat, ne Elector Svecis auxilium præstaret, si bellum inter se atque hosce exardescere contingat; simul quas apud Svecicum exercitum copias haberet, inde revocaret. Addebantur in Svecos querimoniæ, ac Czaris fœdus actius offerebatur. Ei responsum; Electorem in universum nemini adversus Czarem auxilii quid laturum; tum cupidum esse Sveciæ Regem pacis cum Czare colendæ; ac si quid controversiæ sit, se officium sequestris obiturum. *Legatio ad Moscum.* Obtulerat Elector se scripto cauturum in Czarem nil auxilii cuipiam latum iri, si par vicissim cautio sibi detur; de qua ablegatus nil sibi mandatum excusabat. Eo magis necessarium judicabat Elector legationem ad Czarem maturare, cum & Sveciæ Rex declarasset; cordi sibi esse pacem cum isto colere, ac si justæ querelæ aliquid sit, quantum honeste possit ipsi satisfacturum; simul ut Czari insinuant, Cæsarem fœdere cum ipso nil nisi propria emolumenta cum Czaris detrimento quæsitum ivisse. *Ejus mandata. 1. Jul. Eulenburg.* Ei legationi obeundæ adhibitus fuit Jonas Casimirus Eulenburgius Baro: cui injunctum Electoris dignitatem observare, ac parem cum legatis Regiis honorem exigere: & cum constet, quo honore quondam legati Friderici Holsatiæ Ducis à Czare excepti sint, demonstraret; Electorale fastigium Principum dignationem non parum eminere, ac Electores præ Regibus, qui feuda Imperii possideant, in conventibus Imperii locum sortiri: tum inter Electores nemini tot terras, quam Brandenburgensi possideri. In receptione & deductione ad Czaris alloquium Moscico delegato dextræ manus honorem ne concederet. Nam etsi sibi cum Czare super priore loco controversia non sit, grande tamen discrimen esse inter legatum, qui personam sui Principis refert, & inter eum, qui ad officia circa hunc obeunda destinatur in loco, ubi suus Princeps degit: prout in omnibus Principum Christianorum aulis more est receptum; & ipsa ratio evincit, præsente Principe à ministro ejus dignationem repræsentari non posse. Postularet etiam, ut Moscicus Cancellarius integrum Electoris titulum recitet; utque Czar, quando pro more de hujus valetudine sciscitatur, sella surgat, ac nisi diademate redimitus assideat, caputque aperiat; simul nudam manum osculandam porrigat: utque dum literæ fiduciariæ recitantur, ipsi permittatur tecto capite assidere. Antequam munera publicè offerat, stipularetur, mutua dona Electori per ipsum mittenda. Inter colloquia priorem locum, aut parem saltem cum Moscicis Commissariis ad alterum mensæ latus sumeret. Ad Czarem admissus in hunc sensum verba faceret: *Non posse non in signum singularis affectus accipi, quod Czar non solum dolere sibi ostenderit damna provinciæ suæ per Svecos præterita hieme illata, studio quoque suo ad auxilia ferenda declarato; sed & per ablegatum suum querelas in Svecum communicarit, oblato fœdere artissimo æquis admodum conditionibus; per quod reparatio accepti damni obtineri possit. Id quod grato à se animo acceptandum fuerit, si ante factam cum Sveco transactionem de Czaris benevolentia innotuisset. Quanquam autem suæ res in præsens ejusmodi fœdus non permittant, testando tamen in Czarem grato animo, affectuque declarare, ne lautissimis quidem oblatis conditionibus se permotum iri, ut in partem belli, si quod inter Czarem & Svecos oriatur venire, aut istius hostes pecunia, milite aut annona sublevare, multo minus fœdere cum quopiam adversus Czarem conjungi velit. Quam in rem Elector scripto cauturus fuerit, si Moscicus nuper ablegatus itidem scripto cavere voluisset, intra certum tempus à Czare cautionem exhibendam; ipsum successoresque suos Electoris ditionibus per se nil damni illaturos, nec aliis eadem invasuris auxilii quid laturos. Sed quia ablegatus iste in ejusmodi cautionem ne sub spe rati quidem consentire voluerit, sed potius talia postulare institerit, quæ non amplius in Electoris potestate fuerint, ideo id negotium ad hanc legationem fuisse differendum. Quo nomine ut commissarii sibi adjungantur petere.* Si fœdus cum Sveciæ Rege initum exprobretur, legatus jubebatur confirmare; Electorem controversiis, si quæ Czari cum Svecis obvenire queant, sese haut ingesturum, ac neutri partium accessurum; simul rationes adduceret, ob quas id pactum ineundum fuerit. Quod Sveco delectus & transitus in Electoris ditione concessi sint, id factum eo tempore, quo amicitia inter Czarem & Svecum firma persistere credebatur; nec sperare à Czare desideratum iri, ut pacta abrumpantur. In tractatione legatus jubebatur observare, ne conventio forma diplomatis tutelaris, prout nuper factum, conciperetur; sed ut ea in certos articulos digeratur, ac omnes conditiones iisdem verborum formulis reciprocentur; tum ut totus Electoris titulus exprimatur cum appendice Moscis solito; *& multarum aliarum terrarum dominus ac moderator.* 1656.

1656. Basilow. Tum ut Moscicum juxta ac Teutonicum exemplar, uti pactis inter Joannem Basilidem, & Albertum primum Borussiæ Ducem factum, junctim complicata simul obsignentur. Quanquam etiam hactenus traditum sit, à Czare nullas literas propria manu subscribi: legatus tamen velut privatim exploraret, num id Cæsari aut ulli alteri fieret, & quæ verba affectum testantia adhibeantur: ac re explorata parem honorem exposceret; ac si recusetur protestationem interponeret, Electorem quoque deinceps propria manu haut subscripturum. De cætero quantum posset Czarem ad pacem hortaretur, confirmaretque à Sveco ipsi ex æquo satisfactum iri; ostenso, ubi pax recusetur, Czaris progressus apud vicinos ingentem æmulationem parituros, ac longe plus securitatis ipsius statui conciliatum iri, si idem potius vicinorum vires in æquilibrio servare instituat.

Apud Moscum acta. §. 32. Ejus legati iter per varia impedimenta extrahebatur, ut demum ad Czarem perveniret, cum hic castra jam ad Rigam posuisset. Initio Mosci nonnihil offensæ ostendebant, quod ipsorum ablegatus Regiomonte per quinque septimanas detentus fuisset; qua mora pars æstatis, & occasio inita cum Dano societate in Svecos rem gerendi elapsa sit; & quod Magni Gardii literæ interceptæ forent, quibus optaverat, ut Electorales copiæ Svecicis junctæ propediem in Lithuaniam penetrarent, ac Moscos in angustias redigerent. Sed cum is hæcce utcunque excusasset, negotium ex voto, etsi non sine multis procrastinationibus, succedebat. Cerimoniæ tamen non omnes, uti mandatis præscriptum fuerat, obtineri poterant, etsi eodem honore, quo Danicus nuper legatus, haberetur. Titulus Electoris integer legi: cum de hujus valetudine Czar sciscitaretur, paululum sella se levare, ac mitram movere; nudam quoque manum legato osculandam offerre. Idem post factam propositionem sella posita assidebat; ut tamen caput tegeret non permissum, quod Danicus id non fecisset. Mutua munera per peculiarem legatum mittenda, quod moris apud ipsos non sit, statim per eundem ista remittere. Inter privata colloquia prior locus legato haut concessus, quicquid rationum occineretur; neque Danum id obtinuisse. Curlandicum legatum, qui tunc in castris erat, accedere non dabatur. Inter colloquendum statim rationem capiebant, quare ab Electore fœdus cum ipsis non posset iniri contra Svecos valiturum. Id maxime laborabant, ut Electorem Svecica societate abstraherent; nam facta inter se ac Polonos pace, circa quam nunc valde satagatur, male cum isto actum iri. Inde variæ quæstiones movebantur: Num Czari tutum sit cum Electore pacisci? An non hic Poloniæ Regno obligatus sit, aut ab alterius Principis tutela dependeat? Ac id haut ita se habere, legatum scriptam cautionem poscebant. Summa conventionis huc redibat, ut æterna inter utrumque Principem sit amicitia; ut Czar ipse, suique successores in perpetuum Electoris ditiones bello ne invadant, nec ut sui subjecti invadant indulgeant, neu ejusdem hostibus quibuscunque suppetiarum quid ferant. Eadem vice versa Czari ab Electore promittebantur. De Svecorum delectibus prohibendis cum Mosci verbo monerent, Eulenburgius reponebat: liberos homines esse, qui stipendia mereant, ubicunque prior occasio offeratur. In literarum inscriptione, queis fides legationis obitæ fiebat, titulus *Serenissimi* extabat, cum antea negassent, in sua lingua ejusmodi vocabulum extare. Sed appendix, *multarum aliarum terrarum dominus & moderator*, omissa erat, quod Elector non semper & ubique eadem utatur, eaque in procuratorio quidem extet, non item in literis fiduciariis: nec eandem Czar alteri Principi tribuat. Intercedebat quoque Elector, ut Czar inter tractatus cum Polonis Protestantium causam suscipiat. Id quod huic gratum erat, ac eo nomine statim ad suos Vilnam legatos scribebat, ubi tunc cum Polonis non sine spe successus de pace agebatur. Super confirmatione pacti molesta diceptatio erat. Nam initio postulabant Mosci, ut legatus juraret; sed ipsi vicissim nolebant Czarem osculandæ crucis ritum obire; quod eum morem apud se exolevisse causarentur, recusata quoque propriæ manus subscriptione, nisi Elector fœdere adversus quoscunque Czari illigari, aut ejusdem clientelam subire velit. Demum proponebant; si legatus scripto cavere velit, Electorem neque in Cæsaris, neque Poloni, neque Sveci clientela esse, Czarem propria manu pactum subscribere velle. Quam cautionem legatus dare abnuebat, velut superfluam. Tandem cum noster multo labore Moscis inculcasset, nexum fiduciarium, quo Elector Imperio obstringitur, summo ipsius fastigio nihil derogare, omissa ea cautione jusjurandum exigebant. Et quanquam legatus isthoc, ut & osculum crucis ad aliam legationem differre cupiebat; Mosci tamen eam dilationem adspernabantur, quod in procuratorio ipsius nihil restrictionis adpareret. Ita demum jurandum fuit, sed citra verba concepta, prout legato ex tempore in mentem veniebat; quo facto Czar pactum propria manu subscribebat: id quod Mosci magno imputabant, velut nemini alias factum; cum Czar ne privatis quidem literis nomen suum adponere soleat, nisi aliquando, dum ad uxorem, aut Patriarcham scribit. Oblatum sequestris officium inter Czarem & Sveciæ Regem Mosci initio frigide acceperant, de gravibus Svecorum offensis multa crepantes; ad extremum tamen, post responsum jam traditum ultro petebant, ut Elector rem ad bimestres inducias deduceret; quod Rigæ capiendæ spes decollasset, qua adhuc superstite obtentu variorum negotiorum istum detinuerant. Cæterum dum Eulenburgius apud Czarem agit, ab hoc alius ablegatus ad Electorem venerat, supra communem gentis sortem infacetus atque importunus, quod certa Rigæ capiendæ spes adhuc immensos spiritus adderet: qui postulare ausus erat, ut Elector totam ipsius propositionem stans audiret, simul ut idem Borussiam deinceps à Czare velut feudum reco- *Mosci ad Electorem legatio.*

1656. recognosceret. De pace quoque inter Svecum & Czarem Electore sequestre conciliandâ dixerat; non alia lege eam concessum iri, quam si Svecus Livoniam reddat, ac sumtus belli refundat. Ast Elector inter ancipitem adhuc belli eventum feroces animos haut magis irritandos judicans, improbum postulatum eludebat, re tanti momenti ad consultationem cum agnatis, Ordinibusque provincialibus rejecta. Post Czar acceptato Electoris circa conciliandam pacem officio, Goldingam Curlandiæ arcem suscipiendis tractatibus proposuerat. Vicissim Elector postulabat, ut in signum
21. Nov. serii in pacem studii Czar detentos Moscoviæ legatos Svecicos dimitteret, & pro Goldinga parum munita arce Memelam acceptaret. Sed ad hoc demum mense Junio sequentis anni responsum: à Sveco pacem haut serio quæri; operam tamen daret Elector, ut quas conditiones pacis Rex propositurus sit, expiscaretur. Sed rerum facie interim mutata id negotium effectu caruit.

Cæsari de conjunctione cum Svecis significatur. 27. Jun. §. 33. Cæterum negotiatione cum Svecis absoluta Elector per literas Cæsari significabat, quæ necessitas ipsum ad isthæc consilia compulerit, Polonis hostilia jam orsis, & atrociora minantibus. Eam conjunctionem tamen Poloniam duntaxat, & Borussiam respicere, ac obligationem adversus Cæsarem atque Imperium illibatam sibi persistere, comprehensis quoque eadem omnibus suis fœderatis. Simul orabat, prohiberet, ne Poloni ipsius in Imperio sitas ditiones invadant. Ad quas literas in neutram partem quid responsum. Ast
Ut & Regi Poloniæ. 1. Jul. ad Poloniæ Regem super hoc negotio in hunc sensum scribebat Elector: *Se & votis mitiora Poloniæ fata precatum, & servandæ paci, avertendæque Svecorum armis fecisse quæ potuerit: sed ex ea opera incassum consumta apparere, Numinis iram nondum expiatam. Unde circa sua servanda studium sublisse, gliscente indies periculo; cui declinando non aliam superfuisse viam, quam Svecorum arma transactione avertere. Sed cum extra belli consortia tuto agere non liceret; præsertim interceptis mandatis Czarnecio datis, quibus ipsum hostili modo habere jubebatur, aliorumque infesta ominantibus literis necessitatem sibi allatam arctius cum Sveco fœdus ineundi. Haut eo secius pristinam persistere mentem omnia consilia ad pacem referendi, si ipse Rex eandem sibi magis, quam ancipitis eventus arma cordi esse testetur.* Ad istas literas
Qui respondet. 5. Jul. Joannes Casimirus Rex responso suo multis super Electoris queri. *Tres à se missos nullo literario responso dimissos, quarto vix literas datas oblatæ legationis testes. Exercitum Polonicum, qui præterita hieme tanta damna dedisse arguatur, in fatali illa rerum conversione suum non fuisse. Se paterno officio satisfecisse suadendo, dissimulando, obtestando. Epistolam ad Czarnecium privatam fuisse, nec hostile quid continentem: quin eundem jam procurrentem Prussia abstinere jussum. Equidem agnoscere Numinis in se iras; sed inde haut peti posse idoneam causam fidem exuendi, ac in Svecorum partes desciscendi. Haut eam fuisse viam reducendæ paci, ac sistendis Svecorum armis; ut frustra armatum ambitioso pacis vocabulo illudere. Coërceri debuisse intra Borussiæ fines exercitum, si pacis magis, quam belli studium placeret. Nunc copiarum cum Svecis conjunctionem nil pacifici spirare. Non Svecis minus, quam sibi dubiam Martis aleam occinendam. Unicam rationem cives ditionesque servandi esse pro legitimo Rege, pro justa causa, pro jurata fide arma expedire, aut saltem retro pedem ferre, ac intra Borussiæ fines securè exitum alieni certaminis spectare. Abrumpi fidem sibi datam non posse, ni omnia simul salutis vincula rumpantur, ac status ipse in præceps detur. Porrò quâ fiducia iste factam cum Svecis conjunctionem ipsi significandam duxerit, eadem se, ac jure quidem & à legitima potestate imperare, ut intra triduum extra fines regni exercitus amoveatur. Quod si ultra tres dies apud hostes egerit, se postbac omni vinculo solutum fore, & exemplum se vel nolentem secuturum hostilia in subjectas isti provincias patrandi; qui prior infesta arma in Regni viscera promovit. Præsentem, posteramque ætatem judicaturam, malorum omnium initia ac progressum ab isto promanasse, cui de cætero meliora consilia precetur.* Acerbis hisce Regis literis Archiepiscopus Senatus nomine epistolam addiderat: *cum Elector antiqua & sacrosancta Borussiæ cum Polonia Regno vincula abruperit, ac pro vasallo Regis, fideque Reip. Principe socium Svecorum professus in viscera Regni cum exercitu pervenerit, castrisque hostium se suasque vires admoverit; Regem, Senatumque ac totam Rempublicam consultum duxisse jus supremæ autoritatis in istum distringere, dignitatemque suam fortibus & legitimis remediis tueri; simul Regiis literis suas quoque addere, ut iste intelligat matura deliberatione ac publico consensu secum agi. Penes Electorem fore amicum, aut hostilem modum amplecti. Ipsos certe universi orbis judicio absolvendos, si omnibus remediis incassum consumtis ad extremum dignas majestate Regis ac Republicæ rationes iniverint.* Enimvero etsi Electori in promtu esset demonstrare, atrocia ista Polonorum verba nullo juris fundamento niti, & quæ postulentur plane à ratione abhorrere: tamen indecorum ducebat verbis certare, postquam hucusque processum esset, ut Marte arbitro causa cernenda foret.

§. 34. Inprimis & Belgis causas conjunctionis suæ cum Sveco adprobare studebat, Elector datis ad eos literis, quibus super solicitudine sua circa pacem Poloniæ præfatus memorabat. *Enimvero seu infesta ejus Regni fata vinci non potuisse, seu homines ultro adversus fidelia monita aures mentesque obturasse, ut animum despondere, periculis januam aperire, ac regno facessere, quam salutari consilio obtemperare maluerint. Unde statim causam sibi fuisse ejusmodi consilia capessendi, queis inter tantam publice socordiam res suas extra periculum subduceret, ad quod initio commodior via, quam deinceps arriserit. Nec minus notorium, talia adversus se & majores suos patrata, ac eam publice significatam libidinem ista provincia se exuendi, ut Poloni de se meriti non sint, quare ita desperatis rebus suam salutem in istorum gratiam prodigere, & una cum iisdem in exitium ruere debuerit; præsertim cum hostilia in eum Regem* 1656. Belgis de capto consilio significatur. 6. Jul.

 gem

1656. *gem sumenda forent, quicum jura sanguinis, vicinia, atque alii graves respectus amicitiam sibi exercendam commendabant. Maluisse tamen se extrema in emolumentum Poloniæ tentare, quam unquam aliorum in se censuram excitare. Eo fine cum exercitu magnis sumtibus comparato Polonis ad latus constitisse, de studio suo significasse, ac ut mature vires sociarent monuisse. Sed tantum abfuisse, ut isti tam amicos conatus fulserint, atque promoverint, ut potius sua cœpta impedierint, delectus turbaverint, tantum se pecunia popescerint, velut suum non istorum negotium ageret, aut regnum argento sibi comparatum iret. Quin aliqua ejus parte accepta tergum obvertisse, & postquam denuo parti eorum pacto sese innexuerit, conventa haut servata, ac ita languide omnia administrata, ut nullum cum istis operæ pretium fieri potuerit. Usque adeo quemlibet privatis commodis inhiasse, publico insuper habito. Mox Regem & partem Senatorum extra Regnum profugisse, nullo indicio facto circa res restituendas laborari. Aliam partem Senatorum Sveco se dedidisse, ac ad suum exemplum sequendum scripto invitasse. Quartianos sub procerum Poloniæ ductu in Borussiam irrupisse, ac immani populatione facta cogere ipsum potuisse, ut postquam Regnum capite sit destitutum, eandem secum viam iniret, ne incassum fatis obluctando iram victoris irritaret. Enixe insuper Ordines provinciales institisse, ut ipse in leges istis communicatas cum Sveco decideret, ista ratione qua sola superfuerit pacem reductam, cives servatos; ac spem fuisse, Polonis id quoque probatum iri. Prout & Joannes Casimirus Rex initio confessus sit, ipsum fecisse quantum in se fuerit, nec id declinare potuisse. Ex eo tempore neutri addictum egisse, pacique reducendæ operam navasse: simul plurimis Polonorum, quos inter non pauci Senatores, in provincia sua tutum receptum præstitisse. At post cum Poloni vires recepisse visi fuerint, intellectum, pacta sua à Polonis sinistre admodum recepta, ac velut defectionis crimen habentia diffamata, intentatis minis cives ad rebellionem sollicitatos, milites corruptione tentatos. Apud se profugos, cum diu inimica machinati essent, demum contra datam fidem clam facessisse, fide sua, quam ipse pro iis apud Svecos interposuerat, prostituta. Inde in Pomeraniam irruptionem factam, cui alias nil cum Polonia negotii est, ibique omne genus immanitatis expromtum. Quin ne propriis quidem civibus parcitum, Lissæ, alibique, ubi in ipsos concionatores, ac infantes exercita crudelitas vel barbaris detestanda satis indicaverit, quid aliis expectandum sit. Nec è voto Regis Leopoli nuncupato obscurum esse, quid eos, qui à Romanis ritibus alieni sunt, calamitatis maneat, ubi istos prævalere contigerit. Igitur rationis fuisse haut expectato irreparabili damno tuendis suis ditionibus, ac eo promtius promovendæ paci arma cum Svecis sociare: Nec dubitare, quin Belgæ, ubi necessitas exegerit, ex fœdere, quod à se semper servandum sit, consilio & ope sibi adfuturi sint, prout veteres amicos, vicinos, atque fœderatos deceat.* His literis Weimannus jubebatur addere; cum Belgarum Legati apud Sveciæ Regem super renovandis prioribus fœderibus moverint, eo promtius Electorem in eam conjunctionem descendisse, quam non speret istis ingratam fore, velut cum amico & fœderato eorundem initam. 1656.

§. 35. Enimvero ista Electoris conjunctio Belgis haut satis probabatur. Omnia pro Svecis aleæ exponi, ut horum servus fiat; ac totius orbis amicitiam perdi, ut unice occultis hostibus innitatur. Saltem eam ad diuturnitatem invalescere, à rationibus suis alienum ducebant, quæ nullo modo ferebant Gedanum in Svecorum aut Electoris manus incidere. Svecis fidi non posse, qui totum Mare Balticum vi aut astu affectent, nec quieturi videantur, qvoad per commercia sui arbitrio facta omnes in tributariam conditionem redegerint; quæ & sors Electorem mansura sit. Unde hunc vel ingratiis servandum nec ad præterita respiciendum, sed quæ in posterum ad communem incolumitatem faciant. Sibi perspectum esse candidum ejusdem & generosum animum, qui & ipse minuta haut curaturus sit. Ac eo fine legationem ad Moscos mittendam, Danos in eandem causam pertrahendos, classem Mari Baltico immittendam, & ubique ita rem disponendam, ut Svecorum destinatis valide occurri possit. Quæ omnia si per præsentem æstatem expediri nequeant, saltem Gedanum milite & pecunia firmandum, ut per sequentem hiemem vim sustinere queat. Interim tentandum, an non pax æquis conditionibus inter bellantes constitui possit, aut hac irrita saltem Electoris, urbisque Gedanensis securitati, ac libertati commerciorum prospiciatur. Sed ea præcipua solicitudo erat, ne Elector ab ipsis dissociatus plane se Svecorum rationibus innecteret. Quibus nostri molliora semper ingerebant: Electorem ne latum unguem à fœdere ipsorum recessisse. Ut arctius idem Svecorum amicitiam amplecteretur ipsos causam præbuisse tarditate, intempestivis querelis, & modo agendi admodum ingrato. Unde decernebant legatis suis in Borussia injungere, ut Electori de suo in ipsum studio confirmarent, eumque ut fœdere stet hortarentur, neu in augmentum vectigalium consentiret, promisso adversus quosvis auxilio. Simul præterita excusare; non respiciendum, sed prospiciendum: peccari intus, & extra. Nec persuaderi sibi posse, Electorem toleraturum, ut pactum Regiomontanum radices agat, cujus non alius sit expectandus fructus, quam ut ipsi dominus, amicis æternum servitium impingatur. Scilicet cum diu in Electorem stomachati essent, jam evaporante cholera ratio redibat, & affectus necessitatem atque utilitatem sequebatur; amabantque, quia timebant. Sed & iidem de Svecis querebantur, quod ipsorum legatis in os dixissent; se isti Reip. non amplius obligari. Id quod Electori non nocebat, si Belgæ paululum ad modestiam redigerentur. Sed aliis intempestivum videbatur hisce præmature scrupulum injectum, antequam Sveci res suas penitius confirmassent. Quanquam autem ista armorum conjunctione Belgarum animi atque consilia non parum tur-

Belgarum tum circa id negotii consilia.

1656. turbarentur; Electori tamen fœdus, vetus necessitudo, Cliviæ, & Arausionensis Domus rationes svadebant istorum amicitiam conservare; eoque ministri Electorales omni studio invigilare jubebantur, ne quid in Belgio fieret, quo Elector istis insociabilis redderetur.

Elector in Polonos tendit. §. 36. Enimvero postquam Electori Svecicam societatem rerum suarum conditio imperasset, serum jam erat judicia aliorum, omnia ad proprias rationes referentium, morari. Sed satius habebatur præsens periculum obfirmato in constantiam animo alacriter discussum ire. Igitur ubi pacta absoluta forent, colloquio super ratione belli gerendi cum Sveciæ Rege habito placuit citra moram omni vi conniti, ut conglobata Polonorum multitudo ad Warsaviam dissiparetur, antequam Borussiæ se infunderet, diram vastitatem Tartaris simul ruentibus illatura: tum ut ferocia istorum utique frangeretur, quæ post expugnatam Warsaviam immane quantum se inflaverat. Unde repente stativis excitæ Electorales copiæ magnis itineribus Masoviam versus properare jussæ, ubi Svecicus exercitus ad confluentes Vistulæ & Bugi ex adverso vici Novodvvori castris munitis consederat: quo prægressus Rex utrumque fluvium ponte insternere satagebat, ut cum hostibus ad Warsoviam consistentibus acie decertaret. Sed cum uterque pons prope absolutus esset, aqua, uti eo tempore anni svevit, ita intumuerat, ut ab opere tantisper desistendum esset, quoad ista iterum subsedisset. Interim Elector cum exercitu Plonscium quarto à Novodvvoro milliari processerat, cum nuncii adferrent Gosievium Lithuanorum ducem valida cum manu apud Osterlencam subsistere, ac Poldofscam obsedisse, velut à tergo nostris incursurus. Unde Rex cum selecta è suis & Electoralibus manu in istum tendere instituit: sed qui eo animadverso omissa Poltofsca trans Bugum propere Warsaviam facessebat. Rege in castra ad Novodvvorum reverso Elector quoque cum suo exercitu eodem accesserat; ubi habito consilio placuit prius tentare, num hostis ad amicam compositionem permoveri queat; nec eo minus tota vi in istum eundum, ne forte è metu pacem quæri credat. Quo fine Avaugurio, & Lumbrano legatis Gallicis commissum, ut velut privato nomine periculum facerent, num ante decretoriam pugnam deputatorum utrinque congressus fieri posset. Qui & sui Regis nomine id negotium magna cum diligentia agebant. Sed Polonis tanti spiritus accesserant, ut negarent à rege Galliæ ipsis injunctum exploratam ipsorum victoriam intercipere. Sed id fieri instinctu Ducis olim Borussiæ, qui si in genua provolutus Joannem Casimirum Regem delicti veniam poscat, dubium adhuc esse, num in gratiam recipiendus sit. Et cum iidem denuo instarent, ipse Joannes Casimirus respondebat; sese Svecos Tartaris in jentaculum destinasse; sed Electorem loco custodiendum, quo neque Solis neque Lunæ lumen penetret. Tam certa spe isti victoriam præceperant. Interim eo ipso die, quo conjunctio exercituum facta erat, sub vesperam, & totam sequentem noctem equitatus Regius, utriusque machinæ tum sequenti die reliquus exercitus filatim trans pontem, quo Bugus apud Novodvvorum insternebantur, ducitur, tum iter recta Pragam, vicum in citeriore Vistulæ ripa ex opposito Warsaviæ situm, dirigitur, ea mente, ut Lithuanis, qui aliquamdiu apud Pragam constiterant, aliquid cladis inferretur. Quodsi isti pedem referrent, animus erat Polonorum apud Warsaviam pontem destruere, inde Bugo apud Novodvvorum, mox Vistula apud Sacrozinium superato hostem apud Warsoviam invadere. Enimvero eo ipso die acciderat, ut hostis cis Vistulam per pontem ad Warsaviam concederet, Lithuanisque se jungeret, una cum Tartaris ante castra Svecorum ad Novodvvorum concessurus, ac emissis catervis nostros pabulatores infestaturus. Id quod Lumbranus referebat, qui media inter Novodvvorum, & Pragam via sociatis exercitibus obviam veniebat. Paulo post etiam à Polonis missus tubicen accedebat cum literis admodum importunis; quibus Electoris fida ac sæpius oblata opera circa conciliandam pacem plane repudiabatur. Eum tubicinem retinere visum, ne de adventu nostrornm hosti nuntiaret. Ita secundum Vistulam recta in hostem pergitur. Signum, quo nostri in prælio ab hoste discerni possent, erat manipulus straminis pileo affixus, symbolum: *In Nomine Dei.*

Gosieski. *14. Jul.* *18. Jul.* *18. Jul.*

Prælium ad Warsaviam. §. 37. Acies porro ita disponebatur. In dextro cornu consistebat ipse Rex cum fratre Adolfo Joanne, Roberto Durlassio, Carolo Marchione, Philippo Sulzbacensi Palatino, ac Henrico Hornio, superiorum graduum Ducibus. Tribus peditum phalangibus, quas in dextro cornu secum tenebat Rex, Bulovius summus vigiliarum præfectus, machinis Regiis Gustavus Oxenstierna tribunus præerat. Sinistrum cornu tenebat Elector cum suo exercitu, quem moderabantur Carolus Gustavus Wrangelius tantisper à Rege Electori adsistere jussus, tum Electorales duces Georgius Fridericus Waldeccæ Comes, & Christophorus Cannebergius: quibus à Rege accesserant Claudius Tottius, & Boettigerus, quos cum quinque alis suorum equitum Rex Electori adjunxerat, quo utrumque cornu pari numero ac robore constaret. Assumserat quoque Elector in finistrum cornu duas peditum phalanges. Ast medio inter duo cornua spatio consistebant duæ Svecicæ, quinque Electorales phalanges una cum machinis, queis Otto Christophorus Sparrius summus rei tormentariæ præfectus imperitabat, adjunctis duobus summis vigilum præfectis, Josia Waldeccæ Comite, & Goltzio. Exercitus mole haut vastus, nam non multum supra sedecim bellorum millia erant, cæterum flos virorum, & spectatæ virtutis miles; ac uti Svecicus longo labore induruerat, ita Electorali quies & illibatæ vires plurimum vigoris addiderant, utrique pari ardore isti ad vetera tuenda, hi ad nova paranda ruebant. Copiis ita dispositis, ac nuntio de hostis statu accepto, Rex, qui cum dex-

Bulou. *Canneb.* *Tot. Bœtiger.* *Sparre.* *von der Goltze.*

1656. dextro cornu primum agmen tenebat, apud vicum tribus milliaris unius quadrantibus Warsavia distantem suos in aciem extendit, & quia sylva interjacebat; Wrangelium cum sexcentis equitibus ad obtinendum ejus transitum præmisit, simul ut quod ultra jacebat camporum exploraret. Eum Rex cum equitatu per sylvam citato gradu secutus est. Superata sylva is loci situs repertus, ut Vistula ad Regis dextram, sylva quam transierant ad sinistram versus munitiones hostium procurreret; nec spatium inter flumen & sylvam superesset, quo Rex cum suo cornu extensis in latitudinem turmis una fronte incedere posset. Unde legionibus post se invicem progrediendum erat, prout indoles loci permittebat. Adventu nostrorum hostis ante sua castra inter sylvam & Vistulam sese ostendit, quem immissus à Rege Wrangelius intra munitiones rejecit. Sed quia is longius à legionibus procurrerat, suspicio erat, partem hostium ad finem sylvæ, aut retro eandem consistere, receptu istum intercluſuram. Unde Rex quatuor alas, quæ proxime sylvam incedebant, citato cursu cum Duglassio prorumpere jussit. Quæ alæ tempestive admodum ingruentes hostem, à latere jam præcursores impetere parantem, fuderunt, ac sub munitiones usque & peditatum suum rejecerunt. Sed quia dies in vesperam vergebat, ac immensus pulvis prospectum adimebat, Rex & Elector cum suo uterque cornu, quoad peditatus accederet, ante hostis munitiones ita consistere, ut sylvam à tergo haberent, machinis Polonorum interim in eosdem majore strepitu, quam damno detonantibus. Post tenebris jam ingruentibus haut placuit diutius intra machinatum jactum consistere; sed aliquantum retrogressæ legiones Svecicæ secundum Vistulam, Electorales juxta sylvam locum ceperunt, ubi peditum phalanges in medio post se invicem steterunt; in fronte duodecim duntaxat equitum alæ cum duabus peditum phalangibus, reliquæ legiones duplicato ordine retro dispositæ sunt.

Secunda diei pugna. 19. Jul. §. 38. Postera die illucescente, Rex & Elector cum ducibus excurrebant speculando loci situi. Ubi apparuit, hostem intra munitiones suas recta impetu dato invadi haut posse, sed commodius fore ad sinistram nostram eundem circumire. Eo fine necessarium visum elatiorem locum juxta sylvam occupare, è quo ulterior campus liquidius perspici, atque inde sat patulum spacium pugnæ conserendæ capi posset. Ita Elector cum suo cornu, & duobus peditum phalangibus secundum sylvam progressus locum istum obtinuit, etsi machinæ magno labore per humilia fruticeta, ac uliginosam humum, qua transeundum erat, pertraherentur. Ex isto loco motus hostium, & indoles præjacentis campi liquido judicari poterat. Ubi Elector suos ante sylvam ita disposuit, ut à tergo invadi non posset. Cum hoc modo ad finem sylvæ perventum esset, animadvertebatur, ad munitiones usque hostium plana camporum porrigi; ac hostem ad dextram suam progressum id agere, ut Electoris latus, simul retro per sylvam Regis cornu cum Tartaris à tergo invaderet. Unde Rex è tertia acie sex alas circumagere se, ac ingruentes repellere jussit; qui dein ante Electoris cornu in campo constiterunt. Interim Rex cum suis ante munitiones hostium inter machinorum hostilium jaculationes locum tenuerat; unde firmando Electori contra totam hostium colluviem, quæ ipsi imminere videbatur, duas adhuc peditum phalanges eidem submisit. Is status duravit, quoad Electoris machinæ per uliginem in elatiora campi eniterentur. Cæterum expedire Regi videbatur hostem ad dextrum hujus latus circumiri, quo æquis locis cum ipso concurri posset: vestigia tamen Electoris legere non placebat ob angustias viæ, ac tenaciorem jam transeuntium multitudine uliginem; sed potius visum retro Electoris cornu circum sylvam, qua Tartari tergum ipsius irruere conati fuerant, viam legere. Sed uti hoc consilium è motu hostium sumendum fuerat; ita Rex in priori statu juxta Vistulam, & Elector ultra uliginem permanere necessum habebat, quod hostis speciem præ se ferret utcunque exercitum simul incursuri; qua rerum facie non expediebat legiones loco movere. Ac sane universi Tartari conglomerati secunda vice ex omni parte Electoris se cornu circumfundere parabant, quos nostri egregie pugna conserta repellebant. Nec minus eos, qui per sylvam tergum invadere parabant, tertia Regis acies disjecit. Quo & ipso momento hostes cum maxima virium suarum parte, ac peditatu è suis munitionibus ruere, ac aliquoties in Regem impetum dare conabantur, rejecti tamen iterum in suas munitiones recedebant. Eo hostium receptu Regi spatium dabatur cum cornu suo, quem hactenus tenuerat, loco digrediendi, ac retro Electoris copias per sylvam in plana camporum procedendi, ubi ipse cum Electoris consensu ad sinistram locum capiebat, Electoralibus jam dextrum cornu obtenturis. Quia igitur hostis præcipuas suas vires, & omne cataphractorum robur (ipsi *Husaros* vocant, ad dextram suam collocaverat, & ordinibus bene dispositis per campum accedebat, Rex suas quoque copias versus sinistram suam corrigere, quo potentioribus campis potitus æquo loco cum hoste concurreret; cui & eminus infestando aliquot machinas, ac tres peditum phalanges ante equitatum incedere jussit. Animus erat pulsum hostem à tergo circumire, ac istius machinas arenoso in colle una cum peditatu dispositas retro invadere. Rege ita progrediente hostis statim vicum à dextra istius situm inflammare, ac retro eum concedere cœpit, ut fumo tectus tergo Regis vicum prætereuntis sinuato circa hunc cursu ingrueret. Igitur Rex Hornium cum tertia acie pariter vicum circumire, & adventantibus occurrere jubet. Quo animadverso hostis paulatim ad alterum vicum ad paludem situm recessit, ac post hunc constitit, cui & ipsi ignis injectus. Versus istum vicum Rex cum peditatu primum tendens,

dens, cum ob paludem circumire eum haut placeret, ad sinistram declinare instituit. Ubi tegendo lateri tres peditum phalanges apud vicum & paludem cum machinis consistere jussit, quoad prima & secunda acies præter eundem progressa esset, tertia interim acie retro peditatum ad hunc fulciendum consistente. Inde postquam Rex cum prima & secunda acie vicum jam à tergo reliquisset, frontem versus munitiones hostium in colle excitatas obvertit; ubi machinis acriter certatum non modico utrinque damno. Quia vero Regi, si longius collem versus procederet, sinistrum suum latus firmandum erat, post relictum à tergo vicum tres peditum phalanges à palude iterum ad se evocatas retro primam suam aciem in extremo suo cornu fronte in sinistram versa consistere jussit, excipiendis Tartaris & Quartianis, qui retro vicum ad sylvam sinistrum Regis latus invadere parabant. Unde Rex toto cum exercitu gradum sistebat; quo & tertia acies accedens justum locum occupare posset. Interea universa hostium moles, præter paucas alas, quæ in colle apud pedites manserant, ad dextram suam manum aciem extenderat, è quibus quinque Husarorum millia in frontem Regis magno impetu sese concitarunt, duabus Svecorum alis, quæ justo citius tubulos disploserant, impulsis atque perruptis. Quos tamen secunda acies, & à lateribus utrinque coëuntes ita excepere, ut pauci evaderent; qui hos sequebantur retro pulsi sunt. Horum pars dein in peditatum, reliqui in Electoris cornu impetum dederunt; à quo ita excepti sunt, ut confusis ordinibus in collem sese iterum reciperent. Inter isthoc certamen Tartari circuito vico exercitum à tergo invadere parabant; in quos Rex quatuor alas sub Adolfo Joanne fratre vertere jussit, quæ rejectos in paludes compulerunt, ubi magna pars aquis suffocata periit; pauci equis delapsi pedibus salutem quærere conati sunt. Post tam variam atque multiplicem pugnam Rex necessarium judicabat, legiones in priorem locum & ordinem restituere, quo hostem intra suas munitiones invaderet. Quo fine sylva, quæ hosti ad dextram jacebat, occupanda erat, è qua cum hostili peditatu retro ipsius munitiones æquo loco concurri poterat. Versus istum locum cum gradus promoveretur, tenebræ interim inumbrantes institutum absolvi non permiserunt. Unde ne per obscurum pugna confuse consereretur, Rex retro vertit, equitatu cum tribus peditum phalangibus apud sylvam ad latus vici collocato. Peditum acies ante vicum constitit, Electoris cornu in loco, quem pugnans tenuerat, noctem quoque exegit.

Tertiæ diei pugna. 30. Jul. §. 39. Orta luce legiones iterum contrahebantur. Ubi initio Rex missa peditum phalange sylvam, ad quam ipsius peditatus per noctem constiterat, concædibus inviam reddi jussit, ut longius progresso tergum tutum foret. Inde placuit cum exercitu inter sylvam, ad quam Svecicus equitatus noctem exegerat, & alteram sylvam, qua hostis antea dextram suam texerat, progredi; peditatum autem & machinas una cum quinque alis Svecicis in prima fronte collocare, ut hostem sua sylva ejicerent. Ejus destinati executionem Sparrius sibi commissam singulari dexteritate, pari constantia confecit. Is cum sylvam machinis quatere inciperet, hostis toto cum equitatu lateri nostrorum incurrere instituit. Unde Regio juxta Electoralique equitatui frons varie pro captu loci sistendis hostium impressionibus obvertenda erat. Sed Sparrius cum aliquamdiu sylvam verberasset assumto peditatu & quinque equitum alis, eadem perrupta, hostem magna cum cæde inde ejecit. Inter quæ Elector ipse cum sex alis in collem versus dextram progressus, consistentes ibi hostium turmas depulit, qui versus paludem Tartaris hesterna luce funestam ruebant; quos Wrangelius & Waldeccius, cum selectis equitibus & peditum manu persecuti plerosque ceciderunt, cæteris in aquas compulsis. Inter quæ peditatus hostium desertis machinis pedem retro ferebat; quem invadere dum parat Elector, lentius gradum inferebat miles, quod isti inclinatis subinde vexillis speciem dedere se volentium præbuerant. Sed hi celerato gradu pontem jam navalem attigerant, quem transgressi dejecerunt, victoribus subsequendi facultate ademta. Postquam hoc modo sinistrum hostium cornu & peditatus, relictis castris, impedimentis, omnibusque machinis sese subduxisset; qui in dextro cornu erant & ipsi in fugam promti mature se magnam partem inter Pragam ac sylvam ei vicinam confusis ordinibus proripuere, utut Joannes Casimirus Rex summa vi connixus fugam istorum sistere laborasset, Nobilibus & Quartianis gloriam, ac salutem patriæ ostentans, Hollotis (turba est non justis armis, sed acinacibus duntaxat, falcibus, ac fustibus instructa,) data pecunia animum addens. Qui & initio atroci cum clamore ingruebant, sed aspere excepti, collapsis mox animis, in præcipitem fugam effundebantur. Fugientium terga longe cædere triduanus labor, & hominum, jumentorumque inedia haut patiebatur. Postera tamen die hostium vestigia per sex milliaria insecuti sunt equites, non paucis moratoribus, aut quos sua & equorum vulnera tardabant, cæsis. Ei pugnæ Joannes Casimirus ab initio ad finem adfuit, nil muneris imperatorii in se desiderari passus; sed cum suos in fugam ruere animadverteret, proxime ante peditatum ponte superato Warsaviam evasit. Maturius Regina cum gynæceo, quos libido spectaculi à suo sexu alieni huc pertraxit, se subduxerat. Ista Polonos cis Vistulam se conferentes apud caput pontis consistens ad rem strenue gerendam hortata fuerat; qui magno cum clamore insignia virtutis specimina minabantur crepantes; vel solis scuticis, hostem sese expulsuros. Polonicum præsidiū & ipsum Warsavia profugit, vacua urbe cum machinis relicta, quam sequenti die victores nemine repugnante introierunt. *31. Jul.* Atque hæc est memorabilis illa ad Warsaviam pugna, in qua licet auspiciis Caroli Gustavi res gesta fuerit; magnā tamen ejus gloriæ partem jure suo Elector

1656. sibi vindicat, velut cujus copiæ Svecicis numero haut multum inferiores virtute nihil concesserunt. Sed & isto prælio apparuit, quantum artes imperatoriæ, ac disciplina usuque bellandi probe imbutus miles adversus quantumvis multitudinem valeant, quæ ne loci quidem commoditate suffulta solidæ virtuti sustinendæ par esse non potuit. Hostium quippe vires constitisse ferebantur ex octo millibus Quartianorum, VI. M. Tartarorum, XVI. M. Nobilitatis Polonicæ, V. M. Lithuanorum, & IV. M. peditum: etsi vulgo istorum numerus ultra centum millia assurgere jactaretur. Observatum fuit, quacunque sociati exercitus sese verterent, eodem & ventum ab horum tergo se circumegisse, qui pulvere & fumo ora hostium, oculosque opplevit. Tum & pauco admodum sanguine, ea victoria constitit. Apud Svecos Sinclerus tribunus occubuit; gregariorum in fœderatorum exercitu ad quadringentos occisi, aut sauciati. Inter vulneratos præcipuus fuit Cannebergius, cujus femori selibris machinæ globus impactus haut paucos aureos in ipsam circa carnem evibravit, quorum unum & alterum manipulum paulo ante crumenæ immiserat, Polonico superiorum graduum duci, quem gladio transactum in terram deturbaverat, ademtos. Hostium quatuor amplius millia numerabantur, qui hinc inde cæsi jacebant, præter eos, quos paludes hausere. Machinæ quinquaginta victoribus in prædam cessere. Pauci capti, quod in tanta hostium multitudine haut vacaret istis custodiendis occupari; & si qui veniam vitæ petebant, iis violata Warsaviæ deditæ pacta exprobrabantur. Post id prælium Sveciæ Rex ad persequendam victoriam longius progredi, ac hosti insistere cupiebat, ne hic vires dispersas magis quam deletas recolligere posset; quo fine & exercitum Electoris circa ista loca diutius detinere volebat. Sed huic haut consultum visum longius à Borussia discedere, quæ versus Lithuaniam hostium incursioni patebat, eoque manu aliqua ad occupandam majorem Poloniam dimissa legiones in Borussiam reduxit, Lumbrano committens, ut Polonos ad pacem amplectendam hortari haut desineret.

Sincler.

Missio ad Cæsarem §. 40. Cæterum quanquam Electorem gravissimæ causæ ad isthanc conjunctionem compulerant; satis tamen norat eandem Cæsari parum gratam esse, stimulantibus præsertim Polonis. Ac sane missus à Joanne Casimiro Rege Andreas Minskovvski apud Cæsarem atrocissimis verbis de Electore querebatur, ac vindictam in hunc exposcebat, velut non fiduciario tantum nexu, sed & veteribus inter Imperium Germanicum & Poloniam pactis perruptis, queis perpetua amicitia sanciatur, & ne utrinque damni quid mutuo inferatur. Unde Polonorum criminationibus diluendis, simul deliniendo Cæsari literas ad hunc dabat; quibus exponebat, uti ipse post transactionem cum Svecis pacem conciliare per literas, & opera Lumbrani fategerit: sed vicissim recepisse literas absurdissimas, & plane intolerabiles. Simul à Lumbrano relatum: utut Joannes Casimirus Rex & Senatores à tractatibus cum Svecis non plane abhorreant; eosdem tamen apud eos tractatus ipsum ferre nolle. Unde nullam nisi in armis viam sibi superfuisse. Nec eo magis post tantam victoriam desiderium reducendæ quamprimum pacis exuisse, modo isti par studium ostendant. Idem ut faciat Cæsar rogare, ac tam apud Ordines Imperii, quam Polonos id agat, ne ex hoc bello Germania molestiæ quid sentiat. Sed quia his literis minus quam pro conditione negotii pondus fore metuebat, Elector, præsertim cum nil responsi fuisset repositum, Dobrzenium vel istius aulam mittebat uberius expositurum de causis Svecicæ societatis; simul testaturum, id eo præcipue fine factum, ut belli flamma Poloniam depascens eo citius extinguatur; ac rem ipsam deinceps dictis fidem facturam; ac uti Electori maxima cura fuerit, ne pax Germaniæ turbetur, quæ & Cæsari haut minor sit. Eo in proposito ut hic immotus persistat rogare, ac ne sinistra de ipso ingerentibus aures præbeat: utque operam dare velit, ne belli incendium in Germaniam trajiciat. Atque id cumprimis legatus urgere jubebatur. Cui & injunctum tamdiu in aula Cæsaris morari, quamdiu non constet, quonam consilia Cæsaris inclinatura sint. Sed si appareat, Cæsarem utique huic negotio se ingesturum, aut si certum sit id eum haut facturum, utroque casu discederet. Si quid super electione futuri Regis Romanorum moveatur, id declinaret, velut de qua nil sibi mandatum sit: Inter sermocinandum tamen jaceret; Electorem id fastigii penes neminem malle quam Domum Austriacam, & inprimis penes proximum Cæsaris hæredem. Eadem in transitu apud Saxoniæ Electorem Dobrzenius jussus est exponere; ad quem, ut & reliquos Electores, literas dederat super inhibendis Polonorum conatibus, ditiones ipsius Germanicas invadere minitantium; quarum exiguus fructus comperiebatur cæcam ob invidiam in gliscentem istius fortunam ac gloriam. Porro Cæsarem legatus Pragæ accessit, apud quem verba eum in sensum fecit: *Et si Elector frustra operam consumserit bello extinguendo; Svecicam tamen societatem declinasse, utut viribus imparem, & ad extrema rem deduxisse, quoad perspexerit à Polono plane se destitui; multi quoque Polonorum proceres suo exemplo, & per literas ad compositionem hortarentur, simul Quartiani in suam ditionem atrociter sævirent, ac Sveci ipsum cum exercitu Regiomonte urbe haut munita cingerent, civibus pacem multa lacrymarum vi exposcentibus. Quam in rem testimonium præbeant in cineres redacta oppida, vicique, ac cæsi passim etiam impuberes, planeque exhausti provinciales. Stetisse tamen Electori sententiam in partem hujus belli haut descendere, ac potius paci reducendæ operari. Sed cum Polonorum vires quasi intermortuæ verno tempore reviviscerent, ac Joannes Casimirus cum vasto atque efferato exercitu Borussiam versus moveret; quæ in ipsum agitarentur satis apparuisse, solicitatis per minas ad defectionem ejusdem civibus, & hostilibus jam in Pomeraniam* 1656.

18. Aug.

1656. *meraniam expromtis, quibus ab isto nihil adhuc causa præbitum fuerit. Ac præcipuos Joannis Casimiri Regis ministros palam fremuisse; ferro & igne se in Borussiam ac inprimis Regiummontem grassaturos, utut ea urbs plurimis è Polonia profugis tutum receptum præbuerit, & adhuc præbeat. Unde Electorem exitio à civibus suis avertendo copias cum Svecis jungere coactum; eo duntaxat fine, ut suos servaret, ac pacem eo citius reduceret.* Addebantur reliqua, quæ in mandatis erant. Ei Cæsar respondit: Molestum sibi esse, Electorem bello se Polonico immiscere coactum; nec dubitare, quin ad idem gravissimis causis adductus fuerit. Certo quoque sibi de Electoris in ipsum affectu persvasum, deque cura pro Germaniæ quiete, quæ & sibi cordi sit, ac Electori quavis data occasione benevolentiam suam adprobaturum. Animadvertebat legatus, Cæsareos clade Polonorum ad Warsaviam valde consternatos; quibus de cætero decretum erat, Polonico negotio sese haut ingerere, præsertim cum duodecim militum millia in Italiam Mutinensi Duci auxilio misissent. Ast Aurspergius, consiliorum tunc in aula Cæsaris primarius moderator, de Polonico negotio pauca verba faciebat, utut Dobrzenius sæpe ansam isti porrigeret, moram Hispanorum aulicorum secutus, qui privato nomine de publicis negotiis loqui defugiunt. Idem negabat, de Electore in aula Cæsarea sinistri quid creditum. Polonicas turbas Cæsarem haut tangere, cui unice quietem Germaniæ conservare cordi sit. Revera tamen fervens in Polonos studium eminebat, quantumvis diligenter dissimulatum. Simul Svecorum & Electoris victricia arma non sine æmulatione ac metu respiciebantur, suspecta quoque Gallorum pro curanda Poloniæ pace solicitudine, ne exsolutum bello Polonico Carolum Gustavum provinciis Austriacis immitterent. Ac sacerdotes, pessimum consiliorum instrumentum, strenue classicum canebant. Enimvero optabat quidem Poloniæ pacem Cæsar præcavendæ ejus Regni ruinæ, ut tamen mallet incendium in vicini domo sisti, quam idem suis ditionibus infusum extinguere. Ac lætum erat, Moscum se instigante in arma erupisse, quod Svecus duplici bello impar crederetur. Miles tamen ad limitem Silesiæ dispositus augebatur. Rex Hungariæ literas fiduciarias redhibebat, quod in iis *Sereni* duntaxat, non *Serenissimi* titulus adpareret, quem tamen Elector antea per Lœbium ipsi dedisset; unde id sine dubio ab errore scribæ profectum. Sed Dobrzenius reponebat: Reges ab Electore haut alio titulo honorari, nisi cum iis aliter convenerit.
11. Sept. Paucis septimanis elapsis, Cæsar haut monitus legato responsum expediri jubebat, antequam Viennam moveret, quo ut is sequeretur, parum gratum ostendebatur. Igitur nec ipse diutius morari decorum ducebat; ac frustra habebatur, verbis conari evertere consilia, quæ rationes status sui dictatura erant. Eo responso Cæsar nil aliud, quam de studio pacem Germaniæ servandi testabatur: num ipse Polonico negotio sese ingesturus esset, nec ne, nullum verbum. Et cum Dobrzenius liquidius responsum peteret, declaratio dabatur isto haut clarior. Sermone tamen Cæsar testabatur, sese rebus atque incrementis Electoris ex animo favere, ac suas cogitationes unice in conservationem pacis Germanicæ defixisse. Sed nec Aurspergius ad postulatum Electoris, ne Cæsar bello Polonico sese immisceat, liquidum responsum dabat, sed gestibus duntaxat eum metum demere videbatur, additis laxioribus verbis; pacem inter Principes Christianos optandam. Gebhardus tamen pluribus testabatur, Cæsarem id non facturum, etsi insignibus à Polono oblatis emolumentis. Simul negabat Leopoldum Wilhelmum oculos in Borussiam conjecisse. Cæsarem quoque superfluum credidisse, ad negotium de non suscipiendo bello Polonico responsi quid reponere; quod is nunquam causam dederit, ut tale quid de ipso credi queat. Equidem Polonos lautas conditiones obtulisse, sed quas Cæsar nunquam acceptare voluerit, nec adhuc velit. Ac Polonicos legatos non sine lacrymis dimissos. Si libido bellandi foret, tot millia militum in Italiam haut fuisse mittenda. Nec Polonos adeo præclare de Cæsare meritos. Quod autem Cæsar arma paret, necessitatem imponi ob grassans in vicinia bellum. Jam catervas Svecicas juxta, & Brandenburgicas in Silesiam excurrisse, non modico damno dato. Constare, quantopere Galli Svecos in Cæsarem incitent, quibus & multum pecuniæ ostentetur, si in hunc ruere velint. Non posse non eundem ægre ferre, officium suum circa conciliandam pacem literis tam aculeatis rejectum, quæ tantum non clarigationis instar habeant; cum Gallorum opera libenter admissa sit. Sane officio Cæsaris acceptato, in proclivi fuisse pacem brevi conficere, Svecis grandi pecuniæ summa & parte Samogitiæ data. Nam in Borussiam à se consentiri nullo modo posse. Ita Praga discebat Dobrzenius, postquam satis explorasse visus fuerat, Cæsarem in bellum 27. Sept.
non inclinare, ac magis de tuendis, quam proferendis finibus solicitum esse. Et quanquam idem ingentibus promissis à Polonis oneratus esset, eumque calamitas Regni Romanis ritibus addicti graviter tangeret, simul Svecorum fortuna ac sequester Gallus parum fausti Austriacis portenderet, sacerdotibus obnoxio animo acres stimulos subdentibus: in præsens tamen aperte nil videbatur suscepturus. Ast haut dubie obliquis artibus id acturus erat, ut bellum in Polonia aleretur, Moscique arma in Svecos ne deponerent, viribus horum distrahendis frangendisque. Tum ut Electorem à Gallorum Svecorumque rationibus abstraheret, quem post editum tam illustre virtutis viriumque specimen magis, quam ullum ex ipsius majoribus respicere cœperat. Praga digressus Dobrzenius Dresdæ divertebat; ubi ad ipsius petita ingens amicorum verborum copia reponebatur. Confirmabatur ibi, Cæsarem in belli Polonici partem haut venturum, nec Archiduci exercitum crediturum, exemplo Rudolfi II.

1656. & Matthiæ territum, quorum hic istum tantum non Imperio exuerit.

Electori à plerisque Imperii Ordinibus parum favoris exhibetur.

§. 41. Vicissim Poloni Andream Morstinium in aulam Cæsaream miserant, qui exhibito apud Cæsarem libello inficetis calumniis, ac ignominiosis verbis Electorem traducebat, veniam exposcens, ut cum pace istius liceat sibi hostiliter habere hujus provincias in Germania sitas; cum inter plurima mala, quæ hoc bello Polonia exantlarit, nil acerbius futurum sit, quam eundem inultum abire. Ac decrevisse Regem omnia tentare, ut atrocissimas injurias Deo, Ecclesiæ, & Regno ab isto illatas non mollioribus repositis expiare liceat. Sane si qui hostilia arma Poloniæ intulit, ut intra Germanicas quoque provincias castigetur, Cæsarem pro sua æquitate nullam injuriam factam judicaturum. Quo intellecto Elector Cæsarem per literas rogabat, ut Polonis denuntiet; haut toleratum iri per istos pacem Germaniæ turbari. Quibus mox alias addebat Witgensteinius Comes, absente Electore Marchiæ gubernator, denuntiato, à Polonis jam in Pomerania duo oppida, ac quinquaginta vicos in cinerem redactos. Quibus literis parum fuisse ponderis compertum est. Vienna Morstinius Francofurtum ad Mœnum ibat, apud conventum Deputatorum invidiam Sveco atque Electori facturus. Ubi plerique Ordinum Polono blandiebantur, parum soliciti ob hostilia ab isto Germaniæ jam illata, excepto Palatino Electore, Altenburgico, Brunsvicensi, & Hasso. Idem nostris de adventu suo non significarat. Unde & nostri, ne eundem inviserent, ab Electore prohibebantur, neu ab audienda propositione, utut eo postulante, excludi se paterentur. Petebat iste, ne Polonia amplius è Germania invadatur, questus Svecos, cum è Livonia in Poloniam via pateret, è Germania incurrisse. Tum pollicebatur, Polonos neminem læsuros, qui non hostem ipsorum se profiteatur; haut obscure innuens, fas sibi esse Electorem hostili modo habere, quod & ipse agnoverit, dum sua mater pro Ducatu Crosnensi dotalitio neutrum statum petit, & impetrat. Ac naturalis juris esse, hostem domi suæ premere, ac eo persequi, unde prius noxam intulerit. Nec militum excursiones victus petendi causa prohiberi posse. Denique cum Electoris legiones Marchia oriundis militibus constent, Polonis quoque horum patriam armis petere fas fore. Hunc legatum Cæsarei Commissarii Wolckensteinius Comes, & Joannes Cranius altero statim ab adventu die invisebant; quos statim Isaacus Volmarus Austriacus deputatus sequebatur, frementibus Electoralibus, id officii hunc prævertisse. Eidem ab Ordinibus id responsi datum:

12. Dec. *Hanc semper fuisse, & adhuc esse nationis Germanicæ libertatem, ut stipendia merituri quæ placeant partes eligere possint; ni publice prohibeantur. Idque legibus Imperii eousque stabilitum esse, ut extero cuicunque Principi, in Germania militem conducere volenti prævio Cæsaris consensu id liceat, modo & militis conducendi numerum, & Ducum ac Præfectorum nomina huic significet; promittatque eum militem adversus Cæsarem aut Imperium, ullumve ejus Statum, subditum, & clientem haut adhibitum iri; tum ut receptum aut lustrationis locum in Imperio ne habeat, ac demum extra Imperii limites exautoretur, præstita quoque super innoxio transitu scripta cautione: quæ omnia incolumi belligerantium partium cum Romano Imperio pace fiant. Unde sibi hautquidquam excidisse Poloniam pace Westphalica comprehensam. De cætero ut pax Polonis cordi sit suadere.* Paulo acrius Principes Inferioris Saxoniæ ad Regem Poloniæ scripserant, ut provincias Germaniæ incursare desisteret. Sed & Electori in diversa parte negotium dare conatus fuerat Joannes Casimirus, autorato Principe Condæo, ut Clivensem provinciam in potestatem redigeret; quo fine ab Hispanis hospitia hujus militi in istius provinciæ finibus assignabantur. Ac Bruxellis scribebatur, Poloniæ Regem ei Principi titulum præbiturum, ut eas terras jure belli adquirere possit; quod factum Cæsar probaturus & confirmaturus sit. Enimvero Joannes Mauritius Nassovius Princeps, ejus provinciæ gubernator, ad istum repellendum omnia disponebat, viginti quoque machinis è Belgio adductis: Ac si quid tentaretur, Belgæ sine dubio sese immixturi erant. Unde Condæum libido aliena invadendi destituit, ne periculo exponeret militem, quo solo autoritas ejus tunc nitebatur; an alia forte causa fuerit irriti conatus, de qua nobis haut compertum.

Elector Belgas Svecis conciliare studet.

§. 42. Ast Elector semel in Svecorum partes transgressus, postquam his Moscus quoque hostis accessisset, simul Belga valida cum classe ad Gedanum hærentes non obscure minarentur, Dano insuper suspecto; haut immerito solicitus erat, ne iidem tot potentium hostium mole oppressi ipsum quoque simul in exitium pertraherent. Itaque num circa istos Sveciæ conciliandos operæ pretium facere posset, laborare instituit. Ac primo quidem Otto Sverinus Elbingam ad legatos Belgicos mittebatur, ut hos Regemque ad transigendum inter se hortaretur. Qui & inde Gedanum excurrens ei civitati ingerebat; ut æquis & honestis conditionibus, ac salvis privilegiis, ac commerciorum libertate Principis Protestantis imperium subire malint, quam Romanæ sectæ Regi adhærere, à quo nihil auxilii sperandum ipsis sit. Enimvero uti Gedanenses ad talia aures plane obduraverant, ita Electoris opera non parum contulit, ut inter Svecos & Belgas pactum super commerciis Elbingæ concluderetur. Etsi ejusdem exiguus fuerit fructus, uti solet circa conventiones, ad quas præter rationes suas per iniquitatem temporum & majoris mali metum quis compulsus fuerit. Unde & Sveciæ Rex quatuor mensium spatium statuerat ei pacto ratihabendo, num forte interim via danda foret præsentibus difficultatibus emergendi, ac ratihabitionem eludendi. Quod & ipsum cum Belgis suspectum videretur, occasio his arrepta fuit ejusdem ratificationi differendæ, ut eo vinculo soluti Svecorum res pro lubitu versare possent. Hisce porro cum Electorales ministri Hagæ præsentem

1656. tem rerum faciem, ac inprimis periculum à Mosco imminens demonstrassent, non parum perturbati jam huic metuere cœperunt, cum paulo ante victoria ad Warsaviam nunciata parum lætitiæ ostendissent. Unde & Arausionensi viduæ, quæ relationem ejus prælii communicaverat, gratias quidem eo nomine agebant, nulla tamen gratulatione addita. Sed mox per istam rerum conversionem exolescente simultate, servando Electoris statui necessarium ducebant, ut is fiduciario cum Svecia nexu sese exsolveret, cui negotio præsentia tempora aptissima sint; nec Svecos id abnuere posse, ac sese in id operam navaturos. Sed quæ via heic ineunda esset, inter Hollandos ac Zelandos non conveniebat. Isti quippe abruptius; cum Elector ideo Svecis arma junxerit, quod à Polonis cautum sibi non esset, id agendum, ut idem Svecis avellatur, oblata adversus Polonos evictione; inprimis cum Daniæ Rex significet, ni Belgæ Electorem in suas partes pertrahere queant, sibi haut in proclivi fore ipsorum sese rationibus innectere. Contra Zelandi censebant, quo minus istud ita crude suscipiatur, fidem Electoris, consiliorum apud Belgas tarditatem, & ipsam rerum conditionem obstare. Ac negotio temere moto, nil nisi suspicionem inter Regem & Electorem excitatum iri, & utrumque pessumdandum, ante quam à Polonis cautio obtineatur. Unde id primum quærendum, ut Sveci Polonis honestas conditiones, Gedano securitatem, Electori libertatem & meliores quam antea conditiones, commerciis Baltici Maris priorem statum relinquere velint. Id si abnuatur, Electori fas fore ab istis seorsim res suas habere, velut qui semper omnia sua consilia ad pacem retulerit. Ita Electorem expleta fide in medio constitutum partibus libratis ad æquam pacem constituendam ingens momentum allaturum. Nec minus sibi in proclivi fore neutri partium addictis prohibere, ne vel Sveci, vel Poloni Baltico Mari dominentur. Ac salvo Gedanensis civitatis statu, suoque favore Electoris in Borussia res adversus amicos juxta, inimicosque niti. Isthac animorum inclinatione usi nostri dextre iisdem insinuabant, ut si Elector Svecico nexu sese exsolvisset, circa Polonicum quoque exuendum ipsi faverent. Interim ut circa periculum à Mosco avertendum cura susciperetur, instabant. Nam metum esse, ne Livonia ab isto subacta, & transactione cum Polonis inita, iste in Borussiam Electoralem irruat, admodum suspecto, quod ejusdem nuper ad Electorem legatus valde insolenter se jactaverit, postulare non veritus, ut hic deinceps Borussiam in feudum à Mosco recognoscat, velut partem Lithuaniæ, cujus dominium hic jam sibi desponderat. Unde Belgæ consilia sua eo dirigerent, ut ea natio intra fines suos coërceatur, neu vicinia sua reliquum orbem Christianum in periculum conjiciat. In quem casum Elector sibi ipsorum auxilia promittat, tum ob fœdus, tum quod propriæ eorundem rationes id requirere videantur, simul ut invidiam declinent, velut ipsi Moscorum progressibus causam præbuerint. Ac initio literas ad Czarem darent, ut ab Electore velut ipsorum fœderato abstinere se velit. Tum classi suæ injungerent, ut si res exigat, auxilium ipsi ferat. Ast Belgæ de literis quidem annuebant, quas ad Czarem, etsi sensu sat languido, scribebant. De cætero judicabant quiescendum esse, quoad de eventu Rigensis obsidii constaret. Digeri in antecessum omnia posse, sed nil certi concludendum. Tempus maturitatem consiliis suis allaturum; nec opus habere Rempublicam, ut in partes descendat, quoad successus bellicarum expeditionum propius inspiciatur. Eoque ratihabitionem tractatus Elbingensis suspendendam, Gedanum non plane destituendum, cum Dano integra omnia servanda, Polonum & Moscum blandis verbis demulcendos, nec in præsens contra hunc auxilii quid præstandum. Nam grave admodum sibi esse Moscos irritare, ne forte mercibus Belgicorum mercatorum in sua ditione, quæ multis millionibus taxentur, manum injiciant. Si tamen necessitas ingruat, se nullo in Moscum respectu Electori opem laturos. Cæterum spes Belgis erat, Electorem in majores angustias redactum ipsis Pillaviam ultro oblaturum, velut isti tuendæ imparem; quo fine Gedani tredecim peditum centuriæ in promtu erant. Neque enim solidi quid cum Electore conveniri posse, nisi omni se cum Svecis vinculo exuerit. 1656.

Belgarum circa pacem inter Svecos & Polonos consilia.

§. 43. Sed & iidem Electorem sibi circa pacem inter Svecos Polonosque constituendam adjungere studebant, quo partibus leges ex suo arbitrio dare possent. Nam nunc quam maxime occupandam videri occasionem, qua Poloni ad pacem, Sveci ad æquas conditiones admittendas permoveri queant, antequam alii sese huic negotio ingerant, alendæ in orbe Christiano divisioni. Igitur legatis suis in Borussia mandabant, ut Polonum juxta Svecumque enixe ad pacem hortentur, ac ut iste actione in Sveciam cedat, hic ea cessione, ac Livonia contentus Borussiam restituat. Et quia Elector in hoc negotio multum possit, ac Belgarum intersit, ne idem inter ancipitia hæc detrimenti quid capiat, ad ipsum profecti de studio suæ Reip. confirmarent, ac ut ad eundem secum finem conniti velit. Vicissim apud Polonos laborarent, ut inter hos atque Electorem fida amicitia instauretur, pro qua ipsi fidem suam interposituri sint. Ita non solum veterem inter Electorem suamque Remp. conjunctionem plene restitui; sed & istius res in tuto collocari. Nam ad extremum fidere se Svecis non posse. Quod in præsens nondum abripiant, id spe jam devorasse. Apud Regem magnitudini animi aviditatem parem esse. Ni huic obex ponatur, nunquam quieturum. Vel unicum pedem in Borussia retentum sat prætexti præbiturum totam affectandi. Unde & Electori semper inter turbida & incerta agendum, quamdiu isti bellum gerendi facultas sit; quod non possit non illi damno cedere, quicunque successus sequatur. Nam si Rex adversam fortunam sentiat, in partem cala-

1656. lamitatis cum infelici vicino & amico veniendum; ubi res ex voto succedat, Borussiam & Pomeraniam pretiosissimas Electoris provincias nutare. Unde nunc non minus huic connitendum, ut per tractatus meta Svecorum successibus statuatur, quam antea conatus sit, labentes horum res sociatis suis armis sustinere. Equidem ut abrupte Rex destituatur, datam fidem & communes rationes ægre toleraturas, ac præstare, ut pedetentim & bona cum istius gratia vinculum dissuatur; quo fundamento posito apud communes, post tractatus plenam ab utraque parte libertatem adquirere in promtu fore. Qui ubi serio suscipiantur, Electori prospiciendum esse, ut Svecia quidem incolumis perstet, nec tamen facultatem retineat, ipsius ditiones & communem quietem, quoties libido subierit, turbandi. Atque ista fere in Electoris jam ac Belgarum manu posita, ac pro arbitrio disponenda non sine istius insigni emolumento. Quod Poloni Svecis, Sveci Polonis invideant, id ultro in Electoris sinum delapsurum; & neutris contradicentibus supremo Borussiæ imperio eundem potiturum. Cui stabiliendo arces ibi & munitiones extruendas, ac ita cum Ordinibus provincialibus agendum, ut res suæ firmo ibi talo stent. Sane Reipublicæ suæ nihil hoc gratius fore; nec se Danumque penes ullum malle facultatem oris istis res librandi, quam penes Electorem, à quo pravi nihil, sed amica omnia expectare possint.

Cum Svecis super abolendo pacto Regiomontano acta.

14. Sept.

§. 44. Ast Elector cum frustra sperasset, Polonos pugna Warsaviensi contusos pacem affectaturos, per irruptionem Moscorum in Livoniam iis enormes spiritus accessisse comperit, ut non minus quam antea formidandi viderentur. Igitur placuit Sverinum ad Regem Frauenburgi tunc agentem mittere, super istis consilia collaturum, simul significaturum de Mosci postulato super Borussia in feudum ab ipso agnoscenda: denique ut circa refingendum pactum Regiomontanum insinuaret. Ubi is pronum paci Regem inveniebat, modo Borussiam sibi retinere daretur. De Mosco penes ipsum Electorem judicium fore, num iste vicinus, nedum feudi dominus eundem deceat. Circa refingenda pacta Rex ingenue fatebatur; *ista prout initio concepta sint, duraturæ amicitiæ inter Sveciæ Regnum ac Domum Brandenburgicam fundamentum præbere non posse. Nam quanquam ipso vivo Elector querendi causam non sit habiturus; vereri tamen, ne successores ista ita interpretentur, ut amicitia persistere nequeat.* Cæterum non minus Regi præsens rerum facies curam injecerat. Unde is eodem tempore Slippenbachium Regiummontem miserat novis conditionibus offerendis, ut denuo copiæ in Polonum sociarentur. Nam si ita desideant, nulla expeditione suscepta, Polonos insolentius pacem repudiaturos, circa quam alias Rex æquum sese præbiturus sit. Quem Elector differebat, super novo amicitiæ stabilimento prius conveniendum causatur. Porro Frauenburgi Oxenstiernæ, quid Elector in pactis mutari cuperet interroganti, Sverinus respondebat: ea penitus displicere, ac ad eam formam, quæ Stetini primum proposita sit, rem reducendam. Cui is non contradicebat, sed tantum quærebat, quid contra Moscum facturus sit Elector? Ad quæ Sverinus: id negotium huc non spectare; ac de hoc agi posse, ubi circa istud transactum fuerit. Simul ne tempus tereretur rogabat, quod sibi injunctum sit domum properare. Nam consternatio ob Moscum opportunum jam tempus attulerat res Electoris restituendi. Sed cum Sveci ita cito abolitionem tam opimi pacti digerere non possent, iste re infecta Regiummontem revertit. Mox cum Lumbranus referret, Polonos à tractatione cum Svecis Electorem excludere velle; ne forte Sveci ansam inde arriperent circa ista cupita tergiversandi, Kleistius Frauenburgum mittebatur, ut Regi demonstraret gliscens à Mosco periculum, & quid hujus legatus Hafniæ machinetur. Tum ne in supremum Electoris imperium consentire moretur, quod hic tuiturum se confidat Dano ac Belgis faventibus. Ac eo obtentu commodius inter Svecos ac Danos sequestris munus obiturum. Cum ne sic quidem Sveci pedem promoverent: Sverinus ad Oxenstiernam literas dabat; *Valde turbari Electorem tanta rerum mutatione, quod Mosci tota mole Livoniam inundarint, ac Poloni ad omnes de pace tractatus aures occluserint, ni omnia in priorem statum reponantur, ac ipsis de damno dato satisfiat. Sed & persistere apud Belgas invidiam & offensam, qui, utut fortasse pactum Elbingense ratum habituri sint, haut tamen omissuri videantur, destinata Svecorum clanculum disturbare. Danum majorem animi exulcerationem apud Kleistium testatum, quam credi possit, usque adeo ut exprobrarit, quare Elector apud ipsum adversus propria commoda laboret; nec dissimulasse, sibi in animo esse amissa recuperare. In aula Cæsarea altius penetrantia consilia agitari, & delectus continuari; sic ut Regi sociisque periculum ab omni parte immineat. Enimvero Electorem hisce haut permoveri, ac gloriæ sibi ducere inter difficilia fidum affectum Regi adprobare posse, nulla fortunæ varietate mutabilem. Vicissim tamen sperare, hisce consideratis Rege favente ipsum statu potiturum, qui suam dignitatem ac tam fidam amicitiam deceat, ad utriusque posteros nullo fine derivandam. Eo magis mirum videri, ipsum circa supremum Borussiæ imperium scrupulos movere, quo unico Electori satisfieri possit. Equidem non spernendas esse rationes, quæ ab ipso pro retinendo nexu fiduciario allatæ sint: Sed quæ supremum imperium suadeant, longe potiores esse. Ac ideo Electorem colloquium Regis distulisse, ut post id obtentum eo alacriore animo accedere possit. Igitur ne diutius remoretur rem primis Stetini tractatibus jam oblatam; quæ quo promtius annuatur, eo majorem obligationem fore. Nec Electorem futuris tractatibus circa cedendos quatuor Palatinatus Majoris Poloniæ difficilem fore.* Eo acrius enim res hæc urgenda videbatur, quod Oxenstierna eandem ad Senatum Sveciæ rejicere cupiebat, facile viam inventurum, ut res nunquam exitum sortiatur

22. Sept.

1656. 1.Oct. tur. Missi dehinc iterum Sverinus, & Jena ad Regem cum mandato, ut abolitionem nexus feudalis, ac participationis vectigalium pertendant, ad extremum summam pecuniæ per aversionem offerentes. Simul declararent, Electorem facta pace libenter Majorem Poloniam redditurum. Cæterum si sentiant Svecos tempus extractum ire captando eventui armorum Moscicorum, tractatu suspenso discederent. Enimvero primo congressu Oxenstierna de utroque exiguam spem facere: se tamen ad Regem relaturum. Sentiebatur ad annuenda Electoris desideria efficacissimum cuneum esse, quod Svecis persuasum foret, facilem isti ad amicitiam Polonorum regressum

6.Oct. patere. Alio post colloquio Sveci initio durius reluctari, post paulatim remittere, ut spes boni successus esset; nisi quod cupide summam

8.Oct. pecuniæ captarent. Post multam disceptationem Oxenstierna demum formulam pacti exhibebat; quæ cum nostris haut arrideret, hi avocante Electore discesserunt. Ea res Svecos non parum confundebat. Nam nec præsens tempus patiebatur. Electorem repudiatis postulatis protelare; ac grave videbatur parta commoda è manibus amittere. Quanquam ipse Rex ad Electori satisfaciendum valde pronus erat. Sed qui aderant Senatores, & inprimis Cancellarius acriter reluctabantur, ac enixe satagebant, ut nostris offucias objicere, & una manu quid dare, altera idem adimere possent. Eo firmius destinatis insistebat Elector, quod nisi subigente necessitate Svecos ad ista annuenda haut descensuros perspiceret. Ac tanto magis sibi connitendum, ut in ejusmodi statum sese collocaret, quo neutri obnoxius agere posset. Cui obtinendo pulcerrima jam occasio offeratur, Dano ac Belgis non solum cœpto faventibus, sed & offendendis, ni ea libertas ab Electore affectetur. Sed cum Regis conditio non ferret, ut diutius in incer-

10.Nov. to ageret: Schlippenbachium & Matthiam Biœrnclovium ad Electorem misit, qui post multam cum Electoralibus disceptationem tandem Labiaviæ in isthæc capita convenerunt.

Pacta Labiavina. *§. 45. Notum testatumque sit universis ac singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quod cum post confecta inter Sereniss. & Potentiss. Principem ac Dominum, Dn. Carolum Gustavum (t.t.) & Sereniss. Principem ac Dominum D. Fridericum Wilhelmum (t.t.) pacta non modo feudalia, quibus Regiomonte d. 7. Januar. st. v. hoc anno initis Sua S. El. pro se & suis legitimis successoribus promisit, se velle Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ à S. R. Mte & Regno Sveciæ in feudum recognoscere; sed insuper etiam certi cujusdam fœderis Mariæburgi die XV. Junii hoc etiam anno conclusi, utrinque & à Regia, & Electorali parte, belli pacisque actionibus singularia & egregia admodum constantis & sinceræ amicitiæ experimenta, & documenta edita, & S. R. Mtas Sveciæ, S. que S. El. hoc tempore invicem contestatæ sint, publicæ cumprimis rei fore proficuum, atque propterea utrique nunc cordi, firmiterque propositum esse, ut eadem mutua amicitia, indissolubili fœdere devincta in S. R. Mte & Sua S. El. heredes & successores propagetur, & perpetuetur; simul vero Sua S. El. proposuerit, & à S. R. Mte peculiariter contenderit, ut supra dicta pacta feudalia, die VII. Jan. Regiomonte conclusa, amplius nullam vim & vigorem habeant, sed penitus aboleantur, ipsique Ducatus Borussiæ, & Principatus Warmiæ non sint feudum S. R. Mtis & ejus successorum Regum & Regni Sveciæ; in locum tamen sæpe nominatorum pactorum feudalium mutuum, arctissimum perpetuumque fœdus utrinque ineatur: & S. R. Mtas consideratis diligenter non modo propinqui sibi sanguinis, & fœderati, optimeque de se & communi causa meriti Principis intentione, & publico bono deditis consiliis, & actionibus bellicis & civilibus, sed etiam utilitatibus & emolumentis, quæ & præsenti rei communis statui firmando, & posteritati recte consulendæ inde emergere potuerunt, si scilicet Sua S. El. ob supra dicta omnia Princeps summus & Suverenus quoad ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ sit, & arctissimo propterea fœdere cum S. R. Mte, & ejusdem successoribus Regibus, & Regno Sveciæ jungatur, animo ideo promtissimo expressura speciale quoddam amicitiæ testimonium, quo Suam S. El. ejusque inclutam stirpem complectitur, & sibi eam magis magisque devincire nunc cupit, in abolitionem sæpe dictorum pactorum feudalium, & surrogationem arctissimi & perpetui fœderis condescendit, inque eum finem utrinque postea eousque collimatum fuit, dum nuperrimis diebus conficiendæ hujus rei causa S. R. Mtas nos plenipotentia debita, & sufficientibus mandatis instructos, me videlicet S. R. Mtis supremum Cubicularium, & cohortium prætoriarum Colonellum Christophorum Carolum Schlippenbach, Comitem in Schiforde, &c. & me S. R. Mtis Consiliarium Aulicum, & Præsidem Ducatuum Bremensis & Verdensis, Matthiam Biœrnklo, &c. ut & me S. R. Mtis Consiliarium, & ad aulam Suæ S. El. Residentem Bartholomæum Wulfsberg &c. Sua vero S. El. nos quoque debita plenipotentia, & sufficientibus mandatis instructos, me videlicet Suæ S. El. consiliarium Status intimum, & negotiorum feudalium directorem, nec non Serenissimæ Electricis supremum Aulæ præfectum, & Capitaneum in Oranienburg, Ottonem L. B. de Schwerin, Dominum in Landsberg, Oldewigshagen, nec non Electoratus Brandenburgensis hæreditarium Camerarium, ut & me Fridericum de Jena, Suæ S. El. Consiliarium Status intimum invicem congredi, & supradictum negotium inter nos ventilare, tractare, & demum concludere jusserint: nosque deinde vigore supra dictorum procuratoriorum, & acceptorum mandatorum, habitis ultro citroque conferentiis, in sequentes utrinque conditiones mutuo & unanimi consensu iverimus. Quemadmodum itaque vigore pactorum Regiomontanorum d. 7. Jan. st. v. hujus anni initorum Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ dicto die in perpetuum à Regno Poloniæ separabatur; ita hoc ipso vigore horum pactorum in æternum quoque separatus sit & maneat; adeo ut neque Sua S. El. neque ipsius successores Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ ulla ratione Regno Poloniæ, aut ejusdem Vasallagio & dependentiæ in posterum obstringere, sed potius omnibus viribus reniti debeant, ne unquam* 1656. I.

1656. *quam ad eandem vel similem conjunctionem cum Po-
lonia, vel quocunque alio Regno aut Rep. reducan-
2. tur aut veniant. Quem in finem S. R. Mtas Sve-
ciæ, pro se & successoribus suis Regis, & Regno Sve-
ciæ, nunc & in perpetuum pacta feudalia, quæ in-
ter S. R. Mtem & Regnum Sveciæ ab una, & Suam
S. El. ab altera parte Regiomonte d. 7. Jan. hujus
1656. anni erecta fuerant, & in quibus præter alia
Sua S. El. quoque promiserat, se velle prædictum
Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ à S. R.
Mte ejusque successoribus Regibus & Regno Sveciæ
in feudum recognoscere, cum omnibus aliis Regio-
monte d. 7. Jan. præterea initis conventionibus, &
subsecuta declaratione Mariæburgensi d. 15. Jun.
st. v. hujus anni, hoc ipso cum omnibus & singulis
suis verbis, clausulis & articulis inibi comprehen-
sis, irrita & nulla pronuntiat, omnemque ipsis vim,
vigorem & effectum, hoc ipso & virtute hujus pa-
cti, penitus & in æternum detrahit, ipsaque dictorum
pactorum originalia, cum retradi non potuerint, hoc
ipso pro retraditis, utrinque scissis, & in cineres
redactis habentur, atque in æternum habebuntur,
adeo ut pacta hæc abolita contra Suam S. El. & e-
jus ex legitimo matrimonio descendentes successores
masculos inposterum nulla penitus ratione allegari,
vel S. R. Mtas ejusque successores Reges Regnum-
que Sveciæ illis uti possint, vel debeant. Quod
3. Deus itaque Ter O. M. felix faustumque esse jube-
at, ab hac die & in perpetuum Sereniss. Princeps
ac Dominus,* Dn. Fridericus Wilhelmus *D. G.
Marchio Brandenburg. (t. t.) & ejusdem ex legi-
timo matrimonio descendentes successores masculi
omnes & singuli continuata serie, ratione Ducatus
Borussiæ & Principatus Warmiæ, sint & maneant
Principes summi, absoluti & Suverenii, iisque ju-
ribus, quibus Principes summi & independenti po-
testate pollentes gaudent, vel merito gaudere debent,
4. posthac gaudeant, utantur & fruantur. Quem-
admodum vero S. R. Mtas & ejus successores Reges
& Regnum Sveciæ nullo unquam tempore, quamdiu
Sua S. El. ejusque ex legitimo matrimonio descen-
dentes masculi supersunt, jus aliquod sub quocunque
prætextu vel specie in Ducatum Borussiæ & Prin-
cipatum Warmiæ, vel partem aliquam eorum præ-
tendere, vel Duces & Principes in aliquo summæ
& absolutæ potestatis exercitio turbare, vel etiam
ad instantiam sive Statuum, sive subditorum, sive
aliorum quorumcunque se immiscere, vel alio modo,
sive directe sive indirecte, sive per se sive per alios,
sive aperte sive clam, in quieta possessione & domi-
nio summæ potestatis & suverenitatis inquietare de-
bent: ita Sua S. El. & ejusdem successores legitimi,
in nullam Regalis Borussiæ partem jus ullum, vel
ullam prætensionem sibi vindicabunt, nihilque un-
quam in præjudicium reservati pro S. R. Mte &
Regno Sveciæ juris successionis in supra dictum Du-
catum Borussiæ & Principatum Warmiæ in casum
deficientis lineæ Suæ S. El. descendentis masculæ si-
5. ve per se sive per alios, clam vel palam agenti. Et
quandoquidem sedes Capituli Canonicalis Frauen-
burgum, una cum adjacente speciali suo territorio,
quod vulgari lingua vocatur das Frauenburgische
Ampt, vigore supra dictorum pactorum feudalium
jam abolitorum à Warmiæ Pincipatu segregabatur,
& S. R. Mti & Regno Sveciæ reservabatur, ideo
etiam dicti capituli Canonicalis sedes oppidum scil. 1656.
Frauenburgum cum integra præfectura, vulgo das
Frauenburgische Ampt, posthac penitus à Principa-
tu Warmiensi separabitur, & S. R. Mti ejusque suc-
cessoribus Regibus & Regno Sveciæ competet, id-
que limitibus iisdem, quibus tempore erectorum pa-
ctorum feudalium jam abolitorum peculiariter &
speciatim pro talibus habiti sunt, & quibus à cæte-
ris territoriis Episcopalibus vel Capitularibus in
Warmia tunc distincti fuerunt. Atque ideo S. R.
Mtas & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ
jus nullum in fundos, pagos, & jura, quæ ante tem-
pus erectorum nunc abolitorum pactorum feudalium
Capitulo Frauenburgensi, ejusque Canonicis, & qui-
buscunque aliis in Territorio Frauenburgensi exi-
stentibus Ecclesiasticis, extra dictum speciale ter-
ritorium Frauenburgense, in Suæ S. El. provinciis
competierunt, posthac unquam prætendent. Vicis-
sim Sua Ser. El. & ejus ex legitimo matrimonio de-
scendentes successores masculi nihil quicquam ex fun-
dis, pagis, jurisdictionibus, juribus & reditibus, item
jurium & redituum communionibus, quæ extra Prin-
cipatum Warmiæ sive in territorio Frauenburgensi,
sive in aliis S. R. Mtis & Regni Sveciæ territoriis,
ante hac ad Episcopatum, Capitula, & alios quos-
cunque Ecclesiasticos in Warmia spectarunt, sibi
vindicabunt. Adhæc ut de stabili & sincera amici- 6.
tia planè nullum supersit dubium, non modo con-
junctio ista armorum, quæ d. XV. Junii anni jam
currentis Mariæburgi est inita, (quatenus hisce ut
& nunc confectis secretis pactis, ipsique adeo suvere-
nitati seu summæ potestati non est contraria,) virtute
hujus articuli repetita sit, & priorem suum vigorem
obtineat; sed insuper etiam loco abrogatæ feudalis illius
obligationis, quæ antehac inter S. R. Mtem & suam S.
El. intercessit, Sua S. El. & ejusdem ex linea Suæ
S. El. descendente masculæ legitimi successores ab
hac die quoad supradictum Ducatum Borussiæ, &
Principatum Warmiæ, absoluti, Suverenii, inde-
pendentesque Principes, & arctissimo quodam fœ-
dere, & ratione eventualis illius successionis, quæ in-
frà art. 13. comprehenditur, S. R. Mti, & ejusdem suc-
cessoribus Regibus & Regno Sveciæ, perpetuo & invio-
labiliter conjuncti, & invicem obligati maneant, adeo
quidem, ut inter S. R. Mtem & ejusdem successo-
res Reges, Regnum Sveciæ, & Suam S. El. & ejus-
dem descendentes legitimos successores, absolutos
& Suverenios Duces Borussiæ & Principes Warmiæ
fœdus & vera amicitia conclusa & stabilita sit. Sit
itaque ab hac die inter S. R. Mtem & ejusdem suc-
cessores Reges Regnumque Sveciæ ab una, & inter 7.
Suam S. El. & ejus ex legitimo matrimonio descen-
dentes successores masculos ab altera parte firmum,
indissolubile & perpetuum fœdus, mutua fides, ut
& constans atque sincera amicitia, eaque serio sem-
per servetur, & inviolabiliter conservetur, ita ut
pars altera alterius, & utriusque terrarum, ditio-
num, & subditorum tanquam propriorum commo-
da, utilitatem, honorem, & augmentum quærat &
promoveat. Vigore ejusmodi perpetui fœderis nul- 8.
la pacta aut fœdera, quæ hactenus utrinque cum aliis
confecta fuerunt, vim ullam obtineant, (quatenus
huic fœderi, & commodo ac bono utrorumque con-
trahentium adversantur) neque ulla posthac pacta aut
contractus in præjudicium aut detrimentum hujus
pacti*

1656. pacti habeantur, aut concludantur. Atque ideo S. R. Mtas & Sua S. El. pro se & suis respective successoribus, regnis, provinciis, & ditionibus ad hoc se mutuo nunc obstringunt, quod in futuro tractatu cum Rege & Rep. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ conjunctis consiliis & viribus in id studiosissime incumbere velint, primum ut S. R. Mtas, ejusque successores Reges Regnumque Sveciæ eam à Rege & Rep. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ adipiscantur satisfactionem, quæ Instrumenti secreti articulo 1. expressa est. Deinde ut Sua S. El. & ejus ex linea Suæ S. El. descendente mascula legitimi successores non modo Ducatum Borussiæ, sed etiam Principatum Warmiæ cum omnibus eorum pertinentiis & juribus, cumprimis vero absoluta potestate & suverenitate tuto, ac perpetuo habeant & possideant. Si itaque Deo ita dirigente motus & præsens bellum Polonicum componi & sopiri debet, neutra pars ullum de pace facienda tractatum, vel quodcunque cum hoste pactum, nedum ipsam pacem cum eodem hoste initura & conclusura est, nisi altera consenserit, & utrique parti ex præscripto hujus articuli, ut & articulorum primo & secundo in Instrumento secreto satisfactum sit, omnesque & singulæ provinciæ & jura tam uni quam alteri parti hoc bello, & per futurum cum Rege & Rep. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ tractatum adquisita & adquirenda, communi pacis instrumento debite includantur, & inprimis ut Sua S. El. sæpius dictam absolutam potestatem, & Suverenitatem salvam & integram absque ullo damno, detrimento, vel incommodo retineat, & tum vigore etiam ejusdem Instrumenti Rex & Resp. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ juri & prætensioni, quam tum in provincias instrumenti secreti articulo primo significatas, & S. R. Mti, ejusque successoribus Regibus & Regno Sveciæ in satisfactionem dandas & tradendas, tum in Suæ S. El. Ducatum Borussiæ, & Episcopatum Warmiæ hactenus habuere, firmiter & sufficienter renuntient, renuntiatumque

9. sit. Et quandoquidem Sua S. El. pro se & legitimis suis successoribus S. R. Mtem, ejusque successores Reges & Regnum Sveciæ de sincera constantique hac amicitia & intemerata vicinitate securos & certos reddi cupit, ideo hoc ipso promittit, se nec commerciorum usum, nec reliqua jura & consvetudines inter Regiam & Ducalem Borussiam legitime receptas in ullo impedituram, aut illis quidquam detracturam; sed ut hæc omnia recte procedant, & rite observentur curaturam; ita tamen ut, dum Sua S. El. supradicta omnia promovet & manutenet, nihil propterea diminutum & detractum existimetur sive de summa ejusdem & independente potestate, sive de perpetua separatione Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ à Borus-

10. sia Regia, Regno, & Rep. Poloniæ. Si etiam necessitas postulet, ut vel copias vel exercitum per alterius fœderati ditiones, terras, & provincias duci oporteat, liber quidem utrique parti sit transitus, commodiori tamen & breviori via per commissarios designanda ducantur, neque de industria diutius commorentur: antequam etiam fines ingrediantur, ille, qui exercitui vel copiis præest, si Regius fuerit, Suæ S. El. aut cui Sua S. El. partes suas concredidit; quod si vero Electoralis, id ipsum prius S. R. Mti, aut ei, qui in istis provinciis locum ejus tenet, significabit. Quemadmodum autem absque sumtu S. R. Mtis, & Suæ S. El. transeundum erit prædictis copiis & exercitibus, ita ductoribus inprimis incumbet omni studio curare & præcavere, ut abstineatur ab omni penitus damno & injuria tum subditorum & incolarum, tum terrarum, per quas transeunt. Quod si vero culpa Ducis factum quid hisce pactis contrarium fuerit, in ipsum animadvertetur, & circa damni dati æstimationem & restitutionem ex bono & æquo, mediantibus ab utraque parte constitutis Commissariis agetur, & amice componetur. Convenit quoque hoc ipso, ut S. R. Mtis 11.
& Regni Sveciæ, ut eorum subditorum naves mercatoriæ libere Suæ S. El. portus maritimos ingredi, ibique locorum ad anchoras subsistere, & peractis rebus suis iterum enavigare possint, solutis semper vectigalibus, non tamen majoribus, quam quæ à Suæ S. El. subditis penduntur. Exemta vero penitus teloniorum solutione maneant ea, quæ Regum Sveciæ propria, & ad bellicum adparatum confecta sunt, peculiari eorundem usui inservientia, non vero ad mercatum aliquem destinata: atque ideo quoties ejusmodi Regum Sveciæ res propriæ mittentur, tum ad evitandas fraudes, una cum dictis rebus designatio earum S. R. Mtis propriis manu & sigillo munita afferetur, & teloniorum Electoralium præfecto exhibebitur. Valebit quoque, & ab Electoralium præfecto acceptabitur rerum Regum Sveciæ propriarum, sed usui tantum bellico adaptatarum designatio, sive illa à gubernatore alicujus provinciæ ad Sveciam spectantis, sive à Generali aliquo Svecico subscripta, & sigillo ejusdem roborata sit. Pariter quoque S. R. Mtas pro se & successoribus Regibus & Regno Sveciæ promittit idem, eundemque modum observatum iri in portubus Regalis Borussiæ circa res Suæ S. El. & successorum proprias. Permissum quoque sit naves suas ibidem reficere, atque commeatum aliaque justo pretio comparare. Naves bellicas quod spectat, non prohibebuntur quidem & illæ ad portum accedere, tenebuntur tamen stricte semper sequentia observare. Nimirum ut quamprimum anchoras jecerint, indicent adventum suum gubernatoribus portuum, fidemque faciant per ordinarias passeportuum literas, se Svecicas esse: tum ut convenienti distantia, unde justum periculum portubus ac fortalitiis imminere non possit, extra globi tormentarii ictum, commodo tamen navibus ad evitandas tempestates loco, subsistant: milites quoque vel nautæ tanto numero, unde aut periculum excitari possit prædictis portubus & fortalitiis, aut justæ suspicioni causa præberi, non egrediantur: qui vero præter eos, qui ad emenda & comparanda necessaria sufficiunt, egredi volunt, faciant id cum consensu & scitu gubernatoris Electoralis. 12.
Quemadmodum vero prædicti Suæ S. El. portus S. R. Mti & ejusdem successoribus Regibus & Regno Sveciæ ad præscriptum modum patebunt; ita vicissim hostibus Regum & Regni Sveciæ, ubi per specialem designationem tales esse denuntiati fuerint, supradicti portus omnes clausi sint, neque transitus unquam, neque aditus ullus aut receptus vel per ditiones terrestres, vel portus maritimos, quoad poterit id prohiberi, concedatur, salvis tamen ubique navigatio-

1656. *gatione & commerciorum usu, terra marique, cumprimis vero introitu, statione, & egressu mercatorum, navium & mercium non prohibitarum cujuscunque navigationis. Ceterum ut merces usui bellico adaptatæ, vulgo* von Contrabande, *nullo modo sive terra sive mari ex Suæ S. El. territorio in Borussia Ducali & Warmia ad S. Mtis hostes emitti debent; ita cumprimis Suæ S. El. portus penitus clausi sint navibus, quæ mercimoniis bellico usui servientibus in Ducatu Borussiæ vel Principatu Warmiæ fuerint oneratæ, quo minus ad hostes S. R. Mtis & Regni Sveciæ mittantur. Reciprocum etiam quoad res bellico usui servientes, observari debet à S. R. Mte & ejus successoribus & Regno Sveciæ in Borussia Regia, Pomerellia, & eo spectante Cassubiæ parte, ut & Samogitia, ne scilicet tales res inde vel terra vel mari ad Suæ S. El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentium successorum masculorum hostes emittantur. Pro mercibus vero bello accommodis haberi utrinque debent sequentes: gladii, enses, acinaces, frameæ, cuspides, lanceæ, hastæ bipennes, arcus, tela, bombardæ cum suis igniariis & aliis ad ea pertinentibus, pulvis tormentarius, sal petræ, tubi catapultarii, vulgo mortaria, indutiles stlopi, vulgo* petardæ, *ignes missiles, glandes igniariæ missiles, vulgo* grenades, *pilæ, globi majores & minores facti ad ejaculandum, cassides, galeæ, thoraces loricati varii generis, & cumprimis illi, qui vulgo vocantur* Curasses, *scuta, & similia armaturæ genera, & quæcunque alia instrumenta bello tantum inservientia.*

13. *Præterea pro majori certitudine & securitate S. R. Mtis & Regni Sveciæ promittit Sua S. El. pro se & suis successoribus, quod si (quod Deus avertat,) linea Suæ S. El. descendens mascula defecerit, tunc Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ cum omnibus juribus & absoluta summaque potestate ad Reges Regnumque Sveciæ absque mora & contradictione devolvantur, iisque plenarie adquirantur. Quamprimum itaque extincta fuerit Suæ S. El. is linea descendens mascula, illico S. R. Mtas & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ jus & potestatem habebunt occupandi possessionem Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ. Atque ut major constet S. R. Mti Regnoque Sveciæ supradicti juris succedendi certitudo & securitas, Sua S. El. curabit, ut Ordines Ducalis Borussiæ & Principatus Warmiæ, salva & illæsa Suæ S. El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentium successorum masculorum suverenitate, juramento se obstringant, quod in casum deficientis lineæ Suæ S. El. descendentis masculæ nullum alium legitimum heredem ac dominum, quam S. R. Mtem ejusque hæredes & successores Reges Regnumque Sveciæ agnoscent & recipient, quodque etiam eidem S. R. Mti ejusque hæredibus & successoribus Regibus & Regno Sveciae, existente casu deficientis lineæ Suæ S. El. descendentis masculæ, fide, devotione & obsequio promte se submittere velint & debeant; quam quoque sponsionem, quoties casu eveniente homagium sunt renovaturi, eodem modo repetent. Similiter tum S. R. Mtas, & ejusdem successores Reges Sveciæ, quoties gubernacula sui Regni, tum Sua S. El. & ejusdem legitimi successores, quoties gubernacula Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ suscipient, assecuratoriis invicem literis profitebuntur & promittent, se velle hæc pacta arctissimi fœderis & supradictæ eventualis successionis illibata servare, & in perpetuum eorum vigorem ad posteros propagare. Prætensio Dominorum Marchionum Brandenburgensium in Ducatum Borussiæ eo in statu & conditione maneat & relinquatur, in quo fuit tempore postremæ à Regibus Poloniæ datæ in Ducatum Borussiæ investituræ: dicta vero prætensio neutiquam extendatur ad Principatum Warmiensem, multo minus ad utriusque tam Ducatus Borussiæ, quam Principatus Warmiensis suverenitatem, utpote quæ jura Sua S. El. sibi & suis solum descendentibus masculis nuper admodum acquisiverat. Circa hunc articulum specialiter S. R. Mtas promittit pro se & successoribus suis Regibus & Regno Sveciæ, quod eveniente casu extinctæ lineæ Suæ S. El. descendentis masculæ superstitibus ex eadem Suæ S. El. descendente linea Marchionissis proximioribus solventur trecenta imperialium millia, quibus hoc ipso per mutuam conventionem, usque dum summam istam CCCM. imperialium acceperint, cum omni jure occupanda præfectura Insterburgensis cum omnibus ad eam spectantibus præfecturis Cameræ, vulgo* Cammer Æmpter, *conceditur, adeo ut à nullo occupatio ista impediri, sed à S. R. Mte & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ conservari, & in possessione manuteneri debeant.*

14 *Ad obtinendum autem propositum utrinque scopum, & eorum omnium & singulorum, quæ his pactis continentur, & utrique parti adquisita sunt, firmitudinem, mutuum non modo consilium, sed auxilium etiam omnino est necessarium, idque durante hoc bello Polonico præstari utrinque debet ex præscripto pactorum Mariæburgensium, utpote quæ vigorem adhuc obtinebunt, quatenus hisce pactis & suverenitati non sunt contraria. Quod si vero post præsentis belli Polonici compositionem fœderatorum alteri hostilitas aliqua in provinciis, hoc bello acquisitis & ad quarum defensionem fœderati sibi invicem auxilium ferre tenentur, vel immineat, vel incumbat etiam, tum de mutuo auxilio præstando ita utrinque convenit, ut si S. R. Mtis ejusque successores Reges & Regnum Sveciæ Suam S. El. ejusque successores Duces Borussiæ & Principes Warmiæ certiores reddiderint de tali hostili impetu in eas provincias, quarum causa Sua S. El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentes successores masculi, vigore instrumenti secreti articulo V. tenentur suis auxiliaribus copiis S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ adsistere, idque quod dictus hostilis impetus vel jam præsens sit, vel quod certo metuatur, tum Sua S. El. & ejus successores tenebuntur intra spatium duorum vel trium mensium à die factæ notitiæ computandorum exercitum MMD. peditibus & MD. equitibus constantem propriis sumtibus conscriptum cum omni apparatu, & perito belli Duce S. R. Mti & eius successoribus Regibus & Regno Sveciæ auxilio mittere: Et quando dictus exercitus finibus Suæ S. El. excesserit, ratione supremæ directionis, iurisdictionis, sustentationis, avocationis ita quoad omnia habeatur & observetur, quemadmodum in supradictis pactis Mariæburgensibus iam alias in simili convenerat. Vicissim S. R. Mtas pro se & successoribus suis Regibus & Regno*

1656. *Regno Sveciæ promittit ac tenebuntur, si Suæ S. El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentibus successoribus masculis in Borussia Ducali & Principatu VVarmiæ vel præsens jam sit hostilitas, vel immineat & metuatur, & id ipsum S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ à S. S. El. & successoribus ejus legitimis notum factum fuerit, tum S. R. Mtas cum exercitu MMD. peditibus & MD. equitibus constante propriis impensis conscripto, intra spatium duorum aut trium mensium, à die factæ notificationis numerandorum auxilio futuros, cumque eo exercitu circa omnia & singula Sua S. El. & ejus successores ita agent, quemadmodum hoc ipso articulo concernit, ut S. R. Mtas & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ cum exercitu in subsidium Suæ S. El. & ejus successoribus misso, agere debeant.* Ratificationi horum pactorum quatuordecim dies præfigebantur.

Articuli secreti. §. 46. Huic fœderi adjungebantur sequentes articuli secreti tunc habendi.
1. *Quandoquidem S. R. Mtas & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ, atque Sua S. El. ejusque legitimi successores ex præscripto articuli septimi in principali Instrumento honestæ & tutæ paci cum Polonia obtinendæ mutuo & decenter incumbent, & S. R. Mtas nihil, quo ejusmodi pax haberi possit, in se desideratum iri cupit, ideo altissime memorata S. R. Mtas contenta est, ut si post utriusque fœderati diligentem cooperationem in tractatu plures provinciæ e Poloniæ & Lithuaniæ corpore in satisfactionem pro S. R. Mte & Regno Sveciæ retineri & haberi non possint, quam illæ, quæ hic inferius specificatæ sunt, & pax videbitur impediri, nisi S. R. Mtas & Regnum Sveciæ tali prætensione in plures provincias, quam quæ infra in hoc articulo specificantur, desistam, tum demum sicuti S. R. Mtas & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ vigore supradicti articuli VII. obstricti sunt, una cum Sua S. El. pro Suæ S. El. terris, juribus & adquisita suverenitate; ita quoque Sua S. El. ejusque successores legitimi vicissim virtute sæpius dicti articuli VII. tenebuntur una cum S. R. Mte & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ agere & cooperari, ut Borussia Regia, Pomerellia & eo spectans Cassubiæ pars, item Samogitia, Semigallia, Curlandia & Livonia cum suis pertinentibus & juribus S. R. Mti & ejus successoribus Regibus, Regnoque Sveciæ in satisfactionem à Rege & Rep. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ in perpetuum cedantur. Et quidem quod attinet Livoniam, quandoquidem S. R. Mtas & Regnum Sveciæ jamdiu ejusdem provinciæ maxima parte potiuntur, utrinque à fœderatis in tractatu laborandum erit, ut Rex & Resp. Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ totam Livoniam cum omnibus suis pertinentiis & juribus S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ perpetuo jure habendam & possidendam cedant. De Curlandia ita quoque specialiter conventum est, ut idem jus, quod Regibus & Reip. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ in Curlandiam hactenus competierat, per tractatum cum Polonia procuretur & acquiratur S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ, salvis tamen & illæsis per omnia juribus & statu Ducis Curlandiæ. Atque ut S. R. Mtas & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ dictam Curlandiam supra dicta ratione per tractatum cum Polonia consequantur, Sua S. El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes successores masculi non modo non impedient, sed insuper etiam pro posse suo cooperabuntur.* 1656.
Præterea quemadmodum in pactis Mariæburgensibus, ut & in peculiari insuper ibidem confecto instrumento à S. R. Mte & successoribus Regibus & Regno Sveciæ Suæ S. El. & ejus successoribus legitimis utriusque sexus in sublevationem sumtuum & satisfactionem traditi & concessi sunt integri Palatinatus Posnaniensis & Calisiensis, exceptis locis non nullis, item totus Palatinatus Lanciciensis & Siradiensis, una cum adjacente terra Vielunensi: ita hac traditio & cessio cum omnibus suis clausulis & articulis salva & integra maneant. Cum vero à S. R. Mte Suæ S. El. expositum pluribus sit, fieri posse, ut si ad pacis tractatus perveniretur, pax ipsa hasce ob terras, & Palatinatus, si Poloniæ non restituerentur, impediretur, atque Sua S. El. nullo magis, quam quietis & pacis studio & desiderio flagret, nihilque intermittere velit, quo reduci iterum sincera fidaque pax possit; ideo hoc ipso spondet ac promittit, ut si habito pacis tractatu Sereniss. Rex, & Resp. Poloniæ nulla penitus alia ratione cum S. R. Mte & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ, & Sua S. El. ejusque successoribus pacem inire velit, quam restitutis jam dictis Palatinatibus & terris, se de jure suo quæsito discessuram, & dictos Palatinatus & terras in manus Polonorum resignaturam, absque ulla tamen rationum redditione vel restitutione fructuum perceptorum & percipiendorum, vel qualicunque aliarum obventionum, aut damni quovis modo dati. Atque hoc casu donationes vel oppignorationes omnes & singulæ à S. R. Mte suis Generalibus & aliis quibuscunque ministris, in dictis Majoris Poloniæ Palatinatibus & terris factæ cessabunt, nec Sua S. El. vel ejus successores tenebuntur hac in parte stare promissioni, pactis Mariæburgi die XV. Junii hujus anni initis insertæ. Obstricta tamen sit & teneatur S. R. Mtas successores Reges & Regnum Sveciæ durantibus pacis tractatibus & semper omnibus viribus eo laborare, ut si non toti & integri isti Palatinatus terræ, pars tamen eorum apud Suam S. El. & ejus successores remaneat; quo casu Sua S. El. pro parte & proportionabiliter in parte retenta constitutas donationes vel oppignorationes servabit. Quod si vero non obstante omni adhibita diligentia, industria, & viribus, ne pax quidem obtineri possit, cedant integri Regi & Regno Poloniæ, prout superius jam dictum & promissum est. Nihil vero Sua S. El. & ejus successores propter hanc pacis causa Regi & Regno Poloniæ factam cessionem & restitutionem dictorum Palatinatuum & terrarum contra S. R. Mtem, Reges, Regnumque Sveciæ unquam prætendant; sed eos ab hac in pactis Mariæburgensibus, & peculiari ibidem facto Instrumento promissa satisfactione eum in casum perpetuo liberatos & solutos pronuntiat. 2.
Participationem teloniorum, vulgo Licenten, in portubus maritimis Ducalis Borussiæ, de qua aliquid in pactis d. VII. Januarii Regiomonti initis, & nunc penitus peculiari Instrumento die X. Novembris erecto sublatis & annullatis, articulo XII. actum fuerat, quod spectat, 3.

1656. *ea hisce præsentibus mortificatur & aboletur, Sque R. Mtas Reges, Regnumque Sveciæ ab ea & omni prætensione penitus nunc & in posterum decedunt & desistunt. Ut vero S. R. Mtas, Reges, Regnumque Sveciæ pro eo, quod huic juri renuntiaverint, vicissim aliquam gratitudinis tesseram à Sua S. El. consequantur, promittit Sua S. El. se S. R. Mti à tempore subscripti hujus Instrumenti intra spatium XIV. dierum XX M. imperialium, intra spatium VI. septimanarum à die ratificationi exhibendæ præfinita CM. imperialium soluturam esse. Præterea telonii, quod vel ad urbem Elbingensem, vel inde navigantes hactenus sub quocunque nomine & titulo Suæ S. El. ex navibus & mercibus advectis solverunt, sequens haberi debet ratio; ut quidem eodem modo posthac continuetur, ita tamen ut dicti telonii illius seu pecuniæ pro navibus & mercibus solvendæ dimidium Suæ S. El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentibus successoribus masculis secundum taxam hucusque usitatam, nunc vero ab Electoralibus plenipotentiariis subscriptam & Regiis extraditam, in posterum & perpetuo sine ulla dictæ taxæ variatione in Pillaupendi debeat. Reliquum & quod ultra ex dictis mercibus solvendum est, S. R. Mtis, ejusque successorum & Regni Sveciæ liberæ dispositioni perpetuo suberit, pendendum vel Elbingæ, vel alibi in Borussia Regalis territorio. Licet art. XII. §.*
4. *Atque ut major constet &c. nullum tempus præfinitum sit, quando Ordines Ducalis Borussiæ & Principatus VVarmiæ S. R. Mti, ejusque successoribus Regibus & Regno Sveciæ se juramento in casum deficientis lineæ Suæ S. El. descendentiæ masculæ obstringent; visum tamen est expedire utrique contrahentium, tum S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ, tum Suæ S. El. ejusque ex legitimo matrimonio descendentibus successoribus masculis, ut dicti Ordines ante bellum hoc compositum ad præstandum tale juramentum permoveantur. Quandocunque ergo S. R. Mti & Suæ S. El. earumque successoribus ante bellum hoc sopitum visum fuerit opportunum exigere ab Ordinibus Ducatus Borussiæ, & Principatus Warmiæ dicti juramenti præstationem, tunc Sua S. El. non modo non impediet sæpe dicti juramenti præstationem, sed potius eam omni possibili modo promotam curabit. Quandoquidem vero in instrumenti principalis articulo XIV. conventum est, ut si post præsentis belli Polonici compositionem hostilitas aliqua fœderatorum alterutri in provinciis hoc bello acquisitis vel immineat vel incumbat, tum fœderatorum alter tenebitur ferre & præstare fœderato, cui arma aliorum vel imminent, vel incumbunt, certum & determinatum auxilium; & provinciæ, quarum causa S. R. Mtas & Regnum Sveciæ Suæ S. El. & ejus successoribus auxiliari debent, ibidem nominatæ sunt, nulla vero specialis mentio facta sit provinciarum earum, quarum causa Sua S. El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes successores masculi obligati sunt præstare S. R. Mti, & ejus successoribus & Regno Sveciæ suppetias tales ferre debeant, ideo utrinque placuit, ut reciprocum auxilium, quod Sua S. El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes successores obligati sunt præstare S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ eveniente tali hostilitatis casu non debeant extendi ad Livoniam, Curlandiam, & Semigalliam, sed tantum de Borussia Regia, Pomerellia, & eo spectante Cassubiæ parte, ut & Samogitia intelligi: ita ut quandocunque S. R. Mti & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ hostilitas aliqua in modo nominatis Borussia Regia, Pomerellia, & eo spectante Cassubiæ parte, ut & Samogitia vel præsens sit, vel certo metuatur, tum Sua S. El. & ejus successores tenebuntur auxilium ferre S. R. Mti, & ejus successoribus Regibus & Regno Sveciæ eo numero militum, eoque modo, prout in supradicti Instrumenti articulo XIV. est determinatum.* 1656.

§. 47. Ea super transactione nostri Hagæ Ordinibus Fœderatis id duntaxat significabant, uti Svecus participatione vectigalium Pillaviæ & Memelæ cesserit; sed de summo in Borussiam imperio publice silebant, ne invidiam irritarent, ne ansam aliis quæstionibus præberent; puta, annon Elector sese obstrinxerit ad infestandam civitatem Gedanensem, ad arma in Polonos gerenda, ad occupatas hoc bello à Svecis provincias tuendas; quæ omnia ingrata ei Reip. futura erant, nil præter pacem & suorum commerciorum conservationem quærenti. Pedetentim tamen per alios de eodem instillari curabant. Ac sane lætum omnibus accidebat, quod Elector non amplius Svecis obnoxius esset acturus; quem nullo modo à se deserendum jactabant, velut in quo magna suæ salutis pars sit reposita. Id duntaxat anxios habebat, ne is forte ulterius sese Svecis innexuisset, quam obtinendæ honestæ paci necessarium foret. Simul svadebant, ut quam ingressus esset viam inter utramque partem prudenter agendi pergeret, ac pacta tueri studeret. Quod quia fieri nequeat, ubi una pars alteram plane oppresserit, summa ope conitendum, ut bellum æquis conditionibus componatur. *Belgis de eo transactione significatur.*

§. 48. Ast quanquam Electorem summæ rationes ad ista cum Svecis pacta ineunda compulerant; tamen cum satis judicare posset, Svecorum potentiam haut suffecturam Regno Poloniæ plane subjugando, aut lacerando, quorum & neutrum ipsius rebus expediebat; id agere instituit, ut ad reconciliationem cum Polonis viam sibi non intercluderet. Unde & post victoriam ad Warsaviam eadem manebat mens pacem constituendi, de qua Joanni Casimiro tum per alios, tum per Lumbranum significabat. Et ostendebat se initio iste à pace non alienum, sed mox instinctu Austriacorum, & ob Moscorum progressus contra Svecos ferocia redibat. Simul cum Svecos successus Mosci in Livonia observare, ac nuspiam se movere conspicerent, cupido subibat, si qua possent, acceptam cladem ulciscendi. Ac ipse quidem Rex Gedanum se cum magna virium parte contulit, expugnata in itinere Lancicia, quam præter Svecos etiam ducenti Electoralium insederant. In diversa parte Gosievius Lithuanicæ militiæ Dux adsumta Tartarorum manu apertam ibi Borussiam impetebat. Cui repellendæ Waldeccius assumto Bogislao Radzivilio, & Israële Ridderhielmio supremo vigiliarum inter Svecos *Cum Polonis acta* *Poloni cladis quid no-*

1656. cos præfecto versus Masoviæ fines properabat, ut plures ibi legiones assumeret. Sed præveniente hoste, qui ut expeditior esset, omnibus vehiculis relictis sarcinarum duntaxat maxime necessarias equis imposuerant, apud Liccam deprehensus pugnam suscipere cogitur. Ubi nostri post strenue sustentatum aliquandiu hostium impetum numero obruti non sine cæde pelluntur, amissis sex machinis, ac omnibus impedimentis. Radzivilius & Ridderhielmius in Tartarorum manus incidere. Waldeccio, & plerisque turmis Angerburgum refugium fuit. Is tamen Gustavo Ottoni Stenbockio cum Svecicis legionibus subveniente junctus in Gosievium iterum tendit; quem apud Philippovvam fœderati assecuti haut modica clade multant Radzivilio quoque è captivitate erepto. Initium ejus victoriæ à Joachimo Ernesto Goertzkio profectum est, qui cum primo agmine impetu dato oppositos statim in fugam pepulit. Paulo post circa Ragnitum cum copiis in Clivica provincia conductis accessit Sparrius tribunus, qui Goltzio junctus conglobatos Samogitios invasit, eosque initio cessim euntes, inde ad consistendum compulsos non modica clade affecit. Nec minus in Pomerania Poloni incendiis, cædibus ac rapinis grassari cœperant, prætexto sumto, quod quinque Svecicæ legiones apud Schifelbeinam consedissent, quæ inde in Poloniam excurrebant. Id quod ægre admodum ferebat Elector, ac de eo apud Regem Sveciæ querebatur, quod per istos non solum sua ditio exhauriretur, sed & Poloni ad eandem invadendam irritarentur. Nec Marchiæ parcebatur, quam incendiis vastandam à se minabantur Poloni, ni Electoris præsidia Majoris Poloniæ oppidis deducerentur; qui & apud Mesericiam Zastrovium tribunum oppressserant. Etsi nec Poloni impune abibant, quos venatores per sylvas & angusta viarum Oppeno Duce passim carpebant. Nam quo minus autem eam per provinciam octo militum millia contrahi possent, uti Elector destinaverat, grassans dira lues prohibebat. His excursionibus sistendis Elector à Saxone petierat, ut copiæ Circuli Superioris Saxonici expedirentur. Sed qui mortuo tunc patre Joanne Georgio I. recentis regiminis negotia excusabat. Cui & Poloniæ Rex per literas denuntiarat, sese in Brandenburgicas ditiones irrupturum: à quo conatu iste sat frigidis literis eundem dehortatus fuerat. Ac sane nulla inde auxilii spes erat quod Is Princeps omnia consilia ad quietem retulisset, ac plane ab Austriacis dependeret, quibus arma Ordinum parum placebant. Simul nosse prius cupiebat, quem finem Elector armis suis præfixisset. Nam Saxones uti Regiomontana pacta velut per necessitatem extorta utrumque probabant, ita Mariæburgense haut obscure damnabant; cum taman hoc ex istis promanaret. Ea de irruptione in aula quoque Cæsaris Elector per literas querebatur; ad quas à Polonico legato repositum: *Juris gentium esse hostem ubicunque ulcisci. Poloniam paci Westphalicæ inclusam haut eo minus à Germania & Germanorum viribus invadi. Si tamen ipsi non amplius è Germania infestentur, incursiones omissuros.* In junxerat porro Elector Witgensteinio, & Consiliariis Berolini relictis, ut Polonis irruptionem intentantibus obviam mitterent, & immunitatem à molestiis belli paciscerentur, vicissim polliciti, è Marchia istis hostile nihil illatum iri; alias conditiones ne inirent; ac si plura petantur, ad se referrent. Unde Marchiæ Ordines ad majoris Poloniæ Ordines literas dabant, ut infesta arma finibus Germaniæ abstineant. Ast hi contra de petulantia militis Electoralis præsidiarii atrocibus verbis querebantur, queis ad desperationem compulsi sint; ac suis rebus per alios abreptis ex alieno necessitatibus suis subveniendum. Mox inter utrinque delegatos Zilenzigæ in duos menses induciæ ineuntur ea lege, ut Poloni finibus Marchiæ excederent, contra Electoris præsidium Mesericia, & Pentschena deduceretur; qui Posnaniam & Calisiam insiderent, sine noxa agerent, iidemque ut intra duos menses avocentur, Ordines Marchiæ apud Electorem obtinerent. Qua conventione Elector gravissime offensus fuit, velut subditis citra mandatum convenire ausis de re, circa quam disponere solius Principis sit: Consiliariis contra excusantibus, modica ista oppida, & quæ vim sustinere non potuerint: ac tanti utique fuisse, provinciam ab incendio servatam. Et jam maxime circa eas populationes sistendas satagebat Elector, per literas ad Joannem Casimirum Regem Gedani tunc agentem questus, oblata sua circa pacem conciliandam opera. Cui Rex pollicitus fuerat, se edicturum, ut istæ excursiones omittantur, adjunctis tamen querimoniis, belli colluviem è Germania in Poloniam effusam, cui alendæ complures Principes integras legiones eodem adduxerint.

Hostes inferunt quibus ultio reponitur Ridderhielm.

§. 49. Istud porro Electoris in pacem studium apud Polonos dispariter acceptabatur. Sane Cancellarius Belgicos apud Legatos jactaverat, Borussiam Electori ademtam cum Poloniæ corpore consolidandam. Contra Gosievius in Electorem pronus circa hunc Poloniæ conciliandum maxime satagebat; qui post prælium ad Warsaviam (*15. Aug.*) misso Regiummontem centurione graviter querebatur de crudelitate Wallenrodii tribuni in Podlachia exercita. Simul operam suam paci inter Reges promovendæ offerebat, ad quam amplectendam & Electorem hortabatur; pollicitus quoque, se hostilibus adversus Borussiam abstenturum, si Electorales idem facturi sint circa Masoviam, Lithuaniam, Samogitiam, & Podlachiam, quarum provinciarum tutela sibi commissa sit. Petebat quoque ut delegati ad tractandum ab Electore mittantur, ac commerciis libertas restituatur. Ad quæ Consiliarii Borussici Electore absente laxioribus verbis respondebant. Post Elector Regiummontem reversus Henricum Seretam Schernofski & Joannem Auerum ad Gosievium mittebat, Regi Sveciæ tamen communicatione facta, incendii avertendi causam prætexens, ne iste sinistri quid suspicaretur. Cæterum missi ab Ele- 16. Oct.

Elector circa pacem satagit.

1656. Electore interrogabant; num Gosievius idonea facultate à Rege & Rep. Poloniæ instructus sit ad plenam & communem pacem cum Sveco atque Electore concludendam, ac num mandata ipsi sint expediendis omnibus, quæ inter tractandum obvenire possint? An vero tantum cum Electore agere velit, & quibus conditionibus? Id enim antequam norint, certi quid declarare non posse. Addito, ut si serio rem agat, Polonos è finibus Borussiæ abduceret, ac hostilia omitteret. Gosievius inde (*8. Nov.*) literis ad Consiliarios Borussiæ datis significabat: se militi suo publice injunxisse, ut in Electoris provincia cædibus & incendiis abstineant, eundemque in Lithuaniam retraxisse, & expectare, quæ Electoris super tractatibus suscipiendis mens sit. Vicissim Sereta & Joannes Auerus scripto amplius quam in mandatis habebant caverant, ab Electoralibus damni nil datum iri, quoad à Rege & Electore aliter dispositum fuerit. Iidem & Gosievio pacem commendanti præter mandata de conditionibus præpropere jecerant. Post (*27. Nov.*) Gosievius Fridericum Fitinghofium cum literis ad Sparrium mittebat, questus catervas Electoralium trans limitem progressos hostilia exercere: ac num inducias abrumpere velit, quærebat. Cui Sparrius reponebat, Polonos in præfectum Neidenburgensi prius grassatos. Cæterum ab Electore sibi injunctum fines tueri, & si quæ hostilia inferantur arcere. In posterum tamen hostilibus sese abstenturum. Eo de negotio ample admodum ad Daniæ Regem scripserat Joannes Casimirus Rex: Gosievium harum induciarum pretium ipsi promisisse Electoris à Svecis disjunctionem, & ad pristinam conditionem reditum. Cæterum missis ab Electore, qui Joannis Casimiri super pace animum explorarent, hic declaraverat: Polonos quidem pacem cum Sveco quam Mosco malle; sed potius quam Borussiam aut quamvis ejus particulam cedere velint, vel per centum annos bellum gesturos, etiam cum exitio Regni. Nam ita se non inglorios perituros; avulsa Borussia æternum ipsos servitium manere. Alias æquas conditiones Sveco concessum iri. Huic igitur negotio urgendo Elector literas ad Legatos Belgicos Gedani tunc agentes dabat; *Quanquam Belgis satis constet, quo studio ipse & ante* 13. Nov. *has turbas, & post easdem exortas eo incubuerit, ut pax inter Reges constitueretur: haut eo minus malevolos aut rerum ignaros de se sinistre judicasse. Acerbum insuper fuisse, neminem hoc in negotio per idonea remedia succenturiari sibi voluisse. Acerbius adhuc, à Polonis tam candidum studium in propriam ipsorum perniciem hucusque rejectum; quos mirum sit, cum nulla re magis quam pace ipsorum saluti consulatur, circa belli flammam latius diffundendam laborare, nuper irruptione in Germaniæ fines tentata, ferro ac igne plusquam barbaro more grassatos. Nolle memorare, causam se talibus non dedisse, nec similia jussisse aut permisisse; quin ea patrare conatos inbibuisse, ac ut pœnas luerent effecisse. Id saltem in aprico esse, ni Poloni hac immanitate inter gentes Christianas inaudita desistant, in vicem unius hostis plures & potentiores in se attracturos.* 1656. *Sane se, cum ejusmodi minæ jactarentur, cum quibusdam Principibus fœdera inivisse, qui ipsum auxilii expertem haut sint passuri: quin totum Imperium hanc causam suam facturum. Sed nec sibi facultatem deesse in unius vici locum viginti in cineres dare, si Polonorum diritatem imitari placeat. Sed quia hoc modo ad summam rerum nihil proficiatur, animis non nisi in atrociora exacerbatis; promta remedia circumspicienda, ut quæ belli calamitas reliqua fecit ab exitio serventur. Sane id à se omnibus viribus agi, ut pax quantum possit maturetur. Id ipsi Regi & Senatoribus ob oculos ponerent; tum & Gedanenses hortarentur, apud Regem Poloniæ instarent, ut ejusmodi grassationes omittantur, demum & in istorum civitatem redundaturas: ac se extra culpam fore, si Poloni ex isthoc agendi modo plurimum damni sint sensuri.* Mox cum Avaugurius ad Sveciæ Regem declarationem attulisset circa ea, quæ tractatibus præmitti mos est, quibus inter alia noluerant Electorem junctim cum Sveco ad tractatus admittere, etsi separatim & eodem tempore cum ipso agere velint; hic ab iisdem legatis contendebat, operam darent, ut sibi quoque ad communes tractatus accedere integrum sit, simul ut Poloni tam absurdo postulato desistant; à Carolo Gustavo omnia occupata prius restituenda, quam ad tractatus accedatur. Sed Belgæ reponebant: Polonos utique cum ipso sine Svecis agere velle; eoque hortari eundem, ut suas rationes à Svecis disjungat, quo ipsi eas separatim apud Polonos fulcire queant. Quam in rem occasionem magis magisque maturescere. Nam si Elector vel paululum favoris pro Polonia ostendat, Remp. Belgarum apud Polonos id autoritatis habituram, ut commodis ejusdem apud hosce velificari queant, dispulso gravissimo quod imminere videatur periculo.

§. 50. Ita cum plus subinde difficultatum paci sese objiceret, Elector quæ demum consilia sibi sequenda forent, solicite trutinabat. Sane qui ipsum à societate Svecica avellere studebant, utriusque partis vires sociosque ingerebant. Inter Svecorum socios tunc præcipuus erat ipse Elector, cujus copiæ per morbos contagiosos, & postremam expeditionem non parum imminutæ erant. Borussia per proprium militem, per Quartianos, per varios Svecorum transitus, tum Polonorum & Tartarorum hinc inde irruptiones multis locis valde vastata jacebat. Supplementa è Germania parcius procedere: Clivenses frænum mordere. Nec ullum hujus belli fructum apparere. Nam post tam præclaram victoriam periisse Majorem Poloniam; non modicam Pomeraniæ partem in cineres consedisse. Cromvellum gravi bello implicitum; cui & ob metum intestinarum turbarum vires haut distrahendæ sint: & quæ ab isto hactenus præstita sint, ad summam rerum parum profecisse. Gallos ob Pontificem & proprios sacerdotes vix quidquam favoris in Svecos ostendere audere; quin per horum arma sibimet levamen quærere. Hildesiensis fœderis socios rem ma-

Consultatio super præsenti rerum facie.

56. magnam præstituros, si ad tutelam provinciarum Germanicarum quid conferant. Qui alias aperte jactent; se non posse excogitare, quid rei Evangelicæ intersit à Sveco Borussiam retineri. Ragozium denique pecuniæ suæ haut potentem, postquam tamdiu cunctatus est, ægre nunc in causam descensurum, cum jam Svecorum fortuna nutare incipiat: cui & semper Austriaca arma, & Hungaricorum procerum machinationes sint respiciendæ. Contra Polono jam socium Moscum, Sveco infensissimum, qui & id lucri à Sveco obtinere nequeat, quod Polonus ipsi offerat. Dano communes cum Polono rationes, cui haut facile pronior occasio nascitura sit accepta damna & dedecora ulciscendi. Belgas, qui alias ægre moliantur, jam id magno studio agere, ne Svecus ad Mare Balticum plus progressuum faciat. Tartaros jam aliquoties auxilium suum repræsentasse; & haut leve operæ pretium præstare, si Cosacos cohibeant. Pontificem aliquoties grandes pecuniæ summas submisisse, ac sacerdotibus veniam dedisse thesauros ecclesiarum ad hoc bellum impendendi. Idem à Liga Pontificia fieri, quæ quid conferat, ex eo colligi posse, quod Hildesiensis Præsulatus rata portio viginti quinque uncialium millia conficiat. Denique si maxime Poloni semel atque iterum vapulent, id ad summam rerum parum facere: sed Svecorum res una acie perdita plane pessum ituras.

Elector ... cia ... em ... pacem ... atur. Dec.

§. 51. Tanto magis curæ Electori erat, ut quæ imminere videbatur, tempestas honesta pace præverteretur. Unde Sverinum ad Regem mittebat, causas explicaturum, ob quas ad expeditum à Rege colloquium accedere non potuerit; simul ejus consilia exploraturum. Ubi Regem magis continuando bello, quam amicis tractatibus pronum inveniret, molestias belli, & commoda pacis ingereret, quæ vel cessa bona Borussiæ parte redemisse, pœnitendum non sit. Laude dignum esse quod Rex declararit, se honestam pacem omnibus speratis emolumentis antehabiturum. Sed si idem conditiones ejus pacis nimium intendere instituat, ostenderet; è sententia omnium cordatorum eam honestam pacem haberi, ubi quis per tractatus nanciscatur id, cujus causa bellum gestum fuerit. Atqui certum esse, Regem apud tractatus non solum renuntiationem in Regnum Sveciæ, quæ inter præcipuas belli causas publico scripto adducta sit, sed & cessionem Livoniæ, & alia commoda à Polonis obtenturum. Si reponatur, Regem istis potiri potuisse, antequam pedem è Svecia efferret, ac tantos sumtus in hanc expeditionem faceret; reponeret; tale quid nunquam oblatum, saltem de eo publice haut innotuisse: quin diversum plane in clarigatione adductum; nempe Polonos à pace abhorruisse, & omnes tractatus elusum ivisse. Cum igitur credendum sit, Sveciam bello Polonico ac Moscico simul non sufficere, Moscum autem pacem non facturum, ni multa ipsi cedantur, quæ ante bellum non habuerit; igitur pacem etiam magna Borussiæ parte relicta honestam utique esse, parto insuper Livoniæ titulo. Ubi objiciatur, si Polonia magis prematur, non solum totam Borussiam, & Samogitiam, sed & supremum jus in Curlandiam isti extorqueri posse; eoque ignominiosum fore tam egregii emolumenti spem gratis abjicere: ad isthoc reponendum; Polonis etiam inter extremas angustias fixum sedisse, omnia tolerare, imo Turcæ potius se dedere, quam Borussiam per tractatus cedere. Atque ea non inania verba esse, testari cum Mosco acta, & quæ Cæsari oblata sint. Porro ut bellum acriter continuetur, non pati pecuniæ inopiam, & consumtam simul fidem ob deficientia vectigalia creditoribus hactenus assignata; uti & incommoda, per quæ exercitus imminuti sint. In novis delectibus & supplementis, aut fœderibus parum spei. Et licet per hanc hiemem Rex pecunia & milite aliquantum se firmaturus sit, non tamen ejusmodi exercitum adornaturum, qualem initio in Poloniam adduxerit; per quem tamen repentino assultu oppressi populi in officio contineri non potuerint. Præterea venerationem, & affectum Polonorum & Lithuanorum, qui tunc deprehensus sit, nunc plane extinctum, ac in acerbissimum odium, aversationem, ac desperationem mutatum: nec spem esse, inter tantam sacrorum, atque ingeniorum diversitatem ulla speciosa prætexta, ac pollicita locum inventura, sublata cumprimis, quæ tunc erga Joannem Casimirum fuerit, diffidentia. Ita Sveciam non sufficere tam vastis provinciis vi obtinendis. De Gedano nullam spem superesse, ac citra eam urbem è reliqua Borussia Regi vix tantum rediturum, quo præsidia ali queant. Unde & Gustavum Adolfum sexennalibus induciis Mariæburgum, Hauptum, & Stumam una cum insulis Electori sequestro dedisse, unica Memela recepta. 1629. Cum itaque tanta incommoda inter incredibiles progressus, post tot fausta prælia, integro utroque exercitu obvenerint; quid futurum, si cladis quid accipiatur? Et quid periculi Protestantibus in Germania inde eventurum? Quod si bellum ad excidium usque gentis Polonicæ geri placeat, vicinos adquiri multo quam Poloni sinc periculosiores. His quippe perpetuum militem non esse; nec ærarium parari, nisi urgente summa necessitate: tarda consilia; ac vix exempla extare abruptæ ab iisdem pacis, nisi ante duo secula regnante Uladislao Hungariæ simul Rege, cui & ista res pessime cesserit. Bello Germanico nunquam se movisse, utut egregium Regem bellique cupidum haberent, & occasio rem bene gerendi mire arrideret, Austriacis insuper acres stimulos admoventibus. Quin eosdem in Electoris patrem nihil movisse etiam eo tempore, cum ipsius provinciæ Cæsareo milite plane inundatæ essent, ac Regiomontani animis ægrescerent. Denique diuturno bello in Svecia quoque seditiones oriri posse, à quibus vix ullus priorum Regum immunis fuerit, ob damna hoc bello accepta, Livonia & Ingria pervastatis,

1656. statis, Germanicis provinciis exhaustis, tot indigenis bello absumtis, attractis insuper Mosci armis. Quod si Regi humanitus quid accidat, omnia uno ictu ruitura.

Elector pacem inter Svecum & Danum servare studet. Kleistii mandata. 5. Jul.

§. 52. Enimvero ista circa pacem opera incassum sumebatur, quod & Svecus novam spem è Ragozii motu concepisset, ac Polonis pruriens in bellum Dania ferociam addidisset. Eam ut Sveciæ amicam servaret Elector sedulam operam dederat, misso Hafniam Evvaldo Kleistio. Huic injunctum primo accessu memorare de vetere amicitia inter Regiam Danicam, & Electoralem Brandenburgicam Domum, & uti Elector sub initium anni cum Sveciæ Rege certa pacta super Borussia inire necessum habuerit; tum nuper mense Junio, cum ipsius res velut bellantibus interpositi in ancipiti starent, cum Svecis arma sociarit. Quo facto quin unus & alter, cui genuinæ ejus causæ haut perspectæ sint, suspicionis quid concipere potuerit, dubium non esse. Sed testari Electorem, obligationem cum Sveco non nisi Borussiam & Poloniam spectare; ac ista conjunctione amicitiam, quæ ipsi cum aliis hactenus intercesserit, illæsam mansisse. Inprimis veteri necessitudine cum Dania nihil detractum, quam Elector summo studio culturus sit, ac paria à Rege expectare. Ac ipsum eo libentius Sveco se innexuisse, quod intellexerit, huic bene cum Dania convenire. Equidem in pactis cum Sveco esse nonnulla vectigal tangentia, sed unde nulla commerciorum imminutio metuenda sit. Belgas quoque nonnihil querimoniarum movisse, refrigerata aliquantum cum Svecis amicitia. Sed Electorem illis omnem scrupulum exemisse, ac sperare eosdem rem probe percepisse; ut nihil inde distractionis inter Protestantes metuendum videatur. Quia autem Electori persuasum sit, inter Svecos & Belgas amicitiam facilius firmatum iri Daniæ Rege quoque operam navante, igitur istum petere, ut Rex hoc ipso non omnes modo vicinos, & commercia exercentes, sed & universum Protestantium corpus sibi obstringat, stabilita inter Svecos Belgasque amicitia, quæ & Daniæ quietem servatura sit. Quod si Dani pacta communicari petant, Kleistius excusaret, mandata sibi in Pomeraniam missa non adjuncto pactorum exemplo: cæterum asseveraret, iis non alia contineri, quam quæ Electoris statum spectent. Idem alio accessu Regi exponere jubebatur; *Pontificem, & alios sequestres enixius contendere circa communem pacem inter Catholicos Principes hactenus bello collisos constituendam. Quod institutum etsi in præsens difficultatibus sit implicitum; tamen non dubium esse, quin id pacem demum sit producturum. Quanquam autem certo asserere non possit, eam pacem ideo duntaxat quæri, ut Protestantibus bellum inferatur; haut immerito tamen scrupulum injici, num tam potentes Principes tantis exercitibus succincti arma sua otiosa habere, an magnis cum sumtibus istos exautorare velint. Id sane extra dubium esse, quin sacerdotum natio, pro sanguinario quo agitatur spiritu haut omissura sit stimulos Principibus sibi obnoxiis subdere, num quid noxæ Protestantibus conciliare queat. Unde Electori necessarium videri, Protestantes quoque vires suas in promtu habere, ne forte Pontificii istos securitati immersos & dissolutos inveniant; sed ut potius ancipiti periculo territi quiescere satius ducant. Et eam sibi non postremam cum Sveco conjunctionis causam fuisse, ne ex eo dissidio Protestantium res quid detrimenti caperet. Contra non sine dolore perspicere, quosdam è primariis Protestantium Principes, & liberos populos leves ob causas & incerta suspicionum paucorum quorundam turbulentia & malitia instigatos æquissimis viis amicæ compositionis repudiatis in hostilia ruere, & eousque communium sacrorum rationes insuper habere, ut etiam fœdere cum barbaris inito hisce ad fines dilatandos, opesque augendas viam sternere velint, tantum ut sociis sacrorum noceant, ac turbidi quidam homines acerbitati ingenii sui litent. Cum tamen hostibus nostrorum sacrorum jucundius spectaculum edi non possit, quam si Protestantes velut emtitii gladiatores mutuis cladibus se conficiant, ac opportunos se istorum insultibus præbeant. Sed quia Elector cum nemine fidentius consilia circa hoc negotium conferre possit, quam cum Daniæ Rege, eminente inter Protestantes Principe, rogare, ut ipse in partem hujus curæ secum venire velit, ac prohibere, ne per malitiam, ac nimiam privati lucri aviditatem exitium rebus Protestantium promoveatur. Ac ut Rex eo tutius huic negotio vacare queat, se operam commodaturum instaurandæ cum Svecis super arctiore fœdere tractationi, quo ista in Ecclesiæ, & utriusque Regni utilitatem ad optatum finem perducatur. Nam cum sentiat Sveco publicum bonum cordi esse, confidere istboc officio se Daniæ æquas conditiones obtenturum, interceptis simul malis, è vicinorum dissidio proventuris.* Quod si Daniæ Rex ista annuat, Kleistius sciscitari jubebatur, ad quænam capita tractatio illa adhæserit, & quid scrupuli circa ista Danis fuerit?

Alia mandata 7. Aug.

Regis Daniæ declaratio. 29. Aug.

§. 53. Ad ista Fridericus Daniæ Rex scripto respondebat, *gratum quidem sibi esse, quod Elector tractatu suo cum Svecis Daniæ quoque rationem habuerit, ac ne quid hujus commerciis decedat providerit. Quia tamen intellexerit, quædam super portubus & vectigalibus isto contineri, optasse de hisce distinctius sibi fuisse expositum. Sane si præter spem aliquid ibi convenerit, quod Gedanensem civitatem spectet, quæ ut servetur, sua Belgarumque maxime intersit, nec multas ob causas à se deseri queat, id admodum sibi acerbum fore; cum ista oppressa Protestantium res haut promovenda sit, commerciis contra graviter affligendis; cui fini Electorem quoque sese obstrinxisse haut speret. Et quia procul dubio circa portus & vectigalia novi quid constitutum sit, nec sibi communicetur, in quo ista mutatio vertatur; merito se dubitare ejusmodi occultis negotiis misceri. Cæterum nil magis optare, quam ut Sveciæ Rex & Elector sua consilia eo dirigant, quo vicinis quies, commerciis vigor restituatur; cui fini & ipse operam collaturus sit.* Addiderit Rex ipse multis de studio suo in Electorem, & quanti ejus amicitiam faciat; qui & facile judicaturus sit, sese ignota indole tam delicati, & alte penetrantis negotii aliter respondere haut potuisse. Adjungebat Joachimus Gerstor- 1656.

1656. Gerstorfius: *Electoris statum hac rerum facie probe in Senatu consideratum, ac unanimiter judicatum; non esse quod isti à Dania quid invideatur, sed potius sibi in votis esse, eundem hac occasione opes suas lauta accessione firmare.* Isto responso in præsens Kleistio adquiescendum erat; cui & è fœdere, quod tunc inter Danos & Belgas initum fuerat, facile apparebat, in quo Danus suas in præsens rationes verti judicaret; eoque haut placebat pluribus hujus operam ambire ad amicitiam inter Svecos & Belgas stabiliendam; præsertim cum de successu negotiationis Elbingensis spes esset, quam Dani haut æquis sat oculis adspiciebant. Sed ad alteram propositionem à Rege ita responsum: *De machinationibus Pontificiorum nondum sibi quid constare: si periculi quid appareat, se in favorem communis Protestantium causæ facturum, quantum penes se sit.* Oblatum sequestris officium circa tractatus Svecicos gratum sibi esse. Ante annum Sveciæ Regem per Durellium significasse, pronum se arctiori conjunctioni. Quam cum & ipse gratam sibi ostenderit, negotium sermonibus agitatum; sed cum isti procuratorium deesset, longius procedi non potuisse, intervenientibus præsertim Belgarum legatis. Inde Durellium pollicitum, ad Regem se relaturum, ut idoneum procuratorium adferatur, admissis quoque Belgicis legatis. Allato procuratorio tractatus se Electore sequestre instauraturum. Enimvero satis apparebat, Belgis negotium id succedere parum gratum esse; quod cum hosce latere non posset, Kleistius super eo cum iisdem sermones miscere instituit. Qui ostendebant; si Elector vicinales controversias, quæ inter ea Regna adhuc gliscant, tollere instituat, id non adeo difficile futurum. Sed fœdus conflare ad propositam antea formulam, hac armorum Svecicorum conditione majoris operæ esse; ac ægre Danis persuasum iri, à Sveco rem serio agi. Saltem lautas admodum Danis conditiones proponendas, & per quas inter alia ipsis Hallandia sit restituenda. A sua quidem Republica itidem pacem quæri, sed tutam; quæ in hoc fœdere apud Mare Balticum inveniri nequeat, quamdiu Svecorum arma in Borussia sint, & hæc ullo modo ab istis dependeat. Quia porro Dano tunc opimæ conditiones à Moscis offerebantur, cupiebat iste, ut Kleistius in Borussiam remeans promtam Sveci declarationem adferret, num hi tractatus eidem cordi sint; ut quæ deinceps consiliorum via sibi sit ineunda, constaret. Intellexit ibi Kleistius, ut Moscus in Livoniam irrumperet, Belgas publico nomine nihil contulisse, sed Conradum Beuningium pro enormi in Svecos odio apud Moscicum Hafniæ ablegatum frigidam suffudisse. Qui & Daniæ Regem longius impulerat, quam Reipublicæ mens erat; eoque cum legatis, qui Elbingæ agebant, moderatam viam insistentibus, acriter collisus fuerat.

Gerstorf.

3. Sept.

Durell.

Beuning.

Kleistius iterum in Daniam mittitur.

§. 54. Remissus mox in Daniam Kleistius ostendere jubebatur; se redire sequestris muneri obeundo, ac ut Daniæ Regis consilium exquirat, qua ratione orbi Christiano, ac inprimis vicinis pax restitui queat; quem scopum ipse conjunctionis suæ cum Svecia habuerit. Eum ad finem Rex quoque operam suam interponeret; quod & communi Protestantium statui profuturum sit, & Electoris rationibus cumprimis quadret; quæ magis in firmanda communi quiete, quam alendis turbis vertantur. Inde è pactis Regiomontanis communicare jubebatur, quæ portus & vectigalia spectabant, expositis causis, quæ ad eadem ineunda ipsum impulerint; ac inprimis quod metueret, ne hiberna tempestate Pillavia opprimeretur irreparabili cum suo damno. Spem tamen esse Svecum iis, quæ mercatoribus suspecta esse queant, decessurum; eoque se Regi Daniæ Belgisque confirmasse, id pactum commerciis fraudi non fore. Sed quia observatum sit, id pactum majore indies invidia flagrare, Electorem instituisse penitus eodem sese exsolvere, ut promissa sua super commerciis repræsentare queat. Quanquam enim Sveci promiserint, nonnulla se mitigaturos, ac inprimis circa remissionem nexus fiduciarii huic gratificaturos; circa ea tamen, quæ commercia & vectigalia spectent, nondum cedere; simul eundem constringere velle, ut ipsi integrum non sit cum veteribus suis amicis, quos inter Danum & Belgas præcipuos habeat, bono publico invigilare. Unde spem esse, Daniam ipsius destinatis velificaturam. Cum Gedanensibus Electori nil peculiaris pacti intercedere; amicitiam tamen semper cum iisdem cultam, quam & in gratiam Dani & Belgarum eo promtius continuaturus sit.

1656.

Nova mandata. 26. Oct.

§. 55. Kleistius in Daniam reversus apud Regem super conciliando cum Svecis fœdere mentionem haut faciebat, uti post priora mandata jussus erat; quód istud inane fore facile prospici posset: sed tantum laxioribus verbis Electoris rationes commendabat, reciprocis officiis oblatis. Cui pari verborum humanitate responsum. Animadvertit iste, Danos desiderio Electoris circa Borussiam valde applaudere, ac Belgis ipsi tueri in proclivi futurum sit. Circa tractatus fœderis neque Sveci neque Dani festinabant, quibus disturbandis Belgæ omnem lapidem movebant. Iisdem & Dani tantum ad Belgas æmulatione accendendos utebantur, ipsi quoque circa inhibendam pacti Elbingensis ratihabitionem laborantes. Mox cum Durellio injungeretur, ut tractatus serio urgeret, hic à Kleistio petebat, ut nomine Electoris apud Danos rem ad colloquium deduceret. Id quod iste libenter suscepit; præsertim cum Elector jussisset, ne à tractatibus se excludi pateretur. Enimvero isti tractatus admodum languebant, sufflaminantibus legatis Belgicis; apud quos cum Kleistius quereretur, per ipsos Electoris actiones in aula Danica, & apud Ordines Fœderatos sinistre admodum traduci; hi excusabant, eam cum Svecis conjunctionem non posse non sibi suspectam esse. Deinceps tamen de compacto se relationes facturos, & commoda Electoris tota vi propugnaturos. Ast Svecos Borussia utique dimovendos.

A Kleistio in Dania acta. 21. Nov.

Cæte-

1656. Dani responsum, 13. Dec. Cæterum à Rege id responsi Kleistio datum: Electoris testationem circa continuandam amicitiam sibi gratissimam esse, cui excolendæ à se occasio præbenda sit. Gratum non minus, quæ circa vectigalia convenienda fuerant, in meliorem conditionem reducta. Se quoque operam omnibus, quæ ipsi molesta sint, amoliendis navaturum. Denique sibi optandum, Electorem Polonico quoque nexu honestis modis exsolvi posse, circa quod ipse officia sua interpositurus sit misso Gedanum Rosenvvingio; Rosenw. cui ab Electore via ostendenda sit studio suo exserendo. Sane se rationes Electoris in Borussia inter proprias ducere. Quin è re fore, circa eam provinciam arctiorem quandam conjunctionem inter ipsos fieri, utriusque securitati inservituram. Ad quæ Kleistius non nisi laxis verbis respondebat. Ostendebatur quoque, Moscum pollicitum intra triennium cum Svecis pacem non inire, nisi Dani avulsas quondam suo regno provincias vindicare instituant. Qui & proximo vere ad obsidium Rigæ facta cum Polonis pace rediturus sit. Sed & Polonum trina jam vice petiisse, ut aliquis à se ad ipsum mittatur; id quod jam factum sit, & mox adpariturum, quid iste velit. Saltem tractatibus, qui Gedani nunc agitentur, Daniam quoque includendam. Circa negotium Svecicum dicebant; Durellii procuratorium restrictum nimis esse; & laxius desiderabant de abolendis gravaminibus, & fœdere ad præsentia tempora adaptando: nam ob novissimum fœdus cum Belgis rem mutatam esse; quod hisce permissum sit cum classe bellica Mare Balticum intrare. Repetebatur subinde de fœdere cum Electore super tuendo supremo in Borussiam imperio, & ut hic à Svecis se disjungat, quam ob causam & ab Austriacis metuatur. De quo cum Kleistius nihil in mandatis habeat, ad Electorem sese relaturum promittebat.

De tractatuum successu spes imminuitur. §. 56. Ita indies spes minuebat eos tractatus successum sortituros, Danis subinde jactantibus, rem à Svecis haut serio agi; alias si isti bona fide negotium tractent, ac misso idoneo procuratorio in æquas conditiones consentiant, in se moram haut fore. Sed quia tam multa utrinque patrata erant, quibus abolendis, bello aut tractatibus opus erat; magno studio ad arma paranda à Danis incumbi cœptum est, secreta quoque negotiatione cum Svecorum æmulis aut hostibus suscepta; ut ante veris adventum id negotium utique absolvendum foret, siquidem imminentem Sveciæ è Dania 9. Jan. tempestatem avertere placeret. Sed & parum sibi probari testabantur Dani pacta Labiaviensia, velut Svecis ad obtinendam Borussiam robur addentia. Nam sibi, ac Belgis nullo modo ferendum, Svecos ad Vistulam pedem figere; ac omni studio disturbandam pacem, qua tale quid admittatur. Dolendum quoque, per eam Electoris cum Svecis conjunctionem locum sibi non relinqui, qua in eum 11. Jan. ferantur, benevolentiam exserendi. Contra Elector Kleistio injungere, ut pro virili promovendis tractatibus incumbat, quod sibi post amicitiam cum Svecis constitutam nil gratius accidere queat, quam eandem inter Borealia 1657. quoque Regna stabiliri, prout eam à Svecis serio expedi norit. Enimvero Danos mira 16. Jan. bellandi cupido tenebat, præsertim postquam Poloniæ Rex declarasset, se nisi Dania inclusa pacem cum Sveco haut initurum. Nam omnium salutem in eo verti, ut communes tractatus communi evictione firmentur; quod peculiaria pacta in publicum plus noxæ quam commodi adferre soleant, dum suspensis tantisper uno in loco armis alibi acrius erumpitur. Nec obscure Dani Belgæque innuebant, spem sibi esse Electorem Svecica societate avelli posse, ne à Polonis mali quid ei inferatur. Ac jam Ottoniam convolabant Daniæ Ordines super bello Svecis inferendo consultaturi: quo 4. Febr. discedenti Regi Kleistius ingerebat: ni pax inter Svecos, Electoremque, atque Polonos constituta fuerit, securitati Daniæ Belgarumque consuli non posse; Eoque satius esse pacem, qualiscunque haberi possit, occupare, quam per novas turbas summam rerum aleæ exponere; præsertim cum Belgæ per pactum Elbingense rationibus suis satis caverint. Quin ne cui operæ placeret Kleistius, mox ipse Ottoni- 3. Mart. am profectus est, ut Daniæ Regem ad servandam pacem hortaretur. Cui ab hoc responsum; *ab Ordinibus decretum tractatus cum Svecis persequi, eosque ad conditiones rationi congruas referre: quibus quæ cum Belgis pacta habeat, obstare haut possint. Equidem optandum sibi, per Borussiam omnia in pristinum statum reponi posse, cui fini expeditissima sit ratio à Lumbrano proposita, ut Galli Belgæque Svecis summam pecuniæ pro cedenda Borussia numerent. Quin ubi alia via circa querelas suas sibi satisfieri, ac securitas sua stabiliri possit, ea quoque contentum fore. Nam arma sua meram defensionem spectare; nec sibi exprobrari velle, Svecos alibi distractos oppressum ivisse. Sibi cum Polonis ac Moscis omnia adhuc integra, ac quæ offerantur fœdera dilaturum, quoad perspexerit, quis successus hisce tractatibus futurus sit: qui ubi secius ciciderit, sine mora aliter sibi consulturum. Et quia hac tempestate fœdera admodum lubrica sint, in id præcipue incubiturum, ut propriis viribus niti queat.*

Iidem hærent. §. 57. Interim cum Durellio procuratorium ea forma missum esset, quam Dani hactenus desideraverant, Kleistius denuo super persequendis tractatibus instabat. Id quod cum Belgæ parum sibi gratum ostenderent, Kleistio vix quid ageret constabat, quod ipsi injunctum esset circa id negotium conniti, ut tamen Belgicis Legatis offensæ ansam ne præberet. Ac si quando Belgis in diversa nitentibus serio resistebat, omnia sua dicta à Rege ac Senatoribus ad istos referebantur. Probato Durellii procuratorio jam ad concipiendas formulas procedebatur; in quibus Electoris rationes tangi Kleistius observabat, quod aliis Principibus Baltici Maris accolis jus negaretur naves bellicas in suis portubus habendi; ac dum externæ classes eodem mari arcentur, fœdus ipsius cum Belgis non parum enervaretur. Qua de re cum Kleistius modeste moneret, ac Electori sua jura integra servaret, Dani respondebant:

1657. circa exclusionem armatarum navium exterarum è Mari Baltico non esse quod metuat. Nam sibi satis constare, Electori nihil unquam causæ oriturum, ut istis adversus Daniam utatur. Cæterum cum Dani postularent, ut pa-
19. April. cta Brœmsetroënsia mutarentur, damna sibi data refunderentur, ac cautio in futurum præstaretur; Durellius hisce repudiatis nil præter emendationem eorum offerebat, quæ adversus pacta admissa arguebantur, testatus, ni istis postulatis desistatur sese discessurum. Ad quæ Dani: *id perinde sibi esse; & quia tantis injuriis affecti sint, ab his liberationem & cautionem aut nunc aut nunquam quæsituros. Equidem malle istam per tractatus, quam armis, obtinere. Sed si utique in bellum res erumpat, socios potentes & armatos, à quibus invitentur, non defore. Ac prout rerum facies ominari jubeat, sibi magis laborandum fore, ut hostium Sveciæ progressibus terminus statuatur, quam ut de successibus suis dubitent. Tum valde solicitos esse, quomodo Elector, cujus incolumitatem pari cum sua loco habeant, eo casu vastitatem suis provinciis sit aversurus.* Ita gliscente in dies belli metu Kleistius Danos peculiari congressu ad compositionem cum Svecis hortabatur, ut se, simul communem Protestantium statum in tuto collocarent. Dani Electoris studium laudare; enimvero Svecorum injurias tolerari diutius non posse; qui & jam minentur, si vel paululum Dania se moverit, tota belli mole obruendam. Nec parum spirituum iis accesserat adventu Tobiæ Morstinii legati Polonici; qui confirmabat Polonum cum Austriacis, & Mosco fœdus iniisse, ac ab istis sedecim militum millia adversus Ragozium in Poloniam mittenda. Simul instabat, ut ei fœderi Danus quoque accedat, lautis conditionibus oblatis. Moscum eodem tempore Narvæ, Revaliæ, & Rigæ obsidium circumpositurum, ac cum alio insuper exercitu in campo rem gesturum. Ac credebant Dani, ob mortem Ferdinandi Cæsaris ea destinata acrius persequenda, quo Gallorum, Svecorumque arma avertantur, queîs interregni tempore major libido in Germania, quam
Lesinski. alibi, rem gerendi futura erat. Unde Austriacos distinendo Sveco bellum in Polonia alituros; præsertim cum Lesinius Viennæ citra ambages denuntiasset, ni Austriaci manum negotio admoveant, pacem qualibuscunque conditionibus in Polonia certo secuturam.

Danus Electorem solicitat. §. 58. Dum ista Hafniæ aguntur, Daniæ Rex Henricum Wilhelmi Rosenvvingium, ad Regem Poloniæ Gedanum missum, ad Electorem ire jusserat, eo palam prætexto, ut hunc super tractatibus suis cum Svecis & Mosco edoceret. Is Regiummontem delatus proponebat; à Rege suo gratias Electori agi pro legatione ad promovendos cum Svecis tractatus missa. Optandum ipsi fuisse eos ad finem perductos. Sed negotium ad Durellii procuratorium hæsisse, haut satis amplum. Quanquam autem demum aliud debita forma allatum sit; inter tractationem tamen ingentes difficultates circa libertatem commerciorum, ac conservationem civitatis Gedanensis orituras fuisse, quæ Daniam & Belgas magnopere tangant, nec minus ipsum Electorem, quem tamen non dubitet Rex suus, quin etiam se haut monente propriis emolumentis caverit. Sed quia hic intellexerit Electori secreta cum Sveco pacta intercedere, cum sperare, iisdem Daniæ Belgarumque rationes ab Electoris commodis haut ita fuisse divisas, quo minus per istos huic, quam meditentur, securitas ac emolumentum provenire queat. Super quo ut mentem suam Elector Regi declaret, rogabat. Addebatur; ut Elector apud Svecum instet, quo idonea remedia inveniantur servandæ commerciorum libertati, & avertendis turbis hoc confuso rerum statu longius ituris. Tum ut navibus Danicis accessus in portus Electoris pateat, ubi tempestas, aut alia necessitas subigat. Ad isthæc ab 6. April.
Electore responsum: *Molestum sibi auditu Danis haut placere cœptos tractatus absolvere; præsertim cum Sveciæ Rex confirmarit; in se nil desideratum iri, quod servandæ ac firmandæ amicitiæ facere queat. Quin commercia hoc bello aliquid detrimenti ceperint, se haut diffiteri: sed si ad tractatus res deducatur, non solum pro se connixurum, ut istis ac Mari Baltico pristinus status maneat, sed & gratum sibi fore, si ad eundem finem Daniæ Rex, Belgæque incumbant. Nam amicitiam quæ sibi cum Sveco non vulgaris intercedat, hautquidquam eo porrigi, ut suæ sibi rationes ideo negligendæ sint. Gedanensibus se apud Svecum impetrasse, quibus ampliora sperare nequeant. Unde eos monendos ut moderatiora consilia amplectantur, ne per eosdem pax impediatur. Si quid aliud remedii proponere possit legatus tuendis inter hæc turbida temporum commerciis, & quid consilii circa summam rerum suggerere norit, se libenter auditurum.*

§. 59. Ad ista legatus Danicus insinuabat: *Elector Daniæ Regi bellum dissuadet.* Electorem sine dubio è Kleistio intellexisse, uti à Svecis pacta multifariam violata sint magno cum Daniæ damno. Unde Regem non potuisse, quin æquam satisfactionem, ac in futurum cautionem postularet. Quod cum Durel- 3. Maii.
lius præfracte abnuat, Electori facile perspectu esse, quid circa optatum tractatus exitum spei supersit. Quia autem Danorum querelæ ac postulata manifesta æquitate nitantur, Regem petere, ne Elector Svecorum injurias defendere instituat, sed potius Danorum causæ favorem accommodet. Vicissim ubi Elector consilia sua ad idhæc attemperare velit, Regi suo occasionem haut defore Electoris quoque commoda in tuto collocandi. Quo super negotio Rex Kleistio pluribus sit expositurus, si ista ad mentem Electoris quadrare norit, apud Moscum quoque & Polonum, quæ isti grata sint, promoturus. Electorem re ipsa deprehensurum, non solum quo studio Rex ipsius salutem amplectatur; sed & hujus consilia eo potissimum tendere, ut ne Rebus Protestantium inter has turbas detrimenti quid inferatur, neu Germaniæ quies abrumpatur. Ast E- 15. Maii.
lector præfatus, nil aliud se quam pro sequestris munere facturũ, & ad quod per comunes Protestantiũ rationes teneatur; eo fidentius Regi Daniæ quædam consideranda se expositurum ferebat,

1656. rebat, quod & gemina Sveco demonstraturus sit. *Scilicet ante motus bosca Polonicos nunquam sibi auditum, Danos de Svecis super pactorum violatione questos. Nec à Kleistio unquam relatum, Svecos ejus criminis convictos; sed potius quæ facta arguantur, à Svecicis ministris profecta: Regem extra culpam haberi. Cum etiam Dani bellum à Svecis Poloniæ illatum, & causas ejusdem publico scripto promulgatas haut damnarint; quid in præsens de Dania judicandum, si nullam ob idoneam causam, sola occasione invitante bellum ordiri, ac in Pontificiorum gratiam Principem Protestantem invadere instituat? Inprimis cum Svecus testetur, se circa omnia, quæ jus & æquum jubeat, Dano satisfacturum. Sane nulla necessitate, sed sola temporum opportunitate Danos ad hoc bellum rapi. Pontificios & Moscos non aliam ob causam frigidam suffundere, quam ut spectaculo Protestantium mutuis se cladibus atterentium fruantur. Fieri quoque posse, ut Svecicæ provinciæ in Germania sitæ invadantur, quas Imperium tueri teneatur; præsertim cum Sveci justæ defensionis limites migraturi non sint. Sed nec Gallos & Anglos otiose spectaturos, ut ipsorum æmuli è Principis Protestantis accessione vires suas augeant. Porro Svecis semper in proclivi fore cum hostibus suis transigere: quo facto molem belli soli Daniæ incubituram; quod experientia constet, socios non diutius sibi mutuo adsistere, quam ipsorum commoda & rationes status admittant. Danos tractationem cum Svecis se sequestre suscepisse; eos si ab istis abrumpi contingat, id haut omnibus probatum iri. Quem colorem dici posse, aut quos successus sperandos, si puriorum sacrorum Princeps in gratiam Mosci, ac Pontificiorum eadem sacra professum bello petat, non modo pactorum violatorum haut manifestum, sed & pro re nata præstare paratum, quæ æqua sint? Carolum Gustavum Teutonicæ stirpis Principem esse, à quo facilius amica quid via obtineas, quam vi extorqueas: sed cui tener injuriarum sensus haut temere oblivioni dandus. Eundem bello quidem in præsens implicitum, sed non ita constrictum, quin relicta cum Ragozio & Cosacis exercitus parte in Polonia, ac munitis Borussiæ oppidis præsidio firmatis, cum reliquis copiis sat negotii Daniæ facessere queat. Superesse quoque in Svecia militem veteranum, & probatæ virtutis. Nec constare quid Belgæ facturi sint, si commercia ipsorum in Mari Baltico bello novo plane sistantur, ac Gallos Anglosque aperte in causam descendere videant. Ista omnia probe trutinarent Dani, antequam bellicosum Regem armis illatis aggrediantur. Si Dania utique viribus abundet, favorabili magis causæ eas impendi posse. Ex hoc bello immensam animorum exacerbationem secuturam, æque facile Danis, quam aliis noxæ cessuram. Ne nimium confiderent Dani Austriacis; quod experientia testetur, nondum Protestantium quempiam felici successu cum iis sese conjunxisse, aut iisdem sociatum diu durare potuisse; quod, quicquid verbis jactent, destinata sua præcipue ad propagationem Romanorum rituum dirigant. Cæterum quam pro ipso curam gerat Rex, grato animo agnosci. Cum Mosco pacem sibi esse, qua eum staturum spes sit. A Polono jam semel legitimas per causas disjunctum, adversus quem libertatem suam tuiturum se confidat. Paratum tamen esse communi, tutæque paci ineundæ, ut aliquando belli mala sistantur. Ad quem scopum ut Rex quoque consilia & operam suam conferat rogare.* Nec minus Kleistio imperabat Elector, ut quantum valeret contra niteretur, ne in arma erumpatur. Ubi de admissione navium in portus Electoris mentio injiciatur, mandato se defici excusaret. Obiter tamen jaceret, Electorem eo tempore, cum de præsenti rerum facie cogitari non posset, Svecis promisisse, nullas se naves bellicas hisce infestas portubus suis recepturum. Cæterum de studio ipsius in Daniam testaretur, qui & speret, suam operam servandæ paci haut inanem futuram, ac Danos certam pacem incertæ bello aleæ antehabituros. 1656.

§. 60. Enimvero ista omnia surdis canebantur; & magno cum animorum ardore jactabatur; cum Durellius abruptis tractatibus abierit, armis satisfactionem suam sibi quæsituros, ac ut ad Mare Balticum omnia in priorem statum reponantur: id quod & Electoris ex usu sit. Sane urgebat Legatus Polonicus, Svecum Joanni Casimiro restitutionem Borussiæ obtulisse; igitur propere Danis declarandum, num Austriacorum exemplo Polonis sociati communi vicinorum pace frui cupiant. Quæ & ab Austriacis non minus fervide ingerebantur. Etsi Polonus fateretur, tam calida se à Danis consilia haut expectasse, ac exiguam initio spem Regi suo Danici belli dedisse. Sed nunc inclinationem animorum secutus cœptis adplaudebat, testatus Polonos pacem haut ituros, nisi Daniæ ex asse satisfactum fuerit. Addebat: Danos Electori haut gratius officium præstare posse, quam si & huic hostes se declarent, ut eo plus prætexti eidem nascatur à Sveco sese disjungendi, quam huic sociatum atrocissima calamitas maneat. Id quod tamen Dani adspernabantur; nil sibi hostile ab Electore directe aut per obliquum vicissim polliciti, cum & Austriacorum adversus eundem solicitationes ob reverentiam veteris amicitiæ eluserint. Quæ uti à Kleistio acceptabantur; ita hic sperare se dicebat, per oblique facta haut intellectum iri, quæ Elector per pacta antehac inita Svecis præstare teneatur. Porro quia eodem tempore dissidii nonnihil Gallos inter & Belgas erat, ac hi vererentur, ne Sveci Gallis adstipularentur; Belgæ quoque in Danos proni, ac in primis Amstelodamenses hos urgebant, ut in arma adversus Svecos erumperent. Quibus eo facilius aures præbebant Dani, quod persuasum esset, quamdiu bellum in Polonia duraret, sibi à Svecorum invasione nihil periculi, aut si quid intentetur, sat virium sibi ad istos repellendos esse. Interea vires Svecorum collisione cum Polonis Moscisque magis magisque atterendas. E Germania sibi usque adeo nil damni metuendum, ut quidam ibi Principes amicitiam suam ultro obtulerint, allatis etiam nuper à Bavaro amicis admodum literis.

Dani in bellum ruunt. 24. Maii.

Con-

1656. Contra Belgæ, quando Kleistius super hoc bello declinando cum ipsis agebat, ac si utique Danis pax tam parum cordi sit, saltem rationes Belgarum & aliorum Protestantium requirere ostendebat, ne isti Austriacæ Domui illigarentur, ne isti Austriacæ Domui illigarentur; reponebant; sibi à Danis haut communicari, quousque cum Austriacis descendere velint. Id tamen facile intelligi posse, eosdem undique auxilia adversus Sveciam excituros, ac totis viribus rem acturos, quamdiu ipsis à Sveco haut satisfiat, nec æmulatio ob enormes Svecorum ad Mare Balticum progressus decedat. Præterea quamdiu Gallis & Belgis haut convenerit, vix liquere sibi, ab utris suæ Reip. maxime cavendum sit, ac num huic in favorem Sveciæ adversus Austriacos niti expediat; cum à Svecis ad Mare Balticum adquisita non Belgis minus quam Danis scrupuli injiciant. Sed & legatus Gallicus Molanus differebat; Danorum in Gallia non modicam rationem haberi proprias ob vires, & quia Svecia peculiaribus sibi bellis multos in annos sit implicita. Ac esse Daniæ fœdus cum Gallis, quo inter alia hi ad salutare Maris Baltici æquilibrium tuendum sese obligarint.

des Meu-les.

Kleistius adhuc Hafniæ detinetur. §. 61. Cum itaque bellum jam aperte erumperet, Kleistius prout jussus erat dimitti se petebat, quod præsentia sua opus non amplius sit. Sed Gerstorfius ita properato discessu opus esse negabat, cum res nondum desperata sit: ac adhibitæ ab Electore operæ semper pondus fore. *2. Jun.* Malle se arma adversus Moscos, quam Svecos verti; ac mirum esse, Svecis amicitiam Daniæ tam parvi æstimari, cum tamen si Borealia Regna adjuncto Electore consilia ac vires socient, maximum Europæ rebus momentum adferre queant. Quod cum haut fiat, sibi cum illis societatem ineundam, qui neutri istorum bene cupiant. Cum Kleistius moneret, ut circa conjunctionem cum Austriacis integra sibi omnia retinerent ad æquas pacis conditiones admittendas; Gerstorfius confirmabat; etsi legatus Cæsareus Goëfius Baro arctum, ac diuturno bello inservíturum fœdus luculentis cum conditionibus enixe offerat; de eo tamen acceptando dubitari, quoad ulla spes cum Svecis transigendi supersit. *Goës.* Inter quæ apertius super abstrahendo Svecorum partibus Electore agi cœptum est, Danis ambitiose jactantibus, quanti nunc faciant, & uti eidem meliores conditiones conciliare cupiant. Nec minus de benevolentia Leopoldi Hungariæ Regis confirmabat Goëfius, qui & operam daturus sit, ut Elector nexu Svecico exolutus hoc bello medius agat. Unde & declinandæ ejusdem offensæ impium in arma Austriaca Neoburgico haut delatum, simultatis cum Electore manifestum. Haut eo secius Elector, cujus tantopere intererat controversiam cum Dano amice componi bello Polonico eo commodius expediendo, Kleistio iterum injungebat, ut circa inhibenda hostilia conniteretur. *Jul.* Se quippe Svecos quoque ad pacem hortatum, quos cupidissimos invenerit dissidio radicitus tollendo, stabiliendæque amicitiæ, ac ut Danis ex æquo circa querimonias suas satisfiat. 1656. Ac istos satis intelligere, quantum periculum res Protestantium incurrant, Regnis istis inter se commissis; præsertim ubi quidam Germaniæ Principes in partes transierint. Ac declarasse Svecos, aliam se legationem ad limitem Regnorum plenis cum mandatis missuros, quod Durellius Danis invisus sit. Unde Kleistius instare jubebatur, ut certus congressui dies diceretur suspensis interim hostilibus; ad quem & ipse iturus sit. Eam rem Kleistius quantum posset urgebat, inter alia hac ratione usus; cum Leopoldus immisso Poloniæ exercitu hujus caussam tanto studio amplectatur, Dano eo minus festinandum esse, ne Polonos obfirmet, quo minus commodas à Svecis conditiones admittant. Enimvero occinebant Dani; occasionem retro calvam esse. Addebat Gerstorfius; Austriacos non parum offendi, à Brandenburgico electioni moram injici, quæ tamen accelerata efficacissimum sit remedium avertendis, quæ Germaniæ immineant, periculis. Et quod ejusdem in Anglia minister jactet; Electorem operam daturum, ut Protestantium sacris addictus Cæsar fiat. Idem Gerstorfius duo à se optari dicebat: unum, ut Elector ita se adversus Austriacos gerat, quo Cæsare benevolo gaudere possit. Alterum, ut idem exercitum suum uno in loco teneat, ne legiones in aliorum gratiam hinc inde sparsæ atterantur. Nam Daniæ gratissimum esse, Electorem non solum incolumem esse, sed & ejusdem potentiam gliscere. Porro cum Kleistius pacem inculcare non desisteret, Dani respondebant; posse bellum pariter cum tractatibus succedere; ac delegaturos se, quibuscum ipse super prævia conventione agat. Sane videbantur hi fortunam armorum aucupari, & uti à Polonis disjungi nolebant, ita pro captu successuum viam sibi ad pacem cum Svecis apertam servare cupiebant, ac prout Poloni auxilia repræsentaturi erant, quæ promiserant, si Sveci è Polonia Daniam infestarent; qui casus nunc emergebat. Vicissim & Goëfius belli eventus captabat, num qua clades Danis Austriacum auxilium arripiendi, arctumque fœdus, quod quærebatur ineundi necessitatem allatura sit. Contra Belgarum legati domum properabant, ne à præsentibus promissorum expletio postularetur; qui ante susceptum bellum sæpius confirmarent, Belgas haut concessuros, ut Sveci vel latum pedem terræ amplius Daniæ decerpant. Demum Dani, postquam Kleistium aliquamdiu ambiguis sermonibus 30. Jul.
detinuissent, ipso urgente declarabant; sese tractatus cum Svecis acceptare, intra tres aut quatuor septimanas Hamburgi aut Lubecæ instituendos. Quod responsum delaturus Kleistius ad Regem Sveciæ ipse profectus est, quod nemo ab Electore legatus apud eum ageret. Ei à Rege repositum: meminisse quidem per 16. Aug.
Schlippenbachium Electori se declarasse, tractatui cum Danis instaurando pronum se esse; quod speraret, hoc ipso prohibere se posse, ne in arma erumpatur. Sed postquam Danus illato

1657. lato bello necessitatem sibi attulerit in Holsatiam eundi, fervente jam actu bellico non posse amplius in tractatum, qualem Danus cupiat, consentire; sed fortunam persequi decrevisse, idoneas conditiones cum cautione pariturum. Nec commodius responsum, per quinque licet dies moratus Kleistius, extundere poterat; præsertim cum Rex jam super admittenda amplius Electoris opera scrupulum moveret. Ita hic deposita inani negotiatione in Pomeraniam revertebat, relicto Hafniæ famulitio, velut eodem reversurus.

Elector rebus Svecorum diffidere incipit.

§. 62. Ast Electorem statim, ubi de Danorum in arma cupidine intellexerat, non modica solicitudo subire cœpit, ne rebus Svecorum in Polonia pessum euntibus ipse solus inter sacrum & saxum destitueretur. Neque enim adparebat, qua ratione Svecus tot, tamque potentes hostes sustinere posset, minuente indies ejus exercitu, ac modicis supplementis ob argenti inopiam; cum etiam, qui amicos sese isti verbis ferrent, non modo auxilii nil præstarent, sed & ad priorem conditionem Sveciam redigi optarent. Cum autem Moscus jam utilissimas Sveciæ provincias pervastasset, ac Danus ipsa Regni penetralia petiturus videretur, sane constabat, Carolum Gustavum circa servandam rerum suarum summam magis laboraturum, quam super alienis, & superfluis ancipiti eventu certaturum, eoque vires suas ad tuendam Sveciam, ac Livoniam conversurum. Quo facto ipse libidini ac vindictæ insolentium hostium exponebatur, non modica invidia apud omnes ob Svecicam societatem contracta. Equidem Sveco spes bellum Polonicum cum gloria finiendi nuper nata erat, postquam Ragozius aperte in partes descendisset; qui coronam à Polonis ultro sibi delatum iri animo præceperat. Quæ spes cum fefellisset, Carolus Gustavus censebat, præclaram nunc occasionem natam Polonorum pervicaciam uno impetu frangendi, belloque summam manum imponendi Polonia inter se, Electorem, Ragozium, & Cosacos dividenda. Quem in finem acriter apud Electorem instabat: jam maturuisse occasionem, & flectendos aut frangendos Polonos. Igitur exueret languorem hactenus ostensum, & armis ad opprimendos Polonos conniteretur. Ast Elector, ut de Ragozii rebus magnifice sentiret, nondum à se impetrare poterat, cui nec animus, nec rerum usus tantæ molis capax; ac propriæ vires fluxæ, parumque fide Cosacorum societas: tum & Austriacis ejus conatui palam sese objecturis, ac Turcarum Imperatore clientis se non autore ausa graviter ulturo. Missus tamen ad Regem cum parte copiarum Waldeccius, consilia ejus circa præsentem rerum faciem exquisiturus, ac ut legiones per hospitia Majoris Poloniæ distribueret, novis delectibus supplendas. Etsi Rege vehementer instante Elector demum consensit, ut is exercitui Regio aliquamdiu junctus maneret. Cui Rex magnifica de spe sua ingerebat, læta admodum Comiti, qui Svecorum rebus impense

Cum Ragoziana.

favebat. Quibus uti Elector firmiter niti haut poterat; ita in quemvis eventum integra sibi omnia cum Ragozio retinere haut inutile ducebat. Unde per Abbatem Danielem Cosacorum legatum literas ad istum dabat de adventu in Poloniam gratulantes, atque amicitiam offerentes. Mox & cum Ragozius Jaroslavia literas ad Electorem dedisset, de suo in Poloniam adventu significantes, Elector solitum verborum honorem reponebat. Inde apud Savichostam Waldeccius Comes, & Dobrzenius Ragozium alloquebantur, non nisi laxioribus verbis de Electoris amicitia testantes. Nam jusserat hic omnem fœderis mentionem declinare, ac potius expiscandis ejusdem destinatis operam dare; simul eundem cautionem poscere, nil actionis ab eodem, aut successoribus in Majorem Poloniam, aut supremum Borussiæ, Warmiæque imperium ullo titulo unquam motum iri. Circa quam tradendam Ragozius nil scrupuli movebat, modo de amicitia Electoris sibi constet. Cæterum mox ruentes in exitium ejus Principis res consilium Electoris probabant, isti quocunque modo innecti aversantis. Eidem inter alia id parum læti minabatur, quod Cosaci tantum odii adversus eum concepissent, ut palam jactarent; ni Carolus Gustavus coronam Poloniæ suscipere velit, mori se malle, quam sub Ragozii imperio vivere, quod hic Ucrainam sibi concedere abnuisset, intempestiva circa aliena parsimonia.

1657. 22. Feb. 27. Febr. 14. Mart. 19. April.

Austriaci Electorem Svecorum partibus abstrahere nituntur.

§. 63. Eo periculosior autem evadebat Electoris status, quod Austriaci quoque jam aperte bello Polonico sese immiscere aggrederentur, queis dudum suspectus fuerat Elector, velut super bello Poloniæ inferendo ipsi cum Sveco in antecessum secreto convenisset, eoque istius sub initium belli auxilium exposcentis preces rejectæ fuerant; id quod Stenoni Bielkio, & Kleistio Svecorum legatis asseverantibus crediderant. Sed nunc Electorem Svecica societate avulsum sibi conjungere mire cupiebant. Unde & Ferdinandus Cæsar fœdere cum Polonis inito promiserat, sese operam daturum, ut tam Elector, quam Cosaci ad officium Regi Regnoque Poloniæ debitum revocentur: tum se paci conciliandæ incubiturum, si tractatione cum Electore suscepta occasio præbeatur. Reliqua fœderis istius capita erant, impediturum Cæsarem, ne Cosaci bello Polonico se misceant; simul laboraturum, ut tolerabilis pax inter Polonum & Moscum constituatur: Quatuor militum millia se exautoraturum, qui in Polonorum stipendia transituri sint: Polonis integrum fore in ditionibus Austriacis militem conducere, ut tamen iste miles extra Poloniam, & Borussiam adversus Svecos ne adhibeatur. Addebatur protestatio, hoc auxilio Polonis lato pacis Westphalicæ leges haut infringi. Ast sequenti anno post mortem Ferdinandi Leopoldus filius id fœdus arctius adstringendum judicaverat, ut in locum quatuor millium ob ingravescens Poloniæ periculum justo cum exercitu sedecim millium sub Austriacis signis ei sub-

Fœdus Austriacorum cum Polonis. 1. Dec. 1656.

27. Maii. 1657.

1657. subveniretur; ad quam expeditionem Poloni collaturi erant quingenta florenorum millia, ac militi sustentando quotannis trecenta uncialium millia, præter annonam ac hiberna. Quæ loca Leopoldus ob securitatem suam præsidiis firmaturus esset, pace facta restitueret. Vicissim promittebat Polonus, sese cum Cosacis tractationem suscepturum, pacem perpetuam cum Mosco initurum, ac cum Dano acturum, ut in armorum societatem quamprimum concedat. In id fœdus recipiendos Danum, Belgas, Moscum, Tartaros, quosdam Electores & Principes Imperii, & peculiariter Electorem Brandenburgicum ea lege, ut ablata restituat, & abdicata Svecorum societate ad veterem cum Polonia nexum redeat; cujus indemnitati à se satis cavendum sit. Ad isthoc fœdus conciliandum non parum contulerat Daniæ Rex misso Viennam Sestedio; qui inter eam negotiationem expresse Legatum Polonicum percontatus fuerat; num Joannes Casimirus, & Ordines Poloniæ sincero animo Electori bene cupiant? Id quod iste iteratis vicibus non sine exsecratione confirmarat, ac ejusmodi conditiones eidem indulgendas, queis per Svecica arma nunquam potiturus sit. Nam non adjuncto Electore huic negotio nil solidi subesse, quod quamdiu Sveci Pomeraniam Citeriorem insideant, Poloniæ à Svecorum invasione cautum non sit; eoque connitendum, ut ea provincia Svecis erepta Electori reddatur. Idem quoque jussu Regis sui Hispanum Oratorem interrogaverat, quo animo Austriaci in Electorem essent? qui itidem de istorum in hunc studio multa cum asseveratione confirmaverat. Sane Leopoldus suis copiis in Poloniam tendentibus injungebat; ne Electorem offenderent; & si quos hujus milites interciperent, humaniter habitos illæsosque dimitterent. Porro inter Austriacos, Polonos ac Danos conventum fuerat, arma non prius deponere, quam Svecis Germania eliminatis; quod quamdiu isti in aliqua hujus parte hæreant, eidem solida pax nunquam constitura sit. Ab istis Poloniæ citra idoneam causam bellum illatum, ac extraneos Principes in idem pertractos, implorato quoque ipsorum Turcarum auxilio; eoque ansam præbitam, ut toti propemodum Europæ arma arripienda fuerint; idque mali semper ab ea natione expectandum. Inde & à Leopoldo Franciscus Lisola ad Electorem missus, testando suo in hunc studio, ac quantopere ipsi cordi sit, ut iste inter has Poloniæ turbas incolumis servetur. Cui & Joannes Casimirus in mandatis dederat, ut ipsius quoque nomine cum eodem super instauranda amicitia ageret.

Sested.

5. Maii.

Belgarum in Electorem animus.

§. 64. Nec parum Electoris animum commovebat, quod Belgæ, quorum amicitiam rebus suis cumprimis proficuam judicabat, ob societatem Svecicam ipsum fere aversarentur, ministris Electoralibus incassum circa eos deliniendos satagentibus. Ac multum laboris hactenus exhauriendum fuerat, ne infesta meditarentur. Sane qui inter istos fervidiore ingenio erant, jactabant; Electorem prius in angustias redigendum, si quid auxilii eidem exhibendum sit; ac aliquandiu inter adversa destituendum, ut ad servandas suas rationes Svecorum conjunctione exuta redire debeat. Quanquam enim plerique, qui in Belgio ad clavum reip. sedebant, in collisionem cum Svecis proclives non essent; legati tamen eorum in Dania odium in hosce acriter stimulabant, præcipuo turbarum incentore Conrado Beuningio. Unde & cum Elector Weimannum jussisset à Belgis auxilium contra Polonos petere, hic omnem operam inanem fore ominabatur. Ut tamen Electoris jusso satisfaceret, Joannem Wittium primo velut privatim consulebat; quid facto opus videatur, quod publice quid petentem repulsam ferre molestum sit? Cui Wittius respondebat: sibi haut consultum videri de hoc negotio publice proponi; sed animos prius sensim præparandos. Addebat tamen, si Respublica subsidiorum quid annuat, Electori eadem contra mentem, & rationes istius haut impendenda. Cæterum cum Elector ex fœdere, quod præcipue contra Svecos directum fuerit, nil postulare queat, eoque pecunia crediti nomine præstanda sit, super cautione prius constare debere ad eum modum, qui ante biennium propositus fuerit, ut Pillavia Belgico milite insideatur. Ac si Elector cum Belgis consilia & vires ad pacem in Borussia constituendam sociare velit, pecuniam haut desideratum iri. Quam conditionem Weimannus declinabat, obtentu æmulationis, quam Dani inde concepturi sint, si Belgæ in possessionem Pillaviæ immittantur. Nec Electori id responsum satisfaciebat, quod id auxilium utique promovendæ paci adhibendum foret, quam Poloni amplexuri haut videbantur, nisi armis compulsi. Sed nec fœdus cum Belgis adversus Svecos fuisse directum, quorum mentio ibi non fiat, sed adversus quosvis hostes. Haut eo minus Weimannus apud Ordines Generales proponebat, ut Elector ab ipsorum Republica literis pondus habentibus, legationibus, pecunia, auxiliis extra ordinem sublevetur; tum consilia avertendis malis imminentibus suppeditentur. Simul vesana Gedanensium destinata inhibeantur, qui minati fuerant, se Pillaviæ quoque ostium obstructuros, si Sveci alveum Vistulæ navigationi ineptum redderent. Enimvero odium, quo tunc in Svecos Belgæ flagrabant, in Electorem quoque redundabat, ac præsenti rerum facie satis habendum erat id effecisse, ut ne nocerent, ac intra limites communis amicitiæ retinerentur. Ac frustra insinuabatur, Electorem à Belgis destitutum Anglorum amicitiæ sese adpliciturum. Nam quid ab hisce isti sperandum foret, Belgis satis constabat. Equidem Cromvellus Schlezero testabatur; metuendum esse, ne salutis suæ rationes Electorem compellant, ut relictis Svecorum partibus cum Polonis transigat. Cui hic confirmabat, à Polonis aliquoties haut spernendas pacis conditiones oblatas; qui & satis habituri sint, si idem medium deinceps gerere se velit. Id tamen

Cum Cromvello acta.

1657. tamen hactenus ab eo repudiatum, quod potior respectus boni publici, & communis Protestantium causæ, quam privati commodi sit. Sed dolendum esse, ipsum ab omnibus quorum interest, & qui boni publici curam æque cordi sibi testentur, plane destitui, ac inprimis ex Anglia nihil spei ostendi. Igitur cum omni ex parte magna vis hostium ingruat, cui sustinendæ is solus haut sufficiat, Mosco quoque copiis in limite contractis minante; demum Cromvello declarandum esse, an & quomodo Electorem subsidio, cumprimis pecuniario, sublevare velit. Addidit Schlezerus de suo: Electorem fœderi cum ipso paratum, ac vel justo cum exercitu eidem adfuturum, si idem velit; multa quoque de invadendo Mosco jactans. Quæ Electori velut à rationibus suis abhorrentia valde displicebant; præsertim cum Cromvellus nondum super prioribus
15. Maii. oblatis mentem suam exposuisset. Enimvero per intestinas Angliæ turbas bellumque Hispanicum, ipsum Cromvellum angustia rei pecuniariæ urgebat; qui demum sine circuitione significabat; frustra à se pecuniam expectari, quam & Sveci apud se frustra ambierint. Et mox cum necessitas temporum alia consilia suscipere cogeret, gratia Electoris, quæ & alias apud istum sat tepida fuerat, plane frigebat.

Elector Svecum ad pacem hortatur.

§. 65. Quia porro Elector eam tempestatem in Svecum coeuntem dudum prospexerat, magnopere laborabat, ut ista cum Polonis maturata pace anteverteretur. Unde sub initium anni Waldeccium ad eundem misit, rogaturum; ita conditiones pacis temperaret, ne per earum enormitatem hæc impediatur. Simul ut exponeret causas, quæ Electorem ad affectandam pacem compellant. *Provincias ipsius ita exhaustas, ut vix deinceps alimenta statis præsidiis suffectura sint; exercitum morbis, aliisque casibus valde minuisse: supplementa difficilia, quod in Germania passim delectus ferveant. A Polonis tres exercitus formari, quibus cum in proclive sit in tam late patentem provinciam irrumpere. Oppida Ducalis Borussiæ milite & operibus haut ita firmata, ut justam oppugnationem sustinere possint. Oppidanos ob jacentia diuturno bello commercia animis ægrescere. Qui per agros & minuta oppida bonis suis exuti sint, è necessitate vagis per provinciam prædonibus agglomeratos rapto vivere. Moscorum copias Borussiæ finibus propinquare. Cæsarem Polonis addictum legiones ad limitem Marchiæ contrahere, qui & cum aliis Electori suspectis ad Rhenum arma paret. Ragozii auxilia, quæ Rex respiciat, fluxa. Cosacos unice sui conservationem quærere, ac non temere longius à finibus suis discedere, quos & interjectu Brescia ab hisce oris separet. Saxoniæ Electorem aliosque non modo insigne frigus, sed & adversa consilia ostendere. Danum jam aperte constituisse, Svecorum progressibus sese objicere. Belgas, ac præcipue Hollandiam provinciam, quæ fere negotiis ibi momentum dare solet, non parum studii in partes Hispanicas præ se ferre. Denique bello protracto, exitium potius ipsius rebus, quam insigne aliquod bonum expectandum.* Quod si Rex his rationibus motus nolle velit, numquid de adversæ partis sententia Electori constet, ostenderet, id ipsi constare; Polonos solennem tractatum absque Cæsaris Danique interventu haut suscepturos, ac potius extrema omnia experturos, quam Vistulam in Svecorum manibus relinquant. Ita nullam pacis spem superesse, ni Rex saltem Thorunium reddere, ac Hauptum solo æquare constituat. Quia autem verendum sit, Regem, etsi ad extremum in ista consentire decreverit, id ante tempus cuipiam pandere dubitaturum, huic confirmaret, Electorem eas conditiones Polonis propositurum, non velut Rex jam istis annuerit, sed quod ipse omni studio connixurus sit, ut eædem obtineantur. Quod si Rex quærat, quid Elector cedere decreverit, responderet: de Majore Polonia reddenda ipsum jam declarasse; reliquorum quidquam cedere, per proprias Regisque securitatem haut licere. Denique demonstraret; cum præcipue hostium vires Borussiam circumstent, necessum esse Electoris exercitum indivisum relinqui, ne legiones hinc inde distributæ, demum plane destruantur, incolumitate atque autoritate vacillatura, ubi armis non amplius fulciantur.

Svecus Electorem in partibus retinere studet.

§. 66. Ast Sveciæ Regi id maximo studio agebatur, ut Electorem magis magisque bello immergeret, jactanti; honestam Polonis pacem extorqueri non posse, nisi viribus eorum plane contusis. Unde & isto ad jungendas cum Ragozio copias digresso Schlippenbachius per literas Electorem urgebat, ut dum Rex Ragozio sociatus hostem premit, ipse quoque ex altero latere eidem ingrueret, frangendæ ejusdem ferociæ, neu tam pulcra agendi tempora per otium tereret. Sed Elector excusabat, militem longo per hiemen itinere fatigatum quiete opus habere, quo rem per æstatem gerere possit, præsertim cum præsens tempestas pabulationi incommodissima sit. Idem Schlippenbachius post Regiummontem accedens multis rationibus Electorem ad bellum continuandum stimulabat. Cui hic demonstrabat; se Polonis diutius resistere non posse, provincia sua aperta, diffusaque invasionibus hostium exposita. Cum contra Svecis facile sit bellum producere, Regia Borussia tot munimentis facile vim hostilem eludente. Cui incommodo avertendo Schlippenbachius proponebat, ut Elector suam Borussiam cum Regia permutaret; multis munitionibus firmata, & opportuno cum reliquis ejus provinciis situ. Id quod altius in animum Electoris penetrans, non exiguam suspicionem eidem injiciebat. Idem quoque multis verbis Electorem in Austriacos & Danos incitare moliebatur, inani eloquentiæ conatu, ubi rationes Status reclamant. Sane nova tempestate è Danis surgente, & ingruentibus Austriacis, simul fluxis Ragozii rebus omnes suas fortunas aleæ exponere ob commodum alterius, qui voto suo potitus prægravis futurus erat, prudentis haut videbatur. Et Paulus Sapicha tunc è Lithuania Borussiæ fines irrumpens magnam populationem fecerat. Paulo post cum Austriaci expeditionem in Poloniam ordirentur, Rex acriter

Right margin notes: 1657. — 22. Mart. — 28. Maii.

57. ter instabat, ut istorum cœpto sociatis viribus mature obviam iretur. Ad quæ Elector ambigue; arma utique in Austriacos vertenda, sed prius sibi cum Rege sermones conferendos. Interim cum Regi inter veteres novosque hostes ingruentes aliquid ad summam rerum faciens tentandum videretur, hic duodecim equitum, quindecim dimacharum centurias Electorem poscebat, quibuscum adjuncto Ragoziano exercitu Austriacis Poloniæ jam fines ingressis occursurus sit, Electore interim cum reliquo exercitu proprios fines tuituro. Sed quia ab Electoris rationibus abhorrebat Austriacos ultro lacessere, id petitum eludebatur. Missus tamen Poltofsciam cum selecta manu Goertzkius summus vigilum Præfectus, ut Regem in Borussiam deduceret, si de communibus rebus cum Electore colloqui placeret. Ast mox Danis in hostilia erumpentibus Rex omisso Ragozio Strasburgum progressus Electori de adventu suo, ac ipsius à se colloquium expeti, significabat. Id quod Elector declinabat obtentu uxoris partui vicinæ, quæ & paulo post
Jul. Kalendis Julii in ipso prope novilunii momento eidem filium peperit FRIDERICUM, post successorem. Cui dum mystico lavacro initiatur sponsores fidei fuere Ludovicus XIV. Galliæ Rex, Leopoldus tunc Hungariæ Rex, Joannes Georgius II. Saxoniæ Elector, Christianus Ludovicus Dux Luneburgicus, Wilhelmus Fridericus Nassovius, ac Bogislaus Radzivilius Princeps; tum Sophia Ernesti Augusti Ducis Brunsvicensis, & Electoris soror Ludovica Jacobi Curlandiæ Ducis conjux.

tor suas a- à ir m- §. 67. Interim Elector omnes suas copias à Regis exercitu revocaverat, negans fœdus ultra defensionem Borussiæ porrigendum, quod & ipse Rex reliquam Poloniam pro derelicta habere videatur. Contra Rex ostendebat, sibi ad compescendos Danos paulisper è Polonia digrediendum, non sine querelis, Electoris cunctationem & ambigua consilia huic mutationi causam dedisse. Ast Elector justiores sibi querendi causas ferebat, quod nunc à Rege medios inter hostes destituatur, quos sustinere supra vires suas sit. Unde se ad consilia compelli, à quibus antea maxime abhorruerit. Sane cum exordio pacti Regiomontani positum fuerit, Electorem à Polonis destitutum vinculo, quo iisdem antea tenebatur, liberatum; id quoque in præsens locum habere posse, ut iste vinculo prioris fœderis exsolutus sit, postquam Rex in diversa digressus eundem deseruerit. Ac eodem jure, quo Rex relicta Polonia ad sua tuenda accurrat, Electorem quoque seposito Sveciæ respectu circa sua servanda posse satagere. Et postquam semel Svecico fœdere liberatus sit, integrum sibi fore cujuslibet societatem affectare, quæ rebus suis præcipue expediat. Mox & per Dobrzenium Brombergæ apud Regem instabat, ut quia res suæ nisi tractatu cum hostibus suscepto salvæ esse nequeant, eum pace ipsius suscipere liceret. Heic Rex primo fortia consilia ingerere: non adeo desperatas res suas; simul opem, levamen, celerem è Dania reditum polliceri. Sed cum is intensius urgeret, ut anxietati civium aliquid daret, ob aliena commoda perire aversantium, pollicitus Electorem in fraudem Regis nihil facturum, hic demum declarabat; si Elector aliis auxiliis plane destitutus eo necessitatis redigatur, se tractatum ab eo suscipi dissimulaturum, modo nihil amicitiæ adversum, ac rebus Sveciæ noxium concludatur. Idem quoque Bromberga ad Electorem scribebat: Sibi quidem nunc in Daniam excurrendum; non tamen res Poloniæ plane abdicari, ac interim haut eo secius præstiturum, quæ fœderatum deceant. Addebatur, se quoque paci acceptandæ paratum, ac eo fine Benedictum Oxenstiernam, & Schlippenbachium cum idoneis mandatis in Borussia relinquere. Sub idem quoque tempus Schlippenbachius Regiummontem excurrens omnem lapidem movebat, ut Electorem intra Svecicas partes retineret. *Sat virium esse Electori finibus tuendis; nec Austriacum militem trans Vistulam in Ducalem Borussiam penetraturum, quamdiu Svecorum res in Pomerania & Borussia Regia firmæ persistent. Quin & ipsam belli rationem dictitare, Austriacos interiora Poloniæ haut petituros, sed tantum in propinquo finium suorum rem gesturos. Legatum quoque Gallicum evulgato jam inter Austriacos & Polonos fœdere declarasse; eo modo pacem Westphalicam ruptam videri, ac Galliæ auxilium Regi præsto fore. Tum Gallum fœdere cum Svecis inito ditiones Electoris tutas præstiturum, modo mature auxilium evocet, nec ab Austriacis in transversum sese abduci patiatur. Quin Regem intra duos menses in Poloniam reversurum, profligato bello Danico alii ducum delegato. Regem non dubitare, quin Elector ad solida consilia impediendis Austriacorum destinatis animum adpliciturus sit, tantis indemnitatis sponsoribus. Gallos de submittendo auxilio confirmare, si res adversus Austriacos in Polonia, Borussia, aut Germania geratur: ac patere iter Gallicis copiis per Westphaliam, ac Bremensem provinciam, quas fulcire in proclivi sit Regi in vicinia rem gerenti. Quin si mascula consilia arripiantur, facile Austriacos Polonia extrahi posse, irruptione in hæreditarias eorum ditiones facta; quo casu præter Gallos etiam Angli in partes descensuri sint.* Inde ostentabatur uberrimus horum consiliorum fructus. *A Rege nil affectari in Germania præter Oldenburgicum forte & Delmenhorstianum Comitatum, ac minuti quid eo tractu provinciæ Bremensi opportunum, ad invidiam declinandam. Cæterum è Dania belli præmium sibi petiturum Norvegiam & Scaniam, ipso quoque Daniæ Regno in alium magis amicum translato. Electori autem partem insignem Silesiæ, & alia per Westphaliam commodo ipsi situ curaturum. Posse etiam cum Polonis tentari transactionem exclusis Austriacis hac lege, ut Borussia Regia præter Gedanum, quod penes Polonos manere debeat, in Electorem transferatur, pro qua Regi suo Ulterior Pomerania, & aliquid terrarum in Lithuania, aut summa pecuniæ dari queat. Nam Polonos malle Borussiam penes Electorem, quam Svecos, manere.* Enimvero cum Elector incerta ista, & in longum prominentia, ac infinitum bellum dubio eventu

1657.

25. Jun.

1657. eventu paritura, ac forte certas ipsius possessiones in exitium tractura repudiaret; id deinceps urgere cœpit, ut si utique manum communi causæ sustinendæ admovere nolit, in suscepto cum Polonis tractatu saltem limites ne migraret, qui mediis inter bellantes observandi sunt. Cui laxioribus verbis respondit Elector; facturum se, quæ præsens status ferat, & quæ judicio cordatorum se adprobaturum confidat.

Cum Polonis super pace agi incipit. §. 68. Ast Elector cum & ab initio invitus in bellum Polonicum pertractus foret, & ipsius maxime interesset id Regnum pristino in statu subsistere, simul facile perspiceret Svecorum in Polonia res haut fore stabiles, tot Principibus in eos conspirantibus; mature circa instaurandam cum Polonis amicitiam agere cœperat parario potissimum Vincentio Corvino Gosievio; quicum circa finem superioris anni super omittendis hostilibus non tam pacto aliquo solenni, quam tacito consensu convenerat. *17. Febr. Wreick* Ad hunc postea Elector cubicularium suum Christianum Sigismundum Wreickium misit, qui exponeret; Electorem optasse, ipsum ejusmodi mandatis à Rege & Rep. Poloniæ instructum fuisse, ut à se, ac Rege Sveciæ tuto super summa rerum agi cum eodem potuerit; quod spes foret, ipsum cui patriæ conditio penitus perspecta, ejusque salus carissima sit, majus operæ pretium, quam alios, fuisse facturum. Quanquam autem è domesticis Palatini Sapichæ non nemo Electorem monuerit, omnia quæ à Gosievio agantur, meras offucias esse; istum tamen de hujus generoso animo ampliora sibi pollicitum, quam ut ejusmodi delationibus fidem adhibeat. Unde & haut inficiaturum, quæ inter ipsum, & Sparrium super omittendis hostilibus convenerint, & ut induciæ duas septimanas ante renuntientur, quam ad hostilia iterum redeatur. Quod si bellum continuandum sit, placere Electori, ut incendiis abstineatur, ac ut captivi utrinque dimittantur. Ad quæ Gosievius respondit; Regem Joannem Casimirum initio totum id negotium suæ fidei committere voluisse, concessa plena agendi facultate. Sed invidos id impediisse, jactantes, Regi parum honorificum fore in propinquo loco versanti, si privatus tanti momenti negotium absolverit. Accessisse Gallos, qui variis artibus proprium ob emolumentum pacem sufflaminare laboraverint, & utrique parti hanc suspicionem infixerint, neutri pacem cordi esse; ac inducias non alio fine quæri, quam ut tempus extrahatur parandis armis, & ut adversa pars eo majore noxa obruatur. Urgebat inde, ut induciæ ad universam Poloniam porrigerentur. Id quod ab Electore repudiatum, velut parum tutum. Nam si Poloni, fide data insuper habita, ipsum aliorum auxilio destitutum omnibus viribus oppressum eant, sane durissimas quantumvis conditiones, quas libido obtrudere sibi jubeat subeundas. Quod cum Gosievius inficiari non posset, ut ne ipse ob crebra cum Electore commercia apud Joannem Casimirum suspicionem incurreret, id consilii suggerebat; ut Elector inducias renuntiaret. Quo facto se Ordinibus Samogitiæ suasurum, 1657. ut cum Electore paciscantur, sicuti Marchici cum Majoribus Polonis fecerint; ut invasiones in alterutrius terras mutuo ne faciant, nec alios facere permittant. Inde Elector fidum *7. Apr.* hominem Novomiastum mitteret extremas pacis conditiones sibi significaturum, circa quam conficiendam ipse omni studio sit incubiturus. Istis uti plenam fidem non adhibebat Elector; ita nec eadem repudiare, sed potius integra omnia cum isto servare instituit. Itaque Sparrium cum exercitu in Podlachiam tendere jussit, ibi refovendum: ut tamen Samogitiis noxæ nil inferret, ac de eo ipsis caveret, si paria iidem faciant: tum nobiles humaniter haberet, spe facta, tractatus jam agitari in bonum finem desituros. Quod si occasio detur manum conferendi etiam cum certa victoriæ spe, potius cessim iret, ne recenti collisione irritatis animis tractatus difficiliores reddantur, aut plane abrumpantur.

§. 69. Sed & circa pacem inter Electorem, *Reginæ Poloniæ circa Electorem studium.* & Polonos conciliandam haut parum nitebatur Regina Poloniæ Maria Ludovica. Ad hanc literas suggerente Electore dederat hujus Mater Elisabetha Charlotta, de filii salute solicita, rogans ut ad veterem amicitiam rem deducere velit. Hanc occasionem Regina arripiens Abbatem Cœnobii, cui Paradiso voca- *10. Apr.* bulum, Stephanum de Majori Chrzastovvo Wierzbovvski ad Electricem Crosnam misit cum literis hoc argumento: *Ipsius epistolam te- Ejusdem literæ. stimonio sibi fuisse de ejusdem in se fiducia ac studio pacis; ex qua ut prudentia ejus, ac in bonum publicum cura eluceat, tum in ipsam benevolentia, & pro salute filii solicitudo, per quam avertere studeat indeclinabile alias exitium, quod ei immineat, ni mature à scopulis, ad quos prava aliorum consilia ipsum seduxerint, cursum retro vertat. Notum sibi affectum, quo Regem Joannem Casimirum prosecutus sit, quem nondum animo ipsius exolevisse arbitretur. Sibi in promtu esse paucis verbis omnes ejusdem rationes diluere, si modo in memoriam eidem revocare velit à Canonico Viturkio proposita, & literas sua manu scriptas, per quas Quartiani ad imperia ipsius capessenda parati erant futuri, antequam adhuc cum Svecis transegisset. Sed ad illas nunquam responsum sibi redditum. Haut eo minus omnia ista quantum liceat placidissime interpretaturam. Enimvero prout in præsens iste se gesserit, ita fortuna in posterum usurum; ac prout nunc consilia ceperit, ita vel amicum, vel irreconciliabilem hostem à se habendum. Si, uti jactat, antea inevitabilis necessitas adversus officium, propriumq; emolumentum agere subegerit, ac nunc, ubi tuto possit, ad utrumque haut revertatur, nunquam Deo aut hominibus facta sua adprobaturum, ac totum orbem Christianum judicaturum, ad talia ipsum compulsum rationibus parum solidis, & quæ haut temere condonari possint. Ita demum id negotium extremæ necessitati imputandum, si uti per hanc nexu sese erga Poloniam exsolvi credidit, eodem modo longe majore æquitatis specie omni fœdere cum istius hostibus se liberaverit, quos & utique secius ocyus hostes habiturus sit. Quæ vi metuque fundentur, non ultra subsistere posse, quam quousque iste duraverit.*

Quin

1657. *Quin in aprico esse, periculum, quo Elector ad conjunctionem cum Svecis compulsum se ferat, haut ita grave fuisse, quam quod nunc imminet. Caeterum se quidem quantum valeat ad hoc negotium collaturam, cui praemium immortalis gloria proposita sit; ac vel vitae suae dispendio emturam, ut tot populis horrenda calamitate oppressis aurea pax restituatur. Nec minus apud se pondus habere benevolentiam tantopere sibi aestimatae Principis, ac preces Foederati Regis, qui huic reconciliationi operam suam offerat; ac ipsam temporum conditionem omnes moras abrumpi jubere, ni tanta necessitudine sibi junctos pereuntes videre velit. Tam splendido sequestre utendum, antequam torrens velut negotiorum in talia consilia propellat, è quibus pedem amplius referre non detur, ac ubi sibi ad exponendam amicam operam nil amplius facultatis relinquatur. De quibus Electrix liquidius judicatura sit, ubi singula ex latore harum pluribus intellexerit. Gallum se ideo elegisse, ut absque interprete cum ipso loqui possit. Valde se metuere corruptiones tum omnibus aulis, tum Electoris aulae solitas. Spem tamen sibi esse, ipsam pro prudentia sua nihil omissuram eorum, quae ad Electorem praesenti statui subtrahendum pertinent. Magnum sibi desiderium fuisse eum videndi, ac quod Gedanum instituerit iter, eum praecipue scopum habuisse; quem facile victura fuerit justa causa, ac solidissimis rationibus suffulta, & ubi generoso animo proposuerit, perstare adhuc Joanni Casimiro fraternum amorem, quo Electorem semper amplexus sit, & ex anteactis eundem nil odii, sed acerbissimum dolorem sensisse.*

[E]idem [hor]tatio [ad] pacem §. 70. Idem quoque Abbas prolixe disserebat de studio Reginae in Electorem, ac uti solicite satagat Regem, ac Senatores permovere, ut praeteritis oblivioni datis in conditiones Electori gratas consentire velint. Quo fine & Leopoldus Hungariae Rex operam suam interponat, misso ad pacem conciliandam legato, ac ut Elector quoque foederi nuper inter Polonos atque Austriacos inito adscribatur; cujus vi socii ad auxilia sibi mutuo ferenda adversus quosvis aggressores teneantur. Quo ipso & Electori abunde cautum sit tam adversus Svecum, quam alios. Danum quoque huic foederi nomen dare cupere, arma Sveciae inferre paratum. Ac ejus foederis vi Hatzfeldium valido cum exercitu in Poloniam moturum. Nec minus Hispanum huic foederi accessurum, cui alias in proclivi sit Electori in Clivica provincia negotium facessere, ubi hic Svecis adhaerere perrexerit. Tartarorum Hanum numeroso cum exercitu in finibus stare, ad nutum Joannis Casimiri auxilium ferre promtum. Aliam Tartarorum manum in procinctu esse ad irruptionem in Transsylvanos faciendam distrahendo Ragozio, cui & alias cum Sveco parum conveniat. Cosacos super transactione cum Polonis agere sequestre Leopoldo. Moscum jam Smolensciam pervenisse ingenti cum exercitu, ac recta Livoniam petere, Electori quoque hostilia illaturum, ni à Svecis sese disjunxerit, Gosievio quoque è Lithuania in Borussiam incursuro eo ipso tempore, quo Austriacae copiae Vistulam attigerint. Universam Poloniae Nobilitatem in procinctu stare, ut in hostes sese effundat. 1657. Sveco nil supplementi sperandum neque è Svecia ob metum Danorum, nec è Pomerania funditus exhausta. Galliae res in praesens non ferre, ut Svecum pecunia sublevare possit; & ut maxime possit, dubium esse num velit, tanquam ad bellum sibi inutile, & scopo suo repugnans. E Cromvelli amicitia Svecum hactenus parum solidi traxisse, ac deinceps minus adhuc tracturum ob dissidia militum & affatim negotii facessentibus Hispanis, atque Carolo Stuarto. Nec ullam auxilii spem Sveco à Germaniae Principibus, quorum multi Dano sint addicti, aut domi sat quod agant habeant: universos eventum Electionis Caesareae expectare; nec temere opes suas alienis usibus impensuros, quibus ipsi opus habituri sint, ubi turbas in Imperio surgere contigerit. Nobilibus Majoris Poloniae injunctum, statim atque Austriacus miles Poloniam ingressus sit, Marchiam irruptione facta populari. Polonos saepe institisse, ut publice declaretur, Electorem cum omnibus successoribus jure in Borussiam excidisse; ac eandem Neoburgico, aut Dano, aut alii potenti Principi fiduciaria lege offerendam. Sed Joannem Casimirum restitisse obfirmante Regina, quae spem fecerit, Electorem meliora consilia capessiturum, ac impedierit, ne ad extrema decurreretur, emendari postmodum nescia. Ni tamen Elector occasionem occupare properet, Reginam coactum iri eum justae Polonorum ultioni destituere. Omnes mirari caecitatem Electoris, quod periculum sibi imminens non videat, aut si videt, non in tutum sese subducere festinet; cujus causa non alia esse possit, quam quod pravis consiliariis circumsideatur. Denique si Elector utique in rectam viam redire velit, ne momentum quidem temporis negligendum esse, quamdiu Reginae ad rem aliquid conferendi facultas sit. Nam diutius extrema differri non posse, Electoris exitium productura, quae hactenus Regina aegre inhibuerit. Nec esse quod Elector in pace cum Svecis communi confidat; cujus negotiatio plane evanuerit, & quam Poloni audire nolint, ni Svecus Borussia plane eliminetur. Quin ne congressum quidem, aut ulla sequestrium officia admissuros absque omnium foederatorum consensu. Quae Svecus jactet de loco tractatuum, & legatorum designatione, figmenta esse ad Electorem inani spe lactandum. Non dubitare Reginam, quin Mater ad Filium isthaec omnia sit perscriptura. Sed ab hoc solidum & expressum responsum expeti, non apologiam. Non enim amplius quaeri, bene an secus Elector fecerit; sed num ipsi sententia stet, cum omnibus suis ob Svecorum pertinaciam & ambitionem perire, an vero mature, & dum adhuc ejus ratio habetur, infelici bello se subducere. Addebantur plura de Regis & Reginae affectu in Electorem, & uti haec dudum de eodem ad coronam Poloniae provehendo meditata sit.

§. 71. Ista quidem tantisper in medio re- *De su.*

1657. linquebat Elector, donec Rege Sveciæ discessum è Polonia adornante placuit Bogislaum Radzivilium, & Ottonem Sverinum Tilsitum ad Gosievium mittere, super conditionibus pacis exquisituros, de quibus iste tam multa hactenus jactaverit. Is eas ad votum Electoris fore confirmabat, modo hic Svecorum partes abdicare velit. Accessere mox à Rege Poloniæ missi Episcopus Warmiensis & Gosievius, quibuscum interveniente Francisco Lisola Regis Hungariæ legato negotium serio susceptum. Ubi initio quidem Elector id duntaxat agere cupiebat, ut sibi medio deinceps esse liceret. Sed Lisola maximo studio nitebatur, ut is Sveco plane avulsus adversæ huic parti innecteretur. Ac satis adparebat ea ratione à neutra parte gratiæ quid iniri, quin utriusque odium incurri, ac Polonis hoc modo integrum jus in Borussiam mansurum, quo nisi conjunctionis pretio hi cessuri non erant. Unde super plena pace tractatio suscipienda erat, etsi publice non nisi de neutro statu spargeretur. Eo in negotio præcipua difficultas circa summum Borussiæ imperium vertebatur, quod Elector itidem à Polonis, prout Svecus concesserat, stipulari cupiebat, Polonis contra ad pristinam conditionem eundem retrahere studentibus. Unde Elector aliorum sibi operam circa id negotium promovendum ambiendam statuit. Ac Danorum quidem sententiam super eodem Kleistius explorare jubebatur; qui anceps admodum censebant, ei imperio ab Electore obnixe insisti. *Polonos nimium quantum affici jure in nobilissimam provinciam. Præter veterem Imperii in Borussiam actionem, quam Leopoldus suo consensu intermori haut sit passurus, accedere respectum Domus Austriacæ vi postremorum cum Polonia pactorum. Daniæ & Belgarum rationes non admittere, ut id summum imperium Electori adquisitum ejus prosapia extincta in Regnum Sveciæ devolvatur, Borussos in id genus imperii haut proclives. Quod & Electori multis modis inutile sit; ac posteris ejusdem multo tutius fore, si præcipuis molestiis nexum fiduciarium comitantibus per pacta exsoluti titulum cum onere protectionis Polonis uti antea relinquant; quo & ad splendorem fastigii sui alias sat sublimis haut indigeant. Sed & eo omisso pacem Electori eo fructuosiorem ac stabiliorem fore, vicinorum quoque evictione ▬ promtius accessura; cum contra Poloni data occasione ad amissa recuperanda conniti haut sint omissuri, turbulentis Borussiæ civibus frigidam suffusuris, ac vicinis ob respectum Svecicæ successionis ad Electoris auxilium eo tardioribus futuris. Contra si Elector summo in Borussiam imperio careat, ejus nomine super successione Svecis haut obstrictum fore.* Ad quæ Kleistius reponebat: *Omnibus constare, Electorem non solum debita à Polonis defensione cum maxime opus esset, haut gavisum, sed & ab his ipsis oppressum, eorumque immanitate compulsum, ut Borussiam à Svecis recognosceret. Eo vinculo cum post Elector propriis viribus apud Svecos se exsolverit, quo jure ab ipso postulari posse, ut veterem cum Polonis nexum iterum subeat? Aut num is tenebatur jus absque sua culpa à Svecis adquisitum Polonis recuperare? Nec ad rem facere, quod Quartiani, qui Electori arma intulerunt, à Joanne Casimiro defecisse excusentur. Nam sufficere eos Polonos fuisse, & tales quidem, penes quos tunc robur Regni fuerit, ac eo tempore istos Borussiam incurrisse, quo Elector summa vi ad servandam Poloniam nitebatur; utut perspiceret, plurimos, eosque potentissimos Senatores vel plane Svecis accessisse, vel saltem ea mente fuisse, ut nil aliud superesset, quam ut Svecus ad istorum quæstionem responderet, utrum se solenni ritu in Regem Poloniæ eligi vellet. Ac multa per secula nunquam hostem ita alte in Poloniæ viscera penetrasse, quam Sveco factum eo tempore, quando Elector solus, & adversus ipsos Polonos horum jus in Borussiam tueri debebat. Quod autem res dein aliam faciem induerit, & Joannes Casimirus è Silesia in Poloniam regressus aliquot Palatinatus, & ipsos Quartianos in se trahere, ac reparato exercitu in eum statum pervenire potuerit, ut jam cum hoste ex æquo de pace agendi facultas sit; id istis temporibus deberi, queis Elector, Svecorum viribus in se pertractis, Polono respirandi ac vires recolligendi spatium fecit. Quod longe pluris æstimandum, quam quæ nunc Elector à Polonis postulet. Harum rationes circa hoc negotium in eo potissimum verti, ut super amicitia Ducis Borussiæ ipsis cautum sit. Quod si igitur Polonis amicitiam colere cordi sit, id etiam cum supremo Borussiæ Principe fieri posse, eique per pacta solidum fundamentum substernendum. Sed si Poloni alia meditentur, etiam vasallum non plus toleraturum, quam teneatur, & placeat. Ac Polonos supremo suo jure ita turpiter abusos, intolerandis molestiis Electori, ejusque majoribus illatis, ut nemo eidem vitio daturus sit, si isti nexui, eique conjunctis oneribus se suosque posteros subducere instituat. Et quia etiam tenuissimo titulo remanente idem periculum Electori immineat, non sufficere recens introducta onera amoliri, relicto vocabulo, quod nunquam effectu vacuum esse potest. Noxium juxta & ignominiosum fore Electori, si tanto labore parta nunc velut nunquam possessa pro derelictis habere velit. Si Borussiæ Ordines huic negotio reluctari aggrediantur, propriis commodis & sanæ rationi reluctaturos, nec eo minus operam lusuros. Sane eam ipsam ob causam Svecum immunitatem à bello Borussiæ negasse, quod hæc à Polonia penderet. Aut an jam iis excidisse credendum sit rationes, quibus Electorem ad primam cum Svecis transactionem tanto animorum motu compulerint? Retinere hos eundem Principem, retinere privilegia circa sacra & civilia: tolli extraneos respectus dissidia tantum excitare aptos, & pecunias, quas provocationibus in Poloniam insumant, in proprios usus, aut debitam justitiæ administrationem impendi posse. Romano Imperio & Austriacis causæ nil esse, quare Electori id dignationis invideant, quod in Polonorum manibus adspicere coguntur. Danorum & Belgarum solicitudinem super futura Svecorum successione haut ita necessariam esse, uti præsentem pacem. Nec apud communes tractatus arduum fore, idoneum ei incommodo antevertendo temperamentum invenire. Denique eam rem Electori tantopere cordi esse, ut citra eam in pacem cum Polonis consensurus non sit.* His victi Dani cum Polonico legato super eo negotio agere instituunt; sed hoc defectum

premo Borussiæ imperio à Polonis obtinendo agitur.

20. Jun.

21. Jul. Danorum super eo sententia.

4. Jul.

57. fectum mandati excusante, Rosenvvingius denuo ad Electorem, inde ad Poloniæ Regem missus est ei negotio urgendo, quod Danorum valde interesset, Electorem Polonis reconciliari. Promtum quoque Rex Daniæ se ferebat evincendo tractatui inter istos concludendo; ad idem quoque Belgas permoturus, qui alias ob Elbingense pactum sat moderatos erga Sveciam se gerebant. Etsi mox Polonicus legatus Danis fatebatur, Polonos jam antea decrevisse Electori summum Borussiæ imperium offerre; ac jam negotium pacis cum isthoc fervere.

Jul.

…es …em …er …cos & …nos fide- …iones. Aug.

§. 72. Hucusque cum res processisset, alio modo circa pacem inter Svecos Danosque, quam hactenus, agendum erat. Igitur Elector Kleistio significabat; se quidem petente Schlippenbachio super persequendis tractatibus scripsisse: sed valde se dubitare, num Sveci serio rem agant, ac non potius tempus extrahere laborent. Cum autem ipse Danis nullam suspicandi ansam præbere velit, ita negotium istud moderaretur Kleistius, ut amotis scrupulis solida ibi amicitia stabiliatur. Sane qua ratione consilia Svecorum nitantur, capere se non posse. Nam insuper habitis suis hortatibus multum diffidentiæ ostendi, & arcum nimis intendi. Et quia hisce nihil heic sit, quod amittere queant, ac facile sit aliena aleæ exponere, ad extremum fabam in se cudendam videri. Unde esse, qua re ipse suæ securitati prospiciat. Ista autem Kleistius summo silentio premere, ac omnia ad huncce scopum dirigere jubebatur. Huic re perpensa expedire videbatur, hactenus exercitum sequestris munus haut ita abrupte abjicere; præsertim cum Gallicus legatus circa id negotium in se pertrahendum satageret, qui ne præter mentem Electoris ad finem properaret metus erat. Nam conflato semel inter Svecos Danosque bello, non istius intererat protinus id finiri, ne isthac cura exsolutus Svecus valentior in Poloniam regrederetur, ægrius inde Borussia dimovendus, forte & infesta Electori intentaturus. Sed & Belgæ jactabant; brevi mandata sibi missum iri ad operam paci conciliandæ adhibendam. Unde haut è re Electoris erat ab eo negotio ipsum excludi, quod nosse ejusdem intererat, an, & quousque Danus bellum continuaturus sit; an, & quomodo Polonis atque Austriacis sese innecteret? Quæ omnia explorandi, ac qua opus foret, in usum Electoris vertendi nulla occasio erat, nisi exercito seqvestris officio. Ast mox cum improvisa Sveci in Holsatiam irruptione, prosperisque ejusdem auspiciis libido bellandi apud Danos valde refrigerari inciperet, ac utut verbis adhuc magnifici, reipsa tamen satis ostenderent, cupere se tractatus promoveri, ac de formula pacis concipienda jam differerent; Kleistius tempus judicabat officio isti sese subducere, ne pax mature nimis coiret; eoque arrepta occasione Danorum declarationem Regi Sveciæ adferendi Hafnia discedebat, relicta ibi tantisper familia, ne id negotium plane deponere videretur; & Electori accessus ad idem integer foret, si ita ex usu judicaretur. Et 1657. cum Kleistius à Rege Sveciæ parum gratum responsum accepisset, eo minus placebat Hafniam remeare; quod Dani desiderio pacis, ut duras à Svecis propositas conditiones mitigarent, facile ab Electore communicata in hujus fraudem vulgare possent. Sane certum erat, Danos fortunam armorum secuturos, & ea adversante pacem in gratiam Polonorum, aut Austriacorum haut dilaturos. Quod fœdera Danorum spectabat, Rex Daniæ dubitaverat Austriacis sese illigare ob diffusas nimis horum rationes; & quia ipsi Daniæ periculosum erat, si isti arridente successu ad loca maritima pedem figerent. Unde & maluerat, si inter ipsum, Svecos & Polonos sine Austriacis pax clam inveniri posset, sponsoribus Electore, Anglis & Belgis. Nam ut in societatem belli, quod jam inter Austriacos & Svecos surgebat diuturnum, & longius grassaturum, Dania pertraheretur, haut placebat, opibus exhausta, & repentinis invasionibus obnoxia. Idem quoque optabat, Svecos Germania eliminari posse, modo id propere, & afflictis horum rebus, nullis adhuc eorundem in Germania partibus, & Gallorum viribus alibi districtis, fieri possit, se quoque mari prævalente. Nam si re in longum extracta partes iterum ad æquilibrium redeant, anceps sibi fore ditiones suas aleæ exponere, & ad extremum id periculi subire, ut non minus à potentibus auxiliaribus, quam à Svecis opprimatur. Sed & Belgicis Legatis parum placebat, Danos cum Austriacis arctius jungi; quod quamdiu Belgis cum Gallia conveniat, fœdus Austriacum ipsis probari nequeat: ac Svecos etiam sine Austriacorum ope Borussia amovendi viam superesse. Quin & Sveciæ Rex ostendebat, se super Borussia haut ita difficilem fore, quo Polonis, Belgis, ipsisque Danis satisfaciat. Eoque cupiebat, ab Electore rem ad congressum deduci, cui à Polonis adhibendi sint ab Austriacis partibus aversi. Nam ubi super reddenda Borussia mentem suam declaraverit, fieri non posse, quin pars Nobilitatis Polonicæ, cui Austriaca auxilia suspectentur, paci suffragatura sit; qua de re sibi probe constet; eoque & ipse pacem sine Austriacis concludi cupiat.

§. 73. Ast apud Belgas, ubi super ista mutatione inauditum esset, ea res, uti solet, variis sermonibus agitabatur. Aliis ea mutatio periculosa videbatur, quasi quæ vix tuto ac salva existimatione fieri queat. Polonicas partes debiles, & uti infelices si succumbant, ita suspectas si emergant. Quis eligat miseros amicos? Quis fidat hosti reconciliato? Austriacum auxilium remotum atque intutum: Danicum haut satis potens: Polonos, quo accessarint, omnia vastare: à Belgis parum solidi expectandum. Contra Svecum vigilantem, alacrem, felicem, cui summa suarum rerum salva sit, utcunque alea cadat; & quem Galli & Angli, penes quos summa jam potentia, pessum ire haut sint toleraturi. Moscum invidia in Austriacos facile Svecis recon-

Belgarum de ista mutatione judicia.

1657. conciliandum. Denique utut sit, suspectum quam maxime & periculosum, sacerdotes in Polonia & Austriacos per arma firmare. Partes librare in medio positum, ac tractatus pacis bonis conditionibus promovere, tam rebus Protestantium, quam Electoris tutissimum. Alii contra Sveciæ debilitatem ostendebant, rebus serviendis duræ & infidæ, & quæ Electorem tam ancipiti negotio immersum nunc destituat. Svecos ut in Borussia, Samogitia, aut Pomerellia pedem figant manifesto cum periculo conjunctum, qui nil nisi dominatum in Mare Balticum, & circumsitas regiones anhelent. Unde in tempore providendum, ac securitatem quærendam non extra partes defidendo, sed alacriter sumtis armis; ac in ipsa Holsatia hostem quærendum, belloque finem imponendum. Non deesse causas Electori, quare à Svecorum partibus discedat, à quibus initio vi coactus, ad extremum desertus sit. Nullam aliam rationem esse ditiones Electoris in tuto collocandi. Cum Polonis facile conveniri posse, qui pro indole liberorum populorum in pacem proclives sint; quos & dudum inauspicati belli tædeat, ac quibus persvasum sit, Electorem adversus ipsos nil nisi ex necessitate fecisse. Quod Austriaci nimia inde incrementa sumturi metuantur, id longe minus periculosum, quam si Sveci vel latum pedem suo imperio adjiciant. Alii mediam viam commendabant; à Polonis supremum Borussiæ imperium in satisfactionem, & Warmiam ad finem usque belli obtinendam, ac ut ipsi à partibus remoto paci conciliandæ operari liceat. Interim arma quovis modo retinenda, sed eorum usum suspendendum, quoad adpareat, num per tractatus hisce turbis finis imponi queat. Si à Polonis jam dicta obtineri nequeant, tutissimum videri aliquantum adhuc in Svecorum partibus subsistere, quam existimationem & incolumitatem in compromissum mittere. Ast si Poloni ista annuant, Sveci contra immunitatem à bello, & sequestris munus non concedant, transactione bonis conditionibus cum Polonis facta adversus Svecos tentandum, quod commodiore via declinari nequeat. Ita quidem, qui per otium inanibus sermonibus aliorum Principum fata differebant. Sed quia ad clavum Reip. sedebant, isthac rerum conversione optabant Electorem sese vinculo, quo Svecis innexus sit, exsolvere, & ad Polonorum amicitiam redire, saltem ut bonis conditionibus medium deinceps se gerat. Cui rei Svecus sat causæ præbeat destituto Electore in diversum facessens. Tractatui suscipiendo à Lisola ansam præberi, ac legatos Belgicos in tempore adfore negotio isti promovendo. Equidem initio isti summum Borussiæ imperium haut satis digerebant: ad extremum tamen fatebantur, suæ Reipublicæ quam maxime interesse, ut Elector tam contra Poloniam, quam Sveciam firmetur. Ac Joannes Wittius pollicebatur, ita se eam rem moderaturum, ut Elector in præsenti statu relinquatur, cui tamen isthæc rerum conversio infructuosa elabi non debeat. Circa idem tempus Belgarum legati Regiummontem accedentes Electorem ad Danica consilia pertrahere laborabant, ac ut ad Polonorum amicitiam rediret. Quibus ab Electore responsum; *nullam aliam viam pacis cum Polonis instaurandæ esse, quam ut sibi supremum Borussiæ imperium relinquatur. Quamdiu enim Polonis ullum jus in terras aut portus Borussiæ restet, se non posse non omnibus rationibus, turbis, atque bellis ejus Regni involvi, prout & hanc ipsam ob causam præsenti bello immersus fuerit. Atque has molestias in futurum eo magis metuendas, quod Joanni Casimiro proles non sit successionis capax. Unde & jam id diadema hinc à Mosco, inde ab Austriacis captari; qui cum tanta domestica sint potentia succincti, quantum eo casu suæ Borussiæ periculum immineat facile judicari posse. Præterea etiam præsente Poloniæ statu subsistente post reductam pacem sibi non satis cautum; ac semper metuendum, ne ditio sua ipso justitiæ obtentu turbetur, ac demum penitus manibus suis extorqueatur, præsertim Polonis immani odio in Protestantes flagrantibus. Denique offensam ob arma à se capta istis alta mente repostam manere, data occasione ulciscendam, Borussia plane in ditionem redacta. Unde Protestantes cleri Polonici acerbitatem non minus, quam alibi sensuros, commerciis quoque Polonorum libidini obnoxiis futuris.* Ita & isti facile agnoscebant, ex isthac rerum conversione Electori emolumentum quærendum, sive apud Polonos, sive apud Svecos; ut tamen ita ad bellum id finiendum incumbat, ne alterutra pars opprimatur. Nam & oppressionem Svecorum, & luculentam nimis Polonorum fortunam tam Electori, quam Belgis ex æquo periculosam. Ac Belgas ad evictionem transactionis cum Polonis ineundæ faciles fore. Scrupuli tamen nonnihil Electori injiciebat, quod Danis parum auxilii à Belgis expectandum videretur, postquam isti semel in bellum descendissent. Equidem ubi Danis fortuna faveret, Belgæ haut invisuri erant, modo isti nimium ne progrederentur. Ubi res male succederet, fortasse miseratione infelices amicos prosecuturi erant; cæterum auxilio iisdem negato pacta cum Svecis utcunque invisis firmaturi. Nec obscure iidem jactare incipiebant; Danis se svasisse, ne temere in arma erumperent; nunc eos suis fatis relinqui. Iidem & concedere nolebant, commercia in Sveciam inhiberi; id quod Dani postulaverant. Nec amplius Moscorum in Mari Baltico dominatus desiderabatur. Metus quoque erat, ne Cromvellus Sveciæ suppetias ferret, si ipsi aperte Danos sublevarent; quorum & potentiam nimis gliscere Belgio haut expediebat. 1657.

§. 74. Inter hæc dum negotiatio cum Polonis fervet, Svecis facile subolebat latius procedi, quam ut Electori immunitas duntaxat à bello quæratur, quod palam præferebatur, ac de partibus plane mutandis agi. Unde Schlippenbachius circa ventilandas, quæ in utramque partem adferri poterant, simul diluendas rationes, quæ Polonicam societatem svaderent, satagebat. Harum istas præcipuas esse. *Electorem sua societate ad firmandam Sve-* *Sveci tractatus cum Polonis impedire student. Aug.*

1657. *virum potentiam nimium conferre, quæ ipſum demum maxime preſſura ſit. Svecis nil eſſe, quod amittant; cum Elector de egregio patrimonio periclitetur, cujus vaſtitas bello extracto declinari nequeat. Quin longe ſatius fuiſſe, Electorem extra belli conſortia remotum arma cum Svecis adverſus Polonos haut ſociaſſe. Carolo Guſtavo orbem anguſtum eſſe, ut cuilibet ad limites ambitioni ejus ponendos accurrendum ſit. Rationes Electoris utique requirere, ne Sveci Boruſſiam Regiam retineant, nec ipſum omni ex parte velut indagine cingant.* Enimvero iſta deſtruere in proclivi eſſe. *Ne vel maxime gliſcens Svecorum potentia Electori fraudi eſſe queat, per pacta jam ſatis proviſum. Habere non minus Sveciam, quod hoc bello amittat, quem Electorem, provinciis cismarinis hoſtium invaſioni obnoxiis. Nec tamen ob evaſtatam provinciæ partem de ſumma rerum deſperandum. Conjunctione cum Svecis Electori plurimum autoritatis acceſſiſſe; cui judicio ſit, quod omnes tantopere laborent, Auſtriaci, Moſci, Poloni, Dani, Belgæ, ut Elector Sveco avellatur, quod utriusque ditiones ita opportuno invicem ſitu ſint, ut iſti conjuncti res magnas præſtare queant. Quæ ad invidiam Regi faciendam de ambitione jactentur, inania eſſe. Nam eum Boruſſia velle cedere, ſi alibi eidem ſatisfiat; quin eam provinciam Electori offerre. Ex adverſo cogitandum Electori, ſincerum amicum relinqui, ambiguum ejus loco recipi. Abdicari amicum, in quem tam multa impenſa ſint, & qui eo nomine magnopere ipſi obſtrictum ſe profiteatur; & aliorum amicitiam quæri, quæ ſincera ac tuta eſſe nequeat. In fœderibus id maxime reſpiciendum, ut cum iis contrahantur, à quibus maximum commodum, aut maximum damnum proficiſci queat. Atqui Svecorum, & Electoris ditiones ita poſitas, ut mutuo ſibi utiliſſimæ, aut infeſtiſſimæ eſſe queant, prout Principes invicem fuerint. Si Sveciæ Rex & Elector citra æmulationem atque ſuſpicionem conſilia, viresque ſocient, non adparere, quem metuere debeant; præſertim ita opportune ad oram maritimam poſiti, ut inde belli ſedem in alienas terras transferre in proclivi ſit. Aſt ubi ipſos diſſidere contigerit, non poſſe non Electoris terras arenam bello præbere. Quæ ratio eſſe poſſit à ſeſe alienandi generoſum, ac bellicoſum Regem, Proteſtantium præcipuum, victore exercitu ſuccinctum, qui circumpoſitas præſtantiſſimis Electoris provinciis munitiones poſſideat, à tergo totius Regni viribus ſuffultus? Poloniæ amicitia niti admodum anceps eſſe, quæ ſeipſam ſervare nequeat: nec minus Auſtriacis confidere lubricum. Denique nec tuto cum Polonis tractari poſſe, antequam conſtet, num ſecreta horum cum Auſtriacis pacta ſublata ſint ſuper diademate Polonico in hos translato. Quid enim Electori futurum, ſi Joanni Caſimiro Auſtriacus Rex ſuccedat?* Cæterum noſſe cupere, quo loco ea res ſit, ne Rex ſuus inter ſuſpiciones diutius anceps hæreat. Non tamen repugnare, quo minus Elector per tractatus hoſtes illudat, modo prius cum Rege ipſi recte convenerit, ac utrinque conſilia in omnem eventum capiantur.

Tractatus cum §. 75. Enimvero iſta tanti non habebantur, quo minus cœpti tractatus abſolverentur, Schlippenbachio per laxiora verba dilato. Id negotium inter multas difficultates proceſſerat, Polonis ægre ad cedendum ſummum Boruſſiæ imperium deſcendentibus. Quos Elector præcipue urgebat oſtentato Sveci adverſus Danos progreſſu propediem in Poloniam redituri. Ac cum Poloni viciſſim Auſtriacos ingererent, Elector cum exercitu in Germaniam abiturum ſe ferebat, caſtrisque inter Landsbergam, & Cuſtrinum poſitis pro captu rerum ſociatis cum Sveco copiis bellum adminiſtraturum. Cæterum etſi initio Elector medius inter partes agere, ac bello abſtinere maluerat; id tamen haut ferebant Poloni, Auſtriacique, minis juxta, promiſſisque inſtantes, ut media conſilia abrumperentur. Æque graviter Svecum offenſum iri declarato in neutram partem ſtudio; & nullo contra hunc fulcro, ni adverſis eidem partibus ſeſe illiget. Inprimis autem Electorem movebat, quod Svecus Danos ad prælium compellere non poſſet, eoque bellum id in longum extrahendum videretur; quodque idem Senatu impenſe rogante in Sveciam diceretur abiturus, projecta, aut in longum prolata ſpe in Boruſſiam revertendi. Qui & nullo modo ſolius Sveciæ viribus tot hoſtes amplius ſuſtentaturus credebatur, Gallo & Anglis nil ſubſidii conferentibus, & Belgis infenſa ſpirantibus. Ordines quoque provinciales, gravitatem onerum, ac imminens exitium magnis queſtibus differentes animum Electoris labefactabant. Sed nec alia ratio erat ſupremum Boruſſiæ imperium à Polonis obtinendi, ſine quo Electoris rebus ea in provincia nunquam ſatis cautum habebatur. Sed & Liſola una cum Polonis Citeriorem Pomeraniam oſtentabat, clamitans, quamdiu Sveci in Pomerania hæreant, Germaniam nunquam tuta pace fruituram. Nam eam nationem in arma proclivem pacem ferre non poſſe; & Gallis nunquam libidinem deceſſuram Germanos laceſſendi, quamdiu à tergo immineant, qui horum vires diſtrahere poſſint. Cui rei jam pulcerrimam occaſionem allubeſcere, Sveco à tot potentiſſimis hoſtibus circumdato, ſi Auſtriaci Polonique Electoralibus juncti Pomeraniam invadant, eaque diſtractione Dano ſpatium præbeant cum Luneburgicis, & Weſtphalicis, & Weſtphalicis ſeſe jungendi, quos omnes jamdudum Sveciæ viciniæ tædium ceperit. Ac in proclivi fore Pomeraniam Electori tradere maligno oppidorum proviſu, ac non paucis in res novas pronis. Aſperaverant quoque Electoris animum damna à tranſeuntibus Svecorum copiis in ipſius provinciis velut ſtudio data, ut ipſius exercitui alimenta ſubtraherentur. Nonnihil quoque ad rem faciebat, quod Neoburgicus Galliæ amicitiam occupaverat; unde Electori proficuum videbatur Auſtriacis propius innecti. Certe id manifeſtum erat, Svecorum armis alibi diſtractis provincias Electoris Polonorum populationibus expoſitas jacere, queis omnibus locis occurri non poterat. Cæterum uti ſuper ſummo Boruſſiæ imperio Electori demum ſatisfactum fuit; ita ut Braunsbergam per-

1657. Polonis abſolvitur.

1657. permutatione sibi adquirere posset Elector, haut dabatur, Joanne Casimiro excusante, in sacra bona nil sibi potestatis competere. Ab eo tamen ad Pontificem literæ dabantur, ut hujus consensu Electori hæreditario jure id oppidum adquirere liceat, pro aliis in Borussia reditibus, salvis ibi Romanis sacris. Id quippe oppidum & portu commodum, & in media Borussia situm maxime in oculos Svecorum incurrere; qui & priori bello id interceperint, & his temporibus idem in potestatem redigere conati sint. Unde plurimum interesse, idem valido præsidio custodiri: id quod à nemine commodius, quam ab Electore ob vicinas ditiones præstari queat. Ad eas literas quid à Pontifice responsum sit, nobis haut compertum. Sane eam rem effectu caruisse constat. Cupiebat quoque Elector ad Vistulam sibi locum concedi, Mevam, aut Montaviam, quo de transitu ejus fluminis sibi cautum foret. Sed id præfracte abnuerunt Poloni, ne in aliena potestate esset navigationem Vistulæ intercludere.

Simulata conventio. §. 76. Cæterum quia hactenus vulgatum fuerat, nil aliud agi, quam ut Electori utrinque à bello abstinere liceat, quo Svecos quid gestum foret, eo diutius lateret, placuit dicis causa pactum induciarum publicare hoc argumento. Omnia hostilia utrinque protinus cessatura ad finem usque tractatuum, pro communi pace instituendorum, & quoad ea pax concludatur. Interim Electorem in præsenti statu relinquendum, nec circa regimen Borussiæ à Rege aut Republica Poloniæ turbandum. Quo ipso tamen nullum valorem vel consensum, aut possessionem accommodari conventioni cum Sveco, quam Respublica nunquam pro valida agnoscat, & contra eam protestetur. Electorem copias suas è Polonia deducturum, quando hoc pactum à Polonis ratihabitum fuerit. Reliqua loca, quæ præsidiis ejusdem teneantur, ad pacem usque communem manerent. Hac conventione comprehendi Domum Austriacam, & Regem Hungariæ, Czarem Moscoviæ, Regem Daniæ, ita ut Elector hisce nil infesti inferre debeat, iisdem paria facturis; ut tamen hac conventione super negotiis Imperii Romani nil dispositum intelligatur. Post deductas in propria utriusque partis copias utraque pars transitu per alterius ditiones abstineat, neu hostiles copias terra marive in alterius terras, portusque admittat, neu transitum concedat; ac neuter alterius hostibus annonam, aut quidquam subsidii suppeditet, aut aliunde adportato transitum concedat. Commerciis pristinam, quæ ante bellum fuerit, libertatem fore. Ratihabitionem intra quatuor septimanas faciendam. Subscripserant Gosievius, & Somnitzius in castris ad Wierzbolovam, & sequestris nomine Franciscus Lisola. Additus erat secretus articulus, ne id pactum obligandi vim haberet, velut quod ex condicto alios ob fines ita in speciem sit adornatum. *19. Sept.* *22. Aug.*

Verum Bidgostiae conventum. 19. Sept. §. 77. Revera autem Welaviæ super summa rerum transactum fuit; ubi capita quædam ad Regem Joannem Casimirum rejiciebantur, quibus expediendis Elector Hoverbequium Warsaviam mittebat. Haut quippe placebat Electori super istis suo congressu cum Rege tractare, sed omnia prius transacta cupiebat, colloquio non nisi circa disponendas in futurum actiones bellicas impendendo. Humanitate inde certatum inter Regem, & Electorem super designando congressus loco, Rege in arbitrium hujus conferente, ubi, quando, & quo comitum numero conveniendum foret. Sed cum ista in placito Regis relinqueret Elector, demum Rex declarabat, se Brombergam, seu Bidgostiam, seu Brombergam, seu Bidgostiam accessurum, ibique Electorem è Borussia in Marchiam tendentem expectaturum, ubi & conventa utrinque jurejurando sint firmanda. Haut eo minus post transacta Welaviæ omnia Czarnecius cum colluvie Tartarorum & Walachorum, queis agrestes sese agglomeraverant, in Novam Marchiam irruptione facta magnam populationem fecerat, incensis septuaginta vicis, ac pecore, frumentoque avecto. *Oll.* Ad quem cum rectores provinciæ Wolfgangum Erasmum Bornstedium misissent, *Bornsted.* de isto facto questurum, Polonus excusabat; eam impressionem susceptam, antequam sibi de transactione inter Regem, & Electorem constaret. *Wurtz.* Sed & Electorales Paulo Wurtzio Svecico Duci cum Cracoviensi præsidio apud Landsbergam transitum concessisse. Incendia pleraque per incuriam facta, & quod provinciales profugi ignes non extinxissent. Se tamen ut ista sibi displicere testaretur, sex suorum militum in ignes conjici jussisse. Sed nunc cum pacem absolutam norit, ejus leges curate observaturum, ac in Pomeraniam Svecicam versurum, innoxio per Electoris provinciam itinere sumto. Ita autem pacta, quæ à loco ubi conclusa sunt Welaviensia, à loco ubi confirmatio accessit Bidgostiana nuncupantur, habent.

IN NOMINE PATRIS, FILII ET SPIRITUS SANCTI, UNICI VERIQUE DEI, Amen!

Pacta Welaviensia seu Bydgostiana. §. 78.

Notum sit omnibus, quod cum superioribus annis, eoque ipso tempore, quo Serenissimus & Potentissimus Princeps, ac Dominus, Dominus JOANNES CASIMIRUS, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Hereditarius Rex; Inclytumque Poloniæ Regnum, & Magnus Lithuaniæ Ducatus, Moscovitico bello, Cosacicisque im-

1657. implicarentur turbis; Sveci infestis pariter armis eandem peterent Poloniam, tandemque in Prussiam Regiam & Ducalem irrumperent, ita, ut Ipse Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICUS WILHELMUS, Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius & Princeps Elector, Magdeburgi, Prussiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumque, nec non in Silesia Crosnæ & Carnoviæ Dux, Burggravius Norinbergensis, Princeps Halberstadii & Mindæ, Comes Marcæ & Ravensbergi, Dominus in Ravenstein; Ejusque Ditiones ac subditi, infestis Svecorum armis ac hostilitatibus, convocatis undequaque contra Ipsum Svecicis copiis, ita peteretur & urgeretur, ut cum ipsis ad pacta quædam, premente necessitate fuerit adactus, indeque hostilia quædam inter Serenissimum Poloniæ Regem & Serenissimum Electorem Brandenburgicum insecuta patrataque fuerint; Tandem per singularem DEI gratiam clementiamque interveniente & mutuam Concordiam, Serenissimo ac Potentissimo Principe ac Domino, Domino LEOPOLDO, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Rege, Archi-Duce Austriæ, Duce Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæque, per Ipsius Consiliarium Cameræ Aulicæ, & ad hosce Tractatus Ablegatum, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Franciscum de Lisola, Dominum de Tysen, & Marienfeldt, conciliante tam Sacræ Regiæ Maj.tis quam S.æ Seren.tis Electoralis Plenipotentiarii: Ex parte quidem Suæ R.æ M.tis quam Suæ Seren.tis Electoralis Plenipotentiarii: Ex parte quidem S.æ R.æ M.tis Poloniæ, Reverendissimus Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Wenceslaus Comes in Lesno, Lesczynski, Episcopus Warmiensis, & Dominus Vincentius Corvinus Gosicroski, Supremus Thesaurarius & Campi Mareschallus, Magni Ducatus Lithuaniæ, Vinelisensis, Punensis, Marcoviensis, Gubernator, Oeconomiarum Olitensis & Graudentensis, Administrator. Ex parte vero Serenitatis Suæ Electoralis, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Otto, Liber Baro à Schwerin, Dominus in Landsberg, Olderwigshagen & Drewitz, hæreditarius Electoratus Brandenburgensis Camerarius, Serenissimi Electoris Brandenburgensis Consiliarius Status intimus, & negotiorum Feudalium Director, nec non Serenissimæ Electricis, Supremus Aulæ Præfectus, & Capitaneus in Oranienburg. Et Dominus Laurentius Christophorus à Somnitz, hæreditarius Camerarius in Ducatu Pomeraniæ, ejusdem Serenissimi Electoris Consiliarius Status intimus, Cancellarius in Pomerania Ducali & Capitaneus Neo-Stetinensis; Necessariis ad hoc instructi mandatis, perpetuam Pacem, Concordiam atque amicitiam inter prædictum Serenissimum ac Potentissimum Regem, Magnumque Lithuaniæ Ducem, ejusque successores & Regnum Poloniæ, Magnumque Lithuaniæ Ducatum: Tum Serenissimum Electorem Brandenburgicum in Prussia Ducem, ejusque successores, his, quæ sequuntur conditionibus, pacti sint, instaurarint atque concluserint.

1. Prædicta Pax quemadmodum in perpetuum fida & sincera erit; Ita hoc ipso momento, omnis inter utramque partem, utriusque partis copias, milites, subditosque hostilitas cessabit; Neutra pars in alterius damnum quicquam tentabit, aut tentari patietur, sed altera alterius gloriam, utilitatem & securitatem, modis omnibus promovere studebit. Quicquid vero durantibus hisce bellis, uni vel alteri parti, tam in Regno Poloniæ, quam in Prussia Ducali, aut singulis illorum incolis, ab unâ vel alterâ parte damnorum, injuriarum, molestiarumve, sive per vim atque expeditiones militares, sive per exactiones, ablationes, aut alios modos illatum fuerit, illud omne utpotè perpetuâ oblivione sepultum, nunquam exsuscitabitur, nec eo nomine, tam Sacra Regia Maj.tas Regnumque Poloniæ, aut Provinciæ aliqua, eidem unita, aut subditorum quisquam, cujuscunque gradus dignitatis aut conditionis fuerint, quam Serenitas Sua Electoralis, Ejusque subditi, milites ac Ministri, poterunt se invicem, aut singulorum hæredes, vel Terras, Ditiones, Belli-Duces, Milites, Subditos convenire, compellare, aut quidquam ab iis petere aut postulare, multo minus vi extorquere, sed ista omnia utrinque abolita erunt, ac deinceps alter alterius commodum promovebit, damna autem mutuò avertet; salvis nominibus & debitis civilibus, inter Regni, Magni Ducatus Lithuaniæ, & hujus Ducatus incolas, ante vel durante hoc bello contractis, quibus solvendis unusquisque teneatur. Neque iis, qui præsidia Electoralia, per hoc bellum habuerunt, aut quovis modo cum Serenissimo Electore, aut ejus Officiariis, in Regno Poloniæ contraxerunt, hoc omne illis respectu amicitiæ & intercessionis Suæ Serenitatis Electoralis, à Suâ Regiâ Maj.te ipsis indulgebitur, & nullâ in re ipsis contra pristina jura, reliquasque libertates omnes, qualescunque sint, absque ullâ exceptione aut reservatione, quibus antea fruebatur, præjudicio erit. 1657.

2. Qui hujus belli causa, à Polonis & Electoralibus capti fuerunt, sine lytro, & relicta ipsis suppellectile, quæ exstabit, pristinæ libertati reddantur, si qui vero alterius partis signa secuti fuerint, atque militiæ sese addixerint, isti relinquantur parti, nec reposcentur. Bona immobilia & literaria documenta, quæ ab utraque parte ratione hujus dissensionis arrestata, vel Fisco addicta fuerunt, legitimis eorum Dominis restituantur, non obstantibus quibusvis donationibus, à quocunque & quovis titulo factis.

3. Utraque pars, in modernis hisce bellorum tempestatibus, sedulo communi saluti & defensioni intenta erit, contra quoscunque illius perturbatores, pacique & mutuæ securitati stabiliendæ, pellendisque è Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lithuaniæ, & Ducatu Prussiæ hostibus, unitis consiliis, viribus ac conatibus incumbet, non obstante quovis alio nexu aut conventione, quæ huic æquissimæ intentioni & reciprocæ obligationi obstare posse viderentur, vigore autem hujus pacti pro rescissis habentur.

4. Serenissimus Elector, omnia, quæ per Universum Poloniæ Regnum, Magnumque Ducatum Lithuaniæ & Episcopatum Warmiensem, per hoc bellum, aut per Tractatus Svecicos, quocunque titulo occupavit, ac ipso facto possidet, statim, atque hæc conventio, à Suæ

1657. *Sua Regia Maj. te & Senatoribus, ac præcipuis Regni Aulæque Officialibus, eidem assidentibus, ratihabita fuerit, restituet plenarie & absque ulla reservatione; Evacuatio locorum fiet per Commissarios, utriusque partis communi consilio, juxta solitam belli rationem, absque injuria aut molestia ulla incolarum, & sine demolitione fortalitiorum novorum & antiquorum, nisi id ex communi partium consensu, quibusdam in locis expedire videatur, & sine ablatione rei tormentariæ ad Episcopatum spectantis.*

5. *Quorum intuitu, & aliorum præsertim infra specificatorum, & aliis justis de causis, Ducatum Prussiæ iis finibus circumscriptum, quibus Serenissimus Elector, illum olim Jure feudali, ante hoc bellum exortum, possidebat, ipse deinceps & descendentes ejusdem masculi, ex toro ejus legitime procreati, indeque descendentes omnes, donec quispiam superit, ex descendentibus masculis S. æ Ser. tis El. ralis Jure supremi Dominii, cum summa atque absoluta potestate, sibi habebunt, possidebunt, regentque absque omnibus ante hac præstitis oneribus.*

6. *Quanquam vero Serenissimus Elector, Ejusque descendentes omnes masculi, omni prorsus Vasallagii nexu, quo hactenus Regi & Reipublicæ Poloniæ obstricti fuerunt, iisque omnibus, quæ inde dependent, liberentur, non tamen perpetua feudi alienatio inde sequetur, sed deficientibus masculis ex præmemorata linea legitima Electorali descendentibus, Seren. mis Regibus & Reipub. Poloniæ, jus suum integrum, in præfatum Ducatum reservatur, & tali pacto præfatus Ducatus à Republica Polonia non avelletur; Quæ tamen reservatio interim ante casum existentem, Juri supremi Dominii Serenitatis Suæ El. ralis, ejusque descendentium, nullo modo præjudicabit.*

Promittit etiam Sua R. a M. tas tam pro se quam pro successoribus suis, se in casu non existentium descendentium, specialem habituros rationem Agnatorum Ser. tis S. æ El. ralis nimirum Domus Culmbacensis & Onolsbacensis, & officia collaturos apud Regni Comitia, ut casu Caducitatis existente, etiam illi aliis præferantur, & ad successionem præfati Ducatus admittantur, sub iisdem feudi conditionibus & obligationibus, quibus ante hac Seren. mus Elector, ejusque Antecessores, illumque Vigore investituræ possederunt.

7. *Sua Reg. a Maj. tas atque Respub. Poloniæ, hoc ipso exsolvunt Status, officiales, omnesque Prussiæ Ducalis subditos, priori Juramento, quo hactenus obstricti fuerunt; Cujus loco Seren. mus Elector, juramento se, ac subditos omnes Prussiæ obstringet, ad observantiam horum pactorum, & Fœderis Perpetui, in Termino extradendæ ratificationis, & præterea universi Prussiæ Ordines, Magistratus, Officiales, Arcium, Portuum, Fortalitiorum Civitatum Præfecti, jurabunt, se, casu caducitatis existente, Seren. mum Regem ac Rempub. Poloniæ, pro solis & immediatis Dominis agnituros, eisque omnem obedientiam, fidemque debitam, præstituros, idque in singulis Ducum Prussiæ homagiis, coram deputatis Seren. mi Regis ac Reipub. Polonicæ, repetent, juxta formulam juramenti specialem, quæ hic sequitur, de die vero ad præfatum juramentum decernenda, cum Sua Regia Maj. te vel ejusdem Legatis conveniet.* 1657.

Ego N. N. juro, quod casu caducitatis existente, quo possessio plenumque Dominium Ducatus Prussiæ, ad S. am Reg. am Maj. tem Poloniæ & Rempub. pertinebit, juxta tenorem Tractatus, inter S. am Reg. iam Maj. tem & Ser. tem S. am El. ralem, die decimo nono, mensis Sept. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo initi, Serenissimum Poloniæ Regem, ejusque successores & Rempublicam, pro solis & legitimis ac immediatis Dominis meis, agnoscam, eisque debitam fidem & obedientiam præstabo, sic me Deus adjuvet, per Jesum Christum, Amen.

Deficientibus masculis descendentibus, ex linea El. rali præsenti, superstitibus fœminini sexus Marchionissis descendentibus, aut his non exstantibus, propinquo gradu agnationis S. am Ser. tem El. ralem ejusque posteros attingentibus, quisquis in Prussiæ Ducatu tum temporis succedet, summam persolvet, de qua inter S. am Reg. Maj. tem & Ser. tem S. am El. ralem conveniet, in ipsa Ratificatione, quæque ibidem exprimetur. Donec autem exsoluta fuerit, occupare ac possidere dictis Marchionissis, aut supra dictis proximis hæredibus, licebit Præfecturam Insterburgensem, cum omnibus eo spectantibus prædiis & Præfecturis Cameræ, quas vocant vulgo Cammer-Æmbter, dictis, iisque omnibus omni meliori modo uti frui debebunt. Hac tamen lege, ut quicquid ex fructibus dictæ Præfecturæ percipient, illud in defalcationem & extenuationem præfatæ summæ Capitalis imputetur; Qua persoluta, tenebuntur illam Præfecturam cedere legitimis Prussiæ possessoribus, nec ultra quid in illam prætendere. 8.

Serenissimus Elector, ejusque descendentes masculi, Barones, Nobiles, Civitates & Magistratus, ac subditos omnes Prussiæ, cujuscunque gradus ac conditionis sint, in avitis, receptisque Privilegiis Statutis, Juribus ac Libertatibus, huic conventioni non derogantibus, conservabunt ac manutenebunt, nec quicquam in contrarium attentabunt, aut innovabunt, vel à quovis attentari aut innovari patientur. Ipsis quoque justitiam, juxta Jus Prussiæ usitatum & receptum, cæteraque statuta & consuetudines administrari curabunt; Si quis in inferioribus instantiis gravatum se prætenderit, ad supremum Tribunal Appellationum à Serenitate Sua Electorali in Prussia Ducali erigendum, provocare poterit, ibidemque decenti modo jus suum persequi. Ulterior provocatio sive Ordinaria sive extraordinaria, aut quocunque nomine veniat, nullum inveniat locum. Præses autem & Assessores istius Appellationis Judicii, à Serenitate Sua Electorali, ejusdemque descendentibus Masculis constituentur ex Prussiæ Ducalis indigenis & terrigenis, iisque illi juramentum præstabunt, nec subditi querelas suas, ad Regem Regnumque Poloniæ ullo modo deferre poterunt, aut ab eis admitti. Similiter Sua Regia Maj. tas & Respubl. Poloniæ promittunt, casu devolutionis existente, se præmemoratas Statuum Prussiæ libertates, Privilegia, Statuta, Consvetudines, juraque recepta, integra atque salva, dictis Statibus deinceps semper conservaturas, illosque in quieta & tranquilla possessione eorum omnium manutenturas, nihilque in iis omnibus innovaturas. 9.

Loco

57. 10. *Loco Vasallagii pristini, Serenissimus Elector, ejusque Descendentes, perpetuo, ac inviolabili fœdere, Serenissimo Regi ac Regno Poloniæ conjungentur, per quod utriusque partis stabiliatur in perpetuum securitas, in eum qui sequitur modum.*

11. *Serenissimus Elector, ejusque Descendentes, fidem cum Serenissimis Regibus, Regnoque Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ colent amicitiam & unionem, nunquam cum Serenissimorum Regum vel Regni hostibus, aliquod fœdus, directe vel indirecte inibunt, in præjudicium Regis & Reipublicæ, transitum hostibus, per ditiones suas, portus & propugnacula, annonam quoque & commeatum ac qualecunque subsidii genus, ipsis denegabunt, nec portus suos vel munitiones ipsis quocunque modo vel titulo, in possessionem tradent.*

12. *Subsidia, quæ in hoc præsenti bello, Serenitas Sua Electoralis, Serenissimo Regi ac Reipublicæ Poloniæ conferre tenebitur, illa in particulari tractatu, hac de re inito, specifice designata sunt ac limitata, quæ conventio vigore præsentis pacti per omnia servanda erit; Quoties autem finito hoc bello, novum aliquod aliud bellum contra Serenissimum Regem ac Rempublicam Poloniæ orietur, Sua Serenitas Electoralis ejusque Descendentes tenebuntur mille quingentos pedites, & quingentos equites, Serenissimo Regi ac Regno Poloniæ subministrare, quibus postquam ex Ducatu, Prussiæ Ducalis, educti fuerint, Rex Regnumque Poloniæ, sustentationem subministrabunt.*

1 *Vicissim vero Serenissimus Rex, ejusque Successores & Regnum Poloniæ, ac Magnus Ducatus Lithuaniæ, reciprocam cum Serenitate Sua Electorali ejusque successoribus, servabunt amicitiam, nullum hostibus ipsius aditum in S. æ Ser. tis Electoralis terras concedere, sed potius defensioni, conservationi ac securitati Ducatus Prussiæ, omnibus modis consulere debebunt; præsertim si hujus conventionis vel subsidii missi causa, (de quo supra) Serenissimo Electori, ejusque successoribus, quisquam & quicunque fuerit, sive in præsenti, sive deinceps, bellum indicere, aut Ducatui Prussiæ inferre voluerit, Serenissimus Rex & Regnum Poloniæ, adæquato ipsi subsidio, subvenire tenebuntur.*

Copiis Regiis per Prussiam Ducalem quando opus fuerit, iter patebit, sine maleficio tamen, noxa aut damno ullo incolarum, ordinabit quoque Serenissimus Elector, Ejusque Descendentes, itinerum rationes, & quicquid inde dependet; Idque ut eo rectius fieri possit, mature adventus exercitus Polonici aut turmarum, Serenissimo Electori aut Posteris ejus, vel in absentia eorum, iis quibus gubernatio Ducatus commissa erit, à Sua Regia Majestate, vel à Regni Generalibus, vulgo Feldherren, indicandus erit; Ordinationi autem prædictæ, exercitus Polonicus, ejusque Duces, parere necesse habebunt. Pariter liberum erit Suæ Ser. ti Electorali, ejusque Posteris, Prussiæ Ducibus, eadem ratione & cautelis supra memoratis, per Poloniam ac Prussiam Regalem, copias militares ducere.

Navibus utriusque partis propriis, sit liber cum omnimodâ securitate præstandâ, aditus atque transitus per portus, qui sunt in alterutrius partis dominio, absque præjudicio commerciorum & fortalitiorum, & cum omnimoda eorundem securitate, de qua inter partes deinceps conveniet. Libera quoque erit utrique parti, in alterius ditionibus, annonæ, Commeatus, ac omnis subsidii bellici coëmptio; Utraque pars, in alterius partis Terris, militem conducere poterit, Illam tamen eo nomine amicè prius compellabit, atque desuper inter utramque partem, de modo, conveniet, prout fœderis atque amicitiæ ac temporum ratio expostulabit, & hoc semper observabitur, ne ullum partibus incommodum, aut subditis damnum afferatur.

Exercitium Religionis Catholicæ Romanæ, prout ante hoc bellum Svecicum, juxta antiqua & recentia pacta, in Prussia Ducali viguit, aut vigere debuit, conservabitur aut restituetur. Libera erit eam profiteri volentibus, nec ullus unquam ex Ducalibus subditis, jam eam profitentibus, aut inposterum professuris, eam ob rem interpellabitur; Sacella itidem & Oratoria, ac bona omnia Ecclesiastica ipsis appertinentia ubivis tam in confinibus, quam alibi integra, tuta & concessa illis erunt, in iisdemque liberum ex doctrina, institutisque Catholicis Romanis exercitium habebunt; Nemo eo nomine turbabitur, premeturve, nemo Religionis Catholicæ causa, ullam vim, injuriam, contumeliam, molestiamve perferet, & quicunque eos aliqua injuria affecerit, severe punietur. Ad munera & honores, iis qui ex Catholicis idonei fuerint, liber aditus erit, Quicunque etiam in Ducatu, Catholici Barones, Nobiles, Civitates, jura Patronatus legitimis acquisiverit modis, in locis ubi Jura illa ipsis competunt, iisdem uti ac frui absque impedimento atque contradictione poterunt. Si vero alii Compatroni non Romanæ Religioni addicti fuerint, inibi atque lis de dicto jure atque ejus exercitio oriatur, à Commissariis, à Serenitate Sua Electorali, ex utraque Religione, pari numero constituendis, componetur vel decidetur, juxta præscriptum Juris Canonici. Templum quoque Regiomontanum, cum suo cœmeterio, & locis ad id pertinentibus ac fundatione, aliisque Juribus receptis, in eo statu, quo ante hoc bellum fuerunt, aut esse debuerunt, conservabitur. Personæ Ecclesiasticæ iis immunitatibus & foro inposterum gaudebunt, quibus hactenus gavisæ sunt, aut gaudere debuerunt, juxta pacta priora. Jurisdictio spiritualis Reverendissimi & Excellentissimi Domini Episcopi Warmiensis, juxta pacta, intacta & integra conservabitur, in Parochum & omnes alias Ecclesiasticas personas, Catholicæ Religioni addictas. Omnibus denique Juribus, prærogativis ac libertatibus fruentur, quæ tam in antiquis, quam recentibus Pactis & fundationibus contenta sunt, quæ hic in hac solum materia, denuo confirmantur, ac pro specifice expressis & declaratis habentur. Calendarium hactenus usitatum & receptum pariter retinebitur. Similiter Serenissimus Rex Poloniæ & Respublica, pro se & Successoribus suis promittunt, quod in casu devolutionis, nihil in præjudicium tam Augustano-Lutheranæ, quam Augustano-Reformatæ Religionis innovabunt aut attentabunt. 16.

Commercia inter Regni Poloniæ, Magni Ducatus Lithuaniæ & Ducatus Prussiæ incolas, libera erunt ac secura; Circa controversias vero 17.

1657. quaecunque ratione commercii, & omnium inde dependentium vel eo spectantium, aut quae ad illud quocunque modo referri possunt, commissio instituetur ad instantiam partis poscentis, & omnia per Commissarios ex utraque parte ad instantiam sive suae Regiae Maj. tis sive S. ae Ser. tis Electoralis, pari numero, intra spatium duorum mensium nominandos, amicabiliter componentur, in Dominiis vero utriusque partis, nulla nova teloniorum onera, tam terrestria quam maritima, quae ante hoc bellum non fuerunt, in gravamen cujuslibet partium imponentur; quod si aliqua, è re communi de novo imponenda aut augenda videbuntur, id partium consensu fiet.

18. Si super limitibus inter utramque partem, aut subditos utriusque partis, ratione videlicet limitum, aut etiam inter S. am Reg. am Maj. tem ac Successores Reges, Regnumque Poloniae ac Magnum Ducatum Lithuaniae, & Serenitatem Suam Electoralem, ejusque Successores, circa observationem & executionem faederis, ac praesentis conventionis, aliave quavis de causa, aliqua dubitatio aut controversia exoriatur, per Commissarios ad instantiam tam S. ae R. ae Maj. tis quam S. ae Ser. tis Electoralis, intra bimestre spatium, ab utraque parte aequali numero nominandos, quique si opus est, in rem praesentem venient, amice componatur ac definiatur.

19. De pretio, valore, ac aestimatione monetae, liberoque ejusdem cursu, per utriusque ditiones, quoties opus fuerit, amicabiliter conveniendum erit.

20. Ad intercessionem Serenissimi & Potentissimi Hungariae & Bohemiae Regis, per praememoratum Dominum Ablegatum suum, interpositam, nec non Serenissimo Electore Brandenburgico, pro plenaria restitutione & omnimoda securitate Cognati Principis, majorem in modum instante, Serenissimi Regis Poloniae Plenipotentiarii, perspectam & exploratam habentes S. ae R. ae M. tis cum erga caeteros omnes, ad obsequium redeuntes, tum specialiter erga Illustrissimum Principem, Dominum Bogislaum Radzivil, Ducem Birzarum, Dubincorum, Sluciae & Kopyliae, Sacri Romani Imperii Principem, non uno documento literario testatam benignitatem, annuerunt & consenserunt ut praefatus Princeps, tanquam is, qui de facto cum debita submissione ad pristinam obedientiam, fidem & obsequium, una cum suis omnibus jam redierit, & omni cum hostibus commercio renunciaverit, atque inposterum Serenissimo Regi ac Reipublicae, obsequium suum fidele voverit, non modo generalis Amnistiae beneficio frui & gaudere possit; Sed etiam speciali praesentis transactionis vigore, in Ducatuum suorum patrimonia, & omnia bona ac Jura ipsi legitime competentia, in forma plenissima, una cum suis restitutus ac restituendus intelligatur, neque ratione injuriarum, damnorum, ac hostilitatum, quae in hoc bello vel per ipsum, vel per ejus milites aut Ministros acciderunt, per viam juris aut facti, quisquam negotium aut molestiam, ipsi aut partes ipsius sequentibus facessere possit, sed omnia fideli Amnistia & praeteritorum oblivione, hujus quoque pacificationis vigore, sepulta censeantur; Salvis nominibus & debitis Civilibus, quae nihilominus persolvenda erunt. 1657

Foedus hoc, & omnia in hoc Instrumento contenta, sancte servatum iri, utraque pars Juramento promittet, & in praesenti quidem Serenissimus Rex Poloniae ac Senatores eidem assidentes, hanc conventionem solenniter ratihabebunt ac Juramento firmabunt, promittentque in proximis Comitiis, aut proximo conventu, Comitiorum potestatem habente, omnia quae his conclusa sunt, rati habitum iri. Similiter Serenitas Sua Electoralis, illam pari modo ratificabit ac juramento firmabit; Atque hoc foedus perpetuum quotiescunque novus Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Prussiae in Ducatu successerit, ab utraque parte renovabitur, confirmabiturque Juramento desuper praestito, per Deputatos in animam Principalium jurantes. Et si pars alterutra huic conventioni & faederi contravenerit, & decenter admonita, satisfacere neglexerit, pars laesa monere tenebitur mediatores, ac Serenissimos Reges & Status, in Articulo sequenti nominatos, & eorum curam adhibere procurandae satisfactioni, & huic stabiliendae concordiae rationi, utraque pars sedulo insistet, ut omnia amicabiliter, aequis modis componantur. 21.

Pro securitate & horum pactorum firmitudine fidem suam quoque ut interponant, Serenissimi & Potentissimi Reges, Hungariae & Bohemiae: Item Daniae, Norvegiaeque; Denique praepotentes Foederati Belgii ordines rogabuntur, ut injuriam aut vim contra hanc conventionem passo, omni meliori modo consulant, utque debita ipsi satisfactio procuretur. 22.

Confecta autem sunt à supra nominatis Dominis plenipotentiariis, hujus pacificationis & faederis, duo ejusdem tenoris exemplaria, à S. a R. a M. te Poloniae & Senatoribus eidem assidentibus; Atque à Sua Serenitate El. rali Brandenburgensi, intra sex septimanas, ab infra scripto die, ratificanda & juramento firmanda, atque utrinque permutanda; quorum unum S. ae R. ae Maj. tis Dominis Plenipotentiariis exhibitum: Alterum vero S. ae Ser. tis El. ralis Dominis Plenipotentiariis traditum; utrumque autem in majorem fidem, majusque robur, à saepe dictis Dominis Plenipotentiariis utriusque partis, propriarum manuum subscriptione, sigillorumque appositione munitum & roboratum est. Acta haec sunt Welaviae Prussorum, die decimo nono, mensis Septembris, Anno salutis humanae millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo.

Venceslaus de Lesno, Ep. pus Varmien. S. R. M. Poloniae & Sveciae Plenipotentiarius.	*Vincentius Corvinus Gosievvski, supremus Thesaurarius & Campiductor M. D. L. S. R. M. tis Poloniae & Sveciae Plenipotentiarius.*	*F. de Lisola Ser. mi Hungariae & Bohemiae Regis ad tractatum istum pacis ablegatus, pro Mediatione.*	*Otto liber Baro à Schvverin, Plenipotentiarius Electoralis.*	*Laurentius Christophorus Somnitz, Plenipotentiarius Electoralis.*

§. 79.

1657. §. 79. Ibidem quoque inter eosdem, eodemque die super Svecis Borussia pellendis conventum.

Quandoquidem Deo clementer annuente Serenissimus Elector Brandenburgensis ad sinceram pacem, & amicitiam cum Serenissimo Rege ac Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lithuaniæ, à quibus violento bellorum ingruentium ac necessitatis inevitabilis impulsu invitus avulsus fuerat, feliciter redierit, ac perpetuo fœdere ita se Serenissimo Regno Poloniæ, & magno Ducatui Lithuaniæ conjunxerit, ut mutuam utilitatem, commodum, ac securitatem sincere procurare ac promovere teneantur. Ad quem scopum nihil expeditius visum fuit, quam si communi ope, viribus, ac consilio arma & studia conjungerentur ad expurgandam quibusvis hostibus Poloniam, & totam Prussiam Regiam ac Ducalem periculo liberandam, ac removenda omnia obstacula, quæ communem utriusque partis tranquillitatem impediunt, ad optatam pacem eo citius, ac efficacius consequendam. Circa quod specialis conventio inter partes per eosdem, Reverendissimum, Illustrissimos, & Excell. Dominos utriusque partis Plenipotentiarios, in pacis instrumento nominatos, stabilita fuit in eum qui sequitur modum.

Serenissimus Rex & Regnum Poloniæ, & magnus Ducatus Lithuaniæ, durante hoc bello, requisito armorum ac militum præsidio Ser. El. Brandenburgensi, ejusque Statibus ac provinciis tam in Imperio, quam hic in Prussia, contra præmemoratos hostes, vel quoscunque eorum confœderatos adhærentes, quoties necessitas exiget, succurrent. Quibus Serenissimus Elector, quoties pro sua defensione in propriis ipsius provinciis militabunt, victum, & subsistentiam prout proprio militi suo suppeditabit.

Similiter Serenissimus El. Brandenburgensis pro communi partium utilitate, toto hoc bello durante instructum cum omnibus pertinentiis & re tormentaria habebit exercitum sex millium militum, partim equitum, partim peditum, quibuscum vel ipse contra supra descriptum hostem aget, aut cum Polonis conjunget, juxta rerum exigentiam, habito desuper communi consilio, quibus etiam si plures fuerint, similiter Serenissimus Rex & Resp. Poloniæ victum & subsistentiam, quamdiu pro ipsis & in ipsorum territoriis sunt militaturi, subministrare debebunt; nec Serenitas Sua Electoralis pendente hoc bello quidquam intra præfatum militum numerum subministrare tenebitur, nisi sponte volet.

Si Sveci aut eorum asseclæ hujus conjunctionis odio, vel alio quovis colore intra decennium post hoc bellum finitum Sereniss. Electorem non solum in Ducatu Prussiæ, sed & in Imperio armis suis infestare tentaverint, Sereniss. Rex Poloniæ & Resp. tenebuntur ipsi subvenire: Et vicissim eodem casu Serenitas Sua Elect. per totum illud decennium post confectam pacem tenebitur subsidium Ser. Regi ac Reip. ad ipsorum defensionem iisdem ut supra conditionibus suppeditare. De quibus auxiliis sibi mutuo ferendis specialis declaratio fiet inter Reg. Suam Majestatem, & Serenitatem S. Elect. in ipsa ratihabitione. Liberum quoque erit Serenissimo Electori amplecti fœdus inter Ser. Domum Austriacam, & Ser. Regem ac Remp. Poloniæ initum, ac securitatibus omnibus in illo comprehensis frui.

Quando utriusque partis copiæ conjunctæ fuerint, expeditiones militares omnes communi consilio & utriusque partis Generalium consensu suscipientur. Si in terris ad Serenitatem Suam Elect. spectantibus, aut aliis in locis Suæ Seren. Elect. causa tantum bellum geratur, belli directio ad Seren. Suam Elect. spectabit. Serenitate vero Sua Elect. absente omnia fient communi consilio, & si opus fuerit de directione inter Principales conveniet habito respectu & discrimine Generalium. Similiter etiam, quando copiæ Elect. pro Serenissimo Rege & Rep. Poloniæ certabunt, idem juris statuetur. De cætero salva erit utriusque partis Generalium in milites suos jurisdictio, & æqualis semper inter milites utriusque partis laborum, secundum numerum eorundem proportionata distributio. In quocunque autem territorio copiæ tam Regiæ quam Electorales fuerint, ii, quibus annonæ commeatusque cura commissa fuerit, ex æquo utriusque partis militibus secundum eorum numerum de sustentatione prospicient. 1657.

Neutra pars poterit sine alterius scitu, consensu ac præsentia Deputatorum pacem, armistitiumve cum hostibus pacisci, nec arma deponere, antequam utique parti de securitate omnimoda prospiciatur, ad plenariam partium satisfactionem. Serenissimus Elect. Brandenburgensis in pace, cum Serenissimo Magno Moscoviæ Zaar includetur, cum omnimoda sua securitate & observatione fœderis perpetui, & conventionis cum Serenissimo Rege ac Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ initæ.

Cæterum cum intuitu damnorum periculorumque, quæ pendente bello Suæ Seren. Electorali subeunda erunt, aliisque de causis æquum visum fuerit Suæ Reg. Majestati & Reipublicæ, ut propensionem suam, & Regni erga Serenitatem S. Elect. ejusque inclytam Domum re ipsa demonstrarent, & illorum omnium dignam haberent rationem, aliquam ipsi congruam satisfactionem concedere. Et præterea Sua Seren. Elect. certam pecuniæ summam vel contributiones ad belli sumtus, & necessarios militum delectus prætenderit, Reverendissimus, Illustrissimi & Excell. Dnn. Plenipotentiarii Suæ Serenitatis Elect. desiderio plene satisfacere summe optaverint, atque nonnulla, quæ circa hoc punctum in mandatis habuerint, declararint. Tamen cum ad complanandum hoc negotium penitus atque sufficienter instructi non fuerint, res ista ad ulteriorem Suæ R. Majestatis declarationem aut conventionem, in ipsa ratihabitione faciendam remissa est, ita ut nihilominus pax interea concludatur. Interea vero Serenitas Sua Elect. declarat ac protestatur, se ante præfatam declarationem & ratihabitionem nullatenus velle obligari ad executionem eorum, quæ in articulo quarto conventionis principalis de evacuatione locorum conventa sunt. Quæ omnia sancte & inviolabiliter observatum iri pars utraque sub fide sua ac juramento promittet, prout ex nunc Reverendissimus, Illustrissimi, & Excell. Dnn. Plenipotentiarii nomine Serenissimorum suorum Principalium de facto promittunt, seque intra sex septimanas Serenissimi Regis ac Senatorum eidem assidentium, uti & Suæ Ser. Electoralis ratihabitionem, nec non etiam in proximis Regni Comitiis, eorum omnium, quæ hic acta & conclusa sunt, plenam confirmationem procuraturos.

1657. §. 80. Ratihabitioni post Brombergæ factæ isthæc à Rege Joanne Casimiro adjiciebantur. 1657.

Conventio super Lauenburgo & Bytovia, ac civitate Elbingensi.

Et quoniam nonnulla ad nos in negotio conjunctionis armorum, & aliis remissa sunt, atque super iis sequenti ratione inter nos & Serenissimum Principem Electorem supra nominatum conventum est modo infra scripto, ea secundum conventionem initam addimus, illaque eandem vim atque vigorem cum superioribus articulis ex Senatusconsulto habere volumus, atque hisce tribuimus, pollicemurque eadem fide jurata in proximis comitiis omnia, quæ superioribus articulis continentur, & quæ hic sequuntur, omnium Ordinum consensu confirmatum & ratihabitum iri. Igitur probe perpendentes tum pericula, quæ Suæ Serenitati Elect. terrisque ipsius per ipsam separationem à partibus Suecicis imminent, tum quanti intersit nostra atque Reip. vicinum nobis Principem justis devincire modis, tum inprimis quanta, quamque utilia nobis, Regnoque Poloniæ per effectivam & actualem armorum nobiscum conjunctionem præstare Sua Serenitas Elect. deinceps possit officia tam belli quam pacis tempore. Ad demonstrandam præterea singularem propensionem nostram Regnique nostri erga Suam Seren. Electoralem, ejusque Domum inclytam, Suæ Serenitati Electorali ejusdemque posteris masculis ex legitimo toro ejusdem descendentibus pariter ex SCto & consensu Dnn. Consiliariorum tam spiritualium, quam secularium Regni nostri, duas præfecturas Leoburgensem, & Bytoviensem cum omnibus & singulis eorum subditis, vasallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, censibus, proventibus, juribus, & pertinentiis universis tenendas, habendas, fruendas, utendas, & possidendas in perpetuum jure feudi, pro nobis & successoribus nostris Regibus Poloniæ, dedimus, concessimus, ac illum de eis ipsis Arcibus & Oppidis Bytovv, & Lavvenburg investivimus, & tenore præsentium damus, concedimus & investimus; Officiarios nostros & incolas quoscunque ibidem juramentis & subjectionibus, quibus hactenus nobis & Reip. obstricti fuerunt, hoc ipso exsolventes. Præterea de ampliori gratia ac benevolentia nostra Serenitatem ejus, ac illius hæredes ab omni juramento, nec non tributis & exactionibus quibuscunque Nobis & posteris nostris ratione dictarum arcium & oppidorum præstandis dimittimus, & liberos facimus, prout olim à Ducibus Pomeraniæ eædem præfecturæ Bytovv, & Lavvenburg tenebantur. Pollicemur præterea pro nobis & successoribus nostris dictum Sereniss. Principem ac ejus hæredes in prædictis arcibus, & earum pertinentiis, quantum in nobis est, defendere ac tueri. Tenebitur autem & obligatus esse debebit præfatus Sereniss. Elector, ejusque successores, ad singulos successorum nostrorum Regum Poloniæ coronationes, Consiliarios aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum jus feudale de præfatis arcibus, & oppidis ad Regnum nostrum pertinens recognoscent, & literas ejus recognitionis & renovationis feudi, quæ gratis illis debent dari, à novis Regibus accipient. Quod si aliqua legitima causa impediti hoc officium & debitum in coronationibus successorum nostrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio brevi tempore post coronationem id præstare curaverint. Ubi vero ipse Sereniss. Princeps Dn. Fridericus Wilhelmus, Marchio & Elector Brandenburgicus &c. in Prussia Dux, sine legitimis masculis feudi hæredibus, vel eorum legitimi masculi, feudi hæredes non relicta prole virili decederent, stirpsque & progenies eorum mascula & legitima deficeret, ex tunc prædictæ arces & oppida Bytovv & Lavvenburg cum omnibus suis bonis, subditis, vasallis, fructibus, libertatibus, juribus, eminentiis, & pertinentiis universis, ac cum pleno jure & possessione citra omnem difficultatem ad nos, & posteros nostros Reges Poloniæ redibunt. Et siquidem ad præsens præfecturæ istæ à donatariis nostris possidentur, ideo usumfructum ante hanc cessionem ipsis debitum, atque quicquid juris in illis habuerunt unquam, alia ratione dignisque modis compensabimus, ita ut vacua omnino possessio, & plena fructuum perceptio Suam Serenitatem Elect. ex hoc ipso tempore manere, neque quisquam ipsi ratione satisfactionis suæ negotium facessere debeat. Religionis Catholicæ exercitium in præfatis præfecturis Leoburgensi & Bytoviensi, prout ad hanc usque diem fuit, liberum erit. Jurisdictio Episcopi Vladislaviensis in templa Catholica sacerdotesque integra maneat, proventus videlicet, decimæ, census, & si qui sunt alii Parochis & Ecclesiis suis extradentur, & renuentes ad extradandum à præfectis ejusdem Serenitatis cogentur. Causæ tam Nobilium, quam plebejorum matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinebunt. Nobilitas juribus, privilegiis, bonisque suis: eodem modo, ac sub immediato dominio nostro utebatur, utetur, frueturque sub Sua Serenitate Electorali. Decreta rerum judicatarum, prout sub immediato dominio nostro lata sunt, inviolata maneant. Gubernationis & Appellationum ratio eadem erit, quæ fuit sub Ducibus Pomeraniæ, salvis privilegiis. Jura patronatus regia reservantur Ejus Serenitati Elect. & Nobilibus, si quæ habent, juxta privilegia & usum eorundem, ita tamen, quod juxta declarationem circa hanc conventionem ab ejus Serenitate factam ad Ecclesias Catholicas parochiales præsentabit Ejus Serenitas Elect. sacerdotes Catholicos ad commendationem Episcoporum Vladislaviensium, ab iisdem Episcopis Vladislaviensibus instituendos, ita ne Ecclesia ultra duorum mensium spatium vacare possit.

Propter eandem armorum conjunctionem, & supra memoratas alias rationes Suæ Serenitati Elect. civitatem Elbingensem cum toto ejus districtu & territorio, pleno dominii jure sibi habendam possidendamque una cum reditibus, qui inde ad Reges Regnumque Poloniæ olim deferebantur, concedimus; promittimusque, quod quamprimum ex potestate Svecorum erepta, aut recuperata fuerit, nemini, quam Suæ Serenitati Elect. vacua illius possessio tradi debeat, citra ullas prætensiones vel dilationes, præsidio Suæ Serenitatis munienda, sine ullo sumtu Regis & Regni:

Quam quidem civitatem Elbingensem eodem modo possidebit, tenebitque, & fruetur Sua Serenitas, ejusque posteri, atque à nobis & Regno Poloniæ, ad hoc ultimum bellum Svecicum anno 1655. tenebatur & possidebatur etiam quoad commercia & jura aliarum civitatum nostrarum Pruthenicarum, nulla præterea telonea nova instituendo. Commissio quoties opus fuerit, instituetur ab utraque parte

1657. *parte pari numero Commissariorum, ut omnium interesse habentium, ac inprimis civitatum nostrarum Pruthenicarum habeatur ratio, ne illa in suis commerciis, omnibusque inde dependentibus præjudicium patiantur, utque gravamina, ac prætensiones, quas inter se habent & prætendunt, per Commissionem aboleantur, vocatis ad diem Commissionis Civitatum earundem Pruthenicarum deputatis.*

Religionis Catholicæ & Augustanæ exercitium, Elbingæ liberum sit, statusque ejusdem religionis Catholicæ idem erit, prout ante hoc bellum fuit. Jurisdictio Episcopi in Sacerdotes Catholicos prout ante integra maneat.

Jus patronatus ejusdem Ecclesiæ Elbingensis Catholicæ ad nos spectabit. Templum Catholicis ademtum restituetur, proventusque, & fundi omnes Ecclesiæ Catholicæ, quibus ante hoc bellum ultimum Suecicum utebatur, fruebaturque, reddentur. Catholicis præterea ad magistratus accessus patebit.

De summa juxta articulum VIII. fœderis perpetui exsolvenda conventum est, quod hæredibus in dicto articulo designatis & descriptis in casu ibidem expresso summa CLmillium thalerorum Imperialium solvi debeat.

Quæ omnia cum bene expensa, & ex SCto peracta atque conclusa sint, in eorum fidem & majus robur hoc Instrumentum manu nostra subscriptum, sigillo insuper Regni nostri muniri jussimus. Actum Bydgostiæ die VI. mensis Novembris Anno MDCLVII. Regnorum nostrorum Poloniæ nono, Sueciæ vero decimo anno.

Electoris cautio super redden. Elbing.

§. 81. Vicissim Elector Polono ejusmodi cautionem tradebat:

Fridericus Wilhelmus Dei gratia &c. Notum testatumque facimus hisce reversalibus nostris, quod quanquam Sua Regia Majestas Poloniæ & Sueciæ in ratificatione & declaratione pactorum inter Suam Regiam Majestatem & Remp. Poloniæ ac nos Welaviæ die XIX. Septembris anni præsentis initorum, & postea Bydgostiæ confirmatorum ac juratorum in satisfactionem nobis pleno jure dominii urbem Elbingensem concesserit. Nos tamen intuitu & ratione factæ nobis remissionis quingentorum equitum de subsidio duorum millium, vigore supradictorum pactorum fœderis perpetui Reip. Polonicæ alias præstandorum; tum respectu declarationis nomine Suæ R. Mtis & Reip. factæ, quod muri, atque fortificationes omnes dictæ urbis Elbingensis ante retraditionem per nostros præsidiarios destrui debeant, promisisse, & nos hæredesque nostros obstrinxisse, quemadmodum hisce promittimus, & obstringimus, quod dictam urbem cum territorio, solutis nobis à Sua Regia Majestate & Regno Poloniæ, ex propria pecunia publica quadringentis millibus thalerorum Imperialium à Sua Majestate oblatis iterum Suæ R. Mti, ejusdemque successoribus & regno in propium usum, pro se tantum eam redimentibus, cedere & retradere tenebimur, & posteri nostri tenebuntur. In cujus rei fidem hac manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro Electorali firmari jussimus. Datæ Bydgostiæ d. 6. Novembris Anno 1657. 1657.

§. 82. Denique & super præfectura Draheimensi hoc modo conventum: *Oppigneratio præfecturæ Draheimensis.*

Joannes Casimirus &c. significamus præsentibus literis nostris universis & singulis, præsentibus & futuris, præcipue iis, quorum interest, quod ad tractandum cum Serenissimo Principe Dno. Friderico Wilhelmo (t. t.) certos deputavimus Plenipotentiarios, illique cum Suæ Ser. El.is Plenipotentiariis congressi post constituta pacificationis, & perpetui fœderis inter nos, Regnumque Poloniæ, ac ejus Ser.em El.em pacta præterea in alios de conjunctione armorum articulos, (quos pactis perpetui fœderis adjunctos hic pro insertis haberi volumus.) convenerunt, ac denique non nullos ex iisdem ad nostrum mutuum congressum, & colloquium distulerunt. Inter alia quæ ad nos supradicti plenipotentiarii utrinque deputati rejecerunt & remiserunt, illud quoque articulo tertio de conjunctione armorum rejectum & remissum est, ut mutuo consensu determinaremus cum Ejus Ser. e El. i quantitatem & qualitatem copiarum, quibus intra decennium post hoc bellum finitum alter alteri subvenire teneatur. Itaque in hunc modum convenimus, videlicet quod nos seu successores nostri Reges & Regnum Poloniæ VIIIM militum, hoc est, VM equitum III vero M peditum Ejus Ser. i Electorali seu Ser. is ejus successoribus auxilii nomine submittere debebimus. Serenissimus vero Elector nobis successoribus nostris & Regno Poloniæ medietatem harum copiarum, hoc est, duo peditum, & duo equitum millia submittere debebunt. Quod vero attinet summam pecuniæ, quam à nobis & Regno Ejus Ser. as El. ad belli sumtus, & necessarios militum delectus poposcit, quoniam id quoque ad nos articulo sexto tractatu de conjunctione armorum rejectum & dilatum est, concessimus, & concedimus Ejus Ser. i Electorali ad sumtus belli & delectus militum, quos toto hoc bello sive tardius finiendo faciet summam CXXM. thalerorum semel pro semper intra tres annos à data præsentium exsolvendam; ita ut quolibet anno per hoc triennium XLM. thalerorum Imperialium nos & Resp. solvere teneamur. Majoris autem securitatis causa, & in eventum non solutionis summæ præfatæ CXXM. thalerorum cum consilio Dnn. Consiliariorum nostrorum tam spiritualium quam secularium, & ex SCto inscribimus & obligamus arcem & oppidum Drahim, vigoreque præsentium in eundem Capitaneatum Drahimensem intromittimus Ejus Ser.em. El.em cum omnibus ejusdem præfecturæ Drahimensis vasallis, subditis, fructibus, libertatibus, eminentiis, censibus, proventibus, & pertinentiis universis & singulis nihil excipiendo, vel nobis & Regno aut successoribus nostris reservando, pleno dominii jure cum omnibus utilitatibus inde venientibus tenenda, habenda, & possidenda eousque, quoad prædicta CXXM. thalerorum Imperialium summa Suæ Ser. i El. vel ejus posteris realiter pleneque exsoluta fuerit; & quidem tali ratione, ut post exitum triennii à data præsentium in casu non subsecutæ solutionis supra memoratæ Sua Ser. El. is vel ejusdem posteri prædictam præfecturam

1657. *fecturam Drabimensem cum omnibus ejusdem pertinentiis supra expressis propria autoritate, facta tamen prius solutionis requisitione, & denuntiatione, sine aditione alicujus officii in possessionem accipere, indeque omnes fructus percipere usque ad plenariam inscriptæ summæ solutionem jus potestatemque habeat. In quem casum nos & successores nostri tenebimur & tenebuntur possessorem; vel tenutarium sive Donatarium prædictæ præfecturæ alia condigna ratione compensare, Suam Ser.em El. & ejusdem hæredes circa hanc inscriptionem tueri, & contra quemcunque evincere. Et hanc quidem conventionem hisce literis comprehensam superioribus pactis & articulis generali ratificatione descriptis addimus, eandemque vim & vigorem cum illis ex SCto habere volumus. Quod si ob non persolutam præfatam summam intra decursum triennii Ejus Ser.as El. supra dictam præfecturam Drabimensem in possessionem suam acceperit, tunc religionem Catholicam Romanam in eo statu, quo nunc est, in eadem præfectura Drabimensi conservabit. Jus patronatus autem ad beneficia Ecclesiastica in eadem præfectura Drabimensi sita nobis & successoribus nostris Regibus Poloniæ reservamus. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo Regni communiri jussimus. Datæ Bydgostiæ die VI. Novembr. 1657. Joannes Casimirus Rex.*

His denique accedebat & cautio, Electoris agnatis Marchionibus Brandenburgicis in Franconia ditionem sortitis, per isthæc pacta Welaviensia eorum juri feudali in Borussiam nihil derogatum esse.

Formula §. 83. Ista porro pacta jurejurando tam à Rege & Electore, quam à Senatoribus Poloniæ firmabantur, cujus hæc erat formula: 1657. jura- menti

Ego Joannes Casimirus Rex Poloniæ &c. juro super hæc sancta Evangelia pro me & successoribus meis Regibus Poloniæ, Magnisque Ducibus Lithuaniæ &c. quod pacta fœderis perpetui cum Serenissimo Principe Du. Friderico Wilhelmo (t.t.) ejusdemque successoribus Marchionibus Brandenburgicis in Prussia Ducibus per commissarios meos die XIX. Sept. Anno 1657. Welaviæ inita & transacta, in specie vero ea, quæ ad tractatum cum nobismet ipsis remissa atque hic conclusa sunt, in omnibus articulis, punctis & clausulis observabo & manutenebo, eaque ab omnibus subditis meis observari faciam, nec eisdem sive directe sive indirecte contraveniam, aut contraveniri patiar. Promittoque in proximis Comitiis omnia, quæ iisdem contenta sunt, ratihabitum iri. Sic me Deus adjuvet. Ad eandem formam jusjurandum Electoris erat, mutatis mutandis, nisi quod sub finem additum foret: *nec eisdem sive directe sive indirecte contraveniam, aut contraveniri patiar, subditosque meos omnes Ducatus Prussiæ corporali juramento obstringam ad observantiam supra dictorum, & fœderis perpetui.* Senatorum vero Poloniæ talis erat; *Ego N. Senator Regni Poloniæ juro super sancta Dei Evangelia, quod pro posse curabo, ut pacta fœderis perpetui cum Ser. Principe ac Domino &c. per commissarios S. Regiæ Mtis &c. observentur, nec iisdem à quopiam contraveniatur, utque in proximis Comitiis omnia, quæ iisdem contenta sunt, ratihabeantur.* Id jusjurandum postea scripto conceptum ab omnibus subscriptum, sigillisque impressis firmatum fuit.

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER SEPTIMUS.

EPITOME.

Elector Regi Sveciæ de sua cum Polonis transactione significat. 2. Regis ad Electorem literæ. 3. Electoris ad has responsum. 4. Acres Regis literæ. 5. Super pace Polonica incassum agitur. Reginæ Poloniæ in Electorem studium. 6. Cum Mosco acta. 7. Belgis acta Electoris probantur. 8. Iisdem Anglia haut favet. 9. Cum Danis fœdus initur. Ejus formula. Gvarantia pactorum VVelavienſium. 10. Super rebus in futurum gerendis convenitur. 11. Danus super auxilio instat. Austriaci tergiversantur. 12. Electoris ad Regem Hungariæ legatio. Ejus mandata. 13. Austriaci rem extrahunt. 14. Id Electori, Polonisque displicet. 15. Austriaci legati Berolinum accedunt. 16. Sverini cum Schlippenbachio colloquium. 17. Fœdus defensivum cum Leopoldo Hungariæ Rege. 18. Conventio super modo belli gerendi. 19. Articulus secretus. 20. Polonica adprobatio. 21. Conclave Leopoldi. Elector electionem differri cupit. Idem Moguntini sententiam explorare conatur: ut & Palatini, atque Trevirensis. 22. Coloniensis sententia. 23. Bavarus legatum Electoris non admittit. 24. Saxonis sententia. 25. Super eligenda persona considerationes. 26. Mandata legatorum ad electionem missorum. 27. Coloniensis Leopoldo difficultates movet. 28. Palatini mens super ea re exploratur. 29. Cerimonialia. 30. De exteris Francofurto excludendis. 31. Gallorum circa hanc electionem machinationes. 32. Moguntinus electionem extrahit. 33. Electoris cum Saxone congressus. 34. Moguntinus consultationes publicas auspicatur. De minore ætate Leopoldi velut Regis Bohemiæ. 35. Nostri Francofurtum revertunt. Coloniensis sententia. Moguntini sententia. 36. Austriaci contra tendunt. 37. Gallorum postulata. 38. Electoris sententia. De abusibus Francofurti admissis monita. 39. Austriaci Gallorum postulatis renituntur. 40. Capitulatio formatur. 41. Sententia nostrorum impugnatur. Ea firma persistit. Circa Carnoviæ Ducatum Electori non satisfit. 42. Judicium Aurspergii de hac electione; ut & Gallorum. 43. Inania fœderatorum consilia circa ferendum Daniæ auxilium. 44. Anceps Electoris conditio. Cum Sveco super pace acta. 45. Electoris consilia. 46. Legatio in Poloniam. Ejus mandata. 47. A nostris apud Polonos acta. 48. Electoris circa pacem Polonicam studium. 49. Poloni ad Electorem missio. 50. Elector pacem apud Polonos urget, Regina Poloniæ Berolinum venit. Rex Poloniæ Borussos Ducales jurejurando exsolvit. 51. Electoris anceps conditio. Is acta sua Imperio probare studet. Ejus querelæ. 52. Fœdus Austriacum ratihabetur. 53. Cum Gallis acta. Regis Galliæ literæ. Electoris ad Gallum mandata. 54. Gallorum ad isthæc declaratio. 55. Anglicana ad Electorem legatio. Electoris responsum. 56. Electoris ad Sveciæ Regem legatio. Legatorum mandata. A legatis in itinere acta. 57. Legatis super accessu ad Regem controversia movetur. Iidem inauditi discedunt. 58. Super eo facto scriptis certatur. Svecorum propositio. 59. Nostrorum responsum. 60. Acerbiores literæ. 61. Collegii Electoralis legatio. 62. Svecorum destinata erumpunt. 63. Legatio ad Cæsarem. 64. Viennæ acta. 65. Super enervando fœdere Rhenano agitata. 66. Ab Ordinibus Imperii Electori nihil sperandum. 67. Cum Gallo super expeditione in Svecum acta. 68. Cum Anglis acta. 69. Expeditio in Holsatiam. Cum Friderico Holsatiæ Duce acta. Conventio cum eodem. 70. Alsia insula occupatur. 71. Conventio temporaria cum Danis. 72. Super fœdere cum Daniæ Rege agitata. 73. Fœderis Danici capita. 74. Per Borussiam gesta. 75. Mosci ad Electorem missio.

POstquam Electorem rationes Status sui conservandi, quæ Principibus supremæ instar legis sunt, subegisset abdicatis Caroli Gustavi partibus Poloniæ iterum se associare; decorum videbatur amicitiam non ex abrupto exuere, sed modeste ei causas facti sui insinuare, ac quantum per affectus se suaque nimium æstimantes daretur, istas eidem adprobare. Ac tantum sibi de prudentia & æquitate Regis persvaserat, ut quia hic potius duxerat ad propria tuenda accurrere, quam alienis adquirendis pertinaciter inhærere, sibi quoque vitio daturus haut sit, si magis pro suis tuendis, quam superfluis, sibique prægravibus alterius incremen

1657. mentis niteretur. Unde absolutis cum Polono tractatibus ad istum literas dabat hoc sensu: *sine dubio eum adhuc recordari, quod è Polonia discedens per Schlippenbachium promiserit, intra duos menses cum exercitu ipsum in Poloniam reversurum, postulato, ut à se interim res integra servetur, quo post juncta opera cœptum perfici, paxque constitui queat. Quanquam autem grave sibi fuerit soli tot inter hostes destituto imminentes ditionibus suis hostes tamdiu per tractatus distinere; nec magis quid optandum sibi fuerit, quam ut pactis cum ipso initis insistere licuisset, quo & sine reditum ejusdem avide expectarit: tamen sibi cogitandum fuisse, à nemine improbari posse, si Rex conservationem proprii status ancipiti eventui hujus belli præferat: simul id fœderi libenter dedisse, ut ultra bimestre spatium promissum reditum expectaret. Sed ubi adparuerit, Regem Danico bello penitius sese immersisse, repudiato quoque dudum impenso circa pacem cum Dano conciliandam suo officio, nulla reditus spe, quem tamen rerum præsentium necessitas exegerit; hostili quoque exercitu post captam Cracoviam ditionibus suis ingruente, cujus præsens exitium ut averteretur cives intentissimis precibus institerint: necessitatem demum sibi impositam cum Gosievio, & aliis à Polono delegatis nonnulla conveniendi, queis provinciæ suæ incendiis ac vastitati subtraherentur. Ubi inter alia Poloni acerrime institerint, ut transitus per Pillaviam & Memelam ipsorum hostibus occludatur. Quanquam ista omnia ad ratihabitionem Joannis Casimiri rejecta sint. Sperare itaque Regem isthoc consilii ab ineluctabili necessitate imperatum haut in sinistram partem accepturum; sed pro æquanimitate sua agniturum, non sibi minus quam ipso omnia ad conservationem status sui referri: quam in præsens isto pacto sese obtinuisse confidat. Et quia Rex semper testatus sit de desiderio pacem cum Polonis ineundi se rogare, ut quæ super eadem extrema ipsi sententia stet, indicium sibi facere velit; cui obtinendæ à se omnes vires sint impendendæ.* Enimvero Rex eas literas, quarum argumentum parum gratum præceperat, haut resignatas remisit, causatus lingua Teutonica scriptas, nec titulum *Potentissimi* recte expressum: (*Großmächtig*, non *Großmächtigst*:) cum tamen antea multæ literæ eadem lingua ac pari titulo scriptæ acceptatæque forent.

Regis ad Electorem litera. 11. Oct.

§. 2. Sed non multo post ipse Rex literas ad Electorem dabat hoc sensu: *Intellectum sibi ab Electore imminenti provinciis ipsius periculo avertendo cum communi hoste pacta inita, ut eidem deinceps medio inter bellantes agere liceat. Nec incognitum sibi provinciales dudum id expetiisse, quorum consilia & preces insuper haberi haut debuerint. Non minus se tamen Electori in mentem revocare, quæ consilia sua fuerint, cum eam tempestatem eminus prospiceret, cujus terror nunc transactioni causam dedisse arguitur; quam promte junctis viribus disjicere in proclivi fuerat. Sed factum esse incertum quo consilio, ut accedente Ragozio ea res extraheretur, donec in diversa vocatis sociis, cum ipse solus ingruentibus undique hostibus occurrere nequiret, sibi eo vertendum esset, ubi rebus suis maxima noxa inferri poterat. Se tamen semper operam dedisse, ut Electoris Status incolumis esset, ac urgente necessitate, ac ubi aliis remediis diffideretur, consensisse, ut quod absque sui fraude foret, tractatio suscipi posset, in tutum subducendis Electoris provinciis. Interim armorum successus ita sibi arrisisse, ut sat tempestive pro facta à se spe iterum adesse potuerit, omnibus quoque ad reditum paratis, nisi Elector apud Schlippenbachium declarasset, utrinque magis proficuum videri, si alio in loco ipsorum copiæ jungantur frangendis hostium viribus. Ita se præstolatum, ut adventante Electoris exercitu bellum eo retruderetur, unde id ali constabat. Sed interim Electori placuisse alia via rebus suis consulere; id quod ut bene vertat, se ex animo vovere. Uti tamen ipse semper Electoris incrementis faverit, ita suspicari non posse, aliquid ei cum Polonis convenisse, quod legibus extra partes positorum, ac postremis pollicitis repugnaret, ac in suam fraudem cedat. Potius confidere Electorem candore animi deinceps quoque paria secum facturum, & ita consiliis atque hortatibus in diversa trahentium aures accommodaturum, ut simul probe expendat, quid securitatis ipse aut communis res inde promittere ad diuturnitatem sibi queat; ac si quid per iniquitatem temporum transigendum fuerit, id ita moderaturum, ut ne datæ fidei, vetustiorisque amicitiæ juri, ac bono publico quid decedat, quod merito ante omnes alias rationes habendum sit. Se quidem quo studio circa commoda Electoris promovenda hactenus incubuerit, eodem deinceps quoque istis favere perseveraturum.* 1657.

Electoris ad hæc responsum. 12. Nov.

§. 3. Ast Elector sibi culpam collapsarum per Poloniam Svecicarum rerum impingi impatiens ostendebat; *Se quo tempore Rex Ragozio junctus fuerit, tantum copiarum submisisse, quantum is desiderarit. Reliquam partem exercitus pro captu rerum tuendis propriis fuisse adhibendam, simul ut Regi tergum tutum præstaretur. Quin ea Hungarorum atque Cosacorum multitudine Regem fuisse stipatum, quæ, nisi fata alium rebus exitum decrevissent, quibusvis hostium viribus proterendis, totique Poloniæ subjugandæ suffecerit. Meminisse quoque Regem, quomodo ipse & colloquio Hollandiæ habito, & post per legatos omnem hanc tempestatem aliquoties ingesserit, ac pacem occupari suaserit; inprimis quod tunc Joannes Casimirus in propinquo ageret, nondum aliis fœdere innexus, & ea pacis cupidine flagrans, ut statim ante tractatus Sveciæ & Livoniæ cessionem obtulerit, simul pro Borussia non spernendam argenti summam obtineri posse innuens. Sed Regem tunc maluisse Ragozio spes suas superstruere. Ast postquam Rex, bello Polonico Danicos ob motus relicto, se inconsulto cum exercitu abierit, nullam sibi viam sua tuendi superfuisse, quam quovis modo Polonis reconciliari. Unde sibi non solum ob desertionem, sed & consilio per ipsum Regem suggesto integrum fuisse protinus occupare tractatum, qui nunquam lautioribus quam tunc conditionibus fuerit oblatus, nisi quævis adversa experiri maluisset, quam intempestive quod exprobrari posset admittere. Sed cum nunciaretur Danos ad prælium non posse compelli, ac Senatum, Ordinesque Sveciæ Regis reditum ita expetere, ut nulla in Poloniam revertendi spes super-*

per-

1657. *peresset; simul Cracovia opinione citius subacta Austriaci Borussiam versus properarent, Czarnecio Pomeraniam & Marchiam, Gosievio Borussiam urente, cives enixissimis precibus institisse, ut postquam Rex abitu suo fœdere ipsum exsolvisset, ipse quoque eidem amplius incassum inhærere desisteret, nulla spe auxilii ab isto submittendi, quod tot locis tuendis sufficiat. Unde nil aliud sibi relictum, quam cum Polonis ad pacem redire. Cæterum mirari se, quare Schlippenbachius Regi retulerit, velut ipse eo fine exercitum in Germaniam reducere instituerit, ut Regi sociatus Austriacam Domum aggrederetur; de quo sibi nunquam in mentem venerit, nisi quod iste nomine Regis id expeteret. Præsertim cum ad ejusmodi destinata effectui danda longe maturior requiratur deliberatio; ac securitati haut quidquam consulatur potentioribus hostibus irritatis. Quod Regi animus perstet ipsius incrementis studere, grato à se agnosci animo; nec credere isti memoria excidisse, quæ ipse pro ejusdem rebus præstiterit, & quantum calamitatum suæ provinciæ ideo perpessæ sint. Non posse tamen dissimulare, quod Schlippenbachius quotiescunque adfuerit, Regis nomine super Ducatu Borussiæ in ipsum transferendo moverit, ac nuper Regiomonte eum permutationem enixe postularit, adductis inter alia rationibus, quæ sibi persuadeant, nullo modo à se provinciam retineri posse, quæ opportunitate sita Sveciæ arrideat. Ast uti ipse Regi amplissima Regna non invideat; ita sperare eum pari in se animo futurum.* Addebatur, ut Rex super pace cum Polonis mentem suam declarare velit.

§. 4. Bilem istæ literæ Regi moverunt, ut prolixum ad istas responsum non sine acerbitate reponeret. *Exprobari ab Electore sibi non debuisse officia, quippe ex fœdere debita, nec inferioribus à se pensata; in quorum redhostimentum non spernendam sui exercitus partem ab Electoris copiis desertam Tartarorum ferro occubuisse, aut ab his in servitium abstractam. Pro isto officio non modo nil gratiæ relatum, sed & subinde patrata, quæ gravem suspicionem movere possent. Sane operam Warsaviensi prælio memorabilem navatam; sed cujus fructum post ipse Elector fere destruxerit. Cum enim ipse belli sedem in Podlachia & circa Bresciam constitui cuperet, istum pervicisse, ut in Borussiam rediretur spe facta, juncto utriusque equitatu fines tuendos, peditatu Weixelmundam oppugnandam. Id post elusum, nec auxilii quid sibi contra Polonos submissum, nec in Gosievium ab Electoralibus quid gestum. Inde supremum Borussiæ imperium extortum, substituto in locum nexus fiduciarii perpetuo fœdere, cujus vi in æternum à Polonis avulso nil commercii se inscio cum his miscere fas fuerit. Mox tamen cum Warmiensi Episcopo, & Gosievio collusum, ac se inconsulto inducias cum hoc initas, nulla ratione suadente, & cum ipse idonea cum manu isti obviam ire pararet. Inde paulatim ad plura processum, quoad demum ad præsentem statum proveniretur. Et cum Ragozii adventu Polonos impetu frangere licuisset, impetrari ab Electore non potuisse, ut se cum manum simul negotio admovere vellet. Quin abnuisse duodecim centurias equitum, quindecim dimacharum commodare, quibus suffulto sibi animus fuerit Austriacis Poloniam ingressis occurrere. Interim se intellexisse, inducias cum Gosievio in mediam æstatem prorogatas; cum se ad Bresciam rem gerente Elector transitum Memelæ fluvii, quem prohibere in proclivi erat, hosti concederet. Facile quoque sibi fuisse res Poloniæ sustinere, Stenbockio apud Ragozium relicto, & belli Danici administratione alii duci commissa. Sed dum ista improbantur, nec tamen manus negotio admoventur, non potuisse non suspicionem sibi nasci, aliquid infesti se inscio agitari. Inde colloquii cum Electore cupidum se Strasburgum accessisse; sed hunc id declinasse, velut per delegatos commodius res ageretur. Unde liquidius se judicasse, consilia mascula apud ipsum evanuisse, ac per otium tempus extrahi. Ea cunctatione Ragozium in citerioribus Poloniæ partibus detentum, cum mature in tutiora facessenti secutam calamitatem declinare in proclivi fuisset. Sibi quoque consilia fuisse capienda, quæ salutis suæ ratio suggerebat, ut è tot hostibus unum arreptum ad terram daret. Cum in Daniam abiturus esset, se per Augurium, & Schlippenbachium Electorem ad constantiam hortatum; quin in Borussia se mansurum promisisse, modo iste ex ipsius placito, prout ratio exigat, rem in hostem gerere velit. Sed cum à Schlippenbachio alienum à scopo responsum adferretur, iter ingrediendum fuisse, ante abitum tamen consiliis & viribus ita dispositis, ut si iis obtemperatum fuisset, se quoque absente res potuerit sustineri. Thorunii ad se accessisse Dobrzenium, qui proposuerit; in eum statum prolapsas Electoris res ob novum à Dania & Austria bellum, ut absque tractatu cum hoste salvus is esse nequeat; eoque rogare, ut ipse miseratione rerum afflictarum tactus pace sua suscipi patiatur; quæ in sui præjudicium haut tendant. Ubi demum ipse post fortia consilia incassum suggesta promiserit, connivere se velle, si Elector aliis auxiliis destitutus per summam necessitatem ad tractandum compellatur; tunc tamen, ut quidquam concluderetur, haut consensisse; sed post ultro misso Schlippenbachio annuisse, ut etiam concluso tractatu rebus suis consulere possit ea lege, ne quid fieret amicitiæ cum ipso adversum aut præter leges eorum, qui medios sese inter vicinorum bella gerere volunt. Neque vero se aut Electorem, aut bellum Polonicum deseruisse, cum etiam post suum discessum sat copiarum esset cuivis hosti sustinendo, si pari studio ad communem defensionem Electori incumbere placuisset. Sed nec à se Electorem legibus pactorum exsolutum, nec ullam adhuc extremæ necessitatis speciem adparuisse, ni talem dicere velis, quando rectis consiliis non obtemperatur, ac perversorum, vel timidorum lactationibus magis, quam fortibus propositis insistitur. Sibi utique decretum fuisse post Danicum bellum profligatum in Borussiam regredi, & sociatis cum Electore copiis omne periculum dispellere, statim atque de hoc significatum esset. Sed nunc antequam necessitas adpareret, aut tempestiva remedia flagitarentur, nuntiatum sibi, Electorem cum hoste transegisse. Id quod ipse perversorum quorundam pravis consiliis adscribat, quibus animum Electoris, comperti sibi candoris, fatigari constet. Nam in ejus consilio graves esse dissensiones, ac vehementer certatum, cum de fœdere secum ineundo ageretur. Usque adeo optime cogitata, & decre-* 1657.

1657. *creta per ejusmodi ministros sæpe in transversum agi. Spem tamen esse, Electorem nihil admissurum legibus neutras partes sequentium, ac antiquiori amicitiæ adversum. Schlippenbachii sermones qui arguantur, privatos fuisse, quibus Elector ansam præbuerit; ac tantum eo fine prolatos, ut eliderentur difficultates, quæ insuperabiles jactabantur. Quod Elector studium suum circa pacem prædicet, id hactenus sibi ferendum, si id citra detractionem & injuriam alterius fiat. Sane nec momentum à se neglectum viæ ad pacem complanandæ. Sed conditiones ante adornatæ, tractatibus præmitti solitæ promulgare præposterum visum; quod ea ratio magis ad explorandos & quandoque exasperandos animos, quam promovendum negotium faciat. Unde more inter gentes recepto se prius præviam conventionem absolvi voluisse, qua perfecta summam rerum facilius processuram; præsertim cum tuta & solida via incedendum fuerit acturo cum Polonis, post violati Warsaviensis pacti flagitium, & positas Cracoviensi præsidio insidias, Hatzfeldio quoque detestatas. Quin se Commissarios cum mandatis in Borussia reliquisse, ac ejusmodi conditiones tulisse, è quibus omnes agnituri sint, sese circa studium pacis Electori hautquidquam concedere.*

Super pace Polonica incassum agitur. Nov. Gyldenclo.

§. 5. Inter ista irarum præludia haut eo secius Schlippenbachius Berolinum accesserat, confirmans, sibi atque Gyldenclovio facultatem collatam super prævia conventione agendi. Carolum Gustavum in pacem admodum pronum. Sed cum omnibus fœderatis simul tractionem suscipere, moram producturum, cum eadem brevi absoluta opus sit. Ne id tamen Regem recusare: & quia Austriaci jam Poloniam ingressi sint, eos tractatu exclusum haut iri. Borussiam reddendam, ubi Regi ex æquo pro eadem satisfactum sit. Tum Electorem rogabat, ut apud Reginam Poloniæ, cujus maxima tunc eo in Regno autoritas erat, instaret, quo ea Polonos ad hanc conditionem acceptandam permoveat; qui tot munita oppida citra immensos sumtus expugnaturi non sint, quos satius foret ad satisfaciendum Regi impendere accelerandæ paci. In promtu quoque esse lautas conditiones Electori repræsentare, antequam operæ quid præstet, modo constanter deinceps Svecorum partibus sit adhæsurus. Regi quoque constare, ab Austriacis pacem in Polonia sufflaminari; nec minus Danos magno pacis desiderio teneri, ac de promisso auxilio desperare. Ex quibus cum Elector facile judicaret, quantum interesset negotium accelerari, ac ne momentum quidem temporis amitti, ut vel Austriaci junctim rem in Svecos gerere incipiant, vel cum Svecis propere tractatus pacis suscipiantur; ista ad Reginam Poloniæ referebat. Quæ huic impense probabantur, ac ad negotium illud urgendum hortabatur, pro dexteritate ipsius ita dirigendum, prout fœderatis, ac inprimis Polonis, Danoque, & ipsi expediret, siquidem ad rem gerendam Austriaci permoveri non possent. Quæ & Electorem rogabat, ut promissi memor Leopoldo suffragium ne addiceret, ni is reipsa ostendat, sibi pacem Poloniæ cordi esse: utque in eandem sententiam Saxonem quoque permoveat. Ostendebat quoque Regina Hoverbequio, se cum præcipuis Senatoribus de indigenatus jure in Fridericum Electoris filium conferendo egisse, eosque valde proclives in eam rem invenisse, etiam ut constitutioni eo fine condendæ inseratur: non solum nullam sibi causam fuisse super eadem deliberandi, sed & esse, quare Electori gratias agant, quod Remp. tanto honore dignetur; idque negotium certo futuris Comitiis expediendum. Quin majora ipsos de Electore aut Principe animo agitare, modo hic in eadem consentire velit. Nec amplius mutationi sacrorum insistendum; sed id duntaxat stipulandum, ut in ipsius arbitrium conferatur, ubi maturos ad annos pervenerit, religionem eligere, quæ placuerit. Cum Regina consentiebant Lesinii, ac Lubomirscius, quorum præcipua tunc in Rep. autoritas erat. Sed ex Electoris sententia eam deliberationem post conclusam pacem differre placebat. Cæterum Lubomirscius primus fuerat, qui nomine Senatus perpetuum fœdus inter Poloniam & Electorem subscripserat; qui vicissim ab Electore petebat, operam navaret, ut ipse in Comitiis Germaniæ sessionem & suffragium obtineat, quippe qui Principis dignatione à Ferdinando II. nactus erat, quingentos milites adversus Turcam præbiturus. Quia etiam Schlippenbachius ostenderat, se cum Regina Poloniæ, ac Senatoribus colloqui cupere, Poloni eum in finem literas tuti itineris Electori mittebant, in hujus tamen judicium conferentes, quid ipsi circa hoc negotium agendum videretur; utut perspicerent, isto admisso Austriacos gravi suspicione perstringendos, ac Danos non mediocriter perturbandos. Elector autem ita rem moderari cupiebat, ut Poloni agnoscerent, pacem se debere ipsius à Svecis separationi, adhibitæque circa eandem operæ. Igitur Regi Sveciæ significabat; se Joannem Casimirum, & Senatores pacis cupidos invenisse, qui tamen in antecessum conditiones pacis, quibus iste insistere decreverit, nosse cupiant. Ad quæ iste reponebat; *id præposterum esse, & præter morem. Equidem & se pacem velle; sed ut ordine res agatur prævia conventione expedita, & idoneis procuratoriis exhibitis.* Cæterum satis adparebat, Sveco pacem haut valde cordi esse; qui & Gallo, quam Electore sequestre uti malebat. Nec expedire videbatur, Polonos ita faciles sese ostendere, ne Svecus ad intendendas conditiones induresceret. Qui & varias conditiones uni & alteri offerebat, tantum ut fœderatos invicem committeret. Sed Poloni clam reliquos tractare nolebant; & Austriaci omnem lapidem movebant, ne ita brevi pax coiret, forte electionem turbatura.

8. Dec. Regina Poloniæ in Electorem studium.

1657.

Lubomirsci.

11. Dec.

§. 6. Cæterum Electori hanc consiliorum viam ingresso cumprimis necessarium erat Mosci amicitiam servare, ne is forte Svecis reconciliatus è Lithuania Borussiam infestaret. Iste jam sub initium anni ablegatum ad Electorem miserat, qui proponebat: cum Elector superiore anno promiserit, se Mosci hostibus nil auxilii præstiturum, & vero ipse jam cum Polo-

Cum Mosco acti.

21. Febr.

1657. Polono convenerit de Sveco junctis viribus invadendo; igitur se Electorem promissi sui monendum duxisse. Cui ab Electore responsum; ne dubitaret Czar, quin, quæ ipse pactus sit, sancte à se sint servanda. Sed post pacem cum Polonis Elector Fridericum Joachimum Borntinum ad Czarem mittebat, significaturum; cum hic Electori suaserit abdicata Sveci societate ad Polonorum amicitiam redire, Electorem eo consilio probato ita cum Polonis transegisse, ut ab his summum Borussiæ imperium sibi traditum sit. Quod quin gratum Czari sit futurum, haut dubitare; ac cœptam amicitiam constanter colere sibi cordi fore. Idem jubebatur, si inter Moscos & Polonos dissidium esse, & istos in pacem cum Svecis inclinare sentiret, operam dare, ut istud tollatur, hæc impediatur; confirmans, Polonos sæpius Electori declarasse, pacta se cum Mosco servaturos; ac sine dubio solitas Svecis artes adhiberi, qui dudum gloriati fuerint, sibi amicitiam inter istos turbare in proclivi esse. Eosdem quoque jactasse, si modo in præsens pacem cum Moscis iniverint, inposterum occasionem non defore, damna per Livoniam illata ulciscendi, quorum memoria nunquam obliteranda sit. Quod si Mosci æmulationem ob Austriacum exercitum, & quod is Cracoviam insideat, conceperint, ostenderet; id præsidium ad tempus duntaxat concessum, & Polonos arcem tenere, quæ urbi imperet. Ac Electori curæ fore, ne Austriaci vel latum pedem in Borussia, aut Poloni nanciscantur. Nam & Electori progressus istorum suspectos haberi. Nec tamen è re fore ob talia in simultates abire, communi hosti lucro cessuras, qui post de singulis, ubi se disjunxerit, ultionem sit sumturus. Sed si hisce monitis nil proficiatur, satis haberet, Mosci amicitiam adversus Electorem firmam persistere. Offerret quoque Electoris operam circa dissidium inter Czarem & Polonos componendum. Simul peteret, ut intercepta hactenus commercia è Lithuania in Borussiam instaurentur; tunc ut merces Rigam alias devehi solitæ avertantur. Denique & literas Electoris Czari traderet, quibus Bugislaum Radzivilium commendaverat, ut iste hunc in bona à Moscis hoc bello occupata iterum immitteret, ac illius oppidum Sluzcam ne oppugnaret. Istum ablegatum Moscoviam delatum Mosci uti solent variis quæstionibus exercebant. Post tamen ostendebant, se novum cum Polonis congressum expetere; & quia hi Vilnæ conventis non steterint, se quoque iisdem non amplius teneri. Sed cum noster confirmaret, Polonos utique pacta servaturos; demum Moscos scrupulus de Austriacis præcipue urgebat, qui diademate Polonico potituri sint; ac Joannem Casimirum certos duntaxat reditus, quoad vita supersit, sibi reservasse. Quæ noster diligenter refellere nitebatur. Leopoldo rationes, quas in Imperio & alibi habeat, Polonico diademate longo potiores, non permittere, ut de hoc affectando cogitet: & Electorem quantum possit ei conatui reluctaturum. Sed eam unicam viam esse, qua Polonia in Austriacorum ditionem concedere queat, si Czar denuo armis istam persequi instituat. De hac re tamen nondum quid actum. Mosci multum laudato Electoris in ipsos studio quærebant; qua ratione judicet, Czarem promissa pactis Vilnensibus corona Polonica potiri posse. Ad quod noster Electoris operam circa tollendam offensam & diffidentiam, si qua esset, offerebat, cui plurimi in Polonia amici sint. In eundem finem Austriacus legatus operam suam obtulerat, sed quam Mosci repudiaverant velut suspectam. Responsum ad proposita à nostro missus eo nomine à Czare ablegatus relaturus erat. In literis obitæ legationis, quas iste à Czare reportabat, scrupulum movebant ea verba: *quod Elector consilio & voluntate Czaris à Polonico vasallagio sese liberarit, id tanquam magni pretii demum à Czare eundem accepturum.* Sed id importunæ jactantiæ nationis adscribebatur; an indocti scribæ sensum non absurdum incommodis verbis expresserant?

[Margin: ... Oct. ... ntia.]

§. 7. Nec minus Electori cordi erat, ea partium mutatione Belgas ad promtius commoda ipsius sublevanda permovere, quos societas cum Svecis hactenus non parum refrigeraverat. Hisce nostri super pace cum Polonis velut privatim in antecessum significabant, addito; se ipsis semper confirmasse, Electorem uti aliquando temporibus cedere necessum habuerit, ita eorundem opportunitate in stabilimentum boni publici uti haut neglecturum; idque nunc reipsa ostendi. Sed quia Elector in hoc inclinationem hujus Reip. respexerit, spem esse istos deinceps consilio & ope promtius, quam antea factum, eundem sublevaturos. Ad quæ Belgæ: *Uti tunc, cum Elector Svecis sociatus ageret, & pro horum rationibus niteretur, non potuerint non eidem diffidere; ita fateri minus quam debuerint se præstitisse; id quod iniquitati temporum sit adscribendum. Valde anceps autem fuisse futurum, si Elector hujus Reip. sententiam secutus tunc ita abrupte in Polonorum partes sese conjecisset, nondum distractis Svecorum viribus, Daniaque, & Austriacis adhuc quiescentibus. Ac id in præsens longe felicius effectui datum, insigni prudentiæ documento, præsertim obtentis tam lautis conditionibus.* Inde traditis Electoris literis Weimannus Ordinibus Generalibus denuntiare jussus est; *se libenter ipsis intervenientibus, aut saltem consciis id negotium tractare voluisse. Sed ejus indolem postulasse, ut summo idem silentio premeretur. Cæterum se circa eos tractatus præcipue ductum hujus Reip. propensione, & quia vetus amicitia inter societatem Svecicam fere exoleverat. Postquam autem pacta Brombergæ plenum complementum attigerint, officii videri, ut super iis Reip. communicetur.* Sed quia in præsens haut conducat ista divulgari, Weimannus jubebatur secreto Deputatos ex Ordinum numero petere, quibus jurejurando prius ad silentium adstrictis pacta prælegerentur, simul demonstraretur, nil rationibus Reip. adversum iis contineri. Tum rogaret, ut Belgæ circa ista sponsionem suam interponere velint; quam in rem

[Margin: 1657. *Belgis acta Electoris probantur.* Nov. 10. Nov.]

1657. rem antea tam pronos sese ostenderint. Denique innueret, cum Sveci non parum minarum sparserint, quando persuadebantur non nisi de medio Statu agi, facile colligi posse quid acturi sint, ubi res penitius ipsis innotuerit. Igitur spem esse Electori, Belgas in omnem eventum sibi non defore, quorum tantopere intersit, ut isto negotio probe expedito communis pax constituatur. Hoc mandato allato Weimannus haut consultum ducebat communicationem ad præscriptum modum peragere quod in ea rep. jurati silentii exemplum non esset; sed liberalius judicavit paucis, penes quos præcipua autoritas, citra ambages quod res erat pandere. Quibus & ea res læta admodum auditu accidebat, qua & consilia eorum pro Dano non parum firmabantur. Res tamen Maris Baltici ad communes tractatus dirigendos, & tam Polonos, quam Danos cum Svecis quocunque modo æquis conditionibus conciliandos. Nec dubitare, quin Galli, & Angli eodem connixuri sint, ut Svecus in Austriacos immittatur; cui fini Elector plurimum conferre valeat. Sed si Svecus hac lege pacem nolit, ac ad iniqua Danum compellere instituat, sibi quantumvis invitis in partes descendendum, quod nullo modo ferre possint Daniam opprimi. Super suscipienda pactorum evictione, & auxilio ample pollicebantur. Enimvero isti lente & dubitanter procedebant, tanquam valde à bello abhorrentes. Equidem sermonibus jactabant: sibi cum Electore consilia socianda, ac vel partibus æquam pacem dictandam, vel in recusantem arma stringenda. Ac subinde è Weimanno quærebant, num mandatis instructus sit super hoc negotio agendi. Id præcipue metuebant, ne Elector nimium se Austriacis innexuerit, id quod negotio non parum difficultatis allaturum sit. Si Svecus Austriacos invadere velit, id haut invitis se futurum, quod ea Domus intra limites coercenda sit, ne & Poloniam opibus suis adjungat. Unde & electionem in suspenso habendam, quo Polonis respirandi facultas detur ad propriam libertatem stabiliendam, ac ut Protestantium partes iterum coalescere queant. Sed quia ejusmodi secretis sermonibus nihil superstrui poterat, Elector publice apud Ordines proponi jubebat; *uti inter dubitationes tempus incassum labatur, cum res ipsa festinationem, ac bello sublevando promta postulet. Sibi nunquam communes & sociorum rationes extra curam fuisse, atque eum scopum proximo cum Polonis tractatu secutum; quo omnes aliorum actiones in Borussiam Ducalem ejusque portus eliserit, eique pristinum statum, excepto supremo imperio, servarit. Eam rem Sveco se significasse, ac sperare, hunc amore tranquillitatis publicæ pariter eandem probaturum. Sed id responsi accepisse, ex quo apparuerit, haut placere ipsi, quod quæsitum sibi putet, jus abdicare, sed occasionem captare, quæ eidem pondus addat. Cum autem rationes hujus Reip. exigant, ut cum Polonis conventa subsistant, ac ulteriores turbæ prohibeantur, postulare se, citra moram decernant, quæ ad ista omnia tuenda requirantur, præstitis quæ ex fœdere requiruntur, ac consiliis viribusque sociatis qua opus sit rem gerant. Equidem quod Respublica sequestris partes hactenus suscipere voluerit, id sibi valde probari, qui & omni studio ad pacem incubiturus sit. Sed si huic officio nullum pondus ab armis accedat, languidam fore illius vim: eoque fortiora expedienda. Et tum ipse in prima velut acie constitutus primum impetum excepturus sit, sibi cumprimis pecunia subveniendum tuendis suis, quæ servari omnium intersit. Curandum quoque, ut Gallia & Anglia tam salutare opus ne impediat; cui demonstrandum, à fœderatis nil aliud quæri, quam ut communis securitas stabiliatur, nemine oppresso, ac ut quilibet prius possessa retineat, nulla novatione admissa. Quæ mens cum & istis esse speretur, ita amicis suis adfuturos, ut tam æquum institutum ne impediatur. Circa pacem inter Polonos & Svecos se intellexisse, hisce decretum citra socios Austriacos & Danos tractatus suscipere nolle, nec aliter, quam ut in antecessum de reddenda Borussia certi sint; quem agendi modum Svecus velut præposterum rejiciat. Sed quia in ejusmodi negotiis magis res ipsa, quam solennia respicienda sint, dubium sibi, num ea exceptio apud Polonos valitura sit.*

4. Dec. (beside "munis pax constituatur")

14. Dec. (beside "levando promta postulet")

Inter hæc Hollandia provincia multum caloris ostendebat, subinde clamitans: Svecos nimium Oresundæ propinquare, ac tempus esse arma arripere honestæ ac tutæ paci constituendæ. Gothica mala iterum orbi incubitura, si tractus Borealis sub unum dominum redigatur. Semper quando Tillius, aut Torstensonius eousque processerint, quo nunc Wrangelius penetravit, pacem adfuisse, velut victo Dano, aut victore non ultra auso. Vicinis quoque Germaniæ Principibus animum advertendum, quorum maxime intersit, ut Boreas divisus maneat, Electori in ista rerum conversione lautas conditiones propositas, ni urgens necessitas consilia præcipitare subigat. Denique eadem provincia jam sex millia peditum, ac justam classem Dano in auxilium decernebat, ni Svecus communem pacem, ac Belgas sequester admitteret, ingens momentum rebus datura, ni dum isti moliuntur, inusitata hiemis asperitas super fatis Daniæ decidisset.

Iisdem Anglis haut satis vet. (margin)

§. 8. Ast apud Anglos dispar ex ea transactione affectus, velut in Svecum proniores, cujus victricia adversus Polonos arma in medio cursu sisti videbantur. Quamdiu tamen persvasi forent de immunitate duntaxat à bello agi, verbis pronos sese testabantur ad pecuniam Electori mutui nomine suppeditandam, ac de conditionibus quærebant: & qua ratione cautum sibi esse possit, Electorem nondum Austriacis suffragium suum addixisse, de quibus Slezerus in mandatis sibi quid esse negabat. Cæterum hic Slezerus, cum plures sumtus in Anglia fecisset, quam de quibus refundendis Elector annuerat, gliscente ære alieno per creditores è publico abreptus in tabernam abducitur, à vilibus hominibus contumeliose habitus. Sed Thurlous, per quem negotia exterorum tractabantur, ea re intellecta, quæ juri gentium repugnabat, effecit, ut convocato protinus Concilio decerneretur, missis ministris publicis,

24. Nov. (beside "tus in Anglia fecisset")

publicis, ac prætorianis militibus ablegatum in domum suam iterum deducendum: contra prætorem cum ministris, & creditorem coquum, qui ob centum viginti libras Anglicas apud delegatos judices sententiam in Slezerum dissimulato ejus munere obtinuerat, in carcerem conjiciendum: etsi hic ob tantam contumeliam amplius sibi satisfieri postularet.

§. 9. Id quoque res requirebat, ut postquam Svecicæ partes Electori deserendæ fuerant, is Daniæ arctius sese innecteret. Sed ne ea res justo citius vulgaretur, si splendida eo nomine legatio mitteretur, aut crebræ hinc inde literæ commearent, per intuta itinera forte intercipiendæ, Elector nobilem cubicularium Christianum Sigismundum Wreichium Hafniam misit; cui injunctum Daniæ Regi proponere: Quia ipse non solum ad evictionem pactorum cum Polonis ineundorum ita promtum se exhibuerit, sed & ubi ad manus cum Sveco perventum sit, auxilium suum Electori liberaliter obtulerit; eo magis hunc permotum fuisse tractatu cum Polonis suscepto arma in Svecos arripere communi paci obsistentes. Id se Regi significare jussum, simul petere, ut Rex citra moram evictionem pacto nondum à Polonis ratihabito accommodet, quo citra suspicionem eo promtius ab Electore manus negotio admoveri queant, quod cunctationem adspernetur. Idem expiscari jubebatur, num quid tractatuum inter Danos Svecosque agitetur, ac si quid tale sentiat, statim ad Electorem referat; tum quantum in se impediat, ne citra communem tractatum pax inter ea regna constituatur. Isthæc cum Danis magnopere exoptata forent, citra cauponationem in fœdus consensum fuit. Ejus ingressu memorabatur uti Sveci Regem Daniæ, & Electorem multis injuriis ac molestiis illatis varie lacessiverint, à quorum gliscente indies ambitione, noxiisque destinatis nil aliud præter oppressionem ipsos aliosque vicinos manere; cui avertendæ armis conjunctis opus sit. Capita conventionis ista erant. *Sit inter utrumque Principem, ac utriusque ditiones fida pax & amicitia, mutuumque studium commoda invicem promovendi, damna avertendi. Utraque pars, quamdiu hoc bellum duraverit, rem adversus Svecos omnibus viribus terra marique teneatur gerere iis locis, ubi uterque Svecicis ditionibus contiguas terras possidet: alter quoque alteri, prout occasio ac necessitas exegerit usque ad finem belli pro virili adsistat. Bellum in Svecos utrinque geratur, quousque uterque ab his idonea satisfactione potiatur, Daniæ restitutis provinciis per injuste illatum bellum ereptis, ac fraudationibus vectigalium in freto coërcitis, nec minus Electori ob inique extortas provincias reparatione facta. Neuter inscio atque invito altero pacem, inducias, aut quamvis conventionem cum hoste ineat; sed quæcunque agenda sunt junctim per ipsorum legatos, adscitis quoque Polonis, peragantur. Daniæ Rex ubi necessitas exegerit, Electori ad tuendos ejus portus navibus bellicis, quatenus iisdem ad propria defendenda opus non habuerit, adsistet, simul permittet, ut Electoris naves, quibus hoc bello adversus Svecos uti constituerit, Danicos portus introire, ibique prout res exegerit commorari, ac necessaria emere possint: ut tamen adsitis arcibus ac munitionibus solitum honorem exhibeant, nec quidquam suscipiant, aut postulent, quod illis quidquam periculi creare queat. Vicissim Elector Daniæ Regi quantis poterit copiis, ubi opus fuerit assistat, ac inprimis citra moram in Pomerania adversus communem hostem rem gerat. Danicis quoque navibus bellicis ingressu in suos portus permisso iisdem quibus modo dictum legibus. Si post hoc bellum Sveci ex quacunque causa vel prætexto alterutrum impetierint, ut huic quoque in istos arma arripienda sint, alter ei qui invaditur intra tertium à facta denuntiatione mensem auxilio veniat eo numero navium, militum, pecuniæ, & aliorum necessariorum, iisque conditionibus, prout deinceps conveniendum sit. Id fœdus intra tertium mensem à subscriptione ratihabendum, ut tamen effectum protinus à die conclusionis capiat.* Subscripserunt id fœdus nomine Regis Daniæ Joachimus Gerstorfius, Otto Kragius, & Petrus Retzius. Cavebat insuper Daniæ Rex suo & successorum suorum nomine conventioni, quam Elector cum Polonis inierat; operam à se dandam ut Rex, universique Poloniæ Ordines istam Electori, ejusque successoribus in perpetuum inviolatam servent; ac si præter spem ab istis discedatur, à se non solum officio legationum, ac pacificæ negotiationis, sed & arreptis armis, ubi opus videatur, & ab Electore petatur, istos ad ejusdem observationem adducendos. Vicissim Elector iisdem verborum formulis fidem suam interponebat circa fœdus, quod Daniæ Rex cum Polono die 18. Julii fecerat; Etsi prius mentem Polonorum exploraret, num Polonis acceptum id futurum esset, quod ista evictio subsistere non posset, si Polonos cum Danis collidi contingeret. Sed quibus ea res nullum scrupulum movebat, haut adparente causa, quæ istos populos committere possit.

1657. *30. Oct.* *Krage Retz.* *Guarantia pactorum Welaviensium.*

§. 10. Cæterum Brombergæ inter Poloniæ Regem, Electoremque, & Hatzfeldium Cæsareum Ducem habito consilio super dirigendis in futurum actionibus bellicis, Elector censebat; *etsi vergente in hiemem anno citra moram rem strenue adversus Svecum suscipiendam, antequam Danus velut impetu prostratus ad pacem ab isto iniquis conditionibus adigatur; & Svecus milite per opima Holsatiæ hospitia firmato validior redeat, sibi maxime infestus incubiturus velut pactis violatis. Igitur omisso Thorunii obsidio, quod Cæsarei volebant, satis habendum munita Borussiæ oppida eminus includi, ac tota vi in Holsatiam eundum, Gosievio Livoniæ immisso, ne Danus per desperationem seorsim cum Sveco transigat.* Ac Czarnecius quidem promtum se ferebat impressioni in Pomeraniam & Holsatiam faciendæ. Sed quia iste solo Polonico equite instructus nihil ad summam rerum facere poterat, apud Austriacos insistebatur, ut partem equitum & dimacharum isti adjungerent. Enimvero Leopoldus excusabat, apud Electores Ecclesiasticos fraudi sibi fore, si Polonico se bello immergat, quod vereantur, ne se in Cæsarem electo tota Germania turbis involvatur; præsertim ubi ipse provincias Sveci-

Super rebus in futurum gerendis conveniatur. *5. Oct.*

1657. Svecicas in Imperio sitas invaserit. Ad quæ reponebatur: invidiam apud Ordines Imperii, & offensam Regis Sveciæ jam eousque provectam, ut irruptione in Pomeraniam augeri nequeat: ac ubi Czarnecio res successerit, periculum simul cum offensa atque invidia cessaturum. Sed istis nihil proficiebatur; & Hatzfeldio id ingenium erat, ut nunquam crederet sat militum sibi esse. Contra nec Electori absque Austriacis manum rei admovere consultum videbatur, nec ei expeditioni pedites suos accommodare, ne copias suas divisas attereret; quod & sæpe Sveco negaverat. Idemque dissvadebat, ne Czarnecius solus in Svecos eat, operæ pretium haut facturus, ac transitu amicorum ditiones protriturus. Sane jam

14. Oct. Polonici militis petulantia ingens damnum Electoris provinciis dederat, nonnullis istas

1. Nov. amicitiæ Polonicæ primitias exprobrantibus. Haut secius iste cœco velut impetu in Pomeraniam ruerat, ac superato Odera, inter hoc flumen, & Randoam omnia vastaverat, atrociter quoque in Uckerana Marchia grassatus tanto nocentius, quod provinciales nihil rerum suarum in munita loca contulissent, ab amicis nil hostile veriti. Quæ res non minus Electorem, quam Poloniæ Regem pessime habebat, Danico quoque legato admodum querente. Nam quia iste coëuntibus in ipsum Svecorum turmis retro se proripuerat, nil aliud effecerat, quam ut Polonis grandem atrocitatis infamiam conciliaret, ac innocentes provinciales perderet subtracto alimento iis, qui utilem eo loco operam navare poterant. Et Danis animus imminutus fuerat, Svecis spiritus accesserant, velut ad solam adventus sui famam Polonis diffugientibus.

Danus super auxilio instat. Alefeld. §. 11. Inter hæc Daniæ Rex Detlevum Alefeldium ad Electorem miserat, propera auxilia exciturum, simul de ratione belli gerendi consilia collaturum. Urgebat is, ut Elector Czarnecio junctus unum & alterum Pomeraniæ oppidum invaderet, ne Sveco spatium indulgeatur per Jutiam sese firmandi. Quod si hic retro vertat ad Pomeraniæ succurrendum, Danos è vestigio secuturos, simul eidem distrahendo iterum Bremensem provinciam invasuros; nec minus prohibituros, ne supplementa è Svecia venire queant. Addebantur magnifica, & veris longe majora de victoria adversus Svecos in Hallandia, ac progressibus è Norwegia in Sveciæ interiora. Ista Elector per literas ad Polonum referebat, enixe instans, ut Polonica & Austriaca auxilia accelerentur; quod sibi soli rem eam suscipere haut tutum sit. Alefeldius quoque in Poloniam profectus urgebat, ut si Austriaci tergiversentur, Poloni cum Electore rem aggrediantur.

Austriaci tergiversantur. Id quod cum Polonis haut placeret, totum negotium ad Austriacos hærebat; quorum nomine Hatzfeldius quidem laxioribus verbis conjunctioni se paratum offerebat, sed quibus solidi quid superstrui haut posset. Unde vehementer instabat Elector: cum Svecus indies se confirmet, animis præsertim Fridericsuddæ expugnatione auctis, ne horam quidem perdendam, quin validus exercitus in Holsatiam ducatur, irruptione simul in Svecicas provincias facta. Ac ni serio magis ab Austriacis res suscipiatur, satius fore cum Sveco de pace agere, cujus tractatus à Schlippenbachio Berolini offerantur. Etsi hoc rerum statu conditiones longe jejuniores futuræ sint, 19. N. quam si annis fulciantur. Inprimis Elector valde solicitus erat, cum Sveciæ Rex apud Wollinum quatuor bellatorum millia contraheret, ne ipse forte, dum socii dubitant, ex improviso opprimeretur; præsertim cum Belgæ super pace inter Boreales Reges constituenda satagerent. Unde à Polonis & Austriacis certi quid decerni cupiebat, quo tempore, quantis cum copiis, & ubi cum ipso sese juncturi sint. Ad hæc Joannes Casimirus, & Montecuculus, non parum adventu Regis Sveciæ Stetinum commoti, declarabant: Si Elector in sua ditione à Svecis invadatur, sese ad auxilium ei ferendum paratos. Idem ab isto postulare, si Svecus omissa Electoris ditione Poloniam invaserit. Enimvero ista laxiora Electori haut satisfaciebant; eoque is Hoverbequio injungebat, ut Regi, simul Montecuculo, & Lisolæ citra ambages declaret: ista omnia incassum jactari, quamdiu Austriaci in summam rerum haut descendant, & suspecta cunctatione adversæ parti occasionem præbeant ita se confirmandi, ut vim deinde inferendam facile eludere, aut reponere possint. Regi autem & Reginæ Poloniæ seorsim diceret; si ulterius moras nectant Austriaci, Poloniæ nil utilius, quam cum Sveco pacem inire, circa quam ipse extremis viribus pro bono Poloniæ, & Daniæ connixurus sit. Sane monitum se, ab Austriaco exercitu nihil sibi auxilii sperandum: qui & hiberna in Warmia capere cupiebat valde invito quidem Electore, non solum quod propter viciniam collisionis quid cum isto surgere posset, sed & quia Belgæ metuebant, ne Austriaci ad Mare Balticum nidularentur. Agnoscebant Poloni, in Electore nihil desiderari potuisse: Sed Austriacam cunctationem expugnari, magno quidem cum suo dolore, non posse.

§. 12. Ut igitur Elector liquido intelligeret, quid ab Austriacis sperandum foret, Lœbium Baronem ad Leopoldum Hungariæ tunc Regem, & Archi-Ducem Leopoldum Wilhelmum mittere decrevit. Ei in mandatis datum, ut gratias agat pro opera, quam Leopoldus Rex per Lisolam circa pacem cum Polonis conciliandam impenderit; cui cum Elector demonstrarit, quanto ipse periculo res suas ea pace exponat, eundem confirmasse; statim atque Electori cum Polono convenerit, Polonicas copias Austriacis junctas Svecos insecuturas, ac tamdiu in hos, ubicunque locorum inveniantur, sive in Holsatia, sive Pomerania rem gesturas, quoad communis pax obtineatur: addito, Leopoldum per peculiaria fœdera cum Polono ac Dano ad hoc teneri, eamque expeditionem suscipiendam, etiam Electore nihil conferente. Decretum quoque Stetinum obsidere, ac Pomeraniam Svecis extortam Electori reddere, ne ex ea provincia Imperium

Electoris ad Regem Hungariæ legatio. 25. Nov. Ejus mandata.

1657. perium amplius infestetur. Uti autem Elector istam cum Polono tractationem consilio, & opera Leopoldi susceperit; ita eundem his legati pollicitis fidem adhibuisse, ac cum copiis suis in Germaniam revertisse, Austriaco ac Polonico exercitui jungendis. Enimvero cum Brombergam venisset non sine dolore ex Hatzfeldio intellexisse, hunc plane in eam conjunctionem consentire nolle, velut super qua nihil mandatum sibi sit; utut eidem demonstratum fuerit, si Sveco per hiemem quies indulgeatur, eum per Holsatiæ & Jutiæ hospitia ita se firmaturum, ut proximo vere omnibus sit molestiam facessiturus; qui & ad triginta legiones conducendas diplomata distribuisse feratur. Ac Danum, ubi ab omnibus destitutum se videat, ad pacem cum Sveco sese recepturum. Nec dubium, quin Poloni eandem viam sint inituri, ubi rem non majori studio suscipi, ac Austriacas copias per otium reliquas Poloniæ fortunas adedere conspexerint; præsertim cum Svecus omnia se istis reddirurum polliceatur. Nec obscurum, quid periculi Leopoldum maneat, si ea cunctatione sociis ansa præbita sit, ut singuli per peculiares tractatus sibi consulant. Ac candide profiteri Electorem, ni Rex in hoc negotio promta consilia capessat, ac exercitui suo in hostem ut tendat imperet, se, Polonosque quibusvis conditionibus cum Svecis decisuros, quæ sat lautæ ac tutæ offerantur. Ad ista Lœbius liquidum responsum exposceret, professus, ni istud intra quatriduum detur, jussum se infecta re discedere. Si objiciatur, Electori cum Leopoldo nullum fœdus intercedere, eoque hujus auxilium velut debitum exposci non posse; reponeret: Electorem in mora non esse, qui sæpius institerit, ut fœdus inter Austriacos, & Polonos initum sibi communicetur, cui & ipse adscribi velit. Ac Leopoldum ad isthoc auxilii Dano, Polonoque teneri; quin proprii status securitati hoc debere. Si porro objiciatur; Ordines Imperii ægre laturos, leges pacis Westphalicæ infringi, si Leopoldus cum exercitu fines Imperii intret; responderet: extra partium studia positos Ordines bonum id factum agnituros, & quieti Germaniæ inserviens, istum armis ad stabilem pacem compelli, qui armis suis Germaniam semper exercitam teneat, & vicinorum quoque arma in eandem provocet. Svecica quoque arma ex Imperio contra vicinum, & tabulis pacis comprehensum Regnum educta, & magnam partem ibi comparata, jam in diversis Imperii provinciis ali; eaque omnia à Svecis patrata, antequam Leopoldo necessitas adferretur sua arma in Imperium transferendi. Cæteris autem ab Austriaca Domo aversis hoc ipso non plures querelarum causas accessuras, quam habere jam se arbitrentur, quod utique in Polonia contra Svecum hostilia sumta sint. Si denique occinatur; hoc ipso electionem sufflaminari, ac nondum Leopoldo ad Electore de suffragio suo cautum; regereret; eam moram unice à Gallis, & Svecis proficisci, qui & acrius contra nixuri sint, si eorum potentia incrementum sumat. Contra non dubium, quin Sveco in ordinem redacto qui adhuc dissentiant Electores in aliam sententiam flectendi sint. Equidem se studium suum satis jam declarasse, longius etiam progressurum, ni justissima sua postulata hactenus elusa fuissent: ac si nunc liquidius mentem suam declaret, proprii id commodi causa fieri visum iri. Sed post ista obtenta studio in Leopoldum nemini se concessurum. Ista ne divulgentur operam daret, eoque propositionem scripto conceptam ne exhiberet. Quod si Leopoldus in auxilium consentiat, Lœbius postulare jubebatur, ut Montecuculo injungatur Electore exigente copias cum ipso jungere, ac de communi consensu facere, quæ ratio belli exigat, nullo novo ex aula mandato circa singulas actiones petendo, ne per hinc inde missitationes agendi tempora elabantur. 1657.

Austriaci rem extrahunt. §. 13. Ad ista Lœbio responsum: Regem Hungariæ Montecuculo injuncturum, ut Electori pro suo in ipsum studio gratias agat. Circa summam rerum hactenus se cum Electoris sententia conspirare, post factam jam cum Polonis pacem ulterius ad communem securitatem incumbendum. Sed circa eam rem certi quid jam convenisse, nihil à Lisola relatum, qui & ne verbo quidem mentionem fecerit de obsidendo Stetino, aut Pomerania Electori reddenda. Si is tale quid pollicitus sit, præter mandata fecisse. Alias Montecuculo, & Lisolæ injunctum ad Electorem proficisci, ac super conjunctione copiarum agere. Sed ante omnia de fœdere mutuæ defensionis, ac post de offensivo conveniendum, cujus vicem tantisper conjunctio armorum subire possit. Ac de isto fœdere reciproco cum Polonis communicandum, à quibus itidem legatus Berolinum adducendus sit. Ex fœdere cum Polonis, (quod Lœbio communicabatur,) Leopoldum non teneri copias suas extra Poloniam ducere. Constare quoque prius oportere, quantum copiarum unus & alter fœderatorum ad hanc expeditionem collaturus sit. Nec totum exercitum contra Svecos mitti posse, sed partem in Polonia retinendam. Summam rei in eo verti, ut Austriaca & Brandenburgica arma inter se conjungantur contra quoscunque, & in omnem casum. Antequam conjunctio fiat, dispiciendum esse, ubi tantus exercitus commode subsistere possit. Eo fœdere Daniam quoque comprehendendam, & quia fœdus pacis causa ineatur, inter tractandum Austriacos, Polonos, Danos, Electorem unam partem contra Svecum facturos. Sed super his omnibus Montecuculum, & Lisolam cum Electore acturos. Cum manifestum esset ab Austriacis tempus extrahi, ac Lœbius perspiceret confusius secum agi; scripto à se proposita complecti statuit, num liquidius responsum extundere posset; & quia adventus sui causa satis nota erat, tum ne forte inficiarentur tale responsum ipsi datum, si scripto id demonstrare non posset. Nec eo secius complures per dies non sine impatientia quotidie dimitti postulantem detinebant, donec demum scripto conceptum responsum eodem cum priori sensu traderent; qui eo sibi haut satisfactum testatus discedebat. *13. Dec.*

1657. *Id Electori Polonisque displicet.* §. 14. Istud responsum Hoverbequius Regi Poloniæ exponere jubebatur, quid de isto huic videatur exquisiturus. Sane Electorem ex eo nil aliud colligere, quam Leopoldo ad conventum Brombergæ modum arma gerere haut placere, summa curarum in electionem defixa; eoque negotium Polonicum superfunctorie tractare, satisque habere, militem suum opimis hospitiis in alieno frui; Polonis non leviter frementibus, Austriacos haut quidquam eo fine evocatos, ut quæ Sveci reliqua fecerint, ipsi per otium absumerent. Quanquam autem Elector Leopoldo fortunam suam non invideret, eidem quoque promovendæ paratus; tamen cum sibi ac Polono id potissimum agatur, ut pax quamprimum constituatur, quam Leopoldus non nisi obiter spectet: huic citra ambages denuntiandum; à se probe intelligi, quo istius consilia tendant, sed quæ fœderi cum Polono Danoque haut quadrent. Nam Dano inter ambigua ista pereundum, aut ad transactionem fœderatis noxiam descendendum. Poloniæ opes in ipsa Polonia nullo fructu consumi. Sibi quoque proprias ditiones suo milite comedendas. Ac cum Austriaci negent in Imperio sibi quid suscipere fas esse, ne in Borussia quidem ab iisdem operæ pretium fieri. Ita fœderatorum rebus pessum euntibus hostem rerum suarum strenue satagere. Igitur denuo Leopoldum urgendum, ut communem causam juxta placidum agendi modum suscipiat; id nisi fiat Polonis, & Electori haut vitio dandum, si pro captu cum Svecis transigant, Austriacorum rationibus insuper habitis, cum hisce nec ipsorum commoda curæ fuerint. Lisolæ quoque significandum: Electori satis cognitum, super Citeriore Pomerania nihil convenisse. Sed quod res in ea provincia adversus Svecos sit gerenda, id rationibus omni exceptione majoribus tunc adprobatum fuisse, imo ab ipso Lisola propositum velut rem, quam non sua tantum, sed omnium fœderatorum utilitas requirat, & quæ non ex fœdere nostro, sed eo quod cum Polonis initum sit, promanet. Insuper Hoverbequio sat mandatorum esse ad fœdus cum Austriacis concludendum, si id necessarium videatur. Nec adparere, cui usui fœdera Austriaca sint, si, uti in Polonia fit, eorum vi nil agere placeat, quod ab ipsorum rationibus alibi ullo modo discrepare videtur. Unde si Montecuculi, ac Lisolæ iter non alium finem lubeat, quam super ejusmodi fœdere agere; aut si circa copiarum conjunctionem tot relationibus ultro citroque factis, ac decretis opus futurum sit, isto melius supersederi; non minus inani opera futura, si ad promovendam electionem veniant. Ast in Polonia cum à Dano juxta, & Polono Austriacis sua cunctatio exprobraretur, ac hiberna negari inciperent, Hatzfeldius jam liberalior offerre cœperat, in se moram circa conjunctionem non fore, modo Elector in eam consentire velit. Quæ inania erant, cum satis constaret, mandata ei in hanc rem non esse, ac id tandum agi, ut invidia rei infectæ in Electorem devolveretur. Quas offucias & Poloni facile agnoscebant. 1657 Qui tamen cum quærerent, an non Elector eam expeditionem una cum ipsis suscipere velit, si Austriaci vel plane abnuant, vel moras nectere pergant? Hoverbequius responsum declinabat; quod Electori haut arrideret, solis Polonis sociis in Svecos bellum sumere. Offerebant quoque Poloni Hatzfeldio centum uncialium millia, in Austriacum exercitum distribuenda, si protinus cum ipsis Pomeraniam invadere velit. Sed is negabat ita præcipitanter rem suscipiendam, ne Leopoldus pacis in Imperio violatæ arguatur. Si tamen Elector à Svecis impetatur, statim se auxilio venturum.

Austriaci Legati Berolinum accedunt. 24. Dec. §. 15. Ad extremum cum Poloni Austriacos stimulandi finem non facerent, Berolinum accessere à Leopoldo legati Raimondus Montecuculus Comes, & Franciscus Lisola; quibus sese adjunxerat Regis Poloniæ nomine Joannes Lessinius Posnaniensis Palatinus. Aderat quoque è Polonia iterum Detlevus Alefeldius legatus Danicus, qui postquam ibi auxilia magno studio impulisset, idem nunc Berolini urgebat, simul ut fœdus inter Regem Daniæ, & Electorem non ita pridem conclusum ratum haberetur, atque exsecutioni daretur. Cui sese pronum quidem declarabat Elector; Sed prius sibi cum Leopoldo conveniendum, quod solis Polonis sociis tanti rem momenti suscipere haut consultum videretur. Prout nec Austriacis, quod Polonus Danusque instabat, in Holsatiam excursionem tentare placebat, fundamento nondum per fœdus constituto. Sed & in fœdere Danico obscuriora nonnulla erant, quæ illustrari, additis insuper quibusdam, Elector cupiebat. Cæterum in adornando fœdere Austriaco circa numerum copiarum præcipue dissidebatur, quod Austriaci non nisi VIM militum sociis jungere vellent, cum Elector XM exposceret: & quod idem vellet, ut Leopoldus suis auspiciis rem gereret, Svecoque hostem se ferret. Quorum neutrum in mandatis sibi esse legati affirmabant, velut ab officio candidati abhorrens, bello alteri indicto Imperii quietem turbare. Unde opus sibi esse cursorem mittere, qui Leopoldi sententiam super hisce postulatis exquireret. *6. Jan. 1658.* Eo intervallo Danus denuo super suo fœdere ratihabendo, & implendo movebat. *Vim fœderis inter Regem Daniæ, & Electorem initi ab Austriaco fœdere haut pendere, cujus ibi nulla mentio extet; nec moris inter populos esse, tacitis cogitationibus vim conditionum tribuere. Etiam VI Millibus Austriacorum duntaxat junctis posse confici exercitum XXM, quo Electori suffulto æque audaciam fore Svecos invadendi, quam hisce cum XM eidem occurrendi. Longiore mora communi causæ plus noceri, quam illa IVM prodesse queant: ac ob incerta bellorum ingens in mora periculum esse. Regem Daniæ ea mente fœdus iniisse, ut protinus auxilia submitterentur, non demum post tres menses, uti nunc fit. Nimiam exercitus molem brevi famem sibi facere, qua mox atterendus sit. Denique fidem publicam jam intervenisse, quæ sola Principes legibus solutos stringat, salva existimatione haut violabilis; cujus virtute Elector*

1658. *citra moram arma in Svecos expedire teneatur.* Addiderat Lessinius, ut ante Czarnecii adventum de hac expeditione decernatur; qui si denuo rejiciatur, prout levis Polonorum equitatus Svecis par non sit, deinceps in iter denuo pertrahendus non sit. Haut eo secius tamen omnia ad reditum cursoris rejiciebantur. Quanquam & alias imperatorium haut videbatur hibernam expeditionem præcipitare, magna equitum parte inermi, ac laceris pedite vestibus. Ac Belgæ spem fecerant, se quoque huic fœderi nomen daturos, subinde monentes, ne Elector id negotium festinaret. Sed & in aprico erat ab Austriacis id agi, ut absoluto licet fœdere ad armorum conjunctionem non procedatur, nisi electione ad votum perfecta. Etsi Danorum spem interim aleret Montecuculus, asseverans finito heic negotio Cæsaream electionem haut morandam, quo minus protinus conjunctio copiarum sequatur. Nec minus Hafniæ Goëssius promtum Austriacarum copiarum accessum ostentabat, cum illæ adhuc per hospitia quietæ agerent; & istorum ministri omnes artes negotio extrahendo adhiberent.

§. 16. Interea Schlippenbachius, ut quid Berolini agatur expiscaretur, simul turbandis si posset Electoris consiliis, aliquoties ad Sverinum scripserat; se multa paci promovendæ facientia habere, quæ ipsi loco quopiam intermedio communicare velit. Id quod Elector consciis fœderatis permittebat; præsertim cum inter istas Austriacorum cunctationes non inutile foret hisce suspicionem injici, velut expedita ipsi ad instaurandam cum Sveco amicitiam via pateret. Congressu Neobrandenburgi Meclenburgicæ oppido Schlippenbachius multa de Caroli Gustavi in pacem studio jactabat; *haut tamen communi paci constituendæ idoneam rationem judicare, si eodem loco & tempore cum omnibus, quorum intersit, tractetur, quod tam diversæ indolis negotia sibi mutuo impedimento futura, multumque temporis absumtura sint.* Contra Sverinus: *socios ita arcte invicem illigatos, ut unus citra alterum tractare nequeat: ac singulorum securitatem requirere, ut pace cum omnibus conclusa arma ubique ponantur. Quæ rationes Regem permoveant ad pacem cum Polonis faciendam, easdem & persvadendæ paci Danicæ valere. Non minore vicinos invidia æstuare, ne Dania ab eodem opprimatur, quam antea, cum Poloniæ exitium imminere videretur. Unde Regi, si de studio pacis Orbi fidem facere ac amicos juxta atque inimicos suspicione liberare velit, inita cum omnibus pace arma ponenda.* Ad quæ Schlippenbachius: *Regem quidem consensisse, ut omnibus quorum intersit ad locum tractatuum Polonicorum mittere integrum sit: utque eodem tempore cum Dano tractatio suscipiatur, sed diversis locis, ne disparia negotia mutuo implicentur. Eidem quoque satis perspectum, utut Daniam subigendi facultas foret, ob invidiam tamen aliorum, ac inprimis Belgarum possessionem admodum lubricam fore. Dano tamen, à quo injuste lacessitus sit, vires in posterum nocendi detrahendas. In Austriacos nil ultro tentandum, quibus nil terrarum eripi possit; quod & bellum, utcunque res cadat, citra vastationem Electoralium terrarum geri nequeat.* 1658. *Nec causam esse, quare in Germaniam arma transferantur, illæsis ibi Protestantium rebus, utut Regem ab eo bello abhorrentem Galli valde stimulent. Igitur Electorem haut ægre laturum, si Rex reparationem damni per Danos dati extra Germaniam quærat. Et si Dano pacem redimere in promtu sit data Blekingia, & Babusiensi districtu, ac summa pecuniæ à Belgis suppeditanda, quam alias in auxilia isti ferenda impensuri fuerant.* Inde super loco & tempore congressus differebatur, & quid Regi pro cedenda Borussia dandum. Jaciebat quoque Schlippenbachius de Polonia inter Svecos, Austriacos, & Electorem dividenda; quo fine inter ipsos fœdus ineundum, omnium æmulorum vires elusurum: eamque ob causam Regem hactenus fœdus cum Gallis, & Anglis haut perfecisse. Nam istud destinatum si succedat, eundem Gallicas partes plane abdicaturum. Denique & explorabat, an non Electori placeat iterum in Svecicas partes transire; quam in rem præmium ostentabatur non quidem Stetinum, quod sine hoc oppido reliqua Pomerania nihili sit; sed Borussia Regia, quam Rex Electori curaturus sit, accepta vicissim ab hoc Ulteriore Pomerania, jam mutilata. Ita Electorem utramque Borussiam justi instar regni possessurum. Eam brevissimam esse viam bellum componendi. Quæ Sverinus longe respuebat, ac istiusmodi propositis non parum suspicionem ali, Regem à pace abhorrere. Enimvero inania ista, & ad eruendos aliorum sensus inventa Electorem hautquidquam movebant, quo minus paucos post dies cum Austriacis fœdus mutuæ defensionis concluderet.

§. 17. Cum Ser. & Potent. Princeps ac Dominus Dn. Leopoldus Hungariæ, & Bohemiæ Rex &c. ex una, ac Seren. Princeps ac Dominus Dn. Fridericus Wilhelmus &c. ex altera parte mature consideraverint, quantum hoc tempore strepentibus undiquaque bellis ac bellorum apparatibus, ipsorum Regnis, Electoratui, & Statibus intersit, ut ad quosvis casus, cumprimis ad componendos motus Polonicos, & instaurandam, reducendamque pacem illius Regni; & conservandum S. R. Imperii statum tranquillum, arctiori inter se vinculo copulentur, & de matura defensione ad utriusque securitatem necessaria tam certi reddantur, ut alter in alterius auxiliis certam fiduciam ac fundamentum collocare queat; Idcirco inter S. R. æ Mtis, & Ser. Suæ Elect. Deputatos, idonea instructos plenipotentia, nempe ex parte S. æ R. Mtis Hung. & Bohem. Illustriss. & Excell. Dn. Raymundum Comitem à Montecuculi, &c. & Dn. Franciscum de Lisola &c. ex parte vero Ser. Suæ Elect. Illustr. & Excell. Dn. Ottonem L. B. à Schwerin. &c. Dn. Joannem de Hoverbeck, &c. & Dn. Laurentium Christophorum à Somnitz, &c. dictorum suorum Principalium nomine sequens fœdus reciproce defensivum factum, & conclusum fuit.

Fœdus defensivum cum Leopoldo Hungariæ Rege, 30. Jan.

I. Constans erit & inviolabilis inter utramque partem amicitiæ nexus, alter alterius commoda promovere, damnaque mutuo avertere, & reciproce utilitati ac securitati sedulo consulere studebit.

II. Si

1657. *II. Si S. R. Maj. Hung. & Boh. in suis Regnis, Statibus ac provinciis hæreditariis, in & extra Imperium sitis, quæ in præsentia possidet: vel Sua Ser. El. in suis Statibus ac Dominiis hæreditariis, tam extra Imperium, quam in Imperio, sive antiquitus ab ipsa vel prædecessoribus possessis, sive per pacem Osnabrugensem, vel Welavienses & Bydgostienses Tractatus nuper acquisitis, promissis, pactisque, à Ser. Rege Sveciæ vel ejus in præsenti confœderatis vel adhærentibus quocunque titulo vel prætextu hostiliter impetatur, tunc pars altera ad alterius requisitionem, uno mense post factam ipsi intimationem, tenebitur parti læsæ & gravatæ realiter subvenire cum certo copiarum numero infra determinando, quæ quidem ejus defensioni strenuam navabunt operam, ac pro ea militabunt, quamdiu periculi ingruentis necessitas postulabit, & usque dum pax facta fuerit.*

Quanquam vero hoc articulo dictum sit, quod pars altera partem alteram contra Regis Sveciæ supra dictos in præsenti fœderatos & adhærentes, quocunque titulo vel prætextu alterutram partem impetentes, defendere obstricta esse debeat: hoc tamen intelligendum est pendente quidem hoc bello; pace vero Svecica confecta illa obligatio mutui auxilii locum quidem habebit contra Svecos semper & quocunque casu, contra eorum adhærentes vel fœderatos, quoties conjunctis armis cum Sveco bellum alterutri partium intulerint; non vero ad alios casus extendetur, videlicet si aliquis ex prædictis fœderatis vel adhærentibus Regis Sveciæ solus aliqua alia de causa, quæ nihil cum hoc Svecico bello commune habeat, arma in alterum moverit.

III. Regia Maj. Hung. & Boh. in præmemorato defensionis casu Suæ Ser. El. VIM milites, scilicet equites IVM, & pedites II M armis & omni militari adparatu, & re tormentaria talibus copiis convenienti instructos: Sua Ser. El. autem eodem casu Regiæ Maj. Hung. & Boh. III M D pedites omni similiter apparatu necessario proportionabiliter instructos suppeditabunt. Quamdiu etiam vigore fœderis de conjunctione armorum contra communem hostem agent fœderati, non erunt interea obstricti ad submittenda auxilia hoc articulo utrinque promissa. Licet etiam alterutra partium simul à Svecis & eorum fœderatis vel adhærentibus diversis in locis invaderetur, nihilominus pars altera non tenebitur nisi uno in loco, & contra unum ex hostibus proximum auxilium subministrare.

IV. Victualia omnia copiis auxiliaribus eadem ratione, modo & proportionali quantitate, prout propriis, sumtu illius, pro cujus defensione militabunt, suppeditabuntur. Idque tamdiu, quam in ipsius Statibus pro ipso expeditio illa durabit; stipendium vero militare quisque suis copiis solvet. De apparatu autem rei tormentariæ pro expeditionibus campestribus quisque suis copiis suo sumtu providebit. Ubi vero locus aliquis oppugnandus vel propugnandus erit, tunc ea pars, pro qua bellum geretur, tormenta majora, apparatumque rei ejusdem tormentariæ ad oppugnationem vel propugnationem necessarium suo sumtu præstabit.

V. Directio autem armorum ad eum spectabit, in cujus ditionibus & pro cujus defensione bellum geretur, communicato tamen cum alterius Generalibus consilio: ita tamen ne quidquam, quod summam rei concernat, nisi communi consensu suscipiatur, & cuique in suos iurisdictio maneat. 1657.

VI. Copiis utriusque partis per utriusque ditiones secundum rationis bellicæ exigentiam liber patebit transitus & recessus, cum ordinaria militi subsistentia, & necessitate requirente tutus ipsis receptus sub mœnibus & tormentis civitatum & fortalitiorum reciproce concedetur, ibidemque contra hostium insultus protegentur, è contra vero neutra pars hostibus supra descriptis transitum, commeatum, stativa, nec ullum auxilium directe vel indirecte, per se vel per suos permittet, sed omni conatu & viribus impediet.

VII. Sine utriusque partis vel ejus Plenipotentiariorum scitu, consensu ac præsentia, de pace vel armistitio nulli tractatus institui, multo minus concludi poterunt, & in congressibus, qui pro pace instituentur, quælibet pars alterius utilitatem & securitatem procurare tenebitur.

VIII. Durabit hoc fœdus non solum durante hoc bello Svecico, sed post pacem confectam ratum nihilominus firmumque manebit per decennium, ab ipso die conclusæ pacis numerandum, iisdem ut supra conditionibus cum reciproca defensione contra supradictum hostem, & evictione conditionum, quæ in pacis tractatibus stabilientur. Elapso autem decennio conveniet inter partes de ulteriori fœderis prorogatione juxta rerum exigentiam.

IX. Ser. Daniæ Regi, aliisque Principibus ac Statibus præsens hoc fœdus amplecti cupientibus liber patebit aditus, ut mutuo partium consensu ad illud admittantur.

Conclusa fuerunt hæc omnia inter præmemoratos S. R. M. & Ser. Suæ El. Plenipotentiarios, vigore plenæ facultatis ac mandatorum à suis Principalibus ipsis concessorum, & reciproce commutatorum sub ratihabitione S. R. M. Hung. & Bohemiæ, & Ser. Suæ El. quæ utriusque partis Plenipotentiarii intra spatium V. hebdomadarum, à data hujus computandarum extradendas & commutandas promittunt.

§. 18. Peculiari dehinc Instrumento super modo bellum gerendi pressius ita conventum fuit. *Conventio super modo belli gerendi.*

Notum sit omnibus, quod cum Ser. ac Pot. Princeps ac Dominus Dn. Leopoldus Hungar. & Boh. Rex &c. ex una, ac Ser. Princeps ac Dominus Dn. Fridericus Wilhelmus (t.t.) ex altera parte ex veteribus novisque cum Ser. & Potentissimis Regibus, ac Regno Poloniæ initis pactis Eidem Ser. & Potentissimo Regi ac Regno, bello à Rege & Regno Sveciæ illato nunc implicitis suppetias ferre, tum fœdere quoque inter præmemoratam Suam Reg. Hung. & Boh. Maj. em & Seren. Suam El. recenter inito ipsi inter sese sibi contra eundem Regem Regnumque Sveciæ in quosvis casus mutuo assistere teneantur, & tentatis longo tempore variis modis, mediisque nulla spes affulgeat, dicto Regi Regnoque Poloniæ à memorato hoste pacem honestam ac tutam, nec sibi securitatem paratum iri, nisi unanimi consilio, & conjunctis viribus contra eundem, donec desiderata obtineatur tranquillitas, agatur; re inter

se

1657. *se communicata, diligenterque deliberata super communis defensionis actionumque ad prædictam pacis restaurationem instituendarum rationibus per deputatos plenipotentiarios (priori pacto expressis) in hanc quæ sequitur pactionem conventum est.*

I. Inprimis fœdera defensiva jam ante inter dictos Ser. & Potentissimos Hungariæ & Bohemiæ, Poloniæque Reges, quam eosdem etiam, & Ser. El. Brandenburgicum recenter inita in suo vigore maneant, prout per hanc conventionem corroborantur.

II. In præsenti vero cum dictus Rex Sueciæ contra jus Induciarum Regi Regnoque Poloniæ in Instrumento Pacis Monasteriensis & Osnabrugensis comprehenso bellum intulerit, ac Ser. Suam El. in Ducatu ejusdem Prussiæ infestis aggressus sit armis, tum denique Regiam quoque Hung. & Boh. Maj.tem eodem involverit bello, illudque adhuc trahat, & arma sua tam in dicto Regno Poloniæ, quam alibi etiam teneat, ejusque manifesta tam in Suam R. M. Hung. & Boh. quam Ser. Suam El. molimina & adparatus ex authenticis documentis abunde pateant, atque hinc ex communis dictamine rationis nulla secura pax speranda, sed certæ hostilitates expectandæ sint: ideo conventum est, quod fœderati pactis inter se initis insistentes ex copiis suis certum numerum, scil. Ser. & Potent. Hung. & Boh. Rex VIM equites & IVM pediter exhibebunt, qui huic operationi juxta rationem bellicam, & communia consilia operam navabunt. Postquam vero communibus armis hostis vires eo redactæ fuerint, ut libera communicatio cum Ser. Daniæ Rege pateat, ita ut Fœderati, quoties opus fuerit, cop arum supplementa à præfato Ser. Rege Daniæ percipere, cum eodemque pro lubitu sese conjungere valeant, tunc liberum erit Suæ R. M. Hung. & Boh. IVM ex præmemorato X M numero, si res ipsius ita postulaverit, ad alios usus revocare. Ser. autem & ot. Pol. & Sueciæ Rex IV M equites, III M dragones & pedites, sic tamen ut si ratio belli & necessitas majores vires & numerum postulaverint, is numerus ac vires ad III vel IV M augebuntur. Ser. autem Elector equites IV M D & pedites II M D. cum conveniente utrinque tormentorum bellicorum adparatu inter se conjungere, & hunc exercitum in dictum Regem Sueciæ, ejusque copias educere, & bellum ab ipso inchoatum contra eundem sive in Polonia, sive alibi ubicunque locorum, id cum ejusdem belli ratio, tum pacis reducendæ consilia requirent, gerere, idque ita junctis viribus tamdiu persequi velint, donec desiderata communibus votis pax & securitas constituatur. Si copiæ prædictæ belli huic patrando non suffecerint, de majoribus comparandis pro temporum rerumque conditione inter partes conveniet, & tenebuntur interim istæ omnibus sibi viribus uti opus erit mutuo assistere.

III. Protestantur autem Fœderati, quod si ista ratione ad instantiam sæpe dicti Ser. & Pot. Poloniæ Regis, atque ex communi fœderatorum consilio pro necessaria sua securitate bellum in Regis Sueciæ terras in Imperio Rom. sitas transferendum sit, partes tamen fœderatæ nullo modo pacem prædicti Imperii turbare aut violare intendant, sed hoc tantum agere, ut hac ratione hostis, à quo secura tranquillitas aliter non speranda, ad honestas tutasque pacis conditiones adigatur, præsertim cum ex illis ipsis S. R. Imperii provinciis & territoriis Rex Sueciæ contra fœderatos fortissimam militum manum eduxerit, atque etiam nunc alat. 1657.

IV. De hoc consilio menteque sua, ac inprimis quod reliquis S. R. Imperii Statibus nullum periculum damnumve inferre, ullamve molestiam hac expeditione accersere, minime vero omnium publicam Imperii quietem turbare, sed suam tantum stabilire velint, fœderati facta armorum conjunctione vicinis Regibus, Ser. Collegio Electorali, reliquisque Imperii Statibus quantocyus significabunt, eorumque consilium & auxilium in tam justa causa implorabunt.

V. Fiat autem ista conjunctio armorum, & sistentur prædictæ copiæ auxiliares una cum Polonico exercitu eo loco & tempore, quod in consilio bellico, quod inter partes circa modum & rationem belli gerendi instituetur, specifice determinabitur.

VI. Copiis utriusque partis per utriusque ditiones secundum rationis bellicæ exigentiam liber patebit transitus, & recessus cum ordinaria militi subsistentia, & necessitate requirente tutus ipsis receptus sub mœnibus & tormentis civitatum, & fortalitiorum reciproce concedetur, ibidemque contra hostium insultus protegentur, è contra vero neutra pars hostibus supra descriptis transitum, commeatum, stativa, nec ullum auxilium directe vel indirecte, per se, vel per suos permittet, sed omni conatu & viribus impediet.

VII. Sine utriusque partis vel ejus plenipotentiariorum scitu, consensu, ac præsentia de pace vel armistitio nulli tractatus institui, multo minus concludi poterunt, & in congressibus, qui pro pace instituentur, qualibet pars alterius utilitatem & securitatem procurare tenebitur, & insuper Ser. Sua El. promittit, se nunquam consensum præbituram, ut Ser. Rex Daniæ ullum cum Suecis tractatum pacis aut induciarum ineat, absque Serenissimæ R. M. Hung. & Boh. consensu ac interventu.

VIII. Et quanquam par est, ut rebus ac temporibus pro earum ratione opportunum semper capiatur consilium, in præsentiarum tamen omnium consensu hoc determinatum est, quod copiæ prædictæ in hosticum, ubicunque id belli ratio dictabit, duci debeant, donec partium consensu de ulterioribus belli administrandi rationibus pactum sit. Quod autem attinet ad determinationem loci, ubi hæc in Suecos operatio erit primum instituenda, hoc communi fœderatorum assensu Ser. Suæ Electorali delatum est.

IX. Conjunctione facta Generali cujusque exercitus sit jurisdictio in suos, ad summum autem in omnes imperium quod spectat, id illi deferatur, qui ex fœderatis Principibus in persona aderit, & si plures simul adsint, ex fœderatis Principibus, belli directio ad eum pertinebit, cujus dignitas erit potior. Illis vero absentibus, si in terris alterutrius bellum geratur, ejusdem belli directio spectabit ad Principem, ad quem terræ istæ spectant, licet absentem, qui mandata ad directionem necessaria destinabit ad eum ex Generalibus, qui potiore functione seu munere militari prævalebit. Bellum autem communi consilio administrabitur, hac tamen semper & ubique lege, ut nihil agatur, quod summam rei concernit, aut majoris sit ponderis, nisi communi placito fœderatorum Generalium.

1657. *Si vero sententiæ discrepaverint, res decidetur juxta pluralitatem votorum inter fœderatos, ita ut quælibet pars unum tantum votum efficiat.*

X. Si per unius vel alterius fœderatorum terras exercitum vel singulas etiam cohortes duci, vel in iisdem pro illius fœderati defensione de communi consilio diutius stare necessum fuerit, commeatus iisdem ab eo, per cujus ditiones ducentur, & pro cujus defensione illic militabunt, in itinere, & quamdiu ibi stabunt, sumtu defensi præstabitur; reliquum vero stipendium militare quisque suis copiis solvet.

Articulus secretus. §. 19. Conceptus quoque fuit ab Electoralibus articulus secretus, quo per Leopoldum probato isti ratihabitionem fœderum promiserunt, quem & Austriaci Leopoldo sese propposituros receperunt. Ejus formula isthæc erat.

Cum ad justam defensionem, pacemque citius & securius consequendam rationis bellicæ necessitas exigat, ut hostis non solum in campo, sed intra sua etiam munimenta invadatur, & aliquæ urbes vel fortalitia vi vel deditione potestati fœderatorum Principum subjiciantur; Ideo ad præoccupandas controversias omnes, quæ inter Sua R. M. Hung. & Boh. & Sua Ser. El. exercitus ratione locorum, quæ in Pomerania occupabuntur, oriri possent, hæc reciproca declaratio inter utriusque partis plenipotentiarios facta fuit, quod Sua R. M. Hung. & Boh. nihil in tota Pomerania juris prætendat, ac inter partes convenit, quod præsidia permanentia, quæ in locis infra specificatis, (si illa obsidione vel quovis alio modo occupari vel accipi contigerit,) collocanda erunt, illa à Ser. Sua El. imponentur, scilicet Stetino, Dammiæ, Wolgasto, Demmino, Anclamo, Gryphiswaldiæ, Stralsundio, Wollino, quodque Sua R. M. Hung. & Boh. sumtus bellicos à Sua Ser. El. non repetet, nihilque in dicta Pomerania in præjudicium Ser.is Suæ detinere intendat. Ex prænominatis tamen locis, quibus Ser. Sua El. præsidia imponet, contributiones, aliaque omnia emolumenta ex iis & eorum districtibus provenientia inter partes juxta militum numerum proportionata distributione durante bello dividentur. De cætero quoad transitoria præsidia, & locorum ac fructuum usuram, & loca pro stativorum & passuum opportunitate, aliaque ad belli usum & exercituum conservationem spectantia, distributio pariter fiet secundum præfatam proportionem, de qua inter partes ex æquo & bono juxta rerum eventus, & rationis bellicæ exigentiam amicabiliter conveniet. In iis autem locis tempore possessionis nihil in statu religionis immutabitur à Sua R. M. te vel ejus officiariis. Neutra quoque pars sine alterius scitu & consensu evacuationem locorum occupatorum paciscetur.

Polonica adprobatio. §. 20. His pactis Lessinius Posnaniensis Palatinus ejusmodi adprobationem adjiciebat:

Cum ad instantiam Serenissimi & Pot. Poloniæ ac Sueciæ Regis Domini mei clement. ac Reip. hodierna die conventio inter Ser. & Pot. Hungariæ & Boh. Regem, & Ser. El. Brandenburgicum de operationibus bellicis contra Regem Sueciæ, & mutuam omnium defensionem, & securitatem stabiliendam, ac inprimis ad pacem restaurandam facta sit; idcirco ego infra scriptus fidem facio, hanc prædictam conventionem Ser. ac Pot. Regi Domino meo Clem. gratam fore, eamque in iis, quæ Suam R. M. concernunt, approbandam & acceptandam esse, hoc scripto meo promitto. 1657.

Enimvero fœdus hoc, utut mature à Leopoldo, dum Praga Francofurtum proficiscitur, Winsheimi confirmatum, Daniam imminenti calamitate subducere haut valuit, quod inter istas moras Sveciæ Rex glacie pontis vicem subeunte in Fioniam penetrasset. Ad quem nuntium, anxie flagitantibus ministris Danicis etsi fœderati circa approperanda auxilia movere inciperent; tamen antequam è diversis ac remotis locis copiæ exciri possent, jam Svecus in ipsam usque Selandiam, inusitatæ glaciei opportunitate non sine audacia usus, pervaserat, ac Daniæ Regem ad duram pacem compulerat. Unde fœderatis tantisper consistendum erat, quoad Svecorum motus ad eadem consilia exsequenda necessitatem adferret. *27. Febr.*

§. 21. Effecit inusitatus iste Regis Sveciæ progressus, ut Elector ad maturanda Imperii comitia incumbere inciperet, quæ hucusque varias ob causas extracta fuerant. Vivis excesserat Viennæ Ferdinandus III. apud cujus filium Leopoldum Elector officio consolationis per Lœbium defunctus est. Eam mortem literis pergameno inscriptis pro more Moguntinus denuntiabat, indicta quoque electione ad diem quartum Augusti; quas literas Philippus Caspar Rickius adhibito Notario & testibus Consilio Electoris Berolini tradebat. Electorem tunc Borussiæ negotia valde distinebant, quibus compositis in Germaniam reverti, atque electionis actui interesse lubido erat. Unde per literas Moguntinum rogabat, ut spatium trium mensium ab Aurea Bulla definitum paulisper prorogetur. Sed iste id penes se negabat esse, ne reliqui Ordines ansam inde arripiant coitione facta aliquid in fraudem jurium Electoralium machinandi. Haut tamen Electores, eorumve Legatos ita accurate die dicta adfuturos, aut protinus conclave ingressuros, sed præviis consultationibus aliquod tempus dandum fore. Sed quia dies electionis omnibus Collegis jam denuntiata sit, eam citra horum consensum proferri non posse. Erat tunc Status Germaniæ admodum periculosus, ardente hinc bello in Polonia, inde in Belgio, Leopoldo adhuc minorenne, Gallis minantibus, ac dignitatem Cæsaream in aliam familiam transferre molientibus. Eo magis Electori curæ erat in quem Collegæ inclinarent cognoscere. Quo fine Moguntinum inde Trevirensem, ac Palatinum adire jussus est Joannes Portmannus, simul ut dolorem super morte Cæsaris testaretur. Si quis istorum mentem suam super futuro Cæsare clarius aperuit, eandem quoque sibi privatim esse affirmaret; sed in quem ipse Elector inclinet, id à se ignorari ferret. Apud Palatinum emolumenta Protestantium, apud Moguntinum & Trevirensem concordiam inter utriusque religionis consortes & publicam quietem ingereret. Moguntinus tectus, ac dissimulandi solers in neutram

Comitia Leopoldi. — 2. April. st. n. anno 57. — 17. April. — von Ricken. — Elector electionem differri cupit. — 30. April. — 12. Maii. — 20. April. Elector Moguntini sententiam explorare conatur.

1657. neutram partem inclinationis quid ostenderat. *ut & Palatini.* A Palatino literæ fiduciariæ redhibebantur, quod titulum Vicarii Imperii non exprimerent; ad colloquium tamen admissus ablegatus, cum scripto testaretur, Electori non constitisse, cum mandata sua conscriberentur, ab ipso Vicariatum susceptum. Is electionem properandam judicabat, prævertendis incommodis è præsenti rerum facie orituris; ac ne longiore interregno Principibus spatium detur aliquid in Electorum eminentiam tentandi plerisque invisam; tum ne Bavarus Vicariatum suum per moram confirmaret. Circa candidatos ambigere, & ut magis quid cuique obstaret, quam cui suffragium daturus esset, innueret. Si Austriacus creetur, exteros Reges id ægre laturos, cum in præsens penes Electores sit eam Domum præterire; quod nec ipsum tamen periculo vacet. Leopoldum quoque adhuc minorennem; inter Leopoldum Wilhelmum, & Oenipontanos litem surgere posse: Gallo receptum morem obstare, & in præsens magis quam Caroli V. tempore istius Imperium declinandum, quod Galliæ tunc opes tantæ non essent, ac res Germaniæ melius sese haberent. Bavarum quoque se aversari, qui jam usurpato Vicariatu Cæsarem admodum quidem imperiose agat, minatur, ni copias suas Weida oppido educat, se vi eos expulsurum; cum ipse Cæsar ad talia haut descenderit. Eundem quoque Spiræ Palatina diplomata refigi, suis contra repositis, jussisse, proscriptionem urbi minatum, quæ ob jus clientelare in Palatinum pronior habeatur; magno insolentiæ specimine in propria causa judicis autoritate sumta, cum ne Cæsari quidem hoc modo procedere fas sit. Quid eundem Cæsarea dignatione fultum non ausurum? Neoburgico pro isto fastigio haut pares opes. Quin id agendum, ut è Protestantium numero Cæsar creetur, & quem alium quam Brandenburgicum, amplissimis ditionibus conspicuum, ac Galli Svecique favore subnixum? De cætero electionis diem haut proferendam, nec capitulationi quid addendum, demendumvé. Num eminentiæ Electorum aliquid addi possit, videndum quid tempus ferat. Ab Electoribus conventum ante electionem haberi supervacuum esse. *atque Trevirensis. 3. Maji.* Trevirensis nondum certi quid secum statuisse ferebat, cui suffragium suum addicturus sit; etsi satis animadvertebatur eundem in Leopoldum inclinare. Expressam electionis prorogationem fieri non posse; nec tamen occasionem defore tempus extrahendi.

Coloniensis sententia. 14. Maji. Cansteinius. §. 22. Super eodem negotio ad Coloniensem missus est Rabanus Cansteinius. Is itidem à prorogatione electionis abhorrebat, quod metuendum sit, ne hujus anni expeditione aliquid accedat, ut post Galli Hispanive, ac forte Sveci Imperio leges præscribere audeant. Susceptam tamen electionem haut præcipitandam, ac prius capitulationem accurate adornandam. Circa futurum Cæsarem de Gallo primum jaciebat, quod Aurea Bulla disertis verbis haut vetet extraneum sumi: Et credebat Electorem in istum pronum esse; quam opinionem Cansteinius eidem eximebat. *1657.* A Gallis Neoburgicum commendari fatebatur, sed quem Electori parum gratum norit. Bavari mentem diligenter à se exploratam; sed non nisi ambigua retulisse, ac videri istum à Matre ac ministris non nullis valde retrahi. Moguntinum quoque circa expiscandam ejusdem sententiam frustra sategisse. Sibi persvasum, ab eodem id fastigium haut affectari, utut Sabauda socrus ipsum valde stimulet: contra Gallos non admodum eidem favere. Quin eundem gravem Imperio futurum videri, ministris ejusdem jam jactantibus; delata corona Cæsarea annuos aliquot milliones ab Imperio ipsi conferendos tuendæ dignitati. Si utique ex Austriaca Domo Cæsar sit habendus, Regi Hungariæ Archi-Ducem Leopoldum Wilhelmum præferendum, cui ab isto ditiones huic dignitati sustinendæ cedi oportere. Haut quippe ferendum, ut is Cæsareo diademate potiatur, in quem Hispanicum quoque ac Polonicum videatur devolvendum. Equidem Hispanos Leopoldo Wilhelmo refragari, nec permittere velle, ut quidquam terrarum illi tradatur: eidem tamen insistendum, ac Austriacos demum satius habituros istum Cæsarem fieri, quam id fastigium in aliam familiam transferri. A Gallo tamen & hunc repudiari, qui plane Austriacos excludi cupiat, ac spargere non dubitet, sibi in hanc rem super Brandenburgici sententia cautum esse. Cæterum Archi-Ducem placido ingenio esse, nec Hispanorum rationibus adeo addictum; cui & Trevirensis suffragium daturus speretur. Moguntinum quoque confirmasse, si Brandenburgicus accedat, se quoque eadem inclinaturum, sic ut major suffragiorum pars confici possit, utut forte Bavarus, Saxo, & Palatinus in Leopoldum inclinent. Nam hunc velut Bohemiæ Regem sibimet ipsi suffragium dare non posse. Archi-Duci quoque id favere, quod nimiis opibus libertati Ordinum non sit suspectus; ac utique è Rep. videri, aliquando extra ordinem successionis declinari, ne Imperium in conditionem hæreditatis abiisse videatur. Denique istum Cæsarem fore plane Germanum, cui solius Imperii rationes cordi sint futuræ: cum contra Rex Hungariæ Hispanis plane mancipatur, aut ministris suis obnoxius videatur futurus. Hoc quoque modo divisionem in præpotente Domo excitari posse. Nec esse, quod Elector metuat, ab isto actionis aliquid in Borussiam motum iri, cui potius curæ sit futurum ipsum beneficio sibi obstringere. Denique si hoc Cæsare potiri non detur, vel Gallo imperium deferendum. Porro circa capitulationem accurate præcavendum, ne futurus Cæsar alienis sese bellis ingerat absque consensu Electorum & Ordinum; nec concedendum, ut præter Imperatoriam coronam alias quoque acceptare possit. Tum ut Consilium Aulicum per Electores ordinetur. Monita quoque cæterorum Ordinum audiri posse, si ultro ista exhibeant: invitandos haut esse. Austriacos itidem de proroganda electionis die movisse ob minorem Leopoldi

1657. Leopoldi ætatem; sed id petitum elusum. Quanquam alias electio haut præcipitanda videatur.

Bavarus legatum Electoris non admittit. 11. Juli

§. 23. Ast Monachii Cansteinio accessus ad Electorem negabatur, quod literæ fiduciariæ titulum Vicariatus non exprimerent, ne privati quidem forma alloquio permisso. Id quod is ægre ferens non sine offensæ significatione discedebat. Obiter tamen exploraverat, Bavarum dignitatis Cæsareæ haut cupidum; dum modesto ingenio, ac recreationibus vacare gaudentem, simul pecuniæ parcum, ac magnarum expensarum metuentem. Qui & plane à matre pendebat, quæ nunquam, ne in ipsa quidem venatione, ab eo discedebat. Idem quoque Francofurtum haut accedere constituerat, quod necessarium videbatur, si diadema cordi foret. Alias is non repugnabat, quo minus dies electioni dicta prorogaretur, idque petentibus Austriacis dederat; cum alias mora ipsi noxia fuisset, si idem Cæsareum fastigium affectasset; quo casu & à ratione plane abhorrebat Electorem non admisso legato protelasse.

Saxonis sententia. 11. Jun.

§. 24. Saxo apud Lœbium ad se missum declarabat, prorogationem diei ad electionem dictæ fieri non posse; quæ & anno duodecimo, ac decimo nono hujus seculi proposita, nec tamen obtenta fuerit; ac inter armatos exteros interregnum periculosum. Circa capitulationem emendandam se deliberaturum. Conventu Electorum ante electionem opus non esse, ac per legatos mature missos prævia negotia in antecessum expediri posse. Monita Ordinum circa capitulationem admitti posse, si eminentiæ Electorum non repugnent. Super futuri Cæsaris persona nihil adhuc se constituisse: ac Aureæ Bullæ adversari aliquem nominare, antequam in conclave eatur: extraneo tamen suffragium non daturum. Cæsarem Protestantium sacris addictum optandum magis, quam sperandum; nec adparere, qui eam dignitatem vindicare queat, discordibus inter se Borealibus Regibus, nec ita paratis Protestantibus, ut id negotium pervincere queant. Circa litem Vicariatus Saxo plane Bavaro addictus erat, qui & Ægidium Strauchium Spiram miserat, Cameræ denuntiaturum, ut jus Bavari Saxonisque nomine dicerent, tradito quoque sigillo, quo per interregnum uteretur, Bavarica & Saxonica insignia exprimens.

Strauch.

Super eligenda persona considerationes.

§. 25. Cæterum cum inter candidatos facile cæteros emineret Leopoldus, quid circa hunc in utramque partem adferri posset, in consilio Electoris accurate trutinabatur. Ac in favorem quidem Austriacæ Domus disserebatur: *fastigium Cæsareum tamdiu penes eandem fuisse, cui & præ cæteris Germaniæ Principibus vires sint repellendæ Turcarum potentiæ. Ab ea si discedatur, non posse non turbas in Germania oriri: quo & ipso Hispania debilitanda sit; ac ex alia Domo Cæsarem sistendis Galliæ & sociorum progressibus haut parem fore.* Contra hæc alii adferebant; *continuatum in eadem Domo imperium multa hactenus incommoda peperisse. Sane proxima Ferdinandi IV. electione, ubi in hunc consensum esset, Brandenburgici nullam amplius rationem habitam, ac Augustæ aperte à Cæsareis jactatum; etiam ingratiis ejusdem sese cupità numero suffragiorum pervicturos. Coloniensem, cum invitante Ferdinando Cæsare Pragam accedere, ac monitis suis ad Capitulationem desistere nollet, ignominiose habitum: eidem auxilia contra Lotharingum, in conspectu Comitiorum insultantem, denegata: Comitia subito abrupta, cum super stabilienda Imperii securitate quam maxime agendum foret, ac non minimam temporis partem absumtam novis Principibus in Senatum introducendis. Quæ omnia, præter ea, quæ ab initio belli Polonici per istos acta sunt, testentur, Austriacos continuationem fastigii Cæsarei in sua familia quovis modo quærere, ac dum Senatum talibus implent, quos Imperii salus parum tangit, dissidia inter Ordines serere; ac horum vires, autoritatemque infringere, ac sub inani electionis specie hæreditarium regnum struere. Sed & ex opibus per Ordines collatis à Cæsaribus præcipue postremis parum bellis in Turcas impensum, ac eosdem fere ministris Cæsaris, aut huic obnoxiis per aulas Principum in prædam cessisse. Atqui Regem Hungariæ, & Bohemiæ eodem studio propriis viribus sua adversus Turcam tueri laboraturum, quam si id Cæsareo nomine fiat. Cæsarem quoque ex alia familia, si revera periculum à Turca immineat, non minus istis provinciis reliquam Germaniam tegentibus subventurum, quam si is Austriacus sit. Nam invitos Ordines ad tributa compelli non posse; sed ubi ratio id suadeat, æque libenter sub alio Cæsare, quam sub Austriaco collaturos. Oriantur porro motus ex mutatione: num tamen ideo servitii periculum subeundum? Ubi metus adfuerit, electioni libertatem non constare. Si electio inanis ritus sit, quid aliorum Ordinum interesse, num successio absque electione fiat, an soli Electores isto defungantur? Nam hoc modo Electoribus umbram alicujus commodi adcrescere, quod re ipsa splendorem genuinæ dignationis Electoralis obfuscet: Ordinibus neque rem neque umbram relinqui. Ast si electio non inane vocabulum esse debeat, id agendum, ut Hispaniæ, ubi id ex usu Germaniæ sit, sub idoneo Cæsare certis legibus adstricto adsisti possit. Et Gallis & Hispanis Imperium contemtui fore, ubi alterutri horum se subdiderit. Ast si idem veteri in statu persistat, suasque res propriam ad salutem dirigat, penes idem fore æquilibrium inter istos temperare. Hispaniam ita firmare, ut Gallia plane succumbat, esse viam servitio munire. Austriacis sat virium esse sibi conservandis etiam ablata dignatione Cæsarea. Contra hujus possessione continuata facile eisdem fore viam ad Monarchiam struere, cui ingentes in Imperio provinciæ, multique clientes in omnibus Principum aulis sint, artesque Ordinibus illudendi. Præstare denique ut omnes Ordines saltem potentiores sint armati, quam solus Cæsar. Ubi periculum immineat, ab omnibus Ordinibus quæ res exigat conferenda, & ab ipsis quoque Austriacis & Bohemis. Quod si penes alium Cæsarem moderamen sit, pacem iniri posse, quando id ex usu Germaniæ sit. Ast si armato Cæsari Austriaco res committatur, cum opibus Germaniæ bellum privata* 1657.

ad

1657. *ad rationes gesturum, nullo ad communem Imperii utilitatem habito respectu.* Enimvero quanquam ista sat plausibilia videbantur: constabat tamen in negotiis civilibus non tam illa sequenda, quæ rationum solerter excogitatam specie blandiuntur, quam quæ conditioni præsentium rerum accommoda sunt.

Mandata legatorum ad electionem missorum. *17. Jun.*

§. 26. Cum itaque obtineri non potuisset, ut condito decreto dies electioni dicta proferretur, Elector ne in mora esset, nec ut ipse Francofurtum iret, vicinorum arma ferrent, suas vices obituros designabat Joannem Mauritium Nassoviæ Principem, Rabanum Cansteinium, & Fridericum Jenam. His mandatum: operam darent, ut ad dictam diem Francofurti sint, excusarentque Electoris absentiam, quem à ditionibus suis abesse gravissimæ rationes non permittant. Aliorum mentem dextre expiscari studerent: Sed ipsi ita se gererent, ut ne apud quempiam ea opinio excitetur, velut Elector privatos ob respectus præter rationes Reipublicæ in unam aut alteram Domum oculos conjecerit; ac inprimis ne quid suspicionis oriatur ob fœdus ipsius cum Sveco, quod ex necessitate susceptum Borussiam duntaxat spectet, à rebus Imperii planè alienum. Super primario negotio proponerent; circa futurum Cæsarem id præcipue considerandum, ut ei cum exteris amicitia constet, ne per ejusdem privata litigia patria bello implicetur. Nam per legem Aureæ Bullæ ipsis jurandum, quod suffragia sua dare velint idoneo: & qui Imperio sit utilis. Ad quem finem id cumprimis facturum, ut eligendus, si per Instrumentum Pacis adhuc aliquid restituere teneatur, id reipsa præstet: ut si idem aperto bello implicitus sit, ejus ratio nisi armis positis haut habeatur. Quod si idem in bellum nondum descenderit, circa arma tamen paranda occupetur; ut non solum delectus militum omittat, sed & conductitios, queis ad præsidia opus non habeat, exautoret. Cui consequens sit, ut idem bello Polonico sese haut quidquam ingerere debeat, cum is, qui cum vicino bellum meditatur, in legem regiam jurare nequeat; quem &, si maxime velint, Electoribus admittere nefas sit. *art. XIV. capitul. Ferdinandi IV.* Ac si cæteri hoc monito insuper habito haut eo secius ad electionem procedere velint, demonstrarent, Germaniam hoc modo in certissimam calamitatem conjici; protestati tamen, sibi non in animo esse electionem remorari, sed id per incumbens officium dictari, & se extra culpam fore, hisce neglectis Resp. detrimenti quid capiat. Sed & reliquos Ordines, ubi hoc modo pacem, & salutem Imperii periculo exponi viderint, id silentio haut transmissuros non sine prærogativæ Electoralis imminutione. Cæterum sibi perinde esse, quisnam legitima via ad istam dignationem perveniat, dummodo sit *bonus, idoneus, & utilis, & pro salute populi Christiani*: ut Germania sub ipso stabili paci gaudeat, nec per eundem novis calamitatibus immergatur. Neque isthæc per angustias temporis, ab Aurea Bulla definiti, eludenda. Nam eam de ejusmodi casibus capiendam, ubi Status Germaniæ tam promtam electionem fert. 1657. Nec ita stricte Electoris isti constitutioni alligatos, quo minus ob salutem Imperii circa quædam summam rerum non spectantia communi consilio in diversa abire queant. Ac incongruum esse, formulis, ac processui electionis ita presse inhæreri, neglecto primario negotio, quod in creatione justi, idonei, & utilis Imperatoris vertitur. Exempla nota esse, & in hunc usque diem Germaniam ingemiscere, quod insuper habita patriæ tranquillitate ad electionem festinatum fuerit. Quod si igitur candidatus proponatur, in quem hactenus monita quadrent, legatis plenam facultatem fore huic Electoris suffragium dandi. Circa capitulationem iidem cum Saxone, & Palatino consilia conferrent, ne Catholici majore suffragiorum parte in fraudem Protestantium abutantur, neu quid in horum fraudem isti inferciant. Sed super servanda Electorum prærogativa cum omnibus nulli sacrorum discrimine consilia, operamque conferant; ac si cæteri Ordines circa hanc electionem plus sibi arrogare velint, quam per leges & consvetudinem ipsis competit, cum reliquis Collegis omnia facerent, quæ in commune utilia judicanda sint. Quod si Ordines ad articulum octavum Pacis Westphalicæ provocent, ostenderent; ista jam penitus effectui data, Ferdinandi IV. electione, ubi capitulatio ab Electoribus inter Comitia concepta fuerit, cuilibet Ordinum tunc plena monendi libertate concessa. Sed quod apud singulas in futurum electiones Ordinibus aliquod jus super Capitulatione satagendi competat, id Tabulis Pacis haut tradi: nec verba *certæ, constantisque capitulationis* cavillanda esse, velut nova capitulatio quamvis additionem aut mutationem respuat; cum ista utique temporibus accommodanda sit, mutationi quam maxime obnoxiis. Ast ubi Ordines separatim, usitataque forma, & citra detrimentum Electoralium jurium monita sua offerant, par esse, ut circa æqua, & Imperio proficua istorum ratio habeatur. Inprimis ista capitulationi curarent inseri; ne futuro Cæsari, ejusve Consiliario Aulico potestas competat interpretandi Constitutiones Imperii, Sacram, & civilem Pacem, ac Westphalicæ Pacis Instrumentum; Sed ubi circa ista dubii quid occurrat, id de consensu Ordinum declaretur. Ut Evangelicis Ordinibus apud aulam Cæsaris publicum ritus sui exercitium concedatur, saltem pro se, ministrisque suis publicis, una cum honesta, & libera mortuorum sepultura. Ut statim post electionem gravamina Evangelicorum nuperis Comitiis exhibita abrogentur, ac omnibus Ordinibus absque sacrorum discrimine jus dicatur. Deniq; ne nova vectigalia instituantur, aut vetera augeantur, nisi cum consensu omnium & singulorum Electorum, nemine dissentiente. Circa prævias deliberationes monebatur, ne nostri ab examine procuratoriorum excludi se paterentur, uti electione Ferdinandi II. tentatum fuerat. Circa Conventum Deputatorum, quem reliqui Ordines continuari, Moguntinus suspendi, Palatinus tolli velint, nostri plurimum sententiæ accederent.

 Cum

1657. Cum etiam more sit receptum, ut Electorem legati præter eum, qui Principis personam repræsentat, ejusque locum obtinet, Moguntino stipulata manu promittant de silentio, & quod extra feudale vinculum nulli alteri sint obstricti; Princeps Nassovius velut primarius legatus istud promissum ne præstaret, ni idem ab omnibus qui adsunt Electoribus præstetur. Circa controversiam super Vicariatu nostri amicam compositionem suaderent, saltem ne Palatinus inauditus opprimatur; ac si nullum temperamentum inveniri queat, ea his post electionem amicæ disceptationi seponeretur. In ipso electionis actu primario legato jusjurandum quondam præstandum fuerat in Electoris, suamque ipsius animam juxta formu-
1619. lam Aurea Bulla contentam. Sed in electione Ferdinandi II. Publicium jurasse: *ita me Deus adjuvet per Christum Filium ipsius*, omissa *Sancti Evangelii* mentione. Ei formulæ nunc quoque inhærendum, etsi electione Ferdinandi
1636. III. in Schwartzenbergii velut Pontificii arbitrium collatum, qua formula uti vellet. Post solennem proclamationem electi primarius legatus in deductione, & sequenti coronatione Sceptrum novo Cæsari ipse præferret, non adhibito vicario Zollerano. In controversia inter Moguntinum, & Coloniensem super diademate Cæsari imponendo nostri in neutram partem studium ostenderent, & amicam transactionem ingererent. Denique quia multorum querimoniis agitatur, capitulationem quantumvis accuratissime conceptam haut servari, nostri cum aliis consultarent, an non necessarium sit eidem legem commissoriam expressis verbis inseri? ut Cæsar ista non servata ipso facto Imperio excidisse sit censendus, ac declarationem statim ab Electoribus faciendam: ac ut constet, num Cæsar obligationi suæ satisfaciat, Electoribus ex præscripto Aureæ Bullæ quotannis, aut quoties opus fuerit, per se aut legatos conveniendum, de hoc & aliis ad salutem Imperii spectantibus consultaturis.

Coloniensis Leopoldo difficultates movet.

§. 27. His cum mandatis Francofurtum præmissi Cansteinius, & Jena animadvertebant, Coloniensem quam maxime circa difficultates adversus Austriacos serendas occupari, instigantibus fratribus Furstenbergiis Francisco Egone, & Wilhelmo, à quorum consiliis iste pendebat. Eos conatus cum summam Germaniæ perturbationem parituros Elector perspiceret, datis ad istum literis ostendebat;
21. Aug. *haut videri sibi in præsens de mutatione cogitandum; quin potius ei familiæ favendum, quæ propriis opibus ad tuendum Imperium polleat. Equidem æmulationem id pariturum; Sed non tam hanc, quam periculosas distractiones in Imperio respiciendas: ac jura Electorum valde imminutum iri, si è libidine exterorum pendendum sit. Sed nec in Germania esse, qui tantos sumtus ferre possit absque alienis subsidiis; quæ Imperio magnæ fraudi cessura sint.* Ad quæ Furstenbergii nomine Colo-
5. Sept. niensis differebant: *Haut sufficere conventionem Cæsaream probe adornasse, quam nemo electus acceptare unquam tergiversatus fuerit: sed id agendum, ut eadem probe stetur. Id hoc modo obtineri posse, si eligatur, qui nullas alias præter communes Imperii rationes sequatur; qui & nullibi conservationem sui quam per Imperium invenire queat; eoque necessum habeat unice Ordines respicere, ac eorum studia affectare. Tum ut idem iis sit opibus praditus, ut splendorem istius fastigii tueri possit, neu eidem pudori sit; ut tamen istæ opes Imperio fraudi, & formidini ne cedant, sed ita temperentur, ut Ordines easdem librare, & ad servando conventa necessitatem isti adferre queant. Eam unicam rationem esse compagem Imperii, quæ ex observatione conventionis Cæsareæ pendet, tuendi. Unde satis adparere, qualem Cæsarem dici Germaniæ quam maxime expediat. Equidem se omnes candidatos debito honore æstimare, ac neminem eorum censuræ subjicere velle; sed quid sibi videatur, citra livorem dicturos. Collegas suos Ecclesiasticos in Leopoldum Wilhelmum respicere. Ast huic ab Hispanis ne vicum quidem concedi tolerandis sumtibus, velut inde noxia divisio, & debilitatio Austriacæ Domus secutura sit; quin jactare, præter Regem Hungariæ neminem ex ea Domo ad Cæsaream dignitatem provehendum, si vel in tertium aliquem eadem devolvenda sit. Ita de hoc cogitationem plane abjiciendam. Circa reliquos ex eadem familia plurima esse, quæ expendi debeant. Equidem Leopoldum plane excludendum à se non pronuntiari. Circa hunc tamen considerandam non solum ætatem, sed & bellum Polonicum, cui sese immiscuerit, offensamque Galliæ. Sane Mazarinum, apud quem nuper fuerint, confirmasse, Galliam utique bellum ipsi facturam, cujus mala totum Imperium sensurum sit, velut quod consilia, & acta Austriaca probet. Equidem istam Domum sumtibus ejus dignitatis tolerandis sufficere; sed experientiam testari, præpotentes Cæsares Germaniæ formidandos magis quam optandos. Et si qui sumtus requirantur ad Imperii defensionem, his suppeditandis ipsos Ordines sufficere; ac satius esse, hos sui defensionem in propria conjunctione, quam apud alios quærere; cum non obscurum sit, quid petita ab exteris defensio Germaniæ profuerit. Adversus Turcas Imperii fines tueri ei Domui non minus cordi fore, si Cæsarea dignitate careat, ni salutem suam prodere velit. Opes, quæ paratui dignitatis Cæsareæ sufficiant, penes alias quoque Domus inveniri. Quod si unice opes Austriacorum respiciantur, jam liberam electionem expirasse, ac ei familiæ unice inhærendum, ac vel pueros Cæsareo solio imponendos. Equidem & sibi videri, exterorum æmulationem haut curandam, nec istos velut dictatores nostræ reip. ferendos. Enimvero exteros Electoribus hautquidquam leges præscriptum ire, sed duntaxat exponere, quantum molestiarum ipsi ab Austriacis toleraverint, & uti ab hisce necessitas sibi in arma ruendi adferatur, relicto penes Electorale Collegium arbitrio, num tali Cæsare tranquillitati Imperii consulatur. Illos potius dictatoriam autoritatem exercere, qui non nisi Leopoldum eligendum contendant. Ast apud Bavarum omnes istas rationes cessare, quem & Galli omnibus modis promovere cupiant: ac eundem sine dubio diadema acceptaturum, si certo norit, plurium sese suffragio Cæsarem renuntiatum iri.*

De

1657. *De quo antequam constet, merito eum intima animi sensa premere. Ad extremum quoque Palatinum haut refragaturum. Id tantum metui, ne Brandenburgicus in diversum trahatur; qui si Ecclesiasticis Electoribus accedat, rem confectam esse. Nam de Moguntino, & Trevirensi cautum sibi esse, quorum iste maturandis hisce consiliis electionem extrahat.*

§. 28. Curam ista Electori injiciebant, ut ad Palatinum literas daret, quomodo Catholici Electores Cæsaream coronam ab Austriacis dimotum eant; ex quo Imperium gravibus turbis involvendum videatur, libertate quoque Ordinum periculo exposita. Unde is rogabatur operam navare, quo isti Electores aliam in sententiam permoveantur. Iis cum literis Jena ad eundem profectus est, menti ejus Principis penitius explorandæ. Hic initio sensa sua premere, causatus; capitulationem prius formandam, inde reliqua ultro consecutura. Ad quæ Jena: capitulationem eligendo adaptandam, cum non quævis in quamvis quadret. Cæterum id maxime in controversiam venire, Austriacus, an Bavarus potior habendus; opibus ille valentior, hic ipsa potentiæ mediocritate multis commendatus. Sed sibi consultius videri validiorem, quam debiliorem adsciscere. Nam illum ut pacta servet solicitum esse; hunc augendis opibus incubiturum, etiam cum molestia & jactura Ordinum. Domum Habspurgicam admodum tenuem, statim atque fastigio Cæsareo posita sit, ditiones ampliores, ac splendidiorem titulum quæsivisse. Hæc opibus ex Imperio in se derivatis turgida si prætereatur, adscita tenuiore, statim de ditionibus in isthanc conferendis cogitatum iri. Igitur Germaniæ magis convenire Principem divitiarum saturum, quam famelicum, præsertim talem, qui jam alieni aviditatem satis apricatus sit. Quin circa debiliorem plura metuenda, quam circa validiorem, atque istum pluribus pravis cupidinibus, iisque fervidiore gradu quam hunc laborare posse. Præterea id præcipue agendum, ut in Imperio pax, & inter sacrorum diversos concordia constet, postquam alteri alienos ritus obtrudere per leges Germaniæ nefas habeatur. Cum autem Catholicus Cæsar habendus sit, & circa quosvis quod desiderari possit appareat; sane gravissimas rationes, & manifesta emolumenta adesse debere, si à familia, cujus imperio dudum Germania adsuevit, discedendum sit. Hactenus mala Reip. non à potentia Austriacorum, sed à discordia Ordinum provenisse. Hi ubi concordes egerint, ac insuper habito sacrorum discrimine ad salutem Reip. bona fide incumbant, civiumque invicem officia colant, neminem fore, qui istis metuendus sit. Sed Ordinibus inter se dissidentibus potens an debilis Cæsar sit, Remp. turbis ægram fore. Ad ista Palatinus demum erumpere, ac tam Austriacos, quam Bavarum questibus differre. Quod aliquid de ditionibus suis receperit, id Svecis, Gallisque acceptum se ferre, in quos ingratum animum ostendere turpe sibi sit; præsertim postquam hi Brisaco, & Philipsburgo insesso finibus suis immineant. Sed & nemini suffragium se daturum, qui aperto bello sit implicitus: ac ut Bavaro parum faveat, plus sat causarum sibi esse. Plura exsculpi non poterant.

Cerimonialia. §. 29. Porro congressu tam celebri quæ circa cerimonias observari mererentur, hæc fere erant. Ingressi Electoralium legatorum præsentes qui erant serius advenientibus obviam haut procedebant; quod isthoc in eo conventuum genere solitum haut foret. Moguntinum, etsi ante legatos Gallicos urbem ingressum, hi tamen primum invisebant, cum iste velut in suo versaretur, ad quem Galli tanquam extra conventus ejus membra habiti accedebant. Refricabatur quoque ibi controversia de legatis primariis, & secundariis à Coloniensi præcipue, ac Regiis, qui primario duntaxat titulum Excellentiæ, ac priorem in Domo sua locum concedere volebant. Unde & Cansteinius, atque Jena cum legatis Gallicis acceptum ab hisce visitationis honorem reponere vellent, ac super cerimoniis prius inquirerent, Lionnæus diserte declarabat; cum primarius legatus Nassovius Princeps non adsit, se præter hunc nemini suis in ædibus cessurum; etsi Gramondus deliberaturum se ferret. Unde inter hosce, & Gallos visitationes deinceps omittebantur, quod Elector jussisset, ut omnes pari se honore haberi curarent, quod alias ea disparitas ob Venetos, & Belgas Electoralibus legatis fraudi foret. Ac si Galli eum honorem abnuere pergerent, visitationes per primarium duntaxat legatum obeundas, & ubi necessitas cæterorum quoque colloquia exposceret, ea in loco tertio, aut ad instar privatæ visitationis fierent, quoad adpareret, num reliqui Electores eam causam suam facturi sint. Sane Avaugurius & ipse Legatus Gallicus, cum antea acriter contra tendisset, non solum solennibus Legatis, sed & deputatis ab Electore consiliariis in hujus aula priorem semper locum, & Excellentiæ titulum suis in ædibus dederat; de quo & Sveci, Polonique non amplius dubium movebant; nec Biœrnclovius legatus Francofurti Svecicus, simul Moguntinus, ac Palatinus Electores ista abnuebant. Post Leopoldus Moguntino offensæ ansam dedit, quod huic ipsum visitanti neminem obviam misisset, qui per scalas eum adduceret, simul digniorem in sua Domo locum cepisset. Unde Moguntinus postridie, dum Leopoldus visitationem reponit, hunc non nisi per unum Nobilem ad infimas scalas excepit. Cum Joannes Mauritius Nassoviæ Princeps Francofurtum accessisset, rationis quidem fuerat, ut Moguntino velut Decano Collegii visitationis honos prius daretur, quam Bohemiæ Regi, quartum inter Electores locum sortito. Sed quia Elector circa talia cæterorum exemplum sequi jusserat, qui insuper habito eo respectu Leopoldũ primo loco inviserant, iste quidem denuntiationem per quatuor Nobiles equis vectos Regi, ac tribus Electoribus Ecclesiasticis faciebat, sed apud Porciam ita rem disposuerat, ut Rex primus horam colloquii condiceret. Eum cum

1657. cum Collegis accedentem supremus Mareschallus Starenbergius ad infimas scalas, supremus aulæ præfectus Porcia apud conclave quod vocant equestre, Rex ipse suo in conclavi excipit, ad mensam loco unum pedem elevato consistens, in quam & legati omnes adscendebant: sed reliquis duobus nudo capite adstantibus, Nassovius statim caput tegebat ipso cum Rege qui tamen subinde, quando Cansteinio verba faciente Electoris mentio fiebat, pileo moto signum honoris edebat. Archi-Duci Leopoldo Wilhelmo Nassovius ultro offerebat, se ipsi velut tutori Regio in ipsius Domo priorem locum concessurum. Id quod Elector hactenus probabat, ut id circa legatos duntaxat, non ipsos Electores admitteretur.

De exteris Francofurto excludendis.

§. 30. Multum quoque negotii eo conventu dedit Aureæ Bullæ constitutio, qua sub tempus electionis præter incolas, & qui in Electorum comitatu sunt omnes urbe exesse jubentur. Quod non exterorum Regum duntaxat legati adspernabantur: sed & cumprimis renitebantur Principū consiliarii, qui hucusque conventumDeputatorū Francofurti composuerant; quem per interregnum continuare cupiebant; quod & ipsorum sit pro salute patriæ curam gerere; quæ hoc tempore maxime necessaria sit, dum ex uno latere Danus Bremensem provinciam, ex altero Polonus Pomeraniam invadit. Ac post obitum Cæsaris unanimiter conclusum fuerat, ut is conventus subsisteret, Vicariis interea locum Cæsaris suppleturis. Moguntinus, cujus in isto conventu moderamen eoque penes ipsum plurima autoritas est, haut par judicabat, tam periculoso tempora collisioni ansam præberi; cum Principales non obscure jactent, sibi super monitis suis ad capitulationem vigilandum esse, ac si quid damni Resp. capiat, ejus pensationem ab Electoribus sese repetituros. Unde circa electionis quidem negotium istis nihil indulgendum: Sed super iis, quæ ad securitatem Imperii spectent, quo minus curam gerant, prohiberi non posse; præsertim cum caveri queat, ne ea res Electorum juribus fraudi sit. Reliquis tamen Electoribus is conventus utique tollendus videbatur, quod ejus autoritas ipsa morte Cæsaris expiraverit. Nec penes eum conventum esse, sibimet ipsi potestatem prorogare, quæ à Cæsare, atque universis Ordinibus Comitiali decreto collata fuerat. Ac verebantur, ne isti monita sua circa capitulationem ipsis velut pro imperio obtrudere, & circa alia ad electionem spectantia satagere auderent, non sine Electoralis prærogativæ imminutione. Unde quanquam semel atque iterum à Moguntino congressus Deputatorum indiceretur, Electoralium tamen nemo comparebat; ac post decreto Collegii Electoralis iste conventus expirasse declaratus fuit, frustra contradicentibus Principalib9, qui seorsim congregati, quæ circa capitulationem monenda sibi videbantur, congesta Electoribus exhibebant. Qui tamen ne velut publicum collegium, & suo jure adesse viderentur, passim hospitia sua Electoribus cedere cogebantur. Sed & Legati Gallici Antonius Gramondus, & Hugo Lionnæus, qui magnifica cum pompa adventabant, id sibi initio per Cravellum stipulari cupiebant, ne sub electionis tempus urbe sibi excedendum foret, adducto exemplo Legati Hispanici Castello-Roderici, qui Augustæ manserat, quoad Electores conclave introirent, ac post electi proclamationem protinus eadem die in urbem reverterat. Cui repositum: aliud esse, quando electio fit vivente adhuc Cæsare, ubi circa exteros haut ita rigide agitur, quam interregni tempore, pluribus periculis obnoxio. Ac non magis penes Gallos esse Auream Bullam interpretari, quam penes Germanos Legem Salicam. Totum tamen tempus, quo Electores sese invicem inviserent, intra electionis tempus haut haberi. Sed protinus atque isti junctim solennem in templum ingressum celebrarint, neminem præter Electores, ac eorum legatos in urbe tolerari posse. Quia tamen non solum deputatos Principum ita propere urbe expelli durum erat, sed & si Gallis excedendum foret, Hispanum quoque sequi oportebat, non sine gravi Leopoldi offensa; igitur nostri super eo negotio cum Saxone, & Austriacis consilia conferebant, ne in se solos invidiam derivarent. Unde Ecclesiastici Electores, & Palatinus id temperamenti proponebant, ut exterorum excessus inter tubicinum clangores quidem promulgaretur, sed mox Regiis & Principum legatis denuntiaretur, id edictum ipsos haut spectare, sed in præsens citra præjudicium tamen indulgeri, ut quoad capitulatio absoluta sit, ac ipse electionis actus suscipiatur, in urbe manere iisdem liceat. Ac differebat Moguntinus, istos ante electionem ita abrupte pelli urbe non posse, nec istud Aurea Bulla constitutum, nec usu receptum. Saltem nuper Ratisponæ, ac Augustæ aliter observatum. Elector contra censuerat; quando ad formandam conventionem Cæsaream accederetur, protinus citra temperamentum verbis Aureæ Bullæ inhærendum; nec id abs quopiam in contumeliam trahi posse, cum id antiquis legibus continuo usu firmatis dispositum sit, queis in gratiam exterorum derogari non magis par sit, quam ab hisce ad Germanorum placitum sua statuta mutentur. Ad extremum tamen SCtum fiebat in Collegio Electorali; in præsens quidem & hac duntaxat vice exterorum legatis, ac aliis personis publicis, dum super adornanda capitulatione, & aliis præparandæ electioni consultatur, in urbe manere integrum fore; Id tamen deinceps in exemplum haut trahendum, nec Aureæ Bullæ, aut Electorum eminentiæ fraudi fore. Ac magistratui urbano injungi, ut ubi alia vice electio indicatur, nullas exteras personas publicas, præter Electores, & qui in eorum comitatu sunt, in urbem admittant, aut in eadem, commorari patiantur.

Gallorum circa hanc

§. 31. Isthæc porro electio longum per tempus inter cœcas machinationes extrahebatur, quarum origo à Gallis erat; qui jam occasionem

1657. nem venisse rebantur Austriacam Domum Cæsareo fastigio dejiciendi, quod præcipuum fulcrum ejus potentiæ habetur, ægris semper oculis Galliæ adspici solito; saltem ne Leopoldus ea dignatione potiretur. Quo fine Bavarus, Neoburgicus, Sabaudus, atque Archidux Leopoldus Wilhelmus ab istis nulla propria horum ambitione subornabantur. Id si obtineri non posset, proximum habebatur impedire, ne ab Austriacis quid auxilii in Flandriam mitti licitum foret, circa quam lacerandam tunc adscito in societatem Cromvello ab iisdem quam maxime laborabatur. Eo in negotio Ecclesiasticis Electoribus, ac Palatino confidebant, qui prolixe polliciti fuerant, operam se daturos, ut istorum desideriis satisfiat. Atque eam rem serio & enixo studio agebant Furstenbergii fratres, è quorum consiliis Coloniensis pendebat. Sed Moguntinus clam quidem Austriacis addictus erat, ut tamen salus patriæ, ac propriæ ditionis potior haberetur. Unde dissimulata in Leopoldum inclinatione palam in Gallos studium præ se ferre, ut pacem Germaniæ, ac inprimis quietem tractus Rhenani servaret, quod turbis inter Austriacos, & Gallos obortis iste sedem armorum atque calamitatum præbiturus esset. Atque ad hunc finem magna cum arte tendebat, in occulto Austriacis, palam Gallis velificatus, queis & aliquandiu sinceri animi fidem fecerat, donec hi literarum commercia cum Austriacis suspectantes ingentes fasciculos Vienna, ac Monachio venientes ad trajectum Rheni in adversa Moguntia ripa per subornatos homines intercepissent, quibus is fidem fere apud Gallos decoxerat. Qui arguebant, plus ipsum de Bavaro pollicitum, quam præstitisset; quin in diversum laborasse, ac Bavarum ab affectando diademate Cæsareo avertisse. Quorum neutrum Moguntinus agnoscebat; se quidem cum legatis tam potentis ac vicini Regis amica commercia exercuisse, ac de studio suo declarasse; sed ubi de electione mentio injecta fuerit, semper ad Collegas rejecisse.

§. 32. Porro præsentibus jam omnium Electorum legatis, haut protinus ad rem ipsam accedebatur, Moguntino jactante; non esse festinandam electionem, etsi eandem per decretum prorogare necessum haut sit; sed prius super Imperii securitate agendum, quæ à pace inter Hispanos, & Gallos dependeat. Nam etsi certum non sit, eam transactionem re ipsa secuturam, ipsum tamen conatum Electorali Collegio plurimum favoris, atque autoritatis pariturum. Quod plausibile admodum prætextum sumebatur extrahendo tempori, quo & Gallis utcunque satisfaceret, ac Leopoldus interim legitimam ætatem attingeret, simul eidem prensandi necessitas imponeretur, ne properata electione Imperium velut suo jure vindicare videretur. Unde & Ecclesiastici Electores de compacto frementibus quantumvis Austriacis declarare abnuebant, quem animo futurum Cæsarem destinarent. Ac cum iidem sibi persuasissent, Brandenburgico propositū esse ipsorum ingratiisLeopoldum ad coronamCæsaream provehere, cum nostris eo nomine expostulabant. Qui confirmabant; tale quid Electori nunquam in mentem venisse, qui nondum certi quid apud se statuerit, sed omnia communicato cum Collegis consilio acturus sit. Vicissim nostri exprobrabant; Ecclesiasticos super excludendis Austriacis, ac eligendo Bavaro aperte nimis rem agere, ut fama per totam Germaniam ferat, id ab ipsis jam decretum; velut isthoc non æque ad Seculares Collegas spectaret. Cæterum uti Elector admodum probabat, à Moguntino prius super capitulatione accurate adornanda proponi, antequam ad creandum Cæsarem accederetur: ita quæ à Furstenbergiis pro Bavaro agitabantur, periculosa eidem videbantur. Ex ea quippe familia tres jam esse Electores, & unum Regem, præter alios ex eadem stirpe insignes ramos. Quod si in hanc Cæsarea quoque dignitas inferatur, per extrema fœdera suffultam Austriacæ potentia haut disparem fore. Unde nostri Coloniensem ab ea cogitatione divertere jubebantur. Nam ut Sabaudus quoque inter candidatos sese ferat, id omnibus Electoribus, & Principibus Germaniæ ignominiosum esse, velut post extraneum lingua, moribusque habendis, cui & Status Imperii, modusque administrandi sit incognitus. Idem Coloniensis antea literis propria manu scriptis insinuaverat, tres Electores Ecclesiasticos jam super dejiciendo Austriaco inter se convenisse. Quod cum responso suo Elector disuasisset, Coloniensis ægre ferebat, velut sibi ab isto quid præscriberetur. Unde Elector per nostros huic demonstrari jubebat; haut esse sibi in animo inconsultis Collegis quid statuere, nec adhuc super eligendo certi quid secum decrevisse. Fas tamen sibi fuisse rationes adferre, quæ exclusionem tam potentis Domus dissvadeant. Sic demum Coloniensis ostendebat, cum Bavarus diadema recuset, ab Austriacis commode discedi non posse. Sed & Moguntinus magis ac magis Electoris sibi sententiam probari ferebat. Nam fieri posse, ut exclusis non fine offensa Austriacis debilior domus ita difficilem se exhibeat, ut vel oblata corona cum ludibrio retrahenda, vel lex Regia ad ipsius lubitum formanda sit; quæ ut non inanis cerimoniæ instar habeat, nunc laborandum esse; quam in rem & Brandenburgicus connixurus sit, cujus domui semper solitum fuerit pro ista servanda magno studio contendere. Quia tamen huc usque tempus inter inania exactum fuerat, nec brevi aliquid circa summam rerum actum iri adpareret, Elector Cansteinium, & Jenam ad se evocab..., ut sumtibus parceret, ac ne ab Ecclesiasticorum arbitrio pendere videretur, qui negotium pro lubitu trahebant. Portmannus, qui Francofurti relinquebatur, jussus est in nihil consentire, quod alicujus momenti foret, sed omnia ad Electorem referre. 22. Oct.

1657. *Electoris cum Saxone congressus. 1. Dec.*

§. 33. Eo magis necessarium videbatur Electori è Borussia in Marchiam reverso cum vicino Saxone super negotio electionis congressu Lichtenburgi condicto sermones conferre. Ubi à Saxonicis propositum; electionem data opera protrahi, ac per majorem partem SCtum tentari, ut prius Electoribus sequestribus pax inter Hispanos ac Gallos componatur, electione tantisper suspensa. Ac Moguntinum eousque progressum, ut eo nomine ad Peguerandam Hispanicum Legatum scripserit; qui tamen negarit sibi super ea interpositione admittenda quid mandatum. Atqui haut videri electionem ex ejusmodi negotio suspendendam, cujus incertus sit successus, & cui absolvendo forte aliquot anni requirantur, quo spatio Germaniam capite destitutam maximis periculis exponi. Ac tractatibus incassum abruptis necessum fore unius aut alterius causam damnare; quo ipso Germania alieni belli accessio fieri queat. Moguntinum quoque jam significasse, Pontificem, & Venetos justorum sequestrium personam gesturos, Electorum operam duntaxat accessoriam fore. Super his quæ nostrorum mens foret exquirebatur. Ad quæ nostri: procrastinationem electionis Electori valde molestam esse, ac optare Imperio quamprimum caput suffici. Equidem Moguntino proponente consensisse, ut super pace inter bellantes Reges concilianda tractetur, ne aversum paci animum gerere videretur; non tamen ut ideo electio differatur. Ac si à Moguntino id agatur, ei fortiter contradicendum. Nec majorem suffragiorum partem heic valere, cum Aurea Bulla claris verbis statuat, ut absque mora caput Imperii eligatur. Sibi adhuc integra omnia esse. Sed alios Collegas alienis respectibus duci, & ab exterorum consiliis pendere videri. Sane nondum sibi cognitum, in quem Moguntinus, Trevirensis, Bavarus, & Palatinus inclinent, qui res novas captare videantur. Sed quia ejusmodi mutationes pravi fructus soleant consequi, ac sibi de conjunctione Saxonicæ atque Austriacæ Domus constet, sibi persuaderi, Saxonem ab Austriacis haut discessurum. Quo præmisso, Saxonis sententia super hisce quæstionibus exquirebatur. *An non electio ad alium locum sit transferenda, quod Regii legati Francofurto non commode dimoveri queant? Num ponderis alicujus habenda sint minæ Gallorum, & Svecorum aperte jactantium, hostis loco se habituros, si quis Austriaco suffragium det? Cum hinc inde querelæ audiantur, Leopoldum nondum impleto anno ætatis decimo octavo, quid conventione Cæsarea promittat, haut capere; an non hæc paulo pressius adstringenda sit, quo ista objectio elidi queat? Cum etiam Leopoldus aperto cum Svecis bello in Polonia implicitus arguatur, an non id agendum, ut is ante electionem id bellum componi curet? Si majore suffragiorum parte non Leopoldus, sed alius potiatur, num ipse his accessurus, aut quid aliud acturus sit? Num ipsi non constet, qua ratione saltem major Electorum pars in Leopoldum pertrahi queat? An non ipse operam secum sociare velit ad promovendos Austriacos, ut à gravibus Protestantium persecutionibus in suis ditionibus desistant? Si contingat, ut electus pluribus deinceps Coronis potiatur, an non conventione Cæsarea cavendum, ut is eo casu Imperio se abdicet, ne Ordinibus nimium formidabilis fiat? Num Leopoldus, quod nondum annum decimum octavum expleverit, ab electione sit excludendus?* 1657.

Ad ista à Saxone responsum: *Electionem in alium locum transferre per Auream Bullam fas non esse, nec è dignitate Electorum videri, dicato sibi per leges loco cedere, cum haut eo minus exterorum Legati ipsos sint secuturi. Ob pacem inter Gallos Hispanosque electionem haut differendam. Circa futurum Cæsarem omnia adhuc sibi integra; nec extero, aut ab exteris pendenti suffragium daturum. Nec causam perspicere, quare ab Austriacis discedatur; etsi Electores haut quidquam ei Domui adstrictos agnoscat. Videri quoque Leopoldum majore suffragiorum parte potiturum. Si præter spem aliter eveniat, sat temporis ad consultandum fore. Sed satius esse utrumque Electorem ista silentio premere, quod exteri per pecunias secretissima quæque expiscentur. Prudentiam porro non semper annis conjunctam; ac experientia constare, à juvenibus sæpe melius imperium geri, quam à senibus. Etiam prudentissimo Principum consiliariis opus esse; ac sine labe neminem reperiri. Neminem non Austriacum moderatione usum, ac à præcipitibus consiliis abhorruisse. Ejusmodi consilium Cæsari circumponere, quale quondam Noribergæ* Regimenti *vocabulo habebatur, Imperio haut proficuum videri. Svecorum & Gallorum minas tanti non faciendas, ut ideo tam potens & bene merita domus prætereatur; qua exclusa nil aliud sit secuturum, quam ut aut Imperium Gallo subjiciatur, aut is Cæsar eligatur, cui à Gallo argentum sustentandæ dignitati sit suppeditandum: fœda cum Germanici nominis ignominia. Olim circa eligendos Cæsares magnitudinem opum spectare haut necessum fuisse, florente Ordinum concordia, ac in Cæsarem veneratione; cui &, ubi res exegerit, prompte opibus, operaque adstiterint. Sed nunc venerationem istam admodum refrixisse; Ordines factionibus distrahi; ac nihil certius quam Germaniam sub debili Cæsare in dissolutas scopas abituram. Quem ipse suo suffragio Cæsarem nuncupare velit, ad electionem differre. Si alii præter meritum dejectioni Austriacorum insistant, iis sese haut accessurum; sed quietem Imperii formam consiliorum habiturum. Sperare Brandenburgicum idem facturum, insuper habitis minis ac solicitationibus, quæ si curentur, nunquam electionem non obnoxiam fore. Tanto magis Electoribus tam potentem Principem adsciscendum, qui ejusmodi machinationibus occurrere, ac ipsos cum Imperio tutos præstare queat. Quibus autem legibus electio facienda, quo Imperio sua libertas, Electoribus sua prærogativa salva sit, de consilio omnium Collegarum statuendum. Capitulatione nullum sese efficacius remedium perspicere. Militem perpetuum, quem aliqui Principes proponant, inter ancipitia esse.* Etsi nostris secius videretur, & armatis exteris audaciam turbandi accessuram, si Imperio miles præsto non sit. *Pro*

Evan-

1657. *Evangelicis per ditiones Austriacas sese jam intercessisse. Missiones eo nomine adhibendas non videri vitandis Collegarum suspicionibus, velut suffragia Leopoldo venditent. Cæsarem pluribus Regnis potiri, utile se potius, quam noxium Germaniæ ducere. Monita Principum collegiatim data acceptanda non esse, quod hoc modo plus iisdem indulgeatur, quam jure competit; singulis tamen integrum fore apud unum vel alterum desideria sua separatim exponere.* Addiderant nostri de cerimoniis, circa quas Electoralibus subinde controversia moveatur; id quod inde proveniat; quia Cæsarei discrimen faciant inter legatos, etsi uno eodemque procuratorio comprehensos; cum tamen plures Venetorum & Belgarum legati pari honore habeantur. Ad quæ Saxonici; adversus omnes Regios & Rerumpublicarum legatos dignitatem se suam tuituros; cum Cæsareis nunquam in litem descensuros. Nam Electores, si caput Imperii parvi pendant, suæ dignationi eo ipso detrahere.

Moguntinus consultationes publicas auspicatur. *21. Oct.* §. 34. Inter hæc Moguntinus, ne nihil plane agendo tempus videretur ducere, cum nostris paulo ante pollicitus esset, se negotium electionis in aliquod adhuc tempus dilaturum, improviso congressum indicebat, quo de examinandis procuratoriis, ac præstando silentio proponebat; simul ut pax inter Gallos, & Hispanos tentaretur; inprimis quod Galli Austriacos violatæ pacis Westphalicæ arguant, non obscure bellum minati, ni sibi satisfiat. Ea res majori parti probabatur, contradicentibus Bavaricis, & Saxonicis. Cum ad perlustranda procuratoria accederetur, Bohemicum à Moguntino seponebatur, quod Rex ob annum decimum octavum nondum completum per Auream Bullam exercendo Electoris muneri habilis non censeretur; Leopoldo contra querente, eandem Auream Bullam, quæ Electoribus annum decimum octavum præscribit, Regni Bohemiæ privilegia confirmare, per quæ Bohemiæ Rex anno ætatis decimo quarto majorennis habeatur, ac habenas Regni capessat. Sic Ferdinandum IV. nondum expleto anno decimo quinto in Bohemia coronatum, cives in verba sua adegisse. Idem & à se factum. Et quare Moguntinus ipsum invitarit, ni functioni electoriæ obeundæ capax habeatur? Ludovicum quoque Hungariæ, & Bohemiæ Regem, cum annos quindecim natus esset, Cancellarium Sternbergium ad electionem Caroli V. ablegasse, qui citra controversiam admissus sit. Nec Saxonem, Bavarum, aut Trevirensem scrupuli quid movere; ac ipsum Moguntinum facta invitatione diversum probasse. Unde & Elector censebat, non omnia ad unguem resecanda, inprimis cum Leopoldus jam annum decimum octavum ingressus sit. Ac quantillum esse, annum inchoatum haberi pro completo? Ac id ipsum Electoribus secularibus fraudi esse posse, si ita presse puncto isti temporis inhæreatur. Sed & dissuadebat Elector, ne pacis inter Gallos, & Hispanos ante electionem conciliatio suscipiatur, quam tantæ difficultates circumstent, ut ob illam multos per annos Imperium capite cariturum sit. Ac Regem Hispaniæ, cum eo nomine à Moguntino ad ipsum literæ datæ forent, laxioribus duntaxat verbis respondisse.

1. Nov. De minorennitate Leopoldi velut Regis Bohemiæ.

1657. *Nostri Francofurtum revertunt.* *14. Jan. 58.* §. 35. Ast Elector, cum Leopoldus rogaret, ut legatos iterum Francofurtum mittat, in mora esse nolebat, quod negotium paulatim maturescere videretur. Ubi cum Cansteinius Coloniensis mentem penitius explorare studeret, Furstenbergius ostendebat: se ab hoc legatum ad Leopoldum iturum, eique denuntiaturum: ni is caveat, se deinceps adversus leges Pacis Westphalicæ auxilia in Belgium Hispanis haut missurum, ac cœptis ab ipso bellis Germaniam turbatum haut iri, Coloniensem ei suffragium non daturum, si vel maxime nemo amplius in eam sententiam concedat, quod tamen aliquos facturos credat. Ast si Leopoldus ista præstet, se ipsum suo suffragio Cæsarem dicturum. Addebat tamen; si adhuc Brandenburgicus ipsi accedere, ac Bavaro suffragium dare velit, exclusionem Austriacorum certam esse. Ac Bavarum paucos ante dies declarasse, si Brandenburgicus in eam partem pertrahi queat, se velut divinitus vocatum haut amplius tergiversaturum; præsertim cum de Trevirensi, & Palatino in eum eventum cautum sit. Ita penes Brandenburgicum fore momentum negotio dare, reliquis quo ipse inclinaret secuturis. Etsi cum Grammondus Monachii non ita pridem sat abrupte rejectus fuisset, quo excurrerat, ut Bavaro persuaderet, ne collegarum suffragia respueret, neu Gallicis sese consiliis opponeret; jam satis adparebat Leopoldum diademate potiturum, sed non ita propere, nec sine sumtibus. Moguntino quoque Cansteinius demonstrare jussus est; haut consultum videri alienæ pacis gratia electionem differre. Tum quæ super futuro Cæsare mens ipsius sit explorare, cum Galli juxta atque Austriaci jactent, sibi de Moguntini suffragio cautum. Cui Moguntinus: postquam intellexerit, Saxonem, Bavarum, atque Brandenburgicum cum Trevirensi in Austriacum inclinare, grave sibi visum invidiam in se solum derivare. Unde cum Bohemici Legati ex se quæsivissent, an non consultum ducat Leopoldum huc accedere, id recusare, aut dissuadere non potuisse, velut qui ipse eundem ad electionem invitarit. Haut tamen decretum sibi, modo cæteri consentiant, electionem festinare, sed prius legem Regiam probe formare, & pacem vicinorum haut negligere. Nam ad extremum Gallos non magnopere repugnaturos, quo minus Leopoldus Cæsar fiat, modo pax deinceps violari desinat; id quod per capitulationem obtineri queat. Cæterum Gallis utique satisfaciendum, ac si Elector id quoque negotium urgere velit, Leopoldum id recusare non posse. Gallum in præsens id quærere, ut è Germania ne impetatur; ultro lacessere eam nolle. Ita ergo Austriacum eligendum videri, ut tamen Gallia ne plane alienetur. Nam Archiduci nec opes, nec voluntatem esse.

Coloniensis sententia. *Moguntini sententia.*

Bava-

1658. Bavarum diadema nolle; nec constare, an multæ rationes ad eum eligendum invitent. Circa Neoburgicum, quem Galli commendent, insuperabiles difficultates surgere: præter istos in Germania idoneum non adparere. Sibi persvaderi, Brandenburgicum, Saxonem, & Bavarum in Leopoldum conspirare, quibus cæteri resistere nequeant. Quod si tamen Brandenburgico adhuc placeat Ecclesiasticis accedere, se facile in aliam sententiam descensurum: alias non posse non majorem partem sequi. Equidem sibi omnia adhuc esse integra; sed quia nunc propius ad rem sit accedendum, hactenus sibi declarandum, se nunquam extraneo suffragium daturum; ac si pluribus suffragiis Leopoldus potiatur, se incassum, & gravi suo cum damno haut repugnaturum. Ac jam Gallis ostendisse, Austriacum à se amplius dejici non posse, postquam ipsi de Brandenburgico suffragio cautum sit. Eum tamen à se ita constringendum, ut istis non amplius querendi causa sit futura. Nam ut pacis leges violentur, sibi non amplius ferendum, velut de cujus corio ludatur, si in bellum res eruperit. Ast nostri ista Electorum dissensione animadversa, Austriacis ingerebant; Leopoldo causam esse, quare Electori omnibus modis satisfaciat, qui si istorum sententiæ accedat, electionem plane remorari queat. Sane confirmasse Gallos, si is Leopoldo adversum se declarare velit, rem confectam fore. Denuntiaverat quoque Lionnæus Moguntino, Coloniensi, ac Palatino; sibi intellectum, Leopoldum propediem iter huc ingressurum; unde facile judicari, de corona certum eum sibi videri. Id Galliæ Regem suo loco relinquere; sed hoc ipso declarare, ni ipsi hoc agant, ut pax deinceps sanctius observetur, non Leopoldum solum, sed & omnes, qui suffragium ipsi dederint, hostium loco habendos.

Austriaci contra tendunt. §. 36. Austriacis contra non minus curæ erat circa eludendas, quas Galli ipsis structum ibant, molestias. Quo fine Saxonem permovebant, ut ipse Francofurtum accederet, quo unum saltem à secularibus Electoribus haberent, qui Moguntinum, aliosque tergiversantes majore quam legati autoritate ad electionem impelleret: id quod ab ipso Moguntino suggestum credebatur. Cui & ingentem pecuniæ summam ad sumtus itineris tolerandos submiserant. Qui & jactaverat, suo adventu omnia se compositurum. Unde Austriaci isto confisi frigidius nostros habere cœperant. Quo animadverso Coloniensis, aliique nostris ingerebant; modo sibi accedere velint, rem plane aliter successuram. Quanquam non tam de excludendo Leopoldo agatur, quam ut arctius adstricta lege regia communis pax servetur. Unde huic disertis verbis inserendum, ne Leopoldus deinceps Hispanis auxilium contra Galliam ferat: ut Judicium Aulicum aliter ordinetur: ut expressis verbis addatur, si Rex pacis leges violare pergat, ipso facto corona excidisse censendum. Circa quæ ut nostri cum Ecclesiasticis consilia jungere vellent, rogabant, quo res ita temperetur, ut & Austriacis electo Leopoldo, & exteris per conditiones capitulationi addendas satisfiat. Ejus quippe autoritatem præcipuam esse, tanquam armati; ac electione in aliquot menses protracta isthæc facile obtentum iri. Neque enim usque adeo Austriacis de majore suffragiorum parte cautum esse, modo sibi constet, Electorem iis, queis ista consilia cordi sunt, se sociaturum. Sane ut Austriacorum destinatis obviam eatur, ad pacem Germaniæ quam maxime interesse. Ea, suggerente Pegneranda, ita Pragæ digesta; *cum Svecis in Imperio manus non conserere, quod & fœdere Polonico exceptum sit: Electori tamen quatuor aut quinque militum millia concedere, quo is cum Svecis implicitus distrahatur; interea electionem quovis modo promovere: cæterum præcipuas vires in Flandriam vertere obtentu rem in Anglos gerendi, quo crimen violatæ pacis eludatur. Eodem fine Oenipontanum stimulandum, ut in Alsatia contra Gallos moveat ob non solutam pecuniæ summam Tabulis Pacis promissam. Id enim nunc agendum, ne Galli omnes vires in Belgium vertere possint, sed ut in Germania quoque turbandi ansam accipiant, ut istæ provinciæ etiam cum alieno damno servari queant.* Ea super re Elector legatis suis injungebat: circa formandam capitulationem id respicerent, ut singulis Imperii membris sua libertas, ac jura illibata serventur; cum vicinis amicitia & pax constet, qua Imperii securitas contineatur. Ut quoque Gallis super iis, quæ contra pacem Westphalicam acta arguuntur, quantum in electionis actu fieri debet, ac potest, ex æquo satisfiat. Sed num violationibus in posterum lex commissoria sit addenda, sibi nondum liquere. Sane etiam in vulgaribus negotiis, & inter privatos cognitione aliqua opus esse, antequam quis jure suo excidat. Sed & alios articulos conventionis regiæ, quæ Ordinum vitam, ac libertatem spectent, haut minoris ponderis esse, in quos omnes si ejusmodi pœna constituenda foret, magnæ id confusioni ansam præbiturum. Super quo negotio tamen aliorum magis sententiam explorarent, quam suam promerent. *3. Febr.*

Galli rum postulata. §. 37. Cum itaque dubium non amplius haberetur, quin Leopoldus diademate Cæsareo potiturus esset, Galli id unice agebant, ut in capitulatione querimoniis suis medicina adferretur. Circa quam rem Cravellus apud Cansteinium testabatur; Regem in Electoris opera plurimum fiduciæ reposuisse, cui & istud fixum judicet, omnia consilia ad communem quietem, & pacem Germaniæ referre. Alias ni Hispanis miles ab Austriacis submitti desinat, Gallis quantumvis invitis, ac nullo suo emolumento necessitatem impositum iri bellum in Germania suscipiendi. Ad quæ Cansteinius prolixe de studio Electoris in pacem testari. Et quia ipse Gallus agnoscat sua interesse, ne in Germania novæ turbæ oriantur, Galliæ vires alibi forte utilius impendendas distracturæ, eidem quoque incumbendum, ut bella inter Danos, Polonosque, & Svecos brevi componantur. Id quod iste Regi suo cordi esse confirmabat; ac ideo eum usque huc

cum

1658. cum Svecis fœdus ferire noluisse. Optare tamen, ne Elector in Svecos quid tentet, ac spondere velle, ab hisce ipsi hostile nil illatum iri. Hisce super postulatis Moguntinus per Joannem Christianum Boineburgium Cansteinio declarabat: Gallis hoc modo satisfaciendum, ut exercitus, ex quo tamen parum supersit, ex Italia revocetur, Sabaudus investitura Trini potiatur; Vicariatus Mantuani, alias morte Cæsaris extinctus, reipsa deponatur. Circa missiones copiarum in Belgium verba pacis Westphalicæ clara esse, ubi Cæsar non solum velut caput Imperii, sed & velut Archidux Austriæ pro suo, ac successorum nomine promittat, se neque directe, neque obliqua ratione præsentibus bellis in Circulo Burgundico sese ingesturum. Ac quidquid Austriaci excipiant, Gallos copiis idoneo loco dispositis saltem hoc anno impedituros, ne auxilia Austriacorum in Flandriam penetrare queant: id quod sine gravi molestia accolarum Rheni fieri non possit, qui & decreverint, ne modicis quidem catervis transitum concedere. Nec audiendas cavillationes Volmari, velut istæ copiæ contra Anglos adhibendæ sint; cum absq; consensu Electorum novum bellum à Cæsare suscipi non debeat. Ac quicquid iste satagat, revera cæteris ministris Austriacis gratum esse eam expeditionem impediri, imminente præsertim à Turca periculo. Igitur de non mittendis Hispano auxiliis utique capitulatione exprimendum. Sed clausulam commissoriam quod attinet, sensum inserendum verbis duntaxat lenioribus temperatum eo loco, ubi de electione Regis Romanorum disponitur, ut nempe Electoribus semper integrum sit, inprimis ubi conventio Regia violata fuerit, aliud Imperio caput eligere. Quod si igitur Brandenburgicus consentiat, adjuncto Coloniensi, & Palatino per plura suffragia, istud pervinci posse, ac forte Trevirensem hisce adstipulaturum. Nam Bohemum à consultationibus super lege Regia excludi. Eadem Coloniensis sententia erat, qui & insuper circa Judicium Aulicum monebat; ut singulis Electoribus jus sit singulos ejus Judicii assessores constituere, ac ne idem ejusmodi causas suscipere audeat, quæ summam Imperii rem, aut Ordinum personam, bonaque spectent, neve Pacis Westphalicæ, aliarumque legum interpretationem moliatur. Ut conventio Regia observetur, non per legem tantum commissoriam fieri posse, sed & arctiore Electorum, atque Principum inter se conjunctione. Idem quoque censebat, Brandenburgico juxta ac toti Imperio haut expedire Svecum bello lacessere; nec dissimulabat, sibi, atque Moguntino, & Palatino fœdus Electoris cum Leopoldo valde improbari. Nam præterquam quod pax Westphalica hoc modo evertatur; ab Austriacis id tantum quæri, ut Elector bello sese implicet, ad quod ipsi non nisi modica auxilia collaturi sint, quo facultas iisdem sit copias in Italiam, aut Belgium mittendi, dum iste cum Svecis solus luctatur. Ac bellum istud aggresso neminem fore, qui auxilii quidquam præstiturus sit. Equidem Electorem ad isthoc ea maxime ratione impelli, quam & alii ingerant; se non aliter à Svecis tutum esse posse. Atqui Galliam paratam esse isti adversus hos cautionem præstare, citra quam Svecia nil efficere queat. Ac si Elector fœderi Rhenano nomen dare velit, omnes hujus socios quovis tempore adversus Svecos auxilia ipsi laturos. Neque enim Catholicos tolerare posse, oppresso Brandenburgico Svecorum opes in Germania gliscere; quod isti malint vires Protestantium inter plures divisas esse. Eo apertius autem cum nostris agere, quod nihil circa summam rerum tractare decreverit, nisi prius de Electoris sententia constiterit. 1658.

Boineburg.

§. 38. Postquam igitur Elector explorasset, quo reliquorum consilia tenderent, ipse capitulationem ita formandam censuit, ut exteris omne prætextum Germaniam invadendi adimeretur, utque futuro Cæsari legibus Pacis Westphalicæ utique stare necessum foret. Tum ut Principibus circa æqua sua monita, quæ ab iisdem modeste proposita fuerant, satisfieret, quæ & ab ipsius rationibus haut aliena erant. Circa fœdus autem Rhenanum suos rem extrahere jubebat, difficultate objecta à Svecorum receptione, & quia sibi cum Neoburgico nondum convenerit. Quia etiam Elector intellexerat, Francofurti multa contra leges fieri, per Cansteinium monebat: tempus electionis ab Aurea Bulla præfixum haut observari, quod à majoribus graves sane ob rationes constitutum sit. Quanquam enim omnes ejusmodi leges ad captum temporum accommodandæ sint, ac multa accidere queant, quæ à statutis discedere subigant: eam tamen prorogationem non ab unius Electoris arbitrio pendere, sed prævia collegiali deliberatione de communi consensu definiendam. Nam etiamsi ipse gravibus de causis modicam electionis dilationem utilem judicarit; Moguntinum tamen & paucos aliquos in consultis pro lubitu eam extraxisse, silentibus hisce, ac tantum non agnoscentibus, penes istum esse electionem remorari, aut promovere. Eundem quoque Moguntinum consultationes pro sua libidine instituere, aut rejicere, ac ea tantum, quæ sibi arrideant, in Collegio proponere; Cum tamen omnia ad collegium referenda sint, & ab hoc decidendum, an, & quo ordine quodvis negotium sit suscipiendum. Unde id absurdum consequi, sane quam noxium, ut consultationes in pleno Collegio susceptæ fere inanes sint, negotiis jam in antecessum per factionem, & clandestinas coitiones definitis. Unde publicis conventibus plura suffragia pervincere, insuper habito cæterorum dissensu. Cum tamen si à subsequentibus novæ rationes adferantur, denuo sententiæ perrogandæ sint, antequam ad conclusionem descendatur. Alias subsequentium sententias effectu cariturras, & vix è dignitate fore eas pronuntiari, si præter numerum nihil attendendum fuerit. Sed & sententiam super pace inter Gallos, & Hispanos à nostris dictam velut simplicem arreptam, cum tamen eadem multis

Electoris sententia 12. Febr.

De abusibus Francofurti admissos monita.

1658. multis conditionibus circumscripta fuerit. Sæpius quoque congressum indici, dissimulato quid proponendum sit. Ita reliquos imparatos accedere, ac sæpe mentem suam ex tempore non satis explicare posse. Sic & solum Moguntinum Legatos Gallicos Francofurti recipere ausum, cum ea res totius Collegii fuerit. Per Auream Bullam comites singulorum Electorum duabus centuriis circumscribi: nunc millenos adduci. Prioribus Comitiis Ordines monuisse, ne exterorum legati custodibus corporis uterentur: Nunc alios Walachorum, alios Helvetiorum catervis stipatos incedere. Ob cerimonias quoque non rite digestas multa confuse fieri. Denique silentium non observari, cum finito consessu nemini non, qui cupiat, acta cognoscere in proclivi sit. Ista omnia cum in fraudem reliquorum Electorum tendant, Elector nostros cum hisce consilia conferre jubebat, quodnam iisdem remedium adferendum foret.

Austriaci Gallorum postulatis renituntur. §. 39. Ast Austriacis durum admodum videbatur, quod de intercludendo Hispanis ipsorum auxilio agitabatur. Si enim in id consentiant, Flandria Gallorum atque Anglorum libidini exponebatur. Sed contra tendere prensantibus anceps erat, cum id instar clarigationis contra Galliam haberet. Ut igitur Electorem à fulciendis istis postulatis dimoveret Volmarus, aperte jactabat; solum Brandenburgicum esse, qui Polonos, & Austriacos bello cum Svecis intra Germaniæ fines committere studeat; à quo Leopoldus plane abhorreat. Sveci quoque ferebant, sibi de omnibus, quæ à Montecuculo Berolini acta sint, & quid mandatorum is acceperit, constare; & quod Austriaci omne id negotium in Electoris arbitrium contulerint, velut qui eandem maximo studio egerit. His quippe haut in animo fuisse in Svecos hostile quid tentare, ac ne offensam quidem in eos ostendere. Id quod eo fine dici adparebat, ut ubi Elector semel cum Svecis commissus foret, huic dein necessum esset ab ipsorum voluntate dependere. Quia porro difficultas circa negandum Hispanis auxilium ultro cessatura erat, bello inter hos & Gallos composito, Moguntinus, & Coloniensis denuo contendebant, ut ea pax adhuc ante electionem conciliaretur. Sed Pegneranda declarabat; non modo super ea re nil sibi mandatum, sed & ante electio- *13. Mart.* nem in tractatus se haut consensurum. Ast si post electionem eos suscipere placeat, se vel per sex menses heic mansurum. Igitur isti ad priora revoluti Leopoldo citra ambages declarant: necessum esse, ut ipse in negandum Hispanis auxilium consentiat. Contra Schvvartzenbergius, & Porcia Cansteinio demonstrabant: id agere quosdam Electores, ut Leopoldum Hispanis disjungant, ac hisce auxilium ferre prohibeant, cum tamen ad istius patrimonium Belgium, & Mediolanum pertineat. Esse quoque Germaniæ exitiosum, si Belgium inter Gallos & Anglos dividatur; qui sane hoc initio longius grassaturi sint. Iniquissimum quoque esse, à Gallo Cromvellum, & alios in Austriacos concitari, ac hosce prohiberi, quo minus proximo agnato, suæque adeo Domui adsistant adversus aggressores, absque data causa insultantes. Unde spem sibi esse, Electorem in ista haut consensurum, ac in præsens tam arcto fœdere ipsis illigatum judicaturum, quæ nunc in Austriacorum fraudem struuntur, ipsi quoque aliquando intentari posse. Denique Ferdinandum nihil copiarum suis sub signis in Belgium misisse, sed quia Galli militem passim per Germaniam conduxerint, Cæsarem credidisse, idem jus Hispano competere. Ad quæ Cansteinius: *Electorem à Collegis valde urgeri, ut Gallorum Postulatis in capitulatione satisfiat. Nam satis animadverti Gallos, Svecosque Austriacis bellum meditari, sed quibus prætextum, cum aliud desit, in violatione Pacis Westphalicæ quæratur. Quod si igitur istis quovis modo haut satisfiat, hoc ipso destinatis suis colorem accepturos, velut aperta declaratione facta, Austriacos Galliæ hostes esse. Simul metuendum, ne plerique Ordines Catholici juxta ac protestantes ea pervicacia offensi ab Austriacis plene se disjungant, quasi per hos in bellum haut necessarium, ac nil utilitatis pariturum protracti: cum contra, si postulata ista annuantur, alta pace frui liceat. Dubium quoque esse, num Svecorum, Polonorum, Turcarum, & aliorum arma Austriæ minitantia permissura sint, in favorem Hispanorum milite suo se exuere, simul facultatem sibi adimere, aliis, qui sese ipsis innexuerunt, auxilia repræsentandi. Nec deesse, quæ ad rationes istorum reponi queant. Quæ peculiaribus Leopoldi rationibus quadrare videantur, ea toti Imperio noxia esse. Initio belli Belgici eadem Ordinibus sæpissime ingesta; Sed qui nunquam permoveri potuerint, ut in partem hujus belli venire vellent; at Electores anno 1630, & 1636 Cæsari magnopere dissuasisse, ne Italico aut Belgico se bello immisceat. Quo accedat clara Instrumenti Pacis dispositio, quæ omnes rationes æqui & iniqui, lucri vel damni elidat. Duram quidem legem, sed ita scriptam esse: Saltem ordinibus cavendum, qua ratione submissis Hispano auxiliis prohiberi queat, ne Imperium in id bellum implicetur.* Ita quidem nostri Austriacos blandis modis permovere nitebantur, ut ultro in Gallorum postulata consentire vellent: Contra asperius agebant Moguntinus, Coloniensis, & Palatinus, qui aperte negabant, se Leopoldo suffragium daturos, ni Gallis satisfiat. Quibus omnes Ordines applaudebant, magnis laudibus Moguntinum ferentes, velut qui mascula consilia pro quiete Patriæ gerat. Nec deerant, qui mussitarent, ab Electore partes Protestantium destitui, qui & ob fœdus Austriacum parum fiduciæ erga nostros ostendebant.

§. 40. Cum ita multum temporis inter *Capitulatio formatur.* ambigua elapsum esset, demum acrius instante Saxone, ac Trevirensi ad formandam conventionem Cæsaream serio acceditur: ubi circa *30. Mart.* reliqua facile consensum. Sed maxima difficultas circa auxilium Hispanis haut ferendum vertebatur, ad quod Leopoldus ægre admodum adstringi volebat: cum contra Moguntinus,

Co-

1658. Coloniensis, & Palatinus acerrime contenderent, ut hoc modo pax cum Gallis firmaretur. Quia tamen Elector moderationis laudem affectabat, ac Leopoldum invitum duræ conditioni illigare nolebat, suis injungebat, ut modeste Austriacis demonstrarent; cum plerique Electores huic articulo acriter insistant, omnibus Ordinibus eosdem ad constantiam obfirmantibus sese haut perspicere, quomodo Leopoldus reluctari amplius possit, quo minus is articulus capitulationi inseratur; præsertim cum ea tergiversatio magnam ipsi invidiam conciliatura, ac electioni moram injectura sit, simul multis Ordinibus ansam præbitura, ut exteris Regibus per fœdera se innectant. Unde Electori vitio haut dandum, si & ipse in eandem cum Collegis sententiam concedat. Quia tamen Austriaci non omnia agnoscebant, quorum à Gallis arguebantur, Elector suos jubebat ita articulum illum concipere, ut non Galliæ solum, sed & Imperii securitati in futurum prospiceretur. Cæterum quia in hoc negotio Electoris sententia præcipuum momentum datura erat, reliquis Electoribus in duas æquales partes discedentibus; Galli non solum per Blondellum in aula Electorali ablegatum, sed & misso peculiariter à legatis Francofurtanis Nobili sua postulata Electori commendabant, oblata denuo sponsione, ipsi à Svecis hostile nil illatum iri. Cui ab isto laxioribus verbis responsum: ita se acturum, ut ipsis causa querendi haut sit futura. Quanquam enim fœdere cum Austriacis copuletur; haut ideo sibi tamen sententias magis ad privatas horum rationes, quam patriæ salutem attemperandas. Super oblata sponsione gratias agebat; & quia sua securitas agebat; & quia sua securitas in eo vertatur, ut pax Polonica quamprimum coëat, ac Sveci transitum per ipsius provincias ne capiant, Galli vicissim ut hæc duo obtineantur operam darent. Ast Francofurti, cum nostri Austriacis exponerent, defugere Electorem non posse, quo minus eorum sententiæ accedat, qui ab Austriacis auxilium Hispano adversus Gallos ferendum negent; hi quidem eam rem ad futura Comitia rejici postulabant, ad quæ ista spectet. Sed nostri ostendebant, Gallos id in repulsæ vicem accepturos; simul proponebant, ut Austriaci cum Saxone, Trevirensi, ac Bavaricis congressi formulam ejus articuli ipsi conciperent, quantum mollissime fieri queat. Id quod Austriacis parum arridebat, qui malebant istum seorsim ab Electoribus formari, ut non tam eundem adprobasse, quam ab hisce obtrusum recusare non potuisse viderentur. Cum itaque & Electoris peculiariter interesset, ne Austriacorum vires distraherentur, si fœdus cum hisce succederet, demum nostri sententiam in Collegio pronuntiabant presse ad instrumentum Pacis accommodatam, ac ut obligatio reciproca foret, Galloque pariter nefas esset in Germaniam hostile quid tentare; cui & demum
Frisi. Saxo, Trevirensis, & Bavarici adstipulabantur, nisi quod Henricus Frisius Saxonicus consiliarius de suo adderet; *caput Imperii haut ita arctis legibus circumscribendum, sed eidem debitam autoritatem relinquendam, nec ejus majestatem inusitatis cautionibus nimis coarctandam, ne Electores arguantur securitatem Imperii præter necessitatem quæsivisse Cæsarea potestate tantum non contumeliosis legibus circumscripta.*. Gemina & Anetanus Trevirensis Cancellarius fremebat. Quos sui Principes palam velut nimios favoris in Austriacos increpabant. Eam sententiam omnium adplausus prosequebatur, nisi quod Galli Anglos quoque comprehendi vellent, nostris abnuentibus, quod in Tabulis Pacis Galliæ duntaxat, non & Angliæ mentio facta esset. Eo autem magis necessarium erat à nostris hoc in negotio cordate procedi, quod Collegis æquali numero diffidentibus penes ipsos esset in alterutram partem momentum dare. Unde & Luneburgici, Cassellanique aperte jactabant; si quid heic peccetur, culpam penes solos Brandenburgicos fore. Id quod & Galli verbis altius penetrantibus ingerebant. Postulabat quoque Saxo, ut eodem modo Svecis, sicuti Gallis, in Capitulatione caveretur; id quod nostris contra tendentibus omissum, qui demum minabantur, ni hoc postulato desistatur, se quoque sententiam suam circa Galliam retractaturos. Unde hi apud reliquos pervincebant, ut de Svecis mentio haut fieret. 1658.

Sententia nostrorum impugnatur. §. 41. Enimvero uti Galli, postquam cupita sua circa negandum Hispanis auxilium ope potissimum Electoris obtinuissent, satis frigide adversus nostros deinceps sese gerebant: ita Austriaci ac Hispani nostrorum sententiam non satis digerebant. Quibus Elector demonstrari jubebat; *sese Galliæ favori nihil dedisse, sed muneris sui obligationem, ac salutem patriæ unice præ oculis habuisse. Ac esse quidem Austriacis obstrictum, sed salva obligatione adversus Rempublicam. Ac melius facturum Leopoldum, si posita tergiversatione ista probet, conciliando per ostentatum pacis studium Ordinum favori.*. Nec eo minus *Schutz.*
ab hoc Joannes Helvicus Sinoldus Schutzius *23. Jun.*
ad Electorem mittebatur, qui Berolini proponeret: *Leopoldo grave admodum futurum, si non Cæsareo duntaxat nomine ita constringatur, ut prope nesciat, adversus quem se tueri, aut quem protegere sibi integrum sit; sed si ne patrimonialibus quidem opibus ad defendenda sua utendum sit, velut sibi aliisque inutili futuro. Sed nec ullo modo Tabulis Pacis contineri, ut exteris Regnis, pacis conclusæ tempore Galliæ haut fœderatis, indulgendum sit, nemine resistente terras ad Imperium spectantes occupare: Sicut, pace licet cum Gallis facta, bellum cum Anglia superfuturum sit. Cum etiam Galli hodie Turcam fœderatum suum publice profiteri non erubescant, dubium deinceps fore, num isti citra violationem Instrumenti Pacis, & citra Gallorum offensam resistere fas sit. Sane pacem istam non minus pro Austriacis, quam aliis factam. Unde mirum Leopoldo videri, Tabulas Pacis, quæ omnibus æquæ debebant esse, aliis favorabiles, aliis duriores reddi; ac quibusdam velut ultro januam aperiri ad invadendam Germaniam, aliis ejusdem defensionem prohiberi, ac modo his, modo aliis sub titulo fœderatorum Galliæ impune grassandi licentiam*

 dari,

1658. *dari, etiam conventione Regia, ac jurejurando fanciendam. Id quod nihil aliud videatur, quam Germaniam ante tempus, & præter necessitatem enervare, omnemque Cæsari autoritatem detrahere.* Unde istum articulum refingi petebat. Etsi privatis sermonibus ostenderet, si modo obligatio reciproca subsistat, ad extremum Austriacos non valde repugnaturos. Et quia Austriaci utique sibi viam reservare cupiebant, si ex usu videretur, militem in Flandriam mittendi; velut Anglis inde pellendis, apud Saxonem, Trevirensem, & Bavaricos obtinuerant, ut in articulo isto Anglia exciperetur; hi nostros summo studio in eandem sententiam pertrahere nitebantur. Quibus nostri reponebant; ex ea mutatione turbas orituras, quod constet, Moguntinum, Coloniensem, & Palatinum eo casu decrevisse Francofurto discedere, ac cum Gallia, & universis Ordinibus, qui ipsorum sententiam uno ore probent, sese conjungere, expectaturos, quis ausurus sit Cæsarem nuncupare. Istis tamen instantibus nostri demum consentiebant, ut sententiæ suæ appendix adderetur, per quam omnia ad tempus, quo pax condita fuit, restringerentur: protestati tamen, se excusatos haberi velle, si turbarum quid oriatur. Ast eo facto Legati Gallici apud nostros graviter querebantur, istam appendicem promissis Electoris per literas, & ablegatum Brandium tactis repugnare; cui si inhæreatur, Regem id magnæ contumeliæ loco habiturum, ac eidem integrum fore, Svecos, eorumque socios adversus Austriacos, & quoscunque in horum partibus reperiat, omni auxilio sublevare. Ast ubi nova ista clausula inducatur, fidem se dare, Svecis, aliisque adversus Austriacos è Gallia nil plane auxilii præstitum iri. Ista cum nostri ad Austriacos, Trevirensem, Saxonem, & Bavaricos referrent, hi quidem consenserunt, ut ea verba dispungerentur. Austriaci tamen id expressis verbis non probabant, ut tamen silentio satis indicarent, se non

Ea firma persistit. amplius reluctaturos. Ita demum articulus XIV. capitulationis tanto motu agitatus, & ad quem parum aberat, quin electio adhæsisset, perficiebatur, ac electioni certa dies dicebatur;

8. Jun. st. n. eo magis nostris electionem accelerari urgentibus, ne, qui à Rege Sveciæ in itinere erat, Nicolaus Braheus legatus novam remoram injiceret; & quia per Svecos fama dedebatur, ab ipsis Havelbergam peti. Aliqui tamen Electorum Austriacis scripto declarabant, isto articulo sub vocabulo fœderatorum Galliæ Anglos non intelligi, sed eos duntaxat, qui tempore factæ pacis Westphalicæ fuerint. Ita è Leopoldi electione id Gloriæ reportabat Elector, ut inter divisos Collegas suo suffragio

Pœlnitz. 14. Jul. rem confecisse ab omnibus agnosceretur. Ut Leopoldo partum fastigium gratularetur Gerhardus Bernhardus Pœlnicius ab Electore missus est. Cæterum quanquam alias Electores

Circa Carnoviæ Ducatum Electori haut satisfit. privata sua postulata inter electionem pervincere soleant; haut tamen nostro placebat Leopoldum super restituendo Carnoviæ Ducatu urgere, quod à præsenti temporum conditione alienum videretur istum adhibita importunitate protelare. Igitur levi duntaxat brachio id negotium tunc agebatur; ac declarabat Elector, sese contentum fore, si Comitatus Regensteinensis sibi addicatur, extincta quorumvis aliorum in eundem actione, additis centum uncialium millibus. Sed cum iste Comitatus ea lege præstari à Leopoldo non posset, ducenta uncialium millia offerebantur, è salinis Cracoviensibus, eidem tunc oppigneratis, persolvenda. Sed cum designata solutio incerta esset, nec eam actionem pecunia vendere placeret, ea res exitum tunc non invenit. 1658.

Judicium Aurspergii de hac electione Fent. §. 42. Super hac electione Aurspergius Friderico Jenæ fatebatur: Francofurti nunc plus offensæ contractum, quam favoris conciliatum. In Pennerandæ legationem ab Hispanis sexcenta uncialium millia impensa: Sed majus operæ pretium potuisse fieri missa huc pecunia, ac Penneranda domi relicto. Is quippe cum Fentano non supra ducenta millia expenderat; reliqua in suos loculos averterat. Ministros Electorum ingentibus promissis oneratos, datis & collybi literis, sed quæ post repetitæ sint, Electoris Moguntini fratri centum uncialium millia per literas collybi assignata, sed quæ citra solutionem retractatæ sint. Gallos contra si nil aliud Francofurti effecerint,

et & Gallorum. saltem plerorumque Germaniæ Principum ministros Galliæ favore imbuisse. Ast Galli verbis quidem præ se ferebant, adhibitum ab Electore modum sibi non improbari; & quod exclusio Domus Austriacæ non successerit, non tam inde provenisse, quod idem auro se ab ipsis obstringi recusarit, quam quod Neoburgicum opes, Bavarum animus ad capessendum diadema Imperiale defecerint. Post frustra consumtam operam, & pecuniam è capitulatione solatium petebatur; simul decorum habebatur invidiam in Leopoldum ob partam coronam Cæsaream dissimulare. Etsi revera alium electionis eventum optarant, ac spes Mazarino fuerat, eam saltem ad finem æstivalis expeditionis extrahi posse; eoque in singulos menses Moguntino, cui plurima ad nectendas moras facultas, insignem pecuniæ summam destinatam. Ac querebantur, huncce cum Coloniensi, ac Palatino Principum sese Collegio haut adjunxisse, & favore Regum subnixum electioni tamdiu reluctatum, quoad securitati Imperii cautum, & Sveco ab Austriacis satisfactum foret. Unde & Gallos mordebat, Electorem tam acriter maturandæ electioni institisse, & capite decimo quarto legis Regiæ addidisse, ut vicissim Galliæ haut licitum sit Imperium, aut Austriacos invadere. Ac palam jactabat Servientus: hoc ipso Electorem Galliæ rationes plane subvertisse, qui nunc impediantur Protestantibus in Germania, ac inprimis Palatino, si à Bavaro invadatur, auxilium ferre. Idque paci Westphalicæ repugnare, in qua Gallia reciproce haut obligetur.

Inanie fœderatorum §. 43. Dum Francofurti circa electionem Cæsaream satagitur, improvisa Svecorum in Danicas insulas media hieme irruptio hactenus

1658. tenus agitata Electoris, ac Fœderatorum consilia plane turbaverat, per celeritatem Caroli Gustavi, successus suos persequi callentis: Ademta facultate Daniæ succurrendi.

Consilia circa ferendum Daniæ auxilium.

Equidem cum Elector Svecos in Fioniam penetrasse intelligeret, propere ad Poloniæ Regem, & Montecuculum mittebat, ut protinus cum copiis accederent tentandæ in Holsatiam irruptioni; ac ipse suas copias ex hibernis excitum ibat. *21. Febr.*

10. Mart. Ac pollicebantur Poloni, atque Austriaci, se propediem ad fines Pomeraniæ adfuturos, eamque provinciam una cum Borussiæ oppidis invasuros, ut Svecum Daniæ visceribus avellerent. Leopoldus quoque Aschaffenburgo scribebat; *ministros Danicos jactare, Svecis irruptionem in Danicas insulas exiguo lucro cessuram, ac forte ansam præbituram ipsorum in Germania relictas copias opprimendi, si propere iis grande equitum agmen à fœderatis immittatur. Ac se eo nomine ad Montecuculum mandata misisse; Ac Electoris judicio relinquere, num id absque manifesto periculo effectui dari possit.* Cui ab Electore responsum: *ob pacem in Dania jam perfectam sibi in præsens ista expeditione equestri abstinendum videri; ac perspicere cum istæ literæ scriberentur, Leopoldo nondum de pace cognitum fuisse. Unde post tantam rerum mutationem denuo consultandum, num ea pace insuper habita expeditionem persequi è re sit; ad quam ipse quidem paratus sit, si* *31. Mart.* *Leopoldo ita videatur.* Sane Hafnia literæ post factam jam pacem scribebantur, queis fœderati stimulabantur protinus in Holsatiam irruere, quamdiu Sveci adhuc per insulas dispersi *11. Mart.* agerent. Sed Leopoldus declarabat: dum expeditionem Danicam jubet, sibi creditum fuisse omnia in priori statu persistere. Haut eo secius conventis stare super armorum conjunctione, & delata Electori belli directione; ac Montecuculo mandasse omnia suscipere, & exsequi, quæ de communi consensu placuerint. Addebat; legatum Svecum Biœrnclovium Moguntino literas à Rege suo ostendisse, de insigni ejus in pacem studio testantes; quod & non minus penes Polonos reperiatur. Se quoque non segnius pacis cupidum esse, sed Gallos sequestres ferre non posse. Interim haut omittendas actiones bellicas, Svecis *2. April.* tanto promtius ad pacem compellendis. Ad quæ Elector: *Sibi quoque pace nil exoptatum magis: ac rogare ne super Gallis sequestribus scrupuli moveantur, quos Poloni semel admissos repudiare nequeant; præsertim cum isti declararint, suam operam tantum circa lites Svecorum, & Polonorum impendendam, non si quid Leopoldo cum Svecis intercedat. Cæterum se & antea semper, & nunc belli gerendi rationes ad Leopoldi arbitrium retulisse: utut quidam hujus ministrorum spargere non dubitent, isthunc à se ad expeditionem impelli, in quam nunquam consensurus sit.*

Anceps Electoris conditio.

§. 44. Enimvero Electori tanto circumspectius agendum erat, ne autor novarum in Germania turbarum argueretur, neu primus in bellum præcipitaret, quod soli deinceps à sociis destituto aut languide suffulto exantlandum esset. Ac valde suspectum habebatur, quod Coloniensis Francofurti nostris referret; Svecos de omnibus, quæ inter Electorem & Austriacos super auxilio Daniæ ferendo agitata sint, exacte edoctos. Ac videri Svecos quid in Electorem tentaturos; unde esse, quare hic sibi exacte caveat. Gallos tamen sententiæ diversos Biœrnclovio denuntiasse; si Svecus Electorem prior invaserit, Gallum id haut probaturum, grandemque inde apud omnes Ordines invidiam isti surrecturam, ac Electori necessitatem allatum iri Austriacis, & aliis sese innectendi. Unde spem esse, modo Elector Svecos non aggrediatur, hos non temere lacessendi initium facturos. Biœrnclovius quoque è Cansteinio quærebat; num Eelctor transitum per Pillaviam, copiisque, quæ nunc in Dania sint, per Pomeraniam, & Novam Marchiam concessurus sit? Simul hortabatur, ne electio festinetur, quoad adpareat, quid circa pacem Polonicam futurum sit, quam Austriaci studio sufflaminent, ac securius eandem impedituri sint, corona Cæsarea potiti. Igitur Elector Polonos juxta, & Austriacos ad amplectendam pacem hortaretur, antequam Svecis necessum foret è Dania movere. Inter ancipitia ista rationis erat, pacem juxta quantum daretur, & belli adminicula quærere. Igitur Elector literis ad Regem *10. Mart.* Sveciæ propria manu scriptis rogabat, ut ex toties facto promisso pacem Polonicam absque mora promoveat, neu, quam ipse verbo Regio confisus aliis spem fecerit destituat.

Cum Sveco super pace acta

Se quidem circa conciliandam pacem in qua sita securitas vertatur, nulli operæ parciturum, ac amicitiæ cum Rege colendæ cupidum esse; quæ eadem & Polonorum mens sit. Ad quæ Rex literis itidem propria manu scriptis reponebat: *Se legatos suos ad pacis Polonicæ tracta-* *10. April.* *tus dudum mandatis instruisse: Sed ex insolentissimo responso, quod Poloni Lumbrano dederint, nullum pacis desiderium apud hos deprehendere potuisse. Quin sibi justam querendi causam esse, istos cum sociis speciosum pacis vocabulum verbis jactare, consiliis ad alios perdendos tendere. In se etiam absente paci moram non fore; ac Polono potius stimulos subdendos, cujus maxime intersit pacem fieri. Significationem Electoris de studio adversus ipsum tanto lætiorem sibi esse, quo infestiora hactenus fama de consiliis ejusdem tulerit. Sed semper sibi spem fuisse, Electorem propria conscientia convictum, destinata, ac studia sua nunquam non ad ipsius salutem, & emolumentum directa fuisse. Pacem quam maxime sibi cordi, quo fessæ bello ditiones suæ aliquando quiete frui queant.* Nec minus Schlippenbachius per literas con- *25. Mart.* firmabat: à Sveciæ Rege non nisi amica omnia Electori expectanda. Cui ab hoc responsum; *alios, qui revera pacis cupidine tangantur, diversa omnia asserere. Quod si fidem dictis suis haberi velit, id efficeret, ut Rex pacem acceleret, ac caveat, ditioni suæ transitu copiarum deinceps parcendum. Nam inter tot minas alia sibi consilia capienda, nec nudis verbis confidere posse.* Ad quæ Schlippenbachius: *de minis per malevolos confictum. Ast vix pro commentis haberi posse, quæ de fœderibus in Sveciæ perniciem ab Electore initis spargantur.* Quibus quod Rex haut moveatur, in-

1658. *inconcussa amicitia specimen habendum. Unde paria cum Rege faceret Elector, ac eidem mature in Holsatiam obviam Sverinum mitteret, quo ex ipso consilia belli & pacis intelligat, & quid revera Regi ab Electore expectandum sit. Sane deprehensurum, inter duos generosi animi Principes nihil immedicabile.* Addebatur consilium, quid turbido hoc rerum statu Electori sequendum, & quæ mala eum ex Austriaca, & Polonica societate maneant. Nam *hoc casu ubi Svecus ingruat, vel versus Austriacas ditiones & Poloniam recedendum, propriis terris arbitrio hostium expositis, vel socios evocandos, sedemque belli in sua provincia constituendam. Ex quo triplex eventus sit proventurus. Si dubio Marte res geratur, & bellum à Svecis ducatur, omnia vastatum iri. Svecis victoribus quid secuturum sit, divinare haut difficile fore. Eosdem profligatos non longius quam ad oram maritimam recessuros, validis munimentis succinctam, ubi semper vires recolligendi facultas fuerit, & unde modicis cum copiis multos per annos hostem delassare, & cum Electoralium ditionum exitio bellum extrahere possint. Nam si debili quis manu insequi audeat, vapulaturum: ingentes copias fame destrui: ac nondum Austriacis excidisse. Pomeraniam quondam suis sepulcra præbuisse. Ac quantumvis fœderati junctis viribus rem gerant, Svecos haut omissuros è sua Pomerania Electoris cognominem provinciam, & totam Marchiam tributis subjicere, per occlusos quoque portus interceptis commerciis cives ad desperationem redacturi. Sed & durante hoc bello semper Electori metuendum, ne Poloni, aut Austriaci ipso destituto seorsim cum Svecis transigant. Neoburgicum contra Galliæ, & Sveciæ se innexurum. Inanem spem in Dania reponi, velut bellum instauratura, quæ plane enervis sit. Moscum etiam haut diutius infructuosum cum Svecia bellum gesturum, tanto acrius dein Lithuaniæ incubiturum. Pacem cum Cosacis lubricam. Gedanum obstructo portu ad incitas redigendum. Quod jactetur, Polonos ad desperationem adactos Turcæ, Mosco, aut Austriaco se subdituros, id Svecis curæ non esse, cujus servitio isti premi velint; ac uni horum se dedentes duos in se irritaturos. Ne, uti antea, exercitus in Polonia pessum eat, alio bellum gerendi modo declinari posse. Svecos vel ter acie victos nil terrarum omittere posse, quas nemo nisi maripotens occupare queat. Sed uno prælio adverso Electoris ditionem periclitari, haut facile iterum Svecorum moribus ob vires maritimas extorquendam. Ac quid interea Electori patiendum, quoad tot socii tam diversis respectibus ducti in pacem consentiant? Contra si Elector Svecis societur, bellum quocunque placeat transferri posse; nec minus pronam paci viam fore. E Svecis nihil prædæ peti posse, evastata jamtum Livonia, Pomerania, Brema, ubi præter munita oppida nil superest, quæ sine valida classe subigi nequeunt. Periculum ab incrementis Sveciæ imminens nisi per amicitiam, & fœdera cum eadem averti non posse. Frustra in morte Caroli Gustavi spem reponi; cum nunc æque sint, qui cœptam telam pertexere queant, quam post Gustavi Adolfi obitum. Et quid fiduciæ possit reponi in Polonia, ubi post valetudinarii Regis mortem successor in incerto est, Regno lacero ac vastato, quod à quinque partibus distrahatur?* 1658.

Electoris consilia.

§. 45. Enimvero debiliores erant istæ rationes, quam ut solidi quid superstrui iisdem posset: & cum de minis Regis liquido constaret, fœdus Austriacum haut quidquam repudiandum erat, non quidem ut novum in Germania bellum conflaretur, sed accelerandæ paci, & avertendo à suis ditionibus periculo. Equidem antea haut displicuerat Electori, illos à quibus periculum imminebat prævertere, salva tamen pace Westphalica. Sed quia ex Austriacis, quid serio vellent, nunquam exsculpere licuerat, is conatus nimium audaciæ videbatur habere. Nam hi apud Polonos, Danosque Electorem arguebant velut solam morarum causam, cum ipsi semper in Svecos irruere parati fuerint. Contra iidem per Germaniam, ac inprimis Francofurti invidiam isti faciebant; ab hoc quippe se ad arma in Imperio sumenda incitatos, cujus quietem alias haut turbare sibi decretum fuerit. Post cum pax Danica interveniret, dehortantibus quoque multis amicis, rationis erat id negotium haut præcipitare. Ast nunc Austriaci valde instare, ut ratihabito fœdere conjunctio armorum fieret. Sveci contra transitum per Pillaviam, Pomeraniam, & Novam Marchiam postulare. Id quod cum pactis Polonicis repugnaret, ac alias recrudescente bello Polonico in partem ejus veniendum esset, haut adparebat, quomodo non intra Imperii quoque fines in arma erumpendum foret. Præsertim cum Poloni subigente desperatione, & quia nihil erat quod amittere possent, statuissent, ubi Sveci iterum è Germania ingruerent, bellum in hanc refundere, & irruptione facta tantum mali Germaniæ reponere, quantum ipsi à Svecis passi sint; quoad vicinatis jus requirat ingressurum ad eos hostem aditu prohibere. Nec dubium habeatur, quia ubi ista exsequi instituerent, magna hominum colluvies prædæ causa confluxura foret. Cum itaque ex omni parte periculum se ostenderet, Elector legatos suos Francofurti circumspecte jubebat agere, & hinc quidem Svecis, aliisque suspicionem adimere, velut Electori animus esset in hos aliquid intra Germaniæ fines tentare inde autem omnia declinare, quæ Austriacis scrupulum injicere possent, quasi isti secreta cum Svecis commercia intercedant, aut eidem fœdus firmare haut placeat. Sed quia inter ancipitia ista diu subsisti non possit, id quoque injunctum, ut & ibi ad promovendam pacem Polonicam incumbatur, ac Svecus ab hostilibus in Electorem sumendis absterreatur, ac ut transitum per hujus ditiones postulare desinat, certissimam in arma erumpendi ansam; præsertim cum in Conventu superioris Saxoniæ is fidem dederit; Si Poloni in Germaniam non irrumperent, se quoque è Germania Poloniam non amplius invasurum; quo nomine & Saxones fidem suam apud Polonos interposuerint.

§. 46.

1658. *Legatio in Poloniam.* §. 46. Cum itaque cita pax præsentissimum remedium esset ex istis periculis emergendi, omnia quæ huic accelerandæ facere poterant, tentare, aut qua hæc non succederet, subsidia belli firmare placebat. Eo fine in Poloniam missi Otto Christophorus Sparrius, & Joannes Hoverbequius. *Ejus mandata.* His injunctum apud Regem Joannem Casimirum, qui Posnaniæ tunc urgebat, queri; *dum Elector omnes ubique ad rem gerendam hortatibus impellit, agendi tempora cunctando absumta; inter quæ Danus ad turpem pacem compulsus sit, fœderatis nocentiorem, quam si is plane se regno ejici passus fuisset. Cum itaque res in alium plane Statum, quam qui tempore initæ pacis æternæ fuerat, devoluta sit, abrupta mora admissos errores reparandos, & ne deinceps ad eundem lapidem offendatur, cavendum. Eandem quoque Regi mentem, qui sese ideo Posnaniam contulerit, ut cominus cum sociis consilia super bello ac pace conferre queat, instituto in finibus cum Electore colloquio, aut se præsente inter Duces utrinque consilio habito. Iste congressus dum paratur, se interim missos ut cum Rege consultent, quomodo communis, ac tuta pax promovenda, aut hac fallente bellum majore vi quam hactenus gerendum sit. Equidem huc inclinasse Electorem, ut post res in Dania mutatas, cum antea placuisset irruptione in Holsatiam facta Svecum distrahere, hic in Germania, ubi præcipuæ ejus vires hærent, invadatur, primo ictu illato, antequam ipsa progressuum magnitudine sparsas vires recollegerit. Enimvero arma in Germania movere ita odiosum haberi, ut Austriaci solam ejus rei suspicionem Francofurti magno studio à se amoliti sint, invidia in Electorem derivata. Omnes Ordines ita pacis cupidos, ut, nullo habito justitiæ respectu, aut quo fine arma sumta sint, illum invasuri videantur, à quo initium belli profectum sit. Antea integro Daniæ Statu, ac Svecis ob turbulentiam exosis ac ob res in Polonia finistre gestas contemtis, ejusmodi conatum facilius excusari potuisse, quam nunc, ubi contemtus ob gliscentem potentiam in metum conversus sit, odio per felices successus lenito. Ac idem dissvadere non solum Protestantes, ac nobis conjunctissimos Brunsvicenses, Hassos, Wurtenbergicos, sed & præcipuos Catholicorum Moguntinum, & Coloniensem. Belgas quoque subinde ingerere, ne Elector eousque induci se patiatur ut aggrediendi initium faciat. Equidem & antea isthanc offensam, atque invidiam fuisse metuendam; sed eam Electori parum curæ fuisse, & adhuc esse, modo liquida spes sit hoc rerum statu aliquod operæ pretium posse fieri. Ast fœderatos ex Imperii Ordinibus non obscure denuntiare, ab ipsis debita alias ex fœdere auxilia haut expectanda; quosdam etiam minari. Sane Brunsvicenses Duces arma parare, opponenda tam Svecis, quam aliis, qui in Germania turbare instituant. Saxonem non solum in partes descendere nolle, sed ne tutelæ quidem causa copias conscriptum ire. Danum insuper cum antea omnes Regni sui opes ac bello necessaria ad usus nostros obtulisset, nunc plane alienatum esse, milite & opibus exutum. Qui & nunquam concessurus sit, ut cum antea auxilium tamdiu incassum expectarit, nunc citra necessitatem nullo fructu sedes belli in ipsius ditionem transferatur; præsertim cum è Belgio scribatur, connubium inter sobolem utrinque Regiam agitari. Nam Pomeranis, qui antea cupide nos expectaverant, post ultimam Polonorum irruptionem, & vastatam cædibus, incendiisque provinciam, comparatione malorum nunc Svecicum jugum leve videri. Illam ipsam Pomeraniam munimentis, itinerum angustiis, & paludibus ita obsitam esse, ut sex militum millia facile viginti millia arcere queant. Si numerosæ copiæ ingruant, eas exhaustis jam omnibus inopia consumendas.* Id quoque Electori metuendum erat, ne, quantumvis Poloni hisce rationibus locum relinquerent, Austriaci contradicturi sint. Quanquam enim è plurimis indiciis pateret, Leopoldo haut placere ante electionem in Germania quid tentare: id tamen eum agere adparebat, ut Electori culpam infecti negotii impingeret, simul eundem Polonis suspectum redderet, velut ardorem in Svecos, hortatusque antea simulaverit, & nunc cum in rem præsentem veniendum sit, cessim eat, non fine specie secretorum cum Svecis commerciorum. Igitur legati jubebantur irruptionem in Pomeraniam ea dexteritate dissvadere, ut ad conjungenda per Borussiam arma promtos se ostenderent; simul rationibus demonstrare laborarent, in præsens Poloniæ utilissimum esse eo incumbere, ut Sveci quamprimum Vistula dimoveantur, spe quoque, & occasione Gedano potiundi ademta, quæ hos ad extrahendam pacem invitet. Tum Polonis pacem diligenter ingererent, ostentato periculo, in quo Polonia ob Gedanum, Elector ob portus suos versetur; & quam parum fide Cosacorum, ac Tartarorum sit nitendum, ac amicitia Mosci pacem cum Sveco captantis. Austriaca auxilia tarda, & & valde sumtuosa, ac si Turca, aut Gallus se moveat, protinus revocanda. Ipsam Poloniam vastatam, inter se discordem; ac pecuniæ potius summam pro redimenda Borussia impendendam, ut tandem aliquando funesto bello finis inveniatur: & quam, si in præsens eandem simul repræsentare supra vires Poloniæ sit, Reginæ, Gallorum, aut Belgarum opulentia æquis conditionibus suggestura sit. Ac satius fore duro quantumvis onere semel defungi, quam diutius bellum alere mora temporis longe plura absumturum, in quo tantum super tuendis propriis certatur, nullo victoriæ lucro.

§. 47. Cum nostri Posnaniam pervenissent, Montecuculus, & Lisola nil nisi expeditionem in Pomeraniam, & Holsatiam ingerebant. *A nostris apud Polonos acta. 8. April.* Svecorum quippe copias sparsas, præsidiis locorum à Danis cessorum attenuatas, multis quoque hiberno bello absumtis, ac dilapsis, qui à Dano traditi fuerant. Eo fine copias à se contrahi; nec minus Polonos paratos esse. In Pomeraniam & Holsatiam Montecuculum cum quindecim millibus iturum. Suchium cum quinque millibus in Borussia rem gesturum. Lambrium cum valida manu Bohemiam, Hunoldsteinium Silesiam, Hannibalem Gonzagam Hungariæ fines tuiturum. In Alsatia nil esse periculi, quod Oenipon-

1658. nipontano Archiduci quatuor millia sint tradita, novis delectibus augenda, ac urgente necessitate à Bavaro octo millia submittenda. A Gallia hoc anno nihil metuendum, intestinis turbis ægra. Statim atque ipsi movere se incipiant, Danum ansâ è postulatis Holsaticis arrepta tractatus cum Svecis abrupturum, ac Belgis animum accessurum, ad aliquid masculi suscipiendum. Dani tantum classe se usuros. Neque tamen pacem repudiare; sed in Gallum sequestrem nunquam consensuros. Cæterum cum Leopoldus ipsos ab Electoris jussis pendere voluerit, quæ jamdudum in manibus habeant, ista sibi sufficere ad defendenda omnia, quæ in Imperio suscepturi sint. Post habito à Senatoribus consilio, cui & Austriaci ministri intererant, nil nisi querelæ, & expostulationes audiebantur, velut Elector unicam obstrueret viam, quæ Poloniæ ad futuram sui securitatem superesset. Quæ antea Austriacis, jam Electori impingebantur insuper habitis, quas nostri adferebant, rationibus. Nam Poloni Austriacos è Regno suo amoliri cupiebant. Contra Austriaci judicabant; melius se ditiones suas tegere, si procul in Holsatia, quam si in finibus Silesiæ hæreant, ubi & parum sit unde victitent. Morsteinius quoque Hafnia scribebat; si fœderati recta in Holsatiam tendant, Danos pacem iterum abrupturos. Regina Hoverbequio secreto dicebat; Austriacos per Nuntium Pontificis valde laborare circa Polonicam coronam in se transferendam; unde se valde cupere istorum copias quamprimum Polonia extrudi. Enimvero Austriacis haut quidquam cordi erat in Germania quid tentare ante electionem; & quas Lisola attulerat rationes, parum solidæ erant. Tot exercitus, qui jactabantur, nuspiam comparebant; Dani res afflictæ; Belgæ magno studio in pacem Polonicam ferebantur, eamque moris in Germania armis impediri censebant, quibus & obsistere sibi necessum sit. Ac optabant quidem nostri, ut Polonia onere Austriacarum copiarum liberaretur, ni metus esset, ne hac ratione plures exercitus intra eandem pertrahantur. Simul suspectum erat, à Polonis jam tractatus pacis impediri, salvos conductus abnegantibus. Sequentibus congressibus id quidem à nostris effectum, ut Elector à secretæ cum Svecis collusionis suspicione purgaretur, ac velut nil aliud captaret quam occasionem, ut coactum se ab istis excusare posset, quod in Borussia antea factum arguebant. In eo quoque Austriaci, ac plerique Senatores nostris adstipulabantur, in Pomerania jam operæ pretium fieri non posse. Sed in eo omnes persistebant, sedem belli in Holsatiam transferendam, Danoque respirandi facultatem dandam, Belgisque animum addendum ad sublevandam Daniam, aut leniendas duræ pacis conditiones, saltem ut prohibeatur, ne Danus offensivum cum Sveco fœdus ineat, fœderatis quam maxime fraudi futurum. Ad quæ nostri regerebant: Danum jam eo redactum, ut ex ea distractione nil fructus capere queat. Belgas Elbingensi pacto ratihabito commerciis suis per Mare Balticum cauturos. 1658. Holsatiam non amplius pro hostili terra haberi posse, quippe quæ Kalendis Maji Dano restituenda sit. Igitur translatis in eandem armis Danum plane ad incitas redactum iri magno cum Sveci gaudio, cui securitas sua in hoc quæratur, ut isti vicino omnis facultas ad recolligendas vires adimatur. Sed Austriacis nostri seorsim ingerebant: in præsens Leopoldi votis nil magis obstiturum, quam arma intra Imperii fines movere. Qui ferociter reponebant: civitate Brema à Svecis impugnata, ac Dano in cognominem provinciam irrumpente neminem ex Ordinibus se commovisse; unde nec in præsens ab his aliquid metuendum: quin potius sperandum, si fœderatorum vires in unum contractas conspexerint, abdicato Svecorum favore his sese juncturos. A Leopoldo cominus mentem Ordinum inspici, qui talia sibi mandata haut fuerit daturus, si ullum sibi aut fœderatis periculum subesse perspiceret. Sed ad extremum nostri simulatam Austriacorum ferociam hoc modo retundebant, dum proponunt: quia haut dubitent primam intra Imperii fines aggressionem tentare, eam ipsi Polonis sociati susciperent, Electore interim cum suis in Borussia rem gesturo. A quo cum magnopere abhorrere se testarentur, simulatione demum sua evolvebantur. Igitur declarabat Joannes Casimirus, suas, Austriacasque copias ad Notezium fluvium sese contracturum, suasque rationes Electori expositurum, quas huic se adprobaturum confidat. Id enim sibi cumprimis curandum, ne Sveci iterum è Germania in Poloniam irrumpant.

§. 41. Sub idem tempus Legati Gallici Francofurto nobilem ad Electorem miserant, qui rationem querelarũ Gallicarum in formanda lege Regia haberi peteret, simul operam Galliæ circa Electorem Regi Sveciæ conciliandum offerret; addito, ut Elector declaret, in quo suam securitatem putet consistere, ac quomodo ista obtineri queat, Galli in eam rem studium prolixe pollicitus. Cui Elector: *nullum præsentius securitatis suæ remedium fore, quam si turbæ Polonicæ inter omnes, quorum interest, plene componantur: ac Gallum bene de ipso meritum, si Svecum permoveat, ut accepta pecunia summa Borussiam restituat.* Gallus omnia in eum finem officia offerebat; sed simul significabat, Regi suo valde cordi esse, ne inter Electorem, & Svecum dissidii quid oriatur, arduo jam antea negotio multum difficultatis additurum. Isthæc Elector ad Regem Poloniæ referebat, quomodo à Gallo oblata in usum convertenda sint: simul monebat, ut & ipse legatum Francofurtum mittat, quod ibi nunc de servanda Germaniæ quiete, & ne ea bello externo implicetur, agatur. Nam qui pacem amant non frustra metuere, ne Svecico exercitu, magnam partem Germanis constante & in Germania conducto, iterum in Poloniam irrumpente, Poloni paria reponant. Sed

Electoris circa pacem Polonicam studium. 10. April.

1658. Sed istis animos languidius moveri, ni ea res ab illis urgeatur, quos eadem quam maxime spectat; ac simul demonstretur, quid malorum inde proventurum, & uti ea res maximam paci remoram injectura sit. Unde omnes mirari, à Polonia legatum ibi non esse, cum à Sveco missus ibidem agat, qui hujus emolumentis solertes invigilet. Interim protinus ad Collegium Electorale literas dandas, ut circa prohibendas ejusmodi è Germania in Poloniam irruptiones cura suscipiatur, ne Polonis paria reponendi necessitas fiat. Nam si ista ab Electore ingerantur, Svecos reposituros; ipsi quoque nil copiarum è Germania adversus se in Borussiam immittendum. Eodem tempore Sveci diplomata pro legatis suis, maritimum iter in Borussiam sumturis, petierant; quæ annuere Elector dubitabat, ne hac occasione adparatus bellicus Elbingam adportaretur, neve quæ legatos veheret navi aliæ velut præsidio adjungerentur, ante Pillaviam jactis anchoris substituræ ad ministeria legatorum; cui incommodo ipse dato itineris maritimi diplomate ansam præbiturus sit. Sed & legatos contumeliæ sibi ducturos, si navis ipsorum excutiatur. Igitur ne Elector paci moram injicere videretur, Svecis significabat; se diplomata terrestri itinere profecturis solenni forma daturum, addito etiam præsidio militari. Sed maritimo ipsorum itineri cavere non posse absque Poloniæ Regis consensu, quod isthoc pactis cum ipso initis repugnet. Quia etiam Mosci suspicionem conceperant, à Polonis sibi illusum iri, Vilnensibus pactis haut firmatis; Elector Polonos diligenter monebat, ne bellum cum ista gente recrudescere paterentur, Poloniæ exitio futurum, ac ut id negotium mature, & magno cum studio agant, quod Czar ingentes jam copias contrahat.

Iohani ad Electorem misso. 17. April.

§. 49. Vicissim Polonus, cujus non minus intererat Electorem in partibus persistere, misso Joanne Andrea Morsteinio proponebat: Quoniam Electori haut consultum videatur cum Polonis, & Austriacis intra fines Germaniæ copias conjungere, & decretam antebac expeditionem in Pomeraniam, & Holsatiam persequi; sibi autem non sit integrum copias jam contractas in hiberna dimittere, instante jam agendi tempore, quod nec sine gravissimo Electoris periculo posse videatur: ideo constituisse exercitum in finibus Regni continere, ita ut Poloni ad dextrum Wartæ fluminis latus, Austriaci ad sinistram stativa teneant, quo protinus, si Electori periculum ingruat, subvenire queant; quibus hic annonam subministrare haut si recusaturus. Consultum quoque videri, ut Elector copias suas itidem in finibus disponat, quo auxilium mutuo ferri citra moram possit. Inde Electoris sententia exquirebatur. Cum propositæ expeditioni multum obstiterit incertus electionis eventus, ac partibus multum favoris ac roboris conciliatura sit novi Cæsatis societas; num post Leopoldi electionem, ac rebus Svecorum, Danorumque in præsenti statu permanentibus, Elector, in expeditionem contra Svecum sit descensurus, de consensu fœderatorum in Germania, aut Dania suscipiendam? Num etiam idem Polonis & Austriacis in Pomeraniam vel Holsatiam penetraturis transitum concedere velit, vel etiam solis Polonorum levibus turmis, si populationis faciendæ causa in Svecicam provinciam excurrere instituant? Quod si Sveci Polonos remeantes in ditionem usque Electoris persequantur, num Elector velut hostilitate à Svecis intra Imperii fines sibi illata ultionem repositurus sit? Si Sveci per Electoris ditionem in Poloniam aut Borussiam tendant, num Elector id permissurus, aut omni vi obstiturus sit? Quo casu si Electori à Svecis hostilia inferantur, Polonos petente hoc omnibus viribus subventuros. Contra si Sveci in Poloniam, aut Borussiam perruperint, petere Polonum, ut Elector omnibus cum copiis sese ipsi jungat, aut impressione alibi facta hostem distrahat. Nec minus Electorem Gosievio auxilia submissurum, si Sveci è Livonia per Samogitiam in Borussiam tendant. Ad quæ Elector declarabat: *Electo in Cæsarem Leopoldo utique plurimum autoritatis fæderi accessurum, ac tutius, & minore cum invidia Cæsarem velut ex officio, & hujus auspiciis fæderatos rem suscepturos Germaniæ proficuam; præsertim ubi idem Ordines in præsens parum faventes sibi conciliaverit. Transitum per suas terras, ubi Poloni Austriaci juncti in Svecos movere velint, sese haut negaturum. Sed ut soli Poloni excursionem tentent, haut consultum videri. Sane proxima horum in Pomeraniam irruptione ad summam rerum nihil profectum, ingenti insuper odio in Polonicum nomen ob atrocitatem conflato. Et hoc modo facile sedem belli in suam ditionem pertrahi posse. Unde & ipse Sveco denuntiaturus sit, ut transitu per Brandenburgicas terras abstineat; idemque ut emittatur apud Collegium Electorale, & Superiores Saxones institurum, in quorum conventu Sveci jam declararint, se itinere per Germaniæ fines in Poloniam haut amplius usuros. Oblatum à Polonis auxilium acceptari, ac utique rationem belli dictitare; ut quacunque via Sveci in Poloniam & Borussiam sese penetrarint, ipse cum exercitu à tergo eosdem insequatur. Sed si è Livonia Borussiam impetant Sveci, satius videri, ut Gosievius versus provinciæ Electoralis fines se recipiat, quod longius à finibus suis copias adducere sibi haut expediat.*

§. 50. Enimvero major cura Electori, erat, ut pacem apud Polonos promoveret, quam etiam Belgarum legatus Isbrantius, Berolini, dum in Poloniam tendit, divertens magnopere commendabat. Quo fines is Joachimum Rutgerum Golzium, supremum vigiliarum Præfectum, ad Joannem Casimirum Regem mittit, hortaturum, ut serio animum ad pacem adplicet, ac Svecus salvos conductus ea qua postulent forma dare non amplius recuset; quorum negationem isti ubique magna cum invidia questibus differebant. Nam etsi forte hisce pax cordi non sit; tamen ea diplomata tanto promtius annuenda, ut si post Sveci ad tractatus accedere negligant, aut intolerabiles conditiones ferant, penes Polonos favor æquitatis sit; cum nunc universi judi-

Elector pacem apud Polonos urget. Isbrante. 1658.

1658. judicent, moram pacis penes Svecos non esse, velut queis tam necessaria ordiendis tractatibus res denegetur. Quod si objiciatur, Moscum inde ansam arrepturum, alia consilia capessendi, & cum Svecis transigendi ostenderet; si Moscus quoque ad tractatus invitetur, non habiturum, quod queratur. Quin & ita negotium disponi posse, ut in breve tempus congressus instituatur, ac si intra id tempus Sveci leges æquitati congruas haut admittant, conventus iterum solvatur, ita ut antequam Mosci quid inaudiant, vel pax confecta sit, vel congressus diffluxerit. Denique si pax fieri debeat, utiq; congressu legatorum opus esse, ac diffidentiam, ne fraus subsit, sequestrandam; cum ejusmodi diffidentia, ubi eidem sine modo indulgeatur, æque noxia sit, atque deceptio quæ metuitur. Si Poloni objiciant; in hoc negotio Austriacis gratificandum, qui cum Gallos sequestres admittere nolint, satius esse salvos conductus tantisper differri, donec super hac lite convenerit; reponeret: Gallos ubi id animadverterint, graviter offensum iri, velut plane repudiando ipsorum officio. Et quia Galli Polonicam pacem fervide ingesserint usque ad Svecorum offensam; haut è re videri istos protelare. Spem quoque esse, Leopoldum Galli officium admissurum; quo fine à se Francofurti omnem operam adhiberi. Denique si Polonus circa titulum & sigillum difficultatem moveat, Goltzius modeste peteret, ut in hoc quoque Rex se vincat, ac eo ipso ostendat, quantopere ab effundendo Christiano sanguine abhorreat. Ad ista Polonus de affectu suo in Electorem prolixe testari; etsi inter Polonos non deessent, qui eum arguerent velut adhuc vacillantem, & in cujus aula multi sint favore in Svecos imbuti. Sed & de salvis conductibus Rex tergiversari pergebat, obtento metu, ne Sveci iisdem Mosco ostensis hunc cum Polonis committerent; ac sibi Svecorum postulata prius cognoscenda, ne horum enormitate tractatus irriti reddantur. Quod responsum Electori parum satisfaciebat; quem & non parum offenderat impudentia concionatoris Jesuitæ, Karbathi, Regi à confessionibus, qui hunc pro suggestu hortari non dubitaverat, ne pacta cum Electore inita servet, ac in proclivi esse ipsum jurisjurandi vinculo exsolvere, quo pacta ista firmaverit. Qua de re Elector apud Regem querebatur; *Principes Romanis ritibus addictos omnem fidem decoxisse, si istis hominibus, queis religio in questu est, sanctissimum generis humani vinculum pro lubitu dissolvendi facultas indulgeatur.* Ne ergo per ista Electoris animus labefactaretur, præsertim cum missa ad Svecos legatio, (de qua paulo post dicemus,) nonnihil suspicionis injecisset, ipsa Poloniæ Regina Maria Ludovica ad Electorem proficisci constituit; quæ Landsbergam delata huic de adventu suo significat. Hæc Berolinum insigni cum pompa ingressa, ibique pro dignitate tractata, donisque pretiosis mactata fuit. Introitu arcis recognoscere se ferebat satellites Electoris, qui in prælio ad Warsaviam tam strenue se gesserant; ubi &

Karbath.

Regina Poloniæ Berolinum venit.

28. Jun.

per vitrum, quo longius dissita velut è propinquo cernuntur, ipsum Electorem inter pugnantium ordines toto campo volitantem ipsa conspexerit. Attulerat eadem scriptum à Lisola, ut conjunctio armorum quamprimum fieret prævertendæ Svecorum in Germaniam irruptioni. Cæterum ea præcipue cura erat, ne Sveci unum & alterum fœderatorum ad peculiares tractatus pellicerent. Sed Elector de sua constantia securam ipsam esse jubebat, ac mutuo fides dabatur, accipiebaturque, nec pace nec bello Regem, & Electorem disjungendos. Et Elector ad præcipuos Senatores scribebat, ne per Gallos ad separatos tractatus seduci se patiantur, in quibus nil securitatis sit. Pollicebatur quoque tunc Regina, Electore instante, Protestantibus in Polonia libertatem, ac privilegia sua in Comitiis Warsaviensibus confirmatum iri, sancita quoque oblivione omnium, quæ forte ab iisdem hoc bello patrata sint. Ea inclinatione Elector quoque usus erat, ut quæ circa supremum Borussiæ imperium pactis Welaviensibus convenerant, exsecutioni darentur. Quo fine à Rege delegati fuerant Episcopus Warmiensis, & Castellanus Elbingensis, ut Borussos Ducales jurejurando, quo hactenus Regno Poloniæ obstricti fuerant, exsolverent, eosque ad Electorem velut supremum & hæreditarium Principem remitterent; quo nomine isti novo jurejurando Electori, ejusque hæredibus masculis sint devinciendi, nec minus Poloniæ Regno in eum casum, si Electoris stirpem masculam extingui contigerit. Ea de re cum Consiliariis provincialibus significaretur, hi monebant omnes Ordines provinciales convocandos; tum ipsorum privilegiis cavendum, & ut in casum devolutionis provincia non deteriore conditione ad Poloniam rediret, quam ab hacce tradita fuerat. Aliqui ægre ferebant, se inscios à Polonis condonatos, cum tamen sui majores non bello subacti, sed spontaneis pactis corpori Poloniæ sese associaverint. Eoque semel à Polonia disjunctos, non amplius huic obligari velle. Omnes quoque onera necessitate belli introducta magis questibus differebant, ac plurimum diffidentiæ ostendebant, scrupulis altius penetrantibus motis. Unde cum Electori haut placeret Ordines se absente convocari, ac metueret, ne id negotium intempestive susceptum turbarum aliquid pareret, alia via scopum suum assequi constituit. Cui ansam debat, quod Castellanus Elbingensis valetudinem excusaret, ut istud negotiũ non tam ob scrupulos à civibus motos, quam ob morbum delegatorum Regiorum videretur dilatum. Unde Elector à Rege petebat, ut velut proprio instinctu literas ad Ordines provinciales daret, quibus denuntiaret, uti supremum imperium, & directum dominum in Ducalem Borussiam per pacta Welaviensia Electori traditum sit, eosque hoc ipso obligatione, qua erga Coronam Poloniæ tenebantur, exsolvi, ut tamen in casum extinctæ familiæ Electoralis ea provincia iterum Poloniæ unienda sit. Ac eo fine à se delegandos, qui in hunc eventum ipsos

1658.

Rex Poloniæ Borussos Ducales jurejurando exsolvit.

veteri

1658. veteri jurejurando exsolvant, ac novo adigant, ubi per turbulenta tempora ei negotio vacare licuerit. Eum in sensum à Joanne Casimiro 11. Aug. literæ ad Ordines Borussiæ dabantur, quæ typis impressæ, totaque provincia promulgatæ fuerunt, precibus quoque publicis ad eum modum formatis. Addiderat Rex cautelam; Ordinibus Borussiæ fraudi non fore, quod ipsis insciis atque inconsultis pacta cum Electore Welaviæ forent inita. Eas porro Poloniæ Regis literas Elector ad Bogislaum Radzivilium Borussiæ Gubernatorem mittebat cum mandato, ut si Borussi circa novum jusjurandum scrupulos moverent, nec ejusmodi privilegiorum confirmatione, qua & ipsius supremo imperio consuleretur, adquiescerent, sed eam citra exceptionem desiderent, inter turbida hæc temporum cum istis in tractatus haut descenderet, ac præter Poloniæ Regis literas nil promulgaret, addito; negotium jam perfectum, & omnia constitutionibus Regni Poloniæ, prævio Regis & omnium Ordinum in Comitiis declarato consensu, inserta; ac Electorem confidere, ipsos quoque pactis, & in his fundato supremi & absoluti imperii juri sese attemperaturos, prout obligationi, qua antea Electori teneantur, conveniens sit. Cui de eorundem fide atque obsequio usque adeo constet, ut ab iis novum jusjurandum haut desideret, sed semel data ab ipsis fide contentus sit. Quæ omnia in acta diligenter referri curaret.

Electoris aucepe aditio. §. 51. Cæterum in tam caliginoso, ac lubrico negotio Electori circumspecte admodum procedendum erat, cum nec paci via ita propere inveniri posset, ac bellum ipsius ditionibus ob vicinam quam molestissimum futurum esset; quod vix declinari posse videbatur, Svecis jam aperte per Borussiam hostilia exserentibus, & Marchiæ non obscure minantibus. Sane nec extra partes amplius agi poterat ob pacta cum Polonis; & conjunctione cum Austriacis facta anceps erat Svecos intra Germaniam invadere, prægravi admodum invidia novi belli intra patriam moti certissimo cum suo, exiguo hostium damno. Ac valde incertum erat, num in Poloniam iterum se conjecturus esset Svecus, unde honesto prætexto se subduxisse victoriæ instar habebatur. Sed nec in longum consilia extrahere licebat, Penneranda jamtum Francofurti fremente; Hispanos graviter offendi, ab Electore fœderis cum Leopoldo ratihabitionem tamdiu differri; ac Saxonem, Trevirensem, aliosque ipsum monere, non esse, quod in Electore fiduciæ quid reponat. Sane si ratihabitio longius protrahatur, alia sibi consilia esse capessenda. Unde Elector legatos suos Francofurti omnibus quorum intererat demonstrare jubebat: uti ipse semper communem pacem promovere laboraverit, & nunc operam dare velit, ut Sveci Polonis concilientur, & pax Germaniæ perstet. In omnem tamen eventum arma sibi in promtu habenda, pacta cum Polonis servanda, Austriacam amicitiam quantum possit colendam. Equidem Austriacos, Polonosque acriter institisse, ut ad conjunctionem armorum procede-

Elector ista sua Imperio probare studet. *17. April.*

retur, & in Holsatia adversus Svecos res gereretur, congestis plurimis in eam rem rationibus. Primum ictum non sine periculo posse expectari; Svecos plus satis causarum decisse, qui & sine dubio rebus in Dania ab olutis ipsum invasuri, ac ni mature occupentur, nimium sese firmaturi sint. Contra fœderatis grave futurum otiosum militem tamdiu intra proprias ditione alere. Fœderis cum Leopoldo ratihabitionem citra hujus ignominiam differri diutius non posse, & adversæ parti spiritus inde accessuros. Quibus à se reponatur; quare per omnia cum ipsis conspirare nequeat, in causa esse mutationem temporum & rerum. Ad extrema procurrere anceps: pacem tutissimam, & amicis animum detestabile rumpendæ in Imperio pacis initium facere. Igitur in Borussia tantum, & Polonia rem gerendam: intra Germaniæ limites quiescendum, & successus armorum caute spectandos. Ita moderationis lautem parari. Quod si Svecus pacem Germaniæ haut turbet, multum lucri eo ipso factum. Sin minus, totum Imperium fœderatis ad evictionem præstandam teneri; saltem prætextum haut fore penitus eam abnuendi, aut adversæ parti favendi. Circa ratihabitionem fœderis pro captu nunc rerum tantum periculum in mora non esse. Eam tamen fieri posse, si nonnulla loca ad præsentia tempora dextre accommodentur. Quanquam & adhuc considerandum sit, num hucusque progredi expediat. Id fœdus multis immane quantum suspicionis injicere: undique se literis altius penetrantibus moneri: adversarios forte ex eo plus emolumenti capturos, quam ipsos contrahentes: Polonicis pactis jam satis se stringi, ac rationes Status plus efficaciæ habere, quam tabulas fœderis. Saltem aliquantisper rem in præsenti Statu relinquendam, quoad tempus liquidiora consilia suggerat. Satis cautum Austriacis, se nunquam partes deserturum, ac ad promovenda communia commoda haut segniore studio incubiturum, quam si peculiari conventione stringatur. Denique si tantus ardor rei gerendæ sit, Borussiam sat materiæ præbituram. Jubebantur deinde addere querelas: *De Germaniæ securitate ad Rhenum duntaxat cogitari, non item in Saxonia, quasi non & hæc ad Imperium spectet. Cum ante triennium apud Ordines flagitaretur, operam darent, ne sua provincia à Svecis proculcarentur, nemini eam rem cordi fuisse. Cum post à Polonis destituto cum Svecis transigere necessum foret, id multorum sinistris judiciis apud omnes aulas dilatum usque adeo, ut in conventibus publicis Polonorum incursiones in ipsius provincias probatæ fuerint. Jam se iterum Polonis reconciliatum integro fere anno protectionem Imperii adversus Svecos implorasse; sed omnes ad sua petita aures occlusisse, ad extremum prætexto à fœdere cum Austriacis sumto; cum tamen & antequam de hoc cogitaretur, & iisdem adhuc parum placatis nihilo plus favoris suaserit. Contra testem sibi esse universam Germaniam, & communis patriæ, ac singulorum causam se quanto potuerit studio semper suscepisse.* 1658. *Electoris querela.*

Uu 2 *Igi-*

1658. *Igitur jam demum vicem redderent Electores, ac à Svecis postulent, ne deinceps per Germaniam exercitus in Poloniam ducant, nec istam alieni belli malis involvant. Tum videant, an non Svecum ad inducias disponere queant; ad quas acceptandas & ipse Polonum permovere laboraturus sit.* Ea postulata cum nostri Austriacis communicarent, hi nihil sibi eadem displicere ostendebant. Unde colligere dabatur, jactatam tantopere ab his expeditionem adversus Svecos in Germania haut serio quæsitam. Alias enim responsuri erant, id petitum destinatis suis haut congruere. Ad ista Electores solidæ rei nihil. Auxilia pro rata Circulorum lentæ nimium indolis laxioribus verbis promittebantur, si à Sveco invaderetur, cum longe efficaciore remedio opus esset adversus Principem magno impetu ruere suetum. Literæ scribebantur, quæ prolixioribus pensabantur, ultro ingesta in Electorem criminationum segete. Nec missis legatis quidquam profectum, quos armis haut fulciri constabat.

Fœdus Austriacum ratihabetur. §. 52. Inter ancipitia ista cum & indies infestiora à Sveco expectarentur, & in sola Polonorum amicitia parum præsidii haberetur, ratihabitionem fœderis cum Leopoldo haut diutius tuto differri posse Elector judicabat; cui extrahendæ hactenus mutatio rerum in 27. Febr. Dania plausibile prætextum dederat. Et Leopoldus ratificationem à se factam jamdudum Barwitz Baro de Fernamont. per Joannem Franciscum Barvicium, Baronem Fernamontium Berolinum miserat. Quia tamen ejus fœderis formulæ alicubi interpolatæ à malevolis magna cum invidia dilatæ fuerant, velut id ageretur, ut Svecis ultro lacessitis Germania novo bello involveretur, Elector, antequam suam ratihabitionem traderet, ejusmo- 13. Maii. di scriptum à Fernamontio exigebat. *Postquam die 30. Jan. (9. Febr.) anni hujus 1658. inter Regiam Majestatem Hungariæ & Bohemiæ, ac Serenitatem Electoralem Brandenburgensem fœdus pro mutua defensione duobus instrumentis constans ab utrinque deputatis ministris confectum fuit, quorum posterius non solum contra mentem contrahentium ab uno & altero velut fœdus offensivum per Germaniam dilatum, sed & nonnulla in eo continentur, quæ in præsens tempus non quadrant: ideo hisce jam dictæ R. S. Mtis ablegatus Fernamontius nomine Regis ac domini sui declarat virtute mandatorum sibi datorum, posterius id instrumentum omnino nil aliud esse, quam propiorem denominationem, & declarationem, quo modo ad præsentem defensionem, & conservationem utriusque partis conjunctio facienda, & operationes bellicæ instituendæ sint, eoque nulla ratione pro fœdere offensivo in Imperio haberi debeat. Quæ etiam alias ejusdem articulo II. & VII. continentur, & ad præsentia tempora non amplius applicari possunt, ea habenda, velut ibidem plane non reperiantur, nec in præjudicium Electoralis S. Seren. alleganda. Ac hoc ipso ablegatus spondet sese horum ratihabitionem intra sex septimanas à Regia Hungariæ, & Bohemiæ Majestate decenti forma curaturum.* Eam appendicem Leopoldus citra scrupulum ratam habuit. Qui & mox nostris Francofurti significavit; Biœrnclovium prolixe de inclinatione Sveci in pacem & fœdus cum Austriaca 1658. Domo confirmasse; sed se ob hoc fœdus, & id quod cum Polono sibi intercedat, aures ipsi præbere noluisse. Firmato fœdere rationis erat electionem Cæsaream à nostris quantum posset urgeri. Nam omnes Svecorum fautores, & qui respectus habebant à præsenti Electoris Statu discrepantes, præcipuum fundamentum exsequendis suis consiliis in dilatione electionis quærebant. In quam ut & ipse consentiret Moguntinus, Coloniensis, & Palatinus prolixis literis petierant. Sed quibus apud Electorem nullum pondus erat, cum id tantum agi videretur, ut solida consilia turbarentur, & ipse in istorum sententiam pertraheretur, quæ præsenti ejusdem Statui minime omnium quadrabat.

§. 53. Eo strictius autem Austriaca amicitia videbatur amplectenda, quod à Gallis nil solidi, aut sinceri posset expectari; qui toto hoc tempore apud Electorem nil aliud quæsierant, quam ut Sveco spatium foret nemine obsistente Danum in ordinem redigendi, ac ut Svecorum partes firmatas Austriacæ Domui opponerent. Cum Gallis acta. Eorum ministri subinde jactaverant; Regem suum adversus Svecos Electorem indemnem præstiturum; quæ pollicita, cum in rem præsentem veniendum esset, retractatum ibant. Cum primum Elector in Borussia à Sveco ad dura pacta compelleretur, Gallicus, qui præsens aderat legatus, ne verbum quidem in istius favorem fecerat; usque adeo apud istos Svecorum rationes Brandenburgicis prævalebant. Et cum nostri à Gallis Francofurti enixe contenderent, ut Svecos permoveant, ne turbas in Germania dent, aut Ordinibus insultent; Galli contra impense Svecum velut fidissimum & unicum amicum rogaverant, ne ita anxie in Poloniam properaret, sed in Germania subsisteret, quod fortasse ipsius armis heic opus futurum sit. Cæterum miserat superiore anno Galliæ Rex Blondellum ad Electorem cum literis propria manu scriptis, quæ vicem fiduciariarum literarum supplebant; quarum causam ferebat, ut de affectu suo testaretur, *qui indicia sua nunc duplicari subigat, postquam novos ipsi hostes ingruere ad-* 1657. *pareat.* 21. Jan. *Quamdiu enim Austriaci Polonico sese* Regis Galliæ littere. *bello haut palam ingesserint, haut obscurum esse, quam validi respectus circa religionem, & alia se impedierint, quo minus reipsa de studio suo in Electoris emolumenta testaretur. Et hactenus satis se habuisse circa commodam pacem operam navare, qua forte Sveco satisfieri possit. Ast postquam Leopoldus apertum se hostem Sveco, atque Electori ferat, haut diutius differendum sibi fuisse, quin solidis documentis demonstraret, quantopere ipse omnibus, quæ Electorem spectant, tangatur, & quanti ipsum, ejusque amicitiam æstimet. Plura jacturum se fuisse, ni grave bellum obstitisset, quod tamdiu adversus Electoris, suosque inimicos gesserit, citra quod isti prava sua destinata effectui daturi fuerant; cum omnia mala, quibus plerique Principes orbis Christiani exercentur, unice ab Hispanicis consiliis promanent.* Quæ blandimenta quid spectarent, non in obscuro erat, ut Elector iis lactatus 26. Oct. 1657.

Galliæ

1658. Galliæ rationibus adversus Austriacos innecteretur. Unde & post, cum vulgatum esset Electorem in Austriacas partes descendere, Mazarinus Christophorum Brandium è Gallia ad Electorem mittebat, hunc ab isto instituto dehortaturum, ne præter rationem & necessitatem veteres amicos destituat, aut rationibus eorum sese illiget, qui semper infesto in ipsum animo fuerint, & qui nuper non alio fine in gratiam cum ipso redirent, quam per vafritiem, cui confidere prudentia non permittat. Eadem & à Blondello ingerebantur; sed quibus aurem præbere tempora tunc Electoris non patiebantur. Ne tamen idem tam potentem Regem, & cui plurima nocendi facultas, protelaret, Brandio Lutetiam remisso in mandatis dabat, ut Regi, & Cardinali Mazarino exponeret; *Electori semper cordi fuisse Galliæ commodis velificari, nec alienum se fuisse à promovendis consiliis, quæ super instanti electione Rex agitaverit. Sed postquam intellexerit, collegas partim aperte Austriaco suffragium suum devovisse, partim simulato Galliæ studio eidem clam de favore suo cavisse, in præsens quidem se desiderio Regis satisfacere non potuisse. Haut tamen astute agere voluisse, aut aliquid polliceri, quod à se præstari haut posse prævideret; ac spem esse, acta sua Regi probatum iri, quod plus efficere penes se non fuerit.* Si Electoris cum Polonis transactio in sinistram partem accipiatur, demonstraret; *quomodo Svecus abducto exercitu necessitatem ipsi attulerit, conditiones isti parum gratas amplectendi. Sed cum Svecus illis pactis, queis causam dederit, vehementer se offensum testatus sit, scriptis literis altius penetrantibus non sine minis, ac cupidinem portuum ac ditionum ipsius apricari non dubitet; securitati suæ fuisse prospiciendum fœdere cum Austriacis inito, quod nil præter defensionem utriusque ditionum, & reducendam pacem spectet. Is scopus cum Galliæ haut adversus speretur, quippe quæ ipsi sua non invideat, & pacem promotam cupiat; isti hoc fœdus improbari haut posse, quod & amicitiam cum eadem haut imminuat.* Si Galli objiciant; Electori etiam citra istud fœdus securitatem suam constare potuisse, ope gvarantiæ Gallicæ; reponeret; *pro ista oblata gratias quidem se agere, sed sibi haut aliter solide caveri, quam restituta pace, ac ut Sveci exercitum intra Regnum suum reportent, aut missione dissolvant. Nam ditiones suas, quarum cupidine Sveci flagrent, ita positas esse, ut durante bello per continuas hinc inde itiones, aliasque vexationes non possint non pessum ire. Unde & à Gallo pacem accelerari par esse, quod nemo non credat, Svecos quoque animum paci adplicituros, si Gallia eam serio cupiat, nec his subsidia belli suppeditet.* De cætero ubi commissum negotium prima vice exposuerit, colloquia Regis, aut Cardinalis ne affectaret, nisi novis mandatis acceptis, aut ultro invitatus. Hisce paulo post Elector addi jussit; uti ipse in Galli gratiam non solum complura neglexerit magno sibi commodo futura, sed & fœdus cum Leopoldo initum firmare distulerit, quamdiu Blondellus asseverarit, Regem ipsius in Germania sitas provincias contra Svecorum invasionem tutas præstiturum, modo ipse hosce intra Germaniam haut aggrediatur; simul effecturum, ut sibi integrum sit initis cum Polono pactis satisfacere, exhibito in Borussia copiarum conventarum numero. Has ob pollicitationes se non dubitasse eo tempore, quo Leopoldus omnes suas per Poloniam, & Silesiam copias ipsius usibus offerret, Galliæ desideria præcipuo studio pervincere. Sed cum ipse eam cautionem jam repræsentari cuperet, ministros Gallicos partim sua verba retractasse, partim ad pollicita Svecorum eadem retulisse, cum tamen antea jussu legis talia se offerre affirmassent. Nec adparere, quomodo salva pace Germaniæ adversus Svecos in Borussia cum justo exercitu res geri possit. Ac Schlippenbachium subinde jactare, Svecis in proclivi esse cum Austriacis amicitiam contrahere. Unde sibi haut consultum visum diutius in ancipiti hærere, ac fœdus utique firmandum duxisse. Id quod Gallorum æquitati se facile adprobaturum speret, cum non nisi sua tibi securitas quæratur, salva Galliæ amicitia.

Electoris ad Gallum mandata 11. Mart. 1658.

11. Maii.

§. 54. Ad ista Mazarinus: *non amplius de exclusione Domus Austriacæ cogitandum. Sibi duntaxat propositum fuisse de eadem Collegium Electorale monere; ac dolere sibi, stabiliendæ autoritati non potuisse reperiri, qui Cæsareum diadema suscipere voluerit, aut potuerit. Galliam tot labores & sumtus non in suum emolumentum impendisse, sed servandæ Electorum potestati, quam Austriaci alligatam cupiant, intra patrimonium suum pertracto Imperio. Sufficere tamen sibi pacem Westphalicam stabilitam, ac suffragio Electoris Galliæ plene satisfactum, pro quo ipsi gratias agat. Quod Elector Brombergæ Polonis se innexuerit, causam fuisse intempestive à Danis motum bellum, & intoleranda Svecorum postulata, ac facile se ignoscere rationibus necessitatis vim habentibus. Nec eo minus Regem inter fœderatos suos Electorem agniturum operamque daturum, ut pax Polonica, velut unica ad ipsum cum Svecis reconciliandum via conficiatur & quæ Poloniæ necessaria, Germaniæ proficua, ac Galliæ rationibus admodum congrua sit. Eoque Svecis nil auxilii laturum, quamdiu his bellum in Polonos continuare sedeat, quod & citra offensam Pontificis fieri non posset, aut ibi propriis viribus subsistere valeant.* Addebat tamen, *haut perspicere se, quomodo sibi invicem constent, quod legati Electoris Francofurti tam libere pro commodis Galliæ locuti sint, & nihilominus Elector eodem tempore fœdus cum Leopoldo firmarit; ac videri Electorem justo longius processisse, cum intra Brombergensia pacta subsistere licuisset.* Ad quæ Brandius: *Electorem & securitati suæ adversus destinata Svecorum prospicere, & ex officio tranquillitatem Germaniæ & Galliæ postulata simul respicere potuisse; nec invicem repugnare, Borussiæ portus tueri, & Electoris personam in Imperio agere, & Galliæ amicum esse.* Addebat, dissidii culpam utique penes Svecos esse, subinde minantes, & cupidinem ditiones Electorales invadendi haut dissimulantes. Ad quæ Mazarinus: Gallicis ministris injunctum, ut Svecos permoveant, ne quid suspecti ab Electore postulent, neu periculosa in eum consilia agitent, sed potius

Gallorum ad isthæc declaratio. 30. Jun.

omnia

1658. omnia ad stabiliendam amicitiam referant. Ac Blondellum jussum Electori de quantolibet Galliæ auxilio confirmare, modo is significare velit, quo sibi opus sit. Saltem si Electori gratum sit, securitati ejus adversus Svecos Regem cauturum, aut si in eo sat autoritatis non judicetur, Anglos quoque fidem interposituros. Horum cautione fretum Electorem non habiturum, quod à Svecis sibi metuat; quorum & ministri sancte confirment, Sveciæ Regem nil infesti adversus Electorem decrevisse. Abel Servientus, penes quem Germanicorum, & Polonicorum negotiorum tunc cura erat, Svecis non admodum addictus, citra ambages fatebatur; *non habere se, quod Electoris acta arguat, ob diversas ipsius ac Svecorum rationes, respectusque, & quia istis solitum sit duris postulatis socios urgere. Pacem Polonicam se promotam cupere, ut tamen nimium instando Svecis suspicionem injicere nolint.* Idem quoque nostrorum Francofurti candorem laudabat, quod Gallis absque circuitione dixerant; Electori ab omnibus amicis deserto in gratiam Austriacorum utique aliquid faciendum fuisse. Id quoque obiter memorandum, postquam Brandius publicam personam Lutetiæ suscepisset, Gallos inde ansam arripuisse Abrahamo Wicquefortio, qui hactenus titulum Residentis Electoralis gesserat, imperandi, ut è Gallia facesseret, inviso, quod sinistras narrationes de aula Gallica spargere argueretur. Is cum jusso parere nollet, in Bastiliæ custodiam abductus est. Sed cum Brandius ejus causam suscipere instituerent, Galli istum addito militum præsidio Caletum abduxerunt, inde in Hollandiam trajiciendum. Datæ ad Electorem literæ factum id excusantes, quod ipse apud Blondellum, negasset, istius patrocinium à se suscipi. Eundem quoque plurium salario frui, ac non tam publica Electoris negotia tractasse, quam relationes è vulgi fere rumoribus consarcinatas transmisisse. Scripserat iste in Hollandiam de neptibus Mazarini, de amoribus Regis, & ejusmodi aulæ fabulas: tum & favorem in Condæum Principem præ se ferebat. Sed præcipue eundem premebat odium Tellierii, cui viro asperrimum ingenium erat, sanguinis sitiens, & misereri nescium.

Wicquefort.

Anglicana ad Electorem legatio.

§. 55. Cromvellus ita se hactenus gesserat, ut circa cepienda consilia Electori parum esset ad istum respiciendum, verborum liberalissimum, operæ inanem. Is Hagæ per ablegatum Georgium Dovvmingium de studio suo in Electorem prolixe testatus fuerat, & uti operam conferri cupiat servandæ inter Svecum, & huncce amicitiæ. Idem & literas ad Electorem dabat, quas missus ab ipso Wilhelmus Jepsonus reddebat; in qua hujus fortitudo ac studium circa sacra multis verbis ornabatur, de cætero laxioribus duntaxat verbis amicitia afferebatur. Fiduciariæ quoquæ literæ elogiis Electoris refertæ erant. Nec minus legati allocutio nil præter laudes Electoris continebat, ad declamatorium usque tumorem adornatus. Privato congressu idem

20. April.

arctissimam consiliorum, & armorum conjunctionem inter Electorem, & Svecum ingerebat; etsi non putet dissidium inter eos eousque excessisse, ut reconciliationis vocabulo opus sit. Interesse causæ communis eorum, qui puriora sacra colunt, ut Elector Sveco se societ, procul habito fœdere cum apertis ejusdem hostibus, à quibus ipsi præter Polyphemi beneficium nihil sit expectandum. Si Elector bello cum Svecis collidatur, ipsius cives maxima inde damna sensuros; ac non posse non ejusdem cum Protectore amicitiam dissolvi, quod Carolus Gustavus ipsi fidissimus amicorum sit. Addebat, ut Cæsareum diadema in aliam ab Austriacis familiam transferatur, multis in horum secus acta invectus. Tum ut Elector capitulationi inseri curet, ne Cæsar obtentu belli in Anglos gerendi armis jamdudum in Flandria grassantibus sese immisceat; cum Protector auxilia duntaxat amico, & fœderato suo Gallo miserit, cui Pace Westphalica circa id negotium cautum sit. Nec dissimulabat, Cromvelli mentem esse impedire, ne tractatibus pacis cum Dano, & Polono Austriaci includantur; quo fine & curæ eidem esse concordiam inter omnes Protestantes stabilire. Multa quoque de Sveco omnibus viribus per Cromvellum sublevando jactabantur. Huic ab Electore responsum; *Se ut amicus Sveco foret summo studio enixum, ac amicitiam inter ipsos constitisse, quoad hic Poloniam armis aggressus sit. Exinde reipsa compertum, suas rationes usque adeo statui Poloniæ illigatus esse, ut hic concuti nequeat, quin illæ simul turbentur, suæque inde ditiones maxima incommoda sentiant. Unde nullam rationem esse adstringendæ inter ipsos insolubilis amicitiæ, quam ut pax in Polonia quam-primum restituantur. Quo fine si Protector autoritatem suam interposuerit, ac Svecum ad certæ pacis conditiones præ speratis è bello commodis amplectendas permoverit, non solum Electoris ditiones magno è discrimine liberaturum, sed & de orbe Christiano, quem à barbaris tot per secula tegat, propugnetque Polonia, egregie meriturum. Interim & se operam daturum, ut Svecus à Polonis honorificam, duraturamque, modo aquam voluerit, pacem obtineat. Cæterum optandum quidem esse, ejusmodi caput post Cæse orbi Christiano eligi, quo ob communia sacra advocato suæ religionis uti possint Protestantes. Sed cum ea res penes unum haut sit, ac vix perfici posse videatur, nisi præsente Imperii compage plane dissoluta; sibi juxta leges publicas & instituta majorum in pro rite concluso habendum, quod major pars Electorum, quam Catholici constituunt, in rem communem censuerit. Pro Europæ præsenti Statu ipsas Protestantium rationes requirere, tuta potius quam speciosa consilia sequi, nec ulterius tendere, quam ut pactis, ac jurejurando sacrorum libertati caveatur. Dedisse quoque se legatis suis Francofurti in mandatis, ut omni ope nitantur, quo paci Westphalicæ sua constet firmitas, & Gallo nihil denegetur, quod ejuspem vi postulare queat.* Idem Jepsonus post ostenbebat, Cromvello Svecorum acta non ex asse probari, præsertim cum nunc tam multa nova à Dano extra pacta postulent.

Electoris responsum. 11. Mai.

[16]58. stulent. Id quod Cromvello ignominiæ cedat, penes quem velut sequestrem interpretatio ejus pacis esse debeat. Sane Hafniam eodem colore, quo Huenam à Svecis peti posse.

lectoris d Sueciæ gem gatio. §. 56. Inter istum sociorum atque amicorum habitum Electoris quidem rebus utilissimum erat, pacem inter Svecos Polonosque quamprimum fieri. Circa quam ne quid operæ omitteret, legatos ad Carolum Gustavum è Svecia in Holsatos regredientem mittere constituit. Præsertim cum Schlippenbachius per literas spem fecisset, eos Regi gratos fore magnumque operæ pretium circa pacem facturos; ac ipse Polonus suggessisset, ut aliquis ad Svecum mitteretur, qui exploraret, num pacem iste serio, & quibus conditionibus velit. Unde Elector Ottonem Sverinum, & Danielem Weimannum ad Regem Sveciæ destinat his cum mandatis. *Eo gratius se è Schlippenbachio intellexisse, suam legationem Regi acceptam fore, quod inde spem conceperit, huic non solum pacem cordi esse, sed eundem ipsi super ejus legibus pro jure amicitiæ secreto significaturum. Sane à se pacem Polonicam non ideo minus tam indefesso studio quæri, ne eo extracto res Protestantium grave detrimentum capiant, quam ob suam, suarumque ditionum salutem. Quicquid Rex de ipso sentiat, sane Deo teste confirmare posse, nil aliud à se spectari, quam ut pax cum Polonis quamprimum constituatur, & Rex salva autoritate, ac sine damno tam periculoso bello finem imponere possit. Sine dubio nondum Regi memoria excidisse, quam sæpe ipse circa pacem Polonicam promovendam studium suum obtulerit, antequam adhuc Danus in arma erumperet. Ut sæpe ingesserit quam facile contingere queat, ut Svecicus exercitus denuo pestilentia, & aliis casibus destruatur. Barbaris hinc occasionem nascituram magna cum mole propius movendi, ac ipsi Turcæ facultatem accessuram Christianos gentes infestandi. Moscoquoque occasionem præberi Svecicas provincias magis evastandi. Polonos ad desperationem posse compelli, ut coronam suam in Principem conferant non Sveciæ modo, sed & multum aliis prægravem futurum. Unde spem esse, Regem nec hoste hortatus in sinistram partem accepturum. Equidem penes Regem cujus legati jamdudum Stetini egerint, moram non fuisse, quo minus colloquia super pace instituerentur. Sed rogare se, ut is in unico adhuc studium pacis demonstret. Nam Polonos serio quidem pacem optare, sed quia hinc Austriacum exercitum, inde Moscum terris suis incumbentem habeant, ad tractatus pacis descendere non posse, ni de felici successu, & pace cautum ipsis sit. Nam istis sine fructu solutis, Austriacos, & Moscos, qui nunc Polonis amici sint, apertos hostes fore. Unde se rogare, declaret Rex, in quas leges pacem fieri cupiat; quo intellecto operam se navaturum, ut in antecessum omnia digerantur, & congressu facto intra paucos dies negotium concludatur.* Quod si Rex ad isthæc nullo modo permoveri queat, ac id salva sua existimatione fieri posse neget, quod Poloni hactenus salvos conductus abnuerint; nostri id temperamentum proponerent, ut hi tantisper in Electoris, aut Gallorum, Belgarumque legatorum manus deponuntur, quoad Rex super conditionibus pacis sibi, aut hisce legatis secreto significarit. Præter ista nostri modeste à Rege contenderent, ut si utique bellum continuare placeat, aliam viam, quam per ipsius ditiones, in Poloniam quærat. Nam cives suos per totiens hinc inde commeantes copias ita exhaustos, ut id tolerari amplius non possit. Idem quoque legibus Imperii repugnare, ac Regem super eo transitu omittendo Ordinibus superioris Saxoniæ promisisse, quo nomine & hi apud Polonos fidem suam interposuerint. Bellum quoque eo modo intra Germaniæ fines pertractum iri, cum Poloni haut omissuri sint profectum è Germania bellum huc refundere. Se denique per pacta cum Polonis prohiberi horum hostibus iter concedere. Ast ubi Rex ab hocce itinere averti non possit, ad extremum velut privatim interrogarent, quid cautionis Rex præstiturus sit, nullum Electori periculum ex eo transitu metuendum? Si Rex idoneam cautionem offerat, velut privato nomine innuerent, id quidem utcunque ferri posse. Ast si Rex neque transitu supersedere, neque cautionis quid præstare velit, quam solennissime protestarentur; penes Regem culpam hæsuram omnium malorum, quæ Germaniæ, & Electoris ditionibus inde nascitura sint, ac Electorem id in vicem abruptæ pacis habiturum, ac eo nomine sibi competentia jura reservaturum. Ad ista promtum responsum exposcerent, nec per ambages detineri se paterentur. Cæterum his cum mandatis profecti Legati in Meclenburgica ab omnibus quidem confirmari audiebant, Svecos utique in Poloniam ituros. Nec minus tamen intelligebant, militem tam qui in Polonia fuerat, quam recens conscriptum ab isto bello abhorrere, tum & equos in Holsatia partos ei expeditioni inutiles esse, prægraves corpore, & qui diu solo stramine victitarint. Sed & nonnullæ copiæ è Pomerania in Holsatiam tendebant, id quod cum itinere in Poloniam haut quadrabat. Ex istis sibi repugnantibus nil aliud judicare poterant Legati, quam Svecis in animo esse Electori ex improviso ingruere. Unde huic omnia in promtu habebantur, & Leopoldus eo casu omnibus se viribus eidem affuturum promittebat. Porro lentius procedebat iter Legatorum, quod de adventu Regis nondum certi quid constaret. Gottorpii Friderico Duci Regis socero pax Polonica commendabatur, & ut transitu copiarum supersedeatur. Eodem Wismaria sese contulerat Schlippenbachius, qui constanter asseverabat, Svecos in Poloniam regressuros; simul multis verbis svadebat, ut Elector desertis Polonis iterum Svecorum partibus accedat; inprimis jurisjurandi Polonis præstiti vim elevans; velut nullum juramentum tam validum sit, quod aliquem in exitium præcipitare possit, aut debeat. Postquam demum Rex Flensburgi adpulisset, nostri ad Philippum Palatinum Sulzbacensem scribebant, num Regi placeat ipsos eo venire?

Margin notes: Legatorum mandata. — A legatis in itinere acta. — 1658. — 15. Jun.

Qui

1658. Qui cum id à Rege in ipsorum placitum referri responderet, ipsi Gottorpio iter Flensburgum ingrediebantur. *12. Jun.* Interim Wolfsbergius Berolino Halam discesserat, avecta pleraque supellectile. Ex quo Elector nil amici suspicatus legatis injungebat, ut tamdiu Hamburgum, aut Lubecam se conferrent, quoad alia mandata accepissent. *19. Jun.* Sed antequam eæ literæ redderentur, isti jam Flensburgum venerant. Eodem quoque accesserant Electoris potissimum instinctu à Collegio Electorali legati Philippus Caspar Beckius, Henricus Julius Blumius. Nicolaus Gerstorfius, & Christianus Ernestus Cannius: à Domo Brunsvicensi Fridericus Haymburgius, Bodo Gladebecius, & Bodo Altenus: à Cassellano Landgravio Majus: omnes Regem hortaturi ad pacem cum Polonis ineundam, & ut fines Germaniæ transitibus premere parceret.

Blum. Beck. Gerstorf. Canne. Haymburg Gladebec von Alten Maj.

§. 57. Flensburgum delatis nostris primus ad Sverinum accedebat Christianus Habbæus, significans, antequam ipsi à Rege audiendi forent, Majo esse, quod cum iis loquatur. Tum Regem valde irritatum esse, quod ex interceptis Detlevi Alefeldii scriptis consilia Electoris intellexerit; uti ipse *communis hostis* vocabulo notatus sit, fœdere super invadendis provinciis Svecicis inito; id quod instar clarigationis habeat. *20. Jun.* Veniebant inde Brunsvicenses, & Cassellanus, proprio nomine, non è mandato Regis exponentes; cum ipsi de pace apud Regem verba fecissent, ac inprimis de colenda cum Electore amicitia, præter spem Regem se valde commotum invenisse ob istius fœdera. Brombergæ cum Polonis initum haut necessarium fuisse; è Danico infensum animum elucescere, extremum cum Austriacis apertam hostilitatem profiteri. Unde nil amici se ab Electore expectare posse. Ac vel hoc valde suspectum esse, quod eo tempore legati ad promovendam pacem veniant, quo constabat, sibi Regno Daniæ excedendum; ubi ratio belli non admittat à tergo relinqui tam validis instructum copiis, & hostibus sociatum. Si serio rem egisset Elector, prius mittendum fuisse, cum adhuc in Dania subsistendi tempus foret. Ac si Borussia cedere sibi placuisset, cum Polonis & Austriacis agendum fuisse, circa quam Elector frustra satagat. Additæ fuerant querelæ de instrumento bellico in Pillavia detento, & quod Frauenburgum Electorali milite infessum foret. Ad quæ nostri paucis; non dubitare se, quin Rex ab ipsis veram rerum conditionem edocendus sit. Eadem referebat Joannes Georgius Anhaltinus Princeps; injunctum sibi à Rege ex ipsis sciscitari, quid huic faciendum, & quibus legibus amicitia cum Electore ipsi constare queat. Ad quæ nostri verbis laxioribus: si Rex pacem faciat, nec ab Electore quid exigat, quod Deo, conscientiæ, & existimationi repugnet. Tunc enim certo confidere posse, fidum magis amicum haut habiturum, quam Electorem. Sub vesperam accedebat à Rege missus nobilis cubicularius Bockius, qui istius nomine legatos salutabat: significans Regem ipsis indicaturum, quando alloquium admittendi sint. *Bock.*

Legatis super accessu ad Regem controversia movetur.

1658. 21. Jun. Postera luce redibat Habbæus significans Mœvium, & Kleyum venturos colloquii causa. *Kley.* Quod cum nostris suspectum videretur, statuebant id colloquium declinare, & ut à Rege audiantur instare. *22. Jun.* Sequenti die Mœvius, Kleius, & Ehrensteinius nostris denuntiabant; à Rege sibi injunctum præsentibus Brunsvicensibus, & Hasso sermones cum ipsis miscere, quo fine horam sibi condici petebant. *Ehrenstein.* Ad quæ nostri: In horas se expectasse, quando ad Regem evocandi sint; & cum hæc propositio sibi præter spem accidat, velle se brevi consultatione interposita suam ipsis declarationem significare. Adibant inde nostri Brunsvicenses; & Hassum, eorum mentem super hoc negotio exquisituri. Qui ostendebant; Mœvium hesterna die prolixe deduxisse, quid inter Regem, & Electorem in Borussia actum; uti hic post prælium Warsoviense, ad quod multis precibus permovendus fuerit, egregias rei gerendæ occasiones corruperit: uti Regis colloquium expetierit, & cum hic in propinqua accesserit, id declinarit. Inde excerpta è literis Alefeldii prælegisse, uti Elector mense Februario fœdus offensivum cum Austriacis concluserit, quo Rex *communis hostis* nuncupatus sit, & ex quo ipse cum exercitu, triginta millibus bellatorum constante, Dano suppetias laturus fuerit. Eundem de hoc colloquio ut nostris significarent petiisse. Sed cum ipsi abnuerent, nil amplius movisse. Sane rem esse sine exemplo nec vitio verti nostris posse, si circumspecte procedant. Decretum inde nostris propositum colloquium modeste excusare: tum mox ad Mœvium, & Collegas misere; *ab ipsis proposita se expendisse, ac evolutis suis mandatis perspexisse, Regis sibi alloquium expetendum: & cum moris non sit ante obtentam auditionem cum delegatis in colloquium descendere; inde rogare, ut non modo ipsi suam recusationem haut sinistre accipiant, sed & eandem Regi decenter excusent, & ex hoc denuo cognoscant, quando ab eodem audiendi sint. Nam per mandata sibi haut integrum esse diu heic loci moras agere.* Missa hinc à Svecis ad nostros scheda: Regem considerato quousque Elector hostibus ipsius sese innexuerit, necessarium judicasse per se aliquid proponere, quod ex more omnium populorum ante auditionem cognoscendum sit velut abs quo isthæc dependeat: istud nostros præsentibus Brunsvicensibus & Hasso cognituros. Nostri statim literas ad Schlippenbachium concipiebant, quibus dimitti se petebant. Iis Brunsvicenses & Hassus adhuc supersedendum censebant, oblata sua opera, si quid ad hoc negotium expediendum conferre possint. Nostri: Electoris existimationi repugnare alloquium Regis à se mendicari: sed si ipsi proprio nomine id promovere velint, sibi non ingratum fore. Ita Maius ea adhuc vespera Regi demonstrabat: Legatos ipso Rege ansam præbente advenisse, ac nunc valde perturbari audientia ejusdem sibi negata: circa quam ne Rex difficilem se præberet rogabat.

1658. rogabat. Cui Rex: cum ipse de hac legatione moveret, nondum sibi de omnibus ab Electore admissis constitisse. Sane id magno studio egisse Electorem, ut ipse hic locis opprimeretur; sed Austriacos movere noluisse. Tum legatis non plane accessum negatum. Et cur hi non prius suos audire velint? Et cum Majus reponeret; nostros haut dubitaturos Regiis ministris aures præbere; sed ut alii legati intersint velut constituto judicio, id molestum istis videri. Rex; graves sibi ejus rei causas, ac ita utique facto opus esse. Præterea nostros nondum significasse, num facultate cum ipso tractandi ab Electore instructi sint. Nam si nil præter pecuniæ summam pro Borussia oblatum veniant, non opus fuisse legatione, cum de eo dudum sibi constiterit. Inde isti legati ulterius nostris proponebant; quia hoc modo res facile in bellum erumpere queat, se denuo tentaturos, num nostri ad Regem admitti queant; rogantes, num pati possint, si Regii delegati soli remotis arbitris cum ipsis colloqui velint; tum ut literæ ad Schlippenbachium adhuc premantur. Ad quæ nostri: se ipsis præscribere non posse, quid avertendo bello facere aut omittere velint. Sed dignitatem sui Principis sibi tuendam, cui valde molestum futurum sit, legatos suos, ad quos mittendos invitatus sit, non audiri, ni prius in judicium adduci velint, ac è destinatis tam amicis bellum secuturum; cui se causæ non dedisse, quin omnia paci idonea contulisse, ac deinceps collaturos. Sed diutius heic morari integrum sibi non esse, ac literis Schlippenbachio traditis discessuros. Redibat inde Habbæus, post varias ambages sciscitatus, num legati audientiam saltem declarare velint, *esse sibi facultatem cum Rege tractandi. Id enim si sit, Rege nil carius fore quam ipsos audire, quod hoc modo tractatuum initium fiat. Id tamen Regi vix persvaderi, quod legati de mandatis suis tam anxie dissimulent; ac eidem relatum, non nisi veteram cantilenam de pace cum Polonis, & Austriacis, ac de satisfactione pecuniaria ingestum iri. Ac metuere se, ne Rex ubi nil aliud proferatur, non mediocriter stomachetur. Sane Electorem heic sequestris in vicem admitti non posse, velut alteri partium nimis addictum. Cum eodem autem tanquam cum hoste de re aliena agere absurdum esse, quod eo casu cum ipsis Polonis tractandum sit. Regem digerere haut posse tam arctam Electoris cum Austriacis conjunctionem, & fœdus post profectos Legatos permutatis ratihabitionibus firmatum; præsertim cum Austriaci adhuc constanter asseverent, ab Electore expeditionem in Holsatiam quam maxime urgeri.* Addebat: Regem laborum belli fessum pacem cum Polonis & Austriacis quærere; utrinque bonam spem esse non minus, quam è Moscovia. Cæterum ultra quadriduum heic non hæsurum. Si legati non nisi ad communem morem, sua mandata, & Electoris dignitatem provocent, nec longius progredi audeant, fatis rem committendam. Ita nostri literas Schlippenbachio tradi curabant hoc sensu: *Quanquam certo crediderint, Regi hanc legationem, velut amici, & in pacem proni animi indicium, gratam fore, quod & literis Gotheburgo scriptis significarit, ac ipsos per Sulzbacensem huc invitarit, nunc tamen non sine admiratione diversum sentire. Equidem reliqua suo se loco relinquere. Sed quod audientia potiri nequeant non sine magna Principis sui contumelia, id sibi necessitatem adferre ab ipso potendi, ut è Rege cognoscat, cum aliud quid ad Electorem referri velit. Huic enim se inanes heic moras adprobare non posse. Nec ipsum Regem adspernaturum rationes, ob quas arbitris Brunsvicensibus, & Hasso in colloquium descendere noluerint, cujus expetiti causam ipsa manifesta res evertat. Nec sibi fas esse sine mandato in rem consentire, quæ exemplo careat, & quam à se postulari amplius nolint.* Ad ista Schlippenbachius scripto respondebat: *23. Jun.* *Regem hactenus duntaxat accessum negasse, quoad procuratorium super reparanda inter ipsum, & Electorem amicitia exhibuerint. Alias enim haut adparere, qua ratione ejusmodi legatio recipi possit, nec quod discrimen inter hostem, & hujus fœderatum sit; cum Romani quondam censuerint, non esse è dignitate Reipublicæ, hostium legatos in curia audire. Nam si de pace cum Polonis, & aliis agere velint, sequestres se ipsos ferre, quorum munus in eos cadere nequeat, qui à partibus hostium stent. Sed si conditiones ferre velint, ac simul denuntiare, ni istæ acceptentur, sibi à parte Polonorum standum; judicum juxta, & caduceatorum personam acturos. Unde Regem nil aliud ab ipsis audire velle, quam quod peculiariter ad causam Electoris spectet. Equidem se semper ipsis confirmasse, Regi eorundem adventum insuper habitis anteactis gratum fore, modo aliquid de redintegranda amicitia, ac deferendis hostium fœderibus adferant. Sed cum non modo horum nihil habeant, sed post ipsorum Berolino profectionem fœdus Austriacum firmatum, ac complura per Borussiam hostilia patrata sint; nil aliud ex ipsis nosse Regem velle, quam quid ab Electore sibi expectandum sit. Quod si adhuc facultate agendi instruantur, Regem delegaturum, qui heic aut tertio quopiam loco super negotiis duntaxat Electorem spectantibus tractent. Cæterum dolere sibi, Electorem congressu Brombergensi, & per tot legatos Berolinum calefacientes in has Syrtes deductum, è quibus nisi instaurata Regis amicitia emergendi nulla via sit; cum eorum, quibuscum se sociaverit, rationes, & victoriæ, à communibus Protestantium commodis, & propria Electoris securitate abhorreant.* Hæ literæ nostros adhuc mags ad maturandum discessum obfirmabant, probantibus Electoralis Collegii legatis, quibus istas ostenderant. Eoque sequente die hora quinta matutina in viam se dabant, scriptis prius à Sverino ad Schlippenbachium literis, ab Hasso reddendis. Invitum admodum, ac dolenti animo hinc se discessisse, quod Rex de communi pace audire abnuat, cujus egregia fundamenta heic poni potuerint. Sperare tamen animum Regis divinitus flexum iri, ut pacem bello rei Christianæ tam exitioso prælaturus sit. Et quia is ostenderit, Regem velle ipsos super quibusdam rebus novo mandato instrui, se cum Col-

Legati inauditi discedunt. 24. Jun.

1658. Collega Hamburgum abiturum, ac re ad Electorem relata hujus ſententiam ipſi ſignificaturum. Addebatur, ne Rex per Electoris ditiones exercitum in Poloniam ducat. Nam heſterno die Rex legatis Collegii Electoralis pacem cum Polono ſvadentibus, ac Electori, aliisque tranſitu copiarum moleſtiam ne faceſſeret; poſt vagos ſermones reſponderat: in ſe paci moram non fore; & quia cum exercitu otioſo deſidere haut liceat, ac Dania ex pacto excedendum ſit, in Poloniam ſibi abeundum; in quam quæ via ducat, è tabulis geographicis perſpici poſſe; nam milites per aërem arte magica pallio inſidentes non poſſe transvehi. Cæterum innoxium à ſe tranſitum quæri; ac neminem lædendum, niſi qui bello ſe ingerat, ac eunti ſe opponat. Addebantur quærelæ de Electore, & Auſtriacis, & quod electio tantopere feſtinetur neglecta pulcerrima occaſione libertatem Imperii ſtabiliendi, ac ſaltem futurum Cæſarem ejusmodi legibus circumſcribendi, ne poteſtate ſua, uti hactenus, abuti queat. In contemtus quoque ſignum accipiebatur, eos legatos poſt audientiam à Rege, præſertim in expeditione verſante, menſæ haut fuiſſe adhibitos. Noſtris porro diſceſſus eo mágis properandus videbatur, quod Rex jactaſſet; eos ab hoſte veniſſe nullis tuti itineris literis. Unde in epiſtola ad Schlippenbachium ſpem reditus facere placebat, ne forte, uti multi Regiorum fremebant, ibi detine-

26. Jun. rentur. Ac iſti accelerato itinere Rensburgum, inde Glucſtadium attigere, adverſo Albi mox Hamburgum vecti. Qua tranſibant vota audiebantur, & ſpes Danorum, brevi Svecis paria reponendi. Et Glucſtadii Erneſtus Albertus Eberſteinius Comes, & Cajus Alefeldius diſſerebant: *Quæ vota ſua ſint, divinare in proclivi eſſe. Sed ita adverſis fatis ſe premi, ut metu Svecorum de ea amitate ſua queri, aut cujuspiam auxilium implorare non audeant. Sane ſi reſpirandi ac ſe movendi facultas detur, Regi ſuo animum haut defore ſervitio ſe eripiendi, nec nihil virium ſibi ſupereſſe. Miſerandum porro eſſe, Fridericum Regem ita à fœderatis ſuis deſtitutum; ac inſignem affectum, quo is Electorem proſecutus ſit, magnam partem ſuæ calamitati cauſam præbuiſſe. Nam antea bona pace potiri licuiſſe, quam acceptare noluerit Rex, ne Electorem Svecorum inſultibus exponeret.*

Super eo facto ſcriptis certatur. 24. Jun.

§. 58. Interim delegati Regii quæ noſtris ſermone expoſituri fuerant, ſcripto conceperant, quod cum hos Flensburgo profectos intellexiſſent, per tubicinem Rensburgi iisdem reddendum curarunt, adjectis literis hoc ſenſu: *Præter ſpem accidiſſe iſtorum diſceſſum, quo ſibi occaſio ſit ademta Regis mandata exponendi, ad facilem paci viam ſternendam ſpectantia. Cum è Brunſvicenſi, & Haſſica legatione cognoviſſent, ipſos non colloquium, ſed horum duntaxat præſentiam defugere, Regem non amplius deſideraſſe, ut iſti adſint: unde hoc obſtaculo amoto ſe decreviſſe hoc mane ad eosdem accidere. Quare autem ipſi haut eo ſecius colloquium declinarint, ſe diſpicere non poſſe. Quia tamen Rex ideo ſtudium pacis non exuerit, ſe, quæ coram expoſituri fuerant, ſcripta tranſmittere; ex quibus perſpecturi ſint, nil fieri, niſi quod maxime neceſſarium, & pro captu præſentium rerum uſu receptum ſit; ac uti ſibi ſalutare inſtitutum promovere cordi ſit. Quod ſi diverſum quid inde conſequatur, iſtis imputatum iri. Penes eosdem eſſe, huc reverti velint, an alio loco tractatus ſuscipere, quibus Rex facilem ſe præbiturus ſit, exhibitio juſto procuratorio, veteri amicitiæ inſtaurandæ, quam Elector variis infeſtis conatibus ad hoſtilitatem usque hactenus ſuſtulerit.* Ipſa pro- 1658.

Svecorum propoſitio. poſitio talis erat. *Uti legatorum admiſſio ex moribus gentium non ſemper uniformis ſit, ſed prout mittentium conditio, & merita, ipſiusque negotii indoles ſe habeat; ita & eandem variis modis fieri ſueviſſe. Unde & Regem ante conceſſam audientiam legatis Electoris per deputatos nonnulla exponere neceſſarium duxiſſe, quod hi ab ejusmodi Principe venirent, qui hucusque non niſi hoſtem ſe geſſerit. Quanquam enim Elector, cum de bello Polonico conſultaretur, Regis fœdus ambierit, bellumque Polonicum ſuaſerit, ac poſt non uno pacto ad auxilia ſe obſtrinxerit: cum tamen poſt nulla idonea cauſa, aut neceſſitate, cum neutrarum partium eſſe liceret, à pactis diſceſſiſſe, initis cum Regis hoſtibus in hunc velut communem hoſtem fœderibus, tracto quoque in ſocietatem Rege Daniæ, & promiſſi auxilii ſpe obfirmato ad recuſandam pacem; cui demum fœdus offenſivum cum Leopoldo acceſſerit, provinciis Svecicis in Germania in prædam deſtinatis. Inſuper Polonis prædonibus tranſitum in Svecicam provinciam conceſſum: inſtrumentum bellicum è Pillavia abreptum; impeditum, ne Inferiores Saxones Bremenſi provinciæ auxilia ferrent: multa alia hoſtilia agitata. Regem tamen haut ideo amicitiam plane exuiſſe, ſed literis Gothoburgo datis declaraſſe, gratum ſibi fore ab Electore legatos cum idoneis mandatis mitti, tollendis ſuſpicionibus, ac ſtabiliendæ paci. Aſt interim non minus fœdus in Regem cum Leopoldo firmatum, aſperis admodum verbis conceptum; inſtrumentum bellicum denuo in Pillavia ablatum; Frauenburgum expulſo milite Svecico occupatum; graves querimonias hinc inde in Svecos ſparſas, & velut in communes hoſtes auxilia undique excitata. Ex quibus quomodo colligi poſſit, Electorem in amicitiam, ac pacem cum Rege pronum? Quia igitur multum interſit, cum legato amici, an qualem ſe geſſit Elector, hoſtis agatur, Regem advenientibus iſtis non potuiſſe non more inter gentes recepto per prævium colloquium privatim explorare animum mittendis, cauſam legationis, & procuratorium legatorum, antequam hi publice audirentur. Quo ipſo eos haut quidquam excluſos intelligi. Neque vero ſe colloquium id expetiiſſe, ut privatim quædam expiſcarentur, aut tractatus cum iſtis ſuſciperent; ſed ut conſtaret, amicum an hoſtilem animum adferrent, ac num forte ad contumeliam Regi faciendam, pro præſenti ſtatu haut ferendam, an minus, venerint. Et cum Brunſvicenſis, atque Haſſica legatio, amicitiæ inſtaurandæ operam navatura, ſibi adſiſtere voluerit, teſtis futura, qua fide negotium ſuſcipiatur, eorum præſentiam noſtros declinaſſe, velut Electoris digni-*

1658. *dignitati adversam, & nullo exemplo. Cum tamen id tanti non sit, ut ideo laudabili proposito desistatur, nec aliquid quæratur æquitati, aut dignitati Electoris repugnans; nostris ista recusatione causam suam non parum suspectam reddentibus. Quia tamen isti ipsi legati hanc suam operam deprecati sint, velut parum gratam, ne à se remora negotio profecta videretur, Regem de horum præsentia ultro remisisse.* Isthæc ergo esse, quæ ex ipsis nostri audire noluerint. Quod si Rex intellexerit, Electorem ab hostibus ipsius sese disjuncturum, & per tractatus prioris amicitiæ reparationem quæsiturum sine mora nostris ad alloquium admissis id negotium suscipiendum. Sin minus, ac ubi ipsis ad isthæc tractanda plena mandata desint, in eorum arbitrio relinqui, num heic mandata ab Electore expectare velint, an vero in loco haut obnoxio, puta Chilonii, Slesvigæ, aut Hamburgi tractationem dicto modo perficere. De hoc ubi Rex intellexerit, protinus delegaturum plenis mandatis instructos, quæ opus sint in bonum statum reposituros,

Nostrorum responsum. *25. Jun.* §. 59. Ad hæc nostri Rensburgo paucis responderunt: *Mirum sibi videri, se ad colloquium invitari, postquam jam abierint; aut præproperi discessus se argui, culpamque malorum inde proventurorum sibi impingi; cum tamen ipsi non rogati quidem, haut tamen præter votum Regis ab Electore, istius cognato, & vicino missi ejusdem alloquio potiri non potuerint. Unde sibi necessitatem impositam discendendi, quod viderint, non alio se loco quam aperti hostis legatos haberi. Electorem sane nil aliud, quam pacem & pristinam amicitiam quærere, cui promovendæ ipsi parati sint, eoquo fine Hamburgi mandata Electoris expectaturos, de quibus ipsis significaturi sint.* *30. Jun.* Hamburgo dehinc nostri prolixiores literas ad delegatos regios dederunt, quibus priorum literarum brevitatem excusabant velut in itinere scriptarum, & quod Rex pro sua prudentia prolixum responsum ab ipsis non expectarit. Ac parum decorum, se ab auditione exclusos multa scriptione causam, & dignitatem Electoris prostituere. Sed satius visum Electoris mandatum Humburgi expectare, quod negotii gravitas requireret id ita propere haut abrumpi, saltem ut conscientiæ consulatur. Sed nunc majus operæ pretium se facturos videri, si absque mora Berolinum se conferant, unde ipsis sententiam Electoris sint exposituri. Cæterum *circa missam ab istis propositionem sibi in proclivi fuisse pleraque objecta diluere, velut obscura, & ambigua, aut ab anima Electoris, & rei veritate abeuntia; quæ non tam è sententia Regis, aut fida relatione eorum, qui interfuerunt, profecta sint, quam ab iis, qui parum comperta narrarint, aut animos ita errore corruptos gesserint, ut neque præterita meminissent, nec futura prospicerent, incerti num vetus amicitia novis rationibus, aut communis pax dissidiis præferenda sit. Sed quia rei gravitatem, & integram Electoris conscientiam præ oculis habeant, visum responso ad ista in præsens supersedere, ac eadem Principis sui judicio relinquere. De eo tamen non posse quin moneant, quod isti scripserint, Regem indulsisse, ne Principum legati colloquio adsint, eoque sibi causam discedendi haut fuisse; de hoc Regis indulto sibi nil constitisse, ac literas Schlippenbachil, legatosque Principum nullam spem fecisse legitimam audientiam abtinendi, aut Regem sententiam mutaturum. Neque vero à se adeo recusatam præsentiam legatorum, à quorum Principibus Elector amica omnia expectet, aut amicum cum Regiis colloquium, quam quod hocce eo loco, ac tempore susciperetur, ubi sibi aliquid fraudi futurum, aut suspectum velut pro imperio obtrudendum foret. Id quod nemini mirum videri debeat, se quippe non venisse disceptandi causa, sed velut Oratores vicini Electoris paci & amicitiæ promovendæ; venisse optante Rege, invitatos ministri ejus literis, fide publica, ac initio ad eum modum acceptos, Nec eo minus accessum ad Regem, ad quem solum missi sint, negatum, quod nulli antea Principis legato contigit. Discessum usque adeo non properasse, ut ad extremam usque horam declarationem super audientia expectarint, eam quoque rogaturi, si decorum fuisset.* 1658.

§. 60. His literis irritati delegati Svecici, Gottorpio non sine verborum acerbitate respondent: *Acerbiores literæ.* *Utique Regii fuisse arbitrii, quomodo venientes ab amico non ambiguo tantum, sed plurimum hostilium comperto audire voluerit; ac eidem fas fuisse per delegatos quærere de scopo lubricæ legationis. Esse legatis per gentium jus suam securitatem, & dignationem. Esse tamen & horum, & eorum à quibus veniant, suum officium, de quo illius ad quem mittuntur, prout amice aut secus isti se gesserint, statuendi jus sit, ac ut suæ quoque dignitatis ratio habeatur, nec præjudici quid sibi creetur. Frustra ab istis postulari legatos promiscue audiendos sine prævia communicatione; cum more gentium receptum sit inquirendi causa ad legatos mitti imo eos, qui à dubiis, & suspectis veniunt, non admitti, nisi idonea declaratione de adventus sui causa, aliisque edita. Unde quod istis audientia pro præsenti rerum statu concedi non potuerit, nisi præmissa declaratione, id male ab iisdem detorqueri velut accessus sit denegatus; cum mandata exponere liberum fuerit, modo tali legatione digna facere voluerint; cui spectandum, non tantum quid ipsi placet, & maxime quid negotio convenit, & ab eo ad quem venitur audiri potest, & debet. Licuisse iis proponenda audire, & quod par erat respondere; nec metum fuisse, ne operosis scriptionibus causa, & dignitas Principis implicaretur, cum omnia dextre interpretari, & ad amicum, atque pacificum finem dirigere potuerint. Id cum obtentu mandatorum recusarint, facile intelligi, non tractatui ipsos, sed incongruo negotio intentos, quod dextre explicare non poterant, abrumpere maluisse. Longe illos falli, quod ad eum modum, quo cum certis amicis agi solet, admitti voluerint; cum regi inter ambigua & suspecta fas fuerit, providere ne per inconsultam admissionem juribus, ac dignitati suæ præjudicium fieret; nec istis licuisse amicis tribui solita officia exigere, quamdiu non constet de scopo legationis à Principe profectæ hostium velut in communem hostem fœderato, ac hostilia multa pacto, ac perpetrante, ac ejus explicatio detrectetur.* *5. Jul.*

Ad-

1651. Addebatur multa stomachatio, quod veritati haut litasse arguerentur circa ea, quæ Electori ab ipsis objecta fuerant. Crescebat prolixitas scriptorum, prout odiorum magnitudo post expromtam publice hostilitatem gliscebat, queis præter ea, quæ ad rem faciebant, pleraque infarciebantur nil nisi affectuum vehementiam apricantia. Ac nostri quidem Berolini
4. Aug. longo scripto, quæ in propositione Regiorum objecta fuerant, confutabant, exposita genunia rerum serie, & demonstrata consiliorum, actionumque Electoralium justitia, aut necessitate. Ad ea, quæ Sveci circa jus legatorum adduxerant, reponebantur; *nonnullos quidem paganorum quondam dubitasse, num legatus ab hoste admittendus sit: sed Christi lege imbutos semper statuisse, esse rem sacram hostium legatos non repellere, quo appareat, in pacem nos quam bellum esse proniores. Sed invitatum, & receptum legatum non audire, apud cultas gentes inauditum esse. Ac ut detur hostes ipsos fuisse, quod negent, eo ipso tempore Regium ministrum amice habitum, & quoties placuerit auditum, quo nostris alloquium negatum fuerit. Neque vero professum hostem statim habendum, qui contra alterius invasiones per fœdera sibi prospexit; præsertim cum Svecus dudum eorum fœderum gnarus pacem, & amicitiam Austriacorum solicite ambierit. Non statim quoque sequestrem se gerere, qui legatum mittit, ut alterum ad pacem hortetur; multo minus id instar clarigationis habere; quia legati dicturi sint, quod ipsis injunctum fuerit, non quod aliis suspicari aut conjicere in mentem venerit. Frustra quoque à Svecis tradi, ex omnium gentium jure ac more admissionem legatorum pro captu mittentium, & negotiorum variari. Nam id circa solennes duntaxat legationes obtinere, quæ certis, & conventis cerimoniis fere constant, non circa promiscuas missiones. Sed nec inauditum esse aliquando legatum recusare, sed legitime receptos non audire superbum esse, & ejus qui cultiores mores non curet, aut ignoret. Denique nec rationibus nec exemplis probari posse, legato congruere, ut privatim sibi commissa explorari patiatur, antequam ab eo, ad quem missus sit, audiatur; aut aliis decorum esse, vi aut actu legatos inducere velle, ut secreta sua pandant aliis, quam quibus, ut ea communicent, in mandatis habeant.* Huic deinceps
5. Oct. Svecici delegati aliud scriptum opposuerunt, quibus priora fere repetebantur; sed passim exquisita verborum acerbitate adspersa, & factorum interpretatione, quam violenti affectus parere sveverunt, quæ heic inserere lex historiæ non patitur; quæ res, prout gestæ sunt, sine amore & odio referri contenta, num eædem rationi ac justitiæ congruant, cordato lectori relinquit. Cæterum super jure legatorum pertendebant, audientiam nostris non negatam, sed dilatam: ac utique penes eos esse, ad quos legati mittuntur, statuere, quo modo hi admittendi sint, nixi potissimum autoritate Romanorum, qui non hostium modo, sed & exterorum nationum legatos, quibuscum nulla erat amicitia, in urbem, aut curiam non admittebant, sed extra urbem in Bellonæ, aut Apollinis ædibus audiebant. Eosdem quoque sæpe sociorum, cum à fide desciverant, legatos ab urbe, à finibus exclusisse: sæpe in curia acerbe reprehendisse, exire jussisse, decreta aliquando & castigatione. Id præjudicium tamen nostri elevabant, quod non quævis Romanorum actiones ad normam rationis congruant, eoque à meliora edoctis in imitationem trahendæ non sint: ac eosdem gliscente cum opibus superbia, qui socii antea æquali jure fuerant, in subjectorum fere loco habuisse, queis multa indigna perpetienda fuerint, aliis haut obnoxiis nequidquam toleranda. Diffusum quoque fuit illud certamen ad utriusque Principis ministros Hagæ residentes, quorum Copesius Svecos ob negatam legatorum admissionem violati juris gentium libello apud Ordines Generales exhibito arguebat; Appelbomio Sveco id negante, adductis recentibus exemplis Comitis Aurspergii, quem per aliquot menses Hagæ hærentem Ordines inauditum dimiserint; Susæ Macedonis Lusitani, qui post aliquot demum menses admissus sit; & Petri Spiringii ablegati Svecici, quem, dum circa ejus admissionem Angli tricantur, mors occuparit. 1641. 1651. 1652.

§. 61. Dum nostri apud Svecum viam paci reducendæ incassum quærunt, à Moguntino, & Saxone nomine Collegii Electoralis Berolinum venerunt legati Petrus Jacobus Ebelbachius, Joannes Fridericus Burckersrodius, Philippus Christophorus Franciscus Weingartius, & Hermannus Wolframsdorfius; quibus & ad Poloniæ Regem super eodem negotio proficisci injunctum erat. Hortabantur isti Electorem ad promovendam inter Svecos, & Polonos pacem, ne inde Germania quoque bello implicetur. Ad quæ iste prolixe exponebat, quid circa pacem servandam, aut reducendam egerit, & uti in se nil desiderari passus sit, additis querelis, quomodo legati sui à Rege non auditi, ac indigne habiti fuerint, & quam alte penetrantia Rex Electorum legatis responderit, nil sane amici spirantia. Unde & alia, eaque efficaciora pacis tuendæ consilia ab Electoribus arripienda sint, ac ut Imperium sibi adversus Svecorum invasionem caveat; simul electionem properandam, & Svecis militantes Principes, aliosque illustri loco natos avocandos. Cæterum jam ante Elector ad collegium scripserat, ut Svecorum transitus in Poloniam inhibeantur, quibus demum bellum in Germaniam sit pertrahendum; simul auxilio ipsum adversus violentiam Svecorum sublevent. Qui de stato Circulorum milite in ipsius usum expediendo spem faciebant, sane lentam, nec pro periculi magnitudine. Moguntinus tamen suo in eum casum auxilio promisso ostendebat; sibi haut persvaderi, Electorem, armis probe instructum, societate Austriaca subnixum, hac rerum facie à Sveco ultro invadendum, cui jam antea Moscus, & Polonus incumbant; ac ista sine dubio spargi dissimulandis Svecorum destinatis alio spectantibus; nisi quod habeat Elector, quare in Borussia probe sibi caveat.

Collegii Electoralis legatio *30. Jun.* *Ebelbach. Burckersrode. Weingarten. Wolframsdorf.* *1. Maii.*

§. 62. Enimvero etsi maximam offensam adversus Electorem concepisset Rex, ut etiam pronun-

Svecorum destinata

1658. pronuntiaret; nunquam sibi aut filio suo ab eo Principe amici quid expectandum: quare tamen tanta asperitate adversus istius legatos uteretur, isthæc quoque causa suberat, ut Danorum suspiciones averteret, ne forte in se fabam cudi præsentirent. Unde & Sveci disseminaverant; se per Stetinum in Borussiam ituros, Vistula Dirschaviæ superato; ac jam aliquot turmæ in vicinis Marchiæ locis hospitia ceperant. Ac sane cum Rex diutius in Dania subsistere aut suos otiosos relinquere non posset, eoque in hostilem terram penetrandum foret, omnes judicabant, Electorem toto impetu invadendum, ut vel uno ictu prosterneretur, vel ad resumendas istius partes compelleretur, uti ante hac in Borussia factum erat. Non enim verosimile videbatur istum in Borussiam se conjecturum, tam validis inimici copiis à tergo relictis. Ac Rex magna cum animi commotione apud legatum Belgicum de Electore verba fecerat. Sed post cum Svecica classis Chilonii conveniret, eique miles imponi cœpisset, opinio surgebat exercitum navi in Borussiam trajiciendum, ne itinere terrestri sumto Germania nimium offenderetur. Unde & Poloni acriter instabant, ut is conatus impressione in Holsatiam præverteretur. Contra Electori satius videbatur itidem in Borussiam vertere, Svecisque ibi occurrere; quo fine suos jam Oderam transire jubebat, excito quoque Montecuculo, & Czarnecio ad Noteziam flumen stativa habentibus, ut & ipsi in Borussiam properarent. Sed mox præter opinionem (11. Aug.) literæ à Regi Daniæ num tiique veniebant, anxie auxilium adversus improvisam Svecorum irruptionem in Selandiam implorantes. Re protinus in consilium adducta, omnibus placuit, Danum non esse deserendum, quod non solum Electoris magnopere interfit, ne Svecus Oresunda, insulisque Danicis, simul Glucstadio potiatur; sed & ipse ex fœdere teneatur Regi Daniæ tanquam Principi Imperii, qui & in Holsatia Germanica provincia invadebatur, subvenire. Ea cum sententia staret, protinus exercitus cis Oderam revocatur, simul Wreickius ad Montecuculum mittitur, ut is sine mora in Holsatiam tendat, quod omnibus ad Mare Balticum sitis servitium immineat, si Svecus Dania potiatur; nec in minore periculo utramque Saxoniam versari, si eidem munitiones Danicæ ad Albim cedant. Se cum equitatu præcursurum, ut sparsos per Holsatiam opprimat. Nec bis ad eundem lapidem impingendum, ut sociorum cunctatione Dania Svecorum libidini exponatur. Non tamen nisi associantibus sese Cæsareis iturum. Quod si Montecuculus annuat, ad Czarnecium quoque proficisceretur, quo is cum quatuor millibus Husarorum sequatur. Belgis quoque de isthoc consilio significatur, addito hortatu, ne Daniam in tantis angustiis destituant; Sed qui jam antea decreverant Dano ex fœdere assistere, ut tamen ideo cum Svecis bellum non sumeretur; cum inter gentes moris sit socio auxilium ferre adversus alium, quicum ideo hostilitas non contrahatur. Unde hi per legatum Isbrantium Electori ultro significabant, 1658. se classem in Oresundam missuros, hortati ut Elector strenue negotio manum admoveat.

§. 63. Ad Cæsarem quoque protinus de Daniæ periculo scribitur, ut junctis copiis auxilium acceleretur. (Legatio ad Cæsarem.) Simul Fridericus Jena Viennam mittitur, ut pluribus exponat, quid Svecus denuo in Daniam, & Holsatiam tentaverit, insuper habita Westphalicæ juxta, ac Danicæ pacis sanctimonia; ac si contingat Daniam sub jugum redigi, ac Svecum dominio Maris Baltici ex asse potiri, idem fatum Cæsarem, Electoremque mansurum, veteribus Svecorum destinatus effectui dandis. In Dania Svecum non solum vires maritimas insigniter aucturum, sed & hiberna ibi capturum, magna supplementa è Germania contracturum, exercitu intra loca pinguia, ac tuta probe curato, fervatoque, ut proximo vere terra marique formitabilis Germaniæ se sit infusurus, nullibi occurrentibus idoneis copiis, quæ tantæ moli obsistant; præsertim cum is non paucos ex imperii Ordinibus delinierit, & in multis conspirantes secum Galliæ rationes haberet. Electorem quoque ob fœdus cum Cæsare, ac Polono initum à Sveco hostem haberi, data occasione infesta expromere haut omissuro. Daniæ Regem, Holsatosque auxilium implorare, quod Cæsar ex officio, ac ipse per peculiare fœdus præstare teneatur, præter communem pacis publicæ præstandæ obligationem. Salutem Cæsaream, atque Electoralium ditionum ulteriores tergiversationes non amplius ferre, aut ut facultas magis sese confirmandi indulgeatur ei, qui apertum jam hostem se ferat, ac oppressa Dania firmatis viribus terribilis adventurus sit, ipsorum rebus interim in pejus ruentibus. Unde summam rationem subegisse hosti quantum possit noxæ inferre, ipsiusque conatus, ac progressus interrumpere. Et quia nunc, dum Selandia invaditur, ejus vires divisæ sint, & pax publica violata Holsatis hostiliter habitis, Electorem ista omnia Montecuculo demonstrasse, qui Berolinum adproperans ipsum ad accelerandam expeditionem instigarit, Cæsareis copiis ad Oderam contractis. Unde Electorem cum equitatu præcurrisse, Montecuculo, & Sparrio cum peditatu insecuturis. Ac dubium non esse, quin Cæsar nihil eorum omissurus sit, quæ persequendo huic negotio tam egregia occasione sint necessaria. Idem de Carnoviensi quoque causa movere jubebatur, post tot pollicitationes adhuc infecta; qua actione Elector sit cessurus, si comitatus Regensteinensis absque onere, ac tentena uncialium millia è salinis Polonicis, aut Silesiæ tributis repræsententur: sin minus, malle se actionem sibi salvam retinere. Addebantur monita de exasperandis edictis avocatoriis, ac ut ad singulos Principes scribatur, quo quisque suos è milita Svecica retrahat: simul Svecici delectus per Westphaliam impediantur. Tum ut Cæsar conventum Deputatorum Francofurti dissolvat, ubi Moguntinus omnia suo ex arbitrio agat, prævia cum Gallis, Svecicisque ministris

 com-

1651. communicatione; ac facius fore conventum omnium Ordinum indici. Denique ostenderet, Electorem hactenus perspexisse, Anglos juxta, Belgasque ab Austriacis partibus abhorrere, quod Cæsar Protestantes ita acriter persequatur; unde istos religioni sibi ducere consilia, viresque suas firmandis Austriacis impendere, è quorum victoria suis sacris exitium immineat. Belgas quoque nunc Electorem hortatos, ut hac occasione id negotium diligenter agat; quod alias amicitia ejus, abs quo religio premitur, sibi non posse non suspecta esse. Sane citra hoc in Belgio, ac apud Anglos nil fructuosi pro partibus Austriacis effici posse: cum contra Sveci colore tuendæ religionis apud Cromvellum maxime se jactarint, quem & Gallus eo ipso in societatem suam pertraxerit, quod Protestantibus intra regnum suum plenam sacra sua exercendi libertatem relinquat. Addebatur de congerenda annona, & ut copiæ Cæsareæ in Bohemia hærentes propius ad fines accedant, parataeque itineri sint, ubi res exigat. Quia etiam supremum belli imperium Electori delatum erat, scriptum diploma eo nomine à Cæsare petebatur, ut res ab isto majore cum autoritate geri, & ab eodem cum Ordinibus circa negotia ad hanc expeditionem facientia tractari posset.

Vienna acta. §. 64. Viennæ gratum admodum erat ab Electore expeditionem in Holsatiam susceptam, ac in ipsam Daniam, si fieri posset, penetrari optabant. Judicabat etiam Curtius Comes, Electori prospiciendum, quomodo Magdeburgensem urbem in potestate haberet. Edicta quoque avocatoria Electori promulganda transmittebantur. Tum peculiariter ad illustres familias scribebatur, ut suos è militia Svecica revocent. De conventu Deputatorum cum Bavaro, & Saxone communicantum; ac sibi quoque verendum esse, ne Moguntinus directorium in dictaturam vertat, ac multa molesta misceat. Copiæ quoque ex Hungaria excitæ per Moraviam, & Bohemiam disponebantur ad decem millia, si opus foret Electori subventuræ. Glogoviæ annona congesta è sententia Ducum dispensanda. Haut par successus Carnoviensi negotio erat, quod Cæsar circa Comitatum Regensteinensem, Brunsvicensem Domum offendere nollet, renitente quoque Curtio Comite ob generum suum Tettenbachium, ejus Comitatus tunc possessorem, fidelem vasallum amoveri posse negans. Et quæ offerebantur centum octoginta uncialium milla è Salinis Welitziensibus ad Cracoviam Electori haut satisfaciebant, velut incerta, & quia Elector utique terrarum quid cupiebat. Unde satius visum id negotium ad commodiora tempora seponere. Sane Carnoviæ restitutionem præcipue impediebant sacerdotes subinde ingerentes; haut tutum esse tam potentem Principem Evangelicum in media Silesia pedem figere, reliquis Ordinibus animos, præsidiumque daturum. Et statim atque Viennæ audiebatur, Belgas in Svecum auxilia decrevisse, majores spiritus sumebant, ac in hoc negotio duriores se exhibebant. Circa sacra Protestantium in ditionibus Cæsareis Jena demonstrabat; *esse rem ab omni ratione, & humanitate alienam, homines in carceres compingere, fame torquere, aut aqua & pane alere; per milites in templa rapere, ut Missa intersint, ubi præter obscurum murmur, & gesticulationes nihil percipiant. Etiam liquidæ veritatis dogmata tali modo prave doceri.* Ac sane non omnes ministri Cæsarei sacerdotum immanitati favebant. Unde Cæsar declarabat; se impedimenta, quæ exercitio Augustanæ Confessionis in Silesia injicerentur, ignorasse, ac ideo jussisse in id negotium inquiri, ac prout idem deprehenderit, remedia adhibere haut omissurum. De cætero iis, quæ pace Westphalica convenerint, firmiter inhæsurum, haut permisso, ut Augustanæ Confessionis consortibus in Silesia adversus ista molestiæ quid inferatur. Judicabat Jena, decretum hoc etiam ad scholas porrigendum, quarum licentiam è templorum concessione Silesii consequi debere arbitrabantur. Sed Curtius negabat, Instrumentum Pacis ejusmodi extensionem ferre. Dabat præterea Cæsar fidem, ad peculiares cum hoste tractatus se haut descensurum; sed si de pace moveatur, ad communem sociorum conventum rejecturum, eadem ab Electore stipulatus.

§. 65. Sed & ne fœderis Rhenani consortes in favorem Sveci, qui & ipse ei nomen dederat, quid susciperent, cura erat; cui fœderi Elector adscribi noluerat, quod idem cum Austriaco fœdere simul consistere non posset. Unde Elector ad socios ejus fœderis non sine querela scribebat, ne id ratum habeant, aut ex eo Svecis quidquam auxilii præstent; legibus Imperii repugnare arguens, quod per id nil auxilii ab ejusdem Reipublicæ membris ferendum sit, si maxime ipse à Svecis in Pomerania, aut Marchia invadatur. Eadem à Cæsare per literas sociis ejus fœderis ingerebantur. E quibus Monasteriensis, ac Treviren- *Super renovando fœdere Rhenano agitata.* sis declarabant, id sese haut ratum habituros. Ac sane ipsi cordatiores Gallorum id fœdus inter ludibria habebant; quod arduum nimis sit tot Principes conditione, sacris, rationibus diversos in unam sententiam conspirare. Ideo autem tanto strepitu id fœdus jactabant, ut Cæsari scrupulum injicerent, ac vulgus in Gallia crederet, à suis legatis ingens operæ pretium Francofurti factum, ac tantam pecuniæ vim gratis ibi haut profusam. Ad Brunsvicenses Duces à Cæsare mittebatur Comes Nothaftius, *Nothaft.* hortaturus, ut isto fœdere absistant, per quod Svecus sperarit provincias suas Germanicas, ubi in bellum eruptum sit, protegere. Sed quia Saxoniæ summum periculum sit enasciturum, subacta per Svecos Dania, atque Holsatia, nec vero simile sit Principibus Germaniæ, cum id fœdus inirent, in animo fuisse ista destinata fulcire, & ad proprium exitium viam munire; igitur ex eo fœdere nil in favorem Sveci præstarent, aut ei plane renuntiarent. Enimvero istis Ducibus decretum erat Sveco quidem nihil auxilii ferre exsequendis destinatis

natis

658. natis in ipsorum quoque damnum redundaturis. Unde & fœdus Rhenanum firmaverant, sed multis adjectis conditionibus, queis ejus executio in longum extraheretur. Et cum Sveci pactum adjectum concepissent, ut istud fœdus in Electorem dirigeretur, idem adspernati fuerant. Haut eo magis tamen Duces nolebant Svecorum hostes in vicinam sibi provinciam penetrare, ne suis inde ditionibus periculum crearetur, aut ipsi alieno bello implicarentur. Unde iidem Electorem per literas à persequendo Sveco dehortabantur, saltem ne in Bremensem provinciam arma verteret. Eam rem cum Elector ad Cæsarem referret, hic, ut ad fœdus istud dissolvendum omni ope secum incumbat, istum hortabatur. Cui ab Electore responsum: *navaturum se operam in eam rem apud Brunsvicenses, & Cassellanum: sed metuere ut multum proficiat, antequam Cæsar Evangelicos in ditionibus suis aliter habeat, ac omissis persecutionibus libere ipsos Numen suo ritu colere sinat. Equidem à sua modestia abesse Cæsari leges dictare. Subigi tamen per devotum studium, quo ad promovenda ipsius commoda feratur, ut amica animo eidem significet; male Austriacæ Domus rationibus consuli Evangelicis civibus tantopere pressis, ac libertate sacrorum exutis. Esse utique istos ei Domui promtissimo obsequio addictos, quibus si Cæsar circa istud, quod alias ab humano arbitrio pendere non debet, satisfacere velit, plus lucraturum, & suæ Domus hostibus gravius damnum illaturum, quam multorum præliorum victoriis: Et hac una via plus fidorum amicorum, & sociorum sibi pariturum, quam quibusvis aliis beneficiis, aut ullis verborum blandimentis. Nec esse quod Cæsar de sincera fide, & obsequio civium suorum Protestantium dubitet, aut quod minus promte pro ipso bona & sanguinem profusuri sint; inter quorum scita vel id præcipuum sit, sane ad Principum favorem ipsis conciliandum quam efficacissimum, quod immotum obsequium, & incorrupta fides sit præstanda Principibus etiam asperi ingenii, ac diversa sacra professis. Et si quid alicubi turbatum sit, ejus causam ad sacra haut quidquam referendam. Idque recentissimo Galliæ exemplo constare, ubi Rex ipse Reformatis testimonium exhibuerit, hos immota in ipsum fide egisse, spretis rebellium solicitationibus. Unde & Cæsarem ista moderatione studia Protestantium Ordinum, ac sinceram exterorum amicitiam pigneraturum.*

rdi- §. 66. Porro de sua expeditione Elector præcipuis Ordinum Imperii significabat, addito
rii petito, ut copiæ Circulares in promtu ha-
le- beantur ad auxilium sibi ferendum. Ad quæ
spe- Moguntinus: se visurum, quid utrique Saxo-
m. nes facturi sint. Trevirensis: quod à toto Imperio statuendum sit, ei se non defore: ac capta ab Electore consilia sibi magnopere probari. Coloniensis: alios præeuntes secuturum; parum tamen posse, quippe Leodiensium turbis distractum. Bavarus: propius sitis districtibus manus prius admovendas: interim se cum Salisburgensi consilia collaturum. Augustus Administrator Magdeburgicus, Augustus Dux Brunsvicensis, Wilhelmus Landgravius Cassellanus laxioribus verbis de studio suo testabantur. 1658. Saxoniæ Elector: expectaturum, quid Inferiores Saxones facturi sint. Omnes tamen Svecorum acta improbare, ac multi aperte Electoris mascula consilia laudibus ferre; sed nemo arma parare, aut alterutri in auxilium sese accingere. Scribebant inde ad Electorem legati Principum fœderi Rhenano addictorum, ut terris suorum sociorum parcat, nec quid molestiarum, bello solitarum ipsis inferat. 13. Dec. De quibus literis velut importune, & satis pro imperio scriptis Elector apud Cassellanum graviter querebatur; ac Electorales Consiliarii non sine acrimonia respondebant: Non competere istis, quamdiu Imperio caput sit, ejusmodi decreta Electori mittere, ei præsertim cui libertatem Ordinum defendere semper cordi fuerit, quique adeo minime omnium meritus sit, ut sibi ejusmodi scriptione molestia facessatur à ministris Ordinum, de quibus non constet, quousque eorum mandata porrigantur. Et Electorem etiam ipsis non monentibus facturum, quæ personam, quam in Imperio gerat, deceant.

Cum Gallo sus per expeditione in Svecos acta.

§. 67. Cæterum decreta in Svecum expeditione Elector Brandio injungebat, ut Gallis demonstraret; quæ Svecus nunc moliatur Galliæ rationibus haut congruere. Cum enim Galli semper jactent, sibi cordi esse pacem Germaniæ servari, ac ut Protestantes inter se conjuncti agant, neminem præter Svecum in culpa esse, ut præsens distractio extiterit, brevi plus dissidiorum datura. Et Electorem studium in Galliam exuturum, si hæc Sveco isthoc in bello nil auxilii ferat, ac contra sibi à Svecis tantum non vi in arma pertracto adsistat. Id si negent Galli, eos sibi ansam præbere abdicata ipsorum amicitia arctius invisæ iisdem Domui sese innectendi; nec deinceps vitio sibi dandum, si quid fecerit veteri amicitiæ parum quadrans, postquam isti se destituto hostes ipsius firmaverint. Peculiariter autem circa auxilia à Cæsare in Flandriam non mittenda Brandius demonstrare jubebatur; uti Elector Francofurti eam rem nulla dissimulatione egerit, operam quoque daturus, ut ea promissa serventur, sed ea lege, ut Galli vicissim præsentes Svecorum actiones aversentur, ac subsidia sua hisce detrahant, & Electoris armis faveant. Alias facile ipsos rationem subducere posse, istum sui status rationes haut eversurum, nec illos rejecturum, in quibus plus præsidii, quam in Gallis, sibi positum sit. Et quia multi è Gallicis ministris sint, quibus præsens istius aulæ moderamen displiceat, ad bella alenda tendens, Brandius hisce ostenderet; Galliæ interesse, Svecos in causa injusta haut fulciri, ac potius ad amplectendam pacem compelli: alias istam in Germania præsertim fidem suam plane decocturam, velut cui bella ubique serere artificium sit. Inde per literas 25. Oct. Gallis exponebat Elector causas auxilii à se Dano lati. Hostilem Sveciæ Regis animum ostensum negata legatis ipsius auditione. Arma Dano injuste illata non in Dania solum,

sed

1658. sed & in Holsatia, cui è legibus Germaniæ tutela debeatur. Domum Brandenburgicam Daniæ antiquissima necessitudine junctam, eidemque jam olim in Holsatiæ successionem jus quæsitum. Svecum cupiditem ipsius ditiones absorbendi multis indiciis prodidisse. Armis suis nil aliud spectari, quam ut se, amicosque adversus aliorum injurias tueatur, ac fidam pacem assequatur, cui instituto Galliam fauturam spes sit. Ad ista Galli ingens desiderium præ se ferebant amicitiam Electoris conservandi, etiam plus solito, & non sine ambitione, quo diffidentiam inter hunc, & Cæsarem sererent; quem & saltem post pacem Polonicam partibus Austriacis abstrahere studebant. Testabantur quoque se non invidere Electori conservationem, & securitatem suarum ditionum; ac neminem ausurum postulare, ut hic neglecta sua salute in gratiam Galliæ Austriacum fœdus deserat, præsertim cum jam orbi pateant noxia Svecorum consilia, & quid artium adhibeant opprimendis suis vicinis. Nec dissimulabant, post electionem Cæsaris amicitiam sibi cum Svecis frigidius cultam ob horum ferociam, minas subinde spargentium, velut ipsis semper in proclivi sit pacem cum Austriacis habere. Ac sibi examussim constare, quid Bioernclovius cum Volmaro locutus sit. Eo magis viam dispiciebant, qua prohiberent, ne Electoris cum Austriacis amicitia radices ageret. Mazarinus etiam super expeditione in Holsatiam declarabat: *Galliæ rationes facile tolerare, quod Elector arma in Svecos arripuerit, rebus suis in tuto collocandis, ac promovendæ paci, ac ut Danus injusto bello petitus servetur; nec ista à se in malam partem capi. Galliam quoque non repugnare, quo minus Elector rem gerat; nec Sveco auxilia missuram, quamdiu is novas turbas serat. Electori tamen vicissim curæ fore, ne Austriacorum potentia gliscat; ac pro autoritate sua Cæsari dissvasurum, ne auxilia in Flandriam mittat, haut obscure insinuans, ubi id fiat, Clivicas forte ditiones belli theatrum fore. Saltem si Cæsar neglecta capitulatione militem eo mittere velit, Elector ei transitum per Clivicas terras ne indulgeat, quod & alii ad Rhenum Principes facturi sint. Ac optandum Galliæ, Svecos aliquandiu inter angustias res luctari, modo Cæsari per id tantum negotii facessatur, ut auxilii Hispano ferendi oblivio subeat.* Potebat tamen Mazarinus id responsi silentio premi, ne Svecis innotesceret, quibus suspicionem injicere nolit. Idem quoque ostendebat, Electorem Galliæ non mediocriter obstrictum, utpote quæ à Svecis, & Neoburgico impense quæsitum fœdus offensivum recusaverit, ne quieti Germaniæ, & Electoris rebus id fraudi foret. Et optare Galliam Svecos in ordinem redigi, retusis eorundem consiliis altius penetrantibus. Quod si Electoris cum Cæsare amicitiam dissui contigerit, se ipsum cum Svecis in gratiam non sine ejusdem emolumento reducturum. Qua de re firmam spem conceperat, postquam Sveciæ Rex confirmasset, se pacem cum Polono conclusurum, ac Borussiam redditurum, etiam ubi in futurum secunda rebus suis fortuna afflaverit, ea lege, ut Gallus à Polono ipsi circa titulum, & pecuniam satisfieri curet, ac ut Polonicum diadema neque Austriaco, neque Mosco conferatur, nec restituenda à Svecis Borussiæ oppida Cæsari tradantur. Qua declaratione Galli valde lætabantur, ac sperabant viam sese inventuros Polonis, atque Austriacis dissociandis, ac inter se collidendis, Sveco insuper Austriacis immisso; simul ut Elector pacto Brombergensi parta retineret, ac Austriaco vinculo exsolutus cum veteribus amicis in gratiam rediret. Dubium tamen erat, num Svecus serio rem ageret, ac non potius tam mollia proponeret hostibus in sorem dandis, & extrahendo tempori, ut Dano opprimendo spacium foret. De cætero facile agnoscebant Galli, non potuisse Electorem defugere, quin arma in Svecos arriperet, ac prudenter eum fecisse sede belli à suis terris dimota. Nec tam id spectabant, quid jure aut injuria factum argueretur, quam quid prudentiæ regulis, qualis rempublicam tractantibus in usu est, congrueret, velut Svecorum juxta, atque Austriacorum destinata non tam Christianæ pietas incrementa, quam aliorum oppressionem; & dominatum spectarent. Sed & nulla Svecis è Gallia pecuniæ spes, cujus amor Mazarinum valde urebat, ut ideo pluribus se bellis immergere defugeret; eoque Electori à Gallis in Clivia nihil metuendum erat. Ast Elector mentem Gallorum explorasse contentus, inutili amicitiæ Gallicæ ostentatione sociis suspicandi ansam præbere nolebat. Unde cum intellexisset Blondello injunctum, ut ipsum in expeditionem Holsaticam sequeretur, per suos id modeste dissvadebat, velut Cæsareis peculiarium tractatuum suspicionem præbiturum; quod & aliis ipsum comitari cupientibus negatum sit. Quod si tamen quid habeat alicujus momenti, Hamburgum se conferret, ac de eo per literas sibi communicaret. Ast iste Berolino discedens minas jaciebat, Gallos pacem inter Sveciam, & Poloniam conciliaturos, excluso Electore. Unde Elector diligenter ad Joannem Casimirum scribebat, ne id fieri permittat, velut ruinam Poloniæ post se tracturum, cum nec Cæsari, nec sibi aliquid in Svecos hostilitatis sit, nisi ob Poloniæ conservationem. 1658.

§. 68. Ast ista expeditione suscepta, amicitia cum Anglis, quæ per inania hactenus blandimenta utcunque culta fuerat, plane expirabat. Et cum paulo post Olivarius Cromvellus fato functus esset, de morte ipsius Slezero Electoris ministro pro more haut significabatur. Rationes jactabantur; quod Elector non nisi hostis præsentis ipsorum status haberi queat, velut qui nunquam favorem in Stuartos exuerit. Eundem subsidium pecuniarium petiisse, & tamen Slezero mandata non dedisse in ullas conditiones solidi quid habentes se obstringendi, non sine manifesto ludibrio. Nec dissimulare se posse offensam, quod Elector ad sumenda in Svecos hostilia induci se passus fuerit, insuper habitis legati Anglicani hortatibus. Unde visum Electori Slezerum inde revocare, alias negotiis prave gestis, *Cum Anglis alia.*

1658. stis, & familiari cum legatis Svecicis conversatione malæ fiedei suspectum. Qui & mox cum magores sumtus, quam pro modo assignati stipendii fecisset, magno ære alieno conflato clam ex Anglia facessebat, ac causæ suæ diffisus ad
15. Dec. Svecos se conferebat. Electori tamen, antequam de istius discessu intelligeret, haut eo minus litaras scribere placebat ad Richardum Cromvellum, super Svecis multa querentes; qui cum studio in puriora sacra propaganda, aut tuenda favorem captare sveverint, earum professione multa indigna commiserint, iisdemq; plurimum noxæ intulerint. Eorum quippe armis Protestantes proPoloniam in miserrimũ statum conjectos: Ragozium in exitium præcipitatum, Curlandiæ Ducem cum tota familia oppressum, & in custodiam datum, Daniæ Regem contra pacem per Richardi patrem conciliatam nulla idonea causa armis obrutum, omnes eorundem sacrorum consortes. Tum & istos acerbo odio in Reformatorum sacra ferri, erepta hisce Elbingæ libertate, quam Catholici concesserant; quod odium & apud Protestantes per Germaniam pertinaciter alant. Unde nec istis prodesse debere favorem religionis, quam verbis profitentur; nec sibi obesse, quod istorum iniquitas necessitatem attulerit arma cum Austriacis conjungendi ad sua in tuto collocanda, & oppressam in juste Daniam vindicandam. Neque enim ea arma ad eas lites pertinere, quæ Austriacis cum aliis intercedant, nec iisdem animum esse fines suos proferre, aut commercia turbare; sed ex officio provincias Imperii tueri, & vicinum Regnum servitio eripere, nullo puriorum sacrorum periculo, queis Sveci ipsi per hactenus gesta, istorum sciris plane repugnantia, maximam plagam intulerint.

Expeditio in Holsatiam. §. 69. Cæterum Elector antequam in expeditionem abiret, Joannem Georgium Anhaltinum Principem, qui nuper militiam Svecicam abdicaverat, Marchiæ gubernatorem constituit. Inde ad Meclenburgicos Duces præmittitur, qui innoxiũ transitum peteret, velut in declinabilem, exactam militis disciplinam pollicito. Etsi post graves querelæ à Duce Gustavo Adolpho super nostri militis petulantiã moverentur; quas Elector excusabat annona haut tempestive præbita, ac damnum reparatum iri, si is arma in Svecos jungere velit. Elector porro Berolino progressus
1. Sept. cum suo equitatu, & ter mille Cæsareis equitibꝰ præcurrere instituit, pediatu modicis itineribus secuturo. Ejus exercitui Duces superiorum graduum tunc erant Otto Christophorus Sparrius,
Dorfling. Georgius Dœrflingius, Joannes Georgius Princeps Anhaltinus, Joachimus Rutgerus Goltzius,
Quast. Albertus Christophorus Quastius, Georgius A-
Pfuel. damus Pfulius. Apud Parchimum Copiæ lustra-
Sept. bantur. Wittebergæ oppido Meclenburgicæ E-
Sept. lector edicto causas hujus expeditionis publica-
Sporck. bat. Ubi Trittoam perventum esset, Sporckius, & Pfulius cum valida manu præmittuntur inhibituri, ne Sveci uti cœperant Holsatiam incendiis vastarent; sed qui audito fœderatorum adventu mature trans Eidoram fluvium concesserant, ut non nisi duæ istorum catervæ, una centum viginti equitum, altera septuaginta, intercipi possent. Spes fuerat Electori, sese Svecicas legiones intra Eiderstadiensem tractum interclusurum, 1658.
aut ad pugnam conserendam compulsurum. Sed Sulzbacensis duarum dierum spatio antecepto magna cum diligentia Friderichsuddam se receperat. Slesvici è captivis cognitum, tribunum Ostenum cum equestri legione Tœnningam versus se recipere. Huic intercipiendo Pfulius immissus cum mandatis, ut Svecos sub ipsum oppidum intra machinæ jactum persequeretur. Quem & sub munitiones usque oppidi recedentibus instantem displosæ è vallo machinæ demum stiterunt. Husumi ad Electorem à Friderico Duce Gottorpiensi accessere Levinus Nicolaus Moltkius, & Ludovicus Asseburgius, qui proponebant: *Ducem toto hoc bello extra partes egisse, paci tantum conciliandæ vacantem: inprimis Electori semper amicum se exhibuisse. Nunc magno cum dolore, ditionem suam tanto exercitu inundari, cui parci petebat.* Eis responsum: *quæ Elector hoc instituto quærat Duci grata potius quam molesta esse debere. Nam postquam Svecus abrupta pace quid appetat, toti Orbi ostenderit, ipsa quoque Holsatia affectata, vim fuisse opponendam, quo sua cuique salva maneant. Quæ destinata Ducem consilio, & opera promovere par sit.* Addebantur querelæ ob nonnullos ad Tœnningam machinis necatos, aut sautiatos. Holsati repetitis prioribꝰ negabant hanc expeditionem viam esse Svecos ab instituto suo avertendi, pacemque constituendi. Ac si maxime Electori fas sit in Holsatia tanquam Imperii provincia Dano assistere; tamen nullo jure cum in Slesvicensem Ducatum progredi, quem ipse à nemine mortalium recognoscat: unde ut sua portio ab oneribus belli immunis relinquatur petere. Tœnningæ machinas terroris tantum causa displosas, ac Osteni turmas sibi à Sveco pro pedestri legione permutatione adquisitas. Nostri contra necessitatem hujus expeditionis ingerere, ac Electoris laudabile studium extollere illos Germania dimovendi, per quos nemini hactenus sua quiete possidere licuerit. Neque vero Ducem hoc bello medium se gessisse, cum Svecos omni subsidio levaverit, attritas eorum copias recreaverit, ac opima tributa è ditione sua iisdem concesserit, præbitis quoque è Gottorpiensi armamentario bellicis instrumentis. Tum Regiis oppidis deditionem imperatam, præfectis ad deserendam suam fidem solicitatis, Tœnningæ Rensburgensium navigia detenta, ac Svecis tradita, struendo ad Friderichstadium navali ponti, Svecicas catervas Gottorpii substitisse, ac in nostros excursionem fecisse. Svecicæ legioni Tœnningæ receptum dari. Tubicini ab Electore venienti oculos obtectos, velut ab hostibus misso. Et cum Sveci Ducatu Slesvicensi utantur, prout & nuper Sulzbacensis cum legionibus suis heic stativa habuerit, Electorem subigente belli necessitate eodem abstinere non posse. Quia tamen Electori nihil magis quam pax cordi sit, audire se velle, num Duci alia ratio isti consequendæ præter hanc expeditionem occurrat. Ista si non reperiatur, & bellum utique gerendum sit, velle cum Duce amicitiam colere ea lege, ut is cautionem præstet, legionem Svecicam tradat, transitum liberum hinc inde concedat, ac super alimentis exercitui præbendis transigat. Holsati con-

von Osten. — *1. Oct. Cum Friderico Holsatiæ Duce acta.* — *2. Oct. Moltke. Asseburg.*

1658. contra objecta inficiari, aut diluere. Quæcunque expeditionis causa sit, Duci de transitu militis non minus queri fas esse, quam Elector de Svecis questus sit. Arma, quæ Sveci Gottorpio abstulerint, ab ipsis ibidem fuisse deposita. Deditionem oppidis Regiis eo fine imperatam, ne Svecis in eadem actio foret. A præfectis militaribus secus facta Duci non posse imputari. Cautionem porro inique exigi, cum bellum hoc ad Ducem non spectet, nec ipse idem tangere velit. Osteni legionem permutatione suam factam. Transitum nec posse, nec velle prohibere. Circa sublevandum Electoris exercitum facturos, quantum vires ferant. Consultatione habita militares censebant, Gottorpiensem arcem utique in potestate habendam: togati contra, magnam id invidiam in Germania pariturum. Ad extremum Elector cautionem exigebat, quod Dux multis partibus favorem in Svecos ostenderit, ad Tœnningam hostilibus quoque exercitis; tum ut Osteni legio dedatur, ac annona præbeatur. Hoc cum responso Holsati dimissi; qui mox regressi postulata deprecabantur. Ducem semper neutrarum partiũ fuisse. Legionem sine contumelia, & periculo tradi non posse; ac Svecos hoc exemplo etiam Danorum bona apud se deposita postulaturos. Aliam cautionem præstare non posse, quam ut in sua ditione Electori idem quod Svecis indulgeat, Gottorpium extra viam militarem situm. Alendo exercitui facturum quantum possit, modo ut Eiderstadiensi tractui parcatur, ex quo aula Ducis sustentanda sit. Si ulterius urgeantur,
7. Oct. ad Imperium querimonias delaturos. Cum itaque adpareret, Ducem haut cessurum, ac extrema potius expectaturum; & vero metus esset, ne Electorem magna invidia maneret, si oblatæ ab hocce medio statu non contentus plura extorquere vellet; moderatione uti placebat. Unde Holsatis significatum; etsi Elector causam habeat, quare postulatis suis non desistat; testandæ tamen amicitiæ in præsens adquiescere velle, quoad adpareat, qualem se Dux erga Cæsarem & Imperium gesturus sit. Interim castellum Sta-
1. Nov. pelholmense solo æquandum. Post adventantes cum peditatu Montecuculus, & Sparrius censebant, longius in Jutiam progressuris utique Gottorpiensem arcem securitatis causa in potestate habendam. Super qua tradenda ut ageret Elector Joannem Georgium Anhaltinum Princi-
3. Nov. pem ad Ducem mittebat. Qui Tœninga reversus referebat, Ducem circa eam tradendam plane negare. Quia tamen Cæsarei Duces arcem utiq; habendam contendebant vel ab invito, & Montecucul9 omnia ad vim faciendam parabat, post aliquot dierum deliberationem Dux demum in traditionem ejusdem consensit, inito quoque super neutro statu pacto in has leges. *Deducto Ducis præsidio Cæsareus & Electoralis miles in arce præsidium agitet, relictis in usum Ducis superioribus conclavibus, & salva Ducis suppellectile, quam ibi relinquere, aut avehere integrum sit, salvoque tabulario, penu, atque armamentario. Eam illæsam restituendam statim atque exercitus hac regione abducendus sit, aut pax fiat. Dux interim adversus Electorem nil hostile suscipiat, ac castellum Stapelholmense solo æquet, cujus ditioni parcendum sit, quantum ratio belli ferat,*

Conventio cum Gottorpiensi Duce.
15. Nov.

1658. *præsertim tractui Eiderstadiensi. Si Dux ob hanc conventionem impugnetur, ab Electore indemnem præstandum; nec eam arcis traditionem supremo Ducis imperio, juribusque fraudi fore.* Scribebatur inde ad Electorem Saxoniæ; arcem istam non alio fine insideri, quam ob securitatem exercitus, nec quid ultra prætensionis in Ducem fieri. Scribebat post Protector Angliæ ad Electorem, sibi auditum, inter ipsum & Holsatiæ Ducem litigium exortum, & hunc ab ipso duriter haberi. Sed cum uterque paternus sibi amicus sit, rogare, ut huic parcat & inimicitias intra modum exerceat. Cui ab Electore responsum: *nil sibi hostilitatis cum Duce intercedere, ac statim initio hujus expeditionis pactum cum eodem super medio Statu inivisse. Sane ejusdem ditiones hoc bello multa perpessas, sed culpam non penes sese esse, sed penes eum, qui ruptis pacis ac fœderum vinculis novi belli incendium his oris excitarit. Cui restinguendo si Protector operam navare velit, probe de bono publico meriturum.* Contra querebatur Daniæ Rex super neutro Statu se inconsulto cum Duce conclusam, aut saltem clausulam haut insertam, eandem Regi fraudi haut fore. Ac tantum non Ducis defensionem susceptam. Curlandi ultioni potuisse consuli, si omisso isthoc pacto pari modo cum Gottorpiensi actum fuisset. Electorem ipsi super supremo Ducatus Slesvicensis imperio cavisse, quod tamen rupta à Svecis pace commissum sit. Haut eo minus post mortuo Friderico Duce Elector id pactum cum filio successore Christiano Alberto renovavit. Qua super re itidem Daniæ Rex querebatur; Se in hoc bello principes partes agere, citra quem ejusmodi indolis pactum iniri non debuerit. Elector contra; neminem à Rege ministrum adfuisse, quicum communicari potuerit; ac Montecuculum id causæ communi proficuum judicasse, nec Dano fraudi cedere, quin adversam partem imminuere, Duce isto in nostras partes pertracto.

§. 70. Fœderatis inde longius in Jutiam penetraturis, ut Svecos penitus Friderichsuddæ includerent, haut visum à tergo Alsiam insulam relinquere, exiguo freto à continente divisam, quam sedecim Svecorum centuriæ sub Rutgero Aschenbergio, & Knaustio tribunis insidebant. Unde isti occupandæ septendecim modica navigia milite implentur, comitantibus duabus bellicis Danorum navibus, quæ machinis tutam exscensionem præstabant. Sveci vim nostrorum in aperto sustinere haut valentes pares in Sunderburgensem sub Ascebergio, reliqui cum Knaustio Norburgensem arcem se receperunt. Ac Sunderburg quidem statim vis admoveri cœpta, ac suggestus extructi verberandæ arci; Sed colloquio Principis Anhaltini cum Aschenbergio in triginta horas induciæ, ac deliberandi spatium obsessis concessum. Sed cum postera die aliquot Svecorum naves bellicæ sub ipsam arcem ancoras jacerent, Aschenbergius per noctem suum militem cum armis in eas naves imposuerat, relictis undecim equorum centuriis, & impedimentorum magna parte, cum viginti quatuor machinis. Unde cum nostri sequente mane verberationem inciperent, nemine respondente hostem evasisse intellexerunt. Sed qui Norburgi erant citra pugnam arbitrio nostro-

Alsia insula occupatur.
4. Dec.

stro-

1658. 14. Dec. strorum dedere se cogebantur. A Polonis quoque arx Coldingensis intercepta præsidiariis Svecicis præter præfectum, & quosdam ductores cæsis. Quanquam alias Poloni ea expeditione plus damni quam fructus attulerunt; quos etsi Elector rogasset, ut amicorum terras, quibus servandis venerant, ipsi ne perderent, idem tamen continuis provincialium quærelis super istorum petulantia obtundebatur. Quæ cum Elector Czarnecio exprobraret, ac remedium exposceret; hic ultra irascebatur velut toti nationi contumelia illata, quod modestiæ admoneretur. Unde Elector Regem Poloniæ rogabat, ut istas turmas domum revocaret, qui amici Regis terras populando non hosti, sed sociis damnum adferant. Inde fœderati per totam Iutiam diffusi hibernis quiete fruebantur, coercitis intra Friderichsuddam Svecis, qui ne fœderati propius subsistere possent, vicos late circum in cineres redegerant.

Conventio temporaria cum Danis. §. 71. Porro Elector in Holsatiam moturus ad consiliarios Glucstadienses Lazarum Kittelmannum præmiserat, qui in has leges Hamburgi cum ipsis conveniebat: *Ut Rensburgi præsidium dimidiam partem Danicum, dimidiam Electorale esset, in utriusque Principis verba juraturum. Electori castellum Steinburgense traderetur, præ lecto itidem in utriusque Principis verba adacto. Id duntaxat præsidium è palustri regione sustentandum, cujus reliqui reditus præsidiis Danicis alendis reserventur. Annona in fœderatum & Danicum militem provinciæ pro rata imperaretur. Instrumenti bellici & navigiorum ad usum fœderatorum tantum darent Dani, quantum possent; sub quorum munitionibus receptus nostris pateat, si opus sit. Graviores quoque machinas commodandas scripta cautione de restituendo data. Elector vicissim toto cum exercitu in Svecos rem gereret. Quæ loca ad Danum spectantia ab Electoris milite insidebuntur, bello finito statim restituerentur, nisi inter Principes aliter convenerit.* Reliqua ad ipsos Principes rejecta. Subscripsere eam sponsionem è Danorum parte Cajus, Detlevus, & Fridericus Alefeldii.

Super fœdere cum Daniæ Rege agitur. §. 72. Venerunt post Flensburgum ad Electorem à Rege Daniæ missi Henricus Ranzovius, & Fridericus Alefeldius; quibus Elector, antequam audirentur, significabat; se nulli amplius legato regio priorem locum concessurum, quod quibusdam Electoribus ac Regibus antea moris fuerat. Ad quæ Dani: Electorem eodem modo, uti alios legatos regios, ipsos habiturum. Hi 4. Oct. post gratias pro tam promte & generose lato auxilio actas de absolvendo fœdere, quod antea Berolini cœptum perfici non poterat, proponebant; ac uti Elector ipsis de scopo armorum suorum communicet: simul ut hostes hisce terris ejiciantur, eædemq; milite intra disciplinæ leges coërcito à vastatione serventur. Nostris rogantibus, num Fridericus Rex fœdus cum Cæsare absolvisset, Dani negabant fœdus sibi cum Cæsare esse. Sed quia Elector Cæsari fœdere innexus sit, ea quæ inter hos super publico bono convenerint, præsenti pacto includi posse. Nostri contra judicabant; necessum esse, ut inter Cæsarem quoque & Danum fœdus intercedat. Illum quippe ægre in hanc expeditionem posse pertrahi, ac alibi multis negotiis distineri, imminente quoque à Turca metu. Unde expedire eum arctiore fœdere ad persequendum hoc bellum adstringi, cui concludendo Cæsareus minister Hafniæ facultatem habeat. Cupiebant quoque Dani libera jam navigatione Svecos intra Selandiam insulam invadere; quo fine Electorem bis mille equites, & manum peditum poscebant; quod tamen intra mensem effectui dandum sit, mari deinceps per fluitantem glaciem claudendo. Et Belgæ classis suæ præfecto Opdamo mandaverant, ut copiarum transportationi naves commodaret, si Electori videatur. Ad quæ nostri: se expectaturos, quid Daniæ Rex cum Opdamo decreturus sit, & facturos, quæ ex usu videantur. Et quia potius habebatur Svecos Iutia expellere, ut fœderatorum exercitui eo laxiora hiberna forent, haut placebat copias dividere. Quam ob causam, ac ne fœderis Rhenani consortes irritarentur, Ebersteinio quoque negatum, qui partem copiarum ad invadendam Bremensem provinciam petebat. Haut visum quoque præcipite in hiemem anno Friderichsuddæ obsidium suscipere omnibus circum vastatis, & cui à Svecis è Fionia quantum vellent subsidii submitti posset. Ac satis habebatur excursiones inde valida manu Coldingæ, ac Weclæ imposita compescere. Fœdus demum 21. Jan. 1659. post modicam licitationem sub initium sequentis anni conclusum, lingua Teutonica, ac nomine Electoris à Sverino, Plateno, & Somnitio subscriptum. Ratihabitio ni post nostri Danorum exemplo simplicem chartam adhibuere.

Fœderis Danici capita. §. 73. Id fœdus hisce capitibus constabat. *I. Sit inter utrumque Principem firma pax, amicitia, atque societas; utriusque commoda mutuo promoveantur, damna avertantur. Uterque durante hoc bello in Svecos terra marique rem gerat, ubicunque locorum commodum fuerit; tum uterque alteri pro captu temporum & necessitatis, quoad bellum communi consensu finitum, propriis, ac si detur etiam sociorum viribus pro virili adsistat. II. Qui alteri auxilium tulerit, non in suas tantum, quas adduxerit, sed & in alterius copias, quibus se junxerit summum imperium geret, in hostico quidem, ubi ipsemet Princeps adfuerit. In communi tamen hac causa nihil suscipiatur, nisi præsciis, & consentientibus ab altero ad hoc delegatis, ministris, & Ducibus, quibuscum omnia bona fide communicanda. Cuique Duci junctorum exercituum in suos maneat jurisdictio. Si uterque fœderatorum Principum adsit, summum imperium alternis diebus exerceant, non tamen nisi communicatis invicem consiliis rem gerant. Sin in alterutrius fœderatorum terris bellum geratur, is, ad quem terræ spectant, directionem belli solus habeat. Sed si utriusque fœderatorum Duces adsint, quilibet Dux suis imperet, bellum autem communi consilio administretur. III. Ubi per unius aut alterius fœderatorum terras in ejusdem auxilium copiæ ducendæ sint, is cui assistitur militi gratis in itinere annonam suppeditet. Ubi hujus rogatu auxiliares copiæ in ejusdem terris aliquandiu morentur, inque hisce bellum trahatur, neuter nomine annonæ præbitæ, aut auxilii præstiti alterum refusionem sumtuum poscat. Assistens tamen eo casu suis copiis stipendia solvat, alter cui assistitur, quamdiu auxiliis indiget, aut ea expetit, annonam exhibeat. Auxiliares copiæ proba disciplina* coër-

1658. *coërceantur, nec à provincialibus præter alimenta quid exigant, nullis ultra tributis, aut exactionibus. Eo fine delegati ab eo, cui auxilium fertur, super alimentis & hospitiis militum adjunctis sociorum ducibus plene disponant, quantum citra ruinam provinciarum fieri potest, & ne alterius militi, ac munitionibus necessaria subtrahantur. IV. Uterque protinus in locis, ubi ratio belli exigit, rem gerat, ac sibi mutuo assistat, prout inter ipsos conveniri poterit. V. Ubi per conjuncta utriusque arma, aut per singulos aliqua loca ad alterutrum spectantia hosti eripiantur, ea Domino citra moram, nulla ob impensas actione hoc postulante restituantur non minus atque ea, quæ securitatis gratia ab auxiliaribus aliquantisper infessa sunt. Præda autem pro rata dividatur. VI. Bellum ab utroque in Svecum tamdiu geratur, quoad utrique ab hoc quanta potest satisfactio obtineatur. VII. Neuter altero inscio aut non consentiente pacem, inducias, aut quævis alia pacta ineat, sed id fiat communi placito, præsentibus eorum, quorum interest, mandatariis. VIII. Daniæ Rex cum idonea classe suis sumtibus paranda & alenda semper præsto sit tuendis Electoris portubus, ubi de periculo significatum fuerit. Sed si ea classis in solius Electoris usum in ejusdem aquis adhibeatur, & expeditio ultra sex septimanas extendatur, hic elapsis ipse classi annonam curet, quamdiu eadem istis locis opus sit. IX. Contra Elector hoc bello Regi Daniæ quantis potest copiis equestribus, pedestribus ubicunque opus sit assistat. X. Electoris navibus, quibus adversus communem hostem, aut aliàs res geritur, portus Regis Daniæ intrare liceat, ibique morari, prout res ferunt; ut tamen circa regias iis portubus adsitas arces, ac munitiones debita honoris signa edant, ac nil suscipiant postulentque, quod earum securitati esse fraudi queat. XI. Idem & Elector Regiis navibus præstet, foro quoque præbito. XII. Ubi Sveci, eorumque socii post finitum hoc bellum alterutri molestiam facessant, aut arma terra marive inferant, unus fœderatorum alteri, qui invaditur intra tres menses à facta significatione quatuor peditum millia, aut menstrua sedecim uncialium millia, aut tot naves, quarum sumtus in mensem tanti sint, optione penes petentem relicta, auxilio submittat. XIII. Fœdus hoc ab utroque Principe intra bimestre ratihabendum: interim non minus observandum & effectui dandum, ac si jam ratihabitio jam accessisset.*

Per Borussiam gesta. §. 74. Post arma in Holsatiam mota inter Regios, & Electorales hostilia per Borussiam quoque eruperunt, etsi nullo, ad summam rerum momento; quæ paucis perstrinxisse suffecerit. *12. Sept.* Svecica septingentorum capitum caterva Marizburgo progressa Mariævverderam oppidum quinquaginta peditibus infessum repentino impetu irrumpebat; cui impar præfectus in arcem se conferebat, ex qua Svecorum triginta amplius cædebat, suorum quoque nonnullis occisis, aut sauciatis. Sed Sveci post direptum oppidum in tuta se iterum receperunt. Inde nostri castello, quod Sveci ad ostium fluenti Elbingensis extruxerant succedentes, id subito assultu expugnant, quinquaginta Svecis, qui insidebant magnam partem cæsis, reliquis Elbingam evadentibus. Quo tamen castello nostri non multo post iterum ejecti sunt. Irrupere dehinc nostri Polonis juncti in Minorem Insulam hiberna ibi capturi, Polonis Majorem insulam invadentibus. *7. Nov.* Ubi magna quidem annonæ vis, quæ Svecis usui esse poterat, absumta; nostri tamen castello, quod in Minore Insula excitaverant, non sine cæde iterum ejecti; & tribunus Pollentius, dum sub Elbingæ suburbium excurrit, septuaginta suorum amissis repulsus est. *Pollent.* Et cum Poloni mox Insulam Majorem desererent, nostri quoque Minorem tenere diffisi, castellis dirutis, ac ingenti populatione facta eam Svecis fere inanem reliquerunt. 1658.

§. 75. Hoc anno à Moscorum Czare missus ablegatus aderat, qui proponebat; Czari auditum, Polonos, & Lithuanos dissentire super diademate suo, quod hi in Moscum, isti in Austriacum conferre velint: Poloni quidem, quia Austriacis provinciis adsiti sint, Lithuani, quia plerique bona sua Czari jam subjecta habeant. *Moscici Electorem missio. 5. Aug.* Unde rogabat, ut Elector Lithuanos ad imperium Czaris subeundum permoveat, qui & antea separatam à Polonis Rempublicam constituerint, queis libertas, ac privilegia sua salva sint futura. Ad quæ ab Electore responsum: *Ab Austriacis nil periculi esse, quem quidem sacerdotes nonnulli ad solium Poloniæ provehere nixi sint, sed Protestantes libertati suæ metuentes obstitisse. Nec dubium quin Lithuania potiturus sit, si Vilnensia pacta firmentur. Alias neminem Lithuanorum procerum sibi notum præter Radzivilium;* cui instante Mosco, ac restitutionem bonorum aliaque largiter pollicente, Elector scripturum se promittebat. Quærebat inde Moscus, quidnam Sveciæ Rex responderit ad propositas antea apud Electorem conditiones pacis, ut iste Czari Livoniam cedat, ac sumtus in obsidium Rigæ factos exsolvat. Cui Elector: id responsum Czari se referre veritum, ne is in iras exardesceret. Nam non solum Sveco nil terrarum tradituros, sed & duplam accepti damni pensationem exposcere, ac præter multa alia loca Fanum Archangeli jam spe devorasse. Queis & solenne sit de Moscis ignominiose loqui; ac pacis specie illusis eodem modo, sicuti nunc Danis, insultaturos. Scilicet quia Electoris rebus minime omnium expediebat, Svecos tunc belli Moscici cura exsolvi. Unde & per literas Regem Poloniæ hortabatur, ut pacta cum Moscis firmet, ne hi forte in Svecorum partes transeant. Ad quæ Rex: ejus rei semper se cupidum fuisse; ac legatos suos cum plenis mandatis jam iter ingressos, non nisi tribus milliaribus à tractatuum loco distantes; sed Moscicos legatos non expectante eorum adventu discessisse, pestilentiæ obtentu. Quarum literarum autographum Elector Moscico ablegato tradebat in testimonium studii sui circa id negotium apud Polonos adhibiti.

SAMU-

1659. 1659.

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI WILHELMI MAGNI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER OCTAVUS.

EPITOME.

Diversa diversorum studia. 2. Elector Belgas ad consilia sua flectere laborat. 3. Gallorum, Anglorum, & Belgarum pactum circa separatam pacem. Ei se Elector opponit. 4. Compactum Hagense absolvitur. Belgæ id excusant. 5. Weimanni in id pactum invectiva. 6. Belgæ de pacto Hagensi significant. Electoris responsum. 7. Hagense pactum defenditur. 8. Nostri id pactum impugnare pergunt. Cui tamen Belgæ inhærent. 9. Elector ea de re queritur. 10. Electoris acta bellica. Sveci Fridericiudda expelluntur. 11. Fionia tentatur. Fennoa occupatur. 12. A Belgis nil subsidii obtineri potest. 13. Fionia denuo tentatur. 14. Elector iterum de invadenda Fionia agitat. 15. Elector Daniæ Regem confirmat. Daniæ Regis declaratio. 16. Cæsar de invadenda Pomerania proponit. Electoris consideratio. 17. Super expeditione in Pomeraniam consultatio. 18. Rationes eam expeditionem suadentes. 19. Rationes disuadentes. 20. Iis rationibus respondetur, 21. Elector tergiversatur. Ejus ad Daniæ Regem propositio. Daniæ Regis declaratio. Reginæ Christinæ impetus. 22. Cæsar Electori super ea expeditione amplius instat. Conditiones ab Electore propositæ. 23. Scrupuli ab Electore moti. Montecuculi declaratio. 24. Cæsar eam expeditionem amplius urget. 25. Cæsarei invito Electore expeditionem in Pomeraniam aggrediuntur. 26. Electoris ad Cæsarem literæ. 27. Elector de hac expeditione Belgis significat; uti & Brunsvicensibus, atque Cassellanis. 28. Expeditionis in Pomeraniam successus: Dammum expugnatur, ut & Wollinum. 29. Stetini obsidium. 30. Elector ex Holsatia in Pomeraniam movet. Greifswaldia incassum tentatur. Demminum expugnatur. 31. Electoris ad Cæsarem missio. 32. Viennæ parum proficitur. 33. In Dania circa pacem frustra satagitur. 34. Prælium in Fionia. 35. Fœderatorum progressus sistuntur. Danorum iniqua judicia. 36. Per Borussiam gesta. Præsidium Strasburgense a nostris intercipitur. 37. Per Curlandiam gesta. 38. Cum Mosco acta. 39. Cum Gallis acta. Literæ inter Electorem, & Mazarinum. 40. Gallorum tunc sententia. 41. Galli ad Electorem missio. 42. Post irruptionem in Pomeraniam amicitia Gallica magis friget. Belgarum consilia. 44. Elector pro communi pace nititur. 45. Legatorum in Poconiam mandata. 46. Mandata super primaria tractatione. 47. Circa præliminaria pacis Thorunii acta. 48. Causæ, quare Poloni tam anxie pacem expeterent. 49. Warsaviæ super præliminaribus pacis acta. 50. Suspiciones inter Austriacos, & Polonos gliscunt. 51. Neoburgici in Polonia negotiatio. 52. Elector circa includendum Polonicis tractatibus Danum satagit. 53. Poloni pacem urgent. 54. Danus circa pacem suam satagit. 55. Poloni negotio fervide instant. 56. Polonorum propositio: ut & Cæsareorum, atque Brandenburgicorum. 57. Svecorum propositio. 58. Super acceptanda Svecica propositione disceptatio. Scripto, an sermone tractatio agitanda? 59. Nostrorum responsio. 60. Svecorum exceptio. 61. Nostrorum replica. 62. Non amplius scriptis tractare placet. 63. Cum Cæsare super conditionibus pacis agitata. 64. Cæsaris ad Electorem legatio. 65. Regis Daniæ ad Electorem legatio. 66. Pax Danica succedit. 67. Electoris inane pro Dania apud tractatus Polonicos studium. 68. Super capitibus pacis disceptata. De negotiis Germanicis. De Protestantibus in Polonia. 69. De restituendis Pomeraniæ locis. 70. Circa Elbingam difficultates. 71. De evictione pacis. 72. Nostri Polonorum festinationem frustra sistere nituntur. 73. Mors Caroli Gustavi pacem non remoratur. 74. An cum Svecis ante novum procuratorium tractandum? Ad pacem citato gradu decurritur. Pax concluditur. 75. Pax Olivensis. 76. Articulus separatus. Polonorum declaratio. 77. Cautio Ducis Holsatiæ. 78. Elector legatum in aulam Polonicam mittit. Controversia super cerimoniis. 79. In conventu Warsaviensi acta. 80. Circa Elbingam tradendam cavillationes. 81. Super Elbinga tradenda disceptatur. 82. Variæ Polonorum tergiversationes. 83. Elbingenses ditionem Electoris subire nolunt. 84. Poloni alia subterfugia comminiscuntur. 85. Cum Elbingensibus nihil proficitur. Eorum postulata.

1659.

Diversa diversorum studia.

POstquam Electorem cura servandæ Daniæ ad arma in Sveciæ Regem sumenda compleræt, id huic deinceps summo studio agebatur, ut & hostis ferocia frangeretur, ac inter belli socios ad finem usque unio perstaret; quo communis, omnesque complexa pax obtineretur, per mutuam evictionem ita munienda, ne deinceps isti integrum foret unum à reliquis destitutum tota mole opprimere. Quod Electori tanto curatius prævertendum, quo magis eundem in se irritatum norat, velut à quo destinata sua quam maxime turbata arguebat. Etsi ea res summis difficultatibus implicita foret ob tam multorum in diversa tendentes rationes. Nam Sveciæ vires nimium accidi Gallus, Anglique haut ferendum sibi ducebant: & ut inter Borealia Regna æquilibrium servaretur, vetus Belgarum cura erat. Unde sicuti utrisque haut invitis erat, Svecos Chersoneso Cimbrica expelli; ita iisdem haut quidquam placebat Cæsareum militem in insulas Danicas penetrare forte haut facile inde iterum dimovendum, ubi semel ibi pedem fixisset. Quod & ipsum Dani non parum formidabant. Gallis quoque, Anglisque, & Belgis bellum in Dania extinguere cordi erat, modico Poloniæ respectu; ac uti Electorem periculo subduxisse non insuper habebatur; ita Svecos Austriaco bello implicitos hærere optabant. Sed & Danos juxta, Polonosque infelicium armorum dudum tædebat, suam utrique quietem anhelantes, exigua pro aliis sollicitudine. Contra Svecus communem pacem quam maxime abhorrere, velut per quem ita constringendus foret, ut deinceps sese in unum unum movere non posset, quin omnes simul in se attraheret. Elector autem uti sibi soli consuluisse nulla sociorum ratione habita turpe juxta, intutumque ducebat: ita ut tam dissonos ad præfixum sibi scopum temperaret, indefessa cum industria laborabat.

Elector Belgas ad consilia sua flectere laborat.

§. 2. Cæterum quia Belgæ præ reliquis in causam descendisse videbantur, valida classe ad solvendum Hafniæ obsidium missa, ut hos ad rem in Svecos acrius gerendam incitaret Elector, omnem lapidem movebat; simul ut copiam onerariarum navium, queis justus exercitus simul in insulas transportari posset, ab iisdem præberetur. Qui & initio circa eam rem satagere videbantur: sed mox iste conatus jacebat, deficiente pecunia, & suspicione in Austriacos, ne in Danicis insulis nidularentur. Unde & cum Elector diligenter dissuaderet, ne Belgæ, Gallis, Anglisque instigantibus, separatam inter Boreales Reges pacem conderent, velut Austriacis fraudi futuram, id consilium frigide accipiebatur. Nam & ipsi non

Friquet.

mediocriter fœdus Austriacum aversabantur, à Friquetio ablegato Cæsareo tunc oblatum: nec dissimulabant parum sibi gratam Electoris cum istis conjunctionem, ne bellum per eosdem cum exitio Daniæ, & intolerandis suis sumtibus extraheretur. Quorum inclinatione animadversa haut placebat eos importunius urgere, ne forte hoc ipso adversis consiliis magis implicarentur. Id tamen nostris instantibus obtentum, ut mandata de Opdamo cum classe domum revocando retractarentur, quod istius discessu Dani juxta, Polonique animis collapsuri erant. Iidem tamen subinde confirmabant; *sese partes semel susceptas abdicare nec posse, nec velle, ac inprimis sincera fide Electori studere, quem & nunquam defecturi sint, & cujus incolumitati per peculiarem cum Sveco transactionem consulere cupiant.* Nec minus Galli, Anglique Hagæ testabantur; *sibi decretum esse Svetiæ incrementis obsistere, Daniamque servare, ac Electorem indemnem præstare.* Ast nostri ut ad communem potius pacem conciliandam incumbant, ac ut colloquia de pace uno in loco instituantur, hortari. Aut si hoc obtineri non possit, ut saltem uno in loco conventa tantisper in suspenso forent, quoad & in tero loco res perficeretur. Curæ quoque erat Electori, ne inter angustias istas Dani Belgis quid concederent, ipsis fraudi deinceps futurum. Eoque cum illi hosce undecies centena florenorum millia mutuo poscerent, in hypothecam oblato Glucstadio, nostri id valde dissuadebant, ne Belgis facultas præberetur comercia Albis pro lubitu temperandi. Etsi Dani excusarent necessitatem lege carentem, ac sibi pecunia opus esse, quam Belgæ sine pignore credere nolint; & hoc modo hosce arctius obstringi ad bellum in Svecos persequendum; nostris diversum inde proventurum metuentibus, quod hoc ipso Belgis deinceps Sveci minus formidandi sint futuri.

Gallorum, Anglorum, & Belgarum pactum circa separatam pacem.

§. 3. Enimvero quidquid nostri Hagæ in peculiarem pacem declamarent, velut nil nisi fœderatorum disjunctionem, & novum bellum parituram; non tamen impedire poterant, quo minus Galli, Anglique cum Belgis secreto agitarent super sedando inter Svecos, Danosq; bello; ac nostris sua monita ingerentibus, & saltem quæ Electorem spectent communicari postulantibus Belgæ nil aliud respondebant; *ab istis proposita sibi audienda esse; cæterum Electoris à se rationem utiq; habendam.* Et mox post plures congressus in publicum erumpebat formula pacti inter Gallos, Anglos ac Belgas initi super constituenda inter Boreales Reges pace ad normam conventionis Roschildensis, ut tamen Elector cum Gedanensi civitate tractatui Elbingensi includatur, ubi intra sex septimanas declararit, sibi eam inclusionem, & capita conventa probari, ac à reliquis fœderatis se disjungat, positisq; armis sponsione trium Statuum confidat. Hanc eo secius tamen & Polonicam pacem promovendam, & Electoris commoda observanda, quantum pacto Elbingensi non repugnent. De

11. April.

Eo sese Elector opponit. Gent.

quo ubi Weimanno innotuit, is statim Joannem Gentium, inter delegatos ad id negotium Principem adibat, antequam conventio adhuc perficeretur, atque multis demonstrabat; *id abhorrere à moribus gentium, repugnare honori tot fœderatorum, esse detestandum artificium hosce dissociandi, queis hactenus concordia adversus omnes hostium machinationes constiterit. Fœderibus cautum esse, ne quispiam sociorum sine aliis cum hoste transigat: nec adparere necessi-*

1659. *necessitatem, quæ ad ignava hæc consilia descendere subigat. Si inter ipsos agitata ad honestum scopum tendant, ea communicari par esse: sin minus, moniti pravis abstinerent: si eadem ancipitem habeant disceptationem, saltem sociorum consilia audirent, nec negotium ita præcipitarent.* Eadem & dein in consessu Ordinum ingerebantur, nullo fructu, quod Hollandia provincia placito semel consilio præfracte inhæreret. Unde nostri coitione cum Cæsareis, Danicis, & Polonicis legatis facta statuerunt junctim contra niti, ac protestari; *ejusmodi conditionibus dedecus, perfidiam, periculum, ac fœdam sociorum proditionem inesse; ac Belgas nil aliud agere, quam ut fidissimos amicorum, & omnes, qui contrarias ipsis rationes non habent, hosti in prædam exponant, ac æternam iisdem diffidentiæ adversus ipsos causam præbeant, prostituta fide publica; ac contra salutem suam committat arbitrio nationis hoc ipso immensum firmandæ, cujus rationes nunquam cum Belgarum Republica conspiratura sint; & quæ nulla necessitate ultro ad jugum ipsis aliisque imponendum invitetur.* In eo negotio, *de Thou.* Jacobus Augustus Thuanus legatus Gallicus *Downing.* lente procedebat; Georgius Dovvningius autem Anglicus fervide admodum agebat, qui & priorem locum Protectori Angliæ præ Gallo, ac sibi præ Thuano non sine vehementia deposcebat. Id quod postulatum Joanni Wittio absurdum videbatur, Residentem præ legato, & Protectorem præ Rege digniorem locum affectare; cum Protector revera magistratus quispiam sit, brevi forte ad privatam conditionem redigendus. Etsi declinandæ isti contentioni placeret sex instrumenta confici, quæ singuli istorum haut conjunctim subscriberent. *11 April.* Nec minus Elector in id pactum acriter literis invehebatur: *Ab istis leges in fortunam tertii latas, ad quas acceptandas Dania Rex, si sponte nolit, vi sit compellendus; cum tamen Belgæ tam prolixe de sua in eum fide testati sint, ne si Angli quidem in transversum abeant vacillatura, ipsum quoque subinde ad parem constantiam hortati. Unde Danum istis pollicitis fretum extrema omnia tolerasse, hoste jam non parum debilitato. Nunc postquam in proclivi sit, eundem fida sociorum conjunctione brevi ad communem, æquamque pacem compellere, Daniæ Regem à fœderatis, à quibus in bellum pertractus sit, tam dura experiri, ut ad iniqua, ab ipsis antea damnata, eum compellere, & in ejusmodi statum redigere instituant, quem nemo hostium imponere eidem potuerit. Præterea haut ferendum, ab istis se inconsulto cum aliis super sua incolumitate, suoque statu, & exercitu velut pro imperio disponi, ac ejusmodi cautionem obtrudi, qua si Danus non nimium confisus fuisset, nec Roschildensi pace, nec præsenti calamitate immersus laboraret. Denique Cæsaris ne verbo quidem incertum qua de causa mentionem factam. Nam à classe Anglica tantum istis terrorem incussum, indignum creditu esse.* Ista omnia ut Belgis demonstraret, Elector Weimanno injungebat, addito; *si maxime Danus eas conditiones acceptet, se eas minime admissurum: ac si id spectetur, ut Cæsar armis impetatur, non minus diffusum inde bellum surrecturum, quam id est, quod tam absurdo modo extinctum itur. Daniam pessumdari, existimationem, & amicitiam prodi nullo alio emolumento pro Belgarum Republica, quam quod duæ nationes Oresundæ libertatem præstandam verbo in se receperint, fragilissimo cautionis genere, cum ipsæ per repugnantes rationes vix trimestrem mutuo concordiam sibi polliceri queant. Interim apud vetustissimos amicorum fiduciam erga hanc Remp. periisse, & dissolutioni inter fœderatos causam præbitam.* Talia igitur acriter expostulando nostri eo rem deduxerunt, ut Belgæ declararent; *Electorem ad Hafnienses tractatus invitandum, ejusque commoda omni studio fulcienda. Tum circa ipsius inclusionem non respiciendum statum temporis, quo Ebingensis conventio perfecta fuit, sed diem, qua idem hanc inclusionem acceptarit, ut supremo ejusdem in Borussiam imperio caveatur.* Cæterum omnia necessitate excusabantur; ac suæ Reip. exitiosum cum Anglis bello collidi. Non tamen Electorem lædi, cujus incolumitati receptione in pactum Elbingense consulatur; nec ideo eum à Polonia avelli, quod pacto *Elucidationis* expresse prospiciatur, amicitiam cum Svecia, quantum Elbingensis conventio de ea agit, hautquidquam eundem obstringere ad priores amicos deserendos; tam Electori sponsionis beneficium salvum fore, si maxime Polono promissa auxilia repræsentet. Adversus quæ Weimannus; *Electori parum inde securitatis sperandum. Antehac Belgas summa vi connexos, ut eum Svecicis partibus avellerent, ac transactionem cum Polonis eidem per Isbrantium gratulatos, decreta quoque evictione. Bello quoque in Dania octo eidem animos addidisse multa cum asseveratione, eas partes à se haut deserendas ut cunque res cadat.* Belgæ contra: *Electorem quoque se insciis multa suscepisse: nec res suas ferre diutius in tam sumtuoso, ac periculoso bello hærere.* Nec deerant, qui id pactum Electori hactenus usui cedere judicarent, quod per id Polonis necessitas adferatur eo arctius amicitiam ejus amplectendi, cum nossent, eum sibi ista inclusione consulere posse; ac præclaram occasionem fore fidei, & constantiæ adversus fœderatos exhibendæ, quod cum his periculum subire malit, quam peculiari via salutem quærere. Nec minus Angli laborabant, ut Elector ista inclusione adquiesceret, qui post Slezeri fugam per Dovvningium cum Weimanno amicitiam alebant. Ad hic uti Anglo multis demonstrabat, à Svecis curam religionis, & odium in Austriacos tam ambitiose ostentari, ut ansa sit consortes sacrorum opprimendi, ac imperio totius Maris Baltici potiundi: ita vicissim *28. April.* Dovvningius non vulgare studium pro Electore ostendebat; idemque suadebat, ut Weimannus propere Londinum abiret, ubi à Protectore avide expectetur, navem trajectui offerens, ac protinus audiendum, ubi ingens operæ pretium circa Electoris res sit facturus. Idemque ut faceret Joannes Wittius quoque valde svadebat. Enimvero hoc iter sine mandato suscipere Weimanno anceps videbatur obscura utilitatis spe, & Anglis nil Svecis adversum suscepturis; ac fortasse ipsum eo tempore Haga extru-

1659. extrusum ibant, ne destinata sua turbaret. Forte & suspectum Austriacis Electorem hac missione reddere cupiebant. Etsi contra id commodi videbatur obtineri posse, ut odium ob susceptas Austriacas partes molliretur, ac Svecorum ibi gratia libraretur; Smul Polonorum, & Austriacorum amicitia arctius adstringeretur, si nossent, Electoris quoque apud adversas partes rationem haberi. Tutius tamen visum, tempus ad deliberandum sumere, quoad ea res ad Electorem referri posset.

Compactum Hagense absolvitur. 21. Maii.

§. 4. Enimvero quicquid nostri, Danicique reluctarentur, haut eo secius id compactum absolvebatur, utut pax inter Gallos, Hispanosque tunc coalescens Anglis non parum suspicionis injiceret, ac everso Richardi Cromvelli Statu Belgæ à metu Anglorum respirarent. Ejus pacti hæc capita erant. *Ut Galli, Angli, Belgæque communicato invicem consilio inter Reges Sveciæ, & Daniæ pacem procurent ad normam pacti Roschildensis, è cujus tamen articulo tertio expungenda sint, quæ de prohibendo exterorum classibus bellicis per Oresundam transitu convenerant. Si quid pensationis ob pacem abruptam Dania postulet, circa id amice transigendum. Ut intra tres septimanas à notificatione nec Anglica, nec Belgica classis alterutri Regum adsistat, aut infesti quid inferat, nec Belgica fœderatorum copiis in insulas trajiciendis operam accommodet, legatis trium Statuum interim super pace laboraturis. Si alteruter Regum pacem æquis conditionibus recuset, ei tres Status auxilia subtracturos. Ubi tres Status super æquitate conditionum convenire nequeant, ac obligatos se judicent ad auxilia bellantium uni & alteri ferenda, ideo bellum inter ipsos indictum haut habendum. Confectæ pacis evictionem à tribus Statibus præstandam. Ne quid novi oneris in Oresunda introducatur, ac ut trium Statuum cives iisdem conditionibus eo in fredo gaudeant, ac si quis eorum lautiores sibi conditiones antea stipulatus fuerit, reliqui deinceps iisdem quoque fruantur. Ut Gallii, Anglique operam dent componendis inter Sveciæ Regem, & Belgas dissidiis, ac ut pactum Elbingæ anno 1656. initum cum Elucidatione Thorunii adornata firmetur, eique Elector Brandenburgicus, & Gedanensis civitas includatur à die acceptationis, de qua intra mensem à facta denuntiatione significare tenebuntur. Ut denique tres Status sociatam operam navent circa æquam pacem in Polonia constituendam; tum si quid controversiæ Electori supersit, quo is cum Rege Sveciæ in gratiam redeat. Quo fine Electorem invitandum, ut legatos ad locum tractatuum mittat, qui super ipsius negotiis sequestres edoceant, ut tamen ea negotiatio pacem inter Boreales Reges remorari, aut impedire non debeat.* Id pactum Joannes Wittius, qui ejusdem præcipuus autor habebatur, excusabat; *Temporibus cedendum fuisse. Esse inter fundamenta Reip. Belgicæ, cum Anglia, ni indeclinabilis necessitas subigat, pacem non abrumpere. Cæterum tempus rei expediundæ viam præbiturum, ac tractationem lente successuram. Interim res in præsenti Statu subsistere, ac Sveciam paulatim vires suas consumere, Polonis quoque in Borussia rem tota vi gesturis. In Anglia quoque eam rerum conversionem oriri posse, ut Belgis in proclivi sit futurum vetera in Svecos consilia resumere, ac sine periculo exsequi. Quin communi causæ peculiarum in Dania pacem ita noxiam non esse, quam inter Anglos, & Belgas bellum.* Enimvero animadvertebatur, Belgis persuasum, ab Electore magnam Pomeraniæ partem ope Cæsaris, & Polonorum captari, quam etsi Belgæ ipsi non inviderent, oculi tamen in Gallum vertendi erant, qui belli Hispani cura exsolutus Svecos ea provincia ejici haut erat passurus, ad distringendam à tergo Germaniam ita opportuna, valida quoque Anglorum classe jam fretum Danicum insidente; ad quam tempestatem declinandam magna circumspectione opus sit. Ac uti Oresundam Daniæ conservandam; ita Svecum haut pessundandum, ut sit, qui Austriacis opponi queat. Contra Weimannus Thuano demonstrabat; *Si Elector juxta Hagense pactum Elbingensi conventione comprehendi se patiatur, necessum fore eundem à Polonicis rationibus disjungi. Tum vero Polonis valde inexpectatum fore, Gallos ita repente larvam detraxisse, & hoc compacto ostendisse; jactatum hactenus in eos studium inter ludibria fuisse, ac nil aliud à se quæsitum, quam ut Sveci fœderatorum distractione prevaleant. Non solum quoque pacem Polonicam eo ipso extrahi, dum Danicæ paci ante omnia incumbitur; sed & universas Sveci vires in Poloniam pertrahi, quam antea enervent Electore, & Gedanensibus avulsis subvertisse in proclivi futurum sit.* De cætero confirmabat, Electorem nil nisi pacem cupere, nec alio fine in partes descendisse, utut Gallia sine dubio suggerentibus Svecis multa sinistra suspicetur. Quibus rationibus Thuanus haut parum turbatus fatebatur; se hujus negotii indolem haut ita profunde penetrasse; ac testabatur, Galliæ mentem non esse Electorem à Polonia disjungere. Tum se quidem Anglos stimulasse ad classem in fretum mittendam; sed non alio fine, quam ut exitium à Sveco averteretur. Sed nunc longe aliter rem se invenire, cum Sveci asseverent, sibi cum Anglis convenisse de Dania junctim invadenda, & inter ipsos dividenda; quod inane esse sibi jam certo constet.

Belgæ id excusant

Weimanni in id pactum invectiva.

§. 5. Ast Weimannus Wittii excusatione haut contentus in ipso Ordinum consessu prolixas querimonias super eo compacto effundebat. *Cum primum inter Galliæ, Angliæque legatos, & hujus Reip. delegatos tale quid agitari inaudisset, altius penetrans, se sincero in causam communem studio publice demonstrasse; isthoc recepto inter gentes mori, ac communi utilitati repugnare, nec parum fœderatos perturbaturum, queis hæc Resp. semper de sua constantia, & partibus non deserendis tam sancte confirmarit; petito, ut saltem ante conclusionem super eo negotio sibi communicaretur. Quanquam autem ipse excusationis languor suspicionem incenderit; spem tamen fuisse, impetu per intervallum temporis defervescente saniorem mentem subituram, si modo id cogitaretur, quale sit, contra propria commoda, & promissa fœderatos cogere, ac tot Regibus armatis leges præ-*

scribere

1659. *scribere velle, ne prætexto quidem ullo ab hisce præbito. Unde visum fuisse, posita solicitudine acriore contradictione supersedere, præsertim cum vix citra sacrilegium cogitari posset, tam illustrem Rempublicam, honestati, ac bonæ fidei ab initio usque tenacissimam, aliquid in fraudem Electoris, propriorumque emolumentorum admissuram esse. Mox tamen intellectum, negotium usque ad subscriptionem perductum, nulla communicatione facta; unde haut immerito suspicionem augeri, etsi priores formulæ mutatæ ferantur, omnia in fraudem federatorum tendere; quod absurdum sit tanto studio premi, quod sine pudore conspici queat, aut amicorum notitiæ subtrahi, quod eorum commodum spectet. Sane Daniæ Regem per literas, & legatos heic suos de hac agendi ratione inaudita plane graviter questum; fœderatos se inscio tractatus agitare; auxiliarem de ejus, cui assistendum est, fortunis pro libidine disponere; accessorium in principale, membrum in caput imperium affectare; uno verbo socium leges obtrusum ire socio nondum huc redacto, ut ex hostium metu aliquid admittere necessum sit, existimationem, ac fidem, conscientiamque lesurum. Nec minus Electorem, cum quæ sibi, Danoque impingi audiret, tam insolitis ausis tantum non consternatum; ac pacem Polonicam post principia rejici, sibique contumeliosa inclusione in alienum pactum consultum iri, & hæc omnia insciis suis ministris agitata. Unde eundem, siquidem istis cœpta persequi placeat, pro candore animi sui declarari jussisse: Belgas propriam salutem prodere, si per meticulositatem amici turbentur: justam viam bello sese expediensi haut esse ad pacem inconsulto impetu ruere: fidem servandam etiam cum aliquo damno: male consultam esse sapientiam, per prava, & illicita ad bonum finem tendere: amicos temere destituentem de Numinis auxilio parum sibi polliceri posse: neglecta fide publica nil amplius fiduciæ in quopiam mortalium reponi posse. Equidem sibi non incognitum, quam durum huic Reip. sit tantos sumtus tolerare; ac omnes cives pacem anhelare, quam & Elector ab initio infausti hujus belli, in quod invitus pertractus fuit, inter secunda & adversa unice quæsiverit. Sed cum talia divinitus immittantur, ex impatientia iisdem remedium frustra quæsiveris, quod Dei providentia illis è facili suppeditare novit, qui non omnia humanis opibus metiuntur. Seipsum deserere, qui hosti tergum obvertat; seipsum occidere, qui hosti tergum obvertat; seipsum occidere, qui medicinam respuat; multos periisse, qui remedia nimium timuerint, aut aversati fuerint. Cum anno 1656. Elector ad fœdus cum hac Rep. ineundum compelleretur, cum eidem, aliisque stimuli subderentur ad arma in Svecos arripienda, sine dubio Ordinum providentiam tunc secum exegisse, quæ nunc metuuntur. Istorum si in præsens nulla habeatur ratio, & si ad quamvis rerum mutationem nova consiliorum via ineatur, an ideo Reipublicæ consuli? An protinus omnes difficultates, omnia onera tolli? Quin potius fenestram claudi, & portam aperiri. Modicam quietem inveniri, sed ad exitium ducentem, & pauca servari, ut ad extremum universa perdantur. Hostem paulisper recessurum, ut mox eo fortius incurrat. Negligi tam præclaram occasionem omnia in duraturam quietem reponendi, & vix intra seculum accidere, ut universi in orbis Christiani turbatorem insurgant. Præterea si Danus dictatas leges adspernetur, num cogendum, aut deserendum? An ferendum, ut id Regnum sub jugum mittatur? Sane duram hanc fore Friderici Regis vindictam, sed hactenus jucundam, sua ruina eos quoque involvisse, à quibus præter opinionem destitutus sit. Ac ut Danus jugum admittere velit, num ideo Mari Baltico quietem restitutam, bello in Borussia, & Polonia continuato? Quin hoc acrius exarsurum, Sveco validius Polonis incubituro, post pacatos Belgas, & vincula Daniæ injecta. Et utcunque res cadat, an non omnes amicos offendi, antequam Resp. in tutum subducta sit? Equidem fortasse non omnia ex vero sibi relata, ac circa judicium suum falli se posse. Sed cur non placuisse Ordinibus eum errorem ipsi eximere? Si fœderatis totiens instantibus significatum fuisset de iis, quæ utique in lucem proferenda sint, secus suspicandi causam sublatam fuisse, cum nemo non sinistre soleat judicare de illis, quæ tanto studio occultantur. Unde saltem agendi modum probari non posse in causa ad omnes spectante, dum una pars decernit altera inaudita, & loco auxilii importunæ leges, ac intempestiva transactio pro communi pace obtruditur. Etiam vilissimos mortalium fastidire beneficia ingrato modo impacta. Quid à Regibus expectandum, quos cogere institutas queis summa rerum in eo vertatur, existimationi servire. Et quid magis invicem repugnare, quam coactionem, & amicitiam? Ubi in gratiam hostium amici amittantur, hostibus ostendi, deesse sibi artes amicos retinendi. Forte & objici, fœderatos quoque insciis Ordinibus pacta iniisse. Sed an cum hostibus, aut in fraudem fœderatorum, aut citra extremam necessitatem, aut non facta exquisita communicatione cum legatis Reip. præsentibus? Initio anni quinquagesimi sexti Electori cum Svecis fuisse transigendum, sed ea temporum conditione, ea necessitate urgente, ut omnes fateantur, satius fuisse vires integras conservare, quam de omnibus fortunis periclitari. Et quid tamen eidem non audiendum, quod ea transactio inscia hac Rep. facta foret? cum tamen per eam nihil condonatum foret, quod ad rationes istius spectaret. Inde Electorem cum Polonis, cum Danis fœdera feriisse amicis hujus Reip. & paritate utilitatem conjunctis, idque ipsorum Ordinum suasu, cum nemo ab hac Rep. legatus adesset, aut quispiam communicationem expeteret. Quæ omnia nunc contra sint, dum super pace cum Sveco agitur, communi hoste, in quem Elector arma gerat, se præsentibus, & acta expostulantibus: quæ si proba sint, quare non communicari; sin minus, cur sua consilia non audiri? Cum suæ cuique rationes quam optime perspectæ censeantur; & haut eo secius penes Ordines fuisset consilium nostrum admittere, an respuere. Num tale quid unquam ab Electore admissum? Ministros Galliæ, & Angliæ, è quibus primum Elector de hoc instituto intellexerit, sine dubio Svecicis quæ agerentur indicasse. Ac si id factum non sit, istos huic Reip. infensos, cui Elector arctissimo fœdere innexus sit. Dissimulari tamen ista utcunque posse, si ipsa negotii indoles suppleat, quæ circa agendi modum desiderantur.* 1659.

1659. *Ast id maximopere dolendum, Poloniæ, & Austriacorum hoc compacto nullam mentionem, Electoris superfunctoriam fieri; Daniam in eum Statum redigi, ut in perpetuum omnis spes pristinæ fortunæ abdicanda sit, prægravi Svecorum potentia semper imminente, & amicis, sociisque protelatis. Tum huic Reipublicæ, qualicunque cautione super vectigalibus contentæ tolerandum, ut Mare Balticum serius ocyus sub Sveciæ dominatum recidat; ad quod impediendum ipsa hactenus tot legationibus cælum terramque movere velle visa sit. Non debere sibi objici, quod de negotiis alienæ Reip. nimium videatur sollicitus, cum constet, incolumitatem Electoris à salute hujus Reip. pendere; eoque tanto enixius isti de hac cogitandum, quo segnius istam Ordines curasse videantur. Semper inter Belgas jactatum, amissa Oresunda hanc Remp. periisse; nec in Mari Baltico mutationis quid ferendum, sed ejusdem imperium divisum, & penes præsentes possessores servandum; quod in eo mari summa commerciorum vertatur, quibus hujus Reip. salus continetur. Ast nunc Svecos firmari, fæderatos Principes disjungi seminibus diffidentiæ inter eos sparsis, viamque muniri, ut Borussia alium Dominum sortiatur, ac Mare Balticum unius dominatum subeat. Sane hoc tractatu custodiam Oresundæ, & Borussiæ Sveco tradi, aut earum possessionem præsentibus dominis incertam reddi, sublata divisione, qua Maris Baltici securitas constabat. Ita omnia ultro inter derelicto haberi, super quibus tot per annos tam acriter certatum. Daniam sine Oresunda nihil esse, nec Oresundam sine Scania; & quid Poloniam sine Borussia, & Gedano? Cum autem Ordines firmato pacto Roschildensi id agant, ut Elector, & Gedanum à Polonia avellantur, quid aliud inde secuturum, quam ut primum Dania, inde Polonia, demum summa rerum ruat, & dum singuli pugnant universi vincantur? Sola spe incertorum eventuum, ac tacitis destinatis res haut servari. Quod irreparabile habetur, hautquaquam aleæ exponendum. Sane Electori necessum fore inclusionem ex commodo Sveciæ acceptare, aut repudiare; ut neutrarum partium maneat, ipsi haut permissum. Nec è jejunis quibusdam interpretationibus, aut inanibus temperamentis remedii quid sperandum: gladium omnibus scholarum subtilitatibus potiorem. Quod si igitur inclusio admittatur, quid Poloniæ, quid Mari Baltico futurum? si eadem repudiata Poloniæ intemerata fide adhæreatur, periculum esse, ne Electori necessitas adferatur separatim cum Svecis transigendi non sine magno detrimento hujus Reipublicæ, quod maritima provincia d u d:fendi nequeat contra hostem, cujus arbitrio Mare Balticum hoc pacto subjicitur. Horum omnium funestos fructus demum in hanc Remp. redundaturos, tam arcte nostris rationibus innexam, si fas sit provincias condonare, vectigalia pro lubitu statuere, & omnia facere ex libidine potentioris. Id autem agi quod arguitur, rem ipsam loqui. Super communibus emolumentis transigi nullo ad fæderatos respectu. Daniam cogi dum auxilium negatur, aut suspenditur. Nimirum occidere, qui alimenta detinet. Regi inaudito, qui caput partium sit, leges præscribi, cum fædere, ac totiens iteratis promissis de classe, & auxiliis citra exceptionem submittendis cautum sit.*

Verbo, abdicata Scania everti Daniam, ac pessumdari partes. 1659. *Frustra occini, Danos jam semel eam provinciam alienasse inconsultis Belgis. Hac enim exceptione rationes Reip. non servari. Quæ semel prave facta sint haut ita relinquenda, sed quantum possunt corrigenda. Occasionem divinitus præberi, qua homines dextri uti par sit. Ast si Ordines ita manum subtrahant, quid aliud quam commune damnum omnibus expectandum? Ibi nil fausti successus sperandum, ubi amicitiæ ac fædera vacillant; nec pacem stabilem futuram, ubi inter Principes inæqualitas, & inimicitia seritur: ac dum omnes divisi tenentur, viam uni ad invadendam dominationem strui. Equidem & Polonicæ pacis curam ostendere Ordines. Sed dum additur, si ista inveniri nequeat, quod intra trium septimanarum spatium fieri nullo modo potest, ideo Danicam pacem haut remorandam; hoc ipso ea Regna distrahi, ac fomitem æterno bello strui. Electoris quoque curam ostentari, sed admodum malignam, oblata receptione in pactum Elbingense, velut extrema salutis anchora; sed ut intra mensem declaret, num ea sibi conditio arrideat. Quid aliud sit excludere, si hoc non est? Sane horrore se perfundi, ac Belgium jam in Belgio quærere, si cogitet, talia nomine tam illustris Reip. proponi, ac id consilii apud Belgas accipere Electorem Brandenburgicum, vetustissimum, atque fidissimum amicorum, qui ab incunabulis affectum, & fidem in hanc Remp. imbibit; qui divina & humana omnia cum eadem communia, salutisque rationes conjunctas habet. Ut salutem suam in exitio, quietem apud capitalem hostem, gloriam in ruina fæderatorum quærere debeat? Ut denique eam iterum personam induat, quam Ordines non ita pridem tantopere detestati sunt, & ad partes huic Reip. tam exosas revertat? At qui nondum memoria excidisse, qua verborum acerbitate olim Labiaviæ legatus Belgicus declamaverit, quod Sveci ab Electore fulciantur; nec Irbrantium minus fervide Berolini se jactasse. Contra audita ejusdem cum Polonia reconciliatione hunc consessum summam lætitiam præ se tulisse. Nunc Poloniam iterum deserendam, ut ad Svecicas partes redeatur; & brevi compendio Electoris juxta, Belgiique statum subruendum, ut Elbingense pactum salvum sit. Enimvero si Elector viam invenire possit, qua honeste ac tuto ad Sveciæ amicitiam redire queat, non opus fore, ut alieno pacto comprehendatur, velut vilis quæpiam accessio. Socium ipsum esse hujus Reipublicæ, non adscriptitium glebæ, & qui auctuarii vice alienis pactis adjici mereatur. Ni jactantiæ exprobratio declinaretur, multis memorari posse, quantum commodorum sibi non ita pridem Elector stipulari potuerit, si desertis fæderatis pacisci placuisset. Sufficit ad gloriam, id fastigii Principem nunquam ad degeneres cogitationes, ac actiones ab honestate, ac sapientia remotas descendisse, nisi qua manifesta necessitas imperavit extremas vires parce dispensare, ne summa rerum plane subverteretur. Considerarent porro Ordines, quid sit includi pacto Elbingensi; quod inter inania vocabula est, hoc seculo illudendis simplicibus inventum, in quo nil plane securitatis sit.*

Cogi-

1659. *Cogitarent quoque, Electorem Polonis obstrictum esse per fœdus utrinque jurejurando sancitum, nec deserendum, quoad Svecus ad honestam pacem compulsus sit; de quo cum Ordinibus significaretur, non hi solum Electori gratulati sunt, sed & de interponenda sua sponsione promiserunt. Id cum nulla exceptione elidi queat, salva existimatione & conscientia eam inclusionem admitti non posse. Nec minus indignum Gedanensem civitatem nunc ad extremum à Polonia distrahi post tam illustre constantiæ documentum in decus seculi editum, ac æternam à Polonis gratiam initam, nec durissimis temporibus ad mutandam fidem compulsam. Eam nunc finem operis sui tam ignobili inclusione admissa coronaturam, nulla præsertim subigente necessitate: Ex his manifestum, inania esse, per quæ fidei publicæ fœderatis datæ satisfactum jactatur, & hac via Daniam à Polonia, Electorem ab utraque, Cæsarem ab omnibus separari, horridarum conversionum materiam. Sed nec firmitatis quid inesse sponsioni Galliæ, atque Angliæ, quæ ostentatur. Sane cum inter istos populos tam repugnantibus invicem studiis atque rationibus lubrica semper sit amicitia, ac ipsum tempus tot mutationes generare soleat; ejusmodi stipulationes nil esse nisi magnum inane, ac grande nihil. Cæterum non dubitare, quin Ordines ista omnia probe perspiciant; ac si re adhuc integra secum communicatum fuisset, potuisse aliam viam proponi, qua scopum suum attingere ipsis licuisset, quam in rem & se mandatis ab Electore esse instructum. Ast si jam res eo deducta sit, ut in hoc consessu nullus amplius remedio locus superet, id duntaxat declarare: stare Electori sententiam cum honore perficere, quod auspice Deo cœptum est, nec à fœderatis divelli. Equidem nos haut eo seculo natos, ut ipsum Deum consulere queamus; honesta tamen consilia, proba intentione, ac idoneis viribus suffulta, oraculorum vicem subire, strenue rem gerentibus gloriosos successus spondentium. Ast quam gloriosum esse promissa implere, amicis succurrere, pacem promovere; id quod fit, si hostis ex Oresunda dimoveatur, Dania ab oppressione, orbis Christianus ab æterno bello liberetur. Nec Svecos huic Reip. esse metuendos, quorum arma ipsa causæ injustitia frangat. Ne offensam iste Rex aliqvando ulciscatur, non nisi per fortia consilia impediri posse. Porro nec Gallos passuros Sveciæ incrementa nimium gliscere cum oppressione Poloniæ; & Anglos sapientiores esse, quam ut Daniam subverti, Electorem pessundari, & salutare æquilibrium ita alterari velint; atque adeo ope ipsorum ejusmodi potentia in Oresunda stabiliatur, quæ olim tantæ stultitiæ pœnam ab ipsis exactura sit, tristi documento experturis, quod Protestantes in Germania, & ipsi Belgæ plus satis experti sunt, quanti Svecorum amicitia constet, & quid iidem jactato religionis studio quærant. Forte & à Gallis, Anglisque ista non serio agitari, sed ut constantiam Ordinum explorent, ac num inani metu in transversum impelli queant. Sed si maxime serio res agatur, num ideo languide occurrendum, aut cœpto negotio manum subtrahendam? Omnia in promtu esse, quæ ad vim repellendam faciant, concordiam sociorum, studia civium, classes, exercitus. Equidem durum esse extrema tentare, ac sanguinis humani prodigum videri. Sed quia necessitas urget, nec aliud consilium superest,* 1659. *num ideo retrocedendum, & amicos hosti prodendos, nil nisi bellum, & aliorum oppressionem meditanti? Omnia quæ nunc metuuntur mala permansura, ni tam in Dania, quam Polonia pax constituatur, quæ rationibus hujus Reipublicæ, atque commerciis consulat. Cur igitur non aperta via incedatur, ut candor, ac bona fides reipsa in oculos eorum incurrat, qui eidem inniti debent? Svecum si mascule contra tendi videat, conatibus suis destiturum, Anglosque tam honestum institutum fulturos communem pacem haut dissociatis fœderatis constituendi. Aut si ea spes fallat, audentius contra eundum, & gloriam captandam velut per miraculum servatæ Daniæ, nunquam intermorituram. Quin ne si fortuna armis hujus Reip. adversetur, ingens adeo damnum metuendum; ob amissas aliquot naves partes haut statim succubituras. Utcunque res cadat, Hafniæ prospici posse, quod ad existimationem atque fidem satis est; & si honestis conatibus omnem successum fata negent, ad extremum Daniæ nil atrocius superesse, quam Roschildensem pacem. Quem enim crediturum, Svecos Anglis, aut hoc illis Oresundam, eique adsita cessuros? quæ nec divisionem pati possunt inter æquales potentias, & mox in æmulationem erupturas. Nec Daniam plus jacturæ facere posse, quam hac conventione, cui ultra pactum Roschildense nil amplius decerpi queat, si Regni instar manere debeat. Quæ cum ita sint, Electorem rogare, ut Ordines pro sua sapientia hæc omnia mature expendant, ac omissa separata tractatione partibus sine mora cum classe operam navent; aut saltem sociato cum fœderatis consilio ad pacem non minus in Polonia, quam Dania constituendam incumbant, opus Deo, hominibusque gratum, & commerciis stabilem quietem daturum. Et Electorem hoc documento perspecturum ipsius incolumitatem Ordinibus cordi esse, ac vicissim omnes suas fortunas pro salute hujus Reip. periculo expositurum.* Talia Weimannus multa cum eloquentia, non sine vehementia, utut frementibus non paucis, eo fidentius evolvebat, quod istius compacti commentum à Joanne Wittio, ejusque factione profectum esset, magnæ Ordinum parti parum probatum.

§. 6. Ast Belgæ insuper habita ista expostulatione Electori de pacto isto significant, addito; se ipsi receptione in conventionem Elbingensem consuluisse, ac una cum Gallis, & Anglis operam daturos, ut dissidia inter eundem, & Svecum amica ratione componantur; quo fine rogabant, ut legatos ad colloquia super pace in Daniam mittere velit. Ad quæ Elector reponebat; *Optandum sibi fuisse, præsentem rerum faciem, & pervicacia hostis destinata ita esse comparata, ut hac via communis, eaque stabilis pax obtineri queat. Nam tunc neminem fore, qui tam egregium institutum majore, quam se ipsum studio sit prosecuturus. Sed si consideret, à Belgis hoc bello capta fortia, & prudentia consilia, ac proprias utilitates hac ratione servari non posse, in legem amicitiæ, atque societatis peccaturum, si non candide ipsis significet; per transmissam pacti formulam à laudabili scopo immane quantum aberrari, ac nil aliud effici,* quam

Belgæ de pacto Hagensi Electori significant. 11. 21. Maii.

Electoris responsum. 26. Maii.

1659. *quam ut agendi tempora inutiliter elabantur, Svecorum insatiabilis ardor destinata sua exsequendi alatur, belli sedes de uno loco in alium devolvatur, injuste oppressi deserantur, ac perpetuo Svecorum servitio addicantur, omnium bono publico studentium animis ab hac Rep. alienatis. Equidem quin Ordines bonum sibi scopum præfixum habeant, haut se dubitare; nec rarum esse, ab hoste, ejusve amicis etiam fortissima consilia obtentu insignis in pacem studii quandoque turbari. Sed uti ejusmodi fraudes in Rep. bene constituta non nisi ad breve tempus valere possunt: ita se sperare, ipsos propediem perspecturos, pacta ista in solius Sveciæ gratiam, ac sine dubio hujus instinctu fabricata. Simul eosdem ex hoc tempore communem causam tanto enixius amplexuros, quo plus detrimenti hæcce ex ipsorum cunctatione, & pactione ista cepit; cum nulla alia via sit tutæ paci, & instaurandis commerciis, quam ut omnes fœderati pro fide invicem data firmiter conjuncti per peculiares tractatus divelli sese haut patiantur, Svecis omni spe separationis ademta. Equidem num Daniæ Rex tam duras leges admissurus sit, sibi non constare. Certe ipsos Belgas, eorumque posteros irreparabile damnum sensuros subjugata Dania, & omnibus Maris Baltici commodis in Svecos translatis. Cum jam per Roschildense pactum, quo tamen Svecorum aviditas nunquam implenda sit, libertas commerciorum Belgicorum satis sit circumscripta, ac Svecia id obtinuerit, pro quo Belgarum majores omnia periculo exponere maluissent. Daniam quoque summa injuria perfundi, probata abruptæ per Svecos pacis causa, velut hoc bellum ob non impletas Roschildensis pacti leges ortum sit; cum tamen à Danis omnia, à Svecis nihil conventorum præstitum sit. Danos duntaxat argui, quod postulato Svecorum super negando exterorum bellicis navibus freti transitu annuere noluerint. Ast cum tres Status idem conventione sua tolerare nolint, mereri utique Daniam, ut potius inter exhaustas calamitates sustentetur, quam auxilio destituta denuo ad turpem pacem compellatur. Præterea se non Danico solum, sed & aliis fœderibus innexum, quibus ad firmam usque pacem stare decretum sit. Quanquam enim Belgæ operam circa sui cum Sveco reconciliationem offerant, sponsione trium Statuum interposita firmandam; ideo tamen suam existimationem salvam haut fore, si fœdus cum Polonia abrumpendum sit. Quin & si Polonica pax conflari queat, Svecis tamen in animo esse bellum alio devolvere; quod nullibi fieri queat, quin suæ ditiones sedem armis præbituræ sint, ac demum de suo belli præmium Svecis assignetur. Quæ eo magis Belgis ad animum revocanda sint; quo acriores sibi stimulos ad negotium hoc suscipiendum ab iisdem subditos meminerint.*

Hagense pactum defenditur. §. 7. Porro id pactum non Elector solum, sed & uterque Borealium Regum pari aversione detestabantur. Quin omnibus indignum videbatur, tres illos Status velut tutelam, & arbitrium pacis in eos Reges sibi arrogasse. Quod tamen cum omnes pariter adspernarentur, haut facile effectui datum iri credebatur. Non deerant tamen, qui idem Daniæ bono cedere pertenderent. *Per id quippe Anglos cohiberi, quo minus pro Svecis in Danos rem gerant. Ac laudandam Joannis Wittii solertiam, qui id tempus adornando huic pacto elegerit, quo Angliæ res intus turbatæ fluctuabant. Interim adpariturum, ubi factioni Montacutius Anglicæ classis Præfectus sese addicturus sit; qui & ultro, aut revocatus eo citius domum facessiturus sperabatur, subtracta rei gerendæ facultate, aut si manere placeret nulli Daniæ damno futurus. Hoc pacto quoque intermortuam fere Daniæ cum Gallia & Anglia amicitiam resuscitari. Interim Svecorum copias Daniæ & fœderatorum armis exponi, qui ad rem in Svecos gerendam eo acrius incubituri sint, quo lautiores Daniæ conditiones pacis concilient. Cui & caveatur, hanc pacem à Svecis inviolate servatum iri. Conditiones facile adornandas, ubi in rem præsentem ventum fuerit; & ictus non ad mensuram inferri. Ac turbatis Angliæ rebus, accedente ab Hispanis post pacem & connubium Gallicum bello, Belgis ab Anglia metum decessurum, ac Gallos cum Carolo Rege exule oleum incendio addituros. Eodem quoque pacto præcipuum Daniæ fœderatum Electorem si velit comprehendi. Svecis per mare, & insulas debilitatis etiam brevi cum Polonis pacem ineundam fore, præsertim cum in Comitiis Warsaviensibus decretum sit, Borussiæ oppida summa vi oppugnare, & Cosacorum auxilio Moscum adpacem urgere, cujus prævia negotiatio jam perfecta sit, cum Svecica contra vado adhæreat. Polonos quoque ejusdem pacti respectu Cæsarea arma contra Svecos libenter assumturos, ac eo acrius rem gesturos. Equidem in eo Cæsaris mentionem non fieri. Sed Svecos jam antea fiduciario nexu huic in Germania adstrictos; & post pacem inter Hispanos, & Gallos Cæsari sat virium fore attritis longe bello Svecis compescendis. Denique & fœderis Rhenani socios post Galliam cum Austriaca Domo reconciliatam paulatim manum Sveciæ subtracturos, deliniendа Cæsaris offensa. Equidem hoc pacto Roschildensem pacem non plane aboleri; sed cujus leges non parum sint molliendæ, ubi Sveci fœderatorum ope Danicis insulis ejecti fuerint: & tres Status magis favore in Daniam inclinaturos, tanquam debiliorem. Sed & illud in hoc pacto incommodum videri, quod liber transitus per fretum Gallis, Anglis, & Belgis promiscue indulgeatur non sine damno Daniæ jam satis afflictæ. Quod etsi Belgis invideri non debeat tam ample de Dania meritis; indignum tamen esse, Anglos, Gallosque ob beneficio frui Svecis addictiores. Enimvero ubi Anglia vel intestinis turbis agitetur, vel post pacem inter Hispanos, Gallosque ab istis, aut his quoque simul bellum sentire incipiat, & classi Anglicanæ ob alterutram causam discedendum fuerit, Sveciam à Danis facile contemni posse. Nec Gallos mari haut potentes metuendos. Igitur, modo fœderatorum armis fortuna adspiret, sat spei ad sublevandam Daniam superesse.* 1659. *Montacu.*

§. 8. Haut eo minus nostri id pactum acriter impugnare pergebant, ac jussu Electoris non sine acerbitate Belgis exprobrabant; quod nunc eum, in quem nuper omnes Principes excitatum iverant, tantum non in protectionem recipiant, ejusque progressus contra ipsorum amicos & oppressos vicinos promoveant. *Sane Daniæ Regem Belgis acceptum ferre, quod, dum Belgicæ classi per pactum* *Nostri pactum Hagense oppugnare pergunt.*

Hagen-

59. *Hagense quiescendum est, Svecus ea occasione Langelandiam, Falstriam, Lalandiam, & Mœnam in potestatem redegerit, extrema nutriendæ Hafniæ subsidia: cum si classi Belgicæ permissum fuisset rem in Svecos gerere, hi brevi ad æquam pacem amplectendam compelli potuerint. Nec à fœderatorum copiis in Fioniam tentari quid posse, quamdiu ea classis quiescat.* Unde postulabant, ut Opdamo injungatur, quo is Svecorum progressibus se objiciat; præsertim cum Daniæ Rex decreverit, fœderatis firmiter adhærere, ac nisi iisdem comprehensis ad tractationem pacis haut descendere; quem omnibus viribus sublevari par sit. Unde & Belgæ Opdamo mandata mittebant, ne Dano à Svecis amplius quid locorum eripi pateretur; cum præter Hafniam nil superesset. Contra Joannes Wittius blandis verbis nostrorum indignationem mulcere: Inter Electorem, & hanc Remp. nunquam divortium faciendum; nec sinistri quid hoc pacto spectatum fuisse. Tamen nunc aliam se viam ingressuros, ac postquam semel decepti sint, viribus suis usuros; ac si non uno loco, saltem uno tempore ad communem pacem procurandam incubituros. Hac tractatione suscepta nil nisi tempus extrahere sibi propositum, quo classi recens sub Michaële
ter. Ruytero in Daniam missæ cum altera conjunctio pateret. Ubi tres induciarum septimanæ sint elapsæ, ad vetera se consilia redituros, pacto ultro expiraturo, præsertim cum intus turbatæ Anglorum res metu ipsos exsolvissent. Quin & post dejectum imperio Richardum Cromvellum Parlamentum plus studii circa servandam Daniam, quam Protectores fecerant, ostendebat, inani Svecicorum legatorum opera, quod vetitum esset cum exterorum legatis aliter quam in publico loqui. Ast interim Angli componendo Boreali bello legatos in Daniam miserant, queis ut amicos tractatus suscipiendi spatium foret, induciæ in tres adhuc septimanas prorogabantur. Et ne, quæ pacto Hagensi ambigue expressa erant, duabus nationibus collidendis ansam darent, amplior quædam declaratio apud Belgas proponebatur. Quibus & placebat plura pro Dano stipulari, quam Roschildensi pace continebantur, Nidrosiam, Bornholmiam, & Huenam, elisis quoque postulatis, quæ post eam pacem Sveci moverant. Et mox congressu inter Dovvningium, & Belgarum deputatos habito pactum id denuo firmabatur, addito, *ut intra diem decimum quintum, ex quo per utriusque Reip. legatos Regibus propositum fuerit, hi ad normam pacti Roschildensis, quantum nunc mutatum non sit, pacem amplectantur. Si alteruter intra id spatium pacem recusaverit, ei nullum amplius auxilium ferendum, ac eandem acceptanti omnibus viribus adsistendum, ut pacem dictis conditionibus designatam abnuens vi ad eandem compellatur.*

§. 9. Eam rem nostri tanto ægrius ferebant, quod contradictionibus suis pactum Hagense jam se subvertisse crediderant, spe concepta à Dano Scaniam recuperatum iri. Ac ipse Elector indignationem suam literis ad Weimannum scriptis expromebat. *Spem sibi fuisse, à Belgis consilia captum iri, rationibus suæ* 1659.
Reip. & factis toties promissis conformia, quæque pacem Borealem ita promoverent, ut non solum Dania salva foret, sed & vicini huic bello impliciti pacarentur, constituta quoque commerciorum in Mari Baltico libertate. Magna tamen cum admiratione percepisse, id nunc agi, ut Daniæ Regi denuntietur, si pacem Roschildensem acceptare abnuat, Belgas nil amplius auxilii eidem præstituros, classe quoque, & milite domum revocatis. Atqui in aprico esse, pactum Roschildense maximo, eoque perpetuo damno cedere non Daniæ solum, ac Fœderatis Belgis, sed & omnibus vicinis; quod præter multa alia Svecis facultas nascatur commercia pro lubitu temperandi, & imperium Baltici Maris exercendi. Quin, quod maximi sit momenti, Hafniam eo casu semper paulo minus quam obsessam mansuram; eoque parum interfuturum, utrum Sveci in præsens Selandiæ incumbant, an vero ex aliis sibi concessis locis eidem urbi semper immineant. Frustra super sponsione trium Statuum jactari. Nam si nunc sub conspectu tantarum classium æquo animo fertur Regem Daniæ opprimi; quantum eidem confidendum fore, quando Svecus pace Roschildensi firmatus quod Daniæ superest subigere instituerit? Qui in præsens ita languidos, aut potius aversos bono publico se exhibeant, num illos enixiore studio rem acturos, si iterum sumtus faciendi, & arma paranda sint? Ne nunc dicatur, quod permanente præsenti statu hostis subito impetu scopum suum obtinere possit, ut Belgis nulla facultas sit auxiliis sat mature adducendis. Enimvero cum post isthæc omnia ita liquido demonstrata Belgæ haut eo secius fatali quadam socordia laborare pergant, rem divinæ providentiæ commendandam, imperia populorum pro sapientia sua dispensare solitæ; ac spem esse, cum sibi nil aliud propositum fuerit, quam communem pacem promovere, ab ista quoque viam ostensum iri, qua salvis rebus suis ex hisce turbis eluctari queat. Hoc documento tamen cauturum, ne deinceps per istos ad ardui quid suscipiendum induci se patiatur, placita deserere ita faciles. Quam inconstantiam ipse eo minus expectarit, quod hæc causa magis ipsorum Rempublicam, quam se tangat: ac si par pari referre placeat, forte haut in arduo fore viam invenire ex hoc negotio non sine emolumento se subducendi; etsi dubium valde sit, num omnes, quæ tunc interventuræ sint; conditiones ad gustum hujus Reip. futuræ sint. Præterea valde acerbum sibi accidere, quod cum ipse hactenus acta sua Belgarum judicio adprobare studuerit, Joannes tamen Wittius haut vereatur publice clamitare: Electorem exitio Regis Daniæ causam præbere, dum eum ab acceptando pacto Roschildensi dehortetur; criminatione non minus impudenti & falsa, quam insolentiæ plena. Nunquam sibi in mentem venisse Regi Daniæ tutores dare, aut quomodo rebus suis præesse debeat præscribere; sed ad constantiam eundem hortari, ac pacis Roschildensis periculum ostendere etiam Belgis curæ fuisse. Sane à tota Rep. istiusmodi consilia proficisci haut sibi persuaderi; nec ignotum, quid in diversis provinciis eo nomine agitetur. Sed ut ipse in Wittii cujusdam, per Gallos, Anglosque, ac Svecos contra genuinas Reip. rationes seducti sententiam concedat, inter perniciosa,

1659. *ciosa, aut ancipitia consilia vacillantis, id longe ab existimatione, & conscientia sua abhorrere. Ac istum hominem haut primum fore, qui exemplo suo orbem edocturus sit; prava consilia pro captu temporum aliquandiu in Republica sustineri posse, sed queis mox autores in exitium, quod aliis struxerint, trahantur, postquam Nemeseos patientiam consumserunt. Atque ista ut Wittius rescisceat velle: qui ni deinceps linguæ suæ temperet, apud Ordines sit accusandus.* Ad quæ Wittius paulo post declarabat; *cum nostrorum sententia à sua discrepaverit, sui judicii rationes explicasse sine animo injuriam faciendi crimine vacare.* Cæterum quia res eo processerat, ut pactum id in præsens subverti non posset, huc dein summa rerum redibat, ut Svecus ejus pacti leges acceptare detrectaret, Danus fœderatis constanter adhæreret. Ita spes erat Belgas demum cum Svecis commissum iri. Unde Elector suis Hagæ legatis injungebat, bene de Rep. sentientes demulcere, ut si in Anglia mutationis quid contingeret, res restitui posset.

Electoris acta bellica. §. 10. Cæterum effecerant ea Belgarum consilia, ut Electori in Dania nihil ad summam rerum faciens contra Svecos suscipere liceret, etiam quando anni tempus ad movenda arma invitaret. Nam antehac ipsa hiems quietem imperarat; & hostis quicquid in continenti copiarum restabat, intra Fridericiuddam contraxerat; unde aliquando catervæ in fœderatos excurrebant dispari successu. Quas inter Streithorstius subtribunus cum ducentis quinquaginta equitibus uno milliari ab eo oppido in validam fœderatorum manum noctu impegerat; à quibus pulsus ipse cum quatuor turmarum præfectis, ac multis gregariis captus est; cæsi tres turmarum Præfecti, ac complures gregarii vix decem tenebris, ac sylvis tecti evasere. *3. Jan. Streithorst.* Petebat inde Daniæ Rex, ut Elector in Selandiam trajiceret, ne forte Svecus refectis viribus Hafniæ oppugnationem denuo tentaret, qua nunc ejusdem vires non parum afflictæ sint, bis mille amplius cæsis, aut sauciatis. Et si maxime Croneburgum statim recipi non possit, in Scaniam transmittendum, ubi plurimi incolarum, regimen Svecicum indignentur, munitionum quoque maligno provisu. Id quod Electori haut consultum videbatur, quod prius Fridericiudda, & Fionia hosti eripienda esset. Antea in Selandiam penetrasse multa habere incommoda. Divisum exercitum neutrobi hosti parem futurum. A classe Svecica non satis cautum, nec sat ibi annonæ. Responsum tamen laxioribus verbis; faciendum quod res ferat, modo navigia præsto sint, & in Selandia alimenta hominibus, atque jumentis suppetant.

Sveci Fridericiulda expelluntur. Ast mitescente anni tempestate Elector suas, atque Cæsareas copias hibernis eductas ad Flensburgum lustrabat, Fridericiuddam tentaturus; cujus oppugnatio difficilis futura videbatur, quod qua parte mari alluitur, claudi non posset, recenti milite è Fionia pro lubitu firmanda. Ita initio visum eminus circumposito obsidio eam premere. Ad quam primo cum agmine adproperanti Joanni Georgio Principi Anhaltino Conradus Christophorus Kœnigsmarckius cum trecentis equitibus obviam luens acrem velitationem commisit, non paucis utrinque cadentibus; qui tamen mox intra oppidum repulsus fuit. Ast Sveci, queis operæ pretium haut videbatur vastas Fridericiuddæ munitiones aliquot millibus tuendas propugnare, destructo vallo, ac incensis omnibus, quæ ignem admittebant, intra modicum castellum ad littus maris extructum se receperunt, ac idoneo præsidio imposito reliquas copias in Fioniam trajecerunt. Unde Elector *14. Maii.* copiis propius admotis castellum id vi expugnare instituit, velut Svecis aditum in Jutiam, & receptum navibus præstans. Ac jam obliquas vias agere cœperat, simul suggestus machinis struebat, Svecis è munitione, & aliquot navibus, oppositoque Fioniæ littore non segniter fulminantibus. Ast Sveci intempesta no- *15. Maii.* cte avectis æneis machinis, atque sarcinis, ac omnibus simul domiciliis incensis illæsa munitione in Fioniam trajecerunt, sic ut nostri castellum, ad quod triginta tantum milites amiserant, nemine resistente ingrederentur, in quo præter duodecim ferreas machinas prædæ nihil repertum. Ei Danicus miles præsidio impositus fuit.

Fionia tentatur §. 11. Pulsis tota continente Svecis, ut his Fioniam quoque eriperet, Electori magnopere curæ erat; sed quos conatus Belgarum tergiversatio inanes reddebat, Cæsareos ne pedem ibi figere vellent suspectantium. Unde cum Opdamus eo fine naves præbere rogaretur, is primo defectum annonæ, inde jussa Ordinum in patrium revocantium excusare. Appellatus eo nomine Daniæ Rex navigia præstare penes se negabat esse. Opdamum, ut hinc avocaretur, acriter institisse, causarum plus se operæ pro Dania domi navare posse, demonstrato Ordinibus ejus Regni necessitate, quam heic lacera cum classe, quam & ideo dividere noluerit, quod primo favente vento in patriam vela facturus sit. Pollicebatur tamen centum quinquaginta navigia minoris formæ in Batavis, aut Lubecæ conducenda, quibus fœderatorum miles in insulas transportari possit. Interim Coldingæ penum struendum, ut istis navigiis annona in promtu sit. Quanquam autem per fœderatorum legatos Hagæ effectum foret, ut Opdamus in Dania cum classe remanere juberetur; haut eo magis tamen quid profectum fuit, quod interim nuntii de Hagensi pacto adferrentur, per quod classi Belgicæ in Svecos infesti quid tentare integrum non erat. Unde anceps videbatur in insulam se conjicere, dum hostis mari potitur, à quo subvectio intercipi poterat; Montecuculo inprimis ista ausa abhorrente, ut tamen testaretur se istis conatibus obsistere aut deesse nolle, modo Elector sibi de indemnitate caveat, si eo nomine Cæsari ratio reddenda sit. Id quod & Elector annuebat, rei pro Dania gerendæ tanto cupidior, quod Dani Hafniæ fremerent; *de fœderatorum gestis nil aliud audiri, quam uti tributa describant Præfectorum, & Quæstorum loculos replentia, pro quibus*

1659. *bus sat navigiorum trajectui in Fioniam conduci potuerit. Ac debuisse Fridericiuddam per biemem expugnari, quo tempore facilis in Fioniam accessus patuerit, Svecorum navibus in portu hærentibus.*

17. Maii. Igitur Elector, quo studium suum Danis adprobaret, cum quicquid navigiorum posset in litore Holsatico, & Jutico contraxisset, assumtis suorum mille quingentis, totidem Cæsareorum, è castris ad Fridericiuddam, Standerupum tendit, imperio castrorum tantisper in Czarnecium collato. Postridie Goltzius cum bis mille peditibus navigia ingressus est, ut in Fennoa insula exscensionem faceret, quam exiguum fretum, qua majoris tubi globus adigi potest, Fionia discriminat, unde in hanc facilis descensus credebatur. Cum reliquis copiis Ranftius summus inter Cæsareos excubiarum Præfectus, & Barfusius Electoralis Tribunus in Jutiæ litore contra Fennoam tecti consistebant. Cum per biduum ventus reflaret, tertio demum die fretum, quod Fioniam, & Fennoam interluit, intratur. Sed cum vertens se ventus, ac fluentum maris in diversa tendens terram tenere prohiberet, vela intra jactum machinarum Svecicarum retro facienda erat, haut segniter in nostros fulminantium, Svecis interim omnia ad defensionem parantibus, quorum quadringenti sub Weiero summo excubiarum Præfecto insulam insidebant. Sequenti luce impetus in Fennoam fiebat, in quo navigium centum Electorales pedites vehens globis trajectum subsidebat, ut tamen omnes vectores in litore Jutico servarentur. Reliqua navigia cursum tenuerunt; ac Goltzius quidem recta contra Weierum in terram enixus est, Strozza Tribunus Cæsareis ad dextram, Gœtzius, & Siburgius Tribuni ad sinistram in litus evasere. Acris inde pugna per duas horas conseritur, machinis quoque ê classe continuo detonantibus, ac nostri demum insula potiuntur, Svecis post plurimos suorum amissos in Fioniam se recipientibus. Post tamen deprehensum, eum locum haut satis commodum invadendæ Fioniæ, quod Sveci non solum ducta fossa, castellisque hinc inde excitatis, ac dispositis per suggestus machinis totum litus oppositum firmassent; sed & quatuor millia Svecicorum militum nostros ingruentes expectarent.

[Margin notes, left: Fennoa. | Ranft. | Barfus. | …Maii. | …Jun. | Fennona …cupa…tur. | …burg.]

§. 12. Ast Elector cum facile perspiceret, sine valida classe, quæ hostem machinis litore depelleret, nihil cum fructu suscipi posse, Quæstorem exercitus Joannem Waldavium è Fennoa ad Opdamum mittit, qui tunc cum classe in majori freto Baltico agebat, rogaturum, ut mare à Svecicis navibus tutum sibi præstaret. Istum cum ad navem prætoriam accessisset, Opdamus non solum diu ante fores conclavis stare sinebat, sed & ipso ingresso aliquandiu scriptioni intentus manebat, quoad is ad mensam accederet. Ubi cum Waldavius quæ jussus erat exponeret, Opdamus interrupto ejus sermone dicebat; *Electorem antea Italica lingua ad ipsum scripsisse; nunc Teutonica uti, quam ipse non intelligat.* Inde Waldavius mandata eidem sua prælegebat, Opdamo aliquoties stomachante, inprimis cum Elector rationes adduceret, quare festinato nunc auxilio opus sit. *Num sibi velut ministro aliud quam mandata sua respicienda? Aut num Electori cordi sit ipsum in ferale pegma adducere? Induciarum tempore elapso se facturum, quod mandata sua ferant.* Cum Waldavius scriptum responsum peteret, iste excusabat, *scribam suum Teutonicum mortuum esse, ac se Teutonice scribere haut nosse.* Demum Gallica lingua responsum dabat. Id cum Waldavius Danis ostenderet, hi Opdamo persuadere nitebantur, ut Electori naves commodaret, & Fioniam ex altera parte, distrahendis Svecis invaderet. Sed Opdamus immotus *expressis sibi mandatis opus esse asseverabat.* Ast post elapsos octo dies pollicebatur, *sese certum navium numerum Henrico Bielkio Danico classis Præfecto traditurum, quibus pro lubitu in Svecos rem gerere possit: cum reliqua classe Anglos sese observaturum.* Mox tamen mutata sententia excusabat; *denuo sibi interdictum in Svecos hostile quid suscipere, ac cum classe Hafniam sibi eundum, excipiendis ibi Anglorum legatis, & paci promovendæ.* Cum opjiceretur, Nascoviam Lalandiæ oppidum interim à Svecis expugnandum, reponebat; *occuparent Sveci quicquid vellent, omnia tamen restituere necessum fore. Si quia damni cives patiantur, ejus rationem haberi non posse.* Inde ad molestos sermones devolutus jactabat: *quod aliud operæ pretium Electorem fecisse, quam ut Jutiam exederet;* Waldavio regerente; *Svecos utique tota continente dejectos, ac se Belgæ manum admovere voluissent, plus profici potuisse.* Ea de morositate viri graviter apud Ordines Generales queri jubebatur Weimannus; hoc dissuadente, ne iste alias Svecis infensissimus in Slingelandi, & Huyberti partes transiret, qui è Belgicis legatis in Svecos propendebant, cum reliqui duo Vogelsangius, & Harenus Danis faverent.

[Margin notes: Belgis …l subsi… …i obti…ri pot… | …ildau. | 1659. | 20. Jun. | Slingeland. | Huybert. | Vogelsang. | van Har.]

§. 13. Haut eo secius Electori placebat deserta Fennoa sub Mittelfactum oppidum exscensionem tentare. Ac navigia quidem milite onusta conjunctim vento, ac fluento secundo fretum Mittelfactense per lapsa sub ipsum oppidum ad lapidis jactum consistebant. Sex quoque naves bellicæ ita prope terram successerant, ut inde majoris tubi globo litus tangi posset. Reliquus exercitus per adversum Jutiæ litus in aciem dispositus stabat, displosis machinis, tubisque, quod & è bellicis navibus fiebat, densam fumi nubem excitans, qua tecti qui in navigiis erant terræ propinquaturi erant. Ac spes erat apud ædificia in litore stantia exscensionem posse fieri, quod ibi nil machinarum conspiceretur. Enimvero Sveci omnia loca adpulsui apta sclopetariis insederant, ita ut quotiens cymbæ, in quas miles transierat, retro naves bellicas prodeuntes versus littus tenderent, adversa globorum grandine exciperentur. Quæ tamen non impedivisset, quo minus vi perrumpere perseverassent, ni mutans subito ventus, marisque fluentum litus ipsis inaccessum fecisset. Igitur post quatuor horarum pugnam per mutuas jaculationes è machinis, tubisque commissam fœderati

[Margin notes: Fiona denuo tentatur. | 26. Jun.]

rati

1659. rati sub Jutiæ litus sese receperunt, minore cum damno quam pro magnitudine strepitus, cum apud hos non ultra triginta occubuisse ferantur, inter quos nemo altioris gradus præfectut.

Elector iterum de invadenda Fionia agitat. 21. Jul.

§. 14. Ast Elector haut ideo conatum depositurus tres Belgarum naves bellicas, duas Danicas, qui ipsi proxima pugna operam navarant, ad ulteriora Jutiæ litora dimittit, ut plus ibi navigiorum conquirerent, quo diversis locis Fionia invadi possit; quæ & non modicum earum numerum in Alburgensem portum contraxerant. Sed eas supervenientes octo Svecorum naves bellicæ Ebeltotti oppressere, una incensa, quatuor abductis, combusto quoque magno heic, & Arhusæ, & Alburgi modicorum navigiorum numero. Intercepti quoque ducenti Brandenburgici pedites, & mille Poloni Arhusæ hospitantes male multati. Earum navium jacturam ægre ferebant Belgæ, & jam Wittius fremebat, ab Electore earum pretium solvendum, quod is navarchos præter Ordinum mandata suos ad usus adhibuisset. Sed Elector per Weimannum Ordinibus demonstrabat; *eum esse fructum consiliorum ita distortorum, & vacillantium, quæ ipsi hactenus agitarint; nec melius deinceps res successuras, ni alia ratio ineatur. Tam multas, tamque egregias, ac forte nunquam redituras rei bene gerendæ occasiones per otium amissas, cum ea unica sit ad pacem via, Svecos armis strenue urgere.* Quod si culpam accepti damni imputare ipsi velint, Weimannus ostenderet; *si in Fioniam quid tentandum esset, necessum fuisse navigia Alburgi, & circum contracta huc evocare, quibus deducendis Claudium Alefeldium, qui Jutiæ res curet, quinque istas naves præsidio postulasse. Et quanquam à se periculum huic ostensum sit, eundem tamen navarchis confirmasse, nil periculi subesse, ac in omnem eventum iis receptum in tuta patere. Ab eodem quoque navarchis injunctum, ne cum quopiam in pugnam descenderent, ac quamprimum iter relegerent. Denique & Daniæ Regem confirmasse, Belgicam classem in Svecos rem gesturam, ac Electori mare tutum præstituram. Quin potuisse damnum id declinari, ni Belgici navarchi per ignaviam conspectis hostibus protinus in terram sese ejecissent, defecto Danico*

5. Aug. *Præfecto strenue pugnam capessente.* In eundem sensum Elector quoque ad Ordines Generales literas dabat. Ita præter inanes questus nil amplius consecutum est.

Elector Daniæ Regem confirmat Marwitz.

§. 15. Hoc modo quidem Elector Daniæ Regem armis sublevare laborabat. Sed quo eundem hortatu, consiliisque firmaret, Christianum Ludovicum Witgensteinium Comitem, ac Ditericum Marvvicium Hafniam mittebat, expositturos; *admodum sibi dolere, plus profici non potuisse, promissis navigiis deficientibus, & quia hosti integrum fuerit mare pro lubitu percurrere.* Quia tamen sine dubio penes Regem non fuerit navigia huc mittere, exquirere jubebantur, quid in præsens amplius suscipiendum videatur, ac annon Svecis communicatio inter insulas ab ipsis infestas intercludi queat? Comes quoque peculiariter explorare jubebatur, quæ Hafniæ conditio, quid Dano copiarum, quæ Danicæ, ac Belgicæ classis facies, ac inde ad Electororem reverti, Marvvicio Hafniæ subsistente, ut quid rerum ibi ageretur referret. Inprimis injunctum, diligenter explorare, quid ibi circa pacem tractetur, ac ne separatim ista ineatur, omnibus modis impediret; simul Gallicis & Anglicis legatis demonstraret; *Electorem nullo modo pacem amplexurum, qua Domus Austiaca non comprehendatur; ac si credant, hoc artificio se ab eadem avulsum iri, eousque opinionis falsos fore, ut ipse potius occasionem inde arrepturus sit tanto arctius ei sese Domui innectendi, cui alias non ulterius quam ad præsens bellum obstrictus sit.* Insuper Daniæ Regem ad Anstriacum fœdus perficiendum impelleret, ut & hoc vinculo nectantur, quos communes rationes jungunt, hostique eo minus spei relinquatur istos separandi. Cum etiam Sveci favore quorundam Principum, ac inprimis Luneburgicorum in Germania subleventur, à Rege periculum faciendum, num istos Svecorum partibus abstrahere detur, ostensa in præmium Bremensi provincia. Sibi quidem dudum cum Luneburgicis ea de re agere decretum fuisse, ni relatum esset, ipsum Daniæ Regem in eam provinciam oculos conjecisse. Sane hoc ipso Westphalicam pacem hautquidquam violari, cujus beneficio Sveci eadem abrupta exciderint. Moneret quoque, ut Dani Polonos à peculiaribus tractatibus dehortentur, circa quos Galli valde satagant. Tum ut è convento Rensburgum dimidia ex parte, Steinburgense castellum solo ipsius milite insideatur. Denique ut Rex per legatum suum Czari Ducis Curlandiæ liberationem commendet. Ad ista Rex; *Dudum se fœdus cum Cæsare perficere voluisse, sed scrupulum injecisse, quod Elector ipse fœdus cum eodem firmare distulerit, ignota sibi causa. Nam sibi vel junctim cum Cæsare, & Electore fœdus quærendum, vel saltem ex una parte omnia sibi integra servanda. Sed & Anglorum respectum fœdus suum cum Cæsare retardasse, qui ægrius laturi videantur, si ipse Cæsari arctius se jungat, quem isti pace exclusum capiant. Accepta tamen ab Electore fœderis cum ipso initi ratihabitione, protinus Cæsareum quoque fœdus perfecturum. Sane Anglos jactare; communem pacem haut ita brevi tempore concludi posse ob partes ita longe dissitas; ac Daniam, quam gravis necessitas urgeat, primo servandam. Electorem quoque & Polonum pace comprehendendum: sed cum Cæsare nil sibi negotii esse. Ac Svecum non posse amplecti pacem, ni ultionem de Austriacis sumserit ob impedimenta rebus suis per Poloniam injecta. Unde & Anglos queri, Marvvicium non nisi eludendis suis destinatis venisse. Cæterum Polonos verbo cavisse, in separatos se tractatus haut consensuros. Luneburgicos Duces à se tentatos ostentata Brema, sed frustra, ac legatam non nisi publice audire voluisse.* Inprimis autem cum Hagense pactum in lucem erumperet, Elector solicite Regem hortabatur, ne ad pacem Daniæ tam noxiam compelli se pateretur. Et quia Elector in solam istius gratiam bellum his locis gerebat, liquidam declarationem eundem

Daniæ Regis declaratio.

1659. dem poscebat, dirigendis suis consiliis. Ac si post tentata omnia obtineri nequeat, ut uno loco cum omnibus bellantibus super pace agatur, saltem non nisi eodem tempore utrinque concluderetur. Nam id Electorem magnopere solicitum tenebat, ne circa pacem alter alterum prævertere festinaret, quo lautioribus à Sveco conditionibus potiretur, qui postremum dein tota mole oppressurus sit. Ad
30. April. quæ Rex declarabat: *Sibi per Anglicam classem hautquidquam terrorem injectum iri, quam instinctu potissimum Gallorum missam norit, Anglis, ac Belgis inter se committendis. Quam parum securitatis in separatis tractatibus sit, magno suo malo se expertum; per quos nil aliud quam divisio, ac diffidentia inter fœderatos quæratur, ac ut uno post alterum oppresso dudum affectatum Maris Baltici, & eidem adsitarum terrarum imperium obtineatur, armis inde in Germaniam translatis. Et exclusis à pace Cæsare atque Electore, haut adparere, quomodo horum copiæ invitæ Jutia dimoveri queant. Igitur de sua constantia Elector ne dubitaret, ac paria secum faceret, Polonosque confirmaret. Quod si præter spem Poloni separatam tractationem quærant, idemque Angli, ac Belgæ urgeant, se quoque legatos ad ista colloquia cum mandatis, accepto tuti itineris diplomate missurum, nec nisi omnibus ibi perfectis heic conclusurum. Nec minus Electori legatum apud Danicos tractatus habendum, ut ejus rationes utrinque observentur.* Ac sane non minus constantiæ exserebat Fridericus Rex, quam promiserat. Cum enim Anglicus Ablegatus importunius super admittenda separata negotiatione instaret, Rex non citra commotionem regerebat: *Sufficere ipsi debere, quod semel norit, à se peculiarem tractationem admissum haut iri. Equidem à Sveco ditiones suas vastatas, & magnam partem occupatas; existimationem tamen, & vitam ab isto relinquendam sibi fuisse: ac mori se malle, quam ab hac sententia discedere.* Contra Angli terrendo Dano spargebant; *inter Electorem, & Svecum super pace agitari, quæ jam probe ad umbilicum perducta sit.* Ita Dano ab omnibus destituto mox Anglicanam classem incubituram. Quod tamen commentum mox Electoris literæ dissiparunt.

Cæsar de invadenda Pomerania proponit. §. 16. Ast Cæsar, vel quod copias suas in angulo Cimbriæ tam longe à ditionibus suis diutius hærere nollet, vel præventurus, ne Sveci præsentem difficultatem enixi arma è Pomerania in Germaniam diffunderent, eam provinciam invadere velut belli seminarium instituit. Nec prætextus deerat, quod Paulus Wurtzius Stetini præfectus Dœmitzam arcem Albi, adsitam intercipere conatus esset, etsi per Christiani Ludovici Meclenburgici Ducis vigilantiam auso dejectus. Et inciderant in Electoris manus jussa Caroli Gustavi ad eundem Wurtzium, de Lœckenitza in potestatem redigenda, ac invadenda Marchia. Unde & cum sub initium anni idem Wurtzius per Pomeraniam copias haut spernendas contraheret, queis Marchiam, & Silesiam petiturus metue-
11. Febr. batur, Fernamontius Glogoviæ gubernator, & Christianus Albertus Dona Comes Francofurti congressi conventionem inter se inibant, qua ratione isti periculo occurrendum, & quo copiarum numero Cæsar, & Elector, ubi invadantur, sibi mutuo adsistere debeant. Etsi is metus inanis esset, Wurtzio in Borussiam vertente, & quia infausto Hafniæ assultu Svecorum vires non parum contusæ erant. Unde & paulo post Montecuculus Cæsaris jussu super invadenda Pomerania proponebat. Simul 22. April.
Daniæ Rex, uti videbatur, de compacto, Hafniæ idem vehementer urgebat; *quod Poloniæ, Daniæque, & ipsi Electori ex ea provincia maximum damnum inferatur; nec nisi hac distractione Svecus Danicis insulis divelli possit. Nec curandum, quod ista sub Imperio Germaniæ comprehendatur. Nam cum Svecus eadem non utatur, prout Imperii membrum decet, & ex ea bellum in vicinos effundat, Imperio injuriam non fieri, si læsi ubicunque possint hosti insistant: aut isti præstandum, ne Svecus inde vicinos armis lacessat. Pomeraniam porro milite exhaustam, digresso ex ea non modica cum manu in Borussiam Wurtzio: classem Belgicam mari potiri: ut Sveci nec terra nec mari eidem subvenire queant: copiarum sat Electori: ac Polonos hoc modo à festinanda pace retrahi, qui antea semper contenderint, si diutius bellum gerendum sit, sibi hostem æque in Germania, quam alibi impetendum.* Enimvero Electori eam rem minime omnium præcipitandam judicabat. Nam si quod Hagæ tunc agitabatur pactum perficeretur, summa rerum non parum inde alteranda videbatur. Et quia Cæsari cum ea jussa ederet, de tam insperata mutatione haut constiterit, ante omnia ejus mentem denuo cognoscendam. Equidem Electori placebat fœderi suo cum Cæsare vim utique constare. Sed quia præsens in Holsatiam expeditio non vi istius fœderis facta erat, sed ut Daniæ Regi velut membro Imperii ex pacis Westphalicæ, & aliis Germaniæ legibus adversus injustam oppressionem subveniretur; hæc ratio autem pace inter Danum, & Svecum facta sit cessatura, simul ipsa annonæ penuria fœderatorum copiis necessitatem hinc migrandi impositura sit; *in præsens id ante omnia agendum; ut exercitus incolumis, & bene habitus conservetur. Sed intra Germaniam aliquid moveri valde anceps esse, quod fœderati semper de cura eam pacem sartam tectam præstandi sint testati, quam nunc ultro ab ipsis abrumpi Svecorum fautores clamaturi sint. Tum fœderatis non modo professos jam hostes mansuros, sed & his plerosque Electores, & Principes Imperii accessuros. Sed nec de Polonorum constantia ipsis sat cautum, incerto quoque rerum in Borussia eventu. Numeros quoque peditum cumprimis non parum minuisse. In Pomerania non sat annonæ, in qua & alias subsistere non liceat, nisi expugnatis munitis oppidis; it quod rebus sic stantibus arduum ac periculosum sit futurum. Dubium quoque esse, an non, pace inter Boreales Reges facta, aut ubi in Jutia nullum operæ pretium fieri possit, cum parte exercitus in Borussiam, aut ultra abeundum. Interim fœderatis in sua cuique ditione arma in promtu habenda, ut si Sveci in Germaniam turbare audeant, id quod brevi erupturum sit, eo promtius iis occurri queat, qua ratione invidiam abruptæ pacis Germanicæ in Svecos devolvi.*

Electoris consideratio.

1659. Ad quæ Montecuculus: *Quæ ipse super invadenda Pomerania moverit, fundamento manentis inter Svecos Danosque belli niti. Nam pace inter hos facta, novum id bellum fore; quod à se spectatum non sit. Ast ubi futura inter istos pace fœderati haut comprehendantur, sine dubio Svecum prima quaque occasione erupturum. Ac tunc quæstionem fore, num hujus invasio sit expectanda, an prævertenda? Et quanquam hac æstate munitiones ad mare positæ expugnari nequeant, mediterranea tamen loca in potestatem redigi posse, parti saltem exercitus annonam præbitura. In Borussiam abituris sine dubio Polonos sese opposituros; nec opus fore totam molem eo vertere. Et hoc modo Svecorum conatus, si forte in ditiones Cæsaris irrumpere meditentur, promtius infringi.* Sed & Poloni proponebant; *cum Pomeraniæ oppida maligno provisu agant, se in eam provinciam incursionem facturos.* Id quod Elector vehementer dissvadebat, ac ut potius
7. April. Svecos Borussia, & Curlandia ejicere laborarent. Sed Hoverbequius apud Joannem Casimirum Regem insistere jubebatur, ut Electori invasionem Pomeraniæ ipsius nomine faciendam deferre velit.

Super expeditione in Pomeraniam consultatio. §. 17. Ast Electori ea res maximi momenti videbatur, præsertim postquam Galliæ, Anglorum, & Belgarum conspiratione peculiaris pax inter Svecos Danosque agitaretur. Itaque consiliariis suis deliberandum proponebat; Quid sibi ad ditionum suarum securitatem suscipiendum sit, si contingat Danum aut
23. April. Polonum, alterutrum ambosve, cum Svecis transfigere se excluso; præsertim cum ipse expeditionem in Holsatiam susceperit non vi fœderis Austriaci, sed ad enixas Daniæ Regis, & regiminis Holsatici preces, ad vindicandam ab hostili oppressione provinciam Danicam in Imperio sitam, contra pacis leges à Sveco armis petitam. Ubi plerisque videbatur; *à dicto casu parum metuendum, nec præsumendum, à Dano sine Electore pacem ineundam, quod fœderatorum exercitus in ipsius terris consistat, qui, ni pace pariter comprehendatur, novo bello inde pellendus sit. Eundem quoque summam salutis spem in Belgarum auxilio collocasse, qui ut maxime Anglorum terrore à generosis consiliis paulisper inhibeantur, nunquam tamen inducendi sint, ut aliquid in Electoris exitium tendens permittant. Equidem in Polonia Joannem Casimirum senio, & valetudine, ac inprimis quia nesciat, cui bono sese laboribus atterere debeat, dudum non belli solum, sed & ipsius regni tædio captum, ac jactasse; nil carius sibi fore, quam si belli, atque comitiorum directionem in Electorem transferre possit, de quo cautum sit, nunquam ab ipso se sceptro exuendum. Qui & ad eam conditionem redactus sit, ut vix habeat, unde mensem instruat, vulgo quoque aulicorum eundem ob reliqua annorum quatuor salaria continuo obtundente. Nec minus Reginam à ministris suis solicitari, quibus velut peregrinis etiam turpissima, ac damnasissima pax, modo cum privatis ipsorum rationibus congruat, vel felicissimo bello potior habeatur. Quam & Galli valde perturbent ostentato periculo, quod ipsi bello extracto ab Austriacis immineat, qui velut destinatis suis palam reluctantem oderant.* *Sed & ipsos Poloniæ* 1659. *Ordines finem Svecici belli anhelare, ob gliscens à Mosco periculum, ac immensas calamitates exhaustas, invalescente indies adversus Austriacos diffidentia, tanquam fessis jugum imponere meditantes. Nihilominus eosdem satis perspicere, sua quam maxime interesse, ne Sveci in Ducali Borussia pedem figant, unde Regiam provinciam, & ipsam Poloniam infestare queant. Sed & metum esse, ne Elector, etsi acerrimis inter ipsum ac Svecos odiis, ad desperata consilia compulsus adsistentibus Anglis Poloniæ prægravis fiat. Et quæ hactenus super separata tractatione agitata sint, non in fraudem Electoris, & fœderatorum suscepta, sed tantum ut communi paci via muniatur. Nam excluso Electore ipsos metuere, ne his pertractis in societatem Austriacis eorum tantopere desideratam quietem turbet: citra Electorem autem haut credi Austriacos quid in Poloniam tentaturos, aut si id fiat, hisce haut impares se Polonos fore confidere, ob eorundem in consiliis, ac bellicis actionibus lentorem, & quod pecunia, & equitatu parum sint instructi, patente cumprimis ad incursiones Polonorum Silesia. Reginam quoque circa privatas suas rationes maxime Electorem respicere, cujus favorem haut temere separata pace consumtura sit. Denique proceres uno ore de studio suo in Electorem asseverare, ut credendum non sit, eos pacem inituros, nisi quæ salutem Ducalem Borussiam complectatur. Haut eo secius tam in Polonia & Dania, quam apud Belgas, Gallos, atque Anglos omni ope renitendum, ne ejusmodi separata pax struatur. Sed si ista omnia nihil proficiant, haut aliud superesse, quam ut exercitus firmetur, fœdus Austriacum arctius adstringatur, ac Svecis eo promtius ad pacem compellendis eorum vires facta in Pomeraniam irruptione distrahantur. Nec esse quod metuatur, fœderis Rhenani socios ansam inde arrepturos pro Svecis arma movendi. Nam Svecicæ Pomeraniæ rectores, sine dubio de sententia Regis, scripsisse, cum Wurtzius nuper in Borussiam tenderet; se Westphalicam pacem jam fractam judicare Electoris cum exercitu in Holsatiam irruptione. Igitur hunc non plus periculi sibi conciliaturum, quam alias jam immineat. Equidem arctiore cum Austriacis conjunctione horum discrepantes à nostris rationes scrupuli nonnihil injicere posse, quod hi Poloniam sibi subjicere cupiant, ea obtenta actionem in Borussiam moturi: cum contra Electoris incolumitas in eo vertatur, ut antiquus Polonici Regni status subsistat. Enimvero isthoc incommodi declinari posse, si fœdus ineatur non ad longum tempus, aut ad captandas alienas terras, sed tantum obtinendæ paci. Tentandum quoque, num Saxoniæ Elector per Cæsarem in hoc fœdus pertrahi possit, qui alias ob æmulationem in gliscentem Brandenburgicæ Domus potentiam circa omnia, quæ hanc spectant, valde frigidum sese exhibeat.*

§. 18. Atque in hanc sententiam omnes consiliarii conspirarant, solo Friderico Jena excepto, qui in diversa omnia discedebat. *Equidem quin Cæsari atque Electori abunde causarum sit ad Svecos in Pomerania invadendos, parum dubii habere. Hos quippe variis modis leges pacis Westphalicæ infregisse, turbis cum Bremensi civitate excitatis, Electoris ditionibus transitu exercituum* *Rationes eam expeditionem suadentes.*

procul-

1659. *proculcatis, bello petita Polonia pacis utique Germanica consorte, & Holsatia Imperii provincia. Esse officium Cæsaris oppressis succurrere. Ab ipso Sveco Cæsarem hostem agnitum, dum is huic tractatus offert; queis opus non sit apud eos, quibuscum nihil negotii intercedit: cujus & electionem iste omnibus modis impedire connixus sit, sparsis publice minis ac vix tolerandis insectationibus. Nec minus Electorale Collegium Svecum Cæsaris hostem agnovisse, dum avocatoria edicta adprobat, ac eum per legatos ad vim omittendam hortatur. Pares, aut graviores Electori in Svecos bellandi causas esse. Quin Svecos nil nisi occasionem belli inferendi aucupari, ac ubi ipsorum res ferant, de Cæsare, & Electore vindictam exacturos, nullo discrimine, num horum provinciæ intra Imperium an extra sitæ sint. Unde satius esse prævenire, quam primum ictum excipere. In Jutia porro nil superesse quod agatur, cum Danus non nisi mari sublevari possit; quod quo minus fiat per Belgas stet, manum negotio admovere detrectantes. Ac si diutius in Jutia hæreatur, annonam juxta, numerosque imminui, ac demum fame subigente excedendum, consumto incassum exercitu. Oppida Pomeraniæ modicis præsidiis insessa, nulla subsidiorum spe. Cives animis agros, ac dominatum Svecicum pertæsos, incumbente insuper omnium rerum inopia. Hac invasione quoque Sveco facultatem alendi, ac supplendi exercitum detrahi. Posse demum hac via Electorem ad recuperandam Pomeraniam pertingere. Quod si alicui ex Imperii Ordinibus hoc bello molestia facessenda sit, Cæsarem id facile excusaturum. Denique vix aliam rationem adparere Sveco infinita bellandi prurigine laboranti ad pacem compellendo.*

Rationes dissuadentes.

§. 19. Enimvero non obstantibus hisce per conditionem præsentium temporum haut consultum videri tale quid suscipere. *Neque enim justam causam bello movendo sufficere; sed & considerandum, num id sapienter, & gloriose possit geri; quid Ordinibus Imperii, aut vicinis affectuum, aut suspicionum sit oriturum; num belli finem brevi expectare liceat; an id exigente necessitate continuari queat; quid denique lucri, aut damni inde proventurum? Sane cum astuto, & acri hoste negotium esse, qui rebus suis speciosum colorem circumponere calleat, ac apud multos adplausum inveniat. Esse quoque in Pomerania validas urbes à mari pendentes, quibus in Sveciam ob sua commercia respiciendum, quamdiu hæc mari potens sit. Aperta agrorum, & minuta oppida à Sveco parum curari, si majora servasse detur. Svecum porro hac ausa apud omnes suspecta, atque exosa reddere laboraturum, velut pacem Westphalicam manifeste infringentia, cui Ordines Imperii, & Gallus ad evictionem præstandam, teneantur, avidus Germaniam invadere, ubi ex eo lucri quid perspiciat. Ita totam Germaniam novis turbis involvendam, quarum invidia in Electorem sit redundatura. Enimvero nec rationes sat idoneas esse, quare Elector Svecis bellum in Germania faciat. Damna per copiarum transitus olim data Mariæburgensi pacto condonata; post quod transire non sit illicitum, nisi quantum per injuriam damnum detur. Wurtzii transitu nuper Electoris terras nonnihil damni passas; aliquid tamen eum solvisse, & reliquum amica via peti posse. Et quis ob aliquot unciarum millia bellum moveat, cujus finis prospici nequeat? A Rege quoque navem Colbergensem abreptam, sed ejus æstimationem offerri. Si obtendatur ista in Dani gratiam fieri, id neque Ordines Imperii ab auxilio Svecis ferendo inhibiturum, nec Germaniam novo bello exemturum. E Pomerania nil emolumenti accessurum, ni munita oppida expugnentur; quod si non spe superius, saltem anceps esse. Nec minus dubium, cives à Svecia defecturos: qui potius extrema omnia expectare malint, quam Pontificiorum dominatum iterum subire. Tum Svecum primores civium ita sibi obstrinxisse, ut de eorum fide satis certus sit. Experientia constare, quomodo anno hujus seculi tricesimo septimo, & octavo fœderatis expeditio in Pomeraniam successerit. Svecis tunc nullum superfuisse in campo exercitum. Banerium cum quatuor millibus ad oram maritimam se tenuisse. Contra fœderatorum septuaginta millia sub triginta Ducibus Pomeraniæ infusa; quibus & ab Ordinibus Imperii nil metuendum fuerit. Nec eo secius istos re infecta, incassum consumto exercitu discessisse, ex quo tempore neque Saxoni, neque Electoris parenti copias suas reparare datum fuerit. Et quanquam ponamus, in præsens rem majori dexteritate gestum iri; persistere tamen inopiam annonæ, difficultatem munita oppida expugnandi, odia civium in Pontificias partes, periculum ex abrupta Imperii pace Electoris ditionibus imminens. Neque vero Ulteriori Pomeraniæ tantum, & Marchiæ continua amicorum juxta, & hostium itinera toleranda; sed & reliquas Electoris ditiones periclitaturas; quibus omnibus succurrere admodum difficile futurum sit. Nam si Neoburgicus Cliviam, Brunsvicensis Halberstadium, & Mindam, Saxo Magdeburgum invadant obtentu evictionis Sveco præstandæ, manente insuper in Borussia bello; quæ ratio hisce repellendis Gallico auxilio suffultis? A Cæsare porro hanc expeditionem urgeri eo duntaxat fine, ut ditiones suas hibernorum onere liberet, ac copiis suis aliunde hospitia, atque supplementa paret; quibus in præsens uti nesciat, postquam Sigismundi Austriaci destinata in Alsatiam pace inter Gallos, & Hispanos facta incassum ceciderunt. Tum ut Electorem arctius sibi innectat, & Protestantibus adeo exosum reddat, quo plane ab Austriacis pendere ipsi necessum sit; simul Protestantium vires, inter quos ille Potentissimus frangantur, & ex usu Pontificiæ factionis Germania iterum bello exerceatur. Et cur Cæsareos hanc expeditionem nunc tantopere urgere, in quam initio consentire noluerant, ac omnem ejusdem invidiam in solum Electorem derivatum eant? Atqui conscientiæ suæ nunquam adprobaturum Electorem, si etiam obliqua ratione ad opprimendos Protestantes operam navet, ac in solius Cæsaris gratiam novi belli incendium in Germania excitet. Quod si porro Fœderati, omisso in Danicas insulas penetrandi studio retrovertant, sua expeditione Dano nil eosdem levamenti attulisse. Svecis quoque in proclivi fore istas terras recuperare, & copiis suis inde firmatis destinata sua adversus Daniam persequi, ac post hanc subjugatam etiam Borussiam, & alias regiones opprimere. Sed si captæ semel sententiæ inhæreatur, ac Svecus intra insulas inclusus teneatur, Dani con-* 1659.

1659. *constantiam firmari, & Sveco occasionem augendi copias adimi, forte & pluribus cladibus afficiendo; cui è Svecia, aliisque suis provinciis, ipsaque Germania, si pax perstet, parum subsidiorum expectandum. Non deesse adhuc annonam in Jutia, si recte dispensetur. Contra suscepta in Pomeraniam irruptione, aperto provinciam brevi exhaustum iri. Ac si Electoris ditio incursionibus hostium non sit exponenda, fœderatorum copias per eandem in hibernis disponendas, exiguo provincialium solatio, si non ab hoste, sed amicis comedantur. Contra hac expeditione omissa Electoris provincias quietas, & salvas manere; quas quare tam atroci bello involvere placeat, cum nil nisi pax quæratur? Hanc autem jam antea sat difficulter procedere ob tam multorum diversos respectus, sibi mutuo obstantes: novo bello accedente eam longe intricatiorem fore, ac moram ei imputatum iri, qui belli flammam in Germaniam pertraxerit. Frustra jactari; Electorem à Cæsare indemnem præstandum, simul ab eodem loca colligendis, & supplendis militibus exhibenda. Nam neque id Electori profuturum, idemque ejus fastigio, ac juribus, quæ cum reliquis Ordinibus communia habet, repugnaturum; quin Cæsari nec voluntatem, nec facultatem fore promissa sua servandi. Ista quippe Cæsaris promissa in se nulla esse, cui per leges citra consensum Ordinum bellum suscipere haut licet; ac in talia conantem omnes Ordines insurrecturos, quibus ut Elector ad tuenda sua jura sese adjungat, necessum sit futurum; eaque Cæsarem sat habiturum, si se ipsum adversus Imperium indemnem præstet. Neminem quoque Electorum, atque Ordinum eam Cæsaris potestatem agnoscere, ut huic integrum sit in causa, ex qua toti Imperio periculum provenire possit, ulli Ordinum invito quid injungere; nec ejusmodi Cæsaris jussa ulli ad excusationem sufficere. Sed nec Cæsarem ulla loca in Imperio contrahendo, aut supplendo militi assignare posse, nisi vi; eoque parum tutos fore, qui militi conducendo vacaturi sint. Denique nec promissis staturum, si ex iis onus aliquod in ditiones suas hæreditarias redundaturum sit, quibus levandis ea ipsa expeditio in Pomeraniam urgeatur. Nec incognitum Electori, quam divites Austriaci pollicitis fuerint, quo tempore ipsius auxilio indigebant; voto suo potitos longa istorum oblivia subiisse. Valde quoque anceps esse Electorem hac expeditione Pomeraniam recuperaturum, quam volens in alium transtulit, & cujus pretium recepit: nec ut istud tentetur idoneam in præsens causam adesse, incertis adhuc, quæ à Sveco metuuntur. Ac si Svecus in posterum pacem turbet, non defore vires eidem compescendo. Denique per hanc invasionem pacem difficiliorem reddi, sive Elector Pomerania potiatur, seu minus. Nam priori casu Svecum nunquam cogi posse, ut ea provincia cedat, sed satius habiturum aliquandiu in Sveciam se recipere, causa belli adversus Electorem sibi reservata, sic ut huic semper in ancipiti agendum sit. Forte & qui olim Magdeburgum, Halberstadium, & Mindam affectarunt, veteres actiones instauraturos, jactato; recepta Pomerania, quæ ei pensandæ data sint, exspirare, ac suum ad istas jus reviviscere. Sed Pomerania non capta Svecos gravem damni pensationem exacturos, solius Electoris jactura exsolvendam.*

§. 20. Adversus ista tamen Hoverbequius, & Somnicius excipiebant: *Hac irruptione non novum bellum in Imperio moveri, sed Holsaticam expeditionem duntaxat continuari. Unde culpam ruptæ pacis illi imputandam, qui post Roschildensem pacem Holsatiam, Imperii utique provinciam, invasit. Nec disparia sentire fœderis Rhenani consortes, qui Pomeraniæ tutelam eo fœdere excluserint, nec pacem à Cæsare, aut Electore motis in Holsatiam armis abruptam arguerint. Equidem diversas esse provincias Holsatiam, & Pomeraniam: sed qui in una bellum movet, in altera quoque impeti posse: & qui hostem se profiteatur, in ejus bona, subditosque læso armis agere licitum, quocunque pertingere detur. Neque vero semel abrupta pace bello alterum aggredi illicitum esse. Nam Cæsarem, & Electorem à Sveco publicis scriptis coram illustribus Ordinum Consessibus atrociter læsos. Ab eodem contra leges publicas in Imperio copias collectas ad opprimendam Germaniæ provinciam Holsatiam, & sub jugum redigendos vicinos: iis copiis hinc inde captatis complures Imperii provincias afflictas, nulla reparandi damni voluntate: ad Loecknitzam expugnandam jussa data; publice minas jactatas, de Cæsare, & Electore vindictam sumendam ob violatam ab ipsis pacem. Cum etiam quidam Germaniæ Principes ejusmodi vim injustam fulciant, ac pro ejus provinciis tuendis fœderi se obstringant, nil præsidii adversus hunc superesse, quam in propriis, ac sociorum armis, queis imminens vis injusta prævertatur. Igitur isthæc arma neque juri gentium, neque legibus Imperii, ac paci Westphalicæ repugnare, ubi in his præscriptum defensionis remedium cessat, & Sveco pro libidine in Germania grassari permittitur. Equidem nondum totius Imperii auxilium fuisse imploratum. Sed cum plerique Electorum non nisi in legationem consentire voluerint, alii Ordinum fœdus cum Svecis ferierint, Deputati etiam Francofurtani magis pro Svecis, quam aliis Imperii Principibus nitantur; facile judicari posse, quid ab Ordinibus sit expectandum. Eoque ubi in legibus publicis nil præsidii sit, quamvis rationem suæ salutis expediendæ licitam habendam. Ast ubi arma in Svecos justa sint, nec Gallum, nec alios ex obligatione præstandæ pacis hisce ad ferendum auxilium teneri. Etsi cum etiam præter jus istud fieri possit, non immerito, antequam tam arduum negotium suscipiatur, expendendum, quomodo Gallus, & alii ab auxilio Svecis ferendo sint avertendi, aut si non absistant, qua ratione iisdem occurrendum. Porro turbas & alia incommoda etiam è justissimis bellis oriri, quorum culpam illis impingere nequeas, qui justa arma gerunt. Quod si & Ordines arma sua in Svecos nostris jungant, facile prohibitum iri, ne hoc incendium late diffundi queat. Sed si Svecorum partibus sese associent; in se aliosque malum ultro pertrahere. Quanquam & ratio iniri possit, ne id mali metuendum sit, & tamen à Svecorum oppressione tutis agere liceat. Porro munita Pomeraniæ oppida inexpugnabilia non esse, si rem dextre aggrediaris; ac Stetinenses, aliosque non parum in Electorem inclinare ferri. Respectum quoque Pontificii dominatus cessare, si administratio belli penes Electorem sit. Frustra adduci exemplum exercitus superiore bello in Pomerania destructi; cui ipsa moles exitii causa fuerit. Hic inopiam ibi adeo metuendam, agris ubique consitis;*

1659. Litera… nihi… sponde-tur.

1659. *stis; & prono Odera facilem subvectionem, modo provida dispensatio adhibeatur, sine qua etiam quantalibet copia facile dissipetur. Nec plus copiarum in Pomeraniam deducendum, quam quibus alendis facultas suppetat. Quæ super aliis, qui bello huic ingesturi se metuantur, mota sint, maximi utique momenti esse. Sed contra considerandum, Cæsari, & Electori esse exercitum triginta amplius bellatorum millibus constantem, sane haut spernendas vires: ac si istis partibus auxiliares accedant, eos his quoque non defore. Si Gallus Sveco societur, Cæsarem, & socios ab Hispano haut deserendos. Si Protestantes in favorem Sveciæ uniantur, Catholicos Præsules, & Bavarum haut dormitaturos; ac ad Cliviam vindicandam Saxonem ægre arma sumturum. Tum nec Polonos Borussiam, nec Belgas Cliviam deserturos. Forte & Moscum denuo Svecis immitti posse. Et si cui ex Ordinibus manus nimium in arma pruriant, non defore occasionem eidem negotium domi facessendi. Equidem Electoris terris multum mali exhauriendum: Sed quod eo diuturnius futurum sit, quo diutius Svecorum libidini indulgeatur; ac graviora imminere, si Pomerania Svecis quieta relinquatur, concessa facultate bellum in istas devolvendi, quod ubi primum occasio arriserit, isti omissuri non sint. Quæ de Cæsaris scopo jactentur; eum qualiscunque sit sociis legem haut dare, nec semper res eidem se attemperare; ac Electori suas quoque rationes curæ fore. Duo extrema esse, Catholicorum Zelum, & Svecorum insolentiam. Illum ita cavendum, ut huic janua ne aperiatur: ubi ille semper respiciatur, hanc nunquam compressum iri; ac utrique prout sese exserit resistendum. In præsens à Svecis vim inferri, Catholicis quietis: igitur istis tota vi occurrendum. Cæsarem porro hac expeditione provincias suas sublevatum ire, invidendum non esse, si id absque fraude Electoris fiat. Quin injustum fore, uni sociorum omne onus imponere velle, nullo emolumento vel ex hostilibus terris petendo. Cum etiam hac invasione id tantum agatur, ut Sveciæ noceatur, provincialibus in Pomerania facile consuli posse. Præterea acrius hostem urgendum, si & destinatis in Fioniam insistatur, & ejusdem vires alibi distrahantur; ac si huic in suo negotium facessatur, oblivionem alienas terras invadendi subiturum. Fœderati autem ditionibus citra necessitatem incumbere, ac hostibus parcere, id forte hospicibus, non hostibus molestum esse. Equidem si commodior via esset hostibus nocendi, per quam bellum ad fines Electoris non pertrahatur, aut si cautum sit, istos aliquando opportuno sibi, nobis iniquo tempore haut erupturos, sane hac expeditione supersederi posse. Enimvero alibi rem gesturis longe graviora incommoda occurrere. In Borussia minus annonæ, quam in Pomerania, ac quo minus è Polonia subvectio fieri possit inopiam pecuniæ, & confusionem ibi rerum obstare. In Livoniam moturos nimium à finibus Germaniæ discedere. In Holsatia cum otioso exercitu subsistere inglorium, ac inutile. In Selandiam toto cum exercitu transiri non posse, unde in Germaniam reditus ab alieno arbitrio dependeat, cum Electori propria classis non sit; nec universis copiis ibi opus esse. Quod si solus Cæsar in Pomerania rem gerat, ac pedem ibi figat, anceps id admodum Electori juxta, ac Polonis fore; ac Stetinum arcis vicem subire posse utrisque premendis. Quo acrius autem hostis invaditur, eo citius pacem, eamque tanto honestiorem secuturam. Cæsaris quoque autoritatem utique plurimum facere ad Electorem indemnem præstandum, inprimis cum hic ad vim injustam coercendam arma arripuerit. Postquam etiam Svecus bellum orsus sit, ac plurimum damni, contumeliæque Electori intulerit, justum esse Pomeraniam, & alias provincias Svecicas invadi, ac ex iis pensationem damni repeti. Sane istum professum Electoris hostem, ac atrocia minatum, adversariis ubi facultas sit intolerandum, ac minas repræsentare promtum, quem nec induciæ, nec recens inita pax cohibeat. Sane quo tempore Svecus expeditionem in Poloniam adparabat, Electorem de eo nil infesti suspiciatum, amicissimis ab eodem pollicitis oneratum. Sed mox audire coactum, ipsum non aliter quam reliqua Poloniæ membra haberi posse. Quis igitur degener metus obstet, quo minus dum occasio arridet compescatur, ac frangatur tam infensus hostis? Denique optandum quam maxime fore, ut Elector Pomerania potiatur; nec deforeviam superandis difficultatibus inde orituris: saltem hoc pretio pacem valde honestam stipulari in promtu fore. Ac si nunc ea occupetur, alio quam successionis titulo possidendam, quo eadem ante Instrumentum Pacis ad Electorem spectabat. Nam in præsens eam nomine damni hoc bello percepti peti posse; quod antequam reparatum sit, neminem quid actionis in Halberstadium, Mindam, aut Magdeburgum movere posse. Sed si ideo Svecus bello lædi omittatur, quod hic eo nomine ut sibi satisfiat aliquando postulaturus sit, manibus in sinum demissis omnia per ignavam patientiam toleranda esse, quæcunque eidem inferre in mentem venerit.* 1659.

Elector tergiversatur.

§. 21. Has rationes in utramque partem adductas rite librare ita arduum erat, ut Electori tutissimum videretur omnia sibi integra servare, ac tempus extrahere, num alia via citra tam ancipitem aleam rebus suis consulere posset. Quamquam enim judicaret, à Sveco ruptæ in Germania pacis initium factum, & hunc è præsentibus difficultatibus eluctatum iras in ipsum effundere haut omissurum: retrahebant tamen tum aliæ causæ, tum imprimis Cæsareorum lentor, ac nulla disciplinæ militaris cura, & quod sibi gravissima invidia sit incubitura, si autorem se ejus expeditionis, bellique adeo per Germaniam diffundendi ferat; quod si utique suscipiendum foret, alienis auspiciis, ac alterius nomine gerere malebat. Etsi cum nullo modo consultum foret Cæsarem suo id nomine suscipere, ac eodem acquirenda sibi vindicare, in ejusdem partem sibi utique veniendum perspiciebat. Cum itaque Montecuculus subinde super ista expeditione moveret, Elector Bogislaum Somnicium Hafniam mittebat, Regi expositurum; *uti ipse nulli operæ pepercerit, quo in Fioniam penetraret: sed defectum navigiorum, & subtrahentes se negotio Belgas obstitisse. Et quia heic loci operæ pretium fieri nequeat, ni Belgæ alia consilia ceperint, ac Elector optet hostem alibi posse distrahi, quo Daniæ cervicibus avellatur: igitur levandæ Daniæ, ac promovendæ paci sibi expedire videri, si Rex à Montecuculo per literas petat ut is ex fœdere inter Cæsarem, ac se initio cum Cæsareis*

Electoris ad Daniæ Regem propositio.

5. Jul.

1659. *Cæsareis copiis per Silesiam hærentibus in Pomeraniam deductis Svecos invadere velit. Et quia Montecuculus sine dubio desideraturus sit, ut cum Cæsar socii duntaxat hoc bello partes agat, Rex hanc expeditionem suo nomine suscipiat, præbito eminente aliquo Duce cum copiarum parte, ut Rex utique in hoc petitum consentiat. Electorem tamen haut ideo Fioniam tentare omissurum, ubi quæ requiruntur præsto sint.* Addebatur, ut Rex per suos Bremensem provinciam, tenui nunc provisu, invaderet; communicato tamen prius cum Electore consilio, qui & ubi Rex par non fuerit, copias sit subministraturus. Enimvero ista plerisque Danorum parum arridebant, velut bellum extractura; ac malebant, cum conatus in Fioniam non succederet, ab Electore equitatum in Selandiam transportari: à qua re is vehementer abhorrebat. Id tamen utique requirebant, ne Cæsari pro suo lubitu id negotium suscipere permitteretur, ne is solus in Pomerania pedem figeret, utque adeo Electorales copiæ Cæsareis ibi junctæ forent. Alias enim se non minus Cæsarem, quam Svecum ibi vicinum horrere, hoc fortasse nocentiorem. Regi tamen, aliisque, etsi Pomeraniam invadi magnopere arrideret, nomen tamen suum ut ei expeditioni accommodaret, haut placebat. Unde Somnicio respondebat.

Daniæ Regis declaratio. 21. Jul. *Sibi noxium fore eam expeditionem suis auspiciis suscipi, ditione sua exhausta, & magnam partem ab hoste adhuc insessa: eoque magis sibi de pace cogitandum, quam ut altius sese bello immergat. Magnam quoque invidiam id sibi pariturum, velut pacem Germaniæ turbanti. Sed & fœderis Rhenani socios copias non procul ab Holsatia consistentes habere, qui avide occasionem arrepturi sint in hanc se conjiciendi, ac ubi ipse se moveat, statim obviam processuros. Quod si Electoris exercitus Danicis copiis subvenire velit, Svecos statim è Fionia tergo inhæsuros. Gallorum quoque numerosum exercitum in limite Germaniæ consistere, statim ditionibus Electoris incursurum. Quo casu Electori ad sua tuenda occurrendum, ipso deserto. Ita se in angustias redigendum, ingruente inde in Holsatiam novo hoste, heic gravius incubituris Svecis. Daniæ hac distractione parum consuli. In Pomerania multum esse munitorum oppidorum ac Svecis facile fore vim hostium propulsasse: vel unius munitionis expugnationem multum temporis consumturam, nec Svecos ideo exercitum suum insulis amoturos. Cæsareis quoque plus curæ in Pomerania fore copias suas conservare, quam urbes expugnare: qui & toto tempore, quo in Polonia egerint, nil præter Thorunium idque ægre nec sine magno labore ceperint, interim eo Regno ob dissolutam disciplinam misere vastato. Unde satius fore copias in Selandiam transportari, quo Hafniæ à diuturno obsidio respirare detur.* Sed cum Somnicius graves rationes adduxisset, quare id fieri non possit; Rex demum respondebat: *gratum sibi esse distractionem Svecorum in Pomerania suscipi; sed nihil se copiarum præbere posse ante solutum Nascoviæ obsidium, quod nunc agitetur.* Trampe. *Ac contentos fore fœderatos, si unica Trampii legio ipsos in Pomeraniam comitetur.* Pari modo & Poloniæ Rex eam expeditionem laudabat velut unicam viam Svecis in ordinem redigendis, ac fonti velut belli obturando. Sed cum ostenderetur; Ordines Imperii credituros hoc modo pacem infringi, ac novi belli incendium excitari; utque ipse huic expeditioni nomen suum commodare velit; is longe id recusabat, velut plane à rationibus suis abhorrens; ac plus bellorum domi exhausisse, quam ut alieni se belli ducem profiteri deceat. Inter quæ Regina Christina non absurdi prætexti spem præbuerat, misso Viennam Santinello Comite, qui apud Cæsarem proponeret: *cum Carolus Gustavus conventam pensionem ducenties mille uncialium sibi non repræsentet, ac cum argenti inopia conflictari ipsam patiatur, Cæsar viginti militum millia sub Montecuculo Duce sibi commodaret; queis auceptis confidat eam se provinciam recuperaturam, multorum ibi in se studiis, qua dum vivat fruitura sit, ac se defuncta eam ad Imperium Germaniæ redituram.* Eo super negotio ad Residentem Cæsareum Sutamontium Romam scribebatur, ut Reginæ mentem penitius exploraret, quo solidiore fundamento incedi possit. Sed mox Regina Santinello mandaverat, ut ea propositione supersederet: qui magnopere de inconstantia Reginæ questus, ac pudore confusus propere Vienna in Italiam remeabat. Fantomius quoque Abbas referebat; *cum Romæ egisset Gniesnensi Archiepiscopo pallium allaturus, Christinam aliquoties ipsi ad se evocato de offensa sua in Carolum Gustavum testatam ob cœptum in Polonia intempestivum bellum, & gravia damna inde in Sveciam devoluta, addito; si Cæsar & Elector exercitum ipsi tradere velint, eum à se ipsa in Regem Carolum Gustavum ducendum, eripiendæ Pomeraniæ, & Bremæ, ea lege, ut ipsa dum viveret, earum proventibus frueretur; quæ post fata sua Imperio consolidanda sint.* Id se Legato Hispanico communicasse, sed qui negarit, *ob ejus inconstantiam, ac mox deflagrantes impetus istiusmodi dictis aliquid consiliorum superstrui posse.*

Reginæ Christinæ imp tus. Santinelli. Sutamontius. Fantomius.

§. 22. Ast Montecuculus ut Electoris cunctationem expugnaret, huic offerebat; *si de recuperanda Pomerania cogitationem suscipere velit, Cæsarem duodecim militum millia ipsi submissurum; ac utique opus esse istam expeditionem tentari.* Ad quæ Elector; *graves sibi causas esse, quare solicite procedat in negotio, è quo Domus suæ salus pendeat; ac satius fore ea destinata suspendi, quoad de mente Dani, ac Belgarum penitus perspectum fuerit. Interea deliberari posse, quantum copiarum in Jutia relinquendum sit, si utique in Pomeraniam abire placeat. In quod antequam ipse consentire possit, has sibi conditiones esse annuendas. Cum ditionum suarum tam multa bello perpessarum conditio non sufficiat citra alienum subsidium ulterius alendo exercitui, ut Cæsar durante hoc bello certam pecuniæ summam præbeat supplendis numeris, ac idonea biberna assignet:* 1. *tum ut apud Hispaniæ Regem annuum ipsi pecuniarium subsidium obtineat. Ut Cæsar caveat, si* 2. *negotio id male succedere contingat, ditionibus nil decerpendum, eoque nomine indemnem se præstandum. Idque monendum sibi fuisse, quod cum parens suus ad mortem usque partes Cæsaris secutus sit, ac sibi fides in eundem semper constiterit, haut eo minus se insalutato Pomerania Svecis oblata fuerit.*

Cæsar Electori expeditionem instat. 6. Jul. Conditiones ab Electore propositæ.

Cæsar

9. *Cæsar operam det, ut & alii Principes præter Bavarum, & Saxonem hoc negotium probent, neve alii* 1. *huic bello sese ingerant; simul Brunsvicenses, & Hassus ad alia consilia adducantur. Si ipse interim à Neoburgico in Clivia, aut alibi impetatur, Cæsar sibi subveniat, ac in Cliviça causa plus favoris, quam hactenus, Brandenburgicæ Domui exhibeat. Ac si Gallus in Svecorum gratiam fœderatorum vires distrahere instituat, Cæsar isti occurrat, non revocatis copiis Pomeranicæ expeditioni desti-*

5. *natis. Ut Cæsar annonam, quæ hostilis terra non sufficit, è ditionibus suis hæreditariis subvehi curet citra onus ditionum Electoralium; neu post occupatam Pomeraniam sibi nomine impensarum actionis quid moveat, sed illibatam ejus provinciæ pos-*

6. *sessionem sibi relinquat. Ut Cæsar delectus mili-*

7. *tum in suis ditionibus ipsi indulgeat. Tum ad absolutam usque expeditionem exercitum octo peditum, quatuor equitum millibus constantem adjunctis debitis machinis apud se relinquat, ante con-*

8. *fectum negotium haut avocandum. Ista si Cæsar promittat, ac Daniæ, & Poloniæ Reges nomen suum, ac exiguam quantumvis manum huic expeditioni accommodent, se quoque eidem accessurum.* Hæc postulata uti Montecuculus Cæsari diligenter commendaturum pollicebatur; ita ulterius disserebat: *Arduum esse id negotium, nec sine periculo, sed non tanto, quantum ab Electore jactetur. Id pro violatione pacis in Imperio haberi non posse, quod non nisi ad bellum eo citius extinguendum spectet. Ordinibus quoque Imperii caveri posse, quæ Svecis eripiantur restitutum iri, ubi hi aquam pacem admittere velint. Fœderatos etiam ad Rhenum Principes Pomeraniæ tutelam suo fœdere exclusisse, eoque satis innuisse, sese hanc invasionem haut curaturos. Polonos, & Danos eo constantius cammuni causæ adhæsuros. Cæsareis semper idoneum exercitum in promtu fore. Nunc cunctandum non esse. Super conditionibus ab Electore propositis nondum responsi quid allatum. Cæsari quoque inexpectatum fore, ab Electore scrupuli quid moveri circa id, quo oblato se magnopere istum obstringendum judicaverit. Cæterum quinque Germanorum, duo Polonorum millia in Jutia relinqui satis esse, qui Danis juncti Svecis pares sint. Polonum quoque duo equitum millia promisisse fulciendis in Pomerania destinatis.*

§. 23. Paulo post cum ulterius instaret Montecuculus, Elector istas difficultates proponebat: *Annon Sveci, diviso fœderatorum exercitu, occasionem nacturi sint heic manentes à reliquis intercludendi? Annon iidem, si quid de hisce destinatis subolverint, validam manum Stetino sint immissuri, quæ expugnationis spem plane adimat, aut saltem admodum difficilem reddat? Num auxilia Stetino immittenda impediri possint, nisi subactis prius Wollino, ac Usedomo insulis? Quomodo probiberi possit, ne præsidiarius Wismariæ, ac Demmini miles in Marchiam excurrere queat? Unde instrumentum bellicum, unde annonam sustentando exercitui petendam, quod Pomerania Svecica angustis limitibus circumscripta vix per bimestre sufficiat? Num præter hunc exercitum alius formari possit, quo Stetinum ex utroque latere oppugnari queat? Num in Silesia sit parata pontium materia, quibus opus futurum? Si denique Galli ansam arripiant in Germaniam irrumpendi, num* 1659. *Cæsari alius exercitus sit, istis opponendus?* Ad 9. quæ Montecuculus declarabat: *In Jutia exer-* Montecululi de- *citum decem millium adjunctis Danis relinqui posse, Svecis compescendis suffecturum, nisi hi omni-* claratio. *bus viribus contractis in continentem ex insulis* 15. Jul. *transeant. Sed eo casu Daniam plane liberandam,* 1. *ac hostis destinata turbanda. Qui & non ita raptim mare trajicere possit, quin heic remanentibus sat spatii sit futurum retro ad cæteros se recipiendi, quorum duo millia ad Albim consistere debeant communicationi tuendæ. Ne auxilia Stetino immittantur facile impediri posse, præmissa subito valida equitum manu. Wollinum, & Usedomum sine* 2. *navigiis occupari non posse; tentandum tamen, num per præcursores quid navigiorum intercipi* *queat, aut expectandum, quoad flumina gelu con-* 3. *stringantur. Ubi pedites locum ceperint, equites* 4. *hinc inde provinciam persultare posse incursionibus hostium arcendis. Instrumenti bellici Cæsarem nonnibil suppeditarum: reliqua ex Electoris arma-* *mentariis depromenda. Ad annonam curandam* 5. *Cæsarem quoque pro virili incubiturum; quod* 6. *onus tamen ei soli imponi haut debeat. In Silesia agere duodecim millia militum, sed recens conscriptorum, ac præsentibus obsidionibus magis ido-* 7. *neas. De pontibus videndum, ac Gartzium, atque Greiffenhagam in potestatem redigendam.* 8. *Denique vix præsumendum, Gallis curæ fore, quid armis ultra Albim geratur. Sed si isti utique in Ger-* 9. *maniam moturi sint, sane expeditionem in Pomeraniam non satis tutum fore. Quæstionem tamen esse: Si Pomerania in vasio omittatur, num Svecus si possit ideo fœderatorum ditiones haut aggressurus sit? Num qui Svecis super Pomerania cavere volunt, fœderatis quoque adversus Svecos cautionem præstituri sint? Ac si hac expeditione supersedeatur, annon universi Ordines ejusmodi cautionem poscendi sint? Tum si trajectus in Fioniam difficilis, expeditio in Pomeraniam haut consulta habetur, quid tunc suscipiendum? qua via hosti nocendum, Daniam sublevandam, ac armorum famam servandam? Ac demum unde heic annonam diuturnitati suffecturam petendam? ubi hiberna capessenda? Annon hac ratione unum omittatur, & alterum non fiat?* Ad ista Elector regerebat: *Svecis sat voluntatis esse ad fœderatos invadendos, sed vires deficere; ac quamdiu ipsi suos exercitus conservent, junctique maneant, istos haut temere quid ausuros, saltem parum applausus, ac nil aperti auxilii reperturos. Sed ubi iidem invadantur, non defore qui palam auxilia præstent. Ordinum porro studia in se tepida, præsertim contra Svecos, qui veterem favorem multis licet prave factis nondum decoxerint. Spem tamen esse, si istis invadendis abstineatur. Ordines debitam evictionem præstituros, ni expectare velint, eo nomine damni refusionem ab ipsis repeti. Et utique consultum videri super cautione repræsentanda illos monere, sive universos, seu missione ad singulos facta. De Fionia se nondum desperasse, modo sat navigiorum adducatur; ac sperare Belgas majore, studio causam amplexuros. Ac interim vel hoc solo hosti noceri, dum impeditur, ne in continentem transire possit. Disciplinam multum servandæ annonæ facturam. Quod si alias Montecuculus has difficultates superari posse*

1659. *posse judicet, & periculum à Gallia non immineat, malle se unum facere, & alterum non omittere.*

Cæsar eam expeditionem acrius urget.

§. 24. Ast Montecuculus ut Electorem pressius urgeret, istas quæstiones in medium adferebat: *Si Cæsari sat copiarum sit arcendæ Gallorum irruptioni, anne tunc iste Pomeranicam expeditionem probaturus sit, suis copiis ad eandem præbitis? Aut si solus Cæsar cum Polono istam* 18. Jul. *suscipere instituat, num id Electori probondum sit? Aut si eidem utique in Jutia rem gerere sedeat, an non consultum ducat copias supplere, quæ non parum imminutæ sint?* Quæ cum satis captiosæ viderentur, Elector responso ad eas declinando Cæsaris ad postulata sua declarationem exigebat, citra quam in re tanti momenti nil à 21. Jul. se statui possit. Ast paulo post Montecuculus significabat; Cæsarem misso cursore Electori denuntiari jussisse; *sibi necessarium videri* Suchev. *Suchium citra moram Pomeraniæ immittere ad intercipiendam Svecis messem; ac velle, ut Elector quas in Marchia habeat copias ei jungat, si exercitui, qui in Jutia sit, nil detrahi velit; simul majores machinas suppeditet. Conditiones ab Electore propositas plerasque ipso fœdere jam contineri: circa reliqua se facturum, quantum possit: & cum hæc expeditio Electoris emolumentum spectet, ipsum quoque eam probaturum, & pro virili ad eandem perficiendam connixurum.* Ad quæ Elector; *Quo curatius id negotium expendat, eo periculosius id suæ Domui videri, si idem male succedat. Unde laxæ ejusmodi declarationi adquiescere non posse; ac necessum esse, ut peculiariter Cæsar, ac Daniæ Rex sibi de indemnitate caveat.* Montecuculus contra: *amputaret moras Elector, ac Cæsaris fidem sequeretur; circa postulata facile conventum iri. Et quia oppida Pomeraniæ expugnanda Electoris milite sint insidenda, utique copias ipsius exercitui Cæsareo jungendas.* Paulo ante quoque legati Danici Christianus Schelius, Scheel. Ebersteinius Comes, Fridericus, & Detlevus Alefeldii apud Electorem institerant, ut brevi declaret, quid in Regis sui liberationem facturus sit ad extrema jam redacti, & si à sociis destituatur, facile ad noxias conditiones admittendas compellendi. His præsentibus consultatione habita Montecuculus differebat; *Cæsarem nunquam aliud spectasse, quam ut Daniam liberaret, ac eum ad finem plus jam profecturum fuisse, ni justa navigiorum copia defuisset. Unde eundem frangendo hosti copias suas in Silesia hærentes in Pomeraniam irrumpere jussisse; ac consistere Daniæ Regem, atque Electorem suum militem istis juncturos. In Jutia octo, aut decem militum millia relinqui posse; ac si Belgæ alia consilia ceperint, Fioniæ invadendæ facultatem non defore.* Ad hæc Elector: *Sibi non minus cordi esse omnia tentare servandæ Daniæ; ac prolixam voluntatem suam defectu navigiorum hactenus impeditam. Si adhuc eorum justus numerus contrahi possit, se denuo Fioniam omni alio respectu seposito tentaturum. Nec propositæ à Cæsare expeditioni in Pomeraniam repugnare; in quam tamen antequam ipse descendat, his scrupulis urgeri; Quod copiæ Silesiacæ ad rem cum fructu in Pomerania gerendam non sufficiant; ac si de præsenti exercitu illuc mitti debeat, eum hosti sustinendo imparem fore. Magnam quoque anni partem elapsam, & reliquam haut suffecturam ad aliquid summæ rerum inserviens efficiendum. Et cum Stetinum ante hiemem expugnari non possit, intersepta per Oderam subvectione exercitui fame laborandum, cui alendo Pomerania vix per bimestre sufficiat. Svecum quoque valde cupere Gallis, aliisque in Imperio plausibilem prætextum dari ipsius causa suscepta bellum in Germania excitandi. Denique communis pacis colloquia, quæ jam agitantur, hac expeditione disturbari. Prius quoque declaratione Cæsaris ad conditiones à se propositas opus esse. De cætero omnia facturum, quæ rationi congruant.* Ad quæ Danici Legati Cæsarem summis laudibus extolluere. *Ast cum perturbatione à se audiri, Electorem, qui hactenus tantum studium pro servanda Dania exhibuerit, nunc in diversa abire, nec hostem in eo loco, ubi maxime dolet, invadere velle. Nec deesse, quæ rationibus ab eodem allatis reponi queant. Nam exercitui in Jutia commode quid detrahi posse, quem & integrum annona deficiente inopia mox expulsura sit: ac reliquos facile hostem sustenturos. Ad rem gerendam tres adhuc menses superesse, quo spatio unus & alter insignis locus expugnari queat; intercepta quoque hostibus messe. Urbes Pomeraniæ tenui præsidio, ac annona instructas; nec esse, qua aliunde submitti queant. Ast fœderatorum exercitum totis late agris potiturum, uberi quoque per flumina subvectione. Quia etiam haut quaquam propositum sit pacem Germaniæ infringere, sed tantum Svecum ad æquas pacis leges compellere, Gallos, aut Principes Imperii huic negotio sese haut ingesturos; quibus & caveri possit, hæc instituta ad alium finem haut tendere. Neque vero promtiorem ad pacem viam esse, Sveco in infinitum bella extracturo, ni qua ipsi dolet, invadatur.* Repetebantur preces, ut hæc unica via arripiatur servandæ Daniæ, cui alias pessum eundum, aut qualemcunque rationem expediendæ salutis arripiendam. Addebat Montecuculus; rationes ab Electore adductas jam Viennæ ventilatas fuisse; sed quia diversum ibi decretum sit, indicio esse, Cæsarem ad hoc negotium gravioribus rationibus inductum. Electori quoque circa sua postulata abunde satisfactum iri. Elector etsi laxioribus ejusmodi pollicitis parum confideret; tamen cum consideraret, si de sua tergiversatione Hafniam referatur, magnam ibi perturbationem orituram, ac forte Regem accedentibus perversis Belgarum consiliis ad desperationem adigendum, ita responsum temperabat, ne proposita abnuisse videretur. Itaque Montecuculo reposuit: *si suæ rationes parum ponderosæ habeantur, haut quidquam se negotio repugnaturum; ac quæ ipse de suo conferri possit, haut defore. Id tantum temporis ad consultandum sibi poscere, quo Somnicius Hafnia redire possit; ac sperare interea responsum à Cæsare ad sua postulata allatum iri.* Sed Danicis legatis respondit: *Se cum Rege Daniæ bona fide agere, ac sperare, ei non improbatum iri, si ipse in causa, ex qua salus Domus suæ pendeat, à Cæsare sibi idonee caveri velit. Illi modo Montecuculum urgerent, ut nomine Cæsaris optatam declarationem ad postulata sua edat.* Sed Dani

longe

1659. longe acrius quam antea questi jactabant; *Ni Elector expeditionem simul suscipiat, Cæsareos pariter eam omissuros. Frustra quoque Fridericum Regem in quantamcunque constantiam sese obfirmare. Nam civibus post tot toleratas miserias spe hujus distractionis animos additos; quam ubi irritam intellexerint, eos Regem ad acceptandam, quam sequestres offerant, pacem coacturos.* Addebantur altius penetrantia: si fœderati rem gerere nolint, iniquum esse, miseras civium reliquias
Jul. ab horum milite comedi. Igitur Elector Danis formulam tradebat, quam subscribere ut Montecuculo persvaderent rogabat; quo istis suspicio adimeretur, velut ipse ad communem causam nihil conferre velit. Scripti argumentum erat: *Quia Cæsar judicet, servandæ Daniæ, ac communi paci obtinendæ nihil in præsens utilius esse, quam hostem sparsis per insulas viribus in Pomerania distrahere maligne instructa, ex qua iste hactenus Daniæ, ac Poloniæ bellum intulerit, suasque copias insigniter suppleverit; ac ipse in societatem ejus negotii invitatus sit, cujus tamen varias difficultates proposuerit: igitur à Montecuculo postulasse, ut de his ad Cæsarem referat, ejusque declarationem super iis obtineat; qui & tantisper, quoad Cæsarea declaratio adferatur, super iisdem hoc scripto caverit.* Enimvero Montecuculus eam formulam subscribere recusabat, non nisi laxioribus verbis confirmans. *Cæsaris declarationem sine dubio Electori satisfacturam.*
Jul. Ne tamen Daniæ Rex ista cunctatione offenderetur, velut quæ cum propositis à Somnicio parum quadrare videbatur, Marvvicius isti demonstrare jubebatur; *ab Electore non rem ipsam improbari, sed eum super modo, & tempore tantum nonnihil à Cæsareis dissentire, de quo adhuc diligenter consultetur. Considerandum quoque Regi, num ipse probare possit, è Cæsareorum voluntate maximam huic exercitui partem detrahi, ac tantillum relinqui, quod hosti repellendo non sufficiat; cui in proclivi sit futurum Jutia & Holsatia iterum potiri. Ipsos Cæsareos fateri, suas copias in Silesia expeditioni suscipiendæ impares, ni hic exercitus accedat. Cæterum omnia Daniæ bonum spectare, ac ut cum spe boni successus res suscipiatur, ac ne in molestias inutiles, ac periculum præter necessitatem ruatur. Tum & Electorem aliquot conditiones sibi à Cæsare stipulari voluisse, ad quas nondum responsi quid allatum sit. Haut sane placiturum Regi, ut Elector in præmium fidei infortunio mactetur, ignominia insuper coopertus, si cæptum opus infectum sit relinquendum. Equidem optasse Electorem isthanc distractionem, de qua & per Somnicium proposuerit; sed quo tempore Cæsarei asseverarint, sibi in Silesia validas copias esse, quibus solis eam expeditionem suscepturos se confidant.* Sed & Poloniæ Regi significabat Elector, *se Cæsari per Marchiam transitum petenti negare non potuisse, certis tamen conditionibus propositis, inter quas sit, ut hæc expeditio Poloniæ, ac Daniæ nomine geratur, quo ea facilius Imperii Ordinibus excusari possit.* Eoque legati apud Regem Joannem Casimirum instarent, ut hic ab Electore hanc expeditionem suscipi petat. Nec esse, quod is eo nomine molestiæ quid ex Imperio metuat, ubi multi Svecorum injusta arma hucusque foverint, omnes toleraverint. 1659.
Sed Poloni uti Svecis quantumcunque damni inferri optabant; ita omnia quæ pacem remorari videbantur, horrebant. Unde satis habebat Elector Polonis stimulos subdere, ut hac occasione Svecos in Borussia strenue premerent. Ad extremum igitur Elector Montecuculo declarabat; *si Cæsari decretum sit copias in Pomeraniam mittere, se iis transitum per suas terras haut negaturum. Quod si deinceps id negotium sibi ex usu deprehendat, ut & ipse manum eidem admoveat, sat temporis ad id faciendum superesse.* Ita censebat omnia sibi integra manere, ut pro re nata consilium capere posset; præsertim cum satis præviderit, Cæsarem in propositas à se conditiones haut consensurum. Simul Danicis legatis satisfacere cupiebat, qui cum sua postulata æqua judicarent, accusare ipsum non amplius poterant, velut ullum remedium servandæ Daniæ ab se neglectum esset. Revera autem Elector ab ista expeditione abhorrebat, quod jam anni tempus rebus gerendis idoneum magnam partem effluxisset, & Sveciæ Rex communi se paci pronum declarasset, cui hac irruptione remora injicienda videbatur.

§. 25. Enimvero Electori facultatem amplius deliberandi adimebat nuntius, Suchium jam cum exercitu per Marchiam alacriter in Pomeraniam tendere. Qua de re Elector apud Montecuculum non leviter querebatur; *tale quid se inscio, & non consentiente susceptum, & si secus res cadat, extra culpam se fore.* Tum ad Donam Comitem scribebat: *Sibi spem fuisse, eam expeditionem ob rationes à se allatas omissum, aut saltem dilatum iri, quod metuat, nii aliud per eam effectum iri, quam ut ipse novis turbis involvatur. Igitur tentaret, num Suchium ad iter in Silesiam relegendum permovere possit, in vulgus didito rumore, propositum ipsi fuisse in Poloniam tendere; sed quia id Polonis parum gratum fuerit, ac ipsi manum simul negotio admovere noluerint, mutata sententia retro vertisse. Sed ubi hisce nihil proficiatur, & Cæsarei jam eousque processerint, ut horum destinata Svecos fallere amplius nequeant, ad negotium ipse quoque simul incumberet, testatus, à se permitti non posse, ut hæc expeditio suscipiatur, ni ipse in ejus partem veniat. Tum Pomeranis confirmaret, neque Cæsareos, neque Polonos in ea provincia permansuros; sed omnia quæ occupanda sint loca Electorali milite insidenda. Ac ita ipse assumto quidquid ad manum sit milite & machinis ad bellum gerendum connitatur. Se quoque in Jutia consilium pro re nata capturum.* Consilio inde habito placebat: *negotium eousque processisse, ut Elector defugere non possit, quin eidem simul manum admoveat. Equidem optandum fuisse, ut per hanc adhuc hiemem in Germania nihil moveretur, omnibus interim probe dispositis, & successu tractationis Hafniensis expectato. Sed quia res non amplius sit integra, nec Electori medio esse liceat, ac Svecus hanc expeditionem non in Cæsare solum, sed & isto ulturus sit; haut quiescendum, & omni studio incolumitati ditionum invigilandum. Esse quidem id negotium maximi momenti: sed cum Elector ad idem impediendum omnem lapidem moverit,* di-

Cæsarei invito Electore expeditionem in Pomeraniam aggrediuntur. 5. Aug.

8. Aug.

1659. *divina id providentia committendum. Neque vero ulla ratione eidem tolerandum, à solo Cæsareo exercitu rem ibi geri. Ac ipsi Electori eodem abeundum, Pomeranis eo facilius ad deditionem compellendis.* Igitur Montecuculo denuntiatur: *Quanquam Elector speraverit, in hoc negotio ita proponi & citra ipsius consensum haut processum iri, inprimis cum ejusdem tantopere intersit, ac si alea secus cadat, de omnibus fortunis ipsi periclitandum sit; quia tamen Cæsarei jam Pomeraniam ingressi sint, eidem decretum Cæsari constanter adsistere; ac sperare hunc circa istius postulata ita responsurum, quo eidem extra solicitudinem agere liceat.* Inde placuit, majorem exercitus partem in Pomeraniam ducendam, ac ibi sine mora rem summa vi gerendam, dum Svecus adhuc in Dania distinetur. In Jutia nil militum relinquendum præter expeditam equitum manum ad tria millia, adjunctis quibusdam dimachis sub Sporkio, & Quastio Ducibus: simul à Polonis requirendum, ut & ipsi suorum aliquos heic relinquant. Cum Dano conveniendum, ut iste his copiis tantisper de annona prospiciat, ac ubi necessitas exigat, in paludstrem regionem iis receptum præbeat. A Daneis legatis requirebatur, ut omnia loca suo milite insideant, ac præcipue castellum ad Fridericiuddam: alias id sibi demoliendum quod pedites sibi abducendi sint. Tum si contingat, Daniæ Regem ad separatam pacem cogi, ut in Jutia remanentibus securitas, & receptus præstetur, Danis contra testantibus, Fridericum Regem nunquam peculiarem pacem amplexurum exclusis fœderatis; & nunquam ab ipso deserendos, qui tam generoso animo auxilia tulerint. In Bremensem provinciam haut placebat quid tentare, utut Sveci exercitis in Albi flumine hostilibus ansam præbuissent; præsertim cum isti duas naves bellicas in eo flumine haberent, quæ trajectum impedire possent. Ne Jutia jumentis nudaretur, decretum, ne discedentes plus boum in singulas cohortes, quam duodena capita abducerent.

Electoris ad Cæsarem litera. 8. Aug.

§. 26. Ea sententia cum staret, Elector ad Cæsarem literas dabat hoc argumento: *Sibi à Montecuculo propositum de expeditione in Pomeraniam, quam ipse præsenti rerum facie consultam haut judicaverit; ac si ea utique successura sit, certas conditiones sibi stipulatum. Ac sperasse quidem, in hoc negotio, quod se præcipue spectet, ac unde sibi suisque ditionibus maxima incommoda provenire queant, nil se inscio decretum, aut executioni datum iri: saltem ad proposita à se expetitum responsum prius dandum fuisse. Sed præter spem bis diebus nuntiatum, Suchium jam per Marchiam in Pomeraniam movisse, nec ad postulata sua quid responsi obtineri potuisse. Ex quo ipse in summas difficultates conjici queat, eoque sat causarum sibi sit istud negotium plane declinandi, ad quod neque ex fœdere cum Cæsare, neque cum Polono, aut Dano teneatur. Quia tamen fixum sibi sit Cæsari confidere, ejusque partes haut deserere, vicissim sperare, eidem conservationem ipsius ditionum cordi fore; eoque statuisse id negotium simul suscipere; ea tamen lege, ut quas proposuerit conditiones annuantur.* Addebatur, ut Cæsar Electores aliosque Ordines edoceat; hac expeditione non novum bellum, sed promtam pacis restitutionem quæri, eamque nemini fraudi fore. 1659.

§. 27. Nec minus super hisce destinatis ad Belgas scribebatur: *A se omnem lapidem fuisse motum huic expeditioni impediendæ, quamdiu ulla spes communis pacis fuerit. Sed quia Cæsari insuper habitis ipsius demonstrationibus eam suscipere placuerit, sibi quoque in eandem fuisse consentiendum; præcipue postquam adparuerit, Svecum jactato pacis vocabulo hactenus aliis illusisse, ac nil aliud quæsivisse, quam tempus trahere, ac singulos vicinorum opprimere. Sed & hactenus tot hostilia terris suis ab isto illata, ut dudum fas sibi fuerit ultionem eo nomine exigere. Et cum Cæsar per ipsius terras exercitum Pomeraniæ immiserit, se haut eo minus à Sveco oppugnandum fuisse, si maxime nullam hujus belli partem attigerit. Nil aliud autem à se quæri, quam æquam pacem; nec Belgis ansam inde sinistra suspicandi arripiendam. Tum ut debita ex fœdere anno 1655. inito sibi præstent, aut saltem pecuniario subsidio ipsum sublevent, si non velut ex fœdere, tamen prout par est fulciri eum, qui pro communi utilitate nititur.* Sed & Brunsvicensibus Ducibus, ac Landgravio Cassellano causas hujus expeditionis adprobare studebat Elector. *Cum Poloni, & Dani valde questi sint, è provinciis Germaniæ infestis se armis peti; simul Sveci ostentato pacis cupidine occasionem captent, unum post alterum subvertendi; sibi per fœdera cum dictis Regnis inita haut integrum fuisse eam expeditionem diutius impedire. Id quod isti eò minus improbaturi sint, quo contemtius à Sveco leges Imperii habeantur; qui & precibus Electorum, atque Ordinum locum haut dederit, & continuis vexationibus ea Regna ad hoc consilii decurrere subegerit, non veritus quoque Cæsarem tractatibus pacis excludere. Sibi quidem haut animum esse armis aliquid adquirere, aut patriam turbis involvere; sed duntaxat Svecos ad communem pacem amplectendam compellere. Apud Daniæ quoque Regem institisse, ne is arma in Bremensem provinciam transferat, utut Svecus ex eadem ipsi semper hostilia intulerit.* Addebatur; ne ipsi Svecis auxilium ferant, & alios volentes inhibeant, simul impediant, ne hi in Westphalia, & Inferiore Saxonia quid moveant. Et quia Brunsvicenses responsum ad eas literas differebant, 10. Sept. Elector Christophorum Cannenbergium Mindæ Gubernatorem ad eos mittebat, eadem propositurum. Cui Duces respondebant; se neutri partium accessuros, aut auxilium laturos. Simul ad Electorem mittebant Hardenbergium hortaturum, ut ratio ineiretur incendio restinguendo, antequam id Germaniam corripiat; præsertim cum Gallus Sveco evictionem præstiturus videatur, si hujus provinciæ Germanicæ impetantur. Quo casu & Hispani Austriacis defuturi non sint; ingentis incendii materiam præbituri. De cætero suum non esse de belli justitia pronuntiare. Elector censebat, ad pacem reducendam plurimum valiturum, si Sveco in os dicatur; nemini inexplebilem bellandi libidinem probari, quod omnes, quibuscum ipsi bellum est, nihil ad Sveciam perti-

Elector de hac expeditione Belgis significat; 12. Aug.

uti & Brunsvicensibus atque Cassellanis. 12. Aug.

Hardenberg.

1659. pertinens affectent, sed sua tantum tueri velint. Tum ut apud Gallum officia interponantur, ne is sese ingerat, sed circa pacem laboret; cum nemo sit, qui Sveco eripere quid cupiat. Brunsvicenses quoque censebant; utile fore, si Elector nomine ditionum suarum in Saxonia Inferiore, & Westphalia fœderi Rhenano subscribat. Sed Elector judicabat; prius sibi constare debere, num Gallo & Sveco id gratum sit futurum: nam alias ignominiosum fore, si isti se offerentem repudient. Tum è Cæsare prius cognoscendum, num illud ipsi probetur. Qui relatione ad ipsum facta respondit: *Potius eos Duces invitandos, ut fœderi inter se & Electorem accedere velint. Sed ut vel ipse, vel Elector Rhenano fœderi nomina dent, haut decere; cum eo nil aliud spectetur, quam distractio Ordinum, & ut Galli, Svecique destinata fulciantur. Ac eo ipso se istorum consilia probaturum, ac suas actiones injustitiæ damnaturum. Quin fœdus istud plane à rationibus suis, fœderatorumque abhorrere.* Elector quoque ad Moguntinum, Coloniensem, & Palatinum literas dabat eodem cum superioribus argumento; qui laxioribus verbis respondebant, re velut in medio relicta, nisi quod irruptionem in Bremensem agrum impeditam valde probarent. Contra Pomeraniæ Regimen literis ad Electorem Saxoniæ datis de Cæsaris invasione querebatur, simul Circuli auxilium exposcebat. Quod petitum Saxo ordinibus Circuli communicabat. *16. Sept.* Sed Cæsar Saxoni scribebat; *uti Svecus bellum non necessarium moverit nec ad pacem hactenus adduci potuerit. Et quia idem è Pomerania Poloniæ, Danieque infesta arma intulerit, ac Ferdinandi Cæsaris officium paci conciliandæ rejecerit, ac se fœderatis avulsum à pace excludere ausus sit, post pacatos alios armis invadendum: igitur instantibus sociis ad hoc sibi consilium fuisse descendendum, non ut terrarum quid adquirat, sed ut Svecum ad pacem compellat, quam is semper declinaturus sit, quamdiu ipsi liberum fuerit bellum per alienas terras trahere, suis immunibus. Ac sibi utique providendum, ne Svecus, ubi alibi se expedierit, Austriacas provincias invadat, ac divisos socios unum post alterum opprimat.* Unde petebat, ut Ordinibus Circuli sinistra suspicionum eximantur.

Expeditionis in Pomeraniam successus. 1. Aug.

§. 28 Ast Ludovicus Ratvicus Suchius Comes, cum per Novam Marchiam exercitum, qui quatuordecim millia bellatorum explere dicebatur, Pomeraniam versus duceret, de itinere suo Electori per literas significabat. Cui hic respondebat; *Sibi quidem spem fuisse, absque suo consensu ad istbac extrema processum haut iri, tanti momenti expeditione suscepta. Quia tamen ipsi jussa superiorum sequenda sint, se postulare, ut militem accurata disciplina contineat non per suam tantum ditionem, sed & per Svecicam, civium benevolentia concilianda.* *4. Aug.* Is porro in Svecicam provinciam penetrans primo Greiffenhagam oppidum nullo præsidio insessum occupavit, ac castello trans Oderam sito deditionem imperavit; cujus præfectus tamen per unum & alterum diem globis immissis magnam oppidi partem inflammabat, donec Suchius mille peditibus in insulam trajectis eundem ad castellum sine exceptione dedendum compelleret. *1659. 8. Aug.* Sed vicario cohortis, qui cum sedecim peditibus alterum castellum à vectigali dictum tuebatur, ut Stetinum discederet permissum. *11. Aug.* Parem sortem & ille vicarius cohortis subibat, qui Wildenbrucam tenebat. Inde Dammum invaditur, jam per equites Greiffenhaga præmissos eminus circumfusum, quod Cutierius tribunus natione Gallus tutabatur. *de la Coutiere.* Ei Suchius per literas deditionem imperabat, quibus inter alia exprimebatur; *15. Aug.* *sibi propositum id oppidum in potestatem nativi sui domini Electoris Brandenburgici redigere*: non modicæ invidiæ materiam, velut id bellum ad eripiendam Svecis Pomeraniam susceptum esset. Sed cum iste spretis minis strenue defensionem adornaret, vis admota fuit. Ac Burchardus Mullerus quidem Stetino per aggerem cum trecentis noctu progressus, castra Cæsareorum assultaturus, aberrantibus per tenebras à via militibus irritus fuit, pauculis duntaxat cæsis. Inde ab obsessoribus noctu assultus per quatuor horas datus, non sine Cæsareorum jactura, quo castellum exterius expugnatum fuit. *27. Aug.* Contra obsessi acri eruptione facta complures Cæsareorum occidunt, *5. Sept.* pertracto etiam in oppidum protribuno. Altera dehinc vice assultantes Cæsarei repulsi sunt, non paucis suorum amissis. Sed cum iidem mox castellum Dammensi lacui adsitum, per quod auxilia Stetino venire poterant, expugnassent, ac magna inde vi oppidum machinis quateretur, deditio demum facta his legibus, ut Svecicus, ac Finnonicus *7. Sept.* miles indigena Anclamum deduceretur; reliqui Cæsareorum cohortibus admixti. Interim *Dammum expugnatur;* Dammo Joannes Reichardus Starenbergius Comes cum mille equitibus, tribus peditum legionibus dimissus Cammino oppido præsidium imposuerat. Inde castella Divenoæ, & Suinæ fluminum ostiis adposita in potestatem redegerat. *Wolframstorf.* Tum erumpentem in se Woframsdorfium tribunum cum equitum manu, inque fugam conjectum intra Wollinum oppidum compulerat. *Braun.* Unde protinus Braunius præfectus suburbio ignem injecit, qui venti impetu dilatus ipsum oppidum corripuit, ejusque magnam partem cum annona, atque instrumento bellico absumsit, Cæsareis interim aliquoties incassum assultantibus. *ut & Wollinum, 27. Aug.* Sed demum summo mane vi in oppidum perruptum, ubi cæso præfecto aliisque, qui superfuerant ad quingentos captivorum sortem subiere. His actis Suchius ad Electorem scribebat; se insulam Wollinum cum cognomine oppido, quæ ad Electorem spectet, in debitum ipsius obsequium, ac possessionem redegisse.

Stetini obsidium 28. Sept.

§. 29. Expugnato Dammo Suchius exercitum Greiffenhagæ cis Oderam ducebat, ubi uno à Stetino milliari Christianus Albertus Dona Comes cum bis mille amplius peditibus Brandenburgicis, ac machinis isti conjungitur. Consultatione habita placuit Stetinum oppugnari, quod spes esset cives arma defendendæ urbi non arrepturos. Ac relatum fuerat, non plus quam duodecim militum centurias in urbe esse, ma-

1659. *cissim quoque postulata Montecuculo ante susceptam expeditionem tradita adprobaturum; simul subsidio pecuniario levaturum ad tolerandos belli sumtus, quod suæ ditiones diuturnitate onerum valde sint exhaustæ; præsertim cum is in solius Cæsaris gratiam hanc expeditionem susceperit, ac in eundem ob situm terrarum ex omnibus fœderatis plurimum damni redundet, hoste ubique è propinquo imminente.* Si objiciatur; *Cæsari jam antea sat onerum incumbere, nec Electorem talia in fœdere stipulatum, ac præsens bellum Pomeranicum ejus bono susceptum;* responderet; *Electorem non solum exercitum parasse, sed & ditionem ipsius continuis hostium juxta, amicorumque transitibus fere in solitudinem redactam, qualia Cæsaris provinciæ haut sint expertæ, multis modis alias quoque potiores. Et quanquam talia fœdere expresse non convenerint, Cæsarem tamen in universum teneri ad sublevandum fœderatum, ne is præstandis conventis impar reddatur. Sed nec per fœdus Berolini ictum Electorem obstrictum fuisse ad suscipiendam in Pomeraniam expeditionem; quin cum de ea proponeretur fideliter dissvasisse, nec unquam in eandem consensurum fuisse, ni fixum foret Cæsarem nunquam destituere. Eoque postquam Cæsar non expectato ipsius consensu exercitum Pomeraniæ immiserit, idque huic non modico præjudicio futurum esset, si Elector in hoc negotio ab eodem se disjunxisset, omni respectu, qui absterrere cœpto poterat, seposito, ac testandæ in Cæsarem fidei aperte in causam descendisse, expresse tamen testatum, spem à Montecuculo factam non aliter accipi, quam si jam à Cæsare in eam consensum foret. Denique id quidem in aprico esse, si Sveco tota Pomerania eripiatur, nemini ad eam potius jus quam Electori esse. Nec minus maximo id commodo Cæsari cedere, si tam potentem æmulum, ac perpetuum Domus Austriacæ insidiatorem amoliatur. Enimvero tam graves difficultates emergere, ac tam multos ei se negotio ingerere, ut ad plenam occupationem, aut quietam possessionem ejus terræ parum, aut nihil spei sit; ac alias haut prudentis esse, ob incertum lucrum certas fortunas aleæ exponere. Unde Electoris voto abunde satisfactum iri, si hac expeditione communis, eaque tuta pax obtineatur; reliqua divinæ providentiæ committi.* Adderet, *Gallos non antea solum Electori cautionem adversus Svecos, sed & annuam pensionem haut spernendam obtulisse, si repudiato Cæsaris fœdere armis abstinere velit; ac easdem adhuc conditiones patere. Alios quoque à societate Cæsaris absterrendos, si Electorem ita destitui viderint, qui omnia, quæ desiderari possint, pro Cæsare fecerit.* Demum si Cæsarei ad æqua descendere nolint, sine ambage declararet; è negato omni subsidio nil aliud Electorem colligere posse, quam Cæsari haut placere bellum ab isto continuari, eoque alibi incolumitatem suam eidem stabiliendam.

Viennæ parum proficitur. §. 32. Wreckius Viennam delatus post primam salutationem diu secretum colloquium obtinere non poterat, Porcia valetudinem, & negotiorum molem excusante. Ac constabat *3. Dec.* Aurspergium Principem Electoris fidem in dubium vocare; ac subinde ingerere, Cæsari causam esse, ut non magis istius, quam Svecorum potentiam gliscere patiatur; simul in eandem sententiam Porciam attractum ire. 1659. Etsi Aurspergius de ista se suspicione apud Casselanum legatum purgare nitebatur: *si quæ in consilio agantur publicare fas esset, facile adpariturum, non se, sed alios Electori adversari.* Post longas moras demum ad postulata Electoris laxioribus verbis responsum: *Cæsarem utut gravibus exhaustum sumtibus Electori summa pecuniæ pro re nata subventurum. Circa hospitia ejus militem cum Cæsareo pari sorte acturum. Eundem utcunque alea belli cadat indemnem præstandum. Quod si tamen conjunctis viribus res geri pergatur, spem esse Svecos eo redactum iri, ut de suo aliis satisfacere necessum habeant. Ut alii quoque Ordines hanc expeditionem probent, Cæsarem jam operam dedisse, & adhuc daturum. Electoris porro salutem ita Cæsari cordi esse, ut ad tuendas ejus ditiones nihil reliqui facturus sit. De annona Cæsari curæ fore. Circa reliqua fœdere jam conventum; nec Cæsari in animo esse aliquid terrarum hoc bello adquirere. Delectus militum permitti per Cæsareas provincias non posse, jam sat viris exhaustas, ac in Belgio, & Westphalia uberiorem militis copiam esse. Denique Cæsarem ad finem usque belli copias ad petitum numerum Electoralibus conjunctas habiturum.* De favore in Juliacensi causa nullum verbum. Cum de summa pecuniæ, quam Elector desideraret, quæreretur, Wreckius de centum quinquaginta millibus uncialibus annuis insinuabat. Cum idem super ea acrius instaret, responsum: Hannibalem Gonzagam ad Electorem legatum iturum, qui super ea re ulterius acturus sit. Neque enim ejusmodi grandes pecuniæ summas dari posse, nisi prævia conventione. Monebat quoque Wreckius, Gallum de invadenda Clivia minari. Cui Cæsar; se circa id impediendum diligenter laborare. Sed si Gallus quiescere nolit, sat sibi copiarum esse isti repellendo. Ac ipse Elector eo nomine ad Moguntinum & Coloniensem scribebat, ut Gallum ad quietem permoverent. *Nam hac via pacem non obtineri, quæ ultro secutura sit, si Gallus Svecum ad eam amplectendam serio hortetur. Ceterum reperturos Gallos, qui frontem ipsis obvertant; ac sedem belli in Principum Rheno adsitorum terris fore.*

§. 33. Dum ista in Pomerania geruntur, *In Dania circa pacem frustra satagitur.* Svecorum res per Daniam quoque in deterius ire cœperant, Belgis subinde magis in Svecum incitatis, qui dum initio pactum suum Hagense omnibus ex æquo invisum tueri laborant, neque ad bellum, neque ad pacem quidquam proficiebant. Sane uterque Regum ad idem acceptandum incassum urgebatur. Ac venie- *23. Jul.* bat quidem Hafniam Hugo Terlonus legatus Gallicus, Sveco plane mancipatus, qui atrocia spargebat Dano ad peculiarem tractationem compellendo, velut Anglica classis è Sveci nutu rem gestura sit, & hujus copiis ingentia supplementa accesserint. Qua vaniloquentia Daniæ Rex hautquidquam terrebatur. Sed Belgarum legati plane pallidi, & tantum non exanimati ad Regem accurrebant, rogantes, *ut Opdamum è mari revocet; alias Anglos*

1659. *glos hostilia sumturos, unde gravissima incommoda suæ Reip. sint oritura.* Ac Vogelsangius acriter cum Rege expostulare; *pacem ipsi utique amplectendam, ni cogi malit.* Cum Rex quæreret; *quis id facturus sit;* Belga reponebat. *Gallos, & Anglos.* Rex commotus; *neque hos, neque Belgas nec ipsum cacodæmonem sibi eam necessitatem impositurum; ac velle expectare, quis talia ausurus sit. Sibi quidem sat diu ab ipsis illusum, propter quos omnia toleraverit; ac diu meliore pace potiri potuisse, absque Belgis si fuisset. Si utique pereundum sit, honeste se periturum, nec unquam turpem ad pacem cogi se passurum. A nemine mortalium permotum se iri, quo minus promissa sua servet. Si ad pacem adornandam descendendum sit, id à se æque commode citra Belgarum operam administrandum, ac sibi facile cum Svecis conventurum.* Qua in sententia Regem Elector subinde confirmabat; *modo ne in separatam negotiationem consentiret; communi paci se juxta, Cæsaremque paratos esse.* Unde & cum 11. Aug. paulo post Belgici legati Dano denuntiarent; *Uter Regum intra quatuordecim dies formulam pacis à se, & Anglis conceptam non acceptarit, in eum ab utraque classe rem gerendam:* iste respondit: *si pereundum sibi sit, Belgas primos fore, quos in exitium secum tracturus sit.* Enimvero cum Angli, Belgæque eandem formulam Sveco offerrent, hic longe asperius, ac non sine minis eos exceperat, formula plane rejecta. Unde legati sequestres graviter offensi Daniæ Regem orabant; *eam formulam, & Hagense pactum saltem in speciem acceptaret, ut Svecus tanquam recusans declarari possit, sibique prætextus vi adversus eum agendi præbeatur.* Super quo Danus quid facto opus fœderatorum legatos consulebat, quod ex ea declaratione sibi ingens commodum, Svecis grave damnum maneat. Ad de Goes. quæ Goësius Baro, Cæsareus legatus; *neminem Regi vitio versurum, si locum, & delegatos nominet, Hagense pactum acceptet, modo subterfugium aliquod sibi reservet, ne si opus sit declarationi ita arcte inhærere necessum sit.* Idem & Polonus censebat, Marvvicio subtilitatem istam probare non auso. Ita Danus necessitatem excusans indeclinabilem, declarabat; *se locum & delegatos nuncupaturum, ac Hagense pactum admissurum;* simul delegatos extra urbem mittebat. Et cum fœderatorum legati peterent, *ne ipsi tractatibus excluderentur,* Rex sancte fidem dabat, *saltem Electoris mentionem in tractatu faciendam, cui an includi velit, penes ipsum esse.* Quo promisso tamen sibi haut satisfieri Marvvicius protestabatur. Haut eo minus missi à Dano Commissarii auspicandæ tractationi, qui oblatam à sequestribus pacis formulam pacto Hagensi congruam probabant. Repetito congressu cum eadem Svecis denuo offerretur, hi reponebant: *Si Dani soli eam obtulissent, à sequestribus simul haut præscriptam, se facile cum illis ad eandem disceptandam fuisse accessuros; sed quod sequestres eandem ipsis obtrudere velint, id à se ferri non posse.* Simul Belgas increpare, *quod sequestres se ingerant, cum hostes sint.* Inter quas disceptationes Montacutius cum Anglicana classe versus patriam vela faciens ingenti metu Belgas exsolvit, mirum quantum 1659. collisionem cum Anglis horrentes. Ita Belgæ statuerunt rem in Svecos mari, & trajectis in Fioniam fœderatorum copiis gerere, frigidam apud Ordines Generales suffundente Electore scriptis literis: 24. Aug. *Et si intellexerit ab Ordinibus sinistre acceptum, à se pactum Hagense haut idoneum remedium habitum reducendæ per Borealem tractum paci: credere tamen Ordinibus persvasum, se pro amicitiæ officio non nisi veritatis studio ductum. Quam & nunc ipse eventus comprobet, dum Svecus pacem, quantumvis sibi lucrosam, adspernatus sit, quod non ex asse dominatui, quem is meditatur, faveat; simul Belgarum legatos contra jus gentium contumeliose habuerit atrocibus minis jactatis, eousque affectuum impetu abreptus, ut tam potenti Reip. insultare haut sit veritus, quæ gloriosis facinoribus per integrum fere seculum ad summum fastigium enixa sit, postremis insuper tractatibus longe aliter de Svecis merita. Unde tandem aliquando consilia caperent dignitati, ac rationibus suæ Reip. quadrantia, & classem suam otia abrumpere juberent; quod & tam sæpe iteratis promissis Daniæ Regi, sibique confirmarint.* Ac sane isto facto Belgæ haut parum commoveri videbantur, ut jam non amplius dubitarent fœderatorum copias in Fioniam trajicere, Anglis insuper Svecorum duritia non parum offensis. Ac adparebat Joannem Wittium, ejusque factionem valde rationem fugisse, quod cum ausi essent tam intolerabili modo, ac citra exemplum velut pro imperio de salute Regum statuere, eosque ad nutus suos cogere; haut simul considerarint, qua ratione id commode effici posset; eoque cum sola classis ad id non sufficeret, demum utique ad fœderatorum copias recurrendum fuisse.

§. 34. Sic ergo irritati Belgæ amoto jam *Prælium in Fionia* classis Anglicanæ metu frangendæ Sveci pertinaciæ ejus copias Fionia expellere instituunt, ex qua facile bellum incontinentem iterum effundere licebat. Itaque Michaël Ruyterus cum Belgica classe Chilonium vectus Joannem *Schack.* Schackium cum Danicis copiis navibus recipit hasque in Fionia ad Cartemundam una cum Belgico pedite in terram exponit. Fœderati autem, ac Danorum equites sub Ebersteinio Comite fretum ad Mittelfartum nemine 14. Nov. obsistente transmittunt. Utrique dehinc Ottoniæ juncti recta Niburgum tendunt, quo sese Svecicæ copiæ receperant. Cum in aciem disponerentur copiæ Albertus Christophorus Quastius Electoralis Dux cum fœderatorum turmis dextrum cornu obtinebat, Danis, & Belgis in sinistro consistentibus. Inde Niburgum versus processum, ubi fœderati Svecos jam in aciem digestos reperiebant opportuno admodum loco, & machinis hostem propinquantem fulminantes. Heic emissi nostrorum præcursores, Polonique, & selectorum Germanorum trecenti cum Svecorum turmis velitari cœperunt, ut tamen Svecorum acies capto semel loco sese haut moveret. Unde Quastio spatium fuit suam aciem pro re nata digerendi, quoad & Schackius Danicas ac Belgicas legiones disposuisset. Acie fœde-

1659. deratorum rite disposita Quastius cum suo cornu intra commoda sibi loca consistentes Svecos aggressus acerrimam pugnam conseruit, Danis interim, & Belgis otiose spectantibus: quo in conflictu Quastius bis ventrem trajectus est. Demum postquam hic Svecos commoditate loci depulisset, isti quoque eruperunt, ac hostem jam fractum in fugam conjecerunt. Qui ferrum evaserant intra Niburgum se receperunt, postero die arbitrio victoris dedere se coacti. E toto ibi Svecorum exercitu nemo hostium se manibus subduxit, præter Philippum Palatinum Sulzbacensem, & Gustavum Ottonem Stenbockium, quos piscatoria cymba per mediam Belgarum classem tegentibus tenebris in Selandiam vexit. Josias Waldeccæ Comes, Henricus Hornius, Weierus summorum graduum Duces, cum undecim legionibus equestribus capti; pauci pedites è duobus millibus furenti ferro superfuerunt. Dum Quastius è vulneribus decumberet, Dani omnia hostium impedimenta sibi abripuerant. Electoralibus rata prædæ pars cessere viginti & unum signa equestria, unum dimacharum, & septem peditum vexilla; trecenti quinquaginta duo equites gregarii, præter captos ductores, quos inter præcipui erant Weierus summus vigiliarum præfectus,& Cunradus Christophorus Kœnigsmarckius tribunus. Svecorum ab initio sex millia fuere, è quibus duo millia cum Joachimo Bœttigero summo vigiliarum præfecto in acie cæsa. Quanquam & fœderatis ea victoria non pauco sanguine constitit.

Fœderatorum progressus sistuntur. §. 35. Cupiebant Dani hanc victoriam persequi, ac statim trajectis in Selandiam copiis perculsos ea clade Svecos urgere, antequam hi sese iterum confirmassent. Sed Ruyterus abnuebat, classem commeatu haut instructam excusans. Ac revera nolebant Belgæ Svecos nimium debilitari, ne Danus successu animosior pacem respueret, ac post nulla amplius via esset Svecis sublevatis rem ad æquilibrium retrahere. Sane Elector post eam victoriam, turbato etiam Angliæ Statu, acriter apud Belgas instabat, ut abdicato Hagensi pacto Dania plene in pristinam conditionem reponeretur, reddita quoque Scania; simul non parum indignatus, Petrum Julium Coyetum Legatum Svecicum Belgarum navi bellica in Batavos pervectum, velut insultandis fœderatis. Sed Joannes Wittius consiliis suis obnixus inhærebat: *Svecum quidem per duriora ad æquam pacem compellendum; sed suæ Reip. laborandum, ut è sumtuosissimo bello eluctetur. Nec per respectum Galliæ, & Angliæ sibi integrum esse compactum istud abrumpere, aut sine modo Svecos premere.* Ac revera sumtus illius belli Belgas valde urgebant non parum offensos, quod à Danis omnia onera in ipsos devolverentur non sine importunitate, velut sine fine & modo obligatos. Sed & querebatur Elector apud Belgas, Svecis liberum relinqui auxilia in Pomeraniam submittere nemine impediente; quo ipso sibi res in ea provincia difficiliores redduntur. Cujus rei culpam Belgæ in Regem Daniæ rejiciebant, velut cui imperium in ipsorum classem delatum foret, inam colore, cum ne ad preces quidem Regis Belgici Duces quid facerent, nisi id è Belgio sibi imperatum esset. Ac revera Dani juxta, Belgæque optabant, à Sveco copias in Pomeraniam trajici, quo eas è Dania amolirentur. Quin & sat sinistre isti de actionibus Electoris, & fœderatorum loquebantur; cum tamen hic Svecos tota Cimbria depulisset, multis millibus eorum destructis, sine dubio Fioniam quoque, & Selandiam recuperaturus, si Belgæ naves præstare voluissent. Ac sane prælio ad Niburgum fœderatorum equitatus insignem operam navarat, primo Svecorum impetu fracto. De actionibus porro in Pomerania modestius judicari par erat, si ejus regionis indoles cogitaretur. Importunis precibus subegerant Electorem Dani, ut relictis Jutiæ stativis in Pomeraniam moveret præcipitante æstate, ubi facile ratio subduci poterat, tempus anni, genium terræ urbibus & castellis munitis refertæ, & alimentorum inopiam haut permissuram tam validas munitiones subito impetu opprimi, sed solitis obsidionum ambagibus opus fore; ac ipsos in Dania sat illustre documentum cepisse, quantum unica urbs valeat. Complura tamen à fœderatis loca expugnata, hostibus hiberna, & facultatem supplendi exercitum in ea provincia ademtam; reliquas ibi munitiones terra clausas. A Wrangelio quoque castellum in Usedomo insula non sine suorum jactura expugnatum, iterum desertum. Cur autem ingruente hieme, & intumescentibus fluviis, aliisque causis urgentibus Stetini obsidium solutum sit, rationem satis constare. Quin & alibi Svecos satis in angustias redactos, Duglassio Curlandia pulso, & præsidiis Marizburgi atque Elbingæ non superfunctorie esurire incipientibus. Sed & Electori non parum molestum erat, Danos verba in diplomate pro legatis Svecicis posita cavillari, *omnia humanitatis, amicitiæ, & vicinitatis officia ipsis exhibitum iri*, velut reliquiæ veteris amicitiæ cum Svecis adhuc gliscerent. Sane enim inter colloquia de pace legatos extra hostilitatem poni, ac diplomatum formulam à sequestribus præscriptam, ac tantum non obtrusam; ob quam negotium pacis extrahi probandum non fuerat. Ac notorium esse, quo studio Elector circa Daniæ commoda apud Polonos nitatur. 1659. *Danorum iniqua judicia.*

§. 36. Eodem anno Svecorum in Borussia quoque res in deterius ruebant. Equidem sub initium anni expeditam manum bis mille octingentorum capitum contraxerat Wurtzius, Borussiæ raptim inducendam. Quod iter antequam is ingrederetur, viatico militem instruxerat, ut qua Electoris terræ transeundæ forent, pretio necessaria comparare possent. Simul gravi edicto molestiæ quid provincialibus inferri vetuerat. Inde per literas rectoribus Ulterioris Pomeraniæ denuntiarat; *innoxium à se, & provincialibus haut gravem transitum per Electoris terras sumendum: ac petere, ut & ipsi suis injungant, ne agmini Svecico propinquent, aut ejus iter impedire audeant; tum ferum transeuntibus* *Per Borussiam gesta.* 22. Jan.

1659. *bus præbeant.* Ast eo ipso die Rectores Pomeraniæ, qui de hac expeditione inaudiverant, per literas Wurtzium à transitu dehortabantur; *quod eum cuipiam indulgere, nisi mandante Electore, licitum haut sit; ac prius implenda, quæ leges publicæ requirant; protestati, alias pacem fractam visum iri.* *27. Jan.* Ad quas literas à Rectoribus Stetinensibus responsum: *innoxio transitu pacem non rumpi; nec Electorem in pacis leges peccasse videri voluisse, quando Polonos per Marchiam deducentibus suis Pomeraniæ immisit, ferro, flammaque vastandæ.* Reponebatur protestatio, si tantillam ob causam ab istis pax rupta haberetur. Ast interim Wurtzius iter raptim prosecutus fuerat, frustra mille Brandenburgicis equitibus insequentibus, ac extremum agmen carpere laborantibus. Ea manus Adolfo Joanni Palatino juncta præter quædam Pomerelliæ & Borussiæ Regiæ oppida Electorale quoque oppidum Mariævverderam, sex tantum peditibus insessam nemine repugnante occupavit. Cum eadem Risenburgum, & Hollandiam peteret, præsidiarii suburbiis incensis defensioni se parabant. *16. Febr.* Morungensis tamen arx oppugnata arbitrio Svecorum se dedidit; septuaginta equites, quadraginta dimachæ, qui intus erant, Svecorum turmis admisti. Ei arci, ut & Salfeldæ, ac Libstadio præsidium impositum. Preuschmarca incassum tentabatur, quod machinæ majores Svecis non essent. Qui & cum ille Cæsarei, totidem Poloni nostris auxilio venissent, in Regiam provinciam digressi Dirschaviam oppugnabant. Circa quam dum Sveci satagunt, nostri Libstadium invadunt, quod Armfeldius subtribunus strenue propugnabat, ut jactis ignibus cogendus esset, quibus oppidum, & arx conflagravit, non paucis quoque hominibus flamma pereuntibus. Ita iste citra pactionem dedere se compulsus est cum præfecto vigilum, aliquot centurionibus, & centum quadraginta gregariis. Accessere octo pedestria, duo equestria signa, duæque machinæ. *27. Maii.* Morungam post Sveci ultro deservere. Fœderati dehinc contracta bis mille septingentorum equitum manu castra Svecorum, emissis catervis exhausta, subito invadunt, ac imparatis ingruunt, plerisque equis in gramine vagantibus. Itaque hi non tentata pugna pars Elbingam, alii proximum castellum versus se proripiunt. Legio prætoria Adolfi Joannis Ducis plane ibi deleta; ipse tribunus Andersonius graviter sauciatus, centum triginta equites, plures equi cum octo machinis, & quibusdam impedimentis capti. Inde à fœderatis corrumpendæ messi per majorem, & minorem insulam opera dabatur, ut Elbingæ, ac Marizburgo famem facerent, quæ duo oppida post expugnatum Graudentum, Hauptum, & Strasburgum sola Svecis in Borussia restabant. Ex his postremum cum deditionem fecisset, præsidiarii à Lubomirscio sibi stipulati fuerant, ut Elbingam deducerentur: sed qui dum Electoris provinciam venia non petita transeunt Risenburgi, jussu Bogislai Radzivilii intercepti in captivitatem rediguntur;

Ander-son.

Præsidium Strasburgense in itinere intercipitur.

1659. Polonis graviter indignantibus velut fide sua contumeliose habita, ac in quædam Electoris loca hostili modo grassantibus. Eo super facto Elector ad Joannem Casimirum Regem literas dabat, ac idem rationi, gentium juri, ac pactis, quæ sibi cum Polonia intercedant congruere demonstrabat. *Nam aperto sibi cum Svecis bello istos ubicunque in sua terra deprehenderit, invadere fas fuisse. Officium quoque erga fœderatos requirere, ne occasio noxæ hosti inferendæ omittatur. Eoque sibi ferendum non fuisse, non spernendam hostium manum se insalutato nec significatione facta, ad hostile præsidium iter affectare circa quod debilitandum à se quam maxime opera detur. Pactis etiam super transitu copiarum cautum, ut si inevitabilis necessitas eo per alterius terras uti cogat, is non nisi prævia requisitione institui debeat, accurata quoque disciplina inter milites servata. Id si à Polonis faciendum sit, quando proprias copias traducere velint; quo magis id præsenti casu fieri necessum fuisse? Uti igitur Rex suis ministris super Electoris ditionibus disponendi facultatem dare non potuerit, nec probaturus sit, ab his proprio ausu, nulla cum Electore, ejusve ministris facta communicatione, hostibus transitum per hujus ditiones indultum: ita Sveci sibi imputarent, quod securitati suæ non melius prospexerint, nec consensum Electoris ad iter suum petierint, capta insuper alia via, quam cum Polonis convenerat, & multa in itinere licentia, etiam ad templorum effractionem progressa.* Declarabat tamen Elector; si pacto deditionis expressum sit, ut per ipsius ditionem Elbingam tendant, ac eodem pacto sui decens mentio facta sit, illos à se dimittendos; sed quorum neutrum in pacto comparebat. Demum agnoscebat Joannes Casimirus, *in hoc negotio non accurate, sed Polonico more actum. Sed inter amicos non omnia ad unguem resecanda, præcipue cum iste primus actus sit, nec ex eo præsumendum, Polonos inde aliquod jus possessionis extruere in animo habuisse. Ac si Elector utique credidisset, servando suo juri id dissimulari non debuisse ad tempus eos detineri potuisse, accepta cautione dimittendos, non cohortibus admiscendos.* Sed reponebatur; *neminem Regi imputaturum, quod pacta non servarit, sed Svecico præfecto, quod in pacto strictissimi juris sibi satis non prospexerit.* In gratiam tamen Regis præfecti non velut ex debito dimissi, detentis gregariis, quos una cum vexillis ad finem usque tractatuum Sveci reposcebant, nostris, ista ad tractatus pacis haut pertinere, excipientibus.

§. 37. Cum in Borussia nil amplius periculi à Svecis foret, Radzivilius Schonaichium, & Polentium tribunos cum equitum ac dimacharum manu, in Curlandiam misit ad rem in Duglassium gerendam. Hi Polonis juncti præter multas excursiones, quibus non paucos Svecorum attriverunt, circa Goldingam arcem fame subigendam laborarunt. Ubi ad extremum Sveci honestas deditionis leges stipulabantur, sed quæ his arce digressis servatæ non sunt, mille quingentis, qui excesserant, una cum præfectis ad captivorum sortem redactis. Prætextum dicebatur, quod præter rationem obsidium extraxissent, nec ipsi accurate con-

Per Curlandiam gesta.

1659. ventis ftetiffent. Ac folet vel exigua caufa ad itolationem ejusmodi pactorum idonea haberi, ubi hoftis contemni cœperit. Electorales ratam prædæ partem accipiebant duas machinas, feptem peditum, fex equitum vexilla, triginta præfectos, & centum triginta gregarios. Poft & Schonaichio caftellum ad Libaviam quinquaginta peditibus cuftoditum fefe dedebat. Inde idem Grubino obfidium circumponebat, quo & è Boruffia ipfe Radzivilius cum peditum manu, & aliquot machinis accedebat; qui & mox eam arcem pactione in poteftatem redegit. Sic ut Svecis fub finem anni in ea provincia præter Mitaviæ arcem, & Bautfcham nil fupereffet.

Cum Mofco acta. 2. Jan. §. 39. Ad Mofcorum Principem Elector initio anni literas dabat hoc argumento: *Svecos paffim diffeminare, fibi fuper pace cum ipfo propediem conventurum. Nec dubium, quin ifti Mofcorum potentiæ impares horum amicitiam affectent, quod tam multos offenderint, quibus pariter refiftere nequeant; eoque feparatis tractatibus hoftes fuos dividere ftudeant, quo fingulos tanto acrius premere poffint. Sed cum Czari aftutia Svecorum fatis cognita fit, & quod hi non nifi occafionem aucupentur ifti vindictam reponendi; fibi vero, fociisque fixum fedeat cum Sveco non nifi pacem omnes complexam inire: fe optare, ut Czar quoque non nifi communi tractatu cum Sveco transfigat. Quam in rem, uti & componendo inter ipfum, & Polonos diffidio, operam fuam offerat.* Addebantur querelæ fuper injuriis Curlandiæ Duci à Sveco illatis, quarum prætextus fuerit, *quod Dux Mofcis Rigam obfidentibus annonam fuppeditaverit; cujus caufam à Czare fufcipi par fit velut pro ipfo talia tolerantis.* Ad quæ Mofcus nil reponebat; *nifi quod fuper induciis cum Sveco convenerit; paratum fe quoque effe ad transfigendum cum Polonis, fi bona fide agere velint, quos circa perficienda Vilnenfia pacta, ac coronam fibi promiffam tradendam tergiverfari querebatur, multis hoftilibus ultro illatis. Circa Curlandum cordi fibi fore.* Poft

14. Oct. cum tractatio inter Polonos, & Mofcos fufcipienda foret, Elector Polonis fignificabat; *Eulenburgium Baronem legatione fua ad Czarem præter ipfius mentem, fed pro captu temporum abfque dolo malo aliquid annuiffe, quod in futurum forte in fraudem Poloniæ allegari queat. Igitur pactis aliquid inferendum, per quod ifti derogetur, ac ut Czari omnis anfa actionem intentandi adimatur; ut tamen id dextre, & citra fui offenfam fiat.* Poft quoque Naffokinus Livoniæ à Mofco præfectus fignificabat, *fibi à Czare injunctum, cum Electore literarum commercia exercere.* Cui ab Electore, qui id faftigio fuo indignum judicabat, refponfum; *fi quid haberet, ad Radzivilium referret.* In quibus literis titulus neque in principio neque in fine adpofitus erat. Nefcio, an memoratu dignum fit eo anno à Tartarorum Hano legatum veniffe cum literis, quo argumento ab illa gente ad omnes promifcue Principes fcribi folet. Cui non difparem Elector reponebat, in novas quoque legati, comitumque veftes aliquot uncialium centuriis expenfis, quo in Tartaria captivis eo facilior redemtio foret. Sed ifte tali beneficentia inflatus ferocire, ac hofpitibus plagas inferre fœminisque per vim ftuprum intentare cœpit. Tum Stetinum, urbem à fœderatis tunc obfeffam, iter dirigere. Unde retractus additis cuftodibus in Poloniam ducitur, per Poloniæ Regem apud Principem fuum accufandus. Etfi vix decentiora expectari poterant ab homine, qui è Judeo Chriftianus, inde Muhammedanus factus erat. 1659.

§. 39. Cœterum quanquam inevitabilis neceffitas Electorem ad amplectendas Auftriacas partes compuliffet; haut eo fecius tamen operam dabat, ut quantum per tam difcrepantes rationes liceret, Gallorum amicitiam fervaret; faltem ut ftudium iftorum in Svecos refrigeraret, aut eorundem in fe offenfam emolliret. Eam ob caufam ad Cardinalem Mazarinum Elector literas dabat: *Cum Gallia Rex Svecum pecunia inftruat, ac Anglos ad validam claffem in ejus ufum mittendam permoverit; ac vero ipfe quoque non minus Galliæ fœderatus fit, utut in præfens ad ejusmodi confilia compulfus; infuper ingentibus femper pollicitis oneratus; igitur hæc ut jam repræfententur petere, ac ut ipfe quoque pecuniario fubfidio levetur, auxilio contra Svecis fubtracto, quo hi ad alios opprimendos abutantur.* Jubebatur Brandius addere; *id fœderi Electoris cum Gallo plane repugnare, quod nunc orto inter Svecum, & Electorem diffidio Gallus ifti adverfus hunc auxilium ferat, cum potius circa ifthoc componendum operam dare debeat.* Ad quæ Cardinalis paucis verbis refpondebat: *Si Elector ferio genuinas fuas rationes expendere velit, comperturum, nullibi ipfius fecuritati magis cautum fore quam per Galliæ amicitiam, & protectionem; ac id reipfa fenfurum, fi vetera Domus fuæ inftituta refumere placeat, à quibus paululum in diverfa abierit.* Id refponfum adeo abruptum non parum Electorem mordebat, eoque Mazarino ita refpondebat: *Objectum fibi velut ab inftitutis majorum fuorum difcefferit. Si majoribus fuis ea ratio arriferit, ut alterius Principis commoda proprii ftatus confervationi præferenda cenfuerint, tunc fateri fefe ab ifta deviare, cum ad ditiones fuas tuendas teneri fe judicet. Quomodo à Sveco fecum actum fuerit, non opus effe nunc repetere, ac uti eum immenfa fitis tenuerit ipfius terras Mari Baltico adfitas abforbendi, & cum ejusmodi regionibus permutandi, quæ adhuc aliis ancipiti bello eripiendæ erant, ac uti hoftem ipfum habuerit, poftquam ab eodem defertus in gratiam cum Polonis redire neceffum habuerit. Effe quoque fibi juftam querendi caufam, quod quatuor legati Gallici unus poft alterum nomine Regis Galliæ fubfidia fibi obtulerint, nullo hucusque effectu. Etfi malit ifta inter privatas legatorum blanditias referre, quam promiffa haut fervata arguere. Se femper amicum Galliæ futurum, fi amicitia fua non fpernatur, cui colenda in præfens forte melior occafio fit, quam dum Svecorum focietate attinebatur, qui vel Galliæ amicitiam invidebant, vel nil folidæ benevolentiæ erga eandem gerebant non alio fine apud ipfum Galliæ mentionem facientes, quam ut fe ab hac averterent. Et ipfam Galliam documentum capturam, quamprimum poftulaverit, ut Svecia ad ipfius fe rationes attemperet, aut potius, fi Gal-*

Margin notes (right column): Cum Gallis acta. — Literæ inter Electorem & Mazarinum. 19. Jan. — 28. Febr. — 28. Mart.

1659. *Gallia istius auxilio opus habeat.* Addebatur; *ne Galli amplius Sveco per se, aut Anglorum ope adversus oppressam Daniam adsistant; neu jactatis per eosdem figmentis fidem habeant, à fœderatis id agi, ut Oresundam, & portus Maris Baltici in potestatem redigant. Sane, sibi nil aliud propositum, quam Regem servare, quem Sveci solio deturbare nitantur, rebus suis in id fastigium provehendis, ut deinceps non minus aliis, quam ipsi Galliæ illudere queant.*

Galli tunc sententia. §. 40. Enimvero Galli contra sentiebant; *etsi Sveci per nimiam ambitionem in Electorem quid deliquissent, id tamen huic dissimulandum, ac omnes suas fortunas cum istis alea exponendas, sicuti ipsi pecunias suas exponant; utque Elector non minore odio Austriacos persequatur, quam Galli, quorum summæ rationes adversa fronte pugnare credantur.* Id quod plane absurdum videbatur, quod Elector Svecos tanquam alienis inhiantes metueret; cum Gallis nulla de Svecis querendi causa foret; nisi quod isti ex ambitiosis horum destinatis parum lucri caperent. Circa pecuniam negabant se Electori gratificari posse, *ne ipsum in Austriacorum emolumentum firmarent. Brevi tamen eundem solida ac manifesta indicia benevolentiæ Gallicæ percepturum.* Contra Brandius id agebat, ut Cardinali, & aulæ Gallicæ consilia, & destinata Svecorum depingeret tanquam non Electori solum, sed & Galliæ noxia. Nec inficiari poterat Cardinalis, *Electori plus satis causarum, quin necessitatem fuisse arma in Svecos arripiendi, quorum & genius sit intolerabilis, & à quibus ipsorum vicinis, cumprimis Balticum Mare accolentibus, nil amici expectandum sit.* Nec minus idem ægre ferebat, Svecos consilium à se suggestum, cum Dano arma movente Elector solus in Borussia relinqueretur, haut secutos; ut nempe non minore cura hujus, quam proprii status conservationem amplecterentur. Sed quando Brandius ex hisce colligere volebat, neminem Electori vitio dare posse, quod servandis suis rebus cum Polono, Austriacis, Dano in Svecos societatem inivérit, & ut Gallia haut eo minus ipsum fœderatum agnoscere debeat, auxilio Svecis injusta molientibus subtracto, & contra Electore subsidiis suffulto; Cardinalis, aliique disserebant: *Svecum quidem sibi imputare debere, quod Elector ipso destituto adversas partes amplexus sit. Electori tamen contra considerandum, magis Austriacorum pollicita, & modestam humanitatem suspectandam, quam Svecorum importunam cupidinem. Ac tutius incessurum, si à Sveci partibus stet sponsore Gallo, quam si solis Austriacorum verbis, quæ nemo temere præstanda recepturus sit, nitatur. Sed nec Galliæ, & Electoris rationes invicem discrepare, quæ in eo vertantur, ne Svecia pessumdetur, sed semper in ejusmodi statu conservetur, ut Austriacorum consiliis, libertati Germaniæ, ac Statui Protestantium noxiis, sese objicere queat. Igitur bene sibi consulturum Electorem, si Galliam haut contemnere videatur, & huic sociatus communes rationes tueatur.* Ad quæ Brandius: *Sane nec Galliæ, nec Electori exitium Sveciæ optandum: utriusque tamen interesse, ne hujus potentia ita gliscat, ut aliis leges præscribere, eorum terras, & jura invadere, ac vicinis juxta, & longius remotis, sociis, atque hostibus insultare possit. Unde Galliæ id agendum, ut Svecia ad pacificas cogitationes permoveatur, & cursus fortunæ toti orbi suspectæ sufflaminetur. Cæterum à se quidem Galliam sat potentem haberi ad id præstandum, pro quo fidem suam interposuerit. Sed quia Gallia, & Svecia longis terrarum intervallis divisæ sint, ac Svecus non unam pacem Gallis, & Anglis sequestribus factam abruperit, his haut eo magis acta probare, ac fulcire omittentibus, haut præter rationem facturum Electorem, si illis se adjungat, qui reipsa amicitiæ officia præstent ac Svecis obnoxii haut sint. Manifestum quoque esse, à Svecis desideria ac consilia Galliæ parum curari, ac huic ferendum, ab istis suppeditatas pecunias incassum profundi. Unde cum Gallia ob auxilia præstita nullum è Svecis fructum capiat, haut videri Electorem istius ope ab horum injuriis tutum præstandum.* Ad alia Mazarinus, si animo serenitas constaret, respondere solebat: *Svecum cum Gallia parum sincere, & non pro hujus meritis egisse. Connivendum tamen, & ejus amicitiam retinendam, Galliæ, & Electoris rationibus utilem.* Sed si turbatiore foret animo abrupte dicebat: *quicquid in adversum moveatur, id agendum, ut Svecia subsistat, ac Austriacis suspicionem injicere apta maneat.* Addebantur tamen subinde asseverationes, *quod Gallia, & Elector in præsens adversis rationibus implicentur, ideo amicitiæ inter ipsos nil decessurum.* Sic igitur Gallis utique cordi erat Sveci exitium avertere, etsi hujus instituta minime omnium probarent. Quin palam differebant; *Svecum nullo temporis discrimine pecuniis Gallicis inhiare, sed emolumenta Galliæ parum eidem cordi esse. Solida Axelii Oxenstiernæ consilia ex ejus aula exulare, quæ nunc stipata sit hominibus violentis, cum importunitate omnia ad augendam Sveciæ potentiam, ac ditionem referentibus. Galliam haut suetam minis protelari, aut ad aliquid compelli. Tamen sibi tolerandum fuisse, Svecos Francofurti societate cum Austriacis ineunda insolenter se jactasse, & cum Isaaco Volmaro infesta Galliæ colloquia miscuisse. Regem Sveciæ aliquandiu proprio ingenio obtemperasse, ac super invadenda denuo Dania, Hafnia adversus omnem rationem oppugnanda, ac suspectis cum Anglia pactis ineundis Galliæ nihil communicasse. Quin ejus conscientiam simulasse, ac Terlonum, cum Chilonio in Selandiam trajiceret, velut oculis captum secum duxisse, ut aliis fidem faceret ista consciis Gallis suscipi. Uno verbo, Regem Sveciæ esse Principem difficilem tractatu, ingenio fervidum, & omnia suo ex arbitrio agere pervicacem; qui & Galliæ, ac Protestantibus multum noluerit, dum in causa est, ut Leopoldus diademate Cæsareo potiatur, & in Polonia, alibique proficuas sibi conditiones aucupetur.* Atque istud exemplum Gallicæ patientiæ Electori ad imitandum ostentabatur, ut Austriacos magis, quam Svecos formidandos duceret. Ac eo erat ingenio Mazarinus, ut, si rationes Reip. id requirerent, etiam dura dissimularet; & quia Svecum videbat suo sensu abundare velle, ita cum eo ageret, ne idem ad desperata consilia propelleretur; ac interim cum hic in rectam viam retrahi non posset, obliqua ratio- 1659.

 tio-

1659. tione ex ejus actionibus fructum aliquem caperet, suspicionibus Cæsari injectis. Nam omnibus persvasum Galliæ à Germanico latere haut satis cautum, ni Svecia Austriacis utcunque formidanda sit. Unde & Electori fraudi non cedere, si Svecus modico auxilio sublevetur, dum isti haut eo minus solida potentia & existimatio constat. Et cum Brandius regereret, *tutissimam viam Svecum periculo eripiendi esse pacem*, ei respondebatur; *Sveciæ neminem magis metuendum, quam Cæsarem, qui nunquam paci animum adplicaturus sit, quamdiu Svecus cum aliis hostibus luctetur. Unde quamprimum Danicam, & Polonicam pacem conciliandam, ne Cæsar alienas turbas in usus suos vertat.* Atque ea sententia Gallis fixa sedebat, quicquid Brandius regereret, *separata pace Svecum usurum, quo noxium bellum eo diutius extrahere possit.* Cæterum Electoris negotiis in aula Gallica nocebat, quod tunc Abel Servientus fato functus esset, infenso in Svecos animo; quod odium Monasterii conceperat, quia Joannes Oxenstierna, & Salvius dissidio ipsius cum Avauxio collega huic adstipulari fuerant. Idem & Belgis infestus continuo laborabat, ut hos cum Anglis committeret; in quo ejusdem consilia Electori, & Daniæ adversabantur; qui idem tamen Svecum ad arma ponenda cogendum censebat. Ei succedebat Hugo Lionnæus, cui alta mente reposita manebant verba Galliæ adversa per Electorem Cæsareæ Capitulationi inserta, & momentum electioni ab eodem allatum, eoque peculiarem pacem urgebat ad impediendum, (id prætextum erat,) ne Cæsari è turbis Poloniæ occasio ad invadendam successionem nasceretur. Unicus Silhonus apud Cardinalem non spernendam operam Electori navabat, ex offensa, dum in aula Svecica agit, contracta nationem exosus.

Galli ad Electorem missio. 7. April.

§. 41. Interea à Galliæ Rege ad Electorem Wiburgi tunc in Jutia agentem venerat Joannes Frischmannus, qui à se proponenda scripto exhibere abnuens disserebat: de studio Regis in Electorem, à quo paria expectet; *cui nec fœdus cum Austriacis sit obfuturum; quod Rex judicet, modo non ulterius sit processum, id potius ob vitandum damnum, quam alias causas factum, cum idem alias omnibus rationibus Electoralis Domus adversetur.* Addebatur, *non dubitare Regem, quin Electori curæ sit futurum pacem Imperii conservare, ac autoritatem suam interponere, quo Capitulatio sarta tectaque perstet. Nam quia Cæsar Hispanis petentibus viginti militum millia in Flandriam sit missurus, Regi Galliæ necessum esse ei conatui quacunque ratione occurrere; cui de cætero decretum sit cum Germania amicitiam colere, ac pacis Westphalicæ leges inviolatas præstare; inprimis Electori sese amicum reipsa exhibere, eumque cum Sveco in concordiam reducere; quod ipsi utile, toti Imperio necessarium judicet.* Ad quæ Elector: *Regis amicitiam magni à se æstimari, qua & à majoribus suis exculta, & à se conservanda sit, præsertim cum Gallia semper laudabili instituto Protestantium incolumitati studuerit. Se quoque in omnibus publicis conventibus, ac inprimis Monasterii ostendisse, hautquidquam sibi placitum ab institutis Domus suæ discedere; ubi quanquam Svecorum potentiæ non levis accessio magna sua cum jactura contigerit, credidisse tamen, Gallos ei negotio tunc ideo favisse, quo Protestantibus in Germania amplius caveretur. Etsi post animadverterit, affectum in Svecos justo longius processisse; cum Ordinum Imperii, ac Protestantium studium professis ipsius magis quam Sveciæ rationem haberi par fuerit. Ea tamen omnia se digessisse ob conservandam* Galliæ *amicitiam, in cujus gratiam & arma sua cum Svecis sociaverit eo tempore, cum hi plane viribus exhausti nullo auxilio accedente ad incitas redigendi erant. Inde Regem ipsi sæpius per Avaugurium, & Terlonum ingentes pecuniæ summas promisisse; quin Blondellum centum uncialium millia obtulisse, quæsito ubi eam pecuniam numerari velit; ac cum ipse per Dobrzenium quæreret, quibus conditionibus ea pecunia offeratur, responsum; eadem Electorem pro lubitu uti posse. Sed cum ea promissa repræsentatum iri speraret, inania eadem comperta. Præterea memoratos Galliæ legatos non sine importunitate institisse, ut ipse suffragium suum ad fastigium Cæsareum Neoburgico daret, quem implacabili in se odio flagrare constabat. Blondellum inde* Galliæ *sponsionem obtulisse, ditiones suas in* Germania *à Svecis tutas fore. Sed id promissum scæva interpretatione mox elusum. Unde sibi necessum fuisse Austriaco fœdere innecti. Præterea Svecis à Gallo pecuniam præberi, etsi suo fœdere cautum sit; si inter se, ac Svecos bellum surgat, Gallum neutri auxilia laturum, sed sequestris partes obiturum. Sed & Lumbranum in Polonia valde obnoxium se Svecis ostendere. Haut eo secius amicum se Regi permansurum, ac præter defensionem nil in Sveciam tentaturum de quo Gallia jure queri possit. Cæterum à Cæsare copias in Flandriam mitti sibi haut persvasum, & Montecuculum id constanter inficiari. Quod si tamen certi quid super iis intelligat, id pro virili se impediturum. Sed dubia re haut decorum sibi Cæsarem monere. Id tamen non negare, ab Hispano militem in Ordinum terris scribi, & bona cum illorum venia in Belgium sine noxa duci; id quod legibus Imperii congruum sit, & Svecis usitatum, quibus Hispani deterioris conditionis haut sint. Ac sibi apud Cæsarem de mittendis in Flandriam militibus percontanti responsum: Eo nomine nil metuendum. Scribi equidem militem Viennæ pro Hispano, sed incertum quo ducendum. Et quia semper, quando Elector de Svecorum transitu querelam moverit, dictum sit; non posse illis innoxium transitum negari, non esse rationem, quare Hispanorum militi conductitio iter negetur.* Ast Frischmannus hac declaratione non contentus scriptum exigebat, quo Elector se obstringeret, ad autoritatem suam apud Cæsarem interponendam, ne auxilia in Flandriam mittantur; aut si ea nil proficiat, vi sese id prohibiturũ, Electore contra demonstrante; *talia absurde postulari, antequam constet, à Cæsare legem regiam infringi.* Ostensum dehinc Frischmanno; *cum is tam acriter Electori culturam amicitiæ Gallicæ ingerat, Gallo etiam paria facienda ac è ministris hujus pro hujus commodis acrius, quam hucusque, nitendum, ne duobus locis divisam pacem moliantur, quo artificio Svecus eundem omnibus fortunis evertere* 1659.

tere

1659. *tere instituat. Si Gallus pro communi pace nitatur, Electorem quoque vicissim, quæ penes se sint, pro illo facturum. Non id agi, ut Svecus opprimatur, sed ut ejus violentia circumscribatur. Neminem quoque fœderatorum vel vicum teneri qui Sveci sit, cum hic integras aliorum provincias insideat.* Ad quæ Frischmannus; *Sibi non injunctum Svecorum actiones defendere.* Sed cum idem scriptum responsum exigeret, reponebatur, petita ipsius itidem scripto esse concipienda. Ita iste scriptum lingua Gallica conceptum exhibebat, ad quod lingua Teutonica Elector reposuit: *Se circa id, quod lege Regia cautum sit, officium suum facturum. Sed quia Cæsar confirmarit, auxilia in Flandriam haut missum iri, in præsens à se nil amplius desiderari posse. Vicissim Regem Galliæ quoque præstiturum, ad quæ eadem lege tenetur.* Addebatur, *ne iste Sveci infesta in ipsum destinata foveat, ac potius hunc ad communem pacem compellat.* Frischmannus *distinctam magis declarationem* postulare; *alias Gallum sibi ipsum cautionem præstiturum. Tum ut responsum Gallica, aut Latina lingua exprimatur, cum Teutonicam aula Gallica non intelligat.* Quod cum à more aularum Teutonicarum abhorreret, demum latinum responsum
7. Maii. desideranti, eadem lingua postulatum ex-
9. Jun. hibendum fuit. Mense interjecto idem proponebat: *Regem Galliæ de suo in Electorem affectu nihil mutasse; omnia quoque fœdere conventa præstiturum, modo Elector firmiorem in Rege fiduciam collocet. Ei omnium sibi fœderatorum salutem cordi esse, eoque nolle Electori molestum esse pace cum Sveco obtrusa. Velle tamen alia honesta via istum bello extricare, dum Danica pace comprehendendus sit. Regem non magis Sveco, quam Electori favere, ac Svecum de prolixiore Galliæ in Electorem studio queri; quod indicio sit, à Rege interutrosque favorem justo æquilibrio dispensari. Sed Electorem pernicioso fœdere attineri, qui si paululum modo concedere velit molliendæ Sveci asperitati, Gallum ita rem inter Boreales Reges, & Electorem temperaturum, ut firma pace constituta hic omni molestia liberetur. Nec esse, quod Elector fœdere Cæsaris ab ista pace amplectenda impediri se patiatur. Sane & Cæsarem Monasterii cum Gallo transegisse sine Hispano, & nunc Hispanum cum Gallo sine Cæsare. Frustra occini; Svecum vi ad pacem compellendum. Nam in insulis hærentem vi cogi non posse, quo Cæsareis accessus non pateat, Danis insuper, aliisque hos trajicere horrentibus, ne forte ibi pedem figere instituant. Denique Gallum ita rem dispositurum, ut Electori non minus à Cæsare, quam Svecis cautum sit.* Ad hæc re-
9. Jun. ponebatur: *ista omnia intra verba subsistere, cum Gallus eodem tempore Sveci commoda per Lumbranum in Polonia diligenter curet, ac Neoburgicum foveat. Si Elector Galli consilium secutus quievisset, Svecum jam Daniæ fuisse potiturum, istius terris deinceps hujus libidini exponendis. Ut Elector pactum cum Gallo ineat de impediendo auxilio Hispanis ferendo, id postulari non posse, nisi ab eo, qui nil pensi habeat, quid sibi conducat, an minus. Ab eodem præsentia fœdera abdicari non posse, nisi constituta pace omnes complexa. Quanquam nec is ullo fœdere teneatur, quod Galliæ fraudi sit. Nec socio pacem amplecti sine alio fas esse, nisi hic* 1659.
repudiatis æquis conditionibus bellum obnixe persequi instituat. In insulas facile penetrari potuisse, ni Gallus in favorem Sveciæ Hagense pactum conflasset. Inanem metum esse, ne Cæsar ad Mare Balticum pedem figat. Quicquid Sveco eripiendum sit, id protinus Dano traditum iri. Per Galli sponsionem Electorem haut tutum præstari, longe remoti, & qui antequam subvenire possit huic multis injuriis succumbendum sit; quem & recens pacis Roscheldensis exemplum terreat, impune abruptæ nullo Galli sponsoris respectu. De cætero Electorem facile studium suum Regi probaturum, si hic circa Svecicam causam ita versetur, ne Electori credendum sit, Regi perinde esse, salva sit istius domus, an pereat. Tradebat post Frischmannus literas à Rege, quibus 16. Jun.
de pacto Hagensi significabat, cui & Elector inclusus sit; qua via e præsentibus molestiis commode emergere possit. Innuebatur quoque, sibi responsum Frischmanno antea datum haut satisfecisse: quo ipso & hic avocabatur. Eidem responsum petenti præter priora nihil dabatur. Quo is offensus scripta à se exhibita reposcebat 20. Jun.
quæ & redhibita sunt. Discedenti Elector ad Regem literas dabat, queis querebatur; *Hagæ conventionem initam, nulla cumministris suis communicatione facta, nec auditis eorum rationibus. In Polonia pariter circa peculiarem pacem satagi, in suam ac sociorum fraudem; ad quam tamen amplectendam ipse nunquam adducendus sit, quod sua securitas communem pacem desideret; circa quam à Rege operam poni par sit, ita inter Svecum, & alios ipsi fœderatos librato affectu, ut æqui sequestris laus retineatur.* Addebatur de injuriis à Sveco sibi illatis; *ac mirum, Regem declaratione Frischmanno facta non adquiescere, cum tamen Moguntinus, & Coloniensis fœdere communi innixi ulterius progressi non sint. Cæterum se non minus, quam Collegas servandæ Germaniæ tranquillitati invigilaturum.*

§. 42. Post cum Elector in Pomeraniam *Post irruptionem in Pomeraniam amicitia magis friget.* perrupisset, Brandio injungebatur, ut Gallis persvadere laboraret, id paci Westphalicæ haut repugnare; qui & ipsi antea contenderant, posteriorem Svecorum in Selandiam invasionem prioris belli continuationem esse, eaque pacem Germaniæ haut violari. *Igitur & hanc Gallicam expeditionem fieri duntaxat vi fœderis cum Polonia, & Dania initi, non autem eo animo, ut pax Westphalica abrumpatur, aut Sveci titulus, quo* 16. Sept. *Pomeraniam possidet, in dubium revocetur. Quin Electorem paratum esse, quamprimum Svecus velit, communes tractatus suscipere. Unde spem esse, Gallum huic negotio sese haut ingesturum, auxilioque Svecos haut sublevaturum. Si secus fiat, Electorem non aliter credere posse, quam à Gallis exitium ipsius quæri, talia de illis haut meriti; eoque necessitatem eidem allatum iri securitatem suam apud Galliæ parum gratos quærendi. Id quod declinari possit, si Galli eodem studio communem pacem, quo hactenus peculiarem, quærant. Cæterum Svecum ad pacem permoveri non posse, nec Danos, Polonosque recreari, si ei occasio, & licentia concedatur bellum in alieno gerendi propriis terris intactis; nec alia via imminentem Germaniæ tempestatem averti.* Galli ad hæc: *Se belli impensas suo tempore repeti-*

1659. *repetituros. Daniæ, & Poloniæ per Belgas satis subventum. Ne Dania pessum eat, ac ut æqua pax inter Boreales Reges constituatur, Galliæ, Angliæ ac Belgis curæ fore. Majus operæ pretium Cæsareos pro Polonia facturos fuisse, si Elbingæ, aut Mariæburgi obsidium suscepissent, quo ipso Svecus ad pacem compellendus fuerat.* Ad quæ Brandius: *Si Electori in Fioniam penetrare licuisset, neque hunc, neque Cæsarem de Pomerania invadenda cogitaturum fuisse. In Danico quoque negotio Gallorum studia in Svecos, Anglorum frigus, & Belgarum somnolentiam adparere. In Polonia plus auxiliarium fuisse, quam vastata regio alere potuerit, ac Svecum jactura Borussicorum oppidorum segnius tangendum fuisse, velut alienorum. Ac cum superiore anno Svecus irruptionem in Marchiam agitaverit, jure nunc Electorem pares conatus antevertere posse.* Cæterum cum de Cæsareorum in Pomeraniam irruptione nuntiaretur, Blondellus statim mandata acceperat ad Electorem proficiscendi; quæ tamen, cum iste jam in procinctu esset revocabantur, diffidentia in Electorem, velut arctius Austriacis de novo innexum. Nam antea laboraturi fuerant super Electore Svecis conciliando, aut ut saltem neutrarum partium esset, velut offenso ab Austriacis in ipsius ditiones bellum pertrahi, ac hos in ora maritima nidulari cupere; eoque in proclivi fore istum ad alia consilia impellere metu Cæsareæ viciniæ in Pomerania, ac Gallis idoneam contra Svecos cautionem præstare paratis. Sed cum exemplum literarum à Suchio ad Dammi præfectum scriptarum adferretur, ubi de vindicanda Electori Pomerania tangebatur, statim frigere Galli, ac hæsitare; ac Electorem animi sensa nudasse, dum à Belgis postulat, ut pax ne ineatur, nisi restituta Pomerania sibi injuste ablata. Tum Electorem Gallico legato usurum apud socios in jactantiæ materiam, velut à Gallis ipsius amicitia ambiatur, sed quæ sibi longe post fœderatorum comoda sit. Ac Electorem quantumvis duriter in aula Cæsaris habitum, hujus tamen asperitatem, quam Gallorum

5. Dec. blanditias præoptare. Scribebat dehinc Mazarinus ad Electorem: *A se plane probari non posse, quod Elector proximis literis asserere conatus sit, istam expeditionem legibus pacis Westphalicæ non repugnare. Nam Pomeraniam utique Svecis cessam, ac Electori pro ea satisfactum: nec eo minus eandem armis petitam, ac præfectos quotidie ad provinciales scribere, hanc expeditionem susceptam Electori velut legitimo domino in possessionem reponendo. Regem Galliæ, ac Imperii Ordines cæcos esse oportere, si pacem abruptam non perspiciant, ac si curæ non habeant suam fidem, existimationem, ac rationes sartas tectas servare, evictione Sveco præstita. Quod Elector communi se paci pronum declaret, id Gallo gratum. Sed super ea brevi transigendum: alias Svecis proximo vere auxilia repræsentatum iri.* Ad has literas valde quidem imperiosas Electori haut respondere placebat: sed Brandio injunctum causas silentii exponere. *Communem se pacem cupere, sed ad peculiarem cogi nolle, & si Gallia minari pergat, alibi præsidium sibi quærendum.* Id cum Brandius Mazarino per literas significaret; hic reponebat: *pacem* 1659. *utique fractam. Sed stare Galliæ Regi eam Pomeraniæ invasionem non tolerare.* Addebatur non parum aculeatorum verborum, & è quibus indignatio juxta, ac contemtus in Electorem elucebat. Unde quid à Gallo ipsi expectandum foret, non in obscuro erat. Ac veniebat post Viennam à Gallo missus Colbertus, 11. Mart. 1660. cum Oratore ibi Hispanico acturus, quod inter Galliæ, & Hispaniæ Reges tractatu Pyrenaico super pace conjunctim promovenda convenerat. Is primo proponebat, *ante omnia Pomeranicum negotium componendum, utut Polonica, & Danica pax non statim insequatur.* Ad quod Hispanus: *id se ad Cæsarem ne referre quidem audere, quod indole sua conjuncta divelli non debeant.* Inde quis quærebat; *num Cæsar serio pacem velit, & quomodo, quove loco tractatio suscipienda, ac quid Cæsar sociorum suorum nomine postulet?* Ad quæ Hispanus: *A Cæsare utique desiderari pacem, sed honestam, sed tutam, ac stabilem; de qua colloquia commodissime in Borussia institui queant, ubi & cœpta sint; ubi & fœderati postulata sua jam exposuerint.* Sed & Moguntinus, atque Coloniensis Pomeranicas turbas sopiri volebant; ac inprimis hujus nomine Franciscus Eggo Furstenbergius Cæsarem à continuando bello dehortabatur, *ne Germania novo bello involvatur, quod Galli obtentu evictionis præstandæ ansam arrepturi sint arma in Germaniam transferendi. At posse promissa fœderatis auxilia extra Germaniam præstari.* Sed reponebatur: *non esse hanc idoneam paci viam. Nam si Svecus serio quietem Germaniæ velit, eum non dubitaturum communem pacem amplecti. Neque vero Dano, & Polonis, aliter consuli posse, quam Svecorum armis alibi distractis. Quod si igitur Sveco nunc tempus indulgeatur, quoad vel felici bello, vel per tractatus ab aliis sese hostibus expedierit, eum postea una cum Gallis Germaniam invasurum: id quod nunc præveniendum sit.*

§. 43. Haut dispaira consilia agitabant Belgæ, palam jactantes, *se nolle Cæsarem tractatibus comprehendere. Cum hoc Electorem fœdus fecisse ipsis inscii, id que demum post Hagense pactum ratihabuisse. Electoris tamen rationem habitum iri, quod ejus cum Dano fœdus antea perfectum fuerit. Se quidem pro Cæsare, aut quamdiu is velit nunquam bellum gesturos. Sane à Cæsare pacem fractam invasione in Pomeraniam; ac olim durum fore Electoi hoc negotio sese extricare. Cæsarem sæpe multa promisisse, pauca implevisse, ac huic nunc viam strui potentiæ ad Mare Balticum promovendæ, maximam in futurum Electori molestiarum materiam.* Sane Svecus Belgis eum scrupulum injecerat, Cæsarem, si Pomerania potiatur, longe magis formidandum quam Svecos fore. Par metus & Danos agitabat; quem nostri inanem demonstrabant; *quod quicquid locorum ibi caperetur, Electoris præsidio firmandum esset. Nam quod Cæsareus quoque miles admisceatur, id ideo fieri, quod Electoralis peditatus non sufficiat; ac præfectos semper ab Electore dependere, quibus in cæteros imperium sit.*

Belgarum consilia. 1. Sept.

§. 44. Sic igitur Elector magnopere laborabat, ut communis, omnesqve complexa pax consti- *Elector pro com-*

1659. constitueretur, & quoad hæc obtenta foret, inter fœderatos concordia servaretur, ne unus & alter per peculiarem tractationem sibi consuleret, tota belli mole in postremum incubitura; idque tam in Polonia, quam Dania agebatur. Ac apud Polonos magno labore opus erat, ut his, atque Cæsareis ut cunque concordia constaret, de quibus isti graves querimonias movebant. *Austriacis copiis non id agi, ut hostem Polonia expellant, sed ut per arma huic Archiducem Carolum Regem obtrudant. Ac revera nil periculosius suæ libertati esse, quam interregnum emergere, Austriacis Cracoviam insidentibus, & exercitum in Polonia habentibus. Quod Thorunium recuperatum sit, id horum ingratiis factum. Suchium potius institisse, ut id obsidium solveretur; quod Sveci nunquam ad deditionem sint compellendi. Tum longe in plures copias sibi alimenta præbenda, quam revera sint; quin & in illos ipsos, qui in Holsatia agant. Denique quæ Cæsarei debita sibi obtendant, nunquam ad liquidum posse deduci. Interim Regis reditus ita attenuatos, ut ei vix supersit, unde mensam instruat.* Quin plerique Poloni jam eo desperationis redacti erant, ut Mosco, Cosacis, quin Sveco, quam Austriacis subesse mallent. Unde Elector Cæsari scribebat: *Gallos omnem lapidem movere, ut separatam inter Polonos & Svecos pacem constituant, ac utrosque Austriacis immittant. Ac prætextu eos uti, quod Poloni duras sceleris Austriaci leges graventur, & per id omnem è salinis proventum sibi præripi avaritia ministrorum suo lucro inhiantium.* Quæ Elector temperari petebat ad eludendas Gallorum machinationes, *ac quanquam verbis pacti nitatur, de jure tamen suo satius esse remittere, ne isti ad desperationem compellantur.* Ad quæ Cæsar: *parum adhuc proventuum sese è salinis percepisse; ac jam antea suis imperasse, ut omni moderatione adversus Polonos utantur: simul ita de animo suo Senatoribus confirmasse, ut à peculiari tractatione nihil periculi judicet.*

Legatorum in Poloniam mandata. 13. Jan. Ossen.

§. 45. Porro quia Poloniæ Rex conventum inter fœderatorum legatos in mensem Martium Thorunium indixerat, super præparatione pacis acturos, Elector legatos tum ad eum conventum, tum ad futura de pace colloquia designabat Joannem Hoverbequium, Laurentium Christophorum Somnicium, & Andream Ostavium, his cum mandatis: *Circa locum tractatuum pro Lubeca aut Francofurto ad Oderam contenderent, sed si cæteri Thorunium, aut Braunsbergam malint, id demum permitterent, ut tamen Braunsbergæ Electorale præsidium maneat, jurejurando ad tuendam legatorum securitatem adigendum. Quo tamen non opus fore, si quod Electori placebat, Braunsberga pro Polonis, & Electoralibus; Tolkemitum pro Svecis, Frauenbergum pro sequestribus placeat. Tempus commode constitui, dum salvi conductus hinc inde traduntur. Ad hunc conventum velut primarum partium paciscentes admittendos omnes, & singulos Principes supremo imperio gaudentes, qui in hoc bello arma gerant, ac nominatim Cæsarem, & Danum; ac ut pro hujus legatis diplomata obtineantur, diligenter instandum. Nostri quoque non aliter se gererent, nec aliter secum agi paterentur, quam legatos Principis à nemine mortalium pendentis, & primarum in hoc bello partium. Si Borussiæ Ordines conventui interesse cupiant, nostri eos amolirentur, confirmantes, Electorem juxta pacta adversus ipsos se gesturum. Tum ut si ab Elbingensibus delegati veniant rejiciantur, & cum postulatis suis ad Electorem remittantur. Moscum, & Transsylvanum commode à conventu excludi non posse, quin ut iste ultro invitetur necessarium videri. Tartaros, & Cosacos non ut principales considerandos, sed illos ut auxiliares, hos ut subjectos Poloniæ. Quod sequestres spectet, cum Gallus, & Angli hac pace inter alia id quærant, ut Svecus hoc bello expetibus Austriacis immittatur: metuendum esse, ne eorum opera fœderatis parum proficua sit. Haut tamen palam rejiciendos, & caute procedendum, ut eorum offensa vitetur: ac si Cæsarei modum proponant absque sequestribus tractandi, nostri eum sibi quoque recipiant, ut & ipsi eodem pro arbitrio uti queant, ac Polonos in parem sententiam permoveant. Quomodo Belgæ post arma in Svecos sumta pro sequestribus gerere se possint vix adparere; ac satius videri ipsos à fœderatis in Svecos incitari, ne, dum paci conciliandæ operantur, bellicæ ipsorum actiones sistantur. Anglorum operam publice non rejiciendam; nostri tamen eorum non minus atque Gallorum conversatione circumspecte uterentur.* Circa diplomata tuti itineris observandum, legatis quidem Svecicis liberum fore per Electoris portus transire, modo ne bellicas merces vehant, nec ægre ferant suas naves excuti. Id quod ut faceret Elector diserte præfecto Pillaviæ injunxerat; quod Svecis constitutum esset eo prætexto Elbingæ, & Mariæburgo prospicere. Tum ne Svecicis legatis permittatur literas intra oppida obsidione cincta mittere. Par quoque esse, ut comitatus legatorum aulicus & militaris definiatur, ac ut tractus circa congressuum loca hostilitati eximatur. Super modo agendi Electori videbatur, primariam tractationem ab omnibus supra expressis pariter suscipiendam, ac neminem sociorum sine altero, nec omnes sine Belgis, siquidem hi inter partes censeri velint, cum Sveco tractationem ingredi debere. Equidem Poloni antea declararant, se absque bono ad conclusionem non processuros; sed ut tractatio non auspicanda sit, antequam Sveci pro Danicis legatis diplomata exhibuerint, aut si ea abnegent, ideo negotiatio abrumpenda sit, id præfracte abnuebant. Quia tamen fœderatorum tantopere intersit Daniam restitui, ac summa pecuniæ, quam Sveci à Polonis postulent, contra Danum, si is in bello persistat, impendenda sit; nostri ut Danus utique ad tractationem admittatur instarent. Id si recusetur, nec tractatio inhiberi possit, nostri huic semper salvo hoc postulato intersint. *Id quoque agendum, ut tractatio cum omnibus, qui in hujus belli partem venerunt, nec jure ab hoc negotio excludi possunt, uno in loco suscipiatur, atque perficiatur; tum quæ unum & alterum seorsim spectant, omnia uno instrumento comprehendantur. Tum ne ante hinc inde tradita diplomata ad tractationem acceda-*

1659. *accedatur; utque omnia, quæ hanc pacem spectantia fœderibus continentur, exacte observentur, nec prius pax perficiatur, quam omnibus satisfactum sit. Ut tamen quilibet æquum sese exhibeat, ne reliquis præter necessitatem in bello hærendum sit. Quo fine & omnia quæ aguntur invicem fideliter communicanda. Pari quoque passu de evictione, & pacis capitibus agendum, & utraque pariter absolvenda. Tum ne amborum Regum, inter quos bellum primo exortum est negotia primo loco componantur, sed cum omnibus quorum interest pariter agatur, nec cum uno prius, quam cum altero concludatur, aut si quid forte conventum sit, id non prius vim obligandi habeat, quam commune instrumentum, omnium conditiones complexum absolutum fuerit.*

Mandata super primaria tractatione.

§. 46. Super primaria tractatione legatis observandum injungebatur; *ne quid permittatur, Evangelicæ religioni addictis in locis, de quibus agendum, fraudi cessurum, eorumque conditio si non melior, saltem deterior ne reddatur. Sed quia in hoc negotio Poloni, atque Austriaci nostris adversaturi erant, apud Belgas instarent, ut non ipsi solum Evangelicorum causam fulcirent, sed & Svecos ad idem faciendum permoverent, ne isti majoribus persecutionibus obruantur. Ut omnes quorum interest à Svecorum prætensionibus liberentur, & quantum possit omni cum iisdem communioni eximantur, stabilita finium securitate, & omnibus in statum, qui ante bellum fuit, repositis; ne tamen supremo in Borussiam imperio quid derogetur. Ut Cæsaris, Poloni, Danique æqua postulata, ad tutam pacem facientia, à nostris fulciantur, ni forte Electori fraudi cedant. Ne Svecis quidpiam in Regia Borussia dominii, aut hypothecæ titulo relinquatur; id quod non Poloniæ solum, sed & communes fœderatorum rationes requirant. Ne Poloni ita propere Svecis pecuniæ quid offerant, non nisi pertinaciam eorum obfirmaturum, & tractationem duriorem redditurum. Et utut forte quid postulari queat pro locis, quæ à Svecis adhuc insidentur, reddendis; ita tamen Poloniam bello hoc non necessario vastatam, ut non injuria Sveci reparationem posci queant, quæ longe majoris sit. Quod si utique Svecis pecuniæ quid dandum sit, nostri a collatione Borussiam Ducalem cum Lauenburgo, & Bytovia, Elbingaque exciperent, ut ea occasione ne minimum quidem oneris in Electoris ditiones redundet; ac ut solutio in diem fiat, ac non prius quam Sveci omnes conditiones impleverint. Porro ut in propositione Elector à Polonis ne disjungatur, sed omnium postulata in unam propositionem redigantur. In evictionem Svecos utique recipiendos, ut tamen expresse caveatur, ne hi deinceps interpretes se totius pacti ferant, sed tantum in iis capitibus ad interpretationem cum reliquis admittantur, ubi ipsis quid promissum, aut iidem aliis quid præstare teneantur. In illas autem controversias, quæ inter alios paciscentes emergere possunt, non prius se ingerant, quam ab utraque parte requirantur. In cessionem Livoniæ non alia lege consentiendum, quam ut Curlandiæ Dux sine exceptione restituatur, reparatione damni, ac contumeliæ facta. Hoc tractatu nil admittendum, quod ad statum Poloniæ, aut futuram successionem spectet. Ne privatorum causæ heic suscipiantur, moram negotio injecturæ; ut tamen Bogislaus Radzivilius plene restituatur. Ut amnestia ad omnes porrigatur, ne Evangelici hoc prætextu post opprimantur, velut Svecorum fautores. Denique ne circa commercia Sveco, vel ulli quid indulgeatur, quod accolis Maris Baltici, ac inprimis Ducali Borussiæ, & Pomeraniæ fraudi esse queat.* Ast peculiaria Electoris postulata erant; *ut Ducalis Borussia in præsenti statu maneat, ac pacta cum Polonis inita, & proximis Comitiis firmata persistant, ac Svecia in eam omni actioni renuntiet. Ut Svecus omnia pactorum cum Electore initorum instrumenta reddat; quod tamen non rigide urgendum, sed renuntiatione adquiescendum, ni Poloni eam rem fervide agant. Ut Electori pro immensis damnis hoc bello illatis satisfiat ejusmodi rebus, quæ tam ipsius, quam Poloniæ securitati inserviunt. Quo nomine postuletur aboleri participatio vectigalium in Ulteriore Pomerania, & ut partes huic provinciæ decerptæ sibi restituantur.* Si socii renitantur, præsertim ubi ipsi pensationis nihil postulent, demonstrandum: *Austriacos ejusmodi damna haut passos: Polonorum causa hæc omnia tolerata: Svecos nihil Electoris tenere, quo compensationem opponere possint. Sane Uladislaum Regem Monasterii acriter institisse, ut Sveci Odera flumine excluderentur. Quod in præsens Polonis eo acrius urgendum, capto jam documento, quanta inde calamitas in Poloniam effusa sit, & quod nunquam tuti sint futuri, quamdiu Sveci Odera potiantur. Ut quæ super Elbinga convenerunt, persistant, nec in ea Svecis hypotheca constituatur. Ut denique Electori ante tractatus possessio præfecturæ Draheimi tradatur. Circa socios id agendum, ut Oresunda in priore statu permaneat. Firmandæ paci non solum inter fœderatos inita pacta persistant, sed & sequestres ad præstandam evictionem permoveantur.* Super ceremoniis injungebatur, *ut omnes tres legati pari dignatione apud Cæsareos habeantur, ne id Regii in exemplum trahant.* Addebatur, ut legati omnem tractatuum retardationem evitarent, ne Poloni suspicentur, Electori protractionem belli placere, eoque circa exhibenda diplomata faciles essent; tum Polonis suspicionem eximerent, velut ipsi secreta cum Austriacis pacta intercedant, præter publica illa, ad quæ perficienda Poloni Electorem non sine indignatione ob interpositam moram incitarant. Intellectum etiam, Hagæ, & Londini super peculiari pace inter Svecum, & Danum satagi, Gallo connitente; in quam licet Danus consensurum se negaret, tamen cum & hic præter voluntatem ad eam compelli posset, & Poloni qualemcunque pacem anhelarent, simul ab Ordinibus Borussiæ spargeretur; Electori propositum esse pacem remorari; igitur nostri cum Cæsareis candide agere jubebantur, eosque hortari, ut æquis conditionibus adquiescant, ne Sveco ansa detur bellum extrahendi, quod Electori gravissime incubiturum erat, postquam Danus, & Poloni sese subduxissent. Quo fine & idem Cæsarem, ac Polonum per literas monuerat; *conditiones ita temperarent, ut pax eo citius coalescere possit.* Quia etiam jactabatur, Benedictum Oxenstiernam Gaudenti secretam tractationem 1659.

1659. tionem agitare, id quod confictum erat diffidentiæ inter fœderatos ferendæ, etsi Sveci ubique peculiares tractatus captarent; igitur monerent nostri Polonos, ne per Gallos ad hoc induci se patiantur, parem ab Electore constantiam polliciti. *Super iis, qui futuræ paci includendi sint, prius videndum, num omnium tractantium negotia uni instrumento includi possint, an minus. Primo casu Gallos duntaxat, Belgas, & Moscum nominandos. Ast si separata fiant instrumenta, præter hos singulis instrumentis fœderatos includendos. Caverent tamen, ne in tractatibus, aut instrumentis à Polonis separentur; tum ne Neoburgici mentio fiat, cujus heic nullæ partes sint. Quia etiam Sveci valde repugnaturi erant, ne Elector Elbinga potiretur, nostri fervide ad pacta & fidem publicam provocarent, cujus Poloni alias fuerint tenacissimi. Ac si Sveci jus hypothecæ in ea urbe retinere, aut eidem jus præsidii, & auxilii è Svecia petendi stipulari velint; satis adparere, quid meditentur. Nam eo casu Svecis semper de Elbinga, & Thorunio cautum esse, & vel minimas harum civitatum querelas ipsis prætextum belli in Poloniam movendi prabituras.*

...ns ...limi- ...ris pa- ...Tho- ...nii ...s, §. 47. Hoverbequius, qvi solus Thorunium præmittebatur, Polonos ibi reperit anxie in pacem ruentes, ita ut Danum parum moraturi viderentur; præsertim ubi de compacto Hagensi audissent. Etsi haut eo minus Hafniæ per suos confirmari jusserant, se citra Daniam cum Svecis haut transacturos; Danis paria vicissim pollicitis. Unde Elector verebatur, ne forte Danus pacem cum Sveco occuparet, gravi cum Poloniæ periculo; eoque Hoverbequium contendere jubebat, quo ante susceptos cum Svecis tractatus diplomata pro legatis Danicis præsto forent. Adparebat quoque Polonos metuere, ne Austriaci ipsos æterno bello involvere laborarent. Suspicio quoque in Electorem erat, quod Pinoccius Polonicus Hagæ ablegatus scripsisset; *Weimannum* (...ucci.) *cum Appelhomio Sveco valde familiariter agere, ac secreta miscere; cum ipso nil communicare, ac frigidum se ostendere.* De quo Elector Regi querenti excusabat, *talia se nunquam mandasse, ac quid veri subsit inquisiturum.* Quæ & falsa comperta, incertum quo instinctu à Pinoccio conficta. Porro qui Thorunii erat legatus Danicus Janus Julus negabat sibi mandatum in Polonia super Danica pace agere, sed tantum ut cum fœderatis decerneret, an, & quo modo cum Sveco tractandum, idemque per arma ad æquas leges sit compellendus. Contra cum Hoverbequius de Danica pace cum Polonica combinanda ageret, Poloni primo tergiversari, atque causari: *absque Belgis se, reliquosve socios haut sufficere Daniæ in priorem statum reponendæ. Atqui istos fœdere suo per Pinoccium oblato valde frigidos se ostendisse. Ac circa Danum metuendum, ut prius pacem inire velit, quoad non solum sua recuperarit, sed & vindictam de Svecis sumserit. Eousque autem bellum producere supra vires Poloniæ esse.* Sed cum Hoverbequius de masculis Belgarum consiliis confirmaret, ac Janus Julus declararet, Daniæ Regem in omnibus (...ns ...al.) æqua sectaturum, ac postulata sua ad armorum successus attemperaturum; quod & noster declarabat: Poloni huc demum devolvebantur, ut Dano juxta ac sibi integrum sit futurum tractatus seorsim instituere, ut tamen invicem acta diligenter communicentur, ac non nisi conjunctim concludatur; Hoverbequio frustra ingerente, separationem inde fœderatorum secuturam, à Sveco in usus suos vertendam. Elector etsi optaret, uno loco tractationem ab omnibus suscipi; tamen si id obtineri non posset, è duobus incommodis minus eligendum, ac duobus locis eodem tempore tractandum censebat ea lege, ut utrinque negotia pari passu ad conclusionem promoveantur, & uno in loco conventa non prius obligandi vim sortiantur, quam in altero quoque negotium perfectum fuerit. Cæterum proponebant ibi Poloni, ut fœderati diplomata 31. Mart. tuti itineris pro legatis Svecicis exhiberent. Locus tractatuum Braunsberga designabatur; tempus auspicandæ negotiationi Kalendæ Maji. Circa quæ Cæsarei monebant; antequam dies tradendis hinc inde diplomatibus dicatur, constare debere, num Svecica quoque rite formata adsint. Noster, ne moras belli quærere videretur, sese istis exhibendis paratum ferebat. Sed præter priora monebat; *legatorum naves utique perlustrandas, ne merces belli tempore in commissum cadere solitas vehant; ne legati sub comitatus vocabulo validam militum manum in viscera Electoralis ditionis immittant: ut ne iisdem liceat literas, & nuntios in loca obsidione cincta immittere: ut ante captos tractatus Dux Curlandiæ libertati restituatur, aut si id fieri non possit, saltem ejus ministro accessus ad tractatus pateat.* Addebatur, *ne Sveci separata procuratoria cum singulis tractandi exhibeant, sed unum duntaxat, cujus virtute cum omnibus pariter agere queant. Tractatibus magis sibi congruere videri Francofurtum ad Oderam, aut Lubecam, quam & Danus cupiat; etsi super iis præfracte contendere nolit. Sed nec Svecis diplomata prius tradenda, quam hi declaravint, cum omnibus se tractare, ac pro Danis quoque diplomata exhibere velle.* Poloni contra censebant; *posse Svecis diplomata in antecessum mitti, velut qui iis quam maxime indigeant per hostilia loca transituri. Tempus congressui ad medium mensem Majum dicendum. Alia dubia inter ipsam negotiationem componi posse. Electoris monita curæ sibi fore, modo Braunsberga locus tractatuum maneat, quos ipsi extra Regni limites ut trahantur ferre nequeant.* Demonstrabat inde Prazmo- 28. April. vius Magnus Cancellarius Hoverbequio: *Da-* Prazmouski. *num expectari à se non posse, cujus tamen rationem inter tractandum diligenter sit habiturus. Sed si Sveci Danum admittere nolint, in ejus gratiam tratractatus recusari non posse, præsertim cum forte dicto citius inter Danum, & Svecum sit transigendum. Poloniam quoque Daniæ nullo fœdere jungi; ac inter eas moras ingentia mala sibi toleranda, pace fortasse in annum adhuc extrahenda.* Noster contra; *Danicum legatum testari, Polonos contra datam fidem acturos si Regem Daniæ intra hostium manus destituant, qui sane Poloniæ haut modica officia præstiterit. Eum, si deseratur, denuo turpem ad pacem compulsum iri. Nec minus Svecum spem*

1659. *spem concepturum fœdas, ac noxias conditiones fœderatis obtrudendi, si initio tractatuum primarium belli socium avulserit. Hac facilitate Polonicam pacem non promoveri, nec meliorem reddi. Saltem caute agendum, ne forte Poloni, dum à sociis se disjungunt, totam belli molem in se avertant.* Sed quia Comitia Warsaviæ instabant, nil Thorunii conclusum, & omnia eo rejecta sunt.

Causa, cur Poloni tam anxie pacem expeterent.

§. 48. Cæterum Poloni tam anxium pacis desiderium ostendebant, ut si prospera de Svecis nuntiarentur, nunc pacem cum illis occupandam clamarent, antequam longius grassentur; si adversam fortunam experirentur, uti infausto Hafniæ assultu, jam tempus concludendi jactarent, dum iidem viribus fracti sint. Causa tantæ festinationis non minima penes Lumbranum erat, qui disserebat: *Galliæ necessum esse Svecum parte hostium expediri, ut si Cæsar copias in Flandriam mittat, iste vicissim Bohemiæ ingruat; quo fine pacem eidem non in Dania tantum, sed & in Polonia habendam. Sibi tamen curæ fore, ut omnia in pristinum statum reponantur, & pax æquis conditionibus superstruatur, potentia Regnorum quantum potest ad æquilibrium deducta. Ideo autem sibi Polonicam pacem festinandam, quod penes Anglos, Belgasque sit, per classes suas Danum pro lubitu ad pacem compellere.* Idem inter longas ea in aula moras per mulieres, & alia instrumenta Pacium Lithuaniæ Cancellarium, & Thesaurarium Poloniæ plane in suam sententiam pertraxerat. Regina porro & natura, & ob varias offensas, contemtumque Austriacis aversissima, ac alias Galliæ mancipata. Cui & Akakia nuper confirmarat, Svecos modica pro summa Borussiam cessuros, quam Longuevillius Dux erogaturus sit. Ex quo ista spem conceperat, hac via se Borussiæ oppida hypothecæ titulo insessuram, validi instar suffragii proximo interregno habitura ad coronam provehendo ejus Ducis filio, si neptem ipsius ducturus sit; interim possessione, tam validorum locorũ autoritatem tuitura. Quod ut eo citius obtineret, pacem summo studio promotum ibat, omnes sibi infidos judicans, qui circa hanc dubii quid moverent. Porro Cancellarius Magnus omni studio gratiam Reginæ servare nitebatur, ne Vice cancellarius, animi dotibus, & splendore generis potior, ipsius luminibus obstrueret. Nec hic tamen Reginæ adversari audebat, militibus ac vulgo nobilium invisus. Ipse Rex adversa valetudine, & ob toleratos labores bellum plane pertæsus, cum præsertim nesciret, cui bono ipse tantopere se defatigaret. Ac aliquando recta consilia sectantem Regina per se, aut sibi obnoxios obtundebat, ut demum cedere, quam in perpetua contentione cum inquieti ingenii fœmina vivere mallet. Lubomirscius, semper alias bonis consiliis addictus, nunc odio in Austriacos omnia probabat, quæ his molesta norat. Quam ob causam etiam in Comitiis spargebatur, inter Cæsarem, Electorem, & Moscum fœdus initum super dividendo Regno, sic ut ille Poloniam, iste totam Borussiam, hic Lithuaniam sit habiturus; ac præfectum Cracoviensis præsidii furtim Moscicum legatum ea urbe eduxisse, addito in Silesiam ducentorum equitum præsidio, ne ista vulgarentur. Unde & in Comitiis circa amoliendos Cracovia Cæsareos tanta cum vehementia, & indignitate contendebatur. Ipsa porro Regina subinde ingerebat: *Salutem Reip. in eo verti, ut cum Svecis quocunque modo transigatur, omnibus dehinc Polonorum, & Cosacorum viribus in Moscum versis.* Quæ & ideo Dano, licet antea belli molem à Polonia in se avertisset, iniquior erat, quod in ejus gratiam bellum extrahi videretur. Ac sæpe eousque abripiebatur, ut optaret à Rege separatam pacem iniri, nulla fœderatorum habita ratione. Adversus ista Hoverbequius, & Somnicius quantum possent contendere, separatæ pacis incommoda, hostium fraudulentiam ingerere, idque tanta cum libertate, ac tam assidue, ut Poloni frequentiam monitorum in vicem diffidentiæ acciperent; nostris excusantibus, *ubi de summa rerum agatur, verum vel cum offensa periculo haut dissimulandum; ac Electorem nil aliud velle, quam ne per nimiam festinationem noxia, nec duratura pax cudatur.* In universum autem Poloni fremebant; *pace sibi opus esse: cum Mosco sibi atrox bellum, militem tumultuari, cui placando nil pecuniæ sit. Si in Borussia res gerenda sit, annonam omnem hinc petendam; nec heic id jumentorum superesse, ut frumentum ad Vistulam convehi possit. Igitur nihil restare, quam ut à fœderatis bellum in Pomeraniam devolvatur.*

Patz.

Warsaviæ super præliminaribus Svecis acta. 14. Maii.

§. 49. Warsaviæ porro nostri super futura pace firmanda istas cautelas proponebant: *Ut uno eodemque instrumento Poloni, omnesque horum fœderati comprehendantur: ut fœdera inter eosdem reassumantur, confirmenturque, perpetua quidem sine mutatione, temporaria ad statum pace inita futurum adaptata. Ad cautionem leges pacis servatum iri non sequestres tantum Gallos, & Belgas, sed & alios invitandos. Ut omnes se obstringant, si quem eorum Svecus infestis armis terra marive ubicunque locorum invaserit, reliquos fœderatos, non examinata invasionis causa, non solum auxilia fœderibus conventa læso submissuros, sed secum quoque pacem abruptam reputaturos, ac invasorem pro communi hoste habituros, omni vi undiquaque aggrediendum. Ne tamen ex eo quod communi securitati tam impense cavetur, occasio lacessendi præbeatur, vindicandæque injuriæ, ac læsionis facultas ademta videatur; certum modum pactis definiendum, ad quem lites inter fœderatos dijudicandæ, damnaque pensanda sint.* Addebatur, *ut in Borussia res majore vi geratur, Sveco promtius ad pacem compellendo, aut ut Elbingæ, & Mariaburgo subvectio annonæ intercludatur. Tum ne quid in tractatione admittatur, quod legibus fœderis perpetui cum Electore initi, ac proximis Comitiis firmati directe aut per obliquum deroget, aut adversetur. Ut Svecus omni actioni in Borussiam renuntiet, eoque fine autographa pactorum cum Electore initorum redhibeat in perpetuum abolenda. Ne Svecis expectativa, aut quodvis aliud jus, titulusve in Borussiam Ducalem, vel locum aliquem, in quo Electori jus sit, concedatur. Ut denique Curlandiæ Dux ante omnia restituatur,*

1659. *tur, eique pro acceptis damnis, injuriisque satisfiat.* In quæ Poloni facile consentiebant, insigni cumprimis studio in Curlandi causam, quam primo loco inter tractatus expediendam decernebant, minantibus Lithuanis, si iste Dux destituatur, se Mosci imperium subituros, nec minoris sibi Curlandiam, quam Polonis Borussiam fieri. Sed circa locum tractatuum conveniri nondum poterat, quod Sveci, & Galli suæ commorationi Graudentum, aut Elbingam deposcerent, circa reliqua infinitis difficultatibus motis, quo ista oppida oppugnationi, aut imminenti fami eximerent; nostris contra ingerentibus, si Hauptum vi expugnetur, Elbingam, & Mariæburgum fame subigente gratis recuperandum. Demum, post multam disceptationem in Olivam, vicinum Gedano cœnobium consensum fuit. Circa Danum ad tractatus admittendũ Poloni promittebant; *se per Lumbranum apud Svecos pro istius legatis diplomata postulaturos. Nam eo tempore, quo isti primum super diplomatibus cum Sveco agere commissum sit, Daniæ Regi cum hisce pacem fuisse. Si autem nihil obtineri queat, negotium hucusque proventum per nova postulata retardari non debere; eoque tractationem salva cum isto amicitia non expectatis illis diplomatibus incipiendam; cujus tamen commoda ob insignem Poloniæ operam navatam magnæ sibi curæ futura sint. Quod si tamen Danus peculiorem cum Sveco pacem constanter repudiaturus sit, Belgis quoque per fœdus in societatem belli descensuris, ac non nisi communem cum Svecis pacem inituris, nec Danus per iniquas conditiones pacem difficiliorem redditurus sit; hunc ad tractatus solenniter invitatum iri, ubi cum Svecis super loco & tempore convenerit.* Regina tamen legato Danico obtentu privatorum negotiorum Warsavia discedenti insinuarat; *bene facturum Danum, si peculiares tractatus suscipiat.* Quæ &, cum ejusdem constantia laudibus extolleretur, cavillata fuerat; *ejus causam esse, quod speret ope fœderatorum lautiores se conditiones, quam Roschildensi pace, obtenturum. Sed si Svecus Scaniam separata tractatione offerat, procul fœderatorum respectum fore.* Quin nec Poloni eum Regem per literas à separata negotiatione dehortari volebant, ne & ipsis necessum foret se obstringere ad tractatus citra eundem non admittendos. Ac illum utique acturum, quæ Status sui conditio exigat, nullo ad Poloniam respectu. Sed nec Lumbrano placebat causam Danicam simul cum Polonica componi, aperto in Svecos studio, ac Polonis metum incutiens, si Dani causam amplectantur, non ita bonis conditionibus à Sveco potituros. Unde adparebat, etsi Gallus in præsens Sveci opera non amplius indigeret composito jam Hispanico bello; tamen hunc sibi obnoxium cupere ad pervincenda Reginæ Poloniæ cupita, Gallicum successorem Joanni Casimiro destinantis, ac ne accessione Poloniæ Austriaca potentia glisceret. Sane valde suspectum erat, quod Lumbranus tam sæpe super deferendis ob pacem obtinendam sociis dissereret, adductis exemplis Belgarum Monasterii Gallos, ac jam Hispanorum Lotharingum, & Gallorum Lusitanos destituentium; & quod primæ notæ minister Hispanicus Condæo Principi querenti pacem neglectis suis commodis cum Gallia factam, responderit: *ita gratam rem esse pacem, ut si illa haberi possit, aliarum rerum ratio non habeatur.* Quin & eo fine tam frequenter hinc inde profectiones à Lumbrano, & Akakia suscipi videbantur, ut orbi persvaderetur, secretam tractationem Svecos inter, & Polonos agitari, quo Danus ad desperationem adigeretur. Suberat & alia causa, quare ad communem omnium bellantium conventum pacis negotium deduci non posset, quod septem à Polonis Commissarii designati essent, qui magnifico sese adparatu ostentare, simul munia, quæ in aula gerebant, exercere cupiebant; quod cum extra Regnum commode fieri non posset, conventum in vicina Gedano, quo aula transitura erat, utique conferri cupiebant. In iisdem Comitiis nostri quoque de successione Marchionum Franconicorum in Borussiam movebant. Ad quæ Poloni reponebant: *cum eadem à futuris, & incertis casibus dependeat, ac Electori proles non desit, Reipublicæ deinceps sat temporis fore de hac materia deliberandi.* 1659.

Suspiciones inter Austriacos, & Polonos gliscunt.

§. 50. Inter ista Polonorum in Austriacos suspiciones gliscebant, sic ut cum super modo belli continuandi pace irrita proponeretur, isti de hoc agere abnuerint palam jactare non veriti, *Austriacorum auxilio parum proficuo sibi opus haut esse.* Et cum antea Poloni acriter contendissent, ut irruptio in Pomeraniam fieret, jam cum Cæsarei de eadem serio agere inciperent, isti frigebant, velut monstri quid subesset; ac Cæsareos forte actionis quid in Poloniam eo nomine moturos; simul gravem invidiam Joanni Casimiro apud Ordines Germaniæ incubituram, si is expeditioni isti nomen suum accommodare velit. Inprimis Regina Cæsareorum in Pomeraniam destinata suspectabat, velut viam subjugandæ Poloniæ sternentia. Præsertim cum usque adeo horum cupiditas pelluceret, ut etiam sacerdotem conscientiæ Regiæ arbitrum corrumpere studerent, quo Regi autor esset quamprimum imperio sese abdicandi. Cum reverea ea res nondum matura foret tumultuante exercitu, & Mosco promissa repræsentari urgente; Sed & Poloni proponebant, ut quoniam fœderati tantum bini inter se pepigissent, commune fœdus inter omnes feriretur; quo ipsi sese Austriaco fœdere exsolverent. Iidem & non parum querebantur, à Cæsare Czari titulum Lithuaniæ, Russiæ, & Voliniæ, quem hic sibi arrogaverat, tributum. Accedebat molestia à copiis Cæsareis, ob quam omnes clamabant, has regno pellendas, & cum Svecis utcunque transigendum. Nec aliud habebant Poloni, quod Electori objicerent, quam nimium in Austriacos studium, quem tamen ad extremum maxima damna ex horum societate sint mansura, irrita quoque spe horum ope Pomeraniam recuperandi, quod non ita in proclivi sit futurum, Svecos portubus tantopere adamatis avellere; nec Gal-

1659. Galli passuri sint hos ea provincia depelli, ex qua ipsis circa distrahendam Germaniam tam præstabilis opera navari poterat. Id quoque Polonis displicebat, quod Cæsar Suchio imperium in exercitum contulisset, qui ad Thorunium artes imperatorias haut exseruisse censebatur. Simul quod Lisola in Cracoviæ locum Posnaniam deposceret, quam permutationem Poloni hac rerum facie magis suspectam habebant, velut si rebus in Pomerania adversis ad eam urbem se recipere, ac hiberna ibi capere agitarent. Ad extremum tamen nostris eas suspiciones elevantibus Poloni in istam expeditionem consentiebant, his conditionibus: *ne Austriaci eo nomine à Polonis novi quid prætendant: ut Polonicis copiis alimenta ibi præbeantur, eædemque, si patria opus habeat, circa moram iterum dimittantur. E re tamen esse, ut ejus expeditionis moderamen penes Electorem sit, quod ipsius Statui maxime periculosum sit futurum, si solius Cæsaris arma Stetinum teneant. Nec eo majorem invidiam fore, Cæsare ausa probante, & Pomerania jam Rhenano fœderi exclusa.* Ac Lisola clamabat; *eam expeditionem unice Electori bono cedere, cui omnia hosti erepta statim tradenda sint, nisi forte locum aliquem maritimum Cæsar permutatione sibi adquirere velit.* Qui & ad extremum declarabat, *præsidium Cæsareum Cracovia deducendum; sed vicissim circa successionem Cæsari cavendum; ac jam tempus esse hunc eo nomine ambiri, quo inter lubrica hæc eam causam in Polonia, suique fratris commodum serio amplectatur.* Simul Reginæ connubium Principis Austriaci cum sua nepte ostentabat. Id quod Cancellario Magno valde displicebat, qui & nostris dicebat, *Electoris quoque mentem prius cognoscendam esse*; ac optabat, hunc è filiis suis aliquem in Polonia educari velle. Sane Cæsarei, quæ super successione agitabant, solicite nostros celabant, Lisola ne verbulo quidem de ea mentionem apud hos injiciente. Sed Electori consultissimum videbatur huic se negotio haut ingerere, & invidiam aliis relinquere. Simul apud Cæsarem juxta, Polonumque instabat de ponendis dissidiis; illi quidem svadens, *ut querulo, ac moroso nationis ingenio aliquid indulgeat, ne penitus rationibus se Galliæ mancipet*; his autem confirmans, *non esse quod metuant, in gratiam Cæsaris bellum extrahendum. Nam si primarii bellantium Poloni, ac Dani pacem fecerint, Cæsari prætextum, & occasionem bellum continuandi haut superesse.* Ita ad extremum cum Cæsarei de reddenda Cracovia annuissent, suspicio, ac offensa Polonorum in istos fere evanescebat.

Neoburgici in Polonia negotiatio. 26. Jul. Rautenstein.

§. 51. Austriacorum quoque in Polonia destinatis repugnabat Neoburgicus Palatinus, misso Joanne Ernesto Rautensteinio, ut futuro interregno ipsius ratio habeatur. Qua de re is apud Gniesnensem Archiepiscopum palam, apud Regem non nisi per ambages insinuabat. Sed dicis causa proponebat, *ut Rex ejus Principis commoda sibi commendata habeat, & quia metuat, ne Elector facta pace copiis suis adversus ipsum utatur, Rex ei periculo avertendo futuræ paci eumdem includat.* Addebatur excusatio fœderis Rhenani, quod *nullius offensam, ac non nisi sociorum securitatem spectet, ac ne Rex in partem expeditionis Pomeranicæ veniat, ne fœderatis necessitas adferatur Svecis evictionem præstandi.* Et constabat Neoburgicum misso legato apud Gallos institisse, ut hi fœderatorum arma in Svecorum gratiam distrahant, tum ut sibi imperium in copias fœderis Rhenani conferatur, si istæ adversus Electorem ducendæ sint. Ei laxioribus verbis responsum; *ejusdem cum Electore controversiam tractatibus multum remoræ injecturum. Sed si Palatinus peculiarem congressum eo nomine suscipere velit, à Rege operam promovendæ transactioni adhibendam.* Cæterum ne circa successionem iste operæ pretium faceret, nostri renitebantur, quod Elector tunc ab eo Principe nil amici expectaret. Quo in negotio Reginam facile sibi adstipulantem habebat, quæ Gallo cuipiam successionem quærebat. Senatoribus insinuabatur, *eum Principem elato, ac pervicaci ingenio esse, & qui haut limitatum imperium sæpe cum oppressione civium exercere gaudeat, sic ut libertas Ordinum Poloniæ sub ejusmodi Rege valde periclitatura sit: ac potius indigenam eligendum, declinandæ invidiæ tot competitorum, & vicinorum. Cæterum Neoburgici inanem metum esse, cum Elector pacto per legem commissoriam sancito caverit, se per vim nil tentaturum: unde supervacuum hoc tractatu istum comprehendi.* Contra Sveci eum Principem Polonis commendare studebant, ac Biœrnclovius Francofurti jactaverat; *si Poloni Neoburgicum Regem designari velint, à Svecis protinus loca, quæ in Borussia possideant, reddenda.* Sed pervicere demum nostri, ut Neoburgici hoc tractatu mentio ne fieret, præsertim cum & alia Germaniæ negotia hinc rejecta forent. 1659.

Elector circa includendum Polonicis tractatibus Danum satagit.

§. 52. Suscepta demum Olivæ cum Svecis tractatione, cui promtius expediendæ Joannes Casimirus Gedanum se contulerat, Electoris præcipuum in eo studium vertebatur, ut ab omnibus belli sociis pax communis cum Svecis concluderetur, ne hi per separatam transactionem unum, & alterum amoliti reliquis eo majori mole ingruerent; præsertim cum à Gallis id agi adpareret, ut Svecus Danico, Polonicoque negotio exsolutus Austriacis immitteretur; ex quo non poterant non Electoris ditiones bellantibus interjectæ molestiis involvi. Nec minus Sveco cordi videbatur fœderatos dividere, semper in armis persistere, ac Curlandiam tueri; simul urbes Borussiæ in eum statum collocare, ut eas semper repentino impetu iterum in potestatem redigere posset. Igitur à nostris id enixe agebatur, ut Daniæ quoque Rex his tractatibus accederet, quo deinceps communi omnium fœderatorum sponsine Svecus ita constringeretur, ut ne in unum movere quid posset, quin universos in se pertraheret. Ac de non destituendo quidem Dano Joannes Casimirus subinde spem faciebat. Pasbergius quoque ablegatus Danicus sibi injunctum ferebat *tractationem heic quantum possit remorari, quoad legati è Dania advenerint: id si impetrari nequeat, ut is saltem pactis compre-* *Pasbierg*

hen-

1659. *bendatur, nec prius heic quam in Dania pax perficiatur. Se quidem Regi exposuisse, quid Polonia Daniæ debeat; qui & pronum satis se declaraverit. Sed Reginam, & Cancellarium negasse, tractatus differri posse; præsertim cum Danus præstare nequeat ibi pacem non anticipandam, veluti Belgis obnoxius; qui demum pacem Roschildensem instaurasse satis sint habituri, modo circa pactum Elbingense sibi sit satisfactum.* Ac agnoscebat Pasbergius, *hanc Polonorum rationem haut spernendam, & vix meliora à Belgis speranda; qui tamen Daniam deserturi non sint, ne Hafnia, & Oresunda in Svecorum manus delabatur.* Eum nostri stimulabant, *ut Regis sui admissionem sedulo urgeat, ac ut Danici legati huc adproperent. Nam inclusiones inter solennes instrumentorum pacis formulas haberi, effectu fere cassas. Sane Polonos irrisui fuisse, cum à Svecis Westphalicam pacem violatam arguerent, cui Polonia inclusa fuerit.* Contra Regina disserere: *fœderatos magis circa Dani admissionem satagere, quam ipsum ablegatum; cui mandatum non sit in ejus gratiam tractatus sistere, sed tantum cautionem exigere, conventa heic non prius valida fore, quam Danica quoque pace absoluta. Quare ergo Elector pro Dano postulet, quod hic ipse non desideret?* Quam ob causam & Elector suos eam rem modeste agere jubebat, ut nec fidi amici officium neglexisse, nec Danicum ministrum præter voluntatem stimulasse videretur. *Neque enim suum esse alienum ministrum Principis sui mandatis instructum ad officium faciendum incitare.*

Poloni pacem urgent. 30. Dec. §. 53. Proponebat dehinc Cancellarius, *ob Mosci in Lithuania progressus*, qui ultra verum extollebantur, *Poloniæ festinata pace opus esse; eoque fœderatorum legati intra sex septimanas à Principibus suis plena mandata peterent, ultra quod tempus tractatio non sit producenda.* Id quod hisce durum nimis videbatur; etsi alias Elector non repugnaret, quo minus pax quamprimum fieret, modo Dani ratio habeatur, nec cujuspiam commoda per præcipitantiam negligantur. *Nec negari sibi posse, quin ubi nova, & super quibus nil in mandatis sit, emergant, ad Electorem referant, ac promtum inde responsum expectent.* Contra Poloni jactabant: *in negotio Danico adparuisse, uti Cæsar, ne electionem suam turbaret, auxilia in Daniam destinata inhibuerit, quæ sibi atque Electori in promtu fuerint. Unde nec sibi dari vitio posse, si potissimam rerum suarum rationem habeant. Nam suæ Reip. celeri pace opus esse, quam & Danus brevi amplexurus sit, quem utique prævenire cupiant.* Ast fœderati tam angustis terminis circumscribi abnuebant: *Ejusmodi temporum terminos nulli usui, & Svecis Lubecæ quondam tractationi certum temporis spatium præfixisse, ut eo per inania absumto verba induciarum semel atque iterum eludere, viamque bello munire possent.* Regina porro muliebri impatientia non parum Dano irascebatur, velut morarum autori; *nec illum Poloniæ amicum habendum qui in Dania gratiam tractatus remorari conetur. Belgis sat curæ fore, ne Dania pessum eat, cui servandæ hinc nihil conferri possit. Si communis pax quantumvis peculiari melior obtineri nequeat, num ideo Poloniæ in exitium ruendum?* 1659. *Hoenart.* *Nec Hoenartum Belgarum legatum dissimulare, sibi curæ esse Polonicam pacem remorari, quo Dania, quæ magis sibi cordi sit eam occupare possit. Svecos declarasse; si Dani negotiationem in Selandia solvere, atque huc transferre velint, sibi diplomata, & procuratoria in promtu esse; duobus quippe locis cum iisdem agere absurdum esse. Contra Pasbergium disserere; se non perspicere, quomodo Regis sui negotia heic tractari possint; sed si ab omnibus conjunctim sit agendum, Lubeccam adeundam. Interea nil memorabile armis in Borussia geri. Ac gratissimum Sveco esse pacem extrahi, cui interim occupata à se loca insidere liceat, queis pace facta ægre sit excessurus.* Quin Regina à nostris postulare non verebatur, *ut consentiant, quo exclusis Danis, atque Austriacis pax fieri possit; reservatis duntaxat in fœdere promissis.* In universum autem Poloni ad expectandum Danum obstringere se nolebant, *nisi non hic solum, sed & Belgæ fidem darent, se non aliter quam junctim cum Polonia pacem perfecturos. Nam quod Elector Danico fœdere promiserit, se absque Daniæ Rege pacem inire nolle, id ipsos non tangere, quibus cum Dano fœdus haut intercedat; nec sibi præstanda, quæ fœderatus suus tertio cuipiam promiserit.* Iidem quoque fœderatorum arma, citra quæ operæ pretium fieri non poterat, torvis oculis adspiciebant, ac medicinam magis, quam morbum oderant. Quo cum accederent Gallorum, ac Reginæ destinata supra memorata, metus erat, ne enorme quietis desiderium nationem miseriarum pertæsam, & alias propius luxuriam vivere solitam ad properam potius, quam solidam pacem amplectendam compelleret.

§. 54. Sed nec minus Daniæ Rex suam sibi pacem seorsim videbatur facturus, nuncupatis commissariis, qui cum Svecis super pace agerent. *Danus circa pacem suam satagit. 22. Oct.* Adversus quod institutum Elector Marvvicium protestari jubebat velut fœderi repugnans, & quo Poloni graviter offendantur, paria minati. Idem quoque Belgas demulcere jubebatur, ostenso, *quam gloriosum ipsis futurum sit, si communis pacis sequestres fiant; quæ nisi ab ipsis impediantur, utique processura sit, Svecis eo redactis, ut istam abnuere amplius nequeant. Sane ab Electore non nisi tutam pacem expeti; ac communi tractatione instituta Cæsarem defugere non valiturum, quo minus eidem accedat, solus bello gerendo impar.* Ast Dani apud Polonos frigide admodum super communi tractatu instare, quin his ultro prætextum præbere festinandæ suæ negotiationi, dum iisdem petentibus, quæ sibi sententia sedeat declarare abnuunt. Unde Electoris jussu Marvvicius demonstrabat; *hoc modo salutaria Electoris destinata valde turbari, ac ipsi non exiguam molestiam conciliari, offensa Polonicæ aulæ contracta, quod tam obnixe pro Dano contenderit, cum id ab ipso petitum non fuerit.* Itaque liquidum responsum Danos posceret: *num omni hactenus agitatæ tractationi renuntiare, ac fœderatis firmiter adhærere velint; an vero solo Belgarum auxilio nixis permittere, placeat ut Olivæ pax concludatur. Alias enim penes se non fore pacem Polonicam diutius remorari.*

1659. Poloni negotio fervide instant. 1. Jan.

§. 55. Ast Poloni, cum jam Olivæ ad rem accedendum esset, fœderatis scriptum exhibebant, hoc sensu: *Quia Sveci affirment plena sibi mandata esse absque ulteriore relatione ad Regem concludendi; qualibus & ipsi instructi sint; se quærere num & isti ejusmodi mandata habeant, ac si ea desint, protinus eadem adferri sibi curent. Nam ita Poloniæ res constitutas, ut intra bimestre ab hesterna procuratoriorum editione tractatus hosce vel concludi, vel abrumpi expediat.* Contra fœderati demonstrabant; *quam inique secum agatur, quod per ejusmodi monita minas spirantia arguantur affectatas moras nexuisse; cum tamen circa omnia fere Svecis indulserint. Ac esse sane Polonis rationes, ut tractationem maturent, non ut decretorium diem præfigant, quo negotium magis turbetur, quam promoveatur. Polonos quoque salva jurata fide separatæ tractationis mentionem facere non posse, qua & Resp. in statum quam nunc longe periculosiorem conjicienda sit.* Inde scripto respondebant: *Esse sibi utique in promtu idonea mandata; sed quia adversæ partis agendi ratio; ac distractionem inter fœderatos serendi studium perspectum sit, ac reconditos ejusdem sensus conjectura assequi arduum, propositione nondum facta, eoque ut pax acceleretur, aut protrahatur non tam ex ipsis pendeat, quam prout adversa pars recta aut sinistra animo agitet, ac plane improvisa Cæsari ac Electori postulari queant: igitur à se exigi haut posse, ut alienum factum præstandum ipsi recipiant, ac facultatem sibi adimant, in novis & improvisis casibus, quorum arbitrium sibi sumere nequeant, Principes suos consulendi; multo minus ut ad bimestre spatium sese adstringant, quod Sveci, ubi è re ipsorum fuerit, cavillando facile eludere queant: quo elapso vel tractatio abrumpenda sit, vel prorogatio à Svecis precario impetranda, pro captu rerum suarum vel indulgenda vel abnuenda. Igitur ne libertatem suam tam angustiis terminis circumscriberent; de cætero omnia se maturando negotio facturos.* Causa autem tantæ festinationis apud Polonos, præter superius memorata, erat rebellio Cosacorum contra Wiovium, qui nuper cum Polonis transegerat, à quibus Zechrinum interceptum fuerat; minæque Tartarorum, & quod Moscus pro lubitu per Lithuaniam grassaretur, induciis cum Sveco initis; cui amoliendo vix aliud supererat, quam vel successionem Regni, vel totam Lithuaniam, & Ucrainam concedere; *utrumque anceps, ut tamen satius videatur in successionem, quam in lacerandum Regnum consentire. Quod si pax in Dania fiat, Svecum non in Pomeraniam, ubi validus hostis occursurus sit, sed in Livoniam se conversurum, Moscisque junctum Poloniæ letalem plagam intentaturum. Sed nec annonam esse in locis, ubi bellum gerendum: unde optimum fore Borussiæ loca per pactionem recuperare. Externa auxilia, ac præcipue Cæsareorum usque adeo se non cupere, ut potius omnia sursum deorsum verti velint, quam iis uti. Præfectos nil nisi argento corradendo incumbere, dum gregarium militem inopia consumit.* Contra nostri: *Esse sane has difficultates sat graves: sed extrema potius vi contra nitendum, quam ut invicem divisi turpem cum Svecis pacem ineant. Si Poloniæ hostes inter se comparentur, nullum huic magis, quam Svec formidandum; quorum paci quantum fidendur ipsos jam documentum cepisse. Nec adeo trepidan dum Poloniæ, si pax Danica prævertat. Nam Polonica pace festinata Daniam plane periturum ruentibus quoque Poloniæ commerciis. Contr utut Danus tolerabili modo transegerit, non d esse rationem Poloniam servandi, & rebelles in U craina, & Mosci compescendi. A Sveco Pomera niam destitui non posse. In Livonia nil esse quo edatur. Fœderis quoque jurati rationem haben dam, cujus religio ni obstitisset, Electori facil fuisse invitante, & conciliante Gallo cum Svecis tran sigere. Ac Belgas quoque per Elbingense pactun eidem viam pacis cum Sveco ostendere. Adversu avaritiam præfectorum Cæsareorum in aula Viennen si remedium quærendum. In fœderibus, uti in con jugum dissidiis, conciliationi, & emendationi potius studendum, quam ad divortia ruendum. Svecos denique huc jam redactos, ut Elbinga & Mariaburgum brevi fame subigente deditionem sint factura.* Per isthæc uti aversio militis Cæsareani Polonis haut adimebatur; ita de tractatu duobus mensibus includendo ab iis remittebatur.

Wiowski

§. 56. Processum demum ad propositiones. Ubi Poloni injuriarum à Svecis illatarum tres classes constituebant, quæ Regi, quæ Reipublicæ, quæ sociis factæ sint, pro quibus omnibus satisfieri postulabant. *Ac Regem quidem in avitum Sveciæ Regnum restituendum, cum refusione interceptorum redituum regalium, nec minus in bona patrimonialia, & hæreditaria in Svecia una cum fructibus perceptis, abolitis quoque omnibus decretis in fraudem Sigismundi familiæ factis. Nomine Reipublicæ exigebatur, ut integra Livonia, & Estonia reddatur: Mariaburgo, & Elbinga præsidium deducatur; damna bello data reparentur; Curlandiæ Dux, ejusque ditio restituatur, refuso omni damno: Ut quoque omnes Syngraphæ, & instrumenta publica à provinciis, & aliis in Polonia Sveco data redhibeantur, uti & tabularium Regni cum actis publicis inde amotis; ac captivi utrinque liberi dimittantur. Exhibenda quoque diplomata pro Legatis Daniæ Regis, qui utique hoc tractatu sit comprehendendus. Nec minus communem securitatem, & pacis executionem debitis cautelis firmandam; ac ad sponsionem conclusæ pacis Principes & Respublicas, qui suo tempore nominabuntur, admittendos. Denique Cæsari atque Electori satisfaciendum.* Cæsareorum propositioni præmissum erat exordium modesto sensu, uti Cæsar præter voluntatem huic bello implicitus fuerit. Ejus capita erant: *Cum præcipuus negotii cardo in eo vertatur, ut pax inconcussis fundamentis firmetur, ne ullo deinceps prætextu, aut captata occasione convellatur, ante omnia idoneis cautelis prospiciendum. Regis, Regnique Poloniæ, & Electoris postulatis satisfaciendum. Danum cum pleno satisfactionis, & evictionis beneficio huic paci includendum. Cæsarem uno eodemque pacis Polonicæ instrumento comprehendendum, velut præcipuum fœderatum, & auxiliarem belli socium, ac omnium paciscendorum securitate pro se, heredibusque, ac ditionibus suis fruiturum,* eandem-

1659. *eandemque sub iisdem cautelis cum Poloniæ Regno sibi stipulaturum.* Ast nostri prolixam præfationem à se proponendis præmittere nolebant, ne Svecis ansam præberent recoquendis iis, quæ ad invidiam Electori faciendam Francofurti tædiosis scriptis icnculaverant. Summa capita erant: *Ut Daniæ Rex ad hos tractatus admittatur; Curlandiæ Dux restituatur, contumelia, injuriarum, ac damni facta reparatione; inprimis ratio ineatur, qua concludenda pax omnibus fœderatorum ditionibus tuta præstari queat: Ut omnis litium in futurum materia præscindatur, instrumenta pactorum Regiomontani, Mariæburgensis, & Labiaviensis redhibenda, omnique actioni ex iisdem quocunque colore formandæ nomine Regis, Regnique Sveciæ renuntiandum, eamque renunciationem communi pacis instrumento inserendam. Ut pro damnis hoc bello illatis Electori ex æquo satisfiat. Ut Poloniæ, Cæsarisque postulata impleantur, simul reliquorum belli sociorum ratio habeatur. In ipsis pactis modum definiendum, quo dissidia in posterum oritura sine armorum strepitu componi queant; nec minus uti pax exsecutioni danda, ac miles sine provincialium noxa deducendus.* Addebatur cautela, *ut hisce addere plura integrum esset, si forte adversa pars ansam præbuerit.* Circa isthæc Poloni quidem monebant, ne Elector satisfactionem nimium intendat, ac tutam pacem obtinuisse contentus sit. Sed super admittendo Daniæ Rege Cæsarei justo longius processum arguebant, idque Polonis haut gratum fore; cum Danicus ablegatus id duntaxat, & sat frigide quidem postulet, ut heic conventura vim obligandi non habeant, quoad & pax in Dania perfecta fuerit. Sed nostri offensæ quid apud Polonos malebant contrahere, quo viam Dano ad hosce tractatus integram servarent; quam certum modum designare, qui forte isti parum acceptus sit futurus; tum ut ostenderent; quantopere separata transactio Electori displiceat. Quanquam revera Pasbergius Regis sui negotia frigide agebat, adversus nostros etiam, qui in Dani gratiam tantum invidiæ sibi conciliaverant, nil familiaritatis ostendens. Cui nec ad præsentes tractatus procuratorium à Rege mittebatur: nec alii legati cum idoneis mandatis surrogabantur. Qui & non minus atque Belgicus Deputatus, etsi inferioris quam nostri legati dignationis charactere, congressum horum in loco tertio declinabat. Quanquam nostri Hœnarto Belgæ, si ad sequestris munus admitteretur, digniorem locum cedere constituerant, quod sequestri delatus honos nil huic prærogativæ det, reliquorum dignationi nihil deroget. Post longam tamen cunctationem Danicus ablegatus Poloniæ Regi scriptum offerebat, separatæ tractationis incommoda ostendens, ac *ut pax utrinque eodem tempore absolvatur, aut saltem heic prius conclusa vim obligandi ne habeat, ni & Danica pax perfecta fuerit; & ut huncce ad congressum Danicus legatus admittatur.* Denique *ne certum tempus huic tractationi præfigatur;* quod Svecus inde ansam arrepturus sit indecoras pacis leges obtrudendi ei, quem solum bello sustinendo imparem norit.

Pacisque ... Brandenburgorum. (margin, partly cut off: *que an- nbur- orum.*)

§. 57. Ast Sveci propositionem suam in formam justi instrumetri redegerunt, in certos articulos digesti; queis continebatur pacis atque amnestiæ constitutio; *ac ut Joannes Casimirus in Sveciam, ac bona patrimonialia renuntiet, simul titulo, ac insignibus ejus Regni abstineat: ut Respublica universam Livoniam cedat, solutis belli expensis.* Ingressu propositionis Cæsareis factæ nonnihil querelarum adspersum erat, velut Cæsar Svecicis sese armis citra necessitatem ingessisset. Cæterum articuli erant: *ut Austriaci deinceps hostilibus in Sveciam abstineant: instrumentum pacis Westphalicæ denuo confirment; Evangelicorum subditorum in ditionibus Cæsareis rationem habeant: loca per Holsatiam, Slesvicensem Ducatum, & Pomeraniam occupata restituant, ac de iis in futurum non invadendis caveant. Ne Cæsar Sveciæ per Westphalicam pacem quæsita turbet. Ut Regi Sveciæ jus militem conducendi, ac liber transitus in Germania non minus, quam aliis Imperii Ordinibus competat. Ut Cæsar, quæ adhuc in Westphalica pace restant, exsecutioni det, controversiæ cum Bremensi civitate se non immisceat, nec Collegium Canonicorum ibi protegat. Ne idem Svecorum vectigalia ad Warnemundam impediat. Ut Recessum Limitaneum Stetini cum Electore initum confirmet. Ut Sveciæ Regi tempus capessendæ inaugurationi provinciarum Germanicarum tam angusto limite ne circumscribatur, sed ut eam petere integrum sit, ubi commodum ipsi videatur; simul quæ eidem accipiendæ obstacula hactenus obstiterint, removeantur. Ut denique Sveciæ Regi velut parti læsæ ob damna hoc bello accepta satisfiat, cautione insuper de non turbando in posterum data.* Ast initium propositionis, quæ nostris fiebat, acerbis exprobrationibus, ac contumeliosis in Electorem verbis refectum erat, velut pactis violatis, & indignis in Svecos patratis. Capita erant: *Sit iterum pax, hostilia utrinque cessent: renuntiet Elector omnibus fœderibus contra Sveciam initis: idem hostibus Sveciæ transitum in provincias Svecicas ne permittat, ac in præsens curet, ut profusio sanguinis Christiani sistatur, neu Germaniæ pax abrumpatur. Ut Svecis liberum sit in provinciis Electoris militem conducere; nec cuipiam fraudi sit sub Sveciæ signis militasse. Ut Elector occupata per Holsatiam, Slesvicensem Ducatum, ac Pomeraniam loca restituat, Regi Sveciæ super datis damnis satisfaciat, ac de non amplius offendendo caveat.*

1659. *Svecorum propositio.*

§. 58. Hanc propositionem cum Poloni nostris communicarent, postulabant, ut antequam eam acceptarent, suamque vicissim traderent, cum Cæsareis sibi consultare liceat, an, & qua conditione ista admittenda sit; quod iidem metuerent, ne Cæsarei prius in aulam referre, ac forte protestationem interponere velint. Ad quæ nostri respondebant; *hoc modo protestationem, si quam Cæsarei agitent, haut impeditum iri, ac hos tantillæ moræ negationem ægre laturos.* Sed Gallus & Poloni contendebant: *Svecorum propositionem utique acceptandam, ac deinceps sat occasionis fore ad injuriosa Svecorum dicta respondendi.* Pervincebant tamen nostri, ut propositionum hinc inde traditio in crastinum differretur. Interim con- 14. Jan.

Super acceptanda Svecica propositione disceptatio

sul-

1659. Colobrat

fultus Cæſaris primarius Legatus Franciſcus Carolus Colobratus reſpondebat: *ſe ob injurioſa dicta permutationi propoſitionum haut interceſſurum, cum ſat ſpatii futurum ſit reſponſo reponendo; ac nil novi eſſe Cæſarem à Gallicis, ac Sueticis miniſtris inani criminatione adſpergi.* At noſtri ante commutatas propoſitiones injurioſa dicta aboleri vehementer cupiebant, velut rem mali exempli, & inter colloquia pacis abſurdam, nec niſi irritandis animis inſervientem. Sed Poloni ut commutatio fieret inſtabant; quibus Cæſarei contradicere nolebant, quod Svecis iſthæc agendi ratio apud Germaniæ Ordines ingentem invidiam paritura eſſet. Ac negabat Gallus ea verba à Svecis inductum iri; quod inſtar recantationis habiturum ſit. Ac Poloni offerebant, ſe præfationem ſuam viciſſim omiſſuros. Igitur cum noſtri ob Polonorum feſtinationem ad Electorem referre non poſſent, duo ſcripta concipiebant, quibus ad objecta reſpondebant. Cupiebat Gallus declinandæ animorum exacerbationi ſumma tantum capita Svecicæ propoſitionis communicari. Sed Cæſarei autographum depoſcebant, ſtipulati ſibi facultatem reſpondendi, ac ut Gallus id reſponſum Svecis tradat horum maledicentiæ retundendæ. Quibus noſtri aſſentiebant ea lege, ut ſi Sveci injurioſa dicta ultro inducere nolint, paria à ſe expectare debeant; utque; Gallus Svecos moneat, talibus in poſterum abſtinere. Ea occaſione ſuper modo tractandi diſceptatum, ſermone, an ſcripto uti ſatius foret; quorum hoc fœderati, illud Gallus cupiebant, ſimul Sveci ſcripta non niſi ſequeſtri in memorialis libelli vicem tradi volebant. Noſtri præcipue ingerebant, *per colloquia facile anſam diviſioni inter fœderatos præberi poſſe.* Cæſareis peculiaris ratio erat, quare ſcripto agere vellent, quod Gallum ſequeſtrem nollent agnoſcere, niſi Hiſpano junctum. Sed Polonis Hiſpanus ſequeſter diſplicebat, velut Auſtriacis nimium addictus; quæ & ipſa feſtinandi tractatus cauſa erat. Aſt Electori haut viſum ſcriptis abſtinere vitandæ cavillationi. Contumelioſo exordio idem parum movebatur, quod paria reponendi facultas foret. Si Sveci iſtud ultro corrigerent, noſtri declarare jubebantur: *cum Sveci moniti, ſcriptum ſuum nimis acerbum, ac male temperatum agnoverint, idque ipſi emendaverint, declinandæ bili idem haut refutandum, ac deinceps modeſta dictione utendum, ne adverſa pars neceſſariam retorſionem provocet.* Quia tamen Gallus, & Poloni metuebant, ne reciprocæ ſcriptiones aculeis refertæ animos irritarent, ſimul extrahendo tempori anſam præberent; apud noſtros inſtabant, *ut contenti ſint, Svecis ſcriptum ſuum redhiberi, contumelioſo exordio truncandum, quo hi ſe ipſos injuriarum videantur damnare.* Quod cum noſtri declinare non poſſent, proteſtationem interponebant, per quam injurioſa Svecorum dicta ſatis retorquebantur. Ita demum placuit ab omnibus propoſitionum exordia omitti.

Stripto an ſermone tractatio agitanda

Noſtrorum reſponſio.

§. 59. Sic igitur noſtri ſine exordio ad Svecorum propoſitionem reſponderunt: *Electorem, cum non niſi adverſus hoſtes ſuos fœdera inierit, his deſiſtere neutiquam poſſe: nec præſcribi ſponſibi velle, quibuſcum vel fœdera ferire, vel quorum amicitia abſtinere debeat. Aſt facta pace cum hoſtilitate infeſta utrique fœdera ultro expiratura. Cum ad inhibendos exercituum tranſitus aliis exercitibus opus ſit, ad quod onus nemo teneatur, id nec Electorem à Rege deſiderare, nec hunc ab iſto requirere poſſe. Cæterum uti, bello à Svecia Poloniæ illato, Electori ſine juſta cauſa laceſſito defenſionis neceſſitas impoſita ſit; ita per Sveciam nunc quoque ſtare, ut arma ponantur, quilibet ſua retineat, alienis abſtineat, extorta reddat, & cum tot myriadum ſanguis non poſſit, ſaltem alia damna refundantur, ac tandem Chriſtiani cum Chriſtianis pacem ineant, eamque Chriſtianis digna fide colant. Electorem nullo modo conſentire poſſe, uti juri ſuo circa conductionem militum per pacta derogetur, aut quiſquam in ejus juris communionem quocunque colore ſecum veniat; qui & illibatam ſibi eo nomine edicta condendi, & in transgreſſores animadvertendi poteſtatem ſervet. Si porro Sveciæ Rex aliis hoc bello ſubtracta loca reſtituat, Duci Curlandiæ quoque cum familia ſua in libertatem repoſito; nec Electorem quid omiſſurum, quo communis pacis ſtudium teſtetur. Cum præterea injuriam non faciat, qui eam repellit, nec de reſarciendo damno quiſquam teneatur illi, qui id, ut ſibi, aliiſquè daretur, effecit; Electorem nullo jure ad damni reparationem teneri; quia jure optimo maximo poſtulare, ut damna ſuis ditionibus hoc bello illata reſarciantur. Denique cautionem à Rege Sveciæ velut primo aggreſſore Electorem merito exigere.*

1659. 28. Ja.

Suecorum exceptio. 8. Febr.

§. 60. Ad iſthæc à Svecis reponebatur: *Ducis Curlandiæ habendam rationem, ubi ad eum articulum in progreſſu tractationis perventum fuerit; cujus tamen captivitas minore cum invidia traduci mereatur, cum iſti, ut neutrarum eſſe partium poſſet, juſto inſtrumento cautum non fuerit. De firmitate pacis ſupervacuum eſſe metuere, ubi omnia bona fide transacta fuerint. Ac Sveciæ Regem potius habere, quod de cautione ſolicitus ſit, tot injuriis ac damnis obrutum, & cujus Regno, ac provinciis in futurum pernicioſæ machinationes imminere poſſint. Porro ut acta earum rerum, quæ inter partes proprio motu & conſilio ſolenniter transacta ſunt, redhibeantur, contra morem exigi. Sed circa poſtulatam actionum abolitionem par eſſe Electorem iis adquieſcere, quæ inter Regem Sveciæ, & ipſum ea de re antea convenerint. Nam poſt abruptam poſtremo amicitiam nil ejuſmodi emerſiſſe. Haut recte indemnitatem petere illum, qui non tantum huic bello ſeſe ultro immiſcuerit, ſed & turbatæ Germaniæ initium, tot malorum cauſam, dederit. Juſtius poſtulari, ut Elector quæ dedit damna penſet, quæ perpeſſus eſt ſibi imputet, cui bellum paci præferre libido fuerit. Polonis, ac Cæſari jam peculiari reſponſo ſatisfactum. Mirum videri, à noſtris numerum ſociorum belli extendi, cum alii non ſint, præter Polonos, Cæſarem & Electorem. Super modo componendi oritura in futurum diſſidia, ac innoxia militum deductione poſt perfectam pacem curæ fore.*

Noſtrorum replica.

§. 61. Ad iſta à noſtris reponebatur: *Acceptari a ſe declarationem legationis Svecicæ ſeque-*

1660. *stri factam; quod mandatis ad tractandum cum Danicis legatis instructi sint. Quo fine se postulare, ut procuratorium circa negotium Danicum exhibeatur, quale ab initio tractationis fœderati desideraverunt, ac Sveci curaturos se promiserunt. Curlandiæ Ducis liberationem ad progressum tractatuum rejici non posse, cum is nunquam in partem hujus belli venerit, nec Sveci ullum hostilitatis indicium dederint, antequam irruptione in domum pacati Principis facta captivum cum suis abstraherent. Jure igitur postulari, ut inermis Princeps, ac movendæ suspicioni impar in eum statum reponatur, quo durante bello fuit, & unde nulla justa causa dejectus est. Idque congruum esse & instrumento neutralitatis à Christina Regina pro se & successoribus suis Duci concessæ, & pactis à Rege Carolo Gustavo Miescii subscriptis, ac toties iteratis asseverationibus, queis Rex Ducem de benevolentia sua securum esse jussit. Id justissimum sane postulatum si negetur, orbem facile de successu tractatuum judicaturum, & quid de adversæ partis æquitate sperandum sit. Si hoc bellum non prius susceptum fuisset, antequam per pacta bona fide inita licuisset, nullibi id bis in oris extaret. Ne igitur in futurum tale quid fiat, eorum interesse, qui tutam pacem cupiunt. Et cum fœderati bellum à Sveciæ Rege illatum populsent, suæque tantum securitati prospiciant, non esse, quare is à justis fœderibus armisque sibi metuat, si una cum fœderatis rationem stabiliendæ pacis iniverit; idque circa pacis conventiones solenne esse. Et moris & rationis esse, ut qui pacem perennare voluerit, fomitem turbarum, novas flammas producere aptum, aboleat; eoque istiusmodi instrumenta, qualia reposcuntur reddat, ac prætensionibus quantumvis invalidis, quibus ista colorem præbere possint, renunciet. Acceptari, illum ad reparanda damna bello illata teneri, qui bellum paci prætulit. Atqui adversam partem primo omnium arma in Poloniam movisse, minatamque, Electorem pari sorte cum aliis vasallis ac civibus Poloniæ habendum. Unde huic necessitatem adornandæ defensionis impositam: Inde Borussiam infestis armis petitam, castra Regiomonti admota, pacem quoque Germaniæ ductitatis hinc inde hostilibus copiis turbatam. Igitur Electorem gravissimorum damnorum refusionem inde petere, unde ea omnia profecta sunt. Cum porro Sveci responso suo neque Polonis, neque Cæsari satisfecerint, dignam fœderato Principi curam requirere, ista postulata iterari. Cum omnibus constet, quibusnam Sveci armorum necessitatem imposuerint, ac numerus eorum, qui suo nomine, aut velut auxiliares bellum gerunt, haut infinitus sit, nec Poloni, ut cum Cæsare, & Electore solum heic tractetur, à Svecis scripto postularint; non mirum videri debere, si ad belli fructum, pacem nempe communem, vocentur non sociorum, sed belli socii, qui alieni belli damna, molestiasque hactenus senserunt. Si amicitiæ, quæ Regibus, Regnoque Sveciæ cum Brandenburgica Domo à multis retro annis intercessit, digna ratio ab adversa parte fuisset habita; nec super constituenda pace, nec eam conservandi modis laborandum nunc foret. Ista vero turbata fas sibi esse requirere, ut legatio Svecica pro studio suo circa reducendam pacem rationes explicet, quibus dissidia, si quæ in futurum oriantur, sine armis componi possint: tum ut deducendi militis modus, & reliqua ad pacis exsecutionem spectantia mature definiantur, nec ad peculiarem tractationem rejiciantur.* 1660.

§. 62. Enimvero quia isthac scriptorum reciprocatione non solum multum temporis terebatur, sed & per aculeos hinc inde adspersos animi non parum exacerbarentur, sequester scriptione in posterum abstinendum svadebat, præsertim cum Sveci non nisi sermone sua exponere vellent. Quibus reponebatur; *compendiosius esse scriptis quam sermone agi, quod dicta non ita accurate memoria hæreant, ac sæpe aliis explicationibus opus habeant. Nec infrequens esse dicta deinceps inficiari. Ac vel ideo acta scripta in promtu habenda, ut pace non secuta orbi demonstrari possit, penes quem culpa irriti negotii fuerit: id quod inter meras sermocinationes fieri nequeat. Et cum semel is modus placuerit, cur Svecis ita serviliter cedendum, queis nostra facilitas ad plura postulanda audaciam additura sit. Cæsareos quoque defectu sequestris non aliter quam scriptis agere posse. Denique hac novatione Svecos exiguum pacis desiderium ostendere.* Sed Poloni ostendebant: *ob Mosci progressus pacem sibi maturandam. Se quoque anno 1629, & 1635. inducias cum Svecis sermone bono successu expediisse. Brevi constare sibi debere, pacem, an bellum heic habituri sint, quo consilia sua pro captu ordinare possint.* Suberat & arcana ratio, ut hoc modo clam negotium suum perficere possent, quo absoluto fœderatis sequendi necessitas erat. Unde & ex urbe in prædia Olivæ vicina se conferebant, ut eo liberius cum Lumbrano consilia conferre possent. Ac Sveci jactabant: *Sibi cum Polonis facile conventurum; ac fœderatos nil heic habere quod agant, nisi de securitate.* Unde cum & Cæsarei Polonis adstipularentur, nostris quoque vitandæ separationi cedendum erat. Ita demum placuit, ut utrinque proposita sequester Lumbranus scripto sua manu subsignato hinc inde tradat: sed quæ Cæsareos spectent, Poloni pari modo communicaturi erant. Et Elector suis injunxerat circa hanc rem Polonis, atque Cæsareis concedere, ne mora pacis ipsis impingeretur; hac tamen cum cautela, ut omnia accurate in acta referrentur.

Non amplius scriptis tractare placet.

§. 63. Dum ista inter legatos disceptantur, Cæsar per Petrum Strozzam Comitem Electori Oratoris Hispanici literas communicarat super pace Regnorum Borealium constituenda, circa quas Electoris sententiam exquirebat. Ubi huic videbatur; *cum Cæsar non alio respectu hoc bellum ingressus sit, quam ut tuta pax instauretur, nil obstare, quo minus officium tam salutare Hispaniæ ac Galliæ admittatur. Sed quia Mazarinus de triginta militum millibus proximo vere Sveco in auxilium submittendis minas spargat, providendum esse, ut Gallus intra limites sequestris se teneat. In omnem eventum paria auxilia ab Hispano stipulanda.* Ac sane vix cum officio sequestris consistebat, quod Gallus conventui Francofurtensi per literas denuntiasset: *ni isthoc officium ante finem Februarii acceptetur, se Sveco evictionem præstiturum.* Quæ denuntiatio typis impressa tota Germania vulgabatur non sine gravi Cæsaris offen-

Cum Cæsare super conditionibus pacis agitata.

3. Jan.

25. Jan.

1660. offensa. Idem dehinc, multa super Cæsaris constantia circa peculiarem tractationem declinandam præfatus, exquirebat; *cum sine dubio Olivæ super restitutione locorum in Pomerania occupatorum agendum sit, quæ circa ista Electori sententia sedeat?* Hic paria testatus reponebat: *Cum Cæsari, Germaniæ, atque Poloniæ à præsenti Pomeraniæ statu perpetuum periculum immineat, an non Svecis tam prompta semper occasio vicinos pro libidine infestandi sit circumcidenda, ac limite Odera melius constituto securitati Germaniæ, ac vicinorum fundamentum ponendum? De quo ipse Cæsaris mentem intelligere cupiat.* Post tamen Elector per literas declarabat: *Ante susceptam Pomeranicam expeditionem Cæsareos ministros sibi semper ingessisse, rebus Svecorum in Germania hoc modo dispositis, banc semper ab istis inquietatum iri, patente iisdem janua in provincias Cæsaris, ac Poloniam excurrendi. Sed se contra ejus negotii difficultatem ostentasse, nimium multis sese opposituris; eoque satius fore isto supersedere, quam cœpto post desistere. Sed quia Cæsar haut eo minus exercitum iter ingredi jusserit, se sperasse omnia ita disposita fuisse, ut ea destinata indubie obtineri possint. Unde se probe supra vires circa expeditionem hanc connixum. Sibi quoque persuasum, cum ipse non incrementa suarum ditionum, sed unice constantem quietem Germaniæ, & vicinorum respiciat, Sveciam hoc rerum statu, si fœderatis amica conspiratio constet, facile eo compelli posse, ut saltem Stetino, & Odera fluvio cum iis, quæ tractatu limitaneo per injuriam extorserit, cedere necessum sit. Sed quia Cæsar gravibus de causis in restitutionem inclinet, se quoque ejus voluntati obtemperaturum. Rogabat tamen, Cæsar leges pacis ita adornari curet, ut deinceps, si Sveci similes turbas moveant, ipse ac posteri sui causam habeant bonum publicum pari studio amplectendi.* Nam hucusque Elector super ea re mentem suam declarare noluerat, quoad adpareret, num Svecis pax cordi esset. Sed nunc postquam Polonica pax ad id negotium adhæsura videbatur, ac Cæsar urgeret, quantumvis invito in id consentiendum erat. Scribebat quoque eodem tempore ad Electorem Moguntinus, Coloniensis, Palatinus, Wurtenbergicus, & Cassellanus, *ne ob Pomeraniam, aut exterorum rationes Imperium turbis involvat, & occupata ibi reddat*; haut obscure innuentes ipsius acta parum sibi probari, ac eidem omnem culpam impactum iri. Coloniensis tamen, Brunsvicenses, & Cassellanus vicissim eidem evictionem contra Svecos pollicebantur, modo positis in Pomerania hostilibus occupata restituere velit. Quibus contra Elector demonstrabat, omnem turbarum originem à Svecis promanasse. De cætero se officio in Patriam non defore.

21. Febr.

Cæsaris ad Electorem legatio.

§. 64. Ast Cæsar, quia ex isto responso aliquid ægritudinis in animo Electoris conjecerat, huic demulcendo, ac in placita sua deducendo Hannibalem Gonzagam Marchionem ad istum ablegat. Quem Elector ob natalium dignationem singulari honore Berolini habuit, assignato in arce hospitio, & dextra manu concessa; quorum neutrum, uti olim usurpatum, ex aliquo tempore Elector ulli legatorum indulserat, queis privata domus inhabitatur, & per aliquot dies publicis sumtibus epulum præbetur. Is ergo ostendebat, Colbertum à Rege Galliæ missum Viennæ declarasse, *evictionem quam hic Sveco promiserit, iis conditionibus circumscribi, ut à Cæsare nil amplius exigatur, quam restitutio Pomeraniæ, data insuper fide de Provinciis Cæsareis haut invadendis, si maxime alibi extra Germaniam contraria Cæsari arma gesturus sit. Tum ut iste Curlandiam, & Borussiam restituat, ac renuntiatione in Regnum Sveciæ, & cessione Livoniæ contentus sit. In Dania legibus Roschildensis pacis stetur. Cæterum in Polonia pacem utique faciendam, citra quam pax Germaniæ consistere nequeat. Ista si Sveco denegentur, Galliæ Regem promisisse, se per pacem Westphalicam Sveciæ pacta tuiturum.* Viennæ quoque nuper à Moguntino, & Coloniensi legatos fuisse, qui sine exceptione inducias, & restitutionem locorum Pomeraniæ exegerint. Id quod Cæsar abrupte negaverit; ac cum isti fœdus Gallicum non sine minis ostentarent, denuntiatum; statim atque iidem Gallis transitum Rheni concederent à Cæsare viginti quinque militum millia terris eorundem immissum iri. Mazarinum quoque Biœrnclovio dixisse *Regem Galliæ quidem, ut Pomerania, & Bremensis provincia Svecis salvæ sint, præstiturum; plura affectantibus auxilium subtracturum.* Porro Cæsari nunquam in animo fuisse Danum deserere. Sed quia hic peculiares tractatus susceperit, nec sui juris sit; verendum esse, ne si Olivæ, & Hafniæ pax Cæsare, & Electore exclusis fiat, Germania novo bello involvatur, quod Cæsar omni studio declinare studuerit. Unde huic videri, utique eo incumbendum, ut Olivæ tuta pax obtineatur. Quod si tamen Electori peculiares ob rationes aliud placeat, ejus se voluntatem secuturum. Ad quæ Elector: *Sibi quoque Olivæ transigendum videri ea lege, ne Sveci quid actionis in ipsos, aut Imperium reservent. Optandum sibi tamen, si Stetinum & Odera obtineri possint, abolitis quoque in sua provincia Svecorum vectigalibus.* Sed cum Gonzaga quæreret, *num Elector absque Stetino pacem plane nolit, an vero ejus recuperationem ad aliud tempus seponere satius ducat?* Re accurate disceptata adparebat, negotiationem Olivæ prompte succedere, sic ut inter Polonos, & Svecos nil amplius controversiæ restaret. Et quanquam Cæsarei, atque Electorales nonnihil dilationis postularint includendo tractatibus Dano; Polonos tamen id non curare obtentu, nullum sibi cum hoc fœdus intercedere, per quod teneantur ejus causam morari. Ac si quid beneficii Poloniæ à Dano exhibitum sit, id misso in auxilium Czarnecio pensatum. Eidem quoque decretum seorsim de pace agere; cui & Elector scripserit, ne Polonicæ paci spes suas superstruat: ac Belgas negotium in Dania præcipitare. Cum itaque Poloni quocunque modo pacem cupiant, Danus quoque non nisi separatam per pacem servari queat; quæstionem esse; num Cæsari, atque Electori expediat sine Polonis, ac Danis bellum continuare, an vero Polonicam pacem non inclusa Dania amplecti, sponsione Galliæ, Hispaniæque, ac paciscentium contentis? Id quod Elector arbitrio Cæ-

saris

1660. saris committebat. Sed Gonzaga; *id quidem Cæsari parum decorum, pacem non comprehensa Dania inire. Sed quia iste Rex sui juris non sit, occasionem Polonicæ tractationis hautquidquam negligendam; præsertim cum hi vel soli pacem amplexuri sint, simul judicaturi, ad nil aliud se fœderatis teneri, quam bello continuato his conventa auxilia submittere. Igitur Cæsari decretum pacem Polonicam haut sufflaminare, ni forte Electori aliter videatur, cui quam maxime satisfieri optet: qui & suis Gedani legatis injunxerit, nil nisi de Electoris sententia concludere.* Ad quæ Elector profitebatur: *se quoque non repugnare, quo minus ipsi Polonica pace comprehendantur.* Ut porro Danus Polonico tractatu excluderetur, eo minus dubitabat Cæsar, quod ipse semper Danicis tractatibus exclusus fuisset; ac Danum, dum in separatam tractationem consensit, eo ipso Polonicæ renunciasse. Ostendebat porro Elector, *tantum se damnorum hoc bello tulisse, ut merito eorum pensationem postulare possit. Ut tamen orbi ostendat, se non dilationem finium, sed stabilem tantum pacem quærere, certo postulato insistere nolle: Cæsari tamen negotium Stetini, & Oderæ commendare ita disponendum, ne ipse semper Svecorum invasionibus pateat.* Ad quæ Gonzaga; *difficile fore Olivensis tractatus cursum remorari. Sed si Elector id negotium interventu Hispanorum, ac Gallorum agere velit, Cæsarem quantum possit operæ eo collaturum.* Unde demum Elector: *quia Polonorum in pacem festinatio permissura non sit id negotium, ipsi Poloniæ tam salutare, nunc persequi, ac id forte ansam præbere possit abrumpendæ tractationi; satius esse ea prætensione ad aliam occasionem reservata in præsens paci animum advertere.* Postquam itaque Elector ex hisce Cæsaris mentem satis perspexisset, habito consilio ita Gonzagæ respondit: *Stetinum, ac participationem vectigalium, & quæ his conjuncta sunt Cæsari de meliore nota commendari, ut per Hispanos Gallosque recenti amicitia Sveci ad istis cedendum permoveantur. Tum ne Recessus limitaneus Stetini confectus Polonicæ pacis instrumento confirmetur.* Addebatur, *num Daniæ Regi sine exceptione significandum, in peculiares ipsius tractatus consentiri, & se quoque circa suam pacem curaturos? Ac num idem Belgis quoque, & Polonis denuntiandum? Item, num pace Olivæ conclusa deinceps omni auxilio Daniæ ferendo supersedendum, an vero ejus facultatem isto tractatu reservandam? Ut denique si Poloni pacta jurata cum ipso inita solicitare velint, Cæsar ipsius causam tueri velit.* Ad quæ Gonzaga declarabat: *petitam commendationem Cæsari curæ fore. Ut ob Recessum Limitaneum Polonica pax pereat, Electorem vix desideraturum. Auxilia Dano ferenda reservari non posse, quod pax Olivæ sine exceptione fieri debeat, & hoc modo in armis manendum, cum Sveci aliam hostilitatis causam in Cæsarem, & Electorem præter ista auxilia non habuerint. De hac sententia quoque Dano significandum, addito, ut Cæsarem, & Electorem sua pace comprehendat. Si Poloni pacta convellere aggrediantur, Cæsarem Electori adfore.* Addebatur, *quia Elector semel atque iterum ob communis patriæ respectum pacem magno suo cum damno fecerit, Cæsarem istud studium Ordinibus in Comitiis quam diligentissime demonstraturum, simul eo incubiturum, ut isto nomine aliquid pensationis ipsi contingat.* 1660. Ita demum declarabat Elector; *se Cæsaris pollicitis contentum ob Stetinense negotium pacem non remoraturum.*

Regis Daniæ ad Electorem legatio. 27. Jan.

§. 65. Inter ista quoque Daniæ Rex Detlevum Alefeldium ad Electorem miserat; qui primo de Regis in fœderatos constantia testatus, ostendebat; *hunc ideo duntaxat in tractationem cum Svecis consensisse, ne si pacem recusare videretur, Hagensi compacto designata ipsi intentarentur.* Addebat preces, *ut injuriis copiarum fœderatarum, queis Jutia, & Holsatia opprimatur, medicina fieret, quas atrocibus modis differebat; ac ut saltem dimidia pars earum copiarum revocetur. Tum ut Elector exemtionem à tributis, quam Duci Gottorpiensi in tractu Eiderstadiensi, & præfectura Husumensi indulserat, revocet, ac Regi arcem Gottorpiensem tradat.* Denique si pax non succedat, quæ in futurum ratio belli gerendi sit futura quærebat. Is cum parum grata attulisset, diu sine responso detinebatur, donec consumta patientia in querelas erumperet. Ita demum super corrigenda militari licentia ad Quastium scribebatur. Sed ut pars copiarum avocaretur, rationem belli non ferre. Inde ad Regem ab Electore literæ dabantur hoc argumento: *Se Daniæ commoda apud Polonicum conventum ita fervide propugnasse, ut non parum invidiæ inde contraxerit, velut à se quæratur, quod Daniæ Rex ipse non cupiat: dum ejus ablegatus ad tractandum sibi mandata esse negat, ac separatam negotiationem Hafniæ agitari haut dissimulat. Unde suspicionem ortam velut ipse alios ob respectus pacem remorari instituat; cum tamen ab initio nil præter sociorum salus cordi sibi fuerit. Quod si Rex alia via securitatem suam obtenturum se confidat, ac Polonicos tractatus non curet, male se facturum, si præter necessitatem hisce remoram injiciat. Unde cum conjicere liceat, singularibus rationibus Regem duci, quare Gedani de pace sua agi nolit, sententiam se ipsius super hoc exquirere. Nam nisi Rex Polonis caveat, se absque illis tractationem non suscepturum, brevi pacem Olivæ coalituram se incassum reluctante.* (21. Febr.) Paulo post Elector alias ad Regem literas dabat: (2. Mart.) *se Gedano intellexisse, inter Svecos, & Polonos clam nullo ad Daniam respectu transactum, quod hujus ablegatus negaverit mandata sibi esse, ac nuper missum procuratorium sero nimis venerit. Igitur Rex non fœderatis, sed sibi imputaret, quod Hafniæ seorsim agere maluerit, cum tamen Sveci obtulerint, se Gedani quoque Danicum negotium expedituros. Ex quo grande incommodum oriatur, quod fama de secreto inter Polonos, & Svecos fœdere ferat, ut si Cæsar, & Elector eam pacem amplecti abnuant, belli sedes in ipsorum ditiones transferatur simul impediatur, ne Daniæ auxilium ferre queant. Cum autem hæc res sibi tam proprio nomine, quam ob Daniæ salutem valde cordi sit, se Regis sententiam nosse cupere, quomodo negotium ita dirigi possit, ut vel pax pariter cum omnibus quorum interest concludatur, vel Rex tuta ibi pace, de qua Belgæ spem faciant, potiatur. Idque eo magis, quod mors Regis Caroli Gustavi apud Polonos pacis cupidinem haut imminuerit, Gallo rem fervide ur-*

1660. *urgente; etsi eo casu in commodum suum vertere placuerit.* Addebantur querelæ, quod Rex haut eo minus pacem suam persequatur, nulla Marvvicio communicatione facta, jactato insuper, à nemine magis, quam se pacem Polonicam urgeri. Igitur petebatur, *ut Marwicius Hafniæ in partem negotii admittatur, aut per ablegatum Gedani, quod is hactenus abnuerit, declaretur, legatos Danicos ibi expectandos, ac Regem transigere* 23. Mart. *nolle, nisi pax omnes complexa conficiatur.* Ad has literas Rex respondit: *se communem pacem semper vel cum periculo status sui affectasse. Legatum Janum Julum per biennium in aula Polonica hæsisse, ut ipse ad communem de pace congressum admitteretur: sed nil impetrare potuisse. Nec Pasbergium alio fine Gedanum missum, quam impediendis separatis tractatibus. Sed nec in hanc horam aliquid justorum tractatuum inter se, ac Svecos intercessisse, cum inter habitos congressus nondum super prævüs negotiis convenerit. Ad Polonicam tractationem nunquam se invitatum, nec suis legatis diploma securitatis exhibitum; & statim atque intellexerit Svecos Danicum ibi negotium admittere velle, lucrando tempori Pasbergio procuratorium misisse, quod ob hiemem, & intersepta per hostes itinera citius perferri non potuerit. Nec eo magis procuratorio allato ablegatum suum ad tractationem admissum. Jam quoque inter Polonos, & Svecos clam convenisse, solennibus propediem addendis, nulla Daniæ habita ratione; quam præcipitantiam sistere penes se non sit. Interim à sequestribus Hafniæ se ad instaurandos congressus non sine minis indesinenter urgeri: & cum ipse ita raptim eo descendere non posset, classem Belgicam Landscronensi portu digressam Svecicis navibus liberum Maris Baltici ingressum ultro concessisse, pacto quoque super commerciis cum Svecis inito. Ac jam undecim bellicas Svecorum naves ante Hafniam intra machinæ jactum apud Belgicam classem anchoris jactis oneraria navigia ad urbem tendentia abripere fame hanc pressuras. Unde post tam diuturnum Hafniæ obsidium neminem sibi vitio daturum, si ad tractationem descendere quam se, Regnumque in exitium præcipitare malit, nulla liberationis spe. Et ut maxime ipse declarare velit, se heic pacem non admissurum, quoad ea junctim cum omnibus fœderatis conclusa sit, nullam tamen tractationis Polonicæ remoram sperandam. De cætero operam se daturum, ut Electoris legati heic admittantur; ac jam antea monuisse, ut vel Marwicio procuratorium mittatur, vel alius debita agendi facultate succinctus veniat.* Ad has Elector reponebat: *Si-*
10. April. *bi quidem hactenus spem fuisse, Regem post totiens iterata promissa, uti fœdere cautum sit, in peculiares tractatus haut consensurum; quo fine & ipse negotiationem Polonicam, quantum licuerit, extraxerit. Ac quanquam sibi valde gratum sit, si bona is pace Regno suo tranquillitatem reddere possit: in præsens tamen certi nil declarare posse, sed omnia sibi ad Cæsarem referenda. Et quia Rex præstare nequeat, legatos à se mittendos Hafniæ ad tractationem admittendos, ubi etiam aliquoties habitis congressibus negotium pacis fervere dicatur; non tutum sibi, nec ex dignitate videri legatos suos eo proficisci. Confidere tamen, si utique indeclinabilis necessitas peculiares tractatus amplecti subigat, Regem id curaturum, ut Cæsaris, ac sui mentio ita* 1660. *in pace fiat, ne Sveci actionem, & prætextum belli in ipsos retineant; utque fœdus de mutuo auxilio, si alteruter invadatur, validum persistat. Vicissim nec Regem improbaturum, si & ipsi pacem Olivæ maturent.*

§. 66. Cæterum cum interea mors Caroli Gustavi interveniret, multi crediderant, per eam paci remoram injectum iri: ac sane non minus Daniæ Rex, quam Elector ex ea paulo lautiores sibi pacis conditiones sperabant. Enim vero Belgæ post eam mortem acrius quam antea Danum ad acceptandam à se conceptam pacis formulam urgebant. Et cum Marvvicius quantum posset contra niteretur, isti non mediocriter irati exprobrabant; ab Electore bellum trahi, ut in turbido piscetur. Ac Danum, quo minus fortiter reluctaretur, inopia subigebat, Gallo quoque, & Anglis Belgas terrentibus, hac rerum facie Austriacorum potentiam nimium gliscere. Contra Sveci Rege orbati, & bellorum pertæsi circa pacem faciles se præbere. Gedani quoque cum Dano tractaturi, ni Poloni abnuissent, ne conjunctione Danici negotii sua tractatio difficilior redderetur; quod & ipsum sequestribus parum arridebat. Alias Danus utique bellum extrahere cupiebat, ut per Roschildensem pacem amissa recuperaret, ni vires defuissent, & occasio per distractas Svecorum vires ipsum sublevandi. Et postquam Sveci oblatam pacis formulam acceptassent, Dano contra tergiversante, Belgæ positis adversus Svecos hostilibus horum navibus permittebant, ut libere mare percurrerent, ac quicquid Hafniam subveheretur, interciperent. Unde coactus Rex Marvvicio proponebat: *quia nunc omni humano auxilio sit exutus, dum Belgæ non solum se inscio classem ab obsidendo Landscronæ portu revocarint, sed & aperte declararint, in Svecos sese non haut gesturos: simul Angli Belgis non obscure bellum minentur, ni Svecos persequi desistant. Quin Belgas denuntiasse; se fortasse tristiora allaturos, si ipse tractationem diutius differat, nec protinus mentem suam declaret. In quibus solis sibi spes hactenus reposita fuerit, quod citra istos à reliquis fœderatis nil auxilii provenire possit; ac his in transversum abeuntibus conditiones pacis sine dubio duriores fore. Esse quoque multas è Norvegia naves in itinere, omnes in Svecorum manus delapsuras; qui & forte Fioniam recuperaturi sint. Hafniæ ad extrema perventum. Contra Belgas promisisse, si ipse de pace agere velit, se curaturos, ut induciæ fiant. Igitur quæ super hoc negotio Marwicii sententia sit, se cognoscere velle.* Enimvero jam in Senatu decretum fuerat, tractationem utique auspicandam; ac ideo tantum ea communicatio fiebat, ne inscio Electore negotium susceptum argui posset. Ast Marvvicius valde ista dissuadere; periculum & necessitatem elevare: audacibus consiliis apud hostes juxta, ac sequestres plus effici, quam si cedere videaris. Sed Rex, qui præter solitum animo fractus adparebat, respondebat: *Se durasse quantum potuerit. Sequestres nimis importunos esse;*

Pax Danica succedit.

12. Mart.

660. *esse; Ac Belgas militem quoque terrestrem à se revocandum minari; qui ne bidui quidem spatium ad consultandum indulgere velint. Sibi meliores conditiones haut sperandas, quantumcunque tergiversetur. In Polonia pacem pro confecta haberi; ac sibi mature mala inde proventura avertenda.* Demum Marvvicio instante Rex tantum moræ annuebat, quoad tabellarii advenirent, num forte ipse interim Gedani ad tractatum admissus sit. Ac jam Marvvicio mandatum adferebatur, ut ex Rege quæreret; *num is omnibus in Dania hucusque agitatis tractatibus renuntiare, ac fœderatis firmiter adhærere velit, an vero permittere, ut pax Olivæ concludatur, solo deinceps Belgarum auxilio subnixus?* Ad quam quæstionem Rex responsum differebat. Sed Gerstorfius disserebat: *Se nescire, quare nunc Rex novam declarationem poscat. Fœderibus hac de re sat clare dispositum; ac Regem Polonis, Electorique de sua constantia satis cavisse, non languidiore cautione ab iisdem recepta. Tractationem hactenus agitatam non aliud spectasse, quam ut sequestrium placito satisfieret; ac dum Svecus oblatam pacis formulam respuit, Belgis ansa præberetur armis in hunc agendi: id quod & à se obtentum fuerit. Sed nec dum circa preliminaria convenisse. Si tamen libere animi sui sensa exponere debeat, gratius sibi fore in Polonia prius, quam in Dania pacem fieri, si utique communis tractatio succedere nequeat. Quia enim Daniæ Rex à Belgis desertus, à Polonis exclusus sit, & pax universos complexa strui nequeat sequestribus in diversa tendentibus, nec ulla Scaniæ recuperandæ spes superet: nil causæ esse, quare Rex pacem remorari debeat. Nam incassum speciosa jactari, ni via ostendi queat, qua vel Scania recipi, vel communis tra-*

Mart. *ctatio adornari possit.* Post multam demum hæsitationem Rex Marvvicio declarabat: *Cum ipse à Belgis desertus sit, ac Sveci mari potiantur, clausa denuo Hafnia, nec mutationis aut liberationis spes sit, extremis propediem urbi imminentibus; simul ex Electoris literis adpareat, pacem in Polonia profligatam, nec se in eandem admitti posse; penes se non amplius esse tractationem heic differre: prout & ipse ante aliquot dies sequestribus declararit. Electoris tamen commoda observare haut omissurum. Haut eo minus Pasbergio Gedanum mandata misisse, ut quicquid obligationis Poloni circa communes tractatus admittere vellent, ad id*

Mart. *sese vicissim obstringeret.* Simul literas ad Electorem dabat hoc argumento: *Non posse sibi vitio verti, si inter extrema hæc quosvis potius tractatus arripiat, quam se regnumque in præsens exitium præcipitet.* In eundem sensum Rex quoque ad Cæsarem scripserat: qui vicissim declarabat; *si Belgæ ipsum ad peculiares tractatus constringere laborent, utut per fœdus illicitum sit quibusvis tractatibus sine fœderatorum admissione susceptis intercedere; se tamen considerata præsentis Status facie, ac ut testetur, se propriis emolumentis sepositis quietem Daniæ haut invidere, peculiaribus ejus tractatibus haut repugnaturum.* Injunxerat quoque Legato suo Goësio Baroni Cæsar: *ne quid offensæ ostenderet, si pax in Dania concludatur, sed potius sortem Regis miseraretur, in has angustias redacti. Quem & moneret, ne militem ita subito exauctoraret nova oppressionis metu.* 1660. *Sed pace nondum perfecta in neutram partem quid moveret: ac id tantum curaret, ut ipsi, & Electori ea pace ob lata auxilia rite caveatur, ne nova deinceps tractatione cum Svecis opus foret.* Paria Elector, ubi de Regis sententia constitisset Marvvicio injungebat. *Sed quia Rex judicaverit sibi fas esse, non obstante fœdere peculiares tractatus amplecti, ne fœderatos quidem reprehendendos, si securitati suæ quantum possint consulant, ac res suas in tutum subducant; præsertim cum is præstare non possit, ipsos in Dania decenti modo tractatum admittendos.* Haut eo minus Rex accepto de pace Olivæ perfecta nuntio non parum doloris ostendebat; ac vulgus Hafniense fremebat. *Goësio, & Marvvicio cervices frangendas, qui semper paci heic restiterint, cum nunc fœderati Dania insuper habita sibi consuluerint.* Sed & post Sveci in Dania ferebant, non obstante Olivensi pace seorsim agendum esse super auxiliis à Cæsare, & Electore Daniæ latis: eoque horum inclusioni addi volebant, *prævia reconciliatione.* Sed cum demonstraretur, hac ratione Polonicam pacem eludi, objiciebant Sveci; eam inclusionem à se desideratam haut fuisse, eoque addere volebant hæc verba: *si velint.* Unde Goësius, & Marvvicius isti exceptioni elidendæ exhibito scripto à Daniæ Rege postulabant, ut principes sui citra exceptionem ista pace comprehendantur. Quod & obtentum, frustra sequestribus ad extremum scrupulos moventibus circa Cæsarem, cui evictionem non libenter præstituri erant. Cum dein Daniæ Rex Electori de pace sua absoluta significaret, simul copias Holsatia deduci postularet, Elector id futurum promittebat, quamprimum Sveci pacem exsecutioni dederint. Cum 6. Jun. enim isti in Bremensi provincia copias augeant, haut tutum videri ita subito ex Holsatia discedere. Sed cum Danus his moris offensus minas & aspera dicta jaceret, velut hoc modo fœdus violetur, Elector suis imperabat nullo ulterius respectu discedere, testatus, *nunquam à se aliud præter Regis salutem quæsitam, ac se nunquam diffidentiæ, aut offensæ causam dedisse.*

§. 67. Comprobabat tamen eventus, Danum recte sibi consuluisse, nullo ad Poloniam habito respectu. Sane Olivæ non minus nostri, quam Hoenartus legatus Belgicus pro Dania inanem operam sumebant. Etsi hic sat sinistre rem agere videbatur, vulgatis suis mandatis; *ne quid in Polonia concludatur, ni Sveco Hafniæ cum Danis convenerit. Id si obtineri nequeat, ut Danica pax præcedat*; nostris frustra rogantibus, ne id decretum Polonis innotescat, nil nisi distractionem fœderatorum, & dispares successus apud hos, aut illos tractatus pariturum. Sed Hoenartus censebat, *pacem Danicam utique priore loco expediendam ob Hagense pactum, quo decretum sit, ut Danica pax citra respectum ad Poloniam quamprimum promoveatur. Eo pacto abolito, Daniæ duriorem conditionem fore, quod Belgis deinceps haut integrum sit futurum eo quo hactenus modo Danis adsistere. Sed nec pacem Danicam Polonis, & eorum fœderatis nocere posse.*

Electoris infructuosum pro Dania apud tractatus Polonicos studium.

1660. *posse. Nam ubi in faucibus Maris Baltici pax sit, commerciis pristinum vigorem rediturum; ac bello licet heic extracto, per Oresundam Gedano succurri posse. Ast bello in Dania continuato, utut heic pax fiat, commercia Poloniæ non solum tantisper interrumpenda, sed & forte plane in Germaniam derivanda, per Rhenum, Albim, Mosellam, & Mosam deinceps exercenda; unde omnes merces, è Borussia in Belgium advehi solitæ, æquo pretio, ac minore sumtu, atque periculo haberi queant. Denique nec Belgas pro Polonica pace sponsionem interpositur os, si Danica eam præcesserit.* Vicissim & Poloni pro maturanda sua pace ostentabant periculum à Mosco; cui ne Lithuani se dedant, metuendum sit. *At Dano hactenus tractatus agitari insuper habita Polonia. Belgas antehac Elbingæ cum Svecis transegisse, nulla Poloniæ mentione facta, nec requisitos licet justo fœdere Poloniæ illigari voluisse. Ac Hoenartum nil præter inania verba jactare, nulla cautione. Rationis etiam esse, ut in eum maxime respiciatur, à quo Respublica plane lacerari possit. Nam salvo corpore uni & alteri parti laboranti posse subveniri: sed avulsa Lithuania, & Ucraina omnia periisse Quin jam super pace inter Svecos, & Moscos agitari: igitur occupandam sibi cum Svecis transactionem, quo bello, aut paci cum Mosco liberius vacare queant. Denique per necessitatem quamlibet pacem honestam fieri.* Adversus quæ etsi nostri postularent, ut Poloni saltem tria equitum millia expedirent circumsidendis Elbingæ; & Mariæburgo, mox fame ruituris, ac totas vires in Moscum vertendas; Poloni tamen excipiebant; *in Borussia nil annonæ pro milite esse, ac Cæsarea se auxilia horrere, à quibus tam male habeantur, querelis ad aulam Viennensem nullo fructu delatis.* Nec iisdem deerant, quæ super Danis quererentur. *Eos nihil suarum rerum cum ipsis communicare. De pace Roschildensi, qua Sveco copias tradiderant, nil sibi significasse, clam quoque avocato legato, quem tunc in ipsorum aula habuerant. Obtulisse deinceps se istis novum fœdus ea lege, ne citra Poloniam de pace agerent, ac Belgas ad ineundum cum Polonia fœdus permoverent: Sed ad traditam Julo formulam haut responsum. Pasbergium literas fiduciarias, conditionum nihil attulisse. Polonicum militem, qui in Fionia tam egregiam operam navarit, hostium instar habitum, ereptis hospitiis semel assignatis.* Sed cum nostri haut eo minus de Dano ad tractatus admittendo instarent, Regina commotior fremebat: *Se perspicere non posse, quo jure Elector postulet, ut Dano prius, quam Polonis, pace potiri detur. Danum ipsum non petere, ut in sui gratiam negotiatio differatur. Pasbergium palam negare, Danicum negotium huc pertrahi posse. Rationes utriusque Regni nimium discrepare. Diversos quoque heic & illic sequestres. Denique ne Elector suo in Daniam studio efficiat, ut hic Polonos prævertat; queis dein querendi causa futura sit, per ista consilia se in summas molestias conjectos: præsertim cum & ipsi expediat hanc pacem amplecti, ne per Gallum, & Ordines Germaniæ ad peculiarem pacem compellatur.* Sed & Electoris destinatis non parum officiebat Hoenartus, qui palam differebat; *Bono publico haut ita noxium esse, si prius in Dania, quam heic pax fiat. Nam in Borussia Svecos non amplius se diffundere posse, lo quæ restent brevi ob famem deserendis. Sed fa Polonica pace, ac separatis à Dano Cæsare, & Electore, omnes Svecorum vires Daniæ incubitur qua oppressa uno ictu Svecos Maris Baltici domin futuros. Id quo ne fiat, Poloniæ magis, qua Belgarum interesse. Nam Belgis alibi commerc sua exercendi facultatem esse, non ita Polonis.* A sus quoque Pasbergius fuerat citra mandatur & sub Spe rati cavere, Daniæ Regem nc prius conventa firmaturum, quam heic quoq conclusum sit. Id quod à Polonis rejectu hoc quoque prætexto, quod ipsi hoc promiss pure obligentur, Danum autem eo sese exso vere posse, si Belgæ non consentiant, à qu bus ipse pendebat, prout & à Belgis Galli atque Anglia respiciebatur. Obtulerat quo que Elector, se duo, quæ Svecis in Boruss adhuc restabant oppida, propriis copiis sub acturum; quo Poloni omnes vires in Moscum vertere possint. Sed Poloni reponebant; *et iam istis oppidis recuperatis sibi pacem cum Sveci ineundam.* Ad extremum Poloni spem facie bant, in gratiam Daniæ executionem pacis in duos menses suspendendam. Sed Pasbergius e non contentus suspensionem sine modo ad perfectam usque in Dania pacem fieri cupiebat Nam alias ratihabitionem intra duos menses non posse fieri, ac Sveco facile esse duos menses eludere. Ac cum urgeretur, negabat sibi mandatum talia vicissim promittere. Ita omnis opera à nostris ludebatur, Lumbrano periculum, quod exinde Oresundæ immineret, elevante; id quippe à Belgis, atque Anglis facile præstandum.

§. 68. Cæterum ex iis, quæ super capitibus pacis disceptata sunt, ea tetigisse suffecerit, quæ Electorem spectabant, aut eidem præcipue cordi erant. Ac Cæsarei quidem ea, quæ Sveci circa negotia Germaniæ propositioni inseruebant, penitus hinc rejiciebant, inprimis intercessionem pro Evangelicis. *Non esse quod alius quispiam sese ingerat Cæsarearum provinciarum regimini: nec eas intercessiones quid profuturas: ac quæ instrumento pacis Westphalicæ concedantur tantum ad Comitia Ratisponensia esse porrigenda, nec Cæsarem talia deinceps admissurum.* Ut libertas sacrorum à Romano ritu abeuntium per Poloniam in pristinum statum reponeretur, Electori quam maxime cordi erat; qui & declaraverat, *quicquid istis boni aut mali fieret, velut sibi factum reputaturum.* Et atrocia erant, quæ tunc in Polonia admittebantur. Inter alia Nobilis Reformatæ religionis, cum incedente per publicum pompa ante ciborium in genua procidere nollet, decreto tribunalis Lublinensis damnatus fuerat, ut ad declinandam capitis pœnam per annum, & sex menses turri inclusus loco duodecim ulnis infra solum depresso sederet. Sed Cæsarei id negotium suscipere nolebant, causati; *satius esse Dissentientibus consuli per publicam constitutionem, quam per pacem, quod hoc modo horum patrocinium in Svecum conferri videatur.* Elector quoque eo nomine ad Hoenartum scribebat, ut hanc causam serio suscipiat, *quod*

1660. *quod Evangelicorum Ecclesiæ in Polonia occasione belli Suecici valde oppressæ jaceant, quibus nulla nisi per hos tractatus resurgendi spes sit.* Contra Poloni disserebant; *Se haut quidquam Hispanicam inquisitionem toleraturos, ac neminem ad amplectenda Romana sacra vi compulsuros. Enimvero non è dignitate videri Suecos huic negotio sese ingerere. Tutelam sacrorum ab exteris Principibus profectam valde suspectam, ac periculosam. Nec in hoc negotio ab exteris sibi præscribi velle.* Nostri censebant, verba quibus Dissidentibus caveatur, ita ponenda esse: *Suecis haut necessarium fuisse Dissidentium causam agere, cum Regi, & Reip. etiam nemine monente vi præstiti juramenti constans propositum fuerit, & adhuc sit istis conscientiarum, & aliam ipsis competentem libertatem conservare.* Sed Poloni reponebant: *cum Sveci inter causas belli ne verbo quidem de religione mentionem fecerint, non opus quoque esse de hac in pace tangi.* Sed longe indignius responsum Hoenarto reponebatur, qui oblato scripro petebat, ut Protestantium sacris in Polonia caveatur. Tum ut si pax prius heic, quam in Dania absolvatur, ea in suspenso sit, quoad & ibi conclusum sit. Ad quæ Polonus respondebat: *se libenter regium favorem Evangelicis exhibiturum, si Belgæ suis in provinciis Romanos ritus publice toleraturi sint. Ut Danica pax præcedere postuletur, esse contra legem caritatis. Se quidem Daniæ Regi omnia fausta optare, quantum propriæ rationes patiuntur. Quod Belgarum sponsio abnuatur, ni postulata admittantur, de eo queri se posse, ni præposterum foret quid sibi negatum arguere, quod nondum petitum sit.* Ac sane neque Sveci istum seque strem desiderabant, nec Lumbranus in societatem operæ admittere eundem volebat, cujus sibi gloriam illibatam vindicabat, & ut omnia ad Galliæ rationes temperarentur. Poloni quoque neque Belgarum officium, nec commoda curabant, exprobrantes; *istos Elbingense cum Svecis pactum ruinis Poloniæ superstruxisse, dum à Svecis immunitatem à vectigalibus non solum in adquisitis, sed & in adquirendis portubus stipulati sunt; ac nunc Daniæ duntaxat negotium heic agant, Poloniæ incuriosi.* Postulabant tamen Poloni dehinc à nostris; *ut quoniam ii pro libertate Evangelicorum in Polonia pugnent, sibi quoque pro libertate Catholicorum in Livonia certantibus adsistant.* Quod à nostris strenue factum, etsi hoc postulato Poloni mox desisterant; ac ipse Rex alias circa sacra calidus remitteret, Jesuitam conscientiæ arbitrum id carpentem aspere increpans: *Cur ipsorum ordo Regi Hispaniæ non eadem occinuerit, cum hic jure suo in septem provincias Belgicas cederet, ritibus Romanis Reformatorum arbitrio expositis?* Ita pro Dissidentibus nostri parum proficiebant, nisi quod Rex promitteret, se super delatis ad se querimoniis cogniturum, & scriptis literis inconsulto zelo laborantes dehortaturum. Sveci quoque languide loquebantur, Polonis eos protelantibus *cur ergo ipsi in Catholicos per Livoniam ita duros se exhiberent?*

restituendis ... locis. §. 69. Circa restituenda Pomeraniæ loca nostri responso suo data opera ambigue posuerant. Sed Poloni rogabant, ne ideo pacem remorari velint, quod Elector antea declararit, pacis duntaxat promovendæ causa à se Pomeraniam invadi. Et cum nostri demonstrarent, Poloniæ ingenti commodo cedere Svecos Odera depelli, Poloni reponebant: *optandum id equidem, sed in præsens obtineri vix posse. Sibi pacem utique brevi habendam. Ferociam verbis præferri; animi sensa longe abesse. Dum Czarnecius in Dania abest, præstabilem operam contra Moscum navari potuisse, Lithuaniæ visceribus impune insultantem.* Nec apud Cæsareos plus obtinebatur, qui nostros urgebant, saltem ita declararent; *ubi reliqua absoluta fuerint, Pomeraniæ negotium paci haut obstiturum. Nam ea ratione & Polonis prætextum adimi absque fœderatis concludendi, & Gallis, Ordinibusque obtentu evictionis arma movendi. Svecorum hoc in negotio apud se exiguam rationem haberi sed maxime Gallos, & Ordines Imperii respici. Ac nil gratius Sveco præstari posse, quam si nostri Germaniæ tranquillitati obstitisse arguantur. Contra si ejusmodi declaratione fœderis Rhenani sociis ostendatur, in Electore moram non esse, istas machinationes ultro ruituras. Et si utique Cæsari cum Electore conveniat de bello adversus Sveciam continuando, ipsis non obstante hac declaratione integrum fore sub prætextu minus invidioso id persequi. Ac turpe fore hunc demum de reddendis occupatis annuere, quando Gallus cum exercitu Germaniam jam ingressus sit. Quin sibi videri Svecos eorum locorum restitutionem haut serio cupere, quo ipsis, ac Gallis occasio sit Germaniam turbandi.* Igitur cum tota negotiatio ad hunc scopulum adhæsura videretur, Elector demum declarabat: *Sibi nil aliud quæsitum, quam civibus, ac vicinis suis quietem conciliare, ac id solum laboris sui pretium ducere. Quod si Poloni insuper habuerint securitatem, qua ipsorum regno Svecis Odera depulsis proventura sit, se omnia per Pomeraniam occupata redditurum. Ut tamen hoc promisso teneri nolit, nisi communis pax sequatur.* 20. Febr. Post tamen Regis Sveciæ morte nuntiata spes Electori surgebat, posse aliquid circa Oderam obtineri, præsertim cum mora aliqua tractationi interponenda videretur, quoad Svecicis legatis nova procuratoria adferrentur. 6. Mart. Tum & optabat participationem vectigalium in Ulteriore provincia aboleri, non velut in pensationem damnorum hoc bello acceptorum, sed tanquam onus præter jus, ac rationem sibi impactum. Simul jubebat, ut nostri velut proprio motu apud Polonos jacerent; si Poloni Stetinum, & Oderam Electori curare possint, hunc jure in Elbingam quæsito cessurum. Sed Joannes Casimirus ad ista humeros trahebat; *ista per temporum iniquitatem, & repugnantibus Gallis, atque Ordinibus Imperii pervinci non posse; cum etiam sibi circa justissima sua postulata remittendum fuerit.* Ac Sveci cavillabantur: *Stetinum Elbingæ pretium quater, & amplius excedere; qua urbe & Svecicæ res in Germania carere nequeant. E vectigalibus Pomeraniæ octo uncialium millia annua sibi redire; quæ non nisi quadringentis Polonicorum florenorum millibus, ac tribus insuper in Pomerania oppidis redimi possint. Quanquam super eo negotio nil sibi mandatorum sit.*

§. 70.

1660. Circa Elbingam difficultates. §. 70. Super Elbinga quoque multæ difficultates surgebant, quam Elector protinus, Svecico præsidio excedente, in manum sibi tradi volebat; Polonis asserentibus. *Sufficere, si Sveci præsidium deducant. Sibi curæ fore ex pacto urbem, aut ejus loco quadringenta uncialium millia dari.* Sed Sveci omnem lapidem movebant, ne Elector ista urbe potiretur, eamque utique in pristinum statum reponendam contendebant. Unde Poloni jam labantes disserebant; *cum Sveci tam acriter renitantur, ac ipsi pactis stare cupiant, vel de temperamento cogitandum, vel tractationem abrumpendam; id quod valde durum sit futurum.* Sed nostri, qui pacta illibata utique manere volebant, quibuscum amnestia sine exceptione consistere nonpoterat, verba *salvis pactis cum Electore* isti articulo inseri volebant. Quæ verba cum Sveci adspernarentur, id temperamenti proponebant, ut instrumento pacis in universum urbibus Borussiæ caveretur. Sed se peculiari scripto declaraturos; si Elbinga Electori tradatur, id pro violatione pacis haut habendum. Id quod nostris neque tutum satis, neque decorum videbatur. Ac Elector valde absurdum judicabat; cum Sveci pactum deditionis Thoruniensis firmassent, ac Hieronymo Radziciovio non melius de ipsis, quam de sua patria merito cavere vellent; quare ferre nollent pacta tam solenni modo inita, ac in Comitiis confirmata persistere? (Radziciovski.) Ita id negotium in ancipiti erat, non Svecis solum, sed & plerisque Polonorum Electori eam urbem invidentibus, ac Gedanensibus apud Svecos juxta, ac Polonos instantibus, ut ei urbi pristinus status maneat. Interim Poloni orabant, & obsecrabant, *ut nostri misericordia in ipsorum Remp. ducti rem ne extrahant. Moscum quotidie altius in viscera Regni penetrare; Cosacorum rebellionem invalescere; exercitum Polonicum confœderationem, uti ipsi vocant, agitare, nec prius in hostem movere velle, quam residuis stipendiorum solutis. Lithuanos quoque, petito etsi non obtento Regis consensu, conventum suæ nationis indixisse, inaudito in hac republica exemplo; quos metus sit, ne Polonia avulsi Mosco se dedant; quod ut declinetur, potius extrema quæque admittenda.* Igitur nostros urgebant, ut vel in cautionem, qualem Sveci obtulerant, vel in secretum articulum consentirent. Nam *Electori sufficere si urbe potiatur; ac Polonos evictionem præstituros; interim Pomeraniæ oppida capta retineri posse.* Quin ipse Rex testabatur; *Electorem pertinaci cautionis recusatione sibi ipsi nociturum, quod, pacta Bydgostiana ad promovendam, non impediendam pacem spectare debeant;* velut minaretur, si hoc modo pax impediatur, se quoque istis pactis teneri nolle. Nostri contra ostendebant, *cum Sveci existimationis causa Elbingam à se deseri posse negent, majori ignominiæ sibi futurum, si quam publice videantur causam asseruisse, secreto articulo abdicent.* Ast Electori (30. Mart.) etsi molestum erat, Polonis per Svecos terrorem incuti; tamen testando in eorum Remp. studio demum consentiebat, ut in articulo de amnestia urbium Borussiæ in universum mentio fieret, non excepta Elbinga; ac Sveci non quidem secreto scripto, sed justo articulo adjecto, ab omnibus partibus subscribendo, ipsi caverent. 1660. Id quod Sveci recusare non possint, ni aperte profiteri velint, sese eidem illudere meditari. Ac ut Poloni perspiciant, non tam incrementum ditionum à se quæri, sed ne urbs tertia vice iterare possit, quod jam bis tanto cum detrimento Poloniæ patravit, se traditam à Rep. urbem post destructas munitiones Warmiensi Episcopo cessurum pro urbe ac præfectura Braunsbergensi, ac oppido & præfectura Mevvensi, eodem quo Borussiam jure possidendis; ut tamen sacerdotibus ac civibus suæ possessiones ac ritus Romani salvi sint. Quin & ad extremum concessurum, ut Elbinga in priorem statum reponatur, si præfectura Neuburgensis sibi detur. Quæ temperamenta tamen locum non inveniebant, quod Braunsberga velut Ecclesiastici juris sine consensu Pontificis alienari non posset, & Mevva ad Lubomirscium spectaret; nec legatis Polonicis in talia consentire fas esset, nisi autoritate à Comitiis delata. Sed sub finem (14. Apr.) tractationis Sveci valde circa Elbingam tricabantur, neque *clausulam salvatoriam* in articulo de amnestia ferre, neque separatum articulum formare, aut scriptam cautionem tradere jam volentes, quod hæc antea à nostris acceptata haut fuerint; revera quod omnibus in priorem statum repositis jus Electori è pactis Bydgostianis quæsitum convellere cuperent. Ac nostris vel ideo circumspecte agendum videbatur, quod & olim Osnabrugæ, cum super vectigalibus ad oram Meclenburgicæ, & Pomeraniæ ageretur, nostris interrogantibus, circa quæ loca id intelligant; Sveci responderant, circa ea, quæ per pacem sint accepturi; id quod tamen post ad alieni juris loca porrigebant. Demum tamen Sveci in scriptam cautionem consentiebant, cujus diversæ formulæ concipiebantur, circa quas ab hora nona matutina ad decimam vespertinam, nemine interim surgente, aut cibi quid potusve capiente laborabatur, Polonis nostros precibus obtundere non desistentibus, ut tandem obscura formula contenti essent, simul testantibus, ob isthanc formulam sese pace carere nolle; præsertim cum si quid ei desit, non modo amplissimis declarationibus, sed & armis suppleturi sint. Quin & promittebant, *si Elbinga à Svecis reddatur, Polonicum præsidium haut impositum iri. Sed protinus Electoralem militem immittendum;* quam in rem Regis cautionem exhibebant. Et adquiescebat Elector, de Elbinga nihil instrumento pacis insertum, quod sibi fraudi foret, de cætero jurata Polonorum fide confisus. Ipse enim eam urbem, ex qua provinciæ suæ ingentia damna data erant, vel possidere, vel munimentis nudare cupiebat. Cui eludendo agitabatur, ut Gedanenses quadringenta uncialium millia Electori solverent, ipsique eam urbem obtinerent. Sed Elbingenses negabant, se tam acerbos dominos habere velle, qui sine dubio eam urbem omnibus commerciis privaturi erant propriæ urbi amplificandæ; præsertim quia paulo

1660. paulo ante Belga quidam obtulisset, se pro Elbinga peculiarem portum formaturum, fossa per Nerungam depressa, quo Gedanensium superbia, derivatis alio commerciis infringeretur. Cæterum Elector pactis circa Elbingam inseruerat, ut Poloni si eam redimere cupiant, de suo ista quadringenta uncialium millia solverent, ni vel Gedanenses eandem invaderent, vectigalia Pillaviæ imminuturi, vel Regina Longuevillii Ducis pecunia istam in se traheret, cujus velut Galli viciniam declinabat.

v evi- ione xii. §. 71. Super stabilienda pacis securitate Lumbranus disserebat, eam non uno modo fieri. *Nam vel mutua partium fide eam stare; vel socios belli fœdere sibi invicem evictionem præstare; quandoque & extraneos Principes suam fidem interponere; aliquando & pœnam decerni in eum, qui pacem violarit. Sed loca quædam in cautionem retinere magis ad dilatandos fines, quam securitatem spectare. Satisfactionis quid neutram partem ab altera exigere posse, quod utraque justitiam armorum suorum asserere velit, eoque ad reparationem aliquam teneri se neget. Nam ubi alter pro victore se gerit, uti nuper in Dania, victo duras quantumvis leges tolerandas. Nunc adhuc pugnari, ac Svecos nunquam confessuros se victos esse, à quibus & ideo nomine pensandi damni peti nihil possit. Sicuti & de pensatione damni neque pace inter Hispanos, & Belgas, neque nuper inter Gallos, & Hispanos mentionem factam. Unde & loca Pomeraniæ citra satisfactionem restituenda, præsertim cum à Fœderatis initium invadendi profectum sit.* Idem Lumbranus initio Regis sui sponsionem offerebat non nisi circa ea, quæ ad Svecos, & Polonos pertinebant. Qua de re cum nostri apud Polonos quererentur, quasi infesti quid à Gallo agitetur, ac Electoris causam à Polonia separari non posse, cui & ideo ansa præbeatur circa ratificationem tergiversandi; hi obtinuerunt, ut ad Electorem quoque ea sponsio porrigeretur. Prout & conclusa pace ab Electore sponsores pacis Galliæ Rex cum Regibus Hispaniæ & Angliæ, Belgarumque Republica nuncupabantur. Longa quoque disceptatio erat super renuntiatione pactorum ab Electore cum Svecis antea initorum, Svecis contendentibus, ut ea reciproca esset, quod & Poloni volebant. Sed nostri excipiebant, Electorem istis jam satis per pacta Welaviensia renuntiasse. Sed quia Lumbranus censebat, sicuti Svecis in spem Borussiæ renuntiandum sit, ita & Electori in Palatinatus Poloniæ istis pactis oblatos; nostri demum in id consentiebant. Non minor lis erat super redhibitione instrumentorum; quam Sveci abnuebant, quod moris non sit ex archivis ista restituere, idemque nonnihil ignominiæ habeat. Sed nostri reponebant; *Svecos utique jam concessisse, ut Palatinatibus Poloniæ instrumenta, queis Sveciæ se subjecerant, redderentur. Tum naturalis juris esse, ut solutione facta, aut sublata obligatione chirographum reddatur.* Idemque volebant Poloni, quod ista instrumenta etiam Regno Poloniæ fraudi esse possent. Sed Lumbranus disserebat, *ista instrumenta Electori nocere non posse. Palatinatuum pacta fuisse velut vi extorta, eoque redhibitionem potuisse exigi; cum Electoris pacta spontanea fuerint.* Tandem rogabant Poloni si Sveci nolint, ne nostri ei postulato obnixe inhæreant. *Nam si Svecis libido sit bellum denuo movendi, prætextum haut defore, etiam istis instrumentis redditis.*

(margin: t re- ntia- ne po- rum.)

1660.

§. 72. Inter ista maximus nostris labor insumebatur circa anxiam Polonorum festinationem temperandam; nec suspicio aberat, inter Svecos, & Polonos clandestini quid agitari, quod fœderatis fraudi esse possit. Inter alia quoque suspectum habebatur, quod Poloni postularent, ut Sveci protinus sua præsidia Mariæburgo; ac Elbinga deducerent; polliciti se quoque statim copias suas è Borussia revocaturos. Nam metus erat, ne Sveci forte per militem istum urbibus eductum excursionem in Ulteriorem Pomeraniam facerent. Dicebatur quoque Schlippenbachium Gedani cum Regina per duas horas locutum. Ac ægre ferebat Elector, Polonos ita amice cum Svecis agere, proposito etiam cum his fœdere, refrigerato in ipsum studio. Unde & nostris injungebat; *si quid subesse adpareret, operam darent, ut & ipsi cum Svecis secreto congredi possint, initio à sacris capto; simul sparsas in publicum calumnias refellerent, studiumque pacis testarentur, viderentque, ut Polonos prævertant; prius tamen cum Cæsareis & Dano communicent, nil periculosi à se agitari.* Enimvero Joannes Casimirus eo nomine à nostris appellatus sancte asseverabat, nihil secreti tractatus subesse. Cæterum proponebant fœderatis Poloni; *sibi cum Svecis pacem ineundam, cum cessione in Regnum Sveciæ; præsertim cum Joannes Casimirus, dum ipsius electio agitabatur, Ordinibus Poloniæ promiserit, se isti juri etiam cum titulo renuntiaturum, si æterna pax obtineri possit. Nec minus Livoniam cedendam hactenus Svecis possessam. Se quidem consultasse, utrum cum Moscis an cum Svecis pax præferenda sit, cum isti totam fere Lithuaniam, & Ucrainam in potestate habeant, à Svecis occupata ultro ruitura sint. Decretum tamen fuisse, pacem cum Svecis potiorem: quod ex interceptis literis constet, Moscum fraudes meditari, ac non solum pacem cum ipsis elusurum, sed & Electori bellum facturum, ni is copias suas è Curlandia revocet, æterna cum Svecis pace conclusa. Tum & Tartarorum amicitiam sibi conservandam, quam hactenus sola belli in Moscos continuatione aluerint. Ast pace cum Mosco facta, Tartaros una cum Cosacis in Ucrainam ruituros. Esse quoque ingens periculum à conspiratione exercitus, deficiente stipendio. Denique Poloniam ita misere vastatam, ut diutius bello tolerando par non sit, & laribus ejectos Lithuanos finem malorum expostulare. Et quod atrocissimum sit, si Svecus pace cum Moscis inita hisce junctus fessam, & exanguem Poloniam invaserit, eam conclamatam esse.* Unde Poloni cum Svecis transigere properabant; quicquid de fœderatis fieret, inprimis nulla Dani ratione habita. *Ei fœdus se mutuum obtulisse, quod is tamen acceptare noluerit, vel quia spes suas in aliis reposuerit, à quibus pendeat; vel quia peculiares jam tractatus ingressus sit, à quibus desistere non amplius liceat.* Et quan-

Nostri Polonorum festinationem frustra sistere nituntur.

20. Febr.

25. Febr.

Fff

1660. quanquam nostri demonstrarent; Poloniæ, & Daniæ rationes ita arcte invicem innexas, ut una sine altera subsistere non possit; metuebant tamen isti ne admisso Dano ipsorum negotiatio extrahenda, aut plane turbanda sit. Ac suum auxilium Dano parum profuturum, ni Belgæ vires intendant, qui soli Daniæ sustinendæ sufficiant. Cæterum postquam Pasbergius procuratorium accepisset, inter Cæsareos, & nostros consultabatur; *num ei postulato utique insistendum sit, ut Danus una cum ipsis ad tractationem admittatur; aut ubi id à Svecis impetrari nequeat, an non saltem iste ad deliberationes adsciscendus sit?* Adversus prius objiciebatur, *id sine fructu futurum, non sine dispendio temporis: interea occasionem pro re nata aliquod temperamentum obtinendi è manibus elapsurum.* Contra alterum dicebatur: *Polonos Belgam, quem ad sequestris officium invitarint, ad consultationes admittere dubitasse, multo minus Danum admissuros. Nec ipsis fœderatis ex usu fore, si is tractatione exclusus omnia consilia audiat. Ac forte Polonos deinceps minus aperte quam hactenus cum ipsis acturos.* Contra quia Poloni juxta, ac fœderati in propositione Dani admissionem desiderarant, si non tanquam fœderati, ac armorum socii, tamen velut amici, ac vicini, ad quod Danus jam præcipue provocet, Sveci etiam certis conditionibus eum se admissuros declararint, placebat, ut Danus oblato scripto eam admissionem requireret. Conditiones porro, quibus Sveci in hujus admissionem consenserant, erant; *si tractatus in Dania concludi nequeat; ut pares utrinque legati sint, ac alia, quæ mos inter Borealia Regna fert, observentur: ut terra, marique literæ hinc inde tuto perferantur: ut tam partes tractantes, quam sequestros in hoc consentiant: ut denique paci Polonicæ nihil moræ, aut dispendii inde inferatur.* Quibus conditionibus admissio pro captu temporum sperari non poterat. Ast si admissio obtineri nequeat, deliberabatur; an non suspensio executionis pace conventorum proponenda sit ad eum modum, quo novissimus *tractatus Elucidationis* pacti Elbingensis adornatus erat? Quod & ipsum difficultate non carebat. Nam ut executio sine modo suspenderetur, quoad Danica pax absoluta sit, Poloni recusabant, inter incerta agere adspernati. Nec succedebat res, si ita poneretur, *quoad appareat, utra pars pacem aversetur.* Quia si id Danis prodesse debebat, ita verba concipienda erant, ut Sveco metum novi belli incuterent; quod Poloni plane aversabantur. Nec facile pronuntiari poterat, uter pacem recusaret. Suspensa in unum & alterum mensem executione Dano haut consulebatur, quod Sveci interim tempus per inania extrahere possent, elapsa die dicta tractatum abrupturi. Dubium etiam habebatur, utrum Cæsar, & Elector, qui pactis promiserant, se sine Dano non tractaturos, certum ei tempus paci absolvendæ præfigere possent. Ubi multa temperamenta incassum in medium afferebantur. Sed demum summa rei eo redibat: num fœderatis ejusmodi pax, quæ Daniæ rationem non habeat, probanda, & subscribenda, an vero plane repudianda sit?

Super quo Cæsarei neutram in partem sensa sua declarare volebant. 1660.

§. 73. Frustra quoque nostri speraverant, morte Regis Caroli Gustavi aliquam negotio moram proventuram, saltem quia Svecicis legatis novo procuratorio opus esset. Cujus morte audita Joannes Casimirus sat moderate dixerat: *dolendam sibi ejus velut cognati mortem; sed non pro necessitudine eundem secum egisse.* Reginæ verba fuerant: *si is casus pacem promoturus sit, eo se gaudere: sin hanc protracturus, aut impediturus sit, eam mortem sibi acerbam esse.* Enimvero Polonis desiderium pacis haut minuebat, quod eadem haut eo minus opus sibi sit; ac tractationem sub spe rati continuari posse. Quin isto extincto pacem stabiliorem sperandam. Cæterum post ejus mortem Schlippenbachius patrocinium Joannis Casimiri ambire videbatur, quem & Lumbranus huic ad invidiam usque commendabat; ac ipse Magno Cancellario obtentu cognationis se insinuabat; nostris contra monentibus, ne ei viro fiderent. *Et quippe solitum apud eos, quibuscum agat, queri, ob studium in hos suis suspectum se, atque exosum esse; eoque artificio nuper quoque usum, quando cum Electore tractatus agitabat.* Eidem alias non modicam invidiam fecerant excepta quædam audacius dicta: *Occasionem fines suos proferendi, aut hostem suum ulciscendi divinam vocationem habendam: Regibus fines non esse positos: Dissidentibus in religione datam juratamque fidem non usque adeo stringere, quin aliquando falli possit.* Inter Cæsareos quoque consultabatur; an non tentandum sit Wrangelium, & Kœnigsmarkium, potissimos Svecicorum Ducum, in suas partes pertrahere, promissa dignatione Principum Imperii, ac uni Pomerania, alteri Rugia data? Lisola quoque disserebat; *opportuno admodum tempore Carolum Gustavum rebus humanis exemtum, quod Poloni periculosa admodum consilia in fraudem fœderatorum agitarint, ac inducias cum Svecis meditati sint ad* formam pactorum Stumsdorfianorum, exclusis fœderatis: quo fine etiam à Lumbrano de induciis motum fuerit.

Mors Caroli Gustavi pacem non remoratur.

§. 74. Consultatum dehinc inter Cæsareos, & nostros; num consentire debeant, si Poloni in tractatione pergere velint, antequam Sveci novum procuratorium acceperint? aut quid faciendum, si iisdem insuper habito ipsorum dissensu negotiationem persequantur? Nam id extra dubium erat, Polonos, postquam Svecorum mandata morte mandantis expiraverant, ad continuandam tractationem non teneri, nec tuto cum his agere posse. Sed si Poloni temperamenta quædam proponant, & fœderatis ista rejicientibus haut eo minus agere pergunt, ac ea occasione fœderatorum separatio secutura sit, quærebatur; an non satius sit temperamentum admittere, quam dissidio fœderatorum ansam præbere? Ac proponebatur in eam rem unum & alterum temperamentum; ut formulæ pacis nuper à fœderatis inter se adornatæ Svecis exhiberentur ea lege, ut in Polonorum arbitrio relinquatur, quid ipsi facturi sint, fœderatis in neutram partem inclinantibus; utique hæc cum formula, quam

An cum Svecis ante novum procuratorium tractandum? 8. Mart.

1660. quam Sveci concepisse dicantur Principibus utrinque transmittantur addita protestatione, neminem fœderatorum his formulis adstrictum fore, quoad superiorum adprobatio allata sit, tractatione interim suspendenda: aut ut Sveci in cautionem ea de quibus jam conveniendum sit, servatum iri, ambo Borussiæ oppida, aut alterutrum statim tradant. Quorum hoc Polonis valde probabatur, quibus sese opponere invidiosum admodum erat; ac judicabat Lisola, neutrum horum temperamentorum commode repudiari posse. Nostri contra, qui tractationem protrahi optabant, novis sibi mandatis in re tanti momenti opus esse excusabant. Interim & Danico negotio huc pertracto communem pacem cudi posse. Ac forte Svecos oppida Borussiæ in antecessum tradere recusaturos. Ita fœderatis placebat videre, num quid moræ interponi posset. Danus quoque ferebat sibi injunctum tractationem sufflaminare; ac Regem Daniæ haut alienum esse, ut negotium ipsius huc transferatur, modo fœderati operam dent, ne omnia heic ita festinentur. Id si fieri nequeat, eum suspensione executionis contentum fore. Enimvero Regina Poloniæ importune rem urgebat, quod crederet, super successione in Regno Poloniæ non nisi pacis se tempore votis suis potiri posse. Ac Polonici Commissarii proponebant; *etsi morte Regis Svecorum facultas agendi vacillet, Moscos tamen quotidie altius in Poloniam penetrare, ac oppressa Lithuania & Ucraina reliquas partes periclitari; quin solita sibi crudelitate Novigradum usque non Warsavia procul excurrisse. Nec duobus hostibus sustinendis sese pares esse.* Contra Fœderati: *agnoscendam divinam providentiam; ac spem esse majori firmitate tractatus nunc perfici posse, quam vivo Rege bellandi avido, & à quo non nisi chartacea cautio obtinenda sit. Nunc tutius procedi posse, sed quo modo, in Polonorum arbitrio esse.* Ad hæc Poloni: *Cum Legati Svecici per procuratorium à Rege & Regno Sveciæ agendi facultate sint instructi, & Regnum in defuncti Regis locum subeat, cui & filius hæres, ac successor sit; se tractationem ea lege continuaturos, ut legati scripto & re caveant, à novo Rege & Regno ratihabitum iri, quæ heic convenerint; cum mora pacis Poloniæ ita exitiosa sit. Nam Magnum Gardium inter tutores Regis esse, Oxenstiernam, & Schlippenbachium Senatores, ut de secutura ratihabitione dubitandum non sit. Sibi de restitutione Borussiæ, & Curlandiæ, ejusque Ducis agi. Si Sveci pacta ratihabere nolint, eos brevi utraque ex provincia pellendos, aperta dehinc in Livoniam irruptione. Fœderatos retentis interim Pomeraniæ oppidis cavere sibi posse.* Nostri monebant jam conditiones in formula designatas sibi, Poloniæque lautiores fieri posse. Sed Poloni, id optandum magis quam sperandum ferebant. Ex his Cæsarei judicabant, Polonos utique in tractatione perrecturos, non solum quia Moscus late per regnum grassetur, sed & quia Potocium literæ ab aula valde offenderint; ni in hostem progrediatur, clavam, insigne summi in exercitum imperii, in alium transferendum, hoc vicissim conspirationem exercitus minante. *Equidem moris non esse, procuratorio deficiente negotiationem continuare. Se tamen intra sex hebdomadas nova mandata à Cæsare accipere non posse. Sed id sibi injunctum, à Polonis haut disjungi. Ita magis summam rerum, quam apices juris sibi respiciendos.* Nostri contra; *divinitus oblatam occasionem haut negligendam tractatibus ad Danum usque porrigendis.* Sed Cæsarei: *Polonos omnem moram abrupturos etiam cum fœderatorum separatione. Unde sibi necessitatem sequendi imponi, ni soli in bello destitui velint.* His ad se relatis Elector declarabat; *promtam pacem non minus à se, quam à Polonis optari; ac nunquam sibi in animo fuisse pacem remorari, nisi ut ea tuta constitueretur. Et quia cum Svecis nil valiturum contrahi possit sine novo procuratorio, se credidisse, rationibus suis apud Polonos locum fuisse futurum. Sed quia his aliter videatur, Cæsareique iisdem adstipulentur, suis quoque sequendum, modo à Svecis ante subscriptionem idoneum procuratorium edatur. Danicum porro negotium ejus ponderis esse, ut si maxime Poloni id negligant, Cæsari tamen, atque sibi fidem, & securitatem suam observandam, ni existimationem apud orbem prostituere velint. Certi tamen quid decernere sibi arduum esse, quod Cæsarei animi sensa premant, & nuntii è Dania discrepantia adferant. Unde Cæsari ac sibi tres menses reservarent ad auxilia Dano ferenda, & loca Pomeraniæ retinenda; intra quos armis rem gerere liceat. Quo spatio ipse operam daturus sit, ut & ibi pax coëat; aut saltem adpariturum, quo Danus, Belgaque inclinent. Utcunque autem ea res cadat, se utique Polonicam pacem amplexurum.* Enimvero cum nostri de tribus illis mensibus moverent, Magnus Cancellarius negabat Danico negotio vel dimidiam horam impendendam. Ac ipse Rex declarabat; si fœderati bellum gerere velint, id intra ditiones suas facerent; sibi quippe, Regnoque suo pacem ambabus manibus amplectendam. Ac Polonici Commissarii eousque festinabant, ut ne per septimanam quidem meditationi Passionis Dominicæ, destinatam, ac Paschatis ferias intermitterent. Nam à Mosco missum dixisse; *satis sibi constare, Polonos cum Svecis super pace agere. Ast sibi promtius cum Svecis in Livonia conventurum. Unde sibi pacem cum Svecis occupandam, ni patriam à Mosco opprimi velint. Nam si dehinc cum Mosco tractare instituant, hunc regesturum, quod Carolus Gustavus Lessinio tractatus ambienti responderat: quare tractaret, cum Polonia jam sua sit?* Instabant etiam Comitia, ad quæ Commissarii Polonici properabant. Qui demum declarabant; si Sveci pacem non ratihabeant, sese bellum in istos persecuturos. Ast Svecos non languidius pacis studium tenebat, qui seipsos obsidum loco heic mansuros ferebant, quoad ratihabitio adferatur. Nec Lumbranus minus properandæ paci incumbebat. Ita & nostris consentiendum erat, ut pax usque ad subscriptionem perficeretur. Ac declarabant Sveci, se pace conclusa protinus Curlandiæ Ducem libertati restituturos, recepto vicissim Kœnigsmarkio, simul Mariæburgum, & Bautscham Curlandiæ arcem reddituros, sola Elbinga ad ratihabitionem usque retenta; quousque & fœderatis loca Pomeraniæ retinere integrum sit.

Mart. (left margin)

Ad pacem citato gradu decurritur. (right margin)

1660. Accedebat mox alia festinandi causa, quod *9. April.* Daniæ Rex Electori significasset, se circa pacem suam cudendam occupari, ac ut Elector ad eum congressum si videatur legatos mittat. Unde non videbat Elector, quare pacem vel per horam remorari debat, quæ jam Olivæ ad umbilicum perducta erat: præsertim cum non penes Danum sed penes Belgas staret, num ipse, ac *30. Mart.* Cæsar ad tractationem ibi sit admittendus. Sed & Gedanum tunc veniebat Sebastianus Lucianus, Oratori Hispanico Comiti Fontano à secretis, conciliandæ paci operam offerens: de quo admittendo Sveci mandatum se habere negabant, Polonis tacite adstipulantibus. Etsi Cæsarei dicerent, eum non sequestris munus sibi deposcere, sed ut Lumbrano tantum succenturiatus sit; ac eo recepto, Gallum se quoque sequestrem admissuros. Sed quia Hispani operam nemo expetebat, ea ipsa festinandi causa erat, quo iste excluderetur; quem Poloni à Cæsare subornatum credebant ad pacem magis impediendam, quam promovendam. Culpa tamen ejus non admissi in Svecos conjiciebatur, qui defectum mandati excusarant. Mordebat etiam Polonos, quod Hispanicus legatus ministrum suum à se tantum, non à Rege Hispaniæ fiduciariis literis instructum miserat. Id quod tamen factum erat, ut salva *19. April.* existimatione Gallo cedere posset. Cum etiam sub finem tractatuum Joannes Casimirus Gedano discedere pararet, Cæsareis rogantibus ad finem manere decrevit, postulans tamen, ut certa dies conclusioni diceretur, & induciæ interim essent, quo sementis ab agrestibus in Borussia tuto fieri possit. Quorum utrumque fœderati recusabant velut noxium, ne Sveci interim annonam intra urbes convehérent. Unde Poloni hoc postulato omisso promittebant, se minutiis sepositis cum Svecis decisuros, si pax hisce cordi sit. Ad extremum circa ratihabitionem dubitabatur; an non postulandum sit, ut Rex Seciæ, ubi regimen susceperit, pacta jure jurando firmet? Id quod re expensa haut placuit, ne obligatio pacis in suspenso foret, cum in Regis arbitrio futurum sit, num deinceps jurare velit. Et quia idem hoc pacto læsus non erat, naturali jure *Pax concluditur* ad idem servandum tenebatur. Ita demum *21. April. st. v.* pax intempesta nocte Olivæ perfecta fuit, Re*1. Maii.* gina Poloniæ sibi gratulante, quod sua præcipue opera hæc negotiatio in pacem desiisset. Solennes dehinc visitationes inter nostros, & Svecos obitæ, ubi Sveci nostris tribus pariter digniorem apud se locum, & Excellentiæ titulum tribuebant. Lumbranus dicebat: *Galliæ morem esse veteres amicos conservare; ac sine dubio frigus, quod hactenus aula Gallica in Electorem ostenderit, post pacem ultro exoliturum.* Lesfinius Posnaniensis Palatinus fatebatur; *Aulæ Polonicæ durante tractatu persvasum fuisse, fœderatos haut serio pacem velle; unde & aliquando in asperiores concertationes fuisse eruptum. Sed cum super Pomerania, & aliis rebus declarationes, quales ipsi optaverint, adferrentur, vix se tantam æquanimitatem, ac moderationem satis æstimare potuisse. Circa Daniam optandum fuisse, ut aliter successerit. Sed Belgas nimis dissolute negotium tractasse, ac absurde postulasse, ut Dan. pax utique præcedat; quasi sani hominis esset, patriæ salutem post alienam Rempubl. habere.* quæ nostri: *quæ à se pro Dania facta sint, es stimationem, & communem utilitatem requivisi Mirum tamen esse, quod cum ipsi à Polonis a guantur paci remorandæ studuisse. Dani cont pacem à se heic fervide impulsam querantur.* Cu pace facta Svecici Legati Regem Joannem C simirum salutarent, hic post solennia verl magnum Gardium seorsim rogaverat, exple dæ suæ curiositati sententiam suam pandere num si Regem Seciæ impuberem mori conti gat, aliquem ex proceribus Seciæ in soliu sint provecturi? Cui Gardius responderat: *f parem se haut toleraturum, nec alios ipsum toler turos: ita vix alium quam extraneum corona p titurum.*

§. 75. Cæterum ex ista pace, inter Polo nos, Cæsarem, atque Electorem ex una, Svecos ex altera parte conclusam, unoque, eodem instrumento comprehensam, illa tan tum capita, quæ Electorem spectant, huc ad ducere placet.

Articulus II. §. 3. Civitatibus Prussiæ Rega lis, quæ in possessione S. R. Majestatis Regniqu Seciæ hoc bello fuerunt, manebunt itidem omni jura, libertates, & privilegia, quibus sive in Eccle siasticis, sive profanis potitæ sunt ante hoc bellum (salvo libero, uti ante hoc bellum viguit, in præ dictis civitatibus Catholicæ & Evangelicæ religioni exercitio,) earumque territoria, Magistratus, Com munitates, cives, incolas, & subditos S. Regia Ma jestas Poloniæ eadem qua olim clementia, & grati Regia inposterum prosequetur, fovebit, & tuebitur

XXIV. §. 1. Sit itidem pax perpetua, veraque, ac sincera amicitia inter Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, & Principem hereditarium (tit. tot.) ejusque hæredes, successores, ac Posteros Reges, Regnumque Seciæ, ejusdemque tam in Imperio, quam extra illud sitas provincias, Status, ac ditiones, & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandenburgensem, S. Rom. Imperii Archicamerarium & Principem Electorem (tit. tot.) Poloniæ fœderatum, bellique socium, ejusdemque hæredes, ac successores, provinciasque, Status, ac ditiones, in, & extra Imperium Romanum sitas, ita ut alter alterius honorem, commodum, & utilitatem sincere, serioque in perpetuum promoveat.

§. 2. Pacta vero & fœdera omnia, quæ paciscentes partes inter se, vel cum aliis Principibus ac Statibus, utrinque sancita habent, quoad omnia sua puncta, clausulas, & articulos integra & in pleno robore suo permaneant, ita tamen ut per ea præsens transactio pacis nullum præjudicium patiatur.

§. 3. Sit etiam utrinque amnestia, & præteritorum omnium perpetua oblivio, ita ut quidquid hactenus quocunque loco, & quavis de causa, sive in Imperio Romano, sive extra illud ab alterutra partium, vel sub earum imperio, potestateque existentibus, absque ullo personarum, rerumque respectu gestum, vel admissum fuerit, nullo prætextu, via juris vel facti,

dire-

660. *directè vel per indirectum, à neutra parte unquam vindicari possit; Et nec horum, nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri posthac quidquam hostilitatis, aut inimicitiæ, vel etiam quoad ministros officiarios, aliosque incolas, & subditos, statum, bona, vel securitatem, per se vel per alios, clam vel palam inferat, vel inferri faciat.*

§. 4. Nemini quoque ex utriusque pactis subditis aut vasallis, cujusque conditionis & dignitatis fuerit, noxæ sit, aut præjudicio, quòd alterius partem hoc bello, sago, vel toga fuerit sectatus, sed quicunque ex sola causa hujus belli de suis possessionibus decidisset, is in pristinum statum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores, & bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, si hæc bona mobilia fisco nondum adjudicata, & extradita, aut alias distracta sint, indilate & sine ulla contradictione restituatur, eisque plenarie gaudeat ac fruatur. Atque proinde & Campi Mareschallo Comiti à Kinigsmarck, ut & Campi Mareschalli Wittenbergii hæredibus bona immobilia, quæ in ditionibus suæ Serenitatis Electoralis ubicunque locorum ante hoc bellum possederunt, in eo statu, quo nunc sunt, restituentur vigore hujus pacificationis, atque eo jure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt, ac possederunt.

XXV. Et ne occasione anteactorum lis, & dissidium aliquod oriri possit, S. R. Majestas Sveciæ pro se, hæredibus ac successoribus suis Regibus, Regnoque Sveciæ virtute hujus instrumenti pacis quam fieri potest validissime in perpetuum, & irrevocabiliter renuntiat pactis, quæ die 7. 17. Januarii anno 1656. Regiomonti, Item 15. 25. Junii prædicti anni Mariæburgi, tum quæ 10. 20. Novembr. eodem anno 1656. Labiaviæ inter Sereniss. Sveciæ Regem, gloriosæ memoriæ, nuper defunctum, & suam Ser. Electoralem confecta sunt, ut & omnibus aliis conventionibus quæ illis adjectæ, aut separatim quocunque modo durante hoc ultimo bello Polonico ejus respectu initæ sunt. Atque ea omnia, & singula in omnibus & singulis clausulis, conditionibus, & articulis suis irrita, & nulla pronuntiat, omnemque ipsis vim, vigorem, & effectum hoc ipso, & virtute ejus pacti penitus & in æternum detrahit, ita ut contra suam Seren. Elect. Brandenburgicam, ejusque hæredes, agnatos, successores, provincias ubicunque locorum sitas, & in specie in Ducatum Borussiæ, atque ejusdem Ordines, & incolas, aut contra suam Reg. Majestatem, ejusdem successores Reges, Regnumque Poloniæ ex nominatis & indigitatis supra pactis, & conventionibus abolitis, nunc & in posterum sive successionis in Prussiam, sive unionis, aut quocunque alio prætextu vel causa, nomine Regis, Regum, hæredum ac successorum, & Regni Sveciæ nihil unquam allegari, prætendi, aut postulari debeat. Quare præmemoratorum pactorum & conventionum originalia cum retradi non potuerint, hoc ipso pro retraditis, scissis, & in cineres redactis habentur, & in æternum habebuntur. Quemadmodum & Sereniss. Elector Brandenburgicus in Prussia Dux quam fieri potest validissime in perpetuum & irrevocabiliter vigore hujus instrumenti pacis, pro se, hæredibusque, ac successoribus suis profitetur, nihil vel se, vel hæredes, ac posteros suos ex prædictis pactis, & conventionibus contra S. R. Majestatem, Regnumque Sveciæ prætensuros, sed sua Seren. Electoralis pro se, hæredibus ac successoribus hoc ipso, & virtute hujus pacti supra memoratis omnibus pactis jam abolitis renuntiat, & eadem omnia pro retraditis, scissis, & in cineres redactis nunc & in æternum declarat, & irrita, ac nulla pronuntiat, omnemque ipsis vim, vigorem, & effectum penitus & in æternum detrahit. 1660.

XXVI. Sereniss. Elector Brandenburgicus loca omnia quæ in Pomerania hocce bello occupata præsidiis suis insidentur Sæ. Reg. Majestati, & Regno Sveciæ; ea vero, quæ in Holsatia, & Ducatu Sleswitensi Celsissimo Principi, & Duci Holsatiæ Gottorpiensi (qui prævia tamen cautione de non vindicando juxta formulam, de qua hic convenit, hac pace consensu partium inclusus censebitur,) restituet plenarie cum tormentis bellicis ipsorum propriis, re armamentaria, cæteroque apparatu bellico, nec non mobilibus cujuscunque generis; item actis Cancellariæ, archivis, & literariis documentis, prout ea omnia tempore occupationis, vel deditionis inibi reperta, & adhuc non distracta extant. Quæ evacuatio fiet, locorum scilicet Pomeraniæ, exceptis Wollino, Dam, & Greifenhagen, intra duas septimanas, à die permutationis ratihabitionum computandas, quo tempore quoque Elbinga restituetur. Wollinum vero, Dam, & Greiffenhagen, nec non loca Holsatiæ, & Ducatus Slesvicensis intra alias demum duas sequentes hebdomadas à die supra memoratæ restitutionis evacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis præsidiariis militibus, & è provinciis ad Sereniss. Regem Sveciæ, & Ducem Holsatiæ & Slesvici Regentem spectantibus copiis omnibus, ea ratione & modo, de quo inter partis utriusque Generales, vel eorum Locum tenentes intra tempus ratihabitionibus commutandis præfinitum, conventum fuerit. Ita tamen, ne in præmemoratis restituendis, & evacuandis locis vel communitatibus, qui præsidia Electoralia habuerunt, aut quovis modo hoc bello in suæ Seren. Electoralis fide & potestate fuerunt, vel cuiquam privato, quod partes suæ Serenitatis secutus fuerit, ulla ratione noxæ, fraudique sit, vel alia in re, quoad pristina jura, privilegia, bona, feuda, & libertates illi competentes absque exceptione, vel reservatione præjudicet.

XXIX. Inter S. R. Majestatis Sveciæ & suæ Ser. Elect. Brandenburgicæ, Regni, provinciarum, Statuum, ditionum tam in Imperio Romano, quam extra illud sitarum subditos & incolas pristina restituantur commercia, atque in posterum pleno in vigore conserventur.

XXX. Si qua bona à suæ Ser. Electoralis subditis, vel ejusdem ditionum incolis in S. R. Majestatis Sveciæ Regno, provinciis, ditionibus, aut locis occupatis, & hactenus possessis, ante vel sub tempus hujusce belli deposita, vel alio quocunque modo delata sunt, ea sine ulla mora, vel effugiis dominis suis restituantur, nisi jam fisco adjudicata, vel extradita fuerint.

XXXII. §. 1. Cessent omnes hostilitatis actus inter partes paciscentes omnes tam principales, quam fœderatas, earumque exercitus à die conclusæ & subscriptæ pacis, computando in Prussia tam Regali quam Ducali exactis, quatuor, in Pomerania, & Megapoli duodecim, in Curlandia, & Livonia quatuordecim, & in Holsatia, & Sleswicensi Ducatu exa-

1660. *exactis viginti diebus. Eadem quoque die in singulis præmemoratis locis negotiationes quævis pristino usui restituantur; & literarum commercia libera sint.*

§. 2. Generales præsidii Elbingensis in Prussia, ac tam Cæsarei quam Electorales in Pomerania post acceptam hujus armorum cessationis intimationem exactam curam adhibebunt, ut usque ad finalem pacis executionem militis sustentatio non amplius exigatur more hostili, nec ultra justam & necessariam alimentationem provinciæ ipsorum armis insessæ aggraventur. In quem finem Commissarii à partibus deputabuntur, qui curam sedulam habeant, ne exorbitantiæ contra hanc conventionem fiant.

XXXV. §. 1. Quo firmior, stabilior, securior pax hæc coalescat, & ab omni parte intemerata duret, promittunt supra memoratæ partes omnes, principales & fœderatæ, se hanc transactionem, & pacem, omnesque ejus articulos, capita, & clausulas sancte, & inviolabiliter servare velle, & debere, & ne in posterum violari queat, se invicem ad generalem guarantiam & evictionem mutuam, ac defensionem reciprocam omni ex parte obstringunt: hisce quam fieri potest firmissime spondentes, ut si contingat unam partem ab altera, vel plures à pluribus, terra vel mari, bello contra hanc pacificationem impeti, aggressor ipso facto pro infractore hujus pacis ab omnibus habeatur, ejusdemque paciscentium partes læsæ ad summum intra duos menses à requisitione partis læsæ eidem communibus armis assistere, & tamdiu contra aggressorem prosequi donec pax communi omnium partium consensu restituta fuerit, invicem teneantur.

§. 2. Si vero contingat partem unam ab altera, vel plures à pluribus gravi aliqua iniuria citra tamen vim armorum vexari, non licebit ideo læso ad arma subito recurrere, sed ante amicabilis componendarum hujusmodi controversiarum ratio ineunda erit, videlicet, ut læsus accepta injuria, si immediate cum lædente convenire nequeat, alios paciscentes moneat, & Commissio generalis omnium paciscentium nomine instituatur ad læsi confinia, intra spatium quatuor mensium, in quo inter deputatos utrinque Commissarios negotium discutiatur, & si possibile erit, intra quatuor ad summum alios menses terminetur.

§. 3. Si vero lædentem refractarium ad aqua, quæ proponentur media deprehenderint, tunc læsis licebit, facta tamen prius legitima belli denuntiatione, jus suum armis prosequi, & bellum, ut supra statutum est, lædenti inferre.

§. 4. Quod si vero turbationes vi, contrariisque actibus retundantur, solummodo tenendorum limitum causa, actus ejusmodi pro violatione pacis non reputabuntur, ipsa autem super limitibus controversia extra vim armorum terminetur.

XXXVI. Cum autem pro majori securitate hujus pacificationis tam Sereniss. & Potentiss. Rex Sveciæ, quam Serenissimus & Potentissimus Rex & Resp. Poloniæ, ut & Serenissimus Elector Brandenburgicus postulaverint, ut Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Galliarum ac Navarræ Rex Christianissimus, cujus ope & studio inter præmemoratos Serenissimos Reges, & Serenissimum Electorem Brandenburgicum pax promota, & mediatione ad optatum finem perducta est, executionis & observationis illius inter eosdem fidejussor existeret; S. Majestas Christianissima postulationibus ac votis illorum annuens, eodemque animo pacis hujus perpetuitatem exoptans, quo eam procuravit, pro se, ac successoribus suis Regibus Galliæ spondet, ac promittit, idque per Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Antonium de Lumbres, legatum suum plenariis mandatis ad hanc guarantiam cavendam instructum, se executionem horum pactorum, eorumque observationem, ac perpetuitatem inter eosdem supra memoratos Principes omni meliori quo fieri potest modo, etiam armis, ubi amicabilia media non processerint, asserturam; & si quis eorum sub hac fidejussione comprehensorum illa violarit, arma viresque suas parti læsæ ad ejus requisitionem juncturam. 1660.

Quod ut firmius omnibus constet, promittit dictus Dominus legatus Gallicus, se ratificationem Regis sui super hanc guarantiam eodem tempore, quo ratihabitiones pacis commutabuntur, extraditurum. Integrum quoque erit paciscentibus omnibus eandem Christianissimi Regis guarantiam, & fidejussionem suscipere, & alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus invitare, & denominare Principes, & Potestates.

XXXVII. Si qui Regum, Principum, nec non Rerump. ac Statuum amicorum hisce pactis à quacunque parte paciscentium includi voluerint, sit ipsis ejus facultas, modo se ad ista intra sex abhinc menses declaraverint, & id consensu omnium partium fiat.

§. 76. Ast super secundo Articulo instrumenti pacis de amnestia ejusmodi declaratio adjiciebatur; *Articulus separatus.*

Legatio Svecica declarat Sereniss. Regis, Regnique Sveciæ nomine, ea quæ in instrumento pacis articulo secundo de redintegratione jurium disponuntur, non debere concernere ditiones, status, civitates, terras & loca, quæ à sua Serenitate Electorali possidentur, nec eo trahenda: neque obstare eundem articulum, quo minus Suæ Ser. El. Elbinga jure, quod eidem Suæ Ser. Electorali competere potest, tenenda tradatur, salvis de cætero ejusdem civitatis privilegiis, & immunitatibus tam in Ecclesiasticis, quam politicis: salvo itidem jure retractus conventionalis Sereniss. Regi ac Reip. Poloniæ, quoad Elbingam. Qui quidem articulus tanquam si in ipso instrumento pacis esset insertus, ibidemque cum aliis appositus, ejusdem cum eo valoris esse, haberique debeat.

Eam in rem legatus Gallicus id testimonium exhibebat: Suæ Christianissimæ Regiæ Majestatis Galliarum & Navarræ Comes Consistorianus, & ad tractatus pacis Polono-Svecicos legatus plenipotentiarius Antonius de Lumbres notum facimus quorum interest universis & singulis, præsentibus & futuris. Quandoquidem instrumento pacis principali hodie subscripto articulus amnestiæ, in quo tam communitatum quam singulorum jura redintegrantur, forma generali conceptus, & nulla specialis adquisi-

1660. *quisitorum tam in Prussia Ducali, quam extra eandem Seren. Electori Brandenburgico per pacta fœderis perpetui cum sua Regia Majestate Reque publica Polona inita, & conclusa, ac postmodum legè Comitiali adprobata Suæ Ser. Electoralis jurium in eadem facta sit mentio, ne id in præjudicium Suæ Ser. Electoralis jurium trahi posset, convenit, ut præter separatas partium declarationes, à nobis quoque uti mediatore attestatio rei actæ ederetur. Proinde vigore præsentium omni meliore modo fide publica testamur, legationem Svecicam circa tractatus pacis declarasse, nec eorum esse, neque etiam ad se spectare, ut prædicta pacta vel approbent, vel iisdem ulla in re quidquam derogare posse vel debere. Polonica vero legatio tam oretenus, quam scripto publica fide manifestavit, Suam Reg. Majestatem Remque publicam Polonicam præmemoratis pactis non solum nihil derogare hoc instrumento velle, posse, vel debere, sed eadem in omnibus articulis, punctis & clausulis conservare & manutenere.*

Polonicæ autem legationis declaratio ista erat:

Polonorum declaratio.

Nos infra scripti S. R. Majestatis Reipublicæque Polonæ ad tractatus Polono-Svecicos legati plenipotentiarii, notum facimus quorum interest, vel ulla ratione interesse poterit universis & singulis. Quandoquidem instrumento pacis principali hodie subscripto articulus amnestiæ, in quo tam communitatum, quam singulorum jura redintegrantur, forma generali conceptus est, & nulla specialis adquisitorum tam in Prussia Ducali, quam extra eam Ser. Electori Brandenburgico per pacta cum S. R. Majestate Reque publica primum Welaviæ, demum Bydgostiæ inita, ac constitutione Comitiali approbata Suæ Ser. Electoralis jurium, utpote independentiæ Ducatus Prussiæ, condescensionisque in feudum Bytoviensis & Leoburgensis in Palatinatu Pomeraniæ existentium, tum & juris competentis in civitatem Elbingensem, nec non præfecturam Draheimensem in eodem facta est mentio. Ne id in præjudicium memoratorum Suæ Serenitatis Electoralis jurium trahi possit, plures modo ratione inclusionis prædictorum in præfato articulo amnestiæ propositi fuere. Cum autem partibus nequaquam satisfacere potuissent, tandem prudenti Illustrissimi & Excell. Domini Christianissimi Regis legati mediatione, ac indefesso studio maturandæ pacis gratia convenit, ut peculiari articulo, qui tamen pro inserto pacis instrumento haberi, ejusdemque valoris esse debet, ea ipsa jura Seren. Electori caverentur, quod & à legatione Svecica per separatum articulum factum est.

Cautio Ducis Holsatiæ

§. 77. Denique & Dux Holsatiæ Gottorpiensis ejusmodi cautionem exhibebat:

Nos Christianus Albertus Dei Gratia Hæres Norwegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst, notum testatumque facimus, quod cum pace inter Ser. Regem Poloniæ, ejusque fœderatos, utpote Sacram Cæsaream Majestatem, & Ser. Electorem Brandenburgicum ex una, & Sereniss. Regem Sveciæ ex altera parte inita de restituendis uno post commutatas pactorum ratificationes mense, locis & ditionibus ad nos spectantibus cautum sit, nos proinde fide Ducali hisce promittere, ob bellum gestum in provinciis nostris, & inde perpessa damna, nulla ratione clam ut palam, directe vel indirecte, via juris vel facti, per nos vel per alios contra prædictam S. Cæsaream Majestatem, ejusque Regna, terras, ac provincias, & Ser. Regem, Remque publicam Poloniæ, tum quoque Ser. Electorem Brandenburgicum, ejusque terras & provincias nihil unquam in vel extra Imperium Romanum belli istius & expeditionis prædictæ causa moturos, aut aliquid à prænominatis partibus paciscentibus hoc nomine postulaturos. 1660.

Elector legatum in aulam Polonicam mittit. 28. Maij.

§. 78. Pace Olivæ absoluta Elector Hoverbequium Warsaviam misit, ubi in Junium mensem Convocatio super firmanda ea pace indicta erat. Ei injunctum Polonos exemplum pacis ab hisce subscriptum, & ratihabitum pro Electore poscere. Quanquam enim præcipue inter Polonos, & Svecos tractatum fuerat, quia tamen Elector in ejus negotii partem venerat, ejusque maxime intererat pacem illam undiquaque servari, ejusmodi exemplar à Polonis ratihabitum necessarium videbatur; Quale & Cæsari nostros poposcerant, simile vicissim tradituri. Tum ut declaratio articulo secundo addita firmaretur, ne generalis Borussiæ restitutio in statum pristinum in fraudem pactorum adduceretur. Tum ut delegatum ad Elbingam tradendam peteret Uladislaum Reium, qui antea singulari studio in Electorem ostentato operam suam in eam rem obtulerat. *Rey.* Laboraret quoque, ne Evangelicis in Polonia noxæ quid inferatur. Nec minus observaret, quid à Svecis, Gallis, & Neoburgico in ea aula agitetur; ac operam daret, ut ejus aulæ offensa in Cæsarem mitigetur, neu Resp. suspectis sese partibus innectat in fraudem suæ libertatis, eoque fine dissuadeat fœdus cum Svecis, ac ne per id ansa hisce præbeatur ad novum bellum movendum. Quod quidem fœdus Lithuaniæ Cancellarius Pacius valde urgebat, multis Polonis aversantibus; quia Sveci parum auxilii Polonis laturi erant maximum tamen ex isto lucrum in se tracturi. Offerret quoque Electoris officium conciliandæ inter ipsos & Moscos paci. Denique & tentaret; num Poloni Electori pro Elbinga Braunsbergam, & præfecturam Neuburgum, ac Slochoviam dare velint, quo casu etiam munimenta Elbingæ integra relicturus sit. Hoverbequius Warsaviam delatus cum justi legati charactere assumsisset, postulabat, ut proprio Regis curru in aulam ad Regem salutandum veheretur, ad infimas scalas supremo Camerario excipiente; qui honos etiam Belgæ exhibitus fuerat, tantum Deputati Extraordinarii dignationem gerenti. *Controversia super Ceremoniis.* Contra Rex objiciebat, id neque Cæsareo legato, nec Gallo ab Olivensi tractatione huc profectis, nec Pontificis Nuntio Cardinalitia dignitate aucto contigisse: & hanc continuationem esse prioris legationis. Ad quæ Hoverbequius, Cæsareum, & Gallum post Olivenses tractatus hautquaquam in aulas suorum Principum revocatos, sed sine interruptione autem Regis comitatos: nec moris esse, legatum, etsi novis mandatis ac fiduciariis literis acceptis, solennibus ad primum ingres-

1660. ingressum cerimoniis excipi. Sed legationem, quam ipse antea gesserat, plane expirasse, ac privatum se fuisse, nisi nova legatione delata. Nuntii dignationem per purpuram Cardinalitiam hautquidquam in legationem à latere mutatam. Ad ista Rex: Id à se fieri, non ut dignitati Electoris quid detrahat, sed ne Cæsareum, ac Gallum offendat, si plus ipsi honoris quam hisce exhibeatur. Ac demum ostendebat; si alia quædam præter pactorum ratihabitionem quæsitum veniat, desiderato honore potiturum. Sed Hoverbequius negabat, moris esse legatis antequam audiantur ejusmodi conditiones ferre. Regem tamen intellecturum, Electori non minus hanc Rempulicam, quam proprium Statum curæ esse. Ita is quod volebat obtinuit. Cum conclave Regis ingrederetur, Rex aliquot passus obviam ipsi procedebat, caputque tegere jubebat. Apud Reginam sella eidem dabatur, ei plane similis, cui ipsa insidebat. Rex benevolentiam, & gratum animum in Electoris merita multis, & amplissimis verbis testabatur, lacrymis in oculos erumpentibus.

In conventu Warsaviensi acta. §. 79. Eo in conventu proponebatur, Slippenbachio centum millia florenorum Polonicorum danda ob singularem operam promovendæ paci navatam promissa: tum Lumbrano decem uncialium millia. Heic omnes *7. Jun.* pacem firmandam censebant, præter Livonos, qui subscribere tergiversabantur, quoad sibi à Rep. satisfactum esset nomine bonorum suorum patrimonialium Svecis cessorum, quæ quingentis uncialium millibus taxabant. Sed Slippenbachii, ac Lumbrani honorarium plerique abnuebant, velut haut ita meritorum, cum pactis parum contineatur honori, & emolumento nationis cedens. Quia tamen Commissarii Polonici promiserint, se eam legationem propriis sumtibus obituros nullo Reip. *23. Jun.* onere; ab iis refundenda, quæ ex ærario sumsissent, ac inde istis legatis satisfaciendum. Offerebat inde Hoverbequius Electoris officium conciliandæ cum Mosco paci; aut si id potius videatur, mittendo legato, qui Czari rationes pacem svadentes ingereret: *Polonos post æternam cum Svecis pacem totas vires in ipsum versuros, tractis in societatem Tartaris, & Cosacis. Nec Turcam, aut alios vicinos toleraturos, istius potentiam tantopere gliscere. Polonos quoque nunquam adducendos, ut indolem regiminis Moscici moresque assumant.* Quam demonstrationem ab amico in consilii locum prolatam plus profecturam, quam si ipsi Poloni ista velut minitabundi jactent. Rex gratum sibi Electoris studium profiteri. Cæterum dolere, hoc se officio uti non posse, tractatibus jam in eum statum devolutis, ut Poloni magis de iis dissolvendis, quam persequendis cogitent, & quomodo legatos suos in tutum locum subducere queant. Moscum quippe in ipso limine absurda postulari; ut Cosacorum plenipotentiarii simul admittantur; ut ipsi titulus Russiæ Albæ, & Ucrainæ in antecessum tribuatur: tunc demum super Lithuania disceptandum. *Nam concessionem tituli speciem habere renuntiationis. Cosaci si Poloniæ subjecti sint, cum iis vel juxta vetera privilegia, vel secundum novissima pacta agendum. Si Moscorum iidem subditi habeantur, nullum istis locum heic fore. Si liber populus sint, per se tractare illis integrum esse. Ac in præsens tolerabilius videri bellum cum Moscis continuari, quam tractatibus tempus terere. In Senatu tamen hoc de negotio deliberaturum.* Sed revera oblatum sequestris officium minus gratum erat partim ob offensam Cæsaris, si negotio per ipsum cœpto alius colophonem imponeret, partim quod Czar hoc officio admisso stipulaturus esset, ne inter tractandum Elector Poloniæ auxilium mille quingentorum militum ex fœdere debitorum præstaret. Ne tamen Poloni Electoris officium adspernari viderentur, in Senatu decernebant; satius esse, si Elector misso legato Moscum ad æquas pacis conditiones hortetur. Sed & Neoburgicus, Gedani licet repulsus, ut paci includeretur, Warsaviæ instabat, fidejussorem quoque se isti paci offerens. Ast cum Hoverbequius acerrime reniteretur, nec Neoburgicum hoc bello ita meritum; Poloni hunc quam Electorem offendere malebant. Nec placebat sponsor pacis, qui vicissim aliquid stipulaturus esset Reip. onerosum; qui & alias tam potentem Remp. parum decebat, & quem Gallus socium adspernabatur. Ne fœdus cum Svecis succederet, Hoverbequius juxta, ac Lisola reluctabantur, non sine fructu. Denique circa successionem eo res redierat, ut inter omnes competitores is prævaliturus videretur, cui Elector suffragaturus esset; quod & Cæsarei, & Galli agnoscebant. Sed Joannes Casimirus modum insinuabat, quo molestia prensandi supersederi posset; *hactenus usitatum*, inquiens, *Comitia habendi modum per unanimem omnium Ordinum consensum ita comparatum esse, ut per eum facile sit ad hæreditariam successionem, & legibus solutum imperium grassari. Nam si Rex exercitum ad nutum sibi habeat, & aliquot ordine Comitia sine fructu abrumpi patiatur, necessario summam rerum in eum devolutum iri.*

Circa Elbingam tradendam cavillatio nes. §. 80. Cæterum initio Rex Hoverbequio super Elbinga tradenda, aliisque Electoris negotiis prolixe promittebat, nec à quopiam super eadem vel verbo scrupulus movebatur. Etsi statim post factam pacem Rex Elbingenses diplomate dato in gratiam receperat, confirmatis quoque ipsorum privilegiis, quod vix per pacta Bydgostrensia fieri poterat. Ast cum ratihabitionibus hinc inde traditis Sveci ista urba egressi essent, Polonico contra præsidio immisso, Poloni circa eam cavillari incipiebant. Etsi Elbingenses non magis Polonicum, quam Electorale præsidium admittere voluerant. Unde Lindanus Svecicus Gubernator pridie quam urbe excederet, epulis instructis magistratum urbanum grandibus poculis obruerat, ut sequenti die ipse militem educeret, Polonique contra ingrederentur, antequam consules hesternam crapulam edormiissent. Ac initio spes erat Regi, trecenta uncialium millia Gedani, aut alibi mutuo accipi, ac centum millia per compensationem detrahi posse. Ea pecunia oblata actionem Electoris in urbem elidi.

1660. elidi. Ac apud Gedanenses quidem jactabatur; *par esse tam nobile membrum inter Borussiæ Ordines conservari. Electorem arcto fœdere Cæsari innexum agere, ac metuendum esse, ne is interregno existente tanti momenti urbem in istius manus tradat. Denique Reformatorum dogmata hoc modo valde firmari, ac his ansam præberi Lutheranos Gedani infra se deprimendi.* Sed cum apud Gedanenses nulla pecuniæ spes adpareret, alia cavillandi materia dispiciebatur, specie quadam compensationis opposita. Equidem quamdiu Poloni bello immersi hærebant, ne verbo quidem mentionem faciebant, aliquid ab Electore adversus pacta admissum. Sed postea hinc inde corradebantur, quæ velut in compensationem isti objicerent, quo Elbingam detinendi prætextum foret. Inprimis graviter exagitari cœptum, quod Elector Gedani, urbe Regia habeat, qui literarum hinc inde mittendarum ac distribuendarum curam ageret; ac Itali quidam, compendium ibi captantes Regem subinde obtundebant; etiam postremum inter Italiæ Principes haut dubitaturum omnes fortunas potius periculo expositurum, quam ferre, ut in sua urbe vicinus Princeps id jus exerceat, non sine magno summi imperii detrimento. Reginæ quoque ostentabatur, quotannis ipsam bis mille unciales, in mercedes ferendarum literarum erogandos compendifacere posse, non sine aliquo insuper lucro. Ea res audita Electorem non parum commovebat, qui super Elbinga novos cum Polonis tractatus ingredi nolebat; præsertim cum nil esset, quo istos ad pacta servanda compellere posset. Equidem in pace dispositum erat, ut quatuordecim dies post traditam Elbingam tria Pomeraniæ oppida Wollinum, Dammum, & Greifenhaga Svecis redderentur Sed negabat. Lumbranus Electori fas esse hæc oppida ob Elbingam detinere. Nam Svecos deducto Elbinga præsidio pactis satisfecisse; an autem eadem Electori tradatur, Svecos non tangere, quibus & Polonorum facta præstanda haut sint. His super tricis cum Hoverbequius Schlippenbachio exponeret, hic monebat; *cavendam Electori Polonorum fraudem, ac malam fidem. Nam Regem sibi confessum, Reio haut mandatum urbem Electori tradere, sed potius rationem investigare, qua eadem ab Electoris actione liberetur.* Contra Reius ferebat; *Svecorum opem Polonis præsto fore, si cum Electore in dissidium erumpatur, quem præ aliis infensi oderint.* Sed Lisola svadebat, omnia Polonis concedenda, quoad Elector Elbinga potitus sit. Nam tum sat prætexti inveniri posse resarciendo, quod nunc decesserit: ac omissam munitionum destructionem quantivis taxari posse.

Super Elbinga tradenda disceptatur. 15. Aug.

§. 81. Profectum dein Elbingensis negotii causa Reium Hoverbequius in Borussiam sequebatur. Ubi iste primo Elbingensibus proponebat, ut redimendæ suæ urbi ducenta florenorum Polonicorum millia congererent, supplendæ summæ, quæ aliunde corrogetur. *Nam si Elector urbe potiatur vel per bienniunt tantundem expendendum, tributis in æternum continuandis.* Ast nostris idem significabat; *urbem à se tradi non posse, ni literarum diribitor Gedano amotus sit, ac summæ quadringenties mille uncialium ducenta florenorum millia detrahantur nomine tributorum, quæ Electorales Braunsbergæ nullo jure exegerint: Braunsberga quoque præsidium prius deducendum, ac trajectu Vistulæ contra Neuburgum, & Meisterwaldam nostris desistendum. Sed & numerum præsidii Elbingæ imponendi ad sexcenta capita restringendum.* Ad quæ nostri: *Braunsbergam protinus accepta Elbinga reddendam. Id oppidum de communi consilio, ac studio boni publici non sine insigni emolumento vicinorum ab Electoralibus custoditum, qui e tributis alendi fuerint. Non recusare se tamen, quo minus post Elbingam traditam calculus ponatur.* Sed cum nostri vetante Electore Reii postulata annuere nollent, hic fremere, ac minari; Ordines Borussiæ, qui tunc Cutmæ congregati erant, haut passuros, eam urbem in Electoris manus pervenire. Et idem Elbingenses instigaverat, ut ad eum conventum delegatos mitterent, tuendo veteri inter Ordines loco. *Si Elector in Elbingæ vicem tria Pomeraniæ oppida retinere velit, id sibi curæ non esse; ac Polonos inde ansam arrepturos cum Svecis fœdere se uniendi; qui gavisuri sint prætextum invenisse illatis armis Electorem ulciscendi. Cæsari contra, quo minus id negotium suscipiat, Turcam sat negotii daturum.* Nec dissimulabat, Electorem accessione tam validæ urbis nimis formidabilem vicinis fore. Ac si idem semel urbe potiatur non defore prætextum eludendæ redditioni. Tum si Elector valido cum præsidio Elbingam teneat, Polonis non minorem militum numerum Dirschaviæ, Mariæburgi, Mevvæ, Graudenti, & aliis circum Borussiæ oppidis habendum. Quin Polonis gratum fore, si Elector ob Elbingam aliquid moveat; cui propulsando sat virium sit, instante jam cum Moscis pace. Tum & operam ab Electore Reipublicæ navatam elevare; ac ipsa pacta cavillari; velut de Elbinga ipsi Brombergæ ea lege concessum sit, ut eam propriis armis à Sveco recuperaret. Id enim si factum esset, Reipublicæ haut necessum fuisse Svecis Livoniam cedere. Etsi ista sat impudenter jactarentur; cum expressis pacti verbis cautum esset ut Poloni Elbingam, ubi eam à Svecis receperint, Electori tradant. Porro quia non pauci è Senatu urbis in Electorem propendebant, Reius per concionatores, Calvini dogmata aversantes cives in templum convocatos interrogabat; Regi, an Electori adhærere malint? qui una voce exclamabant; pro Rege vitam se, & omnes fortunas periculo expondituros. Nec quidquam proficiebatur literis, quas Elector super hoc negotio ad Regem, Reginam, & quosdam procerum dabat, quippe is quibus Reip. necessitas pondus haut amplius addebat. Ac Regina potius, à qua tunc ejus aulæ consilia pendebant Reio denuo injungebat, ut Elbingam quocunque modo servaret.

§. 82. Alio dein congressu Reius declarabat, *Varia Elbingam à se tradendam his conditionibus: si Regi circa magistrum veredariorum Gedani satisfiat, ac dicta pars summæ, quæ Elbinga redimenda sit, detrahatur: si prius conventum sit, à quo præ-* 1660.

Polonorum tergiversationes.

 si-

1660. 31. Aug. *sidium sit alendum: ut Elector non plus juris in urbem sibi arroget, quam Rex & Resp. in eum transtulerit, aut transferre potuerit: ut si Elector plus pecuniæ ab urbe exigat quam Rex, si eam tenuisset, exacturus fuerat, id deinceps summæ ad redimendam urbem definitæ detrahatur: ut Braunsberga unum ante Elbingam diem reddatur: ut denique trajectus Vistulæ, quos Elector post pacta Bydgostiensia usurpare cœpit, omittantur, quod per eos extraneus miles improviso Borussiæ immitti possit.* Nostri talia à præsenti negotio aliena ostendere, & amica transactione, ac per delegatos facile expedienda: ac pro conditione non tradendæ Elbingæ absurde adduci. Quanquam Bogislaus Radzivilius Borussiæ gubernator svaderet, circa ista concedi posse, ne summa negotii turbetur; & urbe tradita eadem facile reparanda. 11. Sept. Visus dein Reius paululum remittere, ac scripto polliceri, *Elbingam sine mora, ac sine novis postulatis tradendam, si tabellariorum magister Gedano amoveatur, si de summa Elbingæ redimendæ centum uncialium millia detrahantur; ac denique trajectus Vistulæ omittantur.* Nec eo magis sibi constabat, aut tricarum desinebat; postulato ut nostri unum propugnaculum, & unam portam Elbingæ occuparent, vicissim Polonis unam portam Braunsbergæ tenderent, ut tamen eo oppido Electoralis miles ad centum viginti capita educeretur, quod & ipsi immissuri sint. Id quod velut absurdum, & intutum nostri adspernabantur. Denique nostris instantibus super tabellariorum Gedani negotio transactum; & adquiescebat Reius, cum nostri quinquaginta uncialium millia Elbingensi summæ detrahenda annuerent, sibi quinque uncialium millia in honorarium stipulatus, denuntians tamen, ni id statim repræsentetur, tot tricis sese nostros fatigaturum, ut sero dolituri sint, se ipsi haut gratificatos: cum nostri stultum ducerent præmium in antecessum exsolvere, incerta adhuc opera; cui & inconstantiam, ac lubricam fidem in os exprobrabant. 13. Sept. Tandem Reius Elbingensibus denuntiat; quia pecunias ad sui redemtionem corrogare nolint, quæ tamen intra triennium à Rep. sit refundenda, sibi necessum fore urbem Electori tradere. Monebat tamen ut desideria sua jam proferant, ne ad instar adscriptitiorum glebæ, & mancipiorum alienentur. Ac congesserant Elbingenses aliquot conditiones, quibus libertati suæ cavere, ac Electoris potestatem circumscribere cupiebant, nostris contra privilegiorum confirmationem offerentibus; ac ut ad Electorem mittant, si quid amplius desiderent. Nolebat tamen Reius Elbingenses seorsim cum nostris agere; cives quoque non nisi isto præsente negotium suscipere cupiebant. 15. Sept. Bakovvski. Condicta die Reius adjuncto Bakovio succamerario Pomeraniæ nostris præsentibus Elbingensium deputatis denuntiabat, à se urbem Electori tradendam, jure hypothecario possidendam, salvis ejusdem privilegiis. Quo facto deputati postulata sua exhibebant; quos cum nostri ad Radzivilium remittere vellent, isti hoc instigante Reio abnuebant, petentes, ut potius præsente, & interveniente Reio responsum sibi detur. Quod cum nostri præfracte recusarent, Polonus demum concedebat, ut Elbingenses unum & alterum ad Radzivilium ablegarent. Enimvero Reius rem serio non agebat, sed hoc ludibrio Electorale præsidium Braunsberga dimovere cupiebat. Interim ex aula mandata expectabantur, ac num forte pecunia inveniri posset, quæ Electori daretur. Qua in negotiatione id Reio solenne erat, ut sibi nunquam constaret, ac nostros argueret, velut plura annuissent, quam revera factum erat; quæ cum nostri refutarent, irritatis animis inter inutiles concertationes ad summam rerum nil proficiebatur. Unde nostri citra ambages denuntiabant; se Braunsbergam non prius reddituros, quam accepta Elbinga: bonorum tamen suorum oppignoratione, & datis obsidibus satis cauturos. Ita Reius spem transactionis faciebat, nisi quod circa numerum præsidii Elbingæ immittendi adhuc tricaretur, quem nostri à conditione temporum pendere ostendebant; saltem millenario minorem posse negabant; cum oppidani etiam sexcentos gravarentur. Demum cum Reius pleraque concessisset, circa machinas quasdam hærebat, quas à nostris Braunsberga avectas arguebat; & quod nostri novam munitionem apud Braunsbergam in solo Regis excitasse dicerentur, (id quod tamen falsum erat,) ac denuo tributa oppidanis indixissent. Sed cum & ista jam ad liquidum deducta essent, nostri interrogabant, quando tandem urbem traditurus sit? Reius respondebat; *quamprimum civitatis postulata expedita sint, super quibus se præsente agendum.* Nostri contra demonstrabant; *incongruum esse, contrahentem in ipsa contractus materia, ac re quam ipse præstare teneatur, sequestris partes obire; quod & jus dominii Electori in urbem quæsitum haut admittat. Nec sibi integrum inconsulto Electore sequestrem admittere,* Reius: *se quidem sequestris munus non prætendere: sed sibi injunctum intercedere, ne munitiones urbis destruantur, quod cives nullo modo ferre velint, patriam suam ad vici formam redigi, ac se tantum non infamia notari.* Ut igitur nostri aliquando ad exitum negotii pervenirent, scripto Reium liquidū responsum poscebant, minati, si amplius tergiversetur, Hoverbequium in aulam profecturum, ut ipso amoto alius delegetur. Ast Reius, quo culpam infecti negotii à se amoliretur, cives instigaverat, ut ante omnia ab Electore privilegia civitatis confirmentur, concessis insuper suis postulatis, ac ut certus præsidii numerus definiatur, ac ne urbs munimentis unquam nudetur. Nec adquiescebant, utut Elector in universum de privilegiis promisisset; *de numero præsidii, ac demolitione munitionum deinceps se declaraturum; quæ pactis congruant observaturum: si quid ultra velint, ad ipsum mitterent: tractationem novam haut admissurum. Nec ab Elbingensibus talem haberi se velle, cui ante traditionem extorqueri quid possit, quod ea facta servaturus non sit.* Contra Reius ostendebat; se ubi cum nostris convenisset, Polonorum præsidium urbe educturum, relicta nostris cura, quomodo ipsi eam in potestate habituri sint: cum tamen per pacta Rex Electori vacuam possessionem

urbis

1660. urbis tradere teneretur. Inter has ludificationes tamen subinde Reius maximis cum exsecrationibus de candore suo testabatur, inprimis sterile sibi matrimonium imprecatus, si aliter sentiat; cum summa votorum sibi sit, ne improlis decedat.

Elbingenses Electoris ditionem subire nolunt. §. 83. Sed cum ad extremum Reio circa sua postulata satisfactum videretur, is tam Senatum Elbingensem quam cives, alias perpetuo inter se dissidio divisos, instigaverat, ut circa præstationem homagii, numerum præsidii, ac demolitionem valli acriter reniterentur. Qui tamen post longam disceptationem homagio paratos se ferebant ea lege, ut confirmatio universorum privilegiorum præcedat: id quod nostri annuebant. Sed ne præsidium quingenta capita excederet, ac ne munimenta dejiciantur Elbingenses utique sibi caveri volebant, aperte jactantes, malle se in præsens rem potius ad extrema deduci. Contra se Electori cauturos de non offendendo, ac non admittendis in urbem ejus hostibus, ubi potestate ejusdem iterum exierint. Eo in nodo negotium adhærebat. In quo ubique mala fides Reii pellucebat, qui nostris promiserat, se civitatem ad obsequium permoturum, Regis offensa denuntiata, & rebellium loco habendam. Simul culpam tergiversationis in Bakovium, & Polonici præsidii præfectum conjicere, qui cives clam instigarint. *Se quidem jam in aula nimium studii in Electorem argui; eoque declinandæ suspicioni hinc decessurum, ac Bakovio negotium relicturum. Ac utile fore aliquem nostrorum cum ipso in aulam proficisci; reliquos ad Elbingam manere, ne negotium abruptum videatur.* Contra idem primores civitatis rogabat, ut si tale quid ipsis denuntiet, defungendæ erga Electorem obligationi, id ipsi ne curarent; præfectum quoque præsidii instigans, ut civium animos obfirmaret. Talia cum non ita occulte patraret, quin nostris innotescerent, haut eo minus his declarabat cupere se urbem tradere, sed quam quingentorum peditum præsidio cogere nequeat, quater mille civibus, & trecentis militibus, qui civitati sacramentum dixerant, inscitam. Cui contra nostri denuntiabant: ipsi incumbere vacuam urbis possessionem Electori præstare; qui & nihil eorum, quæ vicissim debeat, prius implere velit, detentis quoque quindecim militum centuriis, quos ex fœdere Poloni auxilio sibi submitti petebant.

Poloni alia subterfugia comminiscuntur. *4. Oct.* §. 84. Enimvero cum nostri se jam Reii postulatis ex asse satisfecisse crederent, iste nova ludibria orsus cautionem super remittendis quinquaginta uncialium millibus, simul honorarium suum, & obsides reddendæ Braunsbergæ in antecessum repræsentari postulabat, antequam Elbingæ traditio fieret. Addebat; *posse civitati obiter quid promitti, quod Electorem haut ita stringat, quo minus id pro lubitu retractare queat.* Sed cum nostris nec priora arriderent, nec plus promittere placeret, quam servare velint; tandem negabat, traditionem præstari à se posse, ni civitati circa numerum præsidii, ac munitiones gratificentur. Cum nostri reponerent, ne à se quidem hoc casu con- *6. Oct.* ventorum quid præstandum; idem promittebat, se cives ad obsequium hortaturum, proscriptionis metu intentato. Cum tamen idem secreto oppidanos instigasset, ut adversus denuntiationem suam protestarentur, (id quod hi abnuerant,) tum sedulo inculcaret, ne nostrorum verbis aut scriptis fiderent, ne si Electoris quidem manum proferrent. Tum ne quid cum Electore sine approbatione Regis transigerent. Ac jam velut rem serio acturus Senatui ac civibus in curiam evocatis præsente Secretario Electorali denuntiat; *Regem Electori urbem propediem traditurum, ad tempus eodem jure possidendam, quo à Rege possessa fuerit. Quanquam autem jam in pactis ipsorum privilegiis cautum sit, sibi tamen injunctum, ubi id desiderent, omnia conferre, quæ ad horum confirmationem pertinent. Talia tamen proponerent, per quæ amicitia inter Regem, & Electorem ne dissolvatur, ac ne res in difficultatem ineluctabilem conjiciatur.* Responsum à consule: *dolere sibi civitatem suam ad tempus alterius ditionem subituram. Sed cum id negotium maximi momenti sit, quæ non se tantum, sed totam Borussiam Regiam spectet, spatium deliberandi se petere, ac ut proposita scripto sibi exhibeantur. Cæterum voluntati Regis se obtemperaturos; rogare tamen, ut Reius operam det, quo suis privilegiis per Electorales caveatur, ac ut præsens urbis Status tam tempore possessionis, quam ubi iterum ad Polonos reverti debeat, persistat. Interim sperare, nihil novandum, antequam declarationem suam exhibuerint, ac petitis suis satisfactum sit.* Reius reponebat: eo fine se missum, ut operam det, ne quid detrimenti ipsorum privilegia capiant. Scripto tradi suam propositionem necessarium haut esse. Addebat, intra biduum se profecturum, manente heic Bakovio, quem si quid opus sit consulere queant. His peractis Reius adhuc quinquaginta florenorum millia addi postulabat quinquaginta *7. Oct.* uncialium millibus, quæ nostri jam annuerant, cui summæ honorarium quoque suum sit imputandum: nostris tantam inconstantiam increpantibus, quæ manifeste ludibrii ipsum convincat; ac honestius fuisse aperte negare. Ad quæ Reius nihil reponebat, nisi quod innueret, in aulam sibi abeundum, ac negotium Bakovio relinquendum.

§. 85. Exhibebant dehinc nostris deputati civitatis scriptam declarationem ad Reii propositionem, adjectis capitibus, super quibus sibi ab Electoralibus caveri volebant. Quæ hæc erant: *Ut numerus præsidii non excedat ejus numerum, quod jam à Rege introductum sit. Eum si necessitas augeri jubeat, civitatis consensum prius requirendum. Contributiones non exigendas, nisi communi consensu in conventibus Ordinum Borussiæ Regiæ fuerint decretæ; jure tamen collectas instituendi ad sublevandas civitatis necessitates penes Decuriones manente. Jus territoriale cum omnibus ad id spectantibus penes civitatem mansurum sine ullo onere hospitationum, aut stativorum. Formam regiminis tam circa sacra, quam civilia, ut & judicia eadem mansura, servato quoque antiquo Ordinum consultandi, & statuendi more. Judicia appellationum statis temporibus Elbingæ celebranda, privilegiis instantiarum præsistentibus.* *Cum Elbingensibus nihil proficitur.* *8. Oct.* *Eorum postulata.*

1660. *Jura Ecclesiastica magistratui in Ecclesiis Augustanæ Confessioni addictis, secundum privilegia, & cautiones Sereniss. Regum Poloniæ, ac reversales Episcoporum Warmiensium obtentas, illæsa relinquenda. Telonia nova non instituenda, & si necessitas in portu Pillaviensi quid novare subegerit, id ad civitatem Elbingensem ne porrigatur, & æqualitas in utroque Borussiæ portu servetur, perceptione vectigalium quantum fieri potest Elbingæ collecta. Ut mercium pro more antiquo Elbingam versus per Nogatum, & Vistulam libera sit destuctatio, una cum reparatione trientis fluminis ad Montem Album: ac ut gravamina civitatis libertatem cum peregrinis commercandi per vicina oppida, nec non depositarium Frauenburgense, ut & exactionem ripaticam concernentia tollantur. Munitiones novæ in fraudem privilegii ne extruantur. Sed quia super veteribus demoliendis autoritate Regis pacto Bydgostiensi insertum; ubi de contraria hujus ac Reipublicæ voluntate innotuerit, Electorem haut gravatim eadem conservaturum, prævia idonea ante evacuationem de non offendendo in futurum per civitatem facta cautione. Ut denique homagium, quod Electori ad tempus possessionis suæ præstandum fuerit, præjudicium ne adferat illi, quod jam pridem Regi tanquam directo domino à civitatate delatum.* Nostri consultatione inter se facta statuebant, à Reio in curia factam denuntiationem pro justa traditione habendam, nec aliam à Polonis requirendam, ac apud civitatem non nisi præsidii receptionem urgendam. Unde deputatis responsum: *acceptari à se, quod civitas paratam se ferat voluntati Regis, ac Reip. implendæ. Munitionibus urbis frustra ipsos metuere, quorum destructio nunquam futura sit, ac Electoris commodis repugnet. De quo, ut & præsidii numero Elector abunde ipsis satisfacturus sit, ubi ad eum miserint:* deputatis frementibus, super præsidio agere se non posse, nisi prius munimentis suis cautum sit; quo postulato desistere nequeant.
9. Oct. Reio dein nostri significabant: se denuntiationem civibus ab ipso factam legitimo traditionis loco habere; simul petebant, ut is promissam evictionem præstet, vacuamque possessionem tradat, ac ante discessum negotio summam manum imponat. Reius, expositis abitionis suæ causis, negabat negotium abrumpi, manente heic subdelegato Bakovio. *De cætero evictionem se præstare non posse, quod postulatis suis satisfactum non sit. Se publica denuntiatione facta, quæ penes se sint, omnia præstitisse.* Nostri contra: *in proclivi esse ipsi evictionem præstare modo velit, ac Electorem sat militum præbiturum cogendæ urbi. Si utique discedere decretum sit, se protestari, penes se nullam fore culpam malorum, quæ inde provenire queant.* Reius demum evictionem se præstiturum ferebat, si nostri protinus has conditiones implere velint; *ut veredariorum præfectus Gedano amoveatur, Elbingensibus petita sua annuantur, ducenta florenorum millia summa redemptionis detrahantur, ac Braunsberga reddatur.* Ad quæ nostri; *se omnia concessuros, quæ cum ratione a se postulentur, modo Elbinga prius tradatur.* Sed nihil ulterius actum, ac discedebat Reius luculento fraudulentiæ specimine edito. Qui & Bakovio ea novissima verba reliquerat: *cum abitu suo idne-gotium in ipsum devolvatur, fidum se civem, & è dignitate Reip. gereret, nec ab Electoralibus contumeliæ quid inferri sibi pateretur.* Eo tamen digresso Bakovius nostris dicebat; ne à Reio actis moverentur, privato ex affectu profectis: se circa hoc negotium facturum, quæ penes se sint, ubi à Rege sibi quid committatur. Unde patebat, falso Reium jactasse huic à Rege injunctum tractationem continuare. Cui mox Cancellarius Magnus scripserat: *motas à Reio considerationes super Elbinga non tradenda utiles quidem esse, sed quia pecunia corradi non possit, pacta fidei publicæ, & religionem jurisjurandi haut permittere, ut Electori ea urbs subtrahatur.* Porro Reius ideo tam iniquus in Electorem habebatur, quod crederet, hunc Austriacis nimium innexum, quos Regina, cui iste mancipatus erat, acerrime oderat. Erant præterea tempora huic negotio admodum importuna, quod Regina ob Turcarum in Hungaria progressum destinata se sua pervicturam speraret, quibus cum Thorunii & Elbingæ præsidia, ubi præfectus Gallus erat, valde idonea instrumenta judicaret, extrema potius tentatura erat, quam ut istis decederet. Invidiam, quæ apud Ordines ob prostitutam fidem publicam mansura erat, declinaturam se judicabat, si obtenderet, non penes Regem aut delegatum stetisse, sed nostris cum civitate convenire non potuisse super numero præsidii, & cautione de non destruendis munitionibus. Ac sub id ipsum tempus nuntii afferebantur, Condæum Principem pecuniam redimendæ Elbingæ obtulisse, si in Comitiis de successione post obitum Joannis Casimiri sibi caveatur. Usque adeo autem Reius acta sua aulæ Polonicæ adprobaverat, ut cum post Elector apud Regem super istius elusionibus quereretur, ac fidei religionem ei ob oculos poneret, hic responso suo omnem culpam in nostros retorqueret, velut qui ad sua postulata difficiles admodum se exhibuerint, nec desideriis civium aures præbere voluerint. De cætero fixum sibi esse pactis stare, utut Elector bello Svecico juxta pacta sex millium exercitu in Borussia nunquam ipsi adstiterit, ac quindecim peditum centurias ad Moscicum bellum nondum exhibuerit. Quæ etsi in proclivi esset refellere velut falsa, aut ad præsentem causam non spectantia; tamen cum graviores rationes non ferrent amicitiam cum eo Regno abrumpere, ad alia tempora id negotium reservare placuit, ut tamen de quæsito jure interim nihil emitteretur. 1. Oct. 11. Oct.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI WILHELMI MAGNI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER NONUS.

EPITOME.

TRanquilliora aliquot annorum tempora. 2. Legatio in Galliam & Hispaniam. 3. Legati acta in Gallia. 4. Apud Hispanum acta. 5. In Angliam missio. 6. In Daniam legatio. 7. Poloni culpa non impletorum pactorum in Electorem devolvere conantur. 8. Turbæ circa veredarios Gedanenses. 9. Querela Polonorum de Electore. 10. Circa successionem in Regno Poloniæ machinationes. Candidati Coronæ Polonicæ. 11. Elector Polonorum mentem penitius explorat. 12. Aula Polonica Electori est infensa. 13. Elector à se acta defendit. 14. Lubomirscii sententia super Joannis Casimiri successione. 15. Reginæ sententia exploratur. 16. Electoris legatio ad Polonica Comitia. 17. Super Elbinga in istis Comitiis disceptata. 18. Nostri remittendo parum proficiunt. 19. Negotium ad universos Ordines refertur. 20. Circa successorem vivo Rege frustra laboratur. 21. Electoris circa Arausionensem Principem studium. Turbæ Arausionenses. 22. Legatio Electoris in Angliam. Ejus mandata. 23. Super cerimoniis disceptatio. 24. Acta legatorum super tutela Arausionensi. 25. Super cogitato matrimonio conatus irritus. 26. Super fœdere Anglicano acta. 27. Fœdus Electoris cum Rege Angliæ. Articulus secretus. 28. Alia cum Anglis acta. De Dunquercæ venditione. Guarantia tractatus Olivensis. 29. Circa investituram Viennæ acta. 30. A Svecis motæ difficultates. 31. Eorum petitis resistitur. 32. Inter Regem Sveciæ & Electorem honorariæ missiones. 33. De Ulfeldii conatibus Regi Daniæ indicium fit. 34. Galliæ Regis ad Electorem legatio. Electoris ad proposita declaratio. 35. Galli super Polonica successione postulatum. 36. Super Galli negotiatione postulatum. Legatus re infecta discedit. 37. Difficultates in Borussia circa supremum imperium stabiliendum. 38. Id impugnatur. 39. Borussis respondetur. 40. Turbæ Borussicæ paulatim subsident. 41. Consilium super firmando supremo in Borussiam imperio. 42. Electoris ad aulam Polonicam legatio. Legati mandata. 43. Regis Joannis Casimiri declaratio. 44. Reginæ responsum. Circa electionem successoris irritæ machinationes. 45. De Reginæ destinatis judicium. 46. Regis suspiciones discutiuntur. 47. Ob turbas Borussiæ cum Polonis circumspecte agendum. 48. Variæ in Borussiæ disceptationes. 49. Elector ipse in Borussiam venit. Rhodius capitur. 50. Cives ad obsequium componuntur. 51. Poloni circa mandata Commissariorum tricantur. 52. Circa ista emendanda incassum satagitur. 53. Electoris cum Polonicis Commissariis disceptatio. 54. Id negotium absolvitur. 55. Homagium ab Ordinibus Borussiæ præstatur. 56. Electoris legatio in Galliam. 57. Acta super fœdere Gallico. 58. Gallorum tergiversationes. 59. Legatio in Galliam repetitur. Fœdus Gallicum absolvitur. 60. In renovato fœdere Gallico mutata. 61. Guarantia separati articuli pacis Olivensis. 62. Electoris cautio super guarantia articuli separati; 63. Super Neoburgico paci Olivensi includendo. De amplectendo fœdere Rhenano. 64. Super cerimoniis disputata. Conventio cum Sabaudo super cerimoniis. 65. Elector fœderi Rhenano nomen dat. 66. Missio in Sveciam. 67. Cum Svecis acta. De fœdere proponitur. 68. Svecorum circa id fœdus considerationes. Fœdus id lente procedit. Litigatio super demissione veli. 69. Circa adornandam fœderis formulam disceptata. De dominio Maris Baltici disceptatio. Fœdus demum perficitur. 70. Fœdus Svecicum. 71. Super perpetua transactione cum Neoburgico acta. 72. Tentamenta ejus compositionis. 73. Consultatio super transactione cum Neoburgico. 74. Transactio perficitur. 75. Transactionis hæreditariæ cum Neoburgico summa. 76. Pactum adjectum. Ea transactio a Cæsare confirmatur. 77. Elector Cæsari auxilia in Turcam mittit. 78. Copiæ ab Electore missæ rem bene gerunt. 79. Elector circa componenda Domus Luneburgicæ dissidia satagit. 80. Circa eam litem negotiatio. 81. De controversia circa Wildfangiatum. 82. Electoris circa componendas Bremenses turbas studium. 83. Magdeburgum ad obsequium redigitur. 84. Electoris circa componendos Poloniæ motus cura. 85. Consultatio super auxiliis Lubomirscio submittendis. 86. In Polonia à legatis Electoralibus acta. 87. Electio vivo Rege non succedit. 88. Pro Lubomirscio nihil proficitur. 89. Electoris circa sedandos Poloniæ motus opera. 90. Elector de Neoburgico in Regem adsciscendo Polonis insinuat. 91. Aliæ Reginæ circa electionem machinationes. 92. Cerimonialia.

1660. Tranquilliora aliquot annorum tempora.

POstquam tam periculoso ac difficili bello defunctus esset Elector, aliquot per annos tranquilliora ipsi fluxere tempora, quod pleræque Europæ partes, velut post atrocem tempestatem maria, in quietem sese composuissent; reliquæ turbis quidem exercerentur, sed quas cominus & ex tuto arbitrari eidem licebat. Sane manebat Poloniæ cum Mosco & Cosacis bellum; sed quod in remotioribus locis deflagrans nostros fines haut afflabat. Et quæ intestinæ turbæ id Regnum exercebant, commodo potius, quam noxæ Electori cedebant. Turcicum quod post surgebat, bellum minore mole ac brevi tempore desæviebat. Svecia post fata Caroli Gustavi tutorio sub regimine ad ardui quid suscipiendum incapax erat; quæ & quam arduum foret suis auspiciis, solisque domesticis viribus suffultæ bellum suscipere sub præstantissimo quantumvis Rege, luculentum nuper specimen ceperat. Daniæ quam maxime quiete opus erat recolligendis utcunque viribus, proximo bello gravissime attritis. Angli Belgæque acerrime quantumvis collisi, mediterraneos populos parum turbabant; ac ne Monasteriensis Præsulis animositas id incendium in vicinas terras differret, Electoris providentia prohibuit. Gallia, quam hoc seculo propria sociorumque arma, callida consilia, tempestivæ largitiones, aliorum socordia, & prudens intus administratio ad id fastigii provexit, ut penes eam fere arbitrium belli pacisque per Europam sit, post compositum paulisper cum Hispanis bellum quiete sua ad melius digerendas domi res utebatur, ut eo terribilior deinceps iisdem, aliisque vicinis ingruere posset. Cum contra Hispania scævo intus regimine, ac per improspera bellorum eo redacta esset, ut Gallorum insultibus semper obnoxia ageret, eosque, utcunque propulsasse satis haberet, perpetuis jacturis infidam pacem redimere sveta. Inter isthoc turbarum interstitium Electori curæ fuit ditiones suas belli calamitatibus atque oneribus fessas recreare, rem militarem ac ærarium ordinare; tum novissimo bello parta firmare, controversias cum vicinis per pacta componere, contractas prioribus temporibus offensas diluere, ac fœderibus in futurum rebus suis prospicere.

Legatio in Galliam, & Hispaniam.

§. 2. Cum itaque Domui Brandenburgicæ veteres cum Gallia rationes intercessissent, quæ & hujus favore sæpius non sine fructu gavisa erat, sed à cujus partibus ut sese nupero bello sejungeret Electorem necessitas subegisset; ut ejusdem tanquam ad nocendum validissimæ offensam aboleret, prima ipsi cura erat. Eo fine Christophorus Caspar Blumenthalius in Galliam missus est, inde quoque in Hispaniam abiturus, ut utrique Regum de pace, simul de nuptiis inter Regem Galliæ & Mariam Theresiam Hispani filiam contractis gratularetur. Huic injunctum isto officio apud Gallum primo defungi; simul Electoris commoda eidem diligenter commendare, quorum exiguam rationem ministri Gallici hactenus habuerant nimio in Svecum favore. Tum Cardinali Mazarino Electoris consilia, quæ hucusque sequi conditio temporum subegerit, adprobare studeret. Eo peracto nil morarum in aula Gallica necteret, nec ullo obtentu ibi se detineri pateretur, sed recta ad Hispaniæ Regem pergeret. Apud hunc pari officio defungeretur, actis insuper gratiis ob curam, quam is circa pacem Polonicam exhibuerat. Simul de Electoris in Domum Austriacam studio testaretur, cujus insignia documenta electione Leopoldi, & inito cum hoc fœdere ediderit; cui sociatus cum adhuc gravissimo bello immersus luctetur, subsidio pecuniario sublevari à Rege petat. Privatis congressibus causas petiti subsidii adduceret. *Scilicet Electorem in solius Cæsaris gratiam in bellum Svecicum descendere ausum, ex quo suæ ditiones plurimum incommodi senserint, diuturnis oneribus ita exhaustæ, ut sine accedente aliunde levamento istis tolerandis non amplius pares sint. Sane à Gallia ingentes ipsi pecuniæ summas oblatas, si ut Cæsaris partes destitueret à se impetrare potuisset. Unde ab Hispania se ad finem usque belli sublevari par esse saltem CC. M. uncialium annua pensione.* Quod si Hispanus pecuniam donare nolit, vel crediti nomine eam acceptaret, ut tamen certa hypotheca ne constitueretur. Ast ubi animadvertat, Hispanos per inania ipsum lactare velle, haut diu moratus aula Hispanica iterum excederet. Quod si pax interea in Polonia coëat, (nam is flagrante adhuc bello mittebatur,) haut eo minus subsidium peteret; quod non solum Electoris ærarium hoc bello valde attenuatum sit, sed & quia idem decreverit etiam pacis tempore ob turbulentos vicinos validas copias alere, ad quas aliunde suppeditata pecunia opus sit, quoad ditiones suæ per pacem vires refecerint. Si Juliacum Neoburgico nondum sit traditum, id impedire studeret, demonstrato, quam perniciosa Cæsaris rebus Princeps iste molitus fuerit, ejusdem hostibus arcta amicitia innexus, ac ipsum Cæsareum diadema affectare ausus. Ac Pegnerandam Francofurti pollicitum, id oppidum in Electoris manus consignatum iri. Quod si ejusdem traditio jam facta sit, haut eo minus super hoc facto querimonias moveret, ac tanto æquius esse Electorem pecunia sublevari, cum tam maligne meritus Princeps ita luculento beneficio mactus sit. Quia porro Electorem inter & Hispanum super titulis nondum convenerat, duplices literæ legationi fidem facientes ipsi tradebantur, quarum unis vocabulum *Regiæ Dignitatis*, alteris *Majestatis* exprimebatur. Sed has antequam traderet monere jubebatur; etsi Elector ejusque antecessores Regibus Hispaniæ non nisi *Regiæ Dignitatis* titulum hucusque tribuerint, ipsum tamen *Majestatis* vocabulum adhibiturum, si vicissim *Serenissimi* titulus, & in contextu epistolæ

1660. 23. Febr.

1660. stolæ *Serenitatis Electoralis* aut minimum *Celsitudinis* detur, additis quoque sub finem vocabulis affectum testantibus ad aliorum Regum morem. Id si abnuatur, vetere *Dignitatis Regiæ* formula adquiescendum esse. Denique justum se legatum non ferret, sed secundi ordinis ablegatum, ne circa cerimonias præjudicii quid fieret.

Legati acta in Gallia 13. Apr. §. 3. Blumenthalio ad limitem usque Hispaniæ proficiscendum erat, ubi tunc aula Gallica agebat. Bajonæ Mazarinus salutabatur, quem tunc prius quam ipsum Regem adiri mos erat, quo hic super proponendis informari, ac responsum præmeditari posset. Huic exposuit iste; quæ in mandatis habebat, addito circa Arausionense negotium: Electorem haut credidisse ita cum pupillo actum iri, cujus majores tantum venerationis, fideique, ac insignium officiorum Galliæ exhibuerint. Ad ista Mazarinus multa cum verborum humanitate: *Electorem non immerito gaudium suum cum toto orbe Christiano conjungere, quod duobus potentissimis Regibus placuerit subjectis sibi populis quietem conciliare: ac pro honore hujus officii Regi suo exhibito maximas gratias agere. Quod hoc bello Gallia Sveciam favore & auxilio fulserit, id fœderi & amicitiæ fuisse debitum, ne hujus res ruina involverentur. Equidem non defuisse in Gallia, qui Electorem suspectum reddere sategerint, velut nil minus quam pacis cupidum, & qui bellum in Pomerania persequi laboraverit, implorata quoque Belgarum ope ad recuperandas ditiones olim injuste extortas: quæ ipse semper conficta per malevolos judicarit. Et quia Electoris declaratio super restituendis Pomeraniæ oppidis diversa plane ipsum edocuerit, se omni studio incubiturum, ut iste ex hoc bello non sine emolumento & gloria emergat: quo ipso & calamitas, quæ Germaniæ imminebat, avertatur; ac sibi curæ fore remedia despicere, queis Germania à turbis in posterum immunis præstetur. Ad quem scopum ut Elector quoque connitatur rogare. Interim Sveciæ copiarum nihil aut pecuniæ submissum iri. At si Sveci vel tantillum ostendant, sibi in animo esse bellum extrahere, non defore facultatem vel invitos ad pacis consilia compellendi. Regem quoque legato suo Olivæ injunxisse, ut Electoris commodis studeat. Sane minarum quid aliquando jactatum; sed id fieri necessum fuisse ad Svecos exitio eripiendos, à Cæsaris atque Electoris armis imminenti. Sed nunc istis non amplius opus esse, postquam Elector de studio suo in pacem tam luculenter testatus sit.* Circa causam Arausionensem verbis laxioribus dicebat: *Regem considerato studio, quo isti Principes Galliam semper coluerint, gravi se ingrati animi nota adspersurum, si ea mente castellum Arausionæ milite suo insederit, ut id sibi retineat. Sane singularem Regis amorem in eum Principem esse, ac eam ditionem deinceps cum omni causa tam certo restituendam, quam Deus ejusque verbum existit.* Rex nihil amplius respondebat, quam sine dubio ablegatum ista omnia Cardinali exposuisse, qui & responsum dederit, quod suæ voluntati congruat.

Apud Hispanum acta §. 4. Eo responso accepto Blumenthalius protinus vicinam Fontarabiam adibat, ubi tunc Ludovicus *de Haro* agebat, penes quem summa tunc consiliorum in aula Hispanica 1660. erat; apud quem negotium suum exponebat, addito ut Electori per Belgium Hispanicum militem conducere liceat. Ad quæ affatim humanorum verborum repositum. *Cæterum Juliacum restitui necessum fuisse, nisi Condæus plane deserendus esset. Quia tamen Neoburgicus penitus sese Galliæ addixerit, sibi curæ fore Electoris commodis in aula Cæsaris velificari.* Ad ea, quæ super titulis movebantur Contrera Secretarius Status reponebat: quid alii Reges faciant, penes ipsos esse; Hispanos veteri mori inhærere. Itaque cum noster reponeret, Electorem quoque vetera secuturum, literas, quæ *Regiæ Dignitatis* titulum exprimebant, tradebat. Regi postulata scripto exhibenda erant, quod apud Hispanos moris non esset coram delegatis negotia ab exteris proponi. Ipse Rex Philippus IV. apud D. Sebastiani Fanum agebat; qui pro officio gratias agebat. Super petitis se deliberaturum, ac promtum responsum daturum. Quod & paucos post dies in hanc sententiam exhibitum: *Annua C. M. uncialium Electori præbitum iri, quamdiu bellum cum Svecis duret, quæ per Marchionem Fontanum Viennæ numeranda sint. Duo peditum millia Electori in Belgio conducere liberum fore.* Fuentes *Si Juliacensis ditio à Cæsare per judicialem sententiam Electori addicatur, quod futurum speretur, Regem Hispaniæ operam daturum, ut ea exsecutioni detur.* Cæterum post circa pecuniam unus ministrorum in alium rejiciebat; ac Fontanus Viennæ verbis se paratum exhibebat; sed cui solutio delegabatur Prorex Neapolitanus scrupulos movebat, ut demum in irritum promissa caderent. Movebat quoque tunc Blumenthalius apud Harenum super impostore quopiam, Marchionis Ludovici Spinolæ vocabulo, illustri illa apud Genuates familia, sed non per justum matrimonium oriundo. Is ante sexennium apud 1654. Joannem Mauritium Nassovium Principem per literas indicium fecerat, sibi à Rege Hispaniæ mandata esse super fœdere cum Electore ineundo, quo Rex se obstricturus sit apud aulam Cæsaream efficere, ut per sententiam Curiæ aulicæ omnes Juliacenses ditiones Electori addicantur, in quarum possessionem Hispanus ipsum immissurus sit, certas vicissim conditiones stipulatum. Quem in finem iste sigillum & manum Regis imitatus fuerat literis fiduciariis fingendis. Ut igitur quid solidi subesset cognosceretur, Nassovius cum Sverino Turnholtum Brabantiæ oppidum mittuntur, quo & impostor ille ex condicto venerat. Ubi in certas leges convenitur, quarum ratihabitioni obtinendæ iste in Hispaniam profecturus erat, ubi in promtu futura erat occasio Electorem pecunia emungendi, velut unus & alter muneribus demulcendis foret, quo summa manus negotio imponeretur. Quanquam autem Waldeccæ Comes & Somnicius, ne fides isti homini adhiberetur, svaderent; placuit tamen IV. M. uncialium prodigere, ut fundamentum tam plausibilis negotii investigaretur. Itaque cum impostore in Hispaniam simul missus fuit Wreichius; qui Madritum delatus statim comperit,

1660. perit, noti apud istos nominis deceptorem inscio Rege ista omnia finxisse; qui & illo petente in carcerem conjectus est, si Elector vellet patibulo suspendendus. Sed nunc Blumenthalius postulabat, ut quas iste ab Electore & ejus ministris habuerat literas, restituerentur, aut si potiri iisdem non amplius liceret, testimonium daretur, istum hominem à Rege nil in mandatis habuisse, ac omnia cum ipso acta inania esse. Id quod Harenus futurum promisit.

In Angliam missio §. 5. Cum etiam circa id tempus Carolus II. Magnus Britanniæ Rex post diuturnum exilium à civibus amoto usurpatore revocatus esset, Elector propere Gerhardum Bernhardum Poelnicium in Angliam misit, Regi *Pœlnitz.* super tam felici restitutione gratulaturum. Id *26. Jun.* officium eo gratius Regi acceptabatur, quod is primus inter extraneos in eodem persungeretur. Ei advenanti Rex significabat; *si justi legati dignatione censeri velit, eodem honore, quo Gallicus legatus excipiendum. Sin minus, cerimonias characteri ipsius attemperandas, quantumvis in honorem Electoris amplissime facere cupiat, ne ea res in exemplum trahatur.* Ad quæ Pœlnicius: *Admodum cupiisse Electorem lætitiam suam solenni legatione testari, sed ejus magnitudinem non tolerasse moras, quæ huic adparandæ* *30. Jun.* *requirebantur.* Id tamen honoris supra inferioris gradus legatos delatum, quod à magistro officiorum duobus sejugibus deduceretur; eumque, postquam à Rege intecto capite auditus esset, magnus cubicularius ad scalam, ejus vicarius ad currum usque comitaretur; id quod duntaxat legatis extra ordinem missis fieri suevit. Exterorum legatorum adhuc nemo à Rege auditus fuerat, quod hic legatos agnoscere nollet, qui ante ipsius *Bourdeaux.* in Regnum adventum ibi egerant. Unde & legato Gallico Burdegalensi accessus negatus fuerat, utut novis fiduciariis literis è Gallia instructo, qui & ideo offensam præ se ferens Londino discedebat; cujus diplomata tuti itineris non nisi privati dignationem præ se ferebat. Rex amplissimis verbis affectum extollebat, sibi ab Electore inter asperas suas res exhibitum. Jussus quoque fuerat Pœlnicius Regi causam Danicam commendare. Sed interea temporis pax ibi conclusa erat; quam cum iste sat duram Daniæ ostenderet, Rex nil nisi humeros contrahebat.

In Daniam legatio. §. 6. Significabat etiam Fridericus Daniæ Rex, universos ejus Regni Ordines ipsi, sobolique tam masculæ quam fœminæ id jure *20. Octob.* hæreditario contulisse, eoque nomine solenni jurejurando suam, posteritatisque fidem ob- *11. Octob.* strinxisse. Super tanto Regiæ familiæ incremento Elector primo per literas, inde & misso *31. Octob.* Conrado Ascanio Marenholzio gratulabatur. *9. Dec.* Idem & monere jubebatur, cum fœdus per *Curt Asche Marenholz.* subsecutam pacem aliquatenus alteratum sit, num id præsenti rerum conditioni adaptari placeat. Quia etiam Poloni quædam pactis conventa implere tergiversabantur, à Rege peteret, ut velut sua sponte Polonis injuriam suam demonstret, hortetur ut tricari & cavillari in re tam liquida desistant. Eam quippe rem Daniæ quoque rationes tangere, ne tam salutari fœdere nexi hoc modo divellantur, hostique ad novos motus excitandos animum addant. Idem in Cancellaria monere jubebatur, quod filius Regis primogenitus ad Electorem titulum suum hujus titulo antepofuisset. Quale genus literarum Elector nisi à Regibus non acceptet. Igitur id deinceps emendandum, aut id temperamenti adhibendum, ut scriptio ad formam epistolæ familiaris propria manu exaratæ concipiatur. Hunc *19. Jan. 1661.* Fridericus Rex eodem cerimoniarum adparatu, quo Tedonum legatum Gallicum excepit, multo quoque verborum honore insignem affectum Electoris in se, & æstimationem hujus officii extollens. Ad Poloniæ Regem literæ uti petitum scribebantur. Fœdus renovari haut necessarium visum, quod jam fœdere Ripis concluso articulo in eventum fu- *21. Jan. 1659.* turæ pacis dispositum sit, quo ipse stare decreverit, idemque de Electore speret. Scilicet quia fœdere aliquo sese exsoluturi novus tractatus ordiri solent, quibus citra conclusionem abruptis priore se obligatione liberatos credunt; quod qui super pacto adhuc valido in novam tractationem descendat, jus ex eo quæsitum remisisse videatur. Circa literas à Principe Regni successore scriptas Dani excusabant; à Christiano V. Principe quondam pari forma literas ad omnes Electores scriptas & acceptatas; in posterum tamen temperamentum ab Electore propositum sequendum. Observaverat Marenholzius Daniam non solum valde exhaustam, sed & plurimos cives animis admodum ægros esse ob abolitum veterem Regni statum. Quæ res Cornificii Ulfel- *Ulfeld.* dii conatus, de quibus mox memorabimus, non inanes fuisse arguebat. Sane & à quibusdam Danis Sveciæ tunc protectionem quæsitam constat, sed quam rerum domesticarum conditio nihil ardui suscipere permittebat.

§. 7. Sed majoris momenti erant, quæ *Poloni* cum Polonis disceptabantur. Hi duris suis *culpam* temporibus Electori supremum Borussiæ im- *non im-* perium, simul Elbingam addixerant, pactis *pletorum* solenni jurejurando, & post Comitiali decre- *pa-* to firmatis. Nec eo minus depulsa necessita- *ctorum* te aulæ utrumque retractare libido erat; etsi *in Electo-* istud per cuniculos duntaxat tentabatur: El- *rem de-* bingæ traditionem per apertas frustrationes *volvere* eludere nullus pudor erat. Porro quid cavil- *conan-* lationum ab Uladislao Reio adhibitum fuerit, *tur.* supra expositum: qui cum re infecta Elbinga facesseret, Joannes Hoverbequius quoque in aulam Polonicam profectus est super ejus ludibriis querimonias moturus. Is cum Craco- *23. Dec. 60.* viam pervenisset, Aulam comperit omnia comminisci, ut culpam non traditæ Elbingæ in Electorem devolverent. Rex Joannes Casimirus differebat; delegatos quoque suos sibi audiendos. Regina, & Lumbranus legatus Gallicus civium desideria ab Electore repudiata arguebat. Cancellarius causabatur; circa negotium veredarii Gedanensis Regi haut fuisse

1661. fuisse satisfactum, & Electorem favore magis in urbem Gedanensem, quam Regem inclinasse, atque id egisse, ut Rex tam nobili jure fraudaretur. Adspersas quoque minas literis, queis nostri super Reio questi sint; cum, tamen hic omnia quæ penes se fuerint, fecerit, civitate Electoris secretario præsente tradita. Pacius Lithuaniæ Cancellarius arguebat; ab Electore traditionem Braunsbergæ recusatam, quæ tamen ante Elbingam reddenda fuerit. Cumulabantur & alia: Electorem pactis Welavienfibus promisisse, se cum VI.M. militum rem in Borussia gesturum; id quod factum non sit: nec fœderi cum Mosco renuntiasse; tum Ordines Lauenburgici & Butovienfis districtus tributis nimium onerasse; milites denique Electorales Regis ditionem proprio ausu transiisse. Igitur cum nec iste pacta examussim impleverit, non omnia ab eodem ad unguem resecanda: Quæ cum dudum à nostris destructa forent, satis adparebat, Polonos rem ad novos tractatus velle deducere, per quos Elbingam Electori subtracturi erant. Ac fiducia Reginæ erat in Gallia, & sociis Rhenani fœderis, per quos Elector distinendus sit, si ob istas defraudationes in Polonos quid movere aggrederetur. Id quod Hoverbequius elevabat; Electori cum Gallia optime convenire post posita adversus Sveciam hostilia; ac ipsum fœderi Rhenano nomen daturum. Cæterum Regina ideo tanta cupidine flagrabat Elbingam in potestate habendi, quod Reius tam magnifice de ista jactasset, quasi qui eadem potiretur, futuram Regis Electionem pro lubitu temperare possit; cui & Lumbranus succinebat. Sed & aula ideo negotium isthoc ad futura usque comitia in suspenso retinere velle videbatur, ut inde speciosum prætextum peteret cupream monetam cudendi, super qua alias Ordines graves querelas moverant. Nam jactabatur, si unus & alter millio adhuc id genus monetæ cudatur, tantum inde lucri posse redigi, quo Electori pro Elbinga ex asse satisfiat. Lumbranus quoque proponebat, ut Elector à Regina in Elbingæ locum Oppelam & Ratiboriam accipiat, è quibus annua CC M uncialium detractis impensis redeant. Id quod inventum erat ad Electorem cum Cæsare committendum, qui nunquam passurus erat istum in Silesia pedem figere, eoque circa restituendam Carnoviam tam difficilem se exhibuerat. Ac jam Lisola isti negotio contraniti, ac Reginæ jus in eas ditiones lubricum valde, ac tantum non precarium esse: utut alias agnosceret, quæ circa electionem in Polonia Austriaci agitent, haut successura, nisi Electorem suis partibus plane addictum habeant. Idem & ostendebat, Polonos Electori diffidere circa reddendam Elbingam, si maxime conventa pecuniæ summa post repræsentetur. Quam suspicionem confirmet, quod is eam utique sibi prius tradendam contendat, cum alias non adpareat, quid in momentanea possessione compendii quæratur. Ex eodem quoque intelligebat Hoverbequius, Svecos itidem non parum obstitisse, quo minus Elbinga traderetur, ac Schlippenbachium ante paucos dies scripsisse; Ordines Sveciæ non valde 1661. in fœdus Polonicum inclinare, quod dubitent, quid à Polonis sibi expectandum sit, dum Electorem Elbingæ immittere agitant. Sed cum ipse istis confirmasset, id haut futurum, eosdem valde pronos ei se fœderi ostendisse; ac brevi se plenis cum mandatis in Poloniam perventurum. Cæterum tradita Electori Elbinga nullum amplius fœdus aut auxilium à Svecia adversus Moscos sperandum. Eundem & Reio Gedani dixisse; illum sibi diem Sveciæ fatalem habendum, quo Elbinga Electori tradenda sit. Unde cum initio aula Polonica ab implendis pactis non abhorreret, Reginam ad Reij relationem rescribi curasse; non melius ipsum de Republica mereri posse, quam servata Elbinga. Et quanquam idem, promissum præmium obtinere cupidus, aulæ respondisset: cum pecunia corradi nequeat, Reipublicæ etiam haut expediat his temporibus cum Electore armis collidi, urbem utique huic consignandam: acriter tamen ipsi rescriptum fuisse; non penes ipsum esse judicare, quid Reip. utile sit, vel minus, sed jussa promte exsequi. Et quia plena ipsi fides non adhibebatur, præfecto præsidii Elbingensis Bellilocio *Beaulieu* injunctum, ut si Reius urbem tradere aggrediatur, ne obtemperaret, sed eam utique in Regis potestate retineret. Super demoliendis quoque munitionibus discrepantes fuisse sententias, num id expediat, an minus. Non defuisse tamen, qui insigne studium in Electorem ostenderint; sed demum conclusum fuisse, negotium ad proxima usque Comitia extrahendum, ubi fortasse ratio iniri queat bona cum Electoris gratia id expediendi. Sed & Polonis tergiversandi prætextum præbebat, quod Elector quindecim militum centurias pacto promissas contra Moscum submittere noluisset, causatus amicitiam & fœdus sibi cum hoc intercedens, quicum ut in bellum erumpat, res suas non ferre. Si tamen contra rebelles Cosacos easdem adhibere velint, circa eas mittendas moram non fore. Quanquam & Poloni iisdem alimenta præbere abnuerant, quod velut iniquum Elector adspernatus fuerat. Cæterum non id solum molestum erat, Electoris jus ab Elbingam hoc modo elusum iri; sed & quod nonnulli Borussi, queis veteris status mutatio haut arridebat, animos jam sumerent turbandis rebus. Qui cum antea, dum amicitia inter Electorem & aulam Polonicam adhuc stabat, jactassent, se nolle sub Poloniæ imperium redire, à qua semel condonati sint: nunc cum ob Elbingam in arma eruptum iri crederent, Polonis iterum adrepere cœperant. Ast Elector Hoverbequium rigide super tradenda Elbinga instare jubebat, securum victoriarum, quas tunc Poloni contra Moscos obtinuerant; nec super ea novos in tractatus descenderet. Si tamen ista nullo modo obtineri queat, id demum temperamentum se admissurum, ut in ejus vicem Braunsberga sibi detur, salvis ibi ritibus Romanis, & auxiliaris miles remittatur, addito insuper uno

 & al-

1661. & altero *Capitaneatu* ad Vistulam. Et quia Lubomirscius per Gosievium Electori significarat, se cum pluribus aliis patriæ amantibus proceribus pactum initurum tuendæ avitæ libertati, ac singulorum bonis & juribus, super hoc negotio apud istum Hoverbequius movere jubebatur, insuper habita Reginæ offensa, si de hac negotiatione rescifcat, cui vicissim ægre sit facturus.

Turba circa veredarios Gedanenses. §. 8. Eodem quoque tempore circa veredarios Gedanenses contingebant, quæ animos aulæ Polonicæ non mediocriter exasperarent. Polonis instantibus Elector magistrum veredariorum, quem hucusque Gedani consentiente ea civitate habuerat, inde amoverat, denuntiato tamen Polonico magistro; necessum deinceps fore literarum fasciculos in finibus Regiæ & Electoralis ditionis permutare; nec se toleraturum, ut iste peculiares cursores per ipsius ditiones dimittat. Ast Gratta, id Polonico veredariorum magistro vocabulum erat, iis monitis aliquoties iteratis insuper habitis, cursores per Electoris ditiones mittere ausus fuerat, jactans inter Gedanum & Stetinum ingratiis Electoris suos sibi veredarios habiturum. Unde tuendo suo juri territoriali necessitas Electori allata fuerat, unum & alterum istorum in custodiam dandi. Ea res in aulam Polonicam nuntiata magnum tumultum excitabat, velut patrato actu hostili, ac in Regem valde contumelioso. Nec deerant qui clamitarent; Electorem beneficiis ex pacto quæsitis tali auso exicidisse. Ast Elector Regi per literas denuntiabat: *Sibi persvaderi, Regi ipsius affectum & rationes melius perspectas, quam ut credere possit ista contumeliæ sibi inferendæ causa facta. Cum ipse dudum obtulerit, se permutationem fasciculorum in finibus ditionum fieri passurum: quin si quandoque Rex & Regina peculiares cursores propriis cum literis mittere velint, his se transitum libenter concessurum, modo ne jus veredariorum per ipsius ditiones exercere velint, uti hactenus Grattæ cursores integrarum civitatum & provinciarum literas secum tulerint. Ast si Rex hisce oblatis adquescere nolit, ac præter omne jus & æquum ansam rixæ quærat, ac præter detentionem eorum, quæ ipsi per jurata pacta debeantur, molestiam insuper propriis ditionibus inferre aggreditatur, sibi expectandum quid sors ferat. Ceterum sibi nunquam in animo fuisse Regi ullum contemtum aut contumeliam inferre; sed tantum prohibere, ne per Grattam sibi irreparabile præjudicium struatur.* Quibus literis satis adquiescere Rex & Regina videbantur: ac ipsi Poloni agnoscebant, penes se causam ejus confusionis esset; ac pronos se transactioni ostendebant. Simul ab Electore missus Joannes Fridericus

Matthiessen. Matthiæ veniebat, graviter de Gratta questurus, ac ut is pœnas daret ob violata Electoris jura regalia: qui & rationes proponebat in futurum regendo veredariorum negotio. Quod & post Gedani compositum fuit ea lege, ut deinceps literarum fasciculi in finibus permutarentur.

Querelæ Polonorum de §. 9. Proponebat inde Cancellarius Hoverbequio, antequam Elbinga in Electoris manus consignari possit, Regi ac Reipubl. circa sequentia capita satisfaciendum, *Ut fœderi cum Mosco expresse renuntietur; præsidium Braunsberga ante traditam Elbingam deducatur: reparatio præstetur ob non exhibita sex militum millia durante bello Suecico. De summa quoque pecuniæ aliquid remittendum, ac diem solutionis dividendum: querimoniis Nobilium in Lauenburgico & Butoviensi districtu remedium adferendum; nec minus Borussis consulendum, qui sub enormibus oneribus gemant ac ut certi quid statuatur, quomodo cum utrisque deinceps sit agendum. Præterea ut reparatio fiat, aut de summa Elbingensi aliquid detrahatur, quod quindecim militum centuriæ justo tempore missæ non sint. Ut trajectu Vistulæ abstineatur, Ordinibus varia suspicandi ansam præbente; ut Regi satisfiat ob cursorem in ipsius contumeliam compedibus oneratum: ut Elbingensi præsidio civium modus constituatur, ne id civitati prægrave sit: ne extra ordinem ei civitati tributa imperentur: ut ratio ineatur, quomodo ea civitas, quo tempore sub Electoris ditione futura sit, à reliquo corpore Borussiæ Regiæ ne separetur: ut Elector demolitioni munitionum desistat: denique ut idonea cautela dispiciatur, qua Respublica certo confidere queat, urbem soluta conventa pecuniæ summa ab Electore haut detentum iri.* 1661. Electum. 21. Febr. Quæ tam varia, ac partim iniqua, partim nova conglomerabantur, ut ansa foret negotium ad Comitia pertrahendi; ubi non defuturi erant, qui per invidiam in Electorem traditioni urbis intercessuri erant, quo Regi qualecunque prætextum nasceretur fidem juratam eludendi, culpa infecti pacti in Rempublicam collata.

Circa successionem in Regnum Poloniæ machinationes. §. 10. Enimvero præcipua causa, quare istis molestiis Elector exerceretur, à Regina proveniebat, quæ miro desiderio flagrabat Joanni Casimiro, stirpis Jagellonicæ tamdiu in Polonia regnatricis postremo, successorem dum adhuc viveret designandi, cui neptem è sorore Eduardo Palatino nupta in matrimonio collocatura erat. Id quod invito Electore sese haut obtenturam perspiciebat, velut cujus maxima apud avitæ libertatis amantes Proceres atque Nobiles autoritas erat, & cujus maxime intererat pristinum ejus Reipublicæ statum servari. Igitur ista hac via se assecuturam sperabat, ut Elector penitus sese ejusdem rationibus innecteret, ac Elbingæ pretio ad evertendam Reipublicæ Polonicæ libertatem adduci se pateretur.

Candidati Coronæ Polonicæ. Cæterum eum in finem plures tunc candidati Coronæ Polonicæ jactabantur; circa quos id præcipue spectabatur, ut essent juvenes, quique adeo Joanni Casimiro suspicionem mature ad se trahendi imperii non moverent, simul cælibes, ut nepti Reginæ connubio jungi possent, quive nimia potentia Reip. libertati periculum non crearent; quo nomine Cæsar, & Mosci filius, quantumvis juvenes, & cælibes excludebantur. Ita inter præcipuos habebatur Carolus Josephus Leopoldi Cæsaris frater, quem Regina facile reliquis prætulisset, si casū ipsi fuisset, huic æq; ipsius neptem quam Coronam cordi esse. Circa Sigismundū Archiducem Oenipontanum Cæsar aut Hispanꝰ haut credebatur multum cōniti velle; frater autem major natu si maxime vellet, haut multum posse. Maximiliano Electoris Bavariæ Ferdinandi fratri fama non admodū favebat, ac dubiū habebatur, num

frater

1661. frater ad conciliandam ei coronam multos sumtus esset facturus. Proponebatur etiam Matthias Magni Ducis Hetruriæ frater, & Marchio Badensis Hermannus, velut nemini vicinorum suspicionem injecturi, & externis opibus haut formidandi. Sed quæ eos in Polonia fulciret factio non erat, quæ & nisi profusa ingenti summa pecuniæ parari non poterat. Ducis Longuevillii filius minor natu, qui majorem natu animi artibus præcellere ferebatur, Reginæ maximi fiebat; pro quo & Lumbranus ejus Domus cliens lubentissime connixurus erat. Sed opum parum erat, quas Poloni valde respiciebant. Ita præcipue oculi conjiciebantur in Ducem Enguianum Condæi Principis filium, nobilitate, animi dotibus, & opulentia insignem. Contra Neoburgicus misso Lerado Barone in Gallia magno studio institerat, ut hæc circa conciliandam Poloniæ Coronam ipsi operam navare velit. *Cum enim semel circa oppidum Juliacum eidem faverit, par esse id beneficium continuari, quo penitus Galliæ rationibus innectatur. Ac majus pondus habiturum officium Galliæ, si pro tertio & extraneo, quam pro Condæi filio laboretur, & quod magis sit, pro vicino, cujus ope Gallia in Germaniæ negotia altius se penetrare queat. Anceps quoque fore Gallico Principi eam Coronam procurare, quod isto forte ad successionem Galliæ vocato, non minus difficultatum, quam Henrici III. tempore surrecturum sit. Condæum antea male habitum, post restitutionem parum affectus in Regem ostendisse, ac forte si Poloniæ Regno potiatur, ultionem repositurum.* Sane optabat Mazarinus Condæo, ejusque filio Enguiano spem Polonicæ successionis intercludere, eamque in Neoburgicum conferre, si ullo modo rationes Poloniæ cum Gallia in fraudem Austriacorum combinari potuissent citra Reginæ Poloniæ operam & autoritatem. Sed quia satis perspiciebat, Senatores artibus Reginæ ab Austriacorum studio avertendos, Galliæ necessarium esse Eduardi Palatini filiam Reginæ neptem respicere. Unde Mazaninus Lerado demonstrabat; *fieri haut posse, ut proximis Comitiis pro Neoburgico operæ pretium fiat. Sed si Joannes Casimirus Reginæ superstes fuerit, aut alius improvisus casus acciderit, Galliam ipsi præ reliquis fauturam. Ac ideo nuper à Gallia Rege CC M uncialium Polonis mutuo data fuisse, ut Ordinibus Poloniæ semper ad Galliam respiciendum sit.* Sed Lumbranus fatebatur: sibi à Mazarino injunctum fuisse Neoburgicum una cum Almerico Mutinensi nunc defuncto proponere. Sed post circa Neoburgicum hanc conditionem fuisse additam, ut is prius Electori reconciliatus sit; quod Gallis haut placeat Principem sibi obstringere, & potentem Electorem alienare; nec Polonos cum novo Rege novum sibi bellum despondere velle. Et quia Neoburgico uxor erat, & ætas Joanne Casimiro non multo inferior, tam hunc quam Reginam istum aversatos. Id impedimentum cum Neoburgicus sentiret, declarasse; in arbitrium Mazarini conferre, in quas conditiones suam cum Electore reconciliationem fieri velit: tum ut filius suus quinquennis Reginæ nepti novenni despondeatur, non infrequentibus exemplis ejusmodi connubiorum inæquali ætate. Addidisse, Cæsarem quoque votis suis non repugnaturum. Memorabat etiam Lumbranus, in Gallia propositum fuisse, ut Elector Neoburgico Borussiam pro Juliacensi & Montium Ducatu cedat: eo modo Poloniæ consuli consolidata Borussia, ac Neoburgicum Regno potiri, ac Electoris ad Rhenum potentiam gliscere. Ast Lisola, ut Reginam in Cæsaris partes pertraheret, offerebat; hunc sublato monopolio Silesiam commercio salis Polonici apertum: Reginæ integrum fore Oppelæ & Ratiboriæ monetam cudere: prætensiones Cæsaris in salis fodinas Cracovienses ad liquidum deducendas, quo Cæsari prætextum sit tota prætensione cedendi. Addiderat de annua pensione XL M uncialium Reginæ danda; quam hæc adspernabatur hoc colore; ea se in fortuna agere, ut pensiones magis dare, quam accipere possit. Post isthæc oblata petebat ita Domus Austriacæ rationem haberi, ut è Principibus ejus stirpis aliquis eligatur, cui Reginæ neptis sit nuptura. Quo fine & ingens pecuniæ summa suppeditanda sit, è Reginæ judicio dispensanda ad negotium hoc promovendum. Quod si nemo ex Austriacis arrideat, integrum Reginæ fore ex alia Domo non suspecta aliquem deligere. Nam iniquum esse, ab Austriacis Polonicam coronam penes invisum sibi adspici, pro qua servanda tantum sumtuum & laborum ipsi impenderint. Ac esse Domui Austriacæ oppido quam periculosum Turcam in Transsylvania, Svecum in Pomerania, & Gallum in Polonia vicinos habere. Qui tamen mox fidem decoxit, postquam ex interceptis literis patebat, ipsum Cæsari scripsisse: *Archiducem Carolum proponendum, & nuptias neptis Reginæ ambiendas: sed intra quadriennium, quo spatio opus sit ad consummandum matrimonium, non defore occasionem sponsalia dissolvendi, & Coronam in Cæsarem transferendi.* Unde cum rationibus iste nil amplius proficeret, omnem lapidem movebat per varias artes disturbandis Reginæ destinatis, hac usque adeo in istum imitata, ut Polonicus Viennæ Minister Landscoronius istum aula Polonica evocari, & alium legatum in ipsius locum suffici postularet. Cui Cæsar respondit: *Lisolæ acta sibi probari, ac nolle se ab aliis sibi præscribi, quorum hominum ministerio uti debeat.*

Elector Polonorum mentem penitius explorat.

§. 11. Ut igitur Elector Polonorum mentem penitius exploraret, consiliis eo certius capessendis, Joachimum Rutgerum Goltzium ad Wenceslaum & Joannem Lesſinos fratres, illum Gniesnensem Archiepiscopum, hunc Posnaniæ Palatinum misit, ut Elbingense negotium iis commendaret, simul sententiam eorundem super electione, quæ contra leges Regni agitabatur, exquireret. Circa quam testari jubebatur: *ab Electore nil aliud spectari, quam ut ea Poloniæ bene cedat, utpote cui nihil boni aut mali acciderre queat, quod non ipsum quoque tangat.* Adderet hortatus, ut, si qui forte Reip. aliquem obtrudere conentur è domo dominatui adsveta, ac libertatis civium impatiente, & ubi procerum dignitas non nisi vili obsequio retinetur; remedia aripiantur libertati publicæ, ac singulorum di-

1661. dignitati servandæ, ac inprimis ut liberæ electionis jus illibatum perstet, ac futurus Rex solis Ordinibus coronam debeat, ac ab iis solis dependeat. Tum ne id negotium præcipitetur, quod Rex nondum senio aut morbo fractus sit. Significaret quoque in Gallia palam jactari, non solum inde Regem in Poloniam mittendum, sed & eum tanta pecuniæ vi instruendum, ut citra vinculum legis regiæ fastigium suum tueri queat; ac multos Gallos istum comitaturos, qui pingia in Polonia beneficia, & lautos inde reditus jam spe devorarint. Quod si isti quærant, in quem candidatum Elector inclinet, responderet; *id ejus votum, i[d] consilium esse, ut eligatur; qui non sit è Domo nimium potente, nec ab iis pendeat, per quos Polonia perpetuis turbis ac bellis exerceri, ac libertate exui queat: cujus sortis Principes etiam in Germania dentur. Et cum ejusmodi Principe nuptam Reginæ sine periculo Regni matrimonio jungi posse, id quod Polonis non ingratum fore audiri. Sed ut istud apud eum inveniatur, de quo fama ferat, optandum magis quam sperandum esse.* Talia uti istis auditu grata erant, ita quæ super successione mens esset distinctius explicare nolebant, causati negotium nondum maturum esse, ac tempus consilia suggesturum. Cæterum iidem ostendebant, Regem ac Reginam Electori admodum infensos esse, quod odium à Gallia & Svecia inditum sit. Populo multa sinistra de Electore persvaderi, velut is infensus multa Poloniæ adversa machinetur fœdere cum Austriacis icto. Inprimis eum de castello ad Vistulam extruendo meditari ad vectigal exigendum, quo fine trajectus ejus fluminis vindicetur, quo demum totam Borussiam ad se trahat. Sed ista omnia à Regina provenire, cui multi per adulationes adrepant, quorum ope ista etiam in Senatu Reipublicæ noxia pervincere queat.

Aula Polonica Electori est infensa. §. 12. Istud autem odium aulæ Polonicæ in Electorem Hoverbequius satis aperte deprehendebat; cum antea ejusdem tanta ibi gratia fuisset, ut plurimi ipsum Joanni Casimiro successorem optarent, ac Regina maximum destinatis suis præsidium in eodem collocasset. Huic animorum mutationi primo causam dedisse censebantur Sveci, qui inter Olivenses tractatus sparsis libellis ostenderant; inter has turbas solum Electorem multa lucratum, cum cæteri omnes non modicam jacturam fecerint; quibus apud multos invidiam in eum excitarant. Et mox Regina ob intermissa literarum commercia, uti ferebat, ac fœdus, quod rationibus suis adversum ipsi cum Austriacis suspicabatur, tum interceptorum tabellariorum quam credebat ignominiam priorem amicitiam in acerrimum odium verterat; idque non solum in Regem, qui fere non habebat affectus nisi ab illa inditos, sed & in multos è Proceribus diffuderat. Et alias naturale erat odisse, quem insigni injuria læseris, qualis Electori circa Elbingam inferebatur. Cujus & autoritatem, quæ à tempore conjunctionis cum Svecia fere metu steterat, Schlippenbachius labefactare studuerat, demonstrato, ejusdem statum novissimo bello 1661. valde debilitatum; nec Gallos ultores defore, si is ob Elbingam infesti quid in Polonos moveat. Nec parum Polonis animi intumuerant inopinis contra Moscos & Cosacos successibus, & quod Cæsaris arma per Turcas distraherentur, ipseque Elector longe in Clivia abesset. Sed præcipue odia stimulabant nonnulli è Ducali Borussia, & quidam præfecti militares, qui sacramento Poloniæ accedere cupiebant. Quos inter præcipuus turbarum incentor fuerat Kalesteinius, qui una cum quibusdam aliis Lubomirscio scripserat; si vel modicas copias Poloni in Borussiam mittere velint, non solum universam Nobilitatem, sed & Regiomontanam civitatem ad ipsos defecturam, quod nullo modo præsens jugum diutius tolerari queat. *Kalestein.* Qui & iidem Polonos mendaciis onerabant, in Borussia ingentes armorum paratus ab Electore fieri, ut in Elbingæ vicem Thorunium invadat; quo istos ad occupandam vim impellerent. Nec jactare dubitabant; turpe Polonis esse tam pronam & fallere nesciam occasionem negligere Borussiam cum Polonia consolidandi, omnibus pariter Ordinibus, uti falso jactabant, præsentem statum aversantibus; cum alias priores Principes vel Nobilitatem, vel civitates sibi peculiariter facentes habuerint. Regina quoque dixerat; *ut ostendat, quantum autoritate in Rep. valeat, super Elbinga difficultates movendas esse; quod sua opera super isthoc negotio promovendo haut requisita fuerit.*

Elector à se odia defendit. §. 13. Ut igitur Polonis constaret, quam iniquis odiis Elector premeretur, quæ isti arguebant, solidis rationibus convellere nitebatur. *Circa negotium succesionis Electorem Austriacis favere nullo modo posse, ni ultro struere velit potentiam sibi quam maxime prægravem futuram. Cum onera ista omnia, quæ Borussis tam molesta sint, è bello promanarint, quo Elector servandæ Poloniæ implicitus fuerit, haut par esse, Regem istorum querimoniis in hujus fraudem abuti. Frustra à quibusdam jactari, contumeliæ Polonis cedere, quod circa reluendam Elbingam Elector cavisset, ut ea non nisi propriis Reip. pecuniis redimeretur. Nam ea cautela Electorem prohibere voluisse, ne reluitio per Cæsarem, Gallum, Svecos, aut Gedanenses fieret, id quod non minus Poloniæ, quam Electori maximæ fraudi cedere potuerit.* Circa trajectum autem Vistulæ à Polonis tantopere exagitatum Hoverbequius demonstrabat; id jus Electori per naturalem rationem, ac receptum inter gentes morem competere; cum ejus territorium ad aliquot milliaria Vistulæ ripam tangat, qui limitem inter Electoris & Regis territorium constituat, sic ut ejus fluminis dimidia pars ibi ad Electorem spectet. Antiquis conventionibus inter Poloniæ Reges & Borussiæ Duces, limitem in medio Vistulæ constitui, qua is fluvius Ducale territorium prælabitur. Idemque per rerum naturam in omnibus locis, ubi perpetua flumina vicinos dirimunt, aliter fieri non posse. Ac diu ante Welaviensia pacta dispositionem circa trajectum ad præfectos Mariævverderenses spectasse. Frustra objici priores Borussiæ Duces nunquam id sibi jus in

1661. in Vistulam asseruisse, ac sub hujus Electoris regimine pontonem extructum, eumque trajectui pro arbitrio adhibitum: tum & Polonicum portitorem in altera ripa, quoties homines aut currus trajiceret, Brandenburgico portitori tertiam nauli partem solvere coactum, ne Nobilibus quidem immunibus. Nam in vetustis rationibus Mariævverderensis præfecturæ compertum, primos Borussiæ Duces nomine adpulsus ad ipsorum ripam certum ripaticum à Polonis accepisse, de quo præfecti isti rationem reddere necessum habuerint. In vetustis quoque pactis, ac in libro privilegiorum Borussicorum Braunsbergæ impresso reperiri; Ducibus directionem in omnia flumina, quæ tempore Ordinis habuerint, à Rege & Rep. confirmatum fuisse; & clara esse verba transactionis cum Alberto Duce anno 1528. initæ. *Atque ut liceat eidem & haeredibus suis per totam terram nunc concessam ad commodum suum Pasagia & Theloniа ordinare secundum contractus præscriptum, & fora statuere, monetam cudere, pro contractus formula talia & alia jura taxare, Directuras per terram, in fluminibus & in mari, sicut utile visum fuerit, stabilire. Denique Jurisdictionem potestatemque illam habeat & exerceat in terris suis, quam aliquis Princeps Regni nostri melius habere dignoscitur in terra quam habet; quatenus autem initæ Concordiæ & Contractui non adversetur. Ut bonos Usus & Consvetudines ponat, assisias faciat, & statuta, quibus omnes ejus subditi pace tranquilla gaudeant & utantur.* Atque ea verba in renovatione investiturarum semper adjecta fuisse. Ac sine dubio Magistros Ordinis jus trajectus habuisse, in quorum jus Duces successerint. Prout & constet Ducem Masoviæ eo tempore idem jus trajectus habuisse, ac partim per se exercuisse, partim subditis in feudum concessisse. Quod autem veteres Marchiones & Duces Borussiæ isto trajectu usi non fuerint nec proprios pontones habuerint, in causa fuisse; quod è Franconica linea descenderint minores natu fratres, quibus ejus juris exiguus usus fuerit, rara admodum cum aliis communicatione, & quibus in Pomerania aut Marchia nihil negotii fuerit. Qui si aliquando agnatos in Franconia invisere voluerint, per Thorunium, & Wratislaviam iter sumserint. Ideo tamen istos haut quidquam jure suo in medium fluminis, & quæ inde pendent, cessisse, cum res meræ facultatis fuerit trajectu uti vel non uti, nec ulli actus prohibitorii demonstrari possint. Sed postquam is Ducatus ad Electoralem lineam devolutus fuerit, veredarios inter Borussiam & Marchiam institutos, ac super trajectu Vistulæ disponi cœptum; etsi per bellum Svecicum in Borussia, & post per turbas Germaniæ plene perfici tunc non potuerit. Super quo negotio Lubomirscius pronuntiabat: *Rempublicam tanta inhumanitate in Electorem non usuram, ut ei negare velit, quod vicinus vicino libenter indulgere solet. Sibi tamen circa id negotium pari circumspectione procedendum, atque cum sacerdotibus suis, qui pomœriis suis proferendis invigilare solenne habeant.* Sed & Elector, ne iniquo tempore Polonos magis irritaret, possessionem Draheimensis districtus post elapsum triennium pactis licet permittentibus adprehendere nolebat, quod Rege licet & Electore postulante Potocius ejus tunc possessor decedere nollet; & quia Poloni cohortem præsidio imposuerant, quam vi dimovere in præsens haut expedire videbatur. Sic ut ejus Capitaneatus traditio demum anno 1668. facta sit. Cæterum quidquid diligentiæ adhiberet Hoverbequius, prohibere non poterat, quo minus negotium Elbingense ad Comitia pertraheretur. 1661.

il. 38.

§. 14. Interea Hoverbequius prout jussus erat, vetus commercium Electoris cum Georgio Lubomirscio renovatum ibat, hactenus aliquantisper refrigeratum, quod Elector literis ad Regem circa negotium præsidii Strasburgensis petierat, ut iste castigetur, quod se inscio id præsidium per ipsius territorium ire jussisset. Et quod aliis literis scripserat, ne Rex suos duces *otiari* pateretur. E quibus verbis conceptam offensam Lubomirscius facile oblivioni tradebat. Is super designando successore disserebat: *non esse corona Poloniæ magis dignum, quam Electorem: sed necessum esse ab eo Missam semel atque iterum audiri, quod citra hoc apud Sacerdotes & Nobiles ejus electio pervinci non possit. De cætero liberum ipsi fore super sacris sententias animo fovere, quas velit; & Coronam Poloniæ utique mereri, ut ejus potiundæ gratia Missa audiatur. Et cum Protestantes credant, posse etiam Romanis ritibus addictum æternæ salute potiri; cur ob actum, quem æterna pœna haut necessario consequantur, diademate se quis excludere velit? Sed si eam conditionem adspernetur Elector, aliquem è familia sua proponeret, simul super tam arduo negotio animi sui sensa panderet, grato animo acceptanda, præsertim cum ejusdem rationes tam arcte Reipublicæ innexæ sint.* Ad quæ Hoverbequius: *Electorem nullo honoris aut emolumenti intuitu professionem sacrorum mutaturum, aut eam à sensis animi discrepantem simulaturum, ac quæ scita super cultu Numinis pro veris agnoscat ore aut gestibus abnegaturum. Si Romanos ritus induere placuisset, certiorem spem diademate Cæsareo, quam Polonico, potiundi fuisse. At ita spinosam rem esse sacra mutare, ut ob temporarium honorem aut lucrum à minus puris ad exquisitius exasciata transire nefas sit. Polonici autem diadematis eam indolem esse, ut si vel sine molesta conditione offeratur, anxia deliberatione opus sit, acceptare an repudiare idem præstet. Nam etsi Polonia robore virorum, & ubertate proventuum, qui singulis annis ad sexaginta milliones florenorum adscendant, cuivis Regno par sit; imprimis si bona sua intelligat, iisque dextre uti calleat: si tamen Lex Regia, in quam Reges ibi adigi moris est, consideretur, non adeo expetendam rem videri Corona Poloniæ potiri. Sane Uladislaum IV. majoribus suis dira imprecatum, quod in Poloniæ gratiam jure hereditario in Lithuaniam cessissent, ac semper diadema suum cum fortunis Electoris permutare voluisse: Joannem Casimirum etiam partem hujus præoptaturum.* Ad quæ Lubomirscius: Uladislai & Joannis Casimiri judicia haut moranda. *Illum ægre tulisse, voluptates, in quas propendebat,* *Lubomirscii sententia super Joannis Casimiri Successione.*

 per

1661. *per curas Regni impediri. Hunc inter continuas patriæ calamitates, non Regni solum, sed & vitæ tædium concepisse. Cæterum utique ab aliquo tempore omnes Poloniæ Ordines præcipue in Electorem respexisse, velut in quo omnes artes Rege dignas reperiant, sola sacrorum professione excepta. Sed eam inclinationem post duabus rebus nonnihil imminutam; una, quod Borussi questi fuerint, intolerabile ipsis jugum imponi, ac non in sermones solum, sed & cogitationes eorundem inquisitionem institui. Altera, quod credatur, Electorem magis quam Cæsarem paci reluctatum, quam opinionem & ipsi Austriaci aluerint. Si tamen Elector Borussiæ Ordines mollius habeat, veterem affectum facile rediturum; ac eum ambitum laude dignum fore.* Hoverbequius contra: *onerum istorum causam fuisse bellum; quo sopito ista ultro expiratura. Cæterum Electori in votis esse à Polonis Regem creari, de quo ipse certus esse possit, eum libertatem Reip. sartam tectam præstiturum, hujusque salute & commodis nil antiquius habiturum, ac fœdera & pacem cum vicinis servaturum. Ejusmodi Regis electione istum magis Polonis obstringendum, quam si ipsi aut alicui è sua Domo diadema contulerint.* Sed cum Hoverbequius instaret, in quem ipse Lubomirscius inclinaret; hic verbis è Poëta Polonico petitis respondebat, quorum is est sensus: *Non opus esse caput sibi torquere, quis Rex sit futurus, aut quis non. Nam eo summam negotii redire, ut homines Cœli sententiam exsequantur, non autem suo ex arbitrio eligant. Sed & per leges nefas esse ea de re loqui, nisi prius Rex & Respublica invicem se legum vinculo exsolverint, ut vivo Rege super successore agere liceat. Alias Polonis optandum, complures candidatos sua nomina profiteri, ut ex iis eligi queat, qui lautissimas conditiones offerat; ac integrum fore Austriacis quoque prensare. Sed alia hosce ratione commendandos, quam prout à Lisola olim factum: Cæsari quatuordecim legiones in Silesia, decem in Hungaria esse. Nam in præsens Poloniæ conditionem haut eo loco esse, ut ejusmodi minis compelli possit. Quod si Electori aliquem candidatum commendare placeat, ejus rationem ante omnes habitum iri.* Enimvero ut Hoverbequius Lubomirscii sensa penitius exploraret, instabat, an non pro se ipso coronam affectet? *Quare enim Poloni non aliquem è suorum numero eligant, id quod aliæ rationes sæpius, & olim ipsi Poloni fecerint? Talem jurium patriæ peritum, moribus nationis adsvetum, & cui præter conservationem status Reip. nullus alibi respectus: cum contra extraneo privatæ magis rationes, quam bonum publicum cordi futurum sit. Eo casu Lubomirscii opes, autoritatem & merita in Remp. tanta esse, ut nemo cum ipso se comparare sit ausurus. Cui & exterorum Principum, & præcipue Electoris favor in promtu sit: ne Austriacis quidem adversaturis, ut Gallos dejiciant, quorum & offensa hactenus contracta interveniente connubio, aut alia ratione aboleri queat.* Ast Lubomirscius: Se Austriacis hautquidquam fidere. Suchium jam antea Reginæ dixisse: ipsam res suas non prius stabilituram, quam Lubomirscio caput cervice recisum fuerit. Lisolam quoque ad Aulam Cæsaream scripsisse: eum virum è medio tollendum, quod is omnibus Austriæ destinatis obstet. Idem quoque late demonstrabat: rationes Poloniæ hautquidquam admittere Piastum eligi. Tale quid semel rudi ac immuni pravarum artium seculo contigisse, conspirantibus omnium suffragiis, è quo divinus instinctus cuivis manifestus fuerit. Nec paucos cavillari; non mirum esse, isto tempore Piastum electum, quod antecessor Rex à muribus devoratus exiguum Coronæ desiderium efficeret. Sed nunc id pervinci non posse, nisi exterorum favore & auxilio, aut ope exercitus. Utrumque cum magno Reip. periculo conjunctum; & ubi id semel successerit, alios eandem deinceps viam tentaturos certo cum Reip. exitio. Ac Piasti creationem usque adeo rem esse apud Polonos explosam, ut omnes, qui eam affectarint, aut cogitasse crediti fuerint, ludibrium orbi debuerint. De se quoque talia in vulgus à malevolis sparsa, ut ipsi perdendo occasio strueretur. 1661.

§. 15. Ast ut Reginæ mentem expiscaretur Hoverbequius, ex hac quærebat, an non de aliquo ex agnatis suis in Italia cogitet? Quæ reponebat; *hos delicias Italiæ cum rigore Septentrionum haut permutaturos, ac forte huic diademati sustinendo pares non esse, ac inter adversa exiguam ipsius rationem habuisse. Contra sororem intra proprios licet luctus C M uncialium ipsi suppeditasse, cujus benevolentiæ fructum in ejus liberos derivatura sit.* Addebat, *Suecis Gallicum in Polonia Regem haut placere*; quod Magnus Gardius & Oxenstierna non obscure significarint. *Sed ab iisdem Neoburgicum Regem optari, cui promovendo Schlippenbachii legatio suscepta fuerit, qui & multos in Polonia sibi faventes habeat. Igitur Electori operam dandam, ut negotium de successore, vivo Joanne Casimiro expediatur; ubi ipsa cum hoc impeditura sit, ne Neoburgicus corona potiatur, cujus & ingenium sibi satis perspectum sit. Sed interregni tempore metum esse, ne is voti damnetur. Eundem quippe esse, ritibus Romanis addictum, matura ætate, nec ea potentia, quæ Polonis suspicionem injicere queat.* Quo ipso autumabat Regina se Electori metum incussuram, ut pro Enguiano cum ipsa operam sociaret. Cæterum quanquam Rex & Regina amicos in Electorem vultus præ se ferrent; tamen fidum hominem cum literis Regium Montem ad Radzivilium miserant, super Borussiæ Ordinum animo exploraturum. Is retulerat, plus quam viginti è præcipuis familiis, quas nominibus suis expresserat, gravissime questas, atrocius se quam sub Turcarum imperio haberi. Equidem levamentum sibi fuisse promissum: sed ubi id non repræsentetur, omnia se pro recuperanda libertate aleæ expositoros. Ac si agrestes Cosaci è servitio se vindicare potuerint, cur sibi velut Nobilibus minor sit fiducia, præsertim cum Poloni fratres non deserturi sint? Regiomontanos declarasse, se Electorem velut legitimum Principem, & omnes in orbe terrarum Principes animi dotibus superantem expectaturos. Sed si is cum exercitu ad ipsos opprimendos accedat,

Reginæ sententia exploratur 21. Mart.

5. Apr.

1661. cedat, ſe portas clauſuros, ac extrema vi reniſuros. Unde ſatis adparebat, Aulæ Polonicæ cum quibuſdam in ea provincia, etſi haut quidquam adſentientibus Ordinibus, ſecreta commercia intercedere.

Legatio Electoris ad Polonica Comitia. 16. Apr. §. 16. Cum igitur Polonorum Comitia inſtarent, ad quæ Rex Elbingenſe negotium rejecerat, & in quibus de ſucceſſore Joanni Caſimiro deſignando agendum erat, Elector ad iſta Hoverbequium & Dobrzenium legatos proficiſci jubet. Hiſce in mandatis datum ante omnia operam dare, ut inter Electorem, atque Regem, Reginamque, & Senatores amicitia, ſi qua luxatá fuerit, ſolidetur, obſtaculis è medio remotis. Eo fine demonſtrarent uti *Elector à Reio, & veredariorum magiſtro craſſe admodum læſus ſit, qui & fictis criminationibus amicitiam inter ipſos convellere, ac Electorem Regi Reique publicæ inviſum reddere ſategerint. Et ſi ſpes ſit Electoris inter iſta fidem, & in Rempublicam ſtudium deſtruendis iſtis calumniis ubertim ſufficere.* In conſeſſu quoque Ordinum teſtarentur, *Electori nihil antiquius eſſe, quam fidam cum Rep. amicitiam colere, ac ut ea floreat ſoſpesque perſiſtat omnem curam impendere. Tum & cupere ſe, quæ adhuc è pactis Brombergenſibus reſtant, promte implere, quamprimum Rex Elbingam ex eodem pacto tradiderit, cujus detentio hactenus fons diſſenſionum fuerit. Nam ſi modo Reius, quod penes ſe fuerat, candide feciſſet, haut defuturas fuiſſe vires refractariæ civitati in ordinem redigendæ. Sed quæ reluctatura haut fuerit, ni Reius eam avertiſſet, ac traditionem vel verbis peragere abnuiſſet.* Ad querimonias Polonorum reponerent: *Haut conſtare Electori aliquas ipſius copias non petita venia per Polonicum territorium tranſiiſſe; ac qui nuper id feciſſe arguantur, exauctoratos fuiſſe, quorum facta iſti præſtanda haut ſint. Quod ſi in bello poſt habitum conſilium unius & alterius ditio tranſeatur, conſenſum ſuper tranſitu ab initio adfuiſſe intelligi, ac Polonos eadem libertate in Electoris ditione uſos; quin poſt perfectam jam pacem eoſdem quinquaginta amplius vicos in Nova Marchia & Pomerania inflammaſſe. Braunsbergam ſtatim reſtituendam, ubi Poloni viciſſim quæ debeant expleverint. Electori in animo fuiſſe Thorunium & Melſaccum opprimere, improbe confictum. Lauenburgicos & Butovienſes omnia obtinuiſſe, quæ deſiderarint. Ob occiſum ibi ſacrificum omnia facta, quæ jure requiri poſſint. Univerſos Boruſſiæ Ordines ſuper violatis privilegiis haut queri. Sed turbidos & querulos cives in quadibet republica dari, & injuſta molientes omnia jura inviſa habere. Ac ſi Poloni clandeſtinis ejuſmodi calumniis aurem præbere velint, inane fore ſupremum Electoris imperium, nec perſvaderi huic, Polonos ex iſtis anſam arrepturos negotiis Boruſſiæ non amplius ſuæ ſe ingerendi. Ni arma arripere neceſſitas ſubegiſſet, nec Boruſſiam, nec Germanicas ditiones tributis fuiſſe onerandas. Omnium maxime Electoris intereſſe, ut ſuæ provinciæ floreant: Sed iniquitatem temporum multa præter votum imperare. Falſum eſſe, Nobilem quempiam ob iſtas querelas capite plexum; ſed ob latrocinia unum pœnam dediſſe. Ac mendacium iſtis exprobrari, qui talia ſparſerint; à qua nota nec Reius immunis ſit, niſi quæ in aulam retulerit, idonea probatione fulciat.* Qui inter alia ſcripſerat, noſtros Elbingæ minatos, brevi futurum, ut Elector ea urbe non contentus agat, ſed totam Lithuaniam vindicet, velut ſibi è Jagellonica familia oriundo debitum patrimonium. Id quod apud Lithuanos altius penetraverat, velut quo unio cum Polonia, primarium Status Polonici fundamentum everteretur, quod nemo Regum é maſcula ejus ſtirpis linea vel verbo ſolicitare auſus ſit. *Cum Moſcis Electori nil commercii aut fœderis intercedere, ſed nudam ſtipulationem de non invicem lædendo; quæ tamen promiſſis auxiliis haut obſtitura fuerit, ſi Polonis, quæ ipſi debebant, explere placuiſſet. Nunc injuſte violatæ fidei alium arguere, qui prius præſtanda ipſi neglexerint. Ac vel maxime, non obſtante Elbingæ detentione, auxilia mittere volentem ſævum a Reio adhibitum agendi modum, minaſque abſterruiſſe, ut quid à Polonis expectandum eſſet, haut conſtaret. Caſtellum apud Braunsbergam in Electoris territorio poſitum in nullius offenſam, ſed ad ipſius ac Poloniæ ſecuritatem.* Si ſuper ſex militum millibus in Boruſſia non præſtitis moveatur, reponerent; *Electorem tranſlato in Holſatiam bello Cæſareos è Polonia extraxiſſe, ac Suecos impediiſſe, quo minus in Boruſſiam auxilia mittere poſſent.* His ita diſcuſſis oſtenderent, Electorem paratum eſſe ad examuſſim implenda Brombergenſia pacta, ac de Polonis gemina ſperare. Ante traditam autem Elbingam ab ipſo nil poſtulari poſſe. Nec incognitum quæ ſuper iſta moveantur difficultates non à Polonia provenire, ſed ab iis, quorum valde intereſt, diſſidium inter Electorem & Remp. gliſcere. Ad quorum deſtinata uti Elector nihil collaturus ſit; ita ſe ſperare, Polonos ipſo non monente eas artes intellecturos, nec veterem amicum antiquis hoſtibus utcunque reconciliatis condonaturos. Electorem quoque ſtudio in Remp. teſtando protinus Frauenburgo præſidium deducturum; nec ut auxiliares copiæ in vicem Elbingæ remittantur exacturum; ac ſuper munimentis Elbingæ non deſtruendis facilem fore. Denique ut Draheimum ſponte tradatur exigerent, ne Electori neceſſum ſit ex pacto poſſeſſionem per ſe adprehendere. Dehinc ne ſucceſſor vivo Rege deſignetur, dextro & ſine offenſa hujus; atque Reginæ reniterentur, placide demonſtrato; *Reipublicæ niſi ſumma neceſſitate ſubigente à præcipua lege, qua ipſius Status innititur, haut diſcedendum: atque id non tam à Polonis, quam ab exteris quæri, non illorum ſed propria emolumenta reſpicientibus. Nec Regem uſque adeo ſenio aut morbis fractum, ut eo deſcendendum ſit. Quo minus quæ circa unum & alterum extraneorum moveri queant, in præſens adducantur, graves rationes obſtare; nec dubium eſſe, quin Poloni iſtæ omnia per ſe intelligant. Sane illis nil fidei adhibendum, qui poſtquam ſemel atque iterum res ſuas cum oppreſſione Poloniæ ſtabilitum iverunt, nunc vi aperta incaſſum conſumta aſtu & per cuniculos ad ſua deſtinata graſſantur, diſſidio inter Electorem & Rempublicam excitato. Summam tamen votorum Electori eſſe ſalutem* 1661.

1661. *tem Reipublicæ, nec hunc intercedere, quo minus nunc, si ita videatur, super successore constituatur, modo Regno de libertate & securitate, sibi de ejus amicitia cautum sit. Optare tamen & svadere, ut eligatur quispiam è Domo non nimium potente, aut qui aliis potentibus non sit obnoxius. Regnum alienis bellis involuturus, per quæ istud robore virorum, ac demum libertate spolietur. Ac ejusmodi Principes etiam in Germania reperiri posse, qui Reginæ votis circa maritandam neptim satisfacere queant, nullo publicæ libertatis periculo. Sed an idem circa eos, quos fama ferat, obtineri possit, optandum magis, quam sperandum esse.* Miserat quoque Cæsar ad Electorem Clivis

Friquet. tunc agentem Friquetum Hagæ Residentem, qui ostenderet, ipsi relatum, Reginam Poloniæ per suam in eo Regno factionem, & Gallici auri efficacia id enixuram, ut his comitiis successor Gallus, aut qui à Gallia dependeat designetur. Tum & Svecos cum Polonis fœdus offensivum in Moscos, & defensivum contra omnes agitare; quod ut impediatur, Cæsaris maxime interesse. Igitur Elector legatis suis injungebat, summo studio circa utrumque nogotium invigilarent, ac cum Lisola consilia communicarent, ut tamen Polonis suspicio inde ne excitetur.

Super Elbinga in istis Comitiis disceptata.

§. 17. In istis Comitiis super Elbinga tres sententiæ inter Ordines erant. Paucissimi censebant, Electori stricte ex pacto Elbingam tradendam, & quæ in contrarium ab isto admissa arguantur, ob præsentium temporum iniquitatem dissimulanda. Sed maxima pars Reip. haut expedire judicabat, istius potentiam tradita urbe tam valida gliscere, sed data pecunia eidem satisfaciendum. Nec tamen deerant, qui jactarent: cum Elector pactis examussim non steterit, ipsi quoque non deberi, quæ sibi stipulatus sit, ac potius reparationem damni, ac id quod interfit pacta fuisse impleta ab eodem exigendum. Unde & legati id negotium ad justam disceptationem coram delegatis à Rep. deduci nolebant, non solum quod difficile futurum esset tot capita in unam sententiam permovere; sed etiam quia Ordines Poloniæ hoc modo sibi decisionem ejus causæ arrogaturi erant, in qua partis vicem sustinebant. Unde cum manifestum esset id negotium à malevolis arripi Electori cum Rep. committendo, nostri modeste agere, ac testari; Electorem non solum Braunsberga præsidium deducturum, sed & Elbingæ non instituturum, modo conventa pecuniæ summa ipsi repræsentetur, & tam noxia eidem juxta atque Poloniæ munimenta isti detrahantur. Vicissim plerique Ordinum ita cum Electore agendum svadebant, ut ejus amicitia conservaretur, Reipublicæ si quid calamitatis ingruat, utilissima futura. Sed cum Polonis Elbingam dare non placeret, vix adparebat ratio, qua pecunia ejus loco numeranda expediretur. Equidem aliqui proponebant, in singula dolia cerevisiæ singulos dimidios florenos Polonicos imponendos; ac cum singulis diebus per totum Regnum C. M. doliorum ebibi præsumantur, singulis diebus L. M florenorum posse redigi, quæ per mensem sesquimillionem efficiant. 1661. Sed cum talia facilius sermone jactari, quam in rem deduci queant, plerique differebant; Electorem pro solita sibi generositate non omnia ad unguem resecaturum; præsertim cum Brombergensia pacta ei nimium fuerint lucrosa, ideo quod Rex ipse nullo interveniente cum eodem egerit, ac nimia facilitate usus sit. Quo exemplo monitam Remp. decrevisse, semper deinceps talia per legatos tractanda, qui ita faciles non sint, nec esse possint. Quibus reponebatur; *serum jam esse querere, num ea pacta sint lucrosa an minus, cum eadem jam per omnia solennia sint confirmata. Ac Electorem quoque è conjunctione cum Polonia irreparabilia damna percepisse. Elbingam itidem Electori jam initio tractatuum fuisse promissam, cum Joannes Casimirus adhuc Gedani ageret.* Cæterum facile adparebat legatis, defugere se demum non posse, quo minus cum Polonicis delegatis congrediendum foret, diluendis penitus quæ objiciebantur. Circa quos tamen in antecessum testaturi erant, sese hautquidquam novos tractatus ordiri, sed tantum priorum executionem promovere velle. Præsertim cum 4. Jun.
Poloni aliquamdiu satis tractabiles viderentur, ob tristes nuntios de Tartaris & Cosacis ex Ucraina allatis. Sed cum isti falsi fuisse reperirentur, frigus redibat, ac negotium in diem differebatur, calumniarum colluvie interim perstrepente, cui retundendæ vix diligentia legatorum sufficiebat. Tandem congressu habito non nihil litis initio surgebat super honoratiore loco, quem nostri utique in ædibus Polonorum sibi vindicabant. Prout & nuper Consul Gedanensis, cui super negotio tabellariorum cum Electoralibus agere commissum fuerat, cum in sua urbe præ hisce priorem locum affectaret, ipsis Polonis ob inscitiam politi moris irrisui fuerat. Proponebant heic Poloni; *Joannem Casimirum pronum fuisse tradenda ex pacto Elbingæ. Sed remoram injectam, quod nostri civitati super privilegiis cavere abnuerent; unde metum ortum, Electori in animo fuisse civitatem jugo subdere. Tum & eosdem ademtum Lutheranis templum Reformatis voluisse addicere. Unde se non potuisse non causam urbis tam nobilis suscipere. Frauenburgo quoque & Braunsbergæ præsidium prius fuisse deducendum.* Ad quæ nostri artes Reii memorabant; ob quas Electori haut consultum visum quam manibus tenebat cautionem amittere. *His tamen oppidis præsidium ab Electore cum consensu Regis impositum quæ Præsuli subtrahere isti nunquam in mentem venerit. Ac fecisse ista præsidia operæ pretium haut spernendum, interceptis mille ducentis Svecicis militibus. Electorem tamen Frauenburgo in antecessum militem deducturum; ac post Elbingam traditam omnia, quæ vicissim præstanda sunt impleturum. Negotium veredariorum quo minus jamdudum confectum foret, delegatos Regios in causa fuisse, qui vitiosum procuratorium attulerint.* Circa trajectum Vistulæ præter superius addicta nostri addebant: *Polonos inanibus suspicionibus indulgere, velut Elector novum ibi vectigal medite-*

1661. *meditetur; cum id per pacta neque Electori neque Polonus licitum ſit. Quin privato Nobili licentiam eſſe trajectus ad proprios uſus. Atque iſtam litem fere provenire è privato lucro Capitanei Neuburgenſis, & Danboſio Munſterwaldæ domino, qui olim trajicientibus Electoribus præmio mactì fuerint.* Circa ſex militum millia, quibuscum Elector rem in Boruſſia ex pacto haut geſſiſſe arguebatur, noſtri oſtendebant: *pacta non ſtricte obligare ad rem in Boruſſia cum ſex militum millibus gerendam; ac Electorem petente Rege cum longe majore numero in Holſatia bellum adminiſtraſſe maximo cum fructu Poloniæ, velut quo Sveci juxta ac Cæſarei hinc detracti fuerint. Obtuliſſe quoque Electorem ſe per ſuas copias Thorunio, Elbingæ & Mariæburgo obſidium circumpoſituros; ſed Polonos ſubigente diffidentia id repudiaſſe.* Denique ſuper mille quingentis auxiliariis haut ſubmiſſis noſtri oſtendebant: *Electorem haut fuiſſe obligatum ad iſtos mittendos niſi novo bello exorto: Moſcicum autem ante Svecicum jam extitiſſe. Quin eum ad iſtas copias mittendas paratum fuiſſe, & adhuc eſſe, ni Rex circa Elbingam tergiverſatus fuiſſet. Porro Electori nunquam fœdus cum Moſco fuiſſe, quod pactis Polonicis repugnet, ſed nudam conventionem de non offendendo, quæ communi inter omnes homines obligationi nihil ſuperaddat. Nec expreſſa renuntiatione fuiſſe opus, cum juratis pactis maxima efficacia ineſſe cenſeatur.* Quæ omnia Poloni ad Regem ſe relaturos ferebant. Aſt Regina in hoc negotio frigidam admodum ſe gerebat, partim quod conjiceret, Electorem deſtinatis ipſius circa ſucceſſionem haut fauturum, partim quod legati Svecici Stenonis Bielkii ſententiam prius cognoſcere vellet, qui tunc Warſaviam venerat, eodem quo noſtri honore exceptus. Qui tamen apud noſtros multis verbis de ſtudio ſuo teſtabatur, tum ſe Electoris cauſæ ſuffragaturum, negans quoque ſibi mandatum ſuper novo fœdere cum Polonis ineundo. Paulo poſt tamen Regina dicebat: inveſtigandam eſſe viam, qua Electori ſatisfiat, quod Gallus jam hunc ſuis partibus adjungere ſtudeat; liquido indicio ab eodem id negotium huc uſque impeditum. Sed uti Regina per Elbingenſe negotium Electorem ſibi obnoxium tenere conabatur; ita plerique non tam ex benevolentia aut reverentia juratæ fidei, quam metu novorum motuum Electori ſatisfaciendum ferebant. Unde adparebat, Polonos hautquidquam properaturos ſuo ſe debito exſolvere, quamdiu Electoris Status in Boruſſia nondum ſatis firmatus foret, nec Reſp. novo periculo urgeatur; ac quantamcumque ejus offenſam aboleri poſſe data demum Elbinga & Draheimo. Sed ut æquivalens pro Elbinga obtineretur nulla ſpes erat. Nam in Braunsbergam, alienandam, velut Eccleſiaſticum bonum Reip. jus non eſſe. Et petito uno & altero ad Viſtulam capitaneatu immenſum firmanda erat Polonis ſuſpicio, velut Elector commercia ejus fluminis ſui arbitrii reddere agitaret, cum nudus trajectus tantos ipſis ſcrupulos injeciſſet. Ac Nobiles malebant Elbingam & Braunsbergam Reipublicæ detrahi, quam unum & alterum Capitaneatum, quorum fructus ipſis in præmium meritorum, aut gratiæ Regiæ deſtinantur. Quin Cancellarius palam dicebat: negotium de Viſtula Ordinibus magis cordi eſſe, quam ſi de tribus urbibus Elbingæ paribus agatur. Inter iſtas tamen diſceptationes ſupremum Boruſſiæ imperium extra dubium ponebatur, ac Poloni multis verbis de conſtantia ſua circa ſervanda pacta teſtabantur. Ac Rex noſtris petentibus prius diploma novo firmabat, quo iſtud imperium luculentius declarabatur, ut refractariis prætextum, velut iſto nondum ſatis liquido, adimeretur. 1661.

Noſtri remittendo parum proficiunt. 5. Jul.

§. 18. Sed cum in iis Comitiis omnia confuſe ac lente agerentur, ac Poloni, dilutis licet quæ arguerant, ad rem propius haut accederent, noſtri demum declarabant: Electorem amputandis moris non ex debito, utpote qui nulla parte pacta violaſſe convinci queat, ſed ex mera generoſitate ac amore in Remp. de ſumma Elbingæ reluendæ ſtatuta quartam partem remiſſurum ea lege, ut urbs ſtatim tradatur; reliquam ſummam Reip, deinceps ex placito ſolvere integrum fore. Contra Poloni initio petebant, ut Elector exhauſto Regni Statu motus alia adhuc C M uncialium, ſimul actionem in Draheimum remittat. Nec deerant, qui plane actione in Elbingam cedendum ſuaderent, velut cujus urbis poſſeſſio diffidentiam inter Remp. & Electorem in perpetuum alitura ſit. Quod cum noſtri penitus adſpernarentur, Poloni proponebant; ſe Electori vectigal in Viſtula ab omnibus Nobilium mercibus importandis & exportandis exigendum tradituros. Id quod & ipſum noſtri rerepudiabant, velut ingentem invidiam Electori apud Nobiles paritururum. Quod ſi tamen Rex per ſuos id vectigal exigere, & Electori redactam inde pecuniam ſolvere velit, id ſe acceptaturos, ac poſt plenam ſummæ ſolutionem urbem reddituros. Aſt mox alio congreſſu Poloni abſque circuitione dicebant; *ſeſe Elbingam ob graviſſimas rationes tradere non poſſe; ſed Electori alia via ſatiſfacturos; ac inutiles ambages eſſe urbem prius tradere, inde pecunia accepta iterum reſtituere.* Nec obſcure innuebant, Electorem inſeſſa ſemel urbe nunquam poſt abiturum. Igitur id tantum noſſe velle, quantum Elector de ſumma remiſſurus ſit. Pecuniam ſe ſtatim repræſentaturos, modo circa reddendam Braunsbergam mora ne fiat. Ad quæ noſtris Electorem tam non ſpernendum generoſi animi ſpecimen edidiſſe remiſſis C M uncialium ea lege, ut Elbinga ſtatim tradatur, idque de cætero pactis fraudi ne ſit. Poloni contra CC M uncialium pro ſua actione in Elbingam & Draheimum offerebant; *nam eam urbem perpetuum diffidentiæ fomitem inter ipſos fore.* Sed noſtri X X M. uncialium adhuc de Draheimenſi ſumma remittebant; cum ſatis noſſent, Polonos Draheimium nunquam pro C M uncialium reluituros. Poloni quoque proponebant, ut Elector ſuper reſtituenda Elbinga caveat tota Boruſſia in commiſſum cadenda, ſi fallat: quod velut cum ignominia conjunctum noſtri repudiabant. Demum tamen de-

 cla-

1661. clarabant: *Electorem Elbinga desiiturum ea lege, ut CCC M uncialium sibi dentur, oppignorata tantisper Braunsberga. Sed si Poloni Elbingam tradere malint, se super restitutione idonee cauturum; demolitionem quoque munitionum acceptis XL. M uncialibus remissurum.* Sed æquissimæ quantumvis conditiones Polonis haut arridebant, quod nihil plane dare decrevissent.

Negotium ad universos Ordines refertur. *9. Jul.* §. 19. Ast nostri cum animadverterent, aulam id agere; ut negotium post Comitia extraheret, idemque sui arbitrii fureret ad suas rationes temperandum, de Bogislai Radzivilii consilio negotium apud universos Ordines proponere constituunt; quod metus esset, ne candita & honesta Electoris intentio parum integre à delegatis referatur. Igitur in consessu Ordinum exponunt de constanti Electoris proposito cum Rep. fidam atque perpetuam amicitiam colendi, qui traditionem quidem Elbingæ ex pacto exegerit; ut tamen simul testetur, Reip. amicitiam pluris sibi quam Elbingam æstimari, ac, ut sinistra de ipso spargentibus pudorem incutiat, jure suo in Elbingam desistere velit, si aliud æquivalens, & idonea hypotheca constituatur. Quæ propositio Ordinibus grata admodum accidebat, ad quam multo cum verborum honore, & reciprocis asseverationibus respondebatur. Delegati inde Polonici Electoris jus in Elbingam & Draheimum uno millione florenorum Polonicorum licitabantur, aut ut mille milites de promissis auxiliis remitterentur. Quorum hoc nostri rejiciebant, ne Electori occasio deforet studium suum Reip. adprobandi. Sed universam actionem in Draheimum & Elbingam, ac ut huic munimenta salva persistant, CCCC. M. uncialium taxabant, super hac restituenda verbo Electorali cauturi. Post Rex quoque in consessu Ordinum declarabat; Electori vel præsentem pecuniam, vel Elbingam dandam, accepta super hac restituenda cautione. Quanquam autem inter ista omnes ita sancte confirmabant, Electori utique satisfactum iri, ut negotium pro confecto videretur habendum: tamen sub finem Comitiorum id non minus incertum, quam initio, erat. Cum enim in conclusione Comitiorum Rex declarasset, cum pecunia in promtu non sit, declinari non posse, quo minus urbs Electori tradatur ad liberandam juratam fidem: multi *Nuntiorum Terrestrium* ei traditioni non quidem directe contradicebant: Sed adversus recens decretum super vectigali in Vistula flumine ab omnibus nullo conditionis discrimine exigendo protestabantur, in quod præcipue ut Electori satisfieret nullo antea in hac Republica exemplo consenserant. Quod si igitur Rex Electori urbem tradere velit, necessum esse id vectigal aboleri. Unde Regi alterutrum eligendum erat, ut vel concessum in biennium vectigal, ex quo annuus millio florenorum sperabatur, omitteret, vel tradenda Elbinga supersederet. Quorum hoc tamen cum destinatis ac declarationi suæ repugnet, spem faciebat nostris, sese viam inventurum hisce difficultatibus superandis, negotio demum apud arcanum Consilium Comitiale proposito; 1661. ubi omnium suffragia scripta sit exacturus, quorum major pars pro tradenda Elbinga sit futura. Ita excusare se Reip. posse, si Elbingam tradat, cujus diversum deliniendis *Nuntiis Terrestribus* promiserit. Enimvero ea res secius cadebat; quanquam & alias inter arcana Reip. Polonicæ sit, altera vice in propositionem deducere negotium, cujus subversio quæritur. Nam facta propositione septem suffragia Elbingam tradendam decernebant, quatuordecim contradicebant. Unde demum colorando ludibrio Rex legatum ad Electorem mittendum decernit rogaturum, ut ancipitem ac durum Reip. statum patientia prosequatur, ac solutionem è vectigalibus recens institutis expectet, è quibus intra annum duplo plus, quam quanti debitum istud sit, redigendum speretur. Prout & in Constitutione super novo isto vectigali expresse cautum sit, ne id alios in usus quam ad satisfaciendum Electori adhibeatur. Ita quidem ejus negotii successus à Cancellario nostris referebatur. Sed revera Electoris desideria instinctu Gallorum & Svecorum Regina eluserat, allaborantibus quibusdam proceribus per Borussos Regios corruptis. Et Cancellarius censebat, eam machinam à Reio structam, viro astuto & malitioso, qui *Nuntios Terrestres* instigaverit. Sane Rex facile prævidere poterat, majorem suffragiorum partem pro tradenda urbe haut casuram. Nostri dehinc modesto libello querebantur, se ita re infecta dimitti. Quos multi Senatores demulcere studebant spe facta, Frauenburgum & Braunsbergam Electori in pignoris vicem relinquendas; & utique eidem satisfactum iri. Multi tamen differebant: *si Electori urbs semel tradatur, eam nunquam in Reip. manus reversuram, non quod Elector se promissis non sit servaturus, sed ob solitam Polonicæ gentis negligentiam, quæ nunquam tantum pecuniæ corrogatura sit in rem; quæ singulos non tangat; at si intra biennium nil molestiæ ex ea urbe sentiatur, Polonos sibi persuasuros, nunquam ex eadem sibi quid periculi imminere.* Cum jusjurandum exprobraretur, quidam decretum Concilii Constantiensis regerebant; & quod Sorbona, cum Franciscus I. Burgundiam Carolo V. Imperatori ex pacto jurato tradere deberet, pronuntiaverit: privatos sine discrimine ad servandum jusjurandum suum teneri; sed Regum juramentis hanc exceptionem subesse, ne per posterius priori quid derogetur. Galliæ autem Regem, dum coronatur, jurasse, nil se bonorum Coronæ alienaturum; ad quod & Lex Salica ipsum obstringat. Quibus nostri occinebant exemplum Regis Saulis, cujus soboles gravissimas pœnas dederat ob violatam ab ipso juratam fidem, quam majores dolo licet inducti quondam Gibeonitis dederant. Cæterum Senatusconsulto postcomitiali concludebatur; Electorem misso à Rege legato, & per ipsius qui adsint legatos rogandum, ut actione in Elbingam desistat, & pecunia sibi satisfieri patiatur, interea se dissimulaturum ob eodem Braunsbergam retineri. Nostri quanquam

ita

ita sibi illusum dolerent; tamen secum statuebant hilarem vultum præferre, quasi plene sibi satisfactum foret, ne malevolis lætitiæ ansa præberetur, neu Borussis pertinacia accederet, quorum aliqui Reginæ CM uncialium promisisse ferebantur, si Electoris supremo imperio ipsos liberare posset. Et adquiescebat Elector, Braunsbergam sibi usque ad plenam solutionem relinqui; simul legatis injungebat, ut amico vultu Warsavia discederent, Regique ac Reip. de sua amicitia confirmarent, paria ab his stipulati. Cum post nostri caveri sibi postularent, ne Præsul Warmiensis super Braunsberga molestiam Electori moveat; ut summæ reluitionis nil amplius detrahatur, & ut quid ad alendum Braunsbergæ præsidium conferatur: Poloni scriptam cautionem exhibere nolebant, sed verbo duntaxat confirmabant, Electorem circa Braunsbergam turbatum non iri: ac legatum venturum, qui plenius responsum sit allaturus. Cæterum ista pactis fraudi non fore. Nam in contractibus modum & tempus solvendi mutuo consensu mutari posse, salva istorum substantia. Rex quoque per literas de suo studio multis testabatur, de quo legatus à se mittendus latius sit expositurus. Nostri vicissim scripto declarabant, se Elbingæ traditioni renuntiasse ac CM uncialium remisisse, salvo reliquo pacto. Contra Electorem tamdiu Braunsbergam & Frauenburgum retenturum, quoad solutio facta sit. Interim ritus Romanos in æde cathedrali Frauenburgi exercere liberum fore.

Circa successorem vivo Regi dandum frustra laboratur.

§. 20. Nec minus operam iis Comitiis ludebant, qui circa successorem vivo Joanne Casimiro constituendum laborabant. Quos inter præcipua erat Regina, quæ varias per artes multos è proceribus sibi devinxerat, eminente in ejus destinata Czarnecii favore, qui jactabat; *utique consultum videri in præsens super eligendo successore decerni, his tamen conditionibus, ut is sit Catholicus, non senex, non puer, cujus electio Remp. alienis bellis ne implicet; qui denique non cum corona, sed ad coronam veniat.* Nec minore ambitu Neoburgicus prensabat, inter alia offerens; se insignes copias ex hoc tempore Polonis auxilio missurum, filium in Polonia educari curaturum; controversiam cum Electore è sententia Reip. compositurum. Pro Archiduce Carolo Josepho Lisola magno studio nitebatur, etsi id apud nostros dissimularet. Sed super Neoburgici legato referebat, ab hoc sibi propositum, ei Principi magnum esse desiderium cum Electore transigendi, in Cæsaris arbitrium relaturo, quas compositionis leges is dicturus sit. Ac si Electori ad rem accedere placeat, non modo istum ad omnia facilem fore, sed & super Elbinga tradenda cauturum. Ac nullam esse commodiorem rationem Reginæ destinata evertendi, quam si Elector cum Neoburgico transigat, & una cum Cæsare simulet, se favorem ad nanciscendam coronam eidem accommodaturum. Nec tamen periculum esse, ne is Regno potiatur, quod Regina per suam factionem semper eundem excludere posfit, quæ & totum potius electionis negotium turbatura sit, quam ut iste ad coronam admittatur. Enimvero in tricas hasce descendere nostris haut placebat, lubrica ejus viri fide, qui & impediendo Elbingensi negotio operam contulerat, quod vereretur, ne Elector isto succedente cum Regina amicitiam instauraret, ejusq; destinatis deinceps velificaretur. Quanquam & Regina Lisolæ super animo Electoris suspicionem injicere laborabat. Enimvero Poloni ad negotium electionis accedere defugiebant, & omnes, qui Gallis addicti non essent, rem ad interregnum deduci malebant. Et alii quidem aperte contradicebant; alii consentiebant hac conditione, ne quis ex Austria & Gallia eligatur: ne Polonia horum æmulatione involvatur, & quia ambæ nationes genio à Polonis diversæ alias Reip. tractandæ rationes amant. Condæus quoque pecunias, queis ad id negotium cumprimis opus erat, depromere abnuerat, ni sibi filioque prius caveretur per fœdus inter Sveciam Poloniamque initum, & traditis munitis Borussiæ urbibus. Nec eo minus Neoburgicus legatus satagere nondum deposita spe; ac censebat, Svecos hautquidquam Galli cujuspiam electioni fauturos, quod potentiæ Gallicæ magna inde accessio futura sit, classibus quoque Mari Baltico immittendis, quarum usum melius nunc quam antea Galli intelligant. Quin & idem judicabat, Gallo hautquidquam cordi esse Enguianum Regem Poloniæ fieri, quod inde in hanc, quicquid per Galliam turbidorum ac rebellium civium extiterit, confluxurum sit. Sed istum per astutiam Reginæ foveri, quæ Ordinibus persvadere laboret, tertio cuipiam ab Austriacis & Gallis locum non esse, eoque ex duobus malis minus eligendum. Sed quo longius procedebant, eo majoribus difficultatibus id negotium involvebatur intercessione Nuntiorum Terrestrium, quos Lubomirscius instigasse arguebatur; qui tamen verbis studium in Bavariæ Electoris fratrem præ se ferebat. Nostri autem satis habebant impedivisse, ne in præsens quidpiam concluderetur. Regina dehinc votis suis dejecta de proceribus valde querebatur, qui ipsam primo ad id negotium suscipiendum stimulaverint, utque Regem, qui per integrum annum restiterat, ad consentiendum permoverit. Qui nunc, cum in rem præsentem veniendum esset, ludibrio ipsam exposuerint; cum tamen omnes, quas isti requisiverint, conditiones annuerit, imprimis ne is Austriacus, Gallus, aut hæreticus sit. Igitur sibi decretum omni publicorum negotiorum cura sese deinceps exuere: simul à nostris postulabat, ut ne quid deinceps à se desiderent, postquam in propria causa successus fefellerit, nec ipsa morosæ genium nationis temperare norit. Nec ideo tamen id negotium clam agere desistebat, ope Galliæ & Sveciæ vel invitis Polonis idem pervictura; quarum & legati ab ipsa ambitiose colebantur. E quibus Stenonem Bielkium Svecum Rex candoris & modestiæ nomine valde commendabat, contra Slippenbachii vasta nimiũ consilia improbans; qui naufragio, cum in Poloniam tenderet, perierat,

1661. Lumbranus autem Gallus de Regis sui desiderio amicitiam & fœdus cum Electore instaurandi subinde testabatur.

Electoris circa Arausionensem Principem studium.

§. 21. Non modicæ quoque isto tempore Electori curæ erat Wilhelmi Henrici Arausionensis Principis fortunas conservasse, præsertim cum si quid humanitus ei contigisset, sua uxor, & ex ea nati ad ejusdem hæreditatem vocandi essent. In istius Principatu Arausionensi statim ab obitu Wilhelmi II. turbæ nasci cœperant, quod mater Maria Anglicana tutelam filii posthumi, ac bonorum administrationem sibi vindicatum iret è rescripto mariti die 17. Februarii anno 1649. dato; quo is disposuerat, ut Fridericus Dona Comes Gubernator castellum Arausionense nemini traderet, ac solis uxoris suæ futuris jussis morem gereret, ac in ejusdem potestate castellum adversus omnes retineret. Contra avia Amelia sibi potius nepotis tutelam deberi contendebat, cui & velut prudentissimæ fœminæ Elector gener favebat; qui administrationem bonorum pupilli in Anglorum manibus esse nolebat, fere domi ob turbas civiles propriis bonis exutorum, ne per ista paupertati suæ consulerent; inprimis si pupillum fato fungi contingeret. Ac ostendebatur, scriptum mariti, quo mater nitebatur, esse imperfectum, nec rite formatum, ac per sequentem codicillum revocatum. Et Electori saltem in partem tutelæ veniendum, velut marito proximæ agnatæ & hæredis *præsumtivæ*. Ac ipsam matrem adhuc in minore ætate constitutam. Sed & Arausione statim post mortem Principis procurator generalis Sylvius, & quæstor Belloregardius eam ditionem in Ducem Longuevillium transferre conabantur; quo fine solius matris tutelam agnoscere instituebant, quo hanc cum Electore & avia committerent, inter turbida machinationes suas exsecturi. Ac ut Donam Gubernatorem, qui ab Electore & avia pendebat, arce dimoverent; quo fine auxilium ex aula Gallica quærebant, causam filiæ ibi agente vidua Regina Angliæ; simul sacerdotes in partes sumebantur, ut Regi ingererent, utile esse Gubernatorem ibi constitui ritibus Romanis addictum. Eum rerum statum cum Elector è Joanne Martizio, quem Dona eo nomine miserat, intellexisset; huic injungebat, ne Matris jussis Arausione obtemperetur. Ast mater cum proprio ausu tutelam exercere non posset, litem ad compromissum deducebat; in quo etsi laxioribus verbis pronuntiarum esset, ut tutela penes Matrem, Aviam, & Electorem esset; placuit tamen Electori & aviæ, inita cum matre conventione huic dimidiam tutelæ partem juncta autoritate & consilio gerendæ deferre. Ac post Viquefortius, & Daniel Weimannus Arausionem mittebantur rebus ibi ordinandis, ac ut Fridericus Dona Gubernator decreto Parlamenti confirmaretur, cui in casum mortis frater Christophorus substituebatur. Haut eo magis Sylvius machinari desistebat, in aula Gallia per Reginam Viduam Angliæ solicitans, ut si Principem puerum mori contingat, mater ope Regis in eo Principatu succederet. Id quod velut nulla ratione subnixum repudiabatur; nec sacerdotum solicitationes audiebantur, quod aulæ tunc non placeret aliquid in Arausionem tentare, ne flagrante cum Hispanis bello à Reformatis turbæ moverentur. Post complures annos isti machinationum autores aliquot Parlamenti assessores in factionem suam pertrahebant; cui rei isthæc occasio arripiebatur. Cum in Arausionensi Principatu Romani juxta ritus ac Reformata sacra libere exercerentur, Principibus semper curæ fuerat, utrosque pari modo habere. Sed quia plerique Pontificii assessores Parlamenti domicilia extra Principatum habebant, ac cives Catholici quererentur, suas lites coram solis Reformatis judicibus disceptari, tutoribus placebat Parlamentum duobus assessoribus augere, uno Reformato, altero Catholico, & quidem ut huic necessum foret Arausione habitare, quo jus inter æquales judices integre administretur. Id edictum factiosi in acta Parlamenti referre abnuebant, quo ansa foret turbas ferendi, & inter eas Gubernatorem è medio tollendi; qui tamen, quæ insidiæ intercipiendo castello struebantur, eludebat. Unde factiosi denuo per sacerdotes aulæ Gallicæ ingerebant; quantæ fraudi ritibus Romanis sit tam munito castello Reformatum Gubernatorem præesse; ac ut novæ hujus munitiones dejicerentur, quæ post obitum Principis Philippi Wilhelmi, & contra hujus consilium excitatæ fuerint. Quæ isto fine movebantur, ut destructo castello aliis queis in hanc ditionem actio jactabatur, in proclivi foret eandem in potestatem redigere. Atque hisce machinationibus autoritas Matris prætendebatur, quæ harum plane ignara erat. Ita demum res eo deducta est, ut Galliæ Rex eam causam susciperet, ac tutelam matris exclusis reliquis asserere institueret. Inter quæ cum factiosi edicto non sine ferocia reluctari pergerent, Dona alitora suspicatus Sylvium in custodiam trahit; cujus scripta dum excutiuntur, perspicua documenta reperiebantur super conatu eum Principatum in Longuevillium transferendi. Unde factiosi jam ausorum manifesti aperte in rebellionem erumpere; ad quos comprehendendos Dona cives edicto hortabatur. Isti contra extra fines ditionis subducti decretum condunt, per quod insuper habito compromisso Hollandico & conventione matri soli tutela & administratio decernitur. Inde eorum unus in Hollandiam, reliqui in aulam Gallicam abeunt decreto suo patrocinium quæsituri. Quam in rem aliquot chartis puris nomine Matris inscriptis abutuntur, velut hujus autoritate omnia gesta forent. Circa Donam arce dimovendum aliqui percussores ipsi immittendos svadebant. Id quod Longuevillii uxor vetabat, testata nil se ex ea ditione cupere, si vel unica gutta sanguinis eadem constare debeat. Unde isti CCCM librarum offerebantur nomine sumtuum in id castellum factorum, si idem in Longuevillii manus consignare velit. Inter ista missus à factiosis Matri persvaserat, ut à con-

Marginalia: 1650. (beside "cœperant, quod mater Maria Anglicana"); *Turbæ Arausionenses. Beauregard.* (beside "in minore ætate constitutam"); 1652. (beside "ferre. Ac post Viquefortius"); 1661. (right margin, beside "succederet"); 1658. (right margin, beside "bæ moverentur"); Maio. (right margin, beside "sa foret turbas ferendi").

1661. conventione cum Electore & avia, ac probatis prius mandatis resiliret, ac inane decretum rebellis Parlamenti amplecteretur. Quæ & Donæ injungebat ad ipsam accedere rationibus reddendis; simul ne quid pecuniarum ipsi præberent quæstoribus interdicebat. Quæ jussa facile sperni poterant, ni Vidua Regina Angliæ & Sacerdotes in aula Gallica pervicissent, ut hæc obtentu defendendæ matris ad munimenta arcis dejicienda incumbere constitueret. Unde Rex Lugduno unum è præfectis custodum corporis cum sex cohortibus Arausionem mittebat, qui denuntiaret; cum Arausionense Parlamentum Matri soli tutelam filii adjudicaverit, cui Rex patrocinium denegare nequeat; Dona deinceps ab hujus jussis dependeret, simul castellum Regi traderet. Id quod Dona deprecabatur. *Equidem satis se perspicere periculum, quod recusantem maneat. Enimvero per vim injustam sibi calamitatem inferri posse, culpam impingi non posse. Ac tanto Regi, qui Hispano & aliis validas provincias eripuerit, haut in arduo fore unam arcem subigere.* Nec minus milite se firmabat; cui & Nemausani, & Cebennates auxilia offerebant. Ita tunc vis dilata. Interim factiosi ubique spargebant, Regem Galliæ id negotium utique amplexurum, tum fictum Principis Matris edictum chartæ quam vocant *blancæ* inscriptum promulgabant, qua Donæ conatus circa tuendum castellum improbabantur, tum ne quid pecuniæ eidem solveretur, ut non esset,
1659. quod præsidiariis daret; quos & recens conductor hic iterum dimittebat, postquam sequenti anno Lutetiæ nil nisi de pace dissereretur. Quia tamen idem imminentem tempestatem prospiciebat, ac iniquo Principis matris odio laboraret, missionem petebat nulla alia conditione, quam ut erogata pecunia sibi refundatur. Quam & obtinuisset, si idoneus successor tam turbidis temporibus repertus fuisset.
1659. Aug. Ast deinceps edictum Regium per Languedociam, & Delphinatum promulgabatur: ne quis amplius cum Dona commercii quid habeat, nec ei adsistat. Simul navigium Rhodano immittitur prohibiturum, ne quis Principis ministris vectigal solvat; ac jam Regius miles hinc inde per Arausionem agrum prædas agebat. Post multa hinc inde per vim patrata à
Miles. Rege Miletus ad Donam mittitur, qui proponebat: cum Rex opera per biennium continuata socrum, nurumque in concordiam reducere non potuerit, officii ipsum sui judicasse tutelam Principis pupilli suscipere, velut propinqua cognatione junctum, & cui supremum jus in principatum media Gallia situm competat. Tum & eidem prospiciendum, ne dissidium in vicinas provincias diffundatur, quod Dona Electori, & aviæ Principis nimium addictus agat. Cum igitur Rex ejusmodi conditiones offerat, per quas pupillo juxta ac Donæ consulatur, ac tota Europa Galliæ potentiam formidet, quæ & nunc Hispaniæ pacem pro lubitu dederit: ridiculum fore, si arx medio Regno sita per sedecim amplius menses Regiis jussis ulterius reluctari audeat.

Cum Dona ad tutorum mandata provocaret, 1661.
reponebat Miletus: duas duntaxat vias esse, arcem Regi sequestro tradere, aut vi expectata huic ansam præbere velut bello partam retinendi. Unde Dona spatium petebat ad certum hominem in Hollandiam mittendum; qui cum intra mensem non rediret, Rex Donæ denuntiabat, ut protinus articulos subscribat, quibus Principi ac ipsi cautum sit, acceptis ob erogata in castellum CCM libris. Cum is adhuc tergiversaretur, Gallicæ copiæ ex utroque latere propius Arausionem admovebantur, maxima intus consternatione, dum cives vitæ ac bonis, Gallici milites jugulo metuunt; extraneus quoque miles invita Principe matre arma ferre abnuit. Tandem veniebat ab avia mandatum sensu ambiguo: neminem Comiti vitio daturum, si majori vi cedat: castellum tamen tueretur, quamdiu probabilis spes ejus servandæ superfit. Tandem cum Galliæ Rex Avenionem processisset, cives Arausione concursare, atque obsecrare, ne bona sua direptioni, corpora injuriis militum exponantur. Gallicus quoque miles arma metu patibuli deponere. Unde necessitas pa- 1660.
ctum amplecti imperabat, quo restitutio di- 20. Mart.
tionis promittebatur, quando Princeps plenam ætatem attigisset; eo defuncto istam Electrici Brandenburgicæ, ejusve hæredibus reddendam: interim Principi supremum imperium in hanc ditionem, Reformatis sua sacra salva fore. Inde circa diruenda castelli munimenta festinabatur, antequam recens restitutus Angliæ Rex sese interponere posset. Mittebat dehinc Avia Ottonem Copesium in Galliam, Copes.
qui de hoc facto quereretur, quod ipsa injustitiæ & violentiæ arguebat. Cui Mazarinus respondit: *id bono ipsius pupilli factum, qui quotannis impensa L M florenorum liberetur. Donam suspectum se reddidisse conspirationis cum Reformatis circumcirca habitantibus, ducta quoque in uxorem filia Mombrunii, potentis in ea factione viri.* Mom-
Castellum id firmatum absque Regis consensu, qui ne brun.
in Avenionensi quidem ditione munitionem permittere velit, & solido ausu, cum intra centum milliaria locus non extet, unde ei auxilium ferri possit. Et cum reliqui Hugenotti sub jugum missi sint, intolerabile esse Regi triumphatori, solum Arausionense castellum superesse, quod cornua ipsi obvertat. Super ejus ditionis restitutione post Elector per literas, ac misso legato Blumenthalio instabat. Cui Rex respondebat: eam redditum iri hac lege, ut ibi Catholicus Gubernator constituatur: isto regerente; non opus esse hac conditione, quod Princeps omnes cives nullo sacrorum discrimine pari conditione haberi jusserit, qui & inter se fraterna concordia egerint. Elector tamen demum id temperamentum admissurus erat, si Principatus statim restituatur. Alias enim cum Princeps ex ea ditione nihil lucretur præter honorem supremi & independentis imperii, ejus splendori non parum decessurum erat, si penes alium foret Gubernatorem constituere; destructa inprimis à Gallis monetaria quoque officina. Cum inde Rex legato Anglico Hollisio id negotium Hollis.

urgenti

urgenti respondisset, sibi incumbere, ut religionis Catholicæ curam gerat; hic reposuit; *veram religionem dictitare, ut suum cuique tribuatur; & in hoc ipso honorem Regis verti, non ut se obfirmare velit ad ter negandum, quod bis male fecerit.* Demum cum nihil proficeretur, id temperamentum proponebatur, ut Rex Arausionem sine conditione restitueret: cui vicissim tutores secreto sint cauturi, se sponte Catholicum gubernatorem ei præfecturos. Quæ conditio Electori, & Hollisio quoque probabatur.

Legatio Electoris in Angliam.

§. 22. Id negotium Arausionense inter alias in causa erat, ut Elector solennem legationem in Angliam mitteret, quam Joannes Mauritius Nassovius Princeps, & Daniel Weimannus obibant. Belgis quantumvis ægre id ferentibus. Illi hisce mandatis instruebantur.

Ejus mandata 1. Febr.

Circa cerimonias nulli Rerumpublicarum cederent. Præcipuum negotium sit tutelam Arausionensem expedire, ut hæc deinceps optimo modo ad utilitatem pupilli Principis administrari queat; quæ jam tota post obitum Matris ad Electorem & Aviam sit devoluta, quam ab his continuari utique pupilli intersit. Nosse tamen velle, num quid Regi circa hanc monere placeat. Nam mater Principis, cum in Anglia obiret, testamento Regi fratri, Matrique viduæ tutelam filii Principis commendaverat. Id quod Belgis parum gratum erat, qui præcipue istum & hanc circa educationem Principis curam suscipere nolebant. Nam metus erat, ne Anglus regio omnia more fieri, & cum contradicentibus pro imperio agere vellet. Unde secuturum, ut vel in perpetuo dissidio agatur, vel concedendum sit, ut Princeps Anglicis & Regiis moribus imbuatur, Belgarum animos alienaturis, qui abruptum imperii rigorem tolerare nequeant, sed pro congenita sibi lenitate regi velint. Unde Belgæ educationem Principis sibi solis deposcebant, Electore & Avia exclusis; cum his parum tutum videretur, pupillum unice in istorum hominum manus tradere, utut Mater in Angliam trajiciens certos homines è Belgicorum Procerum numero isti curæ obeundæ denominasset. Cæterum Matrem non potuisse dimidiam tutelæ partem sibi ex pacto competentem per testamentum in alium conferre. Saltem Regem Angliæ nil amplius postulare posse, quam ut tutor honorarius habeatur, præsertim cum omnia pupilli bona à patre provenerint. Ac inprimis Belgarum suspicio declinanda erat, quorum benevolentiam captare necessarium habebatur Principi in majorum munia reponendo. Inprimis Belgas haut laturos ab extraneo Principe in ipsorum civitatibus magistratus constitui, aut eorum confirmationem ex Anglia peti: præsertim dubio adhuc Regis jure, & Angli potestate in ea Republica valde formidata. Sane Zelandi uti ægre ferebant, solos Hollandos sibi educationem Principis asserere, ita expresse testabantur nolle se super Magistratibus in urbibus suis, ubi id alias Arausionensi jus erat, in Anglia decerni. Unde periculum erat, ne per dissidium inter tutores urbes Zelandiæ id jus penitus Arausionensi Domui subtraherent. Dehinc legatis agendum super fœdere, cujus fundamentum sint communes utriusque rationes circa sacra, & Rempublicam. *Electorem quippe præcipuum esse fulcrum sacrorum reformatorum in Germania. Ejusdem esse Borussiam, nobilem provinciam Mari Baltico adsitam, cui Svecia tamdiu inhiaverit. Ejusdem quoque ditiones Belgas tangere, quibuscum Angliæ varia negotia intercedant. Jam autem Angliæ quoque interesse, Mari Baltico & Septentrionali adsitos Status in æquilibrio teneri, ne si uni reliquos opprimere permittatur, potentia exsurgat non terra solum, sed & mari, quo Anglia semper prævaluerit, formidabilis: ac ad nuperum ejus rei tentamen cum omnes alios, tum & Angliam scævo quantumvis sub regimine animum advertisse. Unde huic pariter intolerabile visum, Daniam & Electorem opprimi, quam Belgarum potentiam sociis suis prægravem fieri. Salva Borussia Mare Balticum velut commerciorum matrem quorumvis usui, liberum fore. Florente Brandenburgica Domo Protestantibus concordiam persistituram, nec malevolos quid ausuros. Quin cum Elector arctissimo fœdere Austriacis junctus sit, hos quoque citra invidiam & velut aliud agendo in partibus retineri. Ast Borussia, & Electore Brandenburgico collapso omnia in præsens periculum ruitura. Imprimis Daniam esse egregium vinculum ipsis invicem connectendis, quæ per mutuam amicitiam, vires maritimas, & situs opportunitatem Angliam & Electorem velut nativo nexu jungat ad efficacissimum invicem auxilium præstandum. Uti autem inter Angliam & Daniam tractatus jam agitentur; ita hujus & Electoris rationes ita sibi mutuo conspirare, ut unus alterius opem ad sui conservationem poscat. Quæ Electori vires sint, luculento specimine demonstratum, qui & semper arma in promtu habere decreverit. Hunc suis rationibus adjungere Regi gloriosum, tanquam defensori fidei, ac publicæ pacis statori. Idque fieri posse salva cum Hispanis & Gallis amicitia, qui inter ipsos fœdus jungi nec miraturi, nec ægre laturi sint.* Iisdem secreto injunctum, si inclinationem Regis explorarint, huic in uxorem proponere Mariam Arausionensem, iisdem sacris, Domo genitam de Anglia optime merita, & quæ nil litium in mariti penates illatura sit.

§. 23. Isti cum in Angliam adpulissent, Christophorum Brandium Londini super cerimoniis convenire jubebant. Huic Angli demonstrabant, legatorum in Anglia duplicem esse receptionem; unam fieri cymbis Gravesandæ aut Grenvici; alteram curru Regio apud Turrim Londinensem. Circa posteriorem nullum inter legatos Regum, Principum, atque Rerumpublicarum discrimen adhiberi. Sed circa priorem id observari, ut Principum & Rerumpublicarum legati per solum officiorum magistrum excipiantur, & cymbis Regiis Londinum deducantur; Regios autem magnatum quispiam in cymbis comitetur. Ut autem Elector præ aliis Principibus & Rebuspublicis eximio honore afficeretur, Angli offerebant, ejus legatos Gravesandæ exceptum iri à magistro officiorum, adjunctis duobus Nobili-

Super cerimoniis disceptatio.

1661. Nobilibus, quorum unus tribunus militum fit. Apud Turrim Londinensem currum Regium præsto fore cum magnate quopiam, compluribus Nobilibus stipato: tum eosdem in domo triduanis epulis destinata ab alio magnate Regis nomine salutatum iri. Ad quæ cum Brandius exciperet: notabile nimis discrimen hoc modo inter Regios & Electorales legatos constitui, cum istis magnatum quispiam Grenvicum usque obviam mittatur, Angli reponebant; si isthoc discrimen inter Regios & Electorales tollatur, Regios ulterius processuros, ac postulaturos, ut Gravesandæ à magnate excipiantur. Quanquam autem Brandius regereret; Electorales Regiis æquiparari, nisi quod in sedendo atque incedendo illi hisce cedant; ac in cerimoniis amicitiam quoque, fœdus, & propinquam cognationem respici solere; Angli tamen oblatis firmiter inhærebant; Veneto non plus honoris offerri, ac Danico nuper legato non longius obviam processum. Cum Brandius objiceret; Belgarum utique legatos Grenvici à Richardo Ormondiæ Marchione exceptos; Angli excusabant, id per juvenilem imperitiam admissum; & quod Grenvici præter debitum istis exhibitum, id Londini detractum, omissa salutatione in domo epulis destinata. Ac sibi alias perpetuo cum Regiis & aliarum Rerumpublicarum legatis litigandum fore. Quæ cum nostris non satisfacerent, id temperamenti proponebant; ut aliquis è Magnatibus Nassovio Principi notus velut suo nomine Grenvicum usque obviam veniat. Sed & isthoc Angli rejiciebant, ac afferebat magister officiorum testimonium actis excerptum, quod Ormondiæ Marchio per errorem, & præter mandatum, ac stabilitum in Anglia usum Belgarum legatis Grenvicum usque obviam processerit. Qui & confirmabat; *Si quid minus honoris nostris, quam Regiis exhibeatur, longe splendidius tamen quid, quam Rerumpublicarum legatis tribuendum.*

11. Mart. Ita cum ulterius in cassum litigare haut placeret, à magistro officiorum, tribuno militum ac Nobili comitante, cymbis Regiis Gravesanda ad Turrim Londinensem deducuntur.

Bellasis. Ibi Bellasius Comes, & Vice-Præfectus Turris viginti curribus prosequentibus, inter quos & Hispani, ac Belgarum legatorum currus erant, inter LXX. machinarum fulgura excepit. Inde per urbem inter maximum populi concursum Westmonasterium in domum legatis solennem deductos alius è magnatibus nomine Regis salutavit; quo & ex Regia vestis stragula, quam Reginæ Mariæ vocant, allata erat, in qua Nassovius somnum capiebat; quod non nisi Regiis legatis fieri solet. Post per triduum Regiis epulis laute habiti à Jarneto Comite multis Nobilibus stipato ad Regem deducti sunt. Ad ingressum palatii custodes corporis catervatim adstabant. Ad portam palatii eos excepit præfectus aulæ; in conclavi, ubi consilium haberi solet, inferior cubicularius; in scalis, queis ad spatiosum conclave legatis audiendis destinatum adscenditur, Norvicensis Comes; ad ejusdem denique conclavis januam magnus cubicularius. 1661. Legatis conclave ingressis Rex ad secundam inclinationem surgebat, ad tertiam gradum propius movebat; ad quem legati in elatiorem, quo iste assederat, locum progressi sub eodem uranisco cum ipso consistebant. Nassovio verba faciente Rex ut legati caput tegerent jussit, quod & uterque fecit. Cum loquendo aliquantum processisset; ad Electoris nomen caput aperiebat quod & Rex faciebat. Sed cum Rex gestu ostendisset, pileum se capiti iterum impositurum, ac legatos id protinus non facere animadverteret, tam iste quam hi ad finem usque sermonis nudato capite mansere. Ita circa cerimonias plus honoris nostris fuit exhibitum, quam Belgarum, aut Italorum Principum legatis solet. Nam his nec vicarius Turris obviam venerat, nec machinæ tanto numero displosæ fuerant, nec magnatum quispiam istis salutandis in domum epulis destnatam venerat, nec Rex, dum eos audit, caput texerat, unde & iisdem nudo capite verba facienda fuerant. Quæ alias ista legatione circa cerimonias obtigerunt, annotasse dividiæ non erit. Cum Rex Equites Balnei crearet, Nassovius proxime juxta legatum Hispanicum collocabatur supra Belgicos, his non contradicentibus: in templo uterque præ his priorem locum tuebantur. Ingressu Salviati Florentini legati nostri currum obviam mittere omiserant, quod rixam cum Belgis committendam prospicerent; in qua si victi fuissent insuper irrisui futuri erant; si vicissent Bevvervvertius legatorum princeps, alias Electori & Arausionensi infestus magnum tumultum eo nomine excitaturus fuerat. Bevvervvert. Ac constabat Belgas magnum armatorum numerum circa currum suum disposuisse. Id quod Electori displicebat; qui jussit, ut deinceps honoratiorem adversus hosce locum vel per vim tuerentur. Quin ne id quidem temperamentum circa Belgas admittere volebat, ut neutri currus venientibus recens legatis obviam mitterent. Unde cum actu 3. Maij. coronationis Rex proponeret, ut utrique velut privati in æde sacra comparerent, nostri id repudiabant, ac ad extrema rem deduci malebant. Simul favore magistri officiorum prius in sacellum accesserunt loco suo occupato. Unde Belgæ, utut antea ferociter se jactassent, spectaculo abstinebant, plerisque cum irrisu cavillantibus; noluisse eos Episcopi Wincestriensis sermonem audire, qui monarchicũ regimen populari præstare pro concione demonstraverat. Cæterum nostri de adventu suo à Czare misso haut significabant, quod is pro ministro publico non agnosceretur; nec Lusitano, quod ejus Regis legatus Hagæ nullum unquam humanitatis officium nostris exhibuisset, ac ne forte Austriaci & Hispani offenderentur, si cum isto amicitiam colerent. Sed quia Cancellarius illis significabat, Regi gratum fore, si Lusitano eadem quæ aliis officia humanitatis exhiberent; simul Lusitanus dixerat, se causam omissi officii excogitare non posse, cum Regi suo nil hostilitatis cum Electore intercedat, neq; hic cum Gallia amicitiam abruperit, cum Austriaco fœderi accede-

1661. accederet: cum isto solita officia obire placebat; præsertim cum Elector id diserte non prohibuisset, ac ut medios sese gererent jussisset. Denique attulerant legati literas fiduciarias ad Eboracensem Ducem, queis hic titulo Celsitudinis Regiæ mactabatur, sed quas exhibere prius nolebant, quam ab hoc titulus Celsitudinis Electoralis redderetur. Ad quod à Anglis repositum; Ducem facturum, quod Delphinus faciat: id quod nostri quale foret ignorabant. Et quia filia Regia Arausionensis conjux itidem Electori titulum Celsitudinis dare noluerat, ac inter istos duntaxat vocabula *Domini*, ac *Dominæ* adhibita fuerant, satius nostris visum eas literas supprimere.

Acta legatorum super tutela Arausionensi. §. 24. Cæterum legati omnia in Electorem prona apud Anglos reperiebant, quibus initio mirum videbatur ab Electore Principem legatum mitti. Sed mox intelligebant, quantum instar in Electore Brandenburgico sit, & quanti momenti rationes cum aliis eidem intercedant: cum alias pauci in Anglia dentur, quibus rerum externarum solida notitia sit. Toto quoque Regno percrebuerat, ab Electore Regi in exilio agenti insignia beneficia fuisse exhibita. Porro circa tutelam Principis Arausionensis facile conveniebat, ut ea penes Regem, Electorem, & Aviam esset, ut tamen penes hanc utriusque simul nomine administratio gereretur, quæ & omnia nomine Principis subscriberet; utque penes illam solam jus foret magistratus constituendi in urbibus, ubi id jus Arausionensi est. Nam ut ista magistratuum nominatio per se fieret, Rex haut congruere facile agnoscebat. Aviæ tamen grave non fore, ubi periculum in mora non sit, majoris momenti negotia cum Rege & Electore communicare. Simul Ordines Hollandiæ & reliquarum provinciarum rogandi erant, ut quosdam suorum designent, quorum consilium circa negotia Principis exquiri posset. Cæterum Regi admodum displicebat, Hollandorum delegatos pro lubitu circa educationem Principis disponere velle; præsertim cum inter istos præcipuus esset Joannes Wittius, qui cum sua factione neque Principem, neque Regem, neque Electorem amabat, ac idem ipse, sociique apud Cromvvellum institerant, ut novissimà cum Anglis pace Arausionensis à muneribus majorum suorum apud Belgas in perpetuum secluderetur. Cujus seclusionis instrumentum cum Belgæ tunc sibi redhiberi optarent. Rex regesserat; id velut documentum infamiæ ipsorum asservatum iri, quoad Arausionensem in majorum suorum munia reposuerint.

Super cogitato matrimonio conatus irritus. §. 25. Ast quæ super maritanda cum Rege Angliæ Maria Arausionensi cogitata fuerant, incassum cadebant. Sane Angli tunc circa connubium Regis valde soliciti erant, ac uti solet super conditionibus à variis varie disserebatur. Reginam Sveciæ per leges ejus Regni nimium constringi. Daniæ Regis filiam nondum plena ætate, nec satis dotatam. Lusitanam Anglis, ac præcipue Presbyterianis suspectam, sed magis Hispanicam; ac in universum populus Anglicanus Reginam Protestantium sacris addictam optabat. Saxoniæ Electoris filiam nimis remotam. Tremolliam ætate provectiorem, nec sat autoritatis habere. Dotem cum Mancinia Mazarini nepte non satis certam. Cæterum clam inter Regem; ejusque matrem, & legatum Hispanicum Battevillium convenerat de Parmensi Principe in matrimonium adsciscenda, ad quam adducendam Bristoliæ Comes jam in viam se dederat. Sed Cancellarius Heidius, aliique ministri Regis eo intellecto erectis manibus huic supplicando pervicerunt, ut is legatus ex itinere revocaretur. Idemque Heidius valde pro Lusitana nitebatur, acriter contra luctante legato Hispanico, qui ad disturbandum matrimonium Lusitanicum missus erat. Qui & ipse Mariam Arausionensem proponebat, quam Hispaniæ Rex adoptaturus, & tanquam Hispaniæ *Infantem* dotaturus sit. Sed semper addebatur conditio, ut Dunquerca & Jamaica restitueretur; sin minus, bellum minatus; cum Angliæ Rex indecorum duceret ad nuptias cogi. Ac differebat iste, Dunquercam Angliæ nulli usui esse; Rege reponente, se metuere, ut Parlamentum & populus in ea sententia sit. Saltem eam huc inservire, ut semper ibi IV M exercitatorum militum sine suspicione ali queant, promto usui, si quid metuum heic aut alibi emergat. Fuerat ab initio Hispano injunctum, ut si Rex Arausionensem nollet, Danicam, aut Saxonicam commendaret. Sed is querebatur, à sorore Regis vidua Arausionensi aliquid cum Daniæ Rege super connubio filiæ per ipsum actum fuisse; sed eandem post pro Mancinia Mazarini nepte laborasse. Enimvero prævalebat apud Regem Catharina Joannis IV. Lusitaniæ Regis filia, persuasionibus Cancellarii Heidii, ac lautis conditionibus, quas Lusitani offerebant, commendata. Quo propalato Legatus Hispanicus abrupte se discessurum simulabat non sine minis belli. Sed cui nostri svadebant, ut maneret quantum daretur, quod Hispaniæ quam maxime intersit cum Anglia in apertum bellum non erumpere, ac si quid offensæ intervenerit, semper viam ad reconciliationem sibi reservare. Saltem apud Parlamentum & Presbyterianos veterem benevolentiam retinendam. Ex quo secuturum sit, ut, si Angliæ Rex ultro ipsum discedere jubeat, ab hoc non solum offensæ initium proficiscatur, sed & totius orbis judicio, ac inprimis populi sui id factum improbetur. Ast si legatus maneat, auxilium Lusitaniæ alias submittendum vel plane omissum iri, vel tardius atque languidius processurum, ac tempus fortasse alia remedia suggesturum. Sane Hispanos neque Angliæ Regi, nec Lusitano gratius quid præstare posse, quam si ipsi priores in arma erumpant, aut aliquid faciant, quod hostilia spiret; cum hoc modo Regi prætextum nascatur Parlamentum pecuniam poscendi. Ac satis documentorum Hispaniam cepisse, quid ab Anglia metuendum sibi sit. Sic olim Philippum II. longe melius facturum fuisse, si non protinus

protinus Elisabethæ ob submissa Belgis auxilia bellum fecisset, ac eo ipso Anglis necessitatem attulisset in gratiam Reginæ & Belgarum sanguinem & opes impendendi, & quod alias per languida & lenta consilia facturi erant, omnibus viribus velut propriam causam amplectendi. Sane Electori optandum, amicitiam inter Hispanos & Anglos consistere, & istos proverbii sui memores esse; *cum toto orbe bellum, sed cum Anglia pax.* Ad quæ Hispanus: decisionem hujus negotii penes Anglos esse, ac se visurum, quid hi facturi sint. Sane cupiebat Rex istum abrupte ex Anglia facessere. Etsi paulo post discessum nostrorum legatorum occasio nascebatur, ob quam iste revocaretur, quod ingressu Legati Svecici Nicolai Brahæi Comitis, Hispani Gallicum currum Stradæ Marchionis legati non sine cæde repulissent, ac vi priorem sibi præ hoc locum vindicassent. Super quo facto præsente Rege quæstio in aula ventilabatur; quonam facto legatus quispiam maximam gloriam parare queat? ad quam ea decisio cum aulicorum adplausu excipiebatur: *si quid faciat, quod ipsius Princeps palam damnet, secreto probet.* Alias Angliæ Rex istum Batevillium egregium virum judicabat, sed militiæ quam legationi aptiorem. Cæterum quia Rex antea dixerat, se ne pretio quidem imperii in totum orbem deformi fœminæ dignationem Reginæ conciliaturum, idem legatus in deformitatem Lusitanicæ multa cavillatus fuerat, inter alia dentes apro certantes tribuens. Unde Rex Nobilem quempiam Ulyssiponem miserat, ad inspiciendam virginis formam. Quem reversum cum Rex interrogaret, num pictura ad verum expressa foret; iste responderat; picturam longe infra decus viventis esse. Et tamen à Rege digressus dicebat; *sat formosam esse, si Rex eam amet.* Et Cancellarius cum Parlamento ejus formam commendaret, addiderat; quantum ex aliorum relatione & transmissa pictura citra personæ inspectionem sciri potest. Cui haut eo secius post Rex Pleimutha, quo ad eam excipiendam profectus erat, scribebat: sibi omnia, quæ in ipsa sint, affatim satisfacere. Porro Rex ideo tantopere matrimonium festinasse credebatur, quod metus erat, ne futurum mox Parlamentum utique Evangelicam sponsam commendaret. Unde & cum is prima hujus sessione de connubio cum Lusitana significasset, nulla per urbem, uti assolet, lætitiæ signa edebantur.

§. 26. Id matrimonium nostris quoque scrupulum injiciebat, num per id Electoris destinata circa fœdus cum Anglo intercidissent; quod metus esset, ne inter Angliam & Hispaniam, cui ipse ob fœdus cum Cæsare conjunctus erat, res in bellum erumperet. Equidem Angli disserebant; non esse sibi in animo pacem cum Hispanis dissolvere, nec per Reginam Lusitanicam belli sibi necessitatem cum Hispanis imponi. Hispani contra jactabant: id utique consecuturum, quod Angli sine dubio insignes sibi ditiones stipulati sint, adversus Hispanos per arma asserendas, cum Lusitanis easdem velut alienas in alios transferendi jus non fuerit. Quin Anglum data opera eo connubio externum sibi bellum desponsasse, ut Regnum sentina turbidorum hominum expurget, ejusque fines proferat, stabilita domi securitate. 1661.
Quia tamen bellum nondum liquidum erat, ac si nostri jam circa fœdus hæsitarent, credi posset, ipsos tantum matrimonii cum Arausionensi virgine causa venisse, quo irrito gravem eosdem offensam concepisse, irreconciliabilis diffidentiæ fomitem; fœdus utique perficere svadebat, quod & in futurum, & in præsens, utcunque res cadat, utile esse possit. Nam si in bello fortuna Anglis faveat, Electori nil periculi esse; sin minus, brevi pacem instauratum iri, simul Austriacam amicitiam eidem præsidio fore. Pace autem constante Anglorum amicitiam semper proficuam, velut queis potentias maritimas librare cordi sit. Nostrum quoque fœdus meram defensionem spectare, ut Electori necessum non sit in partem Hispanici belli venire. Svecos quoque hoc modo fœdere Anglicano posse excludi, saltem ut Electorem autoritate prævalituri non sint; cui in Anglia amor Regis, populique communia sacra, & Arausionenses rationes faveant. Quin Belgarum amicitiam posse amitti, ni ea cum Anglis firmetur. Nam novissimis annis adparuisse, quam parum Belgis innitendum sit, si Anglia in diversum abeat: ac inter Belgas dictum frequentari; *si vel Diabolus in Anglia regnet, ejus sibi amicitiam utique quærendam.* Unde nullo modo Angli protelandi videbantur, quorum amicitia cum Electore magis generoso & benevolo Regis animo in hunc & Arausionensem, quam insigni emolumento superstruebatur. Nam Angliam Electoris ope carere, simul huic Svecos Belgasque immittere posse. Enimvero circa id fœdus ab Anglis nil difficultatis movebatur; cujus fundamentum erat, ut Rex Angliæ caput se Protestantium ferre dissidiis ipsorum circa opiniones componendis operam navare; Electorem cum Neoburgico conciliare, & Westphalicum Circulum Belgis terra junctum sibi adjungere posset, ut tamen cum alterutro æmulorum Regum haut necessum foret in partes descendere. Ac facile agnoscebant Angli, quantum ipsorum intersit Statum Electoris tam ad mare Balticum, quam in Clivia conservari; tum Sveciam non plus adquirere, quam in præsens possideat; ac ut Circulo Westphalico concordia constet, ne Belgæ ea parte pomœria proferant. Nec obscurum erat, quo Anglorum quæstio tenderet; an non Electori animus sit urbes suas Clivicas Belgarum præsidiis liberare? Ad quæ nostri: non esse Electori adeo graves causas eo nomine laborandi. Sed si is oppida milite evacuari postulet, parum profecturum, ni Angli mari pondus addant. Nescire se tamen, quid futurum tempus vecturum sit. Ante omnia autem Angliæ Rex inter Electorem & Neoburgicum litem componendam svadebat, enervi alias circulo Westphalico, quem Austriaci ac Galli semper in diversas partes tracturi sint, servitio exterorum obnoxium, nulla autoritate. Ac non ita pridem Monasteriensem præsulem idem sibi in votis esse demonstrasse, ac ut præcipui

1661. pui ejus Principes fœdere cum Anglia innectantur. Cæterum Sveci, qui & ipsi tunc circa fœdus feriendum in Anglia satagebant, dum fœdus cum Electore disturbare clam satagunt, frustra erant. Et Cancellarius Heidius ostendebat; *modum agendi Svecis amatum sibi haut incognitum, eoque tractatus cum hisce haut præcipitandos. Cum enim Angli grande emolumentum commerciis suæ nationis quærant, in Svecorum viribus non esse istud præstare. Ac Regem alias istam nationem parum amare, ac fœdere cum istis omnia sibi cum aliis inita fœdera excipere.* Ita fœdus inter Angliam & Electorem tunc ita promte conclusum, ut reliqui legati non parum inviderent, quibus istius aulæ lentor ferè magno cum tædio superandus est. Non

26. Jul. solum autem præsentes legatos eximio honore habuerat Rex, sed & discedentes celoce sua in Thamesi lauto epulo accipiebat; cujus hilaritatem non parum augebat Florentinus quidam Nobilis, qui exquisito suo gustui celebrando, asseverabat, se in salmone, qui tunc recens in flumine captus, ac in mensa adpositus erat, gustu deprehensurum, è mari mediterraneo, an ex Oceano Septentrionali is in Thamesin penetraverit.

Fœdus Electoris cum Rege Angliæ.

§. 27. Fœdus porro quod tunc inter Magnæ Britanniæ Regem Carolum II. & Electorem inibatur, tale erat. *Quandoquidem ab omni fere tempore Domus Regia Magnæ Britanniæ Domum Electoralem Brandenburgicam tum ob mutua consanguinitatis vincula, tum quoque ob non obscuras communis ac publicæ utilitatis rationes singulari benevolentia, affectu, ac amicitia complexa ac prosecuta fuerit, adeoque Sereniss. ac Potentiss. Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Wilhelmus Dei gratia Marchio Brandenburgensis S. Rom. Imperii Archi-Camerarius & Princeps Elector &c. rebus Britannicis nunc ita gloriose restitutis, quam pro nuper nimium turbatis, tum demum votis suis satisfactum crederet, si post utrimque exhibita veræ ac constantis amicitiæ specimina, Domus hæ sibi nova, arctiori & felici confœderatione publice conjungerentur: Quo Serenissimus ac Potentiss. Princeps ac Dominus, Dominus, Carolus II. D. G. Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. in eadem vota pronus speciali mandato constituit ac nominavit ter honorabiles ac prænobiles Viros &c. Consiliarios suos intimos, Dn. Arthurum Anglesejæ Comitem, Denzilem Baronem Hollis, Antonium Baronem Ashley, Georgium Carteret Equitem, & familiæ Regiæ Vice-Camerarium, Eduardum Nicolas, & Guilielmum Morvice, Equites Auratos & primarios suos Secretarios speciales suos delegatos, Commissarios ac Plenipotentiarios, qui pro stabilienda, renovanda & firmanda arctiori confœderatione, ac inviolabili amicitia inter S. Reg. Maj. & Sereniss. Electorem, eorumque successores & heredes cum Reverendiss. ac Illustriss. Dn. Joanne Mauritio, Principe Nassoviæ, Comite Cattimeliboci, Viandæ ac Diciæ, Ordinis Equestris S. Joannis per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam Magistro, Domino in Beilstein, Serenitatis Suæ Electoralis in Ducatu Clivensi, Principatu Mindensi & Comitatibus Marcano & Ravensbergensi Gubernatore: nec non* Nobiliss. *& Ampliss. Viro Dn. Daniele de Weiman Cancellario Clivensi & Marchiensi, Suæ Seren. Electoralis Consiliariis intimis & Legatis convenirent, transigerent, & concluderent, prout illud utrinque & consultum, & partium intentioni consentaneum censuerint. Adeoque quod prædicti Plenipotentiarii, Commissarii & Legati, habitis ultro citroque congressibus & colloquiis tandem in sequentes conditiones consenserunt & convenerunt. I. Erit inter Regem Magnæ Britanniæ, & Electorem Brandenburgicum, eorumque heredes & Successores, Regna, Ducatus, & Marchionatus, Principatus, Provincias ac Ditiones, eorumque subditos, undiquaque per mare & terras perpetua, firma, fida & sincera amicitia & confœderatio. II. Promovebunt alter alterius commoda, prout & damna (quantum in ipsis est) facto & consilio avertent. III. Sua Majestas & veteris amicitiæ memor, & non ignara, quanti intersit causæ Evangelicæ, Angliæ, ac omnium Maris Baltici accolarum Suam Serenitatem, Domumque Electoralem in Borussia, Pomerania, & Marchia conservari, promittit ac declarat, si quispiam ullo tempore præsumat Suam Serenitatem, ejusve heredes vel successores in ditionibus illis hostiliter aggredi vel turbare, se eo navium bellicarum ac auxiliarium numero suppetias ituram, qualem necessitas ac rerum Electoralium status postulabunt; adeoque & legationibus & auxiliis eo acturam, ne a quopiam impune infestetur, multo minus ditionibus suis supradictis, earumque parte deturbetur. IV. Similiter Sua Majestas omni ope, auxilio & opera juvabit Electorem, ut Sua Serenitas ejusve Heredes contra quoscunque manuteneantur in Ducatibus Cliviæ, Juliæ, ac Montium una cum Comitatu Marchiensi & Ravensbergensi, præcipue vero in illis, quorum possessionem Sua Serenitas jamdudum est adepta, vel in posterum adhuc per se vel per heredes suos legitime adipisci ac obtinere possit. V. Præ cæteris ea defensio locum habebit, si Sua Serenitas ejusve subditi ob causam religionis à quopiam molestentur, ejusve liberum exercitium in ditionibus Juliacis, Clivicis, Montensibus & annexis interturbaretur. VI. E contra Sereniss. Elector spondet, ac promittit, si quispiam ullo unquam tempore præsumat Suam Maj. ejusve successores vel heredes eorumve subditos in Regno ac ditionibus suis Britannicis, mari Septentrionali, ac Balthico hostiliter aggredi vel turbare, se pro viribus suis innixurum, ac cooperaturum, ut Sua Maj. ejusve heredes vel successores, eorumque subditi in locis prædictis ab omni injusta vi defendantur ac liberentur. VII. Inimicos ac rebelles neutra partium in Regnis vel ditionibus suis recipiet, quin potius omni studio expellet, vel captivos parti læsæ remittet. VIII. Utriusque subditis liberum erit absque omni impedimento alterius Regna, Provincias, Emporia, portus & flumina adire, ibique versari ac negociari, salvis tamen cujuscunque loci legibus, juribus, privilegiis, & consvetudinibus. IX. Navibus quoque libera undiquaque statio conceditur, sive vi tempestatum eo adactæ, sive commerciorum ob causam appulerunt. X. Idem liber aditus patebit navibus bellicis, sive illæ publicæ fuerint, sive eorum, qui specialia diplomata obtinuerint, sive vi tempestatis, adeoque ad maris periculum evitandum, sive alia quoque necessitate compulsæ fuerint ad portum quæren-* 1661.

quærendum. XI. Cautum tamen est utrinque, quod dictæ naves bellicæ portum non intrabunt, nisi cum modico numero & prævia notificatione: si tamen vi tempestatis cogantur intrare, antequam notificatio fieri possit, citra aut ultra consensum Domini aut ejus, quem Dominus custodiæ portus præfecit, inibi non morabuntur. XII. Si quispiam in alterius litore naufragium faciet, fractam vel quassam navem cum mercibus (salvo tamen cujusque loci singulari jure) vindicare poterit, incolæ quoque loci debite rogati juvabunt eripere naufragio, quod servari posse censebitur, prout naufragus laborem æqua mercede pensabit. XIII. De injuriis damnove, quæ subditi utrinque alteri inferre possint, vel de quocunque jure, quo sibi invicem tenebuntur, in loco delicti vel contractus judicium esto. Curabunt vero uterque Rex & Elector, ut partibus quam celerrime justitia administretur. XIV. Hinc nec repressaliæ nec arresta locum habebunt, nisi ex capite palam protractæ vel denegatæ justitiæ. XV. Vectigalia, Tributa, Portoria, aliave jura solventur à subditis utrinque, quamvis tamen nec plura, nec graviora, quam Dani, aut Gens Belgii Fœderati pendunt. XVI. Ita quoque subditi Electoris iisdem gaudebunt privilegiis & immunitatibus, quibus Dani, aut Fœderati Belgæ gaudent aut gaudebunt in Regnis Suæ Majestatis, sicuti & subditi Suæ Majestatis eisdem gaudebunt libertatibus, ac juribus in provinciis & ditionibus Suæ Ser. Electoralis, quibus Belgæ, aliusve quispiam populus externus gaudet ac gaudere possit. XVII. Utrique tamen confœderatorum salva ac integra manebit potestas de vectigalibus ac portoriis suis disponendi, prout ipsi pro ratione status sui visum fuerit, modo memorata æqualitas ubique servetur. XVIII. Utraque partium permittet alteri in alterius regnis vel dominiis militem conscribere, naves ac supellectilem bellicam coëmere, vel conducere; nisi forte pars illa, in cujus dominio illud petitur, ideo quod bello districta sit, ac milite & navibus ipsa indigeat, justum duxerit illud impedire, aut recusare. XIX. Si gens Danica aut Belgica pacta meliora ac magis proficua in posterum à Sua Majestate Angliæ obtinebit, subditi Electoris iisdem ex æquo gaudebunt; & vicissim, si Belgæ aut alia gens meliora ac magis proficua in posterum obtineret à Sua Seren. Electorali, subditi Regis iis utentur fruenturque eodem modo, ac si hoc in pacto specifice comprehensi essent. XX. Curabit S. Ser. Electoralis pro viribus suis, omnemque operam impendit, ut alii quoque Principes ac Status Imperii se huic fœderi jungant, sicuti S. Regia Majestas declarat, se tali eos amicitia complexuram, talesque cum ipsis conditiones inituram, ut eximie suum in eos, eorumque statum ac res propensissimum animum sibi quam perspectissimum reddere possint. XXI. Durabit hoc fœdus mutuum per annos decem continuos à die ratificationis hujus tractatus numerandos; licitumque erit partibus post vel circa illius temporis expirationem illud prorogare, extendere vel interpretari, prout utrinque visum fuerit, vel ratio rerum postulabit. XXII. Fœdus hoc mutuum, quatenus alias non nisi defensivum est, nullatenus derogabit pactis ac fœderibus, quibus alterutra partium aliis antea obstricta fuerit, sive Imperatori, sive aliis Regibus ac Statibus. XXIII. Quandoquidem antehac Curia sive Stapula ac sigillatio panni Anglicani Regiomonte Borussorum sedem fixam habuerit, translata postmodum Dantiscum: Sacra S. R. Majestas ob rationes satis graves ac moventes consensit, quod si mercatores Angli ibi commercium habentes consentient ac approbabunt, illa in posterum in talem locum transferatur, qualem Sua Ser Electoralis in Borussia sua Ducali nominabit, ac judicabit; dummodo huic societati liberum religionis Reformatæ exercitium publice & privatim permittatur. XXIV. Spondent, promittunt ac declarant S. Sereniss. Majestas, & S. Serenitas Electoralis, pro se, suis Hæredibus ac successoribus, se omnia illa capita, quæ in hoc tractatu continentur, in omnibus suis circulis & clausulis sincere ac bona fide observaturos, facturosque, ne ullo unquam tempore per eos ipsos, vel eorum subditos, vel quisquis demum ille fuerit, directe vel indirecte quid fiat vel agatur, quod in fraudem vel detrimentum eorum vergere ullatenus possit, omniaque ea & singula ut supra contenta ac conventa per literas patentes manu sua subscriptas, & magnis sigillis sigillatas ratihabebunt, & in forma valida & sufficienti conceptas & exaratas confirmabunt, eosque reciproce inter quatuor vel sex menses, à dato hujus numerandos tradent, vel tradere facient. In quorum fidem & testimonium tam nos Commissarii dicti Sereniss. Regis Britanniæ, quam Legati Extraordinarii Sereniss. Principis Electoris Brandenburgensis vi & potestate nostrarum respective Commissionum hunc tractatum manibus nostris subsignavimus, & sigillis nostris communivimus. Actum Westmonasterii die mensis Julii vicesimo, Anno 1661. His addebatur secretus articulus. *Supra omnia & singula, quæ pacta sunt & conclusa in tractatu inter Serenissimum & Potentissimum Principem Dominum Carolum II, Magnæ Britanniæ Regem &c. & Serenissimum Principem Dominum Fridericum Guilielmum Electorem Brandenburgensem, hoc secreto articulo amplius conclusum & concordatum est; Quod articulus IV. dicti tractatus non debeat extendi in præjudicium Ducis Neoburgensis, vel ad ullam controversiam inter suam Serenitatem & dictum Ducem. Quod si aliquæ differentiæ & lites inter eos exoriantur Sua R. Majestas promtissime ac lubentissime mediationem suam interponet ad eas componendas.* *Articulus Secretus.*

§. 28. Digressis legatis in Anglia remanebat Christophorus Brandius, ut observaret, nequid in Electoris fraudem strueret qui tunc expectabatur Legatus Svecicus Nicolaus Brahæus. Qui tamen haut magnum operæ pretium fecisse comperiebatur, gravi quoque in discessu offensa contracta, dum navi Svecica bellica navem Regiam in Thamesi prætervectus solennia salutationum demisso supremo velo omittit. De quo cum navarchus Anglicus Holmius displosa machina moneret, Brahæus secretarium legationis ad anglicam navem mittebat, qui ipsi persvaderet, diploma sibi à Rege esse, ne velum submittat, non expresso ab Angliæ an à Sveciæ Rege: eoque & duo castella Gravesandæ prætervectum non submisso velo. Ita iste ambiguo sermone illu- *Alia cum Anglia acta.* *Holmes.*

1661. illusus vim facere omisit; ac Svecica navis eo loco anchoras jecit: sequenti luce ad medium malum attractis velis cursum persecuta. Eo nomine navarchus Anglicus in custodiam datus parum aberat, quin neglectum Regni honorem capite lueret. Sane vulgo factum Brahæi improbabatur, vela in flumine Angliæ submittere abnuentis. Nam Christianum IV Daniæ Regem, quando integra cum classe Thamesin invectus erat ad invisendum Regem Jacobum I. navi Anglicæ viginti sex duntaxat machinarum signum honoris exhibuisse. Quod & Philippus II. tota cum classe fecerat, cum in Thamesi ad matrimonium cum Maria Regina consummandum adpelleret. Excusabant post Sveci id factum; sibi hautquidquam in animo esse Regis Angliæ supremum imperium in mare in dubium revocari, nec culpam penes legatum, sed internuntium & interpretem fuisse; vulgato artificio, ubi talia ausa secus ceciderint, minores ministros reos subdere. Quibus Rex respondebat: Se quidem haut expectare, Sveciam ausuram ullum ipsius jus solicitare: Brahæum se tamen non plane à culpa vacuum agnoscere, quod navarchum interposita legati fide illuserit; cujus fuerit etiam navarcho non monente nosse, sibi velum vel ad minimæ navis Regiæ conspectum demittendum.

1662. Sept. Sed cum sequenti anno paratus armorum in Svecia Electori nonnihil scrupuli injicerent, ne forte infesti quid in Borussiam Sveci meditarentur; Brandius explorare jubebatur, quid in eum eventum sibi ex Anglia expectandum foret? Cui Rex laxioribus verbis ubertim pollicitus respondebat: par esse ut Elector quid subsit exploret; Sveciæ ac Galliæ ne fidat, ac ipsius arma, quamdiu præsens Angliæ Status persistat, respiciat; ac inprimis Pillaviam probe custodiat, qua amissa Gedanum quoque periturum. Nam Claudium Tottium in Gallia disseruisse; *Electorem in Borussia invadendum, ubi ejus status sit debilissimus, siquidem istum in ordinem redigere placeat.* Etsi à Svecis nil metuendum sit, ni argento Gallico fulciantur; nec Galliam passuram ab istis alium præter Cæsarem invadi.

De Dunquercæ venditione. Circa idem tempus cum Angliæ Rex Gallo Dunquercam D. M. libris Sterlinensibus addiceret, Brandius testabatur, Electorem velut fidissimum Angliæ amicum eo facto non modico dolore perfundi, quod istud oppidum arcis instar habuerit adversus Galliam, Hispanos, Belgas, ipsamque Anglicanam nationem; ac Electorem in idem ob proprias, Regisque, & Arausionensis rationes non parum respexisse. Cui responsum: *Angliam ob situs opportunitatem, & magnos, tutosque portus exteris semper formidabilem fuisse etiam citra Dunquercam revera piratarum nidum, & justæ classis stationi ineptum. Regem pro CL. M. librarum Sterlinensium quotannis alendo hujus præsidio impensis senas naves bellicas extruere, & classem semper in ejusmodi statu servare posse, ut ei in proclivi futurum sit quatuor marium imperium tueri, & ubique amicorum & fœderatorum suorum commodis mari velificari. Sed & Regem aliquo modo obligatum fuisse vi fœderis inter Galliam & Cromvellum oppido cedere acceptis CCC. M. aureis præter impensas in munimenta & præsidium alendum factas.* Ad quæ tamen reponi poterat: Galliam tantum pecuniæ non fuisse erogaturam, ni maximi momenti duxisset è medio tollere suspicionem, è tam valido præsidio & oppido cis mare excitatam. Tingin, in quam Rex tantum pecuniæ profundat, Dunquercæ haut comparandam; nec in aliis rebus Regem credere ad Cromvelli promissa implenda se teneri. Enimvero genuinæ ejus facti rationes erant, quod vetus Anglicanæ nationis persvasio reviviscerет, Angliam velut separatum orbem considerandam, quæ cum in externarum controversiarum partem non veniat, opus quoque non habeat ad opportuna extra Angliam loca quid sumtuum impendere. Tum prava ærarii administratio Regem eo redegerat, ut citra istam pecuniæ summam necessitatibus suis consulere non posset, sic ut custodibus corporis, quibus stipendia aliquandiu male soluta fuerant, Dunquercano præsidio alias destinata assignanda forent. Denique per conjunctionem cum Lusitania, quam Heidius Cancellarius è privato in Hispaniam odio svaserat, Rex in eam conditionem redactus erat, ut ei necessum foret Galli benevolentiam captare, qui non tradita Dunquerca omnes tractatus rejiciebat. Istæ causæ etsi præcipue à Cancellario ejusque factione, cujus caput Eboracensis Dux erat, promanarent; ita dextre tamen is Regi Dunquercæ alienationem persvadere calluerat, ut hoc non improbante à Gallis X. M. librarum Sterlinensium in præmium navatæ operæ acciperet. Eodem tempore Meclenburgici novum portum Redevvischæ struere agitabant, cujus protectionem apud Anglos ambibant. Sed obsistebant Sveci, nec Angli ei se negotio miscere volebant, quod is locus Svecicis utrinque portubus cinctus esset. Venerant quoque tunc ab Hanseaticis missi in Angliam circa quos Elector Brandio injungebat; cum fœdus Hanseaticorum peculiarem Rempublicam non constituat, sed ob commercia duntaxat initum sit inter civitates, quarum omnes & singulæ superiorem agnoscant; illos non alio titulo, quam Dnn. Deputatorum aut missorum salutaret, tum ubiq; ac in propria domo superiorem locum caperet: alias quod absq; ipsius fraude fieri possit, omnia officia offerret.

Guarantia tractatus Olivensis. Ast præcipuum Brandio negotium erat evictionem Regis Angliæ circa tractatum Olivensem obtinere: quæ sat difficulter procedebat clam renitente Strada legato Gallico; simul Angli verebantur, ne inter Electorem & Polonos res in bellum erumperet, cujus partem ipsi tangere nolebant. Sed cum Brandius ostendisset, Electorem jam de Elbinga remisisse, ac de pecunia duntaxat agi, cujus non modicam partem idem condonaverit; nec aliud prætextum Angli nossent extrahendo negotio, demum causabantur: *non posse Anglicanam aulam comprehendere, quid sit gvarantia nec in tabulario ejus Regni ejusmodi guarantiæ instrumentum extare.* Nec deerant qui jactarent: Regem cũ exteris adversus Parlamenti edicta nil contrahere posse, ac si cum illis fœdera ini-

1661. inverit, ea posterioribus istius decretis irrita posse reddi. Sed cum Galli demum æquiores se in Electoris commoda exhiberent, Anglus quoque sponsione sua eum tractatum firmare
27. Jan. 1663. non amplius differebat. Anglicum porro Instrumentum à Gallica guarantia in eo differt, quod in hac integer tractatus extet, cui sub finem annexa est sponsio. Sed Anglicanum ad formam diplomatis conceptum est, quo Rex ea pacta adprobat atque confirmat, ac promittit se operam daturum etiam adhibita violentia armorum, ut eadem ab omnibus observentur.

Circa investituram Viennæ alia. 1661. Legati mandata. §. 29. Inter necessaria quoque firmandis Electoris rebus erat investituræ negotium in aula Cæsarea expedire, quod cum hactenus per bellum dilatum foret, jam ei actui mensis Junius constitutus erat. Ei fini ab Electore Joannes Fridericus Lœbius Viennam missus est, ibi in partem negotii Andream Neumannum assumturus. Ei injunctum omnia prius solita observare, ac quæ Bavaro & Saxoni in pari actu contigerant, examussim exigere. Conjunctam quoque manum in Ducatum Meclenburgicum & Principatum Raceburgicum quæreret; tum ut circa omnes ditiones agnatorum Marchionum in Franconia mentio fieret, præterquam apud Juliacenses ditiones, in quas istis nil juris competit. Dabantur quoque ipsi duo distincta procuratoria, unum ad omnes Electoris ditiones, alterum ad solas Juliacenses provincias spectans: cujus etsi effectus haut speraretur; haut eo minus super iis instandum, ac Electoris jus demonstrandum, & ad extremum interposita protestatione omnia integra servanda; eamque in rem testimonium exigendum. Quia etiam provinciæ in vicem Pomeraniæ adquisitæ, Magdeburgum, Halberstadium, Minda, & Camminum nunc prima vice in feudum accipiantur, probe observaret, ne circa usitatam alias formulam (*ut ea res nullius juribus præjudicio ac fraudi sit.*) periculosi quid infarciatur, velut Pontificis protestatio contra alienationem bonorum Ecclesiasticorum agnosceretur; adeoque si ista verba plane excludi nequeant, saltem non alio sensu admitterentur, quam ut ea res Cæsari, Imperioque circa supremum dominium, & alias cujusvis juribus, quantum ista Instrumento Pacis quadrant, fraudi ne sit. Quia etiam Elector istos Præsulatus in vicem partis Pomeraniæ obtineat, Pomerania autem primariis infeudationis literis comprehendatur, nullo peculiari instrumento; æquivalentes quoque istas provincias primario instrumento comprehendi curaret. Cum porro Electori conjuncta manus in Meclenburgicam competat, è qua Wismaria & alia loca in Svecos translata sint, in quorum vicem Raceburgicus Principatus istis Ducibus datus sit, hunc quoque literis investituræ inseri postulet. Quod si Cæsarei ultro moveant, num Elector uti antea de tota Pomerania, an vero de Ulteriore duntaxat investiri velit, demonstraret; Instrumento Pacis totum Pomeraniæ titulum Electori relinqui, eoque dubium non esse, quin Elector de tota illa provincia investiendus sit; 1661.
præsertim cum id Svecis fraudi esse nequeat, qui de sua parte peculiariter investiendi sint. Periculosum quoque, difficile, quin tantum non impossibile fore omnia & singula exprimere, quæ Elector adhuc in Ulteriore Pomerania possideat. Ad extremum tamen admitti posse, ut illam Instrumento Pacis conformem fore exprimatur. Si Sveci super confirmatione *Recessus Limitanei* moveant, noster defectum mandati excusaret, ac in neutram partem niteretur, sed eam rem unice in Cæsaris arbitrium conferret, prout is judicarit, id pactum Instrumento Pacis congruere, declinata cum Svecis disceptatione.

§. 30. Circa hoc negotium Svecorum minister ad Aulam Cæsaream Residens Kleius varias difficultates movebat, postulans, ut sibi omnium per Lœbium Judicio Aulico traditorum scriptorum copia fieret. Tum ut investitura & conjunctæ manus ritus eodem modo, uti tempore Rudolfi II. in usu fuerit obeatur, ubi legati una serie juxta se invicem in genua submissi, tam queis conjuncta duntaxat manus competebat, quam feudi possessor junctim librum Evangeliorum attigerint, ac gladii capulum osculati sint. Ut quoque sibi designatio cerimoniarum tradatur, ac pacta Stetinensia literis investituræ inserantur. His scrupulis declinandis Cæsarei proponebant, ut Lœbius causetur, Regem Sveciæ ad hanc investituram admitti non posse, quoad ipse accepta investitura Cæsari & Imperio fidem suam obstrinxerit. Nam istorum postulatorum obtentu rem extrahi, ac varias difficultates injici posse: nec ista usu recepta, nec Electoralibus legatis circa investituram priorum Pomeraniæ Ducum indultum. Sed & idem reliquis Marchionibus fraudi fore; ac verendum esse, ne Sveci isthunc actum pro se interpretari, & aliquando horum successionem intercipere aggrediantur. Alias se istum facile admittere posse, modo id citra præjudicium fiat. Super pactis Stetinensibus nil sibi in mandatis datum, quæ nec sperent, nec velint literis investituræ inseri. Id quoque altioris indaginis in Kleii libello videbatur, quod idem innueret, Electori ad Ulteriorem Pomeraniam duntaxat ex Instrumeto Pacis jus competere. Tum quod *more solito* ad simultanenam investituram admitti vellet, quod vocabulum in Tabulis Pacis non extabat; ac ingens discrimen inter præsentem Svecorum, & priorem Brandenburgicorum simultaneam investituram erat. Et quia Sveci tantopore hanc simultaneam investituram urgebant, suspicio nascebatur, velut ubi hac potiti forent, universam provinciarum suarum investituram parum curaturi essent; circa quam tamen Cæsar suas Imperiique rationes observare debebat. Metus quoque erat, ne post simultaneam investituram obtentam Electoris administrationi circa eam provinciam sese ingererent. Dubitabant præterea Cæsarei, num congrueret Svecos actui investituræ de omnibus Electoris ditionibus interesse; & an non investitura Pomera-

A Svecis motæ difficultates. 24. Jul.

1661. meraniæ seorsim sit suscipienda. Denique & is scrupulus Cæsareos urgebat, quod Sveci ita anxie pacta Stetinensia literis investituræ inseri postularent; cum tamen nullo verbo Cæsaris ratihabitionem peterent. Igitur re perpensa Cæsar decernebat Electori investituram conferendam; ut tamen Sveci toti actui ne intersint, inprimis quando Electoratus investitura peragitur eoque tres actus instituendos, super Electoratu, super Pomerania & Cammino, ac super reliquis ditionibus. Eo modo Cæsaris, Imperii, ac Domus Brandenburgicæ præjudicium declinari. De cætero ostendebant Cæsarei; *per pactum Stetinense negotium admodum difficile redditum; cum Cæsari invidiosum sit id negare, quod Elector annuerit; nec tamen simultanea investitura ulterius admitti queat, quam quantum Instrumentum Pacis circa eam disponit. Und vix aliud superesse, quam ut Stetinense pactum velut altius penetrans, & quod nondum vim à Cæsarea confirmatione sortitum sit, tantisper seponatur. Nec necessum esse Svecos ad simultaneam investituram admitti, antequam primariam investituram de omnibus provinciis obti-*

14. Aug. *nuerint, cujus illa appendix sit.* Circa quæ Elector non inficias ibat, *per Stetinense pactum utique non modicam difficultatem creari. Sed ejus rei culpam penes se non esse, velut ab omnibus desertum; nec se alia ratione ad Pomeraniæ possessionem pervenire potuisse. Cæsari se tamen & Imperio nil præjudicii adferre potuisse, aut voluisse. Et quanquam Franconici agnati ea pacta adprobarint; confraternitate tamen junctarum Domuum non minus interesse, qui neque in ea pacta consenserint, & quorum mentio ne verbo quidem ibi facta sit. Tum & ista pacta ad expectativam quandam provocare, cujus vi Sveci in Novam Marchiam jus conjuncta manus quærant. Atqui Cæsareæ Aulæ optime constare, num ejusmodi expectativa extet, & quamdiu, ac quousque eadem effectum habere potuerit. Cæterum ejus se pacti ratihabitionem simpliciter in Cæsaris arbitrium conferre.* Quod si Sveci in actu simultaneæ investituræ priorem locum affectent, iis regerendum, eosdem hoc actu considerari velut à Duce missos; & utique simultaneam investituram primariæ postponendam. Sicuti & in fœdere Rhenano Sveciæ Regis legatus loco Duci Bremensi debito subscripserit.

Eorum petitis resistitur. *20. Aug.* §. 31. Ast super scripto Kleii Cæsar nostris significabat, plurima se in eo desiderare. Hunc enim cum agnatis ad contactum Evangeliorum & gladii admitti velle, ac ad vetera pacta inter Brandenburgicam & Pomeranicam Domum, tum ad usum Curiæ feudorum Cæsareæ, & pacta Stetinensia provocare. Enimvero de veteribus istis pactis Aulæ Cæsareæ constare, nec ea in usum deducta, quin contrarium in actis Cancellariæ reperiri: & cum Electoris Georgii Wilhelmi legatus anno 1626. super hisce ritibus movisset, ei responsum; tale quid equidem literis investituræ insertum, sed nunquam in effectum deductum, ac communem morem in simultaneæ investituræ actu retentum. Ratificationem Cæsaris in pacto Stetinensi ab utraque parte paciscente reservatam, quæ haut secuta, quin necdum ab alterutra quæsita sit. Et eousque pacta ista Cæsarem & Imperium haut stringere. Tum & *altius penetrare, quod istis pactis successio in Novam Marchiam, districtum Sternbergensem, ac Vierradam, & Loeckenitzam Sveciæ Regno delata sit; id quod Capitulationi, & Aureæ Bullæ repugnet. Illam quippe in arbitrio Cæsaris haut relinquere, ut partem Imperii alienare, aut onerare queat: hanc autem disponere, ut Electorales ditiones indivisæ maneant. Unde cum dictæ ditiones ad Electoratum pertineant, circa has absque consensu totius Imperii nil mutari posse. Quin actionem Svecorum ad Novam Marchiam ex Instrumento Pacis esse plane absurdam. Nam ejusmodi pacta mutuæ successionis, qualia inter Brandenburgicam & Pomeranicam Domum fuerint, esse reciproca, ubi ditiones ditionibus exadversum ponantur, & casus successionis utrinque existere queat. Atqui Sveciam nihil vicissim terrarum in futurum eventum posse ponere, cum Regna, secus atque familiæ, sint immortalia. Ac Ducibus quondam Pomeraniæ jus ad Novam Marchiam ex pacto confraternitatis quæsitum sub expectativæ censum venire non posse; eoque cum extincta stirpe Ducum Pomeraniæ omne jus ex eo confraternitatis pacto quæsitum expirasse; nec Svecos ex titulo ejusdem pacti partem Pomeraniæ adquisivisse.* Igitur Cæsari decretum, Svecis simultaneam investituram de Orientali Pomerania, & Cammino non ulterius concedere, quam Instrumentum Pacis ferat, nec ut ea longius extendatur ferre; nec in eo actu istos ad contactum Evangeliorum & gladii, sed pallii duntaxat admittere, prout circa investituram Electoris Saxoniæ factum fuerat. Denique investituram duobus actibus peragere, Svecis ab eo exclusis, quo Electoratus, & aliæ ditiones, in quas Svecis nihil juris, conferendæ sint. Haut eo secius Lœbius omnes Electoris ditiones unis & iisdem investituræ literis comprehendi volebat, quod ex pacto familiæ Brandenburgicæ ditiones indivisæ manere debeant. Etsi Cæsar duas investituræ literas dare vellet, quarum unæ Pomeraniam & Camminum complecterentur; quod distinctæ literæ non protinus divisionem ditionum arguant; ad extremum tamen quantumvis ægre adducebatur, ut omnes ditiones iisdem literis comprehenderet. Ast Svecus uti circa contactum Evangeliorum & gladii desistebat: ita acriter contendebat, investituram uno duntaxat actu peragendam, ac ut nostri quoque confirmationem pacti Stetinensis urgerent, qua à Cæsare negata ipsi investituram omittere debeant. Cui nostri reponebant, sibi circa eam in neutram partem quid movere injunctum; ac penes Cæsarem fore super eo statuere, quid ex usu Imperii judicaverit. Simul monebant, incongruis postulatis simul minis, vehementiaque sermonis abstineret, velut protinus amicitia inter Regem & Electorem abrumperetur, si non omnibus ipsius petitis assurgatur. Contra Cæsarei referebant; *super expectativa Pomeranorum in Novam Marchiam excusso diligenter Tabulario haut compertum, illam à prioribus Cæsaribus datam aut confirma-*

tam

1661. *tam fuisse. Equidem forte Maximilianum Cæsarem supra ea confirmatione verbo pollicitum, quod & quidam Autores editis scriptis testentur. Sed in Tabulario tale nihil reperiri.* Ita cum Cæsar Kleio denuntiasset; sibi Imperioque de pacto Stetinensi haut constare, nec Electorales ditiones divisioni obnoxias, diem dicebat, quo investituræ actus Eberstorfii suscipiendus sit.
14. Ubi à nostris paulisper dubitatum, num è di-
—Sept. gnitate sit eum actum ruri peragi, quem
24. alii Electores in urbe Imperatoria receperint. Sed placuit voluntati Cæsaris non reluctari declinandæ offensæ; cum ubi Cæsar sit, ibi & aula sit, ac Eberstorfium partem regiæ esse, quo Cæsar sese quotannis ad certum tempus recipere soleat. Ejusmodi quoque actus certo loco haut alligatos, qui & aliquando in campo, ac nudo sub æthere peracti sint. Cum nostri Kleio in amicitiæ specimen de ea re significarent, etsi investitura de Electorali ditione & æquivalentibus provinciis ad ipsum nihil spectaret, quod Pomerania & Camminum in aliud tempus foret rejectum; iste non adquiescebat, quod hac investitura etiam Nova Marchia, Sternbergensis districtus Vierrada, & Lœckenitza comprehenderetur. Unde postera die Notarium & testes
25. Sept. mittebat protestationem interposituros qui ita inscite rem agebant, ut quid sibi vellent intelligi non posset. Inde per Lœbium investitura de Bohemicis feudis acceptabatur, Cæsare dispensante, quod alias eo actu Comes
4. quispiam mandatarius esse deberet. Investi-
—Oct. tura quoque de Pomerania & Cammino Kleio
14. incassum renitente separato actu celebrata fuit, insuper habita Klei protestatione; cui tamen Cæsar decretum tradebat; id juri Sveciæ ex Instrumento Pacis quæsito fraudi haut fore. Alias tunc super cerimoniis quid motum fuit, quod Electori vehementer displicebat. Cum enim Lœbius Archiduci Leopoldo Wilhelmo salutationem denuntiasset, Comes Schwartzenbergius interrogabat, num tanquam legatus excipi velit? Nam *in aula Cæsarea, si Electoralis legatus aliud ob negotium veniat, apud Cæsarem caput tegere, uti & apud Archiducem. Sed quia investitura sit actus submissionis, ubi non aperto solum capite sit loquendum, sed in genua subsidendum, Lœbio quoque necessum fore nudato capite Archiducem tectum alloqui reliquorum Electorum exemplo.* Etsi revera Saxonici eam ob causam istum salutare omiserant, Palatini nudato capite audiri fuerant. Cum Lœbius id recusaret, Schwartzenbergius regerebat, *Archiducem non dubitaturum, Lœbium eo quo petat ritu excipere, si Passavii, (ubi Præsul erat,) aut alibi extra aulam Cæsaris ageret. Sed in domo Cæsaris haut integrum sibi esse quid novare, usque adeo ut ne juvenis quidem Archidux aliter facturus sit. Saxones tamdiu expectare noluisse, quoad Archidux convalesceret. Cum Palatini audirentur, isti forte fortuna pileum in promtu non fuisse.* Enimvero Elector Lœbio stricte injungebat, ne in ista postulata consentiret, non leviter indignatus, de *actu submissionis* mentionem factam, ac è Cæsarea domo prætextum affectandæ prærogativæ quæri; aut Archiducem idem honoris quod Cæsarem sibi deposcere. 1661. Simul ea de re apud Porciam per literas querebatur; *sibi tantum de uno Cæsare in Imperio constare; at si Schwartzenbergii ratiocinium valeat, multa inde absurda consecutura. Ac proximis se Comitiis ad Collegium Electorale, & alios Ordines eam rem relaturum, quo incongruis istis postulatis medicina fiat.*

§. 32. Isto quoque anno inter Sveciam & Electorem humanitatis invicem officia iterum exerceri cœperunt. Nam missus à Rege Sveciæ Christophorus Delphicus Dona Comes Electori Cliviæ tunc agenti multo cum verborum honore confirmabat, isti cordi fore pacem servare, & cum Electore omnia amicitiæ officia excolere. Vicissim Elector Gerhardum Janum Ledeburium in Sveciam mittebat apud Regem Carolum XI. alloquio super obitu patris defuncturum ac super bene composito Regni statu gratulaturum; tum ut testetur, nil magis in votis ipsi esse, quam sinceram amicitiam cum Svecia exercere. Quod hoc officio citius defungi haut licuisset, tempus hibernum excusabatur, per quod officii promtitudo sibi prærepta fuerit. Inter proceres Carolo Gustavo Wrangelio præcipue testari jubebatur, quanti Elector ipsum æstimet. Alias num quis ibi armorum paratus fiat, & quo ejus gentis destinata tendant exploraret. Isti legato magna verborum copia reponebatur. Inprimis negabant super Elbinga aut supremo Borussiæ imperio contra Electorem apud Polonos ab se motum. Equidem Gallum quempiam Burdegalensis vocabulo cum Schlippenbachio in Poloniam proficisci voluisse, qui talia sermone jactarit; Sed eum publico nomine nil in mandatis habuisse. Quærebant tamen, quomodo Borussiæ res sese habeant, addito, difficile esse liberos homines suis privilegiis exuere. Absolutum in Dania imperium itidem haut sat firmo talo stare, ac miram adhuc rerum conversionem contingere posse. Inprimis Georgium Fridericum Waldeccæ Comitem commendabant, ut in sua beneficia restituatur. Nam Elector isti Præposituram Halberstadiensem, & Commendam Lagoam vi edicti avocatorii ademerat; quam ipsi per amnestiam pace sancitam restitui debere Sveci censebant. Unde & sequenti anno inter eum Comitem & Baronem Lœbium, in quem ea Commenda collata fuerat, transactum, ut Waldeccensis filio spes ejusdem firmaretur. Quam tamen dein ipse Waldeccius post Lœbii mortem iterum recipiebat, postquam Electori velut patrono Ordinis cavisset, se nihil recta aut obliqua ratione contra Electorem, ejusque Domus emolumenta facturum; quod alias iste Comes Electori nullo vinculo obstrictus esset. Querebantur tamen Senatores, non sat honoris sibi ab Electore exhibitum, quod literis fiduciariis ad ipsos titulum suum earum exordio præmisisset, neque Excellentiæ vocabulum tribuisset, non alia quoque dictione affectum testatus, quam *Domini Comitis benevolus.* Nam saltem idem sibi

Inter Regem Sveciæ & Electorem honoraria missiones. — *Mart.* — *26. Mart.* — *Ledebur.* — *9. Maii.* — *Bourdeaux.* — *1658.* — *1667.* — *Gutwilliger.*

1662. sibi titulorum, quod Legatis Regiis deberi. Discedenti Ledeburio Magnus Gardius Cancellarius peculiariter testabatur; Sibi cum Burdegalensi isto nil negotii fuisse. Schlippenbachium varia consilia periculosa agitasse, quæ non semper cum ipso communicarit; ac ista forte Gallum hunc aucupatum in aulam Polonicam retulisse. Sed *gratum sibi esse istius negotiationem non successisse, forte varias turbas daturam, quas mors ipsius interceperit. Nec ista se privato ex odio loqui; ac nosse eum virum Electori parum amicum fuisse. Cæterum Sveciæ juxta atque Electoris rationes ita comparatas esse; ut utrisque expediat amicitiam invicem colere.* Biœrnclovius dixerat; *se malle Borussiam penes Electorem esse, quam penes Austriacos:* Et cum noster exciperet, forte Svecos eandem sibi malle, idem reponebat: *ob invidiam totius Orbis eam à Svecis obtineri non posse.*

De Ulfeldii conatibus Regi Daniæ indicium fit. §. 33. Ast affectus sui in Regem Daniæ Fridericum ut Elector documentum iterum exhibere posset, ansam præbebat Corniticii Ulfeldii in huncce odium eo implacabilius, quo magis fata suis conatibus adversa perspiceret. Is Bornholmensi carcere liberatus, cum (1661.) submississima deprecatione à Rege obtinuisset, ut in prædio suo in Fionia vitam agere liceret, otium pertæsus, an quia ægris multorum in Dania novum ob Regimen animis Regi negotium sese facessiturum speraret, obtentu valetudinis apud exteros curandæ in Belgium concessit. Unde Ottoni Sverino significabat, se habere maximi momenti negotia, quæ Electori communicare cupiat, sed quæ literis credere non audeat. *Span.* Sic Alexandro Spanio supremo vigiliarum præfecto ab Electore injungitur, ut ad illum profectus quid istud foret cognosceret, additis literis fidem facientibus. Eum Spanius Brugis Flandorum invenit; qui silentium prius jurejurando stipulatus, ne hic cuipiam præterquam Electori indicium faceret, exponebat; universam Nobilitatem, & clerum, simul pleramque plebis partem præsens Regis regimen aversari; ac complures Nobiles atque sacerdotes apud ipsum questos, se hoc modo diutius vivere non posse; simul petiisse, ut quia ipse Fridericum Regem in solium promoverit, jugo iterum excutiendo ducem se ferre velit, quod ipsi ac pleraque Regni pars in Fridericum insurgere ardeant. Ast se talia dissuasisse, ac patientiam ingessisse. Probe prius rationem subducendam, antequam tanti momenti negotium suscipiatur. Tum & alio duce atque autore opus fore, à quo talibus ausis pondus accedat. Ita tumentes amicos hucusque compressos. Cæterum si talia apud Gallos, Svecosvé aut alibi proponere velit, satis sibi constare eadem ibi gratissima fore, ac idoneas vires perficiendis cœptis inde accessuras. Sed affectum, quo ipse in Electorem feratur, & quod è Germania potius, quam alia natione patriæ suæ Regem dare cupiat, efficere, ut isti ante omnes de hac re indicium facere velit, pollicitus, si Elector Coronæ Danicæ desiderio tangatur, ita se negotium directurum, ut is à civibus ad eam vocandus sit; simul accurate edocturum, 1662. quomodo id effectui dandum, & quas conditiones ipse sibi stipulari velit. Rogabat tamen id secretum haberi, quod alias omnium, quæ restent, bonorum jacturam facturus sit. Enimvero cum talia plane magnitudinem animi sui dedecere judicaret Elector, quo id periculi ab amico Rege averteret, per Anhaltinum Principem Regi suggerit, ut Delevum Alfeldium ad se mittat; cui id negotii exponit, stipulatus tamen, ne in eo sui mentio fiat. Idem Ulfeldius paulo ante cum Daniele Stephani Amstelodami in hospitio collocutus ostenderat: sibi maximi momenti negotia esse, quæ Electorem nosse intersit; Sed hujus consiliarios secreti haut tenaces esse, eoque ut cum solo Electore loqui possit optare. Post cum Angliæ Rex Ulfeldii uxorem in Anglia stitisset, is Danico Residenti dixerat: *ni tam honestus Electori Brandenburgico animus fuisset, Regis Friderici res male se habituras fuisse; quo nomine hic isti magnopere sit devinctus.* Venerat porro Ulfeldii uxor in Angliam, ut pecuniam, quam iste Regi in exilio mutuo dederat, repeteret; ubi ea petente Daniæ Rege Doveræ detenta, & in arce ibi asservata fuit. Cum autem Danicus minister peteret, ut ea sibi dedatur, id quidem palam recusabatur: integrum tamen ipsi fore ex arce Doverensi prodeuntem abripere; quod ut faciat ansam eidem præbitum iri. Ita ista intercepta, ac Angliæ Rege connivente in Daniam missa fuit. Quod factum orbis judicio parum arrisit, velut patratum in fœminam nobilem, & cui à Rege beneficium debebatur.

Galliæ Regis ad Electorem legatio. 5. Jan. Lessan. §. 34. Porro uti Elector Regis Galliæ offensam nupero bello conceptam abolere studebat, uti & hic vicissim Austriacis partibus eum abstrahere nitebatur. Quo fine Lessanum mittebat super Delphini nativitate significaturum. Post ista solennia legatus ostendebat; *Viquefortium in aula Gallica significasse, Electori animum esse cum Gallia sine exceptione se conjungere; eoque se à Rege missum, ut cognoscat, num Elector serio id cupiat. Id quod Regi gratum sit futurum, præsertim cum certo ipsi constet in manu Cæsaris esse pacem cum Turca proficuis sibi conditionibus inire, quandocunque placuerit. Et quia Cæsar hoc modo retentis armis Poloniam pro lubitu invadere queat, ei coronæ sibi aut suorum cuipiam asserendæ; Galliæ graves causas esse, ut circa id impediendum laboret, quo fine cum Electore arctiori fœdere innecti cupiat.* Cui ab Electore repositum: *sibi quidem decretum amicitiam cum Gallia excolere, salvo tamen fœdere cum Cæsare, nec plura Viquefortium insinuare jussum. Equidem se nunquam antiquas Domus suæ rationes deseruisse, queis magnum in Galliæ amicitia præsidium fuerit; cui fœdus cum Cæsare haut quidquam obstet, & per quod ad Hispaniæ rationes fulciendas haut obstringatur.* Ast Lessanus contendere; *conjunctioni cum Gallia fœdus Austriacum haut congruere, quod Electori plane sit abdicandum, unionem cum Gallia amplexuro, qui & experiendo didicerit, quæ cura Austriacis sit promissa explendi. Equidem quod Elector urgentibus Svecorum armis* Au-

62. *Austriæ se junxerit, id vitio ipsi verti haut posse. Sed nunc pace facta, & cautione adversus Svecos aliunde præstanda, fœdere Austriaco opus non esse; quod & qualecunque sit partes Austriacas firmet, eoque ipso Galliæ noceat.* Contra Elector: *Sibi semper incumbere debitum Cæsari honorem exhibere, quem ut abdicet à se requiri non posse. Intercedere quoque sibi fœdus mutuæ defensionis cum eodem velut vicino, & à quo promtissimum auxilium fieri queat, si ipse invadatur. Id quod Gallus sibi invisurus non sit, cum eo fœdere nil Galliæ adversum contineatur.* Ad hæc Lessanus: *Regem haut quidquam cupere Electorem à debito Cæsari respectu abstrahere, qui potius id quærat, ut Imperii Status atque Ordinum libertas conservetur. Fœdus tamen cum Cæsare nec proficuum nec necessarium. Nam Electori à Svecis nihil metuendum, adversus quos etiam ipsi satis cavendum fœdere Gallico arctius adstricto, & in fœdus Rhenanum receptione; simul Rege conciliante arctius fœdus Electorem inter & Sveciam coiturum. Ad quæ omnia fœdus Austriacum haut quadret.* Super quo ut Elector mentem suam declaret, simul ut acta secreta habeantur petebat. Penes Electorem optionem esse, heic an in Gallia tractare velit per Viquefortium; qui tamen apud ipsos silentii capax haut habeatur, & circa hoc negotium ambigue locutus fuerit. Si tamen Elector istius fidei isthæc confidat Regem pariter facturum.
Electoris propo-de-atio. Isthæc cum Elector curatius expenderet, id animo obversabatur, Gallicum fœdus adhuc incertum, sed Austriacum jam perfectum esse. Se quoque, antequam cum Svecis collideretur, Gallos sæpe incassum sollicitasse, ut sibi adversus istos cautionem præstarent. Novissima quoque cum Hispanis pace Juliacum Neoburgico traditum. Igitur expediebat responsum ita temperari, ut Gallus conciliaretur, aut saltem ne offenderetur, nec Cæsar protelaretur, aut quid fœderi cum ipso adversum admitteretur. Igitur Lessano laxioribus verbis ab Electore repositum: *Studium Regis circa stabiliendam ipsius securitatem sibi longe gratissimum esse. Quo fine ipse paratus sit renovando fœderi, cujus tempus jam fere elapsum sit; ac nosse cupere, num Rex idem ad alios quoque casus extendi velit. Per fœdus Rhenanum suis ditionibus non satis prospectum: si tamen melius id adaptetur, sese ab eo amplectendo alienum non esse. Officium circa conciliandam cum Svecia amicitiam sibi quoque gratissimum fore. Fœdus Austriacum sibi amplectendum fuisse, quo tempore nuspiam auxilii spes adparebat, quia dum nemo pro ipso vel verbis officium suum interponere volebat. Ejus fructum cum duris temporibus utiliter perceperit, ab eo jam temere discedere haut honestum fore. Quod nec amicitiæ cum Gallia obstet, velut nudam utriusque defensionem spectans. Ac Cæsarem cum id iniretur, nunquam postulasse, ut ipse Gallico fœderi renunciaret, multo minus ut ad aliquid Galliæ noxium sese obstringeret; unde justum esse Gallum pari æquitate uti. Modum super hoc negotio agendi, locumque in Regis arbitrium à se conferri: gratum sibi tamen fore Lessani opera rem perfici.*

Visu- Polo- §. 35. Ad ista Lessanus reponebat: *Regem velle, ut Elector in negotio successionis Polonicæ Austriacorum rationes abdicet, Gallorum amplectatur: ac si super eodem cum Rege fœdus ineatur, disertis verbis Austriaco fœderi renunciet. Istud porro quare cessione Electori amplectendum sit, gravissimas rationes suadere. Gratum admodum id Angliæ Regi fore, si tum vel directe contra Austriacos ineatur.* 1662. nica successione postulatur.
14. Jan. *Electori, uti omnibus Imperii Ordinibus nimiam Austriacorum potentiam suspectam habendam. Supremum Borussiæ imperium non usque adeo firmatum; ac si Austriacus quispiam Corona Polonica potiatur, id impugnatum iri. Ast si communis amicus, & Electori beneficio obstrictus eandem obtineat, bujus commoda eidem curæ fore. Svecos ad constantem cum ipso amicitiam colendam non tam Olivensi pace, quam fœdere, cui & Gallia accesserit, permotum iri. E fœdere cum Cæsare atque Hispanis Electori parum commodi proventurum. Galliæ amicitiam utilius coli, quæ inprimis promissa circa pecuniam rite servet. Tum si quid litis Electori super oppidis Cliviæ cum Belgis surgat, Gallica auxilia præsto fore. Denique Rege conciliante inter Electorem & Neoburgicum diuturnam controversiam componi posse.* Nostris interrogantibus, quemnam Gallus circa diadema Polonicum præ oculis habeat? respondebat Lessanus, Principem Gallicum, qui Reginæ neptem in matrimonium assumturus sit; quo fine si Elector operam navare velit, à Gallia militem & pecuniam suppeditatum iri. Ubi Electori placuerit in id fœdus descendere, ei conventionem Regis Galliæ cum Regina Poloniæ super ea successione jam factam communicatum iri. Ac cumprimis necessarium esse Reginam in partibus retineri, ne Austriacis sese adplicet; id quod factura sit, si ab ipsis destituta per Austriacos destinatis suis potiri queat. Ad quæ Elector: *se libenter operam sociaturum, ne Polonia jam satis calamitatibus exercita, morte Regis turbetur. Sed quia notum sit, qua ratione Poloni circa electionem Regum procedant, & quam arcte ipse Poloniæ innexus sit, ac uti tam multæ machinationes circa hoc negotium agitentur; sibi autem non constet, quam viam Rex initurus sit destinatis suis obtinendis, & diversa molientibus eludendis; necessum esse super hisce plenius se informari, quo facto distinctius mentem suam declaraturum.* Cum porro nostri ostenderent, maximam negotio difficultatem oriri è Polonorum constitutione nuperis Comitiis condita, ne vivo Rege de successore agatur; Lessanus id inficiari. 24. Maij. Equidem non visum Reginæ & Legato Gallico in præsens amplius quid movere; sed constitutionem nondum in vim legis evaluisse, ac Reginæ in proclivi fore ejus vim elidere. Plerosque Senatores in partibus esse, ac neminem repugnare præter rebelles, quo vocabulo confœderatos milites notabat. Nec Galliæ Regem id negotium depositurum, sed non minus ante quam post mortem Regis id persecuturum, velut in quod altius jam descenderit, quam ut salva dignitate id deponere queat. Interea haut perspicere, quid consilii Elector suscepturo sit, si in partes non concedat. De cætero confirmabat, de hoc negotio neminem præter Regem, & Lionnæũ quid cogniturum, ac Electorem hoc nomine à Rege indemnem præstitũ iri.

1662. Quin eidem integrum fore, suæ declarationi hanc conditionem addere, si prius sibi à Polonis satisfactum fuerit. Ad extremum tamen disserebat: non esse animum Galliæ per arma Regem in Polonia stabilire, ni Austriaci eo nomine arma arripiant. Simul responsum scripto conceptum poscebat; etsi credat Electoris voluntatem esse, quam delegati referant; ac in Gallia quoque suis relationibus fidem adhiberi. Enimvero Electori placebat non nisi laxioribus verbis agere; nec inani conatu orbi ludibrium debere; inprimis cum Ordines Poloniæ adhuc circa Elbingam tergiversarentur, ac aula Polonica multis modis Electorem cum Ordinibus ejus regni committere satageret. Unde si quid præstabilis operæ Rex ab se exigeret, huic necessum fore istius animum ad æquiora adversus Electorem permovere.

Super Galli negotiatione judicium. §. 36. Hisce Galli postulatis curatius expensis adparebat, circumspecte admodum circa hoc negotium procedendum. Quanquam enim Electoris non intersit Austriacos diademate Poloniæ potiri; rem tamem hautquidquam eo modo suscipiendam, ut per conjunctionem cum Gallia Austriaci plane alienentur, quorum auxilio opus sit, si forte Sveci infesta moveant. Nec minus Polonis id valde displiciturum. Ac ubi semel Elector in hos calles se induerit, ei deinceps etiam adversus proprias rationes pro Gallia connitendum fore. Id quod ipsi æque noxium futurum sit, quam si Austriacus Polonia potiatur. Quin haut obscurum esse, suggerente Regina hanc legationem susceptam, ut invisam sibi Electoris apud Poloniæ Ordines autoritatem, qua hactenus tantum valuit, subvertat. Nec sperandum esse Electori, à Gallo quid suppetiarum sibi adversus Svecos latum iri, cujus documentum novissimo bello adparuerit. Denique verbo caveri Lessano posse, Electorem si opus sit incubiturum, ne Austriacus in Polonia Rex fiat. Sed scriptam eo nomine conventionem inire anceps, ac pactis cum Polonia repugnans. Quin & Germaniæ valde periculosum fore, si Gallus Sveciam, & Poloniam è nutu suo pendentes habeat, per quas istam à tergo distinere possit. Alias utile esse, Electorem priori fœderi renovando paratum se ferre, non quod urgente necessitate insignis fructus inde expectandus sit, sed ne Gallo quærendi ansa sit, aliquid infesti in ipsum strui. Ast id fœdus eousque porrigi, ut in Galli partes descendere necessum sit, ubi is ultro quid movere velit, haut consultum. Nam isthoc offensionem spectare, cui & Sveci interfuturi sint, quibus solitum sit Electoris ditiones in præmium bellorum suorum captare. Cum igitur Lessanus fassus sit, Gallum cum Rege & Regina Poloniæ pactum inivisse super Duce Enguiano ad Coronam promovendo, quo fine & iste per Claudium Tottium cum Svecis convenerit; probe Electori cavendum erat, ne & Gallum protelaret; nec ulterius tamen in causam descenderet, quam è sua re foret. Sane ubi quis per vim ad solium Poloniæ sese ingesserit, de Ordinum libertate actum esse, ac Electori Borussiam periisse, inprimis si Svecis exsecutio conventorum demandata sit. Ita periculum esse, ne dum alteri corona conciliatur, propriæ ditionis jactura fiat. Unde & Lessano demonstratum fuerat, id negotium non nisi amica via pervincendum. Nam utut vis forte primo impetu succedat, ad diuturnitatem tamen eam haut valituram. Nam exterorum copias in Polonia exiguum operæ pretium facturas; nec graviorem causam posse emergere, ob quam Poloni omnia sua aleæ belli promto animo sint exposituri. Simul hoc ipso Cæsari ansam porrigi ingratiis Gallorum Polonia potiundi, cui ingens in ea gente factio sit. Quod si & Elector Enguiano præ aliis favere debeat, necessum fore Poloniæ Regem hac de re cum ipso communicare, qui hactenus de eadem nihil plane moverit; tum Elbingam prius tradi. Cum etiam aula Polonica Electori infensa sit, ac nobilitas electionis mentionem vivo Rege aversetur; periculum erat, ne si Elector super ea cum Gallis convenisset, Regina hac conventione adversus ipsum abutatur, eaque inter Ordines divulgata horum animos ab isto alienet. Et cum res ita sint dispositæ, ut Austriacorum juxta ac Gallorum destinata incassum sint casura, supervacuum esse Electori ad has vel illas partes tuendas aut impugnandas sese obstringere. Ac præstabat ita rem geri, ut Polonica gens sentiret, Electoris consilia non nisi ejusdem pacem, ac libertatem conservandam spectare. Denique Reginæ consilia pessimis fundamentis inniti, quæ implacabile odium in Electorem alitura sit, quicquid in ejus gratiam operæ sumatur. Cum itaque Lessanus perspiceret, Electorem à se induci non posse, ut vinculo se indueret, in proprium damnum cessuro; id urgere instituit, ut Elector Rhenano fœderi nomen daret, tum ut Neoburgicus paci Olivensi includeretur, qui alias intercessurus sit, ne Elector in istud fœdus recipiatur. Scilicet, ut prætextum nancisceretur tractationem abrumpendi, reique infectæ culpam in Electorem conferendi. Cui Elector demonstrabat, sibi potius videri fœdus quondam in Borussia conclusum renovari, exordio duntaxat mutato. Nam in fœdere Rhenano non sat securitatis se invenire: ac tempus inclusioni in pacem Olivensem designatum jam elapsum, ac si nunc de ea sit agendum, ad omnes quorum intersit referre necessum fore. Nec fœdus hoc cum Olivensi pace quidquam commune habere. Enimvero quanquam Lessanus quod ad has rationes reponeret nihil habebat, ac circa oblatam fœderis formulam quid sibi peculiariter displiceret, explicare abnuebat; haut eo minus abrupta tractatione non sine offensæ significatione discedebat. *Legatus re infecta discedit.* Eo digresso Elector Regi Galliæ per Bequiũ Residentem de inopino Lessani discessu significabat; ac se paratum esse id negotium persequi, modo norit, quando, & ubi Rex eos tractatus suscipi velit. *Bech.* Cui Rex respondebat; *gratum sibi fore cum Electore fœdus renovare; sed quia idem duas præcipuas conditiones abnuat, accessum ad fœdus Rhenanum, & ut Neoburgicus Galliæ fœderatus paci Olivensi includatur, se in hujus fraudem cum isto pacisci non posse.* Lionnæus addebat; à Rege initium firmandæ amicitiæ factum, misso

1661. misso legato splendidis natalibus orto: nunc si Electori res cordi sit, alium plenis cum mandatis ab hoc mittendum. Cæterum non Electorem solum, sed & Daniæ Regem partibus Austriacis abstrahere tunc Galli nitebantur, ostenso, quam parum Cæsareum fœdus novissimo bello ipsi profuerit. Ast si Gallico fœderi innectatur, sat cautelæ adversus Svecos ac Cæsarem eidem fore.

[...]ficul[...] [...]es in [...]rusia [...]ca su[...]mum [...]peri[...] [...]stabi[...]ndum.

§. 37. Effecerant porro Reginæ Poloniæ circa successionem machinationes, ut Electori per Borussiam non parum molestiæ conciliaretur, antequam supremum in eam ditionem imperium stabilitum foret. Post Olivensem pacem Borussi conventum Ordinum provincialium desiderabant, medendis suis querimoniis, & ut privilegia confirmarentur. Sed quod Elector Elbingense negotium prius expediri cuperet, eo prætexto Ordinum desideria differri jubebat. *Octo. 1660.* Interim Bogislao Radzivilio ejus provinciæ gubernatori injunctum, ut eos, qui munia provinciæ præcipua obirent juxta novam formulam supremo imperio attemperatam jurejurando adigeret non simul, sed carptim, & prout occasio ferret, initio ab illis facto, quos promtos ei jurejurando nosset, quo reliqui horum exemplo alliciantur, refractariis abrogationem munerum minatus: neu munia de novo conferret, nisi in eos, qui promittant, se Electoris desideriis in conventu suffragaturos. Enimvero cum Elbingense negotium vado adhæresceret, Borussorum non pauci ægritudinem animi magis expromere, ac incumbentia sibi onera multis querelis inter Polonos differre. Scilicet quod perversi quidam homines iisdem persvasissent, Electori in animo esse obtentu supremi imperii omnibus ipsos privilegiis, ac libertate exuere. Id quod ipsi in mentem non venerat. Ac quæ provinciam premebant onera, ab iniquitate temporum proveniebant, à quibus neque reliquæ Electoris ditiones, neque alia Regna immunia erant; ac idem ista quantum dabatur imminuerat, compluribus legionibus exautoratis. *Maij. 1661.* Tandem consensit Elector, ut conventus Ordinum indiceretur, quem cum ipse ob negotia Clivica obire non posset, tantisper autoritate instruebat Radzivilium Principem, & Ottonem Sverinum, ut una cum supremis Borussiæ Consiliariis Joanne Ernesto Wallenrodio, Alberto Kalneino, Joanne Cosbothio, & Wolffgango Kreyzio isti præessent.

[...]llen[...] [...]l. [...]lnein. [...]sboth.

[...]pre[...] [...]im E[...] [...]toris [...]peri[...] [...] im[...] [...]gua[...] [...]r.

§. 38. Ejus conventus initio Ordines provinciales agnoscere nolebant, jurejurando se, quo Poloniæ antea tenebantur, exsolutos. Equidem se aliquid huc spectans è suggestibus recitari audisse, sed quod ad tollendum jurisjurandi nexum valere nequeat, ad quod Commissariis Polonicis utique opus sit. Præterea sibi non persvaderi, Electoris circa supremum imperium eam esse mentem, ut si quid contra privilegia sibi intentetur, Warsaviam eo nomine querelam deferre haut liceat. Nam hoc modo sibi omnia privilegia, libertatemque periisse. Sed cum Sverinus istis privilegia salva fore confirmaret, ac super indole negotii curatius exponeret, minora quidem oppida satis modestiæ ostendebant, declarantes; si reliqui Ordines summo imperio reluctari pergant, se ab his secessionem factura. *1662.* Sed & è Nobilitate plerique rationem admittebant, nisi quod Albertus Kalesteinius supremus Vicarius, ac Christianus Ludovicus filius tribunus ferociter se jactarent, aliosque incitare satagerent, pecuniam offerentes missioni Warsaviam faciendæ. *7. Junii. 1661.* Ne tamen obsequium exuere velle viderentur, scripto exhibito demonstrare conabantur, supremum istud imperium Electori noxium, ac id nunquam consistere posse; quod & apud Polonos nondum sit ad liquidum deductum; eoque rogabant, ut sibi integrum sit aliquos ad Polonica Comitia mittere ei negotio discutiendo. Ubi metus erat, ne si affatim pecuniæ afferrent, apud multos pronis auribus audirentur. Ejus scripti ingressu Ordines gaudium testabantur, quod Elector tam feliciter periculosissimum bellum eluctatus sit, & aliquot molestiis feudi oneribus sese exsolverit. Quia autem è propositione intellexerint, Electorem ipsorum privilegia non juxta veterem morem & provinciæ Statuta, sed ad recentia pacta attemperata confirmare velle, quorum fundamentum tamen sit, ut neque Rex neque Duces circa statum hujus Ducatus mutare quid valeant insciis & non consentientibus Ordinibus; *optandum fuisse, cum pacta Wetaviensia & Brombergensia conderentur, se in consilium adhibitos. Tunc enim sibi in proclivi fuisse futurum speciosa à solidis discernere, ac Electori svadere, quæ ad ipsius ac posterorum duraturam potentiam, ac provinciæ salutem facerent. Quæ in eo consistat, ut unio inter Poloniam & Borussiam prudentissimo consilio instituta ne dissolveretur. Igitur se nunc re adhuc integra antequam novo jurejurando illigentur monere; pacta ista, quæ Borussiam subjectione Poloniæ exsolvant, Electori ac posteris intuta, simul provinciæ periculosa & noxia esse. Quanquam enim hæc alienatio ob reservatum devolutionis casum haut perpetua habeatur; provinciam tamen à mediato statu & fundamentalibus legibus abductam sub immediatum dominum redigi: & incerto devolutionis casu Borussiam interim pro membro Poloniæ haberi haut posse. Atqui historiam testari, Polonos ante aliquot secula imperium Borussiæ invasisse, & cum Ordo Equitum se opponeret, directo dominio Poloniæ negato, cruenta inde bella surrexisse. Pacem quoque aliquoties initam ideo durabilem non fuisse, quod proprietas Borussiæ à Polonia separata foret. Nec belli ac miseriarum finem fuisse, donec Ordines Borussiæ anno 1454. ab Equitum Ordine se disjunxerint, ac salvis suis juribus ultro Polonis sese dediderint. Qui & hanc provinciam maturo consilio velut nobile membrum receperint, ac coronæ unierint. Equidem esse supremum imperium, quod* Suverænitatem *vocant, insigne ornamentum potentis duntaxat status, sed invalido inutile, cui præstet potentem protectorem habere. Atque tunc Regem Casimirum cavisse, Borussiam in æternum à Polonia haut avulsum iri: Ordinibus vicissim promittentibus, se nunquam à Polonia disjungi velle. Et quanquam Equitum Ordo istam combinationem valde impu-*

1662. *impugnarit, nil tamen præter bella inde emersisse, quoad anno 1525. æterna pax cum Alberto Marchione constitueretur ea lege, ut supremum & directum dominium Borussiæ penes Poloniæ Regnum maneret. In cujus pacis adprobatione Ordines professos, ex indiciis fallere nesciis sibi constare, Borussiam citra controversiam finibus Regni Poloniæ contineri; & unicam rationem omnes malorum radices exscindendi esse, ut Borussia hæreditarium Principem habeat, qui superiorem dominum Poloniæ Regem agnoscat. Ac sub isthac imperii indole Borussiam per annos centum triginta sex optimo statu gavisam. Statim enim atque Princeps jura ac privilegia provinciæ violare aggressus sit, Poloniam libertatis amantissimam id emendasse. Si Poloni supremo suo dominio abuti conarentur, autoritatem Brandenburgicæ Domus id impediisse, sic ut omnia in æquilibrio servata fuerint. Periculo imminente à Polonia validum auxilium præsto fuisse. Igitur avulsa à corpore Poloniæ Borussia, aliquando periculosum statum, qui ante Albertum fuit rediturum. Experientiam præteritorum temporum, situm Provinciæ, commercia, Mare Balticum, portus, conditionem Warmiæ ostendere, Borussiæ non posse bene esse, nisi cum Polonia unitæ, omnibus utrinque rationibus tantopere conspirantibus. Complura fœdera inter Ordinem Equitum, & Poloniam inita fuisse, anno 1404. 1436. 1466, sed omnia fluxa ob divisum dominium. Et quam facile in futurum super finibus, commerciis, vectigalibus, veredariis, & aliis dissidia oriri posse? Ubi Elector propriis ac sociorum viribus fretus destinata sua pervincere instituet; contra provincia ea parte patens Polonorum, Tartarorum atque Cosacorum incursionibus exposita erit. Quod si istis periculis avertendis par miles alatur, ab hoc provinciam concedendam. Electori de fide Ordinum etiam absque supremo imperio satis cautum. Si post extinctam Electoris familiam Borussia ad Poloniam revolvatur, hanc gentem ad mancipiorum instar habitum iri, pro lubitu alienandam. Quid porro calamitatis emersurum, si orto inter Electorem & Poloniam dissidio ille Ordinum auxilia poscat, quæ hi ob eventuale homagium præstare nequeant? Quod si Elector supremo imperio non aliter, quam Poloni, uti, nec id latius porrigere velit; non plus lucratum, quam antea habuerit, accedente insuper onere è bis mille militibus Poloniæ in auxilium mittendis, præter alia pericula & debilitatem è separatione à Polonia proventuram. Nam investituram petere, ac feudi dominum certo modo superiorem agnoscere, inter summos in orbe Christiano Principes solitum nulla fastigii imminutione; ac eadem lege Electorem Lauenburgum ac Butoviam à Polonia recognoscere. Denique Polonos de Borussorum statu sine horum consensu disponere haut potuisse. Nec se à Polonis obligatione sua rite exsolutos. Non per pacta Welaviensia, velut absque consensu Ordinum conclusa; non introducto supremo Appellationum judicio, cui Ordines contradixerint, provocatione ad Poloniæ Comitia interposita: non per Commissarios, qui convento modo haut comparuerint, coram quibus & ipsi quid sua intersit deducturi fuerint: non denique per diploma è suggestibus publicatum, cujus validitati requisita fuerit prævia consensio &*

adprobatio eorum, qui jurejurando exsolvend.
Sane Borussiam non per vim Poloniæ subjectan
eidem per ultroneam deditionem & reciprocam
sionem accessisse, quæ citra utriusque partis co
sum ipso naturali jure dictante tolli nequeat.
Ordines isti diplomati non prius contradicere
tuisse, quam nunc; quod proprio ausu congre
rum conventicula rebellionis ac perduellionis c
ne notata fuissent. Satis sese fidem per hoc h
Electori adprobasse; nunc eandem Poloniæ pre
dam; atque ostendendum, ab hac sese diveili
Igitur sibi necessum esse ob conscientiam & po
tatis curam jura sua circa nova illa pacta rese
re. Addebantur preces; ut Elector circa
articulos, ubi sua libertas per nova pacta
riclitari possit, caveat, ac ipsorum securita
pud Polonos quoque prospiciat.

§. 39. Enimvero non deerant, quæ ad
solide reponerentur. *Electorem durante bel*
vium suorum consilia haut insuper habuisse;
per Svecorum arma in ea conditione fuisse, u
tractatu cum Polonis vulgare haut tutum foret
major in provinciam calamitas provocaretur. A
cum summa rerum ingruente Sveco periclitare
qui aderant cives summopere institisse, ut cum
transigeretur. Post collapsis Svecorum armis
rosque Ordines institisse, ut Elector cum Poloni
gratiam rediret. Eoque non consciis solum
ea pacta inita, sed & ab iisdem probata; qu
cur displiceant causa non sit, quod provinciæ pr
legiis cautum sit, & ulterius caveri debeat. Se
præsentem provinciæ statum longe diversum f
ab eo, qui anno 1454. erat, quando Borussia a
Romano Imperio & Equitum Ordini subjicieba
Nam tunc provinciam abdicato penitus priore
sub alienum imperium concessisse, nunc eam sub
reditario Principe immotam manere, directo
tum dominio cum utili consolidato; ut pari utr
que modo procedi necessum haut fuerit. Q
itaque tunc Ordines ad eos tractatus evocati
sint ferendis suffragiis, id haut ideo factum, quod
rum consilium aut consensus negligeretur, sed q
ratio belli id non tulerit. Ast nunc convent
hunc indictum, ut ea res plenius iisdem proponat
Quæ adversus validitatem pactorum objiciantur
ania esse. Ea à Rege & Senatoribus, ipsoque Elect
jurejurando firmata, accedente tot Regum sponsio.
Et quia Ordines jam antea Electori jurata fide
stricti fuerant, non necessum fuisse novum hom
gium tantopere festinari; præsertim cum Elect
antequam è Borussia discederet, Ordinibus de ra
habitione Polonorum significarit, ac supremum t
bunal instituerit, promulgatione quoque per omn
templa facta. Eadem quoque pacta à Poloniæ O
dinibus in Comitiis adprobata, ac inter Constitut
nes Regni relata. Negotium Elbingense ad hoc s
premum imperium haut spectare, aut quod adh
tractetur, utrum de auxiliaribus copiis detrahi qu
possit. Diploma quoque Regium satis indicat
Borussos obligatione sua erga Poloniam exsolut
ita ut Commissariis non amplius opus sit, quam
homagium in casum extinctæ familiæ Electoralis a
ceptent, nulla circa supremum imperium agendi f
cultate, in cujus possessione jam Elector constitut
sit. Quod etiam à civibus velut insigne decus

Prin

662. *Principis æstimandum, ac favore plausuque prosequendum; quod quo nobilius fiduciaria conditione habetur, eo minus etiam incommodis hanc comitantibus obnoxium est. Quanquam prout humana se instituta habent, nullum civitatis genus reperiatur, quod ab omni periculo immune sit. Nec ignotas Rerumpublicarum conversiones, quarum genuinas causas vix investigaveris. Ordinem Equitum ab initio habuisse laudabile propositum, ac Status sui non deteriorem titulum, quam quo alii Principes subnituntur: cui inde nil vitii accidit, quod idem provinciæ tam proficuus non fuerit, ut subsequens cum Polonia combinatio. Unde præterquam quod fatorum dispositio circa similes mutationes insuper habenda non est, falso separationem Borussiæ à Polonia infelicis, conjunctionem felicis status causam jactari, quæ à longe alio fonte promanarit. Nam Equitum Ordinem ha um terrarum adquisitionem armis, ac Friderici II. Cæsaris concessioni attribuisse. Contra Polonos contendisse, terras Borussiæ nunquam juris & proprietatis Poloniæ esse desiisse. Ex quo bellum, & quæ hoc comitantur mala promanasse; quod hinc Ordo, inde Poloni finibus suis contenti agere nollent. Quod si autem felix Borussiæ Status fiduciario nexui hujus cum Polonia adscribatur, easdem rationes præsenti conditioni supremi imperii favere. Nam tunc ea transactione facta dominatum Ordinis abolitum, velut perpetua incertitudine fluctuantem, nullo hæreditario jure, ac totidem dominis; quot Equitibus, multiplici oppressione pariter provinciæ incumbentibus; quorum loco probe constitutum unius hæreditarii Principis regimen introductum. Quo non deterius etiam sub supremi imperii Statu constitui posse, atque ut id fiat hunc conventum indictum esse. Quæ adversus independens imperium incommoda objiciantur, non perpetua esse, ac pleraque à Numinis providentia provenire; ac nupero bello adparuisse, neque Polonorum potentiam, nec feudalem nexum, aut constitutiones hujus provinciæ avertendis calamitatibus pares fuisse. Quin contra ipsos Quartianos necessitatem attulisse cum Sveco tam duris legibus transigendi. Porro à Polonia eo minus periculi esse, quod pacta admodum accurate concepta sint, ac Poloni hactenus sanctæ servatæ fidei gloriam studiose affectarint, quam & Electori è sua parte colere cordi fore. Quin hisce pactis inter Regem & Electorem eo firmiorem quam nexu feudali adhuc subsistente amicitiam stabilitam, quo propiorem dissidiorum ansam ipsa inæqualitas præbeat. Quod autem nunc quindecim centuriæ auxiliaris militis præstandæ sint, cum antea centum equitibus, & annuo canone defungi liceret; id ne Borussiæ oneri cedat, alias Electoris ditiones facile suppleturos. Denique salutem provinciæ alicujus non in eo verti, ut duorum dominorum imperio disparis gradus subjecta sit, ubi obsequium ac amor civium bifariam divisus circa unum facile claudicare queat: sed ut status probe digestus sit, ac sincerus amor inter Principem civesque immotus subsistat: id quod æque obtineri possit Principe nullibi dependente, quam si idem fiduciario vinculo alteri innexus sit. Fœdera quoque stabiliendæ hujus provinciæ securitati longe facilius & firmius iniri à Principe sui juris posse, quam ab eo, qui alteri obnoxius agat.* Præterea monebantur Ordines, ne delegatos Warsaviam mittant. Nam si nil aliud quam expostulare velint, pacta citra consensum suum inita, hæc ideo haut invalida reddenda. Si privilegia ibi sua confirmari velint, id non amplius penes Polonos fore. Si id quærere velint, ne deinceps se inconsultis ad mancipiorum instar alienentur, id longe felicius obtineri posse auspiciis & autoritate Electoris, qui & jam privilegiis provinciæ in eum casum caverit, ac deinceps iisdem providere non sit omissurus. Denique ea missione nil aliud lucraturos, quam ludibrium, & gravem Electoris offensam. Plura movere haut placebat, ne prolixis scriptionibus hinc inde ansa præberetur: ac Elector vetuerat, ne delegati sui amplius circa eam rem cum Ordinibus in disceptationem descenderent. Et quia Ordines super relaxatione jurisjurandi sui adhuc dubitabant obtentu; diploma Regis vetustum esse, ac dubium, num eadem adhuc Regi sententia perstet, quod & ipsis justo tempore traditum non sit; Elector per Hoverbequium novum diploma Warsaviæ obtinebat pressioribus quam prius formulis. Etsi initio anceps videbatur istud petere, quasi jus jam quæsitum ultro in dubium vocaretur. Præter ista Ordines id quoque petebant, ut Elector ipsorum privilegia jurejurando firmet; ut quæ super Reformatis in pacto Welaviensi tanguntur, irrita sint: ut singulis bienniis conventus Ordinum habeatur: ut ærarium publicum constituatur; ut si Elector bello implicetur, ipsi ad auxilium ferendum non teneantur: ut si Principem ætate minorem existere contingat, Rex Poloniæ tutor fiat: ut auxiliis Poloniæ submittendis aliquid detrahatur: ut si quid controversiæ sibi cum Electore oriatur, ei componendæ Regii & Electorales delegati constituantur. Porro missione sua Warsaviam, quam agitabant, id quæsituri erant, ut Rex cum plena potestate legatos mittat ad ipsos jurejurando exsolvendos; ut idem caveat, si quid adversus libertatem fiat, Borussia directo dominio Poloniæ in perpetuum ne solvatur: si privilegia violentur, ut Rex remedium adferat: ne Rex citra Electoris & Ordinum consensum milites per provinciam ducat: ut quindecim auxiliarium centuriæ ad unam centuriam reducantur: quæ contra Evangelicos in Polonia constituta sint, ea ad Borussos ne porrigantur. His igitur postulatis, per quæ potestas Principis plane enervabatur, ac tantum non ad precariam conditionem redigebatur, ut Ordines dimoveret, Sverinus aliique in Electorem proni summopere laborabant. Sed cum iisdem plurimi adhuc præfracte inhærerent per diffidentiam; à Polonia separatis prolixe quantumvis promissa haut servatum iri; satis adparebat, id agendum Electori, ut de jure suo aliquid remittendo Polonos sibi conciliaret; simul ut ipse in Borussiam se conferret, autoritate sua turbidos facilius compositurus. Inter istas disceptationes tota æstas elabebatur, plerisque paulatim ab oppugnando supremo imperio, desistentibus; ac jam Eulenburgius Baro publice declarabat, se Electorem supremum Principem agnoscere. Cujus tamen exemplum 1662.

 reliqui

1661. reliqui non ulterius imitari volebant, quam ut testarentur; sese Electori supremi imperii decus haut invidere, sed sibi pariter conservationem privilegiorum & libertatis cordi esse. Sed præ aliis eminebat Regiomontanorum pertinacia, quos inprimis Scabinorum præses Hieronymus Rhodius stimulabat; quem Electoris jussu Sverinus blandis verbis ac promissis eo conatu dimovere incassum laborabat. Istis hominibus mira persvasio super indole supremi imperii animum turbabat, velut solus Galliæ Rex id genus imperii exerceat; qui pro lubitu cuivis vel omnes fortunas eripere possit, capitis insuper pœna inflicta, si quis tergiversetur, ac quid subtrahere audeat. Sed & non modica stolidi istius erroris culpa penes quosdam Electoris ministros erat, qui, ubi quid querelarum super oneribus à temporum iniquitate provenientibus moveretur, id omne obtentu supremi imperii excusabant, quasi id alium regiminis genium non ferat. Cæterum Sverinus svadebat, lenitate, & sublatis querelarum causis ægros animos sanandos. Nam si maxime in præsens adhibita vi utrinque componantur, aliquando sub minoris ætatis Principe frænum morsuros. Ac duo potissimum ab istis desiderari; quod Polonis demonstrandum sit, se utique ad hæc pacta condenda adhibendos fuisse, ne deinceps Electoris familia extincta ad pecorum instar condonentur. Tum ut remedium designetur, ubi super violatione privilegiorum ab Electore, aut ejus successoribus querendi causa præbeatur. Eo circumspectius autem procedendum erat, quod Poloni juxta ac Sveci in sinu gavisuri forent, si isthoc diffidium in nervum erumperet. Inter talia conventus Ordinum extrahebatur, *Auguft.* quoad lue maligna Regiomonte grassari incipiente iste aliquandiu suspenderetur, sub finem Octobris Bartensteini instaurandus.

Turbæ Borussicæ paulatim subsident. §. 40. Repetito inde Ordinum conventu Elector post incassum consumta molliora asperius contra Kalensteinium seniorem, & Hieronymum Rhodium agere instituit, jusso ut à consultationibus publicis removeantur. Cæterum Ordines paulatim sese placito Electoris *27. Octob. 1661.* attemperabant, ac demum declarabant; sese *6. Nov.* hunc supremum ac directum dominum, uti antea Regem Poloniæ, agnoscere, addito tamen, ut querelis ipsorum medicinam faciat, ac cautionem super provinciæ privilegiis ad *capitulationis* modum conceptam jurejurando firmet. A reliquis tamen Ordinibus sese tribus Regiomontanæ, exceptis duabus Lœbenichtæ, separabant: (nam Senatus trium urbium, & Judicum collegia cum reliquis Ordinibus sentiebant:) quæ prius in Comitiis Poloniæ à Rege & Republica nexu suo cum Polonia exsolvi cupiebant. Adversus quam Regiomontanarum tribuum separationem reliqui Ordines protestabantur, ac missione Warsaviam quærenda desistebant. Nec eo magis reliqua succedebant. Nam exhibita Regiminis Formula ad novum statum attemperata Ordines valde perturbatos se ferebant, velut antiquis provinciæ statutis plane subversis; ac post prolixo scripto ostendebant, istam multis partibus à privilegiis discrepare. Ac imprimis querebantur, eandem extra provinciam se inconsultis factam, & cum ipsi adhuc multa quæ circa eam desiderent habeant, jam sigillo firmatam tradi. Hoc quippe exemplo Polonos aliquando, provincia ad id Regnum devoluta ipsis Warsavia imperaturos, quicquid libido suggerat, insuper habitis provinciæ juribus. Accedebant & aliæ turbæ ex intemperie Sacerdotum, qui Christianum Dreierum Theologum insimulabant, quasi sub specie Syncretismi Calvini dogmata istis admodum exosa, introductum iret. Ac revera vir iste in Romana scita seqventes justo facilior, velut sufficeret hosce Symbolum Apostolicum profiteri; cum extra hujus dogmata iidem religioni suæ longe plurima admiscuerint, ob quæ solida pietate imbutis ea merito fugienda sint. Idem & febriculosa quæstione, *Num Deus sit causa peccati per accidens* sese jactabat; de qua Elector publicis ad populum sermonibus mentionem fieri vetabat; cum ejus farinæ disceptationibus non alius sit fructus, quam ut plebejorum animi molestiis scrupulis inquietentur. His difficultatibus amoliendis cum Electorales delegati frustra insudassent, Sverinus ingerebat, Electoris præsentia utique opus esse; quod quo plus istis hominibus indulgeatur, pertinacia ac diffidentia eorundem gliscat. Ac eo magis necessum videri isti negotio quamprimum finem imponi, ne si Polonos è difficultatibus, quibus in præsens distinentur, eluctari contingat, ad Electorem mittant expostulatum, quare hic contra pacta Borussis privilegia sua ademtum eat? Et quia Rigæ maximo cum gaudio istæ turbæ audiebantur, suspicio erat, easdem à Svecis captari. Unde Electori aliquid remittendum, quod ob ejus provinciæ situm ipse minus frequenter ibi agere queat, eademque potentibus Regnis vicina sit, invidia ob eam in Electorem flagrantibus. Simul pignerandæ civium benevolentiæ privilegia in universum confirmanda hac duntaxat cum exceptione, qua supremo & directo dominio non adversentur; id quod & Electori probabatur. Tum & instantibus in Polonia Comitiis Commissarios postulandos, qui juxta pacta jusjurandum ab Ordinibus Borussiæ recipiant, ac in casum devolutæ ad Regnum provinciæ super privilegiis nomine Regis ac Reip. ipsis caveant. Nam ubi Borussi audierint, ejusmodi delegatos nominatos, qui nil aliud in mandatis habeant, promtius placito Electoris istos sese attemperaturos, velut qui semper istos aucupentur, citra quos negotium supremi imperii nondum ad liquidum deductum arbitrentur. 1661.

§. 41. Super firmando Electoris in Borussiam supremo imperio Dobrzenius id consilii suggerebat; *Esse Borussiam ob situs opportunitatem, flumina, portus, commercia, egregia oppida, insignes præfecturas, multitudinem incolarum, fertilitatem agrorum, egregia & rara Principum jura maximi æstimandam, & quæ eximios usus præstare queat, inprimis post supremi imperii fastigium eidem* *Consilium super firmando supremo in Borussia imperio. 8. Febr. 1662.*

1662. *dem adquisitum. Sed quod Elector e tam nobili provincia hactenus tam modicos proventus ceperit, in causa esse abusum privilegiorum, & promanantem inde enormem Ordinum licentiam; tum præcipue nimiam supremorum Consiliariorum autoritatem, perquam scæva redituum administratio irrepserit. Et cum spesfuisset, introducto supremo imperio nimiam Ordinum libertatem coercitum, ac ad commodum Electoris attemperatum iri, contra secutum, ut eo vocabulo magis induruerint, ac tantum non in desperationem verterint. Et quia ob iniquitatem temporum magnus exercitus habendus fuerit solutiore disciplina, cui alendo tributa sæpe per vim exigenda fuerint; Ordines id omne nimiæ autoritati quæstorum militarium imputasse. Et quia vulgatum fuerit, perpetuum militem splendidissimam supremi Imperii notam esse; populum inde collegisse, istorum quæstorum potestatem, atque his subservientium multitudinem æternum servitium ipsius cervicibus impositurum. Unde eos supremum imperium velut terribile monstrum aversari cœpisse, ac eidem extremis reluctari viribus decrevisse. Demum tamen Radzivilium & Sverinum monstrosam istam persvasionem hactenus iisdem exemisse, ut id imperium certis conditionibus adprobarent. Sed quia hæ ambigua, ac ita comparatæ sint, ut per easdem effectus summi imperii in futurum magis magisque imminuendus, & Electori ad extremum loco corporis non nisi umbra remansura sit; ferrum dum candet cudendum, & id agendum, ut id imperium radices agat, verumque scopum assequatur. In hoc enim, simul ut res œconomica probe constituatur salutem hujus provinciæ verti. Ad isthoc porro supremum imperium adversus exterorum machinationes firmandum, necessum esse præsentem Poloniæ statum accurate trutinari, & pro ejus captu ad illos quoque respiciendum, quibus cum eo Regno communes rationes intercedunt. In præsens igitur Poloniæ Proceres inter se discordes, & in factiones divisos. Plerisque invidiam in Electoris fortunam. In aula utile honesto, & omnibus aliis respectibus prævalere. Regem debilem, cujus mors magnas mutationes paritura videatur. Reginæ periculosa consilia, cui secreta commercia cum Gallis & Svecis misceantur super iis destinatis vi pervincendis, quæ volentibus Polonis obtineri nequeant. Eidem maximam Lithuanorum partem favere; munita Borussiæ Regiæ oppida ab obnoxiis eidem hominibus insideri. Moscica pace, quæ certo speretur, Polonicum exercitum otiosum fore, qui tamen ob metum à Tartaris & Cosacis dimitti nequeat. Instantibus Comitiis id præcipuum negotium fore, ut confœderato militi satisfiat. Si Austriaci Turcicum bellum amoliri queant, destinata in Poloniam repetituros. Gallos & Svecos magis quam antea Poloniæ se negotiis ingerere, & astu, potentia, ac pecunia multis consiliis pondus addere conari. Barbaros, Turcas, Tartarosque nil nisi occasionem captare; ut & ipsi in partem prædæ veniant. Cosacos transactioni suæ cum Polonia hanc clausulam addidisse; ut quicquid ex necessitate belli cum extraneis conclusum sit ad imminutionem jurium, libertatis, ac finium Poloniæ, id irritum sit. Isthæc omnia si inter se collata expendantur, exinde consequi, Electori in præsens operam dandam, ut ea persvasio Polonis firma stet, ipsi in animo esse Brombergensia pacta examussim servare inprimis circa Ordinum Borussiæ privilegia sarta tecta præstanda. Tum ut futuris Comitiis obtentu arctioris cum Gallia conjunctionis Reginam deliniat, ac præcipuos Senatores, quorum respectus cum ipsius rationibus quadrant, sibi adjungat. Sed quæ sibi super futura successione in Polonia mens sit, in secreto teneat, nec prius, quam necessitas exegerit, pandat. Insuper Domus Austriacæ, quæ in Poloniam oculos conjecit, amicitiam diligenter colendam. Nec eo minus Galliam conciliandam, quæ expromendæ offensæ Electoris commoda impedire studeat; cui inprimis confirmandum, ab ipso periculosa Austriacorum circa Poloniam consilia hautquidquam fulcienda. Cum Svecia quoque amicitiam instaurandam, avertendis insidiosis ejusdem è vicinia machinationibus, & ne, quod affectat Maris Baltici dominium, in ipsius fraudem extendat. Sed super confirmando intus supremo imperio observandum, Ordines provinciales id quidem agnoscere; ut tamen credant, Electori haut integrum esse per pacta Brombergensia & propria pollicita ipsorum privilegia imminuere. Quorum tuendorum cura non parum aucta sit, quod in nuper transmissa Regiminis formula videantur non pauca observasse, per quæ istorum vis enervetur; quibus & à Polonis stimuli subdantur. Unde istos animum adeo obfirmasse, ut potius quam in eorum mutationem consentiant, rem in suspenso relicturi, ac futuri temporis eventus captaturi sint. Quibus in Ordinem redigendis violenta remedia adhibere admodum periculosum, & exteris turbas alendi occasionem pariturum. Unde expedire, ut Elector quamprimum Ordinum animos lenitate sibi adjungat, ac reipsa ostendat, conditionem ipsorum hautquidquam in deterius mutatam. Id quod fieri possit, si testetur, dolore se tangi ob onera ipsis incumbentia, quæ inevitabilis necessitas imperarit: ac sibi haut propositum ipsorum privilegia imminuere; quæ summa eorundem cura sit. Tum si quid mutari expediat, ut id pedentim & citra strepitum fiat captata occasione, quam lapsus temporum suppeditaturus sit. Inprimis necessum fore potestatem supremorum Consiliariorum paulatim circumcidi, quæ cum jure supremi Pricipis consistere nequeat. Si enim penes hos esse debeat, absente Electore provinciam regere; si absque eorundem adprobatione nihil eorum, quæ circa Borussiæ negotia statuuntur, valere debeat; si ex eorum placito pendeat conventus Ordinum indicere, præfectos bonis Principalibus statuere, circa reditus disponere, quid Principi superfuturum? Eorum autoritati circumscribendæ facturum Gubernatorem constituere, qui omnia prius expendat atque decernat promulgatione & solennibus rituum per Consiliarios addendis, ut species penes hos, vis imperii penes illum maneat. Eidem Gubernatori quantum possit assidue in regiminis sede agendum. Consiliariis supremis ærarii dispositionem subtrahendam. Rem militarem per provinciam probe disponendam. Nullum actum negligendum, quo supremi imperii veneratio in animis civium radices agat. Insolentiam Regiomontanorum compescendam, eosque ad promtius obsequium adducendos; denique in præcipuos refractariorum exemplum statuendum.* 1662. Addebatur de præfecturis Ducalibus ære alieno exsolvendis, ac ut ærarii negotia

1662. negotia valde confusa ordinentur, pignori opposita reluantur examinatis prius contractibus; ac amotis locatoribus, qui ita prave bona Principis administrarint.

Electoris ad Aulam Polonicam legatio. §. 42. Cum itaque Borussiæ turbæ in longum irent, maxime necessarium Electori videbatur Aulam Polonicam delinire, ne refractariorum ibi pertinaciam clam alendo, aut eorum causam aperte suscipiendo gravi ipsum molestia exercerent. Præsertim cum Aula eundem suspectaret velut confœderationi exercitus Polonici autorem, Ducibus pecunia corruptis; circa quam rem Lubomirscius, & Procancellarius Lessinius operam sociarint. Quanquam suspicionis tam iniquæ nulla alia ratio esset, quam quod fœderati isti de Electore honorifice loquerentur, ac post Joannis Casimiri fata Regem eundem eligendum judicarent: cum in Regem & Reginam multa contumeliosa jacerent. Sed & Prasmovius Poloniæ, & Pacius Lithuaniæ Cancellarii ab eodem exercitu proditores patriæ increpabantur ob electionem Enguiani vivo Rege propositam, quos juxta leges ad supplicium deposcebant. Cujus rei causam hi quoque in Electorem conferebant, eoque cum Aula consilia conferebant huic ulciscendo. Igitur ad Comitia Warsaviam missus Hoverbequius; quæ cum extra ordinem & ad demulcendos duntaxat exercitus animos indicta essent, is publica quidem propositione supersedere jubebatur, ut tamen apud Regem & Reginam ac præcipuos Senatorum impletionem pactorum urgeret, quod Electori non solum Elbinga tradita non sit, sed nec è vectigalibus eo fine in Vistula institutis quidquam pecuniæ solutum, haut misso quoque legato, qui ad satisfaciendum Electori idoneas rationes propositurus dicebatur. Si objiciatur id negotium ad Comitia extra ordinem indicta non spectare, reponeret: circa id sola executione opus esse, quæ penes Regem sit. Si è Borussia in aulam veniant, qui in Electorem querelas moveant, demonstraret; salvis pactis istos admitti non posse; ac si Poloni Borussiæ rebus sese ingerere velint protestatione interposita confirmaret, Electorem ista non toleraturum. Non tamen nisi ad extremum ad minas procederet. Et quia spes sit omnia bene conventura, delegatos designari peteret, qui homagium in eventum extinctæ familiæ Electoralis ab Ordinibus Borussiæ suscipiant, ac in eundem casum libertatem ac privilegia istis salva fore caveant. Operam autem daret, ut isti delegati sint studio in Electorem proni, qui mandata ne migrent, ac tempus ab Electore condicendum expectent: ac maxime optandum, ut Procancellario Lessinio id negotium deferatur. Præter hæc expiscaretur, quid super futura electione agitetur; circa quam in neutram partem inclinationis quid ostenderet. Nam cupiebat Elector favorem exercitus retinere, nec tamen Aulæ suspicionem injicere, nec intestinis Poloniæ turbis sese immiscere; cum contra Aula istum cum fœderatis committi posse optaret. Nam in Aula spargebatur,

10. Febr. Legati mandata

Electorem confœderato se exercitui jungere velle: cum apud hunc contra disseminaretur eundem Czarnecio ac Regiis copiis sociaturum. Ac Lumbranus, ut fœderatos Electori suspectos redderet, Hoverbequio confirmabat; hos ad Cæsarem misisse declaratum, se vivo Rege electionem concedere nolle, ac eo defuncto neminem nisi Austriacum Regem electuros. Nam norat, Electorem nolle Austriacum in Polonia Regem esse. Reginæ autem Hoverbequius velut suo nomine dicere jubebatur; si ipsa, ut Electoris postulatis satisfieret, præstitisset, ac sua destinata eidem mature communicasset, negotium id fortasse longe aliter fuisse casurum; quod sine dubio, etsi Elector super certo candidato mentem suam haut declarasset, multi tamen indigenæ juxta exterique ipsius cum eodem conjunctionem respecturi fuerint. Quanquam revera id negotium à Gallis valde imprudenter tractatum fuerat, quod antequam decretum de electione perfectum esset, rumorem de grandi pecuniæ vi, quam Akakia è Gallia allaturus sit, sparsissent; quo Nobilitati statim scrupulus injectus, plerisque proceribus offensis, quibus nihil pecuniæ oblatum fuerat, nec minus frementibus, queis promissa non repræsentabantur; præsertim cum Galli minas jacerent, id negotium vi pervincendum. Apud Lumbranum Hoverbequius queri jubebatur, promissam ab ipso ratihabitionem articuli separati non secutam, & quod Galliæ Rex ob fœdus Electoris cum Cæsare, isti innoxium, traditionem Elbingæ impedierit eo ipso tempore, cum Neoburgicus istius opera Juliacum recuperaret. Et tamen Gallos non dubitasse ab Electore postulare, ut is non sine gravissima fœderatorum suorum offensa Reginæ destinata, de quibus tamen sibi significare noluerit, adversus leges Regni fulciret. Cæterum eo tempore periculosa in fraudem Polonicæ libertatis strui constabat. Nam Lessanus Berolini ostenderat, inter Poloniæ Reginam, & Galliæ Regem convenisse, ut vel invitis Poloniæ Ordinibus Rex obtruderetur. Et quanquam capita fœderis nuper inter Gallos & Svecos initi ita accurrate cognita non essent; dubium tamen non habebatur, quin Sveci ad ea destinata promovenda sese obstrinxissent; quod & è Lessani sermonibus colligi poterat: præter morem quoque ad Electoris fines, ac inprimis Elbingæ præsidia habebantur, quibus præficiebantur homines Reip. suspecti. Tum & de redimendo Lauenburgo & Butovia, de perfodienda Nerunga ad exponendas in terram copias sermones seri altius penetrantes. Igitur Hoverbequius Lessinium, & alios amicos Senatores hortari jubebatur, ut libertati & communi securitati invigilarent; testarique Electorem in nullam partem horum consiliorum venire. Nec minus eosdem edoceret, Neoburgicum Gallo portionem suam Juliacensis ditionis hæreditario jure transscribere velle, si ipsi Coronam Poloniæ præstaret. Quod non alia lege factum verosimile erat, quam ut idem isthoc Regnum jure hæreditario

1662. rio possideret. Præterea Hoverbequio injunctum acriter Warsaviæ protestari, ne Rhodius audiatur, quod isthoc pactis repugnet; qui & non publico nomine veniat, sed velut privatus seditionis incentor. Tum nullo modo permitteret, ut Rex super querelis istius ullam cognitionem suscipiat. Simul fautoribus Electoris demonstraret; Polonos nulli pactorum parti satisfecisse, & quidem non ideo, quod Reipublicæ aliquod inde emolumentum captetur, sed in gratiam Electori infensorum, & ut huic ægre fiat; simul tantum non vi adhibita constans ipsius pro Reip. libertate studium extinguant, ac circa negotium electionis in Reginæ partes pertrahant. Quas indignitates tolerare tam fidum Reip. amicum, socium atque vicinum sane dolendum esse. Adderet hortatus, ut libertati suæ tuendæ invigilent, nec Electoris rationes oblivioni tradant. Inprimis Lubomirscio ostenderet; quibus artibus Aula Polonica Electorem Ordinibus suspectum atque exosum reddere, atque unum & alterum Regum in ipsum irritare satagat non aliam ob causam, quam quia in dictionis negotio, atque aliis Reip. rationes evertentibus cum aula conspirare noluerit. Ac periculosum esse Reipublicæ, si ejus saluti ac libertati studentes tam indignis modis haberi cæteri dissimulent.

[Re]gi Jo[an]nis Ca[s]imiri [g]ratula[t]io. Mart. §. 43. Hoverbequius postquam Regi de victoria recens contra Moscos obtenta gratulatus esset, super neglecta pactorum exsecutione querebatur, ac ne legatum quidem, de quo proximis Comitiis promissum fuerat, venisse. Is post reposita honoris verba fatebatur; *Electori circa Elbingam utique injuriam fieri, ac sibi id valde molestum esse, idemque emendatum cupere. Sed id non penes se, sed penes Ordines esse, apud quos super eo negotio instandum sit. Legati missionem non ex contemtu, sed variis de causis omissam; & quia Comitia tam cito intervenerint, commodius rem inter ista confici posse.* Cum Hoverbequius Rhodium dedi postularet, Rex asseverabat, *ejus nomen ne fando quidem se audiisse, nec si veniat eum ad se admissurum. Sed ut dedat, à se postulari non posse.* Et cum noster reponeret; *esse juris gentium, non solum exteros, sed & aliquando proprios cives publicum ob delictum amicis postulantibus dedere;* Rex declarabat; *si iste alicubi in Polonia interripiatur, id se dissimulaturum, sed ut Warsaviæ id fiat, haut toleraturum.* Ac demum u[t c]andorem suum ostenderet, quod antea inficiatus fuerat, fatebatur. Sese Rhodio denuntiari jussisse, ipsius causam se haut suscepturum, multo minus in ejusdem gratiam bellum gesturum. Et quas isti literas dederit, Electoris emolumentum spectasse. Addebat; *plures ejusmodi occasiones extitisse, quibus sua cum Electore collisio quæsita fuerit; ac certos homines instinctu turbidorum quorundam Borussorum in Aulam scripsisse, magno cum Poloniæ emolumento arripi posse occasionem ab Ordinibus Borussiæ ultro præbitam.* Sed se respondisse; *facilius ejus indolis negotium suscipi, quam perfici, ac sibi jam antea sat hostium esse.* Nomina tamen turbidorum istorum pandere nolebat. Cæterum Borussico negotio composito facile deinceps Electori cum Aula conventurum, velut sublata molestiam dandi occasione. Cum super detenta Braunsberga Rex quereretur, & quod Nobiles in districtu Lauenburgico & Butoviensi duriter habeantur, Hoverbequius regerebat; horum querelis jam satisfactum; circa istam nil moræ fore, Elbinga prius tradita. Circa Rhodium Cancellarius dicebat; si effici possit, ut is è vinculis causam dicere cogatur, Regiomontanos meliorem mentem induturos. Porro Hoverbequio petente Rex ad Ordines Borussiæ literas dabat, quibus eos hortabatur, ut pactis inter ipsum & Electorem initis sese attemperent, iniquitatem temporum excusans, quod consensus istorum in antecessum requiri non potuerit; cum salus Reip. suprema lex sit, quam citra ista pacta eo rerum turbine servare datum non fuerit. Cæterum ipsorum privilegiis, si aliquando ipsos ad Coronam Poloniæ redire contingat, satis cautum iri.

§. 44. In eundem sensum Regina quoque Hoverbequio respondebat, ut facile adpareret de compacto eos locutos. Inde noster Reginæ referebat; Lessanum postulasse, ut Elector non verbis solum, sed & armis exclusionem Austriacorum à Corona Poloniæ, simul Enguiani desideria promovere vellet. Cui Elector responderit; sibi judicium super hoc postulato suspendendum, quod è Polonia & Borussia longe diversa ab his, quæ ipse narret, referantur. Præterea Reginam sibi confirmasse, statim atque decretum de electione vivente Rege perfectum fuerit, ac de canditatis loqui jam maturum sit, ipsam ultro arrepta occasione sensa animi Electori candide expostituram. Quod cum hactenus factum non sit, se non posse non judicare, id negotium Reginæ adhuc immaturum haberi. Igitur Electorem jam cognoscere velle, quo loco id negotium sit. Regina Electoris responsum probare, ac in præsens circa istud nil moveri posse. Quod hactenus non nisi laxioribus verbis cum Electore super eodem egerit in causa fuisse, quod jurejurando ad silentium obstricta fuerit. Nunc se id negotium plane deposuisse, postquam a proceribus ita illusum sibi sit, ut cui fidem deinceps adhibere debeat ignoret; nec cum istis hominibus sibi amplius rationem constare. Inde multis verbis exponebat, quomodo negotium electionis hucusque agitatum fuerit. Inter Thorunii obsidium aliquot proceres ad se accessisse, ac demonstrasse; uti ingentes in Rep. motus animo præcipiant, si electio post fata Joannis Casimiri differatur; simul rogasse, ut ipsa Regi persvadere velit consensui in electionem se vivo dando. Hinc conventionem inter se & præcipuos procerum initam, ac mox monachum à se ad Condæum Bruxellis tunc agentem missum qui sciscitaretur; num is filium suum præbiturus sit, si Resp. Regem eum designet? Cui Condæus responderit; se tantum bonorum filio suo in Gallia relinquere, ut alias ditiones ambire opus non habeat. Assequendæ tamen Regiæ dignationis occasionem haut temere negligendam. Absque

1662. *Reginæ responsum.* *Circa electionem successoris irritæ machinationes.*

1662. que Galliæ tamen Regis consensu nil se suscepturum. Dehinc inter Olivensem negotiationem Fantomium in Galliam missum, ut Enguiano indicaret, multos è Poloniæ Ordinibus studio in ipsum inclinare. Sed Mazarinum diu ad proposita ab ipso animum advertere noluisse, causatum, Regem Galliæ ad negotium lubricum, ac nondum digestum trahi; scilicet quod mallet Neoburgicum, à quo multis beneficiis in exilio affectus erat, aut Almericum Mutinensem Poloniæ diademate, potiri. Post in Convocatione ob confirmandam pacem Svecicam habita, instrumentum super electione vivo Rege multorum Senatorum & aliorum manibus subscriptum fuisse perfectum. Tum alio scripto triginta procerum manibus firmato ipsi cautum; se ante omnes Enguianum, aut si id pervinci nequeat, Longvillani filium, vel etiam Ducem Glocestriæ, qui Romanos ritus professurus credebatur, pro viribus, ad solium provecturos. Equidem jam initio, & antequam Rex Angliæ restitueretur, plerosque in Glocestriæ Ducem oculos conjecisse: Sed se contra demonstrasse, eo electo Poloniæ nil emolumenti accessurum, ac tamen periculum fore, ne Resp. bello implicetur. Sed post fratrem ipsius Regno redditum facile se ferre potuisse, ut istius ratio haberetur. Cæterum se addictos sibi crebro monuisse, ut ne sensa animi Gallo, ac inprimis Enguiano pandere properarent, sed potius eadem premerent, ut perspiciant, num quis forte meliores conditiones oblaturus sit; ac in hoc fateri se Galliæ imponere voluisse. Eoque se cum Austriacis quoque consilia miscuisse, ac sibi à Cardinale Vidonio propositum; Cæsarem annua XL M florenorum daturum certa ditione assignata, ac ipsum uni suarum neptium, alteri fratrem connubio jungendum, si, ut ipse corona Poloniæ potiatur, efficere velit. Se tamen de Cæsare apud neminem mentionem facere ausam. Nunc Ordines postulare, ut electio vivo Rege nova constitutione prohibeatur, utque ipsis omnia scripta, quæ eo nomine exhibuerint, reddantur. In quod Rex ægre consensurus sit, ni & sibi cautio Austriacis tradita restituatur. Nam Galliæ longius remotæ chirographum traditum exiguo usui fore. Sed Austriacos vicinos data occasione ad oppressionem Reip. eadem abuti posse. Testabatur simul, sibi circa hoc negotium Electoris rationes semper præ oculis fuisse, velut quo repugnante id successurum non sit. Eoque fine à se triplex fœdus propositum; primum inter Galliam, Poloniam, & Sveciam ad excludendos Austriacos, & contra libertatis oppressores: alterum inter Galliam, Sveciam & Electorem novi Regis electioni promovendæ: tertium inter Galliam, Poloniam, Sveciam, Electorem & Austriacos contra Turcam ea lege, ut quilibet sociorum ratam partem terrarum bello quæsitarum sortiatur, non ut omnes pro solis Austriacorum incrementis pugnent. Ad extremum rogabat, ne cuipiam de propositis à Lessano indicium fieret, testata quoque sibi circa electionem nil amplius curæ fore. At

Fantomi.

Vidoni.

Lumbranus de hoc negotio ita referebat: neque Gallum, neque Joannem Casimirum de successione ista cogitasse, antequam à quibusdam Polonis ansa præberetur; ac initio dubitasse, num id negotium suscipiendum foret. Cum autem proximis Comitiis haut placuisset de successore vivo Rege agere, Reginam quoque decrevisse animum suum plane ab eo negotio avertere. Sed cum denuo à quibusdam proceribus spes ipsi facta foret, eandem, quod antea immaturum ac supervacuum judicarit, apud Gallum institisse, ut ad Electorem quispiam ablegaretur, qui non solum ea destinata ipsi panderet, sed & inita conventione in partem negotii eundem pertraheret: id quod & ipse suaserit. Et hanc causam fuisse missi Lessani. Sed quo tempore ipse id consilii dederit, aliam rerum faciem in Polonia fuisse, quam in præsens; de qua mutatione Regi Galliæ, cum Lessanum mitteret, haut constiterit; eoque dubium esse, num iste hæc destinata adhuc persecuturus sit. Hoc autem negotium Gallum voluisse ab Electore non verbis solum, sed & armis promoveri. Cæterum Regina, quanquam testata fuisset, de electione non amplius se cogitaturam; tamen non leviter commovebatur, quod Lubomirscius juvenem Ragozium proponeret ea lege, ut Reginæ neptem in uxorem assumeret, jactans; eum neque prudentia, neque opibus valere tuendo diademati, ac aliquando una cum conjuge Regno expellendum. Post Regina id moliebatur, ut sua neptis Princeps Poloniæ & quasi filia Reip. declararetur: id quod multo difficilius, quam prius consilium de successore vivo Rege, processurum judicabatur.

§. 45. Ex istis Reginæ sermonibus colligebatur, ipsi nil spei superesse destinatis suis citra vim, ac ultronea Ordinum voluntate obtinendis; eoque aliam viam ingressam ingratiis Ordinum ope Galliæ ac Sveciæ ista pervincendi. Et quia haut confidebat absque Electoris opera voto se suo potituram, Gallo per ipsam suggestum fuisse, ut hunc ad id negotium pariter, suscipiendum permoveret; quod neque Galli, nec Sveci copias suas nisi per ejusdem terras ac portus commode Poloniæ immittere possent. Igitur non è benevolentia, sed subigente necessitate blanditiis Elector adrepebatur, quo is ancipiti ac altius penetraturo negotio innecteretur contra salutem Reip. Polonicæ, quæ in observatione legum vertitur. Cui vicissim aliud nil promittebatur, quam guarantia chartæ inscripta, & gratus futuri Regis animus, pactorumque Brombergensium confirmatio; quæ tamen jam antea tam solenniter à Rege & Rep. ratihabita fuerant, ut præter executionem nihil desideraretur; cui promovendo Lessanus Regis Galliæ nomine præter officium nihil promiserit. Rex autem & Regina eo colore Electoris postulata à se amoliebantur quod res non amplius penes se, sed penes Ordines sit, apud quos eandem urgendam. Et tamen Regina volebat, ut Elector in aliorum gratiam illos ipsos Ordines à se alienaret, ac contra veteres sui Status rationes operam

1662.

De Reginæ destinatis judicium.

1662. operam daret, ut potentissimus quispiam per arma ad solium grassetur, legum ac pactorum vinculum adspernantia. Et cum omnes Germaniæ Ordines summo studio enitantur, ut veterem Romani Imperii Statum ac libertatem conservent, unius dominatui haut obnoxiam: ab Electore jam postulabatur, ut in bellum contra Austriacos descendat, ac provincias suas Svecis comedendas exponat nullo alio fructu, quam ut in vicem Regis potestate per leges circumscripta præditi Polonis alius obtrudatur, cui libido sua lex futura sit; qui pro arbitrio bella movere, ac vicinis perpetuum metum incutere valeat, aut saltem molesti ac sumtuosi terra marique paratus bellici necessitatem imponat. Equidem Lessanum Electori cautionem promisisse contra Polonos, atque ipsum successorem Gallicum. Sed quantum ejusmodi cautioni fidendum sit, nemini obscurum esse. Inane quoque erat, quod Regina jactarat, electionem non amplius sibi curæ esse, ac Gallos post conditam à Polonis Constitutionem cogitationes suas ab eo negotio plane avertisse: cum satis constaret eandem omni arte ad idem perficiundum conniti. Quo fine ipsa Lubomirscio lautas conditiones afferebat, supremum in exercitus imperium post Potocii mortem, alteram suam neptem in uxorem ipsius filio cum dote CC M coronatorum, & annuam pensionem L M florenorum, ac plura alia. Sed cum iste talibus illecebris aurem non præberet, præcipuam spem in Stephano Czarnecio collocaverat, valida inter milites factione succincto; quicum & consilium super trucidando Lubomirscio captum erat, rixa ab isto cum hoc inter epulas excitando, quo inter tumultum cædi occasio panderetur. Cæterum confirmabat Lubomirscius, sibi de Ragozio juniore nunquam cogitatum, cui & artes imperio gerendo haut sint. Ast olim se diadema istius parenti destinasse, si ipsius tunc consilium sequi, ac citra offensam Portæ Ottomannicæ in extremo periculo versanti Poloniæ X M militum auxilio mittere voluisset, uno & altero insuper millione, idonea cautione accepta, mutuo dato.

Regis suspiciones discutiuntur. 11. Maii. §. 46. Proponebant dehinc Czarnecius, & Cancellarius Prasmovius Hoverbequio: *Electorem Regi Bromberga promisisse, si quid huic periculi eo nomine proveniat quod ipsi supremum Borussiæ imperium cum Elbinga, Lauenburgo & Butovia concesserit, se auxilium ipsi laturum; quo nunc opus videatur, periculo à fœderatis militibus imminente.* Eam occasionem Hoverbequius arripiebat apud Regem declarandi: *grato ab se animo agnosci fiduciam, quam Rex in Electore collocarit; qui & ipsum periclitantem nunquam deserturus sit. Sed ut Elector controversiis inter Rempublicam, & confœderatum exercitum sese ingerat, id eo minus postulandum, quod spes sit amicæ compositionis, ac Rex ipse medium se inter partes gerat.* Qua declaratione Rex sibi satisfactum testabatur, haut tamen inficiatus, aliquamdiu se credidisse, exercitus pertinaciam ab Electore faveri; cujus tamen testationibus eam sibi suspicionem exemtam. Hoverbequio contra asseverante; *Electorem ita circumspecte in hoc negotio se gessisse, ut ne suspicio quidem in eum cadere potuerit. Se quoque ideo de Elbinga publice proponere noluisse, ne iniquitate temporum in rem suam ut voluisse videretur, neu inter publicam calamitatem Reip. molestus esset. Ac Electorem omnia commercia cum exercitu summo studio defugisse.* 1662.

Roponebat Rex: *suspicionem suam inde enatam, quod confœderatus exercitus ita magnifice de Electore prædicaverit, ac utique in Majorem Poloniam se conferre voluerit, velut conjunctioni cum isto quærendæ. Aliquot insuper procerum machinationes multos sibi scrupulos injecisse, ut circa electionis negotium non parum diffidentiæ de Electore conceperit. Enimvero etsi reperiantur tam maligni religionis æstimatores, qui etiam Catholicis sacris aversum solio imponere dubitaturi non sint; id tamen ob magnam Cleri autoritatem pervinci non posse. Esse præterea istos homines admodum inconstantes, à quibus & ipse deceptus sit, cum non proprium emolumentum, sed unice Reip. salutem respexerit. Quomodo Electori cautum, eosdem candide cum ipso acturos, aut si in rem præsentem veniendum sit acturos?* Inde ab initio totius negotii progressum repetebat; uti Lubomirscius, Procancellarius, Castellanus Woinitzius, defunctus Archiepiscopus, alii, statim atque ipse Regno excesserit, Austriacos respicere cœperint, oblato diademate, si petitum auxilium præstaretur. Sed Ferdinandum prima & secunda vice eam rem plane ad animum non revocasse. Demum Czenstochovvæ decretum conditum, ac procuratorium & cautionem adornatam: nec parum perturbatos proceres, cum ipse quoque præter opinionem eo pervenisset, quem diutius in Silesia hærere maluerant. Inde postquam defunctus Procancellarius cum Austriacis super successione transegisset, tam procuratorium, quam complurium procerum cautionem in Cæsaris manus traditam. Sed ad Thorunium orto inter Lubomirscium & Suchium dissidio consilia mutata fuisse; ex quo tempore proceres tam apud se quam Reginam institisse, ut se vivo super successore agere ipsis liceat; in quod se demum consensisse. Complures dehinc consultationes & congressus habitos, simul cautiones subscriptione ac jurejurando firmatas exhibitas; quibus tamen ipse nunquam permoveri potuerit, ut super electione palam ac suo nomine proponeret. Nec eo secius istos cum Castellano Leopolensi Fredrone, ac Posnaniensi Grzymultovio clandestina conventicula agitasse disturbando negotio. *Fredro. Grzymultowski.* Cum etiam ipse tædio negotii per Cancellarium declarare voluerit, se idem plane depositurum, Lubomirscium cum aliis rogasse; ne nimium festinaret, sed prius unam & alteram viam tentaret. Sed cum ipse ista insuper haberet, post Comitia negotium denuo susceptum, mentione quoque Enguiani velut successoris injecta. Pacium Lithuaniæ Cancellarium, in quem jam tanta invidia eam ob causam incumbat, solicitantibus triduo restitisse, antequam pro Gallo studium declararet. Cum Aulæ Mareschallo Opalinio per tres septimanas negotium fuisse, quoad is

1661. Austriacorum partibus detraheretur. Czarnecium quoque diu rogandum fuisse. Ita nil fiduciæ istis superstrui posse, qui modo his, modo illis partibus se addicant. Cæsari non exiguam factionem in fœderato exercitu esse; Radzievium menstrua pensione eo nomine frui; Lithuanos plerosque in Moscum inclinare. Ac vix aliter post mortem suam futurum, quam ut Moscus Lithuania, Cæsar Polonia potiatur, Electore quoque fortasse partem Majoris Poloniæ sortituro, cui & super Borussia cum Svecis certandum sit. Hoverbequius ad hæc: *rem huc haut redituram. Electoris rationes in eo verti, ut Reip. pristinus Status ac libertas persistat; de qua si cautum sit, parum ipsius interesse, quis Polonico diademate gaudeat.* Cum Rex objiceret; Electorem utique cum Lubomirscio consilia contulisse; iste reponebat, *eum virum conciliandum fuisse, qui antea Electoris commodis valde repugnarit, sic ut aliqui è Borussia turbidi ejus patrocinium ambierint. Ac præcipue Electorem per istum explorare voluisse, in quem proceres inclinent, ne is idem periculum, quod in ipsius electione, incurreret; pro quo Elector initio statim studium declaraverat incerto adhuc Comitiorum eventu. Ubi si Carolum fratrem prævalere contigisset, pertinaci & tristi ingenio virum hic offensam ulcisci nunquam obliturus fuerat.* Ad quæ Rex: istud quidem sibi facile probari: *Caveret tamen Elector, ne Lubomirscio fidem adhibeat, astutissimo viro, qui ipse coronam spe devorarit. Sed cum se vivo ne biscere quidem liceat, omnibus molestiis ipsum exercere, ut se tanto citius per tædia enecato per interregnum voto suo potiatur; aut ubi id non succedat, Ragozium, aut similis farinæ hominem fatuum eligi curet, penes quem simulacrum Regni, penes se vis imperii sit.* Ita tunc deprehensum fuit, malevolos Aulæ Polonicæ persvadere conatos, ab Electore coronam Poloniæ flagrantissime sub recusantis specie ambiri, & quod eam suis ac fœderati exercitus viribus invadere instituerit citra præviam conventionem, pro ritu Romano Reformatorum scitis introductis. Quæ nimis crassa erat injuria in prudentiam Electoris, tam recenti exemplo in Rege Sveciæ edocti, quam arduum sit Catholicos sub Evangelici Principis imperium redigere. Alias si à sacris obstaculum abfuisset, Gosievius, recens tunc è captivitate Moscica reversus, palam jactabat; *nullas artes valituras ad Electorem à Corona excludendum, quo nullus Princeps toto orbe magis idoneus sit reficiendo corrupto Reip. Polonicæ Statu. Quem & à studio suo in Remp. offensa aulæ avertere haut valuerit; qua constantia idem omnium patriæ amantium civium affectum perpetuo sibi obstrinxerit. Sed Reginæ machinationes utique demum in fumum abituras. Nam cuilibet Reip. suas esse rationes, quæ circa ipsam regendam sequendæ sint. Si Polonia Gallico modo regatur, id æque stolidum fore, quam si Gallia juxta instituta Polonica imperetur. Istas nationes non magis vestibus, lingua, genio dictionis ac moribus, quam institutis Reip. discrepare. Polonis libertatem relinquendam, ac eos potius decies vitam diversis vicibus amissuros, quam ut aliquid de ista decerpi sint passuri.* Sed & in universum plerique Senatores candidum Electoris animum laudibus ferebant, quod tam ancipiti tempore studium suum in Remp. ostenderit, nec per tot objectas molestias, aut oblata commoda in transversum abripi se passus sit. Omnibus enim notum esse, quicquid molestiarum Electori post pacem Oliventem acciderit, id à Gallis promanasse, hostilia Sveciæ illata ulciscentibus, & quod idem Reginæ consiliis velificari nollet. Ac confœderatus exercitus Borussiæ motus ab aula excitatos interpretabatur, ut occasio foret Svecos in eam provinciam pertrahendi, qui Gallis sociati Regem Polonis essent obtrusuri libertatem ejus Regni destructurum. 1661.

§. 47. Enimvero super Elbingensi negotio tunc Polonos urgere Electori haut consultum videbatur, quod nulla spes operæ pretium faciendi appareret; & quia constabat Polonis magis cordi fore querelas Borussorum fovere, quam Electori satisfacere. Intellexerat quoque Hoverbequio, si ipsi super ea re moveret, Regem vicissim postulaturum, ut Elector adversus quoscunque auxilia ipsi ferret. Id si annueretur, fœderati exercitus, si recusaretur, Regis offensa contrahebatur. Ac si acrius expostulare institueret, fortasse Poloni compositis inter se dissidiis stativa in Electoris ditionem prolaturi erant. Ac jam quinque legiones in Borussiam Regiam mittebantur eo ipso tempore, quo rumor erat, Electorem cum valida manu Regiummontem tendere. Quanquam etiam ex vectigali in Vistula instituto ad Elbingense debitum dissolvendum aliquid pecuniæ redactum foret; id tamen acceptare nolebat Elector, quod & longe infra summam debitam erat; & quia statim apud fœderatum exercitum divulgandum fuerat, eam pecuniam ipsi fuisse destinatam, quam nunc Elector interceperit. Enimvero huic longe potius erat prohibere, ne turbæ Borussicæ per Polonos alerentur. Præsertim cum Rhodius Warsavia literas à Rege ad Regiomontanos attulisset, Electori non modicæ fraudi cedentes. Quarum argumentum erat; etsi inevitabilis necessitas subegerit per pacta supremum ac directum Borussiæ dominium Electori cedere; se tamen Borussorum libertati ac juribus nihil decerpere voluisse; tum se ipsos in protectionem recepturum, etsi unus & alter id in sinistram partem interpretaturus sit. Eo magis Hoverbequius connitebatur, ut à Rege declarationem harum literarum extunderet, ad diplomatis formam adornatam, magno Regni sigillo muniti hoc sensu. *Pactis Bydgostianis Electoris conditionem meliorem, Ordinum non deteriorem redditam, ac uti ipse una cum Rep. illis pactis staturus sit; ita nec concessurum, ut in horum imminutionem à quopiam quid tentetur.* Addiderat; *Nos porro pro congruo Regiæ benignitatis quaquaversum officio uti commodis meritissimæ provinciæ apprime favemus, ita eidem modulo statutorum, pactorum & fœderum metiri jure censemus, nil dubitantes, id à parte Serenissimi Electoris rite adimpletum iri.* Quod ipsum etsi Hoverbequio non examussim satisfaceret, saltem tamen ex eo Aulæ animus

Ob turbas Borussiæ cum Polonis inconsp. de quadam.

20. Jul.

1661. mus pellucebat, nec conſultum videbatur circa id ſcrupulos movere, ne inde anſa arriperetur refractarios ulterius obfirmandi. Ac ſufficiebat, à Rege ſupremum ac directum Electoris in Boruſſiam dominium agnoſci: reliquis tempus remedium allaturum erat. Eo diplomate obtento Hovérbequio facultas dabatur liberius ſuper literis ad Regiomontanos ſcriptis expoſtulandi; quibus excuſandis Regi nullus color ſupererat, quam ut per obreptionem obtentas ferret. Ac Magnus Cancelcellarius ſancte aſſeverabat easdem è ſubiecta ſibi cancellaria haut prodiiſſe. Qui tamen de cætero monebat, ut Elector homines illos leniter habeat, ne in deſperationem vertantur. Nam Regiomontanos jactaſſe, ſe diaboli imperium ſubire malle, quam diutius ſub ejusmodi oneribus agere; & à Svecis tantum duo militum millia auxilio deſiderare, quibus per Curlandiam facilis acceſſus ſit. Et quod iſti in Poloniam querelas detuliſſent, aperte damnare nolebat, non quod agnoſceret Boruſſiam adhuc ullo modo à Polonia dependere; ſed quia periculoſus temporum Status requirat omnia leniſſima via componi, nec quidquam ad extrema deduci. Cæterum aliquantiſper ad Regem Joannem Caſimirum ſcribere omiſerat Elector, ut ſi iſte Regiomontanorum defenſionem ſuſciperet, ipſe ad ſponſores pacis Olivenſis rem referret, ac alia remedia vindicando ſuo juri arriperet. Sed cum è Regis declaratione ſpem concepiſſet, rem ad extrema haut proceſſuram, literis ad Regem datis modeſte expoſtulabat, querelis Boruſſorum ad Poloniam non amplius ſpectantium aures præbitas. Simul Hoverbequio injungebat, ut Regi ac primariis Senatoribus denuntiaret; *haut ſperare Electorem, denuo ſecum ita actum iri. Sed ſi præter ſpem id fiat, non aliud inde colligi poſſe, quam Polonis propoſitum in alia ipſum con-*
Aug. *ſilia compellere, ac fidam amicitiam cum eo Regno penitus abrumpere.* Ad iſta à Rege per literas reſponſum: *Electoris ſubditos, inprimis Regiomontanos, ipſum exoraſſe, ut in ſummis oneribus, quibus indies ab iſtius miniſtris premantur, tum & aliis quæ non minorum injuriarum loco ponant, præjudiciis levari queant. Quorum etſi mitigare querelas ſtuduerit, datis ad eos literis hortatus, ut ſortem, in quam præteriti belli turbine acti ſint, moderate ferant; iis tamen ſubinde recrudeſcentibus unicum ſe remedium autumare Electoris æquanimitatem, quæ ejusmodi ſeditionum ſemina feliciſſime eradicari ſueverint; id quod propria experientia ſibi conſtet: ne in extremam acti deſperationem populi exuta penitus Electoris directi domini ſubjectione, tum ſuæ quoque quam hactenus præ ſe ferant reverentiæ, alienam, eamque non modo Electori, ſed & Poloniæ pernicioſam protectionem reſpiciant. Igitur placidum ſe iſtis exhiberet, & quæ forte à miniſtris præter ipſius mentem tentata ſint, æquitate ſua corrigat.* Sed & Regina ad extremum Hoverbequium rogabat; operam navaret, quo amicitia inter ipſam & Electorem inſtauretur. Qui cum oſtenderet, pleniſſimam in promtu viam eſſe, ſi ipſa ad ſedandos motus Regiomontanos incumbat: iſta negabat, ſibi de iis conſtare, nec in eorum partem ſe veniſſe. Quæ vulgata excuſatio in Aula erat, etiam exſecrationibus firmari ſolita, quando Hoverbequius de Boruſſorum in Aula ſolicitationibus querebatur. Cum tamen conſtaret, Regiomontanos nuper ſcripſiſſe; ſi Aula ipſos non deſerat, reliquos Ordines facile in ſuas partes tranſituros. Ita nihil ſupererat, quam ut Elector quamprimum Ordines homagio hæreditario novis pactis attemperato illigatos plane à Polonia abſtraheret. Nam etſi qui Electori inter Polonos favebant declararent, ſe privatorum negotiis plane aurem non præbituros, ac nil querelarum ne quidem permodum ſupplicationis delatarum admiſſuros: ſi tamen, antequam Ordines juraverint, aliquid controverſiæ circa ſubjectionem in univerſum ac ſuper violatis pactis moveatur, id fas ſibi eſſe expendere. Et quanquam regereretur; Polonos Electori evictionem debere; id tamen parum curabatur, præſertim cum Boruſſi occinerent, Polonos non potuiſſe id aliis condonare, quo ipſi carere nolint. Ac inſuper Galli ac Sveci ſuggererent; ſinerent modo Poloni Boruſſos perſequi viam, quam ingreſſi ſint; ſe facile præſtituros, ne quid Poloniæ adverſum inde proveniat. Et jam tempus maxime opportunum erat turbis iſtis funditus ſedandis, ſtante adhuc exercitus confœderatione, Polonis recenti à Coſacis clade in Ucraina caſtigatis, & durante adhuc cum Moſcis bello. Et cum ſpes Reginæ foret, hoc bello compoſito facilius ſe deſtinata ſua pervicturam, facile bellum civile in Polonia inde oriturum videbatur, Boruſſiam quoque contagio correpturum. Ac inprimis commodum accidebat, quod Rex Leopolin ſe conferret, ne è vicinia refractariis animos addere poſſet. Cui fini & Hoverbequius obtinuerat, ut delegati deſignarentur Stephanus Widzga Warmienſis Præſul, & Joannes Leſſinius Procancellarius, qui Electore requirente Regiummontem accederent actui homagii interfuturi, & in eventum extinctæ familiæ Electoralis jusjurandum acceptaturi. 1661.

§. 48. Interim in Boruſſia tempus variis diſceptationibus extractum fuerat, nullo exitu. Cenſebat Elector, vi ſupremi imperii liberum ſibi fore abſque Ordinum conſenſu templa extruere, ac Reformatos publicis muneribus per provinciam admovere. Ordines contra contendere, id jus diverſa à receptis ſacra admittendi citra ipſorum conſenſum concedi non poſſe; idque luculento, uti credebant, exemplo demonſtrabant, quod cum Poloniæ Rex Regiomonte duo templa in uſum ritus Romani ſibi depoſceret, Joannes Sigismundus Elector id negotium plane ad Ordines rejecerit, qui in unum duntaxat conſenſerint, negato altero. Cum autem tunc penes Poloniæ Regem ſupremum imperium fuerit, qui & eo tempore potentia floruerit, ſpem eſſe Ordinibus, Electorem citra ipſorum placitum circa talia nihil decreturum. Quin ſi maxime res antea ſecus habuerit, Electorem nunc ultro iſthoc Ordinum jus ſtabiliturum, quod

Varia in Boruſſia diſceptationes. *10. Febr.*

1662. quod alias provincia ad Regnum Poloniæ reversa, ritus Romani protinus ubique introducendi sint. Circa collationem quoque munerum metuendum esse; ne isthoc modo indigenæ, quorum paucissimi Reformata sacra profiteantur, successu temporis è muneribus publicis excludantur; ac id instar subtilis cujuspiam persecutionis habiturum, si sola sacrorum professio alicui aditum ad munia aperire aut intercludere possit; cum indoli genuinæ religionis Christianæ repugnet, homines quocunque honoris aut lucri respectu ad mutandam religionem pellicere. Non parum tamen ferociæ refractariorum decedebat, postquam Rhodius Warsavia redux parciora speratis retulerat; præsertim cum paulo post diploma regium ab Hoverbequio obtentum adferretur. Etsi Rhodius jactaret, se Warsavia monitum, ne diploma istud, curaret, velut haut serio datum. Sed & Elector confirmationem privilegiorum non prius Borussis tradere volebat, quam hi placitis ejus se attemperassent; cum contra isti prius in Electoris postulata consentire nollent, quam plena super privilegiis cautione obtenta. Ac Regiomonte scriptum circumferebatur, quo adstructum ibatur; quamdiu Borussi Electorem supremum Principem non agnoverint, istis ad Regem Poloniæ provocare licitum esse nullo rebellionis crimine. Nec minus apud supremos consiliarios acre desiderium observabatur veterem conditionem servandi, autoritati ac emolumentis privatis tam idoneam. Miserunt inde Regiomontani invito senatu literas ad Regem Poloniæ, quibus querebantur; sibi tributa, in quæ non consenserint, invitis imponi. Quæ literæ importunæ admodum & rebellionum spirantes, inter alia ferebant; Poloniæ Regi non fuisse potestatem ipsos alienandi, aut alteri condonandi; nec obscure, ut pactis haut staretur, svadebant. Eæ tamen Electori plus commodi, quam damni adferebant, quod in iis faterentur, superiores provinciæ Ordines ipsosque Regiomontanorum magistratus supremum ac directum Electoris imperium agnoscere; id quod hactenus Polonis persvaderi haut potuerat. Ac jam eousque animorum intemperies processerat, ut Kniphoviani machinas in vallum traherent, ac sumtis armis vigilias explicatis signis obirent, stationibus versus Fridericiburgum collocatis. Simul quingentos milites à Czarnecio juniore, qui per Warmiam hospitabatur, auxilio petebant, qui tamen id abnegabat. Quin & jam Rhodius formulam juramenti conceperat, qua cives abrogato magistratu ad pervincenda sua destinata obstricturi se erant, collatis quoque pecuniis Warsaviam, & ad fœderatum exercitum missuri. Quod tamen cives, velut apertæ rebellionis documentum, subscribere abnuerunt. Inter quæ omnia tamen superioribus Ordinibus, ac minoribus oppidis sua fides ac modestia constabat. Contra Elector Radzivilio injungebat, munita loca probe custodire, omnia circumspicere, ac inprimis observare, num quid Czarnecius in vicinia moveat. Tum itinera milite insideret, ne à refractariis literæ, aut internuntii Warsaviam mitti possent. Et quia multi Poloni Regiomontem veniebant, qui cum Rhodio familiariter versabantur, istos observari, ac in custodiam dari jubebat. Ipsum porro Rhodium Kniphoviani postulanti Electori dedere abnuebant, sed ut ordinaria in ipsum actio in foro suo institueretur volebant. Dein cum ut domi se suæ teneret denuntiaretur, is aura populari ferox neglecto interdicto in publicum prodibat, ac in æde sacra loco solito considebat, ac ad Judicium Aulicum provocabat. Unde Elector magistratibus denunciabat; ni serio magis rem agant, ac istum elabi patiantur, ipsos in ejus locum reos subdendos. Premebat tamen indignationem Elector, quod plurimi honesti viri in urbe essent, quibus ista displicebant, ne jactatis minis omnes in desperationem verterent. Tum circa omnia istis gratificari decreverat, quæ æquitate niterentur, ac supremo imperio fraudi non essent. Ac ne qua diffidentiæ causa superesset, eo ipso tempore Ordinibus cautionem super privilegiis tradi jubebat. 1662.

§. 49. Enimvero cum lentius succederet medicina, quam per delegatos ægris animis hactenus adhibuerat Elector, ipse utut gravia negotia alibi distringerent, in Borussiam abire constituit, autoritate & clementia sua motuum semina extincturus, adducta tamen simul valida militum manu compescendis, qui rationem audire nollent. Ac sane adventu ejus tumentes animi protinus subsidere animadvertebantur; præsertim postquam Hieronymus Rhodius seditionis flabellum in custodiam pertractus esset. Eum cum magistratus Kniphoviani comprehendere non auderent, plebis tumultum veriti, nec ipsum oblata Electoris gratia, ut vesaniam exueret, permoveret; scabiosum pecus utrumque amovendum erat, ne contagio reliquum gregem inficere pergeret. Igitur initio Hillio tribuno injungitur, ut assumta peditum manu ædibus istum suis extraheret; sed qui, ingenti concursu plebis facto, re infecta discessit, cum sine magna cæde res perfici non posset. Sed mox alia via rem perficiundi initur. Nam cum cives in curiam evocati essent, super præsenti rerum statu consulturi, idem Hillius centum equitibus, & aliquot vehiculis comitantibus, velut aliquo profecturus, dum Rhodii ædes prætervehitur, repente aliquot equites equis descendere jussit, qui Rhodium ædibus extractum, ac in currum conjectum raptim in arcem pervexerunt, dissipatis, qui concursare cœperant. Ac in omnem casum machinæ è castello Fridericiburgo in urbem directæ erant, tribus quoque peditum millibus apud arcem in ordines dispositis. Sed isto in arcem adducto album vexillum pacis insigne è summo fastigio extollebatur. Rhodius iste coram delegatis judicibus examinatus, ac perduellionis convictus in custodia detentus fuit civibus frustra pro eo liberando intercedentibus. Queis Elector respondebat, nil præter jus ipsi illatum iri; nec præsentiam

Elector ipse in Borussiam venit

18. Oct.

Hillo.

20. Oct.

Rhodius capitur.

1662. sentiam ejusdem urbi utilem. Post & Joannes Casimirus pro ipso intercedebat, nec minus Wenceslaus Lessinius Gniesnensis Archiepiscopus; & iste quidem captivi delictum extenuabat, ac ut in sui gratiam custodia exemtus libertati ac gratiæ Electoris restitueretur. Quorum preces humanis verbis elusæ, quod præposterea misericordia foret homini pervicacis ingenii ultro ansam præbere turbas instaurandi, forte in exitium tantæ urbis, ac totius provinciæ erupturæ, irreparabili Electoralis familiæ damno. Idem sequenti anno mari Colbergam, inde Custrinum, ac demum Peizam perductus est. Post biennium universi Regiomontani pro isto liberando preces interposuere; quibus Elector respondit; se ad ei ignoscendum proclivem fuisse. Sed eundem nuper, cum ipse Peizæ esset, admodum ferociter respondisse: nil à se commissum, nisi quod justum, ac ex officio suo debitum fuerit. Unde totius civitatis interesse, ut incurabilis ingenii viro facultas nocendi adimatur. Ita iste ad extremam ætatem in custodia sat libe-
1678. rali detentus est; in qua & vitam finiit.

Cives ad obsequium componuntur. §. 50. Aliquot post captum Rhodium dies Elector præcipuos è tribubus Regiomontanorum, tum judices Kniphoviæ, & Lœbenichtæ, qui hucusque summum ipsius imperium agnoscere detrectaverant, ad sese evocavit, queis
29. Oct. per Fridericum Jenam exposuit: *Dudum sibi in votis fuisse subnata per infelix bellum onera abolere, ac veterem urbi felicitatem restituere, deque eo per Gubernatorem ac consiliarios declarasse. Sed quo minus ipse præsens ei negotio incumberet, gravissima negotia obstitisse; quibus utcunque sepositis huc accessisse civium suorum desideriis audiendis, ac dissidiis componendis; simul ut per iniquitatem temporum confusa emendentur, ac luxata quantum liceat instaurentur. Ac spem fuisse, se tranquillum urbis statum inventurum. Enimvero & absentem non sine dolore intellexisse, ac præsentem non sine gravi animi perturbatione perspicere, cives insolitis motibus agitari, superfluis atque immaturis curis exerceri, ac relicta regia obsequii via à turbidis quibusdam hominibus magis, quam à legitimo Principe pendere, inprimis jurata pacta solicitatum iri, certissimum ad evertendum Reip. statum tramitem. Cum id potius cogitandum foret, se non oppressionem, sed conservationem civium serio quærere, ac sibi divinitus commissum imperium, ut cum prudentia, cura ac vigilantia subjectum populum gubernet, aberrantem in rectam viam reducat, innoxios cum noxiis ne plectat, nec paucorum turbidorum culpam toti communitati tribuat; præsertim cum & Moses ab ipso Deo Israelitis præpositus, ac miraculis, beneficiisque in populum incomparabilis malorum quorundam pervicaciam expertus sit. Unde se ipsos huc evocasse. de paterno suo in civitatem affectu testaturum, & quod satis sibi constet, turbas, quæ hactenus isthanc agitarint non universorum civium, sed paucorum sævi ingenii hominum opus esse, oppido quam vesaniæ plenum. Hisce igitur aurem præbere desisterent, jurata cum Polonis pacta ne solicitarent, salutem tantæ urbis è paucorum libidine non suspenderent, ac missiones Warsaviam agitare omitterent; denique tutelam ac molestiarum medicinam à Deo, ac Principe quærerent. Ac cum sibi in animo sit ipsos non perdere,* 1663. *sed servare, non opprimere sed sublevare, non servitio eos subjicere, sed pristinam eorum libertatem conservare; vesanum fore, nulla necessitate suam, uxorumque ac liberorum salutem periculo exponere, ac placidum ipsius animum velut vi adhibita in se irritare. Si igitur ad officium redeant, se universis & singulis de gratia sua confirmare, oblivioni datis, quæ hucusque secius patrata sint; simul operam daturum, ut urbs non pristinæ solum felicitati restituatur, sed & majoribus incrementis efflorescat. Tum & circa ipsorum desideria ita decreturum, ut paternum ipsius animum exinde luculenter sint perspecturi.* His auditis isti octo dierum spatium ad deliberandum petiere; quo elapso regressi præterita excusare, ac veniam 6. Nov.
petere, supremi imperii fastigium agnoscere, ac optare, ut eodem Electoris posteri, quoad orbis persistat, fruantur. Ea declaratione probata Elector de gratia sua, stabiliendisque privilegiis denuo confirmare, ac ad osculandam manum admittere. Et quanquam nonnulli ad veteres tricas revolvi vellent, istorum tamen conatus irritus fuit. Ita compositis civium animis Elector horum querelas cognoscere, & emendare, privilegia confirmare, formulam regiminis adornare, circa labem ærarii corrigendam satagere; sic ut Ordines ad novum homagium hæreditarium ipsi velut supremo Principi præstandum parati essent,

§. 51. Ista tamen omnia Electorem nondum à solicitudine liberabant, quod Ordinibus adhuc ea persvasio fixa sederet, per hæc sese haut satis stringi, quousque adventu Polonicorum Commissariorum eadem firmata sint. Qui etsi jam designati essent, Regina tamen, aliique malevoli id agebant, ut id negotium ad tranquilliora Reip. tempora extractum demum plane eluderetur. *Poloni circa mandata Commissariorum tricantur.* Unde cum Elector 26. Maij.
intellexisset, Procancellarium Lesfinium, cui maxime fidebat, differuisse; se id negotium dilaturum, quoad adpareat, quo præsentes Reip. motus evasuri sint aut ex aula alia mandata venerint; Goltzium obtentu privati negotii ad istum proficisci, omnique modo eidem persvadere jubebat, ut sepositis moris in Borussiam se conferat exsequendo commisso negotio. Qui & promtissimum sese Electoris voluntati declarabat. Cognitum dehinc E- 23. Aug.
lectori, mandata Polonicorum delegatorum ita concepta, ut causam continerent negotium extrahendi, inserta quoque conditione super tradenda prius Braunsberga. Quod ut averteret Elector Hoverbequium Warsaviam misit; quod huc descendere parum arrideret, inani tunc in Elbingam actione futura, si pignus è manibus amissum foret. Quod si tamen Præsuli Warmiensi de reditibus ageretur, præsidium de suo aliturus erat. Iste eodem tempore Canonicum ad Electorem ablegaverat, qui modestissimis verbis Braunsbergam præsidio evacuari petebat, exhibitis quoq; à Rege literis id negotium commendantibus, nullo tamen verbo mentione facta, aliquid super ea re delegatorum mandatis contineri. Huic ab Electore responsum:

In

1663. *In præsens nullo modo super eo negotio agi posse. Ast si post obitam Commissionem Præsuli de eodem movere placeat, reipsa sui in ipsum affectus fructum sensurum.* Scripserat quoque Magnus Gancellarius Hoverbequio; *Regem promtum se declarasse Commissioni in Borussia perficiundæ. Rogabat tamen simul, ut Elector quoque pactis satisfaciat, reddita Braunsberga, eoque facto Polonicam nationem sibi obstringat. Quo fine & Warmiensem Præsulem delegatum, ut eloquentia sua extorqueat, quod jure ipsi debetur.* Eo majore autem dexteritate id negotium erat tractandum, quod præsens tempus eidem admodum opportunum esset; dum Regina Poloniæ non modico jam desiderio tenetur amicitiam cum Electore instaurandi; quo fine ut operam navaret Procancellarius Lessinius, ab hoc stipulata fuerat. Cui & magnam solicitudinem injecerat, quod fama esset, Flectori summum imperium in exercitum Imperii contra Turcam conferendum. Quam ob causam & omnes, qui aliquid apud Electorem valebant, hortabatur, ut istud suscipere eidem dissvaderent. Illustri quoque tunc documento exsplendescebat Electoris in Regem & Remp. fides, quod cum dissoluta exercitus confœderatione quicquid ad hunc scriptum foret literarum in Regis manus consignatum foret, ne apex quidem ab isto aut ejus ministris reperiretur. Sed & miser tunc Poloniæ status Electoris destinatis haut parum favebat, confœderato exercitu post accepta stipendiorum residua dilapso, & conducto milite tumultuante. Etsi Reginæ haut eo secius pristina ferocia perstabat indigenas juxta exterosque insultandi; velut quæ nuper Cæsarem adversus Turcas auxilia exposcentem scævo responso proscelaverat. Cujus ferociæ causa fuerat bellum Turcicum, & à Forgatschio Comite non ita pridem accepta clades; unde ipsi persvasum erat, Turca invalescente Polonis necessum fore Galliæ se innectere. Tum Electori nullibi opis quid expectandum, quam ab Austriacis plus satis suo bello districtis. Cæterum mandatis delegatorum duo capita inserta erant, de Braunsberga, & auxilio quindecim centuriarum, verbis admodum asperis, *ut nisi Elector in ista consentiat, ipsi discederent, protestatione contra homagium interposita, ab Electore forte absque ipsis exigendum, tanquam invalidum. Sed si Elector eadem annueret, Ordines ad utrumque jusjurandum hortarentur, ubi hosce non abhorrere perspexerint.* Etsi mandatorum duo erant exempla, unum asperius, alterum paulo lenius, quorum illud Episcopo, hoc Lessinio tradebatur, ut si illud pervinci non posset, hoc observaretur. Ilthæc mandata igitur subvertere Hoverbequius summa vi laborabat, irrito successu, quod ex SCto ea concepta, nec à solo Rege mutari posse excusaretur. Ac fatebatur Archiepiscopus, eadem pactis adversa fronte repugnare, ac tantum ad turbas ferendas spectare; delegatos quoque monens, ut ita procederent, ne Remp. perjurio adstringerent: ac si ipsi aliquando neglectorum mandatorum arguantur, se eosdem satis defensurum. Creditum autem aulæ fuerat, Electorem nunquam in restitutionem Braunsbergæ consensurum, velut cum ignominia conjunctam, ac quo minus auxilia quindecim centuriarum mitteret, fœdere cum Mosco impediri. Id quod ansam præbiturum sit actum homagii eludendi, aut ubi hic non eo minus succedat, irritum declarandi, & Hoverbequius promittere nolebat, Electorem post homagium ista repræsentaturum, ne forte alia via circumspiceretur id negotium impediendi. Quin mandatis additum erat, *si forte ante adventum delegatorum Elector Ordines jurejurando adegisset, huic denunciaret, ni in utramque conditionem consentiat, jusjurandum nomine Reip. à se irritum iri declaratum.*

For-gatsch.

§. 52. Ista igitur mandata ut emendarentur Hoverbequius Warsaviæ apud Reginam, Rege Leopoli absente, instabat, ac ut Borussicum negotium promovere velit, cujus successus ab ipsius favore unice dependeat; præmissa gratulatione ob compositos exercitus motus. Cui Regina verbis humanissimis respondebat: *non dubitare se, quin Elector bona fide Reip. tranquillitate lætetur, quod istud incendium latius diffusum ipsius quoque ditiones correpturum fuerat. Se quoque semper per falsa credidisse: quæ super ipsius commerciis cum fœderatis sparsa sint: ac eundem longe prudentiorem judicasse, quam ut innectere se vellet hominibus turbidis atque incompositis, ac solo impetu grassantibus.* Inter alia disserebat; se haut credidisse; ab Electore supremum imperium in exercitum contra Turcas susceptum iri, quod Cæsar nisi summa necessitate id ipsi alias ob potentiam suspecto delaturus non fuerit: tali rerum statu autem imprudens fore existimationem suam aleæ exponere. Cum Hoverbequius diceret; Lisolam nupera Hispanorum in Lusitania clade haut valde perturbatum se ostendere, velut ex qua id emolumenti secuturum sit, ut si pax cum Lusitanis fiat duodecim millionibus parcatur, alibi melius impendendis; Regina ridens reponebat; *Lisolam in eo rarum ingenii specimen ostendere, qui etiam è jactura integrorum regnorum lucrum capere norit.* Super Blumenthalii legatione in Galliam eadem judicabat: Electorem haut serio rem agere, sed tantum æmulatione Cæsarem excitatum ire. Vicissim Hoverbequius ut Reginæ scrupulum injiceret, ostendebat; Neoburgicum maximi in Gallia fieri, ac mirandam ejus esse dexteritatem, quod æque Parisiis quam Viennæ gratia polleat. Ac Electorem ideo eundem paci Olivensi includi noluisse, ne ansa ipsi præberetur negotiis Poloniæ sese immiscendi. Alio dehinc colloquio Regina memorabat; Se Electorem semper maximi æstimasse, ac inprimis postquam Berolini eum inviserit, ipsius amicitia confisum. Hanc sententiam sibi adhuc stare, ac promota Lessinii commssione id reipsa demonstrasse. Sed à tempore pacis Olivensis apud Electorem magnam animi mutationem deprehendisse, inde ortam, quod ipsa pacem cum Svecis tanto fervore promoverit, ne Danica pax istam præverteret, cum perspiceret, eo facto Poloniam nunquam quiete potituram. Inde Elbingense negotium

Circui- fu emen- dando incassum satagitur.

4. Sept.

12. Sept.

1663. gotium incidisse, quam urbem quo minus nancisceretur Elector, se non invidisse. Sed quia tunc electionis negotium quam maxime fervebat, de quo ipsi plerorumque Senatorum & præcipuorum è Nobilitate ducentorum Syngraphæ jurejurando firmatæ caverant, sibi suggestum fuisse; si eo tempore Elbingam Electori tradi patiatur: destinata sua plane subversum iri, quod inde suspicio oritura sit, sibi cum Electore secreta commercia in fraudem Reip. intercedere. Ac Reium Ebinga scripsisse; se paratum esse Elbingæ tradendæ, si ipsa factum præstitura sit. Cui ipsa responderit; se tanti momenti negotium hautquidquam suo periculo recepturam. Multa inde addebat ficta, quæ Elector ipsi adversa fecerit, ab Hoverbequio refutata. Se quoque affectui in Electorem testando Lessani legationi ansam dedisse, cum alias Galliæ Rex, Mazarino suggerente, Neoburgico addictissimus, Electori infensissimus esset. Nam etiamsi ipsa dictis Senatorum Syngraphis confisa ad successionis negotium perficiendum Electoris auxilio opus sibi haut judicaverit; Gallo se tamen persvasisse, citra hujus operam effici nil posse, quo Gallus juxta ac futurus Rex eidem obstringerentur. Simul conventioni Regiæ inserendum fuisse, ut Electori utique satisfiat, Elbinga, aut pecunia data. Enimvero Lessanum, luculentas quantumvis conditiones offerentem, frigide exceptum. Ad quæ Hoverbequius: Lessanum de syngraphis Senatorum mentionem non fecisse, sed id tantum jactasse; quia Gallo de Regis & Reginæ voluntate cautum sit, Rempublicam ab ipso nihil curari. Unde responsum propositioni attemperandum fuisse. De cætero Regina svadebat, ne quid Elector super reddenda Braunsberga tergiversaretur, ac ea facilitate Clerum ac totam Remp. sibi obstringeret; nec fidelius consilium vel à matre filio dari posse. Ac quæ in id præsidium alendum impensæ fiant, totam Electoris in Elbingam actionem absumtura. Nec probabat, ab Electore diem homagio dictum esse, velut id penes Regem esse debuerit. Circa mandata delegatorum ut quidquam immutaretur, impetrari haut poterat. Ita Electori nil aliud restabat, quam ut è duobus malis minus eligeret, & Braunsbergam potius dimitteret, quam homagium differri pateretur; præsertim cum metus esset, ne post pacem cum Mosco exercitus Lithuanicus in Borussiam irrumperet, prætexto bonum Ecclesiasticum vindicandi; & quia tunc aula Polonica plane à Gallia pendebat. Ac Lumbranus nil dissimulans dicebat: si Electori cum Gallia conveniat, hujus se negotia ita heic amplexurum, ut omnia ex voto successura sint. Ac eo erat ingenio Regina, ut si rogando instares tergiversaretur; post ultro affectaret, quod antea repudiaverat. In Polonia porro jam à multo tempore id actum fuerat, ut res ad arma cum Electore deduceretur, quo occasio foret extraneum militem in Regnum pertrahendi; ac qui talia struxerant, tacite indignabantur, per Electoris prudentiam causam bello in se movendo haut præbitam. Ac nunc iniquitate mandatorum eundem ita irritatum iri crediderant, ut eluso homagio demum ad aperte infesta foret decurrendum. 1663. Unde & Regina Warmiensi scripserat; nullius mortalium persvasionibus moveri se patiatur, ut vel hilum de mandatis suis remittat; quin in homagium ne consentiat, quoad Braunsbergæ possessionem nactus sit nec scripta cautione aut obsidibus adquiescat. Cum tamen mandata id injungerent, ut si Commissarii Electorem reddendæ Braunsbergæ pronum inveniant, homagium promoverent. Enimvero id negotium tanta cum dexteritate tractabat Elector, ut præter aulæ Polonicæ opinionem homagium succederet. Sane scribebat Joachimus Scultetus Hoverbequio, qui ipsum in castra ad Regem miserat, huic plane in animo non fuisse, ut 21. Oct. Elector in possessione supremi imperii firmaretur; ac degeneres eos increpasse, qui id svaderent. Czarnecius etiam palam in castris jactaverat: *propitio Electoris fato contigisse, quod exercitus hactenus rebellionem induerit. Alias hunc dudum in Borussiam iturum fuisse ad jentaculum, ad quod dudum invitatus fuerit.* Sane superioribus Comitiis Reginæ à quibusdam Borussiæ Ordinibus CC M florenorum promissa fuerant, si supremo Electoris imperio liberari possent. Ac eadem superiore anno juniori Rhodio svaserat, ut confœderato exercitui demonstraret, quam duriter Borussi ab Electore habeantur, eumque ut in Borussiam eat permoveret; quo Rex id factum Reip. excusare possit, quod is exercitus in ipsius potestate non fuerit. Cum id non succederet, eidem svaserat, ut proximis Comitiis querelas suas Ordinibus exponat, inter quos sat multos, qui adstipulentur, inventurus sit.

Electoris cum Commissariis Polonicis disceptatio.

§. 53. Interim Elector omnem lapidem moverat ut aulæ Polonicæ malignitatem eluderet, aut saltem salva dignitate sua, & amicitiâ cum Rep. peragerentur, si qua iniquitati temporum cedendum foret. Unde cum audiisset, Polonicos Commissarios Heilsbergam pervenisse, Fridericum Jenam ad eos misit sciscitatum, quando commodum ipsis sit Regiummontem accedere; ac ut Præsuli persvadeat, ne super Braunsberga difficultatem moveat. Inprimis ut Lessinio demonstret, quam periculosum Reip. sit, si post Elbingam & Mariæburgum, ab obnoxiis Reginæ hominibus insessum Braunsberga quoque accedat, auxiliis è mari venientibus viam in Poloniam præbitura. Prout & suspectum sit, quod Rex à Gedanensibus Pautzcam reluere velit. Igitur optare Electorem, ut Braunsberga vel munitionibus exuatur, vel in Reip. manus tradatur, ne in Joannis Casimiri, ac forte Galli deinceps potestatem incidat. Jena igitur apud Commissarios pro- 25. Sept. ponebat, uti Elector intellexerit, ipsorum mandata pactis haut quadrare; & quod Præsul militem prius Braunsberga deduci cupiat. Sed ipsum petere, ut negotium sepositis scrupulis exsecutioni detur. Ad quæ Præsul: mandato suo nil pactis adversum contineri. Id tamen sibi injunctum postulare, ut præsidium Electoris Braunsberga deducatur, & miles auxiliaris præste-

1665. præſtetur, utrumque pactis congruum; ac ne Elector Ordines provinciales ad jusjurandum vi compellat. Cui Jena: Electorem paratum eſſe quovis momento pacta explere: ſed cum hæc reciproca obligatione conſtent, à Polonis prius Elbingam, aut conventam pecuniam repræſentandam: tunc ſuper Braunsberga & auxiliaribus copiis nullam moram fore. Præmittendum tamen utique homagium, quod à conditionibus ſuſpendi non debeat: nec Electori conſultum in novas conventiones deſcendere, prioribus ultro in dubium revocatis. Inde vel decies interrogabat, num negotium utique ab hiſce conditionibus ſuſpendendum ſit? Ad quæ Præſul liquido reſpondere declinabat, ſed nil aliud reponebat, quam Regem & Remp. confidere, Electorem ipſis circa utrumque gratificaturum. Et quanquam Reip. quoque aliquid præſtandum incumbat, ab Electore tamen velut juniore fratrum initium explendi debiti faciendum, & tunc apud Regem exſecutionem pactorum, quorum ſumma in actu homagii, & in hoc ſupremum Boruſſiæ imperium conſiſtat, protinus ſecuturam. Ita res huc redibat, num Electori ob Braunsbergam homagium differendum, an vero iſta reddita hoc promovendum? Quorum poſterius utique eligendum erat, quod ab hoc confirmatio ſupremi imperii & tranquillitas Boruſſiæ dependeret, qui cum id oppidum nullo modo comparari poterat. Nam ubi Polonia à præſentibus ſe malis recollegiſſet, metus erat, ne circa id negotium graves Electori moleſtias daret. Ac rumor erat Lithuanicum exercitum in Boruſſiam venturum, ubi turpius futurum erat quaſi vi coactum iſto oppido decedere, quam nunc precibus Regis ac Præſulis id dare. Addebat Leſſinius: non eſſe, quod Elector circa Elbingam & Mariæburgum metuat. Nam ea loca ideo tantum milite fuiſſe inſeſſa, quod Elector Braunsbergam præſidio obtineret. Hac reddita, iſta quoque ſine præſidio manſura. Præſul quoque diſſerebat; *etſi Elector diplomata Regis in manu habeat, per quæ cives jurejurando Poloniæ dato exſoluti declarentur; iſta tamen vim non exſertura, niſi pactis exſecutioni datis; atque eam à ſacramento relaxationem à Rege & Republica faciendam ſuo miniſterio interveniente; in quam rem mandatis ſe inſtructos.* Iſta etſi tanto altius penetrare viderentur, quod intellectum eſſet, Cæſari non admodum placiturum Braunsbergam ab Electore reſtitui, ne iſta offenſæ materia remota huic cum aula Polonica & Gallo melius conveniret: Elector tamen declarabat; *ſe nolle hoc modo Braunsbergam ſibi extorqueri. Sed ut Poloni perſpiciant, ſibi id oppidum tantopere cordi non eſſe, poſt homagium præſtitum ſe militem inde deducturum non quidem ob preces Epiſcopi aut Aulæ, ſed in gratiam & ob interceſſionem Reipublicæ. Id ſi non acceptetur ſe potius rem ad extrema deducturum; nec facultatem defore ultionem de autoribus hujus moleſtiæ ſumendi; quos inter Warmienſis Præſul ſit, cujus inſtinctu iſta mandatis ſint inſerta. Nam Rempublicam noviſſima Convocatione Commiſſionem pure ac citra ejusmodi conditionem conſtituiſſe; quam Rex dein proprio arbi-*

trio circumſcripſerit; quæ poteſtas penes ipſum h
quidquam ſit. Sane haut tutum erat Brau
berga protinus excedere, ne Poloni poſt
ſim euntes ultro ipſius ſimplicitatem irri
rent. Quod ſi Poloni poſtulatis ſuis inſiſt
Jena citra ambages in os ipſis dicere jube
tur: *Se Deo ac juſtitiæ cauſæ confiſum jus ſuum,*
victurum. De fide civium ſuorum ſatis ſibi
tum, quam hi Domui Brandenburgicæ ultra ſecul
& ipſi ultra viginti annos inter duriſſima tempo
adprobarint; ac jam præcipuos magiſtratus ipſi
ut ſupremo Principi jurejurando obſequium obſt
xiſſe; ſic ut Commiſſariorum opera opus hau
iſtis jurejurando adigendis. Ad paucos refracta
in ordinem redigendos ſat ſibi virium eſſe. Ac
te Polonos magis ipſius auxilio opus habituros, ut
Poloniæ in caſum devolutionis ſacramentum dic
Ad iſta Leſſinius ſeorſim reponebat: *Se quic*
haut credere Præſuli propoſitum eſſe Braunsberg
vi recuperare, etſi amici eidem in exercitu Lith
nico haut deſint. Valde tamen ſuadere, ut Elec
Braunsberga præſidium deducat, quod eo facto ip
inimicis plane facultas nocendi adimenda ſit.
eſſe ignota Electori ſacerdotum ingenia, & quan
demonſtrationibus ſuis valeant, ubi circa res ſac
agatur. Etſi de Reip. favore ſecurus eſſe poſ
Ac modo certum tempus Braunsbergæ reddendæ
ſtituatur, ſuper copiis auxiliaribus facile conven
rum; nec ſi optima & maxima Ordinum pars
ſequio prompta ſit, paucorum turbidorum ration
habitum iri. Quod ſi igitur Elector declaret,
homagium Braunsbergæ præſidium deducendum,
mul auxiliarem militem miſſum iri, ſeſe exſequ
do commiſſo negotio paratum eſſe, generoſo Elec
ris animo circa implenda promiſſa confiſum;
& ob turbulenta temporum circa ea, quæ à Rep.
bentur, non omnia ad unguem exacturus ſit. S
mul Præſuli denuntiabat; *ſi is negotium abru*
pere velit, proprio id periculo faceret. Sane
omnem culpam in ipſum collaturum, & Electore
apud Rempublicam excuſaturum. Ac ſi Præſul te
giverſetur, ſe velut privatum Regiummontem it
rum, ſuper modo negotium exſequendi conſultat
rum, ubi iſti neceſſum ſit futurum eodem ſequi. Eni
vero quam enixiſſime ſuadere, Elector ita conſi
ſua temperet, ne hæc commiſſio ſucceſſu careat. N
aulam ipſum ab hoc negotio removere valde cupiiſ
velut Electori addictiſſimum. Sed cum ipſe, à R
in Comitiis deſignatus deſiſtere nollet, Warmienſ
Præſulem Collegam adjunctum. Nam hunc demo
ſtrare velle, Electorales delegatos in culpa fuiſ
quare Elbinga tradita non fuerit: & quia diſer
pactis cautum non ſit, ut Poloni omnia prius qua
Elector impleant, inde Reip. prætextum arrept
iri jactandi, ſe non in mora tradendi, ſed Elect
rem in mora acceptandi fuiſſe. Et quanqua
Jena oſtenderet Electorem verbo Princip
cauturum, ſtatim poſt acceptum homagiu
Braunsbergam reſtituendam, interim ſup
modo & die præſidii deducendi convenie
dum: Leſſinius tamen oppido utique decede
dum ſvadebat, oſtenſa Cleri in Comitiis p
tentia, inter alia jactans: *non deſiſtent Cleric*
& pietatem prætendent, ut impietatem promovean
Congreſſu inde habito Jena Polonicos Com
miſſarios ita convincebat, ut agnoſceret

El

1663. Electoris postulata pactis congrua esse; ita tamen sibi in mandatis datum, etsi isthæc vim legis non habeant. Demum declarabat Jena; Electorem non ex debito, sed testandæ in Remp. & Præsulem benevolentiæ statim post homagium Braunsbergam redditurum deductis machinis & paratu bellico citra ullam exceptionem, scripta quoque in eam rem cautione Præsuli tradita. Nam neminem rationis compotem svasurum, ut omnia commoda è manibus amittat, incertus adhuc, num Commissio successura sit. Ad ista Lesfinius pure declarabat; se commissum negotium obiturum. Præsul autem etsi fatebatur, circa Electoris declarationem nihil desiderari posse, ac mandata iniqua, ac sibi velut sacerdoti indecora: ab his tamen discedere sibi haut licere. Eoque Regi se demonstraturum, ut ea corrigantur, aut commissionem abdicaturum, multa cum execratione testatus, verba menti suæ conspirare. Sed Jena scriptionem ad Regem, & moras improbare, ac protestationem contra has interponere. Lessinius promissis suis insistebat; pollicitus quoque se Præsulem apud Regem defensurum, si cum ipso negotium exsequi velit. Svadebat tamen, ne Elector negotium nunc vado adhærescere patiatur. Præsul quoque à Jena petebat; ne postularet, à se ad omnes ipsius rationes responderi; nam eas sibi usque adeo cerebrum turbasse, ut antegressa nocte somnum capere non potuerit. Nec inficiabatur, ab aliquot primoribus Borussiæ sibi CM florenorum oblata; etsi nomina horum pandere nollet. Jena inde scripta declaratione super Braunsbergæ restitutione oblata Regiummontem revertebat, Electori de omnibus relaturus.

Id negotium absolvitur. *1. Oct.* §. 54. Elector cum hautquidquam expedire judicaret Warmiensem huic se negotio subtrahere; ac isthoc ad Regem referre, cui cavillandi ac moras nectendi prætextum defuturum haut erat; Jenam denuo Heilsbergam mittit Præsuli expositurum; uti ipse sibi gratuletur, tantæ dignationis Senatorem & Episcopum, qui semper ipsius causam in Comitiis & alibi, quantum justitia & Reip. utilitas tulerit, favore prosecutus fuerit, huic negotio expediendo designatum, in quo fides & existimatio Reip. non parum vertatur. Et quia Electoris juxta ac Reip. intersit, eidem juxta pacta colophonem imponi, petere ut studium suum conservet, ac tanti momenti rem ad optatum exitum deducat, non mediocri gloriæ ipsi cessuram. Et quia intelligat, Regem & Remp. tantopere Braunsbergam & copias auxiliares expetere; se utut quoad Poloni conventa impleverint jure tergiversari queat, nil in se desiderari passurum eorum, quæ pacta exigant, ac utrumque præstiturum; ac ne quod dubium superfit, præfectum ac præsidiarios Præsuli jurejurando cauturos, se statim atque homagium præstitum fuerit acceptis Commissariorum jussis oppido excessuros. Quod si & alia ratio proponatur, quæ salva dignitate admitti queat, eam Jena acceptare jubebatur, ratihabitione Electori reservata. Hisce ubi nil proficiatur, testaretur, Præsuli apud Rempublicam eo nomine causam dicendam, accusante Electore, qui & omnia juris remedia sibi adversus istum reservet. Ad ista Præsul declarabat: *si modo duabus ante horis, quam Ordines jurejurando sint adigendi, de reddenda Braunsberga sufficienter sibi cautum sit, se ad acceptandum homagium accessurum.* 3. Oct. Intelligebatur, Præsulem nonnihil offensæ concepisse, quod ab Electore ad hoc negotium obeundum literis, uti Lesfinius invitatus non fuisset. Id quod excusabatur, quod ipsi de Lessinio, non item de Præsule constitisset. Proponebat quoque Præsul, ante homagium à se in Electorem supremum imperium conferendum. Id quod Jena vehementer adspernabatur. Id quippe ab Electore jam reipsa exerceri, ac Borussos à Rege jurejurando suo jam exsolutos: nec præstationem hæreditarii homagii necessariam ejus imperii partem esse, cui nec in pactis certum tempus præfixum, sed id Electoris arbitrio relictum. Haut eo magis tamen Præsul temperamentum de præsidio in ipsius verba adigendo admittebat, sed utique Braunsbergam ante homagium restituendam pertendebat. Fatebatur tamen, nemini in Aula fuisse persuasum, Electorem ita promte in ista consensurum; ac si Rex id præscivisset, fine dubio, ut hac declaratione adquiesceretur, jussurum fuisse. Sed nunc sibi à mandatis discedere nefas esse. Monebat inde Jena, inter Præsulem & Lessinium prius conveniendum, ut in futuro actu mentio ne fiat de supremi imperii traditione, nec jurisjurandi relaxatione, multo minus ex Ordinibus quærendum, num jurare velint: sed ut id duntaxat dicant; se vi pactorum à Rege & Rep. missos ad homagium in casum extinctæ familiæ Electoralis acceptandum. Id quod monendum videbatur, quod Præsul eximii oratoris atque concionatoris gloria se jactaret, quorum utrisque haut insolitum in aliorum fraudem extra oleas vagari. 4. Oct. Lesfinius inde ad Electorem Brandenburgum accedebat; ubi ignorasse se fatebatur, Borussos Regio diplomate nexu Poloniæ exsolutos, ac iisdem cautum fuisse, id privilegiis ipsorum fraudi non fore; quod dum pacta condebantur in consilium adhibiti non sint. Idem quoque Præsulis duritiem super modo Braunsbergæ tradendæ improbabat, cum de reipsa conveniret. Elector demum eo descendebat, ut declararet, se ante homagium oppido præsidium deducturum; ut tamen Præsul scripto caveat, se homagii actum nullo prætexto remoraturum, & citra ullum respectum negotio summam manum impositurum. Si adhuc scrupulos moveat, Jena post interpositam protestationem Heilsberga discedere jubetur, minatus, mala inde secutura ante omnes in Præsulem redundatura. Hoc rescripto accepto Jena paulo ferocius cum Præsule agebat; qui scriptam inde declarationem isti exhibebat, sed lubricam, & his conditionibus superstructam: si Braunsberga tradita, ac de auxiliis cautum sit, simul Ordinum consensus accesserit, se commissum negotium exsecuturum. Sed Jena eam formulam rejiciebat, abrupte postulans, ut paucis exponat, quæ sententia sibi stet. 1663.

 De

1663. De consensu populi ne verbo meminisset; tum caveret, se neque suo nomine circa commissum negotium obstaculi quid moturum, neque forte ab aliis motum admissurum. Ita Jenæ alia cautionis formula traditur, qua de consensu populi, & de moto ab aliis obstaculo non admittendo, omissum erat, sed simpliciter promittebatur, se nil obstaculi moturum. Nam persvaserat sibi Præsul, ab Ordinibus scrupulos injectum iri. Ita Præsul scripto cavebat de non impediendo homagii successu, accepta vicissim syngrapha de Braunsberga ante homagium restituenda. Quo facto idem submissis valde literis pro tam benevola declara-
13. Oct. tione gratis agebat. Dies inde dicitur actui celebrando, quem Lesfinius etiam absque Præsule, si fricaretur, obire decreverat, etsi acceptius erat, hunc quoque eidem pronum esse. Invitabat inde Elector istum per literas solennitati ad dictum diem Regiomonte celebrandæ; id quod hic literis promittebat, prius Brandenburgum ad Lessinium colloquii causa profecturus. Ostendebat Præsul Jenæ literas Reginæ, quibus ipsum rogabat, ut post peractam Commissionem Warsaviam protinus accederet; ex quo colligi queat, eam rem à Re-
15. Oct. gina serio agi. Missus dehinc Dobrzenius ad Commissarios Brandenburgi agentes, ut denuo eos ad homagii actum invitaret, simul tecte exploraret, num priorem præ Electore locum affectent; à quo instituto eos dimovere laboraret, ac eo casu Electorem pariter cum ipsis in publico comparere non posse. Si tamen nihil proficiat, ne res ad hoc vadum adhærescat, declarare jubebatur, Electorem quidem dum ipsos audit in suo conclavi, ac sequentibus post homagium diebus priorem locum, citra tamen præjudicium, concessurum: sed in ipso theatro, ac homagii actu id fieri non posse. Monebatur quoque, ab Electore utique primam propositionem faciendam, ac ne de jurisjurandi relaxatione tangatur, velut ea nunc demum fiat; tum ne Commissarii ab Ordinibus libelli quid acceptent. Postulabatur quoque ut Præsul certum hominem Braunsbergam mitteret, qui videat & testetur præsidium oppido excessisse; id quod & pridie ho-
17. Oct. magium fiebat.

Homagium ab Ordinibus Borussiæ præstatur.

§. 55. Ita demum post tot superatas difficultates Ordines Borussiæ solenni jurejurando Electori velut supremo & à nemine dependenti Principi, ejusque descendentibus masculis fidem suam obstringunt. Eo actu Elector in erecto pegmate medius inter Joannem Ste-
18. Oct. phanum Widzgam Warmiensem Præsulem, & Joannem Lessinium Procancellarium assidebat. Cum Kosbothus Borussiæ Cancellarius ad circumfusos Ordines è superiore loco verba fe-
Tettau. cisset, ac horum nomine Joannes Dietericus Tettavius, provincialis Consiliarius respondisset, verba præeunte Fabiano Calovio juratum fuit. Inde Warmiensis latino sermone super homagio in casum extinctæ familiæ Electoralis Regno Poloniæ præstando perorabat. Ubi inter alia jactebat: *Regem Poloniæ servare jus illud primogenitum, originale & radicale in Ducatum Borussiæ, sic ut semper cogitaturus sit: Hæc mea non mea sunt, sed erunt mea.* Huic Latino pariter 1663. sermone idem Tettavius respondit. Sed *eventualis* juramenti verba Slonscius Canonicus *Slonsk.* Cracoviensis & Secretarius Regius Teutonica lingua præibat. Tradebatur dehinc Ordinibus à Commissariis cautio, in casum devolutionis privilegia ipsis salva fore, nec eos deinceps à Regno Poloniæ alienandos. Juraverunt quoque præfecti præsidiorum Pillaviensis, Memelensis, & Fridericiburgensis Petrus de la Cave, Fabianus Massenbachius, & Gerhardus *Massenbach.* Ballicumius, se in casum extinctæ familiæ *Ballicum.* Electoralis nemini præterquam Regno Poloniæ fide addictos fore. Confirmabantur quoque ab Electore Borussorum privilegia, salvis pactis Welavientibus & Brombergensibus. Quæ exceptio addenda erat, ut constaret; jus esse Electori receptam hactenus, velut primarium provinciæ statutum, *Formulam Regiminis* & Testamentum Alberti retenta substantia ad præsentem statum adaptare, salvo omnium & singulorum jure. Nam talia Statuta utique conditionem Reip. sequi: & Albertum I. Ducem, ista condidisse prout eadem tunc provinciæ expedire judicaverit; quibus & multa contineantur, quæ in præsens plane fieri nequeant, neque ex usu sint. Super sacris Elector cavebat, non plura quam tria Reformatorum templa in Borussia fore citra fraudem & detrimentum Lutheranarum Ecclesiarum: tum supremos Consiliarios, præfectos quatuor primariarum præfecturarum, provinciales Consiliarios, Consistorium, & Academiam è solis Lutheranis fore. In supremo tamen Appellationum, Aulicoque & Criminali judicio binos assessores Reformatæ religionis admittendos, quibus & quatuor capitaneatus reservabantur. Post homagium Elector in titulo suo Borussiæ priorem præ Magdeburgo locum assignabat.

Electoris legatio in Galliam.

§. 56. Cæterum uti magna pars molestiarum, quæ Electorem circa Borussicum negotium hactenus exercuerant, è Gallia promanarat; ita ut hujus offensam è novissimo bello conceptam obliteraret cura erat; præsertim cum Turennius per Bequium Residentem significasset; Regem Galliæ valde cupidum esse amicitiæ cum Electore excolendæ. Simul tacitus metus suberat, ne occasione Turcici belli Gallus ac Sveci Germaniam invaderent; quo casu durissima Electoris conditio futura erat. Eo fine in Galliam Christophorum Casparem Blumenthalium mittere placuit, ut tamen Cæsari confirmaretur, eam legationem non ad fœdus cum ipso infringendum pertinere, sed ut ditiones Electoris in tutum subducantur adversus pericula, quæ iisdem ab infensa Gallia imminere possint. Neque enim rationis erat Cæsarem protelare, cum nondum à Svecis cautum esset. Quia autem cum Gallis nondum super cerimoniis convenerat, titulus duntaxat *Deputati extraordinarii* isti dabatur; & cũ Wilhelmus Furstenbergius pari dignatione sæpius in Gallia fuerat; non minorem, quam quo is exceptus sit, honorem admittere jubebatur. Idem enim dignationem legati non assumserat, parcendis sumtibus, & declinandæ cum Veneto, Sabaudo, aliisq; collisio-

1663. collisioni. Ablegati autem vocabulum cum minus amplum videretur, intermedium *Deputati* arreptum fuerat. Summa porro mandatorum, quæ isti dabantur hæc erat. *Electori exempla majorum, qui semper amicitiam Gallicam coluerint, ac sæpe arctis fœderibus ei Regno innexi fuerint, ante oculos posita; prout & Henricus IV. Rex ipsius avum unicum, & legitimum hæredem Juliacensium ditionum agnoverit, ejusque causam tutari voluerit. Eidem quoque satis perspectum, rationes sui status, quæ circa conservationem pacis ac libertatis Germanicæ vertantur, magis cum Gallia, quam ullo alio Principum conspirare. Et quia Rex pronum se declaraverit fœderi renovando, tum ut Elector fœderi Rhenano nomen det, se hisce perficiendis venisse.* Fœdus quondam in Borussia ictum ad triennium duntaxat prorogari volebat Elector: Sed si Gallus sexennium pertenderet, quod spatium eo fœdere expressum erat, istud quoque admissurus erat. Ab Electoris parte includerentur ditiones in Germania sitæ; è Galliæ parte per Westphalicam pacem quæsitæ provinciæ, ut mutuo auxilio tutæ præstentur. Sed circa Borussiam Elector initio dubitabat, ne Rex vicissim veteres suas ditiones, aut raptam nuper Lotharingiam comprehenderet, quo ipso Elector frequentibus bellis sit implicandus. Post tamen placebat Borussiam utique includendam, eo faciliore ad hoc Gallo futuro, quod is Olivensis pacis sponsor existeret. Tum ut evictio articuli separati exigeretur, à Lumbrano sæpius promissa; ex quo documentum capere volebat Elector, quid à Gallo sibi expectandum foret. Quod si Gallus fœdus renovare nolit, nisi Elector fœderi Rhenano nomen det, in id quoque consentiret, modo isthoc è placito sociorum ita adornaretur, ut Elector plenam in eo securitatem inveniat: idque nunc eo facilius fore, quod Sveci post Polonicam pacem etiam respectu Pomeraniæ in id recepti sint. Nolebat tamen Elector accessoria pars ejus fœderis, sed primaria haberi; eoque de ingressu in id fœdus, aut receptione vel accessione mentionem fieri nolebat. Si à Svecis invaderetur, non satis idem habiturus erat, ut Gallus hisce auxilium subtraheret, sed & conventas copias adversus eosdem submitti volebat. Si de Neoburgico in Olivensem pacem recipiendo moveatur, Blumenthalius ostendere jubebatur, id negotium cum hoc fœdere nihil commune habere, ac tempus intra quod receptio fieri debebat, dudum elapsum, ac eo exemplo multos alios eam inclusionem affectaturos. Si tamen Neoburgicus id ab aliis quorum interest obtinuerit, Electorem haut reluctaturum. Ubi super Polonica successione moveatur, nil sibi mandatum excusaret; præsertim cum Rex & Regina Poloniæ Ordinibus caverint, de successore vivo Rege ab ipsis actum non iri. Denique una cum Anglicis ac Belgicis legatis restitutionem ditionis Arausionensis urgeret.

Acta super fœdere Gallico. §. 57. Blumenthalius Lutetiam delatus omnia sibi prona invenire videbatur. Nam Rex non pari solum, sed & majore honore ipsum quam Furstenbergium habendum declarabat. Ac cum eum audiret, humanissimis verbis ostendebat, à se Electorem maximi æstimari. Videbantur quoque Galli successionem Polonicam oblivioni dedisse, quod alias negotiationi huic maximo obstaculo futurum metuebatur. Colloquio cum Lionnæo spes promtæ expeditionis adparebat; cujus initio Blumenthalius procuratorium ostendebat; quo sibi in præsens Lionnæus opus esse negabat, quod Rex ipsum ad se remiserit. Quando tamen ad subscriptionem accedendum foret, utique procuratorio opus esse. Voluerat Elector articulo II fœderis hæc verba subjici; *non obstante quocunque alio inito fœdere, cui per expressum nunc ut tunc, & tunc ut nunc renuntiatur.* Circa quæ Lionnæus censebat; si ejusmodi renuntiatio à Rege exigatur, tertio quoque articulo addendum, Electorem fœderi cum Austriacis renuntiare: cum Elector renuntiationem utrinque generalibus verbis fieri vellet, omissa certi cujuspiam mentione. Super Rhenano fœdere heic commode tractari non posse ostendebat Lionnæus, absentibus iis quorum interest. Posse autem huic fœderi articulum annecti, quo Elector promittat, id fœdus sese ingressurum. Sed se metuere, ne Neoburgicus intercedat; prout & Cassellanus impedierit, ne Palatinus Elector ei fœderi adscriberetur. Qualem articulum Elector declinabat, quod non solum hocce fœdus cum Rhenano nihil commune haberet; sed & quia ipsi Regi indecorum erat super eo negotio articulum formare, quod successurum esset, an minus à Neoburgici arbitrio dependeret. De hoc quoque in Olivensem pacem recipiendo Lionnæus injiciebat, addita ratione, quod eidem nil controversiæ cum Electore sit in Borussia & Polonia, & quia cæteri paciscentes consenserint. Sed Turennius judicabat, Regi haut in animo esse circa hoc fœdus cauponari, ac Lionnæum de Neoburgico jecisse tantum, ut promisso Regis satisfieret, ac testando, non omissam occasionem testando in socium favori. Post tamen Rex per Turennium Blumenthalio significabat: Si Elector fœderis prorogationem absque ulla mutatione quæsivisset, rem protinus confici potuisse. Sed quia idem circa articulum II. & XII. aliquid mutari velit, non aliter judicari posse, quam eundem sese auxilio adversus Austriacos ferendo subtrahere velle; id quod Galliæ rationibus & scopo prioris fœderis repugnet. Nam ita concipi voluerat Elector articulum XII. *Non extendatur autem præsens fœdus ad S. R. æ M.tis vel Serenissimi Electoris fœderatos socios & amicos, sed si forte lis vel dissidium inter eosdem oboriatur, altera pars non obstricta erit vigore. &c.* Contra Galli eundem articulum ita formari malebant. *Quandoquidem vero in præsens Regi & Electori cum omnibus aliis Regibus, Potestatibus, Rebusp. Principibus & Statibus pax & amicitia ubique intercedit, visum ipsis fuit heic expresse declarare, se præsenti fœdere nolle teneri cupiam prædictorum Regum, potestatum, Principum, & Statuum bellum inferre. Atque ut Rex & Elector de hujus fœderis reali & omnimoda executione certior esse possit, uterque declarat,*

Margin (right column): 1663. 26. Febr. — 28. Febr. — 13. Mart.

1663. *rat, se nullos habere tractatus seu conventiones huic fœderi contrarias, quæ ipsis quoquomodo obstare possint, quo minus hunc tractatum in omnibus suis capitibus & articulis bona fide executioni mandet atque adimpleat, & si quidquam tale habeat, huic expresse tunc ut nunc, & nunc ut tunc renunciat.* Sane jactabant Galli, Electori eo minus causæ esse ut in hoc fœdere Austriacorum rationem habeat, quod ab hac Domo ipsi amici nil sperandum sit, velut quæ id agat, ut potentioribus Electorum vires accedantur: cum contra Galliæ maxime optandum sit Electorum autoritatem atque potentiam gliscere. Nec iidem ferre volebant, eum articulum plane omitti, quod Electori commodissimum visum fuerat ei scrupulo tollendo. Quin disertis verbis Svecos ac Belgas, Imperiique Principes nominari volebant; cum contra Electorem generalibus duntaxat verbis uti vellent, Austriacorum nomine haut expresso. Id quod Electori plane à ratione abhorrere, nec ignominia carere videbatur; cum præsertim id fœdus defensivum duntaxat foret, in nullius fraudem tendens. Sed & iidem postulabant, ut Elector sese obstringeret, quod Regis bonam intentionem pro salute Imperii Romani suis sententiis in Comitiis & alibi fulcire velit. Quod noster adspernabatur. Equidem Electorem tanquam Regis fœderatum hujus commoda, quantum ea rationibus Imperii congruunt, probe observaturum. Sed ut ad hoc fœdere se obstringat, id insuetatum, superfluum, atque indecorum, tum fidei qua Imperio teneatur adversum. Iidem quoque respuebant, vocabulum *Evangelicorum*, & *religionis Romanæ*, pro quibus *Protestantium*, & *Catholicæ* substitui postulabant. Tum nec Latina lingua fœdus concipi volebant; quod Elector hactenus admittebat, ut Gallus exemplum suum Gallico idiomate; ipse suum Latina lingua conciperet. Denique & iidem peculiare procuratorium exigebant super guarantia articuli separati ad pacem Olivensem, quo Blumenthalio facultas detur eandem urgendi, aut remittendi, prout ipsi super eadem satisfiat, aut quare id fieri non possit ratio ostendatur. Id quod Electori haut placebat, cum ea res jam transacta esset, ac ejusmodi procuratorium Gallo ansam ad id recusandum præbere, posset. Nec satis adparebat istius hæsitationis ratio, num in Statum Poloniæ tunc valde turbulentum respiceretur, an scrupulum injiceret, quod Borussia quondam bonorum Ecclesiasticorum censu venerit. Cæterum quia Lionnæus Neoburgico admodum favebat, odio in Electorem Francofurti quondam concepto, Rex tractationem istam in Turennium transferebat velut æquiorem.

Gallorum tergiversationes. *8. Maij.* §. 58. Enimvero cum Elector non protinus in omnia, quæ Gallus cupiebat, consentire vellet, ac ante omnia evictionem separati articuli exigeret velut rem dudum promissam, & super qua denuo tractandum non sit; simul ut fœdus Rhenanum præsenti tempori adaptaretur, expunctis nonnullis in ipsius fraudem tendentibus; Gallus ista adspernabatur. Ac referebat Turennius, Regem initio quidem gavisum arctioris amicitiæ nexu per Electorem oblato, ac judicasse, fœdere Rhenano suscepto viam munitum iri eundem rationibus Galliæ innectendi. Sed cum Elector id negotium in diem, & ad alia loca rejiciat, adjectis variis conditionibus, ejus amicitiam cum Gallia sat laxam fore. Quo cum sibi haut consulatur, in præsens nil amplius agendum restare: quanquam haut eo secius ipse Electori amicus sit futurus, ac fortasse secuturum tempus arctius adstringendæ conjunctioni occasionem præbiturum sit. Quam declarationem Turennius, etsi post multam tergiversationem scripto exhibebat, addito, Regem ne apicem quidem de postulatis suis remissurum. Causa hujus asperitatis inde profecta videbatur, quod Lisola tunc, & ab Hispaniarum Rege missus Sebastianus de Ucedo in Electoris aula agerent. Ex quo Gallus suspicione perstrictus fuerat, velut hoc negotium ab isto haut serio ageretur: cum Gallo id quæreretur, ut vel Electorem partibus Austriacis abstraheret, vel potentiam ejus premeret. Haut eo *21. Maij.* secius Elector Blumenthalio injungebat; ut insuper habita Galli tergiversatione semper de ipsius constanti studio circa magis firmandam cum hoc amicitiam testaretur, ac moræ tædia patienter ferret, nec injussu suo inde discedederet; denique ita negotium tractaret, ut ejus irriti culpa ipsi impingi nequeat. Unde quanquam Galli eam patientiam ideo adhiberi interpretarentur, ut Austriaci æmulatione accensi eo lautiores Electori conditiones offerrent: Blumenthalius semper testabatur, Electorem utiq; candide agere atque arctius Galliæ jungi cupere; modo in prorogando fœdere vel ipsius socii æque ac Regis expressis verbis includantur, vel utrinque laxiora verba adhibeantur; tum in Rhenano fœdere æque ipsius, quam aliorum ratio habeatur. Id si Regi gratum non sit, exinde colligi, ab ipso id tantum quæri, ut Elector aliis suspectus reddatur. Sane jam Svecos queri, de ipsis excludendis hoc fœdere agi; de quo sibi in mentem non venerit. Lisolam quoque nil præter promtum in Turcas auxilium urgere. Hispanum non nisi laxis verbis de amicitia testari. Addebantur monita ad fœdus Rhenanum, qua id correctione opus habebat. Indignum quoque esse Electorem peculiari articulo ad fulciendas Galliæ rationes in Imperio adstringi, cum id ab aliis Rhenani fœderis sociis requisitum non fuerit: aut si quis huc descenderit, neque palam, neq; gratis id fecerit. Ac ad officium amici sufficere, ut unus sociorum alterius commoda promotum eat circa ea, quæ fœdus spectant; contra incongruum haberi unum solum extra limites fœderis ad res incognitas, ac imprævisas sese adstringere. Circa Neoburgicum in pacem Olivensem recipiendum nil amplius penes Electorem esse, quam quod ipse repugnaturus non sit, si & reliqui, quorum interest, consentiant. Inique à Gallis postulari, ut quia artic. XII. fœderis Borussici Sveci ac Belgæ expressi sint, iste citra interpolationem retineatur. Nam interea tempora mutata fuisse; ac si tunc Cæsar Electori, ut nunc, fœderatus fuisset, eum sine dubio cum aliis nominandum fuisse.

Sed

1663. Sed nunc bonam fidem utique requirere, Cæsarem huic fœderi includi; præsertim cum Gallia pacem cum Austriacis agat, nec multos intra annos ab his metuendum quid habeat. Quod si igitur Rex Austriacorum vocabulum in fœdere tolerare nolit, nil aliud superesse, quam ut laxioribus verbis amici utrinque & fœderati includantur. Sane æqualitatem nemini fraudi cedere: contra iniquum per disparitatem Electoris existimationi detrahi, simul eundem tacite contra Austriacos obligari, ac expresse auxilium in Svecos negari. Ad ista Turennius in antecessum reponebat: Regem nunquam fœdus conclusurum, ex quo nomen Svecorum delendum sit. Ast Lionnæus non sine ferocia jactabat; Electori hautquidquam aditum ad fœdus Rhenanum fore ob Neoburgicum, qui ejus receptioni contradixerit ulciscendæ contumeliæ, quod Elector eum Olivensi pace excluserit, cum cæteri omnes consensissent; ac minatum, si Elector ei fœderi adscribatur, ei se renuntiaturum. Merito Neoburgici majorem rationem in Gallia haberi, quam Electoris; ac Regem hoc specimine demonstraturum, quantum præsidii sociis suis in ipso sit. De evictione articuli separati Lumbranum duntaxat verbo pollicitum, non Regem, qui nec eam præstare queat.
17. Jul. Nam quomodo is Polonos ad tradendam Elbingam cogere possit? Turennius tamen mox à Rege paulo molliorem declarationem adferebat. Non amplius postulari peculiarem articulum, ut Elector commoda Regis in Imperio promoveat, aut quod idem fœdus Rhenanum amplecti velit. Sed in articulo XII. Svecos utique exprimendos; ut tamen Electori integrum sit fœderatos suos in universum includere non expresso Cæsaris nomine. Electori quoque pure declarandum de Neoburgico paci Olivensi includendo. Quæ in fœderis Rhenani exordio Electoris rationibus repugnare videantur, cum ipso tempore exolevisse; ac Electori, ubi id amplexus fuerit, sat in eo securitatis repertum iri. De separato articulo nullum verbum.
11. Sept. Post cum Elector ostenderet, se non amplius repugnare, quo minus Neoburgicus pace Olivensi comprehendatur, ac se quoque fœderi cum Svecis ineundo paratum esse, liquidior spes negotii ex voto conficiendi adparebat, Lionnæo agnoscente, quæ Elector super Rhenano fœdere moverit, ratione niti. Sed quia ea res heic expediri nequeat, eam ad Moguntinum remittendam; ut tamen Elector scripto caveat, ei se fœderi nomen daturum. Nil amplius quoque difficultatis supererat, utrum articulo IX. vocabulum *Evangelicorum Protestantium*, an *Augustanæ Confessioni addictorum* adhiberetur, cum ex mente Electoris omnes genuini Evangelici Augustanam Confessionem amplectantur, & ejusdem membra habeantur. Tantum super guarantia articuli separati Gallus tergiversabatur; circa quam satis habebat Elector eam laxioribus verbis concipi, si utique Gallus Elbingam expresse nominare nollet. Sed Lionnæo propositum erat tempus extrahere, quoad Polonorum super ea re sententiam cognosceret; absurdo prætexto, super re dudum transacta cum morosis debitoribus consultare. 1663.
Post longas moras Lionnæus demum è Blumenthalio quærebat; cum jam in 6. Nov.
aprico sit Polonos Elbingam & alia promissa præstare nolle, num Elector velit, ut Rex suus istos armis cogat? Sane nihil facilius quam evictionem scripto concipere: Sed se nolle autorem esse Regi ad subeundam obligationem, quæ ipsum cum Polonia committere queat. Cum ita res in longum extraheretur, Elector Blumenthalio injungebat, ut ni interim negotium eo provectum esset, ut statim concludi posset, ostenderet; cum per mandata sua ulterius progredi nequeat, sibi ad Electorem discedendum, ac relatione facta pressius mandatum petendum. Sed si de perfectione fœderis dubitandum non sit, aliquot adhuc dies velut præter mandatum se detineri pateretur. Sane absurdum videbatur, Gallum ideo pro articulo separato sponsionem interponere nolle, quia Poloni eum servare detrectabant; cum is ipse scopus esset sponsionis, ut partes ad servanda conventa adigantur. Ac nimis quam manifestus studii in Polonos erat Lionnæus, quando disserebat: Polonos & Svecos dubitare, num ejusmodi instrumentum articuli separati, quale heic exhibitum sit unquā ratihabitum fuerit. Ab Electore auxiliarem militem contra Moscos haut missum; igitur nec Polonos ad tradendam Elbingam obstrictos. Ab Electore Braunsbergam, quam in hypothecæ vicem pro Elbinga tenuerit, redditam non postulata pariter Elbinga: unde eum ultro actione in hanc destitisse videri. Ac iniquum esse, cum Elector suam causam apud Polonos non urgeat, Galliæ Regem per guarantiam eo adstringere, ac cum Polonis committere velle. Ad extre- 20. Nov.
mum declarabat Rex; se pro Borussia, & iis in quorum possessione sit Elector, sponsionem interpositurum: sed circa ea, quæ adhuc à Polonis desideret, operam navaturum. Plus sperandum non esse; ac Turennium diu cum Lionnæo contendisse, antequam id decretum pervinci posset. Isthoc si acceptetur, Regem protinus Lumbrano injuncturum, ut Electoris causam in aula Polonica agat. Cæterum Elbingense debitum non satis esse liquidum, Polonis compensationem opponentibus: nec id negotium ex Olivensi pace, sed pactis Brombergensibus oriri, quorum sponsorem se Gallus haut reddiderit. Si Elector quoque fœdus Rhenanum sine exceptione subeat, Regem ei cauturum, non minus securitatis ipsum in eo, quam alios, inventurum. Nam citra hoc eundem Galliæ fœderatum esse non posse, aut ab hac præsidii quid expectare. Isthæc declaratio etsi 8. Dec.
Electori non ex asse satisfaciebat; hic tamen Blumenthalio injungebat eam acceptare, ac simul demonstrare; etsi ipse non teneatur ab articulo separato desistere, aut ante traditam Elbingam pecuniam acceptare; in honorem tamen Regis contentum fore, si Poloni conventam pecuniam una vice exsolvant, ac Rex in eam rem operam navet.

Alias

1664. Alias usque adeo actionem in Elbingam cessa Braunsberga non expirasse, ut potius stabilita fuerit, remoto obstaculo, quod Poloni hactenus opposuerint, Braunsbergam utique ante Elbingam restituendam. Ac Electorem nuper serio ad Poloniæ Regem scripsisse, ut post redditam jam Braunsbergam circa Elbingam non amplius mora fiat. Quin si Gallus articulum separatum sine exceptione firmare vellit, Elector cauturus erat, se actione in Elbingam cessurum, si opera Galli pecuniam acceperit. Sed & circa fœdus Rhenanum abunde se fecisse, quod in eo non plus mutari velit, quam quod ad præsentia tempora non quadret. Ac valde anceps, nec satis ex dignitate videbatur, pure fœdus acceptare, ac Regis cautione laxioribus verbis facta adquiescere; præsertim cum Coloniensi integrum fuerit, dum id prorogatur, unam & alteram exceptionem addere. In articulo autem XII. non poterat non Elector æqualitati insistere, ut vel Cæsar quoque expresse nominetur, vel utriusque partis fœderati generalibus verbis notentur. Ista si non admittantur, Blumenthalius discedere jubebatur non specie tractatum abrumpentis, sed velut nova mandata petituri.

17. Jan. 1664. Ad quæ cum hic liquidum responsum postularet, Lionnæus octidui dilationem exigebat. Et cum idem de mora quereretur, ac quod per integrum prope annum heic egerit nulla re confecta, Lionnæus regerebat; Lessanum quoque per quinque menses Berolini moratum, ac Electorem in venationem & nescio quo sequi necessum habuisse, antequam responsum nactus sit. Id quod tamen non ea mente dicat, quasi nunc par pari referatur, sed ut ostendat, Principibus non semper integrum esse, super negotiis protinus decernere.

25. Jan. Ad extremum Gallus ejusmodi declaratione super fœdere Rhenano contentus erat: *Promittit Elector, se cum sociis Rhenani fœderis, quamprimum de loco & tempore tractandi, conficiendique hujus negotii conventum, statutumque certi quid fuerit fœdus societatemque initurum.* Guarantia quoque articuli separati, & cautione Electoris super Elbinga adquiescebat; tunc ut articulo XII fœderis socii utrinque laxis verbis notarentur. Nam se jam agnoscere, ab Electore serio rem agi; & à Svecia referri, eundem quoque cum eo Regno fœdus conclusurum. Hucusque cum negotium perductum esset, haut expediebat ulterius cauponari, ne forte per interpositam moram animi mutarentur. Sane Lionnæo parum gratum erat negotium tam longe provectum, qui & idem plane elusurus fuerat ni Turennius apud Regem tam enixam operam navasset. Ita cum Lionnæus quæreret, num Blumenthalius statim concludere posset, atque hic id affirmaret, negotio

8. Febr. demum finis imponebatur. Quia tamen in formula ab Electore transmissa obscurius positum erat, num hic solo Regis officio circa Elbingense negotium adquiescere vellet, & vero metuebatur, ne per interjectam moram omnia subverterentur; Blumenthalius id temperamentum proponebat, ut omnia subscriberentur, dubio isto ad Electoris declarationem remisso ea lege, ut si hic Regis officio contentus esse nolit, reliqua omnia citra obligationem forent. Nec eo secius Lionnæus novos scrupulos movebat, postulato, ut in contextu fœderis titulus *Serenitatis Electoralis* omitteretur, quo facto se vicissim nude vocabulum Regis Christianissimi expressurum: tum ut ponatur *Religio Catholica & Protestantes*; ac ut Regi quoque, sicut Electori, optio relinqueretur, militem an pecuniam dare velit. Causa autem novæ cavillationis erat, quod Gallus expectare vellet, quid missus è Svecia, qui in itinere erat, allaturus sit. Quanquam in tota hac negotiatione multum acerbitatis Lionnæus exseruerat, ut magna patientia opus esset ad morositatem ejus superandam. Cujus causam Turennius dicebat, quod ipsius cognato Lessano re infecta Berolino discedendum fuerit. Post novos igitur scrupulos Blumenthalio è dignitate videbatur, tempus valedicendo Regi petere, quod & condictum fuit. Cum tamen Galli circa pleraque remisissent, discessus paululum adhuc differebatur. Ad extremum solus scrupulus circa titulum supererat. Nam si fœdus Gallica lingua conciperetur, Lionnæus *Serenitatis Electoralis* titulum libentur daturus erat, sed in Latino non nisi *Celsitudinis Electoralis*; utut demonstraretur id absurdum esse, cum Elector initio *Serenissimus* nuncupetur, ac in fœdere Regiomontano vocabulum *Serenitatis Electoralis* extaret. Circa quod cum Blumenthalio remittere haut liceret, discessit. Valedicenti Rex dicebat; *à se* 22. Febr. *maximi æstimari Electorem ipsius fratrem, quicum amicitiam colere cupiat. In ipso negotio paululum dissensionis restare, quod deinceps facile cessaturum sit.* Guarantiam separati articuli exhibere Rex abnuebat, nisi reliquis perfectis. Nam Stephanus Gambrotius è Svecia recens veniens negaverat, à Svecis separatum articulum unquam ratihabitum, quicquid Brandenburgici jactarent. Id quod manifeste falsum erat, cum ratihabitionis Svecicæ instrumentum in tabulario Electorali extet. Alias in discessu Rex singularem humanitatem exserebat, ac spem faciebat negotium deinceps utique perfectum iri, magnifico quoque dono legatum mactans. In literis obitæ legationis fidem facientibus positum erat; Regi modum agendi per ablegatum adhibitum valde probatum, ac negotium ad optatum finem deducendum fuisse, si isti plene super Electoris sententia constitisset circa quasdam quæ intervenerint difficultates, quas Rex adventu ejusdem ad Electorem facile superatum iri speret. Tradebatur quoque eidem formula fœderis lingua Gallica, ac guarantiæ separati articuli, una cum cautione Regis, Electorem in fœdere Rhenano sat securitatis inventurum.

§. 59. Postquam Blumenthalius Berolinum reversus Electori de omnibus retulisset, hic brevi istum in Galliam remittit his cum mandatis, ut Regi proponeret; se testando suo in ipsius amicitiam studio non solum conventos articulos arctioris fœderis probasse; sed

Legatio in Galliam repetitur. 10. Maii.

1664. sed &, quo Rex intelligat à se moram non quæri, etsi nondum à Regiis ministris subscriptos ratihabuisse. Ex quo Regi constare possit, candide à se rem semper actam fuisse. Super fœdere Rhenano jam legatis suis Ratisponæ in mandatis dedisse. Ast ubi à Gallis circa fœdus novi aliquid moveatur, Electoris commodis repugnans, & rem ipsam tangens, id ablegatus protinus ad ipsum referre jubebatur, ostenso: sibi haut mandatum super novis rebus in disceptationem descendere, ac sibi iterum abeundum fore. Interim ad absolvenda conventa incumberet. Iste cum intra trimestre, quod ratificationi exhibendæ constitutum erat, Lutetiæ iterum adesset, admodum amice recipiebatur, ac Lionnæus alium plane vultum induisse videbatur. Nec eo minus cum ratihabitiones hinc inde tradendæ essent, idem circa tria adhuc tricabatur. Nam primo Latinum exemplar tractatus Regiomontani Lutetiæ factum præter promissa antehac data subscribere abnuebat, quod in eo vocabulum Serenitatis Electoralis extaret; sed postulabat, ut suum nomen in exemplari ab Electore ratihabito omittatur, & aliud instrumentum pergamenæ inscriptum Electoris manu & sigillo firmatum huc mittatur. Nam suam manum nunquam visum iri sub instrumento, in quo vocabulum *Serenitatis Electoralis* extet, ac sufficere, quod Elector in Latino exemplari eum sibi titulum tribuat, idque Rex velut fundamentum totius tractatus admittat. Interim se Latinum exemplar Lutetiæ confectum à solo Blumenthalio subscriptum acceptaturum. Quia igitur Elector rem perfici cupiebat, ac plures molestiæ è Lionnæi malevolentia metuebantur, Blumenthalius sub spe rati consensit, ut si Elector aliud exemplar fœderis Regiomontani, in quo Lionnæi nomen non extaret, mitteret, omnia scripta hinc inde redhiberentur. Deinde & Lionnæus in Gallico exemplari nomen suum ita laxe extenderat, ut Blumenthalii nomini in eadem linea spatium non superesset; etsi testaretur, à se in dubium non revocari quin Electoralibus legatis utique competat eadem linea cum Regiis subscribere, sed utrique nomini exprimendo spatium non fuisse, siquidem vocabula *Plenipotentiiarii Regii, & Serenitatis Electoralis* addenda fuerint. Et Trevirensem Legatum non ita pridem idem fecisse. Ita & isthoc admittendum videbatur. Demum & huic postulato mordicus inhærebat, ut sibi quoque Gallicum exemplum tradatur, quod ipse una cum Blumenthalio subscriptus sit. Quod hic ea demum lege annuit, ut si Elector in id non consentiat, omnia scripta hinc inde reddantur, & omnia acta irrita sint. Enimvero Electori à Lionnæo motæ difficultates molestæ admodum erant, ac tanti erat suam Collegiique dignationem tutari, ut potius totum negotium abrumpendum esset, quam tolerandum, non à Rege, sed ejus ministro titulum sibi detrahi, quem alii Reges haut inviti dederant. Sed & ex inani fastu profectum, quod Lionnæus subscriptionem in eadem linea impediisset, in aprico erat. Nam Trevirensis exemplum ad rem nihil facere, quod Electores Ecclesiastici, quibuscum sua dignitas intermoritur, honorem Electorali fastigio debitum non semper uti par est observent; qui & ideo illis, queis ea dignatio hæreditario jure possidetur præjudicium adferre nequeant. Cæterum complura instrumenta in promtu esse, quibus sui legati ac deputati extraordinarii cum Polonicis, Svecicis, Danicis, quin Cæsareis, & ipsis Gallicis Regiomonte & Olivæ una linea nomen suum scripserint. Denique & magnam disparitatem habebat, quod Electori Gallicum exemplar subscribendum foret, cum Lionnæus Latinum subscribere abnueret. Idque tanto iniquius videbatur, quod Rhenano fœdere cautum erat, ne unus fœderatorum præ altero quid prærogativæ sibi arrogaret. Hac igitur super re queri jubebatur Blumenthalius, ac demonstrare; absurdum plane esse unum exemplar ab uno, alterum ab utroque plenipotentiario subscribi. Unde Electori id temperamentum adhibendum videri; ut Blumenthalius solus Latinum exemplar, Lionnæus solus Gallicum subscribat, ac ipse exemplum à Blumenthalio, Rex à Lionnæo subscriptum ratihabitioni inserat, quo æqualitas non quidem in dignitate paciscentium, sed confirmatione tractatus observetur. Quo modo omnes tricas à Lionnæo injectas elidi. Ad extremum tamen Elector id indulgere volebat, ut si Gallus propositum temperamentum non admitteret, se non nisi tractatum lingua Gallica conceptum ratihabiturum, Latina formula recepta, denuntiato tamen, si in Germania quid tractandum sit, se non nisi Teutonica lingua id concepturum; additis querelis de Lionnæi morositate & iniquitate, quam toleraturus non fuerit, ni Regis amicitiam tanti æstimasset. Sed demum admisso ab Electore proposito temperamento omnia componebantur. Negotio absoluto Rex per Lionnæum significabat; se non dubitare, quin Elector ipsius quoque amicorum amicus esse, ac diu desideratum cum Svecia fœdus perficere velit, cui ut quæ obstent removeantur, à se operam datum iri. Quo fine Hugo Terlónus in Sveciam mittebatur. Gambrotius quoque multis testatus fuerat, à se tractatum hautquidquam impediendum, ipsa excusationis anxietate suspicionem augens. 1664.

20. Jun.

1. Jul.

26. Aug.

Fœdus Galli. cum absolvitur.

Terlon.

§. 60. Cæterum renovato fœderi aliud exordium quam priori Regiomontano erat, quod prorogationi quadraret. Capita, quæ in priori, eadem, nisi quod post articulum III insertum esset: *Rex & Elector bona fide declarant, se nullum habere tractatum cum quavis Potestate & Principe, qui integræ & sinceræ executioni duorum articulorum immediate præcedentium repugnet. Quod si aliquod fœdus tale sit, ei per expressum nunc ut tunc, & tunc ut nunc renuntiant.* Cum in articulo IX extaret *religionis Catholico-Romanæ & Protestantes Evangelici* in renovata *Catholici* & *Protestantes Augustanæ Confessioni addicti* ponebatur. Articulus ultimus ita formatus erat: *Non extendetur autem præsens fœdus ad Suæ Regiæ M. tis & Serenitatis Electoralis fœderatos,*

In renovato fœdere Gallico mutata.

1664. *socios, vel amicos; sed si forte lis vel dissidium inter eosdem oboriatur, altera pars non obstricta erit vigore hujus præsentis fœderis ac conventionis alia ratione intervenire, nisi ut munere mediatorio tantum communis amicus fungatur, bonaque fide omnia officia impendere, ne dissidia in apertum erumpant bellum. Confecta autem sunt hinc inde à supra memoratis utrinque Commissariis & Deputatis hujus instrumenti duo, alterum Gallico, alterum vero Latino idiomate conceptum, ejusdem tenoris exemplaria, à S. a Ra. Mte & Serenitate Electorali intra trimestre à die conclusi fœderis ratificanda, & utrinque permutanda, quorum unus Dominus de Lionne, alterum Dominus Baro de Blumenthal sibi reservavit. In quorum indubiam fidem & majus robur supra memorati Deputati Dn. de Lionne Gallicum, Dn. autem Baro de Blumenthal Latinum manuum suarum subscriptione & sigillorum gentilitiorum appressione eadem confirmarunt. Actum Parisiis die VI. Martii 1664.*

CHRISTOPHORUS CASPAR L. B. à Blumenthal.

Guarantia separati articuli pacis Olivensis. §. 61. Ast sponsio pro articulo separato pacis Olivensis à Rege Galliæ interposita talis erat, è Gallico in Latinum sermonem translata: *Ludovicus Dei gratia Rex Franciæ & Navarræ præsentes literas visuris salutem. Postquam cura & interpositione nostra tractatus pacis inter dilectissimum & amantissimum nostrum fratrem & patruelem Regem Poloniæ, ipsius Regna & Magnum Ducatum Lithuaniæ, ejusque fœderatos, nominatim nostrum dilectissimum & amantissimum Fratrem & Patruelem Marchionem Brandenburgicum Principem & Electorem Sacri Romani Imperii ex una, & nostrum dilectissimum atque amantissimum Fratrem, patruelem & fœderatum Regem Sveciæ, ipsius Regna, Status & Principatus ex altera parte conclusus & subscriptus esset Olivæ die 3. Maij 1660. per ipsorum legatos idonea facultate instructos; simul per articulum 36. dicti tractatus promissum & conventum esset ad majorem securitatem conditionum ibi conventarum per dilectum & fidelem nostrum Consiliarium Status & intimum Dominum de Lumbres legatum nostrum, qui nostro nomine interfuit virtute plenipotentiæ, quam ipsi contulimus ad exercendam nostro nomine mediationem; quod nos & nostri successores Reges istius sponsores futuri, & literas ratificationis dictæ guarantiæ convento tempore exhibituri simus, prout dicto tractatu prolixius expositum est; & quia præter istum tractatum ad declarationem secundi articuli in eodem, qui de amnestia & redintegratione jurium agit, conclusus & ratificatus fuit articulus separatus ad servanda in integro jura pertinentia ad Fratrem nostrum Electorem Brandenburgicum per tractatum Welavienſem & Bydgostiensem quæsita, qui articulus ejusdem valoris cum dicto tractatu sit habendus, & eidem eo qui sequitur modo inserendus.*

Heic insertus est articulus ipse, prout à legatis Polonicis subscriptus est cum declaratione Legationis Svecicæ.

Nos eum articulum separatum in nostro Consilio visum & examinatum, quantum in nobis est approbavimus, & ratificavimus, æque ac dictum tractatum, & articulum guarantiæ, sicuti & eundem approbamus & ratificamus per præsentes literas nostra manu subscriptas; ac promittimus fide & verbo Regio istum evincere & manutenere contra omnes, & accurate è nostra parte implere, juxta ejusdem formam & tenorem. Ita enim placitum nobis est. In cujus testimonium sigillum nostrum hisce appendi jussimus. Datæ Fontisbellaquei die 25. Maii. 1664. Regni nostri 22.

§. 61. Vicissim Elector Regi super articulo separato in hunc modum cavebat. *Nos Fridericus Wilhelmus (T. t.) publico hocce instrumento notum testatumque facimus omnibus quorum interest, quod licet Regia Majestas Galliæ guarantiam super articulo separato declaratorio articuli II. Instrumenti Pacis Olivensis nobis ediderit; nihilominus promittimus, quod, quantum ad civitatem Elbingensem attinet, officiis, quæ Sua Majestas nobis apud Regem & Remp. Poloniæ sincere præstare vult, contenti futuri, neque dictam guarantiam ad quidquam, quod dictam civitatem Elbingensem concernit, extensuri sumus. In cujus rei fidem hoc instrumentum manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro Electorali corroborari fecimus. Datum in arce nostra Coloniæ ad Spream die 27. April. 1664.* Electoris cautio super guarantia articuli separati:

§. 63. Super Neoburgico quoque Paci Olivensi includendo ita cavebat Elector. *Nos Fridericus Wilhelmus (t. t.) Notum testatumque facimus omnibus & singulis, quorum interest vel interesse potest; postquam Regia Majestas Galliæ à nobis instanter contendit, ut Celsissimus Princeps Dominus Philippus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni Neoburgicus in pacem Olivensem anno 1660. factam reciperetur, & nos, quatenus negotium hoc ad nos spectat, causam nunc non habeamus, quare receptionem hanc denegemus. Itaque hoc ipso alte memoratam dilectionem Ejus, quod nos spectat, & absque præjudicio cæterorum quorum interest, in pacem Olivensem recipimus, & hanc nostram receptionem hoc ipso factam declaramus. In quo majorem fidem &c.* Super Neoburgico Paci Olivensi includendo. 27. Apr.

Nec minus super Rhenano fœdere tali modo sese obstringebat Elector. *Nos Fridericus Wilhelmus (t. t.) Quod cum Regia Majestas Galliæ testata sit, se conservandæ solum pacis & tranquillitatis causa cum Electoribus & Principibus nonnullis Imperii fœdus vulgo dictum Rhenanum iniviſſe, nos eodem pacis & concordiæ servandæ & stabiliendæ voto, ad demonstrandum quoque singularem nostrum in Suam Regiam Majestatem, omnesque fœderatos affectum promittimus, cum iisdem, quamprimum de loco & tempore tractandi, conficiendique hujus negotii conventum statutumque aliquid fuerit, fœdus societatemque inire. In quorum majorem fidem &c.* De amplectendo fœdere Rhenano. 27. April.

Vicissim Rex Galliæ Electori cavebat hoc modo. *Rex gratam habens declarationem sibi factam nomine Serenissimi Electoris Brandenburgici per Baronem de Blumenthal ipsius Consiliarium Status & Intimum, Camerarium, Equitem Ordinis Divi Joannis, Commendatorem in Supplenburg, & ipsius Deputatum Extraordinarium ad Suam Majestatem, quod postquam conventum fuerit de tempore & loco concludendi tractatus, ipse desideret intrare cum Sua Majestate & quibusdam Electoribus & aliis Pricipibus S. Romani Imperii in fœdus defensivum, quod ipsi inter*

1664. *inter se inivrunt, (appellatum fœdus Rhenanum;) Sua Serenitas Electoralis volens hoc ipso publicum dare testimonium studii sui, quod habet in omnia, quæ Sua Majestas ab ipso desiderare potest: & quia in dicto fœdere quædam conditiones extant, in quibus Sua Ser. Electoralis non invenit omnem securitatem, quam cupere possit, Sua Majestas, ut demonstret quanti ipsius monita faciat, promittit se operam daturum, quantum à sua facultate dependet, ut ipsi eam securitatem procuret, qua alii sui fœde-*
25. Maij. *rati gaudent. In cujus fidem, &c.*

Super cerimoniis disputatio. §. 64. In discessu Blumenthalii nonnihil controversiæ super cerimoniis surgebat. Nam legatus Anglicus Denziles Hollis isti se invisenti manus honorem dabat, & digredientem ad currum usque comitabatur, non prius recedens, quam iste hunc ingressus esset. Eundem honorem Blumenthalius à Legato Veneto exigebat, alias valedictionis officio apud eum non defuncturus. Sed Venetus abnuebat, causatus Anglos circa ejusmodi officia aliquandi ultra, nonnunquam citra consistere. Se quidem ne Regio ablegato cedere; utut noster reponeret, non ablegatum se, sed Deputatum Extraordinarium esse. Quo exemplo Sabaudus quoque se excusabat, quod cum Veneto nulla parte cedat, officium Blumenthalii admittere, aut quem postulet honorem exhibere non possit. Ea res occasionem præbuit, *Conventio cum Sabaudo super cerimoniis.* ut Elector post in Comitiis Ratisponensibus cum Sabaudiæ Duce super cerimoniis conventionem iniret; qua Dux declarabat, *uti ipse majoresque sui nunquam præsumserint Electorale Collegium aut singulos Electores præcedere; ita & deinceps se facturum; ac peculiariter Electori Brandenburgico non tantum in Comitiis & Aula Cæsarea, sed in omnibus aliis locis sive intra sive extra Italiam sine ulla contradictione cessurum; tum ex ratione aut occasione tituli* Regiæ Altitudinis *ne minimam quidem partem illius observantiæ omissurum, qua cum Electoribus agere suevit. Eodem quoque modo, & eodem civilitatis genere tractaturum legatos Electoris in Aula sua & infra Italiæ fines, quo Cæsareos, & Regios Legatos tractet, habeat, & honoret. Si Ducem Sabaudiæ in Germaniam Comitiorum vel alia ex causa venire contingat, ipsum Electoris legatos tractaturum & habiturum, sicuti tractantur & habentur à secularibus Principibus proximum post Electores locum obtinentibus. Ducem Electori daturum titulum Serenitatis Electoralis; Electore vicissim reponente titulum Regiæ Celsitudinis; idque apud posteros quoque observandum.* Subscripserant id pactum nomine Electoris Conradus Ascanius Marenholtzius, ac Godofredus Jena; nomine Ducis Carolus Felix Mallettus ex Dominis Droxii, anno 1665. 19. (29.) Aprilis. Fortasse & omittendum non est, quod
1663. dum Blumenthalius in Gallia moratur, Rex de itinere in Alsatiam agitarit; ubi, cum consultaretur, quid honoris Electoribus exhibendum foret, si qui eorum Regem hoc itinere convenirent, demum decretum, ut Rex istis ad scalam usque obviam procederet, ac sellam brachiis adornatam daret; in conviviis autem Rex solus caput mensæ obtineret, assidentibus sibi exadversum Electoribus ex oblongis lateribus.
Sed declinandæ ob digniorem locum liti Aurelianensis Dux simul profecturus haut erat. 1664.
Cæterum quia Lisola, ac Hispanicus minister Sebastianus de Ucedo in Aula Electoris tunc agentes super isthac Blumenthalii negotiatione diffidentiæ quid ostenderant; Elector exemplum fœderis Cæsari communicabat; addito, uti ipse induci non potuerit, ut Regis fœderatorum nomina exprimerentur, Cæsaris omitteretur. Quia tamen id temperamentum demum propositum fuerit, ut sociorum utrinque generalibus verbis mentio fieret, id se recusare non potuisse. Cum itaque nihil factum sit rationibus Cæsaris, fœderique cum ipso adversum, non minus deinceps Electorem quo Cæsaris ac Imperii emolumentis pro virili connexurum. Nec minus fœderi Rhenano ipsum nomen dedisse, salvo debito erga Cæsarem respectu, & cum ejusmodi cautelis, queis Imperii tranquillitas firmetur.

§. 65. Porro ut promisso Regi Galliæ facto circa Rhenanum fœdus satisfieret, Elector Marenholtzio & Godofredo Jenæ in mandatis dabat, ut Ratisponæ cum fœderatorum legatis ea super re agerent. *Elector fœderi Rhenano nomen dat.* Pro rata parte ipse collaturus erat D equites, M pedites: simul Franconicos agnatos Marchiones eodem fœdere recipi nolebat, ut in consilio bellico tria suffragia ad exemplum Domus Brunsvicensis haberet. Necessarium quoque videbatur Electori aliquod clausulas ex eo fœdere induci, quod facies rerum interim mutata esset post compositum bellum Polonicum. Sed cum reliqui socii fœdus refingi nollent, instrumento accessionis cautio inserebatur de abolendis clausulis Electori præjudicio cedentibus. Alias nil plane difficultatis circa id negotium occurrebat, nisi quod subscriptio aliquantisper differenda foret ob dissidium inter Georgium Wilhelmum, & Joannem Fridericum Duces Luneburgicos fratres super ditionum divisione; etsi cautio nostris interim dabatur, ea dilatione non obstante receptionem in fœdus firmam fore. Ipsa Instrumenti subscriptio demum anno 1665 8. Nov. (18. Nov.) peracta. Cæterum id fœdus 1658.
primo institutum fuit Francofurti ad Mœnum 4/14 Augusti.
inter Joannem Philippum Moguntinum, Carolum Casparem Trevirensem, Maximilianum Henricum Coloniensem Electores, Christophorum Bernhardum Monasteriensem Præsulem, Philippum Wilhelmum Palatinum Neoburgicum, Carolum Gustavum Regem Sveciæ tanquam Ducem Bremæ & Verdæ, Augustum, Christianum Ludovicum, & Georgium Wilhelmum Duces Brunsvicenses & Luneburgicos, & Wilhelmum Hassiæ Landgravium; qui sequenti die Moguntiæ Regem Galliæ eidem fœderi adscribebant. Ei postea 1659.
accessit Georgius Hassiæ Landgravius, & E- 18. Jan. st. v.
berhardus Dux Wurtenbergicus; ac post 1660.
mortem Georgii Landgravii ejus filius Ludovicus; tum & Fridericus Ludovicus Palati- 4. Febr.
nus Bipontinus. Post mortem Wilhelmi Land- 1661.
gravii ejus vidua Hedvvigis Sophia nomine pri- 1663.
mogen- 1665.

1664. mogeniti filii Wilhelmi eidem fœderi adscri-
1664. bebatur; tum Conradus Præsul Basileensis, ac
post obitum Christiani Ludovici Ducis Lune-
burgici frater Joannes Fridericus. Idem fœ-
dus ad diem usque IV. & V. Augusti st. n. an-
ni 1667 prorogatum fuit. Prætextum fœderis
ferebatur, quod pace Westphalica omnes mo-
tus in Imperio compositi non sint, quin alicu-
bi hospitia, transitus, exactiones, aliaque bel-
lum comitari solita per vim adversus quosdam
Imperii Ordines exercita fuerint. Quibus in-
hibendis id fœdus ictum in nullius offensio-
nem, nec adversus Cæsarem aut Imperium,
aut ad suscitandas in Imperio turbas, aut ut
socii alienis & externis bellis immisceantur;
sed ut cujusque jura ac privilegia, inprimis
libertas Germanicæ nationis, ac pax Westpha-
lica sarta tecta præstentur, & cujusque ditiones
adversus insultationes militum protegantur.

Missio in §. 66. Haut minus difficulter, quam Gal-
Sveciam. licum, succedebat fœdus, quod Elector cum
Svecis inire constituerat; quo fine, cum in Bo-
1662. russiam abiret, Laurentium Georgium Croco-
21. Oct. vium Holmiam miserat. Ei injunctum Re-
Crocau. gi de itinere Electoris in Borussiam significare,
ac de studio ejusdem ad amicitiam cum Sve-
ciæ Regno colendam testari, tum expectare,
si quam isti rationem illi arctius adstringendæ
propositturi sint. Si Sveci objiciant, ab Electo-
re investituram de provinciis Germanicis im-
peditam, id inficiaretur, ac ubi isti ad Cæsareos
Consiliarios provocent, id confictum assevera-
ret ad offensam à se in alios derivandam. Sed
quod Elector abnuerit circa quærendam Ste-
tinensium pactorum confirmationem operam
sociare, id eam ob causam factum, quod Re-
gii isthoc velut diserte pactis conventum exe-
gerint; id quod Elector agnoscere non potue-
rit. Declarasse tamen, se id negotium nullo
modo impediturum. Inprimis num qui para-
tus armorum ibi fiant observaret. In transitu
apud Regem Daniæ salutatione defungeretur,
19. Dec. ac de prorogatione fœderis moneret. Ei Haf-
1662. niam delato à Rege Friderico responsum: Sibi
novo fœdere opus videri, quod secreto tractan-
dum sit, ne Sveci suspicione perstringantur;
ac se eo nomine Legatum ad Electorem mis-
surum. Ibi quoque cognitum, frigere tunc
amicitiam inter Svecos Gallosque, ac Tedo-
num graves querelas agitare, Svecos non sa-
tis Galliæ commoda observasse, cum in poste-
rius bellum Danicum descenderint; ac uti eum
militis conductitii numerum non habeant,
quem fœdus requirat, quo statim atque Gallus
postulet citra ullum respectum huic juncti rem
gerere queant.

Cum Sve- §. 67. Crocovio Holmiam delato quas
cis acta. attulerat literas fiduciarias ad tutores Regios
10. Jan. redhibebantur, quod vocabulum Comitis non
1663. etiam ante nomen, sed tantum post idem po-
situm esset; (*Comiti Dno. N. N. Comiti in*) tum
quod *Excellentiæ* titulus deesset, quo tamen
Elector Legatos Hispanicos, & Gubernatores
Belgii Hispanici mactet; cum ipsi gubernato-
res totius Regni ac tutores Regis sint: deni-
que quod in fine non adparerent verba affe-
ctum testantia. Tum & Magnus Gardius 1664.
Regni Cancellarius expostulabat, quod Ele-
ctoris ministri Viennæ obstiterint, quo minus
Rex investitura ibi potiretur: testatus quoque
sibi valde displicere, quæ cum Esaia Pufendor-
fio Regiomonte nuper acta fuerant. Eum
Rex Sveciæ ad Regimen Borussiæ miserat su-
per quibusdam rebus à veredariis Borussicis se-
cius factis questurum. Sed cum is post acce-
ptum responsum, prout injunctum fuerat, ibi
moraretur, observaturus quo istæ se turbæ es-
sent daturæ, inde discedere jussus fuerat, ob-
tentu sumto velut jactasset, Polonos huic se
negotio ingesturos. Sed Gardius mirari se fe-
rebat, quomodo Electori in mentem venire
potuerit suspicari, istum publice jussum talia
spargere; ac melius istum sibi cognitum, quam
ut credere queat, ab eo quid offensa dignum
admissum. Sed satis perspici, ejusdem Regio-
monte moram parum gratam esse, eoque præ-
textum arreptum eundem inde amoliendi, vel-
ut aliam ob causam, missum. Sed uti sancte
confirmare possit, non ob aliud negotium, quam
præ se tulerit, venisse: ita amicitiam, quæ in-
ter Regem & Electorem sit, ejusmodi suspi-
cionibus locum haut præbuisse. Jussum ta-
men, si præsentia sua parum grata sit, inde di-
scedere: Crocovio regerente, ipsius Pufendor-
fii interfuisse ansam præbitam suspiciones re-
fellendi. Cæterum super modis arctius ad-
stringendæ amicitiæ ab Electore proponendum,
& quæ ei obstant prius amovenda. Argueba-
tur quoque Blumenthalius ideo in Galliam
missus, ut frigus, quod tunc inter Sveciam &
Galliam intercedebat, aleret. Nec arctius strin-
gi amicitiam cum Electore posse, quamdiu is
Austriacis rationibus innexus agat, quibus
propositum sit, Gallos Alsatia ac Lotharingia,
inde Svecos Pomerania expellere. Ita iste ani-
mos Svecorum sat infensos Electori reperie-
bat; & cum speculandi duntaxat causa venis-
se crederent, quamprimum eundem iter rele-
gere malebant. Post idem jussu Electoris de- *27. Jul.*
clarabat; se non ex debito, sed ut Sveciæ gra-
tificetur, apud Cæsarem & Comitia confirma-
tionem pacti Stetinensis promoturum. Ut à
Cæsare negotiis, quæ salutem Imperii spectent,
se disjungat, per incumbentem sibi obligatio-
nem fas non esse. Cæterum cupere Electo- *De Fœ-*
rem cum Rege fœdus mutuæ defensionis gra- *dere pro-*
tia inire, ac nosse velle, ubi eam tractationem *ponitur.*
institui placeat. Id quod Sveci gratum sibi
ferebant, ac commodissimum fore Holmiæ ne-
gotium suscipere, ubi id sine strepitu perfici
queat; circa quod super Borussia scrupuli qui-
dam sint emersuri, non tamen insuperabiles. Sed
cum Crocovius peteret de legibus fœderis si-
bi pandi, quo idonea mandata petere posset;
Sveci id recusabant, velut res ab ipso non se-
rio agatur, ac tantum sensa ipsorum explorare
instituat. Igitur hic jubente Electore de ejus-
modi fœdere proponebat, quo omnes utrinque
socii, ac provinciæ etiam extra Germaniam si-
tæ comprehendantur. Contra Sveci distincte *4. Nov.*
cupiebant exprimi ditiones, quas Elector in-
cludi velit, nec singulos minus ipsius fœdera-
tos; simul qua ratione remotioribus partibus,
ad quas

1663. ad quas auxiliis haut facilis accessus sit, securitas præstari queat. Tum ob quod periculum, & contra quem, ac num contra solum Turcam id fœdus quæratur? Super quibus ut Elector mentem suam prior declaret, velut à quo super fœdere prius motum sit, par esse. Sed Elector maluerat, Svecos sensa sua priore loco pandere; eoque laxioribus verbis ostendi volebat; sibi haut in animo esse Svecos litibus implicare, quod & vicissim ab his speret. Fœderatos à se includendos Domum Austricam, Polonum, Danum, Electores ac Principes Imperii, & Belgas. Gallum nominare supervacuum, cui Svecia fœderata sit. Svecis etsi parum gratum esset Crocovium circa generalia hærere, quo ipso tempori extrahendo occasio quæri videatur; ostendebant tamen, Clivicas ditiones fœdere excludendas, nisi forte temperamentum proponatur, quo impediatur, ne Regi suo præjudicium creetur, cui & in easdem ditiones actio competat; præsertim cum Elector nullum plane jus Regis in easdem, secus atque Neoburgicus, agnoscat. Simul nosse cupiebant, quomodo res circa oppida Clivica Belgarum præsidio insessa habeant; ac num successionem in bona Arausionensia Elector includi velit. Deposcebant etiam exemplum pactorum Brombergensium, & procuratorii Polonicorum Commissariorum ad tradendum Borussiæ supremum imperium, quo sibi de consensu Regis & Reip. in eam rem constet. Alias enim amicitiam inter Sveciam & Poloniam, quin ipsam rationem non admittere, supremum Borussiæ imperium ei fœderi includi. Quærebant etiam, quia Rex velut membrum utriusque Saxonici Circuli auxilium adversus Turcam pro rata suarum provinciarum promiserit, num Elector ultra id aliquid desideret.

9. Dec. Ad quæ Elector: se circa Clivicas ditiones non alia lege auxilium exigere, quam si ipse à Neoburgico contra pacta, aut ab alio, cui nulla in eas actio competit, invadatur. Prætensionem Bipontinæ Domus ad decisionem judiciariam remitti. Ubi hæc conditio non placeat, eas ditiones excludi posse, reservato tamen auxilio, quod Svecia per Pacem Westphalicam præstare teneatur. Clivica oppida Belgis haut oppignorata. Si tamen eorum nomine ad auxilium se obstringere Sveci nolint, sufficere, si officium suum interponant. Circa Borussiam omnia jam transacta, eoque illam utique fœderi includendam. Hæreditatem Arausionensem ad hoc fœdus haut spectare, ac votum juxta, spemque Electori esse, Principem sua possessurum, ac ad propriam sobolem transmissurum. Super periculo à Turca peculiarem conventionem inire haut placere. Contra sperare, Svecos non plus ab ipso exacturos, quam, defensionem Germanicarum provinciarum. Nam à se an à Svecis de fœdere agendi initium profectum sit, superfluum esse inquirere, ac ejus exordium ita laxis verbis concipi posse, ut istud in medio relinquatur. Sveci dehinc jaciebant modum mutui auxilii posse definiri juxta proportionem pactis Labiaviensibus expressam; tum se peculiariter sibi stipulari velle confirmationem pacti Stetinensis, ac libertatem commerciorum pro Stetino, tum certas copias auxiliares pro recens adquisitis provinciis. 1663.
Monebant etiam circa sacra per ulteriorem Pomeraniam, ne in iis quid novetur, mentione etiam injecta edicti Electoralis contra Professores Witenbergenses, quo subjectis suis eorum scholam frequentare interdicebatur, à functione in sua ditione excludendis, qui secus fecerint. Contra Electori supervacuum videbatur authentica instrumenta circa supremum Borussiæ imperium producere, jam toto orbe notorium; ac Brombergensia pacta publici juris esse, nuper plene executioni data. Etsi Crocovio exemplum procuratorii delegatorum Polonicorum mittebatur; quod obiter duntaxat ostenderet. Nam non esse è dignitate circa demonstrandum suum jus anxie satagere. Quin etiam Sveci ignominiosum sibi duxerant, negatam semel à Cæsare investituram denuo ambire, Elector in illorum gratiam Ratisponam scripserat, ut ad eam accipiendam ultro à Cæsare invitarentur. Quod & paulo post factum, & investitura Svecis, prout voluerant, collata. Per ædem sacram in usum Reformatorum Colbergæ extructam Lutheranis nil detrimenti, aut præjudicii illatum; ac id per Instrumentum Pacis jus fuisse: nec sperare Svecos ob jus successionis ausuros sese regimini ejus provinciæ ingerere. Edictum contra Wi- 21. Aug. 1662.
tenbergenses Professores religionem non tangere; sed ejus necessitatem imposuisse per istorum intemperiem, inhumana odia ob dissensum circa dogmata haut capitalia civium suorum animis implantare satagentium, turbarum materiam, quas suffocare officium Principis, legesque Pacis Westphalicæ injunxerint. Nullo modo autem id factum, ut libertatem civium suorum circa sacra Lutherana turbare, aut Electorem Saxoniæ, ejusve scholas in universum contumelia afficere velit, cum id edictum ad Academiam Lipsiensem haut porrectum fuerit. Prout & Saxo id factum in sinistram partem haut acceperit, nec edicti causas improbarit. Qui & Theologis suis injunxerit, ut inutilibus litigiis abstineant, nec ulterioribus offensis ansam præbeant.

§. 63. Quid porro considerationum Sveci circa id fœdus agitarint, è mandatis Stephano Gambrotio datis, quem sub id tempus in Galliam mittebant, colligi potest. Is proponere sibi jubebatur; Electorem, uti in Gallia fœdus ambierit, ita & ante annum in Sveciam legatum misisse, super colenda amicitia ample testatum. *Svecorum circa id fœdus considerationes.* 22. Dec.
Ei haut parcius verborum humanitate occursum; ac ante semestre literas de obita legatione testantes traditas. Eundem tamen hucusque mansisse, nuper quoque edito procuratorio circa ineundum fœdus defensivum contra quoscunque. Cæterum in Svecia haut aliter credi, quam Electorem Austriacis, Hispanis, ac Danis inseparabili nexu illigatum. Sane Austriacorum favore usum servandis ditionibus Juliacensibus, præsertim cum Neoburgico per pacem Pyrenæam tantum beneficium collatum sit, & quia Sveciæ Regi stirps sua Bipontina actio-

1664. 1664. mogeniti filii Wilhelmi eidem fœderi adſcribebatur; tum Conradus Præſul Baſileenſis, ac poſt obitum Chriſtiani Ludovici Ducis Luneburgici frater Joannes Fridericus. Idem fœdus ad diem usque IV. & V. Auguſti ſt. n. anni 1667 prorogatum fuit. Prætextum fœderis ferebatur, quod pace Weſtphalica omnes motus in Imperio compoſiti non ſint, quin alicubi hoſpitia, tranſitus, exactiones, aliaque bellum comitari ſolita per vim adverſus quosdam Imperii Ordines exercita fuerint. Quibus inhibendis id fœdus ictum in nullius offenſionem, nec adverſus Cæſarem aut Imperium, aut ad ſuſcitandas in Imperio turbas, aut ut ſocii alienis & externis bellis immiſceantur; ſed ut cujusque jura ac privilegia, inprimis libertas Germanicæ nationis, ac pax Weſtphalica ſarta tecta præſtentur, & cujusque ditiones adverſus inſultationes militum protegantur.

Miſſio in Sveciam. §. 66. Haut minus difficulter, quam Gallicum, ſuccedebat fœdus, quod Elector cum Svecis inire conſtituerat; quo fine, cum in Boruſſiam abiret, Laurentium Georgium Crocovium Holmiam miſerat. *1662. 21. Oct. Crocau.* Ei injunctum Regi de itinere Electoris in Boruſſiam ſignificare, ac de ſtudio ejusdem ad amicitiam cum Sveciæ Regno colendam teſtari, tum expectare, ſi quam iſti rationem illi arctius adſtringendæ propoſituri ſint. Si Sveci objiciant, ab Electore inveſtituram de provinciis Germanicis impeditam, id inficiaretur, ac ubi iſti ad Cæſareos Conſiliarios provocent, id confictum aſſeveraret ad offenſam à ſe in alios derivandam. Sed quod Elector abnuerit circa quærendam Stetinenſium pactorum confirmationem operam ſociare, id eam ob cauſam factum, quod Regii iſthoc velut diſerte pactis conventum exegerint; id quod Elector agnoſcere non potuerit. Declaraſſe tamen, ſe id negotium nullo modo impediturum. Inprimis num qui paratus armorum ibi fiant obſervaret. In tranſitu apud Regem Daniæ ſalutatione defungeretur, ac de prorogatione fœderis moneret. *19. Dec. 1662.* Ei Haſniam delato à Rege Friderico reſponſum: Sibi novo fœdere opus videri, quod ſecreto tractandum ſit, ne Sveci ſuſpicione perſtringantur; ac ſe eo nomine Legatum ad Electorem miſſurum. Ibi quoque cognitum, frigere tunc amicitiam inter Svecos Gallosque, ac Tedonum graves querelas agitare, Svecos non ſatis Galliæ commoda obſervaſſe, cum in poſterius bellum Danicum deſcenderint; ac uti eum militis conductitii numerum non habeant, quem fœdus requirat, quo ſtatim atque Gallus poſtulet citra ullum reſpectum huic juncti rem gerere queant.

Cum Svecis acta. 12. Jan. 1663. §. 67. Crocovio Holmiam delato quas attulerat literas fiduciarias ad tutores Regios redhibebantur, quod vocabulum Comitis non etiam ante nomen, ſed tantum poſt idem poſitum eſſet; (*Comiti Dno. N. N. Comiti in*) tum quod *Excellentiæ* titulus deeſſet, quo tamen Elector Legatos Hiſpanicos, & Gubernatores Belgii Hiſpanici mactet; cum ipſi gubernatores totius Regni ac tutores Regis ſint: denique quod in fine non adparerent verba affectum teſtantia. Tum & Magnus Gardius *1663.* Regni Cancellarius expoſtulabat, quod Electoris miniſtri Viennæ obſtiterint, quo minus Rex inveſtitura ibi potiretur: teſtatus quoque ſibi valde diſplicere, quæ cum Eſaia Puſendorfio Regiomonte nuper acta fuerant. Eum Rex Sveciæ ad Regimen Boruſſiæ miſerat ſuper quibusdam rebus à veredariis Boruſſicis ſecius factis queſturum. Sed cum is poſt acceptum reſponſum, prout injunctum fuerat, ibi moraretur, obſervaturus quo iſtæ ſe turbæ eſſent daturæ, inde diſcedere juſſus fuerat, obtentu ſumto velut jactaſſet, Polonos huic ſe negotio ingeſturos. Sed Gardius mirari ſe ferebat, quomodo Electori in mentem venire potuerit ſuſpicari, iſtum publice juſſum talia ſpargere; ac melius iſtum ſibi cognitum, quam ut credere queat, ab eo quid offenſa dignum admiſſum. Sed ſatis perſpici, ejusdem Regiomonte moram parum gratam eſſe, eoque prætextum arreptum eundem inde amoliendi, velut aliam ob cauſam, miſſum. Sed uti ſancte confirmare poſſit, non ob aliud negotium, quam præ ſe tulerit, veniſſe: ita amicitiam, quæ inter Regem & Electorem ſit, ejusmodi ſuſpicionibus locum haut præbuiſſe. Juſſum tamen, ſi præſentia ſua parum grata ſit, inde diſcedere: Crocovio regerente, ipſius Puſendorfii interfuiſſe anſam præbitam ſuſpiciones refellendi. Cæterum ſuper modis arctius adſtringendæ amicitiæ ab Electore proponendum, & quæ ei obſtant prius amovenda. Arguebatur quoque Blumenthalius ideo in Galliam miſſus, ut frigus, quod tunc inter Sveciam & Galliam intercedebat, aleret. Nec arctius ſtringi amicitiam cum Electore poſſe, quamdiu is Auſtriacis rationibus innexus agat, quibus propoſitum ſit, Gallos Alſatia ac Lotharingia, inde Svecos Pomerania expellere. Ita iſte animos Svecorum ſat infenſos Electori reperiebat; & cum ſpeculandi duntaxat cauſa veniſſe crederent, quamprimum eundem iter relegere malebant. Poſt idem juſſu Electoris de- *27. Jul.* clarabat; ſe non ex debito, ſed ut Sveciæ gratificetur, apud Cæſarem & Comitia confirmationem pacti Stetinenſis promoturum. Ut à Cæſare negotiis, quæ ſalutem Imperii ſpectent, ſe disjungat, per incumbentem ſibi obligationem fas non eſſe. *De Fœdere proponitur.* Cæterum cupere Electorem cum Rege fœdus mutuæ defenſionis gratia inire, ac noſſe velle, ubi eam tractationem inſtitui placeat. Id quod Sveci gratum ſibi ferebant, ac commodiſſimum fore Holmiæ negotium ſuſcipere, ubi id ſine ſtrepitu perfici queat; circa quod ſuper Boruſſia ſcrupuli quidam ſint emerſuri, non tamen inſuperabiles. Sed cum Crocovius peteret de legibus fœderis ſibi pandi, quo idonea mandata petere poſſet; Sveci id recuſabant, velut res ab ipſo non ſerio agatur, ac tantum ſenſa ipſorum explorare inſtituat. Igitur hic jubente Electore de ejusmodi fœdere proponebat, quo omnes utrinque ſocii, ac provinciæ etiam extra Germaniam ſitæ comprehendantur. Contra Sveci diſtincte *4. Nov.* cupiebant exprimi ditiones, quas Elector includi velit, nec ſingulos minus ipſius fœderatos; ſimul qua ratione remotioribus partibus,

ad quas

1663. ad quas auxiliis haut facilis accessus sit, securitas præstari queat. Tum ob quod periculum, & contra quem, ac num contra solum Turcam id fœdus quæratur? Super quibus ut Elector mentem suam prior declaret, velut à quo super fœdere prius motum sit, par esse. Sed Elector maluerat, Svecos sensa sua priore loco pandere; eoque laxioribus verbis ostendi volebat; sibi haut in animo esse Svecos litibus implicare, quod & vicissim ab his speret. Fœderatos à se includendos Domum Austricam, Polonum, Danum, Electores ac Principes Imperii, & Belgas. Gallum nominare supervacuum, cui Svecia fœderata sit. Svecis etsi parum gratum esset Crocovium circa generalia hærere, quo ipso tempori extrahendo occasio quæri videatur; ostendebant tamen, Clivicas ditiones fœdere excludendas, nisi forte temperamentum proponatur, quo impediatur, ne Regi suo præjudicium creetur, cui & in easdem ditiones actio competat; præsertim cum Elector nullum plane jus Regis in easdem, secus atque Neoburgicus, agnoscat. Simul nosse cupiebant, quomodo res circa oppida Clivica Belgarum præsidio infessa habeant; ac num successionem in bona Arausionensia Elector includi velit. Deposcebant etiam exemplum pactorum Brombergensium, & procuratorii Polonicorum Commissariorum ad tradendum Borussiæ supremum imperium, quo sibi de consensu Regis & Reip. in eam rem constet. Alias enim amicitiam inter Sveciam & Poloniam, quin ipsam rationem non admittere, supremum Borussiæ imperium ei fœderi includi. Quærebant etiam, quia Rex velut membrum utriusque Saxonici Circuli auxilium adversus Turcam pro rata suarum provinciarum promiserit, num Elector ultra id aliquid desideret.
9. Dec. Ad quæ Elector: se circa Clivicas ditiones non alia lege auxilium exigere, quam si ipse à Neoburgico contra pacta, aut ab alio, cui nulla in eas actio competit, invadatur. Prætensionem Bipontinæ Domus ad decisionem judiciariam remitti. Ubi hæc conditio non placeat, eas ditiones excludi posse, reservato tamen auxilio, quod Svecia per Pacem Westphalicam præstare teneatur. Clivica oppida Belgis haut oppignorata. Si tamen eorum nomine ad auxilium se obstringere Sveci nolint, sufficere, si officium suum interponant. Circa Borussiam omnia jam transacta, eoque illam utique fœderi includendam. Hæreditatem Arausionensem ad hoc fœdus haut spectare, ac votum juxta, spemque Electori esse, Principem sua possessurum, ac ad propriam sobolem transmissurum. Super periculo à Turca peculiarem conventionem inire haut placere. Contra sperare, Svecos non plus ab ipso exacturos, quam, defensionem Germanicarum provinciarum. Nam à se an à Svecis de fœdere agendi initium profectum sit, superfluum esse inquirere, ac ejus exordium ita laxis verbis concipi posse, ut istud in medio relinquatur. Sveci dehinc jaciebant modum mutui auxilii posse definiri juxta proportionem pactis Labiaviensibus expressam; tum se peculiariter sibi stipulari velle confirmationem pacti Stetinensis, ac libertatem commerciorum pro Stetino, tum certas copias auxiliares pro recens adquisitis provinciis. 1663.
Monebant etiam circa sacra per ulteriorem Pomeraniam, ne in iis quid novetur, mentione etiam injecta edicti Electoralis contra Professores Witenbergenses, quo subjectis suis eorum scholam frequentare interdicebatur, à functione in sua ditione excludendis, qui secus fecerint. Contra Electori supervacuum videbatur authentica instrumenta circa supremum Borussiæ imperium producere, jam toto orbe notorium; ac Brombergensia pacta publici juris esse, nuper plene executioni data. Etsi Crocovio exemplum procuratorii delegatorum Polonicorum mittebatur; quod obiter duntaxat ostenderet. Nam non esse è dignitate circa demonstrandum suum jus anxie satagere. Quin etiam Sveci ignominiosum sibi duxerant, negatam semel à Cæsare investituram denuo ambire, Elector in illorum gratiam Ratisponam scripserat, ut ad eam accipiendam ultro à Cæsare invitarentur. Quod & paulo post factum, & investitura Svecis, prout voluerant, collata. Per ædem sacram in usum Reformatorum Colbergæ extructam Lutheranis nil detrimenti, aut præjudicii illatum; ac id per Instrumentum Pacis jus fuisse: nec sperare Svecos ob jus successionis ausuros sese regimini ejus provinciæ ingerere. Edictum contra Witenbergenses Professores religionem non tangere; sed ejus necessitatem imposuisse per istorum intemperiem, inhumana odia ob dissensum circa dogmata haut capitalia civium suorum animis implantare satagentium, turbarum materiam, quas suffocare officium Principis, legesque Pacis Westphalicæ injunxerint. 21. Aug. 1662.
Nullo modo autem id factum, ut libertatem civium suorum circa sacra Lutherana turbare, aut Electorem Saxoniæ, ejusve scholas in universum contumelia afficere velit, cum id edictum ad Academiam Lipsiensem haut porrectum fuerit. Prout & Saxo id factum in sinistram partem haut acceperit, nec edicti causas improbarit. Qui & Theologis suis injunxerit, ut inutilibus litigiis abstineant, nec ulterioribus offensis ansam præbeant.

§. 65. Quid porro considerationum Sveci circa id fœdus agitarint, è mandatis Stephano Gambrotio datis, quem sub id tempus in Galliam mittebant, colligi potest. Is proponere sibi jubebatur; Electorem, uti in Gallia fœdus ambierit, ita & ante annum in Sveciam legatum misisse, super colenda amicitia ample testatum. *Svecorum circa id fœdus considerationes.* *22. Dec.* Ei haut parcius verborum humanitate occursum; ac ante semestre literas de obita legatione testantes traditas. Eundem tamen hucusque mansisse, nuper quoque edito procuratorio circa ineundum fœdus defensivum contra quoscunque. Cæterum in Svecia haut aliter credi, quam Electorem Austriacis, Hispanis, ac Danis inseparabili nexu illigatum. Sane Austriacorum favore usum servandis ditionibus Juliacensibus, præsertim cum Neoburgico per pacem Pyrenæam tantum beneficium collatum sit, & quia Sveciæ Regi stirps sua Bipontina actio-

1663. actionem in easdem ditiones det, ob quam & arcta cum Neoburgico amicitia colatur. Dudum quoque intellectum, Cæsari pacem cum Turcis quandocunque velit in manu esse, ac eundem tantum velle Ordines argento emungere. Nec eo minus Cæsarem Electori de addicendis ipsi per sententiam Juliacensibus ditionibus, spem fecisse, ac cum eodem super summo imperio in copias Cæsareas egisse, cui suscipiendo ambitio non desit; quod sine dubio ad alia destinata spectet. Electorem quoque Austriacorum favore circa tutandum Borussiæ supremum imperium hactenus nixum, Polonorum constantiæ diffisum, quibus non minus is suspectus sit ob astutiam circa adquirendum istud imperium adhibitam. Quem & ingens desiderium coquat Pomeraniam consolidandi. Accedere vinculum viduæ Arausionensis, quæ multis modis ab Hispania pendeat, magnæ apud Electorem autoritatis; & quod hic proximus Arausionensi hæres sit. Nec minus plerosque Electoris ministros ab Austriacis & Hispanis corruptos. Jactari insuper de fœdere inter hunc, Danum atque Saxonem, in quod Luneburgici quoque & Gottorpiensis attrahendi sint. Ex quo Gambrotius ansam jubebatur arripere Danum in Gallia suspectum [illegible]endi; eoque quoties de Austriacis, Saxone, Brandenburgico, Gottorpiensi, Rhenanoque fœdere sermo inciderit, semper de Dano annectere, quo ejus apud Gallum fidem imminueret. Eo fine adduceret, ut Danus Saxoni, Saxo Austriacis, Austriaci Dano insolubili vinculo innexi sint, & si quod frigus intervenire videatur, id in speciem esse. Ac in præsens inanem affectationem esse, quod Danus potiores partes in amicitia Galliæ ambire videatur, quo res domi firmare oppressis ordinum juribus queat, inde validior ad pristinas partes rediturus. Qui haut eo minus tacita cum Austriacis commercia alat. Sane cum nuper de morte Reginæ Angliæ nuntiatum esset, Hafniæ decretum, Petcumum in Angliam mittere, huic Regi hortando, ut abdicato cum Lusitania fœdere Hispanis se innectat liberandæ potentiæ Gallicæ nimium gliscenti. His tamen omnibus insuper habitis, ac ut explicarent, num quæ rationes cum Electore iniri queant, cum hujus ablegato actum fuisse, eique demonstratum, uti peculiaribus fœderibus defensivis in Germania opus haut sit, cum Ratisponæ super securitate Imperii in universum agitetur; ac jam ante Circuli utriusque Saxoniæ, & Westphalicus inter se uniti sint. Juliacensis ditionis defensionem ut Svecia suscipiat, Regis sui actionem in easdem non permittere. Circa Borusfiam, quæ sola superfit, Electori pacta cum Polonis intercedere. Adversus quæ cum ablegatus Electoris nil haberet, quod reponeret, demum ostendisse; Electori maxime cordi esse, ut supremo imperio in Borusfiam caveatur, quod forte aliqua mutatio in Polonia emergere posfit. Unde ansam sibi arreptam petendi communicationem ejus pacti, quam & ablegatus promiserit. Interim congressus quiescere extrahendo tempori, ut cum Gallo & Polonis super eo negotio consilia conferri queant. 1664. Equidem Svecis in animo haut esse Electorem Borussia exuere; qui & facile ferre possint, eum supremi imperii jus à Polonis obtinuisse. Quo minus tamen super hocce tutando fœdus ineant non uno se scrupulo moveri. Nam manifestum esse id ab Electore quæri metu Poloniæ, quam ipsi offendere nolint, quin potius post Galliam cum eadem arctissimam amicitiam jungere cupiant. Præterquam quod judicent hoc fœdere non nisi Austriacas partes firmari. Quod si tamen Gallus & Polonus id è re ducat, & Elector per idem in utriusque rationes pertrahi queat; se facile utriusque Coronæ voluntati atque commodis velificaturos. Hanc ob causam sat lente procedebat id negotium, neutra parte properante. *Fœdus id lente procedit.* Et circa ditiones quidem fœdere comprehendendas Electori placebat *23. Jan. 1664.* Clivicas ditiones, tum Carnoviense negotium & Arausionensem successionem seponi; sic ut fœdus duntaxat porrigatur ad veteres suas ditiones Germanicas, & quæ per pacem Westphalicam sibi competant, aut adhuc competere debeant; tum ad Borussiam supremi imperii dignatione fulgentem, cum Lauenburgo & Butovia. Contra Svecis integrum fore complecti per Pacem Westphalicam & Olivensem quæsita. Cum Scaniæ evictione Elector nil sibi negotii esse volebat. Quantum ad tempus, id in decem annos fieri placebat. Copiarum auxiliarium eam esse debere proportionem, ut si Svecia quinq; Elector tria præstet, ac ut militis loco pecuniam dare integrum sit; ac tres pedites uni equiti æquiparentur. Pactorum in Borussia quondam initorum mentionem haut faciendam, velut plane obliteratorum. Inde ad concipiendam fœderis formulam utrinq; accessum; *12. Febr.* quo Sveci complecti volebant provincias Dano nuper ereptas, tum Ingriam, Careliam, & Livoniam olim Mosco extortas; nec minus supremum imperium Ducis Gottorpiensis in Slesvicensem Ducatum. Quorum nihil Electori ad palatum erat. Inter quæ litigium cum Svecico navarcho inciderat, qui è Pillavia cum navi supremo velo non demisso; qua de re Crocovium Elector queri, ac ut navarchus eo nomine pœnas daret postulare jusserat. *Litigium super demissione veli. 30. Mart.* Ast Sveci ultro querimonias movebant, eum navarchum à Gubernatore Pillaviæ jussum summum velum submittere, & cum id abnuisset, immissis militibus navigio extractum, & in custodia detentum, quoad Regimen Borussiæ eum dimitti jusserit: nec unquam à Svecicis navibus in Pillavia postulatum suppara demittere. Enimvero à Crocovio demonstrabatur navarchum per milites navi haut detractum. Dudum quoque typis impressum edictum teloneo affixum fuisse, quo omnibus navibus portum ingredi aut eo exire vetabatur, summo velo haut submisso. Nec Electorem passurum supremo sui juri quid detrahi. Sane Svecicas naves, Cronenburgum & Neuburgum Danicas munitiones suppari demisso prætervehi. Factum Nicolai Brahæi judicio orbis haut probari, ac navarchum Angli-

64. Anglicum capite pœnas fuisse daturum, ni preces pro ipso interpositæ forent. Ad Weixelmundam omnes Anglorum, nec minus Liburni quarumvis nationum naves ad istud honoris signum exhibendum compelli. Ac nuper Pontificias triremes, cum Genuensium quandam arcem insalutatam prætervehi conarentur, à machinis strenue vapulasse. Equidem super isto honoris signo quidam id temperamenti proponebant, ut Svecicæ naves in eo portu adpellentes nullum plane supparum gererent, uti Angli cum Hispanis convenerint. Prout & Anglica navis quæ non ita pridem Coventrium legatum Anglicum in Sveciam vexerat, fecerit statim atque portum Baleræensem attigisset; præsertim cum alias Pillaviam ingredientibus usus summi veli, quod submitti solet, non sit. Enimvero Elector utique istum honorem exhiberi sibi volebat; nec, quod Sveci dominium Maris Baltici jactent, ad aliorum Principum portus ac flumina porrigi posse; nec ipsius majores Svecis unquam juris quid in suos portus concessisse. Vicissim Electoris naves Regiis bellicis in aperto mari occurrentibus eundem honorem exhibituræ erant, hisce machinarum displosione salutationem reposituris.

usal- m- ise- e fer- am epta- llert. §. 69. Longa inde super adornanda fœderis formula disceptatio; ubi Sveci numerum auxiliarum definire nolebant, causati, alios magis ab infractione pacis deterrendos, si auxilium periculi magnitudini respondens, quam certus modus promittatur. Ast Elector certi quid statui malebat, quod facile in ipso rerum gerendarum articulo mora enasci posset, si demum ingruente periculo super numero copiarum conveniendum sit; ubi facile fructus fœderis elidi, ac offensa insuper contrahi queat. Articulo I. de amicitiæ obstaculis utrinque amovendis positum erat. De quibus cum Crocovius quæreret, reponebatur; ab Electore veredariorum cursum impediri; vectigalia per Novam Marchiam intendi: nova fossa Oderam & Spream flumina conjungi. Ad quæ responsum; Electorem suo jure uti. Tum per novam fossam Oderæ cursum haut intercipi; ac cuique integrum esse terrarum suarum commoditatibus pro lubitu uti. Quin vetus id opus esse, jam à Joachimo Friderico Electore perfectum, sed per iniqua temporum collapsum, nunc instauratum. Circa ditiones fœdere comprehendendas uti Elector expressam mentionem de separato articulo pacis Olivensis fieri volebat; ita adversus Moscum sibi quid negotii esse haut placebat, non solum ob pactum de non offendendo, quod sibi cum isto intercedebat, sed & quia iniquum erat, in vicem unius Borussiæ ad defensionem tot ac tam remotarum lateque diffusarum provinciarum sese obstringere. Ad ideo Carolum Gustavum Regem noluisse ipsum tutandæ Livoniæ, Curlandiæ & Semigalliæ obligare. Esse quoque nimiam inter præstanda inæqualitatem, præsertim cum Sveci ditiones Juliacenses, Carnoviam, ac Arausionensem hæreditatem exceperint. Nec Ducis Holsatiæ supremum imperium à se præstandum recipi posse, cum hic nihil vice versa præstet. Sveci dehinc declarabant, ex Articulo I. de obstaculis amicitiæ omitti posse; tum & circa inclusionem provinciarum moderationem adhibitum iri, & Holsaticum negotium ad peculiarem tractationem remittendum. Sic ut fere circa Livoniam duntaxat controversia superesset, ad quam contra Moscum tutandam Sveci Electorem teneri cupiebant. Nam à Polonis nil sibi metuendum; eoque nil reponi, quod ipsi tanti momenti provinciam, qualis Borussia est, evincendam suscipiant. Nec Electori per pactum de non offendendo contra Moscum satis cautum, ubi is forte Lithuaniam aut Curlandiam subegerit. Cui postulato eo firmius insistebant, quod suspicarentur, inter Moscos, Anglos, ac Danos fœdus initum esse. Cum contra periculum, quod tunc Germaniæ à Turca imminebat, ac opinio belli inter Svecos & Moscos erupturi Electorem ad tam remota se obstringere haut paterentur. Longa inde negotio quies, quod Sveci prius nosse cuperent, num fœdus Electoris cum Gallo successurum, idemque fœdus Rhenanum amplexurus esset; ac numquid novi è Polonia afferretur. Cum demum ad colloquia rediretur, Sveci novum scrupulum circa Borussiam movebant, in quam Electori non plus juris competere possit, quam antea Reges Poloniæ habuerint; sed qui nunquam jure *Ammiralitatis*, & classis Mari Baltico immittendæ gavisi sint, *quod jus penes solam Sveciam & Daniam sit. Idque jus præscriptione niti, ac à tempore memoriam excedente nullum alium ejus acceptam idem jus exercuisse; Regis quoque Poloniæ naves, si tale quid ausus fuerit abreptas, qui & pactis Stumsdorfianis ei juri renuntiarit.* Ad quæ reponebatur: *Si Princeps multos per annos terrestrem exercitum non habuerit, quod eo opus non foret, ideo jure eundem non destitui, quo minus si placeat istum comparet. Eodem modo circa classem rem se habere. Ne inter privatos quidem circa res meræ facultatis præscriptioni locum esse. Quin Lubecensem civitatem non ita pridem justis classibus cum Dania & Svecia certasse: Magistrum quoque Ordinis Equitum in Borussia cum Svecis mari bellum gessisse, iisque Gotlandiam insulam eripuisse. Unde Svecos probare non posse, ab antiquis temporibus jus sibi competere alios usu classium eo Mari excludendi. An Rex Poloniæ renuntiarit, sibi non constare; sed hoc dato, pro se tantum isto jure potuisse cedere. Ac veteres Borussiæ Principes jus belli ac pacis non à Polonis accepisse, sed jam antea possedisse, antequam cum eo Regno coalescerent.* Adversus quæ Sveci non habebant, quod reponerent. Inde uti evictione provinciarum Dano ereptarum desistebant, ita circa Lauenburgum & Butoviam causabantur, quod Elector istas feudi jure à Polonis obtineret, quibus parum placiturum sit, si Svecia earum evictionem susceperit. Cum circa reliqua Sveci remisissent, de sola Livonia dubium supererat, cui tuendæ Elector teneri nolebat, ne tam potentem Principem citra necessitatem irritaret, quicum majores sui tam longo tempore amicitiam nulla querela interpolatam excoluissent.

Post

Marginalia (right): 1664. 18. Jun. — 9. Nov. — De dominio Maris Baltici disceptatio. — 25. Nov.

1665. Post Tecloni legati Gallici adventum, quem Sveci hactenus expectaverant, inspecto fœderis inter Gallum & Electorem exemplo novus Jan. 1665 scrupulus movebatur, quod in eo non supremi imperii in Borussiam, sed tantum Germanicarum provinciarum mentio fiat. Querebantur etiam formulam fœderis hactenus agitati Polonis communicatam. Sed cum osten- 17. Febr. deretur, à Gallo utique pacem Olivensem per omnia firmatam demum præfracte super Livonia evincenda insistebant; circa quam obtentu pacti de non offendendo recusari haut possit, quod eo non obstante Elector cum Polonis perpetuum fœdus iniverit, cujus vi hisce etiam adversus Moscum auxilia ferre teneatur. Ac id pactum magis ad famam esse, quam solidi quid continere. Jam quoque in gratiam Reginæ Matris ad guarantiam Ducatus Slesvicensis revolvebantur, cum de evictione pacis Danicæ remisissent; cum tamen hac abrupta Holsatiæ Dux utique bello involvendus videretur. Nec eo minus de studio in perficiendum fœdus testabantur. Electori contra non placebat super Livonia in Moscum se obligare; quod juratum pactum salva conscientia abrumpi non possit; & Moscicam nationem scrupulosam esse, circa minuta tumultuari solitam. Si tamen fœdus ad hoc caput adhæsurum sit, per secretum articulum in certam pecuniæ summam consensurus erat XXXV M uncialium. Gottorpiense negotium à se præstari non posse, cum à paciscentibus ad interponendam sponsionem invitatus non sit, nec pacta sibi communicata fuerint. Si tamen Dux separatim ab ipso quid requisiverit, se factu- 10. Jun. rum, quod ratio ferat. Ast Sveci hac Electoris declaratione circa Livoniam non adquiescebant, aut ejus in locum pacem Danicam præ- 8. Jul. stari volebant. Quorum neutrum Electori placebat; ac si Sveci iis desistere nollent, judicaturus erat, hos data opera negotium elusum ire. Quo casu Crocovius discessum adornare jubebatur, caussatus Electorem plenius de statu negotii informandum, ne id penitus abrumpi videretur. Ast Sveci absque Livonia fœdus absolvere nolebant, quod suspicarentur aliquid inter Electorem, & Moscum agitari, quod Marselius ab hoc missus Berolini tam splendide habitus fuisset. Atque hanc ansam arripiebant, qui fœdus id dissvadebant, quod & Polonis parum arridebat; etsi demum id temperamentum proponeretur, ut Livonia juxta & Borussia omitteretur, ac fœdus tantum ad Germanicas provincias accommodaretur. Longum post ista de fœdere silentium, de cujus successu Sveci jam dubitabant, postquam intellexissent Electorem tam arcte Belgis se innexuisse, cum ipsi ab Anglorum partibus starent. Ac valde exaggerabant, ab Electore aliquot Anglorum naves in Pillavia detineri jussas, quod hi quibusdam Regiomontanorum navibus manum injecissent velut hostium bona vehentibus: id quod dissimulaturi non sint. Offendi quoque se ostendebat, quod Elector cum Brunsuicensibus & Hassis fœdus inivisset, Svecia non invitata. Simul Monasteriensem Præsulem haut lacessendum suadebant, ne Catholici irritarentur. 1665. Nam crediderant, quod Elector orto inter Præsulem & Belgas bello Cliviam se contulisset copiis quibusdam assumtis, ei decretum in Belgarum gratiam Præsulem bello petere. Querebantur quoque, ab Electore sibi haut communicatum, quomodo ipsius res cum Belgis sese habeant; & quod non ipsis junctus Belgas satisfactionem posceret. Tandem cum Sveci Electorem Belgarum partibus avellere cupe- *Fœdus demum perficitur.* rent, simul eundem obstringere, ne, quæ ipsi tunc in Bremensem civitatem agitabant, impediret, circa Livoniam remittebant, admisso 1666. temperamento de pecunia; nec de Holsatiæ 30. Jun. Duce amplius movebant; tum & consentiebant, ut è sua parte major auxiliarium copiarum modus esset. Tantum guarantiæ Borussicæ hæc verba inseri cupiebant: jura, *quæ Rex & Respublica Poloniæ exercuerunt, vel exercere potuerunt:* quibus jus classis habendæ innuebant. Sed & hoc postulato desistebant, cautionem duntaxat ab Electore exigentes, quod classem habere non vellet. Cum ne hoc quidem concederetur, demum dicebant, se dum fœdus absolvitur super ea re protestationem interpositturos. Circa Livoniam volebant offerri summam pecuniæ magis decoram C M uncialium. Quanquam autem Crocovius non plus in mandatis habebat quam XXXV M. ob aliquot tamen millia negotium vado adhærere ingratum Electori judicabat, eoque in L M consensit. Ad extremum in eo tantum discrepabant, quod Sveci in guarantia Livoniæ poni vellent *contra quoscunque*, Elector autem *contra paciscentes Olivæ.* De quo cum Elector remisisset, Sveci Estoniam expresse nominari volebant, quod Poloni pace Olivensi huic provinciæ renuntiarint, nec casus dari posset, ut Livonia impetita non & simul Estonia invaderetur. Ita tamdiu agitato tractatui summa manus imposita fuit.

§. 70. Ejus fœderis hæc capita erant. *I. Sit* 27. Mart. *inter S. R. Majestatem ejusque hæredes, successores* *Fœdus* *Reges, Regnumque Sveciæ ab una, & Suam Ser.* *Sveticum.* *Electoral. Brandenburgicam ejusque hæredes ac successores masculos descendentes ab altera parte pro securitate mutua & conservatione pacis, juriumque adquisitorum strictior amicitia & fœdus defensivum, illudque bona fide & sincero affectu in utriusque confœderatorum honorem & commoda excolatur. II. Huic fœderi defensivo fundamenti loco substernantur ante omnia pacificationes & pacta Osnabrugæ & Monasterii anno 1648. die* $\frac{14}{24}$ *Octobris conclusa, & inde dependens Recessus Limitaneus Sedini d. 4. Maij. A. 1653. erectus, ut & Olivensia pacta nuperius die 23. April. (3. Maij.) A. 1660. inita & confecta cum omnibus & singulis punctis, articulis & clausulis, Instrumentis eorundem pactorum insertis, vigoreque eorundem competentibus juribus, quæ omnia exacte & inviolabiliter observanda sunt. Et si quid præter spem in posterum inter confœderatos irrepat, quod iisdem contrarium aut minus conveniens videri possit, id confestim civilibus modis mediisque, & per amicabilem determinetur, decidaturque compositionem. III. Quemadmodum autem*

1666. autem hujus fœderis non alius scopus est, quam conservatio pacis, & securitatis communis vindicatio, mutuaque defensio à quacunque hostili irruptione in utriusque confœderatorum provinciis & ditionibus, sequentibus articulis exprimendis; ita si contingat, ut alter paciscentium confœderatorum in provinciis, ditionibus, statu atque juribus huic fœderi inclusis à quopiam hostiliter invadatur & violetur, pars altera, prævia requisitione, teneatur parti læsæ adsistere, eique copias militares auxilio mittere, quemadmodum hoc inferius statutum est. IV. Ut etiam constet, quænam ditiones hoc fœdere proprie contineantur, convenit utrinque, ut provinciis S. R. Mtis extra Imperium Romanum sitis, utpote Estoniæ & Livoniæ Suecicæ ditionis, cum omnibus earundem provinciarum juribus, conditionibus, pertinentiis guarantiam præstet Sua Ser. El. Brandenburgica. Ejusque successores & hæredes contra quoscunque, qui dictas provincias vel earundem conditiones, jura aut pertinentias bello aperto, aut quocunque modo violare tentaverint, modo & militum numero tali, de quo hisce fœderis tabulis specialius postea explicabitur. V. Vicissim S. R. Mtas ac Regnum Sueciæ Suæ Ser. El. Brandenburgicæ, ejusque hæredibus masculis descendentibus præterea promittit guarantiam Borussiæ Ducalis, prout à Ser. S. Electorali illa jure supremi, directi, & independentis dominii (quod suverænitatem vocant) à Rege & Reip. Poloniæ legitime sibi concesso, & in Comitiis Reip. Poloniæ generalibus Warsaviæ A. 1658. approbata nunc possidetur, ita ut si contingat, quempiam fines dictæ Ducalis Borussiæ aperto bello invadere, dictumque jus suverænitatis armis tentare, vel quocunque modo violare S. R. Mtas successores Reges Regnumque Sueciæ teneatur Ser. S. El.i Brandenburgicæ pro tuendis dicti Ducatus finibus ac juribus copias militares auxilio mittere eo modo & numero, prout inferius determinabitur. VI. Utriusque partis paciscentis provincias in Germania sitas quod attinet, licet illæ omnes vi pacificationis Germanicæ sint in continua tutela & Guarantia S. Rom. Imperii, omniumque ejus Statuum ac membrorum, & præterea Regiæ provinciæ non minus quam Electorales fœdere, uti vocant, Rhenano specialius etiam comprehenduntur; nihilominus tamen in majorem utriusque jam paciscentium securitatem utrinque convenit, ut Regiæ illæ provinciæ, Ducatus nempe Bremensis, Verdensis, & Pomeraniæ Citerioris cum annexis partibus Ulterioris Pomeraniæ vigore Instrumenti dictæ Pacis Westphalicæ ac Recessus Stetinensis Regiæ Pomeraniæ adjectis, ut & Principatus Rugensis & dominium Wismariense cum omnibus cæteris juribus ex Instrumento jam dictæ pacis & Recessu Stetinensi S. æ. R. Mti Regnoque Sueciæ competentibus: & Electorales, utpote Electoratus, Marchia Brandenburgensis, Pomerania Ulterior ad Suam Seren. Electoral. spectans, Principatus Halberstadiensis, Mindensis & Gamminensis, ut & omnia cætera jura ex Instrumento memoratæ Pacis Westphalicæ Suæ Ser. Electoral. ejusque hæredibus masculis descendentibus competentia præsenti huic fœderi defensivo includerentur. VII. Si itaque durante hoc fœdere contigerit, ut S. R. Mtas, Regnumque Sueciæ ab aliquo Rege, Principe vel Rep. quocunque tandem nomine censeantur, infestetur, oppugnetur, & violetur in prædictis hocce fœdere comprehensis provinciis, ditionibus, terris, arcibus, locisve, ejusdemque annexis vel inde dependentibus Suæ R. Mti Regnoque Sueciæ competentibus juribus & privilegiis, Sua Ser. Elect. pro se, successoribus, ac hæredibus suis masculis descendentibus bona fide spondet, ac specialius hic promittit, se eidem S. æ R. Mti Regnoque Sueciæ intra spatium trium, vel ad summum quatuor mensium à die notificationis factæ, subsecutæque requisitionis suppetias laturam exercitu duorum millium peditum & D equitum, quibus copiis S. R. æ Mtas, Regnumque Sueciæ usque ad finem belli uti poterit, siquidem eidem ita visum fuerit. VIII. Vice versa S. R. æ Mtas, Regnumque Sueciæ bona fide spondet, & pariter promittit vigore præsentis fœderis defensivi, se intra spatium trium, aut ad summum quatuor mensium à die notificationis, subsecutæque requisitionis computandorum exercitu IIM DC peditum, & DCCC equitum suppetias quoque laturum, si forte contingat Suam Ser. Electem ejusdemque supradictos hæredes & successores durante hoc fœdere hostiliter invadi, infestari ac oppugnari à quocunque Rege, Principe, vel Republica in supra nominatis hocce fœdere comprehensis provinciis ac ditionibus, indeque dependentibus juribus, quo itidem exercitu Sua Ser. Elect. is ad finem belli utetur, siquidem voluerit. IX. Antequam autem prædictæ copiæ auxiliares ipso actu subsidio mittantur, liberum erit confœderato implorato & requisito per legatos & ministros id operam dare, ut invasor seu turbator amicabili ratione persuadeatur à vi & injuria desistere, ne ad arma venire necessum sit. Quod si vero ea lædenti sederit obstinatio, ut nullis amicabilibus rationibus ad æqua præstanda se induci patiatur, tunc statim atque præfixum trium vel quatuor mensium spatium à die notificationis, factæque requisitionis elapsum fuerit, ipsæ copiæ in locis requisitis sistentur, nec ante ab auxilio ferendo cessabitur, quam parti læsæ per omnia satisfactum fuerit. X. Missis itaque auxiliaribus copiis in ditionibus suis de commeatu sufficienti æque ac propriis prospiciet is, qui illas requisiverit; ratione vero residui stipendii militaris quisque pro arbitrio conventioneque cum officialibus suis inita agetur. XI. Quicunque copiis auxiliaribus præfectus fuerit, imperium in easdem, subsecuta etiam conjunctione armorum, retineat, ita tamen, ut sub auspiciis ejus, qui auxilia requisiverit militet, ejusdemque, vel constituti ab eodem Ducis exercitus jussis pareat, sive is suppetiis sibi submissis ad defensionem ditionum, Statuum, locorumque suorum, sive ad oppugnandum primum aggressorem in propriis ejusdem terris ac ditionibus uti voluerit, habita tamen semper ea ratione, ut copiæ auxiliares cum reliquo exercitu ubique æqualiter habeantur. XII. Auxilia ferenti hac inprimis ratione prospectum sit, ut siquidem in terminis auxiliariis permanere ei licuerit, nec per oblatas suppetias isti bello ipsemet involutus fuerit, sine inclusione, plenaque securitate ejusdem nullus quidem tractatus pacis vel induciarum iniri debeat, imo ne suspensio quidem armorum (ubi id status & ratio belli efflagitaverit,) nisi ad summum trium septimanarum pro utroque exercitu simul. Quod si vero oblatum 1666.

1666. *confœderati auxilium cum aggressore, vel alio quocunque aperto bello implicetur, tunc neuter sine alterius scitu, consensu & consilio neque ad præliminaria, neque ad principales cum hoste tractatus descendat, sed omnia mutua opera, communicatione & consilio agantur, & tractentur donec utrique confœderato de sufficienti securitate plenissime provisum fuerit. XIII. Durante hoc bello, vel etiam subsecuta pace is, qui suppetias ex hujus fœderis præscripto tulerit, eo nomine nil quidquam præter mutua vice versa in ditionibus, casibusque hocce fœdere comprehensis definitisque postulare poterit auxilia, neutiquam autem à requirente sive sumtuum bellicorum, sive damnorum prætextu, aut quocunque alio colore de ditionibus, Statibus, arcibus, locisque quibuscunque aliquid detinere vel prætendere. XIV. Quoniam autem accidere possit, ut pro tuendis ditionibus ac juribus supra dictis copiæ jam determinatæ non sufficiant, tunc uterque quidem confœderatorum prævia requisitione debita majoribus viribus parti læsæ subvenire tenebitur, ita tamen ut existente illo casu peculiariter hac de re inter fœderatos transigatur. XV. Includentur huic fœderi defensivo ab utraque parte respective Imperator Romanorum, Reges, Principes, Respublicæ & Status utrique amici & fœderati, quorum amicitiæ, fœderibus, & pactis conventis hoc fœdus nullum præjudicium adferet, sed maneant ea in suo vigore illæsa salvo tamen per omnia hoc fœdere, nec liceat alterutri partium cum aliis quibuscunque in præjudicium ejus fœderis, nisi præscio & consentiente altero, ullo modo pacisci. XVI. Duret hoc fœdus in decem annos, religioseque servetur, quo tempore elapso convenient confœderati prorogatione, siquidem ita collibitum fuerit. XVII. Instrumentum ratificationis super hoc tractatu tam nomine S. æ. R. M.tis Regnique Sveciæ per subscriptionem Serenissimæ Reginæ Matris suæ, & DD. Regni Sveciæ Administratorum firmatum, quam Serenitatis S. Elect. manu subscriptum, & solenni forma utrinque expeditum intra spatium ad summum trium mensium à subscriptione hujus tractatus hic Stockolmiæ paratum habeatur, ibique rite commutetur. In horum fidem & securiatem majorem duo horum articulorum exemplaria pari tenore confecta manuum nominumque nostrorum subscriptione & sigillorum impressione firmavimus. Actum in arce Stockolmensi die 27. Martii, anno 1666.*

PETRUS JULIUS Coyet. EDVARDUS Ehrenstein. L. G. à Crockau.

Articulus separatus.

Nos infra scripti, respective S. æ R. M.tis Sveciæ, & Suæ Seren. Elect.lis. Brandenburgicæ Commissarii Plenipotentiarii constare volumus, quod quamvis in fœdere defensivo inter S. R. M.tem Sveciæ, & Suam Ser. Elect. Brandenburgicam hodie concluso articulo IV. provisum sit de mutua defensione respective provinciarum, & quidem à parte Sveciæ Estoniæ, Livoniæ ditionis Svecicæ, à parte vero Suæ Seren. Elect. Brandenburgicæ Ducalis Borussiæ contra quoscunque turbatores, ea conditione & militum numero, qui in tabulis pacti præscribitur: cum tamen visum sit Suæ Ser. Elect. ratione cujusdam fœderis se inter & Magnum Moscorum Czarem conclusi exceptionem aliquam postulare, ad instantiam Suæ Ser. El. is atque ut negotio sub manibus diu versato finis imponatur, S. R. M.tas testificando Suæ Ser. El. li singularem in mutuam amicitiam inclinationem suam, hoc in gratiam Suæ Ser. Elect.is deferre voluit, seseque hoc ipso declarat, ut si contingat provincias S. R. æ M.tis supra nominatas à Magno Moschorum Czare armis invadi, aut bello aperto impeti, tunc Sua Ser. El. is nullis copiis auxiliaribus, quemadmodum in pactis alias statuitur, teneri debere, sed in eum casum intra spatium trium vel ad summum quatuor mensium à die notificationis & requisitionis comprehensorum S. æ R. æ M.ti Successoribus Regibus Regnoque Sveciæ summam thalerorum Imperialium L M Holmiæ vel Hamburgi absque ulla tergiversatione invicem numerare & persolvere obligata erit; eamque exsolutionem non nisi semel, quoties scilicet bellum fuerit exortum; præstare tenebitur: salvo fœderis tenore & integritate in cæteris omnibus, si nempe à quopiam alio dictæ provinciæ bello impetantur. In fidem hujus duo quoque exemplaria formata, atque ab utriusque partis plenipotentiariis subscripta, & propriis sigillis munita sunt, quæ uno eodemque tempore cum instrumento principali ratihabebuntur. 1666.
Actum ut supra.

§. 71. Restabat adhuc Electori controversia cum Neoburgico, ipsi ac majoribus plurimarum molestiarum, ac continuarum suspicionum materia, & quæ novis subinde offensis recrudescebat, inprimis quod Protestantes per Neoburgici ditionem crebris injuriis vexarentur. Nam uti Electori fixum sedebat cives suos nullo religionis discrimine pari clementia amplecti, ita ob solam sacrorum caussam aliquem opprimi ferre non poterat. Unde & cum Neoburgicus Evangelicos Dusseldorpio ejecisset, Elector eam querelam ad Belgas deferebat, velut pactorum inter ipsos sponsores; qui per literas Neoburgicum ut talibus desisteret monebant. Sed is excusabat, sibi in animo haut fuisse religionem persequi, sed vetus statutum à Parente suo conditum in usum revocare; ut nempe exteri, qui absque consensu decurionum Dusseldorpii irrepserant in fraudem veterum civium, ad migrandum compellerentur. Id edictum cum absque respectu religionis in omnibus exsecutioni dandum fuisset, prætorem contra ipsius mentem circa Protestantes duntaxat exsecutum fuisse, quo nomine & pœnas daturus sit. Inficiatus de cætero se molestiarum quid Protestantibus intulisse; ac Electorem potius Catholicos per Cliviam & Marcam persecutum. Ast Elector, cui ista haut satisfaciebant, edicto Capucinos Clivis excedere jubet talionis in vicem, non prius recipiendos, quam Evangelicorum querelis per Neoburgici ditionem medicina allata foret. Neoburgicus ei facto in Gallia alium colorem obtenderat: dissolutos quosdam homines ob actam fœdam vitam oppido ejectos, plerosque Catholicos, inter quos vix quinque fuerint Protestantium sacra professi. De isthac igitur controversia in perpetuum componenda non Angliæ solum Rex suaserat; sed & Cæsaris Hagæ Residens Fri-

Super perpetua transactione cum Neoburgico acta.

1665.

16. Jun.

1663. Friquetus idem diligenter ingerebat, quod judicaret, ab unione Westphalici Circuli, ac inprimis ab ea transactione inter Electorem & Neoburgicum tranquillitatem Imperii magnam partem pendere; simul Cæsaris, Imperiique autoritatem apud Belgas aliosque vicinos admodum imminutam aliter instaurari haut posse. Idem Friquetus Viduam quoque Arausionensem hortabatur, ut id negotium apud Electorem promoveret; simul Aulæ Cæsareæ suggerebat, ut idem per Lisolam apud Electorem commendaret. Idem & Neoburgico Hagæ ministro Leradio tam speciosis rationibus rem insinuabat, ut hic ingens studium circa isthoc perficiendum exhiberet, de Principis quoque sui desiderio testatus. Simul à Friqueto occasio struebatur, ut Electoris minister Wernerus Wilhelmus Blaspielus *Blaspiel.* in ipsius domo velut forte fortuna cum Leradio congressus notitiam contraheret; quos ipse ad promovendum tam salutare negotium hortabatur, ac ut mandata sibi curent, præparamentis tractatuum Hagæ secreto ac sine summo adornandis. *16. Jun.* Elector etsi ægre sibi persuaderet rem Neoburgico cordi esse, nec libenter inconsultis fœderatis in eam tractationem descenderet: ne tamen à concordia videretur abhorrere, missis protinus mandatis Blaspielum jubet apud Neoburgicos de suo in eam rem studio testari, ac in partem operæ Friquetum adsciscere. Tum ostenso procuratorio præviam negotiationem ordiri, circumspectione tamen adhibita, quo Neoburgici mentem exploraret. Sed ad primarium negotium ne accederet, nisi novis mandatis acceptis. Nec minus diffidentiæ Neoburgico ab initio erat, velut Elector id tantum quæreret, ut ipsum cum Gallia collideret. Quanquam & ejus legatus Joannes Ernestus Rautensteinius Ratisponæ apud Electorales de ea compositione moveret, ac Principi suo propositum Galli ac Monasteriensis Præsulis officium adhibere, quod Cæsar istud ægre in se suscepturus sit. Sed quia Elector judicabat, adhibitis proxenetis negotio non parum difficultatis accessurum, queis suas quoque rationes innectere solitum est: *14. Sept.* per Blaspielum Leradio proponebat, *an non Neoburgico placeat sine strepitu & nullo parario negotium tractare, declinandis aliorum interventionibus ac protestationibus; ac exiguam successus spem esse, si Cæsar & Gallus pariter sequestrium officium obeant; unde satius fore utrumque declinari, ac multo magis Moguntinum ac Monasteriensem, qui & ipsi officium suum obtulerant. Post negotium tamen absolutum si ita videatur solennitatis gratia unum & alterum sequestrem adhiberi posse.* Friqueto etiam diceret, ubi hic de assumenda Cæsaris opera moveret; eam quidem Electori gratissimam esse; sed quia tunc Neoburgicus Gallum adsciturus sit, negotio non parum difficultatis allaturum, satius videri istud sine arbitris suscipi: interim omnia ipsi communicatum iri. Qui uti ista non improbabat; ita denuo magnopere eam compositionem urgebat, quod ingruenti à Gallis periculo haut melius occurri queat, quam unito Circulo Westphalico, cui ob viciniam Rhenanus, simul Hispanici ac Fœderati Belgæ cum Anglia fœderi sese nexuri sint communi securitati tutandæ. 1664. Præsertim cum Juliacenses ditiones non possint non in partem malorum pertrahi, si Gallus destinata sua in Belgium Hispanicũ persequatur.

§. 72. Ob Leradii tamen morbum negotium tradius procedebat, qui demum sub initium sequentis anni Hagam veniebat, cum Blaspielo super agendi modo collocuturus. *Tentamenta ejus compositionis.* Ubi placuit, quæ agantur accurato scripto annotata nemini præterquam utrique Principi communicare; 1664. tum in antecessum difficultates negotio remoram injecturas discutere, sine tamen Principũ præjudicio; primarium negotium non nisi obiter tangere. *20. Mart.* Ut autem Neoburgico stimuli admoverentur, Blaspielus Leradio jubebatur ostendere; negotio in longum extracto occasionem è manibus elabi posse, qua Elector reipsa fructum compositionis insigni istius cum emolumento præstare queat. Nam fassus erat Leradius, Mazarinum, quo tempore ipse à Neoburgico ad Fanum Divi Joannis Luisii *St. Jean. de Luz.* missus fuerit, confirmasse; Gallum multos ob respectus optare, ac opera consilioque conniti velle, ut is Princeps diademate Polonico potiatur. Sed hoc defuncto id mutatum, ac nunc in Gallia pro Enguiano laborari; quæ & unica causa sit, quare Gallus Electoris amicitiam quærat. Unde Elector insinuabat, ante transactionem perfectam Neoburgico se circa negotium Polonicum favere non posse. Inde frequentibus congressibus negotium disceptari cœptum. Ubi circa fundamentum compositionis sententiis discrepabatur. Elector enim, qui prioribus pactis læsum se judicabat, æquum censebat omnes ditiones taxari, ac inde novam divisionem institui. Pretium quippe Juliacensium ditionum, si totum ponatur C hanc invicem habere proportionem: Juliacum XXXVIII, Montes XVIII. Cliviam XX, Marcam XIV, Ravensbergam VI, Flandrica bona & Ravensteinum IV. Neoburgicus contra expeditissimum contendebat præsentem possessionem retinere, quod prioribus pactis taxatio jam facta sit, inficiatus quoque Neoburgicam portionem Electorali potiorem. Et cum Elector ad Xantense pactum provocaret, 1614. quo Juliaci ac Montium Ducatus reliquis omnibus velut æquipollentes appositi fuerant; Neoburgicus recentius pactum cum ipso Electore initum potius respiciendum censebat, quo istis Ducatibus Ravensteina & Flandrica 1647. bona adjecta fuerant. Idem quoque denuo sorti rem subjicere adspernabatur, quod commodissimum sit utrumque hactenus possessa retinere, populis quoque jam alterutrius imperio adsvetis: præsertim cum ipse sua oppida præsidiis Hispanicis liberarit, cum nonnulla Electoris adhuc milite Belgico insideantur. Ac revera Clivia, Marca & Ravensberga reliquis Electoris ditionibus situs opportunitate magis quadrabant, quam Juliacum ac Montes. Ac cum antea creditum fuisset, in Juliacensi Ducatu quadruplo plus hominum esse, quam in Montensi, nunc comperieba-

1664. riebatur, non nisi duplo illorum numerum hos excedere. Sed & in Juliacensi provincia Clerici tertiam proventuum partem fere obtinebant, qui una cum Nobilibus immunes se ferebant. Sed & ægre à transactione anno 1647. inita discedi posse, quod ea anno 1651. ad decisionem usque causæ porrecta esset. Exactam quoque æqualitatem difficulter inveniri posse; ac Neoburgico Flandrica bona Winnenthaliam & Bresquesandam relinqui par esse, quod is actiones Electoris Palatini, Bipontini, & aliorum se redemisse ferat. Atque in eam sententiam Arausionensis vidua inclina-
15. Mart. bat. Enimvero Elector censebat, majores suos circa divisionem non ita accuratos fuisse temporariis duntaxat pactis initis, cum semper sperarent, sententia judiciaria universas ditiones ipsis adjudicatum iri. Sed nunc cum perpetua transactio condenda sit, concedi à se non posse, ut Neoburgicus vel dimidiam partem ejus retineat, quod totum sibi debetur, præsertim hactenus tantam liberalitatem haut meritus, nec sibi metuendus. Unde sufficere si is solum Juliacum retineat cum Ravensteino & Flandricis bonis, reddito sibi Montium Ducatu. Transactionem anno 1647 se nunquam pro perpetua habuisse, quam & Neoburgicus multis modis violarit, præsertim persequendis Evangelicis, ac dum Electorem directorio Circuli Westphalici arcet. Si tamen circa ista sibi satisfiat, transactioni se promtum fore. Adversus quæ objiciebatur; Si Neoburgicus Montium Ducatu cedere debeat, commodam ipsi aulæ sedem defore, quod Dusseldorpium in isthoc situm sit. Esse quidem Juliacum pulcram regionem, sed ubi patrimonium Principis multo tenuius sit, quam in Clivensi provincia. Ac si maxime contributiones Juliacenses tertia parte Clivicas superent; Clericis tamen Coloniensibus plus redituum esse in Juliacensi provincia, quam Ducibus hactenus è domaniis & censu provenerit. Circa directionem Circuli Westphalici Neoburgicum facile consensurum. Sed ditionum quid cedere haut decrevisse, nisi quod redemtas à se Palatini Electoris & aliorum actiones Electori imputare nolit. Electoris Aviam, à qua jus istud in Brandenburgicam Domum illatum sit, Cliviam, Marcam & Ravensbergam pluris fecisse, quam Juliacum & Montes. De cætero non minus Neoburgico de jure suo ad universas provincias persuasum, quam Electori; eoque ad transactionem descensuris utrinque eam persuasionem exuendam esse. Post id negotium ad finem usque anni quiescebat; ubi repetitis colloquiis Leradius ostendebat, circa sacra in utriusque Principis ditione æqualitatem observatum iri; eoque sacerdotes hac negotiatione arcendos, & viros tantum moderatos, rebusque civilibus adsuetos ei adhibendos. Id quod Electori valde probabatur; qui & deinceps ejus negotii moderamen socrui suæ, fœminæ prudentissimæ committebat.

Consultatio super transactione cum Neoburgico. §. 73. Cum itaque negotium eousque præparatum esset, ut si id utrinque cordi foret, haut difficulter ad exitum perducendum videretur: Elector antequam longius progrederetur, id denuo maturæ consultationi subiecit; 1664. præsertim cum Principibus haut solitum sit etiam illiquidis actionibus gratis cedere. Ubi omnibus quidem jus Electoris ad universas eas ditiones solidis fundamentis subnixum videbatur; nec adversam sententiam metuendam, siquidem in judicio sola causæ justitia respiciatur. Nec eo minus certam ac tolerabilem transactionem potius amplectendam, quam eventum judici ab aliena libidine pendentis expectandum. Sane Neoburgico non minus ampliter quam Electori de justitia causæ suæ persuasum. Tum ob multos & potentes adversarios, qui in has ditiones actionem moveant, vix definitivam sententiam sperandam, quæ & sine bello executioni dari nequeat. Et cum eventus litis etiam in liquida causa semper dubius sit; utique tutius esse hactenus possessa per transactionem in tuto collocare, quam totam hæreditatem aleæ exponere. Præsertim cum constet, Electoris potentiam ac magnas ditiones omnibus vicinis sudem in oculo esse, qui & potius aliquid ei decerpere cupiant, quam ut æqua mente laturi sint tanti momenti accessione eundem mactari, eminente cumprimis in has ditiones invidia. Ast hac transactione Electoris statum in futurum stabili quete componi; postquam experientia testetur, per temporaria pacta æmulationem ac diffidentiam Principum haut sublatam, è qua subinde periculosi motus provenerint, quorum radices nunc penitus exscindantur. Ac spem esse per futuram concordiam provinciis veterem felicitatem redituram. Id quoque veras utriusque rationes, atque communem utilitatem requirere. Nam deinceps sociatis ac consolidatis juribus majore cum pondere, ac liquidiore boni successus spe contra omnes alios in hasce provincias actionem moventes rem geri posse, sive in foro causa persequenda, seu ad amicam compositionem deducenda seu vim intentantibus arma opponenda sint. Nec utrique deinceps necessum fore tam anxie vicinos colere, quorum præsidium uterque sibi hactenus quæsivit: Sed eas ditiones mutuis auxiliis proprias per opes defensum iri, propulsatis quoque omnibus molestiis atque usurpationibus, quas hactenus uterque à vicinis tolerarit. Sublato quoque isto dissidio Circuli Westphalici quietem stabiliri, haut facile uti antea invasionibus ac rapinis exterorum exponendi, nec tam periculosis motibus implicandi; in cujus conventibus jam per concordiam habendis communia negotia melius disponi queant, admisso quoque Electore ad directionem, qua non sine contumelia, nec modico cum detrimento exclusus sit. Elidi quoque hoc modo Cæsaream Commissionem circa sacra harum provinciarum, è qua nihil favoris sperandum fuerit; simul conditionem Evangelicorum in Clivica ditione non paulo meliorem reddi; queis & per Juliacensem ac Montium provincias stabilis securitas pariatur, à molestiis importunorum sacerdotum immunis. Equidem objici posse, cum Elector non plus terrarum ac pro-

1664. proventuum nanciscatur, quam in præsens possidet, non esse, quare suo jure gratis decedat. Viribus quoque prævalentem lautiores conditiones vel ab invito Neoburgico posse extorquere. Enimvero considerandum, Electorem jam in hanc divisionem consensisse, & extra definitivam sententiam, valde quidem ancipitem, & sero aut nunquam pronunciandam, nil amplius de istis provinciis sperandum. Ac uti Elector in Juliacum & Montes certo modo & quantum ad Neoburgicum ejusque descendentes renuntiat: ita hunc vicissim in Cliviam, Marcam & Ravensbergam renuntiare. Denique Electoris non tantopere interesse modicam quampiam terræ portionem adquirere, quam Statui suo ac possessis jam provinciis solidam tranquillitatem hac transactione conciliare. Ex qua & nihil detrimenti, sed id quoque emolumenti capiat, quod Neoburgicus redemtum à se Burgaviensem actionem CCC M uncialium taxatam cum ipso dividat, & quæ Bipontino, ac Manderscheidio Comiti soluta sunt, abolito quoque Schvvartzenbergii Comitis C M uncialium credito, quod Neoburgicus in se recepturus sit. Nec dubium, quin per arbitros, in quos compromissum sit, Ravensteinum Electori sint addicturi. Contra Neoburgicum cedere prætentionibus in reliquas ditiones & feuda, postremis Ducibus Juliacensibus competentia, quæ iste pactis anno 1647. & 1651. sibi reservaverat; per quæ inter alia actio in Comitatum Mœursam adquiratur. Insuper expirare molestam actionem ob impensas & damna belli anno 1651. moti, quam Neoburgicus, cum turbæ componerentur, sibi reservarit, Cæsareis Commissariis in eam rem testimonium altius penetrans exhibentibus. Nec minus jam cessaturos ingentes sumtus cum molestia conjunctos, hactenus in processum contra Neoburgicum factos; circa quem persequendum non ea quæ par sit diligentia ab Electore fuerit adhibita, diffusi regiminis negotiis distracto; cum contra Neoburgicus, velut qui summam rerum suarum in eo collocarit, nullo studio circa eundem pepercerit. Denique & illud Electori lucro cedere, quod Neoburgicus Electoris Palatini actionem in feuda Juliacensia insigni pecuniæ summa redemerit, cujus dimidiam partem iste alias præstare tenebatur. Equidem Electorem Neoburgico viribus prævalere, sed in bello ne debiliorem quidem hostem contemnendum, ac aleam Martis semper dubiam. Ex anteactis quoque constare, modo Hispanos, modo Gallos ei fulciendo operam contulisse, occulto quoque Belgarum in eundem favore, ne Elector solus universis istis provinciis potiatur. Contingere quoque posse, ut Elector alibi per vicinos, queis parum propitiis ubique cingitur, distentus hisce ditionibus succurrere nequeat. Cum contra Neoburgico Catholicorum, qui numero & potentia in hoc Circulo prævaleant, auxilia semper in promtu sint, tanto magis, si quod speret per filios Coloniensem, Monasteriensem, Paderbornensem, & Leodiensem Præsulatum occuparit. Denique Cæsarem ac multos alios sæpe hanc transactionem svasisse, quam & Ordines provinciales magnopere optent, & cui perficiundæ nunc tam commoda occasio allubescat, in vicinia agente utroque Principe rationum suarum callentissimo. Quibus in diversa digressis parum spei supersit, inprimis si unum & alterum fato fungi contingat, administratione ad tutores devoluta, queis tàm ampla transigendi potestas non sit. Denique inter ditiones tantam inæqualitatem non esse, quanta jactetur, saltem inter domania exiguum esse discrimen, quæ & in Electorali parte in duplum fere aucta sint ab eo, quanti olim taxata sint. Quin à Neoburgico Electoralem partem potiorem haberi ob magnas & populosas urbes non modico numero, Vesaliam, & alia Cliviæ oppida, Essenam, Susatum, Lipstadium, Hammum, Hervordiam & plures, locupletibus civibus frequentes, & situ ad delectus & hospitia militum opportuno. Quin in Matricula Imperii Cliviam & Marcam tantidem taxari, atque Juliacum, Montes & Ravensbergam. Quæ & ob communicationis lineam, & quia Mindam, Visurgimque tangunt, Electori commodiores sunt, quam Juliacum ac Montes. Incidebant circa hoc negotium & aliæ considerationes, quas in præsens publicari non expediebat. Inter quas præcipua erant, quæ circa successionem Polonicam agitabantur, destinata, queis, ubi hæc transactio non successisset, non poterat non contraniti Elector non sine plurimorum offensa, qui jam altius in istud negotium descenderant. Denique non ignotum erat, quid consiliorum contra Electorem Ordines harum provinciarum olim foverint, & forte adhuc in occulto foveant, quam refractarios ac difficiles iidem sæpe se exhibuerint; inprimis quod nonnulli quondam apud Cæsarem, ac Fœderatos Belgas quæsiverint. Quibus machinationibus in perpetuum suffocandis haut præsentius quam in hac transactione remedium sit. 1664.

§. 74. Ea sententia cum Electori sederet, Neoburgico non minus in transactionem prono, maturius id negotium per Arausionensem Viduam expediri poterat, ni Electori placuisset idem differri, quoad ipse Cliviam pervenisset. Ac interim pariter Monasteriensi Præsule super directorio Circuli Westphalici ab Electore & Neoburgico alternis gerendo convenerat. Sed quod super sacris Dorstenæ confectum erat pactum, deinceps interpolatum, ac summa cum æquitate, pari utrinque conditione peculiari Instrumento cum primaria transactione adornatum fuit. Post Electoris Clivos adventum serio res suscepta est per delegatos ab Electore Ottonem Sverinum, Blaspielum, & Franciscum Meindersium, & à Neoburgico Joannem Henricum Winckelhusium Baronem, Franciscum Gisium, & Henricum Snellium. Quibus cum circa reliqua facile conveniret, super sacris præcipue certabatur; quod Neoburgicus quidem facile concederet, ut Elector in suis provinciis pro lubitu disponeret, sed in sua ditione statui sacrorum, qui anno 1624. fuerat juxta dispositionem Westphalicæ pacis inhærere

Transactio perficitur. *1665.* *4. Febr. 14. 1665. 1666. 2. Maii.* *Meinders Winckelhusen. Gise. Snell.*

 rere

1666. rere utique cupiebat. Nam Electorem in sua ditione Pontificem & Episcopum haberi: Sed sibi à pervicacis ingenii sacerdotibus pendendum esse. Ut Belgæ hujus pacti sponsores essent Neoburgicus nolebat, quod spes esset id à Cæsare confirmatum iri. Dynastia Winnenthalia in pacto quidem Neoburgico attribuebatur, quæ temporaria conventione anni 1647 Electori pro CLX M uncialium oppignerata erat. E qua summa Elector LX M uncialium remittebat, reliqua C M Schvvartzenbergio Comiti cum omni causa cedebat; cui Neoburgicus pro ista Winnenthaliam tradebat. Circa Matriculam, quoad ea moderatius taxaretur, placebat, ut si universis provinciis XXX. solvenda essent, Clivia, Marca & Ravensberga XVII. Juliacum & Montes XIII conferrent. Ravensteinium, quod Elector utique sibi deposcebat, demum in compromissum deductum. In eam ditionem Belgæ Fœderati supremum sibi dominũ arrogaverant, Electore & Neoburgico contradicentibus; quam Neoburgicus cum istis proparte Geldriæ Transmosanæ permutare voluerat; qua Belgæ tamen ob Trajectum ad Mosam carere nolebant ac summam pecuniæ offerre malebant. Ea dynastia olim nemini obnoxia fuerat, vocabulo terræ Herpersis; sed cujus domini post eam Duci Brabantiæ obtulerant feudi titulo ab hoc recognoscendum; ut tamen ejus domini omnia jura territorialia in eam retinuerint & exercuerint cum liberrima facultate disponendi & testandi. Cæterum etsi circa hanc dynastiam mittendis in compendium disceptationibus compromissum placuisset, Kalendis Septembris anno 1668. Neoburgi ad Danubium suscipiendum, quia tamen Neoburgicus cupiebat nil litigiosi inter se & Electorem restare, utut in istius possessione constitutus, post transactio eidem magis arridebat, qua Elector isti jus suum in eam ditionem

1671. 2. Jun. pro L M uncialium vendebat; successionem sibi tamen reservans, si masculam lineam Palatinorum ab isto descendentium extingui contingeret, ac ut titulum ejus & insignia deinceps quoque gereret. Super Mœursæ quoque Comitatu tunc transactum. Is per mortem postremæ Comitissæ Walpurgis ad Cliviæ Ducatum tam ex communi jure feudali, quam vi peculiaris conventionis devolutus erat. Post Princeps Mauritius Arausionensis milite Belgico occupaverat, cujus successores eum hactenus sine ulla recognitione detinuerant, Electore sibi jus suum in eundem reservante. Ast Neoburgicus tunc actione sua ad eum comitatum Electori cedebat, titulum quoque ejusdem adversus hunc non amplius usurus: tum & sibi suisque descendentibus istum stipulatus, si post eundem Cliviæ vindicatum Electoris stirpem deficere contingeret; ad eundem quoque vindicandum omnem operam navaturus.

Transactionis hereditariæ cum Neoburgico summa. §. 75. Istius porro transactionis perpetuæ ac hæreditariæ hæc summa erat. Initio *paciscentes testantur, sese hac transactione nemini, cui aliqua in has ditiones actio obtenditur præjudicium allaturos, sed cuique eorum integrum fore causam suam via juris persequi; Sed id præcipue quærere,*

1666. *ut hac ipsa omnes controversiæ ac dissidia inter paciscentes eorumque descendentes radicitus tollantur, abolita anteactorum memoria, simul fida ac perpetua inter ipsos amicitia constituatur, ad posteros quoque propaganda. Nec minus ut harum cives provinciarum, quos nullo modo divellere, sed denuo potius unire animus sit, concordiam amicis ac vicinis dignam inter se exerceant; queis & uterque Principum sua privilegia, prout initio suscepti regiminis caverunt, sarcta tecta præstabit. Elector ejusque posteri in plena ac perpetua possessione Ducatus Cliviæ, & Comitatuum Marcæ ac Ravensbergæ cum omnibus pertinentibus juribus, Palatinus pariter in possessione Ducatuum Juliaci ac Montium, cum dynastiis Winnenthalia & Bresquesanda permanebit, prout uterque eas ditiones hactenus possedit; nec deinceps unus alteri circa hasce aut earum partes & jura quocunque obtentu controversiæ quid movebit, abolitis in perpetuum omnibus litibus, quæ hactenus inter ipsos eo nomine agitatæ fuerunt. Cum dynastiam Ravensteinum hinc Elector è pacto anno 1647. d. X. Aprilis, inde Palatinus è conventione anno 1649 die XX Maii inita sibi vindicarit, demum in compromissum consensum est, cujus sententia eadem vis, quæ huic transactioni, futura sit. Quanquam autem hoc modo provinciæ inter utrumque Principem dividantur, & uterque amore pacis ac stabiliendæ civium tranquillitati juri suo in alterius portionem renunciet; persistet tamen indissolubilis harum provinciarum conjunctio, salvis quoque earum communibus & peculiaribus privilegiis; nec illæ deinceps dividantur, aut separentur, nec quid earum alienetur, tum si quæ vis & injuria alicui harum ditionum intentetur, reliquæ provinciæ, ac inprimis uterque Princeps sociatis viribus ad eam propulsandam incumbent. Quo fine antiqua inter Wilhelmum Juliaci, & Joannem Cliviæ Ducem facta, & à Cæsaribus confirmata unio renovatur; cujus vi si alterutrius terræ ac jura impetantur, uterque tam in judicio quam extra id unam personam sustineret junctisque consiliis ac viribus omne damnum avertere, ac mutuam evictionem sibi invicem præstare tenentur, rata damni parte suscepta. Ut tamen ingruens periculum alteri protinus denuntietur, quo auxilia armis aut per interventionem ferenda mature parari queant. Nec minus uterque Principum operam dabit, ut quæ jam per injuriam uni vel alteri harum ditionum onera incumbunt, licitis atque idoneis remediis amoveantur. Inprimis uterque Principum hasce suas ditiones adversus eos, qui ex capite successionis universalis vel particularis juris quidpiam in hasce aut earum partem prætendunt, idque vi exsequi instituant, sociatis viribus tuebuntur. Uti tamen cuivis integrum erit jus, quod sibi competere arbitratur, in foro competenti persequi, ita si per hujus sententiam uni vel alteri abjudicatum quid fuerit, uterque alteri evictionem præstabit, idonea ditionis parte pro rata suppleturus, quod alteri hoc modo decesserit. Quanquam autem divisarum sic provinciarum Ordines & incolæ soli suo quique Principi, ejusque posteris ad fidem, & obsequium teneantur; uterque tamen Principum eorumque posteri uti hactenus integrum titulum & insignia*

indivisa

1666. *indivisa omnium provinciarum retinebit; simul unus alterius Ordines ac cives uti hactenus in literis* **Dilectorum, Fidelium** *vocabulo deinceps compellabit, salvo cujusque supremo Principatus jure. Hac transactione perfecta, Ordinibus provincialibus de ea significabitur, ac uterque à suis homagium exiget eo modo, quo inter ipsos convenietur; regimen quoque provinciarum ita adornaturus, prout earum salus & privilegia requirunt, ac uti id Deo, Cæsari, atque Imperio ac posteritati adprobari possit. Archiva, & documenta literaria, quæ apud unum & alterum inveniuntur, ad alterius provincias spectantia, hinc inde bona fide tradentur; communia instrumenta solito hactenus loco servabuntur, exemplis tamen alteri præbitis: tum si quid informationis alter ex alterius tabulario desideraverit, id bona fide communicetur. Commerciorum in his terris liber usus terra, fluminibusque servetur, nec quispiam per jus novis ac insolitis oneribus prematur. Jus monetam cudendi uterque in sua ditione exercebit, prout ratio temporum & civium utilitas, commerciorumque promotio requiret, idque publicis Imperii constitutionibus congruet. Simul opera dabitur, ut ingens copia minutæ monetæ sequioris sortis, quæ è vicinis in has provincias confluxit, meliore substituta eliminetur. Utriusque Principis subjectis ab alterius magistratibus justitia promte administretur; ut tamen si ea denegata aut protracta arguatur, non protinus ad talionem procedatur, sed causa probe examinata amice res, juxta communes Imperii leges, & harum provinciarum statuta, atque consvetudinem componatur. Ne quoque unus Principum alterius fugitivos aut relegatos recipiat, aut tueatur, sed ubi id requisitum fuerit, per suos comprehendi ac dedi curet. Si quid deinceps controversiæ super hac transactione, aut alia ex causa enascatur, hautquidquam ad arma procurretur, sed id via juris, aut per arbitros componetur, prout & inter Principes super certo compromittendi modo convenietur, juxta quem subortæ lites sine solenni processu absque strepitu & ambagibus decidendæ sint. Sed & quæ aliæ super controversiæ exemtione quorundam bonorum in alterius provincia sitorum, super mixtis quibusdam præstationibus atque reditibus, ac litigiosis finibus supersunt, per utrinque legatos quamprimum componeatur. Uterque enixam operam dabit, ut a Cæsare investituram harum provinciarum obtineant, ac è Cæsarea & Imperii Cancellaria earum titulus ipsis tribuatur, utrique separato suffragio cum debita sessione in Comitiis concesso; tum ut locum inter Ordinarios Deputatos Imperii, quondam Ducibus Juliaci, Cliviæ & Montium competentem iterum sortiantur. Quæ eo facilius obtentum iri spes sit, quo & ipsi ad præstanda Imperii onera nomine harum provinciarum eo promtiores se exhibeant. Circa ea, quæ ad Imperii & Circuli defensionem conferenda sunt, cum uterque justo majoris se taxatum arguat, interim convenit veteri matricula Imperii standum, ut tamen uterque debito loco æquam moderationem sit quæsiturus. Sed si quæ peculiariter ad securitatem & commodum harum provinciarum conferenda sint, uterque æquales portiones nomine earundem contribuet.* Super sacris, quæ præcipuum dissidiorum fomitem præbuerant, peculiari conventione transactum. Nec minus firmabantur, quæ superiore anno conciliante Monasteriensi Præsule super *con-directorio* Circuli Westphalici convenerant, inter Electorem & Palatinum deinceps alternis gerendo. *Hac ipsa denique conventione omnes conventiones temporariæ uti ultro expirant; ita & uterque processibus in Judicio Aulico Cæsareo hactenus super his provinciis invicem agitatis renunciat, & ut Cæsar quoque istos, quantum ad ipsos & eorum posteros aboleat, petent: reliqui processus ut quoque expediantur sociata opera connisuri. Quo isthæc transactio eo firmius observetur, uterque Principum operam dabit, ut Cæsar ejus evictionem suscipiat, tum ut pace Westphalica comprehensa guarantia huc quoque extendatur, & ibi paciscentium auxilia isti tuendæ expetantur, exceptis iis, à quibus in has provincias aliquid actionis movetur; quos ad præstandum hocce pactum requirere integrum haut sit. Quod si præter spem isthæc transactio ab alterutro violetur, parti læsæ licebit receptorum sponsorum opem implorare, quo contraventiones protinus una cum reparatione expensarum & damni corrigantur. Ast si lædens ad vim & arma descenderit, ipso facto pœnam fractæ pacis incurret, ac jus suum in universas has provincias cum antea, tum hoc pacto quæsitum committet in læsæ partis usum, læsus autem in eum statum, qui ante hanc transactionem fuit, restituetur. Quanquam etiam hac transactione circa negotium religionis amore concordiæ alicubi à regulis Instrumenti Pacis nonnihil discessum fuerit; omnia tamen heic conventa sub communis istius pacis securitate & guarantia comprehensa sint. Denique uterque super confirmanda hac transactione apud Cæsarem decenter instabit: quæ tamen, quoad ea obtenta fuerit, haut eo minus utrinque inviolabiliter observabitur, nulla exceptione adversus eandem admittenda.* Ea transactio per utrinque delegatos Clivis die IX. Septempris subscripta intra decem dies ab utroque Principum ratihabenda erat. *9. Sept.* 1666.

§. 76, Condebatur quoque pactum adjectum hoc sensu. *Utrumque Principem invicem adversus reliquos in hasce provincias actionem moventes, ac inprimis contra Saxonicos, & Bipontinos evictionem præstituros, communemque contra eosdem causam facturos, & si quid via juris aut per vim intentetur, sociata opera ac vi propulsaturos. Quod si præter spem Saxones aut Bipontini aliquid evicerint, Electorem & Palatinum æquis partibus judicatum soluturos, & quod uni decedat, alterum pro rata suppleturum, reliquis ditionibus vel denuo æqualiter dividendis, vel idonea earum parte cessa. De cætero utrique curæ fore, quo actionem moventibus amica ratione satisfiat; ut tamen neuter in alterius fraudem quid suscipiat: & quod ad unius vel alterius satisfactionem sumtuum erogatum fuerit utrinque æqualibus portionibus præstetur. Quod si & alteruter abs quopiam ob prætensum in has provincias successionis jus armis invadatur, ac contingat, ut arreptis vicissim armis bellum in aggressoris terras revolvatur, ex iisque aliquid adquiratur; id quod* *Pactum adjectum.*

1666. *quod adquisitum fuerit, inter utrumque æqualiter dividendum. Ast peculiares actiones, quæ ob quamcunque aliam causam abs quopiam in has ditiones moveantur, puta Coloniensis Electoris in Comitatum Neuenarium, & si quæ sint alia, singuli in suam portionem cum omni periculo & emolumento suscipiunt, ita ut neuter alteri eo nomine ad evictionem aut refusionem neque ob præteritum neque in futurum præstare teneatur, salvo tamen officio in tali casu invicem exhibendo. Præterea Electori quoque profuturum, quod Palatinus Sibyllæ Burgaviensi pro actione in universas ditiones, ac Ernesto Manderscheidæ Comiti pro actione in Marcanum Comitatum satisfecerit.* Iniverat quoque
1660. Neoburgicus pactum cum Friderico Ludovi-
18. Aug. co Bipontino, cui tertia pars actionis Bipontinæ competebat, (cum reliquarum duarum tertiarum una ad Fridericum Palatinum, altera ad Regem Sveciæ, ejusque patruum atque amitas spectaret;) qua hic isti prætensionem suam pro C M florenis Francofurtensis valoris intra biennium solvendis cesserat; addito, ut si Neoburgicus universas ditiones à Brandenburgico Electore per sententiam judicis aut transactionem evincat, isti summæ XL M florenorum adjicerentur. Ejus pacti beneficio Elector quoque fruebatur hac lege, ut quod adhuc de ea summa solvendum restaret, ipse dimidiam ejus partem conferret. Addebatur, si uterque Princeps nomine harum provinciarum sessionem & suffragium in Comitiis obtinere nequeat, nil quoque ab ipsis eodem nomine ad publica Imperii onera conferendum. Ac si in Ordinaria Imperii Deputatione unico loco contenti esse cogantur, alternis vicibus eundem obeundum. Porro quanquam dubium non habebatur, quin Cæsar pactum hoc libenter confirmaturus esset, velut quo communis Imperii quies, & Westphalici Circuli salus ac securitas non parum stabiliretur, præsertim cum Ferdinandus III, & qui pacis causa Osnabrugæ & Monasterii congregati fuerant Ordines istud vehementer svasissent: tamen si præter spem confirmationem abnegari contigerit, paciscentes haut eo minus transactione staturi, ac suæ possessioni tutandæ utrinque incubituri erant. Sed & si Ordines provinciales huic transactioni contradicerent, aut eidem attemperare se nollent, neuter alterius subjectorum patrocinium suscepturus, quin potius ad officium faciendum eos adhortaturus erat, si opus foret vi quoque adhibita in ordinem eosdem
30. Sept. redacturus. Quanquam lubentibus Ordinibus ea transactio accepta fuit; & invitati ab Electore Ordines Clivici ac Marcani ad homagium hæreditarium læti convenerunt; quibus & Neoburgibus de ista transactione significabat, ac in ipsos nil amplius juris sibi prætendi, sed unice iisdem ab Electore deinceps depen-
15. Oct. dendum; Electore geminam significationem Juliacensibus & Montensibus faciente. Ac Clivici post condicta die inter publicæ lætitiæ signa homagium præstiterunt. Inde ab utroque Principe super hac transactione Cæsari significatum; qui eam admodum sibi probari testatus est. Nec minus Galliæ Rex super ea tuenda operam suam pollicebatur. Cæsarea *1666.*
tamen confirmatio demum anno 1678. die 17. *Ea*
Octobris obtenta fuit, salvo cujuslibet jure. *trans-*
Investituram, sessionem & titulum validæ com- *actio à*
petitorum contradictiones, & peculiares Cæ- *Cæsare*
saris rationes hactenus impedierunt, possesso- *confir-*
ribus interim reipsa gaudentibus, dum reliqui *matur.*
circa inania se jactant.

§. 77. Interea temporis Electori non mi- *Elector*
nus illa curæ fuerant, quæ ad incolumitatem *Cæsari*
totius Imperii spectabant; cui post vix com- *auxilia*
positum cum Svecis bellum à Turca periculum *in Tur-*
imminere incipiebat, dum hic Ragozium, qui *cam mit-*
ipso invito in turbas Poloniæ descenderat, Prin- *tit.*
cipatu Transsylvaniæ dimovere instituit, ac arridente adversus hunc successu non obscure jam Hungariæ minatur. Unde Cæsar misso *1661.*
Claudio Collalto Comite Electori exponit; *Collalto*
quid malorum ditiones suas maneat, postquam Turcæ Waradinum Majus tanti momenti munitionem in potestatem redegerint: simul promtum auxilium eundem poscit, ac ut exemplo monituque cæteros Ordines accendat. Nec gravatim hic quæ Cæsar voluerat, ad alios Ordines perscribebat, CM uncialium insuper pollicitus, quoad super communi Ordinum defensione inter Ordines conventum foret. In secreto tamen stipulabatur, quia provinciæ suæ proximo bello ita exhaustæ sint, ut vix statis præsidiis alendis sufficiant; Cæsar promissam palam pecuniam non prius exigeret, quam reipsa res in arma eruperit. Quo casu ipse non dicta modo summa, sed & omnibus viribus eidem succurrere velit. Svadebat tamen Cæsari, ut quantum daretur, bellum Turcicum declinaret; quod confuso Germaniæ Statu, ac gliscente inter Ordines diffidentia vix solidi quid auxilii ab his expectari queat. Tum ut si bellum utique gerendum sit, ita istud moderetur, ut ne alii ista occasione ad invadendam Germaniam abutantur. Præsertim cum illi, qui talia animo agitant, forte primi videantur futuri auxiliis suis offerendis, ut Germaniæ viribus alibi districtis destinata sua exsequi possint. Post tamen cum in aper- *1663.*
tum bellum res erupisset, Cæsar Franciscum Lisolam mittebat, auxilia Electoris exciturum. Qui &, cum nihil à tergo armorum parari animadverteret, quod suspicionem excitare posset, mille pedites, sexcentos dimachas, & quadringentos equites selectum militem submittebat, cui Augustus Holsatiæ Dux summi vigiliarum præfecti dignatione præerat. Tum & Ottoni Christophoro Sparrio supremo militiæ Electoralis præfecto præmittitur, ut in eo bello Cæsari operam navet. Tum & C M uncialium ab Hispanis sibi quondam promissa in Cæsarem transscribuntur. Cum inde Ratisponæ de supremo in exercitum Imperii contra Turcam Imperatore constituendo consultaretur, plerique Protestantes in Collegio Principum eam dignationem in Electorem conferendam censebant; quod Cæsaris & Imperii interesit id muneris à potente Principe geri, qui de suo insigne quid in eam expeditionem erogare queat, Neque vero alium reperiri, qui magis

1663. magis floreat artibus ad ejusmodi functionem necessariis, experientia, fortitudine, felicitate. Quibus nostri pro tam egregio judicio gratias agebant, nec Electorem ulli sese negotio subtracturum, quod ad salutem Germaniæ faciat, aut quo de orbe Christiano bene mereri possit. Etsi major pars pervinceret, tam eminentis fastigii ducem nondum designandum; quæ & Collegii Electoralis sententia erat, nostris quoque adstipulantibus. Qui & alias in mandatis habebant, si quis eo in Collegio Electorem nominaret, ipsi Saxoni suffragium darent. In Aula quoque Cæsaris de ea re multis jactabatur; Electore demonstrante laboriosum diffusæ suæ ditionis regimen vix permissurum tam arduæ functionis administrationem; præsertim cum in Comitiis parum servoris adpareret suppeditandis auxiliis pro tantæ molis bello. Et cum Cæsari id ageretur, ut quamprimum isto bello exiret, haut ulterius placuit Electori ingentium erogationum ansam sibi præbere. Is tamen secreto Cæsari svaserat, ut is Carolum Gustavum Wrangelium, dignatione Principis Imperii mactum, supremum in bello Turcico Imperatorem constitueret, quo tantæ famæ dux Sveciæ subtraheretur. Cæterum opinio conferendi in Electorem supremi istius imperii jam Svecos juxta Polonosque adverterat; quod ex eo conjicerent, Electorem novo cum Austriacis fœdere necti; & ea dignatio multum autoritatis ac potentiæ eidem circumpositura videretur.

Copiæ ab Electore missæ rem bene gerunt. §. 78. Porro qui ab Electore Cæsari auxilio missus fuerat miles, haut spernendum operæ pretium fecit Cæsareo exercitui junctus, qui Suchio duce rem in superiore Hungaria gerebat. Ab eo Nitria primum invadebatur,
11. April. cui oppugnandæ quæ struebantur opera Dux
1664. Holsatiæ dirigebat. Eo loco dedito quo mi-
13. April. nus Lebenciæ statim obsidium circumponeretur, fœda imbribus tempestas prohibebat. Interea dum Cæsareus exercitus castra subinde mutat, subito sedecim Turcarum & Tartarorum millia apud Czernovvitzam extremo agmini ingruunt, cum plurimis catervis hinc inde dimissis vix quinque Cæsareorum millia apud
16. Maij. signa adessent. Sed haut eo minus hostis ita strenue excipiebatur, ut mille amplius desideratis repelleretur. Quo conflictu pedites nostrates, præter quos nihil tunc peditum exercitui aderat, insignem operam navarunt, aperto campo cum hoste tanto numerosiore congressi, non ultra quinquaginta suorum amissis, quos inter unus centurio, ac duo optiones.
30. Maij. Inde Lebencio vis admota; cujus oppugnatione nostrates cum Saxonicis assultu facto vi oppidum irrupere. Mox arx deditione in pote-
11. Jul. statem Cæsaris cessit. Sed post Turcæ cum exercitu XXV M bellatorum constante eidem
16. Jul. loco obsidium circumponebant; quos ut inde dispelleret, Suchius à Cæsare jubebatur. Is
18. Jul. Neustædelio movens postridie sub vesperam Granum flumen attigit, cujus transitu hostis in altera ripa consistens Cæsareos arcere conabatur. Sed strenue repulsus hisce liberam transeundi facultatem concedere coactus est. Su- *1664.*
peratо flumine Suchius Cæsareos, novem bel- *19. Jul.*
latorum millia explentes, in aciem disponebat, cujus dextrum cornu Heisterus, sinistrum Knigius, peditatum & machinas Holsatiæ Dux curabat. Inde intra quadrantem milliaris ad castra hostium proceditur, qui ante meridiem iisdem immoti se tenebant. Post meridiem Suchius Capraram tribunum cum mille equitibus, & Sigismundum Christophorum Mar- *Marvvitz.*
vvicium præfectum vigilum cum Brandenburgicis dimachis mittebat ad lacessendum hostem, eumque castris extrahendum. Qui & haut segniter ingenti cum clamore in campum erumpens nostros invadebat: tum abundante multitudine ex utroque latere tergo iisdem sese circumfundere instituebat. Et Capraram quidem enormis hostium numerus cessim ire cogebat, donec Knigius cum legione equestri subsidio veniret. Sed cum hostis elatiorem ad sinistrum locum occupare conaretur, unde latus Cæsareorum invadere parabat, Heisterus, dum Knigius apud Suchium satagit, Augustum Holsatiæ Ducem cum sinistro cornu in hostem movere jubet; qui & feliciter hunc loco dejecit. Nec minus aliquoties dehinc impetum dantes Turcæ à nostris magna cum cæde pelluntur, ut demum campo cedere cogerentur, relictis machinis & impedimentis. Omnis ibi hostium peditatus concisus; nemo captus fuit, quod nullius vitæ parceretur. Ex Electoralibus pauci dimachæ occubuerunt. Cæsarei non supra octoginta desiderarunt. A peditatu haud pugnatum, qui ita opportuno loco consistebat, ut hostis eum invadere non auderet. Electorales equites ac dimachæ, ac inter istos vigilum præfectus Marvvicius insignem ea pugna laudem reportarunt. Cæsar quoque honorificis literis Augusti Holsatiæ Ducis virtutem, & egregiam victoriæ obtinendæ operam extollebat. Eum exercitum inde Suchius Baranovo *1. Aug.*
admovit, quod oppidum ante pontem navalem exadversum Strigonio jacet, duplici fossa, ac palorum ordine munitum, quod & mille quingenti Janissari insidebant. Ei loco propinquans Suchius omnes protinus pedites propius munitiones subire jussit. Heic nostrates, utut acriter hostis resisteret, cum aliis ad labrum fossæ penetrarunt, ac eam replere, simul palos prosternere, ac assultum moliri cœperunt, quoad tenebræ prospectum adimerent. Quibus tecti Turcæ eum locum una cum ponte deseruerunt, ac relictis machinis ac sarcinis trans Danubium se proripuerunt, ponte post se incenso. Ea oppugnatione quadraginta nostratium occubuere, octoginta sauciati. Turcarum intra munitiones multi cæsi aut saucii inventi. Mittebat post Cæsar Holsatiæ Ducem ad Electorem super duobus selectorum peditum millibus submittendis, quod numeri valde forent imminuti, nec supplementa ita promte conduci possent. Quos Elector lubenter annuebat, quamvis ad tutandam Borussiam valido milite opus foret; nec Cæsar ipsi super restituenda Carnovia satisfaceret; qui præter rationes juris id quoque demonstraverat; cum ea ditio Moraviæ vicina sit, Electorem

1664. rem ea concessa obstrictum iri ad tutelam provinciarum Cæsarearum eo enixius suscipiendam. Sed quia Turcis post prælium ad Gothardi Fanum non parum ferociæ decesserat, nec Cæsari altius sese bello immergere placebat, cui hactenus solitum fuerat temporariis pactis & induciis Turcarum vim amoliri, is miles iter haut ingressus est. Et Cæsari ut tolerabilem pacem amplecteretur, sat causæ præbebat brevi secutura mors Hispaniarum Regis, à Gallis sine dubio in turbarum occasionem arripienda: simul qui in Polonia motus orituri metuebantur, si Jo. Casimirum Regno abire aut fato fungi contingeret. Tum & suspicio erat, ne Veneti circa pacem præverterent, belli mole tunc sibi soli incubitura, ad quam levandam parum ab Imperio, nec ad diuturnitatem conferebatur. Inprimis autem quantivis videbatur Gallorum malefida auxilia amoliri; quorum dux Colignius in mandatis habebat post elapsam per otium æstatem hiberna sibi per superiorem Hungariam Poloniæ contiguam deposcere, fulciendæ rebellioni Hungarorum, cui & Polonia favebat. Sed Feuillada alter dux, cui de istius mandatis nil constabat, manum cum Turcis conseruerat, ac perniciosa Cæsari destinata imprudens corruperat. Unde & post reditum Colignius gravem Regis offensam ob rem male curatam sensit. Erant tunc ex Ordinibus Ratisponæ, qui se inconsultis à Cæsare pacem cum Turcis factam fremerent. Sed Elector ut querelis supersedeant svadebat. Nam bellum id hactenus à Cæsare velut Rege Hungariæ gestum, cui ab Imperio auxiliaris duntaxat miles submissus sit. Ac si istud directe Imperium tetigisset, tam prolixis consultationibus super auxilio ferendo Ratisponæ opus non fuisse futurum, cum in negotiis salutem totius Imperii spectantibus suffragiorum major pars valere debeat. Tempus quoque haut tulisse tam operosas deliberationes institui, ne interim occasio pacem occupandi elaberetur. Porro à peritis rerum observatum est, ex eo bello Turcico Cæsari nonnulla commoda haut sane spernenda provenisse. Nam uti per Ragozii præcipitantiam motæ in Hungaria turbæ Cæsari necessitatem attulerant in earum quoque partem veniendi, quo prohiberet, ne quondam Gabrieli Betlemo, ac post Ragozio concessi septem Comitatus Hungariæ à Turca, aut futuro Transsylvaniæ Principe plane absorberentur: ita Cæsar contentus fuit dimidiam partem istorum recuperasse, ac Transsylvanum ad mediocritatem redegisse; simul ostendisse, animum sibi esse Turcarum conatibus sistendis. Ordines quoque provinciarum hæreditariarum insignem annuæ pecuniæ summam annuerant sustentandis munitionibus limitaneis, quo ipso Cæsari facultas nata erat perpetuum ibi militem sine suo sumtu alendi: ad quod terror ob irruptionem Tartarorum in Moraviam multum contulerat. Alias enim semper conventus provinciales indicendi fuerant, si quid pecuniæ pro istis munitionibus quæreretur, ubi sæpe non sine ambitu modicum quid exsculpendum erat. Quanquam autem Cæsar Neuheuselii jacturam fecerat, vicissim tamen licentiam nactus erat tres alias munitiones extruendi, id quod prioribus pactis expresse interdicebatur. Sed & Hungari eo bello fracti fuerãt, ut magis magisq; placito Cæsaris sese attemperare necessum haberent. Lignea Serinorum munitio, quam dudum Cæsarei perire optaverant destructa, ac ibidem formata destinata, multum è turbido trahentia, simul evanuerant. Viennæ quoque parum curabatur vicos aliquot Hungarorum agrestium fore Protestantium, ac alias frænum mordentium, Turcis tradi, modo summa rerum contra ipsos Hungaros firmaretur, absoluto in eos imperio stabilito. Ac ipsi Hungari satis perspiciebant, duos Imperatores non super libertate ac salute Hungariæ certare, sed uter huic jugum impositurus sit. Eoque velut desperati asperis verbis in ipsam pacem debachabantur; sed quibus multi ob turbida consilia, ac malignam inter se concordiam idem fatum ominabantur, quod Livoni quondam ac Borussi indigenæ ethnica adhuc superstitione infecti subierunt. Denique & Cæsar egregium exercitum ea occasione paraverat; simul Ordinibus Imperii novo actu insinuaverat, inter officia ipsis esse ad bella Turcica auxilium conferre. 1664.

§. 79. Cæterum uti Electori summam consiliorum suorum semper ad tranquillitatem Germaniæ referebat: ita si quid in ulla ejus parte turbaretur, circa id amica ratione componendum sedulo laborabat. Id quod & circa dissidium, quod tunc Luneburgica in Domo surgebat, summa fide exhibuit. Postquam Christianus Ludovicus Dux absque prole mascula obiisset, frater Joannes Fridericus Cellensem partem sibi vindicatum ibat ejus possessione adprehensa; cum contra Georgius Wilhelmus major natu frater eandem jure optionis è paterno testamento sibi competere assereret. Qui & protinus misso Laurentio Mullero Electorem ad interpositionem invitabat, ea inita auxilium ex fœdere Rhenano poscens. Id negotium cum Elector magni momenti judicaret, ad ignem sub cineribus gliscentem extinguendum haut segniter accurrere constituit. Unde protinus Fridericum Jenam Cellas ad Joannem Fridericum Ducem ablegavit, qui officio consolationis defungeretur, simul demonstraret, quantum mali ex hac lite, Deo hominibusque detestata oriri queant; quam potius amica transactione tolli velit, prono in eandem & fratre; cui conciliandæ Electorem operam sit navaturus. Equidem Electori haut placere præjudicio ipsum onerare; nec ut jus suum prodigat svadere; nec ipsi constare, quo postulato is insistere decreverit. Si tamen tota hæreditas vindicetur, fratre plane excluso, nec temperamento admisso, majoris natu fratris causam admodum fore plausibilem. Equidem de optione ex paterno testamento in neutram à se partem quid statui; saltem tamen in aprico esse, defunctum fratrem utrique pari gradu cognatum fuisse, eoque Georgii Wilhelmi si non præstantius, saltem nec deterius jus quam ipsi esse. Unde rogabat, ne fratem ita ignominiose repellat, ac saltem

Elector circa componenda Domus Luneburgica dissidia satagit.

11. Mart. 1665.

28. Mart.

1665. saltem in communionem possessionis admittat, proquoad controversia amice composita foret. Quod si iste objiciat, sibi post apprehensam provinciæ possessionem haut consultum fore fratrem in æqualem partem admittere; ostenderet, Georgium Wilhelmum itidem per ministros suos solenni forma possessionem cepisse: cui quæ alicubi obstacula objecta fuerint, ejus juri quæsito nihil detrahant; qui & de actibus istis turbatoriis quæsturus, ac jus suum asserere haut neglecturus sit, funesti ominis bellum inter fratres. Cui malo antevertendo Dux innoxium, & existimationi juxta ac juri ipsius consulens temperamentum haut repudiaturus sit. Quod si idem objiciat; cum ipse militem & munita provinciæ loca in potestate habeat, à se fratrem non metui; demonstraret, nec huic auxilia defore, quæ jam fœderatos poscat; qui in universum judicent, ipsi injuriam fieri, si fraterna successione penitus excludatur. Unde satius esse, æquam transactionem incerto armorum eventui, cum multis periculis ac propriarum ditionum exitio conjuncto, præferre. Saltem exæquationem ditionum nullo colore repudiari posse. Cæterum quicquid Cellis responsi acciperet Jena, Georgio Wilhelmo communicare, eique de Electoris auxilio confirmare jubebatur, velut fœderati, & cui nihil aliud quam incolumitas Luneburgicæ Domus quæratur. Ad socios quoque Rhenani fœderis Elector scribebat, præmaturum videri ad Gallos & Svecos super hac lite aliquid referre; ne isti forte oleum camino addant. Vicissim Joannes Fridriecus Dux Electori de suscepto à se regimine significabat, petens; ut hic suis Ratisponæ legatis injungat, quo favorem ipsi accommodent nanciscendæ inter Ordines sessioni. Cui Elector respondebat; se Jenam offerendo conciliationis officio ad ipsum destinasse, denuo rogans, ut amicæ transactioni animum adplicet. Quia autem Elector intellexerat, Joannem Fridericum ne in communionem quidem possessionis consensurum salvo utriusque partis jure, proprio milite, & Catholicorum auxilio confisum; Elector quantis turbis id negotii causam dare possit, Moguntino, Coloniensi, Monasteriensi ac Neoburgico per literas exponebat. Qui responsis suis non obscure favorem in Joannem Fridericum præ se ferebant, Neoburgici cumprimis studio eminente; ac ipsi necessario isthæc consilia fuisse accipienda, ne odio mutatæ religionis hæreditate plane excluderetur; præsertim cum absentia Georgii Wilhelmi pronam accipiendæ possessioni ansam præberet. Ac Furstenbergius, qui apud Coloniensem omnia poterat, id captabat, ut sororem suam Wolfgangi Wilhelmi Neoburgici viduam, Joanni Friderico connubio sociaret. Eo major solicitudo erat Electori, ne ex ea lite instar aliquid belli sacri surgeret, agglomerantibus sese, queis non justitia causæ, sed male temperatus sacra sua propagandi fervor præ oculis foret.

Circa eam litem negotiatio. §. 80. Cellas delato Jenæ Joannes Fridericus Dux sancte asseverabat, sibi de causæ suæ justitia ample persvasum. Si tamen à judicibus extra partium studia positis secus pronuntiatum fuerit, se libenter cessurum. Sed cum Jena prolixe exposuisset, quæ contra objici possent, demum declarabat; à fratre suo perspicue proponendum, quid cupiat. Ubi rationi id congruat, ita se acturum, ut Elector & omnes reipsa sint deprehensuri, quanto ipse studio in concordiam feratur. Si iniqua petantur, neminem sibi vitio versurum, si non in omnia consentiat. Quin non se recusaturum deprecatione fratrem placere, si ipsum læsisse convincatur. Cæterum se omnia fecisse tutando suo juri. Pudore se prohiberi, quo minus exponat, quam duriter habitus fuerit. Per quinquennium precibus se institisse, ut conditio sua melior reddatur, nullo effectu. Velle tamen ad viam compositioni muniendam vel de jure suo aliquid remittere. Electoris officium libenter se admissurum si id Augusto Duci Guelferbytano, & Ernesto Augusto fratri Osnabrugensi Præsuli placeat, qui jam circa id negotium componendum Brunsvigæ satagant. Esse quippe inter statuta Domus suæ, ut si inter aliquos ex eadem dissidium oriatur, cæteri se interponant: qui si Electorem in partem officii admittere abnuant, se excusatum haberi. Quod si autem istorum opera inanis evadat, ac Elector cum aliis, ac inprimis Daniæ Rege, conciliationem suscepturus sit, id gratum sibi fore. Revera autem Dux ideo Electoris officium citra exceptionem non protinus admittebat, quod Coloniensis operam huic nenegotio invitasset, cujus favore Electoris studium forte in fratrem pronius liberaturus erat. Alias adparebat, istum in amicam magis transactionem, quam arma propendere, etsi ab admittendo in possessionem fratre abhorreret. Digressus inde Hanoveram Jena fratres Georgium Wilhelmum & Ernestum Augustum acceptando Electoris officio promtos inveniebat, qui & magnam in hujus auxilio fiduciam repositam habebant. Idem mox Brunsvigam abibat, Ducis Augusti sententia cogniturus, simul hortaturus, ne rem ad arma procedere permittant, interposita quoque protestatione super damno inde proventuro, si Joannes Fridericus æquas conditiones admittere nolit. Mox tamen ab hocce missus aderat Fridericus Casimirus Eltzius oblatum ab Electore officium acceptans, simul rogans, ut Elector Georgium Wilhelmum à vi adhibenda dehortetur, nec eundem auxiliis fulciat. Tractatione dehinc Brunsvigæ suscepta Joannes Fridericus seniori fratri jus optionis initio abnuebat, ut tamen non repugnaret, quo minus ditionum exæquatio fieret. Circa quam Georgius Wilhelmus non reditus solum, sed & opportunitatem situs, ac munitiones respiciendas censebat, quod & Elector æquum censebat. Qui & instabat, ut controversia quamprimum componeretur, antequam alii sese ingerant turbandæ Germaniæ ansam inde arrepturi. Et quia Lumbranus, ac Fridericus Alefeldius in via esse dicebantur, ille Galliæ, hic Daniæ Regis nomine sequestrem se laturus; metus erat, ne ipsa proxenetarum multitudo negotium

Margin notes (right): 1665. — 2. Maij. — 8. Maij. — Eltz.

1665. tium sufflaminaret. Sane constabat, Gallum ex iis turbis non mediocre sibi emolumentum captare, si Philippum IV. Hispaniæ Regem mori contingeret. Unde & cum post in Polonia de transactione Electoris opera conciliata per Poloniam spargeretur, Petrus Bonzius Biter- *de Beziers.* rensis Episcopus ibidem Gallicus legatus valde commotum se ostenderat, quod per Lumbrani cunctationem tam pulcra occasio subtracta foret de ista Domo egregie merendi. Is color dicebatur. Igitur cum sequestres viderent, Brunsvigæ negotium tarde procedere, ad fratres hinc inde proficiscebantur, quoad istos ad compositionem permovissent. Sed cum redituum exæquatio non parum temporis requireret, à quorum notitia extranei arcendi vide- *17. Jun.* bantur, de temporario pacto proponebatur, ac ut negotiatio Hildesiam transferretur, quo & mox Lumbranus, atque Kleius accedebant, ille à Gallo, hic à Sveco delegatus; qui ne litem alerent, metus erat. Unde cum antea Georgius Wilhelmus contendisset, exæquationem redituum exacte faciendam, Joannes Fridericus per aversionem defungi cuperet, demum amputandis ambagibus in hujus sententiam concessum. Qua transactione Georgius Wilhelmus Cellensem Ducatum cum Comitatibus Hoya & Diepholta, Joannes Fridericus *6. Sept.* Callenbergicum & Grubenhagensem ditionem sortius est; sequestribus mirantibus, qua ratione major fratrum eo pacto non parum lædi se passus foret.

De controversia circa Wildfangiatum. §. 81. Eodem quoque anno ad Rhenum turbæ surgebant inter Electorem Palatinum, & vicinos Principes Rheno adsitos super jure *Wildfangiatus*; quo Palatinus è vetusto privilegio omnes illos sibi velut proprios homines vindicabat, qui aliunde in vicinis ditionibus sedes fixissent, & qui ex hisce descenderent. Quod jus vicini intolerabile sibi querebantur, ac ad statum ipsorum penitus subvertendum pertinere. Cum enim post tam diuturnum bellum vastatæ regiones per advenas maximam partem iterum excultæ fuerint, absurdum fore & iniquissimum, à se agros, sedesque illis hominibus concedendas, in quorum corpora extraneus Princeps sibi proprietatem vindicet, perinde ac si ad alienos servos alendos adstringerentur. Cum contra Palatinus regereret; se dura conditione in avitas ditiones valde admutilatas restitutum antiquitus Domui suæ competentia jura prodigere aut condonare non posse. Cui & lis super Ladeburgo oppido à Wormatiensi Præsule mota accedebat. Et mox ad arma utrinque procursum, Lotharingi copiis occasionem prædas agendi avide arripientibus. Quibus turbis componendis Cæsar Leopoldum Wilhelmum Königseccium Comitem mittebat, cui nomine Electoris Ratispona accedebat Conradus Ascanius Marenholtzius: qui primo obtinuere, deducto milite Ladeburgum sequestro deponeretur. Inde tractatu Spiræ suscepto conventum, ut ni amice intra bimestre lis expediatur, in Galliæ & Sveciæ Reges compromitteretur. Aula Cæsarea id cum Imperii contumelia conjunctum judicante, velut domi non potuerint inveniri, qui ei litigio haut maximi momenti *1665.* componendo sufficerent. Ubi cum actores summa pecuniæ molestum istud jus redimere, contra Palatinus non nisi certa ditionis parte sibi satisfieri vellet, ad arbitros itum, qui jus illud certis limitibus circumscriptum Palatino addixere.

§. 82. Propius Electorem tangebat peri- *Electoris* culum, quod Saxoniæ imminere videbatur è *circa* turbis, quæ tunc inter Svecos & Bremensem *compo-* civitatem oriebantur, dum isti hanc ad muni- *nendas* cipalem conditionem redigere instituunt. Quæ *Bremen-* lis ab iisdem hoc potissimum tempore move- *ses tur-* batur, ut prætextum foret copias in Germani- *bas stu-* am mittendi, auctoritati inter bellantes paran- *dium.* dæ. Et cum dubium non esset, quin Electorem surgens in vicina incendium adversurum esset, à Sveciæ Rege missus accedebat Suederus Dietericus Kleius de pervicacia Bremen- *23. Jun.* sium questurus; & quia isti æquis Regis postu- *1666.* latis aurem præbere adspernentur, intra mœnia paulisper includendos frangendæ ferociæ, Regi tamen non ingratum fore, si Elector officia sua interponat, quo ipsi amica ratione satisfiat. Contra Bremenses misso Joanne Wachmanno Syndico Electorem, ut civitatis causam suscipere velit, rogabant, à qua Sveci iniqua, & Instrumento Pacis repugnantia postulent. Is motus cum Cæsari non modicam solicitudinem injicerent cui & decretum erat quovis modo *immediatum* civitatis statum tutori, Electori inscio & haut affectanti, simul Luneburgicis Ducibus ab eo commissum, ut ipsius ac Imperii nomine ejus litis compositionem suscipiant. Nam alias Elector suis Ratisponæ Legatis nil aliud injunxerat, quam ut super eo negotio aliorum sententiam prius cognoscerent, inde laxioribus verbis insinuarent, sese id, quod legibus & Instrumento Pacis congruum sit, probaturos. Simul Cravellum Regis Galliæ ibi legatum rogarent, ut is Svecos ad amicam cum Brema transactionem hortetur. Cæterum ab Electore Gerhardus Joan- *23. Jul.* nes Ledebocius, & Joannes Beierus ad Wrangelium mittuntur, significaturi, Electori inscio & haut affectanti à Cæsare delatum super ista controversia cognoscere. Sed hunc gratius Svecis futurum judicasse, si operosa commissione tantisper seposita ingentium expensarum causam civitati daturam, privatim officium componendæ liti offerat. Quod si Sveci objiciant, Bremam esse civitatem municipalem, nec par esse cæteros intercedere, quo minus legitimo Principi cum sibi subjectis pro lubitu agere integrum sit; ostenderent, isthoc quidem scitum suo se loco relinquere. Enimvero notorium esse, civitatem istam Cæsari sacramentum dixisse, atque his & proximis Comitiis suffragium tulisse. Prioribus quoque turbis conciliatores admissos, ne Lubeca quidem & Hamburgo repudiatis. Igitur nec Electoris officium nunc posse rejici, tanquam fœderati, amici atque vicini; cui non alius sit scopus quam conservatio pacis, salvis juribus Regno Sveciæ per Instrumentum Pacis quæsitis. In ipsa porro negotiatione id respicerent, ut &

1666. ut & civitas justam querendi causam Regi ne præbeat, ejusvé jura invadat; & eadem in statu ac libertate sua maneat, salvis juribus circa sacra & civilia, nec molestia aut indebito onere prematur. Quo fine cognoscerent, qua re civitas Svecos offenderit, eamque ab illegitimis conatibus dehortetur. Wrangelio autem proponerent; Electorem non dubitare, quin Rex civitatem in statu per Instrumentum Pacis probato relicturus sit. Si iste urgeat, ut civitas immediato statui renuntiet, nostri testarentur; se Regis jura in dubium vocare nolle: cogitandum tamen, civitatem semel atque iterum in Comitiis sessione politam, Cæsarique homagium præstitisse, Sveciæ quoque tantum fidem & benevolentiam promisisse, non juramentum fidelitatis præstitisse, denique Instrumentum Pacis utrique parti possessionem suam reservare, quoad controversia per sententiam judicis, aut per amicos tractatus decisa sit. Igitur satis fore amicam compositionem ante violenta remedia habere, declinandis malis inde proventuris. Denique si lis penitus non possit componi, id saltem laborarent, ut in præsens bello supersedeatur. His cum mandatis ubi nostri Wrangelium Bremervardæ adiissent, reperiebant Svecos acriter instare, ut urbs *immediato* statui renuntiaret. Id quod Bremenses præfracte recusabant, jactantes, *se nolle è libro vitæ deleri.* Simul persvaserant sibi, Electorem & vicinos, ubi ad extrema processum fuerit, civitatem haut deserturos. Quam persvasionem hisce nostri eximere conabantur, ne per eam istorum pertinacia gliceret. Cum itaque nihil effici posset, quandiu utraque pars extremis insisteret, nostri id demum temperamenti proponebant; ut questio de immediato civitatis statu ad aliquot annos seponeretur, ac interim exercitium; jurium, quæ immediatum statum comitari solent, certis limitibus circumscriberetur. Quod temperamentũ Svevi ea lega admittebant, ut civitas omnes actus immediati status, quos post obtentum *immedietatis* diploma an. 1646 exercuerit, ad futurum usq; transactionem intermitteret; ac inprimis, ne in Comitiis locum caperet, neu Cæsari sacramentum diceret. Et cum Sveci initio postulassent, ut ea suspensio in infinitum prorigeretur, demum ut ea ad finem currentis seculi fieret consentiebant. Quod & ipsum Bremenses abnuebant fiducia auxilii à Cellensi Duce clam promissi. Vicissim & Wrangelius adspernabatur summam pecuniæ à Bremensibus per aversionem solvendæ ad redimedam litem; quod causaretur, ejusmodi prætensiones pecunia vendi non
14. Aug. solere. Cum itaque partes nihil invicem concederent, sequestribus tantisper digredi placebat, non velut officium suum depositurìs, sed quod ad superiores de conditione causæ relaturi sint. Et Wrangelius misso in Sveciam Kleio nova mandata expetierat super proposito temperamento. Sed cum interim Sveci vim urbi propius admotum irent, excitatis trans Visurgim castellis, ac flumine supra & in-
15. Sept. fra urbem pontibus navalibus strato; Elector denuo Wrangelium impense hortabatur, ne ad extrema rem deducat, præsertim cum Ordinum decreto Ratisponæ auxilia sint decreta, 1666.
quibus nemo sese subtrahere possit. Mox reverso è Svecia Kleio Sveci iterum super abo- 26. Sept.
lendo civitatis immediato statu urgebant. In quod cum sequestres civitatem consensuram negarent, ac Sveci tractatus isto postulato seposito continuare nollent, alia sibi mandata non esse causati, nostri inde discesserunt. Cum itaque urbs arctius indies premeretur, intercluso omni aditu, ac plura subinde hostilia erumperent, Elector denuo eosdem, quos an- 24. Oct.
tea, legatos ad Wrangelium misit, qui ipsi denuntiarent; *Electori à Cæsare diploma Conserva-* 27. Sept.
torium missum, cujus vi ipse, ac Georgius Wilhelmus, & Joannes Fridericus Luneburgici Duces **conservatores** *civitatis constitui sint, salva tamen immediata superioritate Cæsaris & Imperii: cui accesserint edicta* **exitatoria** *ad Directores utriusque Saxonici & Westphalici circulorum; denique & edictia* **avocatoria** *ad exercitum Svecicum. Istud diploma quanquam Elector acceptare tergiversatus sit testando studio suo circa servandam cum Svecia amicitiam; Wrangelium tamen facile judicare posse, quam sinistre id à Cæsare & Imperio acceptandum sit, si ipse solus communi Imperii decreto in favorem Sveciæ sese subtrahere instituat. Præsertim cum Cæsar eo nomine Rudolfum Sinzendorfium Comitem ad ipsum miserit, gravibus rationibus urgentem, ut ex decreto Imperii eam causam serio suscipiat, ac Bremam omnibus viribus periculo eripiat, suscepto in copias Ordinum supremo imperio, impensas in id negotium ab Imperio suppeditandas, simul indemnitatem pollicitus. Eundem paribus cum mandatis ad Luneburgicos Duces & alios profectum; ac metum esse Electori, ne Cæsar ejusmodi decreta ad tales dirigat, qui executionem haut declinaturi, nec ea circumspectione & moderatione usuri sint. Sane sese id negotium Ratisponæ tanto studio egisse, ut apud plurimos in suspicionem inciderit, quasi civitati metum incutere voluerit, ut immediato statu ultro se abdicet.* Ac jam Colonienses atque Luneburgici petierant, ut Elector suas copias cum ipsis jungeret. Quibus hic declarabat; auxilia Circuli nomine debita præsto esse; ac si ipsi eorum auxiliorum nomine à Svecis invadantur, se totis viribus subventurum. *Igitur Wrangelius ad extrema ne descenderet, ac temperamenta æqua & Instrumento Pacis congrua ne repudiaret. Inprimis cum Electori relatum sit, ipsos Sveciæ Rectores à bello abhorrere; ac jam conventus omnium eorum, queis Cæsar hoc negotium componendum commiserit, Hildesiæ agitetur, quo super exsequendo Cæsaris mandato consultatio sit instituenda. Quo & sibi abeundum sit, si amicas rationes rejici adpareat.* Et quanquam forte Wrangelius sit excepturus, in hac causa Regem considerari non ut Ducem Bremensem, sed ut Regem Sveciæ; eoque avocatoria, inhibitoria & protectoria edicta inania esse, quæ partim contra extraneum Regem locum non habeant; partim alia forma adornata esse debeant; eam tamen exceptionem à Cæsare & Imperio non curari, quin eo ipso Svecorum causam

1666. causam deteriorem reddi, quod nulli extraneo Regi liceat peregrinum exercitum in solo Imperii habere, & civitatem, quæ in notoria possessione immediati status sit, obsidio premere. Civitati autem confirmare jubebantur, Electorem omnia officia impensurum ipsi periculo eripiendæ; quod tamen ita circumspecte facerent, ne Wrangelius inde suspicionem concipiat. Ita negotiatio iterum suscepta, & non sine gravi labore ad optatum exitum deducta est. Sinzendorfio formula transactionis probabatur, quod Cæsaris autoritas salva fuisset præstita, reservata huic confirmatione.

15. Nov. Tractatus Habenhausæ in castris Svecicis à Wrangelio subscriptus, sat quidem animis ægro, nec ulla lætitiæ signa publice edente, cum civitas in magna gaudia effunderetur. Præcipuum caput ejus transactionis erat, ut civitas sessione in Comitiis ad annum usque millesimum septingentesimum abstineret, si post præsentia Comitia alia indici contigerit; tum ut titulo liberæ civitatis Imperialis erga Sveciam tantisper non uteretur, Wrangelius Electoris officium magnis laudibus extollebat; ac alium negotio exitum fuisse futurum, si ex sua sententia actum fuisset. Sed quia tam multis se opponentibus Rex ostendere voluerit, tanti eam urbem sibi non esse, ut ideo in bellum descendere velit, sese conditiones, quæ sine armis obtineri potuerint, admisisse. Rectores quoque Sveci valde probari sibi testabantur modum agendi circa hoc negotium ab Electore adhibitum, cujus prudenti ac felici opera istud bene compositum fuerit. Etsi revera plura spe præceperant, quam revera obtinuerant. Nec inficiabantur, necessitate se & iniquitate temporum ad istam compositionem compulsos, quod gravem ea occasione tempestatem surrecturam prospicerent. Sed Luneburgicos non parum offensos se, non sine minis ostendebant. Quin & Viennæ Matthias Palbitzkius ablegatus Svecicus multa minatus fuerat; & Wrangelii dictum vulgabatur: *quod Cæsar tanto studio Bremæ causam amplexus esset, sylvam Bohemicam tremore corripiendam.* Quæ ferocia mox subsidebat, postquam Gallus eos sibi conatus improbari ostendisset. Commodum accidebat, quod transactio absoluta foret, antequam qui à Gallo & Belgis in itinere erant legati advenissent, qui forte civitati tam moderatas conditiones procuraturi non fuerant. Quorum ille parum urbi proficuum in mandatis habere credebatur; hic autem id tantum prohibere jussus erat, ne urbi præsidium imponeretur. Conclusa tractatione iterum turbatum fuit, quod ædes Speckhanii Consiliarii Svecici à plebe expugnatæ ac direptæ forent. Unde veritus noster, ne lis recrudesceret, per Crocovium Rectores Sveciæ monebat, ne quod fex vulgi insaniisset toti civitati tribueretur. Ita & id negotium compositum, ac Regi satisfactio præstita; Speckhanio octo uncialium millibus datis damnum reparatum est.

Magdeburgum ad obsequium redigitur. §. 83. Ast Electori, quanquam & meliore causa subnixo, promtius ac felicius res circa redigendum ad obsequia Magdeburgum successerat. Ea urbs Ratisponæ non pauca Electori in fraudem cedentia, ac dignationem civitatis Imperialis affectaverat. Ista petita quanquam rejecta fuissent, tamen quia Electori constabat, eandem à multis ipsi invideri, jam opportunum tempus advenisse judicabat ei negotio ad liquidum deducendo. Nam civitas cum aliis Præsulatus Ordinibus Electori sacramentum dicere abnuerat, ac apud Cæsarem & Judicium Aulicum obtentu renovandi privilegii Ottoniani penitus sese corpori Præsulatus eximere cupierat. Et cum ea de re Cæsar ad Ordines Ratisponæ referret, hi consensu decreverant, civitati utique id officium obeundum. Cæterum placebat amicam prius viam tentare. Nam si statim ad vim procurretur, haut constabat, quam in partem id Cæsar, Gallique ac Sveci accepturi sint. Præsertim cum prioribus Comtiis, quando ea res apud Ordines proponebatur, Sveci sententiam suam expromere noluissent. Quod si civitas ultro se officio suo offerat, vix prætextum Electori fore præsidio imponendo. Quod tamen defuturum non sit, si civitas tergiversetur; quo Elector juri suo caveat. Sed nec inscio Administratore Augusto, ejus ditionis adhuc Principe, ad negotium id suscipiendum procedi posse judicabatur. Non tamen amicam viam prius tentare placebat, aut cum Administratore agere, quam omnibus ad vim faciendam dispositis, & aditu urbis è Marchia intersepto, ne alienus miles oppido immitti posset: nec urbi tantum temporis spatium indulgere, ut aliorum auxilia implorando rem difficiliorem redderet. Pariter haut consultum videbatur apud Cæsarem & alios in antecessum super hisce destinatis movere, quoad propius urbi miles admoveretur. Quin nec minas prius jactandas, nisi copiis ita propinquis, ut protinus urbi se circumfundere possent. Hæc cum sententia sederet, 9. Maij.
Elector Nicolao Ernesto Plateno, ac Friderico Jenæ injungit, ut apud Administratorem proponant; uti Magdeburgenses homagium ab aliis ejus provinciæ Ordinibus præstitum, juxta formulam, qua Electoris proavo Joachimo Friderico anno 1579 tunc Archiepiscopo juraverant, recusaverint, utut universi Imperii Ordines illos ad hoc teneri decreverint. Sicuti & Administrator sæpe questus sit, ab ea urbe usurpari, quæ ad Principis jura spectent, multa contumacia subinde exserta. Quia autem Elector dubitet, num civitas ultro officium factura sit, quod à se ablegatos antea re infecta dimiserit, ac inde multa altius penetrantia susceperit, & uti subjectioni sese plane subducat; igitur ipsum decrevisse haut diutius ista dissimulare, ac valido cum exercitu, qui præsto sit, istam in ordinem redigere. Quam ad rem ut Administrator quoque operam suam conferat rogabatur, cujus & intersit; ac ut consilium suggerat, quomodo ea res sine magno motu perfici queat, simul exercitui annonam præbeat. De cœtero ipsi haut in animo esse legitima urbis privilegia, & quæ per Instrumentum Pacis ipsi competant infringere, multo minus Administratoris juribus quid derogare.

Tuendo

1666. Tuendo tamen suo juri necessum fore Electori præsidium urbi imponere. Si Administrator in ista consentiat, statim literas ab Electore sibi traditas ad Cæsarem, Moguntinum, Regemque Sveciæ; tum ad Saxonem Ottonem *Berleps.* Wilhelmum Berlepsium, ad Wrangelium Georgium Wilhelmum Pudevvelsium, ad Luneburgicos Duces Ledeburium dimitterent, de hisce destinatis ipsos edocturos, simul captandæ adprobationi. Inde Magdeburgum se conferrent, & homagium juxta ac præsidii admissionem exigerent; circa quæ si oppidani tergiversentur, Otto Christophorus Sparrius supremus dux mandata contra urbem exsequeretur. Et eo casu civibus demonstrarent; bene ipsis cupere Electorem, ac privilegia iisdem salva fore; ac ne ob pertinaciam decurionum fortunas suas aleæ exponere velint; nec vi subactis tam molles conditiones indulgendas. Nec deesse Electori facultatem protinus ipsos cogendi. Ast si promtam se obsequio civitas ferat, Electorem nihil eorum omissurum, quæ ad rem & commercia civium augenda faciant. Quod si Administrator ultro in proposita consentire nolit, initio emolumenta quædam ipsius conjugi, ac liberis offerrent. Sin minus, ostenderent, Electorem haut eo secius jus suum persecuturum. Dabat etiam Elector literas ad Capitulum & Ordines provinciales, ut urbem ab expectandis extremis dehortarentur. Legati Halæ apud Administratorem promte rem pervincebant, ostentato, sibi propter adpropinquantem exercitum diu cauponari haut integrum esse; ac cum isto conveniebant, ut civitas primum Administratori, inde Electori juraret: præfectus quoque cum præsidio Administratori fidem obstringeret: tum ut hic annonam militi per obsidium præberet; nec Electorem ejusdem juribus
23. Maij. quid derogaturum. Hala digressi legati una cum Administratoris consiliariis Magistratus urbis Wanslebiam evocabant, queis mandata sua exponebant. Qui cum submissione dicta excipientes bidui spatium ad deliberandum
25. Maij. petebant. Inde reversi cum novem delegatis è civium numero, homagio se promtos ferebant salvis privilegiis juxta formulam anno 1579 conceptam. Sed præsidium deprecabantur, velut privilegiis & Instrumento Pacis repugnans. Sed nostri homagium admittere abnuebant, nisi admisso quoque præsidio; ac ita acriter istis instabant, ut jam super præsidio in certas leges convenire inciperent. Inde in urbem regrediebantur, ut cives ad eadem probanda permoverent, nostris in Cœnobium
28. Maij. Bergense ante urbem accedentibus, ubi negotium ad optatum exitum fuit deductum. Postera die præsidium urbem introiit. Cives insignem devotionem erga Electorem ostendebant, ac lætum sibi testabantur, dominum jam nactis, qui tueri ipsos possit. Quod hactenus per ignorantiam deliquerint, fide in posterum pensaturos. Præsidium in Electoris juxta atque Administratoris verba adigebatur. Ingens felicitas Electoris erat tanti momenti negotium ita promte nullo effuso sanguine expeditum; etsi Ordines provinciales maluissent urbem vi subigi, ac plane destrui, velut omnes provinciæ opes & commercia ad se trahentem. Adversus quos Elector urbem se tuiturum, simul de jure stapulæ pollicebatur, quam Administrator in istius fraudem Burgum, & Barbyam transferre voluerat. Unde & Magdeburgenses maluerant soli Electori, quam isti simul sacramentum dicere. Capitulum una cum Principibus jusjurandum civitatis recipere cupie- *14. Jun.* bat; id quod à nostris repudiatum. Qui & Electore jubente impediebant, ne Administrator cum sexcentis equitibus, uti proposuerat, urbem ad acceptandum homagium introiret; alias & ipse parem numerum immissurus. Viennæ cum Elector super destinatis suis significasset, id parum gratum erat, ac Baroni Goësio apud istum tunc legato scribebatur, ut eam rem extrahere laboraret. Color dicebatur, ne Sveci id in exemplum traherent subjugandæ Bremæ, inter quos & Electorem secreta pacta intercedere suspicio erat. Magdeburgenses eodem tempore *Protectorium* apud Cæsarem quæsierant; sed qui differebantur, quoad & Elector auditus fuisset. Mox cum nuntius omnia transacta auferret, nemo sibi displicere ostendebat, quod non amplius infectum posset fieri. Ratisponæ cum super cœptis Electoris *31. Maij. Iden.* audiretur, Petrus Idenus Syndicus nomine civitatis acrem libellum Ordinibus exhibere parabat. Sed Moguntinus legatus cum nostris communicabat, pollicitus se eundem suppressurum, nec insciis nostris tale quid ad Ordines relaturum: cui & ab Electore Moguntino diserte injunctum erat, ne Magdeburgensium causam susciperet. Salisburgensis quoque Ideno suadebat, ut civitas ultro se Electori submittat. Non deerant tamen, qui hanc causam ejusdem indolis cum Bremensi haberi volebant; cum tamen diversa plane decreta à Cæsare & Imperio circa utramque urbem condita forent. Nec bellum vocari posse, si Princeps refractarios subditos ad homagium à Cæsare & Imperio probatum vi compelleret. Id mirum erat, quare Matthias Palbitzcius Svecicus Viennæ legatus jactaret, id factum Instrumento Pacis repugnare, cum ejusmodi sermonum post rem confectam nullus fructus adpareret.

§. 84. Inter ista Electorem res Poloniæ continuis curis exercuerant, quas Regina mire turbabat, omnes per artes ei Regno Enguianum Regem obtrusura, ne & se defuncta Polonia Gallicarum fœminarum importunitatem sentire desineret. Quibus destinatis cum Electorem quam maxime obstare nosset, variis modis ipsi molestiam facessere haut omittebat. Quæ & effecerat, ut Georgius Lubomirscius, ejusdem consiliis infestissimus, judicio damnatus in Silesiam confugere cogeretur. De quo hic Electori per literas significabat, protectione ejusdem implorata. Cui Elector: *si quorum ir arguatur veritate non nitantur, eidem omnia à se expectanda. Suadere tamen, ut prius gratiam Regis ambire satagat.* Is dehinc aliis literis petebat, ne Elector calumniis inimicorum fidem adhibeat, velut aliquid ipse in salutem aut dignita-

Electoris circa componendos Poloniæ motus cura.

4. Dec. 1664.

1664. gnitatem Regis tentaverit; simul fidum sibi hominem mittebat, qui istum omnia exacte edoceret. Cui Elector: *molesta sibi valde esse, quæ cum ipso acta sint non solum ob affectum, quo eundem complectatur: sed & quod ea causa ingens Polonicæ libertatis detrimentum, & graves Reip. motus producere queat. Sed quia in hoc negotio magna circumspectione opus sit, ne quid præcipitanter, aut contra voluntatem Reipublicæ, amicorumque ipsius vota agatur, sibi consultum videri, non prius quam instantibus Comitiis super isto quid movere. Tunc enim se pro ejus restitutione ac sententiæ abolitione apud Regem officium interpositurum: simul Ordinibus Regni demonstraturum, quantum periculum libertati immineat, ni communi consensu tam pestilens exemplum emendetur. Plus in præsens à se præstari non posse. Nam satius utique esse restitutionem per amica remedia prius tentare; ac certissimis turbis Rempublicam juxta, aliosque sese ingesturos implicitum iri, si violentius quid ante tentetur, quam de procerum sententia constiterit.* Sed his non adquiescens Lubomirscius auxilia sibi utique ab Electore submitti contendebat, quod sine exteris subsidiis contra Aulæ potentiam subsistere nequeat: ac si ad transactionem vi compellatur, sine dubio necessitatem sibi allatum iri promovendæ ex libidine Reginæ electioni in fraudem libertatis, que unica persecutionis suæ causa sit. Sane eo redactam Poloniam, ut ni in electionem consentiat, nulla ipsi quies speranda sit. Ac Reginam nuper citra ambages sibi significasse; si in munera ac dignitatem restitui velit, utique in electionem consentiendum. Sed cum maxima Nobilitatis pars electionem aversetur, Reginam postulasse, ut ipse omnes, qui apud exercitum electioni repugnent, vi compellat. In quod postulatum se ob fidem in patriam, simul ob pacem & amicitiam cum vicinis descendere non posse. Svecos studium in libertatem Reip. declarasse: Moscos itidem electionem vivo Rege improbare. Sed legatum Gallicum nunc largius quam unquam pecunias in milites, & qua alias opus videatur, pervincendis destinatis largiri. Aulam quoque magno conatu militem scribere, ac cum Tartaris super auxilio submittendo agere, Poloniæ admodum infestis; quippe qui ab anno 1648. ad præsens usque tempus octingenta hominum millia è Polonia in servitium abstraxerint, queis præter conventum præmium unum & alterum Ucrainæ oppidum velut superpondii vice in prædam concedi soleat. Enimvero se malle dignitate & fortunis in patria carere, ac tantisper in exilio agere, quam in electionem consentire; utut Regina, si ipse patriæ causam abdicare velit, amplissima quæque polliceatur. Quæ igitur Electoris sententia super hac re sit, quo improbante nil suscipere velit, & quid sibi ab eodem expectandum, misso Matthæo Collalto promte sibi declarari petebat.

Consultatio super auxiliis Lubomirscio submittendis. §. 85. Ea res cum maximi momenti esset, maturæ consultationi ab Electore agitabatur. Quanquam enim par videatur cuilibet Principum permitti, ut is cum propriis civibus ita agat, prout Numini sese id adprobaturum confidat: temporibus tamen hisce diffidentiæ adsvetis haut nefas haberi, impedire, ne vicinus in sua ditione talia patret, per quæ aucta enormiter ipsius potentia alterius Status periculo exponi queat. Nullius porro vicini magis quam Electoris interesse, antiquam Poloniæ libertatem conservari, ac Regis potestatem oppressis Proceribus legum vinculis haut exsolvi. Complura tamen esse, quæ expendenda sint: num Lubomirscio non aliter, quam externis auxiliis, & bello consuli possit? Num Poloniæ libertas pro deplorata habenda sit, nisi idem in pristinum statum reponatur? Num Electori consultum sit istius causam suscipere, & qua ratione id fieri debeat? Sane quæ sine armis pro Lubomirscii restitutione fieri potuerint, jam facta esse. Nam eum non solum per literas Regi, Reginæ, ac aliis Senatoribus admodum sese submisisse, sed & ambiendæ gratiæ de promovenda electione pollicitum, ac uni & alteri muneri abdicando se obtulisse. Proximis quoque Comitiis multos Senatores ac Nobiles, ipsumque Electorem pro eodem intercessisse. Quo Rex usque adeo permotus non fuerit, ut potius jactarit, restituto Lubomirscio sibi regno excedendum. Tum & munera istius in alios collata, Cracoviæ præsidium imposita, & alia patrata, quæ animum Regis implacabilem arguant, non nisi vi flectendum. Contra si omnium horum causæ considerentur, per alia forte remedia melius ipsi consuli; per externa auxilia facile eundem scopo suo excidere posse. Nam à sola Regina ob Gallum successorem omnes istas molestias promanare; & quanquam Rex in hoc negotio ab istius libidine pendeat, cujus & obsequio multi in aula sint addicti; tamen si eandem mori contingat, omnia ista ultro ruitura. Interim Lubomirscium velut bonum civem teneri temporibus cedere, ac omnia potius tolerare, quam patriam dispellendæ propriæ calamitati bello involvere. Qui utut jactet, se talia tentare non suæ salutis causa, sed vindicandæ patriæ libertati, ac ne se absente electio pervincatur: arma tamen ipsius legitima haberi non posse, ni Ordinum requisitio præcesserit; ac Remp. eo ipso permotum iri, ut non solum penitus ipsum destituat, sed & adductis ab ipso externis auxiliis sese opponat. Et quia Nobilitas in Gallicum successorem sponte consensura non est, Lubomirscium, antequam Rex ipse per vim electionem pervincere instituat, gratis bellum orsurum; eoque adversæ parti ansam præbiturum, ut obtentu auxilii Regi ferendi electionem armata manu perficiat, quam hactenus obnitente Electore obtinere haut valuit. Igitur patienter expectandum, quid Electoris & aliorum Principum intercessio effectura sit, inprimis num Ordines proximis Comitiis eam causam suscepturi sint. Cæterum id vix dubium habere, quin, nisi contra Lubomirscium acta corrigantur, usurpata à Rege potestas silentio velut approbata longius dehinc in fraudem libertatis grassatura sit, adversus quam deinceps

1665. ceps nemo hiscere sit ausurus. Enimvero nullibi libertatem ita exquisitis legibus circumscriptam, ut non interdum privilegiorum sat enormes violationes contingant; nec ideo tamen libertatem protinus periisse. Unde per ea, quæ in Lubomirscium patrata sunt, libertatem non protinus perditam, quibus corrigendis, simul servandis legibus, ac impediendæ illegitimæ electioni multa remedia inveniri posse. Sed nec ante futura Comitia pronuntiari posse, num processus contra Lubomirscium institutus legitimus, an minus fuerit; cum id omne ab Ordinum adpropatione dependeat. Equidem ut Elector Lubomirscii causam suscipiat suadere commercia, quæ iste cum hoc ejusque amicis aluerit, & quæ à Rege ac Regina hactenus in Electorem malitiose admodum acta sint; Aula quoque non obscure minas jactante, omnes hujus actiones sinistre interpretante, ac ne in æquissimis rebus satisfacere curante. Eundem tamen nunquam Lubomirscio ita se obstrinxisse, ut ideo ad arma in Regem capescenda teneatur; qui hactenus non paucis adstipulantibus asseverarit, sibi justissimas ad condemnandum Lubomirscium causas fuisse. Non esse quoque è dignitate Electoris cum subditis Regiis aliquod fœderis instar inire. Quod si & Lubomirscio quid humanitus contingat, totam causam ultro corruituram, Electore solo destituto. Sed & offensam Regis in Electorem unice inde provenire, quod suspicetur, huncce vi Lubomirscii causam suscepturum; cui offensæ tollendæ idonea remedia non defore. Sàltem honestius & tutius fore, à Rege initium fieri vim contra Electorem adhibendi, quam ab hoc bellum Lubomirscii gratia moveri. Cogitandum quoque, quam multa ad ordiendum bellum requirantur; quam multi casus & distractiones intervenire soleant; qui alii huic negotio implicari possint, cupide occasioni molestiam Electori facessendi inhiantes. Ab Electore hoc bello Rempublicam pacis utique cupidissimam, & incommoda belli, externosque cumprimis milites pertæsam graviter offendendam. Recens quoque instauratam cum Gallia amicitiam uno ictu prosternendam, inprimis si res una cum Austriacis suscipienda sit; quod notum sit, quo studio Gallus circa electionem Polonicam sategerit. Ut tamen Lubomirscii fiducia, quam in Electore reposuerit, haut inanis sit, simul Reip. demonstretur, quantopere hujus libertas cordi ipsi sit, placebat Electorem verbis pondus habituris eam causam apud Regem agere, demonstrato periculo, quod Poloniæ ac vicinis inde exsurgere possit, ac cum sua tantopere intersit Poloniæ statum incolumem servari, vitio sibi dari non posse, si circa Lubomirscii restitutionem satagat. Tum & hujus causam Ordinibus commendandam, ut ipsi Regem ad reconciliationem permoveant. Ubi hoc modo nil proficiatur, & tota Resp. aut major pars istum damnet, Electorem bello sese ingerere non posse, de cujus justitia non constet; & quo temere suscepto Respublica judicatura sit, ipsum saltem beneficia è postremis pactis quæsita commisisse; nullo quoque à fœderatis auxilio, quod omnes eundem aggressorem habituri sint. Ast ubi Resp. aut major pars Lubomirscii causam suscipiat, ac decreto Comitiali in hunc acta improbet, tunc demum Electorem una cum Rep. in causam descendere posse. Quo casu tamen Electori expectandum, quoad ab isthac ambiatur, quo idoneas sibi conditiones stipulàri queat; cum alias ultro sese ingerenti tota moles incubitura sit. Re itaque tali modo expensa Collalto responsum: *Electori admodum dolere, in Polonia rem ad ista extrema rediisse, ac pacem haut sperandam; nisi in electionem contra leges Regni & rationes libertatis consentiatur; ac Lubomirscio interim id calamitatum exhauriendum. Optare, ut Rex & Regina imminens periculum ad animum revocare, ac pacis conservationem actionum suarum scopum habere velit. Electori sane summam semper consiliorum fuisse, ut Polonis pax & libertas constet; ac in nullius negotii partem venire voluisse, quod huic repugnet, utut magna calumniarum colluvie subinde perfusus sit. Tanto se Regnum id amore amplecti, ut nullius offensam reformidet, quo minus quæ isti salutaria norit, exponat. Sed nunc in remotis Cliviæ locis agenti, nec de Poloniæ rebus accurate edocto solidi quid consilii dare in arduo esse. Nam utut Lubomirscius de istis nonnihil communicarit; eadem tamen levi momento verti. Unde isthunc velut amantem patriæ civem optimum consilium à se ipso petiturum, idque unice saluti Regni superstructurum. Interim inter adversa constantiam servaret, ac Deo Regiisque clementiæ fideret.* Atque isthæc consilii via eo magis insistenda erat, quod Aulæ Cæsareæ persuasum foret, Lubomirscium sibimetipsi coronam quærere. 1665.

§. 86. Haut minore circumspectione Elector id negotium in aula Polonica tractabat, quo Hoverbequium, & Georgium Boninum instantibus Warsaviæ Comitiis mittebat, ut diffidentiam, quam Rex è Crocovii negotiatione in Svecia conceperat, tollerent, tum varias calumnias ad Electorem suspectum reddendum sparsas diluerent, additis postulatis, ut ex pactis debita tandem aliquando præstentur. Inprimis super Lubomirscio apud Regem proponerent; Electorem invitum sane negotia tangere, quæ Regi cum civibus suis intercedant. Sed sincerum studium, quo hunc prosequatur, ac graves Status sui rationes, quæ in Poloniæ quiete vertantur, necessitatem sibi imponere, ut candide & fideliter demonstret, quæ mala Regi ac Regno ex eo negotio provenire queant, hostibus quoque compendium inde sibi quæsituris. Equidem sibi de Lubomirscii delicto non constare, nec ejus litem suam facere. Regem tamen antehac atrociora delinquentibus ignovisse, & hoc facto clementiæ gloriam insigniter aucturam. Hisce ubi nil proficiant, adderent; cum Elector ita arcte Reip. Poloniæ innexus sit, cujus & mala in ipsius ditiones redundent, haut vitio verti eidem posse, si eo nomine solicitum se ostendat, cui de cætero nihil præter Regis ac Regni salutem & quietem quæratur. Nostri cum quæ jussi erant apud Regem exposuissent, hic 8. Jan. primum

In Polonia à Legatis Electoralibus acta. Bonin.

1665. primum de reddita Braunsberga gratias agere; cætera postulata ad Ordines rejicere. Ad quæ nostri: id ipsum graviter Electori dolere, quod ubi de ipsius emolumentis agatur, Rex sua potestate uti nolit, ac ista à se rejiciat; noto Poloniæ more, ut consultationi denuo subjiciatur; cujus subversio quæritur. Daret modo Rex Electori Elbingam è decreto Comitiali anno 1658: Borussiæ Ordinibus satis curæ fore pecunias corrogare Electori iterum inde dimovendo. Ad quæ Rex: talia quidem plausibiliter disseri ab iis, queis externa duntaxat rei facies spectetur. Sed quia ipse tam infausto sidere natus sit, ut nil prope facere possit, quod Polonis suis probetur, caute sibi procedendum. Equidem Ordines in Elbingæ traditionem consensisse, cum ea urbs adhuc Svecorum manibus teneretur. Sed cum post in rem præsentem veniendum foret, proceres cessim ivisse demonstrato, posteritati nunquam adprobari posse, si tanti momenti urbs in tam potentis vicini manus tradatur. Pecuniam tamen, qua Electori satisfiat, non defore. Unde Electori spem plane abdicandam, Ordines in Elbingæ traditionem unquam consensuros. Pecuniam jam solvendam fuisse, ni confœderatus miles eam intercepisset. Cum nostri quærerent; quid fidei publicæ fiat, cum indigentia, & id genus subterfugia semper jactari queant: Rex Polonos scævi esse ingenii homines, queis existimatio ac justitia parum cordi sit, ac quorum paucis fides publica pensi habeatur: quin multos, ubi eadem occiuatur, in cachinos effundi. Sed cum nostri negarent, Electorem à pactis & Rege dimoveri se passurum, hic demum circa Elbingam quod possit se facturum pollicebatur. Ast proceres aulæ addicti sine circuitione dicebant: Elbingam velut clavem Poloniæ graves ob causas Electori non posse tradi. Pecuniam in promtu non esse. Nec Regi facultatem ejus corradendæ usque ad Comitia; quæ si abrumpantur, alia expectanda esse. Sed & animi sat maligni indicium erat, quod Magnus Cancellarius super nummis missilibus, qui inter homagium Regiomonti in vulgus sparsa fuerant, arguebat; quod Elector iis sese Dominum supremum & Hæredem *Prussiæ* inscripsisset, cum *in Prussia* ponendum fuerit, quia & Rex ejus provinciæ partem habeat. Tum quod mitræ Electorali corona superposita esset. Nec dubitabat iste jactare; Borussis integrum esse non obstante supremo Electoris dominio Warsaviam querelas suas deferre; quod istis utique privilegia sua reservata sint, crassa admodum cavillatione, cum privilegia utique in tantum valere debeant, quantum supremo imperio non repugnant; quod inane est, si civibus ad extraneum Principem provocare liceat. Quin non verebatur disserere, male fecisse Rempublicam, supremo isto imperio in non adeo prolixe meritum collato. Ac indicium diffidentiæ esse, quod Elector guarantiam pacti Brombergensis & Olivensis Pacis in Svecia, & alibi quærat.

Electio vivo Rege non succéd.

§. 87. Super electione, quo loco ea in præsens sit, nostri apud Proceres inquirebant. *Ita arcte quippe Electoris rationes Polonicæ Reip. innexas, ut is prospera juxta & adversa cum hac communia habeat. Unde non posse non ipsum edoceri velle circa negotium, summam Reip. tangens, è cujus eventu Poloniæ juxta ac vicinorum conditio in utramque partem pendeat.* Hi ostendebant; *ab ipso Rege proprio instinctu electionem non affectari, sed quicquid eo nomine faciat, id fieri amoliendæ Reginæ importunitati, quæ noctes diesque ipsum obtundat precibus, questibus, lacrymis, usque adeo suspicax, ut vix unquam à latere ejus discedat, ac ferre nolit, si quis diutius cum solo loquatur. Cæterum improbari non posse, Electoris circa hoc negotium solicitudinem, quod ipsum ante omnes & inde Cæsarem tangat. Cum electione pari modo comparatum, atque cum campana, qua incendio oborto signum dari solet. Hæc si moveatur, ac de illa proponatur, esse quare quilibet adcurrat. Ast omnes bonos cives judicare, magis de eo cogitandum, quomodo electio impediri queat, quam quisnam eligendus sit. Intra biennium vix cuipiam audaciam fore super ea mutiendi. Rempublicam Electori admodum obstrictam esse, quod is in hoc negotium haut descenderit, nec solicitationibus aliorum aurem præbuerit. Aulæ quoque ipsius quam maxime interesse, ut omnem speciem declinare studeat, per quam Ordines in eam sententiam adduci queant, Lubomirscium ideo opprimi, quod electioni restiterit. Equidem Reginam cupidine flagrare negotium id accelerandi; sed minus quam antea animi sensa ipsi expromere tutum esse. Regem bene cupere illis, qui electionem impediverint, ac fidissimis dixisse, nolle electionem se vivo fieri.* Cæterum quia Neoburgico multi in utraque Polonia favebant, credebatur is scopo suo potiturus, si ipsi cum Electore conveniat. Nam Rempublicam talem Regem velle, per quem neque Austriacis, neque Borussicis bellis implicetur. Ac Moguntinus Electori per Reiffenbergium significarat; Gallum omnia quæ possit facturum, ut vivo Rege successor designetur: perinde tamen ipsi futurum, quisquis demum is sit, modo Galliæ coronam debeat. Alias Polonis proceribus gratum erat plures candidatos nomina sua profiteri, ut eo uberior largitionum seges foret.

Pro Lubomirscio nihil proficitur.

§. 88. Ast super sententia in Lubomirscium omnes Aulæ non obnoxii admodum perturbatos se ostendebant. Senatores ac Nuntiorum Terrestrium delegati, qui in judicio sederant, variis artibus ad placitum Aulæ pertracti fuerant. Pars in securitatem data fuerat, quasi id duntaxat spectaretur, ut Lubomirscio terror incutiatur, nullo amplius periculo, ac delatorem à Regis nutu pendere, qui & executionem quoad placuerit suspensurus sit. Alios terror corripuerat, velut & ipsis in suspicionem trahendis, ni per acres sententias sese purgassent. Reliquos beneficia & collata munera devinxerant. Delator Lubomirscii cum accusationis suæ capita jurejurando confirmanda forent, scrupulo conscientiæ vellicari se agnoverat, quoad is per Jesuitas sibi exemtus foret. Cæterum prudentiores judicabant, eum processum contrarios effectus sortiturum, quam aula intenderit; quod deinceps parcius de electione loquendum sit, ne communis persvasio

1665. suasio firmetur, Lubomirscio non aliam ob causam actionem intentatam, quam quia isti negotio restiterit. Nostri autem uti circa alia Electoris negotia nihil proficiebant; ita & circa intercessionem pro Lubomirscio operam ludebant, Rege fremente; unum nidum duas infestæ invicem indolis aves non capere. Electorem quoque Rhodio haut segniter manus injecisse, quo Lubomirscius longe nocentior fuerit; nostris reponentibus, inter homines utrinque & causas ingens discrimen dari. Et utut nostri testarentur, Electorem in hoc negotio non tam Lubomirscii, quam Regis emolumentum spectare; idem tamen pertinaciter regerebat; se omnia, quæ sibi ab Electore displicuerint, oblivioni daturum, modo is Lubomirscii causam non suscipiat: id enim se clarigationis in vicem accepturum. Quin nolle, ut ipsi apud Ordines instent, quo hi preces pro isto interponant. Id enim non aliter à se accipi posse, quam quod vel tyrannus habeatur, qualem Lubomirscius ipsum diffamet, vel talis, cui curatoribus opus sit. Acrius tamen instantibus nostris demum dicebat: se malle in Electoris, quam in Ordinum gratiam aliquid facere. Clementiam tamen non longius processurum, quam ut bona hæreditaria nondum alienata restituantur. Dignitates vix redditum iri. Nec aliam cautionem superesse, quam ut iste aliquot per annos extra Regnum degat. *Kinski.* Kinskio quoque Cæsareo Legato à Rege denuntiabatur: gratum quidem ejus esse adventum; sed de Lubomirscio in neutram partem mentionem faciendam. Super eadem sententia per Palatinatus multum querelarum audiebatur, utut Aula Lubomirscium apud Ordines, qui in universum electionem vivo Rege detestabantur, exosum reddere conata esset, sparso illum primum fuisse, qui super ista electione moverit. Qui & enixissime apud Regem pro isto intercedebant; quos inter aliquis Nuntiorum Terrestrium Regi dicebat; *Aut dele nos ex libro libertatis, aut ignosce Mareschallo.* Regina quoque ut Electorem Lubomirscio averteret arguebat; ideo Electori Elbingam traditam non fuisse, quod proceres quidam ipsam monuerint, Clerum & Borussiæ Ordines ab ipsa alienatum iri, ac institutum circa electionem turbaturos; circa quod Lubomirscius ante omnes importune se jactaverit. Cujus culpa dein effectum, ut duobus Comitiis abruptis Electori satisfieri non potuerit. *1. Mart.* Demum Rex, ut rogari desineret, declarabat: His Comitiis extra ordinem indictis circa Lubomirscium fieri nil posse. Sed proxime futuris, quorum tempus anticipandum sit, aditum ad gratiam ipsi patere, si interim ita se gerat, ut liquido pateat, anteactorum seria ipsum pœnitentia tangi.

Electoris circa sedandos Poloniæ motus opera. §. 89. Efficiebat ea Regis pertinacia, ut abruptis Comitiis exercitus, ac plerique Palatinatus Majoris & Minoris Poloniæ Lubomirscii causam palam amplecterentur, obtentu vindicandæ libertatis, & illegitimam electionem impediendi; Rege usque adeo irarum nihil remittente, ut diceret; comas sibi stare, istius nomine audito. Qui &, ut omnem compositionis spem abrumperet munus Magni Mareschalli in Joannem Sobiescium conferebat, haut revocandum. *Sobieski.* Uti porro Rex Electoris postulata hactenus ideo eluserat, quod is in Gallicam electionem consentire nolebat; ita ut is huc pertraheretur, jam proponebat; non aliam esse viam pecunias parandi, queis Electori satisfiat, quam ut ea à Gallo mutuo sumatur: sed qui huc consensurus non sit, nisi interveniente pacto super electione ad Galliæ placitum ab isto promovenda. Quæ conditio Electori hautquidquam arridebat. Sed post cum Regis arma vacillarent, copiis ejusdem semel absque iterum à Lubomirscianis non superfunctorie vapulantibus, *1. Jul.* Elector Hoverbequium denuo Warsaviam proficisci jussit, operam oblaturum componendis motibus facile in exitium Reip. desituris. Qua in negotiatione id spectaret, ut Regi sua autoritas, Reipublicæ pristinus status persistat; singulorum jura atque libertas salva sit, abolitis quæ contra facta arguantur: tum ut enata dissidia amice componantur, nec ad extrema procurratur. Si Rex ipsius officium repudiet, Hoverbequius id non eo minus Reipublicæ offerat, ostentato quoque militari auxilio, si id requiratur. Saltem enim hujus officii eum fructum fore, ut Elector studium suum in Remp. declaret, nullis injuriis ab Aula hactenus acceptis immutatum. Quæ ratione & æquitate insuper habita muliebri impotentia ferebatur, ac omnem spem electionis jam in armis collocarat, hostium loco habitis, qui de compositione loquerentur. Nec *6. Aug.* eo secius, cum diu incassum tumultuatum esset, ad transactionem demum descendendum erat, promulgata omnium anteactorum oblivione, futuris Comitiis confirmanda. Quanquam transactioni tam multa ambigua inserta erant, ut Aulæ in proclivi esset, deinceps, si è re videretur, cavillationibus eam subvertere. Super electione quoque cavebatur, ut eidem libertas constet, ac ne Polonis Rex per vim obtrudatur. Cæterum circa hanc transactionem, Ordines quidem id respexerant, ut Lithuanicum exercitum, quem Rex auxilio evocaverat, è Polonia amolirentur. Aula autem id quæsierat, ut Palatinatus, qui Lubomirscii defensionem susceperant, armis exuerentur. Et jam ad eadem subornabantur Lithuani ac Masovii nonnulli, qui proximis Comitiis adversus eam transactionem protestarentur. Lubomirscius cum ex conventione ad Regem deprecandi causa accederet, postulabat, ut se perorante Senatores, qui Regi aderant, non sederent, sed starent. Quod & Rex utut paulisper tergiversatus annuebat. Deprecatio verbis admodum modestis ab isto peracta est; ac ipse Rex agnoscebat, tantum non vi eum compulsum ad suscipienda, quæ fecerat, & duriter valde ab aula habitum. Contra Rex admodum offendebatur ferocia Grzymultovii Castellani Posnaniensis, quem iste ferebat à nemine unquam visum panem edere, aut preces fundere. Non ultra duas horas tamen Lubomirscius apud Regem morabatur. Ad Reginam duos filios

1665. filios ablegabat deprecatione defuncturos; qui cum sat frigide ab hac excepti essent, iste insidias veritus, ac ne ad turpes conditiones adigeretur, propere è Regni finibus sese ejecit, rumore sparso, velut in Italiam iturus voto Virgini Lauretanæ exsolvendo. Post tot infelices conatus Regina haut desinebat super electione machinari, utut legatus Gallicus pecuniam incerto fructu erogare tergiversaretur. Sane Lubomirscio clam restitutio omnium munerum & beneficiorum, quæ à Corona tenuerat, promittebatur, adjectis aliis extra ordinem præmiis atque emolumentis, si circa electionem Reginæ gratificari velit. Qui stolidus valde conatus habebatur, Lubomirscio haut quaquam tantam gloriam defensæ libertatis temere prodacturo. Sed solitum id Reginæ erat, per impatientiam & festinationem destinata sua ultro corrumpere; cum cogitare debuisset, negotia non minus quam fructus ad incrementa juxta atque maturitatem certum tempus desiderare. Cæterum quia Aula perspiciebat, ad electionem procedi non posse, nisi Joannes Casimirus Regno sese abdicasset, Regina hunc eo compulerat, ut solio se abiturum promitteret, ubi ipsa id desideraret, & destinatis suis proficuum duceret. Quia enim idem non solum Ducatus in Silesia Oppeliam & Ratiboriam, sed & omnes salinas & alias fodinas Reginæ tradiderat; necessum erat, ut si pecuniam vellet, in omnia ipsius cupita consentiret. Eodem tempore Rhodius junior Warsaviæ versabatur, qui Hoverbequio fatebatur; se quondam ab Aula Polonica in Borussiam missum, Ordinibus instigandis, ne supremum Electoris imperium agnoscerent. Nam Aulæ quidem, quæ semel condonaverit, retractare integrum non esse. Sed Borussis ea pacta subvertere haut illicitum, in quæ ipsi non consenserint; nec penes Polonos fuisse eosdem alienare. Id cum Hoverbequius Regi ac Reginæ exprobraret, hi factum negabant. Et tamen cum idem peteret, istum sibi dedi; Rex negabat se alterius lictorem esse. Instabat post & Hoverbequius, ut Rex apud conventus provinciales Comitiis præmitti solitos; (semeicas vocant) inter capita deliberationum etiam insereret de Marchionibus Franconicis ad successionem Borussiæ admittendis, utut Poloni vario obtentu tergiversarentur, & inter alia, tres Electori jam Filios esse. Sed cum noster ostenderet, Regem ad id proponendum per jurata pacta teneri, demum id pervincebat; etsi nullo alio fructu, quam ut testimonium extaret, ab Electoris parte nihil neglectum.

Elector de Neoburgico in Regem adsciscendo Poloniæ insinuat. 1666.

§. 90. Post cum per hæreditariam transactionem amicitia inter Electorem & Neoburgicum stabilita esset, in cujus specimen iste huic de navanda circa nanciscendam Poloniæ coronam opera promiserat, Elector Hoverbequium mittebat, ut apud Polonos dextre exploraret, num Neoburgicus Rex hisce placeat, cui præ cæteris ipse id diadema optet. Simul demonstraret, Electorem judicare, Remp. isto electo suæ libertati optime cauturam, quæ Gallo adscito in lubrico futura sit; ac Svecos 1666. itthunc, quam Gallum quempiam malle. Ad Lubomirscium quoque Elector Julium Hackebergium miserat, exploraturum, quæ istius *Hackeberg.* super Neoburgico ad coronam promovendo sententia foret. Nam cum ab aula tantopere circa electionem satagatur, haut præsentius remedium videri, quam ut iste candidatus Galliæ factioni opponatur. Qui & istum sibi probari testabatur, postquam Electoris amicus sit: & eidem Cæsarem, Svecosque favorem suum pollicitos. Sane Andreas Lilliehæckius Svecicus tunc ad aulam Polonicam ablegatus *Lilliehæck.* palam jactabat: quia satis adpareat Polonos ab Enguiano abhorrere, potius esse Galliam pro Neoburgico laborare. Sed quo ipso is Neoburgici causæ parum consulebat, quod inde Cæsar & Gallus aniam arrepturi essent hisce destinatis sese opponendi. Neque enim fieri poterat, ut Neoburgicus aut alius aulæ invisus Rege vivo ad coronam perveniret, aut hancce eousque depressum iri, ut beneficiis, collatis muneribus, autoritate, potentia, largitionibus id institutum subvertere non posset, quod & singulis Nobilibus intercessione sua efficere integrum erat. Unde Neoburgico utilissimum fore, ut ejus fautores studium dissimulent, ac electionem, vivo Rege impedire satis habeant. Interim Ordinibus ob oculos ponant, Rempublicam perpetuis turbis agitandam, adscito è duobus semper æmulis Domibus Austriaca & Gallica Rege. Cæterum aula Cæsarea, quicquid verbis præ se ferret, revera Lotharingo studebat. Quia enim Neoburgicus postrema Cæsaris electione id sibi opinionis circumposuerat, velut voluntas defutura non fuisset acceptandæ Imperiali coronæ, si id opum & subsidiorum, quod Bavaro fuisset, Viennensibus haut placebat, eundem per Polonicum diadema plus potentiæ adquirere, & in ejusmodi statu collocari, quo tam è Polonia, quam in Germania Austriacis negotium facessere posset.

Aliæ Reginæ circa electionem machinationes. Novemb.

§. 91. Sub finem anni Electore Berolinum è Clivia reverso Lubomirscius misso Secretaro istum de statu rerum in Polonia edocebat, & uti Gallica factio nunquam tanto conatu quam nunc electionem urgeat. Eo fine ad se nuper venisse Joannem Andream Merstinium, & Nicolaum Podolosium Radomensem Capitaneum, qui ipsum permoverent ad *Podolowski.* amplectendum tractatum à Biterrensi Episcopo propositum. Eum fuisse extremum conatum in Gallicas partes ipsum pertrahendi; ac dixisse Biterrensem; id nisi fiat, Lubomirscium habendum, velut non amplius inter vivos agat; quæ verba ambiguo sensu de veneno quid insinuare videbantur. Ejus porro tractatus summam fuisse; Joannem Casimirum decrevisse proximis Comitiis Regno se abdicare, ea lege, ut successor ipsi eligatur Ludovicus Borbonius Condæus Princeps, aut ejus filius Henricus Julius Dux Enguianus. Sed quia hisce destinatis maximum obstaculum à Lubomirscio futurum videatur, ut non solum in alterutrius istorum electionem consentiat, sed & omni-

1666. omnibus viribus ad eam promovendam connitatur. In præmium ipsi ostendebatur Palatinatus Cracoviæ, supremus in exercitum ducatus, restitutio salinarum, & aliquot capitaneatus. Tum in præsens C M uncialium, post aliis quoque pecuniæ summis secuturis. Insuper filiis ingentes fortunæ, & immensa alia. Ad quod ipsi spatium deliberandi concessum fuerat ad diem 25 Novembris. Quin eidem Ducis & Paris Franciæ dignationem oblatam, ac ut filio omnia sua emolumenta in Polonia relinquere possit. Quod promissum apud ipsum parum ponderis habuerit, quod in Gallia non insolens sit Duces & Paris, & qui Cærulea tænia superbi incedunt, in Bastiliam conjici ex sola suspicione, ne nocere possint. Ast Lubomirscio propositum fuisse Gallis illudere, ac simulato consensu ac subscriptione in candidatum Gallicum Joannem Casimirum ad abdicandum Regnum adducere. Uti enim Gallica factio omnia sub autoritate & nomine Regis agat; ita hoc amoto totam machinam ultro ruituram. Abdicato autem Rege Reipublicæ jus fore eligendi alium sibi idoneum. Ita Gallos destinatorum suorum fore irritos. Sed quia à Lubomirscio cautio propria manu subscripta exacta sit, qua is se autorem suscitatæ iterum electionis profiteretur, id ab isto velut suspectum repudiatum. Ita tractatum istum irritum cecidisse. Cum autem dubium non sit, quin Galli destinata sua ulterius sint persecuturi, Lubomirscius Electoris consilium exquirebat, quid ulterius sibi agendum? Inprimis num instantia Comitia sint abrumpenda, an permittendum, ut rite absolvantur? Equidem sibi eadem abrumpenda videri, ne mora Gallicis consiliis, ut se confirment, indulgeatur. Nam conclusis Comitiis aulam habituram tributa, retenturam jus monetam levidensem maximo suo cum lucro cudendi; utrisque usuram ad Reip. eversionem. Mora quoque temporis Potocii & Sobiescii autoritatem in exercitu coalituram, quorum uterque Galliæ sit obnoxius: generosiores ductorum ab exercitu dimovendos: cohortes è bonis civibus constantes exautorandas, suffectis in eorum locum stipendio Gallico illigatis, aut Aulæ libidini mancipatis, aut quibus libertas publica parum curæ sit. Ita exercitu ad sua vota composito aulam destinatis suis potituram; Reipublicæ exitium, vicinis periculum incubiturum. Unde citra moram vim parandam videri retundendis Galliæ conatibus, si cui libertas Poloniæ cordi sit; quam in rem ab exteris militem & pecuniam non defore. Tum uti satis frequens est bonorum civium pro Neoburgico inclinatio; ita mature hujus electionem disponendam, statim atque Joannes Casimirus Regno se abdicaverit, Caroli V. Cæsaris exemplum imitari cupidus fastidio imperii perpetuis motibus turbidi, ac ob intolerabilem Reginæ importunitatem. In cujus negotii partem etiam sint adsciscendi Sveci, quo minor sit invidia facto, & quia expediat eos sibi innectere, ne à Gallis in suas partes trahantur. In Polonia cumprimis confœderationem militum conflandam, cui sese Nobiles prout quisque patriæ amantissimus, sint agglomeraturi; præsertim si pecuniæ non pareatur, qua Gallica factio maxime rem gerat. 1666. Ad quæ Elector Lubomirscium hortari, ut proposito tuendæ libertatis firmiter insistat. 21. Nov. Nam si maxime nunc sententiam mutare, atque Aulæ destinata fulcire velit, hanc tamen nunquam ipsi fidem habituram, sed illusum certo exitio involuturum. Quin omnibus licet desperatis, & nullo amplius adversus Gallicam electionem remedio, melius tamen sibi suisque consulturum servata constantia, quam ad ignava consilia revolutum. Hoc enim modo ab electo Rege plus autoritatis, apud Rempublicam & universum orbem plus gloriæ adquisiturum, quam si post tot pro libertate patriæ exhausta mala aulæ se libidini dare velit. Probabat quoque Lubomirscii consilium Elector de rumpendis Comitiis. Non opem suam defore, modo is efficiat, ut à Republica imploretur. Sane se super eo negotio cum Svecis agere; cum Neoburgico jam convenisse. Cæsarem quoque studium verbis testari. Moscos & Tartaros Gallicum in Polonia Regem nolle. Monuerat quoque Electorem Lubomirscius, ut Neoburgicum incitet, quo serio magis rem aggrediatur, ac sumtus facere non adeo reformidet. Nam Viennæ, ubi ipso pro hoc nitatur, objici; in ipsos onus & impensas devolvi, Neoburgico, penes quem solum rei peractæ fructus sit futurus, langvidius conniti. Eidem ad sumtus tolerandos tria aureorum millia ab Electore petenti submissa. Enimvero quæ cum isto agitabantur, in irritum cadebant, cum paulo post eundem apoplexia Wratislaviæ extinxisset. 27. Jun. 1667.

§. 92. Antequam ad alia digrediamur, haut abs re visum heic adducere, quæ super cerimoniis Elector legatis suis Ratisponæ observanda injunxerit; prout is semper tuendæ dignitatis Electoralis studiosissimus fuit. *Cerimonalia.* Hi igitur jubebantur, ubi Ratisponam accessissent, Electoralibus legatis, & Principibus si qui adsint, uti & exterorum Regum legatis de adventu suo significare, ac primam visitationem ab illis expectare; quæ nisi exhibeatur, ipsi quoque eos adire omitterent. Si Princeps reipsa ditionis regimen exercens ante ipsos adsit, qui non per se, sed consiliarios suos visitandi honorem apud eosdem obeat, haut eo minus isti par officium reponerent; ut tamen Principibus in loco tertio ne cederent. Sed Regios Electoralesque legatos, & Principes deinceps accedentes post significationem de adventu factam ipsi priores inviserent. Ast à Principum & aliorum Ordinum legatis nostri semper priorem visitationem expectarent, sive ipsi antea sive post Ratisponam accesserint. Sed quia Cæsarei Commissarii nulli ex Electoralibus legatis, Regii autem primo duntaxat legato in suis ædibus primum dare locum velint; simul primarii Principum legati Electoralibus secundariis, præsertim ad sententias in Senatu Principum dicendas destinatis, cedere abnuant, negato quoque Excellentiæ titulo, nostri reliquorum Electoralium sententiam sequerentur.

 Sane

1664. Sane Cæsareos quod attinet, notum equidem esse, quid venerationis Cæsari debeatur, cui & Elector nihil detrahere velit. Sed quia exteri Reges ad Cæsaris exemplum cum nostris legatis agere velint, quibuscum sibi hos per annos multum negotii fuerit; nostros minus honoris, quam ipsi Regiis deferunt, admittere ab istis non posse. Venetos quoque, & Belgas fulciendæ suæ prætensioni allegaturos, si horum Legatis plus honoris quam nostris deferatur. Unde Cæsareos haut credituros debito ipsis honori quid detrahi, si nostri idem honoris quod exteri, ac inprimis Veneti ac Belgæ exigant. Quod si Cæsarei pertinaciter id abnuant, nostri eos solenni modo invisere omitterent; ac si quid cum ipsis agendum sit, unus nostrorum privati habitu ad eos accederet. Cæterum cum nostri Ratisponam venissent, à Salisburgensi Archiepiscopo, Cæsaris tunc primo Commissario postulabant, ut ipsum invisentibus Excellentiæ titulum & honoratiorem locum daret. Qui reponebat; se velut Archiepiscopum nunquam legato cuipiam priorem apud se locum, multo minus Excellentiæ titulum dedisse. Equidem se Cæsaris legatis dextræ manus honorem, sed non Excellentiæ vocabulum tribuere: ac Cæsarem, dum isthanc functionem ab eo delatam acceptat, ipsi cavisse, per hanc Archiepiscopali suæ eminentiæ nil derogatum iri. Unde quicquid Cæsar reliquis suis legatis injunxerit, istis se jussis non teneri. Ast si Elector legato Salisburgensi apud ipsum digniorem locum & Excellentiæ titulum dare velit, idem se ejusdem legatis facturum. Quam conditionem nostri admittere abnuebant. Ita Salisburgensis dignitate sua Archiepiscopali nitebatur, in suo præsulatu receptum asseverans Electoralibus legatis præcedentiam non concedere, quam & plerique simplices Episcopi iisdem abnuant. Quin Magistrum Melitensis militiæ in sua domo Legatis Pontificis digniorem locum non concedere. Sed Elector sententiæ suæ insistens, ob exemplum aliorum Regum omissa solenni visitatione privato tantum habitu cum ipso agere suos jussit. Qui dein apud nostros mirari se ferebat istud postulatum, quod Moguntinus, Coloniensis, & Trevirensis nunquam obtenderint. Quin si Nuntius Apostolicus Salisburgum accedat, morbum à se simulari declinandæ collisioni. Ad quæ nostri: Brandenburgicos eum honorem Monasterii & Osnabrugæ, tum Olivæ à Cæsareis, Gallicis, ac Polonicis Legatis obtinuisse. Sed Præsul regerebat; haut ideo Archiepiscopum ad idem imitandum teneri, qui dignitate Electoribus haut inferiorem se reputet; ac suos Legatos pari cum Electoralibus honore à Regibus haberi. Nec nostros plus sibi arrogare posse, quam Legatos Hispanicos Castellorodericum & Fontanum, queis talia exigere nunquam in mentem venerit. 1664.
Nostri contra: Archiepiscopum Magdeburgicum Germaniæ Primatem, cui & alias cum Salisburgensi super priore loco certamen fuerit, id non recusare, ex Electorali Domo insuper natum. Quin à defuncto Electore Saxoniæ Conrado Borgstorfio velut Electorali legato Lichtenbergæ dextræ manus honorem delatum. Ast Salisburgensis ingens inter se & Magdeburgicum discrimen jactabat, qui tantum Primas sit per Inferiorem Saxoniam; cum ipse quoque Directoris in Senatu Principum dignatione fulgeat. Cæterum nostros eodem modo habiturum, quo Elector ipsius Legatos sit habiturus. Ita nostri solenni visitatione abstinuerunt, Palatino Electore, ac Moguntino probantibus. Porro Wormatiensis Episcopus velut primarius Moguntini Legatus, dum à Saxonicis invisitur, Gerstorfio tantum primario legato, non item Ægidio Strauchio priorem locum dederat. Strauch. Sed cum nostri idem admittere nollent, nec tempestivum haberetur in præsens litigare, primus duntaxat Legatus visitationis officium obibat. Nam Electori sententia stabat, omnibus legatis, qui paribus mandatis, ac pari dignatione missi sint, eundem honorem deberi, ac in legationibus personam mittentis, non missi respiciendam. Sane nostri pari honore à Cæsare, Moguntino, Trevirensi, Saxonicis, Palatinis, Austriacis, Salisburgensibus, ipsoque Gallo habiti fuerant. Unde & Furstenbergium Argentoratensem Præsulem simul Coloniensis Plenipotentiarium nostri invisere omiserunt, cum primo duntaxat Legato honoratiorem concedere vellet. Apud ipsum Cæsarem cum Marenholzius, ac Godofredus Jena audirentur, iste utrumque caput tegere jussit; quod & hi fecerunt, ut tamen brevi intervallo pileum iterum detraherent. Eos supremus Mareschallus Starenbergius ad infimas scalas, dato Excellentiæ titulo, Porcia supremus Aulæ præfectus ad supremas scalas exceptos in anterius conclave deducebat; ubi supremus Camerarius Lambergius Comes eos excipiebat, ac protinus de eorum adventu Cæsari significabat, ad quem sine mora intromissi sunt. Sed & obiter tangendum de litigio inter Jo. Hoverbequium, & Andream Lillichæckium, Warsaviæ ortum, quorum ille legati ab Electore, hic Ablegati extraordinarii à Sveciæ Rege Warsaviæ agebat. Ubi cum noster Sveco visitationis honorem obire volenti in suis ædibus dextram manum abnueret, hic non sine offensa haut peracta visitatione domum revertit, Electore tamen legati sui factum haut probante. Sed post ita inter Regem Sveciæ & Electorem convenit, ut Legati utrinque alterius Ablegatis Extraordinariis in suis ædibus dextræ manus honorem deferant.

(o)

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUS.

EPITOME.

ELectoris circa ſurgentes inter Anglos Belgasque turbas cura. 2. Ejus in Angliam legatio. 3. Brandii apud Belgas propoſitio. Idem apud Angliæ Regem negotium ſuum exponit. 4. Bellum inter Anglos, & Belgas exardeſcit. 5. Anglus Electorem in belli ſocietatem pertrahere nititur. 6. Angli Electoris naves detinent. 7. Brandius ex Anglia revocatur. 8. Angli id negotium ulterius urgent. 9. Electoris circa extingvendum Monaſterienſe bellum ſtudium. 10. Idem à Belgis reſtitutionem Clivicarum urbium quærit. 11. Electoris circa ſocietatem belli Belgici conſiderationes. 12. Tractatio cum Belgis continuatur. 13. Fœdus Electoris cum Belgis. 14. Tractatus contra Epiſcopum Monaſterienſem. Articulus ſecretus. 15. Electoris circa componendum bellum Monaſterienſe opera. Ea Regi Angliæ diſplicet. 16. Elector Præſulem ad pacem urget. 17. Tractatus cum Monaſterienſi perficitur. 18. Electoris circa pacem inter Anglos, & Belgas conciliandum ſtudium. 19. Ejus in Angliam miſſio. 20. Alia in Angliam legatio. 21. Anglorum querelæ de Electore. 22. Circa pacem in Anglia agitata. 23. Circa pacem Bredæ acta. 24. De incluſione in pacem Bredanam. 25. Galli ſuper deſtinatis ſuis inſinuant. 26. Elector fœderibus ſibi cavet. Fœdus cum Rege Daniæ. 27. Quadruplex fœdus. 28. Electoris circa turbas Burgundicas cura. 29. Gallus ſuper deſtinatis ſuis Electori ſignificat. 30. Hiſpani Electoris auxilium quærunt. 31. Electoris circa bellum Flandricum conſiderationes. 32. Declaratio Marchioni Badenſi data. 33. Conſiderationes circa conjunctionem cum Hiſpanis. 34. Elector aliorum ſententiam explorat: Moguntini; Fœderatorum Colonienſium; Bavari; 35. Saxonis; 36. Daniæ Regis: 37. & Neoburgici. 38. Elector caute rem gerit. 39. Circa Præſulem Monaſterienſem conſiderationes. 40. Cum Hiſpanis incaſſum ſuper fœdere agitur. 41. Blaſpielus præter mandatum cum Hiſpano concludit. Id Elector improbat. 42. Galliæ Rex Electorem ad ſervandam amicitiam invitat. 43. Circa Gallicum fœdus conſiderationes Electoris; & Regis Galliæ. 44. Tractatus cum Rege Galliæ. 45. Hoc pactum Elector adprobare ſtudet Hiſpanis: Anglis; 46. & Cæſari. 47. Super triplici fœdere conſideratio. 48. Electoris cum Neoburgico ſuper corona Poloniæ conventio. 49. Num ea conventio publicanda? 50. Elector ſuper Neoburgico cum Gallo agere incipit. 51 Legatio Electoris in Galliam. 52. Legatorum in Gallia acta. 53. Belgarum ſuper bello Flandrico conſilia. 54. Noſtri apud Gallum ſuper pace inſtant. 55. Regis Galliæ declaratio. 56. Elector cum Svecis ſuper Neoburgico promovendo agit. Prior cum Svecis conventio. 57. Altera cum Svecis ſuper eo negotio conventio. 58. Apud Cæſarem pro Neoburgico acta. 59. Alia ad Cæſarem eo nomine legatio. 60. Electoris pro Neoburgico in Polonia ſtudium. 61. Poloni auxilium Electoris contra Tartaros expoſcunt. 62. De Neoburgico Reginæ inſinuatur. 63. Elector Hoverbequium plus juſto progreſſum cenſet. 64. Elector demum Drabeimo potitur. 65. Poloni Reginæ machinationibus acriter reſiſtunt. Regina Poloniæ moritur. 66. De ſecundis nuptiis Joannis Caſimiri fruſtra agitur. 67. Elector Gallorum deſtinatis in Polonia obſiſtit. 68. Rex Poloniæ Hoverbequio acceſſum negat. 69. Super abdicatione Joannis Caſimiri agitur. 70. Cæſarei eam impedire ſtudent. 71. Joannes Caſimirus de abdicatione ſua ſtatuit. 72. Legati è Polonia diſcedere jubentur. 73. Joannes Caſimirus Regno ſe abdicat. 74. Ambitio Candidatorum, & de iis judicia. Judicium de Moſco; 75. De Florentino: De Eboracenſi: De Electore. 76. De Neoburgico: 77. De Condæo; 78. De Lotharingo. 79. Galli pro Neoburgico ſtudium ſimulant. 80. Electoris in Galliam legatio. Gallus initio rem ſerio agere videtur. 81. Galli candor ſuſpectus eſt. 82. Artes prenſantium in Polonia. 83. Legatio Electoris ad comitia eligendo Regi Poloniæ. 84. Apud electionem acta. 85. Colliſio cum Cæſareo legato. 86. Galli mala fide cum Neoburgico agunt. 87. Legati exterorum ab Ordinibus audiuntur. 88. Electio præter omnem opinionem cadit. 89. Judicium de hac electione. 90. Conſideratio artificiorum Gallicorum circa illudendum Neoburgicum.

Ingens

1664. *Electoris circa surgentes inter Anglos Belgasque turbas cura.*

INgens operæ pretium hactenus fecerat Elector compositis litibus, quæ vel ipsum solum tangebant, vel contagio quietem patriæ turbaturæ forent, ni mature sopirentur. Restabat non modica cura, ut, quæ sibi cum Belgarum Republica supererant magni momenti controversiæ, placido modo tollerentur. Cum isthac Rep. etsi Brandenburgicæ Domui inseparabiles rationes intercederent; frigidius tamen hucusque amicitia, quam pro tanta necessitudine, exculta fuerat. In causa erat factio Arausionensis Principis dignitati adversa, cujus caput erat Joannes Wittius Equestris Ordinis Syndicus, penes quem ea tempestate summa fere consiliorum ejus Reip. erat. Is cum haut frustra restitutam ei Principi avitam dignitatem sibi infaustam ominaretur, id omni modo nitebatur, ut isti aditus ad eandem præcluderetur. Quibus destinatis quia arctior Electoris Arausionensi Domui per affinitatem innexi, cum ea Rep. conjunctio valde obstitura esset, huic infringendæ omnem lapidem movebat, protracto inter alia velut è tenebris obsoleto debito, cui vulgo *Husiseriano* vocabulum erat. Cui inde origo quod Joannes Sigismundus Electoris avus olim C M uncialium apud Hollandos mutuo sumserat; quæ summa cum per iniquitatem temporum mature soluta non fuisset, anatocismo in immensum intumuerat; utut Elector opposita compensatione si calculus rite poneretur, pleraque præter rationem peti demonstraret. Et quanquam reliquæ provinciæ sat æquas se ostenderent, Hollandia tamen solutionem instigante Wittio importune urgebat; cui scopus erat, ejus debiti per usurarum quotidiana augmenta ingravescentis obtentu Clivicas urbes Belgarum tunc præsidio infessas velut in solutum, aut saltem pignoris in vicem, detinere, tota demum ea provincia absorbenda. Cum itaque atrocia tunc Anglos inter, ac Belgas dissidia erumpere inciperent, Elector sibi laborandum ducebat, num ista forte occasionem præbere possent Belgarum præsidia hisce urbibus dimovendi; præterquam quod & alias vigilandum esset, ne iis nationibus bello collisis Germania, ac inprimis propriæ ditiones incommodi quid sentirent.

Electoris in Angliam legatio. Jul.

§. 2. Eam ob causam Electori placuit Christophorum Brandium in Angliam mittere, sed isthoc publico prætexto, velut id duntaxat à Rege Angliæ petendum foret, ut navibus, quas Elector recens extruxerat, quasvis merces in Angliam importare, ac inde iterum exportare liceret, aut saltem ne deterioris conditionis quam Gedanensium naves essent, adeoque & merces in Regia Borussia provenientes in Anglicanos portus devehere integrum foret. Præsertim cum & Lubecensibus jus foret quaslibet merces ad mare Balticum provenientes suis navibus in Angliam importare. Quod petitum tamen non nisi velut ultro invitante occasione exponeret. Nam si bellum surgat, eam concessionem locum non habituram usque ad pacem; interea pecunias in hoc privilegium erogandas à mercatoribus alibi collocari posse. Et persistente licet pace Regiomontanus portus istis navibus sat vecturæ præbebat, queis communi jure in Anglorum portus accessus patebat, qui quarumvis nationum naves admittunt, quæ merces apud ipsas provenientes important. Et quia majoris momenti res ambienda erat, metuebatur, ne hac rejecta istam Angli annuerent, solito aulis more, ut duabus rebus simul petitis vilior concedatur; & qui unum obtinere velint, duo petant. Sed primarius missionis scopus erat tentare, num Angliæ opera Elector isto sese ære alieno apud Belgas exuere, ac oppida sua horum præsidiis liberare posset. Magna tamen cum circumspectione legatus id negotium tractare jubebatur. Nam si res inter Anglos & Belgas in bellum haut erumperet, id petitum ita temperandum erat, ne Belgis ansa suspicandi præberetur, velut Electori animus fuisset adversas ipsis partes affectare, aut in arma Anglos stimulare. Ast ubi bellum jam committatur, apud Regem aperte instaret, ne is pacem prius cum Belgis ineat, nisi abolita horum in Electorem actione. Ac egregiam hanc esse occasionem, qua Rex affectum suum in Electorem exserere possit, nullo suo damno, aut molestia, ac vetera istius beneficia pensare. Nam eam ob causam ad Belgas simul invadendos Elector nullo modo sese obstringere volebat, quod isthoc remedium morbo pejus ob veterem ac insolubilem, quæ isti cum Republica Belgica intercedit necessitudinem. Si tamen opus videretur, Cancellario insigne munus polliceretur ad X M librarum Sterlinensium, quantum isti in magni momenti negotiis accipere solenne erat. Nam tunc sine muneribus in ista aula vix aliquid dabatur efficere; ac in aviditatem ministrorum Anglicorum Hispanicus legatus Battevillius cavillari solebat; *si ministro Anglicano mille libræ dentur, eum ad dantis manum respicere, num quingentæ sequantur.* In transitu per Hollandiam Brandius Præsidi tunc Ordinum Generalium significare jubebatur, Electori concordiam inter vicinos populos in votis esse; & quia aliam ob causam in Angliam mittendum fuerit, percontari jussisse, num Belgis gratum sit futurum ab ipso officium circa sopiendas istorum lites interponi. Nam quo minus Elector ea de re ad Ordines Generales referret, obstitisse, quod nesciret, in quam partem Resp. inclinet. Obiter quoque moneret, ut super vetusto debito molestiam Electori facessere omittant; aut si jure niti se putent, eam controversiam arbitrorum decisioni committant; quod is tam molestum, & illiquidum negotium, gangrenæ indolem habens, ad posteros transmittere nolit. Et quia id unicum restet, quod Electori ad domus suæ securitatem expediendum sit, haut omissurum ipsum vel cum importunitate Remp. urgere, quoad rem ad æquas conditiones

1664. tiones deduxerit. Sin minus, totius orbis judicio exponendum, quid gratiæ sibi à Rep. pro tot à se, & majoribus exhibitis officiis, referatur.

Brandii apud Belgas propositio. 13. Aug.

§. 3. Hagæ dum quæ jussus erat Brandius apud Wittium exponit, hic declarabat; ubi in bellum res eruperit, Rempublicam Electoris officium, pro quo oblato gratias agebat, non recusaturum: ac eo casu Gochio Belgarum in Anglia legato injungendum, ut cum ipso quæ agantur diligenter communicet. Cæterum Anglos id agere, ut totum litus Africanum, qua in occidentem vergit, in ditionem redigant, societatemque Indiæ Occidentalis subvertant, id quod Reipublicæ nullo modo ferendum sit. Circa debitum Husserianum pristina importunitas perstabat.

Idem apud Angliæ Regem negotium suum exponit. 2. Sept.

Idem Brandius Angliam ingressus post honoris verba Regi exponebat; *Electori multas ob causas triste auditu fore, si controversia cum Belgis in apertum bellum sit eruptura, quod sine multo sanguine, & multo utrinque periculo geri non possit. Si tamen Rex id declinare honestis modis haut possit, successum armis suis optare; ac sperare, si occasio ferat, Regi emolumenta Electoris cordi fore, eumque probibiturum, ne idem injuria afficiatur.* Ad quæ Rex laxioribus verbis amica omnia pollicebatur. Svaserat Cancellarii filius, quo internuntio ad expedienda sua negotia Brandius utebatur, ne præmature destinata sua expromeret, quoad adpareret, quonam lis cum Belgis evasura esset. Sed mox, cum non amplius de bello dubium esset,

29. Sept.

Brandio visum rem non amplius differre, ac Regi proponere: *Eo acerbius fuisse Electori de dissidio inter Angliam, & Belgas audire, quod præter alia mala inde proventura vix protlivior occasio Gallis, ac Svecis nasci posse videatur destinatis suis in Flandriam, ac portus Maris Baltici exsequendis, quam si Angli, & Belgæ diuturno bello committantur, dum Hispania, & Dania languent, ac Cæsar Turcam vix propulset. Unde Electori cordi esse, ei dissidio componendo operam prout Rex judicaverit navare; ac spem esse, Regem utut sinistris Belgarum actionibus irritatum, ideo haut omissurum animum convertere in conservationem Belgii Hispanici, tam necessarii sistendis Gallorum vastissimis destinatis obicis, ac ut Mari Baltico sua libertas constet.* Ad quæ Rex: *Se probe perspicere incommoda ex hisce turbis proventura. Ac confirmare Electori, licet invito sibi arma in Belgas stringenda sint, reliquas tamen communis securitatis rationes haut insuper se habiturum. Quod si ista ex hoc bello detrimenti quid capiat, Belgarum iniquitati, ac pertinaciæ id tribuendum.* Inde super origine dissidii prolixe memorare; *uti sibi gravibus de causis curæ fuerit amicitiam cum Belgis excolere, & ipsorum civibus jus prompte dicere. Sed istos contra, quod postremis pactis convenerit, Anglis reparationem damni abnegasse. Unde tantum querelarum surrexisse, ut Parlamento demum de repressaliis cogitandum fuerit. Se tamen tumentes animos placasse, & eo rem deduxisse, ut denuo amica satisfactio quæsita fuerit Downingio Hagam misso. Hac via si nihil proficiatur, alia remedia circumspicienda, quo Angli jure suo potiantur. Ast cum grati animi significatio pro tanta moderatione expectaretur, istos insitatum armorum paratum decrevisse, ostentandæ diffidentiæ, & ansam collisioni: ac insuper id insolentiæ, atque impudentiæ addidisse, ut cum duæ ipsorum classes sub Opdamo, & Trompio mari insultent, postulare ausi sint, ne Anglica classis ad ostium Tamesis stans in mare progrederetur. Heic se judicium Electori deferre, num consultum, aut honestum fuerit, manibus in sinum demissis desidere, ac otiosum spectare, ut isti imperium maris sibi solis usurpent; eoque necessum fuisse Comitem Sandvirensem emittere, ut & is fretum percurrat. Falso à Belgis objici, Parlamenti minis, & paratu armorum se quoque ad classes instruendas compulsos. Nam hoc anno ex Anglia pauciores naves emissas, quam omnibus prioribus annis. De Guinea ipsos non prius queri posse, quam intelligant, quid ibi ab Holmio actum sit. Sed quia Belgæ raptim classem eo destinarint, à se quoque Rupertum Palatinum eodem fuisse mittendum. Inter hæc Belgarum Legatum de animo in pacem prono multa declamasse, sed de reparatione damni nullum verbum. Cui ipse citra ambages denuntiarit: ni alia via ineatur, rem non posse non in arma erumpere. Equidem se quantum possit id inhibiturum, ac se solum in hoc Regno esse, qui pacem hactenus servarit. Sed si per necessitatem in arma propellatur, se non minus, quam classem suam pugnæ paratum. Ac ut forte Belgæ pares se classe fore persvasi sint, tamen vel integræ classis jacturam ærario suo tantum damni non daturum, quam ipsorum commercia interim passura sint. Cæterum pro declaratione Electoris gratias agere, ac rogare, ut is Hagæ Belgis incommoda belli ingerat, ac ne sinistris criminationibus, quibus hi ipsum oneraturi sint, fidem adhibeat. Ac sperare, ubi in apertum bellum proruptum fuerit, Electorem eo fidentius secum communicaturum, ac ipsi magis, quam Belgis addictum fore.* 1664. Ad quæ Brandius, præmissis quæ demulcendo Regi facere poterant, addebat: *Electorem utcunque res ceciderit, studium suum Regi semper approbaturum. Cæterum valde dolendum, res inter Electorem, & Belgas haut ita dispositas, ut Rex eo statu persistente multum operæ ab ipso expectare possit; ac potius Regem rogandum, ut Electori adversus injuriam à Belgis intentatam præsidio esse velit, quo hic in ejusmodi conditionem provehatur, ut deinceps reipsa Regi, Regnoque Angliæ auxilia præstare queat.* Inde multis demonstrabat; quanta iniquitate adversus Electorem Belgæ circa obsoletum debitum, ac detentionem Clivicarum urbium utantur, obduratis adversus omnes rationes auribus, ut id tantum expectare videantur, quo postquam usuræ in dies intumescentes status reditus Cliviæ æquaverint, ejus Ducatus plenam possessionem adprehendant. Unde Electori necessitatem allatam tentandi, num ope Regis hac difficultate eluctari possit; *eoque ipsum rogare, ut ubi res in bellum eruperit, is non prius pacem cum Belgis ineat, quam isti oppidis Clivicis præsidia deduxerint, ac super vetusto debito nil amplius moveant. Non esse occasionem magis idoneam, qua Rex sæpe promissum Electori studium repræsentare idque sine ulla expensa, aut molestia possit. Præterea Angliam per se ita fertilem, ac opulentam, ut etiam absque navigatione*

1664. *florere queat. Belgium autem, sat tenui terrarum suarum proventu sine commerciis maritimis subsistere non posse. Unde Anglis, & omnibus Belgarum vicinis eo respiciendum esse, ne hi plurium ditionum adquisitione terra aque potentes, quam mari reddantur. Non dubium autem, quin Belgarum vires insigne incrementum captura sint, adjuncta Clivia. Contra Electori ubi urbes istas recuperaverit, in proclivi fore efficaci fœdere Angliæ jungi, propulsare bellum, aut inferre placeat; ac inter civilis prudentiæ decreta esse, potenti vicino potentem ad latus adjungere. Gallum effecisse, ut Neoburgicus Juliacum recuperaret, utut hic semper Hispanicis partibus addictus fuerit. Electorem autem non minus generositatis ab Anglo expectare, quam Neoburgicus à Gallo perceperit.* Ad quæ Rex: *molestum sibi, Belgas insolentiam suam in Electore quoque exsertum ire; ac se omnem operam navaturum, ut ipsum hac molestia eripiat. Sed id præcipue à successu armorum pendere, & prout Gallorum se machinationes dederint, quos metuat, ne, ubi utraque parte fessa ad tractatus accedatur, impedimenti aliquid injiciant. Nec adhuc perspicere posse, num ad reliquæ Europæ rationes quoque respiciendum sit. Id enim nisi fiat, difficile fore Clivicum negotium tractatibus includere. Sed tamen visurum, quomodo res succedant, nec Electoris commoda oblivioni daturum.* Simul ut petitum scripto sibi tradatur cupiebat. Brandius rem silentio probe tegi rogabat, ac ne ulli præterquam Eboracensi, Ruperto Palatino, & Cancellario communicetur. Alias periculum Electori in

16. Oct. Clivia surgere posse. Scriptum, quod Regi tradebatur, ita formatum erat, ut de oppidis Cliviæ mentio non fieret, sed de iis ad aliud tempus seponebatur. Super ære alieno ita proponebatur, ut si res in bellum non eruperit, aut arma statim ponerentur, Belgis ansa non præberetur exprobrandi, velut Elector lucrum ex hisce turbis captarit. Ita ingressu scripti memorabatur, *quanto cum dolore Elector ea dissidia perceperit, ac uti omnem operam iis componendis navaturus sit. Quin spem ipsi fuisse, si amicitia Regem inter, & Belgas perstitisset, sequestre Rege super isto debito promtius se transacturum. Sed cum armis certari cœptum sit, ipsum quidem, ut amicitia quamprimum instauretur optare. Interim quia malum id indies latius serpens ad posteros suos transmitti nolit, à Rege petere, ut eam causam inter capita pacis referat, eamque velut propriam expediat, sua autoritate istam facile perventurus. Sed si Rex eam causam non ita amplecti velit, ut inter tractatus pacis eadem plene expediri queat, inani spe ipsum ne lactet. Equidem hoc bello Electorem Regi auxiliis adsistere non posse, nec iis hunc indigere; istum tamen ubique causam Regis commendaturum, ac Hagæ operam daturum, ut ei satisfiat; ac si Regi placeat, Ordines Imperii permoturum, ut & ipsi, quas cum Belgis habeant controversias, ad tractatus pacis adferant.*

Bellum inter Anglos, & Belgas exardescit.

§. 4. Interim irritatis utrinque animis hostilia indies magis erumpebant; ac Angli sibi persvaserant, eos penes quos tunc summa rerum apud Belgas erat sperare, sese hoc bello utcunque res cadat, id saltem lucraturos, ut Belgæ ingens odium in Angliæ Regem concipiant, quod in ipsum quoque Arausionensem sit redundaturum. Gaudebant quoque Angli facta cum Turcis pace, velut nunc Gallo necessum sit futurum in Cæsarem oculos reflectere, ac Imperio otium fore Belgarum toleratas hactenus insultationes ulciscendi. Galli contra utrinque frigidam suffundebant, Anglis juxta, Belgisque clam confirmantes, ut maxime in freto bellum desæviat, in ejus se partem haut venturos. Sed & Sveci, ut Anglis animos adderent, promiserant, se terra, marique Belgas invasuros, & bello Danico acceptas molestias reposituros. Uti porro Galli bello hoc conflato in sinu gaudebant; ita Angli vicissim cladem Gallorum ad Gilgilim ridebant, quod commerciis maris Mediterranei summopere noxium ducerent, Gallos in litore Africano nidulari. Nam isto loco obtento, ac adjecta Algeria, quam & ipsam Galli sibi destinarant, navigantibus deinceps potentiores piratas fore metuendos, quam Algerienses, & Tunetanos. Et quia Galli valde exultaverant Tevesto Comite Tingitani oppidi gubernatore à Mauris per insidias cæso, eo liberius nunc ipsi Gallorum malis lætabantur, adducto proverbio; *non male ridere, qui posterior rideat.* Cæterum cum Angli Belgicis navibus manus injicere inciperent, Gochius legatus Belgicus ut eæ dimitterentur instabat, ad sacerdotis modum disserens; *Deum ideo effecisse, ut tamdiu adversus ventus flaret, ne inimicæ classes sibi invicem occurrere possent, quo & spatium foret amicam compositionem amplectendi, quam Belgæ circa reparationem damni offerant.* Cui Rex; *eam declarationem prius factam oportuisse; nunc sero talia cani, tantis sumtibus in adparatum belli erogatis; ac existimationem suam apud exteros, fidem apud cives à persecutione hujus belli pendere. Ac ubi prælio certatum fuerit, adpariturum, utra pars de favore Numinis gloriandi causam sit habitura.* Cui Gochius reponebat: *is animus si Regi sit, Belgas non amplius preces ad Deum pro ipso fusuros.* Ad quæ Rex; *se parum curare preces hominum, qui tam fœdis libellis famosis, & picturis ipsum illudant.* Et cum Gochius id in fecem vulgi rejiceret, Rex regerebat; *ni Rectores Reip. talibus delectentur, in proclivi fore istorum libellorum architectis aures abscindere. Sed quia perspiciat, istos contumeliis ipsi insultare velle, se ostensurum Angliam non minus egregios bellatores, quam Hollandiam propudiosos scriptores producere. Quanquam sibi res sit non cum Ordinibus Generalibus, sed cum quatuor, aut quinque hominibus, qui contumelia ipsi illata huic bello causam præbuerint.* 1664.

Gigeri.

Il ne rit pas mal, qui rit le dernier.

Goch.

Anglus Electorem in belli societatem pertrahere conatur.

§. 5. Enimvero exigua spes erat circa Electoris postulatum quid obtentum iri, quod Cornburgius Cancellarii filius pollicitis suis semper adderet: Gallorum machinationes respiciendas esse; eventum belli dubium; Regi multa negotia cum Belgis esse expedienda, non modica cum difficultate conjuncta. Cancellarius quoque non obscure hortari, ut Elector adversus Belgas in Belli societatem venire velit, Cæsare

quoque,

1664. quoque, & Westphalicis Principibus in partes pertractis. Ac ipse Rex disserebat; *Belgas non nisi vi ad audiendam rationem compelli posse. Equidem satis se nosse Electoris statum non permittere, ut solus Belgis bellum faciat. Sed si cum vicinis Principibus, queis cum Belgis controversiæ intercedant, armorum societatem iniverit, ingens bello momentum daturum, ac se ei fœderi conficiendo operam daturum.* Sed Brandius demonstrabat: arduum fore tot capita unire, præsertim tunc Juliacensi controversia cum Neoburgico nondum composita. Tum ob Belgica præsidia in oppidis Clivicis sine manifesto periculo nil ibi moveri posse. Non esse Electori munitum ad Rhenum locum. Alias ditiones, ac urbes, unde bello vires petendæ sint, longius remotas esse. Coloniensem, Neoburgicum, & Monasteriensem Belgis non ita vicinos esse, uti Electorem, qui & semper si è re videatur, subducere se possint isto destituto. Svecos quoque se iterum movere, nec Electoris ditiones post novissimum bellum satis adhuc se recreasse. Sed si Regi consultum videatur, ut nunc, & futuris de pace tractatibus Imperium, & singuli quidam Principes querelas suas adversus Belgas proponant, id Electorem libenter promoturum, ut mature de iis apud ipsum agant. Id quod Regi admodum gratum erat, ac se protinus eo nomine legatum in Germaniam missurum. Addebat, se arma non prius positurum, quam restituto Arausionensi; cum existimatio sua in eo vertatur ut in hoc negotio contrariam à Cromvello viam insistat. Prout & legatus Belgicus fassus sit; non posse regimen fœderatarum provinciarum consistere, ni eum Principem sibi gubernatorem imposuerint. Simul sedulo quærebat, qua ratione Wittius, & socii apud populum exosi queant reddi, qui soli ex odio in Arausionensem id bellum conflarint. Ad quæ noster: id futurum, si bellum diu continuetur, & Belgæ aliquot præliis vincantur, eorumque commercia destruantur. Porro Elector negotio promovendo Cornburgio chirographum in X M librarum Anglicarum mittebat; sed qui id multo cum verborum honore redhibebat. Ast ubi reipsa quid præstitum sit, quod Electori placeat, se gratiam Electoris admissurum: oblatam summam enormem esse. Cancellarius interim ample pollicebatur, ut tamen negotium non prius se suscepturum diceret, quam perspexerit, idem & pervinci posse. Candori tamen suo testando in antecessum declarare; *Electorem haut improbaturum, si futuris tractatibus ea, quæ Regis honorem, simul nationis Anglicanæ, & Principis Arausionensis rationes spectent, primo loco expediantur. Tum quod jam olim jactatum; Regem Angliæ non solum in terra Regem, sed & in mari esse, sed hactenus domi, & apud exteros fere exolitum sit, in usum revocandum. Unde per tractatus pacis quantum fieri possit, asserendum dominium Maris Britannici, & quæ inde dependent piscaturam halecum, visitationem navium, ac ut mercatorias naves per fretum præsidiariis Anglorum navibus uti necessum sit. Cavendum quoque Regi traditis quibusdam munimentis, & commercia utriusque Indiæ regenda. Tum abolenda, circa quæ Belgis quondam cum Cromwello super Arausionensi convenerat, & hunc in majorum suorum conditionem reponendum. Quo restituto Electorem facile viam componendæ cum Belgis controversiæ inventurum. Ad id cumprimis necessarium fore, ut Elector in partem belli veniat, quo Rex Gallo, Parlamento, ipsisque Belgis demonstrare possit, sibi fas non esse sine isto arma ponere; quod alias sibi objiciendum sit, iniquas pacis remoras quæri, alenis controversiis huc pertractis. Nam ubi Elector cum Rege arma sociaverit, ab hoc istius causam non ob benevolentiam solum, sed & ob honorem Rege, ac nobili viro dignum haut segnius quam propriam amplectendam.* Ad quæ Brandius; *Electori haut in animo esse Regiis negotiis impedimentum aliquod objicere, ac quæ sibi molesta sint haut fuisse indicaturum, ni nosset, ne unico quidem viro armato amplius opus fuisse, ut sua quoque causa apud Belgas pariter cum Regia lite componi posset. Cæterum quo minus Elector in societatem belli veniat, gravissimas rationes obstare.* Cancellarius contra: *satis sibi perspectum, Electorem solum Belgis bellum inferre non posse. Sed ab his Imperium, & aliquot Principes graviter offensos, ac contumeliose habitos. Monasteriensi in arma libidinem esse: Coloniensem, & Neoburgicum facile in partes transituras. A Svecis nil metuendum, qui & ipsi secum in bellum descensuri sint. Hisce ubi Elector sese sociaverit, id quod citra periculum fieri queat, non dubium esse, quin omnibus quorum intersit, à Belgis sit satisfaciendum. Non esse tamen quod Elector sua consilia præcipitet; sed expectare posse, quoad Angli, & Belgæ manus conseruerint, ac omnia matura cum deliberatione, & probe libratis suis viribus suscipienda. Interim saltem circa cudendum fœdus in Belgas satagat, ut perspici possit, ipsum quoque revera in partem negotii venire.* Sed Brandius regerebat, Electorem etiam Circulo Westphalico sociatum grave periculum subiturum. Ast esse aliam viam causæ Regis promovendæ, si Principes Belgis infensi stimulentur ad querelas suas hac occasione renovandas, easque Regi commendandas. Id quod Cancellario valde probabatur, & eo nomine Legatum à Rege in Germaniam mittendum. Simul hortabatur, ut Elector circa uniendum circulum Westphalicum satagere pergat, & quo singulorum animi inclinent expiscetur, ac interea successus belli speculetur. Ita sat amplum isti spatium fore deliberandi; ac se interim omnia cum ipso communicaturum. Ast cum Brandius reponeret; ut Elector haut omissurus sit hac rerum facie Regem sibi officiis obstringere; ita vicissim sperare, Regem operam navaturum ad istum molesta lite extricandum: Cancellarius id promittere visus est, Anglico more postrema verba intra labia deglutiens. 1664.

§. 6. Inter hæc spem satis jam tenuem aliquid per Anglos proficiendi non parum minuebant duæ ingentes Electoris naves, in Hollandia recens ædificatæ, quarum uni *Cliviæ*, alteri *Marcæ* vocabulum; queis, dum mercibus magni pretii onustæ in Hispaniam tendunt, Falmuthensem portum tempe- *Angli Electoris naves detinent.*

1664. tempestatis causa ingressis Angli manus injiciebant, velut ad Belgas spectantibus; quod persuadere sibi non possent, Electori armatas naves esse. Ac suspicabantur, Arausionensem Viduam in gratiam quorundam Belgarum literas tuti itineris ab Electore obtinuisse. Id negotium Brandio multum molestiæ facessebat, qui incassum rationibus certabat adversus homines suspicionum fœcundissimos, inflatos insuper, & aliena rapere avidos; queis & Eboracensis Ducis autoritas ferociam addebat, quod exterorum naves, in Anglorum portubus publicatæ, ad istum spectarent; & quia ipsi in partem prædæ veniebant. Cum itaque Angli literas tuti itineris, quas nautæ proferebant, fictas contenderent; Elector propria manu ad Regem scribebat, confirmans naves illas suas esse, ac merces ad Hispanos spectare. His si nihil proficeretur, Brandius dicere jubebatur; satis perspicere Electorem, quanti sua amicitia in Anglia fiat, & quantopere ipsum sua spes fefellerit: ac inde necessitatem sibi imponi alia consilia pro conditione præsentium temporum capiendi, ac reparationem damni quærendi; ac in proclivi sibi fore naves & merces Anglicas in Borussia tantisper detinere. Simul toti orbi demonstraturum, uti post tot sinceræ amicitiæ specimina, quæ ipse Regi per adversa, & prospera exhibuerit, vicissim secum actum fuerit. Tum in Borussia navibus, & mercibus Anglicis manus injici jussit. Ita Rex istas naves iterum dimittebat, ob moram non leve damnum passas; & excusabat Eboracensis tempora suspicionibus obnoxia, & artes mercatorũ, queis lucri causa aliis illudere nulla religio est.

Brandius ex Anglia revocatur.

§. 7. Ex hisce satis perspexerat Elector Angliæ Regis inclinationem & ingenium, & quam haut tutum foret temere huic sese illigare. Unde placebat nil festinanter decernere, 1665. simul speculari, num Sveci, ac Dani in partes descensuri sint; utris sese Gallus sociaturus sit; quid Coloniensis, Neoburgicus, Monasteriensis consiliorum agitent; quam viam Wittius initurus sit. Nec consultum videbatur Brandium diutius in Anglia agere illiquida spe quid obtinendi. Nam ibi adquiescendum erat ambiguis asseverationibus, verbisque semiabruptis, & queis semper exceptio aliqua caudæ invicem adjiciebantur. Et ex Cornburgii literis, queis de successu negotii Brandium se edocturum promittebat, certiora sperabantur. Ejusdem quoque discessu Belgarum suspicio declinabatur; quibus ostendendum erat; Electorem in Anglia cavere voluisse, ne controversiæ in bellum erumperent. Sed cum nil profici videret, legatum revocasse; præsertim cum spes sit, utramque partem haut omissuram oculos ad libertatem Maris Baltici reflectere. Ac deinceps missio majore cum fructu repeti poterat penitius exploratis Anglorum animis, & perspecto, utri parti fortuna, pluresve amici adfuturi essent. Ac fortasse deinceps è re futurum erat suspicionem Belgis injicere, ubi ferocia ipsorum paulum infracta foret. Tunc autem si is diutius in Anglia moraretur, haut omissuri erant infinitis quæstionibus eundem obtundere, ad quas si tantum responde- 1665. re non posset, quantum ipsi cupiebant, forte pro exploratore habendus erat; præsertim cum jam de tractatibus ab Electore Hagæ agitatis spargeretur. Et quia Angli sine discrimine quæ sibi solis utilia erant ab aliis velut debitum exigebant, negotiatio intra eos, uti cœptum erat, limites, contineri non amplius poterat; sed vel offensa eorum incurrenda, si non cœco impetu in eorum placita rueretur, vel in societatem belli veniendum erat: quorum utrumque anceps, ac rebus Electoris eo tempore minime expedire videbatur. Sane cum au- 17. Febr. ditum esset, ab Electore nuper delectus militum in Clivia Belgis interdictos, gestiebant velut initio hostilitatis facto; cum id fieri necessum foret exercendo supremi imperii juri. Saltem censebant ab Electore ansam præbendam, ut Belgis necessum foret numerosum exercitum tutandis finbus versus Westphaliam alere, ac præsidia ibi locorum augere. Id quod tamen ab Electore fieri non poterat citra offensam sex provinciarum, quæ circa vetus debitum sat æquas se gesserant, & in Hollandia eorum, qui Arausionensi Domui favebant. Et ubi semel Anglis se innexuisset, non minus imperiose cum ipso acturi erant, quam cum Dano egerant. Igitur Elector Brandium ex Anglia discedere jussit, conventione prius cum Cornburgio inita, ut per literas ipsi significet, quando opportunum foret negotiationem iterum suscipi. Color discessus dicebatur, Electorem alibi opera ipsius usurum.

Angli id negotium ulterius urgent.

§. 8. Ast Hagæ Georgius Dovvingius ablegatus Anglicus Blaspielo apud Belgas res Electoris curanti, citra ambages proponebat; *gratum fore Angliæ Regi, si Elector, Coloniensis, Neoburgicus, & Monasteriensis, querelas suas, quibus Belgæ hactenus iis satisfacere abnuerunt, præsentis belli occasione communicatis consiliis strenue urgeant. Vix commodius tempus optari posse istis abolendis, quo haut uti turpe sit. Posse fœdus inter Regem, & Electorem arctius stringi, ac istum se obstricturum pacem cum Belgis non inire, quoad huic satisfactum sit; qui vicissim Regis destinata firmare haut sit recusaturus. Equidem Rempublicam Belgarum servari necessum esse; insolentiam tamen Wittianæ factionis utique reprimendam, simul partem commerciorum avertendam accidendis nimiis opibus, superbiæ fomitem præbentibus. Multis autem rationibus Electorem, & alios vicinos invitari, ut Angliæ sese innectant. Nam inter Anglos, & Gallos probe convenire, utut hi torvum tueantur. Ac Gallum componendis inter Angliam, & Belgium controversiis sese jam accingere; cujus officium tamen apud Belgas parum ponderis habeat, qui & ipso postulante Reinbercam, & Ravesteinium dominis suis reddere abnuerint. Ast suscepto fœdere proposito Belgis necessitatem allatum iri omnibus satisfaciendi.* Enimvero etsi Electori optandum fuerat, hac occasione à Belgis quæ cupiebat posse extorqueri: haut tamen placebat in societatem belli venire, ni ultro ab hisce vis inferretur. Eoque valde circumspecte agendum judicabat, ac ita circa sua recuperanda nitendum, ut ta-

1665. ut tamen utique prohiberetur, ne bellum eousque exardescat, ut non nisi ruina alterutrius partis extingui posset. Ac probe considerandum erat, quod Belgæ fœdus cum Svecia renovarent; Danus quantumcunque amicum sese Anglis ferret, circa conjunctionem cum his valde tergiversaretur; Gallus ex utraque parte emolumentum captaret, & in turbido piscari institueret. Sed Elector per turbas Polonicas distringi poterat, ut negotio heic cœpto quandum par erat incumbere non posset.
25. April. Et jam Angliæ Rex Electorem ad conciliationem inter ipsum, & Belgas suscipiendam invitabat. Id quod Elector per Blaspielum Wittio significabat; qui eam ambabus manibus amplecti videbatur; rogabat tamen, Elector ita ageret, ne Belgæ istam ambiisse credantur. quanquam Devvingio Electoris opera non admodum grata erat, qui cum omnium judicio id incendium excitasset, ejusdem quoque extincti gloriam captabat, cum haut modico lucro conjunctam. Simul jactabat, incassum super conciliatione moveri, antequam Belgarum superbia fracta sit.

Electoris circa extinguendum bellum Monasteriense studium.

§. 9. Sed non par circumspectio adhibebatur Christophoro Bernhardo Galeno Monasteriensi Præsuli. Eum ingenio turbidum, & artibus non sui ordinis inclarescere cupidum Belgæ quondam irritaverant, dum circa Monasteriensem urbem subigendam occupatum impedire student. Qui ut istis vicissim ægre faceret, executionem sibi adversus Frisiæ Orientalis Comitem deferri curaverat, qui Hartmanno Lichtensteinio Principi certam pecuniæ summam debebat; quo fine Præsul Dilense munimentum occupabat. Sed quia id Belgarum finibus imminebat, qui infestum hominem in propinquo nidulari nolebant, immissis copiis præsidium castello ejectum fuit. Ejus contumeliæ ulciscendæ, simul vindicandæ Borckeloæ occasionem sibi hoc bello enatam gavisus Anglo se addixit. Quas & causas armorum in Belgas sumtorum Ratisponæ adducebat. Simul querelas movebat, à Georgio Friderico Waldeccæ Comite militiam Belgicam sumtam, qui aliquot militum millia in Belgarum usum conducenda susceperat, petens ne Elector hisce transitum concederet. Sed responsum: Germanis liberum esse exterorum militiam sequi; nec à Belgis contra Imperium bellum geri. Waldeccium quoque inter Ordines imperii censeri, cui jus fœderum competat. Ac Elector per suos Ratisponæ gravitatem hujus negotii demonstrari jubebat, facile ingentes Germaniæ turbas pariturі, præsertim Circulo Westphalico, qui jam multa incommoda inde sentire cœperit. Nec Præsuli fas esse absque Cæsaris, & Imperii consensu bellum ordiri. Unde Ordinibus cogitandum super remediis huic incendio mature extinguendo. Simul Cæsari insinuabat, haut immerito suspicione se perstringi, velut eo principio aliquid in Protestantes struatur, quod Catholici Ordines insitatum gaudium ob id bellum ostendant, ac Præsulem clam fovere credantur. Unde Cæsar per Salisburgensem Ordinibus Protestantibus, ac præcipue Electori eam suspicionem eximere conabatur; testatus, cum eo bello nil sibi negotii esse, ac se remedia dispecturum servandæ Imperii tranquillitati. 1665. Quanquam Cæsarem mature de Episcopi destinatis cognovisse indicio erat, quod hic duos legatos Viennam misisset, qui omnia sermone transegerant, nullo scripto: & quia ad literas Electoris, queis Cæsarem rogarat, ut ab armis Præsulem dehortaretur, tarde responsum dabatur, Cæsare excusante, Præsulis declarationem sibi fuisse expectandam. Elector porro suos Legatos Ratisponæ pro sententia dicere jubebat: *Episcopo nil auxilii ab Imperio deberi, velut aggressori; ac male eum fecisse, quod inscio Cæsare, ac Imperio, Circulique Westphalici Ordinibus tam periculosum bellum moverit, per quod vicinis multa jam incommoda inferantur: quibus avertendis copias à se in Cliviam fuisse evocandas, & plures conscribendas; præsertim cum Belgæ bellum è sua ditione in vicinos devolvere nitantur. Et cum Præsul istis damnis reparandis non sufficiat, Ordinibus cogitandum, quomodo surgens incendium mature sisti possit. Sane si qua Præsul à Belgis læsus fuisset, querelas prius ad Imperium deferendas, & per hoc satisfactionem postulandam. Tali autem modo Imperium bello involvere ne Cæsari quidem per Legem Regiam fas esse. Ac probe considerandum, à Gallo Monasteriensem literis suis aggressorem declarari, & copias in auxilium Belgis submitti.* Unde & Cæsar componendis hisce turbis Electorem, & Augustum Ducem Guelferbytanum sequestres designabat. Eo majore autem cum sollicitudine Elector circa id bellum sedandum nitebatur, quod non modicam suspicionem injiceret Gallus, clam ab ipso requirens, num placeat Cliviam ipsi vendere? Et quia satis adparebat, Gallos, qui Belgis auxilio venerant, etsi atrociter loquerentur, non adeo infensos Episcopo esse. Quæ & causa erat, quare Elector ratihabere nollet fœdus cum Neoburgico, & Monasteriensi Dorstonæ per delegatos conclusum tutando Circulo Westphalico, ne Præsul eo confisus ad pacem admittendam durior redderetur. 4. Febr. Quod fœdus & Lessanus legatus Gallicus Neoburgico, & Coloniensi dissvadebat, cui ob occulta sua destinata conjunctio ejus Circuli parum æquis oculis adspiciebatur.

Idem à Belgis restitutionem Clivicarum urbium quærit. 25. Jul.

§. 10. Porro cum Episcopi armis Belgas peti manifestum esset, haut intempestivum videbatur Electoris Hagæ ministris super Belgico milite Clivicis oppidis deducendo movere. Vicissim Belgæ Electorem ad fœdus secum ineundum invitabant. Super quo Elector Blaspielo injungebat ita disserere, velut id sibi magnopere affectaretur, ut tamen id recusaturus non sit, si & ipsi deinceps Electoris emolumenta haut neglecturi sint. Simul demonstraret, jus utique huic esse restitutionem suorum oppidorum deposcere: id tamen eundem amicitiæ cum Rep. dare, ut eodem rigore, quo alii, in præsens uti nolit. Saltem tamen Orsoium eidem tradendum, quo facile carere Belgæ possint; tum vetustum debitum abolendum,

1664. tempestatis causa ingressis Angli manus injiciebant, velut ad Belgas spectantibus; quod persuadere sibi non possent, Electori armatas naves esse. Ac suspicabantur, Arausionensem Viduam in gratiam quorundam Belgarum literas tuti itineris ab Electore obtinuisse. Id negotium Brandio multum molestiæ facessebat, qui incassum rationibus certabat adversus homines suspicionum fœcundissimos, inflatos insuper, & aliena rapere avidos; queis & Eboracensis Ducis autoritas ferociam addebat, quod exterorum naves, in Anglorum portubus publicatæ, ad istum spectarent; & quia ipsi in partem prædæ veniebant. Cum itaque Angli literas tuti itineris, quas nautæ proferebant, fictas contenderent; Elector propria manu ad Regem scribebat, confirmans naves illas suas esse, ac merces ad Hispanos spectare. His si nihil proficeretur, Brandius dicere jubebatur; satis perspicere Electorem, quanti sua amicitia in Anglia fiat, & quantopere ipsum sua spes fefellerit: ac inde necessitatem sibi imponi alia consilia pro conditione præsentium temporum capiendi, ac reparationem damni quærendi; ac in proclivi sibi fore naves & merces Anglicas in Borussia tantisper detinere. Simul toti orbi demonstratum, uti post tot sinceræ amicitiæ specimina, quæ ipse Regi per adversa, & prospera exhibuerit, vicissim secum actum fuerit. Tum in Borussia navibus, & mercibus Anglicis manus injici jussit. Ita Rex istas naves iterum dimittebat, ob moram non leve damnum passas; & excusabat Eboracensis tempora suspicionibus obnoxia, & artes mercatorũ, queis lucri causa aliis illudere nulla religio est.

Brandius ex Anglia revocatur. 1665. §. 7. Ex hisce satis perspexerat Elector Angliæ Regis inclinationem & genium, & quam haut tutum foret temere huic sese illigare. Unde placebat nil festinanter decernere, simul speculari, num Sveci, ac Dani in partes descensuri sint; utris sese Gallus sociaturus sit; quid Coloniensis, Neoburgicus, Monasteriensis consiliorum agitent; quam viam Wittius initurus sit. Nec consultum videbatur Brandium diutius in Anglia agere illiquida spe quid obtinendi. Nam ibi adquiescendum erat ambiguis asseverationibus, verbisque semiabruptis, & queis semper exceptio aliqua caudæ invicem adjiciebantur. Et ex Cornburgii literis, queis de successu negotii Brandium se edocturum promittebat, certiora sperabantur. Ejusdem quoque discessu Belgarum suspicio declinabatur; quibus ostendendum erat; Electorem in Anglia cavere voluisse, ne controversiæ in bellum erumperent. Sed cum nil profici videret, legatum revocasse; præsertim cum spes sit, utramque partem haut omissuram oculos ad libertatem Maris Baltici reflectere. Ac deinceps missio majore cum fructu repeti poterat penitius exploratis Anglorum animis, & perspecto, utri parti fortuna, pluresve amici adfuturi essent. Ac fortasse deinceps è re futurum erat suspicionem Belgis injicere, ubi ferocia ipsorum paulum infracta foret. Tunc autem si is diutius in Anglia moraretur, haut omissuri erant infinitis quæstionibus eundem obtundere, ad quas si tantum responde- 1665. re non posset, quantum ipsi cupiebant, forte pro exploratore habendus erat; præsertim cum jam de tractatibus ab Electore Hagæ agitatis spargeretur. Et quia Angli sine discrimine quæ sibi solis utilia erant ab aliis velut debitum exigebant, negotiatio intra eos, uti cœptum erat, limites, contineri non amplius poterat; sed vel offensa eorum incurrenda, si non cœco impetu in eorum placita rueretur, vel in societatem belli veniendum erat: quorum utrumque anceps, ac rebus Electoris eo tempore minime expedire videbatur. Sane cum au- *17. Febr.* ditum esset, ab Electore nuper delectus militum in Clivia Belgis interdictos, gestiebant velut initio hostilitatis facto; cum id fieri necessum foret exercendo supremi imperii juri. Saltem censebant ab Electore ansam præbendam, ut Belgis necessum foret numerosum exercitum tutandis finbus versus Westphaliam alere, ac præsidia ibi locorum augere. Id quod tamen ab Electore fieri non poterat citra offensam sex provinciarum, quæ circa vetus debitum sat æquas se gesserant, & in Hollandia eorum, qui Arausionensi Domui favebant. Et ubi semel Anglis se innexuisset, non minus imperiose cum ipso acturi erant, quam cum Dano egerant. Igitur Elector Brandium ex Anglia discedere jussit, conventione prius cum Cornburgio inita, ut per literas ipsi significet, quando opportunum foret negotiationem iterum suscipi. Color discessus dicebatur, Electorem alibi opera ipsius usurum.

Angli id negotium ulterius urgent. §. 8. Ast Hagæ Georgius Dovvingius ablegatus Anglicus Blaspielo apud Belgas res Electoris curanti, citra ambages proponebat; *gratum fore Angliæ Regi, si Elector, Coloniensis, Neoburgicus, & Monasteriensis, querelas suas, quibus Belgæ hactenus iis satisfacere abnuerunt, præsentis belli occasione communicatis consiliis strenue urgeant. Vix commodius tempus optari posse istis abolendis, quo haut uti turpe sit. Posse fœdus inter Regem, & Electorem arctius stringi, ac istum se obstricturum pacem cum Belgis non inire, quoad huic satisfactum sit; qui vicissim Regis destinata firmare haut sit recusaturus. Equidem Rempublicam Belgarum servari necessum esse; insolentiam tamen Wittianæ factionis utique reprimendam, simul partem commerciorum avertendam accidendis nimiis opibus, superbia fomitem præbentibus. Multis autem rationibus Electorem, & alios vicinos invitari, ut Angliæ sese innectant. Nam inter Anglos, & Gallos probe convenire, utut hi torvum tueantur. Ac Gallum componendis inter Angliam, & Belgium controversiis sese jam accingere; cujus officium tamen apud Belgas parum ponderis habeat, qui & ipso postulante Reinbercam, & Ravesteinium dominis suis reddere abnuerint. Ast suscepto fœdere proposito Belgis necessitatem allatum iri omnibus satisfaciendi.* Enimvero etsi Electori optandum fuerat, hac occasione à Belgis quæ cupiebat posse extorqueri: haut tamen placebat in societatem belli venire, ni ultro ab hisce vis inferretur. Eoque valde circumspecte agendum judicabat, ac ita circa sua recuperanda nitendum, ut ta-

1665. ut tamen utique prohiberetur, ne bellum eousque exardescat, ut non nisi ruina alterutrius partis extingui posset. Ac probe considerandum erat, quod Belgæ fœdus cum Svecia renovarent; Danus quantumcunque amicum sese Anglis ferret, circa conjunctionem cum his valde tergiversaretur; Gallus ex utraque parte emolumentum captaret, & in turbido piscari institueret. Sed Elector per turbas Polonicas distringi poterat, ut negotio heic cœpto quandum par erat incumbere non posset. 25 April. Et jam Angliæ Rex Electorem ad conciliationem inter ipsum, & Belgas suscipiendam invitabat. Id quod Elector per Blaspielum Wittio significabat; qui eam ambabus manibus amplecti videbatur; rogabat tamen, Elector ita ageret, ne Belgæ istam ambiisse credantur. quanquam Devvingio Electoris opera non admodum grata erat, qui cum omnium judicio id incendium excitasset, ejusdem quoque extincti gloriam captabat, cum haut modico lucro conjunctam. Simul jactabat, incassum super conciliatione moveri, antequam Belgarum superbia fracta sit.

Electoris circa extinguendum bellum Monasteriense studium.

§. 9. Sed non par circumspectio adhibebatur Christophoro Bernhardo Galeno Monasteriensi Præsuli. Eum ingenio turbidum, & artibus non sui ordinis inclarescere cupidum Belgæ quondam irritaverant, dum circa Monasteriensem urbem subigendam occupatum impedire student. Qui ut istis vicissim ægre faceret, exsecutionem sibi adversus Frisiæ Orientalis Comitem deferri curaverat, qui Hartmanno Lichtensteinio Principi certam pecuniæ summam debebat; quo fine Præsul Dilense munimentum occupabat. Sed quia id Belgarum finibus imminebat, qui infestum hominem in propinquo nidulari nolebant, immissis copiis præsidium castello ejectum fuit. Ejus contumeliæ ulciscendæ, simul vindicandæ Borckeloæ occasionem sibi hoc bello enatam gavisus Anglo se addixit. Quas & causas armorum in Belgas sumtorum Ratisponæ adducebat. Simul querelas movebat, à Georgio Friderico Waldeccæ Comite militiam Belgicam sumtam, qui aliquot militum millia in Belgarum usum conducenda susceperat, petens ne Elector hisce transitum concederet. Sed responsum: Germanis liberum esse exterorum militiam sequi; nec à Belgis contra Imperium bellum geri. Waldeccium quoque inter Ordines imperii censeri, cui jus fœderum competat. Ac Elector per suos Ratisponæ gravitatem hujus negotii demonstrari jubebat, facile ingentes Germaniæ turbas pariturî, præsertim Circulo Westphalico, qui jam multa incommoda inde sentire cœperit. Nec Præsuli fas esse absque Cæsaris, & Imperii consensu bellum ordiri. Unde Ordinibus cogitandum super remediis huic incendio mature extinguendo. Simul Cæsari insinuabat, haut immerito suspicione se perstringi, velut eo principio aliquid in Protestantes struatur, quod Catholici Ordines insuetatum gaudium ob id bellum ostendant, ac Præsulem clam fovere credantur. Unde Cæsar per Salisburgensem Ordinibus Protestantibus, ac præcipue Electori eam suspicionem eximere conabatur; testatus, cum eo bello nil sibi negotii esse, ac se remedia dispecturum servandæ Imperii tranquillitati. Quanquam Cæsarem mature de Episcopi destinatis cognovisse indicio erat, quod hic duos legatos Viennam misisset, qui omnia sermone transegerant, nullo scripto: & quia ad literas Electoris, queis Cæsarem rogarat, ut ab armis Præsulem dehortaretur, tarde responsum dabatur, Cæsare excusante, Præsulis declarationem sibi fuisse expectandam. Elector porro suos Legatos Ratisponæ pro sententia dicere jubebat: *Episcopo nil auxilii ab Imperio deberi, velut aggressori; ac male eum fecisse, quod inscio Cæsare, ac Imperio, Circulique Westphalici Ordinibus tam periculosum bellum moverit, per quod vicinis multa jam incommoda inferantur: quibus avertendis copias à se in Cliviam fuisse evocandas, & plures conscribendas; præsertim cum Belgæ bellum è sua ditione in vicinos devolvere nitantur. Et cum Præsul istis damnis reparandis non sufficiat, Ordinibus cogitandum, quomodo surgens incendium mature sisti possit. Sane si qua Præsul à Belgis læsus fuisset, querelas prius ad Imperium deferendas, & per hoc satisfactionem postulandam. Tali autem modo Imperium bello involvere ne Cæsari quidem per Legem Regiam fas esse. Ac probe considerandum, à Gallo Monasteriensem literis suis aggressorem declarari, & copias in auxilium Belgis submitti.* Unde & Cæsar componendis hisce turbis Electorem, & Augustum Ducem Guelferbytanum sequestres designabat. Eo majore autem cum sollicitudine Elector circa id bellum sedandum nitebatur, quod non modicam suspicionem injiceret Gallus, clam ab ipso requirens, num placeat Cliviam ipsi vendere? Et quia satis adparebat, Gallos, qui Belgis auxilio venerant, etsi atrociter loquerentur, non adeo infensos Episcopo esse. Quæ & causa erat, quare Elector ratihabere nollet fœdus cum Neoburgico, & Monasteriensi Dorstonæ per delegatos conclusum tutando Circulo Westphalico, ne Præsul eo confisus ad pacem admittendam durior redderetur. 4. Febr. Quod fœdus & Lessanus legatus Gallicus Neoburgico, & Coloniensi dissvadebat, cui ob occulta sua destinata conjunctio ejus Circuli parum æquis oculis adspiciebatur.

Idem à Belgis restitutionem Clivicarum urbium quærit.

§. 10. Porro cum Episcopi armis Belgas peti manifestum esset, haut intempestivum videbatur Electoris Hagæ ministris super Belgico milite Clivicis oppidis deducendo movere. Vicissim Belgæ Electorem ad fœdus secum ineundum invitabant. Super quo Elector Blaspielo injungebat ita disserere, velut id sibi magnopere affectaretur, ut tamen id recusaturus non sit, si & ipsi deinceps Electoris emolumenta haut neglecturi sint. 25. Jul. Simul demonstraret, jus utique huic esse restitutionem suorum oppidorum deposcere: id tamen eundem amicitiæ cum Rep. dare, ut eodem rigore, quo alii, in præsens uti nolit. Saltem tamen Orsoium eidem tradendum, quo facile carere Belgæ possint; tum vetustum debitum abolendum,

1665. dum aut ita disponendum, ne deinceps super immissione in ditiones Clivicas minæ spargantur. Tum ut vectigal apud Gennepam Electori reddatur, ac super præsidiis certa conventio ineatur, quo præfecti etiam isti fidem dent, portas semper eidem apertas teneant, nihil in fraudem imperii sui tentent, simul caveant, ne ista oppida in alienas manus perveniant. Ad quæ promtam declarationem exigeret, quod & alia fœdera Electori offerantur, ipsius Domui valde quidem proficua, sed quæ cum fœdere, quale Belgæ expetant, consistere nequeant. Ac circa debitum Husserianum opera Jo. Friqueti Cæsarei, & Dovvningii Anglici ab-
1. Aug. legati res eo deducta est, ut in Consilium Mechliniense compromitteretur. Sed postulato super reddendis Cliviæ urbibus, queis Elector nunc bello in vicinia surgente ad sui, provinciæque securitatem opus habeat, Belgæ nonnihil perturbabantur; quod neque illis libenter cederent, nec tamen hac rerum facie Electorem offendere è Rep. judicarent. Et uti optabant cum ipso fœdus ferire; ita si duræ nimium conditiones ferrentur, satius habebatur cum Coloniensi, & Neoburgico transigere, quibuscum leviores controversiæ erant, aut alios Germaniæ Principes in partes trahere. Animos quoque addebat sponsio Gallica, qua Rex receperat, sese Belgas in possessione omnium locorum tuiturum, quæ hi præsidiis suis
d'Estrades. teneant. Legatus quoque Gallicus Strada innuebat, ea oppida melius in Belgarum, quam Electoris manu esse; quod Galliæ, & Belgarum interfit, ne Electoris potentia his in oris gliscat. Unde visum Belgis negotium fœderis extrahere, quoad adpareret, uti se res cum Anglis, & Gallis daturæ sint. Contra nostri à Belgis postulabant, ita circa oppida Cliviæ suo milite insessa disponerent, ut hæc provincia extra belli consortia maneat. Et quia Electori quoque in Gallum, Anglum, & Monasteriensem respiciendum erat, haut placebat tractatibus se obtrudere, quamdiu Belgæ nil eximii offerrent. De cætero in omnibus congressibus ita se gerebant, ut neque à fœderis renovatione abhorrere, neque eandem valde affectare viderentur. Tum ne Anglis suspicio nasceretur, velut Elector plane ipsorum amicitia abdicata Belgarum partibus sese addicturus esset, Dovvningio significant; eam fœderis renovationem hautquaquam contra Anglos tendere, sed eos, qui Germaniam turbis involutum eant; & ea occasione Electorem restitutionem oppidorum Clivicorum quærere; quo facultas ipsi accessura sit Angliæ si non in præsens, saltem deinceps utilem operam navandi. Etsi Dovvningius haut judicaret Electorem circa hæc oppida voto suo potiturum, quod Belgæ oblatis Luneburgicæ Domus auxiliis confisi Electoris se copiis carere pos-
9. Sept. se credant. Ac sane animadvertebatur, omnes provincias in eo conspirare, ac in præsens nulli oppido præsidia sua deducerent, etsi de cætero Electoris amicitia frui cuperent. Eam quippe restitutionem huic oneri magis, quam lucro futuram; Et cum ea res ad singulas provincias referenda sit, multum temporis elapsurum, antequam tam multa capita ad consensum permoveri queant. 1665. Coloniensem quoque, ac Neoburgicum hoc exemplo sua repetituros. Creditum quoque iri, Remp. in tantas angustias redactam, ut non nisi tam duris admissis legibus sibi consulere queat. Quo in- 23. Sept.
tellecto cum Electori in præsens utique certa consilia capessenda essent, suis injungebat Belgas liquidam declarationem exposcere, num ipsius postulatis satisfacere velint. Ad extremum tamen adquiescere volebat, si Orsoia protinus, Gennepa post finitum bellum restitueretur. Tum ut ubi necessitas exigat, ipse, & Cancellaria Vesaliam se, aut Emmericam recipere possit; quo casu præsidium ipsi quoque sacramentum dicere debeat. Reliquis locis præsidia manere posse usque ad finem fœderis, ubi pluribus de hoc negotio sit agendum. Interim circa præsidia probe disponeretur, ne provinciæ oneri sint. Ubi circa hæc sibi satisfactum fuerit, super concedendis copiis, si Belgæ terra invadantur, declaraturum. Simul quia Monasteriensis bellum jam Belgis indixerat, Elector ab his postulabat, è Clivicis oppidis hostilia in Præsulis ditionem inferre supersedeant, ne bellum in Cliviam pertrahatur; pollicitus, se à Præsule quoque impetraturum, ne & is hostilia in præsidia Clivica exerceat. Enimvero uti Belgæ, antequam longius circa 7. Oct.
fœdus procederent, cupiebant ab Electore declarari super auxiliis adversus Præsulem ferendis; ita circa restitutionem unius & alterius oppidi difficiles valde se gerebant, stimulantibus Arausionensis Domus inimicis, ne Electori facultas præberetur delectus ad Rhenum instituendi, & hospitia militaria capessendi. Et animos ipsis addebat spes auxiliorum Gallicorum, ac fœdus cum Luneburgicis initum sequestre Waldeccio, quem & militiæ suæ ducem adsciscebant velut Nassoviis æmulum. Ne tamen 17. Oct.
Electorem penitus protelarent, Emmerico se præsidium deducturos offerebant; sed nosse cupiebant, quantum copiarum iste adversus Præsulem præbere velit. Nostri contra demonstrabant: Electori ejusmodi locum habendum, ubi Rhenum quandocunq; placuerit transire, ac in provinciam suam pervenire possit; quo fine Orsoia sibi opus esse, qua concessa auxilium ipsius Reip. haut defore. Cujus oppidi spem Belgæ 22. Oct.
demum facere videbantur, etsi multis è provincia Hollandia adhuc dissentientibus, ea tamen lege, ut Elector sex militum millia cum ipsis conjungat, compescendo Præsuli, & aliis absterrendis, ne huic bello sese ingerant. Id quod nostris parum arridebat, quod hoc modo Electoris exercitus dividendus, ac ejusdem insignis pars incertum cui duci subdenda esset, cui eam destruere in proclivi futurum sit. Ita Electorem debilitatum cum reliquis nil ardui suscipere valiturum, Belgis quoq; parum aut nihil subsidiariæ pecuniæ præbituris. Ita quanquam pronis in Electorem cæteris, adversa Arausionensi factio impediebat, ne Electori satisfieret; quæ eousque processerat, ut periculum Gallici jugi subire quam Arausionensem majorum mune-

1665. muneribus restitui mallet; id quod futurum metuebat, si Resp. Electoris opera servaretur.
14. Oct. Unde & nostri non ausi fuerant literas Electoris Ordinibus Generalibus tradere, quibus dissuaserat, ne Gallica auxilia exigere properarent; quod validæ copiæ auxiliares non semper in ipsorum potestate futuræ, simul magnam suspicionem apud vicinos excitaturæ sint.

Electoris circa societatem belli Belgici considerationes.

§. 11. Cum itaque Belgas parum sincere procedere videret Elector, ipsi quoque placebat sese haut ita solicite istis obtrudere, aut in societatem belli properare. Nam arma ad extremum capi solere, quando omnia paci servandæ remedia frustra consumta fuerunt. Tum & hactenus ipse apud omnes Principes curam ostenderat turbis hisce amica via componendis, parto inde non modico favore; qui prodigendus erat, si nunc protinus haut tentatis tractatibus in arma rueretur. Sed nec bellum id peculiariter Electorem tangebat; & quia Belgæ non modo ad æquissimas, quæ proponebantur, conditiones ita difficiles se exhibebant, sed & non obscure significabant, parum sibi placere Electoris conjunctionem; sat rationis erat, quare extra bellum manere vellet. Quod si Præsulis arma solis controversiis inter hunc, & Remp. innitantur, haut operæ pretium erat Electorem eo nomine inimicitias contrahere, quod iste solus brevi subruendus videretur. Sed si alii Principes hasce turbas clam foveant, præmaturum erat jam in partes descendere; sed præstabat speculari, quo alii se conversuri essent, ut demum consilia capi possent, securitati status sui quam maxime idonea. Porro etsi Electori ab Anglo parum beneficii erat expectandum; idem tamen multum molestiæ ipsi dare poterat, si alii in Pomerania, aut Borussia mari quid tentarent. Et quanti Monasteriensis ab Anglo fieret, notum erat. Equidem difficile interim Electori erat de suo copias alere. Ast bello suscepto statim plus pecuniæ requiri, quam si copiæ quiescant. Præsulis quoque ditionem, si maxime tota subigatur, haut suffecturam bellantium copiis alendis. Contra si iste socios sibi adsciscat, arridente successu belli sedem in vicinorum provincias devoluturum. Si autem Præsuli aliunde auxilia non accedant, Belgarum copias, auxiliis Gallorum firmatas sat validas fore isti in ordinem redigendo. Fortasse quoque si Belgarum vires nimium augeantur, eorum destinata longius progressura, quam Electoris rationibus expediat. Denique Belgas exprobrare non posse se ab Electore destitutos, cum is auxilia sua æquissimis legibus obtulerit. Quod si denique iidem infesta in Electorem agitent, haut defore vires, queis istis resistatur. His expensis placebat in præsens, & quoad aliorū vicinorum inclinationes explorarentur; in arma haut descendere, sed potiꝰ operam componendis hisce motibus interponere; nec minus interim tractationem cum Belgis continuare.

Tractatio cum Belgis continuatur.

§. 12. Inter hæc declaraverant Belgæ, se Orsojam reddituros, fœdusque renovaturos, sed his duntaxat legibus; *ut Elector intra mensem à concluso tractatu validum exercitum in promtu habeat, quicum protinus in Præsulem rem gerere possit: ut statim post ratihabitionem fœderis jam renovati bis mille milites Belgis subsidio mittat: reliquarum copiarum pars dimidia ab Electore, para altera à Belgis sustentaretur, prout cum Luneburgicis convenerit: interim dum copiæ contrahuntur apud Præsulem officium sedandis turbis interponeret: super arctiore conjunctione deinceps agendum.* Scilicet nolebat Wittiana factio Electorem his oris nimium firmari, ac valido exercitu instrui, quo ipsos è propinquo liberare posset. Sed si utique fœdus cum Electore sit instaurandum, sufficere duo millia ex vetere formula submitti, cum ipsi adjunctis Luneburgicis, ac Gallis quinquaginta millium exercitum contrahere possint, obruendo Præsuli abunde sufficientem. Ac arctiore cum Electore conjunctione Gallis, quibus ea factio nitebatur, suspicionem injectum iri. Contra Electori haut placebat Belgis auxilia subministrare, ni pariter arctior illa conjunctio perficeretur, ne novos sibi inimicos faceret, nullo adversus futura pericula, præsidio. Sed absoluto fœdere ad omnia, quæ à fido amico, & vicino requiri poterant, præstanda paratus erat. Simul plures legiones in Westphaliam evocabat, & ipse Clivos se conferebat, ut perfecto fœdere statim conventa repræsentare possent. Inter hæc Belgarum vacillantia consilia, dum Arausionensis factio Electori, Wittiana Gallis studet, nostri non anxie, ast candide negotium tractabant, ac amicis suis demonstrabant; satius utique esse bellum Monasteriense citra sanguinem componi, utut Belgarum animis in Præsulem valde irritatis, & Gallica arma Circulo Westphalico dimoveri, quæ sine dubio arcana quid agitent. Simul ferociam eorum mitigabant, protervum Præsulem armis castigandum; quod satis pœnæ foret, destinatis suis evolvi, & ad arma ponenda compelli. Simul periculo non carere, quod Belgæ arma in ditionem Imperii promovere aggrediantur, ac judices in propria se causa ferant. Ac arduum nimis esse, quod Præsulem sua ditione ejicere, munitionesque solo æquare agitent, instauratis cum civitate Monasteriensi commerciis ad compescendos in futurum Præsules. Nam satius esse securitati, quam vindictæ consulere. Interim dum Wittius apud classem abest, negotium fere ad liquidum erat deductum. 15. Nov.
Sed is reversus pleraque iterum subvertebat; ac negabat Electorem alia lege Orsojam recuperaturum, ni in præsens bellum descendat, exercitumque propriis sumptibus alat. Sed si pecuniario subsidio frui velit, oppidorum recuperatione supersedendum. Quæ quidem conditio Electori rationi, & æquitati adversa, ac parum honesta eo tendere videbatur, ut negotiatio ista plane abrumperetur, ac destinata sua circa conciliandam pacem eluderentur. Sane enim nunquam Belgæ jus aliquod in Clivica oppida obtenderant, ut ea tam care redimenda essent; & si quid actionis movere possent, ei solenniter renuntiarant. Tum absurdum erat, auxilia in eorum usum missa Electoris sumtibus ali. Cui nec tuto in sua

1665. in sua provincia subsistere licebat nisi munito ad receptum oppido tradito. Spes tamen erat Belgas ad saniora conversos ita demum cum ipso acturos, prout vetere necessitudine dignum erat, nec tam fidele studium usque adeo adspernaturos; Præsertim cum periculum in dies glisceret, ut conjunctione consiliorum, & virium utique iis opus esset, qui iisdem rationibus connectebantur. Cum itaque Elector operam Reip. inito fœdere navare non posset, sequestrem se componendis cum Præsule turbis ferre instituit. De quo cum nostri jussu Electoris Stradæ legato Gallico communicarent, hic judicabat, Electorem haut operæ pretium hoc officio facturum. Nam Galliæ Regem cum Anglo pacem abrupisse, cui Præsul ita arcte innexus sit, ut huic cum Belgis absque Anglo transigere integrum haut sit. Belgas quoque non tam sequestris officium, quam auxilium affectare, qui & salva existimatione ad tractandum descendere nequeant, quoad Præsul omnia loca à se occupata restituerit, abducto extra ipsorum ditionem milite. Offerebat inde Belgis Elector, se post conclusum fœdus octo militum millia intra sex septimanas ad usum Reip. in promtu habiturum, tum aliquot insuper millia, quibuscum citra obligationem suscepturus sit, quod è re videatur.
1. Dec. Wittius contra declarabat, Orsoiam evacuari non posse, & quidem demum post finitum bellum, ni Elector cum exercitu propriis sumptibus in Præsulem bellum gerere velit. Sed si Orsoia postulanda desistat, ac Præsuli bellum faciat, à Republica opimum stipendium ipsi præbitum iri. Nec prius super renovando fœdere agi posse, quam Elector de mittendis auxiliis annuerit. Demum cum multa negotiatione Hagæ parum proficeretur, Belgæ legatis Clivos missis demonstrabant: *ignominiosum fore Reip. hac rerum facie oppidis Clivicis præsidia deducere, idque alios in exemplum tracturos. Ac se confidere veterem Reip. amicum postulato isti in hujus fraudem haut insistiturum.* Ad quæ Elector: *se testandæ amicitiæ negotium super redditione oppidorum ad finem belli Monasteriensis sepositurum, simul operam navaturum, ut id bellum amica via sopiatur, ac expectaturum, quid Belgæ vicissim oblaturi sint.* Quæ declaratio cum Belgis valde arrideret, nostri formulam fœderis offerebant; Belgis contra varias difficultates
16. Dec. moventibus, velut tempus duntaxat extrahere cordi esset. Nostri id præcipue urgebant, ut fœderi Pomerania quoque, & Borussia includeretur; tum disertis verbis exprimeretur, ut post pacem super reddendis Clivicis oppidis agatur, ne forte id aliquando in fraudem Electoris adducatur, si cum antea de iis moverit, nunc plane silentio involvat. Missis copiis auxiliaribus æquum esse subsidia præstari, cum copiæ istæ utique in usum Reip. comparentur. Haut quoque decorum, ducem, qui Electoris copiis præficiendus sit, Belgis jurejurando se obstringere, velut huic parum fidatur. Nam Luneburgicorum exemplo Electorem haut teneri, cui cum Belgis vetusta necessitudo intercedat, & his per Clivica oppida satis cautum sit. Sed cum quæ hinc inde concipiebantur formulæ non congruerent, Strada Regis sui jussu operam ei fœderi conciliando offerebat. 1665. 20. Dec.
Quem Elector Clivos accedere optabat. Sed cum is digniorem locum in Electoris ædibus vetere Cæsareorum, & Regiorum legatorum more sibi deposceret; id quod Electores de compacto deinceps haut permittere decreverant; id iter omissum est. Et quia ipsi Galli fatebantur, Electorem plus quam par erat remisisse, hic suis injungebat, ut si Belgæ in has leges concludere nollent, ipsi tractationem non ulterius persequerentur, ac in consessu Ordinum demonstrarent, qua ratione res ab horum delegatis extracta sit; quo universi ipsius mentem intelligant, quæ sæpe à delegatis suppressa, aut sinistre explicata fuerat. Ad extremum in eo negotium hærebat, quod Belgæ ab Electore præstari postularent evictionem urbium, quas isti in Imperio insidebant. Quod cum Imperii, ipsiusque Electoris juribus in fraudem cederet, ac Coloniensem, atque Neoburgicum offensurum esset, à nostris rejectum fuit. Usque adeo toto hoc tractatu Elector æquum se, & moderatum, Belgæ duros, ac iniquos sese exhibuere. Qui & interim Clivica oppida enormi præsidio oneraverant, immisso quoque Gallico milite, provincialibus admodum molesto: ne quid forte Elector in oppida ista tentaret. Missus demum à Belgis Hieronymus Beverningius Clivis negotio colophonem imposuit; circa quod Electori tutissimum videbatur ita se Reip. ad ferenda auxilia obstringere, ut integrum sibi foret interposito officio pacem conciliare. Cupiebat Elector in favorem Arausionensis quid stipulari. Sed Hollandi suggerente Wittio, & legato Gallico causabantur, se nolle ab exteris circa domestica negotia aliquid sibi obtrudi. Super eo fœdere inito Elector Cæsari significabat, & quam graves causæ id inire subegerint: simul rogabat, ut is Præsulem ad amplectendam pacem hortetur. 6. Jan. 1666. 4. Febr. Beverning.

§. 13. Ejus fœderis defensivi hæc erant summa capita. *Recipiunt in se Belgæ tutandas Electoris Clivicas ditiones ab Electore in præsens possessas, cum aut deinceps legitimo modo adquirendas, tum Borussiam, & Ulteriorem Pomeraniam, si abs quopiam aperta vi invadantur. Vicissim Elector defensionem præstabit Unitarum Provinciarum, & iis subjectarum in vicinia ditionum, si istis, aut navigationi, & commerciis eorundem in Mari Baltico vis inferatur. Junctis quoque auxiliis salvus præstabitur cultus Evangelicus per Juliacenses ditiones, si is, antequam Electori cum Neoburgico super eo convenerit, vi turbetur. Denuntiatione facta ab eo qui invaditur, alter quamprimum fieri poterit auxilia submittat; ut tamen huic integrum sit officium suum apud invasorem interponere, quo turbæ amica ratione componantur. Id fœdus neutrius partis juribus, nec quæ cum aliis intercedunt fœderibus & pactis derogabit, ac inprimis obligationi, quæ Electori adversus Cæsarem, & Imperium incumbit, ac ejusdem cum Polonia initis pactis. Casu fœderis existente Elector Belgis duo peditum millia, hi Electori tria peditum millia auxilio submittent, à* Fœdus cum Belgis.

mittente

1666. mittente alenda, ut tamen is cui subvenitur, iis copiis de hospitiis prospiciat. Peditum loco equites, pecuniam, naves, paratumve bellicum accipere licebit, ita ut milleni pedites quaternis uncialium millibus menstruis taxentur. Ob isthæc tamen auxilia alteri, qui isthæc exhibet, haut necessum erit pacem cum fœderati hoste abrumpere. Ea auxilia si ad periculum depellendum non sufficiant, fœderati ad plura invicem præstanda tenebuntur; de quorum numero prius inter ipsos convenietur. Si transitu per alterutrius fœderatorum terras opus sit, de eo mature significabitur, ac ut is innoxius sit præstabitur. Si alii hospitationes, transitusque per alterutrius ditiones tentent, juncta ope, ut isti inhibeantur, laborabitur. Belgæ oppidis, & castellis, quæ in Clivia suo præsidio insident, eo militum numero prospicient, ut istis contra omnem oppressionem satis cautum sit. Ea præsidia civibus molestiam non exhibebunt, nec imperio, ac juribus Electoris in ea loca quidquam derogabunt. Quod si eadem loca ab aliis impetantur, Elector non aliter id considerabit, ac si idem sibi factum esset, ac promissa superius auxilia repræsentabit. Ex iis præsidiis nullum jus Belgis ad ea loca nascetur, nec Electori, ejusve posteris nullum inde præjudicium creabitur. Pro annona, ac paratu bellico per alterius ditiones transvectis utraque pars solita privatis vectigalia persolvet. Utriusque fœderatorum subjecti non majoribus invicem vectigalibus onerabuntur, quam à propriis civibus aut exteris, qui minimo onere defunguntur, persolvi sueverunt; ac si quid controversiæ oriatur, ad ordinariam juris viam, non ad infestas retorsiones, manuumque injectiones decurretur. Elector in portubus suis ad Mare Balticum subjectis Reip. Belgicæ non plus onerum, quam in præsens receptum est, imponet, nisi de communi consensu. Commercia inter cives utrinque libera erunt; portusque utrinque patebunt. Aliis huic fœderi accedere integrum erit, utriusque partis consensu, & ne alterutrius fœderatorum conditio inde deterior reddatur. Durante hoc fœdere utriusque partis subditi exemti erunt ab onere, quod alias migraturis aut hæreditatem adituris persolvendum est. Fœdus hoc duodecim annos durabit; de cujus prorogatione biennium antequam id expirarit, agendum erit. Ubi si conveniri non possit, res ad antiqua fœdera, & pacta redibit. Utrinque opera dabitur, ut huic fœderi accedant alii Principes, & Respublicæ, ac inprimis Westphalicus, & uterque Saxonicus Circulus. Nemini delectus militum, aut nautarum concedatur, adversus quem ex hoc fœdere auxilia ferenda sunt. Utrique in alterius ditione liberum erit militem conscribere, tum naves bellicas, earumque adparatum emere, aut conducere, ni dominus regionis, aut portuum ipse opus habeat, aut aliæ insuperabiles difficultates obstent. Fœderati utrinque itinera terra marique libera præstabunt. Id fœdus intra diem decimum quartum ratihabebitur. Subscripsere id Otto Sverinus Baro, Wernerus Wilhelmus Blaspiel, & Matthias Romsvvinckel: Belgarum nomine Hieronymus *van Beverning.* die 6. Februar. (16. Febr.) 1666. Clivis.

Tractatus con-

§. 14. Alia dehinc conventio inibatur super compescendis turbis ab Episcopo Monasteriensi motis. Cujus initio *Elector sibi reservabat libertatem amica via per se, aut assumto in societatem opera Cæsare, aliisque Principibus Imperii compositionem earundem tentandi, æquis conditionibus jam designatis, aut deinceps communi consensu designandis. Hoc modo si nihil proficiatur, Elector opem suam sociabit ad Præsulem, & ejus auxiliarios in ordinem redigendos, ut tamen adversus hos extra præsens negotium arma sumere haut necessum sit habiturus. Eo fine Elector quam promtissime exercitum quater mille equitibus, octies mille peditibus constantem comparabit; ac quas jam in promtu habet copias, protinus in Westphalicas suas ditionns evocabit. Hæ copiæ statim atque lustratæ fuerint, ad earum sustentationem dimidiam stipendiorum partem Belgæ numerabant, altera dimidia parte ab Electore conferenda. Conducendis duodecim militum millibus bina pensione intra mensem à ratihabitione Belgæ CLX M uncialium exsolvent, quæ intra bimestre spatium Elector intra Westphaliam sistet, post lustrationem æqualibus portionibus ab Electore, & Belgis stipendio instruenda, ita ut singulis mensibus hi in ductores sex millium 1448 unciales, in gregarios 35480, unciales, erogent, initio singulorum mensium persolvendos, cui summæ pro rata detrahetur, quantum numeris defuerit. Si pax intra quotuor menses, aut maturius conficiatur Belgæ pecuniam conducendo militi, & in quatuor menses stipendia persolvent. Intra quatuor menses si pax non procedat, stipendia in aliud quadrimestre prorogabuntur. His copiis addetur idoneus machinarum adparatus, qui fœdere exprimebatur; in quem Belgæ unciales 8905 menstruos expendent. Copiæ hæ ubi in territorium Belgarum ad rem gerendam intraverint, his quoque sacramentum dicent tamdiu duraturum, quoad eodem iterum excesserit; prout & Belgarum copiæ Electori jurare tenebuntur, si intra territorium hujus res istis gerenda fuerit. In eas copias summum imperium erit penes Ottonem Christophorum Sparrium, qui præter sacramentum Electori dictum, Ordinibus Generalibus chirographo cavebit, se leges hujus conventionis impleturum. Super actionibus bellicis communi consensu decernitur, ut tamen in negotiis, quæ defensionem ditionum, & locorum ad Belgas spectantium atinent, horum sententia prævaleat; & vice versa Electoris sententia valeat, si de hujus terris tutandis res agenda sit. Conjunctis copiis etiam in Belgarum territorio tesseram dabit Elector, si ipse copiis imperaverit; alias idem erit penes eum, quem Belgæ suis copiis summo cum imperio præfecerint. Justitiæ administratio cuique Ducum in subjectas sibi copias competet. Si Electorem oppidum quodpiam suum Belgico milite infessum intrare contigerit, integrum ei erit ducentos equites custodes corporis secum adducere, sed quibus nihil suscipere licebit, quod in præjudicium præsidii tendat. Licebit etiam Electori intra eadem oppida penum struere. Belgæ paratum bellicum eodem pretio, quo ipsi eum emerint, vendent, ni eodem ipsi opus habuerint. Ubi intra tempus ratihabitionis bellum cum Monasteriensi non fuerit compositum, Elector protinus cum duodecim millibus militum rem geret, ac juncto consilio quantum potest damni eidem inferet. Hic numerus si non suffecerit Præsuli in ordinem redigendo, duo,*

1666. tra Episcopum Monasteriensem.

1666. *aut tria millia insuper addentur. Fœderis hujus scopus unice erit ab utriusque ditionibus vim propulsare, quoad Monasteriensi compresso quies restituta fuerit. Ad aliorum offensionem id hautquidquam porrigetur. Neuter inducias aut pacem concludat, nisi cum alterius consensu, & hoc expresse comprehenso, ac in omnes suas ditiones, ac jura restituto, & ut huic easdem quas sibi conditiones stipuletur. Si ob hoc fœdus alterutri molestiæ quid inferatur, alter omni ope ipsi adsistet. Bello composito hoc fœdus expirabit, salvo persistente fœdere defensivo. Ratihabitio intra duas septimanas permutabitur.* His addebatur peculiaris conventio super vectigali Gennepensi, qua ejus dispositio in duodecim annos penes Belgas relinquebatur, his Electori protinus XX M. uncialium exsoluturis, salvis de cætero mutuis prætensionibus. Articulo secreto cavebatur, *si Reinberca, Ravensteina, & castellum Lierortum, & Dilense à Coloniensi, Neoburgico, aut Comite Frisiæ Orientalis vi impeti contingat, Electori liberum erit intra sex septimanas circa amicam compositionem operam navare, nec ad auxilia conventa tenebitur, si isti singuli sua loca propriis viribus vindicatum eant: sed tunc demum eadem auxilia repræsentare debebit, ubi iidem alios in auxilium adsumtis vim tentent, aut inter se vires suas conjunxerint. Quorum Principum juribus tamen in dicta oppida Belgæ de cætero nihil detrahent, non magis quam juribus Electoris in oppida Clivica suo milite insessa; super cujus deductione integrum erit eidem post finitum hoc bellum cum Belgis agere; qui & ipsum eo de negotio audient, & prout par est amicam declarationem eidem reddent.*

Articulus secretus.

Electoris circa componendum bellum Monasteriense opera.

§. 15. Dum super isthoc fœdere agitur, Elector magno studio laboraverat, ut Monasteriensis Præsul ab armis, quæ in Belgas sumserat, revocaretur, suspectis præcipue Gallorum consiliis, ne isti hac occasione altius quid agitarent; quos bona fide Præsuli irasci, utut verbis id præ se ferrent, haut credebatur. Ac inprimis gravem scrupulum injiciebat, quod Joannes Copes, qui Hagæ negotia Electoris obibat, a legato Gallico interrogaretur, num Electori placeat Ducatum Cliviæ pecunia Gallo vendere: quod idem circa Juliacensem Ducatum Neoburgico propositum fuerat. Sed cum his nil responsi daretur, Christianus Ludovicus Meclenburgicus Dux à Gallo subornatus quærebat, num Electori placeat Cliviam cum parte Meclenburgicæ ipsi competente permutare? Cui ab Electore responsum datum,
7. Sept. 1665. quale quæsiti absurditas merebatur. Cæterum miserat Præsul Jodocum Edmondum Brabeccium ad Electorem, qui huic de ipsius fœdere cum Rege Angliæ significaret, & uti idem arma Belgis inferre decreverit. Elector contra altius penetrantia ausa dissvadere, ac officium suum componendo dissidio offerri. Quo fine ab Electore ad Præsulem missus est Joannes Adamus Schœningius; ac ut moneret, arduum esse quod moliatur negotium, ac multas post se turbas tracturum, in quod Principes Protestantes, ac Sveci non sine suspicione oculos conjecerint.

Brabeck.

16. Oct. Schœning

1665. Præsul circa admittendum Electoris officium nonnihil scrupuli movebat, causatus, se oblatam à Castelloroderico Belgii Hispanici gubernatore operam jam acceptasse; si tamen Elector dubitet cum isto officium sociare, se declarationem suam retractaturum. Sed sine Anglo tractationem suscipere non posse. Adparebat eum de Hispanorum auxiliis spem concepisse. Sed præcipuam fiduciam dabant ab Anglo promissa XII M peditum, & annua L M librarum Sterlinensium. Nec à Svecis se quid metuere ferebat. Accendebatur porro Electoris studium, quod Cæsar per Goësium ipsi eam conciliationem commendaverat; qui & auxilia, quæ Præsul requisiverat, & edicta avocatoria recusaverat, ad amicam transactionem eundem hortatus. Atque interim Hagæ Friquetus, & Joannes Wittius aliquot articulos conceperant, in quos Præsuli pax concludenda sit. Quorum summa erat; *ut hic omnia loca à se occupata restituat; omnes copias, præterquam queis ad oppidorum præsidia opus fores exautoret; Omnibus prætensionibus, quas ipse aut Præsulatus Reip. intentet, uti & fœderi Anglicano renunciet, nec novum fœdus contra Remp. ineat: denique omni offensa in posterum abstineat: ea pacta servatum iri Cæsar, & Westphalicus Circulus spondeat.* Has leges cum Goësius Præsuli proponeret, huic non tam ipsa res displicere videbatur, quam agendi modus nimis imperiosus. Designatos tamen à Cæsare sequestres Electorem, Guelferbytanum Ducem non recusare, si tractatus in loco tertio suscipiantur, ac sibi Borckeloam retinere liceat. Querebatur tamen, admodum contumeliose à Belgis se habitum, qui Dilense castellum è mandato Imperii à se occupatum, dum ipse Reip. causa in Hungaria abest, vi expugnaverint; inde ipsum Arenacum citaverint ad audiendam sententiam, & ad videndum, se in aliquam multas myriades ob Borckeloam condemnari, per vim exigendas. Mox cum super Borckeloa Wittius aliquod temperamentum proposuisset, Elector Adolfum Borckium Priorem Werdanum ad Præsulem mittebat de isto significaturum. Qui pacis se cupidum declarabat, ac sibi etiam absque Anglo tractare integrum esse. Enimvero istam Electoris operam ægre admodum ferebat Angliæ Rex, qui Præsuli C. M. librarum Sterlinensium numeraverat copiis conducendis, ac per literas expostulabat: *Se credidisse, Electorem ea occasione fuisse usurum, & cum Monasteriensi, qui se conscio bellum sumserit, arma sociaturum. Inane quoque esse, quod Elector Svecis persuadere conatus sit, velut arma noxam Protestantium spectent. Unde si ipse manum negotio admovere nolit, & eam quam cœperit viam insistat, fieri non posse, ut idem per futuros suos cum Belgis tractatus oppida Cliviæ recuperet.* Gemina ingerebat Carlingfortius Comes, qui dum Viennam legatus tendit, Clivos divertebat. Veniebat quoque eo nomine ad Electorem à Rege missus Walterus Vanius, qui isti significabat; *Regem Præsuli auxilia missurum adversus Belgas ulciscendis injuriis, ac ut per*

Borck.

Ea Regi Angliæ displicet. 28. Oct.

7. Nov.

Vane.

1665. *per hunc in ipsa Belgii penetralia bellum inferat. In fœdere tamen cum Præsule Regem stipulatum, ne iste quid in fraudem Protestantium suscipiat, neu longius progrediatur, quam ipse velit, ac ut ex suo placito arma ponat. Sic ut Regi hautquidquam sit propositum, per Præsulem fœderatis suis, ac inprimis Electori molestiæ quid inferre. Quod si Electori placeat fœderi inter Regem, & Præsulem accedere, istum effecturum, ut Elector oppida sua Clivica recuperet.* Addebat, *ut Elector instaurandas Arausionensis res curam cum Rege sociare velit.* Huic Elector respondit: *Sibi de tam arcto fœdere inter Regem, & Præsulem haut constitisse. Id quidem facile credere, Regi circa id fœdus haut propositum fuisse Protestantium rebus detrimenti quid inferre. Constare tamen, Præsulem haut pauca in istorum fraudem struere. Nec repugnare, quo minus alium sibi scopum Rex, alium Præsul proposuerit. Quia etiam prius cum Anglia fœdus nondum expiraverit, ac ipse ubertim Regi demonstraverit, rationes suas non ferre, ut ipse arma in Belgas moveat; non adparere, quare fœderi quod offertur nomen det. Quod Rex causam Arausionensis suscipere velit, gratum sibi esse: huic tamen nociturum, si de ista nunc moveatur, Belgis exclamaturis, per exterorum arma sibi obtrudi, penes quem tanta in sua Rep. partes futuræ sint.* Cum Vanius testaretur; *Regi valde displicere, quod Elector super fœdere cum Belgis agat:* hic reponebat; *se fœdus, quod sibi multos ante annos cum Belgis contractum fuerit, in gratiam Regis prorogare diu distulisse, ac diutius dilaturum fuisse, ni inter ambigua ista res sua summum periculum incursura forent, formidando exercitu per Belgas accessu Gallorum, & Luneburgicorum conflando. Unde ut non se solum, sed & Præsulem periculo eripiat, cum Belgis tractatus fuisse suscipiendos. Neque vero Præsulem ullo loco in Belgarum ditione positum, qui vel per unum diem contra vim defendi queat. Ac judicare se, parum gratum fore Regi, si Præsul penitus opprimatur. Ita iste multa verborum perfusus humanitate irritus discessit.*

Elector Præsulem ad pacem urget.

§. 16. Post absolutum cum Belgis fœdus Elector Fridericum Jenam ad Monasteriensem mittebat, qui hunc hortaretur, ne scrupulum moveat, quod solennia tractatuum omittantur, neu duras sibi conditiones obtrudi cædat. *Nam in præsens, cum Belgæ viribus longe exsuperent, haut commodiorem viam occurrisse, quam citra ambages clam super summa rerum convenire: inania cærimoniarum post facile suppleri posse. Nec Electorem cum Belgis alium tractatum suscepisse, quam promovendæ paci, idque non prius, quam constiterit, Belgas æquis conditionibus contentos fore ita ut si Præsul pacem amplecti velit, Belgæ reparationem damni remissuri sint. Et quia isto tractatu id cumprimis cavetur, ut Elector operam prius det, quo exortæ turbæ amice componantur, ejusdem officium non minus nunc quam antea Præsuli gratum esse debere. Si tamen pax amica via obtineri nequeat, Electori necessum fore ad pacem per arma promovendam cum aliis incumbere. Igitur arriperet Præsul æquas conditiones, & queis meliores frustra sperentur, nec amplius ambiguis responsis tempus extrahat; sed in alterutram partem sententiam liquido declaret; Ut ipsius securitati caveatur, Electori sat curæ fore.* 1666. Præsul contra querebatur; *ditionem Monasteriensem ab anno 1570 plurimas molestias à Belgis tolerasse, adversus quos securitas non aliter quam per arma quæri potuerit. Nec à se hosce formidari, modo alii Principes sese haut ingerant.* Alias circa reliqua sat æquum se ostendebat, nisi quod Borckeloa cedere parum placeret. Ad extremum tamen urgente Jena declarabat; 2. Mart. *pacem se amplexurum; simul in Electoris arbitrium conferebat tempus, & locum conventui dicere, etsi Tremonia sibi maxime commoda videatur. Tum ut sequestrium vices simul obeant Coloniensis, Guelferbytanus Dux, Paderbornensisque Præsul, evictionem conventorum simul suscepturi. Circa Borckeloam Electoris sese consilium secuturam. Si tractatus in pacem desinant, Anglicum fœdus ultro collapsurum. Sed in antecessum isti renuntiare, ac defensione se nudare, haut consultum esse. Super propositis conditionibus tractatus suscipi existimationis suæ interesse, ne ad istas admittendas metu compulsus videatur. Caterum ista omnia se amicitiæ Electoris dare. Belgas solos à se haut metui; quorum & miles exigua virtutis specimina ediderit.* Isthæc declaratio etsi à ratione non abhorreret; quia tamen Belgæ istius verbis fidem non adhibebant, & ne extracto tempore ab eodem sibi illuderetur verebantur, Elector Præsuli denuntiabat: ni conditiones à Belgis latas citra ambages amplectatur, aliam transactionem haut sperandam. Sed nec Coloniensis, ac Neoburgici querelas huic tractatui ingerendas, quibus is non paulo difficilior sit reddendus. Et quanquam Elector interim Belgas; ut à rigore suo quid remitterent, Hagæ permovere nitebatur: Præsuli tamen subinde ingerebatur: propius ad rem esse accedendum, quod Belgæ declaratione ambigua, & conditionibus circumscripta non adquiescant. Ita is ostendebat, circa Borckeloam se facturum, quod sequestres æquum judicarint. Aderant quoque à Coloniensi, & Neoburgico legati, conciliandæ paci itidem operantes; qui & tractatum Electoris cum Belgis, & officium circa pacem magnopere probabant, & conditiones Hagæ super Monasteriensi negotio conceptas æquas censebant. Et Neoburgicus quidem pacem valde svadebat, cujus confectæ gloriam Electori haut sit invisurus. Sed quam contra Coloniensis extrahere cupiebat, ut prætexto auxilii Episcopo ferendi Coadjutor designaretur. Eo acrius instabat Elector, ut Præsul conditiones latas sine exceptione admittat, quod per istas tergiversationes Belgarum exacerbatio immensum gliscat. Alias sibi quoque per fœdus arma expedienda. Colbertus quoque *Croissy.* Croissius legatus Gallicus acriter Præsuli instandum judicabat, qui tempus ducere velle videatur. Nam Regem suum utique pacem inter Belgas, & Præsulem velle. Et quia iste jam anno 1662 fœdere cum Rep. inito caverit, se eam in statu qui tunc erat servaturum, quo tempore Belgæ Brockeloam tenuerunt, fidem utique eidem liberandam esse. Præsulem hactenus ita se gessisse,

1666. velut amicitia Regis sui parum cordi ipsi sit: multis quoque suspicionibus ansam dedisse. Sed si post conclusam pacem aliam mentem induerit, viam eidem ad amicitiam Regis haut
9. Mart. intercludendam. Post multos hortatus Præsul demum declarabat: ad Borckeloam pacem haut hæsuram; par tamen esse transactionem justos per tractatus adornari. Quod responsum etsi Electori satis probabatur; tamen quia ad Belgas res referenda erat, is vicissim ostendebat: etsi Præsulis declarationi, ratio constet, ita ut si Belgæ eam repudient, ex jure Gentium injuste agere sint censendi: Sibi tamen rem non esse integram, quia cum Belgis convenerit, ut si Præsul in conceptos articulos simpliciter consentire noluerit, à se armis sit petendus. Unde ne Belgis suspectum se reddat, tantisper præ se ferendum quasi Præsulis declaratione haut contentus sit, quoad Belgarum sententiam cognoscat. Nam absurdum fore, si nunc Præsulis responsum sibi satisfacere ostendat, ac post Belgis idem adspernantibus arma in ipsum stringat. Et constabat, factionem Wittianam, quæ semper amicitiam inter Electorem, atque Rempublicam, & conclusionem fœderis impedire studuerat, nil magis aucupari, quam prætextum aliquod ipsum arguendi, velut fœderi non satisfecerit. Quæ & palam jactare non verebatur; Electorem haut ex animo Reip. studere, ac clam cum adversa parte colludere. Porro se apud Cæsarem & Imperii Ordines Belgarum declarationem velut æquam laudasse, ac horum in pacem studium commendasse, quibuscum si Præsul paria facere velit, de transactione haut esse dubitandum. Quo fine & Cæsarem rogarit, ut ad latas conditiones acceptandas Præsulem hortetur. Unde probata nunc Præsulis sententia inconstantiæ se insimulandum, postquam jam quidam Ordinum scripserint, à conceptis articulis ne latum unguem discessum iri. Nec Belgas ideo iniquitatis posse argui, utpote qui declararint, se actionem suam ad reparationem damni remissuros; immo post amicam transactionem facile passuros, ut Præsul, si quod jus ad Borckeloam habeat, demonstret. Sed & promotionem pacis tam favorabile, & ad commune bonum pertinens opus esse, ut si maxime Præsuli aliquid iniqui, aut duri circa Borckeloam sit tolerandum, id tamen utilitate in publicum pensetur. Equidem se Belgas valde hortari, ut Præsulis declaratione adquiescant: vereri se tamen, ne si isti demum viam juris circa Borckeloam arripiant, reparationem damni sibi reservent: id quod Præsuli magno oneri sit cessurum. Quin læsas bello provincias nil magis optare, quam semel probatas conditiones retractari, quo ipsis facultas nascatur Præsulem ulciscendi. Quo fine magnos jam adparatus fieri: ac Luneburgicos rei gerendæ cupidos esse, quos ipse, quo minus erumpant, vix contineat. Svecos quoque his turbis ad subjugandam Bremam uti velle.
15. Mart. Cum interim Belgæ significassent, se Præsulis declarationi haut adquiescere, sed utique articulis Hagæ designatis inhærere: Jena acriter Præsuli instare jubebatur, demonstrato, circa quod discrepetur ita minutum esse, ut haut dignum sit, ob quod bellum vel per mensem continuetur. Præsulem si quas à Belgis injurias acceperit, satis ultum, nec sine gloria rem gessisse. Sed aliam belli verti posse, ut mutata post fortuna incassum pœnitudo subitura sit fidi consilii spreti. Tum & Canonicis eadem ingerere injunctum. Isthæc igitur Jena
17. Mart. Præsuli tanto cum ardore demonstrabat, ut hic diceret, istius orationem clarigationis instar habere; ac non nisi unam noctem ad deliberandum indulgebat, simul formulam transactionis exhibebat. Nec adhuc tamen Præsul sat liquidum responsum dabat, quod Sveci misso Christiano Habbæo animos ipsi addidissent, ne cederet; ac Neoburgicus non parum in istum propenderet. Ac ipse judicabat, se intra Monasterium, Cosfeldam, & Warendorfum tamdiu vim sustenturum, quoad auxilia advenissent. Sed quia interim Matthias
20. Mart. Korfius Smisingius, & Bernhardus Wiedenbrugius à Præsule Clivos ad Electorem mittebantur, ubi & Cæsarei, ac Gallici legati aderant isti negotio componendo; Jena jubebatur velut proprio instinctu Colonienses, & Neoburgicos, qui apud Præsulem erant, hortari, ut & ipsi Clivos accedant; tum ipse eodem se conferre, ubi & Belgarum nomine Beverningius adfuturus erat. Eo modo negotium citra ambages cerimoniarum suscipi posse. Nam non expediebat isti tempus indulgere, qui statim atque lenius cum ipso agebatur, cessim ibat. Cæterum Elector, Luneburgici ac Belgæ eam pacem impense urgebant, quo Gallorum auxilia amolirentur, ac ne forte Svecorum copiæ, quæ in Bremensi provincia agebant, cum Præsule se conjungerent.

Tractatus cum Monasteriensi perficitur.

§. 17. Ita Clivis demum negotium susceptum non sine labore ad exitum fuit deductum, quod multi clam Præsulem obfirmarent. Aderant ibi præter jam dictos etiam à Moguntino, Coloniensi, Neoburgico, Guelferbytano, & Paderbornensi legati. Initio Beverningius
28. Mart. jactabat; cum Præsul conceptos Hagæ articulos acceptare detrectaverit, ac Belgis ideo majores sumtus faciendi fuerint, iis se non amplius stare velle; sed damni reparationem, & puram renuntiationem in Borckeloam exigere, addito, ni Præsul cedat, eum *à Belgis mores edoctum iri*. Quæ verba Monasterienses valde mordebant, & reliquos à Præsulibus missos; præsertim cum Belgicus miles hactenus sat segniter rem gessisset. Sequestrium tamen opera & eo postulato destitit Belga, & super Borckeloa, ac numero militum, quem post pacem habere deberet Præsul, convenit; circa quem præcipua difficultas erat, quod ultra tria millia concedere Belgæ nollent. Ad extremum circa subscriptionem aliquid liticulæ surgebat, quod Colbertus contenderet, ut Cæsar, & Galliæ Rex conjunctim *Majestatum* vocabulo nuncuparentur. Id quod Goësius adspernabatur, ac demum malebat, ut omisso Majestatis vocabulo non nisi *Romanorum Imperator*, & *Rex Christianissimus* poneretur. Capita ejus conventionis erant; 20. April.

Ut pax

1666. *Ut pax sit, & omnium utrinque patratorum oblivio. Præsul omnia loca occupata restituat, & nominetenus castrum & oppidum Brockeloam, ac militem sine noxa Belgarum ditionibus deducat. Vicissim à die 24. Aprilis Belgæ nil hostile in Præsulem exercebunt, militemque suum terris Præsulis amovebunt, Captivi utrinque sine lytro dimittentur: contributiones ultimo die Aprilis cessabunt. Præsul exauctorabit copias usque ad III M capita, quantum ad præsidia sufficere judicatur, nec deinceps novum militem conscribet, nisi id necessitas, & securitas Imperii, & Westphalici Circuli, vel etiam fœdera huic tractatui non adversa postularint; idque non aliter, quam secundum Imperii leges, Instrumentum Pacis, & jura Principum, quibus Belgæ nil derogatum volunt. Præsul omnibus fœderibus huic paci adversis renuntiabit, ac nunquam deinceps contra Belgas cum aliis nova fœdera feriet, aut novo bello eos adorietur. Vicissim declarant Belgæ, se nullo fœdere teneri, quod huic tractatui repugnet; nec quid hostile unquam in Præsulem molituros, aut in eum, ejusve Præsulatum infesta fœdera inituros.* Huic paci à parte Belgarum includebantur Rex Daniæ, Georgius Wilhelmus, & Ernestus Augustus Duces Luneburgici, Christianus Albertus Dux Gottorpiensis, Antonius Guntherus Comes Oldenburgicus: è parte Præsulis Cæsar, & Imperium, ac peculiariter socii fœderis Rhenani; nec minus præfecti, ac duces bellici utrinque, ac nominatim Georgius Fridericus Waldeccæ Comes. *Quantum ad dominium Borckeloæ, Ordines Generales non desiderant, ut ratione juris sive directi dominii, sive utilis per hunc tractatum quid mutetur, sed maneat hoc jus in eo statu, in quo fuit ante hoc bellum. Renuntiat vero Episcopus juri superioritatis in dicto dominio Borckeloæ cum suis dependentiis cum consensu Capituli; ita tamen ut ista renuntiatio non præjudicet juri Imperii, sed illud per omnia salvum maneat, quod ipsum tamen inter Imperatorem, & Ordines Generales non nisi via amicabili, & alia utrinque probata decidetur.* Præsul nunquam deinceps negotiis ad Belgas spectantibus sese immiscebit. Si quæ inter Belgas, & Præsulem controversiæ in posterum oriantur, amica via decidentur; privatorum lites ad competentes judices remittentur. Evictionem præstabunt Cæsar, Galliæ Rex, Moguntinus, Coloniensis, & Brandenburgicus Electores, Episcopus Paderbornensis, Neoburgicus, Augustus, & Joannes Fridericus Luneburgici Duces. Subscripserunt præter Belgarum, & Præsulis Legatos, Joannes Goës Baro, Cæsareus; Colbert Croissy Gallicus; Melchior Fridericus Schœnborn Baro, Henricus, Batz, & Christophorus Gudenus Moguntini; Petrus Buschmannus Coloniensis; Otto Schvverinus Baro, & Wernerus Wilhelmus Blaspiel Brandenburgici; Caspar Philippus Ketler, Joannes Adolfus Furstenberg Baro, & Conradus Meinders Paderbornenses; Franciscus de Gise Neoburgicus; Fridericus ab Heimburg, Otto Grote Guelferbytani; Ludolfus Hugo Hanoveranus Legati. Pace facta Monasteriensis Regi Galliæ misso certo homine denuntiavit, se in pacem consensisse non ex necessitate, sed ut Regi placeat; nec Anglum quidquam eorum servasse, quæ promiserit. 1666.

§. 18. Maximum hac pace conciliata Elector operæ pretium fecit, impedito, ne belli Belgici flamma Germaniam corripere posset, quæ semel erumpens facile latius diffundi poterat. Quæ pax uti per Belgium maximo gaudio fuit excepta; ita Angli contra ob eandem valde indignabantur, quam rebus suis admodum exitiosam arguebant. Cæterum quanquam Monasteriensi pacato, Electori à bello inter Anglos, & Belgas parum periculi amplius imminere videretur; quia tamen non obscurum erat à Gallis id bellum ali, ut istis populis inter se collisis, queis maximæ vires ad impedienda ipsorum destinata erant, vasta sua consilia eo tutius exprimere possent, quantum dabatur circa istud quoque bellum componendum satagebat. Et quia Belgæ satis quoque animadvertebant, Gallos Belgio Hispanico inhiare, ac simulato sequestrium officio oleum incendio clam addere, quo vires utriusque populi invicem atterantur; simul Papa Gallo ut id bellum foveret svadebat, debilitandis Protestantium partibus: Blaspielo clam confirmabatur, Electoris officium à Wittio hactenus elusum haut ingratum Reip. fore, modo id ita insinuari possit, ne ipsi Belgæ id affectasse, aut res suas id magnopere desiderare videantur. Unde placuit Electori id officium debita cum dexteritate persequi: quod licet ab Anglis rejiceretur, id tamen offerri hactenus prodesse poterat, ut universus Orbis, & inprimis bellantes inter se populi studium ipsius in utriusque salutem perspicerent, mutua collisione se invicem destruentes nullo lucro, nisi quod communibus hostibus gaudium, & Gallo facilem viam vastis ausis exsequendis struerent. Igitur Elector Blaspielo injungebat, ut quia Gallus operam suam conciliandæ paci obtulerat, in ejusdem partem venire laboraret. Sed uti ista incassum cadebat, postquam Galli in Anglos hostilia sumserant; ita & Electoris officium laxioribus verbis differebatur, donec Sveci sibi solis idem vindicarent.

Electoris circa pacem inter Anglos & Belgas conciliandam studium.

§. 19. Cæterum uti Elector luculento amicitiæ specimine Belgas sibi devinxerat; ita conceptam inde Anglorum offensam quantum dabatur mollire laborabat. Eo fine Lucas Achemus Secretarius cum Waltero Vanio Londinum ad Cancellarium missus fuerat, nondum adhuc pace cum Monasteriensi absoluta, qui interim, quoad ab Electore Legatus ad Regem veniret, rationes indicaret, quibus ipse ad tractatus cum Belgis suscipiendos permotus fuerit; minore ignominia, si modicus dignatione asperius exciperetur. Ei Cancellarius respondebat: *Improvisum sibi accidisse Electoris cum Belgis fœdus; id quod Rex amicitiæ, & fœderi antea cum ipso instituto repugnare judicet. Non ita simplices esse Anglos, quin capere possint, haut quidquam simul stare posse hosti auxilium ferre, & tamen amicitiam & fœdus cum Anglia non violari. Regem non minus fiducia in Electore, quam in fratre collocasse, nec simile fœdus cum ullo Germaniæ Principe quempiam priorum Angliæ Regum habuisse.* Ad ratio-

Electoris in Angliam missio. 19. Febr. Achem.

1666. rationes, quæ defendendo Electoris facto adducebantur, sigillatim reponebat: *Male ab Hispanis factum non suppeditata pecunia, sine qua exercitus parari, & ali nequeant. Arausionensis rationibus id fœdus magis nociturum, quam profuturum. Nam si Hollandia rebus jam duris in istius gratiam nil facere velit; quid ab eadem expectandum, ubi ex bisce difficultatibus eluctata fuerit? Tempus tamen edocturum, Rex Angliæ, an Elector plura pro eodem fecerit. A Catholicis quibusdam secreta consilia agitari, aut bellum sacrum inde oriturum fuisse, sibi non persvaderi. Nec alios Catholicos Principes Monasteriensi defuturos. Et quamvis magna sit Electoris autoritas, alios tamen magis in Regem Angliæ quam in istum respecturos. Præterea Regem non Episcopi, sed Episcopum Regis auxilium ambiisse; qua occasione contra hostes suos uti Rex eo magis fas duxerit, quo justiore causa Præsul adversus Belgas nitatur. Quod Elector metuerit, ne ubi partes Belgis adversas amplexus fuerit, Cliviam amitteret; potius manifestum esse, Anglicano fœdere ipsius ditiones magis conservandas, urbesque Clivicas facilius recuperandas fuisse. Nam Belgas haut ita simplices esse, ut clavem ditionum suarum ultro in alterius manus tradere velint. Officium conciliationis secum esse, quod Belgæ totum negotium Gallorum fidei commiserint. Et si id serio volebat Elector, re integra id offerre debuisse. Nunc sequestrem se ferre, cum in partes descenderit, haut par esse. Si tamen Legatus ab Electore veniat, prolixius mentem suam explicaturum.* Multis inde in Viduam Arausionensem stomachabatur, quæ nulla cum Rege communicatione Principis nepotis negotia tractet, eo modo in deterius prolapsuras. Nam citra Regis Angliæ operam, & extra futuros tractatus eum Principem à Belgis haut iri restitutum. Nec esse quod Elector credat, Wittium unquam cum Principe bona fide acturum. Regem quidem Viduæ acta nunquam probaturum; quæ privatum commodum quærat. Etsi multis indiciis persvadeatur, eam fœminam in consilio Electoris multum valere; abs qua magis salutaria suggeri optet.

25. Junii. Idem Achemus post Londinum remittebatur, ut Cancellario denuntiaret, pacem jam cum Monasteriensi conclusam; per quam is manifesto periculo ereptus sit, imminentibus jam copiis Belgicis, Gallicis, & Luneburgicis. Simul ut de Electoris dolore testaretur super cruento bello inter communes amicos, & sacrorum socios; cui componendo libenter operam sumturus sit misso Brandio, quem gratum fuisse aulæ intellexerit. Sane à nemine hanc causam minus privatis respectibus obnoxio tractatum iri. Quod si fœdus cum Belgis objiciatur, reponeret: *id meram defensionem spectare, ac declinari nullo modo potuisse, ni Clivia vastationi fuerit exponenda. Nec novum id fœdus esse, sed renovationem, & continuationem prioris, multos ante annos initi ob communem securitatem inter tot vicinos Catholicos. Non potuisse quoque diutius ali copias, quas tutandæ ditioni parare necessum fuerit. Nec id contra Regem dirigi, aut in fraudem fœderis, quod Electori cum ipso intercedat; sed ut suæ ditiones adversus improvisa pericula tuta præstentur, quas servari Regis quoque intersit.* 1666. Quod si videat Electoris officium plane repudiari, diceret: Saltem in sinistram partem capi non posse, ab Electore studium Regi inserviendi declarari. Circa Arausionensem ostenderet; statim post conclusum fœdus ejus res meliorem spem præbuisse, ac inimicorum ipsius consilia non parum turbata fuisse. Ac eo rem deductam, ut is *filius Reipublicæ* declaratus fuerit, quod ipse Rex præsens ab Ordinibus Generalibus petierat. Spem quoque esse brevi in consilium Status admissum iri, collata insuper summa præfectura maris, & equitatus. Ac Electorem nuper cum ipso præcipuas Hollandiæ urbes, & classem obiisse, ac ubique ingens plebis studium in eundem animadvertisse; simul ipsi addictos confirmasse. De cætero Electorem sese tutelæ Principis haut ingerere, nec socrui cum ipsius consiliis negotii quid esse. Ad ista scripto id responsi dabatur; *Regi non ingratum fore, si Elector ad instruendam* 3. Jul. *amicitiam aliquem missurus sit, qua sine dubio per fœdus cum Belgis abrupta sit.*

§. 20. Igitur denuo in Angliam missus est *Alia in Angliam legatio.* Christophorus Brandius, ut idoneis rationibus Regem ad pacem hortaretur, ita tamen omnia moderatus, ne in alterutram partem studio in- 7. Aug. clinare videretur. Sed nec significaret, Electorem hac de re jam apud Belgas movere nec aperte ejus operam offerret, sed oblique duntaxat insinuaret, eundem si quid Rex committere velit, fideliter, ac diligenter effecturum, tum in quas conditiones Rex pacem concludere cupiat, exploraret. Tecte quoque moneret Anglos super destinatis Gallorum, quæ circa alendum hocce bellum foveant. Si Angli offensam in Electorem, aut suspicionem præ se ferant ob fœdus cum Belgis, responderet; se in Marchia tunc abfuisse, cum ista Clivis peragerentur: eoque haut exacte de iisdem sibi constare. Id tamen nosse, affectum Electoris in Regem Angliæ immotum persistere; nec ei propositum fuisse quid admittere Regi damno cessurum, aut contra eundem societatem inire. Belgium quoque in factiones divisum, in quarum unam Regi æque, atque Electori, & Arausionensi sit respiciendum. Id autem certum esse, totam Germaniam Electori propter conciliatam isthanc pacem gratias habere, ac nisi eadem intervenisset, Præsulem mox à Belgicis, Gallicis, ac Luneburgicis copiis fuisse obruendum; quo ipso Belgis non parum virium fuerit accessurum non sine Anglorum ignominia. Sed & Præsulem, cum nondum armis rite instructus foret, altius penetrantia in Electorem, ejusque statum jactasse, ac suspicionem injecisse, velut is Anglicano fœdere abusurus, sibique lucrum inde cum istius damno quæsiturus sit. Sed si animadvertat, officium Electoris parum gratum fore, nulla offensæ specie discederet, de stabili ejusdem amicitia ubertim testatus. Perveniebat Brandius Londinum eo 3. Sept. ipso die quo immanis flamma urbem populabatur, quam per complures horas non sine horrore spectabat. Sed cum furorem vulgi animadverteret, omnes exteros nullo discrimine

invo-

1666. involantis, tantisper rus recedebat, quoad tumultus consedisset. Id incendium apud Londinenses, qui cupide bellum svaserant, pruriginem bellandi non parum refrigerabat, ac Regis rebus plurimum alterationis afferebat, vastata urbe, unde nervus rerum gerendarum, & instrumentum belli maximam partem petenda erant. Nam reliquis Angliæ oppidis nec mos, nec facultas est pecunias Regi in futuras contributiones credere. Sed & eo incendio Regis reditus ingens detrimentum capiebant. Ac populus eam calamitatem accipiebat velut manifestam Numinis vindictam ob bellum præter necessitatem sumtum; præsertim cum ea brevi post contigisset, quam Angli Flevi ostium ingressi multas ibi naves, & vicinum vicum Schellingam inflammassent. Rigidiores Presbyteriani, Independentes, aliique Sectarii caput quinquagesimum Jeremiæ in hunc casum adplicabant; ac tot templa in cineres consedisse lætabantur.

Anglorum querela de Electore. §. 21. Postquam tumultus quievisset, Brandius quæ jussus erat apud Cancellarium prius exponebat. Is plurima Angliæ adversa ab Electore facta arguebat, quæ haut immerito apud *5. Oct.* Regem multum diffidentiæ generarint. Si tamen isti propositum sit fœdus multifariam, & molesto cum Regis sensu violatum instaurare, cum Svecia, quæ hactenus consilia sua sapienter temperarit, arctiorem amicitiam jungendam, nec nimium in Belgarum partes inclinandum. Interim officium Electoris circa promovendam pacem gratum fore, quam & brevi succedere ipsius interesse. Antequam tamen Rex ulterius de pace audire possit, uno adhuc cum Belgis prælio certandum horum ferociæ frangendæ, quod Wittius cum Gallis ad ducendum bellum conspiret. Cum eadem mox apud Re-*8. Oct.* gem Brandius exponeret, iste paucis respondebat: meliora se ab Electore sperasse, quam ut is negotio Monasteriensi Angliæ rationes tantopere turbaturus fuerit. Quod factum, & cum Belgis initum fœdus in personam sequestris haut cadat. Brandius ab Electore acta defendere, nec hunc in præsens sequestrem se ferre, sed fidam duntaxat operam offerre, quo integra sibi omnia servare, & pro successu pacis consilia capere possit. Ad quæ Rex: *Si consideret ea, quæ Elector pro Belgis fecerit, se nullum discrimen inter sequestris officium, & fidam operam agnoscere posse. Equidem Electori uti antea prospera omnia optare, quem & in multis excusatum habeat. Prius tamen in eo repositam fiduciam usque adeo imminutam, ut eodem conciliatore uti prius haut possit, quam is arctiora amicitiæ cum Svecis cultu demonstrarit, se cupere eadem pro Anglia facere, quæ pro Belgis fecerit. Ac se Electori magnopere obstrictum fore, si Bremensis civitatis tutelam adversus Svecos haut suscipiat. Nam Svecos ad fœdus offensivum à se invitatos excusasse, id se respectu Electoris non audere. Cæterum pacem se cum Belgis serio optare, ac amicitiam suam cum Svecis non ad extrahendum bellum spectare, sed ut Belgæ ad audiendam rationem compellantur. Nam hucusque Wittium omnes occasiones pacis à se suggestas repudiasse, aut saltem supressisse; & quæ in speciem super pace egerit, ludibria fuisse demulcendæ plebi, ac tegendis cum Gallia collusionibus. Ac satis aversum paci animum testari Belgas, quod ei accelerandæ legatos Londinum mittere abnuant; cum tamen indecorum non judicarint ad Cromvellum plures simul, ac diversis vicibus mittere, pacemque rogare.* Ad quæ Brandius: Æquum utique esse, ut Belgæ missis legatis primum struendæ paci gradum faciant. Et quanquam Belgæ obtendant, in præsens socios sibi sequendos, quos contra Cromvellum nullos habuerint; Electorem tamen, si officium suum gratum intelligat, Belgas vel minis adducere laboraturum, ut destinata ad Regem legatione pacem quærant. Ad quæ Rex nil liquidi reponebat; sed per ambages jaciebat, Gallos bellum hoc duci cupere ad Angliam juxta, Belgiumque fatigandum, quod destinatum Strada, & Wittius è compacto foveant. Elector his intellectis denuo Brandium demonstrare jubebat: *non ob offensam* 13. Nov. *in Regem, ad quam tamen ansa sibi præbita sit, sed ideo tantum pacem se inter Belgas, & Præsulem promovisse, quod continuato bello à sua provincia bellantibus interjecta vastitas averti haut potuerit. Sicuti autem ipse judicarit Regem haut quidquam summam belli sui auxiliis Episcopi superstruxisse: ita & sibi persvasum fuisse, Regem non improbaturum, si ipse eam pacem, è qua salus provinciæ suæ pendebat, promotum iret. Præsertim cum Præsuli etiam se Belgis haut sociato, quicquid iste jactat, tam validæ jam copiæ oppositæ forent, ut iste non amplius Regi prodesse, nec se ipsum servare potuerit. Ita non habere Regem, quod exprobret, aut ipsum violati fœderis arguat. De cætero cupere se quavis occasione inprimis circa tractatus pacis sinceram suam amicitiam Regi adprobare. Cum Svecis nuper se fœdus ferisse, nec hos quidquam præterea ab ipso desiderasse. Equidem Imperio postulante copias pro rata Circuli ad liberandam Bremam in promtu sibi habendas fuisse; ipsos tamen Svecos operam suam circa id negotium laudibus tulisse, & sibi cum iisdem amicitiam constare.* Ista si Regi probentur, Electori operam suam circa pacem persequi cordi fore. Ast si Brandius videat Regem id agere, ut Electorem fœderibus statui ipsius noxiis implicet, ac eundem amicis ac fœderatis suis suspectum reddat, inde discederet, obtentu sumto, quod cum suæ literæ intercipiantur, ad Electorem trajiciendum sit. Robertus quoque Palatinus valde querebatur, ab Electore inter Belgas, & Præsulem pacem conciliatam, eoq; egregiam occasionem amissam Belgis sonticam plagam infligendi Nam si Elector cum Præsule arma junxisset, penes ipsum moderamen belli terrestris futurũ fuisse; per quod non solum eidem insignia emolumenta nascitura fuerant, sed & Anglicanæ classi facultas futura erat plerasqve Belgarum insulas intercipiendi. Sed cum Brandius reponeret, Præsulem, cum amicitiam Electoris affectare rationis esset, minas jactasse, aliquoties *vesanum sacrificium* militari convitio detestabatur. Tum & Vanium negotiis tractandis ineptum fuisse fatebatur. Cæterum quanquam Aula juxta, ac populus pacem optarent, multis quoque bello 1666.

1666. bello necessariis deficientibus, ac jacentibus commerciis: fastus tamen nationis, agendique mos haut ferebat promto gradu ad pacem procedere. Et jam Aula id laborabat, ut Belgis novum, & potentiorem hostem quam Præsul fuerat, Svecos immitteret. Circa idem tempus cum Belgæ naves quasdam Anglicanas in Albi flumine abripuissent, Elector re cum Svecis communicata Belgas hortabatur, ut talibus abstineant, ne Imperium bello implicetur. Nec minus Angliæ Regem rogabat, ut eandem ob causam id factum in fluminibus Germaniæ ulcisci supersedeat.

Circa pacem in Anglia agitata. §. 22. Porro cum Anglus initio cuperet, ut Belgæ Legatos pacis causa Londinum mitterent; hi asperis literis tractatus in loco tertio suscipiendos contendebant. Post tamen hortante Electore modestiores scribebant, optione loci penes Regem relicta. Ubi cum Brandius insinuaret, an non placeat Clivos eligere, Arlingtonus reponebat; *Romam potius, quam Clivos, quod heic rationes Angliæ pace inter*
25. Jan. 1667. *Belgas & Præsulem subversæ sint.* Cum Brandius ulterius apud Cancellarium sciscitaretur, numquid gratæ operæ Elector Regi circa pacem navare queat? Hic iterum pacem cum Monasteriensi, tum detentionem navium Anglicarum in Pillaviensi portu, fœdusque cum Dano, Belgis, & Luneburgicis occinebat. Cui noster regerebat: Isthoc fœdus declinare Electori haut integrum fuisse, quod & citra ipsum inter cæteros coiturum fuerit, ac ut Arausionensis causam agere posset ansam præbuerit; cujus fautores vehementer svaserint, ne istud repudiaret, ne Wittius plane se Gallorum arbitrio addicat; & quia satis perspexerit, idem Anglis noxæ haut fore. Etsi rationibus ingestis Brandius parum proficeret ob genium nationis, conceptas semel opiniones fovere pertinacis, cui quo operosius diversa persvadere moliaris, eo magis suspicionem incendas, ac
22. Febr. demum in silentium obfirmes. Instantibus inde sequestribus Angliæ Rex Hagam in locum tractatuum proponebat, stipulatus tamen, ne Vidua Arausionensis negotio pacis sese ingerat, quam Angli admodum infensi oderant. Vicissim Belgæ aliquod oppidum Brabantiæ proponebant ex iis, quæ ipsorum ditionis sunt; quod Wittius Anglos Hagam admittere nollet, ne ibi cum Arausionensi factione consilii quid parum ipsi proficui miscerent, ac ipsi Gallo persvaserat, ut & hic Legatos sese Londinum missurum declararet. Demum omnibus Breda placuit. Cum jam propius ad rem accedendum esset, satis diffidentia Anglorum in Electorem pellucebat. Color tamen dicebatur, ejus officium admitti non posse, quod solos Svecos sequestres acceptarint: gratum tamen sibi fore, si Elector haut eo minus legatum Bredam mittere velit. Id quod Brandius annuere nolebat, quod Elector ab Anglis sequester una cum Sveciæ Rege rite declaratus esset; citra quod neque Belgis, neque Gallo, aut Dano operam suam offerre posset. Sed Angli angustiam temporis excusabant, quod non permittat omnibus quorum interest de ea re significare, & inde responsum expectare. Sequestribus quoque Bredæ parum fore quod agant, quod aut pax nulla ambage ibi sit concludenda, aut id amplectendum, quod eventus prælii maritimi dictaverit. Metuendam quoque Svecorum offensam, qui semper caverint, ne sibi alius sequester adjungatur, quibus ideo blandiebantur Angli, quod eorum in Bremensi provincia consistens exercitus haut invalidus Belgis non parum suspicionis injiceret. Denique ipse Elector expenderet, num jam decorum, aut è Regis dignitate sit, eum sequestrem, admitti, qui per metum ad pacem compulso Monasteriensi Angliæ res ita imminuerit, ut huic forte pax parum proficua sit ineunda. Alias integrum fore Electori legatos Bredam mittere, quocunque placeat dignationis gradu, quibus Anglici Legati debitum honorem exhibituri sint, omnibus quæ agentur communicatis. Cæterum uti Elector omni modo pacem optabat; ita diversam viam ministri Austriaci, & Hispanici insistebant. Hi quippe itidem ab initio in Anglia paci accelerandæ incubuerant, quod judicarent, duas illas nationes nullo fructu vires mutuo atterere, ac Gallo viam munire ad invadendum Belgium Hispanicum, nullo ab iisdem metu; quos sperabant pace facta confideraturos, quantum ipsorum, totiusque Europæ intersit eas provincias à Gallo non absorberi. Ast postquam iidem observarent dissidium inter Regem, & Parlamentum, & quod aula id ageret, ut Rex Parlamento haut magnopere opus habiturus, ac finito hoc bello haut temere alteri sese ingesturus esset; simul à Belgis parum aut nihil auxilii expectandum foret, Wittio penitus Galliæ innexo; diversam ingressi viam omni modo, Cæsaris quoque officio oblato, pacem remorari studebant. Ac Lisola cumprimis Regi persvadere satagebat, ut repudiata Breda Hagæ utique insisteret. Nam spes erat bello continuato Anglos mari potituros, quod sine dubio Galli toleraturi non sint. Saltem accessu Hispanicarum navium impediri posse, ne Gallica classis Hispanicos portus obsidere queat. Quo casu & spes erat, Angliæ Regem Hispanis terra quoque adfuturum, aut saltem multos Anglos Romana sacra professos Hispanicam militiam secuturos. Cæterum cum Brandius in Anglia operæ pretium haut faceret, Electore mandante inde discessit; cui valedicenti Cancellarius dicebat; *Electori deinceps solida consilia capessenda sistendis Gallorum destinatis brevi erupturis; tum & Belgis insinuandum, ut eo præcipue oculos convertant.* 30. Maij.

Circa pacem Bredæ acta. §. 23. Brandius dehinc, & Blaspielus Bredam ire jussi sunt, quantum daretur paci conciliandæ operam navaturi, ac inprimis, ut Elector paci includatur, ne quid molestiæ ob Monasteriense negotium ipsi deinceps inferretur. Ubi spem tractatuum, quæ ab initio prona arridebat, prope everrit audacia Belgarum, qui Thamesin ingressi apud Chattamum aliquot Anglorum naves bellicas incenderant, ac ipsam urbem terrore afflaverant, majore Anglorum ignominia quam damno.

1667. damno. Cum enim Parlamentum decies octies centena millia librarum Sterlinensium in usum belli annuisset, Aula pecuniæ publicæ prava-administra Regi svaserat, ne classem armaret, sed per maritimos excursores Belgarum navigationem carperet, quo ipso pecuniam istam in alios usus avertere posset. Unde Belgis ansa arrepta cominus Anglos insultandi, ut eos ad pacem promte amplectendam compellerent. Sed Wittius, & Galli id commenti credebantur ad disturbandam pacem, quo Anglus ea contumelia irritatus legatos suos abrupte Breda evocaret: quod alias, ubi pacis cupido est, talia imminente conclusione suscipi haut soleant. Cæterum semel atque iterum nostri Bredam excurrentes dissimulata legationis dignatione cum Anglis, & Belgis sermones conferebant, vix ullo operæ pretio, quod super omnibus jam convenisset, ut superfluum haberetur solenni pompa oppidum ingredi. Prudentiores tamen isti paci parum diuturnitatis ominabantur. Nam uti Belgæ pacis aversione conditiones admodum intendebant; ita Angli omnia innuebant, ut quovis modo pace potirentur, quam velut parum honestam, & vi extortam haut diu servaturi erant. Sane nemini persvadebatur Anglos facile oblivioni daturos insultationes certa jam pace factas ad Anglicanum populum irritandum, ut ultionem inclamaret; simul inquireret, quid factum tantis summis à se collatis; & quare tam absurda belli gerendi ratio inita fuerit, ut ni pax intervenisset, Belgis integrum fuisset in Novembrem usque mensem Londinum tantum non obsessum tenere interclusa Tamesis navigatione; quod nullo modo classis per diversos portus divisa contrahi posset. Accedebat penuria sociorum navalium, qui cum mercatoriis navibus in utramque Indiam, Hispaniam, & Mare Mediterraneum abierunt, cum ante sex menses consilium captum fuisset de hoste per hanc æstatem utcunque arcendo. Quin non contenti Belgæ Tamesin irrupisse, castellum quoque Harvicianum oppugnare instituerunt, etsi non sine clade repulsi; inde fretum ingressi insulæ Vecti, aut Portsmuthæ minabantur. Anglos tamen necessitas cogebat iras premere, ac dilata in aliud tempus ultione pacem utcunque arripere.

De inclusione in pacem Bredanam.

§. 24. Circa inclusionem Electoris in pacem Bredanam nonnihil difficultatis movebatur, quod Belgis super ista monentibus Galli id abnuerent, causati præter Svecos velut sequestres neminem ipso tractatu comprehendendum. Sveci contra præter se, Brandenburgicum & Palatinum Electorem, tum Gottorpiensem Ducem, & Hanseaticas protinus includi volebant, quod Dani ob hos, & istum abnuebant. id quod Elector ægre ferebat, velut qui à Dano plus favoris expectaverat. Etsi alias parum curaret à Dano, aut Gallo sui mentionem fieri, modo ab Anglis, & Belgis pa-

7 Aug. te comprehenderetur. Discrimen porro in eo vertebatur, quod Elector protinus ipso pacis tractatu nominari cuperet; Galli vero eam inclusionem deinceps fieri mallent, Anglis quoque adstipulantibus pacis festinatione. Galli 1667. causabantur; si præter Brandenburgicum, & Palatinum Electores nemo inclusioni sese obtulisset, eam protinus fuisse faciendam. Sed cum alii nomina sua jam professi sint, plures id facturi expectentur; certis de causis, quas vulgare non possint, id temperamentum fuisse arripiendum. Id quod tamen nullo modo Electoris fraudem spectet, quem & post peculiari instrumento pace comprehensuri sint. Qua pollicitatione Brandius contentus Breda discedebat, ne circa istam valde anxius videretur. Eodem de facto velut parum officioso apud Daniæ quoque Regem Elector querebatur; sed qui accurate id excusabat. Cum enim dubitatum fuisset, num omnes, qui includi voluerint, ipso in tractatu exprimi par foret, omnibus demum paciscentibus placuisse, ut singuli peculiari scripto amicorum, & fœderatorum suorum rationem habeant. Ita Danus juxta, Gallusque, simul Anglus, ac Belgæ peculiari instrumento Electorem isti paci includebant, quam Danus, qui Anglis parum fidebat, Roschildensi similem fore augurabatur.

§. 25. Cæterum quid inter vicinorum bella Galli animo agitarent, non obscure insinuaverant, quando Elector Blumenthalium in Galliam miserat, consolationis officio super obitu Reginæ Matris Annæ Austriacæ defunctæ. *Galli super destinatis suis insinuant.* Cui post exposita mandata Colbertus insinuabat: Electori fidis amicis, qui ipsius incolumitati, atque incrementis bene cupiant, valde opus esse. *23. Febr. 1666.* A Cæsare parum sperari posse, qui etiam in æquissimis rebus, & ad quas teneatur, satisfacere ipsi abnuat. Svecos, inter quos & Electorem multi diffidentiam serere satagant, formidolosos vicinos esse, quos credibile non sit temere oblivioni daturos, quod Elector priore bello tantopere reluctatus sit, ne quas spe jam devoraverant terras nancisci possent. Polonos quoque occasionem aucupari extortum armis supremum Borussiæ imperium iterum ipsi subtrahendi. His & similibus periculis avertendis Electori amicis opus esse, qui eum adversus ista tutum præstent. Et ad hoc Galliæ Regem proclivem esse, si Elector ipsius destinata in Belgium Hispanicum, de quorum felici successu idem quoque participare debeat, promovere velit. Nam ut Cæsar iis provinciis potiatur, Gallos haut passuros, si vel æternum bellum eo nomine gesturi sint.

§. 26. Istud porro bellum inter Anglos, ac Belgas desæviens Electorem advertebat, ut in omnem eventum securitati suæ per fœdera mutuæ defensionis caveret. *Elector fœderibus sibi cavet.* Unde ab ipso fœdus cum Coloniensi, universa Domo Brunsvicensi, & Landgravia Cassellana pro mutua defensione suarum ditionum fuit initum. *15. Mart.* Sed *10. Maij.* & paulo post fœdus defensivum, quod anno 1658 cum Leopoldo tunc Hungariæ Rege factum fuerat, per Goesium Baronem Clivis renovatum, & in alios decem annos prorogatum fuit. *Fœdus cum Rege Daniæ.* Eodem quoque tempore cum Daniæ Rege fœdus conclusum, quod hujus nomine *23. Maij.* Detlevus Alefeldius, Electoris Blumenthalius & Fridericus Jena subscripsere. Ejus ingressu testa-

1666. testabantur, *nullius id offensam spectare, ac locum duntaxat habiturum, ubi alteruter ab altero invadatur. Id fœdus à parte Regis porrigebatur ad omnia hujus Regna ac ditiones, Daniam, Norvegiam, Slesvicum, Holsatiam, cum Oldenburgico, Delmenhorstano, & Pinnebergico Comitatibus, ac omnibus juribus adhærentibus. Ex parte Electoris quoque omnes ipsius ditiones cum omnibus juribus, & expectantiis comprehendebantur. Casu existente Regem post tres à requisitione menses Electori IV M peditum auxilio missurum, aut si equites magis placeant, pro millenis peditibus quadringenos equites ad finem usque belli, numeris post elapsos singulos annos supplendis. Eundem militum numerum, iisdem conditionibus promittebat Elector. Utrique tamen integrum fore invadentem ante interposito officio hortari, ut à vi facienda abstineat. Eo si nil proficiatur, nec læso satisfiat, conventa auxilia utique secutura. Quæ à requisito alentur, quoad requirentis ad limitem perveniant ubi ab hoc pari cum propriis copiis ratione habebuntur. Uterque tamen suo militi stipendia persolvet. Quanquam autem qui auxilia mittit, intra conditionem nudi auxiliaris maneat, nec alterius bello misceatur; requirens tamen cum hoste suo nullos tractatus ineat nisi incluso requirente. Ast si requisitus ob missum auxilium & ipse in bellum pertrahatur, neuter absque altero pacem, aut inducias concludat. Pro auxilio requisitus nil actionis in requirentem movebit, sed reciproco auxilio contentus erit, ubi eo opus habeat. Iste auxiliorum modus si non sufficiat, plura mittentur, prævia conventione. In loca, quæ requirens per auxiliares copias occupaverit, requisitus nihil prætendet. Hoc fœdus utrimque socii intra quatuor menses ingredi poterunt. Durabit id in octo annos.*

Quadruplex fœdus. 15. Oct. §. 17. Sed & post Hagæ inter Daniæ Regem, Electorem, Ernestum Augustum, & Georgium Wilhelmum Luneburgicos Duces, & Belgas fœdus initum, cui *quadruplicis* vocabulum indebatur. De eo fœdere Beverningius primum Clivis proposuerat, Electore non improbante. Sed quia interim à reliquis formula adornata fuerat, sine communicatione Electori facta, haut placebat præcipitata conclusione alios suspicione perstringere. Luneburgici præcipue rem urgebant, ut eo tutius Bremensis urbis tutelam suscipere possent. Qui & initio gravabantur evictionem Borussiæ suscipere velut nimium remotæ. Quia tamen ea provincia Electori maxime curæ erat, utpote præ cæteris periculo exposita, isti demum assenserunt; præsertim cum, si in Borussiam militem mittere nollent, aggressorem in Germania distrahere liceret. Declarabat quoque Elector, quia ipse alias cum Dano, & Luneburgicis fœdera defensiva habeat, casu existente se ex uno tantum fœdere ad auxilia ferenda teneri velle. Visum quoque Electori prius, quam id absolveretur, Svecis de eo communicare suspicioni eorum dclinandæ, testarique non alium ejus scopum esse, quam ut suæ cuique ditiones tutæ sint. Simul eosdem invitabat, num & ipsi huic fœderi nomen dare velint. Etsi revera id fœdus turbas Bremenses spectabat, tunc nondum plene compositas, ne Sveci exercitu in Germania instructi id incendium 1666. latius diffunderent. Sveci verbis id fœdus non valde sibi displicere ostendebant; copias in Bremensem provinciam adductas excusantes, quod moniti fuissent Cæsarem id agere, ut Electore, & Luneburgicis immissis Germania ipsos expellat; ac Waldeccium id tempus ei negotio valde opportunum pronuntiasse. Ejus fœderis hæ erant leges. *Omnes paciscentium ditiones in Europa sitæ, aut post legitimo titulo adquirendæ mutuis auxiliis contra invasores defendentur, comprehensis quoque urbibus quas Belgæ extra ditionem suam præsidiis obtinent. Id in sex annos durabit. Daniæ Rex mille octingentos equites, ter mille pedites conferet; Belgæ totidem: Elector M CC equites MM CCCC pedites. Luneburgici D C equites, M C C pedites. Auxilia ista sumtibus requirentis alentur. Loco militum accipere licebit pecuniam, aut adparatum bellicum. Milleni pedites in mensem taxabuntur X M florenis, equites duplo; annus duodecim mensibus censebitur. Imperium in auxiliares penes requirentem erit. Licebit & fœderatorum officium adhibere componendo dissidio, salva conventi auxili missione. Ista auxilia si non sufficiant, intra primum biennium si quis invadatur, cæteri, qui non invaduntur, isti totis viribus subvenient, quoad aggressore depulso idem quantum possit satisfactionem obtinuerit. Fœdera à Belgis cum Electore, & Luneburgicis contra Monasteriensem inita ad alios quoque aggressores porrigentur. Pro captu temporum sex menses ante elapsum biennium Hagæ de prorogatione conventorum agetur. Conventa valebunt etiam ubi unus fœderatorum alterum fœderatum aggrediatur. Invitabuntur ad hoc fœdus communi consensu, & sine Belgarum onere Rex Sveciæ, Coloniensis Elector, & Neoburgicus; tum Hanoveranus, Guelferbytanus, & Cassellanus. Si quis invadatur, ei non integrum erit cum aggressore pacisci, nisi consentientibus, & inclusis fœderatis. Id fœdus non præjudicio erit Cæsari, Romanove Imperio, nec aliis fœderibus, quæ socii cum aliis habent. Declarant quoque singuli fœderati, sibi non esse fœdus cum aliis, quod huic fœderi obstet, ejusve effectum impedire queat.* Additus erat secretus articulus, quo illud, quod super defensione urbium præsidio Belgico infessarum disponitur, ad sensum fœderis hoc ipso anno die 6. Februarii inter Electorem, & Belgas initi restringebatur.

Electoris circa turbas Burgundicas cura. §. 18. Inter ista eruperant Galli adversus Belgium Hispanicum destinata, cujus deglutiendi ardor dudum Gallos adusserat, non solum quod eo integro subsistente Gallia isthac parte hostium incursionibus Lutetiam usque pateret; sed & quia vicinorum oppressionem agitanti, istud velut fundamentum invadendis reliquis stabiliendum erat. Cui usui & antea istæ provinciæ ab Hispanis destinatæ fuerant. Id bellum eo magis omnium Europæ populorum animos advertebat, quod eo specimine primum adparuisset, quam parum Gallo fœdera ac juramenta cordi forent, si occasio fines dilatandi allubesceret. Cumque fides humanæ societatis vinculum sit, quo sublato mortalium vita parum à belluarum inter se immanitate absfutura sit, omnibus honestis horrori erat, à Rege

1666. a Rege titulum Christianissimi peculiariter sibi vindicante istam ita proterve violare inter ludicra haberi. Sane Reginæ Mariæ Teresiæ cessionem in eas provincias solenni jurejurando ipse Rex firmarat. Nec pudor tamen erat futile prætextum *juris devolutionis*, inter privatos per Brabantiam recepti, violatæ fidei obtendere. Post cum hoc anno arma in Gallia ingenti studio pararentur, Fontanus legatus Hispanicus à Gallo nomine Reginæ Regentis Hispaniæ novam cautionem petere jussus est tranquillandis suis curis per tam miras relationes è Gallia excitatis. Ad quæ Rex amplissime protestabatur, verbo, fideque sua Regia interposita, se religiose pacem servaturum, ac cum ipsa, ejusque filio perfectam amicitiam continuaturum. Mox cum jam Galli Caroloregium occupassent, quinque dies antequam nuntii de eo Madritum adferrentur, Archiepiscopus Ambrunensis legatus Gallicus fide sacri sui characteris asseverabat, Regi suo hautquidquam in animo esse unquam cum Hispano in bellum erumpere, quamdiu hic Rex in minore ætate constitutus sit. Cæterum statim atque Philippus IV. fato concessisset, Galli de invadendo Belgio agitare cœperant, questi quoque de testamento istius, quo in casum deficientis familiæ Austriacæ Ducem Sabaudiæ successorem Hispanicorum Regnorum substituerat, præterita filia, Regina Galliæ. Sed quia perspiciebant, omnes Europæ potentias in ipsos concitandas, si una vice tam opimum bolum deglutire instituerent, insignem ejus partem initio decerpsisse satis habituri erant. Quo fine pacem inter Anglos, & Belgas impedire studebant, quo cupita sua interim exsecutioni dare possent. Qui & jam eo tempore de Romana corona in se transferenda meditari cœperant, citra dissimulationem Saxonis, ac Palatini suffragia de electione futuri Regis Romanorum ambientes. Ast quia Galli satis perspiciebant, neminem magis quam Anglum impedimento sibi esse posse subjugando Belgio, & commerciis per utramque Indiam stabiliendis, protinus erga hunc, cum in Regnum repositus esset, singularem amicitiam testabantur, promisso, cum Belgis se non prius fœdus inituros, quam hi erga ipsum ita ut ratio exigat sese gererent. Quo promisso inductus Anglus circa tractatus cum Belgis absolvendos cunctatus fuerat: ac Gallus promissorum securus Anglum prævertens Belgis audaciam addiderat, ut hujus desideria ferociter abnuerent. Spes quippe Gallis erat, bellum inter istos statim erupturum, ac recens adhuc Angli regimen Belgis occasionem præbiturum, vires Angliæ maritimas frangendi, & hanc ad ejusmodi leges admittendas redigendi, quæ Belgis prærogativam tribuerent, ut his per Galliam fultis semper vires essent Anglis in ordinem redigendis, si resurgere, ac Belgarum insolentiam compescere instituerent. Nam ex quo penes Richelium Galliæ moderamen fuit, inter palmaria ejus Regni decreta receptum, omni modo domesticas Angliæ res turbare, ut huic externa respicere non vacaret, nec viribus

Gallici cir- ca bel- lum inter Anglum, & Belgas artes.

suis, quas situs, ac fertilitas terrarum, ac robur, & numerus nationis tribuit, uti liceret ad aliorum destinata infringenda, propriamque potentiam augendam. Ac Richelio sua consilia eousque successerunt, ut primo, quicum tractaret, inveniret Jacobum Regem meticulositate imbellem; inde voluptatibus immersum Buckingamiæ Ducem, & qui animam venalem circumferebat: ac demum ambitiosos, ac novandi cupidos Sacerdotes, qui per Angliam omnia turbis miscebant, quo interim Richelio spatium foret Hugenottos opprimendi, per quos alias Galliæ vires domi distrahi poterant. Eædem artes Mazarino quoque successerunt, donec Cromvellus fractas Angliæ vires recolligeret; qui tantum isti terrorem incusserat, ut in proverbii vicem jactaretur; *à Mazarino Cacodæmonem non impensius, quam Cromvellum, metui.* Post Carolo II. à Gallis pro libidine illusum. Nam cum is crederetur gravem offensam concepisse, quod Gallus eo decepto cum Belgis ex improviso fœdus conclusisset, is insuper ad Dunquercam concedendam induci se passus est, utut Hispani quas ipse optaret conditiones offerrent. Sed statim atque Dunquerca potitus erat Gallus, hactenus simulatum desiderium arctioris cum Anglo fœderis evanescebat, ut demum hic, postquam ob civium suorum commercia ab injuriis Belgarum vindicanda in bellum descenderat, Gallo offerret; se non impediturum, quo minus is provincias Hispanicas subigat, modo idem sibi permittat Belgas ad modestiam redigere, ac vires eorum maritimas frangere. Ast id obtineri non potuit, non quod sanctimonia fœderum Gallo tantopere cordi foret, præsertim cum in utramque partem disputari posset, uter populus hoc bello aggressor foret: sed quia credebat, eodem Anglos ita fatigandos, ut ingratiis Hispanicum Belgium ipsi concedere necessum habituri sint. Contra idem sibi persvaserat factionem Lœvvesteinianam, penes quam nunc summa rerum in Belgio sit, tantopere Galliæ rationibus innexam, ut quamdiu contra Arausionenses partes fulciatur, nunquam ausura sit Gallorum destinatis circa Flandriam, & commercia se opponere, ni arbitrio se inimicorum exponere vellet. Ac si ad extremum Angli Belgis prævalerent, credebat tamen uti antea Dunquercam, ita nunc pacem, & quicquid in Anglia desideret, venalem fore. Post bello inter Anglos, & Belgas fervente, hi acriter Gallum urgebant, ut ex fœdere bellum Anglo indiceret. Circa quod iste sat lente moliebatur, nec animus erat ita temere in Anglos ferrum stringere, ac tot hostes una vice in se pertrahere. Etsi ob existimationem, ac ut monstraretur, Gallicis fœderibus tuto confidi posse, austerus in Anglos vultus sumebatur, quo hi ad æquiores pacis conditones Belgis concedendas permoveri possent. Ac fatebatur Lœvvensteiniana factio, ni Gallus ipsam sustineat, Arausionensi addictis se succubituros; qua prævalente pacem cum Anglo exclusa Gallia faciendam, huic sane prægravem, Anglis tunc, Belgisque, tum Austriacis, ac Italiæ Principibus ac plerisque Catholicis in Germania contra eandē conspiraturis, 1667.

1667. Demum tamen Gallus defugere non poterat, quo minus Anglo bellum indiceret, cujus hæ rationes ferebantur: se pure declarasse, statim atque legatus Belgicus Gochius ex Anglia revocatus sit, se bellum ei Regi declaraturum. Beuningius quoque asseveraverit, si ipse id paucos adhuc dies differat, Belgis per desperationem cum Anglo transigendum fore. Et quia jam eousque processum fuerat, ut bellum declinari non posset, satius fore sociis Belgis, quam solum cum Anglo certare. Quia etiam destinata sua in Belgium exsecuturo non alii acerbiores adversarii, quam Angli, erant metuendi, prudentis videbatur, recentes vires in hos effundere. Non credebat quoque Gallus Hispanos & Lusitanos inter se conventuros; eoque semper obicem futurum conjunctioni Hispanorum, & Anglorum impediendæ, quod Lusitani Anglis arcte innexi forent. Idem quoque Austriacorum, & Svecorum rationes ita adversas invicem ducebat, ut statim atque isti Galliæ conatibus se opponerent, Svecis utique in hujus partes concedendum foret. Turpe quoque judicabat Gallus, si ab alio bellum sibi indicendum foret, ac dixerat; *malle se aliquam optimarum suarum provinciarum amittere, quam aggressorem non esse.* Denique idem ab armis instructissimus erat, cui ultra octoginta militum millia in promtu, quibus pro lubitu addere poterat, quot vellet. Revera tamen constabat è Galli juxta & Angli parte bellum in speciem tantum sumi. Vicissim & Angli Gallo declarationem opponebant. In qua id cumprimis huncce male habebat, quod isti eundem non nisi *Franciscum Regem* more suo vocarent, ac Hugenottos, si in Gallia male habeantur, in Angliam invitarent omni ope, ac protectione promissa. Sed & nemo sibi de Angli constantia quid promittebat, quod huic ex Hispania nil opis expectandum foret, notoria virium debilitata; cui dissensio in consilio accedebat, plerisque proceribus Jesuitæ Nithardi potentiam aversantibus. Monasteriensis quoque bello excedebat, Anglica pecunia deficiente, & quia Cæsar ipsum negligebat. Denique & Belgæ, cum Galli destinata animadverterent, pacem captabant; præsertim cum æmulationem non dissimularint Galli, jactantes, si una adhuc victoria potirentur Belgæ, amicitiam cum his constare sibi amplius non posse. Eoque Bellefortio injungebatur Regiam sponsam in Lusitaniam cum classe deducere, ut prætextum foret, quare Gallica classis Belgicæ sese haut conjungeret. Super ista porro Belgii invasione Anglici legati Bredæ Brandio significabant; Regi suo nihil ingratius eventurum, quam si Gallus eas provincias in ditionem redigat. Cæterum importunum fore ab isto postulare, ut protinus post finitum bellum maritimum, quo cum tribus potentibus hostibus certarit, aperte Flandrico se negotio immisceat; præsertim cum Hispanus, ac Cæsar cum Imperio nupero bello otiosos spectatores egerint, ac in Angliæ gratiam nec hilum fecerint. Ac Hispanum eo ipso gratiam apud Anglos consumsisse, quod horum hortatu cum Lusitanis pacem mature inire, ac Monasteriensem adversus Belgas fulcire noluerit. Esse tamen inter causas maturatæ pacis, ut Galli conatus in Hispanicas provincias sistantur. Sed & cum Londino discesserat Brandius, Cancellarius dixerat: Regem Angliæ quam maxime optare, ut vasta Galliæ destinata sat obstaculorum inveniant. Enimvero uti Germaniæ plurimum intersit, ne Gallus fines suos ad Rhenum usque proferat; ita necessarium esse, ut ab Electore justi adparatus in Germania adversus Galliam initium fiat, velut qui potentia, & existimatione præ cæteris floreat, & cujus ditiones periculo proximæ sint; isque Ordines Protestantes cum Svecis sibi associet. Tum nec Belgis otiosis desidendum, quos non fugiat, in quanto periculo versaturi sint, si Gallos vicinos sortiantur. Nec Regi Angliæ improbatum iri, si Elector arctiore fœdere se Belgis contra Gallos jungat. Cum Brandius reponeret; Angliæ quoque securitatem non minus heic periclitari; ac Electori haut ita tutum esse huic se negotio ingerere; forte & Belgas hæsuros ubi non constet, num & Anglia manum sit admotura; iste respondebat; si maxime Gallus Flandriam absorbeat ipsa cum Hollandia, sat latam tamen adhuc fossam interjectam. Saltem Hollandiam prius, & Germaniam devoratum iri; eoque necessum esse has sese priores opponere. Quanquam revera Angliæ plurimum intersit Belgium conservari; ac valde dolendum apud Hispanos tam scæva consilia, tantamque socordiam adhiberi; inprimis à Castellroderico tam segniter rem administrari, cum satis prospiciat, à Gallis sese invadendum. Mox tamen candide fatebatur, Angliæ non tam voluntatem, quam vires deesse, quo minus protinus Hispanis subveniant. Nam bello maritimo cum Belgis, Gallis, ac Danis exhaustam tempore opus habere ad recipiendas vires. Regi quoque Angliæ, cum apud Belgas pacem ita difficulter procedere perspiceret, clam cum Gallo fuisse paciscendum, ut pro restitutione Antillarum insularum per unum annum Flandrico negotio se immiscere supersederet. Unde Elector impediret, ne Bredæ quid super conjunctione Angliæ, & Belgarum contra Gallos moveatur; quod Angliæ rationes non ferant Gallis hoc nomine suspicionem injicere, antequam pax perfecta fuerit. Hanc primo loco constitui oportere. Inde liberum esse Belgis legatos Londinum mittere, ubi Angli, quæ ad rem faciant, libenter suggesturi sint. Regi quoque valde gratum fore, si Elector post pacem super hac re sententiam suam candide communicare velit, in quem hoc tempore multi respiciant, & qui rebus non exiguum momentum addere queat. Cum primis operam dandam, ut Sveci plane à Gallia avellantur; ac Cæsareæ aulæ ingerendum, Sveciam data pecunia permovendam, ut mediam se primum gerat; inde arctius Austriacis partibus illigandam. 1667.

The French King.

Beaufr.

§. 29. Porro statim atque spes pacis inter Anglum, & Belgas allucebat, Galli omnia ad invadendas provincias Hispanicas parabant. Qui-

Belgium Hispanicum à

1667. *Gallo in- raditur.* Quibus perfectis Rex cursorem cum literis, & scripto publico causas belli complexo Madritum mittebat, queis maximam partem Belgii sibi deposcebat. Is si in reditu gratum responsum non adferret, hostilia ordienda esse. Secreto ipsi Anglus caverat, se hoc anno nil ad rem facturum, ac sat pecuniæ suppetebat ad corrumpendum consilium Anglicum. Spes quoque erat per artes pacem inter Anglos, & Belgas sufflaminare, ne isti eam causam tangere possent. Sed & Wilhelmus Furstenbergius nuper Vienna redux Cæsaris vires admodum extenuaverat. Simul Crequius cum exercitu apud Metim consistebat, illum oppressurus, qui Cæsareis copiis in Belgium iter concessurus sit: atque id Trevirensi citra ambages denuntiabat. Equidem satis perspiciebant Galli, istud institutum Belgis valde ingratum fore, quos tamen isti parum curabant, misere admodum à militia terrestri instructos, & queis Sveci suspicionem incutiebant, quorum copiæ non spernendæ sub Wrangelio in Bremensi ditione consistebant. Monasteriensis quoque Galliæ jam illigatus erat; cui in proclivi varias molestias Belgis inferre. Quod si Joannes Wittius consilia mutare velit, Arausionensem factionem ei immittendam, sat negotii daturam. Sed & credebant Sveciam nunquam in Austriacas partes concessuram; ac nulli Germaniæ Principi id audaciæ fore, ut aliquid contra Gallum moturus sit. Ast missus in Hispaniam cursor à Regina retulerat; se controversias cum Gallo in arbitrorum manus commissuram, quorum electio penes Gallum futura sit; ac ut hic videat, rem serio à se agi, insignem interim urbem cautionis vice Gallo tradendam ea lege, ne hic irruptionem in Belgium faciat. Quod responsum à Gallis non sine irrisu excipiebatur. Hispani simulabant, sibi nullam plane suspicionem de hoc conatu fuisse. Fontanus legatus Hispanicus excusabat: cum Regi valediceret, ac adderet, rumorem circumferri, velut Rex Belgium invadere decreverit; Regem pressa ipsius manu dixisse, ne ejusmodi sermonibus moveretur: saltem hoc anno bellum non fore. Adjiciebat Fontanus, neque Regem, nec ministros vel verbo apud se de prætensione, quæ nunc moveatur, tetigisse sicut & Archiepiscopus Ambrunensis legatus Gallicus de ea nil tetigerit. Sane Fontanus palam inficiabatur ea, quæ in clarigatione Gallica adducta fuerant, velut inter defunctam Reginam Galliæ, & se acta, quæ fundamenti loco ad justitiam processus Gallici adstruendam ponantur: ac eo nomine prolixas se literas ad Regem, & Lionnæum scripsisse; & contrarium sibi probare in proclivi fore. Interim Galli Monasteriensem quoque sibi innexuerant, ac certas pecunias apud mercatores Amstelodami eidem assignaverant, quibus militem, quando ipsi hoc à se significatum foret, conduceret: ut si Belgæ in transversum abirent, istum his immittere possent, ac ne is interim Cæsari se adjungere posset: nec tamen pecunias in manu haberet. Cæterum Gallorum destinatis promovendis Wilhelmus Furstenbergius enixam operam navabat; quem Gallus Ecclesiasticis beneficiis, è quibus annua quadragena uncialium millia ipsi redibant, simul spe Argentoratensis, & Coloniensis præsulatus sibi mancipaverat, liberaliter quoque pensatis, quas in usum Galliæ suscipiebat, millionibus. Is apud Electores Rheno adsitos satagens differebat; remotius sitis Principibus facile esse ferociter in Gallum declamare. Ast Rheni accolas Galli arbitrio obnoxios; ac si bellum inter Cæsarem, & Gallum erumpat, eorum ditiones bello theatrum præbituras. Per se liberum fore Cæsari quantum velit Belgio subvenire; modo efficiat, ne ipsi ea occasione atterantur. Enimvero non posse exercitum in Belgium venire, nisi itinere per ipsorum terras sumto; quod tolerandum sibi non sit, nec se ad alterius membrum servandum caput sibi ipsis abscissuros. Si bellum oriatur, sibi haut deliberandum fore, apud utram partem plus lucrari, sed ubi minus perdere possint. Eo casu consultissimum fore Gallicas partes amplecti, ubi validum sit caput, & ubi auxilium milite, ac pecunia defuturum non sit; utque adeo, si Germania ubique comedenda sit, ipsi quoque in partem prædæ venire queant; cum lentas suppetias Vienna expectare serum futurum sit. Frustra credi, Gallum institutis in Germania delectibus terreri posse. Nam Regem ætate florentem, magno animo, potius extrema tentaturum quam quid remissurum. Ac demum præstare, ut Hispani aliquot locis careant, quam ut tota Europa incendio corripiatur. Præsertim cum Hispanis interposita Imperii sponsione caveri possit, reliqua ab ipsis citra impetitionem retineri posse. Cum objiceretur isthæc consilia ad tempus duntaxat valere, queis ii tantum capi queant, qui præsentibus frui pro solatio habent, futurorum incuriosi; idem reponebat: *si inter hæc duo sibi unum necessario sit eligendum, utrum cras cum honore capite truncari debeat, an vero post biennium cum ignominia patibulo suspendendus sit, malle se posterius eligere; quod heic spes sit impedimenta intervenire posse: ac dulcedinem vitæ metu in futurum prominentis, ac incertæ mortis longe potiorem. Ita satius sibi videri in eo metu vivere, ne Gallus post subactum Belgium Rhenum quoque opprimat, quam dum nunc eidem obsistitur, in præsens exitium ruere.* Idem Furstenbergius Viennam profectus nomine Electorum Ecclesiasticorum Cæsari proposuerat, an non tentandum sit amica ratione cum Gallo transigere? (prout is jam anno 1658. Francofurti multa jactaverat de Belgio inter Cæsarem, & Gallum dividendo.) Quo fine vires Galliæ, ac destinata exaggeraverat, ac uti in præsens occasio admodum prona sit controversiæ funditus tollendæ, eo Gallis concesso, ex quo Hispanis alias nihil emolumenti proveniat. Et cum ei regereretur; Gallo nec jus esse, nec vires ad Belgium sibi vindicandum; idem reposuerat; jus, quod iste obtendat, saltem discussione opus habiturum, interim istum in possessionem sese immissurum, qua eundem iterum expellere haut in proclivi futurum sit. Præcipue cum verendum sit, ne Gallo inter vescendum appetitus 1667.

1667. crescat, cujus ambitioni, ac aliena rapiendi aviditati modum nisi propria voluntas ponere nequeat. Unde rem haut eo deducendam, ut Gallus ipse quæ cupiat arripere incipiat, sed mature una & altera parte cessa ei satisfaciendum. Sed quo minus ad ista Viennæ respiceretur, Fontano Comiti culpa tribuebatur; qui Cæsareis persvaserat; non esse è re ministrorum Galliæ, Regem bello implicari. Qui tamen non consideraverat, hunc sui juris, ac non deesse, qui quotidie stimulos subderent, jam sua indole ad talia prono. Ac is nuper Condæum interrogaverat, an non C M militum, & centum milliones sufficiant ad bellum Belgio Hispanico inferendum. Etsi à rerum gnaris languidorum istorum Viennæ consiliorum culpa potius Aurspergio tribuebatur, quem & post Cæsar statione sua dejicit, quod Gallus literis ad Papam, & Cardinalem Nepotem scriptis posuerat; se per Flandriam parta Aurspergio, ejusque consiliis accepta referre. Is quippe contenderat: è re Cæsaris haut esse provinciarum Hispanicarum protectionem suscipere, quamdiu Gallus verbis caveat, se aliqua parte contentum esse velle, nec omnia affectare; & quoad adpareat, num vicini ei negotio se ingesturi sint. Ratisponæ solitus lentor, velut cautum foret, isto Germaniæ propugnaculo subruto Gallis libidinem haut subituram lentius grassandi. Sed & Galli Ordines Germaniæ spe, metuque versabant, ac postquam insignes Belgii urbes subegissent, pronos se compositioni ferebant; quo, si cui animus foret erumpendi, spe propinquæ pacis cohiberetur; nec operæ pretium fore inter tam potentes Reges super pauculis urbibus certari, quæ uni parum virium addant, alteri parum detrahant. Qui & non obscure insinuabant, rationes suas non ferre, cœptum bellum diu extrahi. Vicissim autem Germaniam metu belli terrebat, dum Condæum supremum exercitus ducem designat, quem adversus Germaniam parari sparserat. Id muneris quare Condæo deferretur hæc causa erat. Condæus aliquem clientum suorum nomine Furtium miserat adventu classis argenteæ, quæ debita sibi apud Hispanos restabant, exacturum. Cum tentabant Hispani, an non Princeps postquam plane neglectum se videat, nec Rex ei satis fidat, persuaderi possit, ut denuo in Hispanicas partes concedere velit. Id si fiat non solum protinus super residuis ei satisfaciendum, sed & in futurum largiter eidem prospiciendum. Quia etiam Condæus spem Coronæ Polonicæ conceperit, ac Gallus ad eam ipsi opem suam promiserit, sed languidius rem gerat quam ut cordi eam esse credi queat, præterquam quod Galli commendatio in Polonia parum ponderis habeat, isque ob positum terrarum vim ibi adhibere nequeat: Hispanos per Cæsarem longe melius cupita ipsi pervincere posse. Ea promissa cum Furtius scripto nactus esset Condæus ea Regi ostendit, quo candore motus Rex iterum magnam in isto fiduciam collocarit, ac id imperium eidem contulit, renovato quoque super Polonia promisso. Cæterum super destinatis istis Galliæ quoque Rex Electori mature significaverat, per quæ Imperio nihil decessurum sit, quippe cum ipse Belgium eodem modo atque Hispanus ab isto recognoscere velit. Addebatur, ne Cæsareis copiis, si quæ in Belgium penetrare velint, transitum concedat. Cui Elector respondit: Admodum sibi dolere, bellum ibi surgere, ac se ei componendo libenter operam navaturum. Ad quod à Gallo repositum: se felici quantumvis armorum suorum successu amicam transactionem amplexurum; ac Electori, aliisque gratias debiturum, si eam promoveant; etsi eadem Hispanis haut cordi esse videatur; Post & misso Milleto Rex denuo petebat, ne Elector cuipiam per suas ditiones transitum in Brabantiam permittat; simul in prorogationem fœderis Rhenani consentiat. Cui ab Electore responsum: transitum hucusque neminem desiderasse, nec constare, an quis adhuc desideraturus sit. Alias penes se solum non esse circa hoc statuere; sed quod ab universis Ordinibus, apud quos de hoc Gravellus proposuerit, decernendum sit, id se quoque secuturum; & quavis occasione ita se gesturum, ut Rex æquitatem suam nunquam sit desideraturus. Sicuti & alias speret, sese Regi nullam diffidentiæ causam præbuisse. A prorogando fœdere Rhenano se quidem non abhorrere; intellexisse autem Svecos nonnulla circa id movisse. Tum & super proportione auxiliorum, ac aliis nondum ad liquidum deductum: ac socios Ordines quædam corrigi cupere. Cæterum in hoc negotio Electori magna circumspectione opus erat. Equidem quam perniciosa toti Europæ forent Galli ausa adparebat; ac peculiariter Electorem id bellum tangebat ob viciniam, quod Belgii ruina Cliviam quoque in exitium tractura erat. Inprimis alte penetrabat, quod Gallus inter alia actionem quoque moveret in superiorem Geldriam, & partes Cis-Mosanas, quæ in ipsam usque Cliviam se insinuant. Unde utique opera danda erat, ut matura compositione Gallorum destinata sisterentur, viresque ad æquilibrium redigerentur. Haut temere tamen quid præcipitandum, sed videndum prius, quid consilii alii essent capturi, & illi præcipue, quos ea res proxime tangebat. Cæterum Milletus iste Lutetiam redux Electorem, ejusque potentiam magnifice efferebat; ac Regi, ut Germanorum consilia moderari posset, id præcipue agendum, ut istius amicitiam excolat, velut qui Svecorum vires librari, ac fructum fœderis, quod tunc inter hos, atque Cæsarem agitabatur, intercipere possit. 1667. *Gallus super destinatis suis Electori significat. 13. Mart.* *19. Jun.*

§. 30. Ante omnia autem constare debeat, quomodo sese gesturi essent Hispani, de quorum corio potissimum ludebatur. Ac significabat quidem Belgii Gubernator Castelloredericus Electori de Gallorum irruptione, ejusque auxilium exposcebat. Inde ad eundem Haga Bruxellas excurrebat Blaspielus, quid in ista rerum confusione agitarent Hispani cominus inspecturus; apud quem iste vehementer optabat, ut Elector supremũ imperium in Cæsareas, *Hispani Electoris auxilium quærunt 14. Jun.*

1667. reas, & Hispanicas copias adjunctis propriis contra Gallum suscipere velit, quo nullum præstantius hac rerum facie remedium sit. Præsertim cum nulla spes adpareat dissidium amica ratione componendi; quod Gallus fidei, pactorum, & jurisjurandi religionem inter inania habeat, eoque satisfactione, quam hodie acceptet, cras contentus non sit futurus, sed plura subinde affectaturus, aut denuo vi grassaturus sit.

14. Jul. Paulo post ab Hispano missus veniebat Hermannus Marchio Badensis, de statu Belgii edocturus, & Electoris sententiam exquisiturus, simul ejus auxiliis exposcendis. Cui

6. Aug. Elector: *maximi rem momenti esse, in qua circumspecte sibi procedendum sit, ne intempestive, & præter suas rationes alieno sese bello implicet. Equidem sua ac totius Imperii, omniumque vicinorum interesse, ne Gallus scopo suo potiatur, neu formidandas jam antea vires amplius augeat. Hispaniæ tamen haut eum videri adparatum, qui frangendis istis destinatis sufficiat. Sed & se subinde adversa valetudine tentari, ut tanto negotio prout par sit vacare nequeat. Quod si semel in causam descenderit, & aliquid sibi humanitus accidat, statum; ac posteros suos maximum periculum incur-*

8. Aug. *rere posse.* Multis inde Marchioni demonstrabat: *Hispanis nullos pro tanta belli mole armorum paratus: nullos socios, quibus tuto inniti possint: cum Lusitanis molesto bello implicitos, per quod alibi debito cum vigore rem nequeant gerere. Regis quoque Hispaniæ teneram ætatem efficere, ut parum tuto cum eo contrahi possit. Cæsarem hucusque plane quievisse, nec adhuc constare, an, & quousque hoc negotium suscepturus sit. Hispaniam intestinis laborare dissidiis; ac proceres diversis respectibus, ac varia æmulatione distrahi. Plerosque Electores, & Principes in Gallum inclinare. Contra Gallum ad hocce bellum pecunia, milite, sociis, & quæ alia magna molientibus in promtu habenda, dudum sese instruxisse, ac pro lubitu grassari nemine resistente. Igitur nosse sibi necessum esse, quid rationum adversus eas difficultates Hispani invenerint; quamdiu fiducia sit eas provincias tutari, antequam malum immedicabile fiat: an non cum Anglis, Belgis, ac Suecis super auxiliis agatur? Nam invalidior paratus fiat, suum solius auxilium Belgio parum levamenti, sibi certissimam noxam allaturum. Tum & nosse oportere, quid sibi ab Hispanis vicissim expectandum sit. Nec minus necessum esse, ut Cæsar hanc causam majore studio amplectatur; simul Sveci in partes trahantur, ac præcipue Hollandi, ubi saltem boni cives abominentur Hispanicas provincias à Gallis subjugari, quibus par sit ab Hispanis circa exiguas quasdam controversias satisfieri. Denique & Luneburgicos in societatem adsciscendos, ac si fieri queat, Moguntinum, atque Coloniensem.* Addebatur, ut ista accurate silentio premantur. Ad ista Badensis: *Ni aliorum auxilia accedant, Belgium periisse. Vetera isthæc esse Galli destinata, ob quæ is Pyrenæam pacem fecerit, ac fœdus Rhenanum consarcinaverit. Inde Hispanos in securitatem datos repente oppressos. Super adsciscendis sociis nunc quam maxime satagi. Lusitanorum arma duntaxat propulsanda, ac forte propediem cum istis pacem fore. Minorem Regis ætatem haut obfuturam, quo minus egregia, & solida consilia capessantur. Cæsarem initio dubitasse, nondum ab armis sat instructum: Sed nunc facturum quantum possit, præsertim Electore in partem belli veniente. In Hispania dissidiorum nil fuisse, sed diversas duntaxat de republica sententias. Quosdam, queis unice Hispania præ oculis fuerit, utile judicasse Belgicas provincias, oneri magis quam lucro sibi cedentes, Gallo plane destitui, proficuis cum hoc super Lusitania, & Ruscinonensi ditione pactis initis. Sed prævaluisse, qui Austriacæ Domus salutem, & communem utilitatem spectarint, quæ Belgium omnibus viribus defendi requirat. Socios Rhenani fœderis bona fide medios se gerere utilius Hispaniæ videri, quam si iidem in hujus partes transeant. Nec Cæsaris copiis necessum esse transitu per istorum terras uti, aut in Brabantiam duci, ubi non sit unde alantur: ac satius fore recta per Burgundiam in Galliam tendere. Ac Cæsari id ausum sine periculo fore, in cujus provincias Gallo vicissim penetrare haut liceat. Nec Viennæ ullum à Turca metum; quin hunc suspicione perstringi ob Galli conatus longius tendentes. Præterea Gallos hucusque nil occupasse, quod tutari possint, modo validus exercitus in campum educi queat. Urbes quas ceperint esse diffusas, numerosum præsidium requirentes, unde Gallorum exercitus valde debilitandus sit. Cum Anglis, Suecis, Belgis diligenter tractatus agitari. Anglos jam tria militum millia submisisse, ac Hispanorum causæ enixe studere. A Belgis pecuniam sperari, quod ipsorum miles terrestris non optimæ notæ sit. Sed per istos junctis Anglis mari Gallos valide distrahi posse. Solum Electorem in periculum non vocari; sed hoc cum Cæsare per fœdus juncto in proclivi fore plures socios adsciscere. Cum Hispanicarum provinciarum conservatio Electori Cliviam tutam præstet, isthanc Electori præmii instar habendam. Æquum tamen esse eundem ad rem gerendam non prius obstringi, quam ab Hispanis pecuniam pro ratione auxilii manibus teneat; circa quam hosce facturos, quod ratio exigat. Alias hosce judicare, si Elector cum Luneburgicis exercitum XV M conficiat, cui Hispani V M addituri sint, cum illo per agrum Limburgensem Metim versus rem geri posse, aut si videatur, cum Cæsareo exercitu conjunctionem institui: super quo deinceps conveniendum sit. Circa Suecos in partes trahendos diligenter actum iri. Belgas fœderatos proprias ob rationes causam amplexuros. Luneburgicos quoque in eam causam pronos. Circa Moguntinum itidem, & Coloniensem operam datum iri; etsi Hispanis sufficiat, si isti bona fide medios segerant. Denique hanc rem silentio premi Hispanorum quoque interesse. Unde se illudendæ hominum curiositati hinc digressum querelas jactaturum, Electorem nullo liquido responso omnia in suspenso reliquisse.* 1667.

§. 31. Ad ista antequam Elector Badensi *Electo-*
pressius responsum daret, consiliarios suos ju- *ris circa*
bebat curatius discutere: Uter Regum justam *bellum*
videatur habere causam, ac num Galli actio in *Flandri-*
Hispanos solido fundamento nitatur? Quæ ra- *cum con-*
tiones Imperio circa hoc negotium vertantur, *federatio-*
& qualia consilia Ratisponæ Ordinibus se- *nes.*
quenda sint? Num Imperio fas sit, aut obligatio huic bello sese ingerendi, ac Circulum Burgundicum velut membrum sui tutandi? Quid

1667. Quid denique suis rationibus heic expedire videatur? Isti re discussa ita censebant. *quantum è scriptis hucusque publicatis adpareat, Gallos jus Regis ac Reginæ in Brabantiam, & alias Belgii provincias è statutis earum deductum ire; cui tamen se renuntiasse haut inficientur, sed quo juramento istos haut teneri multo rationum adparatu pervincere conentur. Id tamen nuspiam ab illis probatum inveniri, Reges, ac Principes in divisionibus suarum hæreditatum, ac connubiis filiarum idem plane jus, quod inter privatos valet, observare necessum habere, ita ut ab hoc per pacta recedere non possint. Cum enim magnis imperiis tutandis pares vires requirantur, rationi, ac juri congruum esse ne ditiones suas inter plures dividant, sed fœminis extra familiam elocatis certa dote satisfaciant. Unde renuntiationes, quæ non solum à filiabus, sed & à fratribus, & agnatis in ditiones fiant, solido fundamento niti, ac non minus in Germania quam alibi in usu esse, ac legibus probari, inprimis si jurejurando confirmentur. Nullo quoque colore juris excusari posse modum procedendi; viduam Reginam, Regem puerum, proxima cognatione junctum, innocentes cives, nulla denuntiatione, qualem jus gentium requirit, armis petere. Enimvero revera Gallum non rationibus juris & æqui, sed armis, queis occasio favet, niti.* Tertio autem cuipiam non id semper anxie respiciendum, utri bellantium rationes juris faveant, sed ab utro plus periculi, ac damni immineat, aut jam inferri incipiat. Hoc ipsum quippe justam isti causam præbere causam suscipiendi, & quantum potest ad frangendam istius potentiam connitendi, à quo sibi suoque statui plurimum mali proventurum videtur. Id quod sæpenumero à Gallis, & Hispanis observatum, ac juri gentium conveniens haberi. Non obscurum porro, quis Imperio tot egregias portiones decerpserit, ac validis in limite munitionibus velut compedes eidem injecerit. Id sane ut aliquando è letali sopore evigilet, par esse, ac coercendæ intra modum potentiæ operam dare, in vicinorum exitium indies gliscenti. Inprimis cum sentiat, in se quoque minas jactari, & prætensiones jam publicari, nec amplius quam beneficium ordinis indulgeri. Unde dubium non esse, quin Germaniæ quam maxime intersit, impetitas à Gallis provincias in priori statu persistere. Habere Belgium Hispanicum portus, egregias urbes, firmissimas munitiones, magnam incolarum multitudinem; quibus Gallus longe expeditius quam Hispanus in fraudem Imperii abuti queat. Galliæ corpus partibus in se probe unitis, accessione plurium terrarum vicinis deinceps longe terribilius fore. Contra easdem Austria & Hispania divisas, quamdiu hujus imperio subsunt, Germaniæ parum metuendas, quin valli instar præbere. Protestantium quoque Ordinum interesse, ne Catholici Electores, ac Principes seorsim Gallo sese innectant, & cum hoc in istorum oppressionem conspirent. Ita dubium non esse, quin Imperio incumbendum sit, utha turbæ quamprimum sedentur, ac ne Ordines in diversas partes separentur, sed probe inter se uniti pro communi Imperii securiate nitantur. Unde Principes Rheno adsitos, qui Coloniæ jam unionem inter se agitent monendos, ne quid contra rationes universi Imperii suscipiant. Sane majestati Imperii ignominiosum, ac juribus Ordinum noxium esse, simul Instrumento pacis repugnare, Gallum minas de invadenda Germania jactare, si quis Hispano auxilium ferre audeat. Unde communis patriæ, ac singulorum juribus fraudi esse, isti obligare se velut ad omnes promiscue copias Hispanis auxilio venientes repellendas. Sed quia verba faciendo, ac ratiocinando res haut perficitur, ni à viribus pondus accedat, arma ab omnibus paranda. Enimvero quid Imperio expediat in aprico esse. Sed à quo debitam ejus curam suscipi? Inter caput, & membra diffidentiam esse, diversa studia, dispares utilitates sibi mutuo repugnantes. Fortium consiliorum autorem se ferre quemlibet defugere. Recenti bello Turcico adparuisse, quam difficulter, ac lente paratus armorum processerit. Et cum Turca tamen nulli Ordinum commercii quid intercessisse, nec ab eo consiliarium quempiam annuam pensionem, aut munera accepisse. Quid promtitudinis adversus illum expectandum, quem multi è primariis Ordinibus respiciunt; qui multis in aulis consiliarios stipendiis, ac promissis illigatos habet? Iste mos exterorum libidini, sese mancipandi quamdiu in Germania persistit, nec sincera inter caput, ac membra fiducia constituatur, in Comitiis nullum operæ pretium ad salutem Imperii fieri posse. Ac si maxime sententiæ perrogari incipiant, præcipuos Ordinum dicturos: cum super amica compositione propositum fuerit, successum ejus expectandum. Interim inducias non esse, nec periculum imminui. Connitendum tamen quantum potest, ac tam Cæsari, quam universis ac singulis Ordinibus hoc negotium commendandum. Cum porro Circulus Burgundicus membrum Imperii sit, dubitari non posse, quin ab universo corpore ejus defensio sit suscipienda. Nec Instrumento pacis ejus Circuli guarantiam exclusam, nec quæ Imperio cum eodem pacta intercedunt sublata. Quod enim quondam Monasterii Ordines bello, quod tunc in eo Circulo gerebatur, immiscere se nollent, rationem fuisse, quod Gallus eo fine provincias illas bello peteret, ut Hispanos ad æquam pacem compelleret. Nequaquam autem istum tunc in eas provincias actionem movisse; nec si de hoc casu cogitatum fuisset, Ordines unquam in id consensuros, eoque ipso viam ad dominatum in se quærendum munituros fuisse. Et qui tunc Monasterii favor ab Ordinibus Gallo adversus Austriacos exhibitus fuerit, hautquidquam eo porrigendum, ut isti ad subvertendum Imperium facultas præbeatur. Neque vero periculum Germaniæ incertis suspicionibus constare, sed Gallos jam re ipsa quid moliantur, expromere cœpisse. Civitates quasdam Imperiales ad homagium præstandum coactas. Non paucos Ordinum dudum fœderi ipsi obstrictos. Jam complures Electores ac

Princi-

1667. Principes sibi arctius innectere; ac non timide Imperio leges præscribere, ut lacerationem membrorum suorum demissis in sinum manibus adspiciat. Denique & privatim Electoris interesse, ut omnia in pristino statu persistant, ac ne ulla potentia vicina eousque assurgat, quo ea libertati, ac securitati omnium, aut singulorum prægravis sit. Unde si omnes Ordines ad capessenda consilia reip. salutaria adduci nequeant, Electori cum iis conjunctionem affectandam, qui solido studio ad bonum publicum connituntur: simul cum Anglo, Sveco, Dano consilia conferenda. Cum Polonis quoque amicitiam colendam, ac impediendum, ne per negotium electionis aliqua mutatio oriatur. Circa bellum autem Flandricum considerandum, num Castelloodericus idonea agendi facultate sit instructus, ut valide cum ipso contrahi queat: quæ potestas Consilio Hispanico sit Rege minorenni: quomodo super exacta subsidiorum solutione caveri queat? Nam si Electorem suscepto in tam potentem hostem bello rerum gerendarum nervus deficiat, aquam hæsuram, præsertim cum ejus ditiones inopia pecuniæ laborent. Ab omnibus quoque paciscentibus Electori indemnitatem, & omnium ipsius ditionum tutelam spondendam. In partes autem aperte haut descendendum, nisi paratu pro tantis cœptis perfecto, & nisi necessitas subigat; quod Electori tenera filiorum ætas, & conditio suarum ditionum sit respicienda, quæ per annos quadraginta belli mala sensere. Quod si conciliatio tentetur, caute quoque procedendum ne si ad arma demum perveniendum sit, nihil quod contra officium sit, exprobrari queat.

Declaratio Marchioni Badensi data. 5. Aug.

§. 32. Negotio ita ponderato Elector Badensi declarabat; *Se irruptionem Gallorum, & Belgii periculum valde invitum percepisse, ac pro-timus ultro in Svecia & Hollandia, ac passim in Germania pro Hispanorum causa laborasse, idque deinceps haut omissurum. Hispanis cumprimis opus esse idonea pecuniæ summa citra quam nullibi profici quid possit, præsertim apud Svecos. Se cum Cæsare, Belgis ac Luneburgicis consilia collaturum super servandis Hispanorum provinciis. Esse jam sibi egregias copias, quas brevi augere possit, modo affatim pecunia suppeditetur. Sed quia id negotium magnæ molis sit, ac fortasse bellum in multos annos pariturum, liquidius exprimendum, quid præmii post bellum, quantum subsidiorum durante bello sit repræsentandum. Omnia tamen ista citra obligationem fore, & in eum duntaxat casum valitura, si & alii hoc negotium amplectantur, ac sibi à Svecis cautum sit.* Ad ista Marchio reponebat: Austriacam Domum id Electoris studium grato animo agnituram. Pecunia ut in promtu sit, curam fore. Nosse tamen velle, num Elector in fœdus cum Cæsare, & Hispano descendere velit. Subsidiariam pecuniam ad modum ab Hollandis adhibitum præberi posse. Ad quæ responsum: non posse ita præcise Belgarum vestigiis insisti, qui velut mercatores operose licitentur; cum inter Principes ista ad unguem resecari non soleant. Tunc quoque negotium fuisse cum modico Præsule, sed nunc cum potentissimo Rege. Sed & se jam antea fœdere Belgis innexum fuisse, ex quo auxilia his debuerit; unde non nisi dimidiam expensarum partem receperit. Id quod in præsens locum non habeat. Tradebatur inde Marchioni formula, quanti XII. M militum conducenda, & per mensem alenda constent. Conducendis, & armandis figulis equitibus LX unciales, singulis peditibus vicinos requiri. Ita in IV. M. equitum CCXL. M: in VIII M. peditum CLX M. uncialibus opus esse. Horum stipendia menstrua LXXXVII M C uncialibus taxari. De his Marchio Bruxellis deliberandum ferebat. Sed de præmio post bellum parum spei faciebat, quod ejus vicem honor Electoris, & proprium commodum subeat. Ad extremum pollicebatur, Elector, se fœdus Cæsaris, & Hispani amplexurum, modo super subsidiis conveniat, ac sibi securitas adversus Svecos præstetur. Circa Luneburgicos in partes trahendos ab utrisque operam dandam, tum ut Monasteriensis Præsul in officio contineatur, aut si in transversum abeat, intercipiatur, aut Cæsaris, & Imperii auspiciis vi compescatur. Pro isthac Electoris declaratione Castelloodericus per literas gratias agebat, addito, Goësium pluribus de eo negotio acturum. Badensis quoque scribebat, Hispanis cordi esse, ut quamprimum cum Electore transigant; qui satis agnoscant, se nemini mortalium plus debere, quam Electori, ac quod præsidii ab Imperio expectare debeant, ab ipsius generoso, patriæque proficuo consilio, & exemplo originem ducere. Vicissim cum ipso candide agendum, ac rationem ineundam quam non communis solum, & Hispaniæ, sed & ipsius utilitas promoveatur. 1667. 21. Sept.

Considerationes circa conjunctionem cum Hispanis.

§. 33. Ut tamen haut tempore in conjunctionem cum Hispanis, & Cæsare rueretur, gravissimæ rationes svadebant. Sane Electori ex munere, quod gerat, incumbere, ad servandam Imperii tranquillitatem omnem operam conferre; quæ vix obtineri queat, fœdere inito ad sistendos Galli in Belgio progressus. Plerosque Imperii Ordines tutandis suis illi se adjuncturos, ubi minimum jacturæ periculum, ac præsens auxilium sit expectandum. Unde distractionem orituram, quam exteri in emolumentum suum sint versuri. Regem porro Galliæ semper amicitiam, & fœdus cum Brandenburgica Domo coluisse, commoda hujus nunquam læsisse, sed ea potius omni modo promovisse. Nec Electori peculiare periculum ab armis Gallicis in Belgio metuendum. Præstare autem præsenti pace frui, quam auxiliis Hispano satis molestiam, & damnum incurrere. Gallum quoque per sua, ac sociorum arma ad validissimum, qui sese ipsi primus objecerit, subvertendum incubiturum, cæteris in terrorem dandis. Posse quoque Borussiæ periculum strui per Polonos à Gallis instigatos. Luneburgicis & aliis in Imperio fœderatis parum confidendum, quibus non ulterius milites futuri sint, quam Belgæ manum crumenæ admoveant: nam Hispanis & Austriacis pecuniæ non satis esse. Rationes status ad fortunæ inclinationem temperandas; & quia

1667. quia Belgæ magis de vitando damno, quam lucro quærendo agunt, haut probabile esse, hos præter necessitatem Gallum nimis irritaturum. Id quoque bellum Electori parum utilitatis polliceri. Provincias alendo milite exhauriendas, hostium incursione vastandas; damni reparationem ab Hispano frustra sperari. Igitur præstare sua in pace conservare, quam dum circa tutandas aliorum fortunas satagitur, proprias subvertere. Cæsari quoque haut ita promtum fore auxilium Belgio submittere, itinere ubique intercluso. Fœderatos unius æstatis expeditione ita atterendos, ut alterius suscipiendæ libido decessura sit; quorum & vires Galli distrahere haut omissuri sint. Denique hac via pacem retardari non sine offensa amicorum; socios, qui nunc sunt, forte in diversa abituros; ac Sveciam, quicquid amici vultus simulet, nunquam concessuram, ut Electoris potentia nimium gliscat.

Elector aliorum sententiam explorat; §. 34. In tam ancipiti negotio necessarium videbatur explorare, quid consiliorum cæteri, quos id non minus tangebat, agitarent. Igitur ad Moguntinum scribebatur, utile videri, ut Electorale Collegium apud Gallum se interponat, eumque ab ista invasione dehortetur. *Moguntini; 28. Jun.* Nec minus necessarium esse, eam causam Ratisponæ suscipi. Ad eundem quoque post ab Electore Erfordiam missus Otto Wilhelmus Berlepsius. Iste censebat, conciliationem utique quærendam, ac Gallo mascule cœptorum injustitiam exprobrandam: tum ut Ordines sese hoc bello medios gerant, sed armis probe instructos, citra quæ nec quies, nec autoritas servari queat. *Jodoci.* A se Jodocum Consiliarium ad Gallum missum; cui hic declararit; se æquam satisfactionem ab Hispanis acceptaturum. Gallum porro initio in particulam duntaxat Belgii actionem movisse; sed post arridente armorum successu, nulla apud Hispanos resistendi facultate, in totum Belgium prætensionem porrexisse. Mox & in publicum prorepsisse, & qidem cum privilegio Regis *Aubrii* cujusdam libellum titulo valde furioso, *De jure Regis Galliæ in totum Imperium;* quo satis Galli prodant, quid animo agitent. Super eo libello se ad Regem scripsisse, ac de argumenti impudentia questum, per quam Rex gratiam apud Germanos decoquat, inprimis ejusmodi tempore, quo iste horum favore forte opus sit habiturus. Unde autorem libri post in Bastiliam conjectum, ut Orbi scilicet persvadeatur, eam sententiam in Gallia non probari, ac privilegium Regis per obreptionem obtentum; utut liber Regi inscriptus, ac per novem menses nemine prohibente venditus fuerit; qui & nihil contineat, quod non dudum aliis libris tradatur, qui communi adplausu in Gallia legantur. Sed & Gallos magnifice de moderatione sua, ac pacis desiderio crepare; nec eo minus expeditionem in Burgundiam agitare. *Fœderatorum Coloniensium; 15. Jul. Gaumon.* Eodem tempore Ecclesiastici Electores, una cum Monasteriensi, & Neoburgico conventum Coloniæ agitabant; ad quem Gallus Gaumontium legatum miserat; postulaturum transitum pro XIV. M. militibus in Poloniam auxilio Reip. ituris contra Turcas, & Tartaros; tum ne quibus copiis in Belgium Hispanicum iter concedant. Ei responsum; transitu in Poloniam opus non esse, cui nullum à Turca periculum. Copiis in Belgium iter se haut permissuros. Sperare autem Regem copias, quas in Lotharingia habeat, Germaniæ haut immissurum. Isti Principes fœdus inter se iniverant, arcendis ditione sua belli molestiis, ac repellendo si quis vim intentet: quo fine copias certo numero in promtu habituri erant. Cæterum consilia istorum momentanea erant, utcunque declinando malo, quod in præsens imminebat, exigua cura, quid deinceps futurum esset. Ad Bavarum Carolus Steinius Culmbacensis Cancellarius ab Electore mittebatur; qui omnia ibi favore Gallico infecta reperit per Electricem, & Comitem Furstenbergium, moderationem Gallicam magnis laudibus ferentes. *Bavari; 24. Oct. Stein.*

§. 35. Cum Saxone Elector Zinnæ, ditionis Magdeburgicæ cœnobio, congrediebatur, super præsenti rerum statu consilia cum illo collaturus. *Saxonis;* Ubi inter ipsos convenit, officium conciliandæ paci offerre, ac tantisper inducias svadere, periculo gliscente fœdus inter se inituri. Cumprimis autem Electori expedire videbatur Saxonem ad utilia patriæ consilia revocare, quod hic fœdere Gallo sese innexuisset in quo id cumprimis ipsi displicebat, quod per id Gallus Saxonem totamque ejus Domum in *protectionem* recepisset, & hic promisisset, se in consilium status non nisi tales adhibiturum, qui Regi grati sint; quorum illud dignitati, hoc securitati adversetur. Ac si Saxoni publica salus curæ sit, aliam nunc consiliorum viam ineundam. Nunc enim præteriti belli causas cessare, periculum sacris Protestantium ab Austriacis imminens, & metum Monarchiæ Hispanicæ. Illi in præsens sat cautum videri. Hispanicam potentiam eousque decrevisse, ut metuendum sit, ne nova potentia longe formidabilior surgat. Saxo contra testabatur, fœdus suum cum Gallia niti Instrumento Pacis, nec in fraudem Cæsaris atque Imperii tendere. Vocabulum *protectionis* haut ita capiendum, velut ipse Galli tutelæ se subdere, aut ullo modo ab eo Regno dependere velit; sed duntaxat ut si ipse in sua ditione impetatur, Gallus ad auxilia sibi ferenda teneri debeat. Sed de Consiliariis ad placitum Galli assumendis sibi quoque statim displicuisse, eoque legatis suis injunxisse, ut eum articulum emendari curent. De cætero se haut ita arcto nexu Galliæ devinctum, quin eo sese iterum exsolvere possit. Pro ista opera Cæsar post per literas Electori gratias agebat, quod Saxonem eo congressu à fœdere Gallico avertisset. *16. Sept.*

§. 36. Ad Daniæ Regem missus Blumenthalius de matrimonio, Christiani Principis cum Charlotta Amelia Cassellana gratulatione defuncturus. *Daniæ Regis; 26. Jul.* Tum ut peteret, Regem periculosis hisce temporibus cum Electore consilia super turbis Polonicis conferre velle; simul Monasteriensem hortari, ut motibus excitandis desistat; & quid consiliorum Rex circa turbas

1667. bas Burgundicas agitet, exquireret. Quod si animadvertat Regem in Gallicas partes propendere, demonstraret; causas utique graves esse, quare Daniæ Austriaca amicitia servanda sit. Gallum jam antea Europæ satis formidabilem, & successu temporis ejus potentiam eousque evalescere posse, ut omnia pro lubitu versare sit ausurus, inprimis si Belgio ipsum potiri contigerit. Id ut impediatur, ac ut tam necessarium æquilibrium inter Hispaniam, & Galliam servetur omnibus pro virili connitendum. Moderate tamen, & circumspecte legatus agere jubebatur, ne inde ansa arripi posset Electorem apud Gallum deferendi, velut iste utilitatibus hujus detrahere, & amicos eidem avertere studeat. Neque enim Electori placere, ut Danus amicitiam cum Gallia abrumpat, quam continuari vel ideo expediat, ut per eam arcta hujus cum Svecis amicitia temperetur. Quod & ipsum tamen ita caute tractandum, ne Danus plane Galliæ se partibus addicat, & ad exsequenda tam vasta consilia operam navet, ac in ejusdem gratiam veteres amicos, & socios offendat. Ex itinere Ducem Gottorpiensem salutaret, ac Electoris officium componendis ejus cum Daniæ Rege controversiis offerret; quod ipsius non parum interfit, inter Regiam, & Ducalem Domum amicitiam perstare; quod officium Dux misso Clivos Kielmanno juniore requisiverit. Gottorpii Dux declarabat, Electoris officium sibi gratissimum esse, ac se documenta literaria ad id negotium necessaria Hafniam legato missurum. Belgas quoque ejus litis compositionem per Amerongium suscepisse. Revera tamen malebat, si commode fieri possit, Electoris officium declinare, quod Daniæ Rex Svecorum operam in hoc negotio repudiasset; eoque vereretur, ne Elector si solus istud moderaretur, studio in Daniam inclinaret. Ast Daniæ Rex super Polonicis rebus ostendebat, sibi haut persvaderi Gallum classem eo missurum, & si tale quid tentetur, omni vi se id prohibere conaturum. Monasteriensi cum Gallo secreta commercia intercedere, sibi certo persvaderi, quod quoties ipse Gallum monuerit super inhibendis istius armis, quæ sibi suspecta videantur, hic semper responderit; non posse Principi Imperii vitio verti, si tutandæ suæ ditioni arma in promtu habeat. Quia autem iste, cum primum in Belgas arma pararet, sibi eundem idoneis rationibus dehortanti responsum reddere dignatus haut fuerit, haut è Regia dignitate esse pari contumeliæ, cujus suo tempore haut immemor sit futurus, denuo sese exponere. Non tamen dubitare, quin Electoris, Luneburgicorum & Belgarum demonstrationes ad alias cogitationes istum sint permoturæ. Periculum à bello Flandrico parum à se curari, quo multi prius subvertendi sint, quam Dania tangatur. Equidem Terlonum aliquando interrogasse, an non ipse sequester intervenire velit. Sed responsum; ultro se id haut facturum: si tamen a Gallo invitetur, pro socii, & amici officio facturum. Cæterum queis boni publici cura sit, valde refrigerari, quod à Cæsare negotium tam somniculose geratur. Cui & alias Rex offensus erat, quod in causa Hamburgensi parum ipsi faveret. Non dubitandum tamen, quin ipse Belgarum rationes semper ante Gallorum utilitates habiturus sit. Controversiam cum Gottorpiensi Duce tanti non esse, ut exteri Principes circa eam fatigandi sint. Belgas quoque officium suum in eam rem obtulisse; sed se id recusasse, etsi indulserit, ut Amerongius operam suam velut privato nomine adhiberet. Porro significaverat Daniæ Regi Gallus de armis à se in Belgium motis, ac haut dubitare se ostenderat, quin iste, prout amicum, & fœderatum deceat, se sit gesturus. Cui à Dano responsum; eam controversiam ad se non spectare: nec dubium, quin Galliæ Rex talia aggressus in antecessum vires istis perficiundis secum expenderit. Alias ministros Gallicos in Dania valde minatos fuisse iis, qui conatibus sui Regis sese objicere ausuri sint. Clam tamen spargi, isti Regi ob avaritiam pacem optari, ac si quis officia bello componendo offerat, eum non recusaturum. 1667.

31. Jul.

Amerongius.

§. 37. Neoburgico Elector per Blaspielum dissvadebat, ne Gallo nimis arcte sese innecteret; id quod & ipsi in negotio Polonico molestiam sit daturum. Nam Gallus inter Moguntinum, Coloniensem, Monasteriensem, & Neoburgicum fœdus conflare satagebat, in quod Electorem quoque pertrahere cupiebat. Quod etsi eo spectare diceretur, ut fœderati medios sese gerant, ac ita se instruant, ut non sine pondere conciliationem inter bellantes Reges suscipere possint; revera tamen id erat commentum Gallicum obstetricante Wilhelmo Furstenbergio excudendum, Gallo pecuniam conducendis copiis suppeditaturo. Ac ut istis color esset Cæsareis copiis iter in Belgium negandi, Wilhelmus suggesserat; ut Gallicis quoque copiis, pro quibus transitus in Poloniam quærebatur, iter abnueretur, quo sese æquos utrique parti ostenderent. Enimvero Neoburgicus recte à se factum contendebat, nec medii status limites sese migrasse; simul ut Elector eandem viam insisteret, svadebat. Sane Belgium Hispanicum certo periturum; eoque consultissimum videri in ejus negotii partem venire, quo occasio sit pro suis rationibus vigilandi. Ipsos Hispaniæ proceres Belgium jam pro derelicto habere videri, ex quo præter damna & molestias nihil lucrentur. Magnam eorum partem Lusitanicæ stirpis esse, quos inter & Castellorodericus sit, qui id tantum affectent, ut Lusitania iterum cum Hispania consolidetur, ad quod præter Belgium nil fere obstare credant. Ac sperare, si Gallo Belgium deglutiendum destituant, hunc non repugnaturum, quo minus ipsi quæ trans Pyrenæos montes sita sunt, quiete possideant; quasi non vasta imperia conditurís cum ipsis incrementis plura invadendi ardor gliscat. Sane Pegnerandа, cujus magna tunc in consilio Hispanico autoritas erat, & qui neque Belgis, nec Germaniæ favebat, censuerat: pro derelictis habendas provincias Belgicas, & ad recuperandam Lusitaniam tota vi incumbendum. Esse quoque è proceribus,

& Neoburgici. 10. Aug.

1667. ceribus, qui in certas Hispaniæ partes actionem habeant, quam, ne præscriptione extinguatur, subinde moveant. Hos id unum meditari, quomodo majoribus suis possessa recuperare queant, si Rex puer tenera valetudine fato fungatur. Ni propere valida auxilia veniant, quæ nuspiam adpareant, Hispanos Gallo Belgium ea conditione cessuros, ut hic Ruscinonensem tractum restituat, ac ad Lusitaniam recuperandam opem ferat; quam conditionem Gallus per Lionnæum Marchioni Fontano legato Hispanico obtulerit. Gallo haut agi de Europæ Monarchia, quæ ad invidiam ipsi faciendam jactetur; sed ne rebelles sui uti hactenus in Belgio receptum invenire queant. Qui & facile toleraturus sit, ut Angli, & alii in partem prædæ veniant. Electori quoque Superiorem Geldriam, quæ alias jure ipsi competat, destinatam. Et cum Cæsar tam languide id negotium curet, cur Elector tam anxie satagat? Enimvero Blaspielus ostendebat; speciosa ista magis, quam solida: ac Electorem, aliosque spe prædæ lactari, ut à recto consiliorum tramite avertantur. Nec dubie ad eum finem spectare, quod Gallus Belgis Fœderatis obtulerit, sese Hispanicas provincias juxta conventionem anno 1636 factam cum ipsis divisurum, non modica insuper portione adjecta. Qui tamen responderint: si Galli de suo aliquid offerant, puta, Dunquercam, Grevelingam, & Caletum, de eo forte tractari posse.

Elector caute rem gerit. §. 38. Inter ista diversorum studia rationis erat, ut Elector nihil præcipitaret, sed adversus Gallum summa moderatione uteretur, ac dissimulato in partes studio nil aliud sibi propositum ostenderet, quam pacem promovere. Nam quanquam respectus patriæ, & communis libertatis ante omnia esset; hac tamen salva ipsius quam maxime intererat, ne præmature Gallo exosum se redderet; præsertim cum nondum constaret, quales conditiones ab Hispanis obtinendæ essent. Ac Fœderati Belgæ quos ea res proxime tangebat, admodum circumspecte procedebant, ubi & Joannes Wittius super ista expeditione dudum cum legato Gallico Strada collusisse credebatur. Etsi iste hac erumpente magnum dolorem præ se ferret, ac omnem operam navandam clamitaret, ut illa quovis modo sisteretur. Scopus istorum consiliorum is habebatur, ut penes ipsum, ac suam factionem Reip. regimen maneret, excluso Arausionensi; qui jam annum ætatis decimum octavum ingressus, ac magno populi favore subnixus avitis muneribus diutius arceri non posse videbatur. Sed si Gallus Belgio Hispanico potiretur, Fœderatas quoque Provincias pro lubitu temperaturus erat. Observabatur quoque Wittium id agere, ut Waldeccio, qui in Gallos pronus habebatur, imperium in terrestrem Belgarum militiam conferretur, quo Reip. vires terra, marique in suis manibus forent. Equidem Hagæ super Belgii Hispanici defensione cum Electore agebatur, & formulæ tractatus concipiebantur. Sed ad subsidia, & pecuniam conducendo militi negotium hærebat, quæ ab Hispanis, & Belgis suppeditanda erat. Ubi nostris magna circumspectio adhibenda ob familiarem Wittii cum Strada conversationem. Multi quoque ex Ordinibus censebant, satius esse Hispanos quantum possit permovere ad amplectendas à Gallo oblatas conditiones, quam aliquid suscipere, quo amicitiam cum Gallo abrumpi necessum sit. Sed nec constabat, quid Angli, quid Sveci, quid Ordines Imperii, quorum multi studium in Gallos non dissimulabant, quid denique Cæsar facturus sit, qui vel cum aliqua jactura bellum Gallicum declinare videbatur. Igitur haut consultum erat, antequam de subsidiis ab Hispano, & Belgis cautum foret, aleam jacere, ac cæteros prævertere, quorum magis, aut non minus interesat. Præsertim cum jam tum Gallus Electorem suspectaret, qui ipse tamen huic maxime respiciendus erat, velut cui ob potentiam plurima nocendi facultas. Etsi eam tractationem haut repudiare placebat, sed ita eam temperare, ut magis alii Electorem ambirent, quam ipse ad negotium urgere videretur. 1667.

§. 39. Eo minus probari poterat consilium à Blaspielo aliisque suggestum, qui, cum Monasteriensis Præsul pecunia Gallica delectus facere instituerat, svadebant, ut is, re cum Belgis, & Luneburgicis clam digesta, repente opprimatur, aut per Cannebergium Mindæ Gubernatorem, dum hinc inde proficiscitur, intercipiatur, quo turbido sacerdoti bellandi pruritus decedat. Sed Electori consilium id calidum nimis, & anceps videbatur, cujus invidia maxime in ipsum redundatura esset. Ac circa talia destinata executionem raro succedere. Intra paucos quoque menses Præsulem haut ita formidabilem posse reddi: interea rem cum Belgis, & Luneburgicis accuratius posse expendi. Cæterum Belgas isti delectus gravi suspicione perstringebant, ac si Elector Præsulem intra principia conatuum obruere vellet, indemnem ipsum à se præstandum ferebant. Nam si expectaretur, quoad is se firmasset, Westphalia, & Protestantium securitas ingens periculum incursura videbatur. Contra Electori hoc facinore suscepto insignem gloriæ, ac stabiliendæ autoritati occasionem præberi; vasta Galliæ destinata infringi, Westphalicas ditiones in tuto collocari, Germaniæ saluti egregiam operam navari. Etsi Præsul modestis literis ad Belgos scriptis delectus suos excusabat, ac conventis se staturum confirmabat. Quod idem Ledeburio, quem Elector eo nomine ad ipsum miserat, respondebat. Re igitur ulterius in consultationem deducta id quidem adparebat, per conatus Præsulis Imperium turbis Belgicis implicari; Westphaliam egregio milite exhauriri; Electoris ditiones eo tractu multis incommodis obnoxias fore. Contra nondum ad liquidum deductum, num istis delectibus pacta cum Belgis violentur. Quod si & Præsul fœdere Gallico contineatur, ei, qui istum aggressus fuerit, à Gallis felici, præsertim eorum armorum progressu hostilia expectanda. Nec de ullis auxiliis ex Imperio adhuc cautum; forte & plures Ordines eadem cum Monasteriensi consilia *Circa Monasteriensem Præsulem considerationes. 17. Jul.*

lia

1667. lia agitur. Inprimis Electori ob Polonicum negotium providendum esse, ne alibi vires ipsius distrahantur. Igitur placebat Præsulem ab Electore palam haut invadi, nec apud aulam Cæsaream strepitum excitari, sed negotium clam idque frigide tractari, ut Elector ab altera parte ultro ambiatur. Nam nupero Belgarum cum Anglis bello cum Elector fervidius rem argere videretur, Belgas cessim ivisse. Hisce quoque demonstrandum; id negotium dispari modo Electorem, & Belgas tangere. Nam nec isti quid controversiæ cum Præsule esse; & Belgis Gallorum viciniam multo magis, quam Electori metuendam; qui & in ipsam Hollandiam actionem moturi, ac per Antvverpiam hujus commercia alio aversuri sint. Quod si utique Gallus cum Monasteriensi colludat, dissipatis licet in præsens hujus delectibus istum magis irritandum, & summo conatu Præsulem fulturum. Difficile quoque fore Hagæ negotium secreto tractare. Et quia ab Hispanis nil pecuniæ sperandum, ac de Belgarum libertate agatur, par esse ab his manum crumenæ admoveri.
13. Jul. In hunc igitur sensum Electoris Hagæ ministris injungebatur, ut caute procederent, quod metuendum sit, ne malevoli ipsum cum Gallo committere instituant, velut qui hujus socios avertere laboret, & plus fervoris circa impedienda Galliæ destinata, quam ipsi Austriaci ostendat; de quo jam passim ministri Gallici, & Milletus apud Electorem legatus querantur. Unde frigidius rem agerent, ut si Belgis eadem cordi sit, Electorem ultro ambiant, ac commodas conditiones offerant. Tum ut datis ad ipsum literis id consilium proponant, quo ipse Gallo se excusare possit, ejus se autorem non esse. Atque hic agendi modus eo magis sequendus erat, quod Wittiana factio Electori insignem de Rep. merendi occasionem præbere nollet, ne cum potentia autoritas ejusdem apud populum glisceret; sed Svecorum potius opem adhibendam censeret. Quæ & cum parum subsidiorum offer-
27. Aug. ret, protinus in Præsulem rui volebat. Id quod Electori multas ob causas parum placebat. Nondum quippe id copiarum Præsul paraverat, ut Belgis metum incutere, aut violati pacti Clivensis argui posset. Et quanquam numerum militum ibi definitum excesserit; tamen improviso in vicinia periculo surgente haut improbandum, ipsum securitati suæ prospicere. Incertum quoque adhuc, quem finem ejus arma spectent, quod suspicio quidem sit, in Galli usum delectus ab eodem agi, ut tamen Hispani quoque sperent, ejus se opera ad tuendum Belgium usuros. Ac ut maxime is pro Gallo militem conscribat, anceps tamen esse isto oppresso Gallum offendere, quod ipsi Belgæ vereantur; cum Præsul in Electorem nil infesti tentarit, nec hostilibus causam præbuerit. Alios quoque ejus pacti sponsores, & inprimis Cæsarem respiciendum, antequam Elector sibi soli isto præterito pacti interpretationem arroget, & Principem Imperii bello petat. Qui & novo fœdere cum quibusdam Electoribus, & Principibus Rheno adsitis se innexuerit, qui, cum plerique Clivensis pacti sponsores sint, Præsuli impetito forte auxilia laturi sint. 1667. Antequam etiam bellum decernatur, eo armorum paratu opus esse, qui Præsuli sociisque compescendis sufficiat, ad quem pecunia opus sit. Ut tamen Belgæ studium ipsius in Remp. intelligant, promtum se ferebat Elector invadendo Præsuli his conditionibus: ut hic liquido convincatur pactum Clivicum violasse: ut idonea subsidia præbeantur: ut Cæsar id institutum probet, aut saltem ei non repugnet: ut Electori à Svecis ac Luneburgica Domo cautum sit: ut denique Belgæ ipsum indemnem præstent. Alias sibi haut placere Coloniensi fœderi nomen dare; sed ad Belgas se præcipue respecturum. Ea spes si fallat, haut improbatum iri, si securitatem suam quærat, qua commodissime eam invenire queat. Ast Belgæ, cum à Præsule pa- 7. Sept.
rum periculi adpareret, Electorem ad fœdus pro defendendo Belgio Hispanico, quod tunc agitabatur invitabant. Cui promtum sese decla- 15. Sept.
rabat Elector, his legibus, ut negotium in secreto tractetur, idoneis Belgicorum delegatorum procuratoriis, ac ut protinus subsidia expediantur, quo sine mora delectus agi queant. Quod si Belgis placeat Hispanis militem commodare tutandis munitionum præcipuis, se statim copias suas in vicinia contracturum, ut ubi opus sit Belgis præsto esse possint. Ideo autem secreto opus erat, quod Elector cum Hispanis eodem tempore tractaret, qui ubi intelligerent cum Belgis quid convenisse, onus in solum Electorem & Belgas devoluturi erant, declinata quantum possent pecuniarum præbitione. Unde non expediebat cum Belgis prius quam cum Hispanis transigere. Concipiebatur dehinc formula fœderis; sed quo Belgæ nil pecuniarum prius erogare volebant, quam Elector aperte bellum in Gallos sumsisset. Color dicebatur, quod Hispani, & Angli segnius rem curaturi sint, si Electori à se quid detur; & quia Sveci, ac Luneburgici paria postulaturi sint. Revera autem credebant, Electorem per rationes sui status obstringi, ut manum negotio admoveat; & si utique pecunia erogata opus sit, Svecis eam potius dandam velut remotioribus, & queis facilius sit Galli partes amplecti. Unde & Luneburgicis tunc pecunias numerabant, cum Electori negarent; quod illorum privatim tantum haut interesset, quam hujus, Gallorum progressus sisti.

Cum Hispanis incassum super fœdere agitur.

§. 40. Nec minus apud Hispanos negotium ad pecuniam adhærescebat; quos absurda tenebat persvasio, Belgas in sui gratiam molestiis se impliciturос, dum ipsi nil ad propriam conservationem faciunt. Hi cum diu post Badensis discessum siluissent, Blaspielus Antvverpiam excurrebat, quid animi Hispanis foret ex 8. Oct.
hoc cogniturus. Sed is quod ad rem faceret, nil proferebat. Cæterum disserebat; necessum esse, ut Imperium super controversia inter Gallum, & Hispanum cognoscat, cui uterque submittere se teneatur, quidquid Gallus tergiversaturus sit. At tunc Cæsarem sententiæ ab Imperio latæ executionem Electori delaturum, præstita indemnitate. Necessum tamen esse, ut

1667. ut prius in promtu fit exercitus XXV M bellatoribus constans, qui sententiæ pondus addat. Quæ inania, & effectu caritura Blaspielus rejiciebat. Sed quia huic molestum erat tamdiu in ambiguo hærere, suggerente Badensi Mechliniam ibat, cum ipso Castellorodericо locuturus.
19. Oct. Ubi Hispanus declarabat; se Belgis ejusmodi pignora traditurum, è quorum proventibus ipsi solutionem sibi facere queant. Ast Belgæ in cautionis vicem sibi deposcebant Ostendam, Brugas, Plassendaliam, & Dammam cum castellis Divi Donati, & Blanckenbergæ. Quod postulatum à Wittio proveniebat, cui scopus fuerat lineam communicationis inter Galliám, & Belgarum Fœderatorum ditiones struere, ac Gallis lautas pacis conditiones conciliare, ut horum sibi præsidium adversus Arausionensem pignoraret. Ast Hispanis neque oppida Belgis tradere, nec ab his copias commodato sumere placebat; sed quod Wasiæ terræ supererat in manus hisce consignare volebant, è qua usuris quincuncibus quadringenta florenorum millia annua capere possent. Tum pecunias credendas non sibi, sed fœderatis exsolvi volebant. Quæ conditiones Belgis displicebant. Alias Hispanus jactabat, se non Electori solum, sed & Svecis, Neoburgico, Luneburgicis, & Hassis subsidia daturum; nosse tamen velle, quid hi vicissim præstituri sint. Tum prius tentandum, num Gallus amica via permoveri possit ad instaurandam pacem Pyrenæam. Eam conditionem si Galli ultro admittant, Hispanos damna accepta sibi habituros; alias eorum reparationem armis quæsituros. Igitur nil aliud superesse, quam ut Sveci, ac Luneburgici has quoque conditio-
6. Nov. nes probent. Sed nec opus esse, ut Electoris copiæ prius, quam mense Martio paratæ sint. Ad quæ Elector declarabat: rem ipsam à se probari, ut circa pacem inter ea Regna instaurandam opera navetur. Sed circa conditiones circumspectione utendum. Nam si Hispani omnia in statum Pacis Pyrenææ obnixe restitui velint, quod Galli ægre post tantos progressus admissuri sint, pacem difficulter coituram, ac Germaniam facile novo bello implicari posse; præsertim cum Belgæ, aliique vix huc progressuri sint. Sane Saxonem Gallo moderatam satisfactionem haut abjudicare; quod & de Svecis credatur. Ac amorem pacis ubique tantum esse, ut ægre quispiam hanc remorari ausurus sit. Quin hac rerum facie ipsi Hispaniæ præstabilius videri modica jactura tam periculosum ac longius grassaturum bellum amoliri, quam summam rerum aleæ exponere. Sed super subsidiis præcipue sibi cavendum, quod non prima duntaxat pensio, sed & reliquæ, quamdiu bellum duraverit, accurate sint exsolvendæ. Exercitum porro mense Martio paratum esse non posse, sed minimum quatuor menses post soluta soubsidia requiri, antequam iste in Westphalia instructus consistere queat. Denique cum Hispanis nil concludendum, antequam hisi cum Belgis convenerit, qui pecuniam pignore ab Hispanis oblato credere abnuebant, nec arma Svecorum, & Electoris data pecunia augeri volebant. 1667. Alias enim haut prudentis esse alieno se bello præter necessitatem implicare, ac potius operam dandam, ut id bellum quamprimum æquis conditionibus sopiatur; quam viam & alii Principes, ipsique Belgæ insistebant.

§. 41 Ast Blaspielo audentius agendum, & cum Hispanis utique transigendum videbatur. Esse artes Gallorum, illos dissociare, qui conjunctionem inter se agitant servando Belgio, & ad ipsorum ambitionem limitibus circumscribendam. Ac eo fine Neoburgico spem Polonicæ coronæ ostentari, ut hunc, simul Electorem, in partes suas pertrahant. Quæ res si maxime succedat, Neoburgicum tamen id beneficium soli Gallo, non Electori debiturum. Ac metuendum esse, ne Elector hac ratione amicitia Cæsaris, ac Svecorum excidat. Gallum, oblata Electori Superiore Geldria, ad quam nullum ipsi jus competit, hunc cum Belgis committere velle, quibus ea portio ab Hispanis promissa fuit. Denique per societatem Gallicam Electorem una cum reliquo orbe Christiano perpetuis turbis exercendum, non sine periculo Evangelicorum sacrorum. Eam ob causam is cum Hispanis decidendum censebat non expectato tractatuum cum Belgis eventu. Nam differebat Castellorodericus; non posse ab Hispanis subsidia annui, ni constet, quid pro iis in ipsorum usum sit præstandum: aut saltem ea fraudi ipsis haut cessura. Nam altius penetrare, quod Belgæ ex una parte Ostendam affectent, ex altera Electorem sibi fœdere innectere cupiant, cujus militi conducendo & alendo Hispani argentum suppeditare debeant. Nam si præstantissimæ horum munitiones in Belgarum manus consignentur, Beuningius contra jactet, Gallo utique juris nonnihil in Belgium competere, eoque Burgundiam, & aliquot Belgii opportuna Gallis loca his in satisfactionem danda; haut absurde suspicionem sibi nasci, à Belgis id agi, ut post Hispaniam præstantissimis locis exutam conjunctioni Gallorum, & Belgarum ansa præbeatur. Unde haut dubitandum, quin Belgæ Electori tractatibus duntaxat illudant, quibus nunquam placuerit hujus arma gliscere. Unde in proclivi fore super quatuor capitibus Electori à Badensi Marchione propositis convenire: ut nempe Elector exercitum quindecim millium Hispanis auxilio submittat, ad quem comparandum, & alendum ipsi pecunia præbenda sit, ac præmium finito bello adjiciendum; ac ut Sveci quoque opem servandis provinciis Hispanicis socient. Igitur Blaspielo visum sub spe rati articulos concipere, etsi id in mandatis non haberet, ut ad mensem usque Majum sequentis anni amica compositio inter Reges tentetur; interim Hispanus CCX M uncialium daret conducendo militi, ac sustentando deinceps exercitui menstruam pecuniam. Circa futuræ pacis conditiones non ulterius procedere volebant Hispani, quam ut acceptum per Gallos damnum condonaturos se ferrent, si Galli omnia à se occupata ultro restituant. Ast ubi armis cogendi sint, Hispanos reparationem quoque

Blaspielus præter mandatum cum Hispano concludit

1667. quoque damni exacturos. Subsidia quoque Hispanus non ad finem usque belli porrigere, sed in senos duntaxat menses promittere volebat, ut tamen bimestri spatio ante renuntiandum esset, si ea continuare non amplius placeat. In præmii vicem Electori annua pensio C M uncialium promittebatur. In has leges Blaspielus cum Castelloroderico pactum subscripsit, ea potissimum ratione motus, ut Elector pecunia ad conducendum militem potiretur, quod à Belgis nil extundi posset. Enimvero Electori haut probabatur, Blaspielum præter mandata tam longe progressum; eoque pactum id nullo modo ratihabere volebat. Et quia matura pax ipsi quam maxime cordi erat, interpositio autem à fœderatis Principibus Coloniæ decreta tarde procedebat, legatos in Galliam mittere constituit, Gallorum menti penitius explorandæ. Unde Blaspielum Bruxellas proficisci jussit, de ista legatione Castelloroderico indicaturum, ac ut super conditionibus futuræ pacis pressiorem declarationem exigat; quod restitutio omnium occupatorum à Gallo frustra speretur. Interim tractatus non plane abrumperet, ac ostenderet, Electorem cum Saxone super hoc negotio consilia collaturum. Cæterum quare subscripti à Blaspielo articuli ab Electore probari non possent, multæ rationes erant. Nam per eos ipse futura æstate certo bello implicandus erat; id quod omni studio declinabat. Nec quod pecuniæ Blaspielus stipulatus fuerat, sufficiebat, ut XV M militum in Westphalia sisti possent, si maxime C M uncialium accederent, quæ Hispani addere volebant. Nec de ullo ex Imperii Ordinibus adhuc constabat, qui paria facturus sit. Quin Moguntinus, Coloniensis, Bavarus id negotium tangere plane abnuebant, in Gallum magis quam Hispanum proni. Nec Cæsar quidem hactenus tam alte in partes descenderat. Luneburgicos quoque à Belgorum consiliis haut discessuros constabat. Nec Svecos, qui tertias partes formare agitabant, ad apertam cum Gallia hostilitatem progressuros, à quibus tamen sibi quam maxime cautum oporteat esse. Ac diserte jusserat Elector, tractatus cum Belgis prius, aut saltem simul cum Hispano concludi, ad quorum consilia Electori ista tempestate sua quoque attemperanda erant; qui & ipsi armis quid tentare horrebant. Nec constare, quid Anglia factura sit, quæ haut insuper habenda erat; præsertim cum Hispano solius Electoris auxilio haut consulatur. Hispanorum quoque subsidiis parum fiduciæ superstrui poterat, qui etiam secundis rebus morosos sese debitores exhibuerint, ac jam penuriam profiteri non erubescant, dum pecunias ab aliis mutuo sumere instituant; nec satcautionis pro solutione præstare norint. Quorum & ærarium valde exhaustum sit XIV millionibus annuis in bellum Lusitanicum expensis. Quod si subsidiorum solutio non procedat, & Elector cum tam valido hoste litem jam contestatus fuerit, cui hinc inde molestiam ipsi facessere in proclivi sit; nil aliud secuturum, quam ruinam exercitus, cum manifesto ditionum atque existimationis periculo. Absurdum quoque, Hispanis quolibet semestri spatio subsidia renuntiare integrum fore, Electori contra haut liberum esse, quando visum fuerit à fœdere discedere. Nec Electoris mentem unquam fuisse, ut Gallus omnia restituat sed ut eidem ex æquo satisfiat; quod Belgæ expresse declararint, ac Cæsar id malit, quam bello implicari. Sane periculosum nimis erat, quod Blaspielus secreto articulo Electorem obstringere voluerat ad rem futuro mense Majo armis gerendam, ac ut pax non alia lege admittatur, nisi omnibus occupatis à Gallo restitutis. Præsertim cum à Belgis nil subsidii sperandum foret, ac Wittius in Gallum propenderet; utut palam jactaret, in hujus promissis fiduciæ nil collocari posse, ac se Stradam Comitem convicisse, eundem durante Anglicano bello plusquam decies datam fidem fefellisse. Ac jam Wittius Hispanico legato declaraverat, Gallo satisfaciendum esse, & saltem ea loca relinquenda, quæ jam occuparit. Prout & Belgæ jam Lutetiæ conventionem conceperant, ut Gallus suo ac Reginæ juri in Belgium renunciet, si Hispani omnia, quæ iste hactenus armis subegerit, cedant; Belgis vicissim promittentibus, si nemini, qui has conditiones rejiciat, quidquam subsidiorum soluturos. Etsi Wittius excusaret talia fieri, ut Hispanis torpor excutiatur, quo curam rerum suarum majore cum vigore amplectantur.

6. Nov.

Id Elector improbat.

9. Nov.

§ 42. Ista igitur omnia affatim rationum suggerebant, quare Electori haut consultum videretur amicitiam cum Gallo abrumpere; præsertim cum hic ultro eam servare, & arctius adstringere laboraret, misso Milleto legato. Is proponebat, ut Elector prorogationem fœderis Rhenani ulterius ne differret; tum declararet, præsenti bello Belgico medium se mansurum, ac nemini sine exceptione per suas ditiones hospitia delectus, & transitus concessurum. Addebantur hortatus, ut Elector reducendis in concordiam Regnis operam navare haut moraretur; ac esse Galliæ Regem in pacem pronum, nec æquas pacis conditiones repudiaturum. Vicissim Regem quod studii pro Condæo, & Enguiano in Polonia hactenus impenderit, pro Neoburgico deinceps exerciturum eo modo, quem ipsi designaverint. Hac propositione expensa adparebat, circa prorogandum fœdus Rhenanum plerosque socios non dubitare: sed circa modum non convenerat. Electori videbatur eidem nihil inserendum, quod rebus Protestantium, aut Imperio fraudi cedat, aut isthoc præsentibus, & aliis turbis involvere possit. Super medio statu nil scrupuli sibi esse convenire juxta placita Instrumenti Pacis. Nec Cæsari necessum esse utique per ipsius ditiones copias traducere, si quas ad locum, ubi nunc bellum geritur, mittere velit. Quin & alias neminem ad alienos delectus, & hospitia in sua ditione toleranda teneri. Pactum super servando statu medio eo facilius probandum, quod utrinque in inducias consensum iri speretur, quod & eodem tempore cum hisce definiri queat. Sed cum omnes paratis armis securitati suæ

Galliæ Rex Electorem ad amicitiam servandam invitat.
24. Nov.

1667. suæ invigilent, sibi quoque interim copias parare integrum fore. Licebat quoque commercia cum Cæsare, Sveco, Anglo, Saxone, Luneburgicis, Belgis, & aliis continuare, ac nullum negotium jam susceptum ideo abrumpere, nec ab instituto belli compositionem amica prius ratione tentandi discedere. Id dubium habebatur, num circa negotium Polonicum Regi fides habenda foret, qui hactenus tanto studio pro Condæo certaverat. Electori tamen, qui aliorum generositatem sua metiebatur, haut probabile videbatur Gallum usque adeo regiam fidem falsurum, ac toti Orbi specimen præbiturum, quam parum ejus promissis fidendum, quæ nemine solicitante ultro obtulerat. Ac mutati circa Poloniæ res consilii causam esse posse, quod Rex per Reginæ Poloniæ mortem promissis circa promovendum Condæum, aut Enguinum sese jam solutum judicet; ac perspiciat ob commune odium in nationem Gallicam, & aversionem Reip. erga Condæum id destinatum pervinci haut posse, cui & Cæsar cum Svecis & Electore se opponat. Simul cum ob bellum Flandricum ipse rebus Poloniæ vacare nequeat, fieri posse, ut ipsius ingratiis excluso Condæo alius ista Corona potiatur, ipse sumtus, & operam hactenus impensam frustra prodegerit, orbi insuper ludibrium debiturus. Ea super propositione ut Luneburgicorum, ac Wrangelii sententiam exquireret, Elector Joannem Ludovicum Græbenum mittebat. Qui omnes prorogationem fœderis Rhenani, & statum medium parum probabant: nec Gallis in Polonico negotio nimium fidendum: conciliationem tamen inter bellantes Reges quantum possit maturandam.

Græben.

Circa Gallicum fœdus considerationes Electoris

§. 43. Porro re ulterius discussa multæ rationes adparebant, quæ tractatum, ad quem Gallus invitabat, svaderent. Equidem Electorem certa cum conditione circa negotium Flandricum pro Hispania sese declarasse. Sed cum longo post tempore nil solidi responsi allatum foret, simul Cæsar, & Hispani, quos ea res proxime tangebat, frigide agerent; Belgæ pecuniam expedire nollent, Hispani non possent, Gallorum interim progressibus gliscentibus; haut aliter judicari posse, quam Hispanis haut esse animum istam causam armis exsequi. Cæterum hoc tractatu Electorem rationes suas in Polonia in tutum subducere, ne amplius ibi Rex e natione, aut moribus, institutisque Gallicis ibi metuendus sit, sed sperandus potius, qui ipsi, ac Reip., vicinisque gratus sit futurus. Cavere quoque sibi Electorem de amicitia tam potentis Regis, qui hactenus ipsius negotiis multum impedimenti attulerit. Nec tamen eam amicitiam ultra officii limites tendere, velut quæ unice Imperii, ac propriarum ditionum securitatem spectet, ne illæ vicinis tumultibus implicentur. Sed nec Austriacæ Domui eam conventionem suspectam esse posse, cum ipse Cæsar hactenus medium sese gesserit. Denique Electorem erga neutram partem id studii declarasse, per quod obeundo sequestris officio inhabilem se redderet, aut ut in bellum sibi descendendum sit, cujus compositionem orbis Christianus optet, & quæ Austriacorum cumprimis rationibus expediat; cum bello hocce continuato Belgii amissio utique videatur imminere, infinitam malorum seriem post se tractura. Vicissim ut Galliæ Rex istum tractatum ambiret, hæ rationes ob oculos versatæ fuerant. Esse ingens operæ pretium tam potentem Principem Austriacis partibus disjunxisse, quibus arctius sese innexurus fuerat. Qui ubi in bellum descendisset, Galliæ metuendum esse Principem bellicosum, bellatoribus dilectum, qui non solum per se validum exercitum educere possit, sed & cujus autoritatem multi in Imperio secuturi sint. Nam utut aliqui ægris oculis Galliæ progressus adspiciant, quod de Luneburgicis & quibusdam aliis præsumitur; eos tamen non ausuros aperte in partes descendere, ni de Electore cautum ipsis sit, cui amplæ per utramque Saxoniam, & Westphaliam ditiones, Cæsari, Hispanis, Svecisque contiguæ. Quin Cæsarem longi temporis negotium haut suscepturum, ni cum isto rationes inierit. Posse etiam inde perspici, quanti Elector à Cæsare fiat, quod hic Goësium Baronem, virum maximi in negotiis tractandis usus, in istius aula habeat, qui nulli operæ, aut arti pareat, quo isthunc tractatum impediat. Porro nemini promtius fore, quam Electori tertias partes in Germania formare, in quas supremum imperium nemo eidem abnuerit, ingens momentum additura, utri accesserint. Et non parum istum â Belgis solicitari, qui non possint non incrementa Galliæ lividis oculis adspicere. Quæ ratio eos quondam induxerit ad pacem cum Hispanis ineundam, quantumlibet debilissimis; cum bello continuato quosvis successus sibi promittere possent; sed per quos demum Galliæ vicini fuissent facti; id quod magno studio declinant. Ob eandem causam istos fœdus cum Anglis, & Svecis cudere, Galliæ ad pacis leges sibi placitas adigendæ; in quod Electorem quoque pertrahere laborarint. Cui & persvadere conati sint, ut Monasteriensem Præsulem invadat, velut pecunia Gallica delectus agentem, revera ut hoc subverso expeditum in Brabantiam iter foret. Esse quoque hoc fœdus Galliæ utile ob Svecos, quorum plurimis incrementa Galliæ displiceant, quod hæc post subactum Belgium ipsorum opera facile caritura sit. Præterea amicitiam Electoris Galliæ utilem esse ob rationes Poloniæ, velut qui hactenus destinata circa Condæum, ejusque filium impedivit; quo in negotio cum demum oleum, & opera perdenda fuerit, satius fuisse in partem gratiæ venire commendato Neoburgico, cui & Elector studeat, ut uterque Galliæ obstringatur. Electoris quoque exemplo Luneburgicos in prorogationem fœderis Rhenani consensuros, Austriacis tanpore invisi, velut per quod Galliæ Rex tam validarum partium in Germania caput sit, & per quod debilissimum Galliæ latus tegatur. Monebant autem, qui Electorem penitius norant, candide cum ipso, & reverenter agendum, utpote cujus generosus animus 1667.

& Regis Galliæ.

1667. animus summopere fraudibus, & contemtu offendatur.

§. 44. Ob has igitur utrinque rationes ad conclusionem tractatus processum fuit. Cujus exordio *Rex magnopere à se probari ferebat Electoris curam circa turbas Belgii, ne per eas pax quoque Germaniæ abrumpatur; ac ut hoc bello posito calamitates, quæ Poloniæ imminere videantur, Joanne Casimiro mortuo, aut abdicante, ope vicinorum averti queant. Geminum huic studium Rex sibi esse profitebatur circa tranquillitatem Orbis Christiani, pacemque Germaniæ, ac par desiderium æquis conditionibus bellum Belgicum finiendi. Inprimis cordi sibi esse miserum Poloniæ dudum amicæ, & fœderatæ statum, per intestinas discordias, turbasque in Ucraina, & frequentes Tartarorum incursiones laceratæ: quam velut propugnaculum orbis Christiani contra barbaros servari omnium vicinorum intersit. Iis malis nullum præsentius remedium visum, quam junctis utrinque consiliis operam dare, ut factiones eo in Regno exortæ tollantur, alias tempore interregni cum exitio Reip. erupturæ. Unde è re visum, ut Resp. mature de successore cogitaret eo casu, si quid Regi, jam valetudine debili, humanitus contingat, aut is tædio laboris regnum ultro exuat. Quo fine & antea se precibus Regis Poloniæ, & defunctæ Reginæ, & multorum procerum motum, ubi solium vacare contigerit, Condæum, ejusve filium commendare decrevisse. Sed quia alii ejus Reip. proceres, ac cives ad Palatinum Neoburgicum animum adjecerint, dignum hoc fastigio Principem; cui & Elector vicinus, ac fœderatus Poloniæ faveat, eoque sæpius significarit, gratissimum sibi fore, si & ipse hujus promotioni studere, ac operam pro Condæana domo hactenus impensam in istum transferre velit: igitur cum ea res Electori, ac Reip. insigni commodo cessura speretur, tam super bello Belgico componendo, quam futura in Polonia electione inter Regem Galliæ, & Electorem in hæc capita convenisse. I. Rex abdicabit studium circa Condæum, aut ejus filium in casum interregni ad coronam Poloniæ commendandum; ac si isti haut eo minus ad coronam adspirare velint, id impediet, ac eos conatus difficiles reddet; simul efficiet, ut isti eo cœpto desistant, nec huic pacto ullo modo contraveniant. Impediet quoque Rex, quantum in se, ne imperium Polonicæ militiæ cuipiam contra leges Regni deferatur. 2. Rex bona fide in gratiam Electoris, & Neoburgici enixum studium apud Regem, & Remp. Poloniæ interponet, ut si Joanni Casimiro secundæ nuptiæ placeant, Neoburgici filiam ducat, aut si solium vacare contingat, hic legitimam per electionem corona potiatur. 3. Quo ipso tamen neque Regi, neque Electori, aut Neoburgico propositum est per hanc conventionem legibus, ac libertati Reip. quid derogare. 4. Regi firmum perstat propositum promte finem turbis Belgicis imponendi, ac æquas pacis conditiones admittendi; tum ut quies Germaniæ conservetur. Circa quod negotium Orbi Christiano tam salutare Elector quoque officium suum adhibebit, quo mala è continuatione belli proventura avertantur. 5. Elector non alio modo præsenti bello inter Galliæ, & Hispaniæ Reges se ingeret, quam officio pro concilianda æqua pace. 6. Elector quoque nemini sine exceptione tam intra quam extra Imperium transitum, hospitia, & delectus in suis ditionibus concedet, si qui copias in Belgium mittere velint, nisi quantum legibus Imperii, Paci Westphalicæ, Capitulationi Cæsareæ, ac fœderi Rhenano congruit. 7. Idem quoque operam dabit, ut Westphalicus Circulus paria observet. 8. Amicitiæ arctius adstringendæ Elector in triennium fœdus Rhenanum prorogabit, de quo Ratisponæ agendum. 9. Ratihabitio intra bimestre spatium fiet. Nomine Regis Galliæ subscripserat Leure Millet, nomine Electoris Suerinus, Somnitius, & Fridericus Jena.* 1667.

Tractatus cum Rege Galliæ. 5. Dec. 15.

§. 45. Hanc cum Gallo conventionem ut & reliquis adprobaret Elector, quorum amicitiam ideo omittere nolebat, operam dabat. Ac Hispanos quidem, qui Electorem eo ipso penitus in Gallorum partes transiisse crediderant, per suos aliter edocebat. Cum enim reliqui hoc bellum armis sedandum haut ducant, vitio sibi dari non posse, si cum Gallo super aliis negotiis tractet, è quibus haut modicus fructus in publicum provenire queat. Cæterum de subsidiis apud Hispanos, Belgasque movere desisterent, ne Gallo suspicio injiciatur, quasi à se bona fide haut actum sit. In Angliam autem Christophorus Brandius mittebatur, Regi super Bredana pace gratulaturus, ac tam periculosis temporibus consilia communicaturus. Quod si interrogetur, quomodo Elector circa turbas Burgundicas se gerere instituerit, & quibus partibus accessurus sit, responderet: *istum quidem valde metuere, ne altera pars hoc bello nimium prævaleat: ac ægerrime laturum, si Belgium plane sub Galli ditionem redigatur. Unde & eundem libenter cum aliis, ac præcipue Anglia eo incubiturum, ut id bellum futura æstate finiatur. Sed amica compositione non succedente nondum certi quid consilii cepisse; quod nondum intellexerit, quid Anglis, Belgisque facere decretum; sed & non sine admiratione perspiciat, eam causam ubique segniter agi. Sed Electorem in his turbis sententiam Regis, si eam pandere placeat, secuturum, quantum securitas Germaniæ, & propriarum ditionum patiatur.* Quod si autem à Cæsareis, & Hispanicis in Anglicana aula ministris aliquid super eadem re moveatur, diceret: *Electorem id negotium ab initio ubique magno cum studio egisse. Enimvero quæ sæpius è fiducia sinceræ amicitiæ aliis secreto aperuerit, aulæ Gallicæ iterum innotuisse, quæ ab hac verbis alte penetrantibus ipsi exprobrata fuerint, velut solus Cæsarem, & alios præter eorum inclinationem in arma stimulet; quæ ita exacte relata fuerint, ut aliter judicare non potuerit, quam eadem ab iis prodita, quibuscum secreta colloquia sunt habita. Tum & Electorem Marchioni Badensi promtum, ac generosum responsum dedisse. Sed tantum abfuisse, ut vicissim præstaretur, quod is obtulerat, & sine quo nil rerum geri potest, ut longo tempore nil responsi liquidi secutum fuerit. Unde non aliter se judicare potuisse, quam Hispanis certo de pace cautum, aut eosdem ipsius auxilio haut indigere. Igitur rationis fuisse, ut in hoc negotio caute procederet, & omnes cogitationes ad promovendam pacem converteret, à quo instituto lautissimæ Galli pollicitationes ipsum divertere haut valuerint. Et quia*

Hoc pactum Elector adprobare studet Hispanis; Anglis; 13. Nov.

Yyy Hispano-

1667. *Hispanorum arma Gallicis paria non sint, Electorem satius ducere Gallum cessis quibusdam urbibus deliniri, quam omnia aleæ exponi; ac ut in futurum Hispani rebus suis melius prospiciant.* Cæterum Galli tractatum cum Milleto conclusum passim vulgaverant, quod plerosque in Electorem respicere nossent. Quem & ideo Angli valde suspectabant, velut secreti articuli longius tendentes subessent. Sed Brandius ostendebat; non posse id pactum cum ratione improbari, cum Belgæ non paulo longius processerint, qui pacto Hagæ cum Anglis inito Gallis satisfaciendum statuerint, ac se Hispanis necessitatem allaturos, quæ sibi placuerint, conditiones acceptandi. Ipse Rex Brandio dicebat: *Electoris tractatum cum Gallo ab initio multum strepitus excitasse, ac se ipsum eo perturbatum fuisse. Sed eo inspecto adquievisse; & quanquam optet in eo mentionem medii status, aut de renovatione fœderis Rhenani, & impediendo transitu copiarum in Belgium tendentium haut factam: judicare tamen eundem obstare non posse, quo minus Elector exemplo Sveciæ triplici fœderi accedat. Alias ab initio horum motuum se in ea sententia fuisse*, & adhuc esse, *ut si è Germania solidi quid ad eorum compositionem proficisci debeat, id per Electorem præstandum.* Scripserat quoque Regis mater è Gallia, super matrimonio inter Electorem, & Mompenseriam virginem agitari. De quo Rex dicebat: *eam quidem splendore natalium, & opibus pollere. Se tamen non credere* un gendarme. *Electori placiturum connubio sibi jungere cataphractam, ac in sua domo divisum imperium introducere.* Idem judicabat, bellum Flandricum finitum iri absque fœderatorum armis. Ac dicebat Ruvignius legatus Gallicus; ni suus Rex aliis de causis pacem desideret, eum fœdere isto triplici ad eam hautquidquam permotum iri, quod Angliæ status tunc admodum langueret. Lisola inficiari non poterat, ab Austriacis, & Hispanis graviter fuisse erratum, quod generosis promissis ab Electore Marchioni Badensi factis recte usi haut fuerint; cujus rei culpam in dissensiones quasdam inter Cæsaream, & Hispanicam aulam referebat. Sed de tractatu cum Gallo super Polonico negotio idem judicabat, Electorem in eo rationis falsum fuisse, quod Galli commendatio noxæ potius, quam usui sit. Ac Neoburgicum eo ipso rebus suis gravem plagam intulisse, ac sibi constare, post eum tractatum ipsius gratiam in Polonia multum minuisse. Nam Polonis æque ingratum esse natalibus Gallum, & Galliæ addictum. Quin & Electori haut profuturum, si Neoburgicus Poloniæ Regno potiatur.

Et Cæsari. 50. Oʃ. §. 46. In aulam Cæsaream Blumenthalius tunc alias ob causas missus erat. Ei injunctum de bello Flandrico ultro haut tangere; quod Elector experiundo didicisset, quo promtiorem se quis isti aulæ exhiberet, eo minus ibi obtineri posse. Ast si Cæsarei ministri super eodem primi moverent, ostenderet; Electorem in Cæsaris gratiam id negotium magno studio egisse. Sed Gallos omnia ipsius dicta rescivisse, ac super iis non sine minis expostulasse, velut ipse solus Cæsarem invitum in arma stimulet. Electorem quoque Marchioni Badensi generosum responsum dedisse. Sed cum ab Hispanis diu nil reponeretur, istum judicasse, vel hos de pace jam certos esse, vel ejusdem se auxilio supersedere posse. Si quid tamen Cæsar mandare velit, se ad Electorem relaturum. Quod si Cæsar Electori in Polonico negotio gratificari, ac ipse valido cum exercitu Hispanis assistere, simul præter ea, quæ ab his stipulaturus sit, aliquo emolumento huic instituto exsequendo eundem mactare velit; ita se acturum, ut Cæsar facile studium ipsius probaturus sit. Quod si Electoris consilium, quid hoc bello faciendum, exquirat diceret: quia Gallus tantos progressus fecerit, ac Hispani tam languide resistant, multi quoque ex Ordinibus mutuo se obstrinxerint ad prohibendum, ne id incendium in Germaniam quoque trajiciat; nullum præsentius remedium esse, quam cessione aliquot locorum Gallum amoliri, ac deinceps melius sibi adversus repentinam ejusmodi oppressionem prospicere. Blumenthalius cum Viennam pervenisset, initio cum eo nemo quidquam de bello Burgundico loquebatur. Quin Aurspergius Electori admodum infestus jactare non dubitabat; Cæsari ab Electore parum amici expectandum, qui Gallo adhæsurus sit, Pomeraniam eidem in præmium ostentanti. Cæsar quoque malebat Svecos quietis pretio per otium frui, quam ansam iis præbere negotiis sese exterorum implicandi. Cum inde noster Electore jubente moneret, ut Cæsar congressum super pace inter Gallum, & Hispanos promovere velit; id parum gratum erat, quod censerent, Belgio summa vi subveniendum; id quod autem per neminem commodius, quam per Electorem fieri queat. Cui &, si in oblatum fœdus consentire velit, ita amplas conditiones proponendas, ut agniturus sit, ipsius amicitiam haut gratis experi. Sed ad istas distincte exprimendas descendere nolebant, ni Elector declararit, se utique id fœdus acceptaturum. Hispani quoque parum in pacem inclinabant, quod eam à Gallo haut serio experi crederent, & quod nil securitatis inesset pactis cum eo initis, qui tanta cum perfidia juratam pacem abruperit. Ac pace cum Lusitanis parta tredecim millionum compendium fieri; è quibus si Cæsari duo dentur; sufficienter repellendis Gallis vires comparari posse. Cæterum non absurdum habebatur, Cæsarem, quamdiu bellum Lusitanicum duraret, Belgii tutelam haut serio suscepisse: quod verendum esset, ne isto semel implicito Hispanis magis curæ sit bellum contra Lusitanos cum fructu, quam in Flandria cum gloria persequi, ac totam belli molem deinceps ipsi soli incubituram. Sed cum ne quidem post pacem Lusitanicam Cæsar auxilia in Gallos decernere vellet, legatus Hispanicus minabatur, Vienna se discessurum, omnibus secum Hispanis abductis. Unde in ipso gynæcæo dissidium exarsit, Hispanicis fœminis jactantibus, discessum suum aulæ gravissimum dolorem inusturum; Germani-

1667. manicis reponentibus; eundem parum lacrymarum expressurum. Ast Cæsar legato denuntiabat; si utique proficisci velit, se ipsum detinere non posse. Certi tamen quid non declaraturum; antequam de successu tractatuum pacis intellexerit. Quare autem ipse hactenus tutelam Belgii suscipere non potuerit, in causa fuisse, quod pax cum Lusitanis non justo tempore, & quando ipse suadebat, conclusa foret. Et quia Hispani jam acceptata à Belgis facta propositione pacis se cupidos ostenderint. Ea rerum facie haut consultum fuisse, à se intempestive pacem cum Gallo abrumpi, ac protrahendo bello ansam præberi. Iisdem rationibus post Blumenthalius apud legatum Hispanicum utebatur, super tractatu Milletiano querentem, & quod Elector eo miserit, se Hispania auxilia non submissurum. Non posse scilicet ab Electore postulari, ut alieno se bello temere immisceat, ac sufficere, si æquam pacem promovere eidem cordi sit. Cæterum par esse, ut nobile Imperii membrum ad capitis sese exemplum componat, & hoc quiescente nil suscipiat, unde patria gravissimis turbis involvi queat.

Super triplici fœdere consulta-tio. §. 47. Interim Belgæ cum Anglis conventionem iniverant, cui mox & Sveci accessere, circa servandum Belgium Hispanicum, ac promovendam inter bellantes Reges pacem: quo facto Hispanis proponebant, ut vel Gallis relinquerent, quæ hujus æstatis expeditione occupassent, vel æquipollens darent. Paria & Gallis insinuabantur, qui primi de ista alternativa proposuerant. Ad isthoc fœdus cum & Elector invitaretur, num id expediret, in consultationem deductum. Qui id svadebant, has rationes afferebant. *Ejus fœderis scopum esse conservationem pacis, quæ & Electori maxime in votis sit. Cæsari, & Hispano id probari; unde eo acceptato utrumque Electori valde obstringendum. Idem quoque alternativæ à Gallo propositæ superstrui, eoque non posse non Gallo placere, velut per quod postulato suo potiatur. Eodem Electori ansam præberi paci efficacius promovendæ, & utrique parti officium suum adprobandi. Quia etiam Svecia nomen isti dederit, cujus exemplum alii Ordines Imperii videantur secuturi, vix probabile prætextum Electori esse id recusandi; quia eo repudiato Anglos, Svecos, Belgas suspicione perstrictum iri; quorum tamen amicitiam servari ipsius intersit.* Ast alii contra disserebant: *Ab utraque parte modicam gratiam ineundam, quod Gallus satis ostendat, quantopere sibi isthoc fœdus displiceat non solum circa ipsa conventorum capita, sed & agendi modum, imperiosi quid spirantem. Nec magis id Hispanis ad palatum esse. Unde Electorem eo suscepto si non utrumque, saltem alterutrum offensurum, at dum alteri se nimis addictum declarat, officium suum circa conciliandam pacem corrupturum. Et incertum adhuc esse, num Sveci, ac Belgæ à Gallo sequestres admittendi sint. Præterea hoc fœdere suscepto Electori arma paranda, ut in omnem eventum fœderi satisfacere possit, non sine oppressione suarum ditionum, cum nulla aliunde subsidiorum spes sit. Facile quoque eum per idem bello implicari posse, quod contrahentes ad varias se conditiones præstandas obstringant, quas in præsens utrique bellantium improbent, & ad quas demum armis cogendi sint. Esse quoque id fœdus tantum ingressum arctioris conjunctionis, cujus formula jam concepta sint, quam isto suscepto declinare Electori non facile futurum sit; quæ tamen, si pax obtineri nequeat, in magnas difficultates, & pericula ipsum pertractura sit. Plus quoque autoritatis Electori pariturum, si per se conciliationis officio fungatur, quam si aliis Regibus societur, primas sibi partes arrogantibus & quorum placita sequenda sint; simul pro istorum emolumentis circa commercia, navigationem, & alia, quæ istum haut tangunt, contendendum. Denique Electorem jam Regi declarasse, id fœdus se non subiturum, nisi cum ipsius consensu; qui cum secutus non sit, & Rex potius monuerit, ne quid circa id negotium præcipitet, non posse id fœdus absque hujus offensa admitti.* Ad superius adductas rationes reponebatur: *Circa subeundum aliquod fœdus non solum super scopo, sed & via eundem attingendi conveniendum. Hispanos non dissimulare, sibi neque modum procedendi, & quod Regibus tantum non pro imperio leges præscribuntur, neque alternativam, cui totum fœdus superstruitur, placere. Contra Galli etsi alternativam probent, alia tamen habere, quæ desiderent. Etiam non admisso fœdere Electorem paci conciliandæ idoneum; qui & utilem operam circa istam navarit, antequam id fœdus conceptum foret. Electori ante omnia ad sui status rationes respiciendum, quæ cum Sveciæ, & aliorum exterorum respectibus, consiliis, & agendi modo haut ex asse conveniant, eoque istum cum hisce eandem semper viam insistere non posse. Quis ex aliis Ordinibus ei fœderi accedere velit, adhuc incertum esse; ac si ita è re videatur, deinceps quoque aditum ad idem patere. Et vel id abunde rationis esse, quare Electori in præsens isthoc fœdus amplectendum non sit, quod Svecia idem occupavit. Quia autem cum singulis ejus fœderis sociis Electori amicitia intercedat, nullam suspicionis causam fore isthoc recusasse; cum ea res liberrimi sit arbitrii; quam quisque suis rationibus metitur. Denique non adeo fervide à sociis istius fœderis Electorem ambiri. Nam & Anglo non dum decessisse memoriam Monasteriensis ad pacem compulsi; & Wittium gliscentem Electoris potentiam metuere; & Svecos solos pecuniis frui malle, quam hunc in earum partem admittere.* Has igitur ob causas Elector Brandio injunxerat, ut si in Anglia super amplectendo eo fœdere moveretur, responderet: Electorem diu, antequam nosse posset id fœdus agitari, circa Gallum ad pacem permovendum laborasse; idem deinceps quoque facturum, quoad hic pacem aversari convincatur, & quoad viderit, ab Anglis, Svecis, ac Danis arma parari isti ad pacem rogando. Tunc honestius Electorem suam mentem declaraturum, quam nunc in fœdus ruere, super quo rite sibi haut communicatum sit, nulla quoque adhuc solenni invitatione facta, nec subsidiorum mentione injecta. Sane ipse Arlingtonus *Secretarius Status* in Anglia fatebatur; istud se fœdus haut præmeditatos, sed ex arena in id consensisse; quod perspiceretur, quæ causa in Belgio obstaret, ut ea Resp. non alia consilia capesseret. 1667.

1667. Cæterum fœderatorum ministri valde suadebant, ut Elector quoque triplici fœderi nomen daret; ac disserebat Christophorus Dona Comes legatus Svecicus: *Suecos, Anglos, ac Belgas satis perspicere, se à Gallo non metui, quod Elector ipsis non societur; & quia satis norit, fine eodem neminem in Imperio adversus ipsum sese commoturum. Accedere peritiam belli, egregias copias, autoritatem apud fœderatorum exercitus, fine qua inter duces concordia futura non sit.* Ei à Brandio responsum: *Electorem ab eo negotio haut abhorrere. Sed opus esse, ut ipsi demonstretur, à Gallo moram pacis proficisci; ut Cæsar circa negotium Polonicum Neoburgico faveat: ut denique Electori ostendatur, in quas leges Angli, Sveci, Belgæque cum Hispanis recens convenerint. De cætero Hispanis, ac Belgis curæ fore, quomodo Electori solidi quid offerant. Quod si tamen Gallus præter spem fidem fallat, Electorem sociis, ac viciniis utique ostensurum, sibi non minus quam aliis pacis promotionem cordi esse. Sane Gallum nuper sancte confirmasse, pacem se cupere. Contra merito mirandam Hispanorum tarditatem. Qui, cum postularetur, ut Suecis subsidia expedirent, quod fœdus id servando Brabantiæ institutum sit, responderant; sibi pacem ignominiosam impingi, quæ in gratiam Angliæ, & Belgarum suo dispendio emenda sit: cum tunc demum ad solvendam pecuniam teneantur, si istorum opera receperint, quæ superiore æstate amiserint. Belgas auxilium plane abnuisse, quo ipsos ad amplectendas quæ proponantur conditiones compellant.* Quibus tamen Angli regerebant: conditiones quantumvis duras acceptandas, ut iterata Gallorum in Flandriam invasio prævertatur, quo tempus sit Belgicis provinciis melius prospiciendi, ac in futurum proprio paratu, ac fœderibus se muniendi. Haut eo minus licet propinqua spe pacis Anglus validam classem instruebat. Quod quare fieret cum Ruvignius legatus Gallicus ex Rege quæreret, hic respondebat: vel pro Gallia, vel contra eandem. Alias valde gaudebant Angli successu pacis ob paupertatem Regis, ac Parlamenti insolentiam, tumentesque populi animos, contemtim valde de Rege nullo metu loquentis: quem & Galli, cum Arlingtonum in partes suas trahere non possent, per Castelmæniam pellicem sibi adjungere laborabant: quibus nulla ratio destinata sua pervincendi turpis habebatur.

Electoris cum Neoburgico super corona Poloniæ conventio.

§. 48. Cæterum ut Elector consilia sua eo, quo exposuimus, modo temperaret, haut parum efficiebat respectus Poloniæ; cujus turbidæ res prohibebant, ne is in diversa parte gravi sese negotio implicaret, quo minus & hisce, si opus foret, manum admovere posset. Nam post perfectam transactionem hæreditariam super Juliacensibus provinciis cum Neoburgico in specimen novæ amicitiæ pactum fuerat initum, quo Elector se obstrinxerat ad navandam operam, ut hic corona Poloniæ potiretur. (5. Maii. 1666.) Eo fine iste Jo. Henricum Winckelhusium Baronem, Franciscum Gisium, & Henricum Snellium Clivos miserat, qui cum Ottone Sverino, Wernero Wilhelmo Blaspielo, & (10. Jun.) Francisco Meindersio ejusmodi pactum formarunt, cujus capita hæc erant: *Elector promittit, se omnia bona officia impensurum Neoburgico ad coronam Polonicam provehendo, juribus, ac libertate Reip. semper salvis. Eo fine utrumque Lubomirscium falciet, ut is bonis partibus, & Reip. constanter adhæreat, data cautione sua ipsi auxilia haut defore. Elector quoque eos confirmabit, qui cum Lubomirscio sentiunt, quique pro libertate Reipublicæ, & contra agitatam electionem Regis libertati Poloniæ prægravis, ac Reip. invisi nituntur; operamque dabit, ne qui perniciosa Reip. moliuntur, scopo suo potiantur. Si corona Poloniæ per mortem, aut abdicationem Joannis Casimiri vacaverit, aut si præter spem Rege vivo electio sit suscipienda; Elector omni modo connitetur, ut Neoburgicus præ cæteris commendetur, ac per libera vota legitime Rex eligatur. Pro officio hoc præstito Neoburgicus Electori Ravensteinam dabit, salvo religionis Catholicæ exercitio, hujusque reditibus, ac bonis, etiam ubi electio citra arma obtineatur. Ista cum Lubomirscio communicanda, postulandumque ut is hoc negotium promoveat: eique cavendum, ubi Neoburgicus Rex fiat, ipsum in omnia restituendum, & ex voto beneficiis mactandum. Gemina promissa etiam reliquis, qui utilem operam navarint, facienda. Elector justit, ut Neoburgicus hæc destinata Cæsari, ac Sveciæ Regi diligenter commendabit, saltem ne quid impedimenti adferant. Coronatione facta Neoburgicus Reclingshusam à Coloniensi permutatione adquisitam Electori tradet, interim portionem terræ in Bergensi Ducatu pari proventu consignaturus, salvo ritu Catholico. Promittit quoque Neoburgicus, si regno potitus fuerit, se perpetuam cum Electore amicitiam culturum, hujus emolumenta promoturum, ac peculiariter pacta cum Polonis inita servaturum, & quæ adhuc restant protinus impleturum. Eadem valebunt, si non ipse Neoburgicus, sed aliquis ex ejus filiis corona potiatur. Si tamen id negotium irritum fiat casu aliquo humano, aut temporum mutatione, neuter horum quidquam in alterius fraudem propalabit, sed omnia silentio prementur. Ratihabitio intra octiduum fiet.* 1666.

Num ea conventio publicanda?

§. 49. De hac conventione cum in Polonia innotuisset, non parum suspicionis, ac rumorum excitabatur, multis frementibus, exteros sese tutores Poloniæ obtrudere, & majorem jurium, ac libertatis ejus curam præ se ferre, quam illos, quos ea res proxime tangat. Igitur istis querelis extinguendis quidam censebant aliud pactum esse concinnandum, quod palam ostendi queat, ejusque exempla Viennam, & Holmiam mittenda; ut tamen ministris ibidem injungatur, eorum copiam non facere, nisi valde urgeantur, ne simulatum id esse suboleat. Quod consilium & Neoburgico probabatur. Ejus pacti hæc esse capita debere, ut Elector promittat, se Neoburgicum non Polonis solum, sed & aliis commendaturum: ac si quis per libera suffragia legitime electum vi dejicere aggrediatur, submissis copiis auxilia ei laturum. Pro isthoc officio Neoburgicum Electori è ditionibus suis hæreditariis satisfacturum, ac ubi Regnum obtinuerit, pacta super Borussia servaturum. Enimvero aliis fictum ejusmodi pactum haut placebat; ac satius esse per ministros sermone demonstrari, quæ ex re sint,

sint, ac sinistros rumores refelli. Nam quantumvis æquissimis conditionibus adornatum Polonis multum scrupulorum injecturum, inprimis ubi per Electoris ministros vulgetur; Aulamque alias Electori infensam magna cum invidia id dilaturum, velut hic Polonicam coronam cauponetur. Forte & Gallum offendendum, quod ibi statuatur, armis adversus illum rem gerendam, qui eam electionem disturbare conetur, velut in istum auxilia quærantur; quod constet, Aulam Polonicam aliquot militum millia à Gallo petiisse, ductu Condæi in Poloniam mittenda prætexto auxilii contra Tartaros ferendi. Ac si genuina conventio emanet, Electorem simulato pacto se ipsum improbare visum iri, velut plus justo circa alienam Remp. disponere ausus sit.

Elector super Neoburgico cum Gallo agere incipit, 19. Dec.

§. 50. Quia autem Gallus hactenus magno studio id egerat, ut Condæus, ejusve filius Engvianus Polonis Rex obtruderetur, ante omnia tentare placuit, ut is abdicata Condæana Domo Neoburgico deinceps favere vellet. Eo fine Ottoni Sverino juniori, tunc Lutetiæ peregrinationis causâ agenti, injungebatur, ut Regi exponeret: Electorem omnes actiones, quæ ullo modo Galliam spectarint, ita temperasse, prout fœderato, & amico dignum sit. Et cum eidem constantis, ac fidæ amicitiæ laudem mereri sedeat, non posse non Regi significare, turbas Polonicas non aliunde promanare, quam quod super obtrudendo invitis Ordinibus, & contra statuta Reip. Rege laboretur. Electorem id negotium, utut Regnum istud servari maxime ipsius intersit, hactenus tacitum adspexisse, ne ipse cujuspiam spei obstare velle videretur. Sed quia jam res ad extrema vergat non tantum intestinas ob turbas, sed & quia vicini sese ingesturi metuantur; ac ipse à multis patriæ amantibus civibus rogatus sit Reip. tam ancipiti tempore consilio adsistere, ad quod per proprias rationes, ac fœdus perpetuum teneatur; Rex autem non solum de quiete Orbis Christiani solicitus sit, sed & apud Regem, ac Rempubl. Poloniæ autoritate polleat: igitur petere, ut Rex per legatum suum istas molitiones inhibeat; ac si Joannes Casimirus Regno sese abdicet, aut Reipublicæ isto vivo successorem eligere placeat, idem candidatum Polonis commendet gratum, ac vicinis haut suspectum. Pro quo & Elector, ubi Regis mentem intellexerit, sit connixurus. Apud Ministros super hoc negotio scripti nil exhiberet, sed tantum dissereret: Electorem Enguiano coronam haut invidere. Sed res in Polonia, & apud vicinos ita dispositas, ut ejus electio absque gravi Regni convulsione pervinci nequeat. Eoque Regem bene facturum, si aliquem commendet, qui volentibus Ordinibus, ac vicinis recipiatur, & qui ipsi eo nomine beneficium debiturus sit. Alias Regem autoritatem suam ibi consumturum; magnam vim pecuniæ incerto exitu profusurum: Austriacis ad arripienda arma occasionem præbiturum, ultroque factionem in Polonia iis conciliaturum. Fortasse & Polonos ad desperata consilia ruituros, ut aliquem eligant Galliæ infensum, aut qui saltem hujus ingratiis coronam obtineat. Ac facile ista destinata per alias occasiones diverti posse, quas persequi majoris momenti sit. Quod si Galli objiciant, Engviani partes in Polonia ita validas esse, ut ejus spes tantum non explorata sit; id negaret. Esse tantum paucos quosdam aulæ addictos, & ipsos vacillantes. Neque Electorem heic Cæsaris gratiæ quid dare. Si urgeant ut significet, quem Elector innuat, post nonnullam tergiversationem demum diceret: Regem jam ante decennium per Avaugurium ab Electore petiisse, ut in ipsius gratiam cum Neoburgico transigat, eique ad nanciscendam Poloniæ coronam favorem accommodet. Esse eum Regis fœderatum, Galliæ commodis haut obstiturum, ac id beneficii grato animo agniturum. Eidem multos in Polonia, quod olim Regis sororem in matrimonio habuerit, favere, cum nemine litium quid ei intercedere, ut spes sit neminem ipsius votis obstiturum. Sveciæ quoque Regem gratum futurum, qui in eundem inclinent. Id unicum remedium esse turbas Poloniæ sedandi, ac Cæsari occasionem adimendi, quo minus sibi addictum Regem Polonis det. Si pacta cum Neoburgico objiciantur, responderet: Electori quidem super ea corona pacisci haut licitum. Quia tamen is perpetuus sit Poloniæ fœderatus, vicinusque, & cujus rationes cum ea Republica maxime sint implicitæ, ipsum cum tam multa super abdicatione Jo. Casimiri jactarentur, id negotium insuper habere non potuisse. Eoq; cum Neoburgico, cui Regem favere norit, convenisse circa favorem suum ipsi accommodandum, quo per legitimam electionem corona potiatur. Ad ista Sverino responsum: Superfluum esse vivo Joanne Casimiro circa alium Regem satagere; ac falsum esse rumorem, istum regno abiturum. Alias gratum sibi, Electorem cum Neoburgico transegisse, ac huic operam suam ambiendæ coronæ addixisse; quam quare eidem invidere debeant, nulla causa sit. Cæterum fidem suam Condæo & Enguiano obstrinxisse, quam retractare non possit; idque & Neoburgico significasse. Equidem se antea Neoburgicum per Avaugurium commendasse: sed eo tempore Condæum in Hispanorum partibus fuisse. Ad ea, quæ à Sverino objiciebantur, respondebat Lionnæus: Expectandum quid dies ferat, & quemlibet pro se quantum potest connixurum. Vetus Polonorum institutum; Regem haut è potenti Domo adsciscere, ne externis bellis implicentur, esse exigui ponderis, cum jam è Gallia Regem habuerint. Quod si Elector super promovendo Condæo pacisci velit, Regi id gratum fore, ac istum egregiis emolumentis potiturum, nec necessum eidem fore bello se implicare; cum res facile sit successura, modo idem Gallicæ factioni in Polonia se associet. Sed quia Elector id fieri non posse judicabat, Sverino nil amplius super eo negotio movere injungebat.

11. Mart. 67.

§. 51. Obtinuit tamen post Neoburgicus à Gallo, cum hic, suscepto in Belgium bello, ac Electoris amicitia opus haberet, ut idem am-

Legatio Electoris in Galliam.

1667. idem abdicato saltem in speciem Condæo operam suam promovendo ad solium Poloniæ Neoburgico promitteret. Unde & Franciscus Gi- *Strate-* sius, & Ditercus Althetus, Henricus Stratemannus *mann.* ab hoc in Poloniam missi, cum in reditu Berolini diverterent, multis rationibus Electori persvadebant, ut propositum à Milleto lega- *11. Nov.* to Gallico tractatum absolveret. Hic igitur tractatus ut effectum sortiretur, Elector Gerhardum Pæluitium, ac Franciscum Meindersium legatos in Galliam misit. Quibus injunctum Regi exponere, quid antea circa Polonicum negotium actum sit, quid mutationis dein circa idem contigerit, ac uti res per turbas Flandricas aliam faciem induerint. Constare quoque Regi, quantopere Electori cordi fuerit, ipsius amicitiam conservare, ac uti promissis regiis circa ponendum bellum Flandricum confisus in partes discedere noluerit, sed æquam potius compositionem pro virili, nec citra fructum promotum iverit. Isthæc duo palmaria negotia, Polonicum, & Flandricum, Electori magnopere cordi esse, quæ & in consiliis ejusdem ita conjuncta sint, ut unum citra alterum tractari nequeat. Et quia Rex non solum aliquot Electoribus, & Principibus Imperii componendis ex æquo turbis Flandricis sese pronum declararit, sed & idem Neoburgici ablegato testatus sit, eoque fine Electoris officium admiserit, addito, consilia se cum hoc circa Neoburgicum ad coronam Poloniæ promovendum sociaturum: igitur testandæ in Regem æstimationi se missos ad nonnulla proponenda, quæ ad summam rerum faciant. Cum autem negotium Polonicum moram non ferat, ac Electoris maxime intersit certi quid super eo decerni; hunc cupere ut Rex declaret, se Biterrarum *Beciser.* Episcopo suo in Polonia legato injuncturum, ut omisso Condæo & verbis, & rebus pro Neoburgici promotione connitatur; Rexque operam det, quo Joannes Casimirus corona sese abdicet, eaque per legitimam electionem ad Neoburgicum perveniat. Ut porro Rex non solum pro se Condæum destituat, sed & nemini Principi Gallo permittat per se, aut alios Neoburgici destinata eludere, aut difficilia reddere; utque his promovendis legatus Gallicus communicatis cum Electorali consiliis negotium in Polonia sine mora urgeat, ibique nomine Regis declaret, hunc universos, & singulos omnibus promissis, quæ Regi, Reginæque, aut aliis super Gallici Principis promotione fecerint, exsolvere; nec ulli Gallico Principi concessurum ad ista promissa provocare, & si quis isthoc audeat, eidem vi obstiturum. Vicissim Elector promittebat, se in partem Flandrici belli haut venturum, ac operam daturum, ut id ante futuræ æstatis expeditionem amice, & cum æqua Galliæ satisfactione componatur. Ut tamen si Ratisponæ Circuli Burgundici defensio decernatur, Electori integrum sit ratam partem conferre. Si super Geldria in Electorem transferenda moveatur, nostri reponerent; de hac agi non posse, quoad amici tractatus abrupti fuerint; præsertim cum Elector non aliquid adquirere, sed pacem stabilire desideret. Si tamen Hispani repudiatis æquis conditionibus adver- 1668. sus sequestrium hortatus in pertinaciam animum obsirment, aliam viam promovendæ paci ineundam: Si Rex subsidia citra obligationem dare velit, ea acceptari posse. Transitu copiarum Electoris provincias haut tangendas velut longe remotas; nec hunc toleraturum, eas alieno milite conculcari. Ad extremum postularent, ut Biterrensis è Polonia avocetur, velut qui nimis enixe pro Condæo laboraverit, ita ut si maxime alia mandata accipiat, fides ipsi adhibenda non sit. In itenere Dusseldorpum accederent, ac Palatino mandata sua communicarent, num quid circa ea monendum habeat; tum hortarentur, ut negotium suum in Svecia quoque urgeat. Huc nostri cum pervenissent, compererunt, Gallum Neoburgico super negotio Polonico omnia jam annuisse, ut ejus facti gratia sua, non Electoris foret. Nam initio Gallus Neoburgico oblique insinuaverat, se ipsi coronam Poloniæ non invidere, quin ubi id absque violatione fidei Reginæ, ac Condæo datæ fieri queat, ipsum ultro Ordinibus commendaturum. Interim vitio eidem non daturum, si rerum suarum satagat, modo ne id negotium se præsente in quæstionem deducatur, ne ob promissa sua Reginæ, ac Condæo facta negandi necessitas sibi imponatur. Sed post Reginæ obitum per Gaumontium Neoburgico significarat; velle se fovendo Condæo desistere, ac officium pro ipso interponere, si ipse, atque Elector Belgico se bello ingerere, ac sua destinata inpedire nolint. Post tamen Wilhelmus Furstenbergius istas mutati apud Gallum consilii rationes fatebatur; quod huic antea propositum fuerit, non tam Condæo coronam conciliare, quam turbatis Poloniæ rebus Cæsarem, Electorem, ac Svecos distinere; ac post Neoburgico spem coronæ ostentatam ei illudendo, ut Rex interim destinata sua in Belgium nemine obsistente persequi posset. Nam si Belgium absorbere detur, parum ipsi curæ fore, Neoburgicus, an alius Poloniæ Rex fiat. Satis etiam eidem perspectum fuisse, Electore quiescente alios Germaniæ Principes sese haut commoturos; eoque & jactata Neoburgici promotione istum, ne Hispanis accederet, delinire voluisse.

§. 52. Legatis, cum Lutetiam pervenis- *Legato-* sent, Rex de suo in pacem studio ample testa- *rum in* batur, culpamque moræ in Hispanos confere- *Gallia* bat. Circa accelerandam Joannis Casimiri *acta.* abdicationem prolixe promittebat. Cum no- *25. Juni* stri dicerent, Electori magnos sumtus faciendos in copias, quæ hanc ob causam alendæ sint, subridebat. De Svecia dicebat; res propediem ibi mutatum iri, ac nuper acrem collisionem extitisse inter Magnum Gardium, & Biœrnclovium, quorum hic totus sit Austriacus. Sed Gardium eidem non amplius, uti hactenus, negotiorum directionem commissurum. Lionnæus quoque de studio Regis in pacem multa prædicabat, ac neminem conditiones, quas Rex postulet, iniquas habiturum. Belgas, quibus maxime omnium intersit, Hispanicas provincias servari, eas conditiones

pro-

1668. propoſuiſſe, promiſſo addito, arma ſe ſua Gallicis ſociaturos Hiſpano ad eas acceptandas compellendo. Simul laudibus ferebat Electoris prudentiam, & candorem, quem Rex magni æſtimet, nec dubitet ejus officium circa pacem admittere. Teſtabatur inſuper, Regis expeditionem in Burgundiæ Comitatum paci haut obfuturam. Ejus expeditionis cauſam eſſe, ut Hiſpanos cupido pacis ſubeat, ac Auſtriaci, qui jam delectus habere cœperint, acceſſu ejusdem arceantur. Simul quia Hiſpani inducias eo obtentu rejecerint, quod ipſa anni tempeſtas exercitui quietem ſit imperatura, ſpecimen fuiſſe edendum, Regis arma per hiemis rigorem hautquidquam obtorpeſcere. Super Polonico negotio idem omnia pollicebatur: ſed ut Jo. Caſimirus certo tempore regnum abdicet, id præſtari non poſſe, quod is hocce in Condæi duntaxat gratiam promiſerit; ac magno labore opus fuiſſe, ut is in Neoburgici partes pertrahi poſſet. Circa ſubſidia Electori danda ingentes Regis expenſæ excuſabantur. Cæterum Regi haut placere, ut Elector fœderi, quod Hagæ ſuper promovenda pace cudatur, accedat. Porro expeditio in Burgundiam promtiſſime ſuccedebat, provincia triginta ſex oppida mœnibus clauſa continente intra undecim dies poſt languidam renitentiam ſubacta; per quam debiliſſimæ Gallici Regni provinciæ Campania, & Burgundia Ducatus adverſus Germanorum irruptiones tegebantur, via quoque in Helvetios aperta. Quos propugnaculum ſuæ terræ ita futiliter perire pati, indignum erat, cum id paucis militum millibus ſervari potuiſſet; utut Batevillius mature ipſis periculum ob oculos poſuiſſet, ac ad implenda promiſſa eosdem impenſe hortatus eſſet. Sed nimirum Condæus antea ſub prætexto tractatuum de medio ſtatu præcipuos provinciæ argento corruperat; quod idem, & Helvitiis, queis inſignis in ea gente autoritas, contigerat.

Belgarum ſuper bello Flandrico conſilia.

§. 53. Contra dum Galliæ Rex ad ſubigendam Burgundiam abeſt, Conradus Beuningius Belgarum legatus noſtros hortatus fuerat, ut Elector Hagenſi fœderi accedat, ac majorem armorum adparatum faciat, quo pax eo efficacius urgeri poſſit. Aſt noſtris haut conſultum

3. Mart. videbatur, Electorem gratis tantos ſumtus facere, adhuc extra contagium earum turbarum poſitum, quæ Belgas longe propius quam ipſum tangant. Quanquam & per eum non ſtet, quo minus res meliore loco ſint, & circa id ſatis ipſum Hagæ laboraſſe. Ac fatebatur Beuningius, nimis anxie pecuniæ rationes fuiſſe trutinatas; ac ſuo judicio ſatius fuiſſe viginti milliones plenæ ſecuritati adquirendæ inſumſiſſe, cum deinceps decuplo plus impendendum fuerit, ut invaleſcenti jam malo reſiſtatur. Porro ſuper Hagenſi fœdere noſtri negabant mandata ſibi eſſe. Interim Electorem haut minus ad eundem ſcopum tendere, ac forte majus operæ pretium facere, quod Galli fœdus id hactenus tantopere improbarint. Proviſurum quoque Electorem, ne in extrema pertrahatur, cui hoc fœdus facile anſam præbere queat. Sed nec reſpondere norat Beuningius, quid fœderatis facere decretum ſit, ſi 1668.
Galli juxta, Hiſpanique ejus fœderis coditiones adſpernentur; quod de hoc caſu cogitatum non fuerit. Cæterum cum Gallus propoſuerit, ut vel ipſe prioris æſtatis expeditione occupata loca retineat, vel æquipollens pro iis recipiat, Hiſpanos ſine dubio prius electuros, quod cupitum æquipollens enorme nimis ſit, inſignes munitiones complexum, quæ in Gallorum ditionem redactæ inexpugnabiles ſint reddendæ; Lucenburgum, Cameracum, Ariam, Divi Audomari Fanum, alia: cum nunc à Gallis erepta recuperandi aliqua adhuc ſpes ſuperſit. Et quia ſi tot loca à Gallis medio in Belgio teneantur, vicinis eo major neceſſitas incubitura ſit reliquias earum provinciarum tutandi; qui & ubi iſti vel minimum longius graſſari inſtituant, omnibus ſe viribus oppoſituri ſint. Equidem antea à Gallis creditum fuiſſe, Hiſpanos nunquam conceſſuros, ut ipſi tot oppida in Belgii viſceribus poſita retineant, eaque potius aliis locis datis redemturos. Unde alternativam Lionnæi ſuaſu ita fuiſſe conceptam, ut dubium non haberetur, quin deſignato æquivalente potituri ſint. Igitur Belgas velle, ut Hiſpani citra tergiverſationem mentem ſuam declarent, & Gallum eo ipſo verbis ſuis conſtringant. Equidem Gallos omnem operam impendere, ut Anglos, & Belgas à ſe invicem, & Svecos ab utriſque disjungant; ac ex ipſo expiſcari velle, utra alternativa pars Reip. magis arrideat; ſimul innuere, ſine dubio Belgis gratius fore, ſi Gallus propoſitum æquipollens obtineat, quam ſi retentis occupatis locis tam prope finibus eorum admoveatur. Sed ſe reſpondiſſe: id negotium non ex rationibus Belgarum, ſed ex promiſſis Regis Galliæ metiendum. Alias Belgas nullo modo concedere poſſe, ut Gallus univerſas Hiſpanicas provincias in ditionem redigat, in quarum conſervatione ſummæ, & cariſſimæ ipſorum rationes vertantur. Quin ſi Hiſpani præter ſpem eas pro derelictis habeant, Belgas potius iſtos ad excutiendum jugum ſtimulaturos, & auxilium iisdem laturos ad condendam liberam Rempublicam, quam ut permittant easdem mutationem ſubire, ipſorum ſecuritati tam exitioſam.

Noſtri apud Gallum ſuper pace inſtant.

§. 54. Reverſo poſt ſubactam Burgundiam Regi noſtri gratulabantur; confidere tamen Electorem, tam ſecundas res non ſolum Regem à promiſſis ſuis, & hucusq; adhibita moderatione haut dimoturas, ſed potius eo luculentiorem occaſionem præbituras totum orbem Chriſtianum optata pace exhilarandi. Ad quæ Rex verbis admodum humanis declarabat; *gratum ſibi eſſe Electoris tam præclarum de ipſo judicium, cui ſemper actiones ſuæ ſimiles ſint futuræ; ac ſe utique verbis ſuis ſuper pace immotum inhæſurum. Nec in dubium ſe trahi patiantur, ſi adverſus Beuningium, & ejus farinæ homines mentem ſuam ita candide non exponat. Nam hos varia poſtulata incongrua in medium proponere, & omnia ad ſuam libidinem nunc hoc, nunc alio modo diſponi velle; quibus ita promte obtemperare ſibi haut in proclivi ſit. Inprimis poſtulare illos, tempus, quod oblatis conditionibus ſumma*

1668. *summa cum moderatione, & in spatium sat longum definierit, ex ipsorum placito prorogari. Se quidem paci pronum; sed nullo modo tolerare posse, ut ab istis hominibus leges sibi præscribantur, multo minus ut ab iisdem sibi illudatur.* Ad quæ nostri: de hoc se nunquam dubitasse, & Regis gloriam nunc eo illustriorem fore, quod post tot prospera, & subactam insignem provinciam haut eo secius promissis suis stet. Ac omnes agnoscere, ipsum non defectu virium, aut necessitate, sed ultro ex animi magnitudine pacem omnibus aliis emolumentis, & propriis rationibus anteposuisse. Lionnæus quoque dicebat; se adversus Beuningium ferociam ostendisse, ac non parum eum preturbasse; ac petebat, ne nostri hunc errorem protinus eidem adimerent. Pollicita haut eo secius servatum iri, Cum Electore velut sincero Regis amico agendum, ac erga eum nil dissimulationis adhibendum, secus ac si cum illis hominibus agant, qui omnia è sua libidine moderati præsumant. Hispani contra, bello cum Lusitanis jam composito, quod Gallis parum gratum accidebat, adhuc tergiversabantur; & quanquam demum Madrito declaratio adferretur, censebant tamen Galli, ab istis rem non serio agi. Satis tamen intelligebant, totum orbem suspicione, & æmulatione accedendum, si ipsi totum Belgium Hispanicum subigerent. Eoque testabantur, si maxime bellum continuandum sit, non totum istud sibi vindicaturos, sed quantum ad tegendum Galliæ limitem necessum foret. Super reliquis partibus se cum vicinis transacturos; Quæ cum valde spinosa essent, nostri id genus sermones declinabant, ac Lutetia discedere properabant, ne talia proponerentur, circa quæ in mandatis nil habebant. Eamque ob causam haut consultum ducebant de subsidiis amplius movere, quibus Elector ad difficiles conditiones fuerat adstringendus. Sed & reliquorum Principum ministri illorum actionibus curiose imminebant, aliqui etiam Electoris amicitiam cum Rege non parum suspectabant. Nec super subsidiis tecte agi poterat, ut non evulgaretur; ac pace brevi secutura parum, aut nihil dandum erat. Sed ubi bellum continuandum sit, Electorem majore studio ambiendum. Interim ipsi pro captu rerum consilia dirigere licebat.
18. Mart. Valedicentibus nostris Rex denuo confirmabat, se verbis suis staturum, modo Hispani velint, per quos pax hucusque hæserit. Idem Lionnæus repetebat, qui & de Anglorum, & Belgarum agendi modo querebatur, qui unice negotium intricatum reddat. *Illos quippe iniqua, & a ratione abhorrentia à Rege postulare, ut is commodissima rem gerendi tempora incassum elabi patiatur, & inducias proroget non solum ad initium Junii, sed & in infinitum cum tam sumtuoso exercitu otietur, & Hispanis spatium indulgeat sese confirmandi, ac plus pertinaciæ induendi. Nam hac lege Hispanos nunquam pacem amplexuros, ac tot egregiis urbibus cessuros. Regem super conditionibus pacis ita declarasse, uti Angli, & Belgæ voluerint, idque ex generositate, & amore pacis in gratiam sequestrium, & Orbis Christiani, non virium imbecillitate, aut metu hostium; nec spem deesse plura adquirendi. In præsens id tantum quæri, qua ratione Hispani tam brevi tempore ad tam ingratam sibi declarationem compelli queant. Ad quod Angli, & Belgæ id remedii proposuerint, ut Galli quiescant: sibi curæ fore, ut Hispanis necessum sit eos legatos amplecti. Quæ iniqua sint, & paci moram allatura; inprimis si palam jactetur, nullo modo toleratum iri, totum Belgium à Gallis subigi. Velle istos armis Hispanos cogere, & tamen in antecessum declarare, se eorum provincias conservaturos, & si quæ occuparint loca utique reddituros. Postulari, ut Galli cum exercitu centum millibus constante otiosi desideant, ac patiantur Hispanos cum XXX M. rem gerere. Istos fidem nolle adhibere Regi promittenti, se omnia loca post ultimum Martii diem forte occupanda redditurum, & alternativæ inhæsurum; & tamen cupere, ut Rex rationes suas in arbitrium Angli, & Belgarum conferat, qui palam clamitent; Gallorum progressus sibi intolerabiles esse, & quibus utique meta sit figenda. Sane Belgas quondam super partiendis hisce provinciis cum Gallis convenisse, nec tunc ad tranquillitatem Orbis Christiani necessarium visum, easdem utique penes Hispanos manere. Regem non velle solum Belgium deglutire, sed & Hollandos, Anglosque, ac vicinos Germaniæ Principes in partem prædæ admittere. Hoc ipso Hispanos longe efficacius, quam per Hagense fœdus, ad pacem cogi, omni spe resistendi ademta.*

§. 55. Discedentibus nostris Regis declaratio scripto concepta dabatur hoc sensu: *Quod Elector super induciis proponat eo melius promovendæ paci, Regem censere, nil magis paci, ac ipsius votis adversari, quam eam induciarum prorogationem. Et ex omnibus Castelloroderici actis adparere, eum non nisi tempus extractum ire, ut X M Hispanorum, qui sub Joanne Austriaco in Belgium destinantur, sine impedimento venire possint una cum validis auxiliis, quæ è Germania expectentur; simul ipse delectus suos absolvere queat.* Inde enumerabantur cavillationes, ac ludibria, quibus ille negotium hucusque in suspenso tenere studuerit; & uti Hispani non Aquisgrani, sed Romæ utique tractare velint. *Haut eo minus Regem alternativæ optionem Hispanis indulgere velle usque ad Idus Maij, modo interea tractatus sit perfectus, & ratihabitus. Eundem quoque protinus cum ministris Anglicis & Belgicis conventionem initurum super alternativa ad Idus usque Maij valitura, cui conventioni verbotenus inserendi sint articuli futuræ pacis à se subscripti, & ratificati: ac istos vicissim sese obstricturos, ut intra id spatium Hispanicam ratihabitionem præstent. Regem præterea fidem dare Pontifici, & omnibus Christianis Regibus, ac Principibus, quod post absolutos tractatus omnia loca Hispanis velit reddere, quæ suus exercitus forte post ultimum Martii diem ad Idus Maij occupaturus sit, nec ideo lautiores pacis conditiones, quam in oblata alternativa continentur exacturum, modo Hispani tractatum intra Idus Maij ratihabeant. Id quod ipse arbitretur luculentum esse specimen proni in pacem animi, ac summæ moderationis.* Ante discessum nostri paucis monebant; æquum esse 20. Mart.
circa subsidia Electori satisfieri, qui tantos sumtus paci procurandæ impenderit, ac cui facul-

Regis Galliæ declaratio.

1668. facultas futura sit plura deinceps Regi exhibendi. Ad quæ Lionnæus: Regi voluntatem non deesse, qui & quanti Electorem faciat, reipsa semper sit exhibiturus, nec occasionem eidem defore. In præsens per sumtus belli ærarium valde exhaustum. Regem tamen monumentum affectus sui & æstimationis Electori missurum adjectis in hunc annum L M uncialibus. Esse id exiguum, nec pro utriusque dignitate: sed si præsentia onera cessent, Regem majora specimina amicitiæ daturum. Ast continuato bello Regem Electori arctius innecti posse, ubi hic ditiones, & alia emolumenta inventurus sit. Nam nunc circa tam modicam rem ipsos nolle cauponari. Cæterum confidere se Electoris amicitiæ, ac sperare eum Hagensi fœderi nomen haut daturum, paci magis retardandæ, quam accelerandæ inserviens. Si in belli societatem Electori descendere placeat, in præmium operæ Geldriam datum iri. Nam è Belgio Regem nil amplius desiderare, quam quæ finibus Galliæ tegendis opportuna sint. Reliqua Anglis, & Hollandis concedere, quam Hispanis malle; ut tamen Geldriam penes Electorem, quam Hollandos esse præoptet. Neoburgici negotium enixe commendantibus nostris idem respondebat: Regem haut omissurum omnia, quæ in suis viribus sint, impendere; quod alias supra Neoburgici facultates futurum sit suis sumtibus id negotium pervincere. Ac si pax fiat, Regem quantum desideretur facturum. Præsenti rerum facie non omnia posse quæ optet, nil tamen omissurum eorum, quæ possit. Ita quidem nostri honorifice admodum habiti Gallia excessere. Sed non pari modo actum cum ablegatis Principum Coloniæ congregatorum, qui junctim officium suum paci conciliandæ obtulerant, præcipue circa adornanda præparamenta, ac ut induciæ interim fierent. Illis affatim verborum repositum est, re inanium. Et quia Angli, ac Belgæ totam negotiationem in se pertraxerant, haut è dignitate visum diutius tempus Lutetiæ frustra terere. In arbitrio quoque illorum collatum, num Aquisgranum ire velint, ubi omnia, quæ agentur, ipsis communicanda sint: Cum advenirent, à Rege
7. April. stante, & nudato capite excipiebantur. Sed cum eidem valedicerent, hic eos sedens ac tecto capite audiebat. Causa ejus mutationis dicebatur, quod Danicus minister Residens
Goë. Goëus discessu suo, & Gabelius adventu parem cum istis honorem sibi deposcerent. Quorum postulatum eo prætexto eludebatur, quod Germani ex improviso in Regis conspectum venissent; ac ipsos nunc habendos esse, sicuti Germani suo discessu; quos Regina quoque, & Delphinus sedentes audiebant; illustri documento, quantopere Galli Germaniæ Principes contemnant, ubi eorum opera non opus habere se judicent. Nam ancipiti adhuc pace verbis deliniebantur; eadem certa spernebantur. Sed & dona quæ legatis dabantur fat vilia erant, vasa argentea vetera, recocta septingentorum uncialium in singulos. Literis tamen quibus obitæ legationis fides fiebat, eorum opera circa pacem impensè extollebatur. 1668.
Saxonicus legatus ea occasione Gallo prætensionem suam in Juliacenses ditiones commendabat; sed cui frigide admodum respondebatur. Cæterum Castello-Rodericus alternativam à Gallo propositam pure acceptaverat; sed utram ejus partem optare vellet, ad ipsum usque congressum sibi reservabat. Interim Trevor.
Trevorius, & Beuningius, iste Angli, hic Belgarum legatus circa inducias & tempus extrahendum laborabant. Quibus Rex demum declarabat; se ad XV. Maij, non longius, ad alternativam teneri velle. & quidem ut interim omnia conclusa, & ratihabita sint. Simul promittebat, si quid intra isthoc tempus occupatum fuerit, id restituendum esse. Mox tamen Castello-Rodericus declarabat, a se primum membrum acceptari, Anglo, & Belgis spondentibus, istius acta à Consilio Hispanico ratihabitum iri. Ac id demum obtinebant, ut induciæ essent usque ad finem Maij, ac adornandæ pacis formulæ sese accingebant. Non crediderant Galli Hispanos primum alternativæ membrum alteri prælaturos. Contra nec Castello-Rodericus judicaverat, Gallos Burgundiam reddituros; eoque ista optime rem ad bellum deducere studuerat. Ac ita hic juxta, ac Gallus à scopo suo aberraverat. Quanquam autem Condæus, ac Turennius Regi confirmarant, se intra tres menses totam Flandriam subacturos, nec ab Anglo, aut Belgis in præsens quid metuendum esse; quod tamen Gallus progressum armorum suorum sisteret, Turennius has rationes ferebat; quia Rex fidem dederit, se alterutro membro alternativæ contentum fore. Et quia consultum non habeatur ob paucas septimanas cum vicinis bellum contrahere, inprimis quod Hispanis tantillo spatio parum virium accedere possit; & Rex æque Julio mense exsequi possit, quæ Majo sibi proposuerat. Denique totum orbem Hispanos injuriæ damnaturum, si inani cavillatione continuationem belli efficiant. Alias idem dicebat, nullam esse in Belgio urbem, quæ ultra duodecim, aut quatuordecim dies Gallorum armis resistere possit. Id quod cum Hispani norint, circa pacem acceptandam haut recusaturos. Addebat Lionnæus, Regem multum profecisse, quod renuntiationem in universam Monarchiam Hispanicam declinarit. Enimvero genuina causa ruinosæ ejus pacis apud Gallum erat, non solum impedire, ne Svecia se Anglis, ac Belgis innecteret; sed & ut hasce rationes separaret, post paulisper interrupta destinata resumturus, minore cum difficultate exsequenda. Ac Turcarum morem imitari placebat, brevia bella, & quæ Rempublicam non fatigent, gerere, ac modicam, sed sæpius repetitam prædam malle, quam grandem, & quæ ægre cum corpore regni coalescere possit. Unde quanquam Luvoisues continuationem belli Regi ingereret, tam egregio Gallicæ, miserando Hispanicæ militiæ statu; stabat tamen sententia, tres Protestantium potentissimos haut in se pertrahere, interposito tempore facile separandos. Sed & certo persvasi erant Regem Hispaniæ ad plenos annos

1666. nos haut victurum; interim hac pace obtineri, ut renuntiatio neque in præteritum, neque in futurum facienda sit. Quia autem Rex haut diu quietem acturus erat, omnes credebant, Hollandis tempestatem incubituram, adversus quos ingens animi exacerbatio ostendebatur. Ac eam ob causam isti maluerant, Hispanos Gallo alterum alternativæ membrum concessisse. Ast nimirum Hispani soli contra Gallos excubias agere nolebant, sed satius ducebant, Hollandos sicut periculi, ita & laboris socios esse. Ac ea causa erat, quare Hispani Gallos quinque milliaria duntaxat à Bruxellis remotos adspicere, quam his reliquias Artesiæ cum Cameraco, & Burgundia cedere mallent. Hollandos enim jam periculo æque propinquos ac Hispani sint per proprias rationes obligari circa conservationem provinciarum Hispanicarum curam agere, quamdiu Gallorum viciniam sibi noxiam ducunt. Porro legibus pacis jam adornatis legati utrinque, Colbertus Gallus, & Bergeickius Hispanicus, Aquisgranum accedebant. In hujus procuratorii ingressu insinuabatur, Gallos contra juratam pacem Belgium invasisse. Id quod Galli initio ferre nolebant; ac aliud adferendum contendebant, quo neutra pars illegitimi belli, aut denegatæ justitiæ arguatur. Post tamen Galli haut eo minus prius procuratorium Instrumento pacis inserebant. Contra in Colberti diplomate addebant: Hispanos Galliæ debitam satisfactionem ob Reginæ prætensionem denegasse, & cum hæc nonnullorum ad hanc spectantium locorum possessionem apprehendisset, istos huic bellum terra marique intulisse. Sic ut utrinque intra terminos contradictionis manere vellent. Electori haut operæ pretium visum aliquem eo mittere. Schœnbornius tamen Baro nomine Moguntini eum tractatum subscripserat tanquam testis; quod parum è dignitate judicatum. Cupiebat post Cæsar interventu Angliæ Regis Electorem ad evictonem pacis Aquisgranensis pertrahere. Nam si per se id quæreret, metuebat, ne iste vicissim aliquid sibi stipulari vellet. Ast quæ causæ Electorem movebant, ne triplici fœderi accederet, eædem & svadebant, ne evictionem istam susciperet. Post conclusam pacem Hispani alteram alternativæ partem optare malebant. Sed Gallo permutatio haut placebat, ac is Athum Cameraco præferebat. Burgundiam quoque iterum eripere in proclivi fore, præsertim cum Hispanis non facile futurum sit destructas munitiones instaurare. Sed & post pacem Galli asperius quam bello in Belgio juxta, ac Burgundia grassabantur; & cum Vesontini quererentur, contra pactum deditionis armamentarium suum exspoliatum, Lionnæus respondebat: incolas beneficio ejus pacti duntaxat tamdiu frui posse, quoad sub Gallia manserint. Sed statim atque Rex decreverit, ipsos Hispano restituere, eum non amplius isto pacto teneri, ac omnia facere posse, quæ jus belli victoribus indulget. Et reveraGallus hanc pacem inierat non amore quietis; sed quia tractatibus sese implicuerat ea spe, quod Hispani propositas leges accepturi non essent. Nunc autem facta declaratione resilire non licebat, nisi totius Europæ bellum in se pertrahere vellet. Manebat tamen prius destinatum; ac interim quæ nunc fuerant obstacula removere animus erat, inprimis, ut Anglum sibi adjungeret, qui otio, ac voluptati se dabat, cura negotiorum in Arlingtonum transmissa. Ac spes erat hunc juxta, ac Regem facile expugnari posse. Quo fine Colbertus in Angliam mittebatur. 1668.

Elector cum Svecis super Neoburgico promovendo agit.

§. 56. Porro ut Svecos quoque in Neoburgici partes circa Polonicum negotium pertraheret, Elector operam dabat. Horum legatus Claudius Tottius secretum quondam cum Gallis pactum fecerat in favorem Enguiani, & ad excludendos Austriacos, Brandenburgicum, & Moscum: ac ut tuendæ Enguiani electioni Sveci exercitum XII M. constantem in promtu haberent, Galliæ Rege annua quadringenta octoginta uncicialium millia suppeditaturo. Quod tamen à Rectoribus Sveciæ ratihabitum non fuit. Post iidem Crocovio tunc Electoris in Svecia ablegato, demonstrabant; Polonos à Rege Gallo abhorrere, ac se præ aliis Neoburgico bene cupere, ut is ea Corona potiatur: super qua re mentem Electoris percipere velint. Elector respondebat: si Sveci serio rem agant, se cum his ad eundem scopum conventione inita connixurum. Etsi Cæsarei Viennæ ostenderint, malle se Gallicum in Polonia Regem, quam duos Reges è Palatina Domo sibi vicinos habere. Id tamen negotium remorabatur Pomponius legatus Gallicus, qui Holmiæ asseverabat; Regem Galliæ circa Poloniæ Coronam non alium respecturum quam Enguianum: ac Joannem Casimirum utique proximis Comitiis regno se abdicaturum; ubi electio sine dubio Gallico Principi obventura sit. Et quia vix dubitandum, quin Austriaci, aut alia factio huic sese oppositura sit, enixe, & magnis cum promissis contendebat, ut Sveci non solum Enguianum commendent, sed & ad eundem fulciendum operam navent. Eo fine à Svecis VII M militum præberi postulabat, quibus Galliæ Rex III M adjuncturus sit. Cum ab initio Regina Poloniæ à Gallo petiisset ut is Joannem Casimirum ad coronam in favorem Enguiani deponendam permoveret, iste id abnuerat. Nam de suo ingenio judicium facere, quomodo sibi tale postulatum placiturum sit, quod proponere ausum de fenestra dejici jussurus sit. Idem Pomponius cum nondum de conventione Electoris cum Neoburgico innotuisset, circa hunc dixerat: si nulla alia causa sit, quæ Regem Galliæ ab eo avertat, hanc sat gravem esse, quod Elector nunquam in istum velut ipsius rationibus adversantem consensurus sit. Unde cum Crocovius post diceret; se jam mandata accepisse cum Svecis super Neoburgico agendi, Gardius Cancellarius reponebat: aliam nunc rerum faciem esse. Nam tunc Sveciam sibi amica omnia à Cæsare, ac Imperio promisisse, prout & hæc non ad proprias tantum, sed & communes Germaniæ rationes respexerit; Sed è Bremensi negotio patuisse, quantum Cæsari, ac Imperio sit confidendum. A Belgis, & Dano nil amici sibi sperandum: Polonis nil propitii

Tott. 1661. 12. Sept.

1666. 4. April.

7. Nov.

23. Dec.

1667. pirii erga Sveciam ostendere, quod omnes Nobilium delegati in mandatis habuerint, fœderi cum Svecia contradicere. Hoc rerum statu cum Svecia vix ab ullo vicino amici quid spondere sibi possit; haut consultum Galliam offendere; ac potius de sua sibi securitate cogitandum. Neoburgicum insuper Svecum juxta, ac Gallum neglectim habere, ut facile judicari possit, illum Cæsari se innexuisse, & quidem conditionibus Sveciæ parum proficuis. Forte & maximam Reip. partem aulæ inclinationem secuturam. Quo casu Regi Sveciæ fas non sit illi parti accedere, quæ non Rempublicam, sed secessionem à Republica constituat. Si itaque Gallus quispiam debito modo per majoris partis electionem ad coronam perveniat, non esse quod Svecia reluctetur. Rempublicam quoque Poloniæ tanto in Sveciam odio imbutam, ut hujus commendatio parum ponderis habitura sit. Sed cum Crocovius objecta dilueret, Gardius fatebatur, nil sibi in eam rem cum Gallo convenisse: ac Pomponio responsum fuisse datum, quod repulsæ vim habuerit. Revera tamen Sveci adhuc ancipites consilii hærebant, quod & Gallum offendere nollent, nec tamen Gallicum in Polonia Regem optarent, multo minus bello se immergere cuperent. Interim utrique se parti venditabant, ac Gallo blandiebantur ejus favori contra Belgas, ac Danum captando, simul exitum Comitiorum Warsaviensium, ac Neoburgici legati propositionem expectabant. Post visa Electoris cum Neoburgico transactione pluſculum frigoris in hunc ostendebant, quod idem adversus promissa Sveciæ rationes neglexisse videretur. Revera dolebant, ea transactione occasionem deinceps sibi ademtam Neoburgicum cum Electore committendi, & istius opera hunc distrahendi; cum tamen Sveci antea eam transactionem valde svasissent. Sed forte crediderant, non ita funditus eam controversiam compositum iri. Sveci quoque tunc apud Gallos jactabant, Electorem apud se primum de Neoburgico proposuisse; cum tamen ante annum, quando Pomponius de negotio Polonico mentionem injiceret, Biœrnclovius, & alii de studio Sveciæ in Neoburgicum exposuissent, simul demonstrassent, Gallum id agere, ut è Polonia Germaniam subigat, ac Borussiæ portus in potestatem redigat augendis viribus maritimis, quarum incrementa maximo studio quærat. Unde Borussiam juxta, ac Livoniam in periculo versari, cui avertendo curam sibi non defore. Cæterum patebat, Svecos ideo circa Polonicum negotium tergiversari, quod cuperent sibi à Neoburgico circa causam Juliacensem satisfieri. Qui & demum summa pecuniæ istam actionem redemturus fuerat; sed in quam Rectores Sveciæ ob minorem Regis ætatem consentire non audebant, ac utique cupiebant, ut Elector, & Neoburgicus Regis Sveciæ jus ad eas provincias agnoscerent. Interea Gallica apud Polonos factio destinatis suis pervincendis periculum belli Turcici, ac Tartarici commenta fuerat, ut prætextum foret copias Gallicas in Poloniam evocandi.

11. Febr.

13. April.

Quo fine Morsteinius ab aula Polonica in Galliam missus fuerat istis copiis excipiendis, quibus per Electoris ditionem iter Millerus petebat. Cui Elector, laudato Regis generoso animo ad tutandos contra vim barbarorum Christianos, respondit: Cum penes se solum ea res non sit, sed penes totum Imperium, & eos, quorum peculiariter intersit, se quoque solum id annuere non posse. Si tamen alii, quorum terras iter isthoc tacturum sit, in idem consentiant, ac Rex, & Resp. Poloniæ unanimi consensu ea auxilia expetant, se innoxium transitum haut denegaturum. Unde Electori videbatur rem pressius urgendam, præsertim quia multi monebant, Svecos tantum per inania tempus extractum ire, ac revera Galli destinata promoturos, aut saltem haut impedituros. Ac Morsteinius asseveraverat, Svecos nunquam à Gallia se disjuncturos; ac in Galli manu situm esse, istos ad placita sua pertrahere. Quibus sermonibus etsi nil solidi subesse judicaretur, Electori tamen haut diutius in suspenso hærere placebat. Sveci contra ob mortem Reginæ Polonicæ festinatione opus negabant, & quia nova constitutio super electione condita sit. Sed cum Crocovius ostenderet, negotium electionis post obitum Reginæ haut secius urgeri, ac recentem constitutionem facile subverti posse; Sveci demum duplicem tractatum proponebant, unum de tuenda Poloniæ libertate; alterum de promovendo Neoburgico. Quod & Electori probabatur, non solum quia Sveci favente temporum opportunitate haut omissuri erant in usus suos vertere jus in Juliacenses ditiones, cujus recognitionem ab Electore, & Neoburgico stipulari cupiebant; sed & quia apud Polonos invidiosum futurum erat, si hisce Regem obtrudere velle viderentur. Ac sine dubio quæ agebantur legato Gallico, & per hunc Polono communicanda erant. Simul satis habebatur Svecos non adversos experiri, à quibus nil solidi auxilii expectabatur. Quod & idem legatus Neoburgicus Veldburgius judicabat. Ita demum prior conventio absoluta fuit; cujus hæc erat summa. *Quia Europæ Christianæ intersit Regno Poloniæ suam domi constare concordiam, oppressis in herba bellorum civilium seminibus, quo fortissimæ gentis corpus intra se unitum vicinis propugnaculi instar esse queat contra barbarorum irruptiones: igitur Regem Sveciæ, & Electorem stimulante cura motuum illorum componendorum inter se convenisse, operam se daturos, ut antiqua Reip. compages servetur, ac Ordinibus sua libertas salva persistat. Ne ante interregnum de novo successore agatur. Ut interregno existente electio sit libera, & legibus, moribusque ejus populi plane consentanea. Ut Ordinibus Reip. illibata maneat eligendi libertas in legibus fundata quoad eligendi securitatem, tempus, locum, & modum; tum quoad exactam propositorum candidatorum considerationem, & trutinam, tum quoad Ordinum Reip. liberrimum jus suffragandi. Profitentur quoque paciscentes, quod neuter eam coronam affectet, nec in futura electione sui rationem haberi velit. Quod si vacante solio aliquem canditatum commendare velint, id*

1667.

Veldburg.

Prior cum Svecis conventio. 22. Jun.

1667. *facient conjuncto consilio, talem quoque propositari, qui sit Romano-Catholicus, regnandi artibus instructus, amans gentis Polonicæ, præsentique Reip. status. Operam quoque dabunt ut Cæsar, & Gallus ad eundem cum ipsis scopum connitatur. Quæ ad hoc negotium spectant, deinceps communi consilio agentur, Durabit hoc fœdus usque ad futurum interregnum, & legitimum constitutum Regem.* Nomine Regis Sveciæ subscripserunt fœdus Matthias Biœrnclo, Joannes Gyllenstierna, & Franciscus Joël Ornsted: ex parte Electoris Laurentius Georgius Crocouis

Altera cum Svecis super eo negotio conventio. 15. Jan. 1668.

§. 57. Interjectis aliquot mensibus Pomponius differere incipiebat; Regem Galliæ mutata sententia pro Neoburgico in Polonia coniti velle. Id quod Sveci serio agi haut credebant, sed eo duntaxat fine simulari, ut Elector, & Neoburgicus ab adversis Galliæ consiliis averterentur. Quin Gallicam commendationem Neoburgicum Polonis magis suspectum redditurum. Post tamen ad alteram conventionem absolvendam accedebant, in quam proni videbantur, remisso postulato de agnoscendo Regis jure in Juliacenses ditiones, quod nuntii è Polonia allati essent, Joannem *17. Mart.* Casimirum utique regno se abdicaturum, & magnam pro Neoburgico spem esse. Sed dubium erat, num Electoris interesset fœdus in præsens concludi, quod Sveci nunc in partem meriti venire vellent, qui hactenus nil plane ad istud negotium contulerant. Quibus & parum placebat, Neoburgicum Electori tantopere obstrictum. *6. Maij.* Svecis tamen urgentibus ea quoque conventio de commendando Neoburgico absolvenda erat, quam Crocovius non amplius declinare poterat, ne Svecis suspicionem injiceret, & quia Neoburgicus etiam seorsim cum iisdem conclusurus erat. Etsi quod Sveci dicis duntaxat causa concluderent, indicio erat, quod præter morem nil sibi emolumenti stipulati essent. Ac revera isti non tam Poloniam spectabant, quam Germaniam, ubi hospitiis per Ordinum terras, ac Bremensi civitati inhiabant. Prout & Dona Comes apud Angliæ Regem instabat de intercessione apud Cæsarem, ut hic ipsis adversus eam urbem favere velit; polliciti, se præstita hac conditione, & datis subsidiis quibusvis Angliæ fœderibus accessuros. Id quod & Anglus promiserat. Nam cum antea Galli auxilium contra eam urbem quæsivissent, hic, qui eo tempore sibi magis, quam Svecis urbes adquirere agitabat, præter L M uncialium per modum crediti nil obtulerat. Quæ & ratio erat, quare tunc Sveci Gallicas partes destituerant, offensi insuper fœdere Galli cum Dano, & quia ob commerciorum rationes conjunctio cum Belgis necessaria videbatur. Sed & Magnus Gardius Gallo quam maxime studens Stenoni Bielkio, Biœrnclovio, & aliis contrariæ factionis succubuerat. Ejus porro fœderis inter Regem Sveciæ, Electorem, & Neoburgicum initi hæc summa erat: *Rex Sveciæ, & Elector pro solo Neoburgico officia sua apud Polonos interponent, velut Jagellonicæ Domui affinitate innexum, ducta olim in matrimonium Sigismundi III. filia, & ab Uladislao IV. per testamentum Ordinibus commendatum. Neoburgicus vicissim leges prioris pacti circa curandam Poloniæ quietem, servandum veteris Reip. statum, libertatemque Ordinum accurate explebit.* 1668. *Quanquam vivo Rege super electione ultro movere nolint invito Rege, & Republica; si tamen ea cum utriusque consensu instituatur, per legatos operam pro Neoburgico navabunt. Idem & apud alios Principes facient; & ipse Neoburgicus pro se tum apud alios Principes, tum apud ipsos Polonos satager. Fœderati junctim cum Rep. laborabunt, ut omnia impedimenta, quæ ab exteris in fraudem liberæ electionis injici poterunt, è medio tollantur. Si Neoburgicus à potiore Reip. parte legitime electus fuerit, & extraneus quispiam in fraudem liberæ, & legitimæ electionis contra Neoburgicum armis rem gerere instituat, Rex, & Elector ei Reip. parti, quæ pro Neoburgico stat, auxilium ferent, si requirantur. Si Neoburgicus Regno Poloniæ potitus fuerit, pacem Olivensem servabit, & Evangelicos in Polonia juxta leges Regni tutabitur. Idem quoque valebit, si Neoburgici filius fuerit electus. Elector, & Neoburgicus declarant, transactionem hæreditariam super Juliacensibus ditionibus Regis Sveciæ prætensioni haut præjudicare, sed eam per omnia salvam persistere. Id fœdus durabit, quoad novus Rex in Polonia factus fuerit.* Subscripserunt id fœdus nomine Regis Steno Bielke, Matthias Biœrnclo, Jo. Gyllenstierna, Stephanus Gambrotius Hirschenstierna, & Franciscus Joël Oernested: Electoris nomine Crocovius; Neoburgici Tilemannus Ehrmannus. Hanc conventionem malevoli per Poloniam magna cum invidia differebant, velut Resp. à vicinis pupillæ in vicem habeatur, cui tutore opus sit. Penes exteros haut esse, si in Rep. dissidium existat, judicare, penes utram partem summa Reip. sit. Ad quæ Elector reponi jussit: Gallum sæpius fœdera cum exteris, & ipsis Germaniæ Ordinibus inivisse pro tuenda Imperii libertate, quæ à nemine unquam reprehensa sint. Sveciam quoque de Polonia bene meritam non ratihabito fœdere per Tottium facto, in quo electio ad majorem suffragiorum partem contra leges Poloniæ relata sit; & quod in Pomponii postulatum consentire noluerit, ut Candidatus per ipsorum arma introducatur. Nec ejus fœderis alium esse scopum, quam quod pati nolint, Regem per vim Polonis obtrudi: id quod & Lessanus quondam ab Electore requisiverit, si Austriaci tale quid tentaverint. Denique ne malevolis facultas foret apud imperitos istud fœdus calumniandi, Elector id palam communicari jussit, velut quo nihil Reip. noxium contineatur. Ac ipse ad Regem eo nomine scribebat, misso fœderis exemplo. Ac post ipse Cancellarius Lessinius demonstrabat; cum id fœdus pro scopo habeat conservationem libertatis, & Reip., contrahentibus gratias potius, quam querimonias deberi.

Apud Cæsarem pro Neoburgico acta. 16. Dec. 1666.

§. 58. Nec minus Elector Cæsarem permovere studebat, ut & is Neoburgico in causa Polonica faveret. Unde cum Blumenthalium Viennam mitteret, gratulationis officio apud Cæsarem de connubio cum Margaretha Maria Hispanica defuncturum, id quoque proponere

1666. ponere jussit; quomodo ipsum hactenus Polonicæ turbæ gravibus curis exercuerint, subinde ingravescentes, ac demum Reip. exitium minantes; ut metus sit, ne id propugnaculum orbis Christiani barbaris in prædam cedat, aut sub alterius dominatum legibus solutum redigatur. Cum tamen omnium vicinorum, ac inprimis Cæsaris intersit veterem Reip. statum persistere; qui & ideo superiore bello Poloniam tanto studio tutandam susceperit. Causam malorum esse à Regina, quæ Enguianum vivo Rege successorem creari moliatur. Cui licet leges Regni obstent, istam tamen enixe circa ea destinata contendere, ac multos proceres minis, pœnis, promissis, corruptionibus, donis in suas partes pertractum ire. Nulla munera conferri, nisi à nutu ejus pendentibus: bonos cives, quorum pauci supersint, premi; per Gallicas pecunias aulam exercitum, & munita oppida sibi habere obnoxia, ut metus sit, ne sua destinata demum pervincat. Quod cum è re Cæsaris haut sit, tempus monere, ut istis machinationibus obviam eatur: eoque petere Electorem, ut Cæsar animi sui sententiam super hoc negotio ipsi pandat, quod pares utriusque rationes in hoc negotio versentur. Caute tamen procedere legatus jubebatur, ac ut tantum Aulæ Cæsareæ inclinationem explorare studeret. Tum svaderet, ut Cæsar Svecos à Gallica societate abstrahere nitatur. Et quia non nisi nova electio finem turbis Polonicis allatura videatur, cui candidato Cæsar favorem suum destinet, expiscaretur. In isto quatuor potissimum requiri: ut is cum nemine bello, aut gravioribus controversiis implicitus sit: ut artibus polleat tam turbido regimini moderando: ut Reip. acceptus sit, & qui eam præsenti formæ relinquere, nec dominatum introducere velit; ut denique vicinis gratus, aut saltem non invisus sit. Quod si Cæsarei Lotharingum, Bavariæ Electoris fratrem Maximilianum, Hermannum Badensem Marchionem, Joannem Fridericum Hanoveranum Ducem proponant ostenderet, omnia ista requisita apud nullum horum junctim reperiri. In Polonia ad duos potissimum respici, Enguianum, & Neoburgicum. Isti dicta requisita deesse, à quo & Cæsar alias ob rationes sine dubio abhorreat: apud Neoburgicum eadem omnia reperiri. Cum igitur è Domo Austriaca nemo sit, qui ad coronam Polonicam adspirare queat, solum Neoburgicum superesse. De quo & Cæsar, quando transactionem cum hoc svadebat, confirmarit, se ista perfecta non alteri magis istam coronam optare; ac per Lisolam, & Friquetum hortatus sit, ut & ipse pro eo ad istum scopum connitatur. Quod si Cæsari eadem adhuc mens perstet, Electorem libenter cum eo consensurum. Quod si Cæsar sententiam suam pandere nolit, legatus diceret: non posse Electorem circa hoc negotium otiosum desidere, ac si quid præter mentem Cæsaris faciat, ipsi deinceps id haut imputandum. Quin ne solus invidiam sustineat, Galliæ placitis se attemperaturum; quod nec Cæsari improbari inde colligi posse, quod nihil plane istis eludendis moliatur. Cæterum nullo modo indicium faceret, Electori jam cum Neoburgico super ea re convenisse, ne Cæsarei mentem suam premant. Quia etiam tunc Tartari in Poloniam instinctu Aulæ, ut credebatur, irruperant, eo casu ad scopum suum uteretur. Ea irruptione audita consilium secretum in Polonia pro ejus temporis more habitum, & quid facto opus foret, deliberatum fuerat. Ubi decretum; Poloniæ vires suæ defensioni haut sufficere, eoque coronam alteri deferendam. Et cum adversus omnes vicinos, & Principes esset, quod objiceretur, in id consensum, Condæum rogandum; ut eam suscipiat, ac quam primum in Poloniam veniat; Galliæ autem Rex protectionem Poloniæ in se suscipiat. Reliqua explorari non potuisse, quod omnes jurejurando ad silentium, & quod extra consilium de eo negotio inter se disserere nollent, adacti essent. Id autem commentum de Tartarorum irruptione per Reium in Galliam legatum missum credebatur concinnatum. Sane cum eo nuntio Warsaviæ accepto Tartaricus ibi legatus in custodiam daretur, hic miratus dixerat; populares suos utique; ut hanc irruptionem facerent precibus, & pecunia data invitatos. Enimvero Viennæ circa negotium *13. Jan. 1667.* Polonicum nihil audire volebant, ob suspicionem de Gallis, & Svecis. Nec id negotium ita recte tractari posse, quin statim propolandum, ac in materiam litis arripiendum sit. Legato quoque Cæsareo in Polonia nil aliud mandatorum datum, quam ut Regem roget, electionem se vivo haut permittere. Quin ut Cæsar demonstret, se in nullam ejus negotii partem venire velle, nuper syngrapham à Rege, & Senatoribus Poloniæ de Austriaco Rege eligendo quondam sibi datam, ultro redhibuisse. Igitur stare Cæsari sententiam, vivo Rege de electione nil loqui, multo minus super ea cum Gallis eo nomine conclusisse credat. Ast si Gallus per arma Polonis Regem obtrudere tentet, istum omnibus viribus reluctaturum. Interim successus rerum speculaturum. Revera tamen aula Cæsarea Lotharingum respiciebat, cui Cæsaris soror matrimonio destinabatur, quo perpetuum sibi æmulum, & socium contra Galliam adscisceret. Cui & incrementa Domus Palatinæ, & Electoris cum Neoburgico transactio non parum suspicionis injiciebat, & quod Leradius ablegatus Neoburgicus una cum Wilhelmo Furstenbergio apud Electorum, & Principum legatos Lutetiæ circumcurrebat, ut dominis suis suaderent, Hispanos sociatis viribus plane Belgio exterminandos; quod Gallus vicinos Principes in partem prædæ admittere velit. Quæ ipso Neoburgico autore, aut conscio jactari credebantur. Demum Blumenthalio id responsi *24. Jan.* dabatur. Cæsari fixum sedere, Joanni Casimiro electionis, aut candidati mentionem haut facere; ac si quid ab alio contra tentetur, omnibus viribus obniti; ac gratum ipsi futurum, si Elector & Sveci eandem viam insistent. Lætari quoque quod Elector Svecos in negotio Polonico sibi innectere conetur non fine spe boni successus. Mittendum quoq; ab ipso in Sveciam legatum amici-

1667. amicitiæ firmandæ. Eo responso accepto Elector Goesio Baroni declarabat: se officio suo satisfecisse, dum ita candide in hoc negotio cum Cæsare egerit; ac gratum sibi fuisse futurum, si Cæsari mentem suam clarius aperire placuisset. Cum Neoburgico se præcipue transegisse ob hortatus Cæsaris, à quo inter alias & hæc ratio adducta sit, quod hoc remoto obstaculo coronam Polonicam nemini magis quam isti optet. Eam mentem Cæsari mansuram se credidisse, de qua & hic Neoburgico coram confirmarit. Unde & sibi fuisse decretum consilia sua super successione Polonica cum Cæsare conjungere. Sed cum sentiat alia nunc consilia Viennæ agitari, ferendum id sibi, nec Cæsari præscribere quid posse. Hunc tamen vicissim haut vitio sibi daturum, si securitati suæ licitis modis quærendæ invigilet: qua obtenta perinde sibi fore, quis Poloniæ regno potiatur. Sed Cæsarem improbare non posse, si cum is mentem suam declarare abnuat, ipse consilia cum aliis societ. Sane si destinata Galliæ fulcire placeat, insignia sibi emolumenta ostentari. Etsi hoc Elector haut serio jaceret, sed ut Cæsarem in Neoburgici partes pertraheret.

Alia ad Cæsarem eo nomine legatio. *30. Oct.* §. 59. Haut eo secius, cum post Elector eundem Blumenthalium Viennam mitteret, ut Cæsari de nato filio gratularetur, huic denuo exponi jubebat; uti Gallica consilia in Polonia longius grassentur, quibus sine mora majori cum vigore sit obsistendum. Tum ut fœdus Electoris cum Svecis communicet, ac ut Cæsar eidem accederet, petat, officiis suis pro Neoburgico apud Polonos itidem interpositis. Si difficultates moveat Cæsar, demonstraret; eo ipso hunc sibi nocere. Nam aut Gallum desperato hoc Poloniæ statu destinata sua pervicturum, aut Neoburgicum Gallo sese innexurum: ac Electori alia consilia fore capessenda, ne rationes suas in Polonia evertat. Si objiciatur: Id ipsum Gallis nocere, quod destinata sua mature propalarint, reponeret: diversum utrinque adhiberi agendi modum. Gallos quippe in fraudem libertatis invisum populo Regem obtrusum ire; Electorem autem gratum eidem Principem legitimo modo commendare velle. Ad ista Cæsar reponebat: fœdus cum Svecis probe conceptum. Enimvero Electorem à Goesio ad aliud fœdus invitatum super communi securitate, ac ut Belgium exitio eripiatur. Id quod fundamentum sit non solum fœderis jam propositi, sed & plurium rerum, quæ Elector ad placitum suum componi optet. Unde petere, ut Elector super isto prius mentem suam declaret. Quod res Poloniæ spectet, Joannem Casimirum non solum integra valetudine uti, sed & nullo modo ad abdicationem permoveri posse. Gallum Condæi promotionem plane deposuisse, ac ideo haut consultum de Neoburgico mentionem injicere; per quod Rex, & Respublica offendenda, & Gallica factio irritanda sit ad novas machinationes struendas. Gallos dum electionem urgent, suis votis obstitisse. Quin Polonos ægre ferre, Svecos, & Electorem ei se negotio miscere, idque fœdus admodum sinistre interpretari. Ac suspiciones auctum iri, si & Cæsar eidem accedat; ut metuendum sit, ne Poloni, aut saltem Lithuani plane Mosco adhæreant. Quin & postquam Gallus pro Neoburgico loqui cœperit, hunc Polonis suspectum redditum; ac spargi eundem Gallo promisisse munita quædam Borussiæ loca tradere, si ipse corona potiatur. Neoburgicum porro Cæsari propter cognationem, egregias artes, aliosque respectus non ingratum; sed qui ab aliquo tempore ita se gesserit, ut parum amici inde colligi potuerit. Cum Cæsaris commoda in Comitiis multifariam impedivisse; ac fœdus mutuæ defensionis cum isto inire detrectasse, cum tamen mox fœdus paulo minus quam offensivum cum Electoribus Ecclesiasticis, & Præsule Monasteriensi iniverit. Optari ut Elector istum Principem ad enixius studium erga Cæsarem invitet, quo & huic causa sit deinceps ipsius emolumenta promovendi. Interea sinistris consiliis res haut turbandas. De cætero Cæsarem uti hactenus ad bonas partes in Polonia fulciendas nullis sumtibus, ac labori parsurum. Constabat tamen Cæsaream Aulam valde solicitam esse, quod Neoburgicus jam absque opera Cæsaris Gallico favore ad coronam Poloniæ perventurus videretur. *9. Jan. 1668.* Equidem ista in Lotharingum inclinabat, nondum tamen de eo audebat publicare; cujus alias tantus erat post mortem Archiducis respectus, ut aliqui jactare non dubitarent si Cæsarem sine hæredibus mori contingat, neminem magis, quam eum Ducem harum ditionum successionem mereri. Idem quoque apud Blumenthalium movebat super Electore in partes suas pertrahendo, idque instigante clam Cæsare, quem Augusta vidua valde urgebat, ut hunc ad solium Poloniæ promotum per connubium sororis rationibus suis penitus innecteret. Etsi autem noster Neoburgici causam multis *13. Febr.* rationibus fulcire pergeret; Cæsarei tamen ministri nil aliud regerebant, quam id fixum Cæsari sedere, vivo Joanne Casimiro neminem candidatum, commendandum, nec cum ipso velut pupillo agendum, cui tutoribus opus sit. Sed interregno emergente Cæsarem talem successorem optare, qui ante omnia Polonis; tum & vicinis gratus sit, & qui cum Austriaca domo amicitiam more majorum excolere studeat. Neoburgici dotes Cæsari cognitas, ac gratum huic auditu esse, Remp. ei favere, cujus & ipse suo tempore rationem sit habiturus; ac meminisse, quæ olim eidem promiserit. A probe fundato tamen instituto Cæsarem haut discessurum, in quo per decreta peculiarium conventuum confirmetur, queis patriæ hostis habendus decernatur, qui vivente Rege successorem vel comendare ausus sit. Ac esse Polonos fervido ingenio, ac facile irritabiles. De fœdere inter Electorem, & Svecos super rebus Poloniæ non amplius tangendum, quod id toti populo sit exosum, ac Sveci nunquam ostenderint, se Cæsaris conjunctionem desiderare. Cæsarem quoque in negotio magis arduo, & quod minus moram quam negotium Polonicum ferebat, sese

1666. sese cum Electore conjungere voluisse: sed Electorem id abnuisse. Unde nostro id responsum mirum videri non debere, quod Cæsaris rationes non aliter ferant. In aliis rebus Cæsarem omnia junctis cum Electore consiliis acturum. Neoburgicum quoque successu temporis forte commodius quam nunc voto suo potiturum. Blumenthalius discedens jubente Electore dicebat: Cæsarem ex eventu cogniturum, non alia se consilia agitasse, quam quæ ipsius ac Imperii salutem, ac stabilem pacem spectent: nec eo minus malevolos quosdam candidam suam intentionem, cujus Cæsar jam egregios fructus perspexerit, sinistre interpretatos. Ita is denuo re infecta abiit. Qui & cum à Cæsare peteret, ut persecutiones sisterentur, queis Evangelici Teschenæ Silesiæ oppido exagitati fuerant, nil aliud responsi retulit, quam à se relationem amissam, quam super eo negotio supremus Silesiæ præfectus transmiserit. Intercedebat quoque tunc Elector, ut Georgius Fridericus Waldecæ Comes Principis dignatione à Cæsare mactaretur. Cui reponebatur: meritorum ejusdem deinceps data occasione rationem habitum iri. Circa idem tempus Neoburgici legatus ab Angliæ Rege petierat, ut hic Cæsari, apud quem plurimum valeat, domini sui causam commendet. De hoc cum Rex Lisolæ exposuisset, hic respondebat: Cæsarem olim sua opera usum ad vetus odium inter Electorem, & Neoburgicum tollendum, & amicitiam constituendam, idque probe successisse facta transactione hæreditaria. Sed redhostimenti in vicem Neoburgicum laborasse, ut Electorem à Cæsare disjungeret, ac Gallis viam monstraret, qua istum in suas partes pertrahere possent. Ex quo intelligatur, istum non spe utilitatis, aut ob metum Galliam amplecti, sed toto affectu Austriacis infensum, Gallis amicum esse. Quamdiu iste Neoburgico mens persistat, non posse non Cæsarem ipsius destinata impedire. Sed si hoc tempore ostendat, ullum sibi respectum, aut affectum esse in Austricam Domum, se libenter quantum penes se sit facturum.

Electoris pro Neoburgico in Polonia studium. §. 60. Cum primis autem in Polonia Elector, statim atque super Juliacensibus ditionibus cum Neoburgico transegisset, in hujus favorem summo studio conniti cœpit. De ista transactione cum Hoverbequius in Comitiis, quæ tunc agitabantur, significasset, addebat; *26. Nov. 1666* per eandem quoque effectum, ut iste candidatum sese coronæ profiteri possit; quod alias *3. Dec.* Poloni neminem velint, qui novum bellum quasi dotis loco Reip, illaturus sit. Cui à multis regerebatur: Neoburgicum quidem per affinitatem Regiæ Domui innexum; sed numerosam eidem sobolem, Regno oneri futurum. Sibi quoque opus esse Rege, qui multum auri, & argenti importet, quo cuprea moneta extirpetur. Aula tamen eam transactionem ægerrime ferebat, velut per quam Enguiano æmulus foret adpositus, cum hic antea solus candidatum se professus esset; eoque omnia conquirebat, quibus Electori ægre posset facere. *7. Dec.* Cæterum judicabat Hoverbequius, haut ita mature Neoburgici commendationem auspicandam, quod per id adversæ parti ansa præbeatur isti sese opponendi. Nam hactenus Elector patronus Reip. habitus fuerat, quod neque pro se, neque pro alio prensasset, nec liberam electionem turbare instituisset; sed potius illis se repugnaturum ostendisset, qui id ausuri forent. Ei multum fiduciæ decessurum, si idem jam de commendatione, tempore interregni infructuosa futura, moveat. Unde istam operam ad interregnum, aut Regis abdicationem differendam. Sane Gallos odium Polonorum incurrisse, quod prohibentibus licet aliquot constitutionibus super electione agitare non omiserint. Quod erratum cum Regina nunc agnoscat, ei emendando sancte asseverare, sese animum suum ab eo negotio plane avertisse. Nobilibus liberam electionem summam suarum prærogativarum æstimari, atque omnia suspecta habere, quæ ullo modo istam tangere videantur. Haut eo secius Elector de ea pedetentim Regi, ac Reginæ insinuari volebat, ac initio demonstrari, omnem turbarum originem esse, quod Poloni Gallicum Regem nolint; eamque ob causam privata sua negotia tunc acriter urgeri vetabat. Enimvero & ista Comitia nullo fructu abrumpebantur, quod jam quarta vice factum erat, nullo à condita Rep. exemplo.

Poloni auxilium Electoris contra Tartaros exposcunt. §. 61. Sub id ipsum tempus, cum de Tartarorum irruptione, motuque Turcarum nunciatum esset, Aula quæ id periculum atrociter differebat, rebatur, hoc modo occasionem natam Lithuanicum exercitum sibi obnoxium in Poloniam, simul è Gallia militem, & pecuniam evocandi ad destinata sua vi pervincenda. Unde & Andreas Morsteinius in Galliam mittebatur; militem & argentum postulaturus, corona vicissim Condæo oblata. Qui reversus Berolini jactabat, Gallos auxiliarium militem terra, marique immissurum. Ad Electorem quoque venit Joannes Gninscius auxilium adversus periculum à barbaris petens. Cui Elector respondit: etsi ob pacta non impleta de Polonis querendi causa sibi sit tanto gravior, quod alias Poloni constantiam suam circa servanda pacta magnifice efferre soleant: tamen ne iniquis Reip. temporibus eos urgere videatur, VIII M auxilio missurum, quos & trium mensium stipendio instructurus sit, ut tamen Poloni ubique justo pretio forum præbeant. Qua insperata Electoris liberalitate iste confusus tantum IV M à se desiderari ostendebat; sed quia in Polonia neque pecuniæ, neque annonæ copia sit, necessum esse, ut Elector istis alimenta, ac sex mensium stipendia præbeat; nec eadem prius mittat, quam petantur. Idem omissam huscusque Electoris satisfactionem excusabat, rogans, ut Elector penitus actionem in Elbingam, & Draheimum Reip. condonet. Cui Elector: non deesse unde sibi satisfiat; sed à paucis malevolis id impediri. Ac malignum fore præmium tam longæ patientiæ, si nunc totius prætensionis jactura fiefacienda. Præcipue autam id à Gninscio quærebatur, ut Electorem in Aulæ partes pertraheret, multis emolumentis

6. Jun. 1667. Gninski.

1667. tis ostentatis: sed queis hic haut quidquam à solidis suis rationibus dimovebatur. Miserat tunc Aula Polonica ad plerosque alios Orbis Christiani Principes legatos ad imploranda adversus Turcam auxilia, ea tamen conditione, ut quisque à se mittendos aleret. Qua lege cum nemo missurus esset militem fame periturum, aut commeatu in Podoliam usque vehendo sustentandum, id prætextum arripiendum erat, ut Resp. Gallo se penitus addiceret, cui soli eam conditionem præstandi facultas esset. Regi, cum super istis auxiliis ad Electorem scriberet, hic respondit; se quidem nolle Reip. duris nunc temporibus molestum esse: confidere tamen, sibi post tanta patientiæ specimina aliquando satisfactum iri. Per Hoverbequium autem Regi declarabat: Poloniæ periculum non minus quam proprium sibi cordi esse: ac ni periculum à Turca cesset, non ex debito, sed testando in Remp. fido affectu, quantum vires, ac necessitas exigant, auxilii laturum. Gninscius iste de induciis quoque tredecim annorum cum Mosco initis significabat. Quod Czar quoque misso ablegato faciebat, qui & Electoris operam exposcebat conciliandæ paci æternæ, Nam metum esse, ne Turca Poloniam invadat, aut Reip. forma mutetur; ad quæ prohibenda, ut maxime velit, auxilia nisi certis amicis à se ferri nequeant. Quam in rem Elector laxis verbis officium suum pollicebatur.

Aug.

De Neoburgico Reginæ insinuatur.

§. 62. Interim cum ab Electore super commendando Neoburgico cum Svecis agi cœpisset, Hoverbequius, qui jam à Pomponio legato Gallico Reginæ Poloniæ de eo communicatum crediderat, ipse quoque de eodem non amplius dissimulandum judicabat, ne silentium suspicionem accenderet; probante quoque ablegato Svecico Andream Lilliehæckio, cui tamen haut mandatum erat super eo negotio movere. Igitur iste super ea conventione Reginæ velut secreti specie communicabat, addito, omnia cum Galliæ Regis placito ad Reip. utilitatem adoptanda. Ast Regina id ægerrime ferre: mirum sibi videri, exteros Principes talia aggredi, ac inter se disponere audere, quæ solis Poloniæ Ordinibus competant. Quid enim Gallo tam longe posito cum Polonica electione negotii esse? Se quidem semper cavisse super talibus cum exteris communicare. Electori, & Svecis super eo negotio tanquam vicinis convenire bonum esse. Sed nec idem clam Cæsarem habendum fuisse, qui & ipse longe limite Poloniæ jungatur. Sibi quidem perinde esse, quis corona post Joannem Casimirum potiatur. De electione à se non amplius cogitari. Regem quoque jurejurando sibi interdixisse de eadem mentionem injicere, ni Ordines ultro moveant. Optandum quoque Regi aliquem reperiri, qui onere imperandi ipsum sublevet, ac in expeditionem prodeat, pecunia, ac milite contra ingruendem Turcæ potentiam suppeditato. Id quod sine dubio Neoburgicus sit præstiturus, cui ab Electore, & Svecis omnia affatim præbenda sint. Sane sibi, statim atque Elector cum Neoburgico transegerit, persuasum fuisse, secretos articulos super Polonica electione subesse. Constare quoque sibi, id negotium primo non à Svecis, sed ab Electore profectum, quo nomine & hic legatos in Galliam missurus sit. Sine dubio quoque Lubomirscium heic latitare. Optare se tamen hunc Neoburgico sanctius fidem servare, quam sibi fecerit. Ab eo se quippe primo inductum: ut de promovendo Condæo, aut Enguiano agitaret: qui dein præcipuus autor istis destinatis impediendis fuerit. In præsens se longe tranquilliore animo vivere, quam dum quotidie novis consiliis torqueretur; quæ nunc penitus animo exterminaverit. Nec dictis discedebat, quicquid Hoverbequius reponeret. Protinus quoque Cancellarium Lessinium ad se evocatum interrogabat; num Elector quid cum ipso super hoc negotio communicarit? Qui negabat se cum isthoc quidquam egisse, ex quo tempore jussu Reginæ cum eodem de primogenito ipsius filio adoptando locutus sit. Addebat illa: A Neoburgico Reip. in præsenti necessitate parum auxilii fore. Eundem triennio duntaxat juniorem Joanne Casimiro, ac forte prius fato functurum, eoque à Rep. cruenti periculum interregni haut aversurum, quod filii ejus nondum adulti sint. Cui & prægravis futurus sit numerus decem liberorum, singulis annis incrementum capiens. Ac Gallum declarasse, se nullo modo studium in Enguianum depositurum. Porro apud Joannem Casimirum Hoverbequius eadem de re exponebat, obtentui sumens velut de ipsius abdicatione rumor percrebuisset. Cui is respondebat: Neoburgicum sibi affinem, & quem melius norit, quam omnes, qui forte competitores sese laturi sint. Sed sibi id negotium urgere nefas, quod Ordinibus super eo tam sancte caverit. Posse & videri istum eo duntaxat fine proponi, ut eo citius alterius destinata pervinci queant. Enimvero id negotium matura consideratione opus habere. Simul propositionem scripto edi postulabat: id quod Hoverbequius abnuebat. Alias Aula judicabat, non esse tempus magis opportunum Gallicam electionem promovendi, quam nunc, dum necessitas Remp. urget externa auxilia vel cum pollicitatione futuræ successionis implorare. Ista autem à nemine ampliora, & modo magis generoso expectari posse, quam à Gallo, & quidem sub ductu Condæi, cui de supremi imperii dignatione Strategi Polonici controversiam moveri non sint ausuri. Cæsarem autem metu Turcarum nil auxilii missurum, quin Electorem, & alios ne id faciant dehortaturum. Svecos non nisi duris conditionibus auxilia præbituros, pecuniam quoque paratui bellico, & annonæ aut pro erogandis sumtibus hypothecam in Samogitia stipulaturos. Ab Electore nil nisi exprobrationes ob pacta Brombergensia non impleta expectandas. Sed Gallum XV M militum mittere posse, & tantum pecuniæ, quantum illis alendis requiratur. Unde quæ Hoverbequius super incommodis è Gallica electione proventuris ingerebat, surda aure transmittebantur. 1667.

6. Jan.

§. 63.

1667.
Elector Hoverbequium plus justo progressum esse.

§. 63. Enimvero Elector judicabat, Hoverbequium in hoc negotio justo longius processisse. Suam enim sententiam hanc fuisse, non adeo anxia dissimulatione utendum, eoque Aulæ, & aliis ansam præbendam ipsi exprobrandi, curam Poloniæ à se plane depositam, nec de sua mente constitisse. Et quia Aula, atque Gallica factio sine intermissione circa destinata sua pervincenda laborarit, sibi quoque non licuisse quiescere sed remedia fuisse circumspicienda eos conatus eludendi. Ante omnia autem bonos cives firmandos, & eorum in Neoburgicum benevolentiam alendam; cæteris autem dextre ostendendos fructus Gallicæ electionis, velut per quam Resp. non solum non tranquillanda, sed & propter dissensum, ac contraria vicinorum studia in nova bella, ac plenam demum convulsionem conjicienda sit. Cum tamen Ordinibus in votis sit talem eligere, qui Regnum ad antiquas leges gubernet, & cum omnibus vicinis pacem colat. Nec dubium esse, quin Sveci, atque Austriaci paria consilia foveant. Sed justo longius ab eo processum, quod de conventione cum Svecis ita fidenter affirmarit, nondum ad liquidum deducta, & certis conditionibus, ac gradibus superstructa. Igitur caveret rem ita tractare, ne sibi vere exprobrari queat, quod ipse, & alii antea Aulæ Polonicæ objicerent; nec gratiam suam apud Remp. imminuat, aut suspicandi ansam præbeat, velut sibi propositum sit ullo modo Polonis circa liberam electionem quid præscribere. Ac potius confirmaret, Electorem neque cum Svecis, neque cum aliis super electione convenisse. Omnia quæ fecerit eo spectare, ut ipse una cum Svecis Gallo, Aulæ Polonicæ dissvadeat, ne uti hactenus electionem urgendo Ordines ad desperationem adigant Integrum adhuc sibi esse quævis consilia fulcire, quæ in Regis, & Reip, usum suscipiantur. Cæterum se nil magis optare, quam ut Rex sceptrum ad extremum usque spiritum retineat; utque Resp. Rege vivente super electione nihil moveat, & contra quid tentantes acriter repellat; qua in re ipse quoque operam suam Reip. accommodaturus sit. Sed interregno emergente auxilium suum Reip. præsto fore ad tuendum liberæ electionis jus, & alia privilegia, ut fido amico, ac fœderato dignum sit. Sed ut Galliæ mancipatis, qui ad proposita ab Hoverbequio tantos clamores sustulerant, os obduretur, iis pacta, quæ cum Lubomirscio ineunda fuerant, occineret, quorum ratihabitio jam in Bi-

11. Jan.

terrensis manibus fuerit. Sic igitur Hoverbequius Regi confirmabat; ut ista proponeret, se rumore inductum, qui super ipsius abdicatione deditus fuerit; quo inani deprehenso & ista inania esse: quam nec Elector ipsi svasurus sit. Quibus sic satis contentum se ferebat Joannes Casimirus, addito: se semper credidisse, Electorem id importunis Neoburgici precibus dedisse. Alias Polonos eadem cum rusticis vota agitare, qui in singulos menses novum præfectum optent, sicut isti in singulos annos novum

1 Febr.

Regem. Circa id tempus Lubomirscii mors in

1667.

Aula Polonica nuntiata ingens gaudium excitabat. Ac disserebat Biterrensis quatuor adhuc superesse Reginæ destinatis adversos; sed in nullo id instar esse, quod in Lubomirscio fuerit. Castellano Cracoviensi potentiam esse, sed non voluntatem. Castellano Posnaniensi voluntatis affatim, sed eundem viribus deficí. Castellano Leopolensi Fredro nec sat autoritatis, nec factionis. Demetrio Wiesnevicio sat potentiæ, & voluntatis, sed non sat dexteritatis tanto negotio moderando. Lubomirscio quoque opinionem illatæ injuriæ ingentem favorem conciliasse. Cæterum Wratislavienses medicos unica dosi pilularum soporiferarum majus operæ pretium fecisse, quam duorum annorum expeditiones. Idem quoque jactabat, Gallicæ factioni addictos esse omnes Ecclesiasticos, & omnes seculares Senatores, exceptis quatuor: omnes insuper duces exercituum, & eminentiores præfectos, quorum Syngraphas manibus teneat. Quin & plures subscriptionem ultro obtulisse, quam cupierit; ac sola se fide verbis data contentum fuisse. De communi tamen Nobilitate nullum verbum; quæ Gallum valde aversabatur. Austriacos porro gliscentem Palatinæ Domus potentiam valde suspectantes Neoburgico nunquam serio suffragaturos, qui tantum ostentetur Gallico candidato dejiciendo. Usque adeo autem Aula Polonica tunc Gallico spiritu animabatur, ut cum jam ante biennium omnibus legatis interdictum esset, ne, uti solet, anteriorem cameram frequentarent, nisi habeant, quod Regi proponant; solus Biterrensis quotidie omnia conclavia percursaret. Tunc quoque missi à Cosaccis sacerdotes Warsaviæ apud Hoverbequium aliquoties instabant, si Elector ipsorum protectionem suscipere velit, sat sibi virium esse non solum Turcas, sed & Polonicum imperium amoliendi; ac malle se sub Principe Protestantium sacra professo esse, quod Pontificiis non fidant: & Turcis, quam hisce parere malle. Atque id vivo Joanne Casimiro in effectum deducturos, modo de Electoris protectione in eum casum certi sint, si omnia Thorunium usque subegerint. Ad quæ Hoverbequius nil certi regerebat, quoad isti ulterius cogitata sua exposuissent. Sed Elector jubebat laxioribus verbis de studio suo in ipsos confirmare: cæterum sibi longe gratissimum fore, si cum Polonis tansigere, & Reipublicæ adversus Tartaros, ac Turcas adesse velint, ac se conventorum sponsorem adsciscant.

Elector demum Draheimo potitur.

§. 64. Inter hæc Stephanus Potocius fato concesserat, qui Draheimensem dynastiam ex pacto Electori debitam possederat, cujus respectu hic istam ultra conventum tempus detineri dissimulaverat. Sed ejus morte audita Hoverbequius statim urgebat eam Electori ex pacto tradendam; nonnullis inficete admodum querentibus, iniquum videri, hunc tam exacte pacta impleri velle. Elector quoque protinus Regi, ac Reip. proponi jubebat, uti diu non sine gravi molestia pecunias Elbingæ, & Draheimi nomine debitas frustra exegerit. Equidem nosse, quam duris cum tem-

1667. temporibus Respublica hactenus conflictata fuerit, quorum respectu huic molestus esse noluerit. Nunc circa Elbingam rem suo loco relinquere, quod speret Remp. ultro sibi satisfacturam. Sed super Draheimo pactis cautum, ut post triennium sibi integrum sit possessionem propria autoritate adprehendere. Se tamen in Potocii gratiam per sex annos ultra expectasse. Post ejus mortem se de istius possessione adprehendenda disposuisse: id quod Regi displiciturum non sit. Alias Elector offerebat, se de CCCC M uncialibus Elbingæ nomine debitis CCC M remissurum ea lege, ut reliqua C M centum viginti uncialium millibus ob Draheimum debitis addantur, ac ea præfectura hæreditario jure cum annexo huic jure indigenatus pro ipso, ac posteris detur, 6. Mart. salvis de cætero pactis. Contra Rex mittebat, qui ipsius nomine Draheimi possessionem arriperet, velut ipse id Electori post finita Comitia traditurus sit, revera inani spe hunc lactaturus, quoad imposito præsidio idem vi tutari posset. Lessinius Cancellarius ominabatur, Aulam Electori Draheimum nunquam daturam. Unde is seipsum in possessionem mitteret, quantum posset modestissimo modo; idque eo facilius Reip. adprobatum iri, quod iste tam liberaliter circa auxilia Reip. ferenda pro- 18. Mart. misisset. Cum itaque Elector perspiceret, Aulam variis artibus Draheimi traditionem elusum ire, statuebat secum ejus possessionem adprehendere, antequam idem ab Aula alteri attribueretur; postquam ipse conventas conditiones dudum explevisset, requisitionem solutionis, & denuntiationem. Præsertim cum Aula istud pluribus Electoris amicis offerret, ad hos cum illo committendos. Hoverbequius interim scripto Draheimi traditionem Regem poposcerat. Rex id negotium ad Ordines rejiciebat: cæterum se delegaturum, qui Electori satisfaciant. Ast si Elector ipse possessionem arripiat, id pro classico belli habendum. Tum & statim eum capitaneatum Demetrio Wiesnovicio conferebat, manu dimacharum Draheimo immissa. Is diu eundem acceptare abnuebat, donec minæ adderentur. Ita cum Elector Hassonem *Wedel.* Adamum Wedelium Draheimum mitteret capessendæ possessioni, jam Wiesnovicii homines aderant, qui ipsum arcebant. Unde is interposita protestatione initus discedebat. Electori tamen præsenti rerum facie haut placebat vi istum inde exturbare, ne favorem Ordinum prodigeret. Præsertim cum Wiesnovicius ostenderet, se accepto honorario Draheimum Electori cessurum. Expostulant; super hoc facto Electori nil habebat Rex, quod reponeret; quam id jam factum esse, nec infectum 31. Mart. fieri posse. Mox & Hoverbequius Ordinibus Poloniæ super Draheimo scriptum exhibebat; qui responso suo agnoscebant Senatores, & Nuntios Terrestres Regi suasisse, ut iste Capitaneatus Electori traderetur; cum Rex contra excusasset, Ordinibus enixe instantibus sibi necessum fuisse Draheimum indigenam conferre. Aliud insuper malevolentiæ specimen Rex tunc exserebat, negato Lauenburgi, & Butoviæ titulo, quem tamen duces quondam Pomeraniæ nemine controversiam movente gesserant, Electori autem istæ ditiones pari cum illis juri possidendæ datæ fuerant. Unde & Elector literas Regis, quæ titulos earum ditionum, & vocabulum *Fratris*, antea semper tribui solitum, haut exprimebant, interposita pro testatione remittebat. Haut ideo tamen Electori placuit jure suo in Draheimum desistere, non tam ob proventus ejusdem, quam quia eo possesso litigia elidebantur, quæ antea Duces Pomeraniæ super finibus ea parte exercuerant. Ac post Rex mutata sententia annuit, ut istud Electori cederet; qui tamen bene facturus sit, si Wiesnovicio satisfaciat, ne sibi exprobretur, quasi semel datum iterum eripuerit. Ita Elector cum Wiesnovicio transegit, ut hic acceptis XV M uncialium sibi Draheimum cederet, in possessione tamen maneret, quoad solutio facta esset. Circa id tempus Hoverbequio ita conveniebat, ut intra mensem X M uncialium solverentur; reliqua ad placitum Electoris seponerentur. Majore parte summæ jam 28. Jul. 1668. soluta Rex Hoverbequium ultro monebat, ne Elector possessionem capessere differret. Nam quantumvis liquido quis jure instructus sit, necessum esse, ut ipse quoque manum admoveat ac inter talia aliquid juris, aliquid facti valere. Nec Electori expectandum, quoad Wiesnovicius inde excedat. Nam eum moras nectere suggestionibus eorum, qui eam ditionem isti invideant. Ita Elector per Wede- 24. Aug. 1668. lium Draheimi possessionem adprehendit, nemine contradicente. Haut eo minus malevoli post istum apprehensæ possessionis actum sinistre iterpretabantur, velut Elector interregni tempus captasset, ac in turbido piscari voluisset; cum tamen isti susceptus foret integrum ante mensem, quam Joannes Casimirus Regno se abdicaret. Multi quoque fremebant, Electorem id occupare ausum, quod speret Neoburgicum corona potiturum, quo connivente plura in Remp. sit tentaturus. Sed istæ querelæ ultra verba non processerunt; & Electori sententia stabat, si Poloni Draheimum iterum occupare aggrederentur, se vi eos inde ejecturum: idque ipsis non obscure denuntiabat.

§. 65. Cæterum cum Regina post tot an- *Poloni Reginæ machinationibus acriter resistunt.* norum irritas machinationes pro Condæo, aut ejus filio laborare non desisteret, boni cives non minore studio contranitebantur, velut qui satis perspiciebant, inquietam istam nationem eo tantum fine Poloniam affectare, ut Germaniam à tergo invadere posset; quo ipso & Polonia pessumdanda, & sub jugum redigenda sit. Et Elector Ordinibus insinuaverat, quæ Milletus super transitu copiis Gallicis in Poloniam concedendo postulasset; ac ut ipsa à Joanne Casimiro contenderent; quo copiis istis arcessendis supersedeatur. Qua denuntiatione Poloni non parum turbati pro ista Electoris solicitudine gratias agebant, testati, se magnopere prudentiæ, & auræ ipsius confidere, velut præcipui protectoris suæ libertatis. Sed his de inhibendo Gallici militis adventu urgentibus Rex nil aliud

liud responderat; quam inficiari se non posse, quin cum metus ab invasione Turcarum immineret, ipse auxilia apud alias nationes ac inprimis apud Gallorum quæsierit. Quid hic declararit, & quid Milletus apud Electorem egerit, à se ignorari. Nec auxilio nunc opus esse, metu belli Turcici dissipato. Ordines tamen de libertate sua soliciti duas constitutiones condebant; quarum una omnia priora statuta super libera electione firmabantur, abolitis, quæ in contrarium facta sint; altera super externis auxiliis declarabatur, iis haut opus esse, & adversus Cosacos, & Tartaros sat domesticarum virium suppetere. Quod si quæ copiæ obtentu auxilii intra Poloniæ fines penetrare audeant, hostium loco habendas. Demum Reginam fatali lecto affixam curæ suæ nondum reliquerant; quæ & inter morbi intervalla Krinscio Comiti Neoburgici legato dixerat: Ne Neoburgicus Cæsari fideret, qui Carolo Lotharingico faveat; nec Electori, qui occulta destinata agitet: nec Svecis, qui fallaces sint. Fato ista concessit exiguo tam Aulæ quam Ordinum luctu; & ipse Rex brevi solatium videbatur admissurus, etsi aliquot per dies irritamenta doloris exprimeret, ac priora consilia verbis probaret, ne à defunctæ placitis pendisse videretur. Deprehensum est, ejus Reginæ exemplo, & continuis machinationibus malitiam, & fraudulentiam in Aula ista non modica incrementa cepisse, moresque nationis eo contagio non parum infectos. Solennes ei artes erant, dicta sua inficiari, & aliis quæ non dixerant, affingere, velut veneratione regiæ dignationis ab exprobatione mendacii tuta. Eadem statim atque Uladislao Regi desponsata fuerat, & antequam adhuc Lutetia excederet, de Regno Poloniæ ex electitio in hæreditarium convertendo animo conceperat, quo fine jam tum cum Mazarino, aliisque suis amicis consilia miscuerat Poloniæ magno constitura.

Krinski

Regina Poloniæ moritur. 10. Maij.

§. 66. Post Reginæ mortem, Elector Regem à prioribus consiliis deducere nitebatur, ac ne si secundas nuptias transire, placeat, id farinæ mulieri iterum jungeretur; quo fine filiam Neoburgici majorem natu proponebat. Contra Gallica factio priora consilia de abdicatione ingerebat, ac promissa jurejurando, ac votis conceptis firmata, simul vitam deinceps molliter, & sine cura Charitillii, magnifico Condæi prætorio, aut ubi alias vellet exigendam cum annua pensione CCCC M librarum, adjectis à Regina relictis bonis. Nec commodiorem rationem esse extinguendi opinionem, velut nutui Reginæ obnoxius egerit, quam si consilia, & destinata hucusque agitata pertexere pergeret; inter quæ & abdicatio fuerit. Porro uti solet secundis nuptiis à variis variæ proponebantur; Augusta vidua, Regina mater Sveciæ; major natu filia Ducis Curlandiæ; Archiducissa Tirolensis. Cæsar quoque sororem suam offerebat; quod eo fine fieri credebatur, ut occasio nasceretur post mortem Joannis Casimiri per connubium cum vidua Lotharingum ad solium promovendi. Galli initio Reginæ neptem juniorem commendabant, à Regina quoque inter extrema laudatam, quæ irrequieti admodum ingenii ferebatur; sed quam velut juvenem nimis Rex rejiciebat. Mox tamen Biterrensis sibi à Rege suo injunctum ferebat Neoburgici filiam Joanni Casimiro commendare. Nuntio Pontificis id quoque valde probante. Sed Joannes Casimirus reponebat: *Si Rex Galliæ vult, ut uxorem ducam, necessum fore, ut & mihi vires largiatur.* Gisio de eadem proponenti respondebat: vulnus adhuc crudiùs esse, quam ut de talibus jam cogitari decorum sit. Sane si res sui arbitrii sit, malle se cœlibem reliquum ætatis exigere. Sed Cracoviæ liquidam declarationem editurum, ubi Reginæ exequiæ sint ducendæ.

Defendit nuptiis Joannis Casimiri frustra agitur.

§. 67. Inter ista erumpendibus Galli in Belgium Hispanicum destinatis, Elector bonis civibus in Polonia demonstrari jubebat vasta istius Regis consilia, & *quam parum ipsius promissis confidi queat, cum non solum Regina interposito jurejurando in eas provincias renuntiarit; sed & ipse Rex paucos ante irruptionem dies Parisiis, ac Madriti multa cum asseveratione testatus sit, se nuperam pacem sancte servaturum, ac nil hostile in Belgium moliri. Quod si igitur Poloniæ in ejusmodi hominum imperium subire contingat, facile rationem sub luci posse, quid ipsis expectandum sit. Saltem alieni belli instrumentum Poloniam futurum. Ac ut maxime Condæi fortitudo laude digna sit; satis tamen esse ad eum excludendum; quod non suis opibus, sed tali Rege nitatur, cujus ambitio, ac potentia orbi jam suspecta, ac formidanda fieri incipiat.* Cui succinebat Lesfinius Cancellarius, Joanni Casimiro in gratiam Gallorum abdicationem dissuadens: *Gallum, prout cœperit Poloniam perdere, obtinere haut posse; quod omnium vicinorum intersit, ut Polonia potius laceretur, quam Gallo possidenda tradatur, eo præsertim modo, qui nunc agitetur.* Cæterum Morsteinius è legatione Gallica Berolini divertens Electori proponebat, ut is Galli destinata in Polonia fulcire velit, multis emolumentis; quem in finem sibi mandata à Gallo esse ferebat. Ad quæ Elector laxioribus verbis: ea destinata à se neque effectu prona, nec suis, ac vicinorum rationibus congrua haberi; eoque sibi vitio datum haut iri, si ista neque fulcire queat; præsertim ubi animus sit Joannem Casimirum ad abdicationem permovere. Id quod Galli summo studio agebant, postquam istum à nuptiis secundis cum fœmina Gallica abhorrere animadverterent; subornatis sacerdotibus, qui periculum animæ ostenderent, ni vota, & promissa sua servet. Tum ne conservationi fœminarum, quam semper amaverat, iterum adsuesceret, cavebant, ne cum his, exterisque ministris colloquendi occasio esset, postquam ipse fassus erat, à Cæsareo legato abdicationem sibi dissuaderi. Idem porro Morsteinius palam disseruerat, inter Galliæ Regem, & Joannem Casimirum plane convenisse; ut hic depositam à se coronam in Condæum devolvat. De præcipuorum Senatorum consensu cautum esse, quos cæteri nolentes volentes secuturi sint, insuper habita constitutione nuper facta. Ac utrumque

Elector Gallorum destinatis in Polonia obsistit. 27. Maij.

1667. Regem ita arcte invicem obstrictum, ut salva existimatione cessim ire nequeant, sed destinata quantocunque molimine pervicturi sint. Eo fine Condæum cum X M militum à Rege Dunquerca Gedanum mittendum ad cogendos refractarios; etsi nemo futurus sit, qui contra tendere velit. Svecos quoque istis conatibus fauturos. Quæ Elector amicis suis per Hoverbequium communicari jubebat, ut remedia adversus ista dispicerent, simul è Rege exquirerent, quare talia agitet inscia Republica. Super qua re & Cancellarius acriter cum Rege expostulabat; qui eas copias revocatum iri pollicebatur. Et quia is talia etiam in Polonia, citra dissimulationem disseminabat, non levis animorum commotio bonos apud cives excitabatur. Idem Morsteinius & eousque audaciæ excesserat, ut crepare non vereretur; destinata isthæc effectui danda, si maxime Svecis Borussia Ducalis, & unus, alterque Palatinatus in præmium navandæ operæ sit dandus.

Rex Hoverbequio accessum negat. *6. Aug.*

§. 68. Istis igitur cum Hoverbequius summo studio obniteretur, in tantum odium aulæ incurrit, ut ea suggerente Rex petentem audire abnueret. Qua super re Elector apud Regem, & Proceres graviter querebatur non sine minis, si contra jus gentium legato suo alloquium negetur, sibi quoque fas esse eam ignominiam armis vindicare; cujus rei specimen jam olim adversus Svecos ediderit. Sed Rex quidquid rationum occineretur adspernatus pertinaciter contendebat, ut Elector Hoverbequium avocaret. Quod vicissim Electori haut placebat, cum è re Principum non sit, necessitatem sibi posse adferri legatos suos revocandi per eos, ad quos isti missi sunt. Demum tamen interposita opera Biterrensis, & Dœnhoffii supremi Camerarii, Hoverbequius Regi reconciliatus ad colloquium admissus est. Cupiebat Biterrensis audientiæ interesse: sed Hoverbequius nolebat ab isto introduci, ne quid videretur admisisse, quod sequestre indigeret, & quasi Rex id in Galli, non in Electoris honorem fecisset. Admodum gratum erat Electori hoc dissidium fuisse compositum, nec sibi necessum fuisse legatum suum revocare, uti Cæsar Lisolæ fecerat. Neque enim tunc temporis ratio ferebat cum Rege collidi. Ipsum porro colloquium per omnia benevolentiæ incitamenta peractum. Contra Hoverbequius nil odiosi proponebat, sed non nisi denuntiabat, Electorem Regi instrumeta venatoria donare velle.

Super abdicatione Jo. Casimiri agitur.

§. 69. Cæterum cum apud Joannem Casimirum nulla spes secundarum nuptiarum superesset, Biterrensis demum declarabat; Regem Galliæ priora destinata ob quietem Regni plane abdicasse, ac emergente interregno nulli Principi Regii apud Gallos sanguinis, sed soli Neoburgico favorem suum commodatu-
22. Nov. rum. Ac fatebatur idem, Condæi promotionem sine armis non potuisse pervinci. Nec dissimulabat id hactenus instinctu Reginæ fuisse actum, ut Elector quibusvis molestiis illatis vel invitus ad ejus placita amplectenda permoveretur. Prudentiores tamen judicabat, ideo à Gallo aliam rationem jam iniri, quod is amicitia Electoris, & Neoburgici in Præsens opus habeat. 1668.
Obtento scopo suo illos insuper habendos. Nec deerant è proceribus, qui mussitarent, exterorum ambitum eludendum creato Piasto. Porro *6. Jan. 1668.*
tractatione super abdicatione Regis suscepta Biterrensis huic Ducatum Neoburgicum obtulerat, cujus reditibus sumtus toleraret, quoad vita superesset. Quem Joannes Casimirus adspernabatur, utpote qui regno exutus nulla regiminis cura amplius exerceri volebat; ac parum è dignitate videbatur, è Rege in Ducem mutari. Ac satius visum super certis reditibus annuis convenire, queis iste fruiturus sit, si maxime Neoburgicus regno non potiatur. Ita demum tractatus inter Regem, Biterrensem, *9. Mart.*
& Franciscum Gisium absolutus fuit. Cujus summa erat, *ut hoc tractatu ratihabito Rex ad Idus Julii aut Augusti regno se abdicaret. Quo fine, ut omnia ordine fiant, Rex sub idem tempus ejus abdicationis causa Comitia indicet, aut si circa hæc impediatur, alio modo sceptrum deponet. Post abdicationem idem Warsavia discedet, ne forte Ordinibus circa electionem scrupulum injiciat. Ipse quoque Neoburgicum commendabit. Dum regno abit, nil novarum conditionum sibi obtrudi patietur in præjudicium successoris. Rex Galliæ Joanni Casimiro CL M librarum è beneficiis ecclesiasticis dabit, etiam ubi Neoburgicus Rex non fuerit factus. Joannes Casimirus post abdicationem sibi reservat regium titulum, omnimodam libertatem, & ut aulam habere liceat pro lubitu, ac ducentos custodes corporis. Reservat quoque sibi œconomiam Sambor, & prædium hæreditarium Zicies, aut ejus loco L M unciales annuos, quos Neoburgicus successor cum consensu Reip. ipsi præstabit. Hanc summam si Neoburgicus non expediat, Rex Galliæ eandem solvet ultra prius dictam pensionem. Recipit quoque sibi Joannes Casimirus C M florenorum Polonicorum ex œconomia Bona, & salinas Wielisciæ; qua Neoburgicus, ubi Rex factus fuerit ei præstabit; ipse contra omnium Jo. Casimiri bonorum hæres futurus. Si duo Reges se invisant, unus alteri in suo palatio superiorem locum dabit, sed in tertio loco penes Jo. Casimirum dignior locus erit.*

Cæsarei eam impedire student.

§. 70. Id pactum ut impedirent, Cæsarei sparserant, ubi Elector, & Neoburgicus scopum suum in Polonia attigerint, ne per trimestre quidem Gallicis partibus addictos mansuros, ac prius agitata consilia contra Galliam resumturos. Iidem quoque ut Electorem Polonis suspectum redderent, his persuadere laborabant; illum penitus Gallicis rationibus immersum, ac è Gallia uxorem ducturum, prioribusque Gallorum destinatis velificaturum. Unde Electore jubente Hoverbequius Meierbergium Cæsareum ablegatum interrogabat, num ista jussu Cæsaris vugarentur? Sane Electorem talia de Cæsare haut meritum; ac hunc primum de Neoburgico proposuisse, cujus svasu & ipse in eum finem cum isto transegerit. Cæsarem quoque ipsum Straubingæ Neoburgicum ad eam coronam affectandam hortatum, ac officium suum promisisse. Verti in eo utilitatem Cæsaris, ut infractis Gallorum destinatis ipse fido vicino potiatur. Etsi Meierbergius ista à se

dicta

1661. dicta inficiabatur, expeditissimo excusandi modo. Galli porro ut fidem facerent serio rem à se agi, Enguianus Noyerio Regis Secretario scripserat, ut Joanni Casimiro pro affectu suo gratias agat, quem non minores æstimet, quam si cogitata re ipsa successissent. Sed in præsens non aliam sibi voluntatem esse quam Regis sui; ac se plane sua agniturum, quæ regius legatus dixerit. Ad diffidentiam quoque tollendam Biterrensis duos Condæi scribas, qui apud Archiepiscopum agebant, intra quatriduum in Galliam abire jubebat. Omnia quoque scripta super electione, quæ Jo. Casimirus, & Regina Regi Galliæ tradiderant, idem Joanni Casimiro restituebat. Comitiis sub finem Januarii habitis Nuntii Terrestres urgebant, ut Biterrensis, ac omnes exterorum ministri amoverentur ut tamen, præter Masovios, Hoverbequium exciperent, velut à perpetuo Regni fœderato missum, cuique adeo semper negotii quid cum Rep. esse præsumatur. Demum tamen omnes facessere volebant, Rege valde repugnante, ac se potius cum ipsis abiturum. Elector quoque id ausum velut juri gentium repugnans acriter exprobrari jubebat. Sed & circa alia ita importune agebant delegati Nobilium, ut Rex securitatis suæ gratia Mariæburgum concedere agitaret, Electorisque protectionem peteret: quam hic ubertim promittebat. Mox tamen & ista Comitia nullo fructu abrumpebantur. Quia autem Joannes Casimirus, ubi regiam majestatem exuisset, inter turbidos parum se tutum censebat, cum Electore pactum inivit; per quod is, ubi necessitas exigat, in Ducali Borussia receptum habere, ibique post abdicationem degere posset. Ubi & super tradenda Elbinga convenerat, sed quod ut effectui daretur occasio haut favebat. Ne tamen id pactum Polonis suspicionem moveret, conceptum erat velut renovatio fœderis defensivi, quod in decennium Brombergensibus pactis adjectum fuerat.

Joannes Casimirus de abdicatione sua statuit.

§. 71. Post pactum cum Gallo, & Neoburgico confectum Biterrensis, & factio Neoburgica abdicationem urgebant; quam contra Cæsar, & alii remorari conabantur, quod crederent, bello Flandrico composito Galli consilia melius disturbari posse. Contra multis suspectum videbatur, Gallum ita pronum se declarare paci acceptandæ, velut ejus belli cura exsolutus vetera destinata acrius resumere meditaretur. Elector tamen optabat Joannem Casimirum quamprimum regno abire; sed quia decorum haut videbatur, eundem à se impelli, per Biterrensem id agi patiebatur. Sed stabat 1. Jun. sententia Joanni Casimiro regno se exuere, idque Pontifici significabat, votum, & scrupulos conscientiæ causatus, eique actui diem decimum quintum Augusti designabat. Quo facto Gallus Biterrensem è Polonia, Milletum ab Electore, & Gaumontium à Neoburgico eodem tempore avocabat; id quod suspicandi ansam præbebat, quasi Gallus obtenta cum Hispanis pace non multum Electorem, & Neoburgicum curaturus videretur. Saltem utile habebatur, adesse à Gallo, qui resurgentem Condæi factionem compesceret. Rex inde 1661.
convocatis Senatorum præcipuis de abdicatione sua significabat, quam ne impedirent petebat; quod alias æternæ salutis jacturam facturus sit. Qui petito ad deliberandum spatio sequenti die ad pedes ejus provoluti rogabant, ut regnum retinere velit, quoad vita superstit. Sed Rex respondebat; se eos vocasse non ad deliberandum, sed ad audiendum, quod ipse immutabili consilio apud se decreverit. Idem mox exteris legatis ad se evocatis significabat. 14. Jun.
Memorabat hic de precibus Senatorum, quas dubitare se ferebat, num omnibus cordi fuerint. Super hac abdicatione duodecim per annos se deliberasse, ac non nisi occasionem captasse eidem commode effectui dandæ. Licentiam apud nobiles eousque excrevisse, ut si majores istorum à mortuis resurgerent, Remp. non amplius agnituri sint. Cum ipse à quibusdam Nuntiis Terrestribus palam contumeliosis dictis violatus fuisset, Senatum sui defensionem haut suscepisse; ac si maxime unus, & alter verborum quid fecerit, reliquos mutos adsedisse. Successorem parum gaudii hoc regimine, inventurum. Ac certo sibi persvasum, si cui sit, unde pro dignitate vivere possit, non habere quare eam coronam ambiat. Sed si quis alias non habeat unde vivat, eam demum in stipis vicem accepturum. In præsens quidem Ordines sat æquos se præbere; sed vix ab ingenio discessuros. *Lupus dum ægrotabat monachus esse volebat: ast cum convaluit lupus ut ante fuit*; ea verba erant. Et uti ipse per duodecim annos super abdicatione deliberarit, ita Neoburgicum affinem suam causam habere, quare per duodecim annos consultet, num corona ipsi acceptanda sit. Ab Hoverbequio petebat, ut Elector in sua ditione ipsi receptum præbere velit. Nam si universi Nobiles in formam exercitus compositi comparituri sint, sibi haut propositum eos expectare; sed primo Mariæburgum, inde longius discessurum. Ast Senatores decernebant, hunc actum pro nullo habendum, ac de eo ne ad Ordines quidem referendum. Unde ordinaria Comitia sex septimanarum ad 27. Augusti (17. Aug.) indicebantur. Nam uti Rex omnium suffragiis eligatur, ita, & abdicationem apud universos faciendam: alias ipsos jurejurando suo exsolvi non posse. Post Rex Hoverbequio narrabat, uti Archiepiscopus abdicationem dissvadere conatus sit. Cui ipse respoderit: *si votum, & impulsus conscientiæ à mutanda sententia non prohibeant, memoriam exhaustarum regiminis sui tempore adversitatum, & quas adhuc toleret, libidinem imperandi penitus extinxisse. Irruptione Svecorum ab omnibus se desertum: nec defuisse, qui hostibus ipsum dedendum svaderent. Cum Ragozius intervenisset, fuisse è primoribus, qui juxta Caiaphæ consilium dicere ausi sint: satius esse unum pro populo mori, quam omnes perire. Postquam Resp. ab omni parte pacata fuerit, vel infimum Nuntiorum Terrestrium regiam majestatem insultare, quin Nobiles hinc inde ad arma vocare ausum, Senatoribus regiam causam tueri negligentibus. Mirum sibi videri, hac Reip. facie Principem ditioni imperantem,*

1668. *rantem qualis Neoburgicus sit, inveniri; qui eam coronam ambiat.*

Legati è Polonia discedere jubentur 2. Jul.

§. 72. Demum Rex per Referendarium Hoverbequio multo cum verborum honore significabat, uti ipse proximis Comitiis Ordinibus spem fecerit, operam se daturum, ut exterorum Principum legati avocentur. Unde & non Gallicum solum, sed & Neoburgicum discessisse. Quanquam autem Rex ipsius personam, & actiones plane probet, ac eodem digresso non parum doloris conceptus sit; adeoque ut discedat imperare, nolit: maturæ tamen ipsius deliberationi committere, an non consultum sit, & maturandis negotiis publicis utile, si ante cœptos conventus provinciales ipse hinc paulisper digrediatur. Hoverbequius ad Electorem id se relaturum dicebat, cujus injussu abire non possit. Novum id esse, & interregno post Sigismundi III. mortem Arnoldum Clarsteinium, & Auxium Baronem, illum à Cæsare, hunc ab Hispano missum, toto tempore heic egisse. Toto post Uladislaum interregno à Gallo adfuisse Arpajovium Comitem, & Bregyum Vicecomitem. Cæsareus quoque ea denuntiatione offensus dicebat: se non prius discessurum, quam causa sibi indicetur, & à Cæsare mandata veniant. Electori tamen placebat Hoverbequium Warsavia in prædia sua digredi, ne alii ad exemplum ipsius provocare possint: ac si Cæsareus maneat, ut eo major causa sit super iniquitate querendi. Discessus tamen sui hoc prætextum ferret, quod cum Electore in Borussiam tendente colloqui cupiat. E Rege tamen prius quæreret, num is dicessum ipsius consultum ducat; ac num Cæsareus legatus, si ibi subsistat, Neoburgicæ causæ nocere queat? Qaum in rem Rex, & Cancellarius consulti discessum svadere nolebant. Post factam tamen abdicationem omnibus exterorum ministris, ipsisque Secretariis denuntiabatur, ut ad declinandam suspitionem, & prohibendis cœcis commerciis hinc discedant. Cum Cæsareus, Hoverbequius, & Moscus reponerent, mandatis sibi à Principibus suis opus esse, Rex & aliqui Senatores svadebant, ut insuper habitis hisce jussis heic maneant. Sed Nicolaus Prazmovius, Archiepiscopus Gniesnensis ac Regni Primas minabatur, ni isti facessant, Lovvicium se abiturum abdicato regimine, ac publicaturum, id ob istorum contumaciam fieri. Aut si Warsaviæ maneat, neminem eorum ad alloquium admissurum. Quanquam autem Hoverbequius inter domesticos referri posset: tamen quia Ordines valde instabant, & Cæsareus minister discedebat, ipse quoque Warsavia se recepit.

Clarstein Auxii *Arpajov. Bregij.* *23. Sept.*

Joannes Casimirus regno se abdicat.

§. 73. Porro Joannes Casimirus etsi post primam de abdicatione declarationem semel atque iterum vacillasse visus erat, præsertim cum Pontifex eam vehementer dissvaderet, ac Moscica factio per Lithuaniam glisceret, ut ad Moscum excludendum diceret, malle se coronam quoad vivat retinere: tamen ad extremum cœpto consilio regnum abdicandi immotus *1. Sept.* inhæsit, Comitiis eo nomine indictis, ad quæ infinita hominum multitudo confluxerat. Horum inito Mareschallus Nuntiorum Terrestrium Regem interrogabat, num ea ipsius esset sententia, quam Cancellarius super abdicatione ad Ordines retulisset? Cum Rex spatium deliberandi peteret, iste instabat; liquida sibi declaratione opus esse, quo consilia sua ad eam temperare posit. Nam cupiebat Rex nonnihil dilationis, adornandis conditionibus super sua sustentatione. Sed Ordines, qui Julio mense illum patriæ proditorem increpaverant, qui Regi abdicationem svaderet, nunc illum proditoris probro adspergabant, qui Regi ad retinendum regnum autor esset. Post octo tamen dierum decertationem eo res redigebatur, ut Majores Poloni consentirent Regem orandum, ut coronam ad mortem usque retinere velit. Quæ preces mox ab universis Ordinibus Regi proponebantur. Sed sequenti die Rex declarabat: fixam sibi stare sententiam super abdicatione ob ætatem provectam, valetudinem infirmam, & quia animæ curam melius in solitudine, quam in solio obire possit. Rogabat tamen, conditiones à se propositas annuant, ne postremus Jagellonidarum senectam in egestate exigere cogatur. Id aliqui tanquam puram abdicationem acceptabant, aliqui eam non valere censebant, nisi in eas conditiones consensum esset. Sed quia nunc abdicationem quam maxime urgebant qui antea eidem quam maxime restiterant, Rex etiam tædio morarum propositis conditionibus desistebat; non amplius de abdicatione dubitandum erat. Nam Ordines è Polonia demum CM florenorum, è Lithuania LM annuerant; & ipse Rex non minus anxie circa accelerandam abdicationem satagebat, quam alii circa adquirendum Regnum connituntur. Ita demum ista facta est die decima sexta Septembris hora tertia pomeridiana in conclavi Senatorum. *16. Sept.* Quo minus in templo, uti Rex voluerat, is actus susciperetur, obstabat, quod parum decorum videbatur, si eidem absque prægestato baculo per omnes porticus, & conclavia retro via legenda foret. Adstantes sermonem abdicantis multis cum lacrymis accipiebant. Observatum est à curiosis, hanc abdicationem eodem mense factam, quo ante seculum Jo. Casimiri avus Joannes coronam Sveciæ Erico fratri extortam sibi vindicaverat. Mox Primas Regni regimen suscepit, ac SCtum factum, ut septima abhinc hebdomade convocatio haberetur. Abdicatio per Senatum cum aliis Regibus ac Principibus, tum Electori significata: sed inscriptioni literarum nullum testando affectui vocabulum additum erat, quod isti homines haut fas sibi ducant ullum mortalium *Domini Clementissimi* titulo honorare, præter suum Regem. *cortesia.* Warsaviæ quoque inter tubarum strepitus pronuntiatum, ut omnes Evangelici, & Schismatici seu Græci ultra duodecimum milliare ab ea urbe digrederentur; id quod prioribus interregnis factum non erat. Ac nuntius Pontificis Sacerdotibus confessiones excipere solitis injunxerat, ut neminem reatu delictorum expiarent, nisi promiserit se impediturum, ne quis Evangelicorum inter Nuntios Terrestres eligatur,

§. 74.

1668. *Ambitio candidatorum & de iis judicia.* §. 74. Vacuò jam solio prensatio candidatorum, hactenus tectius agitata, palam sese expromebat; simul eorum artes, & quid quemque commendaret, aut minueret, magna uti solet in liberis populis licentia circumferebatur. Ac in universum id in futuro Poloniæ Rege requirebant, ut sit Catholicus, nec hæreseos suspectus; è Regno, aut Principatu Catholico oriundus: ne Regnum aliud jam possideat, per vicereges Poloniam gubernaturus. Ne propria, aut sociorum potentia libertati sit formidabilis. Ne ille Rempublicam, sed Respublica illum affectet. Ut sit bellandi artium peritus, aut capax ne sit senex, ne nimium adolescens, ne multa prole oneratus, tum ut sit liberalis, prudens, justitiæ amans, ingenio pacato, nec captioso. Ne cum aliis Principibus inimicitias foveat, vires Reip. distracturas. Ne rationes proprias à Rep. disjunctas habeat, nec aliorum rationibus implicitus, aut alterius Regni æmulus agat. Ut sit capax morum, & legum Regni; non crudelis, non morosus. Denique ut pecunia abundet instaurandis Poloniæ rebus. Egregia omnia & prudenter excogitata, si tam facile foret perfectum Principem invenire, quam animo fingere. *Judicium de Mosco.* Cæterum inter candidatos erat Czaris Moscoviæ filius, pro quo pater prensabat, oblata opera circa conciliationem Romanorum, & Græcorum rituum. Quo fine Nassokinum missurus dicebatur, Polonis has conditiones propositurum; ut iste sacra Romana profiteatur; in Reip. arbitrium conferat, num aliquando utrumque imperium conjungere placeat, an vero plane paternæ successioni renuntiare debeat: ut omnia Reip. ablata restituat, ac inter illa quoque Smolensciium: ut duos milliones exercitui, tres Reip. det: ut denique quolibet bello XL M militum suis sumtibus in usum Reip. conscribat, atque alat. Quæ conditiones inter populum vulgatæ non exiguum scrupulum animis injiciebant, quod magna vis argento sit apud militares, ad quos pleraque vis electionis reditura erat. Multi quoque exules, & bonis per Moscos spoliati hoc modo ista recuperare gavisuri erant. Præterquam quod inter octoginta amplius millia, queis suffragii jus sit, pauci reperiantur, qui non potius præsentia & speciosa, quam futura incommoda, ac pericula considerent. Sed & non pauci Evangelici in Moscum inclinabant, quod iste ipsorum sacris publicum exercitium permittat, iisque addictos belli, ac pacis muneribus admoveat; ac Græcorum dogmata minus quam Romana ab Evangelicorum scitis discedant. Cum contra Neoburgicus ad superstitionem usque circa Romanos ritus sit fervidus, & à Jesuitis regi se patiatur. Etsi hisce à nostris contradicebatur. Enimvero neque Cæsar, nec Sveci, nec ipsi Turcæ passuri erant duo tam valida Regna coalescere. Ac Elector demonstrari jubebat, tam insuperabiles circa istum difficultates occurrere, ut ne inter competitores quidem habendus sit. Nuntius quoque, atque Clerus Mosci fautoribus summopere reluctabatur; præsertim postquam vulgatum erat, Moscum haut quidquam velle se Papæ subjicere, uti initio creditum fuerat, sed Romanensibus persvadere, ut Ecclesiæ Græcæ accedant. Eo magis autem Moscica factio imminuebatur, quod Czar non majorem natu filium, sed minorem offerret, octo annos habentem, qui nec ipse suam religionem mutaturus sit, velut Romnana longe meliorem, & per quam solam ex Moscorum sententia animarum salus obtineri queat. Aderat quoque Tartaricus legatus, qui minabatur, si quid inclinationis in Moscum sentiat, Tartaros protinus irruptione in Poloniam facta, omnia ferro, ac igne vastaturos. Ac demum ea factio nullo numero habebatur, postquam boni cives demonstrassent, commoda, quæ à Mosco ostententur, incerta esse ob lubricam gentis fidem. Eam sua sacra nunquam exuturam; ac si maxime solus Czaris filius Romanos ritus suscipiat, exiguum lucrum fore. Moscum nunquam imperium suum cum Polonia in unum corpus redacturum, nec cum nunc pro libidine dominetur, deinceps precario imperaturum, aut Moscos suos sensu Polonicæ libertatis ad excutiendum jugum ultro invitaturum. Ut autem Poloni Moscis sese uniant, ac servilem conditionem subeant, vel cogitatu indignum esse. Fines Regni dilatari Reip. non expedire, nec istas accessiones retineri posse, exemplo Walachiæ, Livoniæ & Ducalis Borussiæ constare. Non abundare quoque Moscoviam tantopere auro, ut tot milliones inde expectare possint. Conjunctionem porro tam potentium Statuum omnes vicinos excitaturam, præsertim Turcam, Svecos, Brandenburgicum. Czaris quoque ætatem vergere, qui nec majorem natu è Moscovia sit dimissurus; altero autem octo annorum puero Poloniæ haut consuli. Non posse quoque Poloniæ Regnum cum alio combinari, quod per hujus leges haut licitum sit Reges extra Regnum, & subjectas provincias proficisci. Polonos insuper desiderare Principem politum, literatum, judicio valentem ac negotiorum capacem. Mosci potentiam libertati periculosam. Quin nullum esse tam abjecti animi Polonum, cui Moscicus imperandi modus, ac servilis parendi obligatio non horrori sit, fuste feriri, flagellis, scuticaque premi. Denique & dubitari posse, num serio Regnum affectet Moscus, cum Nassokinus apud Curlandiæ Ducem dixerit: Principem Moscoviæ in spem Regni Poloniæ permittere, perinde esse, atque animam ipsius, & corpus in barathrum præcipitare. Revera tamen Czar per legatum Madriti Austriacorum favorem quærebat filio suo secundo-genito ad coronam Poloniæ promovendo, ac ut aliquam suarum sororum isti in matrimonium daret. Ac vicissim offerebat fœdus æternum cum Hispania, & quod istum ritibus Romanis imbuturus sit, ac satis cauturus Polonis adversus metum, ne Moscovia, & Polonia sub unum caput redigantur. Tum quod Turcis arma sit illaturus, quotiescunque Cæsari visum fuerit, ac XL M militum semper ad placitum, & in usus Domus Austriacæ præsto habiturus. Cujus tamen legationis nullus fructus compertus est. Multi credebant Pontificem Mosco favere, 1668.

1668. favere, quod non juvenis solum Princeps, sed & tota forte Moscica natio ad ritus Romanos adduci possit; quæ cum Polonis conjuncta Turcarum vires compescere possit. Biterrensis quoque censuerat, non inutile fore Moscum Polonia potiri; quod per eum Cæsar juxta, ac Sveci coërceri possent. Intellexerat porro Elector, Daniæ Regem circa coronam Poloniæ Mosco favere, quo Svecis negotium facesseret. Quod ne faceret Elector ad istum scribebat, quippe cum contra utilitatem totius fere Europæ Christianæ sit illum tanta accessione augeri, ac inprimis idem à suis rationibus abhorrere: ac ut Neoburgico potius faveat, rogabat. Sed Rex responso suo negabat sibi de Mosco in mentem venisse: ac gratum sibi fore Neoburgicum eo regno potiri. Libenter quoque legatum missurum ei commendando, ni Poloni omnes legatos exterminassent, ac ipse judicet officium suum fructu cassum fore. Quanquam revera Dano haut placeret Electorem tam enixe pro Neoburgico contendere, quod metueret, ne quid Svecis cum hoc convenisset in fraudem Daniæ. Nam postquam Elector ulterius super commendando Neoburgico instaret, Rex Daniæ declarabat: se quidem huic coronam Poloniæ non invidere. Non immerito tamen sibi dubitandum: num fida amicitia, quæ nunc inter Electorem, & istum vigeat perennatura sit, mutatis temporibus alterari nescia: nec Electoris Domui olim plus molestiæ inde subortum, quam id emolumentum est, quod nunc per id speretur. Præsertim cum tamdiu acerrima inter ipsos odia fuerint, forte iterum refricanda; atque Neoburgicus Regi Sveciæ agnatus sit. Spem sibi fuisse ipsum Electorem eam coronam affectaturum. Sed quia perceperit ipsum pro aliis prensare, noluisse legatos Warsaviam mittere, quod nesciverit, quomodo ibi habendi forent. Idem Rex audito post electionis eventu admodum gaudebat alcam ita cecidisse; ac Polonorum in hoc consilium magnopere laudabat, tum & gaudebat, circa eam electionem nil operæ à se sumtum.

De Florentino. §. 75. Magni Ducis Hetruriæ filius itidem sermonibus jactabatur, de quo aulici ipsius Amstelodami sparserant, isto fine octingenta uncialium millia in Poloniam trajectum iri, emendis suffragiis. Ac versabantur in aula aliquot mercatores Itali, qui id negotium tecte agitabant. Sed confirmabat Biterrensis, ab isto nil periculi esse: hujus coronæ haut cupido, nec ab ingenio, regnandique artibus sat instructo. Patrem quoque multo attentiorem esse ad rem, quam ut incertam in spem tantum argenti erogaturus sit. Neque eam esse Florentiæ auri abundantiam, uti vulgo credatur, idque multis indiciis, dum super nuptiis cum Virgine Aurelianensi agitur, potuisse deprehendi. Neque Galliæ Regem eum commendaturum; nec Cæsarem, quod Gallicam uxorem habeat. Etsi ad isthoc reponeretur: Italos maritos haut facile fræna uxoribus laxare. *De Eboracensi:* Joannes Sobiescius quoque de Jacobo Eboracensi Duce proponebat, ac per uxorem suam tunc Parisiis agentem ex Regina Matre sciscitabatur, num is Regni pretio Missam auditurus sit? De quo haut dubium habebatur. 1668. Etsi id vix serio agi videbatur; sed artificium Polonicum esse plures Candidatos excitandi, ut eo uberior largitionum seges foret. *De Electore:* Optimus quisque Electorem Regem optabat, sed ea conditione, ut Romanos ritus assumeret. Ac inprimis Majores Poloni significabant, ea lege non alium magis sibi Regem placere. Primas quoque Regni ante electionem dicebat; Electorem Regem fore, si sacra Romana amplecti velit. Sed is reponi jusserat dignum animi sui magnitudine responsum: *ea lege se ne Romanam quidem coronam acceptare voluisse. Benignitate Dei tantas sibi ditiones obtigisse, ut plures non affectet; nec unquam in mutationem religionis consensurum. Polonos etiam nunquam præclare de ipso sensuros, si Deo fidem haut servasse, ac emolumentum ante conscientiam habuisse arguatur.*

De Neoburgico: §. 76. Enimvero tres præcipue animos populi distraxerant, Philippus Wilhelmus Neoburgicus Palatinus, Ludovicus Condæus Princeps, & Carolus Hiacynthus Lotharingiæ Dux. Ac Neoburgico quidem artium affatim erat corona dignarum; qui & notus Polonis erat, & gratus memoria conjugii cum principe Polonica Constantia. Quem & potentes exteri commendabant, fœderibus invicem ad eum promovendum innexi, Cæsar, Gallus, Anglus, Svecus, Elector. Sed in eo multis displicebat ætas jam senio propior, & paucis infra Joannem Casimirum annis. Filium natu maximum octo tantum annos natum, ut emergente interregno eadem, quæ in præsens, incommoda secutura sint. Potentiam ejus magis quam Condæi metuendam. Nam eundem opibus Condæi potiorem, præsertim cum Gallus promittat idem se pro isto facturum, quam pro Condæo; ac in promtu eidem esse Sveciæ, & Electoris auxilia. Fœdera mature nimis cum exteris inivisse ambitu libertati Polonicæ intolerando, velut opus sibi foret tutoribus, aut alii, quid Poloniæ expediat, melius quam indigenæ intelligant: unde electionem suam non Polonis, sed exteris debiturum. Poloniam vegeto Rege opus habere, & qui conjugem adsciscat è voto Reipublicæ. Ejusdem multos liberos Reip. graves fore. Germanum eum esse. è natione Polonorum congenitis odiis imbuta. Et ut in universum Germanica natio de odio isto quid remiserit; Principes tamen Germaniæ insita absoluti imperii cupidine domi graves dominos, Polonis intolerandos. Eum Regno potito sine dubio id in familia sua firmare conaturum. Palatinæ Domui magnas opes, & successu temporis ab hac non minor metus, quam ab Austriacis immineat. Eo regnante Germanos ministeriis aulæ admotum iri, exclusis indigenis. Denique plus opum è Polonia elaturum, quam intulerit. Primas dixerat; Neoburgicum bonum esse Principem, quem & Uladislaus inter extrema commendavit. Sed nescire se, quid in universum Poloni in eo desiderent. Se Germanismum metuere.

De Condæo: §. 77. Ast Condæum fovebant, quicunque

1668. que defunctæ Reginæ obnoxii egerant, aut Gallici auri dulcedinem deguſtaverant. Pro quo & tantum erat Primatis ſtudium, ut diceret: ſi corona cœlo delaberetur, ſe nemini libentius eam impoſiturum, quam Condæo. Eum commendabant natales Regio Galliæ ſanguine, bella, & victoriæ; & quod Gallia Poloniæ ſemper amica fuerit, & firmandæ ejuſdem contra vicinos ſecuritati opportuna: quem & valida factio in aula, atque exercitu fulciebat. Sed apud pleroſque illa ipſa Reginæ memoria eidem obſtabat, quæ in publicum gravis, nimia regnandi, an turbandi vixerat. Eam fœminam mire Poloniam exercuiſſe, cui hæc Gallicis conſiliis innexa omnium calamitatum toto tempore originem debeat. Condæum emeritæ apud Gallos & jam conſumtæ, nec Poloniæ Regno inſtaurando ſuffecturæ virtutis. Olim fuiſſe Ilium, & ingentem gloriam Dardanidum. Nunc laboribus fractum, vitiis juventutis enervem, pedibus infirmum, corpore non tam ſenecta, quam intemperantia debilem. Martem in acie, conſiliis invalidum, præliis formidabilem, in aula contemtum, manu quam conſilio promtiorem. Condæi genium ſemper in præceps iviſſe, velut qui ſciat imperia quatere, componere neſciat; qui more majorum ſuorum ſuammet patriam totiens civilibus malis dilaniarit, ubique factionum dux. Impietate in Deum, ingrati animi probro erga amicos, violentia ingenii erga omnes nulli mortalium cedere. Nunquam innatam ferociam ad ſacræ confeſſionis humilitatem ſe ſubmiſiſſe. Radzivilio Calvini ſectatori veſcendis die Veneris carnibus Lutetiæ quondam convivam fuiſſe. Chriſtianam religionem nauſeare. Eum non tam amore in Poloniam, quam ut patria turbulento cive exoneretur, à Gallo promoveri. Eundem Gallicis armis ſvetum, longe diverſæ apud Polonos militiæ labores, geniumque haut toleraturum. Ingenium illius à pace abhorrere, nec bello ſufficere. In eum, ſi Rex eligatur, vetus Romani Imperatoris dictum quadraturum; *bonum militem perdidiſtis, malum Regem creaſtis.* Filium Enguianum patri vitiis, non virtute ſimilem, corpore animoque male compoſitum, vanæ gloriæ retinentem, arrogantia ſua aulæ Gallicæ exoſum, hæreditate materni generis, ne in dementiam prolabatur, metuendum. Quod ſi maxime Condæus ob experientiam militarem, ac fortitudinem aliasque dotes ſceptro, ac probe adornandæ, moderandæque Polonicæ militiæ percommodus videatur: tamen Gallicos ejus comites indigenis faſtidio futuros, quorum notæ inſolentiæ turba iterum aulam ſit ſtipatura. Præfervida iis ingenia, & moribus imbuta à Polonico genio maxime abhorrentibus, queis & alienam gloriam in ſe transferre ars ſit. Notum eſſe dictum aulici cujuſdam Galli; ſtrenuos, & fortes eſſe Polonos, ſi Gallici præfecti armorum imperia teneant. Gallos ſolius ſuæ nationis admiratores eſſe, cæteros omnes populos alto ſupercilio deſpicere. Herilem porro Gallis regnandi modum, ingenium impotens, & inconſtans, ac in laſciviam, libidinemque proclive. Galliam florentiſſimum quondam Regnum, nunc imperio pluſquam herili oppreſſum, nulla ibi amplius legum, libertatiſque memoria; exulare omnes, qui jugum ferre, ac abſoluto Regis placito adulari neſciant. Poloniam per Condæum omnibus Gallorum litibus implicandam. Eſſe eum uxoratum, cum Poloni cœlibem malint, qui novo connubio amicam domum Reip. arctius innectat. Galliæ Regem jam pacto Berolinenſi favori in Condæum renuntiaſſe, ac pro Neoburgico ſtudium profeſſum; unde per eum nil præſidii è Gallia Poloniæ acceſſurum; ac eo Rege nil præter inimicitias vicinorum, Cæſaris, Sveci, Brandenburgici in lucro fore. Cum antea Aula Polonica in eum mire inclinaret, opus edeptionis conatibus, ſtudiis, pecunia jam ad faſtigium proxime perductum Liſolæ, & Hoverbequii induſtria ſubverſum. Cæſarem ultra binos milliones, grandem & Ducatuum valorem plus dimidio excedentem ſummam, numerare levioris diſpendii duxiſſe, ne Condæum, aut ejus filium ſuſpectum vicinum intra Opeliam; & Ratiboriam toleraret. 1668.

§. 78. Lotharingum fautores ſui maximis elogiis extollebant. Eſſe eum è domo antiquiſſima; majores bellis ſacris celebres: maternum genus è Jagellonibus, Annam filiam Uladiſlai Jagellonici Hungariæ, & Bohemiæ Regis Sigiſmundi I. è fratre neptem, Ferdinando I. Auſtriaco Imperatori Eleonoram filiam edidiſſe. Hanc Guilielmi Mantuæ Ducis conjugem Vincentium Mantuanum reliquiſſe. Huic filiam fuiſſe Margaritam: Margaritam Henrico Lotharingo nuptui datam filiam Claudiam, matrem Caroli Hiacynthi generaſſe. Vacuum externæ promotionis, eoque ad thronum Poloniæ validiorem, ut faſtigium ſuum Poloniæ ex aſſe debeat. Eum ad exterorum rationes non reſpecturum; in ſola Polonia omnem ſuam fortunam habiturum; exteris aulam non impleturum; opes Poloniæ extra eam non elaturum; quicquid adquiſiverit, Poloniæ acceſſurum. Cenſu nunc tenuiore, patruo ſolo opibus præpollente nixum, qui compluribus millionibus fortunam ejus ſublevaturus credatur. Annos XXVI. natum, ipſo robore ætatis, facile linguam, moreſque Polonicos induturum. Integrum ab Auſtriacis, & Gallis nulli Poloniam factioni impliciturum, ac cum vicinis nec odio, nec gratia cognitum ex æquo acturum. Egregia tirocinia jam in Hungaria, & dotium ſceptro dignarum ſpecimina edidiſſe. Contra diſſerebatur: per Lotharingum Remp., ubi provinciam ſuam contra Gallum eidem inhiantem tutari placuerit, non minus gravi bello implicandam, quam per Sigiſmundum Svecum contigit, cujus conatus circa recuperandum avitum Regnum Polonis uſque adeo male ceſſerunt, ut non ſolum in hunc uſque diem amiſſam Livoniam gemant, ſed & per reliquas provincias accepta damna nondum digeſſerint. Unde & ejus electionem vix ſine armis pervincendam, quod Gallus omni vi reluctaturus ſit. Opibus eum plane exhauſtum, ut adornandæ ejuſdem aulæ plus impendendum ſit, *De Lotharingo.*

1668. quam in totius domus Neoburgicæ sustentationem. Nam quo minus in pecuniis patrui aliqua spes reponatur, hujus avaritiam obstare. Unde cum aliqui jactarent, patruum sex milliones ipsi daturum parando Poloniæ Regno ea lege, ut jus suum in Lotharingiam Vaudemontio è Cantacrucia nato cedat; Hoverbequius reponebat: senem usque adeo pecuniæ suæ non imperare, ut nè millionem quidem unum impensurus sit ad seipsum à remis liberandum. Sed maximum illi fulcrum ab Austriacis, qui cum è sua domo non haberent, quem Polonis commendarent, saltem Reginam iis dare cupiebant. Unde quanquam Cæsar publicè studium pro Neoburgico quod & huic promiserat, præ se ferret; ejus tamen legatus clam omni conatu pro Lotharingo nitebatur, ac ita Neoburgicum commendabat, ut Lotharingum non minoribus laudibus extolleret. Inter tam diversa studia omnes ambitus artes, & infinitæ cauponationes exercebantur, corruptiones, munera, promissa. Sed uti in futurum pacisci minus damnosum erat, quod fallente eventu promissa irrita forent; ita præsenti pecunia incertam spem licitari anceps admodum erat.

Cante-croix

Galli pro Neoburgico studium simulant. 10. Jul.

§. 79. Cæterum uti hactenus Gallica consilia Poloniam temperarant; ita Electori, ac Neoburgico in Galli studio circa scopum suum obtinendum magna spes reposita fuerat. Qui & per se ac legatos amplissime pollicebatur; ac Biterrensis è Polonia in Galliam digressus cum Marchiam transiret, prolixe de studio Regis sui testabatur. Is Cœpenici cum Sverino congressus monebat, Gisio alium adhuc à Neoburgico legatum adjungendum; quem in finem Elector Joannem Christianum Boineburgium Baronem proponebat. De isto viro quia mentio incidit, non abs re fuerit heic tetigisse, quare is paucos ante annos munere suo apud Moguntinum exutus, ac in custodiam datus fuerit. Ejus igitur rei præcipua causa fuerat, quod Boineburgius pleraque munera, ac pensiones, quas Electoris Joannis Philippi frater sibi deberi crediderat, præripuisset, simul hunc non obscure contemneret, velut rebus gerendis parum idoneum. Aliquando &, ubi consilia sua ab Electore non admitterentur, inter animi commotionem tunc rerum ignarum, aut meticulosum apud amicos vocitarat; qui ea dicta post prodiderant. Ac ipse Moguntinus invidia perstringebatur, quod istius ministri autoritas apud Cæsarem, & Gallum indies glisceret, ut is pleraque ex suo judicio agere vellet, etiam Electoris ingratiis. Igitur jamdudum occasio quærebatur virum subruendi; quæ inventa est, postquam Reiffenbergius Baro in Galliam missus fuit auxilio Regis contra Erfordiam excitando. Ei legationi obeundæ Boineburgius destinatus fuerat, cui & se jam accinxerat: sed Schœnbornio Electoris fratre impediente in ejus locum Reiffenbergius suffectus est. Eo facto Boineburgius gravissime offensus ad Lionnæum scriptis literis in Reiffenbergium valde invehebatur, inter alia mendacissimum mortalium vocans, ac qui tantum veniat, ut Gallos decipiat. Sed Lionnæus, qui cum alias ob causas, tum quod Boineburgius aliquoties sat contemtim ipsum habuisset, eas literas Reiffenbergio ostendebat, quas & sibi valde displicere testabatur. Unde in proclivi erat, istius favorem in Gallia extinguere, ne inde quid præsidii eundem maneret. Nec minus Cæsarea aula in virum irritabatur, stimulante Porcia, cujus is acta sæpenumero acerbe perstrinxerat; & quæ à Directorio Moguntinensi contra placitum Cæsaris quandoque suscepta fuerant, eorum causa in Boineburgium devolvebatur. His duobus fulcris subtractis Elector demum precibus fratris manus dabat, ut prægravem ministrum amoveret, & qui ipsius heri luminibus officeret. Credebatur inter scripta ejus repertum iri, unde criminis struendi materia foret. Sed ea omnia nil nisi enixum fidi atque cordati ministri studium expresserunt. Ac ipse quæ de Reiffenbergio scripserat, ex Electore se audisse dicebat; ac eum revera talem esse. Igitur postquam per quinque amplius menses detentus fuisset, data cautione de non ulciscendo dimissus est, ejusque filia post juveni Schœnbornio Electoris ex fratre nepoti velut obliterandæ injuriæ nupsit. Sed & Biterrensis svadebat, ut Neoburgicus Angliæ Regis commendationem petat, & quia hic in aula Turcica autoritate polleat, postquam Gallicus legatus diu ibi ad colloquium admissus non sit, ut per ipsum à Porta modestas literas sine minis ad Remp. obtineat, ne quem eligat Regem, qui cum Turcis hæreditarias inimicitias exerceat. Id tamen Anglo haut indicandum, hoc officium contra Moscum quæri, quicum Anglus amicitiam colat. Ut quoque Sveci moneantur aliquid copiarum in finibus Livoniæ collocare, quo Polonis belli Svecici suspicio moveatur, si Czaris filium elegerint. Quin Joanni Casimiro decretum, si à Mosco periculum sit, coronam potius retinere, quantumcunque ejus tædium ipsum cœperit, quam Mosco ansam ad eam involandam præbere. De Sobiscio sat cautum esse, cujus desideriis Rex Galliæ satisfecerit. Cum etiam Poloni tantum suspicionis concipiant, quod tam multi Principes ad Neoburgicum commendandum conspirent velut in fraudem suæ libertatis; è re videri Reip cautionem offerri, in omnem eventum libertatem, ac jura sua sarta tecta præstanda. Ne Cæsareo ministro fides habeatur, cujus mens à dictis discrepet. Ut propter Draheimum promissæ pecuniæ reliqua Wiesnovicio solvantur, quod exemplo deinceps noxium sit futurum, circa solutionem ejusmodi pecuniarum moras necti. Denique consultius ducebat, Neoburgicum sub electionis tempus Dusseldorpi quam Neoburgi agere ob commodiorem literarum missionem, & quia à Cæsare iter Neoburgo in Poloniam facile impediri queat. Is Biterrensis à Gallia post reversus aliquandiu Stolpæ in Pomerania, inde Mariæwerderæ in Borussia agebat, quem Elector ubique laute haberi curabat, quoad sub electionis tempus iterum in Poloniam concederet. 1668.

Electoris in Galli-

§. 80. Ut igitur Elector exploraret, quid serii Gallorum promissis subesset, placuit in

Galliam

1668. *...am legatio. 14. Sept.*

Galliam legatum mittere Blumenthalium obtentu obeundi gratulationis officium de pace Aquisgranensi, circa quam Rex magnanimitatis, ac moderationis suæ tantum specimen ediderit ut summam sibi laudem inde pepererit, ac Orbi Christiano duraturæ fiduciam quietis dederit; ad quam servandam & Elector omni studio incubiturus sit. Insuper modeste tentaret, num quid subsidiariæ pecuniæ in posterum obtineri queat, quod Electori numerosæ copiæ sint alendæ intuitu Polonicarum turbarum; & quia dum ubique Galliæ commodis studet, alibi oblata emolumenta recuset, triplicis quoque fœderis societate declinata, abs qua & alios averterit. Nunc quoque ob fœdus inter Cæsarem, & Svecos arma sibi in promtu habenda. Præcipue autem hortaretur Regem Neoburgici causam in Polonia cum aliis modis, tum pecunia sublevare. Exploraret etiam, num adhuc pro Condæo laboretur, & quid Galli de Mosci conatibus judicent. Monebatur autem legatus id tantum perscribere, quid agatur, non addito judicio suo, quod Parisiis literæ sæpius resignentur. Blumenthalius in Galliam delatus initio aliter judicare non poterat, quam Regem Neoburgico serio studere. Id præ se ferebant mandata Biterrensi data. Rex quoque Remp. Polonicam debito duorum millionum, & CCCC M librarum liberam declarare cupiebat, si Neoburgicus Rex eligatur. Sobiescio promittebatur dignatio Ducis ac Paris, Mareschallique Franciæ cum insignibus Equitum S. Spiritus, si Neoburgico ad nanciscendam coronam operam navet. Sponsionem quoque suam Rex interponere volebat pro pactis, quæ Resp. cum Neoburgico initura. Aliquandiu etiam nil amplius pecuniæ in Poloniam trajectum fuerat Condæi nomine. Cum etiam Electrix Bavariæ Regis intercessionem pro Electoris istius fratre peteret, Rex id plane abnuebat. Idem & Carolo Lotharingiæ Duci seniori denuntiabat; valde sibi displicere, quod is nepoti suo pecuniam suppeditet affectando Poloniæ Regno, & impediendo Neoburgico, cui ipse faveat. Condæus quoque Rege exigente fremens quantumvis, & indignabundus declaraverat, non amplius se in Polonia prensaturum, ac Biterrensi per se licere, ut apud Polonos divulget, ipsum ad eam coronam non adspirare, ac cœco obsequio Regis placita sequi; suosque ibi amicos roget, ut quod pro ipso foveant studium, in Neoburgicum transferant. Ipse quoque Rex Blumenthalio dixerat; non parum sibi displicere, quod Condæus ita ægre prensatione desistere velit: se tamen rem ita moderaturum, ne Neoburgico præjudicium inferatur. Addiderat, non ingratum sibi esse, inter Electorem & Neoburgicum convenisse, quod Condæo, & cuivis Gallico Principi obsistere velint, modo pecuniis mutuo petendis molestia sibi ne inferatur.

Gallus initio rem serio agere videtur.

Galli candor suspectus sit. 8. Nov.

§. 81. Cæterum jam ab initio ipsa Galli circa Neoburgicum facilitas prudentibus suspicionem excitabat, quod is non solum promisisset, se Condæo obstiturum, ne is Corona potiatur; sed & Joanni Casimiro annua centena uncialium millia quoad viveret annuisset, si in gratiam Neoburgici Regno se abdicaret. Nam Joannes Casimirus vivente Regina pactum cum Gallo iniverat, quo matrimonium inter ipsum, & hanc mutuo consensu dissolvebatur? simul idem promittebat abdicato Regno se velut simplicem clericum nulla eminentiore dignitate Romæ quod restet vitæ exacturum, hac lege, ut præter ea, quæ in Polonia retinere possit, Gallus annua L M uncialium numeraret. Is tractatus in favorem Neoburgici renovatus fuerat; & quia Jo. Casimirus priore summa contentus esse noluerat, Gallus tantundem addiderat. Ita Jo. Casimirus jam prioribus Comitiis abdicationem facturus erat, nisi Biterrensis censuisset, ob tardius expeditam istius tractatus renovationem ita raptim id exsecutioni dari non posse: unde ad mensem Majum alia Comitia eo fine indicenda. Ac ita se omnia in manu habere, ut rem utique successuram ipse præstare velit, modo ratihabitio tractatus mature adferatur, ac pecunia in promtu sit. Et quia Biterrensi à Condæo pileus Cardinalitius promissus fuerat, Neoburgicus idem promissum in se recepit. Quin eo usque procedebant Galli, ut Neoburgico permitterent, cum Cæsare quoque & Sveco super Polonia pacisci, quo non obstante ipsi promissa sua expleturi sint. Et tamen quia Gallis solenne est nihil gratis dare, haut adparebat, quo fructu Rex, tam sumtuosam operam Neoburgico navare vellet, nisi quod rumor esset, eum isti Juliacum cessurum. Quanquam aliqui causam promissorum Neoburgico factorum hanc judicarent, quod Gallus sibi haut persuasisset, bellum Belgicum ita cito finiendum: unde cum eo durante Condæum justo vigore fulcire non posset, maluisse coronam amico Principi deferri, præsertim cum tunc favore Principum Germaniæ opus haberet. Sed ea ratione per bellum expirante, omne studium in Condæum versum. Et mox paulatim Gallorum fides minuebatur, quod Rex CC M uncialium, quæ mutuo pro Neoburgico petebantur, credere abnueret, causatus, tres florenorum milliones jam in Poloniam erogatos, ac à futuri anni reditibus in antecessum quatuor milliones consumtos, qui per parsimoniam sint supplendi. Neoburgicum quoque Regis favore tam multiplici usum, ut plura petere erubescat, eoque Electoris interventionem quæsivisse. Sed & Biterrensis affirmarat, Neoburgico adhuc octingenta uncialium in promtu esse, quibus Lotharingo satis prævalere possit. Etsi Leradus negaret, ab isto ultra D M corradi posse; qua summa parum profici queat, cum è Biterrensis placito soli Sobiescio CC M uncialium promittenda fuerint. Quanquam & Blumenthalius circa pecuniam nihil efficiebat, nisi Elector arma in Belgas sumere vellet, in quos ea quoque offensæ causa jactabatur quod pecunias Lotharingo ad negotium Polonicum crederent. Id quoque scrupulum movebat; quod Galli tantopere Lotharingum horrere se ferrent, ne is Regno Poloniæ potiretur; cum tamen patruum ipsius

1661. ipsius in sua manu haberent. Sane Lionnæus dicebat, istum Regis acerbissimum hostem esse, nec infelicius quid accidere posse, quam si Polonis istum Regem creare in mentem veniat. Sed & communicabantur literæ à Biterrensi è Polonia scriptæ, sed quæ levis momenti rebus refertæ erant, ut facile animadverteres, alias majoris momenti occultari. Tum & magnæ summæ collybo in Poloniam trajiciebantur, sane non in usum Neoburgici, cum alias opus non esset, id Blumenthalium & Leradum clam haberi. Sed & alias ob causas Leradus Gallos suspectos habere cœperat, quod Biterrensem iterum in Poloniam misissent, velut à Rege Joanne Casimiro peculiariter expetitum; cum tamen ante in Neoburgici arbitrium contulissent huic functioni eligere, quem vellet; qui Gaumontium proposuerat. Neoburgicus quoque è Gallo exquisiverat, an non ferre possit, Cæsarem permoveri, ut hic in casum duplicis electionis per arma ipsum fulciat. Id quod Gallus abnuerat; nec placere, ut Cæsar ei negotio se misceat. Denique Miletus Berolini sub discessum è Sverino quæsierat, an non Elector permittere possit, ut postquam omnia pro Neoburgico incassum tentata fuerint, ac Poloni ultro in Condæum inclinent, Gallus denuo pro hoc se declaret, aliosque in ejus partes pertrahat, ac ita ad coronam eundem promoveat? In quem casum Sverino ingens pecuniæ summa ostentabatur. Etsi Lionnæus post diceret: Miletum ista citra mandatum dixisse. Post tamen Lionnæus isti suspicionem iterum eximebat confirmato, utcunque res cadat nec Condæum, nec ejus filium corona Polonica potiturum. Ac arbitrabatur Leradus ita dextre se rem egisse, ut Gallis nulla rima elabendi foret, nisi forte ut plura proceribus Poloniæ promitterent, quam à Neoburgico præstari possit. Ut quoque Electorem cum Neoburgico committerent, huic persvadere conabantur, Electorem coronam pro se affectare, & ea quidem lege, ut suam sibi religionem servare liceat, quo id commentum facilius fidem inveniret. Id porro machinabantur, ut Lotharingica factio Neoburgicæ aliquantum prævaleret, quo ansa foret à conventis discedendi obtentu sumto, se Neoburgici causam candide egisse, quamdiu Lotharingus debilis fuerit. Sed cum nunc metuendum sit, ne Princeps Galliæ invisus juxta, ac formidandus corona illa potiatur, sibi pro Condæo velint nolint nitendum. Si tamen omnis opera pro Condæo frustra consumta foret, ac Lotharingus utique prævaliturus videretur, ad extremum mutata velificatione Neoburgico fauturos. Denique quanquam Lionnæus multis cum exsecrationibus asseveraret, causam Neoburgici diligenter in Polonia commendari: Rex tamen Condæo interdicere nolebat, ut machinari in Polonia desisteret, aut eundem adigere ut declararet, ne oblatam quidem coronam à se acceptandam. Equidem demum Reip. Polonicæ per literas significabatur, si maxime Condæus eligatur, Regem non concessurum, ut is coronam acceptet, nec eundem è Gallia dimittendum. Addebatur tamen mandatum, ne Biterrensis eas literas prius tradat, quam Lotharingici partes plane prostratæ fuerint. Ac Lionnæus, cum Gallicas fraudes aperte sentire animadverteret, plerisque colloquiis ita pudore confundebatur, ut aliquando quid diceret ignoraret. Ac Svecicus minister Esaias Pufendorfius non sine acerbitate istorum fallaciam notabat, dum Lionnæo de fraudibus Cæsareorum ministrorum querenti, qui palam Neoburgico suffragabantur, clam Lotharingum fovebant, respondit: istos eam fallendi artem à Gallis didicisse. Ac jam Joannes Casimirus Condæo scripserat, ita res suas disponeret, ut statim atque cursor de ipsius electione nuntiaret, Lutetia in viam dare se posset. Unde & in Condæi palatio omnia itineri parata habebantur bonis in Gallia elocatis; ac cum Monasteriensi, & Hanoverano super transitu in Poloniam agebatur. Quin & numismata jam cusa erant, quorum uno latere Condæi effigies, & nomen exprimebatur, altero Fama cum diversis phalangibus inter se concurrentibus. Ast mox secus cadente electione Rex in Biterrensi id improbabat, quod artificia sua non satis tecte exercuisset: quod autem idem Neoburgicam factionem, cum Condæana rueret, non fulsisset, id non reprehendebatur: quin is cum Lutetiam revertisset, quasi re bene gesta excipiebatur, donata à Rege Abbatia, è qua isti annua quaterdena florenorum millia reditura erant, manifesto indicio, ab eodem acta Regi probari. Cujus fraudulenta negotiatio præcipue Neoburgici causam, cum extra periculum videretur, everterat. Ac fatebatur Leradus, Electorem solum Neoburgico fidum amicum fuisse, cum reliqui omnes ipsum prodiderint. Is Lutetia discedens nil aliud dicere passus erat, quam dolere hero suo, Regis operam in Polonia insumtam effectu caruisse. Non tamen persvadere sibi posse, à Rege Biterrensis acta probatum iri; qui cum per mandata sua, quorum autographum Duci Neoburgi ostenderit, enixe operam navare deberet, ut Condæus à Corona Polonica excluderetur, quod & Rex tractatu Berolinensi promiserit, post cum Respublica ultro eam exclusionem decrevisset, gravissime de ea questus sit, nec oblatam audientiam admittere voluerit. Ad quæ Rex humanis verbis: sibi quoque dolere, negotiationem in Polonia ita sinistre successisse: ac se improbare non posse; Ducem de Biterrensi queri, qui & ipse heic sibi non satisfecerit. Nec à se idoneas haberi rationes, quare Biterrensis ad Rempublicam verba facere abnuerit. Ac unice eum è Polonia evocatum, ut eo nomine rationem reddat. De cætero nullam se occasionem amissurum Duci fructum sui affectus demonstrandi. 1661.

§. 82. Interim omni arte in Polonia ambitus certabat, ac suam quisque factionem firmare, reliquas debilitare nitebatur. In his cauponationibus compescendis Fredro Castellanus Leopolitanus jusjurandum concipiebat ante electionem à quibuslibet præstandum; *talem se electurum, à quo aut cujus nomine*

Artes prensantium in Polonia.
24. Nov.

1668. *nomine nihil acceperit, nec quid ipsi promissum sit. Tum & nemini suffragium daturum, qui regnante antecessore, aut postea illicitis modis, & contra leges coronam ambierit.* Quod juramentum Neoburgico fraudi fore credebatur, quem arguebant non minus illicitis modis, quam Condæum ad coronam grassatum, & quem tot Principum exterorum conspiratio invitæ Reip. obtrusum erat. Castellanus tamen Posnaniensis & alii consultis prius Theologis censebant, id jusjurandum inane esse, atque illegitimum, ac vi metuque impactum; cum quilibet per conscientiam circa electionem bonum publicum præ oculis habere teneatur. Posse quoque per *reservationem mentalem* ejus vim elidi: *se quidem Neoburgicum, quem eligere decreverint, non ipsos nominaturos; sed illis, qui eundem nominarint,* adhæsuros. Sed Gallis major circa id jusjurandum eludendum subtilitas. Nam quia viris tantum jurandum erat, non item uxoribus, Biterrensis judicabat, per hasce scrupulosos maritorum animos attrahendos ad quæsitum scopum obtinendum. Unde & moderamen cauponationum istarum non modica ex parte penes mulieres erat, quas inter eminebant Sobiescii Thesaurarii, & Lituanici Cancellarii Pacii uxores, & Archiepiscopi concubina, omnes natione Gallæ quæ summo studio pro Condæo nitebantur. Pro Neoburgico autem multi quidem è Senatoribus erant, sed quorum nemo rem acri studio agebat, nec exterorum quisquam pro eodem præter Electorem bona fide laborabat. Cujus & ministri arguebantur agendi modo multos offendisse, nec pecunias caute distribuisse, ac illis plurimum dedisse, qui plurimum polliciti fuerant non considerato num id præstare in viribus istorum foret. Svecis perinde habebatur, quis Poloniæ Rex fieret, modo ne Moscus. Cæsar palam promiserat, se pro Neoburgico laboraturum, Gallo quoque in eam rem fide data: atque id scriptis mandatis Christophoro Leopoldo Schafgotschio injunxerat. Sed verbis adjecerat, ita rem tractaret, ne Lotharingo noceret. Pro quo & istum clam conniti ipse Joannes Casimirus agnoscebat. Ac subornabat monachos Augusta Vidua, qui inter Clericos præcipue spargerent; Lutheranismum nondum adhuc Neoburgici animo radicitus exolevisse. Jesuitæ quoque ætatem, & numerosam ejusdem prolem differentes summopere pro Lotharingo contendebant, cui & multi è communi nobilitate studebant, sed quibus eminens caput deerat. Commenti quoque fuerant Electoris malevoli, Vicecancellarius, & alii, ut Lotharingus spem faceret, se Regno potitum Borussiæ supremum imperium, Nobilitati tantopere invisum, retractaturum. Nocuerat quoque Neoburgico Lessinius Cancellarius, alias istius studiosus, quod minas jaceret eodem electo se inimicos suos ulturum. Quibus eo ipso necessitas adferebatur adversæ se factioni jungendi. Volebant etiam Lotharingi legatum stimulare, ut is priorem locum præ Electorali affectaret. Sed cum id inane fore sentiretur, duo legati veniebant, unus à seniore Duce, alter à juniore quorum ille in publico non comparebat, declinandæ uti ferebat collisioni cum nostris. Idem & copias aliquas in finibus Poloniæ disposuerat, quod ne Cæsar permitteret Elector per literas petebat. 1669.

§. 83. Propinquante electionis die Elector Hoverbequium, & Fridericum Jenam ad Comitia in Poloniam mittebat. Iis injunctum hoc tempore nil privatarum rerum tangere; tum una cum Svecis super libertate religionis *Dissidentium* laborare, pro qua Elector apud Olivenses tractatus cautionem obtinuerit, in vicem locorum, quæ is tunc in Pomerania maturandæ paci cedebat. Neoburgico commendando adducere jubebantur; Electorem non proprio motu, sed persvadente Lubomirscio, acerrimo tunc libertatis propugnatore, in eas cogitationes ingressum, ac isti promovendo transactionem sibi parum lucrosam cum eodem super Juliacensibus ditionibus fecisse. Alia quoque fœdera, quæ Elector cum Gallo & Svecis iniverit, nil emolumenti ipsi adferre, sed non nisi Poloniæ Statui, ac libertati cavere. Bonas artes præsenti Reip. statui necessarias in nemine alio ita junctim reperiri, quam in isto Principe. A nemine tanta Reip. emolumenta expectanda, Gallo quoque in ejus gratiam isti quantum detur favoris exhibituro. Qui & non una vice quicquid opum habeat fit effusurus, uti Lotharingus se facturum jactet, sed quotannis, & quotiescunque tempora Reip. requisiverint. Ejus causa Reip. nil molestiæ obventurum, quin firmata cum omnibus vicinis amicitia hostibus terrorem incussurum. Dotalitium uxoris, & sustentationem liberorum Reip. haut gravem fore; cum ipse egregias provincias in patrimonio habeat ac plerisque filiis de Ecclesiast cis beneficiis prospexerit. *Legatio Electoris ad Comitia eligendo Regi Poloniæ. 10. Maij.*

§. 84. Legatis Electoralibus, cum Warsaviam accedere non liceret hospitium interim Jabloncæ fuit tertio ab urbe milliari. Compererunt ibi, Cæsareos pro Neoburgico nihil, omnia pro Lotharingo facere, cui & Augusta Vidua affatim pecuniæ subministrabat: A Gallo verborum abunde profundebatur; solidæ operæ nihil præstabatur. Condæanæ factioni spes erat, si populus inter Neoburgicum, & Lotharingum dividatur, suam velut tertiam adversus utramque prævalituram. Et optabat Biterrensis à nostris diffidentiæ quid adversus ipsum ostendi, quo prætextum foret istis culpam offensæ impingendi. Lotharingus quoque à Gallo commendari se petierat, pollicitus Gallicam se uxorem è Regis placito ducturum: Sed Rex ne responso quidem se istum dignaturum dixerat. Idem pollicebatur, se omne Reip. æs alienum dissoluturum, exercitibus satisfacturum, Ordines in triennium tributis liberaturum, ac insuper inter privatos magnas summas distributurum. Et cum Neoburgici negarent ultra C C M aureorum se donare posse, Lotharingici contra de quatuor millionibus crepabant. Iidem & Archiepiscopo C M uncialium offerebant, ac se renuntiationem in Lotharingiam pro Rege Galliæ in ipsius manum traditurus, si *Apud electionem acta 22. Maij.*

1669. Condæanas partes deserere velit. Contra Archiepiscopus nostros urgebat, ut Neoburgicum destitutum à petendo quoque dimoverent, cui & alias pecuniæ satis non sit ad hiantem tam multorum aviditatem implendam. Tunc enim se Lotharingum quoque in Condæi gratiam destiturum, & Gallum Neoburgico erogatas pecunias refusurum. Nam Neoburgici Biterrensi fassi fuerant, pecuniam sibi deesse, ab eoque sibi certam summam credi petierant: de quo hic statim Archiepiscopo indicium fecerat. Neoburgico quoque magna cum invidia objiciebantur pacta cum exteris inita, qui Remp. non cupientem, nec istis defensoribus egentem tantum non in tutelam suam susceperint, istum Regem invitis obtrusuri; quem & Electori Borussiam Regiam, & Svecis Samogitiam promisisse mentiebantur. Ast Elector, cum Schafgotschium contra promissa palam quidem, ac frigide pro Neoburgico loqui, clam enixo studio pro Lotharingo laborare intelligeret; qui & ridendo, ac aliud agendo Neoburgici causam Primati commendaverat: acriter cum Goësio Barone expostulabat. Cæsarem primum fuisse, qui de Neoburgico proposuerit, ac per Lisolam ad isthoc institutum persequendum ipsum incitarit, Se quoque summo studio pro isto connixum, ac non sine multo labore demum Gallum quoque in ejusdem partes pertraxisse. Nunc cum in rem præsentem veniendum sit, in transversum abiri. Equidem sat facultatis esse ad Lotharingum dejiciendum, ac se omnibus viribus eo incubiturum. Sed id inde proventurum ut dum isti duo inter se colliduntur, tertius interveniens brabeum præripiat utroque eluso. Sed & Cæsareis legatis demonstrari jubebat, quantopere metuendum sit, ne Condæus demum prævaleat, ni res pro Neoburgico majore fide, ac studio agatur. Boineburgius quoque Schafgotschio acriter exprobrabat, quod ita sedulo cum Lotharingicis consilia misceret. Nam hoc ipso fidem Cæsaris consumi, simul duplici electioni ansam præberi.

Collisio cum Cæsareo legato. §. 85. Idem quoque Schafgotschius Electoralibus legatis serius accedentibus primam salutationem, digniorem in sua domo locum, & titulum Excellentiæ abnuebat; ac ne in tertio quidem loco cum iis congredi volebat. Unde & Biterrensis denuntiabat; si Cæsareo legato hæc concedant, se quoque non aliter cum ipsis acturum. Cum nostri ex isto quærerent, num id jussu Cæsaris faciat, is respondebat: sibi peculiare in eam rem mandatum non esse, facto tamen suo rationem constare. Soli tamen Hoverbequio, velut Baroni, si primus salutandi officio apud ipsum defungi velit, dextram manum, & Excellentiæ titulum daturum, prout Monasterii primariis legatis, si & illustri loco nati forent, ex rescripto Cæsaris contigerit. Id factum cum Elector per Sverinum Goësio exprobraret, hic respondebat: Aulam Cæsaream confidere, Electores majorem Cæsareæ eminentiæ: à quo & ipsorum dignatio dependeat, rationem habituros, quam ut Cæsarem aliis Regibus æquipatare velint. Nam etsi Regii legati Electoribus eum honorem deferant, uti & par sit: Cæsarem tamen ab aliis Regibus in hoc differre, quod iste velut caput in Imperio consideretur, cujus membra Electores sint; eoque Electorales à Cæsareis id exigere non posse, quod à Regiis ipsis tribuatur. Ad quæ Sverinus: Cæsarem utique id honoris Venetis, ac Belgis deferre; per quod si ipsius dignitas non imminuatur, id nec delato Electoralibus eo honore futurum. Præsertim cum lege Regia diserte cautum sit, ne Venetorum, & Belgarum legati unquam Electoralibus præferantur. Ad quæ Goesius: Venetos, ac Belgas velut exteros, & ab Imperio Romano haut dependentes Respublicas considerari, eoque iisdem id honoris absque Electorum imminutione exhiberi posse; cum Cæsar hos non ut exteros, sed ut domesticos spectet. Ast Sverinus negabat Electorem hac prætensione destiturum, cum Monasterii, & Olivæ is sibi honos tributus sit. Ac si reliqui Electores eodem cedant, ipsum id non facturum, ac satis nosse, quid in contrarium consilii sit capturus. Goësius; quod Monasterii factum sit, vim legis non habere. Olivæ Leopoldi legatos adfuisse, ut à Rege Hungariæ & Bohemiæ, non ut à Cæsare. Cum tamen quando Leopoldus Cæsar creatus esset, Olivenses tractatus nondum cœpissent. Igitur Elector suis injungebat Schafgotschio ne hilum concedere. Simul apud Cæsarem per literas super isto facto graviter querebatur, ac ut iste eo nomine pœnas daret petebat. Cui Cæsar respondit: Sibi haut in animo fuisse aliquid de dignatate Electoris detrahere. Sed factum à Schafgotschio aliter, quam ab Hoverbequio referri. Vicissim querendi causam sibi esse, quod Electorales legati Salisburgensem Præsulem Ratisponæ invisere omiserint, quod hic istis in sua domo priorem locum, & titulum Excellentiæ abnuerit: id quod contra morem in Imperio receptum sit. Et Schafgotschium Hoverbequio velut primario legato eum honorem dare voluisse, non item Jenæ secundario. Ad eas literas Elector post reponebat; Schafgotschium falsa narrasse; ac denuo ut sibi satisfieret postulabat. Contra Cæsar: utriusque legati relationes sibi contradicere, ut quid circa id factum statui debeat, in obscuro sit. Sed quæ ipse Ratisponæ prætendat, id antiqua Imperii consvetudine definiri. Ac si circa id sibi satisfiat, se quoque super Polonico facto ulterius mentem suam declaraturum. Id negotium Elector ad Collegas referebat; qui censebant, de eodem in collegio agendum, præsertim quia Cæsareus Madriti legatus cum Trevirensi, Bavarico, ac Palatino legato pari fere modo egerat. Sed cum Bavarus eam causam sat acriter urgeret, cæteri differendo eandem eludebant. Ast major indignitas erat, quod Lotharingus legato suo injunxisset, ut nostros præcederent. Adversus quæ ausa Elector suis imperabat, ut vi istum, si tale quid aggrederetur, depellerent: ac eo nomine ad collegiũ Electorale scribebat, Coloniense cumprimis eam prætensionem mirante, præsertim cum iste ne in Lotharingiæ quidem posses- sione

Right-margin notes, in order: 1669. — 24. Jun. — 3. Febr. 1670. — 16. Mart. 1670.

1669. sione fit; cui nec Elector in sua domo priorem locum concessurus erat. Etsi constabat Lotharingum ad ista movenda ab aliis instigatum; qui & antea idem à patruo suo tentatum improbarat. Ejus tamen legatus jactare non dubitabat; Cæsari pactum cum Neoburgico vi extortum, eoque obligatione cassum esse. Nam Cæsarem dudum cum Lotharingo de Polonico negotio convenisse. Sed cum post Gallus super pacto inter Cæsarem & Neoburgicum circa idem negotium movere cœpisset, Cæsareos ministros initio dubitasse, post demum in id consensisse, ut Gallo juxta atque Electori & Neoburgico illuderent.

Galli mala fide cum Neoburgico agunt. §. 86. Nec minus Galli, quicquid verbis testarentur, parum sincere cum Neoburgico agebant. Sane Elector Gallo declarabat, nullo modo se toleraturum, Condæum corona potiri; quod è Polonia nuntii adferrent, Gallicam factionem acriter pro hoc conniti; id quod sine consensu Regis fieri nequeat. Sed Lionnæus confirmabat, Regem promisso suo staturum, modo cautum sit Lotharingum diadema haut nacturum. Biterrensis quoque in antecessum viam excusationi muniebat, de Neoburgici ministris in Polonia questus, velut qui ibi per imprudentiam heri sui causam prodant, & culpam in ipsum rejicere velint, diffidentia quoque ostensa. Unde facultatem sibi adimi, utilem Duci operam navandi. Demum Lionnæus Blumenthalio, ac Leradio literas prælegebat à Gallo ad Rempublicam Poloniæ scriptas, quibus petebat, ne in electione Condæi rationem habeant, quod ipse Electori promiserit, id se non permissurum, sed ut Neoburgico præ omnibus candididatis coronam deferrent. Ast nec has literas ipsis in Poloniam curandas, nec exemplum tradere volebat, causatus, moderamen negotii Biterrensi relinquendum, nec literas prius Polonis reddendas, quam Lotharingi spes eversa, Neoburgici stabilita sit. Alias enim si Condæus excludatur, Neoburgici rebus adhuc nutantibus, solum Lotharingum candidatum superfore. In Polonia Biterrensis Hoverbequio dixerat; se Condæi exclusionem non posse non in Galliæ ignominiam accipere. De quo cum Blumenthalius, & Leradus quererentur; Lionnæus nil aliud reponebat, quam istum talia sine mandato loloqui. Gniesnensis quoque Electoris legatos tentaverat; an non Neoburgicus permoveri possit, ut petitione desistat ea lege, ut refusionem sumtuum recipiat, qui ad undecies centena uncialium millia surgere ferebantur. Id quod cum Blumenthalius Condæi instinctu factum argueret, ac Lionnæus responderet, non posse Gniesnensi præscribi quid facere debeat, incalescente disceptatione Blumenthalius in os isti dicebat; Ubi Elector viderit, Neoburgicum corona non potiri, eum potius Lotharingo fauturum, quam permissurum, ut Condæus Rex fiat, nec se ludibrio haberi passurum; nec eum de Gallia meritum, ut ita cum ipso agatur; ac ni pacta melius serventur, aliam eidem viam ineundam, eisque se juncturum, qui Gallo parum grati sint. Cui Rex responderi jussit; dolere sibi, Biterrensem actionibus suis ansam præbere querelis adversus ipsum movendis; ac jussa isti transmittenda, ut deinceps aliter se gerat. In Polonia quoque ministri Gallici ferebant, se Condæo in eum duntaxat casum fauturos, si Neoburgicum excludendum adpareat: sed revera Biterrensis cum Primate, & aliis Condæanæ factionis clandestinis conventibus unice pro Condæo nitebatur. Cui Elector sine ambage declarari jubebat; omnibus se viribus Condæo restiturum, ac potius Lotharingicæ factioni accessurum, Condæo dejiciendo. Etsi Polonos à Lotharingo eligendo sedulo dehortaretur, per quem Resp. certo bello sit implicanda; ac se omnia tentaturum ultioni ab isto sumendæ, à quo tam graviter læsus fuerit. Cæterum tunc in apricum erumpebant, quæ Biterrensis hactenus dissimulare studuerat, quod cum à Nobilitate super Condæo è numero candidatorum expungendo agitari animadverteret, is vehementer perturbatus fremeret; id ubi fiat, se id maximæ injuriæ loco habiturum, atque protinus discessurum. Cum tamen pactis antea, ac sæpius repetitis promissis Rex declarasset; se nolle Condæum corona Poloniæ potiri. *7. Jun.* Ast universa Nobilitas insuper habitis Biterrensis tumultibus ad septa adequitans Senatores cogebat, ut Condæo renuntiarent, atrocibus minis sparsis ac triginta amplius tubis in septa displosis. *Colo.* Nec eo minus Condæana factio destinatis suis insistere, ac instaurandis suis rebus electionem extrahere conari. Quo fine & Biterrensis monitus licet oblatum à Rep. alloquium obire nolebat, offensam è Condæi repulsa causatus. Ad extremum tamen Sobiescii uxor pollicebatur, se multos in Neoburgici partes pertracturam, si XL. M uncialium præsenti pecunia sibi numerentur. Ac fatebatur, se juxta, ac maritum Condæo studuisse, quod antea multis cum exsecrationibus negaverat. Sed Neoburgicis pecunia deerat, quod à Gallis mutuo nil accipere possent; nec Warsaviensibus mercatoribus in promtu pecunia esset, quam Wratislaviæ recipere possent, ubi à Neoburgico insignis summa deposita erat: cum contra Lotharingici affatim largirentur. Enimvero omnes istas machinationes in irritum deducebat Nobilitas, quæ maximo numero armata aderat, magnopere in Senatores irritata velut publicam libertatem cauponantes; simul fremens Regem se suo è placito facturam, atrocibus minis in resistentes sparsis.

Legati exterorum ab Ordinibus audiuntur. Marescotti. §. 87. Instante jam electionis die exterorum legati solenni audientia pro more candidatos quisque suos Reip. commendabant. Etsi Nuntius Pontificis Marescottus oratione sua nil præter curam Catholicæ religionis ingerebat. Schafgotschius Cæsareus, & Claudius Tottius Svecicus legati Neoburgicum commendabant, etsi verbis paucis, & langventibus, ac addita hacce clausula; se nullo modo per hanc commendationem liberæ electioni vel hilum præjudicare velle. In ejusdem favorem Regis quoque Angliæ literæ ad Remp. prælegebantur. Nostri eadem pompa, qua Cæsareus, in septa adducti, perorante Hover-

1668. Hoverbequio, quicquid in favorem Neoburgici dici posset exponebant. Boineburgius Neoburgici legatus ornata oratione gratias primo Reip. agebat, quod huic Principi altera jam vice inter candidatos locum concesserint. Tum multis extollebat nobilitatem familiæ, è qua Cæsares ac Reges orti sint; ac uti Jagellonicæ Domui per affinitatem innexus sit, ut à Polonis pro mero extraneo haberi haut debeat. Qui & Senatoribus debitam reverentiam, Nobilitati inusitatum affectum semper adprobaverit. Enumerabantur inde animi, corporisque dotes, ac egregiæ ad Rhenum, Danubiumque ditiones, quas in usum Reip. offerat; de quibus & ita dispositurus sit, ut totus Reip. negotiis vacare queat. Circa filios secuturum, quod Reip. placuerit. Si Moscus ereptas Poloniæ provincias ultro non restituat, se post finitas inducias bello istum persecuturum, ac in eum finem V M militum de suo aliturum. Militiæ Regni in unum annum stipendia daturum: collapsas munitiones reparaturum, ac ubi opus sit, novas excitaturum, exercitia equestria instauraturum; ducentis Nobilibus Polonis annua stipendia daturum suscipiendis peregrinationibus. Denique cum vicinis amicitiam culturum: Sed si quis Reip. injuriam intentet, arma oppositurum, ac inprimis barbarorum incursiones coërciturum. Laudabatur oratio juxta, & orator. Nonnulli tamen, qui inter seria quoque jocos captant, cavillabantur: Neoburgicum in eo quoque Polonorum habitui se attemperasse, quod legatum miserit calvitio spectandum, nullo factitio capillamento. Nec minus eloquentiam suam expromebat Lotharingicus legatus, & ipse sublimem Principis sui familiam extollens, è qua Balduinus quondam Hierosolymorum Rex ortus sit; cujus nepotem aurea corona redimi optabat, uti iste per modestiam sibi spiriam imponi passus fuerit. Laudabat ejus juventam, cui velut ceræ Resp. quam ipsa optet formam imprimere possit. Cui & in proclivi futurum sit linguam Polonicam, ac penitissimas rationes Reip. Polonicæ addiscere; quod ars regendi Poloniam non nisi in ipsa Polonia percipiatur. Ipsum à nemine extero commendatum, eoque nemini beneficio obnoxium, soli Reip. gratias debiturum: nec illicitis se modis obtrudere studuisse. Eundem annua quingenta florenorum millia daturum de suis reditibus abolendæ vitiosæ monetæ; exercitibus Regni residua stipendiorum exsoluturum: ponte è quadrato lapide Vistulam apud Warsaviam intra quadriennium straturum: commercia promoturum; IV M militum ad usus Reip. ubi opus sit de suo exhibiturum: gymnasium pro centum Nobilibus Polonis Pontamussoni erecturum: Polonicas vestes gestaturum, & per omnia moribus Polonicis se attemperaturum: cohortem prætoriam è solis Nobilibus Polonis assumturum: neminem extraneum ne suæ quidem nationi absque Reip. consensu in Regnum admissurum. Quin in Reip. arbitrio situm fore, Ducem, an Regem vocare ipsum velint. Quorum nonnulla satis abjecta risu excipiebantur.

§. 88. Ac jam aderat dies electioni destinata, quæ multorum annorum machinationes, laboresque, & expensas inanes reddebat; quod tres factiones, dum se mutuo subvertere nituntur, quartæ haut cogitanti viam stravissent. Cum hymnus ordiente Posnaniensi Præsule decantatus esset, quilibet Palatinus ad Nobiles sui districtus se conferebat, qui universi circa septa adstiterunt, ac de eligendo inter se colloqui cœperant. Ubi Salisiensis Palatinus suffragii ambiguus differebat; *duos se videre candidatos, quorum neuter unanimi omnium consensu sit eligendus: unde cives in propria viscera savituros ob duos Principes, quorum neuter par sit curandis Reip. morbis. Unde si norit id Palatinatui gratum futurum, se Piastum propositurum, qui saltem pacem & concordiam inter cives servaturus sit.* Cui sententiæ cum omnes applauderent, ac ut istum nominaret instarent, ille inopino consensu confusus velut perfunctorie Michaelem Thomam Coributum Wiesnovicium nuncupabat. Ab hoc Palatinatu ad vicinum Posnaniensem vox transibat, ubi Præsul; Lotharingum, Castellanus, & Signifer Neoburgicum commendabant. Sed audito Wiesnovicii vocabulo multitudo velut instinctu, eum à se probari exclamabat; frustra Castellano, & tribus aliis pro Neoburgico connitentibus, quibus cum acinaces intentarentur, cedendum erat. Hos Palatinatus reliqui Majoris Poloniæ impetu, & velut extra se rapti sequebantur. Et eo ipso tempore examen apum, & columba adparens in omen trahebatur, quasi ipsum cœlum electionem adprobaret. Sendomiriensis Palatinatus, cui Dux Michael aderat, cum nil minus quam de hoc eligendo cogitasset, ac diu super Lotharingo disceptasset, cui magis quam Neoburgico favebat, audito Majoris Poloniæ consensu huic & ipse accessit. Ast Palatinatus Russiæ, & Belzensis, quo plerique exercituum duces continebantur, in Neoburgicum, & Lotharingum dividebantur, quorum illi Magnus Mareschallus Sobiescius, huic Demetrius Wiesnovvius studebat. Hi duo Palatinatus Piasto nominato contradicebant, velut parum firma valetudine; & quia exercitus opus habeat Rege, cui sit, unde ejus necessitatibus subveniat; etsi Demetrius facile Lotharingi studium in gratiam nepotis exueret. Reliqui Palatinatus aliquantisper velut attoniti hærebant; nec minus Lithuani, ubi acris disceptatio inter Radzivilianam, & Pacianam factionem fervebat, Piastum adspernabantur. Interea in urbem venerant, qui Primatem ad proclamandam electionem evocarent. Is quippe in arce restiterat, ne per factionem Lotharingicam abstraheretur, certus Regem non nominare, quamdiu dissensio duraret. Ei ad septa tendenti media via occurrit Mareschallus conventus retro ire jubens, quod ipse electioni Piasti contradixisset. Quo ipso momento & Sobiescius cum ducibus exercitus occurrit, qui itidem protestatum se ferebat; quorum consensu Primati in arcem revertendum erat. Heic Præsul cunctis confusionem demonstrabat, in quam ipsi Regnum immersum irent: & quia Deo placeat Piastus,

1669.
Electio præter omnium opinionem cadit.
19. Jun.

1669. Piastus, eum recipiendum tanquam ab isto donum, aut castigationem. Mox adfertur Radzivilios quoque & Pacios posito dissidio in Piastum consensisse, ac universos Primatem deposcere, hoc congressu negotium absolvere audentes. Cui consensui & Sobiescius cum reliquis studio pacis manus dans Primatem in campum reduxit. Ubi postquam hic terna vice interrogasset, num quis contradiceret, nemine intercedente Michaelem Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithuaniæ proclamavit, ac currui suo impositum in cathedrale templum hymno decantando, inde in arcem deduxit. Tali modo tantum negotium intra tres horas confectum. Ipse Michael pallidus, ac trepidus eum honorem non sine lacrymis deprecatus fuerat, nec se tanto Regno gubernando parem: non Regem, sed servum ipsorum se fore. Sed voluntati populi mos gerendus fuerat. Ita sola Nobilium universitas rem confecit, nulla Senatus autoritate, à quo per septem hebdomadas tempus inutilibus litibus consumtum fuerat. Ac Condæana, atque Lotharingica factio, quo Neoburgicam opprimerent, ita omnia confuderat, ut nihil ordine agi posset. Et qui universam Nobilitatem huc evocandam svaserant, sine dubio clam inter se ita convenerant. Jam quoque Cæsarei, & Galli ex eventu perspiciebant; quid simulatis suis commendationibus effecissent, ipsi, dum Neoburgico illudere instituunt, ludibrium orbi debentes: cum Elector eam laudem reportaret, sinceræ amicitiæ specimen bona fide exhibuisse. De cujus electionis eventu cum hic intellexisset, protinus ante denuntiationem Warsaviæ factam per Borussiam grates Numini persolvi jubebat: tum legatis suis scribebat: *Providentiæ divinæ decretis adquiescendum, & quia Deo ita visum, ejus voluntati, ac temporibus cedendum; cujus bonitati sat dignæ gratiæ reponi non possint, quod tam arduum negotium absque bello, & cæde, periculosisque motibus perfectum fuerit.* Jubebat quoque, ut novo Regi gratularentur, & aliquantisper adhuc Warsaviæ subsisterent. Tum & dextre explorarent, num Michaëli placeat majorem natu filiam Ducis Curlandiæ ducere quam antea valde affectaverat. Aut si id non succedat, Neoburgici filiam majorem natu insinuarent. Etsi protinus Schafgotschius pro Austriaca, Biterrensis pro defunctæ Reginæ nepte loborabat. Et quia novus Rex dixerat, se quam maxime amicitiæ Electoris confidere, cum satis intelligat, adversitates sibi haut defore; eidem ipsius nomine amplissime pollicerentur.

Judicium de hac electione. §. 89. Isthæc electio improvisa licet, & præter Electoris destinata huic hautquidquam damno cedebat, cum per eam Reip. nil potentiæ accederet, aut opum, quod ab aliis expectabatur; cui & æs alienum deinceps grave incubiturum erat, & sumtus formandæ aulæ Regiæ, quibus Michaelis patrimonium non sufficiebat. Sed proceres eam electionem ægerrime ferebant, per quam maximarum largitionum spe excidebant, plerisque pomissis in eventum futuræ electionis collatis. Ast nostri testabantur: *Electorem scopo suo potitum, qui non alius fuerit, quam concordibus suffragiis ejusmodi Regem creari, per quem Reip. juxta, ac vicinis quies constare queat; ac Neoburgicum non alio fine commendasse, quam quia inter omnes candidatos neminem viderit, per quem Reip. melius sit consulendum. Sed quia Deus & Resp. Piasto præter omnium opinionem coronam contulerit, Electorem non solum eo gavisurum, sed & veterem amicitiam adversus Regem, & Remp. semper exerciturum.* Contra Lotharingici jactabant; *Polonis pœnitentiam subituram, Ducem istum non electum, utpote qui decreverit primo statim regni anno Electori bellum inferre, ac Borussiam in dotis vicem corpori Reip. inserere.* Cæterum postquam instinctus, quo plerique in ea electione rapti fuerant, exolevisset, multos ejusdem pœnitebat, velut per quam dissidia Reip. haut penitus solidata fuerint: tum sperata ab aliis emolumenta decessisse, liberationem à debitis publicis, solutionem stipendiorum exercitus, abolitionem cupreæ monetæ. In quorum locum tributa sint augenda, quibus in aliquot annos supersederi potuerat, accedentibus sumtibus in coronationem, novamque aulam, ac paratum regium, & nuptias. Quanquam autem novum regimen auspicante Electoris amicitia cumprimis utilis videretur; multi tamen novi Regis animum ab eodem avertere studebant, malevolentia in hunc non minus quam Regem, quem fido amico privare studebant. Ipse quoque Rex in literarum inscriptione, queis legatis suis fidem faciebat, desiderabat, quod Coributi vocabulum esset additum, ac Ducis Wiesnovicii, ac Lubniæ, quibus vocabulis non amplius nuncupari se volebat; & quod ab Electore tantum *cognatus & fœderatus*, non *affinis & frater* vocatus esset; quod nostri deinceps emendatum iri promittebant. Cum nostri Regi valedicturi essent, abnuebant aulici eos curru regio pro more in arcem vehere, causati, Regem nondum id genus currus comparasse. Unde nostri unico curru sine pompa velut privati in arcem accedebant. Apud valedicentes querebatur Rex de occupato Draheimo, de trajectu Vistulæ, quod Elector debita ex fœdere auxilia non præstitisset, ac insuper à quingentis equitibus exhibendis per Joannis Casimiri privatam declarationem liberari se curasset; denique titulum Lauenburgi & Butoviæ sibi non debitum usurparet. Ad quæ nostri solide respondebant, addito; se literas obitæ legationis fidem facientes absque eo titulo non accepturos; ac demum interrogabant: num pacta servanda sint? Ad quæ Rex: pacta utique servatum iri, ac sibi propositum cum vicinis pacem colere; ad quod per pacta conventa jurejurando firmata teneatur. Sed tituli Lauenburgi, & Butoviæ in pactis mentionem haut factam, cum contra Sveci pace Olivensi titulum Livoniæ expresse sibi stipulati sint. Sed cum nostri reponerent; Duces Pomeraniæ non solum eo usos, sed & eundem à Regibus sine contradictione istis tributum; Rex demum declarabat: in præsens eum titulum tribui non posse, comitiis tamen coronationis causa indicendis

(right margin: 1669. — 15. Jul. beside "Quanquam autem novum regimen")

1669. cendis ſuper eo tractari poſſe. Ita noſtri ſine iſtis literis diſceſſere. Aſt Joannes Caſimirus poſt, cum depoſito diademate in Galliam perveniſſet, ad San-Germanum tali modo Regem inviſit. Cum iſte per unam conclavis januam intraſſet, Gallus eodem tempore per alteram ingrediebatur, ſic ut prope in medio conclavis occurrentes ſeſe amplecterentur. Ubi Polonus in eum ſenſum locutus eſt: *Quamdiu diadema, ac gladium geſſerit, ſe iis ſemper ſtuduiſſe Gallo inſervire. Nunc nil niſi preces ſupereſſe, quas Regi toto corde offerat.* Poſt brevem ſermonem, quo utrinque Majeſtatis titulum ſibi tribuebant, ac ſemper tecto capite adſtiterant, uterque per eam, qua venerat, januam exibat. Inde iſte ad Reginam deductus eſt; ubi & utrinque Majeſtatis vocabulum fuit adhibitum. Intervenerant ibi quoque Delphinus, Regisq; frater, & ejus conjux, qui iſtum ſalutarant. Unde digreſſus Lutetiam in Abbatiam Divi Germani conceſſit, ubi quod reliquum erat vitæ exegit.

Conſideratio artificiorum Gallicorum circa illudendum Neoburgicum.

§. 90. Cæterum quia ludibrium, quo Galli Neoburgicum circa coronam Polonicam exercuerunt, non parum facere poteſt ad genium aulæ Gallicæ penitius introſpiciendum, & qua circumſpectione cum illa tractantibus ſit utendum, ubi ejusdem manifeſta utilitas non adparet: operæ pretium fuerit ab initio repetere, qua aſtutia iſti Principem ſane ſolidæ prudentiæ lactaverint. Cardinalis Mazarinus jam anno 1657. apud Palatinum Neoburgicum ſeu affectu in hunc, ſeu quia opera ejus emolumenti quid in rebus Germanicis ſperabat, circa ſucceſſionem in Polonia ultro movere cœperat, oblato non ſolum ſuo ſtudio, ſed & trecentis uncialium millibus mutuo dandis, cum alias pecuniarum ſat parcus diſpenſator eſſet, ea lege, ut Dux non prius ad eam ſummam reddendam teneretur, quam diademate Polonico potitus eſſet. Iis promiſſis eo magis adquieſcebat Dux, quod poſt tractatibus Pyrenæis Mazarini favorem circa recuperandum Juliacum ſentiret. Aſt poſt Regina Poloniæ, ſive per ratiocinia, ſive artificia, aut tacitas minas Regem permoverat, ut non amplius circa Neoburgicum, ſed Condæum ejusque filium Enguianum curam ſuſcipere, ac in Polonia miſcere conſilia inciperet. Circa quam mutationem tamen Mazarinus Neoburgici miniſtris ſemper teſtabatur, ſibi quidem in Regis gratiam ſtudium pro Condæo ſimulandum; ſed ſi aliquando ad ipſam electionem accedendum ſit, ſeſe Auſtriacis candidatis ita abrupte excluſionem daturum, ut horum fautores vindictæ cupidine non minus ad dejiciendos à Gallia commendatos connixuri ſint. Unde diadema ultro in Neoburgicum derivandum, cum nemo Candidatorum deinceps futurus ſit, qui ei ſe æquiparare poſſit. Sed artes iſtæ conclavi Romano ſolitæ cum Cardinale extinguebantur; ac Neoburgicis miniſtris, cum Galli favorem ſaltem eum in caſum ambirent, quando Condæanæ domui ſua ſpes decolaſſet, occinebatur; *Condæo ſemel in eam rem fidem datam, nec eo nomine ullo modo alteri favorem promitti poſſe, etiam ubi certum ſit Condæi ſpem inanem fore; quod hic ſemper ſuſpicaturus ſit, intempeſtive ſe deſtitutum, aut ſaltem non eo ſtudio, quod promiſſum ſit, cauſam ſuam actam. Regem autem juvenem, ac imperii recentem quantovis emolumento nolle ſibi attrahere infamiam fidei non exactiſſime impletæ.* Aſt poſt cum Gallicum nomen indies in Polonia magis inviſum redderetur, præſertim per actionem Lubomirſcio præter formam juris intentatam, atque præcipitatam, Neoburgicus huic aurem præbere inſtituit, velut qui cum ſua factione iſti ſcripto, ac per delegatos omne ſtudium ad nanciſcendam coronam promittebat. Contra Galli intelligebant, ſua deſtinata ideo præcipue difficilia reddi, quod ea præmature in lucem erupiſſent, ac per ſolicitum nimis ſtudium Polonis ſuſpicandi anſa præbita foret, libertati ſuæ grande præjudicium ſtrui, obtruſo, dum Rex adhuc vivit, ſucceſſore. Unde iſti vocem jam mutare, ac Neoburgicis, qui interim pro ſuo Principe Gallorum favorem ambire non deſierant, confirmare; Regi valde moleſtum eſſe, quod Duci gratificari nequeat, & quod promiſſis Condæo factis eo magis inhærendum ſit, quia Regina minetur, ſi Gallia ipſam deſtituat, nec amplius pro Condæo, ejusque filio nitatur, ſe Auſtriaca è factione Principem ad Coronam promoturam, altera ſua nepte Benedicta in connubium ei locata. Iſthoc prætextum Neoburgico anſam præbebat è Gallis quærendi; quidnam in ſui gratiam facturi ſint, ſi Reginam Poloniæ, antequam ſua deſtinata effectui dederit, fato fungi contigerit? Ubi reſponſum; eo caſu omnem operam è Gallia ipſi expectandam. Inter iſthæc promiſſa tamen impenſe ſatagebatur, ut Lubomirſcius, qui ſtudium in Neoburgicum, & odium in Gallicum Regem præ ſe ferebat, ad alia conſilia pertraheretur; ac jam varias per artes res eo deducta erat, ut iſte Reginæ reconciliatus ejus cupitis accederet, ipſius autem filius ejus neptem Benedictam ducere deberet, egregiis muniis, ac beneficiis nactus, ni per Lubomirſcii mortem omnes eæ præſtigiæ evanuiſſent. Dehinc & Regina ipſa rebus humanis exemta eſt, antequam effectui data videret, circa quæ tantam curam impenderat, incaſſum conſumtis artificiis, quorum genius Gallicarum fœminarum capax habetur. Is caſus eo minus tempeſtivus Gallis videbatur, quod ipſi præ ſe ferrent, quaſi cum ea omnis Condæanæ domus ſpes intercidiſſet. Unde cum ſtatim poſt Reginæ mortem Neoburgicus Gallis promiſſa ſua in memoriam revocaret, citra hæſitationem confirmabatur; in ipſius gratiam Condæi cupita circa Poloniam ſe abdicaturos, ac pro eodem omnia facturos, quæ ſalva ratione à ſe poſtulari queant. Nec Regi ſufficiebat ea promiſſa Leradio per ſe, ac ſuos miniſtros feciſſe; ſed & eadem miſſo Gaumontio apud ipſum Ducem iterabat. Ac ut res eo certius ſuccederet, non ſolum Duci ſuggerebatur, ut Cæſarem, ac Svecos ſibi adjungeret, eoque nomine cum his pacta iniret: ſed etiam ipſe Rex cum Brandenburgico Electore conventionem inibat, qua promittebat; ſe de Condæo, aut alio Gallico Principe non amplius

1669. plius mentionem facturum; quin si is aut alius Gallicæ nationis alia via Polonicum diadema affectaret, omnibus viribus id impediturum. Eo promisso confisus Neoburgicus id jam agebat, ut Gallus Joanni Casimiro persvaderet in ipsius gratiam regno se abdicare, ubi id petitum foret, quod antea in Condæi favorem se facturum solenni pacto promiserat; quod pactum ut ad se adplicaretur, Dux petebat. Id quod Biterrensis Præsul autoritate sua apud Joannem Casimirum, ac dexteritate Dænhofiæ, animum hujus quo ipsa vellet inflectere callidæ, cujus & opera in hanc rem Neoburgico XL M uncialium emenda fuerat, facile obtinuit; hoc duntaxat discrimine, quod Jo. Casimirus pensione annua L M uncialium contentus esse vellet, si in Condæi gratiam Regno sese abdicaret; nunc si id in Neoburgici favorem faciendum esset, duplum exigeret, cui summæ tamen detrahi possit, quantum Resp. Poloniæ ipsius sustentationi assignatura sit. Vicissim Neoburgicus suggerentibus ministris Gallicis Biterrensi Cardinalitium galerum promittebat, de quo & peculiaris articulus pacto cum Jo. Casimiro inserebatur. Biterrensis quoque multos in Polonia proceres, ac inter alios Gniesnensem permovebat, ut quemadmodum antea scripto promiserant instante electione Condæo suffragium dare; ita nunc novos contractus in Neoburgici favorem eo sequestre inirent, quos Gallus præstandos in se recipiebat; simul ut scripta promissa antea Condæo data præsente ministro Neoburgico igne abolerent. Nec eo magis Neoburgicus plenam fiduciam de Biterrensis candore concipiebat, quod neque Pacii in Lithuania, nec Reijus adduci possent, ut quidquam ipsi pollicerentur, futili prætexto, se ei Principi suffragari non posse, cui Radzivilii, capitales sui inimici, faveant; utut alias isti plane à Biterrensi penderent, quorum ministerio etiam hic expromendis suis artificiis utebatur. Unde & Neoburgicus subinde in Gallia querebatur, sibi non leves causas esse de Præsulis candore dubitandi. Id quod ad tempus excusabatur; arcte nimis eum Reginæ, & Condæanæ domus rationibus innexum fuisse, quibus ita raptim sese extricare non valuerit. Non dubium tamen, quin is jussa Regis summa cum diligentia exsecuturus sit. Demum tamen & circa isthoc Duci satisfactum, Biterrensi è Polonia revocato, ac in Ducis arbitrium collato, è Gallica natione denominare, cui plane fidat, & quem idoneum judicet tanti momenti negotio tractando. Ita Biterrensis è Polonia revocatus est, in cujus locum Gaumontius commendabatur. Ast Biterrensi Lutetiam reverso ista omnia retractabantur, prætexto sumto, velut Jo. Casimiro ita placeat, & quia revera nemo Ducis emolumenta melius quam iste in Polonia observare possit, cui ibidem exacta rerum notitia, ac plurimi amici. Ac ipse Præsul gratiæ sibi conciliandæ haut omittebat Neoburgicis ministris enixissime de studio suo testari, ac nonnulla suggerere, quæ ex aula Gallica his destinatis eo melius perficiendis requiri debeant. Is etiam cum petente Duce Rex eundem per Neoburgum iter sumere juberet, cum ipso Duce communicaturum, alacri animo id fecisse visus est, ac huic autographa mandatorum ostendit; tum de Regis, ac suo in Neoburgicam domum affectu ita prolixe testatus est, ut Duci prius concepti scrupuli plane eximerentur. Cum etiam post compertum esset, Ducem Lotharingiæ agnato Carolo pecunias suppeditasse factioni in Polonia parandæ, Rex Neoburgico requirente Lotharingum per literas talibus absistere monuit. Unde Lotharingus protinus literas collybi, quas dederat, retractabat, addito promisso nil se contra Regis voluntatem facturum, nec agnato pecuniæ quid amplius præbiturum, quicquid soror sua Aurelianensis vidua, ac alii è sua Domo instent. Denique cum Neoburgicus quereretur, Condæum per veteres amicos factionem suam in Polonia firmare haut omittere; eoque ad majorem sui securitatem opus fore cum scripto cavere, se coronam si maxime offeratur non acceptaturum; id quoque à Condæo, quantumvis durum videretur postulatum fuit. Qui etiam non quidem ea, qua Neoburgicus volebat, forma scriptum edidit: haut eo minus ad Biterrensem literas scripsit eo sensu: Quia Rex suis rationibus haut congruum ducat, se ulterius circa coronam Polonicam satagere; Præsulem gratum sibi facturum, si omnibus suis amicis in Polonia significet, ne instante electione sui mentionem faciant. Ita Gallus omnia fecisse videbatur, quæ salva ratione peti poterant, nisi quod pecuniam mutuo dare nollet causatus, se jam tum in hanc causam tot sumtus fecisse, ac in Ducis gratiam tam egregiam operam navasse ut merito hic adquiescere, nec ulterius sua bonitate abuti debeat. Huc accedebat, quod Duci duo milliones, & CCCC M florenorum Polonici debiti donasset, quo Reipublicæ gratiam eo dono sibi conciliare posset. Tum quod Sobiescio dignitas Ducis & Paris, ac Mareschalli Franciæ, & Equitis S. Spiritus promitteretur, si Neoburgico suffragium dare vellet. Pro his omnibus nil emolumenti nec conditiones Neoburgico molestas Gallus sibi stipulabatur. Ista omnia etsi plenam fidem facere viderentur, Gallum candide pro Neoburgico niti: tamen ex adverso graves causæ erant suspicandi, ista omnia non nisi in speciem fieri, ac Gallo nec spem, nec studium decessisse Condæum solio imponendi. Neque vero ratio adparebat, quare iste Neoburgico magis quam Condæo faveret, aut quare idem prioribus destinatis abstiterit. Nam quod Gallus è re sua duxerit Principem sui sanguinis Polonia potiri, in aprico erat. Sane & de eo Gallus sibi caverat tractatu anno 1661. cum Svecia inito; ac in fœdere, quod anno 1667. inter ipsum & Sveciam agitabatur, ea conditio de Condæo semper inter palmarias habebatur. Rex quoque ipse, ac Regina Poloniæ, & Condæus tot sumtibus isto conscio factis satis ostenderant, quantopere ea res cordi sibi foret. Ast nil interim accidisse adparebat, quo Gallus inductus, aut compulsus foret priora destinata abdicare, insuper habito labore, sumtuque impenso. Nam vel ideo Galici sangvinis Rex in Polo- 1668.

1669. Polonia optabatur, ut per eum Sveciæ opera supersederi, eaque in officio contineri posset: vel ut Austriaci Poloniæ favore excluderentur. Atqui tunc temporis Sveciæ magis curæ erat æquilibrium rerum Europæarum, & prioribus bellis parta tueri, quam augendæ potentiæ jam plus satis formidabili studere; à qua nil præter perpetuam dictaturam cum extirpatione sacrorum Protestantium expectari poterat nullo alio fructu, quam ut ob vilem pecuniam aliis obnoxia ageret. Contra Austriacos autem studioso Galliæ rebus Rege in Polonia nunc quam maxime opus erat, quod mors Regis Hispaniæ brevi apertura crederetur successionem tam divitem, quæ Cæsarem, ac Gallum asperrimo bello collisura erat. Quin & Gallo expediebat ubique locorum novos, ac constantes amicos quærere, quod importuna ambitione veteres amicos protelasset, simul ostendisset, non sibi duntaxat propositum Austriacam potentiam librare, sed & Christiano orbi compedes injicere, quorum suspicio hactenus Hispanis tantam invidiam excitaverat. Sed nec in Polonia, nec in Condæana domo quid contigerat, quod justam causam Regi præberet capta semel consilia mutandi. Equidem in Polonia Regina obierat, Gallo æstimata non tam propter affectum in suam nationem quam ob solertiam adversas suis destinatis machinationes dissipandi. Sed supererat Rex Joh. Casimirus, majore in Galliam studio quam Regina, quod hæc nunquam in istius gratiam diademate se spoliatura fuerat. Per Lubomirscii autem mortem Nobilitati, quæ præcipue Gallicum Regem fastidiebat, caput subtractum erat. Quin Gallus morte Reginæ plus profecisse, quam amisisse videbatur. Nam suspiciones, quæ istius consilia semper apud Polonicam Nobilitatem excitaverant, cum ipsius morte cessaverant. Sed quæ nunc à Johanne Casimiro, aut Proceribus Regni in favorem Principis Gallicani fierent, facile præsenti Reipublicæ necessitate colorari poterant, quasi hæc salva esse non posset, nisi ope divitis, ac Martio spiritu præditi Regis; quæ duo in Condæo, si in quopiam alio, reperiuntur. A quo nec libertati Polonicæ periculum metuendum sit; quod nec in Stephano Batorio, nec in Sigismundo Sveco ejusmodi metus locum habuerit; quorum ille Condæo opibus par, hic longe superior fuerit. Ac Polonicam Nobilitatem semper judicasse, libertati se suæ contra quamcunque vim, aut insidias tuendæ parem. Unde Jo. Casimirus post Reginæ mortem tanto efficacius eam causam agere poterat; quo pluribus amicis iste stipabatur, ac quo minus suspicionis ab eo profecta habebant, velut aliunde quam ex amore patriæ promanarent. Sed & qui viva Regina Galliæ addicti fuerant, ea mortua in isto affectu immoti persistebant; Gnieinensis, fatente Lionnæo pro Condæana domo vivicomburium subiturus; Pacii, Reijus, Morsteinius, Sobiescius, ingens momentum partibus daturi. Sed nec Condæus Regi vel minimam causam præbuerat, ut totiens facta ipsi promissa retractaret. Quin eo tempore plurimum ejus æstimationi accesserat, dum is exiguo negotio Burgundiæ Camitatum Regi subegit. Et quia Ministri Status contra prægravem sibi Turennii autoritatem in Condæo præsidium quæsierant, haut verosimile erat, eosdem in præmii vicem spes istius in Polonia eversum ire, ni indeclinabilis necessitas, aut majus emolumentum subigeret. Et cum Rex erga alios fidei à se datæ eximius cultor videri vellet, quare eam temere violaret in Principe agnato, de cujus studio, si maxime Polonico diademate potiretur, per tam insignia bona cautum erat, unde annua quatercentena uncialium millia isti redibant? Cum itaque Principes omnes suas actiones utilitate metiantur, nisi forte stolida pervicacia aut cœco impetu ruant; nil aliud colligi poterat, quam Gallum semel captum consilium hautquidquam dereliquisse; sed quicquid cum Neoburgico miscuerit eo fine fecisse, ut per præmature agitatam Condæanam successionem exacerbati animi in Polonia iterum mitigarentur, ac Condæanæ factioni spatium daretur machinationes suas silentio, ac minore cum molestia, & citra oppositionem persequendi. Nam si res cum strepitu gereretur, facile erat Gallicam nationem aversantibus ante electionem conspirare, & in districtuum conventibus ejusmodi leges stabilire, queis Gallico Condidato omnis coronæ spes adimeretur. Neque enim credendum, Gallum in solius Reginæ gratiam Poloniæ rebus se miscuisse; cum longe enixiore studio, ac majore pecuniæ profusione res gesta sit, quam ut unice isti fœminæ blandiri vellet; nisi quantum sibi emolumenti exinde proventurum foret præ oculis fuisset. Quid quod ea promissa non soli Reginæ facta erant, sed præcipue Condæo, quicum solennis tractatus initus erat, cujus vi Rex promiserat, se ipsum, aut filium Enguianum ad Polonicam coronam promoturum, data quoque summa octingenties mille uncialium; hoc vicissim Chantilliam arcem, aliamque terram opportuno situ in Regem translaturo. Sed nec Reginæ integrum erat Condæi partes deserere, quod contractui matrimoniali inter ipsius neptem, & Enguianum insertum esset, ut ista omni ope conniteretur, quo hic Jo. Casimiro succedere posset. Unde si quando ista offensæ quid erga Galliam ostendebat, aut ad Austriacos se transituram minabatur; id ideo duntaxat factum, quod non semper Lutetiæ tantum pecuniæ, quantum ipsa poscebat, expendere cuperent. Quod autem Galli Polonicum negotium in fœdere, quod anno 1667. cum Svecis agitabant, demum exclusuros se offerebant, id factum, quod Svecis neque è sua re, nec ex usu libertatis Poloniæ videretur, eum articulum, prout à Gallis conceptus erat, admittere. Gallis autem haut placebat eum ob articulum fœdus subjugando Belgio tam necessarium, de quo tunc adhuc spes erat, vado adhærescere. Præsertim cum ipsis in proclivi foret, abdicationem Joannis Casimiri, quæ in ipsorum jam manu erat, eousque differre, quoad vel commodior in Svecia animo- 1669.

rum

1669. rum inclinatio emergeret, aut de ea successione ita ipsis cautum foret, ut nec Svecis, nec aliis vicinis facultas superesset, eam impediendi. Tractatus cum Brandenburgico ejusmodi tempore inibatur, quo nil ab hoc peti poterat, quod Gallus ei utraque manu concessurus non erat, ut istum ab Austriacis, & Belgis, in quos inclinare videbatur abstraheret, ac per eundem potentissimos Protestantium in Germania in suspenso teneret. Et quia isti foederi hæc conditio addita erat, ut id legibus Poloniæ, ac liberæ electioni præjudicio non sint, cavillari licebat; Polonis integrum fore è quacunque natione videatur Regem sibi eligere; adeoque à Rege se promissam impeditionem non nisi tunc locum habere posse, quando Condæus, aut alius è Gallica natione alio modo, quam per libera & legitima Ordinum Poloniæ suffragia coronam affectaret. Sed & Galli pactis, aut officio grati animi hautquidquam eam vim tribuebant, ut confiderent, à Neoburgico commoda Galliæ pari semper studio, atque à Condæo, promotum iri. Nam Principi mutata conditione priores quoque agendi regulas mutari. Nec penes Neoburgicum corona licet potitum fore Polonos inducere, ut in gratiam Galliæ aliquid susciperent, quod ipsorum inclinationi, ac rationibus repugnet, etsi id ante electionem promisisset. Quin salutem domus suæ in Germania eum obstringere, ut non solum vastis Galliæ consiliis ne faveret, sed & pro virili ad ea elidenda conniteretur. Sane cum Lionnæus è Neoburgico ministro quæreret, an non Dux Regi sociam operam circa subjugandum Belgium navare velit, accepta in præmium ejus portione & corona Poloniæ; hic citra ambages responderat; *talia postulari non debere, quod metuendum sit, ne Gallus post Hispanos Belgio ejectos, ad minores quoque vicinos in ditionem redigendos animum adjiciat* Sed & verosimile erat, Neoburgicum Polonia potitum id acturum, ut primogenitum filium Austriacæ Principi connubio jungat, & exemplo Regis Sigismundi ei se domui plane innectat; haut invita Republica, cui Austriaca amicitia contra Turcas, & Tartaros usui est: & experientia compertum, ab Austriacarum fœminarum sedato ingenio minus molestiarum metuendum, quam à Gallicis mulieribus, turbas fere miscere indefessis. Contra Condæo, præterquam quod Galli beneficio coronam nacturus erat, patrimonium in media Gallia positum erat, cujus & propinquus hæres is habebatur. Eoque hujus incrementis obsistere non poterat; nisi propriæ hæreditatis commoda subvertere vellet. Præsertim cum Poloniæ parum interesse videatur, Gallus, an Hispanus Belgium, aut Mediolanum possideat; ac subversis Austriacis Gallus Polonicam nationem potius sustenturus sit tanquam propugnaculum orbis Christiani, quam eandem infidelibus, hæreticis, aut schismaticis subjecturus. Erat porro & alia suspicandi causa, quod de Gallicorum ministrorum prudentia præsumi non posset, eos Jo. Casimiri abdicationem procuraturos fuisse, ni cautum ipsis foret, à se destinatum successionem potiturum. 1669. Atqui isti quoties serio loquerentur, semper fassi fuerant; sibi in Polonia super Neoburgici successione cautum non esse, sed spem ejus ambiguam, ac facile fieri posse, ut vel Mosci filius, à quo oblata commoda Lithuanis valde salivam movebant, vel Lotharingus egregiis artibus, & Austriaco favore commendatus, ipsi præferatur. Unde sine dubio Gallis de Condæo cautum fuisse, eum à Jo. Casimiro desertum solium iterum impleturum. Ac observabatur, Gallos brevi tempore ante & post resignationem Neoburgici spes propemodum fallere nescias jactasse. Sed difficultatis tunc demum eo magis motas, quo propius tempus electionis instaret, ne iis removendis Neoburgici amicis idoneum tempus superesset. Equidem Lionnæus isthæc objicientibus respondebat: enixe instante Neoburgico, & ut amico gratificaretur à Rege Jo. Casimiri abdicationem permissam; etsi ipse svaserit, ne ea res præcipitaretur, sed ut alia adhuc mora eidem indulgeretur. Enimvero ne privatæ quidem amicitiæ leges permittebant circa ea amico gratificari, quæ huic noxæ esse queant. Quin Neoburgici ministri negabant, se Jo. Casimiri abdicationem eo temporis articulo, quo facta est à Gallo exegisse sed antehac laxis duntaxat verbis eam requisisse hac expressa cum conditione, si eidem id scopo Ducis expedire videatur. Præterea & id suspicionem movebat, quod omnes Proceres Poloniæ, qui antea palam Gallicæ factioni addicti, nunc opera Biterrensis Neoburgico suffragia sua scripta conventione addixerant post ne verbum quidem in Neoburgici favorem facerent, quin omnibus viribus clam Condæo studerent. Sane Gniesnensis contra promissum verbo ac scripto factum eos avertere non dubitabat, qui revera Neoburgico favebant. Ast nisi istis clam cautum fuisset, à Gallo studium in Neoburgicum simulari, hautquidquam Galli juxta & Neoburgici offensam contracturi erant, quorum huic istam perfidiam ulcisci facile futurum erat, si etiam ipsis reluctantibus corona potitus foret. Sane credibile non erat Pacium, penitus Gallico favore imbutum, nec ab uxore, quæ Neoburgico se studere simulabat, nec à Biterrensi maxima apud ipsum autoritate, persvaderi potuisse, ut in Galli gratiam Principi suffragari vellet maxima emolumenta eo nomine pollicitum; ni constaret, à Gallis rem pro Neoburgico haut serio agi, ac his gratum fore, si per simulatum in Moscum studium aliis Candidatis elusis Condæo viam muniret. Accedebat & alia suspicionum causa, quod Gallus sola onera Neoburgicæ promotionis in se suscepisset, pensione Jo. Casimiro promissa, ac debito Reip. Polonicæ in Neoburgicum translato, nullum sibi commodum vicissim stipulatus; quin nec æmulationis quid ostendisset, quod alii quoque Principes in partem gratiæ venirent, quorum rationes à Gallicis plane discrepant. Sane is ultro Neoburgicum hortatus fuerat, ut cum Svecis, Brandenburgico, ac Cæsare eo nomine

1669. mine pacta iniret, queis promovendis ipsius ministri operam navabant, quasi perinde ipsi forer, si futurus Poloniæ Rex æque Cæsari, Sveciæ, aut Brandenburgico, quam Galliæ studeret. Cum tamen ex enixo studio, quod Gallus antea in hoc negotio ostenderat, satis adparuisset, solida, & insignia emolumenta eum à Rege Poloniæ soli Galliæ addicto expectare. Unde credebatur, quia Gallus antea cum damno suo didicerat, pacta cum aliis super Condæi commendatione contrarium plane effectum habuisse, ac ejus destinata magis impediisse, quam promovisse; gratum eidem fuisse, Neoburgicum quoque ad eundem lapidem offendere, ac spes suas ultro subvertere, ut Condæo addicti ista fœdera Neoburgica, quæ à Gallis data opera vulgabantur, Polonis tanquam liberæ electionis juri noxia ingerere possent; ac sequestre Biterrensi cum Proceribus inita pacta velut occultos tramites infamare, per quos Neoburgicus irrepere, ac libertati ipsorum tam gravem plagam inferre instituat. Atque hos conatus eo periculosiores habendos, quo pluribus exterorum auxiliis opus esse Dux iudicaverit: nec alio nisi Poloniæ dispendio fieri, quod tot exteri Principes discrepantibus cætera rationibus in hoc Condidato promovendo concurrere queant. Huc & illud accedebat, quod Milletus cum Berolini jam Electori, & primariis ministris valedixisset, denuo ad extremum Sverinum adierit, secreto eum percontaturus, annon, si post consumtam omnem operam Neoburgico nil spei superesset, is Electori persvadere possit, ut tunc pro Condæo se declarare, & una cum Gallo ad ejus promotionem conniti velit: præmio L M uncialium pro hac opera promisso? Equidem Lionnæus, cum Leradus id exprobraret, statim dixerat, Milleto talia mandata non fuisse, ac pœnas daturum, si Rex id rescifcat. Ast majoris ea res momenti erat, quam ut minister eam injussus proponere, ac Principem suum ad tantam pecuniæ summam obstringere ausurus fuerit. Ac Milletus à legatione redux tantum abest, ut Regis offensam sentiret, ut potius insigni munere ob rem bene gestam donaretur. Denique & Condæi acta non poterant non suspicionem excitare, gravissimas ipsi rationes esse, quare ingentem pecuniæ summam contraheret, ac in promtu haberet, ac solo coronæ Polonicæ respectu eum induci ad ejusmodi remedia arripienda, quæ alias ipsius conditionem parum decebant, & quorum ne probabilem rationem allegare poterat. Nam etsi natura in avaritiam inclinaret, ac enormi parsimonia multum de favore populi, quo antea in Gallia floruerat, detraxisset; ea tamen hucusque porrigi non poterat, ut ne iis quidem solvere vellet, qui ante biennium ipsius filio ad expeditionem in Flandriam, & Burgundiam necessarium paratum præbuerant, ni arcana causa subesset; utque statim post Aquisgranensem pacem *moratorias* literas ex aula obtineret, ne mercatoribus, aut opificibus solvere necessum haberet. Nec enim ulla inopiæ causa adparebat; ac non ita pridem à Regina Poloniæ millionem nongenties mille librarum signatæ pecuniæ, & millionem cum D M librarum in gemmis, aliisque pretiosis acceperat. Præterquam quod is nunquam id sumtuum fecisset, ut non statis ejusdem reditibus aliquid superesset. Unde sine dubio Regi constiterat, Condæi pecunias ad scopum Galliæ proficuum impendi, antequam ei privilegium indulgeret, cum tot suorum civium injuria conjunctum. Id quoque non parum suspectum habebatur, quod, utut Neoburgico diversum promissum fuisset, Biterrensis iterum in Poloniam mitteretur, non novam rem, sed eam tractaturus, circa quam complures per annos quicquid erat Florentinarum artium expromserat. Quo ipso tantam sibi existimationem paraverat, ut Lionnæus subinde diceret: Biterrensem esse dexterrimum ministrum, quo Rex unquam apud exteros usus sit. Quod testimonium ideo meruerat, quia credebatur negotium Condæanum ita digessisse, ut de successu Gallis plene persvasum foret. Ac ipse Lutetia digressus amico dixerat: ita certo stare talo suam negotiationem, ut novum Poloniæ Regem in manu sua tenere videatur; ac de Candidato, qui corona potiturus sit, non prius palam verba factum iri, quam tres, aut quatuor ante electionem dies. Quæ non in alium quam Condæum cadere poterant. Ac in eo ipso Gallica factio maximam fiduciam collocarat, quod tunc demum quando Nobilitas contra reliquos Candidatos incaluisset, de Condæo proponendum foret, velut remedio exacerbatis animis deliniendis; quæ propositio eo rationum pondere fulcienda erat, ut nemo isti electioni opponere se posset, ni hostis patriæ, & turbator quietis publicæ haberi vellet. His omnibus accedebat, quod Condæus de studio Jo. Casimiri, & huic addictorum certus esset, ac præcipuos Proceres, ac inter eos Polonici, & Lithuanici exercitus supremos Duces in partibus haberet, simul pecunia abunde instructus esset, nuper quoque summa DC M uncialium Diepa mari Gedanum translata, ne, si per mercatores trajectio facta esset, de eadem præmature vulgaretur. Cum contra Neoburgico ad extremum pecunia defutura esset, non suffecturis D M uncialibus magno cum labore corrasis, qui de sententia Biterrensis ad pervincendum negotium requirebantur; cui & omnem opem circa suppeditandas pecunias Gallus abrupte negaverat. Atque istarum suspicionum rationes solidas fuisse, ipse mox eventus comprobavit, ut tamen non minus ludibrium Galli, quam quod ipse Neoburgico struxerant, subirent. 1669.

(o)

SAMU-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER UNDECIMUS.

EPITOME.

*Summa destinatorum Gallicorum. 2. Electorem ad triplex fœdus invitant Belgæ; 3. Et Angliæ
Rex. 4. Gallus de bello Belgis inferendo agitat. 5. Elector à Gallo tentatur. Furstenbergii
de refingendo Belgii statu commentum. 6. Electoris ad proposita declaratio. 7. Ejusdem in
Galliam legatio. Apud Coloniensem acta. 8. Elector ad societatem belli in Belgas invitatur.
9. Ejus de his judicium. 10. Bellum in Belgas decernitur: Sed differtur, & quare? 11. Elector ad fœdus
cum Gallo denuo invitatur. Ejus declaratio. 12. Lotharingus sua ditione expellitur. 13. Galli circa
Polonicas turbas sententia. 14. Elector Belgas ad avertendam imminentem tempestatem hortatur. 15.
Belgæ bellum declinare student. Elector denuo circa bellum avertendum movet. 16. Is amplius ad belli
societatem solicitatur. 17. Coloniensis eundem ad bellum invitat. 18. Galli legatio ad Electorem. 19.
Neoburgicus pariter ad societatem belli invitatur: is Electoris sententiam exquirit. Hujus responsum.
20. Super fœdere defensivo inter directores Circuli Westphalici agitur. Elector contra Coloniensem pro-
testatur. 21. Elector à Gallo ad neutralitatem invitatur. 22. Eam Neoburgicus suadet. 23. Una sen-
tentia. 24. Altera sententia. 25. Consultatio super summa rerum. 26. Belgæ segnius bellum adpa-
rant. Elector incassum circa pacem satagit. 27. Gallus Belgis spem pacis adimit. 28. Idem Electo-
rem ad neutralitatem urget. 29. Gallus Electoris declaratione non est contentus. 30. Angliæ Regis ad
Electorem legatio. 31. In Gallia incassum disputatur. 32. Elector Svecorum consilia explorare studet.
33. Habitus tunc rerum Svecicarum. 34. Brandii in Svecia negotiatio. 35. Sveci cum Gallo fœdus ineunt.
Ejus fœderis culpa est penes aulam Viennensem. 36. Considerationes circa id fœdus. 37. Declaratio
Brandio data. Fœderis Gallici interpretatio. 38. Svecorum de Electoris cum Belgis fœdere sententia.
39. Sveci fœdus Gallicum Electori communicant. 40. Cum Daniæ Rege consilium confertur. Controver-
sia super cerimoniis. 41. Altera in Daniam missio. 42. Tertia vice legatus in Daniam mittitur. 43.
Cum Saxone consultatur. 44. Moguntini consilium exquiritur. 45. Altera vice ad Moguntinum mit-
titur. 46. Controversia cum Brunsvicensibus super Reinsteinensi Comitatu. 47. Belgæ fœdus Electoris
ambiunt. 48. Fœdus Electoris cum Belgis. 49. Cæsar in societatem expeditionis invitatur. 50. Al-
tera vice ad Cæsarem mittitur. 51. Fœdus inter Cæsarem atque Electorem. Fœdus secretum Cæsaris
cum Gallo. 52. Galliæ Regis ad Electorem missio. 53. Ablegatus Gallicus denuo redit. 54. Periculosis-
simus Belgarum status. 55. Apud Belgas super fœda pactione agitur. 56. Angli Gallorum successus su-
spectant. 57. Arausionensis in majorum suorum munia reponitur. 58. Electoris ad Belgas missio. 59.
Hispani ad Electorem missio. 60. Elector expeditionem suscipit. 61. Elector designatum iter mutat;
ejusque causas Belgis adprobare studet. 62. Trevirensis transitum Rheni negat. 63. Cum Moguntino
de transitu Rheni agitur. 64. Cum Palatino de transitu Rheni frustra agitur. Palatini consilium. 65.
Belgis ista itineris aversio non placet. 66. Legati Belgici querimonia. 67. Elector omisso Rheno in West-
phaliam tendit. 68 Electori ab aliis Imperii Ordinibus nil auxilii est. 69. Ratisponæ scriptis incas-
sum certatur. 70. Cum Bavaro expostulationes. 71. Circa fœdus Brunsvicense acta. In Quedlinbur-
gensi conventu acta. 72. Cum Hispanis agitata. 73. Helvetii frustra ad societatem belli solicitantur.
74. Legatio in Angliam. 75. Ejus legationis exiguus speratur fructus. In Anglia agitata. 76. Regis
Angliæ ad Electorem literæ. 77. Electoris responsum. 78. Pacis exigua spes est. 79. In Sveciam le-
gatio. 80. Svecorum declaratio. 81. Belgarum in Electorem querelis respondetur. 82. Per Westphaliam
gesta. 83. Super præsenti rerum facie consultatio. 84. Electoris ad Cæsarem literæ, & legatio. 85. Cæ-
sar Electorem in bello retinere studet. 86. Elector Belgis inducias suadet. 87. Elector Arausionensi, &
Belgis conditionem rerum demonstrat. 88. Neoburgici circa Electorem cum Gallo conciliandum studium.
Consultatio super admittendis separatis tractatibus. Rationes pro Rationes contra. 89. Pressior nego-
tii consideratio. 90. Rationes contra. 91. Rationes pro. 92. Ad Regem Galliæ legatio. 93. Apud Tu-
rennium acta. 94. Apud Regem Galliæ acta. 95. Pax Vollemensis. Articuli separati. 96. Super ea
pace Belgis significatur: 97. Ut & Cæsari: 98. Sveciæ Regi: 99. Ac Imperii Ordinibus. 100. Cum Polo-
nis acta. 101. Circa renovationem pactorum Poloni tricantur. 102. Alia super pactis renovandis le-
gatio. 103. De causa Kalesteiniana. 104. Super isto facto disceptationes. 105. Ab Electoralibus lega-
tis Warsaviæ acta. 106. Pacta demum confirmantur. 107. Elector Polonis auxilia mittit. 108. Offensa
negotii Kalesteiniani paulatim exolescit. 109. Moscia.*

Erupe-

1662. *Summa destinatorum Gallicorum.*

Eruperat jam in publicum consiliorum tela, quæ dudum in Gallia super invadendo Europæ dominatu digesta fuerat. De qua Lionnæus multis ab annis disserere sueverat, eidem exsequendæ Anglorum quoque, & Svecorum operam adsciscendam, quibus in præmii vicem aliqua Austriaci patrimonii pars intra & extra Europam attribuenda sit; tum ante omnia Fæderatos Belgas, qui se istis conatibus maxime oppposituri videantur, in ordinem redigendos. Ea destinata cum deinceps maximam hujus operis partem impletura sint, ad lucem sequentibus adferendam plurimum profuerit altius heic repetere, quo ordine Galli eadem disponere, ac paulatim exprompere instituerint. Cum itaque superiori tempore Gallis id præcipuum haberetur negotium, enormia Domus Austriacæ incrementa premere, ne hæc totam Europam imperio complecteretur, quo colore Richelius, ac Mazarinus Cardinales actis suis adplausum conciliare sueverant; post invitante fortuna istam Domum plane subvertere, ejusque opes, simul arbitrium rerum per Europam invadere libido subiit. Ad eum scopum omnia consilia dirigebantur, ac aliquando aperto, & enixo studio, interdum languidius, ac velut furtim eodem tendebatur, prout captus temporum, & conditio Principum, quibuscum negotium erat, suggerebat. Equidem Pyrenæam pacem sat æquo pretio redimi patiebantur Galli medio licet victoriarum cursu, & cum omnia amplissimos progressus e facili pollicerentur; Lusitania ad nutus obnoxia, Angliæ rebus domi turbatis, Borealibus Regibus bello inter se implicitis, & magna Belgicarum virium parte eo aversa; novo quoque Cæsare per Transsylvanicas turbas ita distracto, ut Hispaniæ subvenire haut vacaret. Ac videbatur tunc Gallia satis habere æmulam potentiam ad mediocritatem, & agnitionem suæ debilitatis redegisse; præsertim cum inter eos Reges tunc initi tractatus omni, quæ excogitari posset solennitate, tum affinitatis vinculo firmarentur. Enimvero modica duntaxat ea pausa erat, qua Mazarinus opus judicabat ordinandis Galliæ domesticis rebus, diuturno bello haut parum confusis, ac cumprimis instaurando ærario. Etsi peculiariter iste sibi spatium quærebat se, suasque opes tam opimo ministerio corrasas, quæ ad sexaginta uncialium milliones adscendere credebantur, Romam subducendi; ubi spes erat proximo interregno Pontificale fastigium obtinendi, ad quod Hispanorum favorem per Pyrenææ pacis moderationem sibi pigneraverat; edito quoque prudentiæ, qualem regni sacrorum rationes requirunt, eximio specimine, dum æquilibrium inter duas potentias Catholicas, in quo summa autoritatis Pontificiæ vertitur, constituit, quantum quidem tempus, ac muneris ratio, quo tunc in Gallia fungebatur, ferret. Sic ut is non posset non Hispanis esse venerabilis, velut paci servandæ necessarius. Eodem fine & connubium inter ipsius neptem, & Colonnam Connestabilem conciliatum erat. Ast postquam is brevi post pacem tempore fato concesserat, nec amplius esset, qui tanto cum effectu privatas rationes publicis miscere, aut anteferre valebat: nullo ad Pyrenææ pacis æquilibrium respectu exseri cœpit propositum de Austriacis plane ad incitas redigendis. Unde statim contra tam sancte datam fidem Lusitanis auxilia submittebantur delassandæ Hispaniæ. In Hungariam validæ copiæ ibant alendo bello Turcico, & animando Cæsari, ne id componere properaret; inprimis ut conspiratio Hungarorum, quæ tunc gliscebat, & quam Galli magno studio fovebant, fulciretur. Angli, Belgæque; subtiles per artes inter se committebantur, quo vires mutuo attererent, Galloque viam munirent, exequendo destinato, statim post Philippi IV. mortem concepto de subjugandis Hispanicis provinciis. Quanquam autem iste post insignem harum partem decerptam paci Aquisgranensi ad quietem sese composuisse videretur, id tamen non fiebat amore pacis, aut quod tam egregia accessio ex facili parta libidinem aliena rapiendi satiasset; sed quia facilius adquiri, ac firmius retineri judicabantur, quæ carptim, & per intervalla invaderentur, quam si enormia incrementa continuo, ac diuturno bello peterentur, ab initio victorem sæpe ita delassante, ut ad extremum parta non sine veterum opum jactura sint revomenda, inprimis si alii, uti fieri assolet, succumbere incipientem, auxilio sublevatum eant, ne hic debellatos ipsos quoque in ruinam trahat. Ast si post modicam prædam pacis cupido præferretur, facile adversos aliorum conatus eludere licebat, fœderibus inter tam multos lente coeuntibus, ac ipsa pacis brevi secuturæ opinione belli paratus refrigerante; & quia vix operæ pretium videtur mediocria damna majoribus impensis, atque laboribus reparatum ire. Ac ipse temporum lapsus solutis oppositorum fœderum vinculis ansam præbiturus erat arma iterum opportune, ac majore vi movendi; quæ semper in promtu etiam media pace haberi opulentissimi regni reditus tolerabant, ad cujus divitias cumulandas non minus exterorum stoliditas, quam civium solertia certatim incumbebat. Cæterum Aquisgranensi paci prætextum præbebat triplex illud fœdus, inter Anglos, Svecos, & Belgas initum; quod à Colberto, Lionnæo, ac Luvoisio, per quos tunc negotia regni tractabantur, avide arreptum est, ut Regem è campo intra consilium pertraherent, sibi dein magis obnoxium futurum. His quippe Turennii autoritas inter arma prægravis reddita fuerat; qui & jam non sine supercilio cum iis agebat, ac itinera ita dispensabat, ut iisdem aliquando vix intra duas septimanas Regem alloquendi facultas esset, jussis quoque hujus per Turennium Luvoisio denuntiatis.

Unde

1668. Unde & isti tædio earum rerum junctim Lutetiam revertebant, super conservanda sua autoritate consultaturi. Quo fine primum remedium habitum fuit Condæum iterum protrahere, eumque Turennio adjungere, militare imperium cum hoc divisurum. Simul cum Wittio super ponendis armis secreto communicabant, ac Regem dextre negotiationi de pace implicabant, ut ea sese post commode extricare non posset, nisi abrupte datam fidem violare vellet. Atque id eo tempore fiebat, quando Turennio in Flandria absente Rex Lutetiæ à solis ministris obsidebatur. Ast Turennio in aulam reverso res aliam plane faciem induere cœpit, cum is Regi perspicue demonstraret; nil facilius nunc esse, quam Hispanos uno ictu Belgio exterminare; quod & Condæo probabatur. Cui quod opponerent ministri nil habebant, nisi quod contenderent; alios quosdam Principes in societatem fœderis pertrahendos, ut de successu eo melius cautum sit. Eo fine Pomponio nova mandata mittebantur ad Svecos fœderi Gallico illigandos. Et quanquam hujus negotiatio non eum, qui sperabatur, successum sortiretur; Turennius tamen Regem eo permovebat, ut denuo de bello continuando huic confirmaret, insuper habito Belgarum officio, ac fide hisce data; modo Luneburgici in partes trahi possent, ut arma in eos arriperent, qui Gallicis sese conatibus oppositurì essent. Nam de Dani auxilio cautum erat. Brandenburgicus medium statum secuturus credebatur. Ac quod maximum erat, circa Viennense consilium temperandum Gallo ope corruptorum quorundam ministrorum plus fere facultatis, quam ipsi Cæsari, erat. Enimvero Luneburgici Belgis addicti tam periculoso se negotio miscere abnuebant, dexteritate, uti credebatur, Waldeccii Comitis persvasi: quem ultro operam suam circa res Germaniæ offerentem quod Galli annua pensione IV M uncialium sibi innectere neglexissent, jam pœnitentia tangebantur. Ita quicquid Turennius reniteretur, tres ministri prævalebant, ut super admittenda pace parum duratura decerneretur. Præsertim cum prudentes judicarent, brevia bella incrementis Galliæ magis conducere, quam diuturna. Et adversus hanc nil proficì posse nisi longo bello; ac eam ipsam virium unionem, quæ istam aliis tam formidabilem reddit, ad ejusdem ruinam facturam, ubi semel insignis clades accepta, ac in viscera regni penetratum fuerit. Videbatur haut eo minus Turennius id decretum subversurus, aut saltem remoraturus, ni Condæus, qui ad extremam consultationem vocatus fuerat, ministrorum sententiæ accessisset, vel ut his blandiretur, utpote quorum favore in Polonico negorio opus habebat, vel quod crederet, promtiore se auxilio Regis usurum, ubi hic nullo bello implicitus esset. Etsi quod Turennii rationibus opponeretur, nihil erat præter fidem Belgis datam. Sed quam sancte Gallis eam pacem servare cordi foret, vel inde judicare licebat, quod Lionnæus jactare non dubitaret; si Rex omnibus sumtibus in hoc bellum factis nil aliud obtinuisset, quam quod renuntiationem nomine Reginæ in hujus ditiones paternas factam irritam reddiderit, ingens operæ pretium eundem fecisse. Ac alias Gallis persvasio, longe quidem absurdissima, sedet; si quid juris semel ei coronæ quocunque modo partum sit, id nunquam alienari posse. Unde quia Gallus credi volebat, jus sibi ad occupandum Belgium competere, super quo nec judices, nec arbitros, sed sequestres duntaxat ferre placebat; si maxime in præsens aliqua portione adquiesceret, juri tamen qualicunque vis sua mansura erat commento legis Salicæ, quod ab ipso aut successoribus, quocunque tempore occasio arrideret, vindicari poterat. Quin si maxime Rex in præsens super peculiari Reginæ conjugis prætensione transigeret, omnium Principum sponsione admissa: manebat tamen actio in totam successionem Hispanicam, imperium Europæ post se tracturam, ubi Hispaniæ Rex absque prole decederet. Nec artes defuturæ credebantur eludendæ sponsorum oppositioni. Contra apud Hispanos, de quorum corio ludebatur, etsi non deerant, qui fortia consilia ingererent, nec cedendo, ac transigendo apud Gallos aliud effici, quam ut ipsa facilitate eorum aviditas irritetur: plerique tamen satius judicabant, aliquot pennas sibi evellandas concedere, quam summam rerum aleæ belli exponere, ad quod rite gerendum tam maligne instructi forent. Ac sane Hispani, cum summa vi bellum gerendum esset, nil aliud quam legationibus verba duntaxat allaturis alios obtundebant; eoque ipso Gallis spatium concedebant, ut sequente expeditione majore mole in campum prodire, ac letalem plagam Hispanis intentare possent. Quanquam & in iis, qui solicitabantur, parum præsidii foret. Cum Lusitanis satis habebatur hostilitatem exuisse; quibus ut contra Gallos opis quid ferrent, nec voluntas, nec facultas erat; utut alias quererentur, à Gallis nec unicum articulum fœderis secum initi servatum. Nam nec hos in Catalonia Hispanorum vires distraxisse, nec promissas pecunias numerasse, effecisse, ut Pontifex Lusitanum Regem agnosceret, eique regno Episcopos daret, nec Bredæ ipsos cum Belgis reconciliasse. In Anglia plurimum præsidii esse poterat, si Rex rationes sui regni, & inclinationem populi examussim sequeretur. Sed ut hunc in partes suas pertraherent, Galli summopere laborabant, aut recta via incedentem intestinis turbis exercituri, quas hujus Regis parens exitiabiles sibi expertus fuerat. Belgis à Gallo ostentabatur pactum anno 1635 super dividendis Hispanicis provinciis initum: si prædæ partem abnuant, Anglos, Svecos, & Monasteriensem iis immittendos. Joanni Wittio Arausionensis occinebatur, si quid mutire auderet. Sane post tantos primo anno Galli in Flandria progressus Beuningius non parum remissa ferocia disserebat: *Gallum intra paucos menses eousque mutatum, ut nec amicos, nec fidem datam curet. Nec meliora sperranda, ubi destinata successerint; post quod sine dubio atrox calamitas patriæ suæ sit incubitura.* 1668.

1668. *Unde tota vi ad servandas provincias Hispanicas connitendum, quas semel deglutitas Galli faucibus iterum eripere arduum futurum sit.* Quem Lionnæus minitabundus retundebat: *si Belgæ quid movere ausint, Anglo castigandos traditum iri, cui contumelia apud Chattamum illata alta mente reposita sedeat.* In Germania Galli Ecclesiasticis bona sacra per Protestantes occupata, Bavaro autem, & aliis Catholicis secularibus canebant; Austriacos præsenti necessitate Protestantium ope in fraudem istorum usuros, ac præcipue Brandenburgicum fulturos, neglecto Bavaro. Contra Protestantibus insinuabant; sibi clandestinum cum Svecis fœdus esse, quos Galliæ adversa moliri prurientibus immissuri sint. Aliquando tamen differebant; Svecos uti olim Galliæ, ita nunc Austriacis sese illigaturos; qui pro navata sibi opera istis vicinos attondendos præbituri sint. Eoque fine Dani amicitia colebatur, ut si Sveci in Austriacos flecterent, hi inutiles redderentur. Etsi spes non deesset Svecos ope argenti vel in suas partes, vel ad medium statum pertrahendi; Præsertim cum Austriacis facultas non esset id suppeditandi, quo istis maxime opus erat, si quod operæ pretium facere deberent. Inter hanc Hispanorum impotentiam satis adparebat, quantum periculi Protestantibus immineret, si Galli istos sub jugum misissent, cum horum inter se æmulatio illis non parum præsidii hactenus præstitisset. Nam non levius odium Gallis, quam Hispanis, in Protestantium sacra esse, satis arguebant, quæ quotidie in Gallia contra Reformatos patrabantur, fidissimos civium, & quibus Rex coronam debebat. Et causa, ob quam hactenus Gallia Protestantes suffulserat, nunc expirabat, Austriaca Domo huc redacta, ut isti non amplius formidaretur. Apud Anglos quoque, & Belgas accedebat commerciorum respectus, quorum fere arbitrium ad Gallos oppressa Hispania rediturum erat. Svecos autem peculiariter offendebat, quod antea Galli ostenderant, gratum sibi fore ab istis Bremam invadi. Scilicet quia credebant, eosdem urbi subigendæ pares non fore; eoque cum Galliæ auxilia quærentibus Cæsaris, & Imperii offensa contrahenda foret, istius amicitiam eo arctius iisdem amplectendam. Unde & auxilium suum offerebant, si à Cæsare, aliisque ob impugnantem eam urbem ipsis vis intentaretur. Nam si in Germania turbanda foret, auxiliarium duntaxat partes subire malebant, invidia aggressionis in Svecos devoluta. Ast mox Daniæ Rex cum Belgis fœdus inibat, ex quo iste XL naves bellicas armaturus erat Belgis DC M uncialium suppeditaturus; cujus fœderis Gallus sponsorem se ferebat. Unde cum eo nomine Esaias Pufendorfius, Svecicus Lutetiæ minister, cum Lionnæo expostularet, ostenso, quia *prius fundamentum amicitiæ inter Galliam & Sveciam expirarit, Austriaca potentia plus satis accisa; aliam nunc viam ineundam, si Sveciæ amicitiam conservare cordi sit*: Lionnæus quod reponeret, nil aliud habebat, quam *non par esse, ut amicus amico invideat. Galliam ita secundo nunc vento ferri, ut ejus amicis male esse nequeat. Haut lucrosum esse miseris sociari.* 1668. Quæ satis insinuabant, à Gallica amicitia non nisi temporarium lucellum expectari posse. Ita Sveci à Gallis neglectim habiti, prout hisce mos est inter secundas res etiam fortunæ suæ promotores contemnere, fœderi inter Anglos, & Belgas accessere servandis provinciis Hispanicis, quibus subactis via ad ad hosce subruendos sternatur. Quod factum cum Galli ægre ferrent, Lionnæus è Blumenthalio quærebat; *an non Wrangelium libido subire possit Pomeraniæ imperium invadendi; aut si ultro isti talia in mentem non veniant, an non Elector ista suggerere possit?* Cui Blumenthalius: *Wrangelium malle officia patriæ præstita sine præmio esse, ac nonnulla duriora tolerare, quam isti turbas dare. Sed nec Electori causam esse, quare tam infensa in Svecos machinetur, quibuscum ipsi amicitia intercedat.* Lionnæo regerente; *ne nimium Svecorum amicitiæ confideret Elector, qui anteactorum memoriam nondum exuerint, nec ultionem data occasione omissuri sint.* Cæterum triplici isti fœderi hautquidquam vim fore ad diuturnitatem Europæ pacem præstandi, facile judicabant, qui indolem Galli, ejusque regni, ac vicinorum habitum penitius intelligebant. Equidem qui genium Regis curatius inspexisse sibi videbantur, Consilium, ærariumque, ac delicias magis, quam bellicos labores cordi ipsi esse rebantur, ac dum naturæ suæ vim inferre, ubi in expeditionem prodierit. Enimvero ambitio, ac importuna sitis è prolatis finibus gloriam quærendi reliquis affectibus longe prævalebat. Præsertim cum arena belli vix tridui itinere Lutetia distaret, unde protinus ad voluptates suas recurrere poterat, si castrorum tædium cœpisset. Neque vero valde laboriosum erat nationi sanginis sui tam prodigæ vel difficillima pericula subeunda imperare, adversus quæ ipse sibi satis prospicere noverat. Sed & quotidie militares homines, aut adulatores occinebant, *jam tandem tempus venisse, quo Gallica natio de æmulis triumphare, veterisque monarchiæ limites instaurare debeat. Ac uti quondam Carolus Magnus pagana superstitione infectos populos ad religionem Christianam simul imperium suum adduxerit; ita Ludovico Magno devias ab Ecclesia Romana reductas oviculas viam ad imperium orbis munituras. Allubescere omnia instituto etiam per vim exsequendo idonea: ac sola voluntate opus esse, ut arripiantur, quæ fortuna ambabus manibus offerat. Domi addictissimum nobilitatis, ac totius populi obsequium. Principibus nullum nisi in Regis gratia præsidium. Sacerdotibus Regis placita pro lege. Hugenottis vim nocendi ademtam. Consilium penes paucissimos, corruptionibus exterorum impenetrabiles: exercitus instructissimos; ærarium locupletissimum.* Sed & vicinorum conditio istis ausis admodum favebat. Hispanis Rex puer. In Consilio exitiabilis divisio, quæ non poterat non lenta decreta, somniculosam exsecutionem parare, per quam multæ præclaræ occasiones incassum elabantur. Regina Rectrix modica autoriate, ac ingenio, ministri non eximia prudentia, queis unica

cura

1668. cura opes privatim cumulare, quicquid de publico fieret. Argenti summa penuria ob malam fidem, & aviditatem eorum, penes quos publicorum redituum administratio; à quibus introductæ confusionis correctio non nisi à magna autoritate speranda erat. Præterea nulli egregii, ac celebres duces præter Joannem Austriacum rectoribus suspectum. Copiæ exiguæ, ac miserrime habitæ. Et quod deterrimum erat, vix ulli Rex ad virilem ætatem perventurus credebatur. Viennæ languida consilia; nulla mascula proles: infida Turcarum vicinitas: Hungari in res novas proni. Imperium scopis dissolutis simile, ac venalis passim ministrorum fides. Et cum antehac Germania semper Gallis formidini fuerit, jam hi de istorum consiliis, ac viribus admodum contemtim sentire cœperant, postquam comitiis Cæsareis Francofurti, ac novissimo bello Turcico acta perspexissent. Ibi quippe multis heris juxta, ac ministris venales animas observare licebat, queis pecunia ante fas patriæ, bonumque publicum, ac decus habebatur. Unde Gallis fiducia nata per nummos validissimæ reipublicæ vires eludendi, tum per peculiaria fœdera quosdam Principes sibi innectendi; postquam non pauci jure fœderum, quod salva reip. compage ultra defensionem porrigi non debebat, eousque abuterentur, ut exteris vires suas commodarent exsequendis destinatis in Germaniæ demum exitium redundaturis, aut publice licet omnium consensu decreta privatis pactis irrita redderent. Cui abusui ni remedium adhibeatur, prudentes dudum augurati sunt, Germanos ipsos vili argento emtos patriæ perdendæ operam accommodaturos. Bello Turcico Galli viderant, quam male compositus exercitus contra Turcas consarcinatus foret; & quod medio in periculo, quod Germaniam post debellatas ab istis Austriacas provincias mansurum fuerat, suspicio adversus Cæsarem non cessaret; adeo ut plurimi mallent Turcam pace non sine lucro potiri, quam Cæsarem obtentu ejus belli armis se egregie instruere, aut ab Imperio præbitis ad domus suæ opes stabiliendas, premendosque Ordines adhibere. Porro Helvetii argento Galliæ plane mancipati erant, ut robusta corpora hujus ambitioni immolanda libenter venderent, cum Hispanis opes non essent, ut Gallos licitando vincerent. In Italia ministrorum corruptelæ haut ita frequentes; sed nec satis virium fulciendis Hispanis, si Gallo hosce ibi invadere placeat. In Lusitania regimen nondum satis firmatum; ac si maxime præsentes defectus emendarentur, Gallo tamen fiducia erat autoritate sua apud eam nationem efficere, ut vel otiosa Hispanorum exitium spectaret, vel Hispaniæ Rege moriente in partem prædæ venire vellet. Quo fine & Gallorum artibus efficiebatur, ut aliquo juris colore solio dejecti Regis Alfonsi frater, & successor Petrus istius uxorem sibi sociare posset. Cum enim Romæ ea dispensatio adhæreret, in Gallia aliud remedium ea occasione inventum est. Lionnæi uxor sæpissime à

Vindo-
sin.

marito contenderat, ut sibi à Cardinali Vindocino Legato à latere, simplicis ingenii viro, veniam impetraret quævis monialium cœnobia ingrediendi, atque ibi cum virginibus conversandi. Unde is ansam arripiebat mandata Cardinali à Pontifice data inspiciendi. Ubi cum observaret, virtutem diplomatis Pontificii non ad solum Galliæ regnum, sed & vicinas ad regiones porrigi; Regi proponebat, an non legatus iste vi ejusmodi mandati Lusitaniæ Principi dispensationem conferre possit? Id cum Regi arrideret, ac is Legatum ea super re tentaret; hic nullo scrupulo, ut Regi placeret, simul nepti suæ consuleret, dispensationem in amplissima forma expedivit. Quæ in Lusitania velut cœlitus demissum opus arrepta fuit, nulla super legati mandatis disquisitione; præsertim quia Galli tam plebi, quam Nobilitati ibi persvaserant, si Petrus Princeps Austriacam duceret, ejus sterilitatem per medicamenta procuratum iri, ut Lusitaniæ denuo invisum Castilianorum jugum subeundum sit. Et quod Regina Hispaniæ, antequam pacem cum Lusitanis decerneret, omnes Theologos sui regni consuluisset; *an non præsenti tempestate Lusitanis promittere quid possit, quod dein cessante necessitate salva conscientia infringere liceat?* Circa quod negotium nec id insuper habendum; Reginam Lusitaniæ tunc temporis Lutetiam scripsisse, ab Alfonso Rege matrimonium haut fuisse consummatum; cum tamen eadem ante tres menses iisdem significasset, gravidam se sibi videri. In Anglia Rex usque adeo voluptatibus addictus erat, ut ministris clavum reipublicæ relinqueret, eosque exteris corrumpendis prostituerit. Ac jam Colbertus ex Anglia scripserat; postquam Arlingtono ostenderit, quousque Galliæ Regis liberalitas processura sit; hunc in posterum studium circa Galliæ utilitates promisisse, modo aliquod tempus sibi concedatur, antequam id exserere possit; quod ita repente consilia sua mutare nequeat, quin alii protinus ejus mutationis causam divinaturi sint. Sed & Gallis haut indecorum habebatur, impudicas fœminas, quæ corpus libidini Regis prostituebant, maximis muneribus cumulare, ut & hæ operam navarent ad eundem contra proprii regni, ac orbis Christiani rationes Gallicæ ambitioni fulciendæ mancipandum. Polonia miseriarum, & confusionis plena, nec sibi, nec aliis consulere valida. Dania Galliæ innexa, saltem quamdiu vicina Svecia præsentibus consiliis inhæreret. Svecia longe remota, cujus provinciæ Teutonicæ, per quas solas huic negotio misceri poterat, ita exhaustæ erant, ut post novissimam exautorationem novum exercitum parandi facultas deesset, nisi aliena pecunia sublevaretur, quæ à præsentibus ejus fœderatis sperari non poterat. Et si maxime amicorum ope arma iterum instruerentur; vicini tamen Mosci, Danus, & Brandenburgicus Elector ita ejus motibus imminebant, ut omnibus suis viribus ad propriam conservationem opus haberet. In Belgio plerasq; provincias, ac nonnullas Hollandiæ urbes Wittiani regiminis tædium ceperat; cum contra Arausionensis jam rebus gerendis maturesce- 1668.

1668. turesceret; quorum collisione gravis Reipublicæ tempestas imminere videbatur. Et quanquam Belgæ in præsens Anglis, ac Svecis fœdere illigati non leve obstaculum Gallorum destinatis dare poterant; his tamen non defuturæ erant artes æmulationi inter Anglos, Belgasque ferendæ, simul Sveci, revocatis in memoriam non ita pridem in se patratis, ad ultionem stimulandi erant. Ac ut hos triplici fœdere abstraherent, Hispanis insinuabant: Svecos jam cum Gallo convenisse; eoque stulte istos acturos, si hisce promissa subsidia exsolvant. Nam his ubi potiti fuerint Sveci, tergum Hispanis obversuros. Ac erat eo tempore in Gallia filius cujusdam è Sveciæ proceribus, qui palam disserebat: Sveciam triplici fœdere haut staturam; ac satis notum fuisse, Hispanis quod dent parum esse. Id fœdus in solius Belgii usum cedere, nullo Sveciæ emolumento, quæ facile incrementa Galliæ tolerare possit, modo hæc vicissim Svecis alia commoda concedat, eosque rem alibi suo lubitu gerere patiatur. Intra triennium, quando Rex ipse sceptrum capessiturus sit, alia plane consilia ibi captum iri. Lionnæus quoque dicebat: Gallos facile concedere posse, ut Sveci Hispanos pecunia emungant, modo postea ad veterem amicitiam redeant. Denique & Belgæ omnes sibi vicinos Germaniæ Principes ita aspere tractaverant, ut hi facile permovendi viderentur ad arripiendam ultionis occasionem, quam Gallus suppeditaturus erat. Extremum præsidium, & velut sacra anchora habebatur Turca, de quo non ita pridem Luvoisius dixerat; se curari, in præsens super Turcico fœdere scrupulos conscienciæ moveri, cum ea sub Francisco I. frequentata fuerint. Ita ergo omnia domi forisque inquietam, & alieni avidam nationem in arma stimulabant, ut brevi ingens tempestas ab eadem excitanda foret; nisi modicum tempus interponere placuisset per consilia & artes moliendis, quæ difficultatem cœptis eorum objicere poterant. Interim ut favorem sibi apud Pontificem, Italosque conciliaret Gallus, ac ne videretur armis suis non nisi ad turbandam orbis Christiani quietem usurus, Venetis valida auxilia in Creta misit, hac occasione inductus. Pontifex apud Hispanos auxilia pro Venetis petierat, ac ut laboranti Candiæ subveniretur. Cui ab his responsum: Gallum tot prætensiones in Belgium formare, armisque suis tantam suspicionem injicere, ut sibi haut integrum sit suis neglectis aliena curare. Id Pontifex Gallo demonstrabat; ac per salutem orbis Christiani orabat, aliis Principibus suspicionem eximeret, eosque suo exemplo ad auxilia contra communem hostem mittenda incitaret. Unde Gallus declarabat: se intra annum nil contra Hispanos moturum, quo publica quies turbari possit. Simul validas copias sub Bellefortio Candiam mittebat; etsi exigua cum Gallorum gloria, ac Venetorum emolumento. Circa quod factum, queis priorũ temporum notitia erat, observabãt Gallorum quoque temeritatem in causa fuisse, ut Sigismundus Imperator à Turcis ad Nicopolim vinceretur, qua clade res Hungariæ in pejus ruere cœperunt, nunquam pristino vigore recepto. Expeditiones quoque Gallorum contra Saracenos, & in Palæstinam factas Græciam, & Asiam Minorem debilitasse; ac demum occupationem Constantinopoleos vires Imperii Orientalis ita debilitasse, ut hoc postmodum Turcis resistere nequiverit. Nec minus Ludovici Sancti expeditionem in Ægyptum imperio Mamelucorum causam dedisse, Christianos vero istis regionibus ruina involvisse. Quanquam multi censebant, Venetos amissa Creta haut adeo magnam jacturam fecisse, ac id bellum per vanitatem Regnum possidendi, ac privatum lucrum quarundam familiarum fuisse extractum. Nam Respublica vivo adhuc Mazarino scriptam à Gallo declarationem exegerat, pari cum Regibus honore se habendam, si maxime Creta amittatur, id quod tunc negatum fuerat. Alii tamen hanc præcipuam causam expeditionis Gallicæ in Cretam ferebant, quod tunc negotiatio circa triplex fœdus quam maxime Hagæ ferveret: adversus cujus socios cum protinus offensam expromere haut tempestivum esse, id prætextum fuisse arreptum istam honeste dissimulandi, simul ut Gallus, non spernanda virium parte alio missa ostendebat, triplex fœdus à se parum curari. 1668.

Beaufort.

§. 2. Istud igitur fœdus etsi æquilibrium Europæ, in quo publica salus, & securitas vertitur, spectaret, quæ & semper Electori maxime cordi fuerat; quo minus tamen eidem & ipse accederet, præter alia obstabat, quod nec illi, penes quos tunc summa consiliorum apud Belgas erat, ipsius arma præbitis aliunde pecuniis gliscere vellent; & Sveci, qui jam præcipuas partes ejus fœderis occuparant, ob eandem causam eundem in emolumenti partem admittere nollent. Equidem proponebant Belgæ Electoris Hagæ legatis, ut & hic huic fœderi nomen dare velit. Quibus repositum; *id Electori studium esse, id ejus rationes exigere, ut Protestantium sacra adversus infestas machinationes serventur, tum & pacis turbamenta tollantur. Nec sibi cum Gallo quid vinculi esse, quo minus ei fœderi accedere queat. Enimvero vix ei videri triplex hocce fœdus ita comparatum, ut ex eo res Protestantium, & publica pax multum firmamenti polliceri sibi debeant. Esse eidem secretas istius leges incognitas, super quibus antequam cautum sit, haut consultum tam alte tendenti negotio se immergere. Cessasse quoque præcipuam ejusdem causam, pacis inter Gallos, & Hispanos promotionem. Cum etiam nemo Catholicorum eo fœdere comprehendatur, hosce ansam inde arrepturos supervacuis suspicionibus, ac opposita fœdera molituros. Et quod Belgæ jactent, arctiorem inter Gallos, & Anglos amicitiam scrupulum sibi injicere, ne ista in detrimentum Protestantium redundet; id periculum per triplex fœdus, alio plane fine initum haut avertendum. Denique & subsidio pecuniario opus fore, & ut obstacula illa aliquando amoveantur, quibus tantum molestiæ hactenus Electori datum sit.* Cæterum id fœdus non plane repudiare jubebantur legati, ut tamem verbis haut strin-

Electorem ad triplex fœdus invitant Belgæ.

1669. ſtringentibus uterentur, & Electori omnia integra ſervarent.

Et Angliæ Rex. §. 3. Ab Angliæ quoque Rege miſſus Regium montem veniebat Gabriel Sylvius, ut de nuptiis ſecundis Electori gratularetur, ac Arauſionenſis Principis emolumenta commendaret; ſimul de arctiore cum Belgis conjunctione ſignificaret, Reformatæ religioni, ac Chriſtiani orbis paci firmandæ ceſſura; denique ut iſtum ad triplex fœdus amplectendum invitaret. Is publico alloquio defunctus privatim Sverino exponebat; *à Rege Angliæ Electorem præ aliis Principibus æſtimari, ejusque amicitiam maximi fieri. Unde teſtando ſuo in eum judicio ad triplex fœdus voluiſſe invitare, quod nullius offenſam, ſed conſervationem duntaxat & æquilibrium Europææ machinæ ſpectet. Qua in re iſte non proprium emolumentum, ſed unice Electoris præ oculis habeat.* Ad quæ Sverinus: *Plurimum ſane Electoris intereſſe iſtis locis pacem conſtare. Neminem quoque orbis Chriſtiani Regem ab ipſo majoris fieri, quam Anglum eadem ſacra profeſſum, cujus & conſilio is plurimum deferat. Sed neceſſum eſſe, ut is circa tanti momenti negotium prius penitus edoctus ſit. Nam famam eſſe, Regem id fœdus multis partibus interpolari velle; ac nuper peculiari ſe pacto Gallis innexuiſſe. Igitur conſtare oportere, num ablegato facultas ſit heic negotium perficiendi, an id Hagam, aut alio remittendum ſit; ac num genuinum fœderis exemplum communicare queat.* Ad hoc Sylvius: *Sibi quoque auditum de mutata Regis voluntate, ac negotia cum exteris non amplius ab Arlingtono, ſed à Duce Buckingamio tractari. Sed talia falſo à Gallis ſpargi; ac Regi eandem mentem; eadem conſilia conſtare. Sibi tamen haut injunctum negotium heic abſolvere, ſed tantum exquirere, num Elector fœderi accedere velit: quo caſu Hagæ ſuper eodem tranſigendum ſit. Fœderis exemplum adferre ſupervacuum viſum, quod Joannes Wittius affirmarit, dudum id Electoralibus Hagæ miniſtris communicatum.* Contra Sverinus: *Wittium equidem excerpta quædam communicaſſe. Sed conſtare, ſecretos quoque articulos conditos, quorum copia facta non ſit. Svecis quoque inſignia ſubſidia promiſſa: de quibus cum noſtri apud Wittium moverent, altum de iis ſilentium fuiſſe. Qui & ita frigide cum noſtris de eo fœdere locutus ſit, ut facile adpareret, Belgis acceſſionem Electoris haut magnopere cordi eſſe. Et cum id fœdus ſuſcipi abſque magnis ſumtibus, ac ſine gravi Galli offenſa haut poſſit, conſtare prius debere, quid emolumenti fœdus id ſuſcipientem manſurum ſit? Equidem ſi id negotium ſolum Regem idque directe ſpectet, Electorem pro ſuo in hunc affectu haut diu tergiverſaturum. Sed quia in Hiſpanos, ac Belgas præcipue tangat, à quibus is hactenus ſat indigne habitus ſit, circumſpecte ipſi procedendum.* Sylvius: *Regem haut ignorare, uti Hiſpani pollicita haut implerint, & quam inique Belgæ cum Electore egerint. Spem tamen eſſe hunc ideo publicam juxta, ac privatam ſalutem haut neglecturum. Ac ſi ei placeat omnia iſta Regis fidei committere, hunc operam daturum, ut eidem ex æquo ſatisfiat, utque fœdus amplexuro de idoneis emolumentis caveatur.* Enimvero negabat Sverinus, Electorem tanto ſe negotio immergere poſſe, cujus interior habitus, & genuinus ſcopus ipſi penitus perſpectus haut ſit; ac ab omnibus eum moneri, ſecretos articulos ſubeſſe, qui utique inſpiciendi ſint. Noſſe quoque velle, quo modo is in fœdus recipiendus ſit; quod pars acceſſoria eſſe nolit. Ac ante omnia ſciendum, quid emolumenti, & cautionis ſperandum. Super quibus cum ablegatus nil ſibi mandatum fateatur, in præſens Electori nil ſupereſſe, quam ut de negotio penitius exploret, ac ſuis Hagæ legatis mandet ulterius ſuper eodem agere; qui de cætero publico bono ſeſe hautquidquam ſubducturus ſit. Ad hæc Sylvius: Regem ſolum de conditionibus ſtatuere non poſſe: operam tamen navaturum, ut Electori ſatisfiat. De ſecretis articulis nil ſibi conſtare. Scopum fœderis iis verbis exprimi, *quietem orbis Chriſtiani, & nuperæ pacis conſervationem.* Ac Belgas non Electorem ſolum, ſed & Luneburgicos, & Haſſos in id fœdus pertrahere cupere. Circa Arauſionenſem Elector oſtendebat; *Wittium ſemper ſuſpicione perſtrictum fuiſſe, quod ipſe tanto ſtudio pro iſtius commodis connixus fuerit. Se proſpera quævis Principi optare: ſed nunquam in animo ſibi fuiſſe cum detrimento libertatis Reip. iſta procurare.* Sylvius eandem Regi mentem eſſe affirmabat, ac unice iſtius fortunas, & incrementa à Republica provenire debere; etſi & hunc ſiniſtra apud Belgas ſuſpicio prægravet. Circa ſubſidia judicabat Sylvius Belgas haut fore difficiles, ubi res gerenda fuerit. Sed reponebatur; tunc ſerum fore milite colligendo operari: nec veteres copias ſine ſubſidiis ſervari poſſe. Iſta omnia à ſe probari Sylvius ferebat, ac eadem diligenter ſe Regi commendaturum pollicebatur. Satis tamen adparebat, non niſi explorandi cautum iſtum veniſſe. Nam Galli jam triplex fœdus contemnere cœperant, quod in proclivi fore ſibi ſperarent, Svecos pecunia in ſuas partes pertrahere. Ac Colbertus legatus Gallicus de Anglis quoque ſpem fecerat. Quo fine ingens auri vis in Angliam trajiciebatur, Regi juxta, miniſtrisque corrumpendis, ut contra publicas Europæ, ac peculiares Regni Angliæ rationes arma in Belgas meditarentur, ac ad augendam potentiam omnibus formidini futuram opem conferrent.

17. Jan. 10. Jan.

Gallus de bello Belgis inferendo agitat. §. 4. Quanquam autem debilitas Hiſpaniæ, quam non minus pecunia, quam bona conſilia deficiebant, ſpem Gallo darent, in proclivi ſibi fore denuo partem Hiſpanicarum provinciarum raptim deglutire, ac intra annum pace iterum potiri pro libidine infringenda: tamen ad firmitatem deſtinatorum cumprimis facere judicabat Belgas prius frangere; qui nunquam paſſuri erant, Hiſpanicas provincias ab iſto ſubigi, quoad aliquid virium ad librandam ejusdem potentiam ſupereſſet. Scilicet quod iisdem firmiter perſvaſum foret, certiſſimum ſibi exitium imminere, ſi Gallos terra vicinos nanciſcerentur. Quæ uti nemo ſanus vitio Belgis vertere poterat, ni idem poſtulare velit, ut civitas quæpiam ob alterius ambitionem ſalutem ſuam prodat: ita Galli inſolentia jam eousque exceſſerat, ut in maximæ offenſæ vicem acciperetur, ſalutem, ac libertatem ſuam adverſus ipſius conatus tueri velle. 1669.

1669. Ac multi Regi ingerebant; tempus jam aptum natum esse Belgas ulciscendi, militia ipsorum maligne instructa, Paulo Wurtzio exoso, Arausionense nondum Reip. admoto, nec adhuc rerum experto. Unde jam palam multa infensa apud Gallos in Belgas jactari. *Malignam ab iis gratiam Regi reponi ob auxilia proximo bello contra Anglos præstita. Ab iisdem id agi, ut veteres socii Galliæ amicitia avertantur, novi subinde hostes in eam concitentur.* Et cum Hispani post pacem à Gallo male habiti apud socios triplicis fœderis quererentur, atque hi apud Pomponium legatum Gallicum Hagæ ea super re agerent, hic jussu Regis declarabat: *talia se haut amplius expectare velle. Si quid Hispani desiderent, id nullo sequestre inter ipsos componi posse. Si Anglis, aut Svecis quid cum Rege agendum sit, viam, quæ Parisios ducat, ipsis haut incognitam.* Quia porro fœderatum Belgium terra invasuro non nisi per interjectas vicinorum ditiones aditus patebat, ac initio belli provinciis Hispanicis propter Anglos parcendum erat, ante omnia visum, Electorem cum Coloniensi ac Monasteriensi Præsulibus in societatem belli pertrahere. Et apud Coloniensem quidem, cujus consilia Furstenbergii fratres, Franciscus Eggo Argentoratensis Præsul, & Wilhelmus temperabant, libidinis Gallicæ pestilentissima instrumenta, facile obtentum. Monasteriensem quoque prurigo turbandi, & avaritia, & acerba memoria armorum nupero bello manibus extortorum haut ægre in partes pertrahebat. Hanoveranus autem Dux Joannes Fridericus per Enguianum affinem Gallo illigatus fuerat. Ac valde dolebant Galli, se ante aliquot annos Waldeccium, annua pensione sibi innectere neglexisse, qui ex ipsorum sententia Cellensem, & Osnabrugensem Belgis copulaverat, cum alias tota domus Luneburgica obnoxia haberi potuisset. Maxima circa Electorem cura erat, cui alliciendo jam antea è Blumenthalio quæsiverant, an non isti placeat à Belgis urbes suas Clivicas recuperare?

Elector à Gallis tentatur. Maji. Vaubrum 29. Dec. §. 5. Ad hunc itaque solicitandum primum à Gallo missus est Vaubrunius, qui literas a Rege adferebat blandimentis refertas; ac alias multis verbis de sincero Regis animo testabatur: cæterum seriæ rei nihil proponebat, ut facile agnosceres, non nisi speculandi caussa venisse. Aderat dein Wilhelmus Furstenbergius velut ab Electore Coloniensi missus, qui demonstrato, quam somnolenter omnia Ratisponæ agantur, proponebat; ut Elector cum Coloniensi, & aliis consilia conferret, qua ratione instans inter Gallos & Belgas bellum averti queat; aut ubi id obtineri non possit, quæ via conservandæ quieti utriusque ditionis ineunda sit. Eo fine, ne à Gallo subornatus videretur, proponebat super renovanda Unione Electorali, & an non expediat conventum Electorum agitari; tum de dissolvendo conventu Ratisponensi, qui exteris non nisi ludibrium debeat, nullo ibi negotio ad finem deducto. Eadem fere antea Moguntinus moverat, misso Melchiore Schœnbornio, & Constantino Bertramo. Quibus Elector reposuerat: conventum collegialem multum invidiæ apud Principes excitaturum. Quia tamen consultum sit Electores arctius invicem innecti tuendis suis prærogativis, quæ nunc magis quam unquam antea impugnentur; satius esse rumoribus declinandis super ista unione Ratisponæ agi, ubi alias ab universo collegio legati adsint. Ac si maxime alibi conventus Collegialis indicatur, Cæsarem suos quoque eodem ablegaturum, ut nil secreto ibi tractari queat. Ut Bohemia quoque Unioni Electorali includatur, Elector rejiciebat, quod is Electoratus penes Cæsarem sit. Eidem unioni alios quoque Principes adscribi, si qui velint, quod Moguntinus censebat, Elector consultum haut ducebat. Etsi enim cum nulla Domo Principali simultas sibi intercedat; id tamen fœdus peculiariter stabiliendo Collegii fastigio institutum. Ac si utique quorundam Principum conjunctio affectanda sit, separato fœdere eos innecti posse. Cæterum Furstenbergius disserebat; *inter Gallum, & Belgas pacem brevi abrumpendam videri ex insuitato armorum adparatu apud hos, qui ad LXXX M exercitum augere agitent, Nec segniores esse Galli novos delectus, & veterum legionum supplementa, classisque armandæ curam. E sermonibus Regis ac ministrorum sese intellexisse; non Hispanos sed Belgas peti, ac opinione citius turbas erupturas. Quo casu Coloniensem opus esse judicare conjunctione quorundam Electorum, & Principum, quos propius id negotium tangat; ubi disquirendum sit, an, & quo modo id bellum impediri queat? Ubi id avertere haut detur, num præstet extra belli consortium se removere, an in partes descendere? Tum qua ratione, quæ inter ipsos convenerint, ad alios vicinos referenda, ipsique in hoc negotium pertrahendi sint? Quis denique ejusmodi conjunctionis usus esse debeat? Equidem Coloniensem, prout sacra professum deceat, nil magis quam pacem optare, ac circa bellum, insuper habitis omnibus quæ ostententur emolumentis, avertendum laborare. Sed metum esse, ne bellum ante exardescat, quam negotium rite disceptatum fuerit. Igitur mature statuendum, quid bello surgente facto opus sit. Eundem quoque optare, ut sibi extra belli consortia manere liceat, modo id fieri possit ob indolem belli, situm ditionum, ac præsidia Belgica easdem insidentia; & quia medium tueri statum inter validos utrinque bellantes cupientibus magnis copiis opus sit, non minori civibus oneri, quam ipsum bellum futuris. Unde satius videri in partem belli venire, nisi adscitis in auxilium aliis quorum intersit validus exercitus parari queat, & pecunia eidem in aliquot annos sustentando. Coloniensem porro judicare, eligendas esse partes tutissimas, lucrosissimas, & quæ Imperio maximum commodum allaturæ sint. Quam optionem, licet re adhuc obscura difficillimam, in præsens præstet facere, quam ad cœptum usque bellum differre, quod tunc ex necessitate faciendum sit, quod nunc ultro fiat. Coloniensi perinde esse, Galli, an Belgarum partes eligantur. Circa optionem tamen expendendum, validiori, an debiliori assistere placeat. Validioris societatem affectantibus mature decernendum, quod* 1669.

cum

1669. *cunctantibus deinceps haut integrum futurum sit lucrosas conditiones stipulari, sed potius, quæ ab isto ferantur, leges admittendas esse. Si debiliori adhærere sedeat, non minus maturato opus esse, ne is brevi subvertatur. Cæterum Coloniensem censere, ab ejus partibus standum, quicum Anglus sentiat. Si igitur constet, Anglum Belgis sociandum, cum his quoque arma jungenda. Unde id commodum secuturum, quod forte Gallus bellum plane omissurus, aut brevi ad pacem rediturus sit; ac quod uterque Electorum oppida sua Belgis infessa recuperaturus sit, pecunia subsidiaria ab iisdem accepta. Ast si Anglus, quod verosimilius videatur, Gallo studeat, huic quoque accedendum, quod eo casu Belgarum Status, prout in præsens sese habet, ne Germaniæ quidem auxiliis accedentibus subsistere queat; præsertim cum Sueci ab Anglis se disjuncturi haut videantur. Sed quia Galli potentia, ac vicinia periculosa sit, ab hoc stipulandum, ne ex omnibus hoc bello occupandis quid prætendat aut retineat; sed si quem locum expugnarit, eum statim in fœderatorum manus tradat. Utque fœderatorum exercitum, qui ad XLM peditum, XXM equitum augendus sit, cum omni necessario adparatu suis sumtibus alat. Denique omnia bello parta inter fœderatos dividat, nisi forte tractus Cis-Mosanus, & quæ Belgis in Flandria, & Brabantia possidentur, ei relinquenda sint, quæ ab eodem desiderari intellexerit. Tum & id decernendum, ne Belgarum Respublica subvertatur, sed potius validior reddatur.* Id quod hoc modo fieri possit. Scilicet præsentis Status vitia, eo usque provecta, ut cum his ea Resp. consistere amplius nequeat, esse emendanda. Provincias inter fœderatos dividendas, ita ut Coloniensis Ultrajectum, Monasteriensis Trasisalaniam, Brandenburgicus Geldriam, & Zutphaniam, Luneburgici Frisiam, Neoburgicus Groningam, Arausionensis Hollandiam, & Zelandiam, (id quod Anglus velit,) sortiatur. Formam Reip. integram mansuram, atque idem fœdus inter socios Principes fore, quod provinciis hactenus inter se fuit, iisdem cum obligationibus, ut nil in eo mutetur, nisi quod posthac singulæ provinciæ Principibus, quibus obvenerint, subjectæ esse debeant. Regimen per omnia collegia retinendum, prout in præsens est, ac sub nomine fœderatorum Principum gerendum. In Consilium Status, singulos è singulis provinciis constituendos, adjuncto uno à Principe, qui eam provinciam sortitus est. Provinciis privilegia sua, libertatemque conscientiarum: collegiis nauticis, societatibus mercatorum aliisque corporibus vetera instituta relinquenda. Penes Principes tamen singularum provinciarum fore jurisdictionem, & rem militarem cum tributis hanc spectantibus. In vicem Ordinum Generalium constituendum Gubernatorem Generalem nomine Principum fœderatorum, cui adjunctum debeat esse Consilium Status; cui non opus sit, uti nunc, res magni momenti ad singulas provincias referre, sed quod de negotiis pacis & belli è majore suffragiorum numero decernere queat. Hoc modo plurimum autoritatis ei Reip. accessurum, ac tribus Circulis Rhenano Electorali, Westphalico, & Inferiori Saxonico plenam securitatem circumponendam. Equidem ista forte chimæram redolere: non tamen dubium, quin in effectum deduci queant, quo facto eam Remp. omnibus formidabilem futuram. Cæterum prius super hoc negotio in universum conveniendum; deinceps omnia sigillatim discutienda, atque definienda. Quæ ut secreta haberentur petebat; ac si quid emanet, id alteri inficiari integrum fore. In aula Coloniensi de iis nemini cognitum, præterquam sibi, fratrique, ac Petro Buschmanno Cancellario. 1669.

Furstenbergii de refingendo Belgii statu commentum.

§. 6. Ad ista ab Ottone Sverino, & Francisco Meindersio, qui soli ejus negotiationis conscii erant, repositum: *Electoris quam maxime interesse, Belgas paululum ad modestiam redigi, ac ut sese vicinis commodiores præbeant, velut qui tot oppida in istius provincia usurpare pergant, ac aliis insuper molestiis eundem afficiant. Debilitatem quoque Reip. satis perspectam; ac non improbabile videri, designatum scopum dicto modo obtineri posse, ni aliorum Principum auxiliis Resp. fulciatur. Enimvero Electori in hoc negotio ad varia respiciendum. Eum binis fœderibus Reip. innexum, è quibus, ubi ista invadatur, ad auxilia ferenda eidem teneatur. Extra dubium quoque ipsi haberi, quin alios Principes, ubi Belgas in tanto periculo versari viderint, rationes sua sint obligaturæ, ut huic negotio sese misceant. Unde bellum resurrecturum sit atrox, diuturnum, universam Europam involuturum. Nam etiamsi in præsens credi possit, Anglis, Suecis, Danis, aliisque haut ingratum fore Belgis talia accidere; tamen ubi ingentes Gallorum progressus viderint, ad hos sistendos omni vi incubituros. Electoris porro ditiones sparsim jacere, ut is à vicinis, præsertim in Borussia, Pomerania, & Marchia facile distrahi queat. Propter has causas, & quia utriusque Electoris provinciæ ita positæ sint, ut exorto bello non possint non vastari, in præsens missis legatis Belgas serio monendos, ut Galli querelis ex æquo satisfaciant, ac dissidiorum materiam è medio removeant. Nec Electorem veriturum in os iis denuntiare; ne id faciant, ac bello causam præbeant, se auxilia iisdem haut missuarum. Cupere se tamen liquidius nosse causas dissidiorum inter Gallum, & Belgas, consiliis suis eo melius digerendis. Per istos quoque legatos protinus super præsidiis uni & alteri suorum oppidorum deducendis agi posse sociata opera, adhibito quoque Neoburgici officio. Ac spem esse, Gallum ista haut in sinistram partem accepturum, velut qui semper testatus sit, sibi Orbis Christiani quietem, non bellum cordi esse; præsertim cum & hoc agatur, ut ipsi ex æquo satisfiat. Interim utrinque arma paranda tutandis finibus, adscito quoque in societatem Neoburgico. Demum quia Coloniensis adhuc dubius agat, utri parti accedere velit, Electorem decrevisse multas ob causas fœderi contra Gallum sese haut innectere.* Ad ista Furstenbergius multis testabatur, Coloniensem Electori nil suadere velle, quod ullo modo ipsius existimationi, fidei, conscientiæ, aut rationibus repugnet. Distractionem, quam is metuat, utiq; respiciendam, & omnia in tuto collocanda.

Electoris ad proposita declaratio.

Lega-

1669. Legationem in Belgium à Coloniensi probari, ut tamen pariter in Galliam mittatur, quo utrinque opera inhibendo bello navetur. Caussas dissidiorum à Coloniensi ignorari. Sed si in Gallia simul, ac Belgio negotium agatur, eas facile in notitiam perventuras. Probari quoque ab eodem, ut super reddendis oppidis moveatur. Ipse optabat ab Electore aliquem in Galliam mitti ejus aulæ peritum, cui ipse omni officio adfuturus sit. Si ipse eodem veniat, facile se arcana penetraturum, & nostris bona fide communicaturum. Sed ei cumprimis insistebat, quid agendum, si nec bellum declinari, nec ut medio statu agere liceat, impetrari queat? Utut nostri ingererent, ejusmodi consultationes præmaturas, ancipites, & noxias haberi. Nam is contendebat, post abruptam pacem locum deliberationi haut amplius fore, sed ex necessitate tunc amplectenda, super quibus nunc lucrosas conditiones stipulari liceat. Si animi sensa dissimulentur, id fieri videri, quod sibi parum fidatur. Demum fatebatur, Coloniensem decrevisse Galli partes eligere, à quo nunquam læsus sit, & bona quævis speret: cum contra ipse, suæque ditiones à Belgis plurima mala emolumenti ne hilum perceperint. Cum ne sic quidem nostri plura expromerent, Furstenbergius ostentando candori secreta mandata communicabat, à Coloniensis legatis ad Gallum, & Belgas mittendis danda; quibus Trajectum ad Mosam, Reinberca, & Comitatus Meursæ à Belgis repetendus erat. De caussis belli ostendebat, eas partim commercia tangere, partim quod Belgæ jam jactent, quid in Gallum facere decreverint, si Hispaniæ Regem tenui valetudine puerum mori contingat. Sane Wittium censuisse, haut ita aspere loquendum, ac si Rex iste fato fungatur, posse temperamenta Gallo grata super partitione in medium afferri. Sed Beuningium demonstrasse, ob sacra parum spei Hollandis esse Antvverpia, & aliis locis in Belgio Hispanico potiundi. Ad extremum formulam exhibebat fœderis inter utrumque Electorem ineundi; cujus hasce rationes adferebat. Ipsos ob hanc conjunctionem, & armorum paratum magna fore autoritate tam apud Ordines Imperii, quam partes bellaturas. Eo quoque indicio adpariturum, nil inter ipsos actum, quam quod patriæ amantes cives deceat; circa ditionum suarum quietem, & securitatem satagere. Eo plus facultatis fore vel bellum inhibendi, vel eo utique surgente ab una vel altera parte lautas conditiones stipulandi. Suscepta quoque legatione suspicionem tolli, ac se præ aliis intellecturos, num bellum sit secuturum an minus; ac si bellum decretum sit, qui utrinque socii. Ex quo commodissimum fore consilium capere, num præstet neutri se parti addicere, aut partes sumere suis rationibus maxime congruas. Deniq; seu bellum sequatur, seu minus, utrumque sua oppida recuperaturum, quod Belgæ sociis destituti timeant: aut si postulata nullo modo annuere velint, quid ab iis expectandum sit adpariturum. Ista autem citra moram suscipienda multis rationibus demonstrare nitebatur. Denique & idem formulam exhibebat fœderis, quod in casum belli cum Gallo ineundum sit. Cæterum ista Furstenbergii negotiatio eo suspectior erat, quod Coloniensis, atque Argentoratensis passim testarentur; ne ita stupidi esse credantur; velut animus sibi sit Gallum adhuc potentiorem reddere; sed sua consilia unice id spectare, ut Belgarum enormes spiritus paulisper premantur, ut ubi hi cum Gallo commissi fuerint, Ordines Imperii loca sua ab istis injuste detenta per tractatus recuperare queant. Ast ubi Gallus Belgium vel plane opprimere, vel plus justo castigare instituat, reliquos omnes conjunctione facta Gallum ad pacem cogere posse. Scilicet talia Furstenbergii pecunia Gallica autorati spargebant, ut Germanos in soporem darent. 1669.

§. 7. Injiciebant ista Electori curam, ut quid solidi subesset, penitius explorare studeret, simul num quid operæ pretium circa avertendum bellum facere possit tentaret. Eo fine in Galliam ablegatur Laurentius Georgius Crocovius; cui injunctum post solitus de amicitia testationes Regi exponere: *Electori de ingenti armorum adparatu auditum, qui contra Belgas fieri credatur. Nam Regem Hispanis declarasse, se pacem Aquisgranensem servaturum, nec hostile quid in Hispanicas provincias tentaturum. Esse eidem & strictiorem cum Anglo amicitiam, sic ut nec cum hoc infesti quid metuendum sit. In Belgas autem gravem à Rege offensam haut dissimulari, qui & nil propitii expectantes terra, marique arma parent. Equidem se non audere super destinatis Regis judicium ferre, aut ejus consilia investigare, regiminive sese ingerere. Sed quia ipse fœdere, atque amicitia ei innectatur, simul Christiani hominis officium pro virili concordiam inter communes præsertim amicos fovere, ac dissidia impedire jubeat: igitur Regem haut sinistre accepturum, si & ipse tam periculosa rerum facie operam suam interpositum veniat, quo tam noxium incendium intra initia opprimatur. Nam ne communia belli mala memorentur, quæ etiam justissima, & maxime necessaria arma commitantur, sane Regem à Belgis ultro æqua satisfactione potiturum, si quam jure exigere queat; quo fine ipse omnem operam collaturus sit. Quod si haut eo secius Rex in arma prorumpat, tota Europa suspicionem, metum, simul invidiam in ejus fortunam, tum machinationes, & adversa fœdera surrectura. Quanquam etiam Belgarum vires longe infra potentiam Regis sint, quod in hoc reperiatur bellandi peritia, excellens prudentia, copia egregiorum ducum, militum, ac omnium rerum bello necessariarum; Belgarum contra Rep. debili, ac multis defectibus laborante; experientia tamen constare, quantum aleæ subsit bellis etiam quæ inter maxime dispares geruntur, quanta fortunæ vicissitudo, quam improvisi casus subinde emergant. Sane Belgas ab aliquo tempore non segniter arma parasse; fines eorum validis munitionibus firmatos, forte sine magno labore, sumtu, ac sanguine haut expugnandis. Quantum iidem mari valeant, nemini incognitum. Multorum eos fœderibus fulciri; nec alios, quorum rationes* Electoris in Galliam legatio. 16. Jan. Crocov.

huic

1670. *huic Reip. innectuntur eam deserturos. Non posse quoque non Germaniam hoc bello implicari, quod Belgæ plurimum Principum oppida milite suo insideant. Quæ si Rex invadat, at solo Germanico exercitus suos immittat, non posse non periculosos motus inde surgere. Igitur Rex certam, æquam, & honestam satisfactionem dubiis, & cum periculo conjunctis emolumentis anteferret, ac uti Regis Christianissimi elogio dignum est, Orbi Christiano pacem, post tot funesta bella vix partam, potius firmet, quam turbare instituat.* Quod si ista non eo proficiant, ut bellum plane declinetur, eadem valere posse, ut arma tanto citius ponantur. Postularet quoque Crocovius, ut Electoris provincia belli incommodis eximatur; ut transitus sit innoxius, ut occupata loca, quæ Electoris sunt, huic restituantur. Cum Belgicis ministris diligenter acta communicaret, ut & cum Wilhelmo Furstenbergio expiscandis aulæ secretis; de quo confidere se ferret, ipsum prout Germano sanguine ortum Principem ac Patriæ amantem civem decet, omnia facturum, quæ ad salutem Germaniæ faciant. Ast cum interim rumores super bello conticescerent, Elector mentionem de bello in Gallia fieri vetabat, quoad adpareret, quo sese res datura sit: ac ut initio tantum profiteretur, se venire excolendæ amicitiæ, præsertim postquam Vaubrunius Beroli-

Apud Coloniensem acta. no evocatus sit. Idem ex itinere Bonnam apud Coloniensem divertere jubebatur, ac inter alia hujus, atque Bavari sententiam exquirere super eo, quod Ratisponæ proponatur, ne Ordines sine consensu Cæsaris ac Circuli sui

13. Febr. fœdera ineant. Circa quod uterque usque adeo nihil concedere decreverat, ut ne honoris quidem gratia Cæsari de iis significare vellent. Alias Coloniensis confirmabat, sese à rationibus, & consiliis Electoris, haut discessurum. Super triplici fœdere disserebat Argentoratensis; per id Belgis insolentiam accedere, quo minus utrique Electori satisfacere velint. Qui & jam velut de amicitia Angliæ Regis certi bellum haut metuant, quod is Parlamenti respectu oblata à Gallo acceptare haut sit ausurus. Enimvero non habere ipsos, quod nimium confidant. Nam Gallo non defore occasionem successu temporis destinata exsequendi. In cujus quoque manu situm sit provincias Hispanicas nancisci permutatione cum Ruscinonensi tractu, & partibus Cataloniæ, addita summa pecuniæ: id quod præsens regiminis Hispanici status, & maligna conjunctio aulæ Cæsareæ, & Hispanicæ admodum verosimile faciat; ac Gallum per triplex fœdus ad hoc consilium compelli. Eo casu Belgis necessum fore utriusque Electoris amicitiam ultro ambire.

Galli bellum in Belgas apparant. §. 8. Lutetiam delato Crocovio minister Svecicus bellum metuendum esse negabat, quod Rex fidem dederit, se super limitibus, ac *dependentiis* occupatorum nupero bello locorum intra annum nil hostile tentaturum, sed successum arbitrii Svecici, & Anglici, expectaturum. Unde & Crocovius, apud Lionnæum nulla belli mentione facta, venisse se ferebat amicitiæ communicationis excolendæ gratia. 1670. Cui multo cum verborum honore ab isto occursum. Enimvero uti quæ Svecus dixerat, ad Hispaniam duntaxat pertinebant; ita Wilhelmus Furstenbergius asseverabat, à Regibus Galliæ, & Angliæ bellum in Belgas decretum, quod ab utroque sub finem mensis Junii sit indicendum. Causam dilationis esse, quod Gallus cum Anglo, antequam de exitu Parlamenti constaret, concludere haut potuerit; quod postquam ingentem pecuniæ summam annuerit, ejusdemque placitis annitente Gallica factione per omnia sese attemperarit, fœderi præter ultimam manum nil desit, ac in eo duntaxat res hæreat, quod Anglus in conjunctione classium majorem navium numerum, quam Gallus, habere velit. Contra Gallum repugnare, quod ipse pecuniam ad armandam classem suppeditet: cedere tamen decrevisse; & quia negotium in Galli manu positum sit, de exitu dubitandum non esse. Anglum è Belgio nil sibi deposcere præter Catsandiam insulam, & Vlissingam. Eandem in se recepisse præstare, ne conventa inter ipsos à Parlamento subvertantur. Anglo instante Arausionensis quoque rationibus consultum ea duntaxat lege, si & Germaniæ Principes fœderi accedant; id quod Anglus expresse postularit, ac Gallus cum iis se acturum receperit. De Monasteriensi Præsule Gallo satis cautum esse; cujus desideriis ex asse sit satisfaciendum, si Elector fœderi accedere *Elector* abnuat. Ast si huic in partes transire place- *ad belli* at, ei soli subsidiariam pecuniam solvendam, *societa-* quod tunc reliquorum societate facile super- *tem solli-* sederi possit. Decrevisse Reges vel solo isto *citatur.* Præsule socio, si alii accedere detrectent, bellum ordiri; sed eo casu Gallum occupata loca in perpetuum sibi retenturum. Quia autem uterque Rex summa bellandi cupidine flagret, unicam rationem bello differendo esse, si uterque Elector declaret, se proximo vere arma cum iis sociaturum. Lionnæus quoque disserebat: Regem ita in Belgas irritatum, ut non nisi bello illato indignationem suam satiare possit. In quo tamen eum non suas duntaxat; sed & amicorum rationes respecturum; Et prius cum amicis, ac imprimis cum Electore communicaturum, quo & hic commodis suis consulere queat. Eum ita solide res suas disposuisse, ut sibi ac sociis nil metuendum sit. Quod si nemo ejusdem fœdus amplecti velit, solum rem suscepturum. Amicam compositionem frustra sperari, ac omnem heic operam incassum consumi; quod Belgæ ejusmodi scita introducere velint, quæ non magis æquitati, quam Regis rationibus quadrent.

§. 9. Isthæc citra dissimulationem ingesta num *Electoris* serio dicerentur, an ut eo terriculamento Ele- *de his ju-* ctor ad propere in fœdus ruendum impellere- *dicium.* tur, dubium erat. Sane Elector judicabat, ista tantum eo tendere, ut inter ipsum ac Belgas diffidentia sereretur. Unde Crocovius circumspecte jubebatur agere, ut nec diffidentiæ ansam Gallo præberet, nec promisso se adstringeret, velut Elector in ullam belli partem venturus

1670.

rus sit. Interim inquireret, num serio res agatur; ac eo deprehenso Lionnæum interrogaret, num Regi Electoris officium gratum sit futurum controversiis sopiendis, cum id bellum ipsi non possit non molestissimum esse. Nec temere ullum Germaniæ Principem his conatibus fauturum præter Monasteriensem, qui & ipse ætate jam provectus sit. Quem ut induceret, cum Furstenbergius finxisset, Electorem jam decrevisse cum Gallo Belgis bellum inferre; Crocovius ei jubebatur exprobrare, talibus figmentis Electori gravem injuriam fieri. Quanquam autem in aula Gallica non deessent, qui à bello metuendum negarent; prout & Coloniensis cœptam cum Electore super fœdere tractationem jam supervacuam ferebat: Furstenbergius tamen constanter asseverabat, bellum utique successurum, ac in eo tantum moram esse, quod Anglus ita cito classem armare nequeat. Electori autem eo promtius in Galli partes concedendum, quod isto, & Luneburgicis Belgarum societatem amplectentibus, Sveci Gallo, & Anglo se juncturi sint. Ast si Elector horum se fœderi innectat, Sveciam plane exclusam nullo numero fore. Porro Gallum ad Rheni ripam unum & alterum oppidum, Orsoiam, & Vesaliam retinere velle, finito bello reddendum. Eundem cum solo Electore transigere velle; cui dein integrum sit futurum, alios sibi associare, & in partem pecuniæ admittere. Cum Monasteriensi nondum transactum; sed Regem de eius societate certum esse, si cupitis ejusdem circa subsidia annuerit. Triplex fœdus brevi corruiturum, Anglo in Galliæ partes transgresso. Quanquam autem Crocovius ad solum Lionnæum literas fiduciarias haberet: Rex tamen ultro ad se e-

23. Mart.

vocatum audiebat multa cum amicitiæ in Electorem testatione, ac brevi se clarius cum ipso locuturum. Super causis belli Lionnæus disserebat: *Belgas ab aliquo tempore ita se erga Regem gessisse, ut bello castigari utique meriti sint. Qui & magna cum injuria afficiant, dum ubique velut Europæ Monarchiam affectantem magna cum invidia differunt, circa varias in eundem machinationes struendas soliciti. Inprimis quod securitati suæ stabiliendæ comminiscantur, quæ neque Regis statutis, neque justitiæ congruunt; dum jactare non dubitant, si maxime Belgium post Regis Hispaniæ mortem jure ad ipsum devolvatur, id se tamen ferre non posse, quod sibi non expediat tam potentem vicinum habere. Unde Regi necessitatem adferri tantam arrogantiam, Regibus leges præscribere haut veritam, compescendi. De cætero Regi haut propositum hoc bello terrarum quid adquirere, nisi quæ ad unitarum provinciarum ditionem non spectant. Circa interponendum officium frustra moveri. Quid enim satisfactionis ab illis sperandum, qui jactent: securitatem status sui non concedere, ut Rex possideat, quæ jure ipsi competunt? Ac qui toto orbe vulgant, ipsorum Remp. cum Regis felicitate quantovis jure subnixa consistere haut posse; simul omnia sua consilia eo dirigunt, ut ea intervertant, quæ Regi jure deberi ipsi agnoscunt? Regem denique ita solide destinata sua digesturum, ut ea etiam citra aliorum opem exsequi possit; ac id tantum in quæstione esse, num Elector oppida sua Clivica recipere, an minus, cupiat.*

§. 10. Paulo post Furstenbergius Crocovio significabat, fœdus inter Reges jam perfectum esse. Sed Anglum id secretum haberi velle, quoad res geri incipiat, ac ut bellum in futurum annum differatur. Id quod Gallus annuerit; cum alias ob causas, tum ob turbas in Hungaria; quod is malit sua emolumenta negligere, quam hoc rerum statu orbem Christianum inquietare, ac Turcæ ansam præbere hujus mala alendi, ac in usus suos vertendi. Lionnæus quoque dicebat; sibi injunctum Crocovio declarare: *bellum in Belgas utique decretum, idque hac æstate erumpere debuisse: Sed Regem nolle Christianum Orbem, cujus quietem Sereni, & complicum rebellio solicitet, ulterius turbare: futura tamen æstate id certo fore.* Idem post & ipse Rex confirmabat; qui & tumultus Hungariæ valde sibi displicere ferebat; ad quos nil se contulisse sancte asseverabat. Sane ante annum circiter Serinum, & alios Hungariæ magnates Polonum quempiam cum literis fiduciariis ad se misisse, qui de oppressione, quam à Cæsare tolerent, valde questus sit; ac Hungaros excusso Austriaco jugo Regem Gallo gratum adsciturος, si ipse eorum protectionem suscipere velit, initio ducentis uncialium millibus præbitis; alias ipsis necessum fore Turcæ imperium subire. Enimvero se istos prodere noluisse; conatus tamen hosce summopere dissuasisse, ac ablegato id responsi scripto dedisse: *Sibi cum Cæsare, & Imperio firmam amicitiam constare, nec in animo esse ejus ditiones inquietare; ac suadere, ut istis ausis desistant, & molliorem conditionem à Cæsaris clementia expectent; nec iram Numinis ulterius in se provocent, cum ex istis nemo nisi hostis Christiani nominis lucrum capturus sit.* Honesta sane oratio, si verbis facta congruerent. Addebat Furstenbergius: Serinum jam ante quinquennium ipsi proposuisse; Si Galliæ Rex CM uncialium dare velit, se Hungaros ad rebellionem concitaturum, ac Regem aut Principem Hungariæ facturum, Galliæ acceptum, Germanum, an Gallum natione. Sed à se responsum: sibi cum talibus nil negotii fore nec ea se suadere, aut dissuadere. Sed Regem istis aurem præbere plane adspernatum. Fatebatur quoque Joannes Casimirus quondam Poloniæ Rex: Serinum jam ante biennium suam protectionem ambiisse; sed se de eo Cæsari indicium fecisse. Cæterum pergebat Lionnæus; cum Anglo transactum esse; ac si forte Elector de eo dubitet, huic integrum esse eam conditionem fœderi inserere, ut id irritum sit, ni Anglus simul in bellum contra Belgas erumpat. Nec id curandum, quod Anglus antea tantopere circa conciliandum triplex fœdus sategerit, à quo eum ita repente discessurum haut verosimile sit. Nam id de compacto cum Gallo fuisse actum, & hujus consensu Anglum ei fœderi accessisse; quod & non nisi Hispanicarum provinciarum tutelam spectet. Nolebat tamen Lionnæus, ut Elector aut alius eo nomine in Angliam mitteret; quod Anglus negotiationem cum sociis cismarinis in Galli arbitrium contulerit. Cæterum ut Anglus in societatem rationibus sui regni

1670.

Bellum in Belgas decernitur;

7. April.

Sed differtur, & quare.

15. April.

1670. regni juxta ac totius Europæ adeo repugnantem pertraheretur, Gallus per Colbertum Croissium legatum ingerebat; *graves ei causas esse, quare Belgis irrascatur, ac triplicis fœderis vinculo sese exuat. Hos quippe stare nolle conventione Bredæ inita super commercio Americano, nec eorundem naves summa vela Anglorum navibus bellicis submittere; quin eosdem in dubium revocare Angliæ imperium maris, ni hac Galliæ sese hostem declarare velit. Unde jam tempus esse ulciscendi nationem tam parum reverentiæ erga Reges ostendentem, contra quam plures jam Germaniæ Principes sese univerint. Gallo sat virium esse ad Belgas bello compellendos, ut sibi juxta, ac fœderatis suis tam circa honorem, quam alia satisfaciant.* Ita cum Anglo actum, ut hic insuper habito triplici fœdere, quamprimum occasio maturuisse visa fuerit, Belgis bellum una cum Gallo inferat. Vinculo isti adstringendo mense Majo Douveram mittebatur Henrietta Aurelianensis Ducis conjux, Angli soror, forma, ac morum illecebris pollens, rerumque tractandarum callida; quo & Rex frater se contulit. Initio placuerat Aurelianensem quoque maritum simul proficisci. Sed Anglus misso Lutetiam Godolfino efficiebat, ut sola soror veniret. Causa itineris spargebatur, quasi Angliæ Rex divortium cum conjuge Lusitana decreverit, & hæc monasterium ingressura sit, isto vicissim conjugem Austriacam assumturo. Quod connubium ista disturbatura sit. Cum diutius, quam initio destinatum fuerat, ibi maneret, misso cursore diutius ibi morandi veniam petiit, & obtinuit. In Gallia de singulari affectu, qui inter fratrem & sororem emineret, vulgabatur, sic ut ex eo congressu plurimum sibi fructus Galli pollicerentur. Sed alia evenisse ferebantur, in vulgus tunc nota, quorum memoriam æternis sepeliri tenebris satius fuerit, quam nostro quoque calamo propagari. Cæterum per eam secretum fœdus inter Gallum & Anglum propositum fuerat, quo iste huic opem promittebat ad opprimendam Parlamenti autoritatem, ritusque Romanos per tria Regna Britannica introducendos. Quo fine necessarium sit prius Belgarum Rempublicam evertere, sola provincia Hollandia supremo Arausionensis imperio subdita, id quod Anglus huic stipulabatur. Vicissim Anglus pro opera à Gallo navata juri, quod regnum Angliæ antiquitus in Galliam prætendit, renuntiaturus, simul insignia Galliæ omissurus erat. Quia tamen evenire poterat, ut Anglus, dum jura & privilegia sui populi eversum it, ipse regno ejiciatur, Gallus eum in casum annua quingena uncialium millia ei promittebat. Id tamen fœdus tunc perfectum non fuit, sive quod Anglus nondum id probaret, sive quod soror ipsa velut fratri haut utile, id ipsa dissvaderet. Sane eadem 19. Jun. (29. Jun.) postquam in Galliam rediisset, paucis post diebus repentina morte extincta est. Prandium pridie integra valetudine ceperat. Hora secunda pomeridiana sedandæ siti vitrum aquæ è cichorio decoctæ, per glaciem refrigeratæ, poscebat; quo hausto protinus acutissimis doloribus correpta exclamavit, sibi è veneno mortem subeundam: tum nulla mora os, & oculi cœruleo colore suffundi. Etsi fœminæ, quæ eandem aquam gustabant, nil mali sentirent. Medici Galli morbum colicum vulgare; tum clysteres injicere, venas brachiorum, ac pedum secare, calidum oleum ad ciendum vomitum propinare, nullo fructu. Ex mox de ejus vita desperabatur. Inter eos dolores parum impatientiæ ostendebat, nisi quod præcipue Angliæ Regis vicem doleret; infaustum casum pro suo fratre Angliæ Rege exclamans. Marito adsistenti dicebat; *ego morior, & tu non amas me.* Galliæ Rex jam cum extremis luctantem allocutus; non modici doloris significatione edita recedebat, quo isti cogitationes ad Deum vertere vacaret. Post mediam noctem hora tertia expirabat, Rege non parum doloris testante, quod semper concordiam inter se, maritumque Aurelianensem, fratremque Angliæ Regem servare studuisset. Sequenti luce exanime corpus sectum præsente legato Anglico, ejusque legato, quod vix duodecim post obitum horis elapsis intolerabilem adstantibus fœtorem exhalabat: facies plane immutata, oculi subsidentes, os, naresque distorti, cor illæsum, sed pulmones, jecur, intestina velut minutatim concisa. In ventriculi latere foramen erat, quod Aurelianensis Medici per chirurgi incuriam factum arguebant: sed Anglicanus Medicus contradicebat, utique venenum isti propinatum asseverans, quod & omnes credebant. Maritus Aurelianensis nonnihil tristitiæ aliquando præ se ferens, nemini fidem serii doloris faciebat, Anglico legato non parum offensæ testante. Cæterum adduxerat ista Douveram secum Gallicam fœminam, cui Portsmuthiæ Ducissæ vocabulum post inditum, primas mox partes inter pellices regias sortitam, artibus dementandi homines libidini deditos valentissimam. Ei à Gallo injunctum, propositum ab ista opus perficere, oblata ingenti pecuniæ summa ad armandam classem; quæ & illecebris suis immersum voluptatibus animum ita irretierat, ut ei haut facile esset istis sese cassibus iterum exsolvere. Revera tamen Gallus non usque adeo solidi quid auxilii ab Anglo expectabat, sed satis habebat istum utcunque in partes suas pertraxisse. Nam inde certissimo consecuturum erat, ut, enata inter Regem, & Parlamentum diffidentia, Anglia domi distracta inhabilis redderetur externis rebus temperandis; Gallo interim exsequendis suis destinatis vacante. Ac easdem artes Richelius, & Mazarinus exercuerant, parum pensi habentes, quod Anglus, dum per Gallica consilia sibi imponi patitur, demum capitis jacturam faceret. Galliæ quippe interesse Angliam in se ipsa turbari, ne Regi à Parlamento pecunia suppeditetur, qua fultus hic Galliæ sese ausis objicere possit. 1670.

O le mal heureux coup pour le Roy mon frere.

§. 11. Mox Furstenbergius Crocovio, & Smisingio Monasteriensi ablegato proponebat: *Regem decrevisse futura æstate Belgas bello invadere. Ex occupandis eo bello locis nil sibi retenturum lodenuo prater*

Elector ad fœdus cum Gal-

1670. invitatur. 21. April. *præter unum & alterum ad ripam Rheni oppidum, quamdiu bellum duret, & dimidiam præsidii partem Trajecti ad Mosam; ac ubi ad dividendam prædam accedatur, oppida, quæ olim ad Brabantiam, & Flandriam spectarint. Reliqua omnia fœderatis concedenda, & negotium in horum usus digerendum. Si forte Anglus in bellum non erumpat, omnia irrita fore. Quo posito Rex Coloniensem, & Brandenburgicum Electores, ac Monasteriensem Præsulem ad fœdus invitet ea lege, ut ne quis absque altero pacem ineat. Regem primo cum XL M peditibus, X M equitibus Trajectum ad Mosam invasurum, tum eum locum, quem fœderati tegendis suis ditionibus necessarium judicarint. Quod si & Hispani in arma erumpant, Regem bis XX M oppositurum. A fœderatis Regem desiderare exercitum XXII M peditibus, M DCCC dimachis, VI M CC equitibus, constantem; cui Rex VI M pedites, II M equites sit additurus. Ad hunc exercitum conscribendum à Rege offerri dimidiam partem auctoramenti, quinquagenos unciales in singulos equites, tricenos in dimachas, octenos in pedites: tum sextam stipendiorum partem, denos unciales menstruos in singulos equites, octenos in dimachas, quaternos in pedites; sed præfectis stipendia à fœderatis solvenda. Super tributis bellicis fœderati inter se transigerent. Ac ne isti tractatus suspicionem excitent, conventum Circuli Westphalici indicendum, ubi id fœdus obtentu aliorum negotiorum perficiendum sit.* Ad ista Elector Crocovium declarare jubebat: *Se grato quidem animo agnoscere fiduciam, quam in ipso Rex reposuerit. Enimvero sibi admodum circumspecte procedendum, cum in fœdus contra Belgas descendere non possit, ni statum suum manifesto periculo exponere, conscientiam suam temerare, publica pacta, ac promissa fide, ac verbo Electorali firmata infringere velit. Equidem suo se loco relinquere, quas belli causas Rex in Belgas habeat. Sed certo sibi persuasum, Regi idoneam satisfactionem haut defore, si eam citra arma quærere placeat, ac se circa eam obtinendam officium interpositurum. Quo minus autem ipse in Belgas arma capere queat, prohibere situm Cliviæ, & Borussiæ, Belgarum invasionibus obnoxiæ, quamprimum ipse quid in eos moverit. Ab iis præcipua Cliviæ oppida milite insideri, ac bello erumpente Regimini suo in provincia tuto agere non licere. Calcariam Rheno separatam, cui si impetatur, à se succurri non possit. Provincias suas Westphalicas ad Visurgim usque excursionibus apertas fore. Se defensivo fœdere Belgis innexum, cujus vi, si quidem hi invadantur, militem iis auxilio submittere teneatur. Tum & ob arctam cum Neoburgico conjunctionem necessum sibi esse, cum eo omnia ad istarum ditionum securitatem facientia communicare. Num Rex quid ad hunc retulerit, & quid idem responderit, sibi incognitum. Societatem cum Coloniensi, ac Monasteriensi variis incommodis & periculis obnoxium, lubrica eorum, quæ à Præsulibus conclusa sunt, validitate ob autoritatem Capitulorum, & diversos horum à Præsulibus respectus. Nec eorum fœderibus diutius inniti licere, quam iisdem vita supersit: ac incertum esse, qua successorum studia, aut quibus legibus eorum potestas per Capitula sit circumscribenda. Nec Cliviam solum, sed & reliquas suas provincias periculo expositas, quibus propter locorum distantiam Rex non nisi submissa pecunia subvenire queat. Poloniæ res turbatas, ubi nil accidere queat, quod non aliquo modo se tangat; ut sua præsentia apud Borussos opus sit. Cæsari, Hispanis, Suecis, Luneburgicis, aliis amicitiam Reip. Belgicæ, ejusque conservationem cordi esse. Quod si igitur ipse contra eam bellum suscipiat, Pomeraniam, Borussiam, Marchiam, & alias suas in Imperio provincias istis semper expositas fore, quorum distractionibus qua par sit vi occurrere, ac munitiones, limitemque ubique tueri supra vires suas sit. Neque fœdus secretum teneri posse inter tot conscios, & de quo jam publicæ relationes spargant.* His difficultatibus auditis Lionnæus non parum turbatus adparebat, qui antea ubique jactarat, Rege jam de Electoris societate cautum esse. Differebat tamen: *rem facilem, ac periculo vacuam esse. A Cæsare, Hispanis, & Suecis amica omnia promitti. Belgas terra marique ita distractum iri, ut parum damni aliis daturi sint; ac Electorem primi anni expeditione oppida sua recepturum, ac fines suos in tuto collocaturum. Regem optasse Electori oppida sua restituere; sed si idem nolit, istius parum referre, & aliam rationem ineundam. Eum nil nisi liquidum responsum, & secretum postulare. Eidem sequestrium officio opus haut esse, cui Belgas ad modestiam redigere in proclivi futurum sit.* Cum post Lionnæus acriter liquidum responsum exigeret, ac Crocovius denuo negotii difficultates demonstraret, iste dicebat: *Si Elector id fœdus rebus suis haut proficuum ducat, de eo tantum sileret. Cæterum sibi certo persuasum, cœpto bello eum in partes venturum, quod neque medio agere, nec Belgis adsistere integrum sit futurum. Coloniensem certe in partes descensurum. Si Elector nolit, cum Suecis se acturos; ac Anglum cavere, hosce, si bellum non simul sumant, saltem neutras partes secuturos. Quod tamen Elector ita aperte mentem suam explicet, id ingenui candoris signum haberi. Suadebat tamen, ne is novo se Belgis fœdere innecteret, sed integra sibi omnia servaret. Nam priora ejus cum Belgis fœdera ita maligne servata, ut iste iis non amplius stringatur. Ac mox partes ita formatas perspecturum, ut expers periculi utilitas eundem facile in istas sit pertractura. Nam quod Elector hactenus ita circumspecte egerit, ejus causam sibi videri, quod haut crediderit rem ad manus venturam, ac istos belli paratus alium finem spectare. Ast si bellum serio sumi viderit, sine dubio Gallicæ societati accessurum.*

Electoris declaratio. 25. Maji.

1670. 27. Ju[nii]

§. 12. Porro inter belli certo erupturi indicia habebatur, quod Gallus circa id tempus Carolum Lotharingiæ Ducem ditione sua ejiceret. Is per legatum suum Belgis obtulerat, se una cum Moguntino, ac Trevirensi XL M militum ad Rhenum, Mosellam, & Saram fluvios contra Galliam habiturum, si isti pecunias militi conducendo, & alendo suppeditare velint. Unde Lionnæus Moguntino, ac Trevirensi ministro denuntiabat; *si ipsorum Principes id audeant, statim eorum copias impetum dandum, si maxime in solo Imperii consistant.* Mittebat post Cæsar Amadeum Comitem de Win-

Lot[ha]ring[ia] dit[ione] sua pel[litur].

G[...]

1670. Windischgratz officium suum conciliando Regi, ac Duci oblaturum. Quem Rex sat abrupte rejiciebat: *Duces Lotharingicos sinistre admodum erga Galliam se gessisse. Eos jam aliis se se innectere, ac horum ope sua recuperare velle, quod unice ab ipsius gratia quærere debuerant.* Ac querebatur legatus Cæsareus, Gallos adductas à se rationes ne audire quidem dignatos, ac semper pro autoritate loqui, ac voluntatem suam in vicem juris allegare; sic ut ne hilum quidem Cæsarem ac Imperium respiciant. Ac mirum esse, quod Ministri ita proterve, quotiens occasio ferat, verbis admodum ignominiosis jactent; à Germania ob diffidentiam, ac discordiam Ordinum nil plane metuendum: ac Cæsari tantum negotii in Hungaria nasciturum, ut aliorum rebus curandis otium haut sit futurum. Lotharingiæ Duci cum amicorum quis errata sua exprobraret, is nocentissimum id olim à se admissum ferebat, quod, cum invitaretur ad solvendum Rupellæ obsidium cum LM bellatorum non iverit. Ista porro Lotharingi expulsio Belgas valde turbabat, quod satis perspicerent, Gallum ea parte finibus suis cavere, ne dum circa majora occupatur, ab isto Principe distrahi possit. Ea super re Conradus Beuningius tunc Belgarum in Anglia legatus Anglo demonstrabat, quam necessarium sit, triplicis fœderis socios eam caussam suscipere ac Gallum, antequam ulterius grassetur, indicto bello prævenire. Cui Anglus responderat: Triplici se fœderi firmiter inhærere; sed istud ad Lotharingum non pertinere; nec Gallum aliud agere, quam quod jure liceat. Ac Ducem abunde meritum, ut ita secum agatur. Se quidem id negotium haut tacturum, ac ut Belgæ idem faciant svadere. Ex his cum Beuningius conjunctionem inter Anglum, & Gallum conjiceret, populo Anglicano sinistram de Rege opinionem imprimere, istumque in hunc irritare studebat. Sane Parlamentum acriter in Gallum declamabat, ac delegabat, qui examinarent, num Rex concessas pecunias in usum triplicis fœderis impendat; simul jactabat, rationem ineundam esse, ut enormis Galli potentia, ac vasta consilia sistantur. Enimvero uti Anglo artes non deerant ad impetum Parlamenti eludendum: ita Beuningii conatus magis asperabant, jam antea satis in Belgas irritatum tum ob alia, tum quod Cornelius Wittius consul Dordracenus se velut de Anglia triumphantem pingi curasset, tabula in curia Dordraci suspensa. Tum quod nummi in contumeliam Anglicanæ nationis cusi fuissent; ac quod nupero bello capta navis prætoria ante Roterodamum in vicem cauponæ, ac lupanaris adhiberetur. Scilicet cum belli prætextus quærerentur, cum solidæ rationes bellum potius dissvaderent, per talia populum Anglicanum, contumeliæ intolerantissimum, inflammatum ibant. Unde & missus Lutetiam Bukingamius Dux fœdus ab Henrietta Aurelianensi Douveræ propositum, dein per Portsmuthiam absolutum denuo firmabat. Ubi placebat, ne Anglicana plebs in
1. Sept. Galli gratiam bellum sumi crederet, ab Anglo Belgis primo loco bellum indici, cui Gallus 1670.
in socii vicem sit accessurus. Simul isti demulcendæ edictum promulgatur super mercibus in Anglia elaboratis in Galliam importandis. Significabat tamen post Gallo Anglus, se 7. Oct.
ante exitum mensis Julii sequentis anni classem instruere haut posse; eoque in arbitrium Galli referebat, num bellum proxima æstate utique auspicandum, an ad subsequentem annum septuagesimum secundum sit differendum. Qua mora Belgas per susceptos armorum paratus domi atterendos, vel ut ultro in bellum erumpant necessum habituros.

§. 13. Inter ista Electorem haut parum sollicitum tenebant ortæ per Poloniam turbæ inter Regem Michaëlem, ac plerosque Proceres hunc velut eo fastigio indignum aversantes; quorum illum Nobilitas quæ creaverat, hos exercitus fulciebat. Circa eas turbas quid Galliæ Regi videretur, Crocovius exquirere jubebatur. *Galli circa Polonicas turbas sententia.* Nam iste hactenus Poloniæ res singulari studio amplexus fuerat; ac Senatores Poloniæ hac sibi spe blandiebantur, Gallum non concessurum, ut ipsorum autoritas, quam per leges Regni circa regimen obtinent, imminuatur, ac sublata libertate Regi ad solutum legibus imperium via muniatur; id quod Austriacis commodo cessurum sit, quorum affinitate Rex iste nitatur. Sane Archiepiscopus Gniesnensis Electori significarat; *nullam reconciliationis spem inter Regem, & proceres præsentium pertæsos superesse, quod is autoritatem Senatus opprimere, nec honestæ transactioni locum concedere velit; unde & hos extrema tentaturos.* Quo fine cum Electore fœdus jungere cupiebant, uti & cum aliis, quorum interest Senatui autoritatem, Regno libertatem, Regis potestati veteres limites constare. Nec idoneas sibi vires deesse. Nam totum exercitum cum Tartaris, & Cosacis ab ipsis stare. Exercitum, cui Procerum sese turmæ junxerint, denuo pro libertate, pro autoritate Senatus, pro archistratego Sobiescio, pro suis stipendiis tutandis conspirasse; qui universitati Nobilium, qua Rex confidat, utique par futurus sit. Ad quæ Lionnæus: *Senatores ante aliquot menses Regi super abdicatione Michaelis, & Comitis San-Pauli electione proposuisse. Sed Regem ea destinata improbasse, ac dissvasisse, ad quæ nil collatum us sit. Simul Comiti severe interdixisse, ne quid cum in finem apud Polonos machinetur. Eosdem super auxilio ad servandam suam autoritatem, ac jura nondum quid apud Regem movisse, nec declarasse, in quo læsi fuerint. Regis mentem super hoc negotio esse: haut gratum quidem ipsi, Senatus autoritatem opprimi, ac dominatum legibus solutum introduci. Sed ut ipse ei se negotio ingerat haut placere, quod Cæsari, & aliis Principibus fidem dederit, adversus Michaelem Regem nil sese suscepturum, nec alios in eundem obfirmaturum. Ac Polonos eo esse ingenio, tantaque pecuniæ vi Regem gratis emunxisse, ut hic deinceps istorum ludibriis sese haut sit præbiturus. Esse quoque id Regnum adeo remotum, ut id rationes Galliæ parum tangat; præsertim cum Regi amicitia cum Cæsare constet.* 28. Oct.
Scilicet postquam Gallus omnem spem

 amiserat

1670. amiserat destinatis suis in Polonia potiundi, eoque istius Regni negotia pro derelictis habere decrevisset; id Cæsari velut insigne meritum imputabat, ac solenniter declarabat, adversus Regem Michaëlem nil se facturum; quo Cæsarem delinitum in securitatem daret, simul triplici fœderi dissolvendo, Belgis compescendis, ac Lotharingico negotio, aliisque propius spectantibus vacaret.

Elector Belgas ad avertendam imminentem tempestatem hortatur 16. Jan. Romswinckel.

§. 14. Porro præter Electorem nemo Principum reperiebatur, cui tempestatem Belgis imminentem avertere cordi esset; quin multi aut frigidam suffundebant, aut in sinu gaudebant, eorum insolentiam, ac ferociam, qua hactenus multos offenderat, paulisper castigari. Ast Elector, intellectis Galli adversus istos destinatis, Blaspielo, & Romswinckelio suis apud eosdem ministris injungebat exponere; *Cum undique de insitato armorum adparatu tam in Gallia, quam apud Belgas nuntietur, ac inter eos dissidia gliscant, bellum demum paritura; Electori necessarium visum omnem movere lapidem paci servandæ, aut ea opera irrita de salute, ac securitate suarum ditionum cogitare, ac rationibus suis pro captu temporum prospicere. Quo fine legatum in Galliam misisse permovendo Regi, ne abrupta pace orbem Christianum novis motibus agitet. Tum & ipsos huc venisse ad officium paci stabiliendæ offerendum; quod Reip. nec animus sit, nec ratio svadeat fortunas suas ancipiti Martis aleæ exponere, ac ut pax sarta tecta persistat sua quam maxime interesse. Interea promovendæ negotiationi facturum, si Belgis placeat genuinas dissidiorum, & offensæ causas exponere. Circa quas si Resp. ullo modo Regi gratificari, ac satisfacere queat, id se vehementer svadere; cum in aprico sit, quantum incommodorum bellum vicinis daturum, & quam parum auxilii ab aliis contra tam potentem, ac tam bene instructum hostem expectandum sit. Sane Hispaniam in se debilem, nec temere Gallos irritaturam. Sveciam sub Rege minore parum momenti rebus addere aptam, ac forte Gallo se innexuram, præsertim si ab Hispanis promissa è triplici fœdere pecunia non numeretur. A quibusdam vicinis Germaniæ Principibus forte infesta magis, quam amica agitari. Equidem sese Reip. haut defore, ac quæ fœdera exigent præstiturum. Enimvero ista nil ad instantis periculi magnitudinem facere; eoque satius esse Regi æquam satisfactionem offerre, si justa offensæ causa data fuerit, quam ad extrema rem deducere. Id ni faciant, ac bello ansam præbeant, neminem fœderatorum ad auxilium ipsis ferendum teneri se judicaturum. Sed si præter spem pax abrupta fuerit, postulare se, ut ditiones suæ transitibus, exactionibus, hospitiis militaribus, ac aliis molestiis ne onerentur, ne sedes belli in eandem pertrahatur. Eo fine sibi in animo esse fœdus cum Coloniensi, & aliis vicinis quorum interest inire.* Simul operam darent, ut si non omnibus, saltem uni & alteri Cliviæ oppido præsidium Belgicum deducatur. Enimvero Belgæ Electori quidem pro studio in ipsos, ac fideli admonitione gratias agebant. Cæterum *vix sibi persvaderi inter se, & Gallum belli quid oriturum, cui se causam dedisse haut meminerint. Quin constare sibi, arma quæ in Gallia parentur, ad obtinendam Lotharingiam, aut subigendum Burgundiæ Comitatum, aut Hispanici* 1670. *Belgii reliquias spectare. Cum vicinis, ac aliis Principibus hactenus amicitiam se coluisse, ut potius eorum auxilium, quam offensam sperent. Ac quæ sibi cum nonnullis controversiæ intercedant, jure potius, quam vi expediendas.* Ob frigus istius responsi Electori haut visum id negotium apud eos ulterius urgere; præsertim cum Joannes Wittius omnes Electoris actiones sinistre interpretaretur, ac Hagæ nil secretum haberi posset. Sane & isti tunc magis pro Hispanicis provinciis, quam pro se soliciti erant; quibus tamen per triplex fœdus cavisse videbantur, ad quod fulciendum Imperium, ac omnes vicinos teneri credebant. Unde & paratus armorum apud ipsos plus strepitus, quam solidi habebant. Quin & ea sibi spe blandiebantur, Gallum æque apud ipsos, quam Anglum de fœdere propositurum, per quod Gallus sese obstricturus sit, vivo Hispaniæ Rege, cui hic brevem vitam augurabatur, in Hispanicas provincias nihil tentare ea lege, ne Angli, & Belgæ, ubi istum Regem fato fungi contigerit, Gallum in jure suo persequendo impediant. Sed & judicabat Elector, è Belgis operam suam minoris æstimandam, si ultro sese his venditare videretur; aut si ea apud istos opinio surgat, velut is sine iisdem rebus suis consulere non possit.

Belgæ bellum declinare student. 9. Sept. de Groot.

§. 15. Sed cum post clariora indicia erumperent Belgas peti, hi Petrum Grotium legatum in Galliam misere: qui proponebat; *quia Ordines Generales perceperint sua acta Regi valde displicere, inquiri à se jussisse, quænam sint, quibus Regis iram mereantur. Nam sibi haut persvaderi, eum ideo offendi, quod per triplex fœdus securitati suæ prospexerint. De cætero spem esse, Regi se plene satisfacturum, ac omnes sinistras opiniones è medio sublaturum.* Huic causas offensæ quærenti Lionnæus dicebat; *Rempublicam Belgarum ejusmodi scita servando suo statui condere, quæ nec æquitati, nec rationibus, & existimationi Regis quadrent; quod hunc possessione Hispanici Belgii, quicquid juris eidem ad hoc deinceps nasciturum sit, excludere meditentur, solo metu male fundato ducti, & quia id rationibus suis haut expedire judicent, eoque orbem Christianum in Galliam incitare meditentur.* Grotius cum apud Regem solenni alloquio defungeretur, de Belgarum studio super servanda Regis amicitia testabatur, circa quam ipse sedulam operam sit navaturus. Cui Rex respondebat, *Belgas bene fecisse, quod ipsum potissimum huic negotio adhibuerint. Optare, ut æque sibi de Ordinum Generalium, quam ipsius intentione cautum sit. Interim bene esse, quod idem hucvenerit, ac id inservitur um rebus in bono statu servandis.* Ac vi- 15. Nov. debatur metus belli aliquantisper considere, quod Belgæ sibi persvasissent, Anglum à triplici fœdere haut discessurum, ac Parlamentum nunquam in bellum adversus ipsos consensurum. Unde & Electori spes nascebatur, circa extingvendum sub cineribus bellum operæ pretium fieri posse, eoque Crocovio injungebat, Regi proponere; Sibi injunctum nonnulla super bello cum Belgis declinando movere. *Elector denuo*

Sed

1670. Sed quia nolit ipsi Regi molestus esse, petere, ut Lionnæus jubeatur ista audire, quæ candido ex animo, & studio in commoda Regis proveniant. Inde Lionnæo demonstrabatur: *Etsi Electori haut incognitum, quantos armorum paratus Rex fecerit, & quam languide adhuc Belgæ defensionem adornarint, eoque ipsum facile sibi gloriosum belli exitum polliceri posse: quia tamen Rex consilia sua non ad persequendos armorum successus, sed ad quietem Orbis Christiani referre sueverit, genuinam immortalis gloriæ materiam; Electorem pro candido, quo Regem prosequitur affectu fas duxisse nonnulla exponere, ob quæ huic alia potius via, quam per arma satisfactio quærenda videatur. Si enim Rex bellum tam antiquis sociis inferre instituat, antequam communium amicorum officium admissum fuerit, an non alia ratione offensæ causa tolli queat; omnia mala inde in populos Christianos redundatura, Regi attributum iri, imminuta fiducia, quæ de animo ejus pacis studioso concepta fuerit. Exitum belli ab hominum viribus, quantæcunque illæ sint, haut pendere; sed faustissima initia per tot è transverso intercurrentes casus sæpe in tristissimum finem verti. Id quod etsi nunc ob inusitatos Regis paratus, & circa omnia cœpta admirandam prudentiam haut metuatur: satis se tamen animo prospicere, quosdam ex invidia in Regis incrementa, alios ob proprias rationes, per quas Belgis innectantur, his auxilia laturos, ac ejus destinata difficilia, si non plane irrita reddituros. Alios clam, palam varia obstacula objecturos, Belgasque sublevaturos; saltem id operam daturos ut implacabili in Galliam odio imbuantur, quibuscum Rex, ejusque majores longo tempore communes rationes habuerint. Galliam quoque interceptis cum eo populo commerciis ingentia incommoda sensuram. Igitur Rex non tam causas respiceret ad bellum impellentes, quam gloriam, quæ eum mansura sit, si invitante licet causa, potentiaque, & adversæ partis debilitate pacem orbis Christiani ante omnia habeat. Super qua re si Rex mentem suam Electori explicet, hunc ita apud Belgas acturum, prout amicitia cum ipso dignum sit. Quo casu necessum fore, ut Elector genuinas offensæ causas, & quid satisfactionis Rex obtendat, norit. Neque vero Electorem ex affectu in Belgas ista movere. Nam si unice commoda sua respiciat, forte sat causam ei esse ut Regem in arma incitet. Nam ita secum ab istis actum, ut facile pati possit adversi quid iisdem inferri.* Ad ista Lionnæus reponebat: *Belgas præcipuam status sui rationem habere, Galliæ potentiam intra limites coercere. Eos omnia Regis jura, quæ jam habeat, aut quæ deinceps eidem nasci queant, suis utilitatibus metiri velle; ac quantum in se totam Europam in eum concitatum ire. Annon sanam rationem dictitare, ut illi præveniantur, qui conservationem sui alterius imminutioni superstruant? Num quæ sequestrium officia id efficacie habitura, ut isti scita suæ Reip. mutent, sine quibus se conservari non posse arbitrantur? His Regem permotum ab armis remedium petere decrevisse; & quia jam fœdere cum Anglo se illigaverit, non amplius ei rem integram esse, nec Belgarum oblata, aut aliorum officium admittere posse. Nec arbitrari Regem, ab Electore Belgis quoque officium oblatum, ac ejus destinata publicata. Haut eo secius Regem Electoris pro bono publico solicitudinem æstimare, ac in signum amicitiæ, & affectus acceptare, ac rem in eo statu servaturum, ut is insigni cum emolumento eidem accedere queat. Id si Electori haut placeat, eum saltem Regi haut adversaturum; quo casu quoque hic facturus sit, ut ea res Electori lucro cedat. Porro initium belli è solius Angli arbitrio pendere; in cujus partem si Elector venire velit, proxima æstate id successurum. Sin minus eo, rem redituram, num Rex cum aliis Principibus convenire possit. Id si fiat, Regem etiam sine ipso, ad quem tamen maxime respiciat, destinata sua persecuturum.* Post tamen Lionnæus querebatur, quod Elector ad Regem Sveciæ scripserit de periculo, quod Belgis à Gallo immineat, & quod Monasteriensis arma in Galliæ usum paret obtentu controversiæ, quæ isti cum Guelferbytano Duce super Huxtera oppido intercedat: composita Gallum omnes copias ad se pertracturum, ac omni ex parte Belgas invasurum. Hoc ipso enim Regis destinata evulgata, ac Belgas excitatos ad arma paranda, ac ut fœderibus sibi prospiciant, ac forte Præsulem præveniant. Quem Rex opprimi haut sit passurus, etsi ad ejus arma neque opem, neque consilium suppeditarit. Eoque petebat, ut Elector alias literas ad Sveciæ Regem det, queis excusaret priores ex inani relatione scriptas, ac interim plenius se edoctum aliam Gallo mentem esse. Sed Elector quæ scripta sint, è publicis relationibus hausta excusabat. 1670.

circa bellum avertendum monet.

3. Dec.

§. 16. Cæterum perfecto, & confirmato inter Gallum, & Anglum fœdere, Wilhelmus Furstenbergius istius jussu Coloniensem, Brandenburgicum, Neoburgicum, Hanoveranum, & Monasteriensem ad belli societatem invitabat. Electori inter alia offerebatur Orsoia, & Vesalia, quam primum id rationes belli ferant, restituendæ, & sub finem belli omnia loca, ad ipsum spectantia. Belli causa non alia allegabatur, quam *gloria Regis, & ut Belgarum insolentia castigetur.* Circa sacra in Belgio nihil novandum spargebatur, nisi quod Catholicis liberum sit futurum, intra privatas ædes ritus suos exercere. Fœderatis Principibus integrum fore partas Provincias pro lubitu inter se dividere, nisi quod Anglo postulante Hollandia, & Zelandia, penes Arausionensem manere debeat. Ne autem Electori & aliis distractio à tergo metuenda sit, utrique Regi placuisse neque cum Sveco, neque Dano tractare, quod id citra alterius offensam fieri nequeat. Quamprimum tamen Svecus se moveat, Danum armis instituendum; ac vicissim Svecum firmandum, si Danus adversæ parti accedat. Si Hispanus in arma erumpat, Gallo sat virium fore isti quoque compescendo, ut fœderatis non necessum sit futurum cum hoc bellum suscipere. De Cæsare cautum esse, eum in partem hujus belli haut venturum, si maxime Hispani pro Belgis arma sumant. Super his ergo & aliis ut conveniretur, placebat Bielefeldæ conventum circuli Westphalici indici; ad quem ab Electore Wernerus Wilhelmus Blaspielus, & Fri-

Elector amplius ad belli societatem sollicitatur. 1. Dec.

1671 8. April, 1671. & Fridericus Jena missi sunt. His Furstenbergius seorsim proponebat: *Ante annum quidem se Berolini communicationem auspicatum; sed commodius visum heic eam persequi, ne ea res aliorum animos advertat. Igitur jam defensivum fœdus perficiendum, quod Berolini absolutum non fuerit, velut periculo longius adhuc remoto. Sed nunc manifesto, eoque ingenti imminente, istud perficiendum, & arma in promtu habenda.* Addebantur querelæ de Coloniensi urbe, quæ exterorum copias admiserit, ac munitiones in solo Electoris cognominis struere pergat, obtentu sumto, velut Elector eam in exterorum manus tradere mediteтur; id quod non nisi de proditore patriæ cogitari queat. Unde operam dandam, ut non civitas ad audiendam rationem permoveatur. Cumprimis autem conveniendum, qua providentia circa Gallorum destinata utendum, qui sine dubio hac æstate in Belgas arma effusuri sint, non ut eos sub ditionem redigant, sed ut magna ingrati animi specimina, & plurimas contumelias Regi illatas ulciscantur. Ac omnium interesse, eam Remp. paulisper ad modestiam redigi. Quia autem Gallus in Belgas ad Rhenum, & Mosam nil suscipere queat, quin utriusque Electoris ditiones inquietet, quos tamen indemnes cupiat: igitur isti placuisse cum his; & aliis ejus Circuli Principibus, quos id negotium tangat, rem in consultationem deducere, num iis placeat cum ipso fœdus sociare; super quo Electoris mentem cognoscere cupiat. Sane Coloniensi hanc rem magnopere cordi esse, quod non solum Leodiensi ditioni, sed & inferiori Archiepiscopatus Coloniensis parti vastitas hoc bello succedente immineat, ni idonea consilia capiantur. Equidem expeditissimum juxta, & tutissimum esse, si Galli destinata interposito officio diverti possint. Sed frustra heic operam sumi, postquam ei cum Anglo convenit, ut hic primus Belgas invadat; eoque isti, si maxime velit, pedem referre haut integrum esse. Circa modum belli gerendi adhuc dissensionis quid esse. Nam aulam Anglicanam velle, ut junctis copiis ab utroque Rege contra Belgas res geratur, sed præcipuos Parlamenti malle ab utroque separatim bellum administrari, & quidem non commissis præliis, sed interceptis Belgarum navibus onerariis. Gallo duos exercitus terrestres, duas classes in promtu esse. Anglos quoque intra mensem ad rem gerendam paratos fore. Igitur Coloniensi utile videri sine mora Galli partes amplecti, quod Belgæ super Rheinberga ipsi satisfacere, (quod jam olim se post finitum cum Hispanis bellum facturos promiserint,) ac vectigal sub id oppidum institutum abolere, nolint magno contemtu in Principes Imperii ostentato. Adhuc tamen isti omnia integra esse, nec sine Electoris placito certi quid decreturum; id quod communicari velit. Gallum quoque Electoris sententiam cognoscere admodum cupere, quæ ni brevi pandatur, alia istum consilia capturum, nec eo minus bellum suscepturum, peritura tunc utrique Electori occasione emolumentis suis prospiciendi. Si tamen negotium aliquantisper in suspenso retinere placeat, id non alia ratione fieri posse, quam si Gallo super partibus suis amplectendis fides detur. Interim arma strenue paranda lautioribus conditionibus stipulandis, simul securitati ditionum inservitura. Ad quæ Elector nil aliud responderi jussit; quam se expectaturum, quid legatus Gallicus, qui in via esse dicatur, allaturus sit. 1671

§. 17. Eodem tempore Coloniensis Henricum Franciscum Nicolartium ad Electorem mittebat; qui initio de lite istius cum urbe Coloniensi, inde de bello à Gallo in Belgas decreto proponebat; in cujus societatem cum is præter plures alios utrumque Electorem invitarit. Coloniensem Electoris sententiam cognoscere, simul suam communicare velle. Isti igitur *haut consultum videri Gallum multis monitis urgere, queis nil proficiatur, inani quoque officiorum interpositione; ac si invitatis Principibus manum simul admovere haut placeat, eum solo Anglo socio in Belgas ruiturum. Igitur deliberandum, quid facto opus sit; num mediis manere expediat, an in partes descendendum? In Belgas Coloniensem nullo modo propendere, ac Gallo vel absque subsidiis, quam istis etiam accepto stipendio, adsistere malle. Ut medio manere liceat, ægre impetratum iri. Ergo tutissimum esse cum Gallo in certas leges convenire, temperandis eo melius ejus destinatis, ne justo longius grassentur, ac ut ditiones belli calamitatibus subtrahere, & unum, alterumque emolumentum stipulari liceat. Suecos accepta certa pecuniæ summa quieturos, ac si qui Germaniæ Principum Belgis contra Gallum se socient, in eos hostilia sumturos. Galli autem destinata non ad eam Remp. evertendam tendere, sed ad insolentiam ejusdem castigandam, & ut modestiam discat. Super qua re Bilefeldæ tectius atque commodius agi queat.* Huic privato colloquio Elector demonstrari jubebat: *In hoc negotio maximas se difficultates, & pericula perspicere. Equidem se à Belgis hactenus sat duriter, & contemtim habitum, ac præcipua Cliviæ oppida ab iis detenta, unde varia sibi incommoda nascantur. Sed non constare sibi, quæ causæ Gallo sint ad movendum bellum sufficientes; quod primum omnium habeatur iis queis acta sua Numini adprobare cordi sit. Duplici quoque se Belgis fœdere innecti, ex quo, ubi invadantur, auxilium sint petituri. Suas quoque provincias admodum distractas, ac sibi præcipue in Poloniam respiciendum turbido in præsens statu. Denique Clivicarum ditionum eum esse positum, ut uno impetu à Belgis obrui queant. His & similibus mentem suam in suspenso teneri, ac hactenus ante omnia id agendum judicasse, Belgas juncta opera impellendos, ut Gallo ex æquo satisfaciant. Ubi hoc fiat, cæteros quoque desideriis suis potituros. De Suecis adhuc incertum esse. Ad Austriacos quoque respiciendum.* Ad quæ Nicolartius: *in Galli partibus plurimum esse securitatis, minimum periculi. A Belgis nil æqui expectandum, qui mores suos, nisi male multati, emendaturi non sint. A Cæsare nil metuendum. Hanoveranum manum negotio simul admoturum. Nec Coloniensem dubitaturum, ubi proposita conditiones annuantur.* Sed demum Elector respondebat:

Coloniensis Electorem ad bellum invitat. 8. April. Nicolartius

1671. debat; *Se à Coloniensi petere, ut servandæ paci, & ob publicum bonum apud Gallum operam navet, quo bellum saltem in hunc annum suspendatur; ac se vicissim istius commoda Hagæ non segnius quam propria promoturum. Tum ut idem ministros suos Bilefeldæ in mandatis instruat, quo in omnem eventum conveniri possit, qua ratione suæ ditiones incommodis belli subtrahi queant; tum apud Gallum efficiat; ut si utique transitus per eas sumendus, aut Rheinberca obsidenda sit, ipse indemnis præstetur.* Ad quæ ablegatus: *Ab hero suo non facile officium apud Belgas offerri posse, quod hoc modo secretum, tantopere à Gallo commendatum, sit evulgandum, urgente insuper temporis angustia, quod Anglus ex fœdere mense Augusto, Gallus Septembri in arma erumpere teneatur. Alias libenter facturum, quæ declinando bello fieri queant.* Elector contra: *de modo fortasse bellum administrandi, & Anglicano fœdere adhuc silentio premi: reliqua ne in Gallia quidem amplius dissimulari. Unde Gallica secreta non obstare, quo minus cum Belgis super ea re agatur. Quod si Belgæ ipsorum postulatis haut satisfaciant, eo conspectiorem fore eorum injuriam. Restitutis urbibus vires suas imminuere, id quod Gallo usui cessurum sit.* Quæ ablegatus probabat, addito, fœderatos, si maxime Gallus bellandi initium faciat in futurum usque ver sese haut moturos. Nec Coloniensi mentem esse Trajectum ad Mosam, aut Rheinbercam in Galli manu relinquere. Nam in præsens amicos esse; post cum tempore animos mutari posse. Ac ideo Coloniensem tantum non necessitatem sibi adferri judicare fœderis amplectendi, quo loca ista sibi servare, ac Gallo per pacta certos limites constituere possit. Viennæ Coloniensis minister querebatur, Belgas heic omnia posse; nec Furstenbergiis fidem adhiberi tam sancte testantibus, ne ita perfidi, ac stolidi homines credantur, quod cum Gallo ea conspirent, queis Imperium in periculum conjiciatur, & Gallus formidabilior reddatur. Sed sibi placere auxilio Galli contra Belgas haut ulterius uti, quam ut ab his detenta contra jus loca recuperent, ac insolentiam mercatorum, Principes Germaniæ insultantium, castigent, eosque negotiis Imperii excludant, queis ita importune se ingerant. Scilicet quia aulæ Viennensi persvasum sit, provincias Hispanicas citra Belgas Unitos contra Gallum defendi non posse, horum libidini præter morem indulgens.

Galli legatio ad Electorem 22. April.

§. 18. Aderat quoque à Galliæ Rege ad Electorem missus Ludovicus Verjus, qui silentium stipulatus proponebat; *decretum Regi arma Belgis inferre, indies plures offensæ causas cumulantes; ad quod & alias idem fœdere Anglico stringatur. Bellum hoc anno adhuc erupturum, in quod Anglus usque adeo ardeat, ut vel solus id auspicaturus sit, si iste adhuc moretur, ne in Galliæ gratiam bellum suscipere videatur. Gallum tamen hoc anno utique erupturum, paratis jam omnibus, ac Belgis nondum sat instructis. In ejus belli consortium ut Elector accedat, quem id plus quam alium quemvis tangat, Regem cupere. De quo & aliis propositum, queis controversiæ quid cum Belgis intercedat, aut qui injuria, vel contumelia ab his affecti sint. At de Coloniensi quidem Furstenbergium declarasse, gravissimis ipsum caussis ad socianda cum Rege arma urgeri. Cum Monasteriensi quoque jam transactum. Neoburgicum Electoris consilia secuturum. Hanoveranum in easdem partes propendere. Regem hac invitatione id quærere, ut ictum eo certius libret, & Belgas omni ex parte premat: simul fœderatis per injuriam detenta recuperet, aliaque commoda iis comparet; denique ut Belgarum insolentiam compescat, quo deinceps suo se pede metiri, ac vicinos reverentius habere discant. Quod si fœderatis ita videatur, bellum in futuram æstatem differri posse. Ast si iidem Regis societatem abnuant, Regem haut eo secius res suas ita digesturum, ut hoc anno bellum adhuc erumpat. A Rege fœderatis offerri dimidiam partem auctoramenti & stipendiorum; tum omnia loca à Belgis recuperanda, in quæ ipsis jus competat. Pro se Regem nil locorum deposcere, nisi cis Mosam sita, aut olim Flandriæ & Brabantiæ detracta. In Anglia fœdus primo inter Colbertum, & Arlingtonum conceptum; inde misso in Galliam Buckingamio interpolatum, sublatis, quæ æmulationi inter Reges ansam præbere possent. Cæterum ut isthæc secreta haberi queant, de compacto vulgandum, se venisse ob componendam super Huxtera litem inter Brunsvicensem, & Monasteriensem; quam à Belgis foveri constet, non minus atque controversiam Electoris Coloniensis cum urbe cognomine, ut incendio à se avertendo, alibi flammam excitent; tum ut testetur, à Rege nihil in Coloniam, & Argentoratum tentari, uti fama ferat.* Ad quæ Elector: *Magno cum dolore sibi intellectum, Belgas ita sinistre se erga Regem gessisse, ut non solum memoriam acceptorum à Gallis beneficiorum exuerint, sed & tantæ offensæ, quæ bello vindicari mereatur, causam dederint. Se jam dudum officium obtulisse, quo Regi ultro satisfiat. Optare ut Rex id admittat; ac amicam compositionem plurimum gloriæ, ac favoris, nil sumtuum ac molestiarum parituram, potius quam arma eligat. Alias eximium benevolentiæ regiæ indicium haberi, de hac re sibi significatum, ac ad ista cœpta invitatum. Sane Belgas secum sat sinistre egisse, non solum Clivicis oppidis detentis, sed & aliis injuriis, ac molestiis illatis. Ast incommoda, & mala belli tanta esse ut ipse non possit non posthabitis propriis emolumentis pacis conservationem armis præferre. Esse hanc rem maximi momenti, & quæ sibi vehementer cordi sit. Se quidem satis perspicere, si bellum utique succedat, inde multum commodi, & lucri, sed simul plurimum periculi provenire sibi posse. Unde maturius se negotium id expensurum, & cum fœderatis suis, qui ad idem negotium à Rege invitati sint, communicaturum; ac sententiam suam per legatos Bilefeldæ ipsi expositurum. Super conditionibus in præsens agere supervacuum esse. Sperare tamen Regem saltem hoc anno armis quidem imperaturum, ac bellum, si plane omitti non placeat, in futurum annum suspensurum. Orbem magnopere adprobaturum, tantam patientiam adversus Belgas adhibitam, ac spatium iis indultum ad aliam mentem induendam, Regemque placandum. Hac quoque mora interposita Belgas magis delassandos, quam bello; quin plebem tantorum onerum pertæsam demum in rectores* 1671.

1671. *Reip. insurrecturam. Incitatis quoque Principibus eo plus facultatis dari adparatus faciendi. Denique cum sibi necessum, sit, causas belli nosse, seu arma simul sumere placeat, seu minus, istas ut clarius legatus exponat velle; quod quæ in fœderis formula exprimantur, parum stringentes sint. Fastum ibi adduci, ac intolerabilem agendi modum, quo Belgæ adversus omnes orbis Christiani Principes, ac præcipue vicinos utantur. Istum compescere Regi gloria sua dignum videri, ac ut iidem compellantur ad quibusvis reddendum, quæ detinent, ac in futurum adversus vicinos suos majore circumspectione, ac modestia utantur.* Contra Verjus promtam declarationem exposcere. *Crocovium jam Lutetiæ de interponendo officio monuisse. Sed quia ex eo tempora Belgæ mores haut emendaverint, ac indies patientiam Regis magis lacessant, gliscente immensum arrogantia; simul fœdus cum Anglo ad bellum hoc anno ordiendum stringat, circa quod regiam suam fidem fallere nefas ducat: sequestrium operam admitti haut posse, inter quos alius Elector gravissimus Regi esset futurus; qui & in progressu negotii luculenta in ipsum amicitiæ specimina sit editurus. Sane gravissimas Electori causas esse, ut Belgis succenseat, ac nulla unquam loca magis injuste usurpata, quam Clivica. Ut res mature consideretur, & cum fœderatis communicetur, laude dignum esse: Regi tamen istius sententiam super propositis conditionibus quamprimum cognoscendam. In dilationem belli ad futurum annum forte Regem consentire posse, si cautum sit, invitatos Principes, ac præcipue Electorem, quem is potissimum respiciat, in partes ipsius concessuros. Ast si hoc incertum sit, Regi necessum fore, quicquid de adductis in contrarium rationibus fiat, fidem Anglo datam implere. Cui accedat; quod Belgis in præsens inexercitatus miles sit, nec ullum adhuc fœdus hisce destinatis oppositum. Tum quod Rex nunc melioribus conditionibus cum Hanoverano ac Monasteriensi, quam deinceps decidere possit, quippe numeroso milite instructis, quem alere onerosum iis sit. Nec ullum hoc bello periculum metuendum, quod ambo Reges accedente Electore tam validas partes forment, quæ nullum non successum sibi polliceri queant. Jam haut eo minus Electori necessum fore militem conscribere tutandis suis ditionibus. Inde Regem credidisse, nemini magis proficuum fore in partem belli venire. Super causis belli se ita distincte haut edoctum. Sed universo Orbi constare, quam indigne Rex ab ea Rep. habitus fuerit; quæ & tantum non ultro agnoscat, se Regi causam bello præbuisse.* Proponebatur inde Verjo temperamentum bello declinando, si Belgæ adstringantur nulla fœdera inire, aut jam initis renuntiare, quæ Regis juribus fraudi esse queant. Sed is subinde ad sæpius adducta impedimenta revolvebatur, per quæ Regi sententiam suam mutare haut liceat. Nec inficiabatur difficultates, quæ Electorem, ut hoc bello abstineret, subigerent, turbas Polonicas, respectum in Cæsarem, Svecum, Saxonem, alios ac Cliviæ positum. His tamen non obstantibus Electorem saltem adversas Regi partes haut amplexurum, ac medium mansurum, etsi Rex ipsius societatem vehementer optet. Demum Elector Verjo denuntiabat: *Quo magis propositum negotium* 1671.
consideret, eo pluribus cum difficultatibus id con- 10. Maij.
junctum reperire. Unde pro studio, quo in Regis prosperitatem feratur, non posse non denuo huic considerandum proponere; num Galliæ intersit partes mutare, quæ hactenus tam bene eidem cesserunt, eoque ansam præbere, ut æmuli emolumentum inde suum petant. Unde si maxime Gallo justissima bello causa sit, eamque felix successus comitetur; adhuc tamen dubitare, an id bellum genuinas Regis rationes firmaturum sit; id quod non nisi ex eventu judicari queat. Nam ita rerum faciem mutari posse, ut amicitia Belgarum Regi sit utilis contra illos, qui olim utrorumque exitium quæsiverunt. Sed nunc incassum eorum conjunctionem captandam, apud quos tenacior offensarum, quam beneficiorum memoria reperitur. Sese promtius nunc satisfactionem obtinuri posse, quam post irritatis animis, ac se cupide ad hunc finem operam collaturum. Cæterum plurimos sibi respectus obstare, ut in præsens neutri se parti addicere queat. Ulterius tamen cum Rege acturum post Sveciæ consilia explorata, quæ sibi quam maxime respicienda sint. Ad quæ Verjus Regi molestum fore, Electoris rationes non permittere, ut longius procedat, aut oblata emolumenta acceptet. Conjicere tamen eundem Regi haut adversaturum; nec defore facultatem ipsi super Clivicis oppidis satisfaciendi. Ita iste irritus Berolino Bilefeldam se contulit; ubi multis humanitatem laudabat, qua ibi exceptus sit. Sed responsum datum suam expectationem haut implevisse, ni credidisset, heic liquidius se accepturum. Sed Blaspielus nil aliud respondebat, quam si cursor, quem Verjus ad Regem miserat, pressiora mandata adferat, ea se ad Electorem relaturum, ac hujus sententiam ipsi significaturum. Idem quoque impediebat, ne Verjus denuo Berolinum regressus, Electorem urgeret; cui consultum videbatur omnia sibi integra retinere, ac Sveci, Anglique consilia penitus explorare; interim per Westphaliam, & Inferiorem Saxoniam arma defensioni in promtu habere.

§. 19. Furstenbergius porro Neoburgicum iisdem quibus Electorem rationibus ad societatem belli in Belgas pertrahere conatus fuerat. Cui hic incommoda ejus belli ingesserat. Omnia à Gallo ostentata emolumenta ob belli aleam incerta esse; damna autem indubia. Ac si maxime fortuna cœptis faveat, ditiones exhauriri; ubi successus defecerit, vastari, si non plane amitti. Quin Germaniam & magnam partem Christiani Orbis diuturno bello implicari. Igitur satius fore vel de remediis cogitare, quibus hoc periculum avertatur, Regumque justis desideriis æqua satisfactio à Belgis curetur: vel à Principibus Germaniæ tertias partes formari, armaque parari, quo ditiones suas protegere ac bello succedente pacis leges proponere ac pervincere, simul flammam Germaniæ, aliisque vicinis arcere queant. Ad quæ Furstenbergius: Recte facere Germaniæ Principes, si res suas probe disponant, sane etiam his non concurrentibus, bellum à Regi-

Neoburgicus pariter ad societatem belli invitatur. 27. Nov. 70.

1671. Regibus sine exceptione decretum. Quin vix obtinendum, ut iisdem medios esse liceat, quod Coloniensis, Brandenburgici, ac Neoburgici ditiones ita sint positæ, ut Galli, Belgæque armis congredi nequeant, ni istas tangant. Si transitus negetur, ab hac aut illa parte vi sumendum, & sic cum alterutra ad manus perventum iri. Porro in Belgarum gratiam sua periculo exponere haut consultum, à quibus jam res repetendi occasio allubescat. Regum partes etiam absque Germaniæ Principum accessione ita dispositas, & obstaculis, quæ metui queant, ita occursum, ut, ni omnis humana providentia inanis sit, prosperrima quæque speranda sint. Contra electis Belgarum partibus, aut medio statu, nil subsidii, securitatis, nil spei adparere. Circa isthæc igitur Neoburgicus Electoris sententiam exquisiturus has quæstiones proponebat. *An huic propositioni aures præbendæ, ac super ea tractatio suscipienda sint? An Elector congressum invitatorum à Gallo Principum probet, & quando, ac ubi? Aut an non id satius videatur inter se prius conveniri, an & quomodo id negotium suscipiendum? Quod si uterque consultum ducat unam & alteram partem amplecti, an non satius sit prius, quam cæteri invitati conveniant, ipsi seorsim cum alterutra partium paciscantur, ut eo lautiores conditiones obtineant? Quod si placeat tertias partes firmare, qua vires contrahi queant bellantibus, eorumque sociis nostra ditione arcendis? An non via inveniri possit bello plane impediendo, aut si ejus nulla spes sit, saltem unius anni dilato obtineri queat, quo interim ab utroque Rege exquiri possit, qua ratione sibi à Belgis satisfieri postulent, addito promisso hos intra certum tempus ad æqua disponendi? Ubi ab his nil æqui obtineri queat, plausibile prætextum nasciturum ad Regum partes amplectendas. An & qua ratione Regum mens exploranda, num bello declinando ulla spes supersit? Si spes sit, annon id ante omnia tentandum? Sin minus, annon suspensio armorum saltem in unum annum sit urgenda? Sane ab Anglo ante mensem Julium classem instrui, nec à Gallo ante Augustum bellandi initium fieri posse: nec socios per formulam fœderis ad jungenda arma teneri, antequam Trajectum ad Mosam, & alius ad Rhenum locus captus sit. Quid igitur temporis superfore ad aliquod operæ pretium faciendum? Cum intra id tempus vix inter ipsos, Regesque conveniri, multo minus arma parari queant. Quod si bellum averti non possit, utræ partes sint, eligendæ; inprimis cum penitus à belli consortio se removere dictas ob causas, & quia Gallus de Cæsaris, ac Suecorum, quiete tautum sibi ferat, difficile ac fore periculosius futurum, quam in partes concedere; at vires suæ minores sint, quam ut contra tam potentes bellatores sese tueri valeant. Ac si utique in partes concedendum, an non è duobus malis minus eligendum, & illorum societatis, optanda, apud quos plus securitatis, ac emolumenti appareat? Quod si consultius videatur Regum partes amplecti, annon expediat quam primum, & antequam reliqui Principes conveniant, missis in Galliam legatis super formula fœderis, subsidiis, ac bello adquirendis seorsim transigere, quo sibi ambobus emolumenta stipulari liceat, quæ forte Rex omnibus promiscue fœderatis indulgere nequeat? Aut si potius Belgarum societas optanda videatur, quid amplius securitatis, & commodorum apud hos, quam apud Reges sperandum, & quæ conditiones obtinendæ?* Ad ista Elector respondit: *Dubium Electori adhuc esse, num Anglus bellum sumturus sit; ac ut is vel maxime Rex eo inclinet, vix tamen Parlamentum sponsum in eandem sententiam pertrahendum, maxime Anglicani populi in Gallos odio, & triplicis fœderis favore. Ac si maxime Anglus accedat, vix tamen Reges arma movere ausuros, ni aliqui Germaniæ Principes socientur, quos facile præsumere queant theatrum belli apud se strui haut passuros. Ac Furstenbergium videri talia jactare magis ad inducendos alios, quam quod res ita se habeat. Sed quicquid ejus sit, optandum esse ob varia pericula, quæ inde oriri possint, ejusmodi propositiones nunquam factas. Sed postquam factæ sint, ita circumspecte circa eas versandum, ut ne Gallo diffidentia nascatur, velut fortunæ ejus invideatur; eoque vix declinari posse, quo minus proposita audiantur. Ob solum hoc negotium conventum instituere periculosum, nec id inter plures facile taceri posse. Huxterenses tamen turbas conventui si non totius Circuli, saltem majoris partis prætextum dare posse, ubi cum Coloniensi, & aliis agi queat. Ac se jam ad aliquos scripsisse, & responsum expectare, quod bona fide communicaturus sit. Cæterum sese adhuc magnopere dubitare, num ipse in partes descensurus sit; id quod si placeat, utique una cum Neoburgico separatim tractaturum. Bello autem avertendo non præsentius sibi remedium occurrere, quam ut inter ipsos, & Coloniensem peculiare fœdus ineatur tutandis suis provinciis; nec defore facultatem alendi exercitum, qui sufficiat extero militi solo Imperii arcendo, ac qui officiis circa pacem pondus addat, ac Belgas ad reddenda oppida permoveat. Interim pacem nondum plane desperatam videri, ac se jam offensæ securum super omittendo bello monuisse. Nec Neoburgici, atque Coloniensis officio pondus defore. Ac in Neoburgici arbitrio esse, num in Angliam mittere velit, destinatis ejus Regis explorandis, ac ut ei consilia pacis ingerantur. Interea se omni ope connixurum, ut saltem proxima æstatis expeditio impediatur. In præsens autem nil aliud statui posse, quam ut in neutram partem studium declaretur; ac faciem temporum ultro suggesturam; num medium statum tueri liceat, & utræ partes eligendæ. In præsens ad liquidiorem declarationem haut descendendum videri.* 1671.

Neoburgicus Electoris sententiam exquirit.

§. 20. Inde Bilefeldæ inter directores Circuli Westphalici, Electorem, Neoburgicum, & Monasteriensem actum super defensivo fœdere, num forte ea ratione belli mala à finibus Imperii averti possint; ad quod initio Monasteriensis Electorem ultro invitaverat. Id nulla difficultate absolutum, ac nomine Electoris à Blaspielo, & Friderico Jena, nomine Monasteriensis à Matthia Korfio Smisingio, & Neoburgici à Lerado, Gisio, & Stratemanno subscriptum fuit; cui post Principum ratihabitio 7. April. accessit. Ex eo mutua auxilia promittebantur, si quis eorum abs quopiam hostili modo invadetur, aut transitibus, hospitiis militaribus, tri-

Super fœdere defensivo inter directores Circuli Westphalici agitur.

1671. tributis, ac similibus molestiis contra leges Imperii, & Instrumentum Pacis oneretur. Cui & alii Principes communi fœderatorum consensu accedere possint. Eo fœdere absoluto nostri monebant: ut conventus militum numerus statim in promtu sit, antequam ulli tractatus cum Gallo suscipiantur, & quidem ut miles propriis fœderatorum sumtibus conscribatur, nec quod subsidii aliunde eo nomine petatur. Tum ut Coloniensis ei fœderi adscribatur, comprehenso quoq; Leodiensi præsulatu, utut longius remoto, & invasioni præ reliquis obnoxio. Ubi arma præsto fuerint, junctim à Belgis satisfactionem postulandam, de qua prius inter ipsos conveniendum sit. Qua negata probe armatos specioso prætexto, ac majore cum autoritate tractationem cum Gallo suscepturos. Denique si bellum inhiberi non possit, id agendum, ne invasio Belgii per Westphalicum Circulum, sed per Brabantiam, aut Flandriam fiat. Sed effectum ejus fœderis initio statim turbabat ambitus Præsulis Monasteriensis, qui eo conventu præfecturam copiarum Circularium sibi deposcebat, ac nullo modo concedere volebat, ut eadem Electori conferretur, ob religionem, & potentiam, aut Neoburgico ob amicitiam cum Electore. Ac favebat Monasteriensi Gallus, ut is pro libidine de viribus Circuli disponere posset. Quanquam & alii renitebantur, ne ea præfectura Electori conferretur. Ac palam declamabat Furstenbergius, quid incommodi secuturum sit; si tam potens Princeps Circuli vires in manu habeat, ac tam plausibile prætextum nanciscatur debiliores Ordinum opprimendi. Nec minus Svecicus ablegatus, nomine Ducatus Ferdensis, refragabatur; cui & Luneburgicus innuebat, gratum Ducibus fore, si id negotium nunc insuspenso relinquatur. Utut ejus Domus Duces Electori de suo suffragio in hanc rem scripto cavissent. Sed uti inter eas contentiones id negotium irritum fuit; ita jam tum suspicio in Monasteriensem oriebatur, velut in transversum abiturum. Quo urgente & Coloniensis eidem fœderi cum omnibus suis præsulatibus adscriptus est. Eo fine *Instrumentum Accessionis* condebatur; quam tamen

8. Jul. Elector de futuro duntaxat tempore intelligi volebat, ne ipsius auxilium contra Coloniam exposceretur, qui cum tunc cognomini Electori lis erat. Sicuti nec teneri volebat, si Leodiensis ditio invadatur. Enimvero cum in dies clariora indicia erumperent, Coloniensem, ac Monasteriensem Gallo sese innexuisse, Elector eum tractatum ratum habere detrectabat, quoad omnia in eum statum reponerentur, qui fuerat, cum de isto agi cœpisset. Ac res eo magis suspecta erat, quod Præsules enixe postularent, ut copiæ contraherentur, annona congereretur, ac supremus exercitui dux nuncuparetur. Simul quotidie inter Argentoratensem, & Verjum Bruelæ consultabatur, cursoribus subinde inter eum locum, & Parisios commeantibus. Wilhelmi quoque Furstenbergii legio jam Novesii stativa ceperat, ac plures subinde Gallicæ copiæ in Coloniensem ditionem deducebantur, quæ dictis causa hujus sacramento adigebantur. Tum immensa annonæ ac paratus bellici vis pecunia Gallica, & per ministros Gallicos colligebatur. Ac in congressu Argentoratensis Præsul disserebat: Gallo quidem transitum per Juliacensem, & Cliviam provinciam haut denegandam; Sed si fœderati juncti persistant, lautas conditiones obtineri posse. Eodem quoque tempore Galliæ Rex per Verjum traditis literis Coloniensi urbi confirmarat, nunquam sibi in mentem venisse cuipiam auxilium contra illam mittere. Et tamen eodem die literis ad Argentoratensem scriptis confirmarat, expetitum auxilium adversus eam urbem præsto esse, & copias, si desiderentur, protinus iter ingressuras. Quas literas Argentoratensis per tremulentiam legato Pontificis, & Lotharingiæ Duci ostenderat; claro indicio, quantum fidei istorum hominum verbis tribuendum esset. Enimvero Elector à Præsulibus per suos exquirebat; qua de causa tantopere paratus armorum, & augmentum copiarum urgeant, cum utique per fœdus prius tentandum sit, ut imminens tempestas in- 31. Oct.

terpositis amicis avertatur? Quo nomine cum Blaspielus, & Gisius Smisingium compellarent, hic asseverabat; Monasteriensem non modo nemini adhuc sese adstrinxisse, sed & Electori firmiter adhæsurum, ejusque consiliis sese attemperaturum. Qui hoc responso non contenti ipsum Præsulem adiere: Ac uti libenter de ipso credant, quæ Smisingius affirmarit, ita, ut de Coloniensi dubitent, graves causas habere. Sane Bilefeldæ initum fœdus præcipue harum provinciarum quietem spectare. Nunc autem Coloniensem ditionem Gallico indies milite repleri: præfectos militares catervatim Lutetia Bonnam pervenire, ubi cohortes suas paratas inveniant. Contrahi quoque istis oris exercitum sub Condæo, qui proximo vere rem gesturus feratur. Unde Juliacensi, & Clivensi provinciæ summum periculum immineat. Ista cum ipsius consensu fieri haut credant, ejusdem sententiam super ea re exquirere. Ad quæ Monasteriensis in simulationem compositus, parum sibi de istis constare ferebat; & cum de iisdem quid inaudisset, Argentoratensem monuisse, ac in rectam viam reduxisse. Sane se Clivensi pacto staturum. Nec tamen tam potenti Regi adversum quid facturum. Cum Blaspielus de avertendo bello moveret, Verjus, qui & ipse ibi aderat, reponebat: serum id esse. Regem etiam, postquam fœderi Anglico innexus fuerit, bellum per integrum annum distulisse. Nunc diutius subsisti non posse. Maximas impensas jam factas, & omnia parata. Ita fructus quem ex isto fœdere circa servandam Germaniæ pacem Elector speraverat, per Præsulos illos irritus fuit redditus, qui clam isto in societatem belli descenderant. Igitur cum nec Argentoratensis amplius de fœdere offensivo inter Gallum, & Coloniensem inito inficiaretur, Elector per Blaspielum Bonnæ Electori proponi jubebat: *Sibi magnopere curæ fuisse, ut Colonienses turbæ componerentur; ac suos hortatus ab ipso amice acceptos.* 16. Nov.

Elector contra Coloniensem protestatur.

A

1671. *A Cæsare quoque se obtinuisse, ut quatuor legiones eo destinatæ revocarentur; nec minus à Belgis, ut suum militem iterum Colonia deducerent, sic ut ipsi nulla amplius metus causa supersit. At si qua Coloniensis Præsulatus impetatur, ejus defensionem se non segnius, quam propriæ ditionis suscepturum. Eo magis mirari, tantos armorum paratus in Coloniensi provincia fieri, per quos belli sedes huc pertrahi possit, si in quos talia struuntur, prævertant. Et cum ipse semper declararit medium se mansurum, non habere, quod à bello, de quo tam multa sparguntur, metuat. Cum igitur per talia vicini, & cum primis Clivica provincia bello involvi queant, se pro amicitia ac vicinitatis necessitudine hortari, ut ad pacem omnes cogitationes referre, nec turbis ansam præbere velit. Nam ob nudam defensionem tanto adparatu opus haut esse. In omnem tamen eventum se protestationem interponere, ac sibi actionem super pensando damno reservare, quod sua provinciæ ex istis cœptis oriturum sit.* Ad quæ Coloniensis: *sibi haut propositum cuipiam Principum Imperii justam querelarum, at suspicionum causam dare. Sane a se arma parari; sed quæ nemo mirari debeat, cum satis constet, quæ minæ in ipsum ab urbe Colonia sparguntur, & quantum in vicinia bellum surgat; præsertim cum ab Imperio discordibus inter se Ordinibus nihil auxilii, à fœderatis non nisi post acceptam plagam, expectandum sit. Præsertim cum & Elector circa ratihabendum pactum Bilefeldense tergiversetur, velut ansam captaturus auxilium sibi negandi contra eos, à quibus invasionem metuit. Igitur neminem sibi vitio daturum, si omnibus viribus ad sui defensionem connitatur. Nec minus se vicissim reponere protestationem super reparatione damni sibi inferendi, cui Elector ansam præbuerit auxilio hostibus lato, aut eo quod sibi debebatur negato.* Graviter porro eam protestationem ferre visus fuerat Argentoratensis, & quod Cæsar, atque Elector Coloniensem urgere instituant, ut declararet, quas partes sequi velit, antequam adhuc bellum eruperit. Cum tamen post Elector ostenderet, eam protestationem nil aliud spectasse, quam ut surgens belli flamma à finibus Germaniæ arceatur; Argentoratensis multas blanditias reponebat, testatus, Coloniensem nil certi consilii capturum, nisi communicatione cum Electore facta. Quæ omnia res ipsa refellebat. Cæterum Furstenbergii fratres, ut Coloniensem in transversum agerent, ipsi ingerebant, Aulam Cæsaream circa litem, quæ isti cum urbe cognomine intercedebat, finistre admodum processisse. Nam favorem erga civitatem non recte exsertum, & tantum circa ea, quæ immediatum ejus statum spectent: Sed & circa reliqua asperrime cum Præsule actum. Ac utut ea lis sub Cæsarea Commissione penderet, eam ipsam tamen Viennæ quoque ventilatam, ac decreta condita Machioni Granæ ad exsequendum injuncta, utut ex moribus Imperii omnia ad Commissionem remitti deberent. Unde Coloniensis de aulæ Cæsareæ in civitatem studio persuasus usque adeo irritatus fuerat, ut crederet, non esse acerbiorem sibi hostem quam Cæsarem. Et quia is natura quidem probus, sed in præcipitem iram admodum proclivis erat, Furstenbergii in isto furore eundem permovebant, ut fœdere promitteret, se Gallicas copias ditione sua recepturum; quorum tamen destinata longius porrigebantur. Etsi alias iste Gallos antea adeo aversatus esset, ut ægre aliquem eorum adspicere vellet. Ast Furstenbergii fidissimos ministrorum, & inter eos Petrum Buschmannum Cancellarium isti suspectum reddiderant, quo negotiorum tractatio penes ipsos solos foret. Ac si Elector in sua placita consentire nollet, Coloniam digressi genio indulgebant. Interim Bonnæ nil agebatur, Electore rebus gerendis haut idoneo, aut saltem inadsveto, aut pigro, ita ut isti blandis verbis ad redeundum invitandi essent. Cæterum causa, quare fratres isti tantopere Galliæ mancipati forent, ferebatur, quod se ab aula Viennensi neglectos crederent. Et Francisco quidem Egoni Abbatiam Luderensem, & Murbacensem post Archiducis Leopoldi Wilhelmi obitum Cæsarei negaverant; qua tamen is postea potitus est. Unde is protinus aulam Viennensem ulturus Galliæ se illigaverat. Ubi perspecta istorum fratrum solertia magnis beneficiis cumulati sunt. Inter alia cum Gallus à Pontifice obtinuisset facultatem circa bona Ecclesiastica à Fœderatis Belgis propediem invadendis usurpata disponendi, Furstenbergiis quoque insignis eorum portio promissa fuerat. 1671.

30. Nov.

Elector à Gallo ad neutralitatem invitatur. 20. Jun.

§. 21. Ast cum Gallo satis adpareret, Electorem in societatem belli adversus Belgas haut venturum, per Furstenbergium Bilefeldæ insinuabat, ut is saltem medium hoc sese bello gereret. Is differebat; *se apud Regem Dunquercæ fuisse, qui aliquot Germaniæ Principes in partes suas pertrahere voluerit non ob proprium, sed istorum emolumentum. Indicio esse, quod Rex pacem, aut belli continuationem in eorum arbitrium contulerit, tum ut super tributis, & bello occupandis locis pro lubitu disponerent. Sed postquam Rex eos à societate belli abhorrere videat, confidere eos partibus Belgarum haut accessuros, eoque saltem medios hoc bello futuros. Vicissim Regem per eorum ditiones transitu quantum liceat innoxio usurum.* Enimvero Electori placebat nondum alterutri partium accedere, nec servando medio statui se adstringere, sed integra sibi omnia servare, quoad tempus certiora consilia suggereret. Præsertim cum Gallus cæteris, quos in fœdus solicitabat, ingentia incrementa, quæ religio Romana ex eo bello captura esset, ostentaret. Igitur is per Blaspielium & Jenam respondebat: *Regis cœpta facilius orbis Christiani judicio probatum iri, si Belgas reparationem injuriarum poscat, ac eadem contra jus & æquum negata ad acriora demum remedia descendat. Saltem anceps admodum, nec justitiæ conveniens esse, alios, queis pares querelæ non sint, protinus in arma contra Belgas ruere.* Ad quæ Furstenbergius; *Eam quoque viam Regi probari; sed ita eum fœderatis se innexuisse, ut amicam compositionem captare data istis fides non permittat; ac eundem hoc bello accessorii duntaxat loco fore.* Addebat; *Coloniensem id quoque*

1670. *quoque captare, ut medio sibi manere liceat. Id ubi non detur, non alias quam Galli partes sumturum.*

Neoburgicus neutralitatem suadet. *Jul.*

§. 22. Cæterum ut Elector hoc bello medium sese gerat, Neoburgicus qvoqve suadebat, cujus nomine Stratemannus scripto proponebat: *istbunc in eo cum Electore consentire, Galli contra Belgas destinata maximi momenti esse negotium, in quod haut temere sit descendendum; præsertim antequam constet qvid Austriaca Domus, Anglia, & Svecia susceptura sit. Sed postqvam Gallus interprete Furstenbergio declararit, se contentum fore, si Elector, & Neoburgicus medios se gerant accepto subsidio pecuniario, super qvo conveniri possit, ac ut iis semper integrum sit, reliquos Principes in easdem leges, qvibus hi Galliæ jam se innexuerint, aut adhuc innectere possint, sibi associare; Neoburgico hanc propositionem haut spernendam videri; præsertim si ea conditio addatur; qvoad Galliæ à Belgis ex æqvo satisfactum sit. Hoc enim modo Galliam ipsis devinciri absqve cujuspiam fraude: accipi pecuniam ad arma citra onus civium paranda tutando medio statui, & alios ad usus; facultatem retineri pro captu rerum ulterius Galliæ se innectendi, aut si hæc justo longius grassari instituat, rationibus suis una cum aliis consulendi. Posse qvoqve interim tentari, num qvis amicæ compositioni locus sit; simul Belgas ob injuste in utrumqve patrata satisfactionem poscere, aut de ea tractatui cum Gallo inserere; quæ nisi hac rerum facie obtineatur, ægre deinceps speranda sit. Deniqve Gallo causam diffidentiæ adimi, per qvam alias permoveri qveat, ut alios in societatem adsciscat, qvorum opera, utroqve ipsorum excluso, destinata sua exseqvi possit; ex qvo Juliacenses, ac Clivicæ ditiones gravibus molestiis implicari qveant.* Super his igitur qvid Electori videretur Neoburgicus exqvirebat; cui propositum sit ab isto non disjungi, qvorum & rationes ob situm earum regionum invicem innexæ sint.

Una sententia.

§. 23. Eo super negotio cum Elector ad consilium referret, duæ præcipue sententiæ eminebant. Aliqvi enim differebant: *Semper sibi visum, Electorem, quantæcunqve conditiones offerantur, hoc bello hautqvidqvam posse adsistere Gallo contra Rembulicam, qvæ semper Brandenburgicæ Domui fœderibus conjuncta fuit, & adhuc est; qvæ eadem sacra profitetur, & pleraqve Cliviæ oppida, totamqve adeo provinciam in potestate tenet. Cujus & auxilio ipse, ubi necessitas ingruat, niti, & in quam hostilia sumere sine convulsione totius sui status neqvit. Nec magis consultum sibi videri Belgis adversus Gallum sociari; quod Elector cum eo Rege amicitiam colat, á qvo & nunqvam læsus sit, & cujus amicitia tanqvam potentissimi eidem utilissima sit. Quo accedat, qvod Belgæ multis modis Electorem injuria affecerint; eorum Rectores infenso in hunc sint animo; nec ab iisdem grati animi fructus spurandus sit; prout id satis testati sint, postqvam eundem ope è periculoso bello Monasteriensi erepti fuerant. Unde sibi qvidem consultissimum videri, si Elector medius maneat, sed simul armis probe instructus sit, qvo & ditiones suas contra insultus bellantium tutari, ac officio suo circa concitandam pacem pondus addere qveat. Sed qui Elector declararit, se à medio statu abhorrere, nec rationes suas eum ferre, nec tamen statim in partes concedere posse aut velle, in hunc modum cum Gallo paciscendum videri: Ut sibi tantisper medio manere liceat, quoad viderit, num Belgæ æqvam satisfactionem dare, an Gallus admittere velit. Ut Gallus idonea subsidia solvat, tot copiis alendis, quot medio statui tuendo sufficiant; utque id subsidium augeatur, ac si opus sit auxiliares Copiæ addantur, si ob istum medium statum Elector in Clivia aut alibi impetatur. Ut quoque Rex permittat, ab Electore Belgis denuntiari, se in hoc bello neutras partes secuturum, eoque præveniri, ne hi ex fœdere auxilia ipsum poscant? præsertim cum iidem hactenus ita se gesserint, quasi ultro Galli arma in se irritare velint. Ut Gallus promitat, se Belgas per Germaniam haut invasurum, nec hanc armis suis turbaturum; simul vicinis caveat, bellum suscipi æquæ satisfactioni obtinendæ, nequaquam subvertendæ Reipublicæ. Has conditiones si Gallus annuat, non adparere, quare non Elector honeste extra armorum consortium se removere possit.*

1671.

Altera sententia.

§. 24. Contra alii uti vel ideo in societatem belli contra Belgas venire fas esse negabant, quod ejus nullæ sat graves causæ adferantur; ita ostendebant, non deesse, quæ ad rationes pro amplectendo medio statu à Neoburgico adducuntur, regeri queant. *An enim Gallus tantopere obstringi sese crediturus sit, si Elector accepta pecunia quiescat, dubium esse, saltem eousque, ut inter tractatus pacis causam ejus contra Belgas valde tuiturus sit. Non posse quoque non Belgas eo modo offendi, quod Gallo via ad ipsos eo facilius invadendos muniatur. Unde hanc rationem ingressis Galli amicitam haut adstringi, & Belgas irritari, ac si ad pacis tractatus perveniatur, à Gallo parum præsidii, à Belgis plus molestiarum expectandum. Nam quo propius Elector Gallo jungatur, eo longius à Belgis discedi, ac eo minus amici ab his sperandum.* Quia etiam Gallus pecuniam haut gratis erogaturus est, eo vinculo Electorem in alia molesta fœdera, ac grave bellum pertractum iri; cum semel viam ingressus facile ulterius propelli queat; nec semper pedem citra periculum referre detur. Et quia pecunia accepta libertas fere vendi solet, deinceps eundum, quo Gallus invitarit. Neque enim moris esse, initio omnia quæ desideres expromere: sed primis obtentis plura exigi; quæ abnuere non liceat, ni priorum gratiam perdere velis. In negotiatione quoque pacis, ubi primariæ partes capitis potitæ sunt, eorum qui medii fuere exiguam rationem haberi. *Diffidentiam melius tolli, si Gallo ingenue declaretur, causas belli clarius explicandas, quod nisi iis cognitis ab Electore certi quid statui nequeat. Tum necessario cum vicinis, & præcipue cum Svecis communicandum; unde Regem modicam moram haut ægre laturum. Conditiones, quibus medius status circumscribendus moneatur, dubium esse num proponi, an observari possint. Nam Gallum huc usque neque super controversiis cum Belgis significare, nec officium Electoris istis componendis admittere voluisse. Eo in proposito si ille persistat, Electori nunquam judicare integrum fore, utra pars æquam satisfactionem respuat.*

Quin

1671. *Quin si Elector liquido declaret, se tamdiu medium fore quoad Gallus æquam satisfactionem rejecerit, hunc eam declarationem velut contra se factam accepturum, prout & ea in eventum non possit non hoc modo accipi. Ast quis tradiderit, Gallum sub conditione tam lubrica, medium statum servaturo pecunias daturum? Et quem arbitrum fore, num culpa non succedentis æquæ transactionis penes Regem sit, an Belgas? æqua satisfactio sit, quæ offeratur, an minus? Denique etiamsi promittatur, Remp. non penitus evertendam; id ipsum tamen dubiis interpretationibus non cariturum. Et quomodo victori terminus, intra quem progressus suos sistere debeat, poni queat, nisi majore vi opposita? Unde istis videbatur, negotiationem cum Gallo non abrumpendam, sed proposita ab ipso audienda, ac super dissidiorum causis curatius inquirendum; non autem certi quid concludendum, quoad Elector cum Suecis, & aliis quorum interest, rem penitius expenderit.*

Consultatio super summa rerum. §. 25. Enimvero quia spes avertendi belli indies minuebat, & brevi atrox flamma eruptura erat; demum posita dubitatione certi quid decernendum videbatur. Id quod tamen eo difficilius erat, quo periculosior publicus rerum status adparebat. Adversus Galli ausa omnes fere desides quiescebant, aut languide arma parabant contra tantam molem haut suffectura. Ab Imperio non nisi segnia remedia expectabantur, lentæ, atque exitu cariturae consultationes, literæ, preces, demonstrationes, legationes. Queis insuper habitis Gallus unum post alterum oppressurus erat, libidine dominandi, & aliena rapiendi per successus indies irritata. De conjunctione autem omnium, quæ unicum remedium erat coërcendæ potentiæ omnibus servitium minitanti, non cogitabatur, aut cogitabatur tantum. Periclitabantur autem Unitæ Provinciæ, validum Germaniæ propugnaculum contra Hispanos, & Gallos, quas subsistere Protestantium cumprimis intererat. Neque vero iis oppressis Galli ambitio satianda erat, sed eædem victæ validissimi instrumenti vicem subituræ erant ad jugum aliis imponendum; ac præcipue tunc Westphalia, ac inferior Saxonia nudato latere destituebatur. Sed & hoc consiliis maximam difficultatem pariebat, quod de scopo belli non constaret, utrum duntaxat certæ conditiones circa commercia potissimum, an vero eversio Reip. quæreretur. Nam si Gallo id tantum agebatur, ut hoc bello proficuam sibi transactionem super controversiis inter ipsos ortis Belgis extorqueret, satius Electori videbatur, quantum per defensivum fœdus dabatur, extra partes manere, ac unice conciliandæ paci incumbere; quod tanto cum pondere præstari non poterat, si ipse bello implicitus foret. Ac sane vix aliter salva ratione judicare licebat, quam Gallo id duntaxat propositum, ut Belgas raptim illato terrore ad transactionem compelleret. Eum quippe pro sua prudentia facile perspecturum, tantum non impossibile fore eam Remp. penitus evertere, centum amplius munitis urbibus firmatam, ac mari formidandam; cui nec pecunia desit, nec miles, bellive paratus per biennium collectus. Et eum esse provinciarum positum, ac munitionum inter se nexum, ut in earum penetralia perrumpi non possit. Sed & si Gallus talia agitet; reliquos Europæ Principes, quorum interest eam Rempublicam non destrui, aut alteri adcrescere, omni vi sese oppositüros, ac Gallum distracturos. Et quanquam de fœdere inter Gallum, & Anglum adversus Belgas non amplius dubium videatur; supra fidem tamen esse, duo vicina, ac à multis seculis per intrinsecas rationes æmula Regna in eversionem ejus Reip. conspirare potuisse. Et si maxime Angliæ Rex eo se induci passus fuerit, Parlamentum tamen in id nunquam consensurum. Denique Belgas semper pacem quantum possint amplexuros vel ob hanc causam, quod quæ nunc eminet factio metuat, ne bello in longum extracto necessum sit Arausionensem in majorum munia reponere, id quod sibi multo nocentius judicat, quam Galli desideriis velificari. Ubi male sibi consulturus esset, qui præmature ei se negotio ingesserit. Quia tamen domesticus Belgarum status haut exiguis morbis laborabat, ac quid primo impetu Gallus valeret, non ita pridem in Hispanicis provinciis adparuerat, ingruens periculum moram non amplius ferebat, quin certi quid statuendum foret. Igitur quæstio jam quadruplex surgebat. Galli partes contra Belgas, an Belgarum contra Gallum amplectendæ: an neutræ partes sequendæ: an vero tertiæ partes formandæ forent? Ubi circa Galli partes videbatur, iis susceptis initio quidem insignem lucri spem ostendi. Sed quia Electori semper tam generosus, & Christiano Principe dignus animus fuerit, ut ditionibus justo titulo partis contentus fines cum aliorum injuria proferre non laborarit, nec vicinis suis quidquam præter jus subtrahere unquam conatus fuerit, ac paci, quantum per alios datum sit, studuerit; societatem Gallicam svaderi nullo modo posse. Præsertim cum prudentiæ legibus repugnet, ad augendam potentiam tam formidabilem cui totum orbem Christianum inquietare volupe sit, operam conferre; idque omnibus Germaniæ amantibus civibus, queis quies, securitas & libertas patriæ cordi sit, summo studio fugiendum. Et quanquam causa, ac scopus belli incognitus sit, præterquam quod probabiles conjecturæ suggerunt: nunquam tamen Gallo tam justas esse causas posse, ut Elector ad invadendos bello Belgas, concurrere debeat vicinos, veteres socios, eorundem sacrorum consortes, & quibuscum ipse tam multas rationes communes habeat. A Gallo non aliam causam belli ferri, quam ut Belgarum superbiam coërceat; quæ nemini, cui sana ratio, & scita religionis Christianæ cordi sunt, ad bellum sufficiens videri possit. Denique omnibus Europæ Principibus hac tempestate quam maxime ad Gallum respiciendum: cujus vires non uti Hispanorum tam late dispersæ languent, sed à conjunctione maximum vigorem mutuantur. Ejus Regnum milite non minus, quam opibus florere; eoque positu gaudere, ut si perpetuo 1671.

1671. petuo exercitu succinctus stet, quemvis vicinorum opprimere, quoties libido subierit, aut saltem hos necessitate armorum imposita exhaurire, perpetuisque turbis exercere possit. Qui & invaso Hispanico Belgio, ac ejecto Lotharingo specimina ediderit, nullam esse justitiam, nullam pacem juratam, nulla fœdera, quæ cupiditates ipsius coërcere queant. Denique per eum publicam tranquillitatem semper in lubrico stare; cum ipse neminem timeat, ac nemo vel pedem terræ eidem eripere audeat, aliorum autem possessiones, quæ ullo modo ipsius cupidinem stimulare possunt, semper in ancipiti sint. In Belgarum autem partes ita raptim descendere non minus difficultatis habebat. Nam anceps admodum erat, nulla accepta offensa tam potentem Regem hostem sibi reddere; præsertim antequam constaret, quid Cæsar, Hispanus ac inprimis Svecus circa tanti momenti negotium facturus esset, & cum Belgæ ipsi hactenus non magnopere auxilium Electoris affectare visi sint. Ac Galli amicitiam Electori, ejusque Domui semper æstimatam, ut nisi summa ratio, cui necessitatis vis subsit, subegerit, hostilia in eum sumi non possint; præsertim cum, Electore in Belgarum partes transgresso, facile bellum in Germaniam pertrahi queat; id quod cavere isti semper curæ fuisse Sed & Gallicæ copiæ jam in Coloniensi ditione pedem fixerant, ut facile iis foret conjunctionem Electoris cum Belgarum copiis intercludere. Quin intellecta Electoris cum Belgis societate metus erat, ne Galli protinus erumperent, ac nemine resistente Cliviam, & Marcam occuparent, ac velut jure belli partas sibi retinerent; quibus recuperandis necessum futurum erat sedem belli in proprias ditiones transferre, ac exitium alteri intentatum in se præter necessitatem derivare. Sed & nondum in Belgio pro periculi magnitudine arma parari conspiciebantur, cum illos ante omnia extremis viribus conniti par esset, qui directe petebantur. Denique Wittiana factio, penes quam tunc summa consiliorum in Belgio erat, sine dubio quovis modo laboratura credebatur vel cum aliqua jactura Galli amicitiam recuperare, Electore destituto. Porro ut Elector, ubi in bellum eruptum fuerit, otiosus inter partes desideat, svaderi haut poterat, quod tam generoso animo intolerabile sit, omnia damna, molestias, ac insultationes perpeti, quæ fere eos manent, qui inermes, ac medii inter validos bellantes agunt. Et cum super servando medio statu cum utraque parte pacta sint ineunda, ditionem suam utriusque usibus exponendam, nulla spe per pacem emolumenti quid obtinendi. Denique ut tertiæ partes formentur tutissimum quidem videri, si istæ mature combinari possint. Enimvero experientiam testari, quam ægre ac lente ejusmodi confœderationes procedant, ac quam facile eædem dissolvi soleant. Ac documento esse, quod tanto tempore Ratisponæ super publicis armis nullo effectu laboratum sit. Quanquam autem omni ex parte magnæ se difficultates ostenderent; id tamen sedebat, si Gallo id agatur, ut eam Rempl. vel plane evertat, vel ita admutilet, ut ea deinceps ad librandas Europæ potentias parum momenti allatura sit, eam ab Electore deseri non posse, ac cum omnibus, quorum pariter intersit ad ejus conservationem omni vi incumbendum. Quo casu insuper habendum, quomodo Belgæ hactenus erga ipsum sese gesserint, aut num Gallus offendendus sit, aut multum an parum pecuniæ subsidiariæ accipiatur. Nam eo pariete ardente nostram rem agi. Ita demum conclusum; ubi, quid à Legato Belgico proponendum sit, adparuerit, & quid consilii Belgæ ceperint, cum his summo silentio super auxiliis, & pecunia subsidiaria concludendum; ut tamen quamdiu fieri possit, Gallia aperte ne proteletur, nec Elector ante mensem Augustum ad rem gerendam teneatur. Interim maximo studio laborandum, ut non solum alii in partes pertrahantur, sed & ut Gallus ad amicam compositionem permoveatur. Quo si nil aliud proficiatur, saltem Electoris animum pacis studiosum orbi adpariturum, communi turbatæ quietis odio in Gallum devoluto. Hoc intervallo quoque adparatus bellicos maturari, ac vicinorum destinata explorari, simul Cæsarem, Svecos, & Imperii Ordines impelli posse, ut & ipsi servandæ paci arma parent. Etsi utcunque res caderet, non adparebat, quomodo mala belli Clivica ditione averti possent. 1671.

Belgæ segnius bellum adparant.

§. 26. Inter tam manifesta erupturi belli indicia Belgæ longe segnius, quam pro magnitudine periculi, arma parabant; cujus rei culpa ex parte penes Petrum Grotium Belgarum in Gallia legatum erat, qui adhuc sibi inani pacis spe blandiebatur, quasi submissione Rex placari posset. Qui & sæpe de iis, quæ agebantur, parum informatus erat, ac sibi non satis constare videbatur. Forte & Galli spem ejus aluerant, Belgis in securitatem dandis. Idem palmariam rationem permovendo Gallo sibi reperisse visus erat, quod Anglus Belgis officium suum avertendo bello, & auxilium obtulisset; unde necessum esse, ut is vel Gallo, vel Belgis illudat. In Belgarum autem manu positum esse Anglo satisfacere, collato in Arausionensem imperio in exercitus, velut qui id quærat, ut stabilita hujus autoritate Belgæ deinceps abdicato Gallo ab Anglia sese haut disjungant. Enimvero prævalebant ratiociniis Grotii delectus tota Gallia ferventes, qui ad C M peditum, XXV M equitum adscensuri ferebantur, & quod equi trahendis machinis in Germania L M uncialium pretio emerentur. Simul in Sveciam anxiæ missitationes fiebant; ac jactabant Galli, postquam Biœrnclovius Galliæ rationibus adversus ibi fato functus, ac Steno Bielkius interventu Claudii Tottii Magno Gardio reconciliatus sit, Pomponii negotiationem probe succedere; quæ eo tendat, ut Sveci accepta pecunia exercitum in Germania habeant, Cæsarem, aut si quis alius contra Gallum moveat, distracturi. Sed si Germani quiescant, Sve-

1671. Svecos medios mansuros, accepto haut eo minus pecuniario subsidio. Cum ante quoque decretum esset, Trajectum ad Mosam primo loco oppugnare, nunc mutata sententia placebat recta Rhenum, & interiora Belgii petere. Tanto magis Elector Crocovio injungebat, ut quantum posset ad Regem à bello avertendum conniteretur. Ast is omnem operam incassum consumebat. Iterabantur causæ belli totiens ingestæ: *Belgas in omnibus dulis de Rege indigne locutos: ejus actiones obtrectasse; neminem non in ipsum incitare conatos. Quin nuper eo ipso pacem abrupisse, quod omnium prope Gallicarum mercium importationem vetuerint: (etsi Galli prius Belgicas merces ad se importari interdixissent.) Igitur nimium insolentes ad modestiam redigendos. Nec magnæ molis id negotium fore, cum pauci eorum partibus accessuri sint. Cæsari sat cautum iri, Regem in Germaniam, & Hispanos nil tentaturum. Quin Cæsarem ultro invitatum ad præstandam pacem Aquisgranensem, ac Hispanis æquas admodum conditiones offerendas super componendis, quæ cum ipsis restant, controversiis. Regem quoque non solum omnia, quæ ad servandam Germaniæ pacem faciant, adprobaturum, sed &, si requiratur, iisdem se adjuncturum, qui circa eandem præstandam sese sociaverint. Quibus oblatis Cæsarem sine dubio contentum fore, ac Regi extra Imperium nil molestiæ daturum, nisi huic necessitatem afferre velit alia consilia capessendi ipsi admodum noxia.* Cum porro Crocovius ostenderet, vicinorum, ac cumprimis Electoris ditiones hoc bello plurimum incommodi sensuras, Galli reponebant: Fas esse hostem suum persequi, ubicunque inveniatur: militem tamen accurata disciplina coërcendum, quantum belli indoles ferat. Sed quia tantorum exercituum transitus absq; noxa fieri nequeant, melius rebus suis consulturos Germaniæ Principes, si ei se potius associent, qui ipsis sua redditurus sit, quam istis, qui ea per injuriam detinent. Quin Regem fidem daturum, non prius pacem ineundam, quam Electoris indemnitati cautum sit. Primi anni expeditione Belgis sonticam plagam inferendam; sed si Rex animadvertat, alios sese bello ingesturos, sequenti anno pacem facturum; ac multos in Germania esse, qui ejus destinatis faveant. Paucos post dies Lunvoisius Crocovio denuntiabat: *Præter spem Regi accidere, quod Elector hinc inde, cumprimis Bonnæ proponat ipsi displicentia. Blaspietum Coloniensi acriter exprobrasse, quod is militem conscribat, ac annonam congerat, simul super damnis è bello proventuris protestatum. Sine dubio Electori constare, quæ à Coloniensi fiant, autore Rege, ac in hujus usum fieri, eundemque ad istum indemnem præstandum teneri, nec tutando fœderato defore. Non amplius dubium videri, quin Elector Belgis se illigaverit. Unde Regi alia consilia capessenda, ac protinus tantum copiarum Coloniensi submittendum, ut eum nemo verbis, aut factis violare ausurus sit.* Ad quæ Crocovius reponere jussus est; *Coloniensi nil propositum, quod Regem ullo modo tangat, sed quod hujus sententiæ congruum fuerit, utpote qui semper confirmarit, se haut quidquam Germaniam, & peculiariter Coloniam, ac Electoris provincias bello tentaturum. A Coloniensi nil amplius postulatum, cum de ipsius armis ac obsidendarum urbium paratu intelligeretur, quam ut pacem Imperii servare studeat, ac quæ sibi deberi putet, legitima via persequatur; eamque in rem Electorem ipsi auxilia obtulisse, si quid periculi ab aliquo intentetur. Id quod munus Electorale, ac jura vicinitatis, & amicitiæ, & communes utriusque ditionum rationes requirant. Idemque Regi displicere haut potuerit, qui tam sæpe testatus sit, sibi controversiam Coloniensem haut curæ fore; ni Furstenbergii, quo Electorem Regi suspectum redderent, falsa retulissent. Quorum turbida consilia eo minus ad abrumpendam inter Regem, atque Electorem amicitiam valitura sint, quod ne in istum quidem altius penetrantia jactare dubitent. Sane Wilhelmum Furstenbergium, cum Berolini esset, disseruisse; Galliæ potentiam, ac destinata ita vasta esse, ut merito deliberandum sit, an non potius Belgarum partes, quam Gallorum amplectendæ sint; ac an non præstet, Trajectum ad Mosam, & Reinbercam in Belgarum, quam Galli manu esse, ac Coloniensem illos, quam hunc vicinum habere. Cæterum à nemine improbari posse, Electori pacem Germaniæ, & conservationem suarum ditionum cordi esse, ac ut apud amicos, & fœderatos pacifica consilia locum inveniant.* Addebantur querelæ in Furstenbergios, qui & nunc suis commentis gravem injuriam Electori intulerint, ac in ejus fraudem multa machinati sint, ut ipsum ubique exosum redderent. Qui & in aula Coloniensi ita omnia pro libidine agant, ut Electoris legatum Coloniensis præsulis alloquio arcere ausi sint. Sed nimirum Galli istos velut eximia destinatorum suorum instrumenta fovebant, atque id agebant, ut eorum unus Coloniensi successor constitueretur, Leodiensi quoque Præsulatu in Cardinalem Bullionium derivato. Quæ quantopere Germaniæ, ac utrique Belgio exitiosa forent, neminem latere poterat.

Elector incassum circa pacem satagit.

30. Nov.

1. Dec.

§. 27. Sed nec plus apud Gallum Belgæ circa servandam pacem proficiebant; quorum legatus Grotius Regi declarabat; *Belgas spem haut meminisse, à se quid admissum fuisse adversus istius honorem, & à se debitum grati animi officium: ac si quid patratum sit, se id debita cum submissione reparaturos. Falsò quoque spargi, à se Hispanos ad fœdus offensivum in Galliam invitatos.* Huic Tellierius privato congressu confirmabat; Regem nullibi de infenso in Belgas animo declarasse; sed id duntaxat questum, quod hi præsidium Coloniæ immittere decreverint; cum Rex per fœdus anno 1669. cum Coloniensi Præsule initum ad auxilia huic ferenda teneatur, si quis ejus urbis causam armis fulcire instituat; unde facilis in bellum transitus sit. Tradebat inde Grotius literas ab Ordinibus Generalibus ad Regem, addito in hunc sensum sermone: *Belgas non sine animi dolore per nuntios undique moneri, tantos armorum adparatus, qui à Rege fiant contra ipsos dirigi. Eos autem nullius in Regem offensa sibi conscios, aut si quid admissum sit, reparationem offerre. Sane nemini reo celari crimen, cujus insimulatur, aut defensionem*

Gallus Belgis pacis adimit.

7. Jan. 1672.

1672. *nem negari. Eosdem quoque offerre se commercia in eum statum, quo anni sexagesimo secundo fuerit, reposituros, eoque nomine omnia facturos, quæ honor Regi debitus requirat. Denique Belgium deinceps Regi considerandum velut Galliæ membrum. à quo non amplius impedimenta istius destinatis metuenda sint. Igitur Regi satius fore liberam ibi rempublicam, quam supremo imperio præditum principem habere.* Ei Rex respondebat: *Sibi eam epistolam dudum lectam, quæ & in omnium manibus versetur, & cujus exemplum nemo non secum habeat. Satis sibi cognitum, Belgas circa omnes Europæ Principes in ipsum irritandos satagere, quæ sibi causa belli sit; ac arma jam sibi in promtu, quibus suscepturus sit, quæ sua gloria, & Regni sui rationes requirant.* Ita Grotio discessum adornanti Tellierius significabat; Regem ita irritatum esse, ut de compositione audire nolit. Quod idem Condæus respondebat, cum iste se invisentem rogaret, ut Regis animum mitigare laboraret. Cæterum Gallo præter proprias vires animos addebat Angli societas; quem tamen omnes boni mirabantur usque adeo sui oblitum, ut Gallo contra Belgas se jungeret, & isti ad vasta sua destinata viam muniret; si præsertim consideraretur nativum inter Gallos, Anglosque odium; ac æmulatio, quæ Anglos præcipue à tempore Elisabethæ Reginæ super navali Gallorum paratu exercuit, tum triplicis fœderis causa Unde tam importuni consilii nulla probabilis causa dispici poterat, quam vel memoria ignominiæ superiore bello in Tamesi acceptæ, vel invidia in validas Belgarum classes, & florentia commercia, vel ut Galli Belgæque invicem commissi ita vires suas attererent, ut neutri amplius Angliæ metuendi forent. Unde prudentiores jam augurabantur, ab Anglis hac æstate rem summa vi gestum iri, ut proficuas sibi conditiones à Belgis extorqueant. Post eos bello excessuros parum sollicitos, quamdiu Galli, Belgæque inter se luctentur. Nec minus Gallo propositum fuerat prima expeditione Belgas omnibus viribus obruere, ac ad proficuas sibi conditiones admittendas compellere, ac ne bellum accessione aliorum extraheretur, protinus sequestres admittere. Unde & idem passim Principes ad servandum medium statum non nisi in unum annum invitabat. Spes quoque erat, Hispanos huic se bello haut ingesturos quibus, Angliæ Rex per Sunderlandiæ Comitem Madriti proponebat; Gallum omni prætensioni in Hispaniam, & inde pendentes provincias renunciaturum, tum circa limites in Flandria pleraque remissurum, si Hispani Belgis auxilium ferre nolint; ac Angliæ Regem eo nomine cauturum. Addebantur minæ, si ista abnuant, hunc nolle amplius triplici fœdere teneri. Sed & fiduciam addebat fœdus cum Svecis initum; cui quidem hi actionem suam in Bræmensem civitatem includere cupierant: sed Galli excusabant, eam rem in præsens maturam non esse, & alia tempora expectanda. Scilicet quia satis norant, omnes vicinos ei conatui quantum possint reluctaturos, quos isti in Svecorum gratiam in se irritare nolebant.

§. 28. Sed & illud certo sibi Gallus persuaserat, Electorem saltem neutras partes hoc bello secuturum, quod alias Cliviciæ ipsius ditiones hostili vastationi exponendæ forent. Quo fine ad ipsum San-Geranius mittebatur, qui exponebat: *Regem decreto in Belgas bello societatem cum Anglo inivisse. Inde per Furstenbergium Electori sua destinata aperuisse; mox & per Verjum Berolini, ac Bilefeldæ cum isto egisse. Qui licet re infecta discesserint, se tamen venisse, ut denuo testetur à Rege ejus conjunctionem affectari. Arridere jam pronissimam occasionem Civica oppida recuperandi, quorum tam diuturnam detentionem Elector non possit non ægre ferre. Sed verbis opus non esse, quod nemo melius ipso Electore norit, quid rebus suis expediat. Se jussu Regis fœdus offensivum offerre, aut si id displiceat, ut Elector neutri parti accedat. Circa sacra in Belgio nil novatum iri, ac Regem nil amplius deposcere, quam ut Catholicis liberum sit ritus suos intra privatas ædes exercere.* Contra Elector amicam compositionem, ac suum eo fine officium ingerere. Eam moderationem Regi insignem gloriam parituram; ac amicis Galliæ gratissimam fore, qui alias multa mala bellum comitari solita metuant. Privatis congressibus cum Sverino institutis San-Geranius disserebat: *Bellum decretum esse: super pace nil sibi mandatum, sed tantum de fœdere. Regem à Belgis offensum: tuenda ejus gloria vindicta opus esse. In adparatum belli ingentes sumtus factos: cum fœderatis omnia convenisse. Si Elector tractationem suscipere velit, primo articulo sibi cavere posse, ut ni Angliæ Rex primum impetum in Belgas det, omnia conventa irrita sint. Reliquos fœderatos esse Coloniensem, Monasteriensem, & Hannoveranum. De Cæsare non dubitari, quin extra partes sit mansurus, simul Hispani conditiones acceptaturi, quas super regundis finibus Rex æquissimas tulerit.* Sverinus contra: *Regem etiam citra bellum omnibus, quæ desideret, potiri posse. Bellum immensos sumtus absorbturum. Si Rex quiescat, reliquos fœderatos facile contentos fore. Belgas jactare, literas se ab Anglo habere, queis auxilia ipsis promittat, si Arausionensis in paterna munia reponatur. Coloniensem quoque de offensivo fœdere cum Gallo fateri nolle.* Ast Gallus sua dicta asserere, pacem adspernari. Ei cum moneretur, intra fines Imperii positas provincias utique innoxias vastatum iri, reponebat: Regi curæ fore ita bellum administrare, ut ex provinciæ quam parcissime tangantur; & qua transitu opus sit, omnia quæ militi præbeantur justo dato pretio solvenda; damnum quoque reparandum, & præfectos qui huic causam dederint Electori ad supplicium tradendos. Ast si Elector in societatem belli venturus sit, non prius pacem cum Belgis ineundam, quam eo in possessionem urbium suarum immisso, abolitis quoque reliquis litibus, quæ eidem cum Rege intercedunt. Ad hæc Sverinus: *Electorem studio pacis insistere, ac judicare, id bellum, si maxime fortuna Regi faveat, deinceps haut solidos fructus ei allaturum. Cæterum gratias Regi, agere, quod ipsius emolumenta curæ habeat. De fœdere offensivo ipsos Regis ministros dubitasse, num Electoris rationes id ferant; unde & Verjum*

1672. Gallus Electorem ad neutralitatem urget.

28. Dec. 1671. San-Geranus.

2. Jan. 1672.

1672. *jam jam de medio statu monuisse. Sed quia nunquam expositum sit de scopo belli; quo loco invasio sit facienda num eo bello Germania quoque sit implicanda; qua ratione Electoris ditiones per medium statum servari, ac ipse indemnis praestari queat; qua satisfactione à Rep. accepta Rex adquiescere velit; Electorem circa istum liquido respondere haut potuisse. Hispanos fœdus mutui auxilii Hagæ conclusisse. Viennæ plura fœdera cudi, ac eam aulam haut omissuram emolumentum suum ex his turbis captare. Suecos non nisi circa unum caput super commerciis hærere; quo obtento Belgis auxilia laturi, aut saltem militem, & egregios duces commodaturi sint: ac Belgarum legato in mandatis datum, si bellum ingruat, Suecis cupita annuere. Anglum placandum, si Arausionensis paternis muneribus admoveatur.* Ad hæc San-Geranius: *De Anglo fictum. Hispanis ejusmodi conditiones à Rege latas, quas repudiare nequeant; aut si eas non admittant, bellum & ipsis expectandum. Regem porro Hispaniæ puerum esse: ipsum Regnum debile, nec meliore conditione, quam nupero bello; eoque in novum bellum cum Gallis haut descensurum. Quin hostes, an amicos se ferant Hispani, exercitum in Flandria habendum eorum conatibus observandis. De Suecia adhuc incertum, & Belgas esse fabularum architectos. Conditiones porro medii status esse, ut Elector copiis regiis per ditiones suas transitum concedat. Annonam, quæ militi præbeatur, pecunia emendam. Omnia Clivia loca in Electoris manus tradenda, quæ Belgis eripienda sint, excepto uno & altero ad penum ibi struendam: quæ tamen bello finito itidem restituenda sint. Quod si hoc bello omnia ea loca non expugnentur, Regem non prius pacem facturum, quam Elector omnia sibi debita receperit. Oppidis ad Germaniam spectantibus, sed Belgico milite insessis, & unde damnum ipsi queat inferri, Regem parcere non posse, circa quæ tamen omnia facturum cum dominorum voluntate. Cum Coloniensi jam transactum. Ut itidem cum Electore conveniat, se huc venisse. De causis belli nil aliud habere, quod dicat, quam id suscipi ob gloriam Regis, & ad Belgas in ordinem redigendos. Quousque bellum progressurum sit, antequam id cœperit non magis definiri posse, quam ejus exitum prospici. Regem tamen cum fœderatis suis de compacto acturum, ubi bellum aliquandiu gestum fuerit. Provincias inter socios partiri Re-*

8. Jan. *gi in mentem haut venisse.* Sverinus contra: *Negotium maximi momenti esse, ex quo conservatio, aut exitium ditionum Westphalicarum dependeat. Inter Regem, & Electorem nil esse controversiæ, sed illæsam amicitiam, eoque intuitu nil esse, super quo tractetur. In eo tantum rem verti, num Electori integrum sit, quæ conscientia dictet sequi in bello, ubi Regis hostes sui sint socii, ac vicini, ac cujus sedes magnam partem in sua ditione futura sit: quo respectu ipse ad leges Imperii observandas sit obstrictus. Ubi cum non constet, quid major Ordinum pars sit decretura, à Rege violationem medii status haberi non posse, si juxta leges Imperii ipse decretum Ordinum sequatur. Uti igitur is nolit præter promissa quid facere; ita non constare, quomodo circa negotium à se non dependens stabile pactum iniri queat. Interim apud Belgas se acturum, ut Regi ex æquo satisfiat ac venturum propediem horum legatum eo nomine acriter monendum.* Gallus ad hæc: *Si Elector etiam super solo medio statu fœdus cum Rege ineat, integrum ei fore durante bello monere, quæ ad pacem spectent. Id quod si is nullo pacto Regi innectatur, fieri nequeat. Cæterum circa Imperium nil dubii esse. Sane Regem nec contra Imperium, nec ullum ex ejus Ordinibus bellum gesturum: sicuti nec Imperium Belgarum causam suscepturum sit. Cujus rationes cum in hoc bello non vertantur, se nescire, quare de Imperio mentio injiceatur.* Noster contra: *In Imperio magis in hos armorum paratus respici, quam in ipso Belgio. Nam heic bellum sibi illatum iri non credi. Ast Imperio Regis potentiam magnopere esse suspectam, ac Ratisponæ super publico Imperii exercitu agitari, de quo jamjam concludendum sit. Si igitur Elector decretum Ordinum ex incumbente sibi obligatione sequatur, verendum esse, ne Rex pactum super medio statu, si quod ineatur, violatum arguat.* San-Geranius: *Si Rex contra Imperium quid suscipiat, Electorem obligatione ex pacto cum Rege ineundo solvi: quod alias salvo erga Imperium respectu inire ipsi haut integrum sit. Sane animo concipere se non posse, Belgas insessis ad Rhenum oppidis in Imperium haut delinquere; contra si Rex ea recuperet, ac legitimis dominis restituat, id velut Imperii rationibus repugnans haberi.* Sverinus: *cum Elector omnibus modis bellum declinare cupiat, posse eum pacto super medio statu supersedere, prout & Moguntinus declararit, se neutrarum partium citra pactum fore.* San-Geranius: *dispares Moguntini, atque Electoris vires. Si Elector dubitet in Belgas quid suscipere, quod hi ipsius oppida insideant: ob eam ipsam rationem eidem Gallum quoque respiciendum. Si per pactum servando medio statui se adstringat, haut expertem emolumenti fore; & quanquam Rex ingentibus expensis prematur, aliquid tamen erogaturum ad sustentandas Electoris copias.* Ad quæ 13. Jan.
promtum responsum expetebat. Ast Sverinus: quo plus difficultatis circa hoc negotium se ostendat, eo magis Electori incumbere quantum in se pacem promovere. Unde legato Belgico, qui nuper accesserit, demonstratum: bene ac prudenter Belgas facturos, si ante omnia, quæ paci obstant, removere laborent, Regique circa querelas suas satisfaciant, ejusque gratiam recuperent. Cum igitur nil magis à se optari testentur, quam ut Elector omnem operam circa servandam pacem navet, hunc intellectis, quæ Rex de istis questus fuerit, è legato sciscitatum: num Ordinum Generalium nomine cavere possit, omnes eos condignas pœnas daturos qui de Rege indigne locuti sint? Ad quod iste declararit: Forte quidem multos ex vulgo hac cumprimis tempestate sinistre loqui; quod prohibere penes ipsos non sit; sed si quis publicorum ministrorum id fecerit, id impune haut laturum, nec Remp. talia jussisse. Num super commerciis Regi satisfacere velint, abrogato edicto super prohibendis mercibus Gallicis? Id jam per literas Regi se obtulisse, idemque serio optare. Num declarare velint, se nunquam impedire laboraturos,

1672. turos quo minus Rex obtineat, quod jure ipsi debetur? De hoc nunquam se quid percepisse, nec dubitare, quin Resp. super hoc Regi satisfactura sit. Denique cum Regi, quo minus cum Belgis conveniat, fœdus cum Anglo, & Coloniensi obstet, num & his satisfacere, ac præcipue Reinbercam reddere velint? Quid prætensionis Anglus habeat se ignorare; Coloniensis actioni multa esse, quæ opponi queant; de quo tamen nil sibi mandatum. Cum igitur Elector ex hisce responsis non aliter judicare possit, quam Regi, quæ desideret, obtinere in proclivi esse, ista se ad Regem relaturum, ejusque declarationem expectaturum. Ad quæ San-Geranius: laude dignum Electoris circa pacem studium: sed nondum tempus esse de ea agendi, nec super eadem sibi quid mandatum. Cæterum quod quæstiones Belgæ propositas attineat: Regem celsiore esse animo, quam ut quid Belgæ garriant curet, nec horum nugas gloriosis ejus gestis obesse posse. De commerciis ad futuros tractatus spectare. Regi quoque eas opes divinitus concessas, ut, quæ sibi competant, Belgarum ingratiis pervincere queat, nec opus habeat ab his ejusmodi cautionem desiderare. Denique Regem nil facturum, quoad fœderatis suis satisfactum sit. Sed id suo loco ac tempore suscipiendum. Ac frustra fore Electorem,

19. Jan. si de iis ad Regem referat. Sane sibi de talibus in aulam scribere haut licitum. Ad ista San-Geranio responsum: quia ipse super amica compositione agere abnuat, Electorem ad Regem relaturum. Interim quoad Regis declaratio allata fuerit, super propositis tractare non posse; præsertim cum Belgæ jam auxilium petant ex fœdere tunc temporis inito, quando Rex ipse arcta amicitia istis innectebatur, ac ipsum Electorem impense hortabatur, ut is Belgis adversus Monasteriensem adsisteret. Ac ancipiti eum cura distrahi, quod nec color sit illi auxilio abnuendo; ac forte Rex idem velut medio statui repugnans habiturus sit. Ad ista Gallus: interventionem inanem fore, cui quamdiu insistatur, nihili esse suam heic loci operam. De fœdere Electoris cum Belgis nil sibi constare. Cæterum *Belgas pro aggressoribus habendos, utpote qui prius, quam Rex, delectus habere cœperint: in aula Suecica contra Regem negotiati sint: classem suam ad oram Dunquercanam collocarint, cum Rex in eo oppido ageret.* Quicquid tamen hujus sit, Electorem medium agere haut posse, si quovis modo Belgis auxilium præstet. Conciperet modo Elector pactum super servando medio statu, bellum, seu pax fiat: cui ne respectus imperii, aut Hispaniæ obstet, ejusmodi articulum pacto inseri posse; ut si Rex in Imperium aliquid moveat, Elector tunc pacto solutus sit, ac adversus Hispanos quoque medium statum observandum. Enimvero Elector demonstrabat;

2. Febr. *Regi, ac toti orbi cognitum, quanti ipse cum multorum aliorum invidia Galliæ amicitiam semper æstimarit, & uti omnia, quæ penes se fuerint, in ejus gratiam fecerit. Sed dolendum sibi, Regis destinata ita comparata esse, ut circa ea placito ejusdem velificari haut liceat. Sibi nil magis quam pacem* 1672. *cordi esse, à qua status sui salus, ac securitas pendeat; ad quam servandam, simul ut æquis Regis postulatis satisfiat, omnem operam se navaturum. Sed si Regi utique sedeat bellum paci, quam ipse immortali sua cum gloria orbi paraverit, præferre, se confidere, provincias suas sane innocentes belli molestiis eximendas.* Ad quæ San-Geranius: *Sibi quidem haut constare, qua ratione Rex bellum administraturus, & quo impetus armorum dirigendus sit. Jussum se tamen Electori confirmare, si utique bellum hujus ditiones tangat, id ei, civibusque damno haut fore. Judicio tamen Electoris permittere, num à Rege postulari queat, ut cum suo exercitu Electoris oppida intacta prætereat Belgarum milite infessa. Quem tamen si amovere Elector possit, Regem ejus provinciam haut tacturum. Eundem quoque nil sibi lucri hoc bello quærere, sed ubi gloriam suam à Belgarum contumelia vindicaverit, gratum ei fore, si tunc Elector paci conciliandæ operam navare velit, cujus fidei Rex rationes suas libenter commissurus sit. Interim & Imperii utilitatem hoc bello quæri, cujus oppida ejecto exterorum præsidio legitimis dominis restituenda sint.*

§. 29. Enimvero Galliæ Rex Electoris declaratione haut contentus San-Geranio scribebat; optare se, ut Elector clarius exponat, utras partes sequi velit. Nam si ipse huic super securitate, & commodis suis caveat, minimum quod ab eo vicissim expectare possit esse promissum de servando medio statu; quod Imperio improbari nequeat, cujus rationes Belgis implicitæ non sint. Nec alio indicio constare posse, ab Electore Galliæ amicitiam æstimari, cujus ipse cum semper antea luculenta specimina ediderit, tum nunc secretissimis communicatis, ac tanti pretii emolumentis oblatis. Sed quod Elector neutri se parti addicere meditetur, nec eo minus super eo pactum inire defugiat, sibi non immerito scrupulum injici, eum in adversas partes transiturum. Igitur cum dubius esse nolit circa Principem, cujus fœdus magni momenti ducat, denuo liquidum responsum exposcere, num Elector ipsi se sociare, an medius agere velit? Sane quomodo saltem posterius abnui queat, se haut perspicere. Circa Clivensem ditionem se eum indemnem præstiturum, ac si quis hujus pacti nomine eundem invadat, auxilia subministraturum. Belgarum Remp. haut penitus eversum iri. Enimvero gloriam suam arctius heic implicitam, quam ut acceptas à Belgis offensas diutius dissimulare possit. Quamprimum tamen circa has aliquo modo sibi satisfactum fuerit, non solum officia amicorum admissurum, sed & circa finiendum bellum generositatis suæ specimen editurum. Imperio se super servanda Westphalica pace cavisse. Unde si Principum quispiam bello, quod extra Germaniam geritur, se misceat, penes hunc turbatæ pacis culpam hæsuram. Leges & jura haut violatum iri, si per arma sua Imperii oppida ad Rhenum externo milite ejecto dominis suis restituantur, molestiis, ac sumtibus belli à se exhauriendis. Ad quæ Elector: *Ne crederet Rex, ideo circa propositum super medio statu* 13. Febr.

Gallus Electoris declaratione non est contentus. 6. Febr.

pactum

1672. *pactum se tergiversari, quod cum eo perpetuam amicitiam colere haut cordi sit. Sed obstare indolem sui status, diversa cum diversis sibi fœdera, & respectum Imperii, sine quo talia decernere sibi haut integrum sit. Enimvero quanquam antea male sibi cesserit medium inter bellantes egisse; haut tamen recusaturum cum Rege super eo agere, ubi prius quorundam vicinorum sibi conjunctissimorum sententiam perceperit. Tum & id sibi stipulaturum, ut eo pacto nolit impediri, quo minus ab Imperio decreta exsequatur.* Qua declaratione

17. Febr. San-Geranius adquiescere visus est. Sed cum mox nuntiaretur, Hispanos quoque in bellum erupturos, Anglum vacillare, super pace Parisiis clam agitari, ac Belgas super Rheinberca cum Coloniensi agere; Elector periculosum sibi ostendebat, pactum super medio statu inire, sive bellum sequatur, seu minus. Nam surgente bello sibi hostilia à Belgis imminere, quod non cum ipsis quoque super neutro statu convenerit. Bello non secuto Belgas ulturos, quod ipse ita præmature cum Gallo transegerit. Cum autem certo persvasus sit, Regem ipsi molestias conciliare nolle, petere ut eo pacto supersedeatur, quoad penitius rerum conditionem exploraverit. Ast San-Geranius: *Satis adparere, medium statum Electori haut placere. Quæ nuntiata sint inania esse. Et cum videat sibi vario obtentu illudi, se in aulam scripturum, ut hinc avocetur. Cum Rex in Germania nullum Principem majoris faciat, quam Electorem, miraturum, quod cum Cæsar, Hispanus, & omnes alii quiescant, ac is tot suis missionibus neminem excitare potuerit, idem solus in bellum descendere*

21. Febr. *velit.* Ei responsum: *Si Regi animus non sit Electoris ditiones in deteriorem statum conjicere; huic quoque incumbere, suis civibus contra belli mala prospicere. Enimvero per medium statum super provinciis vastitatis periculo haut liberari, sed potius omnium prædæ exponi. Ac Belgas, eorumque socios, ni & ipsi in eum statum consentiant, istas hostili modo habituros. Cum alias Elector, si libertatem suam illibatam retineat, tutelam Imperii sibi polliceri queat. Damna reparare haut adeo in proclivi esse. Igitur declararet legatus, quæ via sit manifestis hisce difficultatibus superandis, & in quas leges pactum sit ineundum? De cætero Electorem præter antiqua fœdera nil novæ obligationis*

26. Febr. *adhuc contraxisse.* Ad ista Gallus: *Adhibitum hactenus ab Electore agendi modum Regi merito probatum. Hunc vicissim quavis occasione isti ansam præbuisse amicitiam continuandi, ac ejus commodis promovendis pronum se ostendisse, haut allata necessitate adversus hostes Galliæ sese obligandi. Ejus ditiones servandi unicum esse remedium statum medium. Belgas ejusdem acta utique probaturos, ne tam potentem Principem ad hostilia sumenda compellant, quem & Rex eo casu milite, ac pecunia fulturus sit. Minimum id esse, quod Rex expectare posit à Principe tantopere æstimato, & cujus commoda ipsi semper cordi fuerint. Belgas non habituros quod opponant, nisi arctiorem conjunctionem affectent, & ejus spes ipsis facta sit. Sed si cogitetur, quomodo ipsi hucusque cum Electore egerint, non esse verosimile, ab hoc consilium capi posse; Regi, propriis ipsius rationibus, ac saluti civium tantopere adversum. Tantum quoque abesse, ut huic consilio insistens Elector de Imperii auxilio promittere sibi queat, ut potius Ordines ludibrio habituri sint negotio ad Imperium haut spectante sese ingerentem. Quin cum Rex extraneos è munitis Imperii oppidis expulsum eat, Imperium potius ejus coeptis velificaturum; cum hujus fuisset dudum Belgas inde ejecisse. Repudiato autem medio statu, quid inveniri posse, quod laxius Electorem obliget, & per quod facilius Clivicæ ditiones servari queant? Super conditionibus satis se insinuasse, quas repetere supervacuum sit, omni tractatuum spe sibi ademta. Antiqua cum Belgis fœdera Electorem non stringere, nisi ad defensionem, & contra aggressorem; quod vocabulum in Regem non cadat. Nam aggressorem haberi non qui primam invasionem facit, sed qui injurias infert, è quibus alteri necessitas invadendi nascatur. Per injurias à Belgis illatas Regem ad ultionem cogi, eoque istos pro aggressoribus habendos. Denique Principes Imperii pace Westphalica teneri, ne Regis hostibus directa aut obliqua ratione auxilium ferant.* Ad ista repo- 1. Maji.

situm: *Ab Electore haut quidquam superfluos scrupulos moveri, aut decretoriam sententiam studio extrahi. Omnia quæ adducta sint, magni esse momenti. Quo minus aliter is declaret non voluntatem deesse, sed quæ sæpius ingesta sint impedimenta. Nil plane controversiæ cum Rege ei intercedere, à quo potius optima quæque expectet, & cujus amicitia deinceps quoque frui optet. Mediam conditionem ab eodem non plane repudiatam, sed tantum demonstratum; positum ditionum suarum, ac vinculum, quo Imperio teneatur, tot dubia, & obstacula parere, ut nondum inveniri potuerit, qua ratione ejusmodi pactum ita temperari queat, ut & quæsitus scopus obtineatur, nec novis molestiis ansa præbeatur. Electorem animo prospicere, hoc bello infinita damna sibi illatum iri: quæ utut nec absutura sint haut admisso medio statu; consultius tamen ista sine consensu, qui pacto insit, tolerari, quo saltem ab Imperio evictio postulari queat. Id quod locum non habeat, si pacto circa medium statum inito bellum intra fines Imperii, ac proprias ditiones ultro invitasse videaris. Belgas quoque eorumque socios minus suspicionis concepturos, si Elector citra pactum in præsenti statu persistat; quod isti semper credituri sint, altius quid isti pacto subesse. Equidem Regi abunde virium esse ad istorum vim avertendam; sed id ipsum majori terrarum vastitati ansam præbiturum. Saltem id postulari non posse, ut Elector medium se declaret, antequam in arma sit proruptum, & publicata clarigatio ostenderit, quæ bello causæ ferantur, qui socii, quo loco id gerendum. Quod si igitur legatus formulam pacti ad mentem Regis formatam exhibere velit, Electorem ulterius sententiam suam expositurum; at sat spatii fore isti absolvendo, antequam in arma eruptum fuerit.* Ast San-Geranius: *Non obscuram amplius nil præter negotii extractionem quæri. Haut moris esse super medio statu agere, quando jam bellum cœperit. In fœdus offensivum descensuro necessarium esse causas belli nosse; quod supervacuum sit, si id tantum quæratur, ne alter bello sese ingerat. Socios belli esse Anglum Coloniensem, Monasteriensem, & Hannoveranum*

 Bel-

1672. *Bellum id ad Imperium haut spectare, ac neminem ex Ordinibus esse, qui tam multa de Imperio*
15. Mart. *causetur.* Atque heic subsistebat molesta sane disceptatio cum San-Geranio; quod is domum revocaretur obtentu sumto, ut militaria munia obiret, id quod ipse rogaverit. Elector id suo loco relinquendum ferebat: sperasse tamen tamdiu fuisse mansurum, quoad in arma sit eruptum, ac judicari queat, num bellum ita comparatum sit, ut ipse cum Rege citra fraudem Imperii pacisci queat; id quod hucusque dignosci haut potuerit. Pro re nata tamen Crocovium mandatis instruendum.

Angliæ Regis ad Electorem Legatio. §. 30. Circa idem tempus quoque ad erat à Rege Angliæ missus Locartus, qui post solitam de amicitia testationem graves querelas movebat de injuriis, atque indignitatibus, quas Belgæ Regi inferre pergerent, nulla circa satisfactionem cura.
14. Mart. Cum itaque ipse sibi reparationem quærere decreverit, armis cum Gallo sociatis; postulare, ut & Elector in societatem ejus belli venire velit, contundendo fastui ejus Reipublicæ, quæ vicinis tam intolerabilis sit.
2. Maji. Ad quæ ab Electore nil aliud repositum, quam dolere sibi, ad ista extrema processum, ac optare, ut ipse utilem operam amicæ compositioni navare queat. Sane cum id bellum adeo manifeste contra Angliæ rationes esset, Gallus Anglo pecuniam classi instruendæ suppeditarat, ne à Parlamento quid petere necessum haberet. Per leges enim Regni Regi integrum est propriis sumtibus bellum gerere. Quin usque adeo à ratione abhorrebat id bellum, ut ipsi Galli rem ab Anglo haut prius serio geri crederent, quam hic Belgarum classem Smirna revertentem invasisset. Quam ob causam & isti ab Anglo belli initium fieri voluerant.

In Gallia incassum disputatur. §. 31. Interea non segnius in Gallia cum Crocovio disceptatum fuerat, ut Elector ad amplectenda Galli placita permoveretur. Ei Pomponius exponebat, uti San-Geranio Berolini dictum sit, Electorem citra pactum, aut so-
5. Febr. lennem declarationem medium se gesturum. Id quod ipse credat magis in temperamenti vicem propositum, quam quod Elector serio ita velit. Enimvero Regem ampliora sibi de Electoris amicitia promisisse, ac confidere, si utique is extra consortia belli manere constituerit, haut recusaturum solenni declaratione ad idem sese obstringere. Alias visum iri eundem tempus duntaxat extrahere armis parandis, ac in adversas inde partes transire velle: præsertim cum nuntietur, eundem validas copias cogere, id quod pacato mansuro superfluum sit. Tanti à Rege fieri Electorem, ut eum in tam ambiguo statu conspicere nequeat. In votis quoque esse Regi, ut cum isto ita agere possit, prout cum sincero, ac fido amico agi par sit, non uti cum ancipiti, & lubrico; ac ut tamdiu culta inter ipsos amicitia deinceps quoque illibata persistat. Contra Elector Crocovio rescripserat; uti San-Geranius negarit, super amica interpositione sibi licitum esse in aulam referre. Quia autem ipse quam maxime optet bellum averti posse, igitur ubi deprehenderit, Regem à Grotio placatum plus spei ad pacem ostendere, petito ejus alloquio exponeret; uti Belgarum legatus nomine Reip. Electorem rogarit, officium apud Regem interponere; qui & submissis admodum verbis de Rege locutus sit, & quantopere Belgæ doleant, quod ejus offensam incurrerint, cujus gratiam recuperare quam maxime optent. Igitur Regem haut sinistre accepturum, si eam ob causam, & quia sua quoque maxime intersit pacem persistere, denuo roget, ut æquo animo operam suam admittat, quo ei amica ratione satisfiat; eoque fine ipsi de querimoniis, ac desideriis suis significet. Et quia interim hæ causæ indignationis regiæ jactentur; quod Belgæ ausi sint indigne de Rege, ejusque actionibus loqui, Gallicarum mercium importationem prohibere, hinc inde fœdera in fraudem Regis quærere, ac quæ jure ei debentur interceptum ire: Electorem legato ista ita demonstrasse, ut ex hujus responso patuerit, Regi plane satisfactum iri, non minus, ac ejus sociis, etsi de nemine sit auditum præterquam Coloniensi Rheinbercam vindicaturo. Igitur admitteret Rex consilium amici, qui hac moderatione devinctus Regis rationes omni studio promoturus sit. Ast si Grotii propositio nihil profecerit, ac Regis indignatio persistat, nec is talia lubens audiat, Crocovius ista Pomponio exponere jubebatur, eumque rogare, ut ingressu novæ functionis æternam sibi gloriam pararet, extincto in cineribus bello atrocissimo, ac late se diffusuro. Si Grotius adhuc adsit, ista cum eo secreto communicaret ea lege, ne de eodem Hagam referret, ne forte per id Electoris officium apud Regem inutile reddatur. Quod si de medio statu Gallus moveat, responderet; Electorem Regi libenter quantum possit gratificaturum: sed quia id negotium Imperium quoque tangat, per leges publicas sibi soli quid decernere haut integrum esse. Re tamen maturius expensa deinceps liquidius mentem suam explicaturum. Ista cum Crocovius 12. Febr.
Grotio communicaret, hic respondebat: omnem operam incassum sumi, & Regem magis irritari, quo plus ejus libidini obviam eatur. Igitur is, quæ jussus erat, Pomponio exponebat; qui respondebat: *frustra amicam compositionem sperari. Belgas, dum satisfactionem offerunt, nil nisi tempus extractum ire, quo Regem tractatu involvant operationes bellicas suspensuro. Regi haut consultum imminentem æstatem inter disceptationes consumere, facto tam sumtuoso armorum paratu, & re jam cum sociis digesta. Non dubitare, quin Belgis variæ formulæ reciprocorum tractatuum super commerciis in promtu sint, sed quibus Rex sibi illudi haut sit passurus.* Cæterum idem valde de medio statu urgebat; ac Crocovio de Imperio objicienti reponebat: *Electoris autoritatem in Imperio tantam esse, ut si is cum Rege consilia societ, istius decreta pro lubitu temperare possit. Sane Ratisponæ neminem esse, qui causam amplectatur, aut verbo de ea tangat, ni Elector ansam præbeat.* Cum Crocovius exciperet; ne Rex plura ab Electore desideraret,

1671. deraret, quam ab Imperio; jam autem Regem postulare, ut Elector prius quam Imperium se declaret; Pomponius regerebat: *Ab aliis Regem ista non postulare velut longe remotis. Electorem autem ob positum provinciæ suæ ita implicitum, ut ei vel in partes descendendum, vel medius status tenendus sit, quo Belgæ offendi non possint, tanquam utrique parti proficuo. Quin & totum Imperium ad servandum medium statum teneri, quod per pacem Westphalicam Galliæ hostibus auxilium ferre non debeat.* Sed improviso ipse Rex Crocovium ad se evocabat; cui id negotium exponenti is respondebat: *Ne turbaretur declaratione, quam auditurus sit. Rem in eo esse statu, ut ipse à Belgis satisfactionem recipere nequeat, nisi eos prius ob insolentiam in se expromtam castigaverit. Molestum sibi esse, quod Electoris desideriis plura indulgere probibeatur. Officium ab ipso oblatum in bonam partem accipi; sed ei negotiationem non posse superstrui. De cætero inopinum sibi accidisse modum, quo in hoc negotio se usurum San-Geranio daclararit, velut super tertiis partibus formandis agitare instituat. Se sperare Electorem alia consilia ingressurum, ac sibi causam præbiturum documenta amicitiæ suæ adversus ipsum continuandi.* Circa Imperium objicienti Crocovio reponebat: In Imperio neminem esse, qui de hoc negotio loquatur, præter Electorem. De cætero ad dicta à Pomponio provocabat. Hic dein una cum Turennio disserebat. *Regi valde displicere, quod Elector medium se declarare noluerit, idque amicitiam refrigerare posse. In gravis quoque offensæ vicem accipi, quod Elector primus, ac fere solus intra & extra Germaniam de bono publico loquatur, delectusque habeat, & aliis exemplo præeat.* Sed cum Crocovius reponeret; Electori antequam certi quid decernat de scopo belli constare debere; nam quod de Belgis ad modestiam redigendis jactetur, id laxum nimis, & ambiguum esse. Galli nil solidi quod responderent habebant ac parum sibi constabant. Aliquando enim disserebant: non esse Regi tam vasta consilia uti jactentur. Eum ne latum pedem terrarum adquirere velle: loca quæ occupaturus sit, legitimis dominis reddenda: bellum duntaxat ob honorem Regis, & aliorum commoda sumi: Regi non esse in animo Remp. evertere, sed ad modestiam componere. Sed cum Crocovius ostenderet: Electori utique cum Belgis certam rationem ineundam, quod isti bello finito offensæ memoriam servaturi, ac omnibus ejus provinciis commercia subtracturi, Cliviæque molestiam facessituri sint: & cautionis Regiæ vim non alio modo quam per bellum exseri posse, quod iste omni modo defugiat; isti reponebant; *an credi fas sit, potentiam Reip. & commercia in præsenti statu mansura? Sane Remp. eo redactum iri, ut vires nocendi aliis haut retentura sit.* Ex quibus dictis sibi repugnantibus colligebatur, Galli destinata vastiora esse, quam palam profiteri audeat; ac sine dubio eo tendere, ut Belgæ ad eum statum redigantur, quo defensionem Hispanicarum provinciarum exuere & circa commercia leges accipere cogantur. Cæterum Gallis parum curæ erat rationes rationibus destruere, queis ad extremum semper huc revolvi solenne erat; id Regis destinatis, ac rationibus, gloriæque congruum esse, & nusquam securitatem, quam in ejus partibus inveniri; ac eundem potentia cæteris prævalere. 1672. Interim Crocovium urgere Pomponius non definebat: *Liquidam declarationem edendam. Electori vel Regis, vel Belgarum partes, vel medium statum amplectendum. Vastationem apertorum provinciæ locorum evitari nullo modo posse, minime omnium autem, si Elector in Belgarum partes concedat. Imperium huic bello per Instrumentum Pacis miscere se non posse. Præcipuum auxilium, quod Belgis præstari queat, esse, quod tanti momenti munitiones in horum manibus relinquantur. Id si Electore invito fiat Regem non habere quod arguat. Sed vicissim Electorem improbare non posse, quod Rex hostem quærat, ubi inveniatur; cum ratio belli tam munita loca à tergo relinqui non permittat. Ast si Elector sponte Belgicum militem ibi toleret, eo ipso clam se hostem Regi ferre. Haut quoque fas esse obtentu fœderum defensivorum Belgis auxilium ferre, quæ tantum contra aggressores locum habeant, inter quos si Rex referatur, maximam id injuriam fore. Nam aggressorem esse, non qui bellum orditur, sed qui ei causam dat.* Cum objiceretur; *Regem in aliis bellis, quibus se miscuerit, semper judicasse, læso prius satisfactionem petendam, & amicos tractatus tentandos, nec fas esse arma prius arripere, quam lædens amicam transactionem repudiaverit:* Gallus reponebat: *à Belgis amicam satisfactionem obtineri non posse. Imperio neque vires esse neque jus huic se bello ingerendi. Alios quoque Principes, quos ut neutram partium esse velint, Rex rogarit, de Imperio nihil causatos. Moguntinum ea lege medium se fore promisisse, si nemo Principum Germaniæ ei bello implicetur; si tamen Elector, aut alius querimonias moveat, se defugere non posse, quin eas ad Ordines Imperii referat, ac universorum decreto conformem se gerat. Neque vero Imperio tam scævam mentem fore, ut impedire velit, ne Rex usurpata ab aliis loca recuperet, eaque Principibus, ad quos spectant, restituat. Inprimis Electoris interesse, ut sua oppida in potestate habeat, ad quod vel integro seculo tam commoda occasio, qualis nunc est, nascitura haut sit.* Cum Crocovius reponeret: *Colbertum quondam Clivis alia plane consilia suggessisse; eoque Electori inopinum iri visum, Gallos à se ipsius stabilita scita nunc subversum ire;* Pomponius: *mutationem temporum causabatur. Porro ut super servando medio statu solenniter mentem suam declaret Elector, Regem haut coacturum. Facile autem intelligi, cum eo casu Regi de istius amicitia cautum non sit alia huic consilia capessenda.* Usque adeo Gallus amicis suis hanc legem dictare instituebat; ut hi rationes sui status ac fœdera semper ad ejus placitum atque commodum mutarent, ni ejus amicitia excidere vellent. Scilicet quia naturale est, ut nullius alterius salutem, & incrementa quærat, qui omnibus imperare vult. Imperii tam exiguus respectus erat, ut id vix nominare liceret. Porro ne Hispani in bellum descenderent, Gallus impediturum se

1672. se sperabat compositis exiguis quibusdam super limite litibus, ac promisso, se *dependentiis* locorum in Belgio occupatorum cessurum, si Hispani transitum, & annonam ipsius copiis concedere velint; quin erepta Belgis cum istis se divisurum, si in societatem belli contra istos venire velint. Sed cum Hispani ostenderent, sibi haut fas esse Unitas provincias deserere, quod ab his suarum conservatio pendeat; Legatus quidem Gallicus Madriti bellum initio minabatur, si Hispani vel minimum auxilii Belgis ferant. Sed mox Gallus Reginæ Hispaniæ declarabat; si intra limites Pirenææ pacis se teneat, ac Belgis non nisi auxiliarem militem submittat, se abruptam pacem haut judicaturum. Nimirum quia orto cum Hispanis bello fœdus Anglicum conservari non poterat, quod Angli neque commerciis Hispaniæ carere, nec ut Hispanicæ provinciæ à Gallo subigerentur, permittere vellent. Sane Anglus declaraverat, se nec in Hispanos rem gesturum, nec Gallo, si in Hispanos bellum suscipiat, adsistere posse; quod Angliæ mercatores triginta sex milliones amplius in Hispanica ditione habeant. Eoque Hispaniæ Regina Gallo innoxium transitum indulserat ea lege, ut Rex vicissim ægre non ferat, si ipsa auxiliares copias Belgis submittat. Ita duplicem hoc bello personam agere cupiebat Gallus. Si enim cum Cæsare, & Imperio res erat, primarius Belgarum hostis audire volebat, ut pacem Westphalicam in usus suos torquere posit, qua Germani ejus hostibus auxilium ferre vetabantur. Sed quando cum Hispanis agebat, auxiliarem se duntaxat Anglo ferebat, ut pace Pirenæa frui liceret, qua placuerit; ut quis fœderato suo contra alterum mittere auxilium posit, nec ideo hostis evadat. Unde & Gallus, cum apud Trevirensem transitum, ac ut medium se gereret, postulasset, huic atque Moguntino confirmarat, Hispaniam nullo modo lædendam, ac in id Anglos & Svecos cautionem interposituros. Unde & Melchior Schœnbornius, quem Moguntinus in Galliam miserat, judicabat; modo Gallus Hispanum non invadat, Cæsarem se haut commoturum. Alias Aulæ Cæsareæ admodum gratum esse bellum in Belgio surgere, quod alias in Germania exarsurum erat; nec expedire, id ita brevi componi, quod Germaniæ ob Galli potentiam & vasta destinata haut satis cautum sit. Idem & valde querebatur, Lobcovicium imminens à Gallo periculum non perspicere nolle, ac subinde canere; *Gallos non offendendos, non suspicionibus irritandos*; velut sola innocentia, ac modestia apud potentes, & armatos securitatem præstaret. Cæterum erumpente jam bello Galli plane sibi persvadebant, Electorem in Belgarum partes concessurum; ac graviter querebantur, istum inter omnes Germaniæ Principes Regi minimum gratificari voluisse, ac aliis exemplo præire. Id quod Rex ulcisci haut omissurus sit; nec passurus, ut aliquis exercitus prope ipsum consistat, sed suos accedentibus recta obvium ituros. Ac esse sibi hoc anno

§. Ut eo sincerior.

§. 3. Comme par cillement

7. April.

31. Mart.

CLXVIII M militum, vel pluribus hostibus paria. Testabatur tamen Pomponius; San-Germanium ideo tantum Electoris aula evocatum, quod id vehementer petierit. Regi priorem sententiam stare cum Electore amicitiam colere. Transitum per ejus provinciam quantum posit innoxium sumendum, ac militem, pabulo excepto, quæ præbeantur præsenti pecunia emturum. Et quia Elector tractatus abnuerit, cum Svecis fuisse paciscendum. Rege in expeditionem digrediente Crocovius è Gallia discessit. *1672. 23. April.*

§. 32. Haut minus cum aliis super ea tempestate avertenda Elector egerat. Et quia ad istam sistendam, aut promovendam multum momenti adferre poterat Svecia, ad quam & Electori præcipue respiciendum erat, ad explorandа, ac temperanda hujus consilia missus fuerat Christophorus Brandius. Ei injunctum ibi proponere; uti periculosa rerum facies tum alibi, tum ad Rhenum surgat; ubi metuendum sit, ne gliscens sub cineribus ignis demum erumpat, vicinas quoque regiones correpturus. Quia igitur Electori nota sit Regis pro communi quiete cura, qui & literis mense Martio scriptis, & per Hermannum Wolfradum ablegatum significarit, sibi gratum fore super his cum Electore consilia conferre: igitur se venisse ut cognoscat, quæ Regis super communi securitate obtinenda sit sententia. Quo fine Elector omnia collaturus sit, quæ vicinia, cognatio, ac fœdus, simul communis quies, & salus requirat. Præter ea Regi demonstraret, uti hac tempestate tam intra quam extra Germaniam numerus Protestantium indies minuatur, Catholici contra gliscant, ac indies firmentur. Eo magis necessarium esse, istos junctis consiliis, ac viribus communem securitatem, ac salutem curare. Addebantur negotia quædam Pomeraniam spectantia. Privatis congressibus ostendere jubebatur; in Gallia & utroque Belgio magnos delectus & armorum paratus fieri, ac nonnullas jam copias ad fines Germaniæ consistere, & eos transsire. Nec litem cum Coloniensi urbe adhuc compositam. Electorem dissidentibus officium componendis controversiis obtulisse; cæterum ubique integra sibi omnia servasse, ac nulli se partium addixisse; id quod tutissimum sit remedium communem quietem servandi. Nec dubitare, quin Rex ad eundem finem autoritatem, & studia sua sit adhibiturus. Necessum autem fore, ut non solum Circuli Germaniæ periculo proximi rebus suis invigilent, sed & universi Ordines inprimis Protestantes ita instructos se teneant, ut pax inturbata persistat. Ea super re mentem Regis exquireret; plura ipse ne panderet, ac diligenter ejus aulæ inclinationem exploraret. Super statu Protestantium in Germania moneret, à Cæsare multos Catholicos Principum dignatione mactari, qui suffragio, & loco in Comitiis protiantur, qua ratione semper penes Catholicos sit suffragiorum numero vincere. Unde Rex per suos instaret, ne cui locus in Comitiis concedatur, qui bonis Principum fastigio dignis

Elector Svecorum conſilia explorare ſtudet.

10. Oct. 17.

Wolfrad.

1672. dignis in Imperio non sit præditus Circa Poloniam ostenderet, uti Evangelici ibi premantur, ac uti vicinis quoque periculum immineat, si præsenti Poloniæ statu Tartari, ac Turcæ invalescant. Quia etiam è Polonia nuntietur, quosdam Senatores & Proceres id agitare, ut Michael Rex solio dejiciatur, qui Svecio se auxilio niti ferant; expiscaretur, quo Sveciæ consilia heic tendant, & quousque Svecis ea res cordi sit. Ne tamen Elector videatur ejusmodi consilia cum istis Senatoribus miscere, ne diceret, eidem è Polonia de hoc negotio relatum, sed se in itinere quid inaudivisse. Denique operam daret, ne quid Holmiæ de summa rerum decernatur ante adventum legati Belgici, qui in itinere erat. Quia porro Brandius Holmiæ admodum honorifice receptus erat ad modum regiorum ablegatorum; Elector omen felicis successus inde capiens Brandio ingungebat, ut quavis occasione testaretur; ipsum nil omissurum, quod servandæ arctiori conjunctioni his temporibus tam necessariæ requiratur. Adesse jam Berolini à Gallo San-Geranium, à Belgis Amerongium. Illum conjunctionem armorum contra Belgas, aut saltem medium statum, hunc auxilia postulare ex fœdere, ac ut ejus Reip. causa majore vi suscipiatur. Utrumque magnis cum difficultatibus conjunctum, ac ni Deus avertat, hoc initio totam Europam bello inundandam, Protestantium rebus admodum periculoso, Igitur valde dolere Electori, quod de Regis Sveciæ sententia tam cito certior reddi nequeat, quam res exigat. Hucusque Gallum præfracte interpositionem abnuisse; & quanquam Belgæ, si justam offensæ causam dedisse convincantur, æquæ reparationi paratos se ferant; aliter tamen judicare non posse, quam bellum utique erupturum, ex ingenti armorum paratu, qui permissu Coloniensis ex parte in Imperii solo fiat. Quæ res & sibi necessitatem adferet securitati suæ curatius prospiciendi. Ac libenter se cum aliis, ac inprimis cum Svecia societatem inire velle tutandæ securitati, ac libertati Germaniæ, prout hæc commodissime id fieri posse judicarit, stabilita quoque constanti, & ad posteros porrigenda amicitia. Secreto autem & velut proprio motu diceret: Sibi constare, eam rem Electori valde cordi esse, & hunc periculo inde proventuro maxime commoveri. Inprimis omnibus, quos sacra Protestantium, & commercia tangunt, summæ fraudi fore, si Belgis oppressis Germaniæ, ac vicinorum latus nudetur, per quod à Gallo deinceps majores progressus fieri queant, summa rerum eo prolapsura, ubi remedio non amplius sit locus futurus. Sane Electorem ad talia nil collaturum, ac sperare, Regem paria facturum. Ista tamen circumspecte tractaret, ne Galli, Anglive rescifcant; nec prius eadem promat, quam constet, eandem aulæ Sveciæ esse sententiam.

11. Jan.

Habitus tunc rerum Svecicarum. § 33. Porro Brandius tunc in Svecia Proceres immensos spritus gerere comperiebat. Haut satis erat quinque Rectores Principibus secundogenitis, atque extraordinariis Regum legatis loco cedere nolle; sed & vel recentissimus Senatorum ablegatos extraordinarios Regum, atque Electorum præcedere cupiebat. Petrus quoque Brahæus, & collegæ Comitibus Imperii præferri volebant, quod tutores Regis, ac partim regiæ cognationis essent. Sed Senatus in duas factiones distrahebatur, quarum uni caput erat Magnus Gardius Regni Cancellarius, Galliæ addictissimus; alteri Matthias Biœrnclovius, qui Galliæ ambitioni obsistendum, illosque fulciendos censebat, qui huic obicem ponere conentur, eoque Sveciæ rationes cum Cæsare, ac Imperio Germanico sociandas contendebat. Agebat tunc in ea aula Nunnius Comes ablegatus Hispanicus, cui nil aliud agebatur, quam ut XII M uncialium, quæ quotannis à Rege suo accipiebat, per luxum consumeret, jactans non esse, quod Svecia Gallorum se destinatis objiciat, ac satis habituros Hispanos, si triplex fœdus firmum persistat. Ea negligentia Biœrnclovianæ factioni admodum displicebat, non minus, quam quod nullos à Cæsare legatus tunc adesset, qui una cum Hispano ansam præberet, ut eo validius Gardianæ factionis consiliis abviam iretur. Agitabatur tunc cum Gallis defensivum fœdus, quod utraque factio ex sua inclinatione formare studebat; sed per quod Sveciæ magis rationes in Germania in fraudem vicinorum, firmandæ quam Galliæ insigne commodum conciliandum erat. Cæterum mortuo quantumvis Biœrnclovio factio ipsius adhuc persistebat, ac Magni Gardii consiliis acriter se opponebat; sed qui istam blanditiis, pecunia, collatisque muneribus multa cum arte debilitare nitebatur. In eo autem utraque factio conveniebat, ut Belgæ ad modestiam redigerentur, ac durante bello commercia in Svecia, exclusis Belgis exerceri pergerent. Nec Svecorum destinata tunc ulterius porrigi videbantur, quam ut accepta à Gallus pecunia sequestres se conciliandæ paci his proficuæ ferrent, ac misso in Germaniam axercitu autoritatem sibi circumponerent, ac forte, si Elector, & Cellensis Dux ad Rhenum verteret, Bremam invaderent. Bello ipsorum rebus haut consulebatur, & ut maxime ferent, qui studio in Gallum id svaderent; à Commitiis tamen, citra quæ bellum decerni non poterat, abhorrebant, per quæ in Regem administratio Regni conferenda erat, quam Senatus ægre exuebat. Sed nec ibi bello gerendo opes, & ut Gallico argento sola Galliæ incrementa promoverentur, Biœrncloviana factio concessure non erat, nec magnus Gardius svadere audebat. Quia autem jam certum erat, Gallos, Anglosque Belgium invasuros, qui & inter se convenerant, quousque isthoc porrigi vellent; metuendum erat, ne hoc scopo obtento repentina pax sequeretur. Ubi difficile videbatur, si Gallus nonnulla Electoris oppida ad Rhenum occupasset, eadem recuperare, Belgis debilitatis, ac ob ea bellum haut continuaturis, sequestribus quoque languide pro Electoris commodo connixuris. Nam quanquam multus ibi sermo de cura pacis Germanicæ, & ne Gallus Imperium in turbas istas protrahat; vix tamen pro violatione 1672.

Nunnius.

1672. ejus pacis habendum erat, si Gallus unam & alteram Clivicarum munitionum occuparet, ac inde facta pace obtenderet, eam non Electori & Imperio, sed hosti ereptam, ac jure belli retineri posse, exigua Sveciæ cura, si Brandenburgicus quid amittat. Super remedio turbis ad Rhenum surgentibus respondebatur; consilia è Germania huc adferenda, non è loco tam remoto petenda. Porro Biœrnclovianæ factionis consilia huc redibant; *Expedire Sveciæ ad concilian dos Germanorum animos, & extinguendas penitus sinistras suspiciones, ut quantum liceat minimum se Germanicis negotiis ingerat: non durante solum minore ætate Regis, sed & per ejus juventam omnia ad pacem & quietem referat; Ordinibus Imperii, si periculum ingruat neque consilia, neque arma offerat, sed id tempus expectet, quo istis, ac præcipue Protestantibus necessitas adferatur ad Sveciam confugiendi, atque huic protectionem libertatis Germanicæ, ac tutelam pacis Westphalicæ deferendi Interim per silentium omnes occasiones aucupandas.* In universum autem Sveci testabantur, se hac rerum facie nil præter conservationem pacis Germanicæ spectare; nec præsumendum erat, eos cum Gallo contra Belgas societatem inituros. Nam præterquam quod jam antea saniora consilia eo tenderent, ut cum Gallo haut quidquam fœdera inirentur prioribus similia, hujus potentiam promoventia; etiam inter ea Regna non parum suspicionis emerserat, ut jam ad præcipitia abrumpendæ amicitiæ procederetur. Ac notæ erant causæ triplicis fœderis, & ejus quod per Basserodium cum Cæsare cudebatur. Et Biœrnclovius sedulo ingesserat, ne Gallo via in Germaniam, & ad Cæsareum fastigium muniatur quod è re Sveciæ haut sit futurum Gallos pedem longius inferre, ut Svecis necessum sit eorum progressus per arma sistere. Atque isthæc scita eo magis in multorum animis radices egerant, quod Gardius tædio Biœrnclovii velut huic invidiam facturus aliquamdiu stationem suam in Senatu deseruerat; quo ipso huic facultas data fuerat res Sveciæ suo ex arbitrio temperandi. Unde Gardius, postquam Regina instante Cancellarii munus iterum exercere cœperat, jam obliqua ac tecta via Gallorum rebus favere, simul affectus suos in potestate habere instituit. Nam uti magnopere ipsum mordebat, quod infima plebe oriundus Biœrnclovius, qui juvenilia ipsius studia formarat, post ejusdem circa remp. consilia obtrectare auderet, immemor fortunæ è Gardiana domo enatæ: ita jam Stenonem Bielkium, Joannem Gyldenstiernam, Claudium Rolambium, Canutum, & Gustavum Kurckios, factionis Biœrnclovianæ præcipuos, tanquam vetere nobilitate, ac magnis cognationibus fultos, nec beneficiis ejus domus obnoxios è consilio ministrorum Gallicorum blandimentis delinire instituerat. Nec aperte fœdus offensivum, ac bellum svadere audebat; id quod tutoribus per minorem Regis ætatem absque consensu Ordinum haut licebat, ac alias hoc rerum statu periculosum erat. Sæpe tamen ad placitum Regis, qui nil præter Martem spirabat, sermones componere, ac occasionem Avunculi magni, & Parentis gloriam æquandi ostentare; in Senatu quoque subinde jactare: Sveciam brevi intestinos motus sensuram ni multitudo Comitum, Baronum, & Nobilium, juventa, ac fere egestate ferocium, externis bellis distineatur. Contra Biœrncloviana factio ostendebat; Sveciam quod superfit favoris in Germania non alia via penitus prodigere posse, quam si in præsens iterum Gallo se innectat, ac in hujus gratiam infensum Belgis exercitum Germaniæ immittat. Quin operam dandam, ut amissa Germanorum benevolentia, qua adspirante quondam ad id fortunæ, & gloriæ fastigium emerserit Svecia, per moderata, & pacifica consilia recuperetur; quo fine tam multa super servanda Germaniæ pace jactabantur. Ac Tottius Comes Brandio ingenue fatebatur: Svecos Germanorum benevolentiam decoxisse. Adversus Austriacos non amplius certandi materiam superesse. Unde ad recuperandum istorum favorem nil sibi restare, quam Germaniæ quieti studere, ac partas ibi provincias periculo ne exponere. Multo minus autem Svecis placebat cum Belgis contra Gallos jungi, quos inter diuturnum bellum fore credebatur. Nec enim sola Gardiana factio Belgas aversabatur, sed & Biœrnclovíani, qui commerciorum Svecicorum incrementa vehementer captabant, nondum quoque exolita memoria eorum, quæ olim bello Danico sat infesta Sveciæ per Belgas illata fuerant, censebant: non ferendum quidem, ut eorum Resp. opprimatur, consultum tamen fore eosdem paulisper ad modestiam redigi, ac impediri, ne totius Europæ commercia ad se solos trahant. Esse quoque Belgas insolentes, ac semper Regum, & Principum controversiis se miscere velle, idque modo non parum importuno, ac nemini non Principum exoso, velut totum orbem moderaturi sint. Unde id bellum Svecis gratum accidebat, quo durante navigationem suam admodum lucrosam fore sperabant. Qui & sibi persvaserant, Gallos Belgis nihil aut parum prævalituros, tum totas æstates unius urbis expugnatione consumendas, uti quondam bello cum Hispanis gesto contigerat; an Belgium fore scopulum, ad quem allisa Galliæ potentia frangenda sit. Nec Anglum, etsi Gallo socium permissurum, ut Belgis nimium depressis Galliæ potentia enormiter gliscat. Quo nomine & Conventrius legatus Anglicus Holmiæ cavebat, testatus Gallum, & Anglum fœdere certos progressuum limites sibi constituisse. Ita in præsens extra belli consortia manere decreverant Sveci, grande quietis pretium ab utraque parte percepturi. Quo fine Pomponius multa cum verborum humanitate onustus dimittebatur, ea data declaratione; super densensivo fœdere ulterius deliberandum; interim Sveciam neutri partium sese addicturam, addito promisso durante bello, ac inter tractatus pacis, cujus ipsi sequestres futuri sint, se rationibus Galliæ, quantum res Germaniæ ferant, fauturos. Quia autem ipsorum officio exiguum pondus futurum erat, ni copias in Germania habeant, eorun- 1672.

Basserode.

Conventri.

1672. eorundem autem ærarium non ferret propriis sumtibus militem parare: sperabatur Gallo haut grave fore, quod & Pomponius spoponderat, eo fine pecuniam suppeditare. Quorum conventorum ratihabitionem Pomponius, & Otto Wilhelmus Kœnigsmarckius in Gallia curaturi erant. Interim negotiationem cum Wilhelmo Hareno legato Belgico declinabant, (ten Haren.) quoad super promissa per Pomponium pecunia cautum foret, ne forte Galli, si ipsos à Belgis quoque pecunias captare intelligerent, promissa retractarent: inprimis quod Danicus minister Simon Petcumus apud Gallos juxta, (Petcum.) Belgasque manibus pedibusque reniteretur, ne Svecis pecunia daretur. Hac igitur rerum facie Electori parum à Svecia metuendum videbatur, si quiescere placeret. Sed ubi iste Belgis se sociaret, haut ingratum Svecis futurum erat ejusdem vires debilitari; qui & inter futuros tractatus pro violatione pacis Westphalicæ habituri haut erant, si Gallus erepta Belgis ad Rhenum oppida Clivica velut jure belli sibi retineret. Præter dictas autem in Senatu factiones alia quoque erat inter Comites, & reliquam Nobilitatem, quæ initio ex æmulatione super priore loco promanarat, Comitibus ubique eminere cupientibus; ac se velut aliis longe superiores æstimantibus; sed mox & ista factionibus in Senatu implicita fuit. Nam Gardius Comitum, Biœrncloviani reliquorum Nobilium partibus favebant; ac utrique, uti assolet, certatim sibi mutuo apud Regem obtrectabant. Sed hactenus Nobiles eousque apud Regem prævaluerant, ut si duello inter Comitem, & Nobilem quempiam hic potiores tulisset, Rex insigne gaudium testaretur. Ea res tamen in futurum alterutri partium non leve periculum minabatur, quod Gardiana, & Comitum factio regi dulcedinem belli inspirare, ac cæteros pacem ingerentes, ac domesticorum bonorum culturam commendantes eidem exosos reddere satagebat; velut & id meditantis, ut Rex sub coronationem lege regia ad servandam pacem adstringeretur. Contra Biœrncloviana factio, & Barones atque Nobiles Gardium, eique addictos apud Regem arguebant, tanquam accepta pecunia Gallo favorem vendentes, ac noxia Regi, patriæque consilia agitantis. Ac habebant hi inter ministros interioris admissionis agnatum Joannis Gyldenstiernæ, qui Regi de Comitibus subinde sinistras opiniones inspiraret. Contra Gardius adversæ factioni debilitandæ legato Gallico svadebat, ut Stenonem Bielkium pecunia tentaret cui alias modicæ opes erant. In Senatu quoque idem machinabatur, ut Joanni Gyldenstiernæ nomine Regis munus Præsidis in Tribunali Wismariensi pro imperio injungeretur, addito titulo legati per Germaniam. Sed is præfracte isthoc abnuebat; ac ita valida persistebat Biœrncloviana factio, cui & maxima Ordinum pars adhærebat, ut si Cæsari placuisset confectum à Basserodio in Svecia fœdus ratihabere, ac promissas eo pecunias suppeditare, Belgæ potiores tunc partes apud Svecos præ Gallis habituri fuisse crederentur.

§. 34. Intellecto rerum Svecicarum statu Elector Brandio injungebat, ut bonas partes confirmaret, ac de socianda ipsis opera certas redderet. Tum quid sibi à Svecia expectandum sit exploraret, si Gallus quæ minabatur infesta inferret, præsertim cum hinc Gallus, inde Belga decretoriam sententiam exposceret; quæ tuto declarari non poterat, ni de Svecorum animo constaret. Enimvero Brandio difficilis admodum ibi negotiatio erat. Nam cum Gardiana factione super suis mandatis nil loqui audebat, quod id statim ad Gallum emanaturum esset. Nec Svecos consilium exposcere tutum videbatur, tanquam sine hoc Elector certi quid decernere nollet. Nam sine dubio isti rationibus Electoris adversa, ac ne is arma pararet, serio suasuri erant, velut anxii, ne Electori plus autoritatis in Germania accederet, quam ipsis modica manu succinctis. Ac citra ambages legatus Gallicus dicebat: malle Svecos, ut Elector & Dux Cellensis exercitum ne forment, quo ipsis eo minus copiarum in Germaniam trajicere necessum foret. Quod si igitur Elector suggestum ab ipsis consilium haut sequeretur, id offensam iisdem, simul ansam præbiturum erat durante bello, aut inter tractatus pacis Electoris commoda segnius respiciendi, obvia excusatione, consilium ipsorum fuisse expetitum, sed ei haut obtemperatum. Magis adhuc periculosum erat, super fœdere movere, quod ambabus manibus arrepturi erant, quo Electorem à conjunctione cum Dano, Saxone, ac Cellensi averterent, simul impedirent, ne in Germania exercitus formaretur, ni quem intra & extra Germaniam magis, quam in Sveciam sit respiciendum. Quæ æmulatio mire eos exercebat; ac omnes artes isti conjunctioni impediendæ adhibebantur, subinde ingesto de circumspectione, ac in neutram partem studio. Nam quia autoritas ipsorum, ac vires tenues erant, per fœdera, ac interpositum diffidentibus officium personam agere placebat, quo diffidentiam inter alios serere, ac se velut necessarios venditare possent, interim quoad domesticæ res in melius profecissent, & Rex plenam ætatem attigisset, pro inani opella pecunias accepturi, omnibusque Principibus persvasuri, suam amicitiam magni momenti esse. Ac sane Pomponius per suam negotiationem magno legatorum numero in Sveciam pertracto non modicum huic splendorem circumposuerat; qui tamen mox iterum dilapsuri erant. Eam ob causam Elector Brandio injungebat, ne desideria sua prius exponeret, quam perspiceret, Svecos in eadem secum sententia esse. Equidem id demonstrari posse, ante omnia Protestantium securitatem, & Germaniæ pacem respiciendam; tum & Belgicas res ita curandas, ne Protestantium partes debilitentur, commercia turbentur, nec surgens ibi flamma Germaniam quoque corripiat. A Suecorum consilio se nolle pendere, quod forte suis, ac Imperii rationibus adversari possit. Fœdus eorundem haut defugere, modo per id communis pax & securitas firmari possit. Sed si isti jam aliis se illigaverint,

Margin notes (right column): 1672. — Brandii … in negotiatio. — 5. Maij. (beside "Brandio injungebat, ne desideria sua prius exponeret")

1672. de eo fœdere mentionem haut injiciendam. Ista apud Biœrnclovianos velut injussus deduceret & quæ impediendis consiliis Germaniæ
Courtin. noxiis faciant, suggereret. Cæterum Curtinus legatus Gallicus ita differebat: Præsentem Sveciæ statum, tenues opes, & consilia nullo modo bellum ferre. Nec adhuc memoria excidisse bellum Polonicum, à Carolo Gustavo parum probante Senatu susceptum, quo Svecia in summum periculum conjecta fuerit. Unde eandem non solum per minorem Regis ætatem bellum declinare, sed & id agitare, ut in posterum ejusmodi calidis consiliis occurri, ac Regis potestas circa movendum bellum circumscribi possit. Svecos quoque patriæ suæ amore admodum capi, & voluptuariæ vitæ ita adsuescere, ut de pluribus adquirendis non cogitent, cultura terrarum suarum, & augendis commerciis contenti. Denique tanta eos suspicione erga vicinos, ac cumprimis Danum laborare, ut commovere se haut sint ausuri. Idem jactabat: Gallum nil locorum retinere velle, ac Anglum id stipulatum. Ac bellum gloriæ tantum causa, & ob vindictam suscipi, ac ut Belgarum spiritus deprimantur. Ac si maxime Elector Belgis societur, tamen Regem quicquid Clivicarum urbium ceperit, pace facta ei redditurum. De cujus persona, viribus atque autoritate iste admodum honorifice loquebatur; eoque Regi cordi esse, eo socio, aut saltem medio frui. Sed si Elector insuper habitis Cliviæ oppidis Belgarum partes amplectatur, Regem per rationes belli, & ostentandæ fiduciæ istius exercitum velut præstantissimum primo loco invasurum, ac maximam belli molem in eum devoluturum, ut post adversus Belgicas copias eo minus operis sit. Sane decrevisse Regem, si quis ex Imperio Belgis assistat, eum exercitum in Germaniæ penetralia vel sub Viennæ mænia persequi. Quæ licet multum è vanitate trahentia, haut plane spernenda erant, quod metus esset, ne Sveci in eventum sese obligarent adversus illos, qui è Germania Belgis auxilium laturi sint, subigente pecuniæ Galliæ cupiditate & ne, quem ipsi adspernarentur, bolum Danus occuparet; id quod Curtinus subinde ingerebat. Sed & Biœrncloviana factio non parum animis collabebatur, quod ab Austriacis, & Hispanis non fulciretur; id quod Gallorum causæ, Gardio publicorum consiliorum moderatore, non parum roboris addebat, isto non frustra querente; Sveciam ita indigne à Cæsare haberi, ac oblatum fœdus repudiari. Sane dolendum erat, Cæsarem opus bene in Svecia cœptum tam negligenter persequi; quod ni emendaretur, summæ rerum haut parum detrimenti allaturum erat. Nec ab Anglo proficui quid expectabatur, cujus amicitia à Svecis magni fiebat. Porro & Rex quibusdam scævo ingenio hominibus aures præbere incipiebat, ut metuendum esset, ne per aulæ, ac Gardii artes Senatus consilia alterarentur, imminuta autoritate pacem svadentium per eos, qui Regi juventa feroci, & armorum amantissimo dulcedinem belli instillaverant. Quare autem Belgis Svecia se innectere non posset, vel auderet, Petrus Brahæus Comes 1672.
has rationes afferebat: Sveciam interceptis commerciis consistere non posse. Quod si Belgis se societ, nullam navim in Oceanum prodire ausuram, ac solam salis pecuniam maximæ molestiæ futuram. Nunquam inter Sveciam, & Angliam, quantum memoria retro pateat, bellum extitisse; id quod & in præsens cavendum sit, Anglis sine dubio mari prævalituris. A Cæsare porro Svecos indigne habitos, Harenum quoque sero adpulisse, ut interim Gallo super servando medio statu promissum sit: id quod retractare nec rationes Sveciæ, nec data fides patiatur. Etsi cum Curtino super uno, & altero fœderis articulo nondum convenerit. Harenum nil in mandatis habere super abolendis circa mercimonia querelis; nec super quibusdam locis in securitatem Sveciæ tradendis. Nam contra tam validum hostem in bellum descensuris receptu opꝰ esse: cui usui Bremensis provincia haut idonea sit, quod Cæsar, ac Principes Visurgi adsiti, ac ipsi Belgæ Bremam urbem Sveciæ invideant. Denique Belgas quavis occasione emolumentis Sveciæ ita se opposuisse, ut huic causa eos sit magis bello invadendi, quam auxilio sublevandi. Prævalere tamen rationes status; ac Sveciam sibi nocituram, si ad eam Remp. opprimendam conniti velit, commerciis Sveciæ male se habituris destructo Belgio. Igitur se cum Gallis fœdus conclusuros, non ut horum destinata foveant, aut Belgas perdant; sed quia Cæsar commoda è conjunctione cum Svecia ipsi proventura agnoscere noluerit, cum Gallo fuisse contrahendum, quod alias nemo esset, qui pecuniæ quid dare vellet. Inprimis quia Svecia tergiversante Danus protinus sese Gallo innexurus fuerit, cui solenne sit adversæ parti accedere. Quicquid tamen cum Gallis concludatur, Svecos sibi semper libertatem retenturos Germanorum libertatem, ac Protestantium sacra quantum detur fulciendi. Quanquam enim Senatus propinquante jam Regis majore ætate non alia consilia capere possit, quam ut huic paratum regimen tradatur, simul solida pacis fundamenta ponantur: Sveciam tamen, si Germaniam à Gallis bello inundari contingat, aut Catholici aliquid periculosi moliantur, haut omissuram isti omnibus viribus subvenire. Vicissim se Evangelicis, ac præcipue Electori, qui strenue arma paret, & ab utraque parte ambiatur, fideliter svadere, ne Belgarum causam amplecti festinent, sed aliquantisper exemplo Sveciæ medios se gerant, ac eo ipso Gallis spatium relinquant ad munita Belgii loca vires suas atterendi. Nam dubium non esse, quin Galli protinus in eum sint ruituri, qui in Germania se moverit. Quo facto dubium sit futurum, uter Germaniæ pacem abruperit, is qui Belgis auxilia latum iverit; an Galliæ Rex. Cæterum Gallos contra Belgas operæ pretium haut facturos, terra marique instructissimos; ac non magis in Hollandiæ intima penetraturos, quam intra octiduum aliquam è munitis oppidis expugnaturos. Ac Gallo rem

eo

1672. eo rediturum, ut aqua ipsi hæsura sit, haut adparente via, qua hoc bello salva existimatione se extricet. Igitur ei occasionem haut præbendam arma in Germaniam transferendi. Saltem Evangelicis expedire consilia sua in præsens non præcipitare, quo interim primus Gallorum impetus frangatur. Nam post, ubi opus fuerit servandis Belgis arma arripere, eo facilius fore Gallis resistere. Atque talia Sveci omnibus Germanorum Principum legatis ingerebant. Quod isti sic interpretabantur; Svecos, cum ipsi operæ pretium facere nequeant, per invidiam nolle, ut Evangelici, ac præcipue Elector paratis armis autoritatem sibi circumponant. Contra Biœrnclovianæ factionis præcipui asseverabant; figmentum esse Gallicum, fœderi hanc clausulam insertam esse, illum per Svecos à tergo invadendum, qui Belgis assistat. Qui cum id agerent, ut inanibus fœderibus, ac officiis autoritatem utrumque tuerentur, pecunia gratis accepta, uti circa triplex fœdus contigerat; rationis erat, ut Germaniæ Principibus arma dissvaderent, ne horum autoritas, & potentia glisceret: Quorum factione subsistente Electori à Svecia nil metuendum videbatur, si is maxime Belgis auxilium ferret. Si tamen bellum ultra annum extraheretur, ac Gardii consilia prævalerent, causa Electori futura erat, ut Regi Daniæ, aliisque Principibus arctius sese innecteret.

Sveci cum Gallis fœdus ineunt. 27. Mart. §. 35. Inter quæ super fœdere cum Gallis in Senatu acriter disceptatum fuerat, ubi demum Biœrncloviana factio dexteritate, ac validis rationibus pervicit, ut Svecia hoc bello media maneret, & circa gvarantiam, quam Gallia stipulabatur, sibi definitionem casuum, quibus Svecia eam Galliæ debitura sit, reservaret: quod Gallus postularet, ut vi hujus guarantiæ Svecia eum, qui ex Germania Belgis assistere velit, hostis loco haberet. Cupiebat quoque eadem factio negotium extrahere; sed instante legato Anglico in conclusionem consentiendum fuit; inprimis quia Cæsar nihil agebat, & Gardius inde speciosum prætextum arripiebat jactandi; de honore Regis agi, ac ignavum fore Cæsaris amicitiam ulterius mendicare. Quin ipsi Belgæ malebant, ut Galli Svecorum quietem pecunia, quam ipsi, emerent. *14. April.* Fuit autem duplex fœdus confectum, unum publicum, secretum alterum; ex quorum illo articulos quosdam, huc spectantes, alterum autem integrum inseremus, ingentium malorum Sveciæ juxta, ac Germaniæ causam.

Articulus IV. fœderis publici.

Ut autem pacta Westphalica cum aliis in vigore, eorundemque desuper conditis recessibus non modo inviolata conserventur, sed etiam vim, & vigorem suum plane genuinum obtineant, conventum inprimis est, Serenissimos, & Potentissimos Reges Sveciæ, & Galliæ non solum nullos Imperii hostes, pacisque Imperii turbatores ullo modo adjuturos; sed & si Imperator, Electores, vel Statuum aliquis in Imperio contra pacis Westphalicæ tenorem alterutrum Regum armis, belloque aperte infestare, vel alterutrius hostes, sive intra, sive extra Imperium quocunque, titulo, ac prætextu, milite, armis, aut ulla unquam ratione juvare voluerit, eo in casu mutuam sibi operam, opemque alte memoratos Reges præstituros, armisque mutuis pacis violatorem aggressuros, ubi præviam amicam dehortationem spreverit. Articulus XVII. Quanquam hæc anxia & operosa cura ambo Reges fœderati certo confidant, ita stabilitam, & ad omnes eventus prospectam, & confirmatam esse in ipso Imperio Rom. securitatem publicam, pacificatione Westphalica comprehensam; nihilominus tamen cum extra Imperii limites ea rerum facies repræsentetur, quæ satis certas belli tempestates minari videatur, unde incendia haut dubie ingentia oriri possint, ambo Reges confœderati pro illa, quæ in Germaniæ commoda feruntur, inclinatione prætermittere non possunt, quin omni possibili modo providendum esse censeant, occurrendumque, ne hujusmodi flamma Germaniæ vicina in viscera ipsius Imperii Romani traducatur. Articulus XVIII. Quemadmodum etiam utriusque Regum post confectam in Westphalia pacem id unice, semperque constitutum fuit, ne Imperium Romanum ulli bello involveretur, facile vero belli contagio attrahi, & latius serpere possit, si quis alienis negotiis ad Imperium non pertinentibus, sese immiscuerit, consultum omnino utrinque visum est, ut uterque Regum fœderatorum Imperatori, Electoribus, Principibus & Statibus Imperii profiteantur eorundem in tranquillitatem Germaniæ propensionem, ostendantque quietaris per supra dictas provisiones, guarantias, & Ordinum Imperii defensivas associationes plenam securitatem, tollantque per legatos omnem suspicionis ansam, atque amica, & salutaria monita adjiceant, cum demonstratione periculi, si quispiam bello extra quidem Imperium Romanum, sed tamen in vicinia exorto implicaretur.

Secretum Fœdus.

I. Serenissimi, & Potentissimi Reges Sveciæ, & Galliæ, quemadmodum id ipsum articulo IV. publici fœderis hoc ipso die conclusi conventum, & expressum est; non solum nullos Imperii hostes, pacisque in Imperio turbatores ullo modo adjuvabunt, sed & si Imperator, Electores, vel Statuum aliquis in Imperio contra Pacis Westphalicæ tenorem alterutrum Regum armis, belloque aperto infestare, vel alterutrius hostes sive intra sive extra Imperium quocunque titulo, ac prætextu milite, armis, aut ulla unquam ratione juvare voluerit, eo in casu mutuam sibi operam præstabunt, armisque mutuis pacis violatorem aggredientur, ubi præviam amicam dehortationem spreverit. II. Ideoque licet persvasum merito sibi habeat Rex Christianissimus, quod si susceptum à se contra Fœderati Belgii Ordines bellum fuerit, Regiaque Mtis Christ: arma & exercitus dictorum Ordinum provincias, aut urbes, arces, & munitiones ingrediantur, vel aggrediantur, nec Imperator, nec ullus Imperii Elector, aut Principes sese immiscere, aut dictos Ordines Mtis suæ hostes auxiliis juvare velit; si tamen præter spem evenerit, quod idem alte memoratus Imperator, seu aliquis Imperii Elector, aut Princeps dictis Ordinibus Fœderatis auxiliares copias submittere, aut quacunque via durante hoc bello contra sæpius memoratam Christ. am Mtem, ejusve socios arma movere statuerit, tum quia haut dubie eo ipso in 1672.

1672. *Germania bellum excitatum, & tranquillitatem Imperii turbatum iri, ideo Ser.us Rex Sveciæ emergenti malo amicabili primum via, deinde si hac irrita fuerit, vi, & armis se se opponet. III. Tunc itaque tanquam pacis Germanicæ assertor studiosissimus dictus Ser. Rex Sveciæ Imperatorem, Electores, aut Principes amicabili admonitione ab incepto movere conabitur, & si amica ista officia incassum ceciderint, & Imperator, aut alius qualiscunque ex Imperii Principibus ab auxiliis Fœderati Belgii Ordinibus contra Regem Christ. submittendis desistere noluerit, tum quæsitam amicabili via servatæ in Imperio pacis gloriam idem Ser. Rex Sveciæ armis assequi laborabit, hacque sequenti ratione, quomodo totum illud negotium dirigatur, inter se confœderati Reges convenerunt. IV Cum itaque Imperator, aut quilibet alius in Imperio Elector, aut Princeps copias auxiliares adversus Christ. Regem, ejusque socios Fœderatis Ordinibus mittere aut dictam Ser. Mtem Christ: ejusve in Imperio socios aggredi decreverit; tum Ser. Sveciæ Rex, cum tempestive à Rege Christ: requisitus, & præmonitus fuerit, nimirum tres ante menses promittit, se exercitum X M peditum, equitum vero sex millibus constantem, ac omni apparatu bellico instructum in Ducatum Bremensem, aut Pomeraniam esse missurum. Qui autem exercitus Imperatorem, aliosque ipsi conjunctos Imperii Principes, qui auxilia Fœderati Belgii Ordinibus subministrare, Regique Christ; ejusve sociis damnum creare instituissent, vi aperta aggredietur, omnique via, ne ullæ copiæ auxiliares Fœderatis Ordinibus subsidio ex Imperio contra Galliæ Regem mittantur, quoad poterit, armis impediet; nec prius ab armis desistet Ser. Sveciæ Rex, quam Imperator aut alii supra dicti Principes ab incepto destiterint. V. Quoque magis huic bello, cujus unicus scopus pax erit, & tranquillitas Germaniæ, robor addatur, Rex Christ secundum rei exigentiam, & necessitatem, si contra Imperatorem, Electores aut Principes ei adhærentes Ser. Regis Sveciæ, & sociorum in Imperio Electorum aut Principum vires non suffecerint, exercitum in Germaniam penetrare jubebit, qui quidem aut conjunctim, aut separatim cum exercitu Svecico secundum belli casus, & rationem militabit, manente exercitu Svecico sub mandato summi ducis Gallici. VI. Promittit ad hæc Ser. Rex Christ. se pro ea, quæ ipsi itidem ut Ser. Regi Sveciæ cura tuendæ pacis in Germania incumbit, pari vicissim modo, prout in articulo primo conventum, consilio, armisque, nimirum justo exercitu, & pro periculi exigentia majori quam fieri poterit virium mole se oppositurum, si Imperator, Electores, Principes, aut aliquis Statuum in Imperio, bello inter Ser. Regem Sveciæ, ejusque hostes, sive totali ad hostes accessione, sive auxiliaribus copiis sese immiscuerit, nec prius ab armis cessaturum, quam Imperator, aut alii supradicti Principes ab incepto destiterint. VII. Cum etiam dubitandum non sit, quin pax in Imperio, quæ Regibus fœderatis adeo cordi est, non parum lædatur, si loca in Imperio sita, & pro tempore præsidiis occupata Rex Christ. armis aggrediatur. & tamen Regi Christ. denegari jure non possit, hostilia arma, à quibus molestiæ sibi imminere poterunt, ubicunque locorum bello persequi; ideo Ser. Rex Sveciæ declarat, omnino necesse esse, ut tempestive ab Imperio, aut vero domino plenaria, & sufficiens securitas præstetur, qua cautum omnino erit, ne ex dictis urbibus, locis munitis, & fortalitiis Regis Christ. armis hostile quid inferatur. Quod si ad satisfactionem Regis Christ. præstari non poterit, & ita Regiæ Mti suæ necessarium sit armis hæc præsidia aggredi, tunc neutiquam id pro infractione pacis in Imperio S. R. Mtas Sveciæ habebit. VIII. Suscepto autem communi isto cum Imperatore, ejusque sociis bello, spondent vicissim sæpe memorati fœderati Reges, se nullam cum dicto Imperatore, ejusque sociis, & adhærentibus pacem, sive inducias esse inituros, nisi cum amborum Regum respective interventione, & consensu, suarum ditionum inclusione, & securitate, simul etiam condigna utriusque satisfactione. IX. Si Rex Catholicus contra pacis Pirenææ tenorem Ordinibus Fœderatis bello se adjunxerit, & Imperator, Electores, Principes, aut aliquis Statuum in Imperio Regi Catholico contra Pacis Westphalicæ genuinum tenorem auxilia subministraverit, adeoque securitatem, quam ab Imperio Rex Christ. vigore Instrumenti Pacis sibi promittere debet, per indirectum turbaverit, tunc Ser. Rex Sveciæ pro ea, qua prospectum conservationi Pacis in Germania cupit, curæ Imperatorem, Electores, & Principes ab incepto amicabili dehortatione amovere tentabit, & si frustra id fuerit, eo prorsus aget modo, prout in eum conventum casum, cum Imperator, Electores, Principes hostes Regis Christ: per directum juvare voluerint. X. Cum quoque memorato publico fœdere de mutuo auxilio, ac subsidio præstando actum quidquam sit, sed generalibus in terminis, è re visum est in hisce articulis secretis id specialius exprimere, nimirum, quod perpensis sumtuum, quibus ad supra memoratam expeditionem Ser. Sveciæ Rex tenebitur, necessitate, ad hos sublevandos per modum subsidii Rex. Christ: singulis annis numerari curabit Hamburgi absque sumtibus Regis Sveciæ, ejusque ad id deputato ministro DC M thalerorum Imperialium, quæ summa in duabus terminis, nimirum quibuslibet sex mensibus, & quolibet termino pars dimidia numerabitur, fietque initium solutionis à die supradictæ requisitionis à Rege Christ: factæ, quo dictus exercitus apparere, & in hostem movere cœperit. XI. Quoque facilius, si occasio detur, se in omnem eventum parare, & conventa per articulos superius descriptos disponere Ser. Rex Sveciæ possit, ineunte æstate hujus præsentis anni 1672. VI M militum ultra præsidia ordinaria in Pomerania, aut Ducatu Bremensi habebit. Promittit autem, Rex Christ: à die permutatarum præsentis tractatus ratificationum, se singulis annis, modo & terminis in articulo superiori expressis, ita tamen ut jam statim post ratificationem dimidia pars solvatur, Ser. Regi Sveciæ ejusve mandatariis, aut ministro Hamburgi solvi curaturum CCCC M thalerorum Imperialium, quæ quidem summa durante hoc tractatu semper continuabitur, sive Christ: a Majestas promissa à Ser. Rege Sveciæ auxilia contra Imperatorem, aliosque Imperii Principes requirere judicaverit, sive urgente minus necessitate iis uti non statuerit, ita tamen, quod si Ser. Sveciæ Rex à Rege* 1672.

Christ:

1672. *Christ: requisitus, & præmonitus exercitum sæpe jam memoratum in Germaniam transmittat, tunc ei toto tempore, quo eum sub signis habebit, solvetur tantum supra dicta DC M Imperialium summa annuatim. Si vero ante finem hujus tractatus, reducta in Germania pace, exercitu, & copiis jam tunc in Imperio opus non fuerit, Ser. Rege Christ. solventur, quæ ei, antequam copias, & exercitum in finem supra dictis articulis expressum conscriberet, & in Germaniam mitteret, promissa fuissent. XII. Et cum S. Matas Christ: non sine summo animi gaudio pacem in Septentrione officiis, & mediatione sua jamdudum Hafniensi tractatu d. 27. Maij 1660. innovatum stabiliori in dies fundamento inniti videat, Suaque Mtas Sveciæ, quo sit sincero in colendum cum Ser. Rege Daniæ omne amicitiæ, & bonæ vicinitatis genus animo jam ostendit, hocque etiam præsenti tractatu denuo declarare voluerit, nec nota minus Regi Christ.o Ser. Regis Daniæ sit mens, & intentio omni fide, & studio pacem eandem, & amicitiam quam religiosissime observandi; ideo quo tam sanctis, & laudabilibus amborum Regum intentis possit Rex interventione sua aliquod robur addere, hoc præsenti articulo cautionem reciprocam seu guarantiam, qua se in supra dicto tractatu Hafniensi jam dudum obstrinxit, denuo spondet, confirmatque, seque sponsorem, fidejussorem, vindicemque pactorum omnium, quæ in supra dicto Hafniensi tractatu conventa, & comprehensa sunt, etiam atque iterum promittit. XIII. Quia autem, si casu in præsentis tractatus articulis supra expressis evenerit, quod Imperator, aliive ex Imperio Principes, licet antea dehortati, à submittendo contra Galliam Fœderatis Ordinibus auxilio desistere noluerint, Ser. Rex Sveciæ secundum hujus tractatus tenorem arma in ipsum Imperatorem, aut Principes movere tenebitur, tum quia è re communi videri posset, alios quoscunque Principes, & Status in societatem belli vocare, Reges tunc fœderati inter se deliberabunt, an etiam Ser. Regem Daniæ ad arma sumenda invitare, eumque sibi socium, suscepto in Germania bello, si libitum ipsi fuerit, addere debeant, ita tamen, ut neutri amborum fœderatorum Sveciæ, & Galliæ Regum liceat alte memoratum Regem Daniæ in partem dicti in Germania belli vocare, sibique socium subministrato aliquo subsidio adjungere, nisi ex communi amborum Regum consilio, & consensu. XIV. Quemadmodum etiam Rex Sveciæ pacem sese inter, & Ser. Regem Daniæ religiosissime servaturus est; ita Ser. Rex Christ: promissam guarantiam, quæ vigore hujus articuli renovabitur, præstabit, adeoque si Rex Daniæ præter spem quidquam contra Regem, & Regnum Sveciæ attentaverit, tunc Rex Christ: post præviam interventionem Regi Sveciæ omnibus viribus prompte succurret, pactorumque conservationem tuebitur juxta genuinum, & verum eorum sensum, & prout guarantia confirmata sunt. XV. Quandoquidem etiam secreti hi articuli nulla intentione nocendi DD. Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii, nec alio ullo, quam tranquillitatis in Imperio juxta tenorem pacis Westphalicæ conservandæ unico intuitu sanciti sunt; præter ea etiam Ser. Regi Sveciæ maximopere cordi est, ut mutua inter Mtem suam, & DD. Ordines Generales amicitia sarta tectaque maneat perpetuo, adeo ut Ser. Sveciæ Rex nihil, quod eo pertinere potuerit, ex parte sua sit omissurus; id circo sperandum equidem, non solum DD. Ordines Generales Fœderati Belgii memoratos articulos in sinistram partem non accepturos, sed etiam pari cum Ser. Rege Sveciæ promtitudine ad mutuum invicem affectum firmius in dies corroborandum lubenter ad amicam requisitionem in id consensuros, utq; mutuæ amicitiæ, sinceræ, bonæque correspondentiæ obesse ullo modo possent, removeantur. Attamen si præter spem aliter contigerit, & quod vel ob fœdus hoc Ser. Regem Sveciæ DD. Ordines Generales Fœderati Belgii ullo modo lædere voluerint, vel eo condescendere recusaverint, ut integra quoquo Suæ Mti Sveciæ maneat facultas, quæ omnibus Regibus libera esse debet, juribus suis in iis, quæ ex usu Regnorum ipsorum visa fuerint, utendi, tum Ser.us Rex Christ: promittit pro strictiori, se Ser. Regem Sveciæ pro rei, & periculi exigentia adjuturum, usque dum justam, & plenariam obtinuerit satisfactionem: se præterea ob communem Regum causam nullos tractatus cum DD. Ordinibus Generalibus conclusurum, nisi simul de juribus Mti Suæ Sveciæ conservandis, in cedenda potestate circa vectigalia sua, suorumque subditorum commercia, ac immunitates statuendi, & disponendi prospectum, dataque desuper Ser. Regis Chr; guarantia cautum fuerit. XVI. Durabit autem hoc fœdus, quantum in specie respicit motus avertendos, qui occasione belli inter Ser. Regem Christ: & DD. Ordines Generales Fœderati Belgii excitari in Imperio possint, per tres annos à die, primo hujus tractatus articulo expresso, & omnia ea, quæ concernunt Pacis Westphalicæ conservationem, & securitatem, quæ ambo Reges Sveciæ, & Galliæ vigore supra dictæ pacis sibi ab ipsis promittere debeant, in suo vigore semper permanebunt. XVII. Pacta hæc secretiora, quæ eundem vigorem habebunt, ac si publico fœderi verbotenus inserta essent, utriusque Regum Sveciæ, & Galliæ intra tres menses à die subscriptionis ratihabitione confirmentur. Hic Holmiæ die 14. Aprilis 1672. Claudius Tot, Steno Bielke, Nicolaus Brahe, Joannes Gyldenstierna; Honoratus Courtin.* 1672.

Ejus fœderis culpa est penes aulam Viennensem.

Cæterum tam exitiabilis fœderis non minima culpa penes aulam Viennensem erat, ad quam missus à Sveciæ Rege Esaias Pufendorfius omnem lapidem movebat, quo fœdus per Basserodium Holmiæ conclusum Viennæ firmaretur; subinde ingerens, ni Cæsar amicitiam Svecicam sibi adstringat, Gallos eandem occupaturos. Cui responsum: Spem sibi esse, à Svecis solida consilia captum iri, nec eos per momentaneum lucrum à veris Regni sui rationibus abduci se passuros, quæ in hoc vertantur, ut ad Gallicæ potentiæ incrementa ipsi nil amplius conferant. Quod si tamen per illecebras pecuniæ Gallicæ à recta via in præceps tendere decreverint, omnia sua promissa, ac pacta inania fore, quod sua aula circa pecuniam cum Gallis haut quidquam paria facere queat. Et quia isti pacato tempore reditibus suis haut contenti æs insuper alienum contrahant, probabile videri ab iisdem bellum quæri, quo inanes loculos iterum impletum iri sperent. Sed & præter solitum ejus aulæ lentorem

Lob-

1672. Lobcovicius Princeps noxiis valde opinionibus imbutus erat, aut saltem aliis persvadere satagebat: Gallum nil infensi contra Germaniam agitare; quin plane bellum non moturum, sed eminus duntaxat ostentatis armis vicinos inani motu exerciturum. Qualis agendi modus eidem à ministris inspiretur, velut quorum autoritas ruitura sit Rege bellis implicito. Eoque quæ de Galli destinatis jactentur, magnifica verba esse, re inania; cum Rex juxta ac ministri à bello abhorreant. Neminem non credidisse cum Rex superiore anno tantis cum copiis Dunquercam iret, eum insigne quid suscepturum. Eadem ludibria sequenti anno repeti posse. Saltem certo sibi constare, contra Imperium nil susceptum iri. Ac si maxime in Belgas Unitos Galli quid tentaverint, tam validas iis vires oppositum iri, ut facile aliorum oblivio subitura sit. Eas opiniones Windischgræcius Comes è legatione Gallica redux aluerat, jactans; ibi nec consilia, nec vires, nec pecuniam esse: ac Regi necessum fuisse pecunias maximis usuris mutuo sumere. Eundem otio, ac voluptatibus addictum nil minus quam arma cordi habere. Cui talia à Victrin Sirio, ac Buissono Abbatibus suggesta fuerant. Erat quoque alias Lobcovicio solitum cantilare, Gallos non esse irritandos; ac eo felicius regnaturum Cæsarem, quo paucioribus se negotiis miscuerit; quasi Rerumpublicarum securitas sola innocentia ster: aut quasi non ambitio, aut aliena rapiendi libido quosdam invitos in bellum pertrahere possit. Quandoque idem causabatur; si maxime Gallus sequenti anno Coloniensem atque Monasteriensem, Belgis immittat, Cæsari tamen ad Turcas respiciendum; eoque aliis negotiis abstinendum. Cum tamen constaret, ipsi Purpuratorum Principi insolitos Galli terra marique paratus quales nunquam aliquis Christianorum Regum fecerit, suspectos haberi. Qui & Cæsareo ministro Constantinopoli dixerat; Sat Ottomannorum ex altero Germaniæ lætare esse; nec opus, ut & ipsi Cæsarem premant. Quanquam & prudentes judicabant. Gallum longe periculosiorum hostem, quam Turcam habendum. Nam solida Christianorum conjunctione spem esse ab isto erepta posse recuperari. Ast Gallo solertiam esse Principes etiam quorum interest ipsius potentiam non augeri, in transversum abducendi, ac per dissidia inter alios disseminata quæ semel invaserit tuendi. Idem Lobcovicius etiam Lotharingum oderat, velut cui semel de Austriaca Domo male merito fides haberi non possit, quin post factam restitutionem Gallo sese iterum in fraudem Germaniæ innexurus sit. Cæterum circa fœdus Svecicum ea præcipue difficultas prætexebatur, quod à Svecis etiam pacis tempore subsidium pecuniarium expeteretur; cum tamen Cæsari ex Imperio nil redeat, eoque iniquum sit, huic tutando istum quidquam de suo erogare. Ac introducto semel exemplo deinceps nec Polonos, nec Germaniæ Principes cum isto fœdus citra subsidia inituros. Id quod Cæsari molestissimum sit futurum. Hispanos quoque suæ pecuniæ admodum tenaces crumenam plane clausuros, ubi animadverterint, Cæsarem ita argento abundare, ut aliis quoque subsidia numerare possit. Addebatur; quia Sveci nolint contra Gallum, & Turcam sese obstringere, qui soli Cæsaris hostes sint id fœdus oneri, non usui fore. Ac forte Svecos à Cæsare simul Galloque pecuniam sumturos, nullo operæ pretio facto. Basserodio quoque mandata non fuisse fœdus in has leges concludendi: sed eum tædio cœli Svecici tractatum utcunque deproperasse, quo discedendi facultas fieret. Erant contra qui negabant, opus fuisse pecuniæ defectum à Cæsareis obtendi, si qua par sit fide Cæsaris reditus administrarentur, nec nimia hujus indulgentia pravorum ministrorum rapacitatem aleret; qui & eidem ingresserant indignum esse ipsius majestate, ad rem quoque pecuniariam curam demittere. Alii vitium aulæ Viennensis arguebant, quod nil ultro ac liberali animo, sed tunc demum ubi necessitas urgeret, facere soleret. Et cum Cæsar generoso animo sit, Galli exemplo aliquando in largitiones quid erogandum, per quas vel centuplo majores impensæ compendifieri queant. Ast revera Lobcovicius ita agebat, ut non aliter judicari posset, quam eum cum Gallo colludere. Sane is eodem tempore, cum objiceretur, Cæsarem nullo fœdere fultum destitui, responderat; eadem Cæsari inutilia, quod plerique non possint, alii nolint quid opis ferre. In omnem tamen eventum Cæsari meliorem, & certiorem amicum, quam Gallum haut esse. Nec dubium habebatur, quin idem cum Gallo, atque Bavaro secreta commercia aleret, quod de Cæsaris sobole, ac longævitate desperasset. Quo extincto Coronam Cæsaream, ac ditiones Austriacas in Bavarum transferendas, à quo Principatum unum & alerum in Silesia sibi stipulaturus erat aliis quoque proceribus insignia emolumenta sotituris. Hermannus quoque Badensis Marchio palam dicebat: Lobcovicium proditorem esse, etsi forte non tam ob privatas utilitates, quam quia falsis sententiis imburus sit. Inter quas & hæc erat: dum Galli, & Belgæ vires suas inter se certando atterunt, Germaniam quiete gavisuram. Eundem & Gremonvillio omnia suggerere, quæ hic apud Cæsarem proponere debeat. Cui & Secretarius erat Florentinus natione, qui Gremonvillio omnia arcana communicabat. Cui flagitio ipse Lobcovicius ansam præbuerat, dum omnium schedarum, à Cæsare sibi Italica lingua transmitti solitarum exempla per istum in peculiarem librum referri curat. Cæterum post cum de fœdere inter Svecos, & Gallos Viennam allatum esset, Cæsarei quidem agnoscebant, super fœdere cum Svecis sinistre à se actum: hisce tamen ejus fœderis pœnitentiam subituram. Hispanos pecunias è triplici fœdere male prodegisse, quas solvi Castellorodericus, Lisola, & alii pervicerint, Pegneranda & aliis contradicentibus. Et Svecos hoc facto fidem apud Germanos plane decoxisse; qui et licet forte Viennæ non ut par fuerit, habiti sint, proprias contra rationes ege- 1672.

Siri. Buisson.

1672. egerint; cum Gallo decretum sit hoc bello Protestantium sacra subruere, quo prætexto is gratiam Pontificis sibi conciliatum ibat. Ac eodem prætexto Gremonvillius quosdam Viennæ Sacerdotes sibi adjunxerat, confirmans, Anglum quoque Romanos ritus, queis secreto sit addictus, palam professurum; cui vicissim Gallus opem laturus sit, ut in Anglia solutum legibus imperium invadere queat.

Considerationes circa id fœdus. §. 36. In isthoc autem fœdere Gallos inter & Svecos initio id cumprimis scrupulum injiciebat, quod guarantia, quam Galliæ, & Svecia sibi invicem debebant, eousque porrigeretur, ut si quis ex Imperio Belgis assistat, Sveci, ubi monendo & rationes ingerendo nil profectum fuerit, eum armis quoque coërcituri essent. Quanquam omnes Senatores, excepto Gardio, qui id in medio relinquebat, Brandio confirmarent ultra verba non procedendum, ac protinus interpositionem simul suscipiendam. Nec minus notandum erat, quod ea guarantia etiam Galliæ socii frui deberent, qui contra Imperium nihil tentarint; per quos Colonienfi, ac Monasterienfi caveri patebat. Denique quod Sveci declararent; si Gallo non caveatur, è locis Imperii Belgarum præsidio insessis nil damni eidem illatum iri, pro infractione pacis Germanicæ se haut habituros, si Gallus ea loca expugnet. Quanquam autem in præsens ex eo fœdere Galliæ parum roboris accessurum erat; tamen sufficiebat, per id conjunctionem cum Austriacis interruptam; nec parum sibi obtinuisse visus erat Gardius, Rege semel Galliæ rationibus implicito, ac Gallicæ pecuniæ dulcedine imbuendo. Unde quanquam hac æstate à Svecia nil metuendum erat proximo, tamen anno, & post conventum Ordinum probe observandum erat, utra factionum recentem imperandi Regem in sententiam suam pertractura esset. Hareno inde responsum dabatur ambiguum, & nullo sensu: *Dolere Sveciæ, bellum inter Gallum, & Belgas surrecturum: officium suum componendo dissidio in promtu fore: oblatum fœdus & subsidia acceptari non potuisse; auxilia quatuor millium ex fœdere à se mittenda, si Gallus aggressor convinci possit.*

Declaratio Brandio data. 28. April. §. 37. Ad extremum Brandio responsum scripto dabatur in hunc sensum: *A Rege luculentum amicitiæ specimen haberi, quod Elector super præsentis temporis periculis curam suam ita candide significarit, & quæ pro bono publico consilia capessere constituerit. Quæ Regi eo gratiora fuerint, quo magis suæ sententiæ quadrent, ac efficacissima videantur ad surgens in vicinia incendium finibus Germaniæ arcendum. Eodem quoque fine Regem utrique partium officium suum oblatum ire non sine spe æque felicis, uti proximo bello, successus. Ac Regi gratum fore, si Elector, & alii, quos boni publici cura tangat, isti operi manum simul admovere instituant. Ad servandam Germaniæ quietem, Regi in præsens haut promtius remedium visum, quam Gallum, cujus vires ac destinata Germaniæ maxime suspecta sint, vinculo pacti ad servandam pacem Westphalicam adstringere, ac cavere, ne Imperio ab ejus armis infesti quid metuendum sit: quod pactum Rex per Hermannum Wolfradum communicaturus sit. Ejus virtute Regem stringi ad tuendam Germaniæ quietem, quo fine arma in provinciis Germanicis in promtu habenda; quod & Electoris institutum sit. Cupere quoque Regem cum Cæsare, Electore, & aliis Principibus peculiari fœdere jungi prout id communi paci expedire judicabitur; quo omne periculum exterius ingruens junctis consiliis & viribus reprimatur, simul qui pro ausa, Instrumento Pacis, & legibus Imperii adversa, turbas internas excitare, aut externas in Germaniam pertrahere instituant, compescantur. Super Poloniæ turbis Regem cum Electore communicaturum, ubi plenius de iis edoctus fuerit. Super multitudine Principum Catholicorum itidem consilia conjuncturum, ne ista Protestantibus fraudi cedat.* 1672.

Tradebatur post interpretatio quorundam locorum in fœdere cum Gallia inito, quæ Ordinibus Imperii scrupuli quid possent injicere. *Fœderis Gallici interpretatio. 21. Maji.* Ac primo, *ne hostibus Galliæ extra Germaniam adsistatur utique Instrumento Pacis congruum, quo conventum sit, ne alter alterius hostes præsentes, aut futuros ullo unquam titulo vel prætextu, vel ullius controversiæ, bellive ratione contra alterum armis pecunia, milite, commeatu, aliterve juvet. Unde Regem, aliosque Imperii Status, qua amica monita non pertingunt; junctis viribus ejusmodi pacis violationem impedire teneri; simul præcavere, ne qui hoc illicito modo è Germania Gallum alibi impetitum eunt, per hujus copias in sua repellantur, sede belli intra Imperii fines devoluta. Eoque Cæsari juxta, ac Ordinibus omni ope connitendum, ne per unius, aut alterius ausa Germania manifesto periculo exponatur ac cuique necessium sit juxta dictata Pacis alienis negotiis abstinere. Equidem posse ista Instrumenti verba intelligi de hostibus aggressoribus quo sensu ea tunc demum Gallo profutura sint; ubi is ab altero invadatur, non si ipse aliis ultro bellum faciat; ubi hisce se tutandi, ac fœderatorum suorum auxilio adversus aggressorem utendi jus nullo modo adimi queat. Quam interpretationem & Rex probet, cui non sit animus Ordinum jura cum exteris fœdera contrahendi, & auxilia dandi, accipiendique turbare. Sed quia non statim aggressor habendus, qui primus arma infert, sed is potius, qui injuriis, gravibusque offensis alteri legitimæ ultionis necessitatem imponit; ac vero nondum ad liquidum sit deductum, in utra parte belli hujus præcipua causa hæreat; nec ullus Ordinum sibi soli absque totius Imperii, & pacificentium Regum consensu arbitrium arrogare possit definiendi, uter istorum aggressor sit: id quod tamen revera facturus sit, qui ex defensivo aliquo fœdere Gallis, aut Belgis auxilia latum iret: igitur ante omnia arduam hancce quæstionem è regulis justi, ac honesti decidendam. Quæ decisio autem non melius fieri queat, quam si illi quorum intersit operam suam Regi socient ad incendium intra primordia restinguendum; aut comperto penes quem aggressionis culpa hæreat, ea decernant, ad quæ per fœdera tenentur, aut quod servandæ vel instaurandæ quieti publicæ proficuum judicarint. Interim quoad super origine hujus dissidii Rex penitius edoctus fuerit, cum claris verbis Instrumenti inhærere, ac omnes ea pace comprehensos hortari, ut ipsius exemplum secuti, per præ-*

1672. *cipitata consilia sibi calamitatem, vicinis periculum ne attrahant.* Monebatur quoque, articulo secundo secreti fœderis per Galliæ *socios* haut intelligi quosvis extraneos Westphalicæ pacis haut participes, aut qui occasione hujus belli turbas in Imperio moveant; sed eos duntaxat, qui juxta leges dictæ pacis, non autem contra easdem Galliæ auxilium ferant. Denique circa oppida ad Rhenum Belgarum præsidio infessa addebatur; à Gallo per belli rationes postulari non posse, ni ultro velit, ut ista intacta præbeat, ac in iis hærenti hosti ansam præbeat ipsum à tergo intercepta subvectione, incursionibus, & per alia hostilia infestandi. Eundem quoque per jus gentium sibi fas ducere hostem persequi, ubi inveniri possit, quousque ipsi adversus eum non caveatur. Unde Regem non potuisse, quin in articulum tertium consentiret. Jam igitur penes Imperium esse, ac præcipue eos Electores, & Principes, ad quos ea oppida spectant, una cum Rege rationem inire, quomodo Gallo circa ista oppida, ac inde oritura hostilia caveri queat, ne ex eo latere belli incendium Germaniam corripiat.

Svecorum de Electoris fœdere cum Belgis sententia. 24. Maij.

§. 38. Paulo post ubi de Electoris cum Belgis fœdere innotesceret, Steno Bielkius, & Joannes Gyldenstierna svadebant, ut Brandius scripto id Regi significaret; ac Electoris mentem duntaxat esse Coloniensem & Monasteriensem coërcere, ne bello se ingerant Germaniam quoque turbaturo. Hoc enim obtentu se posse Curtini querimonias amoliri: ac si maxime dicis causa Electorem dehortentur, serio rem à se non agi. Lecto Brandii scripto Gardius fatebatur, si Elector tantum Coloniensi, ac Monasteriensi hostem se ferat, non Gallo, hunc à Svecia præstationem fœderis postulare haut posse. Quanquam svadebat, Electorem tutissime facturum, si adhuc sese reprimat. Tottius quoque agnoscebat, hoc modo articulum qui de sociis loquitur, in Coloniensem, & Monasteriensem quadrare haut posse, velut turbida, & quieti, atque securitati Germaniæ adversa ausos. Addebat Joannes Gyldenstierna; si Electori Monasteriensem invadere placeat, eo prætexto istum uti posse, quod per evictionem pacis Clivensis ad id teneatur. Ad libellum tamen scripto respondere abnuebant Sveci, sed tantum differebant; Regi gratissimum esse, quod Elector & istud communicare voluerit. Ipsi contra secreti fœderis copiam facere abnuebant, causati, datam explicationem sufficere. Revera quia Curtinus noluerat; ut publico fœdere per Germaniam vulgato eo ampliora de secreto crederentur. Quod autem ad Brandii scriptum Sveci non responderent, causa erat; quia Brandius Svecici fœderis verba ad Coloniensis, ac Monasteriensis ausa accommodaverat, velut circa hæc Regis, & Electoris eadem foret sententia. Unde in Senatu conveniri non poterat, quomodo Brandio apposite responderi posset, ut hinc Imperio, inde Gallo offensæ causa ne præberetur. Quia autem post absolutum istud fœdus super transportatione copiarum in Germaniam nihil audiebatur, è Svecia tunc nil metuendum videbatur. In futurum tamen ad motus ejusdem animus advertendus erat, quod id fœdus in Germania quid movere cupientibus sat prætexti suppeditare posset. 1672.

Sveci fœdus Gallicum Electori communicant. 21. Maij.

§. 39. Interea Sveciæ Rex misso Berolinum Hermanno Wolfrado exponebat, uti ipse necessarium judicarit hac tempestate super remediis servandæ paci cogitare, simul testari, quantopere sibi cordi sit amicitiam cum Electore excolere, communicato quoque fœdere cum Gallis recens inito, num quæ dubia occurrant, quorum illustratio desideretur, quam ipse dare jussus sit. Privato congressu iste differebat: *Regi nil curius esse incolumitate rei Evangelicæ, & quiete Germaniæ. Eam quoque in præsens curam solicitare, ut surgens in vicinia incendium mature opprimatur, antequam latius se diffundat. Ut porro tranquillus Germaniæ status pace Westphalica constitutus servetur, haut præsentius remedium visum, quam Gallum, de cujus viribus, atque vastis destinatis adversus Germaniam, & res Protestantium tam multa jactentur, eo adstringere, ut de non turbando in Germania fidem daret. Qui & declararit, quamdiu è Germania non lacessatur, pacis Westphalicæ leges servare sibi cordi fore. Vicissim tamen eundem postulasse, ut & suæ securitati adversus Imperium caveretur. Eo fine Regem defensivum fœdus cum isto iniisse, cujus copiam omnibus amicis, ac præcipue Electori facere voluerit; nec dubitare, quin hic id probaturus, simul omnia collaturus sit ad commune bonum facientia. Si qui scrupuli in fœdere occurant, eos se amoturum.* Ad ea Sverinus: *Eandem Electori mentem esse è rationibus, & actis ejus satis colligi posse. Spem fuisse bellum Galli in Belgas amicorum interventu averti potuisse, inque ea re Sveciæ Regem Electori operam sociaturum. Hunc credidisse, antequam de fœdere hoc inaudisset, Gallo nil causæ fuisse tali modo sibi cavere, velut pax ab Imperio in ipsum violanda sit, ut qui in Germania præter Alsatiam nil possideat: cui à nemine periculum immineat.* Wolfradus contra: *Regi etiam post illum fœdus non aliam mentem esse, quam surgens bellum restinguere, eoque partibus jam officium suum obtulisse. Ac uti id bellum inter Status Sveciæ fœderatos existat, ita & istum hos velut communes amicos ad pacem hortaturum, modo prius constet, quis pro agressore sit habendus, & in injuria versetur, ut is adstringi possit ad æquas pacis leges admittendas. Optandum eidem omnes suos in Germania amicos, ac inprimis Electorem gemina consilia agitare, ac super iis cum Rege fideliter communicare velle investigandis remediis, bono rei Evangelicæ, ac paci inservientibus. Eadem se Cæsari insinuasse, cui ante omnia incumbat providere, ne Germania præter necessitatem turbis involvatur; quem & Elector suo consilio sit firmaturus. Eum in finem Regi in animo esse, cum Cæsare, & aliis Imperii Ordinibus propius se conjungere. Coloniensis, ac Monasteriensis ausa Regi displicere, qui nec intercedere velit, quo minus Cæsar, aliique istos moneant talibus absistere, ni ultro ad quietem se componant. Belgis auxilia submitti eo nomine Regi parum gratum fore, ne Gallo occasio nasca-*

1672. *nascatur ingruentes in sua repellendi, ac sedem belli in Germania figendi. Denique metuere Regem, ne urbes Civicæ ansam præbeant, pacis in Germania violandæ, ubi vi oppugnentur. Ac tamen militem Belgicum istas insidentem prætextum præbere easdem invadendi. Arbitrari tamen Regem à Gallo obtineri posse, si modo Imperium & præcipue Elector idonee cavere possit, ex iis Gallo nil molestiæ illatum iri, ut eas intactas sinat. Quam in rem iste omnem operam collaturus sit, si intelligat, qua ratione id commode effici queat. Super qua re Electorem cum Cæsare, ac Belgis consultare posse.*

24.Mart. Fœdere, quod communicatum fuerat excusso aliquot quæstiones Wolfrado proponebantur. Articulo IV. Reges se mutuo obstrinxisse, turbatoribus pacis in Imperio nil auxilii præstare. Cum autem Coloniensis, ac Monasteriensis talia susceperint, ex quibus sine dubio turbæ orituræ sint, lacessita vicina Rep. Imperio amica, cui jure gentium fas sit bellum in istorum ditiones revolvere, vicinis quoque molestiam pariturum: nosse Electorem velle,
1 num Rex hisce auxilium laturus sit, si Imperium, aut proximi Circuli, aut ex his Princeps quispiam isto-
2 rum perniciosa ausa impedire instituat? Num articuli quarti iste crudus sensus sit, ne quis citra exceptionem Belgis auxilium ferat? Sane eam Regi mentem esse, Electorem sibi persvadere haut posse, quod id repugnet juri fœderum, Ordinibus competenti; ex quo demum consecuturum sit, nulli Ordinum fas esse vicino auxilium ferre, aut ab eo recipere.
3 Articulo IV. non exprimi, num illi quoque hostes sint intelligendi, qui à Regibus invadantur, utut nil nisi pacem cupiant, & æquam satisfactionem, si justa eam exigendi causa sit, offerunt.
4 Num idem articulus eo quoque porrigendus sit, ne quis Ordinum per idonea remedia prohibeat, ab alio ipsius ditionibus per stativa, transitus, & similia proprio ausu suscepta molestiam exhiberi? Nam Electorem judicare, talia arcere non modo per Instrumentum Pa-
5 cis, sed & jure gentium licita esse. Quia etiam articulo V. & VI. conservatio pacis fundamentum fœderi substernitur, an non Regis mens sit, ut idem contra Coloniensem, Monasteriensem, & alios exteros valeat, qui copiis in Germaniam adductis ejus quietem, ac securitatem non parum turbent; aut quem alium fructum Germania ex eo fœdere expe-
6 ctare debeat? Articulo VII. & VIII. talia contineri, quæ Cæsarem, & universos Ordines spectent, super quibus ab Electore ad istos re-
7 ferendum sit. Circa articulum XVII Electorem judicare, eo tempore, quo fœdus conclusum sit, Gallum nondum fassum, se exercitus suos intra fines Imperii adducturum, & ex eo Belgas infestaturum. Alias enim, quæ ibi disponuntur, cum isto instituto, ac Præsu-
8 lum conatibus non quadrare. Denique an Articulus XVIII, *si quis alienis negotiis ad Imperium non pertinentibus sese immiscuerit*, eo porrigendus sit, ut si quispiam Imperii Princeps suas ditiones extraneo milite inundari videat, majorum malorum metum incutiente, ac demum isti vim opponat; ac sociis suis ex fœdere auxilia ferat, num is alienis sese rebus ingessisse sit censendus? Ista cum altioris indaginis viderentur, Wolfradus spatium petebat mandata sua inspiciendi. Interim super causa, & occasione ejus fœderis disserebat, *Regem solicite circumspexisse remedia, per quæ pax Germaniæ bono Protestantium, & præstanda Ordinibus securitati inconcussa servari posset, ne inter hæc periculosa tempora quid in ejus fraudem strueretur. Nec minus Regi in proprii Regni salutem tempestate, varios motus minitante, aliorum amicitiam, & societatem fuisse quærendam, quo non solum ab eo latere, unde periculi suspicio erat, in tuto se collocaret, sed & valido auxilio fulciretur, si forte quis opportunitate ad noxam Sveciæ inferendam uti auderet. Amicos porro vel affectandos fuisse, vel ultro se offerentes amplectendos. Regi autem Austriacæ Domus conjunctionem quæsitam, testari fœdus cum Basserodio initum, quod Cæsar non nisi mutilum, nec sine contumelia Sveciæ ratum habuerit: unde id vado adhæsisse, nec Viennæ certi quid decretum, utut eam rem per ministrum ibi suum Rex diligenter egerit. Idem testari triplex fœdus, & studium circa pacem Aquisgranensem. Contra Hispanos tempus incassum extraxisse, nunc Londini interventu Regis Angliæ, nunc Hamburgi, nunc Holmiæ misso Nunnio Comite tractatum minatos. Quibus inanibus sibi illusum indicio esse quod Nunnio nunquam justum procuratorium fuerit, nec idem cavere potuerit, id sibi missum iri. Eosdem quoque admodum tenaces fuisse circa numeranda subsidia quæ Angli, & Belgæ ipsis stipulati fuerant; cum tamen exercitus, quem Rex in provincia sua aluerit promovendæ paci Aquisgranensi, longe pluris constiterit. Peculiaria fœdera cum uno, & altero ex Ordinibus Imperii ad scopum solidæ securitatis haut suffecisse. Igitur ad eorum amicitiam converti necessum fuisse, qui eam ultro obtulerint, postquam eorum rationes, quantum Sveciæ rebus congruant, examinatæ fuerint. Equidem Belgas post compositas, quæ olim cum ipsis Sveciæ fuerant, controversias, arctius fœdus, simul pecunias sustentando exercitui obtulisse. Ast cum id factum esset, cum jam Gallus & Anglus bellum iisdem indixissent, id admitti non potuisse, quin cum utroque Rege bellum sumeretur. Eos Sveciam quoque in societatem belli pertrahere laborasse, sed ea repudiata ad extremum consultum visum, cum Gallo id fœdus defensivum servandæ securitati Germaniæ, ac paci Westphalicæ concludere. Quo Rex impedire studuerit, ne Gallus, cujus arma in præsens tantam suspicionem excitent, in ejus pacis fraudem quid aggrediatur. Sane è multis ab isto hactenus susceptis, Pacis Instrumento parum quadrantibus, haut frustra metui, ne is data occasione plura audeat. Unde necessarium visum, novo istum vinculo ad observandam pacem adstringere, simul vasta ejusdem destinata, quæ Germaniam spectare possint, certis limitibus coërcere. Ac stare sententiam Regi, si Gallus contra fidem hoc fœdere datam Germaniæ quietem turbet, se primum fore, qui arma ei oppositurus sit. Quo fine cum Cæsare, & Ordinibus patriæ amantibus fœdera, quæ ipsi desiderent, initurum, & peculiariter cum Protestantibus, si sacra* 1672.

1672. *hoc bello peti adpareat. Quanquam tale quid haut
metuendum videatur, quod Cæsar, & Hispani Bel-
garum partibus faveant & Anglus Gallo innexus
sit. Unde prætextum circa sacra tantum utrinque
adhiberi ad plures in societatem pertrahendos. Cæ-
terum Regis mentem non esse, Galli destinata toti
prope Europæ formidanda firmare, aut eorum, qui
per istum impugnantur, defensionem impedire. Quin
cordi esse erumpentem belli flammam quantum pos-
sit restinguere, partibus officium offerre, simul arma
parare, ut si intellectum fuerit, penes utram partem
aggressionis culpa hæreat, læso satisfiat, & qui æ-*
1. *quam pacem abnuerit, armis compellatur.* Post
& ad propositas quæstiones idem respondebat.
Regem cum is articulus conciperetur, de Co-
loniensis, & Monasteriensis conatibus nil audi-
isse. Sed post iis perceptis Cæsari, ac amicis suis
in Germania significasse; si Præsules isti, aut
quis alius in Galli favorem turbas Instrumen-
to Pacis adversas in Imperio, aut extra movere
audeat; ac Cæsar juxta leges publicas eosdem,
qua amica monita non pertingunt, armis per
se, aut alios Imperii Ordines coërcere insti-
tuat; Regi id non displiciturum, nec id velut
paci Westphalicæ adversum habiturum. Qui
& articulum IV fœderis, & qui ex eo formari
possint casus ad normam Instrumenti Pacis u-
2. tique intelligi velit. Uti Rex nunquam ansam
præbiturus sit infringendis Ordinum juribus,
& Imperii legibus: ita censere, super auxilio
§. *Ut eo* Belgis ferendo sequendam Instrumenti Pacis
sincerior. dispositionem; ne qui è Germania Gallos in-
vasum veniunt, non repugnante jure gentium
in sua retro pellantur, periculoso incendio in
Germaniam attracto. Non tamen Regem in-
tercedere, quo minus Belgis auxilia ferantur
adversus hostes pace Westphalica haut com-
3. prehensos. Quia verba Instrumenti Pacis di-
scrimen inter aggressores, & eos, qui invadun-
tur, haut facit, nec id isto articulo potuisse ex-
primi. Alias quis aggressor sit, haut definiri
posse, nisi causa prius curate excussa. Non
enim statim aggressorem esse, qui primus ar-
ma movet, sed & qui injuriis alteri armorum
arripiendorum necessitatem adfert. Aggresso-
ribus assistere perinde esse, ac bello aliquem
petere. Id autem primo articulo pacis vetitum.
Inde sequenti paragrapho amplius quid veti-
tum, nempe, ne aliis quoque hostibus adsista-
tur, quacunque de causa bellum cum iis ortum
sit. Sed nec inter gentes receptum, ut tertius
judicet, cum alter sufficientes belli causas ha-
buerit, sed circa justitiam partes haberi pro æ-
qualibus. Unde ex tali interpretatione non
nisi elusiones fœderum, ac nova bella oriri
posse. Igitur satius esse simpliciter sequi, quod
JCti tradunt: *Hostes esse, qui nobis, aut quibus
nos bellum decrevimus.* Expresse quoque con-
ventum, ut Ordines possint Hispanis auxilium
ferre; igitur non aliis. Jure fœderum hanc
exceptionem additam, ne sint contra hanc pa-
cificationem. Denique ne qua mala inde
provenire queant, amica interpositione caveri
posse. Unde & Regem utrique parti officium
oblaturum, ubi brevi sit adpariturum, penes
quem culpa belli sit, quo idem junctis viri-
bus compelli queat, ut ex æquo cum altera 1672.
parte transigat. Super transitibus Regem cen- 4.
sere, eos cuique permissos esse. Alias leges
Imperii, & Instrumentum Pacis ita perspicuum
esse, ut de Rege præsumi nequeat, velut ali-
quid istis adversum statuere voluerit. Si Præ- 5.
sules, aliive exteri contra leges pacis Westpha-
licæ in solo Imperii exercitus habeant, iisque
Imperium inquietent, propositum fœdus uti-
que adversus eosdem valere. Ut ad Cæsarem, 6.
& reliquos Ordines referatur, Regem facile
ferre posse, quod fœdere nil contineatur, nisi
de quo jam Instrumento Pacis sit dispositum.
Num Rex, quando XVII articulus fœderis 7.
concipiebatur, super Galli destinatis, aut Præ-
sulum ausis edoctus fuerit, & quousque ista
Instrumento Pacis repugnent, sibi haut con-
stare. Jussu tamen Regis confirmare, si Gal-
lus, aut quis alius quietem Germaniæ turbet,
aut alias in fraudem rei Evangelicæ tenden-
tia suscipiat, Regi & facultatem esse, & volun-
tatem id pro viribus impediendi; quo fine et-
iam cum omnibus patriæ amantibus sese sit
conjuncturus. Demum si quis Principum 8.
suam ditionem alieno milite inundari, ac ex-
trema sibi intentari videat, ei per naturalem
rationem injungi, ut defensioni suæ invigi-
let; nec eundem argui posse, quod alieno se
negotio immisceat. Sed auxilia fœderatis
præstanda ad normam Instrumenti Pacis prius
exigenda, ac solide inquirendum, uter ag-
gressionis culpa sit onerandus. Ad ista repo-
nebatur: *Electorem super causis, quæ Regem ad* 27. Maii.
*id fœdus incundum moverint, haut scrupulose in-
quisiturum. Sperare tamen eum per Brandium
monita observaturum; simul rogare, ut quemad-
modum Sueciæ interest Germaniæ pacem constare,
Instrumentum Westphalicum sinistra interpretatio-
ne ne detorqueri, ac æquilibrium orbi Christiano tam
necessarium servari: ita & ulterius omnia consi-
lia ad bellum sopiendum referat, nec ejus autores
obfirmet, nec illos impediat, qui id negotium unice
pacis causa amplectuntur. Equidem non dubi-
tare Electorem, quin Regi animus fuerit pacem
Germaniæ juxta, ac rem Protestantium sartam
tectam præstare. Sed unam cladem ita summam
rerum immutare posse, ut post sero ab isto medi-
cina sit adferenda; quæ cura haut frustra omnes
Evangelicos exerceat. Adversus quam parum so-
latii sit, quod Anglus Gallo societur; Cæsar, &
Hispani Belgis faveant. Optasse, ut is circa pro-
posita dubia discutienda longius progredi potuerit.
Ad extremum petere, ita Rex in hoc negotio se
gerat, uti id parta Sueciæ gloria, ac genuinæ ejus
rationes requirant: utque sibi amicitia istius, &
auxilium ex fœdere debitum persistat.* Enimve-
ro neque Cæsari, nec Electori satisfacere
poterat interpretatio loci è pace Monaste-
riensi, quæ in Svecorum cum Gallis fœ-
dere posita erat. Nam si iste paragraphus §. *Gaude-*
ad scopum contrahentium, ac indolem fœ- *ant.*
derum defensivorum, quæ Ordinibus Im-
perii reservantur, examinandus sit, unice
eundem ita intelligendum, ut universum
Imperium hostibus Galliæ, nempe qui hanc
armis aggrediantur, adsistere non debeat.
Aut

1671. Aut si ea verba laxe in favorem Galliæ porrigenda sint, eos quoque sub hostibus Galliæ intelligendos, qui huic tantum injuriarum intulerint, ut has per arma ulciscendi necessitas eidem allata sit. Ast si dicto loco per hostes Galliæ omnes intelligi debeant, quos Hallus subjugare; eoque fine hostes declarare, ac bello petere instituit; id communi rationi repugnare, quæ in omni tractatuum interpretatione pro norma habenda sit. Ac nunquam præsumi posse aliquem promisisse, quod omnes suos vicinos deglutiri otiosus spectare, eoque viam ad sui quoque exitium munire velit. Repugnare id adversa fronte rationibus Germaniæ, quin ipsius Sveciæ. Nam si aliquando Svecus cum Gallo bello collidatur; inde secuturum, Ordinibus quoque fas non fore isti contra hunc adsistere. Competere quoque Ordinibus jus fœderum cum exceptione duntaxat Cæsaris, ac Imperii. Atqui fieri posse, ut quibusdam Ordinum fœdera cum Belgis intercesserint diu ante, quam de hoc bello innotuerit, è quibus isti emolumenta perceperint. Unde iniquum esse, eosdem prohiberi per istam interpretationem quæ acceperint redhostire. Quin si maxime per imprudentiam in aliquid consensum sit, quod per alterum eousque porrigatur, ut nobis exitium inde proventurum sit; ad id, ubi error adparuerit, nos non amplius teneri; cum fœdera & quævis pacta ob salutem, non ob perniciem Reipublicæ inventa sint. Cæterum Viennæ plerique circa fœdus istud judicabant, per id vasta Galli destinata contra Belgas, inde contra Austriacos fulciri, ac Svecis ex eodem occasionem quæri Germaniam turbandi, ejusque præda se locupletandi, postquam unicum hujus propugnaculum eversum sit. Contra Lobcovicius Svecorum intentionem probabat; quod non protinus ad arma decurrendum, sed concordia prius amica ratione tentanda sit. Moguntinus quoque minister dicebat; hero suo videri malum exasperandum, si statim ferrum stringatur, ac sine dubio bellum in Germaniam ea via pertractum iri. Sed multi ex hoc fœdere colligebant, Germaniam salvam esse non posse, nisi Sveci ac Galli simul, vel alterutri horum Germania eliminentur: & quia à debilioribus initium fieri soleat, Svecicas provincias primum recuperandas. Sed & non admittebantur Svecorum ratiocinia Viennæ contendentium, inter hostilia non referendum, à Gallo Clivicas urbes Belgico milite infessas occupari. Nam jure gentium Gallo permissum esse hostem quærere, ubi inveniatur: nec cum ratione à Gallo postulari posse, ut ea loca à tergo relinquat, ni Elector caveat, ex iis nil damni ipsi inferendum. Ast contra ostendebatur, eas urbes obsideri non posse sine vastatione Cliviæ, in quam Belgis nil juris sit. Nec Gallum ab Electore transitum petiisse, sed suo arbitrio sumsisse; quasi quis operam teneatur conferre, ut Gallus vicinum opprimat, quem incolumem esse Germaniæ tantopere intersit, & quo cadente totum id latus nudetur. Sed & ferri non posse, à Coloniensi, & Monasteriensi bellum suscipi contra leges publicas, quod Germaniam quoque involuturum sit, si Belgæ invasoribus paria reponant. Nam si ipse Cæsar per legem Regiam offensivum bellum movere non possit insciis Ordinibus, ac Instrumento Pacis cautum sit, ut Ordinum autoritas in Comitiis declarata accedat; multo minus Principi alicui id permissum; & si quispiam tale quid audeat, Cæsari utique fas esse id malum in herba opprimere. Cæsarem quoque Gallum, Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, Brandenburgicum, Neoburgicum ac Luneburgicos pacem Clivensem præstandam suscepisse cum obligatione arma contra violatores arripiendi. Nunc autem Monasteriensem Belgis bellum indicere ex vetustis, ac jam abolitis causis, nulla in antecessum significatione Cæsari facta, nec ut injuriæ, si qua illata sit, reparatio quæsita fuerit. 1671.

Cum Daniæ Rege consilium confertur. §. 40. Nec minus Electori curæ fuerat ea rerum facie Daniæ inclinationem nosse ob magni momenti rationes, quæ ipsi eo cum Regno intercedunt, Igitur missus ad Christianum V. Regem Blumenthalius, ut ei super transactione in causa Oldenburgica cum Plœnensi Duce gratularetur, simul officium Electoris offerret, si quid inter Regem, ac Ducem Gottorpiensem componendum restaret. *7. Sept. 71.* Sed ut præcipue exponeret, Electorem magno cum gaudio percepisse, à Rege hactenus omnia consilia ad conservandam pacem relata. Quod cum & isti sedeat, cum ipso pressius expendere velle, quomodo id obtineri queat motibus, qui imminere videantur, oppressis. Nemini quippe ignotum, quid dissidiorum inter Gallum ac Belgas gliscat, utrinque summa vi arma parantes. Super quibus cum primis sententiam Regis nosse cupere, ut si ista componi nequeant, saltem Germaniæ, & vicinorum quietem ne abrumpant. Electorem hactenus neutri se partium innectere voluisse. Num & Regi omnia adhuc sint integra; in utram is partem inclinet, an orto bello medium se sit gesturus? Denique num ipsi amicitia cum Svecia constet? *26. Sept. 71.* Blumenthalio Hafniam delato super ceremoniis controversia surgebat, quod Rex decretum condidisset, ut ablegati extraordinarii bijugis duntaxat ad audientiam per magistrum officiorum adducerentur, ac ante pontem arcis curru descenderent; id quod antea secus fuerat. *Controversia super cerimoniis.* Ac ferebant Dani, modo is *Deputati extraordinarii* dignationem gereret, vetere ritu excipiendum fuisse, quod hujus gradus apud se ablegato extraordinario potior habeatur. Admittebat id genus receptionis Blumenthalius ea lege, ut in universum omnes ablegati Regii extraordinarii haut alio modo haberentur. Enimvero *4. Oct. 71.* eam honoris antea exhibiti imminutionem ægerrime ferebat Elector, eoque Blumenthalio injungebat, ut dimissionem postularet, atque ad valedicendum Regi utique sejugibus se adduci exigeret. Id si negetur sine valedictione discederet. Ægerrime huc Rex descendebat, quod sibi in propria aula leges præscribi viderentur. Sed prævalebat æstimatio Electoris, & quod cum nemine minus offensæ quid contrahere vellet.

1672. Cupiebant tamen Dani, si utique recens edictum abolendum sit, Anglicum ablegatum primo loco, inde Blumenthalium antiquo ritu in aulam adducere. Id quod hic recusabat, quod ea mutatio hoc modo honori Regis Angliæ, non Electoris data videretur. Inde id temperamentum proponebatur, ut Blumenthalius sejugibus in hortum Regium adductus audiretur. Qui & id abnuebat, ac jam discessum parabat vehiculis ad januam adductis. Ita sejuges venere, qui in arcis interiorem aream eum adtraherent. Anglicus ablegatus sequenti die pari honore habitus. Fulciebat Blumenthalii postulatum non sine fervore Hugo Terlonus legatus Gallicus, qui invitatus licet non prius à Rege audiri volebat, quam isti satisfactum foret. Provenerat ista cermoniarum mutatio non à Rege placidi ingenii Principe, sed à Gyldenlevvio; qui dein à se suggesta abrogari graviter fremebat. Ac differebat Griffenfeldius; durum esse Regi in sua domo leges præscribere, ejusque statuta mutare velle. Cui reponebatur: *insignia honoris augere cuivis integrum esse: sed semel concessa vim juris sortiri, quibus nisi mutuo consensu nil detrahi possit.* Cæterum tunc Blumenthalius non uti jussus erat, Regi valedicebat, sed gratulatione de nato filio Friderico defungebatur. Mox

Ibid. Oct. discessuro responsum: *In votis esse Regi, ut quæ inter Gallos, ac Belgas surrectura metuatur flamma, primo ortis opprimi queat, quam in rem ipse quoque operam sit navaturus. Omnibus tamen incommodis non melius obsisti posse, quam inito arctiore fœdere super mutua defensione: quo fine armorum paratus mature faciendos, ne repentina invasio metuenda sit. Sed qua ratione id commode fieri queat, ex Electore se percepturum; quo proponente amplius suam mentem sit declaraturus. Habbaum antea missum ad prius fœdus renovandum, & præsenti tempori adaptandum. Ita primo velut gradu à se facto Electoris declarationem expectari, cui ob locorum propinquitatem indoles negotiorum penitius sit perspecta.* Addebantur verba honoris de continuanda amicitia, à parente tanto cum fructu exculta. Cæterum Daniæ Regi adhuc integra erant omnia, qui nec à Gallo ad societatem invitatus fuerat, nec magnopere litem Galli cum Belgis curare videbatur, quod sua interesse crederet Belgas paulisper ad modestiam redigi; qui tam iis viribus polleant, ut facile eversionem sui status molientibus resistere queant. Major ab Anglo metus. Auxilii à Belgis superiore bello lati memoria nondum exciderat. Gallus parum curabatur, tanquam valde remotus, & qui urgente necessitate Daniæ haut commode assistere possit, certiore Electoris, & Luneburgicorum auxilio, velut è propinquo. In Sveciam præcipuus respectus, cui Scaniam iterum eripere summa votorum erat. Etsi reponebatur; omnes cum Svecia lites Daniæ admodum periculosas: eventum belli dubium, ac prius accepta vulnera nondum solidata. Historiam quoque testari, Daniam, ubi intempestive quid aggressa sit, semper infelicem fuisse; contra secunda fortuna usam, si satis habuerit vim repellere.

Altera in §. 41. Sequenti anno Blumenthalius denuo Hafniam missus est, ut Regi exponeret, Electori hac tempestate eximio solatio cedere, quod is omnia consilia ad pacem referre decreverit, & ne quis amicorum opprimatur. Eandem & Electori mentem, à qua neque promissis, neque terrore avertendus sit. Cum autem jam Belgæ e quadruplici fœdere, cujus pars & Rex sit, auxilium petant; Gallus contra, ut negato auxilio, medium se gerat Elector, postulet; in negotio quod Regem, & omnes alios Principes tangat, hujus consilium ab isto exquiri. Privatis congressibus exponeret; Quanquam Electori cum Gallo amicitia hactenus constet, quam & conservare cupiat; metuere tamen eundem, ut hoc bello sibi quiete frui liceat, quod Galli eos hostium loco habituros minentur, qui Belgis auxilium laturi sint. Quin Gallicum Berolini legatum asseverare, Gallum etiam qui tertias partes formare instituant, hostili modo tractaturum. Nec dubium, quin is oppida Clivica Belgico milite infessa invasurus sit summo cum Imperii, & Electoris periculo. Nec tamen hunc perspicere, si maxime publicas rationes negligere velit, quomodo auxilii fœdere promissi præstationem declinare queat. Quia autem Rex considerato negotii pondere nunquam concessurus sit, ut oppressa Republica, quæ hactenus tam Daniæ, quam aliis exigente necessitate præsto fuit, æquilibrium Europæ tantopere alteretur; igitur spem esse, Regem id consilii capessiturum, quod Electori, publicum magis quam peculiare commodum respicienti, animos addat; cui alias, si cæteri quorum æque interest, manum subtrahant, non defutura sit via privatim sibi consulendi. Si Dani suam sententiam exponere prius nolint, quam de Electoris mente constet, atque istos salutaria consilia agitare adpareat, silentium stipulatus exponeret; Electorem re diu penficulata demum decrevisse Belgis valido cum exercitu adsistere, quo nomine tractatus ferveant; ac spem esse, Regem idem facturum. Electorem quidem optasse, ut id junctim fieri potuerit; sed quia ipse periculo sit proximus, Regem haut improbaturum, quod idem tempori parcere voluerit. Sane Belgio everso, aut in eum statum redacto, ut sociis suis præsidio amplius esse nequeat, non modo ingens fulcrum Protestantium rebus, sed & communi Principum libertati subtractum iri. Præsertim cum multa indicia erumpant, Angliæ Regem dogmatibus pontificiis imbutum; id quod promulgatum recens edictum, quo Pontificiis rituum suorum libertas permissa sit, arguat. Nec securitati consuli, quod jactetur; Remp. mansuram, sed tantum paulisper castigandam, haut expresso, quousque ea castigatio processura sit. Quin metuendum, ne ista auxilio destituta duorum Regum vastis adparatibus succumbat, aut ad pacem compellatur Germaniæ noxiam. Sane & Hispanos arma arrepturos. Idem & Cæsari per munus, quo in Germania fungitur, necessum fore, quod id bellum non possit non fines Imperii tangere. Ac si ipse Cæsar ab armis abhorreat, Ordines tamen ei necessitatem imposituros,

1672. Danica missio. 13 April. 1672.

1672. turos, connitentibus in eum finem Hispanis. Saxonem, Luneburgicum, & Cassellanum præcipue in Daniæ Regem oculos conjecisse; quo fortia consilia capessente bellum vel plane impediri queat, vel ejusmodi vires contrahi, queis Resp. servanda, ac pax brevi reducenda sit. Ne Gallicus legatus quæ agantur rescifcat, è compacto cum Danis vulgaret; inter ipsos super oblato medio statu consultari, & quid super auxilio, quod è quadruplici fœdere petatur, sit statuendum. Ast si Danis decretum sit plane quiescere, id tantum ageret, ut Rex Electoris causam suscipiat, si ejus auxilii lati nomine ab aliis impetatur, eoque fine pactum cum ipso ineat; præsertim cum Dania etiam è priori fœdere ad auxilia ei ferenda teneatur. Si metus à Svecis obtendatur, diceret; non quidem præsumendum, Svecos in fraudem rei Evangelicæ aliquem invasuros, qui circa hanc ab oppressione præservandam connitatur. Si tamen præter spem talia audeant, haut defore vires, quæ istis opponantur. Ast ubi nullum hujus negotii partem Dano tangere placeat, saltem id urgeret, ut è quadruplici fœdere debita auxilia Belgis ne abnuantur. Secreto quoque cum Rege consultaret, quid agendum, si Brema invadatur, quam in præsenti statu relinqui vicinorum maxime interfit. 23. April. Adibat Regem Glucstadii Blumenthalius, qui ad proposita respondebat: sibi prius, quæ Anglicus, & Belgicus legati, qui Hafniæ agant, propositurì sint, cognoscendum. Aderat quoque ibi Georgius Wilhelmus Luneburgicus Dux, qui svadebat, ne Elector Belgis sese illigare properaret. Incertum esse, num Hispani in bellum erupturi sint. Equidem Monteregium Belgii Gubernatorem belli cupidum à Rege suo petiisse, ut sibi prout tempora se dent, cum Gallis pacem abrumpere liceat: sed hucusque Hispanos nil certi statuisse. A Cæsare optima quæque sperari; sed nondum conspici legiones iter ingressas; ac id forte ob motus Poloniæ, & metum à Turca plane omittendum. Svecis haut nimis fidendum, qui Gallo promisisse dicantur, Præsules Galli socios contra quorumvis invasionem tutari. Equidem Gallum in Osnabrugensis arbitrium contulisse, num is Belgis è quadruplici fœdere auxilia mittere velit. Unde forte Gallum haut ægre laturum, si idem ab Electore fiat. Sed nec ideo tantopere festinandum, quod Belgæ super subsidiis non satis cavere velint. Quin & metuendum, ne bellum in Germaniam pertrahatur; prout & Belgæ de Electoris fœdere admodum glorientur, ejusque famam late differant. Super Svecis tamen aliter judicabat Haugvvicius Saxonicus ablegatus, tunc Holmia veniens; istos hautquidquam invasuros, qui Gallorum destinata impedire conentur. Id enim Bioernclovianam factionem, cui in Svecia autoritas non desit, nunquam permissuram. Ac facilius excusari posse tutores, si Rege minorenne pecunias accipiant, ut quiescant, quam ut Regi hostes excitent, quibuscum hic libenter pacem culturus fuerat, ubi Regni habenas capessierit. Sed & Svecos, ne quid moveant, inopia prohiberi, Gallorum

Monteregius. Haugvvitz.

quoque largitionibus parum profusis in eos, qui rem gerere nolint. Privato congressu Gyldenlevvius, & Griffenfeldius disserebant: *Regem debita è quadruplici fœdere auxilia, si requirantur, haut negaturum; nec in eo per Gallos sibi quid præscribi passurum. Sed uti tam modico auxilio Belgarum necessitatibus haut consulatur; ita nihil adhuc ab his propositum, qui non magis quam Elector gratis quid suscepturus sit. Unde prius, quæ conditiones à Belgico legato ferantur, audiendum. Belgas aliquamdiu Daniam sat neglectim habuisse, Svecicam contra amicitiam solicite captasse. Unde Danos haut primos fore, qui non rogati ad auxilia istis ferenda sint accursuri. Super Brema Regem, ubi opus sit, cum Electore libenter consilia sociaturum.* Credebatur Regi in eam ob causam sat studii esse, sed à Cellensi metu injecto ipsum retrahi. Glucstadio Rex Rendisburgum abibat, ubi tunc conventus Ordinum Holsatiæ agitabatur ingentes inter disceptationes; quod Rex iniquum diceret, tributum bellicum cum Gottorpiensi dividendum, cum sibi tutandæ provinciæ aliquot militum millia sint alenda, Duci vix aliquot centurias; hoc reponente, se quoque parem militum numerum cum Rege aliturum. Quod & ipsum Regi intuitu Svecorum, quibus iste Dux innexus erat, parum arridebat. Rendesburgi per Commissarios Danicos Blumenthalio significatum; *Regi displicere, quod Belgæ post ubique expetita auxilia, ac vulneratam causam nunc demum ad ipsum eant. Nec super novis pactis agi prius posse, quam de subsidiorum reliquis, ac iis, ad quæ ex arbitrio Galli, in quem compromissum fuerat, tenebantur, Regi satisfactum sit. Nam Gallus Belgas in contumaciam tam ad sortem, quam id quod interest, & expensas damnaverat, Gallum cum arbiter assumeretur, communem utrique amicum fuisse, nunc hostilitatis in ipsos manifestum. Quod si isti Daniæ auxilio carere nequeant, manum crumenæ admovendam.* Obstabat Belgis non parum Gyldenlevvius in Anglos pronus, qui Regi persvaserat, feram Belgarum missionem ab ipsius contemtu proficisci. Ad extremum isthæc declaratio Blumenthalio tradebatur: *Regem, si Belgæ auxilium è quadruplici fœdere, paulo post expiraturo exigant, Electoris sententiam secuturum, promissis aut minis insuper habitis; ut tamen expressæ eo fœdere conditiones, sub quibus utraque paciscentium pars ad auxilia ferenda obligatur, observentur. Cæterum generosa Electoris destinata circa ferendum Belgis auxilium summa laude digna. Sed uti nihil decreverit, nisi audito legato Belgico; ita & hunc sibi prius audiendum. Alias Regem Brandenburgicæ Domus rationes propriis æquiparare, ac dudum super ineundo arctiore fœdere firmandæ utrinque securitati monuisse. Ac optare, ut Elector fœderi inter ipsum, & Luneburgicum inito accedere velit; cui si & Cæsar, ac Saxo nomina dent, tertias partes formari posse tutandæ paci Germaniæ; quibus deinde integrum sit accedere illi, cui justissima belli causa, & cujus conjunctio pro captu temporum ipsis maxime sit conveniens; cui fœderi & Bremensis Civitas includi queat.* Porro & nunc Blumenthalio modica collisio super ceri- 1672. 27. April.

1671. ceremoniis fuit. Quia enim Sveciæ Senatores ablegatis extraordinariis Electorum cedere nolebant, Gyldenlevvius Rendisburgi idem prætendere instituebat, cum Rex eum mensæ admoveret; quod alias non in ipsa Regia, sed tamen in itinere fieri svevit. Sed Rex Gyldenlewio denuntiabat; eam litem in præsens omitteret; ac mensam regiam alia vice ipsi patere.

Tertia vice legatus in Daniam mittitur 18. Jun. §. 42. Tertia mox vice Blumenthalius in Daniam mittebatur, jussus proponere: Quia Rex nuper Rendisburgi declararit, sibi videndum, quid alii Principes hac tempestate sint suscepturi; unde Electorem Regi communicare voluisse, Cæsarem judicare, fœdus avertendis malis, ac Imperii, & vicinorum quieti inservire posse; cujus formula nunc exhibeatur. Id cum Instrumento Pacis innitatur, ac nullius offensam spectet, Regem quoque pro studio suo in publicum bonum probaturum; cui & alii accessuri sint. Nec Gallum, & Anglum ejusmodi fœdere offensum iri; quod utique Cæsari, Daniæ Regi, atque Electori non magis vitio dari queat, à se fœdus tutandæ paci Germaniæ iniri, quam Gallus, & Sveci sibi indulserint fœdus tam alte penetrans cudere. Et contineri eo fœdere nonnulla Daniæ haut modicum scrupulum injicere apta. Ad Anglum id fœdus haut pertinere, cui & cum Electore nil controversiæ intercedat. Unde non habiturum eum, quod isti contradicat. Legato autem Belgico noster dicere jubebatur: Non alia via, quam tali fœdere eam Remp. servari posse. De auxiliis Belgio ferendis data opera diserte non expressum, quod id ista magis impediturum, quam promoturum esset. Legato Gallico dicendum: quia ubique arma magno conatu parentur, Electori quoque cum Daniæ Rege socio, & amico consultandum fuisse super quiete Germaniæ servanda, ac pace inter partes bellantes restituenda. Anglico legato confirmandum de constante Electoris in Angliæ Regem amicitia; & cum iste nil magis optet, quam ut hunc inter, & Belgas pax instauretur, ipsum libenter operam eo fine navaturum; ac si constet ipsius officium Regi gratum fore, eo nomine legatum ad eundem missurum. Quod si vero Danus nec Belgis auxilium ferre, nec ei fœderi accedere velit, ad extremum exquireret; num Elector saltem de auxilio Regis certus esse possit, ubi iste ob istud fœdus, ac studium boni

5. Jun. publici impetatur. Hafniam cum pervenisset Blumenthalius, Regem, ac Cellensem Ducem reperit mutuo se obligasse, ne unus absque altero quid suscipiat. Hujus autem lenta consilia non tam inde provenire, quod boni publici curam deserturus esset, quam quod intempestiva æmulatione tangeretur. Nam quia Hanoveranus, & Osnabrugensis Gallo sese innexuerat, Guelferbytano autem modicæ vires essent, in se solum videbat rediturum onus, ad quod sustinendum quatuor concurrere debebant. Quia autem pares cum Electore copias contrahere non poterat, virium tenuitatem apricari erubescebat, quod & eo casu, si quid præclare gereretur, gloria in solum Electorem redundatura esset. Unde &, si utique manus negotio simul admovenda foret, 1673. Daniæ Regi suggesserat, ut ipse regimen belli administrandum susciperet, quo Electori belli moderamen subtraheretur. Sed & Danos valde turbabat, Anglorum, & Svecorum cum Gallo conjunctio, & quod metus esset, ne Svecis sequestribus Belgæ ignominiosam pacem admitterent. Ac minabantur Terlonus Gallicus, & Richemondius Dux Anglicus legati, se protinus discessuros, si Rex cum Electore tractatus suscipiat. Ac favebat Anglis Gyldenlevvius, periculum à Svecis ostentabat Schackius; simul à fortibus consiliis retrahebat priorum temporum memoria. Ac Cellensi, cujus consiliis tunc plurimum tribuebat Rex, magis curæ erat à Germania turbas avertere, quam Belgas sublevare. Ita Blumenthalio id responsi datum: *13. Jul.* *Si communicatum fœdus inter Cæsarem, & Electorem unice pacem Imperii spectet, Regem ei accessurum, ac huic quoque placiturum, quod Cellensi visum fuerit. Sed si fœdus id ad Belgas periculo eripiendos tendat, id tantisper differendum, quoad Rex à Rep. ad id decenter invitetur. Circa officium bellantibus interponendum Ducem Richemondiæ declarasse, apud Angliæ Regem id inane fore. Idem à Gallo expectandum. Unde se repulsæ contumeliam haut expectaturum.* Videbatur etiam Danus hoc frigore Belgas stimulare velle ad lautas ipsi conditiones offerendas. Contra Belgæ Cæsaris, & Electoris auxilio confisi de Dano minus soliciti videbantur. Ita à Dano tunc nil aliud obtentum, quam ut declararet, se fœderi cum Cæsare, Electore, Luneburgicis, aliisque accessurum.

Cum Saxone consultatur. 14. Mart. §. 43. Ad Electorem ipse Saxo Potstamum venerat, super præsenti rerum statu consultaturus. Is agnoscebat periculum; sed præmature in causam descendere nolebat. Convenerat inter ipsos, ut consiliarii utrinque Lipsiæ congressum agitarent; sed id post à Saxone retractatum. Eveniebant inde monstrosi Gallorum progressus, ut Saxo prope de Rep. Belgarum desperaret. Eundem & Cæsar in societatem pertrahere conabatur. Sed is plane abnuebat, obtendens Brandenburgico diversas plane rationes esse, quas ipse amplecti nequeat, velut quæ plane se non tangant. Præcipue Clivicum heic negotium versari, ad quod ipse salvo suo jure nil conferre possit. Nec legatus Belgicus Dresdæ quid proficiebat, parcam argenti spem ostentans cujus publica tunc in Hollandia egestas erat.

Moguntini consilium exquiritur. 14. Febr. §. 44. Ad Moguntinum Marenholzius Ratispona Wurtzburgum excurrere jussus fuerat, ut istius sententiam super præsenti rerum facie exquireret. Hic multis querebatur; de securitate Imperii, quam ipse tanto studio Ratisponæ egerit, usque adeo negligenter fuisse actum. Unde se proposuisse fœdus inter Cæsarem, Trevirensem, Saxonem, Brandenburgicum, Culmbacensem, Monasteriensem, & alios, cui & ipse nomen sit daturus. Imminente à Gallia periculo se magnopere commoveri. Francisci Furstenbergii Germanici Principis actiones satis mirari, ejusque consilia di-

tere

rere haut posse, aut Coloniensem ita simplicem esse, ut ad insignia ditionis suæ loca in Gallorum manus tradenda induci se patiatur. Sane Monasteriensem, qui & ipse arma paret, veterum cum Belgis simultatum nondum oblitum, hautquidquam munita loca Gallis consignaturum. Alias ostendebat, Gallum misso Heissio sibi confirmasse de pace Westphalica firmiter observanda. Nec Hispanos habere, quod sibi metuant, modo hosti auxilia ne ferant. Quibus & Gallus promiserit, si quiescere velint, se ipsis Brabantiæ loca à Belgis erepta redditurum, aperta quoque Scaldis navigatione. Quin & iisdem offensivum fœdus contra Belgas obtulerit, Regis destinata non longius porrigi, quam ad Belgarum insolentiam castigandam, qui suæ sortis obliti totius Europæ negotia moderari, & omnium nationum commercia servitio premere instituant suæ avaritiæ satiandæ. Eosdem insuper compellendos ad reddenda Ecclesiæ, ac Principibus Imperii, quæ ab his usurparint loca. Ut Belgio bene sit ad Cæsarem non pertinere; quin hujus, ac totius Imperii interesse, istos in ordinem redigi. Mansuram tamen eorum Rempublicam, postquam Ecclesiæ & vicinis sua reddiderint, ac ad modestiam sese composuerint. Unde Regem rogare, Moguntinus apud Cæsarem operam navet, ne is huic negotio se misceat, sed Reges solos litem suam cum Belgis persequi patiatur. Tunc ut ipse liberam Rheni navigationem Gallis indulgeat. Scripserat quoque Argentoratensis ad Schœnbornium; aulam Cæsaream induceret, ne Galli destinatis se opponat, quod de incrementis Catholicæ religionis agatur, ad quæ quilibet, cui hæc cordi sit, quantum possit conferre debeat. Ad isthæc se declarasse: Eo negotio plane se abstenturum, ni quid interveniat, quod quieti Germaniæ ac paci Westphalicæ fraudi sit, aut ni leges Imperii, & munus, quo in Germania fungatur, diversum injungat. Nec repugnaturum, quo minus Rex Rheni navigatione utatur, si alii ad eum fluvium siti Principes eam annuant. Inde à se Melchiorem Schœnbornium Viennam missum, qui à Cæsare responsum laxis verbis reportarit: gratum sibi esse, quod Gallus declararit super quiete Germaniæ, & pace Westphalica haut turbanda. Quo promisso se fidere, ac paria facturum. Sperare tamen, viam inventum iri componendo inter Gallum, & Belgas dissidio. Et ut ipse hactenus nulli extraneo justam querelarum caussam præbuerit; ita ubi opus sit, cum Electoribus, & Principibus, quæ salus Germaniæ requirat, in consultationem deducere haut omissurum.

Altera vice ad Moguntinum mittitur. 4. April. §. 45. Paulo post idem Marenholtzius ad Moguntinum denuo missus est, ut ingruens indies periculum demonstraret; simul communia Imperii arma promoveret; quod Electori anceps sit, ista per suos Ratisponæ eminenti studio urgere. Tum ostenderet, Cæsarem arbitrari, fœdus cum Belgis paci Westphalicæ haut repugnare, velut qua diserte disponatur, singulis Ordinum integrum fore post factam semel inter Gallos, & Hispanos pacem uni, aut alteri Coronarum adsistere. Ad quæ Moguntinus, super Imperii securitate se Viennæ, ac Ratisponæ summo studio acturum. Æquum esse, ut Imperium Elector auxilium præstet, si Clivia invadatur. Sed quomodo centum octoginta armatorum millibus, quibus Gallus succingatur, sit resistendum, se nil consilii expedire, nec suas ditiones in minore periculo, quam Electoris versari. Regem Schœnbornio à se nuper in Galliam misso declarasse; Imperium, aut quenquam Ordinum haut invadendum. Quid fiduciæ his promissis superstruendum sit, non constare. Interventionem suam offerenti Gallos respondisse; id serum jam esse, nec Regi licitum ob fœdus cum Anglo arma sua sistere. Jactatum quoque fuisse, Vesaliam à Gallis in potestatem redigendam, quod hostem à tergo relinqui ratio belli non ferat. Ac gratum esse Electori debere, istam urbem recepisse, quam expugnatam Rex isti statim traditurus sit. Addebat Moguntinus; non esse Monasteriensi fidendum. Mirum quoque Colonienses de actione in Lipstadium movere. Num fœdus cum Belgis Instrumento Pacis congruat, in neuteram partem definire velle: nam Gallos verba instrumenti Gallici pro se interpretari. Cæterum litem inter Gallum, & Belgas quocunque modo ad compositionem deducendam, & Belgium haut deserendum; quo everso non posse non Germaniæ ruinam consequi. Idem alias mirabatur, Gallos ita præmature de bonis sacris per Belgium vindicandis movere; quo ipso Protestantibus non obscure denuntietur, quid expectandum ipsis sit, si Belgium, cui in præsens vires, voluntasque ad resistendum sit, vel plane opprimatur, vel eo redigatur, ut nil amplius ad repellendam Galli libidinem conferre queat. Sane ubi destinata Gallo succedant, non posse non aliam rerum per Europam faciem, & Imperii ruinam provenire. Ast sibi ob ditionis suæ situm, modestia utendum, alias libenter omnia sua pro patria sacrificaturum, si sat virium sit.

Controversia cum Brunsvicensibus super Reinsteinensi Comitatu. §. 46. Ast quod cum Brunsvicensibus parcior tunc communicatio esset, quam ancipitia temporum requirerent, in caussa erat, quod Joannes Fridericus Hanoveranus Dux in Gallorum partes propenderet, & quia surgens super Reinsteinensi Comitatu lis animos utrinque nonnihil irritaverat. Postremus ejus Comitatus possessor fuerat Joannes Erasmus Tettenbachius; quo ob perduellionis crimen apud Cæsarem accusato, is cum Halberstadiensi Principatu, cujus feudum fuerat, consolidabatur. Ejusdem possessionem à se adprehensam Elector Brunsvicensi Duci significabat, ac *8. April. 70.* si quid scrupuli haberet, ad amicum colloquium eundem invitabat. Sed is minas spargere, ac milites ad arcem Reinsteinam occupandam mittere; sed quæ jam Electorali præsidio tenebatur. Unde ab eodem certus homo missus capessendæ possessioni; qui nocturno tempore velut hospitii quærendi caussa in cauponam vici divertens glebas tollere, ac festucas è janua cædere, quasi exercendo actui possessorio. Sed cum interrogatus respondere nollet, à quo, & quibuscum mandatis missus esset, ab Electoralibus in custo-

1671. custodiam datus est. Brunsvicenses contra haut petita capti relaxatione, utut Halberstadiense regimen istum plecti peteret, immissis ducentis militibus eundem noctu iterum custodia eripuerunt è vico, qui indubie territorii Electoralis erat, tantum non vi hostilem in modum adhibita, simul Electorales è fodinis Reinsteinensibus, & sylvis vi expulerunt. Ista vis Electorem non parum protelabat, cum si quid actionis Duci in nonnullas ejus feudi partes competeret, ad amicam transactionem pronus esset; ac ipse non ita pridem Ducibus nil impedimenti circa occupationem Brunsvicensis urbis objicere voluisset servandæ cum ea Domo amicitiæ. Unde Elector apud Ducem Rudolfum Augustum protestationem interponebat, ac vim adhibitam emendari postulabat. Ad quæ is reposuit; Electori de facto non satis constare. A se Blanckenburgicum scribam missum cum Notario & testibus capessendæ possessioni partium, quæ à Domo Brunsvicensi feudi vinculo dependeant. Ei ab Electorali milite in via publica manus injectas, quem ut quovis modo liberaret, existimationis suæ interfuisse. Cæterum amicæ se compositioni paratum, si quæ controversa sint. Non abs re fuerit paucis exposuisse, ex quo fonte Brunsvicensium prætensio promanarit. Fuit Comitatus Reinsteinensis, seu Regensteinensis vetustum Halberstadiensis Præsulatus feudum, cujus dominium directum Electori per Instrumentum Pacis una cum ipso Præsulatu collatum fuit ea tamen lege, ut Elector Comitem à Tettenbach in possessione ejus Comitatus relinqueret, eique investituram ab Archiduce Leopoldo Wilhelmo concessam renovaret. Id quod & ab Electore præstitum, postquam possessionem ejus Principatus cepisset. Sed post intellexit, Duces Brunsvicenses jam anno 1644. clandestinum pactum inscio Episcopo & Capitulo cum eo Comite iniisse, qui ab iisdem comitatum Blanckensteinum in feudum tenebat; ut omnes prope partes feudi Reinsteinensis, quæ ab Halberstadiensi Præsulatu dependent, & in quas huic jus territorii, ac dominium directum competit, literis feudalibus Brunsvicensibus insererentur. Quod ubi Electori intellectum, statim protestatione interposita, Comiti interdixit, ne partium illarum nomine ullum dominum præter ipsum respiceret. Ducibus tamen curæ fuit qualemcunque suam usurpationem tueri, actusque possessorios exercere, simul insignia sua affigere. Quæ Elector detrahi simul usurpationibus contradici jussit, ut tamen tractatibus

6. Maij. 70. se offerret, quos ii Duces semper declinarunt. Detulit post Elector querelam ad Cæsarem, postulans ut is Circulo superioris Saxoniæ in-

6. Jun. 70. jungere velit tutelam eorum, quæ ipsi per Instrumentum Pacis tradita forent. Unde Cæsar sub pœna Instrumento Pacis definita Ducibus imperabat vim abstinere, ac litem amica compositione, ac jure expedire. Saxo quoque officium suum offerebat, quod ab utroque ac-

6. Jul. 70. ceptatum, ac in locum congressus paulo post

6. Jul. 70. habendi Werningeroda placuit. Ubi missus à Saxone Carolus Frisius Baro de compromisso proponebat; quod ab Electore repudiatum; quod ipse liquido nimis jure niteretur, ac indubiis documentis constaret, quosdam Brunsvicenses Duces istum Comitatum aliquandiu in feudum à Præsulatu Halberstadiensi recognovisse. Injunxerat quoque Galliæ Rex suo Dresdæ Residenti Chassano, ut officium apud Electorem & Duces componendæ liti offerret. Sed Elector petebat, ut iter id differretur, quoad de successu tractationis Werningerodæ susceptæ constaret. Ea infecta Chassanus denuo operam suam venditabat. Sed Elector excusabat, se eo nomine ad ipsum Regem Galliæ scripturum. Revera nolebat Gallum huic negotio sese ingerere, ne è scintilla incendium excitaret. Cum tamen ea lis amica transactione componi non posset, ad Spirense forum ea demum remissa est, possessione penes Electorem manente. 1671. 23. Sept. 70.

§. 47. Cæterum eam curam circa avertendum bellum Elector ultroneo in eam Remp. ac communem pacem studio susceperat. Nam ipsi Belgæ sat tarde auxilium istius expetebant, misso Goderto Adriano Redio, Amerongæ domino. Is de æstimatione præfatus, qua Resp. Electorem prosequatur velut vicinum, fœderatum, ac inter Germaniæ Principes potentissimum, memorabat; quæ circa Coloniense negotium contigerint, & uti Resp. ejus urbis causam non prius amplexa fuerit, quam de consilio ministrorum Cæsaris, cujus cum consensu legio pedestris urbi immissa sit; velut qui satis intellexerit, quanti ejus urbis conservatio Germaniæ esse debeat, inter alia etiam recepturi inservitura, si tractu isto bellum gerentibus calamitas quædam accepta foret. Contra Coloniensem Præsulem non solum proprium militem conduxisse, sed & externum adsumsisse, simul immensam vim paratus bellici, annonæque congerere, Gallis palam jactantibus, ista in Belgas parari. Nec tamen Reip. constare, quam offensæ causam ipsa Gallo dederit. Inde autem non huic solum, sed & universo Christiano orbi, ac inprimis Rheno adsitis, & Electori vicinorum proximo gravissimum periculum imminere. Intercedere porro Belgis duo fœdera cum Electore, unum cum ipso solo, alterum, cui & Daniæ Rex, & Luneburgici innexi sint, cui quadruplicis vocabulum, ex quo mutua auxilia, simul officia componendis dissidiis debeantur. Utraque Remp. ab Electore expectare. Et quanquam merito opera navanda sit, num amica via bellum averti queat: bene tamen Electorem, aliosque facturos, si mature arma parent, quo pondus officio suo accedat, & hoc irrito vim vi repellere possint. Unde se venisse ad arctius fœdus defensivum ineundum, negotiatione citra moram suscepta, quod periculum indies propius videatur admovendum. In Monasteriensi quoque præsulatu ad fines Geldriæ paratus armorum fieri, ac famam esse, à Præsule machinas, & instrumenta ignivoma Gallo vendita. Si Electori, cui plurima facultas parandis armis, id negotium suscipere placeat, se jussum pecunias conducendo militi offerre. Eadem in tran- Belgæ fœdus Electoris ambiunt. 9. Jan. 72.

situ

1672. 13. Jan. situ apud Luneburgicos Duces insinuasse, sed qui omnes expectent, quid consilii Elector capturus sit. Ad ista Elector; *sepositis ambagibus considerandum, quomodo imminenti periculo occurrendum, ut vel declinetur bellum, vel si hoc utique surrecturum sit, Resp. auxiliis fulciatur. Sane sibi gratissimum, Gallo à Rep. ultro satisfactionem offerri, quo istius honori, quem ante omnia cordi sibi esse ferat, consulatur. Circa quam à se jam ultro elaboratum sit, idemque deinceps continuandum. Quia autem Rex sine dubio pressiorem declarationem desideraturus sit, se nosse cupere; num Resp. idoneis pœnis afficere velit, qui indigne de Rege locuti arguuntur; num edictum de inhibenda Gallicarum mercium importatione abolere; num declarare, se non impedituram, quo minus Rex iis, quæ jure ipsi competunt, potiatur? Num denique Resp. Galli quoque sociis satisfacere velit, sine quibus is tractatus à se suscipi posse neget, Anglo, atque Coloniensi? Considerandum porro sibi esse, annon officia sua promovendæ paci reddantur irrita, si ipse in partem belli veniat. Tum & in hac causa ita sibi procedendum, ne Imperium bello implicetur. Denique sciendum, quid auxilii Resp. petat, ac quid vicissim offerat, ac num tandem aliquando sua sibi oppida reddenda sint?* Amerongius ad ista: *Unicum missionis suæ scopum fœdus mutuæ defensionis ferire. Belgis validas jam copias, quas ad C M militum augere velint. Per omnes provincias adparari, quæ defensioni requirantur. Ab Hollandia pecunias suppeditari. Gratum Reip. fore, si Elector amica ratione bellum avertere possit. Sed cum maximo periculo conjunctum tantisper se otiosos desidere, ferocia Regis per Reip. infirmitatem accendenda. Alias inter primaria suæ Reip. scita esse cum omnibus orbis Christiani Principibus pacem colere. Si quis de Rege indigne locutus convincatur, eum pœnas daturum. Circa commercia se Regi satisfacturos, ac nuperum edictum abrogaturos. Cum Anglo nil controversiæ sibi esse. Rheinbercæ aliam à Rep. prætensionem opponi. Ideo tamen isthoc negotium haut differendum; nec ipsi Electori sat tutum, ut inermis maneat, dum Coloniensis, Brunsvicensis, Monasteriensis, Sveci arma parant. Gallum inita cum Coloniensi societate Imperium jam satis hoc negotio implicasse; unde penes hunc invidiam fore belli in Germaniam pertracti. Cupere Belgas ab Electore comparari XVI M militum, quibus accedere debeant copiæ, è prioribus fœderibus debitæ. In dimidiam ejus exercitus partem autoramenta, ac stipendia danda. Belgas cum omnibus, qui Electorem invasuri sint, bellum terra marique suscepturos, nulla eo nomine refusione petenda.*

22. Jan. Ad ista Belgæ demonstrabatur: *E priori fœdere auxiliarium militem exigi non posse, pace nondum abrupta, & quia Gallus Belgas aggressores arguat. Tum hactenus cum Electore non ita actum, uti cum antiquo, ac fidelissimo fœderato, vicinoque, & sacrorum participe agi par erat; cum tamen proximo bello Monasteriensi Resp. satis deprehenderit, quanto usui Electoris amicitia ipsi sit. Inprimis circa triplex fœdus Electorem plane fuisse neglectum. Pro Svecorum emolumentis enixe eos laborasse; ab hoc ad extremum post omnia jam transacta, ut accederet, postulatum, nullo ostentato præmio, ne secretis quidem articulis communicatis. Si tunc Resp. Electori studuisset, ut alienis sumtibus exercitum parare potuerit, nunc auxilia in promtu fuisse futura. At maxime dolendum, id à quibusdam hoc potissimum prætexto impeditum, ne istius autoritas, & potentia gliscat.* 1672. Contra, Belgæ, præterita excusare. Triplex fœdus non à Belgis, sed Anglis profectum, qui & Svecis subsidia stipulati sint. A Gallis eodem jure se aggressionis insimulari, quo in fabula 16. Febr. agnus à lupo turbatæ aquæ. Post ista hinc inde disceptata tractatio suscipiebatur, postquam nostri silentium stipulati essent, ne quid ante tempus vulgetur: alias enim Electori omnia retractare, ac securitati suæ prospicere necessum fore. Negotio melius dissimulando apud legatum Gallicum ostendendum; Electorem à medio statu non abhorrere, ac super hoc cum Amerongio quoque agi; sed qui contendat, ab Electore utique auxilia è fœdere præstanda. Postulabat inde Elector, ut post pacem factam Orsoia, & Emmericum præsidio vacua sibi traderentur. Tum ut compromissum Geldricum una cum debito Husferiano penitus aboleatur; & quia in hoc Mechliniæ pro se pronunciatum sit, ut post bellum Resp. C M uncialium per speciem liberalitatis solveret. Denique ut Belgæ vectigal ad Gennepam, quod adhuc insexennium tenere poterant, nunc cederent. Sed Belgæ etiam circa æquissima morose cauponando, multum temporis incassum terebant. Orsoiam duntaxat ea lege offerebant, ut Elector ipsis Duisburgum, aut Rurortam vicissim concederet munitionibus firmandam, ac tamdiu detinendam, quam reliqua Cliviæ oppida possessuri sint. Circa debitum Husferianum abolendum abnuebant. Geldricum compromissum esse privatum negotium, quod Remp. non tangat. Sed quia summa rerum potior habebatur, istis sepositis demum fœdus cum Belgis conclusum, opera Sverini, Somnicii, & Meindersii; cujus isthæc summa capita erant.

§. 48. *Elector in auxilium Belgarum, ubi in ipsorum ditione invadantur, exercitum XX M constantem quamprimum comparet; è quibus tamen is, ubi opus fuerit, III M peditum DC equites præsidiis Westphalicis adhibere possit.* 26. April. Fœdus Electoris cum Belgis.

2. *Ad dimidiam harum copiarum partem Belgæ autoramentum præbebunt, nempe ad IV M equitum, VI M peditum, sub quibus & idoneus dimacharum numerus comprehendatur, quorum trini binis equitibus & uni pediti æquiparabuntur.*

3. *Autoramenti loco in singulos equites quadrageni, in singulos pedites deni unciales præbebuntur; eaque pecunia statim post absolutum hoc fœdus Hamburgi, aut Bremæ solvetur.*

4. *Intra duos menses ab accepta ea pecunia Elector exercitum paratum habebit; ac iter ingredi, & in usum Reip. rem gerere curabit.*

5. *Stipendiorum itidem dimidiam partem Belgæ solvent, & ita quidem, ut equitatus in sedecim legiones quingenis equitibus constantes, quarum singulæ è senis turmis componantur, sed peditatus in duodecim legiones millenis capitibus constantes, ac in denas cohortes digeratur. In singulas legiones equestres Belgæ menstruatim 4776. unciales, in singulas legiones pedestres 4104. solvent, additis 210. uncialibus in singularum legionum præfectos: tum ad superiorum Ordinum*

1672. *num præfectos, ac rem machinariam, 14841. uncia-*
6. *les. In menſem triginta dies, in unum annum*
duodecim menſes computabuntur. Electori inte-
7. *grum erit legiones & cohortes pro ſuo judicio nu-*
meris augere, & minuere, modo totus exercitus
XX M bellatorum conſtet. Machinas quinquaginta
8. *cum neceſſario paratu, & hominibus, qui eas tra-*
ctent, Elector ſuis ſumtibus præbebit. Pecuniæ
9. *ſubſidiariæ ſolvendæ tempus cedere incipiet à die,*
quo autoramenta ſolventur, ut tamen primo men-
ſe dimidia duntaxat, reliquis integra ſumma ſol-
10. *vatur. Contra Elector intra duos menſes ab eo die*
exercitum integris numeris ſiſtet, & prout opus
11. *fuerit, in hoſtem rem gerat. Poſt elapſos illos duos*
menſes integrum erit Belgis quoties placuerit per
commiſſarios ſuos Electoralibus junctos exercitum
recenſere; ubi pro rata ſubſidiis detrahetur, quan-
12. *tum numeris defuerit. Subſidia à Belgis initio*
ſingulorum menſium Bremæ, aut Hamburgi ſol-
13. *ventur. Exercitus iſte per quatuor menſes ſuſten-*
tabitur, etſi intra id tempus Belgæ terra haut in-
vadantur, pecunia citra exceptionem ſolvenda. Si
quarto menſe pax fiat, quintus ſubſidiorum menſis
14. *à Belgis addetur. Subſidia iſta in quaternos men-*
15. *ſes ad finem usque belli continuabuntur. Poſt duos*
menſes Elector exercitum in Weſtphaliam ducet, &
16. *rei in hoſtem gerendæ paratum habebit. Is Electo-*
ri ſacramentum dicet: ſed ubi Belgarum territo-
rium ingreſſus fuerit, his quoque jurabit, ſalva du-
cum in ſuos milites juriſdictione. Vice verſa, ſi
Belgicus miles Electoris exercitui junctus fuerit,
in hujus territorio eidem quoque ſacramentum di-
17. *cet. In has copias penes Electorem ſummum im-*
perium erit, qui & id per ſe exercebit, quatenus
18. *valetudo permiſerit. Dux quem Elector his copiis*
præficiet, chirographo cavebit, ſe hujus fœderis le-
19. *ges obſervaturum. Actiones bellicæ communi con-*
ſenſu Electoris, & à Rep. delegatorum ſuſcipien-
tur, adhibito quoque in conſilium Arauſionenſi: ut
tamen Belgicorum ſententia prævaleat, ſi in Reipu-
blicæ; Electoralium, ſi in Electoris uſum res ge-
20. *ratur. Etiam exercitu in Belgarum territorium*
deducto, Elector ſupremum imperium habebit, ubi
ipſe adfuerit. Eo abſente id imperium penes du-
cem Belgicum erit, ut tamen is dignatione gradus
militaris Electoralem præcedat. Idem obtinebit,
21. *ſi res in Electoris territorio ſit gerenda. Fœdus*
hoc nominis offenſam, ſed tantum utriusque ditio-
num tutelam ſpectabit: nec exercitus is aliter,
quam tuendæ Belgarum ditioni adhibebitur, ſi hæc
bello invadatur. Hoſtium terris militaria tribu-
ta imperabuntur, ac utrinque æqualiter dividen-
23. *tur eo melius tolerandis belli ſumtibus. Ubi ex-*
ercitus rem gerere cæperit, neutri integrum erit
cum hoſte, ejusve ſociis pacem, aut inducias inire,
niſi accedente alterius conſenſu; qui conſenſus ta-
men non denegabitur, ſi uterque fœderatorum in
eo ſtatu conſervetur, aut in eum reponatur, qui
ante bellum fuit. Tractatu probato neutri lice-
bit negotiationem ſuſcipere abſque communicatio-
ne, & quoad alter ſuos quoque ad locum tracta-
tuum miſerit. Ibi miniſtri mutuo quæ agentur ad
ſe referent, ac neuter cum hoſte, ſociisve pacem fa-
ciet, niſi quoad uterque in poſſeſſionem ſuarum ur-
bium, ac ditionum, uſumque jurium, & privile-
giorum, quem ante bellum habuerat, repoſitus ſit.
Uterque tandem pro altero conditionum, quam pro 1672.
ipſo, ſtipulabitur. Duces utrinque militem exa- 24.
cta diſciplina coërcebunt. Si Elector in aliquam 25.
ſuarum urbium Belgico milite inſeſſam ingredia-
tur, integrum ipſi erit cuſtodes corporis ad ducen-
tos, aut minus introducere, queis nulla alia mili-
taria munia obeunda, quam circa Electorem ſtatio-
nes obire, à quo & ſolo imperia accipient; nec quid-
quam in fraudem ſecuritatis, & præſidii dictorum
locorum ſuſcipient. Licebit quoque Electori in 26.
aliqua ſuarum urbium Belgico præſidio inſeſſarum
penum ſtruere. Pulvis bellicus Electori æquo pre-
tio, & quo ipſa Reſp. eum emit, vendetur, ni ipſi
Belgæ eo opus habeant. Utrinque de aliis quo- 27.
que remediis ſtabiliendæ communi ſecuritati diſpi-
cietur, & ut alii quoque in ſocietatem pertrahan-
tur, ac nominatim Cellenſis, & Guelferbytanus
Dux. Iſthæc omnia & ſingula bona fide implebun- 28.
tur. Id fœdus ab Electore Kalendis Junii ratiha- 1.
bitum, Belgarum autem ratihabitio ultro ur- — Jun.
gente Electore demum initio Julii exhibita 11.
fuit.

§. 49. Fœdere cum Belgis abſoluto *Cæſar in*
proximum erat Cæſarem quoque in partes *ſocieta-*
trahere. Qua ſuper re etſi dudum cum Goë- *tem ex-*
ſio Barone actum eſſet: tamen cum ea lentius *peditio-*
procederet, quam periculi magnitudo requi- *nis invi-*
reret, Elector Joannem Georgium Anhalti- *tatur.*
num Principem Viennam miſit, qui proprii ſe *4. Maij.*
negotii cauſa eo proficiſi vulgabat. Is Cæſa-
ri propoſiturus erat; *Supervacuum eſſe ipſi peri-*
culum Germaniæ imminens multis demonſtrare,
quod ultro eidem cordi ſit. Electori acerbum ac-
cidiſſe, jampridem externum militem intra Impe-
rii fines duci: ejus limitaneas, quin & interius
ſitas munitiones eodem inſideri, easque novis ope-
ribus firmari: præſtantiſſimum Germaniæ militem
in uſum exterorum, etiam ab ipſis Imperii Prin-
cipibus conduci, & exteris tradi. Adverſus quæ
nil remedii parari. Unde Electori neceſſitatem
allatam ad Cæſarem ſe convertendi, eumque re-
quirendi, ut conſilia arripiat Germaniæ ſalutaria,
& queis ea adverſus exteros tegatur, ejusque di-
laceratio prohibeatur. Sane ſe memorem officii,
quo Cæſari ac Imperio teneatur, haut omiſiſſe Ra-
tisponæ ſuper parando publico exercitu urgere. E-
nimvero tarde ibi omnia procedere, ac inter diver-
ſa ſtudia, reſpectusque Ordinum vix unquam in
eandem ſententiam conſpirari poſſe: periculum au-
tem cui occurrendum ſit, indies gliſcere, cui ſi-
ſtendo remedia mature adhibenda. Igitur Electo-
ri nil promtius videri, quam ut Cæſar quampri-
mum inſignes copias Rhenum verſus mittat, ſecu-
ritati Imperii eo loco invigilaturas. Quod exem-
plum ſine dubio alii patriæ amantes Principes ſint
ſecuturi. Ac Electorem paratum eſſe Cæſari aſſi-
ſtere, ac copias eodem mittere; quo fine, ſi huic vi-
deatur, tractationem ſuſcipi poſſe. Si ſuper pu-
blico Imperii exercitu moveatur, oſtenſurus
erat; De motibus, atque auſis Galli Ratiſpo-
næ nil adhuc ad Ordines relatum. Nec ſpem
eſſe ibi operæ pretium futurum ob Colonien-
ſis, Bavari, & his innexorum contradictio-
nem; ac tarde concluſa lentius adhuc exſe-
cutioni danda. Fœdus, quod Cæſar cum ali-
quot Principibus inierit, periculi magnitudini
haut

1672. haut sufficere. Trevirensem, & alios ita Gallicis armis cinctos, ut ni hæc alibi distrahantur, isti se movere nequeant. Monasteriensem forte armis magis contra Imperium, quam alios usurum. Saxonibus nulla arma in promtu. Equidem Electorem ab eo fœdere amplectendo non alienum esse; sed in eo haut perspicere ita promtum remedium, quam periculi magnitudo reqirat. Porro à Turca periculum adhuc incertum esse; ac tot legiones quot Cæsar ad Rhenum missurus sit, facile per Ordines suppleri posse. In Polonia id agendum, ut inter Regem, & Ordines concordia sit; quo facto ei Regno vires haut defore externis hostibus propulsandis. Nec Electoris operam Regi defore, si is ipsius fidei se committere, ac turbidos quosdam Borussos, inanibus querelis contra pacta apud ipsum perstrepentes, à se rejicere velit. Nam esse in Polonia multos bonos cives, apud quos Electoris consilium non modicum pondus sit habiturum. Cæterum petere Electorem, ut Cæsar IV equitum, II M peditum exercitui suo adjungere velit; aut si id abnuat, ut saltem auxilia è fœdere anno 1660 inito repræsentet. Tum ut Saxo in societatem pertrahatur, urbisque Coloniensis cura geratur. Ministris Cæsareis in memoriam revocandum erat, Electorem suo suffragio momentum electioni Leopoldinæ attulisse, eoque nomine apud exteros Reges gravem invidiam contraxisse, ac multa adversa pertulisse. Unde nunc vices

19. Maij. ipsi referri par esse. Istis apud Cæsarem ab Anhaltino propositis is generosa Electoris consilia laudare, per quæ Germaniæ incolumitas quærenda sit. Apud Lobcovvicium Principem, penes quem hactenus summa consiliorum in aula Cæsarea fuerat, cum eadem exponeret, hic disserebat: *in aprico esse, Gallum hoc bello nil aliud, quam perniciem Imperii quærere. Aulam Cæsaream male audire, quod omnia ibi tam lente agantur. Sed postquam hæc tali modo ab Electore excitetur, sinistram eam famam brevi abolendam. Periculum quod à Turca spargatur, exigui esse momenti. Cæterum ordine procedendum, ac primo adaptanda fœdera, inde consilia demum ad remedia & executionem procedendum.* Addebat, Gallum Neoburgico Cliviam, & Marcanam provinciam obtulisse, si arma ipsi sociare velit. Eadem & Saxoni ostentata fuisse. Hispanicus legatus Marchio Balbasius dicebat;

de los Balbases. rem apud Cæsarem jam decretam: sed ministros Cæsareos haut omittere solitas per artes obstacula injicere. Emmericus quoque monachus jactabat: jam specimen fuisse captum, quid commodi importuna cunctatio attulerit, dum per eam Sveciæ conjunctio amissa fuerit.

30. Maij. Intra breve tamen tempus negotium cum Anhaltino confectum, ac fœderis formula concepta, quo Cæsar V equitum VII peditum M ad diem vicesimum Julii conjuncturum se promittebat eo loco, quem Elector velit.

§. 50. Paucos post dies Elector eundem

Altera vice ad Cæsarem mittitur. Principem iterum ad Cæsarem mittebat, ut pro tam generosa declaratione gratias ageret. Sed quia insperati Gallorum progressus faciem rerum eousque mutarint, ut majoribus copiis usus sit, Cæsar rogabatur convento numero plures addere legiones, iisque Montecuculum praeficere cum plena agendi potestate, quæ ratio belli postulet; ac ut in negotiis, quæ moram non ferunt, ipsi haut necessum sit mandata ex aula expectare. Tum ut iter Cæsarearum legionum acceleretur. Utilis erat ejus Principis Viennam adventus, ne tumultus in Polonia obtentui sumerentur ad captum semel consilium retractandum. Nam eo tempore Gniesnensis Archiepiscopus, & Joannes Sobiescius minabantur, se Michaëlem Regem solio dejecturos. Dicebat Augusta vidua Anhaltino: *se genero suo suasisse, ut potius ante suorum aciem armatus in mille se frusta concidi patiatur, quam ultro se Regno abdicet, ac per contumeliam, & miseriam deinceps ævum exigat.* Eadem, cum super aliquot legionibus ad Poloniæ limitem mittendis agitaret, id valde dissvadebat Princeps ob suspicionem Ordinum; ac potius stimulandos esse Nobiles, ut quem Regem crearint, eundem & tueantur. Eodem tempore Gallus Cæsari scripserat; ne hic suspicionem ex ipsius armis concipiat, quibus nil contra Imperium sit tentaturus; ac quæ jam faciat, non nisi ad hostes suos paulisper castigandos spectare. Quæ quidem protestatio facto contraria videbatur, cum utique is Lotharingum ditione expulisset; ac Clivicas urbes occuparet. Nec minus proditio patriæ erat, quod Coloniensis Gallo Novesium, & Keisersvvertam ultro traderet; cum inter causas belli referret, à Belgis Rheinbercam detineri. Ac vero comprehendi animo non poterat, id Germaniam non tangere, si Gallus Belgium subvertat, aut, uti iste subtilius loquebatur, ad humilitatem redigat; quod isto subjugato non poterat non Belgium Hispanicum quoque, & Germania in exitium trahi. Etsi cum bellum declinari non posset, satius videbatur Belgas invadi, de quorum viribus ad resistendum amplissime sperabatur, qui tamen aliorum ope utique fulciendi sint. Non enim exautorare posse Gallum numerosissimas copias, ni seditiones domi experiri vellet, præsertim à Nobilitate, quæ iterum immensos sumtus in expeditionem fecerat. Præterquam quod existimationi ejus plurimum decessurum erat, si post tantas minas nil susciperet. Cæterum Cæsari ab Electore proposita probabantur, ac decernebatur, ut Montecuculus cum XVI M ad diem 15. Augusti Egræ se sisteret. Inde post lustratas copias eum citato itinere ad Electorem præcessurum, super conjunctione copiarum, itinere, & actionibus consultaturum. Utrumque operam daturum, ut Danus, Saxo, Luneburgici Hassi, ac alii huic fœderi accedant; quod & Electori periculosum esset, ipsos solos eam causam suscipere. Dixerat post Germanonvillius ministris Cæsareis: *Quid Patres Mullerum, Dorellanum, & Emmericum dicturos, quod Cæsar captam à Galliæ Rege fidei Catholicæ propagationem ob privatum Brandenburgici Electoris emolumentum impedire veritus non sit?* Nimirum Gallus per obnoxios sacerdotes omnibus Catholicis Principibus, ac præcipue Cæsari, & Hispano ingesserat, sibi nil

Margin notes (right column): 1672. 7. Jun. (beside "res addere legiones"); 30. Jun. (beside "Eodem tempore").

 nil

1672. *num præfectos, ac rem machinariam, 14841. uncia-*
6. *les. In mensem triginta dies, in unum annum*
7. *duodecim menses computabuntur. Electori inte-*
grum erit legiones & cohortes pro suo judicio nu-
meris augere, & minuere, modo totus exercitus
8. *XX M bellatorum constet. Machinas quinquaginta*
cum necessario paratu, & hominibus, qui eas tra-
9. *ctent, Elector suis sumtibus præbebit. Pecuniæ*
subsidiariæ solvendæ tempus cedere incipiet à die,
quo autoramenta solventur, ut tamen primo men-
se dimidia duntaxat, reliquis integra summa sol-
10. *vatur. Contra Elector intra duos menses ab eo die*
exercitum integris numeris sistet, & prout opus
11. *fuerit, in hostem rem gerat. Post elapsos illos duos*
menses integrum erit Belgis quoties placuerit per
commissarios suos Electoralibus junctos exercitum
recensere; ubi pro rata subsidiis detrahetur, quan-
12. *tum numeris defuerit. Subsidia à Belgis initio*
singulorum mensium Bremæ, aut Hamburgi sol-
13. *ventur. Exercitus iste per quatuor menses susten-*
tabitur, etsi intra id tempus Belgæ terra haut in-
vadantur, pecunia citra exceptionem solvenda. Si
quarto mense pax fiat, quintus subsidiorum mensis
à Belgis addetur. Subsidia ista in quaternos men-
14. *ses ad finem usque belli continuabuntur. Post duos*
15. *menses Elector exercitum in Westphaliam ducet, &*
rei in hostem gerendæ paratum habebit. Is Electo-
16. *ri sacramentum dicet: sed ubi Belgarum territo-*
rium ingressus fuerit, his quoque jurabit, salva du-
cum in suos milites jurisdictione. Vice versa, si
Belgicus miles Electoris exercitui junctus fuerit,
in hujus territorio eidem quoque sacramentum di-
17. *cet. In has copias penes Electorem summum im-*
perium erit, qui & id per se exercebit, quatenus
18. *valetudo permiserit. Dux quem Elector his copiis*
præficiet, chirographo cavebit, se hujus fœderis le-
19. *ges observaturum. Actiones bellicæ communi con-*
sensu Electoris, & à Rep. delegatorum suscipien-
tur, adhibito quoque in consilium Arausionensi: ut
tamen Belgicorum sententia prævaleat, si in Reipu-
blicæ; Electoralium, si in Electoris usum res ge-
20. *ratur. Etiam exercitu in Belgarum territorium*
deducto, Elector supremum imperium habebit, ubi
ipse adfuerit. Eo absente id imperium penes du-
cem Belgicum erit, ut tamen is dignatione gradus
militaris Electoralem præcedat. Idem obtinebit,
22. *si res in Electoris territorio sit gerenda. Fœdus*
hoc nominis offensam, sed tantum utriusque ditio-
num tutelam spectabit: nec exercitus is aliter,
quam tuendæ Belgarum ditioni adhibebitur, si hæc
bello invadatur. Hostium terris militaria tribu-
ta imperabuntur, ac utrinque æqualiter dividen-
23. *tur eo melius tolerandis belli sumtibus. Ubi ex-*
ercitus rem gerere cœperit, neutri integrum erit
cum hoste, ejusve sociis pacem, aut inducias inire,
nisi accedente alterius consensu; qui consensus ta-
men non denegabitur, si uterque fœderatorum in
eo statu conservetur, aut in eum reponatur, qui
ante bellum fuit. Tractatu probato neutri lice-
bit negotiationem suscipere absque communicatio-
ne, & quoad alter suos quoque ad locum tracta-
tuum miserit. Ibi ministri mutuo quæ agentur ad
se referent, ac neuter cum hoste, sociisve pacem fa-
ciet, nisi quoad uterque in possessionem suarum ur-
bium, ac ditionum, usumque jurium, & privile-
giorum, quem ante bellum habuerat, repositus sit.

Uterque tandem pro altero conditionem, quam pro 1672.
ipso, stipulabitur. Duces utrinque militem exa- 24.
cta disciplina coërcebunt. Si Elector in aliquam 25.
suarum urbium Belgico milite insessam ingredia-
tur, integrum ipsi erit custodes corporis ad ducen-
tos, aut minus introducere, queis nulla alia mili-
taria munia obeunda, quam circa Electorem statio-
nes obire, à quo & solo imperia accipient; nec quid-
quam in fraudem securitatis, & præsidii dictorum
locorum suscipient. Licebit quoque Electori in 26.
aliqua suarum urbium Belgico præsidio insessarum
penum struere. Pulvis bellicus Electori æquo pre-
tio, & quo ipsa Resp. eum emit, vendetur, ni ipsi
Belgæ eo opus habeant. Utrinque de aliis quo- 27.
que remediis stabiliendæ communi securitati dispi-
cietur, & ut alii quoque in societatem pertrahan-
tur, ac nominatim Cellensis, & Guelferbytanus
Dux. Isthæc omnia & singula bona fide implebun- 28.
tur. Id fœdus ab Electore Kalendis Junii ratiha- 1.
bitum, Belgarum autem ratihabitio ultro ur- —*Jun.*
gente Electore demum initio Julii exhibita 11.
fuit.

§. 49. Fœdere cum Belgis absoluto *Cæsar in*
proximum erat Cæsarem quoque in partes *societa-*
trahere. Qua super re etsi dudum cum Goë- *tem ex-*
sio Barone actum esset: tamen cum ea lentius *peditio-*
procederet, quam periculi magnitudo requi- *nis invi-*
reret, Elector Joannem Georgium Anhalti- *tatur.*
num Principem Viennam misit, qui proprii se *4. Maii.*
negotii causa eo proficisci vulgabat. Is Cæsa-
ri propositurus erat; *Supervacuum esse ipsi peri-*
culum Germaniæ imminens multis demonstrare,
quod ultro eidem cordi sit. Electori acerbum ac-
cidisse, jampridem externum militem intra Impe-
rii fines duci: ejus limitaneas, quin & interius
sitas munitiones eodem insideri, easque novis ope-
ribus firmari: præstantissimum Germaniæ militem
in usum exterorum, etiam ab ipsis Imperii Prin-
cipibus conduci, & exteris tradi. Adversus quæ
nil remedii parari. Unde Electori necessitatem
allatam ad Cæsarem se convertendi, eumque re-
quirendi, ut consilia arripiat Germaniæ salutaria,
& queis ea adversus exteros tegatur, ejusque di-
laceratio prohibeatur. Sane se memorem officii,
quo Cæsari ac Imperio teneatur, haut omisisse Ra-
tisponæ super parando publico exercitu urgere. E-
nimvero tarde ibi omnia procedere, ac inter diver-
sa studia, respectusque Ordinum vix unquam in
eandem sententiam conspirari posse: periculum au-
tem cui occurrendum sit, indies gliscere, cui si-
stendo remedia mature adhibenda. Igitur Electo-
ri nil promtius videri, quam ut Cæsar quampri-
mum insignes copias Rhenum versus mittat, secu-
ritati Imperii eo loco invigilaturas. Quod exem-
plum sine dubio alii patriæ amantes Principes sint
secuturi. Ac Electorem paratum esse Cæsari assi-
stere, ac copias eodem mittere; quo fine, si huic vi-
deatur, tractationem suscipi posse. Si super pu-
blico Imperii exercitu moveatur, ostensurus
erat; De motibus, atque ausis Galli Ratispo-
næ nil adhuc ad Ordines relatum. Nec spem
esse ibi operæ pretium futurum ob Colonien-
sis, Bavari, & his innexorum contradictio-
nem; ac tarde conclusa lentius adhuc exse-
cutioni danda. Fœdus, quod Cæsar cum ali-
quot Principibus inierit, periculi magnitudini

1672. haut sufficere. Trevirensem, & alios ita Gallicis armis cinctos, ut ni hæc alibi distrahantur, isti se movere nequeant. Monasteriensem forte armis magis contra Imperium, quam alios usurum. Saxonibus nulla arma in promtu. Equidem Electorem ab eo fœdere amplectendo non alienum esse; sed in eo haut perspicere ita promtum remedium, quam periculi magnitudo reqirat. Porro à Turca periculum adhuc incertum esse; ac tot legiones quot Cæsar ad Rhenum missurus sit, facile per Ordines suppleri posse. In Polonia id agendum, ut inter Regem, & Ordines concordia sit; quo facto ei Regno vires haut defore externis hostibus propulsandis. Nec Electoris operam Regi defore, si is ipsius fidei se committere, ac turbidos quosdam Borussos, inanibus querelis contra pacta apud ipsum perstrepentes, à se rejicere velit. Nam esse in Polonia multos bonos cives, apud quos Electoris consilium non modicum pondus sit habiturum. Cæterum petere Electorem, ut Cæsar IV equitum, II M peditum exercitui suo adjungere velit; aut si id abnuat, ut saltem auxilia è fœdere anno 1660 inito repræsentet. Tum ut Saxo in societatem pertrahatur, urbisque Coloniensis cura geratur. Ministris Cæsareis in memoriam revocandum erat, Electorem suo suffragio momentum electioni Leopoldinæ attulisse, eoque nomine apud exteros Reges gravem invidiam contraxisse, ac multa adversa pertulisse. Unde nunc vices

9. Maij. ipsi referri par esse. Istis apud Cæsarem ab Anhaltino propositis is generosa Electoris consilia laudare, per quæ Germaniæ incolumitas quærenda sit. Apud Lobcovvicium Principem, penes quem hactenus summa consiliorum in aula Cæsarea fuerat, cum eadem exponeret, hic disserebat: *in aprico esse, Gallum hoc bello nil aliud, quam perniciem Imperii quærere. Aulam Cæsaream male audire, quod omnia ibi tam lente agantur. Sed postquam hæc tali modo ab Electore excitetur, sinistram eam famam brevi abolendam. Periculum quod à Turca spargatur, exigui esse momenti. Cæterum ordine procedendum, ac primo adaptanda fœdera, inde consilia demum ad remedia & executionem procedendum.* Addebat, Gallum Neoburgico Cliviam, & Marcanam provinciam obtulisse, si arma ipsi sociare velit. Eadem & Saxoni ostentata fuisse. Hi-

de los Balbases. spanicus legatus Marchio Balbasius dicebat; rem apud Cæsarem jam decretam: sed ministros Cæsareos haut omittere solitas per artes obstacula injicere. Emmericus quoque monachus jactabat: jam specimen fuisse captum, quid commodi importuna cunctatio attulerit, dum per eam Sveciæ conjunctio amissa fuerit.

30. Maij. Intra breve tamen tempus negotium cum Anhaltino confectum, ac fœderis formula concepta, quo Cæsar V equitum VII peditum M ad diem vicesimum Julii conjuncturum se promittebat eo loco, quem Elector velit.

Iterum vice ad Cæsarem mittitur. §. 50. Paucos post dies Elector eundem Principem iterum ad Cæsarem mittebat, ut pro tam generosa declaratione gratias ageret. Sed quia insperati Gallorum progressus faciem rerum eousque mutarint, ut majoribus copiis usus sit, Cæsar rogabatur convento numero plures addere legiones, iisque Montecuculum 1672. 17. Jun. præficere cum plena agendi potestate, quæ ratio belli postulet; ac ut in negotiis, quæ moram non ferunt, ipsi haut necessum sit mandata ex aula expectare. Tum ut iter Cæsarearum legionum acceleretur. Utilis erat ejus Principis Viennam adventus, ne tumultus in Polonia obtentui sumerentur ad captum semel consilium retractandum. Nam eo tempore Gniesnensis Archiepiscopus, & Joannes Sobiescius minabantur, se Michaëlem Regem solio dejecturos. Dicebat Augusta vidua Anhaltino: *se genero suo svasisse, ut potius ante suorum aciem armatus in mille se frusta concidi patiatur, quam ultro se Regno abdicet, ac per contumeliam, & miseriam deinceps ævum exigat.* Eadem, cum super aliquot legionibus ad Poloniæ limitem mittendis agitaret, id valde dissvadebat Princeps ob suspicionem Ordinum; ac potius stimulandos esse Nobiles, ut quem Regem crearint, eundem & tueantur. Eodem tempore 30. Jun. Gallus Cæsari scripserat; ne hic suspicionem ex ipsius armis concipiat, quibus nil contra Imperium sit tentaturus; ac quæ jam faciat, non nisi ad hostes suos paulisper castigandos spectare. Quæ quidem protestatio facto contraria videbatur, cum utique is Lotharingum ditione expulisset; ac Clivicas urbes occuparet. Nec minus proditio patriæ erat, quod Coloniensis Gallo Novesium, & Keisersvvertam ultro traderet; cum inter causas belli referret, à Belgis Rheinbercam detineri. Ac vero comprehendi animo non poterat, id Germaniam non tangere, si Gallus Belgium subvertat, aut, uti iste subtilius loquebatur, ad humilitatem redigat; quod isto subjugato non poterat non Belgium Hispanicum quoque, & Germania in exitium trahi. Etsi cum bellum declinari non posset, satius videbatur Belgas invadi, de quorum viribus ad resistendum amplissime sperabatur, qui tamen aliorum ope utique fulciendi sint. Non enim exautorare posse Gallum numerosissimas copias, ni seditiones domi experiri vellet, præsertim à Nobilitate, quæ iterum immensos sumtus in expeditionem fecerat. Præterquam quod existimationi ejus plurimum decessurum erat, si post tantas minas nil susciperet. Cæterum Cæsari ab Electore proposita probabantur, ac decernebatur, ut Montecuculus cum XVI M ad diem 15. Augusti Egræ se sisteret. Inde post lustratas copias eum citato itinere ad Electorem præcessurum, super conjunctione copiarum, itinere, & actionibus consultaturum. Utrumque operam daturum, ut Danus, Saxo, Luneburgici Hassi, ac alii huic fœderi accedant; quod & Electori periculosum esset, ipsos solos eam causam suscipere. Dixerat post Germanonvillius ministris Cæsareis: *Quid Patres Mullerum, Dorellanum, & Emmericum dicturos, quod Cæsar captam à Galliæ Rege fidei Catholicæ propagationem ob privatum Brandenburgici Electoris emolumentum impedire veritus non sit?* Nimirum Gallus per obnoxios sacerdotes omnibus Catholicis Principibus, ac præcipue Cæsari, & Hispano ingesserat, sibi nil

1672. nil aliud propositum, quam hæresin in munitissima sua arce expugnare, per manifestam Numinis gratiam validissimis ejusdem propugnatoribus Anglis, atque Belgis jam in mutuam destructionem incumbentibus velut divinitus immisso furore, uti quondam hostes populi Israelitici in mutua vulnera ruentes. Quibus offuciis effectum fuerat, ut Cæsar candidi juxta, devotique animi Princeps, scrupulo conscientiæ ab istis indito fascinatus per otium spectaturus videbatur Belgium subverti, ni Elector torpentem excitasset ut tandem animadverteret, incendium post consumtas vicinorum ædes mox ad alios trajecturum, ac haut perniciosius grassari ambitionem, quam religionis larva adornatam.

§. 51. Ejus fœderis ista erat forma:

Fœdus inter Cæsarem atque Electorem.

13. — Jun. 23.

Postquam inter Ser. Pot. & Invictissimum Principem, ac Dn. Dn. Leopoldum divina favente clementia Electum Romanum Imperatorem semper Augustum, nec non Hungariæ & Bohemiæ Regem (t.t.) ex una, & Ser Principem ac Dn. Dn. Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandenburgensem S. R. Imperii Archicamerarium, & Principem Electorem (t.t.) ex altera parte pro defensione Regnorum, Ducatuum, terrarumque suarum diversis temporibus, uti infra exprimitur, fœdera sancita fuerunt: & vero cum S.æ Cæs. Majestati, tum Suæ Serenitati Electorali consultum, necessariumque visum, ut ea pacta non solum renoventur, sed & præsenti rerum statui ad eo melius ab Imperio, dictis Regnis, Ducatibus, terrisque repellendas hostilitates, turbasque, tum ad avertenda belli pericula, damnaque conformentur. Id circo utriusque partis ad hoc constituti Plenipotentiarii certis mandatis instructi, & à parte quidem S. æ Cæs. nec non Hungariæ, & Bohemiæ Regiæ M.tis Illustriss: & Excell: Dn Joannes Liber Baro de Goessen Suæ S. Cæs. M.tis Consiliarius Imperii Aulicus: ex parte vero Suæ Seren. Elect.is Celsissimus Princeps, ac. Dn. Dn. Joannes Georgius Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus in Berenburg & Zerbst, Electoratus Brandenburgensis Locum-Tenens, & Generalis Campi Mareschallus, dictorum Principalium nomine in sequentem pactionem convenerunt. I. Maneat constans, & inviolabilis inter utramque partem amicitiæ nexus alter alterius commoda promovere studebit, damnaque mutuo avertere, & reciprocæ utilitati, & securitati sedulo consulere. II. Specialiter denuo confirmatur, & renovatur fœdus defensivum inter S. M. em Cæs. am, & Suam Seren. em Elect. em Brandenburgicam quoad Status, & provincias utriusque partis d. 9 Febr. 1658. conclusum, & d 10. Maij. 1666. ad alios decem annos post elapsum primum decennium, confirmatum, & extensum, nec quid in ullo articulo, puncto vel punctis immutatum censeatur, nisi in illis, super quibus hic amplius, & latius conventum est. III. Scopus hujus moderni, & novi fœderis defensivi est, ut pax Osnabrugensis, & Monasteriensis servetur illæsa, nec per ullum, quicunque ille sit, in sinistram interpretationem propria autoritate trahatur, etiam sub nullo prætextu contra Imperatorem & Imperium, pacemque ejus publicam, & contra juramentum, quo quisque Imperatori, & Imperio obstrictus est, fœdera fiant, vel si facta forent, ea ut tollantur, & cassa habeantur, nec ab ullo compaciscentium dictæ Pacis Westphalicæ, vel dictarum pacificationum consortibus, vel à quocumque alio ambobus paciscentibus, aut Statibus Imperii, qui dictam pacem Westphalicam observant, vel directe vel indirecte quidquam hostilitatis, inimicitiæ, molestiæ aut impedimenti quoad personas, statum, bona, vel securitatem per se vel alios inferatur; sed si quid contra factum fuit vel fuerit, nec amicabilis adhortatio locum invenerit, armis mutuis pacis turbatores, ac violatores ad debitam satisfactionem compellantur. IV. Permittitur omnibus pacificationis consortibus huic fœderi defensivo æquis conditionibus, & cum consensu utriusque partis debito tempore accedere: sicuti & in arbitrio Coronæ Hispanicæ stabit eidem accedere. V. Cum tutius Imperii interfuerit tam pacem Olivensem, & Clivensem, quam Pirenæam, & Aquisgranensem pro conservando Belgio Hispanico concludi, exinde operam dabant ambo paciscentes, seque mutuo obligant, ut hæ omnes maneant illæsæ, vel si his contraventum fuerit, eæ restabiliantur, præstita tamen ab aggressore, vel violatore congrua satisfactione. VI. Pariter cum transactio inter Ser. El. Coloniensem, & civitatem Coloniensem conclusa, & à S. M.te Cæsarea ratificata jure merito sit observanda, utraque pars ex jam dictis transigentibus conjunctim remedia competentia expectet. VII. Sociabunt in casum necessitatis ambo paciscentes sua consilia, & opera necessaria, ut omnem invasionem, violationem, aut turbationem retundant; nec desistent, usque dum debite satisfactum fuerit. VIII. Teneat proinde pro conservanda tranquillitate publica paratum utraque pars exercitum tam pedestrem, quam equestrem, parem huic suscepto negotio cum omni necessario tormentorum apparatu. IX. Et cum sua Majestas cum aliquibus Electoribus, & Statibus Imperii provisionale fœdus defensivum concluserit, dabit operam Imperator, atque allaborabit, quantum in se, ut dicti Electores, & Status huic moderno fœderi accedant. X. Neutra pars ex ambobus confœderatis possit facere aliquid momentosi, vel transactionem pacis aut induciarum inire, nisi conjunctim cum altera, ex ipsius consensu. XI. Durabit hoc fœdus minimum per decennium à die hodierna, quo elapso, aut etiam ante ambæ partes paciscentes de prorogatione hujus fœderis ulteriore juxta rerum exigentiam convenient. Conclusa fuerunt hæc omnia inter præmemoratos S. æ Cæs. & Reg. M.tis, & Serenitatis Sæ Elect. is Plenipotentiarios vigore plenæ facultatis, ac mandatorum à suis Principalibus ipsis concessorum, reciproce commutatorum, quorum tenor infra sequitur, sub ratihabitione Sæ Cæs. æ Regiæque M.tis, & Serenitatis Suæ Electoralis, quas utriusque partis plenipotentiarii intra spatium quinque hebdomadarum à data hujus computandarum extradendas, & commutandas promittunt. In quorum fidem præsens hoc instrumentum à prænominatis Dnn. Plenipotentiariis subsignatum, & sigillis munitum est. Actum Berolini d. 13. Junii (23. Junii) Anno 1672.

Articuli Secreti.

I. Ante omnia mutuis consiliis, & auxiliis Colonia pro-

1672. *providEatur. Cæsarea Majestas teneat intra proximum bimestre à die hodierna, & congreget XII M tam equitum quam peditum; armis & omni apparatu militari & re tormentaria talibus copiis convenienter instructa. Elector itidem paratum habeat exercitum, nempe XII M tam equitum quam peditum, omni simili apparatu proportionabiliter instructa. II. Nihil quod summam rei contingit, nisi communi consensu suscipiatur. III. Circa religionem, & Status Ecclesiasticos Imperii exacte observentur singula, quæ in pace Westphalica comprehensa sunt, & omnia quoad dictum punctum religionis in moderno statu relinquantur, ita ut nulla Archiepiscopatuum, vel Episcopatuum, Abbatiarum, Præposituratum, Commendarum, & aliorum quorumcunque bonorum & beneficiorum Ecclesiasticorum fiat vel imminutio vel in partes discerptio, multo minus universalis alienatio, sed Romano Imperio, & fidei Catholicæ conserventur, nec jura electionis Capitulis competentia quocunque modo turbentur. IV Maneat etiam civitati Bremensi, ejusque territorio, & subditis præsens suus status, libertas, jura, & privilegia sine impetitione, tam in Ecclesiasticis, quam Politicis: V. Quandoquidem etiam in Imperii constitutionibus præclare sit ordinatum, quid exteris in Imperio circa coactionem militum, transitum, & hospitationes eorundem liceat vel minus; non permittent ambo paciscentes, ut quid in his, & similibus in Imperatoris, & Imperii præjudicium, aut contra pacem publicam fiat, aut Sæ. Cæs. æ M tis summis juribus, regalibus, dignitati, & autoritati ullum præjudicium inferatur. VI. Curet Elector, ut Serenissimus Rex Daniæ, Domus Brunsvicensis Hasso-Cassellana, aliique huic fœderi proxime accedant.* Enimvero ut penitius intelligatur, quare isthoc fœdus eum quem Elector speraverat fructum non habuerit, nec suscepta expeditio ex voto successerit; noscendum est superiore anno inter Cæsarem, & Galliæ Regem ejusmodi fœdus fuisse initum; de quo post demum Electori innotuit. Quod quia cum eo quod cum Electore initum fuerat, pariter consistere non posset, nec tamen tam egregium hujus institutum destituere placeret; id sane quam absurdum temperamentum Cæsarei ministri commenti sunt, ut dicis causa copias cum Electore conjungerent, sed eo ipso hujus conatus eluderent, ne contra Gallicum fœdus quid egisse argui possent. *Cum Serenissimus & Potentiss: Princeps ac Dominus, Dominus Leopoldus Electus Romanorum Imperator (t.t.) ex una, & Ser. ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV Galliarum, & Navarræ Rex Christianissimus ex altera parte, perpenso modernorum temporum statu sibi proficuum fore judicaverint ad promovendam mutuam securitatem se invicem eatenus obligare, ut alter in alterius amicitia eo certiorem fiduciam collocare queat: idcirco inter ambarum suarum MMtuum deputatos, plenipotentia idonea instructos, nempe ex parte S. C. æ Mtis Dn. Joannem Paulum Hocher L. B. dictæ S. C. æ Mtis Consiliarium intimum, & Cancellarium Aulicum, Austriacumque: ex parte vero S. æ Mtis Christ. æ Dn. Jacobum Brethel à Gremonville Equitem, & Commendatorem Sti Ord. Hierosolymitani, Regis Christ: à Consiliis secretis, Locumtenentem Generalem exercituum, & ablegatum Extraord. apud Imperatorem, altissime memoratarum MMtum nomine sequens fœdus factum, & conclusum fuit. I. Stet firma Pax Monasteriensis inviolata, nunquam interrumpenda, inter S. m. Cæs. Mtem, & omnes Status, Vasallos, & Subditos Imperii ex uno: deinde S. m. Mtem Christianiss. am. ex altera parte, nec altera alterius hostes præsentes, aut futuros sub ullo prætextu directe vel indirecte armis pecunia, commeatu, consiliis, aliterve juvet, prout in dicta pacificatione, ad quam habetur relatio, cautum & comprehensum est, nec etiam liceat subditis, vel vasallis alterius, qui seditionem, commotionem aut rebellionem, vel defectionem quocunque modo, ubicunque locorum contra unam ex his dictis Maj: bus moliuntur, imaginabili auxilii genere assistere, aut in protectionem suscipere. II. Cum vigore dictæ pacificationis nulli omnino Statuum Imperii permissum sit jus suum vi vel armis prosequi, sed si quid controversiæ jam exortum sit, sive posthac inciderit, unicuique jure experiundum sit, ea insuper, quæ judicis sententia definiuntur, sine discrimine Statuum executioni demandanda, prout Imperii leges de exequendis sententiis constituunt: id circo Rex Christ: us non posset, aut debeat præstare ullum auxilium directe vel indirecte, sive armis, & milite, sive pecunia, commeatu, consilio, aut aliter, nec per se vel alios illis, qui asserta jura sua armis persequi, aut evincere conantur, vel conabuntur; neque etiam impedire, quo minus contra hos executioni dentur leges, & constitutiones Imperii constitutæ ad tuendam, & conservandam tranquillitatem publicam. Quod etiam attinet controversias, quæ inter S m M.tem Cæs. am & S. Mtem Christ: am vel jam ortæ sunt, vel adhuc orientur; tollantur illæ per amicabilem compositionem, aut si hæc non sequeretur per arbitros utriusque partis in æquali numero: & si hi non convenirent, per arbitrum ab ambobus eligendum. Idem etiam observetur inter Regem Christ: um, & Status, subditos, aut vasallos Imperii quoad controversias, quæ inter S. Christ: Mtem, & dictos Status vel subditos, aut vasallos Imperii sive unum, sive plures vel jam ortæ sunt, vel adhuc orientur, ut scilicet etiam omnes tales controversiæ non per arma, sed per amicabilem compositionem, aut arbitros utriusque partis determinentur, omni violentia penitus exclusa. Cum etiam jam in primo articulo expressum sit, ne alter alterius hostibus ullo modo auxilium præstet; inde etiam quoad Status Imperii omnia, quæ in tractatu Monasteriensi comprehensa sunt, hic repetita intelligantur, non secus, ac si hæc singula de verbo ad verbum hic forent inserta III. Cum Imperatoris, totius Imperii, imo universæ Christianitatis intersit, pacem Aquisgranensem servari illæsam, & propterea Sua M. C. a ejus conservationem merito desideret; idcirco Rex Christ. us promittit Imperatori ejus exactam observantiam in omnibus capitibus, aut articulis sine ulla exceptione, ut proinde liberum sit modo memoratæ Cæs. Mti promittere, & præstare guarantigiam, & manutentionem dictæ pacis Aquisgranensis Regi Catholico, apud quem etiam, si opus fuerit, interpo-* 1672.

Fœdus secretum Cæsaris cum Gallia.

1672. *terponat efficaciter officia possibilia, ne is quid faciat contra dictam pacem, sed ut hæc conservetur stabilis in beneficium quietis universalis. Ut itaque eo magis mutua amicitia inter Imperatorem, & Regem Christ:um posthac servetur, utraque pars alterius, nec non Regis Catholici utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, quin etiam Sua Mtas Cæs. intuitu, & ex causa mutuo promissæ à Rege Christ:o observantia dictæ pacis Aquisgranensis se obligat & spondet, quod si illæsa permanente ex parte Regis Christ: modo memorata pace extra circulos, & feuda Imperii, quos, aut quæ Status, aut vasalli Imperii possident, inter Regem Christ:um ex una, deinde Reges Angliæ, & Sveciæ, & Unitos Ordines Belgii ex altera parte insurgeret bellum apertum, quod in talem casum, & eventum Imperator, excepta pacifica interpositione suorum officiorum, se non velit immiscere tali bello, nec per se, nec per alios, nec cum his ad illorum defensionem, nec cum aliis ad hunc finem & effectum facere confœderationem contra Regem Christ: nec dicto Regi Angliæ, Sveciæ ac Ordinibus unitis Belgii, si erunt hostes Regis Christianissimi in casum supra memoratum dare, aut submittere ullum auxilium sive armis, sive pecunia, consilio, vel ullo alio modo. Et hæc omnia ad majorem confirmationem vera amicitiæ & pacificationum antea subsecutarum. Per hanc confœderationem non sit derogatum confœderationibus, quas Imperator hucusque conclusit, aut concludet pro defensione terrarum, & feudorum Imperii, vel Regnorum, aut provinciarum suarum. Sicuti nec per hanc confœderationem censeatur derogatum fœderibus, quæ Rex Christ:us conclusit, aut concludet pro defensione Regni Galliæ, cum hoc tamen moderamine, & explicatione, ut nec Imperator, nec Rex Christianissimus sive sub prætextu, aut ex causa fœderum cum aliis conclusorum, vel concludendorum aliquid faciat, aut paciscatur, quod huic conventioni est contrarium: nihil etiam per hanc præjudicatum intelligatur guarentigiis, quas sive Imperator, sive Rex Christ:us promisit in pace Olivensi, & deinde anno 1666. pace inter dictos Ordines Belgii & Episcopum Monasteriensem subsecuta. Servetur hoc fœdus secretissimum, nulli, quicunque ille sit, sine consensu alterius partis quovis modo communicandum. Curet etiam Utraque Mtas, & efficiat, ne hoc per suos, qui hujus rei notitiam modo habent, pandatur, & divulgetur. Conclusa sunt hæc omnia inter prædictos ambarum Majestatum Plenipotentiarios vigore plenæ facultatis & mandatorum à suis clementissimis Principalibus ipsis commissorum, & reciproce commutatorum sub ratihabitionibus Imperatoris, & Regis Christ:mi, quas utriusque partis Plenipotentiarii inter spatium sex hebdomadum, ab isto die computandarum extradendas, & commutandas promittunt. In quorum fidem præsens hoc instrumentum à prænominatis Plenipotentiariis subsignatum, & sigillis munitum est. Actum Viennæ d. 1. Novembris Anno 1671. Regnorum nostrorum Romani XIV.o Hungarici XVII, o Bohemici vero XVI.o* Ratihabitionem Cæsar propria manu subscripserat die XV. Decembris eodem anno. Ex hoc fœdere non obscure colligitur, aulæ Viennensi tunc animum non fuisse isti se bello miscere, ni Elector manum rei admovisset. Cujus generosa consilia cum destituere pudor esset, præsertim cum is non obscure insinuaret, se cum Gallo transacturum, ac partem tam Uniti quam Hispanici Belgii sibi stipulaturum, si Cæsar in tanta rerum conversione se movere nolit; & tamen male consultum fœdus protinus abrumpere haut placeret, temperamentum comminisci visum, quod neutri satisfaceret, utrumque offenderet, dum movent, sed nihil promovent. Quanquam & illud in hoc tractatu absurdum habebatur, Cæsarem sibi omnium tractatuum evictionem reservare; cum satis nosset, Gallum salva pace Westphalica, & Clivensi, ne Belgii quidem fines attingere posse. Ast nunc ab Episcopo Monasteriensi pax Clivensis aperte infringebatur; qui & Cæsari arma omittere monenti stolide responderat; Belgas ipsius vitæ insidias struere; unde sui defensionem sibi fuisse suscipiendam. In fœdere quoque isto expressum erat, Cæsarem Belgis non adstiturum, si extra limites Imperii invadantur. Jam aut Belgium ex ipso Imperio, imo hoc prius, quam istud invadebatur, ita ut fœdus huic expeditioni obstare non debuerit. Postquam itaque Anhaltinus Princeps Viennam pervenisset, Cæsar schedam ad Lobcovvicium scribebat, qua inter alia dicebatur, *cum ab inimicis accusari, velut Gallo magis studeat, quam rationes Domus Austriacæ ferant: unde necessum esse, ut per bona opera, quæ diversum demonstrent, ab eo flagitio se purget. Nec amplius in quæstione esse, an hoc negotium sit amplectendum; sed eum duntaxat laborem esse, ut Anhaltinus bono cum responso dimittatur, & conventa exsecutioni promte dentur.* Unde & Lobcovvicius quam maxime circa Anhaltinum dimittendum satagere videbatur; ac palam in Consilio dicebat; *neminem honestum virum aliter Cæsari suadere posse, quam ei utique hoc negotium amplectendum. Equidem hactenus rem paulo lentius fuisse actam, quod ipse crediderit à Republica primum Galli impetum sustineri posse, nec periculi quid eidem esse. Sed nunc satis adparere, ni ejus causa suscipiatur, ad desperata consilia eandem descensuram. Se quoque Hispanis stimulos additurum, ut & ipsi arma sumant; queis & sat causæ præbitum sit, quod Galli, insuper habita ipsorum protestatione eorundem ditiones cum exercitu transierint, & Condæus aliquot dies in Limburgensi provincia stativa habuerit. Nam quod Gallus Hispanis offerat, si quiescant, se illis oppida Brabantiæ quæ à Belgis possideantur, tum navigationem Scaldis aperturum, id inane esse.* Navaverat quoque in hoc negotio sedulam operam Pater Emmericus, subinde ingerens, ne Cæsar ulterius se contemni patiatur; ac segnitiem aulæ Viennensis Gallo ad talia suscipienda audaciam addere. Porro Anhaltini negotiatio non in Cancellaria Imperii, sed in Austriaca suscepta, atque expedita fuit; ac jactatum fuerat, Cæsarem non ut talem cum Electore fœdus inisse, sed ut Archiducem. Et cum post decerneretur, ut extracta ejus fœderis Ordinibus Imperii, & sociis Regibus ex Imperii Cancellaria communicarentur, id facere Kœnigseckius Procancellarius recusabat, causatus, id ab eo fieri par esse,

1672. esse, qui fœdus confecerit; nec è dignitate Cæsaris esse notificare, quod Archidux fecerit. Causa ejus subtilitatis erat, quod pace Westphalica cautum esset, ut futuris bellis inter Galliam, & Hispaniam Cæsar ut talis, & ut caput Imperii neutri adsisteret citra ejus pacis violationem; id quod tamen Austriæ Archidux velut Status Imperii, & quidem extra Germaniæ limites facere possit. Unde Gallo minorem querendi causam fore, si expeditio non ut ab Imperatore, sed velut a quodam ex Ordinibus suscepta videretur. Placuit etiam *requisitoriales* ad Ordines emittere hoc sensu: *Quia Cæsar viderit, publicam militiam Ratisponæ lente expediri, ac interim tempora inciderint, quæ prompta remedia exposcant; sibi ex officio necessitatem impositam idoneo exercitu ad Rhenum misso communi securitati tantisper prospiciendi, quoad alia remedia parentur. Ac spem esse, non solum omnes patriæ amantes ea destinata probaturos, sed & copiis transitum, & itineri necessaria præbituros.* Sed Procancellarius negabat, ejusmodi *requisitoriales* a se expediri posse, quod tractatus cum Electore in Cancellaria Imperii expediti non sint; nec a se dici posse, Cæsarem ex officio ad hanc expeditionem compulsum; cum semper sibi dictum sit, Cæsarem tanquam Archiducem cum Electore tractare. Demum idem eas literas expediebat, sed addebat, ut super alimentis militi præbendis cum dominis territoriorum conveniatur, & omnia secundum leges Imperii fiant. Enimvero ista verba dispungebantur, ac insuper addebatur de concedendis exercitui ad quietem diebus, & ut machinis, & impedimentis vehendis equi præbeantur. Ejusmodi literarum, ut & talium, queis legationis fides fieri solet, ultra ducentas secum assumebat, Montecuculus etiam ad eos, quos nunquam cum exercitu additurus erat, quo amplior occasio foret Ordines pecuniis emungendi. Gremonvillio de hoc fœdere significabatur verbis duntaxat laxissimis; id unice spectare pacis in Germania conservationem, nec esse, quod Rex Galliæ ex eo ullam suspicionem concipiat. Qui & initio multis verborum blandimentis testabatur, Gallum cum Imperio pacem, cum Cæsare amicitiam sancte culturum; ac in eam rem omnem cautionem promittebat, quæ salva ratione expeti possit. Anglus quoque per Guasconum offerebat, se Cæsari, & Imperio cauturum, Gallum nil contra Imperium agitare; sed tantum Belgas paulisper in ordinem redigere velle, omnibus Regibus formidabiles; quorum vires immensum exaggerabat. Mox cum Gallus jam Isalam transisset, Cæsari de suis progressibus significabat, addito, se ubique locorum cultum publicum rituum Romanorum restituisse. Cui vicissim Cæsar victoriam contra Belgas gratulatus fuerat. Sed postea Gremonvillio, quo fine Cæsareæ copiæ iter ingrederentur interroganti, respondebatur: *se quoque ante biennium non interrogasse, quo fine Gallus cum justo exercitu in Flandriam spatiatum iret. Unde nec aliis circa hoc iter causam esse curiose inquirendi: nec a Cæsare rationem exigi posse, quare copias suas intra limites Imperii iter facere jubeat, cum intra & extra ejus limitem tot armatorum exercitus bellum gerant, quod jam partem Imperii involverit.* Sed quo responso is non contentus, inter alia Cæsari exprobrabat: *cum a Rege Cæsari anno 1663. auxilia contra Turcam missa sint, istum non meruisse ut ab hoc in piis suis conatibus impediatur. Ac nescire se, quid Cæsarei sacerdotes dicturi sint, quod cum Belgæ jamjam pacem magno cum emolumento Catholicæ religionis amplexuri essent, unice per decretum Cæsaris super mittendis, auxiliis retracti fuerint. Et quia Gallus quondam viderit, non esse e bono Ecclesiæ Catholicæ Poloniam pessum ire, Cæsaris conatibus contra Suecos eum non obstitisse. Unde iniquum esse, paria nunc a Cæsare circa Belgas haut fieri.* Etsi non erat, quod Galli auxilia adversus Turcam missa Cæsari imputaret, cum antequam ea venirent, Gallus Hungariæ proceres jam corrupisset. Unde noxiis auxiliis amoliendis pax cum Turcis ineunda fuerat, qui alias longius repelli potuisse videbatur. Cæterum etsi Anhaltino responsum dabatur, quale optaverat; Viennæ tamen credebatur Lobcovicium numero suffragiorum victum, ac eum rem ita moderaturum, ut Belgas ex ea expeditione exiguus fructus sit mansurus. Non potuisse Cæsareos defugere, quin Electori ostenderent, se nolle otiosos spectatores agere, dum a Gallo summa imis vertuntur. Sed non defore artes, per quas ista cœpta irrita reddantur; præsertim cum Lobcovicius, ac Montecuculus inter se colluderent, quorum & hic privatas ob utilitates a bello abhorrere, ac ægre in expeditionem trahi dicebatur; nec tamen ut alius eo imperio potiretur, æquo animo ferebat. Unde cum Electore id requirente expeditionem declinare non posset, stipulabatur; ne sibi necessum sit Vienna demum mandata petere, quod ipse consilii militaris præses sit, ac quæ ad bellum faciant, melius quam alii intelligant. Ac palam dicebat Bruninxius Belgarum ibi minister; *Vienna nil solidi expectandum: ac metuere se, ne Elector decipiatur; quod & ipse Anhaltino prædixerit. Et sane Cæsarem Gallo scripto cavisse, ab hisce armis nil ipsi metuendum. Unde cum quæ dentur responsa sibi non constent, utique alterutrum decipiendum.* Ac sane cum jam Cæsareæ copiæ Egra moverent, Lobcovicius Moguntino confirmarat, eas non ita prope ad Gallum accessuros, ut ad manus sit perveniendum: & conjunctionem copiarum ideo tantum fieri, ut Electoris destinatis velut frænum injici possit. Sed & persuaserat sibi Montecuculus, Turennium haut ausurum Rhenum transire, eundemque modicis copiis instructum. Sed mox cum contrarium adpareret, plures legiones sibi submitti postulabat. Quod cum fieri non posset, a Westphalia in Hassiam diversus abibat. Quanquam non Turennio minus, quam Montecuculo vi istius tractatus injunctum erat a mutua invasione abstinere. Ac alias per Lobcovicium ad Camprichtum, & alios Cæsareos Ministros Cæsaris nomine, hoc tamen inscio, talia mandata perscripta fuerant, e quibus satis adparebat Cæsarem 1672. *Bruninx.*

1672. rem prodi, & a Lobcovicio cum Gallis colludi. Porro & multi alii eidem sese expeditioni opponebant. Ac in primis Nuncius acerrime renitebatur, clamitans; *iniquum esse Gallum in tam sancto proposito contra hæreticos distrahi.* Nec deerant Viennæ cæca superstitione imbuti, qui gaudebant, a Gallo hæreticos, quos ipse in odium Domus Austriacæ foverat, nunc ultro oppugnari; ac Nemesin divinam manifeste inde perspici, quod is partim adjuvantibus, partim conniventibus Principibus Protestantibus magnum istum hæreticorum nidum destruat, ubi omnes tam Ecclesiæ, quam Principibus suis rebelles asylum invenerint, & unde tot libri pro nova doctrina propugnanda per orbem sparsi sint. Ac paria deinceps Protestantes Germaniæ mansura. Nec vero aliter judicari posse, quam fata jam hæreticis exitium struere. Sed & Moguntinus Electoris consiliis obsistebat, ac Cæsari ingerebat; *non protinus ferrum stringendum. Calida Brandenburgici consilia; ac missionem copiarum ad Rhenum, quæ agitur non esse idoneum remedium paci in Germania conservandæ. Quin melius totum negotium componi posse, si ab universo Imperio sequestris officium suscipiatur.* Cui & alias frequenter in ore erat; *plura consilio quam vi molienda.* Etsi inficiari non posset, a Gallo pacem Germanicam violatam. Ei Cæsar declarabat: *Sibi animum non esse Coloniensem, ac Monasteriensem ob anteacta, aut evictionem pacis Clivensis Belgis debitam ulcisci, multo minus Gallum ob occupata loca per Cliviam invadere; sed unico id agere, ut in futurum mala avertantur, ne Gallo cum sociis audacia gliscat, Belgæ autem, & Elector ad desperationem addacti noxia Germaniæ, aliisque consilia arripiant. Electorem confirmasse, se nil infesti in Gallos suscepturum, quoad suæ copiæ ipsi junctæ fuerint: ac tunc Montecuculo curæ fore, ut aulæ intentio obtineatur, nec supervacuæ rupturæ ansa præbeatur. Et si contra optandum sit, ne Gallus per inutiles minas Electorem, & reliquos fœderatos irritet, eoque & se invitum in arma pertrahat. Sane Belgas insignia, ac Domui Austriacæ utilia offerre; sed uti in eorum gratiam pacem cum Gallo abrumpere animus non sit, ita rem interea integram relinqui, ut si Gallus importunitate sua necessitatem afferat, cum iis semper conveniri possit.* Lobcovicius quoque Moguntino confirmarat; *has copias nullum Gallum conspecturas. Equidem Cæsarem sat alte in causam descendisse: sed videndum, quomodo iterum pedem retrahere queat. Eodem modo etiam Hispanos ducendos ad modum parvulorum, ne qua impingant, ac in os prolabantur. Haut sibi tam obtusa pectora esse, quin intelligant, quantum sit Regem Galliæ annis, animisque vigentem, tantis commodis potitum, ac sorte nil nisi arma spirantem, Suetica insuper societate succinctum, lacessere; præsertim, cum nondum a Turca satis cautum sit. Ne tamen uti antea, querelæ surgant; Viennæ nil vigoris ostendi, ac ne Elector, & Belgæ in desperationem vertantur, expeditionem quidem decretam; sed ideo magni nominis ducem copiis præfectum, sine quo Elector nil suscipere possit, & cujus phlegma istius fervorem temperaturum sit. Qui ita rem moderaturus sit, ne ad manus perveniatur; prout in mandatis ipsi datum.* 16 Sicut & post Lobcovicius Gremonvillio confirmabat: *Aulæ Cæsareæ ne per somnium quidem in mentem venisse, copias trans Rhenum ducere. Nec Montecuculum, utut jam a Cæsare jussus sit, in Turennium, aut Condæum ire bello, utut viribus superior, & Elector acerrime instet.* Sed & Burckersrodius legatus Bu- Viennæ Saxonicus fremebat; ro- *Saxoni haud tolerandum, Brandenburgicum tantum non Dictaturam in Imperio, & summum armorum moderamen affectare.* Quem & Moguntinus monuerat, ne cum isthoc consilia, & arma sociaret. Nec minus Bavarus; quem Gallus, ac Lobcovicius ostentatione coronæ Romanæ simul corruptelis ministrorum irretitum tenebat. Ewaldum Kleistium Viennam miserat, declarationem super consiliis Cæsaris petiturum, postquam neque Cæsar, nec Elector sibi de præsentibus destinatis communicarit. Quem & æmulatio in Electorem stimulare cœperat, quod hic aulæ Cæsareæ tam arcte se innecteret quam ipse solus possidere cupiebat; atque eam in Imperio viam, quam ejusdem pater Maximilianus, ingredi velle videretur. Sane Bavaro missionem exercitus haut idoneum remedium videri conservandæ pacis, sed melius fore, si nomine Imperii interpositio offeratur. Ei demonstratum; *quanta violentia Gallus cum Electore egerit, dum ipso inconsulto Cliviæ totos exercitus infundit, munita loca occupat, ac demolitur: cum tamen Gallus, si alicujus e suis Nobilibus arce ad alios usus indigeret, huic de eo in antecessum significaturus sit. Monteregio semper arma ostentari, ni faciat, quæ Gallus desideret. Quia ergo Cæsar ab Electore de fœdere, quod inter ipsos est, munitus fuerit, ac adparuerit, de dignitate, & securitate Imperii agi; non potuisse non arma parari, saltem ut Gallus intelligat, esse qui injustæ ejus violentiæ se opponere audeat. Fœdus ad eundem scopum collimare, quem Suecus, & Gallus suo fœdere præ se tulerit: ac Cæsare ideo superfluum visum, Ratisponæ de eo proponere, cum Coloniensis, & Monasteriensis inconsulto Imperio Galli se fœderi innexuerint. Ac ingens esse inter ea fœdera discrimen, quod hæc ad offensionem, illa ad defensionem vicinorum, ac Imperii spectent. De pace Pyrenæa, Aquisgranensi, ac Clivensi mentionem injectam, cum salus Imperii requirat istos tractatus salvos persistere. Cæsarem anno 1667. propriam domum deseruisse, ne bellum extraheretur: sed Gallum dein eo nomine ipsum irrisisse. Unde denuo ad eundem lapidem impingere nolle; quin ostendere decrevisse, sat animorum sibi adhuc esse ad defensionem. Ac si præclara conanter fortuna destituat, gloriosius tamen fore ruinam patriæ armis ad extrema connixum, quam manibus in sinum compressis spectare. Interpositionem non repudiandam, ac facile pati posse, ut Bavarus de ea proponat. Sed Cæsarem ut id faciat haut decere, quod in causa Lotharingica ita ignominiose a Gallo habitus fuerit, dum inter alia Windischgrætio Comiti a se misso diceretur; discederet modo; nam antequam ipse domum attigerit, Lotharingium restitutum fore.* Cum Bavarus ulterius de interpositione ingereret,

1672. reret, reponebatur; *eam non ad folius Belgii, sed & Germaniæ quietem referendam: quo fine confirmationem pacis Aquisgranensis, & Lotharingi restitutionem necessariam esse; ni subdola pace sibi illudi velint, per quam nil aliud quam separatio fœderatorum quæratur. Nam per Lotharingiam quatuor Electores, aliosque Ordines ita constringi, ut se commovere non possint.* Cæterum cum post a Gallis Cæsari objiceretur, istud fœdus ab hoc violatum; ei reponebatur: *id pactum fuisse initum, postquam Gallus valida auxilia contra Turcam promiserit, ac se Regem Poloniæ fulturum. Eodem quoque Cæsarem salvam pacem Westphalicam stipulatum; & ne quis Ordinum Imperii vi invadatur: ut lis super decem civitatibus Alsatiis, & alia controversa amice componantur; ut Cæsari pacem Aquisgranensem, nec minus Westphalicam, & peculiariter Clivensem præstare integrum sit. Sed & Cæsarem sibi jus fœderum citra exceptionem reservasse; ac duntaxat promittere, si Gallus Belgas* extra Imperii limites *invadat, ei bello se haut misturum. Quæ si attendantur, Cæsarem nil contra id pactum fecisse.* Eo in pacto Gremonvillius de Clivensi pace tolerare noluerat; Lobcovicius tamen ei demum id persuaserat hac data explicatione; per isthoc peculiare negotium Westphalicam pacem alterari non posse. Clivicas quoque urbes Belgico milite insessas inter loca Imperii non habendas.

Galliæ Regis ad Electorem missio. 5. Jun. Vaugion. §. 52. Eodem tempore ad Electorem a Galliæ Rege veniebat Vauguionus Comes, qui missionis causam ferebat, quod *Rex audierit, Electorem cum Belgis fœdus iniisse, ac ab iis pecunias accepisse; simul in aula Cæsarea, & apud multos Germaniæ Principes consilia exquirere. Equidem famæ fidem non adhibere Regem; pro amicitia tamen, qua eum semper amplexus sit, nosse velle, quid is consilii super præsenti rerum statu ceperit; medium se gerere, an adversæ parti accedere velit? Quorum hoc etsi Rex sperare haut possit, velut qui quavis occasione amicitiam erga Electorem testatus sit: liquidam tamen declarationem exposcere. Sane Regi decretum Pacis Westphalicæ legibus stare, qua etiam contineatur, ne quis Ordinum Germaniæ hostibus Galliæ auxilium ferat. Id si abs quopiam factum fuerit, Regem eo ipso pacem abruptam judicaturum, & omnes Westphalicæ pacis consortes ad hanc præstandam evocaturum.* Ad ista ab Electore delegati in antecessum reponebant: *Electori mirum iri visum, a Rege suam sententiam exquiri, cum is tamen huic nullam suspicandi causam præbuerit. Contra Electori non potuisse non molestissimum esse, Regem tanto cum exercitu ipsius provinciam ingressum, eamque misere vastasse, loca munita expugnasse; inprimis Emmiricum a Belgis desertum, & Electorali milite custoditum, hoc dimoto occupasse. Quæ reparatum iri spes sit.* Ad quæ Gallus: Regem ista oppida cepisse, quia hostium præsidia ibi repererit, ac hi eadem injuste detinuerint. Cæterum omnibus provincialibus, qui id desiderarint, militem tutelarem concessum. Si quid damni datum sit, præter jussa factum: nec tanti exercitus incessu omnia ad unguem exigi posse. Alias Regem gravia supplicia exigere, si querelæ super militum petulantia ad ipsum perferantur. Quid Emmerici contigerit, sibi incognitum. Sed justum responsum ab Electore ad hanc formam datum: *1672. 12. Jun.* *Sibi gratum esse, a Rege rumoribus fidem non adhibitam, ac servandæ amicitiæ ablegatum missum. Sese paria facere, ac ea, quæ de Regis in ipsius fraudem tendentibus destinatis inaudierit, non credidisse, sed pariter ad eundem mittere voluisse. Interim quare super talibus Rex queratur, rationem se haut dispicere. Nam Belgis Domum Brandenburgicam per seculum paulo minus fuisse innexam; ac novissimum fœdus, ex quo isti auxilium expetant, Rege commendante initum. Pecuniam, quæ soluta sit, mutuo acceptam. Consultationes Viennæ, & alibi habitas conservationem pacis in Germania spectasse, cujus cura sibi ex officio incumbat. Arma a se parari tutandæ paci Westphalicæ. A se nil per vim in Regem actum, ac ne auxilium quidem e fœdere debitum Belgis missum; cum tamen Hispani insignibus licet copiis concessis pacem haut infregisse censeantur. Quia igitur Rex de tuenda Imperii pace semper testatus sit, spem sibi esse, Cliviæ oppida sibi redditum iri, reparato quoque dato damno. Et quia Rex tam sæpe professus sit, se paci paratum fore, quam primum suæ gloriæ ab acceptas a Belgis offensas litaverit, se rogare, ut Rex significare velit, num eo nomine officium suum ipsi gratum sit futurum. Sane jam præclarissimam Regi occasionem allubescere immortali gloriæ parandæ, si tam felici armorum successu pacem malit.* Cæterum per Crocovium nonnulla pressius proponenda. Quo responso accepto iste discedebat. *14. Jun.*

Ablegatus Gallicus denuo redit. 24. Jun. §. 53. Idem Vauguionus paulo post reversus proponebat; *ab Electore nuper haut liquido significatum, quæ hac tempestate ipsi sententia sedeat: neque Crocovium venisse, de quo mittendo spes facta fuerit. Postquam igitur Rex intellexerit, ab Electore numeroso milite Lipstadium insideri, tum per universam Germaniam legatos circummitti; eum pro sua prudentia facile judicare potuisse, isthæc ipsius emolumentum haut spectare, postquam ille observando medio statu sese obstringere noluerit. Brandium insuper Holmiæ questum, a Coloniensi externum militem in Imperium deduci, ac bellum in Westphaliam pertrahi; quo nomine Suecos auxilia poposcerit. Igitur Regem nosse velle, quid ab Electore sibi sit expectandum, postquam is omnia incassum tentarit, ut is medius manere velit. Sane Regi liquido constare, quid Electori cum Belgis convenerit, ac omnem armorum paratum in horum gratiam fieri; Imperii tutelam obtentui sumi.* Ad ista Elector: *Lætum sibi, a Rege nil exprobrare potuisse in amicitiæ leges a se patratum: ac omnia meris suspicionibus niti. Eo minus decuisse legatum nullo fundamento ita rigido liquidum responsum exigere. Sane arma a se tam periculoso rerum statu tutando Imperio, ac propriæ ditioni parata; quod quare Rex prohibere, aut improbare velit, nullus color sit, cum ipse eos limites haut excesserit. Contra sibi gravissimam querendi causam esse, Clivia agminibus hinc inde tendentibus evastata, oppidorum & arcium munitionibus disjectis, milite sua Genneppa, & Emmerico ejecto; tot aliis denique patratis, quæ totiens repetitis de amicitia testationibus haut quadrent.*

1672. *quadrent. Super quibus cum sine dubio legatus in mandatis habeat, se quomodo ista excusare velit expectare.* Ast Gallus non sine impatientia fremere: nil certi responderi, & quod non sæpius ingestum sit. Multis verbis opus non esse. Magnos armorum paratus fieri: Electoris copias propinquare finibus provinciarum, quas Rex hosti eripuerit. Regem ferre non posse, ut vel exiguus exercitus ad latus ipsi consistat. Contra nostri: Sua loca milite firmare nemini vitio verti posse. Si Rex ferre nequeat, alienas copias prope se subsistere; num Electori ferendum, Coloniensem militem in ipsius provincia metari, & haut procul iis locis, in quæ iste actionem moveat? Ab Electore nil agi, nisi quod securitas Imperii requirat. Nec de reparando damno sermonem fieri. Vicissim Gallus: loca quæ Rex ceperit, non in Electoris, sed Belgarum potestate fuisse. Istum forte eadem legitimis dominis redditurum. Electoris delectus majores esse, quam pro modo defensionis. Querelas in Suecia motas, fœdus cum Belgis, de quo hi tantopere crepent Galliæ nil amici polliceri; nec Regem pro sua prudentia ista insuper habere posse. Nostri: in solius Electoris arbitrio non esse medio se statui adstringere, sed isthoc ad totum Imperium spectare. Gallus: satis constare, ab Electore omnia moveri. Cæterum Gallus iste quandoque fervide loqui, ac non admissi status medii causas non audire: a se proposita subinde ingerere; ad objecta nil respondere. Interdum Regis potentiam immensum extollere, ac Germanorum paratus ultra verba non procedere; aliquando Electoris copias æstimare, de ipso magnifice loqui. Simul præter Clivicarum urbium restitutionem millionem ostentare, si Elector Belgis auxilium ferre omiserit. Demum scripto responsum isti

31. Jul. tradebatur hoc sensu: *Electorem haut perspicere, qua de causa legatus data declaratione haut adquiescat. Ipsum nil magis obtasse, quam Regis amicitiam, sibi semper maxime æstimatam, illibatam conservare, quo voto felicissime potiturus fuerit, si Regi placuisset pacem amplecti, ac præbitam Imperio suspicionem amovere. De quo is eo certiorem sibi spem fecerit, pro frequentius Rex promiserit de pace Orbi Christiano danda, ubi gloriæ suæ litatum fuerit. Porro tantum abesse, ut Elector quidquam contra Regis arma molitus sit, ut potius vastationem Cliviæ, ac tot damna sibi illata summa cum patientia toleraverit. Sed & eundem sæpius testatum, arma, ac fœdera sua non aliud spectare quam pacem Germaniæ, & propriarum ditionum securitatem: quod eo minus Regem offendere debeat, quo sæpius is protestatus sit, ipsi pacem Westphalicam magnopere cordi esse. Brandium in Suecia non nisi de Coloniensi, & Monasteriensi questum, qui limites migrarint, quos publicæ leges delectibus Ordinum præscribant.* Ad quæ Gallus nil quod reponeret habebat, ac se eadem ad Regem relaturum. Tandem cum sæpius ingesta

11. Aug. iteraret, Elector id responsi dabat: *Se valde contentum fuisse futurum declaratione Regis super indulgenda Imperio quiete, ni res ipsa plane diversa arguat. Sane Cliviam belli malis plane exhaustam; destructis tot oppidis, atque arcibus irreparabile damnum illatum: tributa civibus suis imperata: tot per suam provinciam novata: supremi imperii jura usurpata; prorsus velut Clivia ad se non spectet, nec Germaniæ membrum sit. His tamen omnibus si Gallus remedium adferat, sibi immotum desiderium perstare amicitiam Regis conservandi. Porro quæcunque a se diversis in aulis, ac Ratisponæ agitata fuerint, non alium scopum habere, quam pacem Germaniæ, valde quidem læsam per ea, quæ in Clivia, & alibi facta sint. Quæ cum ipsum tam prope tangant, quis querimonias prohibuerit? Quæ protinus cessaturæ sint, si omnia in priorem statum reponantur, ac ipse curis liberetur per officium injunctis. Per oblatam oppidorum restitutionem sibi non satisfieri, quæ alias secuta pace facienda erat. Et quia eorum locorum detentio nullo jure nitatur, sibi spem esse, Regem justitiæ, & æquitatis respectu eorundem restitutionem haut diutius dilaturum. Armis suis a se nil aliud spectari, quam pacem Germaniæ; de qua servanda cum & Rex testetur, ista huic displicere non posse. Ac si Rex sibi intra Germaniæ fines tenenti exercitum obviam mittat, utique directe Imperium invadi, ac pacem Westphalicam infringi.* 1672.

Paulo post Vauguionus proponebat: *cum Regi variis ex indiciis constet, Electoris exercitum in Westphaliam, ac versus Rhenum, adeoque in ipsum, fœderatosque Præsules progredi; ei per leges prudentiæ, tum ad commoda, magnitudinem, & honorem suum tuendum necessum fuisse Turennio injungere, ut omissa Hollandia, ac superato Rheno Electori obviam procedat. Regem quidem amicitiam erga Imperium continuaturum: non posse tamen fœderatos suos deserere, etsi invitus cœpta sua adversus Hollandiam abrumpat. Quod si tamen Elector copias suas a locis per Regem occupatis, ac fœderatorum terris retrahat, a Rege quoque exercitum in Hollandiam revocatum iri.* Ad quæ Elector respondit: *Postquam a se acta, ex quo tempore bellum in Belgio, & ad fines Imperii cœperit, examinaverit, nil reperire potuisse, contra leges Imperii, & pacem Westphalicam a se patratum. Unde admodum improvisam sibi accidere propositionem, seu clarigationem potius nomine Regis Galliæ sibi jam factam. Sane sæpius se declarasse, cum bellum in Germania geratur, imo in ea cœperit, ac suæ ditiones ejus malis premantur; neque Cæsarem, neque se potuisse, quin arma expedirent, ac iis locis propinquarent, quibus auxilio opus sit. Et cum nil magis in votis sibi fuerit, quam ut amicitiam cum Rege continuare daretur, credi non potuisse, minas in se jactatum iri de obviam mittendo exercitu, quo ipso non possit non pax abrumpi, ac communis Principum libertas destrui; quorum judicio libenter actiones suas submittat, quippe conformes publicis legibus, ac juri omnibus Germaniæ Principibus competenti. Unde spem esse, exercitum Regis non ulterius in ipsius ditiones penetraturum, nec sola potentia fretum minas sparsurum. Quod si tamen Rex iis destinatis haut dimoveatur, se de innocentia sua protestari: nec Regem unquam honesto orbi adprobaturum, bello petiisse Principem, cui nil aliud curæ fuerit, quam sua tueri, & pacem servare, in qua ipsi Regi magnæ partes sint. Nec sperare, ab ullo sibi prohibitum iri, quo minus quæ officii* 29. Aug.

1672. *effecti sui sint faciat, & de quibus nemo Principum alteri rationem reddere teneatur.* Ad extremum Vauguionus Electori jam expeditionem ingresso Witzenhusæ ad Werram proponebat: a Rege sibi injunctum denuo confirmare, sibi decretum pacem Westphalicam exacte observare. Ac uti Rex initio belli in eam rem isti fidem dederit, haut spernendis emolumentis oblatis: ita eandem mentem ei, præsertim circa Clivicorum oppidorum restitutionem, adhuc persistere. Quia etiam Rex intellexerit, Electorem non solum cum exercitu ingruere, sed etiam super Emmerico a suis occupato querelas movere, ad Bavarum, & alios Imperii Ordines missurum, qui eos de suo in Germaniam animo, & actionibus omni reprehensione vacuis plene edoceant. Inde literas proferebat, quibus a Rege avocabatur. Cui Elector: gratum sibi esse, quod Rex pacem Westphalicam servaturum se profiteatur: nec aliam sibi mentem. Non solum autem justam sibi quærendi causam esse super iis, quæ Emmerici contigerunt, sed & quod provincia sua tam immaniter habeatur, oppidis, atque arcibus suis destructis, ac passim vastitate facta; quæ in præsens suo loco relinquat.

Periculosissimus Belgarum status. §. 54. Dum ita Elector omni modo pro Belgarum Rep. nititur, ea interim in periculosissimum statum præter omnium opinionem prolapsa erat, intra unius mensis spatium tribus provinciis a Gallo, & fœderatis Coloniensi, ac Monasteriensi occupatis, Geldria, Transisalania, & Ultrajecto, una cum oppidis, quas Belgæ in Coloniensi præsulatu, & Clivia insederant. Et omnes quidem urbes languida, aut nulla defensione opposita malignis legibus deditæ; nisi quod solum Neomagum nonnihil vigoris ostendit, ac demum Groninga acerrime in sui defensionem connixa Monasteriensis oppugnationem cum gloria sustinuit, ac obsidium re infecta solvere coëgit. Quin jam in ipsa Hollandiæ interiora penetrabatur, ac tantum non in conspectu Amstelodamum erat, ni perruptis aggeribus superfusæ terris aquæ Gallorum impetum stitissent. Haut quippe visum Gallo post tantos progressus gloriam suam aleæ exponere, insolito aquatici belli genere suscepto, ac reliqua per tractatus moliri instituit; aut si Belgæ in pervicaciam se obfirment, hiberno gelu stratis glacie aquis in ipsa provinciæ penetralia perrupturus. Tantæ calamitatis non una causa habebatur. Munimenta urbium fere collapsa: militiæ terrestris misera facies, post Principis mortem negligentius habitæ. Ac spes avertendi a Gallo belli effecerat, ut ingruente jam hoste delectus demum instituerentur, ac socii circumspicerentur. Multi quoque proditionem Wittii arguebant, qui omni cura in firmandam classem conversa terrestrem militiam ultro corrumpi siverit; in quam dein imperium Arausionensi in unum duntaxat annum collatum fuerit, quo spatio si primo hostis impetu nondum coalita ejus autoritate nec debito rerum provisu aliquid cladis acceptum fuisset, (quod facile prospiciebatur,) in eum culpa infelicis successus conjici posset; quem post consumpto populi favore penitus evertere consilium fuerit. Apud provincias 1672. 19. Sept. autem, quæ supererant, uti improvisis malis trepidatio, desperatio, ac ob proditionis suspicionem per omnes fere urbes tumultus, sic ut plurimi præsens Reip. exitium imminere crederent. Provinciæ quoque, ac Proceres inter se discordes; & alebant confusionem Wittiani, quo inter turbida destinatis suis potiri possent, subruto Arausionensi, & adscito Galliæ patrocinio; cui obtentui sumebatur, quod nullibi Reip. subsidii aliquid adpareret. Quin & Elector publice arguebatur, quasi & ipse inter calamitatis hujus causas fuerit, dum auxilia promiserit, eoque nomine multum pecuniæ acceperit, ac nunc data opera iter exercitus sui inhibeat. Ast Elector per suos ministros Belgis demonstrabat: In se nil plane desiderari posse, quod avertendam hanc calamitatem faceret. Quin se solum in hoc negotium ancipitis aleæ plenum descendisse ejusmodi cum conditionibus, quas neque Cellensis Dux, nec alii admittere voluerint. Quod autem nunquam æquissimis suis desideriis satisfactum, ac per istam cauponationem tantum temporis frustra consumtum sit, non se, sed illos in culpa esse, qui tot obstaculis objectis impedierint, ne maturius rei manus admoveri posset. Quanquam autem Gallus semper jactasset, se Remp. haut penitus destructurum, aut suam subditionem redacturum, sed satis habiturum ejus insolentiam castigasse: metus tamen erat, ne invitanti occasioni se præberet, ac tantos successus quoad liceret persequeretur. Sane altius penetrabat, quod Strada legatus Gallicus quondam sæpius e Vidua Arausionensi quæsivisset, an non aliqua ratio iniri possit, ut Galliæ Rex Cliviam emtione aut permutatione sibi adquireret? Idemque Blaspielum rogasset, ut filio ipsius prædium nobile in ea provincia dispiceret, quod quantovis pretio emturus sit. Quin ingressus Gallorum exercitus eam provinciam velut pro sua usurpabat. In pactis deditionum Electoris, ejusque jurium ne verbo quidem mentio fieri: cives captarum urbium in Galliæ Regis verba adigi: Vesalienses mille florenis multati, quod jussu Electoris diem precibus publicis, ac jejunio dicassent: Resæ, & Emmerici Catholicis primaria templa tradi, per Bullionium Cardinalem prius inaugurata. Orsoiæ, & Buderico munitiones detrahi: quin nec oppidis Electoris milite infessis parci. Sane Emmerico Belgæ militem suum deduxerant, cui mox e Calcaria Tettavius centurio cum octoginta peditibus immissus est. Sed paulo ante hujus adventum delegati a decurionibus per præcipitantiam claves portarum Resam ad Condæum attulerant; qui protinus Gallico milite oppidum occupavit, insuper habito Tettavio, cui nec ullæ ad resistendum vires, ac Calcariam cum suis remisso. Idem & circa Genneppam arcem contingerat.

§. 55. Sed gravissimum erat, quod Wittiana factio, penes quam hactenus summa consiliorum in Rep. fuerat, ignava jam consilia ingereret, ac fœdam ad transactionem rem deducere *Apud Belgas super fœda pactione agitur.*

1672. cere conaretur, oppido quam indecoram iis, qui octoginta per annos pro libertate bellum tanta cum gloria gesserant. Sane ita infensio in Arausionensem animo Joannes Wittius erat, ut Rempublicam pessundare, quam istum in majorum autoritatem reponi mallet. Cum de Rheinberca dedita nuntiaretur, iste dixerat; jam dimidiam Reip. partem periisse, nec aliud remedium superesse, quam cum hoste pacisci. Mox propius ingruente periculo suadebat; legatos ad Regem mittendos, qui ejus postulata cognoscant: interim sedem Reip. Haga Amstelodamum, nec minus armamentarium Delfis eodem transferendum. Super qua missione etsi Emmanuel Lira legatus Hispanicus publice quereretur, ac multi procerum fremerent, &
13. Jun. Arausionensem inclamarent; Wittiani tamen, ut eadem in Consessu Ordinum Hollandiæ tumultuario decerneretur, pervicerunt. In consessu Ordinum Generalium de eadem laxioribus duntaxat verbis propositum, hautquaquam justa consultatione instituta. Legatis simpliciter procuratorium dabatur ad concludendum sub spe rati, nulla instructione scripto tradita. Ea de missione Electoralibus Hagæ ministris nil publice communicatum, prout par fuerat. Quibus tamen per eos, queis Wittiana consilia displicebant, clam insinuatum, ut Anglo significarent; postularet is modo pro se, atque Arausionensi, quicquid videretur; cui vel pars in societate Indiæ Orientalis, ac Arausionensi amplior dignitas quam majoribus ipsius annuenda sit. Id enim satius sibi fore, quam Gallicum jugum, simul Romanos ritus subire. Quod & Anglo a nostris denunciatum fuit. Ac plebs magnopere a Gallis abhorrebat, ac palam fremebat: modo Elector in vicinia cum exercitu sit, se hunc Principem adscituros, trucidatis qui obsistere sint ausuri. Sane in lucem jam emergere argumenta secretorum consiliorum, quæ antea Joannes Wittius cum legatis Gallicis Strada, Pomponio quotidie fere per senas, octenas horas, & amplius agitaverit. Cumprimis Zelandi indignari, raro alias Hollandis concordes, ac ingruente necessitate magis Angliam quam Galliam respecturi. Quorum ferocia, ac ut ægre in transactionem cum Gallo consentirent, metuebatur. Unde Gallus aliquot millia ex urbibus Flandricis contracta, qui alias reliquum exercitum præter Trajectum ad Mosam, & Maseicam sequi debebant, repente inter Gandavum, & Brugas versus Catsandam insulam properare jusserat, ex qua in Zelandiam facilis transitus erat. Ubi Galli speraverant, se Ardenburgum, ac Slusas, utrumque oppidum maligne instructum, oppressuros. Sed qui conatus irritus fuit, istis ab Ardenburgo magna cum strage rejectis, oppidanorum, ac ipsarum mulierum fortitudine ad extremum connixa. Cæterum super conditionibus, in quas cum Gallo pax ineunda sit, Wittiani disserebant: aliquot milliones parata pecunia, ac insignem partem in societate Indiæ Orientalis, tum aliquot loca extra limites septem provinciarum danda. Ut quoque Resp. in usum Galliæ certum numerum bellicarum navium præstet, eidem quavis occasione terra 1672.
marique adsistat, & eosdem cum ista amicos, hostesque habeat: ejus destinata nunquam directe aut obliqua ratione impediat; nec sine Regis consensu fœdera ineat, aut bellum suscipiat: denique ritibus Romanis plus libertatis quam hactenus concedat. Vicissim Gallum huic Reip. velut sibi fœderatæ omnibus viribus contra quoscunque semper adfuturum, ac supremum ejus imperium, regimen, sacra, & omnia alia jura relicturum, ac conservaturum. Quæ in majus aucta vulgabantur, ut si cum Gallo mollioribus conditionibus decideretur, id populo velut ingens beneficium imputari posset. Gallis porro hoc modo plus emolumenti ex hac Rep. proventurum, quam si eam plane in ditionem redigerent. Nam sive Hispanicas provincias invadere, seu Germaniam, Angliam, Sueciam, Daniam invadere placeat, ejus Reip. vires isti semper ad nutum fore. Porro Belgarum legati Bartholdus Gentius, Petrus Grotius, Odyckius, & Eckius Galliæ Regem in castris ad Doesburgum adiere; quos cum Lovoisius, ac Pomponius interrogarent, num plenis mandatis instructi sint super summa rerum tractandi; & quas conditiones Resp. proponat promtæ paci constituendæ? isti reponebant, *se tantum venisse ad intelligendam Regis sententiam, cui gloriosius fore conditiones pacis ferre, quam admittere.* Ad quæ reponebatur; *Regem non tractare, nisi cum plenam agendi facultatem habentibus. Omnia quæ Rex occupaverit, jam ipsius esse, quæ restituere haut animus sit; & reliqua mox secutura. Quo plus temporis trahatur, eo durius id Reip. fore, cui nullum remedium sit reliqua servandi, nisi citra moram transactione inita.* Ita formula pacti adornabatur, cujus hæc capita erant: *Ut Regi Galliæ tradantur omnia quæ Resp. extra septem provincias quocunque titulo possideat: tum Delfzylam cum viginti proximis parochiis; Comitatum Mœursæ pro Electore Coloniensi, ut tamen resp. Arausionem indemnem præstet: Grollam, Befortum, Lichtenvordam, & supremi imperii in Borckeloam jus: omnia, quæ inter Rhenum, Leccam, & Hispanorum fines jaceant. Belgas tamen Betaviam retinere posse, hac lege, ut Gallo cedatur Bommela, Vorna, D. Andreæ castellum, Crevecœura & Lœvesteinum; Schenkii castello, Knutsenburgo, ac Heusdæ munitiones detrahantur. Ut porro Gallis liberum sit in has provincias accedere haut inspectis quæ secum adportent, & concessa a vectigalibus immunitate. Ut omnia edicta super commerciis revocentur, & omnia in statum reponantur, qui anno 1662 fuerit, e sola Belgarum, non item Galliæ parte. Ut Galli eximantur oneri solvendi quinquaginta solidos in singulas tonnas, ac insuper habeatur uti nationes, quibus plurimum libertatis in Belgio indulgetur. Super societate Indiæ Orientalis peculiariter tractandum. Catholicis publicum ritus sui exercitium concedendum, eosque ad munia publica admittendos. Inter Danos, ac Belgas in universum omnia utrinque debita per compensationem abolenda. Octo milliones pro impensis belli solvendos. Denique quotannis legationem extraordinariam mittendam, quæ publicæ gratias Regi agat, quod secundo jam*

vice

1672. *vice hanc Remp. restituerit, oblato numismate aureo sex pistolettorum, ejus rei argumentum continens.* Ea cum pacti formula Grotius Hagam revertit, cui discedenti Luvoisius dixerat, intra paucos dies pacem cum Rep. fore. Quibus gemina & Grotius Hagæ jactabat. Ea res in consessu Ordinum Hollandiæ, inde apud Ordines Generales disceptata, ubi exsuperante consternatione pleræque Hollandiæ urbes, ac quatuor provinciæ Geldria, Hollandia, Ultrajectum & Transisalania consentiebant, ut legatis facultas concludendi mitteretur ea lege, ut septem provinciis libertas, supremumque imperium, sacra, ac vetera jura salva persisterent. Quibus tamen Amstelodamenses fortissime contradixere, ut & provincia Zelandia, Frisia, & Groninga. Ita pervincente suffragiorum numero Grotius cum mandatis ad Regem regressus est, minus alacri vultu, quam cum e castris Gallicis Hagam rediisset, in quem & multi procerum in consessu publico acerrime invecti fuerant. Ea tamen negotiatio mox abrupta est, conversione rerum in Belgio facta, ac reviviscentibus Amstelodamensium præcipue exemplo masculis consiliis, nec minus Zelandis, Frisiis, ac Groningensibus fortia ingerentibus; cum parum abfuisset, quin tam nobilis Resp. in turpem pacem præcipitaret, ipsi aliisque servitium pariturum. Sane fatebatur Arausionensis Electoralibus ministris: plerosque Hollandiæ rectores transactioni cum Gallis pronos fuisse, modo Rex iis, quæ extra fines septem provinciarum jacebant, contentus esse vellet. Sed cum Hollandiæ delegati ad se accessissent sententiæ suæ exquirendæ, se citra ambages dixisse: *neminem honestum virum, ac bonum civem talia suadere posse. Sane plura pro libertate audenda, ac pugnandum, quamdiu locus superfit, ubi pes figi queat. Se utique sanguinem, & vitam pro Reip. periculo expositurum.*

Angli Gallorum successus suspectant. §. 56. Anglis porro ab initio non minus insolentiæ quam Gallis fuerat. Ad eos Belgæ tres quoque legatos miserant, Moermannum, De Wec, & Eyckium, ut quas Angliæ Rex conditiones laturus sit, cognoscerent. Eos in Angliam adpulsos Rex Hamptoncurtum paulo minus quam in honestam custodiam mittebat, quoad ex Gallo cognosceret, qua ratione legati habendi forent. Inde delegantur, qui Belgarum propositionem cognoscerent. Qui cum dicerent, se venisse, ut audiant, quam rationem pacis ineundæ Regi proponere placeat; hic graviter excandescens fremebat: se audaciam, ac pervicaciam Belgarum mirari, quod cum ipsius amicitiam implorare debeant, jam in extrema necessitate constituti percontatum veniat, quid ipse dicendum habeat. Sed mox auditis Galli enormibus progressibus, ac Ultrajectum jam deditum, ingens in aula Anglicana consternatio surgebat, ne Belgio repente per Gallum oppresso Anglia prima moti præter rationem belli pœnas lueret. Nam fœdere inter eos convenerat, ne Galli provinciam Hollandiam, quam sibi stipulati fuerant, prius occuparent, quam Anglis Zelandia tradita foret. Igitur propere Buckingamiæ Dux, & Arlingtonus in Belgium mittuntur; qui Hagam delati multis de studio suo in hanc Remp. testabantur, magnopere Gallorum progressus mirati, nec leviter indignati, a Gallo suscepta cum Reip. delegatis tractatione Angliæ tam exiguam rationem habitam. Qui & ipsi tamen conditiones pacis proponebant Gallicis haut multo modestiores. *Ut Belgarum naves Anglicis navibus bellicis suppara submitterent, in toto mari Britannico ad oram usque Belgii, & ut integræ quoque Belgarum classes eum salutationis honorem vel unicæ navi Anglicanæ exhibere teneantur. Ut intra anni spatium Anglis, qui Surinamæ sint, abeundi quo velint libertas sit. Ut omnes Angliæ subditi læsæ majestatis damnati ex Unitis Provinciis proscribantur. Ut Belgæ Anglo impensas belli reddant quaterdecies centena millia librarum Sterlinensium. Ut iidem annua dena millia librarum solvant pro captura halecum sub litoribus Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ. Ut Arausionensis supremum in provincias imperium habeat, aut saltem gubernationem a majoribus possessam; eoque fine prole mascula defuncto Angliæ Rex provinciarum Gubernator constituatur. Ut intra trimestre tractatus fiat regendis commerciis. Ut Regi Angliæ cautionis loco dentur Walachria insula, Slusæ, Catsandia, Goerea, & Vorna. Ut Gallo quoque, ac fœderatis Præsulibus satisfiat. His tamen conditionibus Regem teneri nolle, nisi intra decem dies acceptentur.* Quæ ne responso quidem digna habebantur. Inde ad Arausionensem in castra apud Bodegravam legati accessere, cui confirmarunt; nunquam Regi suo mentem fuisse, Belgium ut a Gallo opprimatur pati, qui & sæpe testatus sit, arma se induisse non evertendæ Reip. sed paululum castigandæ. Ac demum pollicebantur, se effecturos, ut Galli Trajecto ad Mosam contenti sint, & jure possessionis, quod Belgæ hactenus in Clivicis, & Coloniensibus ad Rhenum urbibus habuerint. Eas conditiones si Gallus adspernetur, denuo cum Belgis se consultaturos, avertendo Reip. exitio, & ne periculosa Galliæ potentia gliscat. Ac constabat Regum sociorum consilia eo anno turbata fuisse, postquam nec prælio navali Belgas vincere, nec Brielam occupare potuissent; quibus fundamentis ista superstructa fuerant. Ad ista Arausionensis respondit: Conditiones, quas Angliæ Rex Belgis ferat, ejus indolis esse, ut de iis ne cogitandum quidem sit, inprimis de tradendis tanti momenti locis. Ac si is Remp. ulterius premere pergat, desperata, & Angliæ ingrata consilia captum iri. Et postquam ipse jam majorum suorum dignitate potitus sit, Regem neminem infeliciorem redditurum, quam ipsum, si Gallo favere, ac vires suas in Remp. vertere pergat. Contra nil optatius sibi contingere posse, quam si Rex operam navare velit ad Remp. præsentibus malis eripiendam. Iidem disserebant, Regem nolle cum Ordinibus agere; sed ubi supremum Belgii imperium in Principem sit collatum, cum hoc sibi facile conventurum. Simul eundem stimulabant, ut supremum isthoc impe-

1672. imperium, quod fœderati Reges ipsi tradere decreverint, admittere, ac fortunæ sinum pandere velit. Sed quæ audire adspernatus Princeps generose regerebat: quia patria in ipso fiduciam reposuerit, se huic, non sibi inservire velle. Et quod imminere jactetur exitium obfirmatis in constantiam animis propulsari posse. Ac sane talia ad dissidium in Rep. ferendum jactari manifestum erat. Parum quoque honestum judicabatur, quod isti legati Monteregio Hispanico Gubernatori suaserant, ut Boscum Ducis, Bergas ad Zomam, & Bredam, in quibus tunc Hispanicus miles præsidium agitabat, suo Regi teneret. Id quod is velut bonæ fidei adversum detestabatur; nec tale flagitium sibi in mentem venisse.

Arausionensis in majorum suorum munia, reponitur.

§. 57. Enimvero novum velut spiritum recepisse visa est Belgarum Respublica, postquam Arausionensis instinctu velut populi in majorum suorum munia est repositus. Initium a Dordracenis factum, ubi tumultu orto cives in magistratum insurgere, eumque compellere, ut exemplo Amstelodamensium jurejurando se obstringat, quod urbem ad extrema usque defensurus sit: simul Arausionensem, tam auspicatum Belgarum Reip. nomen, Gubernatorem denominant, ac aliquot ablegant, eum rogaturos, ut ei dignitati capessendæ in urbem venire velit. Ac cogebatur Cornelius Wittius, ut e lecto in curiam portari se pateretur, primusque id juramentum diceret, ac mandata delegatorum ad Principem primo loco subscriberet. Erant de legati isti e præcipuis Wittianæ factionis, qui per omnia sacra orabant, properaret Princeps in urbem venire, alias vitam suam domosque, ac bona periclitari. Ita suasu Beneningii Princeps Dordracum ivit, ubi a Senatu, populoque summa cum lætitia exceptus, ac in curiam deductus, lauteque habitus fuit. Sed offerentibus vicarium provinciæ regimen singulari cum modestia gratias egit, atque excusavit, Reipublicæ se jusjurandum præstitisse, oblatum licet Gubernatoris munus se haut accepturum, a quo nisi totius Reip. consensu exsolvi haut queat. Nec penes unum, & alterum provinciæ membrum esse Gubernatorem eligere, sed ab universa id provincia proficisci debere. Ac sperare se, civitatem isthoc ultro agnituram, nec justo longius progressuram. Interim ne dubitarent, quin ipse pro Reip. conservatione vel extremam sanguinis guttam sit impensurus. Quod responsum omnibus valde probabatur, ac eandem sibi mentem esse; ac deputatos civitatis suæ connixuros, ut Principi juramenti venia fiat, eique gubernatio a tota provincia deferatur. Id exemplum Roterodamenses, Goudani, aliique tota Hollandia secuti; nec in Zelandis mora fuit, quo minus in Principem a majoribus suis gesta dignitas conferretur, simul ab universis surrecturæ in pristinam fortunam Reip. spes conciperetur. Ac dudum a rerum civilium peritis observatum est, Remp. Belgicam absque illustri capite haut subsistere posse, sed ejus compagem successu temporis ultro dilapsuram, nec si quæ mascula consilia capiantur alacriter ac prompte effectui datum iri, ni, quem multitudo parere solet, lentorem atque confusionem executoris autoritas tollat, rebusque vigorem, ac pondus addat; præsertim ubi validus terra hostis ingruat. Sane Helvetios, validissimam viris nationem, inter Europæ populos nullo fere numero esse, quod capite careant, qui ignavam molem vegetiore spiritu animare queat. Quæ res & Electori magnam lætitiam attulit, quam datis ad Principem literis prolixe testatus est. Paulo post quoque Cornelius, ac Joannes Wittii fratres, qui tot ab annis Arausionensem presserant, Hagæ ab efferatis civibus trucidati sunt, sævitia quoque in mortuorum cadavera grassante. *10. Aug.* Quo peracto plerique ita tranquilli, atque contenti adparebant, velut Resp. maximo periculo defuncta esset; ac facinus illud, etsi in se atrox, nec legibus, ac civili mori conforme; plurimi laudabant, ac plausu prosequebantur, utut alias indoles ejus populi in misericordiam prona sit. Secuta est mox mutatio magistratuum per omnes urbes, ac solutum a Monasteriensi Groningæ obsidium; qui uti antiqui Præsules scriptis editis memoriam suam Ecclesiæ commendarunt; ita is diro globorum ignivomorum genere, quos militari vocabulo *fœtentes ollas* nuncupabant, eo obsidio specimen nescio an sacerdotalis professionis edidit. Cæterum restituto Arausionensi ut omnes amici de Republica Belgica bene sperare cœperunt: ita Gallus blandimentis, ac amplissimis promissis eundem, ut ab ipso pendere velit, solicitabat, ostentato supremo in septem provincias imperio sub Galliæ, & Angliæ protectione. Sed qui spretis omnibus illecebris sine hæsitatione respondebat; nunquam se proditurum fiduciam, quam Belgæ in ipso reposuerint, nec unquam venditurum libertatem, quam majores sui tamdiu defenderint. Qui & cuipiam domesticorum suorum, interroganti; quid acturus sit perdita Hollandia, responderat; secessurum se in prædia sua in Germania, ac potius venatione ætatem ibi consumturum, quam patriam suam Galliæ quantocunque pretio proditurum.

Electoris ad Belgas missio.

§. 58. Isthæc tam inopina rerum apud Belgas conversio Electori suadebat, ut circumspectius procederet, nec agendi modo ab initio designato insisteret, simul destinata sua quantum posset premeret, ne forte Belgis cum Gallo repente transigentibus ipse solus inter ancipitia destitueretur, ac prompti nimis sui in amicos studii pœnas daret. Perstabat tamen propositum Reip. subveniendi, & expeditionem quantum poterat accelerandi. Interim erigendis Belgarum animis in Hollandiam mittebatur Gerhardus Bernhardus Pœlnicius, ut nuntiaret, Electorem post conclusum, *17. Jun.* utut nondum ratihabitum fœdus, delectibus agendis acriter instare; ac spem esse, intra duos menses num[illegible]os impletum iri. Sed & passim se legatos circummisisse, ut & alii sublevandæ Reip. manum admoveant: simul per biennium apud Gallum super ea tempestate avertenda laborasse, ut ne circa proprium quidem

1672. dem negotium acrius conniti potuerit. Sed quia haut eo secius intelligat, vulgus periculi magnitudine impatientiam accedente fremere, Remp. a se deseri, nec fœderi satisfieri, aut saltem auxilia tardius accedere; quin & quosdam e Proceribus talia spargere inscitia rerum, aut ut ejusmodi rumoribus a se admissorum invidiam in alios derivent: igitur Pœlnicius demonstraret; gratum Electori fuisse futurum fœdus prius conclusum, ac autoramentum solutum fuisse. Amerongii quoque mandata ita fuisse circumscripta, ut non nisi sub finem Aprilis tractatio absolvi potuerit, quantumvis Elector acriter institerit, ac æquissima postulata remiserit negotio accelerando, & quia major boni publici, quam privati emolumenti cura fuerit. Quod si Belgæ postulent, ut exercitus statim, aut minimum intra conventum tempus iter ingrediatur, ac rem gerere incipiat, reponeret: tempus sistendis copiis nondum elapsum; ac si iste Belgicis copiis, quæ in præsens nuspiam adpareant, haut sociatus, aut aliis auxiliis fultus in hostem ducatur, non magis Reip. quam sibi consuli, ac varia incommoda, quin istius exitium metuendum. Contra si cum Cæsareis, & aliis conjunctio fiat, justo robore rem geri, ac operæ pretium fieri posse. Præterea Remp. ad constantiam hortaretur, consiliis bellicis adesset, ac quæ ibi agitentur, referret. Inprimis impediret, ne Elector urgeatur ad quid prœmature suscipiendum, Reip. juxta ac ipsi periculum pariturum. Simul moneret, ut Resp. tractatus cum Cæsare, ac Luneburgicis quantum possit acceleret, qui arguant velut per istam stet, quod fœdera adhuc infecta hæreant. Insuper significaret, Electorem in usum Reip. legatum in Angliam missurum; & quid cum ablegato Gallico actum sit. Instaret quoque ut præfecti, qui ita segniter Electoris oppida hosti tradiderant, pœnas dent: tum ne forte excluso Electore cum hoste transigatur. Denique ne circa solutionem pecuniarum moræ necterentur. Nam tertium jam labi mensem a die solvendo autoramento statutum maximo cum Electoris incommodo, & causæ communis damno. Ac mirum esse, inter tanta pericula ratihabitionem fœderis integrum mensem ultra conventum tempus a Belgis extractum. Ast Arausionensem idem monere jubebatur, ne Gallorum illecebris aurem præbeat, qui ostentato supremo in Belgium imperio in transversum eum abducere conentur. Nam eam præcipuuam viam esse ipsi perdendo, quod oppressa libertate Respublica quoque pessum itura sit. Eoque istud promissum effectui dari non posse, nisi Rep. per Gallum subacta. Quo obtento Principem huic ludibria debiturum. Inde idem Bruxellas profectus Monteregio demonstrare jubebatur, quam necessarium ipsis Hispanis futurum sit, eos in partes descendere, ac hostem distrahere, non nisi plurium con-

6. Jul. spiratione domandum. Pœlnicius cum Hagam pervenisset, Arausionensis adventum Electoralis exercitus avide expectabat, quo valde indigeat ob Belgicam militiam maligne admodum instructam. Iste mirari se ferebat, Remp. tam potentem ita cito prostratam. Spem tamen esse restitutionis, si ea per impatientiam haut nimium festinet, ac plures amicos, Cæsarem, Danum, Luneburgicos sibi innectat. 1672.

Quod & Principi probabatur. Ordinibus idem proponebat; *ex quo fœdus conclusum sit, insperatam rerum mutationem contigisse. Nam nec Hispanos pacem cum Gallo abrupisse, uti semper spes facta fuerit; nec Danum & Luneburgicum in partes transisse. Suecos Gallis se innexuisse: pleraque oppida limitanea per ignaviam hosti dedita, ut jam nullus transitus Rheni, & Isalæ supersit. Quin a toto prope orbe ipsos desertos, nisi quod Elector nondum amicitiam cum fortuna exuerit. Necessum tamen esse, ut ipsi strenue manum rei admoveant; fœdus cum Cæsare, Danò, ac Luneburgicis accelerent; militiam suppleant; majore vi quam hactenus rem administrent.* Ad quæ Ordines: *omnia quæ proponantur vera esse; at rem militarem quantum possit se firmaturos. Lisolam jam procuratorium a Cæsare accepisse ad tractatus cum ipsis suscipiendos a Daniæ Rege VI M militum se sperare. Pecunias promissas non defore, si vel per integrum annum bellum sit duraturum. In præsens autem tantum pecuniæ repræsentari, quantum postulatur, supra facultates suas esse. Sed deinceps testaturos, quam libenter omnibus satisfacere velint.* Cum Pœlnicius quereretur, ipsos inconsulto Electore legatos ad Gallum misisse, id quod contra fœdus sit: excusabant, a se decretum, ut Electoralibus ministris communicatio fieret: id tamen fortasse in tanta perturbatione oblivioni traditum: deinceps id emendatum iri. Disserebat Hispanicus legatus Lira: *Hispanos huic Reip. plura exhibuisse, quam in obligatione fuerint, ac omni prope milite provincias suas nudasse. Deinceps quoque facturos quantum possint, ac per copias suas ubique locorum rem gesturos, modo id sub Reip. insignibus fiat. Nam peculiari distractione hosti se negotium facessere non posse, quod in vicem abruptæ pacis acceptandum sit; quo nondum descendere queant, rebus haut dum satis paratis. Etsi probe agnoscat, bellum cum Gallo declinari non posse, velut servandæ huic Reip. necessarium, citra quam Hispani provincias suas tutari nequeant.* In castra Principis ad Schonhoviam cum Pœlnicius pervenisset, iste querebatur, militiam Belgicam ita tenuem esse, ut brevi pessum itura sit, ni propere ab Electore fulciatur. Hunc adjunctis XII M Cæsareis sufficere distrahendis Gallis, si recta Coloniam tendat, eamque urbem in potestatem redigat. Id quod Pœlnicius fieri posse negabat; quod Elector hoc modo non solum omnes suas provincias milite nudaturus, sed & omnia munita oppida, per Belgici militis ignaviam amissa a latere, a fronte L M hostium habiturus sit, quibus in prælium descendendi necessitatem fames allatura sit. Quas rationes cum improbrare Princeps non posset, non nisi questibus miseram suorum sortem prosequebatur. Bruxellis Monteregius ultro testabatur, 19. Jul.

se omnia facturum, quæ ab ipso desideranda sint; ac plus hoc modo a se profici, quam si in præsens professum se Gallo hostem ferat; quod tunc copiæ suæ a Belgis revocandæ essent,

1672. sent, protegendis propriis provinciis; quoad alium militem pararit, qui propediem præsto futurus sit.

Hispani ad Electorem misso. 23. Jul. §. 59. Eodem tempore & a Monteregio Bergeickius missus apud Electorem aderat, qui demonstrabat, quam necessarium sit, ab isto causam publicam suscipi, & Germaniæ, Belgique, ac orbis Christiani pacem servari, aut qua ea sit rupta instaurari. Referebat idem a Coloniensi legatum in Hispaniam missum confirmasse, nil controversiæ sibi cum Belgis esse; Ac haut eo secius istum concesso suæ provinciæ usu Gallo facilem viam invadendis Belgis stravisse; ut merito culpa turbatæ Germaniæ, orbisque Christiani penes eundem hæreat; etsi is ad talia per Furstenbergios inductus fuerit; quibus castigandis Cæsari facultas defutura non sit. Addebat preces nomine Regis sui, ut Elector Belgis opem ferat; quod & Viennæ quæratur; ac eo nomine ad aliorum quoque Principum aulas sese iturum. Simul sciscitabatur, quantum copiarum Elector Belgis auxilio missurus sit, ut Monteregio constet, qua ratione iis sociari queat. Quarum iter accelerari petebat, ne malum in Belgio per moram incurabile fiat. Nam constare de Henrici IV. destinatis, quæ nepos Ludovicus effectui dare velit. *Nec considerandum quid hic dicat, sed quid faciat*; cujus & ambitioni CM bellatorum ingens pondus addant. Ad quæ Elector: Eandem ob causam se Bruxellas misisse, quod circa scopum utrinque conveniatur: & quantopere sibi publicum bonum cordi sit, rem ipsam loqui. Se quoque serio apud Coloniensem institisse, ut is nil admittat, quo Germania inquietari, ac suæ provinciæ belli malis involvi possint, ac protestatum, se reparationem damni, cui is causam daturus sit, ab eodem repediturum. Sed istum hæc monita ægerrime tulisse. Non tamen alia remedia omittenda istum partibus Gallorum abstrahendi. Nam cum Coloniensi, ac Monasteriensi primo loco amicos tractatus, aut arma tentanda; id quod & tutissimum futurum sit, quod Sveci declararint, posse istos armis invadi salvo suo cum Gallia fœdere. Sed ut ipse in præsens ad istum literas det, haut consultum ducere; ac mojore id cum autoritate fore, quando copiæ lustratæ, & in unum locum contractæ fuerint. De cætero se promissa, ac rationes suas circa ferenda Belgis auxilia probe observaturum. Pro opera ab Hispano Viennæ navata gratias agere. Cæsarem equidem egregiam voluntatem ostendisse: sed expressis verbis in tractatu haut positum, ipsum pro Belgis rem a suis geri jussurum. Unde Hispanos probe facturos, si id negotium Viennæ ulterius urgeant. Utile quoque futurum, ipsum ad alias aulas proficisci. Sed cavendum, ne spem belli ab Hispanis Gallo inferendi eminus tandum ostentet. Nam Principes Germaniæ maxime ad Hispanos respicere, ut hi prius in arma erumpant. Ad quæ legatus: Si Imperium Gallo bellum indicat, Hispanos paria facturos. Milites in Hispania triplo majori pretio conduci, quam in Belgio; ac ideo Hispanos tantopere hæsitare, quo minus bellum aliis in locis gerere velint. 1672.

Elector expeditionem suscipit. 8. Aug. §. 60. Interea Elector summa vi arma paraverat, ac legiones paulatim Halberstadium versus præmittebat, aliquot millibus excedentes conventum cum Belgis numerum. Ipse Elector Berolino movens Halberstadii Montecuculum, legiones Cæsareas prægressum expectabat, ut super modo bellum administrandi cum ipso statueret. Ad Belgas literæ dabantur, de eo significantes; ac exercitum jam longius fuisse progressurum, ni Cæsarearum legionum iter per impedita loca lentius processisset. Sed quia hæ jam circa Erfordiam consistant, brevi conjunctionem fore, ac recta in Westphaliam eundum. Ad Sveciæ Regem scribebatur: Gallos insuper habita sua patientia per Cliviam hostilia continuare. Ideo se decrevisse in Westphaliam ire, ac contra Turennii minas sua tutari. Eo fine se Regem auxilia ex fœdere poscere. Ad hæc Rex respondit: Molestum sibi, rem ad arma inter ipsum, & Gallos procedere. Sperare tamen, rationem adhuc iniri posse ista declinandi, quod non solum bellantes partes ipsum sequestrem acceptarint: sed & Gallus super restitutione ditionis Electoralis, atque satisfactione sat æquum se declararit: ac se ex fœdere prius amica officia tentaturum. A Neoburgico quoque Electore e transactione hæreditaria auxilium expetierat. Qui reponebat; se cum Galliæ Rege Boxtelæ locutum, cum e Belgio in Galliam reverteret, ac Electoris causam commendasse, simul quantum damni huic datum fuerit demonstrasse. Id Regem excusasse partim inevitabili necessitate belli, partim æquam satisfactionem obtulisse, tum occupata loca finito bello (de quibus tamen adhuc tractari possit,) redditurum; modo nil hostile ab isto suscipiatur. Simul significabat, sese pactum super servando medio statu cum Rege inivisse, prout ipse Elector suaserit: (id quod hic se meminisse negabat.) In vicem auxiliorum fida opera promittebatur ad componendum cum Gallo dissidium. Quod & bona fide ab isto præstitum fuit. Porro ad Turennium Elector scripserat, se Crocovium Lutetia revocasse, ut eum iterum ad Regem mitteret. Sed post hæsisse, cum intelligeret, quam hostilia in Cliviam exerceantur. Quorum etsi nonnulla indoli belli queant adscribi: ejus tamen rationem perspicere non posse, quod castellum Gennepæ, pauco suo milite insessum, ac in solo Imperii situm ipsius jussu occupatum sit. Quæ omnia totiens iteratis Regis pollicitis repugnent. Ad quæ Turennius humanis admodum verbis respondit: non posse non talia evenire, ubi hostis invadatur, qui alienas ditiones usurpet. A Rege jussum se Belgicum militem Gennepa, ac Gravia expellere; quod exsequi Chamillio sit injunctum. Sed cum interim Belgicus miles Gennepa deserta Neomagum se conjecisset. Chamillium ignarum Electoris militem ibi agere priora mandata exsecutum. Alias Regi haut in animo esse Electoris loca, ubi miles Belgicus non sit, infestare. Sed post cum Electoris exercitus iter ingredi

Marginal dates: *28. Aug.* (beside "cum ipso statueret. Ad Belgas literæ"), *5. Sept.* (beside "phaliam eundum. Ad Sveciæ Regem"), *28. Jul.* (beside "Qui reponebat; se cum Galliæ Rege Boxtelæ"), *10. Jul.* (beside "& bona fide ab isto præstitum fuit"), *3. Sept.* (beside "stare. Sed post cum Electoris exercitus iter").

1672. ingredi cepisset, Turennius relicta Hollandia contractis hinc inde copiis inter Dorstenam, Vesaliam, & Rheinbercam consistebat, Rheno, Lippia, Amasi, ac Rura fluviis cinctus, cui & a Coloniensi, & Monasteriensi legiones accesserant. Quæ copiæ etsi XXX M bellatorum haut excedere dicerentur, tamen ita alta crepabant, velut totam Germaniam eversuræ essent. Ac dixerat Strada Comes Vesaliæ Gubernator delegatis Clivicis ipsum adeuntibus: Turennium Electori obviam tendere ad committendum prælium; quo si is victor existat,
9. Sept. hunc Clivica provincia multandum. Convenere mox Vesaliæ Turennius, ac Strada, cum Monasteriensi, & Argentoratensi Præsulibus, ubi literas circulares ad omnes Electores, & Principes Rheni accolas concipiebant. Earum argumentum erat; *A Rege se relictum servandis locis hoc bello occupatis, ac ut alia curaret ipsius rationibus congrua; simul jussum declarare istis, & omnibus aliis, queis communis quies cordi sit, Regem nolle quid tangere ad Imperium spectans, ac si qua loca copiæ Gallicæ transierint id ex bello in hostes suscepto provenisse, nec declinari potuisse. Cum autem perceperit copias contrahi, ac versus ista loca progredi inquietandæ eorum possessioni, ac fœderatis Galliæ suspicionem injicere; Regi necessitatem fuisse allatam ipsum cis Rhenum mittendi, ut tamen protinus in Hollandiam sit regressurus, ubi videat ab istis copiis Galliæ fœderatis nil periculi esse; atque Elector caverit, suas, & iis sociatas copias intra proprias ditiones, & eorum, qui eas contraxerunt mansuras, nec sibi, aut sociis molestiam, aut suspicionem injecturas. Prout & Elector sæpius a Rege sit monitus; ne bello se ingerat, ad ipsum nil spectanti, nisi qua ipse ultro in id descendere velit. De quo se jussu Regis eos monuisse, quo tota Germania agnoscat, penes Principes stetisse, qui arma sua negotio Imperium haut tangenti miscent, quo minus Imperii quies conservaretur.* In hisce literis observabatur, quod cum semper, ubi Regis mentio fieret, solicite vocabulum *majestatis* exprimeretur, isti ad
Vous. quos scribebatur simpliciter *vos* nominarentur. Tum quod inevitabilis belli ratio allegaretur, quare exercitui Regio terræ Imperii transeundæ fuerint; sed de legibus Imperii sileretur, quæ præviam requisitionem, & ut is transitus innoxius sit, exigunt. Licet quoque diceretur, si Imperiales copiæ nil in Gallum, ejusque socios tentent Gallicum exercitum retro in capta hoc bello loca versurum; non tamen addebatur, eundem solo Imperii, ac peculiariter Clivica provincia deducendum. Quin hoc modo Gallus quamdiu libido ferret, aut ulla arma in Germania adparerent, obtendere poterat, copias Imperiales aliquid in ipsum, aut socios agitare. Absurdum quoque dictu erat, id bellum ad Electorem non spectare, qui tamen proximus Belgarum vicinus erat, & cujus provinciam Galli occuparant, ac irreparabili damno affecerant; de qua restituenda, ac reparando damno ne verbo quidem mentio fiebat. Turennius porro circa se, & in Clivia omnia consumebat ac vastabat, ut Germanicis copiis, si eo accessissent, non esset unde sustentarentur.

§. 61. Enimvero Montecuculus multis *1672.* rationibus Halberstadii demonstratum ibat, *Elector* quare haut recta in Westphaliam sit eundum, *iter deflectendum* sed potius ad sinistram flectendum, atque id *mutat.* agendum, ut superato Rheno, ac Mosella, ac intercepta annonæ subvectione Galli inopia atteri possint. Inde pro lubitu in Leodiensi ditione arma cum Arausionensi, atque Hispanis conjungere integrum fore. Sic necessitatem Gallis illatum iri Germaniam, ac forte ipsum Belgium deserendi. Quæ rationes etsi sat speciosæ erant; arcana tamen causa ejus consilii erat, quod superiore anno secretum illud fœdus, de quo tunc nondum Electori constabat, Cæsarem inter, atque Gallum Viennæ initium foret, quo Cæsar promiserat, se huic nil impedimenti circa bellum Belgis inferendum allaturum, nec ei se primo anno ingesturum. Unde quanquam lætum Cæsari erat, Electorem Gallo se adversum declarare, quos inter secreta commercia misceri e frequentibus hinc inde legationibus suspicio erat; eoque ut Elector in eo proposito confirmaretur, copias ipsi conjungere placuerat: injunctum tamen Montecuculo fuerat, Electoris destinata eludere, ac impedire, ne ad manus veniatur, ne Cæsar violati fœderis argui posset. Dum ita- *7. Sept.*
que per Hildesiensem agrum, inde apud Wit- *Ejusque* zenhusam superato Werra per Fuldensem a- *causas* grum in Superiorem Hassiam tenditur, Elector *Belgis* ut mutati consilii rationes Belgis adprobaret, *adprobare* Ludolfum Laurentium Kroleggium Hombur- *studet.* go ad Arausionensem misit, qui exponeret; habito cum Montecuculo consilio id quidem fixum stetisse, omni ope ad propositum scopum connitendum: ita tamen rem administrandam, ut hic exercitus, antequam alea prælii tentetur, quibusdam Belgicis copiis firmetur. Tum & id adparuisse, si recta trans Visurgim eatur, prælium declinari non posse, ad quod Galli rem deduci cupiant, antequam conjunctio cum Belgicis copiis fiat, & reliquæ Cæsareæ legiones, quæ adhuc expectentur, accedant, aut alii, quos adhuc in fœdus pertrahi posse spes sit, arma sociaverint. Gallos præterea in præsens fœderatum exercitum numero longe excedere, ut propter inæqualitatem virium rationis non sit prælii aleam tentare. Ast ante omnia cavendum, ne initio clades aliqua accipiatur, haut facile reparanda, & communem, Belgarumque causam gravissime afflictura. Igitur viam ineundam, ubi nec manifestum periculum adpareat, & haut eo secius Belgarum desiderium, utut paulo secius, tamen commodius obtineri queat. Sane summam rerum in eo verti, ut fœderati Rhenum, Mosellam, & Coloniam in potestate habeant, quo Gallis annona, & communicatio cum suo Regno intercludatur. Nam interceptam per Gallos Coloniam plurimum iis momenti allaturam tutandis quæ occuparint locis, ac ad fœderatos gravibus incommodis afficiendos. Unde rationem belli suadere iter paululum inflecti, & hinc quantum potest Confluentes tentendum. Ita in præsens nondum conjunctis fœderatorum viribus prælium declinari.

 Lunebur-

1672. Luneburgicos quoque facilius in partes pertrahendos; quos alias metus sit, si itinere trans Visurgim suscepto bellum in ipsorum ditionem pertrahatur, in adversas partes transituros. Hoc modo quoque Trevirensem partibus adjungi, quod idem de Moguntino, & aliis speretur, quibus hactenus quiescendum fuerit nemine in vicinia agente, cujus auxilio niterentur. Redacto quoque in potestatem ponte ad Confluentes de Rheni transitu ad utramque ripam caveri, unde & protinus copias secundo flumine demitti posse; ac quod maximum, nullibi commodiorem occasionem conjunctionis cum Hispanicis, ac Belgicis copiis inveniri. Gallorum quoque vires distractum iri, queis ratio belli imperatura sit partem copiarum in Lotharingiam, & Alsatiam vertere, incertis foederatorum destinatis. Sane Electoris iter id jam effecisse, ut Galli præter præsidia, & ipsa satis imminuta, unitis provinciis excesserint: obsidium laxius Trajecti ad Mosam solutum sit, ac Monasteriensis Groningam deseruerit. Unde Belgis integrum jam fore unum atque alterum locum recuperare. Saltem haut metuendum, ne post susceptam hanc expeditionem magna vi in Belgium quid tentent. Quæ consilia, rerum facie probe expensa, Arausionensis sine dubio Reip. & communi causæ proficua judicaturus sit; quæ pro lubitu quibusdam e proceribus sibi addictis communicare possit, ne Elector deinceps talia absque communicatione fecisse arguatur. Ut tamen maxime caveatur, ne id vulgatum Gallis ante tempus innotescat, qui alias designata loca, & transitum prærepturi sint. Quod si hoc consilii Belgis parum arrideat, diceret: Ordines Generales ab initio contendisse, Coloniam in potestate habendam, suæ Reip. salutem, aut ingens malum parere aptam: id quod post tot amissa ad Rhenum loca magis adhuc necessarium sit. Ac si maxime suscepto trans Visurgim itinere prælium declinari possit; tamen interjecto exercitu Gallico inter Electorem, & Belgas in emolumentum horum nil effici posse. Ne in Monasteriensi quidem ditionæ operæ pretium fieri posse, prævalente Gallico exercitu, ac tempestate anni haut ferente obsidium muniti loci suscipi; cum contra Electoris institutum brevi longe potiores fructus producturum sit. Denique Principem hortaretur, ut exercitum ibi una cum Hispanis componat, qui Cæsareo ac Electorali exercitui junctus Gallorum vires frangere, Remp. periculo eripere, ac honestam pacem stabilire valeat. Ad

28. Sept. ista Princeps: Scopum itineris utique probandum. Sed metum esse, ne istud ob breves dies, aspera viarum, & locorum intercapedinem multum temporis absumat, ac hieme interim ingruente Resp. e copiis auxiliaribus, in quibus hactenus omnem fiduciam collocarit, parum fructus captura sit. Quod si cives non brevi levamenti quid accipiant, ac commercia intermissa instaurentur, abnegatis tributis subsidia cessatura. Igitur utique necessarium videri, auxiliares copias recta huc tendere, prævertendis incommodis, quæ longior earum absentia paritura sit. Turennii vires tantas non esse; quæ facile frangi possint, si a fronte ac tergo hostis urgeat. Ast si Elector in diversa abeat, istum submissa Luxenburgio, qui Ultrajecti curet, copiarum parte, omnes suos conatus heic elusurum. Quod si & Turennio constet, Præsulibus omnium malorum autoribus nil infesti imminere, eum præsidiis firmatis, ac annona apertis locis dimota omnes vires in Hollandiam versurum. Quod si alia ratione Colonia obtineri nequeat, X M militum Imperiali exercitui detracta apud Confluentes superato Rheno ad eam urbem tutandam mittenda esse, pro re nata inde Hispanis, ac Belgis jungenda. Reliquo exercitui utique in Westphaliam eundum, prout foedere conventum. Cæterum Belgas maxime premebat copiarum paucitas, sic ut præter necessaria præsidia vix XX M contrahi possent. Et plebs animis ægra, ac moræ impatiens nil aliud, nisi ut brevi his malis defungeretur, anhelabat; id quod in Electoris manu positum arbitrabatur. 1672.

§. 62. Ast Elector haut eo secius cœptum iter urgens, Blumenthalium ad Trevirensem præmittebat, qui usum pontis apud Confluentes peteret. Metum, a Gallis causanti diceret; neque Cæsari, neque Electori hostilitatem cum Gallo intercedere. Esse eum liberum Imperii Principem, Gallo haut obnoxium. Eundem in re licita versari, ac salvis Imperii legibus haut facile Cæsaris, atque Imperii copiis transitum negare posse. Quod si eo nomine adversi quid inferatur, Cæsaris, atque Electoris auxilium præsto fore. Ad quæ Trevirensis; *Electorem hac tempestate primum fuisse, qui laude digno auso in ruinam vergens Imperium fulcire, ac priorem ejus splendorem instaurare aggressus sit. Ei instituto se pro virili velificaturum, ac sincero ex animo provinciam suam offerre, ut Elector ea velut propria utatur: quod multo tolerabilius sit eam per amicos, quam per hostes exedi. Sed ut exercitum inter duas munitiones suas Confluentes, & Hermansteinum transire patiatur, id a se postulari non posse, quod Gallicis legatis Marchioni Anjaviensi, & Vitrio Duci promiserit, id se nunquam permissurum; ad quæ promissa per minas Gallorum, & quia non satis norit Electorem heic an alibi Rhenum transire velle, inductus sit. Supra tamen aut infra transire cupientibus annonam, ac alia necessaria libenter præbiturum. Ut autem se connivente heic pontem superent, ignominiosum sibi fore; cum id facile prohiberi possit; ac ejusmodi indulgentiam sibi in faucibus Orci sedenti Electore digresso male cessuram. Nam qui jam cum Cæsare fortia consilia pro salute patriæ capiant, iis domi de securitate cautum, cum ipse heic inermis libidini Gallorum exponatur. Id quod tamen non obstet, quo minus optet a Turennio se lacessi, quo ad alia consilia capessenda prætextum foret. Sed nec Hispanos adhuc in bellum erumpere, a quibus e Lucenburgica tutamen sibi sit expectandum. Sed si in tempore de hisce destinatis communicatum sibi fuisset. Augustam se Trevirorum usibus Cæsarei, ac Electoralis exercitus fuisse exhibiturum, quæ huic vel per biennium alendo suffectura fuerat, eoque ipso Gallis velut gulam potuisse claudi.*

Trevirensis transitum Rheni negat. 29. Sept.

d'Anjou.

Quia

1672. Quia igitur transitus ad Confluentes concedi non poterat, id temperamenti iste proponebat, ut aliquot navigia Moguntiæ emerentur, ac Welmenacum suæ ditionis oppidum adducerentur, cui ipse data opera sex duntaxat pedites imposuerit, quibus expulsis id a fœderatis præsidio firmari posse. Apud Engersiam quoque, Neuenwietham, & Albam Turrim stationem capi posse; ad quod prohibendum Turennio vires haut suppedant, cujus exercitus male habitus sit. Ac ipse quoque struendo ponti naves, anchoras, & rudentes offerebat. Contra Argentoratensis Præsul minacibus verbis Trevirensem hortabatur, ut pontem ad Confluentes tolleret; alias si Coloniensis ditio damni quid inde patiatur, reparationem ab ipso exigendam: ac ipsum brevi visurum, in Cæsareo, ac Brandenburgico exercitu nil sibi præsidii esse, quem Turennius mox sub machinas Hermansteini compulsurus sit. Ad quæ Trevirensis: Se Cæsaris, & Imperii amicum fore; ac si sub machinas suas procedatur, se effecturum, ut his autoritas constet.

Cum Moguntino de transitu Rheni agitur. §. 63. Sed cum in Trevirensi ditione pons ita tuto extrui non posse videretur, Turennio in vicinia metante, placuit altius Mœnum versus progredi, eoque superato in Moguntini, aut Palatini provincia procul a Gallis Rhenum superare. Eo de instituto cum Moguntino innotuisset, hic per literas apud Electorem
4. Oct. querebatur, quod is provinciam ipsius vastatum veniat, ac in ea theatrum belli struere meditetur; questus insuper suos cives a milite male habitos, & quod apud se potissimum transitus Rheni quæratur. Cui Elector respondit: Se ab initio harum turbarum cum ipso amice communicasse super iis avertendis; ac semper confisum, eundem consilia, viresque cum iis sociaturum, quibus unicus scopus sit Germaniam ab oppressione vindicare. Si quid ejus civibus acciderit, de quo sibi non constet,
8. Oct. id bono publico condonandum. Missus in-
& Espence de ab Electore ad Moguntinum Espencæus Comes, ut hunc ad arma socianda permoveret. *Esse utique Cæsarem Imperii caput in partibus, nec alium horum armorum scopum, quam salutem Germaniæ, tutamen communis quietis, defensionem Ordinum Imperii, quorum libertati, ac juribus nunquam majus periculum fuerit intentatum. Eam fiduciam Electorem de ipso concepisse, tanquam primo inter Imperii Principes, cui tantus rerum usus diuturno regimine, & circa rationes Germaniæ perspicacia; fore ut is sese armis societ tam salutari fini sumtis, ac in partem veniat gloriæ, Imperii a ruina, ac desolatione liberati.* Quod si hisce nil proficiatur, saltim pontis usum peteret, quod alias ipsius ditio multum incommodi sit sensura diuturnis copiarum stativis. Sed cum is nil solidi responsi præter querelas, ac demonstrationem periculi sibi a Gallo imminentis reportasset, ad eundem missus
27. Oct. est Blumenthalius, qui proponebat; *ab Electore iter cum exercitu aliter fuisse instituendum, quam antea decretum fuerat. Nam cum Turennius Electoris catervas ad Lanum fluvium in solo Imperii ultro invasisset, utut antea Galliæ Rex semper testatus sit, sese Electorem haut lacessiturum, antequam hic fœderatos suos invasisset, simul exercitum propius Lanum admoverit, gloriam Cæsareorum, ac suorum armorum id exegisse, ut Turennio obviam tenderetur: quo fine aliquot per dies legionibus in aciem dispositis processum, ac istius adventum fuisse expectatum. Sed cum is propius haut moveret, Electorem decrevisse utique Mœnum, ac Rhenum transire: eoque rogare, ut Moguntinus eos conatns promovere, simul insinuare velit, quo loco cum minimo incommodo suæ ditionis transitus institui queat. Nam Arausionensi animum esse cum Hispanicis e Lucenburgica copiis, inde cum Electoris, ac Cæsaris exercitu se conjungere. Qui conatus bonas partes firmaturus, ac forte honestam pacem producturus sit.* Ad quæ Moguntinus; *Non posse non se magnopere laudare egregium Electoris pro communi salute studium, quod fraterno affectu pro virili quantum præsentia tempora permittant, fulcire decreverit. Et quanquam transitus exercituum vastitatem suæ ditionis pariturus sit; sperare tamen, Cæsarem post factam pacem id damnum sarciturum. Electorem bene fecisse, quod existimationis causa Turennio, cujus adventu Galli omnibus terrorem incutere voluerint, obviam processerit. Lætum quoque sibi auditu, quod proximo catervarum ad Lanum concursu Arnheimius rem strenue admodum gesserit. Ac secutura Cæsareorum, atque Electoralium cum Arausionensi, & Hispanis conjunctione Turennio res in angusto fore. Sed exercitum, quem Condæus circa Metim componat, XII M peditibus VI M equitibus constantem cavendum esse. Commodissimum locum transeundo Rheno esse apud Nierfteinum, ubi fluvius angusto alveo labitur. Sed oppositum vicum Palatini esse, cui tempestive præsidium immittendum sit. Alterum transitum esse Ginsenheimi ad Rivum Nigrum, unius horæ itine-* Schwartzbach. *re supra Gustaviburgum. Ubi id commodi sit, quod si pons hieme ob fluitantia glaciei fragmina sit solvendus, naves in rivum deduci queant. Ad tuendum transitum in adversa ripa castellum excitandum. Moguntiæ adhuc viginti quinque navigia esse, quibus si junguntur, queis pons Mœno injectus componitur, Rhenum facile transiri posse. Clam tamen Palatinum, & Darmstadiensem habendum, id consilii a se profectum. Quanquam ipse magis Vaubrunium legatum Gallicum timeat, qui jam fremat; silentium, ac patientiam suam circa molestias in suam ditionem ab Electore attractas collusionem arguere. Ast alendo exercitui ditionem suam jam exhaustam nihil amplius suppeditare posse. Se tamen studio in Electorem testando permissurum, ut quini aut seni milites Moguntiæ pontem transeant, modo vicis suis transrhenanis, ac Rhingoviæ parcant. Quod spargatur, Electori in animo esse pontem ad Moguntiam vi occupare, ei rumori fidem se adhibere nolle: ac ea patientia inutilem se muneri sequestris reddi. Quanquam non parum scrupuli injiciat, quod per aliquot dies exercitus in aciem digestus incesserit, ac Moguntiæ propinquaverit, haut significato, ubi, & qua ratione Rhenus sit transeundus.* Quæ inania suspicionum Blumenthalius Electori satis eximebat. Paulo post congressu Electo- 14. Nov.

ris

1672. ris cum Moguntino Francofurti ille hujus sententiam exquirebat super his quæstionibus: Quomodo Imperium in ejusmodi statum reponendum, quo ejusdem major apud vicinos sit autoritas? Qua ratione brevi firma pax obtineri, ac per eam quilibet, quæ ante bellum habuit, recuperare possit? Qua via ipse, & alii, qui ex hoc bello sine sua culpa damnum senserint, satisfactione potiri queant? Quomodo Colonia in potestate haberi possit? Quia circa adornandum communem Imperii exercitum Ratisponæ tam parum promoveatur, num præsens exercitus pro Imperii exercitu sit habendus, ac num Moguntinus ratam copiarum partem huic adjungere velit? An non denique causa sibi sit universi Imperii auxilium ex pace Westphalica, simul Collegarum ex Unione Electorali requirendi, quod ipse ita manifeste adversus ejus pacis leges invadatur? Ad quæ Moguntinus: Sibi semper necessarium visum, Germaniam exemplo aliorum Regnorum communem, eumque validum exercitum parare, tutandæ paci, ac ut exteris reverentia adversus ipsam incutiatur. Eo fine connitendum, ut quæ circa eam rem Ratisponæ decreta sunt, executioni dentur. Interim sine mora bellantibus si non a toto Imperio, saltem a Principibus extra partes positis officium componendo bello offerendum, ac per id curandum, ut læsis Ordinibus, ac cumprimis Electori ablata restituantur, damnumque sarciatur; in quem finem ipse fidam operam sit navaturus. Se quoque lucrando tempori ad bellantes partes proprio nomine legatos missurum; præsertim cum ipse, ne officium suum recusandi color esset, dudum promiserit, se in partem belli Belgici haut venturum. Electoris causam se Ratisponæ omni studio fulturum. Ratam partem sui militis in promtu esse; ac sibi perinde fore, quo eam sistere decretum Imperii jubeat. Paratum quoque esse de suo milite Coloniæ immittere, si urbs id desideret, ac alimenta eidem præbitura sit.

Cum Palatino super transitu Rheni frustra agitur. §. 64. Ast longe difficiliorem sese exhibebat Carolus Ludovicus Elector Palatinus. Is intellecto, fœderatum exercitum versus Mœnum progredi, Ludovicum Darmstadiensem Landgravium per literas consuluerat: cum *6. Aug.* Cæsaris, & Electoris sociatæ copiæ Rhenum versus tendant, quid adversus istas consilii capiendum sit? Quarum literarum cum Ele- *13. Sept.* ctori copia fieret, hic Palatino reponebat: Ab ipso se auxilia pro mutua necessitudine expectasse. Sed nunc ab ipso Cæsarem, ac se argui, velut sua conjunctione causam præbituros novo bello in Ordinum terras attrahendo; aut saltem quod transitu per Ordinum ditiones *Instr. Pacis art. VIII. §. 2. & Capitul. Cæsar. art. XIII.* sumto in leges publicas peccent. Enimvero nil æquius, quam Cæsarem prospicere, ne pax Imperii turbetur, aut ejus fines imminuantur: tum ut ipse cives suos ab oppressione liberare ac sua conservare studeat. Nec causam se hostilibus præbuisse. Venit deinde Palatino missus Paulus Rammingius, rogaturus, ut Elector ipsius finibus abstinere velit. Elector contra Krofeggium ad Palatinum mittebat, significaturum, se Mœnum transiturum; & cum *1672.* paululum quid Palatinæ ditionis transeundum sit, militem accurata disciplina coërcendum, & quæ præbeantur, præsenti pecunia emenda. Sed Palatinus; ista mira sibi videri. Si tamen aliter fieri non possit, subditi sui indemnes præstarentur. Cum inde rumor esset, Electorem Oppenheimi Rhenum transiturum, Galli *4. Nov.* non parum turbati a Palatino petebant, ut ei oppido præsidium imponeret transitui prohibendo: alias se militem eidem immissuros. Igitur petebat Palatinus, ut Elector scriptam cautionem mittat, eo transitu se non usurum, quo eam Gallis ostendere possit. Ad quæ Elector: de isto transitu se haut cogitasse. Cæterum sperasse, Palatinum tam absurdo postulato exteri Regis, qui merito negotiis Imperii se miscere haut debuerat, id repositurum fuisse: longe melius sibi cum Cæsare convenire, quam ut ob metum male fundamentum eorum præsidio uti debeat, qui palam in Imperio ferro, ac igne grassentur. Porro Palatinus responso suo, quod Krofeggio dederat, posuerat; se mirari, *pacatis* temporibus transitum per suam ditionem peti. Ad quod Elector reponebat: *Sane haut quidquam pacata tempora habenda, si consideretur, quomodo Galli per Cliviam, Marcam, Trevirensem, Leodiensem præsulatus, aliorumque Ordinum terras grassentur, & cum exercitu in media Germania consistentes ipsum lacessant. Sane Cæsarem, & Imperium non offendi, aut queri, si Gallus in suo Regno arma paret, aut copias contrahat; utut sæpe causa non defit. Quod si exteris permissum esse debeat, ubi Cæsar, & Ordines pro securitate Germaniæ vigilent, & ad propulsandam vim injustam militem cogant, intra fines Imperii irrumpere, ac istos ultro invadere, jam Imperii autoritatem, pacem, atque securitatem conclamatam esse; ac ni alia remedia opponantur, nil aliud superesse, quam ut quilibet ultro cervices jugo Gallico submittat. Equidem injuriam Gallicam sibi nunc primo loco incumbere; sed cæteros quoque mox paria experturos.* Igitur exercitui suo necessaria præberet, ne in Galli gratiam Cæsaris, ac ipsius sa- *7. Nov.* lutaria destinata impediisse arguatur. Palatinus inde Ottonem Sverinum Manheimum invitabat, ubi præsente Marchione Angauvio interrogabat; quo modo ipse meritus sit, ut sua ditio non solum a Cæsareo, & Electorali milite evastetur; sed & ansa præbeatur, ut Gallus quoque exercitu cis Rhenum ducto totum Palatinatum destruat? Ad quæ Suerinus: Si per Electorem stetisset, ne minimum quidem molestiæ ei inferendum fuisse; sed Gallum, dum Germaniam hostiliter invadit, necessitatem attulisse. Palatinus: Atqui Gallum sancte testari, sese Imperium haut impugnaturum, ac quamprimum Elector a Rheno recedat, suas copias idem facturas. Sverinus: cum iter Westphaliam versus instituerет Elector, Gallos itidem jactasse, si id omittatur, nec Turennio obviam procedatur, brevi inter ipsos conventurum. Sed haut eo secius in diversa abeuntibus exercitum ipsis objecisse, velut Cæsari, ac Electori nullibi in Imperio consistere liceat. Sermonem inde excepit legatus Gallicus:

1672. Gallicus: Isthoc iter Regi suo longe damnosius extitisse, quam quod versus Westphaliam institutum fuerat. Quam causam de Gallis querendi esse? Regem sanæ Cliviæ restitutionem offerre. Sverinus: Gallos multifariam Instrumentum Pacis violasse. Restitutionem Cliviæ sæpius promissam, nunquam repræsentatam. A Gallicis oppidorum Clivicorum præfectis Electorem indigne haberi. Gallus: initium ab Electore factum, dum Coloniensi, ac Monasteriensi provinciæ tributa imperat. Cæterum a Rege Cliviam utique restituendam, ac damnum reparandum. Id si non acceptetur, satis patere, istis in animo esse in Belgarum gratiam Imperium bello involvere. Concederent modo, ut Reges, ac Belgæ inter se soli decertent, ac spectaculo quiete fruerentur, nec Germaniam negotio ad se haut spectanti implicent. Cum Sverinus negaret, Germaniæ quietem constare posse, quamdiu bellum in Belgio duret, ac urbes Clivicæ Gallico milite insideantur; Gallus regerebat, Hispanos, & Belgas per octoginta annos bellum gessisse, cui nunquam Ordines Germaniæ sese ingerere voluerint. Sed ingens inter istud bellum, & quod in præsens geritur, discrimen esse, Sverinus ostendebat. Cum porro Sverinus Palatinum hortaretur, ut Cæsaris, & Electoris partes amplectatur, hic interrogabat; num norit, ubi terrarum Philipsburgum situm sit? Cæterum se nunquam Imperii partes deserturum. Alias Gallus declarabat; *Palatini Consilium.* si fœderatus exercitus omisso Rheni transitu retro abeat, Gallicum quoque exercitum in hiberna recessurum, quin inducias initurum spondente toto Imperio. Quas inducias, ac ut transitu Rheni supersedeatur, Palatinus multis rationibus suadebat. Rhenum transeuntibus prælii aleam subeundam; alias Turennii, & Condæi conjunctionem impediri non posse. Si cis Rhenum subsistant, Gallis prætextum præberi ad opima hospitia trans Rhenum invadenda. Gallo quoque favorem conciliari, qui alias tractatibus se pronum ferat, ni Elector ad Rhenum consistat. Nam nunc tractatus ei suscipere indecorum fore, velut per metum compulso. Agrestes cis Rhenum omne frumentum in loca munita congessisse. Eosdem quoque feroces esse, ac modicis catervis malum daturos. Suas munitiones periculum incursuras, ne in exterorum manus incidant, stipendiis defuturis, si reditus sui intercipiantur. Denique hoc modo belli sedem in Germaniam pertrahi, lætantibus Hispanis juxta, Belgisque, apud quos exigua benefactorum memoria sit. Contra si a Rheno discedatur, Gallo prætextum adimi, ac viam ad tractatus sterni; Palatinatum bono Germaniæ servari. Favorem omnium conciliari, quod pacis causa Gallo tantum fuerit indultum. Fœderatorum exercitui opima per Franconiam, & Sveviam hospitia parari. Si modeste agat miles, hunc exercitum a toto Imperio pro suo agnitum iri. Galli legatum cavere, eo casu Gallos in suo Regno hiberna capturos; ubi eum citius belli tædium subiturum sit sua consumentem, quam Electorem alienis fruentem. Respiciendum quoque Electori, quo res in Polonia, & Borussia evasuræ sint: nam Sobiescium Gallo studere. Si quid hic moveat, Electori ad tutanda propria abeundum fore. Denique digresso licet fœderatorum exercitu Gallis non integrum fore omnes copias in Belgium reducere, sed Alsatiam, & Lotharingiam iisdem observandam. Ad ista Elector respondebat: Dolore sibi, quod aliis molestus esse cogatur. Sed sibi utique sua conservanda esse. Quæ Galli jactent, seria non esse, quorum libido Rhenum, inde totam Germaniam subigendi indies magis pelluceat. Quod cum æque Palatino quam aliis intolerandum sit futurum, non istum minus quam alios ad id prohibendum incumpere par esse. Ut a Rheno recedatur non sui arbitrii esse, sed ea omnia provenire a ratione belli, qua subigente non magis vicinorum, quam propriis terris parcere liceat. Unde in malam partem ne acciperet, si utique sibi Palatinæ terræ sint tangendæ. Contra Palatinus: Se rogare, ne ipse ac vicini, qui negotio, de quo *22. Nov.* Elector queratur, sese haut immiscuerint, luere cogantur, quæ alii deliquerint; ac ne Elector ditiones suas rationi belli præter omnem rationem implicet, sed damnum reparet, idque in posterum prohibeat: Id quod legibus Imperii, Instrumento Pacis, ac juri gentium congruum sit. Enimvero Electorem non tam Palatini rationes, & querimoniæ, quibus damna a fœderato exercitu illata Ratisponæ, & apud singulos Ordines atrociter differebat, quam Montecuculi tergiversatio permovebat, ut omisso Rheni transitu retro in Westphaliam vertere institueret. Tamen velut id Palatino daret, ei scribebat; se affectu in ipsum, ac ne idem, aut alius quispiam de se querendi causam habeat, consilium ab ipso suggestum secuturum, ac transitum Rheni omissurum: ac sperare eundem quoque laboraturum, ut & Galli a Rheno in sua se recipiant, nec e suo discessu insigne emolumentum capiant.

§. 65. Enimvero isthoc Electoris itinere *Belgis ista itineris aversio haut placet.* non solum graves querelas movebant Ordines, quorum terras id tetigerat; quod omnes optarent Reipublicæ ab aliis consuli alieno periculo, & damno, ac nulla privata ipsorum jactura: sed & Belgæ eodem offendebantur, qui uno velut ictu ab Electore omnibus malis liberari cupiebant, haut contenti maximam copiarum Gallicarum partem isto itinere alio aversam. Unde cum Elector, negato ad Con- *14. Oct.* fluentes pontis usu ad Mœnum vertisset, isti expostulabant; id iter susceptum, antequam constaret, num ibi transitus copia futura esset. Ac si utique graves causæ eo tendere suaserint, Cæsareos Egra potuisse recta illuc ire, ut non necessum foret, dum in Halberstadiensem agrum flectunt, integrum mensem frustra terere. Saltem de ea mutatione significandum fuisse. Nec levius Arausionensis *18. Oct.* querebatur; per Kroseggium rationes exposi-tas, quare apud Confluentes Rhenus transeundus foret. Cum isthoc ita fore crederetur, in superiora Germaniæ itum obtentu negati a Trevirensi pontis, cum tamen hic vel vi sumi debuerit.

1671. debuerit. Ea spe suas copias jam iter versus Trajectum ad Mosam ingressas, ut ibi Electoris exercitui jungerentur. Hoc modo si is diversus abeat, nec in hostem rem gerat, grave damnum causæ communi oriturum, ac suam existimationem periclitaturam, qui populo tam prolixe de ejusdem auxilio pollicitus sit. Nec minus apud amicos juxta, & hostes sinistram opinionem orituram, si fœdus, & per Kroseggium facta promissa insuper habeantur. Se quidem omnem fiduciam in Electore reposuisse, quod & hactenus Resp. se sponsore fecerit. Ea spes si nunc fefellerit, ubi Resp. quam maxime auxilio opus habeat, hanc juxta ac se infelicem fore, nec subsidium pecuniarium amplius solutum iri, ac demum in desperata consilia ruendum. Ad ista Elector per Blaspielum demonstrabat: Non potuisse nisi extremis urgentibus, & summo cum discrimine invito Trevirensi pontem ad Confluentes perrumpi, inter duas munitiones situm: nec per leges Imperii ita fieri debuisse, ut bonarum partium Principi vis inferretur. Ad quæ Belgæ: se quidem de Electoris studio, & affectu non dubitare. Sed quia iter ex fœdere non in Westphaliam, ubi suo judicio Reip. optime consuli potuerit, sed longe a Belgio Francofurtum versus sumtum sit, & copiæ, quæ in Gallos rem gerere debuerant, trans Mœnum concesserint, Rep. ignara, ubi, & quid in hostem suscipiendum sit: sibi vitio verti non posse, si ad fœdus provocent, & ibi conventa repræsentari velint. Præsertim cum Reip indies facultas minuatur conventam pecuniam corradendi, ægrescentibus civibus ob aversum alio iter, & quod nil pugnæ conseri audiant. Quin multos jam fremere, quamdiu ab Electore in Westphalia res non geratur, subsidia postulari haut posse. Contra Elector demonstrabat: multum sane a se præstitum abstracto Belgarum cervicibus Turennio cum præcipuis Gallorum copiis: Quo ipso facultas iis præbita sit Leodienses Gallorum societate avertere, & nonnulla in Gallos tentare. Et adhuc Turennium, & Condæum cum primariis Galliæ viribus adversus se consistere. Se quidem nulli labori, curæ, aut sumtui pepercisse, ad id in tam potentem hostem suscipiendum, quod belli ratio exegerit. Sed quod iter in Westphaliam, uti fœdere conventum, directum non fuerit, non sibi, sed infausto Reip. fato, ac scævæ rerum apud ipsos administrationi imputandum. Nam antequam pecunia conscribendo militi plene exsolveretur, omnia munimenta ad Rhenum, & Isalam in hostium manus concessisse, nec ad limitem Westphaliæ vel unicum locum restitisse; cum tamen conventum fuisset, XXX M militum ibi præsto fore, suo exercitui jungenda. Haut eo magis Belgæ fremere desinebant: per Westphaliam longe commodius ad Rhenum, quam sumto Francofurtum circuitu, perveniri potuisse, ubi juncto Belgico milite egregium operæ pretium fieri potuerit. Amissis licet ad Rhenum, & Isalam oppidis Electorem ratihabitionem fœderis permutasse & auctoramentum accepisse, nulla circa agendi modum exceptione facta. Belgico licet, ac Hispano milite in campum progresso obtineri non potuisse, ut Electoris exercitus ei jungeretur. Denique nemini e Reip. rectoribus hactenus penetrare datum, quid auxiliariis copiis in Reip. utilitatem suscipere animus sit. Sed cum prius dicta ingererentur, demum dicebant: Electorem Reip. insigne amicitiæ specimen exhibuisse, quod inter adversa eam destituere noluerit; par tamen fuisse, tam egregio cum exercitu hostem acrius urgeri. Nec dissimulabant, supra Reip. vires fore subsidia ulterius exsolvere, ni acrius res geratur, eaque in talem statum reponatur, ut ejusdem fides apud cives gliscat pecuniis mutuo sumendis: quæ defuturæ non sint, si Elector in Westphaliam regressus Gallos, ac Præsules aggrediatur. 1671.

14. Nov. (margin, beside "narum partium Principi vis inferretur")

§. 66. Nec minus legatus Belgicus Amerongius Francofurti scripto querebatur; *Sæpius nosse voluisse, quo Elector arma convertere in usum boni publici velit, quod ea non ad præscriptum fœderis administrari videat; sed nunquam liquido responso potiri potuisse. Equidem satis agnoscere, ob mutatam rerum faciem conventis ita ex amussim stari, & quæ animo agitabantur, executioni dari haut potuisse; postquam Halberstadio moventibus nuntiatum esset, Turennium cum XXX M superato Rheno per Essenam Lipstadium versus tendere. Duos tamen menses jam elapsos nulla hostilitate suscepta, nec annonæ interceptione terra ac fluminibus tentata; cum tamen ea causa itineris a Visurgi ad Mœnum aversi ferretur. Quin si Rhenum, ac Mosellam capessere placuisset, in proclivi fuisse CLXXX M modiorum frumenti intercipere, quæ hosti e Franconia per Mœnum subvehebantur. Ea flumina ni occludantur, ipsi occasionem fore in futuram hiemem sibi de omnibus necessariis continuando bello prospiciendi, quod alias brevi in tutam pacem desiturum videbatur, incassum sumto tam molesto itinere, quo multi Protestantes Principes gravi damno mactati sint. Igitur se scriptam declarationem expetere, quid Elector implendo fœderi, & ad nocendum hosti suscipere decreverit, quo Reip. alacritas persistat pecuniæ solutionem, non sine molestia hactenus expeditam, continuandi: simul ut ipse rectoribus Reip. adprobare queat, officio se suo haut defuisse; quois alias displiceat, hactenus nihil juxta conventa actum, nec adhuc suscipi, ac parum temporis hoc autumno ad rem gerendam superesse.* Ad quæ ab Electore responsum: *Causas huc aversi itineris dudum ipsi, ac per Kroseggium Arausionensi demonstratas. Magno cum labore, paribus sumtibus per difficillimas vias cælo semper pluvio gravibus cum machinis se huc demum eluctatum, ubi sedulo sat agat suscipere, quæ ex usu Reip. sint. Moguntinum post varias motas difficultates demum in cupita consensisse, & nunc manum struendis pontibus admoveri. Exercitui in cujus conservatione summa rerum vertatur, a tam molesto itinere aliquot dies ad quietem fuisse indulgendos. Sibi optandum fuisse, ad Confluentes Rhenum potuisse transiri: sed Trevirensem id constanter abnuisse. Omnia a se facta, quæ pro captu rerum fieri potuerint; nec argui mereri haut impleti fœderis,*

Legati Belgici querimonia. 10. Oct. (margin, beside §. 66)

13. Oct. (margin, beside "quæ ab Electore responsum")

1672. *doris, quod dum condebatur, quæ post evenerunt prævideri non potuisse; & cum penes se non fuerit tempora, ac res ad placitum suum disponere, actiones temporibus fuisse accommodandas. Si proprii commodi potior, quam Reip. respectus fuisset, facile licuisse tam molesto itinere supersedere, ac in Westphalia Præsulum ditiones tributis subjicere; quo ipso tamen cum ad summam rerum parum profici, nec Rhenus attingi potuerit, suadente ratione belli aliam viam fuisse ingrediendam. Quæ & fructu non caruerit majore hostium parte ex Hollandia in Germaniam pertracta; unde Belgis facultatem natam in Frisia rem bene gerendi; suis contra ditionibus gravi calamitate obrutis. Unde sperare Belgas his probe expensis facile contentos fore.* Simul postulabat, ut sibi super quatuor militum millibus, quæ supra conventum numerum habeat, satisfiat; tum ut subsidia accurate solvantur, quod per eorum moram sibi pecunia integris satrapiis pignori oppositis
21. Oct. mutuo sumenda fuerit. Paulo post Amerongius denuo querebatur; post octodecim dies quieti datos nondum transitum Rheni parari; ac tot mutationes fieri, quarum rationem comprehendere haut possit. Interea multum temporis elapsum frustra fatigato exercitu, cui mox hiberna sint circumspicienda, nulla plane re gesta: quo ipso plebis juxta, ac procerum animi in Hollandia non parum ægrescant. Sane si ob commune bonum a pacti verbis discedendum fuerat, id cum consensu Reip. fieri debuisse. Quæ judicet, si citra moram in Westphaliam processum fuisset, contra fatigatos Gallos ingens operæ pretium potuisse fieri; qui nunc per istas moras se refecerint, ac recentibus copiis e Gallia firmati sint, ac ita pedem fixerint, ut ægre inde dimovendi sint. Igitur pressius nosse cupere, quid Elector suscipere
22. Oct. decreverit, quo Belgæ ad id res suas disponere queant. Ad quæ responsum: omnia facta, quæ intra vires fuerint. Quæ transeundo flu-
Webbenum. mini requirantur prius parari non potuisse. Veniebat mox ab Arausionensi Webbenumius tribunus, qui Electorem impelleret, ut superato Rheno apud Coloniam stationem capesseret; ubi facile sit ei futurum cum ipso se conjungere, ac Gallos Regno suo disclusos ferro ac fame urgere, simul Hispanis animos ad pacem cum Gallo abrumpendam addere, ac Leodienses vacillantes in bonas partes pertrahere. Esse quoque iis locis annonæ affatim, quæ alias per hiemem in Gallorum usum cessura sit. Tum ne Mœnum, sed infra Moguntiam Rhenum transiret, accelerando negotio. Ad quæ Elector: omnem operam impendi superando Rheno. Mœnum fuisse transeundum, quo laxior annonæ copia foret, ac melius observandis hostium motibus, ad quos & sibi sua consilia attemperanda sint.

Elector omisso Rheno in Westphaliam tendit. §. 67. Enimvero cum jam omnia transeundo Rheno apud Niersteinum parata essent, consilio habito Montecuculus ab eo negotio abhorrere se ostendebat, quod Turennius, qui jam Treviros processerat, junctis cum Condæo copiis occursurus sit, quicum prælium declinari nequeat, quorum utrique pares futuri non sint. Tum ob imminens a Turca periculum haut longe nimis ab Austriacis ditionibus sibi digrediendum. Ac revera eidem mandata non erant ad manus cum Gallis conserendas, quæ demum in Westphalia post accepit, a Lobcovicio Principe suppressa, qui omnem cum Gallo collisionem declinabat. Sane cum jam serio pons superandus esset, Moguntinus literas ad se a Lobcovicio scriptas producebat, queis dissuadebat, *ne fœderatos Rhenum transire pateretur. Id enim Cæsarem haut velle; sed huic in iter legionum consentiendum fuisse ad amoliendas acres Anhaltini Principis solicitationes.* Quæ literæ ad Cæsarem transmissæ haud inter postremas causas fuere, quare post Lobcovicius gratia Cæsaris, ac functione, quam in aula hactenus gesserat, excideret. Cæterum & Moguntinus serio dissuadebat, ne quid trans Rhenum tentaretur, quod Ordinibus quærelarum causam præbere possit. Alias saltem Palatinum aperte Galli partem amplexurum: ac satius fore ad Inferiorem Rhenum rem gerere. Igitur placuit in Westphaliam ire compescendo Coloniensi, & Monasteriensi, ubi & pro captu Belgicis se copiis Elector juncturus erat. Ast Amerongius, qui hucusque semper institerat, ut in Westphaliam iretur, nunc id dissuadebat, ac ut Rhenus, & Mosella utique in potestatem redigeretur urgebat, ad quod deinceps occasio defutura sit. Tum ab Electore Wormatiam, Crucenacum, Bingam, Hœchstam, Treviros, & Confluentes occupandos, ac Lotharingiam cum tribus Præsulatibus, Meti, Tullo, ac Viroduno tributis subjiciendam. Quo ipso & Electores ad Rhenum, qui in Gallum inclinent, coërceri, ac exercitui opima hiberna parari posse, prona cum Arausionensi ubi placuerit conjunctione;
ac missa in Westphaliam equitatus parte hostes 4. Dec.
ibi satis compesci posse. Ipse quoque Arausionensis, qui apud Trajectum ad Mosam XXIV. M. stativa habebat, ut trans Rhenum iretur urgebat; quod itinere in Westphaliam vicinis, ac cumprimis Luneburgicis suspicio injicienda foret. Aut si utique Elector cum ipso se conjungere nollet, missa in Westphaliam copiarum parte cum reliquis in Alsatiam iret. Sed cum ita longe a ditionibus suis Electori discedere haut placeret, subigentibus & aliis causis, in Westphaliam vertebatur. Scribebat post Amerongius Electori, se se Arausionensi omnia ejus expeditionis acta retulisse; qui & satis perceperit impedimenta, quæ subinde enata sint, quo minus omnia effici potuerint, prout sibi persuaserint præjudicio occupati, & queis secreta rerum parum perfecta fuerint; eidemque Electoris rationes plane probatas. Porro cum in Westphaliam ire placeret, Elector Suerinum ad Moguntinum misit, qui huic proponeret; Quoniam exercitu suo his oris digresso Cæsaris, ac Imperii maxime interesit, ne Gallo plus commodi ad Rhenum nascatur, id quod hic vario obtentu quærere haut omissurus sit, forte & per vim uno & altero loco in potestatem redacto; igitur se istius sententiam exquirere, quomodo periculum id avertendum sit; & an non placeat super ea re conven- 1672.

1672. conventionem cum ipso, & Monteculo inire? Ad ista Moguntinus: a Cæsare, ac Imperio sese haut disjungendum. Sed quia sequestris munus susceperit non sine spe pacis per id restituendæ, in præsens ulterius a se procedi haut posse. Sed si pax non coalescat, sine dubio bellum sequenti vere acrius exarsurum. Quo casu summopere suadere, ut Colonia in potestate habeatur. Nam in hac, ut & Moguntia, & Confluentibus ad Rhenum bellum gesturis fundamentum collocandum. Mature quoque granaria ad Rhenum struenda, cui usui ipse sua oppida sit præbiturus. Moguntiæ munitiones eo usque processisse, ut hac hieme ei nil metuendum sit. Si a Gallis invadatur, statim se hostilia in eos sumturum, ac sperare Cæsaris, ac Electoris auxilia sibi præsto futura. Ista tamen silentio premi petebat, ac a Suerino potius simulandum, se non sine offensa discedere. Eadem Moguntinus testabatur, cum Elector ei valedicturus Moguntiam veniret; qui de suo auxilio vicissim eum securum esse jubebat.

Electori ab aliis Imperii Ordinibus nihil auxilii est.

§. 68. Cæterum Electori isthæc expeditio longe molestissima fuerat, quod & Montecuculus variis artibus destinata ipsius eluderet, & Belgæ contra ut in Gallos rem gereret, subinde instarent, subsidiariæ pecuniæ solutione inhibita; simul Ordines, per quorum terras transeundum erat, gravas querimonias cierent; cæteri pro bono publico nitentem nullo auxilio sublevarent. Sane quid ab universis Ordinibus sibi sperandum foret, facile intelligi poterat ex iis, quæ ante susceptam expeditionem cum Moguntino acta erant, cui alias pro communi Germaniæ bono insigne studium fuerat, & ob munus, quod gerebat, non modica Ratisponæ autoritas. Ad eum Elector Marenholzium Ratispona miserat, qui de hostilibus per Gallos in Clivia exercitis exponeret, & quid facto opus sit exquireret, postquam Ratisponæ nihil ad conservationem communis quietis agatur, insuper quoque habito, quid sibi fiat. Ad quæ Moguntinus: *Magno se dolore perfundi, quod super præsenti rerum statu, & quomodo imminenti periculo sit occurrendum, Ratisponæ ne verba quidem fiant. Se quidem nihil omissurum, quod sui sit officii. Haut dubium, quin Instrumentum Pacis violetur per ea, quæ a Gallis in Clivia adversus totiens repetitas regis testationes patrata sint, quæ ab Ordinibus velut universum Imperium tangentia considerari debeant. Æquissimum esse, ut occupata loca restituantur, & Electori pro illatis damnis satisfiat*; (etsi num satisfactio a Gallo, an a Coloniensi, & Monasteriensi fieret, in medio relinquebat.) Ac suadebat, ut is de eo Ratisponæ ad Ordines referret, & nulla de Belgarum bello mentione facta quereretur, quid sibi, suæque ditioni obtigerit. Idem Marenholzius paulo post ad eundem remissus de Gallorum grassationibus plura exponebat, & uti Vauguionus tantum non bellum Electori indixerit, si cum exercitu in Westphaliam tendere pergat. Sane actum esse de Germaniæ libertate, ac Ordinum dignitate, si Gallo impune sit cum ipso primariæ dignationis Principe ita egisse. Ista si cæteri otiose spectent, a se quidem malorum initium fore, sed quæ & istos mox oppressura sint. Inde auxilia ex Unione Electorali petebantur, de quibus repræsentandis etiam cæteri, excepto Coloniensi, moniti fuerant. Moguntinus ad ista de dolore suo testari; officium offerre. Auxilia mitti non posse, quod ipse Gallo fidem dederit, se in partem belli Belgici haut venturum; nec tutum sibi istum irritare. Militem quoque & facultates talia conanti necessarias in promtu non esse. Ditiones suas ita positas esse, ut semper velut in excubiis hinc a Gallo, inde a Palatino standum sit. Moguntiam quoque defendi haut posse, cœptis operibus nondum absolutis. Spem esse, neminem a se postulaturum, ut Gallo se opprimendum præbere debeat. Quod in præsens suadeat nil aliud habere, quam ut Imperium hanc causam velut communem amplectatur; quo ipso Gallus sine dubio ad æquiora permovendus sit. Se mirari, ab Electore Ratisponæ nihil moveri, cum Gallus ibi ultro querelas cieat. Ibi se Electoris desideria omni studio fulturum, ut Imperium officium interponat. Eo si nil proficiatur, nil aliud superesse, quam ut dudum decretus publicus miles contrahatur. Se Cæsari, Imperio, & Electori utiliorem operam navare posse, si ipse in præsens medium se gerat, quam si in partes descendat, & auxilium parum ad summam rerum profuturum mittat. Ac Electori jam antea sat copiarum esse. Addebat, cum Cæsar hac declaratione adquiescat, spem esse, Electorem ab ipso haut plura exacturum.

25. Jun. · 8. Jul. · 3. Sept.

Ratisponæ scriptis incassum certatur.

§. 69. At Ratisponæ usque adeo ad summam rerum nihil proficiebatur, ut etiam multi conatus Electoris pro bono publico sinistris judiciis notarent, ac fœdus Cæsaris cum Electore velut legibus Imperii adversum, & Germaniam bello implicaturum arguerent. Quo nomine Coloniensis, ac Monasteriensis scripto apud Electorum, & Principum collegia exhibito Cæsarem, & Electorem accusare non erubuerant. Etsi ista impudentia tunc verbis duntaxat retunderetur, ultione in futurum dilata. Plerique periculum quasi ad se haut spectans, aut longius remotum segnius æstimabant, aut fucatis Gallorum dictis, male tutis securitatis pignoribus, aures præbebant, Cravellio legato Gallico multis verbis Ratisponæ perstrepente, a Rege suo nil noxæ Imperio inferendum; quo ipso tempore Gallicus miles per Cliviam omni hostilitatis genere grassabatur; quam velut litigiosam a Rege in universi Imperii manus consignandam jactabat. Et cum hic ingentem exercitum mediæ Germaniæ infudisset, haut eo minus eidem pacem Germaniæ tutari studium esse ferebat; quam ab Electore infringi contendebat circa sua tantum servanda solicito. Quam accusationis impudentiam nostri Ratisponæ acri scripto refellebant; etsi & ipsa rerum evidentia isthæc ultro destrueret. Ac dabat ipse Elector ad conventum Ratisponensem literas, quibus querebatur; *Sibi aliquandiu non sine patientia audiendum fuisse, uti non solum a Gallo, ejusque sociis, sed & aliis Ordinibus Cæsari, ac sibi objectum sit, velut præter necessitatem arma induxerint, cum* 1672.

25. Aug. · 16. Oct.

1672. *nullum Germaniæ periculum metuendum foret. Sibi sane optandum fuisse, eas exprobationes ipso æventu comprobatas, ac tam sumtuosam expeditionem a se incassum susceptam. Enimvero quid hostilitatis Galli in ipsius ditiones Westphalicas exerceant, verbis exprimi haut posse. Cliviam acrius premi, quam subacta in Belgio loca. Gallos ibi nullo pudore crepare, Electorem non amplius earum ditionum dominum esse, ac eos, qui istum adhuc Principem agnoscant, hostium, ac rebellium loco deinceps habendos: Galliæ Regem solum ibi imperio potiri. Ac ejus rei specimen Emmerici exhibitum, Consule, qui ad Electorem provocarat, in obscurum carcerem conjecto. Et cum provinciales ostenderent, supra vires esse, quæ imperentur, a se præstari; a Gallis responsum, talia ad ipsos perdendos exigi. Insuper magnam Westphaliæ partem Gallorum itineribus, ac stativis exhaustam. Sane nunc ab omnibus perspici, quam nihil fidei sit adhibendum verbis Gallorum magna cum asseveratione perstrepentium, sibi haut in animo esse Germaniam bello implicare, aut invadere; cum Turennius paucos ante dies scripserit; sibi ad investigandum Cæsareum, & Brandenburgicum exercitum ad Lanum fluvium esse procedendum. Ac Gallos protinus eo vertisse, ac duas catervas explorandis viis a se emissas a decuplo validiore istorum manu non sine cæde pulsas. Ea super collisione se per literas apud Turennium questum: suas copias jam bina vice a Gallis ultro impetitas media in Germania. Id quomodo cum testationibus Regis super servanda Germaniæ pace quadret, se haut perspicere; præterquam quod acerbæ hostilitatis specimina quotidie in Clivia exerceantur. Ad quæ a Turennio repositum: Quia Rex de motu exercitus Electoralis intellexerit, id aliter fieri non posse. Incendia per Cliviam injussu Regis facta, ac autores pœnas daturos. Regem quoque Stradæ gubernatori Vesaliæ scripsisse, quia Elector non solum hostilia adversus catervas Gallicas ad Lanum exercuerit, (quorum tamen initium a Gallis factum erat,) sed & ducentos equos Gallicis mercatoribus eripuerit, qui velut alta pace sine literis tuti itineris Confluentes tendebant; igitur protinus Cliviam tributis bellicis subjiciendam; quæ jam dudum exacta fuerant, antequam ista contigissent. Atqui Cæsari, ac sibi haut aliud propositum, quam fines Imperii tutari, ac sua servare. Et quanquam facilius, ac forte majore cum fructu iter in Westphaliam recta sumi potuerit; tamen quia nonnulli id iter eo nomine dissuaserint, ne res ad bellum deduceretur, quod tunc Gallicus exercitus ibi metaretur, iter huc vertisse, nulla querelarum causa Gallis præbita, velut per se pax in Germania abrupta fuerit. Sed cum Galli his insuper habitis omnia ad pacem evertendam faciant; se confidere, Ordines ad avertendam malorum seriem, quæ isto initio proventura sint, dudum decretum militem pro securitate Imperii Cæsareo, ac ipsius exercitui juncturos; ut exteris pulsis pax Germaniæ vindicari queat.* Enimvero ista omnia incassum movebantur. Nonnulli aperte Gallis favebant; apud nonnullos invidia in Electorem pellucebat; Saxone quoque jus suum in Clivicas ditiones sibi reservante, qui & Suecis promiserat, se manus bello Belgico plane abstenturum, quod sibi haut cordi sit. Omnes nil sibi hac de re in mandatis esse excusabant. Quin nunquam id negotium ad justam consultationem deduci poterat. Sed nec solitus ibi lentor maturi quid auxilii promittebat, dum non nisi longo molimine tot capita diversis respectibus, ac studiis in unam sententiam adducuntur, segniore adhuc conatu circa decreta utcunque exsecutioni danda. Plerique amicam interventionem ingerebant, e qua tamen causa Belgica excludenda sit, unde turbæ in Imperium promanarant, & quam sustineri Germaniæ, ac totius Europæ plurimum intererat; & per eam id quærendum, ut Elector restitutione suarum provinciarum, ac damni reparatione potiatur: sed de auxilio nullum verbum. Ast Cæsar ab universo Imperio suscipiendam interpositionem adspernabatur; etsi alias non repugnaturus esset, quo minus aliquot Electores, & Principes peculiariter officium suum offerrent. Moguntinus tamen Electori significabat: universum Imperium apud Reges operam bello componendo oblaturum. De quo cum Amerongius ad Belgas retulisset, hi responderunt: cum ipsi ante bellum tam enixe pacem quæsierint, haut credere hanc Regibus in præsens cordi esse. Unde talia incassum proponi, sistendis fœderatorum armis, ac ut inter eos diffidia serantur. Et propositas a Regibus conditiones satis arguere, quæ destinata Gallus animo volvat. Igitur de pace haut loquendum, quæ non plenam suæ Reip. ac sociis securitatem præstet. Post & cum Alexander Spanius Lipstadio in Coloniensem ditionem excurrisset, hujus legati, succinentibus Monasteriensibus, Ratisponæ magnum tumultum excitabant, ac Electorem velut turbatorem Germaniæ, & publicum grassatorem differebant. Quorum clamores tamen nostri suppressere prolixo scripto demonstrantes, *quam enixam operam Elector navarit, ne incendium id surgeret, ac ut idem, cum jam erupisset, iterum restingueretur. Uti etiam is Præsules antea solicite monuerit, ne Gallico se fœderi innecterent, nec viam invadendo Belgio Regii sternerent. Et cum Coloniensis instinctu pravorum ministrorum oppida, ac ditionem suam Gallis parando bello commodasset, Electorem mala inde oritura serio ingessisse, protestatione adversus eos conatus interposita. Sed his insuper habitis Præsules mox Gallis copias junxisse, ac hisce viam in Electoris provinciam aperuisse, in qua & istæ atrocius, quam ipsi Galli, grassati sint. Quibus factis pacem Westphalicam revera violatam, quicquid Gallus sociique verbis in contrarium testentur, in aprico esse. Adversus talia officii sui fuisse tutandis suis provinciis arma parare, ac juncto cum Cæsareis exercitu versus ea loca progredi, ubi hostium vis ingruebat, ut tamen ultro nullam hostilitati occasionem præberet. Ex eo tempore Præsules eam expeditionem bono publico susceptam gravibus calumniis ubique distulisse: hostilia immensum intendisse; rapinis, incendiis, cædibus, stupris, sacrilegiis barbaro more magis quam in hostico sæviisse. Et adhuc dubitari, penes quem culpa turbatæ pacis resideat? Sane a Coloniensi loca ad Rhenum Gallo tradita, citra quæ bellum vel plane omittendum, vel saltem e* 1672.

 Ger-

1672. *Germania Belgio infundendum non fuerat; consiliis bellicis Monasteriensem, & Furstenbergios interfuisse; copias cum Gallis sociatas. Ex quo infinita mala ditionibus Electoris, & aliorum Ordinum provenerint. Præfectos Gallicos publice professos, omnia onera, ac mala Electoralibus civibus unice illata intuitu Præsulum tanquam Galliæ fœderatorum. Sane incendia per Cliviam data, ipsi Turennio improbata, Stradam non alio colore excusasse, quam quod paria ab Electoralibus in Hildesiensi præsulatu patrata fuerint; cum tamen heic ne tugurium quidem incensum fuerit. Electoralibus quoque transitum per Hildesiensem ditionem negatum, qui tot millibus exterorum per Coloniensem præsulatum indultus fuerit. Fœdus inter Cæsarem, & Electorem tutandæ paci initum a Præsulibus in ipso Ordinum Imperii consessu contumeliosis verbis traductum; cum ipsos Gallico auro emtos alieno bello patriam involvisse constet. Per Cliviam instinctu Coloniensium destructis tot arcibus, ac munitionibus plurimum damni datum, ac Protestantibus circa sacra sua molestias illatas, quorum templa non pauca per Colonienses Sacerdotes Romanis ritibus iterum consecrata fuerint. A Monasteriensi denique Clivicam pacem, sponsoribus Cæsare, ac Electore initam, proterve violatam, ac Electoralibus legatis, ad istas turbas avertendas missis, ne alloquium quidem concessum. Quæ omnia non Electoris solum armis, sed & universi Imperii castigatione vindicari mereantur.* Ista uti plerique sterili assensu prosequebantur; ita omnes mala ista velut aliena adspiciebant. Sed & Cravellus fœderis formulam adornaverat, Rhenano fœderi haut multo absimilem, ad quam Ordines ambitiose invitabat; haut alio fine inventam, quam ut Germania eversionem Belgii otiosa spectaret. Circa quod fœdus commendandum cum Suecicus Ratisponæ Legatus Reinoldus Blumius magnopere satageret, Sueci post, cum Cæsar, ac Elector ea de re quererentur, id suo jussu factum inficiabantur, eumque statione ista dimovebant.

Cum Bavaro expostulationes. §. 70. Quid etiam cum Bavaro peculiariter actum fuerit, quem Furstenbergiorum consilia ea tempestate plane in transversum egerant, adducere haut abs re fuerit. Is per literas

14. April. Electori amicitiam Coloniensis commendabat, ac ne is bello Belgico se misceat: simul receptas ab hoc intra sub oppida Gallicas co-

1. Maji. pias excusabat. Cui Elector: exteros intra oppida admissos toti Germaniæ, ipsique recipienti periculosum. Et quia Belgæ æqua omnia offerant, litem circa Rheinbercam commodiore via, ipso quoque Cæsare annitente,

5. Oct. componi posse. Idem post Electori scribebat: Quia Gallus restitutionem Cliviæ offerat, ac Ratisponæ super interventione agatur, ne Elector rem ad extrema deducat, suo quoque officio,

16. Oct. ut huic satisfiat, oblato. Ad quæ Elector: Quæ a Gallis in Clivia patrentur, desiderium pacis hautquidquam arguere. Ac petere se, ut is quoque Ratisponæ conniti velit, quo totum Imperium eam causam suscipiat, ac ut non sibi solum satisfiat, sed ut bellum in Belgio componatur, operam navet, quod quamdiu flagret, Germaniæ quies constare nequeat. 1672.

Post cum Gallus indies infestius sæviret, Elector a Bavaro ratam copiarum partem exhiberi postulabat, quæ ex decreto Ratisponæ condito ad securitatem Imperii ei assignata

fuerat. Id postulatum sibi inopinum accide- 6. Nov.

re Bavarus respondebat, cum negotium de securitate Imperii Ratisponæ nondum absolutum, nec Gallus, aut socii decreto Ordinum, uti necessum sit, hostes Imperii judicati fuerint. Quin & insolitum, singula Imperii membra ab aliis in auxilium evocari. Interventionem Imperii probe successuram, modo aliena negotia ne admisceantur. Cui vicissim Elector: Jejunum id esse a collega solatium. Auxilium a se expetitum non ob ea, quæ Ratisponæ super Imperii securitate agitata sint, quibus forte nunquam colophon imponendus; sed ob Unionem Electoralem, & quia membra unius Reip. sibi mutuo subvenire par sit, ubi communis libertas, dignitas, ac salus periclitatur. Et cum hostilia in se, ac totum Imperium a Gallo exerceantur, nemini inopinum videri debuisse, si recuperandis suis ditionibus Collegæ auxilia exposcantur. Cui enim usui leges publicas, & vinculum inter Ordines? Ac solvi compagem Imperii, si cuilibet Ordinum propriis duntaxat viribus nitendum sit. Ac longum fore expectare, quoad Gallus Ratisponæ hostis judicetur; cum pars Ordinum ei fœderibus sint innexi, alii per metum sententiam dicere non audeant. Se quidem nunc a reliquis hosti in prædam exponi; sed oppressionem a se cœptam ad alios mox transituram; ac forte brevi multos frigus suum, ac languens pro patria, ac nobili libertate studium gemitu deinceps sero prosecuturos. Exprobrabat etiam a Bavaro propositum de Clivicis ditionibus in sequestrum mittendis, cum utique Gallo in eas nil actionis sit. Quo fine igitur iste indubium ipsius dominium in sequestrum mutari sinat, & quidem ad belli usque finem, qui animo prospici non possit? Ad quæ Bavarus nil aliud respondebat, quam eas literas nimis aculeatas fuisse. Sub initium tamen sequentis anni Schulenburgius Baro ad Bavarum missus est, latius demonstraturus, *uti Elector a Gallis hostili modo habitus sit, etiam antequam Berolino se moveret; utque is ex Unione Electorali auxilia sibi submitteret. Quæ enim Galli de restitutione oppidorum, ac damni reparatione jactent, inania verba esse; & eventum tractatuum incertum, ac in longum prominere. Exitiabile quoque Germaniæ fore, si a Gallo Belgium subjugatur; nec Electorem per obligationem erga patriam pati posse, ut Gallus Imperio velut laqueum circumponat, attrahendum, quandocunque libido subierit.* Ad quæ Bavarus auxilii missionem excusare, *quod alias obeundo sequestris muneri a se suscepto inhabilis futurus sit, ac idem se Coloniensi quantumvis agnato, & Monasteriensi abnegasse. Cæterum viam Electori patere, qua honeste his molestiis exire possit; ac constare sibi, a Gallo æquas conditiones oblatum iri, quæ ne repudientur vehementer suadere. Ac si proposita a se interpositio admissa foret, tot damna, & querelas declinari potuisse, quibus Electoris expeditio causam dederit.*

Bava-

1672. Bavarici ministri, ac præcipue Hermannus Furstenbergius, disserebant: *Non posse a sequestris munere discedi, antequam pax tentetur, ac num Gallo cordi sit æquas conditiones admittere; inprimis cum Coloniensis, & Monasteriensis non minus auxilium exposcant, ac ipsi Belgæ fœderatos suos, Cæsarem, Hispanum, atque Electorem arguant, quasi concedere nolint a se tractatus pacis, aut induciarum suscipi. Electoralem Unionem statuere, ut amica prius remedia tententur, quam auxilia exhibeantur. Potuisse Electorem citra fraudem admittere temperamentum a Bavaro propositum, ut oppida Clivica, antehac Belgarum præsidio infessa, quibusdam Imperii Principibus extra partes positis usque ad finem belli traderentur, eodem modo uti Belgæ fecerint obtinenda. Id quod non sequestrum, sed depositum habendum fuerit. Præterea nullam in Coloniensi culpam hærere, quod Galli per ejus provinciam transitum ceperint, quem is impedire non valuerit; quem & ipsi Hispani indulserint. Si Gallis licuerit in eadem provincia penum struere, idem nec Belgis prohibitum fuisse. Penes ipsos Belgas culpam hærere, quod Coloniensi, ac Monasteriensi Gallica amicitia quærenda fuerit; cum nec medio statu hos frui vellent, nec ob detentam Rheinbercam, & eorundem contemtum mererentur, ut iidem in istorum partes transirent.*

Circa fœdus Brunsuicense ictū. §. 71. Quia igitur ab universis Electori nil auxilii expectandum erat, a singulis ut præsidium sibi circumponeret cura erat. Unde ipso invitante legati a Cæsare, Daniæ Rege, Cellensi, ac Guelferbytano Ducibus, & Landgravia Cassellana Brunsuigæ convenerunt, fœderi mutuæ defensionis adornando. Ubi tamen nihil profici poterat, quod ad præsens Electoris institutum faceret. Nam Cellensis aperte profitebatur, se in Belgicam causam haut descensurum, nisi accepta pecunia: de qua apud Brasserum ablegatum Belgicum, qui ei conventui intererat, altum silentium. Eandem sententiam fovebat Danus; ac uterque sibi persuaserat, se a Belgis parum curari, postquam Cæsar, & Elector ipsorum partes amplexi essent. Sed & Cellensis id fœdus adversus Gallum, eique fœderatos Præsules porrigi nolebat; quod ad hoc omnium Imperii Ordinum consensu opus sit, ac ne occasio præbeatur bello in Germaniam pertrahendo; nostris ingerentibus, a conservatione Reip. Belgicæ incolumitatem Germaniæ pendere. Ad extremum tamen Cellensis in Belgici negotii partem venire volebat, si & Danus idem faciat, & Belgæ pecuniam depromant. Et jam conventio istius cum Belgis ad XX M uncialium hærebat. Unde nostri acriter cum Brassero expostulabant, ob tantillam summam tantum negotium infectum manere; præsertim cum fœdere cum Electore cautum esset, ut Brunsuicensis Domus in partes trahatur. Nec minus difficilem se Daniæ Rex exhibebat; qui id fœdus non ad ea, quæ jam contra Instrumentum Pacis facta sint, sed ad futura duntaxat valere, eoque nil sibi cum iis, quæ in Clivia contigerant, negotii esse volebat. Quæ cum & Cellensis mens esset, ab utroque parum sibi auxilii expectandum Elector perspiciebat. Joannes Fridericus Hannoveranus Dux cum invitaretur, excusaverat, se neque Cæsari, neque Electori, nec fratri posse fidere, eoque alia sibi præsidia circumspicienda. Cassellana quoque Clivicum negotium suscipere abnuebat, causata, ditiones suas cominus periculo expositas. Sed & Cæsar Hungariam huic fœderi includi volebat; id quod cæteri omnes abnuebant. Demum tamen id negotium ad finem utcunque perducebatur, ac fœdus inter Cæsarem, ac Electorem heic tantum interpolabatur nonnullis exclusis, ac ad defensionem Imperii restringebatur, cum istud revera defensionem Belgii spectaret. 12. Sept. Ejus capita erant; *Ut fœdus nullius offensionem, sed meram defensionem spectet, ad normam Pacis Westphalicæ, legumque Imperii; ac ut omnis injuria, vis, stativa, & molestiæ belli fœderatorum ditionibus arceantur. Eo fine fœderatis X M. D. equitum, XXI M peditum in promtu fore; ad quem numerum Cæsar, Danus, & Elector ter millenos equites, sex millenos pedites, Cellensis DC equites, M CC pedites, Guelferbytanus D. equites, M pedites, Cassellana quadringentos equites, octingentos pedites præberent. Hæ copiæ si non sufficiant, de augendo eorum numero conveniendum. Addebatur de modo rei tormentariæ. Ubi fœderatorum cuipiam officium apud aggressorem interponere placeat, haut eo secius conventum militum numerum ab eo exhibendum. Nemini liceat separatim cum hoste pacem, aut inducias inire. Ubi duo, pluresve simul invadantur, inter fœderatos conveniendum, utri potius, & quantum auxilii ferendum. Nemini liceat missas semel copias revocare, ni ipse domi invadatur; ubi tamen de consilii sententia statuendum, quid eo casu agendum. Si quis fœderatorum alteri fœderato ex alio fœdere auxilia debeat, ex uno tantum fœdere auxilia præstabit, optione penes requirentem relicta, ex utro fœdere auxilia sibi præstari malit. Addebatur de imperio in conjunctas copias; de consilio bellico, de cujus sententia omnia sint gerenda; de jurisdictione; de transitu; ut bello capta, & tributa juxta proportionem copiarum dividantur. Fœderatis quoque operam navandam, ut communis Imperii, & Circulorum militia ad liquidum deducatur; tum ut Coloniensis civitas salva sit. Aliis communi consensu in hoc fœdus accedere integrum fore. Id fœdus in triennium durabit. Ratihabitiones intra mensem exhibebuntur.* Separato pacto Elector promittebat, se Dano auxilia laturum, si in toto Regno Daniæ invadantur. Brunsuicensibus peculiare fœdus cum Dano erat, ubi ista definiebantur. Cassellana auxilium Regi addicebat in Slesvicensi Ducatu, & Jutia, non in insulis. Ratihabitioni nonnihil moræ interveniebat, quod in Cæsareo instrumento nonnulla errata reperirentur, unde id Viennam remittendum fuerat, ut aliud justa forma adornaretur. Paulo post tamen ratihabitionem permutatio Brunsuigæ peracta; 10. Dec. ubi Danus testabatur, sibi cum præsentibus inter Gallum, ac Belgas litibus nil negotii fore. Ista uti Electori parum spei præbebant, ex hæc fœdere sibi levamenti quid in præsenti bello accessurum: ita altius penetrabant, quæ in conventu utriusque Saxoniæ, qui

1672. *In Quedlinburgensi conventu acta.* qui super ejus defensione Quedlinburgi agitabatur, disserebantur; cui Electoris nomine Otto Suerinus junior, & Joannes Budenbachius intererant. Ibi enim Cellensis proponebat; Coloniensem, & quosdam alios Inferioris Saxoniæ Ordines institisse, ut Hildesiensis præsulatus belli oneribus eximeretur; ac Circuli auxilia in eam rem exegisse, ne ipsi necessum sit alia remedia adhibere suæ ditioni tutandæ. Ac ni id fiat, prohiberi non posse, quo minus Coloniensis exterorum auxilio utatur. Qui & significarit, Turennium jam iter ingressum ipsius ditioni vindicandæ; ac transitum istius, suisque copiis petiisse. Cui sane abnegari non possit, quod Elector in Hildesiensi præsulatu sibi indulserit. Spem sibi tamen esse, Electorem pro generoso suo animo modicum emolumentum ex Hildesiana provincia potius neglecturum, quam proprias ditiones in hoc Circulo sitas periculo expositurum. In quem sensum etiam a toto conventu ad Electorem literæ dabantur. Sic ut non minus favoris experiretur, qui Gallo ad insultandam Germaniam viam munierat, quam qui eidem averruncando omni ope connixus erat. Post tamen sub initium sequentis anni Elector Blumenthalium ad Cellensem Ducem mittebat, expositurum, qua de causa ipse copias cis Visurgim retrahere coactus fuerit; ac ut avertendo a Saxonia bello is copias secum jungere velit. Id quod Dux excusare: Dano tergiversante, & Belgis circa pecunias nimium cauponantibus arma se parare, ac in partes concedere non potuisse. Nec perspicere præsentius remedium, quo his difficultatibus extricare se possit Elector, quam, quæ offerantur, induciis acceptis, quæ honestam compositioni viam pandere queant.

Cum Hispanis agitata. Nov. §. 72. Quia etiam magnum momentum videbantur addituri Hispani, si aperte in bellum contra Gallos erumperent, Elector per suos id negotium Hagæ diligenter movebat. Sed Emanuel Lira postulabat, ut fœderati pacem non inirent, nisi Hispanis in leges Tractatus Pyrenæi restitutis; nec opes in promtu esse armis terra, marique parandis. Simul causabatur, Cæsarem, & Electorem nondum palam Gallo bellum intulisse. Nam Turennium cavillari, quæ hactenus contigerint minutias esse. Proponebant aliqui Hispanis in bellum pertrahendis, ut Belgæ post pacem his Trajectum ad Mosam, & tractum Transmosanum darent. Id quod Belgæ adspernabantur. Præbebant tamen post Hispani spem, sese fœderi inter Cæsarem, & Electorem inito accessuros.
16. Nov. Unde jussu Electoris Blaspielus Bruxellas profectus Monteregium quidem ei fœderi pronum reperiebat. Sed is stipulari cupiebat conservationem Pacis Pyrenææ, atque Aquisgranensis; cum contra Electori arduum videretur, tantæ molis negotium sibi imponere, ni dignum operæ pretium ostenderetur; quod nimium intendi Monteregius invidiosum Electori fore censebat. Alias idem magnificis verbis institutum Electoris extollere: Huic libertatem Imperii, & communem quietem ita cordi fuisse, ut cum omnes quasi sopore obruti viderentur, is primus evigilarit, ac rem singulari studio amplexus sit, ac Galli destinata fregerit: quin & Cæsarem ad fortia consilia permoverit. Is post formulam fœderis exhibebat, quo Elector adstringere se tuendæ paci Aquisgranensi debebat, eoque fine XII M. militum præstare, quibus Hispani IX M sint addituri. Sed negotio extracto cum post Monteregius Blaspielum ad id perficiendum urgeret, Electori conditio rerum imperaverat, ut magis de pace occupanda, quam bello alendo cogitandum foret. 1672.

§. 73. Quia etiam inter Cæsarem, & Electorem convenerat super aliis in fœdus pertrahendis, quos inter & Helvetiorum mentio facta erat, Elector Israelem Plessium Gurnetum tribunum in Helvetiam mittebat, cui sese ibi Fridericus Dona Comes adjuncturus erat. Ei mandatum, Helvetios ad fœdus inter Cæsarem, & Electorem pro defensione Germaniæ amplectendum invitare pro antiqua ejus Reip. cum hac necessitudine, initio apud Tigurinos facto. Tum ne ipsorum miles apud Gallum adversus Germaniam arma gereret. In publico rem laxioribus verbis proponeret. Sed privatim apud benevolos, & concionatores prolixius demonstraret; quantopere ab omnibus juris & æqui rationibus abhorreant, quæ Gallus contra Electorem, & Belgarum Remp. susceperit, ac uti tum communis Protestantium res, tum præcipue Reformatorum ingens periculum incurrat: ac uti adversus Galli destinata omnibus vicinis mature res juncto consilio ita sint disponendæ, ne singulos ejusmodi calamitas maneat, quæ jam iis in locis conspiciatur, ubi tale quid nunquam futurum credebatur. Uti denique Elector circa avertendum bellum laborarit, Belgæque Regi satisfactionem obtulerint, si hunc læsisse convincantur. Jam autem non inter Christianos solum, sed & alias gentes, queis actiones suas ad sanam rationem componere cordi fuit, nunquam justum bellum fuisse habitum, ubi qui læsum se credidit, citra sanguinem reparatione potiri potuit, aut ubi sola gloriæ cupido armis obtenditur. Jam vero Gallicos ministros, atque ipsum Regem belli indictione nil præter gloriam Regis crepasse. Nec minus justitiæ adversari, quæ in Electoris provinciam patrata sunt. Nam utut detur, Gallis prætextum fuisse Belgica præsidia in istius oppidis invadendi; nullum tamen colorem admittere hostilia, quæ nemine lacessente in ejusdem provinciam admissa sint. Denique universis Helvetiis ob oculos poneret periculum, in quo ipsorum Respublica versetur, si Galli potentia eo provehatur, ut omnes pro libidine insultare queat; vasta ejus Regis consilia, & cui justitiæ rationes inter inania habeantur; qui ni mature in ordinem redigatur, vicinos omnes servitium, aut continuam turbarum seriem manere, sed Evangelicis peculiariter ingereret calamitatem, & exitium eadem sacra professorum. Eo fine proponeret fœdus defensivum tuendæ paci Westphalicæ, ad quod Helvetii X M peditum præstare debeant: tum peculiare fœdus cum Electore pro tuendis hujus ditionibus contra quoscunque, cujus

Helvetii frustra ad societatem belli solicitantur. du Plessis Gournet. 5. Aug.

cujus vi IV M peditum exhibenda sint. Denique exploraret, num Helvetii sublevandis Belgis aliquid facturi sint. Enimvero ista legatione nihil proficiebatur. Præterquam enim quod nullus a Cæsare legatus compareret, qui cum Catholicis civitatibus agere posset; Evangelici quidem insignem affectum in Electorem præ se ferebant, multisque laudibus eum extollebant; ac apud Tigurinos concionatores ejusdem destinata publicis precibus Numini commendabant. Sed solidum operæ pretium apud eos homines citra pecuniam frustra sperabatur; queis & nunquam mos fuerat fœderatis suis copias propriis sumtibus auxilio mittere; sed stipendia semper solvenda fuerunt ab iis, qui istorum opera uti voluerunt. Tum & gliscebat inter Evangelicos, & Catholicos diffidentia, quod hisce sui sacerdotes persuasissent, bellum contra Belgas a Gallo ad propagandos ritus Romanos susceptum. Proposita tamen res a nostris Araviæ, ac Bernæ; sed quæ ad conventum omnium civitatem Badenam rejiciebatur. Ast quia a Cæsare legati haut accedebant, Elector Gurnetum revocabat, ut tamen Donam juberet observare, num pro re nata quid effici posset. Cæterum & nostrorum conatibus legatus Gallicus San-Romanus Abbas valde renitebatur. Tigurini quoque veteri fœdere cum Cæsare contenti novo se innectere aversabantur. Si pecuniarum affatim fuisset, maximum quod effici potuisset erat, ut Helvetius miles e Gallia revocaretur, & Gallorum delectus inhiberentur, utque Electori militem apud istos conducere liceret. Tum ut Elector Austriaco fœderi adscriberetur, quod ea natio ab omni novo nexu abhorreret. Cæterum nostri Bernatibus exprobrabant, ipsis duntaxat defensivum fœdus cum Gallo esse, cujus vi huic XVI M auxilio mittere teneantur, si is in Regno suo invadatur, sumtibus Regis alenda, ac ut singulis menstruum stipendium seni unciales solvantur. Sed ad bella offensiva, ac ut Gallus limites Regni proferat, eos non teneri. Unde non recte ab ipsis factum, quod in præsens tantum militum numerum Gallo concesserint, dum is alios ultro invadit, & cum constet, ejus destinata contra sacrorum socios, ac omnium vicinorum libertatem ferri. Ad quæ Bernates de fraudibus tribuni Stuppæ querebantur, qui per inania promissa ipsis illuserit. Se cum animadverterent Belgas, aut Germaniam a Gallo peti, suas copias jurejurando adegisse, ne contra istos arma gererent. Ad quod postquam vi jam coacti sint, id magnopere sibi dolere; ac eos domum revocasse. Sed tabellarium, & aliquot præfectos a Rege in custodiam datos. Adversus eam vim nil remedii superesse, quam ut deinceps Gallo militem negent. Stuppæ speciosum a Rege procuratorium fuisse, cui fidem adhibuerunt. Eum fulciendis suis fraudibus id commentum, ut præfecturas legionum inter primariorum Senatorum, ac civium filios distribuerit.

§. 74. Porro quia Angliæ Rex contra rationes proprii Regni ac totius Europæ Gallo 1674.
sese ad bellum Belgis faciendum junxerat, magno studio id agebant quorum intererat, ut is iterum tam exitiosis partibus abstraheretur. Ac sane haut dissimulabat Sylvius ablegatus Anglicus; suæ nationi ingratissimum esse, quod ipsa augendæ Galli potentiæ opem conferre debeat, ac optare, ut quamprimum inauspicato bello sese subducere possit. Non nisi quatuor, aut quinque homines esse, qui negotium id sustineant. Sane universus populus Aulæ consilia detestabatur; præsertim cum excursores maritimi maxima Anglis damna inferrent, ac commercia destruerent. Unde & Arausionensis Rhodium in Angliam miserat, qui de studio in pacem testaretur. Sed Rex excusabat, se absque Gallo tractare non posse. Atque hic retinendo in partibus Anglo nuper tres milliones in Angliam trajecerat, addito collari unionum maximi pretii scorto regio in donum.
Haut eo minus Electori, ne quid intentatum [illegible] Sept.
relinqueret, placuit Crocovium in Angliam proficisci, cui injunctum proponere: Electorem honorem misso Loccarto sibi exhibitum, ac testationem de amicitia Regis grato animo agnoscere, ac paria cum isto velle facere. Quo minus ipse, uti petebatur, medium statum admittere potuerit, obstitisse, quod prius super eo ad Cæsarem, & Ordines Imperii referendum fuerit. Haut tamen in animo fuisse emolumentis Angliæ adversari, sed unice Germaniæ securitatem, ac pacem spectare. Spem quoque esse Regem exemplo antecessorum, proprioque deinceps quoque consilia sua ad eum scopum directurum, ac ut res Protestantium, simul communis Europæ pax incolumis perstet. In eum finem se cum Rege omni studio connixurum, ac ejusdem emolumenta pro virili promoturum. Privato congressu demonstraret, ut indeclinabilis necessitas, ac evidens Germaniæ periculum Electorem coëgerit cum Cæsare, & aliis quibusdam Principibus consilia conferre super tutanda pace, simul arma parere adversus vicinas turbas, ac si forte Gallus longius grassari instituat. Ac nil obstitisse, quo minus & ipse manum negotio admoverit, ac Belgis auxilio venerit, nisi affectum in Regem Angliæ, ac spem ab hoc rem ita temperandam, ut Belgæ quidem ad æquas conditiones circa nonnulla compellantur, non tamen penitus in ditionem redigantur Regis potentissimi, cujus vasta Europæ consilia merito suspecta sint. Postquam autem Galli progressus primo impetu ita enormes fuerint, non sine ipsius Angliæ perturbatione, ut ea Resp. intra mensem subvertenda videretur, eadem adhuc quoque vacillante: igitur sibi cum Cæsare propere convenisse super valido intra Imperii fines exercitu contrahendo, avertendis in futurum periculis, & Cliviæ ab hostilibus vindicandæ. Quanquam autem libido Galli Rhenum, ac Hispanicas provincias subigendi sat causæ præbuerit ad arma ipsi opponenda, eaque distractione Belgas sublevandos; tamen Cæsaris, ac suos conatus Germaniæ tantum securitatem spectantes, si maxime & alii Germaniæ Principes accedant, haut suffice-

1672. sufficere sistendis Galliæ progressibus, ac Belgio in pristinum statum reponendo, ut hoc deinceps quoque ad firmandas Protestantium res, & librandas Europæ potentias momenti quid adferre queat. Quod si igitur Rex amore boni publici a Gallo se disjungere, ac ubi hic moderatam ac tutam pacem adspernetur, in Belgarum partes æquis conditionibus transire velit, Electorem honestæ paci conciliandæ officium offerre. Ac spem esse, hanc operam Regi statu tam desperato, & ubi summum periculum in mora sit, haut ingratum fore, velut cui hautquidquam animus sit eam Remp. evertere, aut Galliæ potentiam augere, sed sibi duntaxat æquam satisfactionem quærere. Rationes porro, quæ Angliæ Regem permovere debeant, ut a Gallo se disjungat, esse gravissimas. Dolendum esse, ad Belgarum Remp. subvertendam Regem eadem sacra professum conniti, ac ut ea Catholicorum dominatui subjiciatur maxima cum imminutione potentiæ Protestantium. Nil certius esse, quam brevi Germaniam, & omnes vicinos Galliæ jugum subituros, si huic ad Rhenum, & Mosam adquisita retinere, ac multo magis si Belgas plane sub jugum mittere detur. Saltem Europam perpetuis turbis, atque curis inquietandam, quod isti ex hisce locis hinc Germaniam, inde Hispanicas provincias incurrere in proclivi futurum sit; ac subacto Belgio libidinem maris quoque imperium invadendi erupturam. Sane ministros Gallicos haut obscure jactare; si Rex suus Belgas Fœderatos, inde Hispanicos subegerit, eum brevi cum Anglis divisum in Britannicum mare imperium habiturum. Ac nuper eo rem rediisse, ut ni Arausionensis Reip. clavo subiisset, Gallus pravæ factionis destinata amplexurus fuerit, quibus propositum, Hollandiam una cum classe ipsi tradere, ut hoc instrumento uteretur ad vicinos servitio subjiciendos. Quo obtento nullum respectum Anglici fœderis futurum fuisse. Esse præterea in Belgio partes Regi, & Arausionensi adversas, quarum destructionem iste semper quæsiverit, jam oppressas, aut eo redactas, ut Arausionensis autoritatem non amplius premere, aut consilia Reip. in fraudem Regis, & paria cum eo sentientium temperare queant. Enimvero recentes, ac nondum satis coalitas Arausionensis res nullo modo magis firmari posse, quam si ejus primordia prospero successu insigniantur, ac populus Belgarum perspiciat, Remp. denuo sui conservationem Angliæ, & Arausionensi debere. Contra non frustra metuendum esse, ne, si Rex insuper habita circa Arausionensem mutatione bellum continuet, Belgis suspicio nascatur, ipsi in animo esse huic supremum in istos imperium struere, aut Remp. plane subvertere. Id quod gratiæ Principis minuendæ, ejusque fortunis subruendis causam præbiturum sit. Cum autem Rex singularem in istum amorem ac studium in ejusdem emolumenta semper ostenderit; jam in ipsius manu esse, repudiato Gallo Principem in eum statum collocare, quem semper optaverit. Quod si autem nulla spes adpareat Anglum a Gallo dissociandi, aut Electoris officium conciliandæ separatæ paci admissum iri, nec Angli sine Gallo tractatus admittere velint, Crocovius id ageret, ut apud communes pacis tractatus Clivicæ ditiones Electori sine exceptione restituantur, idemque paci includatur. Testaretur quoque, ejus cum Cæsare conjunctionem nil præter tutelam finium Germaniæ, ac conservationem pacis Westphalicæ spectare: eoque quamdiu in apertum bellum eruptum non fuerit, legati Gallici conversationem ne declinaret. 1672.

§. 75. Crocovio Hollandiam transeunti Arausionensis, & Fagelius omnem spem in Anglia quid proficiendi adimebant. Fœdus quippe cum Gallo renovatum, & ab hoc tres milliones solutos ea lege, ut Parlamentum prorogaretur; quod & factum sit. Gallicam factionem, quæ apud Regem omnia possit, nullam rationem admittere velle. Legato Arausionensis dictum; ni Rex Principem tantopere amet, istum in Turrim Londinensem conjiciendum. Arlingtonum eidem dixisse: in manu Regis Angliæ situm, ut vulgus Principem ad Wittiorum instar in frusta discerpat. Porro a Belgis pacem cum Anglo optari, sed non cum Gallo, quæ in præsens ipsis, ac Germaniæ satis tuta obtineri nequeat. Unde nil periculosius, quam super tractatibus pacis movere; quod hoc ipso, qui adhuc in societatem pertrahi queant, absterrendi, fœdera tanto labore confecta dissolvenda, ac omnia super gerendis rebus conventa turbanda sint. Atque eum ipsum Galli scopum esse, cui assequendo is quidem de pace propositiones auditurus, ac ejus spem facturus sit; sed qualis pax ab eo obtinenda sit, in aprico esse. Si quoque Hagæ vulgetur, pacem sperari posse, civibus mox tædium tributorum subiturum, quæ nunc aversatione Gallorum libenter tolerentur. Igitur isti suadebant, ne Elector in præsens tractatibus sese implicet, quoad tempora ita mutata sint, ut tutæ pacis spes adpareat. Gallicum quoque legatum Anglo persuasisse, Cæsari, & Electori haut cordi esse Remp. auxilio sublevare, nec eos quid in Galliam tentaturos; nec exercitum eorum sat validum sustinendo Turennio, eorundemque conatus inanes fore. Haut eo secius in Angliam pergebat Crocovius, cui Londinum delato alloquium Regis denunciabatur, antequam id petiisset; quod mali augurii instar erat. Ac rogabat legatus Hispanicus Anglum a Gallo separandum, nisi novo casu emergente compellatur, Gallicæ nunc factionis libidini plane obnoxium. Crocovio Rex respondebat: *Se cum Electore semper amicitiam coluisse: nunc autem esse, quod de eo queratur. Dudum Electorem Ruperto Palatino scripsisse, sibi de fœdere inter Angliam, & Galliam auditum, cui quid certi subsit nosse cupiat, consiliis suis inde digerendis. Quo tempore rationis fuisse fœdus nondum perfectum secretum haberi. Pro singulari tamen in Electorem affectu se Ruperto injunxisse, ut isti scriberet, fidum hominem ad se mitteret, qui de isto negotio plene edocendus sit.*

Ejus legationis exiguus speratur fructus. 8. Oct.

In Anglia agitata. 24. Oct.

Quod

1672. *Quod cum nec tunc, nec deinceps factum sit, id a se non posse non sinistre accipi. Interea se tractationem cum Gallo continuasse, & postquam resciverit Gallum a Belgis ad fœdus offensivum contra Angliam invitari*, (id quod a Gallo confictum, a ministris Anglicis Gallo studentibus libenter creditum fuerat,) *se non diutius fœderis conclusionem distulisse. Misso inde Hagam Downingio injunctum legatis Electoralibus declarare; se una cum Gallo Belgis bellum illaturum, ac utrumque operam daturum, ut Electoris desideriis satisfiat. Et cum ne sic quidem hic mentem suam declararet, Loccartum missum prius oblata iteraturum, ac se sponsorem fore, a Gallo omnia quæ convenerint præstitum iri. His repudiatis Electorem Belgis se innexuisse non sine utriusque Regis offensa. Id tamen adhuc corrigi posse; ac si Elector declaret, omnia quæ ab eo gerantur pro Imperio, non pro Belgis fieri, ac idonee caveat, ab ipso Belgis nil auxilii ferendum; se effecturum, ut Gallus Electori Clivica oppida reddat, aliis quoque commodis adjectis. Se quoque Galli promissa de non invadenda Germania, aut Hispanico Belgio præstiturum. Dilutum esse prætextum, quod de sacrorum periculo occinatur; nam & Electorem Catholicorum fœderibus innexum. Cæterum se in pacem pronum, nec Gallum minus. Sed si Belgæ aliive credant sat sibi astutiæ esse ad ipsum a Gallo separandum, in magno istos errore versari: nec esse, quod quis inanibus proponendis se fatiget, quæ ipse nec auditurus sit. Gallum nimis quam generose, & candide secum egisse. Unice per Belgas stare, quo minus pacem habeant, quam Arausionensis abrupte recusaverit, ne tractatione quidem super propositis conditionibus suscepta. Eum Principem nec suis rebus, nec Reipubl. recte consulere. Se ipsi optime cupiisse, & adhuc cupere. Sed metuere, ut ejus res ob inconstantiam plebis diu subsistant.* Ad ea Crocovius: Quo minus Elector oblatas per Loccartum conditiones amplecti potuerit, obligationem, quo Imperio teneatur, obstitisse. Gallum quidem multifariam de non turbanda Germania testatum; sed facta diversum demonstrare, præcipue in Clivia, ubi atrocius quam in ipso Belgio grassatus sit. Ad quæ Rex: Gallo id fas fuisse, quod Elector Belgis fœdere jungatur. Ad ea, quæ super sacris dixerat Rex, Crocovius regerebat: utut sacra inter hujus belli causas non ferantur, haut eo minus Protestantibus hoc bello multa decedere. Sane & Gallos in locis a se occupatis sacra Protestantium publica abrogasse, suffectis Catholicis sacerdotibus. Contra Electoris fœderatos Catholicos haut concessuros, ut ab eo quid circa sacra novetur; quod nec isti propositum sit. Ita fieri, ut religio purior ex una parte nihil lucretur, ex altera multum perdat. Addebat Rex; Gallum pacem haut facturum, ni locis quibusdam insignibus potiatur; nec par esse ab eodem omnia restitui. Nec Electorem, qui jam in partes transierit, sequestris vices obire posse. Bene tamen facturum, si Belgas ad acceptandas, quæ offerantur, conditiones permoveat. Se quidem bina vice istis pacem 1672. obtulisse, tertia vice id haut facturum. Demum Rex ut desideria scripto exponeret postulabat; nam se brevi responsum redditurum. Quod & hic laxioribus verbis fecit. Quod autem Rex, cui alias humanitatem, & modestiam verbis, ac gestibus exprimere solitum erat, ita aspere nunc cum Crocovio loqueretur, id a Gallica factione, quæ eum totum possidebat, inditum erat; quicum quando consultaverat, præter nativam indolem quasi extra se raptus videbatur. Eorum consilia juxta, & actiones violentæ erant, magis ex desperatione, quam fiducia suæ causæ; quam ægre pervicturos se ipsi agnoscebant. Electorem quamvis angli asperitas protelabat; tamen quia animi cum temporibus mutari solent, Crocovius vario obtentu manere jubebatur, quamdiu id salva istius dignitate fieri posset. Cæterum querebatur Arlingtonus, *penes Electorem causam esse belli extracti, quod Belgæ jam in ordinem redacti forent, ni iste Turennium horum cervicibus abstraxisset; simul quod Anglis jam spes perierit Briela, & Vlissinga potiundi; queis sibi maxime opus fuerit, ut acta sua Parlamento adprobare possent. Nunc tam ingentia, & probe digesta destinata eousque abortiisse, ut ipsi inglorii, ac præda vacui hoc bello excessuri videantur.* Sane & Belgarum excursores maritimi magnas prædas agebant, manibus Anglicis. Unde eos, qui bellum suaserant, non exigua solicitudo exercebat. Et quia Rex Parlamentum convocare non audebat, sine quo nulla pecuniæ copia, a Gallo omnia suppeditanda erant. Paulo post Arlingtonus Crocovio denuntiabat; per 15. Nov. Henricum Coventrium ipsi responsum, simul literas obitæ legationis fidem facientes traditum iri. Ad quæ Crocovius: has a se haut expetitas, nec moris esse easdem ultro mittere, ni simul discessus imperetur. Ea si Regi mens sit, sibi id ferendum; optare tamen, ut id modo conspicuo fiat, ne ipse forte abitum præcipitasse arguatur. Sane causam talibus a se haut præbitam. Ita dilatis literis responsum ei missum plenum cavillationum, & inanis jactantiæ. Ostendabat Rex studium in pacem: in Electorem culpa conferebatur, eum a Belgis nulla satisfactione potiri, ac bellum extrahi: unde ejusdem officium circa pacem conciliandam plane admitti non posse. Cæterum mirum erat, unde Anglicis ministris tanta foret insolentia, cum nemini mortalium perspiceretur, quomodo cœptum negotium cum honore ad exitum perduci, aut tres milliones librarum Sterlinensium, quæ Rex a mensariis mutuo sumserat, initio futuri anni persolvi possent. Nam quæ spes in Belgarum satisfactione reposita fuerat, jam decollaverat: & qui suas pecunias apud mensarios deposuerant, has ab iis repetebant, his contra protectionem Regis implorantibus. Unde inter mercatores rationes turbari; & eam ob causam Cancellarius munere suo dimotus erat, quod juxta leges agendum censeret, alio in ejus locum surrogato Gallicæ factionis,

1672. & jus ad aulæ libidinem flectere doctus. Quia porro Conventrius denuo significabat, se a Rege jussum literas obitæ legationis pro Crocovio conficere, hic honestius judicabat id prævenire, ac ultro dimissionem petere. Nam legatus Gallicus acriter institerat, ut is Londino amoveretur; ac Angli magnopere Electori indignabantur, per quem amplissima spe evoluti erant. Quanquam autem Crocovius Anglos dimissionem postulando prævertisset; in aula tamen gloriabantur, se isti abitum ultro insinuasse missis domum literis, ut Gallo adularentur. 22. Nov. Regi valedicens Crocovius quærebat; num quid habeat, quod sibi mandet? Rex respondebat; scævo fato fieri, ut ipse, ac Elector bello Belgico semper adversas partes teneant. Ad ea Crocovius: id ipsum & Electori dolere: sed per Imperii & Electoris rationes aliter fieri non potuisse. Rex circa Imperium nihil metuendum: Gallum eo nomine ample declarasse, ac se sponsorem fore, ac ei se oppositurum, qui Germaniam invaserit. Literas legationis obitæ testes Crocovius Conventrio redhibebat: unde aliter formatæ, exclusis quæ offenderant, tradebantur. Earum argumentum erat: *Præsentem rerum statum non ferre optatius ipsi responsum dari, cujus & diuturniorem in aula moram Regis fœderatis suspicionem fuisse injecturam.* Alias confusa tunc aulæ Anglicanæ facies erat, omnibus destinatis male succedentibus, ac omni emolumento penes Gallum manente Anglis inanibus. Quo difficilius sibi fore Parlamento bellum adprobare, hoc inscio, & contra populi inclinationem susceptum. Unde & Rupertus Palatinus Crocovio fatebatur; Gallicam factionem bello sese extricare cupere, ac utique mutationem aliquam eventuram. Sed Gallum ad audiendam rationem haut adductum iri, ni tota vi invadatur,& cladem aliquam accipiat; id quod ipse optet. Ministri porro satis agnoscebant, male se fecisse bello in Galliæ usum contra Angliæ rationes moto, ac erubescebant juxta, & irascebantur, si de Galli destinatis ingereretur. Haut eo secius cœptis pervicaciter inhærebant, ut satis pateret, eorum vitam, & famam in Galli manu sitam, nec eos amplius sui juris esse. Obtendui sumebatur, si minimo indicio ostendant, se cum Belgis transigere velle, Gallum cum hisce tractatus adversus ipsos occupaturum. Cum tamen constaret, hac rerum facie pacem inter Gallum, & Belgas coire non posse. Nitebantur tamen, ut semel adhuc classem mari, pecunia undecunque corrasa immittere possent.

Literæ Regis Angliæ ad Electorem. 15. Nov.

§. 76. Dabat tunc Angliæ Rex literas ad Electorem, quas cum Crocovius accipere nollet, alia via mittebantur. Eas verbis conceptis huc adponere placet. *Carolus &c. Serenissimo Principi Domino Friderico Wilhelmo &c. Serenissime, Literas nuper a Celsitudine Vestra Electorali binas accepimus, alteras quidem d. 3. Augusti ultimo elapsi scriptas, alteras d. 17. Sept. latore Celsis V.ræ Elect.is ablegato extraordinario Domino de Crockow. Responsionem priorum ideo paulisper differendam censuimus, quia ablegatum extraordinarium a Celse V.ra Elect.li tunc promissum quasi quotidie adventantem præstolabamur, sperantes illius colloquium nonnihil lucis allaturum fuisse quibusdam dictarum literarum capitibus, quæ a Cels. V: Elect: minime expectavimus. Ne autem hac responsio Cels. V. Elect.li nova quoque, & insperata videatur, in ipsius memoriam revocabimus, quomodo nos erga Cels. V. El.rem gesserimus, ex quo primum de motibus hodiernis cogitavimus. Circiter biennium est, quod Dilectissima Consanguinea nostra Dna. Elisabetha Princeps Palatina rogatu, ac nomine Cels. V. El.is ad fratrem suum Principem Rupertum in aula nostra degentem scripserat, sciscitatum, quid ille de mente nostra circa res illius temporis sentiat. Cujus quæstionis unicum esse finem dixerat illa Princeps, ut inde Cels. V. El.is modos & mensuras actionum suarum melius formaret, effingeretque. Quibus literis idem consanguineus noster Princeps Rupertus istiusmodi responsum nostro dictamine reddidit; Si visum esset Cels. V. El.li virum aliquem idoneum, & tali fiducia dignum huc deputare, nos illi perquam lubenter ac libere communicaturos esse, quid in animo versaremus. Et hoc quidem multo maturius a nobis factum est, quam ulli Fœderatorum præterquam Charissimo Fratri Nostro Regi Christianissimo nostra super ea re consilia patefeceramus. Verum hunc amicitiæ nostræ fructum Cels. V. El.lis insuper habuit, imo prorsus fuit intermori. Nos autem neque sic animum despondere volumus, sed postea etiam Georgio Downing Equiti Aurato legato nostro Hagæ Comitis apud Ordines Generales Residenti in mandatis dedimus, ut Cels. V. El.is ministrum eo loci commorantem consilii nostri participem faceret; sicuti fecit. Verum ne sic quidem aliquid ultra profecimus, totaque hæc nostra candidi & aperti animi demonstratio frustra fuit, nec intra reconditas Cels. V. El.is cogitationes vel minimum penetravit. Quod quamlibet nisi temperaturæ plusquam mediocris amicitiam laxare, ac tepefacere potuit. Sed facta recordatione promissionum ac protestationum, quas Cels. V. El.is per tot literas & ministros toties nobis iteraverat, credere nolumus, personæ, et rerum nostrarum existimationem tantilli apud Cels V. El.em momenti fuisse, ut penitus e mente ipsius excidere posset, quin potius ita apud nos ratiocinati sumus, moram & taciturnitatem Cels. V. El is a seria Ipsius deliberatione solummodo profectas esse, ut cogitationes suas de tam arduo, tantique ponderis negotio eo perfectiores tandem proferret. Sed cum res dilationem non amplius sustineret, adeoque postularet, ut magis præcisam, ac disertam Cels. V. El. resolutionem exquireremus, Guilielmum Lockhart Equitem Auratum Ablegatum nostrum Extraordinarium versus ipsam expedivimus, ut non solum sensa mentis nostræ summa, qua fieri potuit, libertate Cels. V. El:li aperiret, sed etiam ut conditiones ipsi offerret vel maximæ utilitatis, si partibus nostris accedere vellet, vel incolumitatis, si se neutram tenere potius censeret. Si gradus quibus in hoc negotio processimus, Cels. V. El. observare velit; primum*

1672. primum reperiet per literas prædicti Consanguinei nostri Principis Ruperti ad sororem suam Dn. Elisabetham rescriptas, Nos Cels: V. El:em in partem consiliorum nostrorum accivisse, priusquam ullum solennem tractatum cum Rege Christianissimo inieramus. Deinde legatum nostrum jussu nostro Cels. V. El. ministrum dicti tractatus monuisse, cum prope finem proveheretur, ac postremo nos per ablegatum nostrum extra ordinem missum Cels. V. El. ejusmodi tractatus hic conclusi certiorem fecisse, una cum optione oblata vel eximiæ partis in bello, vel **indubitatæ securitatis** in neutralitate. Quid hisce omnibus amicitiæ testimonium par, aut affine nobis reddidit Cels. V. Electoralis? Scilicet absque ulla vel minima significatione nobis facta Cels. V. El. non solum fœdus tractavit, sed pepigit, idque non cum amicis, sed cum hostibus nostris Uniti Belgii Ordinibus Generalibus, quorum pecunia accepta exercitum conscripsit, agmen duxit, & cum tympana & tubæ, **terrarumque in Imperio sitarum direptiones** actionem universo orbi late promulgassent, nos tandem Cels. V. El. per literas suas edocet, se adversus firmum, bonumque Fratrem, & Fœderatum nostrum Regem Christianissimum arma sumsisse, adeoque contra ipsum suppetias, & cohortes auxiliares a nobis postulat. Qualis propositio **tam inaudita nimium, et a ratione tam absona, ut eam vix adhuc credamus a Cels. Vestra proficisci potuisse,** cum per consequentiam poscat, ut subditis, viribusque nostris contra personam, & rem nostram utamur. Quod quidem parricidium esse videtur, **a nullo Principe, qui modo non extremi sit ingenii, æquis auribus accipiendum.** Etiamsi pro singulari illo affectu, quo Cels. V. El.em semper amplexi sumus, rationes quæ nobis in animum induxerunt tam bellum adversus Ordines Generales suscipere, quam unionem cum Rege Christ: colligare, non tempestive Cels. V. El: declarassemus; tamen ea mutua copiarum, classiumque nostrarum terra marique conjunctione illud utique jam pridem ipsi innotuisset, proinde ac cæteris ubique Principibus innotuit. Et acies jamdudum commissæ, & sanguinis effusio **neminem sensibus præditum in dubio reliquerant,** quibus nos partibus adhæserimus. Tertium vero & quartum Tractatus nostri articulos ita interpretari, ac si nos cum amicis nostris bellare constringerent, cum interea iidem articuli Cels. V. El.em impedire non possent, quo minus inimicis nostris assisteret, id certe **graviori opprobrio onerat tum ministros nostros imprudentiæ, & perfidiæ, qui talem tractatum concluderent, tum nos facilitatis, qui eundem ratum habere vellemus, quam vel nos, vel illi sustinere meruimus.** Quin etiam querelæ contra Regem Christ: allatæ nobis quidem videntur necessarios, & inevitabiles belli casus potius indicare, quam animum Cels. V. El.em aggrediendi. Nos enim ipsi testes sumus, quales conditiones non minus honorificas quam utiles Rex

illæ Cels. V. El:li non solum ante, sed etiam post bellum susceptum obtulerit, quarum nos quoque fidejussores esse sponte volebamus. Profecto **nova et plane admiranda methodus** esse videtur, primum neutralitatem oblatam, nostramque fidejussionem respuere, & deinde bellum contra nos eligere, nostraque auxilia postulare. Nos quidem opinamur, responsionem, quam Regis Christ. minister DD. Principibus Electoribus, eorumve deputatis Ratispona exhibuit, jam nemini non abunde satis fecisse, quam exiguam Rex ille causam Cels. V. El. dederit, ut illi nomen aggressoris imponeret. **Et si lectus ac victus militibus in Ducatu Clivensi præbitus odiosum aggressoris titulum Christianissimo Regi impingere sufficiat, quo tandem nomine Cels. V. El.is appellabitur, post exercitus sui gressus ac grassationes per terras Trevirensem, Moguntinam, Hassiacam, Hanoueranam, Coloniensem. Ubi [nisi fama nos multum fefellit,] duplo plus commeatus absumtum est, ac minus argenti relictum, quam in terra Cliuensi.** Sperabimus hasce rationes paulo fusius a nobis deductas id ponderis apud Cels. V. El. habituras esse, ut facile credat, nos nec juri, nec æquitati deesse, si auxilia requisita non mittamus, præcipue cum ipsa exemplum nobis satis luculentum proposuerit asserendo, se confœderationis illius intuitu, quam cum Rege Christ: inierat, opem quam vi tractatuum Ordinibus Generalibus debebat ipsis ferre recusasse. Si Cels. V. El. tractatu cum Rege Christ: qui solummodo defensivus est, se ita obstrictum judicaverat, ut auxilium sua confessione debitum Ordd. Generalibus non suppeditasse æquum censuerit; nobis certe neutiquam vitio vertet, si fœderi, quod cum eodem Rege non modo defensivum, sed in hoc bello offensivum quoque pepigimus, tantum tribuamus, ut eam opem minime feramus, quam C. V. postulat, nos autem virtute tractatus neutiquam deberi existimamus. Ut finem aliquando faciamus, si nostra apud Regem Christ: **intercessio** usui esse poterit ad componendum differentias inter ipsum, & Cels. V. El. ortas, vel orituras, nihil quod ex parte nostra fieri possit omittemus. Sed in bello jam flagrante ut vel minimum **opis contra ipsum feramus,** id certe nec res, nec ratio, nec indoles nostra permittet. Ad alteras C. V. El. literas d. 17. Sep. scriptas quod spectat, quasvis amicitiæ significationes a Cels. V. El. profectas quam libentissime semper amplexabimur; & hoc ipso tempore omnia ita disponenda curavimus, ut honoris & incolumitatis nostræ ratione habita, bona atque universa pax per totam Europam concilietur, & quicquid uspiam animositatis, atque malevolentiæ fervet, penitus consopiatur. Propositionibus etiam, quas Cels. V. El: nomine prædictus ipsius ablegatus nobis fecit, responsum dedimus, quod ille secum referet. Nos autem Cels. V. El. Dei O. M. tutelæ ex animo commendamus. Dab. in Palatio nostro ad Wittehal d. 15 Nov. 1672. Cels. V. bonus Frater, consanguineus, & affinis 1672.

Carolus Rex.

1672. Electoris responsum. 3. Jan. 73. §. 77. Ad istas literas, multum sane acerbitatis parum decore sapientes, Elector ita respondit: *Momenta rerum licet cumprimis spectantes in literis, quas Regia Vestra Majestas d. 15. Nov. ad nos dedit, fugere tamen non potuit inusitata illa inter Principes scribendi ratio, quæ in illis deprehenditur. Item juris responsuris ita quidem datum; sed non ita vulnera Ecclesiæ, & Reip. mala sanantur, nec talia vel Regis vel nostræ conveniunt sorti. Rem quod spectat, quamprimum institutum Galli de inferendo Belgis bello apparuit, apparuit simul, non tantum Belgarum, Gallorumque turbatum iri tranquillitatem, sed totius Europæ, ac inprimis Germaniæ pacem, infinita vero mala inde in Ecclesiam Dei redundatura. Quod prudentes augurati sunt, eventus firmavit. Antequam Belgium invaderetur, claustra Imperii Gallico præsidio, novisque munimentis firmata sunt, utque bellum illic diutius geri possit, commeatus eo advecti. In Episcopatu Leodiensi, & Ducatu Clivensi nil non hostile patratur. Uruntur tecta vastantur agri, urbes, arces, munimenta etiam a Belgis non infessa, nec extructa capiuntur, solo æquantur. Templa his eripiuntur, illis dantur, tantum abest, ut illic miles lecto, & victu contentus fuerit. Jus in sacra, & profana promiscue, & ex lubitu usurpatur, insuperque habitis & territorii dominorum juribus, & Imperii legibus cuncta manu Regia nullo jure aguntur. Ita satis mature Gallia prodidit, quam armis suis quærat potentiam, & absolute regnandi facultatem, redundaturam tandem in illos, quibus nunc ut parariis dominationis utitur, & instrumentis. Quod si itaque sive in principio, sive in progressu talis belli, tot tantasque calamitates trahentis Mtem V. Reg. compellavimus in causa Ecclesiæ, Patriæ, & fœderatorum, quibus non nunc nuper, sed multis abhinc annis accepto a majoribus exemplo juncti fuimus, nemini instituti hujus ratio nova, aut admiranda agendi methodus videri debet. Quid Deo, quid Domui ejus, quid Imperio, imo quid Orbi debeamus novit R. M. V. quam optime. Novit eadem nihilominus, quanto studio majores ipsius, optimi sapientissimique Principes, gentem Belgicam consiliis, armis, opibus tutati sint non sine suo periculo, ne unius potentiæ illa cederet, quæ omnibus postmodum vicinis gravis foret. Novit præterea M. V. quam nihil plane admiserit Germania, fida vicina, nec Principes ejus R.æ V. M.ti addictissimi meriti sint, ut tam contemtim, tam indigne ab externo Principe nulla injuria lacessito haberentur. Quomodo igitur R. V. Mti displicere potuit unquam, aut alienum ab ipsius animo videri cuipiam potuit, si sanctissima ista nomina eidem commendarem, opem ejusdem in tali discrimine non nostri & patriæ tantum, sed ipsius Christiani Orbis simul implorantes. Equidem putat R. V. M. res nostras, aliorumque extra periculum esse potuisse, innixas Galliarum Regis promissis cum conditionibus quas nobis proposuerit luculentissimis. Quid vero sanctius pacis Westphalicæ tabulis? & tamen in ludibrium vertuntur. Pacem enim dicunt hac ipsa hora se in Germania conservare, qui nihil hostile in ea intermittunt. Quæ autem conditiones nobis potiores esse possunt fide, quam Deo, quam Imperio, quam Fœderatis & amicis debemus: quam nulla fortuna mutare poterit? Belgis R. M. V. cur succenseat aperuit nobis, verum est. Sed postquam reverentiam, & quicquid a nominibus R.æ M. V. unquam ab ipsis desideratum promiserunt, annon mitioribus consiliis, & concordiæ locus? Satisfactione oblata arma cessare gentibus æquum visum. Quæ laus, quæ gloria R.am M. V. manebit, si non offensione Christiani sanguinis, sed æquanimitate Regia lites, si quæ sint, diremerit? Turbata olim Rep. Romana amicus amico, gentilis gentili acceleravit. Sejungas te ab illis, quibus se non tuum judicium, sed temporum vincula conjunxerunt? Quis Christianorum ergo nobis vitio vertet, si R.am V. M. cui ea contigit gloria, ut primo loco sit inter eos Principes Christianos, qui tum puram profitentur & tutantur doctrinam cœlestem; tum rerum in Orbe arbitrium æqua dirigere lance student, rogaverimus, ut Ecclesiæ, ut publicæ tranquillitatis, tum quoque veterum amicorum, & communium sacrorum nexu, & aliis sanctissimis vinculis conjunctorum rationem tandem habere, eorumque rem pro pietate sua, & uti summo isto loco dignum est, agere dignetur. Sic illo, quam prædecessores ejusdem olim obtinuerunt, Fidei Defensorum titulo jure longe maximo suo meritissimo cum gloria gaudebit, eoque ut diu floreat, vigeatque optamus. Atque quod reliquum est prosperrimam valetudinem R.æ M. V. precamur, paratissima eidem studia nostra prolixe deferentes. Dabantur in arce nostra Sparenberg, d. 13/3. Januarii 1673.* 1672.

§. 78. Nec plus circa pacem Rex Sueciæ proficiebat, qui bellantibus sequestrem se interposuerat, misso in Galliam Claudio Tottio, in Angliam Petro Sparrio, & Eduardo Ehrensteinio. Sed quorum adventus Hagæ parum gratus erat, quod super satisfactione Gallo, & Anglo præstanda mentionem injicerent, re Belgis auditu admodum acerba. Qui potius ex iis cognoscere cupiebant, num ejusmodi pax speranda sit, qua omnes quorum intersit adquiescere queant, & per quam securitati in futurum prospectum sit. Nec persuaderi sibi, pacem Gallo cordi esse, postquam is nuper ita enormes conditiones proposuerit, ut ipsi perire maluerint, quam eas admittere. Sed nimirum id Gallum agere, ut jactato pacis vocabulo fœderatos illudat, ac distrahat, eorumque destinata avertat. Suo judicio honestam, & constantem amicitiam sperari haut posse, quamdiu præsens Galliæ fortuna persistat, ac eidem hæc persuasio sedeat, nemini adversus ipsam mutire fas esse. Unde ab omnibus, qui servitium abhorreant, junctis viribus id agendum, ut Gallo isti spiritus detrahantur. Nec minus Belgæ inducias aversabantur velut rebus suis exitiosas, ac bellum utique continuare volebant, quoad honesta, ac tuta pax obtineri posset. Videbantur autem Sueci id agere, ut pacem inter Reges, ac Belgas constituerent, haut comprehensis utrorumque in Germania fœderatis. Nam nullam mentionem Cæsaris, Electoris, ac Præsulum fecerant, velut sopito bello maritimo, commerciis ipsorum exitioso, haut ægre ferrent incendium in Germania surgere. Ac eos parum æquos Electori fore

Pacis exigua spes est.

1672. fore inde colligebatur, quod cum de hoc mentio injiceretur, Ehrensteinius eam animi commotionem ostenderit, ut facies rubore suffunderetur. Moguntinus contra aliam interpositionem agitabat, ut pax inter fœderatos e Germania concluderetur, præteritis Belgis. Sic utrisque propositum videretur fœderatos dissociare.

In Sueciam legatio. §. 79. Inter isthæc ancipitia eo major Electori cura erat Suecorum amicitiam conservare, saltem ne ex ea parte noxæ quid sibi inferretur. *13. Oct.* Eo gratior erat adventus Bernhardi Christiani Wangelini in castra ad Francofurtum, qui de studio Regis in Electorem amplissime, idque repetitis multoties vicibus testabatur; simul hunc hortabatur, ut Belgas ad acceptandas a sequestribus propositas inducias permoveret. *22. Nov.* Cum isto honore ut paria faceret Elector, Kroseggium in Sueciam misit, ut Regi de suscepto Regimine gratularetur, ac pro misso Wangelino gratias ageret, cujus præsentia eo gratior sit, quo magis in votis habeat, hac tempestate sibi cum Rege fidam amicitiam constare; circa quam e sua parte nil desiderandum sit. Inde privatim exponere jubebatur, quam lætum Electori fuerit a Rege declaratum, fœdus ipsius cum Gallo haut spectare ad Belgarum oppressionem, multo minus ut noxa, qui hos auxilio sublevatum eunt, inferatur; tum quod isti pax Germaniæ tantopere cordi sit. Sed quia Gallus multis modis eam pacem violarit, non solum Clivia, & Marca plusquam hostiliter vastata, sed & ducto in mediam Germaniam exercitu, quo Cæsaris, ac Electoris copias ultro lacessierit, queis tamen nil aliud propositum fuerit, quam finibus Imperii injuriam propulsare: igitur Electorem sperare, Regem ipsi auxilium adversus invasiones Gallorum haut negaturum; quod & ipse jam per literas petierit. Electorem hactenus magna moderatione usum, & usque adeo collisionem cum Gallis declinasse, ut diu mala Cliviæ illata dissimulaverit. Sed & ideo agmen a Westphalia aversum, quod spes esset interea aliquam rationem instaurandæ amicitiæ, ac obtinendæ damnorum reparationi repertum iri. Sed postquam ea spes fefellerit, licitæ defensioni sese accinxisse, id quod Regi probatum iri spes sit, præbitis quoque ex fœdere auxiliis, & quæ Pacis Westphalicæ, a Gallis multifariam infractæ, præstatio requirat. Ad quæ decreto universorum Ordinum haut opus sit, forte tamdiu extrahendo, quoad tota Germania in cineres consederit. Sed quæ instrumento Pacis clare definita sint, a quolibet patriæ amante Principe executioni dari par esse. Adderet, ut Rex legato suo Blumio Ratisponæ injungat, ne circa propositum a Cravello fœdus ibi satagat, neu nimium in Gallos studium apricetur. Tum Regem ad amplectendum fœdus Brunsuicense invitaret, communicato ejus exemplo, quod unice conservationem pacis, ac propulsationem injustæ violentiæ spectet. Confirmaret quoque, Electorem non aliam ob causam arma cepisse, quam tutandæ adversus injustam vim patriæ, ac recuperandis sibi injuste ereptis, ac detentis: tum ne Belgæ antiquissimi fœderatorum opprimantur, neu Gallorum potentia novis accessionibus demum toti Europæ intolerabilis fiat, quam intra justos limites coërceri omnium intersit. Inde exploraret, si Regis officium circa conciliandam pacem incassum cadat, qua ratione is arbitretur tam vastis destinatis occurri, pacemque restitui posse: quo in negotio Elector Regis consilia libenter secuturus sit. Cognosceret quoque, quod Regis judicium super statu Poloniæ sit, domi forisque periculoso. Si Rex de fœdere moveat, suggereret, an non Regi gratum sit legatos Hamburgum, Stetinum, aut Wolgastum mittere, quo & ab Electore venturi sint. Denique & exploraret, quomodo Suecis nunc cum Gallo, & Anglo conveniat: quinam procerum ibi Gallo studeant; num plus pecuniæ a Gallo numeratum sit, & quantum; quis ibi armorum paratus terra marique: num circa trajiciendas in Germaniam copias agitetur. Super ceremoniis ei injungebatur, ut omnibus exterorum ministris de suo adventu significaret, excepto Gallo. Legatis primam visitationem exhiberet, ab ablegatis eam acciperet. Si legati in suis ædibus honoratiorem ipsi locum negent, ideo visitationem ne omitteret; id tamen modeste significaret, ab Electoris legatis pari modo cum eorum ablegatis actum iri. Ex itinere Hafniam divertere jubebat, ibique monere de responso ad literas Electoris super mittendo adversus Gallos auxilio: tum ut Daniæ Rex fœdus cum Belgis absolvat, ac in præsens circa subsidiariam pecuniam magis exhaustum Reip. statum, & communem necessitatem respiceret, quam quæ alias jure postulare possit. Ac quæ initio de suo eroganda sint, facile recuperatum iri, ubi Resp. vires recollegerit. Cum contra Daniæ, & omnibus vicinis irreparabile damnum enasciturum sit, si Resp. oneri sub quo jam gemit, succumbat, ac Gallus destinatis suis potiatur. Ad quæ a Danis nil aliud repositum, quam sibi de hisce cogitandum, quoad ipse e Suecia reversus fuerit.

Regis Sueciæ declaratio. §. 80. Ast in Suecia Kroseggio responsum: *Regi gratam admodum esse Electoris testationem de colenda amicitia, quicum is paria facturus sit; quod satis norit, quantum illa promovendo bono publico, simul firmandæ utriusque ditionum securitati valeat. Nec minus lætum, ab Electore dextre acceptam declarationem super Regis scopo circa fœdus Gallicum servandæ paci Germaniæ; cujus effectus adpariturus sit ex opera, quam ipse per legatos suos circa conciliandam pacem navet. Quod autem Elector de hostilibus Gallorum queratur, ac auxilium exposcat, Gallos ista haut agnoscere, ac rationem belli excusare, postquam Elector cavere noluerit, hostes ex ipsius oppidis expellendos; ac se de cætero pacem Germaniæ servaturos. Sed quia Elector de hoc negotio jam Ratisponæ moverit, ubi & id commodissime decidi queat, non dubitare Regem, quin eidem ibi satisfaciendum sit; ac libenter ibidem decreta secuturum; nec minus apud tractatus pacis, ut isti ex æquo satisfiat, laboraturum. Ac confidere, Electorem bono publico, ac spei communis pacis eo facilius recuperandæ condonaturum, quæ confusio bellum sequi solita produxerit; eoque armis, quæ mala tan-*

1672. *la tantum exasperent, ac incendium latius diffundant, non usurum, sed eventum tractatuum pacis expectaturum. Scopum Brunsuicensis fœderis salutarem esse, ac Regem id amplecti haut dubitaturum, ni consultum foret alios quoque Imperii Status ad id invitari, ac receptio omnium fœderatorum consensu fieri debeat; de quo Ratispona agi queat. Formulæ fœderis a Cravello confectæ cui Blumius adstipulatus fuerit, Regem statim contradixisse; & quæ iste fecerit, præter mandatum fecisse. Porro quia Rex circa conciliandam pacem laboret, cujus & spes allubescat, quid pace irrita facturus sit declarare superfluum, ac officio suo noxium fore. Turbas Polonicas a Rege haut aliter tangi potuisse, quam partes utrinque ad concordiam hortando, de qua & spes sit. Apud Czarem quoque egisse, ut is Poloniæ causam contra Turcam suscipiat: nec minus Cæsari eam causam commendasse.* Alias adparebat, Suecos arma in Belgas, aut eorum fœderatos haut arrepturos, sed conciliationi pacis unice vacaturos. Ac Ordines Regni, quanquam in comitiis fœdera cum Gallo, & Anglo inita adprobaverant, expresse tamen stipulati fuerant, ne Rex Belgico se bello misceret, ex quo commercia sua jamtum plurimum damni senserint. Nec ullus adhuc belli adparatus, ac militum delectus sentiebatur.

Belgarum in Electorem querelis respondetur.

2. Dec.

§. 81. Quanquam autem Elector ubique pro Belgarum salute, quantum res ac vires ferrent, conniteretur; haut eo minus isti querebantur ab eo fœderi haut satisfactum, nec sat hostilitatis in Gallos ostensum; eoque conventam pecuniam expedire tergiversabantur. Ad quæ Elector demonstrabat: *Se Amerongio rationes mutati itineris proposuisse, qui nil quod reponeret habuerit. Nam quo tempore fœdus condebatur, in Belgarum potestate omnia ad Rhenum & Isalam oppida fuisse; qui & promiserint, quamprimum ipse in Westphaliam cum exercitu accesserit, se XXIV M militum eidem juncturos. Nec minus alios Reges, ac Principes, ac peculiariter Cellensem ac Guelferbytanum Duces in id fœdus pertracturos. Quantam mutationem autem tota res subierit, & ut integræ provinciæ in manus hostium concesserint, in aprico esse. Sed nec interea cum Daniæ Rege, ac Brunsuicensibus Ducibus transactum. Quod si tunc modicis cum copiis recta in Westphaliam itum fuisset, Reip. nil emolumenti fuisse conciliandum, nec hosti insigne damnum inferendum, viribus, ac locorum commoditate longe potiori: simul exercitum manifesti exitii periculo objiciendum: quod tamen non ideo declinarit, quia sibi, ac milite parcebat, sed ne nutans jam Resp. in praeceps iret. Eum tamen flexi in diversa itineris fructum fuisse, ut Turennius cum maxima militis Gallici parte e visceribus Belgii in Westphaliam, inde trans Rhenum Treviros usque pertractus sit, ac interim Belgarum exercitui occasio præbita sit rem in hostem gerendi. Sed nec deinceps se quid omissurum Reip sublevandæ, quod quidem intra suas vires positum sit. Ut autem omnia ad quorumlibet placitum fieri queant, id ab ipso neminem postulaturum. Operationes bellicas non semper ex voto unius partis suscipi posse, sed ex belli ratione, hostium motibus, genio locorum, ac similibus respectibus dirigendas. Ac præter meritum a Belgis eam expeditionem velut infructuosam non sine ipsius contumelia differri. Sane Angliæ Regem responso suo ad Crocovium de ea aliter judicare. Et ex quo tempore ipse movere se cœperit, Gallos semper intentos in se respexisse. Monasteriensem quoque, ob iter nunc in Westphaliam ditioni suæ metuentem, ita Cœverdiæ præsidium minuisse, ut Belgis facile fuerit eam recuperare. In præsens quoque Gallos multis locis præsidia deducere, ut exercitum adversus ipsum firment. Quin videri Gallos deinceps satis habituros Belgarum vim arcuisse, ac arma in Germaniam versuros; cujus rei culpa in solum Cæsarem, ac Electorem conferatur.* 1673.

Per Westphaliam acta.

§. 82. Poterant ista jamdudum Electoris in rem communem studium refrigerare, ac eum ut privatim rebus suis consuleret permovere, cum & in Westphaliæ tantum difficultatum occurrisset, ut nulla Facultas superesset militem ibi sustentandi in eam cum exercitu tendere placuerat, postquam ob Cæsareorum tergiversationem, aliasque rationes Rehnum transire haut licuisset. Ac ipse quidem Elector relicto Mœno cum MCC equitibus prægressus sub initium anni Bilefeldam pervenit. 1673. Exercitus per montosa Hassiæ, & Westerwaldiæ lentis itineribus secutus est, multis hominibus, ac equis inter difficilia viarum, ac sævam anni tempestatem amissis. Paulo ante Monasteriensis irruptionem in Marcanum Comitatum fecerat, ac occupata Luna, Unna, Rhoda, aliisque parum munitis locis tributa passim imperaverat; sed quæ ingruente Electoris exercitu direpta, ac male habita iterum deseruerat. Animus Electori erat fesso militi aliquam quietem indulgere, ac imminutas numeris legiones supplere: quo fine Electorales copiæ proprias per ditiones, Cæsareæ per Paderbornensem præsulatum distribuebantur. Inter quæ duæ Colonienses legiones equestres, dum circa Unnam populabundæ vagantur, ab Ellero magnam partem cæsæ sunt, plerisque signis ereptis. Monasterienses quoque a Spanio semel atque iterum male multati, ac intra arcem Hæringshausam centum quinquaginta Galli cæsi. Enimvero Turennius, qui omnes Electoris motus solicite observabat, animadverso hujus instituto repente stativis ad Mosellam digressus, cum Andernaci pons glaciei fragminibus abruptus esset, Vesaliæ cis Rhenum venit, per commodiora itinerum Electorales prævertens. Ubi is exercitum milite præsidiis Clivicis detracto, simul a Condæo, ac Durassio submissa manu firmabat, inde Unnam properans; quod oppidum Bomstorfius tribunus cum paucis dimachis ac provincialium manu insidebat, nullis machinis; sed qui postquam pro captu virium acriter restitisset, oppidum modice munitum, ac inter oppugnandum injectis globis fere in cineres redactum, dedere coactus est. In Westphaliam ubi fœderatus exercitus pervenisset Montecuculus continuis flagitationibus Viennæ obtinuerat, ut sibi ab exercitu discedere liceret, quod nullo modo diutius ibi subsistere posset. Qui Viennam reversus dicebat; plus effici potuisse, modo mandata sibi fuissent. Sed Lobcovicium semper ingessisse; ne

1673. ne quid vel minimum aleæ habens tentaret. Monuerat Belgas Elector, ut post depulsum Hollandiæ apud Suammerdammum periculum, & recuperatam Cœvordiam hostis distraheretur, ne tota mole in ipsum rueret, quo facultas foret pugnam cum hoste committendi cujus desiderio dudum miles Electoralis flagraverat. Ac Galli laboribus itineris, ac diuturnæ expeditionis, simul frigore valde confecti erant. Unde Joannes Georgius Anhaltinus Princeps, jam tempus venisse ratus capitalem plagam Gallis inferendi, Electori persuaserat, ut prælium committere statueret. Inde ipse Paderbornam excurrens ad Bornonvillium, qui digresso Montecuculo Cæsareis legionibus præerat, huic quoque id consilium adprobavit. Nam is jam mandata acceperat, ut data occasione rem in gallos gereret, quod annus elapsus esset, intra quem Cæsar Gallo promiserat, se bello Belgico abstenturum. Itaque omnibus legionibus dies condicitur, quo apud Susatum convenire deberent. Ubi Bornonvillius quidem initio disserere; præliorum aleam non solere tentari, nisi vel explorata victoriæ spes invitet, vel necessitas subigat, vel virtutis specimen exhibere placeat; quorum nihil in præsens adpareat: Sibi tamen injunctum Electoris jussa capessere. Consilio inde habito, cui & Dux Lotharingiæ senior, Caprara, Keiserstenius Cæsarei Duces aderant, omnibus id institutum probabatur; ac summa præfectorum alacritas eminebat oblata occasione virtutis exserendæ. Ac jam omnia prælio committendo parabantur, locusque apud Schidam cœnobium designabatur, quo per noctem iter legionibus indictum erat. Sed ea destinata avertit Pœlnicius, qui una cum Christiano Alberto Dona, ac Espencæo Comitibus Electorem precibus urgebat, ne summam rerum in discrimen mitteret, providentiam Turennii immensum extollens, qui nunquam pugnæ copiam sit facturus, nisi multis partibus potiorem se judicaret. Ac si cladis quid accipiatur, Electoris statum gravissimis difficultatibus implicandum: etiam obtenta victoria parum ad summam rerum profici. Quibus animum hujus labefactavit, ut moram sequentis diei interponendam statueret rei maturius expendendæ. Ast interea Turennius in commodiorem se locum subduxerat, ubi invitus ad prælium compelli non poterat; quem ut ultro prodiret nostri aliquot per dies in aciem dispositi incassum expectabant, cum non magis Turennio, quam Cæsareis prælio certare libido esset, donec inclementia cœli sub tectum eos deduci imperaret. Ita exercitus in hiberna dimissus, postquam per excurrentes catervas non pauci Galli cæsi, aut intercepti fuissent. Equitum V M Hammi, & Susati relicti, ut hostem excursionibus carperent. Ac spes erat Belgas interim aliquod operæ pretium facturos, postquam Elector omnes fere hostium vires in se traxisset. Sed quia mox validius ingruenti Turennio in proclivi futurum erat sparsos per hospitia opprimere, eas copias inde avocare necessum fuit; quibus digressis ista oppida parum munita a Gallis occupantur. Et quia adesis omnibus in Westphalia hibernandi facultas non supererat, copias paulatim Mindam, inde plane cis Visurgim reduci necessum fuit, Cæsareis in Hildesiensem Præsulatum concedentibus. Eo ferocius Monasteriensis, cum nemo esset, qui resisteret, per Westphaliam se jactare, ac Lunam, Ravensbergam, Lubbecam, parum munita loca, occupare, ipsamque Bilefeldam irrito obsidio urgere. 1673.

Super præsenti rerum facie consultatio.

§. 83. Cum itaque Electoris res in tantas difficultates conjectæ essent, quæstio erat, utrum obnixe in bello persistendum, ac communes tractatus expectandi essent, velut plus securitatis præbituri: an vero per peculiarem conventionem, quam Gallus captabat, imminens periculum salva existimatione declinandum? Sane de successu communium tractatuum adhuc incertum erat; ac si diutius res in præsenti statu permaneat, saltem ruina exercitus secutura erat. Hærentibus quoque Belgarum subsidiis susceptum negotium nullo modo sustineri poterat: ac Belgæ conventis non expletis fœderis obligatione Electorem ultro exsolverant. Sane sexies scripserat Romswinckelius, subsidia a Belgis haut amplius continuari posse; qui & quintum jam mensem ea numerare omiserant. Per sex quoque a copiarum conjunctione menses Cæsarei satis ostenderant, sibi haut in animo esse in Gallos rem gerere; quorum nec mentio in avocatoriis contra Monasteriensem emissis facta erat. Inter ista ludibria Elector omnes prope ditiones suas Westphalicas amiserat; ac parum spei erat, deinceps melius rem successuram. Num Hispani in bellum erupturi essent, incertum erat, sine quibus Cæsar serio in causam descensurus haut videbatur. Nec a Dano, aut Luneburgicis levamenti quid sperandum, Belgis circa erogandas pecunias tergiversantibus, ac isto insuper Suecos suspectante. Ad quos & ipsos Electori erat respiciendum Gallico fœderi innexos, & qui cum Saxone quoque fœdus offensivum ac defensivum inierant, de cujus scopo haut constabat. Plerique etiam Ordinum conatibus se Electoris opponebant, ac eos velut Instrumento Pacis repugnantes arguebant. Quin nec exercitus in propriis ditionibus subsistere poterat; & in aliorum terras immissus plures inimicos Electori excitaturus erat. Nec Bornonvillium in Franconiam invitantem sequi consultum erat, provinciis per Westphaliam, & Inferiorem Saxoniam hostium libidini expositis. Ista igitur omnia Electorem permovebant, ut bello publicum ob bonum suscepto, in quo ab omnibus destituebatur, tantisper sese subducere tractatu cum Gallis suscepto institueret. Id quod & Osnabrugensis Præsul Ernestus Augustus misso Plateno Barone suadebat, eandem complurium Imperii Principum mentem esse, ac Gallum compositioni pronum confirmans. Cui negotio honeste suscipiendo ansam præbebat Suecicus ablegatus Wangelinus; qui cum Belgæ propositas a sequestribus inducias adspernarentur, Electorem ad peculiares inducias amplectendas hortabatur,

hisque

1673. iisque promovendis ad Turennium proficiscebatur. Qui respondebat; se quidem super hisce nil in mandatis habere: non dubitare tamen, quin Rex in eas libenter consensurus sit. Ac instabat Wangelinus, ut Elector hostilibus supersedeat, vitandæ animorum exacerbationi; ac ut cum Gallo amica ratione transigat; Sueciæ Rege officium accommodaturo. Sane Gallum testari, se nihil eorum cupere, quæ Electoris sint: ac compositioni admodum pronum esse. Ad quæ Elector declarabat; Se ex consilio Regis Sueciæ ab induciis æqua lege conceptis haut abhorrere. Quo fine & copias ad Visurgim retrahere maluerit, quam eo loco relinquere, ubi occasio collisioni esse possit. Circa idem tempus quidam, qui se Vicecomitem de Villa Nova appellabat, Electori per literas promittebat, se Turennium clam ferro, aut veneno sublaturum. De qua re Elector, id genus facinorum detestatus, hunc monebat, ut sibi ab isto homine caveret. Cui Turennius gratias agebat, ac maximi a se istam admonitionem fieri testabatur, velut quæ non nisi ex animo inusitatæ generositatis proficisci potuerit. Quanquam autem hoc modo inter Electorem, & Turennium tacitæ induciæ essent, ac iste hujus ad Wangelinum literis confisus, quod Monasteriensis Regis voluntati morem gesturus esset, hostilia omisisset: suspectum tamen erat, quod Præsules, conniventibus Gallis, an & instigantibus, hostiliter grassari pergerent, & Turennius Huxteram versus tenderet, parum liquido, Electore sciscitante, declarans, quo fine id fieret. Unde Electori haut placebat tractationem cum Hispanis abrumpere, quoad adpareret, num a Gallis serio res ageretur. Sed & haut placebat Sueco sequestre cum Gallis transigere, ne is forte de sua in Juliacenses ditiones prætensione pacto infarcire conaretur. Ac erat ea arcana causa, quare Elector tantopere cum Gallo convenire cuperet; ne hic forte Suecum in possessionem Clivicarum ditionum immitteret. Cui & Saxo suspicionem injecerat, ne tale quid animo agitaret: qui in fœdere cum Cæsare stipulatus fuerat, ne copias suas accommodaret ad Clivica Electoris oppida recuperanda. Ac spem invadendi eas ditiones innuere visum est numisma, tunc temporis ab Augusto Magdeburgico Administratore cusum, quo cygnus aquæ innatans exprimebatur cum lemmate; *Silendum, & sperandum.* Cæterum etsi necessitas Electorem ad ista consilia compelleret; ne quid tamen fœderati objicere possent, quasi ipsis inconsultis, aut alios ob respectus ad ea descenderet, honestum habebatur eorundem causas Cæsari ac Belgis exponere, confirmato, se nil in eorum fraudem admissurum, ubi ipsis pariter ad tractatus haut accedere placeat. Tum & existimationis intererat, non per suos ista agere, sed oblato Neoburgici officio uti, quem candide in eo negotio versaturum confidebat.

de Villeneufue.

Electoris ad Cæsarem literæ. 13. Febr.

§. 84. Ea cum sententia sederet, Elector ad Cæsarem literas dabat hoc argumento: *Res heic loci in eum statum delapsas, ut præsentius remedium haut adpareat exercitui, ac omnibus fœderatis servandis, quam induciæ; quod bello continuato hostis progressus suos longe sit prolaturus, cui in præsens æquales vires opponi nequeant, & demum totus Westphalicus Circulus in ejus potestatem venturus videatur.* *Quanquam autem Bornonvillius inter has consultationes negaverit sibi a Cæsare quid super induciis mandatum, quas & periculosas judicet; tamen quia ipse credat, si Cæsari facies rerum penitus perspecta esset, hunc istas probaturum, easdem se Belgis suasisse, ac pro se acceptaturum, si æquis conditionibus obtineri queant.* Addebatur, *exercitum cis Visurgim retrahendum, qui in Westphalia neque sparsim per hospitia propinquo hoste tutus agere, nec in unum locum contrahi sine exitio possit. Simul cum ab omnibus deseri se conspiciat, nil aliud superesse, quam ut ipse sibi consulat. Præstantissimas suarum ditionum in hostium manibus esse; reliquas a proprio milite comedi. Belgas intra semestre subsidiorum nihil solvisse. Onus belli sibi soli incumbere, cui sustinendo haut quidquam par sit. Unde neminem sibi vitio daturum, si quæ necessitas suggerat consilia amplectatur.* Mox & Christophorus Brandius Viennam se conferre jubebatur, ut Cæsari gratias ageret, quod is ex officio, ac vi fœderis Montecuculum cum egregiis copiis ad Electorem miserit. Quanquam autem spes fuerit, iis copiis plus profectum iri, ac inprimis superato Rheno, ac Mosella, profligatisque Gallis ea flumina in potestate habenda; a Montecuculo tamen ei negotio semper ejusmodi rationes oppositas, ut in respectum Cæsaris ejus consilio manus dederit ea spe, Cæsarem proximo vere majores adparatus facturum cœpto negotio exsequendo; simul a Moguntino, & Trevirensi obtenturum, ut transitu Rheni, & Mosellæ uti liceat. Sed quia interim Monasteriensis per ipsius ditionem hostili modo grassetur, ac Cæsari semper animus fuerit eum, atque Coloniensem armis Gallica societate avellere; igitur Electorem rogare, ut Cæsar ducibus suis injungat una cum ipso, quantum hiberna tempestate fieri possit, in eos Præsules rem gerere, quo in horum ditionibus hiberna capi possint, ne Electorales provinciæ uno velut ictu pessumdentur. Tum ut mature in proximum ver idoneus adparatus fiat, sistendis Gallorum viribus, ac ulterioribus incursibus prævertendis. Circa meliorem hujus negotii exsecutionem, ac plures socios adsciscendos Cæsari ultro curæ fore; cui Elector semper fidem, ac devotum animum sit adprobaturus. Sed privato cum Cæsareis ministris congressu modeste exponeret; *Electori multas ubique exprobrationes fuisse tolerandas, quod is hactenus suo exercitu aliis molestiam tantum facessierit, nullo ad summam rerum effectu. Quia autem is in consilio bellico respectu in Cæsarem ea secutus sit, quæ ejus nomine proposita fuerint, haut consideratis malis, quæ in proprias inde provincias redundatura essent; eum sperare, talia mandata ducibus danda, ut operationes bellicæ, prout occasio tulerit, citra exceptionem suscipi queant.* Quod si isti moras nectant, & animi sensa premant, ac forte ostendant; Gallum restitutionem Electoralium ditionum promittere; Præsulibus negotium non cum

& legatio. 17. Febr.

1673. cum Imperio, sed cum exteris esse; reponeret: *Galli promissis haut fidendum, quæ tantum illudendo Electori, atque aliis jactentur; ac facta contrarium testari. Gallicis ministris nil frequentius in ore esse, quam Regem Germaniæ quietem haut turbaturum, & cum ea constantem amicitiam culturum. Sed uti ista observentur in aprico esse. Notum ipsis, quibus sinceræ amicitiæ testationibus Gremonvillius perstrepuerit; & quid is eodem tempore apud Hungaros in fraudem Cæsaris struxerit. Quanquam autem, quæ Cæsar hactenus in Gallum fecerit, forte ab hoc ad exiguum tempus dissimulanda sint; non dubium tamen, quin iste alio, & Cæsari parum commodo tempore ea sit ulturus. Sed & omnium Europæ Principum interesse, Belgas hoc tempore auxilio cassos non destitui, nec Gallo ad eos subjugandos occasionem præberi; id quod certo futurum sit, ni vegetiora adversus hunc consilia arripiantur. Porro Præsules omnium horum malorum autores esse. Coloniensem traditis oppidis, ac usu ditionis suæ Gallo permissa viam invadendæ Electoris provinciæ aperuisse. Monasteriensem multa in Cæsaris, ac Imperii fraudem tendentia patrasse, ac Electori tantum damni, ac contumeliæ intulisse, quod impune ferre non debeat: ac non minus Cæsari quam Electori præstationem Clivensis pacis incumbere. Utrumque Præsulem submissionem erga Cæsarem simulasse, ac se repudiatis exteris ad hujus obsequium redituros, ut repentinam impressionem sibi exitio futuram declinarent: interim tempus lucrarentur ad exterorum se armis firmandos. Igitur Cæsarem haut permissurum, ut isti scopo suo potiantur; quo deinceps in fraudem autoritatis Cæsareæ, ac aliorum Ordinum perniciem abuti queant.* Denique legatus velut de suo adderet: si Elector haut alium fructum Cæsareæ conjunctionis percipiat, quam ut ipse ditionibus evastatis ad extrema redigatur; id perinde habitum iri, ac si is per vim ad alia consilia capessenda compellatur. Si Hungaricæ turbæ objiciantur, reponeret: *In Cæsaris manu situm esse eas sopire, & arma quæ nunc in ipsum moveantur, in hostes vertere, Evangelicis libenter bona, & sanguinem pro Cæsare impensuris, modo istis sacrorum suorum exercitium illibatum relinquatur. Cæsaris majores satis agnovisse, nulli Principum jus esse ad conscientias civium cogendas; ac magnopere dolendum esse, Principibus Domus Austriacæ, ac cumprimis Cæsari, congenitæ clementiæ ac benignitatis gloria conspicuis, pravorum sacerdotum instinctu hac maculam inuri, ut in fidissimos cives ideo duntaxat sæviant, quia Deum ad simplicem oraculorum sacrorum ductum colere volunt, insuper habitis interpretamentis, atque additamentis, sacerdotum ambitioni, atque avaritiæ alendæ inventis: quo instituto nil Domui ipsius perniciosius esse, optimis civibus, ac integerrimis nationibus ab ejus amicitia alienatis.* Ac sane dilutus nimium color erat, quo Lobcovicius intercessiones Protestantium pro Hungaris eluserat: *Cæsarem Clero præjudicare non posse.* Cum tamen in pactis cum Ragozio anno 1646. expresse positum esset: *non obstante Cleri contradictione.* Nec minus id inane erat, quod jactabatur: *quia Nobiles Hungari semper sibi jus reformandi sacra reservarint, Cæsarem idem jam facere velut dominum terrarum per nuperam rebellionem ad se devolutarum.* Belgarum ablegatus Bruninxius, qui itidem pro Hungaris intercesserat, suspicabatur, Cæsarem in negotio religionis cum Gallo colludere; ac eundem, cum de reformatione verba fierent, dixisse; *Se Gallo fratri suo haut concessurum qui nunc in Regno suo omnia ad uniformitatem religionis reducere velit.* Sane animo comprehendi non posse, apud cordatos homines ita disconvenientes invicem sententias reperiri posse, ut cum constet, Domum Austriacam absque Protestantium auxilio consistere non posse, hos tamen istis persecutionibus tantopere refrigerari. Magnam ejus rei culpam in Hocherum conferri, velut Jesuitarum mancipium quibus & is promotionem suam debuerit. Monere quoque Brandius jubebatur talia mandata Ratisponam mittenda, quæ cum Electoralibus conspirent: ac ut Cæsar proximo vere ipse in Imperium se conferat; id quod communi causæ valde profuturum, partibusque multum vigoris additurum sit. Sed quia Brandius per morbum iter ingredi prohibebatur, ac res indies in deterius ibant, Elector Crocovium Viennam properare jubebat, ac Cæsari exponere; uti ipse nil omiserit, quod adimpletionem fœderis, simul hosti debilitando, ac restituendæ paci facere possit; ac cum spes esset, se in tam honesto instituto ab aliis sublevatum iri, omnia sua impendisse, ac provincias suas comedendas exposuisse. Sed rem ubique infeliciter cecidisse, irrito Rhenum versus itinere, dum transitus ejus fluminis, quo solo respectu ipse in id iter consenserit, a Trevirensi, ac Moguntino negatur. In Westphalia de in Gallos; & Monasteriensem loca idonea milite insedisse, illos aliorum accessione firmatos, per sæviens gelu omnes operationes impeditas, annonam, ac pabulum demum plane defecisse, exercitu quoque admodum imminuto. Ita diutius rem sustineri haut potuisse. Accedere a Suecis, & aliis monita altius penetrantia; ut in peculiares cum Gallo tractatus descendatur, ne Imperium ulterius hoc bello implicetur, ac Gallo via monstretur in Germaniæ interiora penetrandi, pedemque ad Visurgim, uti jam ad Rhenum, firmandi. Quam circa rem Electori constare quosdam Ordinum Gallo velificaturos, qui & Huxteræ jam præsidium immiserint. Quanquam autem ipse solus belli onera in Westphalicis suis provinciis toleraverit, ad miseram inde conditionem redactis: tamen ob privatos istos respectus sibi super induciis, ac peculiaribus tractatibus in mentem haut venisse. Enimvero Belgas hactenus bello valide propulsando haut idoneos adparatus fecisse; plurium mensium subsidia detinuisse; aliis Regibus, ac Principibus, quos in fœdus sese pertracturos promiserint, haut satisfecisse; Hispanos in bellum haut erupisse; Suecos, aliosque in Imperio, si bellum extrahatur, oppositionem meditari: Anglos de separato a Gallis tractatu ne audire quidem velle; periculum a Turca in Polonia, & Hungaria non cessare. Unde cum sibi nil facultatis adpareret cœptum nego-

1673. 28. Febr.

1673. negotium pervincendi, se tractatu per alios agitato Gallorum progressus stitisse, ut quæ sibi restert in Westphalia loca serventur. Sed quia Galli temporario pacto haut contenti plenam transactionem urgeant, Visurgis transitum minati; a se per indeclinabilem necessitatem, ac avertendis majoribus malis, tractatus multis invitantibus haut repudiatos, ea tamen lege dicta, ut conclusionem, quoad Cæsaris declaratio allata fuerit, sit suspensurus, nec in quid consensurus, quod Cæsari, & Imperio fraudi cedat. Ista si Cæsari probentur, postularet, ut ejus miles ipsius ditione deducatur. Ast ubi is continuationem belli suadeat, id supra vires suas esse monstraret; nec rationem adparere belli posthac meliore cum successu gerendi, aut ubi noster exercitus, vastatis plerisque suis ditionibus, deinceps alendus sit; aut uti periculum a Suecis, & quibusdam Germaniæ Principibus imminens averti queat. Adversus quæ non incerta spe, sed præsentibus remediis opus esse. Si objiciatur; Electorem in tractatu jam longius progressum, & super una & altera propositione mentem suam declarasse, responderet; a se nil clanculum actum, & omnia cum Bornonvillio communicata, qui mandato se defici excusarit; ac Cæsari per literas de eo significatum. Sed conditionem temporum non tulisse responsum expectari; ante quod tamen allatum nil certi se conclusurum. Ac alias per anni tempus bello nil geri posse. Importune exprobrantibus modeste insinuaret, Cremonvillium quoque Viennæ pluries auditum, se nil sinistræ suspicionis inde concipiente.

Cæsar Electorem in bello retinere studet. 11. Mart. §. 85. Enimvero etsi antea Hocherus ostendisset, Cæsarem Electoris cum Gallo tractatibus nil impedimenti injecturum, cum sibi adversus hunc nil hostile intercedat, simul ministrum Suecicum monuisset, ut Suecus operam det, quo Elector pacificationi Belgicæ includatur, cui alias nulla via sit urbes Clivicas recuperandi: nunc tamen Cæsar inducias dissuadebat, & ne Elector a fœderatis se disjungeret. Unde Crocovius demonstrare jubebatur: inevitabilem necessitatem urgere, ac alias omnia sua trans Visurgim hosti in prædam fuisse relinquenda. Ast si maxime separati tractatus ineundi sint, se tamen fœdere Cæsaris pro Imperii defensione firmiter staturum. Ac ni præsens remedium ostendatur, qua sublevari possit, Cæsarem haut improbaturum, ut ipse se patriæ servet. Ingens quoque discrimen esse inter fœdus, quod sibi cum Cæsare, ac id, quod cum Belgis intercedat. In hoc enim se convenisse super bello in Gallos una cum Belgis gerendo. Sed isto nil aliud promissum, etsi ipse aliud optarit, quam operam cum Cæsare jungere tutandæ Germaniæ. Quia igitur Belgæ haut impleto fœdere ipsum in tantam necessitatem prolabi passi fuerint, cum nemo, ac ne Cæsar quidem iis legibus, quibus ipse, eorum societatem amplecti voluerit; fas sibi esse hoc rerum statu istud vinculum exuere. Nec posteritati suæ excusatum se fore, si ipse solus cum manifesto exitio Domus suæ totam belli molem in se trahat. Ac sane Lobcovicius ipse cum Crocovio animos addere debuisset, metum incusserat; & velut re jam transacta dixerat; *ferendum esse, quod mutari non possit.* Porro cum Crocovius Cæsareis secretum fœdus cum Gallis initum objiceret, per quod Cæsar Gallis promiserit, se Belgis auxilia non laturum, si extra Imperii limites invadantur; eoque conjunctionem copiarum cum Electore vix aliter quam in ludibrii vicem accipi potuisse: isti ostendebant, ejus fœderis verba hæc fuisse; *Quod si illæsa permanente ex parte Regis Christianissimi paci Aquisgranensi* extra circulos & feuda Imperii, *quos aut quæ Status & Vasalli Imperii possident, inter Regem Christianissimum ex una, deinde Reges Angliæ, & Sueciæ, & Unitos Ordines Belgii ex altera parte insurgeret bellum apertum; quod in talem casum Imperator, excepta pacifica interpositione suorum officiorum, se non velit immiscere tali bello, nec per se, nec per alios, nec cum his ad illorum defensionem, nec cum aliis ad hunc finem & effectum facere confœderationem contra Regem Galliæ.* Et quia Cæsar eo fœdere sibi præstationem pacis Westphalicæ, Olivensis, Clivicæ, & Aquisgranensis receperit, eidem duplici nomine fas esse Gallos invadere; quia hi contra conventa Belgis e solo Imperii bellum intulerint; cum salvo hoc fœdere Gallus Belgas non nisi maritimo bello impetere potuerit; & quia per hunc Westphalica, & Clivica pax fuerit violata. Ejus fœderis causas Hocherus has ferebat. *Cæsarem tunc turbas Hungaricas metuisse: Belgas oblatum ab ipso fœdus neglexisse: Hispanos bellum cum Gallo declinasse. Ex ingenti armorum adparatu, ac libidine bellandi apud Gallos judicari potuisse, Belgas, Hispanos, aut Germaniam peti. Ac Cremonvillium asseverasse, Regi utique decretum bellum gerere; ac si ejus destinata in Belgas impediantur, arma alio vertenda. Unde consultum visum bellum in Belgas promovere, quod creditum fuerit, his uberrimam resistendi facultatem esse, & quia satius sit alteri auxilium ferre, quam ipsum auxilio indigere.* Sed cum Crocovius quæreret, quare ergo de isto fœdere Electori non significatum sit; nil quod responderent habebant. Fuerat tunc Cæsari spes Anglum societate Gallica abstrahendi per matrimonium Oenipontanæ virginis Claudiæ Felicitatis cum Jacobo Eboracensi Duce, quo fine pacta connubialia jam adornata erant. Sed quæ destinata mors Margaretæ Mariæ Augustæ intercepit, ob quam ista protinus connubio Cæsaris destinabatur. Porro Cæsarei ministri, ut Electorem bello implicitum retinerent, disserebant: Cæsarem XXX M militum in Belgium missurum, quibus ab Hispano XV M sint adjungenda; ac si opus sit, eum numerum auctum iri. De hoc quoque negotio Ratisponæ proponendum, ubi sine dubio decreta ex voto sint futura. Spem quoque esse Belgas conventam pecuniam repræsentaturos. Tum & operam datum iri, ut Cellensis, & Guelferbytanus in partes trahantur. Nec de studio Cæsaris in eam causam dubitandum, quod Austriaca Domus consistere non possit, si Gallus scopum suum obtineat. Nec Lobcovicium amplius metuendum, Gallici belli acerri-

1673. d. 1. Nov. 1671.

1673. acerrimum dissuasorem; qui jam in præcipitio gratiæ stet. In quem & Cæsar nuper aspere invectus fuerit, tum ob negotium Gallicum, tum ob Neoburgicam Virginem, cujus connubium iste velut Palatinæ Domui per affinitatem innexus ingerebat; eoque de Oenipontana Virgine haut satis reverenter locutus fuerat. Sane plerique Cæsarei ministri ad eum munere dejiciendum conspiraverant. Ac multi Principum legati non obscure jactabant; se nil fiduciæ in Cæsare collocare posse, quamdiu penes istum summa consiliorum sit. Ac Moguntinus fatali morbo decumpens, præsentibus multis dixerat; Cæsarem ab isto prodi. Sed quia omnia incerta, aut in longum prominentia erant, haut quidquam ad dispellendam qua Elector urgebatur necessitatem valere poterant. Porro & ad Saxonem mittebatur Rabanus Cansteinius, qui exposita rerum facie istius consilium exposceret; num induciæ amplectendæ: quas multi suadeant, an vero bellum continuandum, ac num huic ipse accedere velit; an vero rebus suis seorsim consulendum? Addebatur, ut Saxo quoque fœderi Brunsuicensi accedere velit. Ad quæ hic reposuit: Graves sibi causas esse, quare in societatem belli venire non potuerit; ac omnia consilia se ad compositionem pacis referre. Hac rerum facie Electori inducias a se dissuaderi non posse, quæ communem pacem non parum promoturæ videantur; ac Gallo necessitatem allaturæ, ut copiis suis trans Rhenum ductis Germaniam exoneret. Super fœdere Brunsuicensi amplius cum Cæsare deliberaturum.

Elector Belgis inducias suadet. 11. Febr. §. 86. Nec minus Belgis Elector ingerebat, ut propositas a sequestribus Suecis inducias amplecterentur. Etsi enim in universum melius si inter arma de pace agere quamdiu spes boni successus arrideat: tamen hostem quocunque modo amoliendum videri, postquam hic plus damni Reip. dederit, quam acceperit. Suos conatus in contrarium vertisse, hoste longius in ipsius ditionem progresso, ac toto fere Marcano Comitatu occupato. Conatus Belgarum hactenus plerosque successu caruisse, aut damno cessisse. Hostem pecunia, annona, munitionum, fluminum, ac communicationis commoditate, aliisque bello gerendo necessariis, tum favore apud Principes Germaniæ longe potiorem. Contra Electoralem exercitum itineribus fatigatum, & ob emanentia subsidia haut solutis stipendiis ita imminutum; ut ni per quietem reficiatur, ac suppleatur, futuro vere suscipiendæ expeditioni ineptus futurus, ac vix tutandis munitionibus suffecturus sit. Tantum abesse, ut hostium incursiones prohibere, aut amissa recuperare valiturus sit. Belgas, qui ad subveniendum ipsi teneantur, circa sua tutanda distringi, ac in præsens ultro postulare, ut miles ad Amasim, & in Frisiam auxilio mittatur. Quantum Cæsareorum auxilio nitendum sit, suo loco relinqui. Saltem hactenus observatum, eos ad Romanos ritus, ac sacerdotum ditiones plus satis respexisse, nec palam pacem cum Gallo abrumpere voluisse. Præterea, quod Electorem maxime solicitum reddat, esse internum Reip. statum, inconstantiæ, & confusionis plenum, ut, si maxime tam potentes hostes haut urgeant, ipsorum consiliis parum confidendum sit. Equidem egregium Arausionensis studium, ac plurimos proceres, ac cives patriæ fidissimos. Isti tamen multos adhuc occultos esse inimicos, qui per se aut alios multum in Rep. possint. Quorum artibus impeditum sit, quo minus Reip. hactenus cum Daniæ Rege, ac Luneburgicis convenerit, ac sibi tam maligne subsidia soluta sint. Quod si Galli longius in Hollandiam, & ipsam usque Hagam penetrent, uti non frustra metuatur, quid tunc aliud expectandum, quam repentinam pacem, qualiscunque haberi possit, suis rationibus inter postrema habitis? Igitur propera pace, aut induciis opus esse, antequam suis ditionibus in Superiore Saxonia, & Borussia a Suecis, ac Polonis periculum creetur, quibus nulla aliunde auxilii facultas sit. Nam publica Imperii arma, quæ Ratispona tamdiu parturierit, vel in abortum desitura, vel sibi forte plus damni quam levamenti allatura. Potentissimos quoque Ordinum Gallo studere, alios ob metum sensa animi premere. Ab omnibus inducias suaderi, velut viam bonæ paci munituras; in quas Reges quoque consentiant. Enimvero Belgæ inducias abrupte recusabant, velut multo molestiores ipso bello futuras, ad quod populus libenter pecunias conferat. Ac induciis admissis paratus armorum terra marique cessaturos, ipsosque hostium libidini plane exponendos. Quæ Resp. fœdere promiserit, servaturam. Ast si fœderati invita Rep. inducias faciant, ac manum negotio subtrahere velint, habituram quod de infelicitate sua queratur. Sed subsidiorum nullam amplius spem esse. Et huic sententiæ tanto magis insistebant, postquam intellectum, a Cæsare inducias plane repudiatas, & a Gallis Hammum, ac Susatum occupata, ac Electorem distributo per hiberna exercitu Mindam concessisse. 1673.

§. 87. Porro, ut Elector Belgis eo magis excusatus esset, Pœlnicius mittebatur, qui Arausionensi demonstraret; uti ipse a mense Augusto in expeditione etiam inter frigoris sævitiam egerit, neque suo militi, nec ditioni parcens, quo Reip. adprobaret, a se nil omitti, quod ei sublevandæ faciat. Ac nunc eo rem rediisse, ut ingruente tota Gallorum mole retro cedendum fuerit; præsertim cum in Westphalia ob annonæ defectum diutius subsistere haut liceat. Ejus igitur consilium, quid hac rerum facie suscipiendum, exquireret. Sed simul sine ambage ostenderet, quas molestias irreparabili suo cum damno ipse perceperit, inde provenisse, quod Belgæ conventionem cum Daniæ Rege, & Luneburgicis nimis morose cauponando eluserint; cum tamen tum fœdus inibatur, ipsi promiserint, se non hosce solum in societatem pertracturos, sed & Hispanum ad abrumpendam pacem permoturos. Ab istis quoque justam impressionem haut susceptam, per quam Turennio necessitas adferretur copias dividendi. Subsidiorum quo- *Elector Arausionensi & Belgis conditionem rerum demonstrat. 18. Febr.*

1673. quoque nihil quartum jam mensem solutum, maximorum incommodorum exercitui suo causam. Denique quod Belgæ nunquam eum militem numerum habuerint, ut junctim cum ipso operam navare, aut saltem hostem e Frisia, & Groningæ dostinere potuerint. Nunc autem eo rem rediisse, ut vel induciæ sint faciendæ, quæ sibi arripiendæ fuerint, reducto cis Visurgim exercitu, cum alias per anni tempestatem nil rerum geri posset: vel pax sit acceleranda, quam si Belgæ cordi sibi esse ostenderint, Gallus sat æquam daturus videatur: vel ut Belgæ strenue bellum persequantur, ac prompte pecuniam suppeditent supplendo exercitui, ut instante vere res magna vi geri queat. Equidem inducias difficultatibus haut carere; sed quæ citra istas acrius premant, nulla quoque sine iisdem exercitus reparandi facultate. Quas a Belgis haut improbatum iri spes sit, tum iidem pari casu etiam plura sibi indulturi fuerint. Circa pacem sane circumspecte agendum; ut tamen circa præliminaria ne nimium tricentur, quo saltem tractandi initium fieri queat; nec rationem ibi defore moderandis conditionibus. Ast si bellum continuari placeat, pecuniam protinus repræsentandam. Nam inter incerta res suas tanto se periculo expositas relinquere haut posse; præsertim cum Ordines Imperii ista itinera, & stativa exercitus tolerare amplius nolint. Sed si Belgæ pro more responsum extrahant, iis diceret: ipsorum forte rebus cunctando melius consuli. Sed Electorem, dum fervidum pro eorum salute studium ab iisdem destituitur, in eam conditionem redactum, ut deliberationi non amplius locus supersit, sed ipsa necessitas viam hisce malis exeundi dictitet. Quicunque tamen status futurus sit, ipsi Reip. salutem semper curæ fore. Quicquid autem Belgæ decreverint, Pœlnicius semper solutionem subsidiorum urgeret, ac Electoris nomine protestaretur, omnia damna, quæ sibi, ac suis provinciis ex ea mora proveniant, istis attributum iri. Si fœderi ab Electore haut satisfactum arguant, ostenderet; hunc statim atque audierit Arausionensem ad Mosam accessisse, cum eo conjungi conatum. Quo fine pons Rheno injectus, ac omnia transitui parata fuerint. Sed Turennium iterum Rhenum transisse, Condæum quoque, & Durassium validis cum copiis ad Mosellam accessisse; quorum interpositu conjunctio intercluſa fuerit, iisdem dein ei parti incubituris, quæ sibi maxime opportuna videatur. Ac facile e Principis motibus judicari potuisse, eum quoque hanc conjunctionem pro desperata habere. Interim hiemem, & inopiam subegisse relicto Rheno in Westphaliam vertere, utut alibi facultas hibernorum absque propriorum civium onere offerretur. Sed istud consilii potius arreptum, quod semper sibi exprobratum fuerit, per pacta rem in Westphalia gerendam, ac ibi præstabiliorem operam Reip. navari posse. Quo studio ipse heic connixus fuerit, ut cladis quid hosti inferret, satis testari susceptum in Marcanum Comitatum iter, ubi spes fuerit prælii committendi. Sed Turennium tutis se locis tenuisse nulla pugnandi copia facta, ut præter felices aliquot catervarum conflictus in eum nil tentari potuerit. Nec sæviens gelu militem diutius in campo consistere permisisse. Unde sibi cum aliquot legionibus Bilefeldam fuisse recedendum, reliquis Susati, Hammi, & circa dispositis. Gallis inter hæc usque adeo nil negotii in Hollandia datum, ut Turennio copias inde arcessere vacaverit; quibus cum jam prævaleret, sibi Hammo, & Susato legiones fuisse evocandas, ni eas a se disclusas intercipi vellet. Quo facto ista loca in Gallorum potestatem concessisse, se heic in angustum redacto. Interea Belgas ex itineribus ipsius hinc inde susceptis non minorem fructum percepisse, quam si prælio victor extitisset, maxima hostium parte e Belgii visceribus intra Germaniam pertracta, ut Arausionensi spatium fuerit hostem hinc inde lacessendi; cum Reip. extrema viderentur imminere, si hosti tota vi ejus cervicibus incumbere vacasset. Gallicum quoque exercitum morbis, mortibus, ac desertionibus magis imminutum, quam si prælio victus fuisset. Vicissim se testando in Rempublicam affectu exprobrationibus abstinuisse, cum Belgæ multis partibus fidem suam haut expleverint. Nam dum fœdus concluditur, eos promisisse, se CM militum in armis habituros; ad Rhenum XXX M præter præsidia in promtu fore, cum Electoralibus copiis jungenda: insuper Cæsarem, Danum, Luneburgicos in partes trahendos; quorum nihil factum sit. In universum eos XXX M in campum educere vix potuisse: ad Rhenum nil copiarum collocasse: munitiones oppidorum Clivicorum ita neglectim habitas, ut pleræque defensionem haut ausæ se dediderint; aliquas a Belgis ultro desertas, quas mature sibi tradere abnuerint. Tractatus cum aliis Principibus vado adhæsisse, justo tardius susceptos, & ob intempestivam parsimoniam. Insuper sibi pecunias conventas justo tempore haut solutas; unde ne qua instruendo exercitui mora esset, insignia bona a se fuisse oppigneranda. Quæ tamen non exprobrandi animo dicantur, sed ut Belgæ agnoscant, quare bene destinata effectui dari haut potuerint; ac ut non aliter de aliis judicent, quam ipsi de se judicari velint. Quod ipse Rhenum non transierit, graves causas fuisse. Nam si eo facto hostis prælio non funderetur, Resp. nullum inde fructum captura erat: fœderatos autem id damnum fuisse mansurum, quod plures in Imperio Ordines a se opprimendi, ac ad desperationem, aut conjunctionem cum hoste adigendi fuerint. Cæsareos autem plane Rhenum transire abnuisse, eo prætexto, quod nullum ibi receptum, nec munitum locum, nec penum habeant; quæ omnia hosti abunde sint; & quia ob Hungaricas turbas, aliasque causas ita longe a ditionibus Cæsareis digredi haut liceat. Prælii aleam tentare magis ob Reipublicæ quam proprios respectus haut utile judicatum, quod ea secus cadente Respublica omni auxilio privanda fuerit, iis quoque, qui adhuc accessuri sperentur, abster-

1673. absterrendis: atque id nec Amerongio probatum. Cæsareis quoque secreti quid obstitisse videri, quo minus acrius ad rem gerendam conniterentur, quod & eorum rationes exigere videbantur. Et quia Cæsaris fœdus cum Rep. non prius absolutum fuerit, haut obstrictos se judicasse ad Belgarum causam aperte amplectendam, aut abrumpendam cum Gallis pacem: prout & nuper demum istorum duces mandata acceperint ad hostilia in Gallos expromenda. Summam autem agendorum Pœlnicius eo referret, ut Belgæ super induciis, & acceleranda pace salutaria consilia capessant: ne quid Electori velut secius actum exprobrent: tum ut Principi. ac Reip. de sincero suo studio confirmet, reipsa exhibendo, in quemcunque statum ipse redactus fuerit. Ut denique subsidia usque ad pacem solvantur, ac sexies mille supernumerariorum stipendia, de quibus du-
17. Mart. dum Amerongius spem fecerit. Enimvero his quamvis expositis tantum aberat, ut Belgæ defectibus remedium adferre vellent, ut potius Electoris consilia, & acta iniquæ censuræ subjicerent, ac solutionem subsidiorum, quæ jam a quinto mense debebantur; extraherent, etsi pecunia in promtu foret. Responsum quoque ad propositionem differebatur, ut satis adpareret, istis fœdus parum curæ amplius esse. Interim iidem Waldeccium ad Electorem miserant, cui hic laxioribus verbis responderat: se in partibus perstiturum, si Hispani bellum in Gallos sumant, ac Belgæ subsidia ex fœdere persolvant. Demum Pœlnicio a Belgis responsum: Inducias sibi haut probari. Pacis se cupidos, ac locum super ea tractandi Aquisgranum acceptasse. Subsidia quorum dies cesserit, una vice a se exsolvi non posse, quod sibi magni sumtus in classem armandam faciendi sint, ex qua sua salus pendeat. Sed duos menses in præsens, reliqua in Majum mensem numeranda; inde solutionem juxta fœdus continuandam. Circa supernumerarios, & supplementa facturos, quod æquum sit. Ad ista Pœlnicius gravem Electoris conditionem ostendere, cujus ditionibus hostis tamdiu incubuerit nullo a Belgis levamento: ac defectu stipendiorum exercitum in ruinam ivisse. Vicissim & Belgæ suam conditionem miserabantur: nec circa rem pecuniariam ulterius se posse. Contra Elector acriter protestabatur super gravissimo damno sibi inde orto, quod Belgæ nil pecuniæ, aut auxilii præstiterint, nec Monasteriensem distraxerint, qui nunc ipsius provincias impune insultet, se ob annonæ inopiam cis Visur-
18. Mart. Eppe. gim concedere coacto. Inter hæc Belgæ Philippum Eppium tribunum ad Electorem miserant, super futuris belli actionibus ejus sententiam sciscitaturum. Is ad ea, quæ Pœlnicio injuncta fuerant, provocabat; super quibus statim atque Belgæ mentem suam declararint, se quoque distinctius quid sentiat expositurum. Addebat, Belgas jam demum agnituros, penes ipsos solos causam horum malorum esse, neglecta solutione, quo tempore quam maxime circa rem gerendam satagebatur; citra quam moram res communes longe melius fuisse habituras. Ac inprimis indignabatur Elector, quod tribunus iste dixerat; duorum mensium stipendia protinus exsolvenda, si Elector aliter se declararit. Nam ea pecunia dudum solvi debuerat, ob cujus defectum tantum damni acceptum fuerat; quam nunc velut in futuri laboris præmium imputari iniquum erat. Ad extre- 22. Mart.
mum Pœlnicio a Belgis responsum: Reip. firmiter decretum, fœdus cum Electore initum per omnia implere; ac confidere hunc paria facturum. Simul ut ostendat, se ei circa omnia, quæ ei placent, modo intra vires suas posita sint, libenter gratificaturam, propositas inducias etsi sibi noxias amplexuram ea duntaxat lege, ut illæ sola armorum cessatione constent usque ad Kalendas Junii terra, & mari in freto Britannico duntaxat, & Oceano Septentrionali, sed non ulterius. Ut interim nemo ex hac Rep. in hosticum, & ex hostico huc accedat, aut quid importet, vel exportet absque literis tuti itineris. Subsidia quorum dies ad XV Novembris cesserit, solvenda. Circa citeriora subsidia, supernumerarios, ac supplementa prior declaratio manebat. Ast uti quæ super induciis agitabantur, Gallo, Angloque pariter eas repudiantibus irrita erant: ita & separatos tractatus Belgæ dissuadebant; quibus hosti ansa præbeatur non ipsos solum, sed & omnes vicinos subruendi. Solvebatur demum veterum stipendiorum unus mensis, cum Pœlnicio duo promissi essent. Ea res cum Electorem vehementer morderet, se tam indigne a Belgis haberi, his per Romswinckelium demonstrari jubebat: Plus satis jam adparere, quam parum istis curæ sit ipsius exercitus conservatio, cui præsenti pecunia opus sit; ac se auxilii expertem destitui, hoste interim per Westphalicas ipsius provincias pro libidine grassante, easque opibus plane emungente. Quin obsidium jam munitionibus, quæ sibi restent, parari, quæ nulla succurrendi facultate facile in potestatem redigendæ sint. Ditiones autem in utraque Saxonia sitas alendo exercitu non sufficere. Unde cum hac ratione res diutius sustineri non possit, a Belgis reliqua subsidiorum solvenda, & aliis desideriis ipsius promte satisfaciendum. Id ni promte fiat, urgente necessitate aliam viam ineundam, per quam his difficultatibus, in quas Reip. causa inciderit, exire queat. Nam inani spe diutius sese lactari non posse.

§. 88. Inter ista Neoburgicus misso Mindam Stratemanno officium conciliando Electori cum Galliæ Rege offerebat. Cui cum iste declarasset, se a peculiari cum hoc tractatione haut abhorrere, si æquis conditionibus potiri detur; Neoburgicus eundem Lutetiam mittebat explorandæ Regis sententiæ. Is e Gallia reversus referebat; Regem a pace non alienum esse, *Neoburgici circa Electorem cum Gallo conciliandum studium.* *Si tamen Elector ditiones suas Westphalicas ante pacem communem recipere velit, necessum fore, ut hic bello Belgico non amplius se immisceat. Ac reservare sibi eundem posse, ut si Imperium a Gallo invadatur, integrum sibi sit pro lubitu isti auxilia ferre.* In eum igitur statum cum Electoris res prolapsæ essent, in hujus consilio operose disceptatum, num

1673. num separatus cum Gallo tractatus amplectendus esset, an minus? Qui eum tam periculosa rerum facie haut repudiandum censebant, ita disserebant: *Multos equidem respectus obstare, quæ ab Electore Belgarum Remp. destitui dissuadeant. Enimvero huic non id tantum, quod deceat, & æquum videatur respiciendum; sed & quid vires ferant, & quid alii etiam potentiores pari casu facturi sint. Sane ipsum luculenta specimina edidisse, enixissimi pro publico bono studii; nec omisisse apud Cæsarem Hispanos, Danum, Luneburgicos, ipsosque Belgas impensissime instare, ut quilibet pro virili eam causam amplecti velit. Sed penes quem culpa sit, quod hactenus res haut melius successerit, altioris indaginis esse. Cum tamen facta infecta fieri nequeant, præterita utrumque ferri posse, modo cautum sit, deinceps majore vi, atque alacritate manum negotio admovendum. Nam præterito anno ostensum, non deesse remedia frangendis Gallorum conatibus. Enimvero Belgas pecuniæ quidem nonnihil offerre; sed rem eorum militarem haut prout par instructam. Hispanos de abrumpenda cum Gallis pace dudum minatos; rem adhuc in incerto esse. Quid Cæsar hoc anno præstiterit ante oculos esse: num deinceps plura ab eodem expectari queant, quem præstiturum? Interim Electoris Westphalicas provincias vastatas, reliquas per tributa exhaustas, A Dano, & Luneburgicis nil sperandum, multo minus a Sueco. Igitur dolendum, eo rem redactam, ut non amplius generosis consiliis Electoris locus sit. Sed haut eo minus sapientis esse temporibus cedere, & quo fata, ac vis major impellat, modeste sequi. Ac si nec ipse solus negotio sustinendo par sit, nec alii, quorum æque interest, operam conferre velint, quid aliud superest, quam ut propriæ conservationi studeatur?*

Consultatio super admittendis separatis tractatibus. Rationes pro.

Rationes contra. Alii contra disserebant; *Per separatam tractationem Belgas ad desperata consilia impelli posse; nec isti quidquam securitatis inesse, sed potius periculum gliscere. Nam si desperatio, aut vis Belgas, ut Gallo se submittant, cogat, quid aliud quam amissionem Belgii Hispanici, ac demum servitium Germaniæ secuturum? Igitur satius fore, fœdericum Belgis obnixe inhærere, quos ut ad extremum comitantur, propriæ rationes impellant. Ac spem esse Danum, ac Luneburgicum utique partibus accessuros. Cæsarem quoque majoribus copiis rem gesturum. Hispanos quicquid tergiversentur, in bellum pertrahendos. Nunc quoque tractationem super communi pace agitari, quam separata negotiatio valde turbare possit. Nec emolumentum adparere, quod peculiaris tractatus Electori pariturus sit. Nam Clivica oppida ante communem pacem haut redditum iri, ac si maxime ditiones Westphalicæ statim hostilitati eximantur; eas tamen ita exhaustas esse, ut hostis nil commodi amplius inde percipere queat. Igitur potius Cæsarem, Hispanos, Belgas impellendos, ut omni vi in Gallos conitantur, quibus cum sociato tutissimum sit susceptum pariter negotium ad finem perducere. Et quam facile esse, ut Cæsar, Hispanus, & Belgæ singuli vicena millia militum exhibeant; quibus si Elector X M addat, exercitum LXX M constantem confici; quo utique ingens operæ pretium fieri queat. Sed nec deesse opes bello persequendo. Belgas quæ debent conferre paratos. Idem Hispanis faciendum, & si qui alii sese nobiscum conjunxerint. Ex hostico quoque ut exercitus alatur conandum. Ac si in Germania exercitus L M bellatorum constans componatur, quem fore ex Ordinibus, qui huic cornu obvertere ausurus sit. Saxonem Cæsaris fœdere innexum. Dani ac Cellensis societatem potius sperandam. Hannoveranum haut curari. Bavaro virium aliquid esse, ac Suecis; sed dubium esse, num aperte in Galli partes transituri sint. Ita cessare periculum, quod hisce provinciis metuatur; quibus & Cæsaris auxilium in promtu sit. Persistente porro cum fœderatis societate communibus tractatibus eo majus pondus fore; tantoque æquiores conditiones obtinendas, ac majore cum securitate & autoritate negotium perficiendum Coloniensis ac Monasteriensis prætensionibus non deesse, quæ opponi queant: ac Cæsare ac Hispanis faventibus istos nihil curandos. Inanis in Lipstadium actionis a nemine rationem habitum iri. Nec tutius aliorum in Cliviam actiones eludi, quam si in fœderatorum societate persistatur. Ast si Gallus Belgio potiatur, non solum de Clivia, sed & de aliis ditionibus Electori parum cautum. Denique haut deesse quidem rationes, quæ adversus Belgas adduci queant, si ad peculiares tractatus descendere placeat. Sed vix dici quid posse, ad quod nihil reponi queat.*

§. 89. Cæterum quia Elector perspiciebat esse aliquos qui peculiares tractatus vehementer dissuaderent, his convincendis quærebat; unde opes inveniendæ persequendo bello, quia Belgarum promissis haut fidendum, ac ipse facile in easdem difficultates, quas nuper expertus sit, relabi possit, stipendiis deficientibus; ac ea subsidia si maxime ex convento solvantur, longe infra erogationes sint, ac locupletissimæ nostræ ditiones ab hostibus detineantur, ut vix suppetat unde præsidia ali queant? Quæ ratio ineunda, ut ab Ordinibus Imperii nulla oppositio sit metuenda, si iterum versus Rhenum aut Visurgim cum exercitu tendendum sit? Quomodo Marchiæ adversus invasionem cavendum, si uti proxima æstate factum, ea denuo omni milite nudata destituatur? Quanto plus emolumenti apud communes tractatus, quam peculiares obtineri possit? An non metuendum sit, ne apud communes tractatus Coloniensis, & Monasteriensis de satisfactione injicere audeant, aut saltem inanes prætensione[s] in Lipstadium, Susatum, ac jurisdictionem Ec[c]lesiasticam moveant? Si communis tractatus uti facile fieri potest, extrahatur, ac interim Lip[p]stadio obsidium circumponatur, quomodo hui[c] ita promte, uti res requirit, succurri queat? Nam sine dubio hostem, ni transactio intervenerit id oppidum primo loco invasurum; in qua[m] rem jam adparatus fiant. An non & id conside[-]randum, quod peculiari tractatu amissarum di[-]tionum possessio statim recuperari, ac exhaus[ti] cives gravissimo onere deinceps levari queant[?] An non metuendum, ne alii, queis in Clivia[m] actio movetur, cum Gallo se in ipsius fraude[m] socient? An non neglecta a Belgis subsidioru[m] solutio, per quam ipse in tantam necessitate[m] conjectus sit, & quia nec hostem distraxeru[nt] nec alias conditiones impleverunt, sat cau[sæ] præbea[t]

1673. præbeant ad peculiarem tractationem suscipiendam?

Rationes contra. §. 90. Circa isthæc proposita aliqui disserebant: *Qua ratione Galli conatus considerandi sint, Electorem jam eo tempore, quo iste Belgium Hispanicum bello petebat, expendisse. Sed postquam idem Unitas quoque provincias invaserit, id eo gravius ejus aras exercuisse, quo magis status Ecclesiæ, & communis securitas periclitabatur, ac ipsi formidandus vicinus ad latus adjungebatur. Peculiares tractatus etiam ab illis Imperii Ordinibus dissuaderi, qui alias pacem valde urgeant, quod inde dissolutio partium, demum exitium ejus, qui se disjunxerit, secuturum sit. Id quod eo magis metuendum, quod nil securitatis huic tractatui tam apud Gallum, quam alibi adpareat. Sane nunc, ubi quam maxime circa communes tractatus satagitur, omnes exprobraturos, per peculiaria pacta rationes Protestantium, & communis salutis, atque securitatis deseri, ac istos difficiliores, si non plane infructuosos reddi; belli quoque operationes turbari, hostis commoda promoveri, communem causam everti. Unde satius fore communem negotiationem urgere, ac pace non obtenta bellum strenue persequi. Neque etiam deesse, quæ ad propositas difficultates reponi queant. Bellum inter modos adquirendi referri solere, ac seipsum alere posse. Sane Suecos per octodecim annos bellum in Germania gessisse, ac parum pecuniæ e Suecia exportasse, plurimum eidem intulisse. Militem, si justa disciplina coërceatur, semper alimenta, & amplius quid invenire, præsertim si Cæsaris autoritas, & arma socientur. Nec apud Belgas subsidiorum spem periisse, ac de Hispanico quoque stipendio mentionem injici. Ac si post factam separationem subsidia plane cessaverint, quomodo tunc exercitum alendum; cum Electori ante communem pacem arma exuere haut tutum sit futurum? Ne alii Ordines Electoris instituto se opponant, caveri posse servata accurate disciplina, ac si inutilibus stativis, atque itineribus supersedeatur. Ei XL M bellatorum succincto facile inermium querelas sperni posse. Ut Marchiæ interim securitas constet, cum iis, unde aliquid metuitur, amicitiam alendam; tum ibi rem militarem ita disponendam, ut in omnem eventum defensio non desit, quoad auxilia adfuerint. Ac credi eos, qui respiciendi sunt, alibi captare quod agant. Quod si Electori omnia ad communem pacem referantur, immortalem gloriam parari singularis studii pro gloria Dei, & salute publica: nec exigente necessitate aliorum fida auxilia defore, postquam nemo exprobraturus sit, eum publicas rationes neglexisse, ubi privatis consuluerit. Nec bonas partes constanter amplexo opus fore, ut deinceps Gallo obnoxius agat; cujus amicitia cessante ipse ac posteri omni aliorum auxilio destituendi sint. Obsoletas actiones Coloniensis, ac Monasteriensis tunc forte timendas, si Elector velut bello victus considerari possit; quo quidem rem nondum rediisse. Super periculo e mora pacis orituro cum ducibus consultandum, ac mature ad fœderatos referendum. Num occupatæ ditiones protinus recipiendæ sint, sibi haut constare. Sed si in posterum libido Gallum subeat eas rapiendi, quid auxilii Electori ab iis expectandum, quos ipse nunc medio periculo destituerit? Saxonem porro Cæsaris fœderi illigatum haut facile cum Gallo super Clivica ditione coitionem facturum. Cum Sueco fere rem transactam esse. Denique omnia, quæ Belgis objici possint, Pœlnicii mandatis contineri, sed non velut secessionem a fœdere allegari; quin ei potius injunctum subsidia usque ad communem pacem, si maxime induciæ intervenerint, ex fœdere urgere: Belgas quoque tunc servandis pactis pronos se declarasse. Unde per factas hinc inde declarationes etiam post non soluta accurate subsidia fœdus utiquo sartum tectum persistere videri.* 1673.

§. 91. Ast alii contra disputabant: *Frustra in utramque partem rationes adduci, peculiaris tractatus admittendus sit, an minus. Nam neque ex Electoris ditionibus suppeditari posse, quæ bello justa vi gerendo requiruntur; ac incertum num Belgæ in futurum fidem circa stipendia liberaturi sint, quam semel fefellerunt. Nec aliam viam ostendi amissa recuperandi, ac quæ restant conservandi. Periculum indies gliscere, nec aliunde auxilii quid adparere; quin ipsa in Germania plus clandestinarum machinationum contra Electoris emolumenta, quam favoris expectandum. Nec Poloniam parum in præsens amicam insuper habendam. Sed quia Gallus nisi fœdere Belgico sublato tractare abnuit, maximam difficultatem eo redire, quomodo Elector salva conscientia, & existimatione a susceptis semel partibus se disjungere possit. Sane Belgarum causa, quæ rem Protestantium non leviter tangit, ingentem plagam illatum iri peculiari Electoris transactione; quod metus sit, ne & Cæsar hoc exemplo istos destituat, ac alii, qui forte accessuri erant, hæsitent. Videri quoque fœderi constare adhuc sanctimoniam post recens factas testationes, & quod Belgæ moram purgare, ac deinceps accuratius conventa solvere velint. In posterum quoque Electoris statum in ancipiti fore, contracta quorundam exterorum, ac Imperii Principum offensa. Nonnullos quoque super reparando damno actionem intendere, præcipue Moguntinum, Palatinum & Darmstadiensem. In tam tristi rerum facie agnoscendum Germaniæ fatum, cujus dissolutioni præcavendæ jam quam maxime tempus monere, ut alia publice consilia capessantur. Interim cuilibet rebus suis invigilandum, & securitati suæ quantum datur consulendum; ac qua vires non pertingunt, incassum haut moliendum. Sane uti nemo alterius causa in certum exitium ruere tenetur; ita Principem salva conscientia salutem civium in vicini gratiam aleæ exponere haut posse. Ecclesiam minime omnium per exercitus stabilitam; nec Deo isti servandæ viam defore. Si Cæsari, Hispano, & aliis cordi sit majore quam hactenus vi Belgas sublevare, eas hisce vires esse, ut Electoris per necessitatem captum consilium isto instituto eos dimoturum haut sit. Electorem extrema omnia tentasse, ab aliis desertum, aut clam palam oppugnatum: id explendo officio sufficere. Necessitatem lege carere; & cum Belgæ conventa prius implere neglexerint, & ob exhaustas Reip. opes in futurum exigua stipendiorum spes sit, Electorem obligatione solutum videri. In fœdere cum Cæsare de bello in Gallum non exprimi, sed duntaxat de conservatione pacis in Imperio: unde id subsistere posse, si maxime* Rationes pro.

Elector

1673. *Elector Belgis deinceps auxilium contra Gallum non ferat. Securitatis causa a Gallo auxilia stipulanda contra eos, qui Electorem ob hanc transactionem impugnare instituant. Actionem de damno, quam aliqui movent, per amnestiam abolendam, Gallo sponsore. Quæ cum Belgis intercedant negotia ad communes tractatus se ponenda.*

Ad Regem Galliæ legatio. §. 92. Solidiores Electori videbantur rationes, quæ transactionem suadebant. Unde is allatam a Stratemanno formulam ratihabebat. Sed quia in ea non tam rem ipsam, quam vocabula quædam mutari cupiebat, Franciscum Meindersium una cum isto ad Regem Galliæ mittebat, ut eam transactionem hinc inde interpolatam in justum instrumentum redigeret. Ei injunctum ex itinere a Turennio petere, ut omissis hostilibus copias ex Electoris terris deducat, nec tributorum quid amplius exigat. Neoburgico quoque gratias pro navata opera ageret, ac paria offerret; tum ut is negotio ad finem deducendo incumbere pergat: nec minus ut æquæ paci inter omnes bellantes promovendæ studeat, quod stabilis quies ad Rhenum, & in Westphalia expectari nequeat, quamdiu bellum inter Gallum, & Belgas duret; ac Germaniæ quam maxime intersit, Belgarum Remp. a Gallis haut subigi. Apud Regem de constanti Electoris amicitia, & studio testaretur. Dolere sibi, eam præsenti rerum facie nonnihil alteratam. Regem tamen pro generositate, & æquanimitate sua ultro agniturum, ob antiqua fœdera amicos, & vicinos inter tanta pericula undique imminentia a se destitui haut potuisse. Sed nunc grato se animo agnoscere, Regi placuisse veterem secum amicitiam instaurare; ac de constanti benevolentia confirmare; qui & ejus specimen promta conclusione cœptæ negotiationis sit præbiturus. Cæterum uti Rex toti orbi confirmarit, se præsens bellum non evertendæ Reip. ad cujus incrementa is, ac priores Galliæ Reges tantum contulerint, sed vindicandæ suæ gloriæ suscepisse, nec ab æqua pace alienum esse: ita se rogare, ut vitandæ majori sanguinis Christiani profusioni, ac tranquillando orbi Christiano, prout elogio Christianissimi Regis dignum sit, instantes pacis tractatus ad optatum exitum promovere, ac illustres suas actiones tam salutari, ac pio fine coronare velit.

Apud Turennium acta. §. 93. Cum Meindersius Turennium adiisset, hic magnam lætitiam super captis nunc ab Electore consiliis præ se ferebat, ac se protinus copias ejus ditionibus amoturum. Alias ostendebat, se exercitum, quoad Cæsar liquidius mentem suam explicarit, trans Rhenum haut ducturum, sed his locis substiturum, Cæsareorum motibus observandis. Ingentem suspicionem excitari, quod Trevirensis Keiserfteinii legionem intra Hermansteinum receperit, etsi prius suo sacramento adactam. Se mirari, id præterito autumno non factum, ubi idem plurimum ad summam rerum fuerat facturum, ac Gallis non parum incommodi daturum. Sed nunc consistente valido Gallorum exercitu in vicinia, qui ubi is se moverit, Cæsareos ad Mosellam prævertere queat, se nescire, quid istum ad tale consilium permoverit. Cum Præsulibus quoque rem facile conventuram, etsi a Rege hisce nondum de hoc negotio significatum fuerit: sed se suo nomine indicium iisdem fecisse. Alias Monasteriensem, & Furstenbergios ægre admodum ferre, inter Regem, & Electorem hoc modò convenisse: nam ex fœdere circa talia cum ipsis prius fuisse communicanda. Sane Coloniensis ditioni ingens damnum illatum, cui & Elector prius hostilia intentaverit; ac publico scripto Præsules accusatos, non nisi oblique Galli mentione facta; unde par fuisse, Regem ipsi satisfactionis quid stipulatum. Eosdem insuper questos, Neoburgicum tam enixe in hac causa elaborasse; quod non studio in Regem, & ejus emolumenta, sed affectu in Electorem, & ob communes cum hoc rationes factum sit, quæ non semper cum Galliæ emolumentis conspirent. Wilhelmum Furstenbergium jactasse, se Electoris civibus in Clivia, & alibi hoc bello utilissimam operam navasse, & eorum perniciem avertisse; etsi in proclivi fuerit ab Electore in Hildesiensi ditione damna data ulcisci, ac reparationem exigere. Ejus fratrem Franciscum Argentoratensem Præsulem questum, ni Coloniensi circa Susatum, Lipstadium, & Ecclesiasticam jurisdictionem satisfiat, autoritatem sibi apud Capitulum periisse, eamque rem sibi futura electione fraudi fore. Nam Capitulo fœdus Gallicum haut probari, ex quo tanta mala in Præsulatum redundarint. Idem Turennius dicebat, Regi Galliæ haut gratum futurum, si Sueci in Bremensem civitatem quid tentent. Simul suadebat, ut Electorales hostilibus adversus Monasterienses supersedeant, ac optabat, quæ proximis diebus circa expugnationem castelli in vicinia contigerant, omissa fuisse; quod per talia animi exacerbentur, nullo ad summam rerum fructu. Ac esse sacerdotis istius morosum ingenium toti orbi notum, cui & ipse Rex sese attemperare necessum habuerit. Cum Meindersius peteret, ut Rex turbulento isti homini auxilium subtrahat, ac Electorem solum cum isto committat Turennius fœderatum suum a Rege deseri posse negabat; cui & animus sit Germaniæ quietem dare; ad quod institutum omnia sint referenda, nec omnia ad unguem resecanda. Quam ob causam & Elector Alexandro Spanio, ut hostilibus in Præsulem abstineret, injungebat; ac Turennius, & Coloniensis pacem a gratuita captivorum dimissione auspicabantur. Haut eo minus Monasteriensis barbaro modo in Ravensbergica ditione grassari pergebat, ac direptis aliquot vicis homines, ac pecora abripiebat; quatuor quoque Electorales equites, quos interceperat, abscissis prius auribus, & naribus trucidabat. Turennius mox deserta Electoris diris ditione in Fuldensem Præsulatum movebat, assumto quoque Coloniensis, ac Monasteriensis tumis, ut liquidum responsum a Cæsare obtineret, quid Regi ab ipso expectandum sit. Id quod cum Wilhelmus Furstenbergius Neoburgico exponeret, hic acerrime istum cum

frat

1673. fratre tanquam turbones patriæ increpabant, quorum insultationibus coërcendis acriora demum consilia sint arripienda. Ac valde sibi erubescendum, Domum suam istis affinitate junctam. Idem quoque Neoburgicus misso ad Regem cursore eam expeditionem in Germaniæ penetralia maximopere dissuadebat, novas utique turbas parituram; nec dubium, quin Ordines ejusmodi itineribus sese sint oppositu- ri, quæ a Cæsareis, & Brandenburgicis copiis diutius tolerare noluerint. Nec probabilem colorem huic itineri subesse, postquam Rex cum Electore transegerit, ac Cæsareæ copiæ in provincias hæreditarias recesserint.

Apud Regem Galliæ aste. 4. Jun. §. 94. Profectus est inde Meindersius Stratemanno comitante in castra Gallica non procul Lovanio posita, ubi ratificationem tractatus ab hoc confecti Pomponio tradebat, addito: Electorem testando in pacem studio pactum prout conceptum fuerit, nullo mutato vocabulo firmasse. Sperare tamen Regi non ingratum fore, unam aut alteram dictionem clarius exprimi, salva rerum substantia. Inprimis utriusque interesse, aliquot articulos separari, ac secretos haberi; reliquos autem ita adaptari, ut aliis qua opus sit communicari queant. Eum Rex in tentorio audiebat, ac humanis admodum verbis respondebat: *Nil carius sibi, quam veterem cum Electore amicitiam instaurare. Præterita utrinque oblivioni danda. Se reipsa ostensurum, nil a se in fraudem Imperii quæri. Constantem Electoris amicum esse, ac mansurum; ac paria sibi ab eodem polliceri. Super interpolatione pacti cum Pomponio ageret. De cætero reipsa, & quæ Coloniæ serveat negotiatione testaturum, quantopere pax sibi cordi sit.* Annuebat Rex, ut in Marcana provincia nil amplius tributi exigeretur: in Clivia quæ de conventa pecunia, & pabulo restent non ulterius, quam ad diem

11. April. subscripti tractatus. Quæ deinceps in usum militis petantur, præsenti pecunia solvenda; militem accurata disciplina habendum; omnes confiscationes abolendas. Inde super refingendo tractatu inter Pomponium, & Meindersium actum. Reesam & Vesaliam Gallus retinere cupiebat, velut in cautionem conventorum. Circa castellum Schenquianum Pomponius mirabatur id pari cum aliis Cliviæ locis haberi; cum Elector, quamdiu id extructum fuerit, nulla ibi jura territorialia, uti aliis locis, exercuerit. Equidem Regem juxta pacta Electorem in præsenti statu, quantum ad compromissum Geldricum, ad quod controversia super eo castello spectet, tuiturum, nec concessurum, ut ex eodem isti molestiæ quid inferatur: vicissim nec Electorem ex eo quid lucri contra Regem captaturum, quamdiu is hæcce loca intideat. Nam quid deinceps futurum sit, tempus suggesturum. Ritus Romanos ita permanere, prout hoc bello constituti sint, magnopere cordi Regi fuerat. Sed Stratemannus confirmarat, super iis Electorem inter, & Neoburgicum rem transactam esse. Circa inclusionem Cæsaris, quam Elector cupiebat, Pomponius prolixe disserebat quam graves ob causas Regi magna heic circumspectione utendum sit. Sibi certo constare literis Vienna scriptis, Cæsarem secreto consilio de hoc negotio consultasse, ac omnium quoque ducum sententias perrogasse, ac demum decrevisse XXX M in auxilium Belgis Rhenum versus mittere. Ea rerum facie Regem admissa inclusione ludibrio se expositurum, ac obligatione se illigaturum, cum Cæsari omnia integra constent. Unde antequam ulterius se declaret, super Cæsaris destinatis cautum ipsi esse oportere; quo fine & Turennius in Germania cum exercitu relinquendus fuerit. Quod si tamen Elector a Cæsare idoneam declarationem obtinere queat, id Regi gratum fore. Sane Regem Ratisponæ testatum, eadem hora, qua Cæsar promittat, se Belgis auxilia haut missurum, aut aliqui Ordinum caveant id non futurum, se Turennium e Germania revocaturum. Addebat Luvoisius: Viennæ in hoc negotio haut sincere procedi. De Electore tamen nullam sibi querendi causam esse, cui nullum cum Rege pactum intercesserit, utut variis oblatis conditionibus. Seipsum cum Cæsareis ministris anno 1671. pactum inisse, quo Cæsar promiserit, se Regis destinata contra Belgas haut impediturum ea lege, ne Rex Imperium invadat, nec in Hispanos hostile quid tentet, neu Aquisgranensem pacem violet. Utrique conditioni Regem satisfecisse; ac haut eo secius Cæsarem non solum copias suas in usum Belgarum versus Rhenum misisse, sed & nuper fœdus cum istis feriisse. Cæsareos porro semper confirmasse, se fœdus istud accurate servaturos. Nec esse, quod Gallus conjunctione suarum legionum cum Electore moveatur. Id enim in speciem fieri, & quia sic deceat. Eosdem quoque solicite stipulatos, ne pacti istius cuipiam copia fieret; id quod a Gallis sancte sit observatum. Addebant Galli, præsens cum Electore pactum initium duntaxat fore actionis amicitiæ; ac diligenter inquirebant, an non Meindersio super arctiore tractatu mandata sint, ex quo Regi emolumenti quid provenire queat? Ita demum conventio Volsemi absoluta fuit, qui vicus non procul Lovanio situs est Regis ratihabitio in castris ad Trajectum accessit: Tractatus jam absolutus Coloniensi, & Monasteriensi a Gallo communicatus fuit, ipsisque significatum, ut locis occupatis decedant. Quibus, cum satis ægre ferrent, se inconsultis cum Electore transactum, nil aliud a Gallis responsum fuit, quam non aliter commode in præsens fieri potuisse. Paulo post Pomponius Meindersio proponebat; Regem non dubitare, quin Electoris mens sit simplici amicitia non adquiescere, sed arctius Regi innecti, quo huic occasio nascatur affectum suum insigni emolumento eidem conciliatio exserendi. Super quo Electoris sententiam cognoscere cupiat. Inprimis Regi scitu necessarium, quomodo Elector sese gesturus sit, bello inter Galliam, & Hispaniam exardescente. Equidem Regi non esse in animo Aquisgranensem pacem infringere. Eundem tamen super obsesso Caroloregio ut sibi satisfiat postulaturum, ac si id abnuatur, ultionem per se sumturum. Eo tamen casu Regi scire

Right margin notes: 1673. 24. Maji. — 6. Jun. — 28. Jun. — 14. Jun. — 21. Jun. — Charleroy.

1673. scire necessum esse; Num Elector juxta genuinum Instrumenti Pacis sensum, prout id in Gallia intelligitur, se obstringere velit, quod nemini in Imperio, ac peculiariter Cæsaris copiis, si ei se bello miscere, & Hispanis auxilia ferre instituant, transitum concedere, sed a suis ditionibus ejusmodi agmen quovis modo, ac ubi opus fuerit etiam vi avertere velit? An vero Electori circa hoc negotium exsequendum copias suas Regiis conjungere placeat? in cujus operæ præmium Geldria ostentabatur. Quæ cum altius penetrarent, circa hæc quidquam in mandatis sibi datum Meindersius negabat.

Pax Vossemensis. §. 95. Ea porro pax Vossemensis lingua Gallica concepta ita se habet. *Apres que Monsieur le Duc de Neubourg a fait cognoistre au Roy le desir, qu' avoit Monsieur l' Electeur de Brandebourg, & par ses propres sentiments, & par les instances, qui luy en auroient esté faites par divers Electeurs, Princes & Estats de l' Empire, de retablir non seulement la premiere alliance, qu' il a ey devant avec sa Majesté, & qui auroit esté alterée depuis quelque temps par les Traittez, qu'il auroit faits avec les Etats Generaux des Provinces Unies des Pais bas, & les armes, qu' il auroit prises en suitte en leur faveur, mais encore en cette sorte à la pacification d' Allemagne, Sa Majesté, qui auroit veu avec peine, que le dit S.r Electeur eust pris une conduite opposée à l' amitié, qui a tousjours esté entre Sa Mté & son Altesse Electorale, & leurs predecesseurs, & qui s' etoit trouvé contrainte avec regret de porter ses armes dans l' Empire, dont elle a tousjours affectionné si particulierement la tranquillité & le repos, a appris avec plaisir les dispositions, dans lesquelles estoit le d: S. Electeur, & ayant authorisé pour ce sujet le Sieur Arnould Chevalier, Seigneur de Pompone, Conseiller du Roi en touts ses Conseils, & Secretaire d' Estat, & des commendements de Sa Mté, pour traitter avec le S.r Meinders Conseiller d' Estat & privé, & Envoyé extraord: dud: S. Electeur vers Sa Mté muni pareillement d' un plein pouvoir de Son Alt: Elect: il a esté convenu entre eux des articles suivants. I. Tout ce qui s' est passé depuis la prise des armes par Monsieur l' Electeur de Brandenbourg en faveur de surd: Estats Generaux, tant de la part de Sa Mté & de ses alliés, que de celle dud: S.r Electeur de Brandebourg sera pleinement oublié, & Son Alt. Elect: cultivera la premiere amitié, qu' elle avoit avec Sa Majesté, avec le Roy de Grande Bretagne, Monsr. l' Electeur de Cologne, Monsr. l' Evesque de Munster, & autres alliez de Sa Mté, sans qu' à raison des pertes & dommages, qui auroient esté causez durant la dite guerre, il soit libre de se rien demander de part ny d' autre. II. Et quant au Traitté que S. A. El. de Brandebourg a fait avec les Estats Generaux de leur donner aide, secours, ou assistence contre Sa Mté & Ses alliez; S. A. El. s' oblige de ne donner à l' avenir, sous quelque raison, pretexte, ou occasion, que ce puisse estre, directement, ny indirectement aucun secours, aide ou assistence aux ennemis de Sa Mté, quels qu' ils puissent estre. III. Ledit Sr. Electeur promet semblablement de faire sortir de ses places les trouppes desd: Estats ou autres estrangeres, qui y pourroient estre entrées depuis la presente guerre, comme aussi qu' il tiendra le corps de son armée au dela du Weser, & se contentera durant la presente guerre de tenir les garnisons necessaires dans ses places au deca de cette riviere, dont pourtant il pourra loger quelques trouppes au plat pays, jusques à la concurrence de mille hommes. IV. Sa Mté en echange, pour donner un temoignage plus public, & de la satisfaction, avec laquelle elle retablit avec led: S.r Electeur sa premiere amitié, comme aussi pour faire cognoistre, avec quelle sincerité elle s' est tousjours declarée, qu' elle n' avoit eu aucune pensée de rien retenir de ce, que ses armées avoient conquis dans l' Empire, promet de remettre, ou de faire remettre apres les ratifications du present traitté eschangées aud: S.r Electeur tout ce, que ses armees, ou celles de ses Alliez ont occupé dans les Duché de Cleve, Principauté de Minde, Comtes de Marck, & de Ravensberg, ou autres terres generalement, quelconques dud: S.r Electeur à l' exception de quelques places sur le Rhin, dont il sera parlé dans l' article suivant. V. Les places, que les Estats Generaux occupoient dans le Duché de Cleve, aiant esté la seule cause, qui obligea Sa Mté à porter ses armes sur le Rhin, lors qu' elle commenca la guerre contre lesd: Estats, quelque pretention que Sa Mté peust avoir de les garder, comme les aiant prises sur ses ennemis, Elle vouloit bien se declarer dans tout l' Empire, qu' elle n' avoit dessein de les retenir, que jusques à la paix, qui pourroit estre faitte avec lesd: Estats, Sa Mté persistant dans les mesmes sentiments declare encore, qu' elle gardera seulement les places de Wesel avec le fort de la Lippe, Rees avec son fort, pour les remettre aud: S.r Electeur fortifiés avec les canons aux armes ou marques de Son A. El. ou de ses predecesseurs, comme elles estoient lors, qu' elles ont esté prises par les armes de Sa Mté, aussitost apres la paix conclue & ratifiée avec lesd: Etats, dont Sa Mté veut bien, que le susd: S.r de Neubourg demeure garant. VI. Que durant ce temps le droit de superiorité, & toute autre jurisdiction demeurera aud: S.r Electeur dans lesd: places, & que les Garnisons y seront entretenis, & paiés par Sa Mté sans qu' elle y puisse lever aucun droit ou contribution, ny que lesd: Garnisons puissent estre à charge auxd: places, que pour le simple logement. Son Alt. El. s' oblige toutesfois de laisser seurement & librement passer dans ses estats sur les rivieres du Rhin, & de la Merve, sans en pouvoir prendre aucun droit ny peage, les munitions de bouche & de guerre, qui descendront pour les trouppes de Sa Majesté. Bien entendu que ceux qui conduiront lesd: munitions feront apparoir par les ordres de Sa Mté ou certifications de ses ministres, que lesd: munitions seront pour le service de Sa Mté. VII. Et puisque dans l' occupation, qui fut faitte des places du Duché de Cleves par Sa Mté elle a fait rendre aux catholiques quelques Eglises qui leur avoient esté ostées durant, que les Estats Generaux y avoient Garnison, il a esté convenu que toutte cette affaire Ecclesiastique, & ce qui en depend, soit pour l' exercice, ou pour les revenus sera reglée & determinée en conformité & selon les regles de l' accord fait sur ce sujet entre Son Alt. El. de Brandebourg, & Son Alt. le Duc de Neubourg. &

assi

1673. *affin que lesd: Catholiques ne soient point inquietés à l'avenir dans les provinces de Cleves, Marck, & Ravensberg, Son A. El. promet de les laisser jouir paisiblement de ce, qui leur est deu en vertu de susd: Traitte. VIII. Sa Mté promet pour luy, & au nom de ses Alliez, que touttes contributions & exactions, qui auroient esté imposees dans les Etats de Son A. El. cesseront depuis le dixiesme du mois d'Avril, & qu'on n'en pourra leur ny exiger aucunes sous quelque pretexte, que ce puisse estre, qui auroient esté imposees. au qui seroient escheues depuis ce temps à condition, que le d: S.r Electeur observera la mesme chose de son costé, & qu'il ne fera aucune exaction de ce, qui luy pourroit rester & qu'il pourroit pretendre depuis le terme susd: Comme aussi que Sa Mté ne prendra plus aucuns quartiers ou passages sans le consentiment dud: S. Electeur, & sans payer, & dedommager ses sujets de la charge, qu'ils en pouvoient souffrir. IX. Et bien qu'il soit dit dans le 2. article du present traitté, que led: S.r Electeur de Brandenbourg n'assistera directement ny indirectement les Ennemis de Sa Mte, led: S.r Electeur ayant temoigné toutefois, qu'il ne pourroit estre engagé à rien qui peust estre contre l'Empire, & qu'il se trouvoit les mais libres en cas, qu'il fust attaqué, Sa Mte qui n'a pas moins à cœur la seureté, & la paix du dit Empire, admet volontierement cette reserve dud: S.r Electeur, à condition touttefois, que Sa Mté ne sera pas censee attaquer led: Empire, si elle se trouvoit obligée de porter ses armes en Allemagne, & d'agir contre tout Prince d'Empire, quel qui peust estre, qui voulust attaquer Sa Mté, ou donner assistence à ses Ennemis contre le Traitté de la paix de Munster. X. Et parce que dans l'estroitte union & l'allicance, qui est entre Sa Mté, & le Roy de la grande Bretagne pour la guerre contre la Hollande led: S.r Electeur de Brandebourg n'a pas moins agi contre led: Roy, que contre Sa Mté, lors qu'il a pris les armes en faveur des Estats generaux. Sa Mté veut bien se charger à promettre de faire agreer au susd: Roy de la grande Bretagne, que tout le passé soit oublié de part & d'autre, & que la premiere amitie & intelligence soit establie entre Sa Mté Bretannique, & Son Alt. Electorale. XI. Et pour donner une plus grande marque de l'alliance, que Sa Mté renouvelle avec led: S.r Electeur, elle veut bien promettre de le faire comprendre en vertu du present traitté dans la paix, qu'elle pourroit faire avec les Estats Generaux, comme aussi elle s'oblige de l'assister, & de le garentir, contre touts ceux, dont il pourroit estre attaqué à l'occasion, ou à cause du present traitté. XII. Sa Mté pour donner une plus grande marque à Monsieur l'Electeur de Brandenbourg, qu'en retablissant avec luy la premiere amitié par ce Traitté, elle veut bien encore prendre en luy la mesme confiance, qu'elle avoit eu avant ces derniers mouvements, declare, qu'apresque le present traitté aura esté accompli par l'eschange de ratifications, elle consentira de sa part, que led: S.r Electeur puisse estre admis dans la mediation de la paix, qui se traitteroit avec les Estats Generaux, lors que les affaires de l'Empire auront esté pleinement accommodees. XIII. Ila estée convenu de fournir & eschanger les ratifications du susd: Traitté de part & d'autre dans le terme de trois semaines au plus tard. Fait au camp du Vossem d. 16. Juin. A. 1673. Arnauld. Fr. Meinders.* 1673.

Articuli Separati.

I. Parce que divers Princes de l'Empire, chez qui l'armée dud: Electeur, & celle qui luy estoit jointe ont logé, se sont des ja plaints à la diette de Ratisbonne, ou ailleurs de la ruine de leurs Estats, qu'ils pretendroient leur estre reparée par Son Alt. Electorale, Sa Mté promet en ce cas de s'entremettre, & s'emploier par touttes sortes d'offices pour empescher, que led: Sr. Electeur ne soit inquieté à cette occasion, & pour faire, que tout ce, qui est arrivé durant ces derniers mouvements soit oublié pour le repos, & la pacification de l'Empire. II. Sa Mté pour donner plus de marques aud: Sr Electeur de l'affection; qu'elle a eu cydevant pour luy, & qu'elle conservera à l'avenir, veut bien luy promettre, quelle appuyera les prétensions, que led: S.r Electeur a contre lesd: Estats Generaux, & s'opposera à celles, que lesd: Estats Generaux pourroient avoir contre luy, qu'elle contribuera aussi par les offices les plus efficaces dans le Traitté de paix pour luy faire payer les subsides, dont ils luy demeurent redevables jusques à present. III. Comme aussi Sa Mté s'engage de nouveau de maintenir led: S.r Electeur dans tonts les droits, qu'il possede presentement, ou qui pourroient luy appartenir à l'avenir par droits de succession ou heritage; tant dedans l'Empire conformement aux traittez de Westphalie, que dehors. IV. Sa Mté pour marquer d'avantage sa bonne volonté pour led: S.r Electeur de Brandebourg veut bien luy accorder une somme de huittent mil livres, dont elle luy sera payer celle de trois cent mille livres aussitost apres l'eschange des ratifications du susd: traitté, & durant cinq années consecutives celle de cent mille livres, que Sa Mté luy fera payer par chacun an de six mois en six mois, dont le premier payement de cinquante mile livres escheoira au premier Juillet 1674. & continuera en cette sorte de six mois en six mois jusques à l'entier payement de cinq cent mile livres. Hunc tractatum Rex quoque Angliæ, Gallo postulante, firmabat. Cui Elector per literas gratias agebat, ac rationes suas apud tractatus pacis eidem commendabat, Anglo vicissim ample promittente. *Articuli Separati.* *20. Jul.* *15. Sept.* *19. Nov.*

§. 96. Ista pax ut aliis quoque probaretur, Electori curæ erat. Ac Belgis quidem protinus post reversum e Gallia Stratemannum significabatur; Neoburgici opera declarationem a Gallo obtentam, qua hic Electori ditiones suas gratis redditurus sit ea lege, ne is Belgis amplius adsistat, salva tamen erga Imperium obligatione. Id quod ægre ferebant Belgæ, ac ne solutio stipendiorum, quæ jam ab Idibus Decembris debebantur, fieret, inhibebant. Mox literis ad eosdem datis Elector demonstrabat; uti ipse summa fide eorum causam susceperit eo tempore, quo plerisque res ejus Reip. conclamatæ habebantur; atque maximas hostium vires istius visceribus inhærentes in se traxerit. Contra Belgas statim initio circa solvendum autoramentum in mora *Super ea pace Belgis significatur.* *16. April.* *3. Maji.*

1673. mora fuisse, ut necessum sibi fuerit magnas pecuniæ summas mutuo sumere, quo delectus promte succedere possent. A se quoque VI M ultra conventum numerum in campum eductа, super quorum stipendiis, uti & supplementis, nunquam conveniri potuerit. Durante sua expeditione ab istis terra, marique nil susceptum. Inprimis subsidia maligne soluta, suis frustra ingerentibus, quantum incommodi inde proveniat, cum sævissimo gelu contra hostes in campo consisteretur. Aliquoties eos a se monitos, ni aliter secum agatur, sibi hautquidquam mala inde proventura attribuenda, ac alia ratione suæ sibi securitati prospiciendum. Postquam ne id quidem ad animum revocatum fuerit, quod eam ob causam Westphalicæ suæ provinciæ in hostium potestatem concesserint; & neque pecunia soluta, nec induciæ admissæ sint; demum ne quid exprobrari sibi posset Pœlnicium missum, qui Ordinibus Generalibus de sua constantia confirmarit; sed simul enixe petierit, ut stipendia dudum debita protinus exsolvantur, Danus, & Luneburgici in partes trahantur, Hispani, ut in bellum erumpant, permoveantur; quorum intuitu ipse fœderi eorum accesserit, addita denuntiatione; si Belgæ circa ista moras nectere pergant, non amplius apud se deliberationi locum fore, sed eam viam nolenti volenti ingrediendam, in quam isti haut impleto pacto ipsum compulerint. Quanquam autem ad istam denuntiationem decretum sit, protinus duorum stipendia mensium numeranda, ac super reliquis quoque disponendum: vix tamen digresso Pœlnicio ad levissimum rumorem solutionem inhibitam; nil adparatus factum bellum deinceps majore vi gestum iri; nullos amplius in fœdus pertractos. Ex quibus omnibus cum nil aliud colligere potuerit, quam Belgis de sua pace jam cautum, aut alia eos auxilia circumspicere; ipse autem Deo, Imperio, ac posteritati adprobare haut possit, in aliorum gratiam fortunas suas nullo fructu in exitium præcipitasse: igitur perstare quidem affectum in Remp., pro cujus conservatione nil officii sit omissurus. Interim curæ sibi esse, ut res suas per transactionem cum Gallo, ejusque fœderatis præsentibus malis eripiat, nec reliquis Imperii Ordinibus ulterius molestiarum ansam præbeat. Quo fine se misisse quæsitum, num æquis conditionibus, quarum spes facta sit, potiri liceat. Nec dubitare, quin si Reip. id institutum displiceat, ab aliis rationem exactura sit, qui in causa fuerint, quod fœdere per eam non impleto ipse ad hæc consilia compulsus sit. Isthæc secessio Belgis magnopere displicebat, vulgo præsertim, quod eam multis, rumoribus differebat. Paulatim tamen offensa evanescebat, quod in locum Electoris Cæsar, & Hispani aperte bellum in Gallos sumerent. Unde responsum ad Electoris literas differebant, quoad exemplum transactionis inspexissent; & mox placuit responsum plane omittere, non nisi inutilibus querimoniis, & exprobrationibus constiturum. Ac jam Belgæ majorem fiduciam rerum suarum concipiebant, postquam bino prælio navali Anglicam, & Gallicam classem profligassent. Unde spes surgebat, Anglos inauspicati belli pertæsos ad separatam pacem descensuros; præsertim cum in prælio navali Galli primi fugam arripuissent, velut serio rem gerere nollent. Accedebat & alia diffidentiæ inter Reges causa, quod Gallus expugnato Trajecto ad Mosam rebus suis cavisse visus esset, ut Angli Zelandia potirentur parum solicitus. Nam quia Gallus hanc pacis conditionem laturus erat, *uti possidetis*, inde æquivalentis loco propositurus, ut ab Hispanis quædam urbes Galliæ admodum oportunæ sibi traderentur, pro quibus Belgæ alias urbes Hispanis darent: facile perspiciebant Angli, hoc modo penes solum Gallum lucrum fore, sibi præter damna, & invidiam orbis Christiani nihil relictum. Quanquam porro Gallus declarasset, post perfectam transactionem, se officium Electoris circa conciliandam pacem admissurum; quia tamen per id aliqua mora tractatibus adferenda videbatur, Suecis, ac forte Belgis id repudiaturis, satius visum Electori eam operam declinare. Petiere post Belgæ, misso Diterico Brasserto; cum ratihabito Gallico pacto fœdus cum Rep. expiraverit, ut Elector ipsis saltem VI M peditum, IV M equitum, quibus conscribendis auctoramentum a se solutum fuerit, concedat. Ad quæ Elector; si Belgæ ita exacte conventa servassent, uti ipse fecerit, in has molestias se perventurum haut fuisse. Auctoramenti nomine Reip. nil actionis in eas copias competere. Et quia suus exercitus ob non soluta stipendia valde imminutus sit, eo se milite carere non posse.

§. 97. Ast Cæsar, cum per Crocovium Elector de ista transactione significaret, respondebat; sibi optandum fuisse, commune bonum alia ratione potuisse obtineri. Si tamen ea sententia Electori sedeat, id suo se loco relinquere; ac optare, ut is in Galli promissis emolumentum, & securitatem inveniat; de quo ipse valde dubitet, si Gallus alterutrum Belgium subegerit. Gratum tamen sibi esse, quod iste ab Imperii rationibus disjungi non velit. Quia autem salus Germaniæ tantopere periclitatur, se de ea mature consultaturum, ac cum ipso communicaturum: ac sperare eundem in hisce negotiis sibi haut defuturum, cujus & commoda ipse vicissim cordi habiturus sit. Ministri tamen valde consternatos hac re se ostendebant. Nam Galli scopum esse hoc bello sibi viam sternere ad Belgium Hispanicum, & partes Germaniæ transrhenanas occupandas, reliquis ad tributariam conditionem redactis. Et crepare Gremonvillium: se non credere homines dari, qui credere possint, Regem Trajecto ad Mosam, Boscoducis, & Breda contentum fore; cum tamen qui tribus hisce locis potiatur, Belgium Hispanicum in potestate habeat. Quod si nunc Gallo resisti non possit, cum magna virium ejus pars circa Hollandiam districta, ac ipse pecunia & milite exhaustus sit, salvis Belgis: quid futurum, ubi is rem pecuniariam restituerit, ac hos plane oppresserit, vel eo

rede

1673. redegerit, ut se tueri nequeant: ac si propugnaculum Germaniæ ea parte eversum fuerit, aut per tria ista oppida Gallorum velut indagine cingatur, a reliquis seclusum? Nullis pacis sponsoribus, ac fœderibus confidi amplius posse. Nam eo jam rem rediisse, ut Gallus jactare non dubitet, se mutuam omnium pacis consortium evictionem haut toleraturum; cum tamen ideo cæteris sua salus haut prodenda sit, quia id Gallo parum arridet, nisi eo ipso dominum istum agnoscere velint. Quanquam & ejusmodi fœderibus, ac mutuis sponsionibus, si maxime in chartam redigantur, parum cautionis insit. Dum convenitur, dum arma parantur, dum dijudicatur an Gallus aggressor sit, Germaniam ob eo copiis inundari. Ejusmodi fœdera, ni primo in fervore executioni dentur, per peculiares fœderatorum rationes, nova inter hos litigia, Gallicam astutiam, & alios modos infringi. Quin & difficulter ista conflari posse, quod nemo facile Gallo suspicionem injicere audeat. Neminem plura habere quæ amittat, quam Electorem. Nam cum is inter Germaniæ Principes potentissimus sit, ac per innatam generositatem servitium Gallicum quam maxime abhorreat; Gallo curæ fore, ut istum primo loco subruat. Astute Gallum facere, quod Electori sua nunc restituat, quin plura promittat; cum in proclivi sit ista omnia iterum eripere post subactam Hollandiam. Eum non prius quieturum, quam tractu Transrhenano in potestatem redacto, qui Ucraniæ faciem mox habiturus sit, armorum ibi sede fixa, unde Germaniam perpetuis incursionibus fatigaturus sit. Quod tamen Elector declaret Imperio se adhæsurum, eundem effectum habere, ac si Belgis adsistat. Jam sine dubio communem Imperii causam esse, quod Galli pro libidine per Germaniam stativa capessant, tributa imperent, jam fere tertiam ejus partem insideant. Non sufficere Gallum declarare, a se pacem haut violatam. Idem dicturum, si totam Germaniam subegerit. Si quæ jam patrata sint, ad infractionem pacis non valeant, nullam amplius causam suffecturam suscipiendæ defensioni. Quæ de restitutione dicat, incerta esse; & si maxime hæc sequatur, per eam damna, & injurias non reparari; sed contumeliam, & infractionem pacis ulciscendam, ni per ignavam patientiam nationem quiescere nesciam ad plura tendanda invitare velimus. Nec ullam Germaniæ securitatem constare posse, Hollandia oppressa, aut enervata. Quod hac pace in fraudem Imperii admissum sit, id non nisi novo, eoque longe atrociore bello corrigendum, postquam Gallus domi vires suas recollegerit, multis modis Germaniæ in se divisæ prævalituras. Equidem bello semper aleam inesse; ast pacem, qualem Gallus meditetur, Germaniæ certissimum exitium allaturam. Talia autem a Cæsareis eo fortius disserebantur, quod Lobcovicii autoritas jam vacillaret; inter cujus scita fuerat: *Cæsarem Gallo haut resistere, nec cupiam confidere posse; sed quovis pretio Galli amicitiam conservandam.* Ex quo fonte & fœdus istud secretum cum Gallo promanarat: qui & idem omni modo reluctatus fuerat, ne Cæsar legiones in Imperium mitteret, aut ne istæ operæ pretium facerent. Tali consiliorum moderatore tutum Gremonvillio fuerat crepare; jam ejusmodi interpretationem Pacis Westphalicæ faciendam, ut Cæsar, ac Imperium obstringantur ad nemini auxilium ferendum, quemcunque invadere Regi placuerit. Quin minabatur, si Cæsar etiam in hæreditariis suis ditionibus exercitum contrahat, Gallos ei in has usque obviam processuros. Cum eidem diceretur, Brandenburgicum haut obstante facta nuper pace, a Cæsaris & Imperii partibus staturum, is regesserat: Ab Electore semel Regem offensum: si altera vice id tentet, idem quod Lotharingum experturum. Gallo tunc Pontificis legatus succinebat, contendens: haut fas esse Cæsari impedimentum Gallo objicere, quo minus protestantium sacra extirpet, ac Belgas validissimam eorum partem subruat. Cum Gremonvillius quoque urgeret, ut Cæsar declararet, se Galli fœderatis in Imperio negotium haut daturum, reponebatur: qua fronte postulari posse, ut Cæsar quiescat, ac tamen duobus turbidis sacerdotibus impune sit omnia ferro, flammaque miscere? Sane nec Gallus promissa servarat, qua militem se Germania educturum dixerat, si Cæsar copias intra Bohemiam retraheret. Quin contra immani petulantia grassabantur, inter alia Comite ab Hohensolms fustibus ad necem cæso. De quibus cum apud Gremonvillium querelæ moverentur, hic admodum insolenter respondebat: mitterent ergo Montecuculum, & Gallos abigeret. Turennius quoque nil aliud querentibus respondebat; quam belli infelicitatem non aliter ferre. Ast hisce insuper habitis Cæsar ea æstate validum exercitum in Imperium misit, cujus lustrationi obeundæ ipse Egram profectus est. Eam expeditionem ut Gremonvillius impediret, (cui præter legatum Pontificis etiam Bavaricus, Venetus, & Neoburgicus favebant;) pollicebatur; Gallum copias suas finibus Germaniæ abducturum, omnia quæ occuparit loca, ac Lotharingiam Principi Carolo redditurum; Hispanis de damno dato satisfacturum, quin cum Belgis æquam pacem initurum, modo Cæsar exercitum extra suas ditiones ne educat, ac separatim cum ipso tractare velit. Ast Cæsar judicabat; si ipse in tractatus cum Gallo descendat, Belgas protinus exclusis omnibus quorum intereit, pacem facturos: ac tunc Gallo oblatas jam conditiones curæ haut fore. Unde Gremonvillio responsum: Gallos Coloniæ aliter plane loqui; talia ibi proponenda. Persistere Cæsari animum paci pronum; sed absque fœderatis suis tractare nolle. Si Gallo cordi sit cum Belgis pacem inire, qua securitati Imperii caveatur, facile eam obtineri posse. Scilicet ea tunc Aulæ Cæsareæ sententia erat; neque Domum Austriacam, neque Germaniam, nec provincias Hispanicas salvas esse posse citra fœdus cum Belgis; quibus & Hispani ad conservationem Indiæ Occidentalis indigeant. Valedicenti Crocovio 1673.

5. Ut eo sincerior.

1673. 24. Jul. covio Cæsar dicebat: Se confidere, Electorem destinata ipsius, ad libertatem, & securitatem Imperii tutandam tendentia, probaturum, ac iisdem fulciendis suam quoque operam collaturum. Tum se circa fœdus cum Belgis nuper initum Electoris rationibus diligenter prospexisse; ac nunquam non hujus commoda Belgarum rebus prælaturum. Voluerant Belgæ isti fœderi infarcire, se ab Electore desertos: sed Cæsarei id dispunxerant. Iidem obtulerant, si Cæsar ipsos in statum, qui ante bellum fuerit, (quo & Clivicarum urbium possessio comprehendi videbatur,) reponere velit, se pacem non prius facturos, quam Cæsar Alsatiam recuperarit. Quam conditionem a se repudiatam Cæsar Electori imputabat.

a Sueciæ Regi; 15. April. §. 98. Ast Sueciæ Regi Kroseggius proponere jubebatur: *Instante bello Gallico omnes Europæ Principes solicitos fuisse, ne Gallus misso sub jugum Belgio vicinis omnibus fieret formidabilis. Eam ob causam cum Elector crederet quoslibet, ipsumque adeo Sueciæ Regem ad eam Remp. tutandam concursuros, cum Belgis super certo auxilii modo convenisse, non quod sibi cum Gallo controversiæ quid intercederet, quicum semper amicitiam coluerit; sed ut cum aliis pressæ Reip. defensionem susciperet, eoque ipso Germaniæ libertatem, ac securitatem pro virili stabiliret. Enimvero omnes alios, quorum accessio sperabatur, manum negotio abstinuisse: a quibusdam varia obstacula objecta, tum pericula intentata; simul exprobratum, se causam præbiturum, ut Germania bello invadatur. Quo accessisse, ut Rex per literas, ac misso Wangelino suaserit omnia consilia ad Germaniæ quietem referre, simul confirmarit, se paci inter Reges conciliandæ operaturum, nec, ut Belgæ plane opprimantur, concessurum. Eos Regis hortatus tantum apud se valuisse, ut abjecta de bello cogitatione ejusmodi transactionem quæreret, per quam Germaniæ sua securitas constaret. Tum ab ipso propositas inducias admisisse, ac eo ex tempore ita consilia & actiones suas temperasse, ut quanti Regis voluntas apud se valeret, facile perspiceretur. Et cum ita solus intra tantas difficultates destitueretur, nemini mirum videri potuisse, eum quavis idonea ratione salutem suam curasse.* Addebatur, ut Rex ministris suis injungat, quo apud instantes tractatus, & ubi alias occasio tulerit, ipsius emolumenta diligenter observent. Simul quærebat, num Rex separatam cum Gallo conventionem præstare velit, an vero Electori communes tractatus expectandi sint? Ad quæ Magnus Gardius respondebat: Regi valde gratum esse, Electorem ipsius consilia secutum. Si is proficua transactione rebus suis consulere possit, id se haut dissuadere. Equidem Gallum apud Tottium paulo asperiorem se adversus Electorem declarasse; sed eo instante circa multa remisisse. Conventorum Regem Sueciæ libenter sponsorem fore. Communes tamen tractatus expectare paulo decentius esse, in quibus non ut sequester, sed ut pars belli considerandus sit. Super Monasteriensis importunitate apud Gallos acturum; contra quem tamen auxilia mittere nequeant, nisi de universorum Ordinum, ac Circuli Westphalici sententia constet, quem ea res peculiariter tangat. Demum cum super pace inter Electorem, & Gallum allatum esset, Sueci verbis quidem eam sibi probari ostendebant: sed revera cura suberat, ne ideo ipsorum apud Gallum subsidia cessarent, velut supervacua deinceps Sueciæ opera futura.

§. 99. Denique & præcipuis Imperii Ordinibus de ea transactione significatum: Meminisse eos, uti ipse ob imminens, ac mox erumpens Germaniæ periculum cum Cæsare fœdus inierit, ac arma conjunxerit. Cujus negotii uti unicus scopus fuerit pacem Germaniæ firmare, ita cum Gallus nuper tam pronum se in eam declararit, simul æquas sibi conditiones obtulerit, eas repudiare haut voluisse, præsertim cum a plerisque ejusmodi transactio remedium habeatur præcavendis ulterius in Germania turbis. Uti autem ipsum nil a rationibus Imperii, & obligatione, qua huic obstringatur, divellere possit ac debeat: ita hoc tractatu istas probe observaturum, ac eo nomine omnia sibi integra servaturum. Ac si quod periculum patriæ ingruat, aut cuipiam in Imperio vis inferatur, se semper ad ejus defensionem pro virili connixurum.

§. 100. Inter ista curas Electoris non parum auxerant res Poloniæ satis turbidæ, plurimis proceribus Regem Michaëlem dedignantibus, nec minari dubitantibus; quia interregni acta nondum per constitutionem comitialem confirmata sint, Regem nondum pro legitimo haberi posse; quod electio, & coronatio ab hac demum plenam vim sortiatur. Cum itaque novi Regis status admodum vacillaret, rationis videbatur esse, eum officio, ac promta pactorum observantia Electoris sibi favorem pignerare. Is igitur Felicem Morstinium ad Electorem mittebat, super gratulatione de parta corona gratias acturum, & ut super recognitione feudi Lauenburgici & Butoviensis conveniret: cui actui Kalendæ Juliæ constituebantur; simul ut controversiæ, & prætensiones mutuæ inter Regnum Poloniæ, & Electorem expedirentur. Ad quod Elector paratum se ferebat, sed non nisi postquam pacta confirmata forent. Unde Hoverbequius, & Albertus Ostavius Warsaviam mittebantur, ut de consummato matrimonio gratularentur, ac insignia dona nuptialia offerrent: tum ut ista feuda renovarent, ac Bydgostiensia pacta confirmari curarent. Circa feuda istis injunctum nil aliud admittere, quam quod pactis expressum sit; nec de reverentia, aut fidelitate mentionem facere, sed tantum de observantia pactorum, & amicitia, quam fœderatus, & vicinus alteri debeat. Hi cum Warsaviam venissent, ut convento die feudi negotium perficeretur, instabant. Sed Poloni id non uno prætexto extrahere studebant, postulantes, ut legati juramentum præstarent, quod hi pactis expressum negabant. Tum ut recognitio feudi a pluribus uno fieret; quod ad hunc actum solus Hoverbequius constitutus esset. Querebantur etiam ab Electore legatum ad coronationem haut missum; nec renovationem hanc solennibus comitiis quæsitam. Inprimis Procancellarius Electori iniquissimus, a cujus consi-

1670. consilio Rex totus pendebat, ante feudi renovationem controversias componendas contendebat. Contra Elector suis injungebat, ni Poloni ejusmodi postulatis desistant, interposita protestatione discederent, scriptis tamen sibi probe caverent, se in mora haut fuisse. Ipse tamen Rex familiariter cum Hoverbequio loquebatur, quid tempore sui regiminis sibi contigerit; quæ obstacula nuptiis suis Gremonvillius objicere conatus sit. Testabatur, amicitiam Electoris magnopere sibi cordi esse. Tum excusabat, sibi, velut novo Principi, magis Senatorum quam propriam sententiam sequendam: facturum tamen, ut Elector sui in ipsum affectus documenta perspiciat. Addebat, ab adversariis sibi objici, quod tempus non probe collocet. Unde nosse cupiebat, qua ratione Electori sua tempora disponantur; quam curam is circa arma, paratum bellicum, struendas munitiones, & similia impendeat. Nam istius exemplum sequentem nil reprehensionis metuere. Missis tamen scrupulis renovatio feudi fiebat hora sexta pomeridiana; quo tempore non magnus concursus in aula erat. Volebant Senatores, ut & ipsi una cum Rege in hoc actu sederent, Hoverbequio stante. Sed hic dicebat: se hautquaquam solito loco, sed in primo gradu apud Regem constiturum, tergo omnibus obverso. Ita & Senatores nudato capite adstabant. Rex pileum profunde submittebat, cum Hoverbequius sese inclinaret, & quotiens Electoris mentio fiebat. Procancellarius responsum de scripto recitabat, cui varia admixta erant extra oleas vagantia. Nam Regem non *directum* tantum, sed & *naturalem* dominum vocabat. Tum ulteriori tractationi reservabat recognitionem deinceps per plures uno faciendam, idque interposito jurejurando: ac ut recognitio deinceps semper die coronationis fieret, ut tamen ea negligentia Electori fraudi ne sit. Quæ a Procancellarii morositate, præter mentem Regis, provenerant. Quia autem Hoverbequius hoc actu declinaverat, ne ab Electore reversales literæ exhiberentur, neu ad Procancellarii sermonem prolixum responsum reponendum foret; iste supervacuum judicabat, postquam Rex renovationem acceptarat, ac confirmationem scripto facturus erat, plura verba addere. Ne tamen Procancellarius in futurum prætendere posset, ab ipso recitatum responsum fuisse adprobatum, paucis dicebat: Uti rex certus esse possit, Electorem non pacta solum servaturum, sed & circa amicitiam vicino & æterno fœderato dignam nil in se desiderari passurum: ita se vicissim stipulari ac præcavere, ne ab Electore extra & præter contenta pactorum quidquam possit, aut debeat postulari. Formula ejus recognitionis ista erat: *Ego, Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius, & Officialis, ad recognoscendum juxta tenorem pactorum Bydgostiensium jus feudale, de duabus præfecturis Lauenburg & Butaw, cum omnibus & singulis earum pertinentiis, juribus, reditibus, & eminentiis, delegatus plenipotentiarius Joannes L. B. ab Hoverbeck nomine Suæ Serenitatis Electoralis hoc ipsum jus feudale ad Regnum Poloniæ pertinens, a Sacra Regia Majestate Vestra, uti earundem arcium & oppidorum directo domino recognosco, literasque ejusdem recognitionis, & renovationis feudi a S. a R. a M.te Vestra mihi extradi peto.*

Renovatio feudi fit. 5. Jul.

§. 101. Ast circa pactorum confirmationem Procancellarius Andreas Olskowski multa tricabatur, ac id negotium ad comitia pertrahere cupiebat; nostris contra contendentibus: ad discutiendas controversias accedi non posse, antequam pacta jurejurando confirmata sint. Nam ei negotio prius firmitatem suam constare debere, quam de ejusdem interpretatione agi queat. Procancellarius contra: quæstionem, num pactorum confirmatio disquisitionem prætensionum debeat præcedere, ad Comitiorum decisionem referendam. Quod nostri nullo modo concedendum ostendebant: sed post jusjurandum in Electore nullam moram fore, quo minus per utrinque delegatos controversiæ expediantur. Nimirum id agebant Poloni, ut pacta interpolarent, aut plane subverterent. Prætextum inde sumebatur, quod jam tempore Joannis Casimiri super his prætensionibus motum fuerit, ac Elector declararit, se legatis suis mandata super hisce missurum. Sed nec ideo jurare se posse, quod diffiteri nequeant, pacta a se circa Elbingense negotium haut servata; prout & eadem ab Electore alicubi impleta non sint. Enimvero absurdum erat id negotium ad Comitia pertrahi, quod alias Poloni in propria causa judices futuri essent, ac negotium pro lubitu intricatum reddere, & extrahere possent. Unde Elector legatis injungebat; si Poloni hac in sententia persisterent, Regi, ac Senatoribus denuntiarent: ipsum omnia, ad quæ per pacta obligetur, fecisse; sed non posse nec velle diutius illudi. Ac ita digrederentur præmissa protestatione, penes se culpam infecti negotii haut esse. Nam cum Regni Ordinibus nil sibi amplius negotii esse. Eos velut æternum corpus semper obligari; ac repetitionem tantum propter personam Principum utrinque mortalium placuisse. Addebatur; si re infecta ipsis Warsavia discedendum foret, id factioni Regi adversæ dextre insinuarent, ut & hoc inter querelas suas referrent, quod Rex in tam perspicuo negotio e variis prætextibus hinc inde corrasis Electori satisfacere nolit; eoque ansam præbeat Reipubl. turbis implicandæ. Ita cum nostri nihil proficerent, ac nil aliud responsi obtinerent, quam obortas controversias prius expediendas; inde Regem pactorum confirmationi paratum esse: nostri protestationem (ipsi *præcustoditionem* vocabant) interponebant, ac multis rationibus deducebant; quare confirmatio pactorum controversiarum disceptationem præcedere debeat. Eam protestationem Rex per Eusebium Brandium sibi traditam æquo animo admittebat, ac se ad Electorem literas daturum significabat; quod licet pacta in præsens ob instantia Comitia haut confirmata fuerint, se tamen eadem non minus servaturum, quoad deinceps confirmentur. Ita enim Senatus consulto decretum, ut

Circa renovationem pactorum Poloni tricantur.

7. Aug.

23. Aug.

1670. ut disceptatio controversiarum confirmationem pactorum præcedat: cui ipse turbido hoc Regni statu contravenire non audeat. Ei SCto Procancellarius causam dederat; qui tamen post pœnitentia ducebatur, postquam amoliendis hisce tricis Hoverbeq ...us per tertium quempiam duo aureorum millia isti obtulerat; quod ipse solus id SCtum nunc evertere non posset. Is porro legatorum protestationem ægerrime ferebat, ac aliam huic opponebat, multis inanibus consarcinatam; quam Elector non suo, sed privato nomine refelli jubebat. Idem in recognitionis literis titulum Episcopi Pomezaniæ sibi attribuerat; adversus quem Elector protestationem per Hoverbequium, & Eusebium Brandium exhiberi jubebat. Nam sacerdotes isti horum titulorum usurpatione jurisdictionem Ecclesiasticam in Electoris provincia affectabant. Equidem fatebantur, Electorem in possessione esse omnium Episcopalium bonorum *cameralium & mensalium*: sed eam usurpationem esse, quæ sedi Romanæ nil præjudicii adferre queat. Sane Episcopus Warmiensis cum in subscriptione pactorum Olivensium se Episcopum quoque Samlandiæ nuncupasset, urgente Hoverbequio id ipse cultello eradere necessum habuerat. Qui tamen post mire gloriabatur, jus suum agnitum fuisse, quod plures suæ epistolæ cum titulo Samlandiæ in sigillo ab Electore acceptatæ fuerint; quod curiosius rimari tanti visum non fuerat.

Alia super pactis renovandis legatio. §. 102. Post annum amplius interjectum Elector Hoverbequium, & Danielem Tettavium iterum Warsaviam mittere decreverat pactorum renovationi quærendæ. Sed quia Comitia tunc instabant, Hoverbequius eam missionem differri suadebat, ne ea causa ad Ordines pertraheretur, lubrico eventu, quod apud eos unius quoque dissensus omnia subvertere possit. *4. Nov. 71.* Ac Procancellarii astutia effectum erat, ut in districtuum conventibus inter capita deliberanda Bydgostiensium pactorum renovatio poneretur. *Semelcken.* Unde si ante comitia legati accederent, non poterat non ea res ad Ordines rejici, ac velut turbido mari Nuntiorum Terrestrium committi forte plane subvertenda. Unde satius videri, missionem post Comitia differre. Sed nec anxie nimis eam renovationem quærendam, ne pactorum firmitas ab ea pendere videatur. Ac si Poloni eam denuo recusarint, id Electori ignominiæ fore ac forte Borussis scrupulum injecturum. Etsi revera Regis magis quam Electoris interesset eam renovationem fieri; quod iste per *pacta conventa*, ac in coronatione ea pacta jam confirmasset, eoque ad horum observationem ex jurejurando teneretur. Electori contra si quid ex pactis postularetur, id abnegandi causa erat ob protractam, per Polonos pactorum renovationem. Ac Polonos, circa quæ nunc tergiversentur, ubi necessitas urgeat, ultro oblaturos. Sicuti quondam Sigismundus III. Georgio Wilhelmo literas investituræ aliquandiu tradere abnuerat, quo is tantisper a regimine Borussiæ excluderetur. Sed cum Osinannus Podoliæ, Gustavus Adolfus Livoniæ ingrueret, eæ literæ ultro exhibitæ fuerant. Haut eo minus legatorum mandata adornabantur, quibus inter alia monebatur, ne pacta nunc describi paterentur, sed nude jurejurando ea firmarent; nec negotium ad Ordines referrent, cum ea jam anno 1658. in Comitiis solenniter confirmata fuerint. *1671. 9. Dec. 71.* Tum ne jusjurandum hinc inde præstaretur præsentibus Ordinibus, cum id ansam præbere possit deinceps eam confirmationem protrahendi, aut solicitandi. Multo minus ullo modo consentirent, ut congressus super expediendis hinc inde prætensionibus pactorum renovationem præcedat. Pacta enim heic claris verbis Electori favere; ac magis ad stabiliendam amicitiam facere, si commune vinculum fœderis prius adstringatur, quam si a controversiis initium fiat. Multas quoque lites, puta de Vistulæ trajectu dudum vasallagii tempore motas fuisse, quæ tamen isthoc impedire non potuerint: quo colore ergo easdem ad differendam pactorum confirmationem valere posse? Ast post hanc factam Electorem de istis agere haut recusaturum, ac æquitatem suam Polonis satis adprobaturum. Sed auxilia ex pacto Reip. debita semper præsto fuisse. His ubi nihil proficiatur, legati denuntiarent: Electorem id negotium neque ad Comitia, neque ad utrinque Delegatos ante confirmationem rejici velle, sed ad sequestres, & pactorum sponsores. Nam quæ Ordines semel in æternum adprobarint; ea horum decisioni denuo subjici non posse, ni pro æternis pactis æterna litigia habere velint. Si ne id quidem prosit, interposita protestatione discederent. Sane Procancellarius veteri Polonorum artificio eam causam denuo ad Ordines pertrahere studebat, ut eandem irritam redderet; quod Elector non magis permittere poterat, quam ut Rex de sua electione iterum ad Ordines referre vellet. Ac non animadvertebat Rex sane haut astutissimus, malevolorum dolo fieri, ut hoc modo amicorum optimus ipsi subtraheretur. Eam ob causam legatis injunctum, ut super hoc negotio neque apud universum Senatum, neque apud conventum Nuntiorum Terrestrium sermone, aut scripto agerent; sed unice apud Aulam insisterent, ut id ante Comitia expediatur. Ast si Rex ad hæc usque negotium extrahat, cum uno quidem & altero Senatorum agerent, ut Regem ad pacta implenda hortarentur, simul caverent, ne quid eo nomine Constitutioni inseratur, nisi forte id, ut Respubl. Regem urgeat, ne hic, quod ipsa semel probavit, ulterius differat. Nullo autem modo negotium comitiale ex eo fieri paterentur, quod Resp. quæ ab ipsa requirebantur jam præstiterit, ac pacta firmarit, eoque nulla deliberatione apud eam opus sit. Unde nec Electorem ullas declarationes aut restrictiones per SCtum, aut Constitutionem Regni admissurum, sed ad interpositionem eorum, qui in pactis expressi sunt, id relaturum. His cum mandatis legati tribus septimanis ante commitia Warsaviam veniebant. *4 Jan. 72.*

§. 103. Sed quia in hoc negotio gravem difficul-

1670. difficultatem pariebat Kalcsteiniana causa, ea *De causa Kalcsteiniana.* quomodo se habuerit, exacte heic referemus. Christianus Ludovicus Kalcsteinius, postquam multis ab Electore beneficiis usus esset, tribunus quoque dimacharum, & equitum legioni præfectus, simul Oletzkæ capitaneatu potitus, cum in isthoc munere multa immanitatis, & crudelitatis exempla patrasset, ut eo iterum privaretur meruerat. Unde efferatus atroces in Electorem minas spargere, ac tubos gestare, quibus eum occideret, simul cum confœderato Polonorum exercitu in Borussiam se irrupturum, ac ulciscendæ ignominiæ ferro, flammaque ibi grassaturum jactans. Unde in jus vocatus capitis primum, inde clementia Electoris sententiam mitigante ad perpetuos carceres damnatus est. Cum unum annum in carcere egisset, intercessione Electricis, cum primogenitum filium peperisset, ex eo dimissus est hac lege, ut X M uncialium solveret, nec e prædio suo absque Electoris venia discederet, multo minus Poloniæ fines intraret, ni famæ, bonorum & capitis pœnam subire velit; ad quod observandum iste jurejurando, simul scripto sese obstrinxerat. Inde mox eidem supplicanti dimidia pars multæ pecuniariæ condonata fuit. Ast his insuper habitis, cum vix novus Rex Michaël electus esset, cujus mul-*9. Mart.* ti amici infenso in Electorem animo erant, e prædio suo Warsaviam se proripuit. De hoc statim atque intellexisset Elector, Eusebio Brandio suo Warsaviæ Residenti injunxit, ut istum probe observaret, & a Rege dedi postularet, tanquam maleficum, & contra jusjurandum profugum. Sed cum Rex id abnueret, causatus; Kalcsteinium non alio fine venisse, quam ut legionem, cui antea in Polonia præfectus fuerat, recuperaret; hic ferocior atrocia in Electorem convitia spargere, ac Borussiæ statum, inprimis Bydgostiana pacta moliri cœpit, jactans se effecturum, ut Electori necessum sit Borussiam iterum in feudum recognoscere, non sine multorum favore, qui istam Electori invidebant. *21. Mart.* Scribebat dehinc Elector literas admodum serias ad Regem, ut iste perduellis sibi dederetur. Mittebatur etiam a Regimine Borussiæ ad Brandium exemplum processus, quo iste damnatus fuerat, ut de ejus hominis facinoribus Regem, & Senatores edocere posset. Quibus cum Rex haut permoveretur, utut ostenderetur, totum orbem judicaturum, Electoris amicitiam a Rege contemni, dum tot facinorum, & perduellionis convictus in istius fraudem fovetur; Kalcsteinius indies magis insolescere, & cum Rhodio juniore, qui Regis gratia florebat, clam conspirare; qui subinde jactabat; Kalcsteinium Electori palam, se clanculum negotium facessiturum. *15. Maji.* Igitur cum iste conviciandi, ac minandi finem non faceret, Elector Brandio, & Friderico Wilhelmo Lehndorfio subtribuno injungebat, ut inter se meditarentur, quomodo is clanculum per emtos ad id Polonos intercipi, ac in Borussiam abduci possit. Sed ne ad hæc extrema procedendum foret, Brandius tanto enixius Kalcsteinii conatibus reluctabatur, ut demum Rex aula isti interdicere vellet.

Etsi Procancellarius mature eundem moneret, *1670.* ut propere Warsavia se subduceret, nec eam ignominiam expectaret. Nam hic Kalcsteinum tunc aperte protegere non audebat, quod Rex Electoris amicitia inter turbida Regni opus haberet. Kalcsteinius porro Warsavia digressus ad Regis patruum Demetrium Wisnovicium se contulit, ubi mendaciis ac fraudibus eo rem deduxit, ut hic legioni prætoriæ istum præficere vellet, conventione jam eo nomine inita. Quo cognito Brandius statim ad Demetrium scribebat, missis processus Borussi- *29. Aug.* ci actis, idque negotium Megelino ejusdem legionis subtribuno commendabat, qui perficiebat, ut is honesta functione indignus judicaretur, ac Principis aula eidem interdiceretur, retractata quoque conventione. Igitur exercitu pulsus Warsaviam regressus est ipsis in Comitiis; ubi in modestiam compositus Brandium rogabat, ut apud Electorem pro ipso intercederet, data fide, se contra hunc nihil machinaturum, quoad responsum adferretur. Ast iste promisso insuper habito post quatriduum duos libellos, Regi unum, alterum Reip. exhibebat, velut nomine Ordinum Ducalis Borussiæ scriptos; queis servitio sibi imposito ut liberarentur multa cum verborum atrocitate, & in Electorem contumelia supplicabant. Ac posteriorem quidem libellum Mareschallus Nuntiorum Terrestrium palam prælegebat, cui Kalcsteinius orationem invectivam in Electorem præmiserat, pluribus, quam ipse libellus, injuriis refertam. Adversus eos libellos, & orationem Brandius ipsi Regi, cum in Senatum iret, scriptum tradebat, quo e Kalcsteinio inquiri petebat, unde ipsi mandatum, ac procuratorium sit, quo delegatus Ducatus Borussiæ constituatur, ac si tale nil proferre possit, ut velut falsarius, & proditor Electori dedatur, quo meritas pœnas ob violatum jus gentium & pacta novissima dare possit. Id scriptum Referendarius Regni Krasinius jussu Regis in pleno *Krasinski* consessu prælegere volebat. Sed Kalcsteinius instigante Procancellario per gradus thronum adscendens id scriptum Referendario ad latus Regis e manu abripiebat, ac per gradus raptim e throno iterum descendebat; Referendario acclamante, ut a Secretario suo alapa Kalcsteinio infligeretur; sed qui id facere non audebat. Perlectum a se scriptum Kalcsteinius Referendario redditurus erat: sed Procancellarius, ut id sibi daretur, vocabat, eoque perlecto dicebat, id bene se habere: verum hoc negotium non ad Comitia pertinere, sed ad consessum delegatorum, in quo Polonici judicum, Electorales actorum partes agere debeant, Kalcsteinio causam dicturo. Eo super facto insolentiæ plenissimo cum Brandius apud Procancellarium quereretur, hic, utut omnia in facie Reipubl. patrata forent, id a se suppressum inficiebatur, ac ut idem renovatum denuo exhiberet, ac prælegi curaret, suadebat. Nec eo secius cum Brandius novum exemplum alteri Referendario Prazmovio tradidisset, idem suppres- *Prazmowski.* sum, nec prælectum fuit. Tam atroci injuria intellecta Elector tertia vice acribus literis *19. Oct.*

1670. a Rege postulabat, istum sibi dedi, id quod fas gentium, & sanctissima pacta requirant: in quem sensum & Brandius ad Regem verba facere jubebatur. Simul Gærtzkio injunctum aliquot equites cum præfecto mittere, qui a Rege deditum statim in Borussiam abducerent. Sed quia dubitabatur, num Rex Electori gratificaturus esset, Brandius jubebatur hoc casu cum Megelino, & Lonscio tribuno consilia conferre, quomodo is clam interceptus in Borussiam abduci queat. Mittebant quoque Ordines Borussiæ declarationem suam coram supremo Consilio factam, qua talia Kalcsteinio mandare sibi in mentem venisse negabant: ac tam flagitiosa ejus hominis ausa se magnopere detestari profitebantur. Quam & ipsam declarationem Brandius Regi, ac Reip. communicabat. Contra Kalcsteinius aliud scriptum commentus erat, idque per omnes conventus provinciales circummittebat, cujus centum exemplaria Regiomonte in plateis reperta mentiebatur; quo Borussiæ Ordines ipsum confirmare, ac rogare fingebantur, ut in egregio instituto strenue pergeret: publicam nuper declarationem pro ratione præsentium rerum factam: successu temporis auxilium suum ipsi haut defore. Interea cum Brandius quotidie expectaret, ut Rex super tam enormi injuria Electori satisfaceret, prout jus gentium, & jurata pacta requirebant; is contra intelligebat, a Rege, & Rep. decretum esse Kalcsteinium deinceps utique protegere, ejusque caussam ad delegatum judicium rejicere. Quam in rem jam literæ ad Electorem conceptæ erant, quarum exemplum Thesaurarius Regni Brandio legendum præbebat. Ea res Brandium magnopere solicitum habebat. Nam ob oculos versabatur, ejusmodi indignitates non posse non in nervum erumpere, ac bellum parere, multis hominum millibus exitio futurum. Ac jam ministri Electorales clam significarant, Electorem cum octo militum millibus iter in Borussiam suscepturum, ubi jam septem legiones agebant; queis conjunctis injuriam sibi a Rege illatam ulturus sit. Ac in proclivi erat Electori inita societate cum factione Regi adversa hunc solio deturbare id quod tunc inter inimicos ejusdem agitabatur. Tantorum igitur malorum materiam, & discordiæ autorem vel cum aliquo suo periculo e medio amovere fas piumque Brandius judicabat. Latebat in ipsius ædibus Mongommerius turmæ præfectus cum aliquot equitibus e Borussia missis ad Kalcsteinium a Rege deditum, uti spes erat, abducendum. In eas ædes Kalcsteinius semel atque iterum accesserat aliquot armatis stipatus. Sed cum pridie literas protectorias accepisset, his fidentior ultro, nec invitatus uno comitante in Brandii conclave introivit. Ubi cum multa digna indigna blateraret, is evocato Mongommerio & equitibus subito absque tumultu comprehensum, inde manibus pedibusque ligatum, ac ore obturato, ne clamorem tollere posset, tapetibus involutum in clausum currum conjici, ac equitibus istis comitantibus in Borussiam abduci curavit. Qui tamen cum ad tertium a Warsavia milliare pervenissent, curru extractum equo imposuere. Unde cum jam ad Borussiæ fines pervenisset, agnitus ab obviis fuit, qui de eo Warsaviæ nuntiavere, ubi jam quartum in diem desideratus non fuerat. Ast ubi Procancellarius istum in Borussiam abductum audiisset, magnum tumultum in aula excitabat; ac protinus suspicione facti in Brandium conjecta, Rex per Boccomum supremum vigiliarum præfectum ex eo quærebat, qua de causa id fecisset; sed qui de eo quidquam sibi constare negabat. Ea res in conclavi Regis magna cum acerbitate disceptata fuerat, ubi inter alios Meiersbergius Cæsareus minister velut pro sententia dixerat; si constet Brandium eo facto teneri, vinculis tamdiu onerandum, quoad Kalcsteinius restitutus foret. Et cum Thesaurarius Regni Morsteinius exciperet, id juri gentium repugnare; Culmensis Palatinus Gninscius respondebat; jus gentium non protegere illos, qui id jus violassent; aliis reponentibus, si maxime Brandius deliquisse convincatur, tamen ad Electorem remittendum, ac ab hoc ejus pœnam exposcendam. Conspirabant inde in Brandii necem omnes Procancellarii, & Episcopi Posnaniensis domestici, quorum hic ideo Kalcsteinio fervide patrocinabatur, quod is paulo ante ritus Romanos professus esset. Brandium dein cum Procancellario loqui cupientem, is obtentu morbi aditu arcuit. In Aulam accedenti Rex misit, qui eadem abstinere juberet, quoad inquisitione facta adpareret, num is innocens sit. Nam in aulæ judicium hospes, omnesque hujus domestici trahebantur. Ast omnes Electoris fautores, & Brandii amici, qui quid in aula cruderetur norant, rogabant, ut is se subduceret, ne Rex, cujus hoc facto existimationem graviter læsam istius inimici arguebant, sumta de ipso vindicta Electori contumeliam inferret, bello causam præbituram. Permanebat tamen Brandius, quoad inquisitio absoluta foret. Sed Thesaurarius ipsi significabat, in Senatu decretum, ut is comprehensus in custodiam daretur; simul per omnia sacra orabat, ut ei ignominiæ declinandæ se subduceret. Unde Brandius clara luce velut alicubi exspatiaturus cum famulis suis urbe excedebat nemine sentiente, relicta in conclavi pleraque supellectile, dissimulandi discessus causa, ac in Borussiam se recipiebat; idque admodum tempestive, cum jam decretum esset postera die eum in jus rapere.

Mongommeri. — *20. Nov.* — *1670.* — *Boccom.* — *Gninski.*

§. 104. Brandio Warsavia digresso Rex asperis literis ad Regimen Borussiæ scriptis postulabat, ut Kalcsteinius protinus Warsaviam remittatur, ac qui illum abduxerint tanquam læsæ majestatis Regiæ, ac violatæ securitatis publicæ, jurisque gentium rei vel sibi dedantur, vel ibi pro enormitate facinoris supplicio afficiantur. Procancellarius quoque, ac Lithuanicæ militiæ supremus dux Pacius enixe suadebant, ut Rex huic ignominiæ ulciscendæ bellum Electori indicat, ac raptim in Borussiam, ac Novam Marchiam irrumpat. Elector con-

Super isto facto disceptationes. 5. Dec.

1670. contra ad eas literas reponebat: *Se per Brandium perduellis istius flagitia, ac infamiam Regi, totique Reip. satis demonstrasse; eum, notum ipsius civem, non uno fidei sacramento sibi obstrictum, ob atrocissima delicta ad perpetuos carceres damnatum; mitigata pœna per fugam e prædio, in quo se moraturum fide jurato data promiserat, se proripuisse: Warsaviæ sanctissima fœdera, ac amicitiæ jura, quæ sibi cum Rege, ac Rep. intercedant, ab isto turbata; existimationem ipsius atrocibus injuriis proscissam; seditiosa quævis in ipsum omni nisu structa: Regi ac Reip. commentitio scripto, velut a Ducatus Borussiæ Ordinibus profecto, falsarium imponere ausum. Hunc læsæ majestatis reum, perduellem, perjurum, publicoque judicio eo nomine capitis damnatum se a Rege dedi totiens, sed frustra, petiisse; id quod tamen fas fœderum, & jura gentium requisiverint. Unde nihil non esse infra meritum, & delicta impuri hominis, quod in eum statuatur, qui commune Regum, ac Principum decus violare, ac sacrum, & indissolubilem nexum inter ipsum, ac Regem dissolvere annixus sit. Eoque se confidere, Regem eos, qui pio, justoque zelo moti sceleratum ipsum in ipsius potestatem tradiderunt, laude potius, Regioque favore, quam idignatione, immeritaque ultione prosecuturum: id quod & amice roget. Quanquam nondum sibi constet, a quo, & quo modo ab.luctio illa facta sit.* Enimvero Rex

Opacki. Albertum Opackium Berolinum mittebat, qui atroces in Eusebium Brandium querelas movebat. Ab eo Kalcsteinium in ædes suas allectum, inde vinctum, præcluso ore, tapetibus involutum, curruique injectum per mutatos equos in Borussiam abreptum. Ipsum Brandium sexto post die Warsavia clam digressum, eoque se haut obscure facinoris autorem professum, cui Mongommerius turmæ præfectus, ac Baumgartius signifer administros se præbuerint. *Quia itaque atrocissimo hoc, & inaudito facinore Regia Majestas graviter offensa, atque jus gentium violatum sit, Reip. ac nationis Polonicæ dignitas læsa, ordinarius inter Principes tractandi modus sublatus, fœderis, ac amicitiæ, bonaque correspondentiæ interruptus prope nexus, se postulare, ut in satisfactionem gravissimæ injuriæ Regi ac Reip. illatæ Kalcsteinius Warsaviam illæsus restituatur, Brandius violati juris gentium pœna condigna afficiatur; Mongommerius, & alii milites læsæ majestatis, & securitatis publicæ; ac plagiariorum pœna afficiantur: Baumgartius vexillifer tanquam miles regio sacramento obstrictus Regi extradatur. Et quia Brandius contra Majestatem Regiam, contra ministerii sui, honestique viri officium deliquerit, ideo Regem ab Electore requirere, ut in posterum nullum ad aulam Polonicam mittat ministrum, qui continuo ibi resideat, sed ut mittendi expositis mandatis, & peracta negotiatione redeat: Quemadmodum Rex similem ministrum in aula Electorali non fovet.* Addebat, responsum jam ad Electoris petitum super dedendo Kalcsteinio fuisse confectum: sed Brandium obtentu valetudinis id accipere, & eo nomine Procancellarium adire noluisse; quod isthoc facinus jam animo agitaret. Id quod tamen confictum erat. Nam cum Brandius Regi Electoris literas super Kalcsteinio traderet, hic respondebat: *Sese istum hominem hautquaquam protegere, non tamen eum dedere posse, quod neminem nisi jure victum in custodiam dare liceat. Nam Borussos, etsi sub Electoris imperio sint, tamen si in Polonia agant, Polonicis privilegiis frui.* Ad quæ Brandius: *Kalcsteinium jam in Borussia jure convictum, & damnatum. Quod si heic denuo conveniendus sit, appellationem per pacta sublatam postliminio reduci. Quid juris Borussis adhuc in Polonia competat, sibi non constare; saltem id Electoris juribus fraudi esse non posse. Sane si maxime per pacta iste dedendus non foret, id tamen vel eo nomine fieri debere, quod tanquam falsarius, & impostor Regem, ac Remp. famosis suis libellis illuserit, ac Electorem in facie Reip. gravibus conviciis perfuderit.* Ad quæ Rex: eam causam in Senatu decidendam. Ac mox eo ipso tempore, cum istius deditio quam maxime urgeretur, in Senatu decretum, eum protegendum, ac in futuris comitiis ejusdem querelas audiendas, quo nomine & literæ protectoriæ tradebantur; utut antea Rex semper dixisset; se istum protegere nolle. Eundem & Posnaniensis Episcopus, tanquam recens Ecclesiæ Romanæ ornamentum, quo tutius ageret, ædibus, ac mensa sua recipere voluerat. Porro ad proposita ab Opackio Elector initio reponebat: Polonos Kalcsteinium recepturos, sed capide truncatum. Se quidem id factum non jussisse; autores tamen haut puniturum, quia recte fecerint. Polonos, dum Residentem ipsius admittere nolunt, videri bellum indicere sibi velle. Ea si mens sit, non opus esse ambagibus uti. Ne Poloni se irritare pergerent, qui satis norint, quantum sibi molestiarum integrum jam annum per hominem istum intulerint. Ac jamdudum animum sibi fuisse bello ista ulcisci, ni demum sceleratus iste in potestatem redactus foret. Enimvero re in consilio ventilata satis adparebat, si pari pertinacia Polonis occurratur, utique ad manus rem deductum iri, tempore admodum importuno, cum a Gallo imminens periculum omnes curas averteret, ac Cæsaris, qui Michaëli Regi studebat amicitiam refrigerari haut expediret. Simul ob unum nefarium caput tot myriades bonorum civium belli calamitatibus involvere haut tanti erat. Et quia constabat, Regem pravorum quorundam hominum consiliis in transversum rapi, satius visum est spatium aliquod isti indulgere, quoad sana ratio, deflagrantibus sinistris affectibus, locum inveniret. Itaque placuit dissimulare Kalcsteinii abductionem Electoris jussu factam; sicuti & revera Elector, ut ea tali modo, & loco fieret, non præscripserat; etsi ut iste in potestatem redigeretur, in universum jussisset, tali modo, qui nihil tumultus excitaret. Prout & Brandius, ut ejus facti invidia in ipsum solum derivari posset, postea sparserat, Electoris injussu istum abs sese abductum. Quæ & tutissima via erat Regi, qui hoc facto offensum se judicabat, satisfaciendi, ejusque existimationi consulendi. Ac eo plausibilior erat iste color, quod inquisitio Warsaviæ unice contra Brandium instituta, nec super equitibus istis quæ-

1671. 22. Nov. 1670.

1671. quærere curæ fuisset, quos una cum Mongommerio solutos sacramento milites crediderant. Itaque Opackius tali cum responso dimissus est.

15. Jan. *Kalcsteinium adeo improbum, ejusque crimina tam horrenda, ut nil indignius accidere possit, quam si per pessimas eas res, quæ optima inter homines habentur, magnorum Regum, & Principum amicitia, & vicinarum gentium conjunctio ullo modo turbari debeant. Aufugisse eum in Poloniam variorum criminum convictum, & damnatum, ac servum pœnæ factum, contra juratam fidem; ibique aliquot per menses hæsisse, nil aliud agentem, quam ut Principis sui existimationem fœdissimis calumniis proscinderet, & sanctissimi fœderis nexum dissolutum iret. Frustra obtendi, supplicem eum in Poloniam venisse, qui indies ibi novorum machinatione scelerum in conspectu totius Reip. seipsum vincere laboravit. Nec ibi locum fuisse super ejus criminibus cognoscendi. Sane per pacta etiam simplices Borussiæ incolarum querelas ad se velut supremum ejus provinciæ dominum fuisse remittendas, quæ alium Principem aut patronum agnoscere non debet, nec potest. Quod majus specimen perduellionis dari potuisse, quam nefaria scripta Regi, ac Equestri Ordini exhibere, quibus Principem, a quo tanta beneficia acceperat, tyrannum non minus scelerate quam falso proclamarit. An Polonicæ originis sit, nil interesse, nec de eo constare. Saltem id certum esse, & parentem, & majores ipsius homagio præstito Duces Borussiæ naturales dominos agnovisse, quorum hæreditatem iste adierit. Quo facinore militari de Rep. Poloniæ meritus fuerit nunquam innotuisse. Id sane in confesso esse, in Polonia eum non cum hostibus, sed cum hospitibus suis, & horum pecoribus bellum gessisse; unde & furti, rapinæ, atque concussionis ibi accusatum, & damnatum fuisse; ac demum militiæ Polonicæ infamem finem imposuisse, secum abductis ducentis equitibus, & interversis viginti duobus florenorum millibus; ut Joannes Casimirus Rex suspendio eum affecturus fuerit, si comprehendi eundem contigisset. Electori sub Joannis Casimiri regno nunquam curæ fuisse, sceleratos in ejus gratiam reducere. Equidem se summorum virorum calamitatibus indoluisse, qui turbis Reip. velut torrente abrepti fuerant, nullo adversus eam delicto admisso; ac apud Regem his non tam culpæ, quam infortunii veniam impetrare laborasse. Kalcsteinium sua sponte pessimum; ac indignum esse maximæ dignationis viris sceleratissimum hominem accenseri. Asylum eundem in Polonia nec quærere, nec sperare potuisse. Nam asylorum sanctitatem iis quondam profuisse, qui casu, innocente animo, aberrante forte manu malii quid fecerant: profanis in fano receptum non fuisse. Ast Principi suo insidiantibus, aut pacem publicam turbantibus ne sanctissimum quidem Dei altare patrocinatum. Et quia nemo bonus ejusmodi maleferiatis favet, sed quilibet istos suo periculo furere patitur; inde sceleratorum deditionem, eorum præsertim qui in statum publicum deliquerunt, inter amicos, & vicinos locum invenisse. Hanc a se aliquoties petitam, nunquam obtentam. Interim Warsavia quotidie nuntiatum, & in Regia, & in conventibus Procerum versari hominem tam immania patrantem, quæ vel ob communem Principum causam ab omnibus vindicanda fuerant. Sed tolerari eum Warsaviæ, postquam legibus pacis Olivensis inter inclutam Remp. ac se, cautum fuerit, ut altera pars alterius honori consuleret, ejusque gloriæ, ac securitati velificaretur, id esse, quod sibi maximo dolori fuerit; cum interim maleferiati istius ferocia impunitate indies glisceret, qui modo ministerio, modo protectione Regis gloriatus sit. Sibi cognitum, istum mendaciorum architectum; ac nuntiis Warsavia allatis vix fidem adhibuisse. De Rege quoque optima quæque sperasse, & qui nunquam in animum inducturus sit aliquid in hac causa statuere, quod mutuam amicitiam lædere posset. Sicuti & ipse interim Reginam filiæ suæ recens natæ commatrem adoptarit. Sed nuper nuntiatum fuisse de Kalcsteinio in suam ditionem delato; de cujus tamen facti ratione, ejusque autoribus nondum certa sibi fide constet. Quæ cum ita sint, se Orbi Christiano, imo ipsi Regi judicium deferre, uter justiorem, graviore mque conquerendi causam habeat, & utri competat satisfactionem petere. Quemadmodum vero ipse hactenus æquitate animi potius, quam jure suo in hac causa usus sit: sic sine mora in autores ejus facti inquisiturum, & pro ratione delicti in eos animadversurum: a quibus si quid secus factum sit, id ad interrumpendum fœderum, atque amicitiæ nexum haut valere posse. Eo summos Principes, populosque constringi; qui a privatis secus facta præstare non possint, sed punire possint. Idque ut in hoc negotio fiat, prout æquum est, se curaturum. Super Kalcsteinio se propediem missurum, qui Regem exacte edoceat. Nec dubitare, quin Rex agniturus sit, a se nihil omitti, quod constantis amici, ac fœderati officio congruum sit. Cæterum quoniam Reges, Principes, populique fœdere, aut vicinitate juncti non modo honorificum sibi, sed & utile, ac necessarium ducunt, si in aulis suis, aut publicis consultationum locis fœderatorum, vicinorumque ministri adsint, quibuscum de rebus utramque partem tangentibus agi queat, ne propter singula negotia singulas legationes adornare opus sit, se recepto huic instituto, per multos abhinc annos priorum Regum tempore a se exercito, & ab aliis exteris in Polonia etiam interregni tempore, & in præsens quoque observato, deesse noluisse. Ac uti gratum sibi foret, si quis a Rege in hac aula resideat, quicum de communibus negotiis communicari queat; ita Regi haut displiciturum, si quem suorum eo fine ad aulam Regiam destinaverit. Nam in supervacuas legationes, neque sibi, neque Regi, ac Reip. utiles, impensas facere haut placere.* Hoc cum responso legatus Polonicus dimissus est. Inde Mongommerius publica proclamatione Regiomonte citatus, sed clam prius monitus, ut inde se subducat, & Colbergæ, aut alio loco sub alieno nomine aliquantisper agat, insigni quoque præmio mactus. Eusebius quoque Brandius Custrini in jus vocatus, cum uti jussus erat, non comparuisset, in contumaciam damnatus est, ut bonis amissis patria careret. Quæ tamen sententia uti in speciem tantum ferebatur, ita post jussu Electoris abolita est; ac is, postquam per biennium extra hujus ditiones se tenuisset, 1672.

in

1672. Jan. 72. in aulam rediit. Sed Kalcsteinius Memelam abductus capite pœnas luit, persistente usque ad extremum animi ferocia, ut de innocentia sua etiam moriens testari non dubitaret; In Polonia liberum cuivis esse alterius nomine scripta exhibere; & omnia quæ istis libellis extent vera esse.

Ab Electoralibus legatis Warsavia acta. 9. Dec. 71. §. 105. Ista Kalcsteinii abductio aliquandiu in Polonia magno animorum motu agitata fuit. De qua Elector, cum Hoverbequium, & Danielem Tettavium ad renovanda pacta Warsaviam mitteret, in mandatis dederat, ut dicerent: se non perspicere, quid Poloni eo nomine ab Electore postulare velint. Ab ipso eam abductionem jussam demonstrari non posse. Testari quoque literas, post Brandii discessum in ejus conclavi repertas, quomodo ea actio suscepta fuerit. Eo rerum statu ab Electore nil amplius desiderari posse, quam ut reos in jus vocari, & sententiam in eos ferri curet. Id quod factum sit; & cum judicio se non stiterint, in contumaciam damnatos. Enimvero Electori longe graviores de Rege querendi causas esse, quod cum per pacta unus fœderatorum alterius dignitatem, & existimationem tueri teneatur; Kalcsteinio indultum fuerit, ut in aula Regis, apud exercitum, in facie Reip. & consessu Nuntiorum Terrestrium, ac ubique horrendissimas quasque criminationes in ipsum effundere, & sine fine iterare posset, fœdis libellis, quos obtulerit, a Rege receptis. Tum deditionem contra jus gentium negatam; saltem impurum hominem Regno exeise haut jussum; sed ut ægre Electori fieret, in aula toleratum, ac a multis clam firmatum. Atqui Uladislaum quondam Regem Waldium quendam, subditos in districtu Insterburgensi ad seditionem movere conatum, nondum judicio damnatum dedidisse. Quanto magis id circa Kalcsteinium fieri debuisse, cui nulla juris remedia amplius competant; & cum iste ad directum feudi dominum, hic ad eum se contulerit, quem Elector non nisi vicinum agnoscat. Ista tamen ita proponere jubebantur, ne universi Ordines accusari viderentur, cum plurimi Senatores suaserint, eum Regno pellendum. Ast Rex dum legatos audit, non sine verbis magnum animi motum arguentibus de ista abductione querebatur. Sibi de Kalcsteinio parum curæ esse, homine perdito, & qui ubique existimationem decoxerit. (nam & bina vice in Polonia infamia notatus fuerat.) Sed istud eo tempore factum, quo ipse ob adversam sibi factionem maximo animi dolore correptus fuerit, & quo afflictio afflicto addi minime debuerit. Et cum ostendere cuperet, a vicinis se æstimari, contumeliam sibi illatam, quam ne privatus quidem toleraturus sit. Se in Brandium facile talionis jus exercere potuisse; sed sibi temperasse, & ab Electore per legatum ut sibi satisfiat petiisse. Sed nec id factum, nec legatum venisse, quem Elector ejus negotii causa missurum se promiserit. Cum legati quæ jussi fuerant reposuissent, & legationem dilatam, quod Rex tunc in expeditionem abiisset, hic paulo placatior dicebat: parum sibi curæ futurum fuisse, quid Kalcsteinio fieret, modo id factum non in sede regia patratum foret. Eum se nunquam in protectionem recepisse, ac jam eundem aula expellere decrevisse. Eadem quoque abductio in mandatis quorundam Nuntiorum Terrestrium *grande illud nefas* vocabatur, ac judicabant isti, hoc facto prætensionem in Elbingam compensari posse; ac multi plus clamoris super abducto Kalcsteinio, quam Turcica clarigatione tollebant. Ex quo Hoverbequius colligebat, aulam per turbidos quosdam Borussos sibi somnia finxisse, si Rex renovationem pactorum extrahat, seditiosos quosdam in Borussia copias ibi Electoris oppressuros, ac totam provinciam ultro Poloniæ se dedituram. Quo ipso Regem, cum omnes præfecturæ ad patrimonium Principis spectent, pluribus reditibus, quam e tota Polonia, protiturum, ac omnes antecessores gloria superaturum. Quæ & causa erat, quod Rex modo auxilium Electoris exposceret, modo idem sisti peteret. Nam per istud quidem turbidis in Borussia spatium fore credebatur exsequendis suis destinatis, quo ipso tamen multum favoris Electori apud Remp. accessurum erat. Et accedente Kalcsteinii abductione malevolis prætextum nascebatur renovationem pactorum extrahendi præcipuo autore Procancellario, qui jactare non dubitabat, facile fore Electori quicquid terrarum cis Oderam versus Poloniam jacet eripere, ac se propediem Mariæwerderæ, ac Riseburgi missam cantaturum, quæ oppida antea ad Præsulatum Pomesaniæ spectaverant. Qui & ex literis fiduciariis ansam cavillandi arripiebat, quod per incuriam scribæ vocabulum *legati* omissum esset, eoque Hoverbequium tantum ut privatum æstimare volebat. Nec Regi id audaciæ erat, ut aliquid absque viri istius consensu statueret: etsi, ut Electorem amicum haberet, vacillantes tunc ejusdem domi res admodum requirerent. Earum turbarum prima origo fuerat, quod Rex statim ab electione sese Pacio Magno Lithuaniæ Cancellario, & Poloniæ Procancellario totum addixerat, ostensa erga reliquos omnes diffidentia. Ac post cum in Comitiis coronationis nuptiæ sine pleno consensu Senatu decretæ, ac mandata Procancellario sponsam ambituro data vix ulli Senatori ostensa essent, dissidium aperte erumpebat. Quod eo minus componi poterat, quia aulici oleum camino addebant, ac inanibus terroribus suspicacem animum agitabant, vulgato, Electorem cum octodecim militum millibus Poloniam irrupturum, ac Comitem Sancti Pauli e Gallia venire ad coronam ipsi eripiendam; nimirum ut in turbido piscarentur, ac Regi post imputarent velut id periculum sua industria depulsum foret. Eo confusior autem ejus aulæ status erat, quod qui Regem possidebant, ipsi inter se discordes agerent, ac sibi invicem nocere niterentur. Unde quod uno allaborante decretum fuerat, ab altero subvertebatur, Regi placita sua ad ipsorum libidinem immutante, ita ut una septimana idem consilium sæpe ter, aut quater refingendum esset. Ista magnum 1672.

1672. Regi odium juxta, atque contemtum pariebant; cui & Primas Regni pleno Senatu in os exprobraverat, quod dixisset, se tacita cum exceptione (*restrictionem mentalem* cavillatores Theologi vocant) in pacta conventa jurasse. Addito; tantillo tempore sesquimillionem æris alieni contractum: Joanni Casimiro de promissa pensione ne teruncium quidem solutum, qui magna cum Reip. ignominia apud exteros aliena misericordia vivat. Accedebat inde a Turca periculum, & quod adversa factio consilia sua majore cum circumspectione exsereret. Contra animos Nobilitatis in Regem refrigerari, tum conjunctio cum Regina, & Domo Austriaca imminui. Acres quoque morborum impetus parum diuturnam vitam pollicebantur. Sic igitur enormis affectus in paucos reliquorum omnium animos averterat. Et quanquam præcipui Senatores suadebant, ut sine mora pacta jurejurando firmarentur; solus tamen Procancellarius renitebatur, ac per aversionem decidendum censebat, inde prætensione in Elbingam, hinc remissione copiarum auxiliarium, aliorumque controversorum abolenda.

Pacta demum confirmantur. 26. Jan.

§. 106. Enimvero cum jam Elector legatis suis injunxisset, ut si negotium nondum expeditum sit, ante Comitia Warsavia discederent, subito id præter spem ad bonum exitum spectare cœpit. Nam dum Procancellarius abest, Archiepiscopo, Cancellario Magno, & aliis annitentibus omnes præsentes Senatores pro sententia dicebant, jusjurandum in pacta ante Comitia suscipiendum, ne tanto periculo Reip. imminente tam potens Princeps vicinus offendatur. Ast Rex, qui ita cum Procancellario discedente convenerat, id quidem non improbare; prius tamen colloquium cum legatis super negotio Kalcsteiniano, & aliis habere velle. Nam is hoc negotium utique extrahere, & propositioni in Comitiis faciendæ inserere cupiebat. Cum nostri propositum colloquium abnuerent, Cancellarius Magnus denuo Regi demonstrabat; quia Elector Kalcsteinii abductionem non jusserit, non posse quoque eum illatæ contumeliæ insimulari, ac negotium id nil commune cum pactorum confirmatione habere; per quam & Regi potius fundamentum nascatur petendæ satisfactionis, quod in pactis cautum sit, ut unus alterius securitatem, & salutem promoveat. Ac potius Electori causam esse querendi, quod Posnaniensis Præsul, & alii in protectionem recipere ausi sint hominem infamia coopertum. Cracoviensis quoque Præsul contendebat, si maxime Elector Kalcsteinii abductionem mandasset, Regem tamen eo nomine satisfactionem petere non posse; quod is non pleni juris, sed servus pœnæ fuerit; nec Regi per pacta fas sit ejusmodi querulos admittere. Ac Proregi Neapolitano solitum proscriptos, qui in Pontificis ditionem se receperint, clam ibi intercipere, hoc ideo quæri non audente. Inde cum propositio comitialis ad Ordines a Cancellario Magno fieret, hic de confirmatione pactorum omittebat, utut Procancellarius de ea comitiorum indictioni inseruerat. De qua cum Episcopus Posnaniensis apud Regem moneret, hic de ista addi jubebat. Sed cum Cancellarius regereret; non id solum se additurum, sed & hoc, ut legati Electorales protinus aula exesse jubeantur; Rex ita turbatus est, ut statim de ista nil amplius moveri juberet. Interea Hoverbequius liquidum responsum acriter urgebat, aut protinus se discessurum minabatur. Ac promittebat Cracoviensis Episcopus, se non solum provocationem ad sponsores pactorum admissurum, sed & scriptum a præcipuis Senatoribus obtenturum; Regis acta a se haut probari, ac se extra culpam fore eorum, quæ inde proventura sint; ac pro se ab Ordinibus jurejurando jamdudum firmata pacta, & ulterioris confirmationis haut indiga sancte servaturos, quicquid Rex faciat. Reversus inde Procancellarius rem iterum turbare cœpit, ac velut ingens crimen ab Electore admissum differebat, quod hic Czari titulum Magni Ducis Lithuaniæ tribuisset. Quæ res ita se habebat. Anno 1659 Czar Electori insinuaverat, ut is sequestris officium inter ipsum, & Polonos obiret: id quod ab isto communicatum Joannes Casimirus Rex, & alii proceres probabant. Unde Elector cum Czare scriptionis commercium exercere cœpit, & quia hic nullas tunc literas sine hoc titulo admittebat, eo quoque utendum fuerat bono Reip. ac citra ejus fraudem, cui factum tertii nocere non poterat. Quem tamen titulum Elector post factam pacem Czari nunquam tribuerat. Ista porro tam distorta consilia Procancellarius, & hujus instinctu Rex eo fundamento superstruxerat, quod Kalcsteinius, & junior Rhodius ipsi persuasissent; multos esse in Borussia præsentium rerum pertæsos, & omnes Ordines data occasione in Electorem insurrecturos. Simul Regi spem fecerant, posse eum isto Ducatu velut feudo pro sua familia potiri. Unde Rex in ambiguo hærere, & neque in Hoverbequii postulatum consentire, nec Electorem protelare velle, ac rem de die in diem extrahere. Qui tamen Electori studebant, legatis suadebant, ne discessum præcipitarent, ac finem Comitiorum expectarent; quod inter alia incommoda metuendum sit, ne si id negotium stantibus Comitiis suscipiatur, protestatio quæpiam emergeret, per quam totum negotium velut vado adhæsurum erat. Ac ipse Rex & alii spem faciebant, id post Comitia successurum. Sane & e re Electoris erat, idem eousque differri, ne comitiale negotium videretur. Regina quoque, & Cæsareus minister operam suam pollicebatur: ac Majores Poloni eam confirmationem urgebant, quo securitati suæ caveretur. Demum abruptis Comitiis Procancellarius ultro declarabat, se Electoris desideria haut impediturum, ac jam dies jurijurando statuebatur, ut tamen cavillatio circa hujus formulam aliquot dies consumeret. Ac pervincebant, nostri ut & ea clausula insereretur, *quod S. Regia Majestas prædicta pacta in omnibus articulis, punctis, & clausulis observatura sit, nec iisdem sive directe sive indirecte contraventura, aut contraveniri a subditis passura sit.* Ubi

15. Mart.

1673. Ubi nostri vocabulo *subditis* addi nolebant *suis*, ne Rex crederet, satis esse, si Polonos suos a violandis pactis cohibeat, sed rebelles Borussos, uti Kalcsteinium, & Rhodium, fovere sibi fas esse. Nomine Regis, & in ejus animam jurabant Adrianus a Krasowo Zochowski Castellanus terrarum Vishensium, & Albertus Opacki Succamerarius Warsaviensis. Post & nostri juravere; qui hoc in actu omnes cerimonias declinarunt, ac ne id fieret in conclavi Regis, aut hoc præsente, etsi is eo fine pallium regium Czenstochowa adferri curaverat; ne ea confirmatio ad substantiam & validitatem pactorum requiri videretur. Sed & ne in posterum prætenderetur, eum actum utique Warsaviæ peragendum, sed & posse ad fines Borussiæ, aut alterius in Regis, & Electoris ditione fieri, nostri formulæ instrumenti, quod eo nomine conficiebatur, hæc verba inserebant: *locum, & tempus hac vice cum utriusque partis consensu* 13. Mart. *prævia conventione Warsaviam placuisse.* Discedentes nostros Rex multo verborum honore cumulabat, ac Electoris auxilium sibi despondebat, si res in seditionem erumperet. Nam Electoris rationibus haut quadrare, Gallicum vi, & pecunia intrusum Regem vicinum habere. Cæterum ad extrema ruebant ejus Regis res, cujus regimen omnes aversari cœperant, velut animo & corpore imperii haut capacem; ac jam super eodem dejiciendo agitabatur multis e Gallia Regem captantibus. Contra Austriaci cum Archiepiscopo tractabant: Se apud Michaëlem omnia vitia, quæ in hominem cadere possint, sed ne minimum quidem virtutum, & nihil candoris invenire. Unde facile prospicere, eum velut imperandi ineptum a Rep. solio dejiciendum. Igitur haut curæ sibi esse, quid isti fiat, modo penes Reginam corona maneat. Nam si ipsa coactam se, aut mariti impotentiam alleget, matrimonium ipso jure nullum esse. Pontificis consensum facile obtineri posse, qui nunquam permissurus sit, ut tantum Regnum Romanos ritus professum sub tali Rege pessum eat.

Elector Polonis auxilia mittit. §. 107. Post confirmata pacta Elector testando in Remp. studio M D selectos milites sub Friderico Danhofico Comite Regi in auxilium contra Turcam misit. Qui in altiora Poloniæ *Sept. Oct.* Lublinum usque progrediebantur, ubi universa Nobilitas armata metabatur; sed quæ initio Novembris diffluebat, nulla re gesta. Unde & nostris iterum via relegenda fuit, nulla virtutis exserendæ occasione. Ac interim strenue cum fame luctandum fuerat, quod nec panis quid, nec pecuniæ in Polonia præberetur. Cupiebat iis copiis Rex contra adversam sibi factionem uti: sed negabat Danhofius, sibi in alios præter Turcas pugnare injunctum. Sed se- *a. Jul.* quenti anno, gliscente a Turcis periculo Rex Felicem Morstinium ad Electorem mittebat; qui pro auxiliis superiore anno missis gratias agebat; laudibus ferens, quod Elector plus quam pacta requirant, præstiterit, dum de suo iis copiis duorum mensium stipendia numerat, nullam refusionem stipulatus. Tum exposito Regni statu, tanto hosti propulsando haut sufficientis, auxilium Electorem poscebat ex pacto, & ut ei pro periculi magnitudine plus copiarum adderet ad octo millia; de quibus antea Elector spem fecerit, ubi necessitas Reip. urgeat. Ad ista Elector: Sibi semper cordi fore studium suum Regi, ac Reip. quavis occasione adprobare; eoque se debitis ex pacto copiis injuncturum, ut protinus ad fines Regni accedant, unde a Rege evocari queant; ea tamen lege, ut Rex vicissim, prout pactis cautum sit, auxiliaribus copiis stipendia, & annonam præstet, ne eandem uti superiore anno miseriam exhaurire cogantur. Iis se copiis non nihil additurum; sed eas ad VIII M augeri non posse, quod copiæ suæ priori expeditione numeris valde imminutæ sint; nec periculosum Germaniæ statum permittere, ut ipse milite se exuat. Forte tamen a Sueciæ Rege, & Czare sat copiarum impetrari posse, quibus miles in promtu & citra expeditionem sit: de quo ipse jam ultro apud Sueciæ Regem moverit; qui nec alienum ab hoc negotio se ostenderit; ac posse de eo Warsaviæ inter Ministros ulterius tractari. Legatus contra: Auxilia ista se non ex pactis, sed ex generoso Electoris animo, & commiseratione in Remp. expectare: quæ & eo paupertatis redacta sit, ut promissam licet copiarum sustentationem præstare nequeat. Unde Regem rogare, ut Elector iis aliquot mensium stipendia in expeditionem solvere velit. Ac consensit Elector, se duorum mensium stipendia de suo præbiturum: sed plura promittere exhaustas suas ditiones haut concedere. Ea occasione Elector monebat, ut tandem aliquando super Elbinga sibi satisfieret; quod post finitum bellum fore legatus spem faciebat. Cum & idem quereretur, Draheimensibus hospitia, & tributa a Polonis imperata, id quod pactis aperte repugnet; legatus id ex errore ducis profectum, ac mox ultro revocatum excusabat. 1673.

§. 108. Inter hæc offensa negotii Kalcsteiniani paulatim exolescebat, ac demum Rex declarabat; se non amplius Kalcsteinium repetere: rogare autem, ut Elector tutandæ ipsius existimationi promittat, se eum redditurum; se vicissim per scriptum cauturo, quod eum habere nolit. Quod temperamentum acceptabatur, simul placebat, ut Elector pro Brandio intercederet, & hic literis apud Regem deprecaretur. Ac tandem convenit, ut Brandius Warsaviam rediret, ibique humili submissione Regem placaret. Sed dum iter adparatur, Rex, subita morte extinguitur. Interregno emergente multi proceres suadebant, ut Brandius Warsaviam se conferret, ac ipse Procancellarius eidem protectionem promittebat. Unde cum Electoris consensu iste iter ingreditur multis commendatitiis literis ad complures proceres instructus. Sed antequam Warsaviam pervenisset, Regis Joannis electio successerat, qui Regi Michaëli infensus fuerat, & Kalcsteinii abductionem non adeo ægre tulerat. Ibi accedentem omnes qui norant Senatores, & proceres amice recipiebant; & Mareschallus aulæ quicquid supellectilis quondam War-

Offensa negotii Kalcsteiniani paulatim exolescit.

April. 74.

1673. Warsaviæ reliquerat, illæsum restituebat. Ac liberum ipsi erat ibidem manere, ac veterem functionem exercere. Sed quia tunc Elector expeditionem contra Gallum suscipiebat, cui aula Polonica favebat, quidam monuerant, istum huic parum gratum fore; idem ab Electore inde revocabatur, postquam novem per menses inter ipsa Comitia Warsaviæ palam, & nemine turbante egisset.

Moscica. Febr. §. 109. A Czare Moscoviæ ad Electorem Bilefeldæ tunc agentem legatus veniebat Paulus Menesius, qui de periculo, quod ex irruptione Turcarum in Poloniam vicinos quoque maneat, præfatus, Electorem hortabatur, ut adversus hosce cum Czare, & Polono arma societ, conjunctionis legibus congressu legatorum adornandis. Tum ut pro sua autoritate alios quoque Principes Imperii ad paria incitet; inprimis Galliæ, atque Angliæ Reges permoveat, ut arrepta adversus Belgas arma in communem Christiani nominis hostem vertant. 11. Febr. Ad quæ Elector: Se bello Gallico implicitum plus auxilii, quam jam fecerit, Polonis ferre non posse. Ac Czarem optime facturum, si & ipse Gallum, & Anglum hortetur, ut pace Orbis Christiani constituta vires suas in communem hostem sociant: quo nomine & ipse ad alios Principes Christianos sit scripturus, ac propediem legatum ad Czarem missurus. 1673. Nec multo post Joachimus Sculterus in Moscoviam missus est, ut Czari gratias ageret, quod Poloniæ causam contra Turcam amplexus sit; eumque ad continuanda auxilia hortaretur. Iste cum Plescoviæ, & Novogardiæ a delegatis in eam rem (*Prestavos* vocant,) exciperetur, ac hi inficeto more superiorem in traha locum occupassent, idem Moscoviæ hac de re graviter querebatur, ac ni hoc emendetur, se postremum ab Electore legatum heic fore. Unde dum ad Czarem deducitur, dignior locus dabatur; ac declarabat Artemon Sergevicius, Czarem, ejusque antecessores hactenus nunquam Cæsareis, Regiis, aut Electoralibus ablegatis per Prestavos suos dextram manum concessisse. Sed hunc demum Czarem cum Cæsare, ac Regibus Sueciæ, & Daniæ convenisse, ut eorum ablegatis dextræ manus honos relinquatur. Et quia Czar Electoris amicitiam magni æstimet, ac ulterius conservare cupiat, hujus ablegatos nunc & deinceps pari cum Cæsareis, & Regiis honore habitum iri. Quam in rem ad præsides Plescoviæ, & Novogardiæ mandata transmissa sunt, idque decretum in acta relatum.

SAMV-

SAMUELIS DE PUFENDORF,
DE
REBUS GESTIS
FRIDERICI WILHELMI MAGNI,
ELECTORIS BRANDENBURGICI,
COMMENTARIORUM
LIBRI NOVENDECIM.

TOMUS II.

ANNO MDCCXXXIII.

SAMUELIS PUFENDORFI DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DUODECIMUS.

EPITOME.

Elector paci conciliandæ studet. Missio ad tractatus Colonienses. Ablegati mandata. 2. Cum Neoburgico acta. 3. In conventu Coloniensi acta. Cerimonialia. Pacis negotium difficile adparet. 4. Circa propositionem difficultas. 5. Electoris ad Cæsarem missio. 6. Sueci super tertiis partibus formandis agitant. Electoris de his judicium. 7. Tractatus Colonienses hærent. 8. Alia tractatuum Coloniæ evadit facies. 9. Belgæ separatam pacem cum Galli sociis captant. Wilhelmus Furstenbergius abducitur. Id factum defenditur. 10. Inter Anglos & Belgas pax fit. Conventus Coloniensis solvitur. 11. Trevirensis a Gallo invaditur. 12. Ratisponæ ad pacem nihil proficitur. 13. Sueci fœdus suum Electori offerunt. 14. Consultatio super Suecico fœdere. Sententia Somnicii: Blumenthalii: 15. Cansteinii: 16. Meinderfii: 17. & Cœppenii. 18. Fœdus cum Suecis concluditur. 19. Fœdus Electoris cum Rege Sueciæ. 20. Articulus separatus. 22. Super ratihabitione fœderis dubitatio. 23. Neoburgicus ei fœderi includitur. 24. Cum Belgis acta. 25. Belgæ Electoris fœdus iterum affectant. 26. Circa disponenda in futurum consilia deliberatio. 27. Somnicii sententia. 28. Ad Cæsarem missio. 29. Cæsar Electoris societatem ambit. 30. Galli Palatinum invadunt. 31. Gallus Electorem in diversum trahere conatur. 32. Ulterior cum Gallo disceptatio. Clivica oppida a Gallo Electori redduntur. 33. Cum Cæsare super conjunctione tractatur. 34. Cum Belgis super fœdere acta. Luneburgicorum monita. 35. Fœdus Electoris cum Cæsare, Hispano, ac Belgis. 36. In Angliam missio. 37. Sueci Electorem in diversa trahere conantur. 38. Elector de suis destinatis Gallo significat. 39. Cum Wangelino disceptata. 40. Literæ Electoris ad Regem Sueciæ. 41. Wangelini super Electoris expeditione monita. 42. Legatio in Sueciam. 43. Alia mandata. 44. Animorum in Suecia habitus. 45. Expeditio in Alsatiam decernitur. 46. Electoris expeditio. De prælio inter fœderatos & Gallos prope Argentoratum. 47. Per Alsatiam gesta. 48. Ad Helvetios legatio. 49. Turennius denuo ingruit. 50. Cum Argentoratensi Præsule expostulatio. 51. In Belgio Suchius male rem gerit Lobcovicius aula Cæsaris dimovetur. 52. Suspiciones ob religionem. Favor aulæ Cæsareæ in Monasteriensem Præsulem. 53. Galli Suecos in Electorem excitant. Feuquierii in Electorem declamatio. 54. De Galli oratione judicium. 55. Suecorum in Gallos inclinatio magis elucescit. Electoris de Galli sermone judicium. Galli cum Suecis cauponatio. Hanoverani consilia. 56. Responsum ad Electoris literas differtur. 57. Sueci adhuc nutare videntur. 58. Literæ Regis Sueciæ ad Electorem. 59. Earum literarum censura. 60. Sueci adhuc hostilitatem dissimulant. 61. Brandii e Suecia discessus. 62. Sueci Electorem apud Belgas accusant. 63. Sueci de conatibus suis in Ele-

1673. *ctorem indicant. 64. Elector contra Suecos opem expoſcit Ordinum Imperii: Hiſpani: Cæſaris: Angli: & Bavari. 65. Wrangelii intentio exploratur. 66. Electori de Suecorum irruptione ſignificatur. 67. Electoris cura circa res Poloniæ. 68. Ejusdem ad Cancellarium Poloniæ miſſio. 69. Alia ad Lesſinium miſſio. 70. Polonorum de candidatis judicium. 71. Cerimonialia. 72. Sobieſcii artes circa ambiendam coronam. 73. Candidatorum ambitus. 74. Sobieſcius artes ſuas continuat. 75. Hoverbequii mandata. 76. Cum Neoburgico ſuper rebus Polonicis acta. 77. Cum Lotharingo ſuper eodem negotio acta. 78. Confuſa interregni facies. 79. Sobieſcius Warſaviam venit. 80. Joannes Sobieſcius Poloniæ Rex eligitur. 81. Elector Polonis auxiliares copias mittit.* 1673.

Elector paci conciliandæ ſtudet.

Elector poſtquam Voſſemenſi pacto belli fluctibus ſeſe paulisper ſubduxiſſet, medium ſe tenere, ac quantum daretur paci conciliandæ operam navare decrevit. Cujus tamen quia nondum liquida ſpes allucebat, haut conſultum videbatur exercitum imminuere, ſed eundem intra ditiones ſuas alere, ſuppletis qui nupera expeditione deceſſerant numeris; quod inermi armatos inter agenti nil autoritatis ac parum tuti ſit. Interim quem ſucceſſum tractatus pacis, qui Coloniæ Agrippinæ ſequeſtribus Suecis inſtituti fuerant, pollicerentur, ſpeculari placebat. Ad eos Elector Ottonem Suerinum juniorem ablegati extraordinarii dignatione miſerat. Cui ſuper cerimoniis injunctum, ut legatis primi gradus, ſive ante ipſum ſive poſt acceſſerint, primæ viſitationis honorem exhiberet, in ipſorum arbitrium collato, quem ſibi honorem reponere velint, modo non inferior ſit, quam quo alii Regii aut Electorales ablegati excipiantur; ſimul teſtaretur, quicquid honoris ſibi hac dignatione prædito exhiberetur, ab Electoris legatis alibi ipſorum Principum miniſtris etiam inferiore charactere redditum iri. Quod ſi Belgæ a ſe miſſis tantum Ablegatorum aut Deputatorum extraordinariorum gradum impoſuerint, caute ageret, ne Electoris faſtigio præjudicii quid fieret, ac primam ſalutationem, ſi ante ipſum advenerint expectaret, ac ſi cum iis tertio in loco congrediatur, digniorem ſibi locum utique vindicaret. Aſt ſi legatorum charactere venerint, potiorem locum in ipſorum ædibus ſibi depoſceret, quod Electoris legati Belgarum ablegatos eo ritu excipere ſoleant. Cæterum de ſtudio Electoris in pacem ubique teſtaretur, ejusque emolumenta in univerſum tum omnibus, tum præcipue Suecis velut ſequeſtribus commendaret. Ubi occaſio præbeatur, Electoris cum Gallo tranſactionem alliis adprobare ſtuderet. Belgis confirmaret, etſi Elector ab ipſis deſtitutus ad peculiare pactum compulſus fuerit, affectum tamen in eorum Remp. haut exuiſſe, ac in eorundem ſalutem omni ſtudio connixurum; ac ab iis gemina ſibi polliceri. Quia tamen haut placeat quod reſtat ſubſidiorum pro derelicto habere, aut irreparabile damnum, quod detentis Cliviæ oppidis contra pacta tam ſupine proſpexerint, citra reparationem tolerare, & quod alias controverſiarum inter ipſum & Rempublicam pendeat diutius indeciſum relinquere; Electorem ut ſuper iſtis ſibi ſatisfiat quæſiturum. Hiſce ubi contradicant, ſuper eo negotio apud Gallos & Suecos diligenter ageret. Nam ſpem eſſe Gallos heic ſibi fauturos, prout Voſſemenſi pacto promiſſum. Suecis autem demonſtraret, cum Elector ipſorum conſilium ſecutus ſit, par eſſe, ut iidem circa iſta ei velificentur. Porro paci ſuadendæ quicquid ad rem faciat rationum adhiberet, ut tamen Suecis nil æmulationis excitaret, velut ſequeſtrem ſe cum his ingeſturus; eoque cum ipſis omnia communicaret, quæ circa hoc negotium cum aliis egerit; ac ab iisdem ſuggeri ſibi peteret, quid data occaſione, ut cum uno & altero ipſe loquatur, velint. Si Colonienſis & Monaſterienſis duras nimium conditiones Belgas poſcant, modeſte iſtos moneret, ne ob privata ſua commoda pacem remorentur; atque eam rem ita ageret, ut Belgis de iſta opera innoteſcat. Ubi ſuper ſacris quid moveatur, apud Suecos aliosque inſiſteret, ne quid in eorum fraudem ſtatuatur. Alias ſermonibus ſuis in neutram partem inclinationis quid oſtenderet, ac ubique teſtaretur, Electori nil magis in votis eſſe, quam honeſtam ac promptam pacem. Curaret quoque ut nuper cum Gallo conventa paci inſerantur; ne cujusquam actio agnoſcatur nomine damni nupera expeditione ab Electoris exercitu dati; ut Elector futuræ paci includatur, ejusque ſponſione non minus quam primarum partium contrahentes fruatur. Tum ut de reddenda Veſalia & Reeſa tractatu caveatur; id quod oblique per Cæſareos agendum, ne Galli ſuſpicentur promiſſo regio parum fidi. Denique operam daret, ut hoc tractatu ſupremi imperii jus, quod Belgæ in Raveſteinam obtendunt, ſimul Bulla Aurea Brabantina aboleatur, vicinis moleſtiſſima. Ea Bulla privilegium continet, ab Imperatore Carolo IV. primum Joanni Duci Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi datum; *Ne quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes aut alius ſubditum aut vaſallum horum Ducatuum poſſit in rebus vel perſonis arreſtare, in jus trahere, vel ratione debiti aut contractus detinere, niſi prius probatum, Ducem juſtitiam denegaſſe.*

Miſſio ad tractatus Colonienſes.
13. Maji.
Ablegati mandata.

Cum Neoburgico acta.
4. Jun.

§. 2. In itinere Suerinus Ducem Neoburgicum, prout juſſus erat, adibat. Is memorabat; Galliæ Regi admodum gratum fuiſſe, pactum Voſſemenſe ab Electore per ratihabitionem firmatum; ac iſti ſpem eſſe arctioris cum hoc conjunctionis: in quam ſi Elector pronus ſit, circa reliqua, quæ deſideret, nil difficultatis fore, quin Gallum ampliora præſtiturum. Alias hunc pacem cupere, ni Cæſarei exercitus

iter

1673. iter eam impediat; cui ut obviam tendat Turennio sit injunctum. Huic itineri sistendo se ad Gallum literas dedisse, ad quas sat æquum responsum sit repositum; quod ipse ad Cæsarem transmiserit, adjectis præcibus, ut turbas inde surrecturas avertere placeat. Iis ubi nil proficiatur, sibi consultum videri, aliquot Electores & Principes foedere jungi prohibendis ejus exercitus itineribus; prout jam a Bavaro & Wurtenbergico Duce factum. Is quoque suadebat, ut Elector ob damna hoc bello tolerata Geldriam petat, quam ipsi inter se dividere velint; quod Gallus ægre ad eam provinciamBelgis restituendam sit descensurus; quam tamen Anglus Gallo adcrescere nolit.

In conventu Coloniensi acta. Ceremonialia. Duc de Chaunes. §. 3. Ad conventum porro pacis omnes legati urbem silentio ac citra pompam ingressi sunt, quod Galli ferre nollent, in Cæsareorum honorem plures, quam ipsorum, machinas displodi; & Belgæ pari cum regiis honore excipi vellent. Primi omnium accesserant Galli, Dux Chaunius, Curtinus, & Barillonus, ac reliquos post venientes etiam Belgas primi salutaverant. Suerinus primo loco Suecos velut sequestres visebat, Glaudium Tottium, Petrum Sparrium Laurentii F. & Eduardum Ehrensteinium; qui ad summas scalas eum excipiebant, & ante ipsum conclave ingrediebantur, inde sub uranisco loco digniore considentes, sella tamen cum brachiis præbita. Eodem modo & Galli eum excipiebant. Utrique prolixe amica omnia offerebant. Sed Angli superiorem ei locum apud se deferebant. Belgæ quoque ad januam ædium excepto citra controversiam digniorem locum assignabant. *Pacis negotium difficile adparet. 17. Jun.* Sueci cum salutandi vices reponerent, disserebant: *Pacis negotium sibi admodum difficile videri ob repugnantes partium rationes & respectus, & quia omnes a solis Belgis sibi satisfieri velint. Gallos & Anglos quidem nondum sibi cupita exposuisse; sed eos videri e prioribus postulatis parum remissuros, ob magnas impensas interim in bellum factas. Negotium facilius fuisse successurum, si Belgæ præterita hieme inducias admisissent, quas pro re nata prorogare Gallus in sequestrium arbitrium contulerit. Sed adulto jam vere postquam socii Reges tantos armorum paratus fecissent, Gallum inhiberi non potuisse, quo minus cum exercitu longius progrederetur. Belgis maritimam victoriam non nisi alendæ pertinaciæ inservire, nec minus Reges obfirmare ad duras istis conditiones extorquendas, quos ægre ferant utrique classi pares fuisse. Unde metuendum esse, ne Reges ad destruendam Remp. summa vi connitantur: id quod non adeo arduum videatur, si unum adhuc idoneum in Hollandia locum occupare possint. Id quod tamen plane præter vota Succiæ sit: ac sperare, Imperium quoque idem haut concessurum.* Angli disserebant: post complures inter se & Belgas abruptos tractatus nunc sibi providendum, ne hi deinceps ipsis insultare queant. Nec se Gallo sponsore contentos fore, sed id acturos, ut cautionem ipsi manu teneant. *8. Jun.* Emanuel Lira Hispanus Suerino invisenti ubique digniore loco cedebat. Is ideo ablegati duntaxat personam assumsisse videbatur, ut prætextum foret negotiationem declinandi, *1673.* quoad Cæsarei advenissent; quod a legatis, quos aditurus erat, priorem sibi locum tribui postulabat; id quod hi sine dubio recusaturi erant. Is disserebat: a se improbari non posse, quod Electori ditiones suas servare maxima cura fuerit. In eo autem magnopere a Belgis peccatum, quod isti tam certam spem fecerint, Hispanos Gallo bellum indicturos; cum sibi, Hispanico Hagæ legato, de eo negotio nunquam proposuerint.

§. 4. In hoc congressu prima difficultas *Circa propositionem difficultates.* erat, a quo initium proponendi super conditionibus pacis fieri debeat. Nam quia Belgæ nil offerre, sed Regum postulata tantum audire volebant, Sveci Reges ad expromenda sua desideria permovere studebant. Gallus contra æquum judicabat; a Belgis declarari, quid in vicem occupatorum a se locorum dare velint. Sane jactabat Chaunius Dux: Regem *1. Jul.* Galliæ postulaturum, ut omnia quæ ceperit retineat. Id si Belgis non placeat, significandum, quo redhostimento ista redimere velint. Et quanquam Anglus nil locorum in Belgio ceperit, Gallum tamen ab eo sese haut disjuncturum, quoad & ipsi satisfactum sit. Inter quæ Tottius ad Galliæ Regem obsidioni Trajecti ad Mosam vacantem profectus erat induciis conficiendis; in quas Rex consentire noluerat, quod anno præterito eas a Regibus probatas Belgæ rejecissent: tum prius Cæsari declarandum, num Belgis adsistere velit, an minus. Idem tamen spem faciebat, se propositis antea pacis legibus cessurum, ac modico contentum fore. Congressu legatorum habito Succi volebant, ut Galli postulata sua exponerent. Id quod hi abnuebant,quia Belgæ prius proposita ne responso quidem dignati fuerant. Igitur par esse hosce nunc indicare, quo modo Regi satisfacere velint. Belgæ contra: bello se obrutos nulla præbita causa; nec quopiam locorum sibi ereptorum carere posse. Auditurus tamen quid Galli postulaturi sint, ac quantum res ferat facturos. Scilicet animus hisce accesserat maritima victoria, Cæsarei exercitus motu, ac spe belli ab Hispanis in Gallos sumendi,& quia Eboracensis Dux præfectura classis sese abdicaverat, palam Romanos ritus professus. Igitur partibus tergiversantibus sequestresBelgis formulam tradebant conditiones pacis complexam;qua acceptaBeverningius &Harenus legati Belgici Hagam abibant. Galli ostendebant, se Geldriam & Bommelam remissuros, contra quæ inter Mosam & Scaldim jacent habituri.Angli jam duobus se portubus contentos ferebant, cum antea quinque voluissent. Cum de moderando Coloniensis postulato ageretur,Franciscus Furstenbergius fremebat; Gallos & Suecos inter se colludere, ut pauxillo quopiam ipsi satisfiat. Sed se fœderi inhærere, ac satius habituros nihil accipere, ut gloriari possint, se a Gallo deceptos fuisse. (ea verba erant.) Reversi Belgarum legati declarabant, Gallis *12. Aug.* datum iri Trajectum ad Mosam, Hulstam, & Comitatum Zutphaniæ, excepto tamen oppido cognomine, & Doesburgo, ac ducen-

1673. ducentis perticis secundum Isalam, quæ Belgæ sibi retinere velint. Ut tamen Galli ista loca in Hispanos permutatione, aut alio contractu transferant. Quæ Galli tanquam longe inferiora aspernabantur. Circa Cliviæ oppida Belgæ declarabant; ferre se posse, ut Gallus ista Electori tradat; sed in hunc actionem eo nomine salvam sibi fore. Galli quoque audito munutionem Schenckianum in Clivico solo sitam, ad eam Electori restituendam pronos se ferebant. Porro Sueci Gallis persuadere laborabant, ut a Belgis oblata acceptarent, ostentato Cæsaris exercitu, & ab Hispanis bello; Gallis jactantibus, se utrisque pares esse, nec Belgas ab hisce le-
19 Aug. vamenti quid sensuros. Contra Belgæ non minore ferocia minari, ni intra octiduum conditiones, quæ honeste admitti queant, se domum discessuros. Nec segnius adversa pars discessum minabatur, ni Sueci tumentes animos mitigassent. Angli dehinc de portubus Belgicis remittere, ac præcipue impletionem pacis Bredanæ, ac summam pecuniæ poscebant. Galli quoque ac socii postulata se sua temperaturos ostendebant. Sed cum Belgæ extrema postulatorum utique cognoscere vellent, fœderati hæc edebant, sed ut istis quatriduum præfigerent, intra quod ea acceptanda aut plane rejicienda sint. Nam Anglo ob Parlamentum mox convocandum festinatione opus erat, ut huic vel pacem ratihabendam, vel de pecunia bello continuando proponere posset. Erant autem isthæc extrema Galli postulata: Trajectum ad Mosam, Breda, Buscum Ducis, Crevecœra, castellum D. Andreæ, Comitatus Meursæ Coloniensi dandus, pars Geldriæ intra Mosam & Vahalim sita; tum ut Brandenburgico & Neoburgico satisfiat. Angli impletionem pacis Bredanæ, ac summam pecuniæ sumtibus belli reparandis, tum pro captura halecum annuam pensionem. Nam circa submittenda summa vela parum controversiæ restabat. Præsules Transilianam & quædam Frisiæ loca, simul summam pecuniæ captabant. Ast Belgæ Præsulibus omnia abnuere; de Breda & Busco Ducis ne audire quidem velle. Ita cum neutra pars quidquam remitteret, tractatus vado adhærebant. Nam Galli, in deterius licet ruentibus ipsorum rebus, indignum ducebant spiritus suos minuisse videri. Ac Belgis animos addebat Nardena vi expugnata, ac Cæsareus exercitus illuso in Franconia Turennio versus Inferiorem Germaniam descendens. Unde Gallis necessitas nascitura erat dispersum per tot oppidorum præsidia militem contrahendi, & pleraque occupata ultro deserendi. Ac jam Lisola legatus Cæsareus palam differebat: a Gallo acta merito Cæsari ac Imperio suspecta esse debere, nec diutius dissimulari posse Germaniam extero milite inundari, aut Belgas opprimi. Qui & Suecis ad promovendam pacem hortantibus responderat; pacem non Coloniæ, sed & ante portas Lutetiæ quærendam. Ac interim nuntius de capta a Gallis Augusta Trevirorum majus isti prætextum dabat in hos declamandi. Etsi Galli excusabant; sibi constitisse, eam urbem milite Hispanico & Belgico insidendum; eoque hunc præveniendum fuisse. Regem tamen eam urbem alicui Germanorum Principum in sequestrum daturum, ut demonstret, se nihil eorum cupere, quæ Imperii sint. 1673.

§. 5. Cum itaque Sueci juxta ac Galli animum Cæsaris [illegible]ci aversum arguerent, ac Electorem, ut hunc ad servandam Germaniæ quietem hortaretur urgerent, is ne quid in se desiderari pateretur, Marenholzium Ratispona Viennam proficisci jubet. Ei mandatum, ut Cæsari exponeret; Electorem quidem sua consilia & actiones semper ad tuendam Germaniæ pacem direxisse, quæ & Cæsaris mens sit, & cui fini isthæc expeditio sit suscepta. Haut eo secius complures Imperii Principes juxta exterosque sibi persuasisse, isto exercitus motu pacis negotiationem longiuscule progressam turbari, ac magnam belli partem in Germaniam pertrahi multorum cum Ordinum oppressione. Atqui Gallum, Suecosque & alios confirmasse, statim atque Cæsar exercitui suo injunxerit iter retro vertere, aut non ulterius progredi, Gallum quoque protinus suas copias solo Imperii deducturum, initis communibus induciis, tum æquam cum Belgis pacem facturum. Quam in rem is Suecis fidem dedisse feratur. Unde Electorem sui officii duxisse, ista Cæsari probe expendenda commendare, ut consilia Germaniæ salutaria capessantur. Equidem Cæsari in proclivi esse demonstrare, hanc expeditionem a se suscipi, subigente officio, suffragante capitulatione, Instrumento Pacis; omnique divino ac humano jure. Nec ferendum, extraneas copias media in Germania consistere, quæ fidos Imperii Electores atque Ordines hostili modo opprimant. Omni quoque laude dignum esse Cæsaris studium circa asserendam patriæ quietem. Magis tamen plausibilem gloriæ materiam esse, ubi id ipsum sine molestia, sine periculo, ac sanguine obtinere queat. Igitur rogari ab Electore Cæsarem, ut exercitum quo loco jam sit consistere jubeat, ac negotio pacis promovendo incumbat, prout id vota orbis Christiani quiete sua excussi, ac imminens a Turca periculum requirat. Electorem paratum una cum aliis, ac præcipue Suecis spondere, Gallum copias suas ex Imperio abducturum, nulli Ordinum amplius molestiam illaturum, ac initis induciis cum Belgis æquam pacem initurum. Nec id peti, ut Cæsar copias suas plane intra proprias ditiones retrahat, sed ut iter eas sistere jubeat ea lege, ut Gallus declaratione ipsius cognita promissa sua repræsentet. His irritis Cæsari omnia integra manere; ac tunc majore cum adplausu destinata persecuturum; ac ubi res secus cadat, neminem Ordinum, ac inprimis Suecos non habituros, quod arguant. Sin autem, uti Elector non dubitet, a Gallo re ipsa præstentur, maximæ gloriæ cessurum Cæsari, dexteritate consiliorum tam pium, ac salutare Christiano orbi, tamque necessarium negotium citra sanguinem fuisse obtentum. Isthæc mandata cum Wangelino & Verjo, hoc Galli.

Electoris ad Cæsarem missio.
27. Aug.

1673. Galli, illo Sueci ministro communicabantur. Marenholzio a Cæsare Græcii, ubi hic tunc agebat paucis verbis responsum: Per Gallorum violentiam aliter se facere non potuisse. Rem tamen penitius consideraturum, quo fine dicta scripto exhiberi velle. Cæsarei ministri disserebant; *Galli pollicitis fidem deesse; & cum aliquot ante menses Cæsaris ac Electoris exercitus retro cederent, Gallos diversa quantumvis sæpe testatos, in meditullium Germaniæ penetrasse.* Mox Cæsar ita scripto respondit: *Electorem recte agnoscere, sibi hucusque pacem Germaniæ cordi fuisse, & consilium copias versus Rhenum mittendi ex officio, ac legibus publicis arreptum. Ac esse hujus animi Electorem testem, qui ante annum secum arma sociarit non ob privatum emolumentum, aut ut ditionum quid adquirat, velut qui sorte divinitus assignata contentus sit; sed ut pax Monasteriensis, Aquisgranensis, & Clivica sarta tecta præstetur, utque patriæ quies servetur, paci adversa inhibeantur, externus miles Germania dimoveatur, ablata dominis restituantur, læsisque satisfiat. Eam sibi mentem adhuc perstitere: simul paci promovendæ Coloniam legatorum congressibus acceptasse, propositis quoque communibus induciis, quas a Gallo & sociis acceptatum iri spes fuerit, velut qui declararit; quamprimum Cæsar & Elector copias suas intra proprias ditiones retraxerint, ipsum quoque ostendando in pacem studio militem Gallicum e Germania revocaturum. Enimvero quomodo Gallus hanc declarationem impleverit, rem ipsam ostendere. Nam regressis licet intra ditiones hæreditarias Cæsareis copiis, Gallum propositas inducias repudiasse, longius in Germaniam penetrasse, multos Ordinum plane proruisse; Fridbergam, Aschaffenburgum & Selingstadium vi occupasse; decem civitates Imperiales in Alsatia pendente arbitrio crudeliter habuisse; Trevirensem, cui nullum cum Belgis fœdus fuerit, hostili modo invasisse, tantum quia a Cæsare ac Imperio se dissociare noluerit. Ac primo quidem per Gravellium Ratisponæ excusasse, ista præter jussum suum facta; mox ipsam Trevirorum urbem vi expugnatam. Atque isthæc pleraque patrata, antequam Cæsareæ legiones in Imperium moverent. Nec adhuc finem hostilium fieri, officiumque Imperii Moguntino, Bavaro ac Celsissi delatum eo modo, qui in SCto designatus est, haut admissum. Unde sibi ex munere quod gerat necessitatem impositam oppressis auxilia mittendi, ac Germaniam ab exitio vindicandi, simul propriæ securitati prospiciendi. Quam ultro pro-diturus sit, si ipse, postquam Gallis nulla fides, nec aliunde idonea cautio, inconsultis & haut consentientibus fœderatis exercitum retro vocet, aut in loco sistat, ubi jam agit, eorum Ordinum terras plane exesurum. Præsertim cum Gallus erga Suecos id duntaxat declararit; ni ipse e Bohemia quoque copias in interiora ducat, se copias suas non plane extra Imperium, sed tantum trans Rhenum reducturum, velut eum fluvium Imperii limitem facturus; nulla insuper mentione facta de reddendis locis ad Imperium pertinentibus, aut de reparatione tantorum damnorum innoxiis illatorum. Unde Galli postulata non alio spectare, quam infestis suis in Germaniam destinatis promovendis, ac fœderatis divellendis; ac ut Cæsari non amplius integrum sit cum quopiam fœdus ferire tutandæ propriæ ditioni, ac universæ Germaniæ. Atqui intolerandum esse, a Gallo legem dici Cæsari, quæ huic in Imperio, divinitus per legitimam electionem collato, circa ejus defensionem facienda aut omittenda sint. Nec ideo tamen a pace abhorrere, quam deinceps quoque promoturus sit. Super induciis quoque cum fœderatis consultaturum, ac Electori ulterius super sententia sua significaturum.* Addebantur hortatus ad Electorem, ut digna primario Germaniæ Principe consilia capessat. Communicabatur quoque Galli responsum Baroni Rollingero datum super interpositione Imperii nomine oblata. Hoc officium sibi gratum fore duntaxat circa controversias cum Cæsare, Imperio, & quibusdam ejus membris ab anno septuagesimo secundo enatis. Sed existimationem suam non pati, ut a designatis per Imperium officio obeundo Principibus Belgicum quoque negotium tangatur, quod Cæsar Belgis fœdere innexus sit. Eoque hosce tractatus alio loco suscipiendos; quo fine a se Moguntiam, Francofurtum ad Mœnum, & Argentoratum proponi. Sed quamprimum controversiæ cum Cæsare, & Imperio compositæ, ac Imperio quies parta fuerit, se libenter officium Imperii componendo bello Belgico admissurum. Prius tamen sententiam Cæsaris cognoscendam; quod sibi decretum sit non non ulterius circa negotium pacis procedere, quam jam fecerit. Nam dum nimis pronum se in pacem ostenderit, aliis credendi ansam præbitam, velut a se pax per metum desideretur. Ast si Cæsar suas & quorundam Ordinum rationes haut separare velit, sed eas velut accessorium, & e Belgicis turbis promanans negotium utique conjunctim cum Belgica pace tractare pertendat, se non nisi Suecos sequestres admittere posse. *Rollingero.* 1673.

§. 6. Isthæc Cæsaris constantia Suecorum consilia non parum turbabat. His enim ab initio, cum fœderi se Gallico innecterent, spes fuerat, vim Gallorum a Belgis pari vigore exceptum iri, atque eos mutua collisione vires egregie attrituros. Interim se per otium conciliandæ paci operaturos, & pecunia Gallica gratis fruituros, nulla vicissim opera præstita. Sed cum Belgæ primo impetu a Gallis tantum non pessumdatos conspicerent, trepidi circa pacem conciliandam satagebant, ac Gallo in præmium belli egregia quædam oppida concedi par censebant. Tum ne Germania eo bello implicaretur, horrebant, quod eo casu sibi pro Gallo ex fœdere arma stringenda forent quibus cum vigore gerendis domi vires sibi deesse norant. Unde & apud Cæsarem, ne ei se bello misceret, sedulo instabant; & Electorem in partes digressum inde retrahere laborabant, eoque obtento non parum gaudebant. Nam nec Cæsarem solum sine Ordinum consensu & auxilio quid suscepturum judicabant; ac ni Brandenburgicus alios suo exemplo accenderet, reliquos Ordines ægre se commoturos. Sed cum circa Cæsarem eos sua *Sueci super tertiis partibus formandis agitant.*

spes

1673. spes fefellisset, id agebant, ut Electorem saltem a conjunctione cum Cæsare retraherent, eumque ad partes & consilia sua pellicerent; cujus autoritatem sine dubio alii quoque Principes secuturi sint. Unde Cæsari necessitatem allatum iri arma ponendi; aut si ea pertinaciter retinere velit, bellum ejus ditionibus infundi posse lucrosum juxta, tutumque complurium Germaniæ Principum societate succinctis. Igitur cum legatis Suecicis Coloniæ spes pacis minueretur, proponere cœperunt, ut præcipui Ordinum ad exemplum Electoris legatos suos eodem mittant, Moguntinus, Saxo, Neoburgicus, Brunsuicenses, Hassi; ac societate inter se inita prohibeant, ne Germania bello implicetur, ac tertiis formatis partibus Belgas juxta ac Cæsarem ad pacem amplectendam compellerent. Galli quoque disserebant; Electorem propriis commodis, ac Germaniæ quieti plurimum consulere posse, si tantum simulet, se Galliæ arctius innexum; ac confirmabant, a se exitium Reip. Belgicæ haut quæri. Atque istis destinatis Neoburgicus quoque succinebat. Id negotium, cum altioris indaginis esset, Elector matura consulatione discutiebat. Ubi tres præcipue scrupuli occurrebant: hac via utique in bellum rui, quod declinare studeant: tum Suecos directionem harum partium sibi arrogaturos; denique hoc modo arma propriis sumtibus habenda, nullis alicunde subsidiis, quæ Suecis per Gallos liberaliter suppeditanda sint. Ac universi consiliarii uno ore isthoc institutum improbant. Nam hac ratione rem utique ad bellum deduci, & quidem uti manifestum sit contra Cæsarem in causa, ubi Germania ab exteris vi armata invadatur, Cæsar autem testetur, se nil nisi munus impositum legitime impletum ire. Id remedium quoque sistendo bello jam sero adhiberi. Nam si Cæsar instituto suo depellendus sit, fœderatorum copias jam in promtu esse oportere. Contra si Gallus bona fide Germania excedat, aut eo nomine idonee caveat, Cæsarem facile arma positurum videri, ut tam invidioso remedio opus haut sit. Sed & superfluum fore ejusmodi societatem iniri Belgis ad pacem compellendis, quod ubi Gallus relicta Germania cum istis solis rem habere cœperit, pax facile successura videatur. Ast si Gallus uti hactenus grassari, pergat, nullo colore ab Ordinibus arma Cæsari dissuaderi, multo minus opposita vi retundi posse. Porro si Sueci moderamen hujus negotii, quod sine dubio affectant, obtineant, novas ditiones eos in Germania aucupaturos; ac forte libidinem subituram ad Oceani litus fines proferendi, ut jam Baltici maris oram insederunt. Quod quam commodum vicinis futurum sit, ex iis colligi posse, quæ Elector in Pomerania toleraverit. Forte & Suecos possessionem urbium Clivicarum affectaturos, quas Gallus in tertii manus se depositurum obtulerit. Ejusmodi quoque conjunctionem, quæ reipsa contra Cæsarem tendat, Galli destinatis velificaturam, ac magis bello in Germania alendo, quam paci Belgicæ promovendæ facturam.

Electoris de his judicium. *27. Aug.*

Denique & privatas rationes esse, ob quas Electori cum Belgis haut ita duriter agendum sit. Igitur hanc confœderationem declinandam, & hinc pactis cum Gallo standum, inde adversus obligationem patriæ debitam nil admittendum. Enimvero cum antea Galli juxta ac Sueci tertias istas partes solicite ingessissent velut commodissimum remedium bello finiendo, quibus digerendis Wilhelmus Furstenbergius, & nomine Neoburgici Winckelhusius iter in Galliam adparabant; mox ea profectio omissa fuit, quod tale fœdus Gallo parum gratum foret, de quo & legati Gallici Coloniæ solenniter declarabant. Inprimis displicebat Suecos id fœdus ingredi, quod ad auxilia Galliæ ferenda tenerentur, si Cæsar hujus se hostem ferret. Haut eo minus Tottius eas tertias partes a se optari testabatur. Nam Suecos quidem Gallicum fœdus accurate servaturos: sed ab his quasdam conditiones reservatas, quibus necessitate exigente ad pacem Germaniæ servandam uti queant. Id tantum optabat, ut omnes in amplectendas eas partes consentiant; quo facto dubium non esse, quin sola armorum ostentatione pax promoveri queat. Unde & gratum sibi ferebat ab Electore militem non exautorari, quod istos, quibus adhuc omnia integra sint, præcipuum paci momentum allaturos adpareat. Sueci quoque Electoris Palatini sententiam super istis partibus exploraverant, qui ab iis sese haut alienum ostenderat. 1673. *10. Oct.*

§. 7. Inter quæ Coloniæ ad pacem nil proficiebatur. Nam quia Sueci ferebant, enixo nimium suo circa pacem studio eam magis retardatam, Belgisque pertinaciam accessisse, paulo lentius sibi agendum, ac Cæsareæ expeditionis successum speculandum. Quia tamen fama erat, Belgas repentino discessu tractatus abrumpere velle, circa quod & Hispani valde laborabant; Sueci id enixe dissuadebant, quod hoc modo toti orbi ostensuri sint, se bellum paci præferre. Ad quæ Belgæ: Optari utique a se stabilem ac æquam pacem; sed suam heic præsentiam nulli usui esse, ni adversa pars duris conditionibus desistat. Ostendebant quoque Belgis Sueci, quantis malis Germania in ipsorum gratiam obruatur, præsertim per fœdus cum Cæsare, quo tota belli moles in istam devolvatur, nullo ipsorum levamento, quin ut per id plus præjudicii quam forte credi possit iisdem concilietur. Nam si penes Gallum victoria sit, ei tantum ferociæ accessurum, ut huic compescendæ nemo par deinceps sit futurus: & tunc Belgii juxta & Germaniæ libertatem conclamatam fore. Victore Cæsare Gallum quidem non plane subvertendum. Hoc tamen penitus intra fines suos compulso Cæsaris potentiam Ordinibus prægravem futuram, ac forte Belgas tunc iterum antiqui domini jugum subituros. Enimvero ista sero canebantur, postquam hi jam Cæsari ac Hispano sese innexuissent; ac post ratihabita cum his & Lotharingiæ Duce fœdera belli magis, quam pacis cura erat; ac jam postulabant, ut Cæsar quoque huic tractatui includeretur. Contra Galli nunquam testati fuerant, præsentiam Cæsa- *Tractatus Colonienses hærent.*

Cæsareorum & Hispanicorum legatorum sibi ingratam esse; ut tamen nollent omnes controversias Coloniæ componi; sed sæpius confirmarent, Regem conventu alibi indicto Principibus extra partium studia positis cognitionem delaturum, num ipse adversus pacem Westphalicam quid admiserit. Circa pacem Belgicam eo descendebant, ut Ariam, D. Audomari Fanum, Cameracum, Ipras, & duas exiguas præfecturas sibi deposcerent, pro quibus Belgæ Hispanis satisfacere debeant; quæ sane conditiones sine suo insigni damno a Belgis acceptari possint. Disserebant quoque exiguam pacis spem superesse, ni quidam extra partes positi Principes societate inita non minus Gallo denuntient, se Belgii oppressionem haut toleraturos, quam Cæsari, turbis in Germania excitatis sibi haut consuli. Nam Regi suo haut sufficere, a Cæsare declarari, Gallicis copiis toto Imperio excedentibus suas non longius progressuras. Nam ita Cæsari integrum fore cum exercitu suo ad Mœnum, in alieno utique consistere: Gallo contra omnia opportuna loca deserenda, ac post abruptas forte inducias bellum intra proprios fines expectandum. Ast Elector Gallis per Sverinum demonstrari jubebat, ut tot Ordines ita duriter habere omitterent; de quo tam atroces querimoniæ moveantur. Nam ea grassatione durante Cæsari cum ratione suaderi non posse, ut otiosus Germaniæ vastationem spectet. Eadem ut Sueci quoque Gallis ingererent, monebantur. Sed Sueci respondebant: ista se Gallis sæpe asperis verbis demonstrasse; sed præter excusationes & laxa promissa nil extundere potuisse. Galli quoque Sverino reponebant: antequam Cæsar exercitum retrahat, a se postulari non posse, ut quæsita commoda ultro exuant. Ac digressis Gallis Cæsarem haut omissurum autoritatem suam stabilire, nec ditionibus Ordinum copias deducturum. Super Gallico milite tantas querelas moveri mirum non esse. Nam præterquam quod subigente belli ratione sæpe dura quædam suscipienda sint, etiam modica delicta odio in nationem Gallicam velut enormia facinora differri. Se tamen ista ad Regem & Turennium relaturos. Alias ostendebant, Belgis pacem cordi non esse, id quod non a Rep. sed solo Arausionensi proveniat.

Alia tractatuum Coloniæ evadit facies. *10. Oct.* §. 8. Postquam igitur Hispani fœdere cum Belgis inito Gallis bellum decrevissent, alia tractatuum facies surgebat. Nam Belgæ jam suæ paci Cæsarem quoque, Hispanum, & Lotharingum includi volebant. Equidem Elector per Suerinum Belgis pacem commendabat, quod exitus belli sit incertus, & forte post immensos sumtus duriores conditiones admittendas. Sed isti respondebant: acta transacta omnia, & Arausionensem a Monteregio jam requisivisse, ut Gallis bellum indicat. A Gallo propositas pacis leges præstari non posse. Nam etsi ipsi permutationem oppidorum Hispanicorum accepterent; incertum tamen esse, num Hispani in eam consensuri sint; sed potius metuendum, ne ista tanto pretio taxent, cui a Rep. satisfieri nequeat. Insuper a Gallo postulari restitutionem bonorum Melitensium, ac leges obtrudi circa sacra observandas. Anglorum quoque postulata circa capturam halecum, ac quæ Præsules velint enormia esse. Sed & transactionem super demissione aplustrium hæsisse, quod Angli supremum ipsorum in mare dominium a se agnosci velint. Innocentes se atrocissimo bello petitos. Nunc validis se fœderibus fulciri, ac ita instructos, ut cum Gallo pedem pedi conferre possint. Igitur decrevisse amissa armis recuperare, nec turpem pacem amplius morari. Ita isti sequestribus declarabant: quia propositæ pacis leges admitti non potuerint, Reip. cum Cæsare, Hispano, ac Lotharingo fœdus fuisse feriendum; eoque & hos ad tractatus pacis admittendos, ac diploma tuti itineris pro Lotharingi legatis expediendum. Eam ob causam Elector Suerino injungebat, ne amplius Belgas super pace urgeret, ne hi suspicentur, id Galli instinctu fieri; præsertim quia res in eum jam statum devoluta erat, ut per monita parum proficeretur. Ast Galli uti Cæsaris & Hispani inclusionem non valde abnuebant, ita de Lotharingo plane adspernabantur. Unde Sueci hoc temperamentum proponebant, ut Dux per proprios legatos ne tractaret; cæterum ejus fœderatis integrum fore super ejusdem restitutione hoc conventu agere. Cum ne id quidem admitteretur, Sueci communes inducias proponebant; sed quæ neutri parti arridebant. Haut eo minus Sueci moderationem conditionum ingerebant. Belgis semper Lotharingi admissionem urgentibus. Et cum Sueci objicerent; fœdus cum eo Principe Reip. noxium, cum is nil habeat quod amittat, & Reip. etiam sumtus scribendo militi præbendos fuisse; ac videri Belgas id fœdus ultro affectasse, ne prætextum abrumpendis tractatibus deforet; Belgæ nil aliud respondebant, quam se obligationem induisse, quæ implenda sit. Inter quæ Administrator Magdeburgicus Gallis & Suecis libellum exhibuerat, quo millionem uncialium Electorem poscebat, ob hospitia, exactiones, & alia onera ei Præsulatui imposita. Sed utrique id negotium rejiciebant tanquam huc non spectans. Quæ velut altius penetrantia Elector ægerrime ferebat. Ast postquam Hispani bellum Gallo indixissent, de quo Condæus Coloniam nuntiabat, iidem Coloniensem ditionem tributis subjiciebant. Unde is *14. Oct.* Præsul Bonnæ diffisus Coloniam se recipiebat, ac Pantaleonis cœnobio inclusus agebat. Venit tunc ab Hanoverano Duce missus Wittius, *21. Oct.* qui ostendebat, Ducem ab amplectendis tertiis partibus non alienum esse, si istæ ad tuendam pacem Westphalicam, & reducendam Europæ tranquillitatem tendant. Cui instituto iterum Galli succinebant, quod suo Regi ingratum esse non possit. Sed nec Electorem rebus suis melius consulturum, quam si Sueciæ se per fœdus innectat. Ac jam magna erat expectatio, quid Conradus Mardefeldius a Rege Sueciæ Berolinum missus effecturus esset. Quia *2. Nov.* porro Belgæ tam sæpe de discessu suo minabantur, Gallus Chaunium Ducem Colonia avo-

1673. avocabat, velut conventui Ordinum Britanniæ, quæ ipsius provincia erat, interfuturum, qui tamen partem familiæ & supellectilis ibi relinquebat. Interim Cæsareus exercitus Bonnæ circumfunditur segniter munitæ, haut prævisa tanta rerum mutatione; & quia enormis subigendi Belgii fervor effecerat, ut Coloniensis propriæ defensionis parum meminisset. Argentoratensis quoque Præsul Coloniæ se parum tutum ratus Keiserswertam discedebat. Elector tamen ipse, Senatu urbano cavente, Coloniæ subsistebat, calamitatem suam celebrandis sacris solatus, & spe per Gallos omnia abunde pensatum iri. Ast Sueci circa moderandas pacis leges desuadabant, multis ad arbitros rejectis. Præsulum singulis tricena uncialium millia reparandis belli sumtibus deposcebant. Cum Cæsare omnia ad leges pacis Westphalicæ revocanda. Super decem oppidis Alsatiæ, ac Vasallis Metensibus, Tullensibus ac Verodunensibus sententia arbitrorum standum. Hispanis Aquisgranensem pacem reddendam. Circa Lotharingum Moguntini, Bavari & Cellensis officium adhibendum, a Gallo jam admissum; aut ad arbitros eundum. Ast Lisolæ ista ratio haut placebat, quæ lites non extinguebat, sed differebat; ac præstare dicebat aliquot per menses tractationem continuare, & omnia plene expedire, quam aliquid indecisum relinquere futuris turbis semen præbiturum. 11. Nov. Regii quoque & eorum socii declarabant, se in sæpius jam propositas inducias consensuros. Sed Belgæ ista omnia, nisi admisso Lotharingo, repudiabant. Nec formula pacis a Suecis designata arridebat, quod per eam quæ ab ipsis postulabantur, in præsens præstanda forent, suis desideriis in futurum rejectis. Ast rem pro illiquida spe dare sibi haut prudentis videri. Quin postquam Galli, tot oppida in Belgio occupata deserere inciperent, ne quidem Trajecto ad Mosam se carituros jactabant. Ea occasione Elector super reddenda sibi Vesalia, Reesa, & castello Schenckiano moneri jubebat. Sed Galli reponebant: Regem quidem nonnulla loca derelicturum, ut præsidiario milite alibi utatur. Sed eo rem haut redituram, ut Neomago, Gravia, & locis altius ad Rhenum sitis decedat. Si id tamen futurum sit, Regem malle ista in Electoris, quam cujusvis alterius manus pervenire. Ad quæ Elector vicissim petebat, ut Galli mature ipsum moneant, ac quid paratus bellici ibi relinquant, quo a se super immittendo præsidio disponi queat, ne forte ab alio quopiam ista loca intercipiantur. Tottio Suerini rogatu super eorundem oppidorum restitutione agenti Galli negabant de horum derelictione cogitari. Si tamen Elector plus favoris in rationes Galliæ ostendat, super iis facile conveniri posse. Alias ea loca ante pacem haut recepturum. Cum Suerinus interrogaret, quidnam Galli ab Electore desiderent; Tottius reponebat: quia Gallus pacem cupiat, Electorem ei rem gratam facturum, si ad eam promovendam incumbere velit. Quod Suerinus Electorem libenter facturum ostendebat, modo talia postulentur, quæ adversæ parti placere possint. Ad quæ Tottius: Tertias partes, quibus antea Gallus tantopere reluctatus fuerat, nunc ei non ingratas fore. Neque Suecis animum esse, ut per istas Gallus sublevetur; sed ut is tantum in ordinem redigatur, qui paci obstiterit. Idem quoque significabat, Gallum acriter institisse, ut Sueciæ Rex ex fœdere pro ipso arma expediat. Id autem plane recusatum, quod fœdus id non solum pacem Monasteriensem pro fundamento habeat; sed & eodem contineatur, ut a Gallo æquæ pacis conditiones ferantur aut admittantur: sed a Gallo in utramque conditionem peccatum. Idem & de fœdere, quod tunc inter Suecum, Bavarum, Neoburgicum & Hanoveranum agitabatur, disserebat; id in nemini favorem tendere, ac fœderatos exacte se medios gesturos. Equidem id nonnihil suspicionis excitare, qui illi ipsi, queis Gallica subsidia percepta, ei fœderi nomina dent. Sed hos probe perspexisse, si Gallo ita grassari concederetur, idemque promissis auxiliis firmaretur, rem longius quam creditum fuerat, processuram. Unde maluisse hoc remedium arripere, quam ulterioribus turbis in Imperio ansam præbere. Ac si Elector huic fœderi accedere velit, intra unum mensem pacem fore. Ast si qui credant, id fœdus in favorem Galli cudi, ac contra idem alias partes formare instituat, facile fieri posse ut isti simpliciter in Galli partes transeant. Interim cum Belgæ super admittendo Lotharingo instarent. Suecis quoque urgentibus, Galli declarabant, in futura pace peculiarem articulum concipiendum super Lotharingo restituendo. Minoris momenti capita ad arbitros posse remitti; puta, num Nanceium munitionibus sit firmandum; num Regi an Duci actio super reparando damno competat. Tum non solum Ducis fœderatis, sed & Sueco ac Anglo integrum fore præstationem pacti in se suscipere, ac junctis viribus Galliam invadere, ubi hæc promissis non steterit. Cum itaque hoc modo res ipsa obtineatur, eam esse acceptandam. Nam alias Regem judicaturum, de honore suo agi, & extrema potius tentaturum, quam ut ad tradenda diplomata coactus videatur. Enimvero Lotharingus Gallo haut fidebat, quod huic in proclivi foret apud arbitros tam dura postulare, ut restitutio sua in perpetuum eludi posset.

§. 9. Enimvero cum Belgæ pertractis i[n] societatem Cæsare atque Hispano parem ja[m] belli molem Gallo opposuissent, satius vid[e]batur cum hujus sociis separatim transiger[e,] qui & in istius gratiam pessundari, aut bello n[on] necessario contra proprias rationes atteri sto[li]dum ducebant. Unde post captam Bonna[m] cum præsulatus belli calamitatibus penitus o[b]rueretur, ac Præsul cœnobio inclusus non nisi [sa]cris faciendis vacaret, Capitulum formul[am] conceperat peculiaris inter Cæsarem ac Præ[su]lem transactionis; quam hic facile admisis[set] velut toto hoc in negotio alienæ libidini obn[o]xius, ni Wilhelmus Furstenbergius obstitis[set] spe facta, Gallum accepta damna ubertim p[en]saturum. Nec minus Belgæ ut Anglum socie

1673. te Gallica abstraherent satagebant; ac jam iste Londini apud Marchionem de Fresno Legatum Hispanicum a pace se non alienum ostenderat. Sed qui Coloniæ erant legati Anglici Suecis testabantur; Regis sui mentem non esse a Gallo se disjungere; sed eum extrema potius tentaturum, quam ut datæ fidei desit. Neque tamen se Galli pertinaciam obsirmaturos, si adpareat, eum æquas conditiones repudiare. Haut eo minus isti cum Belgis super adornandis suis conditionibus satagebant. Ac jam spes oriebatur, diu velut sopitos tractatus iterum excitandos, Gallis denuntiantibus, Ducem Chaunium a Rege jussum Coloniam reverti; cum abductus Wilhelmus Furstenbergius totam negotiationem evertit. Eum inclinato in vesperam die a Comitissa Marcana, cujus conversatione delectabatur, regredientem in loco minus frequente quadraginta milites e legione Marchionis Granæ immissi invadunt, ac cæsis aut sauciatis comitibus extra portam abreptum trajecto Rheno Tuitium, inde Siburgum, ac demum Bonnam abducunt. Decreti super eo captivando præter Cæsarem nemo nisi Hocherus, & Abela Secretarius conscius fuerat. Et Grana Marchio, cum prima vice ejus exsecutio injungeretur, eam deprecatus fuerat. Sed iteratis jussis parendum erat. Referebat Schwartzenbergius Princeps, Furstenbergium postridie Colonia se subducere constituisse. Unde colligi posse, eum sibi conscium fuisse, securitatem ipsi eo loco haut deberi. Ea res magnum inter legatos tumultum excitavit, ac Regii legati ad suum quisque Regem cursores misere sciscitatum, quid hoc casu faciendum foret. Inprimis Sueci tanquam sequestres apud legatum Cæsareum Joannem Fischerum demonstrabant; neminem magis quam Sueciæ Regem hoc facinore offensum. Nam eo connitente in hanc urbem fuisse consensum. Sua opera omnes legatos defensionem suam ultro exuisse, interdicto, ne quis famulorum arma gestaret. (cum tamen Furstenbergii pedisequi omnes tubis minoribus fuerint armati.) Se non solum cautione Senatus urbani, sed quam maxime declaratione Cæsaris Ratisponæ facta confisos. Quin imo cum Wilhelmus Furstenbergius vidisset, fratrem Franciscum metu hinc se subduxisse, tam apud se, quam Lisolam Cæsareum legatum explorasse, num ipse heic sat tuto agere queat: ab utrisque Cæsaream declarationem ostentatam. Cæterum talia in se cudi Wilhelmus dudum præsciverat; quin monitus fuerat, eo ipse die, & ab iisdem hominibus, qui id facinus patrarunt, se invadendum; neque tamen melius sibi caverat sanctimonia loci, aut comitum fortitudine fretus, aut quod talia interdiu suscepta civium concursu facile prohibenda sint. Verosimile erat, quia Wilhelmus iste peculiarem transactionem inter Cæsarem & Coloniensem impedierat, Lisola suadente ita cum eo actum. Unde & hic avertendæ suspicioni diu Leodii hæserat, ac licet dudum inde discessisset, tantisper nescio quo loco ignoratus egerat. Missus inde a Senatu Coloniensi ad duces Cæsareos Bonnam, qui Furstenbergium

Wilhelmus Furstenbergius abducitur.

14. Feb.

1674. reposceret, ac ut in ministros facinoris animadvertatur; qui jussu Cæsaris id susceptum ferebant. Igitur a sequestribus nobilis raptim Viennam missus est ad ministrum ibi Suecicum Esaiam Pufendorfium, ut exhibito scripto ejus liberationem exposceret. Nam salvum conductum in Comitiis Imperii publicatum, & ab universis Ordinibus probatum: sanctissimum juris gentium caput immani facto violatum; unde abductum protinus libertati restituendum, ac in autores & patratores pro gravitate criminis animadvertendum. Ei a Cæsare responsum: *Sibi non constare Wilhelmum Furstenbergium legati dignatione fuisse, aut procuratorium ab ullo Imperii statu, quem negotium pacis spectet, debitis locis ad notitiam publicam edidisse; cum nec locus sit procuratorio præsente Principe, nec vocabulo* familiarium *comprehendantur, nisi qui pane & victu domini alantur; minime vero illi, qui diversas a diversis functiones gerant. Nec si is maxime ejusmodi personam induere tendasset, eum admittendum fuisse: cum non deceat originis Germanicæ ac Imperii subditum, domusque Austriacæ vasallum, ac provincialem Archiducatus Austriæ tale munus contra Cæsarem suscipere.* (Etsi ejus frater Franciscus Ego in quodam scripto de isto posuerat: *ab Imperio nihil habuit, Imperio nihil debuit.*) *Nomine quoque Principum & Statuum Imperii non alios intelligi, quam qui suffragio & sessione in Comitiis gaudent. Quin nec Regum ac Principum legatis, qui revera isto munere funguntur, permissum esse in loco, ubi id exercent delinquere, & infesta in statum ejus, cui peculiariter ob originem, subjectionem, aut alio nexu sunt adstricti, machinari, aliaque in fraudem Cæsareæ autoritatis & existimationis patrare. Orbi insuper Christiano constare, quæ & quanta iste in dispendium totius Imperii admiserit, præsentis belli primarius incentor, legionis quoque Gallicæ tribunus nulla avocatorii edicti cura. Igitur juste in custodiam datum, ne ei amplius liceat exitiabilem consiliorum telam in perniciem Cæsaris ac Germaniæ pertexere. Nec Gallicis legatis querendi causam esse, cum eorum securitati nil decesserit; quibus & non paulo graviora objici queant, quod Lotharingo Cæsaris fœderato diploma tuti accessus negent, eoque obtentu tractatus extrahant. Tum Nassovium Comitem contra securitatem a Cravellio Imperii Ordinibus totiens in Comitiis promissam dura sat custodia hucusque detineant.* Eo super facto Cæsar quoque ad Electorem referebat, hortatus ut operam daret, ne ob eam causam negotiatio pacis abrumpatur. Circa quod hujus sententia erat: tanti non esse istum hominem, ut in ejus gratiam tam salutare negotium intercidat: nec ita de Germania meritum, ut a fidis patriæ Ordinibus ejus causam suscipi par sit. Nec adparere, quomodo alii hoc factum tantopere exaggerare queant; cum nec tractatibus velut plenipotentiarius interfuerit, quo præsente Coloniensi opus non fuerit; nec inter Gallicos ministros censeri possit; eoque persona publica haberi nequeat. Sed non in obscuro esse, illorum qui tantopere tumultuantur, utilitatem

19. April.

Id factum defenditur.

1674. litatem heic verti ob exitiosas machinationes, quas iste in fraudem patriæ aliquot per annos agitaverit. Igitur se libenter Cæsaris placitum secuturum, ne eam ob causam negotium pacis interrumpatur. Ast legati Suecici ad responsum Cæsaris regerebant. *Id se quidem dare, Cæsari de Furstenbergii charactere nil constitisse. Eum tamen ab omnibus ad hos tractatus missis pro legato habitum, ac cum eo ut tali actum: eundem stipendio ac sumtibus Coloniensis victitasse; nomen ministri & consiliarii intimi gessisse, ejus negotia tractasse, procuratorium exhibuisse. Ipsum Electorem nunquam congressibus interfuisse, sed omnia per istum egisse; nec ejus personæ quid unquam oppositum aut contradictum. Processum quoque ab executione cœpisse. Eum non nisi suspicionibus onerari, quæ in quemvis cadere queant. Sane promovendæ paci sedulam operam navasse. Domui Austriacæ eundem neque subditum, neque vasallum, nec jurejurando obstrictum. Nam utut parens aut frater natu major ipso pupillo existente, eoque inscio bona quædam ejusdem quoque nomine inserto in feudum acceperit; ab ipso tamen juramentum fidelitatis haut præstitum, nec quid eorum bonorum unquam possessum: quin omni expectationi bonorum in Imperio & alibi sitorum multos ante annos in gratiam fratrum majorum natu renuntiasse; sicque liberum fortunam sibi suam struxisse, sacroque se ordini addixisse. Durantibus quoque his tractatibus functionem tribuni militaris Gallici non egisse, nec legionem, quæ ab eo nomen gerit, unquam contra Cæsarem arma gessisse; qui & semper de Cæsare reverenter locutus sit. Igitur saltem citra cognitionem causæ ad extrema non fuisse procedendum: ac denuo eum libertati restitui petebant.* Super eodem

17. Febr. facto Coloniensis quoque literis ad Electorem datis querebatur, petens ut is apud Cæsarem instet, quo id factum reparetur, & in autores animadvertatur. Cui Elector respondebat: se prius inquisiturum, jussu Cæsaris an injussu id patratum sit; ac inde facturum, quod æ-

28. Febr. quitas ac Imperii salus dictitet. Galliæ quoque Rex Electori per Verjum super eodem facto significabat; circa quod, quid Cæsar declaraturus sit, expectare velit. Interim legatis suis injunxisse negotiationem suspendere. Equidem nondum credere, id jussu Cæsaris factum; inde tamen id judicaturum, num Cæsar captum in libertatem repositurus, ac de iis, qui istum abduxerunt, supplicium sit sumturus. Quod si Cæsar agnoscat factum, quo non solum fides publica & jus gentium, sed & fides, quam in toti Imperio in Comitiis dedit, violata sit; sat manifestum esse, hoc modo ansam quæsitam tractatibus abrumpendis, quod metuat, ne per pacem arma ipsi e manibus eripiantur, quæ prætexto tutandæ libertatis Germanicæ arrepta ad eandem opprimendam retinere cupiat: cujus partem jam itineribus exercituum suorum oppresserit, ac unum Electorem ditione exuerit; cujus & miles tractu Rhenano stativa nullo discrimine capessat, ac bello extrahendo viam quærat. Specimen quoque in Wilhelmo Furstenbergio editum, quid deinceps in libertatem Principum Imperii statuendum sit. Quæ tanto fervore jactari eo absurdius habebatur quod Gallus sola bellandi libidine tot hominum myriades armis nulla justa causa motis exitio dedidisset, aut fortunis evertisset, & magnam Germaniæ partem exercitu suo protrivisset. Porro Lisola, qui vulgo ejus facti architectus habebatur, ignorantiam simulabat; sed dolebat, id ante biennium non fuisse susceptum. Nec ejus restituendi spem faciebat, quod Cæsari sine dubio gravissimæ causæ fuerint, ut ad extrema hæc descenderet. Contra qui Wilhelmo favebant, id præcipue mirabantur, quod is legatus fuisse negaretur: cum tamen legationis suæ fidem apud sequestres fecisset, ac pro tali ab omnibus, præcipue Belgis agnitus fuisset, qui & diploma ei dederant, ac sæpe cum eodem egerant.

§. 10. Dum Coloniæ negotiatio pacis quiescit, interim Londini pax inter Anglos & Belgas conclusa fuit, conciliatore legato Hispanico Marchione de Fresno, quam sufflaminare Sueci frustra sategerant. Necessitatem Regi attulerat Parlamentum, quod ferre nolebat, bellum tam exitiabile contra peculiares rationes Angliæ, & publicas Europæ continuari; simul pecunias conferre abnuebat, cujus quantum opus erat non amplius a Gallo suppeditari poterat; ac inquisitionem in autores ejusmodi consiliorum struebat. Gratum quoque Regi fuerat, quod Belgæ paulo ante in Arausionensem hæreditarii Gubernatoris jus contulissent. Ea pax apud Belgas incredibile gaudium excitabat. Sed legati Gallici Coloniæ eam velut sibi haut inopinam accipiebant. Nam sibi satis de ingenio Parlamenti, & exigua Regis autoritate constitisse; eoque res suas ita disposuisse, ut & absque Angliæ auxilio destinatis suis pervincendis sufficerent. Arlingtonus legatus Anglicus post Hagæ Arausionensi dicebat; Anglos sat superfunctorie eam pacem cum Rep. ingressos. Cui Princeps adposite respondit: eosdem quoque sat superfunctorie in bellum descendisse. Mox & aliud quid accidebat, quo Galli non parum irritabantur. Voluerant istorum legati currum quadraginta octo millibus uncialium onustum Colonia Novesium mittere ad hærentes ibi Gallicas copias: sed cui pecuniæ præsidiarius miles inter portam interiorem & exteriorem manus injiciebat; Gallis magnopere indignantibus, quasi & hoc facto securitas loco tractatibus pacis debita foret violata. Nam non fuisse quod quererentur, si pecunia extra portam, ne a milite urbis præsidiario abrepta foret. Ast id ante portam non adeo tutum futurum erat aggredi, quod in conspectu staret caterva quingentorum equitum, currui præsidio futura. A Cæsarei ejusmodi actus sub sanctimonia legati debita haut comprehendi arguebant. Haut eo minus Sueci negotiationem pacis iterum suscitare cupiebant, ea lege, ut super Furstenbergi restitutione primo loco ageretur: id quod Gal abnuebant. Cæterum disserebant Sueci; postquam Cæsar cum Hispanis ac Belgis Gallo jam par sit, spem sibi esse, Ordines Imperii huic se negotio haut ingesturos, quoad adparuerit, una

1674. aut alteram partem sucubituram. Alias enim non solum reliqua Germaniæ bello implicanda, sed & bellandes accessione unius & alterius ex Ordinibus ita firmandos, ut pacis exigua spes superfutura sit. Sancte tamen testabantur, sibi non in animo esse Gallos auxilio sublevare, sed quantum fieri possit eadem cum Electore
17. Mart. consilia reducendæ paci sequi cupere. Hactenus quoque Galli Vesaliæ ac Reesæ muniendæ strenue insudaverant: sed nunc repente labor sistebatur, indicium instantis migrationis. Unde Suerinus sedulo monebat, ut ea loca Electori redderentur. Hi non amplius inficiabantur, uti hactenus fecerant, ea loca a se deserenda. Ac Regem ita se gesturum, ut Electori causa querendi non sit futura; ac si eadem utique relinquenda sint, nemini præterquam Electori tradenda. Inter eas moras Belgæ liquidam declarationem super diplomate Lotharingico poscebant. Sueci ne id ulterius negaretur, petebant. Sed Galli obtentu Furstenbergii obnixe abnuebant. Sueci tamen ulterius instabant; ea ratione captivo haut consuli. Et quia bellum utique æternum non sit futurum, satius esse quamprimum negotiationem resumi. Simul proponebant, ut Furstenbergius cum diplomate Lotharingico permutetur. Sed Galli negabant de pace audiri a se quidquam posse, nisi
7. April. restituto Furstenbergio. Demum Gallos legatos suos avocabat obtentu abducti Furstenbergii, ac detentæ pecuniæ. Id quod Sueci ægerrime ferebant; quod magno labore opus videretur ad instaurandum congressum; præsertim cum jam Pontifex, Anglus & Veneti officium conciliandæ paci offerrent, ac Gallo ab ipsis acta non plane probarentur. Laboraturi tamen erant, ut si discessus impediri non posset, tractatio alio loco resumeretur. Ante discessum Galli fœdus cum Coloniensi renovare cupiebant; qui id abnuebat, uti & hactenus transactionem cum Cæsare absolvere tergiversatus fuerat, ne plane a Furstenbergiorum consiliis antea dependisse videretur. Ita Galli Colonia discessere præter Hispanorum opinionem, quos mox Angli ac Belgæ secuti sunt. Angliæ Rex cum de pace sua per literas Cæsari significaret, pro liberando Furstenbergio intercedebat, ac sequestrem se paci conciliandæ offerebat. Mox
2. April. & Cæsarei Coloniæ cum Monasteriensi pacem perficiebant, qua is Gallico fœderi renunciabat, ac Belgis omnia erepta restituebat, etiam Borckeloa, nullo belli præmio. Postulabat Elector, ne cum Monasteriensi pax iniretur, ni & sibi ab eo satisfactum foret. Arausionensis pronum se quidem ostendebat; cæterum prius Electori ac Reip. inter se conveniendum, quomodo Præsul ad præstandam satisfactionem compellendus sit. Belgarum legati Colonia discedentes Suecis protestationem tradebant, non a se, sed a Gallis conventum abruptum. Suecis sequestribus ipse Lisola id testimonium reddebat, eos omnia, quæ penes se fuerint fecisse, ne tractatus abrumperetur.

Trevirensis a Gallis invaditur. §. 11. Dum incassum circa pacem Belgicam Coloniæ sudatur, Germaniam interim magis ac magis belli flamma corripuerat. Nam præterquam quod Turennius cum exercitu media Germania consistere pergeret, jam quoque Trevirensis post patienter toleratas tamdiu Gallorum molestias hostili plane modo tractari cœperat. Qua de re cum is apud conventum Ratisponensem moveret, Galli ægre ferre, ac infesta accumulare; apud quos offensa causam bello præbitura habebatur injurias amoliri velle. Ac jam toti præsulatui copias infundi, & tributa, annonaque imperari. Ea 18. Jul. 1673.
super re Trevirensis Electori scribebat: uti hoc bello medium se gesserit, Gallis transitus terra, ac per fluvios concesserit, per quos provinciæ suæ multum damni illatum sit nulla reparatione. Nunc aliquot legiones Gallicas irrupisse velut in hostico grassantes, ac famam esse plures secuturas, ipsa munita oppida oppugnaturas. His injuriis a se usque adeo nullam causam præbitam, ut de hactenus illatis ne querelam quidem moverit. Nec id suspectum Gallo esse debere, quod cum Præsulatui facultas non sit militem tutandis munitionibus conducendi, ipse ei fini manum a Cæsare tanquam Imperii capite acceptam suo sacramento adigerit, neminis in offensam. Igitur nil sibi restare, quam ut Imperii opem imploret, simul Electorem roget, officium apud Gallum interponat, quo hostilibus adversus se supersedeatur. Tum auxilia e fœdere Brunsuicensi postulabat. Elector etsi Trevirensis calamitate indolesceret; tamen prius sibi expectandum ducebat, quid a toto Imperio decernendum esset, quod ante annum ob properata a se auxilia tantum clamoris ubique sublatum fuerat. Igitur respondebat: Se legatos suos Brunsuigæ super hoc negotio instruxisse: tum ad Regem Galliæ diligenter scripsisse, ac Neoburgicum ut idem faciat rogasse. Verjum quoque cum ejus rei iniquitas demonstraretur, reposuisse: Regem Trevirensis querimoniis facile medicinam facturum, si is nihil suscipiat amicitiæ adversum. Eundem post dixisse: Regem omnia loca per Trevirensem provinciam occupata redditurum, si Elector spondeat, Trevirensem nil adversi contra Galliam suscepturum. Qua sponsione se innectere uti Electori haut tutum videbatur; ita is legatis suis Ratisponæ injungebat, ut Trevirensis petita fulcierent; pollicitus, se quod ab universis Ordinibus concludendum sit, secuturum. Gallo interim testabatur, se exacte leges pacis Westphalicæ observaturum, ac sperare ipsum idem facturum, quod tam sæpe asseveraverit. Ast Galli interim atrocius grassari haut omiserant, expugnata demum Augusta Trevirorum, simul novem vicis una die inflammatis. Color dicebatur; auditum sibi Hispanum militem urbi immittendum; qui a se præveniendus fuerit; quod hæc transmittendo aut arcendo bello admodum opportuna sit. Atque ea ratio hostium conatus prævertendi tunc Gallis sufficere videbatur, ut amicorum provincias exercitu suo attererent, ac in mediam Germaniam, quicum nil hostile sibi intercedere agnoscebant, se se penetrarent. Cravellius Ratisponæ jactabat, sibi prohibendum fuisse, ne Cæsar

1673. Cæsar in Alsatiam tendat, ac ut Bavaro subvenire possint, si hic forte a Cæsare invadatur. Idem a Moguntino postulabat, ut una cum Bavaro Egram profectus Cæsarem inhiberet, ne hujus exercitus extra Bohemiæ fines progrederetur. Wilhelmus Furstenbergius minas addebat; alias Turennium subigente belli necessitate aliquot loca Mœno ac Rheno adsita occupaturum, ac hospitia sua dilataturum. Ac ut serio rem agi adpareret, Turennium permoverat, ut aliquot vicis Moguntinæ ditionis prope Kœnigssteinam militem immitteret. Sed Moguntinus responderat: se muneri sequestris inhærere, ac uti nullum fœdus contra Galliam iniverit, ita nec contra Cæsarem initurum. Si Gallo ita videatur, se Egram profecturum, ac Cæsarem permovere laboraturum, ut progressum exercitus inhibeat, hac tamen lege, ut induciæ omnes inter bellantes fiant, ac Rex quamprimum copias suas extra terras Imperii educat.

Ratispona ad pacem nihil proficitur §.12. Nec magis ratisponæ ad pacem aliquid proficiebatur, ubi Cravellius quidem subinde confirmabat Regem paratum esse copias suas Germania deducere, si Cæsar cavere velit, se
18. Jul. Belgis nil auxilii laturum. Contra Cæsar demonstrabat, par esse, ut Galli prius Germania facessant. Alias oppressorum Ordinum tutelam sibi suscipiendam, ac patriæ securitati prospiciendum; ad quod per Legem Regiam, in quam juraverit, teneatur. Cum igitur quæstio non sit de auxilio Belgis ferendo, quod per pacem Westphalicam haut licitum esse Gallus judicet, sed de tutandis Imperii finibus adversus exterorum invasionem, de qua Trevirensis queratur; sibi utique fas esse servandis hujus
28. Jul. ditionibus arma movere. Ast Cravallius ad repetitas Trevirensis querelas reponebat; eas fictas esse. A Gallico milite exactam disciplinam observari, quia Rex ita jusserit: ac talia tantum spargi ad invidiam Gallis faciendam. Etsi miles nunquam ita modeste haberi possit, quin aliquando molestiarum quid det in locis, ubi hospitetur. Super quibus tamen Rex tranquillo animo sit, velut qui sæpe rationem ostenderit, quomodo Germania a Gallicis, & quibus vis aliis copiis liberari queat. Ab ipso semper salutem Germaniæ respici, ac ut ejus tranquillitas instauretur. Eundem tamen fas ducere cautelis a ratione & æquitate permissis uti ad sui sociorumque suorum defensionem, ubi in eorum fraudem quid tentetur. Quam ob causam & quædam loca opportuna in Trevirensi provincia fuisse occupanda. Super eo
12. Aug. negotio Elector legatis suis Ratisponæ injungebat, ut hactenus Trevirensis petitis faverent, quo ab universis quid decernatur medicinam malis allaturum. Moderationem tamen adhiberent, ut a neutra parte argui possent, velut segnius aut ferocius causam egerint. Unde nostri laxissimis verbis sententiam dicebant. Sed Austriaci & his addicti promte declarabant; se junctis consiliis atque armis quantum possint isti opem laturos. Plerique tamen amica remedia suadebant, officia, literas, legatos. Quæ segnia consilia haut moratus Cæsar exercitum in Imperium movit, Ratisponæ has suæ expeditionis causas promulgans: *Gallum ab initio hujus belli citra consensum ipsius & Imperii magnam militum vim terris Imperii infudisse, & ex iis Belgio arma intulisse; complura loca ad Imperium spectantia occupasse, ac præsidio insedisse; quibusdam munitiones detraxisse, aliis addidisse; exercitum hinc inde pro lubitu raptasse; manifesta violatione legum publicarum, per quas ne conducere quidem exteris militem liceat sine Cæsaris consensu. In hunc usque diem numerosas copias media Germania hærere, ac Ordines pro lubitu stativis premi. Trevirensem sine data causa oppressum. Per Hispanicum Belgium, Cliviam, & Leodiensem provinciam atrocia patrata. Gallo instigante Coloniensem & Monasteriensem se dehortante bellum Belgis intulisse, quod ne sibi quidem per Capitulationem integrum sit. Ei bello parando Gallum omnem operam novasse, ututut Clivicæ pacis sponsorem. Cum super istis Præsulibus in ordinem redigentis agitaretur, Gallum iis enixe auxilium tulisse. Eundem postulasse, ut ipse fidem daret, se non solum Belgis nil opis laturum, sed & in Gallia fæderatos nil tentaturum. Ast qua fronte a se postulari, ut præstationem pacis Clivicæ a se susceptam retractet, aut jure suo per pacem Westphalicam stabilito se abdicet, & quod ipse sibi conventione cum Gallo ante biennium inita reservarit? Eundem quoque minatum, ni ipse declaret, suas copias ultra Egram haut progressuras, Turennium cum XXX M militum in suas ditiones hæreditarias irrupturum; quo fine is jam agmen moverit. Cravellium quoque circa Ordines quosdam in ipsum concitandos laborasse. In aperto præterea esse, Gallos in Circulum Burgundicum quid machinari, cujus defensio sibi incumbat. Promissis Galli de copiis suis trans Rhenum ducendis, ubi ipse Belgis nil opis se laturum declaret, nil securitatis inesse. Quæ hactenus contra leges pacis patrata sint, haut reparari, quæ & pleraque facta sint, antequam ipse fædus cum Belgis super tutanda pace Clivica & Westphalica iniverit. Nulli Cæsarum per leges publicas interdictum, servandæ suæ autoritati, ac tuendis oppressis Ordinibus quorumcunque auxilio uti. Denique Gallum ex SCto oblatum officium nondum acceptasse, æquis conditionibus cum Belgis decidere abnuisse, orbi Christiano tutam pacem indulgere noluisse.* Adversus ista legatus Suecicus Cæsari demonstrari postulabat, ut arripi jam cœptum violentum remedium saltem tantisper suspendatur, quoad adpareat, quem eventum negotium pacis Coloniæ, & promissum Galli de copiis Germania deducendis habiturum sit. Cravellius quoque totiens ingesta canere, ac rationem belli ad nauseam usque crepare. Hispanos e Lucenburgo Treviros occupare meditatos fuisse prævertendos. Id consilium e loci situ, & opportunitate hoc rerum statu maximi momenti satis superque defendi. Nec ulla tamen occupata loca per Gallos retinenda, sed facta pace utique restituenda. De quo dubitandi causam non relinquat generositas ac facilitas Regis, qua is Electori Brandenburgico ditionem Clivicam reddiderit. Militarem petulantiam a Rege non juberi, sed improbari, ac puniri. Ubi miles agat, omnia incommoda

1673. modo declinari non posse, quorum culpa tamen non penes Regem sit, sed eos, qui æquas compositionis leges rejecerint. Colmariæ & Sletstadio munitiones ideo detractas, quod Regi innotuerit, ea oppida Ducis Lotharingiæ præsidium recipere velle, muniendo in Burgundiam itineri. Quo fine & Argentoratensem pontem combustum. Ac satius esse ista oppida sub Regis tutela agere, quam numerosum præsidium recipere. Talibus permodi Ordines decreverunt literas ad Gallum dare, ut is copias e Trevirensi provincia abducat, damna data reparet, ac talia cuipiam Ordinum inferre parcat. De quo tamen prius ad Cæsarem referebatur. 29. Sept. Ast hic rescribebat: *literis contra Gallum nil profici: sed conjunctione armorum opus esse.* Dissentientibus tamen Ordinibus neque in Electorali, neque Principum Senatu in hac causa quidquam conclusum fuit. Elector pro captu tunc rerum officio se suo defunctum judicabat, 7. Oct. si a suis pro sententia dici juberet: *Sibi semper cordi fuisse, pacem Germaniæ servari, vastationem averti. Eam adhuc mentem perstare, ac uti doleat Trevirensis ditionem tantis belli malis premi; ita promte collaturum, quicquid Ordines tutandæ patriæ juxta leges Imperii & pacem Westphalicam utile ac necessarium judicaverint. Nec eorum tamen sententiam improbare, qui amica prius remedia adhibenda censeant; quæ citra dubium adhiberi expediat, quo adpareat, quousque iis pertingi queat. Inprimis proficuum fore, ut quæ super securitate Imperii tot per annos agitata sunt, aliquando perficiantur.*

Sueci fœdus suum Electori offerunt. §. 13. Cum itaque Gallus omnia e sua libidine agere pergeret, nec aliam rationem sequeretur quam sui belli per solam ambitionem excitati; Cæsar autem ita grassantem ferre indignum juxta ac periculosum judicaret; haut obscurum amplius erat, rem in atrox demum bellum erupturam. In quod cum Sueci per Gallicum fœdus haut libenter pertrahi vellent, id agebant, ut cum potentibus quibusdam Germaniæ Principibus societate inita, tertiisque formatis partibus Cæsarem vel invitum adquiescendum compellerent, Galloque pacem, qualem hic cupiebat, a Belgis obtinerent. Eum in finem palmarium ducebant Electorem sibi innectere, recenti cum Gallo pace, ac ob respectum Clivicorum oppidorum haut temere huic reluctaturum, simul ob proximæ expeditionis memoriam Cæsari juxta, Belgisque offensum. 13. Oct. Eo fine Cunradus Mardefeldius, & Wangelinus a Rege Sueciæ missi Berolinum veniebant; qui primo alloquio testabantur; *Regi admodum lætum esse, suam circa publicum bonum sinceram intentionem, ac susceptas actiones Electori usque adeo probari, ut hic istius consilium in propria causa secutus sit: tum & ita candide cum eodem super præsenti rerum facie admodum periculosa intra & extra Germaniam consilia contulerit, idque deinceps quoque se continuaturum promiserit. Inprimis quod tuendæ in Imperio paci, simul avertendo a propriis ditionibus periculo arctiori cum Rege conjunctioni per Kroseggium, inde aliquoties per Wangelinum proclivem se ostenderit. Quod idem cum & Regi in votis sit, oblata eo lubentius acceptasse; cum ejusmodi sincera conjunctio utriusque rationibus, quam maxime conducat hoc præsertim ancipiti rerum statu, sibi modica pacis Coloniæ spes, ac Cæsarea expeditio facile commune incendium, & insignem rerum conversionem excitatura videatur. Unde quibus privata & publica salus curæ sit, necessitatem incumbere super eo periculo cum amicis consilia conferendi, ac quantum detur adversus idem remedia sibi circumponendi. Ac uti Rex de egregio Electoris in Remp. animo perspexerit, neo dubitet, quin hic pariter de ipsius consiliis citra partium studia ad publicum bonum tendentibus luculenta specimina ceperit: ita nil aliud superesse, quam ut super ejusmodi conjunctione dispiciatur, per quam utriusque ditionibus securitas, vicinis honesta ac stabilis pax, Germaniæ inconcussa quies præstari queat. Ea super re, ut quæ Electoris mens sit cognoscant, se venisse.* Privato colloquio 13. Oct. ab Electore delegati ostendebant, negotiationem ad duo capita revocari securitatem utriusque provinciarum, & pacem Germaniæ. Circa prius jam fœdus inter Regem & Electorem initum, quod ob mutatam interim rerum faciem præsentium temporum indoli sit adaptandum. Circa alterum se expectare, quid remedii servandæ aut instaurandæ in Imperio paci Rex propositurus sit. Ad quæ Sueci: Cum sua mandata formarentur, nondum constitisse, a Cæsare bellum aperte sumtum; etsi Rex satis prospexerit, id incendium indies latius grassaturum. Sed cum Elector rerum mutationes cominus adspiciat, ab hoc commodius remedia proponi posse. Regi placere adhibita hactenus amica remedia servandi paci deinceps continuare, modo per eam causæ communi consuli queat; eoque alia in medium adferre non potuisse. Sed si Electori alia in promtu sint, quæ in neutram partem studium arguant, id Regi gratissimum fore. Non minus cordi sibi esse utriusque ditiones tutari, & pacem Germaniæ servare. Eum in finem tutissima quæque remedia præstantissima ducere. Nostri: Cum nemini melius quam Regi velut sequestri constare queat, quæ partium in pacem inclinatio sit, se non dubitare, quin ipsis in eam rem certa mandata sint; quæ communicari petant. Sueci contra se talia a nostris expectare ferebant. Sane Regem hactenus paci conciliandæ operatum, sed modico successu; nec adhuc ei penetrasse datum; cui in pacem proclivis aut aversus animus. Et quia tractatio non solum ab initio difficilis fuerit, sed & post parum spei de optato exitu ostenderit, diffluente interim sese indies belli flamma; Regem quamdiu spei quid superfit, circa susceptum officium haut defatigatum iri. Obtinendo tamen huic scopo, simul propriæ securitati necessarium judicasse amicis propius innecti, ac inprimis cum Electore fœdus eidem scopo accommodum inire, unicum quod in præsens superfit remedium. Eo fœdere perfecto, aliis Ordinibus, queis par animus, deinceps accedere integrum fore, ejusque effectu gaudere, ut tamen penes Regem & Electorem velut autores fœderis moderamen sit futurum. Sed pauci an multi huic

1673. huic fœderi accedant, saltem utriusque ditionibus cautum fore, intentata vi conjunctis viribus facile propulsanda.

Consultatio super Suecico fœdere.

§. 14. Ea propositio cum altioris indaginis videretur, Elector ad consilium referebat, num ejusmodi fœdus, quale Sueci innuebant, super formandis tertiis partibus inire expediret.

Sententia Somnicii.

Ubi Somnicius censebat: *Cum Suecus Gallico fœdere innexus sit, quod quousque porrigatur haut constet; ac Gallus Suecos jam Coloniæ monuerit super ferendis ex fœdere auxiliis; circa hoc negotium circumspecte procedendum, ac amica verba pari modulo remetienda, nulla in Gallum sinistra significatione. Quin & supervacuum videri fœdus anno* 1668. *sexagesimo sexto initum nunc renovari, quod adhuc triennium duret. Quod longius porrigi haut consultum videatur, cum Galli non obscure glorientur, Suecum tali fœdere cum ipso jungi, cujus vi teneatur ipsis contra Cæsarem nunc arma inferentem adsistere. Ast ejusmodi Regi sociari, qui jam fœdere stringatur, quod Electori demum necessitatem adferre possit arma pro Gallo sumendi, suaderi haut posse. Equidem objici, aliud esse pro Gallo, aliud pro pace promovenda arma arripere. Enimvero valde dubium esse, num pax promoveatur. fœdere atque armis sociatis cum illo, qui jam ad auxilia Gallo ferenda teneatur, qui sine dubio nos quoque in Galli partes pertracturus sit. Cum etiam legati expeditionem Cæsaris velut causam conjunctionis adducant, haut obscure colligi, ad quem scopum isti tendant. Suecos quoque initio belli circa communicata ab Electore sua destinata, frigide admodum se gessisse, ac invitatos fœdus Brunsuicense repudiasse, liquido indicio apud Suecos alia consilia agitari, quam quæ pacem Germaniæ spectare queant. Non opus esse memorare invidiam & aversionem, quam dudum Sueci in Electorem ostenderint. Quæ circa Pomeraniam contigerint, nemini ignota esse; ac nil negotii magni aut parvi occurrisse, circa quod ex æquo cum istis transigi potuerit. Esse quoque causam, quare Germaniæ Principes conjunctionem cum Suecis aversari debeant, saltem ubi summæ rerum moderamen penes hos futurum sit. Sane Saxonem & Luneburgicos istam declinasse. Electorem autem quam maxime sensisse, quid isti armis suis quærant, eoque ipsi quam exquisitissima cautione opus esse. Igitur extensione fœderis supersedendum, ac eos potius invitandos, ut Brunsuicensi fœderi adscribi velint.*

Blumenthalii:

Nec disparia sentiebat Blumenthalius. *Non frustra credi Suecos Gallo arctius innecti, qui circa interpretationem Instrumenti Pacis huic adstipulentur, ac in eum casum eidem se obstrinxerint. Unde eos nunc id agere videri, ut propositam extensionem fœderis ad eum scopum dirigant, & casum fœderis, auxiliique ferendi eodem restringant. Id quod nullo modo cum rationibus Electoris quadret. Sed nec quod proponitur pacis conservandæ remedium sat idoneum esse; ut Cæsar exercitum intra ditiones hæreditarias revocet. Nam neque Cæsarem huc descensurum, postquam Hispani bellum in Gallos decreverunt: ac si maxime Cæsar id annuat, Gallo ferociam inde accessuram, ut quas Belgis obtrudere cupit pacis leges demum pervincat.*

§. 15. Nec minus Cansteinius dissereba
*Non esse quod Elector ad Suecorum proposita me
tem suam declaret, quod quo isti tendant ha
constet, ac multi ab iis cavendum moneant, non o
scure erumpentibus indiciis, quæ haut parum scr
puli injiciant. Inprimis super taciturnitate ca
tum non esse, quam tamen circa hoc negotium se
vari Electoris maxime intersit. Sane cum Elect
hactenus reipsa ostenderit, quantopere bonum p
blicum cordi sibi sit, Suecos nuspiam se commovis
Unde modeste inquirendum, quid Sueci hoc negot
quærant. Nam prius cum istis fœdus Imperiu
directe non spectare, cujus & tempus nondum el
psum sit: ac suspectum esse, quod Sueci Brunsu
censi fœderi nomen dare abnuant. Alias pace
Germaniæ & vicinorum iisdem remediis obtinen
dam, quod turbæ in Germania a motibus Belgici
originem traxerint, ac jam ipse Cæsar his palam m
sceatur. Unde nisi compositis hisce stabilem Ge
maniæ quietem reperiri non posse. Quid per le
gationes, hortatus, rationes, preces effici quea
sæpius jam frustra tentatum; & quanti ista Ga
lis fiant, Suecos dum sequestrium munus exercen
sæpius expertos. Sane Gallum belli auctorem n
minus ostendere, quam sibi in animo esse Belgis, Tre
virensi, Electori, aliis super damno dato satisface
re, quasi jus sibi competeret omnibus pro libidin
impune insultandi. Eundem Lotharingia, & a
liis injuste occupatis desistere nolle, ac pacem Ger
maniæ in ancipiti relinquere. Frustra quoque di
ci, quietem Germaniæ servari posse, si Cæsar Bel
gico se bello non misceat. Nam, si Cæsari injun
ctum munus implere cordi sit, haut ipsi fas esse ex
teros in Germania ita proterve grassantes tolera
re, ac illatas tot Ordinibus injurias insuper ha
bere, nulla adhuc cautione, talia adversus Imperi
um deinceps haut iri susceptum. Si tamen tra
ctatio in præsens cum Suecis commode declinari ne
queat, omnia ad communem pacem, & Imperii se
curitatem referenda, & inprimis ut tractatus Co
lonienses promoveantur. Ac inprimis cavendum,
ne arbitrium rerum penes unum fœderatorum sit.
Nec minus considerandum, quod Sueci Cæsarem ex
armare velle videantur, aut saltem extra bellun
Gallicum retrahere, nec satis amica in illum agita
re. Tandem cum nunc tam multi in armis sint
accurate expendendum, num isti absque novo bell
ad pacem permoveri queant. Sane uti Gallus a
destinata sua contra Belgas perficienda necessariun
judicavit multos in partes suas pertrahere: ita ad
versus eundem operæ pretium haut fieri posse ad
parere, ni pari modo eidem occurratur. Id quo
tamen magna cum circumspectione suscipiendum
ne medicina ipso morbo nocentior fiat; cujus re
cens exemplum ante oculos extet.*

§. 16. Sed & Meindersius censebat: *Sue
corum amicis verbis haut parciora reponenda. Se
quia hi arcto fœdere Gallo jungantur, a quo multun
pecuniæ accipiant; Cæsarei quoque exercitus expe
ditionem dissuaserint, improbarint, ac impedire stu
duerint; adversus eam asperis verbis Ratispon
& alibi usi sint; hac ipsa propositione eam odiose in
ter causas præsentium malorum referant; con
tra de Gallorum in Germania grassationibus, d
hostilibus in Trevirensem, decem Alsatiæ oppid
& alios exercitis sicco pede transeant: haut ta
tum*

1673. *tum videri Electorem circa isthac animi sui sensa pandere, antequam de Suecorum mente penitius constet. Inprimis cum Sueci postulent, ne Elector in alterutram partem inclinet, aut altius ac præmature alterutri bellantium se innectat; velut non defutura sint remedia quietem Imperii stabiliendi; ac Regem de sententia sua per hanc legationem significaturum. Quæ ut liquido exponatur primo omnium instandum. Ast circa proximum fœdus renovandum nil scrupuli videri, quod meram defensionem spectet, & adhuc per triennium duret. Idem quoque ad præsentem rerum faciem accommodari non inutile videri; nisi quod Clivicæ ditiones isto non comprehendantur, quas & nunc Rex ob suam in eas actionem forte magis recusaturus sit tueri, quæ in præsens quam maxime securitate indigent. Et tamen Suecorum circa eas provincias præstationem Electori forte plus periculi quam securitatis allaturam, ut dubium sit, num eadem uti expediat, si maxime ultro offeratur. Quid quod Suecorum rationes & consilia semper a nostris discrepaverint, queis nunquam in Electorem sincerus affectus fuit. Porro ut Germania præsenti periculo eripiatur, esse quidem in eam rem remedia per leges publicas dictitata, ac Ratisponæ dudum super Imperii securitate agitatum. Enimvero leges optime quidem scriptas in usum quidem nunquam deductas, quæ & neminem adversus exterorum vim tutum præstiterunt. Igitur oppressos auxilium frustra ab universo Imperio expectare, ubi ob diversa Ordinum studia concors decretum haut sit expectandum, ac forte nonnullis remedium ipso morbo periculosius visum iri. Unde læsis nil aliud superesse quam patientiam, aut ut cum potentiore quantum possint transigant, aut per peculiaria fœdera sibi consulant. Equidem si primarii Electores ac Principes fœdere inito bellantibus serio denuntient, ne Germaniam armis suis turbent, id fructu non cariturum: sed ejusmodi conjunctionis nullam adhuc viam adparere. Ast reducendæ paci Suecos optima consilia suggerere posse videri, velut qui, dum sequestres agunt, quæ paci obstent optime perspicere potuerunt; ad quæ removenda si Elector conferre quid possit, operam libenter navaturum.*

& Cœppenii. §. 17. Denique & Joannes Cœppenius fœdus cum Suecis renovandum censebat. *Sed circa instaurandam Germaniæ quietem considerandum esse, per quem pax ejusdem turbetur. Ubi manifestum esse, Gallum post pacem cum Electore factam longius in Germaniam penetrasse, obtentu armorum a Cæsare in Belgarum auxilium paratorum; nec copias suas revocare voluisse, ni Ordines spondeant, istum Belgis nil opis laturum. An vero ejusmodi lex Imperio jure obtrudi queat, ita quidem, ut si isthac Cæsarem ad placita Galli permovere nequeat, hujus insultationibus expositum esse, ac bello arenam præbere debeat; id nemini sano persuaderi. Nec e verbis Instrumenti Pacis tantopere exagitatis id exsculpi posse.* *§. Ut eo sincerior.* *Id quippe nimis quam periculosum esse, si Gallo integrum sit pro libidine bella movere; contra Cæsari ac Imperio aut singulis Ordinibus haut liceat externæ Reip. laboranti contra istum auxilia ferre. Ubi enim tunc jus fœderum & belli? Sane Electorem istam objectionem nunquam tanti fecisse. Quod si ergo ab Imperio postulentur, quæ præstare nequeunt, nec ad quæ præstanda id tenetur, & nihilominus idem eo nomine hostiliter invadatur; manifestum est injustam vim inferri; cui quid opponendum sit & leges Imperii, & jura naturalia & gentium haut obscure dictitare. Unde fœdus ad hunc finem esse adaptandum. Denique ut communis pax promoveatur Germaniæ utique proficuum esse, cui quies constare nequeat, nisi bello in vicinia composito. Ad eam rem duas patere vias, amicum officium, & armorum cum alterutra parte conjunctionem. Illa jam incassum consumi videri, conventu Coloniensi dissolutionem minante. Tertias partes, quæ ab æqua pace abhorrentem vi compellere queant, ancipites valde esse, inprimis ubi exteri Principes in auxilium adsciscantur. Nam hoc modo facile iterum in eundem lapidem impingi posse, ad quem totus prope imperii status concussus est; cujus effectus etiam post seculum posteritas sentiet. Sed nec tuto armorum conjunctionem cum illis fieri posse, qui e peculiari fœdere auxilium alteri partium ferre tenentur; ac forte rationibus sui status ducuntur, quæ cum nostris haut quadrant. Ac in ejusmodi negotio Germaniæ Principibus plus circumspectionis adhibendum, quam Regi separatum plane ab aliis statum possidenti, cui solas sui Regni rationes sequi licet, cum huic semper ad communem Remp. ejusque caput sit respiciendum. Igitur hac rerum facie cum nemine extraneo fœdus ineundum, alterius offensam spectans, sed plane Imperio adhærendum, ejusque defensioni invigilandum, si unus aut alter Ordinum ulterius bello invadatur.* 1673.

§. 18. His igitur omnibus inter se collatis placuit tertias partes, & quæ in favorem Galliæ agitabant Sueci declinare, ac satis habere prius fœdus renovasse; quod in certæ offensæ materiam arripiendum, ac secius de Electoris consiliis suspicandi ansam præbiturum metueretur, si legati Regii plane irriti discederent: cum tamen Electoris quam maxime interesset, tum ancipiti rerum statu super Suecorum amicitia cautum sibi esse. Ac spes erat hoc fœdere eosdem ad salutaria Germaniæ consilia adstringi posse; saltim obligationi suæ adversus Imperium Elector nil detrahebat, & ex ea vicinia securitati suarum ditionum prospecturum se rebabatur. Unde per complures congressus formula fœderis omnibus clausulis probe excussis demum adornata est. *Fœdus cum Suecis concluditur.* Quæ tamen antequam subscriptione firmaretur, Suerinus jussu Electoris Suecis declarabat: Quanquam hoc fœdus hinc inde non parum suspicionis excitet; Electorem tamen demum in id consensisse, spe ductum, Regem Sueciæ amicitiam per hocce constitutum firmiter servaturum. *Ante subscriptionem Electoris monitum. 1. Dec.* Uti autem fœdus hoc Instrumento Pacis sit superstructum, cui repugnantem obligationem Electori induere nefas sit; ita confidere, eandem Regi mentem esse. Et quia Rex cupiat, ut Elector per Wangelinum jam in Sueciam profecturum exponat, quæ super præsenti rerum facie ipsius mens sit; hoc ipso eum declarare voluisse, bellantibus demonstrandum, Germaniæ jam contra leges Pacis Westphalicæ alieni belli mala tolerari. Quid ulterius susci-

1673. suscipiendum, Regis sententiam expectari, & quibus rationibus peculiariter apud unam & alteram partem sit utendum. Nosse quoque cupere Electorem, quomodo susceptum sequestris munus cum officiis hujus fœderis vi interponendis conspirare queat; & quomodo negotium ita temperari queat, ut unum alteri ne officiat. Quia etiam Regi de bellantium scopo constare possit, Electori gratum fore, si per legatos super hoc edoceri se velit. Eundem quoque necessarium judicare, ut non illi solum, contra quos Gallus aliquid causæ habere se ferat, sed & alii, in quos nullo colore hostilia exercentur, auxilio subleventur. Ad quæ Sueci nil respondebant, nisi quod de iis se cogitaturos dicerent.

Fœdus Electoris cum Rege Sueciæ. §. 19. Isthoc fœdus ita habet.

Notum, testatumque sit omnibus & singulis, quorum interest, & quomodocunque interesse, poterit, Quod cum inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM, (tot.tit.) ab una, & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, (tot.tit.) ab altera parte, elapso nuper anno LXVI. die 27. Martii mutuum fœdus defensivum in ipsos proxime sequentes annos decem duraturum initum, debita integritate servatum, nec adhuc finitum esset, interea vero nominis Christiani hostis hæreditarius Turca vicino Regno Poloniæ bellum intulerit, & hodie continuet, id vero quod inter Christianissimum Galliæ Regem, & Ordines Confœderati Belgii haut ita pridem exortum, extra gyrum & terminos proximas S. R. Imperii provincias & ditiones vastarit, & in ipso nunc meditullio hæreat, S. R. Majestas Sueciæ non magis, quam sua Serenitas Electoralis, dum hæc saluti & incolumitati publicæ, propriique status securitati obversantia maturius expendunt, & imminentia majora mala & pericula prospiciunt, e re existimarunt, ut sancte hactenus mutuo culta observataque amicitia arctioribus vinculis adstringeretur, fœdus vero anno LXVI. ictum renovaretur, & ejusdem capita vel articuli ad præsentem Reip. statum simul accommodarentur atque extenderentur. Quem in finem S. R. Mtas Sueciæ nos suos ablegatos, utpote me militiæ suæ pedestris Generalem & Vice-Gubernatorem Pomeraniæ Conradum Mardefeld, hæreditarium in Vanselo, Plotz, Pensen & Koske &c. ut & me Suæ R. Mtis Colonellum locum tenentem Bernhardum Christianum Wangelin, Hæreditarium in Nossenthien &c. mandatis sufficientibus munivit: Sua Seren. Electoralis vero nos suos Commissarios, utpote me supremum suum Præsidem, Consiliarium Status intimum & Feudorum, Ottonem L. B. a Schwerin, Dynastam antiquæ Landsbergæ, Zachanii, Wildenhofen, Landsburgi, & Wolfshagen, Electoratus Brandenburgici Camerarium hæreditarium, nec non Capituli Brandenburgensis Præpositum: me Suæ Ser. El.is Consiliarium Status intimum, & Pomeraniæ Orientalis Cancellarium, Laurentium Christophorum a Somnitz, Hæreditarium in Grumsdorf, Drenau & Gerbera, Pomeraniæ Orientalis Camerarium hæreditarium: & me Suæ Ser. El.is Consiliarium Status intimum Fridericum a Jena cum plena potestate constituit. Itaque vigore mandati Dominorum nostrorum Clementissimorum negotium aggressi, de renovatione & extensione fœderis anno 1666. proxime elapso, pacti, tractavimus, & de subsequentibus capitibus & articulis inter nos convenit. I. Sit inter Suam R. Mtem, ejusque hæredes successores Reges Regnumque Sueciæ ab una, & Suam Ser. El. Brandenburgicam, ejusque hæredes & successores masculos descendentes ab altera parte, pro securitate mutua & stabilienda conservandaque pace, juribusque acquisitis, strictior amicitia & fœdus defensivum, illudque bona fide & sincero affectu in utriusque confœderatorum honorem & commoda servetur & excolatur. II. Huic fœderi defensivo fundamenti loco substernantur ante omnia pacificationes & pacta Osnabrugis & Monasterii anno 1648. die $\frac{14}{24}$ Octobris conclusa, & inde dependens Recessus limitaneus Sedini die 4. Maij anno 1653. erectus, ut & pacta Olivensia die 23. April. (3. Maij) 1660. inita & confecta, cum omnibus & singulis punctis, articulis, clausulis, instrumentis earundem pacificationum & pactorum insertis, vigoreque eorundem competentibus juribus, quæ omnia exacte & inviolabiliter observanda sunt, & si quid præter spem in posterum inter confœderatos irrepat, quod iisdem contrarium, aut minus conveniens videri possit, id confestim bonis & civilibus modis mediisque amicabiliter componatur. III. Quemadmodum autem hujus fœderis non alius scopus est, quam conservatio pacis Westphalicæ, & securitatis communis vindicatio, mutuaque defensio a quacunque hostili irruptione in utriusque confœderatorum provinciis & ditionibus sequentibus articulis exprimendis; ita si contingat, ut alter paciscentium confœderatorum propterea, quod paci ac securitati publicæ communi consilio & consensu consuluerit, vel etiam aliam ob causam in provinciis, ditionibus, statu, juribus huic fœderi inclusis a quopiam hostiliter invadatur, vel invito confœderato contra constitutiones Imperii & jura gentium transitu, stationibus, inhospitationibus, aut hibernis, contributionibus, aliisve exactionibus violentis urgeatur & prematur, adeoque jura quæsita quovis modo violentur; pars altera prævia requisitione teneatur parti læsæ assistere, eique copias militares auxilio mittere, quemadmodum hoc inferius statutum est. IV. Cumque pax & tranquillitas publica haut parum labefactata sit, consultum utrinque visum est, ut reducendæ eidem ac pristino vigori restituendæ omnis porro sine mora impendatur cura, labor & studium, & tam S.a R. Mtas, prout ab initio statim eorum qui nunc sunt motuum solicite satis jam fecit quam Sua Ser. El.is, quæ ea omnia pro reducenda pace adhibita officia probavit, & eadem via incessit, belligerantibus ulterius & conjunctim & separatim, cum per literas, tum per ministros & legatos suos mala omnia, quæ jam belli calamitas conciliavit, quæque si continuetur diutius, non implicitis modo eidem, sed & qui exsortes ejusdem, expectanda sint & maneant quoque incommoda experiri faciant, atque illos denuo moneant serioque hortentur, ut orbi Christiano æquis admissis conditionibus pacem reddere velint, spe certa freta Deum pacis, tranquillitatis atque concordiæ fontem, conservatoremque piis hisce ac vere Christiani-

1673. nis comitiibus adfuturum, eosque optato ac felici successu beaturum. Ast vero, si hæc officia, labor & industria frustra fuerint, omnesque amicæ hortationes, fida consilia, oblataque convenienti loco & tempore media, quamvis repetita, miseriæque & calamitates, aliaque incommoda, quibus quoque innocentium publica juxta & privata res conflictantur, nullum plane invenerint locum, nec æquæ conditiones admissæ sed rejectæ fuerint, eo casu S. R. Mtas, & Suæ Ser. Elect.lis nihilominus constans suum promovendæ conservandæque pacis propositum, simulque aliquanto significantius testabuntur, quam sibi hæc displiceant, conferantque statim inter se consilia, qua ratione pro temporum rerumque statu & facie officiis hactenus frustra impensis tandem locus aliquis a belligerantibus detur. V. Ut etiam constet, quænam ditiones hoc fœdere proprie contineantur, convenit utrinque, ut provinciis S.æ R.æ M.tis extra Romanum Imperium sitis, utpote Esthoniæ & Livoniæ Suedicæ ditionis, cum omnibus earundem provinciarum juribus, conditionibus & pertinentiis, prout S. R. Mtas easdem hunc usque in diem quiete possidet, guarantiam præstet Sua Ser. El.lis Brandenburgica ejusque successores & hæredes contra quoscunque, qui dictas provincias, vel earundem conditiones, jura aut pertinentias bello aperto, vel quocunque modo violare turbareve ausi sint, modo ac militum numero tali, de quo in hisce fœderis tabulis specialius postea explicabitur. VI. Vicissim S. R. Mtas, Reges successores, & Regnum Sueciæ Suæ Ser. El.li Brandenburgicæ, ejusque successoribus masculis descentibus præstent contra quoscunque guarantiam Borussiæ Ducalis, prout ea Ser.ti Suæ El.li cum jure directi, supremi, & independentis dominii (quod souverenitatem vocant,) a Rege & Rep. Poloniæ publicis pactis concessi, & in Comitiis Reip. Poloniæ generalibus Warsaviæ anno 1658. approbatis, in præsenti quiete possidetur; ita ut si contingat, quempiam eorum tentare dictam Ducalem Borussiam, ejusque conditiones, jura & pertinentias, dictumque jus souverenitatis bello aperto vel quocunque alio modo violare, turbareve, S. R. Mtas Sueciæ, successores Reges; Regnumque Sueciæ teneantur Suæ Ser. El.li Brandenburgicæ, ejusque hæredibus & succesforibus pro tuendis & conservandis istis omnibus copias militares auxilio mittere eo modo & numero, prout inferius determinabitur. VII. Utriusque partis paciscentis provincias in Germania sitas quod attinet, licet illæ omnes vi pacificationis Germanicæ sint in continua tutela & garantia S. R. Imperii, omniumque ejus Statuum & membrorum, nihilominus tamen in majorem utriusque jam paciscentium securitatem utrinque convenit, ut Regiæ illæ provinciæ, Ducatus nempe Bremensis, Verdensis & Pomeraniæ citerioris cum annexis partibus alterioris Pomeraniæ, vigore Instrumenti dictæ pacis Westphalicæ & Recessus Stetinensis Regiæ Pomeraniæ adjectis, ut & Principatus Rugensis, & Dominium Wismariense cum omnibus cæteris juribus ex Instrumento jam dictæ pacis & Recessu Stetinensi, vel aliunde in Germania hodie legitime S.æ R. Mti Regnoque Sueciæ competentibus: Et Electorales, utpote Electoratus Marchia Brandenburgensis, Ducatus Cliviæ, Comitatus Marca & Ravensberg, Pomerania ulterior ad Ser. S. Electoralem spectans, Principatus Halberstadiensis, Mindensis & Caminensis, ut & omnia & singula cætera jura ex Instrumento memoratæ pacis Westphalicæ vel aliunde in Germania hodie legitime Suæ Ser. El.li ejusque hæredibus & successoribus masculis descendentibus competentia, præsenti huic fœderi defensivo includantur. VIII. Si igitur durante hoc fœdere contigerit, ut S. R. Mtas Regnumque Sueciæ ab aliquo Rege, Principe vel Rep. quocunque tandem nomine censeantur, infestetur, oppugnetur & violetur, in prædictis hocce fœdere comprehensis provinciis, ditionibus, terris, arcibus, locisve, ejusdemque annexis vel inde dependentibus S.æ R. Mti Regnoque Sueciæ competentibus juribus & privilegiis, Sua Ser. El.lis pro se, successoribus ac hæredibus masculis descendentibus bona fide spondet, ac specialius hic promittit, se eidem S.æ R. Mti Regnoque Sueciæ, facta notificatione, quamprimum potuerit, & ad summum intra spatium duorum mensium a die requisitionis suppetias laturam exercitu II M peditum, & quingentorum equitum, quibus copiis S. R. Mtas Regnumque Sueciæ usque ad finem belli, sit tamdiu fœdus duret, uti poterit, siquidem eidem ita visum fuerit. IX. Vice versa S. R. Mtas Regnumque Sueciæ bona fide spondet, & pariter specialius hic promittit, se facta notificatione, quamprimum potuerit, & ad summum intra spatium duorum mensium a die requisitionis S.æ Ser. El.li, ejusque hæredibus & successoribus masculis suppetias laturum exercitu II M DC. peditum, & DCCC. equitum, si contingat, ut S. Ser. El.lis ejusque hæredes & successores masculi descendentes ab aliquo Rege, Principe, vel Republica, quocunque tandem nomine censeantur, infestentur, oppugnentur, & violentur, in prædictis hocce fœdere comprehensis provinciis, ditionibus, terris, arcibus, locisve, vel quibuscunque eisdem annexis, vel inde dependentibus, & in superioribus articulis memoratis juribus & privilegiis. X. Quod si vero casus existat, quo in præcedentibus articulis pactus, determinatusque militum numerus avertendo periculo, resistendoque hosti haut suffeterit, utrique confœderati sibi invicem promittunt, se conventum modo militum numerum augere, & si habito prius statim invicem consilio, subsecutaque conventione necesse fuerit, ad primam quamque requisitionem duplicare, vel triplicare velle; ita ut requirens & bello petitus eo ad finem usque belli uti, & prout ratio belli dictaverit, vel seorsim, vel junctis etiam suis propriis copiis cum eo agere possit. XI. Equidem in uno & altero præcedentium articulorum suppetiis missis ad finem usque belli uti permittitur, attamen cum contingere queat, ut postquam missa auxilia, fœdus citius quam exortum bellum expiret & finiatur, adeoque revocare iterum copias auxiliares, finito licet nondum bello, finito tamen fœdere, liberum & meri arbitrii sit, articuli quoque ipsi nullum alium ex utriusque confœderatorum consensu & conventione intellectum & sensum habeant; postquam tamen utrique confœderatorum, communique causæ & saluti haut leve damnum & incommoda alia certissimaque pericula conciliari attrahique necessum sit, si durante & ardente adhuc bello auxilia præstita revocari debeant, ideo convenit hoc ipso utrinque, ut bello petitus requi-

1673. *requirens, antequam finiatur fœdus, cum confœderato, quem requisivit, quique auxilia misit, agat & paciscatur, ut ad finem licet vergente fœdere inposterum quoque, & quamdiu bellum continuatum fuerit, auxilia missa haut revocet, in quo æquis admissis conditionibus, vel renovato & prorogato hoc fœdere, difficilem se alter confœderatorum haut præbebit. XII. Casu quo confœderatorum copiæ conjunguntur, requirens, ejus exercitus dux, vel alius ex ejus officialibus nullam plane prætendet in missa auxilia jurisdictionem, sed qui suppetiis missis præest, haut minus eam salvam & integram retineat, quam requirens, vel ejus militum dux in suos. Quando vero judicium militare generale necessarium fuerit, tunc ex utriusque partis officialibus id constituetur, & eidem præsidebit is, cui id absente principali requirente supremus belli dux commiserit, ita ut prima vice præsidium Regio, secunda vice Electorali, atque ita semper vice versa, vel ut loqui amant, alternative competat. Quemadmodum quoque ad actiones militares requirens, & ejus dux habito & communicato prius cum auxiliarium copiarum duce vel præfecto, cæterisque officialibus, quos ad consilium bellicum adhibere mos est, consilio nec aliter procedet. XIII. Is qui requisitus a confœderato auxilia mittit, iisdem de tormentis minoribus, vulgo campestria dictis, cum omnibus ad usum eorum necessariis prospiciet. Tormenta vero majora & mortaria cum omni apparatu, & rebus quibuscunque ad usum eorum pertinentibus is ex confœderatis suppeditabit, in cujus ditionibus atque provinciis contra hostem agitur. Quod si vero extra confœderatorum territoria, atque ita in loco tertio bellum geritur, tormenta majora & mortaria cum omnibus ad usum eorum spectantibus is adduci curabit, qui loco jam dicto tertio vicinior fuerit. XIV. Et cum utriusque paciscentium præsenti inprimis rerum facie maximopere intersit, ut quilibet eorum de promissis reciproce auxiliis certus esse possit, ideo utrinque hoc ipso convenit, ut simul atque paciscentium unus bello petitus fuerit, alter facta notificatione & subsecuta requisitione, auxilia statim juxta articulos præcedentes mittat, nec ideo differat, quasi prius examinandum, causamne aggressionis petitus bello dederit, an absque justa causa petitus; sed nuda hostilis aggressio, vel turbationes & injuriæ in articulis III. V. & VI. nominetenus expressæ, pro justa & necessaria auxilii mittendi causa, a quolibet fœderatorum haberi debet. XV. Quamvis autem prædictæ copiæ auxiliares ipso actu subsidio missæ sint, liberum tamen nihilominus confœderato & requisito erit, per legatos & ministros id operam dare, an invasor seu turbator amicabili ratione persuaderi possit, ut a vi & injuria desistat; sin lædenti ea sederit obstinatio, ut nullis amicabilibus rationibus ad æqua præstanda se induci patiatur, non ante ab auxilio præstito cessabitur, quam parti læsæ per omnia satisfactum fuerit. XVI. Missis itaque auxiliaribus copiis in ditionibus suis de commeatu sufficienti æque ac propriis prospiciet is, qui illas requisiverit; ratione vero residui stipendii militaris quisque pro arbitrio, conventioneque cum officialibus suis inita aget. XVII. Quicunque copiis auxiliaribus præfectus Imperium in easdem subsecuta etiam conjunctione armorum retineat; ita tamen, ut sub auspiciis ejus, qui auxilia requisiverit, militet, ejusdemque vel constituti ab eodem ducis exercitus jussis pareat, sive is suppetiis sibi submissis ad defensionem ditionum, Statuum, locorumque suorum, sive ad oppugnandum primum aggressorem in propriis ejusdem terris ac ditionibus uti voluerit, habita semper ea ratione, ut copiæ auxiliares cum reliquo exercitu ubique æqualiter tractentur. XVIII. Auxilia ferenti hac inprimis ratione prospectum sit, ut siquidem in terminis auxiliatoris permanere ei licuerit, nec ob latas suppetias isti bello ipsemet involutus fuerit, sine inclusione, plenaque securitate ejusdem nullus quidem tractatus pacis vel induciarum iniri debeat, imo ne suspensio quidem armorum, (ubi id status bellique ratio requisiverit,) nisi ad summum trium septimanarum, pro utroque exercitu simul. Quod si vero oblatum confœderato auxilium cum aggressore, vel alio quocunque aperto bello implicetur, tunc neuter sine alterius scitu, consensu & consilio neque ad præliminares, neque ad principales cum hoste tractatus descendet, sed omnia mutua opera, communicatione & consilio agantur & tractentur, donec utrique confœderato de sufficienti securitate plenissime provisum, & per omnia satisfactum fuerit. XIX. Cum vero in initio hujus fœderis præsentis Poloniæ status, eique Regno ab infensissimo Christiani nominis hoste Turca magis magisque impendentium periculorum facta quoque sit mentio; proinde S. R. Mtas, & S. Ser. El.lis non solum vicinitatis, sed & Christianitatis jure motæ, se rem suo nomine & ordine dignissimam esse facturas censuerunt, si in istum casum, quo dictum Regnum & Remp. Polonicam barbarus ille hostis denuo infestare, atque in ejus viscera ruere tentarit, eidem certum aliquem militem auxilio mittant, atque ad idem præstandum alias quoque potestates & Status adducant, cum ulteriori proposito & conventione, se super toto suppetiarum mittendarum negotio, eorundem numero, subsistentia, modo sustentationis, cæterisque omnibus a Regno & Rep. Poloniæ præstandis, simul per ministros suos utrinque ad id negotium plenarie instruendos, ad instantiam Regni & Reip. Polonicæ cum eadem quamprimum esse tractaturas, & conjunctim ad finem perducturas, atque ut prætacto modo alii quoque in societatem hujus auxilii contra immanem illum hostem ferendi permoveantur, juncta cura & opere laboraturas. XX. Quo vero hæc omnia, quæ in hoc fœdere sancita atque invicem promissa sunt, eo exactius præstari, ac in destinatum finem eo felicius perduci valeant, placuit etiam utrinque mutua super hisce negotiis correspondentia, ac fida consiliorum communicatio, ita ut alter alteri mature satis significet, quid mutata forte tam in Germania, quam in vicinitate temporum ac rerum facie, saluti publicæ, propriique status rationi conveniens existimet. Quo facto uterque confœderatorum consilia conferat, eoque dirigat, quo pacificatio universalis, hujus fœderis ac amicitiæ veræ leges ad amussim promoveantur & observentur. Quomodo quoque confœderati virtute hujus articuli in se recipiunt, se durante hoc fœdere nullum aliud huic contrarium pacturos, neque passuros se ad alia flecti,*

qua

1673. quæ conventioni huic & amicitiæ sinceræ strictissimaque ullà ex parte adversari possint. Proinde etiam utriusque confœderatorum ministri publici & legati, inprimis etiam Ratisponæ adhuc hærentes, vel in posterum illic missi, colant quoque bonam inter se amicitiam, ac correspondentiam, ita ut de rerum argumentis ibi propositis, præsertim vero ad pacem & securitatem publicam spectantibus, fideliter conferant, deliberent, atque de certa aliqua sententia, quæ paci Westphalicæ, constitutionibus Imperii, securitati ac libertati Germaniæ, huic fœderi & confœderatorum commodo conformis sit, inter se conveniant, tandem publice pronuntient, eique insistant & inhæreant. XXI. Durante bello, vel etiam subsecuta pace, is, qui suppetias ex hujus fœderis præscripto tulerit, eo nomine nil quidquam præter mutua vice versa in ditionibus, casibusque hocce fœdere comprehensis definitisque postulare poterit auxilia, neutiquam autem a requirente sive sumtuum bellicorum, sive damnorum prætextu, aut quocunque alio colore de ditionibus, Statibus, arcibus, locisque quibuscunque aliquid detinere vel prætendere. XXII. Includantur huic fœderi defensivo ab utraque parte respective Imperator Romanus, Reges, Principes Electores, Principes, Resp. & Status utrinque nunc & posthac amici & fœderati, quorum amicitiæ, fœderibus, & pactis conventis hoc fœdus nullum præjudicium afferat, sed maneant ea in suo vigore illæsa, salvo tamen per omnia hoc fœdere. XXIII. Admittantur ex iis, quibus accedere libuerit, communi tamen consensu, & ut certis de capitibus cum iis nomine utriusque confœderatorum agatur, conveniaturque. XXIV. Duret hoc fœdus in decem annos, religioseque servetur, quo tempore elapso, vel etiam ante conveniant confœderati de prorogatione, siquidem ipsis ita collibitum fuerit. XXV. Ratificationum instrumenta super hoc tractatu & fœdere defensivo a Sua R. Mte & Sua Ser. El.li propriis manibus subscripta intra spatium trium mensium, aut si fieri potest citius, a die subscriptionis computandorum, hic Coloniæ ad Suevum rite commutentur. In horum fidem & securitatem majorem duo hujus fœderis, ejusque capitum seu articulorum exemplaria, pari tenore confecta, manuum nominumque nostrorum subscriptione & sigillorum impressione firmavimus. Acta hæc sunt in arce Coloniensi ad Suevum die 1. Decembris anno 1673.

Articulus separatus. §. 20. I. Notum præterea, testatumque speciali & separato hoc articulo sit omnibus, quorum interest, vel quavis ratione interesse potest: Quamvis in fœderis defensivi, quod inter Suam R. M. Sueciæ & Suam Ser. El. Brandenburgicam ab utriusque plenipotentiariis hodie conclusum, articulo inprimis quarto specialius conventum pactumque sit, qua ratione ab utroque confœderato pro reducenda pace labor, cura, solicitudo & officia impendi & adhiberi debeant, & si frustra fuerint, quomodo pro temporum rerumque faciæ collatis consiliis, confœderatorum officiis locus aliquis a belligerantibus detur: hoc ipso tamen neuter confœderatorum ita tenebitur, ut si functi officiis frustratos se, & a spe promovendæ bonis officiis pacis dejectos viderint, quilibet eorum, prout sibi, rebus, statuique suo conveniens, & proficuum existimaverit, haut possit libere & absque ullo vel hujus fœderis vel aliunde quovis modo proveniente impedimento pro lubitu decernere & disponere. Potius cuique liberum, nullaque ratione vel impeditum vel prohibitum sit, neglecta a belligerantibus pace, & protracto ulterius bello, vel accessione ad quascunque belligerantium partes, vel alia quacunque ratione securitati, rebusque suis consulere ac prospicere, ita tamen, ut consiliis, quæ fovet, cum altero confœderato mature & justo tempore, prius communicatis, id omni studio agatur, quo deliberata satis re, & examinatis inter se consiliis convenire possint. Quod si vero alteruter adduci rationibus haut possit, ut descendat in confœderati sui sententiam, eamque amplectatur & sequatur, tunc cuilibet confœderatorum quodcunque libuerit, separatim decernere licebit, & partes etiam eas tandem eligere, quas sibi, statuique & interesse suo magis putaverit faventes & commodas, adeoque etiam confœderato suo vel tunc contrarias, vel futuras. Nihilominus tamen jam enumeratis & quibuscunque aliis, qui excogitari possunt & contingere, casibus, fœdus hoc & amicitia inter Suam R. Mtem, successores Reges Regnumque Sueciæ, & Suam Ser. El.lem Brandenburgicam, ejusque hæredes & successores masculos descendentes salva, integra, inviolataque maneant, omnesque utriusque confœderati provinciæ & ditiones existente casu gaudeant juxta fœdus guarantia & auxiliis in eodem promissis, confœderatique, non obstante quid unus vel alter separatim & non probante vel consentiente altero hoc vel illud agere vel facere decreverit, alter alterius commoda promoveat, fœdus defensivum in omnibus capitibus, articulis & clausulis sancte servet, consiliaque pro securitate utriusque status, & publica pace tranquillitateque nihilominus ex fide conferant, strependibusque armis haut desistant a proposito stabiliendæ iterum, conservandæque quietis. II. Utut etiam in ejusdem jam dicti fœderis defensivi articulo V. inter ditiones & provincias Electorales Ducatus Cliviæ & Comitatus Marcæ & Ravensberg expressis verbis contineatur, eandemque quam pro reliquis ditionibus & provinciis Electoralibus Sua R. Mtas Sueciæ promisit, & pacta est guarantiam etiam pro Ducatu Clivensi, Comitatu Marca & Ravensberg cum cæteris omnibus in fœdere defensivo & ejus articulis comprehensis juribus & beneficiis præstare in se recepit: postquam tamen constat Serenissimam Domum Palatinam lineæ Bipontinæ, & sibi quasdam circa ita nominatam Juliacensis successionis causam competere prætensiones, hactenus professam, præterea in pace Westphalica articul. 4. conventum sit, ut tota Juliacensis successionis causa vel ordinario processu, vel amicabili compositione, vel alio legitimo modo dirimi debeat, ex ante memorata Domo Palatina lineæ Bipontinæ vero plures prætendentes concurrant, & cum quibusdam eorum juxta tenorem Westphalicæ pacis jam transactum, prætereaque eorum prætensiones enecatæ sublataque penitus sint, Suæ Regæ Mtis Sueciæ autem, ejusdemque Domini Patrui prætensio per pacta insuper inter eandem Suam Regem Majestatem, Ser. Suam Electoralem, & Serenissimum Ducem Neoburgicum die 6. Maji anno 1668. inita articul. 9. salva & integra manse- 1673.

1673. *manserit, & adhuc sit: ita Sua Ser. El.lis pro se, successoribus & hæredibus suis masculis hoc ipso declarat, nullum unquam ullo modo afferre debere præjudicium Suæ R. Mtis, ejusdemque Domini Patrui prætensioni, quæ ipsis circa dictam Juliacensis successionis causam competit, eo quod Sua R. Mtas, successores Reges, Regnumque Sueciæ pro Suæ Ser. El.lis Ducatu Cliviæ, & Comitatu Marca & Ravensberg juxta fœdus defensivum hodie conclusum, & ejus articulos in se susceperit & pollicita specialius sit guarantiam. Quemadmodum quoque articulus 9. pactorum die 6. Maji anno 1668. initorum majoris securitatis & certitudinis ergo verbotenus hic repetitus sit, & huic articulo insertus habeatur.*

Dani super hoc fœdere solicitudo. Arenstorf

§. 21. De hoc fœdere cum in Daniam perlatum esset, Rex ibi Carolum Arenstorfium ad Electorem mittebat, qui proponebat: Uti ab initio Regi perspectum fuerit Electoris pro bono publico studium, ad quod tutandum is primus quasi signum sustulerit: ita non dubitare, quin eadem adhuc ipsi mens perstet. Cum tamen de fœdere cum Suecis feriendo inaudiret, non potuisse, quin conjunctissimum amicorum moneat, ne Suecis nimium confidat. Eorum quippe destinata ulterius tendere, ac eos omni artificio adhibito id agere, ut Electorem in adversas rationes pertrahant. Ei ab Electore repositum: quæ consilia ipse hactenus sectatus sit, universi orbis, ac posteritatis judicio exponi. Eandem mentem erga patriam perstare; nec de radicato in Daniam affectu quidquam remisisse. Vetus cum Suecia fœdus a se renovatum improbari non posse, quod ad securitatem suarum ditionum maxime intersit istius amicitiam sibi pignerare. Ne adversis rationibus implicetur, sat provisurum. Quo Suecorum destinata tendant, sibi non constare. Si tamen istis in transversum abire placeat, id se non tangere, cui iidem legem dare nequeant. Sane tale quod fœdere haut contineri. Ostentandæ fiduciæ ipsius fœderis cum separato articulo copia fiebat. Quo perspecto iste abunde sibi satisfactum testatus discessit.

Super ratihabitione fœderis dubitatio. 26. Febr. 1674.

§. 22. Ast Wangelinus cum instrumento fœderis in Sueciam profectus intra conventum tempus ejus ratihabitionem adferebat. Sed quia interim Coloniæ ad pacem nil profectum erat, ac magna rerum conversio imminere videbatur Electorem quoque in partes tractura: hic denuo ad consilium referebat; num post tantam rerum a concluso fœdere mutationem id jam ratihaberi expediat? Ubi Suerinus censebat: Ab initio haut fuisse eam mentem, ut ulterius, quam ad nudam prioris fœderis renovationem procederetur. Sed quia Sueci tam solicite apud Electorem institerint, id unice ad promovendam pacem spectare, hunc judicasse, tam salutare se negotium defugere non posse. Cum etiam ante subscriptionem fœderis Elector sententias consilii perrogaret, se censuisse: siquidem ipsi placeat in partes descendere, satius fore id fœdus declinare; nec viam deesse ei negotio extrahendo aut corrigendo. Sed quia ostensum fuerit, hoc fœdere nil cotineri, quod Electorem contra proprias rationes obliget; ac non id respiciendum esse, quid Sueci animo agitent, sed quid verba fœderis ferant, eum auditis omnium sententiis decrevisse, subscriptionem debere fieri. Unde sibi videri ratihabitionem haut negandam, ut tamen Elector denuo disertis verbis testetur; se per id neutri parti adstrictum fore, sed integra sibi omnia reservare ad arripienda consilia, quæ Imperio ac suo statui proficua judicaverit. Tum ut antequam ratihabitionum instrumenta hinc inde tradantur, Goësio denuntietur; quia nec Cæsar nec Belgæ huic fœderi quid opposuerint, & id hucusque processerit, Electorem non potuisse, quin id ratihaberet; cui tamen ideo de studio suo in communem patriam nihil sit decessurum. Contra Blaspielus censebat, ratihabitionem fœderis differendam. Nam hoc modo Electorem luculento specimine ostensurum, integrum sibi esse pro re nata uni aut alteri parti accedere, ac proprio motu nemine impediente decernere, quæ & sibi & in publicum utilissima judicaverit. Expedire quoque nunc tempus ducere, ut audiatur, quid Gallus juxta, ac Cæsar & Belgæ proposituri sint; quibus inter se collatis consilia solidius formari posse. Suecos quoque suspectos se reddidisse, quod statim absoluto hoc fœdere cum Bavaro, & aliis Coloniæ super tertiis partibus formandis agitarint, in quas & nunc Electorem pertrahere laborent; ita ut si hic fœdus nunc ratihabeat, tertias istas partes amplexurus videri possit. Prætextum dilationi inde peti posse, quod interim pace inter Anglos & Belgas inita facies rerum insigniter mutata sit, ut speculandum utique videatur, quid consilii Anglus deinceps capturus sit. Friderico Jenæ fœdus sine exceptione ratihabendum videbatur. Cansteinius disserebat: sese statim initio, & cum tractatus absolveretur monuisse, Electori omnia a Suecis proposita suspecta habenda; præsertim cum constet, quid isti hactenus a Gallo perceperint. Et quanquam fœdus ad meram defensionem nemini improbandam conceptum videatur; Suecos tamen forte id aliter interpretaturos, nec minus alios sinistra inde conjecturos. Enimvero perfecti jam fœderis ratihabitionem haut commode recusari posse, quin plus suspicionis & offensæ apud Suecos excitetur. Unde sibi videri cum fœdus eo sensu, quem Elector præoculis habeat, nil contineat, quo is ad quid fraudi sibi futurum obligetur, ratihabitionem faciendam ut tamen simul denuntiet, animum sibi non esse per id tertiæ se parti, aut contra Cæsarem & Belgas illigare; sed se intra limites prioris fœderis defensivi subsistere, cujus confirmationem ipsum hoc fœdus, & non ultra reputet. Somnicius censebat: negata aut dilata ratihabitione Suecos non leviter offendendos. Ipsum fœdus neutri bellantium parti, nec cuipiam alteri scrupulum quid injicere posse. Nec Electorem per id ad amplectenda Suecorum destinata obligari, id quod separatus articulus mature communicatus satis indicare potest: sic ut non magis ratihabitione quam ipso fœdere quisquam offendi queat. Et quia fœdus ante oculos Electoris confectum fuerit, negata ratihabitione non aliter creditum ir

1674. iri, quam alia ipsum consilia iniisse. Eadem Meindersio sententia: Non posse non ea re Suecos graviter offendi, cum omnia ipso conscio conclusa sint. Scopum fœderis laude dignum, pacem instaurare, ac propria tutari. Suecos circa adornandum fœdus Electoris placito ultra solitum se attemperasse. Huic liberam facultatem relictam uni & alteri prout visum fuerit sese innectendi. Tum quantivis esse, res suas contra vicinum, a quo maximum periculum provenire queat, in tuto collocasse, salva facultate rationes suas sequendi. Idem fœdus Hafniæ, & Hagæ, ubi maxima causa fuerat id suspectandi, probari; id quod de Cæsare quoque speretur. Equidem Goësium id negotium quovis modo impedire studuisse, ut tamen idoneam rationem haut adferret, sed laxioribus semper verbis uteretur; Suecos longius tendere, ac id agere, ut Electorem paulatim in diversas partes pertrahant. Ast Electori facile fore providere, ne trahatur, quo Sueci velint, quorum voluntas legem ipsi dare non possit. Ac sufficere, quod ipso fœdere tale quid non contineatur.

Neoburgicus ei fœderi includitur. 24. Febr. Goldstein

§. 23. Huic porro fœderi Neoburgicus ut includeretur misso Henrico Theobaldo Goldsteinio petebat. Id quod tam Electori, quam Suecis placebat; ac statim tractatio suscipiebatur. Ac offerebat Goldsteinius formulam, quæ citra difficultatem probata est. Instrumentum accessionis hisce capitibus constabat: *Ut hoc fœdus de futuris casibus intelligatur, nec ad ea porrigatur, quæ forte ante hunc diem Electoris ditionibus illata sint. Ut Neoburgicus omni auxilio quod inter Regem & Electorem mutuo promissum est, circa omnes suas ditiones fruatur. Ut idem copias auxiliares tunc demum mittere teneatur, si Rex & Elector in ditionibus Germanicis invadatur, non in iis, quæ extra hanc sitæ sint. Is mille pedites, ducentos equites conferet; qui numerus si non suffecerit, tertiam partem eorum dabit, quæ Rex & Elector ultra simplicem modum præstiterint. Ubi is præfectum pari dignatione cum Regio aut Electorali mittat, hic quoque in consilio bellico alternis præsidebit; cui & jurisdictio in copias sibi commissas erit. Super re tormentaria ulterius conveniendum. Denique & separatum articulum sibi reservabat.*

Cum Belgis acta.

§. 24. Interea Elector curam pro Belgarum Republica non exuerat, etsi ista tam enixe expromta, cum pari studio non responderetur, in maximas eum difficultates conjecisset. Ac eos quidem ut paci animum adplicarent, sedulo hortabatur. Sed qui contra de-

30. Sept. 1673.

monstrabant: Coloniæ talia proponi, quæ si acceptentur Reip. exitium sint paritura. Igitur sibi satius visum extrema tentare, ac fœdus cum Cæsare, Hispano, ac Lotharingo iniisse; ac deinceps alios contra Gallum spiritus osten-

21. Oct.

suros. Paulo post Matthias Romswinckelius Belgarum delegatis proponebat: Electorem tamdiu responsum ad literas die 3. Maji scriptas expectasse; tum ut æqua declaratio super residuis stipendiorum daretur. Credidisse quoque Remp. hac rerum facie ansam arrepturam reliquas lites, quæ sibi cum tota Rep. aut quibusdam provinciis intercedant, amica ratione componendi, quo mutua necessitudo utrinque restabiliatur. 1673. Sed nihil responsi secutum: de solvendis stipendiis nullum verbum. Quin Belgarum legatos Coloniæ movere quid ausos de actione in oppida Clivica quondam præsidio Belgico insessa. Istis tamen insuper habitis Electori placere amicitiam cum Rep. colere; nec quin eadem huic mens sit dubitare. Necessarium tamen judicare istas controversias componi nulla exceptione, quæ in futurum disceptandi materiam præbere possit. Ad quæ delegati: *Domum Brandenburgicam ac Belgarum Remp. multis ab annis arcto nexu junctas. Intercedere iis gravissimas rationes e communibus sacris, situ regionum, & domo Arausionensi, firmissima amicitiæ vincula. Remp. quoque Electoris amicitiam maximi fecisse, at ut eadem arctius, quam cum quovis alio Principe adstringeretur, operam dedidisse. Libenter quoque se agnoscere cum Resp. per potentissimos Reges terra marique invaderetur, ac ab omnibus deserta esset, Electorem primum ad eam sublevandam sese accinxisse. Contra gravem dolorem Reip. attulisse, quod Elector abdicato isto instituto ad transactionem cum Gallo permoveri se passus sit. Quod ad literas non responderint, id non factum diffidentia suæ causæ aut dedignatione; sed quia animorum exacerbationem metuerint, si commemoratis ante actis ingrata disceptatio incalesceret. Unde satius visum istis dissimulatis commodius tempus expectare pristinæ conjunctioni ad tuendam communem causam instaurandæ. Cum itaque Gallus tam iniquas conditiones proposuerit, quibus admissis & Resp. & vicini ejusdem libidini obnoxii essent acturi, se fœdus cum Cæsare, Hispano ac Lotharingo feriisse, cujus vi Hispanus bellum Gallo indicturus sit, ac spem esse, Daniæ Regem, ac Luneburgicos Principes eidem accessuros. Unde & se confidere, Electorem ad asserendam communem causam, ac Imperii salutem alia consilia capessiturum, ac manum simul admoturum, ut quilibet sua recuperare, ac tuto deinceps possidere queat.* Ad quæ cum noster reponeret; tanto magis par esse, ut Resp. Electoris postulatis satisfaciat, delegati declarabant; Remp. nil actionis in oppida Clivica moturam, ac facile pati, ut eadem a Gallo Electori tradantur. Circa litem super debito Husiseriano compromissum intervenisse. Super compromisso Geldrico in præsens nil agi posse, ea provincia a Gallis insessa. Si reliqua subsidiorum exigere pertendat Elector, super iis ad singulas provincias referendum; ubi in vicem solutionis longa querimoniarum series sit expectanda, non nisi animos asperatura, quos conciliari communium rationum maxime intersit. Igitur præstare ista ad commodiora tempora seponi. Addebatur; cum propositæ a Gallo pacis leges ad Reip. & vicinorum eversionem spectent, spem esse Electorem quoque una cum aliis causam, quæ ipsum tantopere tangat, amplexurum. Ad ista Elector reponi jubebat: *Gratum sibi esse, a Rep. veterem cum Domo Brandenburgica conjunctionem, ac communes rationes agnosci, quæ amicitiam citra utriusque noxam divelli non patiatur.* 3. Nov.

Nec

1673. *Nec minus lætum, ipsos profiteri, se primum fuisse, qui afflictæ Reip. causam susceperit. Unde facile colligere possint, ni ejus Reip. conservatio sibi magnopere cordi foret, se ad tam periculosa ausa haut fuisse descensurum. Non parum tamen dolere, quod isti putent, immutato studio ad transactionem cum Gallo se adductum. A se acta temporum conditione abunde probari, ac amicitiæ leges examussim impletas, dum in nihil Reip. nociturum consenserit, quantumvis lautissima conditiones offerentur. Nec se ad ea pacta persuasionibus aliorum, aut odio in Remp. permotum, sed quia eadem per temporum conditionem declinari non poterant. Si tam arctam necessitudinem exprobrationes decerent, sibi longe graviores de Rep. querendi causas esse. Cum Cæsare, Hispano, Dano, Luneburgicis, uti ipsorum legatus fore confirmarit, ac nunc ex parte secutum sit, non mature convenisse, unde bellum ea vi, qua par erat geri non potuisse. Pecuniam rerum gerendarum nervum per quinque menses defecisse, se incassum protestante. Hostem ab iis haut distractum, ut sibi soli incumbere posset. Vicinos, eosque armatos minas jactasse, ut ni alia consilia caperentur, sibi pessum eundum fuerit, nullo Reip. emolumento. Igitur par esse reliqua subsidiorum persolvi, saltem divisis pensionibus. Nam etsi suo auxilio Resp. tam brevi tempore belli malis erepta haut fuerit, circa quod voluntas sibi non defuerit; eam tamen haut parum levatam maxima hostium mole in se aversa. Num ad suas literas respondere velint suo loco relinqui. Quod actionis nil oppida in Clivica reservent, a se acceptari, ac sperare futuris tractatibus eos curaturos, ne ista in alterius manus perveniant.* Sed Fagelio Romswinckelius in aurem dicere jubebatur; quantum momenti Elector ad communem causam adferre queat; ac uti eidem non minor nocendi huic Reip. facultas sit, si plane negligatur; ac complures Imperii Principes, quin Reges expectare, ut ipse aliam consiliorum viam ineat. Tum grave Electori fore tantum exercitum in amicorum gratiam alere, quod alias sibi cum nemine controversiæ quid intercedat.

Belgæ Electoris fœdus iterum affectant.

§. 25. Cum itaque Belgæ inducias, quas Sueci urgebant, ac conditiones ab his propositas adspernarentur, bellum gesturi, quoad omnia sibi erepta loca recuperassent, animos addente rerum cum alibi tum in Anglia conversione; præter alia causæ suæ fulcra Electoris quoque fœdus affectare instituebant. Igitur ad superius proposita magna cum verborum humanitate respondebant: *29. Nov.* Se velle legatum ad Electorem mittere. De subsidiis ut ad aliud tempus rejiciatur petere. Sed si obnixe ista exigantur, exemplum pacti Gallici sibi edendum. *9. Dec.* Quo responso Elector haut contentus censebat: si una die debitum id numerari urgeat, habere eos quod iniquitatem temporum excusent. Sed cum ipse nunc diem solutionis dividi velit, manifestum esse Belgas e pacto Gallico violati ipsum fœderis arguere, aut alias scrupuli quid movere velle. Igitur iis demonstrari jubebat; tali modo exhibita a se amicitiæ officia haut agnosci, nec ad ea continuanda stimulum addi. Sane hactenus solam colendæ amicitiæ curam obstitisse, quo minus iis exprobraverit, aut inquiri petierit, quare Clivicis oppidis tam maligne fuerit prospectum, ut oppignationem sustinere non possent, cum id longe aliter convenisset; ex quo provinciæ suæ infinita damna sint enata. Quod se in expeditionem procedente ipsi aliorum conjunctionem quærere omiserint, se solo cum periculi magnitudine luctante. Quod subsidia nunquam justo tempore solverint, ut iis recte uti posset. Quod denique hostem non distraxerint, cum ipse rem in Westphalia gerere inciperet. Si igitur Belgis exprobrare quædam libido sit, in promtu esse, quæ longe majore jure reponi queant. Sperare tamen non magis eos huc descensuros, quam sibi jucundum sit cum veteribus amicis jurgari. Pactum cum Gallo se nunquam inter secreta habuisse, cujus exemplum nunc mittatur. Legationem sibi non ingratam fore, ut tamen non videri velit se istos ad eam invitasse, sed ut eadem ab arbitrio ipsorum dependeat. Copiam quoque faciebat fœderis cum Sueco initi, ut perspiciant, nil eo contineri Reip. eorum adversum; utut pari candore Belgæ non egerint, ac nondum communicarint, quid rationum cum Cæsare, Hispano, ac aliis contraxerint. Quia tamen Belgæ mox modeste admodum loquebantur, Fagelio cumprimis ad instaurandam amicitiam incumbente, Elector quoque jubebat omissis asperioribus pari verborum humanitate istis occurrere. Nam isti congressu habito Electoris consilia & acta, simul exhibita ipsis beneficia admodum extollebant, testati Reip. nil magis in votis esse, quam denuo eidem quam arctissimo nexu jungi. Ac si gratum id futurum sit, legatum missurum, qui & de subsidiis transacturus sit; quorum exactio ut tantisper suspendatur rogare. Legationi obeundæ Isaacus Pavvius Achtienhovius designabatur. *Pav van Achtienhoven.* 1673.

Circa disponenda in futurum consilia deliberatio.

§. 26. Cæterum quia exercitus nulla spe pacis adparente exautorari non poterat, quem tamen alere soli Electori difficile admodum futurum erat, jam consultabatur; quæ hac rerum facie via ineunda foret; ac unde adminicula petenda militi sustentando; & num denuo cum Belgis contrahendum? Ea super re Blaspielo videbatur: *Summam rerum Electoris in præsens in eo verti, ut æqua & stabilis pax promoveatur; ut exercitus, qui autoritatem ei circumponat, ad pacem usque minimo civium onere sustentetur; ut denique Clivica oppida recuperentur, ac interim prohibeatur, ne eadem a Gallia hostibus oppugnentur, tum ne Clivicæ & Westphalicæ ditiones transitibus, & stativis exercituum, aliisque oneribus plane pessumdentur. Huic fini necessarium esse, ut Elector haut otiosum spectatorem sed negotiis immixtus agat, ac promovendæ paci operam navet; ac ut inprimis ex fœdere Suecico bellantes ad pacem hortetur.* Fridericus Jena sine circuitione cum Belgis transigendum suadebat, ut pecunia subsidiaria potiri detur. Contra Suerinus metuebat, *ut pecunia, ab una aut altera partium danda sumtibus tolerandis sufficiat, civibus haut eo minus sub onere fatiscentibus. Quin amica hostium irruptione*

1674. tione in Electoris ditiones plus damni dari, quam quanti aliquot annorum subsidia sint. Tum exercituum hinc inde itineribus, quæ in bello declinari nequeunt, provincias valde atteri. Quod si Sueci Gallicas partes amplectantur, uti facturi videantur, si plures Gallo hostes surgant, forte & culpa belli extracti istis impacta, qui Belgis auxilia latum eant, haut tutum fore Electori ditiones suas milite nudare. Quanquam enim cum Suecis conventum sit, ut eo casu amicitia cum ipsis illibata persistat; vix tamen tuto iisdem fidi posse. At forte ipse Cæsar desideraturus sit, ut Elector tergum ipsi tutum præstet; quo casu Belgarum expectationi satisfieri nequeat. Electoris porro non minus quam cujusvis alterius interesse, pacem quantum potest accelerari. Sed statim atque is in partes transierit, eam operam aliis transscribendam. Quod si & Elector in præsenti statu maneat, Gallum recusare non posse, quo minus ei Vesaliam & Reesam reddat; quæ loca, si vi recuperanda sint, totius Clivicæ vastationem productura esse. Respectum quoque Poloniæ non permittere, ut Elector alterutri partium accedere properet. Ac si Rex creetur Gallicæ factionis, Borussos præsentia aversantes ansam res novandi arripere posse, Electore alibi districto. Bellum suscepturis causas expendendas, num satis graves sint. Quod si Belgis nunc adsistatur, de justitia causæ dubium non esse. Ast uti initio hujus belli sola necessitas, qua tunc Resp. urgebatur, consiliis momentum attulit: ita eam nunc cessare, cum jam apud Belgas deliberetur, quomodo bellum in ipsam Galliam refundere possint. Unde dubium, an non pax tali auxilio magis impediatur, quam promoveatur. Posse tamen fieri, ut his omnibus insuper habitis Electori consultum sit ad priores partes redire. Nam forte tam lautas conditiones offerri posse, ut bellum sine onere ditionum propriarum geri queat. Posse quoque conveniri, ut si Suecia in Galli partes concedat, huic alia potentia opponatur; aut saltem eo casu Electori liceat milite suo ad propria tutanda uti. Aut ut Elector non amplius teneatur, si una vel altera pars æquam pacem admittere nolit. Posse etiam Electorem Suecico fœderi hactenus satisfacere, ut antequam auxilia repræsentet, debitis locis de pace proponat, sicuti jam per Crocovium Viennæ fieri jussum sit. Denique conclusionem extrahi posse, quoad eventus Polonicæ electionis adparuerit. Igitur expectandum, quid legatus Belgicus, qui in via est, allaturus sit. Ex eo si pax promoveri, ac Electori securitas constare queat, rem ita temperandam, ne contra pactum cum Gallo, ac recens cum Suecis fœdus egisse argui queat.

Somnicii sententia. §. 27. Ast Somnicius late disserebat: Postquam nec exercitum solvere tutum sit, nec is citra oppressionem civium diutius ali queat, quæstionem esse, num Electori cum Belgis, si legatum mittant, fœdus ineundum, an quid aliud suscipiendum? Ubi id dubium non esse, quin optimum juxta ac tutissimum sit paci promovendæ studere, & quidem potius missis legatis quam literis. Nam responsis ad literas neminem facile arcana animi sensa super conditionibus pacis significare, de quibus tamen legatorum dexteritate explorari potest. Pecuniam ab alterutra parte accipere, ut quiescas, anceps esse. Ob Gallicum argentum officium patriæ debitum negligere, infamiam habere. Nec quiescenti idem 1674. autoritatis, aut efficaciæ ad bonum publicum ac privatum, pacemque promovendam, quam si quis armis pacis osores urgeat, ac ipse rei gerendæ incumbat. Ab Hispanis autem ac Belgis ut ab armis cessetur, nil sperandum, cum vix sit quod detur militi rem gerenti. Ast in bellum descendere alea plenum esse. Equidem ad subsidia respici, quæ alii, qui ad societatem armorum invitant, daturi sint. Circa ea primo considerandum, num sufffectura sint levando oneri, quo Electoris provinciæ premuntur. Tum a quonam danda sint. Ne pro Gallo ferrum stringatur prohibere conscientiam & fas sacrorum, tum salutem ac libertatem patriæ, ac membra ejus Reipublicæ, quæ injusta istius vi opprimantur. Ubi contra istum arma gerere instituas, cogitandum periculum, quod Clivia ac vicinis Electoris ditionibus incumbat. Tertiis partibus formatis plus divisionis in Imperio effici, Ordines a justis ac solidis consiliis diverti, quod jam tristis experientia docuerit. Nam si ab initio universi Ordines cum Cæsare ac Electore tota vi Gallo se opposuissent, is dudum Germania expulsus foret. Nunc tot factiones, ac in diversum tendentia studia in tantas miserias patriam conjecisse. Et qui istas partes agitant, Gallico auro emtos, quos a Gallicis quoque consiliis pendere manifestum sit; præsertim cum & Gallicas partes foveant. Alios quoque privata commoda ista ratione captare. Porro quid juste suscipi possit, haut obscuram habere disceptationem. Nam quis dubitet, quin justum piumque sit vim inferentes expellere, ejusdem Reip. consortes adversus impressionem tutari? Equidem jactari, singulos Imperii Principes non teneri ad arma arripienda, nisi junctim cum aliis, & juxta leges, ac decreta universorum Ordinum. Quod perinde fuerit, ac si Germaniæ, ejusque membris juxta leges pereundum sit. Num credibile sit, eam fuisse veterum sententiam qui leges condiderunt, ut si extraneus pecunia aut aliis artibus Ordines dividat, oppressos ideo nemo sublevare debeat, quoad corrupti aliam mentem induerint, ac universi in ista auxilia consenserint? Nec minus providendum, ne circumposita Germaniæ munimenta, quibus hujus securitas stat, subvertantur. Et quid credamus a Gallo expectandum, Belgio in ditionem redacto, qui nunc ita proterve Germaniam insultat? Denique & purioribus sacris maximum periculum imminere, si Gallus eo, quo adspirat, invaluerit; cui omnia per violentiam perrumpere, quæ libido dictaverit, solenne est. Potissimam quæstionem esse, num quo fas ducit, idem & expediat. Atqui præterquam quod pia sectantes Numinis favor haut destituat, præsto esse socium Cæsarem, aliosque queis patriæ salus cordi est; ac tantas fœderatorum vires, quæ & felicem successum promittant, ac periculum imminuant. Porro qui oppressionibus hostium liberantur ad æternas grati animi vices obstringi. Et quanti magnanimo Principi esse debeat, gloriam nationis Germaniæ valde quidem prostratam vindicare, ac Imperii convulsionem atque lacerationem impedire? Quem porro favorem arma Electoris prosecuturum, ingens momentum pellendo hosti, ac paci reducendæ allatura, præsertim ubi miles accurata disci-

 plina

1674. *plina coërceatur, ac ista subsidiis aliunde præbitis subleventur. Eundem quoque si aliis immixtus rem gerat, rationibus ac securitati suæ melius prospicere, ac si qua clam struantur machinationibus occurrere posse. Tum & exemplo alios in bonas partes pertracturum, ac Ratispona dictis fortibus sententiis animos reliquis additurum, qui hactenus sensa circa Remp. metu periculi promere ausi non sunt. Equidem objici magnam Galliæ potentiam, Clivia periculum, tergum a Polonis non satis tutum, lubricam Suecorum fidem, multorum in Imperio contraria studia. Enimvero in rebus humanis nil reperiri, quod periculo ac molestia careat. Haut eo minus connitendum, ut fiat, quantum fas ac vires ferunt, ac eventum Deo committendum. Nec tamen deesse remedia, quæ periculis opponi queant, nec spernendas esse eorum vires, qui contra Gallum se conjunxerint. Num tamen in præsens arma resumenda sint, liquido decerni priùs non posse, quam Belgarum destinata e legato, & quas conditiones offerant intelligantur. Id tamen in aprico esse, nullo jure Electorem prohiberi, quo minus cum Belgis fœdus inire queat, quorum amicitia ejus statui utilissima, ac tantum non necessaria sit, & quam instaurari, & ad posteritatem propagari summopere expediat. Id quoque agendum, ut Hispani pecuniæ quid suppeditent, ac Cæsar nostro exercitui æque ac suo hospitia curet; utque Daniæ quoque Rex & Luneburgici in partes trahantur. Quod si tamen Elector judicet, se ad arma pro Imperio movenda non teneri, nec aliunde pecunia præbeatur exercitui sustentendo hujus modum ita esse coërcendum, ut provinciæ ferendo oneri pares esse possint.*

Ad Cæsarem missio. *12. Jan.* §. 28. Inter ambigua ista consultationum cumprimis necessarium erat aulæ Cæsareæ studia atque destinata nosse; quo fine Crocovius Viennam mittebatur. Ei injunctum, ut captandæ benevolentiæ Cæsari gratularetur de successu armorum pro Germaniæ salute sumtorum, ad quam & Elector omnia sua consilia referat. Tum se venisse, ut hac rerum facie de negotiis Imperii, ut & de Polonia cum aula Cæsarea communicet. De fœdere cum Suecis testaretur, id in Cæsaris aut Imperii fraudem haut tendere, ac Electorem sibi in eo integra omnia reservasse. Et quia interim nemo ipsius rationem habuerit, necessarium fuisse, ut securitati suæ aliunde prospiceret. Quod si de Electore in partes pertrahendo moveatur, circumspecte ageret, ac inde quidem insigne ejus desiderium pacem omni modo promovendi demonstraret, hinc autem caveret, ne intempestiva fama surgat, velut ipse iterum in partes descendere statuisset. Si quid tamen ejus generis proponatur, cognosceret, quid desideretur, & quid emolumenti eidem expectandum sit. Tum & obiter insinuaret, Electorem pro bono publico exercitum habere, ad quem alendum nemo quidquam conferat; cum tamen alii, si modo quiescere velit, insignia emolumenta polliceantur. Præterea super restituenda Carnovia moneret. Denique & indicaret, etsi Elector Cæsari nolit præscribere, quomodo hic cum civibus suis agere debeat: subigere tamen devotum, quo Cæsarem amplectatur, animum, ut Cæsari demonstret, quantum detrimenti atque invidiæ ipsi passim concilietur non modico cum hostium fructu, quod Protestantes per ditiones hæreditarias tam asperis persecutionibus premantur, ac fortunis exuti in exilium ejiciantur. Et quia pleraque id genus inscio Cæsare fiant, eo magis Electorem rogare, ut clementiam Austriacæ Domui propriam erga tot miseros atque innocentes exerceat, eosque contra immanitatem persecutorum tueatur.

§. 29. Crocovius Viennam delatus post exposita mandata cum de exercitu Electoris jecisset, cui sustentando ad diuturnitatem suffecturus non sit, Montecuculus dicebat; se statim monuisse, ut opera daretur, quo Electoris exercitus conservetur. Sed creditum fuisse, eum post tam recentem cum Gallo transactionem talia adspernaturum; ac spatium eidem indulgendum, quo Gallus hostilibus in Germaniam continuandis ansam præbeat reservata ipsi libertate circa auxilia Imperio ferenda utendi. Ac jam ea de re non sine spe successus agi cœptum, cum eadem vado adhæreret, quod Elector Cæsari expeditionem dissuaderet, ac mox cum Suecis fœdus iniret, per quod Hispanis ac Belgis nova suspicio injecta sit. Nam etsi fœdus id prudenter adornatum sit; non constare tamen, num qui secreti articuli subsint, aut saltem mens non sit arctius se Suecis innectendi. Sane ejusmodi pacta non fieri absque ulterioribus respectibus; ac sæpe aliquem arctius stringi, quam ipse ab initio crediderit. Nam non adparere, quid emolumenti Elector ex eo fœdere capiat & tamen eum optimis amicorum se suspectum reddere. Ac si Sueci valido cum exercitu in Germania consistant, haud eo magis securitati ditionum ipsius cautum fore. Interim per id aliorum consilia turbari, atque impediri quo minus Electoris societas ambiatur; id quod Galli ac Sueci in ejus fraudem quærant. Igitur spem esse, Electorem haut arctius se Suecis innexurum. Nam hi ubi aliquam factionem in Germania præsto fore sperent, facile libidinem concepturos exercitu trajecto incendium eo latere excitandi, Electoris ditionibus quam maxime infestum. Equidem Cæsarem nullam istis causam hostilia sumendi præbiturum; si quid tamen ultro tentent, successus prioribus similes haut experturos. Quod si Elector bonis partibus accedere velit, brevi honestam pacem inventum iri non sine egregia ipsius gloria, ac in promtu esse ei ab Hispanis ac Belgis subsidia. Nec minus legatus Hispanicus Marchio *de los Balbases* Electoris amicitiam Regi suo cordi esse ostendebat. Huic juxta ac Cæsari pacem summopere expeti, sed tutam & stabilem, & per quam ipsi juxta ac vicini in eum statum reponantur, ne singulis bienniis novæ irruptiones, aut etiam media in pace protervi insultus meduendi sint, quales hactenus toleraverint. Uti igitur hucusque Gallo ad ista audenda viam munivit Germanorum discordia, ac debilis Belgii Hispanici status: ita fœderatos id acturos, ut Belgium deinceps sibi tutando sufficia

1674. ciat, ac Germaniæ in vicem propugnaculi inservire possit; si maxime res non plane ad leges pacis Pyrenææ reduci queat. Et peculiariter Electoris heic interesse ob ditiones Clivicas. Inde vires fœderatorum extollere. A Suecis nil metuendum, præsertim postquam Anglia pacem fecerit. Nec Electori ab Hispano subsidia defore. Alias Cæsarei ministri Cæsaris in pacem studium commendabant, qui etiam vasallis suis diplomata dederit, cum Gallus eadem Lotharingo Principi libero negarit. A Gallo Comitem Nassovium Saræpontanum, quod juramentum subjectionis abnuerat, in custodiam datum: Metenses vasallos crudeliter habitos. Nullam nationem toto terrarum orbe tantum contumeliæ & insultationum tolerasse, quam in præsens Germani a Gallis sentiant, eousque procedente impudentia, ut si quis oppressos tutari instituat, ultro pacis violatæ arguatur. Tanto malo averruncando haut aliud remedium esse, quam ut omnes patriæ amantes Principes, quos inter Elector & potentia & animi generositate primum locum teneat, consilia & arma cum Cæsare socient. Amicis officiis haut aliud proſici, quam ut plures injuriæ invitentur. Jam opportunum tempus adparere tantis malis finem imponendi. Electorem in partem gloriæ ob servatam patriam cum Cæsare venturum, ac aliis exemplo præiturum, repudiatis fallacibus Galli promissis, ac privatis, quæ ostentantur, emolumentis, tanquam autoramentis publici servitii, quod deinceps non ipsi minus quam aliis intolerabile sit futurum. Porro Cæsari hunc esse armorum scopum; omnia in Imperio per Gallos occupata loca, ac Lotharingiam recuperare, reparationem damni dati quærere; securitati in futurum expugnato Brisaco ac Philipsburgo prospicere; ac ut Hispano ob damna in Belgio accepta satisfiat. Super eo armorum scopo Elector judicabat, talia haud inique peti: sed eo adquiescendum fore, quod favente Numine obtineri queat. Alias libenter quantum in se ad communem causam collaturum; sed in eam rem vires suppeditandas, ac non subsidia solum, sed & securitatem curandam. Tum & nosse velle, num quid cautionis Cæsar a Suecis habeat. Super sacris Cæsarei respondebant: A Cæsare neminem ad mutandam religionem cogi. In Hungaria paucas esse civitates, quæ in partem rebellionis publico consensu non venerint. Unde Cæsari jus rigidum sequi fas fuisse, ac omnibus privilegiis rebelles exuere. Per congenitam tamen clementiam eum summe moderatione usum a Protestantibus pauca duntaxat templa vindicasse, & ea quidem, quæ ipsi antea catholicis eripuerant, iis relictis, quæ ipsi extruxerant. Ad solum vertendum neminem coactum. Ubi templa ademta fuerint, cultum intra privatos parietes relictum, modo quiete vivant. Cæterum stabat sententia Cæsari bellum contra Gallum tota vi persequi; cui animos cumprimis addebat pax inter Belgas & Anglos facta, & quia Angliæ Rex legato Hispanico fidem dederat, se nec palam nec oblique Gallo suppetias laturum. 1674. Sed & haut credebat Suecos quid molituros; aut si eo temeritatis procedant, id Electori magnæ felicitatis loco futurum. Nam prout nunc partes formatæ sint, Suecos Pomeraniam nullo modo tueri valituros, inprimis si Belgæ mari eos arceant; id quod in proclivi futurum sit.

§. 30. Inter hæc novam inflammando bello materiam suggerebant Galli, Electore Palatino hostiliter habito. *Galli Palatinum invadunt.* Isti jam antea Bipontinam ditionem misere exhauserant, ac edicto, quo tributa imperata fuerant, per ludibrium addiderant; Ducem de cætero ut amicum & fœderatum Regis habitum iri. Cum quoque Palatinus per Steincallenfelsium Nanceji de præfecto Philipsburgensi quereretur, subditos suos ab ipso ad opus faciendum cogi, nec Electore talia ulterius tolerari posse; Luvoisius responderat: Quid? parvus Elector Palatinus audebit Regi Galliæ se opponere? *Comment, Monsieur, un petit Electeur Palatin oseroit-il bien s'opposer a unRoy de France?* Ast Cæsar Palatino omnibus se viribus auxilio futurum pollicebatur. Simul Crocovio significabat, se sperare, Electorem contumeliam hoc facto Germaniæ illatam ad animum revocaturum. Palatinum non aliam ob causam ista tolerare, quam quia defensionem sui juxta leges Imperii quærat, & a Gallo oblatum contra Cæsarem & patriam fœdus abnuerit. Super isthac invasione Palatinus querimonias ad Electorem quoque deferebat, prolixe memorans, quantum importunitatis ac violentiæ a Gallicis copiis, ac præsidio Philipsburgensi tolerandum sibi fuerit, utut Rex sæpissime diversa omnia promiserit. *20. Mart.* Eam rem omnibus Ordinibus summæ fraudi cedere, si ipsi externo bello haut impliciti ideo hostili modo invadendi sint, quia suadentibus Imperii legibus, a Cæsare aliisque Ordinibus auxilia avertendo extraneo periculo quærant, atque obtineant. Simul Electoris opem exposcebat. Ad quæ hic confirmabat; se quæ Ratisponæ adversus ista sint decernenda probaturum, & exsequendis ibi decretis paratum fore. Cæterum Galli pontem navalem apud Philipsburgum struxerant, ad quem, simul muniendæ viæ Palatini subditos vi compulerant, rapinis quoque passim grassati. Inde Vaubrunus mense Octobri superioris anni, cum superato isto ponte quinque millia in Franconiam duceret, Palatinatum pessime habuerat, donec demum Turennius e Franconia facessens totam belli colluviem in eundem effunderet, per sesquimensem licentia hostili eidem incumbens. Qua super vastatione cum Palatinus apud Galliæ Regem, ac Turennium quereretur, his nil quod reponerent erat, præter rationem belli, inevitabilem necessitatem, & quod in tanto exercitu disciplina a Rege commendata ita accurate servari nequeat. Accedere & alias causas, de quibus nemini rationem reddere teneantur. Cum igitur Palatinus Franconico, Suecicoque Circulo, ipsoque Cæsare contra ejusmodi oppressionem auxilia petiisset, ac ab istis quidem mille pedites, centum equites firmandis suis præsidiis obtinuisset, a Gallo missus veniebat Bethunius, multa de Regis amicitia in Electorem testatus, cui pro da- *Febr.*

1674. mnis a transeunte exercitu & alias datis satisfaciendum sit. Nam tractatibus pacis cum Belgis Regem curaturum, ut hi damna ista aliquo modo reparent, tanquam autores belli. Addebat Regi cognitum, uti Palatinus Cæsari ac reliquis Ordinibus sese innexuerit, ac missum ab his auxiliarium militem intra munitiones suas recepturus sit; id quod non possit non Regem gravi suspicione perstringere. Igitur hunc postulare, ut ipse medium se teneat, nec alibi præsidium quærat, sed sola Galliæ amicitia, fide, ac tutela nitatur, abunde suffectura ad eundem contra omnes insultus protegendum. Ad quæ Palatinus: Amicitiam Regis maximi a se fieri; sed facta verbis non congruere, provincia sua proximo Gallorum transitu funditus evastata, ac plusquam hostiliter habita. Super qua re ipse sæpius in aula Gallica quæstus, sed nunquam auditus sit, aut quid reparationis obtinuerit. Delegationem ad Belgas esse ridiculam & illusoriam, cum incertum sit, quando & quibus legibus hi pacem sint facturi. Medium se semper egisse, ac in belli Belgici partem haut venisse; nec aliud quærere, quam Germaniæ suæquæ provinciæ ac vicinitatis quietem, damni reparationem, ac idoneam cautionem, ne deinceps ejusmodi oppressionibus, ac ducum Gallicorum, & præfectorum Philipsburgensium importunitati obnoxius agere cogatur. A Cæsare atque Imperio, cui obstrictus sit, disjungere se haut potuisse; a vicinis Circulis ad sua tuenda auxilium petiisse, & obtinuisse. Istud Gallo eo minus suspicionis præbere posse, quod ipse pacis sponsionem in se receperit. Eo responso accepto Bethunius statim ad Vaubrunium & Rochefortium Gallicos duces profectus erat; qui nulla mora cum aliquot millibus irruptione facta Germersheimum oppidum cum arce paucis provincialibus insessum occuparunt, toti præfecturæ tributis imperatis. Obtentui sumebatur fœdus inter Cæsarem & Palatinum Viennæ in fraudem Galliæ initum. Quod Palatinus nunquam se vidisse, nedum ratihabuisse testabatur; etsi forte formulam aliquam ibi conceptam haut valde inficiaretur. Ac revera super ejusmodi fœdere Viennæ agitatum fuerat, quo inter alia Cæsar promiserat, se Philipsburgum suis ac Imperii sumtibus recuperaturum, ac Palatino præfecturam provincialem Hagenoensem in feudum collaturum. Cujus exemplum Cæsareorum secretorum proditores Gallo communicaverant, quod & circa tractatum cum Trevirensi factum erat; unde utrique prœmaturæ calamitatis causa fuerat. Cum inde Palatinus a ducibus Gallicis per literas causam hostilitatis exquireret, Rochefortius respondebat: *Id se honoris sortitum, ut sit nativitate Gallus, & maximi omnium toto terrarum orbe Regis subditus, cui soli suarum actionum rationem teneatur reddere.* Vaubrunius vanitatis parcior nil planeresponderat. Bethunius ejus rei causam ignorare se ferebat, ac id valde sibi dolere, eoque nomine ad duces scripturum. Qui tamen revera a Rege missus erat, ut Palatino super ante actis

14. Jan.

conditiones offerret, eumque in futurum Galliæ partibus adstringeret. A quibus si eum alienum reperiret, ducibus id significaret; qui mandata, quæ eo nomine habeant, sint executuri. Reverso a ducibus cursore Bethunius accessum Palatini petebat, velut rem magni momenti significaturus. Admissus dicebat, Regem intellexisse Palatinum fœdus cum Cæsare contra Galliam iniisse, cujus exemplum exhibere possit; quo Palatinus Cæsari Germersheimum tradere promiserit. Igitur Regem præveniendo locum Philipsburgo tam propinquum occupasse. Quæ omnia Palatinus inficiabatur; ac ut id daretur, vitio tamen idem sibi non vertendum, circa conservationem patriæ satagenti. Inde Galli longius progressi Hagenbacum quoque & Saletionem invadebant. Is Bethunius tota sua negotiatione nil scripti exhibere volebat, nec sermone suo sibi constabat. Quæ pridie dixerat, hodie inficias ibat, aut in alium sensum trahebat. Cum mentione de medio statu servando injecta interrogaretur, num procuratorium habeat super eo tractandi, id negabat; sed brevi id accipere posse. Eam tamen legem istius status fore, ut solis Gallis transitus concederetur, reliquis abnueretur; id quod ejus erat, qui in partes Galli concessurus esset. Cum itaque Galli rapinis atque incendiis grassari pergerent, Palatinus repetita vice Electoris opem implorabat. Cui hic respondebat: Imperii decreta se secuturum, ac ferendo auxilio paratum esse, modo constet, unde miles sustentandus sit. Idem & legatos suos Ratisponæ declarare jubebat: Se non solum a communi Imperii decreto non discessurum, sed & promte collaturum, quicquid propulsandæ exterorum violentiæ necessarium si futurum. Porro causa Palatina proposita initio quidem plerique censebant, Palatinum opis expertem haud relinquendum. Sed cum de modo anquireretur, plerique literas scribendas innuebant. Sed demum conclusum, per literas oppressis non consuli, sed auxilio militari opu esse. Elector porro efficacissimum remediun judicabat, ut proximi periculo Circuli arma ex pedirent, tum quilibet patriæ fidi Ordines sin mora Cæsari se jungerent, ac unitis consiliis a viribus hostium invasiones propulsarent, quei unus post alterum pessumdetur. Nam in con muni Imperii militia serum auxilium esse, quar forte unus & alter ideo ingerat, quod externi armis occurri nolit; cum norit, ab universis o tam diversa studia nunquam in unam sentent am conspirandum, nec decreta effectum sortiti ra. Tum & promto auxilio opus esse, Gallis si binde longius penetrantibus, ac in visceribu Germaniæ pedem figere molientibus. Id tame curandum, ut Ratisponæ super stipendio commeatu auxiliarium copiarum statuat quo facto suas legiones protinus iter ingres ras. Enimvero heic plerique frigebant, ac cens bant; par esse, ut qui auxilia exposcunt, eade quoque alant. Et quia legatus Gallicus Crav lius Ratisponæ hactenus nil aliud egerat, qua ut partem Ordinum Gallo innecteret, ac co si

1674. filia in publicum utilia turbaret, Cæsar edicto istum Ratispona exesse jussit. Nam nullam amplius Galli verbis fidem esse, postquam nunc hic, modo alius ex improviso ab isto opprimatur, ac longius semper in Germaniæ viscera penetretur.

Gallus Electorem in diversum trahere conatur. *25. Febr.* §. 31. Uti porro Electorem & officium, & publicæ, privatæque rationes, ac hortatus Cæsaris, precesque oppressorum ad defensionem patriæ vocabant: ita Gallus ut in diversa eundem pertraheret laborabat. Cujus jussu Verjus proponebat; sibi mandatum certas conditiones super restitutione Vesaliæ ac Reesæ, uti & insignia commoda super Germaniæ pace promovenda offerre, Electori summæ gloriæ cessura. Unde delegebantur, qui cum eo colloquerentur. Heic Verjus Electori offerebat stipendia in XII M. militum exercitui instruendo, quo is eo majore cum autoritate pacem promovere queat; super quo negotio Rex arctiore *2. Mart.* fœdere ipsi jungi cupiat. Ad quæ Elector: istam propositionem sibi haut ingratam: sed nosse velle, quam viam Rex ostendat ad pacem perveniendi. Verjus heic varie, multasque per ambages disserere; uti Rex copias suas e Germania revocare, ac omnia restituere voluerit, modo Cæsar idem faciat. Igitur necessum esse, ut Cæsar, qui in solius Hispani gratiam pacem moretur, ad istud armis permoveatur; ad quæ paranda Rex subsidia daturus sit, protinus quoque restituta Vesalia ac Reesa, simul reparato damno per suos in Clivia dato. Præter ista ostendebat; quia Palatinus communicationem cum Philipsburgo Gallis præcludere voluerit. Regem decrevisse Germersheimum occupare. Simul exhibebat exemplum pacti *9. Mart.* inter Cæsarem & Palatinum initi. Ad quæ Elector: Se omnem operam dedisse, ut Cæsari persuaderet, ne copias suas Imperio immitteret, spe facta, Regem suos pariter revocaturum. Sed cum interim Trevirensis ditio milite Gallico inundata sit, Cæsarem officii sui judicasse oppressis succurrere. Et cum ipse non omisisset pacem ingerere, jam quoque negotium Palatinum intervenisse. Unde se dubitare, num per amica remedia apud Cæsarem quid profici queat. Sed si Rex serio declaret, se copias suas e Germania revocaturum, occupata loca dominis redditurum, læsis satisfacturum, & omnia in statum, qui antè bellum fuit, repositurum; ac Cæsar haut eo secius bellum in Galliam transferre pertendat, tunc demum deliberato opus fore, qua ratione id impediri queat. Quo minus autem nunc in proposita consentiatur, multa esse, quæ obstent. Nam solum se rem, quæ universum Imperium spectet, sine reliquorum Ordinum consensu suscipere haut posse; cum plerique judicent, Cæsarem nil præter officium fecisse; multi etiam, ut in eo proposito pergat, stimulent. Esse quoque sibi cum Sueco fœdus, ex quo talia communicare teneatur. Suas denique provincias ita sitas, ut si ipse tale pactum ineat, Cæsari in proclivi sit eas opprimere. Ast si Rex liberalius se declaret super revocandis copiis, & occupatis locis restituendis, se omni studio incubiturum ad pacem Cæsari persuadendam. Simul petebat Vesaliam & Reesam sine exceptione reddi, uti Verjus ab initio spem fecerit, & quæ restitutio cum hoc negotio nil commune habeat. Ac Ordines Imperii specimen inde capturos, Regi pacem cum Imperio colere cordi esse. Isthæc a Verjo proposita Elector Arausionensi communicabat; qui ea altius penetrare, ac Reip. aliisque fœderatis noxia, ac propriis Electoris rationibus periculosa indicabat. Vicissim Elector ostendebat; satis se perspicere, sine armis a Gallo bonam pacem haut sperandam. Sed suis se sumtibus id negotium sustinere non posse; unde par esse, subsidiis se levari; præsertim cum adversa pars ista offerat. Id quod æquum agnoscebat Princeps, modo ne Elector Remp. ultra vires urgeat.

Ulterior cum Gallo disceptatio. *18. Mart.* §. 32. Ast Verjus Electoris responso haut contentus multa disserebat: Amica officia non sufficere Cæsari ad quietem permovendo. Circa refusionem damni prius inspiciendum, quam viam altera pars circa eandem insistat. Etsi ista post factam pacem seponi præstet, cum longa heic discussione opus sit. Motas ab Electore difficultates scopo Regis obstare non posse; ac satius esse, animi sensa utrinque liquidius exponi. Nam si Electori placeat, intra quadrantem horæ negotium absolvendum, ex quo ipsum quoad vivat animi voluptas, immortalis gloria, & applausus Germaniæ, quin totius Europæ secutura sit. Sed promto sibi responso opus esse. Scilicet Cæsarem serio monendum, ut exercitum intra proprias ditiones revocet; ac ut his monitis pondus sit, exercitum instruendum, ad quem Rex autoramentum ac stipendium daturus sit, super quo inter ipsos conveniendum; ubi persuasionibus nil proficiatur, armis in eum finem rem gerendam. Ad hæc *22. Mart.* Elector: Haut judicare se posse, ejusmodi conjunctionem cum Rege idoneum remedium fore paci reducendæ. Unde Regem satishabiturum, si ipse operam suam pro pace apud Cæsarem interponere pergat. Sed ad eam multum profuturum, si Trevirensis & Palatinus tantæ dignationis Electores, in integrum restituantur, iisque satisfiat, quos Cæsar & Imperium deserere haut possit. Nec se idoneum fore amicis officiis obeundis, si quidquam pacti cum Gallo ineat, vel super medio statu tenendo. Sperare quoque, Vesaliam & Reesam citra novam conventionem redditum iri. Verjus super his oppidis nil sibi mandatum excusare, & ad Regem sibi referendum. Ista sine tractatibus tradi haut expedire. Fœderatos iis oppugnandis destineri posse, ut in Flandria rem gerere haut queant; ac eadem Regi insignem præstare usum posse, quamdiu Cæsar *28. Mart.* arma non exuat. Ast Elector, haut quidquam magno emturus, quod mox gratis derelinquendum erat, reponebat; Verjum hoc responso contemtum esse debere, nec ulterius urgere, quam qua pactum Vosse mense ducat, cui novus qui proponatur tractatus haut quadret. Nam ibi Regem declarasse, ipsum obligationi, qua Imperio teneatur, renuntiare non posse. Igitur

1674. Igitur Regem nil desideraturum, quod ei conventioni repugnet, nec ideo restitutionem oppidorum Clivicorum dilaturum, quæ Regi amplius prodesse nequeant; & quorum detentio ruinam provinciæ post se tractura sit, si per vim expugnari ista oporteat. Verjus ista abnuere, ni saltem in pactum super medio statu consentiatur. Elector: eum statum satis novissimo pacto contineri; hoc ut longius porrigatur res
4. April. suas non ferre. Haut eo setius Gallus formulam conventionis conceperat; quæ Electori hautquidquam probabatur, quod per eam impingenda ipsi essent obligationi erga Imperium adversantia. Simul decreta Ratisponæ facta ostendebat. Sed Verjus; Si Imperium pro Palatino amica prius officia interponat, Regem reipsa ostensurum, quanti nationem Germanicam æstimet. Demum Elector declarabat: Se damna a mense Junio superioris anni a Gallis per Clivicam data condonaturum; Gallicis copiis innoxium transitum permissurum; forum præsenti pecunia emturis præbiturum; paratui bellico durante bello Mosa ac Rheno a vectigalibus immunitatem indulturum; denique paci promovendæ operam navaturum: modo Rex vicissim æquas conditiones proponat, ac pro Lotharingo diplomata exhibeat, simul oppida Clivica protinus restituat. Enimvero dum Verjus circa ista oppida cauponatur, ratio belli Gallum subegerat ad eadem Electori statim reddenda.

Clivica oppida a Gallo Electori redduntur.

Nam Bellefondius Alexandro Spanio Neomagum invitato declarabat; Regem Galliæ vires suas contra Hispanum vertere decrevisse, qui tanta cum protervia bellum ipsi ausus sit indicere. Unde sibi in mandatis dedisse Electori Vesaliam, Reesam, & castellum Schenckianum tradere; quod ea loca penes neminem, quam istum esse malit. Instrumenti quoque bellici, machinarumque & annonæ non parum ibi relinquendum; quæ alias sibi abducere licuisset. Igitur Spanius paratis, quæ in eam rem necessaria erant, primo castellum
1. Maji. Schenckianum, quatriduo post
4. Maji. Reesam, biduo dehinc
6. Maji. Vesaliam Gallo tradente recipit; quibus locis sexaginta quatuor machinæ reperiebantur. Electori cumprimis lætum erat, tanto post spatio in plenam se possessionem ditionis suæ repositum; ac inprimis castellum Schenckianum probe muniri jubebat, quod non pauci Belgarum fremerent, id injuria ab Electore insideri, quod a Belgis extructum, ac per nonaginta annos possessum sit; ac quidam fremerent, ni id ultro reddatur, armis vindicandum. Cum tamen Belgæ initio Civiæ Duci scripto cavissent, sese bello cum Hispanis posito Clivensibus Ducibus tanquam Dominis territorii id castellum reddituros; Belgis contra excipientibus, cum super eo lis pendeat, reliquarum Clivicarum urbium conditione idem censeri non posse. Nec minus Sueci post initum fœdus Electorem in diversa trahere instituebant. Nam Wangelinus cum ratihabitione
10. Febr. e Suecia reversus proponebat, ut Hamburgi aut Coloniæ conveniretur super aliorum Electorum & Principum in id fœdus receptione. Id quod Elector haut consultum judicabat, velut suspicionem aliis injecturum. Sed si qui
ultro id ambiat, super loco congressus conve
niri posse. Ac Elector jam ea de re ad Saxo
nem, Cellensem Ducem, & Cassellanum retu
lerat; sed qui parum id sibi gratum ostende
rant. Monebat quoque Wangelinus, parum
gratum esse Regi, quod Elector cum Belgis a
Cæsare agere instituerit, velut ista parum cum
Suecico fœdere quadrarent.

§. 33. Contra Cæsar impense urgebat, u
Elector iterum in partes transgressus cum fœde
ratis super tuenda pace Westphalica, Clivensi
& Aquisgranensi conveniret, eoque fine duo
decim millia militum cum iis jungeret. Ean
in rem præcipue ostentabatur bonum publi
cum communis quies, & securitas. Equiden
Gallum plus pecuniæ oblaturum; sed causan
disparem esse. Cæsarem cupere id quod ju
stum sit, ac Electoris obligationi congruat, a
solidam securitatem pro ducturum sit. Con
tra Gallum id affectare, ut Elector violatæ al
ipso pacis piaculum asserendum suscipiat. Am
pla ejus promissa, sed incerta. Destinata ejus
dem sociis, sive succedant, seu minus æqu
periculosa, ac vel exitium vel servitium pos
se trahere. Sed privatim Electori a fœderati
præstandam securitatem, tum subsidia alend
exercitui. Si instaurationem pacis Pyrenæa
recipiat, pluribus emolumentis potiturum
Daniæ quoque Regem, & Cellensem Ducem
in partes trahendum. Horum copiis juncti
effici posse exercitum triginta millibus constan
tem. Cæsarem XL M. habiturum, Hispano
& Belgas L M. tum in Catolonia XX M. Tan
tis fœderatorum viribus Suecos sese commover
haut ausuros, aut si id faciant, Electori occasi
onem nascituram insigni emolumento potiun
di. Eam ob causam Elector Crocovio procu
ratorium mittebat cum Cæsare & Hispano su
per fœdere agendi, paratus quoque pactis inte
Cæsarem, Hispanum atque Belgas accedere
ut tamen mallet cum singulis seorsim transi
gere, quam omnia uno loco, eodemque tra
ctatu comprehendere. Præcipuus ipsi scopu
erat bonum publicum: sed quia id propri
sumtibus obtinere non tabatur, menstrua CX
M uncialium postulabat; ut tamen cum Cæs
re minoris decidere vellet, si is exercitui ips
us de commodis hospitiis prospexerit. E
quia ipse Hispani quoque causam suscipiat, a
hoc D M uncialium præmii loco exigebat, pr
quibus hypothecæ in vicem quædam Geldri
loca tradenda sint, unde annua vicena milli
redirent. A Cæsare nil certi præmii stipula
volebat, id arbitrio ipsius relicturus, ut tame
ante omnia Carnovia sibi redderetur. Exerc
tum sibi minimum viginti millium esse opo
tere, quod aliis, qui forte adjungendi sin
confidere nequeat. Ac merito se nunc ma
jora subsidia exigere, quam initio belli, quo
tum solorum Belgarum causam suscipere
nunc & Hispanorum: ac præter Belgas tunc
Hispanos subsidia obtulisse. Provincias quo
que suas jam plane exhaustas. Quod
ante hiemem pax non coëat, pecunia
pr

1674. pro supplementis & re tormentaria præbendam. De Brisaco & Philipsburgo in pacto mentionem haut faciendam; obligationem tamen ita concipi posse, ne pax prius ineatur, quam ejusmodi securitate inventa, ut Germania non semper inquietari possit; nec dubium esse, quin Rheno aditi Ordines de hoc ultro suggesturi sint. Nam fœderati Brisacum & Philipsburgum, ac Gallo per Aquisgranensem pacem cessa recuperare optabant, ut tamen ea desideria successibus armorum attemperarentur. Cæterum Viennæ Cæsarei ministri confirmabant, non esse dubitandum quin conventa accurate servanda sint: quod legato Hispanico solenne sit considerate promittere, ac promissa examussim repræsentare. Circa hospitia, quæ Elector cupiebat, Cæsar tergiversabatur, velut nimium odiosa: ad extremum tamen connivere se posse; ac minuendæ invidiæ eadem apud suspectos; aut publice exosos capi posse, qualis Monasteriensis sit. Suecos legatus Hispanicus haut censebat hoc anno quid tentaturos. Nam Dano, Electore, ac Cellensi junctis, & modica Belgarum classe in Mare Balticum accedente, Suecos movere se non ausuros. Aliquot etiam Senatores a Nunnesio ablegato Hispanico in suas partes pertractos. Cui reponebatur; Gallum plures ac potiores sibi adjunxisse; & quia Sueci plures copias in Germaniam trajicere parent, haut verosimile esse, eos Cæsaris partes contra Gallum sumturos, aut hunc pecuniam gratis daturum. Porro prima difficultas surgebat, quod Cæsar, Hispanus & Belgæ conjunctim cum Electore tractare vellent, qui inter se jam super modo subsidiorum convenerant. Id quod Crocovius repudiabat, quod ei, qui Electoris auxilio frui velit, cum ipso conveniendum sit. Ac ideo triplex fœdus socios non potuisse invenire, quod tres isti status aliis leges præscribere instituissent. Vix quoque spes erat CXX M menstrua obtineri posse. Nam Cæsar, qui cum exercitu quadraginta millium rem gesturus erat, ab Hispanis & Belgis non plus quam XCVIII M. uncialium menstrua accipiebat. Mox tamen Elector hactenus remittebat, ut super exercitu octodecim millibus constante conveniretur, & cum fœderatis, quia id valde volebant, junctim tractaretur; ut tamen super solutione idonee caveretur, ac Cæsar pro Hispano fide juberet, oppigneratis suis apud Belgas subsidiis. Itineri exercitus instruendo quoque CC M postulabat loco autoramenti, & quia exercitum tamdiu propriis sumtibus aluisset. Et quia Cæsar ad subsidia nil conferebat, par esse, ut hic Electoralibus copiis de hospitiis prospiceret. Ac mittebat Viennam Elector formulam pacti, prout cum Belgis convenerat. Id si Cæsari ac Hispano probaretur, optabat ut id Berolini perficeretur, eo melius servando secreto. At Viennæ varia disceptabantur. Cæsarei non nisi in exercitum XV M constantem consentire volebant. Contra Elector subsidiorum diem cedere cupiebat statim a concluso, etsi nondum ratihabito fœdere. Tum super loco rem gerendi nolebat Belgio Hispanico alligari. Nam & eum Hispanis opem ferre, qui a Palatinatu aut alibi Gallos distrahat. Hospitia in Imperio Cæsar cum Electore divisurus erat: sed in antecessum certos Ordines eum in finem designare non posse. De Pyrenæa pace Elector in fœdere mentionem fieri nolebat. Contra Cæsarei dicebant; Electorem utique eum articulum probaturum, ut neutra pars sine altera pacem ineat. Quod si igitur Cæsar, Hispanus ac Belgæ super ea pace restituenda conveniant, reipsa Electorem ad idem obstrictum fore. Ostendebat porro Elector, sese fœderi etiam citra Danum & Cellensem accessurum; sed eo casu exercitum sibi augendum, ac plus stipendiorum habendum. Cæterum rem accelerandam, quod sibi onerosum sit copias alere, nec expedire diutius incertum agere. Super Carnovia Cæsarei non nisi laxis verbis spem faciebant; ac id separatum negotium esse; etsi Elector eidem finem imponi optaret. Cum inter hæc Elector oppida Clivica recepisset, is Cæsari significabat; etsi ipse privatis commodis potitus sit, ob publicum tamen bonum fœdus haut eo minus perfecturum, repudiatis quæ aliunde offerantur insignibus emolumentis. Circa traditionem quoque oppidorum omnia sibi integra servasse; si modo Hispani ac Belgæ æquas conditiones præstent. Nam multa adhuc restabant, super quibus nondum conveniri poterat, ob duritiam legati Hispanici ubique cauponantis & cavillantis; qui non solum mandatis stricte inhærebat, sed & efficiebat, ut talia sibi mandata mitterentur. Unde sæpe ob levis momenti negotium maximæ occasiones elabebantur; quo nomine ministri Cæsarei subinde cum eo expostulabant. Simul e gravitate Hispanica ducebat, non facile concedere. Eo tamen nomine laudabatur, quod, quæ promitteret, exacte præstarentur. Demum in XVI M militum auxiliarium consensum; ac circa reliqua Belgæ parum difficultatis amplius ostendebant. Ac cum Viennam nuntius de Sobiescii electione adferretur, jam majus desiderium ostendebant cum Electore transigendi, etsi negotiationem Berolinum remittere placeret. Quanquam autem hæc electio præter mentem aulæ Cæsareæ cecidisset, nulla tamen ideo consiliorum mutatio sentiebatur. Nam sibi persuaserant, Turcas Caminicciam, & alia loca per tractatus haud reddituros. Quod si novus Rex bellum contra Turcas continuaret, ab hisce nil sibi metuendum. Si idem id ignominiosam pacem faceret, tanti momenti loco derelicto, autoritas & gratia apud Polonos ruitura erat. Porro cum eo tempore spargeretur, Cæsarem de Wilhelmo Furstenbergio supplicium sumturum, Elector Paulo Hochero demonstrari jubebat; etsi pestilentia istius hominis consilia sibi semper detestata fuerint, ac gavisus sit, eo capto exitiosis ejusdem machinationibus metam positam: ac nemo Cæsarem injuriæ sit accusaturus, si in istum animadvertat: tamen quia Gallus inde prætextum sit arrepturus paci sufflaminandæ, sibi satius videri exsecutionem

Right margin: 1674. — 20. Maij. — 24. Maij.

1674. cutionem omittendam. Eum Hocherus solus examinaverat, admodum quidem tristem & consternatum, qui & multa dicebatur confessus capitali supplicio digna; inter alia de adimenda Domui Austriacæ Bohemia, ac in eum transferenda, quem Gallus Cæsarem facere meditabatur. Id sane constabat, in Galli gratiam totam Germaniam turbis involvisse, ac Gallicum dominatum ubique stabilire conatum, ut non temere exemplum civis patriæ nocentioris reperire liceat.

Cum Belgis super fœdere acta. §. 34. Nec minus super fœdere cum Belgis Berolini tractabatur, quo legatus Achtienhovius jam accesserat. Is apud delegatos ostendebat, se missum constituendæ inter Remp. *18. Mart.* & Electorem sinceræ amicitiæ, ac constanti unioni. Quo fine antiqua fœdera renovanda, ac ad præsentem rerum faciem porrigenda sint. Sibi injunctum, negotiationem suam veteribus amicitiæ fundamentis superstruere, communibus utrinque rationibus, situi provinciarum, harmoniæ ingeniorum, aliis. Et quia Arausionensis nuper in majorum suorum dignitates repositus ac cum Rep. quasi consolidatus sit, Electori jam de Belgarum amicitia eo amplius cautum esse. Accedere jam recentem cum Anglia pacem, tum fœdera cum Cæsare, Hispano, aliisque, quæ spondeant, Electori haut citra præmium fore operam promovendæ paci impendendam. Si a Belgis quid factum sit Electori parum gratum, id, velut præter eorum intentionem atque inclinationem factum, oblivione sepeliendum. Sibi injunctum nihil eorum omittere, quæ stabiliendæ amicitiæ faciant. Sed quia Electori cum Gallo & Sueco pacta intercedant, quæ quousque porrigantur Belgis haut constet; sibi pressiora mandata dari non potuisse, ne quid proponerent, quod istis pactis non quadraret. Sed Electori optime perspectum, quousque ipse procedere queat: unde quæ cupiat, ab ipso proponenda. Sibi amplissima mandata esse, ac operam daturum, ut eidem ubertim satisfiat. Belgas optare negotium maturari, quod tempus rei gerendæ immineat. Ad quæ nostri: hæc sibi auditu admodum grata esse. Pacta cum Gallo & Sueco, amicitiæ inter Electorem & Remp. haut obstare etiam arctius adstringendæ; cui & mutatio rerum, a tempore initi cum Gallo pacti, ansam præbere possit. Addebantur monita de subsidiorum reliquiis. Belga: Remp. cupere super omnibus simul transigere; modo circa summam rerum convenerit, circa subsidia parum difficultatis fore. Nostri contra negabant, summam rerum & subsidiorum negotium separari posse. Unde multa super iis disceptatio; quæ demum Elector ad CL M uncialium remittebat. Sed quia de modo solutionis conveniri non poterat, Elector id negotium, quoad ipse Clivos accederet, differe- *18. Mart.* bat. Ad ista Elector delegatis suis significabat: constantem & immutabilem suam sententiam esse, quam multis gravibusque de causis, quas dicere jam nihil attineat, cœperit, partes Belgarum amplecti; ac ut ipsi in tractatu cum Belga, ac in consilio semper huc respiciant; ac inprimis id agant, ut negotium qua- tum possit maturetur, ac silentio prematur. Le- gatus inde super fœdere offensivo ac defensiv- proponebat; & quia Resp. jam potentes fœd- ratos sibi adjunxerit, id taliter adaptari poss- ut omnes ad eundem scopum incumbant. Be- gis haudquidquam in animo esse, perpetuo s- bello innectere, nec in eas leges cum Hispan- convenisse. Id tantum quæri, ut Gallus eo re- digatur, ne libido ipsum subire possit ita r- pente pacem iterum abrumpendi. Belgas v- cissim Electori adversus quasvis invasiones c- pem laturos, & eosdem cum ipso hostes am- cosque habituros. In easdem porro leges Be- gæ cum Daniæ Rege, ac Cellensi & Guelferby- tano Ducibus tractabant. Cum Hispanis quo- que convenerant super pace Pyrenæa restitu- enda, cui tamen se haut presse adstrinxeran- sed prout tempus laturum sit: ac in universu- honestam & æquam pacem pro scopo posue- rant. Cupiebant Belgæ conventionem cu- Cæsare, Hispano atque ipsis uno tractatu com- prehendi; sed Elector cum singulis agere ma- lebat. Præcipua difficultas erat, quod Electo- subsidia augeri vellet ob exhaustas jam sua- provincias, ac quod sibi pro Cæsaris quoqu- & Hispani emolumentis certandum esset. For- mulæ inde fœderis utrinque concipiebantur- ubi Belga ad nostram nonnulla monebat, qua- Electori parum grata erant, qui & plane ac- prius fœdus respicere nolebat. Et quia id- fœdus vel brevi absolvendum, vel plan- omittendum erat, Elector Georgium Dœrflin- gium supremum Ducem ad Arausionensem- mittebat amovendis difficultatibus, quæ cu- fere militaria tangerent, ipsi optime cognit- erant. Istæ huc redibant, quod Elector in X- M militum subsidia cuperet, cum Belgæ no- nisi in XIV M annuerent. Elector hanc ra- tionem adducebat, quod Reip. interesset quam- validissima habere auxilia ab Evangelico Prin- cipe librandis Catholicis sociis. Et cum Bel- ga objiceret, Danum & Luneburgicos itiden- tam numerosa auxilia obtrusuros, quibus su- stentandis Resp. non sufficiat; nostri repone- bant, Luneburgicos tantum numerum non po- stulare, Danum ob respectum Sueciæ tantas co- pias Regno educere non posse. Electorem a- tem priori quoque fœdere parem numerum pr- stitisse; nec Belgis opus deesse istis stipend- is expediendis. Sed Electorem non suffic- re tanto exercitui alendo Westphalicis pro- vinciis vastatis, & post diem 27. Januarii a- ni superioris amplius sesquimillione in eu- impenso. Ac Hispanos partem stipendioru- conferre velle. Abnuebant quoque Belgæ M. uncialium, quæ Elector in auctoramen- vicem postulabat. Tum & super divisio- legionum in cohortes & capita, item cir- præfectos, rem machinariam, & annona- priori fœdere conventis inhærere noleb- De genere quoque monetæ nondum conv- nerat. Volebat quoque Elector solutione- in quaternos menses fieri, ita ut si pax in- primum aut secundum mensem coiret, qu- tuor mensium stipendia plene exsolverentu-

qu-

1674. quod statim a conclusa pace militem exautorare tutum non sit. Contra Belga stipendia eo statim mense, quo pax fieret, cessare volebat. Denique circa rem pecuniariam Elector solos Belgas respicere volebat; cum hi pro Hispanis teneri nollent. Ad extremum res præcipue circa numerum copiarum hærebat, quod Belgæ non nisi partem dimidiam stipendiorum in XV M militum in se suscipere vellent, cum Elector octodecim millibus insisteret. Circa quam rem Goesius præcipue difficilem se exhibebat, utut Cæsar nihil pecuniæ conferret, ac Belgam retrahebat; scilicet quod Austriaci Electorem ita potentem habere nollent. Quæ ipsa tamen causa Belgas movere debebat, ut quantum possent Electoris vires firmarent, Catholicis in æquilibrio tenendis. Super his igitur Dœrflingius cum solo Arausionensi agere jubebatur, ac promtum responsum urgere, quod Elector diutius in ancipiti hærere non posset, & ut omnia

18. April. quam secretissime tractarentur. Et cum Belgæ negotium extractum irent, ac ad singulas provincias referre vellent, deliberationem quoque cum Cæsareis & Hispanicis legatis suscepturi, unde negotium sine dubio emanaturum erat; Elector Dœrflingio injungebat, ut si Belgæ hanc viam insisterent, ipse protinus Haga iterum discederet. Ast is Hagam delatus satis animadvertebat modicum se operæ pretium facturum, quod Belgæ post pacem cum Monasteriensi Electoris auxilio non magnopere sibi opus censerent. Et quia Principi propere in Brabantiam abeundum erat, omnia ad Achtienhovium rejiciebantur, ac Dœrflingius protinus Haga discedebat. Ita cum diu Viennæ ac Berolini super fœderis legibus disceptatum fuisset, demum Hagæ formula concinnabatur; in qua etsi Elector nonnulla desideraret, eam tamen additis suis monitis subscribi jussit, ut aliquando finis negotio imponeretur. Ac missus

Luniburgicorum monita. a Brunsuicensibus Ducibus Fridericus Heimburgius urgebat, ut tractatus accelerarentur: Nam & Duces multa, quæ negotium retardare poterant, sepofuisse, etiam cum suo damno, ut id expeditius procederet. Nam adversam partem omni opera conniti, ut Belgas a rationibus Germaniæ sejungat; quem in finem Angli quoque ac Sueci sedulo laborent, polliciti, se rem apud Gallum eo perducturos, ac fidem suam interpositiuros, eum nil in locis Belgio vicinis adquisiturum sed belli præmia alibi quæsiturum. Huic periculo prævertendo haut præsentius remedium esse, quam ut Elector quoque in partes veniat, una cum Dano grande momentum additurus. Hanoveranum quoque Ducem Joannem Fridericum confirmare, se nil in fraudem Germaniæ tentaturum, ac decretis Imperii & Circulorum satisfacturum; ac fœdus ipsius cum Suecia meram defensionem

Jun. spectare. Etsi contra legatus Polonicus tunc Electorem verbis altius penetrantibus moneret, ne Elector ulli partium accederet; cujus causam ipse norit, sed eam propalare haut sibi fas esse. Porro ejus fœderis duo exempla con-

21. Jun. ficiebantur, Latinum & Teutonicum. Illud

1. Jul. Joannes de Goes, & Electorales delegati Suerinus, Somnicius & Blaspielus subscribebant, ac eo mox Hagam transmisso Hispanicus legatus Emanuel Lira, suam quoque manum addiderat. Sed Teutonicum exemplum soli nostri ac legatus Belgicus signabant.

§. 35. Fœdus autem, quod tunc Electori cum Cæsare, Hispano, ac Belgis inibatur, ita habebat. *Cum in omnium oculos incurrat, quam insignes calamitates, oppressiones, de vastationesque, nec non tot innocentium Christianorum sanguinis effusio ex suscitatis nuper a Gallia, & continuatis hucusque bellis orta sit; Sacra Cæsarea Majestas, & Hispaniarum Regis Majestas, Serenitas Sua Electoralis Brandenburgica, & Præpotentes Fœderatarum Provinciarum Ordines Generales in id præcipue sibi incumbendum duxerunt, quo pacto divina auxiliante gratia malis istis, & tam injustæ violentiæ occurri, oppressi subditi ab eadem liberari, unaquæque pars sibi debita una cum æqua satisfactione recuperare, eoque modo pacifico & tranquillo statui restitui possit. Cumque ad eundem quantocyus perveniendi concepta hactenus spes non modo evanescere visa sit, sed & indies magis magisque appareat, etiam alias nil tale promeritas provincias progrediente tempore iisdem malis ac miseriis involvi; Eo magis necessarium visum fuit, quæ inter S. Cæs. Mtem, & Reg. Hispaniarum Mtem, Suam Ser. Electoralem, & Præpotentes Dnn. Ordines Generales vigent fœdera, amicitiam ac correspondentiam non redintegrari solummodo, sed & ad scopum supra dictum collimantia in commune conferri, fœdusque huic temporum rationi accommodum inter alte memoratas partes tractari ac concludi. I. Sit maneatque Sacræ Cæs. Mti, Reg. Mti Hisp. Suæ Ser. El.li Brand. & Præpot. Dnn. Ordinibus Fœderati Belgii scopus hujus fœderis præcipuus promta quam maxime restauratio universalis, æquæ, & constantis pacis; cujus spem ferre omnem tractatuum, qui Coloniæ ad Rhenum instituebantur, secuta interruptio, latiusque hinc inde serpens belli flamma subvertere videntur, agantque in hunc finem dicti fœderati vigore hujus fœderis contra hostes communes præsentes aut futuros; cum hæc sit fœderatorum intentio, ut contra adversa molimina omnium illorum, qui partibus dictorum hostium aut accedunt, aut jam accesserunt, offensive & defensive agatur, ea ratione, ut Sua Ser. El.lis una cum S. Cæs. Mte, & Catholica Mte, nec non cum Præpot. Ordinibus Fœderati Belgii contra eosdem directe plenam publici belli societatem inire debeat. II. Sistet huic fini Sua Ser. Electoralis exercitum XVI M. V. nimirum equitum, X M. peditum, & M. dimachas, vulgo Dragones, quorum tres ratione stipendii pro duobus peditibus & uno equite computantur; educaturque hic exercitus in campum statim a dato subscriptionis hujus tractatus, & postquam sequenti articulo 3. expressa pecunia Suæ Ser. El.li soluta fuerit; atque communi consensu omnium contrahentium adversus supra articulo primo nominatos hostes agatur. III. Ut autem hic exercitus XVI M. cujus sustentationi Sua S. El.lis jam ultra annum de proprio gravibus prospexit sumtibus, quique ex bene exercitato milite compositus est, tanto sit instructior, atque ex remotis partim, ubi degit, oris in campum*

1674. campum educi, locoque, de quo inter fœderatos conveniet, sisti queat; solvetur Suæ S. El.li eodem tempore, quo fiet subscripto, summa CC M. imperialium pro dimidia quidem parte a R. Mte Catholica, pro altera dimidia a Præpot: Dnn. Ordinibus. IV. Sumtuum ad sustentationem antedicti exercitus R.a Hispanica Mtas, & Præpot: Dnn. Ordines unam, & Sua Ser. El.lis alteram dimidiam sustinent, ita ut equitatus in X. legiones sive regimenta, & unumquodque regimentum D. equitibus constans in sex turmas seu compagnias; peditatus vero similiter in X. regimenta, & unumquodque regimentum M. militibus constans in X. cohortes, & prædicti M. dragones in unum regimentum X turmis constans, & unaquaeque turma in C dragones redigi, iisque constare debeat. In unumquodque equitum regimentum primam uti vocant planam sive officiales turmarum, & gregarios milites solvetur summa 4776. imperialium, 30. stuverorum monetæ Hollandicæ, inque singula regimenta pedestria 4104. imperiales, 4. stuv. monetæ Hollandicæ. Adhæc in cujusque regimenti officiarios superiores, quos communi nomine Regiments-stab indigitamus, CCX imperiales, idque singulis mensibus, mensem pro XXX. diebus, & annum pro XII. mensibus computando. Atque hæc ita, ut nulli ulteriores sumtus, neque ratione curruum, equorum, aut similium, cujuscunque sint generis exigi aut requiri debeant. Non tamen tenebitur hac ratione SuaS.El.lis regimenta, quæ sub signis habet imminuere, quin imo eadem statu præsenti relinquere, atque ita cum aliis ad exercitum ducere poterit. V. Præter hæc per singulos menses a R.a Mte Catholica, & Prepot: DD.Ordinibus in superiores exercitus officiarios sive General-stab, nec non ad sustentationem rei tormentariæ præfectorum, eoque spectantium equorum, porro ad sumtus quotidie emergentes, in munitiones, ad munimenta exstruenda necessaria instrumenta, arma, vestimenta, exploratores, legationes, & similes inevitabiles necessitates, solvetur ad cassam summa quinta parte minor illa, quæ antehac tractatu anni 1672 singulis mensibus promissa fuit. VI. Liberum tamen erit Suæ Ser. El.li pro arbitrio, & prout rationi belli congruum, & promovendis operationibus incidentibus expedire judicabit, Regimenta ac turmas augere aut minuere. Dummodo ipsum corpus non imminuatur, sed semper V M equitibus, X M peditibus, & M. dragonibus effective belligerantibus constet, numerusque officiariorum, puta tribunorum, eorundem locum tenentium, præfectorum vigilum, centurionum, & minorum officialium eo modo relinquatur, quo tempore ordinationis regimentorum fuit. VII. Rei tormentariæ ministros & quicquid machinarum bellicarum, munitionum, curruum, rhedarum, equorum, aut alias ad eam requiritur, id omne Sua S. El.lis suis procurat sistitque sumtibus. Æquabiturque hæc res tormentaria, & qui ad eam necessarii globi, munitiones, nec non officiales & ministri pro rata exercitus sedecim millium, atque ita quinta parte infra illum numerum, quo res tormentaria sive artilleria juxta tractatum anni 1672 formata fuit. VIII. Sustentatio exercitus & subsidia, quæ alte memorata Regia Catholica Mtas & Ordines Generales supra dicto modo singulis mensibus solvere tenentur, initium sumunt a dato subscriptionis hujus tractatus, ita ut die dictæ subscriptionis mensem unum solvere, atque hoc pacto de mense in mensem continuare debeant. Vice versa Sua S. El.lis dicta subscriptionis hujus die, parique passu R.æ Hispanicæ Mtis & Dnn. Ordinum Commissariis ab officialibus ipsis subscriptæ lustrationis dicti totius exercitus tabulæ cum nominibus & cognominibus omnium militum exhibebuntur. Quo prævio dictus exercitus intra quatuor septimanarum spatium in campo lustrabitur, eaque lustratio a parte Suæ Ser. El.lis diutius haut differetur; adeo ut R. Catholica Mtas & Præpotentes Dnn. Ordines, antequam lustratio ista effective peracta fuerit, solutionem ullam ulteriorem facere haut obligati esse debeant; hac tamen expressa conditione, ut si in lustratione exercitus minus completus reperiatur, defectus iste de facta jam solutione deduci, inque rationem sequentis secundi mensis imputari debeat. IX. Liberum quoque erit R.æ Hispanicæ Mti & Præpotentibus Dnn. Ordinibus exercitum aut pro parte aut totum, quando & quotiescunque ipsis placuerit, per suos ad id nominatos Commissarios, una cum iis Commissariis, quos Sua S. El.lis ad id ordinabit lustrare & inspicere. Idque a R. Hisp. Mte & DD. Ordinibus ex ante dictis subsidiis pro rata minus solvetur, quod successive in lustrationibus equitatus, peditatus, aut dragonum numero deesse deprehensum fuerit. X. Regia Hisp. Mtas & Præpot: Dnn. Ordines ante dicta subsidia initio cujusque mensis absque ulla mora promteque in præsenti pecunia Amstelodami ad manus illius, quem Sua Ser. El.lis ad id nominabit, & pleno mandato instruet, solvi curabunt. Eaque postea solutionem particularem fieri curabit, eoque nomine tenebitur. Optioni autem Suæ Hisp. Mtis & DD. Ordinum relinquitur, utrum dictam solutionem argenteis ducationibus, singulis ad 63. stuveros computatis, an vero Hollandicis aut Brabanticis cassæ Imperialibus ad L. stuveros fieri velint, omnibus in eo consentientibus, ut omnes solutiones, quarum in hoc tractatu mentio fit, non in banco, uti vocant, sed Hollandica currente cassa pecunia fieri debeant. XI. Ad hæc conventum & determinatum est, quod si divino auxilio pax, tranquillitas & amicitia undique restituta fuerit, Ser. Suæ El.li præter tum temporis currentia adhuc post initam pacem unius mensis subsidia, nihilque præterea præstari, & sine mora exsolvi debeant. XII. Sua Ser. El.is ex iis, quas sub signis habet, copiis eum quem poterit cohortium & militum numerum versus terras suas in Westphalia sitas tendere, ibidemque hospitium sumere faciet, quo & totus exercitus statim a facta subscriptione una cum tormentis procedet. XIII. Majores etiam & minores officiales, tum gregarii milites juramentum Suæ Ser. El.li præstitum R.æ Hisp. Mti & Præpot. DD. Ordinibus aut Commissariis iis, quos ad id ordinabunt, præstare tenebuntur, & si id postulatum fuerit dicto juramento eousque obstricti manebunt, quoad in memoratæ R. Catholicæ Mtis & DD. Ordinum terris ac ditione militant, atque in specie promittere debent, se Imperatori, Regi Hispaniarum & Ordinibus Generalibus id præstituros, quod a strenuis & honestis militibus 1674.

exigi

1674. exigi queat. Officialibus tamen Brandenburgicis plenaria tum maneat jurisdictio & disciplina militaris in concreditas sibi copias, absque turbatione & imminutione ulla. XIV. Obligant quoque se S.Cæs.Mtas, & Sua Hisp: Mtas nec non Præpot: DD. Ordines Suæ Ser. El.li, si eandem durante hoc bello a quopiam facto & reipsa in terris aut portibus ipsius armis infestari contigerit, pari aut minori numero, prout de eo tunc inter ipsos conveniet, assistere, omnemque ab illis vim hostilem amoliri debere, donec ditiones ipsius in pristinam tranquillitatem vindicatæ, Suæ Ser. El.li sua restituta ac satisfactum fuerit. XV. Casu conjunctionis in Ser. Suæ Elect:is provinciis, Cæsarei, Hispanici & Ordinum majores minoresque Officiales, ut & gregarii milites juramentum S.Cæs.Mti, Reg. Catholicæ Mti, nec non Præpot: DD. Ordinibus præstitum Suæ quoque Ser. El.li præstabunt, maneatque Cæsareis, Hispanicis & Ordinum Officialibus sua in legiones suas jurisdictio & disciplina militaris perinde uti antea. XVI. Summum imperium competit Suæ Ser. El.li, idque semper, dummodo infirmitate aut vi majori non impediatur, ipsa præsens exercebit. Promisit eadem quoque ac pollicita est, quemadmodum hoc ipso promittit ac pollicetur, se omnem hunc militem, quamdiu vigore hujus tractatus aget, ac una consistet, præcise & serio eo adacturam & directuram, ut quibusvis subnascentibus occasionibus indiscriminatim publico bono, commodo & securitati inserviat & adhibeatur. XVII. Et quemadmodum Suæ Ser. El.lis arbitrio relictum Generalatum hujus exercitus capaci necessariisque qualitatibus instructo committere duci; ita ille, cui Sua Ser. El.lis id munus deferet, obstrictus erit vigore ab ipso subscripti & sigillo roborati reversus memoratis S. Cæs. Mti, R.æ Hisp: Mti, nec non Præpot: DD. Ordinibus promittere, iisque fidem suam dare, se omnes articulos & puncta hujus tractatus diligenter observaturum, tenorique eorum præcise inhæsurum. XVIII. Obligat sese Sua Ser. El.lis se cum prædictis copiis contra ante memoratos hostes eo loco, tempore ac modo acturam, quibus id alte nominata S. Cæs. Mtas, & Regia Hispan: Mtas, ut & Præpot: DD. Ordines publico commodo maxime conveniens fore per majora judicabunt: Sicut & omnes actiones principaliores casu quo fœderatorum exercitus toti aut pro parte huic exercitui conjuncti erunt, inter dictos fœderatos, aut eorum commendantes, quantum conjunctas hasce copias attinet, expendi ac ventilari, & prout id majori parti consultum visum fuerit, executioni mandari debent. XIX. Ubi porro conventum cautumque est, ut, licet exercitus hic totus aut pro parte in R.æ Mtis Hisp: aut DD. Ordinum territoria ducendus sit, ibidemque militare debeat; supremum tamen imperium, & quicquid inde ratione distributionis tesseræ militaris & alias dependet, S.æ Ser: El.li, si ipsa præsens exercitui præerit, relinqui debeat. Quod si vero Ser: Sua Electoralis eo casu supremum imperium non exerceat, tum inter fœderatos ulterius super ea re disponenda deliberabitur & convenietur. XX. Quod si locus aliquis ad Ser. S. El.lem spectans obsideatur & occupetur, ex copiis Electoralibus Brandenburgicis præsidium accipiet. Plane uti R.æ Hisp. Mtis & Præpot: DD. Ordinum locis ab hoste recuperatis ipsorum milites imponentur. Si vero hosti ejusve adhærentibus locus extra Romanum Imperium & Fœderatorum territoria situs eripiatur; fœderati super ejus præsidio transigent; captivi vero, munitiones, tormenta bellica, & similia nullo excepto ibidem reperta R.æ Hisp. Mti & DD. Ordinibus pro dimidia parte, & pro altera dimidia Suæ S. El.li cedent. XXI. In divisione tormentorum bellicorum, munitionum & similium in acie & conflictibus captorum secundum modo dictam proportionem procedetur. XXII. Captivi spectatæ conditionis, civiles illi sive militares sint, illi parti manent, a qua capti sunt. Permutatio tamen undique locum habebit, illique, qui talem captivum ceperit, juxta conceptam super hac re formulam, vulgo Cartel, satisfieri debet. XXIII. Si ante dictus exercitus contagione, aut in actionibus cum hoste aut similes casus duorum aut plurium millium numero diminutus, & ob id supplementis opus sit, eo casu R. Mtas Hisp. & Præpot. DD. Ordines pro rata portionem suam contribuent. XXIV. Secuta subscriptione, factaque prima solutione nulli contrahentium licebit cum hoste, ejusve adhærentibus armistitium ullum inire, nisi conjunctim & communi consilio. Et præterea conventum est, quod si Suæ Ser. El.lis Cliviacæ & aliæ provinciæ ob confectionem hujus fœderis in futurum per communes hostes ad majorem ruinam redigantur, ut in pacis tractatibus omni opera eo allaborari debeat, quod id damnum inprimis & ante omnia resarciatur. Quod si etiam ad tractatum aliquem sive pacis, sive armistitii aliquot annorum deveniatur, tum nemo confœderatorum istam negotiationem sive tractatum absque reliquorum participatione, & priusquam ipsis eodem tempore & tam cito ac sibi ipsi requisitam & necessariam facultatem ac securitatem ministros suos ad locum tractatus mittendi procuraverit, aggredietur. Prædicti quoque fœderati, eorundemque ministri successive & semper, quæ in dicta negotiatione occurrent, sibi mutuo communicabunt. Similiter alter alteri eadem jura, immunitates, exemtiones, prærogativas & securitatem ab hostibus, eorumque adhærentibus & fœderatis paciscetur, quæ sibi ipsi stipulatus & adeptus est, nisi aliter super eo inter se conveniant, quo cum generatim attendi debet, ut hostilitates tam adversus unum quam alterum contrahentium simul tollantur. XXV. Generales, tribuni, commendantes exercitus & cohortium ubique exactam servare disciplinam, & unicuique debitam justitiam sine mora administrare tenebuntur. XXVI. Suæ quoque Ser. El:li liberum erit in quibusdam ad Præpot. DD. Ordines spectantibus, eorundemque præsidiis infessis locis domum frumentariam, vulgo Magazin, erigere. Eidem quoque singulis vicibus munitiones & commeatus necessarii, æquo, illoque pretio, quo DD. Ordines ipsi ea coëmerunt, vendi debent, nisi ipsi illis indigeant. XXVII. Porro inter contrahentes perpendetur & examinabitur, quænam ulteriora media ad conservationem aut reductionem pacis & stabilimentum communis tranquillitatis & securitatis per arctiores confœderationes aut alias amplectenda sint. Cæsarea quoque Mtas, Regia Catholica Mtas, 1674.

1674. *nec non Fœderati Ordines id agent, ut institutus hactenus cum Dominis Ducibus Brunsuicensibus tractatus omnibus modis quantocyus finiatur, ita tamen ut hæc pactio tanquam conditio sine qua non, non habeatur. XXVIII. Ut etiam exercitus tanto melius sustentari queat, opera dari debet, ut illis provinciis, quæ se hostiliter declaraverint, contributiones imperentur, eaque contributio, quantum ex ea deductis impensis superrit, in utilitatem & commodum contrahentium ex æquis partibus juxta rationes superinde reddendas vertatur. XXIX. Prædicti fœderati durante præsenti bello nulli se committent bello contra alios Principes & Potestates, quæ sese hisce prædictorum fœderatorum partibus adjunxerunt. XXX. Omnia & singula supra posita puncta & articulos, omnes contrahentes sincere & inviolabiliter se præstituros, eaque perfecte bona fide, & ex omni parte reipsa adimpleturos spondent. In majorem hujus rei firmitatem & constantem observationem quatuor ejusdem tenoris instrumenta desuper confecta, & a contrahentium plenipotentiariis subscripta ac signata sunt; quorum ratificationes, si fieri potest intra duos menses a dato hujus computandos, vel citius etiam debita forma extradi & commutari debent. Acta hæc Coloniæ & Suevum die 21. Jun. (1. Jul.) anno 1674.* Elector post per Blaspielum Monteregio denuntiabat, se atque Luneburgicos non ulterius, quam ad pacem Monasteriensem, Clivensem & Aquisgranensem obstringi velle. Sed si Hispani utique rem ad pacem Pyrenæam reduci cupiant, separatim sibi satisfaciendum.

In Angliam missio. 15. April. §. 36. Dum circa id fœdus cudendum satagitur, Elector Ottonem Suerinum juniorem post abruptum Coloniæ conventum in Angliam miserat, ut Regi de pace cum Belgis inita gratularetur, quæ viam ad communem pacem munitura speretur. Tum ut ipsius rationes eidem sequestris partes suscepturo commendaret, ac de continuatione amicitiæ testaretur. Simul Angliæ statum exploraret, & quomodo Regi cum Parlamento conveniat; ac num is pace cum Belgis staturus, an forte clam aut aperte inde discessurus, & quid eo casu Parlamentum facturum sit. Ubi super Electoris destinatis sciscitentur, diceret, se diu in aula non fuisse, nec de iis, quæ ibi gerantur sibi constare. id tamen nosse, istum communem ac stabilem pacem ex animo optare. Belgis & Hispanicis legatis causam adventus, si inquirant, panderet. Suecis autem & Gallis nil aliud diceret, quam Electorem pro sua cum Anglo conjunctione non potuisse, quin super pace officio gratulandi defungeretur. Suecis quoque diceret, gratum fore Electori, si efficere possint, ut a bellantibus in alium congressum consentiatur. Exploraret quoque, quid Gallus & Suecus in aula Anglicana negotientur; ac alias testaretur, Electori cum istis Regibus bene convenire. Insinuaret quoque, ut Electoris primogenitus *7. Jun.* aureæ periscelidis insigni ornetur adstringendæ cum Anglia conjunctioni. Cum Suerinus Windesoræ Regem alloqueretur, hic humanissimis verbis amica omnia offerebat. Arlingtonus & Coventrius hanc legationem valde probabant, quod Elector insuper habita refrigeratione quæ magis ex acuelato scriptoris calamo, 1674. quam Principum animo provenerit, veterem, eamque conjunctissimam cum Anglia amicitiam instauratum eat. Alias istis spes propinquæ pacis erat, quod Arausionensis deprehendisset. Hispanis eos armorum paratus non esse, quales apud Belgas jactarint; & quia in solos Belgas onus redundaturum sit omnibus exercitibus stipendia solvendi, his facile tædium belli subiturum, Hispanis quoque permovendis, ut æquam pacem admittant. Nam quod Gallum ad pacem Pyrenæam compellere velint eo tempore, quo hic totum Burgundiæ Comitatum arripuerit, hostibus ejus nondum quid aggressis, absurdum esse; ac Belgas istud minantes Ruvignius legatus Gallicus irridebat. Potius metuendum esse, ni inclinatio, quam Gallus hucusque in pacem ostendit, in usum vertatur, ne succedente victoria in futurum difficilius fiat æquas conditiones obtinere. Cæterum Arausionensis literis ad Anglum scriptis de Monteregio gravissime questus fuerat deceptum se ab isto arguens, dum ipsi persuasum it, Hispanos XX M in expeditionem educere velle, cum vix VI M præsto sint; simul Regem rogarat, ut viam honestæ paci dispiciat, aut in Gallum arma sumat. Legatus Suecicus Petrus Sparrius dicebat, spem pacis exiguam esse, quam Hispani adspernentur, & cujus conditiones Gallus nimium intendat. Germaniæ ingens periculum imminere, ni mature obviam eatur, ac magnam partem penes Electorem fore præsens incendium extinguere. Rupertus Palatinus disserebat; super firmitate pacis cum Belgis initæ dubitandum non esse. Sed ut Angliæ Rex in Gallum arma stringat, frustra sperari. Et quia Regi decretum sit pacem servare, de convocatione Parlamenti nil audiri, quod nec pecunia opus Regi sit, nec idem ejus convocatione ansam præbere velit in odiosas quasdam res inquirendi. Eundem quoque decrevisse in Galliam non prius quid movere, quam adpareat, de Belgio Hispanico actum esse. Quanquam Germaniæ magis quam Angliæ intersit, ne Galli potentia nimium gliscat. Sed Palatinum qui misericordia prosequeretur in Anglia nemo inveniebatur, velut qui eam calamitatem ipse sibi attraxerit. Ac mordebat Regem, quod, cum sui legati una cum Suecis officium ipsi obtulissent componendo dissidio, ne responso quidem eos dignatus foret. Belgæ tunc cupiebant tractatus pacis Londini resumi. Sed Sueci id declinabant ob loci distantiam, & incerta literarum hiberna tempestate commercia; alii ob immensum ibi incensa hoc bello rerum pretia. Ac Cæsar Hispanique Pontificem sequestrem acceptaverant. Galli autem adhuc jactabant, citra restitutionem Furstenbergii & ablatæ pecuniæ de pace nil se audituros. Sed quia tunc nil in Anglia esset quod ageretur Elector Suerinum inde revocabat, ante discessum Regi significare jussum, uti is Cæsari se per fœdus innexuerit; cujus consilii causæ fuerint oppressos protegere, ac ab Imperio vim propulsare. De istis armis Arlingtonus in neutram *28. Jun.*

1674. neutram partem; sed tantum optabat, ut Elector per eadem propositum scopum assequatur Rex testabatur: promotionem communis pacis sibi maximopere cordi fore, cujus tamen haut par desiderium apud omnes sentiatur. *Nam constare sibi Gallum ab aqua pace non abhorrere. Contra se dubitare, an non Cæsar & præcipue Hispani eam extrahere cupiant, admisso in sequestrem Pontifice; cum tamen ad oblatum a se officium tamdiu nil responsum, sed de eo ad fœderatorum deliberationem rejectum sit. Quin Arausionensem ad literas, queis ipsum consulerit, num interpositio sua grata sit futura, ne post duos quidem menses respondisse. Circa pacem hucusque Gallum æquis conditionibus institisse. Sed si is vel minimum ab æquitate discedat, se primum fore, qui ei se adversum declaraturus sit. Extra hoc nemini mirum videre debere, quod ipse ei Regi studeat, cui tantopere obstrictus sit. Super Furstenbergio id se temperamenti propositurum, ut is in tertii cujuspiam manus consignetur, ac secuta pace libertati restituatur: id quod Cæsari fraudi non sit, ac Gallo satisfacere queat. Ast si partibus bellum magis placeat, id se facile tolerare posse, qui heic nil habeat, quod amittat, & cui pax solo concordiæ studio, non proprium ob emolumentum quæratur.* Super Electoris expeditione dicebat: integrum ei esse facere, quid placeat. Se sperare, eam soli paci promovendæ susceptam; ac faustos successus precari. Sed si sensa animi candide dicere debeat, sibi videri, id esse oleum camino addere. Nam si ei parti adsistatur, quæ bellum trahere cupiat, exiguam pacis spem esse. Ast si Elector ad exemplum Sueciæ Regis, Moguntini & aliorum medium se gerere velit, facilem compositioni viam esse. Isthæc omnia, quæ Rex cum Suerino locutus fuerat, legatus Gallicus ad verbum resciverat.

Sueci Electorem in diversa trahere tentantur. §. 37. Ast Sueci, cum suboleret, quanto studio Cæsar & Belgæ Electoris societatem ambirent, non minus enixe eum indiversa pertrahere laborabant. Unde a Rege Sueciæ ad Wangelinum literæ dabantur hoc argumento; *31. Mart.* *Se admodum optare, ut Elector operam sibi sociare velit ad exortum in Germania & vicinis locis incendium extinguendum. Nam quæ Crocovius Viennæ jactet, nimium in alteram partem studium prodere, ac ab Austriaca factione, in quam is forte inclinet, inspirata videri; hautquidquam accommoda æquæ paci reducendæ, quam Elector antea cordi sibi esse ostenderit. Contra se minime probare posse, quæ Gallus in Electoris & aliorum Ordinum ditiones patraverit. Igitur optare, ut Elector mediam viam ingrediatur, per quam utrinque secius acta per pacem aut inducias avertantur, ac æqua satisfactione reparentur; utque adeo is vires secum conjungat, aliosque Principes in easdem partes pertrahat, quo huic conjunctioni autoritas accedat; per quam ea bellantium pars quæ ob prævalentes vires nunc parum studii in pacem ostendat, ad amplectendas æquas conditiones persuaderi queat. Atque id obtineri posse eo plus spei esse, quod non dubitet, Gallum de priorum duritie postulatorum quid remissurum, ac Belgas Gallo ex æquo satisfacturos. Igitur jam id in quæstione esse, utrum pium ac æquum sit, ob vasta Hispanorum destinata, quæ Germaniam non tangant, hanc tam misere opprimi. Nam cum Cæsar fateatur, Lotharingo, aliisque Imperii Ordinibus in priorem statum repositis, nil sibi contra Gallum actionis esse; utique in solius Hispani gratiam tam exitiabile bellum protrahi. Sane Hispanorum in aula Cæsarea instinctu interpositionem suam suspectam reddi, & cum insociabili Pontificis officio absurde combinatum iri: ac Furstenbergii liberationem tanta pertinacia abnui. Igitur inquirendum, an Electoris eadem quæ Crocovii sententia sit; & num expediat ob Gallum in angustias redigendum bellum esse continuandum; cum utique quo magis Gallus prematur, eo magis Austriacorum potentia gliscat; quos facile libido subire possit Ferdinandi II. consilia resumendi.* 1674.

Super hisce literis Wangelino petente cum Electoris delegatis colloquium habeatur. Ubi *1. Maii.* nostri disserebant: *Electorem a Rege insimulari videri, velut non omnia ex ipsius sententia egerit, & in Austriacas partes inclinet. Sed isti constans propositum perstare, paci promovendæ operari. Alias apud Gallum haut dissimulasse, a rationibus Imperii separari se non posse; id quod & per totam Germaniam publice declararit. Nec eum media via deflectere, si ad patriam contra hostilia tutandam, connitatur. Nec Regem suis literis Galli acta probare; quæ sane nil pacifici arguant. Tantum porro abesse, ut Belgæ ostenderint, se Gallo satisfacturos, ut potius sæpe testati sint, se suorum nil amittere posse; ac bellum tamdiu gesturos, quoad Gallus pacem inire cogatur, qua ipsorum securitati prospiciatur. In solius Hispani gratiam bellum haut extrahendum. Cæsari quoque non pro solo Lotharingo curam, sed & pro Trevirensi, Palatino, aliisque injuria oppressis. De Pontifice insequestrem adsciscendo nil sibi auditum. Ob Furstenbergium, quem Cæsar Austriacæ Domui fiduciario nexu devinctum arguat, pacem haut retardandam, ac inter tractatus facile viam ei liberando inveniendam. Laude dignum esse, quod Rex circa librandas partium vires solicitus sit, ne consilia anni vicesimi noni recoquantur. Sed hæc longe abesse videri, ac si talia moveantur, eum causæ Protestantium haut defore.* Ad quæ Wangelinus: *Regem adhuc constanter mediam viam tenere, ac nullo partium studio apud bellantes paci promovendæ incubiturum; ac confidere Electorem pariter facturum. Quid Regi super Palatino negotio videatur, nil sibi mandatum. Sed cum hucusque omnis opera circa inducias & pacem incassum consumta sit, unicum superesse remedium, ut Elector cum Rege omnes vires societ, aliosque Germaniæ Principes in eadem consilia pertrahere studeat, quo ad æquam & stabilem pacem proponendæ justo pondere pervinci queant.* Addebantur obsoleta de vastis Hispanorum consiliis, queis Cæsar & Belgæ a pace retrahantur. Paulo post Wangelinus Electori stipendia offerebat alendo ex- *4. Jun.* ercitui. Ad quæ cum hic interrogaret; num eo nomine a Rege mandata habeat, & quæ conditiones proponantur; is reponebat: sibi quidem eam in rem nova mandata non esse; sed talia per literas insinuata. Et quia Rex medium se tenere constituerit, quod

1674. quod & Electorem facturum speret; & vero is facile intelligat exercitum hujus provinciis gravem incumbere, Regem ei sustentando subsidia curaturum si quid in menses postulet, indicare velit; ac sat facultatis sibi esse sub spe rati tractandi. Neque vero Regi animum esse Electorem in bellum pertrahere, aut ut aliquid quieti ac saluti patriæ adversum suscipiat. Sed quid peculiarium heic considerationum occurrat, ex Electore cogniturum. Et quia rumor sit, legiones e Borussia huc movere, & quæ in vicinia hospitentur, contrahi; Regem quo ista spectent, nosse cupere.

Elector de suis destinatis Galliæ significat.

25. Jun.

§. 38. Enimvero cum ista tanti non essent, ut Electorem a studio patriam contra insultationes Gallicas vindicandi retrahere possent, & jam copiæ ad ineundam expeditionem contrahi inciperent, hic destinata sua haut ultra dissimulanda ratus Verjo denuntiat: se defugere non potuisse, quin Trevirensi ac Palatino auxilia ferat, quæ præter communem erga Imperium obligationem e peculiari quoque nexu Electoralis Unionis debeat. Sane invitum se huc descendere, ac optare, ut Rex Germaniæ pacem dare velit. Quem in finem ipse enixam operam sumturus sit, si conditiones pacis, quas Rex desideret, norit. Circa quam Rex ingens operæ pretium facturus sit, si Trevirensi ac Palatino satisfaciat, ac in alium persequendis tractatibus locum consentire, & quæ hactenus negotium impedierunt, non amplius morari velit. Ad quæ Verjus: Electoris declarationem Regi inopinam visum iri, quod specimina amicitiæ ab hoc ipsi exhibita talibus conatibus causam dare non potuerint, si maxime tam crebræ testationes de ejusdem in Regem affectu, & studio paria reponendi non accessissent. Nam etsi multa, de quibus ipse subinde modeste questus sit, multa quoque aliunde relata, quæ ipse communicarit, Regi suspicionem injicere potuerint: hunc tamen pro candido ac generoso suo animo testationibus Electoris plenam fidem adhibuisse, tractatu quoque cum hoc confisum eidem tam lucroso. Equidem ea conventione Electorem certos sibi limites circa Imperium reservasse. Fuisse quoque sibi aliquando indicatum, Electori integrum esse Palatinum auxilio sublevare. Se tamen aliter credere non potuisse, quam idem ratam partem haut excessurum; nec ad extrema descendendum, antequam molliora ac tutiora remedia tententur. Multo minus Electorem ideo fœderibus sese innexurum. Regem sane adhuc confirmare; se copias suas extra Germaniam abducturum, statim atque caveatur, ipsum ex hac circa destinata sua turbatum haut iri: cum nemini magis Germaniæ tranquillitas & pacis Westphalicæ conservatio, quam eidem, cordi sit. Super Trevirensi Coloniæ conditiones ab ipso propositas, quas soli Cæsarei rejecerint. Palatino amica omnia oblata. Reddita in Clivica ditione loca indicio esse, a Rege nil adpeti, quod ad Imperium spectet. Nec dubitare, quin Rex Electorem arbitrum inter se & Palatinum sumturus sit. Igitur facile fore Germaniæ tranquillitatem stabilire, si hujus solius rationes respiciantur, ac Cæsar eandem pari cum Rege candore desideret, omnesque quorum interest in idem consentiant: ac ni aliunde suggestæ spes ipsos permoverent, ut ancipitis belli continuationem bonæ paci præferre velint. Regem quoque cum Belgis pacem cupere, sed cujus leges ignoret, cum isti de his nec proponere, nec audire velint. Hispani autem quam ob causam bellum cœperint, ipsi haut constare. Regi porro haut occasionem fuisse super hisce rebus ipsum mandatis instruendi, cum iste nondum sciat, Electorem super hisce peculiariter edoceri velle. Cum etiam Sueci sequestrium munere fungantur, nescire Regem, num id hisce adimi queat, aut num iidem Electorem in ejus partem admittere velint. Patientiam quoque Regis, tantas indignitates perpessi, antequam legatos suos Colonia avocaret, satis indicare, eum pronum resumendæ tractationi, modo id cum dignitate & securitate fieri queat. Quo fine reparanda esse contra fidem publicam in Furstenbergium patrata: quam actionem non dubium esse, quin omnes, queis antiqua fides Germanica cordi sit, detestentur. Circa quam non Galliæ solum, sed & magis Sueciæ Regis velut sponsoris ac sequestris, ac aliorum quorundam Principum honos versetur. Sed quia omnia sibi jam proposita nova sint, eoque sibi de Regis mente constare nequeat, nil certi respondere posse, quoad ab hoc mandata acceperit. Interim petere, ut Elector destinata suspendat, nec consilia capessat amicitiam alterare apta, quam Rex tantopere conservare atque augere cupiat. 1674.

2. Jul.

Ad hæc Elector: *Regi quod ipse ceperit consilium inopinum videri non posse, quod ipse nunquam isti demonstrare omiserit, ni Germania protinus belli malis levetur, se non posse non ei liberandæ arma expedire. Et si maxime id ipse non declarasset, pactum cum Gallo initum satis probaturum, se nil ex improviso fecisse. Inprimis post occupatum Germersheimum liquido declarasse, nullo modo a se diutius suspendi posse, ad quod tam multis de causis obstrictus sit. Igitur sperare, Regem id consilium pro novo haut habiturum, cujus amicitiam semper debita dignatione æstimet, ac nunquam refrigerari optet. Ac tantum sibi de justitia & æquitate Regis polliceri, ab eo primo damnandum se fuisse, si tam sanctæ obligationi, qua patria teneatur, defuisset; cui & jurata inter Electores Unio accedat. Sequestris munus sese Sueco subtrahere, aut in ejus partem venire nolle, quod ab hoc candide exerceri arbitretur, ut circa id mutari quid haut desideret. Optare tantum ut istud eum fructum producat, quem Suecus quærat, honestam & communem pacem; ad quam ipse omnia collaturus sit; ut tamen sequestris officio se miscere nolit. Quod Rex aliquot loca in Imperio restituere cœperit, bonum factum esse. Sed si is metum, qui adhuc plerosque urgeat, ac judicia, quæ de ista restitutione feruntur, plane removere velit, ulterius procedendum, ac omnia reddenda esse, Germania in statum, qui ante bellum hoc fuerat, reposita. Furstenbergii causam, postquam Coloniensis cum Cæsare transegerit, Gallum non amplius tangere: neque rationi congruum, ob unicum hominem,* 7. Jul.

cui

1674. *cui & nil mali metuendum, tot myriades innocentium extremis belli malis pessumdari. Super suis consiliis Regem haut sinistre judicaturum, si consideraverit, ea non odio, inimicitia, aut æmulatione erga ipsum capta, sed unice promovendæ paci, nec peculiare se emolumentum captare; ac adhuc optare, ut Rex isthoc consilii properata pace intercipere velit, totam Europam exhilaratura, ac a se in summi beneficii loco habenda.* Ad quæ Verjus: ista altioris indaginis esse, ad quæ nil quod respondeat, habeat. Eum paulo post

Aug. Elector amice dimittebat, traditis literis obitæ legationis fidem facientibus; quibus denuo testabatur, alia consilia capere sibi integrum non fuisse communi libertati & securitati vindicandæ; cui extrema vis inferatur, addito voto, ut Regi placeat tam funesto bello finem imponere.

Sept. Haut eo minus Strada Comes Trajecti ad Mosam præfectus minaces literas ad regimen Clivense scribebat; a Rege se jussum eam provinciam hostili modo habere.

[...]um [W]angeli[no] disce[pt]ata. [...]5. Jun. §. 39. Major disceptatio cum Wangelino surgebat, cui itidem Elector exponi jubebat; Se non dubitare, quin suæ hactenus actiones Regi probatæ fuerint, cujus fœdere deinceps quoque firmiter stare decreverit. Sed quia & cum id absolveretur, & postea sæpius declaratum sit, Imperii decreta sibi sequenda; & vero præter spem & frustra consumtis totiens ingestis monitis de non turbando Imperio, & amovendis ex eo copiis, hostilia indies intendantur, Palatino quoque nuper oppresso, sibi quoque invito quantumvis arma expedienda fuisse, ut decreto Imperii, ac obligationi in patriam, simul peculiari nexui erga Trevirensem & Palatinum satisfaciat. De hoc igitur Regi ex fœdere significare, ac petere, ut & hic agnato suo Palatino opem ferat; super quo ex Wangelino Regis sententiam cognoscere velit. Eadem se quoque Ferjo exposuisse; qui tamen ista parum æquo animo audire visus fuerit, ac defectum mandati excusarit, addito, Regem nec in reductionem sui exercitus, nec in alium tractatibus pacis resumendis locum consentire posse; ni super Furstenbergio ipsi satisfactum fuerit. Ad quæ Wangelinus: nil hactenus sibi a Rege injunctum, quid Electori super negotio Palatino respondere debeat. Eum quoque non aliter credidisse, quam ab Electore ratam duntaxat partem ad auxilia Imperii & Circulorum collatum iri; nec sibi persuasisse, cum toto eum exercitu iturum. Igitur se de istis ad Regem relaturum, ac petere, ut iter suspendatur, quoad a Rege responsum veniat. Verjum quoque dixisse: se metuere, ne id consilium secus quam speretur succedat, ac iterum inter Galliam & Electorem dissidium inde surgat. Equidem Electorem semper sibi potestatem excepisse Imperio debita præstandi; præsens tamen consilium longius procedere, dum justo cum exercitu apertis Galliæ hostibus in auxilium itur. Igitur eum petiisse, ut de hoc ad Sueciæ Regem referat; ac uti hic ante annum operam contulerit componendo inter Gallum & Electorem dissidio, quo hortante & iste huic Clivicas urbes tanto cum adparatu bellico gratis reliquerit; ita & nunc idem Electorem tam periculosis ausis desistere moneat. Simul instabat, ut Elector mentem suam circa pecuniam subsidiariam a se nuper oblatam declaret. Conditionum summam huc redire: Regi haut in animo esse Electorem in alterutram partem pertrahere, aut ut contra quietem & salutem Imperii quid suscipere necessum sit. Ne hoc incendium latius grassetur, Regem cupere, ut Elector in ejus belli partem non veniat, ac neutri bellantium accedat, sed medium se teneat, quo Regi circa promovendam pacem tanto efficacius adsistere queat. Ut eidem haut eo minus integrum sit exercitum in promtu habere non solum ad mutuam utriusque provinciarum defensionem ex fœdere, sed ut eum ad promovendam pacem Regi sociare queat, eo fortius hortando illi, quem adparuerit æquas pacis conditiones quam maxime respuere. Ut Elector mature super ratione pacem in Imperio instaurandi cum Rege conveniat, & ei exsequendæ operam navet. Ut utriusque ministri ubique communicatis consiliis agant, ac in eandem sententiam loquantur: eamque conjunctionem ubique publicent, quo tanto major amborum autoritas sit. Ut Elector operam det, quo & alii Ordines ad medium statum pertrahantur. Ut mature conveniatur, quomodo alter alteri opem ferre debeat, si alterutrum invadi contingat. Ut omnia eo melius exsecutioni dari queant, simul sublevandis Electoris ditionibus Regem huic certam pecuniam subsidiariam curaturum, si is fidem det, sese neutri nunc bellantium accessurum. Quæ tanquam sera, & ab Electoris rationibus abeuntia silentio transmittebantur. Mox Elector Wangelino significabat: *Ipsum sæpius declarasse, Regem Sueciæ decreto Imperii satisfacturum, idque ut præstent rectoribus provinciarum suarum Teutonicarum injunxisse. Unde eidem sententiam Regis super Palatino negotio occultam esse non posse; ac sperare haut minus, quam ipse faciat, Regem Germaniæ defensionem amplexurum. Destinata sua, quoad responsum Regis ad ejus relationem reportetur, libenter se suspensurum, si fieri possit. Sed id non amplius sui arbitrii esse, ac jam sibi exprobatum, per moras a se adhibitas Imperio grave damnum provenisse. Responsum e Suecia intra mensem adesse non posse. Interea Gallos sine intermissione grassari. Unde non cunctandum, ne sibi occinatur; dum Romæ deliberant, perit Saguntus. Verji dicta minarum instar habere, ac adversus ista securitati consulendum. Arma sua ab Imperio non ad ratam duntaxat partem restringi. In Unione Electorali potius exprimi, ut unus Electorum alteri omnibus viribus adsistat. Ac absurdum esse postulare, ut defensio intra eum modum suscipiatur, qui depellendo periculo haut sufficiat. Non opus esse, ut Verjus periculum ex hoc negotio oriri aptum ingerat. Nam id satis se agnoscere, ac invitum huc descendere: Sed eam sibi viam ineundam, quam fas & officium ostendant. In manu tamen Galli positum, Germaniæ protinus quietem reponere. Restitutionem Clivicarum urbium per legatos se Suecicos enixe; sed frustra quæsivisse, & eam post non e benevolentia,*

1674. *lentia, sed subigente belli necessitate secutam; ac Gallos eodem tempore professis hostibus plura restituisse. Quin Verjum, cum jam Rex præsidia inde deducere decrevisset, duras conditiones exegisse. Num sua expeditione bellum magis exasperandum, quam pax promovenda sit, penes divinam providentiam situm. Se interea suscepisse, quod officium imponat. Desidendo nil profici, cum plures Ordines subinde opprimantur, ac plures quotidie copiæ infundantur, immani populatione & incendiis Germaniam deformantes; inprimis cum Gallus nullam spem tractatus instaurandi faciat. Unde fidem patriæ debitam haut permittere ejusdem Reip. membra auxilii exsortia destitui; nec bello fomitem suggerere argui posse, queis ex armis nil aliud emolumenti quæritur, quam ut honesta pax acceleretur. Pro oblatis subsidiis grati animi vices deberi. Quod si igitur Rex ad salutarem istum scopum id impensæ velit facere, totam Germaniam, ac posteritatem, ac se cumprimis ingens ipsi beneficium debiturum. Sane mentem Regis alio tendere non posse, cum iste exercitum promovendæ paci adhibendum ferat, quam utique is remoretur, qui Germaniam milite inundet. Nam ut hæc ad pacem compellatur opus non esse, quæ eandem anxiis votis anhelet.* Eidem tractatum cum Belgis communicari petenti responsum: Electori multa cum istis negotia intercedere, præcipue e priori fœdere; ac negotium id adhuc imperfectum esse. Nec sibi communicata, quæ Rex cum Gallo, & Hanoverano tractarit. Ad ista quod reponeret Wangelinus nil habebat, nisi quod utique cum Rege prius consultandum fuerit, an non Palatinum negotium amice componi præstet; præsertim cum Verjus Electorem arbitrum adsciscere velit. Quousque Electoralis Unio se porrigat Regi non

20. Jul. constare. Interim petere, ut Elector Palatinum permoveat ad amice cum Gallo transigendum. Elector contra: Wangelino memoria non excidisse, uti ipse semper armis in Germaniam illatis, ac præcipue improvisa in Palatinum invasione indoluerit: uti ex eo tempore ubique institerit, ut Germania in tranquillum statum reponatur. Statim quoque ac de Palatinatus invasione auditum fuerit, ablegato propositum; sibi extra dubium haberi, a Rege Sueciæ eundem multas ob causas haut desertum iri, ac uti inevitabilis obligatio sibi id consilii extorserit, quod Regi Sueciæ, quem conservatio Germaniæ, ac præcipue Palatinatus tam prope tangat, improbari haut possit; ut &, quod ei tutius exsequendo ipse cum aliis fœderi se illigaverit, id quod nupero cum Rege pacto diserte cautum sit. Nam si integrum sibi sit Imperium tutari, aliasque sui status rationes sequi, haut minus fas fore idonea ad eum finem remedia adhibere. Dudum quoque Bran-

21. Jul. dio injunctum de istis in Suecia significare, etsi forte is adversam ob valetudinem serius eo pervenerit. Idem mox ut Electorem ab ea expeditione diverteret, significabat; Gallum paratum esse cum Palatino transigere, ac Regi suo gratum fore, si Elector hunc ad id permovere velit. Cui responsum: Potius id cogitandum, ut communis pax constituatur, ac per eam Pa-

latino, aliisque oppressis satisfiat. Aurelianen
sem Ducem idem ad Palatinum socerum re
tulisse; qui itidem responderit; ut circa com
munem pacem promovendam satagat. Se
Regem reposuisse: *tædio sibi fore si nil videat
quod agat.* Atqui ejusmodi separatæ paci ni
securitatis inesse: citra hanc autem, pacem in
ane simulacrum esse, turbandis armorum pa
ratibus, pro libidine Galli abrumpendum. In
terim ab ejus præfectis & quæstoribus easden
vexationes, quæ in bello tolerandas. Igitu
semel Gallo per conjunctas vires facultaten
Germaniæ insultandi adimendam, ac solid
eundem nexu stringendum, ut futuræ pacis le
ges haut ita temere perrumpere liceat. In
primis cum tam parum fidendum sit sponsioni
bus eorum, in quorum aulis Gallus tot obno
xios habeat, quas & per cavillationes eluder
in proclivi sit. Inde Wangelinus scriptum o
ferebat hoc sensu: *Cum a Rege super Palatin
negotio nil significatum sibi sit, haut constare, u
trum eo nomine ab Electore captum consilium R
gi placiturum sit, an minus. Metuere tamen,
Rex, quin totus orbis miraturus sit modum eo
consilio arripiendo adhibitum, ei plane adversun
ad quem Elector novissimo fœdere se adstrinxerit
per quem facile amicitia inter Regem & Elect
rem, Germaniæ & rebus Protestantium tam n
cessaria, imminui queat. Nam etiamsi Elector l
beram sibi facultatem reservarit circa ea præstan
da, quæ ad salutem Imperii a se deberi existima
verit; a qua & Regi nunquam discedere anim
fuerit: perspicue tamen eo fœdere conventum,
alteruter paciscentium seorsim consilia tam long
penetrantia capessat, multo minus alia fœdera i
eat, nisi prius mature cum altero super iis consi
taverit, ac operam dederit, ut & eundem in se
tentiam suam pertrahere queat. Atqui Elect
rom sibi semper confirmasse, a se ubique operam d
ri amicæ turbarum compositioni: cum Cæsare H
spano aut Belgis nihil egisse, quod ad commun
Germaniæ rationes spectet: nec alio fine copi
contrahere, quam ut tam periculoso tempore
propinquo sint. De exercitu in Palatini auxiliu
educendo nil sibi significatum, quoad omnia cir
cum ita disposita forent, ut expeditio exiguum
tempus suspendi posse negaretur. Id quod non p
sit non Regi improvisum videri. Ac facile persp
ctum fuisse, Brandii iter tam expeditum haut
re, quam præsens rerum conditio requirat. Q
autem Elector per istum Regi communicationem
ri maluerit, id suo loco relinqui, vel quod nolue
ea destinata maturari, vel quia ipse suspectus ha
atur. Cæterum Regem adhuc negotio ulterius
sceri nolle, quam qua sequestris munus ducit, u
partium utraque oblatis insignibus emolumen
eum sibi adjungere studuerit.* Addebat, Belg
nulla dissimulatione publicare fœdus cum E
ctore initum. Contra Elector: *Circa commu
cationem a se nihil omissum. Semper se ingess
nec Imperium, nec Palatinum a se deseri posse.
Wangelinum semper nil sibi super eo negotio man
tum excusasse. Unde facile a se prætextum ar
potuisse abrumpendæ communicationi Se
men non omisisse vel ex superfluo subinde exq
rere, quid consilii Rex circa istud cepe*

Om

Omnia sua consilia, omnes actiones, omnia fœdera, & ipsum cum Gallo pactum pro fundamento habere pacem Germaniæ. Quomodo hæc agendi ratio, postquam omnis pro pace opera incassum consumta sit, fœderi adversari queat? In unum & eundem, qui inter Imperii Ordines censeatur, simul cadere non posse; pacem Imperii servari cupere, ac propulsandæ Ordinum oppressioni debita auxilia non præstare. Hos intra limites cum ipse se teneat, ut paci promovendæ studeat, & obligationi erga patriam satisfaciat; se confidere, Regem ob institutum hoc laude dignum amicitiam imminuturum, ac totiens repetita declarationi erga Imperium sese haut subtracturum. Destinata hæc haut prius potuisse communicari, quoad constiterit, num Gallus ultro pacem Germaniæ sit redditurus; unde non prius opus fuisse negotio se miscere. Brandium morbo fuisse impeditum iter persequi; ea remora si prævideri potuisset, alium fuisse mittendum. Cum ablegatus semper defectum mandati excusarit, aliquo fructu cum eo communicari haut potuisse, eoque necessum fuisse ad ipsum Regem negotium referri. Denique sperare, Regem consilii sui rationes e Brandio auditas probaturum, nec minus laboranti Germaniæ auxilio suo præsto fore, ac fœdus, mutuaque amicitiæ cultum deinceps quoque cordi habiturum. Et quia ipse propediem iter ingressurus sit, se interea tutamen suarum ditionum ipsi commissurum.

Literæ Electoris ad Regem Sueciæ. 30. Jun.

§. 40. Paulo ante literas ad Regem Elector dederat, quas verbis conceptis heic inserere placet. *Quæ inter Regiam Majestatem Vestram & Nos, de procuranda Germaniæ cumprimis pace ac tranquillitate, subinde agitata & capta sunt consilia, optime recordatur Regia Mtas Vra, & placuerunt quidem ante omnia utrinque pacifica & mitiora recuperandæ pacis media, non tamen armis adeo destituta, ut nullum inde robur iis accedere posset. Atque proinde Reg. Mtas V. suscepto publice mediatoris munere, magno cum zelo, atque hinc maxima cum laude sua id egit, ut bono cum Deo æquis inter belligerantes conditionibus pax coiret. Neque Nos nostris defuimus partibus operam dantes, ut per legatos nostros, aliisque rationibus commodis animi & domi, & ubique ita præpararentur, ut in publico ad tractandem pacem destinato loco res eo felicius procederet. Nec caruit plane successu laudabile, ut quam maxime istud R.æ Mtis V.æ, studium, nec Nos operæ nostræ pœnituit, donec nescimus quo fato Colonia filum illud pacificæ negotiationis abruptum, & pariter omnis fere spes pacis per ejusmodi instituta recuperandæ extincta fuit. Nec omissa modo consilia pacis, sed armis unice datus est locus, dum hostilia illa, quibus Elector Trevirensis jam ante petitus, Palatino quoque Electori inferuntur, nobilissimæ ad Mœnum provinciæ ferro flammaque vastantur, ac Proceres Imperii juxta cum subditis in carceres conjiciuntur, & alia in in pacato solo, quale quidem quævis Imperii provincia esse debebat, patrantur, quæ etiam in hostico aliquando non permittuntur. Necessarium hinc visum est Imperatori Ordinibusque Imperii Ratisponæ congregatis, ut laborantibus ita Imperii Principibus, & tantum non prostratis, ex lege Imperii suppetiæ ferrentur, & Electores dicti ab Electoribus reliquis auxilia atque opem, quæ ipsis ex Unione, quam dicimus, Electorali debetur, poscebant. Sæpius ista ablegato Gallico, qui apud aulam nostram moratur, exposuimus, atque Regem Christianissimum per illum rogavimus enixe, tandem exercitum suum e Germania evocaret, eidemque suam redderet tranquillitatem. Indicavimus eidem pariter non posse nos tandem deesse fidei, quam Imperio, ac Collegio Electorali, & huic quidem juratam dedimus, quam integram Nobis & in pactis nuper cum Sua R. Mte Galliæ initis reservavimus, atque proinde in eo Nos esse, ut eidem ex asse satisfaceremus. Exposuimus eadem quoque R.æ Mtis Vræ ablegato & Colonello Domino de Wangelin, ut de iis omnibus ad R.am Mtem Vestram non referret modo, sed & fiduciam nostram, quam in R.a Mte Vra repositam habemus, ac simul exponeret, quid afflictissima Germaniæ de R.æ Mtis Vra animo propenso atque affectu singulari promitteremus. Hic vero quæ respondenda Nobis ab ipso essent de auxiliis afflictis Imperii Statibus ferendis non habere in mandatis, nomine vero & ad postulatum ablegati Gallici proposuit, eam, quam Nos reputaremus pacis viam, viam potius esse ad bellum & inimicitiam Regis sui, rogavit denique prædictus R.æ Mtis Vræ ablegatus, ut auxilia, quâ Imperio destinavimus, differremus, donec cum R.a Mte Vra de iis actum fuerit. Equidem nihil nobis magis est in votis, quam ut nunquam nobis imponeretur necessitas armis patriæ succurrendi, & tantum abest, ut non libentissime ea differre vellemus, dummodo id pericula patriæ & jurata fides permitterent. Eadem exigunt potius, ut R.am Majestatem V.ram majorem in modum rogemus, ut afflictissimæ Germaniæ non modo pacis consiliis, quibus adhuc eandem invigilare novimus, sed quacunque possit ratione adesse, nostraque, aliorumque Ordinum instituta ad pacem procurandam unice spectantia juvare dignetur. Jamdiu est, ex quo ad R.am Mtem Vram Consiliarium nostrum intimum Christophorum de Brandt ablegavimus, ut fusius mentem nostram R.æ Mti V.ræ exponeret; accepimus autem gravi eum in via correptum morbo, & incerti adhuc sumus, ubi in præsenti commoretur. Non potuimus non igitur nostris his literis ad R.am Mtem V.am ista deferre omnia. Quibus & hoc addendum duximus, proposuisse Nobis antedictum R.æ Mtis V.ræ ablegatum, consultum videri R.æ Mti V.ræ, ut copias nostras in provinciis nostris adhuc aliquandiu retineremus, Regiamque Mtem V.ram pro sua erga Nos singulari affectu id acturam, ut militibus nostris, ne nimis illi graves essent provinciis nostris, de sustentatione pro parte aliqua prospiceretur. Grati agnoscimus hanc R.æ Mtis V.ræ propensionem nullo non officii genere demerendam. Rem ipsam quod spectat, id inprimis spectandum putamus, in quem denique finem domi alendus sit miles? Si patriæ succurrendum, si afflicti juvandi, nunc certe illud tempus est, quo id agendum maxime; & quo diutius auxilium differtur, eo facilius subvertuntur afflicti, tantoque majora incrementa capiunt virium illi, qui eos opprimunt. Consultius forte videbitur servare militem extra belli aleam, tantum ad pacis studia promovenda. Pacem autem Nobiscum expectant votis ardentissimis*

1674. *simis Imperii Ordines, & aquis hi transigent sine dubio conditionibus, ut contra illos pacis procuranda causa armis opus non sit. Hostilia arma hac desideria ipsis satis extorquent, ita ut amicorum armis opus non sit, nisi ad pericula & vim depellendam. Nunquam autem a pacis consiliis alieni erimus, ut novit cordium scrutator, Nobis nulla consilia cordi esse, quam qua ad pacem spectant. Illam ut Pacis Autor nobis dare velit, Regiaque Mti Vra prospera quaque largiri dignetur, hoc est, quod ab ipso humillime & ardenter petimus. Colonia ad Spream d. 30. Jun. 1674.*

Wangelini super Electoris expeditione monita. §. 41. Post procedente in expeditionem Electore Wangelinus exhibito scripto declarabat; se haut credidisse, Electorem toto cum exercitu in Gallum moturum fœdere cum Hispanis & Belgis inito: cum is semper confirmarit, se medium mansurum, ac cum Rege suo
31. Jul. consilia viresque sociaturum, spe quoque facta oblata subsidia a se haut repudianda. Nunc ista absque matura communicatione suscepta. Regem judicare, publico bono, ac peculiaribus Electoris rationibus tutius esse, hunc suo cum exercitu velut in excubiis agere. Quo fine a se adhuc subsidium pecuniarium offerri.
1. Aug. Ac Gallum utique in pacem pronum. Ad quæ Elector: Satis se communicasse quæ fœdus requisiverit. Capta a se consilia ad impediendam pacem non spectare. E propositis a Brandio Regem satis judicaturum, sua consilia præmatura non esse. Sperare quoque Regem decreto Imperii conformem se gesturum; præsertim cum is semper declaraverit, se nomine provinciarum Teutonicarum haut diversa a reliquis Ordinibus consilia initurum; nec dissuasurum, quo minus ipse ex Imperii decreto aut Unione Electorali debita præstet. Subinde quoque se testatum, in medium se statum consentire, aut ab Imperio disjungi haut posse. Circa subsidia sæpius indicatum, haut aliter judicari, quam ista a Gallo profectura, quæ admittere gravissimæ rationes dissuadere. Ne ita abrupte respuerentur, decorum amicitiæ requisivisse. Ubi haut omittendum fuerit, utut Wangelinus tantopere circa sistendam Electoris expeditionem laborarit, tamen in conventu Circuli Superioris Saxoniæ, qui mense Augusto Lipsiæ agebatur, Citerioris Pomeraniæ
Molzan. ablegatum Albertum Joachimum Molzanum pro sententia dixisse: Regem Sueciæ nuper conditis Imperii decretis utique stare, ac semper ratam copiarum partem in promtu habuisse; quæ & in expeditionem mittenda fuerit, ni is sequestris munere fungeretur; ac Gallus ansam arrepturus esset ipsum studii adversam in partem arguendi. Cui nomine Circuli responsum fuerat: *Sequestris munus, quod Rex Suecia susceperit; Ducem Brema ac Pomerania ab obligatione, qua is Imperio teneatur, liberare non posse.* De-
4. Oct. mum cum jam Elector Rhenum transiturus esset, Wangelinus a Rege se evocatum ferebat obeunde functioni militari, inter valedicendum de constanti Regis sui in istum, fidaque vicinia confirmans. Cui ad extremum Elector exponi jussit: *Se se hanc expeditionem salvo officio defugere haut potuisse, de qua ea Regi quantum licuerit sat mature significasse. Tractatus* 1674.
cum fœderatis ad hunc usque diem nondum plene absolutos, eoque communicari non potuisse. Exhiberi tamen legenda, qua in promtu sint. Caterum denuo rogare Regem, ut misere oppressa Germania rationem habeat. Eum incluta Principum Palatinorum stirpe oriundum egregias in Germania provincias possidere: semper obstrictum se agnovisse explendis Imperii decretis: eoque nunquam sibi persuadere potuisse, eum abs quopiam contra Germaniam incitari posse. Neque se perspicere, quomodo una manu oppressis Ordinibus, altera hostibus Imperii auxilium præstari queat. Equidem legatum Gallicum Holmia satagere, ut aperta hostilitas inter Regem & se excitetur; eoque nomine ad fœdus provocare, quale ipse existere haut credat, & Wangelinus semper inficiatus fuerit. Ac absurdas esse rationes, ab isto Gallo adductas, quasi ipse de bello Suecia inferendo agitet. Sibi nullius Principis amicitiam magis cordi esse, quam Suecia Regis; nec suam vicissim amicitiam huic inutilem. Regis Parentem Gallicis destinatis parum fuisse addictum, ac post ejus obitum magis erupisse, quo animo Galli in Germaniam essent. Quid Trevirensi, quid decem oppidis Alsatia, quid Comiti Nassovia & aliis contigerit, se nolle memorare. Tantum quid Palatino factum memorare, tam recenti affinitate Domui Regia innexo. Eadem omnibus expectanda. Ista Regem nunquam probaturum, ac potius ad eam pestem opprimendam simul connixurum, conciliatione pacis continuata. A quæ Wangelinus nil præter inania, ac sæpius ingesta reponebat, ac inde Argentorato facessebat.

§. 42. Fortasse tamen Sueci in alia con- *Legatio*
siliæ adduci poterant, aut saltem prætextum *in Sue-*
offensæ adimebatur, quasi non satis tempestive *ciam.*
aut scrupulose cum iis communicatum foret, si Christophorus Brandius maturius in Sueciam adpulisset. Is quippe apud Regem ex- *20. April.*
ponere jussus fuerat; uti Electori semper studium fuerit cum Rege amicitiam colere servandæ publicæ paci ac securitati; cui fini recens ictum fœdus plus occasionis præbeat. Et quia isthoc id potissimum spectet, ut ad Rhenum latius subinde se diffundens belli incendium restinguatur, Electorem se valde obstrictum Regi profiteri, communicata per Wangelinum ipsius sententia; ac uti lætum sit, Regi studium communis ac solidæ pacis promovendæ persistere, ac eundem paria secum consilia fovere; ita proposita a Rege non sibi solum probari, sed & eadem pluribus jam locis secutum, eaque deinceps quoque continuaturum. Quo fine & Brandium se misisse, ut utriusque sententia eo commodius percipi atque communicari possit. Et quanquam metus sit, ne abrupto Coloniæ tractatu spes pacis non parum imminuerit, ac propinqua expeditione difficilius futurum sit ad alium congressum rem deducere: se tamen haut omissurum omnem operam eum in finem navare, si a Rege occasio & via sibi ostendatur. Ubi de induciis mentio injiciatur, responderet: post abruptos tractatus parum esse, quod de iis agatur; ac de instaurando potius conventu

1674. conventu laborandum. Quanquam autem ipse propositis induciis jam apud unum & alterum suspectum se reddiderit, ac sibi objectum sit, facilius fore super pace, quam induciis convenire: se tamen libenter Regis sententiam super iis cogniturum, ac data occasione circa easdem quoque operam navaturum. Ostenderet quoque, quantum malorum invasio Palatinatus post se tractura sit; ac uti Gallo non solum dissuadendum, ne amplius ullum ex Imperii Ordinibus impetat, sed & eundem hortandum, ut omnia in integrum restituat. Id se jam fecisse, ac ulterius facturum. Decreto tamen Imperii, circa auxilia Palatino ac Trevirensi ferenda, officio subigente, subtrahere se haut posse: præsertim cum non audierit legatum Suecicum Ratisponæ contra Imperii decretum quid opposuisse. Et quia Saxo tanquam Superioris Saxoniæ director copias Circulares contrahi urgeat, se quoque, quid Regi videatur, nosse cupere. Addebatur de Polonica electione, num quod operæ pretium pro Neoburgico fieri queat; ac ne id Regnum, ubi necessitas ingruat, sine auxilio relinquatur. Si de pace inter Gallum, ejusque hostes moveatur, diceret: eam ægre sperandam, quousque iste Lotharingum ad tractatus non admittat; unde Rex eidem serio demonstraret, quam necessarium sit Lotharingico legato diplomata indulgeri. Si de liberando Furstenbergio mentio fiat, reponeret: Electori quidem, quæ cum isto acta sint, ingrata auditu fuisse, utpote tractatibus remoram injectura. Sed postquam id semel patratum sit, non adparere, quare ideo totum pacis negotium everti debeat; præsertim cum Cæsar graves rationes adducat, quare istum in potestatem redigi necessum fuerit. Obiter de negotiis quibusdam Pomeraniam provinciam spectantibus subnectebatur.

Alia mandata. 6. Junii. §. 43. Sed quia, dum Brandii iter morbus moratur, res interim insignem mutationem subierant. Elector missis aliis mandatis Regi exponi jubet, quibus de causis necessum sibi fuerit cum Cæsare ac Belgis se conjungere. Scilicet *Cæsarem, ac directores Circulorum, sub quibus ditiones suæ sitæ sunt, ac Palatinum indies acrius institisse, ut rata copiarum pars ad auxilia Ratisponæ decreta submitteretur, quod & leges Imperii & Unio Electoralis requirat. Unde necessarium visum copias e Borussia & aliunde contrahere, quo oppressi auxilio, quantum possit, subleventur. Haut immerito tamen se metuisse, ne suscepta oppressorum defensione ditiones suæ periculo exponantur; tum & rationis fuisse sibi cavere adversus illos, queis ista forte parum grata futura sint. Ac recens Palatini exemplum extare, qui tam violenter oppressus sit ab iis, qui eo ipso tempore ad propiorem conjunctionem amicissimis verbis invitabant, non aliam ob causam, quam quia ob sui conservationem ac securitatem propius Cæsari se innectere agitarit; id quod nullo jure prohibitum erat. Sed & suas ditiones proprio milite alendo exhaustas, cum altis eum in finem aliunde pecunia suppeditata sit; quæ & sibi oblata sit, non modico civibus levamento cessura, ni eam accepisse obligationi erga patriam repugnare visum esset; nec metus fuisset, ne per eam inutilis redderetur ad ejusdem Reip. consortibus auxilia ferenda, ac communem pacem promovendam. Igitur necessarium visum ejusmodi pactis se munire, per quæ & cuivis periculo occurri posset, & innoxium scopo suo subsidium sustentando exercitui potiri liceret. Cui fini nil aptius visum, quam cum Cæsare ac Belgis antiqua fœdera renovare, ac ad præsentia tempora accommodare. Quam in rem duo sibi potissimum animos addidisse. Nam & sibi constitisse utrisque honestam pacem cordi esse: ac amicos & vicinos suos, a quibus disjungi non potuerit, Saxonem, Cellensem, & Guelferbytanum jam Cæsari ac Belgis sese per fœdera illigasse. Nec adparuisse, quid obstaret, quo minus ipse tale consilium capesseret. Nam proximo cum Gallis pacto expressis verbis sibi reservasse, ne Imperium destituere, ejusve rationes teneretur negligere. Ac penes solum Gallum culpam esse, quod sibi causa publica suscipienda oppositis armis sit; velut qui primum nulla necessitate, ac dissuadentibus amicis & fœderatis exercitum suum Germaniæ infuderit, urbes Alsaticas occuparit, Palatino arma intulerit, plura hostilia susceperit; quibus omnibus abstinere poterat & debebat. Equidem se eo pacto promisisse de auxilio Belgis non ferendo; id quod accurate observarit, utut Galli ea pacta multifariam violarint, Clivica provincia gravissimis damnis illatis. Sed postquam Gallus Belgis ultro Geldriam, Ultrajectum & Transisalaniam reddiderit; simul Anglus, Coloniensis, ac Monasteriensis, Gallicis licet fœderibus arcte innexi, pacem cum istis inierint; cur & sibi, cui nunquam hostilitas cum ea Rep. intercesserit, integrum non fuerit veterem cum hac amicitiam instaurare? Ac si Gallus objiciat, cum Hispano quoque fœdus nexum; sane non minus integrum sibi cum hoc, quam cum Gallo fœdera inire. Et quia Cæsar ac Belgæ tam arcto nexu isti ad pacem usque se illigaverint, declinari a se ejusdem fœdus haut potuisse. Quod eo minus sibi exprobrari queat, quia Hispanus nil actionis in Germaniam moveat; nec ipse ad aliud se obstrinxerit, quam ad instaurandam pacem Westphalicam, Clivicam, & Aquisgranensem. Denique ex eo tempore, quo fœdus cum Sueco initum sit, faciem rerum valde mutatam. Id autem fœdus utrique permittere eas partes amplecti, quas sibi quisque maxime proficuas judicaverit. Et quanquam simul placuerit; circa id communicatis consiliis procedendum: Suecos tamen hactenus circa sua nil ipsi communicasse, ac inprimis, quid cum Anglo negotii contrahant; quid rationum ipsis cum Gallo, a quo insignia subsidia accipiant, intercedat; ac de fœdere cum Hanoverano nuper admodum & laxis duntaxat verbis indicium fecisse. Ut tamen fœderi satisfaciat, simul amicitiam cum Rege, quantum in se, continuet. Brandius huic communicaret: sibi constitutum, oppressis Ordinibus ex decreto Imperii, ac subigente officio, opem ferre, quod & Regem facturum speret, simul paci promovendæ incumbere. Fœderum cum Cæsare, Hispano ac Belgis copiam faciendam, quamprimum ea perfecta fuerint: Quæ si & Regi amplecti placeat, ingens momentum ad Europæ pacem allaturum. Sed si id facere dubitet, spem tamen esse, Suecum facta cum ipso fœdera constanter servaturum; quod & ipse facturus* 1674.

1674. *facturus sit.* Cæterum quod de hoc negotio haut maturius communicatum fuerit, Brandius in moras sui itineris rejiceret, & quia metus fuerit, ne si Wangelino ista significarentur, eadem statim Gallo innotescerent; nec tractatum adhuc perfectum fuisse. Denique & operam dare jubebatur Brandius, ut ope Senatorum, qui tam fervida Sueciæ pro Gallo consilia improbabant, Regem permovere queat, ut hic istum enixius ad amplectendam pacem impelleret.

Animorum in Suecia habitus. 14. Jul. §. 44. In Sueciam cum pervenisset Brandius, multa disseri audiebat de suspicione, quam Ordinibus gliscens Cæsaris potentia, & longius tendentia consilia generare debeant. Eodem quoque tempore Feuquierius legatus Gallicus circa trajiciendas in Germaniam Suecicas turinas ita enixe laborabat, ac si plane Galliæ negotium gereretur; qui & plus tunc pecuniæ quam antea numerabat. In omnium sermonibus magno fervore Gallis favebatur. Nulli nuntii placebant nisi Gallo prospera, Cæsari, Hispano ac Belgis adversa ferentes; usque adeo ut tabellariorum præfectus acriter increparetur non sine minis adimendæ functionis, si relationes publicaret Gallo parum propitias. Non tamen, quæ in Germaniam transportabantur, copiæ adeo numerosæ erant; ac ipse Feuquierius Suecis parum fidebat, eoque subsidia non una vice exsolvebat, sed pro numero copiarum, quæ navibus imponebantur. Inprimis Magnus Gardius acriter in Electoris expeditionem invehi: ante novem menses secus rem habuisse; ac ubi Turennius Electorem iterum in angustias redegerit, Wangelinum haut secunda vice pacem ipsi conciliaturum. Addebat; Suecos ante finem anni XX M militum in Germania habituros; ac tunc operam daturos, ut e naufragio Germaniæ & ipsi aliquod tabulas colligant. Cum apud eundem Brandius quæ jussus erat exponeret, is solito verborum flumine reponebat: Regem Sueciæ ab initio hujus belli honesta, & nemini noxia consilia agitasse, ad æquam pacem tendentia. Eo fine nulli operæ ac sumtui pepercisse suscepto sequestris munere, ac omnes molestias, quæ inter id obvenerint, ac sinistra judicia ab osoribus pacis tolerasse egregii propositi tenacem. Cum autem Regi persuasum sit, per arma promtam ac stabilem pacem obtineri haut posse, non minus gravem animi dolorem concepisse, quod Electorem Cæsari, Hispano ac Belgis se innexuisse audiverit, quam antea gaudium senserat, quod tam validum circa promovendam pacem socium sibi reperisse videretur. Haut eo minus Regem id fœdus firmiter servaturum, eique ex sua parte satisfacturum. Nec dubitare, quin Electori, non obstante capto consilio studium promovendæ pacis persistat. Minus efficacem tamen deinceps operam fore, distracta Regis & Electoris circa pacem conjunctione. Nam accessione Electoris ad Belgarum partes oleum camino additum. Austriacis & Hispanis alias a pace abhorrentibus egregio Electoris exercitu fiduciam accessuram. Gallum subigentes existimationis cura plus pertinaciæ sumturum, & in Electorem extrema tentaturum. Nam præterquam quod is annur abhinc tam generoso modo transegerit, eundem & Cliviæ oppida non minus liberaliter reddidisse, sic ut hoc facto irreconciliabile odium sit surrecturum. Equidem causas, quæ Electorem ad id consilii compulerint, gravissima esse, ac uti huic suæ rationes quam optime sint perspectæ: ita & eidem per proximum fœdus integrum esse partes pro lubitu capessere. Se optare se, ut omnia bene cedant, ac Electori ditionibus, totique Germaniæ non majus ind periculum nascatur. Nam Turennium victor exercitui præesse. Condæum LX millibus bel latorum succinctum. Fœderatos quoque e gregiis copiis instructos, sed deesse bonos du ces, ac uti inter tam multos assoler, in diver tendere. Contra apud Gallos ex unius nut rem geri, ac bonorum ibi ducum, nec non pe cuniæ, ac aliarum rerum necessariarum affati esse. Postquam itaque Elector ac Luneburg ei sua expeditione omnes rationes, quæ Gall hactenus proponi potuerint ad relinquenda Germaniam invalidas reddant, atque huic de inceps ratio status ac belli suadeat in media Germaniam penetrare, ac immunes adhuc bello regiones invadere; se valde metuere, n Turennius versis ad Visurgim armis Electori ditiones ingenti malo mactet. Unde si res ad huc integra sit, se suadere, ut Elector agitatum cum Belgis fœdus retractet, quo deinceps quo que facultas maneat paci cum Suecia promo vendæ incumbere. Equidem a se Galli p Germaniam ausa hautquidquam probari, qu & acriter eidem exprobrata sint. Enimvero co gitandum esse, postquam Cæsar & Elector bell se miscuerint, Gallo per rationem belli mul fuisse facienda. Forte Argentoratenses pont sui usum Cæsareis fuisse indulturos; forte Co mariæ & Sletstadio Cæsarea præsidia imponen da. Ni Galli occupassent, Treviros in Hispa norum manu esse. Palatinum merito miseratio ne prosequendum, cujus pulcerrimam provin ciam, quantum flamma reliquit, hostes jux atque amici comedant: Electori vix ad aula sustentandam reditus superfore: ejus filiam Gallia in lacrymas solvi, ac periculum esse, totam is ditionem una cum munitionibus ami tat. Sed istam calamitatem cum scævis con liis sibi attraxisse; cum extra partes manenti periculi esset. In cautionem fœderis cum C sare agitati huic Germersheimum Philipsbur imminens tradere voluisse; cum Gallus ami omnia polliceretur, si medius maneret, ac su munitiones proprio duntaxat milite custodir Sane Cæsarem isti damna accepta haut refu rum: ac istum optime sibi consulturum, ad servandas fortunarum reliquias cum G lo utcunque transigat. Inde dissuadebat, Elector in itinere Hanoverani ditionem ta gat. Nam hunc sine dubio arma oppo turum; & si ad manus res perveniat, S cos ex fœdere ad auxilia ei ferenda te ri. Multis inde jactabat, Regi suo X M bellatorum brevi in Germania fo Ad ista Brandius: Non minus Electori qu

Re

1674. Regi in pacem studium persistere: sed ad eam diversa via tendi, quæ tamen amicitiæ inter ipsos haut obstet. In Germania judicari, pacem per arma parandam; præsertim cum Gallus post abruptos Coloniæ tractatus militem suum latius per Germaniam diffuderit, aversi a pace animi indicium. Contra Cæsari sociisque promtam, tutam & honestam pacem in votis esse; ac si in diversa tendant, Electori non minus istos hortari in promtu esse, quam Sueco Gallum. Quod si Gallus de existimatione sua agi credat, ac in pertinaciam se obfirmet, quod Elector justa ac patriæ debita consilia cæperit, animum paci aversum magis apricaturum, Feuquierio parcius de promisso, aut merito crepandum. Electorem disertis verbis sibi recipisse, pro Imperii securitate decretis se nec posse nec velle deesse. Eundem per Verjum & alios Gallum sedulo hortatum, ut Germaniæ, ac inprimis Palatinatui parcat; alias sibi necessum fore in hujus auxilium accingi. Ergo Galli culpam esse, quod Electori & aliis patriæ fidis Principibus in expeditionem sit prodeundum; quod is insuper habitis amicorum hortatibus Germaniam infestare non desistat. Restitutionem urbium Clivicarum aliquod instar meriti potuisse habere, si ante annum facta esset cum pactum absolveretur, ac nondum tanta per Westphalicas ditiones damna data forent. Quam nec benevolentia, sed belli necessitas fieri subegerit; prout & reliquæ Belgii urbes derelinquendæ fuerint. Unde Gallo perinde fuisse, Elector an Belgæ iis præsidia iterum imponerent. Machinas & paratum bellicum avehendi facultatem non fuisse. Sane Electoris institutum periculo non carere. Ast in divina ope, ac justitia causæ fiduciam esse; nec fœderatos defore, ac inprimis Sueciæ Regem, qui non levi suspicione sit perstringendus, si Galli ad Visurgim arma proferre aggrediantur. Rem non amplius integram, nec retrahere pedem Electori licere, ni justas Imperii ac Palatini querelas in se excitare velit. Nec Regem postulaturum, ut Elector Belgico fœderi renuntiet, quod ipsi non leve robur addat ad pacem una cum isto promovendam. Electori non parum solicitudinis injectum iri, ubi audierit, Gallica facinora non solum excusari, sed & judicari, a Trevirensi & Palatino aliter agendum fuisse. Nam inde adparere, a Suecis juxta ac Gallis Germaniam non pro una Republica, quæ capite & membris constet, haberi; siquidem id piaculum, ac justa belli causa esse debeat, aliquem Ordinum cum Cæsare defensionis gratia fœdus inire. Saltem Sueciam melius sentire par esse, quæ Westphalica pace membrum Imperii manere voluerit, cum Gallus id adspernetur. Quod si Palatinus circa defensivum fœdus cum Gallo ineundum occupatus tali modo a Cæsare oppressus fuisset, quid tunc Suecos dicturos? Sane neminem assertorum quin Cæsari fas sit Ordines ab ejusmodi fœderibus dehortari, per quæ invasores Germaniæ firmentur. Palatino transactionem suaderi non posse, ad quem pessumdandum Turennius enixe incumbat nulla reparationis spe. 1674.

Cum porro dicatur, Regi non aliam esse mentem, quam conciliandæ paci operari; se nosse cupere, quid tantæ sibi in Germaniam mittendæ copiæ velint, ubi nullum ipsi periculum metuendum? Hanoverano causam non esse innoxii transitus negandi, qui ad salutem Imperii spectet. Quanquam si Electorem gravius ac moram non patiens institutum urgeat, eum Hanoverani copias parum curaturum. Istum tamen in Regis gratiam potius a recta via deflexurum, ne quid molestiæ illi facessat. Contra & Hanoveranum a Rege hortandum, ne inutiles turbas moveat. Ad ista Gardius pollicebatur, se omnem operam navaturum, ut amicitia inter Regem & Electorem sarta recta perstet. Diffiteri tamen non posse, circa hoc negotium Regi duo mira videri. Primo, quod etsi Elector per literas, & misso legato de suo instituto sat mature ac decore Regi significarit, non prius tamen consultarit, num expediat ejusmodi consilium capessere, cum tamen fœdus id requireret. Deinde quod post Brandii Berolino discessum, cum jam decretum esset Palatino opem ferre, Wangelino dictum sit, ut is procuratorium sibi adferri curet conciliando tractatui inter Galliæ Regem atque Electorem; quod procuratorium cum jam Hamburgum esset missum, Regem intellexisse, Electoris sententiam jam mutatam. Ad quæ Brandius: Electorem a concluso fœdere semper cum Wangelino communicasse de Germaniæ periculo, addita denuntiatione, haut sibi fas eidem deesse; isthoc semper excipiente, sibi Regis mentem circa Palatinum negotium haut perspectum. Interim Palatinum ita in angustias redactum, ut deliberandi cum Rege spatium non fuerit, ac Electori in arena consilium fuisse capiendum. Ac ne forte Gallus imparatum adhuc occuparet, Holmiæ de suo consilio, quam Berolini significare maluisse. De Wangelini procuratorio nil sibi cognitum; ac forte de isto obiter jactum. Electorem tamen cum Gallo libenter tractaturum fuisse, ni Palatinus indies crudelius fuisset habitus; ac si Verjus desiisset conditiones obtrudere, officio erga Imperium & Collegas repugnantes; ac si idem quidquam cautionis præstare voluisset, Gallum protinus arma e Germania abducturum, aut tractatus cum Palatino successuros. Ad extremum Gardius: Suecica arma in Germania utique majora fore, quam sequestribus opus sit. Suis quoque provinciis omni vi ad Rhenum conversa, parum metuendum. Regem tamen circa negotium pacis haut omnium libidini obnoxium posse agere. In Germania & vicinis locis Suecos bonorum virorum vocabulo notari, & esse eos tales, sed non eo sensu, uti isti intelligant. Regi eos armorum paratus faciendos, ut sibi autoritatem, negotio pacis pondus addere queat: ac nescire se, quid demum consilii capiendum sit, ubi Rex deprehenderit, curam suam super pace inanem fore; præsertim cum & tunc honorem suum vindicandi necessitas sit incubitura.

§. 45.

1674. *Expeditio in Alsatiam decernitur.* §. 45. Ast tanti non erant Suecorum Gallico favore imbutorum ratiocinia, ut ideo patria Gallicis armis impune proculcanda esset destituenda. Præsertim cum missus a Cæsare in Sueciam Adolfus Uratislaus Sternbergius Comes asseveraret, Suecos nec posse nec velle quid movere. Ac Belgicus legatus Heemskerkius ministro Suecico in os denuntiaret, quam primum Sueci Electorem invaderent, Belgas tota vi istis restituros. Ac eo facto Gallum quidem periculo ereptum iri, sed Suecos contra Germaniæ vires in se tracturos, haut ita facile repellendas, uti forte ipsis persuasum sit. Quæ apud Suecos pondus habere credebantur. Et quicquid ejus esset, Elector Imperii salutem ante omnia habens post absolutum fœdus magno studio expeditioni sese accingebat; admodum lætantibus Cæsareis, quasi partibus fœderatorum jam in tuto collocatis, ac certa honestæ pacis spe. Quanquam autem fœdere cautum esset, ut Elector in Westphaliam & inde longius iret; tamen Cæsar expedire judicabat, ut Elector cum Cellensi Duce in Palatinatum tenderet; addito, quamdiu bellum in Palatini ditione gereretur, penes hunc supremum belli moderamen fore. Sed si arma alio transferenda sint, se Bornonvillio injunxisse, ut is ab Electore debito cum respectu dependeat; sed operationes bellicas ex majore parte suffragiorum consilii bellici suscipiendas. Ipse quoque Palatinus tanto acrius super accelerando auxilio instabat, quod Cæsarei & Saxones apud Sinzheimum acri cum Gallis conflictu cessim iverant, apertis provinciæ locis Gallorum libidini expositis. Ac manebat hoc modo Electori prætextum, velut circa solam Imperii defensionem idem satageret. Palatinus porro ingerebat, Philipsburgum expugnandum, & solo æquandum, dum reliqui fatigando Turennio incumbunt. Sed Elector judicabat, anni tempus nimis provectum tanto obsidio suscipiendo. Ac Cæsari satius videbatur in Alsatiam tendi, aperiendæ in Burgundiam viæ. Etsi Hispani ac Belgæ eundem in Cliviam, inde longius movere maluissent. Sed quibus Elector per Blaspielum significabat: penes se moram non esse. Nam etsi nondum quid pecuniæ ex fœdere accepisset instruendo militi; tamen legiones suas e Borussia jam movisse, ac se propediem trans Albim iturum. Sed Cæsarem misso cursore demonstrasse, laboranti Palatino auxilium properandum, quem maxime vis hostium urgeat; cum alibi fœderatorum vires Gallis pares sint. Si Turennio pro lubitu grassari permittatur, Palatinum forte auxilio destitutum ad transactionem compulsum iri, quo Sueci & alii valde invitent. Quin Sueviam & Franconiam, singulari hactenus in Remp. studio, hosti in prædam exponendas, cæteros Ordines animis collapsos seorsim sibi consulturos. Quin si Electoris exercitus reliquis fœderatis in Belgio jungatur, hisce plus incommodi quam levamenti accessurum, ipsa multitudine horum terris evastandis, simul fame morbisque incubituris. Ast si Turennius

8. Aug.

Palatinatu expellatur, id fœderatis gloriæ atque usui cessurum, ac ea distractione hostem Belgio averti. Destinata quoque fœderatorum ibi expeditius effectui posse dari; cum alias Suchio in Palatinatum sit vertendum. Post felicem ejus expeditionis successum, fœderatis in proclivi fore copias jungere, aut alia e communi consilio suscipere. Ast in Cliviam ituris magna terrarum spatia emetienda, non sine temporis jactura, antequam ad hostem perveniatur. Contra citius operæ pretium posse fieri, si in hostem eatur, qua proximus est, & recentibus adhuc militum viribus. Tum & eo melius illorum motus observari posse, qui a tergo maneant. In Cliviam euntibus Hanoverani ditionem transeundam, qui forte eam in arma erumpendi occasionem captet; de quo Sueci non obscure insinuarint. Ac sane Hanoveranus Electori nonnihil curæ injiciebat. Sed Cellensis ac Guelferbytanus confirmabant, ab eo nil periculi esse; etsi haut consultum sit apud eundem super transitu quid moveri, ne forte responsum accipiatur animos utrinque irritaturum. Interea cruento apud Senessam prælio certatum est, dum fœderati castra hostium cominus prætereuntes his occasionem præbuerant postremum agmen, quod Belgicus miles componebat, invadendi; ubi magna utrinque cædes facta, donec adventu Cæsareorum repulsis Gallis nox demum pugnæ finem imponeret. Unde Monteregius & Suchius adstipulante Arausionensi Electorem, ut in Brabantiam verteret, rogabant. Nam Ducum discordia rem haut ex voto gestam, quorum dissidia istius autoritate componi queant. Sed Elector jam Schweinfurti Mœnum transierat; ac hostis in Alsatia & Lotharingia copiis suis firmatis, occasionem rei gerendæ præbiturus videbatur. Ac parum intererat, quo loco Gallis noxa inferretur. Quod institutum deinceps & Monteregio probatum. 1674.

§. 46. Porro Elector Berolino movens, cum exercitu viginti fere bellatorum millia explente egregiis ducibus ac gregariis, cum Magdeburgi Albim transiisset, ad sinistram flectens, ne Hanoverani ditionem tangeret, per Eichsfeldiam & saltus Thuringicos Smalcaldiam, inde Schweinfurtum tendebat. Unde Fridericum Dænhofium Comitem ad Palatinum mittebat, qui moneret, ut is Turennium e Palatinatu distraheret, quoad ipse a superiore parte ingruens medium interceptum in angustias redigeret. Ast inter fœderatos in Palatinatu dissensio non parum temporis in cassum perdiderat. Palatinus recta in Turennium eundum ac prælio certandum censebat. Lotharingus omisso Turennio ad Saram flumen considendum contendebat, ad animum Lotharingiæ incolis addendum. Unde Gallos distractum iri, simul compulso Turennio, ut vel ipsos intra impedita loca invadat, vel copias e Germania retrahat. Sed Hermannus Marchio Badensis, & Joannes Adolfus Plœnensis Dux, qui Luneburgicis præerat, judicaverant, Turennium nec intra opportuna sibi loca invadi, *Electoris expeditio.* *3. Aug.* *12. Aug.*

1674. invadi, nec præteriri sine periculo posse. Unde superato iterum Rheno in Alsatiam eundum. Sed & Bornonvillius Cæsarearum copiarum Dux, cui alias in Palatinatum eundum fuerat, inopiam causatus, & morbos eo tractu grassantes, qui & suas copias jam infecerint, in Alsatiam verterat, Electore ac Lotharingo ægre id ferente. Inde iter Heilbrunnam sumtum, ubi Elector, Carolus Ludovicus Palatinus, Georgius Wilhelmus Cellensis, Carolus Lotharingiæ Dux, & Alexander Bornonvillius de summa expeditionis consilium agitabant. Ubi Palatinus de oppugnando Philipsburgo proponebat, quod tolerando obsidio impar sit ob lignorum ac dulcis aquæ inopiam, & quia dimidia præsidii pars morbis correpta sit. Quo expugnato Palatinatum, simul Franconiam & Sueviam periculo exemtas eo liberius vires suas tuendo Imperio explicaturas. Enimvero vergens anni tempestas dissuadebat oppugnationem suscipere loci natura & opere munitissimi, uliginosa humo fossas deprimi adspernante. Nec Rheno tam propinquo aquas deesse posse. Lignorum vicem stabula, & domiciliorum inutilia subitura. Nec in promtu esse penum tantæ multitudini sufficientem, nec majores machinas, quæ antequam adducantur, autumnum ruere. Igitur satius fore altius ad Rhenum movere, ac Gallos ad prælium compellere. Philipsburgum interim per Palatini & Circulorum copias eminus includi posse. Ita Elector sumto per Wurtenbergicam ac Badensem provinciam itinere, Oberkircham pervenit paucos post dies, quam fœderatos inter & Gallos cruento prælio pugnatum esset. Quo tamen numerus cæsorum haut tantus fuit, quantum initio fama vulgaverat. Nam Luneburgicorum non supra ducentos octoginta pedites, ducentos equites ceciderant. Sauciorum autem quingenti amplius pedites, centum triginta equites fuerant. Ad genium tamen ejus prælii, & qua fide Bornonvillius Cæsarearum copiarum dux cum fœderatis egerit, nosse interest, Turennium pridie quam id committeretur trans pontem constitisse, a fœderatis Preuscha flumine separatum; cujus transitus Argentoratum usque diligenter se observaturum Bornonvillius promiserat. Haut eo minus Turennius sequenti nocte apud Holzheimum prope Cæsareorum castra toto cum exercitu ac machinis difficilem per pontem nemine resistente, ac tanto cum silentio transiit, ut ne tumultus quidem, aut nuntius de ejus adventu adverteret. Cum postera luce ad manus res pervenisset, soli Luneburgici certavere, Cæsareis otiose spectantibus; qui summopere instantibus istis ad suppetias ferendas permoveri haut potuerunt, fossam interjectam causati, quæ superari nequeat. Lotharingiæ quoque Dux, qui alias sinistro in cornu apud Luneburgicos constiterat, eo mane digressus inter Cæsareos locum ceperat. Ast ægre demum exoratis Cæsareis, ut gradum inferrent, haut difficile erat fossam transire. Qui tamen primo cum hostibus conflictu turbatis ordinibus statim terga dedere, nulla opera cis fossam regressi; quos ut iterum in hostem moverent, nulli hortatus accendere potuerunt. Sub vesperam Bornonvillius nulla Luneburgicis facta significatione impedimenta cis illum flumen misit. Unde occasio præbita fuit, ut exercitui quoque recedendum foret, cui alias campum, in quo prælio certatum fuerat, obtinere in proclivi fuerat. Quo receptu Luneburgici decem machinas amisere. Ac jactabat Capraria; Bornonvillium probe Luneburgicos nunc calefecisse; Brandenburgicos, ubi advenerint, eodem modo habendos.

11. Sept. — *24. Sept. De prælio inter fœderatos & Gallos prope Argentoratum.* — *23. Sept.*

§. 47. Postquam Elector superato Rheno reliquis se fœderatis non procul Argentorato conjunxisset, validissimus componebatur exercitus, quibusvis hostibus par, ac ingens operæ pretium facturus, si e solius Electoris arbitrio res geri potuisset. Sed Cæsarearum copiarum dux Bornonvillius ita se transversum omnibus fortibus consiliis objiciebat, ac omnes rei bene gerendæ occasiones eludebat, ut data opera ejus expeditionis fructum corrumpere voluisse videretur. Nam cum post copiarum conjunctionem consilio habito omnibus ducibus recta in hostem ire placeret, solus Bornonvillius id abnuebat, causatus multas viarum angustias inter ipsos ac hostem interjectas; id quod post falsum compertum. Cum igitur Electori, ejusque ducibus provinciæ situs haut cognitus esset, placuit Blesheimi castra metari necessariæ annonæ comparandæ. Ubi Cæsarei ne unum quidem molendinum Electoralibus concedere abnuebant, cum ipsis aliquot essent sine opere stantia. Quo hisce non parum incommodi illatum nulla panis intra quatriduum copia; donec Argentorati duo, quibus Cæsarei non utebantur, conducta sunt, querente Bornonvillio, velut sibi aliquid decederet. Cum jam panis in promtu esset, Elector instabat, ut in hostem iretur, dum miles adhuc vegetus, & antequam morbi ingruerent. Igitur multa adhuc nocte motis Blesheimo castris Cæsarei, queis dextrum cornu obtigerat, Preuscham flumen transiere, queis ad sinistram Luneburgici jungebantur. Electorales sinistrum cornu tenuere. Equites vado, pedites pontibus transiere, in quinque agmina divisi. Hosti in proclivi erat per angustias transeuntibus se objicere; id quod haut factum, nostris non parum mirantibus. Exercitus inde progressus in elatiore loco non procul ab hostium castris in aciem digestus est. Cum nostri longius tendere instituerent, Bornonvillius protestabatur, id præter conventa esse. Unde nostris eo loco consistendum fuit. Mox Dœrflingius supremus Electoralium copiarum dux in elatiorem a fronte locum excurrit speculandis hostium castris, quæ in depressiore loco erant. Et quia Bornonvillius causabatur, ob interjectam fossam & lapidum fodinas ad hostem accedi non posse; Elector fossam pontibus insterni, viamque complanari jubebat. Adducebant mox nostri præcursores commissa velitatione captivum, qui referebat; Gallis non constare, fœderatos tam prope toto cum exercitu adesse. Igitur Elector statim tribus machinis displosis hostem ad pugnam provo-

1674. — *Per Alsatiam gesta.* — *8. Oct.*

1674. provocabat, hoc tacente; quo sonitu audito Bornonvillius querebatur; Electorem effecturum, ut manus cum hoste conserendæ sint; quasi non eo fine in expeditionem eatur. Reversus mox Dœrflingius referebat; non deesse facultatem hostem, commodis licet locis subsistentem, invadendi, si elatior locus a fronte objacens ad dextram teneatur. Ibi enim machinis e latere montis hostium aciem transversis ictibus verberari posse, ut aciem circumagendi necessitas ipsis futura sit, ingentem confusionem datura. Consilio habito Elector proponebat, ut mons, cujus situs exploratus erat, occuparetur; ubi pugnæ conserendæ locus sit futurus. Id quod Cæsarei duces non sine cavillis adspernabantur; causati, si eo procedatur, hostem ipsis præteritis in Alsatiam Inferiorem evasurum. Id quod tamen fieri non poterat, quod fœderati Dachsteinum & Mutzigam insedissent, ac hosti in eorum conspectu Preuscha fluvius filatim transeundus esset. Contra tendebat Dœrflingius, ac protestabatur, pulcram rei gerendæ occsionem frustra amitti, & cum nihil proficeret, e consilio iratus se proripiebat. Ac constabat, si ratio apud Cæsareos valuisset, hostem tunc penitus prorui potuisse. Sed hi sententiæ suæ pervicaces clamitabant, quæ proponantur effici non posse, & sequentem diem expectandam; cum tamen nemo eorundem situm castrorum Gallicorum explorasset. Inter has disceptationes maxima diei parte elapsa Bornonvillius, ne nihil eo die actum videretur, contendebat, ut extemporaneæ munitiones excitarentur; Electore dissentiente, quod is labor supervacuus foret, nostris hosti longe prævalentibus. Is tamen haut eo secius pervicit, ut linea ab arce, quæ sinistro cornu objacebat, usque ad montem, in quo sinistrum

9. Oct. cornu consistebat duceretur. Elector cum perspiceret, Cæsareos a pugna abhorrere, suos pabulatum dimittebat; qui sequenti die post meridem demum revertebant. Eo die subtribunus

Sidous. Sidovius, qui extremam stationem in sinistro cornu cum ducentis equitibus obtinebat, hostem iter ingredi nuntiabat. Unde Elector Dœrflingium assumtis ducentis equitibus una cum statione certius ista explorare jussit. Qui post horam reversus nutiabat hostem motis castris iter ingressum. De quo Elector protinus Bornonvillio significabat, ac ipse assumtis bis mille equitibus, totidem peditibus hostem Marlheimum usque sequebatur. Et quia hostis machinas per angustas ac confragosam viam misisse nuntiabatur, Gærtzkius cum valida manu eodem ire jubetur. In abeuntem hostem Elector totum equitatum immittere ardebat; renitente Bornonvillio: se Turennnii astutiam nosse, a qua cavendum sit, ne forte ex insidiis cladis quid improviso inferat, unde tota vi congrediendum fore; Electore reponente; eam ipsam ob causam sese huc venisse; qui & cum equitatu in montem retro Marlheimum progrediebatur, unde hostis discedens eminus conspici poterat. Inter has tergiversationes iste multum viæ anteceperat, ac multis superatis angustiis in tutum evaserat. Bornonvillius Marchionem Bayrutensem cum quindecim equitum catervis & Croatis Hagenoam tendere jusserat, vetitum tamen, ne manus cum hoste consereret: sed qui omisso inani itinere ad Electorem accessit. Ita tunc Bornonvillii culpa hostis fœderatorum manibus elapsus est. Placuit inde ad montem, cui Gockelsberg vocabulum, consistere; unde Elector Golzium cum ter mille peditibus Wasselsheimum Argentoratensis ditionis arcem Turenniano milite insessam oppugnare jussit; qui turribus per machinas dejectis post triduum Gallos ad deditionem compulit. Arci munitiones detractæ. Adferebant post nuntii, hostem castris iterum motis Hagenoam versus tendere. Igitur placuit Electori eodem tendere, & antecepto itinere eum ad prælium compellere. Sed cum aliquandiu processum fuisset, is inveniebatur post Sarrum fluvium opportunis locis consistere. Ubi longius progredi cupientem Electorem Bornonvillius sequi abnuebat. Ita exercitui aliquot per dies ibi horæ ab hoste spatio metandum erat, nullo pane ac fœtentibus aquis, unde multi milites morbis corripiebantur. Igitur retro Blesheimum itum, ubi fœderati iterum aliquot per dies metati sunt. Exinde catervis emissis plurimum damni hosti illatum, pabulatione atque annonæ subvectione interclusa, ut equis stramine tectis detracto vivendum esset, ac numeri mortibus ac desertionibus valde imminuerentur. Aliqui etiam trans montes in Lotharingiam, pars Sarbruccam ac Tabernas excurrebant, multis captivis in castra pertractis, Crequii quoque supellectile intercepta. Tum & Lotharingici septingentos e Nobilitate Andegavensi apud Blamontium oppresserant. Ita Turennio vix XVIII M. militum supererant, qui arma ferre possent, piurimis morbo decumbentibus, ac bis mille amplius per excursores captis aut cæsis. Heic post varias consultationes demum placuit, exercitui in quatriduum de pane & pabulo prospicere, ac in hostem recta via ire, eumque intra sua castra invadere. Enimvero Bornonvillius pridie ejus diei tubicinem ad hostem mittebat, obtentu captivorum permutandorum, dissuadente licet Electore, ac postulante, ut ea missio tantisper differatur, quoad designata impressio peracta esset. Sed tantillam dilationem recusabat Bornonvillius; utut tali tempore facta missio non posset non suspecta esse ac disciplinæ belli repugnaret. Ita hostis intellecto fœderatorum conatu pridie castris motis Pfaltzburgum versus trans montes in Lotharingiam abiit, fœderatorum catervis insequentibus, ac multos captivos intercipientibus. Augebat suspicionem, quod etsi id Elector gravissima sub pœna interdixerat, semper dum castra moverentur, signum incenso aliquo ædificio aut castrorum tuguriis daretur, ut etiam vulgus militum cavillaretur: Turennio jam constare fœderatos iter ingredi. Is Bornonvillius, cum omnes pugnandi occasiones eluderet, Cæsarea mandata excusabat, per quæ vetitum sit aleam prælii tentare. Se tamen in consilo difficultates, quæ obstiterint, movisse; sed semper declarasse, 1674.

1674. rasse, id se facturum, quod Elector jussurus sit. Ast huic invitos canes venatum ducere haut placebat; nec cum isto pro imperio agere per mandata Cæsarea licebat. Nam Bornonvillius jussus quidem erat Electori debitum honorem exhibere, tesseramque ab ipso petere, ac quæ per majorem suffragiorum partem in consilio bellico decernenda sint exsequi. Quæ mandata id absurdi habebant, quod Bornonvillio id injungeretur facere, quod alias debebat, si maxime summi imperii vocabulum in fœderatorum exercitus ipsi collatum fuisset. Nam tesseram dare alias Electori competebat, dignitate eminentiorem, & cujus copiæ reliquis validiores erant. Negotia autem a numero suffragiorum suspendere, erat ultro ansam porrigere fructum expeditionis eludendi. Nam quis ducum aleam tentare suo periculo suaderet; cum tamen in bello etiam summa cum circumspectione susceptis actionibus aleæ quid subsit. Ita cum in præsens nulla facultas (9. Nov.) hosti ad prælium protrahendo esset, nil supererat, quam militem per Alsatiam dispertiri, quoad alia occasio rem gerendi nasceretur. Ac Cæsarei quidem ab Ensisheimo Betfortum, Mumbelgardam & Basileam usque, Electorales a Colmaria & vicinis locis Malmunsteram, Luneburgici a Sletstadio Argentoratum usque hospitia capessebant; quæ tamen jam antea a Cæsareis direpta fuerant, ut militi alendo haut diu suffectura forent. Qui & dissolute admodum ibi agebant, sua alienaque hospitia vastantes, frustra monente Electore, hoc modo fœderatorum progressus quam maxime sufflaminari.

Ad Helvetios legatio. 13. Nov.

§. 48. Cum itaque fœderati per Alsatiam hiberna capturi viderentur, placuit nomine Brandenburgici ac Palatini Electorum, ac Georgii Wilhelmi Ducis Luneburgici Thomam Knesebecium ad Helvetios mitti, ut præcipue Basileensibus caveret, ipsorum finibus nil molestiæ illatum iri. Tum significaret, fœderatis vicissim spem esse, amice eos acturos, ac inprimis Gallo nil indulturos, quod in fraudem Imperii tendat. Apud universitatem Helvetiorum demonstraret, quam hostiliter Germaniam Gallus habuerit, ac ad arma demum arripienda compulerit, quibus nunc cis Rhenum prolatis in angustum eum redigere instituat. Et postquam fœderatorum exercitus Helvetiorum finibus propinquet, hos testari arma sua unice defensionem Imperii, ac nullius pacati fraudem spectare, ac ita omnia esse disposita, ut nemini querendi causa sit futura. Cæsarem quoque & fœderatos confidere, Helvetios sibi pari amicitiæ cultura responsuros, nec hostibus ipsorum apud se delectus permissuros; tum qui jam apud Gallos stipendia faciant, revocaturos, nec ut arma contra Germaniam gerant concessuros. Helvetico corpori de sua libertate ac Imperii amicitia per pacem Germanicam cautum, quam nunc Gallus eversum eat. Cogitarent sibi quoque evenire posse, quod Germaniæ, quod Hispaniæ Regi minorenni, quod Lotharingo ditione exuto, Belgis, Trevirensi, ac Palatino evenit; nec aliud ipsis, quam beneficium ordinis expectandum ab iis, queis omnia in armis reponantur, nulla fidei cura. 1674. Confirmaret quoque Helvetiis, fœderatos nil aliud quærere, quam bonam ac tutam pacem, in qua etiam ipsorum Reip. rationem habituri sint. Denique ut fœderatis forum præberent. Et quia rumor erat, Gallum apud Helvetios querere, ut hi Alsatiæ protectionem in se recipiant, id impedire conaretur: haut persuaderi fœderatis, Helvetios tam injusta Galli arma sublevaturos. Id tantum cogitarent, quomodo hic Alsaticas in urbes grassatus sit. Tiguri seorsim Electoris nomine eam causam commendare jubebatur, favore e communibus sacris captato. Ast Knesebecium Basileenses exquisito honore exceperunt. Atraviæ ab universi corporis delegatis affatim verborum repositum. (7. Dec.) Qui Gallicam militiam sequantur cives suos arma contra Germaniam haut gesturos; quo nomine ad præfectos mandata a se missa. Lege medii status utrique se parti forum præbituros, etsi ipsis modica frumenti copia, quod fere alibi emendum sit. A delectibus Gallicis omnes ultro abhorrere, eoque istos tenues futuros. Liquido tamen promittere nolebant, se eos interdicturos. Cæterum hac tempestate caute admodum sibi procedendum, ac inde fœdus perpetuum cum Gallo, hinc hæreditariam unionem cum Austriacis respiciendam. Suam mentem nunquam fuisse, ut sui cives contra Germaniam, ejusve membra adhibeantur. Nec id fœdere ipsorum contineri, velut in quo Imperium utique sit exceptum; nec aliter se Gallo ad ferenda auxilia obligari, quam si Gallus in suo Regno invadatur. Quo nomine se jam ad Regem, & suos præfectos scripsisse. Apud Evangelicos Knesebecius separatim verba publice facere nolebat, declinandæ Catholicorum æmulationi, sed tantum scripto negotium suum iis commendabat.

Turennius denuo ingruit.

§. 49. Interim rogante legato Hispanico Elector VI M militum de suo exercitu sub Augusto Holsatiæ Duce in Burgundiam mittere instituebat, cui Cæsareorum manus adjungenda erat; ubi multa millia Nobilium & agrestium in armis erant, qui nostros magno cum desiderio expectabant, & Gallos quacunque poterant trucidabant. Sed cum Electorales jam Betfortum pervenissent, Cæsarei nuspiam comparebant. Enimvero prohibendæ isti irruptioni in Gallia sedulo opera dabatur. Itaque cum fœderati in Belgio præmature in hiberna concessissent, Turennio decem millia e Condæano exercitu, & aliunde magnus numerus submissus fuit; qui hisce copiis firmatus retro montes Lotharingiæ Betfortum tendebat, num forte fœderatos tota Alsatia dispersos opprimere posset. Sed Elector hoc intellecto Holsatiæ Ducem protinus Betforto retro vertere jubet: tum ut omnes legiones apud Colmariam conveniant imperatur. Mox cum Elector intelligeret, Turennium prænterito Betforto recta Mulhusiam Alsatiæ tendere, id propere Bornonvillio significavit; qui inde summa cum confusione ex hospitiis movit, Principis Electoralis legionem, quæ juxta tendebat,

1674. debat, ad se evocare oblitus, an ultro negligens. Eo in receptu Galli sinistro cornu ingruebant, & quia Cæsarei nullas excubias ad latus constituerant, nec exploratores dimiserant, ita prope Galli accedebant, ut isti Lotharingos adesse crederent. Ita quingenti equites Galli transmisso flumine Cæsareos opprimunt, ac non modica edita cæde duodecim vexilla iis eripiunt. Supervenientes tamen Lotharingici strenue pugnam sumsere, ac Gallos solutis ordinibus retro pedem ferre coëgerunt, capto summo vigiliarum præfecto Montalbano. Dehinc Cæsarei ad Fanum Sanctæ Crucis sese receperunt; quo Elector ipsis obviam processerat, inde Colmariam remeans, quo Bornonvillius sequenti die secutus est. Postridie cum copiæ lustrarentur, super loco, ubi acies disponi deberet, dissidium obortum est. Elector enim volebat, ut ipse cum sinistro cornu ad paludem, Bornonvillius cum dextro cornu ad oppidulum consisteret, ubi hostis præterire non poterat; cui quod valida mœnia haberet, aliquot peditum centuriæ immitti poterant tegendo textro cornu. Ast Bornonvillius id plane abnuere, sed, quod semper solitus fuerat, exercitum post fluentum collocandum contendere, quod a montibus descendens Colmariæ molendina impellit: ubi nec hosti accessus ad fœderatos, nec his ad hostem patebat. Id quod & hic demum pervicit. Sequenti die Elector cum Bornonvillio circa dextrum cornu obequitans speculando locorum situi deprehendit, hostem inter montes & vineas per vallem toto cum exercitu Keisersbergam tendere. Igitur Schutzius supremus vigiliarum præfectus cum parte dimacharum & quibusdam Luneburgicis excurrens, propius iter istud exploraturus, centum quadraginta Gallos in cœmeterio quodam deprehendit; quod iste nullo suorum amisso irrumpens centum ibi Gallos concidit, reliquis diffugientibus. Inde Fœderatos inter & Gallos per tres amplius horas acri certamine concursum, donec ingruens nox pugnantes dirimeret. Eo conflictu apud Gallos occubuere duo millia cum Fucano, & alio superiorum graduum præfecto; nongenti sauciati, quos inter multi præfecti, prout captivi referebant. Fœderati non ultra trecentos desideravere, mortuos aut saucios, & e præfectis unum duntaxat centurionem. Tenebris obortis consultatione habita placuit Sletstadium retrocedere, ne hostis prævertens accessu pontis Argentoratensis fœderatos excluderet, aut apud Jamam intra agreste munimentum consideret, unde expelli non poterat, fœderatis nec porro, nec retro progredi valituris, ac fame perituris. Igitur decretum, impedimenta apud Colmariam trans Illum, inde hæc inter flumen & Rhenum Sletstadium præmittere, & hora noctis decima cum exercitu sequi. Post horam septimam Elector mittebat, qui inspiceret, num impedimenta jam Illum flumen transissent. Is referebat, pleramque eorum partem nondum flumen superasse. Quod Elector per Kussovium Bornonvillio significabat, addito; sibi placere, tamdiu in loco consistendum, quoad impedimenta aliquantum viæ præceperint, ne forte hostis eadem incurrere queat. Ad quæ hic: satius fore, una duntaxat hora ante lucem castra movere, quod per tenebras facile confusionis quid oriri soleat: ac se mansurum, quoad ab Electore progredi jubeatur. Enimvero is Electoris jussa haut moratus decima vespertina hora iter ingrediebatur, relictis duabus Electoralibus phalangibus nullo mandata, quid agendum foret, simul abductis Luneburgicis copiis, Electori hautquidquam significatione facta; tum quantum equi hominesque valebant, iter accelerare. Prima post mediam noctem hora Georgius Wilhelmus Dux ad Electorem igni adsidentem adequitans referebat; se Bornonvillium quæsivisse, sed non invenisse, nec quid ejus copiarum præter duas Electoris phalanges, quæ adhuc ibi consistant. Id quod non parum sinistræ suspicionis excitabat. Igitur missus, qui duas illas phalanges arcesseret; quæ cum post horam incolumes advenissent, Elector hora secunda, ante quatuor jam horas profecto Bornonvillio, justo ordine nulla trepidatione iter ingressus est, equitatus agmine inhibito, quando machinis & peditatui angustiæ viarum transeundæ erant. Cum peditatus in Jamensem campum pervenisset, is in aciem explicabatur. Sed Bornonvillius jam trium inde horarum itinere apud Sletstadium tuto loco consistebat, uti adparebat, solum Electorem hosti objecturus. Cæterum antea decretum fuerat in Alsatia hibernare; sed prævalende jam Turennio, & parca ibi annona, simul quia Electori ad sua tutanda accurrendum erat, Rhenum iterum transire necessum fuit. Ac tantus jam metus Cæsareos invaserat, ut iis confidi non amplius posset; tum Bornonvillius talia animi sui specimina ediderat, ut ejus societatem Elector dudum detestaretur. 1674.

§. 50. Dum in Alsatia consistunt fœderati, vinum & frumentum Francisci Furstenbergii Præsulis Argentoratensis quod in urbe asservabatur, ut sibi traderetur exegerant. Ea super re Præsul per literas apud Electorem querebatur; ac quod Cæsar legato suo Ratisponæ Senatu interdixisset, simul advocato fisci injunxisset actionem sibi intentare, quod insuper habitis avocatoriis Lutetiæ agat, cum nullibi tutus sibi receptus pateat. Cui Elector respondit: mirum sibi videri, ab ipso violentum factum, & inauditum, ac nemini probandum agendi modum vocari, si paullum annonæ capiatur in usum eorum, qui pro patria pugnant. Obtandum fuisse ut patriæ quies perstitisset, nec Cæsari, sibi, aliisque Ordinibus tantum damni illatum fuisset. Tunc enim tot millia fortissimorum virorum, qui hoc bello perierunt, & quorum sanguis divinam Nemesin inclamat, superessent; nec pulcerrimæ provinciæ ac urbes cineribus suis sepultæ jacerent. Quid Præsul circa hæc consiliorum agitarit, ipsimet optime constare. Divino Numini ista omnia notissima esse; quod uti sancta sua judicia jam exercere cœperit; ita

Cum Argentoratensi Præsule expostulatio. 12. Dec.

18. Dec.

1674. ita non dubium esse, quin eadem in illustre orbis documentum deinceps quoque expromturum sit: id quod tot animarum myriades ardentibus precibus ipsum quotidie exposcant.

In Belgio Suchius male rem gerit. 14. Sept. §. 51. Porro uti Electorem in Alsatia Bornonvillii scæva consilia pessime habuerant: ita non minores querimonias Arausionensis super Suchio Cæsarei exercitus duce movebat; qui in causa erat, ut pro tanta copiarum mole sat modicum operæ pretium ea æstate in Belgio contra Gallos fieret. Nisi quod ingens in expugnata Gravia momentum fuit, quo maximam machinarum vim e Belgicis urbibus Galli convexerant: in cujus oppugnatione ab Electore submissæ legiones strenue admodum rem gesserunt. Sane de ejus anni expeditione Viennæ maximam spem conceperant, velut fœderati mense Augusto mediam in Galliam sint penetraturi. Sed Suchio non deerant artes, quibus efficiebat, ut nil fieret, semper in diversum tendendo ab iis, quæ Arausionensis ac reliqui fœderati cupiebant. Inter alia Suchius iste susceptum a fœderatis Audenardæ obsidium fœda cum trepidatione solvebat accedente Condæo, cujus exercitum fœderati decem millibus excedebant. Equidem consilio habito decretum fuerat Condæum ad subveniendum oppido propius moventem aggredi. Sed cum placita exsecutioni danda forent, Suchius intempestive admodum sententiam mutaverat. Qui & alias semper Monteregio discors agebat; nec Arausionensis dissimulabat, istum Gallo studere, ac nolle se quid cum isto negotii habere. Sane graves istum suspiciones onerabant. Confessionarium ejusdem, velut tutissimum proditionis instrumentum, cum Gallis secreta commercia exercere constans rumor erat. Cum exercitus fœderatorum apud Caroloregium metaretur, aliquot ante dies, quam pugna confereretur, Gallicus monachus Capucinus, Navaliensi Duci a confessionibus, qui exploratum venerat interceptus, ac Suchio traditus fuerat; quem hic pridie prælii ad Seneffam nesciis aliis fœderatorum ducibus ad Gallos dimiserat. Ejusdem apud Seneffam acta Montecuculus valde improbabat. Debuisse majore cum circumspectione iter facere, ac plus equitum e latere collocare. Arausionensi per quinque horas cum Gallis pugnandum fuerat, antequam Cæsarei subvenirent. Ac ni Pii legio idoneo loco constitisset, totus Belgarum exercitus concidendus videbatur. Nisi quoque Montecuculi legio equestris forte fortuna apud machinas incessisset, hæ quoque a Belgis abripienda fuerant. Idem in Audenardæ obsidio impedimenta, machinas, ac pulverem pyrium addito præsidio octingentorum equitum, ac duarum legionum pedestrium præmiserat, ipse reliquo cum exercitu Gandavum subsecutus; cum decem machinas majoris formæ ab Arausionensi commodatas ibi reliquisset, ne statione quidem addita, nec monito Principe, ut eas abduci curaret; etsi istæ adhuc servarentur. 1674. Isto ab Audenarda discessu non solum fœderatorum in Belgio res corrumpebantur; sed & Condeo occasio dabatur multa millia ad sublevandum Turennium mittendi rebus fœderatorum in Alsatia quoque proruendis. Cum tamen isto anno tantæ a fœderatis copiæ in expeditionem eductæ fuissent; ut si discrepantia aut infida consilia abfuissent, ad Lutetiæ portas arma proferri potuisse viderentur. Qui mollius ista interpretabantur, senium viri excusabant, suum semper ingenium sequi pervicacis, & cui nunc non cum Arausionensi solum & Hispanis, sed & propriis præfectis convenire haut poterat. Sed plerique & hunc & Bornonvillium pravis Lobcovicii consiliis credebant implicitum, qui secretis istos mandatis instruxerit, ut egregia tunc Cæsaris contra Gallos destinata eluderent. Sane Suchius ob rem male gestam in prædia sua in Moraviam secedere jubebatur; offensa quoque in Bornonvillium declarata, sub cujus ductu se non amplius militaturos Caprara ac Dunewaldius declarant. Ac mittebatur Hoskirchius, ut contra hunc inquireret; quare cum de hostis adventu ante undecim dies intellexisset, ab exercitu discesserit, obtentu colloquii cum Electore, quod per alium obiri potuerit; quodque legiones non propius contraxerit, ut protinus hoste ingruente paratæ esse possent: & cur tributa non ita disposuerit, ut exercitus aliquandiu in Alsatia subsistere potuerit. Lobcovicius autem tunc omnibus suis muneribus exutus in Bohemiam in sua prædia relegabatur. *Lobcovicius aula Cæsaris dimovetur. 7. Oct.* Ejus secretarius Italus primum in custodiam datus fuerat. Sed cum Lobcovicius haut eo minus functionem suam exerceret, decreto tradito ab omnibus muneribus suspensus Vienna facessere jussus est. In ejus viri externo actu aliquid erat ab insania parum abiens. Id unicum ipsi negotium datum videbatur, ut omnium Principum Viennæ legatis persuadere niteretur, non esse, quod quis in Cæsare fiduciæ quid reponat. Eum nec posse nec velle quid ad rem facere, nec talia canere desinebat eo ipso tempore, cum Cæsar jam Egram ad exercitum proficisci decrevisset. Quo ipso impedire studebat, ne Cæsar ullos amicos sibi adjungere posset, eoque ad bellum gerendum inhabilis redderetur. aliquando periculum a Turca exaggerabat. Aliquando jactabat; quid Hispanis & Hollandis fiat, nauci habendum, ac in eorum gratiam a Cæsare ne unicum quidem equum insternendum. Idem hujus consiliis omni modo ac indesinenter reluctabatur eo ipso tempore, cum Cæsar per literas & missis legatis de instituto suo omnibus confirmaret. Nec ipse inficiabatur, consiliis Hispanorum se obstitisse qui Cæsarem bello contra Gallum implicare volebant. Quæ & Aurspergii antea artes fuerant; qui effecerat, ut Cæsar anno 1667 otiose spectaret, a Gallo tantam Belgii partem abripi. Credebatur quoque Gremonvillio, ac Hermano Furstenbergio subinde per occultas notas scripsisse; & quia Cæsari spes prolis masculæ tunc non erat, de Imperio in Gallum aut Bavarum transferendo agitasse. Sane tanta tunc

1674. Viennæ erat secretorum proditio, ut Montecuculus superiore anno Cæsari scriberet: satius fore, ut cursores non ad se, sed recta Lutetiam tendant. Eum ruentem nemo miseratione, plerique lætitia prosequebantur, quod neminem non ex mera animi petulantia insultare solitus esset, asperæ dicaciti sine modo indulgens.

Suspiciones ob religionem. §. 52. Forte & sacrorum respectus, nimis quam validus apud eas aulas, ubi sacerdotibus circa consilia Reip. satagere permittitur, in causa fuit, ut Electoris progressus ultro sufflaminarentur. Sane Hermannus Furstenbergius, penes quem tunc summa consiliorum in aula Bavarica erat, apud ministrum Cæsareum Monachii multis declamaverat, quam periculosum id Cæsari ac Romanis ritibus sit, hujus arma Electoris in manus tradi, potentia mox ipsum Cæsarem exsuperaturo; quam facile libido subidura sit Catholicos Ordines premendi, ac plures præsulatus in domum suam pertrahendi. *Favor Aulæ Cæsareæ in Monasteriensem Præsulem.* Id certe haut obscure ex eodem fonte promanabat, quod tunc Cæsarei cum Monasteriensi Præsule super exercitu XXXII M constante conscribendo agitabant, cujus duas tertias partes Cæsar sustentaturus erat, Westphalico quoque Circulo ipsius hospitiis assignato; cum tamen ejus Præsulis acta hucusque erga Cæsarem & patriam tantum favoris aut fidei hautquidquam meruissent. Unde Elector ea re intellecta graviter apud Cæsarem querebatur; fœderi haut congruere, quæ communes rationes spectant ab uno fœderatorum seorsim suscipi, & usque ad conclusionem perfici. A Cæsare ad arma, quæ ipse pro Rep. pararit, ne teruncium quidem collatum, ac Goesium, quando ipse Hispanis & Belgis super re pecuniaria agebat, eam plane a se rejecisse, velut quæ Cæsarem non spectet. Et nunc istius Præsulis copias tanto numero alendas suscipi. Equidem se alienæ liberalitati legem dicere non posse; tamen quod tam dispari modo secum & cum Præsule agatur haut insuper habendum. Cæterum quia Præsulis delectus paci Clivicæ repugnent, cujus sponsor Cæsar sit, quos & ipse ac vicini tolerare nullo modo poterant, Crocovius contra istos protestationem jubebatur interponere; nec minus quod Westphalicus Circulus ejusdem hospitiis assignetur, quo ipse alique ejus Circuli Ordines Præsulis tributarii reddantur, ejus periculosæ libidini deinceps obnoxii acturi. Quod quidem ipse nunquam sit toleraturus, sed una cum aliis idonea remedia adhibiturus. Nec Cæsarem tunc vitio sibi daturum, si eo casu ab ipsius exercitu se disjungat, ac quæ e sua re videantur suscipiat. Sane qui super stitione sua fascinati talia Cæsari suggerant, non nisi dissidia parere apta, maligne admodum hujus rationibus consulere, ac Reip. gravissimam noxam inferre. Ac si de milite agatur, se atque Luneburgicos ejus affatim curaturos. Nec minus indignationis Daniæ Rex, Belgæ, ac Luneburgici Duces ostendebant. Ast Paulus Hocherus, cum Crocovius ista moveret, omnia inficiabatur, nisi quod Præsul copias suas X M supplere velit; nec hunc unquam plures copias obtulisse. Cæsarem quoque nunquam isti fidem habiturum. Revera tamen ista agitata fuerant, ac Pontifex ad eos delectus pecuniam suppeditaturus erat. Sed Cæsarei jam hæsitare videbantur, postquam fœderati tam acriter sese opponere cœpissent. Cæterum Catholicis suspicio injecta erat, quod omnes Cæsaris fœderati Protestantes essent; unde adscito Monasteriensi eorum vires librandas. Nec obscure id agebatur, ut si Sueci Bremensi ac Verdensi ditione exuerentur, ea non Protestantium cuipiam, sed Catholico accrescerent. Unde Monasteriensis armabatur ut si Sueci in bellum erumperent, hic istis locis rem gereret, Luneburgicis interim ad Rhenum subsistentibus. Id quoque machinabantur ut Monasteriensis miles præsidio urbi Bremensi immitteretur. Ac dicebatur Cæsar eo redhostimento veniam Pontificis redemisse, quod Gallum Romanos ritus Belgio restituere agitantem impediisset, ut Bremensis ac Verdensis Præsulatus sub ditionem Ecclesiæ Romanæ retraheretur. Super eodem negotio Elector ad Arausionensem referri jusserat. Qui respondebat: eadem sibi in mentem venisse, quando Vienna de eo intellexisset; quod e prioribus Præsulis actis de lubrica ejusdem fide satis constet. Postquam tamen de Suecorum motibus cognoverit, se judicasse; haut abs re fore, eum Præsulem & alios, qui Suecorum partibus accedere queant, hac tempestate in bonas partes pertrahi. Et quia Cæsar per Camprichtum, quæ Viennæ super iis delectibus agitata sint excusaverit, ac petierit, ut ei permittatur bina equitum, ac peditum millia conscribere, quei contra Suecos, ubi se moturi sint, in Bremensi provincia rem gesturus sit, id non abrupte repudiandum videri; præsertim cum iste sat animorum contra Suecos ostenderit. Accurate tamen eundem observatum iri, ne in transversum abire queat.

§. 53. Enimvero dum Elector ad Rhenum Gallos urget, hi a tergo hostem ei immittere satagebant, ut ad sua tutanda retraheretur vel quantumvis invitus ipsorum partibus accedere, aut saltem otiosus patriæ calamitatem spectare cogeretur. Atque ista cum ante clam agitata fuissent, quando intra adparatum adhuc res subsistebat; postquam in expeditionem prodiisset Elector, Galli jam aperte Suecos fructum præbitæ a se pecuniæ exposcere cœperunt. Holmiæ Brandius nondum legatum Gallicum salutaverat; sed cum Elector jussisset humanitatis officia ultro haut abrumpere, eidem visitationem suam obtulit, qui & ei admittendæ diem condixit. Sed eo ipso die Gallus Brandio significavit, se heri a Rege suo literas accepisse, ut acriter contra Electorem heic agat. Unde publicæ civilitati non amplius locum fore: in tertio autem loco se libenter cum ipso locuturum. Idem mox palam in Electorem invehi, ac publice privatimque grandi pecuniæ summa Suecorum arma licitari. Tum solennem audientiam eadem pompa, atque primo accessu, petere, quam & demum obtinuit, utut demonstratur eum strepidu omniu

1674. omnium animos adversurum. Nec satis adparebat causæ, quare tanto cum adparatu res geri deberet; idque a Magno Gardio suggestum opinio erat. Porro Feuquierius isthunc sermonem acerbis atque aculeatis verbis ac sententiis refertum evolvebat. *Non dubitare se*, inquiens, *quin Rex justitiæ amantissimus, animoque generosus cum indignatione perceperit, a Domino Electore Brandenburgico pacem denuo violatam; eique memoria excidisse, quod superiore anno in pari cœpto succubuerit, ni Sueciæ Rex eum servasset, cujus respectu eum lucrosam pacem obtinuisse. Ex eo tempore Galliam Regem haut desiisse eundem beneficiis obstringere, magno numero munitorum locorum tradito, quæ ipsius consensu ad finem usque belli retinere poterat. Ac ut magis demonstraret, quantum fiduciæ in ejus amicitia collocaret, arbitrum ipsum capere voluisse controversiarum, quæ sibi cum Palatino surrexerint. Haut eo secius Electorem nulla causa, ne probabili quidem prætexto in favorem hostium Galliæ arma cepisse; pecuniam ab Hispanis & Belgis accepisse; hisce copias concessisse: ipsum jam cum exercitu in expeditionem prodere firmandis partibus quæ apertæ provideantur se pacem nolle. Idem quoque esse argumentum literarum, quas nomine Regis sui jam offerat. Et hanc causam esse, quare nomine Regis promissum auxilium adversus ipsum exposcat. Id auxilium duplici nomine a suo Rege expectari, & quia arcto amicitiæ nexu Sueciæ jungatur, & ob fœdus, cujus casus jam extet. Satis quoque Sueciæ constare, quid ipsi expectandum sit a vicino sat potente, & cujus ambitionem nullus justitiæ ac beneficiorum respectus compescere valeat. Qui eodem tempore, quo Sueciæ Regi promittebat, se nisi de compacto cum hoc quidquam suscepturum, ejusque ministro per formulas conventionis super servando neutro statu illudebat, quam maxime circa parturienda perniciosa destinata sategerit, quæ nunc in lucem erumpant. Equidem eum Principem Galliæ nil erepturum. Sed dum Galliam districtam tenet, in proclivi fore captatam semper occasionem invenire in Sueciam quid tentandi. Ast ea destinata ut abortiant, Suecis facile fore efficere, si omni mora abrupta cum exercitu istum invadant. Sibi a Rege suo injunctum confirmare, se Sueciæ & hoc in negotio, & in aliis omnibus omnem opem laturum, quam a fido fœderato ac summo amico expectare par sit. Sane Sueciam complura specimina cepisse, Galliæ Regi solitum sua promissa ipso opere superare.* Feuquierio publice Regis nomine responsum: Sibi hucusque cordi fuisse pacem promovere; idem deinceps quoque pari studio acturum. Sed quia proposita maximi sint momenti, delegandos, qui cum ipso negotium discutiant; inde se amplius deliberaturum. Contra Brandius sequenti die scripto concepta exhibebat, quæ antea sermone exposuerat; quo prolixe deducebat rationes, quæ Electorem permoverint ad id consilium capessendum, & ad renovanda cum Cæsare ac Belgis fœdera, quibus & Hispani adjungendi fuerint, arcta cum istis societate nexi. Tum Electorem in Regis Sueciæ amicitia atque fide tantum fiduciæ collocasse, ut discedens provinciarum suarum tutelam huic potissimum commendarit. Addebantur hortatus, ut Rex ratam partem ad copias Imperii publicas mittat, si non numero, saltem autoritate Regii nominis magnum pondus habituram; prout & Wangelinus confirmarit, Regem decreto Imperii sese haut subtracturum.

Feuquerii in Electorem declamatio.

15. Aug.

§. 54. Ast Holmiæ vix constabat, quid causæ subesset, quod Feuquierius tanto cum strepitu rem adversus Electorem agere cœpisset, cum mota a Cæsare & Hispano arma fere silentio transiisset. Alii suspicabantur, postquam stricta eo nomine mandata a Rege accepisset, ut fervido erat ingenio, primo impetu ad solenne alloquium petendum cucurrisse; quo semel impetrato pedem referre non potuisse. Alii credebant, eum homines militares Regi semper circumfusos ea oratione voluisse inflammare, quibuscum alias nulla ipsi negotiandi facultas erat. Alii opinabantur, Gallo rem in angustum redire, ac majori cum exercitu Electorem movere, quam Feuquierius agnoverit, qui tantum de X M dixerit; quod ejus sermo aliquid anxii præ se tulisse videretur. Sed major pars judicabat, quia is hucusque semper auxilium Regis frustra experierit, hoc alloquio innuere voluisse, hæc extrema petita fore, nec se ulterius quidquam moturum, si nunc nihil obtineat. Ast Biœrncloviani credebant, inconsultum huncce impetum a Gardio inditum, qui & ipsam orationem concinnarit, cujus multas sententias e sermone secum habito Brandius recognoscebat. Quicquid ejus esset, sane cordati omnes censebant, Gallum admodum a decoro discessisse, ac Electori non parum dignationis addidisse, auxilio tam anxie contra eum excito. Quo minus autem Brandius publica oratione Gallo legato occurreret, ratio erat, quod istius sermo revera Electori gloriæ cederet; ac multi sibi repugnantia dicentem irriderent, quod negasset Electorem Gallo nocere posse, cum tantopere circa expetenda adversus hunc auxilia trepidaret. Quia etiam manifestum erat, Suecos, ut pecuniam Gallicam nulla vicissim opera præstita elicerent, isti omnia indulgere; metus erat, ne huic magis devinciendo rationes corraderentur, quare Brandius alloquio supersedere debeat. Saltem auditorio minime omnium benevolo usurus erat. Ac id oblique dissuadebat Joannes Gyldenstierna, ostenso, idem efficaciæ scripto fore; ac Regem inania cerimoniarum aversari. Diversam quoque & minus splendidam pompam circa ipsum velut inferiore charactere imperitis sinistræ quid opinionis injecturum. Multos quoque, qui vel Gallica non intellexerant, vel orantem non audierant, ignorare quid dixerit; qui id demum ex opposita oratione Teutonica percepturi sint. Ne tamen Brandius nihil ageret, per Hispanicum & Belgicum legatum Gardio & aliis insinuari curabat; si Sueci Electorem directe aut oblique invadant, suos Principes istis Oresundam cum XL navibus bellicis occlusuros. Ac ita acriter locutus fuerat Nunnesius ablegatus Hispanicus, ut Gardius fateretur, se nescivisse, quid ei respondendum foret. Belgicus quoque minister Schapius Gallo se opponere conatus fuerat, sed

1674. sed languide admodum, ac nullis nervis, quem & ingenio *oviculam*, quam nomine præferebat, exprimere cavillabantur. Sane quando Hispanus ac Brandius diu ipsi verbis præiverant, quid loquendum ipsi esset, post aliquot horas reversus interrogabat, quis eorum dictis sensus fuerit?

Suecorum in Gallos inclinatio magis elucescit.

§. 55. Cæterum indies magis erumpebat Suecorum in Gallos studium, ac ipsi Bioernclowiani fatebantur, nil amplius blanditiis, precibus, atque officiis effici, ni metus adsit; ac sibi potissimam nunc rationem contra Gardium superesse occlusionem Oresundæ, & commerciorum interceptionem. Allato nuntio de prælio ad Seneffam, Gardiana factio plus gaudii, quam ipse legatus Gallicus ostendebat, ac fœderatorum damnum in majus extollebat, idque festinanter disseminabat. Contra adversa factio dolebat, fœderatos ita improviso a debiliore se hoste invadi passos; etsi Arausionensis summa constantia rem sustinuisset, ut jactura militum utrinque par fere haberetur. Agnoscebant rei militaris periti, fœderatos Condæi castra nimis contemtim habuisse, quæ ita e propinquo agmine in immensam longitudinem extenso præterierint; cum alias etiam ad oppidum modico præsidio infessum cum impedimentis ita prope accedi non soleat.

Electoris de Galli sermone judicium. 8. Sept.

Ast Elector cum de Feuquierii propositione intelligeret, Brandio injungebat publico apud Regem alloquio eam refutare, ostensa genuina rerum serie; tum Regis auxilium ex fœdere poscere, si ipse a Gallo invadatur. Simul ut inquireret, quodnam fœdus id sit, ex quo Gallus contra ipsum auxilium exposcat; de quo Wangelinus constare sibi neget. Nam persistente antiquiore suo fœdere, Suecum utique obligare se non potuisse ad auxilia contra ipsum ferenda. Falso quoque a Feuquierio proditum de formulis super neutro statu conceptis. Absurdum itidem esse, hac expeditione a se occasionem quæri contra Sueciam quid tentandi, cum suæ copiæ in diversissimam a Suecorum finibus partem abducantur. Ast privatim apud Regem requireret, ut Feuquierio demonstretur, omnium Principum interesse, ut etiam inter hostilia debito cum hore a ministris de iis verba fiant. In quam publici decoris legem iste impegerit. Atque idem Feuquierio per tertium insinuaret; præsertim cum Galliæ Rex semper cum honore sui mentionem fieri velit.

Galli cum Suecis cauponatio. 9. Sept.

Interim Suecicos inter delegatos & Gallum super modo pecuniæ acriter disceptabatur, hoc negante ad plus se teneri, quam postremo fœdere in casum medii status promissum fuerat, quod Sueci nil operæ Gallis præstitissent, quo casu tantum CCCC M unciarum debeantur. Contra Sueci numerum militis sui in Germania in majus extollere, qui revera in usum Galliæ cesserit; eoque per fœdus DC M sibi habenda. Nam instante Gallo legiones in Germaniam trajectas magnis cum impensis, pari molestia. Ac suspicionem, quæ in Germania & alibi per eas excitata sit, non minus utilitatis Galliæ præstitisse, ac si ferrum strinxerint. Quin si eædem diutius ibi hæreant, in proclivi fore citra pugnam futur anno Electorem Cæsari ac Belgis avellere. E cum intellectum fuisset, Electorem iter pe Eichsfeldiam sumsisse, declinatis Hanoveran terris, Sueci apud Feuquierium gloriabantur Electorem Hanoverani copias haut curaturum fuisse, ni Suecicas legiones respexisset, ac ni sc visset, quid mandatorum Helmfeldius ad eun Ducem missus haberet. Ac Gallo cumprimi utile, Electoris exercitum tanta viarum ambag defatigatum, nec justo tempore cum aliis fœde ratorum copiis jungi, ac Rhenum transire po tuisse. Quo loco haut abs re fuerit inserer quid tunc cum Joanne Friderico Hanoveran Duce actum fuerit, ut quo candore aula Sueci ca erga hunc & Feuquierium usa sit, eo liquidi us judicari posset. Cum, Electore se movent Dux Regi Sueciæ significasset, se istius trans tum vi prohibiturum, in eam rem expetito Rege per nuperum fœdus auxilio; idem Du Feuquierio negotium suum per literas com mendabat. Feuquierius, qui credebat, ha occasione Suecicas & Hanoveranas copias a rem manu gerendam induci posse, enixe au xilium a Duce requisitum urgebat. Cui re sponsum: etsi in Pomerania & Bremensi pro vincia hærentes copiæ tam validæ nondum sin ut Rex absque periculo cum illis tanti momen ti negotium suscipere queat; protinus tame mandata Helmfeldio transmissum iri, ut Ha noverano adsistat; ac legiones in Germania destinatas propere navigia conscensuras. A revera duæ equestres legiones trajiciebantu etsi de longe pluribus promissum foret. Se clam Helmfeldius jussus erat dicere; sibi qu dem de sociandis cum Hanoverano copiis i junctum; sed emergere quasdam difficultat super earum itinere, circa quas novis sibi man datis a Rege opus sit. Feuquierius, quem s creta hæc mandata latebant, sed qui alias non nihil suspicionis conceperat, certos homin ad loca, ubi copiæ lustrandæ, ac navibus impo nendæ erant, mittebat, ut quid ageretur liquid cognosceret. Sed missi semper a lustratoribus ta vino obruebantur, ut duplex sese equitu numerus ostenderet. Unde cum isti longe am pliora veris retulissent, legatus, qui nunc inge operæ pretium pro Gallo futurum credidera tanta impatientia ejus rei successum viden corripiebatur, ut cum ventus tres per septiman adversus reflasset, is in portu homines haber qui subinde de vento nuntiarent. Quin ipse decies inter prandendum surgens ad fenestra procurrebat vento inspiciendo. Interim & H noveranus Dux Feuquierio os sublinebat, sig ficato, quid ad Daniæ Regem de prohibendo lectoris transitu retulerit; quid Electori tran tum postulanti responderit, ac uti hunc adh tatus fuerit expeditione supersedere, ne bell per Germaniam latius diffunderetur. Ac G dius semper Feuquierio confirmabat, Hano rani ope Suecos & Electorem committend Et jam militarium hominum immensa læti eminebat, velut orituro bello in Germa ad prioris instar familicos ditaturo. S cum mox nuntiaretur, Electorem Hanover di

1674. ditionem haut tetigisse, Feuquierius id ægre ferre, ac diffidentiam non obscure apricari, pecuniis per minutas summas dispensatis, & ut accurate nosse vellet, quos in usus illæ impenderentur.

Responsum ad Electoris literas differtur. §. 56. Inter hæc Brandius sæpius licet instans ad Electoris literas, & suam propositionem responsi nil extundere poterat. Quanquam Gardius subinde non adeo infesta differeret, inter alia Jonæ Julo legato Danico dicens: Electorem quidem novissimum cum Suecia fœdus parum præ oculis habuisse, ac facere, quæ pacem magis sufflaminent, quam promoveant. Cum Suecis tamen amice ac decore egisse; ac Regi per consiliarium intimum de suis destinatis significasse, eaque adductis rationibus eidem adprobare studuisse; simul isti ditiones suas commendasse. Cum contra Luneburgicus legationem in Sueciam, quam Elector suaserit, velut supervacuam adspernatus sit. *23. Sept.* Sed cum Brandius liquidum responsum urgeret, præsertim quia Feuquierius jactabat, se optato responso ad proposita a se potitum, Gardius priores exprobrationes repetere: Electorem fœderi cum Suecia non satisfecisse, dum de fœderibus cum Cæsare ac Belgis quidem significarit, non tamen prius cum Rege consultarit, num ista amplecti consultum sit; ac ulterius quam Electori Romani Imperii par fuerit, Cæsari, Hispano ac Belgis sese innexuisse: partes, quæ a pace abhorrebant, confirmasse; in eum statum se conjecisse, ut cum Suecia super pace non amplius communicare integrum fuerit: expeditionem non in Germaniæ duntaxat, sed & exterorum usum suscepisse: uno verbo, per egregias copias, ad quas alias Rex circa instaurandam pacem præcipue respexerat, spem quietis in Germania ita confudisse, ut Regi fere non constet, quid consilii capiendum sit. Nam inde Gallum fervide auxilium contra Electorem exposcere, quod casus fœderis jam extet; hinc Electorem amicas & cordatas literas scribere, ac Brandium contendere, fœdus adhuc sartum tectum peritare. Propediem tamen responsum secuturum. Addebantur querelæ, quod Elector dixerit; si de suis destinatis ipsi communicasset, Verjum id protinus fuisse resciturum. Unde colligi, etsi Elector de fœderibus suis cum Cæsare Hispano ac Belgis huc denuntiarit; eundem tamen fateri, se cum Rege super istis prius non consultasse, ne Gallus id resciisceret. Unde Electorem duobus verbis refutasse, quod Brandius scripto suo assertum iverit. Ad quæ Brandius; Sufficere, quod Wangelino summa rei fuerit indicata, & quod Elector cum supra dictis fœdus inire velit. De modo rem exsequendi facile istum conjicere potuisse. Wangelino ideo singularia quævis pandi haut consultum visum, quod, si una die aliquid ipsi nomine Electoris proponeretur Gallo displicens, altera idem de compacto una cum Verjo isthoc oppugnatum veniret. Unde salva ratione exigi haut potuisse, ut omnia cum ablegato communicarentur in loco ubi Gallicus minister aderat, qui ista in usus suos convertere studeat; sed sufficere, ipsi Regi consiliorum rationes fuisse expositas. 1674. Sed & sæpe Wangelino ingestum; Electori necessitatem incumbere Imperio adsistendi, nec eum Galli grassationes ulterius otiosum spectare posse; super quibus & quid Regi videatur quæsitum fuerit, isto semper defectum mandati excusante. Cæterum verba articuli separati in fœdere, *ita tamen, ut consiliis quæ fovet, cum alterutro fœderato* &c. non eo usque porrigenda, ut uterque fœderatorum eam ob communicationem & consultationem opportunitates temporum, suique status primarias rationes negligere debeat. Sed & tanta Wangelini cum Verjo familiaritate talia cum isto communicare haut tutum fuisse eo tempore, quando is de compacto cum Electore fœderi Gallico innectere nitebatur. Nam si Gallo vel minimum de isto negotio innotuisset, Westphalicas istius provincias tunc maximum periculum incurrisse. Sed non minus Suecos a tempore initi cum Electore fœderis in Germania, Gallia, Anglia tractatus agitasse, nulla cum hoc consultatione prius inita. Wangelino quoque sæpius dictum, Electorem non solum ratam partem ad copias Imperii missurum, sed & eundem otiosum desidere non posse. At qui de omnibus Imperii Ordinibus, qui præter ratam partem nil conferunt, dici eos quiescere, ac otiosos belli spectatores agere. Ad quæ Gardius nil nisi humeros trahere. Idem mox addebat; Wangelinum ideo avocatum, quod Elector cum Gallo nimium favere credat, ac ne forte huic secreta prodere arguatur. Nec cum eo super pace quid consilii amplius conferri potuisse; quod Elector sui juris non sit, velut cujus exercitus fœderatis sacramentum dixerit, ipsique adeo ex horum placito omnia agenda sint, nec pro pace operæ quid navare possit, quod fœderatos ab ea abhorrere constet. Ista cum Brandius inficiaretur, aut interpretaretur, Gardius reponebat: Regem quidem cum Electore libenter amicitiam servaturum; sed de pace non amplius consilia cum eo conferre posse, quod id Gallo suspectum sit futurum, & fœderati pacem nolint. Cum Brandius de immanibus Gallorum grassationibus quereretur, Gardius respondebat; Gallum multa, justitiæ ac rationibus status repugnantia omittere debuisse. Sed Sueciæ vel sumtis armis prohibendum esse, ne Gallia pessum eat. Eam jam satis in angustum redactam, cum satis habeat vim propulsare: & quod universa Nobilitas ad arma vocetur, indicio esse de summa rerum agi. Fœderatos contra probe paratos, divites, validos, ac eorum fœdera ac destinata longius tendere. Si Gallus nimium prematur, Suecorum res in Germania labili pede stare; nec Austriacis viam defore istos Germania penitus expellendi; cum tamen e re Protestantium haut sit Galliam & Sueciam eo redigi, ut hos fulcire amplius nequeant. Denum minas in Danum & Belgas jacere, ac Anglum denuo in arma protrahendum ominari. Contra Brandius: Non esse, quod Galliæ jam metuatur. Eam hactenus plus adquisivisse, quam amisisse; nec

1674. nec fœderatorum progressus adeo felices esse. Evocationem Nobilitatis magis ob jactantiam fieri, & ut ea in armis exerceatur, quam ob metum & debilitatem. Fœderatorum scopum non esse Galliam opprimere, sed firmam pacem quærere, ac adversus ejus invasionem se in tuto collocare. Galliam olim conservare se potuisse nondum tantis opibus, cum intestinis turbis scateret, nec adhuc partis, quæ pax Pyrenæa & Aquisgranensis adjecit, nec Lotharingia atque Alsatia insessa, tum Austriacis multum prævalentibus. *Et quid Suecia ac Protestantibus nociturum, si Gallus ad amplectendam stabilem pacem compellatur, ne singulis triennium nova bella ordiri queat? Imo quid Suecia decessurum, si idem maximam partem ditionum recens partarum non habeat? Sane si nullibi terrarum Gallia foret, Sueciam ac Protestantes in Germania adhuc substituros; quibus ad sui conservationem nil aliud desit, quam ut ipsi posita emulatione ac suspicione sinceram inter se amicitiam colant. Alias Sueciam a Protestantibus Germaniæ magnopere respici, quibus haut quidquam memoria exciderit, quid illa quondam pro ipsorum libertate & sacris fecerit. Sed vicissim par esse, ut Suecia quavis occasione Germaniæ ac Protestantium res fulciat, ac beneficium beneficio cumulet, si gratus eorum, qui beneficio usi sunt, animus persistere debeat. Unde si Suecia non solum Germaniæ contra Gallum opem non ferat, sed plane pro hoc contra illam ferrum stringat, ac ad eandem sub jugum Gallicum Austriaco longe intolerabilius redigendum connitatur, mirandum non esse, si veterum beneficiorum sensus exolescat.* Post multa alia demum reponebat Gardius: necessum esse amicitiam inter Sueciam & Electorem perstare, nec eam viam, quam Feuquierius velit ineundam. Idem Jano Julo legato Danico dixerat: Electorem non parum audere, ac Sueciæ plus satis fidere, quod toto cum exercitu tam longe discedat, Marchia omni milite nudata. Cæterum arcana ratio, quare Suecos Electoris destinata tantopere offenderent, erat, quod in animo fuerat peculiarem inter Gallum ac Belgas pacem conciliare, quo ipsi sua commercia libere exercere possent, insuper habito, quamdiu Germani cum Gallis digladiarentur. Unde & Gardius magnopere exultaverat fœdere cum Electore inito, velut rationibus Galliæ maximam utilitatem producturo. Qua spe per Electorem, uti arguebant, elusa medullitus dolebant.

Sueci adhuc nutare videntur. §. 57. Cæterum judicabat Brandius plene inter Suecos & Feuquierium convenisse; ac jactabant isti, se copias suas in Germania propriis sumtibus alituros. Wrangelius quoque navim conscenderat Feuquierio haut salutato, quod aliquid offensæ intervenisset; an illudendis aliis. Etsi haut eo minus Feuquierius nobilem mittebat, qui eum in Pomeraniam comitabatur, ubi a Gallo missus Vitrius accedebat ejusdem actionibus observandis. *Vitri.* Erat etiam in Scania Gallus quidam, qui milites ibi navigia conscendentes numeraret. Sane inde gravissimæ rationes obstabant, ne Sueci in bellum erumperent; hinc incalescens indies belli adparatus nil amici promittebat; nec adparebat, quomodo istæ copiæ diu Pomerania & Bremensi provincia consiste possent, ubi gregarius miles nil pecuniæ ac piebat. Contra Biœrncloviani, quibus ref gantibus bellum sumebatur, e Brandio quæ bant; an non Cæsar præter exercitus, quos Flandria & ad Rhenum habeat, quindeci aut viginti millia militum in Silesia conti here possit: aut an non Danus ita confirm queat, cum XX M in expeditionem prod valeat, opposito terrore inconsultos Suec motus stiturus? Et cavillabatur Joannes G denstierna; Wrangelium ad gerendum b lum proficisci manibus pedibusque debile Et quo iter sumendum? Nam cum Electo amicitiam utique servandam. Et si maxir hic invadatur, munita tamen ejusdem loca doneis præsidiis firmata. Cæsarem quoq ab armis probe instructum. Et in quemcu que demum moveatur, Danum utique bel se ingesturum. Interim responsum tam Fe quierio, quam Brandio dandum differebat ac Rex in agros ex urbe se conferebat ad n dium usque mensis Novembris speculatur quo res interim se daturæ essent. Erat po tunc alius regiminis in Suecia genius, qu sub tutela fuerat. Nam antea Senatui, ac primis quinque supremis Officialibus sumn rerum incumbebat; quo nomine Regi ac C dinibus ad reddendas rationes tenebantu eoque Biœrncloviana factio tuto ac pala Gardio sese opponere poterat. Sed nunc Regis arbitrio pendebat, utrorum sententiæ Senatu accedere vellet, cujus & periculo mnia suscipiebantur. Ac Gardius jam eo n mine prævalebat, quod Rex maxima bellar cupidine flagrans, cui litare se non posse batur nisi Galli partibus susceptis, ejus Gal devotas sententias fere probaret. Unde œrnclovianis, qui non magis Galliam qu Gardium oderant, necessum erat obliqua du taxat ratione hujus consilia oppugnare, ost tato, horum eventus in ipsum aliquando dundaturos; simul fœderatorum potenti extollere, Regique periculum ob oculos p nere, si arcte nimium Gallo se illiget. Un prout is natura timidius & inconstans e sæpe efficiebant, ut capta jam pro Gallo c silia vel plane everterentur, vel differrentur, temperarentur. Sed qua istis nil proficieba nil aliud supererat, quam humeros trahe Porro quicquid Gardianæ erat factionis Galliæ res non minore studio ferebantur, qu ipsi Galliæ cives. Omnes quoque militar qui bellum nisi per societatem Gallicam sperabant, cœco affectu Galliæ addicti era Quia tamen Elector studium conservan Suecorum amicitiæ adhuc constanter osten bat; spes hisce erat, eundem amica ration Cæsare ac Belgis abstrahi posse; præser cum persuasi essent, Electorem ad isthoc c silium a solo Dœrflingio & Pœlnicio in ctum; & quia Elector suscepta expeditic nil certi consilii cum Dano ac Luneburg ceperat in eum casum, si Suecia quid a te moveret. Unde Feuquierii postulata huc

q

1674. que eo prætexto eluserant; Electorem tantum ire, ut Palatino subveniret; quod improbari non possit. Qui tamen si tam multas Suecorum copias in Pomeraniam venire intellexerit, ultro gradum relaturus sit. Enimvero cum ei colori non amplius locus esset, postquam Elector Rheno superato in Alsatiam movisset, Feuquierius jam evictionem pacis Westphalicæ a Suecis præstandam enixe urgebat, postquam jam invadatur provincia per eam pacem in Galliæ jus transcripta. Unde Sueci bellum declinabundi jam Gallo Danum opponebant, a quo sibi cautum negabant, ne is ipsos alibi districtos a tergo invaderet. Unde a Gallis juxta Suecisque labor sumebatur, ut istum in partes suas pertraherent, oblata pecunia, ac ut in sequestris munus admitteretur. Quin & minis eum urgere instituebant, ut declararet quid facturus sit. Sed Julus mascule respondebat; Regi suo plus spirituum esse, quam ut cogi se patiatur. Quod si nosse velint, num fœdus quod iste cum Hispanis ac Belgis inierit, etiam adversus Sueciam porrigatur, prius a Suecis declarandum; num ipsi omissa pacis conciliatione ferrum pro Gallo stricturi sint? Quo facto Regem sine mora responsurum. Se autem injuriam eidem facturum, ni dixerit, eum Cæsari, Hispano ac Belgis promissa religiose servaturum. Ac eidem per Julum Sueco denuntiabat; se haut sperare eum velut sequestrem ad ista extrema descensurum, ac pacem Germaniæ, circa quam tuendam tam ambitiose se obligarit, turbaturum. Alias se hautquidquam otiose spectaturum eum invadi, qui ob communem pacem & tutandæ patriæ ditionem suam milite nudaverit. Unde Sueco placebat Nicolaum Brahæum propere Hafniam mittere fœderi inter Sueciam ac Daniam absolvendo, ac Dano a fœderatis abstrahendo. Huic Regi etsi nil magis in votis esset, quam ut Sueci suscepto in fœderatorum quempiam bello sibi occasionem præberent Sueciam invadendi: tamen cum prospiceret Gallos ac Suecos parum amica agitare, ac metueret, ne abrupte rejectis eorum postulatis Suecicæ copiæ e Germania repente in Holsatiam effunderentur, quas & alias inopia Suecicis provinciis emigrare coactura erat; circumspectione uti, ac consilia sua haut præcipitare instituit; ac ut tempus extraheret, de Galli & Sueci propositione ad fœderatos sibi referendum excusabat; inprimis quia Cæsareorum acta ipsi magnopere improbarentur. Cæsaris potentiam in præsens tantam esse, quantam antehac nunquam. Fœderibus cum Hispano & Belgis fulciri lautis admodum conditionibus. Totum Imperium in partibus, ac cumprimis Electorem, & Luneburgicos. Angliam ac Lusitaniam quiescere. Galli vires non parum fractas. Et tamen ab istis nil egregii geri nec pro se, nec pro fœderatis. Treviros & Burgundiam in Galli manus pervenisse, quod Cæsar exercitum ad Rhenum non miserit. Ejus duces in Brabantia hoc vere ita tergiversatos, ac tam sero cum Arausionensi se junxisse, ut inde Condæo tempus fuerit firmando suo exercitui, ac tentando apud Senessam prælio. Cæsareos apud Audenardam officium non fecisse. Eorum duces, cum Elector suaderet Turennium intra sua castra oppugnandum, consentire noluisse. Denique cum rationis esset, ab utroque fœderatorum exercitu eodem tempore ac de compacto Gallos invadi, ab Electore ac Luneburgico, quibus modica Cæsareorum manus accesserit, totam belli molem fuisse sustinendam. Quid ergo sibi, ubi a Gallis & Suecis pariter invadatur, aliud Vienna expectandum, quam prolixa consilia, rei nihil? Porro cum Feuquierius, Electore Rhenum transgresso, Suecos impense urgeret, Hispanus, Danus ac Belgicus legatus quantum possent renitebantur, ac fœderatos dura in Sueciam consilia suscepturos ostendebant. Nec eo secius Rex legiones ad Stetinum contrahi jubebat. Id quod fieri credebatur ad metum Electori incutiendum, ut ultro domum reverteret; simul ut Benedicti Oxenstiernæ negotiationi Viennæ pondus accederet, ac Dano suspicio injiceretur, qui hac æstate exercitum apud Coldingam lustraverat, num is forte se commoturus esset: inprimis autem, ut Gallo stimuli subderentur quod restabat subsidiorum numerando. Interim frigide admodum cum Brandio agi, quem tot per menses odiosis moris, ac responsi dilationibus, pollicitisque invicem repugnantibus, aliisque parum amici præferentibus detinuerant. Demum Gardius denuntiabat, Franciscum Oernstedium, & Henricum Hoghusium venturos, super responso cum ipso locuturos. Nam Rex literas ad Electorem concipi jusserat, declarationis instar ad proposita a Brandio habituras: in quibus Biœrncloviani multa ut mitigarentur pervicerant; etsi alias istæ sat frigidæ, & ad Gardii mentem ac stylum formatæ essent. Simul Petrus Sparrius legatus in Gallia Regi confirmarat, Wrangelio injunctum esse hostilia odiri, ac ipsum Berolinum invadere. Nec eo minus Wrangelio mandata mittebantur, ut hostilitate abstineret, quoad adpareret, uti Brahæi negotiatio Hafniæ successura sit, ac num Elector ex Alsatia rediturus sit, rebus fœderatorum tunc ibi ultro collapsuris; qua spe hactenus Feuquierium lactaverant. Contra Brandius ingerere haut desinebat: si maxime Sueci Electorem contra fas invadere velint, ejus tamen munita oppida præsidio probe firmata; nec plus noxæ ei inferri posse, quam ut per unum & alterum mensem aperta Marchiæ & Pomeraniæ populentur, quoad Elector suis fœderatorumque copiis succinctus bellum in ipsos revolvat, Dano quoque in auxilium excito. Nec Electori persuaderi, Sparrium a Rege jussum talia apud Gallum proponere, aut Sueciam ita temere pacis Westphalicæ sese exsortem reddere velle. Ac probabile erat, eas rationes pondus fuisse habituras si facultas fuisset eas copias intra Suecicam ditionem otiosas alendi. Sed Feuquierius ideo tam anxie institerat, ut modo legiones in Germaniam trajicerentur. Nam tunc ipsam famem iisdem necessitatem allaturam aliena invadendi. Ac Wrangelius repetitis indies literis lamentabatur, excusatum se velle protestatus, si exercitus intra

Marginal notes: 3. Nov. (left, beside "lexerit, ultro gradum relaturus sit"); 1674. (right, top); 14. Nov. (right, beside "dum, quam prolixa consilia"); Hoghusen (right, beside "scum Oernstedium, & Henricum Hoghusium").

1674. intra Pomeraniam & Bremam exesas antea provincias inopia dilaberetur. Quo viro nemo tunc magis, ut in bellum erumperetur, urgebat atque optabat; cui tamen ætas ac valetudo tolerandis belli laboribus impar suadere debuerat, ne tot parta decora denuo aleæ exponeret. Ita demum Brandio exemplum literarum Regiarum per Oemstedium & Hoghusium tradebatur; qui nil aliud dicebant, quam jussos se a Rege excusare, responsum ad Electoris literas, ac ipsius exhibita scripta tamdiu dilatum. Cum Brandius literas raptim perlegisset, ac in iis observasset, nil ibi tangi, quod Electoralium ditionum commendatio Regi grata fuisset; nec verbum extare de colenda deinceps amicitia, aut conferendis super pace consiliis, aut de fœdere servando; is quid demum Electori a Rege expectandum interrogabat: sed qui ad hæc nullo responso reddito propere discedebant. Sed quia Feuquierius, animadverso, Suecos sub prætexto negotiationis in Dania rem adhuc extractum ire, acribus subinde libellis hos urgebat: simul uberiora subsidia in antecessum se soluturum pollicebatur, si Sueci haut expectata Dani declaratione Electorem invadere velint; cursor ad Wrangelium decretoriis cum mandatis missus est. Ex quo tempore nil præter hostilia in Electorem audiebantur.

18. Nov.

Literæ Regis Sueciæ ad Electorem.

§. 58. Eæ literæ verbis conceptis ita habebant. *Nos Carolus &c. Serenissimo Dno. Friderico Wilhelmo &c. Non tantum ex literis illis, quas Celſ. V. El.li sub die 30. Junii ad nos perscribere visum fuit, verum etiam ex iis, quæ ejusdem extraordinarius ablegatus coram proposuit, percepimus rationes & causas, Celſ.m V. El.lem permoventes, amica illa, quæ non secus ac nos antea Celſ. V. El.is probavit reducendæ pacis remedia vel suspendere, vel plane deponere, & potius illis consilia & vires suas conjungere, quæ manu armata, & vi vim Gallorum Imperio, ac præsertim quibusdam Celſ.is V. El.is sociis Electoribus præter fas illatam depellere & vindicare valerent, quemadmodum Celſ. V. El.is se jam accinctam confessa arma sua in oppressorum solamen & auxilium iterum educere, & omni tentare conatu, quo iis, cum hactenus leniora non profuissent, mediis Germaniæ saluti, ac pacis negotio majori cum fructu prospicere posset, spem juxta fovens, consilium hoc suum non nisi ex summa publici necessitate profectum a nobis haut difficulter etiam iri approbatum. Verum non possumus inficias ire, quin nobis hic de nova Celſ.is V. El. expeditione militari nuncius admodum sit inexpectatus, & cumprimis eam ob causam parum gratus, quod vereamur, ne ea, quæ a Celſ. V. El.li ut prudentia & viribus illustri ac studio partium hactenus alieno, & illi, quam Celſ. V. El.lis nobis tam enixe sæpius commendavit, pacis promovendæ solicitudini ac curæ simul in tanto Principe expectavimus adminicula plane depereant, iisque destituti in posterum eo difficilius procul dubio laboremus & luctemur in obtinendo hoc, quem Christianus orbis tam anxie desiderat, salutari scopo. Non excusavimus antea, nec adhuc probamus, quæ exercitus Gallici in Imperio perpetrarunt attentata Ordinibus intoleranda. Propterea Serenissimo Galliarum Regi ob oculos sæpenumero poni fecimus, quam hæc suorum commissa de tramite justi, cum nonnullos a culpa & causa belli liberos Status læserint, decedant, ac quam sint securitati & guarantiæ promissæ in tabulis Westphalicæ pacis, & nostri ea basi simul innitentis, & cum Gallia initi fœderis contraria, quod inde etiam sint graviora, quam quod sola belli ratio, & studium declinandi vel prævertendi cujusdam periculi ea reddere possint excusabilia. Verum cum nec altememoratus Rex hæc laudaverit, & insuper sua nobis, procul dubio etiam Celſ.i V. El. dederit promissa, quod velit detrimenta læsorum justa resarcire satisdatione, modo etiam pars adversa parem demonstraret damni non minoris illati reparandi promtitudinem, & Germaniam a milite suo reddere statim liberam & indemnem, quando Imperator & reliqui, qui etiam sua in Imperium movissent arma, ea ad provincias suas reducerent. Sperassemus ex mutuo hoc restituendorum, satisfactionis ac induciarum consensu, quæ etiam omnia per nostram mediationem ad lancem æquitatis & publicæ salutis expendi & componi potuissent, morbo illi, quo Germania jam conflictatur, propiora & magis salutaria conciliari potuisse remedia, quam quæ ex novo hoc armorum motu expectari queant. Docuit enim adusque experientia, quam secus successerint, quæ in Imperio excitatæ operationes bellicæ, non enim solum non pacis negotio ullum attulerunt fomentum, verum illud novis & gravioribus, cum prætensiones & gravamina accreverint, implicarunt difficultatibus, quod Status innoxios, loco illos solari, & ab oppressione exterorum, ut promiserant, liberare debuissent, hospitatione, transitu, & multi generis exactione inulta magis premant, & plane devastent, denique publicam tanto exponant periculo salutem, quod cum sors belli sit dubia, & successum illum, quem aliquot tam facilis negotii futurum non semel male opinati sunt, frustrari queat, victoris arbitrio omnino relinquatur. Quæ facies rerum adeo difficilis, & funesta, pejoraque adhuc, quam quæ ob oculos versantur, minitans mala, juxta & anxia illa & pia cura, qua dictum pacis negotium cupimus promotum, nos iterum permovent, ut optemus, & a Celſ. V. El. enixissime contendamus, velit arma sua retinere ac sistere, potiusque imitando nostram huic & alteri parti factam, atque a Celſ. V. El. sæpius comprobatam declarationem, quod nempe exercitum nostrum asserendi pacem, & iis nos opponendi, qui illam nollent æquam, honestam ac universalem, paratum haberemus; se & dicta sua arma eidem scopo, nimirum recuperandæ quieti, ac præsenti sanandæ calamitati reservare, quam se partibus belligerantibus jungendo reddere illam omnino incurabilem. Sunt illa vota tanto magis nobis curæ cordique, cum ea non solum arbitremur publico bono & saluberrimo pacis negotio unice salutaria; verum quod alias inter sacrum & saxum, ut ajunt, constituti, hoc est, inter periculum amittendæ prorsus, quam cum Celſ. V. El. qua parem procurandam voluimus hactenus bonæ correspondentiæ, & inter necessitatem servandæ fidei, quam leges Westphalicæ pacis exigunt, & cujus sinceram & debitam observantiam nos, uti Celſ. V. El.lem per expressam*

1674. *sam ablegationem certiorem fecimus, Regi Galliarum per singulare quoddam fœdus denuo stipulati sumus. Hanc nostram roborandæ pacis in Imperio curam Celsf. V. El.lis non secus ac plerique Electores & Principes tunc temporis laudarunt, ac quod magis est, Imperator ipse agnoscendo genuinum sensum* §. Et ut sincerior &c. *talem, qualem nos in præfato fœdere exposuimus, concludendoque desuper cum Rege Galliarum illa, quæ in Imperio jam pridem evulgata & cognita extant pacta comprobavit optimo suo exemplo. Hæc est quæ nos potissimum commovit ratio, quod tam anxie novum cum Celsf. V. El. desideravimus amicitiæ & sinceræ correspondentiæ vinculum, ut eo utrinque ligati non possemus facile sejungere nostra consilia, ad diversum quam promotionem pacis tendere scopum, & exinde prolabi in eas, quæ publico & nostro utriusque commodo aliquatenus obesse possent resolutiones. Obtento etiam hoc nostro non ita pridem voto, & concluso desuper sub die 1. Decembris elapsi proxime anni certo, & ejusmodi fœdere, in quo utrinque præfata omnia sanctè stipulata sunt, non possumus aliter quin maxime doleamus, quod Celsf. V. El. sponsionis istius reducendæ amicabili via tranquillitatis, & conferendi desuper sua cum nostris fideliter consilia adeo immemor fuerit, quod ablegatus noster Wangelin intentionem expeditionis nequiverit prius indagare, quam exercitu jam in Imperium educto, & clarigatione Galliæ facta, id est, re super cujus commodo vel periculo juxta normam & fidem pactorum adhuc inter nos consultari deberet non amplius integra. Verum cum dubio procul Celsf. V. El. prægnantiores cœpti sui habuerit rationes, quam ut cum iis, quas superius enumeravimus æquiparari potuissent; ita etiam eas Celsf.is V. El. maturiori judicio merito relinquimus, nobis tamen certo persuadentes, Celsf. V. El.lem illas iterum ea, qua in tantum inclaruit prudentia & fide probe expensuram, & consilia & gesta sua ad metam pacis directuram. Quibus Celsf.em V. El. divinæ commendamus protectioni. Dedimus in arce nostra Holmensi die X. Octob. A. 1674. Celsf.is V. El. Carolus.*

Earum literarum censura. §. 59. Ad eas literas Elector multa quæ moneret habebat. Sane de sua expeditione nuntium Regi non adeo inexpectatum videri debuisse, cum ipse statim atque Gallus Trevirensem ac Palatinum invasisset, Wangelino ac Verjo repetitis vicibus denuntiarit, sed ad eam vim propulsandam, ni emendetur, ac omnia in priorem statum reponantur, omnibus viribus una cum aliis incubiturum; a qua sententia isti legati, quantumvis summopere connixi, ipsum dimovere haut potuerint. Is significatum, se legiones suas eo fine e Borussia evocare; idque diu antequam fœdus cum Cæsare, Hispano & Belgis perficeretur. Igitur Regi de hisce destinatis diu constitisse, quæ & ipse insuper per literas, & misso legato indicarit. Quod Gallus obtulerit, se læsis in Imperio satisfacturum, ac omnes copias Germania deducturum, si Cæsar ac fœderati idem faciant, id ad se non spectare; nec ejusmodi declarationem, qua Gallus parem sibi cum Cæsare & Ordinibus in Imperio potestatem arrogat, sufficientem fuisse. Sane absurdum esse pari jure censeri Cæsarem & Ordines, queis Imperii tutela incumbit, cum Gallo, qui id nulla causa invaserit. Quod Germanorum armis parum adhuc profectum sit, id merito dolendum: sed ejus rei culpam Gallicis emissariis ac clientibus, qui in omnibus fere aulis reperiantur, adscribendum, qui ubique suspiciones ac diffidia serant atque foveant. Et hanc vel præcipuam fuisse causam, quare ipse absterritus non sit, quo minus læsis Ordinibus subveniret. Neque vero se omisisse operam cum Suecis sociare promovendæ paci, quamdiu tractatus Coloniæ duraverit, ac ulla spes pacis ibi superfuerit. Sed iis per Gallum abruptis, ac interim Imperio Gallicis armis inundato, ea consilia seponenda ac defensionem patriæ suscipiendam fuisse, de quibus subinde Wangelino significatum fuerit. Et quomodo ipse hac rerum facie sua consilia, viresque cum Suecis jungere potuerit, cum hi sequestres manerent acceptis a Gallo pecuniis, quas sibi admittere haut licuerit salva obligatione, qua Imperio & Collegis tenebatur; & cum demum expressus fœdere casus existeret pacis non succedentis, circa quem uterque sibi reservarit facultatem partes, quas consultum fuerit visum amplectendi, salva utrinque amicitia & conjunctione? Ut porro per arrepta a se arma Suecus periculum incurrat amittendæ cum ipso amicitiæ, ei se rei nullam causam præbuisse. Prætexta invenire in proclivi esse, ubi litigandi libido sit. A Sueco fœdus cum Gallo initum, conservationi pacis Westphalicæ superstructum, sibi communicatum haut meminisse. Et circa eam pacem servandam non minus sibi quam Sueco curæ esse, quem & scopum arma sua habeant. A Cæsare interpretationem Instrumenti Pacis, quam Gallus ac Suecus faciant, probari, sibi non constare. Ac quæ valere debeat interpretationem debere fieri non ab uno aut altero quorum interest, sed ab universis, & quidem in Comitiis aut conventu ei gemino, in quo pax condebatur. Id porro velut capitale admissum argui, quod ipse fœderis cum Suecia initi immemor fuerit, per quod consilia sua cum Suecis communicare debuerit; nec Wangelino de istis prius constitisse, quam ipse cum exercitu suo Rhenum versus moveret. Enimvero Wangelino sat mature de suis destinatis indicium factum, qui & rogatus sit ista ad Regem referre, ut & is paria consilia servandis oppressis capiat. Nec Wangelinum ignorare potuisse, legiones, quas e Borussia evocari videbat, versus Rhenum ducendas. Ut tamen cum isto prius consultandum foret, cui usui istæ adhibendæ forent, id fœdere non contineri; ac Regem id non magis a se requisiturum quam ipse id ab eo postulaturus sit. Neque vero tam arctam inter diversos status conjunctionem esse posse, ut utrique nulla plane seorsim deliberandi sit libertas. Sed si Regi placuisset una secum oppressis succurrere, se libenter cum eo omnia de compacto acturum fuisse. Quin se vel formulas fœderum Wangelino fuisse communicaturum, si hic ea, quæ post initum fœdus a Suecis Coloniæ cum Bavaro, Neoburgico, 1674.

1674. & Hanoverano, tum Londini, quando pax inter Anglos & Belgas condebatur, ac alibi acta sint, mature communicasset, & antequam aliunde sibi ista innotescerent. Ast affatim rationum fuisse, ut ipse de hoc negotio magis ad Regem, quam istum referre voluerit. Atque ista Elector ad Regias literas apud Belgas & alibi demonstrari jubebat.

Sueci adhuc hostilitatem dissimulant. §. 60. Quanquam autem Wrangelio irruptio in Marchiam jam injuncta esset, Gardius tamen haut eo minus Belgico ablegato confirmabat; Regi nunquam in animo fuisse Electorem aut alium e fœderatis armis pedere, eoque sequestris munere seipsum exuere. *14. Dec.* Ast Feuquierio satis erat a Suecis tantum militum nummerum in Germaniam transmissum, cui sine bello vivere ibi haut liceret. Ac se ne teruncium quidem Wrangelio exsoluturum, quoad is Electoris provinciam ingressus foret. *19. Dec.* Gardius contra haut protinus omnem belli rigorem exserendum censebat, quod nondum constaret, num Elector Wrangelii irruptione protinus Alsatiam relicturus esset: cum hiberna tempestate tanto terrarum spatio emenso fatigatus exercitus aperta Marchiæ jam a Suecis exesa reperturus foret, ac munitis oppidis in præsens nil periculi immineret. Igitur in eum casum Belgas permovere instituebat, ut rem ad tractatus inter Regem & Electorem deducerent, exercitu Suecico interim intra Electoris ditionem subsistente. Quo fine is omnibus persuadere laborabat, magnam spem esse compositionis, ac haut arduum fore Electorem a fœderatis disjungere, ratam duntaxat partem ad Imperii exercitum contulisse contentum. Idem & Brandio testabatur; ingressu Wrangelii in Marchiam pacem haut abrumpi, sed eum duntaxat in remedii vicem adhiberi promovendæ paci, & instaurandæ inter Regem & Electorem amicitiæ. Wrangelium quoque milites accurata disciplina coërciturum, ac nil hostile tentaturum, multo minus Berolinum, aut alium munitum locum vi oppugnaturum. Ac Regem literis ad Cæsarem, Anglum, Hispanum, Danum, Belgas, ac Germaniæ Ordines datis causas deduxisse, quare ita cum Electore agendum fuerit, salva utique pace. Militem sua impensa victurum. In Germania innoxium transitum, & innoxiam stationem pari jure haberi. Ad quæ Brandius: inauditum esse inter remedia stabiliendæ amicitiæ adhiberi, exercitum proprio ausu alterius terris infudisse. Inter transitum, ac stativa ingens discrimen esse. Esse actum acerbæ hostilitatis Electorem vi compulsum ire ad consilia Gallo proficua, Germaniæ noxia. Qui transitus quoque Statibus Imperii inter se certa lege indulgeatur, Regi Sueciæ non deberi, qui cum Gallo Germaniæ publico hoste arctissimis fœderibus jungatur; cujus legatus Vitrius velut consiliarius bellicus apud Wrangelium agat.

Brandii e Suecia discessus. 8. Jan. 1675. §. 61. Sed cum Electoris literæ adferrentur, queis Brandius e Suecia evocabatur, hic inter valedicendum moderationem adhibendam judicabat. Nam non constabat, num forte Elector aliquam rationem habiturus esset protestationis, quod iste in Marchiam ingre-sus in hostilitatis vicem non sit accipiendu[m], aut num fœderatis in promtu foret Suecos val[i]da impressione distrahere, aut pari vi eisde[m] occurrere. Quo casu quia præstabat aliqua[m]tisper connivere, haut consultum videbat[ur] Regi directe bellum indicere, sed moderat[is] verbis uti, & quæ a conditione suspendere[n]tur. Et quamdiu pares vires Suecis oppo[nere] non possent, satius erat Wrangelium hospiti[is] quiete frui, quam omnia hostili modo pop[u]lari, ac munita insuper oppida expugna[re]. Haut obscure tamen idem quod res erat in[si]nuabat; nec Electorem ita cœcum esse, qu[i non] perspiceret, pacem utique abruptam, ac pr[o]testationem facto repugnare. Varias aute[m] ob causas Gardio placuerat ingressum Wra[n]gelii in Marchiam inter hostilia haut reput[a]re; Nam & Sueciæ Ordinibus instantibus C[o]mitiis ansam querendi subtrahere cupieb[at] quasi absque ipsorum consensu bellum su[mp]tum foret; ac plebi Belgicæ persuaderi po[t]rebatur, auxiliis Electori submissis supervac[u]um cum Suecia bellum sumi, quæ hostem [se] inficietur. Ordinibus quoque Imperii scrupu[]lus injiciendus videbatur, ut satius ducere[nt] rem ad compositionem deducere, quam Su[e]cos hostes Imperii judicare; id quod hi om[ni] modo declinabant. Quam ob causam & R[ex] Friderico Augusto Episcopo Eutinensi non p[a]rum indignabatur, quod ob avocatoria Cæs[a]rea, quæ tantum contra Gallos dirigebant[ur] Suecicam militiam abdicasset; cum metuer[e]tur, ne id factum Ratisponæ præjudicii lo[co] adduceretur, velut ipse Regis avunculus ista dicta contra Sueciam interpretatus sit. De[in]que & credebatur hoc modo fœderatis pers[ua]deri posse, esse locum interpositioni Reg[is] inter atque Electorem, Suecico exercitu in[teri]im Marchiæ hospitiis fruente. Ac credide[rat] Gardius, Fœderatos satius habituros Electo[rem] auxilio carere, quam Sueciam hostem habe[re]. Unde is ubique jactabat Belgis consultum [vi]deri, ut Electoris exercitus a fœderatis sepa[re]tur, rata duntaxat parte apud copias Imp[erii] relicta, ac ipsum Cæsarem officium interposi[tu]rum. Cupiebat quoque Brandium diut[ius] Holmiæ morari, ut crederetur, Elector[em] Wrangelii acta pro hostilibus non habere, [at]que ista Ordinibus Sueciæ futuris comitiis facilius probarentur. Steno Bielkius di[s]cedenti Brandio dicebat: Dolere sibi, Electo[ris] ditionem tali modo invadi. Id quidem [a]pertum bellum esse. Nec sibi nec pleris[que] Senatoribus aliquid de hoc negotio cog[ni]tum, quam postquam omnia decreta & tra[n]cta fuerint. Esse inauditum in Suecia, bell[um] absque consensu Senatus & Ordinum dece[rni]. A solo Gardio, & Wrangelio ista profecta; quomodo eadem iis quorum interest adpro[ba]turi sint, ipsis curæ fore. Brandium r[ecte] facere, quod heic se detineri non patia[tur]. Nec minus Joannes Gyldenstierna diff[ere]bat: Suecos, exceptis paucis Gardianæ fac[tio]nis, in universum optare, a Gardio p[eri]culosa negotia suscipi, ut seipsum in exiti[um]

pra

1675. præcipitet, simul Bremensis provincia & Pomerania amittatur, per quas Sueciæ necessitas adferatur omnibus externis præcipue Gallicis turbis se miscendi, ut nunquam solida quiete, ac domesticorum commodorum fructu gaudere possit. In præsens magnam esse annonæ, ac salis caritatem in Suecia Commercia singulari Senatus cura non parum florere cœpisse, quæ nunc plane collapsura sint. Millionem uncialium, quam Gallus in subsidium annuum promittat, non modo militiæ impendendum, sed & multos post annos Regno duplum inde damnum proventurum. Alias Gallis dira imprecabatur; simul in lentorem aulæ Cæsareæ, ac socordiam Hispanorum invehebatur. Alias non negabat omnia in bellum tendere, sed de mandatis, quæ Wrangelio mittantur, neminem quid nosse, præter Regem & Gardium. Senatores in consilium non adhiberi. Quod si bellum secus succedat, ac inde Sueciæ aliqua calamitas nascatur, facile fieri posse, ut Gardio cervices frangantur, inprimis ubi Danus & Moscus in bellum eruperit. Hunc Regis juventa & bellandi libidine abuti, ac dum huic velificatur, ita eum fascinasse, ut nuper palam dixerit; si quid ipse fieri velit, Gardio semper consilium in promtu; reliquos nil nisi difficultates movere. Unde istum ad se solum Regni negotia pertrahere; reliquos Senatores inter numeros haberi. Eidem spiritus immensum gliscere, sed non minorem omnium invidiam circumstare. Præter enorme studium in Galliam insatiabilem libidinem esse, Biœrnclovianam factionem ulciscendi. Id quoque agitare, ut in arduis Regni negotiis quinque duntaxat summi officiales suffragium ferant; qua illecebra, simul per Feuquierium eidem numeratis centum uncialium millibus, etiam Petrum Bralæum in suas partes pertraxerit. Consilia circa Germaniam eo tendere, ut ejus compages plane dissolvatur. Ac admodum ipsi dolere, quod plerique Ordines Imperii inter se & circa Gallorum grassationes tam concordes sint; cum Galli, & qui his student, id agant, ut perpetuum inter Cæsarem & Ordines dissidium alatur, ac vis Imperii in Germania plane solvatur; utque adeo Cæsareum vocabulum penes Archiduces sit, potentia inter Galliam & Sueciam divisa. Sane nuper Gardius dixerat; ante triennium credi non potuisse Ordines cum Cæsare in tantam concordiam coalituros. Nam tunc ridebatur, si quis de Imperio mentionem faceret; de quo & Gardius admodum contemptim velut de dissoluto corpore loquebatur. Ast nunc ingentis criminis arguebantur Ordines, quod Cæsari adhærerent, ac a Sueco Galloque se disjungerent, qui Germanicam libertatem & Protestantium sacra adversus Austriacos tuiti sint. Nondum tamen spes defecerat Ordines distrahendi; ac ad Bavarum, Hanoveranum, Wurtenbergicum, Darmstadiensem, Neoburgicum, Moguntinum, Coloniensem, Saxones, Gottorpiensem circummittebantur, qui a Cæsareis partibus eos averterent. Monasteriensis quoque Cæsari haut fidus credebatur. Porro Brandius Gardio valedicens quæ ad rem faciebant acriter ingerebat. Is paria non ita pridem Electorem in Darmstadiensi ditione, ac Wetteravia fecisse reponebat; velut nil interesset, pro tutando Imperio, an pro ejus hoste arma circumferas. Cæterum utile erat Brandium Holmia discessisse. Nam Nicolaus Brahæus, & Terlonus Hafniæ Dano persuadere conabantur, Brandium in speciem duntaxat valedixisse, & clam cum Gardio circa adornandam transactionem inter Regem & Electorem satagere. Cui figmento cum non amplius locus esset, spargebant, inter Principem Anhaltinum & Wrangelium rem esse transactam. Scilicet quod Dano persuadere cuperent, ut oblatam a Gallo pecuniam acceptaret; id quod facturus videbatur, si ei fides fieri potuisset, Electori animum esse cum Gallo & Sueco transigere, nulla habita contumeliæ & damni accepti ratione. Sed Dano facile istæ artes subolebant; cui & non minor quam Sueco in arma cupido. Dissensio tamen inter militares; & togatos in Dania erat. Nam illi malebant in Germania contra Suecos bellum gerere, quod major ibi prædæ spes foret. Sed Petrus Griffenfeldius Sueciam in ipsa Suecia, Scania, & Mari Baltico invadendam censebat, quod quæ ibi damna inferrentur, Suecos tenerrimo sensu afficerent; cum mala provinciarum Germanicarum vix aliter quam aliena haberentur. Simul privatæ rationes suadebant, ne Rex Hafnia digressus in Germania ipse exercitum duceret, ubi militaribus, qui ipsum oderant, ansa nascenda erat Regiæ gratia eundem depellendi. Unde subinde ingerebat, quæ Sueciæ miseria futura esset, si hinc Dani e Dania & Norvegia, inde Mosci ingruerent, commerciis per Belgas interclusis. 1675.

§. 62. Dum Holmiæ legatus Gallicus Suecos in Electorem concitat, Suecicus legatus Eduardus Ehrensteinius Hagæ eundem apud Belgas arguere instituebat, exhibito libello, quo sinistre admodum de iis judicabat, qui ut patriæ & fœderatis pro virili opem ferrent, se accinxerant, velut arma sumsissent alendo bello ultro oblata sua opera. Quo ipso pacis negotium vado adhæsisse, Ordines Imperii magis oppressos, belli sede ac stativis ad eos translatis; simul Regi Sueciæ necessitatem allatam copias tegendis suis provinciis in Germaniam mittendi. Ad quæ Belgæ quidem sat mascule responderant, ut tamen multa sicco pede præterirent. Unde Elector Belgis demonstrari jubebat, Sueco reponendum; se nunquam aliud, quam æquam pacem quæsivisse, eoque fine arma arripuisse. Eum scopum & reliquis fœderatis esse. Nec se ultro operam suam obtulisse etsi negotium in se honestum sit, sed ab aliis invitatum. Quis negotium pacis Coloniæ abruperit notorium esse: id saltem fœderatos non fecisse. Quid effici potuerit, si tantum ratæ partes militiæ publicæ missæ forent, nemini ignotum. Itinera exercitus ita fuisse disposita; ut nemo justam querendi causam habuerit. Hospitiis neminem Ordinum oneratum. Gallis tribuen-

Sueci Electorem apud Belgas accusant. 24. Oct. 1674.

1674. tribuendum, si quorundam Ordinum provinciæ cum exercitu transeundæ fuerint. Bellum in Alsatiam hostilem provinciam recte translatum, quod decretum Imperii Burgundiæ succurri juberet. Num Sueco necessum fuerit tutandis suis provinciis exercitum mittere, cum quicquid esset in vicinia copiarum in diversissimam partem abduceretur, orbis judicio committi. Ejusmodi autem scripta eo minus in Ehrensteinio ferenda esse, quod is pro sequestre adhuc se gerit, cui cum neutram in partem studium sit ostendendum, is nunc plane hostilia speret.
9. Nov. Ad ista Ordines Generales & Arausionensis Electori confirmabant; siquidem Sueci in ipsum quid tentent, se eidem terra marique auxilium laturos, idque Ehrensteinio denuntiaturos. Enimvero prudentioribus haut persuadebatur, Suecum limites suscepti officii sequestrarii usque adeo migraturum, ac provincias tanta cum gloria partas aleæ expositurum, sine causa impetito Electore validis armatorum fœderibus succincto. Equidem Suecos videri in Galli gratiam Electorem injecta suspicione bonis partibus detrahere conari: sed Electorem ea terriculamenta haut curaturum. Quin & si maxime Sueci præter omnem rationem, ac Regni sui utilitatem ipsum invadant, non ideo tamen eundem protinus cœptis consiliis desistere par esse. Nam prius videndum, quid Sueci suscepturi sint, ac cum fœderatis, quorum non minus causa agatur, consultandum, quorum auxilium defuturum non sit. Nec dubitandum, quin brevi res mutanda, ac ipse opinione citius sua recuperaturus sit non sine emolumento ac gloria. Contra si Elector protinus partes deserat, & exercitum, qui adhuc bene se habeat, retrahat, suas res ultro subversurum, consumta apud hostes juxta atque amicos autoritate. Porro cum legatus Anglicus Wilhelmus Templius Ehrensteinium interrogaret, quo tantus Suecorum adparatus spectet; hic reponebat; non nisi pacem Westphalicam tutari curæ esse, cujus sponsor Sueciæ Rex sit, nec Belgas directe invadendos. Cui vicissim Arausionensis denuntiabat: perinde sibi haberi, Respublica directe invadatur, an per latus fœderatorum; & utrinque pari vigore occurrendum. Nemini horum in animo esse pacem Westphalicam infringere. Nec inter se congruere, quod Sparrius Lutetiæ declararit, Wrangelio in mandatis esse Berolinum invadere, ac Electorem hostiliter habere; cum Ehrensteinius tantum de Pomeraniæ defensione loquatur, quam qui impetere vellet nemo erat. Ac revera Belgis res valde cordi erat; qui & cum Hanoverano agebant, ne huic negotio se misceat, cautione interposita, nil ipsi molestiæ illatum iri.

Sueci de conatibus suis in Electorem indicant. §. 63. Haut eo secius Ehrensteinius alio scripto a Belgis petebat, ne sinistre id accipiant; neu se immisceant, si audierint Suecicum exercitum Marchiam ingressum. Contra Belgæ responso suo Regem monebant,
19. Nov. *ne Electori molestiam facessat, qui nonnisi super pace comitatur,*
29. Nov. *ac nil fecerit, quod ei per pactum cum Gallo integrum non fuerit. Si quæ Regi causa de eo querendi videatur, amicam viam tentandam; ac officia sua in promptu fore, si Regis postulata jure nitantur. Nec sequestris muneri convenire pacem turbare, ac tam sancta functione se indignum reddere. Sane nil acerbius Belgis accidere posse, quam si armis præter necessitatem motis necessitas ipsis adferatur latis Electori auxiliis Suecorum vim repellere, ac hostilia in Regem induere, cujus amicitiam nuper stabilitam tanti æstiment. Sed & Regi indecorum fore post tam laboriosam operam circa pacem insumtam temere bellum sumere, ac Belgarum partes debilitare, Galli firmare; tum pacem extrahere, Germaniam calamitate involvere, cujus quietem sibi cordi esse totiens testatus sit. Nam ea ratione Gallum, quem Germani jam intra sua repulsum eant, intra Germaniam retrahi, quam si & Sueci invadere parent, nullo suo merito arenam bello præbituram. Nec minus omnibus mirum visum iri, tantum fervoris a Suecis nunc in Electorem exseri, cum tamen toto bello tantum moderationis in Gallum sit ostensum, tam manifestum Westphalicæ pacis violatæ, nulla reparatione hoc nomine facta; adeoque blandius haberi orbis Christiani turbatorem atque aggressorem, quam queis sui defensio suscipienda fuit, & qui circa publicam pacem restituendam laborant nullo peculiari emolumento. Igitur si quid Rex contra Electorem haberet, amice id disceptaret, se officium interposituris, ac de cætero quod hactenus gesserit, sequestris munus continuaret.* 1674.
Eo responso accepto Ehrensteinius apud Fagelium gratias agebat, quod tam moderatis verbis id conceptum foret, cum longe acriores in eam rem sermones jactati sint. Spem esse ita rem temperari posse, ne ad manus perveniatur, ac se cursore Holmiam, & ad exercitum misso significasse; Belgas operam apud fœderatos daturos, ne quid noxæ Regi inferatur. Cui Fagelius: vicissim & fœderatis pari modo cavendum. Mox iste alium libellum Belgis exhibebat: nondum constare, an Sueci Electorem bello petere velint. Haut verosimile esse, eos contra pacem Westphalicam suscipere quid velle, quam sartam tectam persistere eorum tantopere intersit. Rationes a Belgis adductas esse maximi momenti. Sed optandum fuisse, istas ab Electore quoque observatas, quando exercitum per Imperium movere, & loca Instrumento Pacis comprehensa aggredi voluerit. Tunc enim iis locis quietem perstituram, & quæ nunc velut imminentia depingantur mala, procul fuisse futura. Quæ tamen si orta fuerint, sisti adhuc posse speretur. Interim Belgis benignius de Suecorum expeditione sentiendum, quam ut ea sine consilio & necessitate suscepta credatur. Sane Regem tantas impensas in trajiciendum exercitum haut fuisse facturum, ni inevitabilis necessitas cogeret, quam status Germaniæ, qualem leges pacis Westphalicæ describunt, satis ostendit. De cætero gratum sibi esse, quod Belgæ declarent amicitiam se culturos; ac se paratum esse super controversiis inter Regem & Electorem sermones conferre. Inde idem de induciis proponere, aut ut Elector medium se gerat. Utrumque Belgæ repudiabant: Indu-

1674. Inducias a se repudiatas, cum in visceribus hærerent Galli; ac promtius pacis, quam induciarum leges inverti posse. Electorem legitima arma pro patria arripuisse, nec circa eadem a quopiam leges sibi præscribi passurum; nec adparere, quo colore id ab isto postulari queat. Erant porro e fœderatis, qui censebant, sat causæ esse ad Suecos sequestres amoliendos. Sed Elector judicabat, hisce antequam in arma erumpant, nullum offensæ prætextum præbendum, eoque aliquantisper adhuc quiescendum; præsertim cum Cæsar nondum ostendat, Sueci officium rejiciendum. Elector tamen Belgas monebat, ut Ehrensteinio fine ambagibus denuntietur, si Rex quid tentet, sequestris munere dejiciendum. Qui & sat fervoris hoc in negotio ostendebant. Et

17. Dec. rogaverat Arlingtonum legatum Anglicum Ehrensteinius apud Belgas operam daret, ne ob peculiarem Regis cum Electore controversiam adversus Sueciam in bellum erumperent; nec eo minus integrum fore auxilium ex fœdere Electori præstare, salva cum Suecis amicitia. Cui Arlingtonus: nullo modo Arausionensem & Remp. permoveri posse, quin protinus, ubi Suecus quid moverit, pacem cum eo sint abrupturi. Qua fiducia Elector decreverat in Alsatia subsistere, ac inde in Burgundiam penetrare; id quod & Arausionensis probabat. Sed post cum ex Alsatia cedendum esset, Elector Arausionensem monebat, ut in Bremensem provinciam irrumperet, pauco milite insessam. Tum ut Danus ad indicendum Sueciæ bellum permoveretur. Alias enim sibi ruinam ditionis suæ prævertendam per consilium fœderatis noxium; cum nefas sit, suos cives ita pereuntes spectare. Sed si fœderati eo studio, quo ipse communem causam amplexus sit, sibi quoque subveniant, immotam in partibus constantiam fore. Et quia Sueci irruptionis suæ in Marchiam hanc solam causam tulerint, ut ipsum fœderatis abstraherent, a Belgis nunc serio declarandum, Suecos sequestrium dignatione excidisse, nec cum Ehrensteinio consilia amplius conferenda. Nam metus erat, ne is Belgarum inclinationem per sibi addictos everteret: & quia Viennæ vix hostilia in Suecos sumturi videbantur, ni de Belgarum animo prius constaret.

Elector contra Suecos opem exposcit Ordinum Imperii: §. 64. Cæterum Holmiæ propositione a Feuquierio facta Elector suis Ratisponæ legatis injungebat; Cæsareos monerent, ut velut ultro ea super re proponant, utque Ordines ad Sueciæ Regem scribant, ne hic istis solicitationibus aurem præbeat, neu quid in Electorem suscipiat: tum ut SCto tutela universi Imperii decernatur contra quemcunque, a quo ipse ob susceptam hanc expeditionem invadatur. Id quod & facili negotio obtentum. Ac addidit Cæsar ad Regem literas; ne arma cum Gallo societ, aut hoc instigante in Electorem infesti

Hispani: 28. Oct. quid tentet. Monteregius quoque visa ista propositione Blaspielo declarabat, sibi quidem haut persuaderi, Suecos in talia consensuros, & abdicata sequestrium opera incendium aucturos, cui restinguendo hactenus operati sint. In omnem eventum tamen Hispanos totis viribus Electori opem laturos. Simul Nunnesio Holmiam mandata mittebantur, ut omni ratione Galli postulatis reniteretur. Viennæ cum *Cæsaris:* de Electoris expeditione innotesceret, Suecicus minister minas jacere cœperat. Sed Cæsarei disserebant: utile Electori futurum, si Suecus bello se misceat, volut tunc nascitura occasione Pomeraniam recuperandi. Nec difficile fore Suecos Germania exturbare, si per Danos, Belgasque eorum classis dissipetur, interclusa quoque navigatione. Tum Monasteriensem & Moscum iisdem immittendum, simul providendum, ne isti Bremensem urbem occupent. Ita facile libidinem bellandi refrigerandam, ut satis habituri sint corpus Regni tueri. Etsi constabat, Benedicto Oxenstiernæ, Suecico tunc Viennæ legato a Cæsareis promissum; Cæsarem ei bello sese haut ingesturum, simul impediturum, ut & alii manus abstineant; modo Sueci intra Electoris ditiones maneant. Et cum post Suecicus minister apud Hocherum quereretur, Gobium Electori auxilio missum, iste excusabat; Ratisponæ decretum conditum, cui satisfaciendum sit interim istum nil hostile contra Suecos suscepturum. Porro Suecis cohibendis Elector Viennæ petebat, ut exercitus in Silesia componeretur: aut si copiæ in promtu non sint, ut pecunia sibi daretur, quæ Monasteriensis delectibus destinabatur. Quod surda aure transmissum. Ac jam animadversum, Cæsareis quidem gratum fore Suecos Germania expelli; sed num eam accessionem Electori fieri optarent dubium erat. Montecuculo tamen fides fieri non poterat, Suecos Imperio bellum movere ausuros, Gallo jam non parum fracto, ac nulla lucri spe, cum facile Pomeraniæ & Bremensis provinciæ jacturam facere possent. Et ob sola hiberna talia suscipi præter rationem videbatur, forte caro luenda. Quam ob causam & cura circa auxilia Electori expedienda ibi frigebat. Nec circa fœdus cum Dano absolvendum festinabatur. Cæsare pecuniæ quid conferre abnuente; cum tamen is magnam pecuniæ vim ab Hispanis & Belgis, simul hospitiis Ordinum accepisset, exercitu haut eo minus ob non soluta stipendia querente. Post relictam Alsatiam Elector hospitia sibi assignari petebat, quod exhaustæ suæ ditiones exercitui alendo non sufficerent. Nam falso jactari, Cæsareo exercitui haut satis hospitiorum esse. Sane inter duces Cæsareos quosdam ad octoginta uncialium millia præter stipendia ex hospitiis redacta in Italiam trajecisse. Et quantopere Cæsari ab avaris præfectis illudatur, adpariturum, ubi in expeditionem exercitus educendus sit. Quorum rapacitati si fræna laxentur, totam Germaniam Cæsareo exercitui alendo haut suffecturam. Unde ni & sibi hospitiorum quid assignetur, consilia sibi capessenda Cæsari haut placitura. Ita per Franconiam Electoris exercitui hiberna data, ubi hic viribus ac numeris egregie se firmavit. Ad Anglia quoque Regem scribebatur, ut Suecos ab istis cœptis dehortaretur. Qui cum legato Suecico significaret, sibi ditionum Electora-

8. Nov. [margin note beside "Suecos suscepturum. Porro Suecis cohiben-"]

lium

1674. *Angli:* lium invasionem haut placere, Sueciæ Rex Anglo scribebat: Wrangelio injunctum hostilia haut exercere; & statim atque Elector a fœderatis se disjunxerit, eum hujus ditione iterum excessurum; addito, ut Rex Belgis dissuadeat, ne se isti negotio misceant. Ast Arlingtonus Hagæ declarabat; Suecorum in Electorem conatus inscio Rege Angliæ susceptos; ac nullum Anglo cum Sueco fœdus intercedere, ex quo iste huic quidquam auxilii debeat. Equidem Suecos, dum fœdus cum Anglia renovant, postulasse, ut, si ob auxilia Gallo lata ab aliquo invadantur, Anglus ipsis adsistat. Sed hunc id plane abnuisse. Qui & legato Danico Londini declaraverat, se ne unum quidem militem Suecis auxilio missurum. Qui ista aggressi videantur necessitate subigente, ut Gallo satisfaciant, ac plus pecuniæ huic extorqueant. Porro cum Sueci directa via Danum bonis partibus abstrahere incassum laborarent, Petrus Sparrius in Anglia proponebat, ut hic sequester adsisceretur. Id quod Arausionensis, si salvo fœdere id fieri posset, non improbabat, quod Dano sequestri melius confidi posset, quam vel Sueco, vel Anglo multum adhuc favoris in Gallum ostendenti. Sane & Suecos sequestres egisse salvo cum Gallis fœdere, ac subsidia cepisse, quæ ab his pignerando istorum favori data sint. Ast Dano sat perspicaciæ erat laqueis istis declinandis, cui & animus in bellum ardebat recuperandæ Scaniæ. Etsi haut facile huic persuaderetur, Suecos in bellum erupturos Rege juvene, cui nullus adhuc usus rerum tantæ moli par, egregio quoque armorum paratu, ac præcipue classis in Dania, per quam adjunctis Belgis Suecorum commercia plane prorui possent. Nec verosimile videbatur, Suecos ita temere Germanorum benevolentiam prodacturos, ac provincias suas Teutonicas aleæ exposituros, ubi vel ipsi vel Galli cladis quid accepissent. Et vix credebatur, tantum pecuniæ a Gallo suppeditandum, quod & classi armandæ sufficeret. Idem tamen Electori expeditionem ingresso roganti, ut Suecorum motus observaret, ac tergum sibi tutum præstaret, prolixissime promiserat, ac post Suecis se moventibus de sua constantia sancte Electori confirmabat, cui Citeriorem Pomeraniam non minus quam sibi Scaniam optabat, insuper habitis Galli promissis, qui CCC M uncialium offerebat, si medium se gereret, ac octingenta millia, si eo nomine bello involveretur. *& Bavari:* Denique & Bavari auxilium Elector ex Instrumento Pacis & Electorali Unione exposcebat, magis ne is præteritum se quereretur, quam quod obtinere quid speraret. Sed is præter interpositionem suam nil offerebat, ad quam amplectendam & Sueciæ Rex per ablegatum suum Pufendorfium se paratum declararit. Elector contra; peculiari cum Suecis transactione sibi non consuli, qui per eam nil aliud quærant, quam ut ipsum fœderatorum auxilio plane exuant. Unde omnia ad communis pacis tractationem referenda. Ast Bavarus; ex Instrumento Pacis, & Electorali Unione non plus se debere, quam ut officium interponat; cujus & legati Ratisponæ aperte Gallis ac Suecis favere haut desinebant. 1674.

§. 65. Inter ista cum Wrangelius Wolgastum adpulisset, Joannes Georgius Anhaltinus Princeps Electoratus Gubernator istius destinatis explorandis Georgium Adolfum Micrandrum tribunum miserat, qui de adventu gratularetur, ac Principem cum eo colloquendi desiderio teneri significaret. *Wrangelii intentio exploratur. 14. Oct.* Wrangelius colloquium ob incumbentia negotia excusare. Sed super prandio varie disserere: Bene sibi consulturum fuisse Electorem, si huic fabulæ se haut miscuisset. Cœcos esse Imperii Principes, qui non perspiciant, Cæsarem ipsis servitium struere. Sibi dolere Electoris vicem, quem pravi consultores seduxerint. Eum per Mardefeldium promisisse, se ratam dundaxat partem ad communem Imperii exercitum missurum. Reges haut temere illudi. Cum omnes in armis sint, sibi quoque provinciarum suarum tutelæ fuisse prospiciendum. Nec Cæsaris se destinatis velificaturos, jugum aliis imponere agitantis. Brandium Holmiæ non aliam rationem expeditionis ab Electore susceptæ adduxisse, quam quod huic alienæ terræ fuerint quærendæ, cum suæ alendo exercitui non sufficerent. Eadem ratione & sibi uti fas esse. Si Suecus, Anglus, & Elector e compacto Cæsarem ad pacem hortati fuissent, bello mox finem fuisse, futurum, quod nunc longe absit. Se metuere, ne Elector brevi malos hospites in sua provincia accipiat, subridendo addens, Turennium. Etsi præfecti sine ambage dicerent, se hospitia in Electoris ditione capturos. *27. Nov.* Ista quanquam parum amici spirarent, Princeps tamen denuo Micrandrum ad eundem misit, ut testaretur desiderium cum ipso colloquendi, ac amicitiæ commercia cum eodem exercendi, pro ut novissimo fœdere conventum sit; ac optare, ut ansa sibi præbeatur officium suum ipsi exhibendi. Ad quæ Wrangelius frigide: De fœdere se nescire, num validum perstet, quod Elector eo contenta non servarit. Haut creditum fuisse, Regem ab Electore ita neglectum habendum, ac Regem id ægre tulisse, ac de sua sententia jam ad Electorem perscripsisse. Commercia amicitiæ vix locum amplius habitura. Sibi mandata exsequi necessum esse. Hactenus quidem injunctum amicæ vicinitatis officia colere, ni diversum deinceps injungatur. Non tamen credere, aliquid hostile in Electorem susceptum iri. Nam spem esse, hunc ad meliorem mentem rediturum. In eo rem verti, quid Elector ad Regis literas responsurus sit. Ad has si iste non respexerit, forte mutationis quid oriturum. Sibi tamen spem esse Electorem copias suas fœderatis disjuncturum. Wangelinus disserebat: Suecis sat constitisse, Electorem præsenti rerum facie exercitum dissolvere non posse, quem tamen difficile ipsi futurum sit sustentare. Igitur eos suasisse ut medium se gereret; ac ne argueretur Galli consiliis contra Imperium innecti, eosdem stipendia ipsi obtulisse. Gallus ut honesta pace potiatur, necessum esse. Idem ut paulisper castigetur, Suecis haut invitis accidere,

1674. dere, ne ejus potentia nimium gliscat. Sed satis depressum esse, qui destinatis suis exciderit. Penes Dœrflingium velut Austriacum natione horum omnium culpam esse, quo vehementer suadente ista suscepta sint. Sed appariturum, quam jejuna gratia Electori ab Austriacis referenda sit. Post cum Suecicæ legiones jam non obscure irruptionem in Marchiam minarentur, Anhaltinus Dubislavum Christophorum Hagium ad Wrangelium mittebat, de Principis Caroli Æmilii obitu significaturum, additis literis super amicitia continuanda testandes. Ad quas Wrangelius paucis: non perspicere se, quomodo Elector adhuc ad fœdus provocare queat, utpote qui Rege inscio expeditionem susceperit, ac magis ad alendam belli flammam, quam restingvendam incubuerit, ut jam ejus exitus animo prospici non possit. Cæterum e Pomerania movere se jussum satis jam exesam, ut exercitui alimenta ex alieno petenda sint. Tum & Electorem hoc modo fœderatorum partibus abstrahendum. Ac protinus militem iterum abducendum, ubi Elector exercitum revocaverit. Interim Regem in abruptæ pacis signum nolle accipi, quod duntaxat dilatandis hospitiis suscipitur, præsertim cum Elector quoque cum aliis Ordinibus sæpius pari modo egerit. Enimvero per leges Pacis Westphalicæ ejusmodi hospitationes proprio ausu sumtæ expresse vetabantur, & ad eas prohibendas inter alia Elector fœdus cum Rege Sueciæ inierat. Nec unquam Elector copias suas in alicujus ex Ordinibus terras ideo tantum immiserat, ut ibi alerentur. Nam expeditionem hanc ad limitem Germaniæ suscipienti non poterant non aliquod Ordinum ditiones tangi, ubi tamen miles modeste habitus. Et maximum inter Electoris ac Suecorum factum discrimen erat; cum iste ad defensionem Imperii hoc requirente & sponsionem interponente prodierit; Suecorum conatus in diversa tendentes Imperium nunquam probaturum sit. Acceperat Wrangelius intra sextiduum sex diversa mandata, irruptionem jubentia, aut vetantia: ad extremum tamen stabat sententia, ut exercitus Pasewalci contraheretur. Ac jam aliquot legiones e Bremensi provincia per Meclenburgicam tendentes Marchiam Uckeranam ingressæ erant nulla denuntiatione facta. De quo Anhaltinus misso Hassone Adamo Wedelio apud Wrangelium querebatur; & quia credat id ipsius jussu haut factum, postquam Sueco nulla causa præbita sit, id corrigi postulabat. Mox & cum totus sese exercitus Marchiæ infudisset, Anhaltinus Ottonem Fridericum Crummenseum ad eundem mittebat, jam Prentzloviæ agentem, ut sciscitaretur, quo animo hospitia per Electoris ditionem caperentur? Cui is respondebat: dolere sibi, ad ista fuisse descendendum. Sed indeclinabilem necessitatem pacem promovendi, & exercitum conservandi id requirere, qui exiguam Pomeraniam plane exhauserit. Sed quæ facile emendari queant, si Elector cum exercitu a fœderatis se disjungat. Nam sibi nullo modo concedendum, ut Gallus plane Germania depellatur; quo dimoto Suecos eandem sortem mansuram. Electorem haut ita sinistre accepturum, Suecicum militem intra ipsius ditionem stativa habere, ubi præter necessaria alimenta nihil exacturus sit; cum Elector idem juris in alios sibi sæpe permiserit. Se militem accurata disciplina habiturum, nec initium hostilitatis facturum. Gemina Wrangelius delegatis Ordinis Equestris in Marchia Uckerana eadem querentibus respondebat: Regi non esse in animo Electoris provinciam hostiliter habere, quamdiu nil violenti opponatur. Sed hoc modo viam ad pacem muniri, hactenus adhibita tutiorem, præmissis inter omnes bellantes induciis; ac paci accelerandæ plurimum facturum, si Elector induciarum initium facere velit, revocatis ex Alsatia suis copiis; quo facto Regium exercitum protinus istius ditione digressurum. Interim eum modeste acturum; ac petentibus militem tutelarem libenter indulgendum. Interim ipsi juxta atque Galli passim disseminabant; inter se & Electorem tractatus agitari, ac brevi cum ipso sibi conventurum. Cæterum satis intelligebatur, inter primordia amicum vultum ideo præferri, ut ab Electore initium fieret vim adhibendi, quo huic culpa cœptæ hostilitatis impingi posset. Enimvero sat hostilitatis erat a famelico milite omnia consumi, qui necessariis haut contentus provinciales omnibus fortunis cum pulvisculo exuebat. Ac observatum est, tricennali bello Marchiam non ita exhaustam fuisse, uti isthac irruptione, ac modico tempore septem millia incolarum in vicinam Poloniam profugisse, oppidis fere in solitudinem redactis. A rapacitate mox ad crudelitatem & petulantiam processum. Sacerdotes eorundem sacrorum non minus quam alii contortis circa caput funibus, aliisque cruciatuum generibus ad depromendas, quas occultaverant, pecunias cogi, quidam trucidari: templa effringi atque exspoliari altaria abominando modo maculari: juventus extra provinciam trahi; alicubi in imbellem ætatem cædibus sæviri. Tum immaturæ segetes proteri, pecora, quæ abduci non poterant, occidi. Atque talia in conspectu ducum patrari nemine inhibente; tum quicquid exactionum imponeretur, Wrangelii jussum præ se ferre. 1674.

16. Dec. (Post cum Suecicæ legiones…) — *Hagen.* (Hagium) — *22. Dec.* (contraheretur) — *27. Dec.* (corrigi postulabat) — *Crummensee.* (Crummenseum) — *26. Dec.* (Gemina Wrangelius)

Electori de Suecorum irruptione significatur.

§. 66. De ista irruptione ut Electori significaret, Anhaltinus Crummenseum misit; qui isti ex agmine ad latus digresso literas tradebat. Quibus perlectis idem alacri vultu ad suos reversus Suecos in Marchiam irrupisse narrabat, id sibi plenam Pomeraniæ adquisitionem portendere ominatus. Sed Anhaltino responsum: *Sibi ex animo dolere carissimorum civium sortem, queis in præsens quidem ista toleranda sint: spem tamen esse, per eadem ipsis quietem & securitatem in futurum partum iri, ac ne deinceps talia, inter Imperii Ordinés nunquam audita, sint metuenda. Nam Suecos opinionis falsos esse, si credant, hac irruptione ipsum ad abdicandas fœderatorum partes, aut medium statu amplectendum cogi posse. Post Comesas ab istis provincias solam sibi vitam superesse, quam alea exponere* ma-

1674. *maluit, quam partes mutare, ac ultionem non sumere, quemcunque demum eventum fata dederint. Atque hoc specimine ostensurum, sibi animum tam facilem mutationi non esse, uti isti spargant. Justitia causæ suæ se confidere. A Deo multis se periculis ereptum; ejusdem gratiam sibi nunc quoque adfore, ut cum gloria his difficultatibus emergat, hostibus orbi ludibrium debituris.* Idem post Suecis tota provincia sparsis Anhaltino injungebat, ut divisos opprimere conaretur. Et hic eo nomine ad Cæsarem & Montecuculum scribebat, ut copiarum quid sibi submitteretur. Sed quia Cæsar cunctabatur, antequam Hispani ac Belgæ aperte Suecis sese hostes professi essent, nec Suecis suspicionem injicere vellet Electoris exercitu nondum propinquo: Anhaltinus haut consultum ducebat Suecos lacessere, queis irritatis aperta provinciæ in vastitatem redigere facile erat. Igitur præstare tantisper adhibita patientia extrema hostilitatis avertere, quoad toto cum exercitu oppressis civibus subveniri possit. Quæ & Daniæ Regis sententia erat; cui & ipsi non tutum erat in bellum erumpere, antequam Cæsar, Hispanus ac Belgæ Suecis arma inferrent. Ac Cæsar ea lege auxilium promiserat; si Elector suo cum exercitu domum se conferre, & in Suecos rem gerere cœperit; tunc se quoque ex fœdere arma vindicandæ Electoris ditioni sociaturum. Sed & fœderati Hagæ bellum in Suecos decreverant, ut tamen id dissimularetur, quoad Elector ipse in hos erupisset. Ita Sueci per Marchiam nemine resistente pro lubitu grassabantur, quoad tempus sumendæ ultionis maturesceret.

Electoris cura circa res Poloniæ. §. 67. Inter ista Electorem res Poloniæ nonnulla cura exercuerant, postquam Michaëlem Regem turbidis Regni rebus mors improvisa Leopoli extinxerat. *10. Nov. 1674.* Ejus obitus Moscos cumprimis consternaverat vanum ob metum, ne Sueciæ Rex mutatis sacris eam coronam affectaret. Czar accepto mortis nuntio in lacrymas effusus e Polonico ministro ad se evocato sciscitabatur; num Regi e nimio cibo, an veneno nex obvenisset? E gravi is morbo decubuerat; sed cum sic satis convalescere cœpisset, ingesta malorum citriorum copia ventriculum iterum corruperat. Ac delectatus idem fuerat durissimis ac digestioni minime idoneis cibis, quos sequenti mane summo nisu rejicere cogebatur. Ad extremum sanguis per vomitum & urinam emittebatur, flavus & albus, nulla rubedine. Aliqui venenum in farcimine, aut uva præbitum ferebant, velut intemperantia ad mortem sufficere non posset. Cum alias obitu Regum Poloniæ campanis per omnia Borussiæ templa luctus signum dari solitum fuisset, id tunc omissum. Revera tamen Elector eo in Rege non modicam jacturam fecisse videbatur, quod is post renovationem pactorum agnovisset, suis rationibus Electoris amicitiam cumprimis proficuam esse; & quia si maxime nocere vellet, non posset; quod his seculi moribus præcipuæ inter vicinos cautionis instar est. Ut officio consolationis apud Reginam fungeretur, Hoverbequius in Poloniam missus est. Iste Michael si propria ambitione ad diadema grassatus esset, orbis ludibrium merebatur tam sæve acta Regis persona. Sed postquam inconsultus populi instinctus invitum atque deprecantem in solium protrusisset, miseratione dignus habendus fuerit: cui & optime consuluerunt fata, quod mature eum odio ac contemtui subtraxerunt. Ne prolem relinqueret, debacchationes in causa erant. Ingenium isto fastigio longe inferius. Tanta ejus aulam paupertas premebat, ut sæpe vix esset, unde mensa instrueretur. Ac jam brevi post coronationem istius tempore Proceres quidam Polonici pactum cum Gallo iniverant, qua promiserant, se Comitem Sancti Pauli ad coronam provecturos, si iste sumtus suppeditare velit, ut novus Rex quondam Poloniæ detracta recuperare possit; Silesiam, Livoniam, Ucrainam, Lithuaniæ partes a Mosco occupatas, & Borussiam. Etsi ea destinata mox abortiebant, isto Comite inter belli Belgici initia occumbente. Gniesnensis tamen jam per agnatum suum Augustæ viduæ proposuerat; Regis Michaelis matrimonium ob impotentiam dissolvendum, eumque plane regno exuendum, suffecto in ejus locum alio, cui Regina maritanda sit; si Augusta consentire, ac Cæsaris ad ista auxilium impetrare possit. Ad isthæc Augusta nec verbum responderat, nec cuiquam mortalium indicium fecerat. Et mox tamen e Polonia referebatur; Regem rescivisse, talia Viennæ contra se agitari. Unde conjectura erat, Gniesnensem ipsum isthæc tecte ei insinuasse diffidentiæ inter Regem, & aulam Viennensem serendæ, quo istum omni præsidio nudaret. Alias Cæsarei ministri querebantur, eum Regem nunquam saniora consilia a se admittere voluisse, cum tamen nemini tutius quam sibi fidere potuerit. Nam domesticos dissimulata veritate non nisi blandimentis aures ei demulsisse captandis beneficiis. Igitur merito perire, qui nec ipse sapiat, nec sapientiores audire velit. Eadem indole erat Procancellarius, a quo Rex unice dependebat, qui itidem in sinistram partem accipiebat, si quis rectiora consilia suppeditare vellet, quasi imperium sibi in ipsum arrogatum iret. Polonica Nobilitas in universum querebatur: non alio indicio sibi innotuisse, Regem ipsis esse, quam violationibus jurisjurandi, ac legum publicarum.

§. 68. Cum porro Electoris plurimum interesset, quis deinceps eo Regno potiturus esset, *Ejusdem ad Cancellarium Poloniæ missio.* Fridericus Dœnhofius Comes ad Joannem Lessinium Magnum Cancellarium mittitur, exquisiturus, cuinam candidato plurimum spei ad istam coronam foret. *5. Dec. 73.* Ubi is mentem suam pandere nolit, percontaretur, annon Reip. placiturum sit ejusmodi Regem eligere, qui Reginæ viduæ matrimonio jungi possit? Eam quippe bene de Regno meritam, ac egregiis moribus, & vivendi dexteritate maximam laudem sibi peperisse; sic ut istius intuitu cælebs candidatus non modicam videatur prærogativam habiturus. Num Lotharingi ratio apud Reginam & Remp. habeatur; ac num huic lis cum Gallo super Lotharingia obstet? Num etiam de

1673. de Piasto cogitetur, & de quo? Tum si Princeps detur Protestantium sacris addictus, de quo Reip. cautum sit eum sacra ibi recepta haut turbaturum, & cui sufficiat intra conclave ritus suos obire, sed alias Reip. insignia emolumenta conciliare, ac Reginæ simul consulere idoneus; num eo casu religio tantum obstaculum sit futurum, ut omnia commoda ideo rejicienda sint? Circa Gallicum candidatum moneret, in præsens quidem Electori cum Gallo nil controversiæ intercedere; ejus tamen electionem citra ingentes motus fieri non posse. Nam Nobilitatem acerbissimo odio in Gallum flagrare, qui & atrocibus nunc bellis sit implicitus, in quorum partem Polonia quoque ventura sit Gallico Rege adscito. Isti Lesfinius
1. Dec. 1673. referebat, Bakovium Pomerelliæ Palatinum universos provinciæ Nobiles evocasse ad defendendam Elbingam, quam ab Electore invadendam fama fuerit: sed se isto nomine eum reprehendisse, quod incertos ob rumores tantum tumultum excitaret. Circa candidatos de nemine sibi constare, qui palam aut clam prensaverit. Augustam Viduam quidem literas ad se scripsisse, sed queis non nisi filiæ rationes commendarit. Si Elector, aut filius Carolus Æmilius sacra Romana profiterentur, alterutrum horum Regem fore, & præcipue Electorem, quo nemo aptior sit tutandæ Reip. & in florentem statum reponendæ. Alias Sobiescii circa hanc electionem maximam autoritatem fore, & cui hic suffragetur, eum coronæ proximum fore. Eundem suo & exercitus nomine ad ipsum scripsisse de acceleranda electione, quo futura æstate cum novo Rege adversus Turcas in expeditionem prodire queat; alias exercitum ipsum sibi de Rege prospecturum, & omnia remedia investigaturum patriæ in tuto collocandæ. Lotharingo exiguam apud Nobiles autoritatem & paucos fautores, quod is ab Austriacis dependeat, & cui opes non sint parando exercitui, ac protegendæ Reipublicæ. Si Regem invenire queant, qui Reginam Viduam ducat, id optandum esse. Sin minus, eandem honesta sustentatione, quam Resp. decretura sit, contentam fore, quod Resp. suæ magis saluti, quam peculiaribus Reginæ rationibus obstricta sit. Nam indolem regiminis Austriaci a Polonis quam maxime horrori, ac exercitum jactare, tutelam Domus Austriacæ exuendam; quod per violenta consilia, quæ Cæsarei ministri Meiersbergius
Stum. & Stumius Baro inspirarint, Resp. prope exitio admota fuerit. Sane Stumium sibi ingerere ausum; si proceribus animus sit Michaëlem Regem solio dejicere, Cæsarem cum exercitu huic subventurum. Quo dicto se offensum Stumium interrogasse, quinam sint, talia ausuri, qui ab omnibus condemnandi sint? Inde se ad Regem accessisse, ac magnopere super eo sermone ministri Cæsarei questum: & quia norit Cæsareum exercitum in finibus Silesiæ consistere, in Poloniam irrupturum, Regem orasse ut ei injungatur pedem referre, alias tale malum inde surrecturum, quod Regi dum vivat dolori sit futurum. Eo sermone Michaëlem ita fuisse perterritum, ut etiamsi tunc pro more faciem fuco pinxisset, plane expalluerit, ac raptim cursores miserit, qui copias istas retro ire juberent. Poloniæ quoque præsentia mala, & ex parte bellum Turcicum ab Austriacorum consilio promanare. Nam hos impediisse, ne mature legatio ad Portam mitteretur, qua isthoc bellum declinari potuerit. Idem & Piastum aversabatur tam inauspicato Michaëlis regimine. Nec ex indigenis esse, qui eo fastigio dignus videatur, præter Sobiescium, sed qui nullam coronæ cupidinem ostendat. Pacios Lithuanos de Czaris filio jacere; sed a quo Poloni plane abhorreant, quod Moscorum scuticæ cum Polonorum libertate haut conspirent. Ac si Lithuani huic instituto insistant, Polonos ab his plane dissociandos. De Principe Protestantium sacris addicto nullam spem esse, quod per constitutionem novissimo interregno conditam omnes Evangelici ab electione excludantur; cui & sacerdotes manibus pedibusque obluctaturi sint, nec minus Nobilitas ad superstitionem usque ab istis dependens. A Gallo quopiam haut metuendum, quod in ea natione nemo adpareat Poloniæ gubernandæ idoneus, præter Condæum senio & morbis fractum; & quia Gallicus Rex sine dubio Rempublicam turbis implicitus sit.

§. 69. Post ad eundem Lessinium mittebatur Joachimus Scultetus, itidem hujus mentem super futura electione exploraturus. Is disserebat: apud Lithuanos pro Lotharingo favoris plurimum esse, apud Polonos parum. Nam etsi eum non admodum aversentur, suspectum tamen habere, velut nimium Austriacis addictum, & qui Austriaca consilia, quæ effectui dare Michael Rex diffisus fuerit, stabilire ausurus sit. Austriam quoque jam apud Nobilitatem, & exercitum magno odio laborare, quod Cæsar Michaelem cohibuerit, ne cum Turcis pacem faceret eo tempore, quo Caminiecia adhuc penes Polonos erat; ne onus belli Turcici in Hungaria ipsi soli ingrueret. Gallum multo candidius cum Polonis agere, dum Sobiescio, & Morstinio Thesaurario scripserit; se quidem legatum ad electionem missurum, sed nullum Principem regii sanguinis commendaturum, pro Neoburgico autem Duce intercessurum. Se quidem ideo canditatum Austriacum declinare, quod is Germaniæ suspectus sit, ac multis molestiis Reip. ansam præbere queat. Electo Lotharingo idem a Gallo metuendum, quod ab Austriacis erat, si Gallus quispiam corona potiretur. Nam Gallum nunquam alendis in Republ. factionibus destiturum; quæ ab aliquo tempore plus damni Poloniæ dederint, quam bellum Suecicum. Abaffium bonas conditiones offerre, ac optime Remp. bello Turcico extricare posse. Sed Cæsarem omnibus viribus contraniti, ac paucos ipsi fautores reperiri. Contra Danum Suecos protestari, nec ab isto ita opimas conditiones offerri, quam ab Abaffio. Cum Scultetus de Piasto injiceret, & præcipue de Sobiescio, qui per recentem victoriam de Turcis ad Chocimum tantopere de Rep. sit meritus, nisi

1674. nisi quod uxoratus Reginæ maritari nequeat; reponebat Lessinius; Reginæ respectum longe post Remp. haberi. Si apud candidatum cælibem reperiantur, quæ corona eum dignum reddant, habere ipsam, quod eo commodo gaudeat. Sin minus, dotalitio contentam esse oportere a Reip. constituto, e quo annua ducenta viginti quinque florenorum millia reditura erant; non spernenda summa, si exacte repræsentaretur. Sed multi ominabantur, eam non plus inde percepturam, quam Joannes Casimirus ex assignata sibi pensione. De Sobiescio se initio credidisse, eum coronam ambiturum. Ideo se eundem per literas hortatum ad hoc institutum persequendum. Sed istum respondisse, sibi coronam cordi non esse; ac malle se archistrategum libero cum imperio esse, quam manibus pedibusque ligatum Poloniæ Regem vivere, ac mori. Præter hunc neminem esse in Polonia sceptri capacem. Semel se Piastum, eumque fatuum Regem habuisse; ad eundem lapidem sese bis haut impacturos. Neminem magis idoneum Poloniæ Regem fore, quam Carolum Æmilium, si pater permittere velit ut sacra mutet.

Polonorum de candidatis judicia.

§. 70. Cæterum cum superiore interregno tanto ambitu ac pecuniarum profusione inter candidatos certatum foret, jam Poloni ægre ferebant, post mensem a morte Regis elapsum neminem adparere, qui prensare instituat. Haut eo minus sterili sermone unus & alter jactabatur. Ac circa Electoris filium Carolum Æmilium Episcopus Cracoviensis, & Procancellarius disserebant: non quidem ab eo exigendam consolidationem Borussiæ, aut sacrorum mutationem, ni ultro velit. Integrum ei fore religioni suæ insistere, ac mysticam cœnam suo ritu percipere, modo semper in catholico templo Missæ intersit, sive interim preces fundat, seu quid aliud legat. Sed pro dote ab ipso postulandum, ut futuro anno X M militum propriis sumtibus Reip. contra Turcas præstet; Lauenburgum, Butoviam & Draheimum Reip. restituat; actionem in Elbingam & alia remittat, ac eosdem hostes & amicos cum Rep. habeat. Alii de cedendo in Borussiam jure hereditario addebant; sed quo Elector ne Cæsareum quidem diadema emturus fuerat. Sane Uladislaus Rex majores suos exsecratus fuerat, quod pro Regno electitio jus hæreditarium in Lithuaniam, Russiam, & alias provincias cessissent. Circa sacra non aliud temperamentum admittebatur, quam ut ore & scripto Romanos ritus profiteretur; in animo quam velit sententiam fovere ipsi integrum fore. Cæterum prius super religione declarationem edendam, quam de emolumentis sermo fieret, quæ istius electio Regno conciliare posset. Etsi contra Nuntius magnopere urgeret, ut eligeretur, qui Romanis ritibus innutritus esset; quod Ecclesiæ Romanæ vix cautum esse possit ab eo, qui coronæ causa religionem mutarit. Revera tamen quis Rex futurus esset prospici non poterat, quod ea res non maturo consilio, sed fere subitario impetu geratur. Multis tamen verosimile videbatur, Reginam momentum daturam, quæ propter eximias animi dotes, & partam inde singularem gratiam plurimum valebat; quæ forte ad exemplum Annæ Jagellonicæ designanda sit, ea lege futuro Regi dicta, ut ipsam ducat. Eo fine cælibes candidati jactabantur Carolus Æmilius Princeps Electoralis, Czaris filius, Sueciæ Rex, Lotharingiæ Dux, Georgius Daniæ Regis frater, Arausionensis Princeps, Eboracensis Dux, Joannes Wilhelmus Neoburgicus Dux, Mutinensis Dux, Dux Bavariæ, Dux Vindocinensis. Sed inter uxoratos erant Princeps Condæus, ejusque filius Enguianus Dux, Palatinatus Neoburgicus senior, Joannes Fridericus Dux Hanoveranus. Quin & ipsi Poloni aliquos credebantur stimulaturi, quod pro numero candidatorum largitionum messis uberior aut sterilior sit. Unde & cum Uladislai interregno nullus competitor existeret, etiam qui Joanni Casimiro favebant, fratrem Carolum Ferdinandum instigaverant, quem pecuniosum norant ut candidatum se profiteretur, ac magnas largitiones faceret. Ac vulgo jam querebantur; cum creditum fuerit viginti quatuor candidatos prensaturos, neminem tamen adhuc legitimo modo, missis nimirum pecuniis & literis collybi, nomen suum professum. Sed omnibus prægravis videbatur futurus Sobiescius, favore militum subnixus, cui magnam autoritatem circumposuerat memorabilis contra Uzaimum Bassam victoria, postridie ab obitu Michaëlis Regis parta; ac passim in ejus favorem jactabatur, eum solum esse, qui ignominiam aliquandiu nationi incumbentem removerit, ac majorum gloriam instaurarit. Cui tamen præter Paciorum æmulationem præcipue obstare videbatur, gratia Reginæ apud Ordines, quam coronæ consortem retinere cupiebant, cum istius uxori haut placeret ingressu in cœnobium alteri thorum mariti, & futuram magnitudinem derelinquere. Porro Gallo in votis erat creato in Polonia Rege suæ factionis Austriacis tergum intutum reddere. Sed Condæo maxime Reginæ gratia obstabat. Vindocinensem velut impari prosapia Polonicæ nationis genius ad spernabatur. Czar pro filio suo liberaliter promittebat, restitutionem locorum Poloniæ ereptorum, novem milliones parata pecunia, & validum exercitum contra Turcas; cui & non pauci Lithuani favebant. Sed præter alias causas Polonos offendebat, quod Czar jam per biennium Kioviam retinuisset, & ne Græci ritus prævalerent, quos Romani non minus quam Protestantium scita oderant; quibus & Cosacci addicti erant. Ac is quartumdecimum non amplius annum agens, hautquidquam iis artibus valebat, quos Polonorum præsens status requirebat. Abaffius Transsylvaniæ Princeps pollicebatur, se suam provinciam cum Ordinum ejus consensu corpori Regni Poloniæ inserturum, simul XXX M militum in usum Reipubl. præbiturum. Comes Windischgrætzius legatus Cæsareus Hafniæ tunc circa fœdus inter Cæsarem & Daniæ Regem operam navans Georgio Principi valde blandiebatur, Cæsari 1674.

ejus

1674. ejus promotionem curæ fore. Simul Hanoveranus Dux apud Reginam matrem instabat, ut circa sacra mutanda nil scrupuli moveret. Contra Rex Daniæ frater Viennæ declarabat, nec per conscientiam, nec salva existimatione fieri posse, ut is in antecessum Romanis se ritibus addicat. Id tamen tolerari posse, ut informationem admittat. Sed ante omnia privatum exercitium suorum sacrorum ipsi relinquendum, nec eorum mutationem inter conditiones sine quibus Regnum adire non possit ponendam. Eam ob causam Viennæ negabant ei se suffragari posse. Qui priore interregno Lotharingo aut Neoburgico studuerant, nunc frigidos admodum se ostendebant, ut denuo emerentur. Ac Neoburgicus paucis duntaxat privatim filium sedecim annos natum commendaverat; sed cujus exigua ratio habebatur. Lotharingo non modica factio in Polonia Majore & Lithuania erat; sed cui Sobiescius cum exercitu, & plerique proceres Russici adversabantur. Ab eo nemo, ne Cæsareus quidem legatus se quid in mandatis habere fateri volebat; quod is valde dubitaret, num candidatum se profiteretur, postquam priore interregno tantum pecuniæ incassum profudisset. Ei quam maxime nimius in Austriacos respectus obstabat, ac perinde fore dicebatur, si ipsum Cæsarem elegissent. Ast Elector statim initio declaraverat, perinde sibi esse, quis corona Poloniæ potiatur, modo ei Regno idoneus foret: nec pro ullo studii quid ostendere constituerat, quoad adpareret, in quem Resp. inclinatura sit. Vicissim plerique Proceres Hoverbequio confirmabant, se neminem electurum, qui Electori amicus non sit, tum eundem ad colendam cum isto amicitiam & servanda pacta, obstricturos; etsi in quem inclinarent valde dissimularent. Mittebat quoque Regina Hispaniæ Petrum Ronquillum in Poloniam, ut Joannem Austriacum commendaret. Ea quippe Rege ad majorem ætatem provecto Nithardum Cardinalem iterum in aulam pertrahere cupiebat, sed qui simul cum Joanne consistere ibi non poterat. Unde eadem opera & Nithardo locum pandere, & Joannem sub honoris specie amovere volebat, stabilito simul in Polonia Rege, cui semper ad Austriacam Domum respiciendum sit. Labem natalium extinctam, dum a Philippo IV. pro filio agnitus sit, supremis muneribus in Regno potiatur, & titulo Celsitudinis ab omnibus honoretur. Provenire ipsi quotannis CCLXX M. unciales e Commendis & aliis beneficiis in Hispania. Esse quoque millionem uncialium, quem statim in Poloniam adferre possit. Sed cum Cæsar id haut successurum judicaret, Ronquillus pro Lotharingo nitebatur.

Ceremonialia. §. 71. Porro Elector Hoverbequium post obitum apud Reginam consolandi officium Warsaviæ manere jusserat privati habitu, ex quo elapsis aliquot septimanis Primas Regni sciscitabatur, num ipse ad Poloniæ, an ad Remp. missus sit? Nam circa legatos ad defunctum Regem missos decretum fuisse, ut Warsavia decedant. Sed si ad Remp. missus (9. Febr.) sit, integrum ei fore negotia sua proponere. 1674. Cui Hoverbequius: se non ad Regem missum, sed ad Reginam consolationis officio exhibendo; tum ut Reip. hoc tempore de Electoris amicitia caveret; ac sciscitaretur, qua in re ejus emolumenta in præsens promovere queat. Equidem a decreto removendi exterorum legatos merito se excipiendum, quod Elector tanquam perpetuus Reip. fœderatus pari cum aliis exteris classe censeri nequeat. Sed quia alias constituerit brevi discedere, ad istud provocare nolle. Quod si tamen non omnes legati pari modo habeantur, id sibi ad Electorem referendum esse. Querebatur quoque Primas, sibi ab Electore titulum *Primi Principis* datum non esse, quem tamen Cæsar & alii vicini tribuant, idque ut corrigatur postulabat. Cui ab Electore repositum: eum titulum studio omissum, quod Dux Borussiæ in Pace Perpetua anno 1525. obtinuerit, ut ei *primus & proximus* locus a Rege debeatur: prout & nemo Ducum Borussiæ prioris lineæ Primatem eo titulo impertierit. Ac pactis Bydgostiensibus cautum, ut omnia prioribus Ducibus competentia jura salva esse, quin augeri debeant. Sed nec se prioribus Archiepiscopis eum titulum dedisse, ac sua nil interesse, quid titulorum alii eidem tribuant. Et eam ipsam ob causam Duces Borussiæ in Pace Perpetua primum sibi & proximum a Rege locum stipulatos, quod pactis cum Magistro Ordinis Elrichshusio cautum foret, ut Gnesnensi locus præ Duce Borussiæ debeatur, quod ibi Magistro primus locus a sinistris assignatus foret. Ita deinceps Primas neque remotionem exterorum legatorum, nec titulum Primi Principis amplius urgebat. 16. Mart. Mox cum nunciaretur Cæsareum legatum Warsaviam tendere, Elector Hoverbequium justi legati dignationem assumere jubebat, ut Cæsareo tanquam serius venienti pro more primam visitationem deferre posset, quam forte, uti priore interregno factum, Cæsareus ipsi negaturus esset, si is post istius adventum pro legato se gessisset. Cæsarei super ea controversia Viennæ ultro apud Crocovium proposuerant: Si Elector unum duntaxat legatum mittat, aut si plures, illustri omnes loco natos, paribusque mandatis, ac pari dignatione, nullo primarii & secundarii discrimine; Cæsareos legatos iis omnibus titulum *Excellentiæ*, & primum locum in suis ædibus daturos, ut tamen etiam serius venientes apud Cæsareos primam salutationem obeant, quo saltem aliquod discrimen Cæsareos inter & Electorales legatos sit. Vicissim nostri legati Cæsareum Plenipotentiarium Ratisponæ viserent, ac eo honore contenti essent, quo is aliorum Electorum legatos exciperet. Ast Elector receptæ hactenus consuetudini inhærere certus, ne hilum quidem minus honoris admittere volebat, quam liberarum Rerumpubl. legatis dari soleat, quos serius venientes Cæsarei legati priores invisant. Si plures uno mittat, omnibus eandem dignationem tribuendam; nullo primarii aut secundarii gradu. Sed ut omnes illustri loco nati sint, adstringi nolle, quod sibi magis dexte-

1674. dexteritas legatorum, quam natales sint respiciendi. Demum Electori placuit, ut sui legati Ratisponæ Cæsareum Plenipotentiarium solenniter inviserent. Id quod Cæsari admodum gratum erat, ac vicissim promittebat, cum ipsius legatis ita actum iri, ut Electorali fastigio nihil fraudis adferatur. Prout & Schafgotschius Warsaviæ Hoverbequium salutatione accepta ac reddita eodem cum Nuntio ac Regiis legatis honore habebat.

Sobiescii artes circa ambiendam coronam. §. 72. Ast Sobiescius candidatum se multa cum dissimulatione atque arte gerebat. Literis ad conventus provinciales scriptis omnem suspicionem Ordinibus eximere studebat, quasi ipse de Regno cogitaret. Nec eo minus Lotharingo, & aliis Austriacæ factionis palam sese adversarium ferebat, ut multis jam suboleret, eum tamdiu circa alios excludendos laboraturum, quoad occasio nasceretur cupita sua pervincendi. Ejus quoque amici quavis occasione negabant, eum coronam ne si offeratur quidem acceptaturum; haut ignaris prudentibus, multos flagrantissime cupere, quorum aversationem ambitiosissime jactant. Ipse quoque actus interregni accelerari urgebat maturandæ electioni; cum alii tempus extractum irent, quo candidatis spatium foret prensandi; quæ procerum messis habetur. Cum Regina eidem rationes suas commendaret, promittebat, se eas quantum penes se promoturum; hortatus tamen, ut inclinationem in neminem panderet, nec cuipiam se obstringeret, sed Reip. decretum expectaret. Quia etiam is, a tota licet Republica rogatus, Warsaviam accedere differebat, vix quispiam procerum studium suum in quempiam propalare audebat; nisi quod aliqui in universum disserent, prudente, perito rei militaris, & pecunioso Rege opus esse. Nam si postremum desit, ne per Herculem quidem Reip. consuli posse. Demum is declarabat; se neminem *10. Febr.* perspicere idoneum e periculo eripiendæ & regendæ Poloniæ, quam unicum Condæum; ad quem & bis literas dederat nomine eorum, qui priore electione ei faverant, ac inprimis exercitus, de bono successu ample pollicitus, si candidatum se ferre velit. Quæ res Reginam non parum turbabat, utut de divortio cum ipsius conjuge mentio injecta esset, quicum is diu discors egerat. Nam etiam eo succedente acerbum Reginæ futurum erat Condæo nupsisse, moroso ingenio, simul morbis fracto, & cui placere si vellet, cum propria domo inimicitiæ suscipiendæ erant. Solum autem istum a Sobiescio proponi mirum videbatur, quod iste gloria cumprimis bellica sese jactans vix videbatur Sobiescio moderamen belli relicturus, quo hujus opes atque autoritas stabant. Unde idem credebatur non serio pro Condæo laborare, sed per comparationem invisi hominis adversa parte connivente irrepere velle. Ac altius penetrabat, quod idem tres legiones arci Cracoviensi, ubi insignia Regni asservantur, immitteret. Idem porro ut palam fremebat, se caput sibi malle diffringi, quam Lotharingum Regem admittere, ac sub ejus Imperio degere, qui peritia rei militaris ac opibus par sibi non sit: ita contra qui Lotharingo favebant, Piasti exclusionem urgebant. 1674.

Candidatorum ambitus. 16. Febr. §. 73. Vulgabatur inde Condæi declaratio, ipsum non solum coronam si offeratur acceptaturum, sed & ultro ambiturum. Unde jam duæ validæ emergebant factiones, Condæana, & Lotharingica. Illius fautorem se ferebat Sobiescius cum exercitu; hujus Pacii Lithuaniæ potentissimi, plerique Clerici & Jesuitæ, ac magna Nobilitatis pars. Sed cui præcipue obstabat, quod ipse ac Regina eidem Domui Austriacæ obnoxii forent. Ac quia Regina præcipue in eum inclinare credebatur, isti addicti in hunc quoque favorem translaturi erant. Sane pro eodem Augusta Vidua valde nitebatur, oblatis Sobiescio CCM uncialium, præter alias conditiones, quas sibi stipulari placeret, ac æternam facti memoriam. Ast Primas & alii, qui tranquillam electionem & pacatum deinceps regimen optabant, Condæum juxta ac Lotharingum excludere cupiebant, ac tertium malebant, inprimis Carolum Æmilium, ni sola religio obstaret. Qui insolubilis nodus erat, quod Polonis non sufficeret cautio, ipsorum sacra hautquidquam turbatum iri, modo istius religio non solicitaretur. Unde cum vulgaretur eum Principem nullo pretio sacra mutaturum, Pocancellarius & aliqui proceres de Georgio Daniæ Principe loqui cœperunt. Et accedebat mox Warsaviam Sestedius a Daniæ Rege *3. Mart.* missus, sed dissimulata persona, ne Suecus palam ei se opponeret. Ac inveniebat iste apud non paucos applausum, cui & Elector præ reliquis favebat; ac credebatur Sueciæ Rex per matrimonium cum istius sorore eidem conciliari posse. Ac si Sobiescius in partes pertrahi valuisset, reliquis prævaliturus videbatur. Vulgabatur quoque ejus elogium: *Avis atavisque Regibus oriundum e Regno Poloniæ amicissimo, & numquam armis cum hac colliso. Esse dignitatem corporis, esse ætatem sceptro capessendo ac matrimonio idoneam. Contigisse eidem accuratam educationem. Externarum consuetudinum non rudem; nullis factionibus imbutum, nec genio gentis ad eas pronum. Generosæ ad regnandum indolis; ad Martem bene compositum; cælibem, eoque Reginæ maritum daturum; ejus generis & constitutionis, ut ex se successores promittere possit. A Catholica religione non abhorrere, aliisque Principibus occasionem daturum, ut Catholicos clementius habeant. Per eum Daniæ Regnum Poloniæ arcto nexu adjungi; commercia Maris Baltici promoveri. Æmularum in Europa domuum nulli peculiariter adversum, nec plus quam expediat obnoxium; eoque istius electionem nullos affectus ferum tracturam. Maximas familias cognationibus & affinitatibus complexum. Nulli bello implicitum; cui si opus sit e Dania, Saxonia, Holsatia egregios præfectos, militesque contrahere in proclivi sit. Cum peculiarem ditionem non habeat, ejus curam a rebus Poloniæ non distrahendam. Cæsarem, Anglum, Moscum, Belgas, plerosque Germaniæ Principes ei favere: haut temere ullum Europæ Principum ei se oppositurum. Opibus non maximis, ut tamen decore sceptrum adire possit. Polonos quoque hac electione*

1674. *grates Daniæ referre posse ob detractum quondam cervicibus suis incumbentem Sueciæ Regem. Esse magnanimum, liberalem, clementem; pollere ingenio, callere mathesin, linguam Latinam, Germanicam, Gallicam, Italicam. Per biennium Europam lustrasse; nec recusaturum ritus Romanos amplecti, quos tot in regnis florentissimos vidit. Romæ quoque Pontifici reverentiam exhibuisse. Stephanum quoque Bathoreum abdicatis Protestantium scitis evasisse Regem Romanis ritibus addictissimum, nec prudentia minus quam felicitate* 10. Mart. *Poloniæ semper memorabilem.* Jam quoque Neoburgicus Gisium in Poloniam mittebat; in cujus gratiam ut quantum possit faceret Elector Hoverbequio injungebat, summa tamen circumspectione adhibita. Nam quia priore interregno oleum & operam perdiderat, altera vice ludibrium debere haut decebat: & tam obscuro eventu saltem id cavendum erat, ne apud quosdam offensa, apud neminem gratia iniretur. Ast Nobilitas vix amplius decora corporis & animi, sed tantum pecuniam captare, per tributa opibus exhaustis; ac querebatur, hactenus neminem professum, qui de proprio erogare quid possit. Lotharingum seni agnato confidere, sed nobilitatæ avaritiæ; Principem Georgium fratri suo, sed qui ob Suecos ærarium exhaurire non audeat; Neoburgicum Gallo, sed cui, opibus in bellum Belgicum prodactis, nova semper edicta comminiscenda sint extorquendæ pecuniæ. De solo Condæo spes erat, DC M uncialium dare posse, qui & divortium facturus dicebatur, quo Reginam ducere posset, adducta ratione, quod metu Mazarini ad invisum matrimonium compulsus fuerit.

Sobiescius artes suas continuat. §. 74. Ast Sobiescius, etsi Condæo favere crederetur, clientibus tamen suis integrum relinquebat ei sese addicere, quemquisque Reip. maxime idoneum judicaverit. Literis quoque ad conventus provinciales ostendebat; quia in candidatis, qui nomina sua professi sint, haut reperiantur, quæ Resp. desideret, alium circumspiciendum, qui patriam e molestissimo bello per æquam pacem in tutum subducere queat. Per quas ambages quidam suspicabantur Abaffium insinuari, cui tamen tanta Constantinopoli autoritas non erat, ut talia de ipso sperari possent. Sed quia interim ab ipsius clientibus libelli spargebantur, queis Austriaca Domus tanquam omnibus liberis Rebuspubl. fatalis, ejusque cliens Lotharingus atrociter traducebatur, simul omnes in universum candidati, ut petitione desisterent, monebantur; prudentes judicabant; ipsum sibi ad coronam viam munire, quicquid verbis in contrarium protestaretur, præsertim cum eidem de Galli favore per literas cautum foret. Ad quem finem etiam spectare credebatur, quod cum non sine minis, se alias omnia sua munia abdicaturum, accelerationem electionis urgeret, haut eo minus circa omnia, quæ eidem præparandæ facerent, cunctaretur. Qui & ad conventum Lublini indictum tarde accesserat, eoque confœderationem exercitus, quæ metuebatur, non præverterat. Contra pro Carolo Æmilio nulla amplius spes adparebat, ni a Turcis ingens periculum ingrueret. 1674. Nam extra id circa religionem nullum temperamentum, quod conscientiæ Principis satisfacere poterat, sperandum erat. Equidem Hoverbequius, clam laborabat, ut Poloni Electorali Domui coronam offerrent, ostentato in auxilium exercitu XX M constante, quem in præsens nemo alius præstare poterat. De mutatione tamen sacrorum nullum verbum faciebat, quod ea conditio benevolos duntaxat, non item malevolos motura esset. Ac quæ offerebantur auxilia multi elevabant, quod iis alendis facultatem sibi esse negarent; ac melius pecunia sibi consuli. Nam ea præcipue libido erat, alios argento emungere, ac haut eo minus facere, quæ placeant, si fatuos invenire possent. Ita cum novæ subinde difficultates circa unum & alterum surgerent, eventus electionis animo prospici non poterat. 27. Mart. Et ipse Sobiescius valde perturbabatur, cum Palatinatus Sendormiensis decrevisset, ut Nobiles viritim apud Comitia adsint. Unde per amicos suos apud Borussicos conventus instabat, delegatis suis in mandatis darent, ut domum potius revertant, ac Remp. sine capite relinquant, quam ut permittant electionem evocata universa Nobilitate fieri. Alias electionis summa ad Sobiescium & Pacium reditura videbatur. Qui etsi invicem parum fidentes subinde per literas super eo negotio communicabant. Sobiescius inter candidatos semper primo loco ponebat Condæum, inde Carolum Æmilium, ut tamen ostenderet, super aliis quoque cum Pacio sibi convenire posse, excepto Lotharingo. Contra Pacius primo loco Lotharingum, inde Condæum statuebat, modo hic in eum se statum collocaret, ut Reginam ducere posset, ut tamen Sobiescio circa omnes alios gratificari vellet, præter Neoburgicum. Georgius Daniæ Princeps hærere incipiebat, quod præcipue Reio Lublinensi Palatino confisus fuerat, cui apud Sobiescium nulla fides, apud Nobilitatem exigua gratia. Et irrisui fuerat Sestedius, dum apud Pacium Magnum Lithuaniæ Cancellarium disserebat, Lutheranam religionem ad Catholicam propius accedere, quam Calvinianam, quod hæc valde subtilis esset; Pacio regerente; sibi stupido Principe non consuli. Et quia pro Neoburgico nemo prensabat, Lotharingus spem concipiebat, aliis candidatis deficientibus etiam adversos in ipsum consensuros. Demum allatis e Gallia literis Sobiescius palam pro Condæo apud exercitum, & Palatinatus Russicos nitebatur; simul reliquos omnes exclusum ibat. 31. Mart. Lotharingum tribunum Cæsareum, cui nil ditionis; Carolum Æmilium juvenem, nec Catholicum: Neoburgicum pauperem, & adhuc puerum. Dano non pauciora obstare. Igitur solum Condæum superesse, in quo omnia sint, quæ hac tempestate requirantur. Reginæ consuli posse, si Condæo Principi nubat cum pacto aut (quod alii malebant) spe futuræ successionis. Ac Sobiescii uxor in Galliam scripserat; se proximos desperationi esse, quod Gallus Condæum, aut aliquem ex ejus domo haut fulciat.

Frustra

1674. Frustra ab eo Neoburgicum aut Danum commendari, quorum neuter Lotharingi partes librare queat. Solum Carolum Æmilium id posse, si Catholicus esset, & Gallus bona fide pro eo conniteretur, quod Lithuania ei adversetur. Ac Gallicæ factioni addictos testari, se malle Lotharingicis partibus accedere, quam Galli commendatione egenum Principem Regem assumere. His rationibus sperabant se Gallum permoturos, ut Condæum fulciat, cui palmarium momentum additura sit confœderatio exercitus, quæ jam præparata erat, directore quoque designato. Vicissim Pacius plane adversum se Condæo ferebat, quod divortium ejus obtineri non posset, an quod id serio non ageretur. Nec verosimile erat, eum tantam pecuniæ vim pro se solo profusurum, post corona in Contium potius, quam proprium filium transmittenda. Enimvero a Sobiescio in speciem duntaxat Condæus jactabatur, ac is revera pro se ipso nitebatur. Nam quia huic instituto potissimum Reginæ rationes, Pacius Lithuaniæ Cancellarius, & Potocius Kioviensis Palatinus obstabant, Condæi persona adhibebatur, ad invidiam neglectæ Reginæ declinandam. Nam si Nobilitas primum de affectu in Reginam eousque remitteret, ut de uxorato candidato audire inciperet; in collisione partium ope exercitus facile pervincendum erat, quod hactenus tanto studio dissimulatum fuerat. Potocius gravissimo tunc morbo decessurus credebatur; e quo tamen post convaluit. Pacii autoritatem imminuere instituebant, evulgato apud Nobilitatem ejus chirographo super abdicando Rege Michaële, si blanditiis, aut largitionibus nil proficí posset. Lithuanicæ quoque militiæ summus præfectus fidem dederat, se Lotharingo haut suffragaturum; & is alias cum suo exercitu se moturus non erat, ni pecuniam acciperet, quam senior Dux nisi post electionem erogaturus non erat. Ab exteris porro nil oppositionis metuendum erat. Moscus tres milliones offerebat, si Resp. Piastum eligeret. Suecus testabatur, se Piastum malle, quam Moscum, Danum, aut Lotharingum. Gallus jam non obscure Sobiescio favebat, quem & Elector, ac ipse Cæsar Condæo præferebat. Danus quem alias velut tertium & neutri parti addictum propósituri fuerant, fœdere nuper inter ejus fratrem ac Cæsarem contra Gallum inito, viam sibi ad coronam interclusisse arguebatur. Etsi ejus fautores CM uncialium accipere haut recusaturi erant; quorum dimidiam partem II restituerent, tanquam insigne beneficium ultro imputaturi erant. Pro Neo-
7 April. burgico quidem commendatitiæ Galli literæ adferebantur d. 3. Februarii datæ. Sed nec spatium supererat ei negotio digerendo, &, præterquam quod Cæsar acriter se oppositurus esset, nil simul pecuniæ a Gallo literas comitabatur. Nam usque adeo de pecunia agebatur, ut Lessinius Cancellarius, qui alias sat proclivem se in istum ostenderat, protinus aulæ suæ præfectum ad Gisium mitteret duo aureorum millia petitum ad iter Warsaviam instruendum, ac totidem sumtibus ibi tolerandi
cum tamen is revera Condæanis sese partib
addixisset. Et Neoburgici tam exigua rat
habebatur, ut is conventu Lublini inter ca
didatos ne nominatus quidem esset. Adfe
bantur tunc a Condæo literæ, quibus signi
cabat; sibi ob memoriam prioris ignomini
ac deceptionis haut placere coronam ambir
si tamen ea sibi unanimi electione deferat
eam non recusaturum; plerisque eo fastu i
dignantibus. Haut eo minus ipsi addicti
ctabant: a majoribus sibi relictum, sumn
commendationis instar habendum, comme
dationem non habere; ac honore dignissim
qui cum eum mereantur, non ambiant. U
de & Lotharingici dejerabant, Cæsarem
Principis causam non agere, ac non nisi A
gustam viduam pro filia solicitum se exhiber

§. 75. Hac rerum facie cognita Elect
Hoverbequium hisce mandatis instruit: S
circa hanc electionem nil aliud curæ esse, quam
Resp. ejusmodi Regem sortiatur, qui ei bene p
sit, cum vicinis amicitiam colat, horumque au
lio Regnum summo periculo expositum pace ac
stino splendori restituat. Unde is quavis occa
ne testaretur, Electori parum gratum auditu a
dere, in candidatis magis pecuniam, quam al
sceptro dignas artes respici. Si virtute & p
dentia insignis Rex eligatur, opes non defore s
vandæ Reipublicæ, cui tali Rege longe melius c
sulatur, quam pecunioso aliquo, vicinis æmulat
nem injecturo, nec morbis Reip. mederi idon
Quia autem ea res Cæsarem quoque & Suec
tangat, cum horum ministris, ac præcipue cum
sareis consilia conferret, quomodo Gallici Princi
aut a Gallo pendentis electio tuto impediri qu
Id quod ipse judicet non per publicam exclusion
sed tecte faciendum; tum ut de remediis cogitet
si Gallica factio per vim destinata sua pervincere
netur. Exteros quod attinet, se judicare Dan
etsi ut ipse ei obstet causa non sit, corona potiri h
posse, quod Suecus omnibus se viribus ei sit oppos
rus, quem offendere, ac plures in se hostes irri
re Poloniæ in præsens consultum non sit. Igi
præcipuos candidatorum videri Lotharingum, &
niorem Neoburgicum. Utrumque sibi gratum
velut per quos Regina Regni consors retineri qu
quæ merita sit, ut ipsius ratio habeatur. Apu
trumque reperiri, quæ Reip. non parum emolun
ti polliceantur. Lotharingum prudentia pollere
& in proclivi sit futurum Polonorum se ingenii
temperare, eorumque animos suavitate morum
devincire. Esse peritum multarum linguarum
bere usum rei militaris. Post electionem ab a
to pecunia sublevandum. Lotharingia dein
utique potiturum, unde reditibus ejus mul
accedere possit. Nec esse quod Resp. metuat,
plus justo Austriacis addictum fore. Nam
terquam quod ita ingenio polleat, ut ab a
consilio dependere haut necessum habeat, ac
suique Regni rationes unice sit consideratu
Cæsarem quidem ejus promotioni non adver
rum, nec tamen adeo enixe pro eo laboratu
Jam autem Electoris juxta ac Reipubl. inte
ne Rex a potenti domo dependeat, ac exa
mus juramenti sui legumque patriæ observato

1674. *In Neoburgico quoque præclara multa reperiri. Nam juvenem quantumvis judicio sat maturum ferri; probe educatum esse, aliquot linguarum peritum, & cui facile sit futurum Polonicam linguam addiscere. Post electionem quoque militem ac pecuniam non defore; ac patre mortuo egregiis provinciis potiturum, quorum reditus coronæ non mediocri levamento sint futuri; ac ob ætatem adhuc flexilem facile se moribus Polonicis accommodaturum. Igitur Hoverbequius ita se gereret, ut uter horum corona potiatur ipsum arguere nequeat, velut ejus electionem insuper habuerit, aut pro altero plus connixus sit. Atque eadem circumspectione uteretur, si neutri horum quid spei superfit, ut quisquis demum diademate potiatur, queri nequeat, se ipsi impedimento fuisse; sed quantum fieri possit, ubi de eligendo constiterit, ita se gereret, ut hic ipsi beneficium debeat. Ne Piastum quidem sibi displiciturum, modo is ipsi Reip. suspectus non sit, tanquam per factiones, sinistras artes, aut exterorum opem invitæ obtrusus. Eas ob causas legatus neminem publice, uti antea, commendaret. Si tamen utique publice super electione verba facienda sint, oratio potissimum constaret voco pro felici electionis successu, testatione de sua amicitia, ac officiorum oblatione; tum ut artes eligendi ita describantur, ut id commodo iis cedat, quibus ipse diadema optet. Ni forte proceres inter se in eligendum conspirent, ac ipsi cupiant, nostra recommendatione negotium promoveri.* Quæ omnia legatus pro sua dexteritate judicaturus sit; cui id præcipue respiciendum sit, ne futurus Rex exprobrare possit, ab ipso impedimentum sibi allatum; saltem caveat, ne quorundam offensam incurrat, apud neminem gratiam ineat. De cætero Evangelicorum causam tueretur, ut quæ hactenus in eorum fraudem facta sint, aboleantur, priori libertate ac privilegiis restitutis; quod ea res Evangelicos Principes permotura sit, ut eo libentius Reip. contra Turcas auxilium ferant. Adderet; cum ipse jam iterum suis sumtibus Reip. non spernendas copias auxiliares miserit, eo iniquius esse, post tot edita sinceræ amicitiæ specimina se adhuc suspicione onerari, aliquid scævi a se in Remp. strui per copias nuper in Borussiam missas. Quod & Senatores quidam ita sinistre interpretati sint, ut scripserint; eas copias tantum in fraudem Regni venisse, quibus obsisti par sit; cum tamen necessitate urgente eo promtius per istas Reip. subveniri queat. Si quid super supremo Borussiæ imperio moveatur, legatus id declinaret. Si & forte de oneribus e militum hospitiis in Borussia ortis mentio fiat, ista temporum iniquitate excusaret, quæ talia imperet; ac si quid circa ea confusionis obtigerit, ipsos Ordines in culpa esse, qui ultro necessitati se attemperare noluerint.

Cum Neoburgico super rebus Polonicis acta *11. Jan.*

§. 76. Cæterum Elector, cum tam enixe antehac pro Neoburgico impensa opera frustra fuisset, in præsens minore ambitu rem gerere instituit, in neminem eminente studio ostenso. Unde cum Neoburgicus ipsius commendationem pro filio sedecim annos nato peteret, si quidem Carolus Æmilius diadema non affectaret; respondebat; Quia Cæsar Lotharingo faveat, cui & in Polonia factio sit, simul de Gallico candidato jactetur, se prius habitus animorum ibi exploraturum, ac ulterius cum ipso communicaturum. Scribebat inde Neoburgicus: Lotharingum Regno haut potiturum ob validam factionem ei adversam. Gallum quoque neminem suæ nationis commendaturum; sed pro ipsius filio ad Sobiescium, & Morstinium Thesaurarium scripsisse; ac se Bernhardum Gisium, ac Henricum Theobaldum Goldsteinium in Poloniam missurum. Suecum quoque pro ipsius filio studium promisisse. Igitur denuo eundem commendari petebat, siquidem Carolus Æmilius coronam non ambiat, cui libenter cedere velit. Ad quæ Elector; de filio suo parum se cogitare, utut a compluribus spes sibi fiat, ejus rationem habitum iri. Sed quia res Poloniæ confusæ, animique ita distracti sint, ut nil solidi adpareat, cui consilia superstrui queant; igitur caute sibi agendum, ac sensa animi nondum pandi posse; quod priore electione ita sinistre sit acceptum, tam longe processum fuisse. Se tamen Hoverbequio injuncturum, ut Gisio fideliter adsistat, ubi liquidius rerum ibi habitus inspectus fuerit. Reponebat Neoburgicus; eam ipsam ob incertitudinem neminem se legati cum dignatione in Poloniam voluisse mittere, ne se prostituere. Has porro sibi e Polonia conditiones propositas ut post electionem quatuor milliones florenorum Polonicorum exercitui solvantur; ut sequentibus duobus annis bini milliones e propriis aut Regiis reditibus exercitui numerentur: ut decem peditum millia contra Turcam præbeantur: ut Caminiecia, si a Turcis recuperata fuerit, munitionibus firmetur. Priores conditiones per iniqua temporum nunc a se præstari non posse; sperare tamen Electorem ac Suecos circa militem sibi adfuturos. Pecuniæ quantum possit mutuo sumturum. Missus inde in Poloniam Stratemannus in itinere conventionem priorem renovabat, quæ nunc in ejus filium primogenitum Joannem Wilhelmum aptabatur. Ea conventione Elector promittebat, se huncce commendaturum, una tamen cum Carolo Lotharingiæ Duce, qui & ipse id desiderarit: idque partim quia huic insuperabiles difficultates obstare videantur; partim quia e Polonia significatum sit, facilius se scopo suo potiturum, si duos candidatos commendet. Cæsaris quoque favorem ab utroque ambiendum; nam Gallum suam commendationem jam promisisse. Quia etiam probabile sit, Remp. a futuro Rege copias contra Turcam stipulaturos, Elector aliquot peditum millia, quingentos insuper equites, totidem dimachas præter auxilia Reip. ex fœdere debita promittebat: tum se CM uncialium de Elbingensi debito remissurum. Si Electio ab quopiam vi impugnetur, pari numero subventurum. Vicissim Neoburgicus gratum animum & amicitiam promittebat, tum pacta sancte observanda, nec ut alii eadem violent permittendum. Item ut Elector idoneo Vistulæ transitu potia-

1674. Potiatur, ac quod domui suæ competit, jus indigenatus nullo contradicente exercere possit. Ut agnati Franconici extincta familia Electorali in Ducatu Borussiæ succedant cum jure supremi imperii, si ullo modo fieri possit; utique autem sub conditione feudi, uti priores Borussiæ Duces eam possederunt. Ut Evangelicorum jura ac privilegia sarta tecta præstentur juxta constitutiones Regni, ac uti ante pacem Olivensem in usu fuerit. Insuper Ravesteinam cedendam, ac veredariis hinc inde in Borussiam liber transitus per Polonicum territorium concedatur. Eadem præstanda, si pater eligatur. Si Electio non succedat, eum tractatum supprimendum. Subscripserant Suerinus, Somnicius, & Stratemannus.

Cum Lotharingo super eodem negotio acta. 12. Jan. §. 77. Nec minus Lotharingus ab Electore commendari petierat, amplissima quæque vicissim pollicitus. Cui Elector de suo affectu testabatur, & eum diademate dignum, quo & potiri eundem optet, ac suo tempore quantum posset operæ collaturum. In præsens tamen sibi adhuc quiescendum. Nam si præmature sententiam suam promat, ac res secius cadat, Duci nil profuturum, in se gravem offensam tracturum, uti priore electione factum. Igitur sibi expectandum, quoad id negotium penitius sibi exploratum sit. Et eousque petebat, Ducem legatione ad ipsum supersedere. Crocovio Viennam super hoc negotio id mandatorum dabatur: Sine dubio Cæsareos ultro super Polonica electione moturos, quod & sibi gratissimum sit futurum. Eo casu diceret: uti Cæsaris non minus quam Electoris intersit, Regem Poloniæ eligi, qui suspicionem vicinis haut injiciat, ac veterem Reip. statum conservet; ita gratum ipsi fore, si Cæsar sententiam suam super eo indicare velit. Famam esse, Cæsarem Lotharingo favere; nec Electorem, ut huic diadema invideat causam habere; potius eum ob insignia merita magni facere, nec ingratum fore, si is per unanimem electionem illo potiri queat. Enimvero notum, quantum suspicionis Poloni nupera electione apricati sint, cum unus & alter ipsis commendaretur, ac uti jam tunc Lotharingus plurimos qui contraniterentur senserit; qui & nunc eidem metuendi sint. Igitur nosse velle, qua ratione Cæsar officium pro Lotharingo interponere decreverit, quo Electori judicare liceat, an & ipse circa hoc negotium operæ pretium facere queat. Adderet; multos in Polonia & Brandenburgicam Domum, & Neoburgici filium respicere. Utroque casu Electori non modica emolumenta exposita. Nec dubitare, quin Cæsar rem eo deducturus sit, ut si Lotharingi causa isti amplectenda sit, quid eidem ab hoc expectandum prius constet. Sane ipse Lotharingus misso Alberto Caprara Comite prolixe pollici-
19. Febr. tus fuerat. Ita Crocovius de Polonico negotio laxis verbis rerum in Imperio & vicinia agitaturum tangebat. Quod statim a ministris Cæsareis arreptum; inter Cæsarem & Electorem de compacto agendum. Goësium proponere jussum, ut conveniatur super promovendo Principe, qui vicinis gratus sit, ac suspectis excludendis. Cæsarem nondum super certo candidato decrevisse, cui fauturus sit. Equidem Cæsari causam esse, ut Reginam, & ejus intuitu Lotharingum respiciat. Sed quia res a Polonorum inclinatione pendeat, qui animis turbidi in diversa distrahantur, nil adhuc certi a Cæsare statui potuisse. Propediem tamen cum Electore consilia collaturum. Alias metus erat, ne Sobiescius clandestinis artibus coronam pervinceret. Neoburgico juniori debilem factionem, ac exiguam spem esse. Ejus patrem Cæsari confirmasse, se invito Cæsare coronam haut ambiturum; ac omnes amicos, operamque in ejus usum accommodaturum, qui Cæsari gratissimus sit. Sed Cæsarem isti nil promisisse, ne in eum quidem casum, si Lotharingus omni spe evolutus fuerit; id quod nondum factum sit. Denique serum esse super hoc negotio agitare, ac propediem de facta electione nuntium adfore. Certum quoque Germaniæ Principem Cæsaris commendationem ambiisse, qui sacris mutandis paratum se diadematis pretio tulerit. Danico ministro pro Georgio Principe Cæsaris favorem expetenti responsum; eum Principem Cæsari non ingratum; sed hunc Lotharingo jam studium promisisse. Idem & Neoburgico respondebatur; addito, Cæsari haut placere, istum tantopere a Gallo dependere, ac ingentia destinata in fraudem domus Austriacæ meditari. Quin aula Cæsarea Danum aut Piastum malebat, quam Neoburgicum; quod Cæsar nullo modo eundem cum Gallo commendare posset. Istum ab initio hujus quoque interregni Galli favorem ambiisse; unde Cæsaris rationibus repugnare eum Regno potiri, quid id soli Gallo in acceptis sit relaturus. Apud quem & Galliæ rationes, & Furstenbergiorum consilia altas nimis radices egerint. Mirum esse, Principem ea prudentia Gallo tantum fidei adhibere, a quo non semel tam crasse deceptus sit. Sane magnis eum commodis, insigni spe duci oportere. Palatinæ Domus magnitudinem omnibus Principibus merito suspectam esse debere, præsertim cum eadem Neoburgici instinctu tam secreta & altius penetrantia consilia agitet, ut ipse Palatinus Elector iis misceri nolit. In quæ & Electori ob Sueciæ ac Neoburgici viciniam maxime sit respiciendum. In universum autem Cæsarei omnes candidatos excludendos censebant nativitate Gallos, aut a Gallis commendatos etiam Piastos, ac inprimis Sobiescium, qui in Galli gratiam impedire neglexerit, quo minus Caminieciæ cum extrema fame jam luctanti annona inferretur.

Confusa interregni facies 12. April. §. 78. Interea Poloniæ res inter diversa studia, cœcasque artes trahebantur, obscuro adhuc exitu. Lithuaniæ Strategus Patius ingentem erga Piastum aversionem præ se ferre, ac ne Elector ei faveret dissuadere. Nam frustra eum metuere, ne si corona potiatur, qui a potente vicino dependeat, is oppressa libertate vicinis prægravis evadat. Ordines quippe nunquam concessuros, ut Rex alteri bellum proprio ausu inferat.

1674. ferat. Idem autem ne consensu Reip. fiat, unicum Nuntium Terrestrem sua intercessione impedire posse, qui vicinis nunquam deesse queat. Idem quoque periculum a Piasto, quam extraneo metuendum; ac Michaëli vires magis quam voluntatem defuisse, quo minus vicinorum pacem turbaret. Is Pacius Lotharingo addictus Neoburgicum aversabatur, etsi istius ablegatum humaniter exceperat. Contra Sobiescii uxor Bellocampio Lotharingico ablegato responderat: Principem Lotharingiæ a se magni fieri; sed eum sero venire, cum ipsa addictam Galliæ fidem retractare nequeat. Id altius penetrabat, quod delegati exercitus ob non soluta stipendia quæstoribus Lublini militiam renuntiaverant, denuntiato simul, se nunc velut sacramento solutos nobiles triginta sex millium numero electioni adfuturos, ac Sobiescio velut patrono suo suffragia sua delaturos, ei danda, qui stipendia ipsis persolvere queat. Pacius contra armata Nobilitate confidebat; simul Moscjam potendam illi minabatur, qui periculum sibi intentare, aut Reginæ commoda negligere auderet.
14. April. Ast Neoburgici causa somnolenter admodum agebatur. Literæ a Gallo nondum exhibitæ erant, cum adhuc ad electionem sextiduum restaret. Equidem e Gallia scribebatur; Condæum haut sese candidatum professurum ob valetudinem & senectam, ac satis habere primum Regii sanguinis Principem in Gallia agere; quam dignationem cum Polonico diademate permutare nolit. Unde Regem Galliæ Furbino Massiliensium Episcopo injunxisse iter accelerare, fulciendo apud instantem electionem Neoburgico. Sed nondum vel unicus Senator reperiebatur, qui ejus debilis adhuc factionis caput se nominare volebat,
Gembicki præter Gembiccium Cujaviæ Episcopum, qui & ipse tamen ob senium omnibus in negotiis frigebat. Ac judicabant prudentes eum melius fuisse facturum, si velut tertium se inter æmulas partes, Gallicas & Austriacas tulisset, quam quod nunc velut Gallicus candidatus Austriacis opponeretur; aut si Gallus palam pro Condæo, vel Contio, clam pro isto laborasset. Sed & perspicacissimo cuique fides haut fiebat, Massiliensem Præsulem venisse, ut pro solo Neoburgico bona fide rem gerat; sed potius id prætextum adhibitum, ut sit, qui Regnum continuis motibus exercitum teneat. Nam tantum pecuniæ non attulisse, quantum promovendæ electioni sufficiat; sed turbandæ Reip. vel C M florenorum sufficere. Quanquam etiam Gallus Regi Sueciæ confirmasset, sibi non in animo esse ullum e domo sua promovere, sed omnem operam pro Neoburgico impendere: tamen legato suo injunxerat Galliæ addictis significare; inter candidatos Regi cognatione proximum eundem gratissimum fore. Tum ut Lotharingus, & Danus ob fœdus cum Cæsare ac tertius alius excluderetur. Idem legato Polonico Opackio auxilium ipsius contra Turcam petenti dixerat; Se mirari, eodem tempore, quo in Polonia circa inimicum suum solio imponendum satagatur, auxilium a se peti. Sed si gratum sibi Regem eligant, pecunia & milite Reip. se adfuturum. Secus si fiat, non modo Turcas & Suecos, sed & si fieri possit ipsum Cacodæmonem Reip. immissurum. Quæ minæ, simul operosæ pro Condæo machinationes Polonos valde irritabant, ut Strategus Lithuaniæ doceret; se malle noxiam cum Turcis pacem promisso tributo annuo inire, quam ejusmodi insultationes a Gallo tolerare. Inter hæc reliquis candidatis non parum æmulationis excitabat, quod Carolus Æmilius ubique omnibus aliis præferretur, si religionem mutare vellet. Etsi Gisius protestaretur, Neoburgicum id diadema magis isti, quam proprio filio optare. Legatus quoque Cæsareus, qui alias pro Lotharingo palam nil movebat, omnem operam pro isto se interpositum confirmabat. Cui Hoverbequius reponebat; nullo officio opus fore si obstaculum religionis e medio remotum foret. Sestedius contra jactabat: ab Electore nil offerri posse, quod ipse non quadruplum præstare possit. Qui & cum Berolini in itinere pernoctasset, ausam non adierat, nec Electorem salutaverat. Suecus quoque aliquando jaciebat; non modicam vicinis suspicionem posse injici, si Polonia cum Electoratu, ac tot aliis provinciis in eodem Principe uniatur. Interim cum Lotharingica & Condæana factio indies magis inter se exacerbarentur, ut demum res in cædem eruptura videretur, multi in Danum flectebant, tanquam medium inter æmulas Europæ domos. Sed quia Sestedius intra duos menses ad propositas conditiones neque idoneum responsum, nec procuratorium, aut justa mandata acceperat, nemo non dubitabat ejus studium palam profiteri, sic ut ejus causa propriam per culpam pro desperata haberetur. Etsi is jactaret, literas collybi integros in milliones Gedani in promtu jacere. Interrogabant tunc Hoverbequium nonnulli: num in mandatis habeat declarare, Carolum Æmilium si eligatur, decrevisse sacra mutare. Quibus iste respondebat: talia se mandata nunquam accepisse. Sed si unanimis electio sequatur, temperamenta reperiri posse, ut & catholicæ religionis securitati caveatur, & Principis conscientia ne vulneretur. Quo responso accepto isti indignabundi discedebant; frustra se hactenus Principis conversionem expectasse. Esse primariam status sui legem; Rex Catholicus esto. Daniæ Regem longe minus postulasse, ut fratrem eligant, se sponsore, eum utique Romanos ritus amplexurum; neq tamen per conscientiam se eam conditionem admittere potuisse. Multo minus Electoralem Principem sub incerta, quin impossibili conditione eligere sibi fas esse, cum in negotio religionis temperamento locus non sit. Inter ista ancipitia Cæsarei probatam Electori viam insistebant, ut circumspecte procederent, nec eminentis quid favoris pro quopiam ostenderent. Qui & plane Neoburgico adversabantur, velut qui non solum a Gallo, sed & a Sueco dependeat; & efficacius quam Turennius Electorem moverit, ut a Cæsare se dissociaret.

 Hover-

1674. Hoverbequium autem Lotharingus juxta ac Neoburgicus urgebat, ut suam causam publice amplecteretur. Sed ille istum repellebat, se non plus, quam Cæsarei, facere posse; hunc autem, non plus se, quam ipsum conniti posse; cum tamen Neoburgicus irrito conatu nihil amittat; Elector autem eo casu molestum vicinum accepturus sit: præsertim cum omnia instabilia sint. Nam prima convocatione Lotharingum voto potitum visum. Post provincialibus conventibus Danum velut medium maxime idoneum visum. Nunc neminem propiorem haberi Suessionense, cui qui faveant, ne a Gallo pendere videatur, Thomam Sabaudiæ Principem vocari, ac potius a Bavaro, quam Gallo commendari velle, etsi hic isti non minus quam Contio faveret. Unde & Schafgotschius, cum adpareret Lotharingum pervincere non posse, jactabat; Suessionensem se malle, quam Neoburgicum adversus quæ Elector demonstrari jubebat: Se quidem ut Cæsari circa Lotharingum gratificaretur, Condæo obstitisse. Ast si suæ nunc rationes insuper habeantur, ac perinde sit, quis demum corona potiatur; sibi quoque alia consilia capessenda; ac fortasse utilius sibi fore Condæum promovere, quam Suessionensem. Ac eo gravius id sibi accidere, quod ideo Neoburgicus junior excludendus jactetur, quia pater apud Gallum sibi operæ quid navarit. Eo modo si Cæsarei efficiant, ut Gallicus Princeps diademate potiatur, necessitatem sibi allatum iri, Gallicas rationes, quibus hactenus obstiterit, deinceps fulcire. Nam sibi Rege Poloniæ amico opus esse. Ac se fidem suam interpositurum, Neoburgicum Cæsari amicitiam suam satis adprobaturum.

Sobiescius Warsaviam venit. *4. Maji.* *22. Maji.*

§. 79. Inter hæc Sobiescius diu expectatus Warsaviam accesserat; cujus adventu Condæana factio cristas erigebat. Lotharingicis non parum perculsis. Is cum Hoverbequium inviseret, dicebat: nondum se certi quid decrevisse, sed a Gallis & aliis proponenda prius auditurum; simul laboraturum, ne Electoris jura labefactentur, ac ut a Rep. tantum in eo fiduciæ reponatur, quo futurus Rex fortunam suam ipsi potissimum debeat. Pridie istius dicens ex Hoverbequio quæsierat; num Elector, si Sobiescius eligatur, milite ipsi adstiturus sit? Cui quidem is nil aliud responderat, quam super eo nil se in mandatis habere. Sed cum facile adpareret, quo ista tenderent, jam is Sobiescio testabatur: Electorem, ac reliquos vicinos eo fastigio ipsum dignissimum judicare, idemque ex animo eidem adprecari. Quæ ista magno cum honoris ac devotionis testatione accipiebat: sed simul asseverabat, id neque sibi congruum, nec Reip. proficuum judicare. Suadebat quoque, ut Hoverbequius ad Ordines verba faceret laxissimo sensu, nec ad singularia descenderet. De Carolo Æmilio dicebat; Nullo modo probari posse, tam splendidam conditionem, qualis intra aliquot secula forte occursura non sit, ob religionem repudiari. Non tamen reprehendi posse, quod Elector dixerat: si Princeps ante annum in Romanos ritus transiisset, videri potuisse, id impulsu conscientiæ factum. Sed nunc neminem crediturum, quin diadematis ac Reginæ gratia id susceptum sit. Idem in Neoburgicum nil inclinationis ostendebat, quod Resp. hoc statu Principem requirat, qui per se imperare, ac præsentem inopiam insigni pecuniæ summa sublevare possit. Spem quoque esse Lithuanos Lotharingi favore depelli posse, ut tamen nunquam in Neoburgici partes pertrahendi sint. Gemina legatus Gallicus disserebat: se publice omnia pro Neoburgico facturum. Id si non succedat, circa excludendum Lotharingum laboraturum. Ac sane post Sobiescii adventum tota fere Polonia Lotharingo se adversam declarabat. Haut eo minus hujus legatus Comes Taffius bis apud Sobiescii uxorem institerat; ac prima quidem vice citra promissa. Ad quæ ista Ducem laxioribus verbis laudare, semper tamen protestata; cum is magno Galliarum Monarchæ, cujus subdita quod sit ipsa summæ sibi gloriæ ducat, submittere se nolit, in ejus gratiam sibi nil integrum esse facere, nec verbum pro eo apud maritum facturam. Sed cum altera vice C M uncialium offerret, ac partem Lotharingiæ, feudi lege ab Imperio pendentem, quam Principatus dignatione Cæsar insignire possit, præter alia beneficia & emolumenta; non sine irrisu eum dimittebat; pecuniæ se haut egenam; ac si necessitate prematur, a potentissimo suo Rege hæreditario haut deserendam. In Imperio Principatum possidere sibi haut placere, postquam perspexerit, quomodo cum Imperii Principibus agatur. Se quidem Polonos, qui dignatione Principum Imperii macti sunt, sedulo monere, ut summa cum diligentia in Cæsaris sanitatem bibant, ne cum Wilhelmo Furstenbergio captivitatis sortem subeant; ac ut contra aulam Cæsaream ne quidem hiscant, ne idem quod Nadastus & Serinus experiantur. De gratia successoris securam se esse, quod maritus suus in eo statu sit, ut ea ipsi deesse nequeat. Ipse autem Sobiescius, tum exercitus, & plurimi Poloni palam fremebant, se malle vitam aleæ exponere, quam in Lotharingi electionem consentire. Ast legatus Gallicus, etsi in publico egregie pro Neoburgico dixerat; animadverti tamen non potuit, aliquem e Gallica factione in ejus partes transiisse. Cæsareus quoque legatus in mandatis acceperat, ut, Condæo excepto, nullum candidatum Neoburgico nocentiorem haberet, a Gallo juxta ac Sueco pendentem, ac vasta in Domum Austriacam consilia agitantem. Danum autem non minus gratum fore, quam Lotharingum. Ex quo spes Sestedio redibat; qui & apud Hoverbequium excusabat, eo tempore, cum Berolinum transiret, nil se adhuc mandati super eo negotio habuisse. Sed Sobiescius in Danum, velut a Gallo haut commendatum, minus inclinationis, quam in Neoburgicum ostendebat, etiam eum in casum, si Condæus corona excidisset, quem ante omnes sibi cordi esse ferebat. Sed nimirum indies magis pellucebat, ipsum 1674.

dia-

1674. diadema sibi captare. Quo casu Lithuani fremebant, se electo Lotharingo conjunctionem cum Polonia abrupturos. Ea res Hoverbequium movit, ut Sobiescio testaretur, si electio Piastum tangat, neminem Electori quam ipsum gratiorem fore. Ac confidere semper eum propensi in ipsum animi memorem fore, ac sinceram cum ipso amicitiam culturum. Ad quæ vicissim iste amicissima quæque reponebat. Imminente jam electionis die Neoburgicus VIM militum offerebat, ac septem milliones quinquaginta millia florenorum Polonicorum; pro quibus, ut Hoverbequius nomine Electoris fidejuberet, Stratemannus postulabat, tum ut publice Principem commendaret. Quorum utrumque is recusabat, quod tunc iis, quæ pro Sobiescio facta erant, gratia decessura fuerat, velut simulatis. Ac Hoverbequius Neoburgici spem in uno Sobiescio collocarat; qui si suffragia sua huic cessisset, Electori quoque tutum erat pro eo publice conniti. Sed cum id non fieret, manifestum erat, eum coronam sibi, quam alteri malle. Unde satius erat, eum sibi devincire, cui successus spes, quam pro alio incassum niti. Sestedius nomine Principis Georgii tres milliones vulgaris monetæ, libertatem commerciorum in Regno Daniæ, V M militum cum stipendio in sex menses offerebat. Super Catholica religione certi quid declarare non posse. Sed esse sat Episcoporum & Theologorum, qui eum informare ac convertere possint. Insuper ejus opera bonam pacem cum Mosco curandam. Nomine Suessionensis, quem Thomas Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis filius ex Olympia Mancinia genuerat, octodecim annos tunc nati offerebantur duo milliones, pro quibus certi mercatores fidem interpositurи erant, & quinque peditum millia. Post matris obitum Comitatum Suessionensem in eum devolvi, qui quinque millionibus vendi possit. Denique Renaldi Mutinensis Ducis legatus Alexander Belentanus literas collybi in quingenta aureorum millia ostentabat. Is Princeps post per literas Electori gratias agebat pro favore, quem hic per Hoverbequium erga Domum Estensem declarasset.

Joannes Sobiescius Poloniæ Rex eligitur. 19. Maji. §. 80. Enimvero omnes exteri candidati non minus nunc, quam priore electione operam luserant, etsi minore argenti dispendio. Nam cum ad suffragia ferenda accederetur, plerique Poloni ac pars Lithuanorum Joannem Sobiescium Regem nominabant, non paucis licet contradicentibus, ut per eum diem electio absolvi non posset. Ac Lotharingica factio protestationem in judicium aulicum deponebat, qua omnia nunc acta irrita declarabantur, quod obstante ipsorum dissensu, & ante abolita *exorbitantia* acta sint; & quia Sobiescius per suffragia ipsi data candidatus evaserit, eum ideo consessu publico excludendum; simul Piasto Lithuanicum opponendum fremebant. Ea spe canditatorum legati quinquaginta millibus uncialium amplius emungebantur. Haut eo minus isti sequente luce *9. Maji.* reliquis sese adjungebant, ut demum Sobiescius nemine contradicente Rex proclamaretur. Is offerebat, se pacem cum Turcis, & securitatem a Cosaccis curaturum; tum sex militum millia usibus Reip. præbiturum, & exercitui sex mensium stipendia donaturum. Compertum est, legatum Gallicum, utut publice Neoburgicum commendaret, totamque factionem Gallicam sub Condæi prætexto pro Sobiescio laborasse. Nec iste lætitiam dissimulabat, testatus Regem Galliæ ob hanc electionem Reip. eadem emolumenta repræsentaturum, quæ Condæo electo ei destinarit. Stratemanno novus Rex per Vexilliferum coronæ denuntiabat: se extremis viribus pro Neoburgici filio connixum. Sed quia perspexerit, Numinis voluntate sibi coronam destinari, ei resistere fas non fuisse. Neoburgico tamen amicum victurum, & moriturum. Exitus ostendit, Hoverbequium prudenter fecisse declarato Electoris in Sobiescium studio, & hujus aliorumque suasu omissa publica propositione. Nam si Neoburgicum commendasset, Lotharingus offendebatur, ac vice versa. Si autem laxioribus duntaxat verbis usus esset, quæ in utrumque cadere poterant, uterque questurus erat, quod contrariis se rationibus niti contenderent. Piastum commendare, quem multi Palatinatus excluserant, haut docebat. Contra Sobiescius silentium pro commendatione acceperat, ac Hoverbequio dixerat: in tempore tacere nosse non minorem laudem esse, quam ornate dicere; eoque nomine Electori se valde obstrictum profitebatur. Simul ejusdem officium expetebat inter se & Lithuanos; quo tamen opus non erat, postquam hi ultro in eum Regem consenserant. Idem ultro in Lithuanos cavillabatur, Lotharingicam factionem contra voluntatem suam Regem ipsum fecisse; dum neque a Lotharingo desistere, neque propositionem de Neoburgico admittere volunt. Eo quippe casu nullum sibi accessum ad coronam fuisse. Ac jam Cæsarei ministri sero querebantur, suam aulam Electoris consilium haut secutam, & cum Lotharingum pervinci nullo modo posse adpareret, Neoburgicum fovere noluerint. Ac ipsi Lotharingici adhibitum ab Hoverbequio agendi modum probabant, postquam Elector præviderat, ei Duci per civilia remedia ad coronam accessum non esse. Scilicet is longo cum Polonis usu didicerat, verborum humanitate horum destinata haut metienda; ac ni quis ultro suggerat, quomodo procedendum sit, aut sibi suisque amicis quid stipuletur, ita ut emolumentum ipsius cum eo negotio sit conjunctum, ejusque amici idem loquantur & promoveant, nemini eorum fidem habendam. Enimvero Regina Maria Anna hac electione tantum dolorem conceperat, ut in lecto decumberet. Quæ & initio offensæ quid præ se ferebat, discessum suum minata; qui tamen præsenti Reginæ nec tædii quid, nec damni allaturus erat. Sed post ejus ministri mollius loquebantur de expediendis ejus reditibus, & sede Gedani aut Thorunii constituenda. De hujus

1674. *21. Maji.*

1674. jus connubio cum Carolo Æmilio Petrus Ronquillus legatus Hispanicus post proponebat; id quod Hoverbequius ideo fieri judicabat, ut hoc modo ejusdem nuptiæ cum Rege Hispaniæ elu derentur, promovendo cum Infante Portugalliæ connubio, ac per id duabus istis coronis combinandis. Ipsum quoque Cæsarem hæc electio non parum perturbabat; præsertim cum Schafgotschius Sobiescium se invisentem ad summas duntaxat scalas deduxisset, hoc valde indignante. Atque iste quidem facta electione offensæ quid præ se ferebat; sed mox a Cæsare exquisitissimis verbis gratulatione defungi jubebatur. Cæterum Polonici Palatinatus ad eum eligendum amore & æstimatione, non uti prius, inconsulto impetu permoti fuerant. Lithuani, qui initio se opposuerant, post cedebant, sed non ita repente, ut dici posset eum casu Regem factum, sed nec ita tarde, quin divinus instinctus sentiri potuerit. Electori hæc electio, quantumvis inopina, admodum grata erat, ob amicitiam semper cum isto cultam, & quia capax gubernando Regno erat. Ac nondum licet significatione facta literas gratulatorias scribebat, idque officium Hoverbequium obire jubebat: addito ut hic super die renovandis pactis, ac feudo Lauenburgico & Butoviensi constituenda moneret, ac circa designationem loci caveret, ne is ritus Warsaviæ alligatus videretur; ac ne debiti Elbingensis memoriam silentio obliterari pateretur.
26. Maji. Ad gratulationem expromendam Hoverbequius solenni ritu receptus est. Rex vicissim omnem amicitiam pollicebatur, ob sui electionem Electori se magnopere obstrictum professus. Quod idem non minus quam Regina passim magno cum verborum honore agnoscebat.
2. Jun. Movebat dehinc Elector super jure suffragii, circa electionem Regum Poloniæ sibi competente. Nam id se in Uladislai electione exercuisse: Joannis Casimiri electione cum id non admitteretur, protestationem interposuisse. Ei juri Senatorum præcipui contradicebant, quod valde periculosum id sit tam potenti Principi concedere, præsertim per supremum Borussiæ imperium a Rep. Poloniæ separato. Sed Rex disserebat: Si Electori placeat Remp. bello petere, in proclivi fore prætextum invenire, si maxime jus suffragii in dubium vocetur: imo eam ipsam solicitationem semel concessi juris ansam bello præbere posse. Circa id unum se hærere, quod suffragium ad jus feudi pertinere videatur, & hoc sublato istud quoque expirasse. Hoverbequius autem demonstrabat; pactis Bydgostiensibus Electori de prioribus juribus ac prærogativis nil detractum, sed potius omnia & singula quantum potest efficacissimo modo confirmata fuisse. Regis quoque Bohemiæ supremum imperium cum suffragio in electione Cæsarum ferendo citra controversiam consistere.
11. Jun. Nec eo minus servando Electoris juri Hoverbequius hujus suffragium pro eligendo Rege Joanne ei ipsi offerebat, ut tabulario Regni insereretur. Quod Rex facturum se promittebat, præsertim cum id non solum propter argumentum, sed & quod a tam magno ac potente Principe proficiscatur, sibi admodum honorificum sit. Reges quoque nunquam, sed tantum Remp. super eo controversiam movisse. 1674.
Idem quoque ab Episcopo Cracoviensi acceptabatur: sed qui in testimonio, quod ejus nomine reddebat, id *quasi* suffragium nuncupabat quod acceptarit *non quasi de jure concessum, sed prout signum benevolentiæ & humanitatis erga suam Majestatem Serenissimum Regem electum.* Quæ verba Hoverbequius dispungi cupiebat; electione Joannis Casimiri illum ipsum Episcopum propria manu ejusmodi testimonium exhibuisse absque tali clausula. Sed hic respondebat: id se tunc fecisse jussu Primatis, nec eo nomine ad reddendam rationem fuisse obstrictum; quod nunc secus sit.
Cum *pacta conventa* adornarentur, quidam eis infercire conabantur de contributionibus in Lauenburgico & Butoviensi districtu, ac de Catholicæ religionis exercitio. 5. Jun. Sed Hoverbequius ægre demum pervicit, ut ita poneretur: *Super redimendo Drabelmo, item trajectu Vistulæ apud Neuburgum, missione auxiliarium copiarum, & aliis prætensionibus cum Electore conferemus, atque operam dabimus, ut per Commissionem ex vi pactorum omnia componantur. Ut etiam præfecturarum Lauenburgi & Butoviæ tam ecclesiastica quam civilia jura, privilegia, immunitates, prout per omnia sub immediato dominio Regni utebantur, conserventur, cavebimus, ac ut incolæ Equestris Ordinis ibidem supra ultroneum consensum in suis conventibus nullis contributionibus onerentur, apud Electorem Regiam nostram autoritatem interponemus.* Adversus quæ Elector protestationem interponi jubebat. Rex testabatur; id sibi molestum esse, sed id impedire haut valuisse; nec decorum adhuc fuisse contra pacta conventa disputare. Id tamen Electori fraudi non fore. Et quia coronatio in sequentem annum dilata erat, Elector de renovatione feudi, pactorum confirmatione, aliisque obiter tantum moveri volebat, quod ante coronationem Regis potestas circa omnia Imperii negotia admodum sit circumscripta. 11. Jun.
Jubebat quoque Elector innoxium transitum pro suis legionibus, e Borussia evocandis a Rege postulari hisce verbis: *Etiamsi innoxius transitus jure gentium amico, ac multo minus perpetuo fœderato denegari haut possit; Elector etiam apud priores Reges eum nunquam quæsierit, sed pro re nata haut facta denuntiatione transitum pro lubito ceperit: se tamen novo Regis regimine ad testandum singularem affectum velut ex super abundanti facere, ac prius id denuntiare voluisse.* Id quod a Rege benevole admodum admissum. Ita Rex initio prolixam erga Electorem amicitiam ostendebat, quamdiu hic contra Galliæ rationes nihil suscipere videbatur.

§. 81. Cæterum interregno adhuc durante Respublica misso Alberto Opackio ab Electore auxilia contra Turcam petierat. *Elector Polonis auxiliares copias mittit.* Cui Elector responderat; se præstiturum, quæ pactis caveantur, quæ & eum militem a Polonis ali velint. *Jan.* Sed si malint, se duodecim centurias dimacharum missurum, quorum usus eo in bello insignis sit, ac septem mensium stipendio eos instructurum; ut tamen id in exemplum sequenti

1674. quenti tempore ne trahatur. Pacato Germaniæ statu plures præbiturum. Post mense Junio novus Rex Uladislaum Scorazevium misit, de electione sua significaturum; qui honos nemini alteri exhibitus erat, cum aliis Principibus tantum per literas publicis veredariis commissas de ea nuntiaretur. Is cum aliquot peditum millia extra pactum peteret, de quibus & apud Hoverbequium moverant, Elector proprii status, ac communis patriæ periculum excusabat. Quæ ratio etsi gravissima foret, cum salva ratione ab alio peti non possit, quo ipse admodum indigeat: malevoli tamen nonnulli ex eo sinistrum Electoris in Regem affectum arguebant; Nam Regi non tam de milite agi, quam ut specimen caperetur, quid necessitate urgente ab Electore sibi expectandum foret; ac potuisse eas vel sub conditione, quæ a Polonis præstari nequeat, promitti. Etsi cum Rex dimachas istos, sub tribunis Caspare Hohendorfio, & Bodone Slibio Polonico quæstori traditos audiret, egregium & probe instructum militem, gratum id valde sibi ostendebat, atque amica omnia vicissim pollicebatur. Enimvero cum adpareret, Electorem adversus Gallos in expeditionem ire, Regis quoque Poloniæ affectus istorum instinctu refrigerari visus est. Ante electionem Gallus Polonis duos milliones promiserat; quæ promissa post retractatum ibat, cum horum ope se haut indigere crederet, Polonis non parum ideo in istos irritatis. Sed post, incitando in Cæsarem atque Electorem Regi pecunia solvebatur, promissis amplioribus summis, si is aperte Galliæ partes amplecti velit. Id quod Regi annuere haut licebat, quod etsi in pactis conventis ea verba, *ut Rex peculiariter cum Cæsare pacem colat*, dispuncta essent, in universum tamen priorum conventionum sensus circa pacem cum vicinis colendam manserat. Cum tamen Galli juxta ac Sueci omnem lapidem moverent, ut Polonos cum Electore committerent, hic per Hoverbequium istis demonstrari jubebat; *uti Galli tempore Ludovicæ Mariæ Reginæ in Polonia tantam confusionis ac diffidentiæ sementem fecerint, quæ ne in præsens quidem extirpari queat, continuo calamitatum proventu fertilem. Nunc eos nobilissimum Regnum & fortissimam nationem libertate exuere, ac Turcæ tributariam reddere conari, in eo quoque barbaro isti velificatos; ut Christianis Principibus inter se per ipsos collisis, eidem fines suos proferre in proclivi sit. Sane eorum machinationes in aula Polonica & Turcica eo tendere, ut cum emolumento Turcæ qualiscunque pax in Polonia fiat, jactura Caminieciæ, & onere tributi annui redimenda; utque Poloni cum vicinis ac veteribus fœderatis ob alienas lites injustis bellis implicentur: ut denique Regnum perpetuis turbis exercitum nunquam ad pristinam felicitatem adspirare possit. Quo ipso libertas civium gravissime periclitetur, ac tam recenti imperio Bethunium jam aliosque Gallos ostendere, se reipsa in Polonia, quam primarios Senatores valere, qui & hisce ultro offerant, se gratiam Regis ac beneficia iis conciliaturos. Quin & rem eo deduci posse, ut inde Turcæ, hinc alii insignes Regni partes avellant, non obscuris jam in Gedanensem urbem insidiis;* ubi turbidi quidam Sacerdotes cives in Senatum irritabant, Suecis frigidam suffundentibus, ut vulgus ipsos in auxilium evocaret. Quin aliqui eousque stolidatis processerant, ut jactarent, in singularem Reip. utilitatem redundaturum, si Sueci Gedanensem urbem & Electoralem Borussiam in potestatem redegerint. Nam hosce urbis proventus Polono relicturos, ac contentos fore portum Vistulæ in sui securitatem retinuisse. Borussiam quoque Ducalem statim corpori Reip. inseri posse, Pillavia & Memela penes Suecos manente. Regi quoque Gallici ministri ingerebant; Galli exemplo constare, Electorem nullo beneficio devinciri posse, qui tantis ab isto beneficiis acceptis tam malignam gratiam referat. Austriacos quoque ab odio, quod tempore Michaelis Regis ostenderant, non discessisse; ac ut eum solio iterum dejiciant agitare, quo viduæ Reginæ ad consortium Regni iterum aditus fiat. Iste porro per Gallos inditus affectus in eas quoque copias exserebatur, quas Elector Regi contra Turcas auxilio miserat, quæ usque adeo male habebantur, quasi studio id quæreretur, ut perirent. Ac nuntiata Electoris contra Gallum expeditione jam vulgus militum fremebat, spem esse se hibernis Borussiæ fruituros. Eundum tamen erat nostris in loca vasta, ubi nec annonæ, nec pabuli copia erat; quod Rex diceret, famam copiarum Electoralium magnum hosti terrorem incussisse; Cum per Ucrainam sæva anni tempestate arma circumtulissent, demum Ilsinica, lacerum oppidum, stativis eorum assignabatur, ubi reliquiæ equorum, & magna pars hominum morbis absumebantur, aëre & aquis in saluberrimis velut veneno infectis. Post sequentis anni initio cum Sueci in Marchiam irrupissent, Hohendorfius jussu Electoris a Rege dimitti se cum suis petebat. Si postero die, cum Rex prius consilium cum legato Gallico contulisset, Cholmninscius palatinus id responsi retulit: Regem non parum mirari, Electorem copias auxiliares quo tempore iis maxime opus sit, avocare velle. Sed quid verbis opus esse? Sane de istius animo in Poloniam abunde constare. Nam ut priora taceantur, per pacem Bydgostiensem abolita, ista tantum tangi, quæ ex eo tempore contigerint: quæ in Elbingam agitata sint, uti Draheimum occupatum: uti Kalcsteinius tantum non e complexu Regis abreptus sit: quantis oneribus provincia prematur; quam duriter cum Regiomontanis agatur. Equidem eam provinciam tunc a Rege & Senatoribus pecunia corruptis traditam fuisse, sed ea cum conditione, qua tunc sub corona fuerit, non autem ut hoc modo ejus libertas proculcaretur. Id quod præsens Rex ad prioris exemplum haudquidquam toleraturus sit. Cæterum de copiis ad quadringentos apud Regem relinqueret, cum reliquis in Borussiam discedere liberum esse. Ad quæ Hohendorfius: mirum videri talia sibi occini, quæ neque ad se, neque ad præsens negotium quidquam spectent. Sibi mandata sua sequenda; nec copias dividere fas esse. Vi se discedere non

Marginal notes: 1674. — Scorazewski. — 1 Aug. — 4. Oct. — 1674. — 15. Jan. 1675.

1675. non posse. Sed si dimittere nolint, stipendium dandum. Cum demum vel centum sibi relinqui peteret Rex, hic immotus mandatis insistebat. Braslaviæ tamen digredientem Rex benevole, ac egregio cum testimonio dimittebat; & qui eos in Borussiam deducebat, septingentos numero (tot enim supererant, omnibus equis amissis,) Joannes Chodzinscius Regio monte
Chod-zinski. Duci Crojæ gratias agebat ob fortissimos milites, qui quavis occasione in conspectu Regis, omniumque Senatorum ac totius Nobilitatis, præcipue in expugnatione Zbaravii strenue rem gesserint. Simul omnia amica nomine Regis offerebat, inprimis præsenti Suecorum irruptione. Nam Regem iis non solum iter in Ducalem Borussiam haut concessurum, sed & ad tuendam eam provinciam, ubi necessitas exigat, ipsum cum totius Regni viribus incubiturum. Etsi iste in itinere longe secius locutus fuerat. Haut eo secius post mense Novembri cum Elector eas copias per quietem refectas, & suppletas e Borussia evocaret, Bakovius Pomerelliæ Palatinus instinctu Andreæ
Lillie-hoeck. Lilliehœckii legati Suecici transitu easdem prohibere instituebat, datis ad Ducem Crojæ, Gubernatorem Borussiæ literis. Quæ cum obscuro sensu essent, nec penes istum foret pacta interpretari; nostri jubebantur eo neglecto iter persequi, nec in disceptationem cum eodem descendere. Vistulam transeunti capitaneus Neuburgicus dicebat: se quidem ex aula jussum nostros transitu etiam vi adhibita arcere; sed in præsens protestatione se contentum fore. Cui contrariam protestationem tribunus reponebat. Ea super re, simul Gallorum, Suecorumque in aula Polonica machinationibus Elector apud Cæsarem, Reges Angliæ ac Daniæ, Belgasque querebatur: qui ut 1675.
talibus desisteret, Regem monebant. Prætextum negati transitus ferebatur, quod Sueci promisissent, se ditionibus, quas Elector a Polonia accepisset, parcituros, si Poloni Electoralibus copiis iter e Borussia in Pomeraniam, & Marchiam negaret. Unde metum esse, ne Wrangelius ansam inde arripiat Polonicas ditiones invadendi. Enimvero demonstrabatur; quæ Poloni moveant nullo jure niti. In Pactis nil extare, quod libertati transitus adversetur. Per Jus Gentium Principi integrum esse ad status sui securitatem & contra hostes suos ex omnibus ditionibus suis auxilia arcessere. Et cum nemini obnoxius Princeps vicinis atque amicis auxilia mittere possit; cur non & in proprios usus militem suum adhibere possit e ditione, in quam nemini imperii quid competat? Posse quoque Electorem Borussiæ nomine fœdera inire, ac eorum vi contra quoscunque fœderato auxilia mittere. Electorem, cum adhuc fiduciario nexu Poloniæ teneretur, e Borussia pro lubitu copias evocasse. Eundem egregias copias e Germania in Borussiam deduxisse auxilio Polonis contra Suecos; cur illicitum sit inde in Germaniam proprium militem adversus eosdem evocare? qui & ipsi undique copias in Germaniam contrahant. Repugnare id juri amicitiæ ac vicinitatis; & eo exemplo transitum copiis auxiliaribus in Poloniam negari posse. Polonos multis millibus e Borussia, Curlandia, Gedano iter in Belgium contra Gallos permisisse. Denique ante biennium, cum itidem Electoris copiæ e Borussiæ in Germaniam transirent, eosdem nil difficultatis movisse.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFI
DE
REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER DECIMUSTERTIUS.

EPITOME.

Electori Alsatia excedendum est. 2. Hiberna in Franconia capiuntur. 3. Haut placet protinus in Marchiam ire. 4. Elector hostilia in Suecos sumi vetat. 5. Wrangelii ad Anhaltinum litera. Responsum ad eas literas. 6. Belgarum auxilium imploratur. Horum cum legato Suecico disceptatio. 7. Belgæ ad auxilium ferendum sat proni sunt. 8. Sueci bellum cum Belgis declinant. 9. Circa bellum Suecis indicendum difficultates. 10. Belgæ Suecis bellum indicunt. 11. Cæsarei cunctanter in Suecos commoventur. 12. Regis Sueciæ ad Cæsarem litera. 13. Objecta a Suecis diluuntur. Elector Cæsaris auxilium exposcit. 14. Aula Cæsarea cunctatur. 15. Ratisponæ acta. 16. Ab Ordinibus parum auxilii sperandum. Habitus animorum tunc conventus Ratisponensis. 17. A Saxonicis Circulis parum auxilii expectandum. 18. Elector collisionem cum Hanoverano declinat. 19. Negotiatio cum Hanoverano continuatur. 20. Hanoveranus ad suscipiendum sequestris officium invitatur. 21. Monasteriensis in fœderatorum partes trahitur. 22. Cum Angliæ Rege acta. 23. Daniæ Rex statim in bellum erumpere non potest. 24. Elector per legatos Danum auxilia poscit. 25. Suspiciones circa Danorum mentem. 26. Sueci Danum a bello avertere student. 27. Dani legatum Suecicum inani spe lactant. 28. Inanis circa fœdus inter Suecos & Danos tractatio. 29. Danorum circa modum Sueciæ nocendi consilia. 30. Dani circa ordiendum bellum tergiversantur. 31. Sueciæ Rex Ulricæ Eleonoræ nuptias ambit. 32. Daniæ Rex clarigationem differt. 33. Sueci tantisper in Marchia pro lubitu grassantur. 34. Elector in Marchiam movet. Ratenaviæ Sueci opprimuntur. 35. Elector victoriam persequitur. 36. Prælium ad Fohrberlinum. 37. Motus animorum super ea victoria. 38. Cæsarei Gallos trans Rhenum pellunt. Luneburgicorum victoria de Gallis. 39. Sueci hostes Imperii judicantur. 40. Elector apud Cæsarem de sua satisfactione agit. 41. Num Sueci Germania expellendi? 42. Danus in bellum stimulatur. Gottorpiensis Dux capitur. 43. Danus adhuc moras nectit. 44. Elector misso legato Danum urget. 45. Electoris cum Rege Daniæ congressus. 46. Cum Hanoverano acta. 47. Conventio cum Hanoverano Duce. 48. Super Bremensi provincia inter fœderatos æmulatio. 49. Cum Monasteriensi acta. 50. Monasteriensis Præsulis importunitas. 51. Electoris circa servandam inter fœderatos concordiam studium. 52. Luneburgici acta sua Electori probare student. 53. Bremensi civitati cavetur. 54. Elector in Pomeraniam irrumpit. 55. Wollinum expugnatur. 56. Wolgastum expugnatur. 57. Super hospitiis difficultates. 58. Cum Polonis ambigue agitur. 59. Suecorum Gedani machinationes. 60. Legati Suecici ad regimen Borussiæ litera. 61. Ad Moscum legatio. 62. Super præliminaribus pacis Neomagensis acta. De sequestribus. 63. De loco tractatuum. 64. Circa Wilhelmum Furstenbergium difficultas. 65. Super conditionibus pacis præludia. 66. Beuningii anxietas circa pacem parum proficua. 67. Temperamentum circa Wilhelmum Furstenbergium. 68. Galli ad propositum temperamentum declaratio. 69. De legatorum diplomatibus. 70. De invitatione ad congressum pacis causa.

Electori Alsatia excedendum est. Superiore æstate egregia videbatur nata occasio Gallos intra veteres limites repellendi, ac recuperato Brisaco, & Alsatia bellum in Burgundiam, & Lotharingiam transferendi, ni Bornonvillius obstitisset, quo minus Turennius primo Electoris adventu profligari posset; ac ni Suchius re sinistre admodum in Belgio gesta effecisset, ut Turennius trans montes facessere coactus, mox magna virium parte auctior Alsatiæ sese iterum infunderet. Unde nec fœderatis progrediendi amplius facultas; nec in Alsatia subsistere annonæ, pabulique inopia patiebatur, tenui terrarum tractu inter montes, & Rhenum brevi exeso, qui & vineis magis, quam arvis, ac pratis uber est. Unde nil amplius supererat, quam in hiberna cis Rhenum concedere; præsertim cum Electori post Suecorum in Marchiam irruptionem statio capessenda esset haut nimium a ditionibus suis remota & ubi cum fœderatis copias conjungere in promtu foret. Quod si per hos Sueci non distraherentur, ut Marchiam ultro desererent, ipsi

1675. ipsi pro terris suis liberandis contendendum erat, quantum posset: si plane a sociis destitueretur, consilia quæ necessitas suggereret, arripienda erant.

Hiberna in Franconia capiuntur. §. 2. Cum autem Cæsaris miles per Sueviam hiberna cepisset. Elector propiore situ per Franconiam suos disponebat, prætorio Sveinfurti constituto, non tam liquido, aut stato jure, quam necessitate, ac utilitate publica excusante; & quia utique par est, ut qui pro universis pugnant, saltem ab his alantur; utque hi, dum ab istis proteguntur, in aliquam oneris partem veniant. Etsi uti assolet multæ super istis hospitiis querelæ, magis tamen ob inæqualem distributionem, aut quosdam excessus, quam quod expensis in Reip. usum cedentibus sese subtrahere vellent. Ut tamen Ordines Franconiæ isthoc onus eo patientius tolerarent, Elector Cæsarem rogabat, ut eo nomine ad istos scriberet. Id quod Cæsarei ministri detrectabant, causati, Cæsarem nolle ejus rei invidiam in se derivare. Sibi haut jus esse in alieno hospitia assignare; Cæsarem ne pro suo quidem milite scribere. Potius colorem adhibendum, transitu, & paucorum dierum quiete duntaxat utendum. Sed revera Cæsarei suo exercitui Franconiæ hiberna vindicare maluerant, & ut Elector suos in proprias ditiones deduceret. Sed cum Crocovius, ac Cellensis minister acriter contenderent, demum promittebatur, ad Francos scribendum, ut hanc molestiam ad breve tempus ob bonum publicum tolerare velint. Etsi ista scriptione opus non esset, quod Elector interim cum præcipuis Franconiæ Ordinibus, Bambergensi, & Wurtzburgensi Episcopis transegisset, minoribus recalcitrare non ausis. Sane ipse Cæsar ab Electore per literas petierat, curam haberet, ne Turennius cis Rhenum progredi, ac per Sueviam, & Franconiam omnia turbare possit; id quod prohibere non dabatur, ni Electorali exexercitu in vicinia subsistente. Sed & Arausionensis suaserat, ne Elector copias a fœderatis dissociaret, quoad super ratione belli in futurum gerendi convenerit. haut eo minus Cæsarei subinde murmurabant: soli Cæsari licitum esse per Imperium hospitia militi suo capere: ac hujus, & Electoris jura magno intervallo discriminari. Quibus Crocovius reponebat: ipsum Cæsarem talia non vi potestatis Cæsareæ, sed unice ex necessitate, & ratione belli exigere. Quin Cæsarem inter, & Electorem discrimen sit neminem ignorare. Sed inter Cæsareum, & Electoralem exercitum hautquidquam discrimen statui posse, qui juncti contra communem hostem auspiciis Cæsaris, ductu Electoris rem gerant: qui uti simul pugnent, ita ut simul cibum capiant par sit. Ac nescire se, an e Cæsaris re sit, ut nullius Electoris, aut Principis copiæ cum istius exercitu jungi possint, nisi hac conditione, ut illis miseria pereundum sit.

Haut placet protinus in Marchiam ire. §. 3. Porro cum Elector tam generosum pro salute patriæ consilium cepisset, haut decorum judicabat per periculum ex transverso incurrens eo protinus dimoveri. Unde cum qui domi erant relicti consiliarii copiis Suecorum in Germaniam trajectis commoverentur, ipse eos confirmabat: se haut ommittere de suarum ditionum securitate cogitare, & quantum possit rebus suis prospicere. Sed cum nemini vicinorum causam bello dederit, sperare, aliis quoque pacem, & amicitiam cordi esse; nec quibusvis rumoribus fidem adhibendam. Forti tamen animo expectandum, quid sibi, ac statui suo obventurum sit: nec pro justa causa nitenti favorem Divini Numinis, & fœderatorum auxilia defore. Mox tamen gliscente indies a Suecis periculo, cum quid ab Hanoverano, & Saxone expectandum esset non constaret, & num forte in Magdeburgum quid strueretur, quod Alvenslebius, ante Administratoris ministerio addictus, in Pomeraniam ad Wrangelium profectus esset, consiliarii ancipitem ditionum Electoralium statum exponebant, Suecorum libidini expositarum: qui, vel solis hospitiis per eas captis copias suas in proximum ver insigniter augere queant. Et cum nullæ ad resistendum vires sint, Electorem brevi in eam conditionem redigi posse, ut remedio non amplius locus sit. Igitur suadebant, cum fœderati alias militum numero prævaleant, ac Electoris præsentia nullibi magis necessaria sit, quam propria in ditione, ut ipse saltem cum parte exercitus domum se conferat, sistendo periculo, & confirmandis civium animis. Ast Elector munitis locis probe prospici jubebat. Sed ut ipse cum toto exercitu, aut ejus parte domum se conferat, in præsens commode fieri non posse. Nam toto cum exercitu digredientem a sociis deinceps auxilii, aut pecuniæ subsidiariæ nil mansurum; nec proprias ditiones tantæ multitudini alendæ pares esse. Partem quoque exercitus iisdem oneri magis, quam tutelæ cessuram. Unde id sibi agendum, ut, siquidem ditiones suæ hostili modo invadantur, aut stativis onerentur, ipse lubentibus fœderatis, ac validis horum auxiliis succinctus ditiones suas liberatum veniat: tum ut Cæsar, Danus, Belgæ invasoribus arma inferant. Post cum Sueci per Electoris provincias pro lubitu se diffunderent, nemine resistente, isti dolebant, consilio suo locum haut relictum, per quod præsens calamitas declinari potuerit: ac male consuluisse, qui ab initio autores fuerint, in diversissimam Germaniæ partem discedere, nullis ad tutandæ propria copiis relictis. Quibus Elector per literas demonstrabat: *Cum super suscipienda in Alsatiam expeditione deliberaretur, summam rei huc rediisse, num expediat se ab Imperio, ejusque decretis, ac Electorali Unione, fœderatisque sejungi, otiosumque desidere, ac Suecorum tutelam, & moderamen, id quod hi novissimis pactis captarunt, subire, ac injustis horum, Gallorumque consiliis implicari, verbo, num quæ ipse gloriæ Divini Numinis, justitiæ legibus Imperii, Unioni Electorali adversa, ac sanctimoniæ scitorum Christianorum repugnare judicet, ac tot scriptis, sententiis, ac declarationibus publice damnavit, nunc adprobare, laudare ac promovere debeat: an vero priori probe fundato, ac matura ex deliberatione suscepto consilio inhærendum sit.*

1674.

28. Oct. 74

Alvensleben.

24. Jan. 75.

4. Febr.

1675. *sit. Nunc autem quæ Suecorum invasioni opponenda sint, expendenda, & comparanda; quo fine fœderatorum auxilia excienda, ac consilia in posterum digerenda, ac denique negotium ita suscipiendum, ut & operæ pretium fieri possit, & ne fœderatorum auxilio excidamus; id quod futurum sit, si præter eorum placitum ab iisdem disjungamur. Unde hactenus circa suppetias suæ ditioni ferendas ita sibi nitendum fuisse, ut ne se omni auxilio alieno privaret. Interim quæ prohiberi nequeant, toleranda, quoad validæ vires hosti repellendo in promtu sint. Ut autem cum ad Rhenum iretur, tot copiæ domi relinquerentur, quæ apertis provinciæ tutandis sufficerent, fieri non potuisse; cum duobus locis justos exercitus habere supra vires suas sit. Initio autem eo se accurrisse, quo maximum patriæ periculum vocabat. Sane ni ipse ad Rhenum vertisset, Argentoratum, & tractum Rhenanum, quin Sueviam, & Franconiam periculo fuisse expositam. Nec momentum temporis a se negligi, quomodo suis ditionibus in hoc statu, in quem præter omne fas, eoque & præter expectationem inciderunt, subvenire possit. Omnia autem ita in promtu habere, ut si cogitata tantum sint, repræsentari queant, solius Dei opus esse. Sibi ea via incedendum, qua humanæ vires pertingunt, ac maturandis rebus tempus indulgentum.*

Elector hostilia in Suecos sumi vetat. §. 4. Cæterum etsi ista Suecorum invasione pax sine dubio abrupta esset, protestationibus Wrangelii de servanda amicitia facto contrariis: tamen quia nondum constabat, quid fœderati facturi essent, nec Electori ita omnia parata forent, ut cum spe successus rem in Suecos auspicari posset; consultissimum videbatur ita injuriæ sensum temperare, ut ne res protinus in atrociorem hostilitatem erumperet, neu Sueci intempestive irritati ferro quoque, & flammis in Electoris ditiones grassarentur; aut aliquid capitale susciperent, post haut ita facile emendandum. Præsertim cum dubium esset, an non ista invasio Suecis in transitus vicem adhiberetur, Cæsarem petituris. Sane in Suecia palam jactabatur, exercitum istum in Silesiam penetraturum, obtentu Protestantium a persecutione liberandorum; quo facto & Hungaros excusso jugo Suecicis partibus accessuros. Sperabant etiam, si Elector propius moveret, & cum Wrangelio agere inciperet, facile inter eos conventurum, quod magna hujus apud illum esset autoritas, & gratia, negotio componendo ingens momentum. Ac modo Belgæ, & Dani in soporem dari, ac Elector in partes trahi queat, priori simile bellum in Germania surrecturum. Quali bello sibi utique opus esse plerique Nobiles fremebant, citra quod nulla rem augendi facultas sit: ac Sueciæ res semper bello floruisse, pace languisse. Ac spes erat, plerosque Germaniæ Principes in ipsorum partes descensuros. Multi quoque dolebant, tam aspere Electorem habitum, ac non id potius actum, ut iste per blanda ipsis conciliaretur. Etsi contra Feuquierio moderatus Suecorum agendi modus, & citra extrema consistens hostilitas parum probaretur; qui censuerat summo rigore fuisse utendum, & Ulteriorem Pomeraniam in potestatem redigendam, ac enervato Electore in Silesiam penetrandum. Enimvero Electori placebat omni vi arma parare, ac socios in auxilia excitare; ac prout se res darent, consilia capere. Nec tamen vice versa ita cum Suecis agere visum, ut fœderatis suspicio nasci possit, velut ipse nutaret, aut tacite cum istis colluderet, aut in transactionem inclinaret. Unde Anhaltinus Princeps vetabatur cum Suecis super tributis publico nomine agere. Sed si privati id facere velint, dissimulandum, ac idem tacite iis suggerendum. Oppidani quoque adventu Suecorum portas claudere jubebantur, nec eas sponte aperire; vi easdem effringentibus vim haut reponere. Vicissim & Wrangelius Suecicis præfectis serio injunxerat, ne ipsi hostilia odirentur, sed aliquot milites ab Electoralibus prius occidi sinerent, ac tunc demum ad vim reponendam sese accingerent. Ac sane Sueci omnes artes adhibebant, ut Electorem fœderatis suspectum redderent, quasi mox sibi cum isto conventurum sit; quo horum consilia turbarent, ac eosdem ab auxiliis Electori ferendis absterrerent. Unde & Galli legato Florentino, qui alias cum aula Cæsarea literarum commercia exercebat, persuaserant, ut illudendo Cæsari Lutetia Viennam scriberet, a Stratemanno pactum inter Galliæ, ac Sueciæ Reges, & Electorem adornatum, ac Verjum eo nomine ad Electorem missum; ac negotium pro confecto haberi. Cui mendacio spargendo quod exterus legatus operam suam accommodaret, parum honestum habebatur. Wrangelius quoque Weissenfelsio, *27. Jan.* quem Anhaltinus Princeps Prenzloviam ad eum miserat, dicebat: gratum sibi auditu, Electorem ex Alsatia retro movisse; de quo ipse statim Regi significarit. Ac sperare, quia ipse de gravibus damnis Electoris provinciæ illatis Regi demonstrarit, hunc copias brevi revocaturum: & quæ jam facta sint componere non adeo arduum fore. Equidem se facile judicare, Electorem non posse non sinistre accipere, ditiones suas alieni militis hospitiis premi: sed in præsens aliter fieri non potuisse. Nunquam tamen sperare, Electorem abs quovis permotum iri ad arma in Suecos stringenda. Se velut addictissimum Domui Brandenburgicæ amicum suadere, ut Elector majoribus molestiis declinandis moderata consilia ingrediatur. Se idoneas conditiones propositurum, ut inter Regem, & Electorem amicitia instauretur, omnibus offensis abolitis. Sane isti viro rerum gestarum gloria tantum fiduciæ dederat, ut sibi persuadere haut posset, id animi Electori fore, ut manus cum ipso conserere auderet. Unde & palam Sueci spargebant, cum crederent Electorem audita ipsorum irruptione statim huc accersurum; Wrangelium ei accedenti obviam iturum, ac quid facere animus sit interrogaturum. Nec dubium esse, quin tunc protinus inter ipsum conventurum sit. Qui agendi modus plerisque exterorum, queis ejus rationes parum perspiciebantur, suspicionem pariebat, velut tacita inter Electorem, & Suecos collusio foret, ac isto non invito hosce in Marchiam irrupisse, quo prætextum foret bello sese subducendi. Sed & Sueci sibi persuaserant, Grifenfeldium

Eee ee 2

1675. fenfeldium Regi Daniæ ſuggerere, ne pacem cum Suecia abrumpat, neu in partem hujus belli veniat. Unde Mardefeldius jactabat; ſe vel capitis ſui periculo cauturum, Danos in bellum non erupturos. A Belgis tantum metus erat. Sed his quieſcentibus libera ſibi commercia fore; ac tunc bellum in alieno geſturos, quoad libido tulerit.

Wrangelii ad Anhaltinum litera.

§. 5. Porro cum hactenus Sueci annonam tantum exegiſſe ſatis habuiſſent, jam & tributa provincialibus imperare cœperunt. Quæ cum hi, uti juſſi fuerant, ultro ſolvere detrectarent, Wrangelius per literas apud Anhaltinum Principem, & Conſiliarios Berolini relictos querebatur; *Croſnenſis Ducatus incolas primum in præſtanda legionibus alimenta conſenſiſſe; ſed poſt obtentu interdicti Berolino miſſi ea detrectaſſe; & cum iidem pleraque ſua in tuta amoverint, militem neceſſariis deficientibus juſta diſciplina coërceri non poſſe. Ad Francofurtanis quoque aditum prohiberi emere volentibus; ſimul incolas Briezenæ, & Freienwaldæ miſſum ad exigendam annonam non ſine minis dimiſiſſe. Cum itaque tali modo militi neceſſaria alimenta ſubtrahantur, quæ hactenus quanta fieri potuerit modeſtia, ac citra vim a ſe quæſita ſint: facile diſſidio anſam præberi poſſe, ac id ab Electoralibus data opera captari videri, dum cives jubentur, ut malint iſta per vim ſibi auferri, quam ultro quid dare. Unde ſibi neceſſarium viſum inquirere, num id edictum peculiari Electoris juſſu promulgatum ſit, an ex ſola Regiminis cura, quam pro commiſſa ſibi provincia gerant? Quo caſu ſuo judicio ſatius videri, provinciales ſponte dare, quod per vim, quam hactenus ipſe magno ſtudio adhibere declinaverit, facili negotio eripi queat. Alias ſpem fuiſſe Regi, Electorem reducendæ orbi Chriſtiano, ac propriis ditionibus quieti alia conſilia capturum, ac priniorem ſe inſtaurandæ cum ipſo amicitiæ oſtenſurum. Sed poſtquam tanto temporis ſpatio tam tenuis in iſtam inclinatio ſentire potuerit, ac potius per affixa publice avocatoria edicta, aliiſque indiciis diverſum eluceat; ſe Deo, hominibuſque excuſatum fore, ſi per talia belli flamma magis diffundatur, ac ditioni Electoris plus moleſtiarum creetur. Quas ut prævertant ipſis ſine dubio cordi fore. Eoque ſe requirere, ut civibus injungatur, ne per talia occaſio majoribus offenſis detur; ſed potius omnia ad reparandam inter Regem & Electorem amicitiam, ſimul tutam orbis Chriſtiani pacem referantur.*

11. Mart.

Reſponſum ad eas literas. *21. Mart.*

Ad iſta Princeps, & Conſiliarii maſcule reponebant; *Iſtas ſe literas ſatis capere non potuiſſe. Querelas ipſum movere, Electoris cives extraneo militi, per vim hujus ditionibus infuſo ſua ſponte dare nolle; ac a ſe vetitum alienis erogare, quod Electoris militi debetur. Sane harum querelarum nullam rationem a ſe perſpici. Prioribus ſe literis indoluiſſe, Electoris terras hoſtili modo opprimi, cives oneribus peſſundari. Ea dein indies aucta: poſt Uckeranam, & Mediam Marchiam fere exhauſtam Pomeraniam, & Novam Marchiam comedi, ac omnia hoſtilia præter cædes, & incendia quartum jam menſem exerceri. Poſtquam cives iſta tamdiu patienter tolerarint, ac ſua omnia erogarint, ac non niſi pauca quæ reſtant Principis ſui militi ſervare velint, jam ultro en-*

probari, velut legitima cauſa præbeatur belli ma
intendendi. Utros credendum ſit ſolidiore fu
damento fiduciam ſuam in Deo, & jure ſuo coll
care. An illos, qui innocentibus civibus alie
Principis ſua per vim eripiunt; an vero miſer
homines, fortunis ſuis ſpoliatos, qui exiguas fo
tunarum reliquias exteris haut ſponte offerre v
lunt? Num eum Principem, qui alterius ditione
ſine cauſa invadit, ac populatur; an legitimum d
minum, qui iſtam vim probare non poteſt, & ſu
cives ſibi ſervare cupit? Quod Francofurti nulli an
plius Sueci intromittantur, ipſos cauſam dediſ
intercepta ei oppido annonæ ſub vectione. Quod
lii ex edicto Principis exteris nil ultro dare volu
rint, in eo feciſſe, quod fides ipſorum requireba
Si ipſi ſubjectos ad conſtantiam hortentur, & vete
Suecis ſponte quid dari, injunctum ſibi officium e
ercere, abſente Electore ſibi incumbens, quod & l
improbare nequeat. Ac confidere, ſua, & civiu
Electoralium acta Dei, ac honeſti orbis calculu
meritura; ac immotam civium in Principem fide
magis valere debere ad levanda eorum onera, qua
aſperiora in eoſdem provocanda. In arbitrio R
gis ſemper eſſe militem, quem immiſit, revocar
Electori non plus noxa inferre, hoſtilia omitte
Eſſe in Suecici ducis manu provincialibus, defe
ſore in præſens deſtitutis, ſua eripere. Sed nu
talia Dei, & honeſti orbis judicio probari quean
haut in arduo eſſe divinare. Ejus judicii ſi Suec
aliqua cura ſit, injuriis ultro finem impoſiture
Edictum quod arguatur, & quæ alia ſervandis El
ctoris civibus faciant, omittere ſibi nefas eſſe.

§. 6. Quia autem Sueci palam ſparge
non dubitabant, Electori talia ideo inferri,
a fœderatorum partibus abſtrahatur; par utiq
erat, ut & hi ad mala, quæ eorum cauſa to
rabantur, averruncanda incumberent; ad qu
etiam ex fœdere tenebantur. Ad quam r
cum plurimum conferre poſſent Belgæ, ob qu
bellum initio ortum erat, & a quibus rerum g
rendarum nervus petendus, ante omnia ci
iſtos excitandos ſatagebatur. Ad Arauſione
ſem quoque ſcribebatur, ut auxilia pro
rentur; alias ſibi diverſa conſilia capeſſan
Nam tolerari a ſe non poſſe, cives ſuos
perdi. Si tamen ſocii non deſerant, c
ſtanter ſe in partibus perſtiturum. Ni d
ſto Suecorum facinore ultio ſumatur, n
quam tutum fore cum aliis fœdere necti,
metu ejusmodi rapinarum omnia honeſta
ſtituta omiſſum iri. Addebat de cauſis r
ctæ Alſatiæ, quod annona defecerit, ac
Cæſarei tantam trepidationem oſtenderint,
iis confidi non amplius poſſet. Ac ſane
gis ea res non parum cordi erat; qui &
ctore ſuggerente legatum Suecicum Eh
ſteinium interrogarant, quo fine exerc
Suecicus Marchiam ingreſſus ſit? Qui reſ
debat; ſibi de ea re, ejusque cauſis non
liquido conſtare. Si tamen ita factum ſi
ne dubio Regi graviſſimas cauſas fuiſſe, de
bus propediem Reip. ſignificaturus ſit. F
Regem eo permotum, quod Elector cum
gis, eorumque ſociis fœdus iniverit, hau
bita facta communicatione, ac exercitum

Rhe

675. Rhenum duxerit: ac sine dubio, si Elector copias a reliquis disjunxerit, non nisi rata parte deinceps collata, Suecicum militem ex ejus ditione revocandum. Contra Belgæ demonstrabant: Haut sibi adparere justam causam, ob quam Rex de Electore queri possit; nec se hunc auxilia cassum relicturos. Quo tamen Suecis omne prætextum adimerent intra Germaniam copiis suis stationem capessendi, fœdus ipsis offerebant super securitate provinciarum Teutonicarum, cujus formulam legato exhibebant. Quod tamen Electori haut probabatur, velut extrahendo tempori, & eludendis fœderatorum auxiliis inventum; ac ut serio magis res suscipiatur, instabat. Et quia Sueci negabant se Electori hostilia intulisse, hic demonstrari jubebat; Ehrensteinium utique Hagæ publice declarasse, Regi Sueciæ cum Electore litem intercedere, sed quæ ipsos solos tangat. Benedictum quoque Oxenstiernam Viennæ jactare; a Rege eam expeditionem susceptam, ut de Electore vindictam sumat. Ipsum quoque Regem, ejusque ministros scripsisse; quamdiu Elector in Alsatia contra Gallos rem gerat, Suecicum militem ipsius ditione haut excessurum; ac ei fœderatorum partes deserendas, si istos amoliri velit. Sed & Suecos istud fecisse ex fœdere cum Gallis inito, & ob acceptas ab his pecunias in eorundem emolumentum, ac fraudem Imperii & omnium fœderatorum. Unde dubium non esse, eam invasionem non ex amicitiæ, aut bonæ viciniæ officio sed hostili animo susceptam. Et quare Ehrensteinius Belgarum interpositionem peteret, ac dissidii ex facili componendi spem faceret? Eundem dicere, Electorem ansam præbuisse, ut Sueciæ pro defensione pacis Westphalicæ, ac suarum provinciarum arma capienda fuerint. Atqui Electorem nil aliud egisse, quam ut professis Germaniæ hostibus resisteret, adversus quos & a Suecis arma capi par fuisse. Frustra legatum differere Regem hostilia paulum adhuc distulisse, & hac expeditione id tantum quærere, ut Elector ipsi reconcilietur, idemque operam reducendæ paci impendat. Tum ut Resp. ei dissidio componendo operetur, cum id negotium alios non tangat. Sane enim Belgis ista invasione maximam injuriam, & noxam inferri, dum Sueci eo tempore, quo negotium pacis maxime urgendum erat, eorum fœderatum societate per vim abstrahere laborant. Ac hostilia quam maxime expromta, utut hactenus ferro, ac igne nondum sit sævitum. Nam & illum latronem esse, qui tantum spoliat. Stolidum porro esse, talia conciliandæ amicitiæ adhibere. Nec Electorem adeo sensu carere, ut ista in animum revocare non possit. Si qua causa querendi Sueco fuisset, antequam irruptio fieret, amicam reconciliationem tentari par fuisse; quod & pactis cautum sit. Expeditionem ad Rhenum ex officio in patriam susceptam, quam ei licitam non esse ne apicem quidem in fœdere extare. Suecum quoque revocato Wangelino communicationem primo loco abrupisse, cum Brandius demum post irruptionem Holmia discedere jussus sit. Alias Electorem omnia paci promovendæ facturum etiam Suecis non monentibus. Eo magis autem Reip. hanc causam suscipiendam, quod etsi hæc antea declararit, se Electori, ubi invadatur, auxilia submittere haut omissuram, Sueci tamen ea denuntiatione insuper habita in Electoris ditiones irruperint, manifesto indicio, quam parum ipsi Belgarum offensam curent.

ge- s cum sto rico cepta-

§. 7. Postulabat quoque Elector per Blaspielum, ut Belgæ post bellum tam frivola de causa a Suecis sumtum non amplius cum Ehrensteinio tanquam sequestre agerent: tum ut copias suas Bremensi provinciæ distrahendis Suecis immitterent; Danumque sublevarent, ut & ipse in istos erumpere posset. Sed nec legato Suecico amicam transactionem ingerenti aurem præberent, qui nil aliud quam ipsis illusum eat, quo eos ab auxilio ferendo avertat. Nam si Suecis amicitia sua cordi foret, dudum Reip. significaturos fuisse, sua acta ipsis non probari. Quæ a Belgis benevole accipiebantur, eminente Casparis Fagelii studio; qui rogabat, exiguam moram Elector ægre haut ferret, ut res ad singulas provincias referri queat; tum ut spatium sit Danum in arma propellendi, & classem mari immittendi. Nil quoque amplius super pace cum legato Suecico agebatur, sed in ejus vicem Wilhelmus Templius legatus Anglicus subibat. Atque isti disertis verbis denuntiabatur, ni Suecicus exercitus sine mora Electoris ditione excedat, sibi necessum fore ex fœdere cum hoc inito bellum Sueciæ indicere. Ac quæ is probando suorum facto proferebat, rejiciebantur; ac cum per *articulum separatum* ostenderetur fas fuisse Electori pro tuendo Imperio arma sumere, idem negabat, sibi de isto articulo quid constare. Mox congressu fœderatorum Hagæ habito declarabatur, si maxime Resp. ad auxilia Electori ferenda per fœdus non teneatur; communem tamen utilitatem, & æquitatem id requirere. In consessu quoque Ordinum Hollandiæ concordibus suffragiis decernebatur, Electori terra marique auxilia contra Suecos ferenda, ac tamdiu hosce bello urgendos, quoad isti satisfactum sit. Eo fine placebat a Dano requirere, ut accepto convento autoramento bellum Suecis inferat, prout fœdere conventum erat: Moscum misso legato ad arma in eosdem sumenda incitare: centum viginti centurias, quæ alias exautorandæ erant, sub signis retinere; classem Mari Baltico immittere, quamprimum anni tempestas id permiserit: a Cæsare requirere, ut is Ratisponæ Ordines ad arma in Suecos decernenda impellat, ac edicta avocatoria promulget: omnium provinciarum incolas monere, ut sibi a Suecis caveant; utque his exsequendis Arausionensis terra marique necessaria adparet. Denique cum Sueco nil amplius tanquam cum sequestre agendum, utpote qui sumtis armis aperte in adversas partes descenderit: Quæ omnia in consessu Ordinum Generalium probabantur. Visum tamen ex superfluo Ehrensteinium denuo monere, ut Rex

copias

1675. copias suas ex Electoris ditione revocet, ac cum hoc amice transigat; ut tamen exsecutio facti decreti ideo haut differenda sit. Etsi Elector nil aliud urgebat, quam ut, sine mora in bellum erumperetur, quod suscepta tractatione non nisi tempus frustra extrahendum sit, Dano, aliisque suspicione inde perstringendis.

Sueci bellum cum Belgis declinant.

§. 8. Contra Sueci omnem lapidem movebant, ut Belgas ab auxilio Electori ferendo diverterent. Rex ipse per literas factum suum Belgis probare studebat. Cui vicissim ab his demonstratum; uti ipse ab aliis in fraudem inductus, ac rerum facies haut ex vero eidem proposita sit. Ehrensteinius quoque per Silbercronam Electoris ministris offerebat, Regem dissidio componendo pronum, ac protinus copias e Marchia evocaturum, si Elector una cum Rege partes sequestris circa conciliandam communem pacem suscipere, ac ratam duntaxat partem ad Imperii exercitum conferre velit. Quæ tanquam ludibria rejecta, extrahendo tempori inventa. Nam antequam tractationi adornandæ necessaria præparentur, ac in Sueciam referatur, ac inde mandata mittantur, Marchiam periisse. Mox idem de communibus induciis proponebat. Quem vicissim Belgæ rogabant, efficeret, ut Suecicus miles Electoris provincia excederet, ac lis amice componeretur. Quæ mollis agendi ratio cum Cæsareis, & Danicis suspicionem excitaret, ac nostri promtam facti contra Suecos decreti exsecutionem urgerent, demum Belgæ per delegatos Ehrensteinio id decretum denuntiant. Ad quæ hic prolixe ostendebat;

8. Febr.

Electorem contra fœdus cum Suecia Rege alia fœdera iniisse, ac plures copias, quam per Instrumentum pacis, ac SCta Ratisponensia eidem integrum fuerit, ad Rhenum duxerit, ibique in Gallos rem gesserit. Unde Regi justam causam præbitam exercitum Electoris ditionibus immittendi, ubi is haut hostili modo, sed modeste ac sobrie agat, protinus revocandus, ubi Elector rem ad statum, qui tempore initi fœderis fuerit, deduxerit. Hoc antequam fiat, Regis existimationem, & obligationem non permittere, suos inde retrahere. Wrangelium quoque plena agendi facultate instructum, quicum negotium brevi tempore expediri queat, Belgis officium interposituris. Ast Belgæ isthæc nulla ratione niti demonstrabant, ac citra ambages declarabant; ni Suecicæ copiæ ante omnia amoveantur, de tractatione cogitari non posse; ac sibi necessitatem imponi quantumvis invitis hostilia in Suecos sumendi. Id cumprimis absurdum habebatur, a Wrangelio, qui irruptionem fecerat, & arma tenebat, amicam compositionem expectari debere: tum Suecos sui arbitrii esse velle, quantis cum copiis Electores, & Principes patriæ liberandæ se accingere debeant, ac ni ex ipsorum libidine agatur, milite in horum terras effuso velut immorigeros castigandos. Super officio per Suecos hactenus exercito Joannes Camprichtus Cæsareus minister censebat, Ehrensteinio idem responsum, quod Benedicto Oxenstiernæ Viennæ, dandum: quamdiu Sueci militem Electoris terris non deducant, nec medios se gerant, eorum officium admitti non posse. Unde & 1675. ab Ordinibus Generalibus decretum nil amplius libellorum ab Ehrensteinio admittendum; quæ modestissima sit via ei permovendo, ut ultro facessat. Ast Electori isthoc haut sufficiebat, sed quia is non aliud Hagæ acturus erat, quam ut diffidentiam, confusionem, atque discordiam inter ipsos Ordines, ac inter hos, eorumque fœderatos excitaret; nec deceat hostium legatum apud ipsos tolerari; utique eum citra moram dimittendum. Præsertim cum indem diffidentiæ apud Belgas ferendæ spargeret, inter se, ac Gallum, Suecumque secretos tractatus agitari; de quibus sibi nunquam in mentem venerit.

1. Mart.

Circa bellum Suecis indicendum difficultates.

§. 9. Haut eo secius obstabant nonnulla, quo minus bellum Suecis ita promte indiceretur, uti Elector cupiebat. Ac inprimis circa commercia res hærebat. Nam cum Elector in Zelandia complures excursores maritimos instruxisset Suecorum navibus intercipiendis, Zelandi ejusmodi captas naves legitimam prædam declarari, ac apud se publicari nolebant, instinctu potissimum Amstelodamensium, qui bello durante navigationem in Sueciam continuari volebant. Quod si tamen naves caperentur, quæ ad Belgas nil spectent, eas Ostendam deduci, ibique vendi posse. Nam quod Sueci excursores istos tanquam piratas diffamare vellent, ideo, quod Electori jus non foret classem in Mari Baltico habendi, id velut incongruum rejiciebatur. Sed nec Belgæ Suecis aliter bellum indicere volebant, quam cum exceptione liberorum commerciorum; frustra ingerentibus nostris, tepida consilia ingloria juxta, ac noxia; & premendos esse Suecos, qua parte tenerrimus sit sensus. Nam sibi populi animos promtos belli oneribus renitendos, quorum maxima pars e commerciis illis toleranda erat: ac si is frænum mordeat, se ad intempestivam pacem compelli posse. Urgebant inde nostri, ut Belgæ saltem subvectionem frumenti, & salis in Sueciam vetarent; præsertim cum fœdere inter Anglos, & Suecos anno 1666 d. 16. Februarii inito inter merces bello vetitas *(contrabandas* vocant) etiam annona numerata sit. Sed Belgæ istas merces haut classe censeri posse negabant. Si tamen obliqua ratione impediri possit, ne mercatores istas Species in Sueciam importent, id se facile dissimulaturos. Danus contra instabat, ut Suecorum commercia plane inhibeantur, ac pecuniæ eorum, quas in Belgio habeant, publicentur, aut saltem tantisper detineantur. Qui tamen mox id temperamentum admittebat, ut indictione belli facta cuilibet fœderatorum integrum sit commercia cum Suecis continuare, necne, modo nihil mercium bellicarum, & inter has etiam sal invehatur. Sed Belgæ demonstrabant; prohibita suorum in Sueciam navigatione hisce plus damni, quam Suecis illatum iri, quod Angli ejus regni commercia plane in se tracturi sint. Unde haut rationis esse Danum huic postulato insistere, ni efficere possit, ut Angli quoque, aliique navigatione in Sueciam abstineant; quo casu & se

paria

1675. paria facturos. Sed nec cum Dano ita promte conveniri poterat. Is enim quantumvis belli cum Sueco cupidissimus volebat a fœderatis prius clarigationem fieri, ne in se primo loco erumpentem maximum belli onus derivetur. Tum quia ipse mari Suecis plus noxæ, quam quispiam alius, inferre possit, pecunias sibi præberi postulabat classi eo melius instruendæ; quo casu haut opus fore a Belgis classem in Mare Balticum mitti. Sed & moram aliquam negotio injiciebat, quod Arausionensis e variolorum morbo non sine periculo decumberet. Quo restituto Elector, qui & ipse Clivis solito
7. May. morbo laboraverat, Hagam profectus est, ut sua autoritate negotio finem imponeret; ac nutan-
5. Jun. tes confirmaret. Qui & pervicit, ut certa dies
15. Jun. indicendo Suecis bello designaretur, ac Daniæ Regis postulatis satisfieret: tum ut conveniret, quo loco quisque fœderatorum rem gerere debeat. Ubi Cæsar, ac Danus censebant, Suecos tota vi obruendos, eorumque vires frangendas, ne perrumpere, ac cum Gallo se conjungere possent; eosque in Pomerania juxta, & Bremensi provincia invadendos; id quod plurimum accelerandæ paci facturum sit. Quod & Luneburgici valde suadebant, sed ut ipsi rem in Bremensi provincia gerere cuperent. Contra Belgæ, & Hispani hosce Gallis immittere cupiebant. Ac Joannes Fridericus Hanoveranus Dux fratri obtulerat, si copias non in Suecos, sed ad Rhenum ducere velit, se ipsius ditionem contra Suecorum irruptionem tutam præstiturum. Sed & Sueci Luneburgicis fratribus per integrum annum cavere volebant, si arma non in ipsos, sed Gallum vertere vellent. Quam conditionem Duces acceptare dubitabant, ac idem Electori periculosum videbatur, quod non Hanoveranus solum, sed & Monasteriensis a Gallo pecunias accepissent, ne uterque forte pro Suecis arma caperent. Demum pervicere Hispani, ac Belgæ, ut Luneburgici Duces bellum ad Mosellam in Gallos administrarent, quoad necessitas alio eos avocaret. Quibus peractis Elector ad exercitum in Franconiam contendit, inde versus ditiones suas motus. Quo minus idem Hagæ cum legato Anglico Wilhelmo Templio loqueretur, causa erat, quod hic in domo Electoris priorem locum exemplo Gallicorum legatorum prætenderet; id quod nec his ab ullo Electore concessum fuit. Cæsar literis ad Electorem scriptis magnopere fortia, & magnanima consilia, quæ is Hagæ expromisisset, nec minus amorem, atque fidem, qua sibi, ac Imperio addictus sit, ac immotam in bonis partibus constantiam laudabat; tum ne vitam suam periculis objectaret, monebat.

Belgæ Suecis bellum indicunt. §. 10. Conventa inter fœderatos die Belgæ Suecis bellum indixerunt salva commerciorum libertate, quamdiu Sueci eam illibatam reliquerint. Clarigationis edicto deducebant, *uti*
15. Jun. *imminente a Gallis bello ipsi Wilhelmum Harenum*
5. Jun. 1671. *in Sueciam miserint, rogatum, ut Sueci Gallum bello avertant, aut si id frustra sit, ex fœdere debita auxilia mittant. Suecos contra fœdere se cum Gallo innexuisse acceptis pecuniis, ne Belgis opem præstarent. Ita loco auxilii officium conciliandæ pacis obtrusum. Hoc officium dum exercent* 1675.
Suecis, ab iis laboratum, ut Brandenburgicum Electorem Belgarum partibus abstraherent; tum inducias proposuisse, manifestum suæ Reip. exitium parituras, hærente in visceribus hoste. Eo quoque rem redegisse, ut Elector cum Gallo transegerit; se omni auxilio destitutis. Et quia ipsi circa Gallum ad pacem permovendum haut seriam operam navarint, ab hoc Trajectum ad Mosam expugnatum. Id quod impediri potuerit, ni Suecici ministri Electorem ad transigendum cum Gallo perpulissent, eoque & hujus, & Cæsaris auxilium sibi infructuosum reddidissent. Eosdem Coloniæ haut sat enixe laborasse, ut Gallum ab iniquis conditionibus averterent: tum non nisi languide monuisse, ut hic invadendis Imperii Ordinibus abstineret; cum id tamen adversa fronte Westphalicæ paci repugnaret. Contra cum Cæsar, Hispani, ac Belgæ defensionis duntaxat causa fœdus agitarent, exitio a Germania, & utroque Belgio avertendo, Suecos omni vi obstitisse, ac circa cudenda contraria fœdera satagisse, haut dubitantes jactare, istud fœdus in fraudem libertati ac securitati Germaniæ cedere. Prorsus quasi Gallo integrum sit ad opprimendos alios Germania uti, ac in ea pro libidine grassari: contra Cæsari nefas sit oppressos vindicatum ire. Cui instituto haut alius color inveniri potuerit, quam quod Gallus copias suas Germania deducere paratus sit, si, & Cæsar destitutis Belgis militem intra hæreditarias suas ditiones retraxerit. Haut eo minus se tolerasse, ut Sueci officium continuarent, quod spes foret aliquando pacem obtinendi. Ac nactos se demum cum Anglo, Coloniensi, ac Monasteriensi pacem, sed invitis, ac impedire studentibus Suecis, utut a se rogarentur isti promovendæ incumbere. Post tractationem a Gallo abruptam nulla eam instaurandi spe, sibi decernendum fuisse pacem per arma recuperare. Eo fine, cum Ratisponæ Gallus Imperii hostis declaratus fuisset, se cum Cæsare, Cellensi, ac Guelferbytano Ducibus, ac demum cum Electore fœdus iniisse; id quod huic per pactum cum Gallo, & separatum articulum fœderis Suecici permissum fuerit. Unde Suecos ansam arripuisse Gallum firmandi, pacem impediendi, Electorem opprimendi, quicquid ipsi in diversum niterentur, oblato quoque iisdem fœdere pro securitate Teutonicarum provinciarum. Ast Suecos epistola ad ipsos scripta hanc causam, quare Electorem invaderent, adduxisse; quod is suis, ac sociorum partibus accesserit; se incassum rogantibus, ut Suecicus miles provincia Electoris dimoveretur. Eas ob causas sibi necessitatem incumbere Electori ex fœdere opem ferendi, ac Suecos terra marique bello impetendi. Ehrensteinius contra exhibito scripto testabatur; 27. Jun.
Suecos serio, ac sincero animo circa pacem satagisse; nec ullam eos causam hujus belli Belgis præbuisse, cum id unice ab Electore originem ducat. Inde idem navi Belgica Hamburgum se conferebat. Eodem die Dux quoque Villæ Hermosæ Bruxellis nomine Regis Hispaniarum Suecis bellum indicebat.

§. 11. Ast Viennæ cum de Suecorum motu audiretur, protinus decernebatur decem militum millia in Silesiam mittenda, magis tamen ad Cæsaris, quam Electoris ditiones tuendas. *Cæsarei cunctantur in Suecos*

Ciii

1675. commoratur. Cui aulæ & Benedictus Oxenstierna fucum facere nitebatur, proposito, ut Cæsar legatum Holmiam mittat, officium componendo inter Regem & Electorem dissidio oblaturum. Scilicet ut Cæsar impediretur, quo minus Electori suppetias ferret, ac is hoc ipso adprobaret, Regi utique de Electore querendi causam esse. Etsi satis adparebat, Suecorum consilia admodum turbata esse, quod neque Bavarus, nec Hanoveranus, quousque ipsi optaverant, in causam descendere voluissent; &, qua ratione Gallo promissa repræsentari possent, haut adpareret. Nonnullis tamen, ac præcipue Montecuculo nondum persuaderi poterat, Suecos ita temere in bellum erupturos, quod hoc ipso autoritatis, quam sequestris munus pariebat, jacturam facturi sint, provinciis insuper Germanicis facile exuendi. Cæterum instabat Elector apud Cæsarem, ne adversus Suecos remedia judiciaria, puta mandata sine clausula adhibeantur; cum non nisi armis lo-
1. Jan. cus sit. Unde Oxenstiernæ declarabatur; a Suecis Electorem invadi non posse, ni Instrumentum Pacis violare, sequestrisque officio exui, ac fœderatorum arma in se pertrahere velint. Simul requirebatur, ut is perspicue demonstraret, quid querelarum ipsis in Electorem sit. Ad quæ iste nil liquido respondere, nisi quod obiter jaceret; haut ægre temperamenta inveniri posse. Ac sperare se, Cæsari haut fœdus esse, ex quo teneatur se ingerere si Regi Sueciæ cum uno & altero privata lis intercedat; cum nec Rex Gallico se bello misceat. Mox cum nuntii adferrent, Suecos jam in Marchiam invasisse, Crocovius Montecuculo incredulitatem exprobrare, quæ in causa sit, quare huic malo averruncando haut mature remedia fuerint adhibita. Qui nil præter illud, *non putaram*, reponebat. Etsi revera tam huic, quam legato Hispanico Oxenstierna illusisset, proposito fœdere cum Hispanis Sueciæ admodum proficuo, cujus formula Madritum missa fuerat. Idem Oxenstierna legato Hispanico significabat: rumorem in urbe increbuisse, quasi Sueci in bellum cum Electore eruperint. Id falso fingi, ac tantum hospitia paulisper prolata; id quod in hostilitatis vicem capi nequeat. Cui contra Hispanus; hautquidquam amicitiæ specimen haberi, in alienis ædibus invito domino hospitium sibi capere. Cæsarei porro haut eo secius censebant, Electori cum exercitu ad Rhenum consistendum; de quo Crocovius nullam spem faciebat, Cellensi quoque legato declarante, statim atque Sueci Electorem invaserint, Ducem cum exercitu retro versurum. Iidem quoque tam cum Oxenstierna, quam aliis in actionibus circumspecte admodum procedebant, solicite declinato, quicquid ullam speciem abrumpendæ cum Sueco pacis habere posset. Apud Crocovium autem excusabant, prius sibi arma in promtu habenda, & exercitum in Silesia contrahendum; quo instructo ferocius se locuturos. Revera metus erat, ne Sueci recta in Silesiam tenderent, ubi quos sacrorum nomine tantopere vexarant Protestantes ipsis se juncturi sint. Queis contra Crocovius minabatur, ni Electori auxilium feratur, necessum ipsi fore cum Suecis quantovis dispendio transigere. Mox cum Cæsar per Paulum Hocherum causas irruptionis in Marchiam ex Oxenstierna quæri juberet, hic respondebat: *Regi suo tantam in Electorem esse offensam, quam ne privatus quispiam digerere possit. Istum quippe cum hoc fœdus iniisse, ut neuter huic bello se misceat, nisi communicatione prius cum altero facta. Electorem tamen in partes descendisse, inconsulto Rege; ac postulante Wangelino expeditionem suspendere noluisse; nec respondere dignatum, cum interrogaretur, quare copias e Borussia arcesseret. Unde Regi necessitatem allatam ejusmodi armorum paratus faciendi, quorum sustentatio suis provinciis gravis nimium foret: quibus cum Elector causam dederit, par esse, ut & iis alendis quid conferat. Cæsari curæ fore de remediis cogitare isti dissidio componendo. A Rege satisfactionem, & securitatem quæri. Sibi spem esse, Cæsarem consilia sua ita moderaturum, ne ex privata hac lite commune incendium surgat.* Ista cum parum solida ostenderentur, ulterius in disceptationem descendere nolebat. Idem tamen turbandis fœderatis Viennæ spargi curabat; sibi aulæ Cæsareæ consilia admodum probari. Declarationem super loco tractatuum, ac Wilhelmo Furstenbergio solida ratione niti, ac a Gallis utique legatos Hamburgum mittendos, quicquid renitantur. Se Vienna discedere cupientem rogatum, ut aliquantisper maneat. Sperare, a Cæsare legatum Holmiam mittendum, arctius stringendæ amicitiæ. Sed Hocherus dicebat: ista inania esse sibi satis constare. Quod autem Cæsar nondum Suecum sequestrem repudiaverit, nec bellum indixerit, inde esse, quod dubitet; an non Elector consultum judicet paulisper connivere, quoad omnia ubique rite parata sint, ne Suecis intempestive irritatis ad atrociora ausa præbeatur. Nec Silesiæ adhuc satis prospectum; ac prius sibi noscendum, quid alii fœderati facturi sint. Cæterum esse Oxenstiernæ causam, quare de Cæsare contentus sit: sed huic Suecorum acta haut probari, totum orbem mox perspecturum. Cæsarem neque Hamburgum, neque Holmiam legatos missurum. Idem monebat, Suecis, & Administratori Augusto in animo esse Magdeburgum opprimere, eoque insidias cavendas. Nam Suecos alliciendo Saxoni de Magdeburgo, & Erfordia spem fecisse. Ac alias Administrator parum amici animi indicia ediderat, misso dum Elector in Alsatia agit certo homine Argentoratum, qui sinistra quæque de ibi gestis referebat. 1675.

§. 12. Reddebantur inde Cæsari a Rege Sueciæ missæ literæ, rationem irruptionis in Marchiam reddituræ; quas heic verbis conceptis adscribere placet. *Serenissime & Potentissime Imperator, Domine Frater, Consanguinee, & Amice charissime. Literæ Majestatis Vestræ die 19. Novembris elapsi anni exaratæ aliquo tardius, & cum eas pridem typis evulgatas vidissemus. Nobis sunt transmissæ, fusiusque Nos edocuere, quæ Mti Vræ de legati Gallici contra Electorem Brandenburgicum expositis publice apud nos querelis relata sunt, & quibus arbitra-* Regis Sueciæ ad Cæsarem litera. 15. Febr.

1675. arbitrata est juste se posse indignari, cum non ipse Elector, verum potius Rex & Dominus prædicti legati in leges Westphalicæ pacis peccasset, ac istis, quas Mti Vestræ visum denuo ac singulatim enumerare, offensis ac Imperio illatis detrimentis magis promeruisset, ut arma Statuum, & eorum omnium, qui pacis consortes & vindices essent, in Regem Galliarum ipsum converterentur, quam quod vel illi fas esset, ea contra Electorem evocare, vel alii alicui concessum, Electorem sub guarantigia Vræ Mtis & Imperii constitutum, ob ea, quæ pro avertenda hac Imperio illata vi gessit, impune lacessere, & aggredi. Quemadmodum Mtas Vra agnoscendo & deprædicando nostram, quam pro reducenda Germaniæ tranquillitate impendimus solicitudinem & curam, se etiam confidere profitetur, quod consideratis arduis istis, quas Mtas Vra adduxit rationibus, non solum Galliæ requisitioni ulteriori non aurem præbere, verum potius nostra in tutelam Imperii, Mti Vræ, Electori, & reliquis pro ejus salute excubantibus Statibus arma jungere vellemus. Cum recordari Mem Vram non dubitemus, quæ ejusdem ablegato extraordinario Comiti de Sternberg qua supradictum negotium iterato respondimus; ita Mtem Vam etiam eo facilius comprehensuram confidimus, quæ mens in hoc responso nostra, & quod, quicquid Mti Vræ in contrarium suggeritur, ne latum quod dicunt unguem recesserimus a priori, & eo tempore declarata promovendi serio pacem solicitudine; & a studio excolendi, imo arctius constringendi eam, quam cum Mte Vra sinceram & intemeratam cupimus amicitiam. Fassi enim sumus antea aliquoties, & adhuc denuo profitemur, nullo unquam Nos tempore ac modo probasse, vel etiamnum excusare, quæ exercitus Gallici in Germania perpetrarunt, violenta, & legibus Pacis Westphalicæ contraria. Sunt enim graviora, quam quod ratio belli, & studium prævertendi, quod illis imminere, & præparari arbitrabantur mali, ea reddere possit vel justa, vel tolerabilia. Verum cum nonnunquam, & uti existimamus non immerito monuerimus, posse ex amica dissidiorum compositione priorem malo salutem conciliari, quam ex vindicta, & ulteriori armorum motu & strepitu, inprimis cum Ser.mus Galliarum Rex ad reparanda, quæ rite postulari possent damna, ad restituenda quæ a suis detinentur loca & fortalitia, & ad ponenda & revocanda sua ex Imperio per inducias generales arma se pronum ac paratum demonstraverit; ita experientia quoque ipsa deinde testata est, non vanam fuisse hanc nostram solicitudinem, non frustraneas nostras observationes, & monita, quandoquidem per accessionem partium non tantum belli incendium non extinctum, verum potius majora exinde cepit fomenta, ut solet, quando oleum igni infunditur, & flammas dispersit suas in omnes Imperii partes, absumitque insontes, & a causa & culpa belli liberos, non minus ac sontes, & bello ipso interessatos. Et quid e contra Imperium tantis viribus fultum non potuisset, si consilium nostrum, quo, Deum testamur, nullum & sanando præsenti, & præcustodiendo futuro belli malo magis salutare, ac ad æquatum deprehendebamus, ullum nanscisci potuisset assensum, & Status suas cum nostris conjunctas belligerantibus monstrassent vires, ab operatione belli equidem parum retentas, paratas tamen & validas ad extorquendam pacem ab alterutra parte, quæ illam noluisset & æquam, promtam, ac generalem. Et donec de mente hujus vel alterius iniqua, vel ad quietem proclivi, deque justitia postulatorum, quæ utrinque proponebantur, aliquo luculentius orbi constitisset. Quemadmodum Dn. Elector Brandenburgicus & ipse illam agendi salutarem methodum, quam libentissime approbavit, & desuper solemne quoddam fœdus Nobiscum iniit, & conclusit, Mtem Vram comperto hoc Dni Electoris nexu, & consideratis sequentibus in rei veritatem adstruendam adductis rationibus, & circumstantiis pro sua servatæ semper fidei gloria existimaturam speramus hanc sponsionem utrinque bona & sincera fide, ut speraveramus, datam, & egregio publico in tantum propitiam Domino Electori non permisisse in hanc expeditionem militarem se ita præcipitem dare, vix postquam hoc nobiscum initum fœdus pepigerat, & Nobis plane insciis & inconsultis, spretisque simul illis amicis, quibus pacem cum ipsius tam solenni assensu promotum ibamus mediis; quæ ipsi etiam prius, quam ad arma recurrere, posset, juxta normam pactorum erant tentanda. Quemadmodum Mti Vræ amicam hanc compositionem per ministrum suum Marenholz, non minus ac Nos illam per Residentem Nostrum Pufendorffium de meliori commendabat. Censet equidem Mtas Vra Dn. Electorem fuisse multis, quas in justitiam causæ ipsius adduxit, rationibus obstrictum ad defensionem Imperii & Electorum quorundam vi externa afflictorum. Et Nos ipsi nefas fore fateremur, velle oppressos frustrari hac ope, si Dn. Elector absque læsione Instrumenti Pacis, & Nobis per specialia, de quibus mentionem jam fecimus, pacta datæ & debitæ fidei illis opitulatum ivisset. Ast sicuti Dn. Elector legibus Westphalicæ pacis salvis, & intemerato, qui in iis loquitur de ambarum Coronarum hostibus extra Imperium non juvandis, articulo illa quæ in obsidium Gravæ præstitit auxilia mittere non poterat; ita etiam quæ Nobis specialiter data promissa Dn. Elector diffiteri non poterit, omnia hæc, quæ Gallia contra Imperium, & cum primis adversus Treviros, & Palatinatum commiserat, antequam Nobiscum sæpius memoratum fœdus concludebat, vel conclusum ratihabebat, jampridem fuisse perpetrata. Quare itaque cum vel Unionis Electoralis, vel Instrumenti Pacis, vel alio etiam ad ea vindicanda tenebatur vinculo, hæc sibi in nostris non reservavit pactis, & quare tunc amica componendi has turbas, & reparandi hæc damna violentis prætulit armorum remediis? Confitebatur quidem ipse sæpius, dissuaderi a multis & in Imperio & extra illud hanc confœderationem, cum inprimis niteretur præmemorato amice quietem reducendi scopo. Ast promittebat Dn. Elector, se nihilominus in proposito, quod ipse ita deprædicabat, salutari futurum constantem. Quemadmodum etiam omni illa contradictione non attenta & pacta promovebat, & mutuo ratihabita permutari curabat. Quamvis autem Dn. Elector in articulo quodam separato liberiorem aliquem agendi modum sibi stipulabatur, verum nihil sinistri & contrarii quæ fœdus ipsum suspicari poteramus, cum simul spondebat, velle se bona

1675. *bona fide cuncta, quæ sibi proponeret, Nobis declarare, & una experiri, num nostrum assensum & adjutorium in iis, quæ justa duceret, & pro re communi tentanda, obtinere posset. Verum quod Dn. Elector hanc de operatione militari reassumtam mentem Nos omnino clam habuerit, usque dum miles accinctus, & bellum Galliæ denuntiatum, & interea temporis nostrum in aula ipsius commorantem ablegatum ditissimis, quod immotus & inconcussus omnibus, qui nostris pactis adversa requirerent, resisteret, promissis, & pariter inani spe ulterioris de sustentatione sui militis tractatus eluderet, ipse Dn. Elector in literis suis, quibus Nos de hac sua intentione certiores reddit, non obscure fatetur, dum Cancellarium suum Brand se ablegasse scribit, quo Nobis hoc suum iteratæ expeditionis propositum exponeret, qui tamen sero satis & re non amplius integra hic appulit. Et hæc propria confessio sua refutat omnia ea, quæ ex post facto orbi persuadere sategit, satisfecisse se nimirum tenori pactorum etiam qua debitam hanc communicationem, & de cætero se præter illam debuisse Imperio hanc opem, quam tamen, de quo certi sumus, ultra quantum Imperio juxta ejus decreta debitum, non præstitisset, intuitu solum earum rationum, quas Mti Vræ pro ipsius causa afferre placuit, nisi exterorum ingentia subsidia accessissent, vel aliæ etiam ipsi factæ spes, quibus non semel a societate & amicitia Antecessorum nostrorum amotus est. Cum itaque luculenta rei evidentia demonstret, nostram cum Dn. Electore nuper exortam controversiam non niti injustis & illicitis illis principiis, quæ Mti Vræ a Dn. Electore, & reliquis nostræ causæ male cupientibus, sunt persuasa, nec displicentia, quam obinde nostrorum motu armorum in ditiones Electorales sumus testati, sit soli Galliæ solicitationi adscribenda; quamvis concedamus, Nos Ser.o Regi Galliarum teneri per leges pacis Westphalicæ, per specialia cum Ipso, quæ tamen ejusdem pacis tabulis, & ipsa Mtis Vræ explicatione nituntur, inita fœdera, & per illum nexum, quo Nos vindicem & sponsorem transactæ nuper inter alte memoratum Regem, & Electorem litis promisimus, verum quod honestas ipsa & fides sincere data, ut sanctissimum sociæ vitæ vinculum Nos ad ea adegerit. Ac quod denique animadversio illa Nostra pro aggressione rite haberi non possit, cum per unanimem moderatiorum gentium consensum non is qui arma primo infert, vel ut Nos coacti religione sancte observandorum fœderum ea solummodo maturioris reconciliationis ergo absque operatione hostili monstrat; ast potius ille pro vero censendus belli autore, qui lacessens alterum injuriis causam ultioni & armorum motui præbet. Itaque nulli dubitamus, quin Mtas Vra pro justissimo suo & integerrimo animo, quo adeo apud Orbem inclaruit, & vera a speciosis justa ab iniquis discernere valet, mature has, quas superius adduximus, æquitate & fide suffultas rationes sit perpensura, & agnoscere, & quod Nobis potius guarantigia Imperii in vindicandis Imperii Constitutionibus & pactis, quam Dn. Electori in iis infirmandis debeatur, simul dijudicatura, contra Nos ad instantiam malevolorum nihil a Mte Vra aut per editionem avocatoriorum, ad alia adversæ mentis argumenta procurari, vel ab Imperio decerni posse, quod non repugnet veris justitiæ & æquitatis legibus, tranquillitatem communem, cui reducendæ tam sedulo & sincere invigilamus, longius arceat, & Christianum orbem in majora discrimina, cædes & devastationes protrudat; quorum omnium vindex Deus causam juxta merita & ulciscetur, & proteget. Interea a Nobis nihil desiderari patiemur, quo mala hæc, in quantum per nostra hæc dissidia aggravescere possunt, sanari & tolli queant. A Mte Vra hisce contendentes velit amice experiri, quam pronus & promtus noster sit ad reconciliationem animus, modo pari, & pactis consentaneo studio Nobis obviam eatur, & quantum sumus daturi egregio Vræ Mtis componendi particularem hanc litem in literis suis præmemoratis testato desiderio. Quibus Mtem Vram divinæ protectioni ad prospera quævis animitus commendamus.* 1675.

Objecta a Suecis diluuntur. §. 13. Ast Cæsari ista per se satis diluta videbantur; & Crocovius demonstrabat; Wangelino abunde indicatum, quid Elector agitet; eum tamen toto tempore de Regis sui sententia nihil aperuisse, ac semper defectum mandati excusasse. Præterea post decreta Imperii contra Gallum condita haut amplius consultandi locum fuisse inter Regem & Electorem super auxilio, quod hic præstare tenebatur, eoque nec communicatione opus fuisse: præsertim cum in omnibus pactis Cæsar & Imperium excipiatur, cujus obligationi nil derogari queat, sic ut nulla deliberatione opus sit, officium faciendum sit, nec ne. Anceps quoque fuisse consultationem cum iis instituere, qui pecuniis ab hostibus Germaniæ autorati fuerint. Ac si maxime detur circa communicationem quid omissum, tamen novissimis pactis cautum, ut si quid dissidii oriatur, id amica ratione componatur. Sed & idem jussu Electoris acriter instabat, ut Cæsar acta Suecorum hostilia, & infractæ pacis crimen habentia declaret, eoque nomine bellum in eos decernat, præsertim cum ipse absque contumelia Cæsaris deseri non possit, quod Sueci palam jactare non dubitent, ista ideo facta, ut Elector Cæsaris, ac fœderatorum partes deserat. *Elector Cæsaris auxilium exposcit.* Ut quoque Cæsar operam det, quo Sueci pariter a toto Imperio, ac fœderatis hostes judicentur; edicta avocatoria promulgentur: legatus Suecicus sequestris munere dimoveatur. Tum ut mature super administrando bello in futuram æstatem disponatur, ut Electoris securitati adversus Bavarum & Hanoveranum prospiciatur: ut Saxo, & Administrator Magdeburgicus moneantur, ne cum Suecis clandestina consilia misceant, utque Magdeburgi securitati prospiciatur. Addebatur, ut Cæsar C M florenorum Electori præstet, quo munitis oppidis rite prospici possit. Sed ad pecuniam aula ista aures obturaverat obtentu enormium expensarum; utut demonstraretur, Cæsarem tanta a fœderatis subsidia, & ex Imperio tributa accipere; cujus & provinciæ floreant, Electoralibus exhaustis; ac ipsius Cæsaris interesse, Electoris oppida ad vim repellendam probe instructa esse. Circa reliqua curæ sibi fore pollicebantur; sed bellum non prius indici posse, quam

1675. quam exercitus in Silesia paratus, & consilia cum fœderatis collata sint. Utique tamen Electori auxilia submittenda, quamprimum ipse in suas ditiones accesserit. Nam Cæsari paulo cautius procedendum, cum Electoris legatus Ratisponæ haut aperte in Suecos dicere audeat. Ac sane super auxilio Electori submittendo Viennæ sat frigide agebatur, quod spes esset, Suecos ultro copias suas ex Electoris ditione revocaturos. Ac instabat Cæsar apud Bavarum; Suecis persuaderet, ut omissis Electoris terris plura tentare omitterent, ac in priori statu persisterent. Quam in rem Bavarus prolixe operam suam pollicebatur, ad amplectendam pacem Cæsarem hortatus, qua obtenta ejusmodi peculiares lites ultro expiraturas. Ea super re Crocovius gravissime querebatur: ista omnia spectare ad remoranda auxilia, & fœderatos per inania distinendos, ne fortia consilia capessant. Interim provincias Electoris plane comedi. Si fœderati ita agere pergant, Electori necessum fore alias sibi partes quærere. Contra Cæsarei non dissimulabant, a se adhuc dubitari, num Elector serio statuerit armis in Suecos rem gerere; quod nondum propriæ ditioni subventum eat, ac in Franconia cum exercitu hæreat. Sed

3. Mart. Crocovius demonstrabat; uti ratio belli haut permittat fatigatum exercitum hac anni tempestate per tanta viarum spatia in recentem ac vegetum hostem rapere; ita multo minus leges prudentiæ permittere, ut Elector cum Suecis manus conserat, antequam norit, quid fœderati sint facturi, & antequam cum istis circa omnia conventum fuerit. Alias enormia facinora, queis Sueci Electoris terris insultent, sat cautionis esse, nil clandestinæ collusionis inter Electorem, & Suecos agitari. Videbantur tamen Cæsarei paululum excitari, cum e Dania nuntiaretur, eum Regem terra marique Suecis bellum facturum, si a fœderatis requiratur, & præstanda præstentur; simul apud Belgas instinctu potissimum Arausionensis mascula consilia capi. Unde Crocovius suadebat, ut Elector omnia Hagæ expediri, ac decerni curaret, ac ea demum Viennam adprobanda transmitteret; quod heic ista ægre pervinci queant ob solitum ejus aulæ lentorem, nimium in Romanos ritus respectum, ac invidiam erga Ordinum potentiam; per quæ saluberrima quæque consilia corrumpi frequens sit. Prout & Danus suadebat, ut Cæsar legatum suum Hagæ circa omnia plenis mandatis instruat, quod ibi omnia promtius expediri queant. Præsertim cum Viennæ tunc difficillimum esset liquidum responsum extundere, nullo secreti Consilii directore, & reliquis æmulatione inter se distractis, ac legatos ab uno ad alterum rejicientibus.

Aula Cæsarea cunctatur. §. 14. Haut eo magis cunctationem exuebant Cæsarei, excusantes, non posse Cæsarem Suecorum animos in se avertere, ne recta in Silesiam tendant. Sed revera erant adhuc au-

7. Mart. læ Viennensi arcana cum Suecis commercia, quod Benedictus Oxenstierna, cum Vienna digrederetur, ample cavisset, (id quod Crocovio haut communicatum fuerat,) Suecos Cæsaris ditionibus abstenturos; ut ita Cæsareis lucri instar haberetur, Electoris provincias Suecis devorandas exponere, quo suas servarent. 1675. Quin & idem Oxenstierna sancte asseveraverat, Suecos nulli alteri ex Ordinibus noxam illaturos. Qua de causa & militem Francofurto, & Crosnæ Cæsarei immittere nolebant, nec avocatoria promulgare, quoad Elector rem in Suecos gerere cœpisset. Sed & Sueci apud Moguntinum, Wurtenbergicum, & Cassellanam instabant, ut officium inter ipsos, & Electorem interponerent, remorandis fœderatorum auxiliis. Erant quoque Electori multi parum benevoli in aula Cæsarea, quorum numerus gliscebat, postquam istius miles multorum Cæsareorum ministrorum prædia per Franconiam hibernis premebat; & quia ipse donis eosdem mactare omiserat; queis Principis lenitas fere audaciam addebat pleraque pro suo lubitu agendi. Nec parum remoræ ab Hispanico ibi legato Balbasarum Marchione proveniebat, cui solenne erat modicæ pecuniæ parsimoniam maximis emolumentis, ac Reip. rationibus antihabere, nec minus mira sibi somnia fingere, ac inania captare; quibus adeo pervicaciter inhærebat, ut omnia sursum deorsum verti, quam semel utcunque conceptam sententiam mutare mallet. A cujus quoque cavillationibus profectum erat, quod superiore anno tractatus cum Electore extraheretur, non sine ingenti temporis ad rem gerendam idonei dispendio. Ac nunc falsis ejusdem nuntiis, ac asseverationibus nullo fundamento nixis, quod Sueci in bellum erupturi non sint, aulæ illusum, ut remedia avertendo malo negligerentur. Unde Crocovio extremum remedium videbatur, per Georgium Fridericum Waldeccæ Comitem, quem Arausionensis tunc Viennam miserat, ac Belgicum ministrum Cæsareis exponere, quam necessarium sit Suecos Imperii hostes declarari. Hoc ni brevi fiat, non solum Electorem rem alia consilia capessiturum; sed & eadem a Belgis excusante necessitate haut improbatum iri. Sed & ipse Elector 16. Mart. Cæsari demonstrari jubebat, quod ita circumspecte adversus Suecos agatur, id in causa esse, ut Danus in arma erumpere tergiversetur, velut qui semper ad Cæsaris, & Imperii exemplum provocet. Nec minus suspectum erat, quod Cæsar Anhaltino Principi rescripsisset: si Elector manus cum Suecis conserere cœperit, arma se sua vi fœderis ad liberandas ejus ditiones sociaturum; quasi iste auxilio misso defungi vellet, haut sumta in Suecos hostilitate; id quod apud omnes fœderatos, ac cumprimis apud Imperium Electori maximæ fraudi futurum erat. Unde Cæsari utique loquendum & scribendum de Suecis velut Imperii hostibus, ac Vienna expellendum ab Oxenstierna relictum hominem, qui garrire non desinebat; Regi Sueciæ magnopere cordi esse pacem in Germania instaurare, cum Electore transigere, ac cum Cæsare, & Imperio sinceram amicitiam colere. Ista ingerenti Crocovio Hocherus 10. April. disserebat: *Austriacorum fortunam nunquam firmo pede staturam, nec Germaniæ de constanti quiete, ac feli-*

1675. *ac felicitate cautum esse, quamdiu Sueci vel latum pedem in Germania possideant. Non tamen præstare se posse eandem omnium Cæsaris ministrorum mentem esse; qui iniquum judicent, ab hoc periculum & sumtus tolerari, in alios emolumentum redundare. Ipsum tamen Cæsarem in ea sententia esse, ac nuper adhuc doluisse, novissimo bello Polonico rem eo deduci non potuisse, dum insuper habitis tot commodis per Polonorum præcipitantiam pax ineunda fuerit.* Cui Crocovius reponebat: sibi e Lisola, & Suchio cognitum, Lobcovicium in causa fuisse, ut Stetinum haut majore vi oppugnari potuerit, prohibito, ne sat machinarum submitteretur; eumque causatum, non expedire Stetinum capi, quod id paci obstaculum sit futurum. Quod & Hocherus ita esse confirmabat. Demum cum nuntiatum esset, Danum Sueco bellum indicturum, ipse quoque Cæsar declarabat, se cum Suecis pacem abrupturum, si Danus, & Belgæ idem faciant.

16. Maji. Ast Elector urgere non desinebat, ne Cæsar alios respiceret, sed potius suo exemplo fœderatis præiret; eoque citra exceptionem mandata *Cob.* Wolfgango Friderico Cobio, cui in exercitum Silesiacum imperium erat commissum, mitterentur, ut secum copias societ; utque Ratisponæ Sueci hostes judicarentur. Citra hoc enim Danum in bellum erumpere nolle; quo quiescente omnia adversus Suecos destinata irrita fore. Nec eo magis Cæsar liquidi quid decernere volebat, quoad Hagæ super omnibus convenisset. Et Cobio mandata mittebantur, ut se cum Electore tunc demum conjungeret, quando is rem in Suecos gerere cœpisset. Usque adeo diffitentia ex transactione ante biennium cum Gallo nondum exoleverat. Sed *9. Jun.* mox cum Elector in Suecos movens a Cobio requireret, ut copias secum sociaret, hic respondebat: sibi quidem injunctum, ut itineri se paratum teneat: sed antequam id ingredi possit mandata Vienna esse expectanda. Et tamen Otto Henricus, Grana Marchio Hagæ asseveraverat, ostensis literis Cæsaris manu scriptis, Cobio jam injunctum, ad Electorem ubi requiratur cum exercitu accedere. Quin & cum Hagæ de certo die belli Suecis indicendi convenisset, & Crocovius interrogaret, num & Viennæ id futurum sit; Hocherus respondebat: Cæsarem id solum facere non posse. Nam Danum novas difficultates Hagæ movisse, ac inde Belgas quoque hæsitare. Eam quoque conventionem sub spe rati conclusam fuisse, nec constare, num Danus eam firmaturus, ac executioni daturus sit. Ita dum unus in alterum respicit, tempus incassum labebatur; ac nisi Electori divinitus tam illustris victoria contigisset, serum futurum erat Cæsaris auxilium extundere.

Ratispona acta. 5. Jun. §. 15. Ast Ratisponæ, nondum apertis Suecorum destinatis, Elector his ullam offensæ causam præberi vetuerat. Sed post factam irruptionem Godofredus Jena libere loqui, ac præcipue Protestantibus demonstrare jubebatur; uti Sueci hactenus jactaverint, quantopere communis Protestantium res sibi cordi sint. Sed nunc specimen edere, quid animi sub fucato
verborum velo tegant. Unde & idem tunc p
vicit, ut multis licet reluctantibus super libe
ab ipso exhibito sententiæ perrogarentur. I
decretum fuit, Electori defensionem a toto I
perio præstandam, si abs quocunque in ejus
tiones hostile quid tentetur, prout leges Im
rii, Instrumentum Pacis, & SCta definia
Circa quod decretum utriusque Senatus di
ctores, ac Præsules, Burgundusque peculi
studium in Electorem testabantur. Sed Ba
rus omnem lapidem moverat ei remorando;
a Suecis hospitia duntaxat dilatata excusab
simul amicam compositionem tentari suadel
Videbatur id SCtum insignis momenti, & qu
quam Suecorum diserta mentio facta non e
eos tamen notari satis patebat. Ac multi
rabantur ita promte contra istos decretum fi
se, qui exercitum in Germania habebant, c
Cæsari magno labore opus fuerit, ut post ta
toleratas insultationes talia in Gallos decer
rentur. Utile quoque fuerat, eo libello nul
nomen expressum, quod eo modo nemini p
textum esset, palam id abnuendi, quod legi
Imperii utique congruebat. Cæterum I
fundamento posito Elector satius judical
eam causam deinceps Cæsaris nomine velu
officio agi, quam si suo nomine libelli exhi
antur. Præstare quoque ut Suecus tanqu
Rex hostis Imperii judicaretur, quam idem t
quam Dux Bremæ & Pomeraniæ proscriberet
quod istud apud exteros, & fœderatos plus p
deris habiturum sit. In universum autem c
sultius videbatur, id negotium apud Cæsar
urgere, velut SCtorum executorum, quam
nuo ad Ordines referre, ubi defuturi non era
qui negotium morarentur. Præsertim c
Bavarus officium componendo dissidio in
rere non desineret; ac multi cætera an
differerent; sat jam negotii cum Gallo e
ac expedire Germaniæ, ne cum Suecis ad
ma perveniatur. Per quæ inania sermon
Electori hautquidquam consulebatur, c
nullum eam in rem idoneum remedium si
proponeretur. Et quia is ideo in hanc m
stiam inciderat, quod aliis Ordinibus per a
oppressis obventum iverat; par quoque
per arma eidem succurri. Ac prolixam
ctationem ingredi, Suecis interim ditioni
incumbentibus, noxium erat; nec qua
tione hanc viam ingresso satisfieret adp
bat. Post Sueci prætextum suæ irruptio
Ratisponæ vulgabant: *Esse eam privatam
Electore litem: ex fœdere non satis ab hoc
Rege communicatum fuisse. Nec Electori
irruptionem admodum ingratam accidere,
per eam plausibilis color præbeatur a fœ
tis se dissociandi.* Quæ a vero abeuntia
lector refutari jubebat. Nec aliud fœ
contineri, quam ut super negotio pacis
ter ipsos communicaretur; non autem
Suecos prius in consilium adhibere ne
sum sit, num alicui oppressorum Ordi
subveniendum, an minus. Num p
Cæsari ac Imperio tolerandum, Gallos
Suecos sibi solis interpretationem In
menti Pacis arrogare? Eosdem Ordin
præ

1675. præscribere audere, quousque fœdera inire debeant? quo copiarum numero unus alteri assistere possit? Num par esse Suecos cum Gallo declarato Imperii hoste fœdus habere, cujus vi fas ipsis sit Electorem opprimere eam duntaxat ob causam, quod Cæsari & patriæ omnibus viribus adsistat? Num Electori ullo modo consulendum, ut fœderatis disjunctus ad separatos tractatus descendat, ac salutem & libertatem patriæ ab exteris proculcare patiatur? Quas porro tractationis ambages expectandas, dum per tanta terrarum ac maris spatia de omnibus in Sueciam referendum est, Electoris interim civibus funditus exhauriendis? Sane si amica compositio ipsis cordi foret, Belgarum officium ante irruptionem legato Suecico oblatum haut insuper habituros fuisse; quod satis ostenderint, omni alio respectu superius ipsis esse, Gallorum libidini velificantibus excitatam ab hisce belli flammam latius diffundere.

Ab Ordinibus parum auxilii sperandum. §. 16. Non tamen erat, quod Elector Ratispona multum auxilii ultra verba processuri expectaret. Equidem Austriaca legatio Electoris causæ favere jussa erat, ut tamen nondum Suecos hostes judicaret. Paulo enixius studium ostendebant Catholici, quod metuerent, ne in ipsorum fraudem Elector cum Suecis transigeret. Sed publicus Imperii exercitus tenuis, & vix pontibus ad Argentoratum tuendis sufficiens: & quia multi Ordines suos ex eo exercitu milites dimittebant, ac stipendia negligenter solvebant, metus erat, ne iste plane dilaberetur. Ac Rheno vicini populi ipsi auxilio indigebant. Sed & nondum Ratisponæ enixius urgeri poterat Suecos hostes judicandos, quod Cæsareis id præmaturum videretur. Igitur libellum quidem de Suecis querentem exhibuerat Jena, nondum *16. Mart.* tamen exigere jussus, ut de eo ad Senatum referretur, quoad privatim singulorum mens explorata fuisset, num de majore suffragiorum parte cautum esset; & vel ideo interposita mora opus erat, ut legati domo mandata petere *Habitus animorum tunc conventus Ratisponensis.* possent. Quid porro solidi a conventu Ratisponensi sperandum foret, singulos considerantibus facile adparebat. Moguntinus tenues vires excusabat. Coloniensis, Trevirensis, Palatinus cum domesticis malis conflictabantur. Bavarus medium se gerebat, qui & legato suo præscripserat, ut cum Sueco, & Hanoverano super una sententia conveniret. Saxo nil nisi pacem occinebat. Plerisque studium hactenus fuerat, quamdiu res ferret, sibi, suisque peculiariter consulere, ac suas sibi rationes præ oculis habere, quicquid communi patriæ, aliisque ejus membris fieret. Inferior Saxonia in se divisa, plerisque neutras partes sequi volentibus, Hanoverano Suecis innexo. Westphalicus Circulus belli mala cumprimis senserat, incumbente exercituum parte, & Gallis nondum plane exclusis. Plurimos, ne Suecos offendere vellent, imbecillitas prohibebat: apud cæteros, qui aliquid poterant, iste mos invalescebat, ut statim subsidia deposcerent; ni darentur, desides aliorum labores spectaturi. Non paucos offenderat, quod fœderatorum exercitus, subigente licet indeclinabili necessitate, transitibus, ac stativis molesti ipsis forent, nec, prout leges præscribunt, consumta solverent, ultro hospites pecuniam poscentes. Ac aliqui haut obscure fremebant; si talia declinari nequeant, se malle eadem ab extero Rege; quam ab aliquo suæ Reip. consorte tolerare. Unde maxima pars pacem anhelabat, ac eam pridem haut occupatam quærebatur. Aliqui disserebant; se credidisse, cum Elector tam longe a terris suis discederet, sat cautum ei fuisse, a Suecis nil infesti impendere. Nunc non posse eundem majus beneficium patriæ dare, quam si adversus ipsos in hostilia non erumpat, ac arreptis quæ offerantur conditionibus paci promovendæ incumbat. Equidem par esse, ut cuivis injuste læso satisfiat. Sed incertum esse, an id etiam post plura tolerata mala obtinendum sit; quin injuriarum autores, ubi viribus prævaleant, insuper præmium poscere, & accipere. Unde debilioribus in lucro habendum mature exitium declinasse, ac reliquias fortunarum quiete possidere. Bello extracto verendum esse, ne omnia in deterius ruant, minuentibus indies Germaniæ viribus, ac per quotidianas rapinas, & incendia exhaustis, dum misera suis hostiumque exercitibus proteritur. Cum superiore æstate in Galliam irrumpi non potuerit, id nunc multo difficilius fore minore armorum paratu, a Suecis cum exercitu in Germania consistentibus: quibuscum si ad manus veniatur, associante se Bavaro, & Hanoverano, jam civile quoque bellum præsto esse. Suecorum autem munitiones mari aditas plane non, aut ægre expugnari posse; queis & tantum pecuniæ a Gallo suppeditetur, ut subinde exercitum supplendi facultas sit. Utrique Regno intestinam quietem constare, ac bellum in alieno geri. Germaniam contra in se divisam, ubi quidam Ordinum non solum Reip. auxilium subtrahant, sed & alios id facere volentes impediant, atque hostibus velificentur. Quæ mala proveniant ex abusu libertatis, ac juris fœderum cum exteris. Sane speciosum id jus, & magnificum, & in quo præcipuum libertatis specimen resideat; sed ex quo demum totius Imperii exitium proventurum sit, si Ordines ita proterve eodem abutentur, nec quævis fœdera accurate rationibus totius Imperii attemperent. Quid enim spei superesse salvam fore patriam, si validissimis Ordinum integrum sit, iis Regibus, queis in enervanda, ac subruenda Germania summa consiliorum vertitur, per fœdera se innectere, ex quibus vel vires illis sociare, vel saltem quiescere teneantur, dum quam maxime decretum publice bellum adversus istos geritur? Quos meminisse decebat, ab exteris illis, quicquid blandiantur, non aliud ipsos beneficium manere, quam ut reliquis oppressis eandem postremum sortem subeant. Quin omnem salutem suam, omnem dignitatem ab Imperio pendere; quod quo florentius, ac formidabilis sit, eo magis singulorum quoque Ordinum autoritatem apud exteros gliscere. Unde & aliquot ante annos, cum Palatinus

Elector

1675. Elector fœdus cum Galliæ Rege iniret, ac ejus ablegatus reliquis absolutis non citra anxietatem excipiendam sibi diceret Electoris obligationem erga Imperium, Lionnæum subridentem dixisse: num de hoc dubitare par esse? Nam ni iste Princeps sit Imperii, eum nullo numero esse. Quamdiu tamen huic malo medicina nondum sit inventa, utique metuendum esse, ne Sueci, & Galli plura munita loca occupent, eoque ultro satisfieri sibi postulent. Unde nil aliud superesse, quam mature, dum fœderatis adhuc insignes vires sunt, pacem amplecti, & satisfactionis loco habere hostes Germania dimovisse, & majora mala declinasse; ac in futurum feliciorem occasionem stabiliendæ securitati patriæ expectare. Equidem ostentari tot præpotentium Principum societatem, qualem deinceps combinare haut in proclivi futurum sit. Sed eam ipsam multitudinem, & quod tantis terrarum spatiis dividantur, in causa esse, quod omnia ita tarde, ac difficulter procedant, ac multæ egregiæ occasiones rem gerendi incassum elabantur. Tum eosdem peculiares per respectus, & privatas æmulationes in diversa distrahi. Ac si Belgas pecuniarum erogandarum tædium capiat, omnia velut vado hæsura. Exemplum in Electore conspici, cujus terris Sueci quartum jam mensem incumbant; quorum destinatis dudum prævisis nil oppositum fuerit. Unde ei sat causarum esse ad alia consilia capessenda, ne idem qui priore bello exitus sequatur, ubi post tot exhausta mala Suecis ac Gallis tam insignes provinciæ concedendæ fuerint, magna vi pecuniæ superaddita. Præsertim cum bellum indies longius per Germaniam diffundatur, & Gallus nunc eo diutius sumtus belli toleraturus videatur, quo majoribus, quam tunc viribus, ac meliore domi statu instructus sit: simul Suecus jam in partes concedens armis juxta, & consiliis Imperium distrahat, ac utrique Regum multi nostratium studeant. Sane auri sacram famem apud multos eousque invaluisse, ut ob Gallicam pecuniam insuper habita jurisjurandi religione Principes suos, patriamque prodere non dubitent. Addebantur multa de singulari providentiæ divine regimine, quæ bonis multa sæpe improspera accidere permittat, fortuna interim improbis adspirante. Forte & sat honestæ pacis spem nimia propriarum virium fiducia repudiatam, ac hostium vires justo minoris æstimatas; cum nunc experientia satis constet, etiam sapienter cogitata haut ita promte effectui dari, nec ita facile in Galliam penetrari posse. Equidem Austriacis, & Burgundis continuationem belli ingerere in proclivi esse, cum illi bellum in alienis terris gerant; Hispani bello amissa recuperare velint. Si Elector cum Suecis collidatur, belli flammam per intima Germaniæ diffundendam; certam isti molestiam, curam, pericula, ac sedem belli in propria ditione pariturum; ac si feliciter alea cadat, utrumque Regem retenturum, quæ jam possideat. Nam Gallo tam multa esse, quæ aliis eripuerit, ut vel parte horum

S'il n' est pas Prince de l' Empire, il n' est rien.

reddita efficere possit, ne sibi, aut cuipiam ſt rum sociorum quid amittendum sit. I quidem, prout cuique inclinatio, Ratispon ses disserebant; ut tamen omnes quid fœder ac præcipue Danus, facturi essent, aucupare tur, pro successu & ipsi sermones temperatur

§. 17. Nec major ad ferendas Elect suppetias promtitudo utrique Saxonico Cir lo, quos præ reliquis par erat conniti ad stringuendum incendium apud se exortu Sane Saxo in conventu Lipsiam indicto, (quem Elector neminem miserat, vitandæ c lisioni,) non obscure Suecis favisse visus fuer ac ne qua hos offenderet, solicite caver qui & eidem persuaserant, velut pro comm dis rei Evangelicæ niterentur; prorsus qu Gallus in Protestantium gratiam bellum sus pisset, aut Elector hos impugnatum iret. Q conventu & Sueci multa jactabant de suo pacem studio, ac uti tanta cum modestia Marchia agant, ut nulli fere querendi ca sit. Nec a se quid hostile agitari, sed tant Electorem permotum iri ad observandam cem Westphalicam, ac fœdus cum ipsis init quo facto se protinus iterum sine noxa dig suros. Se quoque paratos Circuli offici admittere isti litigio componendo. Quod interponere Circulus decrevit. Id quod E ctor repudiabat; ac potius par esse ab hoc litem vindicandæ suæ ditioni expediri. N quidquam profici languidis literis, quæ Suecum scribebantur super revocandis ex lectoris ditione copiis. Quin eodem conv tu multæ querelæ in transitus, & hospitia piarum resonabant, queis non obscure E ctor perstringebatur. Quin Saxo Waldavi miserat Prenzloviam ad Wrangelium, ut su medio statu cum hoc ageret. Nec plus p ficiebat Elector, dum Domos pacto mu successionis sibi innexas auxilium po Nam Saxo id ad communicationem cum liquis rejiciebat, nec ex eo vinculo ad subm tendas copias teneri se judicabat: officium men apud Suecos interponere haut omissur Post penitius explorandæ Saxonis menti Fr ciscus Meindersius missus, obtentu sumto, eum de insidiis moneret, a Suecis Erfor structis, quas præverti maxime ex ejus r nondum exolita memoria malorum, quæ qu dam Sueci toti late viciniæ ex ista urbe i lerant. Quod monitum grato animo ab acceptatum: qui & laxis duntaxat verbis suo in Electorem studio testabatur. Sed xilii ab eodem nil sperari poterat, quod lus in promtu miles esset, ac Ordines provin les ad paranda arma conferre quid abnue fratribus quoque renitentibus. Polliceb tamen, se Ratisponæ Electoris petitis suffrag rum. Sed & Sueciæ Rex nomine Ducatus mensis conventum Inferioris Saxoniæ Lune gum indixerat, eo præcipue fine, ut securit sibi provinciæ Bremensis ab universo Cir præstandam stipularetur. Quamob ca Elector eum conventum inhiberi cupiebat, frustra, cum Cellensis Dux in eum consen ac id se retractare posse negaret. Unde an delil

1675. deliberatio erat, quid facto opus foret, quod Elector Suecum hac rerum facie directorem agnoscere non posset, ausis suis hinc præsidia petiturum. Nec tamen Circulo jus videretur a directoris munere excludere nondum ab Imperio hostem judicatum. Ut tamen quæ Sueci moliebantur, disjici possent, placuit Ledeburium, & Joannem Butendachium eo mitti, ut tamen procuratorium suum Sueco non ederent, nec in consensu comparerent, ne hujus directionem agnoscere viderentur, ut tamen apud singulos ejusdem conatibus obsisterent. Post tamen E-
Maji. lector legatos inde discedere jussit, prius apud Ordines testatos uti notorium sit, quam hostiliter Sueci cum ipso egerint in gratiam Galli, professi Germaniæ hostis. Unde a se Suecorum directionem agnosci non posse, ac contra omnia, quæ heic agantur, præcipue quæ se spectent, protestari, ac sua jura sibi integra servare: simul auxilia Circuli exposcere. Tum & libellum exhibere, Suecorum acta depingentem; ad quem Sueci passim inculcata reponebant. Uti autem Elector nil ibi obtinuit, nisi ut literæ ad Regem, & Wrangelium scriberentur super revocandis copiis, imbelle remedium contra armatos: ita nec Sueci operæ pretium fecerunt, Ordinibus negantibus, super tutela Bremensis provinciæ consultatione opus esse, in quam nondum quid tentatum sit, nec an quid deinceps tentandum constet.

ector lisio m cum move no de nat. §. 18. Tali igitur universorum Ordinum circa opem Electori ferendam incuria, in lucro habendum erat prohibuisse, ne unus & alter eorum hostibus se adjungeret. Quo fine præcipua cura erat circa Joannem Fridericum Hanoveranum Ducem, fœderi Suecico innexum, & Præsulem Monasteriensem lubricæ fidei, & turbandi avidum. Præsertim cum super isto Elector Vienna monitus esset, velut nondum offensæ oblito, quod hic olim lite inter fratres Georgio Wilhelmo studuisset. Id quod iste nunc ulturus sit, irruptione in Electoris ditiones Westphalicas facta, & obsessa Minda, si occasio detur. Eidem Duci quoque fœdus cum Gallo contractum fuerat, quo tempore Gallus cum Sueco quoque in Electorem fœdus iniverat. In isto articulus secretus fuerat, quo Gallus sese obstringebat ad Bremensem provinciam Duci a Suecis curandam. Id cum Sueci rescivissent, & super ejusmodi fraude cum Gallo expostulassent, hic excusaverat: *quia Hanoveranus tunc nullo modo in partes pertrahi potuerit, ejusmodi speciosis promissis eum inescandum fuisse. Nunquam autem animum sibi fuisse ista promissa servare.* Hanoveranus igitur, ut humanitate, & ostentata, quæ de ejus generoso animo concepta foret, fiducia ab hostium consiliis averteretur, aut saltem ne noceret, opera daba-
4. Dec. 1674. tur. Hic ultro ad Electorem literas dederat, quibus monebat; cum Sueci legiones in Pomerania contrahant, vicinis, ac præcipue Electori prospiciendum esse, ut istorum conatus, si qui sint, prævertantur. Cui Elector vicissim exponebat, quod inter se, & Suecos actum foret, ac uti ipse his nullam idoneam offensæ causam dederit. Simul auxilia poscebat, si forte ab istis invadatur. Nam fœdera, quæ Duci cum Gallo, & Sueco intercedant, utique exceptionem Imperii, ejusque Ordinum habere. 1675.
Simul Gerhardum Joannem Ledeburium ad eundem mittebat. Is cum quæ jussus erat in eum sensum proposuisset, Dux testabatur, *se omnia collaturum paci patriæ præstandæ. Sibi quidem cum Sueco fœdus esse, sed quod non ultra defensionem porrigatur. Sibi relatum, id Suecos queri, Electorem novissimam cum Gallo pacem, quam ipsi præstandam receperint, violasse; super fœdere cum Belgis recens inito haut mature communicasse; cum rata parte ad exercitum Imperii missa defungi potuisset, totum exercitum in Gallos duxisse; extra fines Imperii Belgis ad Graviam copias submisisse: quæ non sine specie jactari videantur. Sibi tamen non ulterius de his constare, quam Sueci retulerint. Si Elector aperire velit, quomodo ea res cum Suecis componi queat, se magno studio officium interpositurum.* Addebat; *se in diversa distrahi per tot legatos, qui repugnantibus invicem petitis ipsum obtundant. Optare, ut per pacem his curis solvatur. Interim successus rerum sibi speculandos, ac pro horum captu consilia capessenda.* Aderat quoque Antonius Ulricus Dux Brunsuicensis, qui ne iste Suecis se innecteret, instabat. Ac sane haut crediderat Hanoveranus, fratrem Ernestum Augustum itidem in fœderatorum partes descensurum, aut rem eo redituram, ut Sueci arma in Germaniam moverent. Tandem respondebat; *Elector paci promovendæ studeret, atque id ageret, ut æquæ conditiones, quas Gallus offerat, acceptentur; ante omnia autem, ut cursus armorum sistatur. Si arcus nimium intendatur, facile ingens malum Germaniæ inde nasci posse. In se quidem nil ad istum finem faciens desideratum iri. Interim securitati suarum ditionum prospecturum.* Cæterum adparebat, Hanoveranum sese obstrinxisse ad arma cum Suecis socianda, si in bellum res eruperit; cujus rei pœnitentia nunc subibat, ut si dextre id fieri posset, conventa haut ægre retractaturus esset; præsertim cum perspiceret, distorta Suecorum consilia brevi corruitura. Unde optabat, Suecis obstacula objici, quo minus in Electorem hostilia expromere queant. Sed literis ad Electorem datis Dux judicium suum de conatibus Suecorum suspendebat. Se consilia sua semper ad pacem retulis- 21. Dec. 74
se: sperare Electorem idem facturum; paria de Suecis confidere, oblato iterum suo officio. Cui vicissim Elector; *Sibi non minus quam Duci curæ* 6. Jan. 75.
fuisse pacem amicis modis promovere: sed cum id in præsens non nisi per arma fieri potuerit, decretis Imperii parendum fuisse. Equidem singulorum consilia, & negotia non eodem modo tractari, ac sæpe propria emolumenta validissimarum instar rationum obtinere. Ast decreta Imperii peculiaribus cujuspiam rationibus sufferni non posse. Abs se ex singulari in patriam amore, & ab Electoralem Unionem jurejurando firmatam plus quam pro rata parte præstitum, magis laudandum, quam pro superfluo habendum: nec ratæ partis inter Ordines designationem impedire, quo minus quis liberalius in usum patriæ præstare possit. Suecos novissime cum Gallo pacti evictionem hautquidquam in se

suste-

1675. *suscepisse, de qua in ipso tractatu ne verbum quidem extet; in quo & disertis verbis officium erga Imperium reservatum sit. Postquam Gallus Germaniam hostili modo invaserit, non amplius illicitum esse etiam ad Graviam istum oppugnare. Si ipse transitu sui exercitus alicui Ordinum molestus fuerit, cognitionem penes Suecos non esse. In fœdere denique Suecico diserte cautum, si controversiæ quid inter ipsos oriatur, id non vi, sed amica ratione componendum. Sic ut nimis quam diluti sint colores, quos Sueci fucandis suis ausis miscerant.*

Negotiatio cum Hanoverano continuatur. *27. Jan.* §. 19. Mox irruptione a Suecis facta Elector per literas Hanoveranum auxilia poscebat. Cui hic respondit: *Se dubitare, num pax per arma sit promovenda, ac annon potius Germania majoribus miseriis sit involvenda, cum bellum per exterorum opes, & ob horum utilitatem geratur. Unde tractatus optimam compositionis viam fore, in quos Gallus admodum facilem se ostendat, nec minus Suecos pronos esse instaurandæ cum Electore amicitiæ. Igitur quoad tentatum fuerit, quid amica ratione proficiatur, auxilia a se præstari non posse.* *10. Febr. Lentz.* Missus inde ad Ducem Cunradus Wilhelmus Lentius, qui denuo auxilium ex decreto Imperii exposceret, & quia notorium sit, Galli instinctu Suecos accepta pecunia hanc irruptionem fecisse. Ducem antea declarasse, se omnia facturum, quæ decreta Imperii requirant, & ipse Imperio, & ejus membris debeat. Eundem quoque per fœdera cum Gallo, & Sueco impediri non posse, quo minus auxilium præstet, cum Suecus sine justa causa Electorem, & Imperium invaserit. Fœdus autem cum Sueco defensionem duntaxat spectare, quam Dux præstare non teneatur, si iste ob invasionem prius factam in suo impugnetur. Multo minus id fœdus locum habere, ubi ipsum Imperium invadatur, quod sine dubio in Ducis quoque fœdere exceptum sit. Frustra objici, quæ Sueci fecerint, inter hostilia haut habenda, cum contrarium res ipsa loquatur. Nec de amica compositione cogitandum. Sed cum infesta indies intendantur, non nisi legitimam defensionem, & propulsationem locum habere; præsertim cum tota ditio sit pessumdanda, dum tractatio adornatur. Ac se jam Dano fidem dedisse super tractatu absque ipso cum Suecis haut suscipiendo. Quod si autem Dux ad auxilia ferenda permoveri non possit, saltem id nitendum, ut medium se hoc bello gerat. Lentio ista proponenti Dux humaniter admodum reponere: *17. Febr.* *Dolere sibi, quæ Electori acciderint. Sibi hactenus relatum Suecos modeste agere hospitiis contentos, qua jam passim in Imperio toleranda sint. Haut ideo tamen a se Suecorum durius acta probari, multo minus ea se tuiturum. Quæ leges & decreta Imperii, tum officium erga ejusdem Reip. membra requirant, citra tergiversationem præstiturum. Sed nondum audisse, Suecos ab Imperio hostes judicatos: & Suecos excusare, a se pacem haut abruptam, dum nil aliud agant, quam quod Cæsar, & Elector in aliorum Imperii Ordinum ditionibus sibi permittant. Etsi longe a se abesse, ut Suecorum acta excusare velit. Optare*

ut a se conferri quid possit huic dissidio citra bages componendo. Sed metuere, ut ultra cum officium offerre quid possit. Per Suecicu dus sibi integrum non esse omnibus viribus E ri adsistere, ni Sueci directe Imperium inva aut hoc istos hostes declararit; quo casu oblig nem, qua Imperio teneatur neglecturus hau Sibi haut propositum ad augendam Suecoru tentiam quid conferre, propriæ domui noxa ram. Sed quantum per fœdus Suecis promi tantum a se præstandum, nulla in Imperium ria. Ratam partem ad copias Circuli se c lisse. Plura in præsens præstare haut tutu deri, finibus suis Cæsareo, & Monasteriensi te circumcirca imminente, incertum quo a Cæterum se nil suscepturum, quod Imperio, lectori displiceat. Ista Elector Cæsari refer ut Suecos hostes declarare maturaret; id multas machinationes Ratisponæ dissipatu ac unionem Ordinum promoturum, simu noverano prætextum tergiversandi ade rum sit. Unde legatus Hispanicus Vi proponebat, ut Bremensi provinciæ medi dulgeatur agere ea lege, ut & Hanove neutri parti addictus agat; quo fine e subsidia danda. Atque idem persuasera lectori in animo esse Bremensem provin invadere. Quæ omnia a ratione abho Crocovius demonstrabat. Ast Duci El reponi jubebat: *Qui contra Instrumentum cis aliquem Ordinum opprimat, uti Sueci fa eum utique contra Imperium agere. F Sueciæ literis ad Ordines Imperii datis pro se vigore fœderis cum Gallo Electoris dition vasisse, sane nullam aliam ob causam, quan ipse Imperio tutando incumbat. Wrang quoque scripsisse, se non prius Electoris di relicturum, quam is adversas partes dese Jam se nullas alias partes, quam Imperii a xum. Porro qui unum ex Imperii Ord invadat ob causam, quæ hoc spectet, eum Imperium invasisse censendum. Quæ ipse i rum ditionibus fecerit, longe differri ab iis, Sueci in Marchia patrent; ac longe divers trinque scopum esse. Se suppetias ferre Im Suecos Gallo Germaniæ hosti. Se veniam nes exposcere, ubi necessitas subegerit in e tione eorum ditiones tangere, & adquiesce quæ cum istis convenerint. Suecos nulla d tiatione facta in Marchiam irrupisse, pro li grassari, omnia funditus evastare, quæ consi non possint avehere. Extare quoque decret perii, ut ipsi adversus omnes, qui in Galligr suas di iones invasuri sint, tutela præstetur.* de Dux Oesnerum ad Wrangelium mit de grassationibus Suecorum per Marchian sturum; quas Wrangelius inficiari ausu Cæterum adparebat Ducem consilii anci esse, cum inde Cæsar, & Elector, inde Regi gati, Pufendorfius, & Verjus urgerent. U ad proposita ab Electore nil præter an compositionem, & ne Bremensis ditio in tur, ingerebat. Atque idem tamen, etsi E ri; semper humanissimis verbis respon Kielmanseccio Cæsareo legato confir contra Cæsarem, & Imperium se nil te

1675. Mart. rum. Sed si qua Electori, & Belgis nocere possit, haut omissurum. Cum itaque nil liquidi responsi extundi posset, Elector Lentium inde revocabat.

movetur ad suscipiendum sequestris officium invitatur. §. 20. Haut ideo tamen id negotium urgere desistebat Elector, sed misso Cellas Leburio eum Ducem rogabat, ut & is operam navaret ad fratrem partibus Suecorum abstrahendum; tum ut penitius istorum Ducum consilia exploraret. Ad Hanoveranum autem Lentius denuo missus, ut proponeret; quia Dux in partes descendere dubitet, ut *April.* sequestris munus, quo Suecus exciderit, una cum Angliæ Rege suscipiat. Nam nonnulli Hagæ id consilii suggesserant, quo ejus Ducis amicitia, & fœdus Suecis inutile redderetur. *April.* Ad quæ Dux: *Quæ offerantur sibi admodum honorifica; ac ad eadem suscipienda per bonum publicum se obstringi, si modo officium suum ab omnibus admitti queat. Sed quia Gallus, & Suecus ipsum inter fœderatos suos numerent, citra suspicionem titubantis fidei non posse iis operam suam ultro offerre. Si tamen Elector per Anglum efficere queat, ut is apud eos Reges ipsius operam eum in finem commendet, ei suscipiendo pronum se esse. Sed cum tempus rei gerendæ propinquet, necessarium esse tantisper inducias iniri. Tum constare debere, cui fundamento partes tractationem superstruere velint; num Westphalicæ paci insistatur, aut quid aliud quæratur? Necessum quoque esse, ut circa Wilhelmum Furstenbergium temperamentum inveniatur, cui admittendo Gallus proclivis sit.* Contra Elector Duci demonstrari jubebat: si ipse eousque Regibus adversus officium patriæ debitum obstringatur, ut se ad compescendos aggressores tendentem invadere teneatur, prudenter eum facere repudiato sequestris officio; quod Suecus hanc ob causam eodem exciderit. Ast si obligatio ultra defensionem haut porrigatur, eam sequestris functioni haut officere, quod & Anglo cum nonnullis inter se bellantium ejusmodi fœdera intercedant. Ac eo minus scrupuli subesse, quod, dum Suecus primo se velut Imperii Principem invasit, Ducem ab auxilio per fœdus alias ferendo absolverit. Igitur pressius mentem suam declararet Dux; ac si id officium non abnuat, se effecturum, ut id per Anglum ipsi offeratur. Ast Dux, quo ista ten-
15. April. derent satis perspiciens, declarabat; *Se a suscipienda ista opera non abhorrere, modo Dania Rex eandem simul subeat: ita enim Gallum, & Suecum commodissime ad æquas pacis conditiones admittendas permoveri posse. Igitur efficeret Elector, ut Dani officium a fœderatis requiratur. Nam Reges judicaturos, si e suis partibus aliquis ob suscipiendum sequestris munus sibi amittendus sit, æquum esse retinendo æquilibrio, ut ex altera quoque parte quispiam, ac potissimum Danus id functionis subeat. Cæterum quo modo ipse Regibus sit obstrictus, pandere se non posse, quod hi secretum id haberi velint. Id tantum dicere; se nunquam nexum, quo Cæsari, & Imperio stringatur, neglecturum, nec in fraudem Electoris quid suscepturum; nec minus datam Regibus fidem impleturum, ac ita actiones suas temperaturum, ut ea totius orbis judicio adprobari queant.* Post 1675. 21. Maij. aliquam tamen moram interjectam dicebat: de sequestris munere jam serum esse. Si de eo ante tres menses constitisset, id negotium apud fœderatos suos præparari potuisse. Cum Lentius de servando medio statu moveret, ac ne Dux Electoris destinata circa ditionem suam ab hostibus repurgandam impediret; is reponebat: se amicitiam Electoris maximi æstimare, ac probe cauturum, ne eum offendat; ac sperare sibi ad id ansam præbitum haut iri. Quousque fidem suam Regibus obstrinxerit, successu temporis adpariturum. Optare se, ne ipse ei negotio misceatur. Per isthæc ambigua tempus extrahebatur, Electore in ancipiti relicto. Ac Hanoveræ sibi ea spe blandiebantur, Danum in arma haut erupturum; Monasteriensem consilia mutaturum; simul Bavarum aperte arma pro Gallo sumturum: qui & tunc temporis copias contrahebat; cui compescendo Cæsar vicissim octo militum millia ejus finibus admovebat. Simul per Philippum Palatinum Sulzbacensem ejusdem animus tentabatur, ut Regiis se partibus dissociaret. Is quippe ob litem Holmiæ inter se, & Magnum Gardium exortam hunc summopere oderat: eoque non præsentior ipsi vindictæ occasio nascitura erat, quam si bellum hoc Sueciæ improspere succederet, istum fortunis plane eversurum. Mox 24. Maij. cum Electoris exercitus jam e Franconia moveret, Dux & ipse legiones suas ad Eimbeccam contrahebat, speculaturus, quid Cæsar, & alii suscepturi sint. Et cum audisset, Electoris exercitum facto circuitu suas terras haut tetigisse, id vehementer sibi placere ostendebat, testatus; se summopere connixurum, ne ipse in hujus belli partem veniat, quoad liceat, & quousque sua obligatio per temporum mutationem ad id inevitabilem sibi necessitatem haut adferat. Interim amicam compositionem optare. Quæ uti Electori non plane satisfaciebant: ita Gallici, ac Suecici ablegati Ducis tergiversationem,& nutantia consilia impatienter admodum ferebant. Quibus fœderum fidem subinde occinentibus Dux reponebat; *Fœdera a Principibus sumi solere, ut statum suum firment, non ut evertant.* Et quia metus erat, ne Sueci superato Albi junctis cum Hanoverano copiis bellum in meditullium Germaniæ transferrent, Cæsar misso Windischgræcio Comite Ducem valde urgebat; ut hunc pœnitentia icti cum Sueco fœderis subire videretur. Contra Cellensis Dux contendebat, si Hanoveranus auxiliario duntaxat nomine Suecis adsistat, hujus ditioni vicissim parcendum. Nam inter fratres ita convenerat, ut Cellensis fœderatis, Hanoveranus Regibus auxilia ferret, utraque bellantium parte cautura, ob auxilia illa neutrum hostili modo habendum. Id quod a legato Cæsareo velut a ratione alienum repudiabatur.

Monasteriensis in fœderatorum partes trahitur. §. 21. Circa Monasteriensem Elector antea laboraverat, ut a Cæsare non nisi modicis armis instrueretur. Sed quia mobile, & quiescere nescium

1675. scium viri ingenium sat perspectum erat, simul constabat, magnis pecuniæ summis eum a Gallo tentari, Viennæ instabat, ut Cæsar utique in partibus eum retinere studeret. Nam & is jam nutabat, postquam Cæsareorum præfectorum aviditas, quæ copiis suis deposcebat,
11. Febr. hospitia subtractum ibat. Is porro jam anno superiore, & post per Matthiam Smisingium testatus fuerat de cupidine amicitiam cum Electore colendi, ac fœderi ejus se innectendi; idque aliquoties iteraverat. Quibus verbis num quid solidi subesset, ut Elector exploraret,
25. Mart. Eller. Glandorf Wolfgangum Ernestum Ellerum, Casparem Smisingium, Joannem Meindersium, & Rudolfum Glandorfium ad istum ablegabat obtentu controversias super limitibus componendi; rem tamen ita caute tractare jussos, ut initium super fœdere movendi a Præsule proficisceretur, ne ubi a se id offerretur, is, prout erat versipellis, eodem negotio abuteretur. Iste cum prolixe de studio suo testaretur, eoque fine Blaspielum ad se Sassenbergam accedere peteret, Elector ostentandæ fiduciæ ditiones suas Westphalicas ei commendabat. Unde hic, cum e Clivia ad exercitum in Franconiam regrederetur, Ferdinandum Furstenbergium
Maji. Paderbornensem Præsulem rogabat, ut & is Monasteriensem in bonas partes pertrahere studeret, cujus opera hac tempestate utilis esse queat. Id quod Cæsari valde probabatur, qui & ipse eo fine per Joannem Fischerum cum isto agebat, ut exercitum novem millibus bellatorum constantem præberet. Cum itaque Paderbornensis officium apud Monasteriensem
1. Jun. non sine fructu fuisset, Elector Blaspielum ad hunc ablegabat, testaturum; gratissimum sibi esse, ipsum oblivioni traditis ante actis amicitiam secum stabilire velle. Et quia in aprico sit, vicinos Reges id agere, ut Germaniam opprimant, Ordines Imperii a capite, & se invicem divellant, pessumdatis, qui ad ista conspirare abnuant: se non dubitare, quin ipse ex fide in patriam, ac Cæsarem exterorum conatibus sese oppositurus, Imperiique salutem pro virili fulturus sit. Simul fœdus cum isto adornare jubebatur. Blaspielus cum ad Præsulem pervenisset, comperiebat eum jam cum Cæsare convenisse super novem millibus in fœderatorum usum præsto habendis. Qui & pronum se ostendebat ad arctius se Dano, Electori & Belgis innectendum: tum & operam pollicitus Hanoverano in partes, aut medium saltem statum pertrahendo. Insuper memorabat, uti Paderbornensis de singulari Electoris in bonum publicum studio retulerit, ac uti hic tam generose circa ipsum se declararit. Id quod magno sibi gaudio sit, ac nil magis optare, quam ut facultas præbeatur gratum animum reipsa ostendi. Idem negabat, se denuo cum Gallis transegisse, etsi revera ingentes pecuniarum summæ, & alia emolumenta oblata sint; qui & voluerint, ut ipse Hanoverano junctus cum exercitu quatuordecim millium rem gereret. Ad quæ acceptanda ut ipsum permoverent Galli, inter alia adduxisse, quam duriter ipse a Cæsare sit habitus, non solum promissis circa subsidia, & hospitia initis, 1675.
sed & præteriti anni expeditione missis ab ipso copiis ita pessumdatis, ut ex octo millibus vix quadringenti equites, mille pedites miseria cooperti redirent. Se tamen Galli pollicitis haut motum tempus extraxisse, quoad copias suas egregio milite supplevisset. Stare sibi sententiam Cæsari, & Imperio adhærere; ac protinus cum Fischero convenisse super novem militum millibus præstandis ea lege, ne uti antea perdantur; eoque se non nisi inter Rhenum, & Visurgim in usum Cæsaris rem gerere velle. Recepisse tamen sibi, ut Dano, Electori, Belgis, ac Luneburgicis arctius innecti queat; ac si idoneæ conditiones reperiantur, haut dubitaturum ista flumina transire. Et quia Electori præcipue studium suum adprobare cupiat, cujus provinciæ ab hoste insideantur, se ad limitem Mindensis ditionis cum quatuor millibus constiturum eidem contra Hanoveranum tegendæ: qui & miles si opus sit, Electoris sacramento prius adactus intra Mindensem urbem recipi possit. Smisingium quoque a se Corvejam missum, ut cum Grotio, primario Hanoverani ministro, loqueretur ei in partes pertrahendo: qui initio acriter restiterit, sed demum nutare visus sit. Idem censebat necessarium esse, ut inter Danum, Electorem, Luneburgicos, ac se conventio ineatur non solum super ratione belli administrandi, sed & super bello partis terris inter ipsos dividendis. A Dano in Scania rem gerendam, retentis quæ ibi adquireret: Electori Pomeraniam recuperandam; sibi, ac Luneburgicis super Bremensi provincia facile conventurum. Hanoveranum idem censebat Suecis ita innexum, ut honeste pedem retrahere haut possit. Unde ejusmodi viam ineundam, ut is Princeps velut invitus cohiberi possit. Nam minis eum urgendum haut videri, ne palam in Regum partes descendat, quod facere hactenus ausus non sit. Se ad istius fines septem militum millia adducturum, quibus Elector aliquam manum jungere possit. Ducem jam apud Eimbeccam legiones suas contrahere suscipiendæ ulterius expeditioni. Ast ubi perspexerit exercitum suis finibus imminere, probe cauturum, ne sui longius digrediantur, aut alias hostile quid tentent. Quin ansam inde arrepturum Regum ministris, queis obsidetur, demonstrandi periculum sibi imminens, si copias suas longius abducere, aut palam Suecis studere velit. Ita Ducem molli via ad neutrum statum perducendum, sic ut ejus fœderati commode id impedire non possint. Ast ubi Dux præter rationem pertinaciam induat, faciendum, quod ratio belli requirat, ac recta in ejus provinciam eundum; & extrema intentanda. Unde & Præsul haut expectata Cæsaris ratihabitione copias suas ad fines Hanoverani adducebat, tegendæ Mindensi ditioni, & ut istum a conjunctione cum Suecis cohiberet. Grot.

§. 22. Ab Angliæ Rege quanquam nil auxilii expectabat Elector; tamen ejus favorem, velut futuræ pacis sequestris servari intererat; ac providen- Cum Anglia Rege acta.

1675. providendum, ne Sueci forte quid subsidii ab eo obtinerent. Cum itaque Elector de Suecorum irruptione per literas questus esset, & ad eas nil responsi veniret, Elector denuo Ottonem Suerinum juniorem in Angliam misit. Ei injunctum Regi gratulari de suscepto sequestris officio, de quo ipse magnopere gaudeat, utpote qui de istius benevolentia quam amplissime sibi polliceatur; eoque confidat, eundem Suecorum irruptionem, nulla idonea causa post recens initum fœdus factam, qua uterque alteri adversus talia auxilium promiserit, ultro detestaturum, ac sibi consilio, & ope adfuturum; simul secutura pacis tractatione curaturum, ut ipse reparatione damni dati, ac cautione in futurum deinceps potiatur. Præterea passim injustitiam Suecicæ invasionis, ac vanitatem causarum ab istis adductarum demonstret. Ac si utique Rex nil auxilii præstare velit, saltem impediat, ne is Suecis opis quid ferat, utque eorum acta improbet. Equidem se non dubitare, quin Angli utique verbis Suecorum facta damnaturi sint. Sed quia Galli ejus aulæ animos hactenus valde corruperint, ac metuendum sit, ne forte & Sueci adplausum ibi inveniant; diligenter expiscaretur, quæ circa hoc negotium seria Regis, aulæ & Parlamenti sit mens; tum in quas leges pacem cum Gallo promovere velint. Quod si forte in Anglia, ut & alibi fit, jactetur, Electorem seorsim cum Suecis transigere velle; id falsitatis arguat. Gallici, ac Suecici legati conversationem declinet. Si id agatur, ut Suecus una cum Anglo sequestris partes obeat, ei instituto contradicat; nec minus, si Anglus peculiarem compositionem inter se, & Suecos meditetur. Hanc enim honeste non posse admitti, nisi facta reparatione, & cautio-
9. Mart. ne in futurum præstita. Suerinus in Angliam delatus reperiebat, Suecos ei Regi persuasisse, suos milites propriis sumtibus in Marchia victitare; quin eos jam Electoris terris iterum excessisse. Quo minus Electori auxilii quid præstaret, Rex obstare dicebat; quod nosset Suecorum acta ex fœdere cum Gallo provenisse, contra quem quid moliri sibi nefas. Ac sat acerbum fuisse, necessitatem sibi allatam separatam pacem ineundi, insuper habita fide Gallo data. Sed nec sequestris officio congruere alterutri partium auxilium ferre; quod exacte observaturus sit: nec melius consilium Electori dare nosse, quam ut medium se declaret. Ad quæ Suerinus: si fœderum ratio sit habenda, novissimum potius fœdus inter Electorem, & Suecos pace Westphalica innixum respiciendum, quam pactum inter Suecos, & Gallos, in Germaniæ exitium tendens. Si Regem sequestris munus impediat auxilium ferre, alio tamen modo testaturum, Suecorum acta sibi displicere; etsi Elector speraverit, enormibus Suecorum facinoribus per insufitata remedia occurrendum. Ut Elector medius, & otiosus pacem Westphalicam subverti spectet, id animo ipsius in patriam, & hujus saluti haut quadrare; cui is nunquam, & præcipue nunc, cum extrema intentantur, operam suam sit subtracturus. 1675. Rupertus Palatinus dicebat: Aulæ Anglicanæ penitus persuasum esse, Suecos in Electoris terris nil hostile exercere. Opis quid ex Anglia Electori haut expectandum: sed nec metuendum esse, Suecis naves quasdam in auxilium mittendas. Equidem nuper antiquum cum Suecia fœdus per Petrum Sparrium renovatum esse; sed id meram defensionem spectare; nec Regem tanquam sequestrem infesti quid in Electorem suscepturum, nec Parlamentum probaturum. Sane petierant Sparrius, & Ruvignius legatus Gallicus ab Anglo viginti quinque naves bellicas in usum Sueciæ: & cum Rex inopiam pecuniæ excusaret, Gallus duos librarum milliones offerebat, abnuente Anglo, velut æquitati, ac suis rationibus repugnans: ac Anglos bis cum Belgis bello certasse; nullo a Suecis auxilio accepto. Sparrius iste de adventu suo in Angliam Suerino significarat, colloqui cum eo se cupidum testatus. Sed qui reposuerat, quia Rex amicitiam cum Electore hostilitate mutarit, id haut decere. Quod factum Electori probabatur. Sed & post, cum Danus in arma erumperet, idem Sparrius Anglum auxilia ex fœdere defensivo adversus istum exposcebat, velut aggressorem. Sed Danicus minister demonstrabat; Regem Daniæ, antequam fœderatis se innecteret, Sueco significasse; fœderatos a se requirere, ut si novus ipsis hostis surgat, ei se opponat. Contra quod Suecum tunc nihil excepisse, sed semper asseverasse, istum se novum hostem haut fore. Postquam autem Sueci jam Electori bellum intulerint, se vi novi fœderis teneri novo hosti, qui Suecus sit, obviam ire. Igitur Regis sui institutum non aggressionem esse, sed defensionem. Quod & Anglus probabat, ac tantum bonam pacem ingerebat. Alias certum erat Anglum Sueco haut adstiturum, premente argenti egestate, & quia classis in eo statu erat, ut sine magna pecuniæ vi armari non posset. Et si maxime Parlamentum pecunias annueret, earum tamen dispensatio penes Regem futura non erat; idemque bellum in Gallos ingesturum erat; quibus tamen Rex, & præcipui in aula studebant, ita ut hic magis necessitate, quam propriis ob rationes medium statum amplecteretur.

§.23. Ast apud Daniæ Regem eo diligentius, ac eo majore cum spe agebatur, quo magis ejus rationes requirebant Electorem a Suecis non opprimi, ac quo majus momentum Dania ad bellum Suecicum adferre poterat. Itaque primo statim Suecorum in Marchiam ingressu Anhaltinus Princeps per literas Dani auxilium exciverat. Cui hic verbis laxioribus pollicebatur. Sed quod non statim manum gladio admovere possit, in causa esse, quod per fœdus cum Hispanis, & Belgis sine prævia requisitione in novum hostem movere non possit. Nam alias istos causaturos, a se belli initium profectum, cum Sueci adhuc excusent, per ista hospitia pacem haut abruptam. Ac magno sibi cum dolore dissimulandum in Electorem studium,

Dania Rex statim in bellum erumpere non potest.

1675. studium, quod Belgæ statim atque id animadverterint, cavillaturi sint, ipsum ultro in bellum ruere. Unde & eos pro more suo alieni laboris spectatores fore, forte id plane non curaturos, ac subsidiorum solutionem omissuros: cum a se solo id negotium sustineri haut queat. Igitur expectandum, quoad isti ex fœdere debita præstent, quo novi delectus instituti queant. Sed & constare sibi prius debere, num Elector ausa Suecorum in vicem abruptæ pacis habeat. His ad liquidum deductis in se moram non fore. Apud Fridericum Brandium Rex quærebatur, ista, omnia impediri potuisse, si Belgæ ducenta uncialium millia solvere voluissent, quo ipse justum exercitum mature parare valuisset; quæ negligentia nunc vix aliquot millionibus reparari queat. Nec vero infrequens Belgis esse, per intempestivam parsimoniam extrema sibi pericula, immensos sumtus arcessere. Id vero sibi molestissimum, Belgas cavillari, a se fœdus ipsis obtrusum, quo huic se bello ingerendi occasio foret: ac metum esse, ne si ipse periculum, quod communi causæ immineat, demonstret, idem occinant. Igitur prius sibi noscendum, quid Belgæ facturi sint; & quid Electori de Suecorum prætextu videatur, quod hospitia per Marchiam nil hostile habeant. Id tamen haut fieri negotio extrahendo; aut eludendo per pacta debito auxilio: sed ne si ipse solus rem aggrediatur, ab Hispanis, & Belgis destituatur, quibuscum semper cauponandum sit. Sed nec sibi adhuc exercitum in promtu, quantum res requirat: cui si belli exordio clades illata fuerit, irreparabili damno causam fore. Forte & ipsum Electorem judicaturum, negotium haut esse præcipitandum, quod constiterit, quam in partem id Suecorum ausum Cæsar, Imperium, Belgæ, & Hispani accepturi sint. Idque se inde collegisse, quod cum non ita pridem ex Electore sciscitaretur num Suecorum legionibus, quæ hactenus in Bremensi provincia egerant, per suam ditionem iter deberet indulgere, is negaverit, iis iter denegandum esse. Unde adparere, ipsum Electorem magna circumspectione circa hoc negotium agere. Nam alias sibi in proclivi fuisse istis copiis transitum negare.

Elector per legatos Danum auxilia poscit.

5. Jan. §. 24. Ast Elector haut contentus auxilia ad declarationem Hispanorum rejici, Augustum Holsatiæ Ducem, & Thomam Knesebecium ad Regem Daniæ mittebat; quibus injunctum super irruptione Suecorum in Marchiam exponere, & ut auxilia postulent ex fœdere, ac totiens iteratis promissis; prout & superiore bello ipse omnia pro servanda Dania periculo exposuerit. Tum ut confirmarent, Belgas, & Hispanos Regi utique satisfacturos. Forte & ipsum hac occasione antea Regno Daniæ detracta recuperaturum. Nec heic ullum periculum subesse, quod Belgæ Bremensem provinciam sint invasuri, classe insuper in Mare Balticum missa, ac ipse cum aliis in Pomerania rem gesturus sit. Exploraret quoque, quid per Suecos Hafniæ agitetur. Tum monerent, ut Rex apud Hanoveranum instet, ne is in Suecorum gratiam quid in ipsum moveat; ac ut ad Czarem legatus mittatur huic in Suecos incitando. Eo ipso tempore, quo hi Hafniam pervenissent, Terlonus legatus Gallicus vulgaverat, inter Electorem, & Gallum tractatus agitari, qui pro perfectis jam habeantur; nec ab Electore invasionem in Marchiam inter hostilia censeri. Quæ nullo negotio falsi convincebantur. Ast Rex declarabat; *Se hanc occasionem proprias rationes promovendi, tum præcipue solidæ amicitiæ specimen Electori exhibendi, haut amissurum; ac jam eo nomine in Belgium, & Hanoveram misisse. Tantum Belgas prius in armis videre cupere, ac num Electoris causa ipsis cordi sit. Necessum quoque esse, ut Elector copias suas moveat, ut omni ex parte impetus in Suecos dari queat. Nam ubi a se Scania, ab Electore Pomerania, a Belgis Bremensis provincia invadatur, Suecis undique distractis brevi res in angusto fore.* Is maxime scrupulus urgebat per Gallos, & Suecos injectus, quod inter hos, & Electorem nil hostilitatis existat, ac super exorto litigio facile inter ipsos conventurum sint. Unde Elector datis ad Regem literis confirmabat, quæ super transactione inter se, & Suecos spargantur, improba commenta esse, quo Regi, ac reliquis fœderatis illudatur, ne sibi auxilia submittant. Se quidem partes haut deserturum, ac omnia potius aleæ expositurum, quam datam fidem fallat. A Moguntino, Saxone, & Bavaro oblatum officium repudiasse, quod sine Cæsare, & aliis fœderatis tractationem suscipere sibi fas non sit. Igitur Rex legatis respondebat: *Sibi magno dolori esse, quæ Sueci in Electorem patrent; nec oblivioni daturum, quæ is olim Daniæ periclitanti præstiterit. Quin gloriæ sibi ducturum pro isto omnia sua impendere, ejusque salutem non minus quam propriam cordi habere. Electori tamen reipsa declarandum, Wrangelii irruptionem inter infensa, & Suecos non hospites, sed hostes haberi. Nam Gallum juxta, ac Suecum legatum contendere, ab Electore ideo nil offensæ, aut indignationis ostendi: cum Gallo quoque tractationem susceptam, & brevi cum hoc & Sueco conventurum. Ab hoc quoque nil hostile agitari, sed legiones tantum paulisper Marchiam ingressas hospitiis suis dilatandis, ac ut Electorem fœderatis abstrahant. Huic suspicioni elidendæ necessarium fore, ut Elector indignationem in Suecos exserat, ac rei gerendæ initium faciat, quo & sibi plausibile prætextum nascatur arma capessendi, quibus & propriæ rationes sat stimulorum subdant. Nec se dubitare, quin Elector alios quoque fœderatos excitaturus sit, simul prospecturus, ne in Anglia Sueci quid misceant: tum & eidem constantiam perstiturum.* Interim ista secreta haberi rogabat. Addebat Rex; Se statim initio belli prævidisse, talia successu temporis emersura; eoque prævertendæ subitæ oppressioni mature arma parasse, ac superiore æstate legiones in Holsatia contraxisse; quo facto Suecorum destinata non parum turbata fuerint. Sed postquam Sueci Gallica pecunia firmati exercitum in Germaniam trajecerint, suis copiis prævalentem, se quidem haut omisisse Hispanos & Bel-

1675. *28. Jan.* *13. Febr.*

1675. & Belgas monere, ita sibi subveniant, ut Suecorum destinatis infringendis par sit. Sed utrisque persuasum fuisse, Suecos nil infesti molituros. Id quoque sibi cumprimis molestum, quod ubi ipse gradum proferat, Belgæ, & Hispani cessim eant, insuper cavillantes, ipsi manus prurire, ac præter necessitatem ultro se bello obtrudere, ac sumtibus Belgarum cum Suecis manus conserere velle. Sed & Electorem hactenus erga ipsum sat frigidum se gessisse. Initio suscepti regiminis a se Christianum Habbæum Berolinum missum ad nonnulla tractanda firmandæ amicitiæ, & communibus rationibus. Eum re infecta digressum. De tractatibus cum Gallo nil sibi communicatum. Superiore anno se dissuadente cum Suecis fœdus initum. Quod si igitur frigus frigore pensandum sit, se tamdiu manibus in sinum compositis quiescere posse, quoad e Belgis requiratur, & circa subsidia sibi satisfiat. Enimvero se generose acturum, ac ultro Klingenbergium Hagam misisse, statim atque de Suecorum irruptione audierit, stimulandis Belgis. Ac revera stabat Regi sententia in Suecos arma stringere, modo Belgæ rem simul aggrediantur; ac Elector constans persistat; nec a Suecis ad compositionem induci se patiatur; si maxime Hispani nil conferant. Etsi Grifenfeldius nostris præsentibus Hispanicum ablegatum acribus verbis hortabatur, ut Hispani tandem aliquando causam serio amplectantur. Legatum Suecicum Nicolaum Brahæum haut difficile fore tantisper per inania detinere, quoad declaratio ab Hispanis, & Belgis allata sit.

Suspiciones circa Danorum mentem.

§. 25. Quanquam autem Regi Daniæ quam maxime suæ rationes suadere viderentur, ut dato responso firmiter inhæreret, id quod & fore Grifenfeldius sancte asseverabat: suspicio tamen erat hunc ipsum clam laborare, ne res inter Daniam, & Sueciam in bellum erumpat. Nam superiore æstate, cum Danicæ copiæ apud Coldingam lustrarentur, ingens ducum invidia in istum eruperat. Unde multi judicabant, eundem omni studio bellum declinaturum, ut locum, quem in gratia Regis tenebat, tueretur; quod in expeditione agentis animum militares homines in se pertracturi essent, solito his odio, & contemtu in togatos, præsertim e tenui fortuna provectos. Præterea & idem tam atroces super Hispanis, ac Belgis querelas movebat, ut Regi excusationem quærere videretur, si a fœderatorum partibus discederet, & a Suecis, atque Gallis oblata acceptaret. Sed & Regina Mater immensum desiderium ostendebat nuptias cum filia Ulrica Eleonora, & Rege Sueciæ perficiendi; quibus triste auspicium futurum erat inter novos affines bellum. Aliqui etiam disserebant; postquam fœderatorum exercitus Alsatiam deseruerit, Dano ad promovendam pacem esse incumbendum. Fama quoque erat, Gallum Gottorpiensi Duci super Oldenburgico, & Delmenhorstano Comitatu data pecuniæ summa satisfacturum, quæ præcipua hactenus collisionis materia inter eos Reges fuerat, dum Suecus Gottorpiensi studet, Danus sibi. Denique & verendum videbatur, ne Danus sequestris munus, quod Suecus nunc exutum ibat, amplecteretur; super 1675. quo & is Galli, Belgarum, & aliorum quorum intererat sententiam explorabat. Contra fiduciam addebant ingeminatæ Grifenfeldii testationes; Regem non posse, nec velle Electori deesse; ejus generosam mentem haut ferre, ut fœderatorum justam causam deserat. Vel cum omnium fortunarum periculo grati animi gloriam sibi quæsiturum. Eum adhuc omni ope conniti, ut Hanoveranum Gallicis partibus abstrahat; ac Belgas, Hispanosque stimulare, quo pactis cum ipso satisfaciant. Quin jam ante octo menses a Gallis oblata, si medius in bello esse velit, repudiasse, utut paulo ante Belgæ ratihabitionem pacti per Werckendammum conclusi recusassent, ac nondum constaret, num Cæsar, Hispanus, ac Belgæ ipsi fœdere jungendi forent. Acerbum auditu Regi esse, legatum Suecicum istam invasionem vocabulo dilatatorum hospitiorum venditare, circa quæ ipsi eodem jure, quo Elector in Franconia, agant: ac ardere istum in Suecos ire, sed solum id non audere, & Hispanos, ac Belgas expectare cogi; quibus excitandis Klingenbergium Hagam missum his demonstraturum, uti Elector ita generose ipsis adstiterit, ac iisdem periculo eripiendis longe a suis ditionibus discesserit. Denique eum ægre ferre, Belgas, ut Suecis plus temporis indulgerent, aliquot articulos concepisse, Sueco subscribendos, si sequestris dignationem retinere velit.

Sueci Danum a bello avertere student.

§. 26. Ast legatus Suecicus, ut Danum a bello averteret; omnem lapidem movebat. Is adventum suum Friderico Brandio significarat; sed qui excusaverat, se solita honoris exhibere ipsi non posse, quoad intellexerit, quam in partem Elector Suecorum hospitia accepturus sit. Idem quoque spargebat, Christophorum Brandium non nisi simulata offensa Holmia digressum, ac post valedictionem multa secreto cum Gardio egisse: brevi quoque super toto negotio inter Anhaltinum & Wrangelium transactum iri. Ingressu negotiationis suæ scriptum Regi Daniæ obtulerat hoc argumento; *Regem Sueciæ belli miserias, ac tantam sanguinis effusionem diutius spectare non posse, ac summopere optare, ut bona, & tranquillitatem orbi Christiano productura pax ineatur. Deum testem esse, Sueciam ex hisce turbis nil emolumenti captare. Et nil aliud cordi esse, quam pacem Westphalicam sartam tectam præstare, qua communis libertas, atque securitas fundetur.* Sed Dani negabant, ex prolixo isto scripto, quod data opera confuse conceptum videbatur, se percipere posse, quid Sueci ipsos velint; nisi quod adpareat, eos a Gallo oblata commendatum ire, & quod in Germania rem nemine impediente gerere velint: ac tam anxiam de justitia instituti sui asseverationem, Deumque tam crebro testem excitatum sinistra suspicandi ansam præbere: Ista porro a Gallis oblata Danus acceptare haut dubitaturus fuerat, si tantum Belgas & Hispanos, non etiam Electorem, & Cellensem Ducem

cem

1675. cem respexisset. Sane haut spernendæ conditiones erant annua trecenta uncialium millia capere, ac quiete frui, ditionesque florentes servare, simul Oldenburgico; & Delmenhorstano Comitatu potiri, dum Gottorpiensi per Gallum satisfit, qui & hoc ipso Regi reconciliandus sit. His pollicitis tamen insuper habitis Grifenfeldius, præsente Brandio, Hispanico ablegato in os dicebat; Daniæ Regem dubitaturum cum Hispanis, ac Belgis deinceps quid negotii contrahere, cui maximo cum dolore adspiciendum sit, eos tam languide de liberando Electore cogitare, qui tam generose pro ipsorum incolumitate sua omnia periculo exposuerit. Sed Brandio dicebat; Regis sui destinata ad tempus secreta esse habenda, ne Hispani, & Belgæ, iis animadversis, more solito in soporem resolvantur; tum ne forte Sueci præveniant, antequam omnia rite parata sint. In hoc totum jam artificium verti, ut Sueci clade aliqua illata domentur, & Electori Pomerania adquiratur. Tantum constantiam huic servandam, quod Sueci, ac Galli spargant, eundem jam proclivem se transactioni ostendisse.

Dani legatum Suecicum inani spe lactant. 20. Febr.

§. 27. Cæterum Dani tunc magna cum arte id negotium tractabant. Klingenbergio injunctum erat, non novi quid Belgas poscere, sed jam conventorum præstationem exigere. Sed metus suberat, ne Sueci animadverso Dani in Electorem studio, in ejus gratiam, ac ut eundem in partes suas pertrahere laborarent, Wrangelio injungerent Electoris ditione iterum excedere. Quod uti in se optandum erat; ita forte Belgas pro genio suo sibi persuasuros; Electorem satis habiturum ditionem suam a Suecis liberasse, ac contumeliam acceptam facile concocturum, quo omnis armorum vis contra solam Galliam verti posset; eoque tam præclaram occasionem Suecos ulciscendi incassum perituram. Igitur huic incommodo decinando Klingenbergius id negotium apud Arausionensem, & Fagelium secreto agere jubebatur. Qui & Hagæ Romswinkelio confirmabat, se quidem omni studio Electoris causam acturum; in speciem tamen Regis sui officium conciliandæ paci oblaturum eo duntaxat fine, ut Belgæ eo citius compellantur istum requirere, ac bello parando necessaria suppeditare. Petebat quoque Rex, ne Elector sinistræ suspicionis quid concipiat, quod cum Brahæo adhuc negotiatio continuetur. Nam isti decretum, eo melius dissimulandis destinatis, & Hispanis ad officium faciendum excitandis, huncce tamdiu inani spe lactare, quoad justus armorum paratus factus sit. Forte &, si nulla alia ratio superfit eundem detinendi, legatum ad Electorem mittendum, sciscitatum, an, & quibus conditionibus cum Sueco transigere placeat; quod Brahæus obiter, & honoris gratia controversias Regis sui cum Electore in ipsius manus remisisset. Quæ tamen omnia hautquidquam bellum cum Suecis impedire debeant, sed statim atque Hispani, & Belgæ præstanda præstiterint, ac ab Electore, & sociis res geri cœperit, se quoque in Suecos hostilia sumturum. Nec a se magis subsidia respici, quam ut partes 1675. rite formentur, quo sine periculo negotium suscipi queat. Ast si Electori placeat damnum, & contumeliam inultam digerere, ac ad compositionem descendere, id sibi ut significetur petebat. Tunc enim se operam daturum, ut Elector honeste se istis molestiis extricare queat, idemque suo cum Suecis fœdere illigetur. Facile autem adparebat, Regem nolle in eundem scopulum impingere, ad quem Pater ipsius quondam omnium fere fortunarum naufragium fecerat, dum ipse ante omnes solus erumpit. Suecosque in se trahit, fœderatis lente satis ad ipsum fulciendum moventibus. Nam & nunc metus erat, ne, si Sueci destinata Dani animadverterent, antequam Elector, & fœderati in arma erupissent, Wrangelius relicta Marchia repente Holsatiæ, ac Jutiæ infunderetur, fœderatis post tarde auxilia molituris. Unde quanquam Brahæo super Ulricæ Eleonoræ connubio moventi responsum esset; Eam longe sublimiora mereri, quam ut ejusdem nuptiæ ambiri debeant aliis quibusdam emolumentis captandis: is tamen haut eo minus blandis verbis lactabatur, ac subinde spes fiebat, propositum fœdus brevi absolutum iri. Qui vicissim negotium valde urgebat, ac subinde discessum suum minabatur. Unde huic demulcendo circa negotiationem cum ipso satagebatur eo apertius, ut Belgis calcar subderetur, iique metu ad officium faciendum compellerentur. Unde & Rex per Klingenbergium Belgis denuntiabat; se haut toleraturum Electorem ab ipsis indigne haberi. Sed si ipsi rem serio agere nolint, sibi haut defore idoneam rationem eundem salva existimatione his molestiis extricandi. Sed Electori clam confirmabat, si maxime Belgæ intuitu commerciorum ad bellum Sueco indicendum adduci nequeant, se tamen una cum Cæsare, ac Luneburgicis bellum in Suecos suscepturum.

Inanis circa fœdus inter Suecos, & Danos tractatio. 20. Mart.

§. 28. Porro exhibuerat Brahæus formulam fœderis inter Sueciam, & Daniam, cujus exordio prolixe jactabatur de arcta, & insolubili inter duas nationes amicitia. Designabatur inde fœdus defensivum ad præsens bellum, & futura tempora accommodatum, tuendis, ac promovendis utriusque nationis commerciis. Tum ut Danus cum Sueco sequestris partes obeat, ac operam navet bello inter Gallum, & fœderatos componendo; ac ut, ubi opus fuerit, omnes vires impendantur adversus eum, qui pacem adspernetur. Super servando neutro statu valde insidiose positum fuerat: si Sueci dum sequestrium munus exercent pro tuenda pace Westphalica arma cogantur arripere, Danum non solum ei negotio se haut ingesturum, sed & Suecorum instituta promoturum. Huic fœderi Gallum includendum, cui & integrum sit cum Dano super medio statu, & pecunia subsidiaria agere, quam Terlonus promiserit. Ut neuter via facti negotio Oldenburgico cum Gottorpiensi se misceat, sed id amice componere studeat. Ut omnia

1675. omnia pacta, & fœdera, quæ utraque pars cum aliis Printipibus, & Rebusp. antea inierit, & huic quod præ manibus sit, repugnent, abrogentur. Ad ista Dani annotata formabant, per quæ partim ipsa formula confundebatur, partim summa negotii in longum eludebatur. Super quibus postquam cum Brahæo convenire non possent, hic ex impatientia Danicis delegatis *chartam*, quam vocant, *blancam* obtulit, ut ei justum fœdus inscriberent. Eam conditionem Danus primum admittere dubitavit, fœderatorum suspiciones veritus. Sed quia Brahæus valde querebatur, discessum suum subinde minitans, ac Dani magnopere interesset, quamdiu bellum Suecis a fœderatis indictum non esset, istum legatum haut protelasse, alia fœderis formula a Danicis concipiebatur hoc sensu: *Ut deinceps firma amicitia inter utrumque Regem colatur. Fœdus defensionem, & incrementa utriusque nationis spectet; quo tamen Danus præsenti rerum facie non diutius tenendus sit, quam Sueci medios se gesserint. A Dano sequestris partes cum Sueco suscipiendas, si a bellantibus requiratur; ea tamen cum exceptione, ut ei integrum sit id officium exuere, si Sueci non amplius medii esse velint. In Oldenburgica causa non via facti, sed juris procedendum. Si Daniæ Regem inter, & Gottorpiensem Ducem solida amicitia instauranda sit, e tractatu anno 1660. quo hic supremi imperii jus nactus est, quædam esse eximenda. Ut omnibus fœderibus, quæ Dano cum aliis sunt, vis sua constet, nec hoc fœdere iis quid detrahatur.* Quanquam autem hæc formula merum ludibrium saperet; tamen quia Sueci forte jactare poterant, sibi cum Dano convenire, fœderatis, ac præcipue Belgis turbandis Brandius rogabat, ne id fœdus qualecunque perficeretur. Cui Rex confirmabat; sibi hautquidquam in animo esse ullum pactum cum Suecis inire. Brahæum per duos menses detentum, nec defore artes ulterius tempus extrahendi. Ac si maxime is e Suecia jubeatur eam formulam sine exceptione admittere, se causaturum, eam cum Cæsare, Hispanis, Electore, Belgis, aliisque fœderatis communicandam. Super Oldenburgico negotio disserebat Rex; Ducem Gottorpiensem heic data dextra transegisse: sed ubi Gottorpium redierit, non modo verba sua retractasse, sed & plane rationibus Sueciæ sese innexuisse, ac multa Daniæ adversa facere, dura admodum digestu. Id quod eo fine moveatur, ut si ipse deinceps contra eundem quid suscipiat, Electori, & aliis fœderatis sua causa in antecessum probetur. Id enim a se quæri, ut quæ iste Dux per Suecos Daniæ extorsit, iterum subvertantur; ac jam legionibus suis hospitia per Gottorpiensem ditionem assignata, quæ capessere debeant, quamprimum sibi larvam deponere maturum visum fuerit. Sane ante omnia istum sibi in ordinem redigendum, qui arcto fœdere Sueciæ innexus promiserit, se tria militum millia in ejus usus præstiturum, ac pro re nata adscitis aliis e Bremensi provincia copiis in Jutia, aut Holsatia Regia Danos distracturum. Quin exigente necessitate, aut commodis rei Sueciæ Suecorum militem intra Tœnningam velle admittere, quo his tuta statio in Holsatia sit. Se hactenus ab eo Duce multa tolerasse, offensam tenero in sororem affectu moderante. Sed isthæc enormia jam esse. Unde nosse cupere sententiam Electoris, an non Dux iste ex improviso sit opprimendus, ne Suecis ejus amicitia usui sit? Qua super re Elector censebat; si Regi liquido de pravis Ducis destinatis, ac tam noxio cum Suecis fœdere constet, non esse quod hujus effectus expectetur, sed recte talia præverti, & sinistre sentientibus vires nocendi adimi posse; ac talia facile defendi aut excusari per obligationem, qua quilibet Princeps status sui securitatem, & salutem tutari, ac noxia avertere tenetur. 1675. 5. Maji.

§. 29. Interim præter tacitos armorum paratus variæ rationes discutiebantur, quibus Sueciæ noceri possit. Ubi id palmarium habebatur, Sueciam in ipsa Suecia invadere; quo consternatio populi augeri, ac eorum, qui bellum dissuaserant, partes firmari, simul impediri queat, ne copiæ in Germaniam mitti possent. Idque præcipue Grifenfeldius suadebat, renitentibus ducibus, queis magis rem in Germania gerere placebat, velut lucrosa magis, & molliore militia. In Mosco haut modica spes reponebatur, quem Danus instigaverat, ut Gustavus Oxenstierna legatus Suecicus sat contemtim haberetur; qui & cum inter alia Moscis proposuisset de commerciis ipsorum a Fano Archangeli Narvam, & Revaliam transferendis, in os ab his irridebatur. Cupiebant autem Dani Moscum Finnoniæ immittere, ac ut plane circuito sinu Botnico in penetralia Sueciæ irrumperet, ac omnia ferro flammaque destrueret. Nam ut idem Narvam, Revaliam aut Rigam invaderet, haut consultum ducebant, non solum quod ibi parum profecturus esset, sed & quia is aliquo horum locorum occupato molestus vicinus in Mari Baltico futurus videbatur. Magni quoque momenti habebatur Gotlandiam, & Oesaliam insulas occupare, commerciis cum Gedano, & Riga intercludendis. Quo fine Dani suadebant, ut Elector excursores maritimos in Borussia instituat, infestandæ inter Livoniam, & Holmiam navigationi. Inprimis graviter premi Sueciam posse intercepta salis subvectione, ac peculiariter ne Lubecensibus liceat salem in Sueciam importare; utut hi ad privilegium quoddam provocent, quo sibi integrum sit etiam cum hostibus Cæsaris, & proscriptis Ordinibus commercia continuare. Porro belli scopum sibi Dani ferebant eo Suecos redigere, ne deinceps se, atque Electorem pro lubitu incursare queant. Unde haut ægre laturos, si Electori, & fœderatis omnia adcrescant, quæ Sueci in Germania possideant, si maxime ad se nihil perveniat: nam quicquid ad Mare Balticum Suecis a quocunque adimatur, id Daniæ accedere videri. Sperare tamen, si bellum prospere succedat, particulam Bremensis ditionis sibi concedendam, Oldenburgo opportunam. Quod Electori facile probabatur; sed id apud Dano- rum circa modum Sueciæ nocendi consilia.

Lune-

1675. Luneburgicos quærendum, quorum maxime interſit. Viciſſim Griſenfeldius teſtabatur, Regem optare, ut Elector Wiſmaria potiatur, præſertim cum norit, Suecos Meclenburgicæ inhiare, ac in caſum extinctæ Ducum ſtirpis Electorem ea ſucceſſione privare velle. Haut diſſimulabant tamen Dani, ſibi præcipue Scaniam cordi eſſe. Sed quia jam ab Hiſpanis & Belgis objiciatur, ſibi manus in bellum Suecicum prurire, ac Sueciam ad humilitatem priſtinam redigi cupere, nec iſti Daniæ incrementa æquo oculo adſpecturi ſint: ſe clam cum Electore paciſci velle, ut is ipſius commoda apud Belgas fulciat, ſe viciſſim connixuro, ut Elector Citeriore Pomerania potiatur opportuno ſitu, & in toleratarum a Suecis moleſtiarum ſolatium.

Dani circa ordiendum bellum tergiverſantur. *7. Maji.* §. 30. Quanquam autem Dani ampliſſime pollicerentur, indictionem tamen belli, ſuper qua Hagæ convenerat, ſubſcribere nolebant metu, ne hoc ipſo Suecicum exercitum in ſe traherent. Ea quippe eſſe Auſtriacorum, Hiſpanorum, & Belgarum conſilia, per quæ belli molem in ſolum Daniæ Regem, & Electorem devolvere velint, ipſi poſt principia ſibi cauturi. Unde in aula Cæſarea jactari; ſi Danus in bellum eruperit, Cæſarem idem facturum: cum tamen a Cæſare velut capite Imperii, & qui jam bello implicitus fuerit, ac cum Dano tantum in caſum novi hoſtis convenerit, merito initium fieri, ac Suecus novus hoſtis declarari debuerit, ut conſtet, hunc non cum ſola Dania committendum. Se quidem ſine dubio bellum ſumturum, ubi claſſis Belgica in freto adfuerit, & Elector una cum Cæſare in hoſtilia eruperit. Ac jam Dani non parum turbabantur, cum exercitus Suecicus movere ſe nuntiaretur. Sed mox evaneſcebat metus, cum iſtum verſus Albim tendere pateret, ut Hanoverano junctus Electori obviam procederet; Electore viciſſim Magdeburgum properante, quo Cæſareos ſibi ſociandi facultas foret. Quanquam autem Danus ſuaderet, ut Elector caute procederet, quoad & ſuus in Holſatia exercitus paratus foret; Electori tamen maturandum, & fortiter agendum videbatur, ne Suecis ſpatium relinqueretur Hanoverano ſociatis a Rheno Gallorum conjunctionem quærendi, belli ſede in media Germania conſtituta. Cum igitur non amplius dubium ſupereſſet, quin revera inter

24. Maji. Electorem & Suecos bellum eſſet, Hafniæ demum decretum dilata tantiſper Scania rem in Germania gerere; utut prius Griſenfeldius enixe ſuaſiſſet, hac peculiari ratione motus, ne Rege longius Hafnia digreſſo duces, qui eum oderant, hujus animum ab ipſo alienandi occaſionem nanciſcerentur. Qui demum haut aliam conſilii ſui rationem adducere norat, quam quod Rex in Germaniam ſuſcepta expeditione nimium ſe periculo expoſiturus eſſet. Cum contra Brandius Schackio, & Arenſtorfiis ſuffragantibus inter alia oſtenderet; Danum de bello ibi adquirendis partem poſtulare haut poſſe, ni & ipſe ad Suecos Germania expellendos operam navet. Ita Danus declarabat, ſi maxime Luneburgici ad Rhenum vertant, ſe tamen in bellum erupturum, & Bremenſem provinciam invaſurum. Citra ſolennem tamen clarigationem ab inſigni facto belli exordium capturum, ac Gottorpienſem primum arma ſenſurum. Etſi de tempore nondum certi quid definitum eſſet, quod Dani non prius ſerio bellum parare cœpiſſent, quam Electoris opera Hagæ inter fœderatos conveniſſet. Et Junius menſis elapſurus erat, antequam exercitus ad Rensburgum luſtrandus eſſet. Ac quæ in Gottorpienſem ſtruebantur prius perficere placebat, ne is a tergo relictus turbas daret. Unde dicebant Dani, fœderatos contra propria commoda facere, quod Regem præmature ad bellum declarandum urgeant, antequam omnia rite diſpoſita forent. Nam imparatum ſe a Suecis facile terra, marique invadi poſſe. Contra omnibus inſtructum a memorabili facinore bellum orſurum: ac brevi aliquid eventurum, quo Suecorum rationes admodum turbandæ ſint. 1675.

§. 31. Inter hæc dum ſumma vi bellum in Dania paratur, Brahæus iſtis non parum commotus magna cum modeſtia Hafniæ agebat; ac repente abrupta negotiatione circa fœdus, qua tempus incaſſum trahi videbat, jam unice Virginem Regiam Carolo Regi ſponſam depoſcebat nulla conditione adjecta, Gallo ſimul inſignem pecuniæ vim offerente. Se ne id quidem ad declinandum bellum quid proficiebat; ac gratiam quæſitæ affinitatis haut parum imminuebat, quod ea petitio in hoc potiſſimum tempus dilata eſſet, ut non tam ſponſa, quam declinatio belli ſpectata fuiſſe videretur. Ea propoſitio Regem fratrem non parum turbabat, ea rerum facie admodum ingrata: ac altioris indaginis quæſtio erat, num Regno Daniæ expediat Principem ejus hæreditariam Regi Sueciæ connubio jungi. Animorum quoque exacerbatio inter eas nationes a tempore noviſſimi belli ita invaluerat, ut Danicæ aulæ difficile eſſet talia cum Suecis tractare, quæ tantum inter amicos locum invenire ſolent. Suſpectum quoque eſſe id negotium hoc potiſſimum tempore in medium adferri, quo fœderati in Suecos impetum daturi erant. Saltem a Magno Gardio id ſpectari, ut animos Suecorum inſtante Ordinum conventu deliniat, ſi de coronatione, & nuptiis Regis proponat, ut reliqua bellum ſpectantia eo pronius accipiantur; ac ſi non obſtante deſponſatione Dani haut eo ſecius irrumpant, facultas foret horum infeſta Sueciæ conſilia, & animos nullis amicitiæ ſpeciminibus deliniri aptos apud Ordines exagitare, quo hi proniores tolerandis belli oneribus redderentur. Denique non ſine magna commotione cogitari poſſe, Danicam Principem Regi Sueciæ nunc jungi, cujus parens non ſolum Regno Daniæ tanta mala intulerit, ſed & Virginis Patri, totique familiæ Regiæ exitium intentarit. Viciſſim tamen diſſerebatur; jamdudum, quantum decore fieri poſſet, diverſis locis, ac præcipue apud Electorem, & in Hollandia inſinuatum fuiſſe, animadverti Regem Sueciæ eam Principem ambiturum; ſed quam malint alicui *Sueciæ Rex Ulrica Eleonore nuptias ambit.*

Princi-

1675. Principi Germaniæ, aut Arausionensi nuptum dare. Sed id frustra fuisse; ac eam palam velut venalem offerre, ipsius conditionem, & inusitatas animi dotes, ac incomparabilem animi nobilitatem haut decere. Unde jam aquam sibi hærere, nec prætextum amoliendo Brahæo suppetere, ab alio jam ejus nuptias expeditas. Carolum Æmilium, in quem maxime respexerint, fato functum. Wilhelmum Arausionensem Principem nondum de nuptiis cogitare videri, ac ei Ducis Eboracensis filiam destinari. Ita toto terrarum orbe dignam ista conditionem non adparere, quam Sueciæ Regis: ac si huic repulsa detur, forte eam deinceps non sine damno Regni ætatem sibi ipsi tædiosam exacturam. Sed & Regina Mater utique has nuptias cupiebat; idemque multi alii suadebant, sic ut Grifenfeldius ei se negotio opponere non auderet. Equidem optabat Brandius, id eousque extrahi posse, quoad de Arausionensis animo exploratum esset. Sed Brahæus acriter instabat, ut petita annuerentur, aut recusarentur, antequam Rex Daniæ iter, quod tunc parabat, in Holsatiam ingrederetur. Idem quoque rogabatur, num id ex decoro sit futurum, hodie Virginem Regiam desponsari, cras affines Reges ferro inter se cernere. Sed is respondebat; se utique procari justum, ac desiderari a Rege Virginem, si maxime bellum emergat. Nam in Suecia satis prospici, quo res evasura sit. Scribebat quoque Brandius epistolam ad Grifenfeldium ficto argumento, qua id matrimonium dissuadebat, eique in memoriam revocabat, quid de alia conditione cum ipso locutus sit, quæ Regiæ Virgini, rationibusque Daniæ commodior futura sit. Quam epistolam Grifenfeldius Brahæo ostendebat. Sed qua hic hautquidquam permotus ita acriter instabat, ut die octava Junii hora nona vespertina solenni audientia Rex sororem Ulricam Eleonoram Carolo Regi desponderet ea conditione, si Mater, & Virgo consentiant, & quod ipse eam ob causam ab iis, quæ fœderatis promisisset, discessurus non sit. De quo & Rex omnibus suis fœderatis significabat. Inde Brahæus Nicopiam Falstriæ ad Reginam Matrem, quæ ibi tunc cum Filia agebat, profectus, utriusque consensum expetivit, & obtinuit. Quo facto Danus optabat Brahæum renuntiata legatione domum discessisse: sed qui negabat se passurum, ut alius honorem conficiendorum pactorum connubialium sibi præriperet, eoque Hafniæ morari pergebat, isto ægre ferente, quod id agi adpareret, ut ipse fœderatis suspectus redderetur. Enimvero confirmabat Rex Electori, & aliis fœderatis, Suecos hoc artificio nihil lucratos, ac se constanter iis adhæsurum, hortatus, ut ipsi modo strenue in hostem moveant. Cæsareo legato idem dicebat: vel decem sorores non effecturas, ut quæ promiserit retractare velit. Haut eo minus Electorem ea sponsalia non parum turbabant, velut fœderatis fraudi futura; ac valde mirabatur, Regem hoc tempore in ea consensisse, cum omnes perspiciant ista nunc per astutiam proposita ei a fœderatis distrahendo. Eoque acrius urgebat, ut in bellum erumperetur; præsertim cum constaret, a Friderico Alefeldio Comite pacem suaderi, etsi Schackius, & alii bellum enixe ingererent. Sed Rex Electori per literas confirmabat, connubium sororis cum Rege Sueciæ sua consilia, fœdera, & amicitiam cum ipso haut alteraturum. Scripserat & Grifenfeldius: affinitatem cum Sueco haut sufficere, ut suus Rex ideo oblivioni daturus sit veras suas rationes, & quid fœderatis, ac statui suo debeat. Eadem missus a Rege Justus Heugius confirmabat; rem esse duntaxat domesticam; nec suam culpam esse, Suecos hoc temporis articulo procatos. Sane non obscurum esse, quid isti captent: sed prævisam astutiam effectu caruisse, ac si destinata sua intra paucos dies in lucem erumpant, fœderatorum suspiciones ultro expiraturas. Grifenfeldius quoque dicebat: se hoc matrimonium adhuc pro infecto habere. Ac si Rex Sueciæ ideo tantum Principem Virginem ambierit, ut Danos hoc tempore in somnum daret, forte cessim iturum, si artes suas irritas videat; in quem casum ipsi jam parati sint. Regem quoque negotio difficultatem injecturum, causatum, se hac tempestate, cum pecunia ad bellum opus sit, dotem, ac debita ornamenta ægre expediri posse. Si itaque Elector eo rem deducere possit, ut Arausionensis procum se ferat, Sueco adhuc sponsam eripi posse. Et quæ tunc in veterem affinem agitabantur, indicio erant, cum novo haut melius actum iri. Sed Elector uti re integra eo tempore sponsalia non succedere optaverat: ita vinculum jam contractum solicitare haut decorum judicabat: nec citra Angli offensam de hac re apud Arausionensem proponi posse.

Daniæ Rex clarigationem differt.

§. 32. Haut eo minus scrupulum movebat, quod Daniæ Rex exemplo reliquorum fœderatorum conventa die Sueco bellum haut indiceret. Cujus rei causas Grifenfeldius has adducebat: *Regem Daniæ nondum bello implicitum fuisse, sed id nunc ei recens ingrediendum, eoque magno adparatu opus esse. Fœderatos haut desideraturos, ut is se hostem declaret, antequam hostilia inferre, ac injurias suas protegere possit. Alios fœderatos terrestri duntaxat adparatu indigere; Daniæ securitati terra marique prospiciendum; quæ & ob bella quondam improspere gesta paratu bellico, machinisque exhausta fuerit, longa quoque pace deses. Ac non minus causæ Regi quam Electori fuisse, ut non prius bello sese immergeret, quam hujus opera res cum Hispanis, & Belgis ad liquidum deducta fuerit. Sed nec Regem consultum ducere inutili strepitu hostem advertere, ut sibi caveat: quin satius fore bellum ab insigni aliquo facinore auspicari, & hostem ictu gladii excitare. Et sane talia animo agitari, quæ ubi successerint fœderatis admodum placitura sint. Expectari quoque septem Naves e Norwegia, militem, & navalem materiam advecturas, ac totidem navibus militem in Holsatiam trajectum, quæ bello mature indicto a Suecico navarcho Agla, qui cum numero navium Mare Balticum percurrat, intercipi queant. Nondum quoque promissas a Belgis novem*

1675. *naves bellicas in freto adesse, forte domi mansuras, ubi Danos in bellum jam erupisse auditum fuerit.* Sed & Dani rationes nonnihil turbabat Monasteriensis Præsul Bremensi provinciæ imminens, quicum nil sibi negotii esse volebat, velut pertinacis, & importuni ingenii viro; quem a Cæsare isti provinciæ immitti ægre ferebat. Denique ante omnia a Gottorpiensi cautum sibi esse cupiebat.

Sueci tantisper in Marchia pro lubitu grassantur.

§. 33. Interim Sueci sedulam operam dederant, ut Electoris ditiones funditus evastarent per quas rapax miles omni parte circumtrahebatur. Cum enim ab initio Uckeranæ, & Mediæ Marchiæ sese infundissent, ea comesa trans Oderam in Pomeraniam, & Novam Marchiam se conferebant, ubi pari modo grassabantur, nisi quod Wrangelius postulante Bakovio Pomerelliæ Palatino Lauenburgicum, Bytoviensem, & Draheimensem districtum, velut a Polonia pendentes, belli oneribus exemisset, confirmans quoque in Borussiam nil tentatum iri, ac vicissim stipulatus, ne Poloni Electoralibus copiis e Borussia transitum concedant. Ulterioris Pomeraniæ Ordines cum Suecis super modo tributorum convenerant: id quod a multis acceptum tanquam medii status indicium, ac Electori parum probabatur: quod pactum tamen paulo post secuta rerum mutatione expirabat. Cæterum Sueci edicto provinciales monuerant, ne penatibus suis profugerent, polliciti nil mali ipsis illatum iri; revera ne quid rerum suarum in munita loca conferrent, quo una vice omnibus fortunis exui possent. Ac initio isti omnia consumsisse, ac abstulisse fere contenti fuerant: mox indies hostilia intendebantur; ac cum post pessumdatam Novam Marchiam apud Stetinum cis Oderam regrederentur, denuo Uckeranam, & Mediam Marchiam inundantes atrociora subinde exserebant. Ex itinere Lœckenitza arx machinis verberata vi expugnabatur, quod factum Wrangelius Ratisponæ ita excusari jubebat, quod præfectus petitum transitum abnuisset, cæsis aliquot militibus, qui propius subierint. Unde sui defensionis causa vim sibi fuisse repellendam. Velut ipse suo jure alienam ditionem qua placeret transire posset, cum nondum hostis audire vellet. Eo magis autem licentiæ fræna laxabantur, quod dum Wrangelius a morbo decumbit, exercitus per fratrem ipsius Woldemarum tantisper regeretur, perversissimi hominem ingenii, & qui e petulantissimis facinoribus voluptatem capiebat. Igitur miles passim, qua pertingere poterat, omnia diripere, pecora occidere, immaturas segetes proterere; ædes sacras diripere, easque, ut & vasa usibus sacris destinata fœdis dictu modis polluere; tum passim homines contortis circa capita funibus cogere ad promendas, quas abdiderant, pecunias; aliquos ad collum usque in terram defodere, quosdam pueros per petulantiam globis trajicere. aliquot fœminæ mammellis ad parietem clavis affigebantur, nonnemo fune ad scrotum alligato trahebatur. Denique ad mortuos rapina porrigebatur, dum Gransoiæ Gorgasii tum præfecti uxor ante aliquot septimanas tumul ta capulo excutitur, vestibusque spoliatu quod & in Trottium summum dum viveret vi liarium præfectum Badingæ sepultum pat tum fuit. Atque ista omnia jubente, aut co nivente Woldemaro facta; quæ tamen Vit legato Gallico haut sufficiebant, quod incend abstineretur; cum iste omnia in cineres re genda subinde ingereret. Sane & ipse Arcl strategus Wrangelius ista vehementer detest batur, cujus literæ ad Woldemarum fratre Ruppino scriptæ intercipiebantur hoc sens *Morbum suum valde auctum fuisse, quod ubiq que transierit magna cum animi perturbation ac dolore perspexerit, quam enormiter exercit in itinere grassatus sit; uti provinciales excrucia ædes sacræ direptæ, omnia ita evastata fueru ut qua hominum memoria pertingit, & quam ipse militiam secutus sit, tale quid inter Chri anos auditum non sit. Ista inhiberi, ac in au res inquiri, ac graviter animadverti jubeb.* Paris argumenti literæ ab eodem ad subtrib num Molzanum scriptæ in hujus vestiment cum loco prælii mox secuti mortuus exspo aretur, repertæ sunt; *Uti intellexerit, ex q tempore exercitus Suecicus in has provincias p venerit, provinciales ita atrociter habitos; ut n seris omnia sua erepta, templa effracta, ac di pta fuerint, multis queis nil quod darent fuer per cruciatus necatis: quod cum reliqui perspe rint, desertis laribus profugisse. Ex quo agei modo Christianis indigno cum non possint non sta, alio quin Regis arma vicinis, & præci toti nationi Germanicæ exosa reddi maximo c rerum Suecicarum damno: igitur in patrat talium inquiri jubebat.* Cæterum cum Su versus Albim tenderent, Havelandiam ex nere populari placebat, quæ fertilissima Me Marchiæ pars est: Electorales, qui ejus gionis aditus custodiebant, apud Fehrbe num, & Cremmam ingruentes Suecos, q Sommerfeldius curabat, aliquamdiu repel bant. Sed major vis apud Uraniburgum movebatur; ubi cum submissa a Sommer dio equitum turma sub diluculum accede venatores, qui ibi servabant, hostem esse deserta statione fugam arripiebant. Et qu quam præfecti hortarentur, ut post sepe conferrent, & accedentes certis ictibus ciperent; ii tamen regerebant, venatores non milites esse. Sed & interim manus S corum viam monstrantibus agrestibus Dof fluentum vado transgressa a tergo immine Unde quæ ibi aditum custodiebant coho cum nulla resistendi facultas esset, Spand se receperunt. Quo & Sommerfeldius se tulit, cum alias a tergo facile ad Fehrb num, & Cremmam intercipi posset. Ha bergæ subtribunus Nickelius aliquoties ir beuntes ejaculatus, cum cives obsecraren parum munito oppido exitii causam d cum centum peditibus Werbenam trans bim abiit. Ita & Sueci totam Havela am inundabant. Wrangelius Havelber

1675. concedebat, quo navigia Brandenburgo, Ratenavia, aliisque locis contrahebat, pontem ibi navalem extructurus.

Elector in Marchiam movet. §. 34. Ast Elector, postquam cum fœderatis Hagæ super necessariis convenisset, propere exercitum e Franconia, ubi egregie per hiberna se refecerat, numerosque suppleverat, versus Magdeburgum movere jussit; etsi multis anceps videretur eo progredi, cum ab Hanoverano nondum satis cautum esset. Sed quia fœderatorum unus in alterum respiciebat, ac nemo prius in arma adversus Suecos erumpere volebat, quam initio per ipsum facto; præsentissimum scilicet ac fidissimum auxilium erat, quod sibi quisque præstabat; ac non desides, & meticulosi, sed strenue rerum suarum satagentes quam amplissime sibi de divino auxilio polliceri poterant. Igitur & ipse Dei auxilio confisus, cujus paci exorandæ per omnes suas ditiones preces publicas ad diem X. Junii indixerat, materiam sermoni publico præscribens, qualem mox eventus comprobavit; ad rem strenue suscipiendam sese accinxit. Quia autem magni momenti futurum erat, si hostibus ex improviso ingruere posset, omissa Cobii conjunctione, qui moras nectebat, solus rem aggredi constituit. Et quia Magdeburgum summa cum diligentia maturato itinere delatus cognoverat, hosti de suo tam propinquo accessu haut constare, eumque copiis haut undique contractis negligentius agere; consilio habito, isto, ac sequenti die omnes urbis portas clausas tenuit, ne de suo instituto hosti innotescere posset. Inde hora nona vespertina omnes equites, & dimachas cum decem machinis trilibres globos ejaculantibus pontem Albis transire jussit; quos mille selecti pedites sequebantur, centum quatraginta sex curribus impositi, quorum quilibet cymbam quoque vehebat. Electorem comitabantur majorum graduum duces Georgius Dœrflingius, Fridericus Landgravius Hasso-Homburgicus, Joachimus Ernestus Gœrtzkius, Ludeca, Gœtzius, & Pœlnicius. Ea nocte & sequenti die quinque milliaria absolvebantur. Postera die ob continuas pluvias tardius iter fiebat, ut hora demum octava vespertina Elector cum equitatu ad horæ iter Ratenaviæ propinquaret, peditibus, & machinis post duas horas eodem pervenientibus. Inde protinus sexcenti pedites ducentibus subtribuno Cannio, & Canofscio supra oppidum per silentium cymbis Havelam superabant, ut ab altera parte oppidum invaderent. Primo diluculo totus equitatus propius subibat, quem Dœrflingius cum dimacharum manu præcedens ad exteriorem Havelæ pontem, qui attractus erat, ruebat, Suecum se simulans, cui Brandenburgica caterva immineret; ac cum non sine expostulatione, & minis obtinuisset, ut pons pensilis dimitteretur, mox irrumpens stationem trucidabat. Ad majorem Havelæ pontem pes figendus erat, quod & ibi duo pontes pensiles in altum subducti essent, parte quoque pontis amota.

Jeremia XX, 11.12. — *11. Jun.* — *12. Jun.* — *13. Jun.* — *14. Jun.* — *Ratenavia Sueci opprimuntur. Canne. Canofski. 15. Jun.*

Ac Sueci jam excitati strenue jaculabantur occiso subtribuno, Uckermanno ac uno signifero cum aliquot peditibus. Eo strepitu audito Canofscius ex altera parte ingruens semel licet repulsus minutam portam repetito impetu expugnabat. In diversa parte Gœtzius quoque, & Dœnhofius Comes apud molendinum in oppidum irrumpebant. Sueci quo se verterent nescii, utcunque ex ædibus tela emittebant: qui in plateis occurrebant trucidabantur. Inde ad portam aquaticam nostri penetrabant, ubi centum Sueci consistebant, qui cum quantum tempus ferebat restitissent, ad unum cædebantur. Mox & ea porta refringebatur, ac pontes pensiles demittebantur, raptim quoque reparato ponte, qua dejectus erat, ut equitatui in oppidum accessus pateret. Qui cædi superfuerant Sueci capiebantur cum tribuno Wangelino, subtribuno, præfecto vigilum, & tribus centurionibus: quibus sex vexilla accedebant. Wangelinus iste primus cladem inauspicati belli excepit, ad quod conflandum ipse non parum contulerat, cum reliquis præfectis Peizam in custodiam abductus. Eadem nocte tribunus Rochius in suburbium Brandenburgi irrumpens tres hostium stationes conciderat, ducentis equis abreptis.

§. 35. Cum itaque intercepta Ratenavia Wrangelius, qui cum valida manu, ac multis præfectis Havelbergæ agebat, ab exercitu ad Brandenburgum metante interclusus esset, Elector peditatum Magdeburgo evocabat, ad Ratenaviam quoad is adveniret moraturus. Sed sequenti mane Joannes Christophorus Straussius subtribunus, qui exploratum missus fuerat, referebat, Suecos desertis ad Brandenburgum stativis Barneviciam versus iter properare. Igitur peditatum haut moratus, ac invitantem fortunam secutus, hostis vestigia cum equitatu legere instituit, Ratenaviæ quingentis peditibus relictis. Cum hinc moveret Elector, Rochius tribunus, qui post excursionem ad Brandenburgum Havelbergam versus missus fuerat, catervam quinquaginta equitum profligaverat, captivis quibusdam adductis. Elector sub vesperam non procul Barnevicia progressus Suecos ex altera parte metantes reperit, in quos ingruentes tenebræ nil suscipere permittebant. Ea nocte hostis propere Navvenam versus processerat, quem Elector orta luce sequebatur multis in via deprehensis, qui omnes cædebantur. Passim quoque fracti currus, abjecta supellex, & thoraces ferrei conspiciebantur. Adventu nostrorum hostis jam flumen ad Nawenam transierat præter mille equites agmen claudentes, qui impetu pellebantur, multis in oppido, & ad pontem cæsis, reliquis trepida fuga per pontem sibi consulentibus. Trans flumen hostis dispositis ordinibus, ac machinis constiterat, ut perrumpi non posset. Elector tamen dimachas ad citeriorem ripam in conspectu hostis locum capere jubebat, ubi aliquot machinæ hinc inde displodebantur. Interim Elector per devia sylvarum, ac paludum subtribunum Henningum

Treffenfeldium, Canofscium, & Zabelticium cum centum equitibus triginta dimachis viam monstrantibus venatoribus mittebat, qui pontes, qua hosti transeundum erat, & præcipue Fehrberlini dejicerent; qui re magnam partem perfecta regressi in centum quinquaginta equites Suecicos incidebant: quos numero licet prævalentes post acrem conflictum in fugam pepulerunt, captivis aliquot Nawenam attractis.

§. 36. Cum itaque hostis perspiceret, se citra pugnam trans flumen ad Fehrberlinum evadere non posse, quod Fridericus Landgravius cum sinistro cornu semper extremo agmini immineret, horæ spatio ab isto oppidulo apud vicum Hackelbergam legiones una cum machinis disponebat, nostrosque expectabat. Elector ex tempore in campo consilium habebat, quid facto opus sit; & num consultum videatur, justum exercitum plurimis machinis instructum, ac bene dispositum, cui & a tergo surgens ventus favebat, aggredi solo cum equitatu, quem citatum complures per dies iter admodum delassaverat, ac paucis minoris formæ machinis. Ubi plerique ducum id temeritati proximum, ac rationibus bellandi adversum censebant: Contra Elector hostem in angustias redactum, ac duce suo maximæ autoritatis, & experientiæ nunc destitutum e manibus haut amittendum judicabat: ac Dei favorem, quod numero, & robori desit, facile supplere posse. Igitur statim paucæ machinæ in arenaceo colle disponuntur, adjuncta dimacharum legione, Ipse Elector aliquot alas e sinistro cornu ad strenue pugnandum animatas in hostem ducebat non sine maximo periculo, confertim fulminantibus Suecorum machinis; e quibus emissus globus Emanuelem Frobenium stabuli præfectum retro istum equitantem prosternebat. Sub horam octavam matutinam asperrima pugna surgebat, initio per sinistrum cornu facto; qua Suecorum equitatus loco pellebatur, nec obnixo pede stare deinceps volebat, sed peditatui semper adhærebat; quicum equitatui nostro durissima conditione manus conserendæ erant inter tuborum longiorum grandines, e quibus aliquot alæ non parum detrimenti capiebant. Tum pars peditatus Suecici versus machinas Electorales pedem promovebat. Sed ingruentes custodes corporis, cum legione Anhaltina, & Mœrneriana post acrem, & initio ancipitem pugnam hostes repellebant, simul Suecica legio prætoria sub Dalwigio summo vigiliarum præfecto octo cohortibus constans concidebatur, Ostrogothica quoque legione, & aliis turmis profligatis. Unde exercitus Suecicus propere servatis tamen ordinibus, retro ad vicum, & inde juxta paludem Fehrberlinum cedebat, campo mortuis instrato cum victoria Electori relicto. Hic se recipientibus e latere imminebat, si qua medium in agmen perrumpere posset. Sed hostis, qui inter conflictum impedimenta præmiserat, arcte stipatis ordinibus incedebat, quem & ex uno latere palus tegebat, ut nostrorum impetus facile sustineri posset, etsi complures telis eminus emissis subinde caderent; donec sub noctem citato passu Fehrberlinum attingeret. Hostium minimum mille quingenti in loco conflictus occubuerunt, præter ingentem numerum sauciorum; pauci per fervorem pugnæ capti. Inter cæsos erat Adamus Wachmeisterus legionis Ostrogothicæ tribunus, Molzanus subtribunus, & alii præfecti. Inter Electorales cecidit Mœrnerus tribunus, cum aliis quibusdam præfectis, & gregariis; sauciati Treffenfeldius, (quem Elector in ipso campo insignibus Nobilitatis ob rem fortiter gestam mactabat,) Straussius, Sidovius, alii, & centum quinquaginta gregarii. Signa octo legionis prætoriæ pedestris, & duo vexilla equestria capta. Pleraque per sinistrum cornu gesta, cum aliquot dextri cornu alis manum conserere haut contigerit. Quod si Electori peditatus adfuisset, ut angustiæ occupati potuissent, Suecorum exercitus internecione delendus videbatur. Eam per noctem Elector ante Fehrberlinum consistebat, ubi hostis noctu raptim reparatum pontem transierat. Altera luce Elector animadversa hostium fuga aliquot turmas oppido immittebat, ubi duæ phalanges peditum adhuc deprehendebantur; sed quæ mox trans pontem, quem post se inflammabant, se recipiebant. Repertæ tamen ibi tres selibrium, duæ trilibrium globorum machinæ, multo cum instrumento bellico, ac ducenti impedimentorum currus; & multa millia raptorum a Suecis pecorum. Reparato ponte Elector cum equitatu insequebatur, multis in via vehiculis interceptis. Sed Sueci per Ruppinum, & Wittstocum ita propere se subduxerant, ut non amplius eos adsequi daretur. Unde satis tunc habuit Elector fugientibus ad fines usque Meclenburgicæ institisse, postquam isti quatuor millia amplius amisissent, festinato receptu plurimis deserentibus, qui catervatim Hamburgum se conferebant, auspicatiorem militiam secuturi. Ac necessum erat equitatui aliquot dierum quietem indulgeri, qui tanto e Franconia itinere nullum labori diem interposuerat. Interim peditatus, & machinæ adveniebant, quibus adjunctis longius hostis impellendus erat. Elector postquam Berolinum excurrisset, ubi immenso omnium cum gaudio exceptus fuit, ac Deo pro tam conspicua ope præstita grates persolvisset, brevi post iterum ad exercitum revertit. *23. Jun.*

1675. *19. Jun.*

§. 37. Memorabilis cumprimis habita fuit ea victoria non tam multitudine cæsorum, quam ipsa vincendi ratione, & magnitudine effectus inde consecuti. Sane rerum militarium periti mirabantur Electoris providentiam Magdeburgi adhibitam, silentium & celeritatem circa occupandam Ratenaviam, solertiam hostem divisum retinendi, ac dejectis passim pontibus receptum difficilem reddendi. Tum ipsum consilium invadendi hostem summa cum constantia, animique magnitudine susceptum, dum nullo sociorum auxilio cum solo equitatu per longum iter fatigato tenditur in exercitum numero prævalentem,

Motus animorum super ea victoria.

tem, viribus integris, probe saginatum, loco commodo una cum machinis in acie consistentem, ac veteranis legionibus compositum, qui nuper totam Germaniam terrore afflaverat, ac cui clarissimus eo tempore dux imperabat, etsi prælio non interesset, qui solo nominis sui terrore Electorem ad compositionem adducturus credebatur. Eum insigni clade affectum, terroris, atque confusionis plenum paucos intra dies toto Electoratu expulsum, ac ita debilitatum, ut toto deinceps bello vix amplius in campo se ostendere auderet. In cujus quoque victoriæ partem nemo alius veniebat. Eadem per Melchiorem Rucquium ab Electore missum Viennam nuntiata Cæsarem, totamque aulam summo gaudio perfuderunt, qui & supplicationes eo nomine indixit, ac honorificis literis Electori gratulatus est amanter tamen questus, Electorem seipsum tanto periculo exposuisse, simul monens rogansque ut custodiendæ vitæ, e qua tantum patriæ momentum pendeat, majorem deinceps curam adhibeat. Eadem a Rege Daniæ, Belgis Fœderatis, Ducibus Luneburgicis, aliisque amicis ingerebantur qui & omnes hæsitationem, quam Hactenus circa inferendum Suecis bellum adhibuerant, exuebant; horum contra amicis cristas demittentibus. Ast in Suecia, nuntiata ea clade, apud summos imos magna consternatio, omnibus Wangelinum exsecrantibus, cujus socordia Electori viam ad eam victoriam munierat, & quia is ad belli incendium excitandum faces supposuisse arguebatur. Ac prudentiores ejus nationis metuebant, ne hac ignominia accepta armorum Suecicorum hactenus parta gloria haut parum obfuscaretur. Saltem nunc omnis spes, quam sibi plurimi conceperant, veteri simile bellum in Germania excitandi decollabat, satis deinceps habituris summam rerum suarum exitio subduxisse. In Anglia Sueci, ac Galli eam victoriam elevarant. Unde Rex ex Suerino seorsim, cum reliqui legati abessent, uti res gesta esset, cognoscebat. Is consilium Electoris, & constantiam magnis laudibus ferebat. Confusionem, quæ in exercitu Suecico fuerit, ortam judicabat partim ex imperitia ducis partim ex magnitudine prædæ, qua onustus iste grave agmen traxerit. Cumprimis hoc exemplo perspici, quantum momentum habeat suo exercitui sine exceptione imperitare, nullis sociis, qui bene cogitata eludere queant: nec se dubitare, quin Elector solis suis cum copiis majus sit operæ pretium facturus, quam si aliis ducibus conjunctus agat, queis secreta mandata, & peculiares respectus sint. Idem Rex, cum delineationem ejus prælii spectaret, & quantum Sueci peditatu, machinis, locique opportunitate prævaluissent, Ruperto Palatino dicebat: omnes, qui ex eo prælio evasissent, suspendio dignos esse.

§. 38. Sed & Elector hac victoria reliquis fœderatorum exercitibus facem ad feliciter rem gerendam præivisse visus fuit. Sane paulo post Cæsarei duce Montecuculo Gallos magna cum strage trans Rhenum pepulere cæso Turennio, qui ea tempestate inter celeberrimos duces habebatur. Tum Duces Luneburgici Georgius Wilhelmus, & Ernestus Augustus fratres insigni prælio ad Saram fluvium Gallos cæciderunt, expugnata post Augusta. Trevirorum, & capto Gallici exercitus duce Crequio, ut tunc facile in Galliam penetrari potuisse videretur, ni scæva consilia tam illustrium victoriarum fructum corrupissent. Ac Luneburgici quidem, uti per Belgas demum persuasi fuerant ad Mosellam vertere, quo molem hostium Arausionensi prægravem distraherent; ita caveri sibi voluerant, ne quid speratæ prædæ in Bremensi provincia decederet. Unde cum monasteriensis Præsul, quo plane in partes traheretur, in aliquam prædæ partem admittendus fuisset, ac idem post justo longius grassaretur; Ducibus omissa Mosella domum vertendum fuit, ne alii tam opportunam Domui ipsorum provinciam præriperent, molestiorem forte viciniam daturi. Angliæ quoque Rex mirum sibi videri ferebat, Cæsareos Gallis post Turennii mortem haut majorem cladem intulisse, cum minimum dimidia exercitus Gallici pars pro perdita haberetur. Cæsarei excusabant valida munimenta ponti circumposita, & incommoditatem loci, ubi equitatui usus non fuerit. Sed plerique arguebant Montecuculum præmature pugnam conseruisse; cum expectare debuerit, quoad pars Gallorum flumen transiisset, ac in reliquos impressio tota vi facienda fuerit. Sed id magis mirabantur, quod cum Crequius exercitu suo in aciem disposito celsum montem insedisset, ac Luneburgicos partim natando, partim per pontem tenuato agmine accedere vidisset, tamen tantam sibi cladem inferri passus esset. Sed & omnibus suspectum videbatur, Cæsareos post pulsos Gallos decem per septimanas ad Lauterburgum otiosos consistere, ne minima quidem re in Gallos suscepta; ac ne Hagenoa quidem tentata, deditioni parata; inani prætexto, quod numeroso nimis præsidio ibi opus esset, cum annonam avehere in promtu foret, disjectis oppidi munitionibus. Idem color dicebatur, quare Tabernæ non impeterentur prona expugnatione; ex quo tamen loco communicatio cum Brisaco Gallis difficilis reddi poterat. Sed nimirum Cæsarei duces metuebant, ne si ista loca occupassent, sibi toto cum exercitu, aut majore parte trans Rhenum foret hibernandum; cum ipsi opimis Sueviæ, & Franconiæ hospitiis inhiarent, ubi amplior litandæ avaritiæ materia erat. Ac inprimis Montecuculus ob aulicas factiones tamdiu Vienna abesse nolebat. Quæ res Ordines harum provinciarum valde affligebat, Palatino quoque Electore tantum non ad desperationem redacto. Multis quoque altioris indaginis videbantur mandata Montecuculo Viennæ data, ut in expeditione nil ancipitem aleam habens tentaret ac satis haberet ulteriores Galli progressus sistere, ac exercitum in bono statu conservare: quasi

1675. *Luneburgicorum Ducum victoria de Gallis.*

1675. quasi data opera bellum aleretur, ut Ordinum vires enervandi facultas foret. Cæterum Angliæ Regi isti Cæsareorum progressus, si justo vigore eos persequi placuisset, tanti videbantur, ut ad legatum Templium Hagam scriberet; jam potentiam Domus Austriacæ in vicem Galliæ metuendam esse. Ac Carolus Lotharingiæ Dux tam propinqua spe in ditionem suam revertendi, cum Cæsareos in diversa abire cerneret, indignatione animi vita excessit. Princeps, cui maximæ calamitates, quas perpessus est, nunquam firmitatem, & alacritatem animi concussisse visæ sunt, quin eadem æquanimitate in utraque fortuna ageret. Malorum origo isti e studio in Domum Austriacam; unde dum bello contra Suecos se miscet, Gallorum offensam incurrit; a quibus ditione sua expulsus a Gubernatoribus Hispanicis indigne habitus, demum in custodiam datus, post Pyrenæa pace utcunque restitutus fuit. Sed decennio post intempesta nocte ingruentibus Gallis profugere coactus, reliquum tempus inter turbas exegit. A subditis, ac militibus suis impense semper amatus fuit ob facilitatem morum, & quia fastum aliis Principibus usitatum aversabatur; & his quamdiu quid ipsi supererat liberaliter dabat; qua stipendia deficiebant, licentia quævis faciendi supplente.

Sueci hostes Imperii judicantur. §. 39. Cæterum dissipato jam metu, qui Cæsareos hactenus attinuerat, avocatoria edicta ea, qua desideratum erat, forma contra Suecos promulgantur. Quæ cum Bavaro in sua ditione affigenda transmitterentur, is non sine indignatione iisdem apud se locum esse negabat. Nam ita laute subjectos, ac milites a se haberi, ut eorum nemo alteri magis, quam sibi militare malit. Cæsar quoque jam exuta tergiversatione Electori protectionem ita promittebat, ut ea non huic solum, sed & omnibus fœderatis, & assistentibus contra Suecos, & quoscunque aggressores, & horum auxiliarios sit præstanda, hisque persequendis ubique locorum insistatur, quoad Electori plene satisfactum sit. Tum & ministri Suecici Vienna excesse jubebantur. Ratisponæ Ordines hactenus speculati fuerant, quid fœderati, ac præcipue Danus facturi essent. Interim Cæsarei laboraverant, ut quanquam super negotio Suecico referre cunctarentur, de majore tamen suffragiorum parte sibi cautum esset. Sed Suecis per Electorem pulsis dubitatio abrum-
23. Jul. pebatur. Cum sententiæ perrogarentur, Præsules acerrime in Suecos dicebant. Evangelicorum non nisi octo in mandatis habebant contra Suecos calculum ferre; Lauterensis, Simmerensis, Culmbacensis, Cellensis, Guelferbytanus, Osnabrugensis, Anhaltinus, & Nassovius. Reliqui omnes, & inter hos Saxonicæ & Hassicæ Domus, utut pacto mutuæ successionis Domui Brandenburgicæ innexæ, vel absentes erant, vel mandatis destituebantur: & Gothanus, Altenburgicus, Coburgicus, Isenacensis, Vinariensis, Darmstadiensis, & Hennebergicus tunc plane in Senatum non veniebant, velut nil habentes, quod pro sententia 1675. dicerent. Etsi Saxones post factis decretis adstipulabantur. Durlacensis, etsi mandatis non instructus, sat fortiter loquebatur. Bavaricus, & Hanoveranus negabant oleum incendio addendum, sed molissima via incedendum. Quibus Jena reponebat: Suecos illos ipsos esse, qui non solum sub vocabulo pacis conciliandæ oleum, quod magno sibi pretio persolvi fecerint, incendio affuderint: sed & ante aliquot menses novum in Germania ignem accenderint, Cæsaris monitis insuper habitis. Illi tamen majori suffragiorum parti haut aperte contradicebant; nec eorum ratio a reliquis habebatur. Neoburgicus quoque non parum adhuc favoris in Suecos præ se ferebat, parum probans eos hostes judicari. In Electorali Senatu Moguntinus, Trevirensis, Saxo, & Palatinus pro Electore connitebantur, in quorum sententiam & Coloniensis concedebat, quod amica remedia, quæ initio commendaverat, non amplius locum haberent. Bavarus sententiam in Senatu Principum dictam in Electorali repetiit. Directores utriusque Senatus singulare studium in Electorem ostendebant. Ordinum decretis Sueci non quidem disertis verbis hostes declarabantur; res tamen ipsa satis insinuabatur, quod aperta hostilitate grassati arguerentur, qui violentam, & hostilem aggressionem commiserint, & quod Electori contra istos, eorumque auxiliarios Imperii evictio, & tutela præstaretur. Ea SCta hoc decreto Cæsareo firmabantur. *S. Cæsareæ Majestati humillime exhibitum est, quod Electorum, Principum, ac Statuum Imperii Ratisponæ congregatis Consiliariis, Nuntiis, atque Legatis habita deliberatione super eo, quod Serenissimus Elector Brandenburgicus ibidem proponi fecerit, nec non super literis, quas Circulus Saxoniæ inferioris dedit, ratione guarantiæ Serenitatis Suæ Electoralis Brandenburgicæ adversus Suecos e re Sacri Imperii* $\frac{7}{17}$ *Julii visum fuit, statuendo justitiæ, ac æquitati congruum, Serenitati Suæ Electorali adversus hostiles Suecorum invasiones, atque violentas oppressiones vigore Constitutionum Imperii, Ordinationum Executionis, nec non Instrumenti pacis Westphalicæ suppetias ferendas esse. Prout conclusum, non minus Serenissimo Dn. Electori Brandenburgico, ac aliis contra tenorem pacis Westphalicæ oppressis Statibus guarantiam Imperii tam contra prædictos Suecos, quam contra quoscunque aggressores cum effectu præstandam. Quæ fini S.am Cæs.am Mtem una cum submissima gratiarum actione pro exantlatis in gratiam Serenitatis Suæ Electoralis laboribus, & determinato jam auxilio humillime implorandam, ut in eo summe laudabili proposito atque cura Imperatorio nomine maxime digna perseverare, & non solum adversus coronam Suecicam, ejusdemque ministros, atque officiarios, & milites mandata inhibitoria, nec non avocatoria decernere, verum etiam secundum ante dictas Imperii constitutiones, & pacis Westphalicæ tabulas Circulos terris Brandenburgicis vicinos, cumprimis superioris atque inferioris Saxoniæ, nec non Westphaliæ ad subitaneam opem (cum*

clausu-

1675. *clausula, ut Principes convocantes atque duces Circulorum adversus morosos, & in sistendo milite, nec non præstando eo, quod ipsis incumbit, tardantes modo in Recessibus Imperii atque Ordinatione Executionis jam determinato, vel etiam, si res ita postulet, assumto milite Cæsareo, vel Circulari, qui ibidem in vicinia reperiri est, ad præstandum debitum compellant,) excitare, nec non id, quod Imperii constitutionibus, Ordinatione Executionis, & Instrumento Pacis Westphalicæ in gratiam aggressorum Imperii Statuum ulterius sancitum, ad effectum perducere dignetur, quo & Ser.us Dn. Elector Brandenburgicus, & reliqui injuste offensi Imperii Status ab insultibus sine mora liberari, atque reparationem damni illati obtinere possent. Quemadmodum igitur S.æ Cæs.æ Mti pergratum fuit, Electores, Principes, & Imperii Status retia, quæ Sueci Germaniæ tendunt, deprehendisse, hostilesque eorum invasiones in terras Brandenburgicas perpendisse, ac dehinc maturo satis consilio de remediis Serenitati Suæ Electorali, aliisque oppressis Imperii Statibus subveniendi prospexisse: ita iisdem procul dubio ex decreto Commissionis Cæsareo postea addictaturam exhibito constare, quod alte memorata S.æ Cæs.æ Mtas jamtum mandata avocatoria, & inhibitoria contra Suecos, eorumque milites ediderit, & ad Circulos Saxoniæ superioris, & inferioris, nec non Westphaliæ auxiliatoria quæ appellant mandata 19. Junii A. C. miserit, ac insuper avocatoria illa nuper 16. Julii renovari fecerit. Cæterum S.am Cæs.am Mtem quidvis in gratiam Imperii, & pro salute ejus, ac liberatione tentandi promtam, atque paratam esse, Eandemque iterum pro paterno in Imperium affectu secundum Laudi tenorem, & prout ex appositis videri possit, ad prædictos Circulos rescripsisse, & eos ad opem ferendam exhortatam esse, extra dubium ponendo, quin prælaudati Status id exacte observaturi sint, quo præallegatum Laudum ad effectum perducatur, Ser.o Electori Brandenburgico, nec non aliis contra tabulas pacis Westphalicæ afflictis Electoribus, ac Principibus, eorumque fœderatis, & assistentibus garantia firmiter conclusa adversus Suecos, & quosvis aggressores eorumque socios cum effectu, & sine ulla mora præstetur, vis vi repellatur, Suecique cum prædictis suis asseclis ubivis terrarum profligentur, & ad reparandum damnum, quod vel dederunt, vel inposterum adhuc daturi sunt, adigantur. Insuper S. Cæs.am Mtem sibi omnino persuasum habere, neminem non fore, qui prædictis adversus Suecos publicatis mandatis non minus quam iis, quo anno præterito contra Gallos edita sunt, non morem gerere, & quod iisdem cautum est, exsequi velit. Cujus rei Dn. Commissarius Cæsareus principalis Electorum, Principum, ac Statuum Consiliarios, Nuntios, & Legatos hoc ipso certiores reddere voluit, quibus pro ratione conditionis, ac status ad quodvis officiorum genus se paratum profitetur. Signatum in residentia Celsissimi Principis, quæ est Aychstadii in monte*

Dec. *Wilibaldi 15. Aug. 1675.* Sub finem anni peculiare quoque edictum ad Ordines provinciales citerioris Pomeraniæ a Cæsare emittebatur, quibus isti obsequio coronæ Sueciæ exsolvebantur, & ne eam provinciæ suæ dominam amplius agnoscant, neu fœderatorum armis se opponant, sed lubenter eos admittant, iisdemque benevolos, ac promtos se exhibeant. 1675.

§. 40. Ast non par Cæsareorum promtitudo circa promovenda præmia, quæ Electori ex hoc bello debebantur. Super his Elector Crocovio injunxerat: *Quia spes sit tractatus pacis brevi successuros, necessarium esse, ut mature sua emolumenta commendet. Equidem se ab initio declarasse, arma citra satisfactionis stipulationem a se arrepta solo amore recuperandæ pacis, ac liberandis in Imperio oppressis Ordinibus: quo in statu si res permansissent, se de ullo præmio cogitaturum haut fuisse. Sed postquam Sueci abrupta pace ipsius ditiones evastarint, nec a fœderatis uti par sibi subveniatur, eoque huic negotio exsequendo maximi sumtus sint faciendi, ære quoque alieno contrahendo: spem esse, Cæsari ultro curæ fore, ut non solum damnum reparetur, sed & sibi facultas nascatur deinceps Cæsari, ac fœderatis, ubi opus sit, utilem operam navandi. Porro se haut dubitare, quin Cæsar pro Austriaca Domo, pro Germania, pro toto orbe Christiano salutare judicaturus sit eo incumbere, ut Sueci plane Germanico solo dimoveantur. Eo casu sperare, citeriorem Pomeraniam absque redhibitione alterius cujuspiam provinciæ sibi traditum iri. Si tamen Cæsar mature communem, eamque tutam pacem promovere possit, se ob isthoc postulatum pacem haut remoraturum. Sine dubio autem Cæsarem æquum judicaturum, ut his tractatibus ipse saltem Stetinum, & quæ antea ad ulteriorem Pomeraniam pertinuerint, nanciscatur, sublata quoque communione in Capitulo Caminiensi, & participatione vectigalium in portubus ulterioris Pomeraniæ. Ex quo Recessus Stetinensis ultro expiraturus sit, quo Sueci se coëgerint, ut post extinctam Electoralem familiam Nova Marchia ipsis addiceretur, quale jus ex Instrumento Pacis vix ac ne vix quidem demonstrari queat; quod tamen Austriacæ Domui haut exiguæ fraudi cedat.* Sed quia Stetinum accepta damna hautquidquam æquare possit, quod magis a se affectetur tegendis propriis, & Cæsareis ditionibus, & ne Suecis ita in promtu sit bellum in vicinorum terras effundere; Elector ulterius petebat, ut sibi ad secularem conditionem liceret redigere ditionem Sonnenburgicam post obitum præsentis Magistri, & Commendatorum, salva pensione Magistro Melitensi solvenda. Ut quoque integrum sit post mortem eorum, qui nunc sunt, possessorum ærario suo adplicare Canonicatus Magdeburgi, Halberstadii, Mindæ, & Cammini. Ut quoque sibi a Coloniensi, ac Monasteriensi satisfiat, velut incentoribus belli, ex quo per Clivicam ditionem immensa sibi damna sint conciliata. Et exemplo profuturum, si isti probe multentur, ne alios ita facile libido subeat tam exitiosa patriæ fœdera cum exteris ineundi. Circa Coloniensem proponebatur Reclingshusa; circa Monasteriensem summa pecuniæ. Ipse vicissim fœdus perpetuum cum Cæsare, ac Hispanis,

Elector apud Cæsarem sua per sua satisfactione agit. 3. April.

spanis, ac cessionem juris in Carnoviam offerebat. Ea super re cum Crocovius per ambages insinuaret, Hocherus dicebat: *Se non dubitare, quin gratum Cæsari sit futurum, Electorem tota Pomerania potiri: forte tamen non defore, qui judicaturi sint, ejus potentiam nimia incrementa capturam.* Sed ista Cæsari haut considerari; ac in proclivi fore circa id negotium convenire: super conditionibus tamen in præsens mentem suam declarare non posse. Ac prius cum Dano, Cellensi, ac Belgis rem discutiendam, quibus & ipsis satisfaciendum sit. Cæterum id negotium maximam habere difficultatem videbatur, quod Gallus, ubi Suecos de amittenda Pomerania, & Brema periclitari perspexerit, potius Belgis & Hispanis æquas conditiones concessurus sit properandæ paci, quam ut Suecos Germania exturbari pateretur; quod facilius futurum sit, deinceps unam, & alteram urbem Belgis eripere, quam Suecos semel Germania pulsos restituere. Eo casu valde dubium fore, num Cæsar, Hispanus, ipsique Belgæ bellum ideo continuaturi sint, ut Electori tanta potentia adcrescat, quæ istis ipsis suspecta futura sit. Sane Cæsarei id negotium extrahebant, suasque rationes eidem innectere cupiebant, & ipsi in partem prædæ venturi. Ac disserebat legatus Hispanicus: æquum esse omnes fœderatos de bello adquirendis participare pro ratione militum, & pecuniæ, quam bello impendirent. Hispanos quidem facile ferre posse Suecos Germania ejici, ac totam Pomeraniam Electori adcrescere, ea tamen lege, ut Elector non prius arma deponat, quam Hispanis a Gallo satisfactum sit. Qui presse quidem redintegrationi pacis Pyreneæ haut inhæreant, sed tantum quinque aut sex loca restitui cupiant, Belgio Hispanico ita firmando, ut sua vi subsistere, simul Hollandiæ, ac Germaniæ propugnaculi vicem præstare queat, ne debilitas aviditatem Galli irritet. Ac institutum hoc eo minus invidiæ habere, quod in eo communis utilitas vertatur. Post longas moras Crocovio scriptum responsum tradebatur hoc sensu: *Cæsari, ac toti orbi notum esse, qualem sese Elector hactenus erga ipsum, Romanum Imperium, & communem causam gesserit. Unde istum a Suecis illata huic damna serio ad animum revocare, eidemque omnem opem pro virili præstiturum. Sed satisfactionem ad futuros pacis tractatus spectare, ac præcipue a consensu universorum fœderatorum pendere. Unde etsi Cæsar ex animo optet Electori plene satisfieri; tamen quia fœderibus, quæ sibi cum sociis intercedant, expressis verbis cautum sit, ut nemo insciis, & non consentientibus universis fœderatis aliquid magni momenti seorsim suscipiat, ac perficiat, inconsultis reliquis circa proposita a se nil statui posse: sed necessum fore, ut Elector ipse super ea re cum fœderatis agat. Quod si Cæsari de fœderatorum sententia constiterit, eum omni studio commodis Electoris velificaturum, quantum communis causa, ac præsens rerum facies concessura sit. Quod Recklingshusam attinet, fœdere inter Cæsarem, & Electorem anno 1672. inito cautum, ut omnia circa religionem, & Ordines Ecclesiasticos in præsenti statu relinquantur; nec Cæsari per pacem Westphalicam integrum esse circa bona sacra quid disponere, eaque alienare, aut Canonicatus ad secularium bonorum conditionem redigere: ac Catholicos id ægerrime laturos, qui Ratisponæ ad fortia decreta in Suecos majorem suffragiorum partem confecerint. Sed si Cæsar salvis fœderibus, & Catholica religione, ac Imperii legibus fundamentalibus Electori gratificari queat, id lubentissime facturum. Penes hunc esse, quomodo negotium hoc ad fœderatos referre, & cum iis convenire velit. Cæsarem omnia facturum, quæ ad incrementum Domus Electoralis spectent; ac sperare, Electorem vicissim de studio in bonum publicum nihil remissurum.* Id responsum Crocovio haut satisfaciebat, velut nimis laxum. Jam ante Electorem nosse, cum fœderatis conveniendum esse. Unde horum supremum, & in quo plurimum fiduciæ collocarit, adiisse; quem sperarit mentem liquidius expositurum fuisse, & qua ratione negotium sociis proponendum sit; id quod citra fraudem reliquorum fœderatorum fieri potuerit; cujus & placitum hi facile secuturi sint. Quod Catholici Ratisponæ Electori faverint, non sine causa factum. Nam ni Elector Suecos pepulisset, eos sensuros fuisse, quid Sueci animo agitarint. Dedisse id specimen Electorem; ob sacra neminem se odisse, sed unice conservationem pacis in Imperio spectare; negotium religionis aliis rationibus haut implicare. Porro iniquissimum esse, si Ecclesiasticus quispiam secularem lædat, & huic integrum non sit damni reparationem exigere ob sanctimoniam, quam ejus ordinis homines sibi arrogant. Hocherus demum ad Cæsarem se relaturum promittebat, addito; Daniæ Regem, Cellensem Ducem, & Monasteriensem itidem super dividendis inter se bello adquirendis agitare. Sed si quid solide decernendum sit, primarios quoque fœderatos, Cæsarem, Hispanum, ac Belgas adhibendos: Crocovio excipiente; etiam Electorem e primariis fœderatis esse, ac ei ut a Suecis satisfiat præcipue deberi. Ex eo frigore satis adparebat, Viennæ circa eam rem parum profici posse; sed aliorum favore heic nitendum. Legatus Hispanicus disserebat; si Elector tota Pomerania potiri debeat, Cæsarem postulaturum, ut sibi Crosnensis Ducatus cedatur. Alii laxioribus verbis jactabant; Cæsari per compensationem, aut alia ratione partem de præda tradendam. Plerique Hagam id negotium rejiciendum censebant. At Electori neque Hagæ id tractari placebat, loco secreti haut capace: ac indignum videbatur, cum ipse vitam, & omnia pro communi causa exposuisset, avitarum quid ditionum sibi amittendum esse. Igitur Crocovius, cum Cæsarei contenderent, Cæsari velut primario fœderato utique partem de præda deberi, ostendebat; a Gallo in Alsatia eam querendam. Et cum ne hoc quidem adquiescerent, interrogabat; quidnam igitur sibi vellent, Stetinum, Stralsundam, an Bremam? Isti horum nihil Cæsari usui esse ferebant, sed aliquid habendum

1675. bendum per compensationem, quod reliquis ditionibus hæreditariis opportunum situ sit. De eo tamen liquido animi sensa declarare præmaturum esse. Ac satis patebat, Cæsareos omnia heic integra sibi servare, nec eo nomine adhuc aliquid obligationis contrahere velle. Nam neque totam Pomeraniam Electori accedere optabant, si maxime Sueci ea pulsi forent; nec tamen placebat Electorem præmature protelare. Nec alio modo cum Dano agebatur. Scilicet promtissimum erat Cæsari fœderatos pro lubitu versare, quod uno vel altero in suam sententiam pertracto tertius velut minus necessarius facile negligeretur. Ac tunc Luneburgicis quam maxime blandiebantur, quos post subactam Bremensem provinciam Gallis iterum immittere cupiebant. De Electore autem sibi persuaserant, eum tanta cupidine Pomeraniam nanciscendi teneri, ut nullum ab eo periculum sit, velut ad peculiares tractatus descensuro; nec opus esse, ut aliorum ostentatione commodorum in partibus retineatur. Eam ob causam Elector istud negotium deinceps molli brachio agere, ac tantum idoneis locis obiter queri; se talia haut meritum, nec eadem expectasse.

[Num Sue]ci Germa[n]ia ex[p]ellendi? §. 41. Nec minus Cæsar dubitabat declarare, num Sueci Germania plane expellendi forent; sed semper eam rem sibi integram servare volebat; ac forte id agitabatur, ut post Gallos in ordinem redactos ipse in Suecos executionem susciperet, præda inde pro suo lubitu assignanda. Sed & Daniæ Rex apud Cæsarem explorabat; an non rationes Austriacæ ferant, Suecos Germania eliminari, eorumque provincias sibi, Electori, ac Luneburgicis adcrescere? Ad quæ Hocherus laxioribus verbis; Cæsari curæ fore, ut circa satisfactionem, & dividendam prædam inter fœderatos certi quid decernatur, ac dissidii materia tollatur. Ulterius instanti respondebatur: id commodissime Hagæ, ubi omnium fœderatorum legati præsto sint, expediri posse; & eo nomine jam ad Camprichtum mandata fuisse missa. Quæ declaratio ideo suspecta erat, quod res ad eos rejiceretur, qui magna pacis cupidine flagrabant, eoque huic instituti minime omnium fauturi erant: ac videbatur Cæsar difficultates, quas Belgæ moturi erant, in prætextum arrepturus negotio sufflaminando. Angliæ quoque Rex Petro Ronquillio legato Hispanico confirmarat; Si Cæsar Suecos non ultra premat, sed operam dare velit, ut his difficultatibus eripiantur, se sponsorem fore, istos contra Austriacos nil facturos, nec horum destinatis obstituros. Cæterum cum talia ab Electore Viennæ quæri facile Sueci conjicere possent, Esaiam Pufendorfium apud Saxonem agere jusserant, ut is aulæ Cæsareæ diversa ingereret, ac rem ad pacem deduceret. Unde ab hoc Nicolaus Gerstorfius Viennam mittebatur, qui multa de pace cum Suecis ineunda disserebat. De cujus propositione Hocherus dicebat: Saxonem Electori sperata incrementa invidere; nec concedere velle, ut Sueci ex Imperio ejiciantur, ac omnem lapidem iis servandis movere. Sed tunc Viennæ modica Saxonis ratio habebatur, nec ad ista quid responsum. 1675. Nec minus quod a Saxone offerebatur fœdus Cæsar declinabat, quod jam ante Viennæ fœderatorum multitudine distracti essent, quorum rationes parum invicem conspirabant. Nec Dresda vegeti quid consilii expectandum; ac satis habebatur Hanoveranum adversæ parti detractum. Ast contra proposita a Saxone Elector Gerstorfio per Crocovium demonstrari jubebat: *Peculiares tractatus non nisi ad divellendos fœderatos spectare, & ad Germaniam majori periculo implicandam. Equidem quia a Suecis bellum apud Saxones non geratur, ab his mala per Brandenburgicas ditiones data velut aliena languide respici. Esse Instrumentum Pacis probe digestum, leges Imperii salutares, SCta Ratisbonæ fortia: sed quid ista omnia sibi, & aliis oppressis ante & in præsens solidi auxilii attulisse? Cum Carolus Gustavus bello in Poloniam suscepto per terras Imperii exercitum hinc inde duceret, ac ipsius provincias, Mecklenburgicam, & Holsatiam pessime haberet, quid opis se ab utroque Circulo Saxonico, quid ab universo Imperio obtinuisse? Quanta contentione enitendum fuisse, ut literæ ab Imperio ad eum Regem extundi possent, nullum effectum habituræ? Nunc cum tam egregia SCta contra Imperii hostes facta sint, num ab ullo Ordinum vel unicum militem sibi auxilio submissum? Imo num Saxonem vel tanquam præfectum Circuli, in quo provinciæ a Suecis infestatæ sunt sitæ, vel tanquam collegam vi Unionis Electoralis in ipsius gratiam vel unum equum instravisse? Sane in Consilio Saxonico ornate, ac copiose super legibus Imperii declamari posse. Sed si ipsi imminentes finibus suis Suecos haberent, aut eos terris suis incumbentes sentirent, experimentum capturos, quem respectus legum ad suppetias ferendas permoturus sit. Non potuisse Saxoni memoria excidisse, quantum malorum cum universa Germania, tum ipsius provinciæ a Suecis perpessæ sint. Et tamen eundem autores tantarum calamitatum in Imperio conservare, eorumque causam agere haut dubitare, ut ipse posterique inter perpetuos metus Suecorum insultibus obnoxii agant. Nullam stabilem in Germania pacem sperandam, quamdiu Suecis facultas maneat vicinos suos, quotiescunque libido, aut quæ sibi comminiscuntur prætexta suadent, opprimendi. Unde nullum præsentius remedium esse, quam ut Saxo secum, aliique vires socient, ac ad patriam periculo, quod alias æternum a Suecis immineat, semel penitus liberandam incumbant. Saxoni notum esse, uti ipse una cum Electore Brandenburgico in Imperio pro Augustanæ Confessionis consortibus non minore studio, quam pro Reformatis certaverit; ac si in posterum sinceram fiduciam in ipso reponere velint, missa æmulatione e dogmatum non capitali dissensu orta, nec rationibus status fulta, dubium non esse, quin res Protestantium in Germania propria vi absque extraneorum auxilio stare queant.* Sed Hochero Crocovius dicere jubebatur; uti e Gerstorfii propositione invidia Saxonum in Electorem emicuerit, qua & Domus Austriaca laboret, ob florentes opes favore Numinis in eam congestas.

Quæ ipsa duabus hisce Domibus suadere debeat, ut eo sinceriore fide mutuo se fulcire laborent. Cæterum cum animadversum esset, Cæsareos quidem optare Suecos Germania eliminari, ut tamen parum gratum esset eorum provincias Dano, Electori, & Luneburgicis adcrescere; nil aliud restabat, quam tres hosce inter se convenire, ac Suecis provincias Teutonicas eripere; id quod postulatis ipsorum maximum pondus additurum sit; promisso quoque Cæsari facto, se tamdiu bellum gesturos, quoad Cæsar Alsatiam recuperaverit. Sane Fagelius judicabat, esse e re Electoris, ut citra prævium pactum Suecis quantum possit eripere nitatur; ac confirmabat, Belgas operam navaturos, ut Elector illa retineat, quæ ex istis desideret; ac hisce gratum fore, Electorem citeriore Pomerania potiri. Contra Beuningius Londini jactabat; eundem satis habiturum, si recipiat, quæ jam a Suecis erepta ipsis sint. De qua viri in se malignitate Elector apud Belgas querebatur.

§. 42. Cum igitur primum omnium esset, quæ ab hostibus desideres in potestatem redigere, quod semel occupata facilius retineantur, omnis opera adhibebatur, ut Daniæ Rex ad arma in Suecos stringenda permoveretur, velut qui ex omnibus fœderatis maximum heic momentum adferre posset. Huic Elector victoriam ad Fehrberlinum per tribunum Detlevum Brocdorfium nuntiabat; ob quam Dani immensam lætitiam ostendebant, haut amplius dissimulantes, utique in bellum adversus Sueciam sibi erumpendum. Haut eo minus Regi consultius videbatur dilata tantisper clarigatione, cum jam Suecos clades ab Electore illata omnes curas ad sua tuenda vertere subegisset, Gottorpiensem Ducem in ordinem redigere. Eum ad se Rensburgam amica spe invitatum Rex cum omnibus consiliariis in custodiam dabat: inde proponebat, quo sibi longius progressuro tergum tutum sit, ut Gottorpiensem arcem, castellum Stapelholmense, ac Tœnningam tradat; quicquid esset militum sibi transscribat, Danicis copiis hospitia, & alimenta præbeat; id quod & Cæsar jusserit; denique concedat ut Rex Oldenburgi, & Delmenhorsti defensioni prospiciat, aut pactum antea Hafniæ conclusum adprobet, acceptis pro actione sua in eos Comitatus centum quinquaginta uncialium millibus. Tum protinus copiæ Gottorpium, ac Tœnningam versus mittuntur. Dux initio ista respuere. Sed cum intra casses se teneri consideraret, aliquot præfecturas in Holsatia pro duobus Comitatibus offerebat. Id quod Christophorus Brandius valde dissuadebat; quod isti tam opportuni sint futuri Regi ditionem Bremensem affectanti. Tum periculosum esse Saxoniæ inferiori & Westphaliæ, si Gottorpiensis Oldenburgum, Sueci Carlsburgum tenuerint, ostium Visurgis in potestate habituri. Quin Belgis idem suspectum esse, ne forte Sueci ad Frisiam Orientalem pedem promoveant. Ac longius penetrantia Ducem meditari id indicio esse, quod præfecturas Gottorpio vicinas offerat pro Comitatibus longe dissitis, queis tutandis etiam militari præsidio opus sit. Idem quoque ingerebat, ne Rex nimia erga Ducem lenitate fœderatorum suspiciones augeat, qui alias collusionis quid inter Regem, & Ducem esse facile credituri sint. Circa Tœnningam Dux quam maxime abnuebat, quæ quatuor millium præsidio insidebatur; ac si Dux animum ad constantiam obfirmasset, aut præfectus jusso Ducis velut non sui juris parere detrectasset, non exiguo labore ad eam expugnandam opus futurum erat. Sed postquam Kielmannus omni arte, ac immensis promissis Grifenfeldium frustra tentasset, ac Rex postulatis immotus insisteret, Dux demum, cum delegatis Regiis quos oderat tractare aversatus, literis manu propria scriptis omnia in Regis placitum conferebat. Et quia metuebatur, ne Joannulus Walterus exemplo Widerholtii quondam Hohentwilæ præfecti scriptum a Duce mandatum rejiceret, tres a Duce delegati, quos inter & junior Kielmannus erat, mittebantur ad munitionem tradendam. Walterus cum initio paululum tergiversatus esset, mox oppidum per fœdam ignaviam tradebat; in qua insustata armorum, adparatusque bellici vis reperta, ac nonaginta amplius machinæ æneæ, manifesto indicio, a Duce altiora fuisse agitata. Omnes quoque Ducis milites sacramento Regis adacti. Dux quoque supremo imperio in Slesvicensem ditionem, & omnibus per pacem Roschildensem partis renuntiavit, redhibito diplomate, quod antea eo nomine a Friderico III. acceperat. Nec minus participatione tributorum bellicorum Regi cedebatur, concessis insuper hospitiis. Postquam nuntius de tradita Tœnninga Rensburgum allatus esset, Rex fratre Georgio, & Grifenfeldio comitantibus repente nulla prævia denuntiatione ad Ducem ingressus omnia humanitatis incitamenta ei exhibebat. Dux inde ex eo conclavi, quo hactenus custoditus fuerat, in Regium deductus, tanto rubore perfusus observabatur, ac si balneo egressus esset, vel ob tacitos iræ motus, vel pudore; ac cum eodem, ejusque ministris ita blande post agebatur, ac si nil ingrati ipsis accidisset. Statim quoque frater Ducis Episcopus Eutinensis Gottorpio, ubi hactenus laxiore custodia detentus fuerat, Rensburgum arcessebatur; per quem Dani cupiebant Kielmannum Duci suspectum reddere, ac omnem dissidii culpam Regem inter, ac Ducem in istum devolvere. Suadebat Grifenfeldius, ut Gottorpium sine præsidio relinqueretur minuendæ invidiæ: sed militares viri repugnabant. His peractis Rex Brandiis fratribus ad se evocatis dicebat: Se sperare, Electorem hoc specimen abruptæ cum Sueco pacis longe efficacius habiturum, quam si a verbis, & clarigatione initium factum esset. Sane intra octiduum majus se operæ pretium fecisse, quam per arma totius æstatis expeditione obtineri poterat. Nunc tergum sibi tutum esse, ac arma vertere se jam posse, quo placeat; tum & Comitatuum possessionem sibi firmatam. Simul rogabat, ut

1675. 30. Jun. Hüningen Walter. 4. Jul.

Elector

1675. Elector isthoc factum aliis adprobare studeat. Sane Gottorpiensem periculosa in Daniam consilia cum CaroloGustavo miscuisse; & quanquam post filiam Regiam huic Duci in connubium datam spes fuerit collusiones cum Suecis cessaturas; eum tamen Holmiam profectum noxia pacta inivisse, per quæ se obstrinxerit ad aliquot militum millia in usum Sueciæ sustentanda, ac si opus sit Suecicum præsidium intra Tœnningam recipiendum. Unde duplo præsidio id oppidum firmasse; magnum provincialium numerum armis instrui, & exerceri curasse; Benedicto Alefeldio legionem equestrem conscribendam commisisse; ex insulis Pomeranicis manum Suecicorum peditum evocasse, ni Danicæ naves impedissent. Kielmannum quoque Hamburgi cum Verjo, & Bidalio Gallicis ministris super pecunia subsidiaria egisse. Quanquam autem ipse dudum perspexerit, quo ista tenderent, se tamen amice cum eo transigere voluisse, cum Kielmannus Ducem in id proclivem affirmasset. Sed e propositis perspexisse, a Duce tempus tantum extrahi, quoad ipse bello cum Suecis implicitus sit: tunc impressionem in Jutiam facturum, id quod Suecis promiserit. Igitur se occasione usum brevi manu controversiam decidisse. Electori gratum erat, Regem istam spinam pedi extraxisse, ac Suecorum rationes hoc ipso admodum turbasse. Ac ipse interceperat literas a Rege Sueciæ ad Wrangelium scriptas, quibus hunc Ducis securitati prospicere jubebat, velut cujus rationes non minus quam propriæ sibi cordi sint. Cum quoque fœderati Hagæ quererentur, a Dano indictionem belli conventa die haut factam; Rex excusabat: capto Duce pacem cum Sueco satis abruptam, ac se nunc tuto, & omni vi bellum terra marique gerere posse, postqam iste tergo non amplius immineat. Elector quoque

4. Jul. RegiAngliæ super eo facto demonstrari jubebat uti Sueci ob violatam in ipso pacem non minus quam Galli hostes Imperii judicati sint. Cum autem DaniæRegis velut fœderati, ac Germaniæ Reip. participis auxilium exciretur, atque is arma parare inciperet, Gottorpiensem instinctu Gallorum, & Suecorum Dani generosa destinata variis modis sufflaminare conatum, ac plane istorum se rationibus innexuisse, præter infensum animum, quem ea Domus semper in Daniam gesserit; simul nuper in Suecia consilia Imperio, & Daniæ noxia cudisse. Præcipuos ejus ministros stipendio Gallico, & Suecico illigatos eo rem redegisse, ut Dux offensivum fœdus cum Sueco in fraudem Germaniæ, ac Daniæ concluserit. Ac si Daniæ Rex Holsatiæ Ordines quid tributorum ad arma ab Imperio decreta posceret, Ducem id semper impediisse; quoad ipse Cæsar eos Ordines ad præstanda debita hortaretur. Igitur per rationes belli, & status eum Ducem in potestate fuisse habendum. In aula Cæsarea modus agendi a Rege Daniæ adhibitus inusitatus, ac nimis violentus censebatur. Ipsum factum tamen bono publico cedere; ac gratum erat negotium tam brevi fuisse expeditum.

§. 43. Quanquam autem Danus hoc facto Sueeos gravissime læsisset; haut eo minus Viennæ is suspectus erat, velut secreta cum Gallis, & Suecis commercia aleret, & declinato cum his bello rationibus suis peculiari transactione consultum iret. Quas suspiciones Crocovius refutatum ibat: Manifestam Daniæ utilitatem suadere, ne tam præclara occasio incassum amittatur. Daniæ securitati per peculiares cum Sueco tractatus haut consuli, ac ejusmodi subtilia commenta nil soliditatis habere. Ac ubi fœderati talia agi senserint, Dani consilia plane confundenda. Denique tantos terra marique adparatus haut frustra fieri. Per quæ Cæsari dubitatio haut eximebatur, quod causam dispicere non posset, quare iste Rex circa indicendum bellum moras necteret fœderatis tam suspectas, cum nil amplius a Suecis periculi ipsi foret. Nec Belgæ minus eam cunctationem ægre ferebant, & quod Danicus legatus adhuc Parisiis ageret, ac cum Brahæo negotiatio adhuc continuaretur. Nam quæ cum Gottorpiensi acta sint, privatam causam esse. Ac frustra reponi, ne ab Electore quidem bellum Suecis indictum. Nam hunc ab ipsis Suecis bello petitum, ac prælio jam cum iis certavisse. Ac declarabant Hispani, & Belgæ, se ne terutiarum subsidiorum soluturos, quoad palam bellum sumeret. Etsi Fagelius de hoc fere desperaret, ni is ab Electore permoveretur. Quin & cursor Vienna mittebatur, non sine minis denuntians, ni Rex in bellum erumpat, pacem cum Suecis ineundam fore; nec prius executionem in causa Oldenburgica ipsi delatum iri. Tanto enixius Elector Regem ad exuendam cunctationem stimulabat, qui cum exercitu in Meclenburgica consederat intercipiendæ communicationi inter Pomeraniam, & Wismariam, non sine summo dolore commodissimum rem gerendi tempus per otium elabi adspiciens, alacri milite eas moras detestante, per quas Suecis sese recolligendi spatium dabatur. Ac alias idem ægrescebat ob neglectim ab Hispanis, & Belgis soluta subsidia, & quod amici Principis provincia interim comedenda esset. Quæ inopia pecuniæ apud Belgas inde proveniebat, quod valida classis in Siciliam Messanæ recuperandæ tunc mitteretur. Præcipue autem urgebat Elector, ut classis Danica in mare procederet, ne e Suecia Pomeraniæ, & Wismariæ auxilia submitti possent. Equidem a Dano more culpa in naves e Belgio sibi auxilio destinatas conjiciebatur, quæ circa Hitlandiam excipiendis ex India Orientali venturis navibus vagabantur. Revera tamen cunctationis causa erat, quod non pauci bello Suecico magnopere reniterentur; & quod nondum expeditum esset, quodnam præmium hoc bello potissimum esset affectandum, & in quam partem arma vertenda. Ac fama erat, post subactum Gottorpiensem Hamburgum peti. Id quod Elector valde dissuadebat, Rege confirmante, se in eam urbem nil tentaturum, etsi militares viros, queis omnia prædæ magnitudine metiri solenne est, ejus rei tentandæ cupido agita-

1675. Danus adhuc moras nectit.

1675. agitaret. Sed apud Cæsarem spes erat vectigal ad Glucstadium ad pacem usque extorqueri posse, singulis uncialibus e centenis duntaxat exigendis; sed qui verebatur, ne id per pacem quoque continuaretur. Ac Elector id petitum molliter dissuadebat: ea re Belgas graviter questuros; ac Albis accolas jamdudum de imminuendis vectigalibus deliberasse; quod hisce gliscentibus commercia indies attenuentur. Cui & Luneburgici acriter contradicebant. Præcipue autem Rex in partem Bremensis provinciæ oculos conjecerat, Oldenburgicæ opportunam; quæ res tamen magnis difficultatibus implicita erat ob æmulationem Domus Luneburgicæ, & quia ut Monasteriensis in bellum pertraheretur, pars quoque prædæ ostentanda ei fuerat, ac præcipue Wilzhusa, quam Danus Oldenburgicæ adjici cupiebat: ac quo plures ad Bremam concurrerent, eo minores fore portiones adparebat. Unde ministri Danici Hagæ nostris proponebant; non inutile fore, Electorem cum Rege suo super partibus Pomeraniæ convenire; ad quam occupandam cum is plurimum collaturus sit, non iniquum esse, ut re succedente & ipse portionem nanciscatur, nempe Rugiam insulam, quæ olim ad Daniam spectaverit, & Wismariam, e cujus portu Daniæ tantum mali illatum sit. Ea propositio etsi nostris valde inopina videretur, id tamen dissimulabant, quoad de Electoris mente percepissent; præsertim cum ipse Grifenfeldius proposuisset, ut Elector Wismariam sibi adquireret, quam & hic primo loco invadere cupiebat, quod Pomeraniam tentare arduum videretur validis Suecorum copiis insessam; ac si forte ob Belgarum impatientiam cita pax proveniret, eam pro Stetino cum Suecis permutare statuerat. Unde magna circumspectione opus erat cum Dano circa satisfactionem agentibus. Et expendendum erat, an non satius foret Wismariam Suecis ereptam Ducibus Meclenburgicis restitui; quod & Cæsar censebat. Ac sine dubio gliscebat in Electorem invidia, si Pomeraniæ etiam Wismaria accederet. Circa Rugiam proponebatur, ut Elector eam insulam Grifenfeldio in feudum offeret, si Dani opera citerior Pomerania recuperaretur; quod Regem vicinum habere anceps foret. Cæterum quia Danus ab initio Electori Wismariam ostentarat, hic istum hortabatur, ut castellum portui imperans, cui *a balana* vocabulum, mari invaderet, ipse interim e continenti oppidum impugnaturus, octingentis duntaxat præsidiariis insessum, & modico provisu. Ac jam se cum exercitu paucis abhinc milliaribus consistere. Ast Arensdorfii fratres Meclenburgica oriundi Regi persuaserant, ut is Wismariam affectaret. Unde Danus Electori dissuadere instituebat, ne id oppidum oppugnatum iret, validis operibus munitum, & ad quod egregius peditatus atterendus sit; quo fine ad Electorem Gustavus Adolfus Baudisius mittebatur. Nam operam ibi ludi, nisi portu clauso; ad quod integra classe opus sit. Nec vero Belgicas adhuc naves adesse; nec divisam classem Suecis parem fore. Quia tamen Dani non aperte profitebantur se Wismariam sibi velle, Brandius, velut eorum sensa non intelligens, extra dubium ponebat, eam utique Electori habendam, tanquam magni momenti ob situs commoditatem, & commercia ac Electorali Domui valde utilem, si stirpem Meclenburgicam deficere contingat. Ac dubium adhuc erat, annon satius foret, prout res se darent, eum locum penes Suecos, quam Danos esse; præsertim cum Danus, si res hoc bello ex voto succederent, multo formitabilior, quam Sueci, futurus videretur. Ast Elector Brandio injungebat, si ea de re sermo injiceretur, tantum diceret, si modo oppidum in potestatem redactum fuerit, sibi facile cum Rege conventurum; nec ægre idem Regi concessurum, si hic vicissim conniti velit, ut ipse Stetino potiatur. Sed Dani directe sensa animi circa Wismariam pandere nolebant. Nam aperte operam suam ad hanc oppugnandam Electori negare nolebant; sed oblique id institutum dissuadebant, quasi metuerent, ne attrito Electoris exercitu ipsi ingruentibus post refectas vires Suecis pares haut forent. Ac alias in consilio Danico dissidium erat, ducibus bellicis a Grifenfeldio in diversa abeuntibus. Nam etsi Elector suadebat, ut Danus Bremensem ditionem invaderet, in qua a solo Monasteriensi rem geri haut consultum erat; Danici tamen duces abnuebant, ac inprimis Adamus Weierus, avaritia, & pervicacia inflexibilis, qui per Meclenburgicam uberiorem sib corradendæ pecuniæ materiam fore rebatur. Cum contra Grifenfeldius suaderet, ut Rex decem millia militum trans Albim Bremensi provinciæ immitteret; cum totidem millibus in Holsatia consisteret. Cujus consilii ratio erat, quod eo modo Rex Glucstadii, aut Rensburgi agere poterat, a quo discedere nolebat, & tamen in expeditione versari ob corpus laborum impatiens abhorrebat.

Walfisch.

17. Jul. Baudis.

Weier.

§. 44. Inter istas dubitationes cum æstas laberetur, ac Electori summa cum molestia intra Meclenburgicam esset consistendum, cui provinciæ parcere maluisset, urgendo Dano Thomam Knesebecium mittebat, super operationibus belli ulterius communicaturum. Nam postquam Dano haut placuerat a se Wismariam invadi, velut ad quam fructum victoriæ frustra consumturus sit, sibi quoque visum Pomeraniam aggredi, modo a Danica, ac Belgica classe Rugia, Usedomum, & Wollinum oppugnetur, dum ipse per angustias adituum in Pomeraniam penetrat. Nam suas copias paratas stare, Cæsareas propediem adfore. Solam Danicam classem deesse, cujus accessum legatus urgere jubebatur; tum ut executioni dentur, quæ cum Baudisio super invadenda Bremensi provincia convenerant. Quod si adhuc moras necti animadvertat, demonstraret, dudum venisse Belgicam classem, rei gerendæ cupidam, ad quam semper Rex provocarit. Optimum tempus frustra elabi, Suecosque ex consternatione se recolligere, ac messe potituros. Fœderatos magna inde suspicione perstringi, præsertim Brahæo iterum Hafniam

Elector misso legato Danum urget.

18. Jul.

1675. Hafniam regresso; ac metum esse, ne Belgæ seorsim pacem ineant, se intra turbas destituto. Nec amplius in Meclenburgica esse, unde miles vivat. Denique tam varias, & parum sibi constantes excusationes non posse non sibi scrupulum injicere. Nam si ab initio candide dictum fuisset, nondum bello necessaria parata esse, consilia a se aliter disponi potuisse. Ad faciliorem subvectionem, & communicationem Regi offerret castellum ad Warnemundam, quod profugientibus Suecis Elector occuparat. Tum & se, Suecis expulsis; Regi Rugiam insulam cessurum ea lege, ut Rex vicissim partibus ad Principatum Rugiæ spectantibus in continenti sitis renuntiet. Belgis, & Hispanis ad subsidia solvenda permovendis necessium esse directe in Suecos rem geri: nam circa Gottorpiensem acta privatum negotium haberi. Suspicioni quoque tollendæ legatum Danicum Lutetia revocandum, ac hostium legatos Hafnia amovendos. Ad ista Rex certo confirmabat, se Electori contra Suecos auxilia laturum, ac classem propediem in mare procursuram. Ac sane bellum omni vi parabatur, nec id amplius apud Gallicum, ac Suecicum legatum dissimulabatur. Apud omnes quoque magna in Electorem inclinatio, in Suecos odium sentiebatur. Cæterum non exigua morarum causa fuerat penes negligentiam rei maritimæ præfectorum, & inprimis Gyldensparrii, cui fratris Grifenfeldii potentia securitatem addiderat. Sed & Regina Mater, quæ filiæ nuptias succedere valde optabat, paratus armorum refrigerarat, novis subinde temperamentis propositis, quo Rex fœderatis utcunque satisfaceret, & cum Sueco pacem servaret. Ac suspectum erat, quod Rex Knesebecio diceret; Elector modo in Pomeraniam movere inciperet; se mox secuturum. Qui vicissim testabatur, Electorem nil amplius in Suecos moturum, nisi Rex serio in hosce bellum sumat. Ac Brandius, ut extremum cuneum admoveret, qui suspicabatur Grifenfeldium Reginæ Matris consiliis velificari, comminiscebatur, Electorem aliquot epistolas intercepisse, ex quibus colligat, Reginæ Matris consilia prævalere, & eam Hanoverano cavisse, Danum cum Sueco haut serio in bellum erupturum. Qua narratione Grifenfeldius valde turbatus multis cum exsecrationibus asseverabat, Regem utique bona fide Suecis bellum facturum. Ac protinus septem Belgicæ, decem Danicæ naves exibant, inter Bornholmiam, & Rugiam mare percursuræ; simul legionibus, ut Meclenburgicam versus moverent injungebatur. Ac placebat dilata Wismaria primum impetum junctim cum Electore in Pomeraniam facere. Bremensem provinciam haut invadere visum collisioni cum Luneburgicis declinandæ. Summa destinatorum in Scaniam dirigebatur, ubi Regi secreta incolarum studia non deerant. Ac Rex amplissime pollicebatur, se connixurum, ut Elector citeriore Pomerania potiatur, si maxime a Sueco lautissimæ sibi conditiones offerantur. Vicissim Elector apud Belgas vigilaret, ne hi per speciosa prætexta, & promissa a Suecis sibi imponi patiantur. Quid cum exercitu suscepturus sit, ubi ad eum pervenerit, pro re nata consilium capturum. 1675.

7. Jul.

§. 45. Tandem igitur Dani mari hostiliter in Suecos agere cœperant, ac exercitus ex Holsatia Meclenburgicam versus movebat, sed lento itinere, ut Elector tarditatis pertæsus, & quia jam æstas ruebat, Melchiorem Rucquium ad Regem mitteret, demonstraturum; uti nullo modo diutius in Meclenburgica subsistere, ac nobile agendi tempus inter otia consumere possit, dum Sueci interim res suas instauratum eunt. Cæterum Danici duces valde suadebant, ut Rex ipso cum Electore super ratione gerendi belli colloqueretur, aliis, ac præcipue Grifenfeldio, refragantibus. Prævaluit tamen voluntas Regis, qui cum Electore Gadebuschi biduum per omnia sinceræ amicitiæ specimina exegit. Initio Rex Wismariæ obsidium junctim suscipiendum contendebat. Contra Elector demonstrabat, summam rerum in Pomerania aggrediendam, & ante omnia Suecicum exercitum e campo proturbandum, ac destruendum, ne quid in Holsatia ab eo metuendum sit, ac ut sequenti æstate tota vi res in Scania geri queat. Sed & securitati suarum, ac Cæsaris ditionum prospiciendum, quæ alias, si ad Wismariam accedatur, hosti in prædam exponendæ sint. Sed & elapsa jam æstate præter istud obsidium nil aliud suscipi posse, ac hosti spatium indulgeri in Pomerania vires instaurandi. Se quoque ad Baudisii demonstrationem grandes machinas Custrinum remisisse, quibus iterum adducendis mense opus sit. Igitur placebat junctim Pomeraniam invadere, Wismaria interim eminus clausa; ac tradebat Elector Regi Pœlam insulam, Wismariæ vicinam, quam summus præfectus vigilum Schorrius antea occupaverat. Paulo post inter Regem, & Electorem secretum fœdus Dobrani in Meclenburgica conclusum; cujus ingressu memorabatur, de artissima inter ipsos conjunctione per sæpius contracta inter domus suas connubia, diuturnam amicitiam, ac communes utilitates firmata, ut unius damnum, & periculum alterum quoque pari fere sensu afficiat. Quo major necessitas sit de remediis cogitandi ipsorum incolumitatem in tutum subducendi. Eo fine placuit non solum durante hoc bello contra Suecos, & socios atque adhærentes præsentes, & futuros junctis animis, & consiliis rem gerere, & communem causam facere, nec unum absque consensu alterius inducias, aut tractatus pacis suscipere, & concludere, quantæcunque ab adversa parte conditiones offerantur: sed & bellum hoc contra Suecos velut communes hostes tamdiu sociatis armis continuare, quoad Regi a Sueco præter refusionem sumtuum in hoc bellum impensorum antehac Daniæ Regno avulsæ provinciæ Scania, Hollandia, & Blekingia restituantur, sublata quoque immunitate a vectigalibus in Oresunda, qua hactenus Sueciæ cives gavisi sunt, omnibus in statum, qui ante pacem

Elector cum Rege Daniæ congressus.

3. Sept.

Schorr.

Fœdus secretum cum Daniæ Rege 25. Sept.

Brom-

1675. Bræmsebroënsem fuit, reductis. Electori autem ad reparationem illatorum damnorum, cautionemque in posterum, Pomerania Citerior cum partibus Ulteriori provinciæ detractis cedat. Ac si maxime alteruter partem suam conjunctis, aut propriis armis in possessionem redegerit, is tamen requirenti alteri terra marique, qua maxime opportunum visum fuerit, tamdiu adsistat, quoad & idem suam partem in potestatem redegerit, ejusque cessio futuris tractatibus a Sueco fiat. Elector quoque Regi Wismariam, ac Rugiam insulam cedet, si hic eas propriis, aut sociatis armis occupaverit, nec in ea loca quid unquam prætendet. Vicissim Rex in partes, ac jura, in continenti Pomeraniæ sita, quæ antea ad Principatum Rugiæ spectarunt aut inde dependerunt, renunciabit, nec ulla vectigalia, aut jura apud Rudenam prætendet: nec sub Rugia, insula Rudena, insula Grypswaldensis, & Denholmia Stralsundæ vicina intelligetur. Uterque etiam apud socios efficere contendet, ut hi non solum isthæc destinata probent, sed & ad eadem auxilio suo promovenda sese obstringant.

Cum Hanoverano acta.

§. 46. Non minor in Inferiori Saxonia labor erat prohibere, ne per Hanoveranum ibi flamma in favorem Suecorum erumperet, neu inter ipsos fœderatos super partienda Bremensi provincia collisio oriretur. Ac Hanoveranum quidem nuntius prælii ad Fehrberlinum plane confuderat, ac mutata repente rerum facies in diversa trahebat, hinc nexu fœderis cum Regibus, inde metu a fœderatis impellente. Unde is utrisque testabatur, se nil contra Imperium, nec contra fidem a se datam facturum. Et quia defensionem Bremensis di-
22. Jul. tionis præcipue Suecis promiserat, copias Ferdæ oppido immittebat; tum apud Hoyam in territorio Cellensi castellum ad Visurgim excitabat, navigiis transitum negans, quæ Monasteriensis extruendo ponti navali adhibiturus erat. Eum Ducem Elector literis impense monebat, ut talibus abstineret, quæ aperte SCto Ratisponensi repugnent, cui per fœdus, quod ipsi cum Suecia intercedat, nihil derogari queat. Sane immissis Ferdæ copiis eum aperte in Suecorum partes transire videri; ac ni aliam viam ingrediatur, a periculo non abfore. Quæ Lentius, & a Monasteriensi missus Smisingius pluribus ingerebant. Ad quæ
10. Aug. Dux: *Ferdæ militem haut ideo immissum, ut Suecorum partes amplectatur, multo minus ut Cæsarem, aut Electorem offendat. Sibi tamen ob fœdus, quo hactenus illigatus fuerit, paulum quid fuisse faciendum; id quod facile iterum corrigi queat. Spem esse, fœderatos haut abrupte nimis secum acturos; esse rem magni momenti, & sibi laborandum, ut absque infamia & damno nexu, quo teneatur, se exsolvat. Cæterum Electoris monita in bonam partem accipere. Sperare ita a se hucusque actum, ut officii erga patriam violati argui haut queat; sed uti fœderibus cum Gallia, & Suecia Imperio debita disertis verbis exceperit: ita obligationis suæ meminisse, postquam Cæsar misso SCto, & edictis avocatoriis significarit, Suecos jam a toto Imperio hostes judicatos. Haut* 1675.
sibi placere diutius tergiversari, sed cum Cæsare in tractatus descensurum; nec dubitare, quin obtenturus sit, ut sibi medio agere liceat; tum ut suis copiis hospitia præbeantur, quibus alendis modica sua ditio haut sufficiat. Nam ut eas ita abrupte contra Gallum educat, a se postulatum haut iri. Ac ut omnia decore agantur, duarum septimanarum spatium sibi indulgendum, intra quas res in præsenti statu maneant, & ne quid tantisper contra Bremensem provinciam, aut se suscipiatur, quo interim fœderatis suis significare queat, in quam conditionem post mutatam rerum faciem redactus sit, ut nec hostibus, nec amicis ansa ipsum arguendi præbeatur. Ista ut ad Electorem referret, Lentius Suanam in Meclenburgica, ubi is tunc metabatur, profectus est, Smisingio quoque ad Præsulem regresso. Redire mox 16. Aug.
Lentium Elector Hanoveram jussit talia expositurum: *Quanquam a Duce adhibitus hucusque agendi modus haut omnibus æque probatus, ac variis judiciis obnoxius fuerit; se tamen, cui ejus honestius, ac Germania Principe dignus, amansque patriæ animus perspectus fuerit, nil nisi quod hunc deceat expectare potuisse; quam spem & ejusdem nuper facta declaratio confirmarit. Unde se ejus desideriis velificari velle; ac gratum esse, quod tractationem cum Cæsare suscipere instituat. In ejusdem quoque arbitrium conferre, num fœderi inter Cæsarem, se, ac reliquos Luneburgicæ Domus Duces inito accedere placeat. Haut sperare, eum, quæ a fœderatis in Bremensem provinciam agitentur, impediturum.* Pressiorem tamen declarationem desiderare. Si Dux Regi Daniæ mentem suam sit expositurus, apud hunc utilem se operam ei navaturum. Se quoque nosse cupere, quid circa copias suas constituerit Dux, siquidem in partes descendere haut placeat; an, & in quem eas transcripturus sit, an universas retenturus, & quomodo iisdem usurus sit? Inprimis Lentius operam dare jubebatur, ne destinata contra Bremensem provinciam ultra duas septimanas differantur, id quod Dux cupiebat; quod æstas jam labatur. 24. Aug.
Cum Lentius Cellensibus Hanoverani sententiam communicaret, hi monebant, ut ex altera quoque parte Danus Bremensem provinciam invadat, terrendo Duci. Nam ni is hostium Regum partes deserat, eundem ingens obstaculum rebus hoc tractu adferre, totamque viciniam turbis involvere posse. Et quamdiu exterorum legati eum obsideant, ejus verbis confidi non posse, quibus non nisi tempus extractum eat. Unde monente Electore Dani apud Altenburgum pontem navalem Albi injiciebant velut in Hanoveranum moturi, ni flecteret. Qui contra querebatur, nimium se urgeri, nec tempus sibi relinqui, ut ad fœderatos suos quæ agantur referre, ab iisque responsum accipere, ac decore se vinculo cum iisdem exsolvere possit. Tum & ab hisce partibus securitati suæ cavendum esse. Sane Monasteriensem negotium serviде nimis urgere, ac tantum non pro imperio agere, minatum, ni condicta die mentem declaret, se protinus cum exercitu moturum.

Equidem

1675. Equidem se fœderatorum destinata impedire nolle. Potius tamen quam indigni quid admittat, mori se malle, & extrema omnia tentare. Ac si Præsul propius ingruat, se cum suis copiis obviam iturum, quicquid inde evenerit. Confidere tamen Electorem id haut concessurum. Ast Electori hautquidquam placebat indultum Duci tempus prorogari, fœderatis intutum, Suecis ingens commodum pariturum, exemta hostilibus Bremensi provincia; id quod concedere penes paucos fœderatos in fraudem reliquorum non erat. Tum urgendo Duci communicabat interceptas Suecicorum ministrorum literas, quibus ipsi fatebantur, Duci affatim causarum esse, ut aliam consiliorum viam ineat. Simul monebat, ne Gallis, Suecisve ullas copias submittat, de quibus Pufendorfius apud Ducem impense instabat. Id quippe fœderatos in apertæ hostilitatis vicem accepturos: idemque SCtis Ratisponensibus repugnare. Sed Dux contendebat, cum quæsitus Bremensi ditioni medius status recusetur; a Cæsare alimenta copiarum, & securitatem sibi præstandam; alias ita abrupte fœderatos suos a se destitui haut posse. Veniebat dein a Rege Daniæ missus Fridericus Alefeldius Comes, Duci demonstraturus; ipsum jam salva existimatione Suecico fœderi nuntium remittere posse post promulgata avocatoria edicta, & nulla auxiliorum a Suecis spe. Se sponsorem fore conventa servatum iri, ac laboraturum, ut idoneæ conditiones indulgeantur. Ac jam Monasteriensis copias movere cœperat. Unde demum fatebatur; Regem Daniæ ac omnes fœderatos ita generoso modo secum egisse, ut merito eorum persuasionibus victum se fateri cogatur; & quia confidat, nil a se iniqui postulatum iri, ad tractatus descensurum. Rogabat tantum, ne Dani Albim, Monasteriensis Visurgim transeant. Sed legati declarabant, ulteriori dilationi locum non superesse, ac negotium serio, & promte suscipiendum. Unde Duci nil amplius subterfugii supererat. Danos valde metuenti; & quia Monasteriensis jam Bremensem ditionem invadebat, Wilshusa occupata; cui sese Baudisius cum Danicis copiis ex Oldenburgica jungere jubebatur, si Dux uspiam se movisset. Nec parum terrebat Augusta Trevirorum a fratribus tunc expugnata. Itaque Dux declarabat, se Cæsaris, ac fœderatorum destinatis haut obstiturum, ac in Imperii potestate futurum, hospitia tamen legionibus suis & securitatem a Regibus, quos deserebat, stipulatus, ac ut in partem Bremensis ditionis admittatur. Id quod fœderati pro captu temporum haut absurdum rebantur, quo Ducem expugnarent, ne destinata ipsorum iis locis impediret. Qui & militem Ferdæ immissum revocabat, ac detenta Monasteriensis navigia dimittebat. Circa hospitia præcipua difficultas erat, quæ otiosis copiis assignare, reliquis, quæ rem gesserant, subtracta, iniquum erat; Cellensibus, ac Guelferbytanis frementibus, magnam Hildesiensis præsulatus partem sibi decerpi. Condonanda tamen ista temporibus erant, ac in ista quantumvis dura consentire satius habebatur, quam iis locis materiam incendio relinquere.

Aug. [left margin, beside "cicorum ministrorum literas"]

...pt. [left margin, beside "& militem Ferdæ immissum"]

§. 47. Ita demum inter Regem Daniæ Electorem, & Monasteriensem Præsulem, ac Joannem Fridericum Ducem conventio inibatur, super medio statu præsentibus temporibus huic concedendo. Ea Dux declarabat; *se nil contra Cæsarem, Imperium, Regem Daniæ, Electorem, & Præsulem Monasteriensem suscepturum; decretis Ratisponensibus obtemperaturum; cum istis amicitiam culturum; hostibus copiarum nil concessurum. Vicissim fœderati promittebant, se Duci in sua ditione nil molestiæ daturos, eamque hospitiis; tributis, transitibus, aliisque contra Instrumentum Pacis, & leges Imperii haut oneraturos. Si Gallus subsidia Duci hactenus soluta condicere, aut ob initam hanc conventionem impugnare ipsum instituat, fœderatos eundem tuituros. Contra nec Duci ob fœdera cum Gallo, & Sueco litem intentandam. Sequestris quoque munus Duci reservandum.* Subscripserant pactum nomine Regis Daniæ Fridericus Alefeldius Comes; nomine Electoris Conradus Wilhelmus Lente; Monasteriensis Matthias Korf Smisingius; Ducis Otto Groote, & Henricus Witzendorfius. Peculiari instrumento Dux sibi reservabat, ut durante hoc statu integrum sibi sit a Gallo pecuniam subsidiariam accipere, id quod huic pacto citra fraudem futurum sit. Et quia Dux suæ securitatis interesse judicet, exercitum retinere, quem propriis sumtibus sustentare difficile erat; fœderati promittebant, se apud Cæsarem operam navaturos, ut ei exercitui hospitia assignentur, quamdiu hoc bellum duraverit, ac ut Duci sua portio in Bremensi, ac Ferdensi ditione salva sit, monendo, ubi ea de re agatur. Id pactum Daniæ Rex, Elector, & Guelferbytanus ratihabitione firmabant. Ac Dux concessa hospitia invadere properabat, quod jam in itinere essent, qui ista præripere vellent, capta semel possessione haut temere vi sese exturbandum ratus. Sane Cæsar eo pacta probare abnuebat, iniquum judicans tam lauta hospitia iis indulgeri, qui nullam patriæ operam navarint. Nam si is bona fide in partes transire velit, nullam difficultatem fore. Parum quoque congruere, contra decreta Imperii alicui Ordinum neutrum statum indulgere; ac pessimi exempli rem esse, & exitio patriæ cessurum, ejusmodi abusum juris fœderum stabilire: & hoc pacto probato, Bavarum quoque sibi hospitia per Franconiam, & Sueviam postulaturum. Tum iniquissimum esse, ac invidiæ plenum, nil præstantem partem prædæ sibi stipulari; tum Ordines ad finem usque belli continuis hospitiis onerare; cum tamen copiis, queis in hostem res gerenda, per tempus æstivum hospitia sua deserenda sint. Nec modicam diffidentiam excitabat, quod Dux sibi licentiam pecunias a Gallo acceptandi reservaret. Ac Viennæ super SCto agitabatur, quo Bavarus, & Hanoveranus adstringendus foret ad arma in Gallos, & Suecos movenda. Nec minus ista pacta Hispanis, ac reliquis e Domo Luneburgica Ducibus displi-

1675. *Conventio cum Hanoverano Duce. 11. Sept.* *23. Sept.* [right margin]

1675. displicebant. Saltem haut concedendum istum tam insignibus copiis succinctum manere, ac hospitia insidere, quorum pecunia alii fœderati premantur. Nec satis cautum esse, serio eundem quiescere velle, ac non potius occasionem captare saltem tecte hostibus auxilia subministrandi. Haut eo minus ob iniquitatem temporum ad talia quantumvis dura connivendum erat, ut pacto effectus constaret.

Super Bremensi provincia inter fœderatos æmulatio. §. 48. Ast circa Bremensem provinciam acerrima inter fœderatos surgebat æmulatio, plurimum circa eam cupidine concurrente; quod partitio non ita facile expediri posset, quæ omnibus satisfaceret, ac ob repugnantes invicem rationes. Nam Cæsar quidem eandem ex asse Protestantibus in prædam cedere nolebat, ac aliquam saltem portionem per Monasteriensem Catholicis adcrescere cupiebat. Danus sibi aliquam ejus partem expetebat ob communicationem cum Oldenburgica. Id quod Luneburgici aversabantur, ne istius potentia eo tractu nimium glisceret, ac idem ea occasione ostium Visurgis in potestatem redigeret. Luneburgicos ea provincia ob reliquarum ditionum situm maxime decere videbatur; sed quibus tantam accessionem plerique invidebant. Unde Dano gratum accidebat, Monasteriensem de ista provincia invadenda agitare, per quem obtenturum se rebatur, ut Luneburgicis se quoque in partem admittere necessum foret. Elector uti ad eam occupandam copias subministrabat; ita & æquum censebat se non plane excludi saltem hactenus, ut Luneburgicos hoc ipso adstringere posset ad opem subigendæ Pomeraniæ sibi navandam. Ast Monasteriensis maximo desiderio ardebat post tot turbas nullo fructu motas tandem aliquod operæ pretium faciendi, materiam gloriationis per se quoque ritus Romanos incrementi quid cepisse. Sed cujus aviditati fræna nullo modo laxare Luneburgici decreverant. Contra Cæsar, qui & Præsuli ob sacrorum respectum Germaniæ tam funestum favebat, & Luneburgicos, ut contra Gallos ad Mosellam rem gerere persisterent, impense hortabatur tanta cum gloria partam victoriam persequi; pollicitus convenientem ejus ditionis partem ipsis salvam fore. Id enim minus invidiosum erat, Præsuli totam eam provinciam addicere. Haut obscure tamen pellucebat metus Cæsareorum, formidantium tres Principes Evangelicos, Danum, Electorem, & Luneburgicos, quorum rationes tam facile inter se conciliari poterant, tantos terrarum tractus nullo æmulo interjecto insidere. Ac nondum memoria exciderat, quantum autoritatis superiore bello exercitus suus Bavaro circumposuerit, ut Cæsari tantum non ab eo pendere necessum fuerit. Id quod nunc magis a longe majore Protestantium Principum potentia metuebatur. Unde ita rem disponere cupiebant, ut Luneburgicus exercitus a Dano, & Electore separatus ageret, ac in istius locum Monasteriensis subiret, semper Catholicorum rationibus obnoxius futurus, ac si quæ consilia firmandis Protestantium rebus inter istos caperentur turbaturus. Ac sane tres isti soli sufficiebant Suecis debellandis, prædæ quoque inter se divisæ possessionem propria vi sibi tutam præstituri. Ista cum Luneburgici animadverterent, relicto Rheno in Suecos utique movendum censebant, Cæsaris declarationi parum confisi super portione sua, ac quod ipse ex Alsatia satisfieri sibi vellet. Nam Præsul aviditatem suam nimis apricabatur, scriptis quoque ad Daniæ Regem literis, ut sibi liceret omnia retinere, quæ Suecis eripuisset. Nam iste arrepta semel possessione vix sine novo bello expellendus videbatur. Ac satis pellucebat, Cæsareos Luneburgicis apud Mosellam detentis duo captare; ut & suas partes contra Gallum firmarent; ac Monasteriensi occasionem præberent, in Bremensi provincia pedem figendi. Ex quo consecuturum erat, ut Cæsar tacita cum Episcopo conspiratione factionem inter fœderatos Sueciam impugnantes haberet, simul magnam isti provinciæ partem conciliaret, quo & sibi actio nasceretur ad partem Sueciæ prædæ petendam. Contra Cæsareis demonstrabatur; utile esse a Luneburgicis adversus Suecos rem geri. Nam eo tempore sola Suecia Galliæ fulcrum habebatur; unde istam primo loco subruendam, antequam ea Galliæ ad instaurandas vires facultatem præbere posset, si maxime interim una & altera Belgii Hispanici urbs amittenda sit; cujus jactura non sit comparanda cum emolumento, quod proventurum sit, si Galli & Sueci destinatis suis potiantur; qui in fœdere per Petrum Sparrium renovato convenerant, ut in media Germania junctis ipsorum exercitibus Gallicus dux imperitaret. Unde & Hanoveranus apud Reges institerat, ut Galli Rhenum; Sueci Albim transirent; quo fine jam Sueci & Hanoverani in motu fuerant. Quia etiam Monasteriensis in Bremensi provincia primas partes agere, & circa sacra novare meditabatur, Elector serio Viennæ moneri jubebat; ne Cæsar ista ausa probaret, aut foveret. Nam non alia magis ratione fœderatos dissociari, ac hostium partes firmari posse, quam susceptis, quæ fidei, honestati, ac libertati sacrorum repugnent. Ac Suecos quam maxime aucupari, ut talia eveniant, quorum obtentu multos Protestantium Ordinum, qui adhuc ob communia sacra in ipsos respiciant, sibi adjungere, Cæsarique invidiam facere possint. Alias se Præsuli bene cupere, quantum salvis Protestantium rationibus fieri possit, abolita præteritarum offensarum memoria. Quæ declaratio Cæsareis ex animo admodum generoso, atque ingenuo proficisci judicabatur. 1675.

Cum Monasteriensi ... §. 49. Porro antequam cum Hanoverano transigeretur, Elector Monasteriensis amicitiam potissimum adversus istum affectaverat, utut eadem apud unum & alterum suspicionem excitatura esset; tum ut Bremensi provinciæ eundem immitteret, cui si quies indulgeretur Suecis facultas erat per delectus exercitum supplendi. Quanquam Præsul jam antea magna cupidine flagrabat eam provinciam involandi, *9. Jul.*

ac

1675. ac ultro Electori stimulos subdebat. Cui tamen lente festinandum videbatur, quod par foret prius super hoc negotio cum Dano, & Luneburgicis convenire, declinandæ horum æmulationi. Ac metus erat, ne præmaturo motu Hanoveranus ad auxilia Suecis submittenda excitaretur. Igitur suadebat, ut tamdiu quiesceretur, quoad omnia rite digesta sint. Idem tamen Alexandro Spanio, & Wolfgango Ernesto Ellero copias, quas ipse in Westphalia habebat Præsuli jungere, ac una in Bremensem provinciam expeditionem suscipere injungebat, ut tamen Luneburgicum territorium ne tangerent, damnive quid ei inferrent, nec Hanoverano ad vim adhibendam ansam præberent; si tamen ab hoc ultro invadantur, strenue vim reponerent. Sed paulisper sistebatur Præsulis impetus, postquam Hanoveranus militem Ferdæ immisisset, ac transitum Visurgis prohibere institueret. Igitur cautius agendum erat, ac irruptio differenda, quoad Danus per Baudisium Præsuli conjunctionem suarum quoque copiarum invadendæ Suecicæ provinciæ offeret. Inter quæ scripserat Electori Præsul, cupere se cum ipso fœdus inire; sed quia ei adornando multum temporis requiratur, nec consultum sit ideo armis otia indulgere, petere ut Elector scripto sibi caveat; se citra ipsum cum Suecis pacem haut initurum, utque ubi opus sit idoneo auxilio sibi adsistat; ac quæ bello adquirenda sint præstanda recipiat. Ea si annuat Elector, se protinus Suecorum vires in Bremensi provincia distracturum, non sine magno ipsius lavamento. Ex hoc cum Præsulis enorme desiderium Bremam invadendi pelluceret, Elector respondebat; ista se probare, ac petita præstiturum. Consultum tamen ducere, ut Præsul cum Baudisio duce Danico communicet, cui & ipsi a Rege sit injunctum ibidem irrumpere, ut omnia de compacto eo felicius peragantur. Neque enim Electori placebat Præsulem omnia ex sua libidine agere; ac ipse quoque saltem in hospitiorum partem venire cupiebat, Præsertim cum in Belgio legionem maritimam per Bolsæum tribunum conduxisset, quæ navigiis ostio Visurgis invecta irruptionem in eandem provinciam tentatura erat. Quanquam autem suspectum foret, a Monasteriensi formulam fœderis Hagæ inter Blaspielum, & ipsius Procancellarium Termœlium adornatam haut perfici: non eo minus junctim expeditio suscipiebatur; ac sociatæ copiæ Mindam tendebant, ac terrendo Hanoverano castra cis Visurgim dimetiebantur. Sed ubi cum hoc transactum esset, per Westphalicam fluminis ripam versus Bremam tendebatur, ne Hanoveram terræ tangerentur. Inde uno super eam urbem milliari mille ducenti Monnasterienses flumen transibant apud Wyam vicum, ac inter flumen & aggerem, qui secundum ripam porrigitur, pedem figebant. Sub vesperam reliquus peditatus, ac postera die equitatus sequebatur. Impedimentis Bremenses per urbem transitum concessere. Nec ratio perspici poterat, quare in subeuntes ab Henrico Hornio provinciæ gubernatore, qui cum tribus millibus, ac aliquot machinis eo tractu constiterat, nil tentatum esset, cum omnes judicarent, eum transitum vel cum trecentis peditibus impediri potuisse. Paulo inferius quoque quindecim Monasteriensium centuriæ transivere, nullo obstante, quod eo loco irruptionem Sueci haut metuissent. Mox sociatæ Electoralibus Monasterienses, quorum illis Spanius, & Ellerus, his Gustavus Wilhelmus Wedelius imperabat, Burgum accessere, obliquis viis per noctem excavatis: quem locum præfectus Suecicus defensione haut tentata sequenti die dedidit. Ferdam, Langwedelam, Ottersbergam & Rotenburgum Sueci ultro deseruerunt. 1675.

24. Jul. *13. Jul.* *23. Jul.* *Bolsey.* *Ter Maelen.* *4. Sept.* *15. Sept. Monasterienses Electoralibus juncti in Bremensem provinciam irrumpunt.* *17. Sept.*

§. 50. Cæterum tota ista expeditione Præsul importunum valde se gerebat, nullo rationibus, ac æquitati loco relicto, nec ulla publici boni cura. Initio pedem in provincia figere festinabat, quo tributa suo nomine imperare posset. Cæsarea jussa ubique obtentui sumebantur, nemini visa, quæ ipse pro lubitu porrigebat. Idem Baudisii cum legionibus Danicis conjunctionem aversabatur; qui contendebat, par esse, ut inter Principes super modo bellum gerendi prius conveniatur, questus a Præsule Wilzhusam, & Tedingshusam occupatam; quod & sibi in proclivi fuerit. Idem Præsul missis a Bremensi urbe dixerat; se supremum belli ducem esse, cui soli imperare fas. Color petebatur ex Electoris literis, quibus declararat, se nullam Bremensis provinciæ partem sibi deposcere; cum tamen hæc conditio subesset; si in Pomerania sibi satisfiat: quo fine necessarium erat reliquos sese adstringere ad auxilia ei provinciæ subigendæ ferenda. Nec deerant, qui conjunctionem Electoris cum Præsule Luneburgicis suspectam redderent, velut in horum fraudem tendentem. Cui contra collusionis quid inter Hanoveranum, & Monasteriensem esse videbatur, quod Smisingius tractationem cum eo Duce pro lubitu temperasset. Ac ipse Dux nondum sinceri animi fidem assecutus fuerat, succedente adhuc autoramento Gallico; & quia Suecis testatus fuerat; se non minus utilem ipsis operam exhibiturum, quam si toto cum exercitu rem gereret. Quod enim in pacto cum fœderatis partem Bremensis ditionis sibi stipulatus sit, id ea conditione factum, si tota provincia amittenda sit: ut hæc tamen amittatur, se nil collaturum. Præsulis quoque ingenium statim sese exserebat. Cum enim Ellerus Ferdam accedens hospitia Electorali militi postularet, ac oppidani jam ea paratum irent, interim per diversam partem Monasterienses irrumpebant, peculiare Præsulis jussum ostentantes, ac sibi injunctum neminem alium intra oppidum recipere. Unde Electoralibus irritis discedendum erat; quos isti nec in hospitiorum, nec præsidiorum partem admittere volebant; ut jam non amplius obscurum esset, quare Præsul ante susceptam expeditionem justum fœdus cum Electore inire declinarit. Spanius quoque offensam conceperat, quod

Monasteriensis Præsulis importunitas.

1675. quod Monasteriensis dux Wedelius recentior militia primarium sibi imperium deposceret, Electoralibus tantum auxiliarium loco, nec pari cum Episcopalibus conditione habitis. Unde Elector de talibus per Blaspielum apud Præsulem querebatur, minatus, ni aliter aga-
6. Oct. tur, suas se copias avocaturum. Ellerus inde obsidium Carlsburgi molitus non nihil cladis acceperat, pulsis quoque sub Simone Bolsæo
21. Oct. copiis maritimis. Cum tamen idem post obsidium repetere conaretur, Monasteriensis initio militem accommodare abnuebat. Sed post cum in id consensisset, solus ei loco si caperetur præsidium immittere volebat: id quod Ellerus sine jussu Electoris consentire non audebat. Ita oppugnatio omissa, ac locus is emi-
24. Oct. nus circumsessus. Bremervœrdæ dehinc oppugnatio ab Electoralibus, & Monasteriensibus suscepta; quam cum per unum & alterum diem machinis verberassent, duobus disjectis propugnaculis, Sueci deditionem faciebant malignis legibus, ut Germani militiam Suecicam abdicarent. Indigenis Suecis permissum munitione excedere; nullo effectu, quod præfectus stipulari omiserat, in quem locum deducendi essent. Ellerus ægre obtinere poterat, ni Electoralium sexaginta cum aliis præsidio imponerentur, Luneburgicis æque, ac Monasteriensibus aversantibus, ne Elector in ea provincia pedem figeret.

Electoris circa servandam inter fœderatos concordiam studium. §. 51. Ista igitur ne exitiabile dissidium inter socios generarent, Elector urgebat, ut conventus fœderatorum Bremæ super partienda provincia haberetur; quo fine is Blaspielum, & Ledeburium eo mittebat. Se quidem utut primus irruperit, nullam ejus provinciæ partem sibi deposcere, modo reliqui se obstringant ad conferendam opem subigindæ Pomeraniæ. Eum conventum Daniæ quoque Rex urgebat, quem contra Luneburgici, ac Præsul declinabant. Et hic quidem citra præviam conventionem malebat in durbido piscari. Idem Glandorfio declararat, si Wilzhusa sibi, & Tedingshusa relinquatur, ac Luneburgica Domus alternantem electionem in Osnabrugensi Præsulatu cedat, libera eligendi facultate Capitulo relicta, se contentum fore. Vicissim Luneburgicis Ferdani cum aliquibus partibus Bremensis ditionis perpetuo jure concedendam. Quæ propositio Electori inanis habebatur, tanquam multis difficultatibus, & incommodis conjuncta. Ast Luneburgici, ac Monasteriensis clam super dividenda inter se Suecica provincia pepigerant, excluso Daniæ Rege, cui ne minimam quidem ejus portionem obvenire Cellensis obtabat. Præsul autem quanquam magis in Danum, quam Cellensem inclinaret, quicum & frigide satis amicitiam colebat, ac Regi clam confirmasset; se operam daturum, ut is Stada juxta, & Carlsburgo potiretur; Rex tamen versipelli sacerdoti parum fidebat. Uterque Cæsaris favore nitebatur, Præsul propter sacra, Cellensis ob recentia merita victoriæ contra Gallos partæ. Ac Præsul quia facilius sibi cum Duce conventurum judicabat, cum hoc decidere, quam potentiori ad 1675.
eam provinciam viam aperire volebat. Cellensem offenderat, quod Rex majore fiducia cum Electore, quam cum ipso ageret; & quod tanto studio laboratum esset, ut Hanoveranus tam opimis conditionibus ad medium statum permoveretur. Regem quoque, & Electorem haut sat enixam operam dedisse, ut suus exercitus a Mosella huc pertraheretur, & ejus loco properasse Monasteriensem cum Suecis committere. Ac quam maxime cupiebat prius Stadam, & Carlsburgum in potestatem redigere, quam cum Dano tractationis quid susciperet. Quo obtento ne latum quidem pedem huic concessurus erat; utut Elector expedire judicaret, saltem modicam ejus provinciæ portionem Regi concedi. Cæterum postquam inter Luneburgicos, & Monasterienses super hospitiis convenisset, Electorales in Westphaliam revertebant; quod Præsul jactaret, hos suo imperio fuisse subjectos: sed Luneburgicos socios esse, qui jure suo partem postulent. Qua super re Electori cum viro desultoriæ fidei haut contendendum videbatur. Simul assignata Electoralibus hospitia Monasteriensi relinquebantur, qui certam ex iis pecuniæ summam istis se soluturum promittebat. Ast Dani se exclusos indignati ipsi hospitia sibi sumebant, ac Monasterienses hinc inde expellebant, his paria qua poterant reponentibus. Luneburgici tamen, ut Electori satisfacerent, offerebant, se vicissim Electori ad subigendam Pomeraniam suppetias gratis laturos. Tum fœderatis promittebant, se futura æstate ad Mosellam in Gallos rem gesturos. Id quod Hispanis, & Belgis valde arridebat, qui unicum remedium ducebant Gallo in ordinem redigendo, si bellum in ipsam Galliam devolveretur. Ast Cæsareis haut ingratum existebat inter Danum, ac Luneburgicos dissensionem existere, ac Præsulem insigni portione potiri dilatandis Romanis ritibus. Inter confusa ista Elector suos Bremæ operam dare jubebat, ut dissidium inter fœderatos tolleretur. Ac ipse censebat, Præsulem a parte prædæ excludi non posse, ut tamen sacra in præsenti statu relinquantur. Par quoque esse, ut Dano satisfiat. Sed & sui cumprimis rationem habendam, velut cujus vindicandi causa bellum hoc susceptum sit, non eo fine, ut fœderati novas ditiones adquirerent. Equidem se declarasse, de Bremensi provincia nil se desideraturum; sed ea lege, si ipse totam Pomeraniam sociorum ope nanciscatur. Circa mobilia ita in Bremensi provincia agi volebat, uti fœderati in Pomerania secum agi vellent. Denique & circa Carlsburgum magna dissensio erat. Nam Cæsar, Elector, & Luneburgici solo id æquari volebant. Danus id sibi assertum ibat, obtendens, id in suo solo extructum. Monasteriensis quoque id destrui, simul Electorales in partem præsidii admittere abnuebat, metuere se causatus, ne Elector in Luneburgicos, quam ipsum pronior portionem suam in hos transferat. Inter ista 9. Nov.
Elector Thomam Knesebecium ad Regem Da-

niæ

1675. niæ in castra apud Wismariam miserat, ut demonstraret, quam utile sit, utrumque cum Luneburgicis arcto fœdere jungi. Quod & ipsum Rex eo magis necessarium judicabat, quo magis in ipsos apud quosdam non parum æmulationis adpareat; ac Cellensem ejusmodi fœderi pronum se declarasse. Et eam conjunctionem sibi magnam autoritatem apud omnes parituram. Ne ipsi plane Bremensi provincia excluderentur, Rex proponebat, ut copiis junctis locum aliquem ibi occuparent; quod fieri jam non posse Knesebecius ostendebat.

Luneburgici acta sua Electori probare student. *6. Dec.* §. 52. Luneburgici tamen ut acta sua Electori adprobarent, Fridericum Achatium Schulenburgium mittebant; qui referret, uti Duces tam super hospitiis quam dividenda Bremensi provincia cum Præsule convenerint. Etsi eo pacto Electori præjudicare noluerint; sed Ellerum invitatum excusasse, nil se in mandatis habere. Præsulem quoque confirmasse, Electorales copias sine exceptione suo imperio fuisse subjectas. Unde Ducibus cum solo Præsule fuisse transigendum. Præcipuum sibi scopum fuisse, sua conjunctione impedire, ne Episcopus progressus suos per eam provinciam nimium extendat. Qui tamen insuper habita conventione periculosa sua destinata magis indies exserat. Unde neque Protestantium rebus, nec vicinorum securitati expedire, si isti latius proferre pedem concedatur; quod is Bremensi provincia in suam potestatem redacta occasionem nacturus sit, Westphaliam, & Saxoniam inferiorem pro lubitu turbis involvendi; præsertim si Bremæ nomine directionem Circuli nacturus sit, Electori deinceps peculiariter molestam ubi Magdeburgi nomine par munus gesturus sit. Eundem quoque commerciis in Visurgi flumine infesta meditari, excitato Tedingshusæ castello, ubi a prætervectis navigiis decuplo plus, quam usu receptum est, exigat. Sed & turbidum Præsulis ingenium satis cognitum esse. Quia igitur Duces confidant, se solos pares fore Suecis eliminandis; eos Electoris consilium exposcere, qua ratione impediri queat, ne Præsul ulterius se Bremensi negotio ingerat, suspecta Catholici Principis potentia. Præterea uti Elector per animi magnitudinem sæpius declararit, se nil de Bremensi provincia affectare; ita Danum hac actione desistere nolle; qui tamen, ubi pedem heic fixerit, non vicinis solum, sed & toti Imperio prægravis futurus sit. Igitur se ex Electore nosse cupere; num aliqua via sit istum hoc postulato avertendi? Equidem ut ei satisfiat par esse, & partem Bremensis provinciæ cum Oldenburgica commode combinari posse: non deesse tamen alia, quæ in eundem conferri queant. Querebantur insuper, cum ipsi tam multa pro Imperio fecerint, hospitiis tamen pro milite suo frui se non posse. Qua in re Electoris studium expedebant, polliciti, se bello Bremensi absoluto in Pomerania ipsi auxilium laturos; ac secreto cum ipso consilia collaturos, autoritatemque ejusdem secuturos. Ad quæ Elector communicationem tractatus cum Præsule petebat, haut obscure innuens, Danum quoque ei cudendo fuisse adhibendum. 1675.
Cum Daniæ Rege, ac Monasteriensi circumspecte esse agendum servandæ inter fœderatos concordiæ, & ne hosti inde emolumentum, ipsis ludibrium concilietur. Actioni in Bremensem provinciam ea duntaxat lege se renuntiasse, ut fœderati auxilium sibi præstent ad subigendam Pomeraniam. Alias optimum fore, id negotium ad tractationem pacis rejicere. Præsuli duas præfecturas trans Visurgim sitas, & summam pecuniæ dandam. Cum Dano quoque caute agendum, qui tractu Oldenburgicæ vicino desistere nolit. Præter ista ostendebat legatus, ni Bremense negotium rite disponatur, Ducum ditioni præcipue, sed & Electoris provinciis non parum periculi impendere. Nam circa dedendum Carlsburgum a præsidiariis cum Dano, Electore, & Ducibus junctim pactum initum. Sed Ducibus valde suspectum videri, quod, cum ipsi proposuerint de subruendo loco Saxoniæ tam noxio, quod & Electori probetur, Danus obnixe se opposuerit. *12. Dec.* Ex quo non minus ac aliis indiciis colligi, eum Regem non nudam communicationis lineam cum Oldenburgica, sed amplius quid meditari, ac forte successu temporis omnibus Albim, & Visurgim accolentibus leges præscripturum. Ast Duces hoc modo Domui suæ pessime consulturos, si arma sua pro communi libertate, ac securitate arrepta haut alius fructus sequatur, quam ut aliena potentia periculo suarum ditionum gliscat. Cui malo prævertendo omnem se lapidem moturos. Igitur petere, ut Elector Regem permoveat, ne quid muniti loci in Bremensi, & Ferdensi provincia affectet. Nam Duces metuere, si Elector uti hactenus manum subducat, ne Danus pro ingenti, quo in eum locum flagrat, desiderio Præsulis portionem sibi comparet. Regem quoque, & Præsulem hac hieme quid in Stadam juncta ope tentaturos; ubi idem quod apud Carlsburgum periculum adpareat: ac Danicos legatos Hagæ expresse dixisse: Regem utrumque locum sibi servaturum. Inprimis Georgium Wilhelmum Ducem ægre ferre, quod cum ipse præfecturam Circularis militæ gerat, Danus ac Præsul operationes bellicas sua ex libidine suscipere velint. Ac mirari, quod cum Danus alibi longe majus damnum hosti dare, ac majoris momenti terras recuperare possit, soli Bremensi provinciæ tantopere inhiet. Quemadmodum igitur ex hisce pateat, Danum limites majori cum fœderatorum, quam hostium damno prolatum ire; ita Ducibus incumbere, ad securitatem propriarum, ac Electoralium ditionum impedire, ne Danus Stadæ pedem figat. Equidem non deesse sibi facultatem Dani conatus vi retundendi; quia tamen amicitiam cum hoc servare cupiant, rogare ut Elector operam navet, ne ea res in nervum erumpat. Sed si Danus desistere nolit, Electorem Ducibus vitio haut daturum, si omnia remedia securitatis suæ tuendæ expediant; nec eundem Dano quid auxilii laturum. Ad quæ Elector: tutissimum remedium sibi videri, ut fœderati in conventu Bremam con-

1675. condicto id negotium amice expediant; ac se officium apud Regem interpositurum, ut hic æquas conditiones admittat. Vicissim & Elector querebatur, cum ipse, ac Monasteriensis primum Bremensem provinciam invaserit, ac pleraque loca occuparit, simul prælio ad Fehrberlinum Suecorum vires fregerit, viamque successibus fœderatorum aperuerit; sibi tamen tolerandum fuisse, Ducem, & Præsulem super hæreditaria divisione Bremensis ditionis conventionem iniisse se excluso, ac inscio. Tum Duces tractatibus cum Daniæ Rege se duntaxat ut sequestrem componendis controversiis, non ut participem adhibere velle. Cui facto excusando non alium colorem dicere poterat legatus, quam quod Elector semper declararit, se nil e Bremensi provincia affectare; ac jam bonam spem Pomerania potiundi allucere.

Bremensi civitati cavetur. §. 53. Dum ita super dividenda Bremensi provincia disceptatur, Cæsar, ac Elector monebant, ut a fœderatis status Bremæ urbis perspicuis verbis soli Imperio subjectus declararetur, non ita obscure & ambigue, uti pace Westphalica factum erat. Quæ & urbs cum aliquem metum a Monasteriensi ostenderet, Elector offerrebat se de suo milite manum immissurum; id quod Bremenses acceptare abnuebant. Instabat quoque Elector apud Cæsarem, ut ea civitas a sacramento, quod Sueciæ Regno dixerat, absolveretur. Id quod Cæsar fore promittebat, modo res ab ipsa civitate petatur, ut in judicio Aulico cum causæ cognitione pronuntiari possit. Alias eam per præsentem statum ipso jure isto vinculo exsolutam esse. Cæsarei quoque ministri censebant, qualicunque provinciæ Bremensis inter fœderatos divisione civitatis libero statui perspicue cavendum: tum super destruendo Carlsburgo statuendum, & ut idem nunquam instaurari fas sit. Iidem quoque optabant, Wismariam civitatem Imperialem declarari, quam a Dano affectari parum arridebat. Mox ipsi Bremenses a Cæsare petebant abolitionem pactorum, quæ suæ civitati cum Regno Sueciæ intercedant, unde relaxatio juramenti ultro sequatur: tum ut futura pace status suus *immediatus* claris verbis stabiliatur, abolita Osnabrugensi formula ambigua: ac ut denique a Suecis erepta quondam sibi bona reddantur. E quibus duo priora probabat Elector; sed circa postremum cum fœderatis agendum, num ipsi id probent: nam sua nihil interesse.

Elector in Pomeraniam erumpit. 4. Oct. §. 54. Ast Elector postquam maximo cum tædio per tres fere menses intra Meclenburgicam hæsisset, quoad Daniæ Regem in bellum propellere, & super invadendo hoste cum eo convenire posset; demum colloquio cum Rege habito tripartito Pomeraniam invadere statuit. Cæsarei apud Tribsesam, Dani Damgardiæ aditum moliebantur. Sed Elector Treptoam, inde Clempenoam tendebat; ubi qui intus erant præsidiarii resistere ausi, mox vi opprimuntur. Inde ad Gutzcoviensem Penæ fluvii transitum acceditur, qua is sarissæ altitudine labitur, uliginosa utrinque ripa. Castellum ibi, & domum media palude sitam aliquot peditum manipuli insidebant. Trans flumen elatiore loco Sueci aliquot machinas disposuerant, e quibus crebros globos in nostros ejaculabantur. Elector castellum per duas horas machinis verberari, inde domui ignitos globos injici jussit; quos Ernestus Weilerus moderato pulvere ita evibrare callebat, ut languidiore impetu lignis hærentes protinus incendium excitarent. Unde cum eam omni parte ignis corripuisset, Sueci castello relicto trans paludem refugiebant, haut paucis in receptu cadentibus. Inde nostri in castello fidem figebant, Sueci in hos, ut & eos qui ad ripam consistebant, confertim jaculantibus; quibus nostri haut segnius respondebant, nonnullis prostratis qui machinas tractabant. Mox tamen hostis non sine confusione stationem in monte deserens nostris liberum transitum concessit. Distrahendo hosti Elector Gœrtzkium ad Stolpensem pontem, Joachimum Ernestum Grumcovium subtribunum ad eum, qui Jemeraviæ est, miserat, ut assultum ibi simularent. Sed isti serio impetu hostibus pulsis utrinque perrupere. Ita tres aditus Pomeraniæ per altissimum flumen uliginosa utrinque ripa cinctum occupati totam provinciam usque ad munita oppida nudabant. Pons inde a nostris Penæ fluvio injectus, quo Cæsareis, & Danus Damgardiæ, & Tribsesæ accessus panderetur. Sed cum Sueci, qui ibi servabant, perciperent, Electorem Gutzcoviæ perrupisse, desertis angustiis istos quoque admisere. Spancoa inde arx quinque propugnaculis lapideis firmata, statim atque selectorum dimacharum manus accederet, a Suecis deserta fuit. Elector inde cum pleroque equitatu Gutzcovia Grimmam, inde Richtenbergam tendebat, Daniæ Regis adventum expectans, qui cum termille equitibus, & aliquot dimacharum catervis isti jungitur. Utrique eo die sub Stralsundam accessere, ubi audierant quinque legiones Suecicorum equitum consedisse. Primo adventu aliquot pabulatores proximis vicis intercepti; simul aliquot turmæ emissæ, quæ usque sub jactum machinarum Stralsundæ successerunt, Suecis pugnandi facultatem præbentes. Sed qui sub machinis urbis commodo loco considentes a fronte munitionibus raptim excitatis, ab uno latere, & a tergo mari, ab altero latere urbe tecti, nuspiam prodire volebant. Sequenti die iterum Rex, & Elector ad Suecorum munitiones intra jactum machinarum accessere, sed in quos nil globorum ex urbe emissum; nec Suecis extra munitiones suas prodire placuit. Hos igitur cum nulla invadendi facultas esset, in diversa discessum fuit; ac Rex ad obsidendam Wismariam, Elector ad exercitum digrediebatur. 1675. 9. Oct. 13. Oct.

Wollinum expugnatur. Slibe. Nettelhorst. Manteufel. Groben. §. 55. Interea Bogislaus Suerinus summus vigiliarum præfectus ex Ulteriore Pomerania Wollinensem insulam invadere instituit; quo fine Hohendorfii, & Bodonis Slibii legiones cum pluribus turmis sub Nettelhorstio, Manteufelio, & Grœbeno Camini convenerunt; ubi & triginta cymbæ vehicu-

vehiculis imponebantur cum quinque machinis minoris formæ. Inde manus emissa quasi per Divenoam transitus tentandus esset. Sed cymbæ, & reliquæ copiæ per silentium Latzigium vertere, ubi flumen angustiore ripa arctatur, solidiore fundo. Cymbæ ibi raptim aquis immissæ nullo strepitu, ut quadringenti pedites cum Hohendorfio tribuno medium jam flumen tenerent, antequam Sueci in altera ripa excubias agentes id sentirent; quorum tumultu insuper habito nostri in adversa ripa pedem fixere, mox & reliqui transvecti. Suerinus inde, & Slibius noctu ad Divenoam progressi orta luce adsito castello deditionem imperarunt; quod & sine exceptione iis se permisit. Optioni, qui intus servabat, liber discessus permissus; gregarii sub signa nostra recepti. Mox universæ copiæ Wollinum oppidum accessere, quod impetu invadere placuit, antequam manus, quæ suppetias latura veniebat, accedere

3. Oct. posset. Post mediam noctem tribus locis assultus datus, & intra semihoram, Suecis licet acriter resistentibus, vallum superatum, ac hora tertia matutina in urbem perruptum non nisi tribus nostrorum cadentibus, nonnullis

Grubbenhielm. sauciatis. Præfectus Suecicus Grubbenhielmius cum multis aliis in ipso vallo occisus; reliqui omnes captivitatem subiere. Mox & idem Suerinus castellum ad Suinæ ostium expugnabat, cui quadringenti equites Wolgasto egressi supetias latum accedebant. Sed qui pulsi relictis equis unde venerant cymbis revecti sunt. Ex altera parte Anhaltinus Princeps valida cum manu Oderam transgressus Grifenhagam, adventu ejus a Suecis desertam, occupabat. Adsitum castellum triginta peditibus insessum assultu expugnatum. Tum & aliud castellum, cui a vectigali vocabulum, Oderæ imperans, & Wildenbruca arx in potestatem redigitur, interclusa Suecis facultate in Ulteriorem Pomeraniam excurrendi.

Wolgastum expugnatur. §. 56. Ast Elector, postquam equitatum idoneis locis disposuisset, ne per excursiones e munitis oppidis exercitus infestari posset, Wolgastum oppugnare instituit, sex propugnaculis firmatam arcem, Stetino subvectio-

5. Nov. nem mari interclusurus. Retro ædes oppidi suggestus excitantur, accessus ad fossam promoventur, omnia assultui parantur, Suecis interim continuo ex arce fulminantibus exiguo damno, quod nostri domibus tecti opus face-

9. Nov. rent. Inde ex omnibus suggestibus in arcem verberatio fit, ac brevi tempore duo propugnacula disjiciuntur, ut machinæ ibi tractari non amplius possent. Sed & globus ignivomus conclave pyrio pulvere plenum illapsus partem arcis disjecit. Sequenti nocte pontes fossæ admoti, ut altera luce assultus daretur. Quem haut expectans præfectus Andreas Du-

Blix. bislaus Blixius deditionem faciebat ea lege ut cum octingentis & viginti præsidiariis Stralsundam dimitteretur. Insignis copia adparatus bellici, & annonæ in arce reperta. Animus erat, post expugnatum Wolgastum Anclammum quoque invadere. Sed ingruens fœda tempestas id institutum dimittere subegit; simul per morbos & annonæ inopiam numeri valde imminuti, Cæsareis præcipue copiis ad exiguum numerum redactis. Et quia ipsi Sueci omnia intra Penam vastaverant, miles trans id flumen in hospitia deducendus erat. Valida manus sub Friderico Landgravio Regi Daniæ Wismariam obsidenti auxilio missa; qui demum id oppidum post difficilem oppugnationem deditione cepit, cum jamjam *14. Dec.* imbres, & frigus inde ultro facessendi necessitatem allaturi essent, frementibus Danicis ducibus, quod Rex, dum Electori viam in Pomeraniam aperit, sero tam validi loci obsidium auspicatus esset. Landgravius post Ribenitzam trecentis Suecicis militibus insessam, cum hi jam deditionem agitarent, vi irrupit, omnibus in captivitatem redactis. Obtulerat Elector Regi Daniæ Rugiam insulam, quam hic post captam Wismariam invadere parabat. Sed suadebat Grifenfeldius Hafniam potius redeundum, quod Sueci Selandiæ minitentur: qui & malebat a Rege in Scania rem geri, quo ipse semper ejus lateri hærere posset. Ac sane Ordines Sueciæ in comitiis concluserant; illis quidem, qui Regi ad ordiendum in Germania bellum consilium dedissent, rationem eo nomine reddendam. Quia tamen Danus quoque in bellum eruperit, se Regem omnibus viribus sublevaturos. Non parum offenderat Danum, quod Cæsarei Viennæ tam frigidos circa sua postulata se ostenderent, super portione de Bremensi provincia, super hospitiis, & vectigali ad Gluchstadium abnuentes. Idemque cum peteret, ut sua conditio ad annum 1643. revocaretur, pollicitus, se Cæsari quoque, & Hispanis adfuturum, quoad scopo suo potirentur; Cæsarei rem distulerant, nullo liquido responso dato. Quam ob causam etiam Danus cum Gallo pacem abrumpere nolebat. Vicissim & Cellensem Ducem Rex offendebat, quod, cum hic per duos cursores Electori de capta Wismaria significasset, id officii apud Cellensem omiserat. Quanquam & ideo necessarium erat Electori id nuntiari, quod ei obsidio tegendo ipsius copiæ in campo consisterent; quæ hiberna avide desiderabant.

§. 57. Post tam gloriosam expeditionem restabat difficultas super hiberniis; quæ sola Electoris ditio tolerare non poterat. Nec æquum *Super hospitiis difficultates.* erat pro communi patriæ bono pugnantibus solis onus incumbere, cæteris immunibus; sed & hos par erat aliquid ad sustentandos exercitus conferre. Super hisce Electoris copiis Cæsar sat jejune prospexerat, qui Windischgræcium Comitem Mulhusium miserat ei dispositioni edendæ, quo & a fœderatis missi convenerant. Ea super re Elector per Crocovium graviter querebatur; qui merita ejus hoc anno, & studium in patriam late demonstrabat: iter ad excitandos fœderatos Hagam susceptum; Monasteriensem, & Hanoveranum partibus Gallicis abstractum, Ratenaviam oppressam; Suecos prælio fusos Marchia exturbatos; Pomeraniam perruptam; Suecos

1675. ad trajiciendum in Rugiam insulam equitatum compulsos. Unde credidisse, ejusmodi hiberna sibi assignatum iri, ex quibus exercitus refici, ac suppleri possit ad expeditionem futuro anno integris viribus repetendam. Nunc sibi assignari citeriorem Pomeraniam, quam ipsi Sueci exhauserint omnibus in munita oppida congestis, ubi nec pretio panis emendi facultas fuerit, quem e Marchia eo convehi oportuerit. Aliorum qui hactenus cum hoste senserint, & otiose desederint, majorem curam haberi, eosque sibi præferri. A se postulari, ut suæ copiæ propriis in provinciis hospitia capiant, quas Sueci tot per menses depopulati sint. Apparere ex his, esse qui ipsum ad incitas redactum velint, fortunamque divinitus concessam invideant, ac vires adimere instituant, quo minus utilem operam deinceps Cæsari, ac patriæ navare queat. Unde sibi in viginti millia militum idonea hospitia habenda; quæ si abnuantur, neminem sibi vitio datumrum, si mature super sua conservatione cogitet. Isthæc autem ideo tam abrupte a se proponi, ut imminenti se exitio subducat, cum videat, tam exiguam sui rationem haberi. Quod si Cæsarei objiciant; Ordinibus tantum oneris non esse imponendum, responderet Crocovius; eam honestam esse orationem. Sed si Cæsareus miles Sueviam, Franconiam, Westphaliam, ac plura alia sibi soli vindicet, quæstionem esse, an non Ordinibus juxta, ac fœderatis oneri sint, si omnia sibi ipsis, aut iis quibus favent, rapiant, cæteris exclusis? A se nil aliud requiri, quam ut æqua proportio observetur, qua quisque incolumis esse possit. Sibi passim exprobrari, tam enixo studio partes se Cæsaris sustinuisse, ut aliquando pœnitentia sit subitura. Sed se magis egregium, & justitiæ amantem Cæsaris animum, quam ejusmodi sermones respexisse; & adhuc respicere. Windischgræcii odiosam, & altius penetrantem propositionem haut pro imperio sibi obtrudendam, sed suam quoque sententiam pondus aliquod habituram. Nam non unius e placito, sed per conventionem esse procedendum. Alias satius esse in tempore, quam sero de remedio cogitare. Jubebatur quoque Crocovius queri, quod Monasteriensis tam dura a Bremensi civitate postulet, cum eam sublevari potius, quam premi par sit. Tum quod suarum copiarum, quæ tamen ad occupandam Bremensem provinciam haut levem operam contulerint, nulla ratio habeatur. Ac sane Cæsarei quinque Circulos hospitiis suis occuparant, cum fœderatis, qui contra Suecos rem gesserant, Dano, Electori, Cellensi solam Saxoniam utramque assignarent, in qua propriæ ipsorum ditiones sitæ erant, & ubi maximam partem isti immunem declarabant; Hanoverano quoque non modicam ejus partem occupante. Ast Cæsarei super hospi-
24. Nov. tiis Electori injuriam factam agnoscebant, sed culpa in Montecuculum rejiciebatur, distributionis autorem, qui promiserit, se proximo vere Cæsaris exercitum ad sexaginta millia auctum repræsentaturum. Enimvero præcipua huic, ac reliquis Cæsareis ducibus circa corradendas sibi pecunias cura erat, ac per validam, quam in aula habebant, factionem vel iniquissima se pervicturos confidebant. Unde quanquam Elector literis ad Cæsarem datis citra ambages exposuisset, quantopere ipsius duces, Itali præsertim, per hospitia avaritiæ litarent, ingentibus pecuniæ summis in Italiam trajectis; nil tamen proficiebatur, quod Montecuculus opinionem de se excitasset, quasi Cæsar ipso carere non posset; eoque omnia, quæ ab eo secus acta erant, dissimulabantur. Demum super Electo- 3. Dec. ris querelis ita declarabatur: *Cæsaris mentem fuisse, ut suus exercitus trans Rhenum hiberna caperet, non nisi supplemento aliquo e Suevia, & Franconia accepto. Sed quod secus factum sit, partim Montecuculo imputari, qui victoriam persecutus non sit, nec Gallos, quod in proclivi fuisse videbatur, Alsatia expulerit; partim Luneburgicis Ducibus, dum post felix prælium in Lotharingiam, quod ab iis postulatum fuerat, progredi noluerint. Unde Montecuculum a dispositione Viennæ facta discessisse, ac plus terrarum hospitiis amplexum, Luneburgicos quoque, secus quam Cæsar voluerit, intra Mosellam, & Mosam non constitisse, sed cis Rhenum per Wetteraviam, sylvam occidentalem, & Ducatum Westphaliæ se diffudisse. Quo ipso non solum latus Germaniæ, quod præcipue protegi contra Gallos par erat, nudatum sit; sed & ea loca cis Rhenum occupata, ubi fœderatis hospitia concedi potuissent. Monasterienses quoque, & Luneburgicos, dum sibi ipsis pro lubitu hospitia invadunt, antea digesta turbare. Inprimis per pactum cum Hanoverano huic cessisse, quæ Electori destinata fuerant.* Circa proposita tamen ab Electore in universum movebant; soli Cæsari, non ulli alii Ordinum competere alios Ordines hospitiis onerare. Ad quod Crocovius: Si Principum quispiam exemplo Electoris omnibus viribus pro Cæsaris, ac Imperii salute certet, num par esse, ut Cæsaris exercitui laute prospiciatur, istius miles inopia defetiscat? Et tamen revera fœdus cum Electore in causa fuisse, ut multi adversas partes amplecti non ausi sint. Num credant, hoc modo fœdera servari; aut se absque fœderatorum ope hoc bellum confecturos? Super Electore quoque Saxoniæ scrupulum movebant, eum quoque partem prædæ petiturum, si onera simul ferenda sint; frustra regerente Crocovio; id satis lucri esse, quod ejus ditio a Suecorum irruptione servata fuerit. Nam Cæsarem non potuisse defugere, quo minus isti immunitatem ab hospitiis promitteret. Quid enim futurum fuisse, si Saxo cum omnibus ejus domus Principibus, cum Bavaro, cum Suecis, & Franconicis præsentia onera ægre tolerantibus, cum Hanoverano se jungeret? Genium ejus Principis & aulæ cognitum esse. Postulare hunc, ut eodem modo, quo prioribus temporibus, sui ratio habeatur, & altiores quam pro captu rerum suarum spiritus gerere; inprimis æmulatione in domum Brandenburgicam agitari; eoque extrema potius tentaturum, quam Electoris copiis ulla apud se hospitia concedat. Denique

nique & infinitæ super hospitiis querelæ tunc Cæsaris patientiam plane consumserant. Inter ejus ministros quoque magna confusio erat, & odiosa negotiorum unus in alterum rejiciebat. Quando Crocovius minabatur; ni gratum responsum detur, Electori alia consilia esse capessenda, exclamabant; pacem ergo quibuscunque conditionibus faciendam. Ad extremum tamen Electori assignabatur ditio Magdeburgica, Anhaltina, Mansfeldensis, Schwartzburgica, Ruthenica, & Cassellana. Montecuculo quoque scribebatur, ut legiones, quæ in Saxonicorum Ducum terris hærebant, alio deduceret; tunc & istas Electori concedendas. Sed cum Crocovius exciperet; Anhaltinam, Mansfeldicam, & Schwartzburgicam Hanoverano jam assignata, reponebatur; a Cæsare id pactum ignorari. Qui ea hospitia dederint, eadem præstarent. Ac eo ægrius id pactum eundem ferre, quod intellexerit, Hanoveranum cum Gallo quoque super medio statu convenisse, eoque nomine subsidia sibi stipulatum; quæ pestilens, atque improba juris fœderum sit cauponatio. Ad quod regerebatur: Windischgræcium Duci antea plura obtulisse, quam ipso pacto contineantur; ac Monasteriensem jactasse; sibi mandata a Cæsare esse, Duci talia annuere. Adjiciebantur demum Electori Saxonicorum Ducum ditiones, excepta Coburgica, Hennebergica, & Isenacensi. Cupiebat quoque Elector ditiones fratrum Saxonicorum addi; quo postulato tamen hactenus desistebatur, ut hospitia certa pecuniæ summa redimerentur, quod Saxo id vi se prohibiturum ostenderet. Id quod cum circa Magdeburgicam quoque provinciam postularet Administrator, Saxo abnuebat, nec ad id se teneri. Sane is Princeps Magdeburgi Administrator alias quoque parum pronum se in Electorem ostenderat; qui præter alia non neminem Londinum miserat, futuris tractatibus Regi Angliæ prætensionem ipsius in Electorem, octingenties mille uncialium commendaturum, quantum hic ex Magdeburgica ditione exegisse, aut transeundo damni dedisse arguebatur; qui missus in comitatu legati Suecici agebat. Sed & ex eo Saxonis in Electorem iniquitas pellucebat, quod copiæ, quas is auxilio miserat, hostili modo per Marchiam grassarentur, nec alimentis contenti tributa incendiaria extorquerent, & qua transibant omnia diriperent.

Cum Polonis ambigue agitur. 9. Jan.

§. 58. Inter ista ambiguo cum Polonia statu agebatur, quod Sueci, Gallique Poloniæ Regem in Electorem concitatum irent, quem tamen rationes Reipublicæ ad pacem cum hoc colendam invitabant. Ne igitur quid mali ea parte erumperet, Joachimus Scultetus ad Magnum Cancellarium Lessinium mittebatur, ut is Gallorum, & Suecorum machinationibus obsisteret. Id quod hic prolixe promittebat, ac Polonos ab oblato per istos fœdere abhorrere confirmabat. Nec tamen vicissim esse, quod Elector Polonorum auxilio confidat, præsertim quamdiu Sueci nil in Borussiam tentarint. Alias observabat Scultetus, Polonos, etsi bello Turcico defungi cuperent, Regi, tamen nimios contra Turcam successus haut optare, præsertim cum hic magis quam quispiam antecessorum exercitum sibi obnoxium haberet. Simul fama erat, Gallos apud Reginam, quæ hectica laborare cœperat, instare, ut viva adhuc a Rege stipuletur, ne post ipsius fata aliam, quam Neoburgici filiam, ducat, cui Rex Galliæ in dotem millionem librarum daturus sit; quo Austriacis omnis spes de vidua Regina adimeretur, eoque horum factio eo citius expiraret. Paulo post intellectum, Andream Lilliehœckium legatum Suecicum Gedani apud Bakovium Pomerelliæ Palatinum inter alia de Electoris inconstantia, & variis mutationibus multa questum. *Sed jam Suecos occasionem nactos eum firmiter stringendi, nec prius cum exercitu ejus provincia egressuros, quam super constanti ejusdem consilio sibi cautum sit. Ac si miles in Marchia non amplius inveniat, unde victitet, in Borussiam iturum. Nam quia Poloni concesso summo imperio juri suo in eum Ducatum renuntiasse videantur, Suecis operam dandam, ut iterum pedem in Borussia figant.* Ista ut Lessinio communicarentur, simul inhibendis Suecorum in Borussia, & Polonia delectibus, Scultetus denuo ad hunc ablegabatur. Cui Lessinius respondebat: *Eam rem sibi non parum cordi esse; ac solicite a se ad Proceres scribi, ut hisce consiliis obstent, ac omni modo Suecis in Borussiam irrupturis se opponant; præsertim cum sedes belli facile in Poloniam devolvi possit, si transitu Suecis concesso Elector quoque eundem sibi sumat, & hostem suum ubicunque invenerit persequatur. Sed Senatores id negotium frigide accipere. Apud Nobilitatem parum studii in Electorem, ingentem belli Suecici metum esse e superiorum temporum memoria. Eos tanto belli tædio captos, ut cum Turca vel summo cum Reip. dedecore depacisci cupiant: ac plerosque præsentia tantum respicere, futurorum incuriosos. Quod si Suecis per minas, & asperas literas aditus per Poloniam in Borussiam intercludi queat, nil periculi fore. Ast si Suecis per vim transitus probibendus sit, se metuere, ne hi prius sub Regiomonte consistant, quam Nobilitas a Rege evocata uspiam se commoverit. Alias Suecorum destinata sibi non incognita. Inbiare eos omnibus portubus ad Mare Balticum; ac legatum imperitos rerum Polonos blandimentis lactare; modo Sueci portubus Borussiæ potiantur, eos libenter concessuros, ut reliqua provincia corpori Poloniæ inseratur. Id quod tamen non magis cordi ipsis sit, quam Pomeraniam, aut Bremam deserere.* Idem Lessinius super præsenti Electoris statu, ac fœderibus, quibus implicetur, disserebat, optabatque id negotium longius tendens feliciter ad exitum esse perductum. *Fœderatos istius sibi haut nimium probari. Cæsari quidem sinceram esse intentionem; sed quæ ministris mens sit, sibi haut constare. Mirum videri, quod ob idem delictum, ob quod Lobcovicius aula dimotus fuerit, alii, qui post rebus tractandis admoti sint, in eandem suspicionem vocentur. Belgas mercatores esse, queis diuturna commerciorum oppressio, & sumtuum magnitudo dudum*

Febr.

belli

1675. *belli tædium attulerint; ac forte inter ipsos diffi-*
dium oriri posse. Equidem se de Arausionensis
constanti in Electorem fide non dubitare. Sed si
mercatores crumenam claudant, necessum ei fore
ludo se subtrahere; & tunc Electorem summa cum
molestia ad tractandum compulsum iri. Danum.
& Moscos multum ad rem facere posse. Sed i-
stum adhuc tergiversari; hos nativa indole dece-
ptores, & callidos juxta, malitiososque esse, qui
fere apud hostes juxta, ac amicos peculiare lucrum
sibi captent. Sane eosdem hucusque copias contra
Turcam jungere nolle, ac Regi juxta, Reique pu-
blicæ illudere, ut in turbido piscentur. Igitur E-
lectori probe considerandum, num de constantia fœ-
deratorum ad finem usque belli cautum ipsi sit.
Se quidem pro antiqua fide, qua Electori semper
addictus fuerit, suadere, ut si occasio alluceat, qua is
honeste bello se subducere queat, eam haut omittat.

§. 59. Porro haut omittebat Lilliehœcki-
Suecorum Gedani machinationes. us Gedani Senatum ac cives inter se commit-
tere; jactans tantum instar in hac urbe esse,
ut ex ea Belgæ ad modestiam redigi, Elector
subrui, ac Dano jugulum premi possit. Idem-
15. Mart. que civibus confirmabat, nil periculi subesse;
ne tributi quid conferrent, unde Senatus ar-
ma parare possit. Turbarum istarum Geda-
nensium fax & tuba erat Ægidius Strauchius
Theologus, cui amovendo Elector efficiebat,
ut Hamburgum vocaretur. Quo cum iste ma-
ri tenderet, ab excursoribus maritimis inter-
ceptus, ac Custrini aliquamdiu detentus fuit
ad evaporandam libidinem circa negotia non
suæ professionis satagendi, donec facta pace,
cum non amplius nocendi facultas esset, di-
mitteretur. Cæterum tunc Gallica factio in
Polonia spargere non dubitabat; Regis ac Reip.
emolumento cessurum, si Sueci Ducalem Bo-
russiam, & Gedanum in potestatem redegerint,
quod his portus tantum retinere animus sit, o-
mnibus redit bus in Polonos transcriptis: etsi
fatuos non invenirent, qui talia crederent. Ea-
dem factio & omni studio id agebat, ut Ele-
ctor e Polonia distraheretur. Sed cum multi
alii, tum Pacii, magnæ in Lithuania autorita-
tis, qui Electori studebant, pollicebantur, se
fœdus cum Suecis omni ope impedituros. Ac
eo minus istæ machinationes succedebant,
quod Rex toto eo anno in expeditione ageret,
exteris legatis accessu ad se negato; nisi quod
Gallicus Reginam se tanquam privatum asse-
ctari diceret. Haut omittebant tamen Galli
per Jesuitas machinari, ut provinciales Borus-
siæ ab Electore averterent, quo sub Poloniæ di-
tionem redire laborarent. Iidem & pacem Po-
loniæ cum Turca conciliare studebant, ut eum
Regem dein in Cæsarem immitterent. Et Aka-
kia, aliique emissarii turbas in Hungaria fove-
bant; quod negotium & Bethunius in Gallia a-
gebat. Viennæ tamen judicabant, eas Gallo-
rum in Polonia machinationes exiguum pon-
dus habituras, quod patriæ amantes cives id
haut concessuri sint; & quia Proceres Gallis per
munera innexi facile effugia inventuri sint pro-
missis sese exsolvendi, & pro accepta pecunia
nihil præstandi.

§. 60. Ast post prælium ad Fehrberlinum 1675.
Lilliehœckius insidiosas literas ad Regimen *Legati*
Borussiæ scribebat hoc argumento: *Quanquam* *Suecici*
dissensio inter Regem Sueciæ, & Electorem super *ad regi-*
genuino sensu, & eidem superstructa observatione *men*
pacis Westphalicæ, quam Rex tamen amice compo- *Borussi-*
nere voluerit, eousque eruperit, prout omnibus *cum li-*
notum sit: Regi tamen adhuc animum persistere *teræ.*
cum Electore æquissimis conditionibus, si modo hic *20. Jul.*
vus repudiare non pergat, transigere, ac sinceram
amicitiam cum eodem instaurare. Nec minus Re-
gem Regimini, ac toti Borussiæ affectu, ac studio ad-
dictum manere impulsu amoris, quo ipse Evange-
lica sacra, quæ & Borussi amplectantur, profitea-
tur; & quia studium amicitiæ cum Polonia co-
lendæ ad Borussiam quoque tanquam ejus Reip.
feudum porrigatur. Igitur Regem non solum Bo-
russiæ, sed & aliis partibus a Polonia pendentibus,
Lauenburgo, Butoviæ, & Draheimo pepercisse.
Quo fine & literarum commercia cum Duce Croy-
ano, & Regimine Borussico a se offerri. Simul
dissuaderi, ne Electori copias e Borussia submittant,
velut ansam benevolentiam regiam erga ipsos im-
minuendi; & ne indultus hactenus pacatus Bo-
russiæ status in turbidum mutetur præter Regis
Poloniæ mentem, amicitiæ cum Suecia colendæ pro-
nam, cujus autoritatem Borussia merito sequi de-
beat. Sane Regem Sueciæ ad defensionem suarum
provinciarum, ac in ultionem rejectæ ab Electore
amicæ compositionis, datique damni Borussiam in-
vadere posse, ac eodem jure contra hanc uti, quo
olim Elector Pomeraniam Suecicam ferro flamma-
que vastavit, nil mali de Polonia, & Electore me-
ritam, nisi quod Carolus Gustavus Rex ex eadem
exercitum in Poloniam adduxerit. Ne igitur &
ipsi missis Electori copiis pacem his in oris turba-
ret. Ad eas literas Elector hunc in modum
responderi jussit: *Benevolentiam Svecorum erga*
Poloniam, & Borussiam e superiore bello adhuc sa-
tis notam esse. Quantus apud eosdem respectus
sit erga religionem Evangelicam, satis elucere e
nuper actis per ipsos in Marchia, & Pomerania,
ubi ipsos concionatores Lutheranos admotis circa ca-
put funibus torserint, ut quicquid miseris peciniolæ
restaret, depromerent; ædes sacras diripuerint, ac
modis dictu fœdis polluerint. Sane nihil minus
quam religionem iisdem cordi esse, soli avaritiæ, ac
fines proferendi libidine litantibus. Cæterum quia
olim Elector, cum Polonia, & Borussia a Suecis inva-
deretur, copias suas e Marchia, & Pomerania ad i-
starum defensionem adduxerit; igitur Borussos &
jure subjectionis, & grati animi officio obstringi, ut
vicissim omnes vires ad tuendas Electoris provincias
Germanicas conferant. Ejus Lilliehœckii fa- *16. Jun.*
mulos cum suppellectile Stetino Gedanum
tendentes absque literis tuti itineris Bodo
Slibius in Pomerania detinuerat. Id quod
contra jus gentium haut factum videbatur,
quod iste ab hoste missus esset non ad Electo-
rem, ac ejus comitatus per hujus ditionem
non impetrata venia, nec prævia denuntiatio-
ne transiret, dissimulato etiam domino, & ad
Nobilem quempiam Polonum se spectare
professus. De ejus viri machinationibus
Elector ad Regem Poloniæ scribebat, petens,
ne

1675. ne ei aurem præbeat, ipsos inter se committere laboranti, nec tam multi fingenti credat; puta, quod a se veniam petierit ipsius terras transeundi, idque recusatum fuerit; quorum utrumque falsum sit. Detentos tamen homines, & suppellectilem post iterum dimissam, exprobratione addita, quare hostilis legatus per hostis terras transiturus diplomate sibi cavere neglexerit, uti Ehrensteinius, & Benedictus Oxenstierna fecerint? Idem post cum diu Ge-
6. Nov. dani dissensionem inter Senatum, & cives fovisset, Warsaviam se conferebat cudendo fœderi inter Sueciam, & Poloniam super invadenda Borussia. Unde Elector ad Cæsarem, Hispanum, & Belgas scribebat, ut Polonum talia suscipere dehortarentur. Quod Cæsar curæ sibi fore confirmabat; haut tamen judicare, Remp. in ejusmodi fœdus consensurum.
24. Dec. Elector quoque Joachimum Scultetum ad Lessinium Cancellarium mittebat, Crocoviam ad coronationem Regis iturum, ut de suo in Regem, & Remp. studio testaretur, simul fœdus impediret, quod Akakia, & Lilliehœckius meditabantur. Lessinius pollicebatur, se id omni ope dissuasurum, quod bello Turcico fatigata Resp. ob mutuam eo fœdere obligationem intolerabile sibi onus conciliatura sit, & vicinorum irruptione nunquam tuta futura. Nam sua, & plerorumque patriæ amantium civium consilia eo tendere, ut pacta cum omnibus vicinis serventur. Ac si maxime pax cum Turca fiat, Resp. se bello Germanico haut misceat, sed neutri se parti addicat, nulla in Cæsarem, aut Gallum offensa. Conductas ab Electore duas equitum turmas in Majore Polonia sinistre accipi, quod ipsa Resp. eo milite contra Turcam indigeret, ac Gallum, Suecumque forte turbandi ansam inde arrepturum. Parum quoque Electori profuturos istos homines, a quibus facile prodi, ac deseri queat, ac ni par licentia indulgeatur, qua in Polonia agant, facile ex amicis hostes evasuros. Regem quoque insultationis instar habere, quod dum ipse vitam pro libertate patriæ exponit, isti se destituto alienam militiam sequantur. Ad quæ Scultetus reponebat: Electorem nunquam vasallis suis interdixisse, quo minus etiam præsente bello Germanico Polonis militent. A Suecis quoque milites in Polonia conductos, ut quod uni licet, alteri quoque licere debeat. Cæterum cum Poloni a fœdere, quod Lilliehœckius quæsierat, abhorrerent, hic demum in id unice incumbebat, ut Poloni conniverent, si per Gallicas, aut Suecicas naves miles Suecicus in Borussia idoneo loco exponatur; quod Sueci bellum a Pomerania omni studio in Borussiam transferre cuperent.

Ad Moscum legatio. §. 61. Demum quia bello contra Suecos Moscus ingens momentum adferre poterat, Elector Czari Svinfurto de statu suo, & Germaniæ scripserat, cui hic respondit: eum se ægerrime tulisse, ac Sueco ista ausa per literas acerrime exprobrasse. Post idem Joachimum Scultetum ad Czarem mittebat, ut ei prolixius acta sua adprobaret, Suecorumque sinistra instituta, ac præsentem debilitatem demonstraret, eumque ad hosce invadendos incitaret. *1675.* Is cum Moscoviam pervenisset, reperit certum ibi hominem agere, qui fictas relationes Holmia, aut Riga transmissas disseminaret: prout & nuper de adverso Electoris ad Fehrberlinum prælio sparsum fuerat, in quo sex nostrorum millia cæsa, & ipse Elector in palude hærens confossus fingebatur. Quibus fabulis Mosci turbati ablegatum detinebant, antequam solenniter audiretur. Cæterum cum quæ jussus erat Scultetus exposuisset, Czar quidem Suecorum acta valde improbabat: sed cum Suecia æternam pacem nuper firmatam abrumpere nefas esse. *18. Aug.* Ac cupere se quidem cum Cæsare, & omnibus Imperii Principibus fœdus inire contra Turcam, sed non contra Principem Christianum; id quod & legato Suecico idem affectanti responsum fuerit. Sed ejus rei causam hanc reddebat Artemon Sergevicius; *Sergewitz.* quod ipsi Germanorum Principum rationes, & quomodo invicem implicentur non intelligant, queis dicto citius inter se convenire possit. Unde sibi haut tutum esse illorum litibus se miscere. Exitium Poloniæ Moscis parum cordi erat, naturali odio ambarum nationum, & quia credebant Turcis se pares fore, si maxime hi aliquam Poloniæ partem subegissent; simul quia spes erat prævalentibus iisdem Lithuanos Czaris protectionem amplexuros. In congressu cum delegatis Scultetus prolixe referebat, quid cum Electore actum sit, & uti Sueci vapularint, iisque bellum a fœderatis indictum sit. Igitur & Czar occasionem arriperet, exortas quondam provincias recuperandi, ac in Livoniam irrumperet. Suecis non esse pecuniam nisi a Gallo, qui jam exhaustus sit. Ac in proclivi fore ingens operæ pretium facere. Ubi tam pulcra occasio amittatur pœnitentiam subituram. Artemon reponebat: Czarem Suecorum in Electoris terras invasionem ægerrime ferre, quod æterna cum Suecis pace cautum sit, ne alteruter alicui Principi bellum inferat, nisi prius re cum altero communicata. Id quod cum Sueci non servarint, Czari sat causæ esse, ut istud in vicem abruptæ pacis habeat. Unde & Chowanscium jam jussum copias ad *Chowanski.* Livoniæ fines contrahere; id quod sine dubio Suecis scrupulum injecturum sit. Ante biennium quoque legatum Suecicum fœdus offensivum, ac defensivum petiisse adversus quoscunque, excepto Turca: id quod Czar recusaverit, velut cui cum omnibus Principibus Christianis, ac præcipue cum Electore, amicitia constet. Id legatum tunc probare visum, ac Regem Sueciæ valde gavisurum, Czari cum Principe tam arcte sibi innexo bene convenire. Cum etiam idem legatus interrogasset, num pax Suecos inter, & Moscos perpetuo sit servanda, ei responsum; quamdiu Sueci velint, nec contra eam quid faciant. Quamprimum itaque Elector Czari de Suecorum irruptione significarit, hunc Sueco scripsisse, talibus cœptis desisteret, ac Electoris terras omitteret, quo æternæ paci sua firmitas constet;

1675. constet; ad quas literas nondum Holmia responsum allatum sit. Circa Poloniam dicebat Artemon; Czarem non solum ad omnes Christianos Principes scripsisse, ut posito inter se bello Poloniæ contra Turcam succurrant, sed & huic decem militum millia auxilio misisse. Enimvero ne Lithuanicum quidem exercitum Polonico se junxisse; ac Poloniæ Regem eo loco bellum gerere, ubi hominibus, & jumentis fame sit pereundum. Et cum Czar Regem eo nomine moneret, hunc respondisse; penes Czarem non esse sibi præscribere, ubi, & quomodo in sua ditione bellum gerere debeat. Unde Czari non amplius curæ esse, quid Poloniæ fiat. Aderat tunc & a Daniæ Rege legatus fœdus cum Czare quærens ad Livoniam Suecis eripiendam. Super quo Sculteus nihil in mandatis habebat; nec perspiciebat, quid emolumenti inde in Electorem redundaturum esset. Si tamen id a Czare obtineri queat, & Electoris rationibus congruat, forte & hunc eidem accessurum. Sed id sociata opera Mosco ingerendum, quantopere ipsius Imperio profuturum sit Careliam, & Ingriam recuperasse; ac jam Suecos tam multiplici bello distringi, ut forte integro seculo par occasio nascitura non sit. Cæterum Moscis haut placebat cum Suecis pacem abrumpere, quod in Polonos ipsis respiciendum esset, ne hi forte subita cum Turcis pace inita in Moscoviam arma verterent. Nec adhuc memoria cladis ad Rigam exciderat, ob quam parum abfuerat, quin universus populus seditionem indueret. In sinu tamen gavisuri erant, si Sueci non superfunctorie multarentur. Sed nec Moscis in animo erat Polonos auxilio sublevare, quos malebant sub onere luctantes fatigari, ut ad æternam pacem ineundam, multasque terras cedendas compellerentur. Ac peculiari odio Regem Joannem prosequebantur. Interim Moscus declarationem differebat, quoad responsum ad literas suas e Suecia adferretur, de quo Electori communicaturus sit. Cum Danicus minister Gozus irruptionem in Livoniam urgeret, Artemon respondit: mirari se, talia a Czare postulari, cum tamen reliqui fœderati nondum se cum Electore conjunxerint, ac commodissimum tempus in campo rem gerendi frustra elabi passi sint. Videri ipsis fœderatis parum convenire circa rem suscipiendum. Præterea non semper manibus, & oculis, sed & ratione ac providentia utendum. Idem minister Danicus super communi quoque fœdere contra Turcas movebat; id quod Electori supervacuum erat, quod bello in Turcas per Imperium decreto ipse jam pro rata teneretur. Ast Cæsareus legatus Franciscus Hannibal Bottonius proponebat; quia Czar totiens apud Cæsarem super arctiore vinculo ineundo testatus sit, se magis ad audiendum, quam loquendum venisse, nec de communi aliquo fœdere in mandatis habere. Ac videbatur is præcipue venisse, ut pacem inter Polonos, & Turcas observaret, quo Cæsar in omnem eventum Moscos sibi addictos haberet. Eidem super invadendis Suecis momenti Artemon reponebat: Czarem non prius mentem suam declaraturum, quam nuntius e Suecica redierit, ac facies rerum probe expensa fuerit. Nam haut leve esse, æternam pacem abrumpere, & anceps bellum suscipere. Esse Czari tenerum conscientiæ sensum, nec ab eo gladium prius stringi, quam legitima causa subegerit. Prius respiciendum, quomodo bellum in Germania successurum, ac num forte fœderati mox pacem sint facturi. Nondum sanguinem Christianum ad Rigam effusum satis expiatum. Interim exercitum ad Livoniæ fines contractum ad suspicionem Suecis injiciendam, ne hi copias e Livonia in Pomeraniam trajicere audeant. Gozus residens Danicus cum offensa e Moscovia exesse jubebatur, quod multa circa cerimonias novare vellet, & inter alia, ut prior sibi locus præ Sculteto in spectanda quadam pompa tribueretur; cum hic ablegati, iste residentis tantum dignatione esset. Nec enim Czarem ferre posse, ab exteris in suo regno sibi quid præscribi. Demum Czar responso suo circa Suecicum negotium sat frigide tangebat, velut in neutram partem inclinaret. De quo cum Scultetus quereretur, Artemon reponebat: *Electorem de Czaris amicitia securum esse debere. Se quoque satis nosse, quantum fidei responsoriis Sueci literis adhibendum sit, quæ Electori culpam turbarum impingant. Sed quia Czar judex non sit, nil aliud superesse, quam ut Electori de Sueci responso significetur. Ex omnibus autem indiciis adparere, Suecos Electori injuriam fecisse. Ideo tamen Czari idoneam causam non esse abrumpendæ æternæ cum Suecis paci. Nec ejus rationibus congruum esse tantopere in arma properare, sed condicto in Decembrem mensem congressu Suecis prius bellum, & pacem propositurum. Interea in Electoris, & fœderatorum gratiam exercitum in limite Livoniæ ostensurum, ne Sueci copias in Livonia conscriptas in Pomeraniam trajicere audeant. Id quod præclarum amicitiæ documentum sit; nec plus a se desiderari posse.* Cæsareo ablegato responsum: Uti Cæsari in præsens fœdus contra Turcam, ita Czari contra Principem Christianum haut placere. Sed ubi legitima causa ad arma vocet, de felici successu dubitandum non esse. Cæterum initio cum Scultetus, & Bottonius Moscoviam venissent, Mosci a bello Suecis inferendo haut abhorrere videbantur. Sed postquam Holmiam missus revertisset, ea libido plane decedebat. Nam Magnus Gardius isti misso in convivio demonstrarat: *Se facile divinare posse, quid in præsens Cæsaris, Dani, ac Electoris legati in aula Czaris quærant. Sed si historias evolvat, se non reperire, a tribus hisce Czaris majoribus vel unicum militem auxilio missum. Ast Suecos olim occupata Livonia Moscis per Polonos admodum pressis respirandi facultatem præbuisse. Quæ re probe perpensa spem esse, Czarem haut temere Suecis bellum illaturum, in quo a fœderatis solus destituendus sit. Ac posse Suecos deinceps quoque Moscis utilem operam navare.* Ista Moscis ita arriserunt, ut omnes Bojari decernerent, pacem cum Suecis haut abrumpendam; ac Czar palam pronuntiarat, 1675.

Bottoni.

1675. rat, Gardium vera dixisse. A Cæsare jam antea se in Suecos incitatum. Sed ad Rigam neminem adparuisse, qui suppetias ferret. Simul placebat, omnes legatos dimittere, ne Suecis suspicio injiciatur; nec in responso hisce dando quid ponere, quod Suecos offendere queat. Potius ad Polonos sibi respiciendum, qui si repente pace cum Turcis inita in ipsos Suecico bello implicitos arma verterint, duplici se bello obruendos. Nam male sibi conscii erant Mosci, quod Polonis nihil eorum servassent, quæ pactis promiserant. Suberat & alia causa, quod Bojari haut longam vitam Czari ominarentur, incommoda valetudine utenti. Igitur externo bello misceri nolebant, quod ob multa onera, quæ inscio Czare populo imposuerant, rebellionem metuerent; eoque exercitum domi in promtu habere volebant. Ita languido cum responso Scultetus domum dimissus est. ...9. Oct.

...per ...elimi- ...ribus ...cus Ne- ...magen- ...acta. ...e seque- ...ribus.

§. 62. Inter istos armorum successus nondum liquida pacis spes allubescebat. Post separatam cum Belgis pacem Angliæ Rex sequestrem se partibus obtulerat; cui officio Veneti quoque paratos se ostendebant; quos una cum Anglo admitti Cæsar vehementer cupiebat. Sed Belgæ publico expediri judicabant, ut Veneti misso eo officio omnia integra retinerent, quod bellum brevi in Italiam transferendum videretur: quo casu eam Remp. bonis partibus ingens momentum adferre posse. Anglus autem uti solus id officium obire malebat; ita & idem Electori placebat, qui de ejus Regis æquanimitate multa sibi promittebat. Si tamen reliquis fœderatis diversum videretur, ipse contradicturus non erat. Contra Gallus Suecos etiam post irruptionem in Electoris terras sequestres retinere cupiebat; cui postulato Elector manibus, pedibusque renitebatur; quos & mox omnes fœderati abdicavere. Angliæ Regis officium Hispani nomine Baro Bergeickius acceptabat ea lege, ut is se obligaret hoc bello neutras partes sequi; & Pontificem in partem officii admitteret. Quorum utrumque Belgæ improbabant. Nam a Pontifice nil æqui sibi sperandum; ac fieri posse, ut Parlamentum arma in Gallum stringi suadeat. Nec verosimile esse, Anglum denuo arma cum Gallo contra fœderatos sociaturum. Sane jam Parlamentum postulabat, ut Rex Anglos Gallo militantes, revocaret. Id enim facere ad accuratam status medii observationem, sequestri decoram; nec consultum esse suo milite bellum ali. Sed Rex id existimationi suæ repugnare causabatur. Prohibiturum tamen, ne quis amplius in Galliam militatum abeat. Parlamentum se pronum erogandis pecuniis ostendebat, si Rex bellum Gallo indicere vellet. Nec prætextum deerat, quod Gallus excursoribus suis maritimis, & aliis navibus interdixisset, ne in freto Galliæ, & Angliæ interjecto Anglicas naves velis demissis salutarent. Sed Rex Gallico favore penitus imbutus Parlamentum, ne longius tenderet, dissolvebat.

Mart.

1675. De loco tractatuum.

§. 63. Super loco quo tractatio pacis susciperetur, multa fuit disceptatio. Sueci dum adhuc sequestres agerent, ac Austriaci aliquot insignes urbes Germaniæ Francofurtum, Hamburgum, ac Argentoratum designabant. Sed quæ omnes a Gallo rejiciebantur, qui nuspiam se legatos missurum ferebat, ubi aliquis in Cæsarem respectus sit, abs quo nullam sibi securitatem promittere possit, semel temerato Coloniæ jure gentium. Ac contra Bredam a se probari ostendebat; quin malle in quovis Belgii loco tractare, excepta Frisia, & Groninga velut nimium a Gallia remotis, optione penes Belgas relicta. Ab his Meursam propositam ideo Gallus abnuebat, quod ad Imperii ditionem pertineret. Sed causa, quare Belgicam urbem expeterent Galli erat, ut Belgarum sibi favorem aucuparentur, ac clandestina cum multis Hollandiæ civitatibus, ac hominibus sibi addictis commercia alerent, Belgis in fraudem fœderatorum ad peculiarem pacem permovendis. Londinum displicebat, velut nimis remotum, & ubi literarum commercia ab incertis ventorum pendebant. Demum ab Anglo Neomagus commendabatur. Circa quam urbem Hispanus scrupulum movebat, quod Pontificis legato tanquam sequestri liberum Romani ritus exercitium ibi futurum haut sit; Beuningio Belgarum in Anglia legato vehementer indignante, quod Hispani, quorum res maxime agebatur, ita languide rem gererent, & haut eo minus pacem præ aliis sufflaminatum irent; cum contra Belgas bello extracto nil lucri maneat, quos ob fœderatorum rationes se pessumdare haut par sit. Unde Elector Clivos offerebat, ubi trium religionum ritus publici exerceantur; qui locus Hispanis probabatur, nec Belgæ abnuebant. Sed Anglus repugnabat, quod Gallus ideo urbem Reformatis sacris addictam acceptasset, ut officium Pontificis excluderet. Oppidum quoque pro tanto cœtu haut satis amplum: & Gallum in universum omnia ad Imperium spectantia loca rejecisse, ac peculiariter oppidum Electoris aversari, in quem maxime ex omnibus fœderatis sit irritatus. Eundem quoque ideo Neomagum probasse, ut Belgarum plebi diffidentiam erga fœderatos inderet, velut ipsius animus non adeo Belgis aversus foret, ac bellum per solos fœderatos aleretur. Ita consensu Neomagus probata. Haut eo minus postulabat Elector, ut Cliviæ provinciæ neuter status indulgeretur ob viciniam, & quia legatis pleraque ad victum necessaria inde petenda forent. Conventrius Beuningio proponebat, ut tractatio duobus locis susciperetur, in Germania negotiis Imperii, Neomagi aliorum fœderatorum expediendis. Id quod a Beuningio abrupte rejectum; fœderatos utique conjunctim, & uno loco tractaturos, nec divelli se passuros.

Circa Wilhelmum Furstenbergium difficultas

§. 64. Cæterum Gallus Anglo declararat, se in Neomagum consentire ea lege, ut prius cum Sueco suo fœderato communicare, & circa id consilia conferre velit; tum ut Wilhelmus Furstenbergius prius, quam legati ad eum locum acce-

accedant, libertati restituatur, eo cum temperamento, ut tantisper in manus Pontificis tanquam neutri partium addicti Romæ deponatur, post conclusam pacem pleno libertatis usu gavisurus: tum ut pecunia Coloniæ ablata reddatur. Id quod Anglus per Wilhelmum Templium Belgis significabat, rogans, apud Cæsarem operam dent, ut is hoc temperamentum admittat. Ex ea conditione, & quia Gallus magna vi arma parabat, pacis spes in longum elidebatur. Ac reponebant Anglo Belgæ: *Valde sibi dolere, istum hominem adhuc in prætextum adhiberi remorandæ paci, quam tamen Galliæ Rex tantopere sibi cordi esse testetur. Sibi religioni esse super isto apud Cæsarem movere, velut qui fax & turba fuerit omnium malorum, queis orbis Christianus adhuc conflictetur, ac maximo studio præsens bellum excitarit, ut ipsorum Remp. & sacra Reformata everteret; quo instituto is maximam suæ gloriæ partem absolvi judicet. Unde & eundem Coloniæ, quo tempore adhuc destinata sua successura sperabat, apud legatum Belgicum jactasse; se quindecim per annos desudasse, ut Resp. in eam, qua nunc mergatur, calamitatem conjiceretur. Unde Regi in promtu esse judicare, quam molestum sit se nunc invitari, ut ad acerrimum Reipublicæ, & sacrorum suorum hostem custodia liberandum Cæsarem fatigent; quo idem in antecessum fructu pacis gaudeat, quam ita malitiose turbarit, se interim, ac fœderatis inter calamitates belli ab isto excitati luctantibus. Unde sicuti nihil ad ejus captivitatem contulerint; ita eam rem unice in Cæsaris placitum referre, detinere, an in manus tertii consignare istum velit, fatis habituros, si remora pacis utcunque sublata fuerit. Non posse tamen non se probare conditionem a Cæsare latam, se capto super pace congressu cognitionem istius causæ legatis partium commissurum, & ut de eodem liberando agatur passurum; nec eandem causam paci moram allaturam; simul actionem, quam Cæsar isti velut subdito suo intentare possit, tantisper suspensum iri. Cum itaque Gallus hac Cæsaris declaratione obtinuerit, ut Furstenbergius extra capitis periculum constitutus sit, perinde esse posse, a Cæsare, an ab alio custodiatur. Nec habere Gallum quod amplius desideret, cum nec iste nativitate Galliæ civis sit, nec, quo tempore in custodiam dabatur, a Gallo characterem gesserit: Cæsar contra jus sibi asserat adversus natum subditum, a quo atrocissime læsus sit, agendi; eoque causa hac pacem hautquidquam tangat. Præsertim cum Cæsar jure postulare possit, ut a Gallo vicissim caveatur, isto in alterius manus tradito pacem certo secuturam; aut ea non secuta eundem in Cæsaris manus iterum tradendum. Nec dubium esse, quin iste ampliorem libertatem nactus haut omissurus sit opus suo judicio tam egregium ulterius persequi. Denique si maxime Gallus eo abrepto læsus fuerit reparationem tamen exigi non posse, nisi susceptis tractatibus, sic ut negotium isthoc ad ea pertineat, quæ ibi disceptanda, atque componenda sint.* Ita tunc eo prætexto Gallus pacem extrahebat, quod magnam spem in Suecorum armis jam erumpentibus reposuisset.

§. 65. Proposuerant quoque Sueci, antequam sequestrium munus exuerent, de induciis; sed quas Gallus non nisi ad tempus expeditioni suscipiendæ idoneum admittere volebat. Cæsar autem de iis ipso in conventu agendum censebat, reliquis fœderatis eas plane adspernantibus. Interim quoad armorum successus partium animos flecteret, super futuræ pacis legibus tentamenta hinc inde jactabantur. Et Ruvignius quidem Gallicus in Anglia legatus censuerat, ut Aquisgranensis pax fundamenti loco foret, & Gallus ea, quæ hoc bello ceperit, insuper retineat. Contra fœderati istis rejectis, hæc pacis summa capita æqua judicabant: ut pax Westphalica examussim sarta tacta præstetur: Cæsari, ac læsis Electoribus, & Principibus satisfiat: idonea cautio de servanda deinceps pace præstetur: Hispanus in statum pacis Pyrenææ reponatur: Lotharingus restituatur. Belgæ Trajectum ad Mosam & tractum Transmosanum repetebant, reparationem damni dati remissuri. De quibus conditionibus in Anglia judicabatur, præcipuam difficultatem circa Hispanos fore. Damna Ordinibus Imperii a Gallo data gratis habenda. Æquitatis rationes apud victorem Regem parum valituras. Ac si ista Gallo extorqueri debeant, Hispanis majore studio rem gerendam; qui nunc & ipsi arma languide tractent, nec fœderatis promissa subsidia accurate numerent. De quibus cum Lira adpellaretur, ipse acerrime in socordiam regiminis Hispanici invehebatur. Sed & Angliæ Regem ad pacem Aquisgranensem concurrisse; unde haut decere, ut is super restituenda pace Pyrenæa operam navet. Porro cum ad isthæc Gallus diu nihil reposuisset, Beuningio urgenti Anglus respondebat; id ipsum silentium indicio esse, propositas pacis conditiones Gallo iniquas videri. Et cum Beuningius regereret; toti Europæ noxium futurum, si Gallo plura adcrescant; Rex respondebat: se non credere, Messanam, & Trajectum ad Mosam in Galli manibus mansuras; sed quomodo Burgundiæ Comitatus servari queat, se non dispicere. Demum Gallus verbo declarabat; se pacem Aquisgranensem probare; sed simul retenturum, quæ hoc bello ceperit. Quod Anglo non minus, quam a Belgis proposita, iniquum videbatur. Sed Beuningius censebat; Gallo Burgundiam relinquendam, & contra Belgii Hispanici fines proferendos. Ast super conditionibus pacis in Hispanos, & Gallos, super quibus Anglo, Belgisque præcipue curæ erat, Angliæ Rex per Templium Arausionensi proponebat; utrosque in extrema tendere, quod Gallus præter pace Aquisgranensi parta etiam Burgundiam postulet; ac si quædam loca limitanea restituenda sint, ut ea dato æquivalente pensentur. Hispanos contra non nisi pacem Pyrenæam occinere, ac malle se reliquias Flandriæ per bellum, quam Burgundiam per tractatus amittere; non minus tamen Angliæ, & Unitorum Belgarum interesse, ut Flandriæ securitati alium per limitem, quam qui Aquisgranensi pace constitutus sit, caveatur. Unde Regi id temperamentum placere, ut Gal-

1675. Super conditionibus pacis præludia. *18. Mart.* *4. Jun.* *18. Jun.*

1675. Gallus reddat Athum, Carolo-Regium, & Audenardam pro Aria, & D. Audomari Fano, ac si Burgundia restituenda sit, in ejus locum eidem quid detur. Simul ubi pax in has, aut alias leges fiat, se pro securitate Flandriæ quam efficacissimam pacis præstationem suscepturum. Addebatur, Anglum effecturum, ut si maxime Burgundia Gallo cedat, Principi bona ibi sita salva sint, ni ea Gallo vendere velit. Ad quæ Arausionensis: Sibi quidem ac Reipublicæ suæ gratum fore a Rege avunculo leges pacis definiri. Sed se tot fœderatis implicitos, ut de pace citra istos cogitare nequeant. Hispanos pro Aria, & D. Audomari Fano ampliora expectare; Burgundia, ni extrema necessitas subigat, haut cessuros. Etsi suo judicio Hispani ea provincia Gallo relicta Tornacum, Curtracum, Insulas, & Duacum cum pertinentibus redimere debeant firmando limiti; qui Belgarum, ac suus hoc bello præcipuus sit scopus. Bona sua privata ad pacem nullum momentum adferre; quin volupe sibi fore ea perdere, modo eo pretio Hispani bonam aliquam Flandriæ urbem recuperare possint. Metum super nimiis Austriacorum progressibus præmaturum esse. Sed ubi hi pacis Pyreneæ limites migrent, se non minus studium pro Gallia, quam nunc pro Hispania ostensurum; sed non prius. Ad extremum petere, ut Rex non alibi de pace quam Neomagi proponat; cum id ob multitudinem fœderatorum alio loco commode fieri nequeat: nec se unquam in separatam a fœderatis pacem consensurum. Ea Principis constantia motus Anglus non amplius de peculiari transactione movebat, sed ad promovendum Neomagensem congressum curam intendebat. Inter quæ & jubebat Elector, ut Suerinus Anglo causam suam apud tractatus pacis commendaret. Ob illatam injuriam, ac immensum damnum non pecuniam aut simile quid a se peti, sed ut securitati suarum ditionum prospiciatur, quæ ista natione vicina semper in ancipiti futura sit; id quod tristis experientia, ac tot fœderum violationes, ac malitiosæ invasiones ostendant. Igitur Rex immortali beneficio Brandenburgicam Domum sibi obstringeret, tuta, & constanti pace conciliata; cum alias is exiguum operæ suæ fructum sit capturus, fragili pace facta. Sed Suerinus satius judicabat, in præsens ea de re nihil movere, valde mutata jam rerum facie, & quia tunc de pace fere silebatur. Ac si Galli, & Sueci ista ab Electore quæri animadverterent, omnibus modis ad eadem impedienda incubituri erant.

...unin. ...i anxie- ...r circa ...tem pa- ...m pro- ...a.

§. 66. Cæterum non parum Galli insolentiam firmabat anxium nimis pacis desiderium, quod Beuningius, Belgarum tunc in Anglia legatus, apricabatur. Is magnam sibi spem conceperat de serio Angli in pacem studio, qui & forte Gallo bellum indicturus sit, æquas pacis conditiones adspernandi. Sed reliqui fœderatorum legati de Angli mente alia omnia sentiebant, ac eum sibi facile persuadere, quæ valde cupiat; postquam hoc bello Belgæ nil amplius lucrari, sed multa amittere possint. Ac sane pecuniaria res jamdudum apud Belgas ægre expediebatur, ac miserant hi in Hispaniam demonstratum; necessum esse, ut Hispani subsidia fœderatis solvenda in se suspiciant, fatiscente suo ærario. Sed in Hispania non minor penuria sentiebatur non tam defectu regiorum redituum, quam ministrorum rapacitate, ac prava administratione. Idem Beuningius cum auditum esset, Geldros imperium in se Arausionensi conferre velle, jam anxie pronuntiabat; ni pax maturetur, libertatem domi periclitari; eoque multa Londini super pace satagebat, haut consultis reliquorum fœderatorum legatis. De quo tamen Hispanus queri haut utile ducebat, ne pacem abhorrere videretur; & ista utique in ipsorum notitiam perventura. Sed Suerinus Beuningio, patriæ suæ consultum eunti quicquid de fœderatis fieret, demonstrabat: Electori haut placiturum, eo ipso tempore, quo egregiorum successuum spes allubescat, longe enixius pacem quæri, quam cum Belgarum res longe deteriore conditione essent. Ac satius fore super pacis conditionibus Hagæ disceptari, ubi fœderatorum legati agant mandatis instructi. Ast iste insuper habitis hisce monitis nil nisi pacem ingeminare. Fatuos esse Belgas, si diutius bellum gerant, quod fœderati propria ob emolumenta cum Belgarum dispendio extractum eant. Nec ea sententia dimovebatur, utut regeretur; summam Belgii felicitatem in eo verti, si Gallus, & Sueci in eum statum redigantur, ut ab eorum invasionibus non semper sit metuendum. Nam iste judicabat; post pacem Anglos, & Belgas ita arcte uniendos, ut Gallus facile ad quiescendum compelli queat. Ac videbatur Angliæ Rex Beuningio adstipulari, serioque circa pacem laborare. Nam si Arausionensis hac æstate operæ pretium non faciat, autoritatem ejus in Belgio imminutum iri, magna & fœderatorum, ac sua jactura, velut cui ejus Principis fortuna maxime cordi sit. Ac revera Belgas dudum belli tædio captos, onerum magnitudine, & pressis commerciis. Cæterum circa præliminaria pacis haut facile temperamentum inveniri posse. Nam sibi tanquam sequestri & Cæsaris causam, hominem sibi subditum in potestate habere cupientis, & Galli jus legationis vindicantis probandam esse. Unde utile fore leges pacis inter ipsos expediri, quo in congressu Neomagensi nil præter solennia addi opus sit. Cum tamen Beuningius clam in Anglia satagere non omitteret, Elector de eo Hagæ querebatur. Sed Fagelius confirmabat; Belgas fœdera sancte servaturos, ac optare, ut Elector Pomerania, & pluribus potiatur: & Beuningio secreta negotiatione interdicendum. Idem Beuningius in Hollandiam ad complures civitates, ac quosdam privatos scripserat, ne quid pecuniæ amplius conferrent, quod pacem jam manibus teneant. Id quod Elector Arausionensi, & legato Hispanico demonstrari jubebat. Quid id ægre ferebant; ac si idem liquido probari possit, eum non impune laturum. 1675.

§. 67. Enim-

§. 67. Enimvero cum hactenus Galliæ Rex obnixe postulasset, ut Furstenbergius ante cœptos tractatus in manus tertii traderetur, & Anglus asseverasset, citra hoc nullam congressus, nedum pacis spem esse; vergente anno ruentibus Suecorum rebus, cum hi magis oneri deinceps Galliæ, quam firmamento futuri viderentur, Anglus ad nodum istum solvendum ultro temperamentum proponebat, quo Gallus salva existimatione de isto rigore remittere posset. Ac primo quidem Belgas monebat; apud Cæsarem operam darent, ut inter congressus super præliminaribus pacis in antecessum de Furstenbergii negotio tractetur, ac ut Cæsar inter tractatus pacis processu contra eum supersedeat. Id si Cæsar declaret, se laboraturum, ut Gallus consentiat istum durante pacis tractatione in Cæsaris custodia manere. Sed cum Belgæ Cæsari molesti esse nollent, huc descendebatur, ut Franciscus Furstenbergius Wilhelmi frater declararet; se apud Galliæ Regem intercessurum; ut hic postulato circa fratrem Wilhelmum desistat. Eam rem Anglus per literas Gallo significabat; ad istud Præsulem a se permotum fuisse, quo infelix pacis remora amoveatur. Addebat Rex suas preces precibus Episcopi, ut Gallus istud bono & quieti totius Europæ dare velit, quæ per se ipsum rogare videatur, ut missis legatis conventum promovere velit, cujus successum orbis Christianus tantopere suspiret. Idem quoque ad Wilhelmum literas dabat hoc argumento: *Præsulem fratrem instinctu vere Christiano, & generoso suis precibus adduci se passum, ut non solum ipse super liberatione ejus ante pacis tractatus urgere sit omissurus, sed & preces suas ad Galliæ Regem juncturus, ut circa honoris sui sensum paulisper remittat. Cum autem ipse non dubitet, quin sublato hoc obstaculo tam desiderata orbi Christiano pax promte sit secutura, magnæ gloriæ id fratribus cessurum, si proprias rationes paci promovendæ immolent, ac Gallum, ut in istud consentiat, rogent. Unde sibi consilium fratris Præsulis valde probatum, de Duckero Viennam mittendo, ut ipsum permoveat, ac preces suas precibus fratris apud Gallum jungat tanti operi perficiundo, si forte hæ non suffecerint Regis animo honoris servantissimo expugnando. Tam generoso, & pio facto fratres immensum de orbe Christiano merituros; ac sibi volupe fore, id sibi felicitatis contigisse, ut ad id aliquid conferre licuerit.* Ad ipsum autem Cæsarem ab Anglo scribebatur hunc in sensum: *Non sine summo animi sui dolore tantopere exoptatum, piumque pacis communis opus ad Furstenbergii liberationem hactenus hæsisse. Tandem quod unicum remedium post tot incassum tentata restiterit, se a Præsule Argentoratensi obtinuisse, ut is una secum apud Gallum intercedat, quo hic aliquantum de tuendo honoris studio relaxet, ac missa prævia conditione Wilhelmi Furstenbergii prius in libertatem restituendi Neomagum legatos mittat. Merito a se Cæsari commendandum Præsulis promtum pro bono publico animum, qui circa negotium, tam tenero ipsum sensu tangens, suo petito citra hæsitationem annuerit: nec de successu dubitandum, modo fratrem quoque inducere detur, ut & ipse precibus suis Gallum aggrediatur.* [1675.] *Quo fine Præsulem suo rogatu Duckerum Coloniensem Consiliarium Viennam mittere, ut coram delegatis Cæsareis cum Wilhelmo Principe super eo negotio agat.* Addebatur, quam Christiano plane animo, & qua veneratione erga Cæsareum fastigium Præsul a se proposita amplexus fuerit, & quam singulare ejus studium circa solvendum huncce molestissimum nodum eminuerit. Ipse quoque Argentoratensis Præsul [21. Nov.] ad Electorem Lutetia literas dabat: *Tam Angliæ Regem quam Beuningium sibi institisse, ut permoveri se patiatur ad remoram pacis ex violenta abductione, & adhuc durante detentione sui fratris amovendam. Unde se solo amore patriæ, & insigni pacis studio ductum Anglo aurem præbuisse, & Gallum enixis precibus rogasse, velit debito honoris tuendi studio paulisper desistere, ac propositum temperamentum admittere; utut in suam, fratrisque fraudem tendent. Nam sibi certum esse, potius se, suosque orbis Christiani bono sacrificare, quam permittere, ut hic ipsorum causa vel per horam tantis calamitatibus immersus hæreat. Equidem Galliæ Regem diu precibus suis annuere noluisse, quod ejus existimatio abducto Wilhelmo fratre nimium quantum vulnerata fuerit: tandem tamen subinde repetitis precibus expugnatum cessisse. Hoc specimine totam Europam judicaturam, quantopere sibi salus publica, & promotio tractatuum pacis cordi sit. Ac spem esse, Electorem, aliosque eo incubituros, ut Cæsar devotum huncce ipsi, ac patriæ animum clementer agnoscat, ac fratrem libertate restituat; erga utrumque immeritam suo judicio offensam remittat, ac priorem in conditionem ipsos reponat.* Eas literas multa indignitate, & impudentia refertas Elector Cæsari communicabat, se eas responso haut dignaturum, ac legato suo Hagæ injuncturum, ne isti Præsuli diploma ad tractatus pacis detur, quod ejus causa in foro competente pendeat, nec ad alios Principes spectet.

§. 86. Temperamento isthoc per Anglum proposito Gallus ansam arripiebat legatis suis Vitrio Duci, Alberto Colberto Croissio, & Avauxio Comiti scripto injungendi, ut se Neomagum conferant. Eo scripto Rex magnifice jactabat de facilitate sua circa instaurandos Neomagi pacis tractatus, quos antea violatum in Wilhelmo Furstenbergio jus gentium abruperit. *Cum contra tot populi, qui sub tam cruento bello gemant, non immerito mirentur, a Cæsare in tam inaudita violentia persistente spem pacis ipsis adimi, qui contra moderationi suæ plurimum debituri sint, cui placuerit paci promovendæ temperamenta admittere. Equidem sibi fas fuisse plenam reparationem ejus, quod Coloniæ admissum sit, postulare: Suecorum tamen precibus dedisse, ut is ad pacem usque in manibus tertii consignaretur. Sed cum id Viennæ fuisset rejectum, legatorum profectionem fuisse differendam, ac adversæ partis pervicacia necessitatem sibi impositam eo acrius Furstenbergii protectionem amplectendi, ac pacis tractationem haut tangendi, antequam istum libertati restitutum conspexerit. Enimvero enixum*

[Galli ad propositum tractatum pacis declaratio. 28. Nov.]

Regis

1675. *Regis Angliæ officium, ac preces Præsulis sententiam mutare subegisse. Nam Regem studio, quo circa pacem conciliandam laborat, impulsum, a Præsule petiisse, ut proprias & fratris rationes bono publico Christiani orbis condonet, ac ad se precibus expugnandum incumbat, quo nonnihil de protectione, quam hactenus tanto cum affectu fratribus præstiterit, remittat. Eundem quoque confirmasse, officium se una cum Belgis apud Cæsarem interpositurum, ut hic eum durante tractatu medio cuipiam Principi servandum tradat. Id consilii Præsulem eo minus dubitasse sequi, quo diutius id ipse animo agitarit. Qui & dudum significarit, quanquam infinitis modis ipsi nomine tam enixæ protectionis obstrictus sit; rogare tamen, ut de eo studio nonnihil relaxet. Eandem fratri suo mentem esse, cui summo dolori sit, sui causa negotio moram injici, quod Christianus orbis tantopere desideret. Se tamen tam generosa quantumvis sententia moveri non potuisse, quod per eam Wilhelmi libertas in ancipiti relinqueretur, quoad is preces suas repeteret, fultas officio Regis Angliæ & Belgarum Viennæ præstando, ac per omnia sacra obtestatus sit, ne tantum favoris amplius fratribus exhiberet, ne sibi gloria adimatur victimas sese exorandæ paci publicæ exhibuisse. Igitur se Regis Angliæ, & Præsulis gratiæ dedisse, quod nullus alias respectus extorquere poterat. Sperare vicissim, opera Regis Angliæ, & Belgarum obtentum iri, uti durante pacis tractatione Wilhelmus tertio cuipiam asservandus committatur.* Ea declaratio paulo post alio scripto autoris nomine dissimulato castigata est. Ac Cæsar ansam inde arripuit responso ad Angli literas querendi, per Argentoratensem Præsulem eam declarationem ad complures Principes transmissam; eoque ipso comprobatam; cum tamen referta sit dicteriis inter Principes plane insolitis, & suam existimationem lædentibus; simul per putidam ostentationem ansam arreptam expromendis jactantiæ ampullis, velut sibi ad pacem a Gallo impetrandam captivi supplicis intercessione opus fuerit, aut Cæsareum fastigium eousque depressum sit, ut Furstenbergio pararió indigeat. Ac erubescendum esse Gallo, quasi non alia ratio ipsum ad quietem orbi Christiano concedendam movere potuerit, quam subornatæ preces duorum patriæ proditorum, a quibus pacem Europæ pendere extremum esse in seculi hujus infelicitate. Quos & nunc demum pacis studium jactare improbum sit, postquam tanto studio ad funestum hocce incendium incubuerunt. Se tamen in vicina Neomago legatos missurum, ne qua in se paci mora sit.

De legatorum diplomatibus. §. 69. Interim Angliæ Rex legatos ad conventum Neomagensem nuncupaverat, Berclaium, antea Hiberniæ Proregem; quem tamen senio tardum, & studio in Gallos pronum fœderati parum probabant: tum Wilhelmum Templium, & Lionellum Jenkinum. Ac adparebat, Gallum ad tractatus properare, ac emolumentum suum præcipitata pace quærere. Quæ & Angli sententia erat. Ac Lutetia scribebatur, ibi pacem jam certa spe præcipi. Sane cum Dux Villæ Hermosæ Hispanici Belgii gubernator diplomata pro legatis Gallicis abnueret, caussatus ista Madriti quærenda; Gallus dicebat, se legatos suos mari missurum, eoque nomine navigia in Anglia petebat. Ac mirabantur alii, Hispanos Gallo ansam præbere, ut insidiosam hanc, & suspectam festinationem velut cupidinem pacis vendicare posset. Post invento circa Furstenbergium temperamento ad adornanda diplomata, queis legatorum securitati cavetur, accedebatur. 1675. 9. Nov. Ubi circa formulam a Templio propositam tria desiderabantur: ut libertas pro legatorum scriptis, & chartis in iis perspicue exprimeretur: ut ubi de literis tuti itineris, quas legati cursoribus a se mittendis daturæ erant, mentio fiebat, omitteretur vocabulum *bona* vel *idonea*, velut cavillandi ansam daturum: denique ut omnibus, & singulis legatis plenipotentiariis, & eorum ministris ubique in fœderati Belgii provinciis hinc inde proficisci & commorari permitteretur. Priora duo facile probabantur. Sed tertium plane abnuebant Belgæ, quod præcipua caussa, quare initio Bredam, & quemvis alium in sua ditione locum repudiassent, hæc fuerit, ne Galli & alii occasionem inde arriperent irritatis civibus turbas in Rep. movendi. Unde & multi Belgarum Clivis congressum celebrari maluerant. Hisce vocabulis dispunctis Hagæ placebat ea diplomata adornata Anglo mittere ea lege, ne prius edantur, quam a Gallo vicissim exhibita sint pro Cæsare, Hispano, Dano, Moguntino, Trevirensi, Brandenburgico, Palatino, Belgis, Cellensi, Guelferbytano, & Monasteriensi. Sed & Belgæ ostendebant, petita diplomata pro Argentoratensi Præsule, tanquam Principe Imperii, & socio Galli denegari non posse, utut is hostis Imperii bonis publicatis judicatus sit; cum & olim Monasterii Electoris Palatini legati admissi sint. Sed contradicebant Cæsarei, Danici, & Electorales, quod hujus Præsulis diversissima causa, quam Palatini quondam fuerit. Et cum ejus causa advocato fisci Imperialis commissa sit, sine peculiari Cæsaris consensu ista diplomata annui haut posse. Haut eo secius Belgæ maturando congressui pro eo Præsule diplomata confecerant, ac recipiebant, se fœderatis suis persuasuros, ut eadem annuant: etsi negarent se perspicere, quam ob caussam is conventui interesse velit, qui nunquam Belgis, aut eorum fœderatis bellum indixerit, nec a se quid possideatur, quod istius sit, aut in quod eidem actio competat; ac satis sibi constet, eum e præcipuis fuisse, qui tam calamitosum bellum incenderit, ac summam odiorum acerbitatem in hanc Rempublicam ostenderit.

De invitatione ad congressum pacis causa. §. 70. Circa diem auspicando congressui Beuningius monuerat, ut fœderati super eo inter se convenirent, Regique Angliæ significarent, ut is omnes quorum interfsit, ad eum invitaret. Sed fœderatis satius videbatur diem a pacis sequestre nuncupari; ne ubi a fœderatis ea designatio fieret, nimium id pacis desiderium haberetur, hosti insolentiam additurum. Volebat porro Anglus ad congressum invitationem

facere

1675. facere hoc discrimine, ut Regibus Sueciæ, &
Daniæ, quibus officium sequestris per literas
offerebatur, ista quoque scripto fieret; reliquis,
qui jam ipsum sequestrem acceptaverant, per
proprios ministros indicaretur. Sed Elector
æque ac Reges per literas invitandum se con-
tendebat, nec minus per literas officium Angli
sibi offerendum; utut Templius excusaret, Re-
ges ideo invitatos, quod recens in bellum de-
scendissent. Nam & Regem Daniæ pariter uti
socium, & auxiliarem bello accessisse, ac se in-
ter primarios belligerantes habendum, inter
cujus auxiliarios Cæsareæ quoque copiæ sint.
30. Nov. Unde Rex Angliæ per sollennes literas eodem
verborum honore, atque istis Regibus, offici-
um conciliandæ paci Electori offerebat, ac ut
legatos Neomagum mitteret invitabat simul
pro Galli legatis diplomata expediret. Ad
quæ Elector uti par respondebat, ac sua emo-
lumenta, quæ ipsa æquitas, ac justitia fulciat,
7. Dec. commendabat. Jenkinus inde ab Anglo Neo-
magum se conferre jubebatur ita propere, ut
ne spatium quidem esset supellectilem ador-
nandi. Unde Suerinus jam opportunum judi-
cabat Regi Angliæ Electoris emolumenta com-
mendare circa reparationem damni, ac securi-
tatem in posterum, tanto enixius quærendam,
quod is post tam recens fœdus a Suecis oppres-
sus fuerit. Simul per ambages insinuabat, o-
ptimum in eam rem remedium fore, istos e vi-
cinia eliminari. Ad quæ Rex reponebat: *Etsi
ipse extracto bello ingens lucrum percepturus sit,
gliscentibus hoc bello Angliæ commerciis utique
tamen sibi cordi esse, tutæ, ac duraturæ paci con-
stituendæ operari. Equidem argui in se nimium
Galli studium, quod initio belli ei adstiterit.
Enimvero sese id tunc defugere non potuisse
ob fidem semel datam, quam ideo fallere no-
luerit, ut specimen constantiæ suæ præberet.* 1675.
*Alias gliscentem Galli potentiam rationibus Re-
gni sui hautquidquam congruere: & quia sem-
per metuerit, ac reipsa compererit, fœderatos
haut facile longius quam in præsens contra
Gallum progressuros; tum bello extracto certissi-
mum omnibus Imperii membris exitium mansu-
rum, Galliæ, & Austriacæ domui lucro cessurum;
igitur se non posse, quin maturata pace majus ma-
lum prævertat. Ac sperare, Electorem desideri-
um pacis reipsa ostensurum.* Sed Elector vicis- 29. Dec.
sim demonstrari jubebat ingentia damna, quæ
ipse in Clivia a Gallis, & in Marchia, ac Pome-
rania a Suecis toleraverit. Eorum se non so-
lum reparationem petere, sed & ut securitati in
futurum Suecis facultas adimatur pro lubitu
turbas in Germania movendi, ac præcipue ipsi-
us terras incursandi, ademtis provinciis, queis
ad exitium Germaniæ abutantur. Suecis
quippe animum esse vicinos opprimere, & o-
mnia circum sibi rapere, tristem multorum an-
norum experientiam testari. Eo fine eos po-
tissimum loca ad ipsum spectantia, tum flumi-
na, & aditus, infundendo bello idoneos sibi sti-
pulatos. Igitur inanem fore pacem, ni ea na-
tio Germania dimoveatur, cui quam exitiosa
consilia foveat, in præsens specimen edidisse.
Si Anglus sponsorem se futuræ pacis offerat,
Suerinus reponeret; Westphalicam quoque
pacem ejusmodi sponsione munitam, & tamen
Suecos septem per menses intra ipsius ditiones
grassatos, nemine vicinorum quidquam auxilii
expediente; quoad isti a se exturbati fuerint:
nedum ut ex Anglia auxilium sit expectan-
dum. Unde tutissimam cavendi rationem esse,
hostibus nocendi facultatem adimere. Nam
semper cum exercitu contra consistere, cum
oppressione civium conjunctum esse.

SAMUELIS PUFENDORFI
DE
REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
COMMENTARIORUM
LIBER DECIMUSQUARTUS.

EPITOME.

Polonia Electori est suspecta. Hoverbequius in Poloniam mittitur. 2. Machinationibus hostium in Polonia rationes opponuntur. 3. Suecorum, & Gallorum in Polonia machinationes. 4. Circa confirmationem pactorum difficultates. 5. De auxilio contra Turcas submittendo. 6. Aula Polonica parum amici pollicetur. 7. Elector Majores Polonos sibi adjungere studet. 8. Hoverbequii circa conciliandos Polonorum animos studium. 9. Periculum e Polonia recrudescere videtur. 10. Gallorum in Hungaria machinationes. 11. Hoverbequius Suecorum se machinationibus opponit. 12. Circa renovationem pactorum acta. Periculum a Polonia minui videtur. 13. Circa Electoris satisfactionem Viennæ acta. 14. Cæsarei Bremense negotium videntur velle amplecti. 15. Colloquium cum Cæsareis super Electoris satisfactione. 16. Cæsaris declaratio super Electoris satisfactione. 17. Cæsaris ad Electorem missio. 18. Electoris ad proposita declaratio. 19. Super pacto mutuæ successionis cum Domo Austriaca tentamen. 20. Super conciliandis religionibus inanis conatus. 21. Electoris circa nuptias Cæsaris studium. 22. Circa id connubium ambitus. 23. Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra laboratur. 24. Apud eundem decreta Imperii parum valent. 25. Circa Bavarum in partes trahendum frustra laboratur. 26. Super partienda Brema Arausionensis sententia. 27. De ea incassum disceptatur. 28. Monasteriensis ad Electorem missio. 29. Formula temporariæ transactionis Hagæ concipitur. 30. Tempus Bremæ per ludibria trahitur. 31. Luneburgici, & Monasteriensis inter se transigunt. 32. Cum Luneburgicis, & Monasteriensibus super auxilio convenitur. 33. Cæsaris circa componendum Bremense negotium opera. 34. Cum Daniæ Rege acta. 35. Grifenfeldii casus. 36. De munitionibus Tœnningæ destruendis. Circa Bremensem provinciam apud Danum disceptata. 37. Daniæ Regis ad Electorem legatio. 38. Circa fœdus cum Rege Daniæ acta. 39. Fœdus inter Regem Daniæ, & Electorem. 40. Articuli secreti. 41. Cum Belgis acta. Belgici legati apud Electorem propositio. 42. Super fœdere perpetuo cum Belgis agitur. 43. Missio in Hispaniam. 44. Cum Anglo acta. 45. Sueci Wolgastum frustra oppugnant. 46. Electoris in Pomeraniam expeditio. Wangelinus denuo capitur. 47. Elector in Pomeraniam irrumpit. Anclami obsidium. 48. Demminium expugnatur. 49. Circa hiberna difficultates. 50. Missio ad Cæsarem. 51. Alia mandata. 52. Apud Cæsarem parum proficitur. 53. Elector Cæsaris declaratione non est contentus. 54. Alia Cæsaris declaratio. 55. Cum Saxone acta. 56. Alia ad Saxonem missio. 57. Præparamenta tractatuum Neomagensium. De cerimoniis circa legatos Electorales adhibendis. 58. De paritate legatorum Principalium cum Electoralibus. 59. Difficultates circa diploma Argentoratensis Præsulis; 60. & Lotharingiæ Ducis. 62. De neutralitate tractui circa Neomagum concedenda. 63. Num delegati Ordinum Neomagum mittendi? 64. De Venetorum, & Papæ officio. 65. De diplomatum hinc inde traditione. 66. De accessu legatorum ad locum tractatuum. 67. Dies adventui legatorum præfigitur. 68. Electoralium legatorum mandata. 69. Procuratoria examinantur. 70. Circa primas visitationes acta. 71. Electorales legati Neomagum accedunt. 72. Eorum collisio cum Anglis.

Polonia Electori est suspecta.

INgens operæ pretium superiore anno fecerat Elector profligato Suecorum sub celeberrimo duce exercitu, cujus velut invicti opinio totam Germaniam terrore afflaverat, ac compulsis intra Pomeraniæ oppida copiarum reliquiis. Cujus provinciæ subigendæ spes allubescebat, erumpentibus in arma Danis, ac satis habituro Sueco corpus regni defendisse, Germanicis ditionibus jam fere conclamatis; ni segne fœderatorum auxilium, ac multorum in Brandenburgicæ Domus incrementum gliscens invidia impediret. Quo accedebat haut modica cura, ne Gallorum, Suecorumque artibus e Polonia recens tempestas excitaretur, quæ Suecis in Pomerania vires reparandi facultatem præberet, haut obscuro, quanta Gallorum ea in aula foret autoritas, qui & magnopere circa pacem Polonos inter, & Turcas conciliandam satagebant. Ne igitur a Polonia res suæ denuo in summam difficultatem conjicerentur, Elector

 enixo

1676. enixo studio allaborabat. Et quia Poloniæ Rex
9. Nov. honorificis ipsum literis ad celebranda corona-
1675. tionis solennia postridie Kalendas Februarii
Hoverbequius in Poloniam mittitur. suscipienda invitaverat, Joannes Hoverbequius ei officio obeundo Cracoviam se conferre jubetur, simul gratulatione defuncturus ob felices armorum contra Turcas successus; inprimis autem, ut Gallorum & Suecorum machinationibus obsisteret. Circa confirmationem pactorum Brombergensium idem postulare jubebatur, ut ea cerimonia hac vice in Borussia perageretur, quod pacta ista non obscure constituebant. Cæterum quia fœdus, quod Sueci tunc per Andream Lilliehœckium apud Polonos affectabant, rationibus Poloniæ plane adversabatur, eique amantes patriæ cives sine dubio contradicturi erant; legatus iste super eo cum solo Rege agebat, ad quem & privato habitu Zolkieviam profectus fuerat. Unde & eo difficilius erat apud Regem aliquid in favorem Electoris obtineri, quod isti juxta, ac Reginæ persuasum foret, se absque Galliæ ope dignitatem suam tueri haut posse; cui & alias electionem suam debebat, ac ob præbitam hactenus pecuniam non parum obstrictus erat. Sed & continuo Galli, Suecique ejus aures obtundebant, non commodiorem esse occasionem, & forte nunquam futuram Electorem Borussia exuendi, quam nunc, dum is implacabili bello cum Gallia, & Suecia distringitur. Cui instituto si fortuna faveat, Regi in proclivi fore, eam provinciam jure hæreditario in familiam suam transferre.

Machinationibus hostium in Polonia rationes opponuntur. §. 2. Adversus ista Hoverbequius Regi demonstrare jubebatur; ipsi utique favore Cæsaris opus esse, si filio viam ad diadema munire velit. Quam rationem tamen caute expromeret, ne Polonis innotesceret, quod eadem alias magnam ipsi apud hos invidiam excitatura sit. Sed ista non Regi solum, sed & Proceribus palam ingereret; Poloniæ pace opus esse ad recolligendas vires longo bello exhaustas: quæ pax uti rationibus Galliæ, & Sueciæ repugnet, ita utilitatibus Austriacorum, atque Electoris optime quadret, velut qui pacem juxta, & antiquum Poloniæ statum amant, ac circa hunc nihil novari cupiunt. Contra quia Rex, quamdiu legum vinculis adstringitur, Galliæ, & Sueciæ destinata, novis semper ditionum incrementis inhiantium, sublevare satis non valet; non posse non Polonis horum amicitiam suspectam videri, velut per quam iter ad solutum legibus dominatum sternatur. Quin & solum adpetitum Borussiæ, quem Sueci ita pertinaciter apricantur, horum conjunctionem Polonis noxiam, & utriusque Regni rationes insociabiles reddere, æque exitioso Poloniæ, Ducali, an Regia provincia isti potiantur. Contra Polonum in omnem eventum a nemine certius auxilium expectare posse, quam ab Electore, cui nullus ad Poloniæ diadema adpetitus, ne quidem si ultro offeratur. Circa Gallos autem considerantum, eorum res fere ipsius Regis genio niti, quo extincto vastam istam, quam hic animo concepisse videtur, machinam ultro ruituram. Eum porro amicis, ac fœderatis suis prægravem, quod omnia suo ex arbitrio geri velit. De cujus amicitia atque auxilio neminem sibi ulterius polliceri posse, quam id destinatis ipsius expediat; quæ unice eo tendant, ut ipse solus emineat, reliquis omnibus ad ejusdem nutus sese componere necessum sit. Gallos, quo tempore Polonis quam maxime blandiebantur, noxiam hisce admodum pacem Olivæ conciliasse. Quid lucri Joannem Casimirum Regem e Gallica amicitia tam ambitiose culta percepisse, quam odium, & contemtum sui populi? Qui ut in alterius gratiam Regnum abdicaret inductus, in Gallia ita abjecte a Rege, cum ipsi congrederetur, habitus sit, ut quoad vita superesset, id digerere non potuerit. In Cromvelli gratiam amitæ Regis, ac duobus ejus filiis Gallia fuisse excedendum. Coloniensem, Monasteriensem, Neapolitanos, Catalaunos malignum fructuum e protectione Gallica percepisse. Venetos amissam Candiam non nisi Gallorum auxiliis debere. Nec Cæsari unquam libidinem subituram, ut Gallicas suppetias amplius exposcat, cum ut eas amoliretur, pax cum Turca multo durioribus conditionibus, quam alias obtineri poterant, amplectenda fuerit. Quid Neoburgicum e Gallica commendatione lucratum, nisi ludibrium? Quomodo cum pontifice actum, quem patris in vicem venerari inter scita religionis est quam is profitetur? Suecorum porro consilia vel ideo suspecta habenda, qui hi novissimum fœdus cum Electore initum protinus Polonis communicarint; quod a Procancellario multis cavillationibus exagitatum sit. Sic ut fere apud istos inconsuetudinem abierit, arctiore fœdere oblato infesta animo agitare, ac indictis precibus publicis eadem exsequenda aggredi. Sane Uladislaum IV. cum probe perspiceret, quam periculosa Suecorum vicinia foret, Matthiam Crocovium Monasterium misisse, ut omnibus modis impediret, ne Sueci Pomerania potirentur. Igitur par esse, ut Poloni nunc operam conferant tam molestis vicinis amoliendis. Sed & Polonis demonstrandum, eorum Rempublicam semper cavisse, ne fœderibus sese præter necessitatem implicaret. Tum & inter arcana status sui habuisse, in offensiva bella haut descendere, velut per quæ inter militaria imperia libertas ipsorum facile detrimenti quid capere queat. Quin & eosdem tanta cum circumspectione heic processisse, ut in bellis quoque defensionis causa susceptis haut facile permiserint, hosti in ipsius usque ditionem insisti. Contra Suecorum instituta id semper spectasse, ut vicinis, cumprimis mare accolentibus, aliquid decerperent; quod cum Poloniæ non possit non fraudi cedere, vesaniæ proximum fore, hanc augendæ istorum potentiæ ultro opem conferre. Præterea Suecis nullam causam esse, ut Polonorum fœdus defensivum affectent. Nam neminem esse, qui eos, ubi bona fide quiescant, invadere cupiat. Ac Livoniæ satis caveri per sponsionem pacis Olivensis, ut non opus sit ejus nomine apud Polonos auxilium expetere, quos alias ejus jactura quam maxime tangere apta sit. Vicissim nec Polonis Suecico

fœdere

1676. fœdere opus esse. Nam non ita pridem per legatum Gustavum Oxenstierna Moscis arctius fœdus fuisse oblatum, sane non contra Turcas, adversus quos tamen Polonia præcipue auxilio indigeat. Sed nec Suecos alia lege auxiliares copias missuros, quam ut a Rep. stipendium & annona iis præbeatur. Atqui huic facilius esse decem militum millia contrahere, quam tria millia alere.

Suecorum & Gallorum in Polonia machinationes. *5. Febr.* §. 3. Hoverbequius porro Cracoviæ solito Regiis legatis honore exceptus est, ac Rex gratissimum sibi esse testabatur ab Electore coronationis actum solenni legatione honorari. Is & multis disserebat de insignibus hujus progressibus, & ab eo senem Wrangelium tantæ famæ ducem plane fractum. Se quidem nunquam bellum id Suecorum in Electorem probasse, nec quantumvis enixe solicitatum opis quid conferre voluisse. In solenni epulo non nisi Nuntius, legatus Gallicus, & Hoverbequius mensæ regiæ accumbebant; ubi humanum se valde Gallus exhibebat, ac concedere nolebat, ut noster prius in sanitatem Regis Galliæ biberet, sed ipse simul in honorem Electoris poculum exhauriebat. Cæterum Sueci ad bellum Electori inferendum Regem solicite stimulaverant, jactantes, nil facilius esse, quam Borussiam Electori eripere. Non nisi septingentis florenorum millibus ad eam expeditionem opus esse, quæ Gallus libenter erogaturus sit. Contra Regis reditus millione inde augendos; ac ubi tali accessione Ordinum contributionibus carere possit, facilius eundem legum sese vinculis exuere posse. Pillaviam hautquidquam esse invictam, uti vulgo credatur. Esse in propinquo locum extruendis suggestibus idoneum, unde id castellum machinis queat disjici. Nec ejusmodi suggestiones omni effectu in ea aula caruisse indicio erat, quod in concione auspicandis Comitiis habita sacerdos aulicus
Pickarski Pikarscius Regem per vaniloquentiam hortari non vereretur, *ut initio ab Odera flumine facto semper progrederetur; quoad ad columnam ferream pervenerit, quam ipsius antecessor Boleslaus* Chrobri *in Sala flumine limitem Regni sui erexerit, quam per aquas jam fere consumtam ab ipso instaurari decorum sit.*
Zawadzki. Zawadzkius quoque Pautzeæ Capitaneus impudens scriptum in Electorem publicabat, calumniis, & mendaciis refertum, quo inter alia posuerat, delegatos Polonorum, qui pacta cum Electore confecerint, auro fuisse corruptos; eoque arma Electori inferenda esse concludebat. Quem tamen scriptorem post Cracoviensis Episcopus *citabat ad videndum, infamem, & scandalosum ejus librum igne cremari.* Sed & cum Lilliehœckius multo felle asperatum scriptum Cracoviæ typis excudere conaretur, idem Cracoviensis *Præsul* id inhibuit, ablatis quæ jam impressæ erant paginis. Qui legatus de Suecorum destinatis memorare solebat: *Saxonem se honoraturos, Silesios conversuros, sed Brandenburgicum vastaturos.* (Sachsen würden sie ehren, Schlesien bekehren, aber Brandenburg verheeren.) Animadversum tamen fuerat, post prælium ad Fehrberlinum malevolis haut parum ferociæ decessisse; ac multi prudentiores jactare cœperant; non esse impediendum Electorem, quo minus Suecos frangat, ut hi deinceps Polonis non amplius formidandi sint. Ac inprimis Hoverbequius Majoribus Polonis minabatur, ni impediant, ne Suecis Borussiam invadere indulgeatur, ipsos primo Electoralium armorum impetu obruendos, quod Elector surgente in Borussia bello istos a tergo relicturus non sit. Ac sane isti acriter in Comitiis pro Electore contendebant, ut pacta utique sancte observentur, simul Bakovium Pomerelliæ satrapam retundebant, qui copias Electoris contra suam protestationem transitum sumsisse, eoque vim in Remp. exercuisse arguebat, jejuna ratione addita; *utut per pacta id ipsi concedatur, tunc tamen, cum pacta inirentur, Suecos Polonorum hostes fuisse, qui nunc mutatis temporibus amici sint; eoque licentiam transitus eo duntaxat casu valere, si Poloni, & Elector communem hostem habeant.* Sed & aliorum male fundatæ querelæ refutabantur, quod Elector nova auxilia contra Turcam mittere abnueret; cum pactis diserte cautum sit, ne is uno, eodemque bello plus quam semel auxilia præstare teneatur, & quidem a Rep. alenda, quamprimum fines Poloniæ ingressa sint. Ac cumprimis absurdum erat, Polonos auxilium iis ex pactis postulare, quæ tamen confirmare detrectabant. Sed & Gedanensium plebs, quæ a concionatore Strauchio pendebat, Polonis persuadere nitebatur, quasi Elector eam urbem in potestatem redigere agitaret, eoque fine effecisset, ut suus vasallus Heino Henricus Flemingius tribunus ejusdem præsidio præficeretur. *Fleming.* Quem Rex utique Gedano amovendum contendebat; *esse gravem*, inquiens, *causam, ut circa eam urbem sibi probe prospiciat, cum senatus Electori, plebs Suecis sit addicta.* Cum tamen ea civitas antea Winterum tribunum, Suecicam militiam antea secutum, absque suspicione præfectum militarem sibi adscivisset. Ac potius Lilliehœckium agitasse, ut per factionem Strauchianam ea urbs in Suecorum ditionem redigeretur. Quod & forte successisset, ni Suecis, clade ab Electore illata ad propria tutanda revocatis, aliena invadendi libido decessisset.

Circa confirmationem pactorum difficultates. *7. April.* §. 4. Quia autem Regis prudentia haut ferebat nondum facta cum Turcis pace novum bellum suscipi; igitur arte, & pecunia nitebantur Galli, ac Sueci, ut materiam litis Regem inter, & Electorem alerent, quo invitante occasione prætextum sumendis pro lubitu armis haut deesset. Unde id agebant, ut constitutioni Comitiali aliquid insereretur, quod speciem haberet velut Ordines consensissent, ut Rex in Suecorum gratiam irruptione facta Electorem distraheret. Ac nonnulli haut dubitabant palam disserere: cum Turca quibuscunque conditionibus pacem ineundam, ac damni istius reparationem apud vicinos, ac Electorem cumprimis quærendam, qui ipsorum amicos ita exercitos teneat, ut nil opis ab istis ferri sibi queat; præsertim cum in Borussia nihil copiarum extet. Igitur cum constitutioni inferendum esset de pactis, & fœderibus, quæ Reip. cum vicinis intercedant, confirmandis, malevoli clausulam adsui cupiebant, *quæ ex commodo Reip. sint*, aut *salvis prætensionibus*, aut *ex Senatus consilio*: per

1676. quam ista in dubium revocari, aut circumscribi, aut plane everti possent. Quæ insidiosa verba, ut expugnerentur duo Nuntii Terrestres e Majore Polonia Kritzkius, & Breza acerrime contenderant, non sine gravi Regis offensa. Qui & per Gateckium eo nomine apud Hoverbequium expostulabat, velut isti ab hoc data pecunia subornati forent, quo sibi molestiam facesserent. Cui Hoverbequius respondebat: *Electorem hautquidquam Comitiali confirmatione pactorum per Constitutionem opus habere, quippe quæ perpetua sint: ac satis sibi cautum judicare confirmatione anno 1658. obtentata. Ac eam ipsam ob causam his comitiis de ejusmodi confirmatione haut movisse, quod per eam quæsitum eidem perpetuum jus in dubium revocari videretur. Quod Nuntii Terrestres e Majore Polonia faciant, id proprio instinctu agere, quo provinciam suam in tutum reponant adversus Suecorum machinationes, queis Rempublicam cum Electore bello collidere satagant cum certissimo istius exitio. Sed jusjurandum in pacta Brombergensia unice Regis, & Electoris personam spectare, de quo Elector suo tempore sit acturus.* Querebatur etiam Rex, quod Elector ipsum apud Anglum, Danumque, & Belgas negati transitus nomine accusarit; qui literis ad ipsum dura vocabula adhibuerint, *hortamur;* velut isti præceptores sui forent, queis jus castigandi ipsum competat. Cum tamen ante coronationem talia magis a districtibus, & *Judiciis Captura*, quam a se dependerint. Ad quæ Hoverbequius: Electorem non nisi interventionis officium petiisse, ac vocabulo *hortandi* nihil minarum inesse: ac alias ita modeste conceptas eas literas, ut nil offensæ inde concipi jure queat. Post multam disceptationem cum Ordines sibi accurate caveri vellent, ne bello cum vicinis implicarentur, Rex demum formulam eligebat, Joannis Casimiri tempore probatam, quod pacta, & fœdera cum vicinis *ex Senatus consulto* renovare velit. Enimvero ea formula tunc præcipue ad instantes cum Suecis tractatus dirigebatur, quos Rex non solus ac propria autoritate, sed cum consensu Senatus perficere poterat. Ast in præsens per ea verba scopus Constitutionis plane eludebatur, si Senatus, aut major pars suaderet, ut Rex vel plane ea pacta antiquaret, aut non nisi molestis sub conditionibus continuaret. Unde demonstrabatur, rem nunc longe aliter, quam regnante Joanne Casimiro comparatam. Nam tunc neminem fuisse, qui Remp. bello implicare cuperet, uti nunc Galli, & Sueci laborent; eoque tunc non fuisse Ordinibus causam, ut adversus talia sibi prospicerent. Enimvero utut isti clausulæ contradictum esset; tamen Mareschallus Nuntiorum Terrestrium, & per se potens, & Regis favore subnixus, eam impresso Constitutionis exemplo inseri faciebat, nulla Electoris noxa, cum in contractibus dudum validis uni parti invita altera nil mutare liceat. Erant etiam, qui pactorum confirmationem differendam censebant, quoad utrinque controversa excuterentur, atque deciderentur. Quibus ostensum: *Pactorum renovationem prætensionibus utrinque nihil adimere, sed potius viam utrinque examinandas, & componendas pandere; quod utique contractus prius agnoscendus sit, antequam aliquid ex eo peti queat. Unde & Regem, quamdiu in pacta Brombergensia non juravit, nil ab Electore exigere posse. Contra Electoris prætensiones ita liquidas esse, ut Respublica pluribus responsis comitialibus se istis satisfacturum pollicita sit.* 1676.

Kritzki.

Gatecki.

§. 5. Sed & alia rixæ ansa quærebatur, ex petito auxilio contra Turcas, de quo pactis Brombergensibus convenerat, cum Rex circa horum confirmationem tergiversaretur. Adversus quæ Hoverbequius demonstrabat: in pactis non extare, ut id auxilium *quotannis*, aut quotiescunque requisitum fuerit, mittatur, eoque Electorem ad id semel duntaxat mittendum fuisse obstrictum; quod & duce Dœnhofio sub Rege Michaële præstitum sit. Nec Electorem in culpa esse, ut istæ copiæ domum remitterentur, cum Poloni de hibernis prospicere iisdem debuerint. Quod Elector postea petente Rep. fecerit, non ex debito, sed amore in eandem factum; ac istum sibi cavisse, ne id in exemplum trahatur, in eumque sensum declarationem a Rege obtinuisse. Sed hæ rationes parum curabantur, ac gratum erat Electorem ista negare, quo eidem invidiam apud Ordines facere possent. Quo fine a Rege Michaël Hackius ad Electorem mittebatur, ut de peracta feliciter coronatione significaret, simul auxilium contra Turcas ex pactis peteret. Id quod Elector propria necessitate excusabat; ac sua sibi a Suecis vindicanda esse; & a se jam plura præstita, quam per fœdus requiri potuerint. Si tamen pax sibi reditura fuerit, promtam se Reipublicæ operam navaturum. In literis ad Regem ea verba addita erant: *Regia Majestas vestra ope, & consilio nos potius speramus juvabit, quam ut quidquam de nostris defensionis tam necessaria mediis decerpi velit.* Ea verba non sine gravi offensa accipiebantur, prout litigandi materiam quærentibus etiam innoxia dicta in cavillationem patent. Ac eo magis ista auxilia dicis causa peti adparebat, quod pax cum Turca jam certa haberetur, nec hic insignem armorum paratum faceret, cum Polonis numerosæ copiæ in promtu forent. Jussus quoque fuerat Hackius iste explorare, num Elector revera Stetinum tantis cum copiis uti spargebatur invadere pararet. Nec eo minus post Rex Uladislaum Scorazevium ad Electorem mittebat, ut denuo auxilium contra Turcam vi pactorum exposceret, aut pecuniam, si milite carere non possit. Addebatur expostulatio, quod Elector apud alios querelas moverit super negato copiis suis per Polonicum territorium transitu; cum sane Poloni iis arma opponere noluerint; ac ut Ægidius Strauchius dimittatur. Sed revera adparebat, eum rixæ materiam aucupari, & Electoris destinatis explorandis venire. Ad ista responsum: Sibi nunquam studium Reipublicæ succurrendi defuisse; sed nunc per Suecos facultatem adimi. Ac si ex pactis petatur auxilium, ea prius fuisse confirmanda: id quod Hoverbequius petierit, nec impetraverit. Sed & bis se misisse, & plus quam teneba-

De auxilio contra Turcas submittendo.

ex Mich. Hacki.

Skorazeuski.

1676. tenebatur, suis sumtibus, & dimachas loco peditum, cum semel tantum ad singula bella mittere teneatur, non singulis annis. Jure Gentium quoque excusari, qui auxilia promisit, quamdiu ipse domi periclitetur. Quin ipsum Regem literis ad Ducem Croiæ, Gubernatorem Febr. 1675. Borussiæ scripsisse: *exigentibus Serenitatis Electoralis Brandenburgicæ rationibus, ut auxiliares suæ copiæ in ditiones Suæ Serenitatis revertantur, non aliter conveniebat, quam ut iisdem redeundi facultatem faceremus.* Pecuniæ copiam sibi in præsens non esse. Quamprimum tamen terras suas aliquatenus pacaverit, ac hostem represserit, longe majoribus copiis quam pacta definiant, Reip. adfuturum. Ut tamen animum promtum ad Regi gratificandum ostendat, se ei L. M uncialium de Elbingensi debito cedere. Quod querelas attineat, sane notorium esse, Gallicos, & Suecicos ministros in aula Polonica sibi infensa machinatos. De Jul. 75 quibus & ipse Regem per literas monuerit; ut tamen simul ostenderet, quantum fiduciæ in fide, & æquitate hujus repositum habeat. In eundem sensum ad Regem Daniæ scripsisse; qui & humanissimas eo nomine literas in Poloniam dederit. Igitur nec querelas fuisse incongruas, nec literas quid injuriam redolens continuisse. Nec unquam sibi fuisse propositum Poloniam cum Suecia committere. Quod Rex Borussiæ securitati prospexerit, id recte, & prout pacta requirant, factum. Ne ipse e Borussia copias suas contra hostem inconsulto Rege educat, ad id se haut teneri. Nam eam se provinciam possidere cum supremi imperii jure, eoque armis, ac viris ejusdem uti posse, prout sibi expedire visum fuerit, nec eo nomine quemvis alium consulere teneri. Se ac majores suos durante nexu fiduciario milites in Borussia conscriptos inde eduxisse; cur idem nunc non liceat? Isthoc cum suo jure faciat, neminem arguere posse idem fieri ad Poloniam cum Suecis committendam. Nec necessum esse, ut de transitu semper Regi significetur; sed sufficere denuntiationem præsidi provinciæ fieri; idque factum Palatino Pomerelliæ, qui ad literas denuntiatorias a Duce Croiæ scriptas responsum miserit a Lilliehœckio conceptum nullo sensu. Nec se copiis suis e Borussia in Germaniam transeuntibus injunxisse, ut ferro viam sibi aperiant, nisi in eum casum, quo ultro hostili modo invadantur; id quod omni jure licitum sit. Quod Rex Wrangelium monuerit, ne quid in loca, quæ a Poloniæ Regno pendeant, tentaret; in eo fecisse, quod pactis conveniat. Nec Suecos par jus exigere posse, cum his nullo pacto cautum sit, ne hosti adversus ipsos transitus concedatur; qui & tale quid sibi haut stipulati sint, nec Rex literis suis id promiserit. Transitum quoque copiis suis concessum Polonis fraudi non esse, quod eæ copiæ adhibeantur in loco, in quem Polonis nil juris competit, nec competere potest. In Borussiam autem iis spem esse; quam & alias non vastari ipsorum intersit. Denique nunquam se questum a Rege Poloniæ arma in se parari; sed Gallos, & Suecos, ut id fiat laborare. Strauchium infensa, & hostilia in ipsum agitasse, cui præter jus nil mali inferendum sit. De quo viro Gninscius Culmensis Palatinus pronuntiarat: se ex animo lætari, quod Elector istum libertati non restituerit; sine dubio plures adhuc turbas daturum. Ac se quemlibet, qui non vereatur plebem incitare, ac sanguinis effusioni causam præbere, hostem generis humani habere, in quem quilibet homo miles sit. Cæterum ea missio Gallicum artificium erat, ut Elector Poloniæ Ordinibus exosus redderetur, quasi Reip. necessitatibus subvenire nollet, ac ipse in culpa foret, quo minus pacta renoventur. 1676.

§. 6. Non obscurum igitur erat, a Gallis infesta in Electorem apud Aulam Polonicam cudi, quo Suecis ad se recolligendum spatium darent, ac inprimis, ut Electorem obsidio Stetini averterent. Ac dixerat Rex Lilliehœckio; Suecos amissa Wismaria ingentem jacturam fecisse; sed si Stetinum hoc anno amittatur, ægre ipsorum res in Germania reparari posse. Porro ad Borussiam oculos adjecisse Regem indicio erat, quod is mirari se diceret, quare turbidi per Borussiam cives querelas suas ad ipsum non deferant. Ac spes erat, modo Rex nutu istus significaret, totam Borussiam Ducalem in ipsius partes transituram. Idque eo pronius fore, si Gedanensis civitas ad arbitrium Regis componatur; cujus plebem Strauchius eo redegerat, ut quatuor delegatos ad Regem mitteret, qui per omnia sacra orarent, ne hic prius magistratus privilegia confirmaret, quam omnia in eum statum, qui tempore *incorporationis* fuerat, reposita forent; stolido petito, cum eo tempore soli Romani ritus per urbem vigerent. Ac istæ quærelæ apud aulam eo gratiores erant, quod ditium civitatum delegati turgidas auro crumenas adferre soleant. Rex quoque Syndico Gedanensi dixerat; ei civitati insignem machinarum copiam esse, quam sibi in expeditionem quandam haut gravatim commodatura sit; quæ certe contra Turcas haut erat. Et tamen in offensæ locum accipiebatur, quod Elector per Borussiam delectus agitaret, quasi Regi diffideret. Omni quoque studio pax cum Turcis captabatur, quo hic Hungariæ, Tartari Mosco immitterentur, ne hic Suecos distrahere posset, ac Polono ad invadendum Electorem nil impedimenti foret. Quæ pax eo facilius processura erat, quod Ordines in arbitrium Regis contulissent etiam avulsione quarundam provinciarum eam redimere. Ac cumprimis suspectum habebatur, quod cum legatus Gallicus palam jactaret, cum Turcis jam omnia transacta esse, arma tamen magna vi in Polonia paterentur: ac multi dissererent; si Ucraina, & Podolia Poloniæ decedat, in Borussia, Silesia, & Moravia damnum reparandum. Quin Gallus filio Regis spem Regni Bohemiæ fecisse dicebatur. Sed & Cæsarem Electori disjungere studebat Polonus, dum ad firmanda cum Cæsare pacta pronum se declarat, idemque circa pacta cum Electore tergiversatur, ut si hic in Borussia invaderetur, Cæsari prætextum non foret

Aula Polonica pacem amici pollicebatur.

1676. foret eidem adsistendi. Gallo quoque instigante Polonus sequestrem se tractatibus Neomagensibus offerebat. Quod etsi hautquaquam bono Electoris quæri adpareret; tamen Hoverbequius, si de eo sibi proponeretur, neque contraniti, nec assentiri jubebatur, sed tantum objicere, lentum id negotium fore, quod consensus prius ex Hispania petendus sit. Quin aliqui credebant expedire, ut Polonus sequester adsciscatur. Nam ita necessitatem ipsi adferri, ut medium se gerat; ac tanto plus causæ Ordinibus fore ejus conatibus intercedendi, si quid tentare velit. Nec sequestris officio compromissum subesse, nec partes ad ejus sententiam sequendam adstringi. Quanquam autem boni cives spem facerent, Regem suo, aut Reip. nomine in Borussiam nil tentaturum; præstare tamen nolebant, a Suecis in eam nil suscipiendum. Sane Lilliehœckius eo nomine libellum exhibuerat, ut, quia Elector e Borussia copias adversus Suecos in Germaniam miserit, his quoque vitio non detur, si & ipsi contra eundem in Borussia rem gerant. Ac multi erant, qui haut iniquum ducerent; cum Sueci ea conditione Borussiæ, Lauenburgo, & Butoviæ pepercerint, ne transitus copiis e Borussia concedatur; igitur ea conditione per Electorem non præstita, Suecis quoque integrum fore Borussiam invadere. Ac altius penetrabat, quod ipse Rex dixisset; se metuere, ne Sueci Electorem in Borussia impetant in ultionem, quod hic copias inde evocarit: ac istis e Livonia in Borussiam irrumpere in proclivi fore, quod jam inter eosdem, & Moscos congressu in limite habito convenerit. Quod non nisi connivente Polono fieri posse satis adparebat. Quanquam autem Rex, cum in expeditionem adversus Turcam eunti Hoverbequius valediceret, verbis prolixe de suo in Electorem studio testatus esset; tamen istis parum confidi poterat, quoad reipsa fulcirentur, quod nec pacta adhuc confirmata, nec feuda renovata essent, quibus congressum delegatorum, componendis utrinque prætensionibus Rex permitti cupiebat.

26. Maji.

Elector Majores Polonos sibi adjungere studet.

§. 7. Hisce igitur malis, quæ a Polonia provenire poterant, avertendis, ac confundendis aulæ consiliis Lessinius Cancellarius offerebat, se apud conventus, ubi de actis Comitialibus refertur, per bonos cives effecturum, ut Majores Poloni delegatos ad Regem mittant, denuntiaturos; se tributa comitiis Cracoviensibus decreta haut exsoluturos, quoad Rex declararit, se pacem cum Electore culturum, ac pacta firmaturum. Alias enim sibi in provincia sua securis degere haut licere, quæ incursionibus e Marchia quam maxime pateat. Ac nosse se oportere, cui usui tanta pecuniarum vis impendi debeat, cum a Turca ob intestinas turbas nil metuendum sit. Sed & Elector, ut istos causæ suæ illigaret, Hassonem Adamum Wedelium, & Petrum Ernestum Ludovicum, quibus multa cum proceribus ejus provinciæ notitia erat, velut privatorum negotiorum gratia ad amicos ibi suos circum proficisci, & captata occasione disserere jusserat; *ut cordatis minime videatur, proximis Comitiis internam quietem, & securitatem Regni ita neglectim habitam, dum super confirmandis cum Electore pactis nil certi conclusum sit: quin aliquos ejusmodi verba constitutioni infercire voluisse, per quæ ista plane eludi queant, ac alios recte sentientes nil plane de iisdem statui maluisse. Per talia Electorem peti in aprico esse; quod & e Zawadzkii, ac Lilliehœckii scriptis, ac Bacovii oratione, aliisque indiciis colligatur. Inprimis intolerandam esse Bacovii importunitatem, qui pro sententia ita aspere in Electorem invectus sit, ut professus hostis asperius tractari non potuerit. Equidem in libera Republica libertatem dicendi haut prohibendam, modo ne falsa amicis Principibus impingantur, ac bellis non necessariis patria haut involvatur. Quin id in Aula agi, ut ignominiosa cum Turcis pax ineatur, derelicta Ucraina, Podolia, & Caminiecia, tantum ut facultas sit pacem cum Cæsare, & Electore, inani lite mota, abrumpendi. Id quod continua Gallorum, & Suecorum instigatione fieri nemini non cognitum esse; qui proprium emolumentum vel cum exitio Reip. quærant, ac Cæsarem, Electoremque distractum eant, ut periculo semetipsos subducant, Poloniam eo involvant. Quid ab ejusmodi consultoribus expectandum sit, facile intelligi. Galli blanditias Poloniæ semper exitiosas fuisse. Pecuniam, quam is largitus sit, nil nisi factiones, discordiam, & confusionem peperisse. Ad bellum Turcicum eundem ne uncialem contulisse. Quo Sueci tendant omnibus notum esse; qui jam demum pœnas Numini ob exercita in Polonos, & Electorem exsolverint. Nunc eos Remp. & Electorem inter se committere velle, damnis suis apud utrumque reparandis. Sed ignominiosum Reip. ab aliis consiliis pendere; noxium in gratiam inimici cum optimis amicorum, & fœderatorum pacem abrumpere, qui Electorem ubi invadatur haut sint deserturi. Querelas, quæ contra Electorem moveantur, inania prætexta esse; ac si quid solidæ controversiæ sit, amicam viam patere. Electorem bis contra Turcam auxilia misisse, idque propriis sumtibus, ad quod per pacta haut tenebatur. Habere in præsens Majores Polonos, ut securitati suæ prospiciant. Nam etsi Electori quam maxime cordi sit sanctum amicitiæ, ac fœderis vinculum cum Rep. servare; ei tamen necessum fore, si a Polonis invadatur, omnia defensionis, ac vindictæ adminicula impendere; ubi non posse non vicinam Majorem Poloniam utroque exercitu proteri. Esse Electori exercitum bellicosum & victorem. Ipsum, ubi in bellum erumpatur, hostibus cum viginti quinque bellatorum millibus obviam iturum, certa boni successus spe. Contra Polonis a Gallo, & Sueco nil auxilii sperandum. Istum nil militum submittere posse: pecuniam exhaustam, qua ipse opus habeat. Ac si maxime argenti quid trajiciatur, paucorum loculis absorberi summo cum patriæ detrimento. Sueciam plane pristino fastigio dejectam, nec sibi ipsi servandæ sufficere. Ei duo, aut tria per Pomeraniam oppida superesse, brevi subigenda. Summam stultitiam fore alieno pedi extractam spinam suo immittere. His malis prævertendis, ac ut æternum fœdus, quo hactenus utriusq; salus, & securitas stetit, ulterius servetur, non præsentius remedium esse, quam si in conventibus post comitialibus concludatur, ne in ulla tributa*

1676. 16. April.

in

1676. *In Comitiis decreta consentiatur, nisi prius pacta cum vicinis, ac præcipue cum Electore confirmentur, ac Rex declaret, se nil in Cæsarem, & Electorem tentaturum.* Istæ missiones fructu non caruere. Nam conventu provinciali Scrodæ habito (1. Maji.) comperiebatur, impressæ Constitutioni multa periculosa inserta, quæ mandatis Nuntiorum Terrestrium adversa fronte repugnarent. Unde decernebatur, delegatos ad Regem mittendos, qui enixe postularent, ut ancipitia ista Constitutioni inserta declarentur, ac pacta cum Electore sine exceptione firmentur: tum hac rerum facie extranei ministri aula dimoveantur. Ubi postulata abnuantur, minas jacerent; ac malle se rem ad tumultum deduci, quam ullo modo bellum in Electorem concedere. Isti delegati antequam redirent, omnia Comitiis decreta in suspenso manebant, nec tributi quid solvebatur. Ab Electore missi mandata sua in formam epistolæ amici ad amicum redacta magno numero disseminabant. Ita cum Rex adversus Turcas in expeditionem procederet, & boni cives Gallorum, & Suecorum machinationibus resisterent, vix hoc anno e Polonia infesti quid metuendum videbatur.

Hoverbequii circa conciliandos Polonorum animos studium.

§. 8. Haut eo secius, Rege quantumvis in expeditionem progresso, Hoverbequis Cracoviæ hærebat, dissipandis, quæ adversus Electorem agitabantur, consiliis. Inter alia cum Primate, Cracoviensi Præsule, & aliis super pactis Brombergensibus disceptabat, quæ isti a Rep. ratihabita arguebant, antequam rite perfecta, & a Principibus utrinque subscripta forent. Enimvero demonstrabatur, ea pacta a sequestre, & delegatis utrinque Welaviæ (8. Jun. 19. Sept. 1675.) subscripta, & paulo post a Rege Joanne Casimiro, & præsentibus tunc Senatoribus jurejurando Brombergæ confirmata (6. Nov. 1657.). Sequenti anno convocatione Warsaviæ habita (Febr. 1658) omnes qui aderant Senatores eadem probasse, quæ dein eodem anno Comitiis omnium consensus rata habuerit. Idem Primas iis pactis convellendis jactaverat; sibi ante secutam ratihabitionem de iisdem nihil constitisse. Ast is eo tempore in ejusmodi statu vixerat, quod id genus negotia ad ipsum plane non spectarint. Nam sacri ordinis homines antequam in Senatum adsciscantur, circa talia deterioris esse conditionis, quam privatos nobiles, quod isti ad nullas consultationes in conventibus omnium ordinum, aut singularum provinciarum admittantur. Sed & de Calcsteiniano negotio iterum movebatur, circa quod Sobiescius adhuc privatus sat fervidum se exhibuerat. Sed demonstrabat Hoverbequius non tantum e pactis, queis supremum Borussiæ Imperium in Electorem collatum erat; sed & ex omnibus conventionibus inter Reges Poloniæ, ac Magistros Ordinis, ac Duces initis, id genus hominum seditiosorum etiam durante nexu fiduciario in Polonia haut admitti, multo minus in patrocinium recipi, sed utique rebelli debuisse. Ita ut Cracoviensis Præsul Andreas Trzebicki convictus demum agnosceret; Regem Michaëlem male fecisse isto in aula sua tolerato, ac ultro se periculo exposuisse contumeliam, qualis secuta est, accipiendi. Idem Præsul, cujus singulare tunc in Electorem studium eminebat, judicabat; Regem tot Palatinatuum delegatis scriptam cautionem, quam ipsi desiderabant, hautquidquam traditurum; se nemini Principi Christiano, ac inprimis Electori, bellum haut illaturum: sed laxioribus duntaxat verbis declaraturum: non esse dubitandum, quin ipse pacta conventa, in quæ jurarit, observaturus sit. Quia tamen Nobilitas Gallorum, & Suecorum molimina aversetur, eum non ausurum istius inclinationi contraniti. Unde Electorem eo nomine in utramque aurem dormire posse; præsertim cum is non tantum pro Germania, sed & pro Polonia in Pomerania bellum gerat. His tamen dictis confidi tuto non poterat; ac præsentissimum remedium erat Majores Polonos addictos habere; qui & in universum Electori studebant. Ac confirmabat Posnaniensis Præsul Wiezbowski Hoverbequio; magnam partem incolumitatis, & securitatis Majoris Poloniæ in eo verti, ut Sueci vicinia amoveantur. Et si maxime Russici Palatinatus ad nutum Regis se componant; Majoribus tamen Polonis eam in Rep. esse autoritatem, ut reliqui fere eorum placita sequi sueverint. Se autem non passuros, ut Rex aliquid in Electorem, dum hic circa Suecos in ordinem redigendos occupatur, suscipiat. Nec Regem sine Majore Polonia Regem esse posse.

Periculum a Polonia recrudescere videatur.

§. 9. Haut eo minus periculum, quod durante contra Turcam expeditione cessasse videbatur, iterum gliscebat, certa spe pacis Turcicæ affulgente, cujus publicatio ideo tantum differri credebatur, ut tributis exigendis Regi spatium foret. Ac ista jam duos ante menses Byzantii per Gallos conclusa fuerat, quam eadem inter ipsum Regem, ac Turcicos delegatos perficeretur. Equidem Pontifex Regem vehementer hortabatur ad bellum id persequendum, quod Turca domi seditionibus laboraret: sed Regina, & legatus Gallicus Massiliensis *Præsul* Regem continuo obtundebant, ut pacem cum Turca occuparet, quo Cæsari in Hungaria negotium facessi posset. Ac Bethunius sub id tempus e Gallia munera octingenties mille florenorum pretio Regi, Reginæ, ac Regiis liberis attulerat. Eo magis Regina Regem urgebat, ut tandem aliquando post tot pollicitationes, ac perceptas a Gallo largitiones solidum affectus sui in huc specimen exhiberet. Scilicet metuebat illa, ne Regem maritum aliquando ipsius tædium caperet, ni de Galli patrocinio sibi cautum esset, & ab hoc ipsa subinde isti emolumenta quæpiam conciliaret. Sed quia Gallo largiendi satietas subire poterat, si promissa, & non levi pretio emta circa distrahendos hostes opera diutius differretur; illa Regem magno cum tædio obtundebat. Enimvero uti Reginæ benevolentiam Gallicæ illecebræ, ac donationes sibi pigneraverant; ita Rex circa tanti momenti negotium majore cum circumspectione procedebat, quam muliebris impatientia ferret. Quam ut eo magis partibus suis illigaret Gallus, jam

1676. jam coronatam, eoque Reginæ Galliæ dignatione parem *Filiam Franciæ* declaraverat, haut satis e dignitate. Nam idem Mariæ Ludovicæ factum erat, antequam Regina fieret, & adjecta magna dote CCCC M. coronatorum. Quanquam autem Rex animi sensa curate premeret, ac verbis amica omnia ostenderet: tamen arcanorum conscii Senatores subinde altius penetrantia jaciebant, dum ductoribus, ob non soluta stipendia animo ægris, post pacem cum Turcis de ejusmodi bellis spem facerent, e quibus damna hactenus tolerata ubertim sarcire queant, non obscure Silesiam, & Borussiam innuentes. Nec vires talibus exsequendis defore. Nam si modo exercitus confœderatione se illiget, multos nobiles ad paupertatem redactos ei se adsociaturos ut facile centum armatorum millia conflari possint. Nec contradictionem Majorum Polonorum curari, qui ubi tumultuantibus res bene succedere perspexerint, facile in easdem partes sint transituri. Quibus Hoverbequius ingerebat: *Si Polonis utique insanire placeat, eos quidem onus Suecis incumbens detrahere posse, sed ut in eorum vicem calamitatibus sese opprimandos præbeant; quos ob alios perire prurientes ne Galli quidem miseratione prosecuturi sint.* Ac eo facilius confœderationem impediri posse spes erat, quod supremi exercituum duces, ac multi alii magnæ apud milites autoritatis, Potocius, Czarnecius, ab istis consiliis abhorrerent. Ac si Electoris arma probe succederent, eo facilius aulæ libido decessura erat eum lacessendi.

Gallorum in Hungaria machinationes.

§. 10. Videbantur tamen Gallorum consilia magis in Hungariam, quam Borussiam dirigi; præsertim cum bellum in Borussia motum Poloniam quoque involuturum esset; id quod armis in Hungariam translatis haut metuendum erat. Unde & rebelles qui vocabantur Hungari magno favore in aula Polonica fruebantur, milite quoque in eorum usum Cracoviæ conducto; in quibus Galli magnam spem suorum contra Cæsarem destinatorum reposuerant. Quos contra privilegia a Cæsare sibi illata ita exacerbaverant, ut literis in Poloniam scriptis faterentur, a se Austriacæ Domus eversionem quæri. Quibus & confirmandis Akakia in Transsylvaniam profectus fuerat. Hos igitur ut ad obsequium Cæsar reduceret concesso sacrorum, quibus innutriti erant, usu, Elector per Crocovium Viennæ enixe instabat: *Non posse non sibi maximo dolori esse, quod cum ipse, ac tot Protestantes Principes, ac Respublicæ vitam, ac fortunas suas pro Austriaca Domo periculo exponant, sacrorum suorum consortes per universam Hungariam cultu publico exui, eorumque concionatores ad instar deterrimorum maleficorum excruciari, ac immaniter trucidari.* Ac sane Cæsarei ministri, qui prudentia, & animi moderatione eminebant, immanitate ista abstineri optabant; sed queis non sat virium erat compescendis Jesuitis, qui pædagogica obstinatione contra omnes status rationes calida, & abrupta sua consilia pervincebant; quos non Principum, quorum animos superstitione irretierint, salutem, sed Regis sacrorum, ac suæ cumprimis societatis lucrum sine fine ac modo quærere, id indicio esse, quod tantas sibi per provincias Cæsaris opes corraserint, ut ni eorum aviditas sistatur, demum potiorem earum partem in patrimonio suo numeraturi sint. Ac eo magis ea res optimo cuique, ac Domui Austriacæ addictissimo acerba videbatur, quod ex horrendis istis persecutionibus Jesuitæ, ac reliqua sacerdotum natio, si quod lucrum esset, perciperent; ad Cæsarem, nil præter invidiam, damnum, ac pericula provenirent. Quin plurimis persuasum erat, quosdam Jesuitarum pecunia emtos, ut Cæsarem in enormi circa ritus Romanos zelo magis, magisque obfirmarent: quam animi pervicaciam, pietatis studium mentientem, iidem quoque Reginæ Angliæ Caroli I. conjugi indiderant, exitio domus suæ cessuram. Porro ut Cæsarem Polonis invisum redderent Galli, spargebant, istum id bellum Poloniæ attraxisse, & adhuc pacem impedire; cum contra ad hanc Polonis comparandam Gallus immensam pecuniarum vim erogaverit. Agitabant autem tunc Galli cum rebellibus Hungaris, ut Bethunius Rex Hungariæ fieret, prout & tunc Condæus Regno Siciliæ destinatus erat. Ita Gallum duos sibi subditos habiturum Reges, sicuti per duas Reginas Gallicas, Poloniam, & Lusitaniam sibi obnoxiam teneat. Quanquam & de aliis suo Regno præficiendis rebelles Hungari moverant. Nam & de ipso Regis Poloniæ filio proposuerant; sed cui tanti non videbatur ob lacerum Regnum spem sibi Polonici diadematis adimere. Aulæ Mareschallum Sianovium ob ingenium inconstans, & præceps Hungari aversabantur. Lubomirscius Hungaris gratissimus erat, cui & Polonica aula fautura fuerat, si Reginæ sororem connubio sibi jungere placuisset: sed qui neutrius cupidine tangi se ostenderat. Unde demum circa Bethunium satagebatur. Super istis aulæ Polonicæ destinatis Elector per Crocovium Cæsari exponebat. Esse quidem inter Proceres, queis aulæ consilia displiceant, & qui ad ea dissipanda confœderationem exercitus conflandam suadeant; quos idoneis modis fulciri par sit. Sed si isti negligantur, aulæ curæ fore eosdem in partes trahere, ac consilia, quibus persequendis nil nisi occasionem expectent, effectui dare. Sed Cæsarei judicabant, saltem hoc anno e Polonia nil periculi esse, pace Turcica nondum liquida, nec Rep. in bellum cum vicinis consensura. Regem quoque Poloniæ Cæsari declarasse; si maxime controversiæ quid sibi cum Electore oriatur, se ejus compositionem amica via quæsiturum, non ab armis initium facturum. Ad quæ Crocovius: De pace Turcica haut dubitandum, postquam in Regis arbitrium potestas belli, & pacis collata sit. Inclinationes bonorum civium effectu carituras, si non per proposita remedia alantur. Testationes Regis magis suspicandi ansam præbere; cum iis opus non esset, si Rex nil infesti animo agitaret. Nec eas exprimere, Regem utique pacem, & pacta servaturum, sed tantum, quomodo rem aggressurus sit, ubi in bellum erumpere placeat. Scilicet se prius

Sianowski.

1676. civilibus modis unum & alterum ab Electore postulaturum, ut cœptis suis aliquem colorem circumponat. Sed forte postulata illa juri, & æquo repugnatura. Posse quoque eundem tractatus pro lubitu abrumpere. Et quid de horum successu sperandum sit, ex eo judicandum, quod aula Polonica solo Galliæ instinctu regatur; cui hautquidquam animus sit Polonum Electori conciliare, sed utrumque inter se committere, Ad quæ Hocherus: Sane vigilandum. Sed id expendendum, num confœderationi exercitus conflandæ, quæ Regis destinatis sese oppositura sit, insignes pecuniarum summæ in Poloniam mittendæ sint, nota inconstantia, & lubrica fide istorum hominum, a quibus Cæsar tam sæpe illusus sit. Ac inprimis Pacio Lithuaniæ archistratego haut fidi, qui multis a Cæsare beneficiis mactus contra sua promissa Austriacas rationes novissima electione destituerit. Nec id tantum meduendum esse, ne pecunia incassum prodigatur; sed & ne unus & alter, quicum agatur, cum aula in gratiam redeat, & secretum prodat; quo ipso Regi prætextum contra fœderatos nasciturum. Unde videndum quomodo pax Turcica succedat, quid aula, & qui ejus offensam præ se ferunt, suscepturi sint. Interim bonos cives demulcendos. Post tamen cum de conclusa cum Turcis pace adferretur, & quod Polonus utique in Electorem quid tentaturus diceretur, aula Cæsarea non parum perturbationis ostendebat. Scilicet quod ejusdem mos sit non circa avertenda mala mature satagere, sed demum, ubi extrema eruperint, evigilare.

Hoverbequius Suecorum machinationibus se opponit.

§. 11. Uti autem Galli per Hungaros Cæsari molestiam facessere laborabant; ita Sueci non parum fiduciæ collocarant in quibusdam Borussis præsentem statum fastidientibus, Romano cumprimis ritui addictis, quos Jesuitæ ad res novas incitare non desinebant. Qui & aulam Polonicam subinde stimulabant ad Regiomontanam civitatem tendandam, quam se citra teli jactum Polonis tradituros pollicebantur. Post fugatam tamen Suecicam classem eorum, qui Suecis favebant, autoritas in Polonia non parum minuebat; cui cladi elevandæ Lilliehœckius tum apud alios, tum literis ad Regem Poloniæ scriptis culpam calamitatis in cacodæmonem, & incantatrices vetulas conjiciebat. Sed Rex non sine irrisu in febriculosam excusationem cavillatus dixerat: *Si homines in rebus gerendis versati aliquid in diabolum, aut magos referant, perinde esse, ac si philosophi, ubi ratiocinando aqua hæret, ad qualitates occultas confugiant, utrinque ignorantiæ, aut impotentiæ dissimulandæ asylum.* Circa id negotium sagarum, quod tunc temporis in Suecia fervebat, ad legatum Gallicum Lutetia literæ mittebantur hoc sensu: *Miseros, ac infelices homines, qui jam in Suecia comburantur, non nisi ad summum ægros e melancholia, & morbo hypochondriaco, victimas esse, quas ignorantia, & indignatio Suecicæ nationis immolet ad placandam adversam fortunam, exitium ipsi intentantem. Si Senatus Sueciæ consideraffet vires sibi deesse exsequendis, quæ in Germania susceperunt, ausis, & quanta sit in ipsos nationis Germanicæ aversatio, officio sequestrium inhærentibus & suæ provinciæ, & existimatio salva mansissent.* 1676. Cæterum Suecorum machinationibus discutiendis Hoverbequius apud bonos cives dedu cebat: Electorem Polonis nullam belli causam præbuisse. Unde hos, si temere in arma ruant, eundem cum Suecis successum sortiri posse. Ac si maxime initio per excursiones apertis provinciarum locis damni quid inferatur, id tamen bellum ad extremum Reip. perniciem post se tracturum, aut saltem viam fœdo servitio publico muniturum. Id quod jam in Palatinatibus Minoris Poloniæ, & Russiæ adpareat, qui quod belli malis exhausti sint, contra Regem hiscere non audeant. Et jam primordia dominatus adparere, quod raro Senatorum sententiæ exquirantur; & si maxime id aliquando honoris gratia fiat, non existorum placitis, sed ex aulæ libidine procedatur; cui qui assentari nolint, odiis premi, aut viles haberi. Sane Warmiensi Præsuli, quædam contra sententiam aulæ facienti, dictum fuisse; *pœnitet me fecisse hominem.* Sed & quo Suecis par pari referret Hoverbequius, Polonos ad invadendamLivoniam stimulabat,quam quondam Nassokinus Mosci nomine iis se traditurum promiserat, si Poloni Kioviam Mosco cedere vellent. Et confirmabat Vilnensis Præsul, Livonos ut a jugo Suecico liberentur optare. Ac sane ista propositio Polonis salivam movebat, præsertim cum Hoverbequius offerret, ipsumElectoremLivoniam Suecis ereptam Reipublicæ traditurum, excepta Riga. Nam ei urbi nunquam libidinem fore sub imperium Poloniæ revertendi ob Jesuitas, a quibus tam male habita sit,& quia in Comitiis Polonicis innumeris processibus vexata fuerit. Regis filio tres Palatinatus, Dorpatensem, Wendensem, & Pernaviensem jure hæreditario conferri posse; quos si deinceps promittat patrimonio Coronæ se inserturum, id validæ commendationis instar habiturum ad diadema post obitum patris adquirendum. Ac bonis civibus odium indies in Gallos,Suecosque gliscebat,quod intelligerent, sibi jam in promtu esse Livoniam, aut magnam ejus partem nancisci, ni istorum machinationes obstarent,quo minus tam proficuaReip.occasione uti liceret. Rex tamen, etsi multi propositum de Livonia suaderent, id effectui dari posse negabat.

Circa renovationem pactorum acta.

§. 12. Interim circa confirmationem pactorum quærendam ab Hoverbequio nihil omissum fuerat; qui & durantius comitiis exhibito scripto eam a Rege quæsierat. Sed Rex responsum in reditum Scorazevii ad Electorem ablegati distulerat, & prout hic ad sua postulata declaraturus sit. Sed quia Hoverbequius censebat, quo enixius ea res quæratur, eo magis Regem tergiversaturum, ut vel prætextum armorum adversus Electorem arriperet, vel saltem aliquid iniqui extorqueret; per MajoresPolonos, aut alios id negotium urgere satius habebat. Ei negotio extrahendo inter alia hæc cavellendi ansa quærebatur, quod ad eum actum obeundum

1676. dum solus Hoverbequius mandata habeat; cum Polonus utique duos de legandos contenderet. Sed quanquam verba pactorum, *(per deputatos utrinque in animas principalium jurantes,)* etiam de singulis ex utraque parte intelligi possent, quam & mentem sequestris, atque contrahentium fuisse adparebat; haut tamen consultum videbatur super his minutiis contendere. Præsertim cum, si maxime utrinque in unum consentiretur, nová deinceps quæstio exoritura esset; num delegatus ille e corpore Senatus, an nobilitatis sumendus foret, ne forte præterita pars causetur, renovationem pactorum haut rite factam, quod nemo e suo corpore adfuerit. Cæterum qui in aula prudentia pollere videri volebant, valde mirabantur a Rege confirmationem pactorum affectato prætexto extrahi, cum promto in eam consensu Electorem, & Majores Polonos in securitatem dare potuisset. Ac non difficilius fuisse, conscientiam suam a jurejurando per delegatos in animam suam præstito liberare, quam ab eo, quo in electione ipse pacta conventa firmarat, quodque in coronatione repetierat. Enimvero calido nimis studio Gallicos, ac Suecicos ministros occœcatos, ut præter rationem satagerent: quo ipso nil aliud profecerant, quam ut Electorem, ejusque fœderatos adverterent. Rex tamen uti renovationem pactorum aperte non abnuebat declinandæ Ordinum offensæ, quorum plures indies in Majore Polonia, & alibi indignationem suam non dissimulabant; ita nec liquido eam annuebat in Gallorum, & Suecorum gratiam. Sed Primas, aliique spem faciebant, omnia demum ex voto successura; ac minorem subinde fidem inveniebant disseminatæ ex aula narrationes. Nam si tributa exigebantur, periculum a Turcis exaggerabatur: Sed quando Ordines querebantur, Regem in Reginæ gratiam a finibus in Regni interiora recessisse, a Turcis nil periculi subesse ferebant. Porro Primate monente Rex renovandis pactis sat pronum se declararat, ut tamen tempus ei actui non constitueret, nec delegatos designaret, sed tantum Procancellarii absentiam excusaret; cum tamen is actus neque Regis, neque Procancellarii præsentiam requireret. Sed satis adparebat, eam moram Gallorum muneribus dari, ac velut grande officium iisdem imputari. Sane Rex dixerat: Electorem ipsi multum amicitiæ in electione, & alibi exhibuisse; sed id se nunquam digerere posse, quod iste autoritatem, qua ipse die coronationis gavisus esset, per Majores Polonos uno ictu prostraverit, ac
10. Oct. Constitutionem iis comitiis conditam plane everterit. Cum tamen tempus inter incerta laberetur, Hoverbequius ab Electore solido scripto deducere jubebatur, quam sæpe, & quo modo confirmationem pactorum quæsierit, addita protestatione, uti ipse pactis examussim satisfecerit, nec omnium cordatorum judicio a se quid amplius requiri possit. Ac jam Majores Poloni palam minabantur; si Elector invadatur, se id non externum, sed intestinum bellum habituros, ac in istius partes concessuros, cum is pro servando vetere Reip. statu laboret, 1676.
Galli, & Sueci pro dominatu. Demum cum 11. Dec.
totus annus inter ambigua ista elapsus esset, Primas judicabat, satius esse, ut id negotium post comitia differatur, quam ut ansa Ordinibus præbeatur ei se ingerendi; quos omnes in eandem sententiam pertrahere, aut saltem plene edocere, arduum futurum sit. Et cum Elector ferre noluerit verba Constitutioni infarta, *ut renovatio pactorum de consilio Senatus fiat;* multo minus permittendum, ut id negotium comitiale fiat. Quin multis utile videbatur, Electori renovationem pactorum fuisse negatam, quod eo ipso favor Ordinum ei conciliatus hique ut sibi caveant, admoniti sint. Cum contra Electori per jusjurandum a delegatis præstitum non amplius cavendum fuerit, quam quod ipse Rex bis jurasset. Ac pollicebantur boni cives, se futuris comitiis instituros, ut omnis militia usque ad quatuor millia Quartianorum exautoretur; quod Gallica factio non omissura sit Regem super invadendo Electore solicitare, quamdiu copiæ in promtu sint. Sane Galli ingerere non desinebant; si Turcarum potentia terrorem ei incutere non valuerit, ignavum fore unius aut alterius Nuntii Terrestris, a fœderatis pecunia emti, intercessione, ac dissensu moveri. Sed Rex sapientius judicabat, bellum facilius incipi, quam finiri, nec intra limites primum designatos consistere. Ac in præsens Gallus, quales obtabantur, conditiones haut obtulerat. Unde nil certi statuere placebat, quoad plus soliditatis, ac securitatis perspiceret; quid consilii Bavarus capturus sit; num destinata circa Pautzcam, & Gedanum successura; num duodecim naves bellicæ, quas Gallus Sueco promiserat, Oresundam penetraturæ sint? Inter alias porro illecebras inescandis Polonis Bethunius multa insignia Ordinis Equestris Gallici, a Sancto Spiritu dicti, attulerat, inter Proceres Polonicos distribuenda: sed quæ nemo acceptare dignabatur. Nam si ferre noluerant ab Uladislao Rege novum Ordinem Equitum introduci, quem dividendæ nobilitati inventum arguebant, quod ejus incapax statueretur, cui infra sexcentos aureos annui reditus in censu esset: multo minus alieni Regis inania insignia circumgestare placebat. Cum porro Galli perspicerent, Ordines Poloniæ nunquam permissuros, ut Rex Electori arma inferret; jam id agebant, ut Rex armis intentatis Moscum Livonia averteret; e qua & Suecis spes erat, se damna sua in Borussia reparaturos. Ac sane Moscicus exercitus, qui hactenus ad limitem Livoniæ constiterat, audita Polonorum cum Turcis pace, & quia Tartari finibus Moscoviæ ingruebant, in interiora recedebat, metu simul belli a Polonis subigente. Et cum Galli Suecis hoc bello fortunam reflare cernerent, eorumque societatem magis oneri quam levamento sibi esse, id solatio superesse ferebant, ut si ipsi Hispanis Siciliam, ac Limburgum, Belgis Trajectum ad Mosam reddant, ac Lotharingo Ducatum suum fiduciaria lege offerant, mox triplex fœdus inter Austriacos, Anglos, & Belgas contrahatur, per quod Suecis amissa

1677.

amissa restituantur. Quo fine & Galli Arausionensem tentabant, oblato Trajecto ad Mosam cum supremi imperii jure, & insigni pensione annua e salinis Burgundiæ, simul nuptiis cum Maria Ducis Eboracensis filia, qua via solio Angliæ ipsum sint admoturi. Sic igitur eventus proximorum Comitiorum expectandus erat, ubi si Suecorum, & Gallorum machinationes frangerentur, nil amplius periculi e Polonia imminere videbatur. Unde ne quam querendi causam Regi præberet Elector duas cohortes Polonicas, quas conduxerat, dimittebat; postquam intellexerat, Regem ægre tulisse, ab istis exteram militiam susceptam, ac eos sub pœna infamiæ, & confiscationis bonorum revocandos. Tum præparandis ad futura Comitia animis Joachimum Sculteturn ad proceres Majoris Poloniæ circummittebat. Qui prolixe pollicebantur, Regem in Electorem nil infesti suscepturum. Esse eum quidem valde callidum & imperandi artibus instructissimum; sed simul meticulosum, & qui in dubiis tutissima sectari amet. Nec eum Galli amicitiam tanti facere, ut ob hunc se, ac Remp. in discrimen mittere velit. Quin ab eodem crebris sermonibus improbari scæva consilia a Suecis capta, quæ posteris quoque ipsorum materiam pœnitendi præbitura sint. Tum Scrodæ in conventu provinciali decretum, delegatis ad Comitia in mandatis dandum, ut ad nullum aliud negotium accedatur prius, quam Rex pacta cum vicinis confirmarit: ut sub pœna capitis, & bonorum nemo exautoratus exteri cujuspiam militiæ accedat: ut omnes exterorum legati ab aula expediantur, nec iis permittatur tamdiu ibi morari. Regem quoque rogandum, ut tantam Gallorum turbam aula dimoveat, & vacantia munia Polonis conferat. Quia etiam Rex, dum in pacta conventa jurat, ea verba omiserat, *nullum se bellum suscepturum, nisi cum consensu Reipublicæ;* igitur his Comitiis per diploma declararet, eam rem se habiturum, velut pactis conventis expressa, ac jurejurando firmata sit. Ac confirmabant isti, Regem haut ausurum renovationem pactorum abnuere, quod Ordinibus sese magis, magisque suspectum redditurus sit, quasi Remp. bello cum vicinis implicare studeat. Nec eundem comitia ad rupturam posse deducere, quod alias pax cum Turca confirmari nequeat. Cæterum ea pax effecerat, ut a Moscis nil amplius levamenti contra Suecos expectari posset, præsertim cum Alexius Czar sub initium anni fato functus esset, relicto successore Theodoro, tenera adhuc ætate, nullo rerum usu. Qui misso ablegato de morte patris, sua successione Electori significabat, addita testatione de continuanda amicitia. Cui Elector per literas solandi, ac gratulandi officium reponebat. Quem Daniæ Rex frustra in Suecos excitare satagebat, misso Friderico Gabelio, ea potissimum ratione usurum, quod Lilliehœckius Polonis pollicitus esset, si hi adversus Electorem Suecis auxilio sint, Suecos deinceps una cum Polonis Moscoviam invasuros.

Periculum a Polonia minui videtur.

Fedor.

§. 13. Cæterum uti Electori fortuna hoc anno hactenus favit, quod infesta hostium per Poloniam consilia eludere datum fuit: ita cæcam invidiam, quæ etiam amicos adversus ipsius incrementa coquebat, superare haut contigit, quæ circa præmia felicium armorum varia obstacula objicere non cessabat. Equidem cum hactenus Viennæ de Electoris satisfactione laxis duntaxat verbis, & in longum prominentibus locuti essent, jam legatus Hispanicus ultro de eadem agere paratum se ferebat, ac isti totam Pomeraniam Suecicam relinquendam, qui vicissim operam navare debeat ut Hispani amissa in Belgio loca recuperent. Revera tamen aulæ Viennensi Gallicum bellum longe magis, quam Suecicum cordi erat. Nam ut Gallis quædam loca eriperent, maxima lubido erat: Suecos arcuisse satis habebatur, ne in Cæsaris ditiones irrumperent, ejusve destinata turbarent. Num quid terrarum iisdem eriperetur perinde erat, quod ex eo ad Domum Austriacam nil perveniret. Unde & illis fœderatis quam maxime blandiebantur qui contra Gallum rem gere malebant. Jubebatur tamen Crocovius ex Hispanico legato cognoscere, quid is desideret, & quid vicissim offerat. Nam Hispanus jam antea tenebatur opem conferre, ut Electori satisfiat. Quod si ipse ad plura obstringere se debeat, ab Hispanis quoque plura præstanda esse. Ac ad expugnandam Pomeraniam Hispanus nil sane collaturus erat. Ubi in Belgium arma transferenda sint, ibi locorum de hospitiis Electorali exercitui prospiciendum, ac inprimis residua subsidiorum exsolvenda, & super futuris cavendum. Electori semper animum fuisse arctius sese Austriacis innectere, & adhuc esse; etsi modus agendi ab ea aula adhibitus non parum suspicionum injecerit. Quæ communi consilio fieri debeant, eos solos expedire molle. Circa hospitia durissime cum ipso actum; cum contra Monasteriensi insignia commoda concessa, & omnia probata sint, quæ is in Bremensi provincia susceperit. Erga Daniæ Regem, qui tamen ad causam communem plurimum conferat, parum fiduciæ, aut desiderii cum ipso constantem amicitiam colendi demonstrari. In eo quoque rationem Cæsareos fugere, quod Galliam Suecia nocentiorem ducant, cum recens experientia diversum docuerit. Nam ni Suecorum irruptio Electorem subegisset omissis Gallis arma in istos vertere, jam securitas Imperio, & Austriacis in Alsatia parta foret. Iisdem quoque e Pomerania in Cæsaris ditiones penetrare pronum esse, ac nondum memoria excidisse, quomodo isti olim per eas grassati sint. Equidem ut Gallus Alsatia exterminetur, Germaniæ quam maxime interesse; sed ut idem circa Suecos fiat, non minus expedire. Nam si alteruter visceribus Germaniæ hæreat, alterum quoque hæsurum. Aut utrumque ejiciendum, aut utrumque tolerandum. Ita nuper res Gallorum valde nutantes a Suecis iterum restitutas, ut ingentes isti vires receperint, quas frangere deinceps arduum sit futurum. Si Cæsar, & Imperium periculosum istum vicinum Electoris lateri dimoveat, propriam quietem, & securitatem stabilire; nec de-

Circa Electoris sa-

1676. inceps remedia deforé Gallis in ordinem redigendis. Electorem quoque velut compede ſolutum totis viribus Cæſari contra Gallos opem laturum, inprimis ſi facultas præbeatur exercitum eousque augendi, ut ſeparatim rem gerere queat. Cum Monaſterienſi, ac aliis, qui partem Bremæ affectant, eum ex æquo tranſigere cupiiſſe. Sed ex favore aulæ Viennenſis libidinem iſtis acceſſiſſe in turbido piſcandi, eluſa tranſactione, ac ſacerdotem iſtum Electori ubique inſultaſſe. Unde aulæ circa hæc aliam rationem ineundam, ſi fiduciæ quid in ſe reponi velit. Sed & Schwartzenbergius, & Goëſius Gurcenſis Præſul conſilium parturierant, ut Suecis Pomerania reſtituatur, ea lege, ut Gallus in Belgio Hiſpanis nonnulla loca reddat. De quo temperamento cum Cæſarei moverent, Elector oſtendi jubebat; hoc modo neque ſibi, nec Hiſpanis, nec Germaniæ conſuli, ac omnium ſecuritatem in ancipiti manere; ac eſſe id e conſiliis mediis, ac tepidis, ubi non ſatis audetur, nec ſatis cavetur. Nam poſt fractam hoſtium ſuperbiam ſtolidum fore victoriam non eousque perſequi, ut non plena ab iisdem in futurum ſecuritas ſtabiliatur. Haut eo ſecius Hocherus ſcrupulum adhuc movebat: *Cæſari circa ſatisfactionem circumſpecte procedendum, nec ita arctam eo nomine obligationem induendam. Nam ſi promiſſa repræſentari nequeant, nec fortuna eousque adſpiret, ut Sueci penitus Germania ejici queant, fortaſſe Cæſari actionem intentandam, ac de ipſius patrimonio quid petendum. Tum & conſtare debere, quid Elector in gratiam reliquorum fœderatorum facturus ſit. Sane Belgas declaraſſe, ſibi lætos fore ulteriores Electoris contra Suecos progreſſus; quæ mens & Cæſaris ſit, ac ſe ad eos promovendos opem collaturos, ea tamen lege, ut ſi res exigat, pro bono pacis aliquid de hoſti ereptis reſtituere grave non ſit.* Nec minus Cæſarei incrementis Luneburgicæ domus invidebant, ac æmulatione inter eam, & Danum lætabantur, queſti iſtam ſeparata conſilia agitare, ac propria tantum commoda aucupari; quam totius Bremæ acceſſione mactari nolebant. Ex eodem fonte erat, quod iidem Stralſundam promiſſo Imperialis civitatis ſtatu permovendam cenſerent, ut ultro Suecicum jugum excuteret; quod difficile futurum ſit vi eam expugnare; revera ne eadem Electori adcreſceret. Quin legatus Hiſpanicus e Crocovio quærebat: quia Cæſar haut ſpernendas copias cum Electore contra Pomeraniam jungat, an non æquum ſit, iſtum quoque aliqua ejus parte potiri? Cui Crocovius reponebat: magnam Cæſari invidiam excitaturum, ſi quid terrarum ad Mare Balticum affectet, uti priore bello Germanico factum. Ei a Gallo præmia belli quærenda; ac ſatis eſſe vaſtationem patrimonio Cæſaris arceri, ejusque ſecuritati in futurum caveri, ſimul facilius adverſus Galliam bellum reddi. Nec parum Cæſaream autoritatem ſtabiliri, amotis, queis validam inter Ordines factionem alere in proclivi ſit. Commercia quoque Cæſarearum provinciarum inſigniter auctum iri, ſi Odera ad mare usque in Electoris ditione ſit. Sane Electori ſecuritatem potiſſimum reſpici, qua non 1676.
obtenta, ac Suecis in priſtino ſtatu relictis, omnem operam fruſtra conſumtam. Nec vero e decretis Ratiſponenſibus obſcurum eſſe, ad quem hoſti erepta ſpectent, ut nimirum læſis inde ſatisfiat. Unde nec ab iis, qui Suecis jam quædam eripuerunt, nec ab aliis fœderatis de iis quid peti poſſe, antequam Elector reparationem damni, ac cautionem in futurum nactus ſit. Cum Cæſarei moverent, ſi Elector tota Pomerania potiatur, Cæſari Croſnam reddendam; Crocovius eadem occinebat, quæ Cæſarei jactaverant, cum Elector fœdere inito, partem Geldriæ ſibi concedi petiiſſet: *laborandum eſſe, ut quid ab hoſtibus, non ab amicis adquiratur.* Suſpectum quoque erat, quod Viennæ agitaretur de Cobii exercitu ad decem millia augendo, quo is ſeorſim unum & alterum Pomeraniæ locum expugnare, eique præſidium imponere poſſet. Quo caſu difficillimum futurum erat iſtos, ubi ſemel pedem fixiſſent, iterum amoliri. Quos conatus cum Elector eluderet, ſuprema belli iſtius directione ſibi vindicata; Cæſarei viciſſim Cobii copias ad eum numerum, quem Elector cupiebat, augeri nolebant. Porro cum Cæſarei hactenus ſuper ſatisfactione liquido mentem ſuam explicare hoc prætexto abnuiſſent, ne ſeparata declaratione, aut conventione Belgæ offenderentur, jam is color ceſſabat, poſtquam Belgarum cum conſenſu de eo negotio Bremæ ægeretur. Hiſpanus tamen prius dictis inhærebat; gratum Regi ſuo eſſe Electorem Pomerania potiri, ſed bellum contra Gallum, & Suecum *pari paſſu* gerendum: id quod ita interpretabatur, ut bellum in Pomerania non prius perficeretur, quam Hiſpani Gallis quæ cupiant eripuerint. Contra demonſtrabat Crocovius: *id neque æquum eſſe, nec ullo modo effici poſſe; & ex talibus haut obſcure invidiam in Electorem pellucere. Hujusmodi conſiliis Electoris progreſſus contra Suecos inhiberi; contra Gallos haut eo majus operæ pretium fieri. Nec ita temperari poſſe actiones bellicas, ut ejusmodi æquilibrium teneri queat. Et quam rationem iniri poſſe, ut Elector modo in Pomerania, modo in Belgio rem gerat?* Sed nec Cæſarei Dano e Bremenſi provincia ſatisfieri cupiebant, ac Luneburgicis blandiebantur, quorum opera ſe contra Gallos uſuros ſperabant. Nec eo magis hos Brema augeri ſerio cupiebant; quam & his retinere non dabatur, ni penes Electorem Pomerania maneret. Usque adeo fatalis quædam vertigo fœderatos agitabat, dum aliqui nimia ambitione, aut invidia in ſocios, aut fiducia in amicos ſubdolos concordiam inter belli Suecici conſortes impediunt, ac tam egregiam occaſionem ultro corrumpunt. Ac jam inſigne artificium Viennæ habebatur prohibere, ne res in apertam colliſionem inter fœderatos erumperet; id quod rationes ac deſtinata Domus Auſtriacæ plane turbaturum erat: ac tamen negotium ita trahebatur, ne fœderatis plane inter ſe convenire poſſet, quo Cæſar in futurum ejusdem arbitrium retineret, ac in partem prædæ Suecicæ venire poſſet.

Unde

1676. Unde ne hactenus mentem suam liquido exponere, nec circa partitionem serio laborare voluerant, satis habentes concordiam in universum commendasse. Sane Marchio Grana
5. April. Hagæ dixerat: *Stadam in præsens omittendam, & juncta manu in Gallum eundum. Quod si tamen fœderati utique Stadam prius expugnare velint, eam provinciam Cæsari ac Belgis sequestro tradendam, quoad fœderati super ea transegissent.* Unde & Cæsarei malebant temporariam transactionem super Brema Hagæ factam subsistere, quo Cæsari res integra relinqueretur. Sed & Goësius e Gustroviensi legato quæsierat, an non res eo deduci queat, ut Cæsar Wismaria, ejusque portu potiatur. Demum tamen de-
7. Maji. clarabat Hocherus: Cæsarem Bremam missurum negotiationi super partienda ea provincia promovendæ. Cujus rei causa habebatur, quod innotuisset, a Gallo id agi, ut Cellensem, & Guelferbytanum ad se pertraheret. Is quippe per Hanoveranum hisce obtulerat, se non repugnaturum, quo minus circa subigendam Bremensem provinciam quantum possint connitantur, modo nil insuper contra ipsum, & Suecos suscipiant, quo Suecis saltem Pomerania salva foret. Id si Hanoveranus pervinceret, Gallus subsidiorum continuationem ei pollicebatur. Quem ictum avertere summum studium erat.

Cæsarei Bremense negotium amplecti velle videntur.

§. 14. Sic igitur Windischgræcius Comes Bremam ablegabatur, ut tractationem, quæ ibi super partienda cognomine provincia agitabatur, promoveret. Circa quam Cæsarei censebant, nullam ejus partem Cæsari, & Electori affectandam: cæterum Dano, & Luneburgicis satisfaciendum, Præsulis Monasteriensis immodica postulata temperanda, qui Ferda, Wiltzhusa & Tedingshusa contentus esse debeat: qui & alias de clandestinis cum Gallo commerciis suspectus erat. Ac nondum in expedito erat, utrum Præsul ista Præsulatui, quod Cæsarei volebant, an suæ familiæ quæreret, id quod Elector malebat. Hanc ob missionem decretam Elector Cæsari gratias agebat, & quod curæ ipsi sit tam spinosum negotium componere. Tum & quod sua ibi intersit commendabat; cujus ratio eo magis habenda sit, quod socii eam provinciam invaserint, non ut eam sibi adquirerent, quibus ne pedem quidem eo inferre fas fuisset, ni SCtis Ratisponensibus decretum fuisset, ut sibi de injuriis per Suecos illatis satisfieret. Sed & copias suas ad omnia loca expugnanda operam contulisse; quæ tamen a præsidiis captorum locorum exclusæ, nec in prædæ partem admissæ sint. Crocovio tamen simul injungebatur, profectionem Cæsarei legati nimium ne urgeret. Hocherus disserebat: sibi non constare, Cæsarem quid de Suecicis provinciis cupere; si tamen alibi e bello emolumentum affectet, id ei vitio verti non posse; haut significato, in quo id consistat. Ad quæ Crocovius reponebat; si Cæsar partem Suecicæ prædæ petat, fœderatos quoque super ea, quæ in Alsatia, & Burgundia speratur, actionem moturos. Aliqui etiam cavillabantur: dubium esse, num Cæsar circa Pomeraniam declarare se queat, uti petatur. Nam Lege Regia, cui is adstringatur, disertis verbis caveri, quid circa aperta feuda disponendum sit: cum tamen lex Regia non de terris per arma quæsitis, sed de feudis agat, quæ per extinctionem familiæ, aut feloniam vacare incipiant.

Colloquium cum Cæsareis super Electoris satisfactione. 1676.

§. 15. Demum colloquio inter Cæsareos ministros, & Crocovium instituto hic Electori deposcebat totam Pomeraniam cum omnibus juribus: item Ferdensem Præsulatum cum una & altera præfectura e Bremensi, quem tamen Elector, si tota Pomerania potiatur, redditurus sit: interim fœderatos opem ipsi ad Suecos quamprimum Germania expellendos ferre par esse. Ad quæ Cæsarei: cum Elector æquum 11. Aug. judicet fœderatorum ope sibi satisfieri, idem ut Cæsari fiat æquum judicaturum. Solum e fœderatis Cæsarem Electori contra Suecos auxilia submisisse, Gallisque obstitisse, quo minus ad Suecos perrumpere possent; ad quod valido exercitu, & magnis sumtibus opus fuerit. Electorem in Pomerania plus accipere, quam quispiam fœderatorum sperare queat. Esse egregiam provinciam, uno, & altero insigni emporio conspicuam, magni momenti tum proprio pretio, tum opportuno reliquis ejusdem ditionibus situ, per quam & Borussiæ melius caveatur. Cæsarem tamen hanc fortunæ accessionem Electori haut invidere, ac omni ope ad eam expugnandam connixurum. Sed quia Elector absque Cæsaris ope & evictione eam provinciam neque occupare, neque tenere valeat, isti quoque operam dandam, ut hic cupitis suis potiatur. Crocovius oblato grato animo acceptare; addito; Electorem quoque Cæsari valido cum exercitu contra Gallum adstitisse, ac Suecos ejusdem patrimonio arcuisse. Ac esse quidem Pomeraniam haut spernendam provinciam, sed bello ita evastatam, ut plures per annos nil fructuum inde percipiendum sit, multis insuper impensis in eam faciendis. Cæsarei inde abolitionem actionis Carnovianæ postulabant & auxilium Electoris ad recuperandam Cæsari Alsatiam, ac ut prius pax non ineatur, quam ea obtenta, ejusque evictio præstetur. Crocovius; in Electore nil desideratum iri, modo bellum Suecicum prius patratum sit. Sed quia penes solum Electorem non sit, Alsatiam Cæsari præstare, id negotium ad fœderatos referendum. Cæsarei: id ipsum in quæstione esse, qua ratione id negotium ad Belgas referri debeat, ne his querendi ansa nascatur, a fœderatis super bello, & pace se inscis pacta inita; unde prætextum eos arripere posse pacem, cujus alias magna cupiditate flagrant, peculiari tractatione præcipitandi. De Electore se non dubitare, nec de Dano, si ad Scaniam obtinendam ei adsistatur; nec de Luneburgicis, si Bremam habere placeat, nec de Monasteriensi. Si reliqui omnes in eandem sententiam conspirent, Belgas non facile in diversa abituros; qui & ao. 1672, & 1673 Cæsari obtulerint, se non nisi recuperata Alsatia pacem inituros, si Cæsar fidem det, se connixurum, ut quæ ipsi amiserint recipiant. Cæsarem eo tempore ista pacta declinasse,

ne pacem

1676. ne patem difficilem redderet, aut ne cuipiam suspicionem injiceret. Sed quia Belgæ jam per Cæsarea arma voto suo sint potiti, non desperandum, quin vicissim, quod tunc æquum judicabant, sint præstituri, si dextre tractentur, ac concordibus fœderatorum sententiis incitentur. Ac judicabat Hocherus, se non credere, Belgas hucusque a communi causa secessuros, ut fœderatis pacem extorqueant. Sed id se metuere, ne vel separatam pacem ineant, ac fœderatos pro lubitu bellum continuare sinant; vel bellum deinceps languide gerant, ac subsidia fœderatis detrahant. Omnia tamen tentanda, ut isti in partibus retineantur; ad quod plurimum concordia inter reliquos socios sit profutura. Ad extremum concludebant: Cæsarem subegindæ Pomeraniæ operam navaturum, si Elector vicissim istius emolumenta amplectatur. Addebat Crocovius; quia non sufficiat Suecicas provincias partiri, sed & eas expugnandas esse, & vero post captam Stadam Monasteriensi, & Luneburgicis nil agendum super sit; igitur par esse, ut ille contra Gallos, hi contra a Suecos rem gerant; cum ipsius Cæsaris intersit, bello Suecico quamprimum colophonem imponi, quo dein junctim in Gallos moveri queat. Cæsarei censebant, Luneburgicos ægre huc descensuros. Qui optime Electori cupiant, Cæsarem esse, & Danum, atque Luneburgicos in istum invidua æstuare, nec bona fide pro ejusdem incrementis connixuros: tum & forte postulaturos, ut suus miles captis in pomerania oppidis præsidio imponatur. Electori cum exercitu, quem in præsens habet, haut arduum fore Anclamum, Demminum, & Grypswaldam expugnare, tum Rugiam occupare. Stralsundam conventione in partes trahendam. Ita Stetinum ultro ruiturum. Ac sua sententia melius Electori consuli, si alienis auxiliis se non implicet, quæ subtractis hospitiis magis noceant, quam prosint. Nam id omni vi agendum, ut quantæcunque Germanorum copiæ futura expeditione trans Rhenum pedem figant. Non tamen repugnare Cæsarem, ut Elector aliquod Luneburgicorum millia sibi adsciscat, si obtinere possit.

Cæsaris declaratio super Electoris satisfactione. 17. Aug.

§. 16. Post isthoc colloquium Cæsar demum declarabat: *Se ex animo Electori circa Pomeraniam favere, & ad eam ipsi obtinendam omnibus viribus connixurum, quantum tempora, & facies rerum permittant. Sed quia & ipse auxilia miserit, & Gallos represserit, jus sibi esse partem eorum, quæ Suecis eripiantur, petendi. Id autem hactenus distulisse postulare, quod speravit, fœderatos opem sibi sociaturos ad recuperanda ea, quæ sua domus per injuriam temporum Gallo cedere coacta fuerit. Id ubi non obtineatur, se sibi prætensionem in Suecicas provincias reservare. Alias Electoris postulata ad universos fœderatos spectare, eoque de iis separatim a se statui non posse, ne isti ansam arripiant querendi, a se circa negotia belli, & pacis insciis reliquis aliquid decerni. Unde negotium hoc Bremam ad socios referendum; ac se Windischgrætio injuncturum, ut Electoris desideria fulciat, simul tamen eo connitatur, ne reliqui fœderati offendantur, utque tam salutaris inter ipsos concordia servetur. Id quod* 1676. *tamen cum hac exceptione intelligendum sit, si ipse quoque satisfactionem suam obtineat, ad eamque Elector operam conferat, ac apud socios connitatur, ut & hi ad eundem scopum adducantur. Quod si & ipse ultra ea, quæ antea Gallo cedenda fuerunt, plus Gallo extorqueat, ut ea penes semaneant in solatium tantorum sumtuum in hoc bellum impensorum. Quod si & Elector tota Pomerania potiatur, par esse, ut actione in Carnoviam citra pensationem cedat, simul de alio sibi præmio prospiciat ob tantam fortunarum accessionem. Electorem quoque opem collaturum, ut Hispano satisfiat; qui vicissim ut debita præstet a se sit impellendus. Quod præterea Elector a Coloniensi Reclingshusam cupiat, id se causæ communi valde noxium judicare, ac malle, ut de eo non amplius mentio fiat. In fœdere per Anhaltinum Principem facto expressis verbis caveri, ut bona Ecclesiastica in statu per Instrumentum Pacis designato permaneant. Id fœdus se omnibus Catholicis Ordinibus communicasse, atque isto standum. Catholicos quoque se oppositurus, ac bellum inde sacrum oriturum. Circa reducendas Commendas & Prælaturas itidem Instrumento Pacis inhærendum, quod ipse toti Imperio declararit in iis duntaxat rebus, quæ Galliam, & Sueciam spectent, velut qui id violarint, mutandum, salvis persistentibus reliquis omnibus.* Ad quæ Crocovius circa Coloniensem reponebat: considerandum esse, num ad stabilem in Germania pacem fundandam faciat isthoc juris scitum introducere, ut sacerdotes impune bello movere, & secularibus sua adimere, de suo autem nil amittere queant. Et annon hoc modo sacerdotibus ad turbas movendas animus addatur; apud Evangelicos autem, qui pro Cæsare omnes suas fortunas periculo exponant, summa diffidentia excitetur, si tanta inæqualitate sese haberi videant. Si ubique ita stricte Instrumento Pacis inhærendum sit, Bremam quoque, & Ferdam penes solos Protestantes manere debere, excluso Monasteriensi. Sed Cæsarei nil amplius regerebant, quam id fieri non posse; nec Cæsari quid contra utilitatem Ecclesiæ Catholicæ facere fas esse. Hac Cæsaris declaratione in consilio Electoris expensa placebat, non amplius Viennæ super hoc negotio colloquia affectanda, nec idem ibi ad liquidum deducendum, quod Cæsar ultro Electoris auxilium ambiturus videatur, faciliore tunc negotiatione, quam si ipse urgeat. Declarationem eam nonnihil ambigui habere, ut tamen ab Electore apud communes tractatus in sui favorem allegari possit. Per justum pactum cum Cæsare initum reliquis fœderatis æmulationem injici; nec hunc in id consensurum, nisi cum condicionibus præstituris. Igitur Crocovius jubebatur scripto decoris verbis concepto oblata acceptare, ac de auxilio ferendo ulterius instare. Ut Cæsar a Gallo extorta recuperet, Electorem operam ex fœdere conferre teneri. Sed si super eo peculiaris conventio ineunda sit, omnium fœderatorum consensum requiri. Quam in rem Elector omnem operam, præcipue apud Belgas, navaturus sit. Non tamen hunc sperare, Cæsa-

1676. Cæsarem ad Luneburgicorum auxilia obtinenda hisce Bremensem provinciam addictum, antequam ipsi satisfactum sit. Num Stralsunda ad conditionem civitatum Imperialium provehenda sit. Electorem statuere nondum posse, cum non constet, an ipsa civitas id desideret.

-saris Electo- ...n mis- ... Jan. §. 17. Quanquam autem Cæsarea aula Electoris vota tam circa satisfactionem, quam hospitia militaria occultis artibus eluderet; haut eo secius blandis eundem verbis demulcere, ac sibi addictum retinere stutebat. Unde sub initium anni a Cæsare ad Electorem mittebatur Adolfus Wratislaus Sternbergius Comes, qui gratias ipsi ageret pro egregio, & Electore Imperii vere digno animo, cujus tam luculenta specimina is hoc bello exhibuerit, corpore quoque ipso, & vita præsentissimis periculis exposita. *Spem esse hoste jam fracto tutam pacem obtineri posse; cujus efficacissimum adminiculum concordiam inter Cæsarem, & Ordines omnibus modis esse conservandam. Et quia Sueci facili negotio Germania ejici posse videantur, Cæsarem sperare, Electorem tunc in Gallos arma versurum, ne in tractatibus pacis compensatio objici queat; cum alias hi circa restitutionem sui fœderati summopere sint laboraturi. Cæsarem sibi de constantia Electoris firmiter promittere, cui & ipse vicissim fidelem operam sit navaturus. Cumprimis autem opus esse unione inter fœderatos, ut omnia de compacto agantur, ac ut concordia inter Luneburgicos, & Monasteriensem servetur. Cui commendandæ ipse missus sit, ne hostis tertias partes in Imperio, aut quid deterius fabricetur. Cellis* -dsee. *se animos sat faciles reperisse. Landseum Baronem ad Monasteriensem missum: sperare, Electorem quoque officia interpositurum. Inde multa super hospitiis excusare. Circa ea Cæsarem quantum in se fecisse, ac propriis legionibus assignatam Gotham, Altenburgum, Vinariam, Jenam cessisse. Si qua mora intervenerit, eam Cæsari tribui non posse. Ast si propria autoritate hospitia invadantur, non nisi collisiones & confusiones inde secuturas, quod non possit non Ordinibus molestum, & intolerandum videri, dispositioni aliorum, pari jure secum agentium, se subjicere. Unde jam Ratisponæ pacem sermonibus jactari, ac querelas moveri, unum Principem alterius ditionibus pro lubitu militem alendum obtrudere. Quam ob causam & Ordines agitare super Deputatione Neomagum mittenda accelerandæ pati; id quod rationibus Cæsaris, ac fœderatorum fraudi esse queat. Igitur suadere, ut Elector hospitiis assignatis adquiescat, nec eorum occasione Ordinibus ancipitia moliendi causam præbeat. Eichsfeldiam & Erfordiam, quam Elector deposcat, esse Moguntini, qui de vastatione sui Præsulatus impense queratur: cujus ratio ob munus, quod in Collegio Electorali gerit, merito habenda sit. Saxonem scripsisse; se in usum Cæsaris tria militum millia conscripturum; nec sperare, a Brandenburgicis copiis molestiam sibi illatum iri. Nec fratribus ejusdem, si maxime velint, integrum esse alteri tributa annuere invito Saxone, qui solus territorii dominus sit, ac jus armorum habeat; quod fratres dein in dubium revocaturi sint, si ipsis ejusmodi transactiones inire liceat. Eum Principem armis quidem parum, sed consiliis Ratisponæ multum valere. Quam ob causam Cæsarem id negotium velut publicum bonum tangens Electori commendare. Quod si hospitia non sufficiant, id fœderatorum liberalitati adscribendum, qui tam egregias ditiones Hanoverano insidendas attribuerint, pecunias ab hostibus Imperii accipienti, & qui adhuc fidei anceps agat. Sane cum Principem id non meritum, nec Cæsarem id pactum in fraudem tot Ordinum probare posse, inprimis si ea hospitia isti ad pacem usque relinquenda sint. Nam his, dum alii onere liberantur, milite in expeditionem educto, molestiam æstate juxta, ac hieme incubituram: eoque hos præter meritum pœnas dare, dum Dux Gallicis consiliis innexus fructum percipit ob tam malignam operam patriæ præstitam; quem pecunias ab hoste accipere, & adversus hostes publice judicatos medium agere pessimi exempli rem esse. Cum itaque nec Cæsar per officium isthoc pactum probare queat, nec fœderati ulterius obligentur, quam ut Cæsari ratihabitionem commendent; dispiciendum, quomodo ei rei medicina fieri queat. Nam ad Comitia eam commode referri non posse, quod Hanoveranus ibi suffragatores inventurus sit eos, queis itidem publica Imperii decreta parum curæ fuerint. Igitur petere Cæsarem, Elector Hanoveranum permovere laboret, ut si non contra Gallum, saltem contra Suecos rem gerat, aut ut is octo militum millia Cæsari tradat, quæ sub Cobiii imperio Electoris exercitui adjungenda sint. Tunc enim fore, ut is Dux in partem spoliorum Suecorum veniat, ac hospitiis juxta pacta fruatur. Ac posse Electorem Duci evictionem nomine Cæsaris polliceri, ut tamen a Duce cautio detur, cum nil contra Cæsarem, & socios tentaturum. A Cæsare tres legationes Hanoveram missas, sed quibus nil præter tergiversationes, & studium servandæ fidei officio erga patriam repugnantis ingesta sint, ac non nisi laxas pollicitationes factas, in Cæsarem nil tentatum iri. Cum itaque non sit e dignitate Cæsaris isti Duci tantum non supplicare; eum cupere, ut vel ipse Elector id negotium suscipiat, vel super eo mentem suam pandat, quo gliscentes sub cineribus tertiæ partes plane extingui queant. Cæsarem quoque æquum judicare, ut fœderati super partis bello terris inter se transigant, idque ut Elector promoveat petere, collisioni inter socios vitandæ. Ubi conventa ad Cæsarem relata fuerint, paterna æquitate ista probaturum.* 1676.

§. 18. Ast isthæc Elector reponebat: *Se omnia libenter facturum, quæ ad concordiam inter fœderatos inserviant; quem scopum & congressus Bremæ habeat. Enimvero Præsuli, ac Ducibus concordiam parum curæ videri, ac utrinque privatis duntaxat emolumentis inhiari. Sui causa Bremensi provinciæ arma illata; ubi & suus miles rem strenue gesserit. Sed cum is miles ad præsidia captorum oppidorum simul admittendus, ac rata sibi portio prædæ attribuenda esset, Præsulem contradixisse, ac in hunc usque diem meris cavillationibus ipsi illudere. Se quidem declarasse Bremensis provinciæ partem haut deposcere, si socii ad subigendam Pomeraniam opem conferant. Sed quia hi, ac præcipue Præsul, eam obligationem induere nolint, sibi velut quem ea res præ aliis tangat, suam actionem salvam esse debere.* Electoris ad proposita declaratio.

Se

1676. *Se autem percepisse, uti Monasteriensis, Cellensis, ac Guelferbytanus Bremam, & Ferdam hæreditario jure inter se diviserint, reliquis fœderatis exclusis, Cellensem id bellum suo arbitrio tanquam præfectum militiæ Circularis administrare velle; cum tamen talia suscipere ejus muneris indolem superet, nec vulgares Circulorum leges heic valeant. Igitur petere, ut Cæsar suam autoritatem interponat, quo ipse jure suo potiatur ac dissidia intercipiantur. Rationes, quas legatus adduxerit, quare ipse assignatis hospitiis contentus esse queat, non magis in se, quam in alios valere, quorum copiæ ab Ordinibus aluntur. Ac eam ipsam ob causam, ut omnia ordine, & ex æquo disponerentur, se apud Cæsarem tam enixe institisse. Nam cessis apud Saxonicos Duces hospitiis sibi parum consuli, quæ antea duabus duntaxat legionibus Cæsareis assignata fuerint, ab his non parum jam delibata. In Pomerania exercitum atteri, non ali posse, & Wolgasto e sua provincia annonam suppeditandam. Suas autem ditiones plane exhaustas. Unde sibi necessitatem allatam Saxonicos fratres paulum subsidii poscendi, quod hoc tempore, quo tractatio pacis auspicanda sit, exercitus quam maxime firmari expediat. Calamitates belli, queis reliqui Electores & Ordines obruantur, inde ortas, quod idoneus exercitus trans Rhenum relictus non sit, nec ii, qui omnes suas opes in usum patriæ impenderint, debito auxilio fulti fuerint. Cum Hanoverano tractatus eo tempore susceptos, cum arma Bremæ inferenda essent, quibus Dux iste se opponebat. Et cum ex altera parte irruptio in Pomeraniam, & obsidium Wismariæ strueretur, ingenti quoque classis Suecicæ fama; igitur ne fœderati ancipiti hoste distraherentur, ingens meritum in causam communem visum, Hanoveranum quocunque modo eo redigere, ne noceret; quod & Hagæ omnibus probatum, ac necessarium visum sit. Marchionem Granam quoque nomine Cæsaris ei Duci plura obtulisse, quam hic pacto cum fœderatis obtinuerit. Inde pacti confirmationem ad Cæsarem remissam, sed a quo liquida declaratio secuta non sit. Se quidem Ducem ad bonas partes amplectendas hortatum. Sed hunc respondisse: sibi expectandum, quomodo prima conventio observanda sit, & ex eo adpariturum, quid ex altera sperandum. Quin nec amplius præstare posse, si in partes descenderit, quam in præsens, dum alios non impedit, ac ratam portionem ad communem Imperii exercitum mittit. Tentaturum tamen, num deinceps amplius quid apud istum effici queat. Quod Dux iste proposuerit, se ratam partem eorum Ordinum, a quibus ipsius exercitus alatur, apud exercitum Imperii repræsentaturum, eaque opera hospitia pensaturum; id eisdem Ordinibus haut placere, quasi hoc modo perpetuum ipsis onus sub alienam tutelam redactis imponatur; cum parati sint per se præstare, quæ Imperio debeant. Petere quoque, ut Cæsar negotium circa partitionem spoliorum Suecicorum promoveat, circa quod aliqui magis de lucro suo satagant, quam ut læsis satisfiat. Suecis in ordinem redactis se paratum arma in autores harum turbarum vertere. Sed a Cæsare ea quoque præstanda, quæ ad præsentis anni expeditionem cum successu suscipiendam requirantur. Si circa hoc Cæsar ipsi gratificatus fuerit, summo se studio pro ejus emolumentis connixurum, ac in præsens tres equitum legiones ad Rhenum missurum.* Moverat etiam Sternbergius de Dorstena Coloniensis ditionis oppido, circa quod invadendum cum Gallos agitare Elector inaudisset, immisso milite eos prævenerat; quod ingens periculum Westphalicis suis ditionibus immineret, in quorum medio id situm erat, si hostem ibi nidulari contigisset. Sed quia Cæsar rogabat, ut Elector militem suum inde amoveret, quod Coloniensis polliceretur, se eidem munitiones detracturum; ac satis adpareret, Cæsarem Præsuli metuere, qui Electori immensa damna attulerat; in istius gratiam eo oppido, & Reclingshusa miles deducebatur. 1676.

§. 19. Porro Elector, ut Cæsaris sibi favorem circa causam Pomeranicam pigneraret, aliam viam tentare instituit. Cui occasionem dederat Rochas Episcopus Hispanicus, qui de matrimonio inter Fridericum Principem Electoralis dignitatis hæredem, ac Viduam Poloniæ Reginam proponebat. Cui cum responderetur, istum jam fidem Principi Cassellanæ obstrinxisse; Rochas regerebat, id vinculum maximo cum emolumento Cassellanæ domus tolli posse, Cæsaris connubio eam jungendam innuens. Ex quo cum Elector conjiceret, talia altiore instinctu moveri, animo Cæsaris tentando Crocovium apud hunc testari ipsius nomine jubebat: Sibi carius nil fore, quam cum Cæsare, ejusque domo tali amicitiæ nexu jungi, prout communes rationes, & utriusque ditionum securitas requirat. De quo ut serio cogitetur, præsentia tempora invitare. Notum esse, uti Suecis Instrumento Pacis successio in totam Pomeraniam concessa sit: tum uti isti e vocabulo *expectativarum*, quod eodem Instrumento positum sit, *in Recessu limitaneo Stetinensi* exsculpere quoque voluerint successionem in Novam Marchiam; in quam interpretationem quantumvis violentam sibi ab omnibus tunc destituto consentiendum fuerit. Id pactum si firmum persistat, non suas solum provincias, sed & Cæsareas perpetuo irruptionum periculo expositum iri; ac inprimis Austriacæ domui summæ fraudi fore, si Suecos aliquando in Nova Marchia pedem figere contigerit. Contra eidem maximo emolumento cessurum, si tam insignibus locis ad Mare Balticum potiatur. Cum autem Sueci omnibus juribus ex Instrumento Pacis, & Recessu Stetinensi quæsitis hoc bello exciderint, Cæsari de sua securitate cogitandum, eoque fine arctiorem conjunctionem meditandam, per quam jura Sueciæ antehac competentia in alium transferri queant. Suas quidem cogitationes pro devoto in Austriacam domum studio in Cæsarem ferri, ac cupere ipsius sententiam nosse, qua ratione hæc translatio juris fieri queat, & quæ unio hæreditaria, aut reciproca obligatio utrinque eo nomine stabiliri queat; ac in ejusdem arbitrio fore, quid eo pacto vicissim Electorali domui addicere velit. Ad quæ Cæsar: Electoris curam pro Republica, ac studium in ipsum, Austriacamque

Super jectio motæ successionis cum Domo Austriaca tentamen. 24. Febr.

1676. Sed quia hæc propositio magni momenti sit, sed post eam mature expensam mentem suam declaraturum. Judicabat Crocovius; rem facilius successuram, si Cæsarea domus prole mascula floreret. Sed hac solitudine sine dubio omnes Catholicos, inprimis Pontificem, & aulam Viennensem id acturos, ut in casum extinctæ familiæ Austriacæ hujus ditiones in Principem Romanis ritibus addictum devolvantur, præsertim cum tunc tota Silesia oculos in Electorem conjectura sit. Unde cum casus vacantiæ facilius in favorem Electoris; quam Cæsaris exiturus videatur, huic pacto inæqualitatem inesse judicatum iri. Inprimis cum Viennensis aula speraret, solidum se, ac præsens emolumentum e bello Suecico capturam. Nam hæc quæ Suecis eripiebantur considerabat non tanquam ad eos, qui eadem occuparent, sed ad fœderatorum corpus pertinentia. Unde si res adversus Gallum male succederent, aut aliam ob causam Austriaci pace opus haberent, animus erat ista Suecis restituere ea lege, ut vicissim Gallus nonnulla loca Hispanis redderet. Id quod cum non solum Austriacis rationibus, sed & Gallo, Anglo, Belgis, ac Suecis congruens sit futurum, cæteris quoque fœderatis eo adquiescendum. Id autem facilius effectu fore, si bello parta indivisa, & inter fœderatos discordia persistant, quam si transactione inita mutuam evictionem invicem stipulati essent, accedente præsertim Cæsaris consensu. Sed si arma adversus Gallos ita feliciter succedant, ut eo remedio opus non sit, Crosnam cupiebant, quod e provinciis Suecicis nil opportuno ipsis situ foret. Unde & conventionem Hagensem probabant, quæ divisionem prædæ differebat; & clam impediebant, ne inter fœderatos super ista transigeretur. Quin palam ostendebant, utut maxime fœderatis inter se convenerit, haut ideo rem confectam, sed Cæsari quoque suas partes superesse non solum tanquam fœderato, sed & velut capiti Imperii, ac legitimo judici. Elector tamen censebat: quia ipse positus regionum id consilium ultro suggesserit, quæ utrinque non facile alia via commodius in tutum subduci queant, officii sui fuisse, de eo Cæsari exponere. Si melius quid ostendi possit ad hunc scopum faciens, id gratum sibi fore. Sane præsente occasione utendum videri. Post tamen Cæsar declarabat; se Electoris sincerum affectum in Austriacam domum satis perspicere; sed non adparere, quomodo proposita effectui dari queant. Nam in ejusmodi pacto Electoris domui utique vicissim quid constituendum. Atqui in Bohemiæ Regno, & adjunctis provinciis etiam fœminas succedere; eoque se iis, qui e fœminis Austriacis nati sunt, præjudicare non posse. Intercedere quoque sibi cum Hispanis pacta hæreditaria, in quorum fraudem nil constitui debeat. Sed & præcipue Vidua Poloniæ Regina respiciebatur, si Cæsarem absque prole mascula defungi contingeret.

§. 20. Idem Rochas de Saxonicorum Theologorum contumeliosis dictis in Catholicos multa querebatur, quorum non nemo scripto nuper edito tradidisset; *inter rudimenta doctrinæ Catholicæ extare, scortationem non esse peccatum.* Quæ cum non nisi animis irritandis eorum, qui in una Rep. vivunt, inserviant, expedire, ut ista fingendi licentia cohibeatur. Unde & is formulam offerebat, juxta quam abolitis litigiorum inutilibus concordia circa sacra in Germania stabiliri possit. Sed Electori haut placebat cum isto in disceptationem descendere, qui tantæ rei haut idoneus autor videbatur; & cujus institutum eo tantum tendat, ut astutiam istorum hominum haut capientibus illudat; cum Protestantibus summa rerum non possit non labascere, si cum Pontifice tractatus suscipi posse credant; qui utique irriti sint cum eo, cujus rationes adversa fronte cum nostris pugnent. Idem tamen Viennam reversus Crocovio dicebat; se apud Electorem, ac alios Principes magnam inclinationem ad unionem in religione invenisse, saltem ut amarulenta scripta, & conciones inhibeantur, & neutri parti plus dogmatum impingatur, quam revera profiteatur. Unde & expedire, ut quælibet partium genuinam suam mentem perspicue, ac succincte exponat; ac interdicatur, ne præter hanc quispiam alteri quid opinionis tribuat: quo ipso animos paulatim ad unionem disponi. Enimvero Crocovius reponebat: *Studium dissidia religionum componendi, vel etiam controversias intra limites caritati consentaneos redigendi utique salutare, ac laude dignum esse. Sed quia iste judicet, id negotium præsenti tempore suscipi posse, id prius efficeret, ut sui fratres, præcipue Jesuitæ, ita cum Protestantibus agant, quo hi fiduciam de istorum candore concipere queant. Sed quomodo Protestantes ab istis sincerum concordiæ, & unionis studium, aut aliquod Christianæ caritatis officium expectare possint, qui hactenus in Hungaria tot presbyteros per immanes cruciatus necarint, tot ibi ædes sacras everterint, tot millia familiarum in exilium ejecerint? Nuper quoque Protestantibus in Silesia duo templa erepta. Quæ a se adducta fuerint ad id deprecandum, insuper fuisse habita. Ne responsum quidem sibi datum; ipsam intercessionem offensæ in vicem acceptam. Ne ad Electoris quidem literas, verbis ad movendam misericordiam aptissimis conceptas, responsi quid repositum. Ea omnia non ad conciliationem animorum, sed ad extirpationem nostratium spectare. Quamdiu ejusmodi persecutiones durent, de pace propositionibus fidem adhiberi non posse sed insidias subesse suspicandum astu subruentis Protestantibus, qua vis non pertingat. Id quod eo magis dolendum sit, quod in præsens Protestantes optimi fœderati Cæsaris sint, ac Elector cumprimis Catholicos in ditionibus Cæsareis a Suecorum vexationibus liberarit. Igitur solidum documentum animi sui a Catholicis edendum, si quidem fidem sibi haberi velint.* Ita iste Rochas confusus discedebat, vir alias inquieti animi, & qui semper aliquid quærebat, in quo se jactaret. Et experientia constat, eos qui circa Romanenses cum

1676. *dis religionibus inanis conatus.*

6. Aug.

1676. cum Protestantibus conciliandos fategerunt, aut impostores fuisse, aut judicio mentis parum polluisse.

Electoris circa nuptias Cæsaris studium. §. 21. Sed & aliam occasionem Electori sinceriorem aulæ Cæsareæ amicitiam pignerandi obtulisse videbatur mors Augustæ Claudiæ Felicitatis; cujus locum ut subire posset Neoburgici filia maxima natu Eleonora Magdalena *Mart.* Teresia duplici nomine is cupiebat; quod ea provenisset e Germanica stirpe spectatæ fœcunditatis, qualis uxor Cæsari ab omnibus optabatur; qui turbas animo præcipere poterant, Germaniæ incubituras Leopoldo absque prole mascula extincto. Et quia tanto candore amicitiam cum Neoburgico Elector coluerat, merito sperare poterat, ejus autoritatem, qua post id connubium in aula Cæsarea gavisurus erat, multum sibi profuturum, ut suæ rationes huic magis cordi forent. Igitur quo novo specimine demonstraret, nil sibi Neoburgicæ domus incrementis carius esse, in eum sensum ad istum *12. April.* literas dabat: *Cum Cæsaris thorus altera jam vice compare vacuus sit redditus, se non dubitare, quin Neoburgico idem cum omnibus patriæ amantibus civibus votum sit, ut ea jactura brevi iterum suppleatur, quo Cæsaris domus sine prole mascula haut maneat. Cum autem protinus animo suo filia ejus occurrerit, ac ipse certo persuasus sit, qua orbis Christianus patet, Cæsari meliorem conditionem offerri haut posse, quam si is sociam thori sibi adsciscat Virginem Principem tam eminentibus virtutibus, & perfecta corporis valetudine præditam: igitur non potuisse se non cogitationes suas pro sincero in domum ipsius affectu pandere, oblato enixo in eam rem studio, ac quæ sententia ipsius sit nosse cupere.* Quo fine etiam Ottonem Suerinum seniorem Consilii Præsidem Clivis Dusseldorpium ad eum Principem ire jubebat. Simul Crocovio injungebat, ut Stratemanno operam Viennæ in eam rem sociaret; de cujus successu inter alia spem dabat, quod Neoburgicus, qui multos per annos amicitiam Galli coluerat, inanibus semper præstigiis ab hoc illusus, jam commodum fœderatorum partibus accesserat.
5. Maji. Neoburgicus responso ingentes gratias pro fido in ipsius domum affectu reponere. *Equidem sibi nunquam id arrogantiæ fuisse, ut de ejusmodi felicitatis, ac honoris fastigio cogitare auderet. Id tamen longe a se abesse, ut si Cæsar oculos in filiam suam conjicere dignatus fuerit, id ipse non supremam domus suæ fortunam æstimaturus, ac se, suosque Cæsaris ministerio libenter consecraturus sit. Equidem se non dubitare, quin multæ Principes Virgines animi, & corporis dotibus sua filia longe potiores Cæsari proponendæ sint. Unicum autem, quod hæc præter pietatem, ac morum modestiam Cæsareæ domui inferre possit, esse spem successionis quam vivax, & integræ valetudinis constitutio corporis, ac ipse flos juventæ plenis viribus succinctæ promittat; quam & spem prosapia haut sane infœcunda confirmet. Et quia is præcipuus Cæsaris scopus sit, quem & omnes boni cives optent, in Electoris arbitrio fore, quid in hanc rem agi consultum judicet. Quicquid fortunæ sibi, suisque hac occasione accessurum sit, id Electori, totique ejus domui devotum fore, ac hunc cum tota posteritate etiam in ipsius posteris experturum, se etiam post fata fidissimi consanguinei, & fratris affectum in eundem exserturum.* *1676.* Porro & Cæsarei ministri, ac ipsi sacerdotes Crocovium monebant, ut Elector gravibus literis Cæsarem ad maturandum matrimonium hortetur; quæ eo plus ponderis habituræ sint, quod Cæsar de Electoris in ipsum affectu amplissime sit persuasus, & quod eidem quam maxime in votis sit, istius domum propagari. Post elapsa igitur prima luctus tempora, & ubi decorum erat de talibus movere, Crocovius jussu Electoris secreto alloquio Cæsari suadebat, ut mature de novis nuptiis cogitet, ac thalami consortem eligat Germanica stirpe oriundam, quæ & animo ipsius satisfaciat, & certam fœcunditatis spem Domui Cæsareæ inferat. Et quanquam circa talia ipsius Cæsaris quam maxime libera debeat esse electio; in votis tamen sibi esse, ut Neoburgici filiæ habeatur ratio, de qua persuasus sit, toto orbe Christiano meliorem thori Cæsarei consortem inveniri non posse. Tradebantur in eundem sensum Electoris literæ. Id officium a Cæsare multa cum benevolentiæ significatione acceptum. Sed quia id genus negotii palam apud ipsum Cæsarem ab alieno legato urgeri haut decebat, Crocovius Cæsareos ministros, & Sacerdotes stimulabat, ut istum rogarent, ne tempora luctus nimium porrigat, neu inania cerimoniarum saluti orbis Christiani præferat, cujus tranquillitas magnam partem ex isto connubio dependeat. Amoverat quoque Elector negotium, sine dubio nuptiis hisce viam obstructurum. Fuerat Neoburgico vetus lis cum suis Ordinibus provincialibus; in qua secundum hos pronuntiatum erat. Ac jam designati erant Moguntinus, & Trevirensis exsecutioni faciendæ, quibus Cæsareæ copiæ Bornonvillio duce pondus addituræ erant. Ea exsecutio si successisset, Neoburgicus plane a Cæsare alienandus fuerat. Ast ne id negotium perficeretur, Electoris autoritate, & studio apud Cæsarem obtentum fuerat.

§. 22. Cæterum tanti connubii occasione *Circa id connubium ambitus.* non tam Principum fœminarum, quam Cæsareorum ministrorum ambitus immensum exarserat, hanc aut illam optantium, aut aversantium, prout cuique affectus, aut utilitatis spes foret. Ac vidua quidem Augusta, omnesque Itali, & qui ab his pendebant, Italam optabant: sed Cæsar Germanam cupiebat. Bavari filia proxima huic spei fuerat, ni tenera valetudo, ac ætas nondum satis firmata obstaret. Igitur initio circa tres præcipue certabatur, Ulricam Eleonoram Regis Daniæ sororem, Carolo XI. Regi Sueciæ desponsatam: sed qui nexus oborto inter Suecos, ac Danos bello a quibusdam facile abrumpi posse credebatur; Neoburgicam, & Durlacenam. Pro prima præcipue contendebant Schwartzenbergius, & Sintzendorfius Cameræ Præses, ille odio in Neoburgicum, hic Holsaticam ob affinitatem. Alteri studebant Lambergius supremus aulæ præfectus, Paulus Hocherus,

1676. cherus, & Ditrichsteiniana factio, una cum Jesuitis. Tertiæ favebant Pater Emmericus, Albertus Sintzendorfius, Kœnigseckius Imperii Vicecancellarius; qui tamen cum de sua desperassent, primæ se factioni jungebant. Ita inter Danicæ, & Neoburgicæ fautores maxima æmulatio surgebat, per privatos magis respectus, quam æstimatione Principum accensa. Nam ministri e Cæsareis ditionibus oriundi nolebant Principem ex Imperio ortam, ac inprimis Neoburgicam eo loco potiri, quod metuerent, ne ejus fratres, & cognati pinguissima beneficia, ac munia, quæ ipsi alias sperare poterant; in se verterent. Quibus omnes illi accedebant, qui ob offensum hactenus Neoburgicum vindictam metuebant. Plerique verebantur, ne Neoburgicus consummatæ prudentiæ Princeps in consilio Cæsaris deinceps prævaleret, imminuta potentia, quam ministri hactenus usurpaverant; neve is aliam agendi normam in consilio Cæsaris introduceret, ad genium reipublicæ Germanicæ magis congruentem; cum isthoc aliquando ad talia devolvi gauderet, quæ dominatum magis, quam libertatem Ordinum saperent. Sed eo circumspectius quilibet studium suum expromebat, quod incerto exitu id palam præ se ferre intutum erat; ne ubi spes sua fefellisset, futuræ Augustæ offensam incurrerent. Quorum exemplum & Crocovius imitatus, cum interrogaretur, quodnam Electoris heic studium foret, palam respondebat; Ei nullum aliud votum esse, nec ejusdem aliam hoc in negotio utilitatem versari, quam ut Cæsar conjugem nanciscatur, quæ & animo ipsius satisfaciat, & spem successionis impleat. Contra etsi Ulricæ Eleonoræ sponsalia cum Rege Sueciæ obstabant, & quidam circa fœcunditatem ob sororem Principi Palatino nuptam scrupulum movebant, utut eum matris, ac duarum sororum specimina satis eximere poterant: ejus tamen factio insigniter gliscebat, & quicquid humana industria excogitare poterat, pro ea impendebatur, sic ut eadem aliquandiu Neoburgicæ longe prævalere videretur. Ei & Nuntius Pontificis, & omnes e sacro ordine favebant, quod Daniæ Rex Romani ritus exercitium in Regno suo permissurus diceretur, ubi id matrimonium succederet. Unde istis spes erat, prout infatigabili studio circa sacrorum suorum propagationem flagrant, se totum id Regnum cum Regia familia ad ritus suos pertracturos. Legatus Hispanicus, & qui secreta consiliorum tractabant, idem connubium suadebant ob arctum fœdus, a Daniæ Rege oblatum, eo magis amplectendum, quod Elector, & Luneburgici nunquam autoritati Cæsareæ multum detulerint; quibus & multum ferociæ accessurum sit, si æmulus Suecus e latere imminens amotus, istique ejus provinciis aucti fuerint. Ac expulsis Suecis conjunctionem Dani, Electoris, & Luneburgicorum Cæsari, ac parti Catholicæ formidandam fore. Unde stabiliendæ Cæsaris autoritati in partibus Germaniæ mari vicinis, ac librandæ potentiæ Brandenburgici & Luneburgicorum 1676. è conjunctione cum Dano remedium petendum. Sane legatus Danicus Lilliecrona aureos montes pollicebatur, non sine minis in eos, qui contraniti auderent. Hanoveranus quoque Dux promittebat, se eam Principem ad assumendos ritus Romanos persuasurum, ac probe de iis informatam Cæsari traditurum. Sed quia factio illa magno cum strepitu rem agebat, ingenio Cæsaris eum agendi modum aversante, nimis enixo studio votis suis obstabat; cujus & inclinatio inter hæc ministrorum certamina impenetrabilis erat; etsi satis adparebat, magis eum rationes familiæ, & posteritatis, quam status respicere. Unde & is, quid sui ministri satagerent securus, primo consiliariorum sententias super suo connubio scripto conceptas exigebat. Inde medicum Beckerum clam Monachium, Neoburgum, Durlacum, Darmstadium, Gotham, Hafniam, & Gustroviam circummittebat, ad spectandum Principes ibi virgines, ac ut singularum temperamentum, ac valetudinem exacte referret. Qui reversus Cæsarem solum secreto per triduum de iis, quæ observasse sibi visus erat, informabat. Hafniam quoque missus Meiersbergius Baro Cæsareus ablegatus de virtutibus, ac moribus Ulricæ Eleonoræ magnifice retulerat, simul constitutionem corporis haut expers prolis matrimonium polliceri. Ac erat ea conditio Daniæ Regi, Reginæque matri, ac Saxoniæ Electrici cumprimis optanda. Sed duo quam maxime obstabant, sacrorum diversitas, & cum Sueciæ Rege sponsalia. Ac circa ista quidem Fridericus Alefeldius Comes id temperamenti proposuerat, quod & Viennæ obtentum iri spes erat, ut ista sub utroque symbolo mystica cœna uti posset, & circa invocationem sanctorum, ac purgatorium crederet, quantum placeret, modo offendiculum ibi populo non præberet, nec quid in fraudem Romanorum rituum moliretur. Eo de negotio cum mater, ac soror Saxoniæ Electrix Ulricæ Eleonoræ Regis fratris impulsu proponerent, ista reponebat: præmature super sacris moveri. Sed si maxime sibi permittatur sacra, quibus innutrita sit, & quorum veritatem solide agnoscat, publice ibi profiteri; eam tamen palmariam quæstionem esse, num salva conscientia exuere fidem possit per solemnia sponsalia Regi Sueciæ datam, ut majore honoris gradu potiatur? Et cum matri id responsum liberius videretur, quam quod decere possit virginem, quæ suorum autoritati obnoxia agat, nec de se proprio e judicio statuere possit: ista regesserat; penes Regem fratrem, & Reginam matrem esse matrimonium cum Sueciæ Rege abrumpere, se inconsulta. Ast si sua sententia exquiratur, aliter se respondere non posse, quam utique cavendum, ne qua macula conscientiæ adspergatur. Et complures Theologi consulti responderant; ea sponsalia, si ad legis divinæ sanctimoniam exigantur, vim matrimonii habere, quod a neutra parte illæsa conscientia rumpi possit. Ad quæ regerebatur; id vinculum jam in Suecia abruptum, quod Anna Eboracensis Ducis filia pro Rege Sueciæ in con-

1676. conjugem ambiatur; eoque cum Suecus de abrumpenda connubiali fide agitet, decus Regiæ familiæ in Dania requirere, ut ea contumelia præveniatur. Sed ista responderat; quæ de Anglica procatione ferantur, nondum satis explorata esse. Ac quicquid ejus sit, hanc se contumeliam haut metuere; & si maxime constet, in Suecia fidem abruptum iri, sibi tamen haut decorum videri, ob captandam majorem dignitatem alterius delictum delinquendo prævertere. Demum Mater Filiam vetabat plus verborum facere, quam se a Fratre pendere, ac omnibus, quæ is facturus sit, contentam fore. Sed hæc regesserat, se non sæpius locuturam, quam Rex, & Regina ut respondeat jussuri sint; qui sine dubio non simulatum, sed sincerum responsum a se desideraturi sint. Denique Cæsarem pietatis, ac generosi animi fama ita celebrem esse, ut conjux sibi habenda sit non inferioris animi, & cui fortunæ splendor hautquidquam ante honestum habeatur; nec se maritum optare, cui degener aliquod factum causam ipsam despiciendi præbere possit. Sed & eadem Hanoverani Ducis ministro dixerat; Avunculum rem sibi gratissimam facturum, si nil amplius curæ circa promovendam ipsius fortunam suscipere velit. Nec Frater dehinc, aut Mater tam tenero religionis, ac honesti sensu imbutum animum tentare ausi sunt. Iis cognitis spes eorum, qui Viennæ pro hac Principe nitebantur, decollabat, præsertim cum constaret, eandem jam a teneris annis innocenti affectu in Sueciæ Regem inclinasse. Ac ipse Cæsar malebat ritibus Romanis innutritam; nec minus suis moribus parum congruens ducebat, alteri desponsatam, invitamque intercipere. Sed & qui Neoburgicæ quam maxime obstiterat Schwartzenbergius deliniebatur, dum Neoburgicus ipsi circa magni momenti prætensiones non sine insigni impensa gratificatur, citra quem alias id matrimonium haut successurum credebatur. Quo delinito Sintzendorfius quoque cedere cogebatur. Ita demum Cæsar maximo cum Electoris gaudio Neoburgicam elegit.

Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra laboratur. 30. Mart. Gladebeck.

§. 23. Quia porro, uti paulo ante retulimus, Cæsar per Sternbergium Comitem monuerat, ut Elector circa trahendum in partes Hanoveranum laboraret, hic Bodonem Gladebecium ad aulas Luneburgicas circummittebat; Cellensi, ac Guelferbytano communicaturus, sibi decretum hac æstate Pomeraniæ oppida invadere; simul eorum consilium exquisiturus, Anclamo, an Stetino obsidium prius sit circumponendum. Idem quoque de arctiore conjunctione cum Dano proponere jubebatur, ac ut Electoris ratio circa Bremam dividendam habeatur, a qua per peculiares tractatus ipsum excludi iniquum sit. Si Hanoveranus in partes trahi nequeat, ut saltem Monasteriensis retineatur. Excusaret quoque, quod Electori non constiterit, Dorstenam a Luneburgico milite fuisse insessam, cum ne statio quidem ad portas oppidi fuerit. Sed & eo magis Electori cavendum fuisse, ne is locus a Gallis invaderetur, cum eodem tempore Virsetus Baro castellum Leodiense Gallis prodidisset. Nec esse, quod Coloniensis tantos jam tumultus ob interceptam Dorstenam moveat, cum is nunquam questus sit, quando olim complura ipsius oppida a Gallis insidebantur. Apud Hanoveranum jubebatur exponere, uti per pactum ante octo menses conclusum is lautes hospitiis reipsa gavisus sit. Sed quo minus ratihabitio Cæsaris secuta sit, obstitisse tempus eo pacto haut expressum, cum talia in infinitum porrigi Cæsar haut tolerandum duxerit. Præsertim cum Ordines, queis onus istud incumbit, & exercitus, qui in hostem rem gerunt, valde querantur; isti, quod præ reliquis onus nullo intervallo ferre cogantur; hi quod parcius habeantur, quam illi, qui nunquam ferrum pro patria strinxerint. Unde par esse, ut Dux bona fide partes Imperii amplectatur; quo facto tam circa hospitia, quam partem prædæ Suecicæ ipsi abeunde satisfactum iri. Cæsarem id valde desiderare, & Electori ad hanc missionem stimulum addidisse, qui nil aliud heic spectet, quam salutem publicam & ipsius Ducis securitatem. Si objiciatur, a Cæsare prius pactum haut ratihabitum, reponeret præter superius dicta; Cæsarem ægre tulisse, tot suas missiones frustra fuisse. Sed si nunc Dux bonis partibus accedere velit, procuratorium Cæsaris,& ratihabitionem non defore. Electorem quoque priori tractatione credidisse, Monasteriensi a Cæsare in eam rem mandata fuisse. Alias haut facile fore fœderatis in hostem movere, ni a tergo ipsis cautum sit. Ducem pro fide, quam patriæ debeat, decretis Imperii honeste se subtrahere haut posse, præsertim cum hospitiis tamdiu gavisus sit. Si in Gallum arma stringere dubitet, in Suecos moveret, aut Electori aliquot legiones commodaret. Neoburgicum quoque jam aliam consiliorum viam iniuisse: forte Bavarum idem facturum. Ita Ducem solum destitutum iri, cui vix diutius indulgendum sit, ut erga communes patriæ hostes medium se gerat; quod & officio, quo Ordines Imperio tenentur, repugnet. Nam quod Dux plane in hostium partes concessurus sit, id præsumi non posse; cum res fœderatorum in melius, Gallorum, & Suecorum in deterius eant. Sed si his rationibus nihil proficiatur, in discessu modeste demonstraret; Cæsari ac fœderatis eam repulsam dolori futuram. Electorem sincero animo quantum in se fecisse,& adhuc facturum. Danum quoque, fratres, Monasteriensem ulterius instituros. Pertinaciam periculo non carituram. Nec hospitia ipsi amplius præstari posse, super quibus Anhaltinus,& alii graves querelas Ratisponæ moveant, eaque ad Kalendas Maji evacuari petant. Denique transitum Electoralium copiarum excusaret,si quid hæ molestiarum dederint; ac si Duci placeat super pretio rerum, quæ militi a provincialibus præstandæ sint, cum ipso conveniendum. Cum Cellas delatus esset Gladebecius, ministri querebantur; circa Bremense negotium alios aliis respectibus trahi, ac suæ domui plus periculi

1676. Virset.

1676. riculi imminere videri, quam Suecorum vicinia unquam generare potuerit. Danum fervoris, & acerbitatis nimium in hoc negotio ostendere. Præsulem quoque extra oleas vagari; ac arduum fore inter hunc, & Cellensem solidam amicitiam instaurare. Circa Bremam tot competitores concurrere, ut suæ domui parum superfuturum sit. Danum potissimam sibi Ducatus partem in mare vergentem deposcere, cum vectigali ad Stadam, Capitulo Hamburgensi, & insula Crutsandia. A Præsule Ferdam, Wilzhusam, Tedingshusam, plura affectari. Electorem quoque actione in hanc provinciam cedere, ac Hanoveranum prædæ exsortem esse nolle. Enimvero æquum esse, ut quilibet fœderatorum eo modo armorum præmia querat, ne reliquis suspicio injiciatur, aut omnis spes emolumenti adimatur. Sane Ducibus non in Scania, aut Pomerania, sed utique in Bremensi provincia satisfaciendum. Igitur & his idoneam portionem relinquendam, ne usque adeo spe sua excidant, ut arreptis contra Imperii hostes armis nil præter periculosiorem statum, quam vicinis Suecis, lucrati videantur. Unde sibi nosse expedire, quid e Bremensi provincia Elector in utrumque casum desideret, sive in Pomerania ipsi satisfiat, seu minus: & quid ipse Dano, & Monasteriensi assignandum judicet? Antequam de eo constet, se de sua mente aperire non posse. Credere quoque falso spargi, Electorem portionem suam de Bremensi ditione in Danum transferre velle, ne sibi necessitas imponatur ei periculo avertendo promta remedia circumspiciendi. Ipse quoque Dux rogabat, ut Elector pro sua prudentia consideraret, in quantas angustias Luneburgica domus conjicienda sit, si Danus dominus ostiorum Albis, & Visurgis, ipsarum que adeo urbium Hamburgi, & Bremæ reddatur. Sane notum esse, quid ipse proservanda Bremensi civitate contra Suecos fecerit. Jam autem hos minus sibi formidandos, quam Danum, cui jam ingens commodum in Mare Balthico per Wismariam accesserit. Igitur sibi vigilandum esse, cum de libertate, & commerciis agatur. De Hanoverano parum spei faciebat. Cæterum verborum amicorum & pollicitationum affatim reponebatur. Apud Hanoveranum Gladebecius nil proficiebat; qui excusabat, se conscientiæ, & existimationis causa patriæ partibus accedere non posse. Pacto cum fœderatis inito se inhærere; atque hoc medio suo statu haut parum profuisse, dum reliqui bellum nemine domi turbante persequi potuerunt. Senatus consultis Ratisponensibus se obtemperasse, quantum alii Ordines, qui aperte bellum non sumserunt. Cæterum sancte testabatur, non esse quod sibi diffidatur, nec se a Gallo, aut Suecis utcunque res cadat in devia abducendum, quamdiu promissa sibi serventur. In hac sententia immotus perstabat, nec ullis rationibus ab ea abduci poterat. Quæ circa ejus hospitia tamen dicta fuerant, ad animum videbatur revocare, ac suspicabatur id negotium ab Electore quam maxime urgeri. Nec magis apud eundem Ducem profecit Daniæ Rex, misso Goschio Bucwaldo. Qui tamen judicabat, ab isto nil metuendum. Et postquam ipse Scaniam, Elector Pomeraniam invadere velint, haut consultum esse acribus remediis istum irridare; præsertim cum Galli, & Sueci ab eodem nil amplius postulent, quam ut in medium se gerat. Ac si hospitiorum nomine molestia ipsi facessatur, verendum esse, ne tertiæ partes, quas iste cum Bavaro, & Saxone diu parturivit, demum in lucem erumpant. Ducem id unicum causatum, e suspicione erga fratres ope Galli arma sibi fuisse paranda; cum revera isti cum hisce optime convenirent. 1676. Bucwald.

§. 24. Quia autem rebus Germaniæ admodum noxium erat, Hanoveranum validis copiis succinctum ita ambiguum agere, cum Bavaro, & Saxone tertias partes aut infestius quid agitantem, quorum & nuda secessio vires Imperii non parum imminuebat; igitur ei ad officium patriæ præstandum permovendo Ratisponæ quoque opera sumebatur. Nam indies invidia adversus eundem gliscebat, quod cum copiæ ejus ab aliis Ordinibus alerentur, is haut eo secius clandestina cum hostibus publicis commercia aleret. Qui & superiore anno cum Gallo pactum super medio statu iniverat, acceptis in singulos menses XX M. uncialium; quæ summa sequenti anno ad XXX M. augebatur. Unde ad querelas Anhaltini, & aliorum Ratisponæ decretum, ut Hanoveranus istis hospitiis desistat. Cujus conclusi tamen exsecutio hærebat, ne medicina intempestive adhibita malum ipso morbo deterius produceret. Super eo Hanoveranus apud Electorem graviter querebatur, ac petebat, ut is apud Cæsarem instet, ne mandatis ipse urgeatur; alias sibi sponsores adpellandos. Elector SCtum non poterat non æquissimum judicare, & continuationem hospitiorum Ordinibus, quibus ea incumbebant, intolerandam esse. Sed quia per iniquitatem temporum tam fœdus libertatis abusus, quam quidam Principes præter fas, ac rationes patriæ usurpabant, corrigi non poterat; & quia ipsa aula Cæsarea judicabat, in præsens moderatione utendum, nec Ducem ad deteriora consilia arripienda compellendum; Elector quoque censebat, mandata non præcipitanda, aut si ea declinari nequeant, ita temperanda, ne Dux protelatus ad extrema ruat, ingens obstaculum fœderatorum armis daturus. Sane Cæsareis acta Ducis admodum invisa erant, ac ea emendari valde cupiebant: sed acribus remediis abstinebatur, non tam ob respectum in hostes, quam ipsos fœderatos. Nam & ipse Cellensis suspectus erat; Danus Ducem offendere nolebat; Monasteriensi plane confidi non poterat. Haut eo minus Elector Hanoveranum enixe hortari non desinebat, ut omisso neutro statu copias suas ad limitem Germaniæ rem gerere sinat, cum nullum prætextum sit decreto Ordinum a Cæsare probato obsequium abnuendi. Sane & se, cum a Suecis invaderetur, querelas Ratisponam detulisse. Sed cum ista incassum occinerentur, in præsens adquiescendum erat. Ac suadebat Daniæ Rex, satius esse circa

Apud eundem decreta Imperii parum valent.

24. Jul.

7. Nov.

1676. circa hospitia connivere, quam recentem hostem, quindecim bellatorum millibus stipatum, in se trahere. Sibi quidem constare, modo ne nimis rigide cum isto agatur, eum nil moturum, sed in præsenti statu permansurum. Ast valde metuere, ne ubi acrius urgeatur, ad desperata consilia descendat, & occasionem mala patrandi, quæ a multis ipso in Imperio suggeratur, arripiat. Bavarum utique nil amici agitare. Saxonem quoque in tertias partes inclinare. Ubi Galli, & Sueci animadverterint, posse quosdam Ordinum in suas partes pertrahi, pecuniam, & artes non defore. Ordines, qui Ratisponæ tam asperas sententias in Hanoveranum dixerint, forte tam opportunam occasionem Suecos Germania dimovendi parvi facere. Sed sibi, atque Electori eam exoptatissimam esse; eoque sibi præcipue curandum, ut moderata consilia adhibeantur, ne novo hoste orto destinata in Suecos intercipiantur. Et in eum sensum idem Rex quoque ad Cæsarem scripserat.

Circa Bavarum in partes trahendum frustra laboratur. §. 25. Nec minus laborabatur etsi pari successu, ut Bavarus in bonas partes pertraheretur, cujus consilia fœderatorum destinata non parum infringebant. Eo nomine ipse Neoburgicus Monachium proficiscebatur, ubi omnes rationes istum inflectendi frustra consumebantur, maxime resistente Smidio Cancellario, studio in Gallum penitus imbuto. *16. Jul.* Idem Bavarus vicissim misso legato Viennæ citam pacem urgebat, eique conciliandæ officium offerebat; ac ut Suecis ablata restituantur, Gallo vicissim Hispanis loca quædam reddituro. Quæ a Cæsare rejiciebantur. Eidem ad alia consilia permovendo Electorale Collegium Constantinum Bertramum Moguntini, & Antonium Schottum Saxonis nomine Monachium ablegabat, ut abdicato in Gallum favore in hostes Imperii arma jungeret. Quibus is re-*6. Oct.* spondebat: *Se perspicere haut posse, suas, ac domus suæ rationes ferre, ut ipse ullo modo huic bello se misceat, ac ditiones suas periculo tam propinquas ancipiti aleæ exponat: præsertim cum sibi unicæ instauratio pacis in Germania, & conservatio suarum fortunarum cordi sit, quibus juxta Instrumentum Pacis contentus agat, nec novas adquisitiones, aut exteros respiciat, qui alios in partem belli, etiam diu ante quam SCta Ratisponæ fierent, pertraxerint.* In colloquiis, quæ delegati cum Bavaricis habebant, hi differebant; *Bavarum nil conferre posse, aut velle, ut Sueci, & Galli solo Germanico eliminentur, qui sponsores pacis Westphalicæ sint, & esse debeant, quam persistere ipsius tantopere intersit, & quæ istis in ordinem redactis plane evertenda sit, omnibus ibi quæsitis juribus in dubium vocatis. Sed nec conventum Ratisponensem super violatione pacis, de qua Reges arguantur, idoneum judicem esse, cum Imperium pars sit. Legatos itaque Neomagum mittendos, ac videndum, quis in mora pacis sit; ac si æquæ conditiones non admittantur, Bavaro esse viginti millia ferro stringendo promta; (non addito, adversus quem.) Ratisponensia SCta citra obligationem esse; nec majorem suffragiorum partem hic valere. Multos Regibus sese infestos ferre privatum ob commodum, ac ut terrarum quid adquirant; bonum publicum obtentui sumi.* Asperum id erat responsum, & 1676. quo haut obscure Elector perstringebatur. Ac manifestum erat, quamdiu ad istam normam Germania administraretur, ac potentissimi Ordinum ejusmodi consilia impune agitarent, non posse non patriam exterorum ludibriis & insultationibus expositam esse, tanto corpore demum plane corruituro. Ac si cui Ordinum persuasum sit, salutem suam magis favore exterorum, queis summa consiliorum est Germaniam enervare, ac distrahere, quam conservatione totius Imperii niti; eum non solum pro malo cive habendum, sed & stolida opinione duci, velut in universorum ruina ipse solus salvus sit futurus, aut exteros quantumvis blandientes ipsum magis, quam reliquos servitii immunem sint relicturi. De isto responso Elector apud Cæsarem querebatur; sed quem præter rationes, quæ circa Hanoveranum considerabantur, etiam tener quidam affectus in Bavarum movebat, quo minus durius cum ipso ageret. Scribebat quoque Elector ad reliquos Collegas, ut super hac Bavari declaratione longius penetrante Ratisponæ consultaretur. Qui Cæsaream declarationem prius expectandam respondebant.

§. 26. Non modicam quoque bonis partibus debilitatem, maximam Electori molestiam adferebat, quod per enormem aviditatem, aut invidiam quorundam fœderatorum circa Bremensis provinciæ partitionem conveniri non posset. *Super partienda Brema Arausionensis sententia.* Circa quam rem Arausionensis censebat; Danum Carlsburgum, & Stadam sibi velle: Luneburgicos Carlsburgum destructum cupere, sed Stadam cum munitionibus retinere velle: Monasteriensem Ferdam affectare, ac de munitione ad Visurgim extruenda agitare: Hanoveranum quoque parti inhiare. Ita unum alteri cupita impedire, ac suis duntaxat commodis velificari. Sed quia nemo eorum Carlsburgum, aut Stadam retinere, aut novam munitionem extruere absque vicinorum æmulatione queat, optimum fore ista oppida munimentis nudari, ac novi nil strui; divisionem autem differri, quoad Sueci penitus expulsi sint, ac id negotium Neomagi expediri. Interim administrationem Bremæ Ducibus, Ferdæ Præsuli relinqui: Electori autem & Dano de præda, & hospitiis ratam dari par esse. Nam ubi fœderati in diversa abeant, & quilibet privatum lucrum aucupetur, omnes voti sui falsos fore. Ad quæ Elector reponebat: Id quidem a se probari, ut Carlsburgum, & Stada munitionibus exuantur; sed partitionem Neomagum rejici haut consultum videri. Nam Gallos, & Suecos eidem varia obstacula injecturos, ac forte dissidium inter fœderatos excitaturos. Nec concordiam, quæ quoad communes tractatus suscepti fuerint, tantopere necessaria sit, hoc modo obtineri; quin diffidentiam, & dissidium semper mansurum, quoad cuilibet constet, quid habiturus sit. Sed & temporariam dispositionem inæqualitate laborare, se, & Dano plane excluso.

Unde

1676. Unde satius fore quamprimum transactionem inire, quæ æque promte atque temporarium pactum inveniri queat. Cæterum Belgæ metuebant, ne Danus, si per Carlsburgum, & Stadam Albis, & Visurgis ostia in ditionem redigeret, commercia impedire, ac vicinos pro lubitu insultare aggrediatur, quem metum Luneburgici alebant, ut ipsi eo facilius Brema potirentur. Quo non parum conferebat, quod Danicæ copiæ nuper hospitia per Frisiam Orientalem invaserant, nequidquam deprecantibus Belgis. Ex quo colligebant; si talia jam invito Cæsare fiant, quid dein metuendum, si Danus Holsatiam per tractum Bremensis provinciæ cum Oldenburgica continuaverit? Quin si idem Wismariam retineat, & Scaniam recuperet, plus prædæ adquisiturum, quam reliqui omnes, cum postremus bello accesserit, ac plus subsidiorum quam alii acceperint; præsertim cum hoc bello tantum auxiliarius haberi velit. Unde Belgæ Ducibus, & Præsulis magis quam Regi favebant. Cum contra Elector censeret; Regem iniqua suspicione laborare, ac eum modicum duntaxat tractum sibi deposcere velut lineam communicationis, ac consentire, ut Carlsburgum solo æquetur. Ac forte Duces, atque Præsulem non minus commerciis prægraves fore, ubi destinata sua obtinuerint.

ea in-...um di-...ta. §. 27. Circa Bremensis porro provinciæ partitionem inextricabilis disceptatio surgebat. Ac initio anni quidem Luneburgici nostros in partem præsidii Carlsburgensis admittere volebant, dissentientibus Dano, & Monasteriensi; qui & in ejus loci destructionem consentire nolebant, quam contra Elector, & Duces urgebant. Controversia quoque erat de bonis Suecorum in commissum cadentibus, quæ Cæsar jure fisci sibi soli vindicabat; cum Cellensis tanquam Circuli præfectus sibi de iis disponendi jus competere ferret. Sed Elector se excludendum negabat, quod bellum in Suecos, ut sibi satisfieret, gereretur. Sed cujus postulata eludebantur, quod Duces, & Præsul clandestinum pactum inivissent, quo istis duæ tertiæ partes, Præsuli una ejus provinciæ pars assignata fuerat, adjecta Wiltzhusa velut præcipua portione, Electore excluso. Unde quando Ledeburius Bremæ istorum legatos urgebat, ut Electori satisfieret, vel defectum mandati excusabant, vel se apud ipsum Electorem id expedituros, manifestis Monasteriensium præcipue ludibriis. Igitur Elector ad Danum, Duces, ac Præsulem scribebat, ut legatos suos plenis mandatis instruant, ne deinceps prætextum sit tempus incassum extrahendi magno cum causæ communis damno. Ad quæ Guelferbytanus ample pollicebatur. Hannoveranus de ea tractatione sibi quid constare negabat. Cellensis causam conferebat in multitudinem eorum, qui partem provinciæ affectent, quæ omnium cupidinem implere nequeat. Ac debuisse statim initio, antequam nomine Imperii huic provinciæ arma inferrentur, ejus divisionem designari legibus Imperii congruam, concordiæ inter socios servandæ tantopere necessariam. De cætero verbis ample offerebat. Sed & Belgæ Jacobum Tochtium Bremam mittebant, ei negotio inter fœderatos ad compositionem deducendo. Qui ea temperamenta proponebat; ut Carlsburgum solo æquetur, ac si Stada expugnata fuerit, ei par numerus præsidiariorum a Dano, Electore, Præsule, & Ducibus imponatur: aut ut Carlsburgum, Stada cum adsito ad Swingam castello, & Burgum pariter munitionibus nudentur, ac vectigal in Albi aboleatur. Ex his alterutrum optare penes Duces fore. Tum ut Daniæ Rex, & Elector Aprili mense militem ea provincia educant, ac ille in Scania, hic in Pomerania rem gerat: Stadæ obsidium Ducibus, & Præsuli relinquatur. Quia autem incertum sit, quid locorum Danus in Scania, Elector in Pomerania adquisiturus sit, ac horum progressus interventu pacis sisti queant, ac Suecus compelli possit, ut pace facta Bremensem provinciam fœderatis in satisfactionem relinquat; igitur a Præsule, & Ducibus fidem dandam, ut eo casu Dano, & Electori e Bremensi provincia ex a quo satisfiat; in quam rem ab istis hisce cavendum. Quæ uti multum æquitatis habebant, ita Danus eadem acceptare volebat, modo sibi aliqua portio apertæ provinciæ tantisper cautionis loco assignaretur, quoad alibi satisfactum sibi sit. Ea cautione obtenta se in Carlsburgi destructionem consensurum, refellendæ suspicioni, qua immerito laboret, quasi dominium Albis, & Visurgis affectet. Sed Ducum, ac Præsulis ministri non nisi scriptam cautionem offerebant, quæ Dano parum sufficiens visa, istis interim in possessionem missis; cum ipse impedierit, ne Suecci ei provinciæ subvenire possent. Sed Elector stabili transactione opus judicabat non solum eo promtius deinceps persequendo bello, sed & ne inter pacis tractationem fœderati inter se litigent, ac potius de compacto id negotium agant. Sed circa eam transactionem considerandum, Suecos ideo hostes judicatos, ut sibi satisfiat, ac contra ejusmodi oppressiones in posterum caveatur, non ut fœderatis terræ adquirantur. Quod si tamen detracto quod sibi debeatur aliquid supersit, æquum esse id fœderatis in pensationem navatæ operæ relinqui. Quod si e Pomerania sibi satisfieri nequeat, e Bremensi id quærendum, ut tamen, qui ad eam occupandam opis quid contulerint, præmii expertes ne sint. Interim se non repugnare, quo minus Daniæ Rex, Duces, & Præsul in eventum super partitione conveniant, sine suo tamen præjudicio, ac ut sibi e supellectile bellica, & bonis confiscatis rata pars tribuatur. Tum ut Hanoveranus quoque invitetur parte provinciæ oblata, quo in bonas partes pertrahatur. Denique bellum junctis copiis persequendum, ac pro rata contributiones inter fœderatos dividendas. Ad quæ Luneburgici declarabant; se non recusare, quo minus Electori pro rata e Bremensi ditione satisfiat, ubi in Pomerania voto suo haut potiatur. Cautionis tamen loco in partem præsidiorum Electoralem militem admitti necessariam.

1676. 7. Febr. van der Tocht.

necess-

1676. necessarium non esse, cum Cæsar, & Belgæ sponsores se in eum casum offerant, ac diversa præsidia litium materiam generare soleant; ac certa spes sit, Electori e Pomerania satisfactum iri. Haut eo magis a Ducibus, & Præsule ad rem accedebatur; sed isti potius peculiarem conventum Hildesiæ agitabant, super excludendo Dano deliberaturi, quem ad oppugnandam Stadam concurrere, aut quid inter Albim, & Visurgim possidere nolebant. Ac Belgæ negotium urgenti reponebatur; sibi prius cum Præsule conveniendum, antequam ad proposita ab ipso mentem suam explicare queant. Eo fine conventum Hildesiæ institutum, de quo quod Dano, & Electori haut communicarint, haut sinistre accipiendum; quod & hi cum Hanoverano tractarint Cellensi, & Guelferbytano inconsultis, eique partem Bremæ promiserint. Stadam munitionibus nudari se non passuros, cum alias provincia defendi nequeat. Quæ tanto fidentius jactabantur, quod Electori, ac Dano nil ibi copiarum foret. Ac revera separata ista Ducum, & Præsulis Hildesiæ negotiatio, tractatu Bremæ eluso, manifesta secessio erat, distractionem partium, & multa mala producere apta, quam nec fides fœderum permittebat. Quod enim objiciebatur, Cellensem, & Guelferbytanum itidem ad tractatum cum Hanoverano haut admissos, id falsum erat; cum eorum ministris omnia communicata fuerint; qui in congressibus comparere noluerint, quod mandatis se deflci excusarent, nisi quod sibi injunctum sit non contradicere. Ac de partitione provinciæ ibi ad universos rejectum. Præsulem quoque aliquoties ab Electore petiisse, ut is spondeat, sibi per Bremam occupata retinere integrum fore: sed eum isthoc petiti semper ad universos fœderatos remisisse, nil præter officia pollicitum.

9. Mart. Nec eo magis inter Duces, & Præsulem conveniebat, mutuo nimiam aviditatem sibi objicientes. Duces Præsuli obtulerant Ferdam cum Wiltzhusa, & Tedingshusa ea lege, ne quid munitionum ibi extrueret, reliquam provinciam cum omnibus juribus sibi retenturi, ac ut is communem cum ipsis causam adversus Danum, & Electorem faceret. Sed ubi hi vacuis manibus extrudi non possint, pro rata iis satisfaciendum. Præsul dimidiam copiarum partem obsidendæ Stadæ præberet, quæ solis Ducibus cederet. Ast Præsul ut Ducibus lautiores conditiones extunderet, jactabat; si a Dano, & Electore quina militum millia præbeantur, se cum suis Stadam expugnaturum, utroque in partem præsidii admisso. Id quod Danus acceptandum censebat, quod alias ipse juxta, atque Elector ea provincia excludendus sit. Sed Electori per Pomeraniam haut licebat tantum numerum exercitui suo detrahere. Præsul quoque censebat provinciam quinque partito inter Danum, Electorem, ipsum, ac Duces dividendam, Electori Ferdam assignandam, sed quam ipsi pro tribus millibus in Pomeraniam missis hac subacta in præmium traditurus sit. De quo laxioribus verbis spem Præsuli facere Ledeburius jubebatur, sed magna cum circumspectione ob lubricam viri fidem, & ne Duces protelarentur. 1676.

§. 28. Eadem hæc, ut Luneburgicos æmulatione accenderet, Præsul per Termœlium Procancellarium apud Electorem proponebat. Nam Luneburgicis solis eam provinciam adcrescere haut consultum, & in complures portiones eam discerpi vicinorum interesse. Hanoverano quintam provinciæ partem dandam. De cætero testabatur, Hildesiæ super hospitiis duntaxat actum. Ad quæ Elector: *Omnes equidem, qui in hanc rem quid contulerint, præmio dignos. Enimvero considerandum, bellum e SCto Ratisponensi istis provinciis eam tantum ob causam illatum, ut damnis suis reparatio fiat, non ut alii inde lucrentur. Unde præmia a fœderatis exigi haut prius posse, quam sibi satisfactum fuerit. Sed & se ad subigendum Bremam non parum contulisse, quem tamen socii emolumentis victoriæ, parte præsidiorum, & supellectilis bellicæ exclusum iverint. Tum Pomeraniam admodum vastatam, in quam expugnandam a se maximi sumtus facti sint, incerto adhuc belli exitu. Unde considerandum, num par sit, quintam duntaxat partem sibi impingi, de quo tamen Bremæ agendum. Stare se tamen declaratione semel facta, si e Pomerania sibi satisfiat, & ad eam subigendam fœderati opem conferant, se in Bremensem ditionem actione cessurum. Quod porro Præsul promtum se bello persequendo ostendat, id merito probandum. Sed id iniquum, eo nominè illum solum præmia posci, cujus damnis reparandis ante omnia sit consulendum: cum ad ista etiam alii conferre teneantur, aut eadem aliunde petenda sint. Se tamen Præsulis emolumenta ob merita ejus in communem causam fœderatis commendaturum. Portionem suam, Præsul concedi petat, alios quoque ambiisse; super qua num quid pressius proponendum sit se auditurum. Circa Hanoveranum conventis inhærendum: circa quem in bonas partes pertrahendum, ut Præsul operam navet, se rogare.* Adista Tœrmelius regerere: Circa Hanoveranum a Præsule factum, quantum in se fuerit; sed medio statu dimoveri eum non posse, quod Cæsar prius pactum firmare abnuerit. Cæterum Suecos utique ob injuriam Electori illatam hostes judicatos, & huic velut læso ut satisfiat par esse. Haut minus tamen eorum, qui in hostem publicum arma vertant, rationem habendam, impensis ex hostili terra restitutis. Quin fieri posse, ut auxiliaris actio non minoris, quam læsi taxetur. Ac si Elector, & socii ex hoc bello fructum capiant, id præcipue ipsorum Suecorum temeritati adscribendum. Præsuli, cum plurimum ad Bremense bellum contulerit, merito præcipuam prædæ partem deberi. Querelis tamen amovendis provinciam in quinque partes dividendam, Hanoverano quoque admisso. Ac maturum jam videri divisionem suscipi, quod spes affulgeat Electorem circa Pomeraniam voti damnandum; quæ in præsens vastata licet per pacem reflorescere queat. Quod Elector in partem præsidiorum, & machinarum hosti ereptarum admissus non sit, id ideo factum, quod is sæpius declararit, se istam provinciam fœderatis cessurum. Denique

Monasteriensis ad Electorem missio.

nique nosse velle, quantum copiarum Elector postulet, in vicem portionis de Bremensi provincia sibi assignandæ. Contra Elector: *Par utique esse, ut læso ante omnia satisfiat. Actionem in Bremam nunquam pure se remisisse, ac suas copias ad eam occupandam haut spernendam operam contulisse.* Cæterum sex millia peditum cupere cum idoneis machinis, quod plura loca simul oppugnare velit; eaque ut mense Majo in Pomerania præsto sint, quo mature initium rei gerendæ fieri queat. Sed quæstionem superesse, num Stada prius expugnanda, & cujus impensis auxiliares copiæ alendæ sint? Se Præsuli ducenta uncialium millia pro auxilio offerre, at hypothecæ in vicem e quinta parte tantum, quanti hæc summa sit. Ad quæ Termelius nil distincte: forte tria millia sufficere posse, quæ tamen repræsentari nequeant ante Stadam expugnatam, ad cujus obsidium Præsul Electori copias sit commodaturus, eumque in præsidii partem admissurus. Denique petebat, ut Elector portionem suam Bremensium hospitiorum Præsuli æquo pretio cederet. Sed quia satis adparebat, eum explorandi duntaxat causa venisse, nil cum eodem conclusum, sed omnia Bremam remissa sunt.

Formula temporariæ transactionis Hagæ concipitur.

§. 29. Interea Hagæ formula temporariæ transactionis a fœderatorum legatis concepta fuerat hoc argumento: Ut partitio Bremensis ditionis ad finem hujus anni differatur: interim penes Cellensem in Bremensi, penes Præsulem in Ferdensi Ducatu moderamen esset. Hi junctim Stadæ obsidium circumponerent, cui reditus provinciæ impedantur, ut tamen Elector hospitiis suis fruatur, ac Danus, quantum alendo Carlsburgi præsidio requiratur, retineat. Ex hac conventione nulli partium juris quidpiam nascatur, aut decedat. Interim in ea provincia nihil novandum. Hujus pacti Cæsarem, Hispanum, ac Belgas sponsores fore. Eam formulam Blaspielus, & Romswinkelius hortante Arausionense præter mandatum sub spe rati subscripserant: sed quæ Electori haut probabatur, quod fraudi sibi cederet, Cellensi velut præfecto militiæ Circularis moderamen rerum ibi delatum; cum tamen omnia hucusque ad leges fœderis, non ad dispositionem Circularem administrata forent; ac Cellensem obtentu ejus muneris omnia ad se pertracturum. Tum & ferendum non erat, nullam mentionem factam, quomodo sibi satisfaciendum sit. Ac satis adparebat, Belgas Ducibus velificatos, quorum auxilia contra Gallum expetebant. Eadem formula Regi quoque Daniæ improbabatur, nec minus Monasteriensi; qui jactabat, a se hostem fractum; nunc moderamen rerum aliis deferri. Quin & Duces ostendebant, eam sibi haut exasse probari, ac id negotium Bremæ expediendum, ut tamen prius super oppugnatione Stadæ conveniatur. Cum contra Elector censeret, circa partitionem prius transigendum, & quia Danus in Carlsburgi destructionem consentiat, circa Stadam quoque nil difficultatis movendum. Belgarum tamen legatus Tochtius judicabat: melius esse in præsens partitione supersedere, quam per eam singulos in possessionem mittere, quod quilibet semel partis ægre decedat. Et quia tota res in successum expeditionis Pomeranicæ referenda sit, optimum esse partitionem eousque differri, ubi & Electori facilius futurum sit consilia sua digerere. Ita formula illa nil nisi negotiationem Bremæ susceptam turbabat.

Tempus Bremæ per ludibria trahitur.

§. 30. Nec eo minus Bremæ, uti antea, tempus per ludibria trahebatur. Ac Duces quidem propositam a Præsule divisionem respuebant, quod ipsorum quinta ulterius inter Cellensem, Osnabrugensem, & Guelferbytanum distribuenda esset. Itaque de septem portionibus jaciebant, e quibus sua domus quatuor, Danus, Elector, & Præsul singulas sortirentur. Quanquam revera malebant rem ita confusam relinqui, dum ipsi loca ad Albim in potestatem redegerint. Nam super Stata præcipue æmulatio inter ipsos, & Præsulem erumpebat, quam isti solis sibi vindicatum ibant, hoc in partem ejus admitti ardente. Quo fine Præsul Electori duo militum millia offerebat, qui hujus nomine obsidio Stadæ interessent, quorum præfectus Electoris sacramento sit adigendus; ipse vicissim hospitiis Electoris in ea provincia per semestre fruiturus. Contra id Ducibus parum gratum erat; qui etsi malebant Electori cum Stada nihil negotii esse; tamen ne Præsul nimium heic prævaleret, ipsi quoque Electori copias in obsidium Stadæ offerebant, iisdem quibus Præsul legibus. Quam in rem cum Schulenburgio pactum conclusum; quod tamen Duces ratihabere abnuebant, alia formula oblata, tantum ut tempus extraherent, ac inter incerta commodis suis uberius velificarentur. Contra Præsul tria adhuc militum millia Bremam evocabat, qui castris munitis apud Burgum considebant, palam ferentes, id fieri, ne provincia pelli queant. Simul Burgum & Bremervœrdam munitionibus firmabant, unde aperta totius provinciæ loca tributis subjicere possent. Aliquandiu quoque super dejiciendis oppidorum munimentis certabatur, Ducibus contendentibus, vel Stadam destruendam, quod tam multorum præsidia nil nisi confusionem sint paritura; vel si Danus, & Elector se removere velint, se solos cum Præsule istam expugnaturos. Satius tamen videri unum & alterum munimentum persistere tutandæ provinciæ. Ita demum Elector, & Danus consentiebant, ut Buxtehudæ, & Stadæ munitiones starent, reliquæ destruerentur. Sed dum mutuis sibi artibus illudere fatagit enormis aviditas, alius casus partitionem turbabat, dum Cæsareus minister aulæ Episcopalis in urbe Brema, & vici extra urbem possessionem capit eo prætexto, quod Cæsar ista civitati donare velit; qui & huic caverat super restitutione bonorum, quæ Sueci antea ipsis extorserant. Adversus quæ fœderati protestationem interponebant, Electore exprobrante, Ducum tergiversatione factum, ut potentior jam se immisceat, negotio haut parum difficultatis illaturus. Interim super partitione di-

1676. sceptatio continuabatur nullo fructu. Elector temporarium pactum urgebat ob incertum adhuc Pomeranicæ expeditionis eventum. Duces contra in perpetuum transigi volebant, & ut Elector assignata sibi portione adquiesceret, si maxime successus in Pomerania intra votum stetisset. Simul mutuam evictionem eorum, quæ Suecis hoc bello erepta forent, declinabant. Etsi enim bellum susceptum sit, ut Electori pro accepto damno satisfieret; legibus tamen constitutum, ut impensæ in exsecutionem factæ ante omnia refundantur. Tum & noscendum sibi, quanti Elector damna sua taxet. Et quia ipsi tractum ad Albim sibi deposcant, cessare litem de Stadæ præsidio; cum par sit quemlibet circa sua custodienda pro lubitu disponere. Ac ni plura duabus quintis partibus offerantur, se copias suas Stada abducturos. Sed si in desideria sua consentiatur, pro publico bono omnia facturos. Nec ideo distincte exprimere volebant, quid locorum cuperent, quod reliquorum omnium postulata prius nosse vellent. Electori ad extremum Ferdam offerebant, sed quam Cæsarei Monasteriensi destinaverant, cui magnum in aula Viennensi favorem sacerdotii vocabulum conciliaverat. Quem & ab initio Bremensi negotio immiscere cupierant Romani ritus emolumento: sed cujus importunitati nunc non parum irasci videbantur, serio, an quia amantium iræ amoris redintegratio est. Inter istas ludificationes magna pars æstatis incassum labebatur, viginti millibus eminus otiose Stadam circumsidentibus, Præsule negante vim adhibendam, quod fames eam cogere possit, dum interim ipse provinciales acerbissimis exactionibus emungit. Demum tamen consentiebat Stadæ vim admoveri, ac sibi perinde fore, ea munimentis exuatur, an omnium quorum intersit copiis insideatur. Sed Ducibus neutrum arridebat. Demum tamen & hi in Stadæ demolitionem consentiebant ea lege, ut Carlsburgum quoque, & Burgum, solo æquaretur. Interim dum demolitio fiat, duodecim centurias præsidio imponendas, dimidiam partem Luneburgicos, alteram a Dani, Electoris, & Præsulis milite, tam ut dimidia prædæ pars penes ipsos maneat. Sed Præsul dimidiam præsidii partem sibi deposcebat, nec ultra quartam prædæ partem Ducibus concedebat. Contra cum jam Stada ad extremum vergeret, Duces non amplius de Electoris copiis in partem præsidii admittendis audire volebant, ac jactabat Schutzius Cancelarius: iniquum videri, Electorem, qui jam solus in Pomerania sibi rem gerat, nullumque heic militem habeat, in partem præsidii venire velle. Vicissim Præsul Danicis, ac nostris proponebat; ut si Duces tergiversari pergant, ipsi inter se super quinta parte transigant, mutuamque evictionem præstent. Quod Electori non repudiandum videbatur, si Duces nollent; quod alias hi cum Præsule transacturi essent, Dano, & se exclusis.

Luneburgici & §. 31. Inter istas moras deditio Stadæ instabat, cui cum Luneburgici, ac Præsul pari cupidine imminerent, metus mutuæ collisionis eos demum subigebat, ut clam super Bremensi ditione inter se dividenda transigerent, inscio Rege Daniæ, & Electore, quos impune se contemnere posse putabant, quod iste in Scania, hic in Pomerania distringeretur. Eo pacto inter alia convenerat, ut Duces soli Stadam, Præsul Bremervœrdam insiderent; Electori ad subigendam Pomeraniam copias submittendas. Cui pacto dissimulando variis propositionibus Dano juxta, atque Electori illudebant. Sed iste insidiosum agendi modum valde improbabat; præsertim cum & ipse, & Elector oblatas a Præsule in fraudem Ducum conditiones repudiassent. Ac Elector Cæsari per Crocovium super eo pacto exponebat, cujus communicationem isti abnuerint, causati, eam jure a se postulari non posse. Enimvero omnibus juribus repugnare, in communi causa duos socios seorsim in fraudem cæterorum transigere. Nec minus decretis Imperii adversari, cum ob hostilia a Suecis in se patrata Bremæ arma illata sint, duos Ordinum, queis a Circulis, in quibus degunt, commissum sit auxilia sibi expedire, inscio se hosti erepta partiri, ac supervacuum ducere acta communicare, velut sui ratio plane habenda non sit. Sane eosdem cum antea clandestinum ejusmodi pactum super ea provincia iniissent, saltem erubuisse, ac varios colores excusando facto dixisse. Nunc haut timide jactare; se ad istud communicandum non teneri. Quod cum Cæsari, & Imperio, omnibusque quorum interest, fraudi, sibi præcipue contumeliæ sit; igitur ut Cæsar istud emendet, rogare. Etsi declinandæ intempestive collisioni hanc injuriam in præsens dissimulari expediat. Eam agendi rationem Cæsar valde sibi displicere significabat, & quod isti unice privato commodo inhiare videantur: ac missis Bremam legatis se curaturum, ut res ex æquo componatur. Post cum Stada deditionem fecisset, urgente inopia, & quia de machinis, & instrumento bellico, si vis admoveretur, maligne ei prospectum fuerat; Luneburgici soli præsidium imponebant. Haut eo minus missus ab Electore Thomas Ernestus Danckelmannus ad obsignandum archivum, & recensendas machinas simul admittebatur. Ac scribebant Duces, Electorem quoque sua portione potiturum, simul confirmabant, pactum suum cum Præsule in fraudem Electoris haut tendere, sed ut eo promtius absoluto bello Bremensi hac adhuc æstate Cæsari, & Electori operam navare queant. Ledeburio Duces tria peditum millia offerebant; nam & adversus Gallos a se militem mittendum, ne subsidiis, & hospitiis suis excidant. Elector a fœderatis ita sibi illusum ægerrime ferebat; ac inprimis mirum erat, tantopere istos rationem fugere, ut crederent, commodis suis per ejusmodi clantestina pacta consuli, aut quasi ipsi eam provinciam tueri possint, ni & sibi satisfactum, ac Suecici tota Pomerania expulsi, ac universorum consensu fructus victoriæ stabilitus sit. Nam si adversante fortuna Cæsari, Hispano, Dano, Electori,

Margin: 1676. Monasterienses inter se transigunt. — 3. Aug.

1676. Electori, Belgis, citra præmium bello excedendum foret, ridiculum erat credere, solos Luneburgicos, & Præsulem integra provincia potituros. Consiliarii tamen judicabant, ob iniquitatem temporum magis de remedio, quam vindicta cogitandum. Unde Elector Ducibus per Ledeburium demonstrabat: *Ipsorum, ac Præsulis collusione necessariam inter socios fiduciam valde imminutam, ac tantum non extinctam. Sibi quidem multiplicem occasionem suppeditatam paria faciendi, non ita pridem a Gallis oblato Stetino, totoque Odera flumine, aliisque locis. Sed sibi nefas fuisse visum peculiari transactione communem causam prodere, eoque omnia Neomagum rejecisse. Unde sperasse, pari candore secum actum iri. In sui gratiam Suecum hostem judicatum, aut ut sibi satisfactio curaretur. A se invadendæ Bremæ initium factum, & ad pleraque exsequenda opem collatam: simul tantum negotii in Pomerania hosti objectum, ut is Bremæ subvenire non posset. Ergo omissis istis bona fide ad participationem provinciæ accedendum. Non meliore documento Duces æquitatem suam, & dignum fœderatis, atque amicis animum demonstrare posse, quam si provinciam sibi solis non arrogent. Cæterum eam sibi stare sententiam sæpius declaratam, si tota Pomerania ipse potiatur, se suam portionem de Bremensi provincia fœderatis redditurum. Interim partem machinarum, & præsidii deposcere.* De quibus Duces se per Adamum Henricum Thannium cum Electore acturos ferebant. (von der Thanne.) Sed & Præsul significabat, se cum Ducibus transegisse, ut hi soli Stadæ, ipse Bremervœrdæ præsidium imponat. Machinas pro ratione copiarum, quibuscum præterito, & hoc anno res gesta sit, dividendas; a se mille milites, a Ducibus duo millia auxilio in Pomeraniam mittenda; scilicet quia clandestino illo pacto Ducibus duæ tertiæ partes provinciæ, Præsuli una assignata esset. Idem hospitia Electori restituere abnuebat, nil præter res jam mutatas causatus; ac nostros conventam pro concesso eorum usu pecuniam poscentes ultro irridebat.

Cum Luneburgicis & Monasteriensi super auxilio convenitur.

§. 32. Quanquam autem cum ejusmodi fœderatis conflictari acerbum erat, & nimia ista in privatum lucrum aviditas publicæ causæ parum fausti portenderet: tamen necessitas subigebat istis uti, quousque dabatur. Unde super auxiliis ad subigendam Pomeraniam Elector cum iisdem agere instituit; & quia per Thannium oblata tria millia non sufficiebant, *Aug.* Conradum Wilhelmum Lentium ad eosdem mittebat, qui quinque, aut minimum quatuor millia auxilio exposceret. Nam fœderatorum quoque interesse, se quantisvis copiis firmari, ut uno impetu Sueci Pomerania exturbari queant; quod nemo de jam adquisitis, aut deinceps adquirendis certus esse, nec circa Bremense negotium solidi quid statui queat, quoad bellum in Pomerania patratum sit, ac Sueci mari a Germania separentur. Ac causæ publicæ conducere ut iste hostis prius plane opprimatur, ac post universæ vires in Galliam vertantur; in quam rem se omnes suas vires offerre. Sed Duces, & Præsul excusabant, se reliquis fœderatis super submittendo milite jam fidem dedisse. 1676. Peculiariter Elector Ducibus circa Bremense negotium curam sacrorum commendabat, ne quid circa ea a Præsule novetur, quod istis neglectis ultio Divini Numinis, & perpetua apud posteritatem infamia sit metuenda, quæ illos, qui tractatione Osnabrugensi Silesios, aliosque destituerint, mansura sit. Quod si ultra tria millia mittere nolint, sibi præcipuum jus in Bremensem provinciam, & hospitiorum partem ibidem reservandam. Demum inter Electorem, *15. Sept.* ac inter Georgium Wilhelmum, ac Rudolfum Augustum Brunsuicenses & Luneburgicos Duces, atque Præsulem Monasteriensem Christophorum Bernhardum ejusmodi conventio inita est; *ut hi IV M militum Electori auxilio in Pomeraniam mittant, e quibus tantum quatuor centuriæ equitum & dimacharum esse debeant, reliqui omnes pedites cum necessariis machinis, sub summo præfecto vigilum, qui tantum ab Electore, supremo exercitus duce, aut Duce Holsatiæ velut summo rei tormentariæ præfecto jussa accepturus sit, consilio quoque bellico adhibendus, & cui in istum militem soli jurisdictio sit relinquenda. Istas copias junctim mansuras, ac non alibi quam in Pomerania cum Electoris copiis adhibendas. Eas a Ducibus, & Præsule alendas nullo Electoris onere. Hoc auxilium tamdiu continuandum, quoad huic in Pomerania ex æquo satisfactum sit, ac easdem semper initio annuæ expeditionis plenis numeris repræsentandas. Ab Electore omnem diligentiam adhibendam, ut annona in promtu sit; nec easdem durius, aut minore cura quam proprias Electoris copias habendas. Ab eodem operam dandam, ut istæ in Meclenburgica, aut Lauenburgica hibernis potiantur, quo initio expeditionis præsto esse queant. Vicissim Elector sua hospitia in Bremensi agro redit, super quibus Duces, & Præsul inter se convenient. Idemque declarat, se ex ea provincia nil postulaturum, si æqua sibi in Pomerania satisfactio obtigerit. Id ubi non succedat, sed ad Bremam recurrendum sit, Elector actionem suam ita moderabitur, & apud alios competitores, ut idem faciant operam dabit, ut auxilia istbac præstita digne æstimata adpareat. Ne super proportione satisfactionis, quam unus & alter prætendit, deinceps dissidium excitetur, sed firma amicitia, & concordia stabiliatur, super ista temperanda amice transigendum; ac si inter ipsos conveniri nequeat, alios fœderatos ad interpositionem invitandos: a nemine violenti quid adhibendum. Omnes denique circa æqua sua postulata mutuam operam navabunt.* Ex ea conventione ne sinistri quid suspicaretur Daniæ Rex, Elector de eadem ultro significabat, excusato, eam absque antegressa cum ipso communicatione initam. Ad hanc sibi descendendum fuisse, quod ipso Rege suadente ante hiemem Demminum a se expugnandum sit; id quod sine istorum auxilio fieri nequeat. Cæterum se diserte stipulatum, ut Regi prout debet satisfiat: nec id pactum ei fraudi esse posse, velut temporarium, ac rem Bremæ plane perficiendam: Clandestinum

1676. inter Præsulem, & Duces pactum haut obscure se improbasse; sed boni publici causa id dissimulasse, ne progressus armorum sisterentur, neu hostis e fœderatorum collisione fructum capiat; præsertim cum post improsperum Trajecti ad Mosam obsidium Belgæ, & Hispani Ducibus, ac Præsuli magis quam antea velificentur, ut eorum auxilio inclinatas in Belgio res restituant. Porro conventionem illam Duces probe explebant, misso egregio milite sub
von Ende Rudolfo Endio. Sed Præsul sui semper similis hominum quisquilias miserat, nullo stipendio instructos, ut oneri magis, quam usui essent.
10. Nov. Eam ob causam, & alia ab eo Præsule contra leges officii patrata Elector Alexandrum Spanium ad Ferdinandum Furstenbergium Paderbornensem Episcopum mittebat, expositurum; cum ipsius interventu amicitia inter se, & Monasteriensem restituta sit, quam maligna sinceri, ac generosi amici specimina hic exhibuerit. Scilicet complura hospitia per Westphaliam ad se spectantia intercepta: conventam pro cessis in Bremensi agro hospitiis pecuniam non solutam ad triginta uncialium millia; portionem prædæ bellicæ sibi debitam ab eo detendam; nauci milites in Pomeraniam missos, numeris haut completis, Zonis inanibus. Denique innoxium transitum per Mindensem, & Ravensbergensem ditionem petiisse, & impetrasse, promissa solutione, etsi æque commoda per Osnabrugensem, & Monasteriensem provinciam via pateret: sed cum ejus copiæ multa uncialium millia consumsissent, ab iis nostros solutionem exigentes ultro irrisos. Quæ ipse tamen ob bonum publicum dissimulaverit. Unde ejus consilium exquirere, quomodo talia emendari, sibique satisfieri queat? Ad hæc Paderbornensis: *Se libenter officium eo nomine apud Monasteriensem interpositurum, sed tenui successus spe, quod ista omnia pecuniam tangant. Nam huic tantum in istius animum esse Imperium, ut omnes alii respectus inter inania habeantur.*

Cæsaris circa componendum Bremense negotium opera. §. 33. Ast Cæsar retinendæ inter fœderatos concordiæ Joannem Franciscum Landseum Baronem, quem paulo post Windischgræcius Comes sequebatur, Bremam miserat, ut partitionem Sueciciæ provinciæ ad liquidum perducerent. Enimvero heic nil amplius quam antea proficiebatur. Ac jam nova lis inter Regem Daniæ, Ducesque, ac Præsulem surgebat. Cum enim separato horum pacto convenisset, ut Rex solus Carlsburgi præsidium haberet, ac eo fine sexcenti ab hoc missi ei loco propinquarent, qui intus erant hos admittere nolebant, causati eosdem opprimendo castello accessisse. Sed & super Crutsandia insula controversabantur, quam Dani statim initio belli occuparant, & jam eidem immissos a Ducibus milites per Clucstadium erumpentes repulerant. Cæterum ad negotiationem ibi accedi non poterat, quod nec Præsul legatum mitteret, ac a Ducibus missi negarent sibi integrum esse absque isto quidquam suscipere. Interim hi obiter jaciebant; si Elector Stetino potiatur, plene ei satisfactum iri; quem & par sit in hoc negotio ipsorum, non Dani commodis favere. 1676. Contra Danus quintam provinciæ partem sibi deposcebat, multis questus tam inique secum actum, simul minatus, ni talia emendentur, alia sibi consilia capessenda publico parum profutura. Eo nomine cum Cæsarei Luneburgicos graviter monerent, hi negabant tale quid metuendum, cum rationes Daniæ non ferant partes mutari. Porro cum Cæsarei turpe sibi ducerent ob absentiam Præsulis per alium tempus terere, per literas eum ad legatum huc mittendum hortabantur. Ita demum Bremam veniebat Termœlius, sed ne ideo magis negotiatio succederet, causabatur; Cum Cæsarei aulam Episcopalem, in qua antea ipse diverterat, occuparint, sibi Ferdam discedendum, ibique expectandum, quoad a Præsule mandata eam in rem accipiat, Cæsareis nequidquam tanto ludibrio indignantibus. Nec minus Duces Stadæ impressa archivo ab Electorali ministro sigilla detrahebant, ac sibi solis regimen provinciæ arrogabant. De qua re cum Ledeburius apud Cæsareos protestationem interposuisset, Luneburgici ista a se ignorari excusabant, simul ab Electore pacta haut examussim servata arguebant, quod quædam ejus legiones per ipsorum stativa in Meclenburgica transitu sumto nescio quid damni dedissent. Sed & contendebant, Wismariam quoque ad calculum vocandam. Nam si maxime Danus objiciat, Duces ad eam expugnandam nihil contulisse, se repositiuros; Dani quoque operam in Bremensi provincia haut magni fuisse. Nec eo minus sub id tempus Dano peculiarem tractationem obtulerant, ut Electorem excluderent, certum militum numerum polliciti. Cum itaque ex isto congressu parum fructus, speraretur, Elector Ledeburio injungebat, ne prius Brema, quam Cæsarei & Regii, discederet. simul suadebat, ut potius negotium in aliud tempus differatur, quam facta decisione Danus proteletur. Tum Danis demonstraret, peculiari cum Ducibus tractatu se excludi, communem evictionem haut sequi, statum quoque civitatis Bremensis in ancipiti relinqui. Demum redibat a Præsule legatus, sed qui non nisi seorsim cum Dano agere volebat, Belgæ quoque loco cedere abnuens. Ast Cæsarei post tantum temporis inter otia consumtum demum proponebant: se a Cæsare huc missos servandæ inter fœderatos concordiæ, ac partitioni adornandæ. Sed quia non omnes fœderati in hujus provinciæ partem venire queant; Cæsarem æquum censuisse, ut illis, quorum ope ista subacta sit, ex ea satisfiat. Ac uti sperent Daniæ Regi heic satisfieri posse; ita reliquorum quoque fœderatorum Cæsaris, Hispani, Belgarum, Lotharingi rationem habitum iri, ut solida conjunctione facta quilibet nosse queat, quid ab aliis expectandum sibi sit. Cæsarem sperare, sociatis armis Brisacum & Alsatiam, vi extortum quondam patrimonium, sibi restitutum iri. Neminem non æquum judicaturum, non eos tantum

Marginal dates in right column: 19. Oct. (beside "veniebat Termœlius"); 1. Nov. (beside "Nec minus Duces"); 14. Dec. (beside "Demum redibat")

1676. tantum præda gaudere, qui felici quopiam eventu quid adquisierint, sed & alios, qui virtute armorum suorum aliquid ad eum finem contulerint. Cæsari molestum esse, quod cum rogatu Electoris, Præsulis, ac Ducum legatos huc miserit partitioni promovendæ, jam via negotio expediundo haut adpareat, ac talia emergere videantur, quæ vix a se probari queant. Cæsarem quoque ideo nolle per otium tempus heic teri, quod uni aut alteri haut cordi esse videatur rem ad liquidum deduci; sed non habito eorum respectu super partitione ex æquo transigendum. Sibi injunctum, quamdiu pactum inter Præsules, ac Duces Homburgi factum non communicetur, nullas conditiones proponere, sed ab aliis propositas audire. Igitur junctim negotium expediendum, quod peculiares transactiones non nisi confusionem pariant. Haut sufficere, inter singulos super ferendo auxilio convenire, sed super universorum conjunctione justo tractatu disponendum, qui etiam non communicato pacto inter Præsulem & Ducem formari queat. Ista omnia legati ad Principes suos referebant. Ac manifestum erat, jam ordiendis Neomagi tractatibus quam maxime sociorum concordia opus esse. Porro Cæsarei disserebant, se non venisse tanquam nudos sequestres, & spectatores, quomodo alii provincias inter se dividant, sed præter operam circa concordiam retinendam, de Cæsaris quoque emolumentis acturos. Nam iniquum esse, paucos præda potiri reliquis inanibus, quibus tamen commune onus ferendum sit. Sed Belga Amerongius censebat, longum heic fore negotium funditus componere, sed temporariam transactionem in præsens sufficere. Cæsar quoque ad Electorem scribebat, ut is operam navet, quo conventus Bremensis ad optatum finem perducatur. Cui ab Electore responsum: se pro virili connixum, ac deinceps quoque connixurum. Sed a quibusdam videri studio fatalem, & exitiosam confusionem quæri, quæ non nisi consilio, & autoritate Cæsaris retundi queat. Nec minus a Cæsare ad Cellensem, & Præsulem literæ dabantur, ne tractatus amplius extrahant, sed potius conclusionem eorum promoveant. Ac Windischgræcius istis denuntiare jubebatur, si moras nectere pergant Cæsarem aliis fœderatis junctum ipsis insuper habitis negotio colophonem impositurum. Sane multis Viennæ persuasum erat, Duces, ubi Stada potiti sint, Bremensem provinciam per pacta cum Gallo, & Sueco sibi stipulaturos ea conditione, ut Suecus reliqua retineat. Eorum quippe acta non posse non fœderatis suspecta esse. Si serio rem agerent, Hanoverano utique alia consilia esse suscipienda. Sed postquam fratribus clam inter se conveniat, eos nil præter privata Domus suæ emolumenta spectare. Unde expedire, ut recenti tractatu ad communem causam adstringatur. Ac suspicionem adversus eam Domum continua commercia inter

30 Dec.

Bavarum, Saxonem, & Hanoveranum augebant. 1676.

§. 34. Ast inter Daniæ Regem, & Electorem majore fide, atque candore agebatur, quos & animorum conjunctio, & inseparabiles adversus Sueciam rationes arctius combinaverant, ut ex lege amicitiæ, qualis quidem inter summos Principes coli potest, in vicem tractarent. Ad istum post expugnatam Wismariam Christophorus Brandius Hafniam iterum missus est, ut de arctiore fœdere inter Regem, Electorem, & Luneburgicos ageret, postquam Anglus jactaverat; id modo agendum, ut inter primarios bellantes, Gallum, Hispanum, & Belgas conveniat, reliquorum nullam rationem habendam. Nam si ipsi tres arcto, eoque fido inter se vinculo nectantur, id sibi fore virium, ut haut facile contemni possint. Idem quoque jubebatur urgere, ut Gallicus, ac Suecicus legatus Hafnia dimoveatur, ac utrique Regi bellum rite indicatur, quod ambiguus iste status non solum Danum fœderatis suspectum reddat, sed & eandem ob causam is futuris tractatibus tantum ut auxiliaris consideratus sit, super cujus satisfactione parum contendi queat. Circa quod cum absurdum videretur, bellum nunc demum indici, quod per annum gestum jam gestum erat, Danus id temperamentum proponebat, ut bona Suecica in Dania deprehensa fisco addicerentur; quo legatus Hispanicus adquiescebat. Ast quo minus ea conjunctio succedere posset, Bremense negotium efficiebat, per quod Rex, ac Cellensis in diversa trahebantur. Nam hic nondum declaraverat, num Regem in partem Bremæ admittere vellet, causatus, Regem nondum significasse, quam partem cupiat. Igitur Rex ostendebat, si linea a Stada Ottersbergam ducatur, sed id omne velle, quod intra eam lineam versus mare jaceat, in medio relinquens, ad quem duo ista oppida spectare debeant. Tum quicquid munitorum locorum in ea provincia sit, munimentis exuendum. Quæ Cellensis velut enormia non sine minis adspernabatur. Cæterum judicabat Rex, fœdus inter se, Electorem, Luneburgicos, & Monasteriensem utique necessarium esse tam adversus Sueciæ vires, & machinationes, quam adversus eos fœderatos, qui Suecis erepta cum damno ipsius, atque Electoris restituere meditentur. Cui fœderi cum Bremense negotium obstet, ante omnia necessarium esse, ut super ea partitione prius transigatur, quæ transactio post ad verbum fœderi inserenda sit. Ab ea Monasteriensem vix excludi posse, qui non pecunia, sed terris sibi satisfieri velit, queis adversus Suecos tutandis iste arctius deinceps fœderatis innectendus sit; & expedire ut partes quantum possit firmentur. Ut partitio illa absque interventu Cæsaris fiat, in eo quidem Electori se adstipulari. Sed quia Luneburgici, & Præsul favore Cæsaris se jactent, eum tanquam caput Imperii, & præcipuum fœderatorum negligi haut posse; ac fœdere exprimendum, ut ejusdem adprobatio quæratur. Porro cum Elector Regem urgeret, ut is Cellen-

Cum Dania Rege acta.

5 Jan.

18 Febr.

1678. Cellensis asperitatem publico condonaret; idem testabatur, se suasu Electoris, & quia ita expediat, quam humanissime cum Cellensi acturum. Sed metuere, ut aliquid proficiat, quod Cellis ita altum crepent, ac se utique Brema excludere velint, prout & jam cum Præsule ad eam formam convenerint. Sed sibi utique saltem communicationis lineam ibi habendam, destructo Carlsburgo; nec a se curari pactum inter Cellensem, & Monasteriensem, aut quod Cellis magis viciniam suam formidare videantur, quam enormes Galli progressus. Unde se cum tribus militum millibus, quæ in Oldenburgica habeat, ad obsidium Stadæ accessurum, quibus Elector copias suas e Westphalia jungere queat, quo utrique tanto plus autoritatis ibi foret. Sed Brandii fratres judicabant, isthæc blando modo obtineri posse, quod Cellensis tantum quæratur, a Rege, & Electore directionem belli Bremensis sibi solis vindicari, ipso utut Circuli præfecto excluso. Tum & Electorem copiis suis Westphalicis in Pomerania opus habere. Sed & partem, quam Rex e Brema desideret, fœderatis justo ampliorem visum iri. Unde Rex lineam a Friburgo trans Ostam fluvium versus Wordenam paulo supra Elsflietum ducebat. Eum districtum modicum esse, cum in eo Hadela jaceat, Lauenburgica ditio, & Rutzebuttela Hamburgensium præfectura. Nec Kœnigsmarckiis Neuhausam, & Bergstedam adimi posse, quod parens eorum Conradus Christophorus in fœderatorum militia ad Bonnam occubuerit. Vicissim se laboraturum, ut & Electori idonea portio obveniat. Eam Regis declarationem Brandii Cellensi ministro commendabant; etsi caute in eo negotio procedendum foret, ne Elector magis in Danum inclinare videretur, quam Cellensem, suspicacem juxta atque irritatu facilem. *7 Mart.* Sed quia Danus tunc omnes cogitationes in Scaniam defixerat, amplius declarabat; si & hoc postulatum Luneburgicis nimium videatur, & quod ad ostia fluminum Saxoniæ timendum se reddere velit, de districtu inter Friburgum, Albim & Ostam se remittere, contentum linea ab Ostæ fluminis ostio ad Elsflietam ducta, Carlsburgum destrui posse sub finem belli, aut saltem quando super divisione provinciæ transactum sit: sed simul & alias munitiones solo æquandas. Nam sibi æque suspicionem a Luneburgicis moveri, cum glorientur, sibi jam XL M. bellatorum in promtu esse, queis alendis sibi facultas sit. Sed & munitiones nulli usui esse, si provincia in tot partes discerpenda sit. Cæterum quæ ipse postulet vix sextam partem provinciæ facere, cum a se sextuplo plus virium, sumtuum, & laboris contra Suecos terra marique impensum sit, quam a Luneburgicis, clauso etiam portu Gothoburgico, ne inde Bremæ subveniri posset. Abolendum quoque vectigal ante Suingam fluvium, quod cum olim cis Albim exigeretur, post eo translatum sit. Demum tamen & hac conditione desistebat Rex, cum Brandii ostenderent, Carlsburgum novum opus esse, adversus quod Cæsar, & omnes Visurgim accolentes potestati sint; reliqua autem munimenta jam Præsulum tempore extitisse. Quin & ad extremum de ostio Ostæ fluminis remittebat Rex, cum nostri demonstrarent, Luneburgicos in id non consensuros, quod ibi miles in terram exponi queat, ac Hadela, & Rutzebuttela eo tractu includantur, quam Rex post permutatione, aut emtione sibi adquirere possit. Nam Danus utcunque id negotium ad liquidum perduci ardebat, ut tota vi in Scania rem gerere posset, quicquid etiam offensarum hactenus intervenerat, oblivioni daturus. Enimvero Cellis præfracte nec sine minis jactabatur, Danum non oportere quid inter Albim, & Visurgim habere, quod opportuno ipsi situ sit, ne ejusdem potentia ibi gliscat; qui rigor a Cancellario Schutzio provenire credebatur. 1678.

Griffenfeldii casus. 11. Mart.

§. 53. Inter hæc Petrus Grifenfeldius, penes quem hactenus fere summa consiliorum in Dania fuerat, repente gratia Regis, & invidendo fortunæ fastigio deturbabatur. De quo Joannes Adolfus Holsatiæ Dux dicebat; quinque palmariis causis Regem ad id permotum. E quibus præcipuæ credebantur, peculatus, & commercia literarum cum hostibus, & quod in causa fuerit, ut hactenus ita somnolenter adversus Suecos res gereretur. Equidem is nunquam ausus fuerat Regi suadere, ut cum Sueco tractatus susciperet: videbatur tamen Gallo pollicitus, ut quantum in se bellum languide administraretur. Ejus casu audito Gustavus Lilliecrona ablegatus Suecicus, utut morbo debilis, Hafnia discedere cupiebat. Quem Rex paulisper commorari jubebat, quod suspicaretur, eum cum Griffenfeldio quid miscuisse. Contra Terlonus legatus Gallicus solito frequentius in aula adparebat dissimulandæ conscientiæ. *18. Mart.* Sane constabat, Terlonum exacte ordinem administrandi belli scivisse, quem ab isto communicatum fuisse Rex norat. Multa præterea Regem cesasse, multa suo ex arbitrio egisse. Ac dicebat Rex: se deinceps omnes legatos auditurum, ac primarii ministri partes impleturum, nec ut regimen penes alium sit toleraturum. Et quia Griffenfeldius solus imperare voluerit, in ordinem fuisse redigendum. Restituebat quoque Rex Electori diploma, quo hic Griffenfeldio Wollinum insulam feudi lege donaverat. Compertum itidem, plures Feuquierii ad Terlonum literas sub Griffenfeldii operculo Hafniam allatas. Unde & omnes fasciculi, qui ad Terlonum adferebantur, aut ab eo mittebantur, excutiebantur. Cui & Rex per modum consilii insinuaverat, ut Hafnia facesseret, utut is novas subinde manendi causas comminisceretur. Demum tamen abeundum erat, nullis donis acceptis, quæ alias discedentibus legatis dari solent, fœderatis lætantibus, tanquam malo genio ejecto. Nec Lilliecronæ morari amplius Hafniæ licebat. Gallus gloriatus fuerat, se ubique habere pensionibus innexos, qui tamen grandium impensarum, quæ in eos fiant, pretium facturi sperentur. Tum peculiariter jactarat;

1676. sua in manu esse ademtum Dano diadema Sueco imponere. Unde Elector Regem, ut sibi caveret, monebat, & ex hoc indolem blanditiarum Gallicarum interpretaretur. Sed Rex judicabat; si tale quid agitatum foret, omnia cum Griffenfeldii captivitate, & Terloni discessu evanuisse. Demum compertum, præcipuum Griffenfeldii crimen fuisse, quod bellum contra Suecos per artificia trahere, & cum id impetire non posset, efficere vellet, ut id ubique vado adhæreret; quo vel Rex tædio ejus caperetur, vel saltem bellici duces, qui viro infensissimi erant, ipsum gratia Regis dimovere non possent. Unde idem Gallico, a Suecico legato confirmarat, bellum suo consilio ita temperatum iri, ut Sueco haut multum noxæ inde inferendum sit. Sed plura ob ipsius Regis respectum, & quia Regina mater in quibusdam rebus consilia cum eo contulerat, utpote quæ bellum inter filium, & futurum generum declinari optabat, supprimebantur, quæ neque judicibus, neque advocato fisci communicabantur. Scilicet quia vix unquam magnus minister subverti potest, quin aliqua culpa in ipsum Principem redundet, quod non maturo e judicio, sed enormi affectu nondum sat exploratæ fidei, aut capacitatis homini securius tantum potestatis contulerit, remissa cura, quam Princeps nunquam impune exuere potest, velut ad quem demum redundat, quicquid a ministro secius fit. Inter alia iste epistolam ad Terlonum scripserat, in qua hæc verba extabant; *Secreta Galliæ, & Sueciæ in suis manibus probe custoditum iri.* Vulgus inter prospera parcum Dei cultorem arguebat, cujus per vindictam in eam calamitatem devolutus sit. Idem cum capite se truncandum crederet, his cum verbis vitam finire decreverat: fateor me mortem hanc meritum; sed Regem nunquam cogitavi prodere. Abnui tamen non potest, quin ad ejus viri ruinam plurimum contulerint invidorum artes, quorum magnum numerum sibi attraxerat ejusdem insolentia, ac animus tam subita fortunæ incrementa parum reverenter habens; & quod eousque Regem solus possidere cuperet, ut alium quempiam cum eo familiarius colloqui tolerare non posset. Unde Guldenlewius, Fridericus Alefeldius, Biermannus, Cnutius, coitione facta ad eundem statione dejiciendum connitebantur.

Que les secrets de la France, & de la Suede seront bien gardés entre ses mains.

De munitionibus Tænningæ detrahendis. §. 36. Eodem tempore Daniæ Rex munitiones Tænningæ validissimo Gottorpiensis oppido detrahere instituerat; quod factum, ut Elector alios apud Principes excusare vellet, rogabat. Ejus rationes esse, quod id oppidum in territorio Danico situm sit, eoque non esse, quod de eo Cæsar, & Imperium queri possit. Se quoque pacto Rendesburgensi non restitutionem munitionis, sed oppidi Tænningæ promisisse. Sibi quoque in campo opus esse præsidiario ibi milite: nec consultum in locum tam remotum tantos sumtus facere. Eum autem Duci hac rerum facie reddere haut tutum, cum Suecis adhuc clandestina consilia miscenti, & cui facultas non sit justo eundem præsidio tutandi. Denique se specimen editurum, se non ita avidum esse munitionum ad Albim adquirendarum, quibus Saxoniæ terrorem incutere possit, uti Cellis cavillentur. Cæterum Cellensi cum Duce Regi super Bremensi negotio convenire non poterat, quod is ad proposita ab hoc respondere nollet, ac idem post captam Stadam, aut ad pacem extractum iret, eo colore, quod tunc ea provincia commodissime dividi posset juxta proportionem eorum, quæ Elector in Pomerania, & Rex in Scania adquisivisset; interim cum Monasteriensi in fraudem Regis, & Electoris conspiraret. Quo fine & Cellensis ablegatus Wittorfius semper cum Cæsareo, Hispanico, ac Belgico ministro consilia conferebat; qui uno ore ingerebant; in præsens ob eam partitionem armis remoram haut injiciendam, nec animos fœderatorum invicem exacerbandos. Ac Stadam primum expugnandam: inde rem fœderatorum arbitrio committendam. Contra Regi haut placebat partitionem post captam Stadam differre. Nam plus æmulationis inter socios surrecturum, si res in suspenso maneat; eosque plus copiarum in ea provincia habituros fuscipiendis suis prætensionibus, quæ majore cum fructu alibi adhiberi queant. Igitur si Cellensis rationem audire nolit, a Præsule propositam in quinque partes divisionem sese amplexurum, ut tamen Elector clam promittat, portionem suam ipsi relinquere, si in Pomerania plane ei satisfactum sit. Eo fine Hanoveranum demulcendum, ac toto cum Præsulis exercitu, cui ipse, Elector, & Hanoveranus copias juncturus sit, Stadam obsidendam. Adversus hæc Brandii hosce scrupulos movebant. Fortasse Præsulem pro ingenio suo id negotium intricare, ac Regem cum Cellensi committere velle, ut sibi in turbido eo uberior piscatio sit. Hanoveranum ægre ad hoc adduci posse, cui & parum confidendum sit. Cellensem obfirmato animo cum Osnabrugensi, & Guelferbytano rem ad extrema deduci passurum, exitioso obstaculo rebus in Scania, Pomerania, & ad Mosellam gerendis. Ægre quoque Electorem quintam suam Regi clam addicere posse, quam & Præsul ambiat, qui pro ea concessa Anclamum, & Demminum Electori se expugnaturum, & traditurum pollicitus sit. Sed Rex judicabat, Præsulem promittere, quæ supra vires sint, nec candide agere, qui & præter decretum Stadæ obsidium Cæsari decem millia ad Mosellam contra Gallos obtulerit. Sed eum nil aliud quærere, quam ut Ducibus scrupulum injiciat, quo ad ipsius libidinem super Brema transigant. Etsi is haut eo secius demulcendus sit, ut Cellensis ad æqua compellatur. Interim formula partitionis Hagæ concepta eam negotiationem turbabat, qua Rex valde indignabatur, sibi, & Electori nil assignatum, si vel tantillum in Scania, aut Pomerania accipiant. Et Cellensem jam antea satis difficilem per eam magis obfirmatum iri. Ac si ipse eandem rejecerit, Belgas cavillaturos, a se semper difficulta-

Circa Bremensem provinciam apud Danum disceptata. 1676.

13. Mart.

1676. ficultates moveri. Quam ob causam & legatum suum, quod sub sperati eam subscripserat, sat acriter reprehenderat. Demum declarabat Rex, Carlsburgum solo æquandum, Stada, & Boxtehuda integra persistente; nec se unquam ad Visurgim munitionem extructurum. Si & ista Cellensis respuat, non difficile fore ejus destinata conjectando assequi.

Daniæ Regis ad Electorem legatio. 15. Jul.

§. 37. Cum itaque Rex perspiceret, quanta cum anxietate reliqui fœderati spem incrementorum ipsius trutinarent, eo magis necessarium judicabat saltem Electori arctius sese innectere. Eo fine missus ab eo Goschius Bucwaldus Electori proponebat; quia Gallici legati jam Neomagum accesserint, quos Sueci mox secuturi sint, Belgæ autem in universum insignem pacis cupidinem apricentur, sibi eo magis hac expeditione extremis viribus incumbendum, ut quovis modo hostem frangant, quo inter ipsos conventa effectui dari queant, ne utriusque securitas ex aliorum fœderatorum placito dependeat. A quibus non solum parum opis sit expectandum, ubi ipsi propriis armis operæ pretium non fecerint; sed & haut immerito metuendum, ne Austriacorum consilia eo tendant, ut cum ipsi tam parum contra Gallos profecerint, aliorum successibus jam partis, aut speratis uti velint ad recuperanda per hostes sibi erepta, proposita permutatione, quæ omni rationi, & æquitati repugnet. Unde legatis a se Neomagum mittendis injungendum, ut ejusmodi proposita plane respuant, Luneburgicis in eandem sententiam pertractis. Quo fine expedire peculiare inter ipsos fœdus quamprimum absolvi, ut cum istis aliquando super Brema dividenda conveniri queat. Quo fine Rex nosse cupiat, si ab Electore tota Pomerania subigi nequeat, quænam ejus pars ipsi satisfacere queat, ut prætensione in Bremensem portionem plane desistat? Quam Elector pro sua magnanimitate ita moderaretur, ut Duces, & Præsul ne protelentur, & negotium id ad finem perduci queat. Ad extremum addebatur de Bremensi Electoris portione Regi cedenda, ubi in Pomerania ei satisfactum fuerit; cui Rex vicissim & in tractatibus pacis, & persequendo bello fidelem operam sociaturus sit. Ad quæ Elector; primo loco proposita a se plane probari. Circa attrahendum Cellensem nulli se operæ parcere, nec omnem spem deposuisse. Sed de Hanoverano associando exiguam spem superesse, ni Rex eum permoveat, in quo iste sibi non parum fiduciæ esse testetur. Fœderi absolvendo se paratum, ac partitionem Bremæ libenter promoturum, adjungendis Ducibus, & ne inter hos, & Præsulem collisio emergat. Cæterum actionis suæ in Bremam aliam indolem, quam fœderatorum esse. Nam sibi de damno reparando, his de lucro captando agi; unde ante omnes sibi satisfaciendum. Sed quousque prætensio sua extendenda, aut remittenda sit, in præsens nondum adparere, quod Sueco munitissima adhuc in Pomerania loca restent. Nec constare, an, a quo, & quid suppetiarum ad ea expugnanda sibi ferendum sit; etsi de Regis auxilio non dubitet. Sibi autem in hac partitione ad omnes fœderatos respiciendum, nec in præsens ad certi quid se obstringere posse; sed æquum judicare, ut insignis portio Bremensis provinciæ sibi possidenda tradatur, quoad Pomeranica expeditio felicem exitum sortita fuerit, ac fœderati tunc liquido judicare queant, an, & quid satisfactionis sibi ulterius debeatur. Sane fœderatos censere, ubi in Pomerania plene sibi satisfactum sit, de Brema nihil sibi retinendum; eo casu nil fore, quod Regi cedi possit. Ast ni in Pomerania sibi satisfiat, suam ibi portionem alteri se vix relinquere posse. Si tamen Regis opera effici queat, ut præter plenam in Pomerania satisfactionem etiam partem Bremæ retinere liceat, se libenter super hac cedenda cum Rege acturum. Alias tunc æmulationi Regem inter, & Electorem serendæ Stralsundenses istius protectionem quæsierant; sed qui eam declinandæ hujus suspicioni repudiaverat. Vicissim & Elector Regi quantum in se circa vectigal ad Glucstadium, ad summam DC M uncialium favebat. Etsi cum Rex peteret, ut Cæsar id ibi conferret, haut requisito Electorum consensu, Elector adprobare se Collegio negabat posse, suo consensu tanti momenti jus imminui. Nec suadere se, ut Rex proprio ausu quid tentet; de quo hic ipsum consuluerat. Quanquam frustra circa id vectigal satagebatur, quod Cellensis, ac Belgæ, & horum instinctu Anglus acriter eidem reluctarentur. Quibus & non parum æmulationis excitabat, quod Rex jam Wismariensi portu potius esset. Quem & Cæsar malebat ad Mecklenburgicos Duces redire, utut alias facile pati posset eum quantiscunque accessionibus extra Germaniam a Suecis, ac parte Bremæ, & Rugia insula potiri. Ac idem declinandæ Dani offensæ Mecklenburgicis Wismariam ambientibus quidquam polliceri nollet, sed eam rem Neomagum rejiceret.

Circa fœdus cum Rege Daniæ [illegible] m. Sept.

§. 38. Circa fœdus cum Daniæ Rege concipiendum præcipua difficultas circa ea verba movebatur, *contra Suecos, eorum adhærentes, & auxiliarios*. Nam Rex excusabat in præsens plus quam antea sibi dubitandum Gallo publice bellum indicere, quod Cæsar, Hispanus, & Belgæ sibi tunc persuasuri sint, ipsos secum pro libidine agere posse. Itaque ostentata Galli amicitia Cæsari, Hispano, ac Belgis scrupulum injiciendum; aut si utique Gallo bellum indicendum sit, vicissim se bonas conditiones stipulari velle. Nam a reliquis fœderatis admodum sinistre, ac contemtim secum agi, ac ni talia emendentur, sibi cum Electore consultandum, quomodo uterque huic se negotio subtrahere queat. Sane præmaturum esse, quod socii jam in nimia Daniæ incrementa invidiam concipiant, cum in Suecia decretum sit, Teutonicas provincias pro derelictis habere, ac corpus Sueciæ defendere, totis viribus in Danum versis. Ast id merito sibi dolori esse, quod circa Bremam nil sibi grati-

1676. gratificari velint; super vectigali ad Glucstadium tantas difficultates moveant; quod Belgæ classem domum revocent, ac subsidia amplius solvere abnuant; Cæsar quoque super hospitiis plane recuset, & Anglus minetur; denique suspicio sit, ne Elector quoque ipsum destituat, conventione super auxiliis cum Luneburgicis, & Præsule inita. Sed Brandii demum multis rationibus pervincebant, ut Dani agnoscerent, ad eam conventionem ineundam Electori descendendum fuisse ob Demminum expugnandum, quod alias quietem Meclenburgicæ turbaturum fuerat. Sed & scribebat Elector Regi: se sperare Hispanos circa subsidia debitum expleturos, quorum res quam maxime agatur. Belgarum conditionem notam, quorum commercia plane jaceant, ut solutionum dies observare nequeant. Se quidem multum iis remisisse plebi deliniendæ, ne ob magnitudinem onerum mota seditione rectores Reip. ad noxiam pacem combellat. Igitur par esse, a Rege quoque aliquid de subsidiis remitti. Ut Cellensis ad æqua permoveatur omni se ope connixum. De vectigali nondum spem plane defecisse. Ab Anglo nil metuendum. Ita demum nostri obtinuere, ut ista vocabula fœderi insererentur, cum a Gallo jam ultró bellum indictum esset. Monuerat tamen Tochtius legatus Belgicus, ne Elector fœdus id festinaret, quod apud Belgas plurimum intersit, cum Electore, an cum Dano contrahant; cum Electoris rationes, & acquisitiones a Belgis longe facilius præstari queant, quam Danicæ. Ad quæ Elector reposuit: sibi quidem circa fœdus Danicum omnia adhuc integra esse. Magnopere tamen tum sua privatim, tum communis causæ interesse, ut illi, quos & ditionum situs, & mutua securitas tam arcte conjungat, probe inter se nectantur, & communi consilio rem agant. Ita demum fœdus per delegatos a Rege Fridericum Alefeldium Comitem, Joannem Christophorum Kœrbicium, & Conradum Biermannum, ac Electoris ablegatos Christophorum, & Fridericum Brandios perfectum fuit.

30. Oct. — *23. Dec.* — *Kœrbitz.*

Fœdus inter Regem Daniæ & Electorem.

§. 39. Ejus fœderis hæc capita erant. *I. Sit fœdus hoc inter Regem, & Electorem, eorumque utrinque successores contra Suecos, eorumque adhærentes, & auxiliarios in hoc bello, quoad honesta & tuta pax obtenta, & uterque debita satisfactione potitus sit. II. Quanquam Regis, & Electoris amicitia per communem, eamque perpetuam utilitatem, consanguinitatem, & viciniam ita solide connexa sit, ut non metuendum sit, aliquid suspicionis hac tempestate inter ipsos oriturum: tamen invicem fidem dederunt, se non solum omnia, e quibus improvisa diffidentiæ, & suspicio oriri queat, solicite declinaturos, sed & ubique invicem ita acturos, ut clare adpareat, quam sincera fide se mutuo amplectantur, & quam enixo studio unus alterius commoda promovere, damna avertere laboret. Quo fine quicquid alterutrum spectet, bona fide citra dissimulationem communicandum. III. Inprimis quandiu bellum durat communem hostem pari vigore, & convento tempore aggrediantur, nec ei facultatem indulgebunt, ut alterutrum tota vi obrutum opprimere queant: quod non solum is, qui segnius moveat, privatum commodum communibus rationibus præferre, at hostilem impetum lentis actionibus a se amovere velle videatur, sed & quod facile universi vinci queant, dum singuli pugnant. IV. Uterque, quo loco ipsi commodissimum fuerit, bellum terra marique contra Suecos, eorumque provincias omnibus viribus continuabunt: V. Simul mutua auxilia ferent juxta conventionem inter ipsos eo nomine ineundam. VI. Uni alterius necessitas non minus quam propria cordi erit, nisi is, cujus auxilium requiritur, ipse in periculo versetur, aut adversus hostem ita implicitus sit, ut evidens sit, ab eo petitum auxilium nullo modo præstari posse. VII. Si alteruter hostem in vicinia sua eousque vicerit, ut ibi exercitu, aut classe opus non sit, is alteri, cui adhuc acriter resistitur, totis viribus auxilio ibit. Reservat tamen sibi Elector velut Status Imperii & Cæsaris, Hispani, ac Belgarum fœderatus, eo casu sibi integrum fore in horum usus partem copiarum contra Gallos adhibere. VIII. Rex, a quo bellum maritimum dependet, curabit, ne Suecica classis mari prævaleat, trajectum militum e Suecia in Germaniam, & vice versa prohibebit, simul commercia cum restantibus adhuc in Pomerania Suecicis oppidis inhibebit, ac ne quid annonæ iis inferatur: quo fine aliquot naves oram Pomeraniæ observabunt, & si Elector oppidum aliquod terra obsideat, ad idem quoque Rex mari accessum intercludet. IX. Nomine auxilii præstiti neuter in alterum pensationis quid exiget. Sed si quæ præda in hostili terra adquiratur, uterque partem sortietur pro ratione copiarum, quæ ibi rem gesserunt; ad quam proportionem etiam hospitia dividenda. X. Si unius fœderati copiæ in alterius ditione rem gerere debeant, quas hic vel possidet, vel ex conventione inter ipsos initâ occupare instituit, dominus territorii, in quo bellum geritur, annonam suppeditabit, quam is qui auxilia mittit, æquo pretio emet, gratis tamen præbito jumentorum pabulo, & diversorio. XI. Imperium militare eo casu erit apud eum, in cujus ditione jam possessa, aut ex hoc fœdere adquirenda res geritur, salva utrique in subjectum sibi militem jurisdictione. XII. Ut huic fœderi solidum fundamentum substernatur, & ne alteruter fœderatorum præsumat, sibi integrum esse peculiarem pacem, aut indusias cum communi hoste inire, Regi, & Electori fixum erit, fœderibus cum Cæsare, Hispano, ac Belgis hoc tempore, & ex quo Gallus Belgis bellum intulit, firmiter inhærere, eisque plene satisfacere, quoad communis, honesta, & tuta pax inter omnes bellantes ineatur; scilicet quamdiu & isti fœderati conventis stent, ac utrique contrahentium fideliter adsistant, eorumque commoda uti par rite observent. XIII. Uterque consilia sua eo diriget, ut Cæsaris autoritas Ordinum Imperii libertas, eminentia, & securitas contra exteros turbatores defendatur, ac leges Imperii sartæ tectæ perstent. Et quia pax Westphalica per eos violata, ac tantum non subversa fuit, qui gloriantur penes se esse eam pro subitu interpretari, uterque omni ope connitetur,* 1676.

1676. *ut ea pax in Imperio ita firmiter stabiliatur, quo deinceps nulli extero turbatori quietis publicæ ita pronum sit eam temerare; & ut Imperium, & vicini, ac fœderati in quietum statum reponantur. XIV. Cum itaque tam ex hoc fœdere, quam ipsis rebus gestis utriusque studium in bonum publicum adpareat, simul constet, quantis sumtibus, periculis, ac molestiis se, suasque ditiones hoc bello subjecerint; non dubitant, quin Cæsar cum Imperii Ordinibus, Hispani, ac Belgæ inter tractatus pacis ipsis velificaturi sint, quo idonea satisfactione, cessis ab hoste ditionibus supra designatis, potiantur, nec alia lege pacem ineant: id quod ipsa æquitas, & communis securitas requirat. Quo fine futuris de pace tractatibus in commune nitentur, ac in antecessum, & alias quavis occasione, ac omni ratione eo incumbent, ut uterque justa, sufficiente, & ad duraturam sui status securitatem faciente satisfactione, commodis ditionibus constante, potiatur. XV. Post obtentam pacem uterque alteri de iis, quæ jam possidet, aut hoc bello adquiret, perpetuam evictionem contra Suecos, & quoscunque alios præstabit; de quo post pacem solenni instrumento cavebitur. Tum & a Cæsare, Hispano, & Belgis inter tractatus pacis parem cautionem procurabunt, eamque instrumento communis pacis inserent. XVI. Uterque etiam alios Principes Christianos ad hanc sponsionem invitabit: quibus & integrum erit huic fœderi accedere, prævia tamen tractatione a paciscentibus instituenda. Atque id fœdus debitis locis, & ubi opus fuerit, sed non nisi communi consensu, communicabitur. XVII. Ratihabitio intra quinque septimanas fiet.*

Articuli secreti. §. 40. His accedebant secreti articuli *I. Fœdus Dobrani superiore anno conclusum huic fundamenti loco erit, ac per omnia firmabitur, & ad scopum ibi præfixum tendetur. II. Circa guarantiam id peculiariter placuit. Postquam inter Regem, & Ducem Gottorpiensem Christianum Albertum ante annum conventio circa supremum Slesuicensis Ducatus imperium initum fuit, per quam omnia in statum, qui ante pacem Roschildensem, & tractatum Hafniensem fuit, reposita sunt; ac Rex declaravit, sese Ducem circa jura, quæ majores ipsius ante id tempus obtinuerant, turbare haut decrevisse: Elector consensit, ut ea conventio hac guarantia comprehendatur, ita ut si Dux ipse, aut Sueci, aut alius quispiam contra eam quid suscipere, placitas ibi conditiones in dubium revocare, aut rem ad novos tractatus deducere audeat, Elector nequaquam in id consentiat, sed ei conatui serio se opponat, ac omnibus viribus connitatur, ut ea conventione utrinque stetur, & quæ adversus eam moveantur, ad ipsum Regem remittantur. III. Quia etiam divisio Ducatus Bremensis, & Ferdensis conventu Bremæ instituto absolvi non potuit, incerto adhuc exitu; interea autem Monasteriensis Præsul cum Cellensi, & Guelferbytano Duce circa præsidium Stadæ, ac partitionem ejus ditionis inconsulto Rege, & Electore peculiari pacto disposuerunt: Rex, & Elector eam causam velut communem agent, ac si Duces, & Præsul Regi idoneam portionem ejus provinciæ in æquæ satisfactionis locum negare persistant, Elector,* *(qui per pactum cum Præsule, & Ducibus non ita* 1676. *pridem initum Regi nil detraxit,) sive ipse plenam in Pomerania satisfactionem obtineat, seu minus, omnem operam impendet, & ubi hac nihil proficiatur, omnibus viribus connitetur, ut Rex saltem quintam ejus provinciæ partem accipiat. Vicissim & Rex operam navare tenebitur, ac si hacce nil proficiatur, omnibus suis viribus opem feret, ut qua ipse plenam e Pomerania satisfactionem non accipiat, eadem e Brema, & Ferda ex æquo suppleatur, idonea portione ibidem ei assignata. Neque adversus hanc conventionem Rex, & Elector cum Præsule, ac Ducibus conjunctim aut separatim quid paciscentur. Elector quoque Regi ob præstitum Imperio auxilium operam dabit, ut circa vectigal ad Glucstadium, & alia desideria ipsi satisfiat. IV. Quanquam Elector consistit, Regem & Remp. Poloniæ æternum fœdus a se exacte semper servatum nunquam abrupturos; quia tamen Gallorum, & Suecorum emissarii in ea aula nunquam cessabunt in fraudem fœderatorum omnia tentare, Rex ubi durante hoc bello a Polonis in Electorem hostile quid suscipiendum sit, terra marique opem eidem feret; nisi tamen ipse contra hostem ita implicitus sit, ut id præstari ab ipso non posse adpareat. Quæ exceptio & locum habebit, si Regi, & Electori adversus alios Suecorum auxiliarios, a se invicem suppetiæ ferendæ sint. V. Si futuris de pace tractatibus Cæsar, Hispanus, & Belgæ id agant, ut Rex, & Elector redimendis iis, quæ Hispanus hoc bello amisit, a se Suecis erepta, aut eorum partem restituant: uterque in hanc compensationem non consentiet, sed eidem uno ore contradicent. Quo fine & apud Anglum instabunt, ut is inter tractatus utriusque emolumenta observet, nec permittat, ut ipsorum minor quam reliquorum ratio habeatur, aut ipsi debita satisfactione defraudentur. VI. Quod si Belgæ in immaturam pacem, & quæ fœderatos satisfactione privatura sit, ruant, ac bello se subducant, separata pace cum hoste inita, Rex & Elector tunc cum Cæsare, Hispano, & Ordinibus Imperii, queis in bonis partibus constantia, & cum aliis qui huc pertrahi queant, consultabunt, quid consilii capessendum, & qua ratione absque Belgis bellum sustineri possit, quoad honesta pax obtenta sit. VII. Quod si præter spem Rex, & Elector a fœderatis ad persequendum contra Suecos bellum promissis pecuniis, navibus, ac militibus haut fulciantur; ipsi inter se expendent, quid eo casu suscipiendum, & quid super communi, ac peculiari ipsorum securitate statuendum sit. Interea ipsi a se invicem non disjungentur, quoad conventus invicem scopus obtentus sit.* Id fœdus cum post aulæ Cæsareæ communicaretur, frigide admodum acceptabatur, velut cui ejusmodi peculiares conventiones inter fœderatos haut arridebant.

§. 41. Ast circa Belgas, in quorum gratiam Elector bello implicitus fuerat, & a quibus rerum gerendarum nervus proficisci debebat magna huncce cura exercebat, ne isti pacis cupidine bellum præmature desererent, antequam sibi destinata obtinere, ac firmare licuisset; & quia superfunctorie facta pax non nisi exiguum ma- *Cum Belgis acta.*

lis

1676. lis intervallum datura erat, mox acrius incubituris. Sane sumtuum magnitudine jam ea Resp. fatiscebat, cum hoc anno rata pars expensarum bellicarum soli Hollandiæ provinciæ ad viginti duos florenorum milliones surgeret. Accesserat superiore anno terribilis inundatio, qualem integro seculo eæ provinciæ non toleraverant. Unde Fagelius nostros monebat, ne acriter nimis subsidia exigerent, antequam super bello continuando ab Ordinibus Generalibus decretum sit, ne per talia jam antea sat fervida pacis cupido magis accendatur. Præsertim cum non modica simultas inter hos, atque Hispanos gliſceret, mutuo se super legibus fœderis haut impletis arguentes. Nec absurde Belgæ augurabantur, ni Hispani majore studio rem gererent, jejunam valde pacem iis expectandam. Utrique autem Electori objiciebant, quod nil copiarum contra Gallum mittat, sed unice ad expugnandam Pomeraniam incumbat; quasi is ad rem nihil conferat, qui hostis socium frangit. Augebatur post apud Belgas ægritudo animi, quod ipsorum classis in portu Panormitano non leve damnum accepisset, pluribus navibus per Gallos igne consumtis, & quod Arausionensi obsidium Trajecti ad Mosam solvendum fuisset, quia plerique duces refragabantur, quo minus is cum Gallis adventantibus prælium committeret. Etsi ea damna expugnatum eo anno Philipsburgum, & quos Elector contra Suecos fecerat progressus solabantur. Porro Belgæ Jacobum Tochtium ad Electorem miserant, ut omnia, quæ amicitiam Electori, & Reipublicæ tam necessariam turbare possent, aboleret. Quo fine is excusabat tractatum super Bremæ partitione Hagæ factum, quem Elector sibi valde displicere ostenderat. Enimvero circa eum Belgas nil aliud spectasse, quem ut amicitia inter fœderatos servaretur, obsidium Stadæ promoveretur, ac inde istorum arma in usum Electoris, & aliorum adhiberi possent. Addebatur, ne Elector ægre ferret, a suis ministris eum tractatum sub spe rati subscriptum, qui ad hoc a Rep. & Principe inducti sint. Ad quæ Elector; se quoque, ac socios id spectasse, ut temporaria Bremæ divisio fieret, ac interim Stadæ obsidium urgeretur. Cæterum confidere, Reip. haut animum fuisse suæ causæ quid præjudicii adferre; & quod eadem haut omissura sit concordiam inter fœderatos servare, & pactum, quod omnium consensu deinceps formandum sit, interposita sua sponsione firmare. Inde Tochtius fœdus commerciorum cum Suecis initum Electori adprobare studebat. Nam Belgas, antequam reliqui fœderati Suecis bellum indicerent, libertatem commerciorum sibi excepisse. Cui cum Danus contradixisset, Electorem demonstrasse, Regis sententiam sibi haut probari. Sed nec Remp. Electori, & aliis fœderatis pecuniam expedire posse, ni cives sui, queis sumtus belli tolerandi sint, libertate commerciorum fruantur; queis & vetitis non Sueciæ, sed Belgio damnum inferatur. Nam Suecis ea, quibus indigent, per

2. Nov. 1675.

Belgici legati apud Electorem propositio 30. Maji.

Anglos advehi, qui antehac nunquam tanto navium numero in ea loca navigarint. Commercium autem, ubi semel mutationem subierit, demum plane intercidere, ac Belgas demum omni navigatione in Sueciam excludendos. Merces bello destinatæ uti ab initio exceptæ sint, ita quoque deinceps nemini concessum iri istas ad Suecos pervehere. Ac integrum esse Electori talia tentantes intercipere. Ad ista Elector: se isti commerciorum libertati semper contradixisse; nec meminisse Dano aliud a se significatum. Haut tamen cupere Belgarum commercium imminui, aut iis non permitti, quo alii fruantur. Unde ferendum esse, quod Resp. ex usu suo judicaverit. Confidere tamen a Belgis hautquidquam acceptatum iri secretos articulos, quos Sueci fœderi isti commerciorum adfuere cupierant; puta, ut Belgæ Suecicas naves suo præsidio deducant, ac classem in Mare Balticum ne mittant. Tum ut mercibus vetitis adnumerentur frumentum, pecunia, nitrum, sal, & omnia, quæ bello aptari queant; ac ut omnes fraudes coërceantur, nec in præsens navigatio ad portus Citerioris Pomeraniæ permittatur. Ad quæ Belga: Articulos secretos a Suecis propositos haut admissum iri. Inter merces vetitas nullo pacto cum Suecis aut aliis inito a Belgis unquam pecuniam, frumentum, sal, & quamlibet annonam, tum quæ bellico usui aptari queant relata. Tantum arma jam fabricata, & perfecta inter istas censeri; præsertim cum ipsi Belgæ quibusdam id genus mercibus, pice, malis, cannabi, aliis ad naves instruendas opus habeant. Ad loca eminus obsessa navigationem non permitti, ac integrum esse Electori eam impedire. Quæ declaratio uti Electori probabatur: ita de eo non parum querebatur, isto fœdere Belgas Suecis promisisse, non solum suis se navibus Suecorum commerciis damni nil illaturos; sed & civibus sub pœna capitis, & bonorum interdicturos, ne sub alterius Principis militia contra Suecos rem gerant, ac ut qui ejusmodi militiæ jam nomina dederint, ea abdicata domum se conferant. Unde eos qui apud se stipendia faciant, jam super missione movere. Ast id fœderi haut quadrare, citra communicationem cum communi hoste pactum inire huic proficuum, sociis noxium; præsertim cum ipse solus ob auxilium Belgis latum Suecorum arma in se pertraxerit. Nec vero loca Pomeraniæ sine paratu navali a se subigi posse. Quæ solida ratione niti Tochtius agnoscebat, ac ad Remp. se relaturum pollicebatur. Addebat idem; falso Belgas argui, quasi Electori invideant, quod & ipse partem dominii in Mari Baltico vindicatum eat. Quin gratum iisdem esse, ab eo naves armari, ac eum in finem ipsi fauturos, & quicquid cupiat per collegia sua nautica confici curaturos; ac validiores, & tertia parte minore pretio, quam alias emi possint, naves ipsi exhibituros. Nam eos homines, quibuscum Elector contraxerit, apud se exigua fide esse. Quæ hic grata sibi testabatur. Denique & idem excusabat, subsidia a Belgis justo tempore non soluta. Ei moræ causam dedisse 1676.

1676. grandes expensas extra ordinem faciendas, arma terra marique paranda, & classes sumtuosas in usum Dani, & Hispani instructas. Aliquid tamen subinde se suppeditasse, ac ulterius bona fide soluturos. Elector pro æquanimitate sua statum Reip. consideraret, quæ omnia factura sit, quousque vires pertingunt. Nec Electoris conditionem sibi incognitam, cui ut subveniatur boni publici quam maxime interesse. Ad quæ Elector: se, quod fidum socium deceat, tempora Reip. consideraturum, & ex æquo cum ea acturum. Sed ad futuram expeditionem C M uncialium opus sibi e residuis esse, quibus ab Hispanis CL M addi par sit: tum ut Belgæ hac expeditione XX M menstrua solvant, reliqua in diem dispungi posse, nulla opposita compensatione. Quæ postulata Tochtius suis se commendaturum promittebat; testatus quoque, Belgis negotium Polonicum valde cordi esse, ac certo Electori auxilia laturos, si Poloni hostile quid tentent.

Super fœdere perpetuo cum Belgis agitur

§. 42. Idem quoque Tochtius proponebat; Arausionensem, & alios proceres consultum ducere, perpetuum fœdus inter Electorem, & Belgas iniri; ac ut idem inconcussum perstet, omnes lites, quæ hactenus inter ipsos agitatæ sint, e medio removendas. Ac si idem Electori placeat, in consessu Ordinum de eo agi posse. Qua super re Electoris mentem nosse cupiebat. Ei pronum se Elector ostendebat, ac fœderis formulam offerebat; quæ Belgæ haut displicebat: nec Remp. difficilem fore circa abolendum debitum Husiserianum, utut Mechliniensis Senatus, in quem compromissium fuerat, pro Belgis pronuntiasset; modo Elector vicissim circa castellum Schenkianum ipsis gratificetur, quod ante biennium a Gallis eo duntaxat fine in Electoris manus consignatum fuerat, ut istud inter hunc, & Belgas pomum Eridis foret. Cæterum demonstrabatur Tochtio: *utriusque partis maxime interesse, arcto ipsos fœdere invicem necti; ac Belgas documentum cepisse, fidum se magis amicum quam Electorem haut inventuros, cui voluntatis non minus, quam facultatis sit ad suppetias ipsis ferendas. Sed ut ea amicitia illibata consistat, omnes pariter controversias abolendas, quod etiam exigui momenti litigia vel conjunctissimas necessitudines inter se committere queant.* Ac offerebat Elector; se Belgis pleno dominii jure cessurum castellum Schenckianum inæstimabilis pro Hollandia pretii; tum omnes actiones in Geldriam, & ex debito Husiseriano, condonatis quoque reliquis subsidiorum ex fœdere anno 1672. inito, tum si quid prætensionis ex fœdere anni 1666. sit, quod oppida Clivica tam futili modo hosti dedita fuerint, immenso suæ provinciæ damno. Vicissim Belgæ prætensionem ex debito Husiseriano, ac Geldricum compromissum, omnesque eo nemine actio-

29. Nov. nes abolerent. Quæ Tochtius in patriam discedens Ordinibus se commendaturum recipiebat. Qui & de Electoris constantia, cura, diligentia circa bonum publicum, ac fortitudine amplissima apud suos exposuit.

§. 43. Ast longe molestissima erat Hispanorum societas; de quorum provinciis cum præcipue ageretur, ii tamen & per se bellum segniter administrabant, nec promissa subsidia exsolvebant, inanibus semper pollicitis Electorem lactantes. Ut igitur ludificationes illas amputaret Elector, Melchiorem Ruckium in Hispaniam mittere decrevit; qui initio Regi Carolo II. de suscepto regimine gratularetur, tum solutionem subsidiorum exposceret, quæ accurate repræsentari, eoque Electoris exercitum firmari ipsius Hispaniæ quam maxime intersit. Tum ut non solum reliqua numerentur, sed & certi reditus in futurum designentur, quo ista inter liquidas rationes referri queant; quas pecunias Elector bello strenue urgendo impensurus sit. Tum, ut Rex Electoris emolumentis apud tractatus Neomagenses velificetur, nec prius ibi concludat, quam ipsi satisfactum sit: nec pari officio Electorem Regi defore. Ac ipsius Hispaniæ quam maxime interesse, Electorem per Suecorum viciniam non amplius distrahi, quo Hispanis subvenire tota vi possit, ubi a Gallis invadantur. Monere quoque jubebatur de antehac promissa annua pensione CM uncialium. Adhæc tentaret, num commercium in Americam institui possit; saltem ut Electori integrum foret singulis annis unam, & alteram navem eo mittere parata pecunia coëmendis, quæ viderentur, mercibus, nullo commercii, quod inter Hispaniam, & Americam alias exercetur, detrimento. Denique ut circa titulos aliquid novaretur postularet, ac ut sibi *Serenissimi* vocabulum, ac loco *Dilectionis Vestræ Serenitas* tribueretur, ac in fine literarum vocabula affectionis, Consanguinei & Fratris: pro quo Elector in vicem veteris formulæ *Dignitatis Regiæ Majestatem* sit repositurus. Iste cum ex Anglia in Lusitaniam trajecisset, inde Madritum delatus primam difficultatem experiebatur, quod nulla legati dignatione solo Nobilis cubicularii vocabulo in literis fiduciariis insignitus esset. Nam dubitabant Hispani, an, & quousque super negotiis publicis cum eo tractari posset, cum apud ipsos haut moris sit cum eo de talibus agere, qui nullo legati charactere instructus veniat; ac ne in receptione nimium, aut parum honoris eidem exhiberetur. Nec enim ut privatum haberi posse cum fiduciariis literis venientem, nec a se conferri ministro honorem posse, quem ipsi Princeps suus haut dederit. Aliqui eousque absurditatis procedebant, ut censerent, istum, uti quemvis privatum, qui libellum supplicem porrigit, in aliorum turba Regem adire debere, uti Italorum Principum Agentes faciebant. Id quod iste plane adspernabatur, præsertim cum nuper Nobilis a Sabaudo itidem nullo charactere missus curru regio in aulam adductus esset. Ac de titulis acturum haut decebat primo accessu sese abjicere. Et quia Hispani semper circa cerimonias difficiles fuerant, ni in præsens emendatio obtineretur, ea vix deinceps sperari poterat. Suspicio quoque erat, ministros Hispanicos studio

1676. *Missio in Hispaniam.*

studio ejusmodi scrupulos movere, quo is per impatientiam inde se proripiens prætextum ipsis suppeditaret eludendæ solutioni, cui præstandæ argentum in promtu non erat. Sed & tunc confusa valde Hispanicæ aulæ facies erat, prudentissimo quoque negotiis publicis se subtrahente ob invidiam, quod alii ipsis prælati forent, queis volupe habebatur vel cum exitio Reip. inscitiam illorum innotescere, quos magis muliebris favor, quam sua merita negotiis publicis admoverant. Aliqui, quando cum ipsis de præsentibus in Belgio, & Pomerania rebus disserebatur, tanto cum stupore audiebant, ac si de bellis in China, & Japonia sermo esset. Plerique judicabant, Germaniæ Principum magis interesse Belgium servari, quam ipsius Hispaniæ. Unde istis proprias rationes necessitatem allaturas ad ejus defensionem suscipiendam. Cæterum de subsidiis modica spes erat, consumta fide: ac nil nisi metus, & indeclinabilis necessitas æqui aliquid ab hac aula extorquere poterat. Et quia Elector tantopere bello Pomeranico immersus erat, intra annum a peculiari pace nil sibi metuendum ducebant; quæ si maxime sequatur, partes tamen ita fatigatas esse, ut nil periculi brevi tempore metuendum sit. Sed & Electorem speratam sibi prædam persequi haut omissurum, unde rebus Hispanicis parum levamenti accedat. Sed patrato bello Pomeranico aliquid forte dandum, ut ejus auxilio contra Gallos uti possint. Turbæ quoque per Siciliam pleraque absumebant, quæ alias fœderatis destinata e-

29. Dec. rant. Demum tamen obtentum fuit, ut Ruckius per magistrum officiorum regio curru in aulam adduceretur; & quanquam pompa admodum tenuis erat; manum tamen vulgo habebatur, idem isti honoris, quod ablegatis, exhiberi. Etsi mox ab Electore literæ veniebant, quæ ablegati dignationem eidem tribuebant. Ad propositionem latino sermone factam, quæ simul Hispanica lingua scripto exhibeatur, Rex nil amplius respondebat, quam *videbo*. Circa

Jo lo verre. idem tempus Joannes Austriacus Madrito propinquabat confusioni regiminis corrigendæ. Quo fine Reginam aula amovendam pertendebat, cui plebs omnia mala, quæ hactenus Hispaniam affixerint, adscribebat. Hanc mutationem Viennæ eo nomine parum æquis animis accipiebant, quod Cæsaris soror autoritate sua evoluta esset. Cæterum publico utilem ducebant, quod hactenus Hispaniæ res sinistre admodum essent administratæ, nec iis restituendis ullus magis idoneus, quam Joannes Austriacus, habebatur, nisi quod aliqui ejus ambitionem metuerent, ne forte ipse regnum affectaret. Idem Electori studium suum ample offerebat, ac solus hunc *Celsitudinis Electoralis* vocabulo nuncupabat, quod reliqui Grandes Hispaniæ ut exprimerent, a suo fastu impetrare non poterant. Cæterum in universum respondebatur: a Rege grandem pecuniæ summam in Belgium trajectam, de qua Elector suam quoque portionem nacturus sit: cum tamen ejus pecuniæ maxima pars Cæsari destinata esset. Nec

eo minus agnoscebant, quam maxime opus esse, ut Daniæ Regi, & Electori subveniatur. Joannes Austriacus culpam in pravam ærarii administrationem conferebat, per quam publicæ opes plane exhaustæ sint, haut ita raptim reficiendæ. Et eo anno classis Americana viginti octo milliones attulerat, de qua summa ad Regem deductis deducendis non nisi septuaginta uncialium millia redierant. Spem tamen is faciebat, sed incertam. Nec Electorem tanta necessitate urgeri persuadere sibi poterat, quod is semper de hostibus victoriam reportasset. Demum a Rege id responsi datum; Villæ Hermosæ Marchionem in mandatis habere, ut fœderatos pecunia sublevet, prout cujusque conditio requirat. Sed cum Ruckius efficaciori auxilio opus esse demonstraret; ac uti Belgæ bellum languide propulsent, reliqui fœderati, ni pecuniis fulciantur, pacem quibuscunque conditionibus amplexuri sint, Joannes Austriacus disserebat: *Genuinas Hispaniæ rationes exigere, ut bellum strenue continuetur, & fœdera observentur. Citra hoc nullam spem tutæ, & honestæ pacis esse. Gallum forte in præsens aliquid de bello raptis redditurum, ut præsens tempestas declinetur. Sed nil certius esse, quam eundem brevi, ubi vires recollegerit, denuo in arma erupturum, & quæ nunc restituerit, cum reliquis rapturum, ubi adversa pars armis instructa non fuerit. Unde fœderatis utique satisfaciendum, inter quos Hispania Electorem quam maxime respiciat. Ac si maxime Hispaniam propriæ rationes ad hoc non obstringant, ingrati animi notam contractum iri, si is præsentes inter angustias destituatur. Tantum ut modici temporis patientia adhibeatur.* Ultra isthæc verba hoc anno haut procedebatur. Super commercio in America proponere inutile habebatur, quod in Hispania lex esset, ut nemini nisi nato in Hispania eo proficisci liceat: ut nemo, Hispanica licet stirpe, sed in Belgio aut alibi extra Hispaniam natus, inter milites, aut alios Regis ministros eodem accedere posit. Si mercator aut alius, postquam de natalibus suis fidem fecisset, propria ob negotia extra Regis ministerium eo se conferre cupiat, veniam sex uncialium millibus redimendam. Post tamen de eo moventi Ruckio Joannes Austriacus dicebat: eam delicatissimam esse materiam, quæ in hac aula proponi posit. Belgas novissimo bello, quod Hispani cum Gallis gesserint, tantum petiisse, ut sibi duas naves classi Americanæ adsociare liceret, tam lautis vicissim conditionibus oblatis, ut per eas pro captu istorum temporum Gallia in ejusmodi statum conjici potuerit, ut forte præsenti bello supersederi licuerit. Sed aulam in id consentire non potuisse. Et cum Ruckius exciperet: disparem esse Electoris & Belgarum rationem. Nam isti neque animum neque vires esse Hispanis suspicionem injiciendi; ac negotium id ita disponi posse, ut idem Hispanicis subditis plus lucri, quam damni adferat: Austriacus respondebat, id facile se credere. Sed rationem status Hispanici negotia Americana tam arctis legibus circumscripsisse, ut tan-

1676. ut tantum in utraque Castilia natis, & quorum majores triginta per annos ibi habitarint, eo proficisci liceat, exclusis incolis omnium reliquorum regnorum in peninsula Hispanica sitorum. Ita isthoc commercium plane abnegatum.

Cum Anglo acta. §. 44. Circa Anglum, ut is bona fide medium se gereret, præcipua cura erat, ne per eum Sueci sublevarentur. Oneraverant annona aliquot naves Rupellis Galli, quas ad Anglicum litus adpulsas diplomatibus Anglicis velut ad hanc nationem pertinentes instructas Suecicis portubus immittere cupiebant. Quod cum Elector contra sequestris officium esse moneret, ac se non libenter velle id necessitatis sibi imponi, ut eas, prout jus gentium permittit, habeat; Rex promittebat, istis navibus diplomata datum haut iri. Suecus quoque aliquot navarchos Anglicos ad faciendas excursiones maritimas autoraverat: quos ut Rex inhiberet Suerinus impetrabat. Sed ut navigationem ad portus Pomeraniæ suis interdiceret, Rex abnuebat. Jure gentium ei, qui inter bellantes medium se gerit, permitti in loca ab obsidio vacua annonam convehere. Sed si quæ Anglicæ naves merces bello vetitas vehant, eas Electori licitum esse accessu prohibere, præsertim cum huic super commerciis nil peculiaris pacti cum Anglia intercedat. Ad quæ Suerinus reponebat: *si hosti aliter quam interclusa annonæ subvectione noceri nequeat, jus naturæ utique permittere, ut omnibus modis ea prohibeatur. Ac revera omnia Pomeraniæ loca eminus terra, marique obsessa esse. Alias Electorem non repugnare, quo minus omnes Anglicæ naves, quæ vetitas merces non vehant, per Oresundam in Sueciam, & Livoniam navigent.*

16. Maji. Sed declarabat Rex: *Se Electoris desiderio gratificari non posse, partim quod civium suorum commercia circumscribere nequeat, præcipue autem quia mercatores tali occasione ob lucri cupidinem omnia tentent, insuper habitis interdictis. Sane scipsum proprio cum Belgis bello expertum, sibi armandæ classi necessaria ab hostibus suis præ pecunia comparare in proclivi fuisse. Quod si tamen quis suorum in leges medii status peccet, eum facta denuntiatione protinus pœnas daturum. Sed nec pro obsessis haberi posse loca, ad quæ accessus ab hoste non nisi eminus infestentur.* Ac si maxime Regis edicto ea navigatio prohibeatur, id parum ponderis erat habiturum, quod, ubi id absque consensu Parlamenti factum sit, ejus transgressor non nisi viginti quinque uncialibus multetur. Cum haut eo minus Suerinus id negotium urgeret, & caussatus per laxiora obsidia viam ad oppugnationem cominus faciendam sterni; quin sola annonæ exclusione vel munitissima loca expugnari, contra abundante annona etiam acerrimas oppugnationes eludi posse; reponebatur: *Ejusmodi edictum repugnare statui medio, & sequestris officio. Suecos quoque eo fœdus violatum questuros. Sed & præter consuetudinem id esse, & a nullo Principe expetitum; ac tali casu quemlibet fecisse, quod e sua re visum fuerit, ac subvectionem rerum, quas hosti subtrahere voluerit, palam vetuisse, abreptis qui contra fecerint. Si Elector hoc remedio uti velit, mercatoribus id sequi necessum fore. Sed nec Belgas, nec alios Angliæ fœderatos discrimen inter laxius, & arctius obsidium in dubium revocasse; quod nec a se aboleri possit.* Alias cum Angli non obscure invidiam adversus Danos ostenderent, postquam hi classem Suecicam fugassent, & Gotlandiam insulam occupassent; Electoris contra successus sat æquo animo adspiciebant; quin mirabantur, a Suecis Pomeraniam non pro derelicta haberi, ut Dano eo validius resistere possint. Idem Rex Suerino satisfactionem Electoris commendanti, & ut Sueci solo Germanico dimoveantur, responderat: de alterius terris disponere penes se non esse. Sed innuebat, eam rem ab Electoris progressibus pendere. Huic quod talia affectet, vitio dari non posse. Sed ad id aliquid conferre sibi sequestri fas haut esse, cujus sit partibus conciliandis operam dare, non alteri sua jura abjudicare. Cum quoque Suerinus jussu Electoris etiam de renovando fœdere moveret, Rex declarabat: Quia compertum sit, id utrique parti parum utilitatis attulisse, vix adparere, num in posterum inde quid sperari possit. Si tamen Elector pressius mentem suam exposuerit, se pro re nata quid sibi videatur expositurum. Eo minus autem mirum erat, ab Anglo circa inhibendam suorum navigationem nil impetrari potuisse, cum ne Cæsar quidem serio prohiberet, quo minus Hamburgenses, ac Lubecenses Suecis, Gallisque, qua lucri spes affulgebat, subservirent; utut demonstraretur, iniquum esse, horum lucrum cessans utilitati totius Imperii præponderare; cum omnes Ordines belli mala sentiant, & haut eo minus sua ad Remp. conferre necessum habeant. Sed ad hæc ea unica ratio occinebatur; Quamdiu Angli, & Belgæ commercia exerceant, eadem Hanseaticis interdici non posse. Nam eo nil aliud effici, quam ut facultas augendi rem hisce civitatibus adimatur, & in exteros avertatur; unde istas fortunis everti, & ad toleranda Reip. onera inhabiles reddi. Igitur nullum aliud remedium erat, quam ut naves istorum interciperentur, insuper habitis querelis, ob quas Cæsar bellum indicturus non erat. Nec plus proficiebat Elector, cum pecunias ab Hamburgensibus Stetinum trajici quereretur, cum alias præsidio inopia pereundum esset. Nam has querelas facile missi ab Hamburgensibus retundebant, turgidas auro crumenas Viennam adferentes. Equidem suadebat Daniæ Rex, ut coërcendæ Lubecensium ad hostes navigationi Travemunda interciperetur. Nam si ipse id faciat, Cellensem velut Circuli præfectum id ingentis offensæ loco accepturum, ac magnos tumultus moturum. Quod ab Electore patratum mollius accipiendum sit. Sed nec Electori placuit, ejus facti invidiam in se suscipere.

§. 45. Inter istas difficultates Electoris arma haut eo minus hoc anno prospere succedebant. Equidem initio anni Sueci assumto quidquid fere copiarum per Pomeraniam *Sueci Wolgastum frustra oppugnant.*

reitu-

1678. restabat, & quantum præsidiis oppidorum detrahere licebat, juncto quoque præsidiario milite Wismaria dimisso, Wolgastum hiberna tempestate recuperare instituerant id quod exsequendum Cunrado Mardefeldio commissum est. Is primo in Usedomum insulam trajecit, ibique castellum ad ostium Suine fluminis situm, Brandenburgico milite insessum, post novem dierum oppugnationem deditione cepit. Inde ad obsidendum Wolgastum versus, triginta sex machinis, quatuor mortariis per sex septimanas magnam munitionum partem dejecit, ut obsessis non amplius suarum machinarum usus esset, omnisque defensio ad lacertos rediret. Quamdiu aquæ apertæ erant, obsessores sæpe pontonibus, & cymbis ad munitiones accedere tentabant: aliquando & duos pontes fossæ immiserant, sed quos obsessi non sine hostium damno disjecerunt. Demum cum acri frigore omnes circum aquæ ita firma glacie constitissent, ut explicatis cohortibus ad arcem accedi posset, assultus magno impetu datus, hora post
…. Jan. meridiem prima, centum amplius scalis vallo adplicitis, sed cujus adscensum difficillimum glacies reddebat, qua id totum superfusis aquis
…allard. obductum erat: & Hallardus tribunus præsidii præfectus cum suis ita strenue resistebat, ut brevi tempore glacies, & fossæ crepido mortuis sterneretur; ac ni hostis receptui signum dedisset, pauci ex assultantibus superfuturi erant. Ita isti oppugnationem omisere, quadrigentis amplius desideratis; plures sauciati fuerant. In crepidine fossæ obsessi adhuc centurionem cum triginta gregariis interceperunt. Hosti ut mortuos auferret ea lege permissum; ut obsessis integrum esset nullo impediente scalas vallo admotas, aut in glacie jacentes intra arcem pertrahere, ac mortuis vestes detrahere. Eo assultu apud Suecos cecidit tribunus Thuro Oxenstierna, Thuronis F. quatuor centuriones, inter quos Mardefeldii filius, ac plures præfecti, quorum multi ipso in vallo sarissis confossi sunt. Qui sub Suecis præsidio præfectus fuerat Blixius in vallo quatuor vulnera accepit. Obsessi magna vi lapidum, quos obsessores e machinis in arcem conjecerant, subeuntes obruebant. Extra eum assultum hostes hoc obsidio præfectum vigilum, optionem, & signiferum multis cum gregariis amiserant. Ea clade fracti obsessores machinas subducebant. Mox tamen Mardefeldius, cum paululum interquievisset, denuo fortunam tentare constituit, ac jam jaciendis globis, & saxis arcem premere cœpit. Igitur huic liberandæ jussu Electoris Bogislaus Suerinus ex Ulteriore Pomerania Usedomum invadit, ubi Wangelinus cum octingentis dimachis
…Jan. consistebat. Is cum recta via trans Suinam penetrare non posset, facto circuitu per lacum dulcem glacie constrictum incedens in Usedomo apud vicum, cui *Caminchen* vocabulum, pedem figit. Sed hostis, qui mature e modica caterva a nostris pulsata de eorum adventu monitus fuerat, propere Wolgastum versus se recepit. Et quia idem per tenebras trans glaciem Lassanum se receperat, præcursores non nisi catervam centum capitum assequi potuerunt, quam per unum milliare in glacie persequentes viginti quinque ex iis occiderunt, viginti novem ceperunt. Unde Suerinus Wolgastum recenti milite, & omnibus necessariis instruxit. Ex altera parte adhuc manus Suecorum consistebat, quadrantem milliaris ab arce accessum eo loco intercludens; in quam noctu aliquot centurias immittere Suerinus parabat; sed quæ animadversa re mature Grypswaldam se subduxerat. Eodem tempore ex altera parte Dœrflingius contractis e Meclen- 22. Jan.
burgica, & Prignicia equitibus, ac quibusdam Cæsareis, & Danicis turmis sub Metternichio, & Arensdorfio per Tribsesam, & Damgardam ingruens, in Mardefeldium non procul Wolgasto metantem ita acriter impingitur, ut is magna cum confusione Stralsundam se recipere cogeretur, non paucis desideratis, dum nostri recedentem semper assultant. Circa idem tempus Joannes Adamus Schœningius tribunus assumtis copiis, quæ Prenzloviæ, & Pasewalci hibernabant, Uckermundam assultu expugnat, cæso præfecto, & magna præsidii parte, reliquis captis. Inde disjectis portis, oppidoque direpto non sine præda in hospitia sua revertit.

§. 46. Ast expeditioni, quam æstate Elector ipse in Pomeraniam suscipiebat, haut parum facilitatis adferebat, quod classis Suecica non sine clade per Danos ducibus Nicolao Julo, & Cornelio Trompio intra portus suos compulsa fuerat; quo ipso impediebatur, ne quid copiarum, aut paratus bellici Pomeraniæ immitti posset. Ex eo prælio maritimi excursores Electoris Suecicam navem bellicam viginti duabus machinis armatam, & alteram incendiariam cum multis minoris formæ navigiis interceptas in portum Colbergensem pertraxerunt. Observatum ea pugna, Belgas, ac Danos ter eodem temporis spatio, quo Sueci semel, machinas displosisse; ex quo adparebat, quanto major usus rei maritimæ istorum sociis navalibus esset, quam Suecicis, qui magnam partem ab opere rustico recentes in classem compacti erant. Inter alias duæ pretoriæ Suecorum naves eo prælio perierunt, quarum maxima, cui parem antea Suecia non viderat, dum angusto nimis gyro, patentibus infimi ordinis machinarum portis, incumbente valido plenis velis vento in latus impulsa repente undis absorbetur cum mille vectoribus, ipsoque classis præfecto Laurentio Creutzio, quatuordecim tantum hominibus ex eo numero servatis. Altera, cui Ugla proxima dignatione præerat, postquam adversus complures hostium naves acerrime pugnasset, dum deditionem facere numero obruta parat, ab admota incendiaria nave conflagravit. Sub idem tempus navigium Sue- 15. Jan.
cicum sedecim machinis, octoginta viris armatum sub Jasmundo Rugiæ promontorio a nostris interceptum, & Colbergam abductum est. Inter captos etiam Wangelinus erat, qui eodem die ante annum Ratenaviæ oppressus fuerat; qui tamen quod

Electoris in Pomeraniam expeditio.

Wangelinus denuo capitur.

1676. quod literarum secum habebat, in mare projecerat. Is Bogislao Suerino, qui copias Pomeranicas curabat, exposuit; *Sibi a Rege injunctum Electoris animum explorare, an non in pacem inclinet, ac seorsim cum Rege transfigere velit. Nam Suecia pace opus esse, quam aliqua jactura redimendam satis perspiciat; & qui primus cum ista transegerit, penes eum belli hujus fructum fore. Electorem amico modo obtinere posse, quod per arma quærat. Tum multis asseverabat, Regem hoc bello plane præter mentem suam fuisse implicitum. Eum ab aliis inductum credidisse hospitia per Marchiam cum Electoris consensu sumta.* Addebat, si a se proposita ab Electore repudientur, apud Danum eadem tentanda. Sed optare, ut Elector tam præclaram occasionem occupare velit. Si Electori ipsum audire placeat, se ad eum venturum. Alias sibi propositum fuisse abdicata ad tempus militia circa pacem operam navare. Ast Electori ejusmodi tractandi modus juri gentium, & fidei fœderatis datæ adversus hautquidquam arridebat; ac satis adparebat id agi, ut ipse fœderatis disjungeretur, ac Sueci in Germania hærerent. Ac circa idem tempus Gallus Electori clam Stetinum, liberam Oderæ navigationem, & alia loca in Pomerania obtulerat, si desertis fœderatis seorsim transigere vellet. Quæ itidem ab Electore velut intuta, atque inhonesta rejecta sunt. Et quia Wangelinus legationis suæ fidem facere non poterat, pro captivo habitus, ac Peizam in custodiam missus est, ne occasio ipsi foret noxia literarum commercia alendi. Simul Elector ab isto proposita omnibus fœderatis communicabat, de sua constantia in partes testatus, quam nullum privatum emolumentum labefacturum sit, gemina ab istis sibi pollicitus. Iste Wangelinus ut libertati redderetur Angliæ Rex sequenti anno per literas intercedebat. Quem & post Elector accepta fide certis sub conditionibus dimittebat: sed qui nec his conditionibus satisfaciebat, nec in captivitatem redibat. Unde si tertia vice captus fuisset, laqueo pœnas dedisset; præsertim cum contra avocatoria Cæsaris edicta Suecicam militiam continuaret. Eam ob emansionem is biennio post ad judicium militare citatus est, velut qui fidem militaribus viris sacrosanctam infregisset, & cum militia se abstenturum promisisset, haut eo secius expeditioni in Borussiam interfuisset. Ac ut judicium eo incorruptius haberetur, a Cæsare, Saxone, & Cellensi duces rogabantur, qui istius assessores forent, præside Kniggio Cæsareo duce. Gemina cum Wangelino apud Cæsarem post insinuabat Adolfus Joannes Palatinus, Regis Sueciæ patruus, qui sub finem anni improviso Lincium, ubi tunc Cæsar agebat, accessit. Ei Cæsar demonstrari jubebat; merito de adventu suo in antecessum significare debuisse, quod a Sueco hoste declarato veniat, cui tam propinquo sanguine junctus sit. Sed qui excusabat; se super adventu suo scripsisse, sed quia responsum non acceperit, ipsum accedere ausum. Alias nil sibi cum Suecico bello esse; ac venire, prout fidum Imperii Principem decet, ad devotum Cæsari animum demonstrandum. 1676. Is dein Comiti Pœttingio, quem Cæsar ad eum miserat, significabat; Regem Sueciæ in hoc bellum incidisse, ut ipse ignoret, qua ratione id factum sit. Eum proclivem esse ad pacem cum Cæsare, & Imperio colendam, si pari animo ipsi respondeatur; & plura in eum sensum. Sed Cæsar eum audire nolebat declinandæ fœderatorum suspicioni. Et quia ostendebat, sibi quosdam processus esse apud Judicium Aulicum, Cæsar uti iis prospiceret Neustadium eundem abire permisit ad alloquium haut admissum. Ostenderat is literas a Rege Sueciæ ad se scriptas, quibus jubebatur Germaniæ Principibus, quos accessurus sit, testari; quantopere sibi displiceat, quod cum Imperio præter opinionem in præsens dissidium inciderit, cujus culpa penes se non sit; ac paratum se amicitiæ cum isto instaurandæ. Sed Elector Cæsari de eo communicanti respondebat: cum isto nil solidi de pace agi posse, ac eas literas laxis nimium verbis conceptas. Unde omnia ad cœptos jam tractatus Neomagum remittenda. Idem Adolfus Joannes Palatinus sequenti anno, cum Ratisponam accessisset oblatam a Godofredo Jena visitationem summa cum humanitate admittebat; ac inter sermocinandum multis testabatur; se in nullam partem eorum, quæ a Suecis hactenus acta sint, venisse; & quanquam in Suecia ab omnibus consiliis exclusus fuerit, quavis occasione Regi, ac Senatoribus dissuasisse, ne cum Electore pacem abrumpant velut Principe consanguineo, fœderato, vicino, ac rerum gerendarum peritissimo. Præsertim cum consilia in Suecia admodum confusa, nec adparatus tanto negotio exsequendo in promptu sit. Quin & Regem melius facturum, si pace facta Germanicis provinciis decedat, quæ nulli usui Sueciæ sint, quam ut hæc bella moveat, aut alienis se turbis præter necessitatem immisceat, uti nunc factum sit; e quibus plus damni quam emolumenti regno proveniat. Regi bonum esse animum, & ob juventam excusandum, ac a Senatoribus seductum; qui enormem sibi potentiam arrogarint. A quibus & ipse indignis modis habitus sit, everso Regis Caroli Gustavi testamento, quo ipse supremus militiæ dux constitutus fuerit. Sed eos causatos, Regi cum id conderetur, non amplius mentem constitisse; cum tamen Petrus Brahæus eo facto interfuerit, idque probarit. Se ab omnibus muneribus publicis exclusum tanquam extraneum, contra leges regni, & receptum morem, cum mater sua Regis filia, & ipse in Suecia natus fuerit. Quin, ab cognatis suis, & præcipue Gardio Cancellario affine valde premi, qui judicent, suam potentiam ipso oppresso non parum stabilitum, atque auctum iri. Eosdem quoque, utut Suecia sine controversia hæreditarium Regnum sit, ipsum sanguine regio oriundum præter jus, & æquum a successione exclusisse; ac quosdam id agitare, ut post præsentem Regem defunctum abolito regio imperio contra funda-

damen-

1676. damentales Sueciæ leges Respublica introducatur.

Elector in Pomeraniam irrumpit. §. 47. Cæterum quanquam summa belli in eo verti videretur, ut Stetinum expugnaretur: tamen bellorum periti suadebant, eam urbem non primo loco invadendam, cui adhuc a Suecis suppetiæ immitti queant. Sed prius Anclamum, & Demminum expugnandum, tum insulas Wollinum, & Usedomum obtinendas. Ita omni aditu intercluso urbem fame urgente ultro manus daturam. Nam si maxime per navigia accessus intercludi tentetur, id a vento, ac incerto exitu navalis prælii pendere. Ante omnia autem Wolgasto subveniendum erat, quod Sueci insessis circum aditibus omni parte clauserant. Sed quia Sueci in Usedomo insula validis munitionibus se firmaverant, ut Suina vi perrumpi non posset; necessum erat altero latere per Tribsesam in Pomeraniam penetrare. Eum aditum Otto Wilhelmus Kœnigsmarckius, cui ruentis Pomeraniæ cura commissa fuerat, valida cum manu custodiebat, excitato juxta castello Electorem accessu prohibiturus. Sed in eum magna vis machinarum detonabat, simul nostri tanto impetu ingruebant, ut is desertis angustiis, & castello raptim se Stralsundam recipere cogeretur. Ita Elector eum aditum milite suo insidebat, castellumque a Suecis excitatum destruebat, tum pontes & aggeres ab his corruptos reparabat. Inde assumto equitatu, & bis mille peditibus, ac machinis quibusdam præter Grypswaldam Wolgastum
30. Jun. versus tendebat; ubi Kœnigsmarckius cum bis mille equitibus, quadringentis dimachis in stativa nostra irrumpere conabatur. Sed cum nulla parte accessus pateret, re infecta recessit.
1. Jul. Interim dum Suecicæ copiæ omisso Wolgasto in Electorem vertuntur, Suerinus ex Ulteriore Pomerania in Usedomum insulam erumpens castellum ad Suinæ ostium iterum expugnabat, ac Wolgasto de necessariis affatim prospiciebat. Supererat adhuc Suecis in Usedomo castellum ostio Penæ fluminis exadversum
30. Jul. positum. Id ex insula invadere Suerinum Elector jubet, ipse e continenti id impugnaturus. Per noctem absolutis suggestibus sequenti luce ex utraque parte ita castellum verberatur, ut post dejecta pleraque munimenta, & occisis quinquaginta amplius præsidiariis subtribunus Bremerus, qui castello præerat, sub vesperam deditionem facere cogeretur. Centum quadraginta Sueci milites Stralsundam dimissi: Germani & omne instrumentum bel-
Anclami obsidium. licum apud victorem manebant. Inde contracto toto exercitu, quem a Cæsare submissæ auxiliares copiæ augebant, Elector Anclamo obsidium circumponere instituit, oppido operibus munitissimo, sed quod latæ circum paludes magis adhuc firmabant; per quod alias Stetino subveniri poterat. Tegendis adversus Suecorum irruptiones obsessoribus ex utraque parte circumvallationis linea ducitur; quæ dum perficitur, Kœnigsmarckius continuis assultibus nostros fatigare, remotissimas stationes impetere, pabulatores intercipere, opera impedire, *1676.* ut æstate extracta pluvium post cœlum obsidio desistere subigeret. Ei repellendo Elector Fridericum Landgravium Hasso-Homburgensem cum valida equitum, ac dimacharum manu, simul quatuor machinis mittit; qui per tenebras ducentos equites præcurrere jubet, ipse summo mane cum reliquis secutus. Kœnigsmarckius in primum agmen statim impetum dabat, sed ingruente tota cum manu Landgravio repulsus omnes dimachas, qui ad pedes descenderant desiderabat captos, aut cæsos; e reliquis in receptu quoque centum quinquaginta occisi. Cum aliquot per dies continuata verberatione apud portam Stolpensem non modica valli ruina facta esset, Elector tempori lucrando per selectos assultum dari jussit. Qui magno impetu ruentes asperrima globorum grandine excipiebantur, quo omnes, qui malis punicis jaciendis præcedebant, antequam fossam attingerent, cadebant. Sed cum fossa ita profunda inveniretur, ut fasciculis lignorum repleri non posset, satis habebatur in crepidine stationem munivisse, haut paucis nostrorum interim cadentibus. Eodem tempore Cæsarei partem exteriorum munitionum occupabant, ac jam de alio assultu tentando deliberabatur; cum præfectus oppidi Sanitzius sum- *18. Aug.*
mus vigiliarum præfectus præter opinionem in- *Sanitz.*
ducias, & facultatem paciscendi petit, duos obsides se daturum offerens, si duo alii pari conditione in oppidum mittantur. Idem tamen non expectatis obsidibus, nec quæsito, aut impetrato tuti accessus diplomate tribunum Heidebe- *Heidebeck.*
cium, & subtribunum Mullerum emittit, nullo mandato super deditionis legibus agendi, sed qui tantum a se conceptas conditiones plane intolerabiles afferrent, quasi is leges Electori præscribere vellet. Unde missi, qui ultro nulla cautione venerant, tantisper in custodiam dabantur, quoad deditio perfecta foret. Simul alia pacti formula præfecto traditur, optione data, eam acceptare, an extrema expectare mallet. Ita is oblatas conditiones acceptans *19. Aug.*
sequenti die oppido excessit, relictis præfectis, & militibus Germanicæ nationis, ac tradito castello, cui a trajecto Anclamensi vocabulum est, (etsi ejus traditioni a Kœnigsmarckio paulisper contradictum fuit.) Reliqui Colbergam deducti inde in Sueciam transportabantur. Elector oppidum ingressus post grates Deo a- *20 Aug.*
ctas oppidanos in sua verba adegit. Porro id præsidium in Sueciam dimitti Daniæ Regi parum placebat, quod adversus id sibi denuo in Scania pugnandum foret. Itaque Electori significabat, cum ipse istis militibus tutum transitum non promiserit, eos se in mari intercepturum. Sed Elector negabat se in id consentire posse, velut legibus deditionis, ac datæ fidei repugnans, ac atro calculo a moratioribus gentibus notandum. Igitur Rex classi suæ injungeret, ut istis præsidiariis liberum trajectum in Sueciam concedat, ac potius eorum itineri quantum detur faveat. Atque eodem se modo cum præsidio Landscronensi, quod Rex in Li-

1676. in Livoniam trajecerit, fecisse, & deinceps quoque facturum esse, utut Borussiæ periculosum sit ei provinciæ multum militum immitti. In eundem sensum Elector ad Trompium scribebat, ut eos libere transire pateretur. Contra censebat Rex; *Ni Suecicus præfectus in pacto deditionis expresse stipulatus fuerit, ut sibi a fœderatis diploma tuti itineris curetur, eum tuto trajectu frui non debere; sed integrum fore fœderatis, apud quos ejusmodi diploma requisitum non fuerit, sistere ac in captivitatem redigere, salva fide ejus, qui cum eo super deditione pactus est. Indicio esse, quod legatis ad pacem ab omnibus, & singulis fœderatis diplomata dari necessum sit. Nec Electori abs quopiam vitio verti potuisse, si is præsidium Landscronense in mari intercepisset, quod is præfectus sibi fœderatorum diploma stipulari oblitus esset; nec fœderatos hoc casu Suecici præfecti imprudentiam supplere teneri, quos & res inter alios acta hautquidquam obliget. Ast si præfectus hostilis heic circumspecte agat, ac fœderatus, qui cum eo paciscitur, fidem det, se ab altero fœderato securitatem ipsi præstiturum, id huic ubi idem requirat, commode negari non posse.* De cætero judicabat, satius fore Suecica præsidia Stralsundæ immitti, ut civium animi onere ægrescant, ac ipsa multitudo eo citius famem sibi faciat.

Demminum expugnatur. §. 48. Anclamo expugnato Elector partem exercitus sui sub Augusto Holsatiæ Duce ad obsidendum Demminum misit, cui Cæsareæ, Luneburgicæ, & Monasterienses copiæ auxiliares sese adjungebant. Ipse cum reliquis Oderam versus progrediebatur, ac ad Læckenitzam arcem, quam Sueci adhuc insidebant, accedebat. Cujus præfectus, cum machinas in suggestibus disponi videret, haut expectata verberatione deditionem fecit, cum indigenis Colberga in Sueciam trajectus: Germanicus miles, & machinæ penes Electorem mansere. Accessu Electoris, & quia Bogislaus Suerinus cum Electoralibus navigiis haut procul Dammo oppido se ostendebat, Sueci, qui id oppidum insidebant, terrore correpti, velut iste accessum ad Stetinum interclusum venisset, raptim abductis machinis, combustisque palorum ordinibus, & quantum tempus ferebat, prorutis munitionibus trepidi Stetinum se conferunt; nongenti pedites, sexaginta equites; quorum tergo Suerinus Hillium tribunum *Hille.* immittebat, ipse e lacu machinis incedentium latus infestabat. Inde immissus deserto oppido miles destructa opera reparabat. Ast Demmini oppugnatio majoris operæ erat; ubi initio castellum apud trajectum fluminis expugnabatur, centurione, & signifero cum viginti quinque gregariis captis. Inde munitiones oppidi verberatæ, ac injectis ignibus pars oppidi cum æde sacra, quæ pulcerrima, & maxima totius Pomeraniæ habebatur, in cineres subsedit. Sed præfectus oppidi Nothius tribunus haut eo minus acriter resistere, donec im- *von der Noth.* portunis precibus instantes oppidani, & ingruens fames ob annonam incendio corruptam deditionem facere subegisset. Præsidiariis ex- *30. Sept.* dem leges quæ Anclamensibus indultæ, nisi 1676. quod indigena miles in Dani gratiam Stralsundam dimitteretur. Oppido septingenti milites excessere: in quo quadraginta machinæ repertæ. Post expugnatum Demminum Elector Stetinum invadere ardebat; sed quia Luneburgicæ, & Monasterienses copiæ tardius accesserant, & frigus jam ingrueret; tam validi loci obsidium vergente in hiemem anno suscipi rationis haut erat. Unde satis habebatur, quamdiu per inclementiam cœli licebat, oppidum arctius includere, & excitatis reductibus aliquot globos ignivomos terrendis civibus immittere. Cum præsidiariis subinde erumpentibus velitatum exiguo utrinque damno. Inde omnes aditus ad urbem intersepti; justa oppugnatio in futurum annum dilata; ac jam gelu sævire incipiente exercitus *6. Nov.* in hiberna deductus est.

§. 49. Ast Electori, quantumvis confecta *Circa hiberna difficultates.* feliciter expeditione ingentem solicitudinem hiberna exercitus injiciebant; quem neque propriæ ditiones alere poterant, & Cæsar circa ea difficilem se admodum exhibebat, utut Crocovio ingerente; ipsius Cæsaris, ac omnium fœderatorum quam maxime interesse, Electoris exercitum ita firmari, ut promte patrato bello Suecico tota vis in Gallum verti queat. Ac cumprimis meritum de Cæsare Electorem, ut sui ante omnes ratio habeatur, Cæsaris ditionibus ab invasione Suecorum liberatis, quorum terror jam Bohemiam, & Silesiam non mediocriter afflaverat, antequam iste hos prælio profligasset. Ac qui proxima hieme nonnihil contulerant Saxonici Duces jam omnia abnuebant, inita cum Cæsare conventione super millibus aliquot militum conducendis, imperio Cæsaris plane subdendis ea duntaxat conditione, ut ab alienarum copiarum hospitiis immunes maneant. Qui modus pactorum aulæ Viennensi admodum arridebat, jactanti; ad hanc demum formam cum Ordinibus suis pacisci e Cæsaris dignitate esse. Nam per prioris generis fœdera eminentiam Cæsaream plane consumi; cum nemo non fœderatorum plus sibi autoritatis arrogare; quam Cæsari concedere velit; sic ut hac conditione bellum ab hoc continuari nequeat. Ac deinceps satius fore res Imperii ruentes per otium spectare, quam bellum suscipere, ad quod ejusmodi fœderibus opus sit. In eo hactenus errorem admissum, ac operam datum iri, ne altera vice ad eundem lapidem impingatur. Sed & cum Cellensis, ac Monasteriensis multa sibi hospitia deposcerent, futuro anno cum viginti quatuor millibus rem adversus Gallos se gesturos polliciti: Cæsar negabat ea a se dari posse; & aliorum quoque fœderatorum curam habendam. Tantummodo numerum per fœdus definitum repræsentarent, nec Ordinibus, aut fœderatis molesti essent. Cum horum legati regererent; se hoc modo bellum continuare non posse, ac de pace cogitandum sibi fore; respondebatur; Cæsari æque facilem viam ad pacem, quam ipsis; nec esse quod sibi persuadeant, se hoc bello parta absque reliquis fœde-

ratis

1676. ratis tuituros. Sane Cæsari istorum acta valde displicebant, quod semper peculiaria consilia agitarent, ac nulla fœderatorum ratione habita privatum emolumentum aucuparentur. Ac suspicio erat, eos utrique parti sese venditare, & utcunque res cadat, de Brema & Ferda retinenda agitare, si maxime reliquis fœderatis inanibus bello excedendum sit. Quæ diffitentia gliscebat, quod ad conventum Bremensem; quem Cæsar jam valde urgebat, Monasteriensis neminem mitteret, Cellensis autem negaret, absque eo agere quid sibi integrum esse, non sine gravi fœderatorum contumelia; cum contra Dani, & Electoris æquanimitas eo in negotio valde probaretur.

Missio ad Cæsarem. ... Nov. §. 50. Ut igitur Elector hoc in negotio Cæsarem acrius urgeret, Franciscum Meindersium ad ipsum mittebat, post repetitam gratulationem de novo connubio expositurum; *Uti præter spem, nec sine dolore perceperit responsum a Cæsareis ministris Crocovio super hibernis datum: ac uti alii fœderati tam commodis hospitiis fruantur, si cum suis comparentur, quæ ipse iisdem non invideat, haut tamen unquam credidisse, sibi tam jejune prospectum iri. Cæsari cognitum esse, quo studio, qua fide, & cura ipse ab initio causam publicum amplexus sit, ac nulli rei, quæ penes se fuerit, pepercerit, non vitæ, & corpori, non labori, non periculo. Contra neminem hoc bello plus tolerasse: omnes suas ditiones in Germania sitas theatrum bello præbuisse. Quæ mala neminem fœderatorum tetigerint, qui non nisi proprium militem in terris suis habuerint. Unde onus belli gravius indies sibi incumbere, ac non solum hac æstate suo exercitui annonam etiam in hostico e sua ditione propriis sumtibus fuisse parandam, sed & a se solo alenda præsidia oppidorum hosti ereptorum una cum copiis, quas ad circumsidendum Stetinum relinquere necessum fuerit; quæ expensæ menstrua centena uncialium millia superent. Nec minoris constare sustentationem statorum præsidiorum & reliqui exercitus. Equidem non esse sibi in animo suis provinciis parcere, quæ plus oneris, quam ulla tota Germania tolerent. Ei ferendo se non amplius parem esse. De prona Cæsaris voluntate se haut dubitare, at petere, ut sibi non minus, quam aliis super idoneis hospitiis prospiciatur. Hoc unico remedio firmari se posse, ut in partibus persistere, ac utilem Cæsari, patriæque operam navare, simul honestam, bonamque pacem una cum aliis promovere queat. Ea si spes fallat, summo id sibi dolori fore; sed extrema se necessitate ad alia consilia capessenda compulsum iri. Nam Cæsari nil profuturum, si ditionibus in solitudinem redactis ipse patriæ inutilis reddatur. Contra subsidia, quæ Cæsar sibi citra propriam impensam præstet, parem utrique securitatem præstare; cum notum sit, quæ consilia Sueci circa Silesiam agitarint, quæ ut abortivent, se solum effecisse. Spem quoque esse, futuro se mense Aprili in expeditionem progressurum, si Cæsar circa hospitia gratificetur, ut Suecis Pomerania pulsis in Hungaria, aut adversus Gallum operam navare possit.* In congressu cum Cæsareis ministris Meindersius latius deducere jubebatur, uti Elector e Cæsareo decreto intellexerit, huic aulæ non magis conditionem suarum ditionum, quam Pomeraniæ Suecicæ cognitam esse, ad quas maximam partem sui exercitus rejecerit. Clivicas, & Westphalicas provincias ab initio belli maximas calamitates pertulisse, nec in hunc diem liberatas, immensis summis a Gallo emunctas. Marchiam, & Pomeraniam frequentibus copiarum hinc inde itineribus, inde septimestri Suecorum inundatione, propriique exercitus onere penitus exhaustas. Ob tenuia præterito anno hiberna sibi magnum æs alienum contrahendum fuisse, oppigneratis optimis reditibus. In Pomerania Suecica ipsum per hostem omnia evastata. Exercitum suum, qui quadraginta legionibus constet, in menstruam sustentationem, eamque sat sobriam requirere CCM uncialium, ad quam summam ipse LXXM se collaturum obtulerit. Præter hæc a suis provinciis præsidia quoque alenda, & alia onera sustinenda. Unde falso jactari, suas ditiones immunes agere, ac onus in alios devolvi. Sane in sui gratiam Suecis bellum indictum, ac universis Ordinibus injunctum, ut, quo sibi satisfiat, operam navent. Quanquam autem hactenus suæ res adversus hostes non paulo potiores fuerint; omnia tamen inania fore, ni negotio suprema manus imponatur, ac impatiens quietis vicinus, sibi ac Cæsari quam maxime metuendus, a latere dimoveatur. Unde spem esse Cæsari conservationem ipsius exercitus præ aliis cordi fore, nec ad alia consilia Reip. noxia se compulsum iri. Hospitia sibi assignata ne sextam quidem partem onerum conficere, quæ sibi toleranda sint. Inferiores Hassos militem ad obsidium Philipsburgi missum excusare, nec ultro quid dare velle, ac sororem vi cogere sibi haut decorum. Quæ ab Hamburgensibus expectanda sint, ad transactionem delegatorum Cæsareorum restringi. Ejus urbis territorium aliis assignatum. Lauenburgicam exiguam esse ditionem, & plane exesam, in qua & Cobii legiones adhuc hæreant. Hadelensi tractui Monasterienses incumbere. Magdeburgicam præsidii sui sustentatione, & aliis oneribus premi. Anhaltinæ ditionis Hanoveranum tres quartas partes tenere. Gustroviensem provinciam vix pabuli quid, & annonæ Pomeranicis præsidiis conferre posse. Essenam, Werdam, Limburgum, Tremoniam, Essenam, Hervordiam exigui momenti esse, ac partim suis jam tributis obnoxias, partim a Monasteriensibus exhaustas. Superiore anno se hospitiis per quatuor duntaxat menses usum, cum alii per semestre, & amplius iis gavisi sint. Saxonum terras per Cæsareos jam delibatas. Sed nunquam jejunius quam nunc sibi prospectum. Quod si Cæsarei objiciant, omnia alia in Imperio loca jam cæteris fœderatis, aut exercitui Cæsareo destinata; reponeret: Cæsareas provincias florenti statu agere; extra Brisgoviam nulli hostem conspectum. Insuper Cæsaris exercitui tributa præbere totum Circulum Suevicum cum multis partibus Bavarici, Superioris & Inferioris Rhenani, 1676.

1676. Rhenani, & Westphalici; quæ abunde illi sufficere queant. Unde commode sibi Franconicum Circulum concedi posse, uti ante biennium factum, aut saltem Marchiones, cum Coburgica, Hennebergica, & Fuldensi ditione, simul Ruthenum, & Schœnburgium, fratres Saxonis, & reliquos Saxonicos Duces, uti superiore hieme. Equidem suo loco relinqui, quid Cæsari cum Saxonicis Ducibus circa exhibendas aliquot legiones convenerit; ac lætum sibi bonas partes accessione tam insignis domus firmari. Sed Cæsari cogitandum, ob ejusmodi novos delectus instante jam hieme neminem hospitiis debere eximi, quæ ipse tot laboribus meritus sit, ac sine quibus exercitum sustentare nequeat. Cæsari magis consuli suppleto ipsius exercitu, quam novis hisce delectibus. Saltem exsecutionem ejus pacti hac hieme in suspenso relinquendam, ac sua hospitia circumcidantur. Quid officiorum Saxo hucusque Cæsari præstiterit, se extenuare nolle, aut debitam ei gloriam imminuere. Id tamen eundem pro ratione opulentarum provinciarum sine molestia civium facere potuisse. Unde non esse, quare modicum subsidium a fratribus conferendum gravetur; ac si Cæsar autoritatem suam interponat, eum necessitatibus patriæ haut defuturum. Ea omnia si nihil proficiant, diceret, quod & Elector literis ad Cæsarem datis declararat; necessitatem sibi imperaturam alia consilia arripere, sicuti ante triennium morosa subsidiorum solutio se ad pacem cum Gallo compulerit. Interim Elector Gœrtzkium cum aliquot legionibus Franconiam versus miserat, quod facilius hospitia sibi relictum iri crederet, quæ jam occupasset. Sed Cassellana transitum concedere abnuebat oppositis copiis. In Fuldensi agro provinciales arma ceperant. Gothani, & Isenacenses minabantur, si adversus Cæsaream sponsionem ab iis ditionibus quid exigendum sit, pacem adversus Cæsarem abruptam visum iri. Moguntinus quoque in Eichsfeldia, ubi legiones consistebant, vim excitatis agrestibus intentabat. Quæ omnia Meindersius Cæsari exponere, promtumque responsum petere jubebatur. Si ambiguis sermonibus tempus extrahatur discederet protestatione interposita; Electorem extra culpam fore eorum, ad quæ amplectenda necessitas ipsum subactura sit.

Alia mandata. §. 51. Præter ista Meindersius in mandatis habebat Cæsarem rogare, ut legati ipsius Neomagi cum Electoralibus bona fide communicent, & hujus emolumentis velificentur. Super Rugia se cum Dano transegisse, uti Cæsari, atque Imperio id gratum, atque proficuum fore confidat. Si Stralsundam classi civitatum Imperialium inserere placeat, se haut repugnare, modo ipse jus protectionis, & alia quæpiam jura in eadem retineat, & Sueci eadem penitus excludantur. Cum Belgæ pacem magis, quam expediat, desiderent, Cæsaris se sententiam ea super re nosse cupere. Sibi quidem videri, omni vi connitendum esse, ut futura expeditione insigne operæ pretium fiat, ac ad eam mature omnia paranda. Tum qua ratione Cæsar judicet Hanoveranum in bonas partes pertrahendum, aut tantis copiis exuendum. Se quidem ei haut plane fidere, quod Gallica consilia apud eundem adhuc prævaleant, ac ministris Gallico studio imbutis maxima autoritas persistat, legato quoque Gallico in ejusdem aula morante. Præterea sibi haut constare, quid de Monasteriensi judicandum sit. Se quidem generose cum eo egisse, ac ultionem injuriarum Reip. & patriæ condonasse, tum amicitiæ cum eodem colendæ pronum se exhibuisse. Sed eum tanto candori vicissim maligne respondisse; nil nisi proprium lucrum ubique aucupari; pro libidine omnia agere; non rationem, non Cæsarem, fœderatosque respicere. Quid demum cum ipso circa Bremense negotium agendum sit, ubi Cæsarei, Danici, ac sui ministri a Cellensibus, & Monasteriensibus ita contumeliose habeantur. Sane Ducem istum, ac Præsulem ausum esse de duobus Ducatibus, sua ac Dani ope hosti ereptis, & in quos sibi tanquam a Suecis læso præcipue actio fundata sit, nulla cum Cæsare, aut sociis communicatione facta, pacisci, idque pactum omnium quorum interest notitiæ pertinaciter subtrahere. Quale factum legibus Imperii, & conjunctioni fœderatos decenti repugnet. Porro Electori Polonicum negotium magnam curam injicere. Nam pacem cum Turca a Gallis eo duntaxat fine combinatam, ut vel irruptione in Borussiam facta Suecis respirandi facultas detur, vel suffultis rebellibus Hungaris, aut excitato novo bello Turcico Cæsaris arma distrahantur. Se quidem, ubi in Borussia invadatur, de Cæsaris auxilio utique sibi polliceri: ac vice versa Cæsari in Hungaria suppetias laturum. Sed rogare, ut Cæsar turbas Hungaricas mitiore Protestantium tractatione si non sedare, saltem non amplius exasperare velit, nec enormi, & præter rationem flagranti sacerdotum zelo fræna laxet. Ut Hamburgum quoque ad æquitatem adducatur, & qui hostem ibi sublevarunt, pœnas luant. Ut Cæsar futura expeditione Cobio V M pedites, M dimachas attribuat. Nam equites contra Gallum, aut in Hungaria adhiberi posse. Denique quid Cæsari de Bavari consiliis videatur, & annon aliqua ratio sit ipsum a Galli studio avellendi?

§. 52. Ast Meindersio Lincium delato, ubi tunc Cæsar agebat, cum quæ jussus fuerat exposuisset, magna vi blandorum verborum occurrebatur; sed circa hospitia in Franconia, aut Saxonicos apud Duces annuere Cæsar penes se esse negabat. Equidem merita se Electoris agnoscere, & quantum præsidii causæ communi in ipso sit. Sed valde metuere, ne inter ipsum, & alios Ordines inprimis Saxones discordia oriatur, magno hostium lucro. Se quidem apud Saxonem omnia officia interposuisse, sed nullo fructu; quin hunc scripto testatum se malle extrema quævis tentare, quam Brandenburgicum militem denuo in fratrum suorum ditionibus, in quibus sibi jus territoriale competat, tolerare. Nec eum in casum se auxilii exsortem *Apud Cæsarem parum proficitur. 14. Dec.* 1676.

1678. exsortem mansurum. Saltem de Bavaro, & Hanoverano sibi cautum esse; nec Moguntinum, & Colononiensem defore; quorum ille ob Eichsfeldiam, hic ob Reclingshusam milite Brandenburgico insessam querelas moveat. Unde validas partes surrecturas, exitiosam Germaniæ convulsionem parituras. Quin Saxonem de Polono minari; unde ingens Electori periculum immineat, cui adhuc multum negotii in Pomerania restet. Istum nullas rationes admittere, nec suam ditionem exhauriri velle, ut Brandenburgica Domus gliscat, ac novis ditionibus locupletetur. Nolle eum a Collega ita secum agi. Fuisse Electori causas, ut de Suecis quereretur, quod in ipsius provincia hospitia cepissent. Quod igitur hic circa alios æquum judicarit, id circa se velut iniquum damnare non posse. Cum ergo Saxo nulla ratione cedere voluerit, se duobus a malis minus elegisse, ac Saxonicis Ducibus immunitatem ab hospitiis promisisse; qui vicissim haut spernendas copias in ipsius, & Imperii usum obtulerint. Se quidem ægre huc descendisse, quod satis perspiceret, Electori molestiam inde nascituram. Sed nimirum aliquando tempori, semper necessitati cedendum. Ac longe majus malum fuisse futurum, si per Saxonem tertiæ partes erupissent; cum satis constaret, quam periculosa consilia inter hunc, & Hanoveranum agitarentur, quæ hoc modo infringi necessum fuerit. Igitur rogare, & hortari, ne Elector collisioni causam det, nec ad manus rem deducat. Proponebatur quoque ut Elector Saxoni junctus Hanoveranos hospitiis suis expellat, quæ tunc ipsi concedenda sint. Sed quæ fieri posse Meindersius negabat; addito, quicquid rationum occinatur, Electori hospitia habenda esse, siquidem exercitum reficere, & sequenti anno in expeditionem prodire debeat. Ad quæ ministri nil aliud, quod reponerent, habebant, quam se Cæsari ea relaturos, & omnia facturos, quæ intra vires suas sint. De cætero Cæsar pollicebatur, se operam daturum, ne Polonus infesti quid tentet. Bavari, Hanoverani, Cellensis, & Monasteriensis consilia plane improbabat; ac inauditam rem esse, posteriores duos pacto inito erepta hostibus inter se dividere, ac mutuam evictionem polliceri, insuper habito Cæsare, Dano, & Electore. Neomagi suos Electori pro virili velificaturos, ac sperare, Electorem quoque connixurum, ut ipse Alsatiam recuperet; cui expugnatum jam Philipsburgum spem præbeat.

Elector Cæsaris declaratione non est contentus. 30. Dec.

§. 53. Ast Elector isthoc responso, per peculiarem cursorem transmisso, haut parum perturbabatur. Cum sibi promtum subsidium in notoria necessitate ferri debeat, nunc Viennæ causam Saxonis agi, ejusque consilia Imperio parum propitia defendi, tum petita sua odiose detorqueri, quasi ipse quid potestatis in Saxonicas ditiones sibi arroget. Id quod hactenus nemo fœderatis objecerit, quibus insignes provinciæ in hospitia assignatæ, quædam etiam proprio auso occupatæ sint. Quin Lusatiam, & quatuor præfecturas Magdeburgicas Cæsareo milite insideri. Si sufficiat dixisse, Saxones nolle hospitiis militaribus onerari, cuilibet Ordinum ea declinare in proclivi fore, cum nemo libenter ea in se suspiciat. Equidem laudandum esse Cæsaris studium circa collisiones, & intestina dissidia declinanda. Enimvero ita moderate a se agi, ut tale quid metuendum non sit, modo Cæsar serio Saxonem hortari velit, ut præsenti tempestate non magis communi sese oneri subtrahat, quam alii patriæ amantes Ordines. Nullius magis, quam sua interesse, amicitiam cum Saxone servari, & a se omnia remedia adhiberi, ut ea inconcussa continuetur. Non sufficere, ut Saxo Suecos suffragio suo hostes Imperii judicarit, ac sibi literis auxilia contra eos promiserit, sed facto opus esse. Novos Saxonum delectus causæ communi parum momenti adduturos; ac contra omnem bellandi rationem esse, tirones captare, ac veteres legiones spectatæ virtutis, ut inopia fatiscant, pati. Iniquissimum esse, eos qui fructu pacis æque ac alii gavisuri sint, oneri bellorum se subtrahere velle. A se hospitia non quæri privatum ob lucrum, nec in fraudem aliorum Imperii Ordinum, sed unice ad alendas copias, quæ hactenus pro Cæsare, & patria strenue pugnarunt; quas eo magis firmari necessum sit, postquam nuper Danus a Sueco non modicam cladem in Scania accepit; nisi forte id Reip. expediat, ut ipse deses otiosum spectatorem agat. Unde a Cæsarea aula petitis suis sine mora satisfaciendum, aut declarandum, suam operam hoc bello non amplius desiderari. Ac cum ipse declararit, se post subactam Pomeraniam arma in Gallos versurum, ut Cæsar Alsatia potiatur; Cæsari utique ipsius exercitum non minus, quam proprium curæ esse debere. Subsidia non amplius inter rationes venire posse, quæ Belgæ omnibus fœderatis renuntiarint, excepto Monasteriensi. Hanoveranum hospitiis expellere suum non esse, sed Cæsaris; qui & ista vindicare queat, in quorum vicem sibi aliquid in Franconia cedi possit. Et quia Cæsarei tantopere periculum exaggerent, si ipse per Saxonicas terras hospitia capiat, multo gravius periculum fore, si Hanoverano ad arma stringenda occasio porrigatur, qui eidem dudum immineat. Ista denuo Meindersius ingerere jubebatur, promtumque responsum exposcere; ac si nil obtinere queat, solenniter protestari, Electorem coram Deo, totoque orbe, & ipso Cæsare excusatum fore de omnibus, ad quæ suscipienda sibi necessitas adferatur. Tum sine mora inde discederet.

Cæsaris & alia declaratio.

§. 54. Contra Cæsarei affatim voluntatis sibi ferebant Electorem sublevandi, quem & justam querendi causam habere agnoscebant; sed facultatem sibi esse negabant. Ac maluerant Electorem properasse hospitia occupare, nec iis quorum intererat spatium concessisse ad vim contra parandam. Sane si Elector dextre hospitia Saxonica occupare potuisset, minister Cæsareus Dresdæ jam in mandatis habebat inhibere, ne in extrema erumperetur. Nec inficiabantur, Saxonicum fœdus

præcipi-

1676. præcipitatum; ac injustum juxta, & inutile esse, veteranas copias per inopiam destruere, ac novas conscribere, simul ejusmodi pactis hospitia in angustum redigere, ac tot exercitus formare; cum non constet, unde veteres sustentandi sint, & quid a novis expectandum. Denique se ab iis, qui hospitia expetant, aut deprecentur, ita torqueri, ut vel ob eam molestiam averruncandam sibi pax quocunque modo quærenda sit. Cæterum super hospitiis in Franconia plane abnuebatur. Tantum ut Hanoveranus iis, quæ usurpabat, ejiceretur, ac ut infrequentes legiones compingerentur in remedii vicem ingerebatur. Addebantur hortatus, ut Elector militem suum Eichsfeldia, & Reclingshusa deducat, ac consilia sua haut mutet. Sed Meindersius sine ambagibus reponebat: Electorem a capite Imperii opem petiisse. Si voluntas, aut facultas juvandi desit, isti necessum fore, ut sibi quam commodissime possit consulat extremæ rerum suarum ruinæ prævertendæ. Nam tristius ipsi accidere nil posse, quam si diutius hoc in statu hærere cogatur. Sed prius declaratis nil aliud addebatur, quam ab Hamburgensibus quinquaginta uncialium millia datum iri; ac Hanoveranum obtulisse, se hospitiis hactenus infessis in utraque Saxonia decessurum, quæ Electori conferenda sint. Tantum spatium aliquod istum petiisse, ut militi suo alibi consulere posset. Quam in rem ultimus Januarii dies præfixus sit. Addebatur, Cellensi injunctum iri, ut Lauenburgica decedat, ac Landgraviam hortandam, ut subsidii quid conferat; omnia incerta, & in futurum prominentia, cum præsenti auxilio opus foret. Eo molestius autem erat, a Cæsareis nil solidi obtineri posse, quod ipsi Belgis frænandæ in pacem festinationi suggessisent, ne amplius quid subsidiorum fœderatis numerarent; id quod ab his avide arreptum: cum tamen Cæsar antea promisisset, se omnem operam adhibiturum, ut subsidia tam a Belgis, quam Hispanis persolvantur.

Cum Saxone acta. §. 55. Sed nec omiserat Elector apud Saxonem diligenter agere, ne is oneri, quod præsens patriæ necessitas imperabat, se haut ita *3. Mart.* opponeret. Unde & antea Thomas Knesebecius Dresdam missus fuerat, qui de conventione cum ipsius fratribus significaret, petito, ne is quod inevitabilis necessitas subegisset, in sinistram partem acciperet; per quæ ejus juribus nil detrahendum sit; nec istud in exemplum trahendum. Addebantur hortatus, ut is causam communem serio amplectatur, ac amicitiam cum Electore colere pergat, ejus-*9. Mart.* que studium in Remp. fulciat. Ad isthæc magna verborum vis reponebatur: sed non dissimulabat Saxo, sibi non parum molesta esse, quæ fratribus suis obtigerint. Ista non emolumentis tantum suis, sed & autoritati, quæ tanquam præfecto Circuli competat, repugnare. Fratres absque suo consensu circa talia nil pacisci posse, queis nec jus territoriale, nec *jus collectandi* sit. Suo silentio aliis jus quæri posse, sibi, suisque posteris ingenti præjudicio futurum. Sequenti anno forte eadem exactum iri. Quic- 1676. quid aliis solvatur, sibi detrahi. Quæ cum tolerare nequeant, ejusmodi postulatis supersederi par esse. Quibus iste inhærebat, utut Knesebecius reponeret: ista Saxoni hautquidquam fraudi fore, velut precaria. Addebat tamen Saxo; se facile necessitatem, quicum Elector conflictetur agnoscere, & quam utilem in patriæ operam navarit, cujus ratio quam maxime haberi debeat; ac uti injuste a Suecis oppressus sit. Se ablegato Suecico prædixisse, Electorem eam injuriam haut inultam toleraturum; id quod & eventus comprobarit. Petere tamen, ut circa fratres suos facta emendentur. Cæterum de colenda amicitia prolixe. Henricus Frisius tamen innuebat, si modo moderatio adhibeatur, acta facile subsistere posse. Mox per literas Elector Saxonem multa verborum humanitate demulcebat; sed acta per necessitatem corrigi non posse. Fuerat nuper a Bavaro legatus Dresdæ, qui de tertiis partibus inter ipsum, Saxonem, & Hanoveranum agitarat. Ac Dresdæ quidem Suecos Germania pelli haut placebat. Sed Hanoveranus intuitu Daniæ Regis, & Electoris in eas partes descendere abnuerat.

§. 56. Sub fine anni Meindersius ad aulam Cæsaream proficiscens ex itinere Dresdæ *Alia ad Saxonem missa.* explorare jussus fuerat; num ibi gratum sit, a Saxonicis Ducibus arma parari. Tum ut testaretur, Electori dolere sibi necessum fuisse superiore hieme fratribus ipsius molestiam exhibere. Cæsarem jam iterum hospitia Electori assignasse, quæ ne sextam quidem partem expleant, cum aliis exercitibus tam laute prospectum sit. Petere, ut Saxo sua petita Cæsari commendet. Ast ubi Viennæ nihil obtineatur, Saxonem haut ægre laturum, si a fratribus Electori iterum modici quid subsidii præstetur. Agi totius Imperii causam, quam ipse solus sustinere nequeat extremis quantumvis viribus connixus. Objectu ditionum Brandenburgicarum Saxonicas tutas præstari, & has æque fructu bonæ pacis gavisuras, quæ sine armis obtineri nequeat. Saxonem adversus Gallum auxilia misisse; nec eadem adversus Suecos negaturum, qui in Circuli hujus visceribus hæreant, ac maxime sibi timendi sint. Nec constantem quietem huic Germaniæ tractui constare posse, quamdiu isti trans mare haut amoveantur. Meindersio Dresdam delato Henricus Frisius omnem spem adimebat, Saxonem toleraturum, ut fratribus suis hospitia imponantur. Alias Meindersius deprehendebat, plerosque Saxonis ministros salutaria patriæ consilia fovere, ni unus, & alter studio in Gallos, & Suecos pronus pleraque eluderet, cui autoritas apud Principem nulla arte conservabatur. Qui & nil magis captabat, quam ut Saxonem quocunque modo cum Electore committere posset. Hanc enim efficacissimam fore rationem Suecis respirandi facultatem curandi, Electore in diversa tracto, & Cæsare ad restinguendum domesticum incendium accursuro, occupatis in Pomerania locis ultro ruituris.

Inte-

1678. Interim agitata hactenus inter Bavarum, Saxonem, & Hanoveranum secreta commercia in lucem eruptura, quibus forte plures sese adjuncturi sint. Sane quin fœdus jam inter Saxonem, & Hanoveranum contractum esset, dubium non habebatur. Nam cum nuper rumor increbuisset, Electoris copias in Saxonica ditione hiberna capturos, Hanoveranus monente per literas Saxone, protinus promiserat, se omnibus cum copiis isti auxilio venturum; quo fine & legiones jam utrinque contrahebantur. Saxo disserebat: A se postulari, ut ipse ad hoc bellum multa conferat; sed nullam sibi emolumentorum spem ostendi, quæ Brandenburgico amplissime exposita sit. Cui reponebatur; Saxonis gloriam, & rationes in eo verti, ut ejus auxilio patria, & communis libertas asseratur, ac tam noxii, & quietis impacientes vicini amoveantur. Nec Electoris ipsi auxilia quavis occasione defore. Sed hæc tanti non æstimari videbantur, quin solidiore sibi modo satisfaciendum innueret. Meindersio digresso Elector denuo Thomam Knesebecium Dresdam ablegabat, ut testaretur, quemcunque eventum turbida hac tempestate Deus dederit, se nunquam a Saxonis amicitia discessurum. Et quanquam intellexerit, ab eo postulata apud fratres facta super hibernis in sinistram partem accipi; judicare tamen, eum potius fratres hortaturum, ut modicum ob onus tam difficiles se non exhibeant, si considerare placeat, a se non propriam causam, sed totius Imperii una cum Cæsare, & aliis geri, abs qua Saxo nunquam se disjunxerit. Simul tractatum offerre jubebatur super promovendis vicissim Saxonis emolumentis, & auxilio præstando; cui & semper gratum animum ipse adprobaturus sit. Dandum id esse bono publico: ac ita gravem sibi necessitatem incumbere, ut negatis hospitiis imperari sibi videatur, causam publicam destituere, ac privatim sibi consulere, non sine maximis incommodis in patriam redundaturis; quorum culpa penes illos futura sit, qui propinquam honestæ pacis spem tam tenuem ob causam eluserint. Saxoni integrum esse tributa designare, quæ ita taxari queant, ut ad ipsum quoque aliqua pars redeat. Ast Knesebecius Dresdam delatus deprehendebat, Electoris petita non sine gravi offensa accepta; ac dubitari num ipse audiendus sit; ac si ab Electore quid tentetur, vim opponendam. Ordines quoque provinciales tunc congregati ne teruncium quidem Saxoni annuere volebant, si is in hospitia ista consentiat; ac postulabant militem in finibus disponi, ac provinciales ad arma vocari hospitiis quocunque modo avertendis. Unde Saxonicus juxta, & Hanoveranus miles ad arcendos hospites se accingebat. Ad Knesebecii propositionem multus verborum ornatus reponebatur. Cæterum quæ postulentur præstari non posse. A Cæsare immunitatem hospitiorum promissam; ac proprium militem suæ provinciæ incumbere. Omnia in se redundare, ac superiore anno a fratribus ob ea hospitia sibi CXXX M uncialium detracta. Ac provinciales Ordines immensum queri. Ita & is nullo fructu Dresda discessit.

Dec. — *4. Dec.* — *12. Dec.*

§. 57. Eo anno circa præparamenta pacis Neomagensis satagebatur. Ac Viennæ quidem Elector monebat, ne circa cerimonias Neomagi quid mutetur ab iis, quæ Osnabrugæ quondam observata sint. Ibi enim nostris adventantibus Cæsareos quadrantem milliaris ante oppidum obviam processisse; quod & Regii, ac reliqui Electorales fecerint. In visitationibus nostros ab iisdem apud currum exceptos, ac omnibus simul tam primario, quam secundariis priorem in incessu, ac ipsorum conclavibus locum cum Excellentiæ titulo tributum. Idem & Olivæ factum, ubi Cæsarei eodem cum Regiis honore nostros habuerint. Ast contra Viennæ postulabatur, ut Electorales legati Ratisponæ Cæsareo quoque Commissario succenturiato (*Concommissarium* vocant,) tum alibi ablegatis Cæsareis loco cederent. Tum si Neomagi Electorales legati in negotiis Imperium spectantibus absque exterorum interventu in Cæsareorum ædibus congressus agitent, quibus Cæsareus legatus præsideat, huic utique supremum locum in propria quantumvis domo tenendum. Sed & negabatur, Monasterii Cæsareos legatos secundariis Electoralibus in suis ædibus dextram manum, aut titulum Excellentiæ concessisse. Sed Crocovius reponebat; id utique Olivæ factum, quod exemplum recentius sit sequendum. Cæsarem quoque anno 1674 declarasse, ut universi sui legati Electoris legatis universis Excellentiæ vocabulum, & digniorem in propriis ædibus locum darent, his legibus ut Elector suis parem characterem imponat, nullo inter primarios, & secundarios discrimine, ac omnes illustri loco natos mittat. Quarum priorem Elector acceptarat, rejecta posteriore, quam Cæsarei jam exigere pergebant, etsi aliqui sub titulo *illustrium* etiam nobiles comprehendi vellent. Sed & difficultas movebatur super prima visitatione, quam Cæsarei sibi dandam etiam a serius venientibus pertendebant, hac invicta, uti censebant, ratione; quod utique discrimen esse oporteat inter Cæsarem, Electorem, atque Principem; id quod plane tollatur introducta omnimoda æqualitate, & si Electorales, ac Principales non alium honorem Cæsareis exhibeant, quam qualem ab iis accipiant; præsertim cum & Principales per omnia Electoralibus æquales haberi velint. Ast Elector nullo modo ab eo honore, qui legatis suis antea Osnabrugæ, Warsaviæ, & Olivæ exhibitus fuerat, desistere volebat. Sane se hautquidquam dignitatem Electoralem Cæsareæ exæquari velle, & si hæc sola spectetur, non immerito Cæsareis legatis prærogativæ quid deberi. Sed nunc æqualitatem circa cerimonias duntaxat prætendi eam unice ob causam, quod Electores absque imminutione sui fastigii non possint minus cerimoniarum admittere, quam Cæsar Rerumpublicarum legatis deferre soleat. Nec quæ Electoralibus concedantur, a Principalibus statim exigi posse; cum aulæ Cæsareæ peculiares rationes sint ad autoritatem Electoralem tuendam, Electores quoque separatum, & primum collegium in Imperio constituant. Sed nec

1678. Praeparamenta tractatuum Neomagensium. De cerimoniis circa legatos Electorales adhibendis.

1676. nec legem sibi a Cæsare præscribi posse, quod legatos utique illustri loco natos mittere debeat. Nam & Cæsarem literatos, uti Joannem Cranium Osnabrugæ, & alios legationibus obeundis adhibuisse, & jam Fischerum JCtum adhiberi; manifesto indicio, eum in ejusmodi negotiis dexteritatem magis quam stirpem respiciendam ducere; nec idoneas ei functioni artes natales semper sequi. Circa congressus in ædibus Cæsareorum legatorum Neomagi posse agi, ac forte eos commodius in loco tertio haberi. De *Concommissario* Ratisponæ se consentire, ut sui legati eidem in loco tertio cedant, si contra Cæsarei primum, & secundum ipsius legatum pari honore habeant. Quod Cæsarei objiciant, oportere, ut sit discrimen inter Cæsaris, & Electorum legatos, id nihil esse. Cur enim non discrimen sit inter Cæsaris, & Rerumpublicarum legatos? Cum tamen Cæsar Electorum prærogativam contra Resp. tueri teneatur. Enimvero prærogativam Cæsaris in ipso fastigio dignitatis consistere, cui nil decedat, si ejus legati non alio se modo erga Electorales, quam Rerump. legatos gerant. Sed quicquid Crocovius urgeret, non aliud responsum extundere poterat, quam exemplum Osnabrugæ, ac Monasterii observatum sequendum, ubi primarii & secundarii dispari honore habiti sint: ac si quæ in contrarium movebantur, ad archivum suum provocabant. Ad excerpta e Lœbii Baronis diario excipiebant; Cæsareum legatum primarium non adfuisse, sed duos tantum secundarios. Ad factum Olivæ reponebant, ibi Leopoldi legatos egisse, non ut Cæsareos, sed ut Regios Hungaricos; utut regereretur, eos tamen velut Cæsareos continuasse. Declarationem anno 1674 per Vicecancellarium Imperii significatam meminisse se negabant. Quin contendebant; primam visitationem Cæsareis nunquam in dubium vocatam; cum tamen Osnabrugæ Cæsarei nostros serius venientes primo loco salutassent. Ad extremum tamen Cæsar ejusmodi decretum condebat: *Etsi ea, quæ olim Monasterii & Osnabrugæ contigerunt, ibique Electoralibus legatis concessa sunt, in præjudicium allegari nequeant, velut cum expressa protestatione Cæsareæ legationis facta, & ad illa duntaxat tempora restricta: Cæsarem tamen demum ad promtiorem pacis promotionem ferre posse, quia præsens congressus non in solo Imperii, sed extra id habeatur, nec pro conventu Imperii reputari possit, ut non solum hac vice discrimen inter primarios, & secundarios legatos sublatum sit, ac isti citra respectum, illustri, an minus loco nati sint, pares habeantur: sed & iisdem a Cæsareis legatis, & plenipotentiariis in propriis horum ædibus dignior locus cum titulo Excellentiæ, & ubi posteriores in loco tractatuum compareant, prima visitatio detur. Omnia tamen ea expessa cum conditione, & reservatione, ut dicta abolitio discriminis inter primarios, & secundarios nullo modo ad conventus comitiales, circulares, & alios similes in Imperio institutos extendenda sit, sed ibi receptus mos inter primarios & secundarios retineatur; ac ut in loco tertio tam publicis quam privatis congressibus nunc & in futurum Cæsareis secundariis præ Electorum primario dignior locus semper citra tergiversationem concedatur.*

20. Nov.

Cæterum quod *Concommissarium* Cæsareum attinet, ei antea Electorales sine tergiversatione priorem locum concesserant. Sed novissimo Schutzio ideo controversiam moverant, quod is Cancellarius Aichstadiensis esset, & ingressu in urbem sub Præposito Aichstadiensi sedisset. Jubebantur tamen ab Electoribus & huic cedere, se diutius supervixisset. Vicissim Electorales stipulabantur; ut tam primarius Commissarius, quam huic dein succenturiandus Electorales aliter, quam Principales tractaret. Nam primarius Commissarius Marquardus Aichstadiensis Præsul utpote ipse Princeps exæquationi legatorum Principalium faverat; utut ejus antecessor Archipræsul Salisburgensis secus fecisset. Unde & isti denuntiabant, si ipsos deinceps pari cum Principalibus modo excipere pergeret, se eundem invisere omissuros. Ista Cæsari probabantur, ac futurum Concommissarium eos titulo Excellentiæ honoraturum, ac alias ita eosdem tractaturum, ut contenti esse possint. Primarius quoque Commissarius declarabat, se deinceps discrimen inter eosdem, & Principales observaturum. 1676.

De paritate legatorum Principalium cum Electoralibus.

§. 58. Ast quod Principum legati cum Electoralibus pari honore haberi vellent, eam innovationem Cæsar nullo modo probare volebat; sed utique vetere consuetudine standum ac Cæsareos legatos ingens discrimen inter Electorales, & Principales facturos. Ac malebat Cæsar a Principibus Deputatos tantum mitti varias ob difficultates prævertendas. Quanquam si utique justos legatos mittere velint, id prohiberi non possit. Nam Cæsarem facilius concedere posse, ut octo Electores in Imperio prærogativæ quid habeant, quam ut omnes Principes sese ipsi æquiparare instituant. Porro ut Principales Electoralibus pares haberentur saltem extra Imperium Neoburgicus, & Luneburgici apud Bavarum proposuerant. De quo hic per literas Electori significabat. Cui responsum: se antiquis Principum domibus nunquam invidisse, ut legatos mittere possint, quin eorum causæ favisse. Sed autorem latini scripti, quod tunc firmandæ Principum prætensioni vulgatum fuerat, multa falsa, aut ad turbandam inter Electores & Principes amicitiam tendentia miscuisse, quæ utique castigationem mereantur. A Bavaro quoque hac de re ad Regem Daniæ relatum fuit. Super qua Alefeldius Cancellarius judicabat; Luneburgicos non posse primi gradus legatos mittere, quod alias par jus non Principes solum, sed & omnes Imperii Ordines sibi arrogaturi sint. Sed Brandius censebat; satius esse a Rege Daniæ hanc quæstionem non decidi, sed ut declaret, se reliquorum Regum exemplum secuturum; quod servandæ inter fœderatos concordiæ præstet, odium negatæ prætensionis potius in Reges hostes, quam socios redundare. Ac forte Bavarum id quærere, ut Neoburgico, & Luneburgicis offensæ ansa præbeatur. Ast in Anglia Rex jam mature ex Electore per Suerinum sciscitatus fuerat, num Luneburgici primæ dignationis legatos missuri sint, an minus? Cui Elector: id Ducum in arbitrio esse; ac se id institutum magis fulturum, quam impediturum, modo sui legati regiis pares habeantur, in cujus honoris

30. Oct.

posse.

1676. possessione ipse ultra triginta annos fuerit. Nam si Angli id negare velint, nullam negotiationem inter hos, ac suos esse posse. Sed Angli in postulatum Principum haut proclives erant, quod jus mittendi legatos in infinitum videatur extendendum, sublato quoque inter Regios, Electorales,& Principales legatos discrimine. Etsi ipse Rex non tam ipsum jus primi gradus legatos in dubium revocare volebat, quam ut Principes ultro ea prætensione desisterent, quod super cerimoniis difficultas surrectura sit, cum utique Regii præ Principalibus plus honoris exacturi sint. Ac titulum demum *Ambasciatorum* dari posse, si a Cæsareis,& Hispanis initium fiat: priorem locum, & Excellentiæ titulum vix impetrandum. Haut eo minus Elector Hagæ per ministros suos Principum postulata fulciri jubebat: ac Romswinkelius declarabat, jus mittendi legatos primi Ordinis ab Electore nunquam in dubium vocatum, nec id denegari iisdem posse. Cui & a nemine contradicebatur, nisi quod aliqui monerent, in cerimoniis nonnihil discriminis observatum iri. Suadebant tunc consiliarii, ut Luneburgicis declaretur; quanquam hactenus mos tulerit, Principales etiam post venientes Electoralibus primam visitationem dare, haut accepto priore in horum ædibus loco; se tamen serius advenientes primum a suis visitari, ac in propriis ædibus primo loco honorari jussurum, si Principales vicissim Electoralibus Excellentiæ titulum dent, ac inter primarios & secundarios nil discriminis faciant. Sed Elector ejusmodi literas dare dubitabat, quod Duces in Bremensi negotio ita sinistre cum ipso agerent. Querebantur dein aliquot Principes, in diplomatibus tuti itineris a se missos *Ambasciatorum* vocabulo haut nuncupari. Ad quæ Belgæ decernebant: si qui demonstrare possint, se antea ministros cum isto titulo misisse, eosque hac cum dignatione ab aliis receptos, iis hunc titulum in præsens quoque dandum. Reliquis autem, utut jus legationis sibi competere demonstrare velint, eum titulum haut tribuendum. Inde ansam arripiebat legatus Anglicus Wilhelmus Templius cum Blaspielo super cerimoniis velut privato nomine disserendi: par esse omnia relinqui, uti Monasterii & Osnabrugæ fuerint. Si Gallus pergat Lotharingo de vocabulo *Ambasciatorum* abnuere, idem nec reliquis Principibus Imperii concedi posse; præsertim cum Lotharingus deduxerit, a majoribus suis sæpius legatos missos; id quod forte Principibus Imperii difficile demonstratu sit futurum Monasterii Electores legatos, Principes ablegatos habuisse: id in præsens quoque retinendum. Sed Lotharingum neminem ibi ministrum habuisse; unde [illegible] exemplum contra eum adduci non posse. Etsi reponeretur, quod Monasterii factum sit, Ordinibus fraudi esse non posse, cum is conventus multum ex indole comitiorum traxerit. Idem interrogabat, an non Lotharingus Electoribus super digniore loco controversiam moveat? Ad quæ Blaspielus: Electores proximum a Regibus locum nemine interjecto obtinere, nec cuipiam alteri cedere. Equidem Lotharingum seniorem in Polonia aliquando quid movere ausum; sed

20. Sept.

Electorem suis injunxisse, si ab eo missus tale quid prætendat, publice cum contumelia repellendum. Eum Ducem, cum ante quadriennium apud Electorem foret, id excusasse, ac a se id mandatum negasse. Sabaudum, etsi Celsitudinis Regiæ titulo honoretur, Electoribus ultro cedere. Cum Templius rogaret, quare Belgæ super loco cum Electoralibus contendant, Blaspielus reponebat; eam prætensionem novam esse, & Joannis Wittii commentum, cum antea ea Resp. usque ad annum 1656 sine contradictione istis cessisset. Et quia Electori cum Rep. semper negotia intercedant, ne hoc prætexto ipsorum amicitia vado adhæresceret, ex eo tempore circa subscriptionem super temperamento convenisse. Ac jam Electorem a Belgis postulasse, ut hoc conventu eam controversiam quiescere patiantur, quod is in eorum territorio agitetur. Cæterum legatos Electoris Olivæ omnes pari honore habitos: nec minus anno 1661 in Anglia ambobus eundem honorem exhibitum. Templius arbitrabatur, si Elector suos tantum ablegatorum dignatione mittere velit, id magni meriti loco fore, & pacis negotium valde promoturum; nostro reponente, id futurum, si Gallus, & Suecus exemplo præeant. Electorem Coloniæ nuper ablegatum habuisse, quod parum ibi negotii ipsi esset: sed hunc id bellum primario ipsum tangere. Ac si a reliquis omnibus legati veniant, ignominiosum ipsi, si solus ablegatum mittat; Si ab omnibus ablegati accedant, easdem difficultates fore. 1676.

§. 59. Præbuerat hactenus Wilhelmus Furstenbergius Gallo prætextum extrahendo de pace congressui; quod per temperamentum ab Anglo propositum fuit sublatum. Volebat tamen Cæsar, ut iste non ad Gallum, sed ad Angliæ duntaxat Regem scriberet, per se moram paci haut fore. Sed circa diploma, quod pro istius fratre Francisco Egone Argentoratensi Præsule petebatur, Cæsar eam conditionem additurus erat, ut eandem viam, quam Galli, terra, aut aquis per Hispanicam, aut Belgicam ditionem sumeret; Neomago autem non ulterius, quam intra neutralitatis spatium progrederetur, nec longius in Germaniam pro lubitu vagaretur. Et quia Belgæ eidem citra exceptionem diploma annuerant, Cæsar eos monebat, ne in negotiis Imperium spectantibus ita præcipitanter velut pro sententia dicant, sed ad se prius referant. Cæsaris exemplo Elector quoque Argentoratensis diplomati eandem conditionem addiderat: simul ipsius Præsulis mentionem fecerat, si ad tractatus accedere placeret. Quorum utrumque Præsul corrigi volebat, ac ut a se missis citra restrictionem iter capere liceret. Id quod Elector ad alios fœderatos rejiciebat. Post Cæsar literas tuti itineris pro ipsius deputatis pure annuebat, ne Belgæ suspicarentur pacis moras quæri. Nolebat tamen ab isto justam legationem mitti, sed ut tantum Neomagi ipsi habere liceret, qui ejus res ageret nullo charactere: ac addebatur conditio, si Gallus pro Lotharingo diploma debita forma exhibeat. Demum cum is diploma ad formam quam desiderabat accepisset, tria diplomata exigebat. Sed Belgæ respon-

Difficultates circa diploma Argentoratensis Præsulis;

1676. debant: sat laboris a se exhaustum, ut a fœderatis unum ipsi extuderint, quo ut adquiescat par sit.

& Lotharingiæ Ducis Princ. Consin. §. 60. Ast major difficultas circa Lotharingi diploma movebatur, quod Gallus in eo istum non *Ducem Lotharingiæ*, & *Fratrem*, sed tantum *Principem Lotharingiæ*, & *Cognatum* nominaret. Nam tractatum cum defuncto Duce Parisiis factum, quo hic titulus isti tribuebatur, ab eodem violatum fuisse. Posse tamen Neomagi de eo agi; interim a Lotharingo diploma cum protestatione admittendum. Nam se per tractatum anno 1662 initum jus ad Lotharingiam quæsivisse, & in possessione esse, contra Carolum Principem eam ditionem jure natalium petere. De quo cum conventus Neomagensis cognoscere debeat, a se postulari non posse, ut isti in antecessum eum titulum det. Neque enim partem obligari posse, ut contra seipsum pronunciet. Ast fœderati Hagæ judicabant; id negotium Anglum tangere, eumque teneri Gallum ad rationem admittendam urgere, velut qui a fœderatis petierit diploma ad conventam formam exhiberi. Etsi mirum habebatur, a Gallo, qui hactenus ad pacem properare visus fuerat, nunc moras injici. Sane ista Galli ratio haut idonea videbatur. Nam hic antea & ipsi, & aliis scripto confirmarat, expeditionem adversus Lotharingum haut eo fine susceptam, ut Ducatus is Galliæ adquiratur, sed ut senior Dux paulisper castigetur; ac ut quæ tunc erat pax orbis Christiani sarta tecta præstetur, contra periculosa, ac vacillantia Ducis consilia, quicum Rex certas inire rationes nequeat, compescantur. Nunc contra istam testationem solidum jus in istum Ducatum prætendi. Sed & pactum, ad quod Gallus provocet, invalidum fuisse; cujus & palmaria conditio a Gallo impleta non fuerit, ut nempe Principes e Lotharingica familia Principibus sanguinis Regii insererentur. Et quia iste tractatus citra eam clausulam inter acta Parlamenti relatus fuerit, Ducem tribus post septimanis eum nullum declarasse. Sequenti quoque anno aliud pactum inter Regem, & Ducem Marsali ano 1663 conclusum, quo disponebatur, ut Dux omni ditione, quæ a Ducatu Lotharingiæ dependeat, excepto Marsalo, gaudeat, quomodo anno 1661 ea gavisus fuerit. Sicuti & tali modo Dux in possessione usque ad annum 1670 fuerit. Denique Ducem plane de Ducatu eo disponere haut potuisse. Nam si in Lotharingia lex Salica locum habeat, eum in fraudem proximi agnati alienari non potuisse. Si fœminis in eundem jus competat, defuncto Duci plane nullum jus ad eundem fuisse, velut qui ad præsentem Ducem etiam isto adhuc vivo spectarit. Ac seniorem Ducem jam fato functum, qui pacto suo jus per natales quæsitum successori adimere non potuerit. Denique & fœderatos ansam inde accepturos Sueco velut hosti Imperii judicato titulum Bremæ, & Ferdæ negandi; id quod novis tricis ansam præbiturum sit. Electoris sententia erat: etsi Gallus ad se ipsum damnandum non teneatur: non tamen ei fas esse litigiosam provinciam pro sua declarare, tantum quia ita placet. Sed Anglo id optimum temperamentum videbatur, ut neutra bellantium pars diplomata pro legatis daret; sed se tanquam sequestrem omnium securitati prospecturum, & ad cujusvis desiderum diplomata formaturum. Id quod temperamentum Gallo probabatur, utpote de quo inter ipsum, & Anglum clam convenerat. Nam sex dies ante, quam Anglus id velut a se inventum proposuisset, jam impressis per Galliam relationibus vulgatum erat, tale quid a Gallo propositum iri. Sed fœderatorum legati Hagæ in id consentire dubitabant, quod de eo nil in mandatis haberent. Ac eo ipso nimia autoritas sequestri tribui videbatur; simul Gallus in prava sua intentione Ducem non agnoscendi confirmandus erat. Aliorum quoque Principum supremo imperio fraudi credebatur, ad alterius diploma hostibus tutum iter in territorio suo concedere. Nec Lotharingo consulebatur, si Anglus titulum daret, quem Gallus negabat. Anglo super hoc temperamento ad Electorem scribenti responsum; se expensa re cum iis quorum interest Hagæ deliberaturum. Suis Hagæ injungebat majoris partis sententiæ accedere. Sed fœderati consensu id rejiciebant, Anglumque rogabant, ut Gallo omnem spem adimeret, id a se unquam admissum iri. Anglus contra censebat: quia Gallus semel id temperamentum admiserit, eum inde haut discessurum. Sed Beuningius regerebat: quia Gallus Anglo facultatem dederit diplomata pro Lotharingo expediendi, in quibus non dubitet, quin Duci justus titulus sit dandus, eundem huc quoque descendere posse, ut eum titulum ipse det: cum perinde sit per se dare, aut in alterum potestatem dandi conferre. Rex contra: sed nec fœderatos diplomate a se dato lædi; cum Dux utique expeditum titulum, & quidem probante Gallo obtineat. Cæterum se facile perspicere, id temperamentum ideo non admitti, quod a Gallo profectum credatur. Sed si fœderati judicent, melius ipsis continuato bello, quam pace consuli, id se facile ferre posse. Suo tamen judicio non esse, quod Hispani spem pacis tantopere repudient. Nam quod Danus, & Elector id faciant, excusari eos posse, quod insignes progressus fecerint, & ulterius facturi videantur. Sane a Gallo nil amplius obtineri posse; ac si fœderati congressum expetant, ipsis de temperamento cogitandum fore. Regerebat Beuningius; si maxime fœderati diplomate ab Anglo dato adquiescant; non tamen cautum iis esse, in ipso congressu Lotharingicos a Gallis titulum Ducis accepturos. Quo negato novas difficultates surrecturas. Quæ ratio Anglo non de nihilo videbatur. Haut eo secius post ab ipso Gallo diplomata pro Lotharingo desiderata forma veniebant. Id quod cupidine pacis fieri satis adparebat; cujus & legati jam in vicinia hærentes, peculiarem cum Belgis tractationem aucupabantur. Fagelius eum fructum esse ostendebat constantis unionis, quæ Hagæ colatur, quam in persequendo bello, ac tractanda pace commendabat; confirmans Belgas optima fide acturos, & ne minimum quidem seorsim transacturos, quem candorem & de reliquis sperent. Haut eo secius Gallus protestationem contra titulum Lotharingi Anglo insinuaverat, quam hic haut com- 1676.

1676. communicatam suppresserat. De qua fœderatorum legati, cum inaudissent, graviter querebantur. Esse rem mali exempli, si sequester ab una partium ejusmodi protestationes admittat, alteramque partem celet. Sed Beuningius censebat; integrum esse sequestri supprimere, quæ partium animos tantum asperent. Nec eam protestationem Lotharingo nocere posse, quod Belgæ quoque scripto declararint, eum titulum Galli juribus, si quæ sint, fraudi non fore. Post Lotharingus postulabat, ut in diplomate a Gallis dato a se mittendus non laxo vocabulo *minister*, sed *Ambasciator* vocaretur. Id quod Gallus a se fieri posse negabat, ni prius demonstretur; Ducem quempiam Lotharingiæ unquam ejus gradus legatos in aula Gallica habuisse.

De cursoribus. §. 61. Circa cursores Hispanicos difficultatem movebat Gallus, quos ubique per suum regnum qua placebat ut transirent, permittere nolebat, ne eo prætexto omnia explorarent, aut alia periculosa miscerent; sed iis semper idem iter tenendum, de quo inter ipsos conveniendum sit. Fœderati eam rem non magnopere a se urgendam censebant, cum id incomodum maxime Gallos, & Suecos tacturum esset, quorum cursores necessario fœderatorum terras transire debeant. Ac Gallus mox Hispanicis cursoribus eam viam perscripserat, ut per sinistram Rheni ripam Basileam usque adscenderent, inde per Helvetias Lugdunum, ac per Cataloniam Madritum tenderent. Unde & cum Sueci quererentur; ipsorum cursoribus per Daniam iter non concedi, Dani reponebant; hisce itidem ejusmodi iter per Germaniam, ac Poloniam in Livoniam, inde in Sueciam assignari posse.

De medio statu tractatui circa Neomagum concedendo. §. 62. Super immunitate a molestiis belli tractatui circa Neomagum concedenda diu quoque disceptatum. Belgæ eam trans Vahalim in Betaviam extendi nolebant, & secundum flumen non nisi ad castellum a Divo Andrea dictum. Alias sibi perinde esse; quam laxe, aut arcte Galli eos limites ponere velint, hac tamen cum denuntiatione, ut quicquid extra eosdem deprehensum esset, id prædæ foret. Ast Anglus rogante Electore istam eousque porrigi volebat, ut Cliviam quoque, & Meursam comprehenderet, quod ex his regionibus, quæ ad victum necessaria sint, fere Neomagum adportanda forent. Sed Gallus parum facilem se exhibebat. Nam & Cæsarem erga conventum Coloniensem parum indulgentem fuisse, ubi in recreationem, & usum legatorum ne latus quidem pes extra urbem licentiæ bellicæ exemtus fuerit, ita ut ne intra machinarum quidem jactum campo uti potuerint, ac iis velut captivis in urbe desidendum fuerit. Williamsonus Secretarius Anglicus censebat; quæsitam ab Electore Clivicæ exemtionem æquitate haut niti, ac nullam rationem inveniri posse Gallum ad eam concedendam permovendi. Nam istum nullibi alias Electori nocere posse: ac Clivicis suas res Neomagi care vendentibus facile fore Gallis tributa exsolvere. Sperare quoque Gallum se crudelibus in Clivica executionibus Electorem ad separatam pacem compellere posse, præsertim postquam Belgæ subsidiorum solutionem abnuere cœpissent. Sed & olim sub Monasterii usque suburbia contributiones bellantibus inter tractatus pacis solutas. Ad extremum Galli spatium dimidii milliaris Germanici, seu unius horæ iter inter Vahalim, & Mosam tributis, aliisque molestiis belli eximebant. 1676.

Num delegati Ordinum Neomagum mittendi? §. 63. Ratisponæ Bavarus, & Saxo proposuerant, eoque nomine ad Cæsarem scripserant; universis Ordinibus apud tractatus pacis esse interveniendum, ac delegatos Neomagum nomine Imperii mittendos. Id quod absurdum judicabat Cæsar, Ordines sequestrium instar gerere velle, qui Gallum, & Suecum hostes judicaverant. Nec eam missionem e dignitate Imperii esse, cum constet, quam contemtim quondam ad tractatus Pyræneos legati Electorum habiti fuerint. Ac inprimis Bavarus suspectus erat, ne inter tractatus quoque favorem in Gallos, & Suecos exsereret. Is haut eo minus diploma pro legatis suis ad eum conventum apud Belgas quærebat; sed qui prius nosse volebant, num id petat tanquam Princeps Imperii, an tanquam fœderatus alterutrius partis? Elector de eo requisitus ad Cæsarem rejiciebat. Sed qui censebat; haut commode Bavarum posse Neomagum mittere, cum nec fœderatus ipsius sit, nec Galli socius audire velit, nec ejus velut sequestris opera a se expetatur. Nec vero Ratisponæ adhuc definitum, an, & quomodo Imperium istis tractatibus intervenire debeat, sane cum Cæsar in Lotharingica causa legatum Parisios misisset, Gallus expresse denuntiarat, ne de Imperii interpositione mentio fieret. Unde dubium esse, num accedentes admittendi sint. Unde suadebat Cæsar, ne Elector isti de obtinendo diplomate spem faceret. Quam ob causam & Cæsar Hanoverano diploma petenti abnuerat.

De Venetorum, & Papa officio. §. 64. Venetos, qui apud Cæsarem sequestres se obtulerant, hic admittebat, si & alii fœderati idem faciant. Sed Hispani duo contra movebant. Nam & satisfieri sibi postulabant ob negatum copiarum transitum, quas ex austria Neapolin, & Messanam missuri fuerant. Tum & protestabantur, ne qui nominatus a Rep. fuerat Franciscus Nanius ei functioni adhiberetur, *Nani.* qui in historia sua eminens studium pro Gallo contra domum Austriacam præ se tulerat; quam rationem & Cæsar probabat. Londini Residens Venetus Sanottus Suerino significabat; a Rep. *Sanotti.* sibi injunctum paci conciliandæ apud futuros tractatus officium offerre, addito, securitatem, & æquitatem pacis ipsi cordi fore. Suerinus id se Electori relaturum dicebat. Quia tamen hic absque communicatione cum aliis nil decreturus sit, id negotium sine dubio Hagam remissum iri. Sed reponebat Venetus: quia Reipublicæ minister Hagæ non sit, nec ea soleat ad exteros Principes literas dare, sed per ministros sententiam suam explicare; igitur & hoc a se per Suerinum Electori significare voluisse. Par denuntiatio ministro Danico Londini facta erat, qui Regis jussu declarabat; si alii fœderati non repugnent, Venetorum officium sibi non ingratum fore. Contra Pontificem opponebat Crocovius: Instrumentum Pacis Westphalicæ etsi respectu Galliæ & Sueciæ mutandum sit, in reliquis cum-

1676. primis circa jura Ordinum, ac rem Protestantium subsistere debere. Sed quia Pontifex contra posterius protestationem interposuerit, parum proficui officii ab eo sperandum esse. Sed Cæsarei reponebant; Instrumento pacis utique vim constare debere circa jura Ordinum, & rem Protestantium; sed Pontificis officium adhiberi duntaxat circa ea, quæ ipsum non tangunt; quod & Monasterii factum. Quod si & nunc protestationem interponere velit, id prohiberi non posse: integrum tamen sibi esse eam non curare. Cæterum cum jam ante biennium Cæsarei officium Suecorum velut in Gallos pronorum suspectantes in Pontificem sequestrem consensissent, Suecicus quoque minister Esaias Pufendorfius, quod hic cum Rege Sueciæ id munus simul obire non posset, per Chiaramannum Florentinum ablegatum Nuntio Viennæ objicerat; quo modo Pontifex ad instaurandam pacem Westphalicam operam interponere possit, cum antea Innocentius X. edita bulla eidem ita enixe contradixerit? Cui Nuntius responderat: *Sedem Romanam hactenus duntaxat ei paci contradixisse, qua de Ecclesiasticorum bonorum alienatione ibi agatur. Ac eo ipso Curiam Romanam providisse, ut Cæsari in antecessum facultas comparetur, absque consensu Pontificis alienata bona sacra vindicandi, quamprimum occasio arrideat. Alias eam se pacem suo in pretio relinquere, ac uti per Fabium Ghisium sedula opera navata fuerit reconciliandis Christianis Principibus, ita & nunc a se faciendum, nulla circa peculiares istas lites cura. Ac Pontifici in præsens sufficere inter Cæsarem, & Gallum amicitiam restabilivisse, ac in universum rem ad limites priorum pactorum reduxisse. Præsertim exsecutio istorum destinatorum ad commodiorem occasionem reservanda sit.* Eidem Chiaramanno Nuntius fassus fuerat: Cæsarem sibi declarasse, etsi per consilium in Belgarum gratiam captum progressibus Catholicæ religionis obex objectus sit, Gallo ad deserenda loca coacto, ubi jam ritus Romani introducti erant: id tamen alibi cum fœnore sarciendum; præsertim cum satis constet, Gallo in hoc bello non tam de propaganda religione, sed de pro ferendis finibus agi. Nam si Numen destinatis suis faveat, se testandæ in sedem Romanam devotioni amissa per Germaniam bona sacra ad veteres dominos reducturum; cui fini per Pontificem facta protestatio semper ipsi rem integram servet. Et eam causam fuisse, quare Curia Romana quod prius erga Gallum ostenderit studium exuerit. Quæ tanto similiora vero videbantur, quod Hispanicus legatus Balbasius circa idem tempus Viennæ disseruerat: *Tempus nunc esse sub jugum mittendo Imperio, ac eo tendere, quæ jam Viennæ agitentur consilia Nam Suecis non tot copias cis mare esse, quibus ingens operæ pretium facere possint. Regem juvenem, calibem, quem arduo se negotio immergere intempestivum sit. Proceres Sueciæ, quibus in eventum mortis Regiæ aliqua coronæ spes sit, hac durante externo bello sese haut ingesturos, sed potius internæ, si qua contingat, mutationi invigilaturos. Wrangelium haut temere Suecia excessurum, sed potius moderamen militiæ domi retenturum. Brandenburgico esse quidem egregium militem, sed parum pecuniæ. Luneburgicam domum in se divisam. Unde bellum contra Gallum verbo decretum; sed simul Imperii status in ordinem redigendos.* Ast Elector, etsi Monasterii olim Papæ officium diserte rejectum non fuisset, circa id tamen nunc in neutram partem se declarare poterat, quod istud a Pontifice sibi oblatum non esset. Quo & sibi parum consulebatur, quod istius Nuntius non nisi Catholicos ad se admittere vellet. Ac revera malebat eum Neomago abesse, quod meminisset, quid iste quondam super præsulatibus ad secularem conditionem redactis movisset, Circa eum tamen securus erat, quod Belgis placuisset, nisi aliis Protestantibus fœderatis secus videretur. Ac legatis suis injungebat, si Nuntius de adventu suo ipsis significaret, parem humanitatem reponerent: id omittentem ultro ne ambirent. Nam & Belgæ olim legatos suos reprehenderant, quod Monasterii, Nuntio priores ista honoris indicia exhibuissent. Hi nunc circa diplomata illi danda tergiversabantur obtentu, eum iis opus non habere. Sequestrem autem sibi plane abnuebant; cujus & officium Danus admitti posse negabat. Is nuntius interim tecte templum publicum Neomagi petierat Romanis ritibus exercendis; sed cum id recusatum esset, saltem ut privatum sacellum domi suæ habere liceret, postulabat, ac ut privilegiis aliorum legatorum frueretur, & citra impedimentum habitu Nuntiis solito in publico incedere posset. Quod postulatum magistratus Neomagensis ad Ordines Generales rejiciebat. Obtulerat quoque officium suum Petrus Lusitaniæ administrator. Sed quia Anglo id parum gratum erat, nil amplius de eo movebatur.

De diplomatum hinc inde traditione. §. 65. Circa diplomata, queis legatorum securitati cavetur, Templius Hagæ nostros urgebat, ut lucrando tempori ea pro legatis Suecicis recta Holmiam mitterentur. Sed id rejectum, ac nolebat Elector sua diplomata cuipiam præterquam Templio tradere, idque nonnisi exhibitis vicissim Suecorum, & Gallorum diplomatibus. Sed cum Suecica jam allata essent, Belgæ utique *11. Mart.* sua cum his permutare cupiebant: fœderatis contra expectandum censentibus, quoad & Gallica allata sint, ut omnia hinc inde simul tradi queant. Sed Belgæ contendebant; id sibi facto opus esse, ni civium suorum patientiam consumere velint. Nam horum se ditionem metuendam esse, si animadvertant pacem data opera extrahi. Ita demum fœderatis in eam permutationem consentiendum erat his conditionibus; ne Belgæ cum Suecis peculiarem tractationem suscipiant, iidemque Suecorum diplomata pro aliis fœderatis in manibus teneant, suo tempore his requirentibus permutanda: ut Sueci reliquorum fœderatorum diplomata acceptare teneantur, aut ubi id abnuant, Haga discedere necessum habeant. Denique quia metuendum sit, ne Sueci Neomagi varia machinentur, a Belgis accurate prospiciendum, ne ibi suspectis hominibus morari liceat. Sed cum Belgæ ea diplomata Suecica a Templio, qui eadem asservabat, peterent, hic super iis tradendis scrupulum movebat, causatus Regem Angliæ velut sequestrem cupere, ut omnia diplomata una vice exhi-

1676. exhibeantur, ac hinc inde tradantur. Unde & Belgæ decernebant, se Suecos, ubi Hagam venerint, non velut legatos admissuros, ni permutatio diplomatum cum aliis fœderatis interim facta sit. Cum itaque Gallica quoque allata essent, permutationem faciendam Hagæ decernebatur; ac omnia fœderatorum diplomata per agentem Heidium Templio tradebantur; qui vicissim Gallica, & Suecica singulorum fœderatorum ministris exhibebat. Quia etiam Gallus pro Hispanis tria diplomata, pro reliquis fœderatis tantum singula miserat; decernebatur, Gallo unum duntaxat dandum, quoad & iste reliquis fœderatis plura daret. Ita Romswinckelio unum Gallicum, & unum Suecicum diploma per duos e collegio Ordinum Generalium tradebatur. Sed in Gallico diplomate ab Electore mittendis non nisi *ministrorum*, & *deputatorum* vocabulum erat expressum; cum in iis, quæ pro Cæsare, Hispano, Dano, ac Belgis tradita erant, *Ambasciatorum*, & *Plenipotentiariorum* extaret. Lotharingiis quoque, & Luneburgicis idem vocabulum *ministrorum*, & *deputatorum* datum erat; quo hi initio adquiescebant, quod non legatos primi gradus, sed tantum ablegatos mittere decrevissent. Post tamen cum istorum loco *Ambasciatores*, & *Plenipotentiarios* nuncupari vellent; Templius & alii ansam inde arripiebant de temperamento cogitandi, quo Regii a Principalibus discernerentur. Sed & Galli in diplomatibus suis de tuto discessu omiserant. Ast Elector ea vocabula utique corrigenda postulabat, & ne antequam id fiat, legati Gallici Neomagi admittantur. Ac promittebant Belgæ, se cum Templio ea de re locuturos, ac ut Electori satisfiat curaturos, quo ipsius legati eodem cum Hispanicis, Danicis, & Belgicis vocabulo nuncupentur. Legatus Gallicus in Anglia Curtinius id in errorem scribarum rejiciebat. In diplomate quoque a Suecis dato titulus tantum *Plenipotentiariorum*,
30. Maji. non item *Ambasciatorum* adparebat. Id quod Elector admittendum haut censebat, ac eundem titulum legatorum plenipotentiariorum, quem ipse Gallicis ac Suecicis dederat, suis quoque dandum, ac tantisper negotiationem Neomagi suspendendam postulabat. Templius id sine mora, ac difficultate emendandum pollicebatur: sed ut ideo tractatio Neomagi suspendatur, durum nimis esse. Etsi ad eam non ita propere accedendum sit; ac diplomata ad justam formam sine dubio prius adfore. Ac mox tria di-
14. Jun. plomata pro nostris a Gallo exhibebantur cum titulo legatorum, & plenipotentiariorum. In Suecico desiderabatur, quod non de tuto abitu, nec de cursoribus cautum esset; & quod Rex totum titulum suum posuisset, cum vicissim non nisi Electoris Brandenburgici vocabulum nullo adjecto titulo expressisset. Cum autem priores duæ clausulæ in eo, quod Suecis datum erat, extarent, Elector monebat, ut & Sueci has suo diplomati insererent; aut si id nollent, ea verba in suo quoque sine effectu fore.

De accessu legatorum ad locum §. 66. Quæstio quoque Hagæ movebatur, num par sit Anglos tanquam sequestres, an Belgas velut dominos territorii Neomagum prius accedere, ut adventantes velut hospites exciperent? Sed qua quæstione in medio relicta Leolinus Jenkinus legatus Anglicus primus Haga Neomagum se conferebat, quem protinus Hieronymus Beverningius legatus Belgicus sequebatur; uterque nulla pompa urbem ingressus; ac vetuerat Belga, ne celox qua adveniebat, machinas disploderet se in terram exscendente. Belga utut posterior Jenkinum primo visitatum ibat. Unde Angli laborabant, ut omnes legati ipsos velut sequestres primi visitatum venirent. Sed Belgæ eum honorem in suo territorio hospitii exhibitum interpretabantur; ac reliquis placebat communem morem retinere, ut serius accedens a præsentibus primum invisatur. Unde & quanquam Jenkino prius injunctum fuerat, ut tanquam sequester primæ visitationis honorem ab omnibus exigeret; tamen cum id postulatum multas difficultates daturum esset, eo desistere jussus est, ac ut ipse serius accedentes post præviam de adventu significationem primus inviseret, idque Belgis significaret, excusato, quod id circa ipsos observatum non sit, ac id ipsis, eorumque Reip. fraudi non fore. Ac Belgæ post decernebant, Neomagum durante hoc tractatu pro loco tertio, non pro dominio, & territorio hujus Reip. habendam. Cæterum Elector haut decreverat legatos suos prius Neomagum mittere, quam Cæsarei, & Hispanici adessent; quod & Dano placebat, qui pacem extrahi cupiebat. Luneburgici autem censebant, si ab aliis fœderatis legati adsint, se non expectato Cæsareorum adventu suos eo missuros. Jubebat tamen Elector protinus nobilem virum Clivis Neomagum ire salutandis ibi legatis, addito, Electoris quoq; legatos adfore, ubi Cæsaris, & reliquorum veniant. Paulo post quoque Otto Suerinus Neomagum Clivis excurrens Jenkinum invisebat; cui dicebat, multos in Suecia esse, qui Germanicis provinciis cedendum suadeant, velut quæ Regno Sueciæ præter damnum, & sumtus nil adferant, lucro ex iis in paucos privatos redundante. Ast Jenkinus reponebat; forte rusticos in Suecia ita ratiocinari: sed prudentes tale quid nunquam suasuros; ac a se illa, quæ Sueci in Livonia, & Germania, ac alibi adquisiverint, ipso vetere Regni corpore potiora habere. Idem quoque censebat, Suecos utique in Germania retinendos. Eo magis necessarium erat fœderatos super terris Sueco ereptis Bremæ inter se convenire, quo Neomagi id negotium solide, & junctis animis agi queat. Venerunt inde Neomagum 4. Jun. Colbertus Croissius, ac Memmius Avauxius, *Croissy. d'Avaux.* nulla itidem pompa urbem ingressi; in quorum honorem nec machinæ displodebantur, nec quispiam obviam procedebat. Eos statim Jenkinus, inde Belgæ Beverningius, & Harenus invisebant. Ea Belgarum propera civilitas Electori non parum displicebat, tanquam citra communicationem cum aliis suscepta; qui & de eo facto ad fœderatos referebat, ut id emendaretur. Cui enim usui sequestres, si partium legati inter se congredi velint? Eoque censebat, ante conclusionem adversarum partium legatos colloqui non debere vidandæ suspicioni. Nec exemplum Osnabrugæ, & Monasterii huc quadrare, quod

1676. tractatum.

1676. quod tunc multi Ordinum Gallis, & Suecis amici essent, ac fœderati: nunc utrosque hostes judicatos. Belgæ autem eam visitationem excusabant, quod Galli urbem ingressi pro-tinus per præfectum aulæ suæ de adventu suo ipsis significassent, queis visitationis honorem non reposuisse indecora plane inhumanitas fuisset. Sed ex eo tempore se non amplius eos vidisse, ac primum colloquium non nisi per honoris verba consumtum. Coloniæ quoque, cum ipsi serius accessissent, a Gallis & Anglis se primum salutatos. Et quia a se initium factum sit, reliquos etiam prima visitatione defungi posse, aliam conversationem usque ad absolutos tractatus differendam. Mox quoque primus legatus Gallicus Strada accessit, quem significatione facta Belgæ itidem salutatum ivere. Galli visitationes binis sejugibus faciebant, magna comitantium caterva. Eo magis autem suspectum erat, ne inter Gallos, & Belgas Neomagi quid tractaretur, quod Beuningius Londini immensum pacis desiderium apricaretur, ac ibi frequenter cum Gallicis, & Suecicis ministris congrederetur, jactitans, post factam pacem conjunctione cum Anglo inita Gallum magis coërcendum, quam bello præsenti fieri queat, quæ optabat sibi somnia fingere doctus; cum Belgæ alias sibi de Anglo parum pollicerentur. Quin iste censebat, pacem Londini adornandam, & Neomagi non nisi solennia addenda; ac ubi primariis bellantibus inter se convenisset, reliquis sequendi necessitatem fore. Quanquam vir iste circa pacem satagebat magis ex propria inclinatione, quam superiorum jussu. Unde & cum Olivecrantzius legatus Suecicus ex Anglia Hagam accessisset, ac Fagelii colloquium expeteret, is isthoc declinabat; ac fœderati monebant, modeste ipsi significandum ne diu Hagæ moretur, sed Neomagum se conferat. A quo & Neomagum digressuro Fagelius valedici sibi nolebat. Haut eo minus Elector Blaspielo injungebat, ut Clivis Neomagum bis singulis septimanis excurreret, ac interim idoneum ibi hominem haberet, qui omnia, quæ ibi agantur, accurate observaret. Sane cum Belgæ nil præter Trajectum ad Mosam, & tractum Transmosanum repeterent, vel horæ spatio inter ipsos, & Gallos transigi poterat. Ac iidem palam ferebant, dudum se cupitis conditionibus potiri potuisse; sed absque fœderatorum consensu nil agere voluisse. Ac revera summa difficultas erat, quomodo bellum meliore quam hactenus successu contra Gallos geri, ac unde necessariæ ad id opes inveniri possint. Nam & fœderati querebantur, promissa subsidia bello continuando non suppeditari; ac Belgæ negabant, se belli sumtus diutius tolerare posse, commerciis per excursores maritimos magis indies turbatis; cum, prout ratio in sequentem annum deducta erat, nonaginta militum millia alenda essent; e quibus novem millia equites, duo millia dimachæ, reliqui omnes pedites erant. Ipse Arausionensis disserebat: ærarium in Hollandia exhaustum: plebem anxie pacem optare; bellum a se diutius geri non posse, ni Hispani acrius quam hactenus connitantur. Unde magis de promovenda pace, quam continuando bello cogitandum. Præsertim cum metuendum sit, ne Gallus uti per consarcinatam Polonos inter, & Turcas pacem effecit, quo minus Suecis a Moscorum irruptione amplius periculum sit; ita per Turcas Cæsarem in Hungaria distrahat, ut dum huic necessum est omnes suas vires a Rheno huc revocare, iste interim ad absorbendas Belgii reliquias ruere possit; ex quo longe jejunior deinceps pax, quam in præsens speranda sit. Unde Elector suos quam maxima cum diligentia prospicere jubebat, ne Belgæ separatam pacem tractarent; quod adpareret, Gallos & Suecos in divisione fœderatorum maximam spem collocasse. 1676.

Dispari studio Neomagum acceditur.

§. 67. Cæterum Belgæ quidem, ac Galli sat promte Neomagum accesserant; illi serio in pacem studio, prægravantibus belli oneribus; hi quod florentibus suis armis lautissimas pacis leges sperare possent, ubi reliqui tardent Belgas ad separatam transactionem pellecturi. Suecis quoque pœnitudo temere sumti belli desiderium properæ pacis excitaverat. Contra Austriaci lente movebant fastidio præsentium, ac spe meliorum successuum. Nec Hispani minus rebus suis levamentum ex inclinatione Parlamenti Anglicani sperabant. Ast Daniæ Regi, & Electori fiducia Suecos Scania, & provinciis Teutonicis expellendi pacem in præsens minus expetendam faciebat. In universum Gallis scopus erat fœderatos dividere; his unionem non solum durante bello, sed & post factam pacem conservare. Unde statim atque Wilhelmus Templius Neomagum adpulisset, Strada, & Avauxius huic de studio Regis sui in pacem proponebant; ast post tantos successus, & formidabiles terra, marique vires frustra esse sperare, ipsum quid redditurum eorum, quæ ceperit. Vicissim satis nosse, uti Belgis magna sit in pacem inclinatio, impetus tamen, & enormia fœderatorum petita istos, quamdiu poterint, in bello detenturos, nisi Arausionensis autoritatem suam interposuerit, qui apud fœderatos tantum polleat, ut facile in omnes conditiones ab hoc proponendas consensuri sint. Unde, quo tractatus hic ad felicem finem perducatur, oportere, ut inter Galliam, & Principem super conditionibus conveniatur; quæ ut acceptentur, juncto studio utrique in cursu negotiationis incumbendum. Eo fine Principem uti posse inclinatione, quam Belgæ publice in pacem ostendant; ac ubi ratione destituta fœderatorum postulata generalem pacem impediant, aut remorentur, peculiarem pacem inire. Eam viam Maximilianum Bavarum tractatione Westphalica institisse, secretis consiliis cum Gallis captis, cum de ipsius emolumentis publice ageretur. Huic agendi modo, ac Galliæ favori eundem magnitudinem suæ domus debuisse. Quod si Arausionensis eodem modo Neomagi agere velit, eadem commoda sibi, suæque familiæ parare posse. Penes ipsum esse, quas sibi conditiones a Rege stipulari velit. Sed quam negotiationem Templius dextre declinabat, obtentu mandatorum, quæ non nisi generalem pacem spectent; nec sibi spem esse, Principem ad peculiaria pacta permoveri posse; quin in partem sinistram accepturum, si quis talia ipsi pro-

1676. proponere ausit. Sicuti & revera, iste semper talia immota constantia respuebat; regerens: qui talia sibi proponant, iis de suo animo nil constare. Modo Hispanis satisfiat, suas rationes ne momentum quidem pacem remoraturas.

Dies adventui legatorum præfigitur. 18. Jul. 10. Sept.

Ast postquam aliquot jam septimanas Galli Neomagi egissent, non sine impatientia fremebant, neminem fœderatorum præter se adesse. Igitur ne nihil agerent, procuratoria sua Anglis excutienda tradebant. Angli eadem & a Belgis expetebant; sed qui id absque fœderatorum consensu fas sibi negabant. Labente tamen per otia tempore, cum fœderatos de industria moras nectere adpareret, ac Galli discessuros se minarentur, Belgæ Calendas Novembris Hagæ designabant, queis fœderati utique adesse debeant. De quo decreto inconsultis fœderatis facto Elector quærebatur; & quia plura specimina ejusmodi præcipitantiæ timenda sint, socios belli Suecici monebat, eo magis necessarium esse, ut ipsi arctius se invicem innectant. Sed Daniæ Rex censebat; etsi Belgæ nimis pro imperio fecisse videantur; quia tamen plebi suæ gratificandum duxerint, consultum fore circa id tempus legatos Neomagi adesse audiendis, quæ proponantur. Cum itaque missio legatorum non amplius differri posset, Elector Somnicium, & Blaspielum, quos ei legationi obeundæ destinaverat, hisce mandatis instruit.

Electoralium legatorum mandata. 16. Oct.

§. 68. Isti igitur jubebantur Clivis secundo flumine Neomagum proficisci sine solenni ingressu, Gallorum exemplo. Ita de suo adventu non opus esse aliis legatis in antecessum significare, nisi quod magistratui urbis indicium fieri par sit. Circa visitationes observarent, quod Osnabrugæ, & Monasterii receptum, ac ne quid contra dignationem Electoralem admittatur. A Cæsareis non minus cerimoniarum admittant, quam legati Rerump. accipiant. Si Principales legati titulum Excellentiæ ipsis abnuant, ac præter receptum morem digniorem in eorundem ædibus locum affectent, collato cum reliquis Electoralibus legatis consilio ad se referrent; ac circa titulum cumprimis demonstrarent; absurdum esse, id ipsos negare velle, quod Cæsarei, & Regii tribuant. Super legatis Belgicis in Electorali Collegio decretum, iis nullo modo cedendum. Id & ipsis observandum, nec ob istos ullum congressum declinandum. Conventum in Belgarum territorio institutum, & se velut hospites ibi comparere; ubi alias lex civilitatis requirat, ne sibi super priore loco controversia moveatur. Quanquam & eo minus dubii circa Electores esse possit, quod etiam Neoburgicus velut Dux Juliacensis Belgis super loco controversiam moveat. Nam pace Monasteriensi Hispanos Belgis promisisse, operam se daturos, ut hi nexu, quo antea Imperio copulati fuerint, exsolvantur. Id quod a Cæsare statim post conclusam pacem factum sit, non autem ab Imperio, utut superioribus, & hisce Comitiis id tentatum fuerit. Unde non alium locum eos prætendere posse, quam Geldria, tanquam supremum ipsorum membrum habuerit: nec in iis a Principibus Germaniæ aliud genus supremi imperii in istis agnosci posse, quam quod omnibus Electoribus & Principibus competit. Inter quos ordo quispiam sit constitutus, quem & Belgis observare necessum sit, quoad vinculo, quo Carolus V. eas provincias Imperio innexuit, exuti fuerint. Gallos, & Suecos, quibuscum sibi apertum bellum sit, invisi posse, si Cæsarei, & Hispani id faciant: alias conversatione eorum abstinendum. In congressibus de summo Electoris desiderio circa communem, tutamque pacem reducendam testentur. Sequestribus pro suscepto officio gratias agant. Fœderatis confirment, Electorem non minore candore in hoc pacis negotio cum ipsis acturum, quam armis factum sit; quos gemina facturos fiducia sit; quod & fœdera, & communis salus, & manifestæ hostium machinationes ostendant. Si reliqui omnes Venetum sequestrem admittant, ipsi haut repugnarent. Electorem hoc tractatu considerandum esse non tantum ut aliquem ex Ordinibus Imperii, aut Cæsaris, Hispani, Dani, & Belgarum fœderatum, sed velut primarium belli socium, quem Sueci hostilibus impetierint. Modum tractandi negotia omnium consensu definiendum; circa quem id præcipue respiciendum, ne ad primarium negotium accedatur, antequam omnes fœderati hoc bello impliciti convenerint: ubi inter ipsos statuendum sit, ne quis aliis inconsultis tractet, sed ut negotiatio ab omnibus simul suscipiatur. Quod si & maxime placeat ab uno negotio initium fieri, puta a rebus bellicis, unde bellum ortum est: prohibendum tamen esse, ne quod in uno negotio prius quam in altero convenit, pro concluso habeatur, quoad universum negotium expeditum, & omnibus fœderatis satisfactum sit. Si tamen nostrorum adventu nondum omnes adfuerint, interim procuratoria edi, & expendi posse; circa quæ tam absentium quam præsentium ratio habenda sit, ut eadem apud omnes formula observetur. Circa ordinem, & modum tractandi, si utique fieri possit, nostri laborent, ut postulata ab omnibus simul edantur, & non integrum negotium solum, sed omnia per partes, ordine in orbem redeunte, perficiantur. Uti Belgica negotia inter hos, & Gallos suscipiantur, Belgis moderamen concedi posse, ut ipsi congressus indicant, tractanda proponant, communi consensu placita, aut ubi inter fœderatos dissentiatur, sequestribus exponant. Sed ubi de aliorum negotiis, qui velut fœderati, ac primarii bellantes considerantur, agatur, alium modum comminiscendum, de quo ibi conveniri queat. Nam fortasse commode fieri non posse, ut quilibet propriorum negotiorum tractationem moderetur. A sequestre omnibus fœderatis præsentibus, si modo super ordine sedendi conveniri queat, negotia proponi, & de iis judicium suum ferri posse. Quia igitur hoc tractatu diversæ partes, ac destinata bella, & negotia concurrunt, omnia quidem seorsim expedienda, ac tot instrumenta conficienda, quot bella gesta sunt, sed quæ post in unum redigenda, ac communi sponsione firmanda sint. In negotiis Imperium spectantibus sine dubio Cæsareis directionem competere. Sed quia intuitu Sueciæ Elector primarius belligerans sit considerandus, 1676.

1676. randus, in rebus hunc spectantibus directionem a nostris gerendam. Quod si & in una, & altera causa communem directorem constitui placeat, super proponendis tamen communi consensu statuendum, eaque in scriptum redigenda, ut super omnibus negotiis pariter agatur, nec ulli separati tractatus suscipiantur. Ac uti nemo concessurus est, ab aliis per plura suffragia jus suum sibi detrahi; ita nec a nostris tolerandum, ut Electoris cum Suecis lis pro communi Imperii negotio habeatur, in quo majorem suffragiorum partem isti sequi necessum sit. Quæ socii in consilii vicem suggerant, pro re nata admittenda, aut solidis rationibus refellenda: super quibus si conveniri nequeat, hautquidquam majorem suffragiorum partem in Electoris fraudem valituram. Induciæ propositæ rejiciantur, velut hostibus, ac præcipue Suecis commodo cessuræ, per quas hisce arma parare, ac majore impetu ingruere liceat, fœderatis interim otiose desidentibus. Summa postulatorum Electoris hæc est. Cum nostra ditio a Suecis injuste, recenti fœdere, cujus fiducia ista omni milite nudata fuerat, hostili modo habita sit; non solum reparationem illati damni, sed & refusionem expensarum in bellum facturum ab his præstandam. Sed & notorium esse, quanto in periculo Electoris, & aliorum ditiones versatæ hactenus sint, postquam Sueci pedem in Germania fixerint: uti hi bella ex bellis severint, & per ea vicinos suos oppresserint, quibus per eosdem nunquam securitate frui licuerit. Nec ipsum, aliosque deinceps ab his malis immunes fore, ni tota Pomerania, quæ alias Electori per vim extorta fuerit, ei restituatur, Suecis Germanico solo eliminatis; nec Germaniæ unquam stabilem quietem expectandam, quam diu ea natio vel unicum maritimum locum retinuerit. In quod reliquos fœderatos eo facilius consensuros spes sit, quod id ipsum ad propriam eorum securitatem pertineat. Cum cessione Pomeraniæ conjunctum ut Suecus omnibus juribus ex Instrumento Pacis, aut violenter exorto Recessu Stetinensi quæsivit; aut deinceps expectare potuit, aut quæ alias a Pomerania dependent, quæ omnia in Electorem ejusque successores transferenda. Peculiariter renuntiationem faciendam in vectigalia ad oram Pomeraniæ, successionem in Novam Marchiam, communionem in Capitulum Camminiense, quæ omnia Electori attribuenda, Recessu Stetinensi plane abolito. Par quoque esse, ut Gallus reparationem præstet damnorum in Clivia datorum, quæ tantum destructo Emmerico, Orsoia, Buderico, & Gennepa tredecies centenis uncialium millibus taxentur; præsertim cum iste in causa sit, quare Sueci Marchiam invaserint. Bavarum apud Cæsarem proposuisse dici, ut non solum pax acceleretur, sed & Suecis erepta ex asse restituantur. Quæ postulata uti æquitati, rationi, decretis Imperii, & juri gentium repugnent, & ei denique juri, quo Sueci in omnibus tractatibus usi sunt: ita talia velut Germaniæ perniciosa, & ignominiosa plane repudianda. Si Bavarus pertinaciter contra nitatur, ac infractorum pacis causam agat; cavendum ei esse, ne inde ipsius ex Instrumento Pacis quæsitæ terræ Palatinæ, ac ipsa Electoralis dignitas periculum incurrat. Cæsarem jam declarasse, sibi haut fas esse quidquam admittere contra rationem, contra fœdus, ac contra illos Ordines, qui tanta fide pro ipsius, & patriæ causa pugnarunt: cui sententiæ eum deinceps quoque inhæsurum spes sit. Quod si Cæsar, & Hispani, qui tam exiguos progressus hoc bello fecerunt, restitutis Sueco ereptis, quæ ipsi amiserunt, recuperare instituant; isti illegitimæ, ac contra omnem rationem, & æquitatem pugnanti propositioni conspiratione omnium quorum interest mature occurrendum. Iisdem mandatis & Danicos legatos instructos, quibuscum nostri diligenter communicarent. Spem quoque esse, Luneburgicos eandem viam inituros. Ubi Electori in Pomerania haut plene satisfiat, ei suam portionem in Bremensi provincia salvam reservandam. Aliorum fœderatorum, & inprimis Belgarum postulatis, quantum Electoris rationibus, & his mandatis non adversantur, nostri pro viribus velificentur; tum ut Ordines ad Rhenum reparatione damni, & securitate potiantur. Circa statum publicum id observandum, ut Gallus omnia in integrum restituat, ac inter alia decem civitates Alsatiæ, & liberum ordinem equestrem. Nec Regibus concedendum, ut ipsi pro libidine Instrumentum Pacis interpretentur, aut declarent; aut ut iidem Ordinum querelas ad se pertrahant, eorumque causam agant, & velut pro autoritate definiant. Quod si hoc bello pro gloria, & salute patriæ ad repellendam vim injustam suscepto una, & altera provincia transitu, stativis, hibernis, & quæ ratio belli pro motu hostis requirit, damni quid perpessa fuerit, id iis, qui pro bono publico arma gesserunt, haut imputandum, nec eo nomine reparationem petendam. Si igitur tale quid moveatur, id plane rejiciendum: quam in rem & Cæsareos mandata habere. Jura Ordinum, & quæ hisce invicem intercedant controversias ad tractatus cum exteris haut pertrahendas; quin ad fraudem Cæsaris, ac imminutionem majestatis Imperii spectare, ac mali exempli fore, si super iis ulla disceptatio admittatur. Et quia exteri omnibus id viribus agant, ut diffidentiam inter Ordines serant, aut uni eorum adversus alterum adsistant, arbitriumque rerum in Imperio ad se trahant, ei rei omnem occasionem subtrahendam, & si qua hujus indolis moveantur, ad comitia rejicienda. Denique quia duratura, ac tuta pax quæritur, mutuam sponsionem super tuenda pace probe adornandam.

Procuratoria exhibentur. 4. Nov.

§. 69. Cum ergo sequestres monerent, diem auspicandis tractatibus præteriisse, initium ab exhibendis procuratoriis fiebat. Elector in procuratorio suis legatis dato integrum quidem Suecicum titulum cum Pomerania posuerat; sed jubebantur hi Danica, Luneburgica, & Monasteriensia inspicere, num ab his quoque Sueco titulus Scaniæ, Bremæ, Ferdæ, & Wismariæ detur. Nam horum exemplo ipse quoque titulum Pomeraniæ omissurus erat. Quando Gallorum, Suecorum, & Belgarum procuratoria sequestribus tradebantur, hi sin-

1676. singulis aliorum procuratoriorum exempla, queis ipsi fidem faciebant, mittebant; avtographa singulis reddebantur. In Gallico,& Suecico Belgæ notabant, quod utrique super justitia armorum suorum inseruissent: sed in isto peculiariter; quod Gallus Neomagum a se in locum tractatuum designatum diceret; quod de Wilhelmo Furstenbergio tangeretur; quod Pontifex sequester nuncuparetur; tum aliorum fœderatorum præter Suecos mentio fieret; & quod Gallus suis legatis injungeret cum Cæsare, Hispanis, Belgis, ac horum fœderatis, quorum nomina non exprimebantur, tractare. Vicissim Galli, & Sueci improbabant, quod in Belgico procuratorio legati juberentur pacem *concludere proficuis Reip. conditionibus*: quæ verba tamen Belgæ mox ultro expunxerunt. In Danico procuratorio Sueci carpebant, quod vocabulum *Gothorum* cum *h* litera in medio scripta esset; cum hæc scriptio solis Suecis competat, Danis autem *Gottorum* sit scribendum: quod Danus totum sibi titulum adscripsisset, Rege Sueciæ vicissim simpliciter expresso: quod in Daniæ insignibus tres coronæ, & insigne Scaniæ adpareret. Quas notas Danus cum irrisu accipiebat. *Criticam vocabuli Gothorum, & Gottorum supra captum suum esse.* Regi suo saltem duo Regna esse, cum Sueco unum duntaxat sit; Wandalorum Regnum non magis in Suecia, quam in Dania reperiri. Scaniæ insigne gerere nullibi Daniæ Regi interdictum. Sed quia ex his, aliisque procuratoriis ingens disputationum seges pullulatura erat, sequestribus placebat communem formulam concipi verbis laxis, nec offensæ quid habentibus. Nam quia Galli, & Sueci suis procuratoriis apologiæ instar inseruerant, adversa pars iis contradictura erat, ne silentio ista agnoscere videretur. Galli contra dicebant; *cuilibet integrum esse ponere, quæ ex usu suo videantur: sed penes alterum esse fidem adhibere velit, an minus.* Elector autem ista plane excludi, tum ut in Gallico expressa sui mentio fieret volebat. Simul Anglos monebat, se circa editionem procuratorium non alio, quam Suecos, modo haberi velle; eoque non per Belgas, sed per sequestres legatis suis, quæ communicanda sint, tradenda, ac pari modo in aliis actibus negotiationis agendum. Nam si Sueci, qui in Galli gratiam in bellum inciderint, pars principalis tractantium habeantur, haut dispari modo secum agendum. Idem quoque postulabat, ut si forte Galli demulcendis Belgis horum nomen ipsius nomini præpondituri sint, duo exempla conficiantur, quorum uno, quod ipsis dandum sit, Electoris nomen utique præponi debeat. Ast Galli peculiare procuratorium ad tractandum cum Electore exhibere nolebant, quod eo exemplo Lotharingus quoque idem exacturus esset; quicum tali modo agere adspernabantur. Sed nostri reponebant: sibi injunctum utique peculiare procuratorium pro Electore exposcere; id quod Anglus ipse æquum judicaverit. Ac per rerum naturam fieri non posse, ut tractatio citra procuratorium suscipiatur. Et cur pro Lotharingo peculiare procuratorium negetur, cum pro hujus legatis diplomata data sint? Ac cum Elector hoc bello æque primarius sit belligerans, quam Cæsar, nec in hoc negotio ab eo dependeat, haut sibi sufficere, si ipse in Cæsareo procuratorio obiter nominetur. Ea de re Elector apud Anglum querebatur: Suecos, & Gallos Neomagi procuratoria exhibuisse non ad formulam Hagæ probatam, sed ad modum *manifesti*, seu clarigationis, in quibus & ipse nusquam velut pars primaria nominetur. Id quod velut in sui imminutionem tendens a se admitti nequeat; ac eam ipsam ob causam Gallos conventu Coloniensi Belgarum procuratorium rejecisse. Et quia ipse hoc bello non inter auxiliarios, sed primarios bellantes censendus sit, Rex legatis suis injungeret, ut cum ipsius legatis nullo intermedio agant, sed omnia cum iis non minus quam cum Belgis directe communicent. Ad quod responsum: Jam Gallo a se demonstratum, ejusmodi causarum belli in procuratoriis deductiones insolitas esse, ac aliam eorum formulam conceptam, & Electorem utique velut primarium considerandum, præsertim cum maxima difficultas circa ipsum, & Suecos surrectura sit. Communicationem quoque nullo intermedio faciendam; ac id jam Hagæ futurum fuisse, ni fœderatis placuisset omnia Ordinibus Generalibus insinuari. Sed cum Rex vellet, ut Suerinus scripto communicationem absque intermedio fieri postularet, ne ipse proprio motu receptum hactenus agendi modum mutasse argueretur; Suerinus id solus postulare dubitabat, ne Belgæ id e diffidentia erga ipsos quæri arguerent: eoque præstare, ut universi fœderati id exigerent. Etsi id revera necessarium erat, quod Beuningius Londini circa Belgarum tantum salutem satagebat, fœderatis insuper habitis, ac quæ agitabat ægre admodum communicaret. 1676.

§. 70. Accedebant quoque paulatim jam alii fœderatorum legati, quos inter a Daniæ Rege missus Justus Hœgius de adventu suo per Secretarium legationis, ac Nobilem primum Anglis, inde Gallis, Suecis, Blaspielo, (utut privati adhuc habitu Neomagi adesset,) & Belgis significabat. Eum primo loco invisebant Angli Jenkinus, & Templius, uterque iisdem bigis vectus, octo pedisequis, & duobus pueris Nobilibus comitantibus; quod suo exemplo placitum circa moderandam pompam confirmare se voluisse dicerent. Strada veniebat cum duabus bigis, sex Nobilibus, ac duodecim famulares vestes gerentibus: sed Colbertus, ac inde Avauxius cum binis sejugibus, septenis nobilibus, ac magno famulorum numero accedebant. Olivecrantzium duabus cum bigis aliqui nobiles, ac sat multi famuli comitabantur. Belgas duobus sejugibus vectos universi quos habebant Nobiles, ac totum famulitium comitabantur. Galli, & Sueci legati primo currui insidebant, Nobilibus sequentibus: contra Belgæ posteriore curru vehebantur, ea, cui Nobiles inerant, præcedente. Super visitatione Benedicto Oxenstiernæ Sueco cum Joanne Berclaio Anglo lis surgebat. Hic Gallis ad visitationem certas horas, ac sequentem Oxenstiernæ assignaverat. Cum postremus Gallorum adhuc apud Berclaium moraretur, Suecus Angli aream ingressus *Circa primas visitationes acta. 10. Nov. Hag.*

1676. gressus de adventu suo significabat. Anglus respondebat: Gallum adhuc adesse, quem ut discedat monere non possit; nec condictam ipsi horam venisse. In ejusdem tamen arbitrium conferebat, post breve spatium, an alio tempore redire vellet. Ast Oxenstierna justo se tempore venisse pertendebat, ac se non admitti offensus cum indignatione discedebat. Galli ad componendum id litigium circa temperamentum satagebant. Sed Anglus contendebat, par esse, ut Suecus denuo in suas ædes accedat, & visitationem rite obeat; nec se id, quod Suecus fecerat, loco visitationis acceptare posse; nec simulaturum, quasi & ipse Suecum vicissim invisere velit. Demum interventu Gallorum convenit, ut Anglus Oxenstiernæ accessum ad ipsius ædes loco visitationis acciperet; sed ne pro eo visitationem reponere teneretur. Sed alter legatus Suecus Anglo pro more visitationem dedit, & accepit.

Electorales legati Neomagum accedunt. 28. Nov.

§. 71. Ingressi sunt deinceps Neomagum Electoris legati Somnicius, & Blaspielus, nulla pompa, jussi de suo adventu omnibus legatis eodem tempore significare, ac eo ordine, quo quisque visitationem obtulerit, horam ei admittendo addicere: tum exemplo Belgarum, & Dani etiam hostibus denuntiationem facere. Quod & legatus Hispanicus Petrus Ronquillus defugi haut posse judicabat. Cum primo adventu per Belgas aliquot scripta iis communicarentur, Elector jubebat, ut omnia per ipsos sequestres sibi exhiberi curarent. Nam notum esse, Belgas eo rem deducere velle, ut ipse inter eorum auxiliarios censeatur, quo pacem sui arbitrii facere possint. Quo fine & Hispanus judicabat, congressus fœderatorum non in curia aut loco publico, sed modo apud hunc, modo apud alium instituendos, ibique sedes promiscue capiendas, uti Hagæ fieri sueverit. Alias Belgæ multum indignationis ostendebant, quod Cæsarei ita tarde molirentur. *Se annum prope heic hæsisse. Plebem non sine impatientia pacem inclamare. Sibi injunctum summam rei aggredi. Hostes hoc modo favorem quæsitæ pacis in se trahere. Falsos fore opinionis suæ Cæsareos, & Hispanos, si credant, Siciliam, & Brabantiam, illam ob commercia, hanc propriam ob securitatem belli continuandi necessitatem sibi imponere.* Quæstio porro jam erat, num ad negotiationem accedendum sit, antequam nova procuratoria, in quæ consensum fuerat, allata essent? Nam ea mora multum temporis frustra elapsurum erat. Contra procuratoria fundamentum negotiationis haberi; ac bona fide animi sensa exprome re, dum procuratoria expectantur, anceps esse. Nam eos, queis pax cordi non sit, & ansa captetur tractatus abrumpendi, forte ubi fœderatorum mentem intellexerint, eorum postulata pessimis modis traducturos, eaque exosa reddituros. Ac eo ipso vitiosa Gallorum procuratoria, quod eo fundamento ad negotiationem descensum sit, adprobata visum iri, simul illis facultas relinquatur agitata retractandi, si libido subierit. Denique si ita raptim ad negotium accedatur, peculiaria diplomata, quibus Electoris nomen exprimendum sit, vix secutura.

Nostrorum col-

§. 72. Cæterum nostri, communicatione cum Hispano facta, per aulæ præfectum Anglis de suo adventu significant, qui in sequentem diem visitationi sese offerebant, missis duobus Nobilibus, & Secretario, qui horam designari peterent. Quo ipso die & nostri per tres Nobiles, singulis bigis vectos, eodem temporis momento Dano, Suecis, ac Gallis denuntiationem faciebant. Angli condicta hora omnes tres iisdem bigis vecti accedebant. Berclaius verba faciebat idiomate Gallico. Nostri responso suo monebant, observatum sibi Blaspielo non item uti Somnicio Excellentiæ titulum datum, cum tamen utrique idem *character repræsentativus* attributus, idem procuratorium datum sit; quod ipsis communicare velint. Berclaius post breve colloquium cum collegis reponebat: *A Rege suo sibi injunctum, Electoris legatos eodem modo tractare, uti ab aliis Regibus habeantur.* Nostri: *Electorem sperasse, suis legatis eundem titulum, eademque honoris indicia per omnia tributum iri.* Ad quæ Templius: *Cum sua mandata in Anglia conciperentur, varias considerationes super cerimoniis agitatas fuisse, ac demum multis difficultatibus amputandis placuisse, ut quæ olim Osnabrugæ, & Monasterii, heic quoque examussim observarentur. Jam autem Regi ab hominibus, qui tunc Monasterii adfuerint, confirmatum fuisse, primario duntaxat Electoralium legatorum priorem locum, & vocabulum Excellentiæ a Regiis tributum. Id quod & Noribergæ, ac Francofurti observatum sit: quod exemplum ut sequantur presse sibi injunctum.* Nostri contra negare, *Electorales id cerimoniarum uspiam admisisse; ac ex relationibus legatorum inde constare, Osnabrugæ non Suecos solum, sed & Cæsareos istis Excellentiam, ac priorem in suis ædibus locum dedisse. Id quod & Cæsar suis legatis ut heic faciant scripto injunxerit.* Angli contra: *non e propriorum, sed aliorum legatorum relationibus, ac præcipue regiorum id demonstrandum. Si tales sibi exhibeantur, se eas Regi suo dijudicandas transmissuros. Interim sua sibi mandata sequenda.* Nostri: *Electorem in notorio jure, ac possessione ejus constitutum, de quo sermo sit; nec opus habere, ut id deducat, aut ullius judicio se submittat. Publica scripta hoc satis demonstrare, ac Benedictum Oxestiernam posse testari, quid Olivæ observatum sit.* Sed Templius pertendebat: *circa id quod Monasterii contigerit, a regiis legatis aliter se edoctum.* Addebat, *nuper antequam Berclaius adveniret, a Principis cujusdam ministro heic sibi ac Jenkino relatum, qui Monasterii tunc adfuerit, Electorales, & Principales legatos ibi pari honore, nullo discrimine habitos: nec diu esse, quod Electores legatos Ambasciatorum vocabulo miserint, ac Excellentiæ titulum tunc primum usu receptum.* Quæ omnia nostri inficiabantur. *Quæ Principum legatos spectent huc non pertinere, nec sibi opus esse ei controversiæ misceri. Quid legati Regii ipsis retulerint, sibi non constare. Sed nostros tunc jurata fide Principi suo retulisse, cui falsa narrare iis nunquam in mentem venerit.* Angli: se ista ad Regem perscripturos: *interim sibi vitio datum non iri, si sua mandata sequantur.* Discedentes dicebant, se unis tantum bigis venire, declinandis cerimoniarum superfluis; ac apud alios idem fecisse. Nostri apud currum exceptos eodem deduxerunt.

1676. Insinuant Anglis. 13. Dec. 14. Dec.

runt. Eodem die duo nobiles a Suecis veniebant, visitationi horam petentes, addito, utrumque legatum visitationem suam seorsim obiturum. Ita Oxenstiernæ quinta, Olivecrantzio sexta addicebatur. Illi quærebant, an non quartam habere possint? nostri: tertiam Dano assignatam, qui prius eam requisiverit. Anglis digressis tres nobiles Galli veniebant de adventu gratulantes, & horum visitationi exquirentes. Sed quia Blaspielum utut adstantem non alloquebantur, is rogabat, num ad solum Somnicium missi sint? & cum id affirmarent, Blaspielus; nil sibi ergo heic negotii esse, ac discedebat. Inde Somnicius illis significabat; ab Electore ambos pari dignatione missos, nec dispares cerimonias admittere posse. Sed horam quod spectet, Suecis quintam, & sextam assignatam, ac forte Gallis ita sero accedere haut placiturum. Igitur in ipsorum arbitrio esse, hora septima venire, an ipsi horam eligere velint. Id quod isti ad suos se relaturos dicebant. Sed mox ad Somnicium regressi ferebant, se jussos certum tempus visitationis cognoscere. Somnicius repetitis prioribus addebat; si ergo hora septima venire velint, id gratum sibi fore. Sperare autem, Gallos collegæ suo æque visitationis honorem exhibituros, ac pari ritu utrumque prosecuturos. Galli: se quoq; jussos apud Blaspielum verbis honoris defungi. Hoc veniente Galli ipsum nec *Excellentiæ*, nec *Ambasciatoris* vocabulo nuncupabant, qui & vicissim responso suo eadem verba haut adhibebat. Nostri interrogabant, num Galli utrumque pari honore affecturi sint? Id cum isti ignorare se dicerent; nostri: id vero sibi utique noscendum reponebant. Ita Galli discesserunt. Danus cum tribus curribus veniebat: primo a duobus equis tracto nobiles sedebant, ipse se jugibus vehebatur, quos bigæ sequebantur. Utrique Excellentiæ titulus ab eo dabatur. Ne igitur Galli, & Sueci actum allegare possent, quo Electoris possessio turbata videri possit, ac eorum menti penitius explorandæ, utrisque misso nobili significatur, ab Electore sibi injunctum, non nisi paria honoris indicia admittere. Sueci initio respondebant, se jussos nil novi introducere, nec in animo sibi esse, honori Electoris quid detrahere; ac si Elector in possessione ejus juris sit, se non repugnaturos. Nostri Oxenstiernam monebant de eo, quod Olivæ factum sit, ubi ipse præsens adfuerit. Osnabrugæ quoque nec Cæsareos, nec Suecos inter utrumque Electoris legatum discriminis quid fecisse: prout & nunc Hispanus, ac Danus pari ipsos honore mactet. Sueci: forte Danum, & Hispanum id fœderi dare: Regibus tamen eximii quid competere. Sibi super hac re cum fœderatis suis consultandum. Quid Osnabrugæ contigerit tangere nolebant, sed semper ad id, quod Monasterii, Noribergæ, & Francofurti in usu fuerit provocabant. Post Oxenstierna per nobilem excusabat, se hodie nostros adire non posse ob serum diei, & quia super orto dubio cum collega, & fœderatis deliberandum sit. Galli post multas disceptationes declarabant: Quia intelligant nostris injunctum, ne separari se patiantur, iis significandum esse, sibi quoque injunctum, ipsos non pari modo; nec eodem titulo tractare. Belgæ hac re valde dolebant, ac officia sua apud Anglum pollicebantur. Sequenti die Oxenstierna Somnicio significabat: molestum sibi ejusmodi tricas incidisse, ac petere, ut is temperamentum proponat. Cui hic: Electorem hac in re nunquam temperamentum admissurum. Nostri inde ad Berclaium mittebant, excusatum, quod visitationis honorem reponere impediantur. Is respondebat; de temperamento cogitandum huic impedimento tollendo. Belgis Angli responderant; se ad Regem in favorem Electoris scripsisse, & declarationem expectare. Simul tamen monuerant, nostros ante visitationem ipsis indicare debuisse, se non nisi pari modo haberi velle, & posse. Et quia Somnicio circa omnia honoris signa satisfactum sit, par esse ab eo visitationem reponi. Nostri consilio cum Dano, & Belgis collato judicabant; si Somnicius solus etiam absque cerimoniis Anglos inviseret, id hos interpretaturos, ac si ipsi se disjungant. Igitur Somnicius Anglis scribebat; sibi persuaderi haut potuisse, Anglos id discriminis moturos; alias ante visitationem de eo monere haut omissuros fuisse. Seorsim ipsos invisere per mandata sua prohiberi. Galli, ut probarent, Osnabrugæ aliter fuisse observatum, quam nostri contendebant, *Petri Chanuti memorias* adducebant. Nostri reponebant: *Chanutum illis commentariis plus semel illicitos affectus in Electorem apricatum fuisse: qui & inter alia falso tradiderit; Electorem an. 1648 Hornium Comitem in Hollandiam misisse ad expetendum Arausionensis Virginis connubium.* Nam Borgstorfius proci vices apud Principem Virginem obibat. Enimvero Philippus Hornius cum aliis Electoris consiliariis an. 1648. fœderis tractandi causa Hagæ fuerat, ubi legatus Gallicus Thuillerius omnibus quatuor Electoris legatis primum incessum, dextram manum, & titulum *Excellentiæ* citra tergiversationem tribuerat. Notum quoque esse, quanta censura, atque interpolatio ejusmodi libris in Gallia subeunda sit, antequam in lucem prodeant, ne qua Galliæ rationibus, & placitis adversum quid tradant. Ac alias in Galliæ moris esse, honores aliis exhibendos temperare, prout quisque ejus Regni rationibus addictus est. Jenkinus postera die ad nostrorum ædes sine cerimoniis accedebat, ac stans super rixa famulorum exponebat. Elector suorum acta circa visitationem probabat, ac non obscurum esse, id de compacto geri, ut ipsi ægre fieret. Gallorum, & Suecorum visitationem differendam, quoad hi super isthoc negotio prout par est declararint. Anglos a Somnicio ne sine pompa quidem inviscendos, nec quid separationis a collega admittendum. Cæterum Bavarus quoque voluerat legatos Neomagum mittere, eundem quem Brandenburgici honorem postulaturos, ut secundus primo par haberetur. Id quod Sueci facere parati erant, ob Bavari in partes suas studium; prout & a Rege mandata habebant; erga Brandenburgicos se gererent, uti e re videatur. Cupiebant tamen isti, ac Galli, ut Bavarici priores accederent, quo ejus honoris concessionem isti Principi imputare possint. Sed cum nulli a Bavaro legati accederent, inter hostilia etiam habebatur Electori circa istam cerimoniam difficultates movere.

1676.

16. Dec.

p. 533 et 607.

SAMUELIS PUFENDORFI DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSQUINTUS.

EPITOME.

Electoris destinata. 2. Circa reficiendum exercitum difficultates. 3. Conventus Inferioris Saxoniæ Electori parum favet. 4. Circa satisfactionem difficultates. 5. Conventus Bremensis nullo fructu solvitur. 6. Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra agitur. 7. Cum Monasteriensi fœdus initur. 8. A Luneburgicis Auxilii quid obtinetur. 9. Cæsaris auxilia per rebellionem Hungaricam impediuntur. 10. Ab Hispanis nil pecuniæ extundi potest. 11. Nova Ludibriorum Hispanicorum tela. 12. Hostium machinationibus in Polonia obsistitur. 13. Super renovatione pactorum acta. 14. Renovatio pactorum peragitur. 15. Mosci in Suecos concitari non possunt. 16. De prohibenda in Pomeraniam navigatione. 17. Danorum gesta Electorem non parum sublevant. 18. Obsidium Stetini. 19. Alibi hoc anno fœderatis res male succedunt. 20. Electoris circa hiberna difficultates. 21. Periculum e Polonia non plane cessat. 22. Rex Poloniæ Electori est suspectus. 23. Regis Poloniæ ad Electorem missio super liberando Strauchio. 24. Elector de isto legato queritur. 25. Lilliebœckii in Electorem invectiva. 26. Electoris super eo facinore ad Regem Sueciæ literæ. 27. Regis Sueciæ responsum. 28. Regis Daniæ de hoc facto judicium. 29. Cæsaris circa ejusdem facti ultionem studium. 30. Electoris ad Regem Poloniæ missio. 31. Tractatuum Neomagensium continuatio. Controversia nostrorum cum Anglis super paritate utriusque legati. 32. In Anglia super ea lite agitata. 33. Varia circa cerimonias. 34. Postulata Principum circa legatos suos. 35. Circa Lotharingi admissionem considerationes. 36. Controversia inter Cæsareos & Anglos super cerimoniis. 37. Ab universis Ordinibus delegati Neomagum non mittuntur. 38. Princeps Lusitaniæ sequestrem se fert. 39. De Papæ officio admittendo. 40. De admittendo Præsule Argentoratensi. 41. De modo congressuum inter fœderatos habendorum. 42. Super procuratoriis disceptata. 43. Fœderatorum propositiones; Cæsareorum; Hispanorum; Dani; Belgarum; Electoris. 44. Gallorum, & Suecorum postulata. 45. Cæsareus Dani postulatis contradicit. 46. Num deinceps scripto, an viva voce tractandum? 47. Nostrorum cum Cæsareis super modo tractandi disceptatio. 48. Electoris Palatini propositio. 49. Hanoverani Ducis postulata. 50. De responso ad hostium propositionem disceptata. 51. Super responso ad hostium propositiones cum Belgis disceptata. 52. Responsum Cæsareorum ad Gallorum propositionem. 53. Cæsareorum responsum ad Suecorum propositionem. 54. Nostrorum ad Gallorum, & Suecorum propositionem responsum. 55. Gallorum, & Suecorum responsum. 56. Belgæ formulam pacis suæ cum Gallis concipere properant. 57. Electoris ad Belgas litera. 58. Neomagi tempus frustra teritur. 59. Super replica ad Gallorum responsum disceptata. 60. Utriusque partis in aula Anglicana negotiationes. 61. Arausionensis in Angliam profectio. Ejusdem nuptiæ.

Electoris destinata. 1. Superiore anno eos progressus contra Suecos fecerat Elector, ut spes esset summa ope connixo bellum brevi posse patrari expugnato Stetino, in quo summa rerum Suecicarum in Germania verti videbatur. Nam Rugia per Danos occupata Stralsundam ultro flexuram, cui ut conditionem civitatis Imperialis offerret Elector, Cæsar commiserat, ratihabiturus, quicquid cum ea conventum esset. Nam ipse dignationem suam prostituere verebatur, si forte quod offerebatur, importunius rejectum foret. Nec penes Grypswaldam moram fore. Parta autem adversus Suecos securitate animus erat tota vi in Gallum vertere, ac una cum aliis fœderatis eo incumbere, ut ex isto quoque latere Germaniæ securitas constitueretur, præclusa Gallis irrumpendi facultate, quorum libidini compescendæ solennes tractatus, fideique, ac jurisjurandi religio hautquidquam sufficiebant. Ast eo fine necessarium erat, a reliquis fœderatis quoque pari vigore rem geri, ac ut sibi ex fœderibus debita præstarentur, ipseque alia ratione sublevaretur, quo exercitum, quantum magnitudo destinatorum requirebat, augere posset, ne inter languida molimina extracto tempore hosti ad vires resumendas spatium daretur. Enimvero nec quæ ex fœderibus debebantur Belgis, ac Hispanis repræsentare cura, aut facultas erat, summa subsidiorum quæ restabant ad tredecies centena uncialium millia adscendente; & quæ alias ad eum finem facere poterant remedia subtrahebantur per invidiam, quæ etiam cum Reip. damno incrementa Electoris sistere gaudebat. Et alibi inter debilia fœderatorum arma Gallus summa alacri-

1677. alacritate connixus eousque invaluerat, ut plerique in qualemcunque pacem ruerent, quam demum erepto Electori victoriarum suarum fructu redemisse nullus pudor erat. Quibus incommodis dum pro virili obluctatur Elector, id saltem assecutus est, ut posteritas agnitura sit, si ab aliis pari virtute, ac in patriam, bonumque publicum studio actum fuisset, gloriosum ei bello finem imponi exterosque felicitati, & quieti Germaniæ tantopere infestos intra veteres compingi limites potuisse, intercepta immensa calamitatum mole, quæ paucos post annos istam, vicinosque obruerunt.

...rea ve-...iendum ...erci-...m diffi-...ltates. §. 2 Cum itaque summa rerum in eo verteretur, ut exercitus ad futuram expeditionem firmaretur; ad eum autem finem qua opus erat pecuniam neque fœderati solverent, nec exhaustæ calamitatibus belli Electoris provinciæ suppeditare possent; nil restabat, quam ut inermes Ordinum aliquid ad istum alendum conferrent, qui pro communi securitate pugnabat. Neque, enim rationis esse, ut unus molestias, sumtusque belli solus toleret, reliquis immunibus, quorum incolumitas non minus hisce armis stabilitum ibatur. Enimvero circa isthæc hospitia summa surgebat difficultas, quod ea Viennæ parce, ac inæqualiter distribuerentur, non observata proportione copiarum, aut actionum, per quas hæc imminutæ erant. Tum jam omnes fere Ordines vel ipsi arma parabant, vel in Cæsaris, aut aliorum protectionem se conferebant declinando hospitiorum oneri. Ac Cæsareus exercitus, ductoresque ita laute sibi prospiciebant, ut fœderatis parum superesset. Unde Viennæ Electoris postulata aperte, aut per clandestinas artes eludebantur. Equidem superiore anno spes facta fuerat, Electori hospitia ab Hanoverano hactenus usurpata attributum iri. Ac cedebat is demum, quæ in Superiore Saxonia hactenus insederat, Anhaltinam ditionem, Mansfeldensemque, & Stolbergensem Comitatus, exiguum tanto exercitui levamentum; Cæsareis contendentibus, Electori vicissim Eichsfeldia, & Erfordensi agro desistendum. Ast quæ in Saxonia Inferiore obtinebat Hanoveranus, nullo modo dimittere volebat. Quo nomine hic, atque Cel-

Febr. lensis Dux ad Cæsarem scripserant, ne eorum hospitiorum possessio sibi turbetur, additis verbis altius penetrantibus: Se non sperare negotium hoc ad dissidium Reip. tam noxium iri deductum. Et quanquam Cæsar respondisset, Hanoverano utique istis decedendum esse; hic tamen literarum, queis ab armis pondus non accedebat, securus, quod semel utcunque invaserat, ingratiis Cæsaris retinere pergebat. Cui instituto excusando hæc ratio idonea videbatur; suam ditionem alendis copiis non sufficere; ut autem ipse armis se exuat tutum sibi haut esse: igitur nil aliud restare, quam ut istæ ab aliis alantur; utut eædem non solum nullam patriæ operam navarent, sed & fœderatis non modicam suspicionem incuterent. Cæterum ad conventum Inferioris Saxoniæ provocabatur, qui propediem habendus sit; cujus scopus Viennæ parum probabatur; ac satis patebat, Cellensem obtentu præfecturæ copiarum Circularium, quam gerebat, dispositionem super hospitiis per Inferiorem Saxoniam in se trahere velle, reliquis omnibus exclusis. Cujus & Ducis intentio, & Cancellarii Schutzii consilia valde suspectabantur, velut clandestina cum hostibus commercia agitarent, ut Bremensis ditio penes Brunsuicensem Domum maneret, hac in medium statum transgressa, quo Pomerania Suecis servari posset. 1677.

Adversus quæ Cæsarei Viennæ acriter invehebantur; ac nunquam se eam indignitatem toleraturos, ut Duces hoc modo Bremam adquirant, quam malint ad Suecos reverti. Quanquam non ingratum ei aulæ erat Electorem cum Luneburgicis collidi, quo Cæsari eo liberior facultas foret circa Suecis erepta disponendi, eaque cum locis, quæ Hispani amiserant permutandi. Porro ea Luneburgicorum consilia, & qui mox nuntii e Belgio de amissis tanti momenti urbibus veniebant, Viennæ ingentem consternationem excitabant, plerisque bellum detestantibus, per quod Cæsar patrimonii juxta, & autoritas in Imperio jacturam facturus sit, ac qualemcunque pacem inclamantibus. Nec minus metuebatur, ne dum reliqui contra hostem alibi distringuntur, isti ad subigendam Bremensem urbem vertantur, Monasteriensi quoque ea provincia expulso. Qui & ipse suspicione perstringebatur, eoque copias suas contra Gallum mittere tergiversabatur. Ista autem quanquam ægerrime ferret Cæsar, dissimulandum tamen erat, quod nec rationibus quidquam profectum iri spes foret, ac vim adhibere temporum conditio haut permitteret. Cæterum cum Crocovius postularet, ut per Cæsareos in vicinia hærentes Hanoveranæ copiæ hospitiis exturbarentur, Cæsarei ministri reponebant: *Si Elector assignata sibi hospitia occupet Hanoveranis vi expulsis, Cæsareas legiones auxilio ipsi adfore: ast solum Cæsarem absque Electore id negotium suscipere non posse. Eam quippe causam præcipue Electorem tangere, qui & eam primus aggredi debeat Cæsare fideliter suppetias laturo. Sed ut Cæsar eam causam, ac orituram inde invidiam solus in se derivet, suaderi huic non posse.* Crocovius contra: *eam causam primario non Electoris, sed Cæsaris esse, cujus autoritas heic vertatur. Ejusdem ac universi Imperii interesse, ne Dux hostibus certo modo innexus ulterius firmetur, sed potius ut Electoris copiæ conserventur. In hoc negotio Cæsarem nil periculi facere; nec Hanoveranum in Silesiam, aut Bohemiam irrupturum; eoque hunc non plus contra Cæsarem suscepturum, quam quod hucusque obliqua ratione fecerit, quodque alias omissurus non sit. Ast Electoris ditiones Hanoverano immixtas: Duces quoque ejusdem Domus longe promtius huic contra Electorem, quam contra Cæsarem suppetias laturos. Quod si igitur id negotium in nervum erumpat, distractis Electoris viribus, spatium respirandi Suecis datum iri, non sine magno detrimento Cæsaris, & causæ communis.* Præter ista Crocovium Elector reponere jubebat; *uti ipse primus inter omnes Ordines publicam Imperii causam susceperit, Cæsarique inconcussa fide, & constantia adhæserit, simul omnes suas fortunas periculo exposuerit, ac fecerit atque pertulerit, quæ omnibus nota sint. Quanquam autem spes fuerit circa hospitia, & alia quæ se spectent, si non liberalius saltem haut malignius secum, quam cum aliis fœderatis actum iri: comperiendum tamen sibi esse, suo exercitui quam te-*

nuissime

1677. *unissime! prospectum assignatis hospitiis jam exhaustis, aut ad quæ vindicanda novum bellum suscipiendum sit, alias plus satis hostium habenti. Unde totam molem jam aliquot per menses suis ditionibus penitus attritis incumbere; cum contra alii, qui hospitia pro lubitu invaserint, laute agant, integrosque Circulos in se trahant, insuper habitis a Cæsare decretis. Quod eo acerbius sibi sit, quo magis suæ rationes Austriacis in Imperio, & Polonia innectantur. Equidem inaudire se, quosdam de exauctoranda exercitus parte jactare, quem tamen augeri quam maxime expediat; at ni is insigniter firmetur, periculum esse, non erepta solum hosti, sed & propria amissum iri. Contra si sua destinata succedant, Silesiæ, & aliis provinciis Cæsareis validum propugnaculum objici. Tum se semper declarasse, post expugnatam Pomeraniam connixurum, ut Cæsar Alsatiam recuperet. Unde par esse se a Cæsare sublevari, ut pro causa communi a se operæ pretium fieri queat.* Ast Cæsarei non nisi de castigando legionum numero reponere; nam in fœdere non nisi de sedecim millibus conventum; nunc de quadraginta legionibus moveri. Nec adversus Gallos sibi multum auxilii ab Electore pollicebantur, quod hicce tunc omnes vires ad subigendam Pomeraniam convertisset. Quin metuebant, ne si Elector quæ cupiebat nactus foret, exemplum Luneburgicorum sequeretur. Nec Sueci amplius curabantur, jam eo redacti, ut nec ditiones Cæsaris hæreditarias invadere, nec impressionem in Imperium facere possent. Num Elector plus an minus fructuum ex hoc bello perciperet, aut num ejus opibus quid accederet, id Cæsaris perinde erat; quin Pomerania eidem adcrescente non levis æmulatio injiciebatur. Unde & palmaria ratio, quæ adduci poterat, Electorem Austriacis partibus firmiter adhæsurum, enervabatur. Cæsareis regerentibus, non dari sibi beneficium bello ab Electore continuato; nam id ob privatum ipsius emolumentum fieri, quod nulla alia via sit Pomeraniam nanciscendi. Ast Electori beneficium præstari bello per Cæsarem extracto, quod huic spatium præbeatur reliqua Pomeraniæ loca expugnandi, cum Cæsari nulla spes sit hoc bello aliquid lucrandi. Sed & Viennæ nova fœdera cum Moguntino, Coloniensi, aliis cudebantur, per quæ ab his certus militum numerus præstandus erat, concessa vicissim ab hospitiis immunitate. Adversus quæ Crocovius demonstrabat: subtractis Hospitiis veteranum militem, & antiquos fœderatos subverti, cum ab istis non nisi tiro sperandus sit; ac eorum plerosque parum de Rep. meritos. Sed ista incassum canebantur, quod illis fixum sederet Præsulatus esse conservandos, ne horum oppressione Protestantium potentia glisceret.

Conventus Inferioris Saxoniæ Electori parum favet.

§. 3. Nec minus ad imminutionem Electoris tendebat conventus Inferioris Saxoniæ, Brunsvigam mense Februario indictus. In eo de quatuor capitibus tractandum erat: Uti Ordinibus hujus Circuli per hoc bellum pressis subveniendum, atque his malis medicina facienda: Uti ad hunc finem necessaria Circuli militia sit instauranda: Qua ratione sit impediendum, ne commercia Albis novis vectigalibus institutis onerentur: Quo modo emolumenta 1677. Circuli Neomagi observanda sint. Ad istum conventum ab Electore missus Joannes Butendachius Procancellarius Halberstadiensis demonstrare jubebatur: ista onera unice per invasionem Suecorum provenisse, adversus quæ solum remedium sit, junctis viribus cœptum opus expedire, utque inermes Ordines iis, queis arma sumenda fuerint, præbitis hospitiis subveniant, quo compressa hostis ferocia, firmaque pace constituta infuturum contra istius invasionem tutis agere liceat. Tum copias, quæ jam in promtu sint, probe sustentandas, cum minutis singulorum Ordinum manipulis ad summam rerum nihil proficiatur. Nova onera navigationi Albis imposita mitiganda, nec plura introducenda. Denique dubium esse, nomine Circuli peculiarem legationem Neomagum mittendam. Si Luneburgici, uti ferebatur nomine Ducatus Bremensis suffragium ferre instituerent, protestationem opponeret, quod & Daniæ Rex facturus erat. Luneburgici porro, qui hoc 27. Mart. conventu abolitionem hospitiorum, simul instaurationem militiæ Circularis urgebant, id agere videbantur, ut post subactam Bremensem provinciam medios deinceps se gererent, aut languide bellum administrarent, quo sibi viam ad transactionem cum hostibus pararent; tum ut debilioribus Ordinibus copias concederent, eoque obtentu sibi solis ejus Circuli hospitia vindicarent, aliis fœderatis exclusis. Prout & Administrator Magdeburgicus id studebat, ut Electori hospitia per suam ditionem adimerentur. Unde & quicquid ab Electore missus obniteretur, conclusum fuit, ut quæ hactenus usurpata fuerint hospitia, pecuniarum exactiones, ac alienarum copiarum transitus ne tolerentur: utque insignes copiæ nomine Circuli parentur, quarum moderamen penes Cellensem sit futurum: ut denique Circuli nomine legatio Neomagum mittatur, quam Magdeburgicus, Cellensis & Lubecenses sint obituri. Adversus quod decretum jussu Electoris a Butendachio protestatio fuit interposita. Sed Glustadiensi vectigali, quod Daniæ Rex affectabat, non hic modo Circulus, sed & Angli quam maxime obsistebant. Nam Danus, ne Belgæ ei se vectigali opponerent, his obtulerat, vectigal non nisi a majoribus navibus, tres malos gerentibus exactum iri. Belgæ autem fere minutis navigiis uno malo Hamburgum navigare solent. Sed eo magis reluctabantur Angli, ne forte Belgæ hac conditione acceptata Anglorum in Albi commercia ad se pertraherent.

Circa satisfactionem difficultates.

§. 4. Sed nec Elector Viennæ, aut apud reliquos fœderatos Bremæ pervincere poterat, ut sibi super Pomerania idonee caveretur; utut promitteret, se omni vi connixurum, ut Cæsari quoque satisfiat, nec se Luneburgicorum exemplum imitaturum, qui destinatis suis potiti manum negotio subtracturi videbantur. Sed Cæsarei negabant obstringi se posse, ne pacem faciant, nisi Suecis Germania pulsis; quod ejusmodi promisso pax difficilis reddatur. Eandem & Belgarum esse sententiam, qui haut passuri sint, paci, quam magnopere cupiant, nova obut pro-

1677. ftacula poni. Quin si maxime id promiserint, facile ejusmodi rerum faciem emergere posse, ut promissa servari nequeant. Sed nec collationem feudi, & investituram addici posse, quoad Pomerania plane occupata fuerit, & cum fœderatis super eo negotio convenerit. Feudum quoque commissum ad Cæsarem devolvi, nec ullo tractatu eum obstringi ad idem Electori conferendum; etsi huic præcipua spes ad idem sit. Ad quæ Crocovius: *Carolum V. & Ferdinandum II. illum Saxoniæ Electoratum Maurito, hunc Palatinatum cum Electorali dignitate Bavaro per secretos tractatus promisisse, antequam proscriptio Joanni Friderico Saxoni, & Friderico Palatino intentaretur, eorumque ditiones occupatæ forent. Nec obstare leges publicas, & capitulationem circa consensum Imperii in proscriptionibus & collationibus caducorum feudorum. Nam dum Imperium Suecos hostes judicavit, eo ipso in proscriptionem Ducis Citerioris Pomeraniæ consensisse. Et quia idem Imperium decrevit, ut Electori satisfiat, id quod nisi e commisso feudo obtineri nequeat. Cæsari affatim potestatis esse in Electorem id feudum conferendi. Nec in more esse aulæ Cæsareæ decretis Imperii ita presse inhærere, sed ea quacunque ratio patitur porrigere, haut amplius consultis Ordinibus.* Sed Cæsarei regerebant: Se quidem antehac declarasse; fœderatis primum inter se conveniendum, inde ad Cæsarem referendum; qui deinceps quod patrem deceat sit facturus. Sed istiusmodi conventionis nullam aliam esse vim, quam ne fœderati suis prætensionibus sibi mutuo obstent. Ejusmodi autem pacti evictionem a Cæsare nec promitti, nec præstari posse, qui & isto hautquidquam stringatur; sed integram eidem facultatem circa ereptas hostibus provincias jure feudi competere. Plerique tamen jactabant, modo Elector prius Pomeraniam occuparit, facilem viam componendo negotio inventum iri.

1. Jun. Post cum denuo Crocovius super hoc negotio moveret, respondebatur.: Cæsarem cuique fœderatorum circa præmia belli, ac præcipue Electori circa Pomeraniam Suecicam fauturum, modo & sibi, suæque Domui satisfiat Nam id non sufficere, quod Elector promtum se ferat ad navandam ex fœdere operam, sed rem ipsam exhibendam. Accidere quoque posse, ut Electore licet persistente aliorum fœderatorum defectio paci accelerandæ necessitatem adferat. Jam autem æqum non esse, ut cæteri tantis emolumentis macti bello excedant, vacuo Cæsare. Ac sane jamdudum Viennæ id agebatur, ut si pax ineunda sit, per quam Austriaci destinatis suis haut potirentur, Elector Suecis erepta redderet, Gallo vicissim Hispanis satisfacturo. Haut eo minus Crocovius formulam concinnabat conventionis inter Cæsarem, & Electorem, quo iste promittebat, se huic Pomeraniam in satisfactionem concessurum, ac de ea ipsum investiturum, aut de parte, ubi eadem haut tota occupata fuerit. Sed consiliarii censebant, id pactum haut festinandum, sed videndum, quomodo res in Pomerania succedant. Nam ubi hæc tota devicta fuerit, forte haut difficile fore eam Neomagi tueri, ac Cæsaream investituram obtinere. Armis haut addicentibus pacto parum efficaciæ fore; ac Cæsarem sibi unum, atque alterum commodum hoc pacto stipulaturum. 1677.

§. 5. Nec majus operæ pretium in eam rem Bremæ factum fuit. Ubi Cæsarei legati postulabant, ut fœderati sese obstringerent ad comparandam Cæsari Alsatiam cum Brisaco, ac ut Lotharingus suam ditionem recuperet. Alias Cæsarem de Bremensi provincia nil sibi deposcere, nisi bona in urbe Brema sita, ne futurus provinciæ dominus aliquid juris in eandem urbem prætendere possit: quæ bona tamen Cæsar non sibi retenturus, sed urbi donaturus sit. Ad isthæc Elector promtum se declarabat; ac ubi bellum Pomeranicum absolverit, totis sese viribus Cæsari auxilio iturum. Simul monebat, Luneburgicos, & Monasteriensem arctius partibus illigandum, ne post transactionem super Bremensi provincia aliam consiliorum viam ineant. Danicus quoque Minister ostendebat; in Rege suo moram non fore, si & alii fœderati, ac præcipue Belgæ in id consentire velint. Sed Belgæ, & Luneburgici hæsitabant, ac negotium id Hagam rejiciebant. Cæterum a Monasteriensi nemo legatus veniebat frivolo obtentu, solitum legato suo domicilium, ædes Episcopales, subtractum, & a reliquis semper misceri, quæ ad partitionem non spectent. Luneburgici excusabant, citra Monasteriensem nil sibi statuere integrum esse. Utrique jactabant se per pactum superiore anno initum penitus cum Electore transegisse; quod tamen exasse non impleverant. Nec eo minus acris inter Duces, & Præsulem suspicio gliscebat: unde hic cum Dano, & Electore seorsim pacisci cupiebat, quod vereretur, ne Duces per Gallum totam Bremam in se traherent ipso excluso. Ita ergo negotiatio ista in irritum casura videbatur, Luneburgico non obscure id agente, ut conventus iste re infecta dissolveretur. Cui cum Windischgræcius lubricum agendi modum exprobraret, hic jussu Principum suorum offensam haut dissimulans negabat, talia se deinceps auditurum; ac a Principibus suis se hinc avocandum; addito; qui reip. bene cupiant, eis id agendum esse, ut hic conventus dissolvatur, ubi operæ pretium haut faciendum sit. Sed cum haut decorum videretur re plane infecta discedere, Cæsarei, Hispanus, & Belga suadebant, temporarium pactum ineundum. Cujus formulam ab Amerongio conceptam, sibique transmissam Elector quidem probabat; sed Monasteriensis eandem non sine ludibrio rejiciebat, cui animus erat cum Dano seorsim transigere. Sed & Luneburgici eam formulam adspernabantur, varia causati, & quæ circa eam desiderabant, scripto exhibebant. Inde eorum legatus discedebat, ac mox ad eos, qui Bremæ manserant, scribebat, se haut reversurum, non obscuro indicio, Ducibus domus Luneburgicæ peculiariter inter se convenisse; ex quo parum boni pro communi causa sperabatur. Unde reliqui decreverunt a Ducibus per literas exquirere, quam ob causam ipsorum minister discesserit: ac si iste non revertat, se conventionem udituros, quod post finitam hujus anni expeditionem huc redituri sint; quo honestus sit color discedendi, ac ut Luneburgicis scrupulus injiciatur. Ast Duces Hispano, & Belgis declarabant;

Conventus Bremensis nullo fructu solvitur.

13. Jan.

29. Jan.

4. Mart.

1677. bant; se nil copiarum iis missuros, quoad reliqua subsidiorum soluta sint; utut alias plus quam cæterorum sociorum quispiam accepissent. Addebant, ut a se Neomagum mittendi legatorum primi gradus dignatione habeantur, ac circa Bremensem partitionem sibi satisfiat. Sed & suspicionem injiciebat, quod Duces nil copiarum Dano contra Suecos submittere vellent; præsertim cum Hispanus, & Belga referrent, Neomagi Gallos Suecis proposuisse, ut Suecus Luneburgicis Bremam cedat hisce ad medium statum permovendis, ac Gallo curæ fore, ut ea jactura alibi pensetur. De quo legati Suecici ad Regem retulerint, ac parum difficultatis ab hoc motum
14. Maji. iri crediderint. Post tamen Cæsarei cum Luneburgicis ministris denuo Hoyæ super formula conventionis colloquebantur; in qua hisce displicebat, quod præsens possessio nemini jus dare, aut adimere debeat; & quod omnia Suecorum jura in Bremensem urbem abolenda sint. Dano se satisfacturos missis copiis ad occupandam Rugiam insulam. Cui conditioni Hispanus, ac Belga contradicebat, quod hoc modo Luneburgici impediendi sint, quo minus in Brabantia contra Gallos rem agant. Belgæ quoque desiderabant, quod in ea formula fœderati ad mutua auxilia obstringerentur, quoad omnibus satisfactum foret. Nam isti nil novæ obligatio-
24. Maji. nis ultra priora fœdera contrahere volebant. Ita cum Bremæ nil agendum restaret, Cæsarei conventionem adornabant, qua urbis Bremensis libertati cavebatur; in quam tamen Hispanus, & Belga consentire dubitabant, ni Luneburgici, ac Monasteriensis eam subscriberent. Id quod a Luneburgicis eo minus expectabatur, quo apertius erat, istos totam Bremensem ditionem sibi destinare; & quia multa periculosa circa eam urbem tunc machinabantur. Qui & velut pleni domini Bremæ Capitulum Hamburgense sibi vindicatum ibant. Adversus quam usurpationem Daniæ Rex, & Monasteriensis cum protestationem interponere vellent, Elector id in præsens dissimulandum suadebat; cum utique aliquando ea res per justos tractatus sit componenda, ubi non omnia ex unius libidine constituenda sint. Pacto isto formato *Fuen Major* ablegatus Hispanicus, & Amerongius Belga Brema discedebant. Quorum hic paulo post rescribebat, Ordines Generales libertati urbis Bremensis cavere nolle; quam & Monasteriensis parum
30. Jul. probabat. Redibat post Bremam Amerongius, sed nullo super Brema urbe decreto allato. Unde reliqui non amplius frustra ibi morari statuerunt. Cæsarei formulam pacti a se subscriptam Amerongio Hagam adferendam dabant, quam si Belgæ probent, eandem a cæteris quoque fœderatis subscribendam: sed Belgis detrectantibus suam quoque subscriptionem effectu carituram; quam tamen post Cæsar, Hispanus, Danus, Elector, & Belgæ subscripsere. Antequam Cæsarei Brema digrederentur ad reliquos legatos verba faciebant, queis valde sibi displicere testabantur, quod cum Cæsar rogatus sit ad hunc conventum legatos mittere partitioni absolvendæ, aliqui consiliis privatam tantum utilitatem spectantibus effecerint, ni quid perfici potuerit. Et quia Cæsar tanquam caput Imperii de his di- tionibus nemini quid donaverit, aut cesserit, 1677.
cuilibet competentia jura salva fore. Simul de immediato statu Bremensis urbis testabantur, & ut omnia jura, quæ Sueci in eam prætenderint, usque ad pacem suspensa sint. Super qua propositione Luneburgici post graviter querebantur.

§. 6. Paulo ante, quam Brema discederetur, Windischgræcius indicabat, Hanoverano libidinem esse bonas partes amplecti, quod Gallica subsidia hæreant, ac ipse hospitiis suarum copiarum caveri cupiant. Sed eum ab istis quoque subsidia postulare, ad quæ Hispani Belgæ aures occludebant. Ac sane Cæsar ab ipso oblata sat frigide acceperat. Legatus quoque Cæsareus Trautsonius Madriti Rucquio dicebat: se jussu Cæsaris Hanoveranas copias Hispanis obtulisse; sed eam rem non satis fervide egisse, tum ne aliorum fœderatorum solutioni quid decederet, tum quod perspiciatur, quid tergiversationum, ac prætensionum Domus Brunsvicensis jam moveat. Unde is denuo cum Gallis convenisse dicebatur; cum impensis centum uncialium millibus in partes pertrahi potuisset. Elector tamen ne quid intentatum relinqueret, Ledeburium nulla legati persona Ducem adire jussit, eumque laxioribus verbis velut aliud agendo ad bonas partes amplectendas hortari, additis de amicitia Electoris testationibus. Ad ista si Dux languidius respondeat, ac ipse animadvertat, eundem consiliis hactenus probatis haut decessurum, repetitis amicis verbis protinus discederet. Sed si Dux studium in bonas partes testetur, ipse ostenderet; ab Hispanis, & Belgis nullam subsidiorum spem. Forte Hispanos ubertim promissuros; sed ad ea præstanda facultatem deesse; ac Electorem longo tempore ne teruncium ab iis extundere valuisse. Belgas in pacem inclinare, ac nemini fœderatorum amplius subsidii quid numerare. Igitur Ducem alia ratione rebus suis prospecturum, præcipue impetratis pro exercitu suo hospitiis; circa quæ Elector operam navaturus sit. Hac ad partes accessione a Domo sua partis in Bremensi provincia cauturum, ac quod palmarium esse debeat, de patria egregie meriturum. Ledeburio Dux respondebat; *Postquam a Gallo haut uti par secum fuerit actum, ante aliquot menses serio sibi fuisse decretum partibus fœderatorum accedere, ac copias suas in Hungariam, Pomeraniam, aut quo communis necessitas vocaverit, mittere; modo necessarii ad eam rem sumtus suppeditarentur. Idque se legato Cæsareo Bremæ agenti significasse; qui & satis studii circa eam rem ostenderit. Sed postquam a se oblata Viennæ ita frigide accepta sint, haut alia declaratione data, quam Cæsari pecuniam quam det non esse, ac circa hospitia eodem modo secum atque cum aliis actum iri. Hispanus quoque, & Belgæ spem subsidiorum ademerint: igitur cum nec militem suum exauctorare placeat, nec is ex propria ditione ali queat, consilia sibi mutanda, & quæ alibi alendis suis copiis offerebantur, fuisse arripienda. Dolere sibi, egregio suo studio haut uti par fuisse occursum; cujus rei causa quæ fuerit, suo se loco relinquere. Id cumprimis molestum, de sua mente ita sinistre judicatum, quasi serio a se res acta non fuerit, sed inclinationem in fœderatos simulatam, ut Gallum æmulatione accensum pinguioribus subsidiis emungeret.* Addebatur, ut

Marginalia (right): *Circa Hanoveranum in partes trahendum frustra agitur.* — 2. Jul. Trautson — 10. Jul. — 27. Jul.

1677. ut Elector conventa ipsi hospitia præstaret. Ita Ledeburio re infecta discedendum erat.

Cum Monasteriensi fœdus initur. §. 7. Postquam igitur Luneburgici id agere videbantur, ut Electore & Dano, qui viam ipsis muniverant, exclusis ipsi integram sibi prædam vindicarent, quo fine & Hanoverano arcte se innexuerant; Daniæ Rex consultum ducebat Monasteriensem sibi adjungere. Ac ipse Præsul, cui non minus Ducum consilia suspectabantur, in eum finem fœdus Electori obtulerat, simul testandæ amicitiæ Burchardum Westerholzium ad hunc Vesaliam miserat. *Westerholz.* Ac Elector e Clivica in Marchiam rediens apud Præsulem Sassenbergæ diverterat. *14. April.* Eo loco & fœdus Electorem inter, & Præsulem conclusum fuit, quo conventum super auxiliis invicem ferendis contra Suecos, horumque socios, quoad pax obtenta fuerit. Eo fine Elector quinque millia, Præsul tria millia militum in promtu habiturus, atque exhibiturus erat, numero pro re nata augendo. Ut quæ ad fœdus spectent executioni dentur, ministri utrinque singulis bimestribus Mindæ convenirent. Imprimis mutuam evictionem præstituri erant eorum, quæ Suecis eripuissent, salva Electoris prætensione in Bremensem provinciam: tum & mutuam operam navaturi, ut cuique pro modo copiarum circa hospitia prospiciatur; Neomagi quoque invicem utilitates suas fulturi; ac ne unus absque altero pacem aut inducias concludat. In hoc fœdus alios quoque recipiendos, ac præcipue Daniæ Regem. Quod si quis fœderatorum a communi causa discedat, inter se deliberaturos, quid consilii tunc capiendum sit. *3. Maji.* In idem fœdus Paulo post Daniæ Rex Delmenhorsti iisdem legibus receptus est; qui quatuor militum millia conventis ab Electore, & Præsule numeris additurus erat. Promissum quoque de promovenda ad finem partitione Bremensi, & ut quilibet eorum idonea portione potiatur.

A Luneburgicis auxiliorum quid obtinetur. §. 8. Porro cum summa rerum Electori in hoc verteretur, ut Stetinum in potestatem redigeret, Bodo Gladebecius Cellas mittebatur, ut quatuor militum millia ex fœdere superioris anni exciret ad obsidium isti urbi circumponendum. *23. April.* Dux non hoc solum, sed & plura offerebat subigendæ quamprimum Pomeraniæ, modo reliqui fœderati consentiant, nec ansam inde arripiant subsidia retinendi. Nam Hispanos, & Belgas velle, ut universæ copiæ in Belgium mittantur, cum ipse sufficere judicet solum equitatum eo venire. Unde operam se daturum, ut Electori ad octo millia auxilio venire possit. Hisce quæ offerebantur Elector eo magis quantum daretur utendum censebat, quo tenuior aliunde auxilii spes ostendebatur. Et quanquam complura ipsi in ejus Domus actionibus tunc displicebant; tamen omni ope nitebatur, ut eandem ditionibus suis interjectam, & qua infesta communicatio cum provinciis suis Westphalicis intercludebatur, quovis modo in bonis partibus retineret, ac ita temporibus se accommodaret, ne summa rerum ex intempestiva collisione detrimenti quid caperet. Quia autem Monasteriensis Electori indicium fecerat, e Luneburgicis se ministris intellexisse Duces hac æstate quietem acturos, quo carius operam suam addicerent; is Franciscum Meindersium Cellas mittebat, ut demonstraret, *jam maxime necessarium esse bellum tota vi in Gallos, & Suecos geri; ac circa hos rationes suas ac Luneburgicæ Domus ita invicem innexas, ut unus absque altero stabilem possessionem armis partorum, quin totius status securitatem, aut honestam pacem obtinere nequeat, ni armis acriter ad eundem finem connitantur. Et quia Brema subacta, res Pomeranicæ profligatæ sint, hisce colophonem jam imponendum. Igitur cupere se cum Ducibus super modo auxiliorum, & actionum bellicarum convenire. Suecis in Pomerania adhuc octo militum millia superesse. Stetinum tribus locis oppugnandum; ubi octodecim peditum millibus opus sit. Eam urbem prius subigendam, antequam Rugia, & alia loca invadantur. Nam si laxius obsidium Stetino circumponatur, copias suas valde distractum iri; ac si alibi in Pomerania quid suscipiatur, annonam terrestri itinere subvehendam maxima cum exercitus molestia. Ac ni Stetinense præsidium, probe coërceatur, suis provinciis periculum imminere. Pomerania subacta universas se vires in Gallos ducturum.* Idem quoque cum Ducibus super hospitiis agere jubebatur. Nam uti Duces totam Inferiorem Saxoniam sibi vindicatum ibant: ita Elector ex ea præter proprias ditiones Magdeburgum, Gustroviensem ditionem, districtum Hadelensem, Hamburgum, Northusam, & Mulhusam sibi cupiebat. Tum ut Daniæ quoque Regi aliquid hospitiorum ibidem concedatur, & cum hoc, atque Monasteriensi ita agatur, ut ne probabile prætextum iis præbeatur a bonis partibus sese disjungendi. Sane a Dano maximam molem belli Suecici sustineri; qui & sua classe prohibeat, ne quid copiarum e Suecia in Germaniam trajici queat. Quod si Duces metuere se ferant, ne deinceps glicens Danorum potentia suæ Domui in Albi, ac Visurgi prægravis existat: responderet; *Electoris non minus quam aliorum interesse libertatem commerciorum in istis fluminibus per vectigalia haut premi, nec omissurum obsistere, si quis in horum fraudem quid moliatur. Non tamen esse, quare Danus sinistra suspicione oneretur, antequam talia ab ipso agitari adpareat. Interim utique necessarium esse pro Dani conservatione conniti, ac consilia cum eodem communicari. Si quid offensæ inter hunc, & Duces inciderit, Electorem officia interpositurum. Circa hospitia militaria merito debitum honorem Cæsari deferendum. Sed quia per biennium observatum, quam parum Viennæ aliorum, & cumprimis Electoris ratio habita fuerit, cum contra Cæsareo exercitui lautissime fuerit prospectum, præfectis quoque præbita materia, unde affatim avaritiæ suæ litare possent: igitur consultissimum fore ipsos inter se super hospitiis convenire, ac inde Cæsaris adprobationem super conventis quærere. Bremæ vix adparere, quid agendum amplius sit. Neomagi Electorem Ducum desideriis velificaturum; ut ab hisce pares vires expectaret. Ad ista Duces super quatuor millibus antea promissis promte annuere. Circa ampliorem numerum facturos, prout Elector circa hospitia declaret. Nam a se totam Inferiorem Saxoniam vindicari, exceptis propriis Electoris ditionibus. Cæterum operam navaturos, ut hic in Superiore Saxonia, & Westphalia quibusdam hospitiis potiatur. A quo* 1677.

 sen-

1677. *sententia cum depelli non possent; Electori placebat, ut in antecessum illa IV M repræsentarentur; super augmento, & hospitiis deinceps agi posse.* Querebantur iidem, Neomagi jam super primario negotio tractari cœptum, cum sibi circa characterem a se mittendorum nondum sit satisfactum. Ejus rei culpam penes se hærere, negabat Elector, velut qui jus legatos supremi gradus mittendi Ducibus istis nunquam in dubium revocaverit. Offerebant dehinc Duces, se VI M militum missuros, ut ad Stetinum uno

25. Maij. loco oppugnationem soli suscipere possent. Tum & copiarum quid idoneis Meclenburgiæ locis dispositiuros inhibendis Kœnigsmarckii excursionibus. Sed Inferioris Saxoniæ hospitia sibi utique habenda; tum ab Electore militem Gustroviensi ditione, simul Butzovia deducendum.

7. Jun. Electori etsi grave erat Meclenburgicis hospitiis carere, e quibus Pomeraniæ præsidiis alimenta petebantur; ac Butzoviam insideri, quoad Stetinum expugnatum foret, ratio belli suaderet: tamen ut Ducum opera uti posset, cum nulla aliunde auxilii spes adpareret, contendebat, ut copias suas apud Stetinum ad septem millia augerent. Gloriosum id ipsis, ac ingens in patriam meritum, utramque Saxoniam onere belli liberari, ac amotis turbidis vicinis in tutum reponi. Eo ipso quoque utrique hoc bello parta in tutum collocari, quorum secura, possessio sperari nequeat; quoad Sueci in aliqua Pomeraniæ parte hæreant. Vicissim se omnibus hospitiis in Saxonia Inferiore renuntiaturum, excepto Magdeburgo & Halberstadio. Tum & Butzovia præsidium deducturum ea lege, ut Cellensis militem imponat, nec eum locum in Christiani Ludovici Meclenburgici Ducis manus pervenire patiatur: ejusdem quoque præfectus suis copiis pro re nata faveat, simul receptum, & transitum, ubi opus sit, præstet; quæ omnia hosti negentur. Gustroviensi tamen ditione decedi non posse, quoad Stetinum, & Grypswalda expugnata fuerit, quo exercitus suus ad Stetinum tegatur: eo capto libenter militem inde deducturum. Interim se levandis Ducis sumtibus Luneburgicis legionibus alimenta præbiturum. Contra Cellis ab Hispano legatus erat, qui intercedebat, ne tantum copiarum Electori submitteretur, per quod auxilia Belgio ferenda imminuerentur. Cæterum agnoscebat Cellensis, quam necessarium foret sociatis cum Electore viribus patrando Suecico bello incumbere, nec efficacius remedium mutuæ securitatis excogitari posse; præsertim cum Viennæ & alibi non obscura indicia invidiæ in utriusque incrementa erumpant. Haut eo secius contendebat Cellensis, ab Electore plane Meclenburgica excedendum; tum formulam conventionis exhibebat, durissimis conditionibus circumscriptam, in quas Elector nullo modo consentire poterat. Inter quas erat, *ut Elector præstaret, Bremensem provinciam penes solam Domum Luneburgicam mansuram.* Unde Elector literas ad Cellensem

19. Jun. dabat: *Se semper ipsius promissis confisum. Sed nunc cum in rem Præsentem veniendum, ac Stetini oppugnatio auspicanda sit, formulam conventionis missi, cujus conditiones præstare penes se haut sit, quibus ut desistatur petat. Si hisce mordicus inhæreatur, rem fatis committendam. Sed talia moventibus graves rationes reddendas, quod per hac tantum detrimenti patriæ inferatur.* 1677. Sed uti nova conventio hærebat, tria e prioris anni pacto debitum militem Dux non prius mittere volebat, quam Electoris miles tota Meclenburgica decessisset; nam sibi curæ fore, ne per eam provinciam Stetino adsidentibus noxæ quid inferatur. Sed & caveri sibi postulabat, antequam ratam partem, quam Præsul ad IV M superiore anno conventa conferre debebat, ipse suppleret. Præsulem apud Rhenum tantum militum numerum suo loco exhibuisse; quod parum istius Præsulis verbis confideret. Denique circa hospitia Inferioris Saxoniæ non satis habebat Electorem officia sua conferre; sed postulabat, ut is evictionem eorum in se reciperet, & auxilia præstaret contra quosvis, qui ista impugnaturi essent. Id enim unicum esse redhostimentum pronavata adversus Suecos operа. Simul Rudolfo Endio injungebatur, ut iter versus Pomeraniam ingrederetur, sed non prius, quam Elector postulato circa Meclenburgicam gratificatus esset. In quod ut consentiret Elector necessitas subigebat. Ita Electoralibus Meclenburgica digressis tria Luneburgicorum millia Stetinum accedebant. Mille milites qui pro Monasteriensi præstandi erant, non prius veniebant, quam a Villa Hermosa testimonium allatum foret, a Præsule de eo numero sibi satisfactum, ac eo nomine de subsidiis Hispanicis nil Duci detrahendum.

§. 9. Eo patientius autem istius cauponationis tædia devoranda erant, quod cum superiore anno aliquot millia Cæsareorum Cobio duce Electori suppetias latum venissent, istæ cum jam Crosnam attigissent, invalescentibus in Hungaria rebellibus revocarentur ad rem ibi gerendam. Istis motibus prima initia dederant, quæ a Cæsareis ministris in Hungarorum sacra, & libertatem tentata fuerant; quos postea Galli e Polonia subministratis pecuniis alebant. Hos ut ad obsequium reduceret Cæsar turbidis restitutionem bonorum, & aliquot templa in usum sacrorum suorum promiserat. Sed cum hisce promissis confisi plurimi ad officium redirent, non nisi dimidiam partem, quibus id negotium commissum fuerat, reddere volebant. Qua frustratione usque adeo irritabantur Hungari, ut in desperationem versi ad rebellionem redirent. Maxima ejus mali culpa Collonitschio Episcopo Neostadiensi, & Cameræ Hungaricæ præsidi tribuebatur, viro ob ingenium tetricum omnibus exoso, qui ejusmodi illusionibus ita homines exsternaverat, ut nemo amplius Cæsareis promissis fidem adhibere vellet. Prævalebat quoque præpostera quædam parsimonia, tum exigua impensa tempestive adhiberi negligitur, quæ post multis myriadibus emendari non poterat. Tum & circa restitutionem templorum multæ difficultates movebantur. Quæ agendi scævitas quantum causæ communi, ac Cæsareis rationibus noceret, Crocovius assidue ingerebat. Et Galli queis nulla occasio Austriacis negotium facessendi omittitur, non solum Hungaros largiter sumtis pecuniis

Cæsaris auxilia per rebellionem Hungaricam impediuntur.

Collonitsch.

pecuniis fulciebant; sed & Turcas solicitabant, ut istis turbis se miscerent, quo Cæsari necessum foret totas vires in Hungariam vertere ac Rhenum milite nudatum destituere. Bethunius quoque Regis Poloniæ affinis cum Hungarorum legatis, qui Warsaviæ erant, palam nulla dissimulatione tractabat, queis in conviviis in sanitatem Regis, & Reginæ Hungariæ, quo vocabulo Bethunius, & ipsius uxor notabatur, cyphos evacuare solenne erat. Cum Polonicus exercitus exautoraretur, VI M Polonorum a Bethunio conductorum in Hungariam transibant, Rege ignorantiam simulante. Super quo facto quærentibus nil aliud respondebatur, quam *quare Cæsar non melius vigilasset? Eis Gallorum in Polonia machinationibus ut Cæsarei mature obsisterent, Elector dudum monuerat; sed quibus id parum cordi videbatur, nec pecuniæ quid ad eas vertendas impendere placebat, quasi id negotium magis Electorem, quam Cæsarem tangeret; ac multos e Poloniæ proceribus ultro Bethunii delectos dissipaturos.* Sed mox sera pœnitentia subibat, cum Poloni sub Gallicis ducibus, rebellesque Hungari Cæsareos hinc inde multarent. His compescendis Viennæ nunc sat validi armorum paratus fiebant. Enimvero facillimum fuerat ea mala prævertere, si regimen Hungariæ rite dispositum, ejusque Ordinibus circa sacra, ac libertatem satisfactum fuisset. Nunc ea rebellio non solum ab Hungaris, queis in speciem obsequium manebat, sed & a vicinis Barbaris, ac Domus Austriacæ æmulis alebatur, hydræ instar habitura. Id quod cordatissimus quisque ministrorum Cæsaris agnoscebat. Nec crudelibus suppliciis, queis in complures captivos Cobius sæviebat, efferati animi sedabantur, cum mox in Cæsareos milites, qui in Hungarorum manus inciderant, ea exempla reponerentur.

§. 10. Eas difficultates non parum augebat, quod post tot pollicationes nil pecuniæ per fœdus debitæ ab Hispanis extundi posset. Apud eos ærarium exhaustum, fides consumta erat. Joannem Austriacum optime sentientem vires destituebant. Ita dextre tamen isti inopiam dissimulare, ac insigni gravitate promissis suis pondus addere norant, ut iis, qui ex honestate animi sui alios metiebantur, non prius de fide eorundem dubitare subiret, quam sibi illusum fuisse velut manibus palparent. Quanquam igitur spes non esset Electorem hoc anno copias in Flandriam missurum, nec in longum promissa istis pretio emere mos esset: haut eo minus asseverabant, insignem pecuniæ summam in Belgium trajectam esse in Electoris, ac Daniæ Regis usum. Nam satis se perspicere, magnopere sua interesse, Gallis fulcrum a Suecia subtrahi, quod non nisi Electorem, ac Danum fieri queat. Sed ut pudorem irriti promissi paulum imminuerent, Hieronymus Eguia Secretarius Status Rucquio in hunc sensum scribebat: *Isti a Rege omnis opera detur, & deinceps danda ..., ut fœderatis satisfiat; id tamen ex asse implere, ... desideretur, admodum difficile fore, quod post inclusa fœdera modus Siciliæ super venerint, summosum juxta, ac maturum remedium requirentes. Inde Regi spem esse, Electorem his expensis judicaturum, solam impotentiam in culpa esse, si quid eorum, quod fieri debebat, omittatur: tum eundem a constantia sua haut discessurum, ad quam non solum parta hoc bello gloria, sed & propriæ rationes ab Hispanicis inseparabiles eum adstricturæ sint.* 1677. Scilicet cum jam antea nil præter verba ab Hispanis expectanda essent, jam per tot amissas in Belgio urbes eorum circuli plane turbabantur, ac id tantum spectabatur, quomodo bellum deinceps utcunque propulsarent, quo ad qualemcunque pacis occasionem tempus suggessisset. Ac res Belgii ita desperatæ habebantur, ut ni fœderati proprias ob rationes iis subvenire vellent, aut possent, ex Hispania iis sustinendis remedium non esset. Angliam tempestive Galli progressibus se opponere omisisse: nunc dubium esse, an si maxime velit penes ipsam futurum sit torrentem sistere. Nec parum temporis requiri, antequam, quæ tanta negotio suscipiendo requirantur, adparari queant. Per bellum in Sicilia, & Catalonia mortiferos ictus Hispaniæ inferri. In pluribus locis languide movere, nullibi insigne quid moliri, reflante præsertim adeo pertinaciter fortuna, nil aliud esse, quam summam rerum ubique periculo exponere. Unicam spem superesse, num per fœderatorum successus res mutationem subituræ sint. Nam præsenti rerum facie pacem facere, ut Belgii reliquiæ serventur inane esse, quod hæ non nisi oneri Hispaniæ sint futuræ, & in quas omnes opes incassum profundantur. Quæ haut simulate dici satis constabat, quod præter Hispanorum genium de miseria sua faterentur. Unde Electori eo minus fiduciæ in Hispanis collocari poterat, quod his ab omni tempore non insolitum fuerit, amicissimos, ac fœderatorum optimos propriis utilitatibus immolare. Sed & Joannes Austriacus spem, quam plerique conceperant, per eum collapsas Hispaniæ res instauratum iri, haut implesse judicabatur. Sane plebis, quæ adventum ejus ardentibus votis expetierat, gratia tepebat, quæ per tot annos inolita mala uno momento ab eodem emendari posse crediderat. Proceres fremebant, ab illo familiares, & clientes muneribus publicis admoveri. Quod aliqui ideo fieri interpretabantur, ut cum mala reipubl. non nisi per violenta remedii corrigi posse perspiceret, haberet, queis tuto confideret, si ingratam plurimis medicinam aggredi placeret. Nam ni ea secreta intentio foret, modus regiminis ab ipso adhibitus expectationi non respondebat. Sed & ultro indignabantur Hispani, fœderatos tam acriter pecunias exigere, cum hi proprias per rationes ad bellum persequendum stringantur, ac nemo non per arma sibi aliquid quæsitum eat, sola Hispania jacturam faciente. Quin & magni imputabant auxilia Electori a Cæsare in Pomeraniam missa, cui ab Hispania tantum pecuniæ suppeditatum sit. Cæterum cum adpareret aulæ consilia ob adversam fortunam, ac virium debilitatem vacillare, ac jam in Gallia de pace proponi diceretur, Rucquius Petro Colonnæ Secretario Status demonstrabat, quantum scrupuli per ista fœderatis injiciatur. Cui hic reponebat: talia esse e subtili veneno, quod Gallia per emissarios suos ubique disseminet ad fœderatos mutua diffidentia imbuendos; ac

1677. ac de istis Regi suo nunquam in mentem venisse. Repetebantur infinities promissa; ac Villæ Hermosæ omnem, qua trajecta sit, pecuniam fuisse impendendam educendo in expeditionem exercitui.

Nova ludibriorum Hispanicorum tela. *20. Jun.* §. 11. Sed cum hactenus omnia Hispanorum promissa intra verba constitissent, Elector extremum cuneum adhibendum ratus Rucquium de avocatione sua insinuare jubebat. Id partibus noxium fore Belgicus minister demonstrabat, si Electoris ablegatus re infecta non sine offensa discessisset. Unde excitati Hispani improvisos casus excusare, ac in posterum omnia melius successura. Rex quoque ipse significabat, sibi placere, ut iste maneat, quod strictam amicitiam cum Electore excolere cupiat. Ac Joannes Austriacus impense querenti dicebat; *sibi non voluntatem, sed vires deesse. Satis se perspicere Hispanorum res absque fœderatis conclamatas esse. Vicissim tamen fœderatos, qui rationes suas perspectas habent, agnituros, nec se citra Hispaniam subsistere posse. Igitur conjunctionem omnibus modis servandam, circa quam constantiam, & fidem suam fœderatis summo studio sint adprobaturi. Ac jam quingenta uncialium millia ad Villam Hermosam trajici, cujus insignis portio Electori numeranda sit.* Cautionis in vicem scriptum tradebatur; stricta mandata isti data; ut quantum possit insignem summam Electori solvat. Addebatur magnificum elogium de gloriosis hujus gestis, ac generoso ejusdem animo, & quantopere Hispaniæ intersit Suecos Germania eliminari, ne per eos vires nationis Germanicæ a tergo distrahi queant. Electorem pro æquanimitate sua judicaturum, solutionem per mutationem rerum, & casus inprovisos fuisse impeditam. Deinceps ita se acturos, ut is contentus esse queat. Sane de instaurando ærario agitari constabat, accisis prodigiosis pensionibus, quæ in universam prope Nobilitatem profundebantur, per minorem Regis ætatem, & sub Philippo III, & IV. introductis. Nam cum ex omnibus Regnis Hispanicis octodecim milliones provenirent, non nisi tres cum dimidio ærario inferri dicebantur: reliqua omnia in pensiones istas, & salaria insumebantur, ac alendis multis millibus circa colligendos regios reditus occupatis, queis & alias piceatæ manus erant. Cumprimis immensum grassabantur Gubernatorum expilationes, quæ tamen a multis haut honestius dissipabantur, quam partæ fuerant. Cujus rei specimen poterat esse Dux Medinæ *de las Forres*, qui Neapoli, ubi Prorex fuerat, quinque milliones uncialium corraserat, præter vasa argentea, gemmas, ac pretiosam supellectilem, cui & uxor in dotem duos milliones, CCCC M unciales attulerat. Quæ omnia iste cum quatuor meretricibus dissipaverat, ut rationes demum conturbare necessum haberet. Accedebat immensa labes a moneta cuprea, cujus publice impositus valor ne quartam partem justi pretii æquabat. Ejus monetæ quinque milliones tempore belli Lusitanici fuerant cusi ea lege, ut finito bello proba moneta relueretur. Id quod omissum, ac mox mercatores Angli, & Belgæ ingentem ejusmodi monetæ alibi cusæ vim invexerunt, ac pro aurea & argentea permutarunt, ut nunc in utraque Castilia viginti milliones existere crederentur. 1677. Eo pecuniæ genere omnes Regis reditus exsolvebantur, ac si pecunia in Italiam, Cataloniam, aut Belgium esset trajicienda, immensa in collybis jactura erat facienda. Nec minus super regendis Americanis commerciis movebatur, instituta societate, quæ ab Anglis, Belgis, & Gallis merces præsenti pecunia Gadibus emeret, & suo dein nomine in Americam mitteret.. Cum hactenus exteri isti suas merces sub Hispanicorum mercatorum nomine, quibus modicum quid solvebant, eo trajicerent, ac lucrum inde perciperent, sæpe decuplo sortem superans; sic ut e ditibus istis classibus minima pars ad Regem perveniret. Porro nec circa titulos, quos Elector exigebat, faciliores erant Hispani, qui ostendebant; nemini Electorum tantum se detulisse. Bavarum, & Saxonem *Serenissimi*, & *Consanguinei* vocabulo, non etiam *Fratris* honorari; nec in subscriptione vocabulum affectum exprimens poni. Ac judicare Consilium, Regem longius cum Electore procedere haut posse, nisi ad mutationem in universum suscipiendam se adstringere velit. Unde si omnes pari modo habeantur, si quid prærogativæ iste obtinuerit, iterum obliterari. Etsi post haut eo minus Rex literis ad Electorem datis *Fratris* vocabulum exprimebat. Cæterum inter ista observabatur, apud Hispanos secreta consilia circa pacem moveri, postquam bellum ita improspere succederet. Quo fine & cum de conjugio Regis ageretur, in Ducis Aurelianensis filiam inclinabant, etsi non minus de aliis in speciem proponeretur; quo Gallum permoverent, ut una cum ista virgine honestam ipsis pacem concederet. Nam præter Bavaricam etiam de Neoburgica proponebatur, cui & Cæsarea aula favere dicebatur, quod in Cæsaris filiam, & sororem ob disparem utrinque ætatem Rex parum inclinationis ostenderet. Quanquam & aula Hispanica novissimis cum Domo Cæsarea nuptiis parum lætata fuerat, & Joannes Austriacus memoria præteritorum verebatur, ne nuptiæ Regis cum Cæsarea Principe exitium suum parerent; neu si maxime quod sua intereat negligere vellet, interrupta tam necessaria reformatio a se cœpta totam monarchiam Hispanicam in ruinam traheret. Jam quoque effigiem Neoburgicæ a ministro ejus Principis Madriti agente postulaverant. Sed Princeps Cæsaris sibi sententiam prius exquirendam responderat. Ast mox solutum ab Arausionensi Caroloregii obsidium novam apud Hispanos consternationem excitabat, multis e clandestina cum Anglo collusione id profectum suspicantibus. *30. Aug.* Sane fœderatorum ministris palam Madriti audiendum erat; *subsidia male impendi, ac iis nil profici.* Ac prima trepidatione in Consilio quatuor sententiæ erant. Alii separatam pacem ineundam, eamque recta in Gallia quærendam suadebant. Alii rebus Italiæ efficacius medendum & Belgii curam soli Germaniæ, & Hollandiæ transscribendam, quorum magis intersit idem servari, quam ipsius Hispaniæ. Aliis placebat extremis viribꝰ coñiti, ut proprius, isq; validus exexercitꝰ in campum educatur, quo a tot fœderatis incumpens onꝰ excuti queat. Sed prævaluere

qui

1677. qui proximos tabellarios expectandos suadebant. Ac scribebat mox Arausionensis Joanni Austriaco, Gallis quarta parte majores quam sibi copias fuisse, queis & commoditas loci insigniter faverit. Ac declarabat hic legato Belgico: *prout rationes ab Arausionensi adducta ostendant, eum recte egisse; nec circa actiones bellicas liquido judicari posse, ni quis in re præsenti versetur.* Inter hæc paulatim erumpebat, Gallis & Anglis inter se convenisse, ut Suecia integrum restitueretur ea lege, ut Hispanis erepta quædam in Belgio loca redderentur. Nam Anglus expresse Gallo denuntiaverat, se concedere non posse, ut hic Belgium absorbeat. Igitur Hispanis una cum ipsis apud Electorem, & Luneburgicos operam dandam, quo hi Suecis erepta restituant; si abnuant, vi compellendos. Suecos enim in Germania servari ad librandas Austriacorum vires expedire. Tanto indignius erat ab Electore fructum suarum victoriarum in gratiam Hispanorum immolandum, cum hi pro tot laboribus, ac periculis exhaustis Madriti juxta, ac Bruxellis nil præter ludibria rependerent, ac ministris Hispanicis in Belgio nunquam prætexta deessent, quo minus jussa Regis exsecutioni darent; Unde cum demum mandata ad Villam Hermosam edita ambigui sensus quid haberent, ac Rucquius eorum declarationem a Petro Colonna postularet, ne forte non major horum effectus foret, quam eorum, quæ duodecies repetita hoc anno acceperit; hic non sine importunitate regerebat: *Gubernatorem Belgii non posso arreptis crinibus cogi, ut faciat, quæ facere debet.* Rucquio haut segnius exprobrante; *malignam mercedem ab Hispanis exsolvi iis, quorum virtute, ac periculo res suas instauratum eant.* Sed Joannes Austriacus, cum idem hac de re apud ipsum quereretur, magnam vim blanditiarum reponere, inopiam excusare, inter alia ostendens, *unum millionem ad Belgas trajiciendum tribus millionibus constare moneta in Hispania recepta. Omnia se facturos, quæ intra vires suas sint. Sed destructam machinam reparare, ut protinus usui esse queat, haut humanæ opis esse. Ministris suis Belgicis Madrito haut ita stricta mandata posse dari ob emergentes indies mutationes, quæ tam remotis e locis prævideri nequeant, & quibus medendis tempus elapsurum sit, si Madrito demum consilia sint petenda.* Unde & mera diverticula erant, quod Hispanici in Belgio ministri dicerent; solutionem Madriti urgendam. Nam istis jam satis mandatorum erat; ac notum nimis artificium erat eludendæ solutioni exactores Madrito Bruxellas, Bruxellis Madritum remittere. Denique quia Elector inter querelas istas bellum haut minus strenue persequebatur, Hispani credebant, haut tanta eum necessitate premi, uti ministri ejus differant. Sed & tantum adhuc negotii eidem in Pomerania superesse, ut ei militum quid in Belgium mittere haut vacet. Nam hactenus Hispani illis tantum solverant, qui præsens auxilium ferebant. Spes in longum prominentes pretio emere haut placebat; & quæ de bona fide, grati animi officio, ac fœderum religione occinebantur, surda aure transmittebant. Igitur post expugnatum Stetinum Elector Hispanis offerri jubebat veteranum, & egregium militem futuro anno ad Rhenum, aut in Belgio rem contra Gallos gesturum, si in antecessum ducenta millia ex iis, quæ per triennium restent, ac plenam summam Majo mense solverent. Sed si ulterius inanibus promissis se lactare pergant, Rucquio ut discederet injunctum. Ea propositione non parum aures arrigere videbantur Hispani; qui & ostendebant, *se malle cum Electore sibi rem esse, quam cum Luneburgicis, qui vel modica mora solutionis protinus secessionem minentur.* Quibus & amissas Valentianas, Cameracum, & D. Audomari Fanum tribuebant, quod anxia nimis cauponatione effecissent, ne ipsorum copiæ mature in Belgium pervenire potuerint. Scilicet quod Elector propriis fere sumtibus magnos exercitus ad usum causæ communis aluerat, ac blandis verbis in vicem pecuniæ hactenus adquieverat. Haut eo minus observabatur, Hispanos malle quidem Pomeraniam penes Electorem, quam Suecos esse; ut tamen gratius foret tertium quempiam eadem potiri; nec adhuc eos memoriam æquivalentium Præsulatuum exuisse. Alii adulationem vertebantur: *Electorem considerari ut potentem Principem, qui exercitum propriis sumtibus sustentare possit: reliquos vix ultra privatam sortem censeri, qui nisi alienis pecuniis copias alere nequeant.* Super annua pensione centies mille uncialium anno 1660 promissa pariter opera incassum sumebatur. De eadem Elector anno 1663 Cæsari C M uncialium ad bellum Turcicum transcripserat, quæ & huic ab Hispanis numerata fuerant. Sed nunc aliqui causabantur, eam pensionem tantum promissam, quoad bellum tunc Suecicum duraret. Alii præsentium temporum inopiam excusabant; ac eo liberalius Electori circa subsidia subventum iri. Idem minus cum Blaspielo agebatur, cum is Bruxellas super urgenda subsidiorum solutione excurrisset. Affatim heic verborum, spei, ac pollicitationum, tantum brevem patientiam adhibere ne grave esset; rei non plus quam Madriti. Ac revera miserandus ibi status, & sæpe vel mille unciales corradere arduum erat, nec suppetebat, unde proprius, ac fœderatorum miles aleretur. Unde & sexaginta turmæ equitum exauctorandæ erant, quæ omnes ad Gallorum militiam transibant. Causa tantæ egestatis erat, quod Hispani post amissum Cameracum, & D. Audomari Fanum nil amplius tributorum e Picardia, & tractu Boloniensi acciperent; cum contra Galli contributiones late per Belgium extenderent; Luxenburgio insuper aperta provinciæ longe, lateque evastante. Nec parum ad vastitatem faciebant copiarum hinc inde itiones: reliqua fœderatorum hospitiis absumebantur. Animi quoque populi plane collabebantur, postquam Arausionensis obsidium Caroloregii infecta re solvisset. Denique quicquid erat pecuniæ ad classem in Hollandia instruendam impendebatur, qua Siciliæ subventum ibant. Ita Electori Hispanorum societas nulli levamento, ast maximæ fraudi erat, in eorum gratiam fructu tot laborum gratis prodigendo. Nec eo minus Ronquillius Neomagi disserebat: *Electoris provincias ad Mare Balticum, & versus Galliam ita positas, ut a Suecis juxta, Gallisq; probe sibi cavere debeat; cujus vicissim* 1677.

ratio

1677. *ratio ab iis diligenter habenda sit, quibus cum utrisque negotii quid intercedat. Unde & Electorem ab Hispanis majoris quam ullum alium in Germania Principem æstimari.*

Hostium machinationibus in Polonia obsistitur.

§. 12. Vicissim in Polonia, unde nil petebatur, nisi ut ne noceret, malevoli civium, ac hostium legati Regem in Electorem stimulare non desinebant. Inter alios Bakovius Pomerelliæ Palatinus Regem continuo obtundebat; ne is diutius cunctetur in Borussiam se conferre, ubi insignis emolumentorum seges ostendatur. Populi animos ibi plane ipsi addictos, ac redacto in potestatem Gedano partem imperii in Mare Balticum, ac arbitrium commerciorum parari, simul viam muniri adquirendæ Ducali Borussiæ, antecessoribus suis semper captatæ, sed quibus nunquam tam prona occasio allubuerit. Causæ satis esse, quod Elector contra pacta Brombergensia Lauenburgum & Bytoviam hibernis oneraverit. Quanquam autem Galli, & Sueci multa inania de Regis Poloniæ in Electorem destinatis disseminarent; altius tamen penetrabat, quod, cum quidam Electori studentes ipsi proponerent, salvo jurejurando suo eundem vicinis arma inferre absque consensu Reip. non posse, haut sine indignatione responderit; cur ergo legi Regiæ inservuissent, *ablata recuperabo?* Ac dictum ejus circumferebatur; *constitutiones Regni esse telas aranearum, quæ contra acinaces subsistere nequeant.* Nec minus Hoverbequio semper occinebatur, *congressum delegatorum pactorum confirmationi utique præmittendum*: sed quem hic omni modo declinabat, quod per istum pacta abrumpendi prætextum quæreretur. Galli quoque usque adeo importune distractionem Electori faciendam ingerebant, ut is aliquando sublatis in cœlum manibus exclamaret: utinam idonea mihi armorum causa adversus Electorem suppeteret, nec Ordines huic instituto refragarentur! Sed & cum Ordines Poloniæ exercitum exautorari cuperent, Rex, ac Suecis, Gallisque addicti eum sub signis retinendum contendebant, causati, *de pacis cum Turcis firmitate haut constare, nisi postquam legatus a Porta redierit.*

20. Mart. Circa id tempus contumeliosus in Regem libellus divulgatus erat, Wratislavia Warsoviam transmissus, cujus autor vulgo Hoverbequius habebatur. Sed hic, ne ipsa excusationis festinatio suspicionem accenderet, non nisi post intervallum ejus libelli mentionem apud Regem injiciebat; talia ab animo suo aliena, nec Electorem per hæc sibi inserviri velle. Cui Rex valde humaniter respondebat: *multos fuisse, qui ipsum autorem arguerint, ac se quoque initio id credidisse. Sed perlecto scripto ipsius genium haut recognovisse. Sane longo se tempore ita ipsi perspectum quod hautquidquam gratiosis hominibus, & velut pædagogis obnoxius agat, uti aliis quibusdam Regibus solitum: id quod sibi eo scripto objectum sit. Gallis, & Suecis suam amicitiam ambientibus quomodo a se inhumaniter occurri possit? Aliis pari modo secum agentibus non minus humanitatis reponendum. Cum Electore sinceram amicitiam colere cupere non tam ob egregias copias, quibus is succinctus agat, quam fortitudinem, & experientiam rei militaris toto orbe celebratam, qua alios Principes emineat. Hoverbequii acta sibi probari: sed a Cæsareo Residente Ordines in se irritari. Reginæ viduæ postulato se ex animo favere. Sed haut ita imprudenter adversus se facturum, ut eam pecuniam durantibus comitiis numerari patiatur, quod ea non nisi ad corrumpendos Ordines impendenda sit.* 1677. Idem de Daniæ Rege mentione injecta mirabatur, quod cum is proxima æstate insignes progressus fecisset, pugnæ copiam Sueco facere sustinuerit, cui ut summam rerum aleæ exponeret, præsens suus status imperarit. In isto prælio ad Lundas Lilliehœckius XX M Danorum occubuisse jactaverat, cum uterque exercitus eum numerum non attingeret: ac Regem Sueciæ futura æstate cum XX M in Pomerania rem gesturum, ac insuper X M Gallis auxilio missurum; Hoverbequio reponente cujus folles tali modo mendacia spirent, vel ipsum non satis mente constare, vel alios homines fungorum, & stipitum loco habere. Cum super dimittendo Theologo Strauchio Rex moveret, Hoverbequius respondebat; *eum navem qua vehebatur suam professum. Post literis tuti itineris apud nautam repertis titulum Consiliarii Suecici eidem tributum. Cum jam in custodiam datus esset, libellum supplicem Electori obtulisse, quo eum tyrannidis insimularit, ac Pharaone parem dixerit: quin rythmos adscripsisse, queis divinam Nemesin eidem imprecatus sit. Quæ si non emotionem mentis, saltem fœdam animi intemperiem arguant.* Idem porro Lilliehœckius cum alia fanda infanda in Electorem jecerat, tum inter alia asseverarat; *Carolum Gustavum ab Electore ad arma Poloniæ inferenda stimulatum: nec ita alte in Poloniam penetrare ausurum fuisse, si non fœdus ipsi cum Electore intercesserit. Tum gliscentem Electoris potentiam exaggerare, cui compescendæ Polonia deinceps suffectura non sit, ni nunc eadem distrahatur.* Idem porro, aliique malevoli metuebant, ne Tartari, qui a Czare nil aliud quam residua annuæ pensionis desiderabant, ab hoc data pecunia delinirentur; quo facto Suecos armorum Moscicorum suspicio per Livoniam sollicitos tenebat. Unde placebat Poloni officium conciliandis Suecis, atque Moscis offerre, quo firma inter hos pace constituta omnes Suecorum copiæ ad limitem Moscicum dispositæ contra Electorem, aut Danum duci possent. Inprimis autem laborabatur, ut abruptis comitiis confœderatio exercitus fieret, quæ Ducali Borussiæ immitteretur. Quibus machinationibus eludendis Ordines instabant, ut exercitus solutis stipendiis dimitteretur, & ne Gallorum & Suecorum instinctu vicinis arma inferrentur. Quibus contra largitiones Gallicas, & odium aulæ confirmandis argento opus erat; cujus parum Cæsareo ministro, Danico nihil erat. Nam & Lithuaniæ Archistrategus Michaël Pacius ostenderat, se Suecis transitum e Livonia in Borussiam prohibiturum, si XX M uncialium dentur. Equidem Rex paucos ante dies in sacello arcis votum nuncupasse dicebatur de armis in Christianos Principes non arripiendis. Cæterum se Numinis gratiam continuis precibus exoraturum, ut sibi post communem inter Christianos pacem constitutam detur Turcarum potentiam frangere, ac suo Regno vicinisque securitatem parare. Quæ tamen omnia Electori curam haut exi-

1677. eximebant, quod sine intermissione Regis aures ejusmodi dictis obtunderentur; *tanta eum commoda a Gallo percepisse, ut salva existimatione defugere non possit, quo minus grati quid eidem reponat.* Sed & Lilliehoeckius aliam viam struebat Polonis cum Electore collidendis, dum illos in Curlandiæ Ducem irritare nititur, jactans, sat causæ esse, ut Poloni naves isti, ac machinas, quibus abundet, eripiant, quæ Suecis in Livonia magno esse usui queant. Ac ei Duci tantum molestiæ esse inferendum, ut Elector ad ejus causam suscipiendam permoveatur, Polonisque ansa inutrumque armis erumpendi præbeatur. Idem quoque urbem Rigam Polonis obtulerat, si aperte bellum Electori indicere velint; etsi de territorio nihil addiderat, citra quod portus iste obtineri nequeat. Sed Lithuani contendebant, quiete sibi opus esse armis sub finem induciarium contra Moscum parandis.

[S]uper renovatione [pa]ctorum [a]cta. [.] Mart.

§. 13. Inter hæc Hoverbequius durantibus comitiis super renovandis pactis movere omiserat, ne Ordines ansam inde arriperent ei se negotio miscendi; id quod & dudum a malevolis captatum fuerat. Unde demum Rex ultro per Procancellarium Ordinibus causas omissæ pactorum renovationis cum Cæsare, ac Electore exponebat. Cæsarei pacti exemplaria discrepare. Cum Electore pacta confirmari non posse, quoad iste iisdem satisfecerit. Quo fine quicquid erat querimoniarum, & prætensionum recensebatur. Ea propositione facta multi Ordinum malignis affectibus fræna laxabant: plerique tamen concludebant, haut eo minus post compositas controversias pacta renovanda, & amicitiam colendam. Multi procerum a Rege, ejusque consiliariis magnopere erratum arguebant, quod quæ hactenus semper inficiati fuerant, & usque ad extremum alta dissimulatione premenda ita in apricum protulissent. Sed qui Regem in actionibus suis valde circumspectum, & cunctatorem potius quam præproperum observarant, interpretabantur, Regem hoc ipso legatis Gallicis declarare voluisse; se extrema ope connixum, ut gratum animum ob exhibita tanta a Gallo amicitiæ specimina testaretur: sed ob reluctantes Ordines nil proficere potuisse. Interim & Hoverbequius oblique stimulabatur, ut circa renovationem pactorum apud Ordines instaret, eoque ansam præberet, ut iis inter comitia per hos contradiceretur; ad quam contradictionem aula semper provocare posset. Unde invidiose disserebatur; ab ipso Rempublicam sperni, ac Electoris negotia negligi, eundemque sibi ipsi obstare, quod tempus negotium conficiendi incassum elabi patiatur. Enimvero rumores ante salutem ponendi non erant. Nam si in comitiis coronationis SCtum declinatum fuerat; quare nunc ea res unanimi Ordinum consensui subjiceretur, qui & in æquissimis, ac ipsius Reip. salutem spectantibus negotiis ægre obtineri possit? Argui se, quod renovationem pactorum apud Regem non *petierit*. Atqui non opus esse, ut *petat* actum, qui non in Regis arbitrio positus sit, sed ad quem hic per pacta teneatur: ac sæpius se significasse, procuratorium sibi in eam rem esse. Ne tamen Remp. contemsisse argui posset, ea de renovatione per Cracoviensem Præsulem, Electori ex animo studentem, moveri curabat. Quia etiam Majores Poloni nullo modo consentire volebant Electori arma inferri, ab aula cum iis agebatur, ut saltem ne contradicerent, si hac rerum facie huic terror incutiatur, quod de prætensionibus, quas in Rempublicam moveat, aliquid decerpi queat. Sed prudentiores istas simulationes adspernabantur causari; exercitum in finibus dispositum non intra eam modestiam coërceri posse, quin ansam serio abrumpendæ pacis præbiturus sit. Ac Suecos quoque dici terrore incusso Electorem ad medium statum amplectendum permovere voluisse, sed crassa ea simulatione in exitiabile sibi bellum præcipitasse. Borussi quoque Regii in Electorem haut proni formulam constitutionis conceperant, qua renovatio pactorum demum post absolutum delegatorum congressum super mutuis prætensionibus decernebatur. Cui eludendæ Hoverbequius aliquot Proceres, ac Nuntios Terrestres permovebat, ut contradicerent; simul uni & alteri insinuabat; *Electori deinceps haut curæ fore id genus constitutiones impedire, aut earum, ubi factæ fuerint, rationem habere; quod non magis Electori in Consilio suo sanctiore pacta interpretari liceat, quam Reip. in comitiis, præsertim cum is in se nil desiderari passus sit.* Demum vergentibus ad finem comitiis, cum multi subinde monerent, *ne pertinaci silentio Regem, aut Remp. spernere videretur,* Hoverbequius per Aulæ Mareschallum a Regina requirebat, apud Regem sciscitaretur, *num Danielem Tettavium, ad obeundam renovandorum pactorum cerimoniam una cum ipso designatum huc evocare debeat?* Cum itaque comitia alterum post diem soluta essent, Rex Hoverbequio denuntiabat, *ut propere collegam suum huc arcesseret, quod sibi decretum sit antequam Gedanum discedat, quod intra decem dies futurum sit, renovationis actum perficere.* Quin paulo post significabat, *sese iter aliquot per dies dilaturum, quo Tettavio veniendi spatium sit.* Et quanquam isto dies aliquot sperato longius tardante Sueci, Gallique instarent, ut iste actus differretur: Rex tamen declarationi semel factæ immotus inhærebat. Scilicet quia is Ordinum sententiis, ac sermonibus animadverterat, ipsis maxime cordi esse amicitiam cum vicinis servari, ad quod & ipse solenni se jurejurando obstrinxerat. Unde metuendum eidem erat, ne si in conventibus districtuum postcomitialibus innotesceret, renovationem pactorum non factam, contributiones, uti post coronationem, vado adhærerent. 1677. *10. April.* *27. April.* *7. Maji.*

Renovatio pactorum peragitur. 17. Maji. Kruschk.

§. 14. Ita demum cerimonia multas per artes extracta auspicato peragebatur. Hora sexta matutina Electorales legati Hoverbequius, & Tettavius a summo rei tormentariæ præfecto Kruscio in aulam adducti, a Magno Coronæ Mareschallo Lubomirscio ad januam conclavis Regii excipiebantur. Cum etiam antea Rex Michaël Hoverbequio verba faciente, tecto capite maneret, Senatoribus circum assidentibus, nunc Joannes Rex toto tempore nudato capite sedebat, Senatoribus toto actu stantibus. Episcopus Warmiensis velut Procancellarius suo responso nihil proferebat, quod Electori

1671. lectori fraudi esse posset. Regii delegati, Castellanus Posnaniensis Grzymoltowski e Senatu, & Thesaurarius Curiæ Regiæ Szumowski ex Ordine Equestri priore loco jurabant, quos Electorales insequebantur. Post cum hora decima eodem die renovatio feudi Lauenburgici & Bytoviensis suscipienda esset, Tettavius discedebat, ne forte Poloni post exigerent, ad eam utique duos delegatos esse adhibendos. Instrumentum super renovatione pactorum confectum mutatis mutandis verbotenus congruebat cum eo, quod anno 1642. confectum erat, nisi quod nunc declarationes adderentur, eam renovationem utriusque prætensionibus præjudicio non fore. Quæ declaratio Electori utilis erat, quod qui in pactis modus componendis controversiis exprimitur, per eam confirmaretur. Eo actu perfecto Elector per omnia Borussiæ templa grates Deo persolvi jubebat, velut fundamento amicitiæ inter ipsum, & Poloniam jam constituto. Galli falso crediderunt, ab Electore Regi VII M aureorum eo nomine donata fuisse, ægre ferentes, hisce plus efficaciæ fuisse, quam CCM uncialium a se oblatis, si eum actum differre vellet. Instrumento renovationis pactorum dies 17 Maji, sed Instrumento renovati feudi dies 18. ejusdem mensis adscriptus erat; ut ex eo perspiceretur, Electorem non prius ad recognoscenda feuda teneri, quam Rex Brombergentia pacta, e quibus illa promanarint, jurejurando firmarit. Cæterum Instrumento renovatorum pactorum titulo Episcopi Warmiensis etiam additum fuerat vocabulum *Sambiensis* seu *Samlandiæ*. Cui Hoverbequius contradicebat, multis documentis ostendens, Warmiensem nullo jure eum sibi titulum arrogare; ac cum anno 1660 Warmiensis Episcopus inter tractatus Olivenses idem vocabulum suo titulo adjecisset, se instante ipsum isthoc scalpello eradere necessum habuisse. Unde & nunc id vocabuli ex hoc Instrumento delebatur.

Mosci in Suecos concitari non possunt. *Hesse.* *16. Maji.*

§. 15. Ita ergo a Polonia nihil obstare videbatur, quo minus Stetino obsidium circumponi posset. Sed num Suecos per Moscum distrahere daretur denuo tentandum judicans Elector Hermannum Dietericum Hessium Moscoviam mittebat, quem Mosci superiore anno inde discedere jusserant eo prætexto, quod non necessum sit ministrum ibi perpetuo agere, veredariis publicis probe ibi dispositis, per quos literæ hinc inde perferri possint. Unde Elector ansam arripiebat fiduciariis literis hanc missionis causam adducendi, quod negotia per literas hac præsertim rerum facie ita commode expediri nequeant. Is post solennia formularum jubebatur demonstrare, *quantopere expediat, amicitiam inter Electorem, & Czarem hac tempestate probe coli. Equidem Suecis esse hostem non unum; sed qui tamen acriter terra, marique arma parent, magna vi pecuniæ a Gallo fulti. Igitur non posse Electorem, quin Czarem moneat, ut a Suecis sibi caveat. Nam si is hanc occasionem erepta quondam recuperandi amittat; nil certius esse, quam Suecos præsenti bello explicitos arma Moscis illaturos. Quin & nunc non voluntatem, sed vires deesse, quod Electoris, & fœderatorum armis distineantur. Ab his atque Gallis alios Principes in Moscos incitari, quo ipsis a bello implicitis integrum. Satius sit copias in Livonia hærentes alibi adhibere; quibus consiliis hucusque Cæsar, & Elector acriter restiterint.* Quod si Mosci in bellum propelli nequeant, postularet, *ut arma cominus ostentent; aut saltem, ne tractatum cum istis ineant.* Idem quoque demonstrare jubebatur, *Anglicum ministrum Hebdonum instinctu Suecorum falso spargere de classe Anglica Mari Baltico immittenda. Quod eo impudentius fingatur, cum Angliæ Rex sequestris munus gerat, magno studio affectatum; cui & alias integrum non sit citra consensum Parlamenti bellum suscipere.* Moscoviæ morari jubebatur, quamdiu liceret. Interrogatus quare munera non adferret, diceret; *hanc missionem ab Electore continuationem prioris haberi.* Iste Moscoviam delatus sat frigide accipiebatur. *Czari jam antea de Electoris amicitia sat cautum, nec opus esse eo nomine peculiarem legationem huc mitti. Bellum adversus Suecos suo tempore ubi opus sit persequendum. Interim heic ageret, quoad responsum ad allatas literas acceperit, quod brevi expediendum sit.* Satis adparebat, nullum operæ pretium apud Moscos futurum, quod Czarem animo, & juventa debilem morbus insuper affligeret, cui curando medicos adhibere nolebat. Quin post expulsas pharmacopæos, & chirurgos, queis hactenus usus fuerat, vetula demum Polonica adsciscebatur, quæ & parentem ipsius neci dederat, quæ in specimen artis suæ pronuntiabat; per sagarum incantationes morbum provenisse. Sed & cum Turcis dissidia intercedebant, quorum eventus expectabatur. Equidem aliquando non modice Suecis minabantur: sed vicissim omnes exterorum ministros aula sua amoliri constituebant, ne istis suspicionem injicerent. Et ipsi Sueci, ut hunc, & missum a Daniæ Rege Fridericum Gabelium Moscis invisos redderent, sparserant; *ab his emtos, qui Rigam urbem incenderent.* De quo facinore iis nunquam in mentem venerat, nec ad tale quid machinandum facultas fuerat. Hebdonus cum a Gabelio interrogaretur, quare catalogum classis Anglicæ Moscis exhibuisset, quam in sui favorem armatam Sueci gloriabantur, excusabat, *se non nisi numerum expressisse, haut addito, cui usui eadem adhibenda sint.* De eo Hebdoni facto cum Elector per Suerinum in aula Anglica, quereretur, Rex responderat; *non modo isti haut injunctum talia spargere, sed & eo nomine acriter increpandum.* Porro is Gabelius omnem lapidem moverat ad Moscos Suecis immittendos; sed cui plerique proceres sese opponebant; queis ad extremum is color dicebatur: *haut decorum sibi Suecos invadere a tot hostibus undique pressos, qui sibi solis istorum devictorum gloriam vindicaturi sint.* Ac juniores aliquot Bojaros sat pronos in bellum seniores cohibeant, & fama Czecherini tunc a Turcis occupati. Gabelius quoque aliquot Bojaris spem pecuniæ fecerat, sed quæ pollicita in Dania haut agnoscebantur. Demum cum is Moscos multis libellis traditis fatigasset, ei denuntiabant: Regis Daniæ sententiam se probe percepisse, nec opus esse ut is plura scripta exhibeat, quæ nec acceptare ab eo deinceps volebant. Nec multo

Hebdon.

8. Aug.

1677. multo post Hesso, quicquid contra niteretur, discedendum erat, quæ necessitas & aliis ministris, ipsique Sueco imponebatur. Valedicenti a Cancellario dicebatur: Etsi Czari æterna cum Suecis pax sit, tamen cum hi eam multis modis violarint, istum eadem non ulterius posse stringi, ni a Suecis ipsi satisfiat. Eo fine validum exercitum ad fines Livoniæ haberi. Literarum, quæ ad Electorem perferendæ dabantur, non aliud argumentum erat, quam si quid negotii eidem Moscoviæ sit, id per literas expediri posse.

De prohibenda in Pomeraniam navigatione. §. 16. Cæterum munita Pomeraniæ loca obsessuro Electori ea præcipue cura erat ne per Anglos Suecis ibi necessaria subveherentur, quo ipso labor circa eadem expugnanda non parum extrahendus erat. Sed Anglici mercatores contra apud Regem exhibito libello questi erant; metum sibi esse, ne sua commercia in Mari Baltico per Electoris excursores maritimos impediantur. Unde Rex Suerino significabat; se non sperare nationis suæ commerciis noxam illatum iri. *2. Jun.* Ad quæ Elector declarabat: *Sibi naves armatas instruenti hautquidquam in animo fuisse innoxia Anglorum commercia turbare, quæ florere sua quoque intersit: ac Regis, Anglicæque nationis amicitiam longe majoris a se fieri, quam ut hoc modo ejus jacturam facere velit. Sed Pomeraniæ loca maritima inclusuro navibus opus fuisse, quæ nemini pacato nocuerint. Equidem superiore anno navem unam Anglicam, & alteram Scoticam detentam, quod hostiles, & partim bello vetitas merces ab uno hostium loco ad alterum transferre ausæ sint, quarum detentio jure gentium licita sit. Se tamen intuitu Regis Angliæ priorem navem dimisisse, soluta vecturæ mercede, non nisi hostium mercibus in ea publicatis. De Scotica adhuc judicum sententiam expectari. Cæterum omnia ad formam juris agi, sic ut non sit, quare isti homines tantos clamores tollant; præsertim cum constet, a se multas centurias Anglicarum navium liberas in Sueciam, & Livoniam dimitti. Ac confidere Regem pro æquanimitate sua haut sinistre accepturum, si ipse communi gentium jure utatur, interceptis hominibus a belli licentia haut exemtis, ac mercibus bello vetitis, simul intercluso aditu ad portus hostiles a se eminus terra marique obsessos. Nec grave fore Anglis ad modicum duntaxat tempus navigatione Stralsundam, & Grypswaldam supersedere, quas brevi in potestatem suam perventuras spes sit. Ad alia hostilia loca navigantibus nil impedimenti allatum iri. Nec alio jure adversus fœderatos suos Danos, ac Belgas uti.* Qua declaratione Rex adquiescebat.

Danorum gesta Electorem non parum sublevant. §. 17. Solius Daniæ Regis eo anno contra Suecos gesta Electoris destinata adversus Stetinum non parum sublevabant, interclusa facultate, ne mari eidem urbi succurri posset. Etsi iste Rex uti hoc anno fortunam mari experiebatur faventissimam; ita quæ terra tentabantur minus prospere succedebant. Ac primo quidem Siæbladius cum novem navibus bellicis, ac duodecim aliis minoris formæ Gothoburgo in Mare Balticum penetrare instituerat, cum majore se classe juncturus. *25. Majl.* Is cum Majorem Baltem transire vellet, reflante vento aliquot per dies ad anchoras stabat. Quo intellecto Nicolaus Julus cum quatuordecim navibus Hafnia ad eum intercipiendum excurrit. *1. Jun.* Suecus cum secundum nactus ventum levatis anchoris evasurum se speraret, inter Lalandiam & Rostochium in Danicam classem incidit, quicum in noctem usque conserta pugna favore venti per tenebras evadere conabatur. Sed cum verso in contrarium vento progredi haut licuisset, mane instaurata pugna cum omnibus suis navibus in Danorum potestatem pervenit. Circa idem tempus splendidioris adhuc adoreæ occasio Danis terra allubescebat, si eandem citra hæsitationem occupassent. Rex Sueciæ instinctu Rutgeri Ascheenbergii, ut Danis insultaret, prope Landscronam accesserat, ordinibus in editioribus camporum explicatis. Eum invadere Daniæ Rex, qui cum exercitu ante istud oppidum metabatur, destinaverat, suadente cumprimis Goltzio. Sed cui acriter contradicebant Arensdorfius, Hahnius, Bibovius, & alii, uti creditur, quod Goltzio, qui recens militiæ Danicæ accesserat, eam gloriam inviderent. Unde Dani cum jam in Suecos movere cœpissent, medio campo constiterunt; cum strenue progressis certa victoria in manibus esse, duplo numero Suecos excedentibus. Sed nocte ingruente magna cum diligentia in tutum se Sueci subduxerunt, Danis incassum eos assequi conantibus. Ita digressis Suecis Malmogiæ obsidium circumposuere Dani; sed ubi assultus præpropere susceptus fuit, integris adhuc munitionibus, nec paratis pontibus ad transeundam fossam. Nec in promtu erant fabri, & qui mala punica jaciunt, quorum in ejusmodi oppugnationibus maximus est usus. Unde hostis integro adhuc machinarum usu ita acriter in subeuntes detonuit, ut mille quingenti occumberent, cæsi, aut in fossa aquis suffocati, quæ opinione profundior reperta fuit: bis mille sauciati. Magnus numerus egregiorum ductorum ibi cecidit. Imminuto tantopere peditatu, ac propius moventibus Suecis obsidium solvendum erat magna cum gloria Fabiani Ferseni, qui oppidum id tutatus erat. *Fersen.* Ast mox ingens victoria mari Danis parta fuit. *23. Jun.* Nam magna Suecorum classis in apertum mare progressa anchoras sub Bornholmia insula jecerat, Danica classe in sinu Coagensi hærente. Deliberabatur Hafniæ, num Cornelius Trompius cum Belgicis navibus expectandus, an vero prælium sola cum Danica classe suscipiendum esset? Istæ naves Belgicæ diutius sperato emanserant, & aliqui cœcas fraudes suspicabantur, quasi eædem studio moras nexuissent, quo Suecis ad Stetino succurrendum spatium foret. Et jam antea Daniæ Rex Electorem monuerat, Belgis eam sententiam sedere, Suecos utique in Germania retinendos, in quam sententiam & Arausionensis ab aula Anglica sit adductus. Unde Electori operam dandam, ut colloquio cum isto Principe in diversa eundem flecteret. Sed & interceptis legati Suecici Olivecrantzii in Dania literis eadem de Belgarum destinatis insinuabantur. Quæ literæ cum Fagelio ostenderentur, hic magnopere excandescebat; ac cum Olivecrantzio acriter expostulatum iri talia comminisci auso; multa testatus, Remp. nunquam honori, ac fidei adversum quid in fœderatos admissurum. Ac si bonam fidem insuper habere placuisset, Hispanicas provincias cum Gallis partiendi occasionem

1677. nem esse, his in eas conditiones ipsos ultro invitantibus. Tum & alias rationes adducebat, quare naves maturius vela facere haut potuerint. Cæterum re in consilio Danico hinc inde expensa placuit, Belgicas naves haut expectandas, cum longiore earum mora classi Danicæ ad oram Hafniensem foret recedendum, Suecis interim Pomeraniæ prospecturis: sed Nicolao Julo cum sola Danica classe prælium tentandum. Eam quippe triginta & una egregiis navibus constare, quam probe exercitati nautæ insideant, magnam partem Norwegi, gente acri, & imperterrita; quibus accedat optimæ notæ pedes jam superiore anno maritimam pugnam expertus. Esse denique classi quatuor præclaros duces, ac singulis navibus selectos navarchos. Contra Sueciæ classi imperitare Henricum Hornium, militiæ navalis plane rudem, & non nisi vapulando celebrem; nec ullum ducem alicujus momenti, excepto Joanne Clerico. Porro qui *Clerc.* insideant socios navales juxta, & milites magnam partem inexercitatos agrestes esse, vi in classem conjectos. Sic igitur ante adventum *1. Jul.* Belgarum Danica classis Suecicam summo vigore invasit, ac in eam mediam penetravit, ut undecim Suecicæ naves a reliqua classe divellerentur; & postquam acerrime a summo mane ad horam usque decimam antemeridianam pugnatum esset, Hornius cum reliquis pupim Danis obvertebat, & quantum posset ad portus Sueciæ refugiebat. Eo prælio tredecim Suecicæ naves magnæ cum aliquot minoris formæ captæ, aut depressæ, aut ad litus impactæ. Pari successu si in terra pugnatum foret, Sueciæ res conclamatæ videbantur. Nam jacturam ad Malmogiam auxiliares Cæsareæ, & Hassicæ legiones suppleverant. Ac jam decretum erat, ut Julus exscensionem in Sueciam tentaret, Belgicis navibus, quæ paucis post navalem pugnam diebus advenerant, Mare Balticum percurrentibus, quibus Dani haut satis fidebant. Tum & Rugiam insulam invadere animus erat, cui ante prælium Sueci mille ducentos pedites immiserant: id quod per tarditatem Belgarum effectum erat. Nam si hi sat mature venissent, animus erat ante fauces portus Dalerœensis Suecos prodeuntes expectare; cum nunc Danis Hafniam versus recedendum esset, ne a Belgicis navibus discluderentur. Ac censebat Daniæ Rex, ab Electore Stetinum obsidio eminus includendum, & Grypswaldam expugnandam. Nam cum intra vertentem annum e Suecia nil auxilii venire possit, quod Danica classis mari potiatur, Stetinum juxta, & Stralsundam ultro ruituras. Ac ingens damnum fore exercitum flore virorum, constantem obsidio validæ urbis atterere, quem magis firmari expediat, ambiguis Luneburgicorum consiliis, ne ab hisce leges admittere necessum sit. Enimvero uti circa obsidium Stetini Electori aliter videbatur; ita Dano prælium terrestre haut ex vo- *17. Jul.* to succedebat. Suecus enim in Danos, utut commoditate loci prævalentes, ultro movebat; cui obviam progressi Dani sinistrum Suecorum cornu in fugam vertebant. Sed in sinistro Danorum cornu non solum equites segniter rem gerebant, sed & septem phalanges peditum ne tubis quidem displosis pedem referebant abjectis armis. Unde Dano copiæ suæ sub machinas vicinæ 1677. Landscronæ subducendæ erant, Suecoque campus cum viginti tribus machinis relinquendus, quo aurigæ solutis equis aufugissent. Eo prælio Danus duo peditum millia, equitum intra quadringentos desiderabat. Cæsareus, & Monasteriensis miles fortiter pugnaverat. Sed Danicæ legiones, fere agrestibus recens conscriptis constantes, pleno gradu in fugam effundebantur, quamprimum machinarum strepitum audirent. Eam tamen cladem pensabat paulo post capta a Gyldenlewio Marstrandia, & profligatæ Suecorum ad Uddewallam in Bahusiensi districtu copiæ. Tum exscensio in Oelandiam, & Smalandiam facta, ubi Westerwycum oppidum in cineres redactum. Demum & Rugia insula occu- *17. Sept.* pata, excepto castello ad veterem trajectum. Ei insulæ tuendæ adversus Kœningsmarckium, cum experto duce opus esset, Elector de suis aliquem concessurus erat, quod Cajus Rumorius *Rumor.* summus vigiliarum præfectus, cui imperium in copias ibi commissum erat, ei negotio impar haberetur. Et consentiebat in id Rex, ni Hahnius id impediisset, quod Rumorio ignominiæ futurum esset, alium eidem præferri; cujus tamen imperitiæ clades sequenti anno in ea insula accepta tribuebatur.

§. 18. Cum itaque e Polonia parum periculi *Obsidium* immineret, ac Suecica classis mari expulsa foret, *Stetini.* Elector magno animo obsidium Stetini susceperat; ad quod toto tempore, quæ terrendis, ac debilitandis obsessis faciunt, singulari cura paraverat, eminente circa talia Ernesti Weileri rei ma- *Weiler.* chinariæ præfecti dexteritate. Ista omnia excitandis incendiis apta cum machinis, & mortariis per novam fossam e Sprea flumine in Oderam, inde prono fluvio Stetinum versus devehuntur. Exercitus, & quicquid præsidiis detrahi poterat, terrestri itinere eodem tendit, quibus quatuor millia Luneburgicorum accedebant, cum a Cæsare nil copiarum ob turbas Hungaricas, & auxilia in Daniam mittenda accedere posset. Armata navigia in lacu dulci præsto erant, ne quid flumine in urbem penetrare posset. Antequam exercitus eidem circumfunderetur, Elector literas ad Stetinenses dederat, quibus demonstrabat; *uti Sueci moto hocce bello juribus ex Instrumento Pacis in Citeriorem Pomeraniam, ipsumque adeo Stetinum quæsitis exciderint; ac uti eam ob causam Cæsar, & Imperium istos hostes judicarit, ac quicquid provinciarum, & urbium ab iisdem hactenus in Germania possessum fuerit, obligatione erga Sueciæ Regnum exsolverit; quibus decretis exsequendis ipse nunc exercitum cominus admoveat. Unde si hoc rerum statu oppidani pro tuendis Suecis arma arripiant, id non constantiæ, & fidei loco habitum iri; sed ipsos ob spreta Cæsaris, & Imperii jussa pœnas daturos: cum hactenus Pomerania fiduciario duntaxat jure a Suecis possessa fuerit, salva semper in eam suprema Cæsaris, ac Imperii potestate. Unde saluti suæ in tempore consulerent, ac se suosque innocentes liberos, ac posteros in exitium stolidam per contumaciam ne præcipitarent. Quod si itaque Cæsari, ac Imperio morem gerere, & oblatam gratiam amplecti, omissisque armis ultro deditionem facere velint, verbo ac fide Electoris se promittere, jura, ac privilegia rite parta, ac possessa cum sacris, quæ hactenus* professi

1677. *professi sint, sarta tecta ipsis præstanta, navigationi, ac commerciis eorum protinus libertatem reddendam, prædia, quæ cives per provinciam possideant, dominis statim restituenda: tum & urbem utilissimis privilegiis a se ornandam. Nec minus gubernatorem, ac præsidium honestis conditionibus dimittendum. Ast ubi præter spem oblatam gratiam repudient, ac arma pro hostibus Imperii arripiant, aut præsidium quovis modo sublevent, invito quantumvis singulariter dilectam urbem, velut in qua puerilibus annis aliquandiu educatus fuerit, hostili modo habendam, expromtis omnibus, quæ ad frangendam ipsorum pervicaciam faciant. Et cum suo jure utatur, nullam penes se culpam hæsuram omnium malorum, quæ violentam oppugnationem comitari solent. Decretumvero sibi haut prius inde discedere, quam urbem, qua Suecos expelli Germania, suaque tantopere intersit, expugnaverit, nulla laboris, aut expensarum parsimonia.* Sed cum ad hæc nil responsi daretur, ac protinus in legiones eminus urbi circumfusas machinæ ex urbe disploderentur, Elector ad vim conversus primo ad ripam fluminis castellum excitari, ruptosque ab hoste aggeres reparari jubet: tum validum pontem brachio fluminis, quo urbs alluitur, injicit, castellis utrinque munitum. Ponte perfecto Bogislaus Suerinus eum transire jubetur ad occupandum aggerem inter propugnaculum ligneum & castellum a vectigali dictum. Ad eum aggerem ultra milliaris Germanici spatium per profundam uliginem, & frutecta, qua nemo unquam mortalium viam fecerat, penetrandum, ac qua natura negaverat, iter opere sternendum erat. Superata palude in aggere munitiones inter continuas hostium displosiones excitantur. Sed quia agger inter duas istas munitiones per quadrantem milliaris porrectus, admodum angustus erat, nec sat humi esset, quæ eum militum numerum caperet, illi tantum qui opus faciebant, & qui hos protegabant, in aggere consistebant; reliqui vicina in uligine fasciculis innixi hærebant. Cum itaque hostis animadverteret, nostros modico numero in aggere consistere, quadringenti duce Nothio tribuno sumo mane ex istis munitionibus progressi, per arbusta silentio adrepentes, primam nostram stationem repulerunt, ablata exigua machina, quæ versus recens excitatam a nostris loricam pertrahebatur. Sed cum ex ea lorica acerrime resisteretur, simul nostri ex uligine ingruerent. Sueci desideratis quadraginta cæsis, ac sauciis, quinque captivis pedem retulerunt. Nostrorum tunc octo occisi, viginti vulnerati. Mox perfectæ munitioni octo machinæ immittunrur, e quibus propugnaculum ligneum verberabatur, quoad domus intus posita flammas conciperet. Inde nostri assultu dato id expugnaverunt, capto signifero cum viginti gregariis. Sed centurio, qui ei præerat, cum reliquis in urbem se proripuit. Inventæ ibi tres machinæ, & nonnihil paratus bellici. Cum inde castelli a vectigali dicti oppugnatio pararetur, Sueci eo incenso per flumen in urbem se subduxerunt. Ita nostri bidui spatio claustra majoris & minoris Regelitzæ, nemini antea victa, exiguo suorum damno ceperunt; quo hostis omni pabulatione, & usu Oderæ excludebatur, nostris contra hinc ad Lastadiam, inde in Pomeraniam Ulteriorem, & Novam Marchiam via aperiretur. Ea re promte expedita Suerinus quibusdam peditibus cis flumen revocatur, cura isto loco in Schœningium collata. Inde vis urbi admoveri; fossæ oblique excavari, tum castellum stelliforme a Gustavo Adolfo Rege quondam extructum, in potestatem redigi. Nec minus nostræ naves Stetinenses numero longe potiores quæ duplici palorum ordine præfixo flumen tutabantur, invadunt, & pessime globis habitas sub ipsa urbis mœnia se subducere cogunt: unde nostræ naves abreptis palis liberum sibi fluminis cursum aperiebant. Cæterum accessus ad urbem secundum flumen utrinque fiebant, superiore parte Electoralibus, inferiore Luneburgicis connitentibus, queis Elector tria suorum millia adjunxerat, Augusto Holsatiæ Duce ibi curante. Suggestibus quibusdam perfectis, e quibus hostium munitiones, ipsaque urbs, & flumen attingi poterat, verberationis initium fiebat tanto impetu, ut intra triduum pleraque navigia sub propugnaculo stantia demergerentur; tum tecta passim perforari, multis quoque in urbe sauciis, aut occisis, quos inter & Nothius tribunus occubuit. Turris quoque templi, cui a D. Maria vocabulum, igne concepto in tectum prolapsa totam ædem in cineres dedit. Ejus torris flamam statim atque Elector erumpere conspiceret, præfectum militarem cum tubicine ad portam urbis mittebat, testaturum, ignem haut de industria templo immissum, ac magno sibi dolori esse, tam pulcrum ædificium cum clarissima urbe ita evastari, cui adhuc gratiam, & honestas conditiones offerat. Quod si aliquem emittere velint, qui exercitum, & machinas inspiciat, reperturum militem adhuc bene valere, & nondum dimidiam machinarum partem e navibus protractam. Unde dum tempus sit saniorem mentem induerent, omissa pervicacia exitium ipsis paritura. Sed nec præfectus in urbem admittebatur, nec ex urbe quis ad eum accedebat. Tantum qui stationem in porta agebant, respondebant; a se nil præter masculam defensionem expectandam. Sequenti nocte templum a D. Jacobo dictum inflammabatur nullo in id globo immisso, nec minus quod a D. Petro nomen gerit cum multis aliis domibus. Quo urbis damno commotus Elector denuo tubicinem ad urbem mittebat, qui honestas deditionis leges offerret. Sed cui responsum, vel nuda mœnia, & vallum Regi servare sibi decretum. Cum itaque ratio apud obstinatos locum non haberet, extrema adhibenda sibi cernens Elector grandes machinas, & mortaria e navibus extrahi curat, ingenti suggestui imponenda, qualis vix aliis obsidiis conspectus erat, in quem extruendum eques juxta, pedesque incubuerat. Eo perfecto e centum decem magnæ formæ machinis, simul viginti mortariis eo impetu fulminabatur, ut intra trium horarum spatium opposita hostium propugnacula machinis suis non amplius uti possent. Simul munitiones urbis proruebantur, ac domus, globis ignivomis impetebantur, ut vix ulla amplius integra permaneret. Inde per obliquos meatus ad crepidinem fossæ accessum, ut

Marginal notes: 1677. — 24. Jul. — 1. Jul. — 6. Aug. — Jul. — 18. Aug.

1677. ut jam minoribus tubis invicem res geri posset. Ac uti in vallo vix ullus conspiciendum se præbebat, quin a peritis jaculatoribus, quorum magna multitudo contracta erat, dejiceretur: ita vicissim hostilibus telis plurimi nostrorum pro-
2. Sept. sternebantur, quos inter & Philippus Ernestus Holsatiæ Dux e Sunderburgica Domo globo tormentario percussus oppetebat. Inde subterraneus labor suscipiebatur, ac opera cuniculis utrinque proruebantur, nostris dum suos incendunt eam simul machinarum vim emittentibus, ut aliquot hostium oppositi cuniculi tremefacta tellure corruerent. Mox a nostris exterius propugnaculum ante Parnicensem portam ad defensionem Lastadiæ positum expugnatur, ex quo tota urbs nostrorum telis patebat. Crepido fossæ primo a Luneburgicis, inde a nostris expugnata, ac stationes in ea munitæ. Antequam autem ad transeundam fossam, ac disjiciendum interius vallum accederetur, denuo Elector tentare constituit, num urbs ad deditionem flecti posset, ingruente jam hieme, & omni spe auxilii tam e Livonia, quam a Kœnigsmarckio evanescente, quem Danicæ, nostræque copiæ exscensione in Rugiam facta intra castellum ad veterem trajectum compulerant. De quo cum Elector e proximis accessibus obsessis significasset, hi respondebant: sibi perinde esse, quid in Livonia, aut Rugia fiat. Sibi haut eo minus faciendum, quod honestos bellatores deceat. Unde propius vis admovetur, & oppleta fasciculis fossa assultus in propugnaculum portæ a S. Spiritu dictæ antepositum tentatur: qui & ita feliciter succedebat, ut pes in eo figi, & extructo suggestu machinæ ibi collocari possent, quibus obsessorum abscissus palis, & asseribus constantes disjiciebantur, propugnatoribus quoque per mala
28. Nov. punica pessime habitis. Dehinc inferior lorica cortinæ prætensa expugnabatur, qua obsessi ter impetu facto nostros expellere incassum nitebantur. Mox & alia munitio capitur, ut jam nostris in proclivi esset cortinam per cuniculos disjicere, retro quam nil præter mœnia restabant, quibus eversis aperta in urbem via patebat; quam assultu invadere miles noster ardebat pertinacia hostium, diuturnitate obsidii efferatus; quæ opinione longius extracta erat, quod Elector militi suo parceret; quo fine & castra sua justa munitione amplexus erat. Cum itaque huc redacti essent obsessi, præfectus urbis Jacobus
12. Dec. Joannes Wulfius literis ad Rudolfum Endium veterem commilitonem datis exquirebat, num honestæ deditionis leges pro milite, & oppidanis obtineri queant. Qui cum reponeret, hac rerum facie de conditionibus non amplius cogi-
13. Dec. tandum: iste sequenti die reponebat; nondum extrema sibi imminere, nec voluntatem, aut vires deficere tutandæ urbi; non deesse tamen alia, quæ arma ponere suadeant. Et quia sibi nondum deditio imperata sit, petere, ut ab ipso Electore proponatur super formando deditionis pacto, cui acceptis obsidibus eo fine delegatos in urbem mittere integrum sit. Ei responsum; nominandos ab ipso obsides, quos emissurus sit, quibus totidem gradu pares in urbem mittendi sint. Sed delegatos in urbem mitti contra morem belli esse, & id genus tractatus in eo loco, ubi potior pars agit instituendos. A bellatore *1677.* concreditam stationem enixe defendi in laude esse: sed omnibus ad intentanda extrema paratis scrupulosa cauponatione supersedendum. Post permutatis obsidibus a præsidio, ac oppida- *14. Dec.* nis delegati ex urbe in castra venerunt, cessantibus interim hostilibus, & laboribus. Attulere delegati oppidanorum literas ab universitate haut degeneres, quibus ostendebant: *Fiduciam sibi esse, Electori haut improbatum iri constantiam, qua fidem Regno Sueciæ cum consensu totius Imperii datam implere, vita, bonisque periculo expositis connixi sint. Nam prout ipsi non nisi quod a virtute proficiscitur placeat; ita par esse credi, indignos ejusdem imperio habitum iri, nisi ejusmodi specimine prius edito, quales sese exhibituri sint, postquam numero civium tam præclari Principis adscripti fuerint. Postquam igitur quæ Regno Sueciæ debuerint omnia exsolverint, a quo sæpius promissa auxilia vi majore impediente nuspiam adparuerint; nil aliud superesse, quam ut necessitati, & armis victricibus cedant, ac divinitus decretæ rerum mutationi supplices sese attemperent. Rogare itaque, ut Elector ipsos in civium suorum numerum recipiat, & huc usque a se acta velut ex debito patrata benigne interpretetur: tum eversas tanto obsidio ipsorum fortunas ea clementia prosequatur, quo facultas sibi suppetat paria, ac majora, quam quæ Regno Sueciæ præstiterint, ipsi, domuique Electorali exhibendi.* Elector tam præsidio quam civitati honestissimas conditiones indulgebat. Indigenis Suecis, aut extra Germaniam natis, aut præfectis, qui in castris nati semper militiam Suecicam a puero secuti, ac jure civitatis in Suecia donati sint, ibique domicilium fixerint, militari more ut excederent permissum, ac ut vel terra per Borussiam in Livoniam, vel mari Colberga in Sueciam transmitterentur. (nam ut Stralsundam dimitterentur, quod ipsi volebant, Electori haut placebat.) Germanis ex avocatoriis edictis militia Suecica deserenda erat. Incolis prior conditio, & libertas circa sacra & civilia permittebatur. Ignoscebatur quoque Sacerdotibus, qui pro concione ad confirmandam plebem multa indigna in Electorem per animi intemperiem jactaverant. Pacto deditionis subscripto Electori statim Lastadia, & porta a S. Spiritu dicta insidenda tradebatur. Præsidium miseranda facie urbe egressum tantisper in Ulteriore Pomerania disponitur, quoad in Livoniam trajiceretur. Ingressus victam urbem Elector post grates Deo in æde sacra peractas decuriones civesque in verba sua adigit; inde novi imperii auspicia summa cum lætitia celebrantur. Ejus expugnationis nuntius ab amicis Electoris magno cum gaudio exceptus fuit, quem omnes insigni gloria ferebant, quod & pulcerrimam in campo actionem, & operosissimum toto hoc bello obsidium ita feliciter patrasset.

§. 19. Eo illustrior autem erat validissimæ urbis expugnatio, quam & ipsa obsidii moles, & obsessorum acerrima virtus celebrem reddidere, quod eodem anno a reliquis fœderatis, præter Danos, haut operæ pretium fieret. Equidem Arausionensis super modo belli gerendi hæc sententia fuerat; Belgio Hispanico servando utique incumbendum; sed id non nisi per

Alibi hoc anno fœderatis res male succedebant.

1677. per arma fœderatorum, ac præcipue Cæsaris obtineri posse. Nam ut ipse iterum solus molem belli in Belgio, uti bis jam fecerit, in se suscipiat, & quod Unitis Belgis opum ac militum supersit una cum sua existimatione immolet, id neminem a se desideraturum. Sibi in animo esse exercitum suum seorsim habere nec amplius Hispanis jungi. Utrosque tamen sustinendis Gallis haut pares esse. Sed si alius adhuc egregius exercitus satis mature in campum educatur, forte rebus adhuc consuli posse. Ista se Aulæ Viennensi demonstrari curasse, quæ & eadem probarit, sed nihil amplius decreverit, quam ut Neoburgicæ, & Osnabrugenses legionis Hispanis se jungant; quo ipso ad summam rerum nihil proficiatur. Cæsarem videri rationes suas Parlamento Anglicano superstruere, quasi id mascula consilia conservando Belgio capturum sit, interim de subigenda Alsatia meditari. Sed hæc incerta esse; ac si Gallo permittatur in Belgio pro lubitu grassari, omnes fœderatorum progressus haut stabiles fore. Et mox ab Arausionensi prædicta eventus comprobavit. Nam Gallus per hiemem maximo adparatu facto, ac vastatis qua pertingere poterat Belgii apertis, mature in expeditionem prodibat, antequam ejus conatibus repellendis fœderati late dispersi accingere se possent. Ac primo Limburgi munitiones disjiciuntur. Inde cum exercitu LX

17. Mart. M bellatorum constante Valentianis obsidium circumponitur, quæ urbs velut obiter assultu expugnatur. Mox diviso exercitu Cameracum, & Divi Audomari Fanum eodem tempo-

4. April. re invaditur. Et illud quidem, post unum, & alterum exterius munimentum vi expugnatum deditionem faciebat. Sed arx acerrime resistebat, donec extremis imminentibus, cum jam pulvis quoque deficeret, & ipsa jugum subire

18. April. cogebatur. Interim Aurelianensis Dux D. Audomari Fanum oppugnare cœperat, ac jam exteriorem munitionem magni momenti assultu occuparat, cum Arausionensis ei obsidio solvendo cum exercitu accedit. Cui Aurelianensis laxato tantisper obsidio ad Montem Casselum obviam procedit, ac post acre commissum prælium intercluso ad oppidum accessu pedem re-

22. April. tro ferre subigit. Mox ad obsidium reversus id demum ad deditionem cogit. Ita validissimis urbibus nudato Belgio Gallis spatium fuit immanitatem, & avaritiam suam longe lateque expromendi, Luxenburgico incendiis atrociter grassante; nec aliis in Alsatia, & ad Rhenum minus sævitiæ expromentibus. Qua super barbarie cum fœderati per sequestres apud Gallos quererentur, ac ut ad humanum magis morem bellum gereretur, ac cumprimis immanitate incendiorum abstineretur, Galli reposuerunt: *actiones bellicas non esse hujus fori; heic de pace loquendum, ac se huc missos, ut conditiones pacis audiant. Sed & cuilibet bellantium parti integrum esse bellum ad suum placitum gerere, & prout id sibi quam maxime expedire videatur.* Quæ sententia quomodo illos decere posset, qui præter vocabulum aliquid Christiani officii æstimarent, nemo digerere poterat. Cæterum Belgæ initio anni Cæsari scripserant, unam viam 1677.
esse servandis provinciis Hispanicis, apud Mosellam in Galliam irrumpere, ac sua Gallis incendia domi remitiri. Nam iis nunquam subiturum humano more bellum gerere, ni quam in alios exserant barbariem, eam cum fœnore recipiant. Unde & post adulta jam æstate Lotharingiæ Dux cum exercitu Cæsareo Pontem Mussonum usque progressus fuit. Sed objicientibus se Gallis, nihil ad summam rerum profectum, & fatigatus crebris hostium incursibus, & intercepta pabulatione exercitus retro ducendus fuit. Qui receptus & in causa erat, quare Arausionensis circumpositum Caroloregio obsidium solveret. Quanquam & alias Galli id prævidentes oppidum numerosissimo præsidio, omnibusque necessariis firmaverant, ac opportuno loco in vicinia consistens Luxenburgius pabulatoribus infestus imminebat, nec ad prælium æquis locis compelli poterat. Ac Princeps de sua fama aliquid detrahere, quam sine probabili spe successus exercitum in evidens periculum conjicere maluerat. Quæ ratio uti rectoribus Reip. & prudentissimo cuique probabatur; ita plebs in utroque Belgio ad desperationem vergebat. Accedebat mox alia calamitas, quod cum Cæsareus exercitus a Mosella regressus in hiberna concedere cœpisset, Galli ad Brisacum superato Rheno repente Friburgum Brisgoviæ obsiderent, ac paucos intra dies una cum arce expugnarent; in quo maxima vis prædæ reperta, quod provinciales late circum pretiosa sua in id oppidum congesserant. Causa tantæ jacturæ impingebatur Paulo Hochero, cujus ea patria erat, quod impediisset, ne satis militum oppido imponeretur, favore in suos cives, ne nimio præsidii onere premerentur, cum nunc Gallicum jugum subeundum foret. De eo oppido amisso cum in Hollandia nuntiaretur, omnis libido bellum continuandi plane expirabat; ac multo magis, cum San-Gilenium media hieme a Gallis expugnaretur, omnibus ad hibernos Gallorum progressus consternatis. Ac palam testabantur Hollandiæ Ordines, a se bellum ulterius continuari nullo modo posse; simul optabant, ab Electore bellum in Pomerania hoc anno posse patrari.

§. 20. Ast Electori post felicem licet expeditionem non minor quam superioribus annis circa hiberna difficultas surgebat; quæ ut a Saxone aliquantum levaretur, frustra speratum fuerat. Ad eum Franciscus Meindersius mittebatur, qui ostenderet; distributione hibernorum sibi Viennæ aliquid hospitiorum in Superiore Saxonia assignatum, in quæ Saxoni nonnulla jura competant. Unde petere, ut is circa ista ipsi faveat, ac autoritate sua efficiat, quo ex iisdem exercitui suo tam præclare de patria merito, aliquid levamenti nascatur; inprimis a Fratribus, Inferiore Lusatia, quatuor præfecturis Magdeburgicis, ac Barbya comitatu. Ad ista Dresdæ fit verborum. Sed de hospitiis, aut subsidiis e ditionibus Saxonicorum fratrum plane abnegabatur, velut quæ Cæsar isto onere exemerit. Circa alios, qui Saxonem non tangebant, ac unde eidem nihil decedebat, facile consentiebatur. Cæterum

Electori circa hiberna difficultates.

16. Nov.

4. Dec.

1677. Frisen. Cæterum ejus aulæ tunc consilia in diversa distrahebantur. Equidem ab Henrico Frisio utilia publico consilia fovebantur; sed quæ pervincere, aut contrarias æmuli suggestiones impedire haut valebat; qui multa solo cum Electore agitabat, insciis reliquis consiliariis. Hic semper immaturam pacem, aut tertias partes ingerebat, ac frequentia literarum commercia cum Bavaro, & Hanoverano, quin & cum Anglo, & Belgis miscebat. Equidem ut Elector Stetino potiretur, non admodum invidere videbatur. Sed ut Sueci penitus Germania ejicerentur, nullo modo probabat. Bavarus quoque, & Palatinus Saxoni per literas demonstraverant, quantum periculi bello continuato sit metuendum; eoque Cæsari diligenter suadendum, ut pacem ante occupet, quam mala longius grassentur. Quæ monita Viennæ non ingrata erant, ubi itidem propera pax valde optabatur. Nec magis Viennæ Electori circa hospitia favebatur, Cæsareis ministris ferentibus; si Elector quæ intendat Suecis eripuerit, nil amplius hospitiorum ei concessum iri. Quin palam Crocovio occinebant, ne amplius id negotium urgeat, quod diutius eo quo hactenus modo nequeat consistere: ac hospitia plane abolenda, nisi quantum Ordines Cæsari dare velint. Ostendebant etiam, se super hospitiis ad comitia relaturos; id quod nunquam facturi fuerant, nisi de majore suffragiorum parte pro sententia sua cautum ipsis foret; quæ eo spectabat, ut omnia hospitia, quæ unus & alter proprio auso invaserit, aboleantur, ac nemini, præterquam Cæsari, aut si hic cuipiam quid indulgere velit, hospitia concedantur. Qua in re suffragantes habebant novos fœderatos, ac minores Ordines, qui ob invidiam in potentiores Cæsaris arbitrio sese permittere malebant, quam aliis Ordinibus obnoxii agere. Ac jam propositio de hospitiis Ratisponam mittebatur, sed Commissariis injunctum, ut eam publicare differrent, quoad de majore suffragiorum parte certo constaret: de quo negotio fœderatis nihil communicatum fuerat. Tum & priora fœdera, æqualibus utrinque conditionibus adornata, abrogare cupiebant, illa culturi, in quibus arbitrium rerum Cæsari delatum erat; ubi & sacrorum non modicus respectus erat. Quo fine novorum fœderatorum, Coloniensis, Neoburgici, ac Monasteriensis copiis prospiciebatur, reliqui negligebantur; prout & Cellensis ablegatus re infecta discedebat. Quin optabant Electorem cum Hanoverano collidi, ut ipsi pro lubitu de ereptis Sueco locis disponere possent. Mox

5. Dec. condito Viennæ super hospitiis decreto, cum Crocovius quædam contra id moveret, Cæsarei ministri existimationi suæ repugnare ferebant in semel placitis quid mutare. Disserebant etiam, necessum esse fœdus cum Electore refingi, quo Cæsar norit, quid ab hoc copiarum expectare possit; & eidem vicissim constet, in quot copias alimenta ipsi præstanda sint. Ast Elector a novo quidem fœdere non abhorrebat: sed si vetera non servarentur, cui fini nova condebantur? Unde jubebat Crocovium super hospitiis sine intermissione instare, ac non timide ingerere; si ita secum agere pergant, perinde esse ac si dicant, non amplius sua opera esse, ac integrum sibi fore quæ velit consilia capere; id quod ipsi Cæsari quam maxime nociturum sit. Sed quicquid Crocovius occineret, frustra erat. Omnia jam transacta esse. 12. Dec. Si Saxonici fratres Electori pecuniarum quid conferre velint, id in lucro habendum. Sed ut miles eorum terris immittatur, aut iidem vi ad solvendum compellantur, Cæsarem consentire non posse, ne novum ibi incendium oriatur. Denique tantum sibi molestiarum id hospitiorum negotium parere, ut vel ideo qualicunque pace opus sibi sit. Eo acerbius autem erat, cum Electore ita aspere agi, quod Cæsarei duces ab Ordinibus Suecici, & Franconici Circuli pro hibernorum redemtione quinque milliones florenorum exigerent: & cum solo Franconico Circulo, exceptis Bambergensi, & Wurtzburgensi Præsulibus, ac immediata Nobilitate, duodecies centenis quinquaginta florenorum millibus decideretur. Ac soli urbi Noribergensi ea hiberna per quatuor circiter annos vicies bis centenis florenorum millibus constiterant. Cæterum cum Electori Magdeburgica ditio assignata esset, Administrator hospitia abnuebat obtentu decreti in conventu Inferioris Saxoniæ conditi; cui tamen id onus nolenti subeundum fuit. Adversus Saxonicos autem fratres nil coactionis adhibere placebat, quod fœdus inter Saxonem, & Brunsuicensem Domum conclusum judicabatur, ac Dresda ad Bavarum missum erat. Unde si vim adhibeat, ejusmodi turbas excitari posse, quibus sedandis ipse Cæsar par non sit futurus. Et quia Cæsarei hac æstate trans Rhenum operæ pretium haut fecerant, amisso insuper Friburgo, omnis iste exercitus cis Rhenum per hospitia distribuendus erat; quod onus Suevi, ac Franconici detrectabant, ac consilia cum Bavaro super medio statu cum Gallis ineundo miscebant. Quo ipso Viennæ consilia valde turbabantur, ac palam jactabatur; res hoc modo diutius sustineri non posse, ac sibi pacem utique præcipitandam. Sed & Hagæ non modicæ querelæ surgebant, quod Viennæ super hospitiis haut maturius, & melius dispositum, ac uni plus quam alteri indultum fuisset. Ac demonstraverat ibi Osnabrugensis, ni copiis suis largius subveniatur, bello sibi excedendum esse. Quæ res Arausionensi, ac Hispanis magno dolori erat, qui agnoscebant, eum Principem pro numero suarum copiarum plus operæ, quam quemvis alium fœderatum communi causæ præstitisse. Sed & 20. Dec. quis alias animus Viennæ in fœderatos esset, ex interceptis in Dania legati Suecici literis patebat, quæ viam pacis proposuerant permutationem ereptorum Suecis locorum cum iis, quæ Hispani in Belgio amiserant. Cui instituto Crocovius, & Danicus minister acriter sese opponebant, Luneburgicum quoque ad idem stimulantes; cui ejusmodi permutatio admodum iniqua videbatur, ac Principes suos potius extrema omnia tentaturos, quam eam admissuros. Quæsierant hi apud Cæsarem, ut sibi super Bremensi provincia caveatur: sed quibus nil aliud respon-

1677. responsum fuerat, quam Cæsarem Domus Brunsuicensis commodis inter tractatus pacis velificaturum. Ex qua responsi laxitate satis agnoscebant, ista incrementa Viennæ sibi invideri, nec eis tuendis aliam rationem esse, quam conjunctionem cum Dano, & Electore. Nec minus Daniæ Rex tertium jam annum Viennæ incassum laboraverat, ut sibi super iis, quæ ipse Suecis eripuerit, evictio præstaretur. Qui nil præter tergiversationes, & ambigua responsa retulerat. Aliquando dicebatur; Cæsarem ejus Regis desideria Neomagi, quantum res ferat, fulturum; aliquando, optimam cautionem esse, quæ desiderentur occupare. Prout & Crocovius per biennium amplius super Citeriore Pomerania instans liquidum responsum extundere haut valuerat; ut satis pateret, Viennæ eo nomine nil favoris expectandum, ac necessum esse fœderatos inter se rebus suis prospicere. Cæsareus quoque in Anglia legatus Carolus Wallensteinius Comes privatis sermonibus jecerat; Electoris potentiam nimium gliscere; ac iniquum esse, eum omnia sibi adquirere velle, & tamen postulare, ut reliqui Ordines hiberna ipsi præstent. Vulgabatur quoque Pauli Hocheri dictum: *Cæsari haut placere novum Regem Vandalorum ad Mare Balticum exsurgere.*

Periculum e Polonia non plane cessat.

§. 21. Nec minus recrudescere videbatur periculum e Polonia, cum etiam post renovata pacta Sueci, Gallique haut desinerent confœderationem exautorati exercitus moliri, perque eam Stetino subvenire, aut Electorem in Borussia distrahere. Ac metus erat, ne Rex istorum solicitationibus victus ad hos conatus conniveret; utut is eosdem sibi displicere verbis testaretur. Iidem quoque Regem stimulabant, ut castellum ad ostium Vistulæ in potestatem redigeret. Ipse Rex apud Hoverbequium super dimittendo Theologo Strauchio obiter jecerat, prætexto sumto, quod cum iste fax, & tuba tumultuum Gedanensium fuisse arguatur, idem multum quoque ad eos sedandos conferre possit. Sed Hoverbequius, cui satis constabat, Regem istius hominis opera concitata plebe de capistro urbi imponendo agitare, regerebat: eundem omnes suos conatus eo direxisse, quomodo seditionibus agitatam urbem Suecis traderet. Unde prius constare debere, quid cautionis haberi possit, si iste ad pacem usque relinquendus sit in loco, ubi tantum malorum patrandi occasio suppetat. Cæterum cum Rex Gedanum iter adpareret, Christophoro Wicharto Electoris Residenti decretum ex SCto mittebatur hoc sensu: *Quia Rex intellexerit, eum Reip. Polonicæ apud Moscicum ablegatum operam sat malignam navare, igitur si characterem ab Electore habeat, eum intra viginti quatuor horas Mareschallo Regni exhibeat. Sin minus, intra idem spatium postquam hoc edictum innotuerit, Regno facesseret. Ast si characterem habeat, menstruum ipsi spatium indulgeri, ut ab Electore avocari hinc queat. Ultra id tempus si Warsaviæ moretur, in custodiam dandum.* Cujus prætexti vanitas eo magis pellucebat, quod ipsius Electoris interesset, amicitiam inter Polonos, & Moscos contra Suecicam constare. Sed cum Wichartus sua mandata apud Mareschallum ederet, hic pollicebatur, se operam daturum, ut id negotium emolliatur. Suadere tamen, ut is honesto prætexto hinc discedat, quod aula violentis affectibus agitetur. Ast Elector ad Coronæ Mareschallum literas dabat: *Se non sine admiratione percepisse, Consiliarium & Residentem suum in aula regia, publico charactere a se ornatum, fiduciariis literis instructum, ipsiusque res apud gentem fœderatam, & amicam curantem aula, & regno excedere jussum. Equidem si is munere suo prave functus sit, aut si quid in fraudem Regis, ac Reip. egisse convincatur, non de fore se officio suo, ac ubi mandata transgressus comperiatur, ita multandum, ut Rex, totusque obis luculentum specimen sit capturus, quantopere sibi justitia cordi sit. Cæterum ejicere, aut necessitatem sibi imponere avocandi ministrum publicum nondum accusatum aut convictum, id non posse non a se ægre ferri; cum id juri gentium, perpetuis fœderibus, ac mutuo utriusque gentis amicæ, & vicinæ commercio repugnet, quod hoc modo plane tollatur; nec minus idem sibi dedecori cedere. Igitur pro ratione muneris sui prospiceret, ne suus minister indigno modo e Rep. ejiciatur, sed idem publico quo gaudeat charactere tutus officio suo, nullo turbante, fungi queat, donec contra id aliquid admisisse convictus fuerit.* Revera autem ansa litis undecunque fuerat quæsita, quod Rex nollet eundem secum Gedanum proficisci. Sed Mareschallus ipsi significabat: Regem utut de publico ipsius munere intellexerit, haut eo minus decreto suo insistere; addito, se metuere, ne Rex instinctu Gallorum, & Suecorum materiam rixæ cum Electore captet; & quia præsens tempus non ferat ab hoc offensam ostentari, satius esse ultroneo discessu omnem molestiam prævenire. Nam Regi fixum sedere ipsum non tolerare; ac si contumelia ei inferatur, non modica inde incommoda secutura. Quin jam aliquos e Proceribus suasisse, ut is e medio tolleretur, sed Regem id flagitium abnuisse. Cæterum sat importunum erat extraneo Principi præscribi, quem ministrum is in aula aliqua habere debeat. Neque petituri fuerant Poloni eum avocari, ni utilem Electori operam navaret, quod exacta ipsi aulæ, & Palatinatuum notitia esset. Sed nimirum tunc temporibus cedendum erat; ac scribebat Elector Duci Croyano, ut eum protinus per literas Regium montem evocet, tanquam de quibusdam rebus ad rationes ipsius spectantibus cum eo collocuturus. Rege tamen Gedanum profecto de eo negotio silebatur, ac Wichartus haut eo minus post Warsaviæ subsistebat. 1677.

Rex Poloniæ Electori est suspectus.

§. 21. Porro diuturna Regis Gedani commoratio non parum Electori suspecta batur, cujus causam hancce Castellanus Posnaniensis Joachimo Sculteto pandebat; *Cum Rex perspiciat, nulla ratione filio suo post se de corona Poloniæ caveri posse, quam ut plane Galliæ rationibus sese addicat; eo fine res suas in Borussia stabilire velle, ac tumultum Gedani clam fovere, ut studio plebis in commodum suum uti possit. Tum & in ea urbe speculaturum, quid summi exercituum duces suscepturi, & num quid aliud in Regno novi oriturum*

1677. turum sit. *Expedire autem, ut a Cæsare apertæ querelæ moveantur, quod jurata pacta violata sint manu Polonorum in Hungariam transgressa. Sed ab Electore adhuc dissimulationem adhibendam.* Fuerant quoque in Scania literæ interceptæ a Senatu ad Regem Sueciæ scriptæ, super Borussia Ducali Suecorum ope in Regem Poloniæ (sed non in Remp.) transferenda. Quarum exempla Proceribus Poloniæ ab Hoverbequio communicata non parum hisce scrupuli injiciebant. Sed & constabat, Regem ideo Lithuanicum exercitum exautorari voluisse, quo missione potiti ad Suecos transire possent, exemplo eorum, qui in Russia dimissi ad rebelles Hungaros se contulerant. Porro non solum delectus in Borussia, & Polonia Gallis pecunias præbentibus fiebant, Rege ignorantiam simulante; sed & de irruptione Suecorum in Borussiam e Livonia rumor increbescebat, ubi & non modicæ copiæ præsto erant. Quæ in Marchiam penetraturæ, & Kœnigsmarckio jungendæ dicebantur. Tum Hanoveranum larva detracta & ipsum in arma prorupturum. Quo rumore moti Lithuani delegatos ad Regem Gedanum mittebant, qui inter alia ex hoc querebant; num ipse Suecicis copiis e Livonia per Samogitiam liberum iter in Borussiam concesserit; id quod sibi haut persuadeatur. Quod si tamen id fiat, non solum toti Lithuaniæ noxium fore, sed & Regnum novo bello implicari posse. Unde & supremum Lithuanicæ militiæ præfectum Ordine Equestre postulante universos ad arma vocasse, ac Suecicas copias, quamprimum Samogitiæ fines tetigerint, ubicunque locorum invasurum, ac cæsurum. Quæ proposita Rex ita sinistre accepit, ut conclavi suo inclusus totum diem cibo potuque abstinuerit. Ostenderant quoque isti delegati, Pacium literas intercepisse, e quibus adpareat, tractatus cum Sueco agitatos, per quos hic Borussiam Ducalem Regi tradere voluerit. Ast Rex istis respondebat; se rumorem istum de Suecorum transitu falsum habere, quo eos in securitatem daret; quod circa istum connivere decrevisset. Simul aula exercitum Lithuanicum dissolvere studebat Pacio exarmando. Circa idem tempus rumor Gedani vulgabatur, Electorem expugnato Stetino copias Gedanum adducturum, quo Senatui ejus urbis, & Reformatis subveniat. Quo audito Rex sublatis in cœlum manibus ut id fieret optasse dicebatur; ac non solum eo nomine Senatui, Reformatisque veniam daturum, sed & votum nuncupaturum, se quoad vivat singulis diebus Veneris solo pane & aqua contentum acturum. Monebat quoque Lessinius Cancellarius, Regem abstracto in portum Gedanensem excursore maritimo Brandenburgico, qui Suecicum navigium interceperat, simul urgendo congressum delegatorum componendis controversiis materiam rixæ aucupari, quo Stetino liberando occasio foret. Sed is suadebat, tantisper dissimulatione uteretur Elector; ac se Majores Polonos permoturum, ut aliquos ad Regem ablegent rogaturos, ne Remp. bello implicet. Ea quoque occasione Rex e Sculteto quærebat, quo jure Elector armatis navibus mare infestet? Cui ab hoc reponebatur: *quia portus, & litora possideat, & quia fas sit hosti nocere ubicunque reperiatur.* 1677.

§. 23. Visum dehinc Regi Gursinium tribunum ad Electorem mittere, liberationem Ægidii Strauchii petiturum, cui aliqui e plebe Gedanensi adjuncti erant. Sed præcipuus mittendi scopus erat, ut specularetur, quomodo Stetini obsidium se haberet. Ubi quidam Polonorum proceres Sculterum monebant, ut Elector petita placide abnueret, causa in fœderatos collata, qui metuant, ne homo iste plures turbas excitet, ac Gedanum plane in Suecorum manus tradat. Stetino autem expugnato Regem sua consilia facile mutaturum: nam hactenus Gallos, & Suecos ei persuasisse, Electori id obsidium cum dedecore solvendum fore. Is Electorem in castris ad Stetinum adiens varia proponebat. Ut congressus delegatorum super abolendis controversiis quamprimum instituatur. Tum querebatur, ab excursoribus Electoris maritimis commercia Borussiæ turbari, ac ipsorum Gedanensium navigia invadi, quin ipsius Regis ex Anglia Gedanum deferendas res in Oceano abreptas: sacra reformata in districtu Draheimensi introduci: fugitivum monachum Schaumburgium in protectionem receptum. Denique ut Strauchius dimittatur, *quod citra ejus præsentiam Gedanenses motus, quibus sedandis Rex nunc operetur, solide componi nequeant. Sane Electorem responso suo posuisse, istum tot criminum in regia urbe patratorum reum esse; unde & delictorum, & domicilii nomine par esse eum Gedanum remitti; præsertim cum jam diplomate regio tuti itineris ad comparendum coram Rege munitus sit, idemque Electorem nec dicto, nec facto offenderit; extra hujus quoque ditionem natus sit, & ex amica urbe ad amicam urbem inermis homo proficiscens jure belli capi non potuerit, nec nomine fœderatorum tamdiu detineri, in quos nil hostilis actus exercuerit. Nec titulum Consiliarii Suecici obesse eidem posse, cum is non status, sed Consistorii fuerit, nec nunc super religione, sed regione certetur.* Ad quæ Elector multa cum verborum humanitate respondit: *Se paratum congressui componendis controversiis, ubi, & quando Regi visum fuerit. Naves suas nulli amico nocuisse. Regis res non in Mari Baltico, sed in Oceano direptas, ubi nulla sua navis fuerit; ac sine dubio a Suecicis, aut Gallicis excursoribus id patratum, queis dein culpam aliis impingere libido fuerit. Drahemi nemini mortalium ob religionem molestiam fieri, ac nullibi majore cum libertate diversa sacra exerceri, quam in sua ditione; velut qui suadendam, non cogendam fidem censeat. Verum quis præfectum, & præsidiarios prohibeat sacra suo ritu peragere? De tradendo monacho se jam ad Crojanum scripsisse, nec eum protegere sibi animum esse. Sed Strauchii negotium eo majorem sibi curam attulisse, quo diutius inter propensissimum affectum Regi nil negandi, & metum imminentium ex hac liberatione malorum suspensus hæserit. Sed vicisse tandem rationes; queis Regem pro sapientia & æquitate sua manus daturum sperat. Nam publicam salutem, & ex parte*

Regis Poloniæ ad Electorem missio super liberando Strauchio. 23. Oct. Gursinski

25. Octob.

1. Nov.

1677. *parte sui quoque status securitatem ex eo pendere, ne malorum hæc hydra, quam consiliarii Suecici, id est, hostilis titulo insignitam Numen propitium in suo territorio sibi captivum stiterit, ante finem belli custodiam suam evadat. Turbulentum ejus, ac factiosum ingenium adeo cognitum esse, ut nemo dubitare possit; illo nil aptius ad seminanda odia, excitandas turbas, & miscenda divina, humanaque reperiri posse. Idem cum ipsi infensissimus sit, & vindictæ libidine ardeat, cum nunc in custodia non veritus sit literas irarum, & minarum plenas, convitio tyranni, & Pharaonis adsperso, ad se dare; Acheronta haut dubie moturum, ni placida hac custodia turbulentos istos, & humanam sortem supergressos spiritus compescere doceatur. Nec enim audaciam hominis quantumvis privati contemnendam esse vel civitatem Gedanensem probare, quam solus iste tamdiu turbis exercitam tenuerit. Nec cautionis quid a conscientia istius furore indurata; & nunc fallendi certa expectandum. Motibus urbis componendis præsentissimum a Regia autoritate, & prudentia remedium esse. Sed si utique is homo tanti videatur, ut sine eo quies urbi reduci nequeat, saltem ad finem belli ejus liberationem differendam. Tum enim spretis ejus injuriis eundem in gratiam Regis etiam beneficiis ornatum a se dimissum iri. Nunc ut ipse incertam aliorum quietem suo cum damno curet, nullo colore exigi posse. Equidem quod Regis desiderio satisfieri nequeat sibi molestissimum esse. Ast si Principum injurias Principibus curæ sint, si publicæ salutis tutela supremæ instar legis habeat, ipsum Regem pro æquitate sua repulsæ necessitatem gravissimis rationibus condonaturum.*

Elector de isto legato queritur.

§. 24. Sed quia ablegatus iste admodum importune se apud Electorem gesserat, hic eo nomine ad Regem literas dabat hoc argumento: *Gursinium istum omni humanitate, ac honore a se exceptum valde inficetum se exhibuisse, ac multa fœderi æterno, & amicitiæ adversa apud suos aulicos, & extraneos ministros apud se agentes disseruisse, sinceram suam mentem, & dicta in sinistrum sensum detorsisse, nec minus abstinuisse. Cum itaque ipse non immerito vereatur, ne is aliena a vero ad Regem referat, se rogare, ne Rex aliam sibi mentem esse credat, quam ipse literis suis expresserit.* Is Gursinius responso Electoris circa Strauchium haut contentus palam fremebat, gravia inde mala oritura: Regem supremo imperandi jure gaudere: Electorem Reip. magis addictum, quam Regi, & istius gratiam hujus amicitiæ præferre; id quod ei male cessurum sit. Ab Electore hunc Regem non minus quam ejus antecessores contemni. Sed nunc non Joannem Casimirum, aut Michaëlem aliquem imperitare: ac multa alia in eum sensum. Quin & exteris ministris adstantibus jactabat: In Regis aula decretum, ut ni Strauchius sibi liber abducendus tradatur, omne exercitium religionis, quo hactenus Reformati Gedani, & aliis Borussiæ locis gavisi sint, una cum templis ad eos spectantibus iisdem adimendum. Ad quod cum legatus Belgicus reponeret; omnes Reformatis sacris addictos hoc modo offensum iri; is regerebat; quid hoc ad Regem situm, qui urbem Amsterodamensem parum curet? Idem quoque cum Cæsareo, & Danico legato non sine minis altercatus fuerat. Quin dissidiorum causam inter Cæsarem, & Electorem in ipsa hujus aula spargere tentarat, nimiam ejusdem potentiam apud Cæsareum legatum exaggerando, ac uti Cæsaris intersit eam premi, antequam prægravis ipsi evadat. Apud alios secreti specie dixerat; plebem Gedanensem Regi, si Strauchii libertatem procurarit, Weixelmundam promisisse; tum Regem multa Tartarorum millia ad nutum habere, quibus pro lubitu adversus quoscunque uti possit. Ista Elector per Hassonem Adamum Wedelium ad Lesinium Cancellarium, & Cracoviensem Præsulem deferebat: Utut credat istum haut jussum talia blaterare; quia tamen e Regis literis adpareat nodum in scirpo quæri, ac instinctu Gallorum, & Suecorum id agi, ut inscia, & invita Rep. fœdus æternum infringatur, ac amicæ, & vicinæ gentes in mutuam perniciem cum libertatis, ac fortunarum jactura impellantur: igitur se isthæc cum ipsis communicanda duxisse, ac consilium eorum, quid agendum sit, exposcere. Equidem sua magis referre pacem servari, quam Strauchium detineri. Sed hunc hominem duntaxat obtentui sumi; & eodem licet dimisso Suecos, & Gallos haut desituros infesta moliri. Ac ejus detentione se non tam propriam, quam Reip. utilitatem respicere, cujus libertati iste vir hoc tempore captivitate exsolutus exitio futurus sit. Nam sub jugum redacto Gedano Poloniæ capistrum imponi. Ista sibi curæ fore uterque prolixe promittebat, suadentes ne Elector turbidum hominem e manibus amittat. 1677.

Lilliehœckii in Electorem invectiva.

§. 25. Ejusdem quoque Gursinii futilis lingua ansam præbuit fœdo negotio, cui par vix moratiores inter gentes auditum est. Cum enim inter sermocinandum de Lilliehœckio legato Suecico mentio incidisset, Elector de effreni, & contumeliosa viri lingua, calamoque, queis ipsum indignis modis in Polonia furibundo similis proscindere non vereatur, questus tandem dixerat: *quia is hoc loquendi, & agendi modo sanctimonia characteris sui indignum se reddiderit, meritum esse, ut fustibus castigetur.* Ista Gursinius Gedanum reversus Lilliehœchio odiose, ac uti adparet citra præmissam conditionem retulit. Unde Lilliehœckius ira percitus solenni admissione apud Regem, & præsentes Senatores Gedani ejusmodi sermone in Electorem invectus est, quem ad verbum heic inserere eo minus dubito, quod Electoris existimatio, & gloria longe sublimiori loco posita sit, quam ut talibus adspergi queat, quæ non nisi autores suos maculant. Ac videri possit, eam indignitatem Electori accidisse, ut gaudium e capto Stetino paululum dilueretur; sicut olim Romæ, qui triumfum ducebant, acerbis quandoque comitantium militum dicteriis perstringi solebant. *Serenissime & Potentissime Rex. Quod communis rumor per hanc civitatem, & inde longe lateque per orbem sparsit, tandem a certo, & probatæ fidei autore intellexi verum esse, quod Elector Brandenburgicus minabundus publice jactaverit, se fustibus me cædere velle. Excelsa S. R.æ Mtis*

1677. *Vræ prudentia triumphalem gloriam immenso merito exequans sine dubio agnoscet, non inultas transire debere tam impudentis atrocitatis injurias, quibus non jus tantummodo & sacra legationis, sed & omnium quotquot in orbe extant Regum reverentia proteruntur. Quippe summarum potestatum æque interest illæsam servari dignitatem suam, cujus apud exteros repræsentandæ characterem legatis imprimunt, ac dare operam, ne temeratis gentium juribus, & legationis sanctimonia mutui inter regna, & populos commercii facultas intercidat, & evertatur. Si non nisi personæ meæ ratio habenda esset, ab illata contumelia me vindicarem iis modis, viisque, quæ servandi decoris cura, ac nobilis viri dignitas, ipsaque ratio suaderet. Nunc vero cum S. R. Mtis Sueciæ regius splendor, & dignatio legationis istis vindiciis asseri debeant, quæ acerbitati contumeliæ utrique illatæ exacte respondeant; nihil magis Regi ac Domino meo, munerisque quod gero juribus me debere invenio, quam ut, repressis tam inhumani, & inverecundi conatus ausis, honesta rationo agam, ut autorem ipsum conversa petant, atque coram Mte Vra, ad quam pariter pertinere æquum est acres asperrimæ sensus injuriæ, quæ magni Regis legato extraordinario apud ipsam agenti quasi in conspectu ejus, & in ipso Reip. Polonæ gremio immani ausu intentatur, palam & publice notum faciam, quod, si Fridericus Wilhelmus Elector Brandenburgicus serio intendat me fustibus cædere velle, prout ex solita animi levitate & impetu, qui sibi ipsi pœna est, forte effutiit, tum ego quoque S. Ræ Mtis Sueciæ ad S. Ram Mtem & Remp. Poloniæ legatus plena cum potestate extraordinarius Andreas Lilliebœck solenniter & publice edico, & declaro, quod in Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum pleno retorsionis jure utendum mihi fore decreverim. Non ignoro quidem, qua reverentia Electores colendi sint, & quæ Principibus observantia debeatur, nec obsequii mei terminos unquam transiliam. Verumtamen me ad nullas observantiæ partes Friderico Wilhelmo Electori Brandenburgico præstandas obstringi intelligo, quandoquidem etiam extra hunc casum effreni in Sam Ram Mtem & gentem Sueciæ calumniandi petulantia, quæ omni penitus exemplo caret, grassatus est. Unde etsi mihi jus plenum constiterit quidlibet in ipsum dicendi, agendique, nihil tamen adversus ipsum scripsi, dixi, vel egi, quod non congruat jussis, & mandatis a Rege & Domino meo acceptis; inter quæ illa potissimum ad parendi necessitatem me obligant, quæ non tantum ostendunt Mti Suæ clementissime placuisse olim a me adversus Electorem Brandenburgicum edita, sed & quæ diserte me jubent, ut veteratorias Electoris istius fraudes orbi manifestas reddam, imo ne id ipsum agere cunctarer, aut hæsitarem, literis ad S. Ram Mem Vram scriptis fidem fecit, autoritate & jussu suo ea fieri. Tantum abest, ut Mtas Sua, cui ultra septendecim menses copia facta est omnium, quæ tam ad Mem Vram, quam alios de Electore scripsi, ullius displicentiæ signum dederit, ut potius nuper in Suecia vulgato quodam scripto meo aliud ex cancellaria sua Regia illi adjunctum, typisque excusum in illum finem huc miserit, ut ubique publici juris fieret, atque adeo indignum Mtas Sua Electorem censuit eo, quem sibi a nobis arrogat, respectu, ut passa sit ipsum urgeri iis, quæ inserta sunt scripto a me edito adversus Principem alium, quo Elector longe inferior est, accepta habens, quæ a me veritati, & rationi consentanea tradebantur, libertate ea, qua ex jure muneris constat, & quam sibi hostes in Sueciam vindicant, suisque ministris permittunt. Quæ omnia non tantum abunde probant, me commissionis, & muneris mei limites non excessisse, sed quoque certum mihi faciunt, Regem, & Dominum meum ex diclamine heroicæ indolis, quæ in istis primordiis ingenti auspicio virtutis incomparabilis, & immensæ fortunæ augurium pandit, injuriam Regiæ dignitati suæ in persona legati sui extraordinarii ab Electore illatam ea qua decet severitate, & rigore ulturam. Ad hanc declarationem pro tuenda Regis ac Domini mei autoritate, & dignitate muneris, quod sustineo, factam nihil adjicio, gnarus Suam Ram Mtem Vram pro summa sua prudentia ea decreturam, quæ spectant tam ad conservationem & tutelam juris gentium, quam retegiæ suæ dignitatis, & tantæ Reip. graviter ab Electore affectæ autoritatis vindiciis, prout exiget æquitas, suadebit ratio, & Electoris Brandenburgici temeraria efflagitant facinora, quibus regium in Polonia decus, tranquillitatem publicam, juraque inclytæ gentis impio, & nefario ausu non hac tantum, sed innumeris aliis in rebus lædit, convellit, & labefactat.*

§. 26. Poterat ista contumelia silentio, & contemtu vindicari, velut non obscura turbatæ rationis indicia præ se ferens, aut privati cujuspiam calamo exagitanda committi; ni ad omnium Principum dignitatem pertineret, ejusmodi insolentiæ exemplum a legato admissum castigari; quorum sane mutuatitia, ac temporaria dignatio putido, ac si mollius interpretari velis, ridiculo ausu eo porrigitur, ut ipsis quasi in pari cum Principibus fastigio sese collocare fas sit, & tanquam in æquales, jus quoddam retorsionis in eosdem moliri; cum si læsos se ab alio judicent, querelam ad Principes suos deferre debeant. Ut itaque Elector nihil omitteret, quo injuria communi Principum dignitati illata debito modo repararetur, ad ipsum Regem Sueciæ super isto facinore hasce literas dabat. *Invaluit pridem non tantum inter moratiores, sed & barbaras plerasque Gentes, ut armorum, ac belli licentia etiam inter hostes freno quodam humanitatis atque officiorum coerceretur, & ut esset aliquid quasi sacrum, quod extra sævi arbitrium Martis ab omni injuria, ac violatione tutum, atque immune præstaretur. Est hæc majestas, ac reverentia Principibus debita, quam in ipso belli furore quasi extra teli jactum constitutum ab ipsis hostibus coli, atque observari generis humani interest. Præstitum id a nobis in hoc, quod inter Ram Mtem Vram, & Nos prorsus invitos exarsit bello. Nam de Ra Mte Vra uti par est, non minore reverentia loquimur, & sentimus, quam olim ante belli initium fecimus: idem ut a nostris fiat, serio allaboramus. Nec enim nostrum applausum habet, si quid acerbius, & quod odii rabiem oleat, hinc inde divulgatum sit. Neque enim vinculum id amoris ac benevolentiæ, quod natura ipsa summas inter potestates*

Electoris super eo facinore ad Regem Sueciæ litera. 12. Jan. 1678.

1677. *potestates indissolubili & sacro nexu constrinxit, nulla affectuum vi, inprimis ira aut odio, quorum causæ uti infra Principes positæ sunt, ita ad tempus saltem durant, dissolvi possit, ac debeat. Judicabit hinc R. M. Vra, quam graves & justæ nobis causæ sint conquerendi de ejus ad Poloniæ Regem legato Lilliebæckio; qui non solum per omne ministerii sui in Polonia tempus abjecto reverentiæ Principibus debitæ, & a reliquis R.M.Vræ ministris, quod cum laude ipsorum dictum sit, nobis exhibitæ respectu gravissimis nos insectatus est calumniis, atque injuriis, adeo ut non veritus sit nos perfidiæ, petulantiæ, fraudium, atque tyrannidis insimulare. Sed & nuper in facie totius Reip. Polonæ rem ausus est atrocem, cujus exemplum nec ante acta memorant secula, nec posteritas forte videbit. Nam cum erga Poloniæ Regis ablegatum in privato, & uti credidimus amico colloquio, orto de Lilliebæckio sermone, de ejus temeritate, ac linguæ & calami intemperantia conquereremur, & memoratis atrocissimis, quibus in nos debachatus fuerat injuriis adjiceremus: certo nos scire, fieri id inscia, imo invita R.M.Vra, adeoque extra fines mandati, & cum eo ipso jura gentium prior temerasset, seque indignum jure & privilegiis legato alias debitis reddidisset, promeruisse, ut hæc ipsius rabies condigna fustium castigatione coërceretur: licere sibi putavit publicam audientiam a Rege Poloniæ postulare, eaque impetrata sermonem habere impium, pudendum, qui in nos quidem nominatim tendit, sed sane cujus tela omnes quotquot sunt Principes petunt, & quicquid adhuc a vulgi temeritate ac licentia sanctum, & indactum servatum fuit, illum scilicet* Maiestatis characterem *a divinitate ipsa Principibus impressum, sine quo nec Principatus nec Princeps ullus subsistere potest, uno ictu evertant. Id quod Regiæ M.Vræ ex subjecto exemplari, quod autori etiam typis vulgare quasi re bene gesta destinatum fuit, dijudicandum relinquimus. Equidem non fugit nos, quæ sint legatorum jura, quis debeatur ipsis honos, & quidnam repræsentent; nec putamus ullum R.æ Mis Vræ ministrum jure meritoque conqueri posse, quasi his ipsis defraudare illum in animum induxerimus. Licuisset etiam Lilliebæckio R.æ Mis Vræ interesse & causam contra nos honesta qualibet ratione tueri, ac promovere. At cum per integrum triennium in totius Reip. Polonicæ facie sævissimis nos lacessiverit injuriis, & calumniis, non potuimus quin ablegato Polonico testaremur, quidnam inde promeritus esset, si ex ipso gentium jure cum illo agere vellemus. Fecimus tamen id lacessiti, & ex justo dolore, & quidem cum præfatione, quod Lilliebæckius hæc talia patrans legatorum jus fasque prior violasset, eoque se indignum reddidisset, adeoque non ut regius minister, sed ut calumniator furore percitus considerari mereretur. Et sane si ex justo fervore gravius in ipsum locuti fuissemus; num proinde ipsi licuisset hoc vindictæ & contumeliæ genere adversus Nos uti, quæ discrimen omne inter Principes ipsos, ac eorum ministros tollit, ac evertit. Equidem est nobis talium contemtor animus, qui injurias atque offensiones ab inferioribus illatas superne despicit, id quod triennali patientia adversus ipsum Lilliebæckium comprobavimus: nec forte nobis occasio defutura esset sumendi ab ipso autore gravem, & promeritam ultionem. Sed quæ est nostra de R.æ Mtis Vræ magnanimitate existimatio, non dubitamus justas nostras querelas ad R.am Mem Vram deferre, eandemque rogare, ut seposito belli, quod nos inter in præsens quidem est, sed si Deo placuerit brevi iterum componetur respectu, sanguinis, ac dignitatis, quæ sane æterna & inviolabilia sunt, rationem habere, & sæpe memoratum Lilliebæckium, indignum sane, qui pro R.æ Mis Vræ ministro, & ex generosa Suecorum natione ortum se ferat, ad dandam nobis publicam pro tanta contumelia publice illata reparationem constringere, & in eum graviter ac pro merito animadvertere sustineat. Quo quidem R.a Mas Vra non tantum nobis, quod par & æquum, ac sua generositate dignum est tribuet, sed omnium Principum dignitatem per impii, & impuri istius hominis os violatum a vulgi contemtu, imo ab interitu vindicabit. Principum namque injuriæ Principibus curæ esse debent, cum in omnes redundent, & quod adversus unum permittitur in alterum liceat. Quod si præter spem omnem atque expectationem nostram R.a Mtas Vra abnueret, quo minus a Lilliebæckio justa nobis fiat satisfactio, isque debite puniatur, non feret etiam graviter, quin ipsimet famam atque existimationem nostram, cujus bonum odorem ad posteros transmittere firmum nobis fixumque stat, debito modo tueamur, ac vindicemus. Sed omnia nobis æqua ab heroico R.æ Mis Vræ animo promittimus.* 1677.

§. 27. Ast non quale expectabatur responsum ad has literas a Rege Sueciæ obtentum fuit, quod & ipsum conceptis verbis heic adponere placet: *E literis Celsitudinis Vestræ Electoralis per tubicinem Danicum allatis uberius percepimus, acerbas, quas contra legatum nostrum extraordinarium Andream Lilliebæckium Cels.i Vræ El.li visum fuit proferre querelas, finiendo illas hisce minis, se ipsam illam quam prætendit injuriam severe vindicaturam, si a nobis talis non cutur satisfactio, qualem C. V. El. sibi debitam existimat. Quæ vero C. V. El. de jure humanitatis inter moratiores gentes recepto etiam flagrante bello, deque suo ex dictamine ejusdem rationis erga nos studio præfatur, non solum fuere nobis grata, sed etiam pari illam animo data occasione sumus promerituri propensionem. Præterea quod ipsum, de quo C. V. El. tam graviter conqueritur, negotium attinet, satis constat dilucide ex dicti nostri legati sermone, (quem tamen pro authentico, usque dum ipse legatus eum pro suo habeat, non possumus agnoscere,) originem illud suam traxisse ex scriptis acerbis & injuriosis, quæ contra nos nomine C. V. El.is & in Comitiis Ratisponæ, & alibi evulgata sunt, quod etiam legatus noster fas & muneris sui duxerit, iniquitatem eorum, & justitiam causæ nostræ Regi Serenissimo, & Reip. ad quam missus est, ob oculos ponere, & comprobare. Num vero illa æquissima nostræ causæ defensio meruit, quod Cels. V. El.is tam ignominiosas, ut ipsa fatetur, in publicam, & per jus gentium contra omnem injuriam merito munitam personam pronunciaverit minas, C. V. El.is seposito partium suarum studio ipsa dijudicabit; præcipue cum contumelia ista orbi statim innotuerit, postquam C. V. El.is eam ablegato Polonico coram prodidit. Quapropter cum fama, & vita pari gradu ambulent,*

Regis Sueciæ responsum. 16. Mart. 1678.

1677. *& ejus generis læsio honesto viro sit ipsa morte gravior, mirari non possumus, quod legatus noster acerrime desuper doluerit, & existimationem suam, dignitatemque nostram in ejus persona & munere simul vellicatam palam ulcisci voluerit; a prudentia ipsius, atque in rebus summi momenti gerendis nobis sæpius perspecta integritate, ac fide nobis tamen promittentes, quod absque ullo offendendi C. V. El.em prurito moderamen inculpatæ, & justæ defensionis servaverit, & nihil egerit, de quo nobis rationem reddere non possit. Interea temporis, & donec ulterius ab ipso nostro legato informemur, non possumus vereri, quod C. V. El.is in eum quidquam attentare velit. Eadem etenim, quæ C. V. El.is pro sanctimonia, reverentiaque majestati Principum debita ex jure gentibus communi deduxit argumenta, patrocinantur etiam ex eadem ratione, & earundem gentium unanimi consensu ipsis legatis; cum antiquitus declaraverint eorum personas sanctas, & inviolabiles, & quod nemini in legatos jurisdictio vel animadversio competat, nec teneantur ulli rationem ejus quod perpetrarunt reddere, nisi Principibus ac dominis suis. Confidimus ergo legatum nostrum extraordinarium vel ex ipsa Celsi. V. El.is erga jus gentium veneratione, vel sub Regis illius, ad quem eum misimus, suffragio, & tutela fore securum; aut si ipsi, quod nobis tamen persuaderi nequimus, injuria quadam præter fas inferatur, media nobis non defutura vindicandi gravissime illam, quæ in nosmet ipsos tunc redundaret contumeliam. Quibus C. V. El.em divinæ tutelæ commendamus. Dabantur in castris nostris ad Liunby d. 16. Martii anno 1678. Celsi. Vræ Electoralis bonus consanguineus* Carolus.

F. Joel Oernsted.

Regis Daniæ de hoc facto judicium. 22. Dec.

§. 28. Ast alii Reges de isto facto diversa plane judicabant. Et Daniæ quidem Rex eo Lilliehœckii sermone admodum consternabatur; nec debuisse Regem Poloniæ eam importunitatem ante ora sua exercitam dissimulare, quam & ab Ordinibus improbari constet. Ac non nefas fore, si iste Gedani ad necem usque cædatur. Aut si id fieri non possit, se omnem operam navaturum, ut ista hominis petulantia digne castigetur. Ac de generoso Regis Sueciæ animo confidere, eum primum fore, qui Electoris existimationem tuiturus sit. Sane is Rex, cum eum sermonem recitari audiret, sæpius colorem mutaverat, aliquando rubore suffusus, aliquando expallescens. Sed allato post Hafniam Regis Sueciæ responso, unde Electoris literæ ad hunc per tubicinem Danicum perlatæ fuerant, miris modis turbabatur, ac Electoris conditionem dolebat, cui dispari modo quam speratum fuerat, a Suecis fuerat occursum. Simul valde mirabatur, Sueciæ Regem proprii honoris rationem heic non habuisse; ac judicabat, Senatores, ac præcipue Joannem Gyldenstiernam, superbum, ac turbidi ingenii virum id responsi cudisse. Ac si Cæsar consentire velit, se una cum ipso ad Regem Poloniæ scripturum, ne iste Lilliehœckius in Polonia amplius toleretur. Quod si Polonus permoveri nequeat, ut eundem non amplius legatum agnoscat, rem Neomagum referendam, ut universi fœderati eam causam communem faciant, & inter conditiones pacis stipulentur, a Rege Sueciæ Electori pœna istius calumniatoris satisfaciendum; interim a nemine fœderatorum eundem pro ministro publico habendum, quicquid characteris Rex suus ei imponat, ac si in alicujus fœderatorum manus inciderit, Electori ad supplicium dedendum. 1677.

Cæsaris circa ejusdem facti ultionem studium. 11. Febr. 1678.

§. 29. Ad Cæsarem porro super hoc negotio scribebat Elector, ut & ipse hanc causam, quæ omnes Principes tangat, suscipere velit, quo sibi pro ejus atrocitate satisfiat. Ad eas literas Cæsar respondit: *Sese fædum hocce facinus ita comparatum reperire, ut ad id ulciscendum pro virili promte incubiturus sit. Eo fine ad Regem Poloniæ scripsisse, ac sperare eas literas idem effecturas, ac si ipse ad Regem Sueciæ literas dedisset.* Equidem initio Viennæ, quare ad ipsum Suecum scribere nollent, hanc causam obtendebant, quod ei titulum Ducis Pomeraniæ tribuere nollent. Sed cum Elector excepisset, sufficere, si Gallica inscriptio literis adponeretur, causabantur, apud Austriacam Domum moris non esse ad hostem durante belli statu literas dare. Revera autem incongruum, & parum ex dignitate responsum expectare nolebant. Cæterum literarum, quas Cæsar ad Regem Poloniæ super hoc negotio dederat, hæc verba erant. *Pro communi illo amoris, ac benevolentiæ vinculo, quo ipsa quasi natura Reges, Principesque, ac summas potestates indissolubili quodam & sacro nexu constringit, Serenitas Vestra non citra indignantis animi sensum coram audire sustinuerit acerbas voces & vituperosas illas calumnias, quibus nuper contra Ser.um El.em Brandenburgicum Principem, & consanguineum nostrum carissimum regius apud Ser.em Vram residens legatus Suecicus Lilliehœck in publica ad hoc sumta audientia, quo injuriam redderet atrociorem, debacchari non fuit veritus. Neque vero ab animadversione sua erga hanc tantam temeritatem demonstranda se ex alia ratione cohibuisse Ser.em Vram nobis persuademus, quam ut maturius dehinc statueretur, quæ vel maxime satisfactione facinus tantum expiaretur, quo tanta protervia non magis honor, & existimatio Principis Ser.is Vræ amici, & confœderati, sed & sacrum illud jus, quod Principes omnes inviolabiles vult, intactos esse, imo modestia illa, atque observantia temeratur, atque excutitur, qua fortis illius homines in audientiis regiis erga sacras Principum personas versari oportet: præsertim cum hoc factum, (quod ordinaria legati facultate comprehendi nemo asseret,) se a Rege suo jussum minime adpareret. Nos sane cum de eo certius audiremus; rei indignitas in causa cum omnibus potestatibus communi, tum & Imperatoriam Majestatem in Principum Electorum dignitate acrius perstringente animum nostrum non potuit non altius percellere. Et sicuti quidem haut in commune ferendum esse nobiscum Ser.as Vra facile dignoscit, ut Principum ac potestatum autoritas convitiis ejusmodi ac inferiorum lascivitis sit obnoxia; ita speramus Ser.em eandem Vram apud Ser.um ac Pot.um Sueciæ Regem officiis suis pro amica, quæ ipsis utrinque intercedit, nobis autem per bellum interclusa est*

tantisper

1677. *tantisper est correspondentiâ facile obtenturam esse, ut in enormem hanc temeritatem illic condigne animadvertatur. Certe si interea Ser^as Vra temeratorem hunc regio suo alloquio, atque obtutu haut ulterius dignata fuerit, & ipse effrenem suam licentiam gravius haberi, & omnes quotquot sunt potestates mutuum inter sese esse autoritatis præsidium cum applausu nobiscum sentient. Qui quod reliquum est, &c. Neostadii d. 11. Febr. 1678.* Dabantur quoque a Cæsare literæ ad legatos Neomagenses, aliosque suos ministros Hagæ, & in Anglia, ac Polonia: uti ejusmodi verba contumeliosa per speciem retorsionis etiam in minoris sortis principes effusa sint inaudita, multo minus a legato, qui ministri ac civis personam nunquam exuat, in tantæ dignationis Principem possint. Et quia Elector petierit, a se hanc causam ob communem Principum respectum, & peculiariter ex officio Cæsareo suscipi; se non posse non indignationem suam circa enorme hocce facinus demonstrare, non solum ob exemplum in omnes Principes redundaturum, sed & quia sibi haut omittendum sit conjunctissimi Principis honorem tutari. Igitur sui ministri ubique Principibus, ubi agunt, hanc insolentem injuriam in primarium Imperii membrum, ac eminentissimis in Europa potestatibus confœderatum patratam efficacissimis verbis exponerent, eosque requirerent; ut seria improbatione hujus contumeliæ in persona Electoris omnibus Principibus illatæ partim apud Suecum instent, quo in contumeliosum istum virum condigne animadvertatur. Sed quibus in præsens nullum literarum cum Sueco commercium sit, hunc Lilliehœckium indignum publico charactere declarent, omne commercium cum ipso abrumpant, ut is adeo inhabilis, ac infamis habeatur. Id quod sanctimoniæ omnibus Principibus debitæ tuendæ faciat; ut si maxime is a suo Rege supplicio non afficiatur, communi tamen omnium Principum judicio infamia notetur. Harum literarum nomine cum Crocovius Viennæ gratias ageret, addebat; Cæsaris demonstrationes, & hortatus ad communem injuriam ulciscendam eo plus ponderis habituros, si is velut supremum orbis Christiani caput aliis Principibus exemplo præeat, quod reliqui facile secuturi sint. Eoque rogabat, ut Cæsar id scriptum eo nomine, quod Viennæ disseminatum foret, per carnificem publice comburi juberet. Ad quæ responsum: Cæsarem prius cognoscere voluisse, quid alibi de hoc negotio judicetur. Quod si igitur compererit, alios quoque Principes publice detestationem in isthoc scripti declarare constituisse, eum non solum indignationem suam quantum possit demonstraturum, sed & libenter reliquis exemplo præiturum.

Electoris ad Regem Poloniæ missio. *1. Dec. 72.* §. 30. Ast Elector, cum nondum de Lilliehœckii invectiva inaudisset, Hoverbequium ad Regem Poloniæ Gedanum se conferre jusserat, propositurum; Sibi nil magis cordi, quam æternum nuper firmatum fœdus sancte servare, ac sinceram cum Rege amicitiam plena cum fiducia excolere. Sed non sine animi dolore experiri, hostium suorum ministros omnem lapidem movere, quo fœdus isthoc, amicitiamque abrumpant. Se quidem hactenus multa dissimulasse, ne Regem ingratis querelis obtundere velle videretur. Sed nunc cum constet Suecos, si modo per Moscos liceat, e Livonia per Samogitiam in Borussiam irruptionem moliri, Gallosque, & Suecos circa Gedanum sub oculis Regis palam delectus agere; non posse non eo nomine querelas ad ipsum deferre. Et quia utrumque æterno fœderi repugnet, Regem remedia, quæ per pacta hoc casu definiantur; solenniter exposcere. Scilicet ut non solum ex fœdere debita auxilia contra hostes repræsententur; sed & præcipue ut Lithuanici exercitus supremo duci injungatur, transitum audentibus Suecis vim opponere. Tum ut Rex conquisitiones militum, quæ in Borussia pro Suecis Gallica pecunia fiant, inhibeantur, & jam conducti dissipentur. Ad isthæc liquidum responsum, & cui obligatio insit, expeteret. Inde super Gursinii importunitate, quam apud se exercuerit, quereretur, quod & jam per literas factum; ac ne Rex ejus relationibus fidem adhibeat, sed de sua mente e literis judicet. Se haut eo minus Regis intuitu omnem isti humanitatem exhibuisse, ac abeunti Nobilem cubicularium adjunxisse, qui brevissima, & commodissima via eum reduceret. Sed hunc se insalutato, ac insuper habita adjuncti comitis contradictione duodecim milliarium circuitum per suam ditionem cepisse, quo Custrinum transire posset. Equidem terras, ac munitiones suas Regis ministris patere, quas & cuilibet spectandas exhibere non vereatur. Sed quia iste ante discessum de hoc itinere ne verbo mentionem facere dignatus sit, ac abrupta hæc, & indecora agendi ratio in solius Strauchii gratiam, & ut sibi ægre fieret, suscepta sit: se sperare, Regem id sibi displicere testaturum. Præterea queri jubebatur, suis ministris aliquoties literarum fasciculos Gedani subductos; id quod non pactis solum, sed & juri gentium adversetur. Si objiciatur, Regios quoque fasciculos ab Electoralibus resignatos, testaretur id nunquam conscio Electore factum; quin potius Suecos in finibus Pomeraniæ tabellarios exspoliasse, conjecta in nostros culpa ad dissidium inter nos excitandum. De cætero quid Gedani agatur observaret, ac inprimis Majores Polonos moneret, ut Gallorum, & Suecorum se machinationibus opponant; alias enim eorum provinciam armis sedem præbituram. Tum & cum Michaële Pacio ageret super prohibendo Suecorum per Samogitiam transitu. Quem facile ad hoc permovere erat, si pecunia in promtu fuisset. Elector ei devinciendo Pacianæ familiæ titulum Principum a Cæsare conferri optabat, quod & ista cupiebat. Sed eum honorem ambire leges patriæ vetabant: & Viennæ rogari velebant, ne ultronea oblatione pretium ei dignitati decederet, & quia cancellaria emolumentis suis metuebat. Mox *14. Dec.* idem ulterius apud Regem Electoris nomine exponere jubebatur; uti Lilliehœckius toto legationis suæ in Polonia tempore improbis, ac in-

1677. ac injuriosis sermonibus, scriptisque in ipsum debacchatus sit, ac nuper adhuc responso typis exscripto ad Danici ministri propositionem, cum a se ansa præbita non esset, indignis conviciis ipsum proscideric. Cum itaque nuper præsente Gursinio ea de re sermo incidisset, se dixisse: haut verosimile sibi videri, eum ut ita agat a Rege suo in mandatis habere. Et quia indignum plane suo munere se gerat, meritum, ut fustibus a se cedi curetur. Id Gursinium non citra interpolationem apud Lilliehœckium effutiisse, qui dehinc in conspectu Regis, ac procerum tam inficetam orationem eructaverit. Cum igitur omnibus consideratis adpareat, id de compacto in aula Polonica actum, apud Regem de propudiosa ista declamatione acerrime quereretur, inter alia demonstrato, omnes Principes juncta ope debitum sibi honorem tueri par esse. Nam ubi is semel in uno pedibus conculcari dissimuletur, exemplum mox longius grassaturum. Equidem suam dignitatem, & existimationem ita in orbe stabilitam, ut ab ejusmodi homine, e cujus dictis factisque emotio mentis reluceat, temerari nequeat; publice tamen interesse, ejusmodi proterviam impune non abire. Ac sperare, Regem Sueciæ, quantumvis in præsens hostem, ad quem literas daturus sit, ministri sui impudentiam serio improbaturum. Id autem multo magis a Rege Poloniæ sperare, qui per æternum fœdus ipsius honorem quærere, & quæ ei repugnent, avertere, atque ulcisci teneatur. Eoque a Rege se requirere, operam det, ut pro ea contumelia publice illata sibi satisfiat; aut vitio sibi non vertat, si ipse quantum possit ultioni suæ consulat. Sibi quidem de privilegiis legatorum satis constare. Sed quia Lilliehœckius non ut minister publicus, sed ut improbus diffamator se gesserit, ista eidem prodesse non debere. Ad ista Rex Lilliehœckii factum verbis improbabat, ac ne sermo iste typis imprimeretur prohibebat. Ipse quoque legatus Gallicus, & Bethunius, ac multi proceres id factum sibi displicere palam testabantur. Quin Croissius Neomagi id facinus insolentissimum, & absurdissimum pronuntiabat omnium, quæ unquam audita sint, & qui eo nomine furiosorum habitaculis sit includendus. Epistola quoque Electoris ad Suecum Regi prælecta ita ei placebat, ut eam sibi relinqui peteret, quo per otium eandem expendere posset. Sed super satisfactione Rex juxta, Senatoresque excusabant, extraneum ministrum sui tantum Principis jurisdictioni obnoxium; ac ne eam quidem cognitionem exteris competere, num legatus charactere suo indignum se gesserit, atque ideo privilegiis legati exciderit. Ac laudabant, Electorem utut bello cum Sueciæ Rege implicitum, apud hunc de *plaustris convitiorum* (ea verba erant) a Lilliehœckio jactatis questum fuisse. Credere quoque id ei impune haut fore. Nam Principes in gratiam redire; in male consultos ministros demum fabam cudi. Ac satis se præstitisse testando in Electoris honorem respectui, quod invectivam istam imprimi non permiserint; utut oratio, quam is post captum Stetinum publicaverat, tantum non indolem clarigationis habens in Remp. velut amissæ ejus urbis ream, Olivæ impressa, ac Gedani distributa fuerit. Idem & nuper irrisui fuerat, cum publica admissione Regi, ac Reip. Polonicæ Ducalem Borussiam obtulisset, quam Sueci Electori ereptam Polonis tradituri sint; plerisque cavillantibus, satius esse Livoniam a Suecis Poloniæ cedi hac lege, ut ea istis reddatur, ubi Borussiam Polonis tradiderint. Ac eo plus vesaniæ ista oratio habere videbatur, quod velut luculentum, & omni exceptione majus specimen fidei, & benevolentiæ Suecicæ in Polonos alienam his provinciam offerret, in qua Sueci ne latum pedem possidebant, ne exercitum in finibus habebant; ac simul postularet, ut Electoris cives rebellionem induerent, Polonique ad eandem occupandam operam conferrent; ac demum omnes illos patriæ proditores, ac Cæsaris, & Electoris stipendiarios increparet, qui ei negotio manum admovere nollent. Qua oratione quoque Cæsaris, Daniæ Regis, ac Belgarum literas *insulsas*, & *insipidas* vocitarat. Jusserat Elector, ut Hoverbequius denuo a Rege Poloniæ in Lilliehœckium animadverteret ob convitia publice in ipsum jacta. Nam etsi nil obtineat, alibi tamen prodesse posse querelas frustra movisse. Sed præter prius dicta nil impetrari poterat; ac protestabatur Rex, se nullum eorum scriptorum, quorum mentionem Elector apud Gursinium fecerit, vidisse, nec videre aut legere tanti habuisse; quin id genus scriptionis sibi magnopere displicuisse, ac ne quid ejus farinæ imprimeretur, vetuisse. Ac cum sibi ostenderetur, quales literas olim Zamoiscius Cancellarius ad Carolum IX. Sueciæ Regem, cum jam in Sigismundum III. insurrexisset, ediderit, multum de existimatione, qua hactenus eum virum prosecutus sit, sibi decessisse. Cæterum sibi talia ex animo dolere; sed nescire, quomodo heic procedendum sit: nec omissurum palam testari, ista sibi displicere. Electoris literas ad Regem Sueciæ ita conceptas, ut iis nil addi posse videatur; ac spem esse per eas obtentum iri, ut Lilliehœckius vel publice recantare cogatur, vel publicis muneribus obeundis incapax declararetur. Videbatur Rex plus indignationis in factum Lilliehœckii ostensurus, ni aliqui favore in Suecos proni ingessissent: nullum prope Principem ob necem Regis Angliæ indignationem suam publice declarasse, utut communis Principum causa agi judicaretur. Sed & quo minus id negotium deinceps acrius urgeretur, secuta mox rerum conversio obstabat, quæ istius contumeliæ dolorem solidioris jacturæ sensu obruebat. 1677.

Tractatuum Neomagensium continuatio. Controversia nostrorum

§. 31. Nunc ad ea, quæ circa pacem hoc anno Neomagi acta fuerunt, revertendum est. Quæ controversia Electoralibus legatis ab Anglis mota fuerit, supra exponi cœptum fuit. Ac isti quidem uti de Electoris jure ne hilum concedere statuerant; ita ne quid in se desiderari paterentur, quo minus ea lis amice componeretur, Anglis denuo denuntiabant; sese paratos esse visitationis honorem ipsis reponere, si eo quo

1677. cum Anglis super paritate utriusque legati. quo exigant modo se tractare velint. Sed cum isti priori sententiæ insisterent, nostri ulterius significabant; non sibi vitio datum iri, si aliis legatis, qui debito se modo excipere velint, visitationem reponant. Id quod Angli in nostrorum arbitrio relinquebant, fassi ab iis omni civilitate sibi occursum. Nostri insuper iisdem denuntiabant; utique cogitandum, quomodo ob isthoc litigium summa negotii haut impediatur, sed communi placito rationem ineundam id utique persequendi. Angli reponebant: ideo moram negotiationi haut injiciendam, ac posse ipsos invicem congredi absque cerimoniis, uti a Jenkino jam initium factum sit. Quanquam autem Angli spem facerent, eam litem brevi ex voto compositum iri: Somnicius tamen interim istos haut invi-
23. Jan. sebat. Mox cum Belgæ nostris referrent, Anglos a Rege suo mandata accepisse, ut circa cerimonias adversus nostros adhibendas Suecorum, & Gallorum exemplum imitarentur; nostri ad Anglos mittebant, sibi auditum, eos ex Anglia responsum accepisse, secus atque sperarint; de quo ex ipsis cognoscere velint. Ad quæ Angli: Regem promtissimum esse ad sinceræ amicitiæ officia Electori exhibenda vel ut per consanguinitatem, & communia sacra conjunctissimo. Sed ei cavendum, ne in negotio, circa quod Elector cum Gallis, & Suecis dissideat, his præjudicii quid adferat, ac in alterutram partium studium ostendat; multo minus ne supra alios Reges se extollere videatur, ac in litibus eorum decisionem ferre audeat. Interim Regem jussisse haut curare, quod a se delatum istis honorem non receperint, sed omnem iisdem operam navare, quod & facere parati sint. Cum nostri reponerent; hoc modo se cum istis congredi non posse, nec unum, nec utrumque; Angli reponebant; si accepti non sint, molestos non fore, ac id sibi patienter ferendum, additis tamen benevoli animi testationibus. Ac ita Jenkinus, qui alias id sibi proposuerat, ad nostros non accedebat. Ei porro controversiæ componendæ et-
30. Jan. iam alii fœderati operam dabant. Ac inter alias Kinskius se cum Anglis locutum ferebat: qui ad morem Monasterii usurpatum provocarint: ac censebat; nostros eam causam haut obtenturos, quod Lambergius Comes aliter sibi retulerit, nec Cæsarea acta cum iis, quæ nostri ediderint, conspirent. Pro nostris tamen militare decretum Cæsaris, quod legatorum Venetorum primus pari honore cum secundo habendus sit. Ast Elector nostros vetabat ullum temperamentum admittere, quod per hoc quicquid a Cæsare tanto labore obtentum fuerat, iterum sit subvertendum, ægre deinceps reparandum. Nam in aprico esse, Gallos & Suecos omnia ad normam pacis Monasteriensis redigere velle; ac si heic vel minimum iis concedatur, majora postulaturos. Eosdem quoque moderamen tractatuum affectare, & omnia ad suum placitum dirigere velle. Sic & Suecos cum olim Lubecæ tractationem eludere cuperent, quæstionem movisse, num tribus Electoris legatis, eodem charactere, procuratorio, & mandato instructis, par honor exhibendus, ac non id potius sequendum, quod alias in comitiis observetur, ubi primarius legatus præ collegiis insigni prærogativa gaudet. Unde tunc mutuas visitationes omissas. Chanutum quoque, qui alias partis magis, quam sequestris instar agebat, censuisse; sibi fas esse potius plura, quam Sueci faciant, prætendere, quam aliquid remittere. Unde & nostros omni colloquio cum isto abstinuisse. Ast electione Regis Michaelis Tottium Comitem utrumque Electoris legatum pari honore habuisse, ac iis non minus dextram manum, priorem incessum, & Excellentiæ titulum, quam nostros ipsi, tribuisse. Idem quoque Gallicum legatum, nunc Cardinalem Bonzium sine controversia fecisse. Regis Uladislai electione omnes Electoris legatos pari modo habitos. Tractatibus Stumsdorfianis ab Electore Georgio Wilhelmo quinque legatos adfuisse, quibus a Gallis, Anglis, Suecis, Polonis, Belgis eædem quæ Regiis cerimoniæ per omnia sint exhibitæ. Cæterum etsi nostri, quod & Elector 6. Febr. jusserat, omnem negotiationem cum Anglis abrumpere vellent; fœderati tamen consultius ducebant mensem adhuc Anglis indulgere ad petendam Regis sui declarationem: alias sibi necessium fore omni negotiatione supersedere. Angli contra Cæsareis significabant; quia nostri privatas visitationes a se admittere nolint, sibi injunctum deinceps nullam rem, quæ Electorem tangat, etiam per manus tertii admittere. Ea super re Kinskius graviter quærebatur, quod hoc modo omnibus fœderatis, ac ipsi Cæsari, per quem Electores sua agere soleant, facultas adimatur causam hanc Brandenburgicam suscipiendi. Quo responso Angli confusi excusabant; Regi haut constitisse, id negotium tam prope ipsum Cæsarem tangere: unde se ad Regem relaturos, ac sine dubio aliud responsum accepturos. Enimvero nostri Kinskio reponebant: se de hac controversia ad ipsum retulisse, non tanquam Cæsareum legatum, sed ad universum fœderatorum collegium, ejusque opem circa eam expetiisse. Nec esse hoc negotium, quod ad Imperium spectet; eoque Electorem non magis adquiescere posse, Cæsarem eam causam suam facere, quam aliud temperamentum admittere. Eundem ita de causa communi meritum, ut speret, ipsum a reliquis haut iri destitutum. Unde a fœderatis decretum; a Belgis exhibitionem suorum postulatorum paullisper differendam, quoad adpareat, quomodo Angli se declaraturi sint. Interim hisce significandum; procuratoria omnia in promtu esse, eorumque permutationem propediem faciendam. Simul cognoscere cupiebant verba concepta rescripti Regii, ad quod provocent, ipsis nil, quod nostros spectet, admittendum. Ad quæ Angli: Regi suo relatum esse, 16. Febr. nostros non solum ipsum sequestrem repudiasse, sed & concedere noluisse, ut reliqui fœderati cum ipsis in curia conveniant. Danum quoque Jenkino eorundem nomine denuntiasse, nostros ne privatim quidem cum ipsis conversari velle. Id quod Rex ægre admodum tulerit,

1677. tulerit, eoque sibi injunxerit, ne quid a nostris etiam per tertios oblatum admitterent. Enimvero super hoc negotio haut exacte ad Angliæ Regem relatum fuerat. Equidem nostri cum proponeretur, ut integrum fœderatorum Collegium cum Anglis colloqueretur, moverant: haut congruere, si alii legati Excellentiæ titulo honorentur, se solo vocabulo *Vos* compellari. Sæpe quoque institerant, ut reliqui fœderati ad hanc litem componendam incumberent; ac licet placuerit Collegium fœderatorum interim per unum mensem cum Anglis haut agere; ni tamen sibi ab Anglis satisfiat, aliud utique consilium capiendum. Ast pure Anglorum officium non repudiarant, nec tale quid ut Anglis denuntiaretur jusserant. Quin hac ipsa hora Anglis procuratorium suum obtulerant, ut id cum Gallicis, ac Suecicis permutarent. Ac revera a Gallis confictum fuerat, Anglum a nostris sequestrem repudiatum. Igitur Angli, ut Regi suo errorem eximerent, velut Elector ipsum sequestrem recusaverit, proponebant, ne procuratoria per delegatos ipsis traderentur, uti hucusque factum; sed se ad collegium fœderatorum accessuros, ac ibi procuratoria accepturos. Ac ne nostri metuant, hoc modo ipsis præjudicium allatum iri, se allocutionem, & quæ alia ibi inciderint, ita temperaturos, ne cuipiam fraus fiat. Id ut nostri acceptare ne dubitarent Stratemannus suadebat, reliquis omnibus idem probantibus. Nam mandata, ne nostri cum Anglis congrediantur, impedire non posse, quo minus cum reliquis fœderatis in aliquo loco compareant, ubi & Angli adsint. Nec e re fore, Anglum ab Electore ita protelari, eoque redigi, ut salva existimatione credere amplius nequeat; quod futurum sit, si nostri hanc propositionem rejiciant. Nec id esse temperamentum circa cerimonias inter Anglos, & nostros; sed remedium discutiendi errorem, cui novissima Regis Angliæ jussa innixa fuerant, simul ut via muniatur ex hac lite emergendi. Sed & artes Gallorum, quas heic agitent, non melius posse eludi, quam admissa hac via. Et si maxime quis hunc actum ad litem super cerimoniis porrigere velit, manifestum tamen esse, non nostros, sed Anglos primum cessisse, ac velut primum gradum fecisse, & a sui Regis jussis recessisse. Quin ex hoc proposito facile intelligi, Anglos hac lite defungi, ac nostris satisfacere velle. Et si maxime ea mens non sit, nostros tamen, ea via repudiata, se ipsos injuriæ damnaturos, ac fœderatis facultatem subtracturos ipsis deinceps adsistendi. Quia tamen nostris adhuc scrupuli quid erat, de hoc negotio in congressu fœderatorum proponi volebant, ut ab universis ad isthoc admittendum exorarentur. Cum itaque hic actus pro congressu Anglorum cum nostris haberi non posset, nec nostris necessum esset hoc congressu verborum quid facere, eoque idem præjudicio ipsis esse non posset, simul viam sterneret ad tam molestam litem admovendam; nostri in id consentiebant. Et sic Anglis ad fœderatos accedentibus procuratoria tradebantur. Eam rem Elector post probabat. Proposuere dehinc nostri; cum elapso jam mense sibi ab Anglis satisfactum non sit, se in tractatione progredi amplius non posse, simul ea in re fœderatorum opem expetivere. Ubi Danus censebat, universis fœderatis in negotiatione subsistendum, quoad nostris satisfactum sit: ac si Anglis hoc denuntietur, mox aliam viam inituros. Sed reliquis, ac præcipue Belgis id remedium nimis violentum videbatur, & forte Anglos, ac hostes ansam inde arrepturos tractatus abrumpendi; ac fœderatos suspicionem incursuros, quasi data opera pacem elusum eant. Igitur post multam disceptationem conclusum: nostram controversiam cum primario negotio haut miscendam. Universos tamen fœderatos apud Anglos enixissime instituros, ut competens honor nostris exhibeatur, antequam Bavarici legati, de quibus rumor erat, advenirent. Ita Kinskius, & Beverningius a reliquis delegati Anglos adiere; qui declarabant, se pro virili operam daturos, ut ex Anglia idoneum in eam rem responsum sequatur. Eo colloquio Kinskius dixerat; Brandenburgicos legatos jam Monasterii in possessione fuisse, ut pari honore habeantur: cum tamen idem initio Anglis dixisset; usum Monasterii nostris adversum esse. Ad quod Templius reposuerat: si compertum sit, id quod nostri exigant Monasterii jam usu receptum, omnem difficultatem expiraturam. Cui Kinskius; in actis Cæsareorum legatorum, qui Monasterii fuerint, inveniri, eos ibi secundo Electoris legato eundem, quem primo, honorem exhibuisse: & quanquam intra Imperium Romanum quandoque discrimen inter primum & secundum legatum fiat: id tamen nunquam extra Imperium observari. Et cum Cæsar nostros æquali modo tractet quare alii Principes id recusent? Templius: Suerinum Londini ei negotio tam egregia fundamenta posuisse, ut brevi gratum responsum a Rege expectetur. Etsi alias Templius iste manibus pedibusque reluctatus fuerat, ne Electori circa hoc negotium satisfieret. Sed cum id responsum protraheretur, nostri denuo apud fœderatos instabant tractationem suspendi, quoad sibi satisfactum sit. In quod se consentire jussum Danus declarabat. Sed alii excusabant, magni rem momenti esse, in quam citra peculiare mandatum descendere nequeant. Interim se diligenter officia interposituros. Williamsonus dixerat; Beverningium aliquid in hoc negotio locutum, quod Regem Angliæ offenderit. Id in Anglia ita acceptum fuisse, quasi nostrorum nomine prolatum foret. Sed Beverningius scripto declarabat; id se suo nomine protulisse, eoque nostris fraudi esse non posse. Ea in controversia cum nostri ad Benedictum Oxenstiernam provocarent, qui tractatibus Olivensibus interfuerat, hic conscientiam suam attestabatur, se non meminisse, quid Olivæ circa cerimonias factum sit. Id quod nemini verosimile videbatur.

1677. 1. Mart. 13. Mart. 20. Mart.

§. 32. Interim Otto Suerinus in Anglia circa eam litem componendam diligenter allaboraverat. Ubi Arlingtonus quidem operam suam tata.

In Anglia super ea lite agitata.

1677. suam in eam rem prolixe offerebat. Sed Williamsonus Secretarius Status contra allatas pro Electoris jure rationes non sine affectu regerebat: Cæsarem, qui cum Electoribus ad certas leges servandas teneatur, in exemplum adduci haut posse, quod alios sequi necessum sit. Cui & peculiaris ratio sit, quare Electores cum Regibus pari gradu collocare velit, ut eo ipso Reges infra se deprimat, quod Electores sine controversia ipsum non paulo eminentiorem agnoscant. Possessionem paritatis, quæ Monasterii, & Olivæ allegatur, in dubium vocari contradicente Curtinio legato Gallico, qui Monasterii fuerit. Joannem Mauritium Nassovium Principem, & Weimannum Cancellarium ab ipso Rege Angliæ ideo pari honore mactatos, quod is non solum natura ad humanitatem proclivis sit, sed & primus fuerit, ad quem legatio Electoralis accesserit. Unde honores, quos nostri legati eo respectu consecuti sint, nec hisce jus, nec ipsi præjudicium contra receptum usum adferre posse. Sed cum adversus hæc, quæ par erat, regererentur, vanitatem ratiociniorum suorum ipse agnoscere videbatur. Sed Rupertus Palatinus magno studio eam causam amplectebatur, ac mox ut Suerinus a Rege audiretur efficiebat. Cui hic respondit; *Legatis suis injunctum hac in re Cæsareos, & alios regios legatos sequi. Hautquidquam sibi propositum præjudicii quid Electori adferre, sed tantum recepto usui inhærere.* Ad quæ Suerinus: *Anglos Coloniæ inter duos fratres Furstenbergios velut Coloniensis Electoris legatos nullum discrimen fecisse. Nec ipsi Gallos, & Suecos respiciendos, qui sine dubio omnibus modis Electori molestiam facessere quærant, & hanc litem alant, ne hujus legatis cum sequestribus agendi facultas sit.* Ad quæ Rex: *Si Cæsarea declaratio, qualis feratur, extet, forte negotium jam Neomagi compositum fore; quod legati sui eorum exemplum imitari jussi sint. Interim sperare, Electorem intelligere potuisse, sibi magis pacem promovere, quam prærogativæ quid aucupari cordi esse. Nam etsi speraverit, legatis suis Neomagi idem honoris, quod Suecis Coloniæ, exhibendum, quos etiam posterius advenientes legati primo loco inviserint; et tamen postulato insistere noluisse, quod nonnihil difficultatis in eo deprehenderit. Deinceps quoque magis rem, quam cerimonias curaturum.* Ast ministri Anglici mox diversa disserere: Quanquam Kinskius, & Ronquillus Neomagi nostros pari modo tractent, id tamen exemplum Regi haut necessum esse sequi, quod ei velut sequestri non aliqui sed omnes respiciendi sint, ne cui suspicionem studii in partes injiciat. Et cum Suerinus ipsa Regis dicta reponeret, Conventrius ea interpretando detorquebat, *omnium regiorum exemplum se imitaturum.* Quam & suam mentem fuisse Rex ipse post Suerino dicebat. Ut non obscurum esset, eum a priore sententia nunc discessisse. Cui Suerinus regerebat: *Cum Cæsarei, Hispani, & Dani haut dubitaverint nostros pari honore excipere, Galli quoque, & Sueci ex mera libidine Electori ægre faciendi scrupulum moveant, cum antea Oliva, Warsaviæ, & alibi aliter fecerint; nec Electorem meruisse, & orbi mirum visum iri, Regem solum exemplum hostium sequi, ac proprio facto repugnare velle.* Cui Rex: se cupere omnia in eo statu relinquere, qui Monasterii fuerit. Ibi Electoris legatos a Gallis dispari modo habitos. Suerinus: si maxime detur a nostris Monasterii circa cerimonias quid neglectum, id tamen hautquidquam perpetuæ legis vim habere; cum in cerimoniis aliquando novitas magis, quam antiquitas respiciatur, ac dignatio Principum magis augeatur, quam imminuatur. Ipsum Electorem tempore pacis Monasteriensis a multis Regibus *consanguinei* tantum vocabulo, nunc *fratris* honorari. Et cum de Cæsaris, omniumque Regum, & ipsorum Anglorum Coloniæ exemplo constet, quid amplius desiderari? Cum Rex exciperet, Wilhelmum Furstenbergium legatum non fuisse, Suerinus regerebat: Gallos circa hoc Cæsari contradicere; ac ipsum Regem literis ad Cæsarem id asseruisse, ac eundem ab Anglis Coloniæ legatum fuisse agnitum. Ita confusus Rex cum quid reponeret non haberet, dicebat: se pleniorem informationem Neomago petiturum. Interim eam litem non obstituram, quo minus ad primarium negotium accedatur, quod sui legati cum Somnicio agere possint. Id quod Suerinus negabat admissum iri, nec eos disjungi se passuros. Patebat Regem in hoc negotio turbatum esse, quod nec libenter cedere vellet, nec tamen idoneæ rationes negandi suppeterent. Sed Electori ne quid remitteret, complures rationes erant. Nam periculum in mora non erat, nec pax ita brevi coitura videbatur. Belgas quoque ad Electoris æque, ac ad Lotharingi dignitatem tuendam teneri, circa cujus titulum aliquot menses absumti sint. Sed nec blandissima verba, nec submissas preces tantum heic profecturas, quantum masculas querelas super ista innovatione. Nec Anglum cedendo obligari, & vel obnixissimam Electoris constantiam in animo Regis quidquam ei nocituram. Quin Anglicam aulam audaces æstimare, cedentes, ac meticulosos contemnere. Sed &, quod maximum erat, id agi adparebat, ut omnia ad formam tractatus Monasteriensis reducerentur; & facto a cerimoniis initio circa ipsam rem Electorem, aliosque Principes eo remittere animus erat. Quibus destinatis in principio obstandum videbatur, ac demonstrandum, Monasteriensem pacem nullo modo normam horum tractatuum haberi posse; cum istius majorem partem compositio intestinarum turbarum absolverit, Neomagi tantum cum exteris res sit. Denique nullo modo immediata communicatio cum Anglis obtineri poterat, ni hæc lis tolleretur, per quam Belgis occasio præbebatur Electoris negotia gerendi. Et constabat a Gallis hasce tricas moveri, quo inter has moras ad separatam cum Belgis pacem venire possent. Quorum libidini Anglum sequestrem velificari haut decebat. Enimvero quicquid rationum Neomagi, ac Londini adduceretur, 30. Jan.
Rex tamen declarabat, sibi per eas cedendi necessitatem haut adferri. Nam facta fœderatorum Electoris pro norma actionum suarum admitti

1677. admitti non posse, cui in negotio ejus indolis omnes Reges respiciendi sint. Suerinus contra: Quia Galli, & Sueci prioribus congressibus nostros pari modo habuerint, in aprico esse, quæ in præsens moveatur difficultatem tantum ab hostili odio proficisci. Et quia tot aliorum Regum, ac ipsius exempla in promtu sint, non adparere, quid scrupuli supersit. Ad quod ipse Rex quid regereret nil habebat. Ministri tamen ex eo, quod Elector circa honorem legatis suis exhibendum Viennæ egisset, colligebant, eum antea in possessione ejus, quam obtendat, paritatis non fuisse. Et cum objiceretur; Gallos tribus diplomatibus tuti itineris omnes Electoris legatos, quorum hic tres initio mittere constituerat, *Ambasiatorum* vocabulo nuncupasse; Williamsonus censebat, e promiscue concesso hocce titulo non consequi istos pari modo recipiendos.

9. Febr. Sed mox cum Beuningius a Belgis jussus esset Electoris causam in Anglia fulcire, Rex ostendebat; quia primus legatorum Electoralium Regiis par habeatur, reliquis quoque id facile indulgeri posse. Sed nostros Neomagi haut idoneam viam instituisse scopo suo potiundi. Nam se id nolle invito sibi extorqueri. Nostros quippe per Danum Anglis denuntiasse; se horum officio non amplius usuros, quoad hæc lis composita sit. Beverningium quoque dixisse, a nostris Anglos sequestres repudiatos. Ac Williamsonus novas cavillationes miscebat: Kinskium Anglis ostendisse, cum Electoralibus Osnabrugæ a Cæsareis tali modo actum haut fuisse; ac in præsens Cæsarem circa eam paritatem magis connivere, quam eandem probare. Ronquillum non *Ambasiatoris*, sed *Plenipotentiarii* tantum dignatione præditum; unde ad ejus exemplum frustra provocari. Denique a nostris menstruum spatium præfixum, intra quod liquida Regis declaratio, aut dissolutio tractatuum sequi debeat; id quod satis pro imperio sit. Ad quæ Beuningius Regi demonstrabat: *Eo modo si agere pergat, omnem sibi rationem præcludi fædus, aut amicitiam cum Germaniæ Principibus excolendi; cum tamen Anglia, ipso Rege agnoscente, aliquando per eos Principes a Gallica oppressione defendenda sit. Tum Electorem non solum inter Protestantes potentissimum, sed & cui præcipua facultas sit ob positum suarum ditionum Angliæ opem ferendi. Offendi quoque totum Electorale Collegium, ipsumque Cæsarem, ut deinceps pariter cum Anglo tractatus suscipere nequeat. Nec Electori integrum esse quid remittere, quod plerique Reges jam ei velificati sint, forte Anglorum exempla concessa retracturi. Quo ipso Elector, qui prærogativam præ Rebuspublicis prætendat, longe post has rejiciendus sit. Quam indignitatem excelsi animi Princeps nunquam admissurus sit. Unde satius esse Regem ultro & cum bona gratia facere, quod aliquando utique faciendum sit, præsertim cum altius penetret, quod hostes Reges hanc litem movere cœperint.* Ad ea quæ recens objecta fuerant, respondebatur: *Quæ Kinskius de Osnabrugæ actis dixerit, probari ab ipso non posse. Sufficere, quod Cæsar nostros pares haberi jusserit. Caput Hispanicæ legationis idem quod Ronquillum facturum; quod inter Cæsarem, & Hispanum id negotium ex compacto agatur. Denique nec nostros ita aspere locutos, nec rem ita abrupte apud sequestres propositam.* 1677. Ad quæ Williamsonus nil quod exciperet habebat. Rupertus Palatinus Suerino dicebat: *Ab Eboracensi Duce Regem ita difficilem reddi ex solo odio in Protestantes, & quia metuat, ne Rex Electori arctius se innectat.* Arlingtonus referebat: in promtu jam fuisse gratum responsum, sed Kinskium omnia iterum evertisse, qui asseverarit, in Imperio talem honorem Electoralibus haut deferri: ac si iste his indulgeatur, a Principibus missos idem postulaturos; denique idem Osnabrugæ ab Electore haut obtentum. Ac Regem tamdiu a Kinskio traditis inhæsurum, quoad hic compellatur dicta sua retractari. Sed se Regi reposuisse: non adparere, quare alii Reges eum honorem Electori negare velint, quem Cæsar eis tribuat. Super hoc negotio Elector ipse ad Regem literas dederat; *Mirum* 13. Febr. *videri, qui ad alienas lites componendas venerint, controversias movere, cum ipsius Regis exemplum in contrarium extet: ac id negotium ad decisionem hostium rejici; qui & procuratoria secum tractandi edere tergiversentur. Unde sibi necessum fore legatos suos Neomago avocare, ni Rex ei rei remedium adferat.* Simul Suerino in eventum literæ mittuntur, quibus ex aula Anglica revocabatur, quod ob litem Neomagi motam sibi non satisfiat. Eas literas cum post interpositam aliquam moram Suerinus Regi redderet, is re- 17. April. spondebat; id negotium sibi jam fere memoria excidisse; sed cum Consilio suo deliberaturum, ac mentem suam declaraturum. Re igitur in Consilio magno proposita gratum 15. Maji. mox responsum secutum fuisset, ni artificio Williamsoni effectum esset, ut res ad delegatos rejiceretur; quod is causaretur, Suerini libellum prolixum nimis esse, ac molestum auditu Regi fore, qui haut libenter in Senatu diu sedebat. Erat alias iste Williamsonus malitiosi ingenii vir, valde insuper dissolutus, & negligens, vespertinum tempus inter lætos sodales consumere, & mane in horam nonam stertere solitus; qui mores minime omnium cum ipsius munere quadrabant. Is cum in Consilio literas Electoris recitaret, initium earum acuta & velut minitabunda voce, sed posteriora, & quæ summam rei continebant, rapida, ac pressa voce evolvebat, quo diversum sensum audientium animis imprimeret. Idem quoque super titulis Electori Saxoniæ, ac Duci Gottorpiensi dandis difficultatem moverat, insuper habito recepto usu, jactans; se non teneri ad continuandum errorem ab antecessoribus suis admissum. Ante triennium quoque a Gloxino Moguntino Residente petierat, ut is Princeps Wilhelmi Furstenbergii causam amplecteretur, nec permitteret, a Cæsare jus gentium tam violento modo temerari; alias a suo Rege legatos Electorales minoris habitum iri. Tandem cum de- 24. Maji. legati ad Consilium retulissent, decretum fuit, utrumque Electoris legatum Neomagi pari modo tractandum. Rex apud Suerinum excusabat moras negotii, quod sibi persuasum fuerit,

1677. fuerit, inter Electorales legatos semper id discriminis observatum: ac de nostrorum actis sinistre ad se perscriptum; tum Beverningium super hoc negotio sat aspere cum sequestribus locutum. A Kinskio quoque sibi scrupulum injectum, qui asseverarit, Electoris legatos Monasterii haut pari modo habitos. Scripserat Goëus minister Danicus ex Anglia, ipsos jam Gallos laborare, ut Electoris secundo legato satisfiat, quod Galliæ Rex eum honorem Bavaricis legatis, qui propediem Neomagum
30. Maji. venturi sint, utique exhibere velit. Eo decreto Neomagum allato nostri Anglis visitationem reponebant, qui omnes, quæ expetebantur, ceremonias tribuebant, multis insuper verbis de studio suo in Electorem testati. Eo facto Galli non parum confundebantur, Anglicum decretum indignati. Sed Oxenstierna Stratemanno dicebat; se circa cerimonias cum nostris Angli exemplum secuturum. Quomodo Olivæ actum sit, exacte haut meminisse, cum septendecim annorum spatio talium facile oblivio subire queat: Ac forte rem ita se habere, uti nostri retulerint. Sane actis Holmiæ evolutis compertum, Electoris intentionem fundatam esse.

Varia circa cerimonias. §. 33. Cum aliis facile nostris super cerimoniis conveniebat. Ac Hispanus quidem Petrus Ronquillus nostros primum velut privatim invisebat, quod de adventu suo nondum publice significasset. Is utrumque titulo *Excellentiæ* impertiebat: in quam rem sibi quidem expressa mandata ab aula non sint: sed quia Cæsar jusserit eos ita tractari, se quoque scrupulum movere noluisse, idque ut Suerino Londinum significetur petebat. Franciscus Ulricus Kinskius nostris invisentibus ante januam ædium obviam veniebat, ac utrique digniorem locum ac titulum Excellentiæ tribuebat. Post quoque Gurcensis iisdem plane ritibus, uti Nuntium, Gallos, & Danum excipiebat. Danus quia duobus sejugibus, unis bigis nostros visitatum venerat, nostri ad eum accedentes pari pompa utebantur. Belgæ, cum visitationem nostri reponerent, testabantur, Rempublicam suam in nemine fœderatorum plus fiduciæ quam in Electore collocare, ac cum nemine Principum, quam cum eodem arctiore fœdere necti velle. Inter Kinskium, & Gallos super visitatione aliquid litis ortum. Hi quippe apud Anglos jactaverant, se istum haut invisuros, ni primam post sequestres horam sibi condiceret, simul promitteret, se reciprocam visitationem priore loco ipsis repositurum. Sed Kinskius declarabat; se recepto more notificationem eodem tempore facturum, ac eo ordine, quo quisque post facta significationem horam adeundi requisiverit, visitationem admissurum, ac repositurum. Is Kinskius de adventu suo Anglis primum significarat, qui & eum inviserant, nulla pompa, seu, ut loquuntur, *incognito*. Idem cum post solennem notificationem facere, simul solennes visitationes accipere, ac dare vellet; Angli ulteriorem notificationem admittere abnuebant, quod semel jam ea cerimonia defuncti sint; idque & Danus probabat. Sed nostri censebant; prius factam a Kinskio notificationem non pro actu solenni, sed familiari habendam; ac suadebant, ne Gallis per talia voluptas concilietur, a quibus ejusmodi tricæ proveniebant committendis inter se fœderatis. Nam hi cupiebant impedire, ne Kinskius solennem visitationem acciperet, quod ipsis proximam post Anglos visitationem negasset. Unde & idem Gallis notificationem non fecerat. Ostendebat porro iste Anglis, sæpe legatum in aula quapiam privati habitu agere, ac eo modo cum Principe colloqui, nullis cum cerimoniis exceptum & in aulam adductum. Ast ubi in publicum prodierit, solenni significatione facta solenniter excipi, & in aulam adduci, tum solennes visitationes accipere, atque reddere. Ita & sibi facere decretum: quod & is pervicit. Tertium legatum Hispanicum Christinæum Galli pro legato primi ordinis agnoscere nolebant, quod ei fiduciariis literis Plenipotentiarii tantum titulus datus esset. Sed Ronquillus ostendebat; in Hispania legatos ad ejusmodi tractatus tantum Plenipotentiarios solere vocari; nec Pegnerandam Monasterii alium titulum gessisse: cui & Cæsarei sine hæsitatione Excellentiæ vocabulum tribuebant. Post tamen cum primarius Hispani legatus Spinola-Doria Marchio Balbasius adveniret, Ronquillo quoque, & Christinæo *Ambasiatorum Plenipotentiariorum* titulus dabatur; qui omnes apud nostros visitationem iisdem, quibus apud Regios, cerimoniis obibant. A Daniæ Rege missus Simon Petcumus tantum characterem Deputati, aut ablegati extraordinarii habebat, *Petcum.* qui tamen in nostrorum ædibus priorem sibi locum deposcebat. Cui responsum; non aliter id fore, quam si & Danici Ambasiatores nostris ablegatis extraordinariis idem honoris in suis ædibus exhibituri sint. Benedictus Oxenstierna Gurcensi Episcopo *Principalis gratiæ* titulum dare abnuebat; Quem & Viennæ Schwartzenbergio Principi, & aliis ejusdem conditionis quondam dare recusaverat.

§. 34. Quo honore a Principibus missi essent afficiendi, multa iis tractatibus disceptatio fuit. Ac primo quidem circa diplomata tuti accessus hisce dandis Galli, ac Sueci nosse volebant, quid Cæsar facturus sit. Cæsarei contra nosse cupiebant, num ipsi utique Cæsaris exemplum secuturi sint; tunc se ad Cæsarem relaturos. *Postulata Principum circa legatos suos.* Nomine Domus Brunsuicensis Mullerus Neomagi postulabat, ab hac mittendos velut Ambasiatores recipi, ac ut antequam id annuatur negotiatio quiescat. *20. Febr.* Ei nostri declarabant; Electorem antiquis Principum domibus eum honorem nunquam invidisse, ac ea postulata jam Hagæ probasse. Belgæ dicebant: a se, aliisque fœderatis nil difficultatis motum iri, si Cæsarei id faciant, quorum exemplum sint imitaturi. Idem & Hagæ a Belgis diplomata pro delegatis Inferioris Saxoniæ postulaverat; quibus se Elector, ac Danus opponebant, quod is Circulus fœderatorum sese rationibus opponeret; & cum conventus Ratisponensis haut e re duxerit suo nomine

1677. aliquem huc mitti, nullo colore unicum id Circulum postulare posse. Venit quoque Neomagum ab Hanoverano missus Hunica, qui obiter disserebat; herum suum confidere, ab Electore jus legationum Principibus competens fultum iri, quod ipsi hactenus a Gallis & Suecis diplomata, queis a suo Domo missi Ambasiatorum dignatione habeantur, obtinere haut potuerint. Cui nostri eadem quæ Mullero reponebant. Hic Mullerus Danum consuluerat, quomodo prætensiones Domus Luneburgicæ pervincere possit; quæ cum tantum prærogativæ præ aliis Principibus habeat, ejus legatos non infra Electorales haberi posse. Nec Belgas id abnuisse. Cui Danus responderat: sibi videri apud Cæsarem ante omnia de hac re agendum. Alias sibi cæterorum regiorum exemplum imitandum. Reges autem circa ceremonias a Cæsare, quem primum inter Reges hoc præsertim loco habeant, secessionem haut facturos. Quid Belgæ faciant, ejus rationem habitum non iri. Electores, & præcipue Brandenburgicum possessione multis actibus firmata niti. Si Duces gemina exempla producere nequeant, difficile fore heic loco aliquid novi obtinere perpetuo dein observandum. Equidem Daniæ Regem propter cognationem plurimum Domui Brunsuicensi deferre. Sed in ejusmodi rebus magis receptum usum, quam consaguinitatem spectari. A Lotharingo missum Canonem Præsidem bene fecisse, quod ministri plenipotentiarii titulo contentus prætensiones haut moveat nullum successum. habituras. Ad quæ Mullerus: Ab universa Domo Brunsuicensi legatos mittendos, quos debito honore affectum iri spes sit. De Canone valde querebatur, qui causæ Principum multum præjudicii attulerit. Porro super hoc negotio Cæsarei in mandatis habebant, ut primam visitationem a Principum legatis reciperent, Excellentiæ titulum, ac digniorem propriis in ædibus locum ne darent, eosdem in *antecamera* exciperent, & ante eos conclave intrarent; atque id observarent, si maxime hostiles legati plus honoris iisdem deferant. Nostri ut haberent, quod hac in re sequerentur, ab Electore his super quæstionibus edoceri volebant. Num Electorales a Principalibus primam visitationem expectare debeant, ubi hi post istos advenerint, ac de adventu suo rite significarint? Quousque nostri Principalibus, ubi hi ad ipsos accedant, obviam prodire debeant? Num nostri, ubi Principales ad ipsos veniant, hos in conclave præcedere debeant? Num nostri ab his Excellentiæ titulum exigere, sed non dare; num nostri in suis ædibus digniorem iisdem locum deferre; num denique nostri istos omni pari honore, si ipsi inter se nullum discrimen faciant, tractare debeant? Super his rebus multi, queis de Principum mente constabat, censebant: Electoralibus primam visitationem a Principalibus expectandam. Hisce paulo longius quam a Cæsareis fiat, ab istis obviam procedi posse. Electores semper id exegisse, ut sui legati Principales conclave ingressuros præcedant. Ratisponæ Cæsareos, & Electorales semper Excellentiæ vocabulo se invicem nuncupare: Electorales, & Principales ibidem tantum mutuo *Dominos legatos* se vocitare. Ast heic sine dubio Regios offensum iri, si Electorales a Principalibus alios titulos, quam ab ipsis admittant. In suis ædibus Electorales Principalibus honoratiorem locum deferre, tum omnes pari honore habere par esse. Sed nostri judicabant, Principales in ista ægre consensuros, & vix temperamentum heic inventum iri, quo Principes adquiescant, ac simul Electorum prærogativa salva sit. Etsi manifestum sit, si utraque pars sententiæ suæ insistat, discordiam utrorumque destinatis noxæ futuram. Ac ab aliquot retro annis, & præcipue his Comitiis in publicum erupisse, uti Principalium plerique Electorum peculiaria jura circumcidere quæsiverint, ac cumprimis Brunsuicensis Domus Electorum præeminentiam plane agnoscere noluerit. Ast Elector æquum censebat, ut si ipse Brunsuicensium desideriis favere debeat, hi quoque nil in fraudem Electorum postulent. Sed in Mulleri propositione mirum videri, Duces sibi prærogativam præ reliquis Principibus tribuere, cum notoriam Electorum præ Principibus præeminentiam ab aliquo tempore impugnare ausi sint. Cæterum sat causæ sibi esse, ut recepto antiquitus usui insistat: testandæ tamen in Brunsuicensem Domum amicitiæ circa hæc concedere sibi decretum. Si ejus Domus ministri nostris primam visitationem exhibeant nullo discrimine prius an posterius venerint, nostros longius, quam hactenus factum fuit, ipsis obviam processuros, ut tamen aliquod discrimen circa hanc processionem maneat inter ipsos, & Cæsareos, atque Regios. Nec minus nostros propriis in ædibus honoratiorem iisdem locum concessuros; ac demum paribus fiduciariis literis instructos pari modo habituros. Hæc tamen omnia iis legibus, ut nostri prius videant, quomodo Regii heic acturi sint: si tota Domus mittat: ut ista tantum Neomagi, velut urbe extra Imperium sita serventur: ut nostris titulum Excellentiæ dent, non vicissim petant: denique ut Domus illa legatis suis Ratisponæ imperet, ut antiquus ibi mos retineatur. Accedebat inde nostros Mullerus nullo charactere, uti ferebat. Nostri cum aliquandiu stantes cum eo locuti essent, ita demum considebant, ut iste inferiorem locum sortiretur; qui & nostris titulum Excellentiæ dabat, non vicissim recipiebat. Venit dehinc Neomagum Salentinus Schutzius Cellensis Consiliarius, qui acriter urgebat, ut Brunsuicensis Domus legati nostris eo loco per omnia æquales haberentur. Is ad nostros non accedebat, etsi cum aliis ageret. Ab Osnabrugensi quoque Præsule veniebat Franciscus Ernestus Platenus, qui se non Ambasiatorem, sed ministrum Plenipotentiarium ferebat, nec Excellentiæ titulum exposcebat. Sed reliqui ejus Domus Duces supremi gradus legatos mittere cupiebant, queis Excellentiæ titulus tribuendus sit. Quo fine Schutzius in Angliam mittebatur, ad eum Regem permovendum, ut in id consentiat. Cujus initi-

Margin notes: Hunike. — Canon. — 1677. — 12. Jun.

instituto ibi sese opponere Elector haut consultum ducebat, ne amicitiam tantopere hoc tempore necessariam imminueret; præsertim cum haut viderentur ibidem operæ pretium facturi, quod in ejus Regis potestate non sit circa Principes Germaniæ quidquam disponere, cum si quid novi quæreretur Cæsar præcipue adeundus esset. Haut tamen abs re erat vigilare, præsertim cum & legatus Sabaudicus Londini talia affectaret, quæ Electoribus fraudi forent; a quibus aula Anglica non aliena fuerat. Iidem Duces a Cæsare per literas petebant, ut sui legati apud tractatus pacis tanquam Ambasiatores recipiantur, & tractentur. Ad quod annuendum Cæsar haut pronus erat, multo minus, ut Principales cum Electoralibus pari honore haberentur. Haut eo secius Electorali Collegio Ratisponæ visum a Cæsare petere, ne istis petitis gratificetur, sed veterem morem servet. Quibus Cæsar respondit; a recepto usu sese haut discessurum, ac solitum discrimen inter Electorales, & Principales retenturum.

Circa Lotharingi admissionem considerationes. Sereincamp.

§. 35. Ast Lotharingo facile habebatur circa inania sese non jactare, modo id recuperare posset, ex quo solida Principum dignatio promanat. Ejus nomine Neomagum accedebant Franciscus Canon, & Franciscus Serenocampius, ministrorum Plenipotentiariorum titulo insigniti. Nostri dubitabant, num isti ad congressus fœderatorum admittendi forent, quod Duci cum Electore fœdus non esset, & quia horum exemplo alii non omnibus, sed uni tantum, aut alteri fœderati admissionem petituri erant; unde confusio, & litigiorum materia provenire possit. Sed quia Cæsar, Hispanus, & Belgæ ejus fœdere innexi erant, id prohibere non poterant. Danus dicebat: etsi super hac re nihil in mandatis habeat, se tamen Cæsareis haut contradicturum, declinandæ invidiæ, & offensæ inde secuturæ; præsertim cum non videat, quomodo ejus admissio impedienda sit. Cum itaque super hac a Kinskio in congressu proponeretur, Danus negabat circa hanc rem aliquid sibi injunctum; non tamen repugnare, quo minus is fœderatorum congressibus intersit. Nostri pariter; sibi super ejus admissione nihil mandatum; jussos tamen Ducis causæ velificari, ac scire, quanti Elector eundem æstimet. Sed nosse velle, si admittantur, quo modo recipiendi, & ubi sessionem capturi sint: num Ambasiatoribus, qui jam adsint, miscere se velint, & quid circa alios, qui paria postulaturi sint, observandum? Nam hucusque neminem in congressum huncce accessisse, cui non cum omnibus Principibus nostris fœdus intercesserit; ac plerumque discrimen statui inter socios fœderis, & socios belli. Ad quæ Cæsarei: Canonem haut postulaturum cum præsentibus legatis promiscue sedere. Eum aliis titulum Excellentiæ dare, non vicissim exigere. Ita omnes conclusere, extremo loco sessurum: quid cum reliquis agendum, decernendum ubi advenerint. Dissuaserant Cæsarei isti Canoni, ne Excellentiæ titulum affectaret. Belgæ in suis ædibus digniorem ei locum detulerant: ita enim ablegatis extraordinariis Regum, Electorum, & Lotharingi facere jussi fuerant; Excellentiæ vocabulum non tribuerant, cum hic istos eodem honorasset. Danus in sua domo priorem ei locum concedere nolebat. Sed Templius eundem apud se ita collocarat, ut discerni non posset, uter digniore loco sederet, ac discedentem non extra januam comitatus erat. Idem & de adventu suo haut solenniter denuntiarat. Elector nostros nil difficultatis circa ejus admissionem movere, sed potius amice cum eo conversari jubebat. Circa cerimonias Belgarum exemplum sequerentur, ac digniorem in suis ædibus locum ei deferrent, sed sine titulo Excellentiæ, ac ne inter legatos se misceat, sed ultimo loco adsideat. Is cum Blaspielum inviseret non sedebat, sed in conclavi ambulando loquebatur. Sed Somnicius duas sellas posuerat, invicem oppositas, ad quarum unum latus janua erat, & retro utramque mensa posita, ut discernere non posset, uter locus dignior habendus esset. Is nostris semper titulum Excellentiæ dabat, sed non recipiebat. Ei novam molestiam facessebant Galli, protestatione contra titulum Ducis interposita, & quod peculiare procuratorium pro ipso edere nollent, causati, integrum ei esse sub aliquo suorum fœderatorum res suas agere. Unde is petebat, ut fœderati tractationem suspenderent, quoad Galli peculiare procuratorium ad tractandum cum ipso acciperent. Id quod negabatur; se tamen eo nomine apud sequestres instituros. In Lotharingicorum procuratorio id carpebatur, quod Ducis postulata in eo exprimerentur. Id enim a communi forma eorum instrumentorum abhorrere.

Controversia inter Cæsareos, & Anglos super cerimoniis.

§. 36. Adventu Antonii Comitis Altenburgici, a Daniæ Rege legati, inter Cæsareos, & Anglos lis oriebatur, utri prima notificatio foret facienda, quam isti indubio Cæsaris jure, hi velut sequestres prætendebant. Ac negabant Cæsarei ulli heic temperamento locum esse, quod inter Cæsarem, & Angliæ Regem nullum super loco dubium sit: ac Anglos, ubi cum Gallis, & Suecis in loco tertio conveniant, promiscue sedere, nullo ad munus sequestrium respectu. Contra nec Angli temperamentum admittebant; & quanquam proponebatur, ut Danus cerimonia æque apud unum quam alterum supersedeat, id tamen utrinque repudiatum. Nostri censebant, Anglorum prætensionem nullo jure niti. Nam Cæsaris primum locum a nemine Principum Christianorum solicitari; nec Neomagensem congressum Anglo ob sequestris officium primum locum detulisse. Equidem Angli jactaverant, quanquam Coloniæ Suecis tanquam sequestribus omnes etiam serius venientes primam visitationem dederint, Regem tamen ipsis rescripsisse declinandis difficultatibus, ne id adfectarent. Sed Belgæ falso ista tradi ostendebant, nec Suecos id postulasse, sed sibi post Suecos Coloniam accedentibus ab his primam visitationem exhibitam. Cæsarei negabant novi quid sine ratione petentibus concedi posse. Eosdem initio

tracta-

1677. tractatum postulasse, ut deinceps accessuri legati ipsos primo loco inviserent: sed cum nemo id annueret, adquievisse. Nec Regium legatum ob sequestris munus prærogativæ quid præ ipsis exigere posse, cum etiam Electores, & Respublicæ, aliique Principes id muneris obire possint, queis ideo haut liceat iis sese præferre, quibus alias cedant. Et cum regia dignatio officio sequestris nobilior sit, quod istius nomine prætendi nequeat, nec hujus posse. Usum quoque in contrarium esse. Monasterii, & nuper Coloniæ tale quid non postulatum. Ea super re cum nostri cum Antonio Comite loquerentur, hic Cæsaris jus agnoscebat, nec sibi quid tribuendum; nec Regi suo animum esse in fraudem Cæsaris quid admittere. Sed quæstionem esse, num expediat fœderatorum quempiam cum sequestre circa res odiosas litigare; id quod universis noxæ esse queat? Sed Cæsarei censebant; si Anglus Cæsari officium suum hac lege detulisset, id hunc admissurum non fuisse; ac Danum sine hæsitatione ipsis primam significationem debuisse facere. Sed reponebat iste: litem ante adventum suum ortam, ut ea abs se in alterutram partem decidenda fuerit; in quam rem nil adhuc mandati a suo Rege habeat, ac metuere, ne partibus detrimenti quid adferat. Nam Angli jactaverant, se nil commercii cum ipso exercere posse, si Cæsareis prius de adventu suo significet. Sed haut obscure artes Gallorum pellucebant, a quorum libidine Angli hoc tractatu nimium quantum pendebant; qui obliqua ratione primum Cæsaris locum, cui dudum invident, solicitare studebant. Ea lis porro indecisa mansit, ac Comes iste aliquot per menses Neomagi egit, nulla solenni visitatione data, aut accepta, etsi congressibus fœderatorum interesset, donec in Angliam ire juberetur. Gemina controversia sequenti anno circa Fontanum Comitem legatum Hispanicum contingebat, qui Cæsareis de adventu suo primum significabat, ac visitationem ab iis accipiebat, reddebatque. Quo intellecto Jenkinus ab isto protinus declarationem exquirebat, quam in partem id accipere debeat? Cui Fontanus: nil aliud se spectasse, quam ut usum in Austriaca Domo receptum, & exemplum collegarum imitaretur. Quo responso Jenkinus haut contentus, cum Fontanus procuratorium suum ei mitteret parti adversæ tradendum, id recusabat, quoad sibi ab isto satisfactum foret. Galli etiam, qui super hoc negotio cum Jenkino diligenter communicabant, declarabant, se Fontani procuratorium ad mittere non posse, nisi sequestri satisfactum fuerit.

Ab universis Ordinibus delegati Neomagum non mittuntur. §. 37. Interim Ratisponæ Bavarus, & Saxo delegatos nomine universorum Ordinum Neomagum mittendos contendebant. Sed Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, & Brandenburgicus contradicebant, adducto loco ex Instrumento Pacis, ubi extat; ut Ordines super omnibus Imperium concernentibus negotiis cum votis suis audiantur, ac inprimis, si pax sancienda sit, ea non aliter perfici possit, ac debeat, quam cum omnium & singulorum suffragio & consensu, in publicis comitiis declarando. *Art. VIII §. Gaudeant.* Quo ipso universis & singulis Ordinibus jus fuisse quæsitum, ne quis ejusmodi actibus sit excludendus, nec per majorem partem cogi possit ad jus suum in delegatos transferendum. Unde si stricte Instrumento Pacis inhærendum esset, id negotium in Comitiis suscipi debebat. Cumprimis Cæsari haut placebat delegatos Neomagum mitti; multo minus Bavarum, quod hic affectabat, negotio se miscere. Ac declarabat iste, se non perspicere per eam missionem pacem promotum iri: nec esse e dignitate Imperii extra hujus fines in urbe Belgica velut conventum Ordinum agitari. Omnia tamen quæ ibi agantur, Ordinibus communicatum iri. In Collegio quoque Electorali conclusum, delegatos Neomagum haut mittendos; sed Cæsarem rogandum, ut negotium pacis persequatur, ac de eo Ordinibus communicet, quo hi pro re nata sententias dicere queant, ac ut Cæsarei legati Ordinum legatis Neomagi circa sua desideria adsistant. *18. Maji.* Consentiebant plerique e Senatu Principum, exceptis Saxonibus, ac Brunsuicensibus, qui utique delegatos eo mittendos censebant. Plures tamen pervicere, ea missione supersedendum, ac Ratisponæ super negotio pacis deliberandum: Cæsare vicissim pollicente, omnia bona fide communicatum iri, nec citra Ordinum consensum circa primarium negotium quid definiendum.

Princeps Lusitaniæ sequestrem se fert. §. 38. De Petro Lusitaniæ Principe Villa Hermosa ad Electorem scribebat, eum Regi Hispaniæ officium conciliandæ paci obtulisse; ac fama ferri, Cæsarem, ac Belgas id acceptasse. De quo Electoris sententiam nosse cupiebat. *5. Jul.* Ei responsum: si alii istum acceptent, se quoque in gratiam Regis Catholici haut refragaturum. Sed revera is sequester Electori parum arridebat, quod ab eo velut Galliæ favore penitus imbuto parum proficui expectandum esset. Nondum tamen Neomagi de eo publice quidquam propositum erat; ac credebatur, Lusitanum Hispano acceptationem officii sui extorsisse. Nec obscurum erat, quare & hic a Gallo sequester adscitus esset; ut non solum cum aliis paria sentientibus fœderatis apud tractatus molestus esset, sed & his abruptis in partes traheretur, aut id futurum fœderatis minæ intentari possent. *14. Aug.* Mox Hispani proponebant: Lusitanum legatum jam hospitium sibi conduxisse; simul quærebant, num is sequester aliis placeat? Ad quæ Cæsarei: de Lusitani officio nihil ad se relatum, nec Cæsarem nisi de fœderatorum sententia quid facturum. Belgæ: Eum Principem Ordinibus Generalibus officium obtulisse; qui responderint, se, quod reliquis fœderatis placeat facturos. Danus: Villam Hermosam ad Daniæ Regem scripsisse, non ipsum Lusitaniæ Principem; nec par esse quempiam Regis sui negotiis se ingerere, qui non ipse eidem officium suum obtulerit.

De Papæ officio admittendo. §. 39. Ast circa Nuntium Pontificis Aloisium Bevilaquam, qui Patriarchæ Alexandrini vocabulum gerebat, varia dubia surgebant. Quis Pontifici titulus in diplomate tuti itineris dandus esset cum quæreretur, Hispanus ponendum

1677. nendum censebat, *Sua Serenitas Papalis*; quod velut insolitum rejectum. Aliqui, simpliciter Pontificem Romanum vocandum. Demum videbatur hac controversia supersederi posse, si is Colonia secundo Rheno descendat, aut si terrestri itinere venientem Coloniensis, inde Elector præsidio centum equitum addito deducerent, nullo diplomate. Eum Cæsar commendabat, ut Neomagi debito honore haberetur tum ab aliis, tum a nostris, quod manifesto Anglorum in Gallos studio hujus officium utiliter adhiberi possit. Cui Elector: Cæsaris intuitu Nuntio in Clivia omnem honorem exhibendum, cui & sui Neomagi decenti humanitate occursuri sint, ejusque securitatem curæ habendam. Cæsari, ut Daniæ Rex officio Nuntii uti velit, requirenti hic responderat; se de eo cum fœderatis deliberaturum. Cæterum is censebat, id officium expresse nec acceptandum, nec repudiandum. Nam si Angli perspiciant, fœderatos idem non aversari, forte tractabiliores fore. Ac spargebatur eum in Gallos parum prono animo esse. Quia etiam id officium Regi Protestantium sacris addicto offeratur, indicio esse, a Pontifice super titulis, ac aliis nil postulatum iri, in quod Protestantes per
22. Maji. conscientiam consentire nequeant. Is Neomagum silentio introibat. Cæsarei, & Hispani nostros cum isto congredi cupiebant; ac se exploraturos, quo modo idem ipsos recipere velit, si eum visitatum veniant: nec credere eum minus facturum, quam Cæsareos. Sed Anglis haut placebat ullum civilitatis signum eidem exhiberi; utut Galli confirmarent a Nuntio istis primam visitationem exhibendam, si norit, bene se receptum iri. Elector censebat; si is nostris eundem, quem Cæsareis, & Regiis honorem exhibere velit, visitationem obiri posse. Equidem esse in contrarium gravissimas rationes, ac optandum, ejusmodi hominum conversatione uti haut opus esse. Sed quia temporibus aliquid dandum sit, ac Cæsar, Hispanusque speret, per eum bonis partibus emolumenti quid provenire posse, cum contra Gallus ab initio istius officium valde declinaverit; non adparere, quare ipse isthoc tantopere defugere debeat; præsertim cum Cæsar viri artes valde commendet, ac ægre laturus sit, si ipse morositatis quid heic ostendat. Nam quod hucusque Protestantibus cum id genus hominibus nil commercii intercessit, culpam penes Pontificios hærere nostrorum conversationem horrentibus. Sed cum isti nunc aliam viam ineant, non esse, quare Protestantes veteri rigori insistant: ac in ejusmodi casibus Pontificis ministros non ut ejus, qui caput se Ecclesiæ ferat, sed uti secularis Principis legatos a Protestantibus considerandos. Saltem eos juris gentium tutela frui debere, quod jura legationum inter omnes nullo sacrorum discrimine permittit. Ast si homines isti in sacra nostra quædam moliantur, tunc demum iis resisti, ac eorundem conversatione abstineri posse. Qua super re cum aliis Protestantium legatis nostri communicare jubebantur. Quod si autem istius officium irritum fiat, curarent, ut penes ipsos humanitatis fama maneret. Ast Belgis haut placebat, suos legatos cum Nuntio communicationis quid ordiri, aut exercere, etsi eam expresse recusari nollent: eoque solennia visitationum ei nec dari, nec ab eodem admitti; id quod hactenus nunquam, ac ne Coloniæ quidem factum erat. Magistratus Neomagensis, cum eum salutaret, ac de adventu gratularetur, titulum *Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini* impertiebat. Is eundem valde humaniter excipiebat, memorans, se non uti personam Ecclesiasticam, sed uti Principis Itali ministrum huc venisse, quibusdam bellantium super pace nonnulla propositurum; ac optare communem pacem, & quæ omnium vota expleat, sua opera posse promoveri. Quando de Pontifice mentio incidebat, eum nunquam *Papam*, *aut Suam Sanctitatem*, sed tantum *meum Principem* vocitabat. Ast Sueci Protestantibus in Germania, & Anglis imputabant, quod nil negotii cum isto sibi esse vellent, vetere in Catholicos aversione ostentata, & quod soli Anglo adhærerent. Cæ- 25. Maji.
sarei dehinc nostris significabant, post notificationem sibi, Gallisque factam se Nuntium invisisse, ac eundem ab ipso honorem recepisse. Nuntium sibi declarasse, reliquis se legatis Protestantibus juxta, & Catholicis de adventu suo indicaturum, si norit, humaniter id acceptum iri, ac se ab iis invisendum. Nostri respondebant: sibi voluntatem fuisse Nuntium facta significatione invisere. Sed intellexisse, eum jam quibusdam de suo adventu indicasse, & ab iis visitatum fuisse, antequam sibi quidquam de suo adventu denunciaret. Sed cum moris sit, notificationem omnibus legatis primi gradus eodem tempore fieri, ac inde horam visitationis eo ordine condici, quo quisque horam adeundi expedivit, id quod a Nuntio observatum non sit; igitur novo hoc casu se non audere absque peculiari jussu Electoris eundem adire. Cæsarei: Nuntio haut animum fuisse cuiquam præjudicii quid adferre, sed quia nova & inusitata res sit, a Nuntio legatos Protestantes invisi, eum judicasse, ante notificationem cautum sibi esse oportere, an, & quo modo recipiendus sit: & quia ipsi de hoc e nostris haut liquido cognorint, se quidem ei significasse, spem esse omnia ex ipsius voto successura. Eum tamen reposuisse, ex incerta aliorum opinione haut tutum sibi aliquid suscipere; eoque necessarium judicasse, Protestantes eo nomine liquidam declarationem poscere: interim Cæsareis, ac Gallis de suo adventu significasse. Sed quod notificationem non omnibus simul fecerit, causam esse, quod in mandatis habeat ita se gerere, ut nec Gallos, nec Hispanos offendat, eoque apud alterutros operam suam inutilem reddat. Et quia Galli pertendant, si recens accedens legatus de suo adventu Hispanis prius quam sibi significet, ac inde priorem visitationem ab Hispanis admittat, se eum haut adituros: igitur Nuntium eam viam inisse, qua nec Gallos, nec Hispanos offendi posse crediderit. Et quia nuper huc delatus legatus Hispanicus Spinola nondum visita-

1677. visitationibus admittendis, aut dandis se pararit, Nuntium credidisse, Hispanos ipsi vitio non daturos, si primum apud Gallos ea cerimonia defungatur. Nostri cum reliquis Protestantibus consultaturos se ferebant. Danus censebat, Nuntii factum probari non posse. Si tamen Rex suus e Nuntio opera emolumenti quid capere queat, novationem illam circa cerimonias per propriam aut Cæsareorum declarationem, eum per ipsam nemini præjudicare voluisse, excusationem admittere. Cæterum se ex ejus conversatione nullum alium fructum perspicere, quam ut forte de machinationibus unius & alterius per ipsum explorari quid possit. Belgæ sibi injunctum ferebant, Dani, & nostrorum exemplum sequi. In congressu fœderatorum Kinskius proponebat; Nuntium petiisse suo nomine declarari; se notificationem Protestantibus libenter fuisse facturum, si scivisset eam bene acceptatum iri, ac id adhuc facere paratum, si norit, debito modo sibi occursum iri. Ad quæ Danus: significationem a Nuntio factam probari non posse. Sat cautionis, quomodo recipiendus foret, eum habere potuisse, antequam aliis de suo adventu indicium faceret. Istum eodem tempore, quo Gallis de adventu suo significavit, per hos ex Anglis, & Suecis exquisivisse, num visitationem suam admittere velint: atque idem apud reliquos facere potuisse, ac debuisse. Ea res tunc ad ulteriorem deliberationem rejecta fuit. Danus cupiebat rem in integro retinere, nec id officium simpliciter repudiare. Belgis haut placebat Nuntium compellare. Nostri nil singularis commodi ex ea conversatione perspiciebant, contra varia, eaque sinistra Protestantium judicia verebantur; postquam Protestantes per integrum fere seculum cum missis a Pontifice in publico nil commercii exercere voluerint, jam eos honorari, & cum iisdem tractari, uti cum aliis legatis Christianorum Principum, quorum potestas velut legitima ab universo orbe agnoscatur. Sed & plurimos offensum iri, quod cum hominibus tantopere hactenus detestatis nunc tali modo agatur, iisque tantum honoris deferatur; idque in prætextum transfugii ad ritus Romanos arripi posse ab iis, qui alias in religione frigent, aut quid emolumenti e rituum mutatione aucupentur. Sed & communicationem cum Nuntio a Cæsareis, & aliis ideo optari, ut iste communis sequester fieri possit; quem si defugiant, Catholicos, si admittant, Anglos offensum iri, cum hi jam commodiores mores induere velle videantur. Denique istorum hominum intimis medullis inolitum in Protestantes odium, ut frustra sit, ab his aliquid emolumenti sperare. Saltem eos enixum circa sacra sua promovenda studium ubique apricaturos. Denique haut minorem Nuntio industriam fore circa secreta nostra expiscanda, noto istorum hominum genio, & quia de suis quædam pandere necessum habet, qui aliena explorare cupit. Cæsar porro super hoc Nuntio ad Electorem literas dabat, quibus præmissa gratiarum actione pro honore huic in Clivia exhibito ostendebat, isti a Gallis fuisse persuasum, uti catholicis ritibus haut addicti ejus officium admittere, aut commercii quid cum eo exercere abnuant. Unde eum tantum Cæsareis, & Gallis de suo adventu significasse, quod Hispani nondum in publico adparerent; expresse tamen testatum, se semper paratum solitis cerimoniis apud alios quoque defungi, si cautum sit, gemina sibi reponenda, ac se gratum fore. Id quod sibi molestum auditu acciderit, quod inde aliqui ansam arripere possint istius officium repudiandi. Cum itaque Nuntius per Gallorum astutiam in eum errorem præcipitaverit, qui id quæsierint, ut ejus officium eo pertinacius ab iis repudiaretur, quos idem præterierat; simul Angli, de quorum favore ipsis cautum sit, negotii moderamine soli potirentur: eo magis dolendum esse per id fœderatis occasionem subtrahi Pontificis officium Anglis adjungendi, quod citra dubium, cum de sacris haut agatur, minus in alterutram partem inclinet; sicuti & Catholici ob diversa sacra Anglum sequestrem non defugerint. Igitur rogare, ut Elector Nuntii officium admittat, qui non solum, quod per Gallorum seductionem admiserit, reparaturus, sed & bonæ paci reducendæ enixum studium adhibiturus sit. Ad quæ Elector: se Danum, & Belgas ad id officium acceptandum hortaturum: sed ut ipse ab his se disjungat, non solum ad summam rei nil profuturum, sed & sibi multum damni conciliaturum. Nostris autem Neomagum scribebat: Nuntii officium bene admitti posse, ac dispiciendum, quomodo ab eo admissus error corrigi queat. Prius tamen declarationem ab eodem exigendam, se ipsos pari cum Cæsareis, & Regiis honore excepturum. Tum Danos, & Belgas ad eundem sequestrem agnoscendum permoverent, sed caute, ne Angli offendantur. Nam rationes a Cæsare adductas magni momenti esse. Ast Neomagi diu super Nuntio nil amplius motum fuerat, quem Sueci plane defugiebant; quæ & Belgis mens erat. Quid Danus ad extremum facturus esset, non constabat, qui gravissimas rationes contra id officium adduxerat. Palatinus Elector reliquorum Protestantium exemplum secuturum se ostendebat. Anglis injunctum erat, nil plane commercii cum Nuntio habere; qui & accurate observabant, quis cum hoc conversaretur, haut obscure ostensa æmulatione. Platenus ab Osnabrugensi missus post isti Nuntio visitationis officium exhibebat, & ab eodem recipiebat obtentu amicitiæ, qua sibi quondam cum eo culta fuerit. Enimvero cum Nuntio facile adpareret, quæ sibi objiciantur difficultates insuperabiles esse, ultro officium suum Protestantibus obtrudere omittebat, Catholicis tantum operam navare satis habens. Ea in negotiatione iste ita procedebat. Si quid incideret, quod aliquem Catholicorum fœderatorum spectaret, Catholici aliquot e suo numero delegabant, qui Nuntium id negotium edocerent. Hic officium inde apud Gallos interponebat, & quod ex his intellexerat, ad solos Catholicos referebat, qui dein id in consessu omnium fœderatorum exponebant. Ast nec ipse in con- 1677.

Marginalia (left): 28. Maji. (beside "rum exemplum sequi. In congressu fœderato-"); 5. Jul. (beside "plorare cupit. Cæsar porro super hoc Nuntio")

1677. consessu omnium fœderatorum comparere desideravit, nec Catholici eo nomine a Protestantibus fœderatis quid postularunt. Is porro Nuntius, cum officium suum auspicaretur, a Catholicis stipulatus fuerat, ut sibi integrum esset, non presse eorum verba, sed salva rei substantia alia vocabula modestiæ, & decori causa adhibere. Qui & a Catholicis proposita protinus in Italicam linguam modestissimis verbis adhibitis transferebat. Quo exemplo post & Angli facultatem sibi sumsere quæ asperius dicta videbantur emolliendi.

De admittendo Præsule Argentoratensi. *23. Aug.*

§. 40. Cæterum cum Gallis propositum esset negotiationem Neomagi per varia diverticula eludere; in eum finem quoque adhibebatur Præsul Argentoratensis; cujus ministrum heic admittendum contendebant velut a Principe Imperii, & Galliæ fœderato missum. Ast Angli antea retulerant, Gallos istum non pro fœderato agnoscere; ac eum mittere velut amicum, cui nunquam in mentem venerit, aliquid hostile in Cæsarem tentare. Sed nunc Galli apud Cæsareos profitebantur, *Præsulem Galliæ fœdere innecti; sed non sperare id eo valere posse, ut Cæsaris hostis haberi debeat.* Electori nulla ratio adparebat, quare is Præsul fœderatus Galliæ haberi posset. Eum quippe semper inficiatum, ullo se fœdere cum Gallo teneri, sed ministrum Coloniensis fuisse usque ad id tempus, quo male meritorum conscientia agitatus deserta patria ad hostes profugerit. Sed & nunquam copiarum quid habuisse, eoque pro socio belli haberi haut posse; nec de hoc mentionem fecisse, cum diplomata pro ministris ad expedienda sua Neomagi negotia expeteret. Cum itaque Præsul ille postulet, quod contra rationem, receptum in Imperio usum, & eam conventionem pugnet, quod tantum socii belli ad hos tractatus admittendi sint; simul multis ambagibus materia nascenda sit, si omnes, quibus qualecunque heic negotium, inter partes tractantes admittantur: nostri illegitimo huic Gallorum postulato sese opponere jubebantur. Nam Præsulem illum cum Lotharingiæ Duce nullo modo comparari posse; cum hic proprias copias habeat, & cum primariis belligerantibus fœdere jungatur. Et quia alias Belgæ, quæ tractatus extrahere possent, aversabantur, non dubium erat, eos quoque huic postulato reluctaturos, ne Præsulis ejus causa cum Lotharingo misceatur. Hujus autem causam Elector utique amplectendam censebat, ne ab hoc initio fœdus labefactetur, cujus maxima vis in eo consistat, ut fœderati sint inseparabiles. Ast cum post Angli Cæsareorum declarationem super Argentoratensi Gallis dictare vellent, hi id permittere nolebant, causati, argumentum sibi jam cognitum: nec ad hanc, aut ullam aliam rem, & peculiariter ad Lotharingicam responsuros, antequam Argentoratensis deputati procuratorium, ejusque propositio a fœderatis acceptata sit. Angli quoque ea Cæsareorum verba valde aculeata censebat, *Præsulem propriam turpitudinem allegaturum, si Gallicum se fœderatum nuncupet.* Sed Cæsarei reponebant; *si maxime Gallis de sua declaratione constet, eos tamen ex recepto more ad eam respondere teneri. Vocabulum* propriæ turpitudinis *vulgo etiam in judiciis adhiberi, nec injuriam continere. Nec sane gloriosum haberi cum hostibus in fraudem patriæ fœdere sociari. Se tamen declarationem suam ita disposuisse, ut nec Anglis expresse permiserint ea vocabula omittere, nec idem vetuerint.* Sed & iniquitatem postulati Gallici demonstrabant, *quod hoc exemplo plurimis aliis in Germania a Gallo læsis Ordinibus integrum sit futurum huc accedere, ac admitti se petere, quorum multitudo hunc conventum in infinitum extractura sit. Ac sine dubio Gallis animum non esse, omnes eos Ordines, quos armis oppresserunt, quos in custodiam dederunt, fortunis everterunt, quorum oppida & munitiones demoliti sunt, & in quorum terras omni immanitatis genere sævierunt, diplomatibus instruere, eosque velut partes tractantes Neomagi habere. Ac si huic postulato insistant, satis testari, nil minus sibi quam pacem cordi esse.* Angli tamen post negabant, Gallos unquam dixisse, se in Lotharingica causa nil responsuros, nisi postulato suo de Præsule satisfiat. Nec minus a se dictum inficiabantur, *Gallos Præsulem pro suo fœderato non habere.* Sed & tunc a Gallis per Nuntium, & Anglos movebatur super Wilhelmo Furstenbergio e custodia dimittendo. Quibus Cæsarei respondebant: *peculiare delictum esse, cujus iste arguatur, & ob quod in custodia teneatur, cujus cognitio Cæsari & Ordinibus Imperii competat. Se ob communis pacis negotium hic missos, non ut forensibus se negotiis misceant.* 1677.

De modo congressuum inter fœderatos habendorum.

§. 41. Cæterum quo modo congressus inter fœderatos habendi essent, ne hi super loco inter se colliderentur, Hispanis, & Danis inter se non cedentibus, Belgæ censebant, iis congressibus nullo præjudicio promiscue sedendum, uti Hagæ fieri soleat. Kinskius congressus istos apud se fieri cupiebat; id quod Danus plane abnuebat. Etsi semel, cum de procuratoriis ageretur isto petente in ipsius ædibus fœderati conveniebant, ac nullo ordine considebant, Cæsareis stipulantibus, hoc colloquium non pro solenni congressu habendum, & quæ circa sessionem heic contingant, in exemplum haut adductum iri. *6. Jan.* Sed cum Kinskius apud se congressus continuari cuperet, reliquis contradicentibus demum placuit deinceps in curia urbis conveniendum, ubi Cæsarei primo loco considere debeant, proximum locum Regii obtinerent, alternis priore loco sessuri, quod & inter nostros, ac Belgas observandum sit; sed uter primo die priorem locum teneat, sorte decernendum. Et quia conclave in curia nondum paratum erat, unus adhuc congressus in Belgarum ædibus habebatur; ubi Danus priorem præ Hispano locum sortiebatur. *9. Jan.* Belgæ in suis ædibus nostris optionem prioris loci deferebant. Sed conventio inter legatos fiebat; eum sedendi modum eousque duraturum, quoad Principibus suis

1677. ſuis aliter viſum fuerit: cæterum ipſis, eorumque juribus præjudicio haut fore. Aſt Elector, quia alternatio paritatem involvit, maluiſſet ibi promiſcue ſedes fuiſſe captas: ſed quia facto jam initio res non amplius integra erat, ſemel cœptum ordinem retineri poſſe cenſebat; quod tamen nemini fraudi foret. Aſt Angli, quod ſe inſciis fœderati locum congreſſuum in curia cepiſſent, ægre ferebant, cauſati, jurisdictionem urbis a magiſtratu ſibi delatam, & per hoc medium urbis ſtatum violatum. Demum tamen adquiеſcebant a fœderatis congreſſus ibi continuari, ut tamen & Galli, Suecique ibi conventus agitare poſſent. Porro quod in congreſſu fœderatorum alterna ſeſſio placuiſſet, cauſa erat, quod cum de promiſcua ſeſſione moveretur, Kinskius ſubinde diceret; *ego me non miſceo.* Unde nec Regiis inter ſe, nec noſtris cum Belgis in uno loco conveniendi alia ratio, quam alterna ſeſſio ſupererat. Eam ſeſſionem nemini præjudicio fore, initio Inſtrumentum fieri placebat, ac Belgæ id probabant. Sed Regii nolebant, nec Hiſpano iſta ſedendi ratio ſatis arridere videbatur. Nec in ipſo inſtrumento partes ordine exprimi poterant, quod inter iſtas ſuper ipſo ordine controverſia eſſet: ac ſi laxioribus verbis poneretur, *inter Cæſareos, Regios, Electorales, & Belgicos convenit,* Belgæ contradicturi erant. Denique quia Angli velut ſequeſtres primum ſibi locum depoſcebant, ac ſi curia pro tertio loco haberetur, iſti forte aliquod præjudicium Cæſareæ prærogativæ inde ſtruere poterant; fœderati declarabant, curiam in præſens pro ipſorum domicilio habendam.

Super procuratoriis diſceptata. §. 42. Inter præliminaria adhuc reſtabant procuratoria ita formanda, ut omnibus partibus probari poſſent. Et Kinskius quidem *4. Jan.* ſuum procuratorium Somnicio communicabat, exquirendo ejus judicio. In quo hic deſiderabat, quod ſubdelegandi facultas conceſſa eſſet; id quod in nullo alio factum erat; & quod nec ſequeſtres, nec quibuscum tractandum exprimerentur. Ad quæ Kinskius nihil, niſi quod de ſequeſtribus data opera præteritum excuſaret, quod Cæſar nec Pontificis officium repudiare, nec Anglum ſolum ob diſcrimen ſacrorum admittere poſſit. Unde ſatius viſum de ſequeſtribus mentionem haut faciendam. Belgæ notabant, quod tantum de *Commiſſariis*, & *Plenipotentiariis* diceretur, non de legatis, quibuscum tractare debeant: cum tamen plenipotentiarii eſſe poſſint, qui legati non ſint. Mox Kinskius, cum ſuper *6. Jan.* formandis procuratoriis in congreſſu proponeretur, cenſebat *ſequeſtrium mentionem haut faciendam, quod Pontifex poſt Anglum collocari non poſſit.* Ad quæ Danus: *a Rege ſuo Angli officium acceptatum, ejusque nomen in ſuo procuratorio expreſſum: ac Catholicos ſibi Pontificis officium reſervare poſſe.* Contra Hiſpanus: *haut expedire, Catholicorum, & Acatholicorum vocabula inter hos tractatus adhiberi, ne initio ſemel facto longius id porrigatur, offenſæ materiam daturum.* Noſtri: *Electorem Angli nomen in ſuo* 1677. *procuratorio poſuiſſe, quod ab hoc ad tractatus oblato ſuo officio invitatus ſit, qui & hactenus id exercuerit. Adverſam quoque partem ad id in ſuis procuratoriis provocaſſe. Quod ſi fœderati ab hoc diſcedant, hoſtes apud Anglos gratiam inituros, iſtos offenſam incurſuros. Quod ſi unus, & alter alium ſibi ſequeſtrem reſervare velit, id poſt illæſo cujusque honore vel in ipſo inſtrumento, vel in alio ſeparato fieri poſſe.* Inde aſſumebatur formula a Belgis concepta; in qua Kinskius concedere nolebat, munus ſequeſtris Anglo diſertis verbis attribui: tolerabat tamen dici *per curas Suæ Majeſtatis Britannicæ.* Alii probabant, *per curas, & interventionem, ſeu interpoſitionem.* Sed Kinskius non niſi vocabulum *curarum* ferre volebat. Inde interrogabat Kinskius; *num Electori placeat, ut in procuratorio, quod Cæſar editurus ſit, omnium Electorum junctim mentio fiat. Quo ipſo haut neceſſarium fore pro Brandenburgico peculiare procuratorium exigere, ſed ſuffecturum, ſi iſte in eo quod Cæſari tratendum ſit, generali clauſula comprehendatur.* Id quod noſtri negabant: *ac Electorem a Gallo, & Sueco peculiare procuratorium expoſcere, ad ipſum ſolum directum.* Kinskius: *Cæſarem confidere, Electorem ſibi hoc honoris exhibiturum, & tali procuratorio contentum fore.* Noſtri; *Electorem circa honorem Cæſari exhibendum in ſe nil deſiderari paſſurum. Sed ſi inter primarum partium belligerantes cenſeri debeat, qualis & ſit, peculiari procuratorio utique opus eſſe. Id ſi non accipiant, nec ſuum edituros.* Kinskius ad hæc varia dubia movere, ac quærere; *quis modus, & ordo ſervandus, ubi ad ipſam tractationem accedendum ſit?* Noſtri: *de hoc inter fœderatos conveniendum, prout rationi congruat.* Poſt multa hinc inde diſceptata Kinskius dicebat: Electorem conceſſurum, ut ubi ſuper omnium poſtulatis inter fœderatos convenerit, Cæſarei legati tanquam omnium fœderatorum deputati Electorum poſtulata ſequeſtribus exhibeant; præſertim cum non ſemper omnes fœderati ejusmodi actui adeſſe queant. Ubi ulterius in tractatione proceſſum fuerit, quemlibet emolumentis ſuis apud ſequeſtres, & alios invigilaturum. Cenſebat etiam ſemper cum ſequeſtribus per delegatos agendum; ac a Suecicis, & Lotharingicis rebus initium faciendum. Ad quæ noſtri: iſta cum reliquis communicanda, ac ſine dubio multas contradictiones orituras. Super hiſce a Kinskio motis Elector per Crocovium Viennæ querebatur, negans ſe, aut ullum fœderatorum huc deſcenſurum; & eam rem diſcordiæ anſam præbere poſſe. Cæſarei excuſabant, id unice ſpectari, ut ſeparati tractatus vitentur; id quod propoſita methodo impediri, ac id ne fiat Electoris quam maxime intereſſe. Nam ſi nuda duntaxat communicatio velut inter æquales fiat, Cæſari nil prærogativæ præter ſolum ordinem fore, ac reipſa tanquam ſocium, non tanquam caput fœderis conſideratum iri, cum tamen hoc nomine ipſi utique directio competat. Scilicet id aulæ Cæſareæ agebatur,

1677. tur, ut negotia quæ Imperium, ejusque Ordines spectabant, sui arbitrii faceret; ita ut fœderatorum legati non *immediate*, sed Cæsarei prævia communicatione istorum nomine tractarent. Saltem tentare placebat, quousque ea prætensio pervinci posset. Jactabatur id esse bellum Imperii; igitur penes Cæsarem moderamen esse, utpote qui Imperii personam referat: aut delegatos nomine totius Imperii tractaturos esse constituendos. Nam pacem nomine Imperii, non unius, & alterius ex Ordinibus faciendam. Ad quæ Crocovius: Non Imperii duntaxat, sed quam maxime fœderatorum nomine bellum geri. Per fœdera quippe decreta Imperii producta fuisse, unde illa per hæc tolli posse. Et quæ universum Imperium hoc bello præstiterit, exigua esse. Per fœderatos omnia facta. Ast Angli, nec minus Sueci, Gallique probabant, eo loco ubi Regis Angliæ mentio facienda sit, vocabulum *mediationis* omitti, ac tantum poni, *per curas, & bona officia*; ac in latino Suecorum, *laudabili cura, ac zelo*. Titulos Sueci integros exprimi cupiebant: sed fœderati truncatis utendum censebant, quod Sueco titulum Ducis Bremæ, & Pomeraniæ dare nollent. Placebat quoque a legatis syngrapham dari super afferendis procuratoriis ad formulam heic adornatam. Interim procuratoria, quæ quisque jam habeat, edenda. Ubi nostri stipulabantur, a Gallis, & Suecis peculiaria sibi procuratoria exhibenda; ac si ea denegentur, se quoque nulla procuratoria edituros. Tandem cum Galli, & Sueci procuratoria etiam ad socios belli porrigi vellent, poni placebat, *socios contra nos bellantes*. Sequenti congressu significabatur; Suecos, & Gallos adquiescere, ut in procuratorio *adhærentium* mentio non fiat, sed tantum *confœderatorum*. Gallos quoque declarasse, Præsulem Argentoratensem sub fœderatis non intelligi, quod cum Rege Galliæ in fœdere non sit. Quæ fœderatis probabantur. Postulabant quoque Galli, ut suus Rex tantum Christianissimus adpellaretur, nullo alio titulo addito. De quo nemo dubii quid movebat. Sed super Sueciæ Regis titulo, quem Sueci integrum exprimi cupiebant, fœderatis placebat; in procuratoriis, quæ ipsi edituri sint, titulos aliorum Regum, & Principum truncatos poni, uti & alias factum. Sed si Sueciæ Rex integrum titulum, quem prætendat ponere velit, id prohiberi non posse. Enimvero fœderatos protestationem interposituros, deque ea testimonium a sequestribus postulaturos, eum titulum nemini fraudi fore. Super peculiari procuratorio Sueci, & Galli declaraverant, si Cæsareus, & Hispanus procuratorium sequestribus tradiderit, se quoque significaturos, pro quibusnam peculiaria procuratoria exhibituri sint. Belgæ mox nostris indicabant, Jenkinum dixisse, Suecos quidem peculiare procuratorium pro Electore edituros ea lege, si Galli idem faciant. Gallos autem ostendisse, sibi ex aula injunctum quatuor tantum procuratoria edere, pro Cæsare, Dano, Hispano, & Belgis. Si tamen fœderati valde instent, Gallos forte ad id permoveri posse; (id quod Jenkinus velut suo nomine proferebat,) ea tamen conditione, ut non plura ab ipsis exigantur, quod Lotharingo nullum dare velint. Ac constabat, Gallum ideo Electori hanc difficultatem movere, ut Lotharingum eo postulato commodius dejicere possent. Belgæ ad ista turbatos se ostendebant, ne nova inde mora nasceretur, ac rogabant nostros, ut de temperamento cogitarent. Nostri quanquam jussi essent Belgis tantopere ad pacem festinantibus suspicionem eximere, quasi fœderati tempus studio extrahant, ne isti ansam inde arripiant clam separatam pacem occupandi, id quod fore jam multorum sermone jactabatur: tamen negabant per mandata sua sibi licere temperamentum heic admittere, multo minus id proponere. Tum & Gallorum postulata a ratione abhorrere. Electorem totiens cum Gallis tractatus iniisse; id quod absque procuratoriis factum haut præsumendum sit. Nunc tanti momenti tractatui fundamentum subtrahi, absurdum esse. Belgæ reponebant; a Gallis jactari, cum Electore nil sibi controversiæ intercedere; ac non repugnare, ubi in Suecico procuratorio fœderatorum mentio fiat, sub his Galliæ quoque Regem comprehendi. Ast nostri: A ratione abhorrere, alterius ditiones evastantem, & nunc quoque tributis exhaurientem ea excusatione defungi velle, non esse sibi cum eo quid negotii. Et si maxime Gallus Suecico se procuratorio includi velit, Electori ejusmodi tractationem nil solidi habere videri. Danus declarabat; si pro Electore peculiare procuratorium non exhibuatur, se quoque procuratorium haut editurum, nec tractationem suscepturum. Ei post ad Anglos accedenti hi referebant: Gallos declarasse, se vel unum procuratorium exhibituros pro universis fœderatis, vel duo, pro Catholicis, & Protestantibus; vel quatuor pro Cæsare, Hispano, Dano, & Belgis, sub quibus alii fœderati comprehendi queant. Plura Regem suum non concessurum, præsertim cum nemo non, ac ipse Lotharingus, peculiare diploma deposcere sit ausurus. Sed cum Danus regessisset, hoc modo se non tractaturum, Jenkinum hæsisse. Suecos porro facile concedere, ut in Danico instrumento truncatus titulus exprimatur: sed ab Electore integrum exigere, prout & in diplomatibus tuti itineris ab Electore datis extet. Sed Danus regesserat: Quo tempore hoc diploma scriptum sit, Electorem nondum tantos in Pomerania progressus fecisse. Nec a Suecis integrum titulum Electori datum. Inde Kinskius procuratorium suum Anglis misit, postulans, ut & adversæ partis instrumenta exigeret, quo ea inspicere posset. Sed Angli Gallis, & Suecis id instrumentum prius inspiciendum præbuerant, antequam Kinskio horum procuratoria inspiciendi copia fieret. Id quod hic ægerrime ferebat, ac ni eo nomine sibi satisfiat, in aulam referendum, ac interim tractatibus supersedendum. Ad quod Angli scripto declarabant; se id non fecisse, ut ipsi præ-

par les soings, & bons offices.

23. Jan.

1677. præjudicii quid adferrent; sed quod Gallorum responsum per eundem hominem, qui ipsius declarationem attulerat, significare vellent. Denuntiabant inde hostium legati, se nolle procuratoria edere, nisi pro iis, qui eadem instrumenta pro ipsis in promtu habeant. Ubi nostris scrupulus surgebat, quo modo procuratorium suum exhibendum foret; cum nec ipsi Anglos adire possint, lite cum his nondum composita; & per Secretarium, aut tertium id transmittere temperamenti instar habeat, quod libenter Angli arrepturi erant, eludendæ, quæ secundo nostro legato debebatur, satisfactioni. Ei difficultati superandæ nostri peculiare prius procuratorium pro se adferendum contendebant; cui postulato ut Elector insistat, gravissimas causas esse. Nam sæpius orta super genuino pacis Westphalicæ sensu controversia, Reges Galliæ, & Sueciæ eo nomine unicos se ejus interpretes tulisse, quod primariarum partium contrahentes fuerint. Igitur ne circa secuturam pacem eadem obtendant, jam mature proficiendum esse. Nostri quoque postulabant, ut procuratoria tam pro Gallis quam Suecis lingua latina exhiberentur; tum ut Electori titulus *Serenissimi* daretur, non addito vocabulo *Celsissimi*. Ast ne nostrorum cum Anglis controversia negotiationem moraretur, plerisque visum unum e corpore fœderatorum delegare ad tradenda Anglis procuratoria. Nostros autem protestationem interponere posse, sese hunc agendi modum ad exiguum duntaxat tempus probare, ac interim operam dandam, quo sibi ab Anglis satisfiat. Angli contra proponebant, se ad nostros accessuros, quoties id negotium pacis requirat: velle tamen ita accipi, & tractari, ut prima visitatione factum. Nec expetere, ut vicissim a nostris invisantur. Vocabulo Excellentiæ se non usuros, nec id a nostris expetere. Ac id temperamentum in mensem admitti posse. Id quod Belgæ acceptandum suadebant. Sed quia hi ostendebant, Anglos ideo a nostris reciprocam visitationem non desiderare, ne secundo legato locus, quem is postulabat, in ipsorum ædibus tribuendus foret, nostri id temperamentum rejiciebant, veluti cui inæqualitas inerat, & quo Elector aliquatenus extra possessionem sui juris ponebatur. Unde Kinskio a fœderatis injunctum, ut ea de re cum Anglis loqueretur. Sed is contra id quærebat, ut nostri causam suam sibi agendam deferrent, tanquam legato capitis Imperii. Cui nostri regerebant; negotia heic ita tractanda, ut quilibet sua universis fœderatis exponere, eorumque consilium expetere possit; ac penes quemlibet esse, per quem eadem exsequi velit. Simul innuebatur, satis animadverti, quid ipse affectet; nec hanc esse viam eo perveniendi.

13. Febr. Demum recens formata procuratoria eo, quo supra dictum est, modo permutabantur cum adjuncta syngrapha, ista intra bimestre tempus a Principibus subscripta exhibenda per Anglos in conventum fœderatorum accessuros. A Gallis quoque, & Suecis peculiaria procuratoria pro Electore exhibebantur. Autographa a legatis subscripta interim in Anglorum manibus manebant, quoad promissa instrumenta adferrentur. 1677. Angli quoque scripto testabantur, titulos in procuratoriis adhibitos nulli partium quid addituros, aut detracturos. Super lingua inter Danum, & Gallum dissensio erat, quod Danus utrumque instrumentum latina lingua concipi vellet. Sed Demum consentiebat, ut ipse suum procuratorium latina, Gallus sibi vernacula ederet, stipulatus tamen, id Regi suo præjudicio haut fore. Elapsis duobus mensibus Anglicus legationis Secretarius nova procuratoria a Regibus subscripta nostris exhibebat, qui & ipse procuratorio a suo Rege instructus erat, novo more, cum ista alias per ipsos legatos acta essent. Unde Elector animum advertere jubebat, ne quid præjudicii ea novitas adferret.

§. 43. Post absoluta, quæ tractatibus præmitti moris est, fœderati ad expromenda sua postulata accedebant. *Fœderatorum propositiones;* Quæ in consessu prælecta, & post obsignata per tres Secretarios ad Berclaium deferri placebat; cum petito, ut ea apud se *20. Febr.* retineat, quoad pars adversa suas quoque propositiones tradiderit; ac tunc eodem tempore permutationem faciendam, & suam cuique tradendam. Secretarii, qui sequestrem accedebant, erant Cæsareus, Danicus, & Belgicus. Nam Ronquillus nondum legati personam induerat; ac nostris neminem ad Anglos mittere placebat, lite cum iis nondum composita. Lotharingus postulata sua epistola ad sequestres comprehensa per Cæsareum exhiberi curabat. Ea statim *21. Febr.* sequenti die Anglis tradebantur, Belgis ita acriter urgentibus, ne reliqui separationis ansam præbuisse viderentur. Porro Cæsarei propositionem suam laxis verbis conceperant. *Cæsareorum;* *Redderent Galli occupata; damna illata cum omni causa resarcirent: tum via, & causa dissidiorum in futurum idoneis modis amputarentur.* *A Suecis cum nihil ablati restituendum haberent, nil præter debitam satisfactionem exigebatur.* Hispanus omnia repetebat, quæ *a Gallis sibi erepta forent a die 17. Septembris anno 1665. tum nominatim urbem Messanam cum omnibus aliis Siciliæ locis; ac ut omnia damna per Gallos in provinciis Hispanicis reparentur; subditis Hispanicis, quorum bona publicata sunt, reddantur, itaque damna illa restituantur. Reservabatur libertas amplificandi, restringendi, aut addendi, quicquid pro re nata utile judicatum fuerit, quo firma, ac durabilis pax constituatur.* *Hispanorum.* Addebatur, *ut fœderatis Hispanicis juste satisfiat.* A Suecia postulabatur, ut ea *reparet omnes impensas, ac damna hoc bello terra marique data, simul quæ jura Hispaniæ competant e contractibus per Hispanos impletis, sed per Suecos non servatis.* Addebatur de facultate amplificandi, restringendi, aut addendi, ac ut fœderatis Hispaniæ satisfiat. Danus a Gallo postulabat, *ut hic ipsius fœderatis satisfaciat, impensasque, queis indicto bello causam dederit, ac quævis illata damna resarciat.* *Dani;* *A Sueco idem exigebat, ut omnia in statum, qui ante pacem Bræmsebroënsem fuerat reponantur, abolita quoque pace Roschildensi, & Hafniensi, tum abrogata immunitate vectigalium pro subjectis Sueciæ in Oresunda. Ut Suecus ob violatam pacem Westphalicam omnibus provin-*

1677. *provinciis, ac juribus ea pace partis exuatur, at peculiariter Pomerania Electori tradatur, excepta Rugia, & Wismaria, quam sibi recipiebat, Bremensi, ac Ferdensi Ducatu inter eos dividendo, qui ad eundem occupandum opem contulerint. Ut quoque Suecorum monopolia circa commercia aboleantur: ut obsecuritatem in futurum sibi certæ munitiones in confiniis Regnorum tradantur: ut denique Dania fœderatis satisfiat.* Belgæ nil nisi *restitutionem Trajecti ad Mosam, & quæ eo tractu a Gallis insidebantur, deposcebant; damna accepta, & impensas æstimationem super antes condonaturi: tum ut omnes utrinque prætensiones aboleantur, ac evitandis in futurum controversiis conventio super regendis commerciis ineatur.* Addebantur peculiaria postulata Arausionensis; inter quæ præcipuum erat restitutio Principatus Arausionensis cum castello. Id quod Galli suo Regi adeo absurdum visum dicebant, ut ne ad consilium quidem super eo referre voluerit. Neque enim ferri posse, in Galliæ Regis ditione munitiones extrui, in quibus extranea præsidia alantur. Circa hæc postulata aliqui probabant Belgarum moderationem super acceptis damnis & pensandis sumtibus ultro remittentium; præsertim cum vix spes esset eo nomine quid obtinendi. Sed alii judicabant, hoc ipso nimium pacis cupidinem prodi, Gallorum insolentiam aliturum: ac videri causas litis probare, qui damni atque expensarum nomine actorem nihil poscit. A Suecis nil nisi *pax postulabatur, omnes complexa, ac ut circa commercia conveniatur prævertendis in futurum litibus.* Ast nostris placebat Cæsareorum brevitatem imitari; præsertim cum hic cuperent, ut antequam Elector aperte Pomeraniam postularet, prius cum Cæsare super procuranda pace, aut continuando bello paciscatur. Quæ Cæsareorum exceptio nostris suspecta videbatur, quod Elector biennium amplius super ejusmodi pacto Viennæ fatigisset, quoad Crocovius, cum nil nisi ludibria reponerentur, inanes labores suspendere juberetur. Viennæ id prætextum adhibitum fuerat, quod id negotium ad tractatus pacis pertineat; nunc idem a tractatibus pacis ad peculiarem conventionem remittebatur, quam hactenus semper eluserant. Et jam non amplius obscurum erat, quid isti agitarent, misso in Angliam Carolo Wallensteinio, ut ibi servando Belgio Hispanico super Suecicis provinciis restituendis tractaret. Cæterum nostri a Gallo postulabant *reparationem damnorum,* (quæ post in ditione Clivica quinque millionibus uncialium taxabantur,) *tum ut in futurum securitati caveatur, ac ut pax omnes fœderatos complectatur.* A Sueco *satisfactio, indemnitas, & in futurum cautio* expetebatur. Ea verborum laxitas Electori fraudi esse non poterat, quod Danus expressis verbis postulasset, ut Elector, quod Pomeraniæ Sueci hactenus possederant, nancisceretur.

Belgarum.

Electoris.

Gallorum, Suecorum postulata.

§. 44. Dum mox Angli, Gallorum quoque, & Suecorum postulata fœderatis exhibere vellent, hi excusabant, id differendum, quoad Belgæ, qui tunc absentes erant, revertissent. Sed Angli dicebant, eos discedentes Secretario suo mandasse, ut ea postulata suo nomine acceptet. Ast hic, cum a fœderatis interrogaretur, num ejusmodi mandata habeat, id inficiabatur, cum ea non secretarii, sed legati functio sit. Haut eo minus Berclaius cum istis postulatis in Cæsareorum ædes accedebat, sed pro Lotharingo nil adferebat, causatus, se hujus postulata nondum Gallo tradidisse. Et cum ipsi demonstraretur, ob hanc causam adversæ partis postulata admitti non posse, chartis mensæ impositis discedebat. Sed ea mox Cæsareus, & Danus ad Anglos referebant, qui & nulla tergiversatione ea acceptabant, polliciti operam se daturos, ut etiam pro Lotharingo, & omnibus aliis postulata exhibeantur; simul Berclaii erratum excusabant, quod Lotharingi postulata nondum Gallis tradita fuerint. Beverningio Neomagum reverso fœderati ab Anglis adversæ partis postulata accipiebant. Belga jam sua ab Anglis sibi tradi fecerat. Lotharingi postulata Galli non acceptaverant, quod nemo a Duce adesset, justo procuratorio instructus: & cum a se omnia solennia observata sint, Duci idem faciendum. Cæterum Galli a Cæsare postulabant pacem Westphalicam restitui: Sueci, ut abolita offensarum memoria, pax Westphalica per omnia pristino vigori restituta sarta tecta persistat; omnia sibi erepta loca in statu, quo ante bellum fuerant, restituantur; pro damnis quoque illatis justa satisfactio præstetur. Ab Hispanis Galli postulabant, ut utrinque omnia in eo statu permaneant, quo per arma in præsens sunt reposita, salvis Regis juribus, & prætensionibus. Ab iisdem Sueci expetebant amnestiam, ac ut Hispanus Sueco erepta reddi curet, tum ut pro damnis, & expensis sibi satisfiat. Danum Gallus nil aliud poscebat, quam instaurationem pacis Hafniensis, & Westphalicæ. Suecus ab eodem postulabat amnestiam, ut pax Hafniensis sarta tecta persistat, nec minus pax Westphalica, & quæ per Danorum arma in Germania mutationem subiere, ad normam ejus pacis redigantur. Quicquid Sueciæ ereptum sit, ad statum pacis Hafniensis, & Westphalicæ reducatur: pro damnis ex expensis satisfiat; de securitate in futurum caveatur. Ab Electore Galli reparationem pacis Westphalicæ postulabant: Sueci, ejusdem pacis reparationem, tum amnestiam, & ut omnia loca sibi ab Electore erepta restituantur, simul pro illatis damnis justa satisfactio solvatur. Adversus Belgas Galli pronum animum ad instaurandam pristinam amicitiam, & pactum circa commercia ineundum declarabant. Sueci ab iisdem amnestiam, & fœderum atque commerciorum usum, prout ante bellum fuerit, exigebant; tum ut loca ope Belgarum sibi erepta restituantur, ac damna illata reparentur.

1677.

16. Febr.

§. 45. Postero a traditis postulatis die *Cæsareus* Kinskius apud Danum querebatur, quod is *Dani* pro Electore Pomeraniam Suecicam *postulatis* postularit. Nam si ea provincia velut commissum *contradicit.* feudum consideretur, eam absque Cæsaris tantquam directi domini consensu affectari non *22. Febr.* posse. Sin belli jure petatur, Cæsari, cujus copiæ ad eam occupandam non parum opis con-

1677. contulerint, eo nomine debitam portionem invito detrahi haut posse. Igitur sibi utique contradicendum, quod is ita simpliciter Electori Pomeraniam stipulari ausus sit. Et cum Danus quæreret, num suis quoque postulatis circa Rugiam, & Wismariam contradicere velit, id quoque affirmabat. Isthoc nostris eo magis inopinum accidebat, quod Cæsarei Viennæ sæpenumero testati fuerant, lubente Cæsare Electorem Pomerania potiturum, ac eum hoc fine operam navaturum. Nec iste inficiatus fuerat, quin eo nomine Cæsari præmium deberetur, sed judicaverat, id huncce in Pomerania quærere non posse, nec velle. Denique ea postulata tantum contra Suecos dirigi, salvo jure Cæsaris de feudo investiendi. Ea de re cum Elector Viennæ per Crocovium quereretur, respondebatur; Kinskium præter mandata id fecisse; sed quod de Cæsaris directo dominio, & satisfactione mentionem injecerit, id improbari non posse. Ac cumprimis Præsul Gurcensis Goësius acriter contendebat, Cæsari quoque partem de Sueco ereptis deberi: ac si Elector Dano Rugiam cesserit, cur non & Cæsari aliquid tradi possit? Ac sane Viennæ admodum ægre ferebant Electorem procuratoria cum hostibus permutasse; nec digerere poterant, Principem Imperii cum hostibus nullo intermedio, & velut primariam partem tractasse, ac Cæsarem, qui utique caput Imperii, & omnium fœderatorum sit, duntaxat ut simplicem fœderatum haberi. Ac fremebat Gurcensis Brandenburgicum solum esse ex omnibus Electoribus, & Principibus, qui nullo intermedio tractare velit. Nam omnes alios Cæsari adhæsuros; ac parum lucraturos fœderatos, si hoc modo a Cæsare se disjungant. Male quoque factum, quod Elector insalutato Cæsare super emolumentis suis per exterum Regem proponi curasset. Kinskio autem rescribebatur, recte eum fecisse, quod Cæsaris autoritatem asseruerit. Ita tamen ageret, ne fœderatis suspicio injiciatur. Ita in obscuro non erat, quantum fovoris sibi Elector ab aula Cæsarea spondere posset, ubi quotidie querelæ personabant, Cæsarem nihil, fœderatos omnia lucrari, ac isti quoque de sua satisfactione cogitandum.

Num deinceps scripto, an viva voce tractandum?

§. 46. Post tradita hinc inde postulata super modo deinceps tractandi consultabatur. Ubi Ronquillus censebat, melius fore, si deinceps non scriptis, sed per sequestres agatur. Id quod aliis periculosum videbatur, quod Sueci Coloniæ nunquam aliquid proposuissent, quin id a Gallis in antecessum probatum esset. Congressu habito Kinskius proponebat; post absoluta præliminaria, & exhibita utrinque postulata super ejusmodi tractandi ratione conveniendum, ne adversæ parti ansa præbeatur fœderatos arguendi, velut pacis negotium non eo studio, quo possint, & debeant, urgeant, aut iisdem inter se non probe conveniat. Ad quæ Beverningius; duas tantum esse vias tractandi; cum ipsa parte adversa nullo intermedio, aut per sequestres, idque viva voce, vel scripto. Inter hos duos modos neutrum solum eligi posse, sed istum, aut hunc adhibendum, prout negotiorum, quæ occurrant indoles videatur requirere. Nam sola scriptione negotiationem in longum extrahi. Esse quoque materias, quæ facilius elaborari, & expediri queant colloquio, quam scriptis. Sæpe quoque e negotiatione, quæ scripto peragitur, exacerbationem, & alia incommoda provenire. Igitur si utique scripto quid proferre consultum ducatur, per sequestres id exhiberi posse. Ast si sermone agere placeat, & Anglorum opera uti, multa dissidia, & alia incommoda verenda esse. Nisi de hoc conveniri possit, ut utraque pars, & Angli in curia singula conclavia habeant, & inter partes hinc inde ire velint. Sibi quidem decretum libertatem istam sibi reservare, ac Reip. suæ negotia tractare, prout commodissime fieri queat. Si quæ difficultas occurrat, superiorum sententiam brevi a se exquiri posse. Se quoque non intercedere, quo minus & alii fœderati eo tractandi modo utantur, qui ipsis commodissimus fuerit visus. Danus, & nostri Principum suorum mandata expectare volebant. Kinskius hactenus Belgæ sententiam probabat, ut modo scripto, modo sermone ageretur pro captu negotiorum. Sed super Gallorum, & Suecorum propositionibus initio non nisi scripto agendum, ac superiorum mentem de iis prius exquirendam. Sed nec prius tractari quid posse, quam Sueci, Gallique ad fœderatorum postulata quid responderint. Contra Belga: Quia postulata utrinque non omnia ejusdem indolis sint, non necessarium esse circa ea eodem modo procedi. Sibi quidem nil propositum, ad quod per mandata sua non e vestigio respondere queat; & credere alios quoque paribus mandatis instructos. Nam si ad quælibet proposita declaratio domo petenda sit, negotiationem in infinitum extractum iri. Ast Kinskius: si Beverningius eo modo processurus sit, eum prius ad finem perventurum, quam cæteri cœperint. Expedire autem, ut negotium pariter agatur, nec unus alterum præveniat. Nec sibi videri super omnibus nova mandata petenda; sed id saltem rationis esse, ut prima partis adversæ postulata domum mittantur. Ad hæc Belga: non esse quod fœderati metuant, ne sua negotiatio propere nimium succedat. Nam Arausionensem inter alia postulare Principatus sui restitutionem, uti ante demolitionem castelli fuerat; quod negotium a Parlamento Delphinatus examinandum sit. Tractatu quoque commerciorum, qui quinquaginta capitibus constare debeat, multum temporis absumendum. Ea omnia sermone expedienda. Sed ne fœderatis causa diffidentiæ sit, se jussum non prius concludere, quoad & reliquis fœderatis satisfactum sit. Sed ideo non posse certo agendi modo adstringi. Interim non omissurum omnia communicare, idemque a reliquis expectare. Id quod ab omnibus acceptabatur, ac mensis unius spatium sumebatur responso ad proposita adornando. Sed Beverningius negabat certum tempus præfigendum, sed quamprimum mandata adfuerint, in negotio pergendum. Sane se interim circa forman-

11. Mart.

1677. formandum commerciorum tractatum cum Gallis laboraturum. Kinskius: si Beverningius solus in tractatu pergere velit, visum iri secessionem a reliquis agitare. Quo dicto Belga commotior dicebat; ne eam rem amplius tangeret. Se prout fœdere conventum in hoc negotio processurum; quo non requiratur, ut omnia fœderatorum scripta eodem tempore tradantur. Quin si crastina die Reip. negotia ad finem perducere possit, id non omissurum, nec fœdera repugnare. Nil tamen pro perfecto habiturum, ni tractatus quoque cum fœderatis absoluti sint. Nam & fas, & rationes Reip. requirere, ut ne ipsa sola pacem sibi faciat. Etsi ea mens fuisset, dudum pacem haberi potuisse lautioribus quam nunc conditionibus, ubi juncto gradu cum fœderatis sit procedendum. Ea declaratione Hispanus adquiescebat. Sed nostri, & reliqui monebant; nil quoque faciendum, quod speciem separationis habeat. Ubi Belgæ negotia sua absolverint, si maxime fœderatos non deserant, præsumendum tamen esse, eosdem fœderatis instituros, ut & ipsi ad finem properent. Belgæ: nil de ipsis præsumendum, nisi quod honestos, ac fidos fœderatos deceat.

ostro- rum cum æsareis uper modo ractandi isceptatio.

§. 47. Nostri inde a Cæsareis inquirebant, quænam decretoria Cæsaris sententia super modo tractandi sit, quod ipsi e Kinskio intellexerint, Cæsarem tanquam caput Imperii solum cum adversa parte tractare velle, Ordinum negotiis per Cæsareos expediendis. Tum quod Kinskius Electoris postulato circa Pomeraniam sese opposuerit, addito, si Cæsar alibi satisfactione non potiatur, regressum ad Pomeraniam sibi reservaturum. Atqui hanc sibi sententiam esse, Electorem velut primariam partem apud hos tractat9 considerandum; quod bellum contra Suecos suis auspiciis gesserit, ac in id tam multa impenderit, nulla ab Imperio ad id ope collata. Et Cæsarem jam ante sesquiannum declarasse, se favente Electorem Pomerania potiturum. Kinskius ad hæc: Cæsarem utique caput referre, a quo Ordines pendere teneantur. Sed & usu receptum, ut Cæsar cum hostibus pro se, ac Ordinum nomine tractet: unde & Electorem Cæsaris voluntati sese heic attemperaturum. De Pomerania negotium Cæsarem, ac Imperium tangere, cujus nomine bellum contra Suecos geratur. Cæsarem Electori eam provinciam non invidere, salva tamen sua satisfactione, ac ut legitimo modo procedatur. Osnabrugæ, & Monasterii Cæsarem velut primarium tractasse, idque Ordinibus tunc non male cessisse: inprimis Bavarum cupita sibi per Cæsarem pervicisse. Eandem viam si insistat Elector sine dubio facilius voti damnandum. Nostri contra: Ab Electore utique Cæsarem Imperii caput haberi: sed haut ideo ei vetitum esse, sua negotia per proprios legatos expedire, quos ideo magnis sumtibus heic sustentet. Ipsum quoque instrumentum Pacis Westphalicæ testari, cum Ordinibus ibi tractatum fuisse. Nec tristem adhuc memoriam exolevisse, uti tunc Elector hoc modo cum hoc, modo cum alio, nullo interveniente, tractarit. Suecos suam satisfactionem quæsivisse; sed de æquivalente non a Cæsare, sed a Suecis propositum, & super iis Electoris nomine admodum operose per suos actum fuisse. Pomeraniam feudum Imperii esse sat sibi cognitum; ac suo tempore haut omissuros, quæ conditio fiduciaria requirat. Sed eam in præsens a Suecis postulandam; & quod Elector id facturus sit, dudum Cæsari significasse, hautquidquam repugnanti. Danum tanquam fœderatum de ea recte tetigisse. Alias se omnia circa hoc negotium cum Cæsare libenter communicaturos. Sed quod ea sibi summa occupationis esse debeat Cæsareos monere, ac edocere, id moribus Imperii, ac dignitati Electoris repugnare. Equidem bellum ab Imperio Suecis indictum, sed ab Electore gestum, ac exiguam Cæsareorum manum, quæ interfuerit, in rationes venire non posse. Electorem quoque majorem exercitum, quam Cæsarem, in Alsatiam duxisse, & omnia adhuc facere paratum, quæ bonum publicum, & fœdus requirat. Bavaro quondam privatas conjunctionis cum Cæsare caussas fuisse. Electorem sibi Cæsaris opem certo promittere, eamque decenti modo exposcere. Sed id in controversiam vocatum haut iri, quo minus facta communicatione negotium suum per suos agat. Imperium hisce tractatibus miscere infinitis ambagibus, ac tricis ansam præbiturum, in distractiones desituris; id quod & Belgæ aversentur. A Cæsare de satisfactione ad fœderatos rejectum. Quam parum apud hos profectum sit, Bremensem congressum ostendere. Igitur se circa proponenda sua desideria non posse conventionem fœderatorum morari. Atque hæc ut dextre ad Cæsarem referre velint, petere. Quæ Cæsarei modeste admittebant, ac ipsi ultro contradictione desistebant. 1677.

Electoris Palatini propositio.

§. 48. Accedebat dehinc nomine Palatini Electoris Ezechiel Spanhemius, ablegati extraordinarii dignatione, qui istius nomine literis ad omnes legatos allatis judicabat hoc modo se satis legationis suæ fidem fecisse. De cætero quomodo is Princeps indemnis præstandus sit, in Cæsaris manus contulisse. Sed nostri arbitrabantur, *hoc modo eum scopo suo haut potiturum; nec tutum, aut sat ex dignitate esse isti omnes suas rationes Cæsareorum arbitrio committere.* Is scripto corpori fœderatorum oblato postulabat, *ut sibi congressibus fœderatorum interesse liceat; ut fœderati ejus Principis postulata cum suis proponere, ac urgere velint, quo eidem pro illatis damnis satisfiat, utque nisi obtenta ea indemnitate, ac in futurum cautione pacem non concludant.* Sed quia isti Principi cum Cæsare duntaxat fœdus intercedebat, plerique censebant, *eundem admitti non posse, quod hoc modo cœtus nimis numerosus fiat. Si quid tamen nomine Electoris sui congressui exponendum habeat, accessum patere; ubi negotia tractentur, quæ Palatinum non tangant, ultro accedere omissurum. Reliqua quæ postulet neminem in se recipere solere, ni peculiari ad id fœdere obstringatur.*

§. 49.

1677. *Hanoverani Ducis postulata.*

§. 49 Hanoveranus quoque Dux postulata sua scripto concepta ad Electorem mittebat, petens ut is eadem per legatos suos Neomagi fulcire velit. Cui Elector prolixe promittebat, suadens tamen ut heic Cæsareorum potius opera uteretur. Scilicet, quia præcipuum Ducis postulatum parum æquitati congruere videbatur, quo rationem haberi postulabat prætensionum, & jurium, quæ ipsi ex pacto cum Rege Daniæ; Electore, & Monasteriensi super medio statu quæsita fuerint. Cum non adpareret, quo juris colore is postularet, pactum præstari, ut exercitui suo ab Ordinibus alimenta præberentur, ipso interim nullam patriæ operam navante, ac eo nomine ab hoste pecunias accipiente. Cæterum Galli ob florentia tunc arma sua valde insolentes diu de pace mentionem non faciebant; uti nec Angli, quorum studium in Gallos nimium pellucebat: cum tamen Sueci antea Coloniæ nullum diem præterire siverint, quin pacem ingererent: Angli contra nil aliud faciebant, quam ut scripta, & declarationes parti adversæ traderent; ipsi nil in medium adferrent, quod ad ullam difficultatem tollendam facere posset. Etsi quando suam sententiam circa quidpiam proferrent, ea plane ad mentem adversæ partis formata erat. Galli tunc de induciis in aliquot annos movebant, id quod credebatur fieri eludendo Parlamento Anglicano, quod mirum quantum Galliæ arma inferre cupiebat. Sed Elector causæ communi nocentius nihil ducebat, quam si per inducias tanta commoda Gallo in manibus relinquantur.

De responso ad hostium propositionem disceptata.

§. 50. Cæsarei post nostris legendam præbebant formulam responsi sui ad hostium propositionem. In qua nostri notabant, quod Sueci, & Galli aliquo modo ad pacem Westphalicam sint admittendi. Nam ad hos utique eam pacem non amplius spectare, ac novam cum iis pacem ineundam. Igitur ea verba inducebantur. In responso autem, quod Suecis peculiariter dandum erat, nostri observabant, quod Cæsar ab his postularet, ut sibi ob damna fœderatis, & Ordinibus Imperii illata satisfactionem præstarent; & quod Cæsar feuda, quæ Sueci ab Imperio tenuerant, sibi ac Imperio vindicaret. Equidem ea feuda recte caduca declarari, ac penes Cæsarem esse eadem in alios, ac præcipue in Electorem conferre, velut cui Suecus arma intulerit, & qui tantos sumtus iis provinciis recuperandis impenderit. Sed quod præter commissa isthæc feuda Sueci aliis quoque damni reparationem præstare debeant, id non his solum absurdum, & iniquum visum iri; sed & hoc modo fœderatos, quibus a Suecis satisfactio debeatur, a feudis illis excludi. Igitur id caput ita formandum, ut caduca ea feuda ad satisfaciendum Electori, & aliis impendantur. Ad quæ Cæsarei: *Cæsarem non repugnare, quo minus e feudis istis Electori, & aliis læsis satisfiat. Sed sibi haut mandatum, eo scripto Cæsarem ad id obligare. Tum nec Cæsaris satisfactionem ad liquidum deductam, de qua nemini fœderatorum Bremæ agere libido fuerit. Denique super commissis feudis non cum Suecis, sed cum Cæsare tractandum, & ea e manibus hujus accipienda, qui & ad ea recuperanda copias suas miserit; & esse negotium, quod totum Imperium spectet.* Nostri contra: *hoc scripto fœderatos sua prætensione plane excludi, dum seorsim fœderatorum satisfactio, seorsim itidem caduca feuda quasi ad Cæsarem spectantia ponantur. Cæsarem quoque jam declarasse, se ut Elector Pomerania potiatur operam daturum. Sed & jam ante biennium Electorem cum Cæsare super hoc negotio convenire, & ut huic quoque satisfiat, obstringere se voluisse. Sed istud ad fœderatos fuisse rejectum. Cæsarem nunquam quid desideret liquido declarare voluisse: ac Electorem adhuc ad omnia æqua se offerre. Denique commissa feuda n[illegible] n Cæsaris manu esse. Quæ Elector teneat favore Numinis recuperasse, ac omnes fortunas eis impendisse, ipsa quoque vita non semel periculo exposita. Nec eum tanquam Cæsareum ducem considerari posse: sed tanquam Electorem, qui solus a Suecis impetitus fuerit, illatam sibi injuriam ultum, ac bellum in Pomerania gessisse, ad quod Cæsareæ copiæ parum contulerint. Supremum Cæsaris jus in dubium haut quidquam vocari; id tamen non obstare, quo minus Electori fas sit super eo, quod ipse armis suis hosti extorsit, cum hoste agere. Quando Pomerania primum in Suecos transferebatur, cum Electore fuisse actum. Jam eidem cum Suecis agendum, ad quos ea provincia post pervenit. Et si maxime inter Cæsarem, & Electorem super ea convenerit, huic tamen nondum cautum fore, ni & cum Suecis transegerit.* Ita pervicerunt nostri, ut Cæsarei eam clausulam omitterent, per quam innuere videbantur, quasi læsis fœderatis aliunde, quam e caducis Suecorum feudis satisfaciendum foret. Ejus loco ponebatur, Cæsarem fœderatorum postulata reservare, iisque insistere. Et cum nostri monerent, ea quæ de vindicatione caducorum feudorum posita erant, non alium sensum, & effectum habere, quam ut infeudatio penes Cæsarem maneat, Cæsarei non contradixerunt. 1677.

Super responsis ad hostium propositiones cum Belgis disceptatur.

§. 51. Ast cum fœderati ad postulata adversæ partis responsa sua edere vellent, Beverningius in idem consentire nolebat, causatus, se non habere quod respondeat, ac jam cum Gallis locutum; nec certo agendi modo posse adstringi. Ejus instituti causa erat, quod fœderati lente nimis molirentur, nec Belgarum res ferrent negotium ita trahi; præsertim cum Cæsareis pax cordi non esse videretur, quod haut consultum foret tractatus festinare eo tempore, quo fœderatorum arma tantopere languebant. Ac revera tractandi modus, quem Belga adstruere volebat, Electori valde suspectus erat. Nam si Gallis ac Belgis inter se convenisset, isti erga fœderatos eo duriores sese ostensuri erant ut importuna Belgarum festinatio paci plus remoræ, quam facilitatis adferret. Sed & Galli ostendebant, se non amplius scripto, sed extempore viva voce responsuros: quid fœderati facere velint, in ipsorum *5. Majii.* arbitrio

1677. arbitrio positum. Unde quæstio surgebat, num fœderati haut eo minus scripto responsum concipere debeant? Ubi considerabatur, hostes fœderatis quæpiam injuria objicere posse, quæ uti revera se habeant, orbi exponi expediat: igitur omnibus placuit scripto respondendum, ac præcipue Hispanis. Nam suo Regi violationem pacis Aquisgranensis impingi, quod Arausionensi Caroloregio obsidium circumponere paranti nonnihil copiarum submiserit. Ac Gallum ad Suecos, & Anglos velut triplici fœderi innexos literis datis id pro violatione pacis habendum censuisse, quod & ipsi pro tali declaraturi sint. Sed Suecum respondisse; sibi prius Hispani sententiam cognoscendam, antequam certi quid super hoc statuere queat. Anglum autem citra ambages pronuntiasse, pacem eo facto violatam haut videri. Nam socium socio auxiliares copias mittere posse salva pace cum eo fœderato, adversus quem auxilia mittuntur. Unde legationi Hispanicæ necessum esse eam criminationem a Rege suo avertere. Danus quoque dicebat; a se Gallo demonstrandum esse, evictionem pacti Hafniensis, quam Gallus præstandam suscepisse se ferat, non obstare, quo minus Rex suus cum Electore, & Belgis fœdus mutuæ securitatis inire potuerit. Et quia Suecus inde Electorem hostili modo invaserit, simul novum se hostem Belgis exhibuerit, Regi suo ex eo fœdere arma fuisse arripienda. Unde culpam abruptæ pacis penes Suecos hærere, qui & dudum tractatum Hafniensem multis modis violarint. Ita reliqui omnes consentiebant, scripto respondendum esse. Solus Beverningius non significabat, quid ipse facere decrevisset: sed qui mox declarabat, se nil scripti exhibiturum. Id quod eo magis suspectum habebatur, quod omnes tres legati Gallici apud eum fuissent. Altera quæstio erat, quomodo fœderati de eo certi esse queant, quod Galli, & Sueci viva voce exposuisse ab Anglis ferantur? Nam his tractatibus jam compertum, tam Anglos, quam hostes quædam proposuisse, quæ post agnoscere noluerint. In iis etiam, quæ sermone referantur, facile errorem incidere posse. Unde certo non constare, num id, quod a tertio memoretur, ab adversa parte dictum sit, an minus. Nec idoneam probationem eorum, quæ proposita sint, in manibus esse. Anglos hucusque scripti quid exhibere abnuisse, præsertim præter partium voluntatem. Si Secretarii colloquiis adhibeantur, eorum acta tantum privati scripti loco habitum iri: ac si adversa pars ista inficetur, & ad sua protocolla provocet, intra contradictionem hærendum, ac neutrum alteri fidem adhibiturum. Igitur placebat ab Anglis percontari, quod remedium ipsi suppeditare queant, ut de eo quod agatur, certo constare queat, nec discrepantia, aut contradictio deinceps metuenda sit? Ad hanc quæstionem Galli declarabant: sibi placere, ut id, quod ipsi viva voce sequestri expositūri sint, ab hoc annotetur, aut uti id eidem ad calamum dictatum fuerit, scripto adversæ parti exhibeatur, ea tamen lege, ut fœderati quoque nihil scripto agant, sed pari modo a se proponenda sequestri dictent, aut ab hoc in chartam conjectum ex hac exponi curent. Quod temperamentum fœderatis probatur, ut tamen id, quod adversa pars sequestribus exposuisset, ab his in forma probante exhiberetur. Iidem tamen sibi reservabant facultatem in futurum pro re nata scripto, aut viva voce tractandi. Sed Belgæ se obstringere nolebant ad sententiam suam una cum reliquis fœderatis declarandam, nec ad mentem suam scripto exponendam, si fœderati scripto id faciant. Etsi alias sancte testarentur, se non aliam pacem nisi communem facturos, atque idem se apud Gallos declarasse; nec se adversæ parti quid propositūros, quod non antea fœderatis communicarint. Haut eo minus Elector Arausionensi per literas demonstrabat, uti hic agendi modus suspicionibus ansam præbeat, facile separationem fœderatorum, & peculiarem pacem producturis: simul per eundem paci remoram injici. Nam quo faciliores sese Galli adversus Belgas exhibeant, eo difficiliores erga alios fore. Sed si omnes pari passu procedant, longe majus operæ pretium facturos. Galli post ostenderant, modum tractandi, quem ipsi elegerint, brevissimum; sed eum, qui fœderatis placeat, prolixiorem esse. Sed si fœderati eidem inhæreant, sibi quoque reservandum, pro re nata scripto aut viva voce agere. Sed si responsa sua voce proferre placeat, se eadem Anglis ad calamum dictaturos, qui ex eo dictato fœderatis mentem suam exacte sint exposituri.

§. 52. Ita demum Cæsarei id responsum ad Gallorum propositionem exhibuere, quod verbis conceptis heic adponere placet. *Si pari actionum sinceritate cum S. Cæsarea Majestate & Imperio Romano pro Pacis Westphalicæ, veræque ac fraternæ amicitiæ conservatione Serenissimus & Potentissimus Franciæ Rex Christianissimus concertasset, quantum propositio pacis novissima ex ejusdem parte exhibita præ se fert, non esset, quod Gallia dictæ pacis nunc postliminio reducendæ gratia quæsita media venaretur. Quam multifariam Paci Westphalicæ, tanto labore, impendio, & Christiano sanguine partæ, contravenerit Gallia, non minus notum est omnibus, quam comperta sunt consilia, cura & industria, quæ eidem semper conservandæ, & inprimis funesto præsenti bello, ab Imperio Sacro, ejusque finibus amovendo impendit S. C. M. utpote non verbis tantum, sed & factis luculentissime comprobatum. Serenissimo Lotharingiæ Duci anno superiori 1670. ditione omni, ac vix non vita exuto a Gallia, unica salus reliqua erat in fuga, & Sacri Imperii protectione, quæ ipsum tanquam membrum Imperii ab antiquissimo tempore complectitur, Augustissimus Cæsar ut bello viam præcluderet, nec tamen Principi ad suam, & Imperii protectionem recurrenti deesset, maluit amicis officiis, quam armis ejusdem restitutionem experiri, facta in eum finem extraordinaria ad instantiam totius Imperii ad Regem Franciæ Christianissimum ablegatione. Sed Cæsaris officiis non attentis, Imperii palam rejectis, ostendit jam tum præclare Gallia, quantam amicitiæ cum Imperio conservandæ rationem, & tranquillitatis* 1677.

Responsum Cæsareorum ad Gallorum propositionem 3. Maji.

3. Maji.

1677. *publicæ considerationem haberet. Objecit paulo post unicum studium extendendi fines Regni in imparatas semper Galliæ armis fœderatas Belgii provincias, & simul tum novum specimen religionis suæ dedit Gallia conservandæ cum Sacro Imperio amicitiæ, & Westphalicæ pacis anno 1672. ingenti exercitu Imperium, non requisito, minus consentiente Cæsare & Imperio contra dictam pacem non tantum, sed & Gentium mores educto, non tantum facta ex ipso Imperio contra unitas Belgii provincias aggressione, sed & occupatis urbibus & castellis Imperii, etiam aliquibus multo hostili milite insessis, eorum aliis pro lubitu destructis, aliis munitis, designatis per Imperium cum summo multorum ejusdem Ordinum damno pro lubitu hospitationibus, combusto ad Argentoratum super Rhenum ponte, ejusque reparatione in majorem Imperii, ejusque Comitialis Ratisponensis conclusi contemtum vi probibita, postquam implorationibus continuis Ordinum Imperii mota S. S. C. M. pro munere suo Imperatorio ad tuendos Imperii fines, & Status, qui impetebantur, exercitum adduxisset, intercederet autem Suecia oblata mediatione simul divulgaret Gallia, se copias suas Imperio retracturam, si & suas Cæsar revocaret, S. C. M. ne & hanc restabiliendæ tranquillitatis publicæ occasionem negligeret, legiones suas ex Imperio in hæreditarias provincias suas reduxit; sed facturam, quæ se vulgarat Gallia tantum abest ut impleverit, quin potius majorem in Imperium, & intima Franconiæ militem reduxerit, ad deditionem arces Cæsareo milite munitas coëgerit, ditiones Electoris Trevirensis sub vano prætextu, quod unitis Belgii provinciis fœdere junctus esset, ferro & igne prius devastarit, quam copiæ Cæsareæ in auxilium denuo accurrere possent, ipsamque adeo Archiepiscopatus metropolim vi expugnarit, decem Alsatiæ civitates Imperiales debitæ protectionis loco propugnaculis, tormentis bellicis, armis, & ipsis adeo mœnibus exuerit, easque ad incitas redegerit. Serenissimi Electoris Palatini Status prius hospitationibus exhaustos, eo tempore quo eidem amicitiam offerebat, occuparit, & exusserit. Ut oppressio Circuli Burgundici, innumera incendia urbium & pagorum, totius fere tractus Rhenum inter & Mosellam, & Saram, licet solutis etiam ante terminum debendi exactionibus jure gentium ab omni exsecutione securi esse debuissent, violata sepulcra, ipsos Principum cineres, omniaque sacra, & quæ alia supra usitatum inter Christianos morem immania a Gallis in Imperio durante bello perpetrata sunt, prætermittantur, cætera semper amicitiæ Gallicæ cum Imperio studiose cultæ funestæ illustria monumenta. Quibus rite consideratis nemo non videt, S. C. M. & Imperio Romano, omnibusque ejus Statibus, nisi iis major pacis inposterum a Gallia observandæ securitas fiat, præsens semper fore periculum, ne jam iterum occasione belli arrepta gravior adhuc in totius tandem sacræ compaginis dissolutionem irruat. Proinde jure non nisi optimo maximo non omnia solum, singulaque, quæ in Imperio sacro, ejusque Circulis a Gallia adhuc detinentur, vel ad tempus usque pacis detinebuntur, utpote bello injusto occupata a S. C. M. repetuntur, sed simul etiam cum pro expensarum, damnorumque in immensum excrescentium reparatione, tum pro majore securitate de non amplius turbando contraveniendove habenda, Alsatia, atque Brisacum, itemque nuper receptum Philippiburgum cum advocatia in Imperiales Alsatiæ civitates unitas, uti & feudalitate in ea, quæ Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Verdunensis Vasalli extra modo memoratorum Episcopatuum territoria intra Imperii fines possident feuda, vindicantur. Pacis enim Westphalicæ, cujus de cætero intemerata semper inter Cæsarem, Imperiumque sacrum lex stabit, atque sanctimonia, beneficiis omni jure excidit, Gallia, quæ eidem pro arbitrio contravenit; reservata de reliquo, ut nuper in propositione, omnibus & singulis Imperii Statibus, & confœderatis competenti satisfactione, & indemnisatione, tum etiam facultate mutandi, ac ulterius explicandi, prout in rem pacis, ac securitatis publicæ visum fuerit: itemque quod de singulis haut prius conventum intelligetur, quam de toto, & cum omnibus fœderatis fuerit conclusum.* 1677.

§. 53. Ad Suecorum autem propositionem a Cæsareis reponebatur. *Si pacis Westphalicæ cum Sacra Cæsarea Majestate, & Imperio Romano observandæ tanta Serenissimo, & Potentissimo Sueciæ Regi cura fuisset, quanta in propositione pacis nuper ex ejusdem parte exhibita prædicatur, non utique bellum inter S. C. M. & Imperium, Coronamque Sueciæ enatum, neque de pacis reducendæ firmandæque mediis cum eadem nunc agendum foret. Experta namque inprimis Suecia est, quam minime aversi S. C. M. in ipsam animi sit, quanta potius solicitudine omnia media pertentaverit, quibus hanc belli aleam ab Imperio Sacro, ejusdemque Statibus averteret, stabilitamque amicitiam, & sacrosanctum dictæ pacis instrumentum tot laboribus, & impendiis coalitum in suo vigore conservaret; quam facilem, & promtam se ad acceptandum mediationem a Suecia ultro oblatam exhibuerit, licet non ignoraret, illam cum Gallia Imperii hoste arctissimo fœdere junctam esse post habita omni licet legitima suspicione constanti suo pacis, & tranquillitatis publicæ desiderio non alias a Suecia conditiones stipulata, quam quas ipsa mediationis natura dictat, scilicet ut durante cum Gallis bello Suecia nulli ex belligerantibus assisteret, nec mediationis officio, usque dum communis pax stabilita foret, sese abdicaret, multo minus quid hostile contra S. C. M. Romanumque Imperium, & ejus confœderatos moveret. Quam declarationem cum declinaverit Suecia, clarius patuit, hanc mediationem non tam offerri ad restinguendum belli flagrantis fomitem, quam ad detinendas Cæsareas copias ab Imperii defensione, comprobante paulo post idipsum evidenter rerum subsecutarum eventu, atque ipsius mediationis in hostiles invasiones conversione. Meminit sine dubio adhuc Suecia, cum anno 1673. Galli copias suas, quibus Imperio non amplius suspecti, sed palam infensi erant, ex Imperio se reducturos divulgassent, si & Cæsareæ, quas illuc pro Statuum, & finium Imperii tutamine exciverant, revocarentur; quo animi candore & sinceritate solo pacis, & tranquillitatis publicæ studio S. C. M. ad dictam mediationis Sueciæ oblationem prius legiones suas ex Imperio in provincias suas hæredita-*

Cæsareorum responsum ad Suecorum propositionem. 3. Maji.

1677. reditarias revocaverit, ut proinde Galli post revocatas bona fide copias Cæsareas majore quam antea milite Germaniam inundarent, & in Imperii meditullium, Franconiæ nimirum intima, penetrarent, aliaque in Imperio non hostilia tantum, sed & immania ab ipsa Suecia improbata perpetrassent, S. C. M. & Imperium a Ser. Sueciæ Rege, ut Imperii statu, si non arma auxiliaria contra manifestos Imperii invasores & hostes, certe uti a mediatore nihil minus, quam hostilia contra Imperium, ejusque Status debuerit expectare. Sed visum est Sueciæ præferre omnibus aliis nexibus, ac rationibus fœdera cum hostibus Imperii icta, iisque non tantum accedere, quorum violentam invasionem, & perpetrata in Imperio improbare se sæpius antea contestata fuerat, sed & subito, ac decrepente, quo Sereniss. Electorem Brandenburgicum ab expeditione pro defensione Sacri Imperii suscepta diverteret, ejusdem ditionis occupatis urbibus invadere, ac omnibus S. C. M. & totius Imperii dehortationibus insuper habitis violenter detinere, & ad extremum exhaurire: eoque nemo inficias ibit, a Suecia bellum Imperio illatum posthabita fide, qua S. C. Mti & Imperio, uti ejusdem Status ac membrum, obstringebatur, Pacem Westphalicam infractam, turbatam tranquillitatem publicam, adeoque jure merito hostem Imperii in plenis ejusdem comitiis declaratam, non attenta compositionis oblatione, quam Sacræ C. Mti & quibusdam Imperii Principibus tum demum fecit Suecia, cum in occupatis ditionibus pedem ita jam firmasset, ut satis adpareret, haut ipsam, uti juris est, violenta possessione statim cessuram, restituramque omnia in integrum, sed id potius per dictam oblationem compositionis, & tractatuum intendere, ut ex detentione legitimam quasi possessionem assereret. Ex quibus evidens est, nisi major pacis a Suecia in posterum observandæ securitas obtineatur, Augustissimo Cæsari, Sacroque Imperio præsens semper fore periculum, ne prima occasione iterum pro causa belli arrepta in totius tandem sacræ compaginis dissolutionem gravior, & funestior irruat. Proinde Augustissimus Imperator ad se & Imperium Sacrum revoluta vindicat omnia Dominia, Principatus, & generaliter omnia feuda, quæ a M. S. C.rea Serenissimus Rex recognovit, sive ea possideat adhuc, sive Cæsareis, & Electorum, aliorumque Principum armis recepta teneantur. Pacis enim Westphalicæ (cujus de cætero intemerata semper inter Cæsarem, Imperiumque Sacrum lex stabit, atque sanctimonia) beneficiis omne jure excidit Suecia, quæ eandem pro arbitrio infregit, reservatis de reliquo, ut nuper in propositione, omnibus & singulis Imperii Statibus, & confœderatis competenti satisfactione, & indemnisatione, tum etiam facultate mutandi, ac ulterius explicandi, prout in rem pacis, ac securitatis publicæ visum fuerit, itemque quod de singulis haut prius conventum intelligatur, quam de toto & cum omnibus fœderatis fuerit conclusum.

Nostrorum ad Gallorum & Suecorum pro- §. 54. Ast nostris brevi responso defungi satius videbatur, cum quicquid ex hoc bello emolumenti capturus esset Elector, non verbis, aut speciosis rationibus, sed armis pervincendum videretur. Unde Gallis ita responsum. *Si studia Suæ Serenitatis Electoralis pro pace conservanda ex optimo profecta animo locum invenissent, in præsenti de reducenda illa non foret liberandum: nunc postquam ad hos tractatus pacis perveniendum fuit, & Serenissimus Elector Brandenburgicus pacem, ut quam maxime desiderat, idque agit unice, ut & honesta, & secura illa stabiliatur, rationes ejus ineundæ in postulatis suis supra dicto die exhibitis proposuit. Illæ cum justæ, & æquæ sint non alienum ab illis fore Regem Christianissimum sperat, atque iisdem proinde S. Ser. Electoralis inhæret firmiter. An vero illæ pacis Westphalicæ leges, quæ ab una parte in suscipiendo, gerendoque hoc bello neglectæ sunt, alteram obstringant adhuc partem, ita ut etiamnum in iis, quæ bellum hoc spectant, stare teneatur, in eo Serenissimus Elector juris gentium notissimæ dispositioni adquiescet.* Sed Suecis id responsi reponebatur. *Si S. S. E. Br. terras Suæ Majestatis Sueciæ hostiliter invasisset prior, si non lacessita injuria damnisve ad arma indicenda Regiam Majestatem Sueciæ, & ad sumtus in ea faciendos permovisset, jure merito S. R. M. illa a Sua Ser. El.li posceret, quæ scripto die 3. Martii Neomagi exhibito ab eodem postulavit. Nunc cum nihil tale Ser. Electori imputari possit, contra vero orbi constet, S. R. Mtem Sueciæ absque ulla legitima causa exercitum suum ductu supremi militiæ suæ præfecti in terras S. S. E. Br. misisse, qui hostiliter eas invasit, tractavit, atque insedit, donec inde pelleretur; neque enimvero domino suo repetenti aliter ea obtingere poterant, quam armis vindicata: sic bellum Suæ Ser. Electorali illatum, sic nihil habere amicitiæ, aut quod amicabilem saperet compositionem deprehensum fuit, postquam semel a pacis universalis studiis recessum, armis, atque vi omnia sunt acta. Quæ cum ita se habeant, ipsi S. R. Mti Sueciæ dijudicandum relinquitur, an non optimo jure Sua Ser. El. Brandenburgica a S. R. M. expectare debeat ea, quæ absque ullo fundamento a S. S. E.li D. D. legati R. Mis Extraordinarii, & Plenipotentiarii postularunt. Cessit olim Ser. El. Brandenburgicus Pomeraniam suam pacis causa: nunc postquam belli fomes, & armamentarium quasi perpetuum contra Ser. Elect. facta, æquum erit, ut iterum pacis causa ad eundem redeat, eique posterisque ipsius, quæ alias inveniri non potest, perennaturam præstet securitatem. Sic vetus coalescet amicitia, sic firma illa, atque perpetua erit. Pacis Westphalicæ leges cum hac in parte S. R. M. Sueciæ neglexerit, S. Ser. El.em obstringere non possunt. Inhæret itaque S. S. E. postulatis suis die 3. Martii, nuper hoc in loco exhibitis.* 1677. *positionem responsum.*

Gallorum & Suecorum responsum. §. 55. Ast Galli & Sueci, cum silentio agnoscere injustitiam armorum, quæ sibi ab adversariis objiciebatur, turpe haberent, aut si quem illis colorem auderent circumponere, orbis ludibrium metuerent; consultum ducebant omnem disceptationem, quæ justitiam ullo modo tangere posset, declinare. Eoque per sequestres paucis verbis ad proposita reponebant: *Sibi haut persuaderi, Cæsarem, atque Electorem Brandenburgicum jure aliud quid prætendere posse, quam instaurationem pacis Westphalicæ, ad cujus observantiam tam Cæsar per capitulationem,*

 quam

1677. *quam Principes Imperii tanquam legem Imperii fundamentalem obstringantur*. Nec minus laxa ad reliquos articulos reponebant. Sueci pressiora se non posse respondere excusabant, quod commercia literarum cum Rege suo sibi interclusa sint. Interim priori se propositioni inhærere.

Belgæ formulam pacis suæ cum Gallis concipere properant. 3. Jun. §. 56. Ast Belgæ, qui jam separatam pacem meditabantur, modum respondendi a fœderatis adhibitum adspernati, certos articulos pacis concipiebant Gallis tradendos. Etsi interim testarentur, Remp. suam fœderatis fideliter adhæsuram; vicissim tamen par esse, ut & hi quantum possint pacem summo studio promoveant. Nam penes Remp. non amplius esse immensos belli sumtus tolerare. Artes manuarias apud se tantum non plane cessare, ac intra solam Leidensem urbem vicies mille artifices ad paupertatem redactos instrumentum suum vendere coactos. Unde dilabi incolas, ac navigationem imminui. In singulos equites conducendos centenos quinquagenos, in singulos pedites quinquagenos florenos Hollandicos impendendos. Sine commerciis nec populum ali, nec bello gerendo sumtus suppeditari posse. *7. Jun.* Isti articuli fœderatis communicati gravi hos suspicione perstringebant. Inprimis Elector ea re valde turbabatur; quod hac in formula fœderatorum ne verbo quidem mentio facta esset. Nam dum ipsum aliosque paci incluserint, eos insinuare videri, se, aliosque fœderatorum classe non amplius censeri; quod paci hoc modo includere moris sit eos, qui nunquam societate belli comprehensi fuerint. Tum & ita multa sinistra ea formula contineri, ut ab ipsis Gallis concepta credi possit. Unde censebat Elector, a Belgis per omnes junctim fœderatos declarationem exigendam, ne quid amplius super hac formula cum Gallis tractent; ac ut deinceps omnia prius cum fœderatis expendere velint. Alias fœdera violata videri, ac sibi alia consilia capessenda. Sed in Belgas eam rem maxime redundaturam, velut de quorum securitate potissimum agatur; ac se, aliosque per ipsos in arma pertractos; & ubi deinceps pari calamitate obruantur, haut fore, qui eorundem defensionem suscepturi sint. Et quia metuendum sit, ne Belgæ post isthoc institutum fœderatis leges præscribere audeant, in quas hi pacem admittere debeant, nostri cum fœderatis consultare jubebantur, qua ratione istis incommodis medendum foret. Ast Belgæ nostris super hac re querentibus respondebant: Reip. suæ hautquidquam in animo esse separatam pacem inire, multo minus Electorem destituere. Rogare tamen, ut Elector quoque cogitationes suas ad pacem referat, ac eidem accelerandæ studeat; quod suæ Reip. vires non sint bello diutius sustinendo. Nostri contra: Suecos summa cum injuria ab Electore postulasse, quæ isti jure huic debeant. Gallos Westphalicam pacem occinere. Quem itaque in pacis mora esse? Belli tædium non minus Electorem, quam Belgas cœpisse. Sed num ideo gratis eidem tanta mala fuisse exhaurienda? Belgæ fatebantur, Electorem tractatibus haut in mora fuisse; alios contra exiguam pacis cupidinem ostendisse. Optandum tamen, eum bello Pomeranico quamprimum defunctum. Addebat Harenus: Belgas nunquam flagitii quid admissuros. Omnia, quæ cum adversa parte tractentur, eam conditionem habere, si & reliquis fœderatis satisfactum fuerit. 1677.

Electoris ad Belgas literæ. 16. Jun. §. 57. Ast Elector sistendæ Belgarum festinationi tales literas ad eos scribebat. *Se ex formula pacis per eorum legatos Gallis tradita non sine animi perturbatione perspexisse, non solum pacem inter ipsos, & Gallos tantum non perfectam, si modo Galli Trajectum ad Mosam, & inde pendentia restituant, cum tamen reliqui fœderati vix tractandi initium fecerint; sed & ea formula de fœderatorum satisfactione ne verbo quidem mentionem factam; quin ibi expressum, Belgas cum aliis facta fœdera conservandæ Gallorum amicitiæ abrupturos. Equidem se dudum e singulari agendi modo a legatis Reip. Neomagi adhibito aliqua incommoda timuisse. Gallis ad divellendos fœderatos omni studio incumbentibus. Sed de tanta præcipitantia nunquam se suspicari potuisse. Equidem sibi haut in animo esse ipsis præscribere, in quas leges pacem cum Gallia inire debeant; ac in medio relinquere, num concepti articuli reparandæ securitati, ac saluti Reip. sufficiant, utut de eo dubitandi summa ratio sit. Id tamen in aprico esse, ipsos æque secum, atque aliis cum fœderatis convenisse, ad mutuam satisfactionem, & securitatem promovendam incumbere, ac communem, tutamque pacem inire. Nec minus omnes fœderatos hoc bello unice ob servandam eam Remp. bello implicitos, quam ex inevitabili alias exitio maximis suis cum damnis, & periculis eripuerint. Sane se amore Reip. per Wilhelmum Furstenbergium a Gallo oblatas lautas conditiones repudiasse, & cum jam omnia conclamata viderentur, totis se viribus Gallo objecisse, propria vitæ haut pepercisse, filii primogeniti jacturam fecisse, omnes suas fortunas periculo exposuisse, Cæsarem, Daniæ Regem, Brunsulcensem Domum, alios in eadem pertraxisse. Quod universi orbis, ac posteritatis judicium futurum, si ipsi nunc se, aliisque fœderatis destitutis separatim cum Gallia transigere velint? Equidem excusando huic facto adduci, fœderatos ei paci includi? formulam eam duntaxat esse a Rep. non prius perficiendam, antequam & reliqui fœderati cum Gallo transegerint: Remp. bello tamdiu gerendo quod omnes fœderati votis suis potiti sint, haut sufficere. Ast per ista justas fœderatorum querelas non tolli. Nam laxa formula illos pace comprehendi solere, qui societate belli comprehensi non fuerint; uti exempla pacis Monasteriensis, Pyrenææ, & Aquisgranensis ostendant. Socios autem belli tanquam primarios pacificantes considerandos, quibuscum æque in justas pacis leges conveniendum sit. Ratihabitionis dilationem fœderatis non minus, quam Reip. summo detrimento cedere. Nam ubi Gallum inter, & Remp. super legibus pacis convenerit, isti, ut reliquis satisfiat, parum curæ fore; qui citra hoc arma deposituri non sint. Quam noxium porro causæ communi, ac Reip. Belgicæ, hac festinatione Anglum cohiberi, quo minus bonis partibus accedat? Et quod nunc prætextum Parla-*

1677. *Parlamento Regem ad indicendum Gallo bellum hortandi, ubi constet, jam Belgas inter, & Gallos super legibus pacis convenisse? Pacem ab ipsis expeti haut improbandum; nec sibi magis quid in votis esse, quam ut quamprimum orbi Christiano stabilis pax reducatur. Enimvero cum non sufficiat in præsens, ac breve tempus Reip. consuluisse, sed & infuturum ejus securitati prospicere, ipsos judicaturos, quamdiu ejusmodi præcipitata pax duratura sit, si Gallo præsens potentia perstitat, & an non is, ubi fœderati se dissociaverint, ac copias suas exautoraverint, singulos prout libido subegerit, sub jugum missurus sit, cum in præsens vix omnes juncti eidem resistere valeant. Nam & tunc ita repente ejusmodi fœdera, uti in præsens sunt, conflari posse? Ac an non potius memoria præsentium quemlibet cohibitura sit, quo minus tam lubricæ societati se innectat? Quæ res Belgis velut periculo proximis tunc pessime cessura sit. Ista omnia se Reip. fido, & candido animo, quo semper eam complexus sit, exponere; ac optare eadem ita accipi, tanquam ab eo profecta, qui non solum bonam fidem, & existimationem, sed & genuinas Reip. rationes præ oculis habuerit. Sane per ejusmodi festinationem communem, tutamque pacem non obtineri, sed armis strenue illatis, & insolubili fœderatorum conjunctione, fidoque eorum in communia emolumenta studio, simul pertracta in partes Angliæ. Igitur petere, ut Resp. legatis suis Neomagi injungat, ne eam formulam Gallis exhibeant, aut ulterius super ea cum istis agant; sed ut omnia inter fœderatos conjunctim tractentur, & ad obtinendam communem pacem pari passu procedatur.* In eundem sensum Elector quoque ad Arausionensem scribebat. Cum Elector legatum Belgicum Tochtium super hoc negotio adpellari juberet, & quam parum ista fœderi, ac bonæ fidei congruerent, præsertim cum Belgæ nemini fœderatorum, præterquam ipsi indemnitatem promiserint; is valde perturbatum se ostendebat, nec quid diceret aliud habebat, quam eam formulam in speciem factam, ut si qui fœderatorum a pace abhorreant, per eam ad rationem admittendam compellantur. Nostri tamen Neomagi haut consultum ducebant eas literas paulo vehementiores Belgis reddere, quod in eo omnes consentirent, quam mollissima remedia adhibenda, iis quæ secius agantur emendandis. Eoque primum Fagelio scribebatur, quomodo ea res corrigi possit? Tum legatis Hagæ agentibus injunctum, ut sociatis consiliis quæ opus foret observarent. Et comperiebatur, literas Electoris ad Arausionensem insigne pondus habuisse. Sane apud Cæsareos legati Belgici de sincero suo animo tantum non lacrymabundi testabantur, rogantes, ut omnis suspicio, & diffidentia removeatur; ac si quid in ipsorum actionibus desideretur, non in publico, sed privatim moneatur. Unde cum res interim mutata videretur, anceps erat literas tradere, contrarium forte effectum habituras; præsertim cum in rescripto ea verba extarent; *si res adhuc in eodem statu sit.* Sed nec ideo rem expeditam, quod formula per modum articulorum concepta sit; cum & Osnabrugæ ita actum foret. Sed & Belgas prima propositione stipulatos, ne sui articuli quid valeant, quoad fœderatis satisfactum sit. Hæc verba autem in hac formula extare non potuisse, utpote ad modum justi tractatus adornata. Abolitionem tractatuum Galliæ adversorum de futuris fœderibus offensivis intelligendam, quæ Gallus in sui fraudem inita demonstrare possit. Sane ultimo articulo Remp. sibi guarantiam recepisse, quæ utique per fœdera sit firmanda. Inclusionem inniti prævio tractatu, quem fœderati eodem quo Belgæ tempore cum hostibus inituri sint. Quæ & ipsa inclusio aliis verbis concepta sit, quam queis eorum Principum mentio fit, qui in partem belli haut venerunt: heic quippe fœderatorum jura, ac securitatem reservatam, eodem modo uti eam Resp. pro se stipulata sit; id quod in vulgaribus inclusionibus fieri non soleat. Quanquam igitur Belgarum agendi modus probari non posset, præcipue quod articulos suos adversæ parti tradidissent, antequam fœderatis super iis consultandi facultas foret: quia tamen declarabant, eam formulam esse imperfectam, & obligatione vacuam, nec animum sibi esse a fœderatis disjungi, ac emendaturos se, si qua ad mentem fœderatorum haut processerint: placebat epistolam non reddere. Ac metus erat, ne favor populi Belgici, qui alias in Electorem flagrans erat, minueretur, si crederent, Electorem bellum extrahi cupere, cujus tædium Belgas quam maxime ceperat. Cæterum cum a Tochtio relatum esset, quid cum ipso Electoris nomine expostulatum fuerit, Beverningius non fine commotione querebatur; bonam intentionem suorum superiorum ita sinistre accipi. Eis quippe decretum, nunquam a fœderatis suis se disjungere, nec separatam pacem inire; ac perire malle, quam ejusmodi flagitium admittere. Eo indignius esse, argui se quasi peculiares tractatus agitent, qui tantum non pro perfectis haberi queant. Unde non parum altercationis in congressu ortum. Mox tamen idem de Reip. ac suo sincero animo multis testabatur. Quæ toto tractatu a se acta sint, a superioribus mandata fuisse. In hisce si quid desideretur, cum istis agendum: quibus & solis ipse ad reddendas actorum a se rationes teneatur. Nec sibi mandatum super iis, quæ hostibus exhibiturus sit, cum quopiam consultare. Se jussum fœderatis scripta sua communicare, ut norint, quid Resp. quærat; non istorum censuram super iisdem admittere. Addebat; plebi Belgicæ satis constare, se vel hodie pace potiri posse, si eam se paratam habere velint. Nam Gallos obtulisse, se Reip. Trajectum ad Mosam, ac Arausionensi cognominem Principatum reddituros eo in statu, qui ante hoc bellum fuerit. Unde & sibi aliquo specimine cupidinem pacis fuisse ostendendam, quo plebi onerum belli indies gliscentium fessæ animus spe firmaretur. Quæ & valde queratur, a Cæsare sat languide rem geri, ac in Remp. omne onus devolvi. Post eam disceptationem Kinskius nostros, Belgasque hortabatur, ut posita offensa de sincera amicitia testarentur.

Margin: 1677. — 3. Jul.

1677. Id tamen constabat, Ordines Generales legatis, suis expresse injunxisse, ut cum fœderatis super articulis, de quibus nunc disceptabatur, communicarent, & si quæ monita habeant, cognoscerent. Tum hosce legatos ad Remp. retulisse, fœderatos consensisse, ut cuilibet integrum sit sua scripta pro arbitrio adversæ parti exhibere. Id quod fœderati nunquam probarant. Unde patebat, eos legatos contra mandata egisse, & aliquando secus, quam actum
20. Jul. fuerat, retulisse. Ast Elector ista oblivioni dari jubebat, quod Tochtius de sincero Reip. animo confirmasset, quæ nullo modo fœderatis sese dissociatura sit. Beverningius quoque datis ad Electorem literis asseverabat, quæ de peculiari cum Gallis pace spargantur, ficta esse. Qui vicissim id gratissimum sibi esse testabatur; & nunquam aliter de bona fide, ac generoso Belgarum animo sibi promisisse. Quicquid tamen Belgæ testarentur, constabat Gallos omnem lapidem movere istis ad peculiarem pacem pertrahendis. Tum omnes provincias belli pertæsas palam fremere, sibi nec animum, nec vires esse bello ulterius gerendo, præsertim Hispanorum ubique ignavia eminente. Ac ni fœderatis insignis successus contra Gallos allubesceret, metus erat, ne qualemcunque isti pacem occuparent.

Neomagi tempus frustra teritur. §. 58. Ast Gallis dudum in animo fuerat dissociatis per occultas artes fœderatis pacem, qualem ipsi cupiebant, cudere. Unde Neomagi per inania tempus trahebant, successus armorum suorum speculati, quæ magna cum præcautione gerebant, ancipitia præliorum declinantes, ac qua minime creditum fuerat toto impetu ruentes. Nec minus sequestres langvide rem agebant. Quanquam enim Coloniæ, Bredæ, ac alibi sequestres rationibus, & hortatibus partes ad pacem impellere sategissent, temperamentis subinde propositis: Angli tamen nil nisi partium dicta hinc inde ferre, quod Angliæ Rex diserte vetuisset hortatibus partes urgere, aut temperamenta proponere. Porro Galli ne prætextum foret ducendo tempori circa Lotharingum varia cavillabantur. Ac initio protestationem interponebant, titulum, quem Dux in procuratorio ablegatorum suorum sibi attribuerat, ut & quem Rex diplomate tuti itineris dederat, huic præjudicio non
15. Jul. fore. Inde Lotharingi propositionem vitio nullitatis laborare arguebant. Nam antea Ducem questum, sibi ob negata diplomata necessum esse postulata sua per Cæsareos exponere. Nunc autem ministros ab ipso utique Neomagi adesse. Igitur par esse ipsius postulata eodem modo, uti ab aliis factum, proponi; quæ tunc accepturi, ac responsum daturi sint. Re in congressu fœderatorum proposita placuit e Gallis per sequestres quærendum; num responsuri sint, si Canon super restituenda Lotharingia proponat? Ita enim eos ad respondendum compelli posse, ni se ipsos manifesti ludibrii damnare velint. Canoni autem suadebatur, ut scriptam propositionem suo nomine Gallis, uti postularint, exhibeat. Id quod & ab hoc
23. Aug. factum. Ad eam demum Galli frigide admodum, nec ad summam rei respondebant, sed duntaxat unum, & alterum cavillabatur. Cum autem nostri censerent, Gallis injuriam suam esse demonstrandam, Belgæ reponebant; multa utique absurda Gallorum responso contineri: sed Remp. suam non obstringi, ut in tractatu pacis ab omnibus partibus pari gradu procedatur. Nec probari a se posse, fœderatos Lotharingicam causam velut suam agere velle; cum præstet, eam a Ducis ministro urgeri, fœderatis eandem fulcientibus. Cæterum id sibi etiam atque etiam monendum, Reip. pacem quantum possit promovendam. Cives belli, & tributorum tædio captos. Forte deinceps vires, & voluntatem defore sumptibus belli suppeditandis. Quamdiu porro partes non nisi invicem contradicant, nunquam inter se conventuras. Unde necessum esse, ut Angli partes hortentur, aut ut ipsæ partes propius ad rem accedant, ac distinctius quam hactenus mentem suam sequestribus exponant. Se quoque nullo modo probare eum procedendi modum, velut uni fœderatorum haut integrum sit absque altero causam suam cum hoste disceptare, atque expedire. Quo enim ejusmodi tractatus evasurus sit, si Neoburgicus, Brunsuicenses, Monasterienses, alii, qui conventum nondum adierunt, expectandi sint, negotiatione interim suspendenda, quoad isti adfuerint?

Super replica ad Gallorum responsum disceptata. 21. Sept. §. 59. Cum inde apud fœderatos consultaretur, quid ad Gallorum responsum reponendum foret, Beverningius censebat; fœderatos pressius mentem suam explicare oportere; alias omnem operam frustra insumi. Sed Electori haut expedire videbatur de postulatis suis quid remittere, quod speraret, se etiam ingratiis Suecorum Pomerania potiturum. Sane & Daniæ Rex misso Goschio Bucwaldo Electori expendendum proposuerat: cum Belgæ Neomagi magis distincte super pace proponi petant, ac forte bellum sibi, atque Electori ad diuturnitatem intolerabile accidere possit, nullo a reliquis fœderatis auxilio, nec numeratis subsidiis, ac urgente hospitiorum angustia; an non in gratiam Belgarum a prioribus postulatis recedendum sit? Sibi quidem videri, hoc fundamentum tractatui cum Suecis substernendum, ut quod quisque iis eripuerit, retineat: Brema, & Ferda inter eos, qui ad eam occupandam opem contulerint, ex æquo & bono dividendam: Suecorum immunitatem in Oresunda abolendam. Circa reliqua moderationem adhiberi posse. Sed Elector censebat, quia Belgæ ita sancte de constantia sua promittant, haut videri consultum cedendo hostium iniquitatem alere; ac ea temperamenta ad extremum reservanda esse. Sed Neomagi in hunc sensum responderi placebat: non adparare, quod iniqui habeat a fœderatis damni reparationem, & securitatem postulatam. Gallorum contra petita a ratione abhorrere, qui omnia, quæ ipsi aliis eripuerint, retinere velint, ac insuper postulent, ut fœderati, quæ recuperarint, aut hostibus suis eripuerint, reddant. Huic declarationi clausulam adjiciendam, fœderatos libenter ostendi sibi velle rationem paci promte expediendæ, quam ipsi

magno-

1677. magnopere expetant. In quam clausulam Beverningius consentiebat, qui tamen sua postulata cum reliquis fœderatis exhibere nolebat. Cæsarei quoque suam declarationem pro se & Hispanis simul tradere instituebant, collisioni Hispanos inter, & Danos declinandæ, utra declaratio, si Hispani seorsim suam exhiberent, prior, aut posterior foret. Sed nunc Danos recusare non posse, quo minus sua declaratio Cæsaream sequatur, cujus partem Hispanica faciebat.

28. Sept. Post exhibitam fœderatorum replicam Angli ostendebant, a Rege suo se jussos ita apud partes rem moderari, ut in earum utrinque declarationibus nullum vocabulum, aut dictio adhibeatur, offensam aut animorum exacerbationem excitare apta: & quia in fœderatorum scripto positum sit, Gallos *contra omne jus* cum Hispanis egisse, ea verba velut valde dura corrigi petebant. Gallos quoque, & Suecos sibi semper liberum duxisse, suas declarationes eo modo, uti paci promovende faciant, temperatas adversæ parti communicare. Sed fœderatis haut placebat in scripto suo quid mutare, ne id exemplum ad plura porrigatur. Anglorum quoque monita partim iniqua; partim nullius momenti esse: & si quid monendum sit, id non a sequestribus, sed ipsis partibus proficisci debere. Nam si Angli pertendant, neque ad justitiam causæ, neque ad rationem provocandum esse, fœderatis omne fundamentum subtrahi, cui postulata sua superstruere queant. Quod ad judicium orbis provocetur, vulgatum loquendi modum esse. Num Hispanus aggressor sit, id a Gallis movendum esse. His ubi istud objicere placuerit, non defore, quod ipsis reponatur. Sed & Gallos in declaratione sua aculeatis dictis non abstinuisse; velut quod *fœderati armis nullum operæ pretium fecerint*. In postremo dictamine eos postulasse, *ut fœderati alias propositiones faciant, Galliæ, ejusque fœderatis convenientes*; quæ verba multum insolentiæ præ se ferant. Quo responso Angli adquiescebant, nisi quod adhuc urgerent, verba *contra omne jus* omitti. Unde Hispanus declarabat, se iis apud Anglos abstinere non posse: penes hos tamen fore, ea apud Gallos retinere, aut omittere. Nostri Electoris postulata velut æquitate nixa Anglis commendabant. Nam Electorem eo esse in Suecum animo, ut si alius adhuc mundus extet, non invisurus sit, hunc solum ejus dominum esse, modo is mundus ita longe a sua ditione remotus sit, ut nil inde turbarum sibi provenire queat. Ad quæ Jenkinus: Sibi certo constare, cum Elector nil nisi stabilem pacem spectet, utque suæ ditiones ab inquietæ viciniæ incommodis subducantur, Regem Angliæ id prout par consideraturum, ac ejusdem votis velificaturum. Ast Galli ad iterata fœderatorum postulata respondere abnuebant, sed novas propositiones deposcebant. Id quod Electori a ratione abhorrere videbatur. Nam Gallos non demonstrare, fœderatorum postulata iniqua esse; ac si maxime æqua sint, haut eo magis locum iis dare velle. Alterutrum autem necessarium esse, ut vel probent injusti quid ab ipsis postulari; vel ut quæ tanquam iniqua rejicere nequeant, admittant. Ast inter Principes ita non solere agi, ut nova postulata exigantur, haut demonstrato priora iniqua esse. Sic eosdem in causa Lotharingica semel utcunque declaratis obnixe inhærere, ne verbo quidem ad Cæsareorum rationes reposito. Unde par esse eos a sequestribus moneri, ut rationi locum apud se dent. Nam si maxime novæ propositiones fiant, eas itidem rejici, & alias postulari posse, si sola libido istis pro norma agendi sit. Et cum fœderati discutiendis rebus cum Gallis se obtulerint, hi autem ne verbum ad ea responderint, quæ mens iis sit haut in obscuro esse. Belgæ tamen censebant, a fœderatis de securitate in futurum omitti posse. Nam ipsi paci securitatem inesse, quæ per fœdera evictionis præstationem habentia firmari queat. 1677.

Utrinque partis in aula Anglicana negotiationes.

§. 60. Enimvero quæ Neomagi circa pacem agitabantur, speciem magis, quam solidi quid habebant. Nam uti a Gallis id præcipue per occultas negotiationes querebatur, ut Belgas sociis avulsos ad separatam pacem pollicerent: ita Hispani omnem lapidem movebant, num Anglum ad arma in Gallum stringenda permovere possent. Sane in Angli manu positum erat pacem universus complexam tunc Europæ dare, si serio, ac debita cum constantia rem suscepisset. Sed consilium aulæ Anglicanæ ita nutabat inter desiderium amicitiam Galliæ servandi, & metum per tam crebras prorogationes Parlamentum irritandi; ut quæcunque ab eadem super pace decernerentur, perpetua contradictione laborarent, & de quorum sensu nemini constabat, & quibus tam partes belligerantes, quam Parlamentum æque decipiebantur. Alias isti Regi & notitia rerum sat exquisita, & solidum judicium erat. Sed summa eidem votorum habebatur vitam per tranquillitatem exigere, molestia & labore procul. Quæ intentio haut improbanda erat, si cæteris quoque par animus foret; ac si Reges eo fine nati essent, ut unice suæ voluptati litarent. Singularis insuper morum facilitas in causa erat, ut promte sententias eorum amplecteretur, de quibus fiduciam conceperat, utut a prioribus suis placitis plane abeuntes. Sed quos lubenter iterum amoliebatur, ubi ab iisdem molestiis se implicitum sentiebat. Unde in universa ejus administratione nil stabile, nec certos ad fines digestum reperiebatur. Alias nil in eo fastus, nil vanitatis, & qui ne suspicionem quidem adulationis tolerare poterat; quique adeo plurima habebat, quæ aliorum æstimationem, & amorem conciliare poterant. Tempora porro, in quæ ipsius regimen inciderat, tam pronam ipsi occasionem offerebant, qua gloriosissimus Principum sui temporis evadere poterat, ni enormis otii cupido, & nimia facilitas eam negligere subegisset. Qua Galli ambitio ita textre uti norat, ut is maximam in suorum progressuum partem isti Regis Angliæ negligentiæ deberet: ac vicissim reliquus orbis Christianus eundem inter præcipuos referret, penes quos causa tot calamitatum, quæ

1677. quæ Gallorum ope eum inundaverunt, hæserit. Cæterum jamdudum in Anglia metuebatur, ne Belgæ seorsim cum Gallis pacem inirent, fœderatis admodum noxiam. Sed Beuningius eum colorem dicebat; hoc ipso Anglum stimulari, ut ad coërcendam enormem Galliæ potentiam cum aliis se accingat. Is itaque cum in Anglia exhaustas Belgarum vires, & periculosum provinciarum Hispanicarum statum subinde ingereret, quibus servandis propera pace opus sit, simul super legibus pacis cum Rege agere diceretur, Elector per Romswinkelium apud Arausionensem, & Fagelium quid veri subesset exquirebat. Hi respondebant: cum civibus belli onus per diuturnitatem intolerabile fiat, ac Hispanorum res indies in deterius ruant, Beuningio sane injunctum, ut Anglo promotionem pacis commendet; & cum Angliæ quam maxime intersit, ne Hispanicæ provinciæ a Gallis absorbeantur, earum periculo exposito Regem, ac Parlamentum in fœderatorum partes pertrahere laboraret. Sed super conditionibus pacis inter Hispanos, & Gallos aliquid in medium adferre Beuningio haut injunctum. Ac certo confidere Electorem posse, Belgas nunquam aliter quam ad normam fœderum acturos, nec separatim tractaturos. Quid alii suspicentur, aut spargant, a se præstari non

23. Jan. posse. Haut eo minus Beuningius super peculiari pace Londini non sine successu laborabat, favente aula Anglicana; utut ipse apud fœderatorum legatos inficiaretur, a se pacis mentionem fieri. Unde cum ablegatus Hispanicus Bernhardus Salinas percepisset, conditionibus pacis inter Galliam, & Hispaniam delineatis Gallo Burgundiam addici, Anglo demonstrabat, hac lege pacem nullo modo inveniri posse. Nam in ea provincia maximum momentum positum esse, quod, ubi Gallus ea potiatur, Hispania a Germania abscindatur, & quicquid isti in Italia possideatur, cumprimis Mediolanum periculo expositum sit. Lotharingiæ quoque servitium firmari medio inter Burgundiam, & Alsatiam situ; Helvetiis compedes injici, Sabaudiam non minus, quam quatuor Electores ad Rhenum, aliosque Ordines Gallorum insultibus exponi, Brisgoviam conclamatam, Gallis apertam januam in Germaniam, & Italiam pandi. Ast si de restituenda Burgundia constet, Hispanos non dubitaturos rationes suas circa Flandriam in sequestris arbitrium conferre; quod ipse Angliæ Rex agnoscat, Flandriam bonis limitibus adversus Gallos muniendam. Equidem Hispaniam de reliquiis Flandriæ amittendis periclitari, ni a fœderatis, & aliis quorum intersit subveniatur. Sed quia super ista jam armis decernendum sit, hæc non prius ponenda, quoad vel ei necessaria securitas parta sit, vel eadem plane amittatur. Nam etiam sine Flandria Hispanum magnum, & potentem monarcham mansurum; cui deinceps volupe sit futurum spectare, quid vicinis eventurum sit. Ad ea Rex: Belgas jamdudum separatam pacem agitasse, id quod hactenus solus Arausionensis impedierit. Sed quia Gallus non gratis Burgundiam sit amissurus, dispiciendum, quid pro hac ei dandum sit. Contra Hispanus: 1677. Si injustitia belli a Gallo cœpti, & vicinorum rationes non considerentur, non esse, quod de pace cogitetur. Nam Hispanis sedere omnia potius amittere, quam Burgundiam cedere. Sed ista Rex velut per magniloquentiam Hispanicam dicta flocci faciebat. Contra Beuningius aliis inconsultis libello exhibito Regem rogabat, ut quia non alia via sit reliquiis Belgii servandis, is extremas huc vires impenderet. Haut eo minus observabatur, Anglicanam aulam non solum progressibus Gallorum in Flandria apertum præ se gaudium ferre, sed & quo magis isti gliscerent, eo majores eam spiritus sumere. Unde non aliud colligi poterat, quia ista Regni rationibus haut congruebant, quam occultum pactum Anglo cum Gallis intercedere, cujus fructus bellum civile in Anglia futurum sit. Contra Parlamentum, quod arma in Gallos stringere ardebat, apud Regem instabat, ut securitati Angliæ, cujus magna pars in conservatione Belgii Hispanici consistat, prospicere velit. Sed cujus ardori eludendo artes aulæ non deerant. Ad quod non parum conferebat Beuningius, cum Gallis clam colludens, & Bergeyckius ablegatus Hispanicus, qui natione Belga patriam suam utcunque servari optabat, quid reliquis fieret incuriosus, ac ipse familiariter admodum Curtinio legato Gallico utens. Parlamentum in cautionis vicem locum aliquem Flandriæ, ac nominetenus Ostendam cupiebat. Sed Hispani metuebant, ne Anglus id oppidum pari modo, uti Dunquercam, Gallis venderet. Cæterum quia ministri Hispanici Salinas, & Emanuel Fonseca Consul, quorum hic ad novissimam inter Anglos & Belgas pacem non parum contulerat, aulæ suspecti erant, velut Parlamentum ad bellum contra Gallos stimularent, Rex interrumpendæ horum negotiationi prætexto arrepto e sermone, quem Salinas habuisse arguebatur, utrumque intra viginti dies Regno excedere jussit; intra quod tempus Fonsecæ non permittebatur extra domum suam prodire: qui & post elapsos dies rhedæ impositus Duveram, inde celoce in Flandriam trajiciebatur. Salinati permissum, ut interim domo sua prodire posset: sed qui eam gratiam adspernatus negabat Regi fas esse, sibi publico interdicere. Nec minus & ipsi, elapso dicto tempore, Anglia excedendum erat. Vera causa, quare is Anglia ejiceretur erat, quod idem, dum Regem ad fœdus cum Hispania incitat, dixerat; Parlamentum quoque id valde cupere. Ad quod Rex reposuerat; *Autores uno benscripti a Parlamento exhibiti esse manipulum nauci de det hominem.* Id quod Salinas quibusdam Parlamenti assessoribus retulisse arguebatur. Cæterum quanquam natio Anglicana in universum belli cum Gallia cupida erat, ac plerique ministri id non utile solum, sed & necessarium reputabant: Rex tamen a Gallica factione ita obsessus erat, ut aliis occasio non daretur veras Regni sui rationes ipsi ob oculos ponendi. Ac ipse Gallo fidem dederat, se nil contra eum suscepturum; simul frater Eboracensis, & Portsmuthia pellex intra Galliæ compedes

1678. des eum retinebant, quibus quidem maxima ab auro firmitas accedebat. Quin ipse Beuningius, ac Bergeyckius ardorem Parlamenti circa bellum Galliæ inferendum eludebant. Quorum hic dicebat; nil se habere, quod cum Parlamento agat: iste autem, cum clam ab Inferiore Domo interrogaretur, quid de actionibus aulæ judicaret, responderat; omnia se bene habere. Qui & ipse Reip. suæ enixe confirmarat de optima intentione Angli, ac uti arbitrium pacis tuto ipsi committi possit. Sic ut satis pateret, istis cordi non esse Angliam cum Gallia committi. Ac communis in Anglia opinio erat, Regi clam cum Belgis convenisse super obtrudenda fœderatis pace. Eo fine Rex a Parlamento pecuniam expetebat, quo armis sese instruere posset ad autoritatem sibi circumponendam. Sed Parlamentum isthoc declinabat, quoad Rex in fœdus contra

urge- Galliam descendisset. Ac in ipso momento

mero. Burgomannus Marchio veniebat fœdus Hispa-

Maji. nicum offerrens, sic ut Rex non amplius excusare posset, ab Hispanis nullas conditiones proponi. Cujus adventu Beuningius, ac Bergeyckius non parum perturbabantur, ejusque negotiationi obsistebant; qui citra conditionem Regi a Parlamento pecunias dari laborabant, ut hic ita se instruere posset, quo partibus ad acceptandam pacem cogendis vires forent. Enimvero postquam Parlamentum urgeret, ut Rex cum Belgis fœdus iniret ad sistendos Galli progressus, Rex id repente comperendinabat. Equidem Burgomagnus Regi necessitatem ejus consilii capessendi demonstrabat: sed cui Rex nil aliud respondebat, quam promotionem pacis sibi cordi fore. Contra Beuningius antiquam viam insistens probare nolebat, Anglum ita crude ad bellum urgeri. Rationes afferebat: Anglum abrupte partibus Galli relictis cum Belgis pacem fecisse; ubi Gallo fides ab isto data sit, quam nunc infringere nolit. Eum sequestrem esse, ac id munus prætexere declinandis de sumendo bello propositionibus. Ipsum quoque Parlamentum per se sat acriter bellum urgere, eoque non esse, quod ministri fœderatorum proponenda re ingrata Regi se exosos reddant. Regem quoque semper declarasse; tunc demum se ostensurum, quid Gallo opponendum sit, ubi hic æquam pacem repudiaverit. Unde si Rex in bellum pertrahendus sit, prius æquas pacis conditiones proponendas esse. Regem quoque ostendisse, conservationem Flandriæ sibi quidem cordi fore, sed eo, quo Hispani velint, descendere nolle: quod hæc aula judicet, sibi cum Hispanis natura difficilibus melius conventurum, si necessitas semper ad Angliam respicere subigat, quam si ita firmentur, ut propriis viribus subsistere queant. Unde non amplius de Pyrenæa pace cogitandum, sed modestius quid proponendum. Denique ideo Regem per gliscentem Galliæ potentiam, adeoque per proprii Regni rationes permoveri non posse, ut fœderatorum partes amplectatur; quod ipsi persuasum sit; Angliam sociis Belgis semper Gallis parem fore. Sed revera Beuningius metuebat, ne Belgæ diuturno bello implicarentur, si Anglia quoque arma arriperet. Hispanis porro duo ministri in Anglia erant, Bergeyckius, qui ex ipsa Hispania veniebat, & Burgomagnus a Villa Hermosa missus. Iste Regi adhærebat, hic Parlamento; iste blandis, hic asperis verbis utebatur. Id quod ita interpretabatur Beuningius, quod Hispani utraque ratione Anglum sibi adjungere conentur. Si asperis nil proficiatur, Hispanos a Burgomagno acta inficiari posse; velut quem Gubernator Belgii miserit citra aulæ mandatum; ac sic per Bergeyckium rem restitui posse. Sed Parlamentum Burgemagno insinuabat, ut aspere loqui pergeret, ac in Hispania efficeret, ut Regi munus sequestris adimatur, ac Anglorum ibi pecuniis manus injiciantur, eo prætexto, quod Gallo subinde ex Anglia miles submittatur. Tunc enim Regi necessitatem allatum iri Parlamentum convocandi; simul adparitum, quid Anglica natio tamdiu pectore presserit. Avocabatur inde Bergeyckius, & Burgomagno sua functio ab aula confirmabatur, qui acriter bellum urgebat, sed frustra, quod nulla spes esset Parlamentum ita brevi sessurum. Et cum aliqui Regem urgerent, ut fœderatis se contra Gallum sociaret, hic respondebat; Belgas jam longius circa pacem processisse. 1678. *Aug.*

§. 61. Inter hæc omnium animos advertebat Arausionensis in Angliam profectio, quæ ingens momentum ad pacem allatura credebatur. Eum ut in Angliam trajiceret Rex invitaverat, prætexto adhibito, sibi magnopere conservationem Belgii Hispanici cordi esse, ac velle se tanti momenti negotium cum Principe coram expendere, quod nec per tertium, nec scripto fieri queat. Belgæ in hoc iter consentiebant, ac fœderatorum legatis Hagæ de eo indicabant, confirmantes, nil nisi mandatorum super pace esse, sed ut Anglum ad fortia consilia impellat; ac Remp. fœdera sancte servaturam, nec in separatam de pace tractationem descensuram. Monebant tamen simul, Rempublicam non amplius ferendis belli impensis parem esse. Sane in futurum annum novendecim milliones ægre corrasi erant. Nec minus oculi in Monasteriensem ob desultoriam fidem, quam in Gallum reflectendi erant. Ac considerata belli facie adparebat, ni Hispani majore vi rem gererent, ac subsidia exsolverent, nec Cæsarei fixo trans Rhenum pede Gallos cominus urgerent; ac ni Cæsar fœderatis in Imperio de bonis hospitiis prospiceret, quo exercitus suos supplere queant; nulla ratione Gallis resisti posse, qui insessis validis oppidis longe lateque grassabantur, nec impediri, quo minus reliquias Belgii Hispanici degludirent. Haut eo minus cum Arausionensis in Angliam adpelleret, Williamsonus, cujus ea inspectio erat, novellis relationibus inseri curaverat: Principem a Belgis huc missum, ut pacem heic eo modo, qui maxime idoneus ei visus fuerit, promoveat. Veniebat quoque cum isto Wilhelmus Nassovius Odyckius, legatus Belgicus. Ipse Princeps Suerino dicebat; se laborare, ut *Arausionensis in Angliam profectio.* *22. Oct.*

1677. Regem in partes pertrahat; sed hunc valde in Galliam inclinare. Etsi idem alias Suecis parum faveat, ac se ab iis deceptum fuisse queratur; quorum & modus agendi in hoc bello sibi valde displiceat; ac meritos esse, ut eo nomine castigentur. Eos quoque circa triplex fœdus non candide processisse, ac susceptum sequestrium officium non uti par gessisse, postquam jam fœdus offensivum cum Gallo iniissent. Porro quanquam fœderatorum existimatio unam adhuc expeditionem tentari desideret, reparandis damnis hoc anno acceptis; parum tamen spei circa eam se videre, notoria Belgarum juxta, atque Hispanorum impotentia, eoque de tolerabili pace cogitandum. Post longum Principis cum Rege, & Eboracensi colloquium interroganti Burgomagno iste respondebat: se oleum & operam perdidisse, quod hæc aula Galliæ nimium addicta sit. Parlamento nec bellum, nec pacem cordi esse, sed tantum ut Regi ægre faciat. Cum itaque parum hinc opis expectandum sit, optimum fore circa accelerandam pacem satagere, sed quæ sine cessione Burgundiæ obtineri non possit. Et cum Hispanus multa regereret, Princeps abrupte: Belgas pacem habere velle. Nec meliorem pacem continuatis armis obtentum iri, quam Anglus curaturus sit, pro cessa Burgundia limitem Flandriæ latius extensurus. Ac Gallum dudum animo agitasse, reliquis restitutis Burgundiam, Cameracum, Ariam, & Divi Audomari Fanum retinere, cæteros fœderatos ad pacem Westphalicam remittere. Rupertus Palatinus hunc conventum cavillabatur Monacho cuidam similem esse, qui lupanar ingressus esset ad convertendas meretrices, sed a quibus ipse seductus fuerit. Id certum est, Regem, & Eboracensem insolubili vinculo Galliæ innexos, Principem eodem pertrahere, sed incassum, connixos fuisse. Cæterum tunc futura Flandriæ securitas, ac ut Gallus intra limites coërceretur, in arcta Angliæ & Belgarum unione reponebatur. Quod fundamentum prudentibus admodum ruinosum habebatur. Nam jam semel Anglicam aulam libido subierat Belgarum Remp. subvertendi; unde non poterat non isti tacita diffidentia subesse, ne hæc serius ocyus prioris perfidiæ ultionem exigeret. Alia quoque aulæ, alia nationis Anglicæ intentio erat; & Rex ad aliquid adspirabat legibus Regni fundamentalibus adversum, quod solius Galliæ auxilio pervinci poterat. Cæterum voluerat Rex de pace prius cum Arausionensi agere quam super nuptiis perficeretur. Id quod Princeps præfracte abnuebat, non solum quia id amantem decebat, sed & ne Fœderati suspicarentur, nuptias ipsorum dispendio conciliatas, quod satis perspiceret, parum proficua pace istos potituros. Sed cum Rex suæ sententiæ insisteret, Princeps per Templium ei significabat; si Regi sententia sedeat, ut pacem ante nuptias utique tractare velit, se pœnitere itineris huc suscepti, ac supra biduum non amplius in Anglia moraturum. Prius tamen quam abeat, Regi esse eligendum, qua ratione cum ipso in posterum vivere velit.

Arausionensis nuptiæ.

Nam aut separari ipsos debere aut tanquam bonos amicos, aut irreconciliabiles inimicos. Quæ Templius Regi referebat, addito, quantum periculi ex abrupta hac negotiatione provenire possit. Ac respiciendum quoque ad offensam, quam magna populi pars conceperit ob vincula cum Gallo contracta, & ad ea, quæ nupero bello Principi oblata fuerint. Ita Rex insigni cum elogio Principis in ejus petita consentiebat, ac nuptiæ inter istum, & Jacobi Ducibus Eboracensis filiam natu majorem Mariam firmabantur; cui contractui Eboracensis velut conditionem inserere voluerat promotionem pacis. Rex cum super hoc connubio ad Magnum Consilium referret, memorabat, ejus Virginis nuptias e Gallia, & Suecia fuisse expetitas. Sed se nunquam in eas consentire voluisse; ac malle neptim suam suspensam videre, (ea verba erant,) quam in brachiis Regis, per quem hoc Regnum in periculum conjiciatur, ut ad provinciæ modum dein gubernetur. Ea propositio magno cum adplausu a Consilio fuit excepta; quæ & per Regnum vulgata incredibili gaudio omnes perfudit. Duo tantum homines eo facto tristabantur, Arlingtonus, quod res se inscio transacta esset; cum ab aula credi vellet, in singulari apud Principem gratia se esse: & legatus Gallicus, qui nesciebat, quomodo Regi suo excusare posset, tanti momenti negotium se inscio peractum, in aula, cujus secreta tot per annos ipsi patuerant. Eboracensis dixerat: tanto libentius se in nuptias filiæ suæ cum Principe Protestante consensisse, ut cuilibet constet, se publicam circa sacra mutationem haut quærere, si maxime corona aliquando in se devolvatur. Anglici legati Neomagi dicebant; circa hoc connubium etiam respectum ad successionem in Regnum fuisse, si domus Regia filiis non augeatur. Nec minus in Belgio isthoc connubium magno cum gaudio excipiebatur. Sed idem Gallis non parum scrupuli injecerat, velut Anglus in fœderatorum partes concessurus esset. Unde hic ei suspicioni eximendæ Parlamentum in futurum mensem Aprilem comperendinabat. Cum matrimonium ritu Christiano firmaretur, ac Præsul Londinensis pro more Ecclesiæ Anglicanæ quæreret: *quis dat hanc filiam huic viro?* Rex respondebat, *ego*. Quæ species adoptionis habebatur; ac Rex eo respexisse dicebatur; ut hanc ob causam Principi titulus *Celsitudinis Regiæ* tribui, ac Parlamentum eo facilius permoveri posset ad totem novæ nuptæ constituendam. Paraverat civitas Londinensis insignia munera pro Arausionensi. Sed cum post intellexisset, eum sibi ac suis ministris in Gallia vestes fieri curasse, ea munera supprimebantur. Tantum odium in Gallos erat. Post consummatas nuptias inter Regem, atque Arausionensem super legibus pacis agi cœptum est, quod e propositionibus Neomagi hinc inde factis satis adpareret, eo tractandi modo nunquam inter partes conventurum; & quod inprimis Hispani eo redacti forent, ut nec bello, nec pace sibi consulere possent. Ea deliberatio secretissime peracta fuit, cujus præter Regem, & Principem solus Ebora- 1677.

1677. Eboracensis cum Danbyæo Thesaurario, & Wilhelmo Templio participes fuere. Princeps ante omnia contendebat egregio limite Flandriam muniendam; alias enim a Gallo non alio fine pacem initum iri, quam ut primo quoque tempore bellum instauret, ac Flandriam una expeditione subigat. Regi ea res minus cordi erat, quod sibi persuasisset, Gallum belli fessum; ac si hoc bello cum honore defungi possit, nunquam aliud suo sub regimine suscepturum. Nam eum maturos jam annos ingressum deinceps quietem magis amaturum, cum deliciis aulæ, ac ædificandi occupationibus conjunctam; ac vicinis pacem facile indulturum. Sed Princeps contra censebat, Gallum in præsens non alio fine pacem captare, quam ut soluto inter fœderatos vinculo novum bellum majore cum emolumento suscipiat. Gallorum ambitionem nunquam quieturam, quoad totam Flandriam subjugarint, ac fines Regni ad Rhenum protulerint; Belgis eo redactis, ut ab ipsorum nutu pendere necessum habeant, nec minus Anglia ita circumscripta, ut ipsis non amplius formidabilis foret. Unde per pacem hanc quieti orbis Christiani non consuli, ni saltem Flandria limitem nanciscatur, quem ipse proposuerit, ac Galli Lotharingiam, & quæ Imperio in Alsatia eripuerint, restituant. Addebat Templius; solam ætatem nil mutationis circa nativam hominis indolem adferre; sed frugi puerum communiter in bonum virum; stupidum adolescentem in stolidum senem, juvenem nequam in sceleratum veteratorem evadere. Ac Gallum semper violento aliquo affectu, modo in amores, modo in ædificia, modo in arma raptum iri; in præsens autem non alio fine pacem velle, quam ut novum bellum ordiatur, postquam recens partis probe caverit. Ista cum Rex probaret, circa Lotharingiam, ac Alsatiæ loca facile consentiebat; sed in Burgundiæ restitutionem Gallum nunquam consensurum. Et quia Princeps huic articulo tam acriter insistebat, Rex credebat, ei egregia bona, quæ is isto in Ducatu tenebat, cordi esse; eoque dicebat, se effecturum, ut is eadem cum securitate ista sub Galli, quam sub Hispani imperio possideat: aut si hoc nomine Gallo obnoxius agere nolit, eorundem pretium eidem solutum iri, quanti ipse ista taxaverit. Sed Princeps generose, ac citra hæsitationem respondebat: ea bona paci nunquam obstaculum datura, ac gratum sibi fore eadem perdidisse, si pro iis bona aliqua Flandriæ urbs reddenda sit firmando limiti. Post multam disceptationem inter Regem, ac Principem convenit, ut pax in has leges fieret: Ut Gallus Cæsari, & Imperio omnia hoc bello erepta restituat, simul Lotharingiam suo Duci, & Hispanis Athum, Carolore-gium, Audenardam, Curtracum, Tornacum, Condæam, Valentianas, D. Juliani Fanum, & *St. Guillain.* Binchium reddat. Belgæ quoque, & Galli mutuo erepta restituerent. Ac Princeps in se recipiebat, se Hispanorum consensum curaturum; uti Rex de Galli consensu curando promittebat. Placuit inde protinus certum hominem mitti in Galliam, qui has propositiones eo deferret; cui injungendum sit, ne super hoc negotio disceptationis quid ingrediatur, sed non nisi liquidum responsum intra biduum postulet, & eodem elapso citra moram revertat. Ei itineri post biduum obeundo Templius destinabatur. Ast interea Eboracensis eludendo tam egregio destinato, Regi persuaserat, ut in Templii locum, in cujus integritate Arausionensis maximam fiduciam collocaverat, suus familiaris Durasius mitteretur. Colorem Eboracensis dixerat; quia persuasum sibi sit, Gallum latas conditiones acceptaturum, ac protinus inde pacem fore, se hunc sibi honorem deposcere, ut per domesticum suum propositio fiat. Ita Durasius in Galliam, Princeps cum nova nupta paucos intra dies in Belgium abiit; ubi res præsentiam ipsius utique requirebant. Rex confirmabat, se nunquam circa ullum articulum formulæ in Galliam missæ quidquam remissurum: ac se bellum Galliæ indicturum, si ea pacem in istas leges recusaverit. Nec eo minus Rex, non sine dolore Arausionensis, Parlamentum usque in proximum ver prorogabat, artificiis legati Gallici persuasus, ut Gallum demulceret ob nuptias Arausionensis, & antequam formulam pacis mitteret. Contra inter Gallos, & Suecos convenerat, ut Galli declararent, se quædam Belgii loca reddituros ea lege, ut Suecis hoc bello erepta restituerentur. Et super hoc se primum cum Anglo, inde cum Cæsare, Hispano, ac Belgis clam transacturos, antequam reliquis fœderatis de eo quid proponant. Sane Arausionensis Suerino confirmabat, super conditionibus Borealium fœderatorum Londini nil fuisse actum. Ipse quoque Rex Suerino de ea re moventi dicebat: permutationem Belgicorum locorum cum Suecicis, ac ut Hispanicæ provinciæ Daniæ Regis, & Electoris impensis serventur, crudelem & injustam esse. Haut eo minus idem æmulationis quid in progressus Dani ostenderat; simul optaverat, Electorem Stetino haut potiri, quod per id pax difficilior reddenda sit. Beuningius jactabat; quamprimum super legibus pacis inter Gallos, & Hispanos conventum fuerit, Borealium negotia Neomagum remissum iri, brevi ibidem expedienda. Reversus Hagam Arausionensis confirmabat, nil super separata pace conventum: Belgas quoque absque antegressa cum fœderatis conventione nihil facturos, ac cœptos Neomagi tractatus bona fide persecuros. Sed se plurimas difficultates perspicere tam circa belli continuationem, quam ut pax conficiatur omnibus fœderatis æque proficua. Sed Belgæ fœderatorum legatis Hagæ significabant; Arausionensem iter in Angliam suscepisse in usum communis causæ, eoque fine omnem operam apud Regem navasse, huic in fœderatorum partes pertrahendo. Sed hunc ita arcte Galli rationibus innexum reperisse, ut nil profici potuerit. Eundem tamen declarasse, omnia se facturum paci promovendæ, ac 1677. 8. Dec. 11. Dec.

1677. ac ut Princeps eo fine conditiones proponeret petiisse. Quid id initio recusarit; demum tamen dixisse: Si Gallus Burgundiam restituat, ulterius deliberandum, quid locorum Hispani, ac Galli in Belgio retenturi sint. Sed Anglum de Burgundia nil audire, nec alias tamen conditiones proponere voluisse. Durasium tamen in Galliam misisse, qui hoc responsi a Gallo retulerit; factam propositionem sibi non placere; haut addito qualis illa fuerit. Unde Anglum permotum fuisse, ut Parlamentum, quod alias in futurum Aprilem condictum erat, ad XV. Januarii convocaret. Interim Montacutium Lutetiam misisse, liquido responso petendo, quid Gallo facere, aut omittere placeat, quo propositio Parlamento facienda ad id accommodari possit. Sed Gallo decretum, unam adhuc invasionem in Belgium tentare; unde necessum esse a fœderatis omnes copias huc mitti, ne quod superest ab isto opprimatur. Ita quidem Hagæ tunc a Belgis inter fœderatorum legatos vulgabatur: sed revera circa missionem Durasii ita res habuerat. Ejus adventus etsi aulam Gallicam non parum turbasset; tamen eo dissimulato proposita dextre admodum accipiebant. Regi Angliæ satis constare, pacem in sua manu sitam esse. Sed conditiones circa urbes Flandriæ nimis duras videri, præcipue circa Tornacum, cujus munitiones immensis summis constiterint. Unde aliquo tempore ad deliberandum sibi opus esse. 1677. Et quanquam Durasius diceret, non integrum sibi esse ultra biduum morari, effecerunt tamen Galli, ut aliquot adhuc dies Lutetiæ maneret, non nisi hoc responso relato: Regem haut sperare, a fratre suo Rege Angliæ bellum sibi ob unam, & alteram urbem indictum iri. Interim se mandata legato suo Londinum missurum, ut super eo articulo cum ipso Rege tractet. Ita Galli negotium in longum extrahebant, & quæ aperte non abnuebant, per artes elusum ibant. Et revera blanditiæ Gallorum Anglum deliniebant; ac legatus Gallicus declarabat, se jussum omnia cedere, excepto Tornaco, & quidem ut super æquivalente ejusdem agere velit, si Rex utique ei insistat. Sed post discessum Arausionensis, qui ejus consilii autor fuerat, id non eo quo par erat vigore agebatur, sic ut ea tractatio ad inanes, hinc inde missitationes devolveretur. Interim offensa populi Anglicani ob rumorem super negotiatione pacis, & prorogationem Parlamenti immensum gliscebat. Cui sedandæ Rex post Durasii reditum Parlamenti sessionem anticipabat, velut bellum Gallo inferre decrevisset. Quod uti antea summopere a Parlamento expeditum fuerat, quamdiu Rex eidem se opposuerat: ita nunc cum aula in bellum inclinare videretur, monstri quid subesse suspicatum cessim ibat.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFI DE REBUS GESTIS FRIDERICI WILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUSSEXTUS.

EPITOME.

Anglus curam causæ communis videtur velle suscipere. 2. Fœdus inter Anglum & Belgas super legibus pacis inter Gallum, & Hispanum. 3. Anglus Gallum ad has conditiones permovere studet. 4. Sueci societatem Angli affectant. Cerimonialia. 5. Elector isto fœdere turbatur. Apud Belgas de eodem queritur. 6. Neomagi super ea tractatu disputata. 7. Electoris circa hoc negotium considerationes. Somnicius moritur. 8. Cæsareæ aulæ mens exploratur. 9. Inter Anglum, & Hispanos difficultates. 10. Regis ad Parlamentum propositio. Parlamenti petitum. 11. Gallorum in Belgio progressus. Iis Anglus parum movetur. 12. Parlamentum super bello in Gallum frustra satagit. 13. Arausionensis circa præsentem rerum conditionem sententia. 14. Electoris ad istam declaratio. 15. Conditiones pacis a Gallo propositæ. 16. Hagæ circa eam propositionem agitata. 17. In Anglia frustra super fœdere contra Gallum agitur. 18. Belgæ prolationem termini a Gallo præfixi petunt. 19. Super induciis Neomagi proponitur. 20. Belgæ ulterius inducias urgent. 21. In Anglia ad bellum contra Gallos nihil proficitur. 22. Anglus rem haut serio agit. 23. Gallus Belgas per literas ad pacem invitat. 24. Belgæ ad Gallum legationem decernunt. 25. Arausionensis super hoc negotio sententia. 26. Beverningius ad Galliæ Regem mittitur. 27. Elector apud Anglum paci se frustra opponit. 28. Apud Belgas circa sistendam pacem nihil proficitur. 29. Hispani itidem in pacem inclinant. 30. Fœderatorum circa pacem Neomagi monita. 31. Elector itidem pacem quærere instituit. 32. Fœderati separatæ Belgarum paci renituntur. 33. Arausionensis sententia super pace. 34. Belgæ pacem decernunt. 35. Belgæ de instituto suo Neomagi proponunt. 36. Hispani pacem certis conditionibus acceptant. Galli super restituendis urbibus difficultatem movent. 37. Belgarum ad Regem Galliæ literæ. Regis responsum. 38. Belgæ restitutionem urbium urgent. 39. Super Gallorum tergiversatione consultatur. 40. In Anglia denuo super bello Gallico movetur. 41 Novum fœdus inter Anglum, & Belgas concluditur. 42. Galli adhuc circa restitutionem urbium tergiversantur. 43. Belgarum ad ista declaratio. 44. Galli adhuc tricantur. Suecorum declaratio. 45. Galli postulato suo desistunt. 46. Belgæ in pacem ruunt. 47. Fœderati ontra eam pacem protestantur. 48. Pax haut eo minus concluditur. 49. Super pace ista querele. 50. Electoris ad Belgas super pace epistola. 51. Arausionensis de ea pace judicium. 52. Cum Luneburgicis acta. Luneburgici legatos suos Electoralibus exæquari cupiunt. 53. Luneburgicorum ad Electorem missio. 54. Consultatio super Luneburgicorum postulatis. 55. Alia Luneburgicorum ad Electorem missio. 56. Cum Monasteriensi acta. 57. Cum Daniæ Rege acta. Fœdus inter Danum, Electorem, & Monasteriensem. 58. Arma Danorum eo anno parum succedunt. 59. Super expeditione Electoris hoc anno consultatur. 60. Elector Rugiam insulam occupat. 61. Stralsunda per literas tentatur. 62. Stralsunda oppugnatur. 63. Grypswalda expugnatur. 64. Suecicarum copiarum naufragium. 65. Elector Suecorum e Livonia irruptionem in Borussiam avertere laborat. 66. Circa Straucbium liberandum agitata. 67. Elector Polono suspicionem eximere laborat. 68. Sueci e Livonia in Borussiam irrumpunt. 69. Elector Cum exercitu in Borussiam ire constituit. 70. Galli ad Montes Hannoniæ vapulant. Induciæ inter Gallicum, & Belgicum exercitum ineuntur. 71. Anglo pax displicere videtur. 72. Aliqua spes belli Anglici iterum adparet. 73. Circa pacem inter Gallum, & Hispanum satagitur. 74. Hispani pacem suam excusant. 75. Quid post deficientes socios agendum consultatur. 76. Elector Galli mentem super Pomerania explorat. 77. Meindersii negotiatio. 78. In Angliam nil amplius spei reponere licet. 79. Ad Cæsarem missio. 80. Cum Cæsareis Viennæ disceptatio. 81. Cæsaris declaratio. Neoburgici sententia. 82. Repetita Viennam missio. 83. Viennæ parum proficitur. 84. Cæsareorum consilia fluctuant. 85. Consultatio super præsenti rerum statu. 86. Electoris ad Cæsarem literæ. Cæsarei acta sua excusant. 87. Cum Luneburgicis acta. 88. Ratisponæ super pace acta. 89. Neomagi super induciis frustra agitur. 90. De pace inter Cæsareos, & Gallos agitur. 91. Continuatio tractatuum inter Cæsareos, & Gallos. 92. Formula pacis inter Cæsareos, & Gallos adaptatur. 93. Hispanica pax ratihabetur. 94. Contra formulam pacis a Cæsareis exhibitam protestatio. 95. Super Cæsarea formula disputata.

96. Con-

1678. *96. Confirmatio pacti hæreditarii circa Juliacenses ditiones a Cæsare obtinetur. 97. Fœdus arctius cum Belgis perficitur. 98. Fœderis cum Belgis argumentum. 99. Articuli separati. 100. Ratihabitio fœderis aliquandiu differtur.* 1678.

Anglus curam causæ communis videtur velle suscipere.

SUperioribus annis ea felicitas Electoris arma prosecuta fuerat, ut propinqua spes foret Suecos penitus Germanico solo depulsum iri. Quo obtento is judicabat immensum se de posteritate sua, Cæsareisque ditionibus, totaque Germania meriturum; amotis vicinis hactenus tam inquietis, & queis a tergo Germaniam distrahere in promtu sit, cum a fronte Gallus urgeret. Qui nisi nunc in ordinem redigerentur, Imperio semper formidandi videbantur, saltem quoad auro Gallico mercenariam operam addicere nullus pudor futurus erat. Et assecutus quidem est Elector hoc anno per victricia arma, quod quæsierat, expugnatis quæ in Pomerania Suecis restabant urbibus. Sed quo minus idem victoriarum suarum fructu gauderet in causa erat, quod in diversa parte ita languide, aut infeliciter res gesta foret, ut parum abesset, quin Gallus Belgii Hispanici reliquias plane absorberet. Eas porro servari cum totius Europæ, tum præcipue Unitorum Belgarum, atque Anglorum intererat, quos eo repagulo remoto cominus incursandi Gallis facultas præbebatur. Cum autem effreni horum libidini compescendæ nulla præter vim vincula sufficerent, dudum periti rerum judicaverant; ni Anglia quoque suas vires reliquis sociaret, Europæ libertatem nunquam in tuto fore. Ast Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex eousque & communes Europæ, & peculiares Regni sui rationes, & vota populi sui insuper habuerat, ut ultro promovendis Galli destinatis velificaretur, quoad eo usque invaluissent, ut iisdem sistendis vix amplius facultas superesset. Cum itaque periculum Angliæ, Belgisque Unitis propius jam advolveretur, iste velut alto sopore excussus, ne forte populus tam sævo administrandi modo efferatus frænum morderet, demum serio magis eam rem amplecti visus est, ac ostentatis armis Gallum permovere statuit, ut Hispanicis provinciis temporario, & parum ad diuturnitatem valituro remedio utcunque consuleret, quid cæteris ejus belli consortibus fieret parum sollicitus. Nam quia, si horum quoque ratio habenda erat, extracto bello opus videbatur, a quo iste juxta, ac plerique Belgarum valde abhorrebant, utriusque placuit clam inter se super pacis legibus convenire, per quas suis utcunque rationibus consuleretur; quid reliquorum commodis fieret nulla cura, quæ & ita brevi expediri posse negabant. Nec considerabatur, vix aptius excogitari posse remedium stabiliendo Galli dominatui, quem hic Europæ imponere meditabatur, quam si per separatas transactiones inter fœderatos vinculum abrumperetur; cum istius vires jam usque eo excrevissent, ut nisi fida omnium conjunctione librari amplius non possent.

Fœdus inter Angliam, & Belgas super legibus pacis inter Gallum, & Hispanum. 30. Dec. 77.

§. 2. Eum in finem igitur fœdus inter Angliæ Regem, & Belgas Hagæ conclusum fuit; ad quod ineundum Rex *permotum se profitebatur deploratissimo orbis Christiani statu, & ingenti necessitate, quæ jam urgeat, protinus consilia viresque uniendi, quo armorum latius subinde omnia proruentium ulterior progressus sistatur. Et quia hactenus officio ad communem pacem conciliandam adhibito nihil profectum sit, majoris efficaciæ remedium adhibere visum inito cum Belgis fœdere, cujus pondere, vicini Reges Galliæ, & Hispaniæ permovendi sint ad consentiendum in pacem iis conditionibus, quæ in orbis Christiani commodum cedere queant, & quæ præcipue instaurando, ac firmando Belgio Hispanico faciant, quod ut salvum persistat, Angliæ juxta, ac Unitarum Provinciarum tantopere intersit. Eo fine utrique viribus societatis connitentur, ut Gallus Hispano restituat Caroloregium, Athum, Audenardam, Cortracum, Tornacum, Condæum, Valentinas, Limburgum, Binchium, & Fanum Divi Juliani cum aliis locis, quæ Galli quocunque deinceps tempore post Fanum D. Juliani occupabunt; tum territoria ad singula horum locorum spectantia. Nec minus restituendum, quicquid Gallus in Sicilia obtineat, aut deinceps capturus sit. Contra Gallus Burgundiæ Comitatum retinebit. Inter Gallos, & Belgas in Europa omnia in pristinum statum reponentur, utrinque occupatis restitutis. Cæsaris & Imperii rationes ulteriori disquisitioni se ponebantur. Lotharingiæ quoque Ducis restitutio promittebatur. Inter Boreales fœderatos, & Suecos inducias curandas, quoad super legibus pacis inter eosdem convenerit. In has leges ut pax ineatur, Anglus Gallum juxta, atque Hispanum permoturum se recipiebat, ac ut eo fine trimestres induciæ inter eos ineantur, nec Gallus ulterius in Hispanico Belgio progrediatur. Belgæ eo se staturos promittebant, quoad inter Anglum, & Gallum circa hoc negotium convenerit. Si Gallus ad has leges amplectendas amica ratione moveri nequeat, Anglus sociatis cum Belgis armis vi Gallum compellere conabitur. Belgæ quoque operam dabunt, ut Hispanus in eas pacis leges consentiat. Pacis inter duos Reges concludendæ Anglus, & Belgæ sponsores, ac vindices erunt. Si hujus pacis nomine Belgis ab aliquo fœderatorum bellum inferatur. Anglus his adsistet, quoad periculum sit depulsum. Ea pacta intra mensem rata habeuntur.* Addebatur articulus separatus circa Lotharingi restitutionem, ut si a Gallo obtineri nequeat munita ejus Ducatus loca cum iis operibus restitui, quæ fuerant, cum a Gallo occuparentur, saltem eo qui nunc est statu reddantur. Tum ut penes Gallum maneant loca Siciliæ, aut alia quæcunque extra Belgium proponi

queant

1677. queant in cautionis vicem, quoad super conditionibus pacis Suecicæ conveniri queat.

§. 3. Ad has conditiones admittendas ut Anglus Gallum permoveret, jam antea Durasium cum formula pacis in Galliam miserat; quam Gallus quidem non plane rejecerat, sed dixerat; se liquido mentem suam declarare non posse, quoad cum Suecis consultaverit, ac sibi cautum sit, his quoque satisfactum iri. Unde Anglus Montacutium eadem cum formula miserat, denuntiato, se pariter pro Suecis aliquas conditiones concepisse, quas jam propositurus fuerit, nisi eventum obsidii Stetinensis expectare placuisset. Ad ista Gallus Anglo Suecorum causam commendaverat, sed in allata formula quædam mutaverat, ac Insulas, Tornacum, Duacum, & Valentianas cum vicinis oppidis minoribus sibi servare cupierat. Lotharingo cognominem, & Barrensem Ducatum restituere voluerat, ut tamen Nanceium cum Tullo permutaretur. Denique Friburgum sibi relinqueretur, aut ejus loco Philipsburgum redderetur. Enimvero quia Anglo tanti momenti urbes Gallis relinqui durum videbatur, is paulo commotior legato Gallico Barillono dicebat: se sat diu enormes Galliæ progressus dissimulando aluisse! eoque non apud fœderatos solum, & proprium populum suspicionem haut injustam incurrisse; sed & a Gallo non eo, quo par sit, studio sibi responderi, qui non nisi subterfugia quærere videatur armis suis interim latius diffundendis. Id quod nullo modo sibi tolerandum sit, eoque sociatis cum Parlamento animis consilia capturum præsentibus temporibus idonea. Nec minus Eboracensis & alii Gallo antehac addictissimi non sine ferocia jactabant; ni Gallus propositas conditiones admittat, bellum sine dubio secuturum. Etsi qui intima Regis sensa norant, satis intelligebant, ferociam in speciem ostendi, cum is revera a bello magnopere abhorreret. Nam quia Parlamentum tot modis offenderat, metuebat, ne id arrepta quæ daretur ultionis occasione vel ipsum medio bello pecunia cassum destitueret, vel ministros suos, quorum acta improbabantur, in jus vocatos publicæ indignationi immolaret. Contra Galli non minus ferociæ offendabant, ac Luvoisius Parisiis legato Anglico in os ingesserat; si Anglus in arma erumpat, septem milliones, qui alias quotannis in eam aulam erogandi sint, in bellum Anglis faciendum impendendos. Sed prudentiores non immerito dubitabant, an non ex compacto res inter Anglum, & Gallum agi, & hunc revera pacis cupidum e decoro ducere non protinus cedere. Nam quantumvis arma eidem prospere successerant, opus tamen spatio temporis videbatur colligendis viribus ad novum velut impetum dandum; postquam præcipua quæ in præsens affectabat obtinuisset, Burgundiam, Ariam, Cameracum, D. Audomari Fanum, Insulas, Duacum. Tum Anglum extra arma retentum acerrimis suorum civium odiis objecerat. Ipse contra per recens parta, & gliscens commercium proventus regni immensum auxerat, ut facile esset media pace ingentem exercitum alere, reliquis exiguo momento absorbendis in proclivi erat, antequam cæteri quorum interfsit arma contra instruere valerent. Unde non amplius obscurum erat, duos istos Reges noxiam fœderatis pacem parturire. Præsertim cum Cæsarei & Hispanici ministri jam aperte differerent, temporibus cedendum, & reliquiis Flandriæ servandis Burgundiam immolandam. Nec in Belgarum constantia multum fiduciæ collocare licebat. Et quanquam natio Anglicana Gallis infestissima bellum summopere cuperet, ejus tamen impetum eludere non in arduo Regi erat. Cæterum omnia quæ cum Gallo super pace agitabantur, in aula Anglica fœderatorum ministros summo studio celabantur, ne ista per hos Parlamento prius innotescerent, quam aulæ id expedire videretur. Mox ipse Rex Burgomagno denuntiabat, Madritum, & Bruxellas scriberet, Gallum in Consilio deliberasse, num propositæ pacis conditiones acceptandæ sint, an minus. Ubi plerosque pacem, sed solum Luvoisium belli continuationem suasisse, qui & contra reliquos omnes sententiam suam pervicerit. Ita se nunc unice bellum meditari; & quia res non superfunctorie sit agenda, Hispanos moneret, ut in Flandria sibi a Gallis probe caveant: ac spem esse, ab Hispanis sese haut destituendum. Ad quæ Burgomagnus; Luvoisio ingens præmium pro isto consilio deberi, utpote quo Regi Angliæ materia præbeatur orbis Christiani amorem, & æternam apud posteros gloriam adipiscendi. Et legatus Gallicus cum de induciis proponeret, rejiciebatur, velut quæ præsentibus temporibus nullo modo congruerent. Contra Galli uti consilia in Anglia per solitas sibi artes turbabant; ita & in Hollandia, ac præcipue Amstelodami suspiciones excitabant, velut inter Anglum, & Arausionensem consilia capta fuissent, Reip. libertati valde periculosa. Quo fine Hooftium, & Valckenierium Consules, qui Amstelodami maxima autoritate erant, in partes suas pertraxerant. Qui inani suspicione Arausionensis studium pro bono publico irritum reddebant, quasi nunc novo connubio aulæ Anglicanæ penitus innexi, cujus consilia Belgæ immensum suspectabant. 1677.

...nglus ...allum ...l has ...nditio- ...s per- ...overe ...udet.

...rillon.

...uvois.

3. Jan.

§. 4. Porro opinio Anglicorum armorum Suecos quoque permoverat, ut & ipsi nova consilia agitarent. Nam plerique Senatores censuerant, ut Rex Cæsari, Hispano, Anglo, ac, Belgis declaret, se paratum æterno fœderi cum ipsis contra Galliam ineundo, stipulatus tamen sibi hoc bello amissorum restitutionem. Cui fœderi cudendo, si inter Anglum, & Gallum bellum eruperit, Olivecrantzius in Angliam venerat: simul ut Regi Sueciæ secundam Eboracensis filiam Annam in connubium expeteret. Qui & eousque jam processerat, ut diceret, non aliam dotem a Rege exigi, quam ut amissorum restitutio ei curetur. Quomodo tamen legatus iste id negotium de connubio,

Sueci societatem Angli affectant.

1671. connubio, quod tantopere Regis existimationem tangebat, hoc inscio, (id quod certissime constat,) proponere, aut alius eidem tale mandatum dare ausus fuerit, ipsi viderint. Quæ res non parum Danos turbabat ob immeritam contumeliam eo modo Ulricæ Eleonoræ inferendam, & quia eo vinculo Sueci Anglum, & Arausionensem sibi innectere instituebant. Unde ejus negotii disturbandi causa Antonius Altenburgicus Comes propere in Angliam missus est. Is in mandatis habebat nulli ablegato in propria domo dextram manum concedere, cum contra ablegatus Danicus Christophorus Lindenovius jussus esset, dum Ambasiatores invisit, priorem præ his locum affectare; quæ mandata sibi plane repugnabant. Sed Anglus, & Gallus in universum decreverant, ut sui legati propria in domo aliorum ablegatis digniorem locum ne concederent. Ast Suerinus ut eam difficultatem declinaret, visitationem suam primo mane denuntiabat, ut admissus istum in lecto alloqueretur; aut si accessus excusaretur, id visitationis loco haberetur. Ac iste somnum causatus oblatam visitationem in vicem datæ acceptabat, ac ad eam reponendam se paratum ferebat. Ex quo tempore isti familiariter in se egerunt.

Elector isto fœdere turbatur. §. 5. Ast Elector, ubi de ista conventione inter Anglum & Belgas inaudisset, sibi, aliisque fœderatis tanto præjudicio futura, Suerinum jubebat apud Anglum conqueri; *Se confisum fuisse, si maxime Belgæ hoc modo secum agere non vereantur, Regem tamen pro affectu, quem in se testatus sit, tale quid haut concessurum, nec tanta ipsi calamitatis causam futurum, sed potius tractatus ita moderaturum, ut & ipse iis adhibeatur, suaque emolumenta observentur.*
12. Jan. Cæterum eo suspectius erat id negotium, quod cum Hagæ super isto fœdere ministris fœderatorum indicium fieret, adderetur; Anglum stipulatum fuisse, ne ante ratihabitionem ejusdem cuipiam copia fieret. Ac fœderatos quoque inter se pacta iniisse insciis Belgis; prout Daniæ Rex, & Elector non ita pridem fecerint. Etsi Romswinckelius contra ostenderet, horum pactum nil nisi prioris confirmationem, atque explicationem continuisse; cum in isto de induciis mentio fiat, idemque fœderi, quod Electori cum Rep. intercedat, repugnet. Addebant Belgæ, ni fœderati majore mole, & enixius in Gallum rem gerant, bellum a se sustineri amplius non posse. Sed mox Elector
De eodem apud Belgas queritur. gravissimas super hoc instituto querelas movere jubebat, quod adversus pacta, & toties repetitas testationes citra communicationem
14. Jan. susceptum sit. *Nec vero ipsos scopo quem affectent potituros. Nam Gallum paucos post annos exsecuturum, quod in præsens tot Principum junctæ vires impediverint. Ac tunc haut temere quempiam communem causam hoc exemplo terrente amplexurum.*
26. Jan. Ad quæ Fagelius: *ista non alio spectare, quam ut Anglus in partes trahatur, citra cujus auxilium bellum non possit sustineri, nisi cum jactura Hispanicarum, & plurium provinciarum. Saltem spem esse meliores conditiones, quam alias, a Gallo pro Hispanis, & Lotharingo, ac pro Electore a Suecis obtinendas.* Tum asseverabat, super conditionibus pacis cum Sueco nec ab Anglo, nec a quovis alio quid in medium allatum, nec citra communicationem cum Electore quid adferendum. Sed nec id pactum adhuc ratihabitione firmatum; nec constare pax, an bellum futurum, & quo demum res evasura sit. Belgas tam fructuosum sibi, ac fœderatis fœdus e manibus amittere haut potuisse, quod ipsi Hispani quorum maxime intersit suggesserint. Ac sane Villa Hermosa propositas in pacto conditiones acceptabat, si & Gallus easdem admittat. Arausionensis dicebat: ni ipse apud Anglum quod factum erat fecisset, hoc vere quicquid provinciarum Hispanis super sit subigendum fuisse; id quod per fœdus cum Anglo impeditum sit. Communicationem ob multitudinem fœderatorum intermissam; & Anglum judicasse, si negotium ex tot capitum sensu gerendum foret, id nunquam perficiendum. Enimvero quicquid Belgæ de conditionibus pacis Borealis inficiarentur, e literis interceptis constabat, de permutatione Suecis ereptorum pro quibusdam Flandriæ locis actum fuisse. Unde & Borealium fœderatorum ministri Hagæ scripto exhibito instabant, ne in tam iniquam permutationem consentiretur. Et quanquam Fagelii declaratio grata sit; tamen per fœdus utique super omnibus, quæ pacem spectabant, candide communicandum fuisse. Simul metus erat, ne conditionibus inter Hispanos, & Gallos adornatis horum cum Belgis pax ultro sequeretur, Electoris, & aliorum fœderatorum rationibus insuper habendis, ob quas pax semel conventa hautquidquam suspendenda, aut abrumpenda sit. Arausionensi quoque id negotium commendabatur; ne Electoris rationes, cui ob fidem in Remp. omnia isthæc adversa obtingant, negligantur, aut obliqua via lædantur. Ejusmodi separatas negotiationes fœderi repugnare; quas ipsum secretum suspectas reddat. Pacto Electoris cum Dano nil in cujuspiam fraudem conventum, sed super exsecutione duntaxat belli quædam definita. Nec verosimile videri, id negotium ita recens susceptum, sed a longo tempore idem agitatum. Ac sine dubio fraudi cedere Electori, si pax inter Gallos, & Hispanos prius expediatur. Nam id ipsum huc spectare, ut ab isto pacta ad Stetinum usque restituantur; id quod communi tractatu facile evitari potuerit. Ut Belgis animus adderetur, ab Electore insignes copias contra Gallum offerri hac lege, si tractatus iste plane aboleatur, ac bello inter Anglos & Gallos orto id genus noxia pacta haut ineantur; tum ut ipse Suecica vicinia liberatus in tutum collocetur. Ad quæ Arausionensis testabatur. Belgis nunquam propositum fuisse separatam a fœderatis suis pacem inire; ac se pro viribus provisurum, ne quid super Electoris rationibus ipso inscio agatur. Quæ cum Anglo conventa sint, bonum publicum spectare, & ut iste Rex in 1671.

partes

partes trahatur. Cæterum supra Belgarum vires esse bellum diutius gerere, quod pecunia una cum fide defecerit. Expostulanti Romswinkelio Lira respondebat; quod res huc processerit, sibi haut imputandum, cum id impediri nequierit. Hac rerum facie Anglum, & Belgas haut offendendos, quod hi quovis modo bellum ponere ardeant, & si qui bellum adhuc continuari cupiant, pecunia deficiente irriti sint. Neomagi suspectum erat, quod Balbasius dixisset; post expugnatum Stetinum pacem difficiliorem redditam, & quod ibi Electoris legatis nil communicaretur, prorsus quasi nil tractatuum ibi agitaretur; denique quod Suecici legati tam duris ipsorum rebus tanta cum ferocia creparent, ne latum quidem pedem terræ se amissuros. Ubi & Jenkinus Blaspielo super tam præpostero agendi modo querenti reponebat: Regem Angliæ judicasse, haut quaquam ulla spe successus cum omnibus ad hoc bellum concurrentibus simul agi posse: & quia bellum initio inter Gallum, Belgas, atque Hispanos ortum sit, cum his quoque primo loco pacem adornandam. Nec minore tamen studio circa reliquorum pacem laboratum iri.

Neomagi super eo tractatu disceptata. 22. Jan.

§. 6. Ast Neomagi cum nostri apud Cæsareos super formula pacis per Anglum proprio ausu concepta quererentur, hi negabant, de ea sibi quid constitisse, aut eam adhuc a se conspectam. Nec Cæsari minorem quam Electori querendi causam esse. Præcipue autem a Belgis peccatum, quod fœderatis insciis ejusmodi pactum cum Anglo iniverint. Nec enim fœderibus per id satisfactum, quod ante aliquot dies Hagæ fœderatorum ministris nonnihil de eo indicatum fuerit. Tutissimum tamen fore hoc rerum articulo expectare, quid consilii Anglus capturus sit; & eousque expostulationem cum legatis Belgicis differendam. Haut eo minus cum Electore jubente Blaspielus apud Belgas ea de re querimoniam moveret, hi negabant aliquid actum, quod Electorem, & Suecos spectet. Cæterum Angliæ Regem, & Belgas proprias ob rationes, & citra fœderatorum fraudem fœdus inter se inisse, quod statim atque ratihabitione firmatum fuerit, communicandum sit. Idque non peculiarem, sed communem pacem spectare; ac jam Hagæ demonstratum, idem prioribus fœderibus non repugnare. Ad quæ noster: esse id utique pactum cum tertio, & quod pacem spectet, quale aliis insciis fieri fœdera vetent. Belgæ contra; quicquid fiat, ad pacem demum referendum. Communicationem agitati fœderis nil prodesse, sed non parum nocere potuisse præmature factam. Quousque ratihabitio secuta fuerit, omnia incerta esse. Alias Anglum & Belgas isto negotio id præcipue spectasse, ut aliquod intersepimentum, & munitus limes in Belgio Hispanico constituatur, qui securitati Angliæ, atque Unitarum Provinciarum maxime necessarius sit. Quo ipso tamen Hispanos non prohiberi, quo minus plura si possint per arma, aut tractatus obtineant. Esse insuper peculiares rationes, quæ in alios fœderatos non quadrent, quare ob Belgium Hispanicum eximie sit laborandum. Et ut maxime in has conditiones Gallus, atque Hispanus consentiant, non dum tamen pacem ideo conclusam. Ac perinde esse hoc modo transigere, quam Neomagi in unam sententiam convenire. Nam sibi fixum sedere, antequam eodem modo cum aliis convenerit, pacem non admittere. Inducias, quarum hoc pacto mentio fiat, non ulterius porrigi, quam si Gallus propositas super Hispanicis provinciis leges amplectatur, & sequester inde operam reliquis partibus conciliandis navare instituat: ad quod eo facilius expediendum si induciis opus judicet, Belgas id permissuros, ut tamen ideo fœderatis in eas consentire necessum non sit, ubi easdem rationibus suis haut expedire judicaverint. Cæterum Anglum pari modo circa alios fœderatos haut laboraturum, quod heic peculiares ipsius rationes vertantur. Saltem Belgas nil aliud acturos, quam quod fidos, atque candidos socios deceat; quibus & nunquam in mentem venerit reliquos ad eas conditiones amplectendas compellere. Inter Anglum quoque, & Belgas super Electoris negotio ne verbo quidem actum; pro quo facturi sint omnia, quæ intra vires suas sint; ad quod & per gravissimas rationes obstringantur: ac injuriam fieri, si alia de ipsis opinio foveatur.

Electoris circa hoc negotium considerationes.

§. 7. Ast Electori id cumprimis suspicionem augebat, quod Neomagenses legati rem aliter exposuissent, quam eadem Hagæ fœderatorum ministris significata fuerat. Ac adparebat id fœdus inter Anglum, & Belgas unice pacem spectare, quæ & eousque jam processerit, ut propositæ conditiones a Villa Hermosa acceptatæ sint, si & eædem Gallo placeant, ac tantum circa Tornacum, & Valentianas adhuc dissideri. Igitur jam maxime tempus erat consilia digerere, postquam non amplius ignorantia obtendi poterat, denuntiatione publice facta. Equidem nondum fœdus id publicatum fuerat, nec constabat, quousque res inter Gallum, & Hispanum processisset. Ac Beverningius, cum ejus fœderis exempla Hamburgi, & Francofurti impressa ipsi ostenderentur, interrogatus num ea genuina forent responderat; sex articulos infarctos esse. Quanquam autem ejusmodi modus agendi fœderi haut quidquam congrueret; is tamen utcunque condonari poterat, modo circa rem ipsam læsio non accidisset. Nec dubium esse, quin Belgæ optent Electorem bona pace cum Suecis potiri. Sed num post pacem inter Gallos & Hispanos factam, Suecorum rebus non parum levamenti allaturam, in eorum potestate futurum sit Suecos ad æquam pacem constringere, valde dubium esse. Quanquam autem initio separationis a Belgis facto Electori fas erat una cum Dano peculiarem cum Suecis transactionem quærere; tamen neque ab his ejusmodi tractatus adhuc offerri, nec spem esse, eos ex Electoris re fore, aut huic, posterisque sinceri quid ab

istis

1678. istis unquam expectandum. Hoc modo quoque Anglum sequestrem abdicari; quod sine ejus offensa fieri nequeat. Quod si autem Belgarum opera circa eam pacem conciliandam adhibeatur, eo ipso fœdere eosdem exsolvi videri: cum tamen consultissimum sit fœderi firmiter inhærere; & si maxime a fœderatis nonnihil exorbitatum fuerit, potius ejus reparationem quærere, quam abrumpendo plane vinculo ansam præbere, quo nil nostris rebus nocentius, hosti nil lætius accidere queat. Ista dubia cum tempus optime expediturum esset, id saltem constabat, Belgas longius jam a fœdere discessisse, quam ut dissimulari posset, facie rerum plane immutata, ac Electore in maximum periculum pertracto. Unde is legatis suis injungebat Belgas hortari, ut si utique suscepta pacis negotiatio persistat, una cum Anglo rem ita moderentur, quo cum omnibus fœderatis pariter tractetur, nec ipse ad extremum rejiciatur. Sed ista omnia soli Blaspielo deinceps curanda incumbebant, quod paulo post Somnicius Neomagi fato fungeretur, Cujus vidua consolationes legatorum non admittebat, velut quæ ibi extra publicam pompam egerat. Sed Blaspielus uti de morte collegæ significarat, ita & aliorum officia recipiebat. Galli certi de obitu iis significatum non esset, nec Somnicius ob litem super cerimoniis cum iisdem quid commercii habuisset; tamen misso Nobili de dolore suo testabantur; quibus vidua scripto respondit. Funus sine pompa Vesaliam deductum.

Somnicius moritur. 16. Febr.

Cæsareæ aulæ mens exploratur.

§. 8. Cæterum Elector statim atque ex interceptis literis innotuisset, super quorundam in Belgio locorum cum Suecicis provinciis permutatione agitari, ea de re per Crocovium Viennæ querelas moveri jubebat. Is inter alias hanc rationem ingerebat; num Cæsaris rebus consulatur, si Hispani tres, aut quatuor urbes in Belgio recuperent eo pretio, ut Sueci in Germania maneant? Sane Gallo in proclivi esse eas urbes eripere, quandocunque libido subierit. Contra Cæsareas ditiones semper periculo invasionis a Suecis expositas manere. Ast his Germania pulsis, ac salva inter fœderatos unione facile fore istas urbes ab Hispanis recuperari, ac ab invasione Galli tutas præstari. Enimvero Viennæ negabant isti permutationi veri quid subesse. Ac solus Gurcensis ejus secreti particeps habebatur, Kinskio, & Stratemanno ignaris. Kœnigseckius tamen Vicecancellarius Imperii judicabat; Borealium fœderatorum, (eo vocabulo tunc Daniæ Rex, Elector, Luneburgici, ac Monasteriensis notabantur,) securitatem duabus potissimum rebus inniti. Primo ut quantum possint bellum in Suecos absolvant, antequam præcipitata pax, ac fœderatorum separatio, aliave obstacula interveniant. Tum ut Daniæ Rex & Elector Luneburgicis Ducibus arctissime se innectant, ac hisce etiam circa iniqua indulgeant, quo iidem in partibus retineantur. Sed & Electori operam dandam, ut Stralsundam vel lautissimis conditionibus ad se pertrahat. Cæterum satis adparebat, Cæsareos ministros ancipiti cura distrahi. Nam inde Danum, Electorem, & Luneburgicos offendere verebantur, quibus invictis pax sine periculo obtrudi non possit. Hinc autem cum hisce arctius jungi non audebant, si maxima invidia non obstaret, ne Hispanis unicum remedium sua recuperandi adimeretur. Quo ipso & separatio Domus Austriacæ secutura erat, irrito quoque connubio, quod inter Cæsaris filiam, & Hispaniæ Regem agitabatur; quo velut cuneo Joannes Austriacus semper utebatur aulæ Cæsareæ ad sua placita compellandæ. Accedebat quod Bavarus, Saxo, & Palatinus Electores super promovenda pace sedulo consilia conferrent, eamque impense urgerent. Bavarus quoque tunc quatuor legiones recens conscribebat, ac rem tormentariam expediebat non sine Cæsaris solicitudine. Igitur si tam valida in Germania factio pacem utique perDenderet, quo tunc loco Cæsaris res fore, si partibus in Suecos bellantibus ea lege se innexuisset, pacem se non initurum, nisi ut salva iis sint, quæ Suecis eripuerant? Unde metuendum erat, ne Cæsari necessum foret Belgarum, & Angli voluntatem sequi, præsertim cum eam aulam ob infelices armorum successus, & metum tertiæ factionis in Imperio dudum belli tædium subiisset. Sed & frigere videbatur amicitia inter Cæsarem, & Belgas, ac jurabat Vicecancellarius, sibi de consiliis Angli, & Belgarum circa pacem haut constare; ac metuere, ne Cæsar ea excludatur. Cui rei ipsa aula Cæsarea causam præbuisse arguebatur, cui moris fuerit, præsertim rebus paulo prosperius fluentibus, fœderatos de suis consiliis celare, ac nil nisi æmulationem, ac diffidentiam adversus eos ostendere, suoque exemplo ad paria iisdem præire.

Inter Anglum & Hispanos difficultates. 15. Jan.

§. 9. Interim quæ de bello inter Anglos, & Gallos exarsuro spes concepta fuerat, mox iterum minuebat, Parlamento in duas septimanas comperendinato, nec prius explorato, in bellum, an pacem inclinaret. Aula hanc causam obtendebat, quod cum Burgomagnus prius de Anglico præsidio Ostendæ imponendo proposuisset, idem mox de isto retractarit, Unde sibi prius e Villa Hermosa liquido noscendum, quæ Hispano mens sedeat; de qua antequam cautum sit, haut sibi expedire in bellum descendere; nec prius propositionem ad Parlamentum rite formari posse. Enimvero Parlamentum, ubi de fœdere cum Belgis percepisset, haut dubitabat, quin conditiones pacis communicato cum Belgis consilio conceptæ forent, ac jam Regi constare easdem a Gallo probari. Tum & fœdus id Beuningii fœtum agnoscebant; qui utut totiens a superioribus suis ob negotia magis ex suo sensu, quam eorum mandato tractata increpitus diceretur, demum tamen destinata sua pervicerat, ut Anglus cum Belgis necessitatem iis adferret, qui placitas ipsis pacis leges abnuerent. Porro uti quæ hucusque super conditionibus pacis innotuerant, nullam spem securitatis ad diutur-

1678. diuturnitatem valituræ dabant; ita multi e Parlamento jactabant, in ejusmodi pacis gratiam se non teruncium collaturos; cum nil tuti sperandum sit, ni Gallus vi armorum eo redigatur, ut non amplius vicinis formidandus sit. Equidem aula Parlamento persuadere satagebat, bellum serio agi: quo fine naves instruebantur, magnus numerus boum mactabatur, ac conducendo militi tympana passim perstrepebant. Sed hoc inania ista ridebat, ac censebat, Regem insessa Ostenda Hispanos ad pacem cogere velle. Et nunc belli non secuti culpam in Hispanos derivari, quod Ostendam tradere abnuerint. Contra aula Parlamento persuadere conabatur, per pacem Galliam insigniter debilitari posse, si inter fœderatos convenerit de prohibendis Gallicis mercibus, per quas tanta pecuniæ vis in id regnum pertrahatur; quod prætextum a Beuningio suggestum fuerat. Cæterum inter Hispanicos ministros dispar plane agendi modus observabatur. Nam Burgomagnus Londini non nisi extrema, ac desperata consilia crepabat. Contra Balbasius Neomagi ingens pacis desiderium ostendebat, regimen Belgii uti credebatur affectans: quod is non nisi pacis tempore gerere poterat, nullo rei militaris usu. Unde penitius cognoscendæ Hispanorum sententiæ Rex Godolfinum Bruxellas mittebat: de cujus propositione, atque accepto responso aliud Rex, aliud Burgomagnus vulgabat. Nam Rex dicebat, se Hispano auxiliares copias obtulisse, ac Ostendæ usum postulasse receptui, ac congerendæ annonæ; id quod Villa Hermosa recusaverit. Idque aula ubique spargebat, ut Parlamentum crederet, cum Hispani nihil ad rem conferre velint, pace utique opus esse. Contra referebat Villa Hermosa, Godolfinum pure traditionem Ostendæ postulasse, nulla significatione facta, quousque Anglus Hispani causam suscipere constituerit. Et cum ipse respondisset, Neoportum, & Dixmudam protinus Anglo tradendam; super Ostenda Madritum scribendum, interim Anglo integrum fore tractatus cum Hispano suscipere; Godolfinum iterum discessisse. Circa Ostendam autem ita se res habebat, quod ea non ab arbitrio gubernatoris, uti alia loca, penderet, cui & præfectus non ab hoc, sed ab ipso Rege imponebatur. Unde penes Villam Hermosam non erat Anglicum præsidium ei oppido imponere. Qui tamen concesserat, ut Anglus eo portu uti, penumque, & arma ibi congerere posset, imperio loci penes præfectum Hispanicum manente; interim cautionis in vicem Dixmudam & Neoportum traditurus. Quibus oblatis facile Anglus adquiescere poterat, si bellum in Gallum cordi foret. Ubi id suspectum erat, quod legato Hispanico Londini de hac missione nil significatum fuisset, & quod Godolfinus in legati Gallici domo familiariter ageret, Portsmuthiæ cliens, cujus fœminæ illecebris Gallus inter alia vincula Anglum sibi addictum tenebat. Inprimis altius penetrare videbatur, quod Beuningius, a continuatione belli magnopere abhorrens, traditionem Ostendæ jam urgeret, quæ tamen promovendo inter Anglum, & Gallos bello quæri ferebatur. Unde colligebatur, *Ostendam duntaxat peti Hispanis ad pacem cogendis.* Burgomagnus autem initio judicaverat, *aliquid Anglicarum copiarum Ostendæ præsidio addendum, ac penum ibi struendum. Ita Anglo de eo loco satis caveri, nec opus esse ejus traditionem directe peti.* Sed cum Anglum ita avide isti oppido inhiare pateret, Hispanis suspicio nascebatur, ab illo sinistri quid circa idem agitari. Ut autem Burgomagnus Parlamento exosus redderetur, aula spargebat, *eum initio Regi Ostendam obtulisse, & nunc sua dicta retractare; nec ei mandatorum quid ad tractandum esse; ac a Villa Hermosa formulam pacis probari.* Igitur ut iste culpam a se amoveret, libello Regi oblato deducebat, ad totiens iterata sua scripta nihil responsum. Simul periculum Flandriæ exaggerabat, cujus reliquias servari magis Angliæ quam Hispaniæ intersit, quæ præter statos reditus, & tributa quotannis quatuor amplius milliones, ac plurimum virorum absumat, alibi utilius impendendos. Denique si Rex communis securitatis curam suscipere velit, cautionis in vicem Neoportum, & Dixmudam tradendam. Ad quod scriptum Rex respondebat, *Flandriam quantovis pretio servandam.* Cæterum super isto pacto cum Belgis inito magis hi, quam Rex reprehendi poterant. Nam hic quietis, & voluptatum avidus labores horrebat, ac ita se egisse norat, ut Parlamento haut tuto fidere posset. Unde nulla alia via patebat declinando bello, quam conventio cum Belgis, per quam Flandria ad tempus utcunque servaretur, bello post atrocius erupturo; cui conventioni Beuningius ansam præbuerat. Sane cum Arausionensis, dum in Anglia erat, Regi ostendisset; si provinciæ Hispanicæ sibi tradantur, non defore facultatem easdem servandi; Rex clam circa id negotium agere cœperat. Eo magis Beuningius pacem urgebat, ut Princeps exarmaretur. Nec minus Amstelodamensis civitas declarabat, sibi pacem habendam, si maxime Anglus in bellum descendat. Cæterum is color a Beuningio dicebatur; cum Resp. unice id quæsierit, ut Anglus bello misceretur, nil pensi fuisse, qua via id obtineretur, ac nullo scrupulo probatum, quicquid Anglus proponeret. Cum itaque res huc jam deducta sit, ut Anglus in arma erupturus sit, non esse, quod curiose trutinetur, quæ remedia isti scopo adhibita sint. 1678.

§. 10. Ut ergo Rex serio bellum in Gallos agitare videretur, apud Parlamenti consessum exponebat de fœdere cum Belgis ad servandam Flandriam inito, postquam incassum per officium suum circa pacem laboraverit. Id fœdus ut effectum sortiatur, decretum sibi XC naves bellicas armare, & XL M militum conducere; ad quod Parlamentum idoneos sumtus suppeditaturum sit. Addebantur plura de re pecuniaria supplendis impensis a se factis *Regis ad Parlamentum propositio. 28. Jan.*

 tum

1678. tum de nuptiis suæ ex fratre neptis cum Arausionensi. In ea propositione notabatur, quod Rex ad tolerandos aulæ sumtus tributa vino imposita continuari postularet. Nam id indicio habebatur, Regi bellum cum Gallo cordi non esse, cum orto bello vini Gallici importatio interdicenda sit. Ad eandem propositionem Domus Parlamenti Inferior oblato libello, post actas gratias super conservatione sacrorum, ac connubio neptis cum Arausionensi petebat, *ne Rex ullam conventionem admittat, per quam Gallo plura, quam pace Pyrenæa concessa sunt, relinquantur; alias enim securitatem Britanniæ ac reliquæ Europæ haut constare adversus gliscentem potentiam Galli, quem penes futurum sit pacem publicam turbare, quoties libido subierit; nec alia ratione Belgio Hispanico consuli. Inde petebatur, ne durante hoc bello permissum sit navibus cujuscunque nationis portus Galliæ accedere, sed ut naves id ausæ abripiantur, ac merces destruantur. Eo fine necessaria fœdera a Rege ineunda, quibus communicatis omnia se prompte collaturos, quo bellum secundante Numine ad honestum finem deduci queat.* Circa id scriptum prudentes observabant, recens cum Belgis fœdus Parlamento haut probari, quod pro hoc inito Regi gratias haut ageret: nec ex eo fausti quid sperari, quod alias fœderis conditiones Regi commendaret. Tum ab eodem dubitari, num Regi cordi sit Gallicam potentiam compescere, dum quousque ipsi procedendum sit definit. Nec minus metui, ut Belgis constantia duret, dum arma non prius deponenda stipulari vult, quam præfixus scopus sit obtentus. Denique ita circumspecte Parlamento procedere, nec manum prius crumenæ admovere velle, quam penitus convictum sit, rem serio a Rege agi. Aliqui durum nimis arguebant, quarumvis nationum extra bellum positarum navibus Galliæ portus occludere velle; quod & Rex adspernabatur, velut cui propositum erat arma Galliæ ostentare, non inferre. Sed regerebatur; non heic considerandum, quid juris gentium esse feratur. Nam si origo & progressus hujus belli inspiciatur, adparere omnia per adparentis utilitatis rationes, nil jure a Gallo susceptum; eoque alteri parti vitio dari non posse, si nulla nocendi ratio omittatur. Nec justitiæ repugnare, si quovis modo prohibeatur, ne quid roboris accedat nationi, cui tam exigua juris ac fidei ratio habetur; præsertim cum omnibus populorum intersit surgentem dominatum mature destrui. Cæterum videbatur Regi necessitas adferri potuisse, ut in Gallos arma stringeret, ni Beuningius viam suggessisset, qua Parlamento in speciem satisfieret, reipsa pax designata perficeretur. Is quippe suadebat, ut Rex a Parlamento pecuniam quibuscunque conditionibus acciperet, ac post facta pace excusaret, præsentem rerum habitum non aliud permisisse: ac tempus ultro consilia expediturum. Qui & subinde dicere solebat: *non expedire suæ Reipublicæ, ut Hispania nimium sit potens.* Ut igitur Rex Parlamento illuderet, vulgabatur *non solum Villam Hermosam per omnia sacra orasse, ut pax acceleretur; sed & Burgomagnum idem suo libello expetiisse.* Quia autem hic Regi promiserat, se nemini ejus copiam facturum, aula judicabat, *si is libellum non communicaret, Parlamento persuasum iri, culpam penes Hispanos hærere. Ast si idem scriptum Parlamento communicaret, Rex velut seditionem excitare molientem amoturus erat.* Cum itaque hoc rumore moti complures a Parlamento cum impetu Burgomagnum accederent, scripti exemplar exposcentes, iste quidem id abnuebat, ne fidem Regi datam falleret. Sed ne de candore suo dubitarent, proponebat, ut autographum a Rege postularent. Ita gliscens indies inter Regem, & Parlamentum diffidentia magnam difficultatem rei adferebat; quorum is dubitare se ferebat, num bello Gallis indicto Parlamentum omnia necessaria suppeditaturum sit: hoc contra verente, ne Rex classe, & exercitu ad libertatis, & privilegiorum subversionem abuteretur; præsertim cum multi Romanis ritibus addicti in classe præfecturis admoverentur. Porro ad Domus Inferioris scriptum Rex sat aspere respondebat, exprobrans *eam talibus se immiscere, quæ sibi soli reservata sint, silentio præteritis, quorum causa convocata sit. Ut Gallus ad leges pacis Pyrenææ redigatur, a se præstari non posse. Navigatione in Galliam omnes gentes excludere, esse omnibus hisce bellum indicere.* Ac potius ut de pecunia ad fœdus Belgicum exsequendum cura foret injungebatur. Igitur Parlamentum decernebat, pecuniam utique Regi suppetendam. Ac jam ratio inibatur, ad classem ditandam. nonaginta navium 25562. epibatis instructam menstruas 108840. libras Sterlinenses; ad exercitum viginti sex legionibus peditum, quatuor equitum, duabus dimacharum constantem 49130. libras in singulos menses requiri. Ac jam aula non amplius de bello dubitari volebat, ne Parlamenti studium circa erogandam pecuniam refrigeraretur.

Parlamenti petitum. 1. Febr.

4. Febr.

§. 11. Interim Gallus, ne ad Valentinianas & Tornacum restituendum compelleretur, quas urbes limiti Belgico firmando Anglus addi cupiebat; simul ut Hispanos ad placitas sibi pacis leges acceptandas consternaret, ex improviso obsidium Gandavo circumponit, eamque urbem, cui C. M. arma gerere aptorum inesse dicebantur, una cum castello paucos intra dies expugnat. Cui & mox Ipræ accedunt. Quo peracto velut jam pacem pro libidine sua daturus Lutetiam revertit; cum in proclivi esset plura circum loca subigere, nulla resistendi apud Hispanos facultate. Nec Arausionensi vires ad sistendos Gallos erant, cui satis habebatur Bruxellas, & alia Brabantiæ, ac Flandriæ loca tutari. Nec uspiam Cæsarei ad Rhenum, aliique fœderati Gallo distrahendo se movebant. Inter quæ pericula etsi Villa Hermosa Regi scriberet, *ni decem intra dies auxilia mittantur, serum id fore, & alia deinceps consilia sibi capessenda*: is tamen parum proficiebat, & Rex nil nisi

Gallorum in Belgio progressus.

27. Febr.

Fit Anglus parum motus.

1678. nisi traditionem Ostendæ ingerebat, cum tamen tractatus, qui cum Hispano suscipiendi essent, nuspiam procederent. Unde & ostensa hactenus ferocia Burgomagno decedebat, qui jam Burgundiam conclamatam habebat; ac ut Hispanus eam honeste amitteret, de eadem Helvetiorum corpori inserenda proponebat, supremi imperii juribus penes Hispanum, ac liberi transitus facultate manentibus; quo ipso Helvetios in bellum pertrahi posse sperabat. Enimvero frustra ab his mascula consilia expectabantur: & Anglo hautquidquam animus erat Gallum offendere. Haut parum tamen perturbabatur aula, quod Inferior Domus in aspera dicta erupisset, cum e Coventrio Secretario status nosse cuperet, cur Gallo ita grassari permitteretur, & cur fœdus cum Hispano non perficeretur? Et cum hic respondisset, *Burgomagnum tam iniquis conditionibus insistere ut cum eo conveniri nequeat*; ei repositum; *si hoc proprio nomine dicat, id ipsi demonstrandum: si Rex ita dicere jusserit, ex hoc per delegatos quæsitum iri, quare fœdus Hispanicum non procedat.* Et ne Rex amplius causari possit, pecunias inchoando bello deesse, a Parlamento millio librarum Sterlinensium annuebatur parandis in Gallum armis; quæ summa vel hoc die a mercatoribus in antecessum mutuo accipi queat. Ita ergo cum Hispano super fœdere congressus instituebatur nullo exitu, quod Angli dicerent; *satius esse auxilium accelerari, tractatum sat mature perfici.* Contra Burgomagnus nolebat Anglos Ostendæ pedem ponere nisi fœdere perfecto, quod suspectum foret, Anglum absque prævio pacto id oppidum tenere cupere. Sed Neoporto, Dixmudæ, Brugis, & alibi Anglicum militem protinus etiam citra tractatum recipi posse. Etsi hic vel ante vesperam absolvi possit, cum nil amplius desideretur, quam ut leges fœderis, quas ipse mente teneat, in chartam conjiciantur. Sed aulæ nil aliud intendebatur, quam ut Parlamento persuaderetur circa fœdus cum Hispano adornandum satagi, quo pecuniæ copia fieret. Ita artibus inter aulam, & Parlamentum certabatur, illa nitente, ut ne in bellum erumperetur, & Parlamentum haut eo secius pecunia emungeretur. Cum hoc contra circumspecte admodum ageret, addita decreto suo circa conferendas pecunias clausula, ut ea utique bello Gallico impenderetur; quam aula valde aversabatur. Eadem & sparsis mendaciis apud Parlamentum diffidentiam erga Hispanos excitare studebat, velut Villa Hermosa Gallico auro corruptus reliquias Belgii Gallo prodere meditaretur; ac eam causam esse, quare Rex tantopere insistat Ostendam sibi tradi. Nec minus eadem aula disseminaverat, ab Electore pacem Neomagi expeti: scilicet quod ista in Galli gratiam fœderatorum divisionem magnopere optaret. Ast Parlamentum ut eo magis Regem ad sumendum bellum stringeret, decreto de suppeditando millione addebat, ut omnes Gallicæ merces in triennium per Angliam vetitæ essent. Eo quippe interdicto Regi e vectigalibus CCLX M librarum Sterlinensium decedebant, quæ a Parlamento aliunde suppiendæ erant. Eoque si Rex sumtus aulæ suæ sustentandæ cuperet, prius quoque annuendum erat. Ita demum Rex serio bellum minari videbatur, & quia cum Hispanis super Ostenda convenerat, copiæ jam Monomuthense duce in id oppid[illegible]ajici cœperunt. Eboracensi quoque supremum imperium in exercitum, qui in Flandria rem acturus erat, Ruperto Palatino in classem conferebatur. Simul diplomata triginta militum millibus conducendis distribuebantur, assignatis recenti militi hospitiis. Mora circa fœdus Hispanicum excusabatur, quod inter ambigua commodior occasio fuerit arma parandi, ac interim divites quædam naves in tutum deducendi, quæ prænatura belli denuntiatione Gallis in prædam cessuræ erant. Rex quoque Burgemagno confirmabat, *pacem non nisi per arma promoveri posse.* Nec eo magis iste fidem apud cordatos assequebatur, bellum serio quæri. Nam nec fœdus cum Hispano absolvebatur, & Beuningius subinde remoram injiciebat quam maxime quiritantibus Belgis, sibi vires bello continuando deesse. Unde aulæ prætextum arripiebatur metum simulandi, ne forte Belgæ ob illatum antea bellum vindictam meditentur. Sed cum superior quoque Domus decretum super millione, ac vetandis mercibus Gallicis citra contradictionem probasset, nil superesse videbatur, quod bello amplius obstaret. 1678.

§. 12. Ast Inferior Domus cum perspiceret, absoluto licet negotio pecuniario Regi haut curæ esse id decretum sua adprobatione firmare, altius penetrantes sermones super aulæ destinatis jacere cœperat, velut intestini quid periculi immineret; cum exercitus quidem in promtu sit, bello nondum indicto, nec ullo in id ardore adparente; præsertim cum præfecturæ militares fere in sacra Romana professos conferrentur. Unde Inferiori Domui visum oblato libello Regem rogare; *bellum Gallo indicat, ac gerere ordiatur, quo civium desiderario satisfiat, ac fœderatis animi adversus Galliam firmentur; addito promisso, se bona fide bello necessaria expedituros. Tum ut Rex legatos suos Neomago & e Gallia avocet, ac in Anglia degentem legatum Gallicum amoveat.* Sed eo ipso tempore de magna Batavorum consternatione nuntiabatur; quæ Parlamenti suspicionem augebat, ab aula nil susceptum iri. Et quia Arausionensis dixerat, *se non sufficere ad ulli loco subveniendum a Gallis oppugnando*, Parlamentum id haut ex impotentia oriri arbitrabatur, sed quod Galli progressus ultro permitterentur, vel Hispanis ad conceptam pacis formulam compellendis, vel ut in Arausionensem supremum Belgii imperium conferretur, ac in Anglia mutatio circa sacra susciperetur. Ac gliscebat offensa, postquam Parlamentum intellexisset, aulam, quia bellum non amplius declinari possit, jactasse; *se id tam onerosum populo redditurum, ut Parlamentum mox pacem inclamaturum sit. Ad quod Inferior Domus regesserat:*

Parlamentum super bello in Gallum frustra satagit. 15. Mart.

modo

1678. *modo Rex bellum gerere velit, non magis pecuniam ipsi, quam Thamensi aquam defuturam. Sed si ministri pecuniam in alios usus vertant,*
22. Mart. *capite luituros.* Veniens demum Rex in Parlamentum hujus decretum de pecunia adprobabat, sed frigide satis, & ambigue: id quod eidem parum s[illegible]ebat. Cum itaque Parlamentum belli indictionem acriter urgeret, vix dubium de bello supererat, ni Rex a Belgis destitutus ad pacem compelleretur; quæ maxima tunc bonorum civium in Anglia sollicitudo erat. Nam non solum summa per Hollandiam populi consternatio eminebat, cum præsens spes allubesceret Anglos in bellum erupturos, sed & Gallus post captas Ipras Lutetiam reverterat, cum plura Flandriæ loca occupare in proclivi foret, missa quoque adversus Lotharingum magna exercitus portione; id quod de compacto cum Belgis fieri suspicio erat. Eo magis intenta Domus Inferior agebat; quæ & decreto suo super conferendis pecuniis hanc sanctionem addiderat, *ut si qua ejus pars ad alios usus quam ad bellum impensa fuisset, dispensatores a summo ad imum de ea Parlamento rationem redderent:* nec ulterius quid negotii suscipere volebat, quoad
29. Mart. bellum publice declaratum foret. His per actis a Rege Parlamentum ad aliquot dies comperendinatum est.

Arausionensis circa præsentem rerum conditionem sententia.

§. 13. Ast Arausionensis, qui & ipse istam pacem, velut Europæ servitium, aut atrocius paulo post bellum parituram, aversabatur, ad eam impediendam quantum licebat connitebatur. Quo fine is Blaspielum ad Electorem mittebat, de præsenti rerum statu suam sententiam ipsi expositurum. Ac de pacto quidem inter Anglum & Belgas, quod Elector
23. Mart. improbabat, iste asseverabat; se præsente in Anglia de eodem mentionem haut factam, nisi quod Rex aliquoties promiserit, se dispecturum, quomodo ulteriores Galli progressus sisti queant, ac super ea re cum ipso consilia collaturum. Alias Belgas, ac se ab initio hujus belli omnem lapidem movisse, ut Anglus in bonas partes pertraheretur, ac inprimis se in Anglia enixe circa id operam dedisse; sed a Rege non plus obtinere potuisse, quam ut promitteret, se non amplius Galli destinatis velificaturum: de cætero immotum perstitisse, se non posse in partes Galliæ adversas descendere. Ast postquam Galli ex improviso Divi Juliani Fanum expugnassent, Regi in mentem venisse majore studio Belgii res amplecti, eoque fine sibi necessarium esse Fœderatis Belgis arctius jungi. Ubi ipse judicaverit, missa lenta cauponatione protinus ad rem accedendum; ac si a Belgis non is, qui par erat, modus examussim observatus fuerit, excusationem in promtu esse; Regi nil potuisse præscribi, ac sibi necessum fuisse ejus sese voluntati attemperare, ac propositas conditiones amplecti, eidem stringendo. Ac initio Hydium nonnulla duriora proposuisse, quibus Rex ægre depelli potuerit. De cætero istum in formula, quæ in Anglia concepta fuerit, ne circa vocabula quidem mutationis quid admittere voluisse, quæ alias hinc inde clarius poni potuerint. Tum & Regem pactum utique secretum haberi voluisse. Ac tot fœderatis adhibitis multum temporis consumendum fuisse, discrepantibus sententiis, & forte re ad extremum irrita. Belgis porro præcipuam causam ineunde ejus conventionis fuisse, quod aliud remedium excogitari haut potuerit vel tolerabili paci obtinendæ, vel majori vi quam hactenus bellum gerendi; quorum neutrum obtineri potuerit, ni Anglus negotio innecteretur. Galli vires brevi tempore ita crevisse: eum ubique tantos armorum paratus fecisse, ut reliquias Hispanici Belgii subigere in proclivi foret, inde sua destinata in Germaniam, & alibi persecuturo, ni fœderati juncta manu privatis respectibus sepositis enixe eidem resistant, Anglo in partes pertracto. Belgas libenter quantum in se deinceps in communem causam collaturos. Sed penes ipsos solos non esse ingentibus Galli viribus, quas aliquot per annos præmature in Flandriam adduxerit, sustinendis. Sibi nunc octo equitum millia, undecim peditum phalanges esse, sub quibus & Osnabrugenses copiæ computentur. Reliquum Belgarum militem per urbes Hispanicas, aut tegendo limiti distribui. Hispanis nec militem, nec annonam esse. Eos animis plane collapsos, ac ita languide rem tractare, velut alienam, & quasi perinde ipsis sit reliquias Belgii servare aut amittere. In Gandavensi castello pauculis militibus tantum pulveris & panis non fuisse, ut vel per triduum sustinere obsidium possent. Belgas operam dedisse permovendo Anglo, ut mature copias in Flandriam mitteret. Burgomagno quoque injunctum, ut de eo acriter in Anglia instaret. Sed cum Rex jam decrevisset militem Ostendæ & aliis Flandriæ locis immittere, istum Ostendam excipere voluisse, ac ut prius fœdus inter Hispaniam, & Angliam perficeretur; cum tamen eidem injunctum fuerit ab Anglo oblata acceptare, ac ejus militem intra Ostendam admittere, fœdere licet non absoluto. Ita Angli auxilia cessasse, per quæ alias Gandavum servari potuerit. Unitos Belgas exhaustos, nec suppetere opes continuando bello; ac si Gallus Hispanicas provincias subigat, qualemcunque pacem a Gallo istis occupandam. Singulis mensibus ad exsolvenda militum stipendia opus DCCM florenis, præter alias ingentes summas bello necessarias. Præterea Gallum maxime rem hieme gerere, ac progressus facere, antequam reliqui in expeditionem prodire possint; Cæsareis, aliisque Belgium perire tantum non otiose spectantibus. Equidem Cæsareum Hagæ ministrum confirmasse, Cæsareum exercitum ad Kalendas Martii in expeditionem proditurum; quo facto Gallos haut ausuros fuisse Gandavum invadere. Sed istum se haut movisse Fœderatos nullibi penum struere, ac in diem vivere, ac Hispani damna velut aliena adspicere; cum post consumtum Belgium flamma ad ipsos trajectura sit. Ac ni majore vi 1678.

1678. re vi in Gallum iidem deinceps rem gerant, ne hilum quidem Suecicæ prædæ eos retenturos. Eam ob cauſam Borealibus fœderatis, ac inprimis Daniæ Regi, ac Electori expendendum eſſe; an non expediat, pace aut induciis cum Suecia initis totam vim in Gallum vertere, & hoc repulſo progreſſus in Suecum longius urgere; quæ unica ſibi via videatur ſervandis hoc bello quæſitis. Nam oppreſſo Belgio, & effuſo in Germaniam Gallo ſecum fore de viribus conjungendis agere. Quod ſi autem Dano, atque Electori placeat nulla interruptione progreſſus ſuos contra Suecos perſequi, id penes ipſos quidem eſſe. Sed tunc neceſſum fore Anglo, ac Belgis hanc curam eximi, velut hoc caſu Gallo reſiſti nequeat, ac perſpicue demonſtrandum, cauſæ communi nil noxæ inde oriturum. Tum ſi Anglus cum Gallo in bellum erumpat, Mare Balticum huic liberum præſtandum: ſimul vires ſuas, & Suecicas probe inter ſe trutinandas. Præcipue id accurate expendendum, num deſtinatis contra Suecos neceſſaria in promtu ſint, quod a Belgis & Hiſpanis hoc rerum ſtatu nil pecuniæ, militum, aut navium ſubſidio expectari queat, cum contra Gallus haut omiſſurus ſit Suecum pecunia, aut alia ratione, ac forte e Polonia milite ſublevare. Aſt induciis cum Sueco initis communi cauſæ, ac peculiaribus ipſorum rationibus optime conſuli, ad quas ut iſte permoveatur, remedia in promtu eſſe. Sane per inducias bello quæſita penes ipſos manſura, proviſu firmanda; cum Sueco iisdem tantiſper carendum ſit. Et antequam induciæ perficiantur, omni ipſos vi poſſe conniti, ut quæ adhuc deſiderent, in ditionem redigere queant. Iisdem per inducias integrum fore vires in Galliam vertere; cui contra Suecus copiarum nil ſubmittere poſſit, intercluſo itinere. Ac forte Gallum, ubi nil auxilii a Sueco accipere queat, ſubſidiariam pecuniam ſolvere omiſſurum. Anglos, & Belgas per inducias commercia in Mari Baltico libere exercere poſſe, tum hos paululum reſpiraturos, ac promtiores reddendos bello continuando; ſimul futuro anno validam claſſem Mari Baltico immiſſuros, cujus ope Suecis extorqueri poſſe, quæ Dani, atque Electoris ſecuritas adhuc deſideret. Hiſpanos ingentis meriti loco habituros, ſi Danum, & Electorem contra Gallos rem gerere videant, ac ſummo conatu ſubſidia expedituros. Nec minus reliquos fœderatos. Anglumque eo ipſo permotum iri, ut non ſolum iis bello parta non invideant, ſed & ad ea tuenda opem ferant. Hæ igitur induciæ ſi Dano & Electori placeant, Suecos quoque Angli ac Belgarum favori captando in eaſdem conſenſuros; ac de iis per Olivecrantzium ab Anglo Suecis, a Belgis Dano, & Electori proponi poſſe. Quam in rem tamen mature capto conſilio opus eſſe.

Electoris ad iſtam declaratio. §. 14. Ad iſta Elector: *Afflictas Uniti Belgii res magno ſibi dolori eſſe. Num alii fœderati quod debuerint fecerint, ſe judicare nolle. Saltem ſe arguì non poſſe unquam quid ſuæ culpæ neglexiſſe: ſed utut neque ſubſidia, nec hoſpitia præbita fuerint, hieme tamen, & æſtate rem geſſiſſe. Et quanquam Suecorum vires ſibi incubuerint, ac munitiſſima oppida magna mole a ſe expugnanda fuerint; haut eo minus fœderibus conventa præſtitiſſe, nec omiſiſſe aliis quoque locis copias, quantumvis ipſe iis ægre carere poſſet, fœderatis ſubmittere. Quod ſi poſt Suecorum irruptionem ſibi tam enixe inſtanti opis quid latum fuiſſet, dudum hiſce tota Pomerania pulſis ſibi univerſas vires in Gallum vertere licuiſſe. Atque idem ſe adhuc facere paratum, quamprimum ea deſtinata abſolverit, ipſi Belgarum Reip. tantopere utilia. Sed quid circa communem cauſam ulterius ſuſcipiendum, & bellum perſequi, an pacem quærere præſtet, eo minus a ſe expediri poſſe, quod poſt Blaſpieli diſceſſum res valde mutatæ ſint, propoſitis a Gallo pacis legibus, quas a Belgis admiſſum iri credatur. Ac ſibi magis Principis conſilio opus eſſe, quid eo caſu agendum, ut ipſe Pomerania potiatur, quæ a ſe affectetur non tam cupidine fines proferendi, quam ob ſecuritatem; Suecis hoc bello maxime exacerbatis ipſi, poſteriſque ſuis ſemper turbas daturis, quamdiu vel latum pedem in Pomerania retineant.* Quantopere autem induciæ cum Suecis, ſi maxime haberi queant, rebus ſuis pernicioſæ ſint, Blaſpielus pluribus exponere jubebatur. 1678.

Conditiones pacis a Gallo propoſitæ. §. 15. Interim quippe Gallus, ſatis gnarus immenſi pacis apud Belgas cupidinis, & quæ alias fœderatos premerent difficultatum, ac uti ab Anglo nil infenſi foret metuendum, inaudito inſolentiæ exemplo majori Europæ parti leges dictare inſtituerat, promulgatis conditionibus, in quas paces fœderatis dare velit; *5. April.* ſuper quibus is per emiſſarios ſuos cum proceribus præcipuarum Belgii civitatum convenerat. Iis præmittebantur tria poſtulata, ſine quibus nullas de pace propoſitiones audire velit: Ut Regi Sueciæ examuſſim ſatisfiat, quod & ſe præſtiturum Angliæ Rex receperit: ut Dux Gottorpienſis, ac Argentoratenſis Præſul cum fratre Wilhelmo Furſtenbergio in integrum reſtituantur. Circa Cæſarem, & Imperium ex aſſe inſtaurari jubebat Weſtphalicam pacem, optione penes Cæſarem relicta, retinere Philipsburgum, ac cedere Galliæ Friburgum, an recepto Friburgo Philipsburgum reddere malit. Firmando limiti Belgii, quod tantopere ab Anglo deſideratum ſit, ipſe Hiſpanis redditurus erat Caroloregium, Limburgum, Binchium, Audenardam, Curtracum, Gandavum, & Divi Juliani Fanum cum ſubjectis territoriis; retenturus contra Burgundiæ Comitatum, Valentianas, Buchainum, Condæum, Cameracum, Ariam, Divi Audomari Fanum, Ipras, & quicquid locorum in præſens poſſideat, exceptis locis ſupra memoratis. Hiſpanis quoque optio relinquebatur, Carolomontium Gallo, an Dinantium cedere velint. Ita deinceps limitem Belgii Hiſpanici a Mari ad Moſam fore Neoportum, Dixmudam, Curtracum, Audenardam, Athum, Montes Hannoniæ, Caroloregium, & Namurcum. Belgis Fœderatis reſtitutio Trajecti ad Moſam, & fœdus com-

1678. commerciorum prominebatur. Lotharingo optio dabatur, num adquiescere velit legibus Pacis Pyrenææ, ac Lotharingia recepta Galliæ Barrensem Ducatum relinquere; an vero omnes ditiones recipere, excepto Nanceio & Marsalo, ac concessa via in dimidium milliare patente e Gallia Nanceium, hinc Metim, & Brisacum, atque in Burgundiam, in cujus vicem Tullum sit accepturus. Addebatur velut pro imperio, his conditionibus se non ultra Kalendas Maji st. v. teneri velle, ac ni hæ a fœderatis intra id spatium acceptentur, bellum se persecuturum, avocatis quoque Neomago legatis. Circa hanc propositionem universi judicabant, eam magis declarationem continuandi belli, quam ineundæ pacis habere; tum ea forma conceptam, ut nil insolentius fingi possit, cum ne tractandi quidem super ea facultas relinqueretur. Ita angustum quoque spatium ei acceptandæ positum, ut interim complures legati Principum suorum declarationem cognoscere nequeant. Inprimis Danus valde offendebatur, quod Angliæ Rex pure promisisse dicebatur, se una cum Belgis, ut Sueco satisfiat, curaturum; Jenkino contra asseverante, Regem Angliæ præter officium, atque operam nil promisisse. Ducis quoque Gottorpiensis ablegati Andreas Ulckenus, & Magnus Wedderkopfius querebantur, eum Ducem inter Sueciæ fœderatos numerari, ac pari gradu cum Furstenbergiis poni. Ac negaverat Benedictus Oxenstierna, ei Duci cum Sueciæ Rege fœdus esse, nisi id de antiquo aliquo pacto, aut cognatione intelligatur. Ast Elector conditiones Cæsari, Hispano, ac Lotharingo latas duras quidem judicabat; metuebat tamen, ne vel super iis Austriacos inter, & Gallos clam convenerit, vel saltem ejusmodi propositio hoc tempore, quo Anglus in arma erupturus credebatur, novis difficultatibus in Anglia, & Belgio ansam præbeat; & cumprimis, ne Cæsar, Hispani, Belgæ, Lotharingus seorsim, & clam transigant, silentio præteritis, qui in Suecos rem gesserant. Ac satis pellucere artes Gallicas, quod ea propositione de Belgicis duntaxat, & Hispanicis rebus expressum sit, Suecorum mentione omissa. Nam istis amotis facile Gallis fore Suecicas res pro lubitu moderari. Igitur maxime necessarium erat, Boreales fœderatos arctissime inter se sociatos communem causam junctis consiliis, viribusque agere. Porro ista propositio a Gallis cum passim, tum per unitum Belgium vulgabatur, ut is populus tam æquis sibi conditionibus oblatis pacem cum impetu posceret. Improbaverant quoque Galli, a Nuntio eam propositionem fœderatis solenni modo, & velut ex sequestris officio communicatam. Nam a se eam non ideo dictatam, ut Neomagi super eadem tractetur, sed tantum ut innotesceret, quid Londini super pace agitetur.

Ulcken. Wedderkopf.

Hagæ circa eam propositionem agitata.

§. 16. Hagæ dehinc ea propositio fœderatorum ministris communicabatur, eorumque sententia exquirebatur, addito, Belgas tædium belli cepisse. Hi in antecessum respondebant: suos Principes quicquid superfit virium potius impensuros, quam ut circa tam insolentes, abominabiles, ac ruinosas conditiones tractationem suscepturi sint. Nec credere Belgas id facturos, aut Anglum eas probaturum, sed potius ægre laturum, tales conditiones sequestre se in medium afferri, intra tam angustum tempus acceptandas, quo fœderatis Principibus communicari nequeant. Sane si ista agendi ratio probetur, Galli dictaturam, & Monarchiam in orbem Christianum agnosci. Inprimis Danus, noster, & Luneburgicus in conditionem de restituenda Suecia invehebantur, e qua totus tractatus suspensus sit. Belgæ reponebant: de ea clausula nil sibi propositum, nec credere posse, Anglum tale quid Gallo super Suecis fecisse? saltem in omnibus negotiationibus cum Rep. agitatis nullam de eo mentionem injectam, nec super pace inter Boreales quid propositum. Hydius quoque testabatur; sibi de ejusmodi Regis sui promisso nihil constare. Ac fatebantur Belgarum delegati, *eas conditiones omnibus fœderatis contumeliosas, perniciosasque, nec minus intutas esse; ac si res sui sit arbitrii, malle se quidquid restet opum periculo exponere, quam in ejusmodi turpem, ac noxiam pacem consentire. Testabantur tamen, Belgas hujus belli oneribus diutius ferendis haut pares esse, ac provinciam Hollandiam octaginta per annos bello cum Hispanis gesto tantum pecuniæ non contulisse, quantum hoc sexennio. Ac ni fœderati promtum auxilium ferant, & levandis oneribus remedia suggerant, simul evidenter demonstrent, se ad bellum meliore successu quam hactenus persequendum concursuros sine dubio pacem, qualis haberi possit, sibi amplectendam. Nam satius esse per tractatus aliquid retinere, quam per bellum omnia amittere. Nam a se XC M. militum stipendia numeranda; Hispanicas, & proprias urbes suo milite tutandas; exercitum in campo habendum; mare navibus suis tutum præstandum.* Ad ista Romswinckelius ostendebat; Electori nunquam persuaderi posse, Anglum, ac multo minus Belgas super restituendis Suecis promisisse, nec id deinceps se inscio facturos; sed a Gallis id jactari diffidentiæ inter fœderatos serendæ. Tum idem sex militum millia, reliqui pro virili pollicebantur. Sed Fagelius regerebat; ista in futurum prominere, & incerta spe constare; queis Gallo hautquidquam resisti, nec Respublica sublevari, populive instinctus in pacem retundi queat: nec quæ ab Electore in præsens offerantur ad summam rerum proficere. Tum ministros monebat, ut Principibus suis extremam necessitatem, quam Resp. urgeatur, exponant. Nam si fœderati a Rep. uti hactenus pecuniam, & annonam pro suo milite postulent, nec eum propriis sumtibus contra Gallum, idque sine mora educant; a Gallo reliquias Belgii Hispanici absorbendas, vel Remp. ad ingratas pacis leges acceptandas compellendam. De Anglo delegati Ordinum confirmabant, voluntatem ei non deesse Gallo bellum indicendi. Sed negotium 1678.

1678. tium in hoc adhærere, quod Rex tot naves bellicas a Rep. exigat, quibus armandis, & sustentandis ea par non sit. Nec adparere, quomodo Anglus ita brevi tempore tantum numerum militum exercitatorum, ac idoneam classem mari immittere queat, ut non interim Gallus Hispanicas provincias, ac plura forte ad Rhenum loca opprimere valeat. Addebat Fagelius; optari a se, leges a Gallo propositas adhuc asperiores esse, ut fœderati ad extrema tentanda stimulentur. Sane ejus viri studium in eam rem non deerat; ac si Luneburgici & Monasteriensis copias suas ita promte, uti Elector, versus Mosam misissent, forte Belgæ ad alia consilia permoveri poterant. Sed hi nunc Luneburgicorum tergiversationes ægre ferebant, ac metuebant, ne dum Anglus, & fœderati moliuntur, irreparabile damnum accipiatur; eoque satius esse pacem in tempore amplecti, quam inter continuas jacturas bellum protrahere, utut Arausionensis acerrime contenderet, ne nimia in pacem festinatione fœderatorum res proruerentur. Inde Simon Lewius in Angliam, Borellus Bruxellas mittebatur, ut exponerent, *Reip. vires non superesse ad bellum ulterius continuandum, ac super propositis conditionibus tractatus sibi suscipiendos, ni reliqui fœderati belli onus in se suscipiant, idque Reip. adimant, simul caveant, se bellum deinceps majore vi, atque successu executuros.* Inter quæ tamen omnes Reip. rectores testabantur, *se nemini magis quam Electori obstrictos, & ad extremum connixuros, ut is æquis pacis conditionibus potiatur.*

van Leuwen.
27. April.

In Anglia frustra super fœdere contra Gallum agitur.
2. April.

§. 17. Interim in Anglia vix de bello amplius dubitabatur, præsertim postquam Galli Messanam, ac reliqua Siciliæ loca ultro deseruissent; id quod Angli ideo factum interpretabantur, velut isti vires contraherent contra ipsos adhibendas. Causam autem dilatæ hactenus clarigationis aula in Belgas conferebat, utpote qui nil aliud quærant, quam ut Anglia bello implicita ipsi arma ponerent: & quia Beuningii, & Fagelii responsa semper differebant, haut constabat utrius sententia adquiescendum esset. Et cum Beuningius aliquot ab annis super interdicendis Gallicis mercibus magno cum fervore declamasset, eamque demum in Anglia obtinuisset, nunc Hollandi exemplum imitari, ac bellum continuare defugiebant. Et cum jam manus admoveretur formando fœderi, quod inter Domum Austriacam, Angliam, & Belgas necessarium erat; hi procuratorium Beuningio eo fine mittere tergiversabantur. Unde Rex e Beuningio in consilium evocato sciscitabatur, num tractandi facultate instructus sit; & cum id negaret, postulabat, peculiarem nuntium mitti ei adferendæ, ut norit, quid sibi a Belgis expectandum sit. Ac Rupertus Palatinus censebat, *solos Belgas bello obstare, ac solicitudinem Amstelodamensium, ne Arausionensis potentia nimium gliscat, etiam in Angliam diffundi, Rege non minus quam Belgis cupidine pacis flagrante.* Allato demum Beuningii procura-

12. April.

torio Cæsareus, Hispanusque, ac Belgici ministri cum Anglis formulam fœderis conceptum ibant; de cujus successu parum sperabatur, quod Angli contenderent, Gallicas merces a cæteris quoque prohibendas. Sed Beuningio, ne in hoc consentiret, diserte vetitum erat; ac jam id inter Anglos, & Belgas certari videbatur, utri alteris culpam tam fœdæ pacis impingere possent. Sane Fagelius Hydio fassus erat, *apud plerosque procerum tantum esse pacis desiderium, ut neque facies temporum, nec rationes Reipublicæ, nec fœdera, nec existimatio, nec Arausionensis autoritas ei reprimendo sufficiant.* Cum etiam Cæsareus, & Hispanus cum formula fœderis ad Beuningium accederent, hic super ea nil tractationis suscipere volebat; sed deliberaturum se ferebat, haut expresso tempore, quando id futurum esset. Cui Wallensteinius commotior dicebat; *satis adparere, procuratorium non nisi in speciem missum, ac mandato ad tractandum ipsum destitui: id quod alta mente reponendum sit.* Rex quoque ista Beuningii tergiversatione gravem offensam præ se ferebat, & quod toto Belgio pax jam sermone differretur. Ac evocatis Cæsareo, & Hispano dicebat: *satis se perspicere, quo Belgæ tendant, & id eo magis sibi metuendum, quod factio Arausionensi adversa in Hollandia prævaleat, simul quid consilii capiendum foret exquirebat.* Ac ut testaretur, serio se rem agere, literas a Montacutio Parisiis scriptas eis ostendebat, queis Gallus formulam pacis ab ipso transmissam rejicere narrabatur, quod a Belgis lautiores sibi conditiones speraret. Ac jam Rex, ejusque ministri jactabant, *se non solum absque Belgis inituros, sed & his ad exemplum imitandum necessitatem allaturos.* Sed cum effectus horum verborum expectaretur, scrupulum iterum injiciebat, quod Parlamenti consessus in duas septimanas differretur prætexto sumto, quod Beuningio nondum plena mandata fœderi ineundo sint. Si enim Anglus serio rem egisset, in proclivi eidem erat Belgas vi novissimi fœderis obstringere, ut unioni firmiter inhærerent. Etsi Beuningius exciperet, id ad pacem promovendam directum esse, prout ejus leges tunc conceptæ erant; ac si protinus cum Austriacis in fœdere super conditionibus quoque pacis conveniendum sit, se ad id perficiendum sine mora accessurum. Sed quia neque Austriacorum, neque Parlamenti ea intentio erat ac Beuningius metuebat, ne per accessionem Angliæ non solum bellum extraheretur, sed Belgis vinculum injiceretur, quo minus pro lubitu arma ponere possent, nil minus quam Anglum in arma pertrahere studebat. Quin & eundem non parum refrigerabat, demonstrato, Belgas non amplius tam numerosum militem alere posse, sed ejus partem utique exautorandam. Eos Gallo potius se sociaturos, quam bellum continuare velint. Illum jam obtulisse, Antwerpiam corpori Uniti Belgii se insertum. Neminem fœderatorum leges fœderis exacte implevisse; unde

Montagu. *16. April.* 1678.

1678. unde nec Belgas iisdem amplius stringi. Factionem Lœvesteinianam gliscere Arausionensi prægravem; unde & hunc in pacem inclinare, ne Reip. offensam incurrat. Denique Hispanos uti hactenus, ita & deinceps omnia negligenter acturos. Ac eo majus dictis hisce pondus erat, quo optatius Regi accidebat, prætextum bello declinando invenire. Ac alias gloriari solebat Beuningius; *sese Anglis persuadere posse quicquid velit; quod ministri Anglici magna fere inscitia rerum externarum laborarent.* Interim Rex in adparando bello longius progressus erat, in classem, & exercitum jam erogatis DCC M librarum cum Parlamentum non nisi CCC M exsolvisset. Ac miserat Domus Inferior delegatos ad Thesaurarium, ut Regi diceret; se haut toleraturos sibi illudi; & quia difficultates a Belgis de compacto motæ videri queant, eidem confirmaret; uti, si bona fide adversus Gallos procedat, nil rerum bello necessariarum ipsi defuturum sit; ita si secus agatur, in nihil eorum, quæ postulentur, se consensuros. Et quia Scotia motum minabatur, prudentes credebant, Regi externum bellum arripiendum velut remedium intestinis turbis prævertendis. Ac Eboracensis, qui hactenus bello in Gallum quam maxime obstiterat, jam fatebatur, *Regem nisi hoc suscepto pessum iturum.* Et cum antea ministri fœderatorum torvo vultu excepti fuissent, quod bellum urgerent, jam blanditiis demulcebantur, Beuningio vix se ostendere auso. Sed & animos Anglorum non parum asperaverat, quod in propositione a Gallis Neomagi facta tempus eidem acceptandæ ita pro imperio præfixum esset, nulla quoque sequestris Angli mentione facta, ac quod hic argueretur Suecicæ satisfactionis curam in se recepisse; quod in vicem injuriæ accipiebatur.

Belgæ prolationem termini a Gallo præfixi petunt.

§. 18. Ast interim Belgæ Neomagi a Jenkino petebant, apud Gallos instaret, ut dies acceptandis pacis conditionibus proferretur. Is quærebat, *utrum id suo duntaxat nomine, an omnium fœderatorum petant?* Hi respondebant; *se super ea re cum Cæsareis locuturos.* Unde Belgæ Cæsareis declarabant: *postquam Gallorum super pace propositio per Belgium ita vulgata sit, ut nemo non etiam e plebe eam circumgestet, atque exclamet, eandem non protinus rejiciendam, sed super ea tractationem suscipiendam; Ordines Generales non potuisse non istam in consultationem deducere. Ubi statim observatum fuerit, propositas ibi conditiones duriores esse, quam ut tam angusto tempore ad moderationem tractando temperari queant. Simul tamen id quoque consideratum unitis provinciis belli onus in futurum intolerabile bellum Angli in Gallum adhuc incertum, cujus indictio tamdiu extrahatur; duras nimium conditiones fœderis exigi; ac interdictum mercium Gallicarum durante bello efficacissimum quidem remedium attenuandis Galliæ opibus, sed quod in Hollandia vix in usum deduci queat. Denique si maxime bellum ab Anglo sumatur; tamen id repugnando animi inclinatione ab eo gerendum, & a fœderatis vix meliores armorum successus sperandos. Igitur consultum visum super iis conditionibus Neomagi tractationem suscipere, ac designatæ diei prolationem quærere. Tum rogabant, num quid ipsi super hac re in mandatis habeant, ac num eam prolationem promovere velint? Ad hæc Cæsarei negabant sibi quid mandatorum esse. Nec videri circa has conditiones tractationem suscipiendam; cum Gallus istas sequestribus non eo fine communicarit, sed ut earundem tantum notitia extaret. Sed & ita eas comparatas esse, ut salva dignitate, & existimatione sua Cæsar de iis tractare nequeat. Ab universo orbe eum modum pacem præscribendi improbari, ac Gallum ejusmodi legibus promulgatis jam non timide dictatorem se Europæ gerere. De prolatione diei a se nil moveri posse, ne videantur propositas conditiones ad tractandum acceptare.* Cum itaque fœderati isthoc negotium tangere nollent, Belgæ a Gallis petebant, *ut eam pro sua Rep. apud Regem obtinerent;* qui tamen id in se recipere abnuebant. A Belgis quoque in Angliam missus, qui a Rege peteret, ut apud Gallum officium interponeret termino dicto in duos menses prorogando. Id quod a se postulari Rex ægre ferebat, atque id non solum abnuebat, sed & Beuningio exprobrabat, *omnia isthæc, & quod Belgæ in fœdus descendere nolint, ab ipso provenire.* Sed & in hoc absurde actum judicabatur, quod eo ipso momento, quo is nuntius Hagæ dimittebatur Fagelius scripta scheda Hydio significasset; in consessu Ordinum nihil in conclusum fuisse, ac Beverningium propere Neomagum ire jussum, ut prolationem diei per sequestres quærat, ac ubi hi superiorum injussu id suscipere nolint, recta Gallos adeat. Quæ Belgarum vacillatio aulam Anglicanam non parum turbabat; præsertim cum Galli Neomagi spargerent, pacem inter se, & Belgas per delegatos ab his ad Regem missos jam perfectam. Sane prudentes non amplius de pace dubitabant; quod in Anglia Rex, & Superior Domus ab Inferiore, apud Belgas maxima pars procerum ab Arausionensi diffidebant, quorum illis pax, his bellum cordi erat, prioribus utique prævalituris. 3. Maji.

Super induciis Neomagi propositur. 3. Maji.

§. 19. Proponebat inde fœderatis Beverningius; *postquam apud legatos Gallicos prorogationem dictæ diei obtinere non potuerit, eos jussu Regis inducias in aliquot menses, quin totum in annum obtulisse. Eas inducias Ordines unicum remedium judicasse servandis Hispanicarum provinciarum reliquiis, per quas & pax perfici queat.* In quas, ut fœderati consentiant petebat. Rationes adducebantur; *sumtus belli a populo suo non amplius tolerari posse; apud eundem immensum pacis cupidinem gliscere, quæ nisi maturetur, universos frænum morsuros. Ingentem Galli potentiam, cui qua hac expeditione opponi queant idoneæ vires nusquam adpareant.* Ad quæ re perpensa fœderati declara-

1678. 4. Maji. clarabant: *inducias seu breves, seu longas haut utiles esse. Illas frustra iniri, quod Cæsarei ad Rhenum, Hispani in Catalonia jam in campum prodierint: Hassi, & Monasteriensis iter Daniam versus ingressi sint, quibus omnibus antequam de induciis innotuerit, earum tempus expiraturum. Nec verosimile videri, Sueco breves inducias tanti fore, ut Christianstatii obsidium solvat. Longas inducias ipso bello nocentiores fore. Nam fœderatorum exercitus jam hospitiis excessisse, in quæ reduci iterum nequeant. In campo eosdem alere sumtuosum fore, ubi & numeri desertionibus minuendi sint. Interim tempus rebus gerendis frustra elapsurum. Gallum autem, cui copias suas sustentare in proclivi sit, interea divisionem fœderatorum machinaturum, uno aut altero in suas partes pertracto; ac ad extremum repudiata pace arma resumturum quando fœderatis ob importunitatem temporis, aut copiarum tenuitatem resistendi facultas decesserit. Sed & nil decerni posse inconsulto Anglo, sive is ut sequester consideretur, sive ut fœderatus, cujus & egregia destinata in societatem belli veniendi per inducias sistenda sint. Jenkinum jam in antecessum declarasse, a suo Rege de induciis propositum haut iri.* Hispani id negotium Hagam rejicere cupiebant, Cæsareis id
Maji. abnuentibus. Mox tamen sequestres fœderatis indicabant, Gallum ultro terminum in decem dies protulisse. Sed quia id spatium breve nimis erat, Beverningius prorogationem in unum mensem petendam censebat. Ad ista Cæsarei, & Hispani declarabant: *notorium esse, ut ipsis hactenus communis pax cordi fuerit. Se quoque super editis a Gallo conditionibus tractationem suscepturos, modo hic eas non ad legum instar obtrudere instituat, sed uti inter supremos Principes moris est, alteri quoque parti facultatem concedat declarandi, quid a se admitti, quid minus queat.* Danus autem monebat, ne Boreales fœderati oblivioni dentur. Gallum plenam pro Suecis satisfactionem stipulatum. Id laxum nimis, & obscurum esse, ac a Suecis pressius explicandum, quid desiderent. Igitur a se probari non posse, hanc declarationem omnium fœderatorum nomine
Maji. edi, nec in ejus se partem venire velle. Ita ea declaratio tunc omissa. Post Catholici fœderati respondebant: *se Nuntii prudentiæ judicandum relinquere, num intra triduum, quod e Gallico dictamine adhuc supersit, tanti momenti negotium confici queat.* Quæ verba tamen ita intelligi volebant, non quod longius spatium desiderent super latis a Gallo conditionibus tractandi: sed ut ostendant, ejusmodi minutam prorogationem neque a se desiderari, neque ulli usui esse. De cætero haut omissuros fuisse super propositis conditionibus mentem suam exponere, ni Gallici legati negassent, heic locum esse super Regis sui declaratione disceptandi. Jenkinus autem ferebat, *a Rege suo sibi interdictum, super induciis, aut prorogatione diei officium interponere.*

§. 20. Beverningius inde ulterius in congressu fœderatorum inducias urgebat, horum 1678. Belgæ ulterius inducias urgent. 13. Maji.
rebus tam necessarius, in quas & Villa Hermosa, & Cæsareus Bruxellis minister Caprara proclivis sit. Quæ istas suadeant hæc esse. Hispaniam viribus defectam, & quæ ad rem nihil conferre queat. Quæ & eousque fidem decoxerat, ut Neomagensis magistratus creditorum petito Ronquillii discessuri supellectili navigio impositæ manum injiceret, nec prius eam dimitteret, quam is partem æris alieni exsolvisset, pro reliqua prædibus cavisset. Fœderatos porro vel circa propria negotia destineri, vel parum promtos se ostendere ferendo auxilio, Luneburgicos, qui in superiore Geldria hospitentur, cum proximis diebus in expeditionem educendi forent, iter ingredi noluisse. Osnabrugenses quoque XL M uncialium in supplementum exigere, antequam ex hibernis moveant. In Anglia inter Regem; & Parlamentum, ac inter ipsa Parlamenti membra concordiam non esse, nec dum decretum, unde alimenta exercitui, quem Rex conscripturus sit, comparanda. Antea confirmatum fuisse, ab Anglo XXX M in Flandriam mittenda; nunc de XX M duntaxat jactari, nec ultra VI M ad huc trajecta. Belgarum copias per Hispanicas orbes præsidio dispersas, ut Arausionensis adjunctis Hispanis vix XXIV M in campum educere queat. Gallum si præfixa ab ipso dies elapsa fuerit reliquias Flandriæ abrepturum, nulla penes Anglos, aut Belgas subveniendi facultate. Eo periculo Belgas commotos, ut de induciis cogitarent, interim cum fœderatis consulturos, qua ratione ex his difficultatibus eluctandum sit. Num Gallo induciæ cordi sint, sibi non constare. Si Gallus in eas consentiat, tempus monere, ut ipsi rebus suis prospiciant. Sin minus, Belgicæ plebi satisfieri posse, Gallum repudiatis induciis ostendisse, pacem sibi cordi haut esse. Alias Gallum non vulgus solum Hollandiæ, sed & multos procerum ea opinione imbuisse, a se pacem quæri, fœderatos bellum extrahi malle. Ad quæ Hispani sesquimestres inducias probabant ea duntaxat intentione, ut spatium foret provinciis suis servandis, Anglo ad fortia consilio impellendo, ac Belgicæ plebi ad saniorem mentem revocandæ. Sed si iste scopus alia via commodius, quam per inducias obtineri queat, hanc potius amplectendam esse. Cæsarei induciarum incommoda multis demonstrabant. Si tamen fœderatis videatur, sesquimestres se non abnuere ea lege, ut reliqui omnes in eas consentiant, ac interea temporis nil concludatur, quod aliis fœderatis fraudi esse queat. Blaspielus, se ad Electorem relaturum. Danus: inducias Regi suo noxias; sed qui omnia facturus sit servandæ Flandriæ, cujus salutem gravissimæ rationes ipsi commendent. Cum itaque plerique in eo consentirent, vel repentinam pacem metuendam esse, vel inducias amplectendas, quæ in exiguum tempus utiliores habebantur; dubium jam restabat, num Gallus in

1678. in has censurus, ac nuntius, an Anglus iis conciliandis adhibendus sit? Sed quia adhibito sequestris officio aliquid obligationis contrahi videbatur, satius visum per fidum hominem, cujus opera Beverningius utebatur, e Gallicis legatis sciscitari, num induciæ in sex hebdomades placeant? Idque Beverningius suo periculo facturus erat; qui & confirmabat, fœderatos a Belgis nunquam deserendos ni extrema necessitas subigat. Addebat; *per Belgas non stare quo minus Anglus in bellum contra Gallum erumpat. Sed huic id nunquam cordi fuisse. Nunc negotium in eo verti, ut a Belgis Gallicæ merces vetentur. Tale interdictum si maxime condatur, id tamen non magis a Belgis quam Anglis servatum iri. Id autem utrinque discrimen esse quod Angli credant, sibi libertatem competere contra interdictum agendi, Belgas autem eidem utique adstringi. Unde facile iis fore ansam inde arripere a fœdere discedendi, ac Belgis eo nomine, si rebus suis id expedire judicarint, bellum faciendi. Anglum quoque urgere, ut Belgæ fœderi, quod iste cum Cæsare & Hispano agitat, nomen dent; id quod supervacuum sit, quod isti jam cum Anglo juxta, ac Cæsare & Hispano adversus Gallos fœdere nectentur. Tum & eam Belgis conditionem altioris indaginis videri; quod si maxime omnes fœderati pacem velint, unius tamen refragantis sententiam sequi necessum sit. Cui conditioni ne Anglus quidem se obstringere velit, quam tamen a Belgis exigat.* Cæterum ad quæstionem propositam Galli Beverningio responderunt: *eam se artificium fœderatorum haberi sistendis Gallorum progressibus, & interim accelerandis ex Anglia auxiliis; de qua ad Regem referre non audeant. Sed si Belgæ semestres inducias velint, se in mandatis habere protinus super iis tractationem suscipere.*

In Anglia ad bellum contra Gallos nihil proficitur

§. 21. Eo majore autem impetu a Belgis in pacem ruebatur, quo tenuior spes belli in Gallos sumendi ex Anglia allubescebat. Nam facto Parlamenti consessu Rex proponebat; magnum sibi exercitum, sed parum argenti esse, nec Belgas ad continuandum bellum permoveri posse. Unde consilium Parlamenti exposcere, cum citra Belgarum societatem adversus Gallum nil profici possit. Inde a se acta defendere, omnemque culpam in Belgas conjicere; qui male tunc in Anglia audiebant. Nec eo minus Parlamento manebat suspicio rem inter Regem, & Belgas de compacto geri. Et quia Angli semper sacris suis metuebant a Rege præsertim armato, quem scitis Romanis intus addictum norant, leges contra Pontificios latas observari postulabant; idemque ut pervincerent, id postulatum eodem cum pecunia decreto combinare cupiebant, quod hanc solam aulæ cordi esse nossent. Rex inde petenti Parlamento fœdus cum Belgis, & conceptam pacis formulam communicabat. De qua Georgius Downingius palam pronuntiabat; *ejusmodi agendi modum infamem esse*, adstipulante tota Inferiore

29. April. (beside "lum permoveri posse")

30. Maji. (beside "cum Belgis")

Domo; quæ & eam velut petito suo ad Regem rationibus Hispaniæ, atque existimationi Anglicanæ nationis adversam improbabat. Postulabat quoque Parlamentum, *ut Durasii in Galliam missi mandata & responsum ei datum communicaretur.* Id quod Rex declinabat causatus, *nil scripto, sed omnia sermone fuisse peracta.* Agnoscebat Lewius a Belgis recens huc missus, si Beuningius Remp. de Anglica aula prout nunc fit informasset, longe alia consilia ab ipsa fuisse capienda, ac Anglum ante biennium ad inferendum Gallo bellum fuisse permovendum. Enimvero Remp. nunquam edoctam fuisse, Regi ejusmodi necessitatem a Parlamento imponi posse. Sed & Beuningium mandata sua pro lubitu interpretatum, ac forte sperasse, pacem se iterum ex suo ingenio confecturum, uti Parisiis olim circa Aquisgranensem pacem factum erat. Ita vir iste, dum omnia pro suo lubitu agit, revera non postrema causa erat, ut res in hanc confusionem prolaberentur; idque ipsi in congressu fœderatorum in faciem exprobrabatur, cum ne verbum quidem ei quod reponeret esset. Iste Belgis semper inculcaverat; *Angliæ Regem Nunquam in arma adversus Gallos erupturum, nec Parlamento facultatem esse eum ad id compellendi, ac demum si Anglus futuræ pacis sponsor existat, omnibus eundem incommodis deinceps prospecturum. Nec Belgis tutum esse in bellum descendere, cui finem imponere in eorum arbitrio non sit futurum: id quod ex conjunctione cum Anglia, metuendum videatur.* Eo ipso tempore nuntius a Jenkino aderat, a Belgis formulam Gallicam quantum ad se acceptatam, ut tamen fœdera sua eo ipso hautquidquam infracta velint. Ejus rei causam fuisse, quod Parlamentum fœdus ipsorum cum Rege improbasset, ac libello ad Regem dato petiisset; ne absque omnium partium consensu pax, aut induciæ concludantur; quod Belgis haut placeat sine modo & fine bellum gerere. Id quod protinus ab aula vulgabatur, spe Parlamentum quoque mox suam sententiam mutaturum, cui antea persuadere laborarant, Angliam absque Belgio contra Gallum nil efficere posse. Ast Inferior Domus 4. Maji.
exhibito libello Regi suadebat, *ut is protinus fœdus cum Cæsare, Hispano, Belgis, aliisque Principibus ineat, utque Belgas in ea societate retinere curæ sit. Tum ut omnes fœderati civibus suis commercia cum Gallia interdicant, ac ne in ullius fœderati ditiones Gallicas merces invehere fas sit. Ut alii quoque non bello impliciti in hoc fœdus pertrahantur, & absque omnium consensu pax, aut induciæ cum Gallo non ineantur.* Ad ista Rex respondebat; *istius libelli argumentum ac modum valde sibi inopinum visum,* 6. Maji.
& si maxime circa hæc nil a se desiderari posset, haut tamen e re ducere ad eum quid respondere, quoad utriusque Domus sententiam simul cognoverit. Contra Inferior Domus decernebat a Rege petere; *ut promtum responsum ad priorem libellum dare velit: ut consiliarii, qui responsum ad* 7. Maji.
suos libellos die 28. Maji anno superiore, & die 21.

Jan-

1678. *Januarii hoc anno suaserint, abdicentur; ut Laderdaliæ Dux e consilio Regis amoveatur, eique ad Regem accedere interdicatur.* Quo ipso ea Domus censebat, se Regem ad bellum Gallicum constringere posse; nec obscure innuebat, statim atque bellum in Gallos sumtum foret, offensam in ministros expiraturam. Alias se haut omissuros testari, quam parum talia nationi probentur; tum Regem ad conductas jam copias exautorandas compulsuros, velut qui ... o captu præsentium rerum ingentem suspicionem populo injiciant. Eum libellum quomodo declinaret, aula valde solicita erat. Nam nationem bello Gallis indicto delinire Regi haut placebat; & Parlamentum comperendinare violentum nimis, ac periculosum remedium habebatur. Igitur alia via inibatur ei libello eludendo, dum res ita disponitur, ut demum hora tertia pomeridiana consessus fieret, cui libellus prælegendus erat, plerisque, qui aulæ male cupiebant, absentibus, aut vino gravibus. Unde cum sententiæ perrogarentur, qui libellum omittendum censebant, cæteros uno duntaxat suffragio vincebant. Etsi sequenti die id ipsum decretum ab Inferiore Domo iterum subvertebatur. Interea Rex summa ope nitebatur multa suffragia sibi adquirere: idemque complures suorum ministrorum, qui contra Laderdalium sententias dixerant, muneribus amoverat, jurans se omnes suos ministros, qui in Parlamento contra ipsius rationes, & voluntatem sententias dicturi sint, abdicaturum. Inter hæc Regis, ac Parlamenti dissidia bellum, ac fœdus cessim ibat; ac testabatur Lewius, *si Rex ante semestre serio bellum a se expedi demonstrasset, Belgas non solum plus virium exserturos, sed & negotium pacis haut ita longe processurum fuisse. Sed cum adpareret rem heic ita somnolenter agi, populum Belgarum uno velut ictu animis collapsum, quem nunc iterum excitare difficile futurum sit.* Contra Beuningius nil nisi Reipublicæ impotentiam, Hispanorum socordiam, ac formidandam Galli potentiam occinere; eoque exitium Flandriæ propera pace prævertendum. Ad quæ Burgomagnus: *per istas rationes non promoveri id, cujus causa ipsi venerint. Nam super fœdere offensivo sibi mandatum esse; de pace Neomagi agendum. Rex autem declarabat, antequam fœderi se huic innectere queat, sibi constare debere, quantum Belgæ ad bellum terra marique gerendum deinceps præstare possint, ac velint; ac num commercium cum Gallia suis interdicturi sint.*

Anglus rem haut serio agit. §. 22. Ita ambigue autem in Anglia res tractabatur, ut quo ea demum evasura esset, vix liquido prospici posset. Nam bellum quidem promittere videbatur necessitas coërcendæ potentiæ Gallicæ, ac servandi Belgii Hispanici quarum utraque rationes Angliæ quam maxime tangebat; tum incredibilis ardor nationis Anglicanæ ad bellum Gallo faciendum. Vicissim eam spem labefactabant clandestina vincula inter Anglum, & Gallum; & quia ministri ansam Parlamento præbere formidabant rationem ab ipsis exigendi, uti orto bello per Parlamenti continuationem certo futurum erat. 1678. Tum quia Belgæ a bello abhorrebant, quod accessione Angliæ ipsis pro lubitu ponere haut integrum futurum erat. Haut eo secius Rex spem belli aluerat, anticipata Parlamenti convocatione, & conscripto exercitu triginta millium, ejusque parte jam in Flandriam trajecta. Qui & Cæsaris, ac Hispani ministris confirmarat, bellum utique secuturum, ac ut Principibus suis referrent, Eboracensem hoc mense toto cum Exercitu in Flandria futurum, conventione quoque cum Burgomagno super imperio in conjunctas copias inito. Quæ tamen omnia in speciem fuisse agitata eventus mox docuit. Cæterum ad libellum super abdicando Laderdalio Rex ex tempore respondit; *eum ita importunum, & absurdum esse, ut non consultum ducat protinus quale par erat responsum ad eundem reponere*: simul Parlamentum ad diem 23. Maji comperendinabat. Equidem aula excusabat, hac dilatione gliscentem animorum exacerbationem fuisse intercipiendam, neque id necessario armorum adparatui moram allaturum. Ast vera causa erat, quod legatus Gallicus Ruvignius, qui nuper in Galliam excurrerat, Anglo LM aureorum pistoletorum attulisset, magnum pervincendis Gallo placitis momentum. Nam quæ obtendebantur incommoda alio modo avertere haut in arduo erat. Ast ea dilatio Belgas & Hispanos in desperationem conjiciebat; & jam Villa Hermosa in sesquimestres inducias consenserat, ac ministri Belgici non amplius bellum, sed inducias, & accelerationem pacis urgebant, ac citra ambages fremebant, sine pace omnia conclamata esse, ac cuilibet suam salutem qua detur expediendam. Ita Anglo in prætextum arripiebatur bellum declinandi præcipitatæ a Belgis, & Villa Hermosa induciæ. Et quia per arma nil amplius effici possit, super solida futuræ pacis evictione cogitandum esse. Demum Rex Parlamento iterum congregato demonstrabat; 23. Maji. *a quo tempore super bello ejus consilium exquisiverit, exteros velut instinctu in pacem ruisse. Sibi tamen Flandriam pro virili servare curæ fore armis, aut pace, prout hæc, aut illa ei scopo maxime idonea fuerint visa: id quod ex actionibus exterorum judicandum sit. Promovendo tamen bello juxta, ac paci necessarium fore exercitum, & classem aliquantisper adhuc alere. Consultatione itaque opus esse, qua ratione miles sustentandus, atque commode exautorandus sit. Cæterum se salutaria patriæ consilia semper agitasse, quatenus ea in effectum deduci ipsum Parlamentum concesserit: quod ne rem ad extrema deducat se rogare*, addito monito, *ne diversas materias in unam legem compingere instituant.* Ad ista Parlamentum decernebat: *si Regi placeat cum Cæsare, & aliis fœdere necti, ad bellum contra Gallum suscipere, nil*

ipsi

1678. *ipsi defuturum, ac se omni ope ei adstiturum. Sed si idem ejusmodi fœderationem haut e re judicet, de exautorando exercitu cogitandum esse.* Sed quæ declaratio aulæ parum arridebat, velut cui neque bellum, nec militis exautoratio cordi erat. Interim nuntiabatur Gallum petente Beverningio in prorogationem induciarum ad diem 27. Julii st. v. consensisse non sine exquisitis verborum blandimentis; desiderium singularis, ac sinceri in Remp. affectus exprimendi a se ante subjugationem totius Flandriæ haberi. Quo nuntio Domus Inferior magis exacerbata acriter bellum, aut exautorationem militum urgere pergebat; simul CC M librarum decernebat non ad alios usus quam missioni militum adhibenda, ac ut exercitus ante finem mensis Junii solutus sit. Ac palam Londini Beuningio exprobrabatur, *cum fœderatis, atque Anglicanæ nationi plus damni, quam ipsum Gallum dedisse.* Ast Rex cum haut tutum esse judicaret exercitum ante factam pacem exautorari, ne forte Gallus conventa retractaret, Burgomagno proponebat; an non Hispani pecuniam conferre velint alendo exercitui Anglico ad pacem usque ad quam Belgæ quoque partem collaturi sint? Item, an non Hispani operam navaturi sint Borealibus fœderatis ad pacem permovendis; qui asperius erga Belgas, quam ipsi Sueci se gerant? Hos enim istis valde adulari, illos nil nisi querelas ingeminare. Sed & legatus Gallicus jam Londini jactabat: *Regi suo decretum Suecis ad omnia quæ amiserint recuperanda opem ferre, ac toti orbi specimen exhibere, noxium esse contra Galliam fœdera inire, ac nulla fructuosa magis quam Gallica fœdera dari.* Idem legatus referebat; cum Arausionensi in Anglia agente de Boreali pace mentio injiceretur, *Belgas Anglo confirmasse, nemini se Borealium fœderatorum ad satisfactionem, aut indemnitatem præstandam præterquam Electori teneri; cui tamen se non obstrinxerint ad evincenda bello parta, sed ad reparanda damna in ipsius provinciis tolerata; eoque pacem inter Boreales admodum facilem esse. Unde tunc restitutionem Sueciæ in integrum fundamenti loco positam fuisse, uti e primo articulo formulæ pacis adpareat.* Ita falso Anglus apud Parlamentum pronuntiarat, eam formulam a se haut probatam fuisse.

Gallus Belgas per literas ad pacem invitat.

§. 23. Isthæc Angli prævaricatio apud Belgas immensum pacis desiderium accendebat, quod nec Arausionensis, nec alii, qui honesta, & fortia ingerebant, sistere amplius valebant. Præsertim cum Gallus homines sibi mancipatos in Hollandia haberet, qui plebi juxta ac quibusdam proceribus diffidentiam erga Arausionensem inspirarent, quasi is de supremo in Rempublicam imperio invadendo agitaret. Idem magis stimulandis Belgis ansam arripiebat, quod legati Belgici Neomagi sciscitati essent, si Respublica conditiones ab ipso latas, quantum a se spectent, amplectatur, num ipse diem istis acceptandis prorogare, tum super commerciis, & securitate Belgii Hispanici cavere ipsis velit? Ad quæ Gallus blandissima epistola ad hos data declarabat: *Pro sincero studio, quo ipse circa promovendam Europæ pacem laboret, gratum sibi fuisse Neomago intelligere ipsorum sententiam circa finem tanto operi imponendum. Lætum quoque sibi conditiones a se propositas ipsis probari, velut qui penitus edocti sint, quo candore ipse tanti momenti negotium tractet. Eo majori sibi voluptati esse per has literas ipsis demonstrare, inter fluentes quantumvis ex voto armorum successus, & pronissimas in futurum spes, summam gloriæ suæ in eo verti, ne omnia paci accelerandæ conferat. Et cum ipsi de duabus potissimum rebus soliciti esse videantur, ut commercia æquis legibus regantur, & ne reliquiæ Belgii, si forte Hispani oblatas conditiones adspernentur, a se in ditionem redigantur; ea cura se nunc ipsos exsolvere. Nam circa commercia quæ desiderent se annuere; & si maxime Hispanus pacem in præsens respuat, in ipsorum tamen gratiam semper separatum fore ipsi quæ nunc offerantur conditiones indulgere, nec interim aliquem earum provinciarum locum impugnaturum. Quod si super hoc negotio legatos mittere velint, iis ad se intra 27. diem hujus mensis accessum non procul Gandavo patere.* 1678. 8/18 Maji. Earum literarum tria exempla triplici via in Hollandiam curata erant, ne forte intercipi possent. Quorum unum a tubicine Gallico Hagam allatum fuerat, admodum indignante Arausionensi, isti permissum fuisse huc penetrare. Poterant eæ literæ Belgis valde honorificæ videri, si memoria subiret, quanto cum supercilio idem Rex ante sexennium cum istis egisset. Sed prudentes facile perspiciebant, per fallaces blanditias id tantum quæri, ut Belgæ ad destituendos fœderatos allicerentur, ac ut plebs honesti, ac solidæ utilitatis rationes trutinare nescia egregie sentientes impetu obrueret. Nec minus id adparebat, Gallis nullam rationem degenerem, ac deformem haberi, quæ ad ipsorum destinata aliquid facere videatur; ac sæpe serviliter pro struendo in alios imperio agi, post non minus vilibus, qui eorum libidini sese instrumenta præbuerant. Sane hoc ipso anno, quo Rex iste tanta cum insolentia orbi Christiano leges dictaret, Magnus Vezierus legato Gallico apud aulam Turcicam nescio quam ob offensam fustuarium minatus fuerat, post tamen satis habuerat sandalio ejusdem os aliquoties verberasse. Quam contumeliam legato suo illatam tantum abest, ut Rex ægre tulerit, ut potius ipse eidem pœnam interminatus sit, quod Veziero debitum honorem exhibere haut calluerit. Porro Hagæ fœderatorum legatis istarum literarum ab Ordinibus Generalibus copia fiebat, addito, se propositas a Gallo conditiones non ulterius, quam se ipsos spectent, admittere decrevisse. 14. Maji. Num æquæ ipsis viderentur, nullum verbum fiebat. Ad quæ legati: *esse eum agendi modum inauditum, & valde periculosum; ac ista omnia Neomagum fuisse remittenda.* Tum rogabant, ut Belgæ fœderibus firmiter insistant, ac bellum sociatis viribus gerant, quoad communibus votis pax omnes com-

1678. complexa obtineatur. Ad quæ Belgarum delegati: *Reipublicæ mentem circa ea, quæ hucusque facta sint, non fuisse nec esse a fœderatis se disjungere, ac separatam pacem amplecti. Sed quia idoneæ vires non suppetant sistendis Galli armis, ac probibendo, ne hic brevi tempore provinciarum Hispanicarum reliquias deglutiat, ad plura subigenda inde progressurus, primariam quæstionem huc redire; an non satius sit super propositis conditionibus tractare, & per ea quantum detur stipulari, ac retinere, quam producto bello plura amittere. Quin si maxime aliqui procerum deinceps quoque omnia Martis aleæ velint exponere; hos tamen non prævalere iis, qui cum plebe quamlibet pacem amplectendam suadeant, & tributa bello gerendo conferre amplius nolint; nec hac rerum facie penes se esse cives suos cogere.* Cum iidem de induciis quærendis urgerent, id Neomagum rejiciebatur.

Hagæ ad ... illum ... ratio... ... de... ...mant. ... Maji. §. 24. Mox Belgarum delegati fœderatorum ministris Hagæ indicabant; postquam Galli sesquimestres inducias Neomagi plane abnuerint, in præsens communi se causæ utilissimum judicasse, misso legato Regi Galliæ significare; sibi placere in propositas ab ipso conditiones pacem quantum ad se concludere. Sed quia fœderatis suis per certa pacta obstringantur, Regem haut postulaturum, ut iis destitutis separatam pacem ineant; eoque spem esse, Regem juxta ac fœderatos suos libenter pacem honestis conditionibus inituros, ac ut eadem adornetur in sesquimestres inducias consensuros. Ideo autem Rempublicam præstabilius judicasse ad Galli epistolam viva voce, quam scripto respondere; quod literas semetipsas interpretari, & objecta diluere nequeant. Si post omnem impensam operam induciæ negentur, cives suos perspecturos, a rectoribus omnia præstita, quæ paci pro se, ac fœderatis optime meritis obtinendæ requirantur: Gallum autem nil aliud quærere, quam ut Republica per separatam pacem a fœderatis divulsa occasionem nanciscatur utrosque opprimendi. Quo agnito cives suos permotum iri, ut malint persequendo bello sanguinem, ac fortunarum reliquias impendere, quam male fidam sibi solis pacem amplecti. Asseverabant quoque, Rempublicam in hanc missionem consensuram haut fuisse, ni Angliæ res subegissent; ubi cum bellum alacriter in Gallum sumendum speraretur, Regem inter, & Parlamentum discordiam gliscere, ut ab iis nil auxilii expectandum sit. Accedere, quod Hispanis nec miles, nec pecunia sit urbibus suis tutandis, multo minus exercitus in campum educendus. A reliquis fœderatis auxilia tenuia, ac tarde molientia. Nec eas Reipublicæ vires, ut Gallum sustinere valeat, quo minus quod superest Hispanici Belgii absorbeat. Ad ea ministri: si scripto sibi caveatur, Rempublicam non aliud præter sesquimestres inducias quærere, nec quid contra fœdera suscipere, aut deserere socios velle, huic missioni se haut intercessuros. Ita Cæsareus & Hispanicus declarabant, reliquis adstipulantibus; nisi quod Danus, & noster adderent, ut induciæ tantum cum Gallo, non item cum Sueco sint. Neomagi autem Harenus fœderatis declarabat: *Rempublicam ad tutelam Hispanici Belgii ex quo tempore id a Gallis bello petitum sit, quantum penes se impendisse. Sed quia fortuna Gallo hactenus supra modum faverit, ac Respublica non solum defectu virium bellum diutius persequi nequeat, sed & fœderati communem causam partim debito studio amplecti nolint, partim non possint, ut Gallo in proclivi sit paucos intra dies nemine repugnante Belgium in ditionem suam redigere, nulla insuper ex Anglia spe, cujus & auxilia antequam advenerint, irreparabile damnum accipiendum sit: igitur fœderatos haut sinistre accepturos, si hac rerum facie, quod unicum superest remedium Belgio Hispanico, ac sibimetipsis servandis, arripiatur. Equidem in votis fuisse, Gallum ad æquiores conditiones per arma, aut alio modo adduci potuisse. Postquam autem fortuna eo verterit, ut continuato belli plur jacturæ metuendum sit, gratum Reipublicæ fore, si fœderati oblatas conditiones, quantumvis duras & iniquas, non adspernentur, sed super iis tractationem suscipiant. Se quoque significaturum, quid suo judicio in iisdem mitigari, atque adstringi queat. Rempublicam quoque tentaturam, num quid amplius a Gallo obtineri possit.* Ad hæc Cæsarei laxis verbis: *uti Cæsar non ad proferendos suos limites, sed ut Hispanicum Belgium contra vim Gallicam tueretur, cum Rep. & aliis fœdus iniverit: ita eundem bellum persecuturum, aut pacem pariter amplexurum, prout fœderati hanc, aut istud commodissimum remedium proposito scopo obtinendo judicaverint. Super conditionibus mentem suam exponere non posse, quod Galli negarint, locum heic de iis agendi esse: & quia præcepti indolem præ se ferant, Cæsarem salva dignitate ad istas nil reponere posse. Quamprimum autem Galli declararint, heic super iis tractationem suscipiendam, se quoque, duræ quantum libet, iniquæ, & imperiosæ eædem sint, animum pacis cupidum facile omnibus adprobaturos.* Hispanus ad Villam Hermosam, Petcumus ad Heugium, qui Hagæ erat, provocabat, quo & Blaspielus se contulerat. Canon: *Ducem in ditionem suam restitui cupere: sed oblatas conditiones ei admodum noxias esse.* 21. Maji.

§. 25. Ast Arausionensis Blaspielo confirmabat, a se & Republica omnem operam datum iri, ut Electori hoc bello parta salva sint. Cæterum ex Anglia nil boni amplius sperandum, postquam Parlamentum antea semper belli in Gallos cupidum, intempestiva cum Rege collisione ministros quosdam aula moveri postulaverit; unde Regi bellum semper aversato opportuna occasio scopo suo potiundi nata sit. Eum legatis Belgicis non obscure significasse, ne de suis in Gallum armis sibi quid polliceantur, sed super rebus suis cum Gallo quantum detur decidant. Addebat de causis missionis ad Gallum; sed quæ persequendo bello haut obstitura sit, si modo alias ido- *Arausionensis super hoc negotio sententia. 21. Maji.*

1678. idoneæ vires suppeterent. Ac ei legationi obeundæ Beverningium destinatum, fidum semper Reipublicæ, ac singulari in Electorem studio; qui negotium ita gesturus sit, ut fœderatis querendi causa haut sit futura. Qui & ideo recta Neomago in Flandriam tendat, ne Hagam transiens ab iis in transversum rapiatur, qui cœco impetu pacem nulla ratione in contrarium admissa urgent. Ejusdem alias de summa rerum hæc sententia erat. Hautquidquam bonam pacem præsenti tempore a Gallo sperari posse, & quæ nunc ineunda sit, non posse non Reip. ac omnibus fœderatis noxiam esse. Unde sibi decretum, rem quamdiu detur sustinere, & ulterius ad extremum niti. Equidem Hollandiam, & præcipue Amstelodamum pacem enixe cupere. Hanc tamen difficultatem superari posse, si ad eam solam res hæreat. Nam demonstrationibus se suis jam non parum obtinuisse, pertractis in suam sententiam plerisque Hollandiæ urbibus, ut fere in manu sua fuerit missionem ad Gallum promovere, aut impedire: quorum posterius etiam futurum fuerit, si emolumenti quid inde sperari potuisset. Inter eos, qui tanto fervore pacem inclamant, multos ex ignorantia, & simplicitate, plerosque per malitiam peccare. Literas quoque a Gallo ad Remp. scriptas, heic in Belgio fabricatas: id quod ipse palam in consessu Ordinum Hollandiæ demonstrarit, & quantum incommodi inde proventurum sit. Sed duo esse, quæ rem longe adhuc difficiliorem reddant; unum, quod ab Anglo, quo ipse plurimum confisus fuerit, nil opis amplius sperandum sit; alterum quod Hispani manum negotio plane subducant. Si duo isti, quæ possint, ac debeant, facere velint, remedio adhuc locum esse. Quin si alteruter vires suas serio expromat, se suasurum, ne pax ineatur, sed fortuna armorum adhuc tentetur. Joannem Austriacum non ita pridem spem insignis subsidii fecisse; sed novissimis literis ostendisse, ex Hispania nil militum, aut pecuniæ servando Belgio posse mitti. Villam Hermosam plane animis collapsum, ac rem pro deplorata habere. Ei nec militem, nec pecuniam esse, nec bono consilio locum relinquere. Cives desperatione languere. Omnia eo redacta, ut si Gallus progrediatur, quod restet brevi subacturus sit. Unde Hispanos pacem quantumvis duram amplexuros; præsertim postquam qui speratus fuerat armorum paratus in Saxonia Inferiore & Westphalia non successerit; ac fœderati, excepto Electore, nil fere ad rem faciant, ac novas subinde difficultates moveant, uti nuper Luneburgici fecerint. Sane fiduciam sibi fuisse rem restituendi, si Luneburgicis, & aliis copias suas mature mittere placuisset, aut si vel nunc validus exercitus ad Mosellam consisteret. Igitur haut adparere, quomodo imminens a Gallo periculum declinari queat; eoque pacem quantumvis ruinosam, ac turpem præsentissimum, ac maxime tolerabile remedium esse summam rerum utcunque servandi. 1678. Quam utut ipse suadere nec possit, nec velit; satis tamen perspicere, res eodem ultro ruere; ac valde metuere, ne si ei nimium obsistatur, Gallus arma sua longius promoveat, simul consternati civium animi magis exacerbentur, istique ansam ultro porrigant longius grassandi. Sed quid consilii capiendum sit, prius liquido statui haut posse, quam innotuerit, quid Beverningius apud Gallum effecerit.

Beverningius ad Galliæ Regem mittitur. 19. Maji.

§. 26. Beverningius porro apud Regem exponere jubebatur; *Belgis oblatam veteris amicitiæ instaurationem & pacis conditiones admodum latas accidere, easque grato animo ab ipsis acceptari. Sed quia nefas sibi sit absque fœderatis, queis arcte illigentur, pacem inire, sesquimestres a Rege inducias se expetere; quo spatio fœderatorum quoque negotia expediri, & communis pax confici queat.* Sed suspicio erat, ubi induciæ obtineri non possint, pacem ab ipso concludendam. Saltem Galli Neomagenses pacem jam pro perfecta habebant, qui & tertia jam vice terminum a 27. Maji ad diem 10. Junii protulerant. Beverningium porro, cum Veteræ in regione Wasana ad Scaldim audiretur, ac multa de vinculo memoraret, quo Belgæ fœderatis innectantur, per quod pacem absque his amplecti non possint, Rex inter rogaverat; num Belgæ fœderatos metuant? Eo casu his se omni sua vi adfuturum. Eo minus autem Belgis istorum fœderum rationem habendam, quod nemo fœderatorum iisdem satisfecerit, eoque nec illos amplius teneri. Ad proposita autem Rex declarabat; *se Belgis a Kalendis Junii ad Kalendas Julias st. n. spatium deliberandi indulgere, intra quod statuere possint, num pacem secum inire, ac deinceps medii agere velint an minus. Si Resp. intra id spatium pacem amplectatur, se reliquis fœderatis sesquimestre spatium, quod a Kalendis Julii cedere incipiat, ad deliberandum, & statuendum indulgere, quo elapso Belgas medium statum servaturos. Interim se subsiiturum, nec munitum quempiam locum invasurum.* Ea declaratio satis ostendebat, Gallis jam ab Anglo cautum esse. Nam alias illis metuendum erat, ne hic intra eum mensem suffultis Hispanis, atque excitatis Belgis, aliisque fœderatis pronam in præsens occasionem longius progrediendi per vim sisteret. Ita porro insolentes, ac feroces tunc Galli erant, ut Beverningius diceret, se malle extra fines Belgii migrare, quam altera vice legationem ad aulam Gallicam obire.

Elector paci apud Anglum frustra se opponit. 17. Maji.

§. 27. Cum itaque hoc modo a Belgis in pacem rui Elector perspiceret, num iste impetus per Anglum sisti posset tentabat. Unde Suerinum apud Regem de ista Belgarum festinatione queri jubebat, & quod conditiones a Gallo latas quantum in se acceptarint: ac verendum esse, ne Hispanis quoque exemplum imitandi necessitas imponatur: adversus quæ sibi protestatio sit interponenda. Tum ut Rex quantum in se prohibeat, ne Suecus in integrum restituatur. Sive enim animus sit belli continuatione Gallicam potentiam casti-

castigare, sive imminentem pacem mutua evictione stabilire placeat; neutrum sperari posse, quamdiu Sueci vel latum pedem in Germania obtineant; quod sibi semper ejusmodi invasio, quam perpessus fuerit, deinceps quoque metuenda sit. Rex displicere sibi testabatur tam ipsas conditiones, quam quod tantopere circa eas acceptandas festinetur. Sed hac rerum facie nec ad bellum, nec pacis promotionem a se conferri quid posse. Nam non solum Parlamentum præter spem tam scæva consilia cepisse; sed & Belgicos ministros, cum eodem die nuntios accepissent, in Belgio decretum, si Anglia bellum sumat, XXV M militum in Flandriam missuros, navium quoque idoneo numero armato, jam tergiversari eam declarationem scripto edere, causatos; quia e dilatione Parlamenti in Hollandia credendum sit, ab Anglia bellum declinari, sine dubio propediem alia mandata sibi mittenda, ac pacem sine mora conclusum iri. Ista sibi patienter adspicienda esse, nulla penes se emendandi facultate. Ita jam in Anglia culpa omissi belli in Belgas conferebatur. Mox Danici legati Comes Altenburgicus, & Lindenovius una cum Suerino scriptum Anglo exhibebant hoc sensu: Principes suos tolerare haut posse, leges sibi a Gallo impingi; eoque Regem rogabant; ut societatem cum istis bello continuando inire velit. Ad quæ Rex: postquam Belgæ, & Hispani bellum deserant, ac Parlamentum non nisi molestiam ipsi facessere instituat, nil aliud sibi relictum, quam pacem suadere. Daniæ & Electoris rationibus per sequestris officium quantum possit velificaturum. Si pax ibi non sequatur, extra partes mansurum.

Apud Belgas circa sistendam pacem nihil proficitur. 1. Jul.

§. 28. Nec plus circa remorandam noxiam pacem apud Belgas proficiebatur, quos dudum Elector metuerat, ne ad ista extrema prolaberentur. Fretus tamen totiens repetitis testationibus meliora speraverat. Sed cum intellexisset, quousque pax jam progressa fuisset, per Romswinckelium Arausionensi, ac Fagelio demonstrabat: quanto sibi dolori sit, istam a Belgis viam iniri. Se unice ob servandam eam Remp. in bellum descendisse, suaque omnia periculo exposuisse. Fœderibus expresse cautum, ne una pars absque altera de induciis, ac pace agat. Idem Reip. ministros sæpius sanctissime confirmasse. Nunc inter incertas, atque confusas res, summumque periculum se destitui, nec in actis, quæ hucusque sibi conspecta sint, vel verbo sui mentionem factam. Ac maxime metuendum, ne Galli bello Flandrico expediti Cliviam invadant. Igitur operam darent, ut Resp. periculum ditionibus ipsius Westphalicis imminens avertat. Alias sibi reparationem damni a Rep. quærendam, cujus & cum summo periculo conjunctum sit, si Galli iterum in Clivia nidulentur; nec ejusdem minus interesit Cliviam quam Hispanicas provincias servari, de qua tamen Bevemingius apud Gallum mentionem haut fecerit. Inprimis durissimum esse, quod Belgæ Gallo promissuri ferantur, se nil auxilii deinceps fœderatis laturos, sic ut parum opis circa promovenda sua commoda ab istis expectandum videatur. Ad quæ Arausionensis: penes se non amplius esse ad rem aliquid conferre. Hispanos viribus plane exhaustos, & ex Anglia communi causæ plus noxæ, quam levamenti sperandum. Interim Electorem summo jure de Belgis queri, & fœdere promissa exigere posse. Circa eos tractatus id quoque valde incommodum accidebat, quod Fagelius tunc ex ardenti febre decumberet, cujus vires delegatus a civitate Dordracena, uti tali casu moris est, obibat, hautquidquam tanto negotio par. Id quod præsentia aversantibus, & Gallo studentibus eo plus animi ad præcipitandam pacem addebat, quod non esset, qui solida ratione istis reluctari nosset. Sed & quia præ ceteris Amstelodamensis civitas in pacem ruebat, cujus culpa potissimum penes Consulem Hoofdium esse censebatur, Elector apud eam civitatem instabat, ut saltem Cliviam paci includeret. Quæ quantum posset, sed frigide satis pollicebatur. 4. Jun.

Hispani itidem in pacem inclinant. 4. Jun. 8. Maji.

§. 29. Nec majus operæ pretium Neomagi fiebat, ubi postquam Belgæ super declaratione a Galliæ Rege allata consultaturi essent, fœderati monita sua circa istam concipiebant, præter Hispanos, quod Villa Hermosa conditiones a Gallis latas quantum ad Hispaniam certo modo acceptasset. Nam Belgæ jam antea misso Bruxellas Jacobo Borelo, & Wedio apud villam Hermosam propusuerant: uti auxilium ab Hispano suæ Reip. latum utilissimum fuerit; ita se non omisisse istius provinciis a Gallo impetitis omni vi subvenire. Quanquam autem bellum plures per annos immensis sumtibus gestum sit; successus tamen ita infelices fuisse, ut Gallus victoriis suis inflatus non aliis legibus pacem velit, quam quas nuper Neomagi promulgarit. Quæ etsi iniquæ sint, & plane rejici mereantur; tamen considerata Galli potentia, qui non solum fœderatorum exercitibus restiterit, sed & pluribus locis insignes progressus fecerit, Remp. judicasse, leges quantumvis duras pro captu rerum continuationi belli præferendas, nil nisi funesta minanti; eoque istas haut rejiciendas statuisse, modo alii fœderati, ac inprimis Catholicus Rex idem sentiat. Si quid securitati pacis deesse videatur, id per fœdera cum Anglo, aliisque suppleri posse. Ast isthæc 9. Maji. Villa Hermosa reposuerat: Turpius fore per iniquas conditiones a Gallo propositas, quam per infaustos armorum successus Belgium amittere; cui jacturæ causam Belgæ eo minus daturi sint, quod Rex solam ob horum conservationem evidentibus sese belli periculis exposuerit. De quo & tam sancte data fides dubitare non permittat. Et propinquo Regis Angliæ fœdere prosperiores successus reparandis rebus sperandos, quos hoc rerum statu destituere, ac tam fœdas leges subire cum perfidia erga Cæsarem, & reliquos fœderatos con-

1678. junctum sit. Præsertim cum Cæsar decreverit quamprimum ad defensionem Belgii, ac reparanda propria damna adcurrere, ac reliqui fœderati de universis viribus in Gallum vertendis agitent. Regem quoque post recuperatam Siciliam omnes vires ad restituendas hasce provincias impensurum, ad quod & Belgas operam collaturos spes sit, velut negotium quam maxime necessarium, & communi causæ tam salutare, & quo solo ad justam, & stabilem
14. Maji. pacem pervenire liceat. Ad ista Belgæ reposuerunt: non solas conditiones a Gallis latas esse respiciendas, sed & faciem rerum, quæ in præsens sit, occupatis a Gallo omnibus locis limitaneis, & gradu in ipsa viscera provinciarum promoto, subacto Gandavo, prævalente per campum formidabili exercitu, ad quidvis suscipiendum promto, & cui res pro voto successura videatur. Contra fœderatos nondum copias contraxisse, nedum ut pares sint ejus destinatis sistendis. Unde Ordines Generales metuere, ne harum provinciarum reliquiæ, pro quibus tantum sanguinis, & sumtuum profuderunt, pereant, ni oblata pax occupetur. Equidem Anglum ingens momentum rebus adferre posse; sed ejus militem esse recens conscriptum, bello haut exercitatum, cujus exigua manus in has provincias adpulerit, incerto quando reliqui venturi sint. Contra pretiosa esse temporis momenta, ac brevi ingentes calamitates accipi posse. Sed nec Belgas ea mole, qua hactenus, bellum persequi valere, exhausto ærario, ac populo ad conferenda tributa impotente. Agnoscere se insignia auxilia ab Hispanis Reip. præstita: sed hanc vicissim maximas impensas fecisse fulciendis hisce provinciis. Saltem penes se culpam non esse, quod Gallus tantos progressu fecerit, & pacem non nisi asperis conditionibus dare velit, per quas utique provinciæ admodum debilitandæ sint, alendis copiis suæ defensioni haut suffecturæ. Munita tamen oppida haut ita disjuncta, nec regionem ita interscissam fore, uti ante bellum id quod custodiam eorum non paulo faciliorem redditurum sit. Et quod domesticis viribus desit, per fœdera posse suppleri. Cives quoque utrinque per pacem vires recollecturos, cum nunc sui subditi eo sint redacti, ut nil extraordinarii oneris ab iis exigi queat; ni rectores Reip. eam aleam subire velint, ut vel inviti ad transigendum cum hoste sint compellendi, vel oneri succumbant. Ad quæ isti per fœdera adstringi nequeant, quæ non ad perniciem, sed ad bonum fœderatorum, & salutem civium suscipiantur. Addebatur; quia legati Gallici Neomagi ostenderint, sibi mandata esse induciis vel ad finem usque anni concludendis, operam se daturos, ut eæ in sex menses obtineri queant, si Villæ Hermosæ ita videatur. Ad
18. Maji. quæ Villa Hermosa de amplectendis sesquimestribus induciis annuere, modo ex iis non plus noxæ, quam ex armorum continuatione nascatur. Sed cum Belgæ instarent, ut idem & super pace sententiam suam exponat, quod periculum in mora sit, ac brevi tempore irreparabilis rerum conversio emergere possit; demum idem declarabat; se circa pacem in Belgarum sententiam concedere, modo quicquid locorum ubique terrarum ad Hispaniam spectantium, de quibus in Gallica propositione mentio facta non sit, Regi suo restituatur: tum ut Galli desistant conditionibus, quas præstare penes se non sit: denique limes ita disponatur, ut in futurum belli semina declinentur. Unde Balbasius Neomagi ostendebat; etsi ipse, ac collegæ hac Villæ Hermosæ declaratione non stringantur, haut tamen decere, ut palam sese isti opponant, præsertim tam periculoso tempore, cum Gallus exercitum ita disposuerit, ut Hispanicis provinciis pereundum sit, siquidem is tota vi rem gerere instituat. Nam Montibus Hanoniæ parum annonæ inesse, ac Luxenburgium circa Bruxellas viam ita interclusisse, ut nihil eodem inferri possit; sic ut tanti momenti urbs etiam inter inducias, prout a Gallo proponantur, amittenda sit. Quin, nisi protinus pax occupetur, reliquas urbes, Bruxellas, Lovanium, Mechliniam, Antwerpiam, alias exemplo Montium ultro deditionem facturas, quod nulla earum obsidium sustinere valeat; ac cives eo desperationis sint redacti, ut non amplius sua interesse credant, sub Galli, an Hispani ditione sint. (1678. 3. Junii)

§. 30. Ast reliqui fœderati, Cæsarei, Danus, noster, exhibitis scriptis Belgarum festinationem sistere laborabant, ne hi fœderum obliti suam sibi pacem exclusis reliquis arriperent. *Prudentiam, candorem, bonam fidem, & justitiam, quibus fundamentis hactenus eorum Resp. steterit, floruerit que, haut permissuram, ut ipsi quid admitti contra sanctimoniam fœderum in fraudem eorum, qui, ut istam una cum salute publica periclitantem ab interitu vindicarent, hujus belli onera, & pericula subierint. Esse negotium cum hoste universis gravi, singulis funesto. Quosdam forte beneficio ordinis gavisuros, suo loco & ipsos jugum subituros. Francorum viciniam defugiendam vetere quoque proverbio moneri. Perruptis Hispanicarum provinciarum repagulis Rempublicam deinceps fide, & moderatione Gallorum, debilissimis rebus, staturam. Equidem uti in hujus Reip. gratiam bellum susceptum, ita & circa hoc ponendum ejusdem rationem cumprimis habendam. Enimvero propositas a Gallo conditiones legum instar præ se ferre, de quibus more inter Principes recepto tractandum non sit; quas acceptari & dignitas fœderatorum, & securitas, & ratio, & res ipsa vetet. Nec expressum, quid pro Suecis Gallus stipulari velit. Ac manifestum esse, non pacem a Gallo quæri, sed fœderatorum divisionem, ut eo facilius singulos opprimat. Si ratio, aut necessitas pacem suadeat, promtos se fore ei quamprimum ineundæ iis conditionibus, quæ nec ingloriæ Gallo, nec graves futuræ sint, & quarum moderatio facile universo orbi adprobari queat. At nunc viginti dies restare, intra quas de summa rerum, de fortunis, ac libertate Reipublicæ, de securitate, ac salute communi statuendum sit. Tanti momenti negotia ut præcipitentur hostem velle, ut mature tractentur suadere fœderatos, ne inconsulta* (Fœderatorum Neomagi circa pacem monita. 10. Junii)

1678. *ta pax communem salutem magis quam improspera arma affigant. Ubi semel intellexerit hostis, Belgas separatam pacem velle, obtenturum quod optat, ac de communi, eaque honesta pace conclamatum esse; quæ alias sperari poterat, si ad immotam constantiam, & conjunctionem fœderati sese obsirmaverint.* Peculiariter monebat Blaspielus, ne Belgæ cum Gallo pacem ineant, nisi debita Electori ex fœdere satisfactione obtenta, ac ut eam sibi facultatem circa fœderatos suos reservent, quam sine dubio Gallus pro suis sociis est stipulaturus. Præsertim cum Electorem in hoc bellum pertraxerit non bellandi libido, sed cura Belgii, propriæque ditionis servandæ, & ut se ab aliorum insultibus in tutum collocet. Qui & hucusque nil nisi honestam, & tutam pacem optaverit, circa quam officia a Belgis adhibenda ipsi gratissima sint futura. Eundem & circa conditiones æquum se exhibiturum, ac necessitate Reip. atque adductis rationibus locum daturum, modo publica & propriarum ditionum securitas obtineatur. Ast Canon Lotharingicus ipse Hagam proficiscebatur causam sui Principis commendaturus, quod admissis a Gallo oblatis conditionibus nullius conditio durior futura esset; ut longe satius ei futurum sit in exilio agere, ac meliora tempora expectare salvo suo jure, quam regimen ditionum suarum tali modo suscipere, ut semper a Gallorum libidine dependeat, ne tuto quidem domicilio uspiam relicto.

Elector itidem pacem quærere instituit. §. 31. Enimvero Elector, cum Belgarum impetum rationibus sisti haut posse animadverteret, ne solus in bello destitueretur, id agere instituit, ut & ipse honestis conditionibus paci includeretur; de cœtero omnem lapidem moturus, ut tanto labore, sumtuque hosti erepta tutaretur, ac utcunque res caderet, sua existimatione nil indignum admitteret. Ne igitur Belgis ad se destituendum prætextum præberet, quasi ipse a pace abhorreret, apud hos, ac sequestrem, ipsosque Gallos testabatur, honestam sibi, tutamque pacem utique cordi esse. Et quia Belgas, Hispanosque qualemcunque pacem amplexuros adparebat, nec in Angli armis quid spei supererat, cum Gallo tolerabilibus conditionibus pacisci decrevit, circa quod ut Anglus officium interponere velit, per Suerinum rogabat. Qui & jubebatur, tecte tamen, legato Gallico Londini eam causam commendare, pollicitus, Electorem Galli commodis velificaturum, si hic efficere velit, ut is tota Pomerania, aut saltem ad Penam usque potiatur. Sane Electorem deinceps Gallo plus studii quam Suecos exhibere posse; in quam rem sat cautionis daturus sit. Posse in Germania, & alibi emergere occasiones rationibus Galliæ favendi, ut hanc nunquam pœnitentia exhibiti beneficii subitura sit. Et quia Electori persuaderi haut posit, Regem calamitate involvi velle Domum a longo tempore Galliæ addictam, quam in præsens inevitabiles officii rationes cum hac commiserint; spem esse, Regem anteacta oblivioni daturum, ac futura emolumenta respecturum. Eidem vitio dari non posse, quod Hagæ Viennæ, & alibi continuationem belli urgeat, quamdiu de Galli animo in se non constiterit. Sed ubi ex voto responsum sibi sit, non modo ista omissurum, sed & Regis commoda omni studio promoturum. 1678. Ad ista a Suerino proposita Anglus respondebat; sibi voluptati fore, si ad explenda Electoris desideria aliquid conferre queat. Sed qua ratione ista Gallo proponi, aut ab hoc acceptari possint, sese haut perspicere. Nam etsi is super Boreali pace nunquam mentem suam liquido expresserit; satis tamen se nosse, eidem nunquam in mentem venturum sui fœderati ditiones citra necessitatem condonare. Sed nec fœdus quod sibi cum Sueco intercedat, ferre, a se tam noxia huic proponi. Nec adductis rationibus ulterius movebatur, quam ut innueret, forte Suecos haut ex asse in integrum restituendos. Regi autem isthæc scripto sibi exhiberi postulanti Suerinus abnuebat, ne forte Galli eodem abuterentur ad alios fœderatos Electori avertendos. Nec anxie rem agere placebat, ne Anglus hunc eo redactum crederet, ut ad quælibet admittenda cogi posset. Narrabat postea Rex, se apud legatum Gallicum de tota Pomerania tetigisse, sed qui surda aure ista transmiserit, ac ni moderatiora proponantur, de ea re cogitari non posse. Unde Suerinus de Pomeraniæ parte ad Penam usque movebat, quam Elector ob securitatem suam adversus Suecorum invasiones expetat. Sed Anglus ne de Stetino quidem audire volebat, quod ea urbe demta reliqua Pomerania exigui pretii sit; Suerino reponente, Electorem omnia sua potius periculo expositurum, quam eam urbem e manibus amittat. Williamsonus quoque eadem frigide admodum accipiebat, nec operæ quid offerebat. Tantum dicebat; Galli destinata de non restituendis Flandriæ urbibus ante Borealem pacem omnia heic consilia turbasse, quod de isto casu a se cogitatum non sit. Unde si Gallus ei postulato insistat, Angliam certo in bellum erupturam; eoque circa hoc negotium properato haut opus esse. Eo minus autem in Anglo fiduciæ quid collocari poterat, quod hic cœcæ quid simultatis adversus Electorem aleret, velut qui destinata ejus contra Belgas infregerat; ut satius foret, eam rem in Gallia, aut alibi agere. Ac dixerat Rex; quia Suerinus nil scripti exhibuerit, se quoque ad Gallum nil referre potuisse. Sed si adhuc scriptum tradere placeat, id se Gallo missurum, haut tamen commendatione, aut adprobatione sua addita. Haut eo secius legatus Gallicus vulgaverat, ab Electore latas conditiones acceptatas, quo eum reliquis fœderatis suspectum redderet. Et quia satis adparebat, Electori nil amici ab Anglo expectandum, Suerinus de ea re non amplius movere jubebatur; ac si forte Rex ultro mentionem injiciat, reponeret; quia is ab initio tot difficultates moverit, nolle se ipsi molestiam facessere. De cætero testaretur, Electorem malle omnes fortunas impendere, quam Stetinum reddere, tanto labore, sumtuque expugnatum, e quo securitas status sui dependeat,

& quod

1678. & quod semper collisioni Suecos inter, & se ansam præbiturum sit.

Fœderati separatæ Belgarum paci renituntur. *5. Jun.* §. 32. Ast Hagæ Borealium fœderatorum ministri junctim scriptum Ordinibus Generalibus exhibebant super Galli declaratione a Beverningio relata consultaturis. *Plenam sibi fiduciam esse, Ordines nil fœderibus adversum admissuros, de quo & totiens verbis confirmarint. Equidem hostem pro astutia sua facile perspicere, negotium nunc urgendum, quod non nisi per artes obtinere queat; cujus & consilia non alio tendant, quam ad abrumpendum inter fœderatos vinculum, quo singulos, ac divisos eo facilius opprimere possit. Eo magis de prudentia Ordinum sperare, eos præfixam diem non anticipaturos, quoad ipsi super tanti momenti negotio mandata acceperint: multoque magis, eos nunquam, quod hosti captatur, pacem inituros non habita ratione fœderatorum, & ut horum satisfactioni, atque emolumentis prospiciatur. Id quod & scopus fœderum, & mutua necessitudo, & ratio, & æquitas, & communis securitas exigat. Equidem maxime sibi optandum, operam cum Ordinibus sociare posse ad finem bello imponendum, ob servandam hanc Remp. & communem salutem suscepto. Sed quia ista pax pro imperio obtrudatur, servitium de orbi Christiano paritura, & quæ salvo partium honore subsistere nequeat; satius esse extrema quæque tolerare, quam ita exitiosas leges subire. Ordines semper immotam constantiam pollicitos, quandocunque de scopo hostis circa dividendos fœderatos mentio inciderit. Eandem firmamentum esse omnium fœderum, at securitatis communis, cujus nunc illustre specimen repræsentare necessitas rerum exigat. Ejus constantiæ fiducia suos Principes per fœdera Reip. se illigasse, vitam, omnesque fortunas periculo exposuisse ad Remp. extremo periculo eripiendam, per hostem intentato quod declinasse nisi per ea fœdera non dabatur. In cujus auxilii redhostimentum Ordines haut prius pacem amplecti deceat, quam & sibi satisfactum sit; qui parati sint quasvis æquas conditiones, & honestas ad pacem perveniendi rationes admittere. Exigere id obligationem propria & communi saluti tam necessariam; nec apud prudentes opus esse funestos separationis effectus multis demonstrare. Nec sperare rem huc redituram, ut sibi necessum sit Principum suorum nomine testari, penes hos culpam non fore omnium malorum, quæ non possint non ex incuria fœderatorum provenire.* Cæterum Elector apud se statuerat, postquam omnes rationes, quæ adferri possent, exposuisset, querelis deinceps super iniquissimo isto agendi modo supersedere. Eoque declarabat, se quoque tractationem æquis conditionibus suscepturum, de quo & ad fœderatos suos perscripserit; ac sperare, Belgis ipsius securitatem, ac satisfactionem curæ fore, qua Reip. quoque securitas contineatur. Ac certo sibi persuasum, modo Belgæ serio rem agant, Gallum haut ideo pacem repudiaturum. Inprimis Cliviam istis commendabat, in qua ne Gallus iterum pedem figat, tantopere Reip. intersit; circa quam ipsos obtenturos eo major spes sit, quod Gallus professus sit, se intersepimentum Flandriæ in Belgarum gratiam concessisse. Quia porro Belgæ, quorum causa Elector huic bello immersus fuerat, tam familiariter cum Gallis agere cœperant, Blaspielus quoque non amplius horum conversationem defugere jubebatur, num forte ea ratione odium Galli, quo in se ferebatur, minui posset. Referebant legati Belgici, se Neomagi Gallis demonstrasse, a Rep. fœderatos destitui non posse, tum quæ peculiariter Electori debeant. Ad quæ Galli de Electoris satisfactione in neutram partem: cæterum Regem Boreale negotium huic paci haut misturum. De quo cum Oxenstierna inintellexisset, ita acriter apud Gallum contendisse, ut restitutio Sueciæ prima conditio statueretur, citra quam pax iniri non posset. Quod uti suo loco relinquitur, ita certum erat, Gallos ideo tam intractabiles erga reliquos esse, quod iis constaret, Belgas a cæteris fœderatis secessionem facturos. 1678. 7. Jun.

Arausionensis sententia super pace. *14. Jun.* §. 33. Ad Arausionensem Elector literas dederat; sua autoritate impediret, ne tam præcipiti impetu in pacem ruatur, ac ut sui quoque ratio habeatur; ac si nullo modo obtineri queat, ut ipse pace comprehendatur, saltem Belgæ Clivicis ditionibus securitatem stipularentur. Eas literas Blaspielus reddebat, cum consultatio de summa rerum ab Ordinibus Hollandiæ suscipienda esset. Ad eas Princeps isti respondebat: Pacem impedire serum esse. Non amplius locum rationibus relinqui. Amstelodamenses, ac Leidenses ea cupidine in pacem rapi, ut potius secessionem facturi sint, quam a pace dimoveantur. Equidem duas istas civitates cum asseclis numero suffragiorum vinci posse. Sed hoc ipso rei non consuli, Nam circa conferendam pecuniam earum urbium præcipuas partes esse; ac consensum omnium Reip. membrorum requiri, nemine contradicente. Si manente bello pecunia deficiat, plura inde incommoda, quam ex pace quantumvis maligna, proventura. Ita alterutrum inevitabile esse, ut vel pax eunda, vel motus intestini expectandi sint. Si vel Anglus in bellum descendere, aut fœderati validum exercitum ad Mosellam adducere voluissent, machinationes Gallorum in Hollandia eludi, ac importunitatem istarum civitatum pacem poscentium retundi potuisse. Sed nunc si Gallus sentiat circa pacem dubitari, reliquias Belgii ante oppressurum, quam quispiam subvenire possit. Montibus Hannoniæ jam panam deficere, nec quid importari posse; ac si Gallus deditionem imperet, eos moram haut facturos. Ejus urbis exemplum alias quoque secuturas, quæ ista teguntur. Se quidem Electoris causam diligentissime commendasse: quid profecerit eventum ostensurum. Post habitam consultationem Princeps referebat: cum pax nullo modo impediri potuerit, se noluisse incassum eidem reluctari, eoque & se pacem suasisse, ut tamen noxiæ conditiones de sesquimestribus induciis, & auxilio deinceps fœderatis non ferendo ne obtrudantur; neu Suecorum mentio fiat. Num Gallus ista probaturus sit, brevi adpariturum; ac

legatos

1678. legatos Neomagi mandata accepisse, ut hoc mense pacem ad hanc formam concludant, ac ut Clivia medio statu deinceps fruatur. Circa quod negotium acriter inter consultationem certatum fuerit. Nec tamen Ordines ex ea conditione pacem suspendere voluisse, ne Gallo ansa eandem recusandi praeberetur. Addebat, multa sibi perferenda, atque obduranda fuisse, nec super Principatu Arausionensi sibi satisfieri. Credere tamen, modo reliqui foederati divelli se non patiantur, res brevi in melius ituras. Eadem mens plerarumque provinciarum, & procerum erat, qui ad pacem, qualem Gallus dictabat, ingratiis descendebant evitando majori malo. Qui & ipsi foederatis suadebant, ne dividi se patiantur; sed vel junctim pacem concluderent, vel bellum sociatis viribus persequerentur, & concordiam futurae pacis tutissimum firmamentum haberent. Qui & fidam Electoris operam Reip. exhibitam satis agnoscebant, uti que ejus securitati, & satisfactioni prospiceretur optabant. Sed nunc vel invitis factionis praedominantis Gallo addictae libidinem sequendam.

Belgae pacem decernunt. *3. Jun.* §. 34. Belgae dehinc foederatorum ministris Hagae exponunt; necessitate se ad pacem compelli, ac optare, ut & foederati eam amplectantur, quod frustra melior sperari videatur. Ac se quidem in antecessum pacem suam perfecturos; sed deinceps enixam operam navaturos, ut & reliquis satisfiat. Caeterum ideo se pace haut carituros, quod non omnia ad decori normam ita exacte quadrare arguantur. Ad quae ministri: se de hoc quidem ad Principes suos relaturos. Sed si separata pax e Galli praescripto ineatur, se eidem contradicturos, ac iis firmiter inhaesuros, quae Resp. tam sancte promiserit. *11. Jun.* Peculiariter autem Elector Belgis significabat: quia insuper habitis omnibus, quae in contrarium allatae sint, rationibus pacem necessariam judicent, se quoque repugnare nolle, eamque & ipsum amplecti decrevisse, quo separatio foederatorum quantum possit evitetur, & foederibus aliquo modo satisfiat; ac sperare coeteros foederatos paria consilia capturos. Id tantum petere, ne tantopere negotium praecipitent, ac id Neomagum remittant, quo & ipse junctim ibi pacem suam adornare queat. Id quod non foedera solum, sed & summa Reip. utilitas requirat, maximis incommodis involvendae, si a Gallo Glivicae ditiones invadantur. *18. Jun.* Ast hisce apud Belgas id pondus non erat quo minus pacem in oblatas leges acceptare, & ante finem hujus mensis perficere statuerent; idque Gallis denuntiarent. Nam postquam haut alia via sit suis, & Hispanicis provinciis evidenti periculo eripiendis, fas sibi esse quod necessitas suggerat salutis remedium amplecti. Nec eo facto foederatos suos laedi, queis haut eo secius, quae ex foederibus debeant, praestituri sint. Non tamen dissimulabant plerique proceres, ingenti alias & ipsi pacis desiderio flagrantes, ejusmodi pace Remp. suam hautquidquam in tutum, & quietum statum reponi. Quin & Ultrajectini, aliique Hoofdio Amstelodamensi Consuli, cujus fervor circa accelerandam pacem eminebat, per delegatos demonstraverant; res nondum adeo desperatas esse, ut pacem tanto cum periculo, ac dedecore arripere necessum sit, infractis foederibus, & ingrati animi infamia contracta erga eos, qui Reip. inter extrema tam fidelem operam navarint, quorum nunc tam exigua ratio habeatur. Ad quae Consul nil aliud quod reponeret habebat, quam ista verba: *si pecunia vobis est, bellum gerere pergite: Amstelodamum eam non habet, nec amplius ad idem quid dabit.* Cum objiceretur; pacem hanc stabilem esse non posse, ac brevi Remp. in bellum relapsuram. Unde tunc pecuniam perandam? is respondit; cautum sibi esse, Gallum non amplius bellum, sed pacem cupere. In eandem sententiam & Leidenses, eorumque asseclae loquebantur, quos reliquae urbes Hollandiae, ac provinciae ingratiis sequebantur, quod vulgus taedio tributorum, ac mercatores cupidine commercia instaurandi istis adstipularentur. Quae omnia Gallus per addictos sibi homines fovebat, ostentato florente in posterum Reip. statu, inter alia jactans; quia Anglus Gallicas merces vetuerit, commercium Gallicum penes Belgas fore, quorum commodis ipse variis modis sit velificaturus. Accedebat suspicio in Arausionensem, cujus potentiam subtracta militia imminuere cupiebant. Ac eo usque res processerat, ut metus esset, ne plebs excusso fraeno Galli arbitrio se permitteret, ubi de pace impedienda agi animadverteret. Sunt, qui hanc praecipuam festinatae pacis causam ferant, quod Gallus enixo studio id ageret, ut cum reliquis foederatis transigeret exclusis Belgis; quos a sociis destitutos sibi in praedam destinaverit. Ac ut hos ad bellum continuandum obfirmatos in hosce casses pertraheret, Anglum foedus suum istis ostentasse. Vicissim Gallum ideo tantis blandimentis Belgas ad separatam pacem invitasse, ut Arausionensi occasionem, per arma autoritatem, opesque augendi subtraheret. Super Clivicis provinciis paci comprehendendis per biduum disceptatum fuit, quod omnes judicarent, eas Reip. munimenti vicem praebere, ac saltem medii status beneficium pro iis stipulandum. Sed quomodo Gallus, ut in hoc consentiret, adduci posset, non constabat. Equidem quaedam provinciae pacem ex hac conditione suspendere cupiebant, ac per literas Gallo denuntiandum, eas provincias limitem ipsorum tegere. Sed provincia Hollandia nullo modo concedere volebat, ut vel minima conditio literis ad Gallum annecteretur; sed pure declarandum, a se oblatam pacem acceptari. Inde diu dubitatum, num peculiares literae ad Gallum super Clivia dandae essent? Ubi demum decretum, ex Electoris ministris quaerendum, quid ipsis circa eas literas videatur. Sed hi neutram in partem declarare mentem suam consultum ducebant, ne de foedere quid remittere, aut pacem hanc probare viderentur; ac culpam suam fore, si Gallus id petitum abnuat; 1678.

1678. abnuat; cum nunc Belgæ ex fœdere ejus ditionis securitati prospicere teneantur. Demum decernebatur, legatis Neomagum mandandum, Gallicos legatos permoveant, ut eo nomine ad Regem quam diligentissime scribant. Hucusque cum Belgæ progressi essent, Arausionensis ex improviso proponebat, ut quamprimum super exautorando milite statueretur; non parum confusis, qui affectari dominatus eum insimulaverant. Ast Gallici legati de medio Civiæ statu abrupte rejiciebant; quin fremebant, nisi restituto Sueco se nec Flandriæ urbes, nec Trajectum ad Mosam redditurος. Unde quanquam Elector declararet, se quoque pacem cum Gallo amplexurum, quo Reip. se necessitatibus attemperet; tamen cum nulla adpareret ratio superandi difficultatem, quam Gallus circa restitutionem Sueciæ injiciebat, præsertim intra tam paculos dies, qui restabant; Belgis sententia stabat utique in conditiones Gallo placitas pacem inire.

Belgæ de instituto suo Neomagi proponunt. 11. Jun.

§. 35. Ast Neomagi Belgæ fœderatis proponebant: *Caussas, quæ Remp. ad pacem compellant, omnibus notas esse; defectum virium, ægros civium animos, extremum Hispanici Belgii periculum, enormem hostium potentiam. Spem de Anglo conceptam decollasse. Hispanos queri, a reliquis fœderatis, quorum copias ipsi hactenus in Belgio aluerint, nil opis expectari. Unde Reip. rationem fuisse dispiciendam, qua se juxta & Hispanicas provincias servaret. A fœderatis nil remedii propositum averruncandis hisce periculis; ac statum rerum indies ingravescere. Unde Remp. ad propositas a Gallo conditiones, & literas primum de induciis proposuisse, misso Beverningio; cui Gallus hunc mensem dictaverit pati acceptandæ. Qui ut frustra elabatur, Reip. haut consultum visum. Eandem quoque inducias sesquimestres post elapsum hunc mensem a Gallo oblatas fœderatis noxias censere; quod his eo spatio ad certi quid determnendum haut opus sit, ac ea mora interposita Hispanicas provincias plane pessum ituræ sint. Et quia Gallus hasce inducias Reip. tantum, non fœderatis, qui eas non quæsierint, annuerit; ubi hi easdem sibi necessarias judicarint, prius super iis tractandum fore. Denique si Resp. sesquimestres hasce inducias amplecti velit, prius in medium statum cum pacto de auxilio fœderatis haut ferendo consentiendum; quo casu difficilius fore fœderatis aliquid satisfactionis a Suecis obtinere. Quia autem Resp. pacem hanc, ad quam indeclinabilis necessitas compellat, non nisi junctim cum fœderatis perficere cupiat, si modo ulla ratione id fieri queat: inde sibi injunctum fœderatos quoque ad pacem amplectendam hortari, & ut circa conditiones moderationem adhibeant, ac decretoriam suam sententiam paucos intra dies Ordinibus Hagæ congregatis significent, qui consultationes suas eousque suspenderint, ita ut in præsens res adhuc integra sit. Præterea & sibi injunctum apud Gallicos legatos operam impendere mitigandis conditionibus, quo fœderatis eo magis satisfiat: tum ex iisdem sciscitari, quid per plenam Sueciæ satisfactionem sibi velint; & num pacem cum iis, qui cum Gallia transigere velint, concludere placeat, non expectato commerciorum cum Suecis tractatu, qui nondum susceptus sit. Ad ista Gallos reposuisse; circa pacis conditiones sibi haut integrum quid mutare. Suecis se moderationem persuasuros. Pacem qui secum inire velint, eam a se subscribendam. Resp. apud fœderatos suos operam daret, quo pax communis fiat. Se quoque nil officii intermissuros, quo Galliæ fœderati ad idem permoveantur; ac Oxenstiernam declarasse, pactum circa commercia vel intra unum diem perfici posse. Igitur Remp. nosse velle, num fœderati ad acceptandam pacem parati sint. Eam equidem fœderum haut immemorem esse. Sed nullum fœdus ad extremum exitium expectandum adstringere, ni idonea ratio id evitandi demonstretur. Remp. si maxime pacem ineat, haut eo secius fœderibus staturam, ac fœderatis utilem operam navaturam; modo super his mentem suam exponant.* Addebat tamen Beverningius; ni fœderati pacem simul occupent, forte tunc sperata satisfactione haut potituros; præsertim cum vis fœderum post pacem ultro expiratura sint. Ad hæc Cæsarei sciscitabantur: num Resp. haut expectatis sociis separatam pacem inire velit? ac num Gallo absque Suecis pax placeat? Ad ea Beverningius: Remp. nondum certi quid statuisse; nec sibi constare, an, & quid eadem ante finem hujus mensis decretura, ac num dilationem termini petitura sit. Suo tamen nomine confirmare posse, a Rep. pacem necessariam haberi, a qua & eadem divelli haut possit. Sed num Gallus absque Suecis pacem facere velit, id ejus legatos haut diserte exposuisse. Ad hæc Balbasius: statum Belgii Hispanici esse, prout eum Beverningius descripserit. Ei ni fœderati omnibus viribus subveniant, idem plane Gallorum libidini expositum. Hispaniam ab initio non sine ingenti suo damno communi caussæ succurrisse. Sed post distractas ejusdem in Sicilia, Catalonia, & alibi vires Belgii necessitatibus non prout par subveniri potuisse. Spem de Anglia conceptam nunc evanuisse. Reliquos fœderatos sua recuperasse; solam Hispaniam sua amisisse. Quod Villa Hermosa certis conditionibus super pace declaravit, id a se nunc repeti. Sumto ad deliberandum spatio fœderati postridie convenerunt. Ubi Gurcensis disserebat: *Cæsarem semper tam circa pacem, quam bellum fidi fœderati officium explevisse. Ejus exercitus semper ad rem gerendam præsto fuisse, ubi, & quomodo fœderatis placuerit. Eundem superiore anno, dum fœderatis desiderantibus exercitum versus Belgium mittit, Friburgum amisisse. Idem cum semper judicarit, haut efficacius remedium honestæ paci curandæ esse quam strenue bellum persequi, eo ægrius nunc laturum, Belgas pacem sibi necessariam ducere, si exitium declinare velint. Rem exoptatam Gallo fore, si fœderati hoc modo separentur; in quam ipse consentire non possit. Esse inter Christianos rem hactenus inauditam, ut victor licet adversæ parti, prout nunc Gallus præsumat, leges dictitet, super quibus tractationem suscipere non liceat, sed quæ velut ex imperio profecta sint acceptandæ.* 1678.

Qui

1678. *Qui & agendi modus arguat, Gallo pacem hautquidquam cordi esse. Alias Cæsari pacem in votis esse, sed qua omnes fœderatos complectatur. Ipsos Belgas agnovisse, a Gallo latas conditiones iniquas esse; nec ipsis placere, ut fœderati eas ita pure acceptent; operam quoque circa easdem moderandas obtulisse. Sane se alternativam circa Philipsburgum, & Friburgum acceptare non posse; super ea tamen tractare paratos, ac quamprimum mandata a Cæsare. Interim nil eorum omissuros, qua paci promovenda faciant; ac postulare ut Belgæ officium interponant Gallis ad æqua admittenda permovendis, ac ut hi cum ipsis tractationem suscipiant, omnem moderationem adhibere paratis; utque Resp. non minus fœderatorum, quam propria emolumenta curet; ut denique Ordinibus Imperii a Gallo læsis ex æquo satisfiat.* Balbasius inde: extremum Belgii periculum manifestum esse, nec fœderatis expedire Hispanos eo expelli. Non amplius sui arbitrii esse pronuntiare, quid facere, aut omittere velint. Amplectenda sibi proposita, velint, nolint. Ideo autem Hispaniæ Regem a reliquis fœderatis haut separandum, sed quæ ex fœderibus debeat pace, ac bello præstiturum. Post Blaspielus: *Electorem ante bellum sedulo laborasse, ut Gallorum arma Belgis averteret. Id cum non succederet, enixam operam navasse restinguendo bello, & reducendæ communi quieti. Eum unicum scopum fœderum, ac inde susceptorum periculorum fuisse. Sibi quoque injunctum pacem omnibus viribus ad normam fœderum promovere. Jam Belgas ostendisse, ni pax occupetur, suæ Reip. pereundum, addito tamen, ut pax junctim cum fœderatis fiat, qua unica ratione eidem firmitas concilietur. Spem quoque sibi esse, Remp. haut ideo conventis cum Electore se subtrracturam, nec concessuram, ut eidem sua pace fraudis quid accersatur. Gallum quoque proposita pacis formula Electoris mentionem haut fecisse, cum hic tamen, quid a Gallo juxta, Suecoque postulet, ediderit. Conditiones quoque pro Suecia ita enormes, & ei quod Resp. ex fœdere debeat ita adversas, ut super iis agi nequeat. Unde Reip. ante omnia id curandum, ut Electori tractandi copia fiat, quo is una cum Rep. & aliis pace potiri queat.* Heugius sententiam suam de scripto recitabat, cujus summa erat: si utique Belgas necessitas ad pacem compellat, ea tamen observarent, quæ Regi Daniæ ex fœdere debeant. Canon: ob angustiam temporis nondum se Principis sui declarationem super alternativa accipere potuisse. Eum maxime omnium pacis cupidum, per quam reditum in ditionem suam speret: sed conditiones esse intolerabiles. Prima parte Gallum sibi deposcere Ducatum Barrensem, qui triginta quinque milliaria in longitudinem, sedecim in latitudinem pateat, & viginti sex oppida, sexcentosque amplius vicos complectatur. Altera parte postulare Nanceium cum via per totam Lotharingiam Metim, & in Alsatiam, atque Burgundiam, addito Marsalo, & Jametio. Atqui præter tres istas munitiones Duci ne arcem quidem superesse, in qua plus ipsi securitatis, quam provinciali cuipiam nobili sit. Nec integrum ei fore vel leporem venari, quo minus aliquem locorum tangat, quæ Gallus in transitum sibi deposcit, ut nunquam litium materia sit defutura. Igitur nemini mirum videri posse, si Dux in exilio manere, suumque jus sibi integrum servare malit, manente penes fœderatos suos obligatione ipsius restitutionem promovendi, quam in noxiam transactionem consentire. Ducem confidere promissis suorum fœderatorum, & amicitia Daniæ Regis, atque Electoris, hucusque ita generose exhibita; quos nunc roget, ut operam dent, quo Dux honesto modo bellum ponere queat, ac ejusmodi conditiones ipsi ferantur, per quas libertati, & honori suo cautum sit, nec iisdem periculis, quibus defunctus Dux, a Gallo obnoxius agat. Ista Belgæ ad Ordines se relaturos pollicebantur. 1678.

§. 36. Cognito Belgarum decreto Hispani hisce declarabant, se conditiones a Gallo propositas acceptaturos, ut tamen sibi prius caveatur, Gallicas copias, quamprimum pax conclusa, & subscripta fuerit, territorio Hispanico educendas; ubi pax ratihabita fuerit loca pace conventa statim avocato Gallico præsidio Hispanis tradenda: denique Puicerdam, & alia loca interim a Gallis capta, utut de iis in proposita formula mentio facta non sit, itidem restituenda. Quæ postulata Belgæ probabant, eaque Gallis exponebant. Sed hi de reddentis statim cum ratihabitione urbibus abnuere, ac contendere, eas se tamdiu detenturos, quoad cum Suecis quoque transactum sit. Tum nec libera commercia Belgis prius permittere, & quæ super piscatione convenerant retractare, non obscure innuentes, utrique parti integrum esse ad arma redire. Quod postulatum omnibus inexpectatum juxta, atque iniquissimum videbatur; ac satis adparebat, Gallos hucusque Belgis blanditos, quoad hos in casses suos pellexissent; nunc obtento quod optaverant, alios vultus induere. Ac multi suadebant, extrema quævis potius tendanda, quam ferendum, ut hoc modo sibi illudatur. Sane manifestum erat, omnes Gallorum artes eo tendere, ut fœderatos dividerent. Et quia Arausionensis, & cordatissimus quisque procerum concordiam & conjunctionem inter fœderatos commendabant, isti contra factiones in Hollandia excitabant, pertractis in partes suas Amstelodamensibus, atque Leidensibus, per quos cupita pervicturos se confidebant. Galli quoque variis mendaciis sparsis diffidentiam inter fœderatos serere satagebant; modo Cæsarem, modo alios tractatione cum Gallo occupari. Tum modo huic modo alteri fœderatorum innuebant, Regem ipsi favere, & amicitiam cum eodem instaurare cupere. Quin & Danos, atque nostros invicem suspectos reddere conabantur, his testantibus, suorum Principum animos, ac rationes inseparabiles esse. Cum etiam Belgæ Gallis super includenda paci Clivia proponerent, quod Reipubl. securitati non minus ex eo latere, quam

Hispani pacem certis conditionibus acceptant.

Gallis super restituendis urbibus difficultatem movent.

1678. quam e Brabantia cautum esse oporteat; hi ista adspernati jactabant, ex his se colligere, Reip. pacem cordi non esse. Ac Regem utique Cliviam, & vicina subacturum, ac Vesaliæ pede fixo Electorem, aliosque coacturum, ut Suecis erepta restituant: quin de hoc negotio ne ad Regem quidem relaturos, eminente præcipue Colberti iracundia. Et referebant Belgæ, Gallos indies plus offensæ in Electorem ostendere, qualem antea non observarint, cujus causam conjectando assequi nequeant. Ac eos obnixe contendere, circa conditiones pacis a Rege nil mutationis admissum iri, sed oportere, ut Suecus amissa omnia recuperet. Et quanquam Belgæ demonstrarent, hanc non esse viam ad communem pacem; Gallos quoque antea aliter locutos, nec ipsos Suecos ita duros esse, ac Electori utique ut satisfiat par esse; his tamen insuper habitis isti dixerant; si maxime Suecus nonnihil remittere velit, id tamen Regem suum non passurum, cujus gloria non patiatur fœderatum, qui ipsius in gratiam arma ceperit, vel latum digitum terræ amittere. Belgæ igitur ut extremam Gallorum sententiam cognoscerent, tractatum de pace, & commerciis justa forma adornatum Gallis mittebant, additis literis; se paratos esse paci ante exitum hujus mensis perficiundæ, ac extra dubium ponere, dum ratihabitiones hinc inde traduntur sibi Trajectum ad Mosam, & alia loca limiti firmando Hispanis restitutum iri. Sed Galli remisso scripto ex legatorum ore declarationem percipere cupiebant. Accedentibus Galli dicebant; se promittere non posse, Regem loca ista, dum ratihabitiones permutantur, redditurum. Sibi quidem in neutram partem circa id negotium quid mandatum; sed eo nomine in aulam scripturos. Ita pax adhuc in ancipiti erat, quam Cæsarei, & Dani irritam fore credebant, quod non exigui momenti essent, quæ movebantur difficultates. Sed Blaspielus censebat, Belgas haut eo secius pacem amplexuros, quod Amstelodamenses eam utique vellent, & Beverningius vitæ suæ metueret, si ea non succederet. Unde hic temperamentum meditabatur superandæ huic difficultati; ac jam proposuerat, ea circa quæ convenerit perfici posse; reliqua intra tempus ratihabitioni præstitutum expedienda. Sed & legati Gallici innuebant, quæ circa detentionem urbium Hispanicarum proposuerint, e privato suo judicio profecta: sed se Regis liquidam sententiam exploraturos; quod indicio erat, eos postulato isti haut mordicus inhæsuros. Cæterum confirmabat Beverningius, se formulam pacis ita concinnasse, ut Reip. integrum futurum sit fœderatos suos auxilio sublevare.

20. Jun.

Belgarum ad Regem Galliæ literæ. 22. Jun.

§. 37. Ast Belgæ ut Regis mentem explorarent, literis ad eum datis declarabant, *lætum sibi fuisse responsum Beverningio datum. Ut autem Regis studio pari candore respondeant, eique quantum possint satisfaciant, nil quidem se omisisse, ut fœderatos suos ad acceptandas proposita pacis conditiones permoveant. Et quanquam* 1678. *promittere non possint, ab omnibus dictas conditiones admissum iri; se tamen legatis suis Neomagi injunxisse, ut ante finem hujus mensis pacem absolvant, & subscribant una cum iis fœderatis, qui ad idem parati sint. Quia autem constet, Regem quoque Hispaniæ una cum ipsis pacem amplexurum, se rogare, ut Rex suis injungere velit hostilia omittere, & sub finem hujus mensis copias Hispanico territorio deducere; tum ne maritimi excursores navibus ipsorum piscationi vacantibus amplius insultent, ac ut navibus mercatoriis tuti itineris diplomata concedantur. Se gemina facturos, & hoc ipsum instaurandæ amicitiæ specimen fore.* Ad eas literas Rex multa cum verborum humanitate respondebat: *E facilitate, quam ipse circa pacem attulerit, Belgis in proclivi esse judicare, quam gratæ sibi ipsorum literæ fuerint, quibus significent, legatis ipsorum mandata ad absolvendam pacem missa. Spem quoque tranquillitatis universæ Europæ restituendæ ex eo gliscere, quod ipsi confirment, Regem Hispaniæ eodem tempore pacem acceptaturum. Judicare quoque, reliquos fœderatos moram paci non facturos, qui hucusque quicquid operæ ipsi adhibuerint, ad tantum opus omnibus magnopere exoptatum concurrere noluerunt. Interim uti pax, quam non dubitet quin juxta promissa ab iis facta Neomagi jam perfecta sit, sibi facultatem præbitura sit affectum in ipsos suum plene exprimendi, cujus effectum ab iisdem sentiri volupe sibi futurum: ita se precibus eorum dare, ut ab hac hora in Belgio hostilia cessent, nec navibus Belgicis molestiæ quid inferatur; utut alias usus ferat, res usque ad traditas hinc inde ratihabitiones in præsenti statu permanere. Quanquam autem nondum instrumentum subscriptæ pacis acceperit, in ipsorum tamen gratiam Luxenburgico injuncturum, ut exercitum e vicinia Bruxellarum dimotum intra terras Gallicæ in præsens ditionis retrahat; ac ut cum Villa Hermosa conveniat, quid præfectis copiarum, quas circa Montes relinquere necessum habeat, observandum, quoad ratihabitio cum Hispanis permutata fuerit. Nec minus securitatem mari restituere velle. Et quanquam formula pacis loca, & tempora designata sint, intra quæ prædas agere licitum sit; se tamen in usum Belgicarum navium sufficientem numerum diplomatum legatis suis Neomagum missurum, inter eos qui opus habeant distribuendorum. Idem & Hispanicis subjectis in Belgarum gratiam facturum, quo & hi absque solitis ambagibus pacis dulcedinem degustare possint. Ut tamen paria Gallicis navibus præstentur. Ita ipsos novo isthoc amicitiæ specimine cognituros, se eundem animum cum antecessoribus suis, qui tam multa ad ejus Reip. incrementa contulerunt, servaturum, nec quid omissurum, quo hæc deinceps felicior, ac florentior reddatur.* Etsi suspensio illa armorum in Belgio irrita fuit, quod Luxenburgius tractu circa Montes Hannoniæ decedere nollet, ut annona eam urbem excluderet, cum Villa Hermosa contenderet, inducias ad omnia loca porrigendas.

Regis responsum. 30./20. Jun.

§. 38.

1678. §. 38. Ast Belgæ interim decreverant, si Gallus urbes sibi, atque Hispanis restituendas retinere pertendat, quoad Suecis satisfactum sit, nec easdem cum ratihabitione reddere velit, sese bellum persecuturos: simul in Angliam mittebant, ut vel Rex iste Gallum permoveat eo postulato cedere, vel bello contra Gallum sese accingat. Ad hoc decretum cordata Arausionensis declaratio plurimum contulerat. Se quippe nimio Reip. circa pacem desiderio perspecto demum contra animi sui sententiam eodem descendisse, ac quantum in se negotio promovendo incubuisse. Sed cum nunc perspiciat, uti Gallus Reip. facilitate ad eandem illudendam, ac in casses pertrahendam abuti velit, jam citra ambages pronunciare, id se nunquam concessurum, si vel omnia sua sint impendenda: nec ab hac sententia ullo Ordinum decreto dimotum iri. Ita cum Ordines in ejus sententiam concessissent, is protinus in Brabantiam ad exercitum profectus est. Prudentes tamen metuebant, ne Gallus hac constantia perspecta postulato suo desisteret; præsertim cum sat virium adhuc præsto esset, modo fœderati recte iis uti, ac conjunctioni firmiter insistere vellent. Sane Elector animo comprehendere non poterat, quæ nunc necessitas Remp. ad tam turpes conditiones admittendas cogeret, cum tamen ab initio, infestis a Gallo munitissimis urbibus eadem tantum constantiæ exhibuisset; quam nunc plane defecisse mirum erat. Novissimo quippe Ordinum Hollandiæ consessu, cum super motis a Gallo difficultatibus consultaretur, simul demonstraretur, quam parum securitatis Resp. repertura sit in pace, qualem Gallus velit, quæ brevi longe atrocius bellum paritura sit a fœderatis destitutæ, quos ipsa nunc deserat: Leidenses responderant; eas esse curas in longum prominentes, quæ in præsens morandæ non sint. Nunc pace opus esse, quæ insuper habitis omnibus scrupulis occupanda sit. Post pacem de securitate consultandum. Et suggestum fuerat ei factioni a Gallis, Arausionensem cum Anglo colludere, ac infesta libertati Belgicæ struere. Qui Reip. morbus cum Gallis perspectus esset, eo fidentius illi destinata sua persequebantur. Unde & de hac conditione hactenus siluerant, Belgis, & Hispanis illudendis, quo hosce a sociis disjungerent. Quod cum obtinuisse viderentur, jam Colbertus magna cum ferocia pronunciabat; Regem non magis Trajectum ad Mosam, quam alia loca ante Suecos restitutos redditurum. Nam hanc esse conditionem primo articulo propositam, a qua ut discedatur Regis gloriam haut concedere. Remp. dum pro se, & Hispanis oblatas pacis conditiones acceptat, haut stipulatam, ut traditio urbium eodem tempore cum permutatione ratihabitionum fieri debeat; ac Regi expedire, ut easdem retineat, quo Resp. operam simul navet fœderatis suis ad Suecorum in integrum restitutionem permovendis. Ad quæ Beverningius: restitutionem Sueciæ non a Republica, quæ nihil ad eos spectans teneat, sed ab aliis pendere, quibuscum super eo negotio agendum sit. Expressa stipulatione circa restituendas conventas urbes opus non fuisse, cum ex ipsa negotii indole fluat, restitutionem conventorum perfecto tractatu fieri debere, ni is, a quo aliquid restituendum est, prolationem termini sibi stipulatus fuerit. Regem quoque restitutionem istarum urbium, queis limes firmandus, in securitatem Reip. promisisse, quæ absolutis pactis fieri debeat; cum alias Resp. nil cautionis habeat. Denique fœdera, quæ Reip. cum sociis intercedunt id non pati, cui non minor cura pro his, quam Gallo pro Suecis gerenda sit.

Belgæ restitutionem urbium urgent.
23. Jun.
1. Jun.
Jul.

§. 39. Super hac Gallorum tergiversatione Ordines Hagæ per delegatos fœderatorum sententiam exquirebant, quomodo id obstaculum e medio tolli, aut remedium inveniri queat, quo meliores conditiones obtineri queant? Testabantur tamen, si bellum continuandum sit, id propriis fœderatorum viribus atque sumtibus faciendum, quod penes Remp. non sit pecunias, & alia necessaria suppeditare. Ad hæc ministri fœderatorum: suos Principes non minus quam Belgas pacem cupere, modo ea stabilis, ac honesta sit: in turpes Galli conditiones consentire non posse. Eadem mens si Reip. sedeat, spem esse meliores conditiones obtentum iri. Tum exprimebant, quantum copiarum quilibet fœderatorum exhibiturus sit, valido contra Gallum exercitui formando. Ac eo ipso tempore Lewius, & Templius ex Anglia reversi de indignatione Anglicæ nationis in Gallum memorabant, & quod huic pax cordi non sit; præsertim cum idem Anglo significarit, ne Sunderlandiæ Comitem ad se mitteret, quod ipse de capta sententia decedere nolit. Unde spes de Angli in Gallum armis reviviscebat; ac Templius de conditionibus fœderis proponebat, super quibus Hollandicarum urbium sententia exquirebatur. Sed Fagelius censebat, incertum esse, num Belgæ has conditiones admittere possint. Equidem si Anglus ad terrestrem quoque militiam, uti ad classem tertia plus parte quam Belgæ contulisset, delegatos Belgarum in eventum conclusuros fuisse. Sed hucusque progredi sibi haut licuisse. Id quod illis, qui tam multa sibi de Anglo promiserant, inopinum valde accidebat, quod Anglus, qui tam ampla super Rep. sublevanda jactaverat, si bellum persequi placeret, nunc super re tam modica difficultatem moveret. Magis adhuc inopinum videbatur, quod Templius testaretur, Regi pacem magis quam bellum cordi esse, si circa restituendas urbes omnibus, quorum interest, satisfieri queat. Ast Elector his intellectis Belgas ad fortia consilia stimulare non omittebat. Equidem sibi haut ignotam dulcedinem pacis. Sed si cogitetur, quam turpis, ac noxia hæc pax futura sit, Reip. ac toti Europæ jugum allatura; satius utique esse, onera belli paulisper tolerare, quam subdolam pacem amplecti, quam Gallus pro lubitu una cum limite subvertere queat. Nec conditionem ab Anglo propositam adeo iniquam esse, cum navalis militia

1678.
Super Gallorum tergiversatione consultatur.
2. Jul.

1678. militia longe majores impensas, quam terrestris requirat. Qui & sex equitum, quatuor peditum, duas dimacharum legiones, quæ novem bellatorum millia implebant, versus Belgium mittebat; quibus si ratam partem reliqui fœderati adjunxissent, exercitus XXX M amplius constans ad Mosam confici potuerat. Ac pronuntiabat Fagelius, si ab Electore promissis Monasteriensis IX M, Cellensis, ac Guelferbytanus totidem, Neoburgicus, ac Paderbornensis V M sistere, ac sustentare velint, Hispanicis provinciis consuli posse. Alias verendum, ne pecuniæ defectus, & quia nuspiam idonea auxilia adparent, Hollandos ad pacem compellat. Nam præter alia immensa onera Remp. grande æs alienum CXL milliones contraxisse.

In Anglia denuo super bello Gallico movetur.

§. 40. Effecerat porro ista Galli circa reddendas Belgii urbes tergiversatio, ut cum antea in Anglia super exautorando exercitu ageretur, jam necessarium judicaretur eundem adhuc sub signis retineri; quod Galliam tempus extrahere adpareret, ut soluto Anglicano exercitu facere posset, quicquid libido dictaret. Etsi Parlamentum inolita erga aulam diffidentia de compacto rem inter duos Reges agi suspicaretur, quo prætextum foret cum exercitu diutius populum terrendi. Quam suspicionem legatus Gallicus confirmabat, palam spargens, omnia jam transacta esse. Etsi idem privato sermone omnem istarum tricarum culpam in ferociam, & insolentiam Luvoisii conferebat. Decretum tamen, ut exautoratio exercitus in unum mensem differretur: ac omnes fremebant, si Gallus conventa loca reddere abnuerit, bellum eidem indicendum. Unde & cum legatus Suecicus Regi significaret, Gallum nisi plene restituta Suecia pacem haut facturum, hic reposuit: quid Gallus Sueco promiserit, sibi non constare. Sed si Gallo ea mens sedeat, sibi utique in bellum contra eundem descendendum. Id quod num Sueciæ rebus salutare futurum sit, se dubitare. Simul quinque adhuc legiones in Flandriam trajiciebantur. Idem Rex Suerino dicebat; ne Elector hac rerum facie consilia sua præcipitaret. Vicissim Elector Suerino injungebat, ut Regi confirmaret, se omnes suas fortunas, quin ipsam vitam amittere malle, quam omnia, tanto sumtu, ac sanguine adquisita reddere. Tum ut omnibus modis Regem ad arma stimularet, ea tamen circumspectione, ut si forte ab hoc res haut serio agatur, Gallo haut nova offensæ materia nasceretur. Eidem quoque suspicionem adimeret, quasi ipse de bello deserendo agitaret. Equidem postquam Belgæ, ac Hispani cum Gallo super pace convenerint, & Anglus magis quietem quam bellum affectare visus sit, a se quoque desiderium cum Gallo transigendi ostensum. Sed si partes firmæ perstent, ac Rex arma simul moveat, omni se vi bellum persecuturum. Porro instabant tunc apud Re-

2. Jul. gem legati Belgici, ut is apud Gallum officium interponat, quo Clivicis provinciis parcatur. Ad quod Rex reponebat: haut decorum sibi 1678.
eam intercessionem apud Gallum suscipere. Nam postquam hic semel circa reddendas urbes Flandriæ sibi abnuerit, haut libenter iteratæ repulsæ ansam præbere velle. Sed & nullo usui fore hanc intercessionem. Nam si Gallus circa urbes remittat, restituto Trajecto ad Mosam facultatem ei defore invadendæ Cliviæ. Ast ubi urbium restitutio non fiat, alia quoque sibi consilia capessenda, per quæ Galli plane a vicinia Reip. amoveantur. Nec enim a se ferri posse, ut Gallus in Flandria potentior fiat, aut alia parte finibus Uniti Belgii immineat. Sed Angli judicabant, per ejusmodi mollia nihil profici, ac Belgas potius declarare debuisse, pacem a se admitti non posse, ni Clivicæ ditiones extra belli contagium ponantur. Unde credebant, Belgas haut concessuros, ut pax ad hoc postulatum adhærescat; sed eam intercessionem tantum ideo quæri, ut Electori excusare possint, se omnia, quæ penes se sint, fecisse servandæ Cliviæ. Cæterum quia Rex concedere nequeat a Gallo Belgium subigi, id quod in proclivi erat, si pedem in Clivia figere daretur: eundem quoque hujus provinciæ curam suscepturum, quousque ipsi Belgæ id desiderent; ac unice penes Belgas esse, ut alia consilia capiantur. Nam Regem paratum esse communi causæ se haut subtrahere, inprimis si Gallus plenam Sueciæ restitutionem urgeat. Igitur expedire, ut fœderatorum ministri Hagæ Belgis animos addant; quo nunc se obfirment, nec quid remittant. Nam e consiliis, quæ jam Hagæ capienda sint, ejus Reip. & omnium reliquorum salutem unice pendere, nec tam egregiam occasionem, qualis nunc se offerat, nunquam deinceps redituram. Ac nemo non agnoscebat, inanem fore limitem in Flandria, si Gallis per Cliviam porta in viscera Reip. aperta relinquatur. Et sane jam bona fide Anglica aula incalescere videbatur; quæ utut tenui hactenus in arma cupidine nunc deprehendebat, nil securitatis tam pro Anglia, quam reliqua Europa extra belli persecutionem reperiri. Accedebat, quod Galli variis insultationibus Anglum subinde irritaverant. Sane legiones, quas Anglus Gallo per hoc bellum commodaverat, hoc postulante remittebantur quidem, sed admodum contumeliose habitæ, quo nomine Eboracensis, & Monomuthensis cum legato Gallico asperrime expostulabant. Duæ quoque naves Gallorum bellicæ uni Anglicanæ suppara submittere abnuerant, causatæ, a Rege sibi injunctum in freto Britannico non solum aliis summa vela non submittere, sed & alios ad id honoris signum sibi exhibendum compellere. Sed & tunc e Flandria militaris præfectus veniebat, qui cum Gandavum transiens diploma tuti itineris a Rege Angliæ ostendisset, Gubernator Gallicus nomen suum supra Regis nomen adscripserat, ac præfecto monente, id honori Regis repugnare, iste plane Regis nomen induxerat, addito, *heic Rex Angliæ nihil significat*. Enimvero tota res ad consilium a Belgis capiendum referebatur, circa quod maturato opus erat ante-

1678. antequam dies exautorando exercitui dicta veniret, ac diffidentia Parlamenti erga Regem ingravesceret. Nam Anglus negabat tutum sibi esse in arma prius erumpere, quam de Belgarum constantia sibi cautum foret, quorum enorme pacis desiderium, & suspicionem in Arausionensem satis norat. Interim Anglus legionibus suis in Flandria agentibus mandaverat, ut Arausionensi requirenti se jungerent, qui tunc expeditioni se accingebat. Suberat tamen adhuc dubium, quod Belgarum decreto de bello persequendo, ni Flandriæ urbes reddantur, hæc conditio annexa foret, si Gallus restitutionem negare pergat. Unde agnoscentibus ipsis legatis Belgicis bellum cessaturum erat, statim atque Gallus restitutionem annueret; qui sine dubio cedendo bellum ab Anglo declinaturus erat; præsertim cum is nuper classem in America sub insula Tobaga amisisset, quæ insyrtes antea incognitas ibi impegerat. Sed & Sueci ferebantur Gallum rogare, ne isti conditioni mordicus inhæreat, sed Belgis, atque Hispanis conventa loca reddat ea lege, ut Belgæ se obstringant ad medium statum exacte observandum, nullo fœderatis auxilio præstito. Dicebatur etiam Gallus per literas declarasse, non præ fracte se urbium detentioni institurum, modo Belgæ aliud temperamentum proponere norint. Denique & suspectum erat, quod cum Anglus decretoriam Galli sententiam exquisiturum se ferret, ei missioni Suderlandiæ Comes adhiberetur, Gallo plane addictus. Quin & legatus Gallicus in Anglia palam dicebat; a Rege suo pacem serio expeti, nec eam e manibus amissuram, modo Suecus ullo modo in eam consentiat, ac circa hunc temperamentum inveniri queat. Addebat Beuningius, Gallo pace opus esse, ne sua commercia penitus destruantur.

Novum fœdus inter Anglum & Belgas concluditur. 9. Jul.

§. 41. Interim super novo fœdere inter Angliæ Regem, & Belgas a Templio Hagæ proponebatur, cujus conditiones hæ forent, ut fundamenti loco conventio mense Januario inita substernatur. Ut pax non nisi utrorumque consensu ineatur ad conditiones ibi expressas: ut Belgæ merces Gallicas interdicant: ut in terrestri militia Angli tertiam partem minus quam Belgæ præbeant. Anglis vicissim tertiam partem navium plus quam Belgæ exhibituris. Circa isthoc fœdus multi e Belgarum proceribus dubium movebant, quod eo admisso negotium pacis plane collapsurum sit, Gallo quoque jactaturo, se non amplius conditionibus, quas Reip. obtulerit teneri. His ut satisfieret proponebatur, ni pax intra quatuordecim dies perficeretur, fœdus ratum esse debere. De quo Amstelodamenses, & Leidenses, qui fœderi quam maxime renitebantur, deliberaturi erant. Quibus & non parum scrupuli injiciebat, quod cum Arausionensis fœderatorum copias ad Mosam consistentes in Brabantiam invitaret, Montium liberationem simul suscepturas, istæ iter prius inire abnuerent, quam de annona sibi a Belgis, & Hispanis prospectum esset; Principe admodum dolente, hac tergiversatione summam negotii corruptum iri. Decretum tamen; Gallo spatium deliberandi ad d. 5. Augusti st. n. concedendum, ut circa illa, ad quæ pax hærebat, liquidam declarationem edat. Quia autem Gallus de existimatione sua heic agi ferebat Sueci credebantur eam rogaturi, ut isto postulato desistat. Sane Angliæ Rex, & Eboracensis Olivecranzio dixerant; Suecum, ni Gallum ad tradenda oppida permoveat, sibi male consulturum. Demum & fœdus cum Anglo in has leges conclusum: ut fundamenti loco sit conventio mense Januario inita: ut Belgæ tertiam partem militiæ terrestris plus quam Angli, hi tertiam partem navium bellicarum plus quam Belgæ præbeant: commercia in Galliam interim unum in annum vetita sint: fœdus hoc Kalendis Augusti st. v. initium, & effectum suum sortiatur, ut si intra id tempus pax non fiat, utrinque conventa præstentur: si Galli ante id tempus elapsum iterum in arma erumpant, ac hostilia in provinciis Hispanicis exerceant, Anglus protinus bellum iis indicat, ac terra marique rem gerat. Ac judicabat Arausionensis, Anglum utique in arma erupturum; qui & protinus id fœdus se ratihabiturum declarabat, ac II M equites in Flandriam trajici jubebat. Ita jam totum negotium in eo vertebatur, num Gallus conventis oppidis ante Suecorum restitutionem præsidia deducturus sit. Interim fœderatorum ministri Hagæ laborabant, ut si Gallus oppida citra exceptionem restituat, saltem Belgæ sibi facultatem reservarent fœderatis suis non minus auxilium præstandi, quam Gallus Sueco facturus sit. Id quod tamen ægre sperari poterat, quod Belgæ jam nimium Gallis concessisse crederentur. 1678. 14. Jul.

Galli adhuc circa restitutionem urbium tergiversantur.

§. 42. Ast Galli ut impedirent, ne ab Anglo; & Belgis mascula consilia caperentur, per Montacutium novas pacis conditiones proponebant. Gallici quoque legati Neomagi, ut Belgarum animos confunderent, scripto exponebant rationes, ob quas Regi suo fas sit Trajecto ad Mosam, & aliis locis præsidia non deducere, quoad Suecus ex asse sit in integrum restitutus. *Totam quippe negotiationem huic conditioni fuisse superstructam, quam & primum Belgæ, inde Hispani admiserint, ac pacem se in eas leges inituros declaraverint; unde eos teneri ad exsequendam conditionem, quæ Sueciam spectat, velut primo loco positam. Et cum istæ conditiones cum ipsa pacis substantia junctæ fuerint, non potuisse has in mente Belgarum separatas esse, ut hanc admittere, illas rejicere velint. Et quia Rex unum, idemque negotium ex suis, ac fœderati sui postulatis fecerit, non potuisse non Belgarum intentionem fuisse, ut iste utraque simul obtineat. Regem sperare potuisse, cum tanti momenti urbes ob respectum Sueciæ Reip. atque Hispanis restituat, hos se vicissim Regi ad reponendam in integrum Sueciam sociaturos fuisse. Si tamen Regi hoc ab iisdem postulare haut placuit, saltem par esse ipsos non repugnare, quo minus Rex conditionem exsequatur, in quam isti tam solenniter consenserint. Cum autem efficacius remedium Suecis restituendis non sit, quam bellum Brandenburgico Electori, & aliis provinciis*

1678. *ac Suecicas possidendibus inferre, Regem huic fini utique opus habere oppidis per pacem restituendis ad transitus, & struendum pontem. Cum itaque hic tractatus a Rege pro se, ac suis fœderatis tanquam unicus sit conclusus, par esse, si Belgæ conditionibus, quas pro se stipulati sunt, gaudere velint, ut vicissim quantum in se operam navent, circa exsequenda quæ Rex sibi, Suecoque stipulatus est. Et cum Belgæ tempus non expresserint, quando loca ista sint restituenda, inde colligi, eos nil aliud prætendere, quam ut id tunc fiat, quando omnes conditiones, quas ipsi acceptarint, exsecutioni sint data. Præsertim cum Belgarum intersit, Trajectum tamdiu a Rege insideri, cum ipsi eam urbem ex pacto Hispanis teneantur tradere.* Addebatur, *Regem multis jam speciminibus ostendisse, qua sinceritate veterem cum ea Reip. amicitiam excolere cupiat; ac uti Hispanicis provinciis nil amplius noxæ inferre decreverit, sed id tantum agat, ut Electorem ad pacem cum Sueco ineundam compellat.* Ut tamen suspicionem abolerent, velut Rex post pacem ista loca in Belgarum, aut Hispanorum fraudem retinere velit, ulterius declarabant; si utique Belgæ ea loca statim post absolutam pacem sibi tradi cupiant, alia remedia ab ipsis proponenda esse, per quæ Sueci sua recuperare queant, super quibus Rex cum Belgis conveniré queat; ac posse ipsos eo nomine aliquem ad Regem mittere, ut id negotium heic, aut in loco tertio suscipiatur. Ejus declarationis aliquot millia exemplarium impressorum per Belgium disseminabant; simul Schombergius copias a finibus Cliviæ retrahebat, ut nullum ei provinciæ a Gallis periculum amplius esse videretur.

Belgarum ad ista declaratio. 16/26 *Jul.*

§. 43. Ad ista legati Belgici prolixo scripto reponebant: *Ordines Generales considerato agendi modo a Rege circa finiendum hoc bellum adhibito, & quo verborum candore adversus ipsos usus sit, persuadere sibi non posse, isthæc obstacula a generoso Regis animo procedere, sed potius ex artificiis eorum, quorum privatis rationibus cum pax non congruat, ideo circa eam disturbandam laborent.* Inde enumeratis omnibus circa pacem actis, addebant; *ex iis clare perspici, Regis mentem non fuisse pacem differre, ejusque effectus suspendere circa eos, qui ad eam acceptandam parati sint, si maxime reliqui adhuc eam aversentur; ac id tantum stipulari voluisse, ut ne qui pacem acceptent, eam recusantibus ullo modo assistant; non autem, ut illi fructu pacis careant, antequam inter universos pax constituta fuerit. Porro Belgas nunquam declarasse, se omnes a Rege propositas conditiones æquas agnoscere; cum nunquam probarint nisi quæ ad se spectant; circa reliqua tempus petiisse fœderatis suis ad ista admittenda persuadendis. Ipsum Regem, cum satis prospiceret, fœderatos circa pacis leges acceptandas difficultates moturos, ultro declarasse, non obstante horum dissensu cum Belgis, ac Hispanis in dictas leges se conventurum, nec plus circa eos, queis bellum persequi placeat, stipulatum, quam ut isti erga hos medii status leges observent. Nunquam autem postulasse, ut ipsi operam navent, quo Regis fœderatis satisfiat. Quin legatos Gallicos tota negotiatione de rebus Suecicis mentionem non fecisse. Nunquam restitutionem urbium Hispanicarum, quas Rex in vicem limitis in Belgarum, & Anglorum gratiam annuerit, a restitutione Sueciæ suspensam. Absurdum esse, onus Suecos in integrum restituendi illis velle impingere, qui nil ad hos spectans eripuerunt, aut possident. Nec minus iniquum esse, & legibus medii status repugnare, quod Rex sibi usum eorum locorum deposcat, quæ per tractatus pleno jure ad Belgas, & Hispanos pertinent, ad bellum horum fœderatis commodius inferendum. Nec ad rem facere, quod tempus tradendarum urbium expressum non sit. Nam notorii juris esse, quod effectus tractatuum nulla interposita mora permutationem ratihabitionis sequi debeat. Multo minus par esse, complementum suæ pacis suspendi a conditione, quæ ab eventu ancipitis belli dependeat. Ut cum reliquis fœderatis pax itidem amica ratione inveniatur, fidam se operam navaturos, ac petere, ut Rex viam sibi monstret, qua officium suum non sine fructu expromere queant. Sed ut ipsi manum iis cogendis admovere debeant, iniquissimum esse, ac ei contrarium, quod ipse Rex rationi congruum putat: ac inauditum plane, amicos & socios ad id reddendum adstringere, quod illi hostibus suis eripuerunt, ac per pacem necessitatem alicui imponi bellum fœderatis inferendi, quibus a se nihil præscribi possit. Denique paci perficiundæ se paratos: sed si eadem ab iniqua conditione suspendatur, protestari, per se non stare, quo minus negotio supremam manus imponatur.* 1678.

§. 44. Mox Belgæ Neomagi denuo Gallis denuntiabant, Ordinibus Generalibus fixum sedere, urbes eodem cum permutatis ratihabitionibus tempore reddendas esse. De cætero gratum sibi fore cum Borealibus quoque fœderatis transigi posse. Cum Colbertus interrogaret, annon aliqua temperamenta in medium adferre nossent; Belgæ respondebant; sibi injunctum non modo nil tale proponere, sed & ab aliis oblatum haut admittere. Id quod Galli ad Regem se relaturos ostendebant. Sequenti die Galli Belgis proponebant; quia pacem nil amplius remoretur, quam restitutio Sueciæ cupere se ab ipsis temperamenta adferri huic difficultati tollendæ. Eo fine Regem Fanum Quintini, aut plane Gandavum accessurum, si Respublica legatos eo mittere velit. Sed Belgæ reponebant; hanc missionem nulli usui esse, ac commodissime negotium heic tractari, ubi omnes, quorum intersit, præsto sint. Nec Rempublicam unquam induci se passuram, ut operam conferat cogendis illis, qui Suecos suis provinciis expulerunt. De hoc Gallorum postulato cum Belgæ ad fœderatos referrent, hi magnopere eam missionem dissuadebant, nec sperare, in Boreali negotio quid susceptum iri absentibus iis, quorum interest. Heic legitimum agendi locum esse. Si quid circa negotia sua fieri debeat, id per se expediendum, quod tutoribus opus non habeant. Ast Hagæ denuo decernebatur, legatos ad Gallum non mittendos; ac Regi ante Kalendas Augusti declarandum, quæ

Galli ad hæc tricantur.

21. Jul.

1678. quæ circa reddendas urbes sententia sedeat; quod necessum sibi fuerit, postquam Rex circa eas tergiversetur, alia fœdera suæ securitatis causa inire. Id quod Galli non sine offensa accipiebant, ac præcipue Colbertus ira ardescens fremebat; isthæc minarum instar sibi videri, quasi Regem cogere instituant; ac se haut omissuros ista protinus ad Regem referre, adhibito pari officio, quale intelligat ipsos apud suam Remp. fecisse, cum Regis desideria huic exposuerint. Enimvero simulata erat ista ferocia. Nam Sunderlandiæ Comes Lutetia scripserat, Gallum in traditionem urbium consensurum, si Sueci id desiderent; ne videatur quid postulasse, quod pervincere non possit. Inde post acrem inter Gallos, ac Suecos disceptationem convenit, ut Gallus hac lege in traditionem urbium consentiat, si Belgæ fœderatis suis non adsistant, ac neutrum statum observent. Ita Sueci e compacto Gallis scriptum tradebant hoc sensu. *Declarationem Regis Galliæ de non reddendis urbibus, antequam Sueciæ satisfactum sit, ita justam ac generosam fuisse, ut iste plurimum gloriæ, suus Rex non minus voluptatis inde percepturus fuerit, si per eandem hostes sui ad æqua adduci potuissent. Sed quia eadem multum contradictionis invenerit, Regem Galliæ pro sua sapientia expensurum, num satius sit conventarum urbium restitutionem ad communem usque pacem obtentam differre, an vero, quod Belgæ petunt, in eam consentire, quo peculiaris cum Hispanis, atque Belgis pax perficiatur. Equidem sibi de Regis sui mente circa hoc negotium non constare. Sed quia in universum mandatis suis jubeantur in ejusmodi casibus voluntati Regis Galliæ sese attemperare, cujus studium, & cura pro salute Sueciæ sibi satis perspecta sit; Regi suo sine dubio probatum iri, quod isti circa eam restitutionem statuere placuerit. Ac se plane adquiescere prudentiæ Regis, cui haut defutura sit facultas expediendi remedia gloriæ suæ convenientia, per quæ plena restitutio fœderati sui pervincatur. Hæc publico se nomine, & ex mandato dicere. Privatam autem sententiam suam hanc esse, quod pro rerum præsenti statu communibus rationibus proficuum, ac Galliæ gloriosum judicent, separatam cum Hispanis, ac Belgis pacem absolvi. Hoc enim modo amoveri duos hostes, eo magis respiciendos, quod reliquos pecuniis sublevent. Bellum quod Anglia minatur declinari; quo erumpente nullam resistendi facultatem Sueciæ superfore, si vel nil præter commercia spectentur. Intercipi vinculum, quo Anglia, & Belgæ arctius combinantur. Suffaminari gliscentem Arausionensis autoritatem, ac firmari consilia factionis, quæ pro pace nititur. Effici, ut eorum destinata expirent, qui omnes Imperii Ordines arcte inter se colligare meditantur. Reliquos fœderatos, qui in bello persistunt, ad rationem audiendam permoveri, & sic viam communi paci muniri; cujus spes inde alluceat, quod hi ad rumorem pacis inter Galliam, & Belgas coalituræ turbari, ac flexibiles fieri visi sunt. Si manus dare nolint, fortius armis premi posse avulsis iis, qui partibus istis haut modicum robur addebant. Comprimis autem ad gloriam Regis Galliæ facturum,* (quæ ab aliquot retro annis supremæ rationis, ac legis in vicem allegari sueverat,) *quod is pro arbitrio pacem orbi Christiano dare, omnesque hostium suorum machinationes perrumpere queat, demonstrato, aliam quoque viam restituendæ Sueciæ sibi suppetere. Nasci quoque hoc modo Regi occasionem exprimendæ indignationi contra eos, qui obliquas per artes egregiis ejusdem destinatis, ac gloriæ reluctari ausi sunt. Simul errore liberari eos, qui per malevolos seducti de candore Regis in hoc negotio dubitare cœperunt. Denique orbi demonstrari, adversam partem circa impediendam pacem agitasse; quippe quæ haberi poterat, ni isti obluctarentur.* Cæterum constabat, Suecos ab Anglo, ut huc descenderent, permotos, qui confirmarat, hac via ab ipsis amissa recuperari posse, ac Hispanos, Belgas, aliosque, qui pacem cum Gallo ituri sint, medios se gesturos, nec ipsorum hostibus auxilii quid laturos; cujus rei se sponsorem fore. 1678.

Suecorum declaratio.

§. 45. Galli dehinc scripto declarabant; Regem loca Hispanis, & Belgis restituenda pace ratihabita, & publicata protinus traditurum; simul tantum lætitiæ præ se ferebant, velut omnia jam perfecta forent. Id scriptum autem ita obscure, atque intricate conceptum erat, ut Belgæ vix idoneum sensum assequi possent. Nam in eo positum erat, Regem constituisse omnia loca restituenda tamdiu detinere, quoad Suecus sua recuperarit; quo destinato nunc desistere velit. Quo innui videbatur, Regem interim saltem aliqua loca detenturum. Dicebatur quoque Regem prætensione sua omnia loca retinendi desistere velle confisum Belgarum promissis: quibus verbis quid Rex, ejusve legati sibi vellent, Belgici legati nesciebant. Tum Belgas Gallo cauturos, Hispanos Galliæ, aut hujus fœderatorum hostibus nil auxilii laturos. Atqui non meminerant Belgæ, Gallum ejusmodi cautionem a Rep. exegisse; nec minus sibi ignotum, quid Hispani circa hæc promissuri sint. Injiciebatur quoque de satisfactione Suecica, de induciis, de annona Montibus Hannoniæ inferenda, de pace alio loco quam Neomagi ineunda, & plura alia, de quibus isti nil in mandatis habebant. Ad ista Belgici legati reponebant: se pacem subscripturos, si Rex conventas urbes eodem cum ratificatione tempore tradat. De quo Galli mandata sibi esse negabant. Tum contendebant, Belgis deinceps medium statum servandum, & hostibus Galliæ, ac Sueciæ nil auxilii ferendum. Belgæ id eo absurdius peti censebant, quod Reip. nondum cum Suecis convenerit, a quibus sui cives adhuc hostiliter habeantur. Eo quoque scripto extabat, Suecos concessisse, ac petiisse, ut Gallus antea promissa urbium detentione desisteret; id quod Oxenstierna initio factum inficiebatur, ac ægre id a se ferri simulabat; post tamen idem agnoscebat. Ex his porro Gallorum cavillationibus adparebat, ipsos certos esse, Anglum in arma non erupturum, & Gallicam in Hollan-

Galli postulato suo desistunt. 28. Jul.

1678. Hollandiæ factionem pacem urgere haut desituram. Quam ob causam etiam credebatur Petrus Borellius ex ordine Amstelodamensi una cum Secretario Scapio huc missus, quod Beverningio haut satis fiderent, saniora consilia sectanti, ita ut saltem ea conditio, ne Resp. fœderatis auxilium ferat, pacem remoratura non esset. Equidem Lira legatus Hispanicus jactabat, Hispanos nunquam eo se adstringi passuros, quo minus sociis ex fœdere debita præstare liceat. Sed quibus verbis nil ponderis inerat, quod Anglus Gallo promisisset, se Hispanos quoque ad neutrum statum inducturum. Alias e literis Pomponii ad Stradam datis adparebat, a Gallo pacem anxie desiderari, sic ut sine dubio aliquid in gratiam fœderatorum obtineri potuerit, si res mascule, & constanter a Belgis acta fuisset. Sed jam antea sat timidos magis adhuc consternaverat, quod cum certa spes foret Anglum in arma erepturum, Templius repente Haga Neomagum se conferre, & operam navare juberetur, ut traditio urbium a Gallo non amplius abnueretur, & pax cum Gallis, atque Hispanis perficeretur. Ex quo manifestum erat, Anglo nunquam bellum in Gallum cordi fuisse: & ipse Templius iis mandatis indignabatur. Ita nulla amplius ratio pacem inhibendi supererat, exolescente in Anglum fiducia, in quem omnis culpa separatæ pacis conjiciebatur.

Belgæ in pacem ruunt. *30. Jul. st. v. 31. Jul.* §. 46. Advenerunt inde sub vesperam Haga ad legatos Belgicos mandata, ut legatis Gallicis denuntiarent; si Rex loca per pacem restituenda protinus cum ratihabitione tradere velit, ac Neomagi pax subscripta fuerit, Remp. aliquot delegatos ad Regem missuram. Sequenti die summo mane Borellus legatos Gallicos accedebat. Inde post colloquium cum his habitum, iidem circa horam decimam ad Belgas accedentes dicebant; sibi decretum pacem absolvere, ac conventa loca cum ratihabitione tradere, tantum Trajecto ad Mosam, & Caroloregio retento, quoad Suecis satisfactum sit: Belgis tamen in Trajecti vicem Gandavum tantisper consignandum. Super quo postulato per integram horam disceptabatur. Sed quia Galli norant, (velut quibus per factionem suam de omnibus, quæ Hagæ decernebantur, accurate constabat,) quod legatis injunctum esset traditioni omnium locorum insistere, post brevem secessum declarabant: Regem ostentando immoto in pacem studio omnia loca, nullo excepto, quo tempore pax ratihabenda, & publicanda sit, redditurum, prout Belgæ desiderent. Sibi quidem in contrarium mandata esse, ac peculiariter, ut Caroloregii possessionem Regi, quoad Suecis satisfactum sit, stipularentur; id quod Colbertus multis cum exsecrationibus adseverabat. Sed quia norint Regem hujus oppidi causa pacem haut remoraturum, se non dubitare, quin Rex ipsorum declarationem probaturus sit. Ex adverso sibi spem esse, Belgas nil amplius difficultatis moturos. Quo postulato haut opus erat, 1678. quod Galli satis nossent Belgis injunctum, modo Galli circa retinenda loca remitterent, ipsi reliqua omnia annuerent, nec pacem ad aliud quidquam adhærescere paterentur, sed sine mora subscriberent, ut omnia ante Kalendas Augusti, quæ dies in fœdere cum Anglo expressa erat, absolverentur. Ita circa adornandum tractatum satagebatur usque ad horam tertiam post meridianam, Belgis in omnia fere Gallorum postulata facilibus. Tum placuit omnia justo instrumento concipere, & ante mediam noctem subscribere. Accesserunt mox Galli ad sequestres Templium & Jenkinum, declarantes, sibi cum legatis Belgicis super omnibus articulis, queis aliqua difficultas fuerit, convenisse; ac res ita bene dispositas, ut hac vespera subscriptio sit facienda. Quem actum apud ipsos obire velint, ut in partem honoris regio officio debiti veniant. Quibus Angli reponebant: Cum a Rege suo ad generalem pacem procurandam missi sint, per sua mandata se conclusioni peculiaris pacis interesse non posse. Unde excusari velle, quod hunc tractatum ullo modo tangere, aut apud se subscribi nolint, aut ipsorum nomen velut sequestrium eidem inseri. Venere mox & Belgarum legati, eadem proponentes; queis idem responsum datum. Observabatur, hos tanta mutatione non parum turbatos, ac nonnihil vacillare, nec inter se satis convenire. Beverningius de inconstantia consiliorum in Anglia querebatur, ac vinci nesciis suspicionibus, quas adventus Crossii in Belgio pepererit. Is enim eo ipso tempore, quo Templius quam maxime circa tractatum inter Anglum & Belgas Hagæ satagebat, huic literas attulerat, queis protinus sese Neomagum conferre jubebatur, Suecosque hortari, ut Gallo declarent, se non solum in traditionem urbium Flandricarum consentire, sed & ob commune bonum orbis Christiani propter peculiaria Sueciæ commoda pacem ne differat. Simul confirmaret, hac pace facta Angliæ Regem omnibus viribus connixurum, ut Sueci hoc bello amissa recuperent. Quarum literarum argumento evulgato Anglus omnem plane fidem apud Belgas decoxerat: & quia hic pacem optet, Beverningius nil Belgis superesse dicebat, quam ut eam concludant. Sibi injunctum eam subscribere, postquam Gallus redditionem urbium annuerit. Hactenus de mandatis suis ita clare non exprimebat. Ac incertum est, utrum adventu Crossii ab Ordinibus Generalibus mandata ad legatos Neomagenses missa sint ad subscribendam pacem, etiam non consentientibus Hispanis, siquidem Galli urbes Hispanicas evacuare velint: an vero id solius Amstelodamensis civitatis negotium fuerit, quæ Beverningium misso Borello induxerit, promissa indemnitate, si maxime ipsius mandata aliam interpretationem admittere queant. Sane hic magno impetu ad finiendum bellum rapiebatur, ac summam diligentiam circa perficiendum tractatum adhibebat. Ast Heugius, & Blaspielus, statim atque congressum finitum rescisce-

ſciſcebant, Harenum adibant, ut ex ipſomet intelligerent, quouſque negotium proceſſerit. Eum ita perturbato animo reperiebant, ut vix noſſet, quid reſponderet. Demum fatebatur, rem confectam eſſe: bona an mala ſit, ſuperiores ſuos noſſe debere, quorum juſſis ſibi parendum fuerit. Cum Blaſpielus quæreret; num ſecuritati Cliviæ cautum ſit? Harenus reſpondebat, ſuper ea diu ſe cum Gallis diſceptaſſe; ſed extremum quod obtinere potuerit fuiſſe, quod Galli aſſeverarent, Regem finibus Belgarum haut nimis propinquaturum: Remp. mandata legatis ad Regem mittendis ſuper hoc negotio dare poſſe; quibus quin Rex gratificaturus ſit, ſe non dubitare. Cum uterque interrogaret, quid ſuper neutro Belgarum ſtatu conventum; nec enim ſperare, Belgas eouſque ſtringi ſe paſſos, quo minus fœderatis auxilia ferre integrum ſit; præſertim ſi Gallus facultatem ſibi reſervet Suecum ſublevandi: Harenus reſpondebat; in id quoque conſentiendum fuiſſe. Cum Heugius, & Blaſpielus ſuper hoc acriter expoſtularent, Harenus nil niſi humeros trahere, & excuſare; ſe miniſtros eſſe, quibus dominorum imperia ſint exſequenda, & quæ hi faciant probanda: plus a ſe exigi non poſſe. Eo facto reliqui omnes fœderati apud Kinskium conveniebant. Ubi Hiſpani magnopere querebantur, Belgas cum ipſis, quorum res præcipue agatur, ne minimum quidem communicaſſe. Equidem provincias Hiſpanicas eo redactas, ut ab arbitrio hoſtium, aut amicorum pendendum ipſis ſit: ſperaſſe tamen ab amicis nunquam tali ſecum modo actum iri. Villam Hermoſam urgentibus Belgis propoſitas a Gallo pacis leges certis cum conditionibus admiſiſſe, ſcripta declaratione in eam rem data: quam Belgæ probarint, polliciti, ad eam formam pacem ſe una cum ipſis ſubſcripturos. Beverningium quoque finito cum Gallis colloquio apud Balbaſium fuiſſe, ac denuntiaſſe, Gallos in traditionem oppidorum conſenſiſſe; inde ſe pacem cum Gallo Reip. nomine abſolutam hac ipſa veſpera ſubſcripturos. Unde Balbaſium valde queſtum ac impenſe poſtulaſſe, ſubſcriptionem tantiſper differrent, quoad & Hiſpanicus tractatus perfectus ſit, quo uterque ſimul ſubſcribi queat. Beverningium reſpondiſſe: capite ſibi luendum, ſi hunc diem infecta re elabi patiatur. Se quidem ab Anglis petiiſſe, ut terminus Kalendarum Auguſti in aliquot dies proferretur; ſed eos hoc negotium ſuſcipere noluiſſe. Ita neſcire ſe, quid agendum ſit. Gallos noviſſimo ſcripto, quod ſibi tradiderint, inſeruiſſe, ut Hiſpani deinceps medii fœderatis ſuis nil auxilii ferant. Hanc autem conditionem nunquam ſibi propoſitam, quam & nunquam probaturi fuerint; ſed ſimpliciter Villæ Hermoſæ declaratione ſtetiſſe. Beverningium quoque dixiſſe: demum ſibi cum Gallis convenuſſe circa trimeſtre ſpatium intra quod Belgis, ac Suecis inter ſe tranſigendum ſit. Inde omnibus placuit, ut Kinskius, Heugius, & Blaſpielus ea adhuc veſpera Belgas adirent, hos a peculiari cum Gallo pace dehortaturi, ac ubi nil proficiatur, proteſtationem interpoſituri. Prius tamen Anglis ea de re ſignificandum; ſed qui oſtendebant, nil ſibi cum ſeparata hac pace negotii fore; & quæ fœderati contra moliantur, æqua eſſe. Porro eorum, quæ iſthoc congreſſu acta erant, exemplum Kinskius Heugio, ac Blaſpielo communicare abnuebat, incertum qua de cauſa. Aliqui moroſitatem ingenii arguebant. Sed alii altius ſuſpicabantur, velut is ſperaret per hanc Belgarum actionem ſuo quoque ſcopo ſe potiturum; qui ſemper fuiſſe videbatur aulam Cæſaream ad geminam tractationem ſeparatæ pacis permovere, eoque acta forte ad hanc intentionem formata ſibi ſoli voluiſſe retinere. 1672.

§. 47. Kinskius porro proteſtationem ſuam Latina lingua conceptam Belgis prælegebat; addito, ſi ad ſubſcriptionem accedant, antequam reliqui fœderati pacem ſuam perfecerint, ſibi neceſſitatem imponi omnia, quæ excogitari queant, remedia contra tentandi. Sed Danus, ac Blaſpielus peculiarem proteſtationem formaverant, quam & Monaſterienſis ſubſcripſerat, Cellenſi idem abnuente, quod ſibi injunctum eſſet heic nihil agere. Ejus ſcripti hic ſenſus erat. *Poſtquam intellexerint tractatum ſeparatæ pacis inter Gallum, & Belgas hodie ab ipſis ſubſcribendum, de cujus articulis nil ſibi communicatum ſit; officii ſui eſſe demonſtrare, quantopere iſthæc actio a fœderibus tam ſolenniter contractis, & a ſanctimonia fidei publicæ diſcedat; quæ ſibi promiſerint, ſe nunquam ſeparatim tranſacturos cum communi hoſte, qui jam jam Remp. ipſorum everſurus erat, quam imminenti exitio fœderatorum auxilia eripuerunt, qui in ejus gratiam hoſtis vires diverſis in partibus Europæ diſtraxerunt. Igitur enixiſſime, ac per omnia ſacra ſe rogare, ne ſeparatam pacem ſubſcribere properent, ſed tempus ſibi indulgeant, quo ad Principes ſuos eo de negotio referre poſſint. Id quod fraudi ipſis eſſe nequeat, & conforme ſit ei, quod a fide publica, & ſinceritate Reip. expectari debeat. Præſertim cum non adpareat neceſſitas, quæ Remp. ad tam diverſa a prioribus conſilia compellere queat. Quæ hortante nuper ſui Principes univerſas copias in medium Belgium miſerint, Montibus Hannoniæ extremo periculo eripiendis, ac ut Arauſionenſis expeditionem fulcirent. Quod ſi Belgas indeclinabilis quædam neceſſitas ſibi haut nota ad pacem tam feſtinanter occupandam ſubigat, Principes ſuos itidem paratos eſſe eodem cum ipſis tempore pacem ſuam cum Gallo concludere, honeſtis, & æquis conditionibus brevi adornandis, circa quas ipſi faciles ſeſe exhibituri ſint. Spem ſibi eſſe, legatos tam juſta, ac generoſa oblata haut rejecturos, nec perſuadere ſibi poſſe, quin Belgarum animus tam honeſtis ipſorum deſideriis reſpondeat, aut iſtis in mentem venire poſſe bonos ac fidos amicos, vicinos, ac fœderatos deſerere, qui omnes ſuas fortunas periculo exponere non dubitarunt, ad Rempubl. imminenti exitio eripiendam, eamque priſtino ſplendori reſtituendam. Saltem ſibi de eorum juſtitia, & candore promittere, fœderatorum emolumenta inſuper haut habenda, cum Reip. rationibus conjunctiſſima, mul-* *Fœderati contra eam pacem proteſtantur.*

1678. *multo minus istos quid collaturos ad oppressionem eorum, qui tam fidam ipsis operam contra potentissimum hostem navarunt: qui verbis tantopere de sincero suo desiderio pacem orbi Christiano reddendi perstrepit, cum revera idoneam viam eidem reducendæ admittere adspernetur. Quid quod prima pacis formula a Gallis proposita nil de fœderatis destituendis, ac neutro statu continuerit; at Belgæ semper testati sint, se ideo sesquimestres inducias a Gallo oblatas recusasse, quod in iis de neutro statu moveretur, per quam facultas sibi adimenda sit fœderatis suis conventa auxilia præstandi. Quod si autem his rationibus insuper habitis ad subscriptionem descendant, se non posse non quam solennissime protestari contra separatum huncce tractatum, velut qui adversa fronte repugnet fœderibus, ac repetitis subinde promissis de constanti, atque exacta horum impletione ab ipsis præstanda. Nec minus protestari de omnibus calamitatibus, molestiis, ac damnis, quæ tum universo orbi Christiano, tum peculiariter suis Principibus ex isthac separatione, ac fœderum tam religiose initorum neglectu provenire possint; simul sibi reservare, quicquid vi horum fœderum per jus gentium, legesque divinas, & humanas ipsis competat. Nec minus judicio non obnoxio universi orbis committere, quanta injuria Principibus suis inferatur, dum sanctissimis fœderibus violatis citra necessitatem inaudito exemplo in solitariam pacem ruitur eo tempore, quo quam maxime spes allucebat rebus in melius vertendis per vias honestas, & ratione convenientes: cum nunc per cæcos affectus ac inanes opiniones, repugnantibus, queis honestum ac officium æstimatur, civibus, decus, & gloria Reip. prostituatur, quam prudentia, ac justitia ad id fastigii hactenus extulit, nunc autem tam indigna actio labe adspergit, e memoria generis humani nunquam delenda.*

Pax haut eo minus concluditur.

§. 48. Ast Belgæ protestationibus istis suo loco relictis, pacem suam paulo ante mediam noctem subscribere haut omittebant. Ab iis culpa, quare sic agendum sibi fuerit, in Anglum conferebatur, de quo sibi constiterit, nullo modo in arma erupturum. Ac sane manifesto indicio erat, eum Regem ac bello abhorrere, quod is Templio injunxisset, ut Gallos ad tradendas urbes permoveret, ac Suecis confirmaret, Hispanos, ac Belgas deinceps neutrarum partium fore nec fœderatis contra ipsos adstitutos, ac se in eam rem sponsorem fore. Contra & Angli inficiabantur, Belgas a se postulasse terminum Kalendarum Augusti prorogari; ac ægre ferebant, culpam tam fœda pacis suo Regi impingi. Beverningius interim de sincero Reip. in Electorem studio testabatur, ac denuo sibi injunctum securitatem Cliviæ a Gallis stipulari. Etsi Galli, uti antea, mandatis se defici excusarent, ac nil aliud se posse, quam eam rem ad Regem referre. Eodem die a Belgis quoque conventio subscribebatur inter hos, & Suecos super servando tantisper medio statu, quoad inter ipsos quoque super pace, & commerciis transactum foret. Cæterum in hac pace id præcipue acerbissimum accidebat Electori, quod Belgæ medios se fore nullo fœderatis auxilio præstando promisissent, cum Gallo liberum foret omni vi Suecum sublevare; & quod Cliviæ securitati cautum non esset. Nam quod ea res legatis in Galliam mittendis diligenter commendanda diceretur, id quem effectum habiturum esset, prudentes facile prospiciebant. Sane boni cives palam agnoscebant, id factum judicio orbis, ac posteritatis nullo modo adprobari posse; ac ante omnes Electori gravissimas querendi causas esse. Ipse quoque Fagelius pacem istam aperte damnare non dubitabat, nec se in ullam ejus partem venturum testabatur. Ejus culpam Belgas plane a se amoliri non posse, inconsulto pacis cupidine, ac scævis Amstelodamensium actionibus. Haut eo minus Remp. gravibus licet difficultatibus laborantem, huc descensuram non fuisse, ni Anglus manum negotio subtraxisset. Eum timidum, & ancipitem consilii semper egisse, ac solicite Arausionensi ingessisse, ne ad extrema rem deduceret. Quod si Parlamenti ope destinata pervincere placebat, Rex immensum offendebatur; cui & unico verbo id dissolvere in proclivi erat. Ita fontem præcipitatæ pacis ex Anglia provenisse, ubi & alias Dano, atque Electori parum favebatur. Eundem Regem quam maxime Gallum ad conventas urbes tradendas permovisse, quo conventum jam in Galliam bellum declinaret. Qui & noluerat legatos suos Neomagi quid pro securitate Cliviæ loqui, pollicitus quoque Gallo, se Hispanos, ac Belgas ad medium statum amplectendum permoturum; de quo Gallus ipse proposita pacis formula nil moverat. Ita Arausionensi, ac aliis recte sentientibus facultatem ademtam pacem sistendi. Etsi aliqui suspicabantur, Belgas eo faciliores fuisse ad hanc conditionem sane quam turpem admittendam, ut eo prætexto debita subsidia solvendi sese exuerent.

Super pace ipsa querelæ. 3. Aug.

§. 49. Nuntio de subscripta pace Hagam allato fœderatorum ministri graves querelas movebant, ac inprimis Romswinckelius exhibito scripto ostendebat; *Se id quidem haut sibi sumere, ut ad examen revocare velit, num tanta Remp. necessitas urgeat, ut separata pax tam iniquis legibus contra fœdera ineunda fuerit, eo tempore, quo Reip. ac fœderatorum exercitus Gallis non impares videbantur. Quicquid tamen Reip. circa pacem suam statuere placuerit, firmam haut eo secius persistere obligationem ad præstanda, quæ ex fœdere ista teneatur. Scilicet ut operam navet, quo pax cum Electore, & aliis fœderatis junctim fiat, cui se pronos hi dudum declararint. Tum ut per articulum XIV. & XXIV. fœderis Resp. Electori satisfieri curet de damnis, & incommodis hoc bello toleratis; quorum æstimatio in sola Clivia ad sedecies centena uncialium millia surgat. Ut quoque, si Gallus reservare sibi velit facultatem sociis suis assistendi, Belgæ eandem circa Electorem stipulentur, ne auxilii inops destituatur Princeps tamdiu fœdere, & vicinia jure ipsis innexus, qui primus arma pro servanda*

Repu-

1678. *Republica strinxit, ac ad hoc usque tempus nihil ad ejusdem prosperitatem faciens omisit, idem deinceps quoque facere paratus. Denique ut saltem ante ratihabitam pacem Cliviæ securitati prospiciatur, quæ Reip. semper instar propugnaculi fuit. Abhorrere a sapientia Reipublicæ, cum destinata hostium norit, pacem cum hisce inisse, per quam istis janua aperta relinquatur, pro lubitu arma in ejusdem penetralia effundendi.* Sed &

8. Aug. mox minister Danicus, Electoralis, ac Cellensis, atque Guelferbytanus protestationem interponebant contra neutrum statum cum Suecis, in quem Belgæ ad certum tempus consenserant. Id quod articulo XVIII fœderis repugnet, quo cavetur, ne induciæ cum hostibus fiant nisi junctim, & communi consensu; ac ut subinde fœderati invicem communicent, quæ circa pacem agantur; & ut nullus fœderatorum pacem ineat, nisi comprehensis reliquis. Qua ita manifeste fœderibus repugnantia ne ratihabeantur rogabant. Si secus fiat, se Principibus suis jura competentia reservare; qui & extra culpam futuri sint omnium malorum, quæ causæ communi, aut singulis inde sint proventura.

lectoris l Belgas per pa- epistola. Aug.

§. 50. Ast ipse Elector super ea pace ad Belgas epistolam scribebat in hunc sensum. *Cum ante aliquot septimanas sibi nuntiatum esset, Belgas de separata cum Gallo pace decrevisse, a se operose demonstratum, quam periculosum atque noxium id consilium universis fœderatis, ac præcipue sibi sit. Ex eo tempore meliora quidem consilia agitari visa, ac ipsos, perspectis Galli destinatis, generoso instituto cum omnium lætitia una cum Angliæ Rege viam inisse communi, honestæ, ac firmæ paci Christiano orbi conciliandæ. Sed quantopere tum omnes, ut inprimis ipse, qui alios e candore animi sui judicare sueverit, decepti fuerint, rem ipsam loqui, jussu ipsorum Neomagi subscripta pace, cui geminam, sive ipsas conditiones, sive tempus, modumque eam conficiendi spectes, orbis ab omni retro memoria non vidit, nec deinceps forte visurus est. Cui enim persuaderi potuerit, Rempublicam, cui amor libertatis originem dedit, quamque constantia, & fides, velut solidissimum actionum suarum fundamentum, hucusque servarunt, eo prolapsuram, ut fœderatos, qui unice in ipsius gratiam arreptis armis præsens exitium ab eadem averruncarunt, desereret, insuper habita fœderum clara dispositione, totiens iteratis promissis, obligatione in ipsa natura fundata, ac grati animi officio: & quidem ut non solum iis præteritis pacem concluderet, sed & consentiret, se auxilium e fœderibus debitum haut præstituram, aliosque Principes ut eodem modo agant inducturam; cum adversæ parti facultas relicta sit fœderato suo pro lubitu assistendi. Sueciam insuper, quæ Reip. tantum injuriæ, ac damni intulerit, ea pace comprehensam; se, qui sanguinem, ac fortunas pro Rep. exposuerit, excluso. Ejusmodi porro pacem tam inaudita cum præcipitantia festinatam, ut etiam intempesta nox, quieti a rerum natura destinata, subscriptioni adhibita fuerit, velut jam hostis ante portas Amstelodami staret. Equidem gravissimas sibi causas esse super his ipsorum actis expostulandi; affectum tamen, quo a puero eam Remp. prosecutus sit, ac communes rationes ob sacra, & viciniam ita validas esse, ut indignationem superet dolor, ac commiseratio, si mala consideret, quæ ex hac pace in Remp. redundatura sint. Nondum memoria excidisse, quibus de causis hoc bellum ipsis illatum, ac uti per id Resp. extremis admota fuerit, queis Dei beneficio, ac fida fœderatorum opera erepta sit. Enimvero paria tempora redire posse: persistere adhuc destinata initio hujus belli agitata, brevi instauranda. Eadem si necessitas redeat, quem tunc mortalium, cui ulla præteritorum memoria, iterum pro Rep. periculum subiturum? Quem non exemplis, quæ in præsens admittuntur, absterrendum? Quid ponderis ipsorum fœderibus, ac promissis fore? Nec esse quod credatur, omnes Principes propriis rationibus impulsum iri, ut ad servandam Remp. concurrant. Nam quæ in Hispanos & se admittantur, fortius in contrarium valitura. Quod Hispania tam pulcras provincias, ac urbes amittat, quod Gallus tantum offensæ in se ostendat, num aliam causam, quam quia Reip. necessitatibus tam promte subvenerint? Si Reip. amici, ac fœderati majorem jacturam faciant hac servata, quam forte facturi sint eadem pereunde: stulte acturos, si ob metum futuri, ac incerti mali certam, ac præsentem calamitatem sibi attrahant. Sane necessitatem obtentui sumi, quæ ad ejusmodi pacem ipsos compulerit. Sed si majorum tempora cum præsentibus comparare velint, & expendere, quanto in periculo libertatem, vitam, fortunasque amittendi superiori seculo isti sæpius hæserint; contra quo paratu Resp. nunc instructa sit; quam multis, iisque potentibus fœderatis ea fulciatur, sanguinem pro ipsa profundere paratis, & hosti adhuc pares, & si Angliæ accedat superiores sint; uti hostis maritimæ vires fatali calamitate nuper in America fractæ sint: omnibus honestis, ac fidis patriæ civibus agnoscendum, parentum fortitudine, constantia, ac fide Remp. ad summum splendorem provectam, quam nunc contrariæ actiones in ruinam tractura sint. Ac ne quid ultra verum arguere videatur, ipsi cogitarent, num integro seculo, quo Resp. stetit, ullum exemplum ei simile, quod nunc contigit, reperiatur. Uti autem hæc monita e fido, & Reip. studiosissimo animo profecta sint: ita se sperare, ipsos probe ponderatis genuinis suis rationibus, omissa ratihabitione tam fœdi ac noxii tractatus, conciliandæ communi, ac honestæ paci incubituros, qua sola securitas, & quies Christiani orbis firmari potest. Quod si tamen isto pacto utique stare placeat, a se quidem id Deo, ac tempori committendum. Haut ideo tamen ad ignava consilia descensurum, sed fiducia justæ causæ expectaturum, quem finem laborum Deus daturus sit. Ac si maxime res improspere succedant, solatio tamen fore, id non suo merito, sed ob defectionem fœderatorum contigisse; ac ipsos forte primos dolituros, Westphalicas suas provincias, quarum securitatem tam facile erat stipulari, hoc modo neglectas fuisse. Quia autem omnia mala quæ sibi obvenire possint unice ob Remp. & ex peculiari ista pace promanent, adversus eam quam solennissime protestari, & inde nascentia jura, & actio-*

1678. *actiones sibi reservare; nec minus quod sibi ex fœdere adhuc debeatur; cujus obligatio per pacta ipsorum cum Gallo haut quidquam tolli potuerit; quin eosdem naturali, ac gentium jure teneri vel promissa repræsentare, vel reparationem damni inde orti præstare.* Redditis hisce literis Elector Romswinckelium adjungere jubebat: quia Resp. ipsum, atque Clivicas ditiones contra fœdus, & proprias rationes neglexerit, ut has videantur Gallicæ ditioni subjicere velle; id quidem suo loco relinquendum, nec ideo tam care parta iterum a se abdicanda. Sed quid commodi Belgio vicinus in Clivia Gallus pariturus sit, tempus edocturum. Arausionensis tamen, & Fagelius has literas reddi dissuadebant, velut Gallum exasperaturas, ac pondus officiis Reip. pro Electore interponendis detracturas. Amstelodamensem quoque civitatem, quæ maxime in culpa præcipitate hujus pacis sit, grandem inde offensam contracturam. Unde Romswinckelius eas literas exhibere differebat, Electore non parum indignante, ac ut sine mora tradantur jubente. Nam pace semel ratihabita Belgarum officia parum profutura; quod Gallo satis constet, Belgas in ipsius gratiam arma haut resumturos. NecGallum plus facturum, quam quod suæ rationes suadeant. Ac si Belgæ ipsius causam non majore studio quam hactenus agant non aliud præmium operæ istis navatæ sibi superesse, quam ut nunc sibi cum calamitate, qua istos liberaverit, luctandum sit. Equidem se nosse his literis parum profectum iri, velle tamen saltem id sibi liberatis esse, ut injuriam sibi factam ne mussitet. Ita Romswinckelius eas literas Fagelio tradebat, in consessu Ordinum exhibendas, præsertim cum jam earum exemplum Danico, ac Cellensi ministro communicatum vulgari cœpisset.

Arausionensis de ea pace judicium. 20. Aug.

§. 51. Super ea pace paulo post Arausionensis Francisco Meindersio declarabat: Sibi maximo dolori esse, Belgas hoc pacis negotium non in fœderatorum solum, sed & ipsius Reip. fraudem ita confuse, & præcipitanter tractasse. Adversus alios fœderatos forte rationis quid, quid aut excusationis inveniri posse; sed quæ in Electorem patrata sint, nullum colorem admittere. Cupidinem pacis apud potentissima Reip. membra ita enormem fuisse, ut nullo modo sisti potuerit. Jam post vulneratam causam multos ad saniorem mentem redire. Sed rem longius jam progressam, quam ut corrigi queat; ac optandum esse ante mensem ejusmodi consilia ab Anglo capta. Enimvero in Anglicana aula Gallica consilia prævalere, ac nemini liquidius, quam Gallo constare, quousque Anglus progredi statuerit. Etsi nunc non parum scrupuli isti injiciebat, quod plures subinde copiæ ex Anglia in Flandriam adpellerent, ut a Gallo nil amplius copiarum versus Germaniam, ac Mosam mitteretur. Cæterum se rogare, ne Elector quæ facta sint, ex asse Belgis, aut sibi tribuat. Alias is judicabat, pacem utique substituram, & Hispanos quoque consensuros, ac Gallum novis conditionibus decessurum. Ut Clivia 1678. bello eximatur, Belgarum non minus quam Electoris interesse. Sed si Gallus abnuat, ratihabitionem pacis e neutro Cliviæ statu indulgendo suspendi non posse, nec præter communes inducias aliud remedium videri. Ast Elector judicabat, si Belgæ serio ipsius causam suscipere velint, ratihabitionem pacis eousque inhibendam, quoad & ipse pacem suam absolverit. Nam post ratihabitionem officia Belgarum parum ponderis habitura. Ac si Gallo tantopere jactata in Remp. benevolentia cordi sit, haut gravatim eam difficultatem ante ratihabitionem sublaturum. Cæterum in aprico esse a Gallo nil aliud quæri, quam ut se, ac Remp. plane divellat, ne deinceps operam ad mutuam salutem socient. Cum tamen, uti Resp. urgente necessitate a nemine quam ab ipso præsentius auxilium expectari possit; ita vicissim par sit, Remp. nullo modo ut ab ipso disjungatur, pati. Unde unicam viam esse corrigendis quæ secus facta sunt, si Resp. pacis ratihabitionem differat, quoad sibi satisfactum sit. Ista vere dici Arausionensis, ac bonarum partium proceres agnoscebant. Sed nimirum adversæ factionis in pacem impetus nulla ratione sisti poterat; ac de istis ne audire quidem volebat, nisi pace prius per ratihabitionem firmata; quam & Galli, Suecique omni arte adversus Arausionensem obfirmabant eo ferociorem, quod per eandem nervus rerum gerendarum expediendus foret. Ita Belgæ post injuriam licet illatam caute tractandi erant, ne in magis infesta erumperent.

§. 52. Cæterum cum Elector dudum animadverteret id agi, ut suo dispendio qualiscunque securitas Belgio Hispanico pararetur, se compulso, ut Suecis erepta restitueret, simul constantiam Belgarum suspectaret; haut efficacius adversus ista remedium judicabat, quam ut, qui rem in Suecos gesserant, arctissime inter se juncti conniterentur, ne ipsi gratis pro alienis emolumentis laborasse viderentur. Ac istæ erant Daniæ Regis, Ducum Luneburgicorum, & Monasteriensis Electoris sociatæ vires, ut non facile aliena ex libidine cogi possent. Enimvero quo minus ejusmodi conjunctio tam salutaris, tamque necessaria coalescere posset, Luneburgici Duces præcipue in causa erant. Magnum ea Domus momentum firmandis fœderatorum rebus adferre poterat, si universæ enixo studio easdem amplecti animus fuisset. Sed nunc Joannes Fridericus Hanoveranus Dux Gallico fœdere, atque argento illigatus debitam patriæ opem subtrahebat; nec eo minus per iniquitatem temporum aliis Imperii Ordinibus necessitatem adferebat copias ipsius alendi, quæ nil nisi suspicionem in hostem pugnantibus faciebant. Reliqui autem Duces, qui antea egregiam operam adversus Gallos navarant, post Suecos Bremensi provincia ejectos, sua sibi consilia seorsim habere, ac cæteris fœderatis varia ratione molesti aut suspecti

Cum Luneburgicis actis.

1678. *Luneburgici legatos suos Electoralibus exaquari cupiunt.* *9. Jun. 1677.*

specti esse cœperant, ut quid solidæ fiduciæ in istis collocari posset non adpareret. Inter alia dissociandis animis non parum faciebant, quæ Duces super cerimoniis tunc movebant, queis legatos suos Electoralibus ex asse adæquari cupiebant. Jam superiore anno Salentinus Schutzius Haga Neomagum accedens Stratemanno significarat, si Cæsar Brunsuicensis Domus ministros Ambasiatorum dignatione habere velit, eam Domum plus quam hactenus ad communem causam collaturam: id ubi abnuatur, privata commoda sectaturam. Ad quæ Stratemannus: titulum Ambasiatoris nulli Domui Principali in Imperio, quæ apud Cæsarem legationem nomen profiteatur, in dubium revocatum, aut negatum iri. Sed circa illos easdem, quæ olim Monasterii, cerimonias adhibendas, ubi dextræ manus honor, ac titulus Excellentiæ istis tributus non sit. Nec enim eum titulum, (id quod Schutzius prætendebat,) characteri Ambasiatoris semper adhærere; quod ab Italis Principibus, Helvetiis, quin Ferraria, ac Bononia civitatibus Ambasiatores mitti soleant, qui tamen ideo dextram manum, titulum Excellentiæ, & ut caput, dum Principem alloquntur, tegere liceat, exigere haut possint. Schutzius: his sese haut valde contradicturum. Sed quod Electoralibus a Cæsare concedatur, id Brunsuicensibus Ducibus denegari non posse. Nam præter jus eligendi Cæsarem eadem hisce jura, eandem potestatem in ditionibus suis esse; non alio aut strictiori modo eos a Cæsare dependere. Et quia e tabulariis demonstrari queat, Electoralibus legatis non magis quam Principalibus quondam dextram manum concessam, Cæsar autem nunc circa hoc Electoralibus indulserit, eundem id hisce abnuere haut posse. Contra Stratemannus: super Electoribus aliter capitulatione Cæsarea cautum, ac tota Europa usu receptum: & quia in disceptationibus circa cerimonias magis usus, quam communes quædam juris rationes respiciantur, a Principalibus demonstrandum esse, dextræ manus honorem ipsius uspiam a Regiis concessam. Sed & Ducibus sua desideria non Neomagi, sed Viennæ exponenda. Alias Duces bene sibi consulturos, si tantum ablegatos exemplo Neoburgici, & Lotharingi mittant, ut omnia in integro retineant, nec per ejusmodi disceptationes sibi ipsis præjudicent. Alias iste Schutzius Neomagi tantum dignationem *Plenipotentiarii* gerebat, apparatu tamen longe splendidiore, quam multi Ambasiatores, usus. Qui cum procuratorium Jenkino tradere vellet, hic id acceptare abnuebat, causatus, alios legatos ab ipso prius salutatos. Alias Stratemannus censebat: etsi multos ob respectus in hoc postulatum consentiri nequeat: quia tamen Duces forte alia consilia agitent, ac eo prætexto ad deserendos fœderatos uti velint, hisce acri contradictione ansam offensæ haut præbendam, ac id negotium modeste declinandum. Strada legatus Gallicus Hanoverano ablegato dixerat: si maxime omnes Reges in hoc postulatum consentiant, Gallum tamen in id nunquam descensurum. Apud Villam Hermosam Duces super eadem re institerant; sed qui ambigue responderat: uti Hispania fœdus cum Domo Brunsuicensi peculiariter æstimet; ita Hispanicos legatos non postremos fore, qui optaturi sint, Ducum desideriis satisfieri. Quod responsum Ducibus haut arridebat, qui liquido declarari voluerant, iisdem honoris indiciis legatos suos cum Electoralibus habendos. Nec eo minus Mullerus apud Danos asseverabat, Hispanos omnia, quæ ipsi desiderent super cerimoniis annuisse. Quod idem de Danis apud Hispanos confirmabat; cum tamen isti nil aliud dixissent, quam sese horum exemplum secuturos. Nec aliud Beverningius super eadem re instanti responderat, quam aliorum sibi exempla respicienda. Alias Daniæ Rex sat pronum se ostendebat ad id honoris exhibendum Ducibus tam propinquo sanguine sibi junctis, quod Italis Principibus dari sueverit. Sed Luneburgici ministri contendebant, horum legatis titulum Excellentiæ, primam visitationem, si posteriores accedant, ac in aliorum legatorum ædibus primum incessum, locumque tribui; cum tamen constaret, neminem eorum his cerimoniis potiri præter Sabaudum, qui & Celsitudinis Regiæ titulo mactetur. Cæterum Duces id negotium fervide urgebant, haut obscure minati, ni protinus sibi satisfiat, a partibus se discessuros; quod satis intelligerent, siquidem pax brevi sequatur, fœderatos eorum minas parum curaturos; sed si extracto bello Anglus partibus accedat, iisdem quoque ingratiis apud fœderatos persistendum. Quæ ipsa causa hos quoque movebat, ne quid annuere properarent sibi fraudi futurum, utque nova ista dextre declinarent. Fuerat quoque initio hujus anni quorundam legatorum Hamburgi congressus, in quo Luneburgici priorem sibi locum præ Electoris secundario ablegato deposcebant. Qua super re Elector apud Collegas, ipsumque Cæsarem querebatur. Porro ut is honor legatis suis tribueretur, Duces literis sat asperis a Cæsare postulaverant; quibus hæc præcipua ratio urgebatur, quod Cæsar secundariis Electorum legatis, quos sui recepto more præcedant, Excellentiæ titulum, ac dextræ manus honorem ipsius legatos visitantibus exhiberi jusserit; unde iniquum esse, Electorales secundarios nunc ante primarios suos haberi, hosque tantopere deprimi. Et cum paria regalia, paria in ditiones suas jura cum Electoribus obtineant, paria quoque jura legationis sibi deberi. Schulenburgius, qui eas literas reddiderat, addidit; si Cæsar Ducibus in hoc negotio gratificetur, ipsos novo se fœdere contra Gallum & Suecum obstricturos, & extrema quoque pro communi causa tentaturos, quod nihil gratius iisdem fieri possit. Sin minus, eosdem a fœderatis se disjuncturos, forte & penitus in hostium partes concessuros. Idem quoque tradiderat; Electorem nunc circa id postulatum faciliorem se præbere, ac propediem Ducum causam fulturum. Quod cum Cæsari inopinum accide- 1677.

1678. ret, cum universum collegium, ac ipsi Ecclesiastici Electores ei petito acriter contradicerent, per suos Neomagi explorari jubet, num ita se res habeat. Quibus Blaspielus reponebat: Electorem semper declarasse, se in causa prærogativam totius Collegii tangente solum nec posse, nec velle quid decernere; sed hujus unanimi sententia staturum; nec unquam aliquid ad imminutionem dignationis Electoralis faciens concessurum. Non autem mirum esse, talia a Luneburgicis ministris spargi, queis solitum sit apud quosvis asseverare; horum declarationem præcipuum momentum negotio allaturam, quod reliqui jam suis desideriis pronos se exhibuerint. Cæterum legati Cæsarei censebant, Ducibus aliquo modo esse satisfaciendum, ut tamen circa cerimonias aliquid discriminis Electorales inter, & Principales maneat. Alias in universum aula Cæsarea paucis prærogativæ quid concedere malebat, quam id dignationis in tam multos diffundere. Nam Platenus jam Neomagi dixerat; Luneburgicorum exemplo alias quoque Domus Principales idem postulaturos. Sed non pauci credebant, ab aula Cæsarea Ducibus insinuari; Electorem quam maxime ipsorum votis reluctari, quo arctior hujus conjunctio cum ea Domo ob interjectam æmulationem impediretur. Gemina super cerimoniis deposcebat Neoburgicus, cujus ablegati Hochkirchius Baro, & Caspari Neomagi Blaspielum haut invisebant, quod huic Excellentiæ titulum dare nollent. Qua de re hic apud Gurcensem querebatur: indignum esse Neoburgici ablegatos id recusare, quod Cæsarei legati faciant. Ratisponæ, ad quod exemplum isti provocent, ab Electore missum nunquam dignationem Ambasiatoris extraordinarii gessisse. Nec quæ Ratisponæ observentur, ad alios conventus extra Imperium porrigi posse. Simul petebat, ne isti ad congressum fœderatorum admittantur, antequam sibi circa hoc satisfactum sit. Sed Neoburgici, sive quod Cæsarei hæc iisdem non dixerant, sive quod isti ea non curabant, congressui fœderatorum sese ingerebant; quo protinus Danus, Blaspielus, & Beverningius nullo verbo dicto excedebant. Iidem Heugium visitabant, qui priorem locum capiebat, & eos in anteriorem cameram præcedebat. Pari modo Beverningius cum iisdem agebat.

Hochkirb Caspari.

Luneburgicorum ad Electorem missio. 26. April.

§. 53. Cæterum Luneburgici postulato suo Electorem præcipue urgebant. Comminicaverat Arausionensis Cellensi Duci per Blaspielum sententiam suam de rebus hoc anno suscipiendis. Cui Cellensis responderat: in Circulo Inferioris Saxoniæ parum fiduciæ collocari posse. Se, ac Guelferbytanum parum posse, ni subsidiis e Belgio, & Hispania subleventur. Simul inde occasionem arripuerat Fridericum Heimburgium ad Electorem mittendi; qui proponebat: haut equidem difficile fore hoc anno Suecos penitus Germania depellere. Ast ni Gallis in Belgio tota vi obviam eatur, hos eousque grassaturos, ut deinceps remedio locus non sit futurus; ac Hispanis necessum fore qualemcunque pacem amplecti insuper habitis Borealibus fœderatis. Unde Duces ex Electore nosse cupere, quid hac rerum facie consilii capiendum, & quid contra Gallos quid item contra Suecos agendum? Elector censebat, Gallis utique tota vi occurrendum, ut tamen Sueci non omittantur, ne respirandi spatium nacti denuo infesti a tergo ingruant. Unde sibi decretum VI M in Belgium mittere; cum reliquo exercitu in Suecos rem gerere. Tum petebat, ut Duces auxilia ex fœdere sistant, id quod & propria horum utilitas requirat, quod bello quæsitorum possessio tuta non sit, nisi Suecis tota Germania exterminatis. Ad ista Heimburgius: Duces contra Gallum IV M militum missuros; sed super auxilio contra Suecum cum Electore novam conventionem inituros. Priorem enim esse ambiguam, cui & a se satisfactum Duces judicent. Nec enim ibi expressum, ut Elector tota Pomerania, sed tantum æqua satisfactione potiri debeat. Ac præstare Suecorum conatus propulsari, ac tota vi rem in Gallum geri, ne a Belgis, & Hispanis fœda pax præcipitetur. Contra Elector: sibi nondum satisfactum, quamdiu Sueci adhuc in ora Pomeraniæ hæreant. Nam in præsidia ista sibi menstrua XX M uncialium impendenda. Sed nec fœdus ante biennium initum adhuc impletum esse. Monasteriensem jam promtum se declarasse ratæ auxiliorum parti mittendæ. Primo anno auxiliares copias tarde accessisse, Demmini deditione brevi insecuta. Præterito anno numeros ad Stetinum haut plenos fuisse; cum tamen Duces pro isto auxilio hospitiis continuo gavisi sint. Nec in eo fœdere unum, aut alterum annum auxiliis mittendis definitum, sed quousque sibi in Pomerania sit satisfactum. Contra Heimburgius sententiæ suæ pervicax: Duces ex priori fœdere nil amplius debere. Eos tamen testando in Electorem studio insignia auxilia præstituros his legibus, ut Electoris legati Neomagi Ducum ministros Ambasiatores agnoscant, iis Excellentiæ titulum, primam visitationem serius accedentibus, ac in suis ædibus digniorem locum tribuant. Tum ut Elector novissimum decretum Circuli Inferioris Saxonici adprobet una cum pactis, quæ Duces cum nonnullis ejus Circuli Ordinibus iniverunt; ut denique Elector Ducibus faveat contra eos, qui aliquid actionis in Cremensem provinciam movent. Ast Electtor pertendere; cum Duces convento emolumento ex fœdere fruiti sint, eosdem ad præstanda, quæ vicissim debeant, teneri. Alias sibi sex militum millibus contra Gallum destinatis in Pomerania utendum, reservato sibi omni suo jure in Bremensem ditionem, & actione ob damnum eo nomine sibi nascendum. Nova Ducum postulata quod spectet, se Domui Luneburgicæ jus legationis nunquam in dubium revocasse: circa cerimonias recepto usui inhærere. Quicquid Duces a Cæsare, Regibus, ac Electorali Collegio impetrare queant, sibi quoque placiturum: sed a 1678.

Collegii

Collegii sententia privatim discedere sibi nefas. Circa hospitia Inferioris Saxoniæ Cæsaris se assignationi inhærere. Nec minus circa Bremensem ditionem ante biennium conventis stare. Ad hæc Heimburgius: Cerimonias charačteri Ambasiatorum innexas: istis negatis hunc quoque in dubium vocari. Longum esse ad Collegium Electorale rem rejicere. Modo Elector petitis annuat, rem confectam fore. Saxonis sententiam cito cognosci posse. Bavaro lætum fore Electorem cum Ducibus collidi. Ad reliquos parum respiciendum. Ei repositum: ista juri legationis necessario adhærere, quæ legatis absque ejusdem juris læsione negari nequeunt; uti est securitas, & sanctimonia, & si quæ alia iis omni tempore apud quosvis populos indulta, eoque juris gentium facta sunt. Uti autem successu temporis formulæ quoque & cerimoniæ mutatæ, ac circa multos Principes, quibus jus legationis citra dubium competit, diverso modo observatæ sunt: ita has non constituere partem juris legationis, sed ab uno Principe erga alterum adhiberi, prout receptus usus ferat. Nec se solum aliquid mutationis facere posse citra consensum Collegii, ac reliquos ipsius exemplum haut curaturos. Igitur Duces missis hisce conditionibus auxilia ex pacto repræsentarent. Sed Heimburgius istis haut motus differebat: Duces Electoribus prærogativam, quæ ex Aurea Bulla, & antiquo usu competat, minime omnium invidere, aut eam imminui cupere; sed potius quantum in se, ut ea conservetur, operam navaturos. Enimvero jus legationis non minus in Principes, quam Electores cadere; id quod autem rite exerceri nequeat, ni Ducibus facultas sit pro lubitu ejusmodi ministros mittendi, qui ipsorum personam repræsentare queant: a quo charactere autem ex usu præsentium temporum debitus Ambasiatoribus honor, ejusque insignia separari nequeant. Apud id genus conventus, qualis nunc Neomagi agitatur, titulum Ambasiatorum non magis apud Electorales, quam Principales diu in usu fuisse, prout & totum cerimoniarum negotium brevi abhinc tempore mutationem subiit. Cum igitur cuilibet, cui jus competit supremi gradus legatos mittendi, haut eo minus integrum sit ministros suos hoc vel illo charactere vestire; obstare non posse, quod missi a Ducibus ministri alios apud tractatus ea dignatione insigniti haut fuerint; eoque hoc postulatum novum & inusitatum haberi non posse; cum res meræ sit facultatis, quem characterem quisque, qui jure legationis gaudet, a se mittendo imponere velit. Duces quoque de hoc negotio merito heic instare, quod alii Electores Neomagi Ambasiatores non habeant; idemque haut ejus indolis sit, ut ad totum Collegium spectet, & cum prærogativis, quæ soli Collegio Electorali competunt, nil commune habeat. Ac si Elector in id consentiat, ac apud alios officium interponat, id non parum ponderis habiturum. Plura se non exigere; vicissim promtum auxilium offerre. Ad ista regerebatur: quod cerimoniæ partem juris legationis non constituant, ex eo adparere, quod istæ non ad unam formam, sed cum ejusmodi proportione ac discrimine adhibeantur, prout initis eo nomine pactis, & recepto usui congruit; salva de cætero ipsorum Principum dignatione. Demum tamen offerebat Elector, se apud Cæsarem, Collegium, aliosque Reges operam interpositurum, ut Ducibus circa cerimonias plus quam hucusque indulgeatur, his tamen conditionibus, ut notabile discrimen inter Electorales, & Principales legatos maneat; ut Duces VI M militum, quamdiu bellum duraverit, contra Suecos, eorumque fœderatos sibi auxilio mittant, eaque quamprimum cum Electoralibus ad rem simul gerendam conjungant; in quod num Ducibus consentire placeat, sibi certo constare debeat, quod cum aliis jam super auxiliaribus copiis negotietur. Ut a Ducibus Hamburgenses compellantur, quo C M uncialium e Cæsarea assignatione per biennium debita sibi exsolvant. Denique ut Duces in futurum sibi super assignandis hospitiis controversiam ne moveant. Quod si autem in præsens super augmento copiarum conveniri nequeat, saltem auxilia fœdere definita præstanda esse, quibus Duces per nova postulata sese exsolvere haut valeant. Ast Heimburgius priora ingerere. Cerimonias non ad unam formam inter Principes observari, & cum tempore mutationem subire notorium esse; sed eas merito ad indolem temporis, in quo degamus, & ad sententiam Principum, quibuscum nobis negotium sit, exigendas. Sane id negari non posse, si inter eos, queis par jus legationis competat, tam notabile discrimen statuendum sit, Principum dignationem graviter lædi. Sed nec exprimi, num Ducalibus titulus Excellentiæ, prima visitatio, ac dignior locus in eorum, quos adituri sunt, domibus danda sit. Elector contra: sibi hautquidquam animum esse per discrimen inter Electorales, & Principales legatos deinceps observandum dignationi Ducum aliquid detrahere. Sed notum esse, quantum laboris, sumtuum, ac molestiæ tum universum Collegium, tum ipse peculiariter exhauserit circa controversias, quæ super cerimoniis motæ sint, superandas, ut id, quod Electoribus universis ac singulis per Auream Bullam competit, passim in usum deduceretur. Pro se militare dispositionem Aureæ Bullæ, qua Electores Regibus æquiparari pronuntietur, qua ratione hactenus Principes, quorum dignitas tamen in integro relinquatur, usi non sint. Eoque si ipse a fundamentis Electorali Collegio unice competentibus discedat, huic præjudicium generaturum. Unde Ducibus tentandum, quousque res apud Cæsarem, & Reges pervinci queat; quorum autoritatem antevertere sibi haut fas sit. Ulterius tamen se processurum, ac Ducum legatis dextram manum in suorum legatorum ædibus cum titulo Ambasiatorum oblaturum. Super reliquis cerimoniis Cæsaris, & Collegarum sententiam exquisiturum. Sed Heimburgius

1678. gius hisce oblatis contentus haut erat, causatus, quod novum, & post Westphalicam demum pacem introductum sit, Electorales Principalibus digniorem locum in ædibus suis denegare; (quod nostri tamen inficiabantur.) Nam quia Elector Ducibus in domo sua priorem locum haut denegat, ultro consequi, idem Ducalibus legatis apud Electorales deberi. Nec Duces circa discrimen inter suos, & Electorales legatos constantem usum agnoscere, qui obstet, quo minus suis legatis titulus Excellentiæ, ac prior visitatio ab Electoralibus detur. Igitur si Electorales Ducalibus legatis Excellentiæ titulum, primam visitationem, ac dextram manum concedere velint, salvis de cætero peculiaribus Electorum juribus, Duces IV M militum auxilio missuros, sed quia ista præstare penes Electorem non erat, ac Duces eo prætexto auxilia abnuebant, is quoque oblatis teneri amplius nolebat. Ita tunc Heimburgius re infecta discessit.

Consultatio super Luneburgicorum postulatis.

§. 54. Iste agendi modus a Luneburgicis adhibitus etsi multum indignitatis habebat; quia tamen & causæ communis, & Electoris peculiariter intererat, eos in partibus retineri, Elector suis expendendum proponebat, num Ducum postulatis utique annuendum sit? Ubi aliqui censebant; *rem esse magni momenti, & ubi graves in utramque partem rationes se ostendant. Nam inde quidem dignitatem Collegii, & Unionem Electoralem non videri concedere, ut Principibus aliquid novi indulgeatur, aut ut Elector absque consensu Collegii quid statuat. Hinc vero præsentem rerum faciem valde suadere, ut Ducum desideriis velificemur. Nam præsumendum esse pacem brevi secuturam, & hanc postremam fore expeditionem, non solum quia tot Principes in Germania, & extra eam Belgæ ita enixe pacem urgent; sed & quia exhaustæ ditiones belli oneribus tolerandis non amplius sufficiunt. Jam autem extra controversiam esse, ni Elector ante pacem totam Pomeraniam subegerit, eum per tractatus pacis non modo quod Suecis reliquum est non accepturum, sed & ab eo magnam jam occupatorum partem restituendam. Ast totam Pomeraniam possidenti forte non defore rationes eam retinendi. Unde hoc rerum articulo futura expeditione omnes vires exserendas, tum fœderatos ad eundem scopum incitandos. Atqui a Cæsare nil opis expectandum. Danum ipsum auxilio indigere. Monasteriensem tractationi se offerre, sed ancipitem fidei, ac duras leges propositurum, cujus & fœdus forte collisionem cum Luneburgicis pariturum sit, haut toleraturis, ut iste Electoris portione in Bremensi provincia potiatur. Quæ collisio præsentibus juxta hostibus, ac in universum Catholicis admodum læta futura sit, velut qui varia per artificia Electorem cum ista Domo committere quærant. Porro Monasteriensis auxilia adhuc longe remota, ac per prolixos tractatus demum obtinenda, quorum eventus adhuc dubius sit; quibus & forte Luneburgici transitum concessuri non sint. Contra cum Luneburgicis vel una die transigi posse. Eorum copias in vicinia paratas consistere, nec pecuniam, aut annonam postulare. Ast ubi* 1678.
protelentur, posse eosdem Electoris destinata etiam indirecta ratione impedire, transitum copiis nostris per Meclenburgicam, & proprias ditiones negare, aliaque obstacula objicere. An autem, & quatenus ea res fastigium Electorale afficiat, non minus consideratione dignum esse. Sane Electorem Neoburgico legato in Polonia Excellentiæ vocabulum tribui jussisse. Eundem titulum ab ipso Sabaudi quoque legatis concedi; cui tamen idem non magis, quam reliquorum Italicorum Principum utut sanguine junctorum legatis in aula Cæsaris detur, usque adeo ut expresso decreto aulæ interdictum sit eos quoque hoc titulo non honorare, quibus is alias etiam extra legati characterem ob natales more Italico debetur. Non insuper quoque habendum, rem cerimonialem inter Electorales, & Principales legatos hucusque neque per pacta, neque constantem consuetudinem ita ordinatam, ut certum fundamentum extet, cui inniti queamus; sed subinde varias in ea mutationes obtigisse, circa quas nobis conventionibus opus fuerit. Equidem si duntaxat de titulo Excellentiæ agatur, uti Platenus Neomagi proposuit, rem non ita difficilem esse. Plerosque enim Principales Electoralibus istum non tribuere, nisi eundem accipiant. Unde quæstionem esse, utrum magis e dignitate sit Electoralium, Excellentiam neque dare, neque accipere, an ut ea hinc inde detur. Quod si id temperamentum arripiatur, ut communicatione plane abstineatur, idem æqualitatem haut tollere, ac alias admodum noxium esse, nec ad diuturnitatem valere. Eam quoque hujus conventus extra Imperium habiti indolem esse, ut alibi, & in Imperio, quæ ibi admittuntur, in exemplum trahi nequeant. Sed & dubium esse, num prima visitatio, quam Duces exigunt, tanti sit, ut ideo insigne emolumentum Electori e manibus amittendum sit. Cum huic cautum non sit, an & quamdiu collegæ ipsi adhæsuri; & an non unus & alter, quin ipse Cæsar, ac Reges ob longe tenuius commodum publicam causam deserturi, ac ejusmodi præjudicium admissuri sint, quod nunc Electori tanta cum jactura evitandum est. Non Osnabrugæ solum & Monasterii, sed & alibi apud Gallos, & Hispanos inter artificia habitum, ubi solida utilitas sperabatur circa cerimonias cupientibus gratificari, ac adversam partem in eo prævertere; quod primum annuens gratiam, & commodum occupet; cum alteri longam post tergiversationem, ubi aliæ rationes communicationem exegerint, ingratiis post cedendum fuerit. Ac jam Cæsaream aulam, & quosdam Electores vacillare videri. Denique si Duces destinatis suis apud Cæsarem, Reges aliosque Collegas obtineant, Electori exemplum gratis imitandum fore, tanto interim emolumento neglecto. Ast si Duces voto suo apud alios excidant, plurimas vias fore obligatione se exuendi, si maxime in præsens Ducibus aliquid annuatur; quod & effectu cariturum sit, si alii contradicant, præsertim cum evictio ab Electore non postuletur. Equidem Principes Electorum prærogativis multifarium detractum ire, ut merito quicquid præjudicii speciem habet, cavendum sit. Contra id quoque manifestum esse,

Princi-

1678. *Principibus insigne fulcrum subductum iri Suecis ex Imperio eliminatis, velut qui non ipsi solum istorum causam contra Electores semper sustinuerint, sed & Gallos eodem pertraxerint.* Eas ob rationes isti censebant, Ducibus circa titulum Excellentiæ, ac primam visitationem gratificandam, salvo circa reliqua inter Electorales, ac Ducales legatos discrimine. Cæsari, qui Electoris sententiam super hoc negotio exquisierat, laxioribus verbis respondendum, ne is animadversa ipsius inclinatione eam gratiam occuparet. Cum Ducibus autem ita agendum, ut hi quæ obtineant soli Electori imputent. Disserebatur inde super missis a Neoburgico, qui repugnante omni ratione, cum non nisi *Deputatorum* dignationem gererent, Blaspielo se pares ferre instituerant, quem Cæsarei, ac Regii Ambasiatorem agnoscebant. Equidem isti ad Marenholtzii, & Godofredi Jenæ exemplum provocarant, qui ejus Principis legatis Ratisponæ eum, quem ipsi nunc postulent, honorem exhibuerint. Ast isti initio legatorum extraordinariorum dignationem gesserant, in qua & ne minimum quidem remiserant. Postea characterem ab Electore imminutum, & Jenæ injunctum, ut ad Oexelii Bavarici habitum se componeret, qui nunquam Ambasiatoris dignationem præ se tulerat. Quin & extra Imperium, & in ejusmodi conventibus incongrue allegari, quod domi, ac ubi sola ejusdem Reip. membra congregantur; observatur. Denique ab aliquo tempore, ac e libro de jure legationis Principibus competente recens edito, cui insolitus de *Suprematu* titulus inditus, facile perspici, quid isti animo agitent. Equidem ejus scripti autorem esse virum eruditum, & moderatum, qui omni adhibita diligentia rerum non sat peritis, aut præjudicio occupatis id quod sibi proposuit persuadere laboret. Enimvero si id negotium ad fundamenta ex indole Reip. Germanicæ petita exigatur, paritatem inter Electores, ac Principes, quæ palmaria ejus ratio est, ultro corruere. Nam Electoribus ut singulis plenum legationis jus cum supremo charactere in ipso Imperio apud summum ejus caput Cæsarem ex usu in fundamentali Imperii lege expresso, ac stabilito competere. Idque jus Electores eo modo obtinere, ut nullius Reip. Ambasiator extraordinarius Electorali Ambasiatori etiam apud ipsum Cæsarem, in Imperio, & in aula Cæsarea sit præferendus. Unde & cum anno 1636. in aula Cæsarea decretum in favorem legatorum Venetorum conditum esset, eidem non solum statim atque innotuit contradictum, sed & novissima capitulatione id expressis verbis abolitum, ac Electorum jus legationis plenarium publice in Imperio denuo confirmatum. Unde non adparere, quis salva ratione huic se juri in Imperio opponere possit, nisi cui libido sit ipsam Reip. formam, ac queis ea innititur leges subvertere. Ita Electorum prærogativam circa jus legationis præ Principibus liquidum esse velut in palmaria Imperii lege, ipsaque adeo reip. forma fundatum; quod & adversus exteros Reges valeat, & adversus quod nil excipi queat: quale quid Principes pro sua prætensione nullo modo adducere posse. Ast ubi scriptor ea quam comminiscitur paritate depulsus fuerit, reliqua quæ movet nemini nocere, nisi Principibus ipsis, quorum multis recens id jus Suprematus, potentia fere metiendum, adplicari haut potest, utut alias antiquitate prosapiæ nemini concedant; quoque adeo hautquidquam eo duntaxat nomine alicui competit, quia inter Ordines Imperii censeatur. 1678.

§. 55. Accessit paulo post iterum Heimburgius; cui Elector de mutata rerum facie per imminentem Belgarum, atque Hispanorum secessionem proponebat, & quid consilii eum in casum capessendum; ac num eo non obstante Duces bellum persecuturi sint? Tum interrogabat, num quid veri subsit, quod fama ferat, Duces cum Gallo per Hanoveranum agere circa Bremam pro summa pecuniæ reddendam? Isthoc uti Heimburgius inficiabatur, tanquam ab hostibus confictum; ita memorabat, Monasteriensem censuisse cum Suecis seorsim tractandum. Sed Ducibus haut persuaderi, Suecos hoc rerum statu ad separatam pactionem descensuros; quæ & Electoris sententia erat. Qui & censebat, superesse tantum copiarum etiam deficientibus Belgis, atque Hispanis, ut si junctis animis, consiliisque res geratur, Gallicæ adhuc potentiæ resisti queat; modo Cæsar constanter bellum persequatur, ac fœderatis circa hospitia faveat. Tum ut Belgæ, si fœderatis nil auxilii ferre velint, saltem promittant, se non permissuros a Gallo classem in Mare Balticum mitti, aut ab eodem Circulum Westphalicum armis infestari. Ast si Cæsar quoque deficiat, Daniæ Regi, sibique, ac Ducibus arctissimam conjunctionem ineundam, quo sociatis viribus satisfactionem suam pervincant. Quæ Heimburgius satis probare visus est; ad arctiorem tamen conjunctionem necessarium esse, prius omnem dissidiorum inter ipsos materiam tolli. Cum contra Elector censeret, quia periculum in mora sit, haut tempestivum esse talia movere, sed id unice agendum, ut hostis subigatur, & communis pax obtineatur. Sed cum Elector nosse vellet, quænam sit illa dissidiorum materia, iste iterum de ceremoniis, & Inferioris Saxoniæ hospitiis inculcabat. Ex quo etsi satis adparebat, in Ducibus nil fiduciæ collocari posse, ac eos peculiaria sibi consilia agitare, captato offensæ prætexto, velut desideriis suis satisfactum non sit: Elector tamen penitius explorando istorum animo ulterius proponebat: Initio quidem suadente Arausionensi decretum sibi fuisse tota vi in Gallum vertere, ac Suecos propulsasse satis habere. Sed nunc gravibus de causis id consilium mutasse, præsertim cum de Cæsaris destinatis nondum constet, quem multi in pacem inclinare suspicentur. Ac Danum magnopere expeditionem Rhenum versus dissuasisse, ac ut omni vi in Pomeraniam eatur ingessisse. Quo fine se propediem huc moturum, & au-

Alia Luneburgicorum ad Electorem missio. 21. Jun. *23. Jun.* *…lemol.*

1678. & auxilia ex fœdere debita Duces poscere. Super cerimoniis facturum, quod Collegis suis placuerit; nec arbitrari plus a se exigi posse. Ad quæ Heimburgius: quia Duces Cæsare, Belgis, & Hispanis autoribus bello in Gallum se sociaverint, in horum arbitrium ab istis conferre, in quas leges pacem cum Gallo inire velint, sed quæ satisfactioni ipsorum e Sueco petendæ fraudi esse non debeat. Cæterum sibi probari, quod Elector tota vi rem in Suecos gerere instituat, ac Duces facturos, ut studium suum isti adprobare queant, etsi ex fœdere ante biennium inito ad auxilia non teneantur. Tum nil præter totiens ingesta de cerimoniis, ac Inferioris Saxoniæ hospitiis ingerere. Magis adhuc Electoris animum perstringebat, quod cum Schutzio Neomagi a Cæsareis, & Hispanis objiceretur, Duces in culpa esse, quare Belgæ ad tam distorta consilia descenderint, dum copias ad Rhenum, & Mosam mittere recusant; is culpam in Electorem retorquere conaretur, quod hic omnes vires in Pomeraniam vertere voluerit; unde Ducum copiis parum profici potuerit; qui alias tota vi in Gallos eundem censuerint. Idem Gallis proposuerat, si Bremensis provincia Ducibus relinquatur, hos deinceps medios fore. Id quod Galli velut nimis caro emtum rejecerunt. Unde & post Duces cum satis intelligerent Bremæ possessionem sibi in lubrico fore, quamdiu Sueci in aliqua adhuc parte Germaniæ hærerent, Electori III M peditum, D equites ad subigendas Pomeraniæ reliquias ultro submiserunt.

Cum Monasteriensi acta. §. 56. Inter ambigua ista Luneburgicorum consilia Elector tentaverat, num Monasteriensem arctius sibi innectere, ac per hunc supplere posset, quod auxilium sibi per istos subtrahebatur. Unde misso Ledeburio super strictiore conjunctione proponebat, simul ejus sententiam exquirebat, quid consilii contra Domus Brunsuicensis suspectas actiones, ac prætensiones capiendum sit. Nam Cellensem Ducem obtentu præfecturæ in militiam Inferioris Saxoniæ tantum non imperium in hanc cum absoluta disponendi facultate sibi arrogare, magno cum præjudicio, atque contumelia reliquorum Ordinum, nec Daniæ Regi, aut sibi assignata hospitia concedere; tum totam Bremam in se trahere; nec rationi locum relinquere, sed omnia sua ex libidine agere velle. Præterea in Danum, seque, ac ipsum Præsulem novas prætensiones movere; præstationibus ex fœdere debitis vario obtentu se subtrahere, denique ubi postulata non protinus annuantur, haut obscure minari, se non solum pro communi causa nil amplius facturum, sed & plane in hostium partes concessurum. Ista cum neminem magis, quam se, Daniæque Regem, ac Præsulem tangant, necessum esse, ut ipsi inter se consilia conferant in eum casum, si Duces a fœdere deficiant. Quia etiam Duces in fœdere ante biennium inito promissa, auxilia nisi nova postulata annuantur; negent, eoque & ipse non teneatur ad præstanda ea, quæ vicissim obtulerit; se ista jam Præsuli offerre, si IV M militum solus exhibere, & pro iis concessa Ducibus commoda acceptare velit. Ei magis devinciendo ostendebat, majorem partem in Bremensi provincia occupatorum non Præsulatui, sed ejusdem familiæ attribuendam esse. Præterea Duces, dum Meclenburgica, ac Lauenburgica ditio iis ceditur, promisisse ita se eam tuituros, ut hosti non sit facultas ibi irrumpendi, ac sibi, aliisque fœderatis damni quid inferendi. Eo tamen neglecto januam Kœnigsmarckio apertam in Meclenburgicam invadendi, id quod exigua manu impediri poterat; ac speciem collusionis cum hoste habere, quod viarum angustiæ, quarum ea regio plena sit, vel non custoditæ, vel ultro desertæ fuerint. Huic igitur dominatui in Saxoniam Inferiorem quomodo deinceps obsisti possit, Præsulis sententia exquirebatur. Præterea Ledeburius velut privato nomine mentem Præsulis explorare jubebatur super postulato Ducum de cerimoniis, tum Electoris acta eidem adprobare, velut quem haut decuerit Cæsari, Regibus, & Collegiis præjudicii quid adferre. Neque vero etiam prætensionem Principum ordini in universum bono cedere, sed tantum in peculiare fastigium ejus Domus strui, dum eadem talibus rationibus stabilitum itur, quas alii Principes, etiam queis prior præ ista locus debetur, in se trahere nequeant. Præterquam quod hujus temporis non sit, ejusmodi controversiis animos eorum distrahere, quos concordi studio ad commune decus patriæ vindicandum incumbere decebat. Et quia Duces quidquam in communem hostem gerere nolint, nisi novis, iisque importunis postulatis satisfiat, facile adparere, istos prætextum dundaxat aucupari a bonis partibus sese dissociandi. Ad ista Præsul non nisi ambigue, & laxis verbis respondere, ac velut metueret, ne ista in publicum emanarent. Post tamen paulo liberalius offerebat de conjunctione cum Electore, in quam & Daniæ Rex adsciscendus sit. *5. April.* Potestatem, quam Duces sibi in Saxonia Inferiore arrogent, haut tolerandam, & assignata hospitia vi contra quoscunque tuenda. Tum inhonestæ paci omni modo reluctandum; quo fine a Daniæ Rege, Electore, ac se consilia, viresque strictissime sint jugenda; quod negotium tamen in Hafniam rejiciebat. Super cerimoniis mentem suam premebat, nisi quod innueret, eam Domum nonum Electoratum parturire. Copiarum Præsuli parum supererat, postquam Daniæ Regi VI M addixisset. Ratam tamen partem ex fœdere, etsi non sine variis difficultatibus offerebat, simul III M militum ad expeditionem in Rugiam, pro quibus aliquid terrarum in ea insula sibi deposcebat. Utrumque irrito eventu ob infinitas procrastinationes; inter quas demum mors senem rebus humanis exemit; quibus turbandis iste plus quam pro decoro sui ordinis contulerat.

Cum Daniæ Rege acta. §. 57. Ita solus Daniæ Rex supererat, cujus constantia Elector tuto niti posset. Enimvero tum ejus Regis, tum Electoris destinatis non modica remora injiciebatur copiis, quæ

Rugi-

1678. 12. Jan. Rugiam insulam insidebant, a Kœnigsmarckio deletis. Eo conflictu Elector unam equitum legionem, quinque dimacharum cohortes, cum CCCXL selectis peditibus amiserat, qui fere soli in hostem pugnaverant, cæteris cum initio statim Rumorius, cui in copias istas imperium erat, machinæ globo cecidisset, in fugam se dantibus. Culpa cladis in istius Rumorii inscitiam conferebatur, nisi magis incusandus erat Vincentius Joachimus Hahnius, qui monente licet Electore, ut alius peritior dux insulæ præficeretur, istum sustinuerat. Qui & idem flagrantissima tunc Regis gratia florens omnia bona consilia subvertere arguebatur, factiosis quoque machinationibus, queis aulam exercebat, præstantissimum quemque ducum protelans; non exiguo Danicorum armorum damno. Sed & Cornelio Trompio per Nicolaum Julum, ejusque factionem multum molestiæ dabatur, solita indigenarum adversus eminentem exterorum virtutem invidia, ita ut iste missionem flagitare inciperet. Et quanquam connitente Electore Rex demum eidem satisfacere vellet: tamen cum is ostenderet, veniam sibi a Belgis, & Arausiosionenti petendam, ut Danicam militiam continuare liceret, Julus, & alii æmuli id præcipue exaggerabant; classem haut tuto committi ab extraneo pendenti, sic ut demum iste a Dania dimitteretur. Cæterum Elector jam mature super recuperanda Rugia apud Regem proponebat, quam & hic cordi sibi esse ostendebat. Sed prævertebat cura subveniendo Christianstadio, cui non nisi ad Julium mensem annona

Maji. suppetebat. Interim de fœdere super mutua evictione eorum, quæ Sueco erepta fuerant, Hafniæ tractari cœptum, quo & Monasteriensis Nicolaum Zizevicium miserat. Eodem & Rex Luneburgicos invitaverat; sed qui responderunt; ei se fœderi accedere non posse, nisi legatis suis Excellentiæ titulus, & alia Ambasiatoribus solita tribuantur, ac super Bremensi partitione conveniatur. Ad quæ Danus regesserat; super partitione prædæ facile conveniendum, modo de ejusdem evictione cautum sit. De cerimoniis annuere non penes solum Electorem, sed totum collegium esse. Etsi Rex censebat; si maxime ipse, & Elector Ducibus circa cerimonias gratificentur, eos tamen nova effugia quæsituros, ne quid in communem causam conferant. Nam apud istos, ac inprimis Cellensem aulam fixum sedere, ne sibi, atque Electori plus potentiæ, terrarumque adcrescat; nec in obscuro esse, eosdem Electori Pomera-

Maji. niam invidere. Cum Elector Regi a Ducibus per Heimburgium proposita communicasset, Rex eum agendi modum valde mirabatur, ac ab Electore mascule, ac solide responsum fuisse. Cæterum quanquam iniqua ista sint; præsenti tamen tempestate omnem cum istis collisionem vitandam: nec ideo anxie nimis eosdem captandos, ne majores spiritus sumant, & ad iniquiora postulanda descendant. Cum porro Rex arcta conjunctione inter se, Electorem, Duces, ac Præsulem opus judicaret, ne ipsis necessum foret obtrusas a Gallo leges admittere; eam rem fervide urgebat usque adeo, ut cum Elector tardius moliri videretur, nonnihil suspicionis conciperet, velut ea res parum ipsi curæ foret, quod forte per Belgas rationibus suis consultum iret. Sed cum Elector facile sinceritatem consiliorum suorum Regi adprobasset, negotium jam ad Duces hærebat, qui alibi quam Hafniæ id fœdus tractari volebant; id quod non parum moræ, ac difficultatum pariturum erat. Tum & Wittorfius Ducum ablegatus Friederico Brandio velut secundario Electoris ministro cedere loco abnuebat. Qui & ferre nolebat, ut in tractatu solita verba, ubi dispares dignitate inter se agunt, *altissime & alte memorati*, sed alterutrum duntaxat ponerentur. Id quod Dani non sine irrisu nimiæ scrupulositatis hactenus concedebant, ut utrumque eorum vocabulum omitteretur. Nec minus super Bremensis provinciæ partitione Ducibus, uti voluerant, Rex cavebat. Demum cum reliqui ad fœdus subscribendum parati essent, Wittorfius nova postulata proponebat, ut Rex Cellensi Duci prius Caroloburgum tradat, quo facto eum copias Rugiæ occupandæ commodaturum. Unde cum iste novas semper tricas moveret, Dani censebant, fœdus inter se, Electorem atque Præsulem concludendum, relicto Ducibus loco, si accedere placeret. Etsi haut verosimile erat, Duces accessorii loco considerari velle. Ac jam Dani de iis fere desperaverant, postquam audissent, Schutzium Neomagi cum Gallis sedulo conversari, cum fœderatis frigide agere, Electoris legato plane non visitato. Etsi Duces novissimo Domus suæ conventu decrevissent Bremensem provinciam pro summa pecuniæ non restituere. Ita demum inter Daniæ Regem, Electorem, & Monasteriensem solos fœdus perfectum fuit; cujus scopus erat, iniquas pacis leges, quas Gallus obtrusum ibat, amoliri. Quo fœdere inter ipsos conventum est, constanter sibi mutuo adhærere, consilia, viresque sociare, nec pacem nisi communi consensu inire, spretis hostium artibus circa ipsos dividendos adhibendis, si & quam maxime reliqui fœderati deficiant. Eo fine totis viribus bellum in Suecum persecuturos, quoad ab hoc satisfactum sibi sit. In id fœdus ut Cæsar, Anglus, Luneburgici, atque alii pertrahantur, operam dandam. Separati inde articuli formabantur, quibus de satisfactione, copiarum numero, aliisque exprimebatur; sed qui ob intervenientem Præsulis mortem non absolvebantur, omissa quoque fœderis ratihabitione, quod novus Præsul Ferdinandus Furstenbergius antecessoris sui fœdera agnoscere nollet. Alias circa pacem in eo Rex cum Electore consentiebat, ut sistendæ Belgarum præcipitantiæ declararent, se quoque ad tractandum paratos esse. Sed & Rex tendandum censebat, annon cum Gallo transigi possit, exclusa Suecia. Unde legatum suum Goæum in Hispaniam iturum ex itinere apud Pomponium Lutetiæ cogniturum, quæ Galli circa Boreales fœderatos

Fœdus inter Danum, Electorem & Monasteriensem. 4. Aug.

2. Jul.

1678. mens sit. Etsi Brandii dubitabant, num consultum sit Galli officium admittere cum Sueco acturis, velut in causa propria. Nec e re fore cum Gallo tractationem suscipere, nondum absoluto fœdere mutuæ evictionis, quod Gallus non blandimentis, & submissione, quæ debilitatem, & dissensionem inter socios arguant, sed virium ostentatione permovendus sit. Sed & forte Cæsarem hoc modo offensum iri; eoque videndum, quid Hispani facturi sint, qui decrevisse dicantur totum potius Belgium amittere, quam in Hollandorum gratiam limitem tantis sumtibus tueri, cum hi optimam regionis partem, & urbes, e quibus miles alendus erat, tam futili modo Gallo concesserint.

Arma Danorum eo anno parum succedunt.

§. 58. Porro circa administrandum bellum Dani hoc anno varia consilia agitabant, quæ si successissent, spes erat Suecos ad pacem, qualem Rex, & Elector optabant, compelli posse. Nam & Gothoburgum opprimere animus erat, ac incursione in Westrogothiam facta omnem late regionem incendiis vastare: tum & octo militum millia, dum Suecicus exercitus in Scania hæret, non procul Holmia in terram exponere, eamque urbem prius direptam inflammare. Sed quæ destinata, quod non satis digesta essent, in irritum cadebant. Nam quæ in Gothoburgum agitabantur, nimis mature dispalescebant, & quæ hisce exsequendis destinatæ erant copiæ, non sat mature eo pervenire poterant per adversos ventos in Oresunda detentæ, ut Suecis interim spatium foret ei oppido prospiciendi. Sueci quoque alteram Albis Westrogothici ripam ita custodiebant, ut Danis ibi perrumpere haut daretur. Nec minus Bahusii obsidium irritum erat. Cum enim Gyldenlewius munimenta jam cousque disjecisset, ut assultus commode dari posset, copias eo fine ex Hisingia insula evocabat. Id cum Sueci animadverterent, IX M militum in eam insulam trajiciebant. Unde isti obsidium solvendum erat, cum alias paucas intra horas ea arx expugnanda videretur. Ut autem destinata in Holmiam succedere possent, necessum fuerat, ut Suecica classis prius prælio vinceretur. Ast dum Dani cunctantur, ea classis in fretum Calmariense penetraverat, ubi neque invadi, nec ad prælium compelli poterat. Ea vero integra haut licebat Danis in superioribus Sueciæ partibus quid tentare, quod circa exscensionem districtos, aut in terram expositos Suecica classis a tergo invasura erat. Ut Christianstadio succurreretur, Regi magnæ curæ fuerat, qui & ad id oppidum liberandum validis cum copiis accedebat. Sed eos conatus duo gravissimi errores ab Arensdorfio, cui in exercitum imperium, irritos reddebat. Nam primo accessu non procul Christianstadio Dani Suecis improviso supervenerant, quo tempore horum dextrum cornu pabulatum iverat, non nisi sexaginta dimachis tectum. Unde omnes reliqui duces suadebant, protinus sparsos, & incompositos invadendos, solo Arensdorfio renitente; cum non dubium haberetur, quin Suecis repentino assultu insignis clades inferri potuerit. Nec minus omnes duces suadebant; ut tres colles occuparentur, qui medio spatio, qua machinæ globus adigi potest, a Suecicis castris distabant, e quibus hæc magnis incommodis affici poterant. Sed Arensdorfio renitente res in sequentem diem dilata est. Ast Sueci sequente nocte eos colles insederunt, eosque milite, ac machinis firmarunt, ex tempore lorica circumposita. Æquo autem campo prælii aleam tentare haut placebat, quod copiæ, quas e Norwegia Rex expectabat, nondum advenissent, ac Suecus commoditate loci, ac equitatu prævaleret; nec tutum eo rerum articulo ancipitis quid aleæ suscipere. Ita ejus oppidi liberatio omittenda fuit, quod mox subigente fame in Sueci potestatem redactum; Arensdorfius ob male consulta imperio amotus fuit. 1678.

Super expeditione Electoris hoc anno consultatur.

§. 59. Ast quid bellicarum actionum Electori hoc anno suscipiendum foret, initio dubitabatur. Nam Arausionensis quidem suaserat, ut is totas vires in Gallum verteret, Suecos arcuisse contentus. Id quod & ratio suggerere videbatur, postquam Rugiæ occupationem, citra quam in Stralsundam nil tentari poterat, Danus protrahebat. Ac si Belgæ, inde Hispanus, ac Cæsar, desertis reliquis fœderatis pacem amplecterentur, parum profuturum erat Rugiam cepisse, omnibus tunc ad libidinem Galli restituendis. Præsertim cum Schombergius cum XX M a Gallo in cliviam irrumpere jussus esset, cum Pomerania post permutandam. Ast si validus ibi exercitus consisteret, si non Belgas, Hispanos saltem, & Cæsarem a se parata pace cohibendos. Atque id consilium initio Daniæ quoque Regi probabatur, ut tamen necessarium judicaret ab Electore VIII M militum in Pomerania relinqui, ne ipsius ditionibus a Kœnigsmarckio, aut copiis a Bethunio in Borussia conductis aliqua noxa inferretur. Sed postquam reliqui socii vacillabant, ac periculum Cliviæ minuebatur, nec ea licet expeditione suscepta impetus in pacem sisti posse videbatur, satius judicatum bello contra Suecos colophonem imponere, quod iis plane Germania pulsis facilius Pomerania obtineri posset, quam si adhuc in aliqua ejus parte hærerent. Ac si unus hostis plane amotus foret, in alterum omnes vires verti posse. Quod & mox Dano placebat. Nam Electore versus Rhenum digresso Borussiam, Pomeraniam & Marchiam periculo exponi; ac notas esse Poloni cum Suecis collusiones. Tum classem Suecicam in Calmariensi freto jacere, ubi lædi non possit; cui facile futurum sit, si Danica classis mense Octobri mare non amplius tenere queat, aliquot militum millia in Rugiam trajicere. Igitur qua præsentissimum periculum immineat connitendum, & Kœnigsmarckium penitus opprimendum, qui, quoad virium quid supersit, turbas dare haut omissurus sit. Nec se, si quid damni Elector accipiat, subvenire posse, cui Suecus tota mole incumbat. Denique & sua quam

1678. quam maxima interesse, Suecos penitus Germania eliminari, ut Holsatiam, & Jutiam in tuto collocet. Eum igitur in finem Elector jam mense Julio in Pomeraniam cum exercitu accesserat, classis Danicæ adventum non sine impatientia expectans, citra quam respectus Suecicæ classis destinata in Rugiam suscipere haut permittebat. Sed apud Danos lente res succedebant, culpa uti credebatur Hahnii, occulto in Electorem odio laborantis, quod metueret, ne is pro amicitia, quæ eidem cum Rege intercedebat, noxias ipsius artes detegeret, ac ut inter multa alia mala id quoque publico noceret, quod præstantissimum quemque subvertere studeret, ne per eum forte gratia Regis interciperetur.

Elector Rugiam insulam occupat. 12. Sept. §. 60. Interim Elector quantum poterat navigiorum ad ostium Penæ contraxerat, quibus copias suas imponit, postquam Danicam classem sub diverso Rugiæ litore versari intellexisset. Inde ostio Penæ egressus versus Rugiam summo mane vela facere cœpit. Erant CCX navigia diversæ formæ, ac CXL cymbæ, in ordinem digesta, prout miles quem vehebant in terram exscendere, ac in acie consistere debebat. Dextrum cornu curabat Schœningius, finistrum Hallartus, uterque summi vigiliarum præfecti dignatione; mediam aciem Gœtzius summus vicarius ductabat, universis Dœrflingius sub supremo ipsius Electoris moderamine imperitabat. In prætoria Electoris nave agebat Cornelius Trompius classi temperandæ consilia suggerens. Destinaverat Elector primo Palmerortam versus tendere, ut hostem eo pertraheret, inde repente Putbusium vertere, ibique terram capessere. Sed cum circa meridiem sub Palmerortam pervenisset, vento remittente, inde ex austro in subsolanum mutato eo die Putbusium attingere non licuit, sed medio inter utrumque locum spatio anchoræ jaciendæ erant. Dum classis circumagitur, & tranquillo salo prope littus hæret, Sueci continuo e decem machinis in eam jaculabantur; sed trecentis triginta amplius ictibus non nisi duo homines quos inter Crummenseus subtribunus cæsi, totidem sauciati, illæsis plane navibus. Sequenti luce, *13. Sept.* cum jam Elector vela facere, & ubicunque ventus faveret terram tenere imperasset, Jonas Julus e Danica classe veniens referebat, Danicas copias ad procurrentem Wittoviæ peninsulæ angulum pedem fixisse, ubi sexcentos equites, centum quinquaginta pedites hostium ante se repererint, queis fortiter repulsis locum ceperint sexaginta suorum desideratis. Igitur Elector denuo exscensionem properare jubebat, ne Kœnigsmarckio tempus foret tota vi Danos in Wittovia, quod destinaverat, opprimendi. Sub meridiem vento languente majores naves machinis instructæ remulco versus terram pertrahebantur, quibus dispositis miles conscensis cymbis alacriter litus invadebat. Propinquantibus nostris hostiles equites in vicinis montibus sese ostendebant, quibus Kœnigsmarckius ipse aderat, ex editiore loco machinis in nostros exscendentes fulminans. 1678. Sed is animadverso horum ardore, & quod jaculationibus insuper habitis in phalanges se explicarent, simul extractis in terram machinis pedem inferre inciperent, deserta statione raptim recedebat. Mox equites, ac ipse Elector in terram descendebant. Dœrflingius inde cum parte equitatus, quæ primum in terram exposita fuerat, hostem insequebatur, cujus octo alis ducenti nostri equites invecti eas in fugam propellebant, erepto uno signo, unaque machina. Eo quoque die, & sequenti nocte ducenti amplius captivi intercepti. *14. Sept.* Postera die Dœrflingius propere ad castellum apud veterem trajectum progressus hostem ibi trepidantem, & circa trajiciendos in continentem milites occupatum reperit. Unde statim quingentos Schœningio ducente secundum littus progredi, & castellum, qua mare alluit, oppugnare jubet. Qui ubi manum cum hoste conserere cœpissent, in diversa parte equites ad pedes descendentes & ipsi munitionibus assultabant. Ita castellum illud impetu expugnatum, ac præter aliquot centurias, quæ inter conflictus fervorem ceciderunt, septingenti capti. Kœnigsmarckius cum fortissime restitisset, extremus suorum in cymbam insiliens evasit. His in conflictibus nostrorum non amplius quadraginta ceciderunt. *16. Sept.* Demum & cum nostri ad castellum apud novum trajectum accessissent, ac ejus oppugnationem orsi essent, aliquot machinis displosis, qui præsidium intus agebant Germani exuto obsequio Suecos inde expulerunt, castellumque Electori dediderunt. Præfectus animadversa suorum consternatione mature se subduxit. Ita Sueci tota insula ejecti sunt, & Kœnigsmarckius cum reliquis copiis sub Stralsundæ machinis consedit. Inde Elector duo peditum millia ad oppugnandam Denholmiam insulam, cui & ipsi castellum impositum erat, misit; quod & levi negotio in potestatem redactum est.

§. 61. Elector postquam copias iterum in continentem revexisset, idoneo per Rugiam præsidio relicto, extremam manum Suecico bello imponere instituit, expugnata Stralsunda, quæ ante quinquaginta annos Suecis aditum in Germaniam ultro aperuerat. *Stralsunda per literas tentatur.* Quia autem ea urbs hucusque invicta fuerat habita, Elector committente Cæsare statum immediatarum Imperialium civitatum eidem obtulerat. Ac post expugnata Rugia humanissimis literis datis significabat; *Post occupatam Rugiam, & Denholmiam nil superesse præter Stralsundam, cujus declaratio, sive salutem seu exitium eligere placeat, nunc expectetur. Etsi autem vires sibi non desint civitati per arma subigendæ; tamen cum eam semper benevolentia prosecutus sit, & adhuc ejus conservationem ex animo optet, se requirere, ut aliquos suorum ad ipsum in Rugiam mittat, a se ad civitatis salutem & emolumentum proponenda auditurum. Quæ quidem ita comparata sint, ut non dubitet, quin universi cives ea libenter amplexuri sint; quippe per quæ ipsi cum urbe imminenti exitio erepti una cum posteris in* *18. Sept.* felicis-

1678. *felicissimum statum, qualem nunquam habuerunt, reponendi sint, toti simul provinciæ desiderata diu quiete conciliata. Ast si præter spem ista adspernentur, non posse quin ipsis significet, inter se, ac Regem Daniæ convenisse portum civitatis ex utraque parte obstruere, quod hucusque unice ob spem gratæ ipsorum declarationis omissum sit. Tum urbem jactis ignibus inaudito hactenus exemplo oppugnatum iri, quam in rem necessarius adparatus jam in promtu sit. Quo casu Deo, hominibusque excusatum se fore de omnibus malis, civibus, atque urbi inde proventuris. Spem tamen esse, ipsos Stetinensium calamitate edoctos saluti suæ melius consulturos. Ad has literas promtum a se responsum expeti.* Stralsundenses ad

6. Oct. hæc reposuere: *Se quidem Electoris gratiosum in civitatem suam affectum venerari, quod ut frui queant ex animo optent. Cæterum dolere suam conditionem, in quam hoc bello præter suam culpam inciderint. Ac uti in rebus, quæ penes se sint, ac obligationi, qua Regi Sueciæ teneantur, non repugnent, devotum animum Electori adprobare nunquam omissuri sint; ita cum justus prope exercitus in urbe agat, in sua potestate non esse aliquem ad proponenda audienda mittere. Unde sperare, sese Electori excusatos habendos, nec intentatam vim adversus miseros a Christiano Principe exsertum iri; præsertim cum rumor toto orbe diffusus propinquam pacem ominetur, per quam cessante violentia omnia in certum, & quietum statum reponenda sint; cujus legibus qualescunque fuerint, libenter se submissuri sint: nec tunc Regiæ militiæ, quæ penes se sit, causam amplius fore Electori molestiam, aut suspicionem excitandi.* His literis Kœnigsmarckius suas quoque addiderat. *Cum e responso civitatis adpareat, eam nexus, quo Regi Sueciæ obstricta sit, memorem esse, nec in ejusdem potestate situm Electoris desideria ullo modo implere: a se, velut cui urbis custodia sit credita, moneri, hunc, & qui deinceps clandestinas, aut apertas literas ad se non directas adferre ausuri sint, debitas pœnas daturos. Simul sperare Electorem ex hac sua ac civitatis declaratione, utriusque officio congrua, ansam haut arrepturum in ædificia sæviendi: sed si quid infensi agitet, in vallum, & mœnia, & qui ea tutantur homines expromturum; id quod ipse, ac universus orbis illustre generosi animi specimen habiturus sit.* Alias inde literas Elector dabat

8. Oct. hoc sensu: *Se coram Divino Numine testari, non alio fine priores literas missas, quam ut ex clementia Christiano Principe digna civitatem, ac tot millia innocentium animarum de imminente calamitate moneat, quo sui conservationem, a Deo & natura ipsis commendatam, curæ habeant. Præsertim cum non animus fuerit peculiare sibi emolumentum ex ea urbe capere, sed ei vel plenam libertatem, vel civitatum Imperialium conditionem offerre, ad quam acceptandam jamdudum Cæsar per avocatoria edicta, ac exsolutionem a priore nexu viam aperuerit. Sed cum eam repudiaverint adductis ejusmodi rationibus, quas a se admitti haut posse facile prævidere poterant, & quæ Stetinenses quoque in tantam calamitatem adduxerint; igitur se jam conscientiæ suæ satisfecisse, & coram Deo, ac toto orbe testari, penes se hautquidquam hærere culpam omnium malorum, quæ ipsis imminent. Quæ super instante pace moveant, ex erronea opinione promanare. A nemine pacem magis impediri quam a Suecia; ac licet Cæsar, Daniæ Rex, & ipse, quin Gallus quoque parati sint acceptandis induciis ab Anglo propositis, a sola tamen Suecia easdem eludi. Sed quicquid hujus sit, quamdiu pax, aut induciæ non sint, & quamdiu ipsi eos, quibuscum sibi publicum bellum sit, intra mœnia, ædesque suas foveant, ea remedia adversus ipsos adhibenda esse, quæ ratio belli, & omnia divina, atque humana jura permittunt, atque suggerunt. Ac longe adhuc abesse pacem, quæ ipsorum urbem, ac templa ab instante ruina servare queat. In arbitrio ipsorum esse, unum pluresve ex urbe mittere, qui adparatum oppugnandæ urbi speculentur, & ad ipsos referant.* 1678.

Ad Kœnigsmarckii literas reponebatur: *Se literas ad civitatem sola commiseratione motum dedisse: nec in animo fuisse ipsi aliquid injuriæ inferre; sed potius si res ad colloquium & tractationem deducta fuerit, eidem tales conditiones offerre, quæ pro captu temporum Regi Sueciæ proficuæ, ac ipsi, cujus spectata bello virtus a se magni fiat, subjectoque militi magis honori quam contumeliæ sint futuræ. Sed quia intelligat, tam amica monita locum non invenire, hautquidquam se deinceps ipsum, aut civitatem pluribus literis fatigaturum. Curam ædificiorum, quæ sibi commendentur, effecisse, ut priores literæ a se scriberentur. Cæterum notum ipsi, semel emissos globos non amplius in nostra potestate esse; ac rationem belli dictare, urbi, intra quam hostis noster agit, extrema quantum detur intentari.*

§. 62. Ita cum scriptione nihil proficeretur, ac in urbe omnia ad vim sustinendam pararentur, destructis aut incensis suburbiis, ac recepto, qui hactenus extra tenderat, intra vallum milite, ad quod alias civitas per pacta cum Regno Sueciæ haut tenebatur, nec id unquam antea fecerat; simul ordo, ac præcipui cives fide data Kœnigsmarckio se illigarent, ac hostilia ex urbe inferre cœpissent; Elector quoque vim propius admovere instituit. Sed vergente in hiemem anno, ac pluvio cœlo solita justo obsidio circumponi non poterant urbi natura, & operibus munitissimæ, quam numerosus miles, ac magna civium armatorum multitudo sub fortissimo duce insidebat; compendio uti placuit, omissis fossionibus. Ita prope sub munitionibus urbis aliquot suggestus exstructi; tum collocandis mortariis depressa loca excavata, quo ignivomorum globorum confertim emissorum vi inflammata tecta obsessos ad deditionem compellerent. Ita tribus locis suggestus excitati, in Denholmia, ante Franconicam portam, & inter hanc atque Tribsesensem portam, quorum duo ita propinqui vallo erant, ut milites utrinque e stationibus sese exaudire possent. Omnibus ita paratis Elector hora decima vespertina ex octoginta majoribus machinis, viginti duobus mortariis, & L machinis lato ore, queis militare vocabulum *Haubiciorum* est, moderante Er- *Stralsunda oppugnatur.* 10. Oct.

1678. Ernesto Weilero, fulminari jussit; unde post semihoram media urbe ignis oriri conspectus, qui successu temporis & continuis globorum jactibus ita augebatur, ut oriente luce dimidia prope urbis pars flammis involuta conspiceretur.
11. Oct. Post sextam horam matutinam e mœnibus ac turribus tria vexilla albo colore cernebantur. Unde Elector statim jaculationem sisti jubebat, quod crederet, hoc signo hostem tractatui super deditione sese offerre. Ipse quoque hostis jaculationem omittebat, nullo tamen indicio facto, quid in animo ipsi foret. Unde Elector tympanotribam, inde tubicinem ad urbem ire jubebat, hortaturum, ut si obsessi honestam deditionem quærant, aliquos extra urbem mittant. Sed quibus nil aliud responsum, quam ut inde facessant, alias telis proturbandos. Ipse quoque Dœrflingius ad Tribsesensem portam adequitans idem postulabat; sed cui non sine importunitate par responsum redditum. Cum itaque inde colligeretur, obsessos nil nisi tempus quærere incendio restinguendo, circa quod etiam tribus horis, per quas nostri quieverant, non parum profecerant, circa horam nonam Elector verberationem continuari jubebat. Ubi ignis denuo atrociter grassari cœpit, sic ut hostis circa meridiem compelleretur inducias quærere, confirmans, e militum, ac civium numero venturos, qui tractationem auspicentur. Elector etsi semel jam illusus, tamen ut urbi parceretur machinas inhiberi jubebat. Cum per aliquot horas expectatum esset, demum duo Senatus nomine accedebant, a militibus nemo, nil aliud rogantes, quam ut Elector urbi inducias indulgere velit, quo ad Sueciæ Regem mittere possint ejus sententiæ exquirendæ. Quæ cum manifestum ludibrium haberent, Elector petito abrupte negato istos protinus in urbem reduci jussit; quam ubi ingressi essent, verberatio instaurabatur eo majore successu, quod post meridiem ventus invalesceret; ac incendio quinque locis exorto flamma ita diffundebatur, ut magna pars urbis in cineres consideret, ipsa quoque porta Franconica, ante quam Kœnigsmarckius stationem ceperat, flamma corriperetur. Cum itaque obsessi indeclinabile urbis exitium prospicerent, Kœnigsmarckius circa quartam vespertinam significabat, se una cum civitate super deditione acturum, eoque fine obsides missurum. Elector etsi bis jam frustra eos expectaverat, tamen inhibita verberatione summum vigiliarum præfectum, tribunum, ac consulem obsides deposcebat. Ita circa horam septimam vespertinam ex urbe venerunt Bucwaldus summus vigiliarum præfectus, ac Petrus Maquelierus tribunus; consul autem atrox incendium excusabat, quo minus venire posset, crastina tamen luce cum aliis a civitate delegatis utique venturum. Ita eam per noctem nil hostile amplius susceptum, ac oppidanis spatium fuit magnam incendii partem restinguendi.
12. Oct. Sequenti mane istis urbe egressis ab Electore vicissim Schœningius summus vigilum præfectus, Marwicius tribunus, & Wangenheimius præfectus turmæ in urbem mittuntur. 1678. Ita tanti momenti urbs, hucusque invictæ opinione nobilis, post sedecim non amplius horarum jaculationem, haut notabili Electoris jactura, ad deditionem compulsa est, postquam ignis dimidiam ejus partem absumsisset una cum annona & molendinis; ac ni deditio properata fuisset, reliqua etiam parte peritura. Deditionis legibus adornatis, 15. Oct. atque subscriptis Electori una porta, & propugnaculum insidendum tradebatur. Fuerant in urbe Kœnigsmarckius summi ducis dignatione, duo supremi vigiliarum præfecti Grothusius, & Bucwaldus, octo tribuni, duodecim subtribuni, totidem vigiliarum præfecti, quinquaginta amplius turmarum præfecti, & centuriones, præter reliquos præfectos inferiorum graduum. Leges deditiones admodum honestæ indultæ, *ut Dux cum omni milite cujuscunque nationis more militari excederet, assumtis quoque omnibus machinis ad Regnum Sueciæ spectantibus omnique adparatu bellico; utque recta via in proximum Sueciæ portum, qua ventus faveat, trajicerentur, Electore eum in usum navigia, tum annonam militibus præbituro, quoad trajectus fiat. Ne minus excursoribus maritimis, qui Stralsundæ egerant, ac ministris Regiis, incolisque amplissime cavebatur. Civitas pristino statui, ac juribus relicta.* Kœnigsmarckius inde cum suis urbe egrediebatur, toto Electoris exercitu cum Luneburgicis legionibus sub Endio duce in ordines digesto consistente; ac isti quidem tantisper in Usedomo insula per hospitia distributi. 18. Oct. Electori urbem ingresso post sacra in æde Nicolai peracta in curia Ordo, & ad ejusdem fenestram civium multitudo jurejurando fidem adstrinxit; qui post solenne epulum sub vesperam in castra regressus est. 20. Oct. Eo illustrior autem hæc victoria erat, quod ea urbs fat modicis adhuc munitionibus instructa potentissimo, ac victoriis florentissimo Cæsari se opponere ausa est; ad quam Cæsareus dux Fridlandus, terror tunc Germaniæ, validissimum exercitum ita consumsit, ut inglorius, ac debilis ejus obsidium solvere cogeretur, cum antea jactasset, se vel ferreis catenis cœlo affixam detracturum. Nunc eadem ab Electore nullo memorabili damno maligna anni tempestate haut integro uno die subacta fuit, cum reliqui militem jam in hiberna deduxissent. In Dania nonnihil offensæ ostendebatur, quod Elector tam honestas conditiones præsidio Suecico indulsisset. Sed hic excusabat, anni tempus longas cauponationes haut tulisse, & Grypswaldiam quoque fuisse expugnandam, simul de induciis jam percrebuisse.

Grypswaldia expugnatur.

§. 63. Sola jam Suecis in Germania supererat Grypswaldia, cui post expugnatam Stralsundam victricibus Electoris armis se submisisse pudor haut erat. Huic subigendæ eædem quæ apud Stralsundam artes adhibebantur, quod annus jam in hiemem vergeret, ac magna copiarum pars in Borussiam dimissa foret. Terna tamen vice præfectus ad deditionem invitabatur, oblatus honestis conditionibus.

1678. 5. Nov. nibus. Quas cum iste adspernaretur, Elector suggestus exstrui, ac machinis rem agi jussit. His sub vesperam oppidum verberari cœptum post mediam noctem tantum flammæ concepe-6. Nov. rat, ut miles juxta, atque oppidani deditionem quærere cogerentur obsidibus emissis, quam in eas leges, quas Electori dare placuerat, amplecti necessum erat. Præsidiarius miles illis, qui Stralsunda emissi erant, quoad in Sueciam tra-11. Nov. jiceretur, in Usedomo insula adjunctus. Oppidani Electori fidem jurejurando adstrinxere.

Suecicarum copiarum naufragium. §. 64. Ita tota hoc bello Suecos infesta fortuna per Germaniam est prosecuta, quinquagesimo post anno, quam pedem Stralsundæ figere cœpissent, ea urbe, ac reliquis omnibus, quæ cis mare tenuerant, ejectos. Sed & tenues tanti exercitus reliquias adversum fatum urgere haut destitit, quarum magnæ parti reditum in patriam negavit. Qui Stralsunda, & Greifswalda excesserat miles, assumtis machinis octoginta sex, ac mortariis septem, simul archivo Regio, navibus impositus Zephyro sat 4. Dec. valido Penæ ostio progrediebatur, cursu versus fretum Calmariense directo. Ast circa mediam noctem cadente nive prospectum adimente pleræque naves litori Bornholmiæ insulæ impinguntur, incertum qua causa a recto cursu dimotæ, nisi quod fluxu maris ad dextram depulsas communis fama erat. Clamore a naufragis sublato, qui ad littus vigilias agebant ignari quid rei esset, signum tumultus dedere. Ita protinus sexaginta equites ex insula collecti, qua clamor surgebat, ad mare properabant. Luce orta quadringenti e naufragis, qui in terram evaserant, cum armis in ordines sese disposuerant; qui interrogati quinam forent, Suecos se responderunt e Pomerania vectos, nec hostes venire: ac ut vitæ suæ parcatur, quod a Rege Daniæ diplomatibus tuti itineris instructi sint: ac se paratos arma deponere. Inspecto diplomate gubernator insulæ permisit, ut & reliqui in terram eniterentur, sed in complures cohortes divisi: quos insulani, qui interim omnes ad arma concurrerant, hinc inde Templis inclusere, utcunque præbitis quæ necessitas requirebat. Eorum qui aquis suffocati, & mox frigore ac morbis perierunt, bis mille ducenti amplius numerabantur. Par fere numerus Hafniam adductus, quos velut bello captos Rex Daniæ detinuit. Color dicebatur, e naufragis quadringentos armatos in terram expositos stationem in littore cepisse; quo ipso hostilia sumsisse intelligantur, cum inermes auxilium implorare debuissent: reliquos sese gubernatori insulæ, qui alias eosdem undis eripi haut passurus fuerat, sine exceptione dedidisse. Unde & eos non bello captorum sorte censendos, sed ad mancipiorum instar, qui ex commiseratione leto erepti fuerint. Sed nec quod isti detenti sint, id promissæ ab Electore guarantiæ, ac literis tuti itineris adversari, si quidem eas non nisi ad classis præfectos, officialesque maritimos Danicos directas fuisse, ac ut Sueci in itinere tantum a vi, damnoque tuti præstarentur. Etsi Sueci contra exciperent; 1678. diplomata tuti itineris maritimi etiam in naufragii casum valere debere. Quo super facto tunc temporis inter partes scriptis certabatur; quorum rationes utrinque adductas recensere nostra non interest, quod id negotium Electorem non spectet, nisi quod & ipse tres suarum navium, totidem Stetinensium, quatuor Colbergensium civium perdidit. Quanquam postea cum Kœnigsmarckius sparsisse diceretur, super eo naufragio procurando Dobrani inter Daniæ Regem, & Electorem convenisse, hic datis literis quærebat, num iste ejus rumoris se autorem agnoscat? Idquod Kœnigsmarckius magnopere inficiabatur, ac talia in sui contumeliam a malevolis ficta asseverabat.

§. 65. Enimvero Elector etsi Suecis tota Germania pulsis nondum omni periculo ab iis imminente defunctus erat. Hi enim jamdudum irruptione e Livonia in Borussiam facta istum distrahere agitaverant; quod & demum sub finem hujus anni effectui dederunt. Eam tempestatem ut averteret Elector, enixe apud Poloniæ Regem laborabat; sed eo minus apud hunc proficiebat, quod Sueci, Gallique offerrent, se Borussiam Electori ereptam ipsi tradituros. Qui alieni periculi, ac laboris fructum percipere in lucro ducebat; ubi destinata non successissent ipse nil damni, aut pudoris sensurus. Cum itaque Hoverbequius publica ad- 12. Jan. missione peteret, ut Rex prohiberet, ne Sueci e Livonia in Borussiam penetrent; Rex cum Senatoribus se consultaturum respondebat; De- 1. Febr. mum literas ad Regem Sueciæ dabat, sed satis languidas, quibus postulabat, ut Borussiæ parceret, velut aliquando ad Regnum Poloniæ devolvendæ; cum id præcipue urgeri debuisset; se ad invasionem illam vi armorum prohibendam per pacta teneri. Dederat quoque Elector litteras ad Polonum super Suecorum transitu prohibendo; ad quas scripto respondere hic omittebat declinandæ alterutrius partis offensæ; etsi sermone de suo in Electorem studio amplissime testaretur. Nec minus ad complures Poloniæ proceres ab Electore literæ dabantur, ut circa impediendam Suecorum e Livonia irruptionem operam navarent. Quos inter Cracoviensis Præsul per literas asperrime cum Rege expostulabat; ac inprimis, quod delectus militum pro pecunia Gallica in Polonia permitterentur. De quibus nil sibi constare Rex excusabat. Vicissim Gallicus minister 7. Maji. Regem arguebat, quod cum ipsi XXV M uncialium Gedani numerata sint promovendæ Suecorum in Borussiam irruptioni, ac ut in Borussia III M militum conducerentur, e Livonia venientibus Suecis adjungenda, hoc quidem effectum sit; sed Regem pinguioribus Hoverbequii promissis permotum occulte eum transitum impediisse non sine prævaricationis nota. Ac eum subinde offensam in Gallos simulare, ut hos nova pecunia emungat. Nec minus de Rege Cæsar querebatur, quod cum iste confirmasset nullos milites e Polonia in Hungariam fulci-

Elector Suecorum e Livonia irruptionem in Borussiam avertere laborat.

1671. fulciendis rebellibus transituros, haut eo fecius Gallico stipendio autorati Poloni turmatim illuc iverint, satellites Bethunii tanquam legati Gallici sese ferentes; absurdo colore, quasi legatus custodibus corporis tanto numero instructus esse debeat. Vicissim Cæsari curæ erat, supremum Polonicæ militiæ ducem sibi adjungere; cui XX M uncialium offerebat, ut in quosdam exemplum statueret, qui milites ad rebelles Hungaros adducebant; tum ut sua autoritate confœderationem Polonici exercitus prohiberet. Quam ut idem promoveret, Rex cupierat, quo enervis patria sublevaretur, & miles alibi hiberna capere posset. Isti & Bethunius L M uncialium obtulerat, quo suis destinatis ne obsisteret; sed qui jam Cæsari de impedienda exercitus confœderatione fidem obstrinxerat. Elector autem, cum apertum esset, copias in Regia Borussia in sui fraudem a Gallis conductas ad Jablonovium, inferiorem Polonicæ militiæ ducem, scripserat, ut istæ dissiparentur, minatus se illas in latibulis suis aggressurum. Id quod hic magnopere dissuadebat, quod Gallis, ac Suecis gratissimum sit futurum Electorem cum Poloniæ Rege collidi; quippe per quod ejusdem vires insigniter sint distrahendæ; nec ei fini Gallum pecuniæ parciturum. Forte & Regem læto animo occasionem arrepturum arma in Electorem movendi; qui & conspecto earum literarum exemplo dixerat: ab Electore sibi bellum indici. Sed & pacem jam cum Turca firmatam; exercitum famelicum, qui lætus sese locupleti provinciæ infusurus sit, immensa inutilis turbæ colluvie se agglomeratura. Regi quoque popularem, & plausibilem causam fore, si Nobilitati demonstret, uti non solum Kalcsteinius e regia Michaëlis subductus sit; sed & Elector jam armata manu intra Regni fines irrumpat, copiasque opprimat, de quibus nondum constet, num in istius fraudem ibi consistant. Wiesnovicius quoque archistrategus amico cuipiam suo dixerat: In Cæsarem quid tentare nefas esse; sed contra Electorem forte sibi facile cum Rege conventurum; cui & Draheimi ab Electore vindicati memoria nondum exciderat. Unde Jablonovius censebat; etsi copiæ istæ in Borussia ad Polonicorum ducum imperium non spectent; Regibus autem non liceat copias seorsim habere: satius tamen fore, ut Elector Regem super his liquidam declarationem poscat, quam ut statim vim adhibeat. Et si utique istæ copiæ dissipandæ sint, domestica id vi faciendum. Quod si autem Rex infesti quid in Electorem agitet, Rempublicam summa ope reluctaturam; nec sibi difficile fore exercitum in Regem fœdere inito excitare. Iis super copiis cum Cæsareus minister apud Regem moveret, ac Electori justam causam esse suspicionem inde concipiendi, hic respondebat: duodecim fere centurias esse, proprium sibi militem. Simul confirmabat, eas nec Cæsari, nec Electori noxæ fore. Se quoque Gedanenses monuisse, ut sine mora Lilliehœckium urbe dimoverent. Cumprimis autem Elector circa devinciendum sibi Pacium Lithuaniæ archistrategum laborabat, ut is Suecos transitu in Borussiam arceret. Quem ut Principis dignatione Cæsar efferret, Elector Viennæ instabat. Ac iste quidem pronum se ostendebat; sed super præmiis cancellariæ persolvi solitis difficultas erat, talia remittere nesciæ, præsertim cum magna istarum pars Moguntinum spectaret. Demum tamen Cæsar declarabat, se taxam istam, quam vocant, e suo ærario persoluturum: sed cautum sibi esse oportere, a Pacio solidi quid ad communem causam collatum iri. Enimvero apud istum quam maxime pecunia opus erat, ad quam Cæsar, ac Daniæ Rex quidquam conferre abnuebant. Et Gallicus minister Akakia ad eundem profectus sine dubio Gallico auro virum inunxerat; cui, quæ ab Electore dabantur, præponderare non valebant. Nec ignarus erat iste Pacius solitarum quibusdam Polonis artium; ab utraque partium pecuniam accipere, ac neutri quid præstare. 1671.

Jablonowski.

§. 66. Super liberando Strauchio Theologo tunc quoque multa movebantur. Cum Rex Gedano digrederetur, per Hoverbequium Electorem rogabat; cum ipse Reformatis Gedani tantum favoris exhibuerit, ac deinceps exhibiturus sit, ut is in sui gratiam Strauchium dimittat. Unde & qui reformata ibi sacra profitentur, pro istius liberatione impense intercedebant, quam & reliqui Protestantes optabant, quod plebem ei viro addictam intemperiæ agitarent, ac metus esset, ne sub prætexto seditionis cohibendæ præsidiarius miles urbi immitteretur. Sane Bakovius Mariæburgensis Palatinus a Gedanensibus petebat, ut III M militum argento Gallico conductorum, qui in vicinia agebant, intra urbem admitterent plebi coërcendæ. Sed Elector haut consultum ducebat eum dimittere ferocia nondum exuta; qui & abnuebat Gedanum literas mittere ubi plebs mortuum eum credebat. Ac dudum plus libertatis ei indultum fuisset, ni periculosa literarum commercia exercuisse deprehensus fuisset. Post tamen cum a Senatu Gedanensi delegati ejus liberationem expeterent, Elector ut his annueret, eo magis permovebatur, quod ipse Cæsar super ejus urbis periculoso statu moneret. Cui Elector respondebat: Adesse jam a Gedanensi ordine missos, qui de periculo suo graviter sibi exponant, ac Strauchii liberationem petant, quam ipsi unicum remedium judicent ad concordiam, & quietem urbi reducendam. Equidem multas sibi esse causas, quare turbidi hominem ingenii detineat, qui postquam Gedanensibus valedixisset, ac Suecorum ministerium suscepisset, a se captus fuerit. Ac merito dubitandum, num ab eo, unde omnia mala promanarint, medicina quoque expectanda sit. Nam notum esse, uti is animos civium in se invicem irritaverit, & plebi, quæ penitus ab ipso pendebat, inusitatam in Suecos inclinationem insinuaverit. Equidem missos judicasse, ejusdem Gedani præsentiam non amplius noxiam, sed potius salutarem sedandis vulgi

Circa Strauchium liberandum agitata.

29. Maji.

1671. vulgi animis, iisque cum Senatu reconciliandis; unde cum salus urbis concordia civium constet, ab eo dimittendo se non alienum esse, modo id tuto fieri queat. Cum itaque eventus in antecessum prospici non posset, præcipua cura de cautione supererat. Ac voluerat Elector, ut Senatus fidem daret, se eum, ubi iterum in transversum abierit, in ipsius manus restiturum. Sed id remissum, quod delegati negarent, id in potestate situm esse civitatis imperio alterius obnoxiæ. Unde sufficere visum, ut Strauchius jurejurando caveret, se in Electoris, ac fœderatorum fraudem nihil suscepturum, nec ob isthanc custodiam ultionem meditaturum. Cupierat Rex Poloniæ, ut iste vir sibi in manus traderetur, quo ipse populum Gedanensem CM florenorum, qui in eum casum promissa erant, poscere posset. Sed quia metus erat, ne Rex ejusdem opera præsidium urbi imponeret, satius visum Electori eum Senatui tradere. Eam dimissionem malevoli in aula Polonica valde exagitabant: contumeliosum esse, Regi petenti non datum, quod jam in gratiam oppidanorum concessum fuerit. Et quia Elector ab urbe cautionem exegerit de isto restituendo, si extra orbitas vagetur, prætextum ab Electore quæri actionem urbi intentandi; nisi forte Strauchius clam ei fidem dederit, de urbe in ejusdem manus tradenda. Quæ præcipue a Bethunio exaggerebantur. Ac ipse Rex Sierovio ministro Cæsareo dixerat: quod Elector sibi negarit, id jam in cerdonum gratiam fecisse: ac se metuere, ne Strauchius iterum cum Lilliehœkio turbas det, quem ipse dudum Gedano exesse optaverit, atque ordini, ut eum amoliretur, injunxerit. Offensæ tamen mitigandæ Elector scripto ita expresserat: *cum antea Strauchius Rege petente ob temporum conditionem tuto libertati restitui non potuerit, jam sublata ea consideratione, intercedente civitate, in gratiam Regis eum dimissum.* Ac ipse Elector in eundem sensum Regi scribebat, id se in hujus gratiam fecisse, postquam obstacula, quæ antea ejus libertatem impedierint, sublata fuerint.

Sigrowski

Elector Polono suspicionem eximere laborat.

§. 67. Inter ambigua ista Electori curæ erat quicquid suspicionum apud Regem oriri posset eximere. Unde cum Lithuaniæ Mareschallus magnus Publobinscius Regi detulisset, Pacium archistrategum fœdus in Regem, ejusque totam familiam inivisse, cui etiam Curlandiæ Dux nomen dederit, eique Elector clam faveat; ei suspicioni abolendæ hic Niemericium Comitem ad Regem mittebat, qui de amicitia sua huic confirmaret. Ac vel unicam hanc rationem sane palmariam sufficere omnibus sinistris cogitationibus destruendis; quod Electoris quam maxime intersit Poloniæ Regnum salvum, ac florens esse; qui tamen ipse eam coronam affectare nec possit, nec velit. Quod officium gratum sibi fuisse per literas Rex testabatur. Pervenerant quoque ad Electorem duæ literæ, sine die & consule scriptæ, quibus insinuabatur; esse aliquos, qui Regem Poloniæ e medio tollere velint, quod is impulsu

Aug.

Gallorum, & Suecorum de invadendo Electore agitet, ac multa adversus libertatem ac tranquillitatem Reip. moliatur; si Elector post peractum facinus eorum protectionem suscipere velit. Quas literas Elector per Niemericium Regi communicabat, ut si quid veri subesset inquirere, sibique cavere posset. Rex contra Electori vicissim blandiri, eumque ac Cæsarem filio recens nato, cum sacro fonte initiaretur, susceptores adoptare, velut vicinorum amicitiam contra malevolos cives quæreret. Tum sancte confirmare, sibi de Gallorum machinationibus, quas in Polonia contra Electorem agitare arguantur, nil constare, multo minus in aliquam earum partem se venire. Quia etiam Rex perspiciebat, magnam spem pacis esse, simul copias Gallicas in Hungaria minui, ac comitia propinquare, in quibus fœderati de damnis e Polonia sibi illatis questuri metuebantur; idem profitebatur, sibi cum Gallo parum convenire, simul de candore suo testabatur, ac uti nemini fœderatorum noxæ quid inferre nunquam animus fuerit. Nec eo minus cum is initio de capta Stralsunda velut re adhuc incerta inaudiret, dixerat: id vero Deus prohibuerit. Nam eo facto non solum optatam pacem sufflaminatum iri, sed & Livoniam magno in periculo versari.

Sueci e Livonia in Borussiam irrumpunt.

§. 68. Cæterum quanquam Elector omnem lapidem moverat, ut Suecorum e Livonia in Borussiam irruptionem impediret; ea tamen sub finem anni nemine obsistente suscipiebatur. Is transitus quin saltem tacito Regis consensu sumtus esset, dubium non habebatur. Et cum Cæsareus minister Reginæ dixisset, a Gallis spargi, se Regi XXV M uncialium dedisse, ut ad transitum Suecorum conniveret; hæc rubore suffusa nil aliud reposuerat, quam, neminem prohibere posse, si Sueci transitum summere velint. Cum etiam Dux Curlandiæ ex Rege sciscitaretur, quid sibi agendum foret, quod Sueci per suam provinciam transitum petant; Rex de itinere in neutram partem respondere; cæterum a Regis Sueciæ amicitia nil sinistri expectare, nec Ducem Suecis ad annonam præbendam teneri, tum auxilium polliceri, si Sueci noxam ipsi inferant. Ita cum Duci de animo Regis non constaret, nec Nobiles arma ad prohibendum iter capere vellent, Suecis acriter instantibus transitus permittebatur, exhibita insuper annona, cum belli sedem in suam provinciam pertahere nollet. Post in Comitiis Grodnæ habitis Puttcammerus Curlandicus legatus Hoverbequio expostulanti respondebat; Nobiles nisi ostenso Regis mandato arma sumere noluisse. Ex aula autem liquidum responsum se obtinere non potuisse; etsi de indemnitate, & innoxio transitu promissum fuerit. Pro annona suppeditata pecuniam se non accepisse, sed cautionem datam, id veteribus nominibus addendum. Quod si Elector quoque per Curlandiam in Livoniam ire velit, itidem omnia ipsi præbitum iri. A Pacio quoque Henricus Hornius ejus expeditionis

Puttcammer.

dux

1678. dux semel atque iterum transitum petierat; quem iste mascule negaverat, Nobilibus quoque per Samogitiam ad arma vocatis. Et erat quidem isti sat valida equitum manus; sed peditatum ut sibi Elector submitteret petebat: sed quem hic suis potius auspiciis rem gerere malebat. Post Pacius isti excusabat; a Curlando transitum indultum; ac Nobiles Samogitiæ ad arma vocatos infrequentes comparuisse; nec Lithuanicum exercitum sat validum fuisse, quod ejus pars in Podoliam contra Tartaros iverit. Simul tribunum Hohendorfium, sæpe a se rogatum, ut duo equitum millia trans Memelam mitteret, id omisisse. Nam obtentu Borussicarum copiarum Lithuanos se istis jungere, ac rem in Suecos gerere potuisse. Sat tamen molestiarum Sueci a Lithuanis sentiebant, qui istos qua poterant carpebant, annonamque intercipiebant, palantes cædebant, aut spoliabant; ad quos & multi subiginte fame transfugiebant. Constabat porro iste exercitus XIII M bellatorum; inter quos peditatus sat bonus; sed equi pabuli inopia languebant. Eo exercitu propius movente Bethunius in Borussiam properabat; qui credebatur copias ibi hærentes cum Suecis sociaturus non solum ad subigendam Electoris provinciam, sed & ut Regi solutum legibus imperium, ac ejus filio successionem compareret; per quæ Electoris fautores Polonis non parum scrupuli injiciebant. Interceptæ quoque fuerunt a nostris literæ ab Hornio ad Regem Poloniæ scriptæ; se jam antea innoxium transitum in Borussiam petiisse; sed cum sibi responsum non fuerit, e silentio conjecisse, Regem non repugnare. Cum itaque ad fluvium Niemenem processerit, a Rege nosse cupere, ubi, & quando se conjungere debeat cum copiis, quæ in usum Sueciæ hucusque in regia Borussia egerint. Simul querebatur, Pacium sibi cum Lithuanicis copiis imminere, quo minus Memelam expugnare possit. E quibus, aliisque ad Bethunium datis literis intelligebatur, eam expeditionem instinctu Galli conscio, & consentiente Poloniæ Rege fieri, eoque nomine certum inter ipsos fœdus fuisse initum. Intelligebat post Viennæ Crocovius, inter Gallum, & Polonum conventum quoque fuisse, ut si pax cum Imperio non succedat, Polonus Cæsarem atque Electorem armis distringere teneatur. Quod si autem Polonica Nobilitas una cum hisce prævaleat, ac Rex succumbat, huic exemplum Joannis Casimiri imitandum; quo casu Gallus ei Principatum sit daturus, addita quoad viveret annua D C M uncialium pensione. Cæterum jam Galli crepabant, Borussiam propediem in alterius ditionem concessuram; nec penes Electorem fore idoneo cum exercitu ei provinciæ succurrere, maxima copiarum parte per Pomeraniæ præsidia distributa. Avocaverat quoque Rex per edicta, qui e Polonia in Hungariam rebellibus militatum iverant; qui inde digressi recta in Borussiam tendebant iis se juncturi, quos Bethunius ibi conduxerat. Ii propinquantibus Suecis se movere cœperunt, jactantes; sese

9. Nov. (margin, beside "lebat. Post Pacius...")

Nov. (margin, beside "lonis non parum scrupuli...")

Electorales transitu Vistulæ exclusuros. Ea super Suecorum irruptione Elector Joachimum Scultetum in Majorem Poloniam misit; quam ejus provinciæ incolæ graviter accipiebant, ac delegatis suis injungebant instantibus Comitiis nil aliud tractare, quam uti Sueci iterum Borussia ejici queant. referebant ibi quidam procerum, Polonos Suecis nunquam transitum concessuros fuisse, nisi Vienna intellexissent Cæsarem Borussico se bello haut mixturum. Id quod tamen a Gallis confictum judicabatur, turbandis Majorum Polonorum consiliis: ac Cæsarei idem summopere inficiabantur, etsi iidem ad negotium ibi Suecicum officia duntaxat, non pecuniam, non militem pollicerentur. Sane miserat Cæsar Wenceslaum Althanium Comitem, ut circa eum transitum impediendum satageret; sed cujus opera minus efficaciæ habebat, quod a pecunia pondus ei non accederet. *Althan.*

§. 69. Ast Elector iisdem literis, quibus de capta Stralsunda, & Greifswalda significabat, denuo Regem rogabat, ne Suecos per Poloniæ fines transire permitteret; protestatus se extra culpam fore malorum; quæ inde proventura sint. Nec minus Hoverbequius eum in finem in aula Polonica omnem lapidem movebat. Sed facile pellucebant ejus aulæ cum adversa parte collusiones, & quantum Gallicæ corruptiones fœderibus, ac vicinali necessitudini prævalerent, eoque nil aliud supererat, quam ut efficacissimum remedium Elector a se ipso peteret. Equidem si ipsi post Suecos Pomerania ejectos toto cum exercitu Rhenum versus ire contigisset, egregium ibi operæ pretium facturus videbatur. Ac forte Cæsaris, ac Luneburgicorum separata pax eo modo impediri poterat; queis Electore in diversa tendente animi minuebantur, quod judicarent absque hoc nihil contra Gallos profectum iri. Sed quia nemo alius Borussiæ curam suspiciebat, & qui tueri tenebantur, ipsi eidem insidias struebant, huc reliquo cum exercitu vertere constituit, quo Gœrtzkius jam aliquot legionibus præmissus fuerat. Nam ut Clivia servaretur Belgarum, aliorumque vicinorum quam maxime intererat, quos eam libidini hostium exposituros vero simile haut videbatur. Etsi post iidem ne sexcentos quidem milites Electore petente Vesaliæ vellent immittere, quod post ortas in Anglia turbas omnem cum Gallo collisionis ansam aversarentur; & quia Pomponius legatis Belgicis confirmarat, hac hieme isti provinciæ nil periculi imminere. Ne quid tamen intentatum Elector relinqueret, Hoverbequium Grodnam ad Comitia proficisci jubebat, a Rege auxilium tuendæ Borussiæ ex fœdere postulaturum. Sed nec ibi quid proficiebatur, manifesta aula in adversam partem inclinatione; ac multi procerum, cumprimis Ecclesiastici palam fremebant, Rempublicam hostes suos propulsare, aut per se subsistere non posse, nisi in Regem solutum legibus imperium ac hæreditarium succedendi jus in ejus fami-

Elector cum exercitu in Borussiam ire constituit.

1678. familiam conferatur. Etsi aula dissuadebat de posteriore mentionem fieri, quod priore obtento alterum ultro secuturum sit. Borussia autem parum negotii datura credebatur, velut in qua multi sint præsentia aversantes, & ingruentibus hinc Suecis, inde Bethunii circa Gedanum hærentibus copiis, queis ex Hungaria venientes accessuri erant, tota provincia inundanta erat. Hornius quoque primo in Borussiam adventu agrestes leniter habebat, velut totam provinciam ad exuendum obsequium pellecturus. Malevoli quoque in comitiis ingentem clamorem tollebant, quod Elector Vistulam Ponte stravisset, exiguo castello juxta excitato; quem & IX M Luneburgicorum, IV M Saxonum secum trahere spargebant, quibus tanquam exteris Poloni transitum concedere non teneantur. Quin non deerant, qui publice dissererent; damnum a Turca acceptum e Borussia sarciendum. Et quia hoc bellum non directe super Borussia ortum sit, sed hæc provincia tantum occasione belli Germanici turbetur, Polonos ad auxilium Electori ex fœdere non teneri. Utut pactis cautum esset, Electori non solum delectus, & transitum per Poloniam, & Regiam Borussiam competere, sed & Regem Poloniæ ad transitum hostibus Electoris prohibendum teneri. Qui æquiores videri volebant, jactabant; non magis Electori, quam Suecis transitum negari posse. Queis tamen reponebatur; Poloniæ cum Suecis simplicem pacem, cum Electore æternum fœdus intercedere, cujus vi hostes ejusdem transitu arcere tenebantur. Demum Rex in comitiis proponebat; Suecos Gedani Reipublicæ Ducalem Borussiam obtulisse. Unde se Ordinibus mature deliberandum exponere, quid circa hoc oblatum sit statuendum. Nam ex suo judicio se nil decreturum, aut suscepturum, sed omnia in ipsorum arbitrium collaturum. Quæ propositio cordatis admodum a ratione abhorrere videbatur, cum inter ea, super quibus consultatio locum habeat, non sit, num acceptare fas sit rem amici, ac fœderati, quam hostis offerat, quando eandem nondum in ditionem redegerit. Atque hoc ipso Regem iniquum Electori animum non minus prodidisse, quam cum comitiis coronationis idem proposuisset, ut Ordines pacta cum Electore interpretarentur, quæ jam multis ab annis duorum Regum jurejurando firmata fuerant. Ita quid Electori e Polonia expectandum foret non obscurum erat, ni fortibus armis contuso Suecorum conatu istius quoque malevolentia intra tacitos motus comprimeretur; qui, ubi quid calamitatis ille accepisset, in apertum erupturi fuerant. Cæterum inter Daniæ Regem & Electorem id quoque Dobrani convenerat, ut primo vere aliquot legiones classe in Livoniam trajicerentur, ad Hornium in medio intercipiendum: simul Hoverbequius interim Polonis occasionem eam provinciam recuperandi ingerere jubebatur. Quibus tamen ambagibus opus non erat, postquam initio sequentis anni Electori facilis de Hornio victoria obtigit.

§. 70. Enimvero ne Elector solidum e victoriis suis fructum caperet, properata Belgarum pax in causa erat, quorum exemplum & reliqui fœderati sequebantur. Etsi eam inter initia abrumpendam spes erat, postquam paucos a subscriptione ejusdem dies Galli ad Montes Hannoniæ ab Arausionensi non superfunctorie vapulassent. Eam urbem Galli hactenus eminus circumsessam interclusa subvectione eo redegerant, ut aut subigente fame deditio facienda, aut via ad importandam annonam ferro aperienda esset. Eo fine Arausionensis cum XXX M prope Bruxellas movebat, cui VI M Osnabrugensium, III M Cellensium, ac Spanius cum VI M Brandenburgicorum, & Monasteriensium se adjunxerant. Atrox ibi pugna commissa, cœnobium S. Dionysii expugnatum, aliis locis Galli depulsi magna utrinque cæde; etsi ob iniquitatem loci a solo peditatu res geri posset. Ingruentes tenebræ pugnantes dirimerunt. Sed per noctem Luxenburgius non sine confusione relictis mortuis, sauciis, tentoriis, atque annona, quæ insederat castris ad interiores Montium aditus recessit. Eo prælio Arausionensis ingens periculum incurrerat, cui inter medios hostes versanti præfectus quidam Gallicus jam tubum lateri adplicuerat; sed quem Owerkerckius globo trajectum equo dejecit. Inter fuerat quoque ei pugnæ Dux Monomuthensis, & Osserius Comes cum legionibus Anglicis, non modica fortitudinis laude reportata; quam & nostræ legiones meruerunt. Post commissam pugnam demum Arausionensis intellexit pacem Neomagi jam subscriptam. Unde cum consensu omnium ducum Dyckveldium ad Luxenburgium misit, interrogaturum, num is liberum in Montes ingressum permittere velit. Is magnopere stomachabatur, se a Principe post conclusam jam pacem oppugnatum. Sed cum Dyckveldius reponeret, Arausionensi de subscriptione non constitisse, idem respondebat: de aditu in urbem permittendo nil sibi mandatum: intra quadraginta octo tamen horas Regis sententiam se exquisiturum: interim ab armis cessari posse. Id omnes duces utile judicabant, ut spatium foret reficiendo militi, ac ut exercitui de pulvere ac plumbo prospiceretur, nupero conflictu absumtis, tum ut V M Anglorum adjungerentur. Arausionensis autem eo promtius in breves has inducias consenserat, quod gravis ipsi ratio reddenda foret, si alter conflictus parum feliciter successisset. Ac si maxime fortuna adspirasset, exprobrandum tamen fuerat, quod non expectato Reip. decreto exercitum periculo objecisset, tanquam pacem quovis modo impedire, ac suam autoritatem augere studeret. Post elapsum biduum Luxenburgius significabat, sibi a Rege injunctum liberum accessum in urbem permittere, tum inducias usque ad ratihabitonem pacis inire. Nam verebatur Gallus, ne Belgæ post eam pugnam pacem firmare abnuerent. Istas Villa Hermosa cupide amplectebatur cui Arausionensis contra dicere dubitabat, quod nondum

[Marginal notes: 1678. — Galli ad montes Hannoniæ vapulant. — 15. Aug. — Owerkerck. Offery. — Dyckveld — Induciæ inter Gallicum & Belgicum exercitum ineuntur.]

1678. nondum a Rep. mandatum accepisset, quid circa has inducias sibi statuendum foret. Sed cum Hispanus arma utique poni vellet, Arausionensis quoque sibi repugnandum haut ducebat, cui de Belgarum in pacem studio satis constabat. Conventione tamen jam perfecta ab Ordinibus Generalibus decretum adferebatur, quo Principi permissum inducias amplecti aut recusare, prout ipse e re judicaret. Quod decretum si prius accepisset, animus fuerat denuo cum Gallis pugnam conserere, toto quoque exercitu ejusdem cupidissimo.
19. Aug. Ita inter Luxenburgium, & Villam Hermosam induciæ conclusæ fuerant, quibus dispositum, qua ratione exercitibus usque ad ratihabitam pacem agendum esset; quas & Arausionensis probaverat. Super his induciis fœderatorum legati Neomagi graviter querebantur, utpote per quas denuo a fœderibus discessum foret; ac arridente fortuna id potius agendum fuisse, ut malum ex inauspicata separatione ortum reparari posset. Hispani petebant, ne ista sibi tribuantur, quippe in eam conditionem redactis, ut ab alieno placito sibi pendendum sit. Harenus necessitatem excusabat, de qua ipse fœderatis dudum denuntiarit. Haut eo minus tam acres protestationes interpositas, ut merito querimoniis deinceps supersederi debeat; præsertim cum alii quoque fœderati dudum circa separatos tractatus fategerint. Id quod omnes & singuli inficiabantur; idque a Gallis sparsum divisioni inter socios excitandæ; ac Heugius a se honestum virum non haberi testabatur, qui de ejusmodi facto ipsum insimularet.

Anglo pax displicere videtur. 6. Aug.

§. 71. Postridie subscriptæ pacis Templius ratificationem tractatus Hagæ inter Anglum & Belgas conclusi accipiebat cum mandato, ut ejus permutatio sine mora fieret. Id quod cum literis a Crossio allatis plane non conspirare videbatur. Quanquam autem ea ratificationum permutatio jam inutilis haberetur, Templius tamen sine mora Hagam profectus eam ibi peragebat. Is Fagelium, & multos procerum ea pace, & inprimis Beverningii præcipitantia valde offensos reperiebat, & quod eo ipso die, quo Galli redditionem urbium promiserant, pacem subscripsisset, non expectatis a Rep. novis mandatis; qua in re mandata sua transgressus, eoque nomine rationem sit redditurus. Jactabatur de non agnoscendis ipsius actis, & arripiendo tractatu cum Anglia nunc ratihabito: tum bello junctim cum Anglia persequendo. Satis adparere Gallum a bello abhorruisse, & maluisse aliquid de ferocia, & fastu suo remittere, quem alias semper in tractatibus cum vicinis suis ostenderit. Sed reliqui, præcipue Amstelodamenses, declarabant, se tractatu Neomagensi contentos esse. Nam debilitatem suorum fœderatorum, ac ambigua Angli consilia pacis necessitatem sibi imposuisse; quæ & legatorum suorum festinationem excuset, quod interposito spatio ad nuntios Hagam mittendos Respublica obligata fuisset ex pacto cum Anglo bellum continuare. Templius quoque mandata accipiebat, ut de medio statu Cliviæ concedendo una cum Belgis instaret; 1678. quæ forte magno usui esse poterant, si ante subscriptionem allata fuissent. Sed nunc Anglus eadem studio retardasse videbatur, ut eo officio sine effectu defungeretur. Allato de pace in Angliam nuntio adhuc II M CCCC milites in Flandriam mittebantur, promovendæ pacis exsecutioni, quod ante eam Anglicus exercitus haut tuto exautorari posset. Rex ipse dicebat; se optasse, ut per novissimam cum Belgis conventionem melior pax obtineri potuerit. Sed quia pax ante præfixam diem conclusa, eoque effectus istius conventionis elusus sit, sua jam interesse pacem quantumvis malignam exsecutioni dari. Et cum interrogaretur, quid nunc Borealibus fœderatis facto opus sit, humeros trahebat: optimum fore id facere, quod facere decreverant, antequam spes armorum ab Anglia movendorum adpareret. Nam post convulsum fœderis fundamentum singulis suam salutem curæ esse debere. Quæ verba Cæsareo legato, ac Suerino eo suspectiora videbantur, quod jam maxime reliquis fœderatis constanti conjunctione opus esset, ni turpem sibi pacem obtrudi vellent. Porro cum Suerinus audisset, Belgas Gallo promisisse, non modo medium deinceps statum 6. Aug. exacte se observaturos, sed & non impedituros, quo minus exercitus Gallicus Vesaliam, & alia Electoris loca accedat, modo Mosa unius horæ itinere a Trajecto transiretur; Regem denuo rogabat, ut Electoris causam susciperet. Hunc enim Belgis declarasse, si utique separata pace opus sibi ducerent, ut saltem facultatem sibi reservarent fœderatis suis auxilium præstandi; aut si necessum sit ad medium statum se obstringere, Gallo eandem legem dicerent, ne & is Sueco adsistere posset; tum ut neutrum statum Clivicis ditionibus expressis verbis in pace stipularentur. Quæ uti æquissima, ac fœderi maxime congrua Rex semper probaverit. Ad quæ hicce: se haut credidisse, Gallum ita simpliciter postulatis suis destiturum; multo minus Belgas tam languide securitatem Cliviæ acturos; præsertim cum ipse declararit, pro hac tantum se obligationis suscepturum, quantum Belgæ desideraturi sint. Ac si Belgæ circa neutrum statum ejus provinciæ serii quid studii ostendissent, Gallum ideo hautquidquam bellum continuaturum fuisse. Sed hac rerum facie se nil utilius, quin nil magis necessarium reperire, quam ut ocyus qualibuscunque conditionibus transigatur, quo pax communis sequatur. Etsi eam Belgarum præcipitantiam non possit non improbare. Cæterum de Boreali pace in Anglia nil agebatur, nec aliud opis Electori hinc sperandum erat, quam ut Anglus forte ejus rationes Gallo commendaret. Quod nec enixo studio ab isto agendum erat, nec Anglicæ commendationes in Gallia magni fiebant. Sane in pace Belgica de Angli officio non ulterius mentio facta erat, quam ipsius opera bellantes consensisse, ut

1678. ut Neomagi tractatus pacis susciperetur. Et cum super eo in aula Gallica querelæ ab Anglico legato moverentur, ei responsum fuerat: *Si nos vobis numeramus, quæ promissa sunt, quid est quod nostris negotiis vos miscere velitis?* sicuti & Angli officium pro Lotharingo abrupte rejiciebatur.

Aliqua spes belli Anglici iterum adparet. 13. Aug. §. 72. Mox allato nuntio de conflictu ad Montes ingens Londini gaudium etiam in aula sentiebatur, ac nova spes belli in Gallum allubescebat. Cujus mutationis hæc causa fuerat, quod circa id tempus conspiratio in Anglia erupisset; unde aula, evitandis inde proventuris periculis ob offensam Parlamenti e pace conceptam, Regem ad arripienda arma permoverat, quo populo suo satis faceret, tamdiu ista desideranti. Ac protinus Rex Hydium Hagam mittebat, ut Belgas ad servandum fœdus jam validum excitaret, tum ratihabitionem conclusæ pacis junctis cum Hispano consiliis impediret. Simul ut Belgis confirmaret, sibi decretum esse in arma erumpere, si Gallus Cliviam bello eximere nolit, modo Belgæ ei postulato insistant; cui præstando hos tantopere se subduxisse mirum sibi videatur. Ac Suerinus Beuningio scrupulum injecerat; si Belgæ usque adeo obligationem suam negligant, Electorem omnibus suis copiis in Pomeraniam revocatis Cliviam Gallorum arbitrio expositurum. Quo perturbatus Beuningius cum Gallico legato concursare, Regem quoque hortatus, ut ejus provinciæ curam suscipiat. Rex quoque adhuc tres equitum, duas peditum legiones in Flandriam mittebat; ac jubente Electore Suerinus eum stimulabat, ut tandem ferrum stringat, quod pax effectu caritura sit, Gallo subinde nova, & intoleranda postulata in medium afferente. Qui & per eam conditionem, ut Hispanus fœderatis suis nil opis ferat, haut aliud quærat, quam ut vicissim iste omni auxilio nudetur, quo illæ provinciæ arridente occasione a se absorberi possint. Ac vel tot contumeliæ a Gallo illatæ Anglum ad arma permovere debuisse videbantur. Nam eo ipso tempore, quo Beverningius apud Galliæ Regem in Flandria fuerat, Gallus, & Anglus inter se convenerant, ut illi integrum foret pacem in Belgio, ac Germania pro lubitu urgere; quo nomine Anglus sex milliones librarum Gallicarum accepturus sit, quarum & dimidia pars protinus numerabatur. Sed quia Anglus vel metu Parlamenti, vel agnitione admissi in bonum publicum delicti conventis non steterat, sed Gallicam pacis formulam moderari studuerat, Galli magnopere offensi Sunderlandiæ Comitem, qui ei actioni colorandæ, & reliquis tribus millionibus exigendis missus erat, plane rejecerant. Ex quo colligebatur, postquam Anglus semel cœperat Gallo fidem non servare, serio eum fœderatis se innectere velle, modo Belgæ in eandem sententiam pertrahi possent. Ac Beuningius, qui hactenus in speciem institerat, ut Anglus Gallum armis ad locum rationi dandum compelleret, jam ubi res serio agi videbatur, confusus bellum omni modo impedire nitebatur; 1678. præsertim cum plures subinde copias in Flandriam trajici, ac nova diplomata conscribendis pluribus legionibus distribui cerneret. Ac sane Hydius non sine gravitate Hagæ proponebat: *Regi suo inopinum accidisse, cum intelligeret, Belgas Neomagi separatam pacem absque Hispano subscripsisse, haut facta mentione de evacuandis a Gallo urbibus isti restituendis, nec aliqua cautione eo nomine obtenta.* 16. Aug. *Tum Gallum plura jam ab Hispano postulare, quam exhibita quondam pacis formula præ se ferat, ac super quibus Regi suo cum Belgis convenerit. Cum igitur casus fœderis jam extet, eoque Belgæ ad bellum contra Gallos persequendum teneantur, Regem ab ipsis exsecutionem fœderis requirere. Unde se declarare, si Belgæ subscriptam Neomagi pacem ratihabere nolint, Regem Angliæ intra triduum, ex quo id sibi ab ipsis significatum fuerit, in bellum contra Gallos erupturum, & quæ fœdere convenerint, bona fide impleturum. Addebat; quia Reip. non minus intersit limitem versus Rhenum, quam in Belgio Hispanico firmari, Regem pro medio statu Clivicarum ditionum ad omnia, quæ Belgæ facturi sint, concursurum, sic ut eam securitatem obtinere unice ab ipsis dependeat.* Enimvero serum jam erat talia canere; & istum Angli impetum, serium an simulatum, eludere in proclivi erat, si Gallus recens motis difficultatibus desisteret, circa quas componendas Belgæ sequestrium officium interposuerant. Quo obtento Amstelodamenses ratihabitionem pacis pervincere haut omissuri erant; quorum consul Valquenierius dixerat; securitatem Cliviæ curæ sibi fore, sed non prius nisi post ratihabitam pacem. *Valckenier.* Ac uti Anglus sine Belgis nil suscipere volebat; ita Belgæ contra societatem Angli declinabant, ac jam iterum Gallo blandiri incipiebant. Ita brevi spes ista decollabat, ac Rex Suerino declarabat: quo studio ipse Cliviæ securitatem amplexus sit, ex Hydii propositione satis adparere. 27. Aug. Ad eam Belgas quidem ratihabitionem pacis distulisse, sed nondum certam diem præfixisse, quousque Gallo integrum sit futurum novas suas conditiones movere. Etsi enim novissimo cum Belgis tractatu expressis verbis cautum sit, ut aut Gallus intra Kalendas Augusti in omnia consensisse debeat, aut bellum condinuandum sit; satis tamen perspici, quocunque tempore Gallus proposita a se formula stare velit, Belgas quoque conclusæ paci inhæsuros. Nam eos quovis modo pacem sola in Arausionensem suspicione agitatos velle. Beuningio autem Rex denuntiabat; se diutius in ancipiti hærere non posse: a Belgis aliquando decernendum, quid facere velint. Ubi adparebat, si maxime Belgæ de sincera Angli intentione dubitarent, tamen arrepta Hydii propositione intra triduum Anglum ad bellum Gallo indicendum obstringi vel ingratiis potuisse; utut ministri Anglici Hispanos clam ad pacem subscribendam stimularent; id quod isti tamen inficiabantur. Ita demum Galli scopum suum obtinuerunt, ut Anglo extra

arma

1678. *Galli separatam pacem pervincunt.* arma remoto, ac rupto inter fœderatos vinculo singulis pro suo lubitu pacis leges impingerent. Qua quidem in re abnui non potest, quin maxima industria, ac dexteritate usi sint, præsertim post Arausionensis connubium, quod cum ipsis fatale fore crederetur, in grande suum commodum vertere calluerunt. Id sane constat, iisdem haut animum fuisse bellum continuare, si Anglia fœderatorum partes amplexa foret; quod potentia ejus Regni, & radicatum nationis in Gallos odium maximum istis momentum additurum fuerat. Unde sine dubio Gallus omnes pacis leges subiturus erat, quas Anglus, dum sequestris officio fungitur, præscribere voluisset. Præsertim cum virtutem militis Anglici hoc bello satis perspexisset; & classis Anglica Belgicæ juncta facile in Galliam exscensionem facere potuisset, magnos domi motus datura ob ægros populi Gallicani animos. Sed & intercepta per Anglos commercia plus damni Galliæ intra biennium dare poterant, quam reliqua omnia, obturato præcipuo velut canali, quem fœcunditas terræ & industria nationis pandit, per quem reliquorum opes ubertim in Galliam confluunt. Nam aperta licet Italiæ commercia modici momenti esse, nil vini, salis, aut rei vestiariæ consumentia; quæ contra a Borealibus nationibus immenso numero petuntur, necessitate, aut stultitia, aut luxu subigente. Id lucrum per duos aut tres annos interceptum tantum debilitatis nervo rerum gerendarum illaturum, ut, si a fœderatis nil præterea susceptum foret, id unicum vires, & vigorem Galliæ consumere queat. Quod periculum cum probe perspicerent Galli, nunquam sese ei exponere voluerunt: & cum eam rerum conversionem e nuptiis Arausionensis metuerent, eo nomine nil offensæ contra Anglum ostendebant: quin potius nativa hujus facilitate utebantur ad idem in emolumentum suum vertendum, dum eum statim post id consummatum ad prorogandum Parlamentum permovent, in specimen Anglis juxta, atque exteris, quantum Gallia in ista aula polleat. Inde non defuit solertia eludendæ Durassii missioni, & formulæ pacis inter Anglum & Arausionensem designatæ, per molles querelas negotio ad tractatus pertracto. Dum aulam Anglicanam Galli per inania ludificant, majore adhuc artificio Belgici populi animos fascinabant, injecta suspicione e nuptiis Principis tanquam ad imminuendam ipsius libertatem spectantibus, ac belli continuationem decretam ad ejusdem opes exhauriendas. Inprimis Amstelodami adversæ hactenus factiones conciliatæ, eædemque permotæ ad probandas a Gallo latas pacis conditiones, ut ab Anglo propositas eluderent. Istas cum majori Belgarum parti persuasissent, Anglo significabant, ab hac parte sibi de pace cautum esse; tum ipsi juxta ac primariis ejusdem ministris grandes pecuniæ summas offerunt, ut in pacem ipsis Hollandis probatam consentire velit. Postquam a Belgis pax plane decreta, subigente Amstelodamensi factione, & periculo, quod post captum Gandavum Antverpiæ minabatur; Galli credebant tanto impetu istos in pacem rapi, ut tutum jam sibi esset circa Hispanorum rationes ferociam exserere; quo fine declarabant, se istorum urbibus militem haut prius deducturum, quam Sueciæ super exhaustis damnis satisfactum sit. In quo cum ratio eos hactenus fefellisset, quod Anglus, ac Belgæ acriore studio eam rem amplecterentur, quam isti crediderant; vela vento obvertebant, ac rem summa cum industria iterum ad tractationem deducebant, tanto erga Belgas placendi studio ostenso, quantum nunquam erga ullum Regem ostenderant. Simul veneno suo imbuebant literas per Crossium allatas, quorum argumentum astute vulgabant, utut eæ alias secretissimæ esse deberent. Iidem eodem tempore declarabant; se nunquam difficultatibus quas moverant destituros, nisi interveniente tractatu, ut fœderatos in securitatem darent, eosque impedirent, ne astum præverterent, de quo istos cogitare gloria Galliæ, quæ alias ubique crepabatur, haut permittebat. Ac eo modo agere pergebant ad extremum usque diem, qui ipsis ad se declarandum concessus erat; ita religiose servato secreto, ut ne mane quidem ejus diei, quo sententiam suam exponebant, cuipiam vel minima suspicio oriretur. Sed præcise extremum momentum expectabant, ne Belgicis legatis spatium esset ad rectores reipublicæ monendos; quod metuerent, ut hi moniti citra consensum Hispanorum tractatum subscribere vellent; ipsique adeo periculo exponerentur, quod e tractatu inter Anglum & Belgas inito Galliæ provenire poterat. Ita elusa spes Anglicani populi, quod super bello Gallis inferendo conceperat, inanibus quoque sumtibus in parandum exercitum impensis. Simul Hispanis necessitas allata conditiones amplectendi, quas Belgæ pro iis stipulati fuerant. Inde pax Imperii & restitutio Lotharingiæ, demum Borealium fœderatorum emolumenta eorundem libidini exposita. 1678.

§. 73. Ast Belgæ postquam pacem suam utcunque deproperassent, Hispanos ad exemplum sequendum urgebant. Quos contra ad constantiam Danicus, & noster legatus Neomagi tradito scripto impense hortabantur. *Improviso subscriptam a Belgis pacem Hispanis ansam præbere, ut dudum nationi suæ adquisitam fidei, atque constantiæ gloriam luculento specimine insigniant. Esse bonam fidem pretiosissimum decus Reip. bene constitutæ, quod nulla vis, nulla calamitas eripere possit. Eam & nunc ab ea Corona expectari, ut defectus, qui magis ex infelicitate temporum, quam prava voluntate hactenus circa diversa fœderum capita contigerunt, saltem per immotam constantiam reparentur; dum nullo modo ab iis divelli vult, qui, ut ipsius ditiones imminenti exitio eriperent, seipsos gravissimis periculis exposuerunt. Qui & omnia adhuc tentare parati sint, quo communis, eaque honesta & æqua pax obtineatur,* *Circa pacem inter Gallum & Hispanum fagitur. 22. Aug.*

aut

1678. *aut hostium iniquitas armorum continuatione ad meliorem mentem adducatur. A Principibus suis nunquam repudiatam rationem inter populos usitatam ad pacem perveniendi, quam & summo cum gaudio amplecti, ac circa eam faciles se præbere parati sint, velut queis tranquillitas orbis Christiani summa votorum habeatur. Sed quia Gallus hucusque nullas conditiones paci idoneas, & super quibus tractari posset, admittere voluerit, sed sua ex libidine durissimas ipsis leges impingere conatus fuerit; facile adparere istos hautquidquam in culpa esse, quo minus tam funesto bello finis adhuc impositus sit. Per solam constantiam hæc mala reparari, ad simul justiora, & magis decora consilia posse adduci illos, qui clandestinis paucorum artibus, ac impetu vulgi, fidem ac decus Reip. digne æstimare nescientis, ab officio discesserunt. Atque longe satius esse cum fidelibus sociis parem fortunam subire, quam horum cum exitio, simul violatis sanctissimis fœderibus qualemcunque a malis respirationem sibi ad breve tempus quæsitum ire. Sane qui limes progressibus Galliæ sistendis statui jactatur, ad plura adquirenda viam huic munire competum iri. Quod Belgii Hispanici relinquitur non nisi exhauriendis Hispaniæ thesauris inserviturum, cujus possessione eadem exuenda sit, quamprimum occasio insatiabilem Galli libidinem aliena rapiendi excitaverit; cui qui obsistat neminem deinceps repertum iri, postquam semel sanctissima fœderum vincula ita temere abrupta sunt. Sane queis pro studio suo, pro labore ac periculo cui sese exposuerunt, ab amicis id gratiæ repositum fuit, alia vice longe habituros ad alienum incendium restinguendum adcurrere, ac privatim potius suis rationibus consulturos. Igitur se rogare per sanctimoniam fœderum, per Regis bonam fidem, per nationis Hispanicæ gloriam, ne quid admittant, quod ipsorum Principibus fraudi esse queat; nec eam victoriam communi hosti concedant, ut postquam sorte armorum prævaluerit, etiam fide, & constantia erga fœderatos superior extiterit.* Enimvero Hispani etsi magnifice de fide, & constantia sua loquerentur, ac saltem ad subtrahenda sociis auxilia se unquam adducendos negarent, si maxime separatam pacem inire necessitas subigat; tamen meduendum erat, ne & huc demum iis descendendum foret, postquam Anglus præstiturum se receperat, ut Hispani juxta, ac Belgæ medios se gererent, denegato fœderatis auxilio; præsertim cum Gallus motis hucusque difficultatibus desisteret, ac Anglus tergiversantes copiis, quas in Flandria habebat, facile ad eam conditionem admittendam cogere posset. Accedebat & privata ratio, quod bello extracto Gubernatori materia quid lucrandi adimeretur, cum pacis tempore L. M uncialium ex ea statione sibi redirent. Gallus quoque stimulandis Belgis, cum sex septimanæ permutandis ratihabitionibus statutæ essent; id tempus anticipare properaverat, ac Avauxio injunxerat, ut protinus Hagam tanquam ordinarius legatus se conferret. Unde & Belgæ haut expectata pace Hispanica ratificationem suam exhibere constituerunt, Galli literis confisi, queis promiserat; si etiam post ratihabitam cum Belgis pacem aliquid locorum in provinciis Hispanicis occupaturus sit, id se non retenturum, sed Belgis tantisper suo milite insidendum traditurum. Equidem Ordines Generales antea decreverant pacem cum Gallo conclusam non ratihabere, quoad pax inter Gallos, & Hispanos subscripta sit, & ut Gallus novis postulatis desistat. Mox quoque nova temperamenta legatus Gallicus proponebat; Regem nulla amplius loca in provinciis Hispanicis usque ad pacem occupaturum; ac loca Hispanis restituenda Belgis tantisper sequestro depositurum, quoad super controversiis convenerit, quæ Belgarum, & Angli velut arbitrorum decisioni committendæ sint. Sed ista plane a Belgis rejiciebantur, ac pure insistebatur exsecutioni pacis, prout ea ab initio ab ipso Gallo proposita fuerat. Ac Amstelodamenses fremebant, se pacem cum Gallo initam ratihabituros, si maxime Hispani, quin & quædam Reip. membra dissentiant; eoque omnibus sese belli oneribus subtracturos. Unde Hispani, quæ adhuc super Dinanto, & Atho restabant controversiæ ad compromissum Belgarum rejiciebant, non parum indignante Anglo, hos potius quam se arbitros captos, suumque adeo officium plane præteriri. Quanquam demum & Gallus eas difficultates remittebat, ut arbitrium Belgarum ultro expiraret. Qui & his magis quam unquam antea blandiebatur; & Avauxius Hagam ordinarii legati functionem ibi obiturus properabat, etiam antequam ratihabitio permutata esset, & Resp. declarasset, num ipsius adventus ante ratificationem gratus foret. Demum Belgæ decreverunt ratificationem suam conventa die permutare ea conditione, ut ea irrita sit, ni Gallus quoque Hispanicam pacem firmet. Ita Hispani non amplius moram fecerunt, quo minus & ipsi pacem suam subscriberent. Balbasius in consessu fœderatorum de ea referebat: *Sibi faciendum fuisse non quod ipsi, sed quod alii voluerint. Subscriptionem diutius se differre cupiisse. Sed cum Haga nuntiatum esset, ratihabitionem pacis Belgicæ die dicta secuturam, eoque fine jam a Rep. subscriptam, sibi quoque ad absolvendam suam pacem cacedendum fuisse.* Ad quæ nemo fœderatorum verbum respondebat, nisi quod Cæsarei protestationem interponerent, qua jus Imperii in Burgundiam, Dinantium, & alia loca reservabant. Ac mox ratihabitiones quoque pacis inter Gallos, & Belgas permutatæ sunt. Sed quo die ea pax publicata, ac eo nomine publica lætitiæ signa edita sunt, Arausionensis, & Fagelius Hagæ adesse nolebant.

Margin notes: 13. Aug. — 1678. — 20. Aug. — 21. Aug. — *Hispanica pax concluditur.* — 7/17 Sept. — 10/20 Sept.

§. 74. Ita & Hispani Belgarum exemplo separatam pacem inivérunt, quam tamen dubia adhuc re Joannes Austriacus velut inhonestam, & noxiam detestatus fuerat, & in quam ipse nunquam sit consensurus. Quin pace Belgica jam subscripta confirmabat: Hispanicos ministros in mandatis habere, ut Belgicæ paci utique obnitantur, ac apud Ordines Generales ejus ratihabitionem impe-

Hispani pacem suam excusant.

1678. impediant. Quin si Hispanici legati Neomagi pacem subscripserint, qua ad neutrum statum se adstringant, eam a Rege haut ratihabendam. Regem firmiter fœderibus staturum, & potius omnia quæ restent periculo expositurum, quam in Gubernatorum ignaviam consensurum. Quin & cum a legatis Hispanicis subscripta pax Madritum adferretur, omnes ea indignari, ac testari, *se nunquam id flagitii admissuros, ut fœderatos suos destituant. Bellum a se hactenus justa mole geri non potuisse pecuniæ, ac militum defectu. Sed ubi classis Americana advenerit, argentum haut defore. Faciem rerum brevi mutatum iri, quod Anglus jam serio rem acturus sit. In Belgicam classem multos sibi milliones fuisse insumendos, nullo operæ pretio facto. Eos intra triennium terra, marique nihil egisse, ante quorum ora hostis tot urbes expugnarit. Laceras Flandriæ reliquias tueri plus impensæ requisiturum, quam bellum auxilio fœderatorum contra Gallum persequi. Per ejusmodi pacem universos offendi, quibus tamen sui conservationem unice debeant, & per quos Austriaca Domus pro captu præsentium temporum deinceps quoque se conservare debeat. Denique postquam Regi facultas non fuerit fœderibus satisfaciendi, saltem ingrati animi crimen erga bene meritos fœderatos haut contrahendum. Galli artes omnes eo tendere, ut fœderatos Domo Austriaca avellat, quorum fide hujus res hucusque stetit. Stolidum esse credere, a Gallo Hispanis unquam fidem servatum iri. Enormem esse ejus ambitionem, per quam non reliquiæ solum Belgii, sed & omnia Hispaniæ regna periclitentur. Belgarum exemplo facti sui dedecus non imminui. Istis quippe solitum quodvis emolumentum ante existimationem, ac fidem habere. Aliter Reges agere, queis omnia ad decus referantur. Maxime indignum esse, quod Galli Messanenses paci includere velint. Quid iidem dicerent, si postuletur, ut Burdegala, & Rupella in priorem statum reponantur?* Enimvero Hispanus arbitrium belli ac pacis suæ Anglo commiserat. Unde omnia in eo vertebantur, quid consilii ab hoc capessendum foret. Nam proprio quidem Marte ab Hispanis nil geri poterat. Regis quippe patrimonium, & reditus magnam partem prioribus temporibus inter gravia bella venditi; reliqua oppignerata erant. Qui restabant proventus in quinquennium & amplius anticipati. Res pecuniaria per monetam cupream, & fallacias, quas camera regia obtentu ærarium sublevandi ipsa introduxerat, plane proruta. Ea, quibus Rex ad sui sustentationem indigebat, per industriam corradenda. Ex tot Hispaniæ Regnis tantum militum contrahere non dabatur, ut XII M Gallorum Puicerdæ obsidio depelli possent. Proventus Regni Neapolitani seditio Messanensis absumserat. E Mediolanensi Ducatu quondam duo milliones redierant. Nunc prava gubernatorum administratione fere tantundem ex Hispania supplendum erat ad alenda pauca præsidia, multos præfectos, ac infinitos ministros regios. Intra triennium nulla classis ex America venerat. Apud mercatores nulla Regi fides, quorum & multi fortunis eversi, quod Regi crediderant. Huc accedebat mutatio regiminis; desperatio, & indignatio ob continuos sinistros eventus, nulla restituendarum rerum spe. Et quia paucæ in Belgio legiones inopia peribant, nec novus ibi exercitus parari poterat, id vel unicum indicium sufficiebat, Hispanis non voluntatem sed vires deesse. Singulis cum cursoribus literæ cambii ad Villam Hermosam mittebantur: sed vix unquam aliquis inde redibat, qui non aliquot earundem cum protestatione reportaret. Ac si demum post operosam negotiationem pecunia solveretur, ea vel dudum in antecessum consumta fuerat, vel post damnum jam acceptum solvebatur, de culpa impensa non resarciendum. Nec modicus tunc Hispaniæ morbus erat, quod ingens procerum favor, quo Joannes Austriacus initio ferebatur, in commune odium verterat, inde ortum, quia quorumlibet aviditati, cui fere apud istos homines modus non erat, satisfacere haut posset. Nec minus plebis in eundem offensa gliscebat ab annonæ caritatem, & alia onera. Unde & multi libelli famosi, qui alias in Hispania non frequentantur, in eum disseminabantur, Has ob causas is longe aliter quam antea Rucquio super pace querenti occinebat: *Se quidem hactenus fœderatorum ministris super repudiandis peculiaribus tractatibus confirmasse. Mandata quoque legatis missa id semper inculcasse, ne circa pacem, & bellum absque fœderatorum consensu quid susciplatur. Sed res hactenus præter omnem spem funditus mutatas. Per ambigua Angli in hoc negotio consilia omnia turbata fuisse. Belgas vel suspicione in Arausionensem, vel, quod ipsi ferant, opum defectu in pacem instinctu ruisse, ac Villæ Hermosæ ad eandem amplectendam necessitatem attulisse. Is cum initio excusasset, pacem Neomagi tractandam, ac sibi mandata non esse, Belgas denuntiasse, se utique pacem cum Gallo perfecturos. Si Hispani abnuant, se militem suum urbibus Hispanicis educturos. Tunc adpariturum, quam bene is rebus suis consuluerit. Ita & huic in pacem fuisse consentiendum, utut Madrito in eam rem mandata non habuerit. Circa hæc omnia non prudentiæ, sed soli necessitati locum fuisse. Eo tergiversante Gallum totam Flandriam impetu oppressurum fuisse, ademta Belgis facultate rem, uti nunc factum sit, temperandi. Quin ulterius metuendum fuisse, ne Gallus vires in Mediolanum, & Cataloniam verteret, non fine periculo totam monarchiam subvertendi.* Gemina reliqui differebant: *Anglos, & Belgas pro Hispania pacem fecisse. Ejus leges absque suo consensu adornatas, ac Belgas in se recepisse ipsos vel ingratiis ad eas acceptandas compellere. Sibi nec militem, nec pecuniam esse. Languida a fœderatis auxilia, quorum aliqui parum ad communem causam conferre possint, alii nolint. Pauca quæ in Belgio sibi restent, non firmamento, sed oneri esse, post tot impensas haut secius peritura. Si maxime in præsens pax ineatur, eam stabilem non fore. Olim totam Europam gliscenti Hispanorum poten-* 1678.

1678. *potentiæ se opposuisse: nunc Galli progressus a plerisque otiose spectari; multos ad communes quasi compedes fabricandas ultro operam conferre. Hispaniam proprias ob rationes satis obligari, ut Gallo se opponat. Sed ultra vires neminem conniti posse. Pomeraniam pro quibusdam Belgii locis permutari iniquum esse; ac facile sibi persuaderi Electorem in id haut consensurum. Ast si totum Belgium a Gallo subigatur, omnium Europæ Principum rationes alterationem passuras; quod quomodo impediendum sit, se non perspicere. Ac si maxime eas provincias alteri cedere velint, non reperiri, qui eisdem tuendis par sit.* Sane in consilio Hispanico prima consternatione ob Belgarum separationem sex censuerant; præstare, ut Belgii sui reliquiæ pro Ruscinonensi Comitatu, & aliis locis opportuno situ Gallo cedantur, quam ut tot sumtus in eas fiant in utilitatem Germaniæ, ac Uniti Belgii; quæ tamen ad extremum Gallo prædæ futuræ sint. Sed reliqui ostenderant, per id consilium rationes Domus Austriacæ plane confusum iri, mutata insuper totius Europæ facie. Rucquio sanctimoniam fœderum ingerenti respondebatur; ea servare sibi summopere cordi esse. Sed sperare fœderatos considerata ipsorum impotentia ita stricte conventas pecunias haut exacturos, ac propriam ob utilitatem ad servandum Belgium velut commune propugnaculum connixuros. De cætero generosus Electoris animus, ac fides, studiumque pro publico loco magnis laudibus ferebatur. Sed circa exsolvenda conventa id socordiæ fuerat, ut cum decies octies centena uncialium millia deberent, ex ea summa hactenus non nisi XXIV M numerarint. Etsi hoc anno ægre L M uncialium extunderentur, CL M quoque in classem ex America venturam assignatis, incerta solutione. Ac Elector, cum querimoniæ super separata pace nil profuturæ essent, Rucquium his omissis non nisi subsidiorum solutionem urgere jubebat. Madriti ratihabitionem pacis Neomagi factam diu inficiabantur, inani dissimulatione; cum & fœderatorum ministros frigidius jam tractarent, ac omnem rei bellicæ curam abjicerent, quasi per seculum pax duratura foret.

Quid post deficientes socios agendum consultatur. *17. Aug.*

§. 75. Cum itaque hoc modo Belgæ Hispanique, quorum in gratiam reliqui in arma descenderant, suam sibi pacem seorsim fecissent, auxilio fœderatis deinceps negato, Elector consiliariis suis expendendum proponebat, quid deinceps facto opus foret bellum continuandum, an pax quærenda, & quæ via huic obtinendæ insistenda? Ubi id quidem manifestum erat, ad persequendum bellum requiri idoneas vires, potentes, fidosque amicos, ac pecuniam. Qui hactenus fœderatorum armis præstitum sit, in aprico esse. Cum Belgæ, & Hispani adhuc in partibus agerent, a Gallo tamen munitissimas urbes sub horum oculis expugnatas. Ast postquam isti arma posuere, Gallo nunc facile fore copias adversus istos adhibitas, ac præsidia restituendis urbibus educta una cum classe in Germaniam vertere, ac Sueco subvenire. Ad Inferiorem Rhenum nulla arma, quæ Gallo paria sint. Ad Superiorem Rhenum Cæsaris, & Imperii exercitum hactenus modicum operæ pretium fecisse. Superiore anno Friburgum amissum; hoc anno nil lætabile gestum. Fieri posse, ut Elector eodem tempore in Borussia, Pomerania, & Westphalia invadatur: adversus quos insultus nostras vires haut suffecturas. Urbium quoque præsidia augenda, ac in hiemem adparatum faciendum. In fœderatis fiduciæ nil collocari posse. Cæsarem vix opis quid collaturum, ut Electoris potentia gliscat; cui quantopere faveat, inter alia conditiones testari, quas stipulari velit, ac qua ratione præsentibus temporibus contra Ordines uti cupiat. Præter Friburgum nil eum amisisse, quod & recuperare possit Philipsburgi munitionibus solo æquatis. Ob fœderatos plures eum molestias suscepturum haut verosimile esse. Ac forte gratum eidem accidere, Ratisponæ pacem urgeri, & quosdam ibi Electores, ac Principes difficiles sese exhibere. Ex quo forte consecuturum, ut bellum hoc non amplius pro publico Imperii bello habeatur; quo prætexto Cæsarem, ubi expedire videatur, hoc negotium depositurum. Bavarum, Saxonem, Hanoveranum armatos esse, qui una cum Palatino pacem ingerant; quibus plures sine dubio se adjuncturi sint. Reliqvos Ordines fœderatis non amplius hiberna concessuros; ubi vis adhibeatur vim reposituros, summo cum hostium gaudio, & emolumento. Danum bona fide Electori addictum, sed qvi ipse auxilia a nobis expetat, cum sine extero milite domesticis copiis nil proficere queat. Monasteriensem senio debilem, cujus consilia successorem non sint secutura; ac ejus auxilio Electorem parum gavisum. Quomodo Brunsuicensis domus erga eundem se gesserit, & quam duræ conditiones subeundæ fuerint ob auxiliares copias ad Stetinum mittendas, & quid ulterius extorquere instituerit, notum esse. Denique cum nemo præter Danum optet Electorem Pomerania potiri, facile perspici posse, quid spei in aliis collocari debeat. Cum itaque Electori domesticis viribus maxime nitendum sit, exercitum non solum supplendum, sed & augendum esse; cujus sumtus menstrui ad CC M uncialium surrecturi sint, quos proprii reditus haut tolerent; nec aliunde subsidiorum spem. Denique nec Polono satis fidi posse. Quæ cum ita sint, continuationem belli suaderi non posse, postquam Belgarum defectio omnia nostra consilia turbavit; eoque operam dandam, ut cum Gallo conveniri possit, ne alii fœderati prævertant, ac soli Electori moles belli incumbat. Quin ipsum Cæsarem, atque Arausionensem aliquoties monuisse, ut cum Sueco transigatur. Eo fine Meindersium in Galliam mittendum, ubi Belgarum legati ejus negotiationem fulturi sint. Addebatur; præstare ut Elector postulata sua moderetur, quam ut omnia bello parta 1678.

una

1678. una cum universis fortunis periculo exponat. Ac ea ex moderatione Gallo ansam nascituram Suecos monendi, ut & ipsi æquos se exhibeant. Aliis fœderatis significari posse. Meindersium Parisios ivisse, ut exploraret, quas conditiones Gallus concessurus sit: sed cui cumprimis vigilandum, ne ab aliis prævertatur.

...ector ...lli ...ntem ...er Pomerania ...plorat.

§. 76. Ast Elector uti magnitudine animi sui, ac rerum gestarum splendore haut dignum ducebat surgentibus difficultatibus statim manus dare; ita isthoc consilium quidem haut rejicere placuit, ut tamen interim ipse ad extremum conniteretur, simul alios ad constantiam, & fortia consilia excitaret; ut si maxime eventus egregiis destinatis non respondisset, in se tamen nihil desiderari posset. Espencæ Jun. Itaque primo Espencæus, qui velut privato nomine Luteciam proficiscebatur, *clam tentare jubebatur, num Gallus permoveri posset, ut Electori Pomeraniam concederet.* Is cum aliquam initio spem concepisset, mox præcipitata Belgarum pace, ac Beverningii negotiatione omnia subversa sensit. Inde Elector Franciscum Meindersium prætexto sumto Aquisgranensibus thermis utendi Neomagum se conferre jubebat *explorando tractatuum statui, ac ut conniteretur, quo ipse Belgicæ & Hispanica paci comprehendatur; aut si hoc fieri nequeat, ut saltem Westphalicæ suæ ditiones medio statu fruantur, quippe a quibus utriusque Belgii securitas dependeat. Tum ut sibi satisfactionis in vicem, quæ etiam ex confessione Gallorum, & Suecorum debeatur, armis quæsita per Pomeraniam relinquantur, etsi fas sit totam Pomeraniam sibi deposcere. Ut tamen Recessus Stetinensis, vectigalia Ulterioris Pomeraniæ, communio Capituli Caminensis, & id genus alia cessent. Quod si ab hac die amplius quid occupet, perfecto tractatu redditurum. In has conditiones se pacem amplexurum, si maxime quidam fœderatorum bellum continuare velint: etsi gratissimum sibi futurum sit, si omnes pariter æquis conditionibus transigere velint. Circa hanc tamen declarationem magna circumspectione uteretur, ne cui justa querendi ansa præbeatur; ac ut omnes agnoscant, se necessitate compulsum huc descendisse. Nam a Cæsare hactenus frigide sibi subventum, qui & in pacem, aut inducias proclivis sit. A Belgis, & Hispanis se desertum. Ab Arausionensi pacem, & separatos cum Gallo tractatus suaderi, in quam & Daniæ Rex, & reliqui proni sint. Si Gallus postulatis annueret, Elector fœdera cum isto renovaturus erat, ita adstringenda, ut Regi deinceps plus fiducia in ipso, quam in Suecis collocare liceat. Saltem ne Gallus Suecorum causam suscipiat, si ipse pacem, qualis a se optetur, procurare nolit. Se quoque pactum successoriorum in Citeriorem Pomeraniam Regno Sueciæ relicturum, ut stirpe sua deficiente ad agnatos ex ea provincia nihil devolvatur. Nec minus præter Stetinum nihil devolvatur. Nec minus præter Stetinum se actionem in Hispanica subsidia Gallo transscripturum, ultra sesquimillionem uncialium surgentia, ea lege, ut Gallus dimidiam partem retineat, alteram ipsi protinus solvat, quo ex aliemum hoc bello contractum diluere queat. Ad extremum se contentum fore, ut Pena fluvius limes sit, ac penes se Usedomum & Wollinum insulæ, cum Wolgasto maneant.* Sed quia mox Belgica pax ad restitutionem Hispanicarum urbium hæsura videbatur, ac spes erat Anglum in arma erupturum; Meindersius mandata sua premere, ac in Galliam iter omittere jubebatur. Nam id eam duntaxat ob causam decretum fuerat, quod Belgæ, Hispani, ac Cæsar separatam pacem amplexuri crederentur, quo casu velut acie victis suam cuique salutem qua datur quærere integrum est. Ast si fœderati junctim bellum persequi pergant, nullo modo sibi expedire, nec decorum, aut tutum per peculiares tractatus partes deserere; præsertim cum ad suam præcipue causam pax hæreat ob iniquam conditionem a Gallo super Suecorum restitutione latam. Et exigua spes erat apud hunc quid obtentum iri, quod non solum Espencæi negotiatio, quam secretam haberi ipse rogaverat, divulgata esset; sed & per mendacium jactaretur, se jam ad Regem literas dedisse; quo ipse fœderatis suspectus redderetur. Ac Anglus Suerino dixerat; *Suecos sæpius pronos fuisse ad quasdam Pomeraniæ partes ipsi cedendas, sed a Gallis inhibitos plena restitutione promissa.* Unde is negotiationem suam temporibus accommodaret, cum Danicis tamen ministris omnia expenderet, quod Daniæ Rex cum ipso per communes rationes arctissime jungatur.

1678. 10. Jul.

§. 77. Meindersius Neomagum delatus junctо Blaspielo cum Colberto & Avauxio velut fortuito occursu colloquebatur; ubi multa utrinque verborum humanitas, tum acta utrinque defendebantur; sed ad deserendum Suecum, & cedendam Pomeraniam Galli aures plane occluserant. Utut ipse Benedictus Oxenstierna agnosceret; Electori ut satisfiat par esse, ac apud Belgas primo de summa pecuniæ, mox de certis partibus Ulterioris Pomeraniæ ad patrimonium Principatus spectantibus, demum de Stetino jecisset; de quo & apud Balbasium mentionem fecerat. Adversus quæ Galli incredibili cum insolentia se opposuerant. Ea igitur Gallorum duritie haut consultum erat Meindersium Parisios proficisci, Electore prostituto, ac suspicione fœderatis injecta, nullo fructu. Qui interim Neomagi, & Hagæ data occasione explorabat, num Gallus ad æquiora descendere velit; simul insinuabat, Electorem extrema omnia potius tentaturum, quam Stetinum restiturum. Etsi Beverningius dissereret; *omnes fœderatos belli pertæsos in pacem ruere. De induciis a Cæsareis profectum qui eas per Nuntium urgeant; ac Danum juxta, & Brunsuicenses circa peculiarem pacem satagere. Unde & Electorem sibi bene consulturum, si eandem occupet, etsi hæc non sine difficultate sit processura. Nam optimis conditionibus potiturum qui primus transegerit. In Anglia nil confidi posse, Regem omnia pro pace facere; ac*

Meindersii negotiatio. 26. Jul. 11. Aug.

1678. *ac de neutro statu ab eo promanasse, in quem Belgis consentiendum fuerit, & quem Arausionensis impedire haut valuerit.* Alias Fagelius censebat; *Electori sua desideria apud Gallos Neomagi per Beverningium, & apud ipsum Regem per legatos a Belgis in Galliam mittendos quaerenda; qui de istis sine suspicione tractare possint.* Quanquam autem officio Belgarum longe plus ponderis futurum erat, si de Electoris desideriis peculiari articulo in pace cautum fuisset; tentandum tamen erat, num quid proficí posset; & eam ob causam ab isto ad Amstelodamensem civitatem literæ dabantur, cujus Consul Borelius inter legatos ad Gallum futurus erat. Rogabat quoque Belgas Elector, ne pacem suam cum Suecis prius absolvant, quam sibi quoque cum hisce convenerit. Sed id negabatur, quod Amstelodamenses statim suspicari inciperent, quasi hac via pax Gallica tantopere ab ipsis desiderata turbatum iretur. Et quanquam Oxenstierna dixerat; se satis perspicere, a Belgis tractatum suum in Electoris gratiam difficilia reddi; unde se huic circa nonnulla gratificaturum, si Belgæ vicissim secum liberaliter agere velint; tamen cum Beverningius istius mentem penitius tentaret, plurimum superbiæ, ac ferociæ idem ostendebat, omnia
14. Sept. sibi utique recuperanda fremens. Meindersius inde Avauxio congressus demonstrabat: *Gallo causam non esse, ut adeo obnixe super plena Suecorum restitutione contendat: quorum res plane collapsuræ fuerint, ni Gallus eas fulsisset. Electorem Galliæ insignem operam tam intra Germaniam, quam extra navare posse. Cum hic de Pena flumine jaceret, Gallus enormitatem postulati horrere, ac de Stetino insinuare.* Meindersius contra ejus postulati æquitatem ostendere: *Penam commodissimum, & maxime naturalem limitem esse. Suecos adhuc Ducatum retinere; qui & parum fructus e tractu cis Penam capiant; ac multos sumtus in præsidia Anclami, ac Demmini impendendos, qui ejus regionis proventus longe superent. Eos semper jactasse, Pomeraniam sibi non propter reditus, sed situs opportunitatem æstimari. Ac Electori pariter non de proventibus, sed de securitate agi. Nec esse quod Sueci ab Electore sibi metuant, qui classe instructus non sit: cum huic velut debiliori necessum sit, ut quantum detur adversus Suecos sibi caveat. Ac posse Gallum conventorum sponsorem esse.* Avauxius ista ad Regem se relaturum recipiebat, silentium quoque promittens. Qui & sanctissime dejerabat, neminem fœderatorum, utut omnes super reconciliatione sua cum Rege egerint, vel verbo de Electore mentionem fecisse, & quemlibet cupere hoc bello quamprimum defungi. Fagelius quoque super eodem negotio cum Avauxio locutus est; qui etsi æquum judicabat Electori satisfieri; tamen postulatum de Pena enorme dicebat. Forte Stetinum cum Wollino, & Usedomo insulis obtineri posse. De Wolgasto ægre concedi posse. Sed Fagelius reposuerat: citra Wolgastum Stetini exiguum usum esse. 1678.
Contra Anclamum, & Demminum Suecis parum prodesse. Ac Suecis in lucro habendum, ea jactura defungi posse: de quibus citra Galliæ opem plane actum fuisse. Idem Avauxius Arausionensi dixerat; Electorem nimium postulare, nam transigendum esse aliquo dato, aliquo retento. Suspicioni declinandæ Meindersius post colloquium cum Avauxio Neomagum remeabat, eo tempore Hagam reversurus, quo hic responsum e Gallia accipere posset. In Gallica quoque aula serenus erga Espencæum vultus sumebatur; ac non ingratum sibi fore testabantur Galli, si Elector opera Belgarum a Sueco satisfactionem obtinere possit. Sed ut ipsi hunc ad sua cedenda permoveant, sibi haut decorum. Neomagi quoque Gallici legati testabantur; dolere sibi, ob cerimonias conversatione nostrorum abstinendum fuisse; ac sperasse post Somnicii obitum visitationes solenni forma potuisse obiri; qua de re & in aulam scripserint; sed responsum accepisse, postquam nostri Hispanos primo loco inviserint, solennes congressus admitti in præsens non posse. Interim fortuito occursu colloquendi occasionem non defore. Mox Avauxius re- 28. Sept.
sponso e Gallia accepto affatim blanditiarum Meindersio refundebat: Regem pronum esse pristinæ amicitiæ cum Electore instaurandæ. Sed ab isto salva ratione postulari non posse, ut is fœderatum tam arcte sibi illigatum, qui sui causa in eam calamitatem inciderit, cui & omnem satisfactionem promiserit, jam intra res angustas deserat, eique necessitatem adferat aliquid suarum ditionum amittendi. Quin Regem talia isti proponere non audere. Sed ipsos Suecos judicaturos, quid in præsens utilissimum sibi futurum sit. Igitur optimum fore, ut Belgæ Electoris negotium cum Suecis tractent. Alias iste querebatur, Suecos sinistre admodum res suas gerere. A Gallo ingentes pecuniarum summas suppeditari, quas ipsi prave dispensent. Eorum legatos valde insolentes esse, Oxenstiernam præcipue, ac proprias rationes parum intelligere. Idem tamen consentire nolebat, ut Elector cum Gallo citra Suecum pacem iniret. Nam quod cum Belgis hoc modo actum sit, causam fuisse, quod Sueco cum Belgis nil controversiæ intercedat. Inter hæc Belgæ Avauxio proponebant; ut sine mora Trajectum ad Mosam restituatur, utque omnes æquæ rationes admittantur communi paci promovendæ. Quod si pax ita brevi perfici nequeat, ne in vicinia bellici actus suscipiantur, ac ut præcipue Clivicarum ditionum ratio habeatur. De quibus Avauxius negabat sibi quid mandatum, ac ista legatis Belgicis apud Regem quærenda. Belgæ quoque Suecis denuntiabant, se nolle in ipsorum gratiam vicina turbari; ac si res huc redierit, de iisdem ultionem sumendam. Sed Oxenstierna jactabat: Regum malle coronam suam, quam Stetinum amittere. Ferociam

1678. rociam addiderat distractio a Gallis ad Rhenum facienda, & exercitus Livonicus, qui non Sueciæ, sed Poloniæ nomine rem sit gesturus, de quo certa pacta inter utriusque Reges sint. Vicissim Meindersius post captam Stralsundam, & Greifswaldam ostendebat; *Electorem non amplius Pena limite contentum fore, sed totam utique Pomeraniam ipsi habendam.* Id quod Fagelius obtineri posse negabat. Ac Galli haut eo secius occinebant: a Rege suo Suecum deseri non posse, velut qui ipsius in gratiam in hæc mala inciderit, ac XL M bellatorum in se averterit, qui alias Galliæ incubituri fuerant. Obtabant tamen, ut Sueci considerato rerum suarum statu Electori ex æquo satisfacere velint. Addebat Colbertus; *si maxime Sueci ditiones recipiant, amissam existimationem ideo haut recuperaturos. Contra Electorem ad id fastigii gloriam suam extulisse, ut ea vel triplo Pomeraniæ æstimationem excedat. Espencæus quoque e Gallia redux referebat: Gallus insigne desiderium ostendere amicitiam cum Electore instaurandi. Sed sibi haut decorum Suecos ut Electori satisfaciant, hortari; quod per Belgas commodissime fieri queat.* Post tamen Galli Neomagi mollius loqui cœperunt, ac Electori utique satisfactionem deberi, ac se cum Suecis super ea locuturos. Sed ut Elector totam Pomeraniam retineat, fieri non posse. Alias testabantur, suo Regi gratum fore, si molesta Suecorum societate penitus se exuere queat. Tunc Electorem solida benevolentiæ regiæ specimina capturum. Sed Sueci ferociter jactare pergebant; non magis Stetino, quam Holmia se cessuros. Simul Gallos XL naves bellicas cum aliquot incendiariis auxilio poscebant. Demum tamen insinuabant, de Bremensi provincia aliquam se particulam concessuros. Sed Colbertus ostendebat; Regi suo ut Luneburgicis satisfiat parum curæ esse: sed longe majoris Electorem isti haberi. Postquam itaque parum profecerat Meindersius, nisi quod Gallorum mentem expiscatus esset, ac nimia submissio hisce superbiam additura videbatur, Elector eum domum revocabat.

7. Nov.

In Angliam nil amplius spei reponere licet. *17. Sept.*

§. 78. Nec plus in Anglia circa æquam Electori satisfactionem curandam obtinebatur. Equidem postquam Belgæ, ac Hispani arma posuerant, Anglum metus subibat, ne forte in ipsum faba cuderetur, ac ultio exigeretur belli injuste moti, ac inter sequestris functionem observatæ erga neutram partem bonæ fidei. Unde in consilio deliberabatur, *an non haut obstante Belgarum, atque Hispanorum defectione conditiones a Belgis rejectæ reliquis fœderatis offerrendæ sint?* Enimvero insuperabilis heic difficultas occurrebat, quod cum Anglia inter aliena bella universum fere commercium in se traxisset, hoc modo Belgis occasio præbenda sit isthoc iterum in se avertendi. Imminuto autem commercio non opes solum bello gerendo, sed & nationi voluntas decessura erat tributa annuendi. 1678. Igitur decretum, ut Rex abdicatis plane de bello consiliis salutem suam iterum in Gallica amicitia quæreret. Unde & cum Elector Anglum per literas hortaretur, ut bello socius accedere, hic respondebat: *post Hispanorum, & Belgarum secessionem Angliam nullo modo de bello cogitare posse: alias se generose ab Electore oblata libenter arrepturum fuisse. Nunc autem postquam eo res deducta sit, ut cuilibet salus sua in pace quantum detur quærenda sit, bene sibi consulturum Electorem, si ei se non subtrahat, ac isto fine propositas inducias admittat. Futuræ pacis se sponsorem fore.* Porro ut Anglus Gallum sibi reconciliaret, de abolendo decreto super vetita mercium Gallicarum importatione agebat; ad quod Parlamentum eo facilius induci poterat, quod Belgæ omnia vina Gallica coëmturi, eaque sub Rhenani vocabulo in Angliam importaturi essent. Quorum & emolumentis alias Angli invidebant, accedente nunc offensa ob distorta istorum uti arguebantur consilia. Borealium fœderatorum rationes in Anglia non curabantur, ac satis habebatur Hispanicum Belgium utcunque servatum. Et usque eo Galli amicitia affectabatur, ut cum Lindenovius minister Danicus peteret, Anglum verbo duntaxat in Gallia testari, se concedere non posse a Gallo classem in Mare Balticum, uti tunc fama ferebat, mitti; id recusatum fuerit, ne Anglus obliqua ratione in bellum pertraheretur. Ex altercatione quoque inter Beuningium, & Williamsonium Suerinus intelligebat, inter Anglum, & Belgas convenisse, Cliviæ securitatem quantum daretur suscipere, ut tamen ex eo articulus pacis ne fieret, neu pax ex ea velut coditione suspenderetur. Unde adparebat, quicquid Rex de cura circa Cliviam suscipienda testatus fuerat, simulatum fuisse. Nunc cum res secius caderet, Beuningius libello a Rege petebat, ut is Cliviæ securitatem cordi habeat. Sed hic respondebat: *se eousque in hanc causam descensurum, quousque Belgæ concurrant.* Ita ad solam intercessionem apud Gallum ea res redibat, cujus modicus fructus sperabatur. Et quia Elector post expugnatam Stralsundam, cujus nuntium Rex sat frigide acceperat, pertinacius postulatis suis innæsurus credebatur; haut ægre is concessurus erat, ut isti necessitas Pomeraniam restituendi per irruptionem in Cliviam adferretur. Rex quoque in consilio ita disserebat, ut inde facile colligi posset, nunquam bellum Gallicum sibi cordi fuisse. Ast mox Anglos rerum exterarum oblivio fere subibat, ingenti tumultu apud Parlamentum surgente ob detectam horribilem conjurationem, a Jesuitis & Pontificiæ sectæ hominibus agitatam super tollendo Rege, immutanda regiminis forma, ac introducendis Romanis ritibus. Nam apud Colmannum, qui priori Ducis Eboracensis conjugi ab epistolis fuerat, multæ literæ ad Regem Galliæ, ejusque Confessionarium Jesuitam Chaisium inventæ fuerant, quas jussu

15. Oct.

1678. jussu Eboracensis scriptas arguebat, id quod hic inficiabatur. Inter eas literas octodecim repertæ fuerant ad Chaisium scriptæ, omnes huc spectantes, *si modo Galli ope præsens Parlamentum dissolvi possit, se non dubitare, quin destinata super introducendis per Angliam Romanis sacris successura sint. Quo fine ut operam navare velit Galliæ Rex sollicitabatur.* Eam ob causam Eboracensi res in arcto esse incipiebat; ac jam tum prudentes ominabantur, si hic opinioni suæ circa sacra, Parlamentum accerrimo odio in ritus Romanos insistat posteritatem exemplum amissi, ac parti ob Missam diadematis conspecturam. Ac Chesburius præsente Rege in Parlamento proponebat, ut Eboracensis velut pontificæ sectæ addictus ex aula, & consilio Regis amoveatur; cui complures Episcopi adstipulabantur. Ad quæ Eboracensis postera die declarabat; quia nationi se suspectum videat, ultro omnibus publicis negotiis abstenturum. Quæ declaratio Parlamento haut sufficiebat. Idem post ut abnegatione *transsubstantiationis* (Angli sua lingua *Test* vocant,) eximeretur, obtinuerat, duobus dundaxat suffragiis qui affirmabant negantes superantibus, in quos thesaurarius pridie CM uncialium erogaverat. Colmannus quoque fatebatur, se aliquando bis mille quadringentas libras Sterlinenses accepisse, ut Parlamentum comperendinaretur. Tunc quoque apud Parlamentum Bedlovius quidam testabatur, vix ullum toto Regno Pontificium esse alicujus dignitatis, qui non, dum mysticam cœnam accepit, promiserit, se protinus atque Rex fato functus fuerit, vel cum sanguinis, ac bonorum dispendio connixurum, ut ritus Romani introducantur. Sed & Inferior Domus Williamsonum in Turrim Londinensem conjiciebat, quod nonnulla diplomata pro præfectis bellicis Pontificiæ religionis, a Rege & ipso subscripta, inventa essent; cum isti per leges Regni publicis functionibus excludantur. Et quia Rex de actionibus suis compellari non potest, ubi quid contra leges ab hoc decretum fuerit, ab iis ratio exigitur, qui infra nomen Regis suum subscripserunt. Nam debuisse Williamsonum Regi demonstrare, id contra leges esse; aut si eo monito non obstante Rex placita pertendisset, subtracta sua subscriptione effectum ejus impedire. Equidem is excusabat, inter tam multiplicia negotia a se omnia perlegi non posse. Sed respondebatur; *excusationem delicto atrociorem esse. Nam si quid Regi ad subscribendum obtulerit, aut ipse subscripserit, antequam idem perlegerit, capitis pœnam incurrisse.* Ac in Domo Inferiore, quæ tunc e quadringentis viris componebatur, non nisi quatuor pro Williamsono loquebantur. Sed Rex non levem indignationem in Parlamentum

19. Nov. testatus istum protinus custodiæ exemit. Cæterum cum postea Rex intellexisset, ratihabitionem pacis ex Hispania nondum advenisse, nec Cæsarem adhuc in desertionem fœderatorum consentire, dicebat: *ex hoc consequi posse, ut pacis fructus ad tempus eludatur; sed ideo bellum a se hautquidquam sumendum. Et si maxime Belgæ nunc in postulata sua consentire velint, se non amplius iis teneri; quod iniquum sit, se a Belgarum libidine pendere.* Ista Angli a bello aversatio insolentiam Gallo addebat, ut Belgarum intercessionem pro Clivia parum curaret. Equidem Anglus paulo post de externis rebus iterum cogitare videbatur, dum Hispanico, ac Belgico legato injungit apud Parlamentum scripto demonstrare, quam in proclivi Gallo sit pacem evertere, utque ideo idem exercitum alere pergeret, quousque de pace cautum foret. Sed multos Regis prævaricatio usque adeo efferaverat, ut jam parum curarent, utcunque res caderet; præsertim cum Angli ea sibi persuasione blandirentur, se semper Gallis pares fore. Ac legatus Gallicus iis in securitatem dandis disseminabat; pacem cum reliquis fœderatis jam pro perfecta habendam. Et quia metus ob periculum religionis reliquas curas prævertebat, Domus Inferior exautorationem copiarum decernebat. Hujus decreti, quod Angliæ, quin totius Europæ servitium post se tracturum videbatur, has rationes adducebant. Initio, cum res adhuc integra foret, sæpius se optasse Gallo vim opponi, ac limitem Belgii longius proferri. Eo fine omnibus sessionibus instituisse, ut Rex fœderatis sociatus Galliæ bellum indicat. Ac ea spe validum exercitum conscriptum, magnisque sumtibus sustentatum. Haut eo secius turpem, & ipsi Regi improbatam pacem initam, per quam Flandria oppressionis periculo exposita sit, quotiens Gallam libido subierit. Ubi Parlamento considerandum; *num par sit, postquam arma Galli hucusque præter votum suum progredi dissimularit, istam quoque pacem, quam dissuaserit, in cujus nullam partem venerit, quæ plura incommoda quam ipsum bellum paritura sit, a se promoveri atque stabiliri.* Nec minus id expedendum, *utrum sua magis, an Belgarum intersit Flandriam servari; quos quidem, cum securitatem & salutem suam in ejusmodi pace quæsiverint, eadem quoque adquiescere æquum sit. Ac si maxime Flandria Angliam magis quam Belgas tangat; quæstionem tamen esse, num exiguæ istæ reliquiæ tanti sint, ut ob eas semper exercitus sibi alendus sit: quo utique post ratihabitam opus futurum sit, postquam Hispanicæ provinciæ seipsis tuendis non amplius sufficiant, Gallis cum parato exercitu semper incumbentibus. Denique constare sibi debere, utrum si Gallus Angliam invadat, cæteri quoque hujus defensionem suscepturi, ac idem pro eadem facturi sint, quod nunc ab ipsa exigunt: de quo in præsens nondum cautum sit; nec conditionem eorum, qui adhuc communi fœderi adhærent, sat prolixe polliceri.* Has ob rationes Parlamentum credi volebat, decretam a se exautorationem eo spectare, ut Belgæ ad agnitionem sui erroris, Rex autem ad necessitatem belli in Gallos suscipiendi compellatur, eoque omnia in meliorem statum

1678. tum collocentur, quam pax ista, si persistat, introductura sit. Sed revera istud Regi diffidebat, quem exercitu instructum esse nolebat; ac si opus foret, selectos provincialium ad arma vocare animus erat. Beuningius contra demonstrabat; tali agendi ratione omnia perdi. Cui vicissim exprobrabatur; *Belgas fœderibus licet obstrictos pro lubitu socios destituisse. Unde Angliæ nemini innexæ facile condonari posse, si alienæ se libidini haut attemperet.* Ita nil amplius spei in Anglia erat. Nam aula fœderatis haut favebat; ac Parlamentum, postquam ut exercitus conscriberetur pervicerat, hunc ipsum jam suspectabat, ejusque missionem urgebat; ac pecuniam ad eam missionem conferendam certis hominibus in manus tradebat, ut huic fini utique adhiberetur. Discedens ex Anglia Suerinus obtinuit, ut ad valedicendum Regi sejugibus regiis adveheretur, eoque cum regiis ablegatis pari plane modo haberetur. Id quod antea nec aliis, nec ipsi cum accederet factum erat. Nam quod Spanhemio, qui a Palatino Electore venerat, idem honos obtigerat, id ob consanguinitatem factum Angli causabantur. Sed cum ablegatus Osnabrugensis Sandes ex eadem ratione sejuges regios postularet, id ei abnuebatur.

Cæsa... mis- ... April. §. 79. Sic igitur res maxime eo redibat, quid constantiæ Cæsar exhibiturus esset. Hic cum Crocovius Vienna ad Electorem reverteret, declaraverat; *siquidem Elector apud tractatus pacis obtinere possit, ut Citerior Pomerania in satisfactionem ipsi attribuatur, se investituram ei collaturum hac lege, ut idem connitatur, quo & sibi satisfiat, nec citra se pacem ineat, sed fœderi firmiter inhæreat.* Id quod Luneburgicis de Bremensi Ducatu negatum fuerat. Sed investituram in præsens conferre haut consultum, incerto adhuc belli exitu, ne ludibrio se exponat. De cætero lætum sibi fore, Electorem armis parta retinere; ac Neomagi sedulam operam navaturum, ut Electori ex voto satisfiat. Quam declarationem tamen secretam haberi petebat. Paulo post Crocovius denuo Viennam mittebatur, ut Cæsari nomine Electoris demonstraret, quomodo per separatam Belgarum, & Hispanorum pacem Imperium, & reliqui fœderati periculum incurrant vel fœdæ pacis, vel gravissimi belli. Unde Cæsaris se consilium tam ancipiti rerum statu exposcere. Equidem sibi haut ignotum, quantam molem Germani, & fœderati bello continuato suscepturi sint. Contra Imperio, Domuique Austriacæ noxium juxta, atque ignominiosum, ad alienam libidinem pacem amplecti durissimis conditionibus, eandemque intutam, atque lubricam. Ac si paulo post subigente Galli libidine ad arma sit redeundum, difficile fore nova fœdera fabricari, & exercitus, quales nunc in promtu sint, comparare. Unde se dubitare, an non satius sit justa causa, & virtute Germanicæ nationis confisos sociatis viribus hosti contraniti, quam ut tam iniquæ sibi leges præscribantur pati. Circa quod ipse quantum possit Cæsaris sententiam secuturus, eamque fulturus sit, misso contra Gallum, quicquid e Pomerania subtrahi queat ad viginti militum millia. Et quia periculum in mora sit, rogare, ut Cæsar sententiam suam propere declaret. Nam lentas deliberationes, aut ambigua responsa ita se accepturum velut iste jam pacem decreverit. Sed si Cæsar bellum persequi constituerit, Crocovius pariter de fortibus Electoris consiliis, & constantia confirmaret, ea lege, ut ipsi tota Pomerania relinquatur, nec alia conditione pax fiat. Nec minus ipsum operam navaturum unioni inter fœderatos retinendæ, cui fini quid remedii Cæsar proponat nosse cupere. Idem quoque de hostium machinationibus in Polonia monere jubebatur, uti Cæsarem, & Electorem separare conati sint. Qui cum antea tradiderint, quæ ibi struantur Cæsarem tantum in Hungaria spectare: nunc eosdem huic adrepere, atque copias ex Hungaria revocatas Electori immittere. Unde necessum esse, sociatis consiliis rem ibidem agi. Exploraret quoque, num verum sit quod spargatur, Regem Poloniæ filium sibi surrogare, ac Cæsaris filiam huic ambire. Nam quod jactetur, Regi jam de Electoris favore cautum, id falsum esse; nec de eo quid ad ipsum relatum, nec eundem in fraudem liberæ electionis in id consensurum. Præterea Cæsari insinuaret, ne hic in sinistram partem accipiat, si Elector servandæ Clivicæ ditioni Gallo spem reconciliationis faciat. Id enim nunquam effectui dandum, nec eum unquam fœderatis disjunctum separatim transacturum. Proponebat etiam Elector, contra Gallum octoginta militum millia comparari posse, si Cæsar XL M, Elector XX M, Neoburgicus IV M, Monasteriensis VI M, Osnabrugensis III M, Paderbornensis M, Luneburgici Duces VIII M conferant; quibus a Circulari militia VI M accedere possint. Significaret quoque Cellensem, & Guelferbytanum declarasse, non ipsos solum in partibus perstituros, sed & sperare alios idem facturos. Quam & spem Elector de Cæsare foveat. Ait ubi animadvertat, Cæsarem in pacem inclinare, exquireret, num hic pace sua stipulari velit, ne Gallus Suecis terra marive auxilium præstet; aut si iste hunc pecunia tantum sublevet, ut Cæsar quoque Electori pecunia, aut hospitiis subveniat; quod in Austriacæ Domus insigne emolumentum cedat Suecos Pomerania dimoveri. Sed in his omnibus opus esse, ut Cæsaris mens sine mora intelligatur; de qua sibi parum liquido constare jam Luneburgici querantur.

Jul.

§. 80. Ad proposita a Crocovio Cæsarei satis agnoscebant incommoda in præsens, ac deinceps e præcipitata ad Galli libidinem pace nascitura, præsertim si Borealibus fœderatis nulla satisfactione obtenta bello sit excedendum. Enimvero circa continuandum bellum ingentes se difficultates ostendere. *Cum Cæsareis Viennæ disceptata. 20. Jul.*

Pecu-

1678. Pecuniæ, subsidiorum, hospitiorum facultatem nullibi reperiri; nec pauca incommoda e Belgarum defectione oritura. Inprimis molestam sibi esse diffidentiam, qua non possint non Hispanos prosequi; qui communicationem cum hac aula repente abruperint, nec in præsens cum ea super consiliis prius conveniant, sed ubi ea jam effectui data sint, demum significent. Eos sanctissime fidem dedisse, nunquam se a Cæsare divellendos. Nunc Joannem Austriacum Cæsareo legato ex improviso significasse, sibi utique qualemcunque pacem habendam. Quid ab iisdem in Anglia, & Belgio tractatum fuerit, Cæsarem latuisse, donec legati Hispanici Neomagi, & Villa Hermosa Cæsareis declararint: sibi necessitatem impositam Belgarum exemplum sequendi. Quæ rerum in Hispania confusio sit, ex eo quoque adparere, quod cum inde spes facta esset, post recuperatam Messanam valida impressione Gallos in Catalonia distractum iri, nunc Hispani ab his Puicerdam expugnari permiserint, qui & insuper Rosarum obsidium meditentur. Præterea in Hungaria res non optime habere, ac Turcas infensa minari, belli atrocis præludia. Principem Purpuratorum, qui nunc est, virum esse ambitioso, ac feroci ingenio, qui ministerium suum bello insigne reddere cupiat. Metuendas quoque tertias partes in Imperio, suspecto jam magis Bavaro quam antea, IV M militum adhuc conscriptis; qui si non pro Gallo arma stringat, saltem caput se tertiarum partium laturus videatur. Quin metuendum, ne Ordines Ratisponæ per majorem suffragiorum partem Cæsari pacem ingerant. Huc accedere tenues Cæsareorum armorum successus; ac cum spes fuerit Friburgum invadendi, Gallos prævenisse, positis inter id oppidum, & Brisacum castris. Fœderatos quod spectet, Cæsarem Dani, & Electoris constantiæ firmiter confidere. Cellensem, & Guelferbytanum Duces jam quoque testari, sibi nunquam in mentem venisse Suecis Bremam pro summa pecuniæ reddere: tum octa millia in usum causæ communis offerre: sed simul de tractu Inferioris Rheni in medium statum reponendo proponere. Unde colligi, eos haut judicare Suecis, Gallisque pariter resisti posse; eoque verendum, ut si ab hostibus gratæ conditiones offerantur, de eorum constantia satis cautum sit. Eosdem quoque vetera postulata super Brema, hospitiis, & cerimoniis recoquere. Monasteriensem itidem omnia quæ penes se sint offerre. Sed eum præter privatum emolumentum nil spectare, ac Ordinibus Imperi molestum incumbere. Inter istas considerationes difficillime a se consilia expediri; sed super pace nondum certi quid se statuisse. Electoris commoda quod spectat, gratum sibi fore, si is præmio belli quod optet potiatur, quod alias Cæsari parum auxilii ab eo expectandum sit: eoque cupere se, ut Suecis una & altera sontica plaga adhuc inferatur, ut vel plane Germania pellantur, vel autoritatis jacturam faciant. Sed circa primariam quæstionem, quid Cæsar facturus sit, Belgis atque Hispanis arma ponentibus respondebatur; Cæsarem potissimum Hispanorum in gratiam hoc bello implicitum. Hi si propositis conditionibus adquiescant, isti quoque id ferendum. Pro se eum nil amisisse, quod non facile recuperari queat: nec eundem lucrari quid cupere. Borealibus fœderatis ut ex voto satisfiat haut invidere. Sed ut eam ob causam Germania invita bello immersa teneatur, aut ipse Cæsar periculum proprias ditiones amittendi incurrat, ab hoc postulari non posse. Cæterum firmi quid decerni haut licere, quoad constet, quid cursores Haga, aut e Turcia adportaturi sint. Quod si bellum continuandum sit, Cæsarem postulaturum, ut singuli fœderati declarent, quantum copiarum quilibet propriis sumtibus ad communem causam conferre possit, ac velit; ac ut istæ Cæsareis ducibus subdantur, quo Cæsari de iisdem satis cautum sit. Altero colloquio Cæsarei plurimum 6. Jul. timoris ostendebant, velut rebus plane desperatis. Cæsarem, & Imperium solum bello persequendo haut sufficere, ac præstare qualemcunque pacem amplecti, & aliquam remp. conservare, quam omnia extremis admovere. Si Galli circa conditiones a se latas temperamentum admittere velint, Cæsarem in pacem inclinare. Sed ut Gallo integrum sit fœderatos bello intra Imperium persequi, Cæsarem ferre nolle. Ita rem huc redire; si Cæsar pacem habere velit, fœderatos ab eo destituendos; si fœderati pacem cupiant, & bello parta, & Cæsarem ab ipsis deserendum. Super hospitiis respondebant, eadem in XVI M militum Electori præstari nullo modo posse. Cæsarem superiore anno DCC M florenorum de suo impendisse: hoc anno duplum erogandum: facturum tamen quantum possit. Ad Pomeraniam Electori curandam Cæsarem se adstringere haut posse, cum non constet, an id præstare valeat: omnia tamen collaturum, quæ penes se sint. Circa hospitia agnoscebant ab Electore Ordines ultra æquum haut onerari. Sed Luneburgicos, ac inprimis Monasteriensem præter modum & fas grassari, nec id diutius tolerari posse. Ac si bellum trahendum sit; fœdera in aliam formam redigenda esse. Omnia mala inde provenisse, quod bellum non uno consilio administratum fuerit. Quemlibet suo ex placito, & prout privata utilitas suggerebat, rem gessisse; unde plures egregias occasiones incassum periisse. Sic si Luneburgici Duces post expugnatos Treviros, quod Montecuculus petebat, debilitatum Turennii exercitum a tergo invadere voluissent, ingens operæ pretium fieri potuisse. Si deinceps quoque pari modo agatur, nil profectum iri, si vel duplo Gallos viribus superemus. Contra isthoc unicum esse remedium, si fœderati omnes suas copias Cæsareo duci subdant; quibus tamen integrum sit futurum ministros suos apud exercitum habere suis rationibus observandis. Huic postulato obnixe inhæ-

1671. inhærebant, nec Crocovium audiebant regentem; Electorem Luneburgicis junctum exercitui suo seorsim imperaturum. Cum quoque Cæsarei magnas difficultates super hospitiis moverent, Crocovius quærebat; quodnam emolumentum Ordines bonorum civium officio functos mansurum sit præ iis, qui nil in usum patriæ contulerunt, aut insuper cum hostibus colluserunt? Cui Cæsarei respondebant; tanti esse Suecis erepta retinere; quorum evictionem tamen præstare abnuebant. Ita Cæsarea aula id spectabat, ut fœderati copias suas Cæsareis ducibus subjicerent, circa hospitia Cæsaris dispositione plane adquiescerent, nil tamen certi super belli præmiis stipulati. Atque ea dudum Viennæ agitata fuerant, & quomodo fœdera, quæ Daniæ Rex, Elector, & Luneburgici Duces æquali conditione cum Cæsare inierant, aboleri possent. Ac jam tempus esse istud pervinciendi, postquam fœderati auxilio Cæsaris opus habeant tuendis bello captis; quibus præstabilius futurum sit istas conditiones admittere, quam horum jacturam facere. Id si Cæsarei obtinere non possent, pacem potius amplexuri videbantur, præsertim tam ambiguo armorum suorum statu, quam ut tam intolerando sibi modo fœderatis obnoxii agerent, Cæsaris provinciis periculo expositis, ac unice in gratiam istorum bellum gererent, quorum potentia alias ipsis suspecta erat.

[Cæ]saris declara[tio] ... Jul.

§. 81. Mox ad proposita ab Electore Cæsar declarabat; *sibi necessarium videri, desciscentibus Belgis, atque Hispanis communes inducias quæri. Nec minus communem salutem, ipsamque necessitatem requirere, ut quilibet posthabitis privatis respectibus proprias per opes ad sustinendam publicam causam connitatur, simul promtum sese exhibeat circa removenda, quæ hactenus omnes in hostem conatus infructuosos reddiderunt. Ac ipsis rerum documentis constare, quam noxium causæ communi acciderit, quod hactenus circa dirigendam belli summam fœderati inter se consentire, ac Cæsarea hospitiorum dispensatione adquiescere noluerint. Unde ad evitandam in futurum tam noxiam confusionem, atque collisionem a fœderatis declarandum esse numerum copiarum contra Gallum mittendarum, unde hæ sustentandæ, & cujus imperio subjiciendæ sint; quod utique penes ipsum esse debeat. Eo intellecto se ulterius mentem suam expositurum.* Addebatur, ut copia sibi fiat eorum, quæ Hafniæ conclusa sint. Alias Viennæ rumor erat, Electorem, ac Luneburgicos clam cum Gallo tractatus agitare. Unde metuebatur, ne Cæsarei, ut eos prævenirent, qualemcunque pacem occuparent; cum hactenus nondum certi quid consilii cepisse viderentur. Neoburgicus Viennæ tunc agens judicabat, Electorem Stetino contentum esse oportere, ac Suecos in Germania servandos, operamque dandam, ut hi adversus Gallos sociari velint. Igitur Electori pacem cum Suecis quovis modo quærendam; & quia omnia, quæ ceperit, retinere nequeat, adquiescendum eo, quod servari possit. Nam Sueciæ Regem studio in Imperium inclinare, ac Galli potentiam suspectare. Eundem Imperio reconciliatum arctius sese huic innexurum Gallo ad moderata compellendo. Sed nec lucrari quid Electorem posse bello extracto. Gallum quippe Electoris Westphalicas ditiones ad Visurgim usque subacturum, ac vel Sueco, cui alias actio in eas movetur, traditurum, vel Electorem compulsurum, ut Suecis erepta restituat, ac forte insuper iisdem satisfaciat. Cæsareum exercitum ad Superiorem Rhenum Gallis parem non esse; qui ubi cladis quid accipiat, aut cessim ire cogatur, Bavarum se Gallis sociaturum. Quo casu Cæsari necessum fore in omnia consentire, quæ Galli libido tulerit. Crocovius contra ostendebat; Germaniam nunquam a tergo sat tutam fore, nec universas vires contra Turcam, & Gallum vertere valituram, nisi eliminatis Suecis. Tum & frustra cum Suecis tractatus quæri, qui hac rerum facie a Gallo se disjuncturi haut sint. 1671.

[Neob]ur[gici] [s]en[tent]ia.

Repetita Viennam missio. 10. Aug.

§. 82. Cæsaris responso ad Electorem relato Crocovius denuo Viennam mittebatur, ut primo super hospitiis instaret, circa quæ sibi præ cæteris gratificandum sit, velut qui ab initio belli omnes fortunas suas, ipsamque vitam periculo exposuerit; quo id obtentum fuerit, ut non solum progressus Gallorum in Belgio sufflaminati, sed & res prope desperatæ restitutæ sint, aliique bonis partibus accesserint. Postquam inde Sueci ipsum ob constantem in patriam fidem invaserint, se solum absque fœderatorum auxilio istos ejecisse, ac Imperium, ditionesque Cæsareas periculo irruptionis Suecicæ liberasse; ac spem esse tam noxium hostem brevi tota Germania a se exterminandum. Universos Ordines, uti quidem promiserint, nil sibi auxilii præstitisse. Se immensos de proprio sumtus fecisse. Jam cum octo amplius millibus contra Gallos ad Rhenum, cum reliquis contra Suecos rem gerere. Pro his copiis idonea hospitia petere. Tum ut suæ legiones ad Rhenum supremo Osnabrugensis Præsulis imperio subsint, cui proxima dignatione Cæsareus dux adjungi queat. Si ipse bellum contra Suecos patrarit, tota vi in Gallos iturum. Ast si auxilii inops destituatur, se ad alia consilia compulsum iri propriis ditionibus quantum detur servandis; quo nomine Cæsari, ac Imperio excusatus esse velit. Præterea ostenderet, a Saxone instinctu quorundam ministrorum prave sentientium Klengelium ad Bavarum fuisse ablegatum, qui post multa secreta colloquia cum Bavaricis, & Gallicis ministris habita Parisios abierit ad conveniendum, qua ratione Sueci in Germania retineri queant. Id an decretis, ac rationibus Imperii, Cæsarisque autoritati congruat suo loco relinqui. Se duntaxat petere, ut Cæsar ea consilia retundat, ac Saxonem in meliorem viam deducat. Præterea peculiarem pacem impedire laboret; aut ubi id fieri non possit,

con-

1678. contendat, ut saltem Cæsar stipuletur, ne Gallus Sueco adsistat, utque ditiones Clivicæ in tutum collocentur. Denique obsisteret, ne induciæ, de quibus Neomagi agitur, ad Suecos quoque porrigantur.

Vienna parum proficitur. 29. Aug. §. 83. Crocovius Viennam delatus nondum certi quid consilii captum reperiebat. Cæterum ministri multas difficultates super bello producendo movebant; perpetuam infelicitatem Cæsarei exercitus, angustias hospitiorum, inopiam pecuniæ, deficientia subsidia, nullam inter fœderatos concordiam. Cæsarem tamen, nisi necessitas subigat, pacem, qualem Gallus proponat, non admissurum, nec Boreales fœderatos deserturum. Inter incerta ista non omittebant bellum parare, simul de Hanoverano in partes trahendo agitabant. Adferebantur tunc communes a Bavaro, Saxone, ac Palatino literæ ad Cæsarem, quibus vehementer pax suadebatur. Singulis hisce a Cæsare responsum; sed ut is dispari modo de rationibus Imperii circa Gallos, & Suecos judicaret. De illis pronuntiabat, *ad securitatem Imperii magnopere interesse, ne iidem Philipsburgo, & Lotharingia potiantur.* Circa hos id duntaxat ferebat *in suo arbitrio non esse. Boreales fœderatos ad restituenda Suecis ablegata cogere.* Iidem quoque tres Electores rogabantur officium apud Gallum promovendæ paci interponere; id quod hucusque nemini ex Imperii Ordinibus permissum fuerat, qui per decreta publica inter partes belligerantes censebantur. Porro Neoburgicus periculum hujus belli valde exaggerabat; nec vires bello continuando propositas sufficere censebat. *Cæsareum exercitum haut parem prælio tentando: Gallos in Bohemiam usque penetraturos: Bavarum Gallis se conjuncturum: Franconicos, & Suecos medium statum amplexuros. In diversa parte Gallos Bonnam, Coloniam, & omnes Electoris ditiones ad Visurgim usque occupaturos. Igitur cum Suecis Electori pacem ineundam, qualiscunque haberi possit. Antea cum res nondum hucusque progressa esset, Suecos Stetinum cedere voluisse: nunc rebus tantopere mutatis longe id abesse.* Ast Cæsarei ministri sane inviti ad pacem descendebant, ac militum quidem satis esse judicabant, sed duo deficere, opes sustendando exercitui, atque concordiam circa moderandum exercitum a fœderatis componendum. Prius inde oriri, quod ab Hispanis, ac Belgis nil amplius expectandum sit. Gallum eousque insistere, ut ne residua quidem subsidiorum solvantur: ac forte eos cum Gallo colludere, & cogi velle, ut color sit non impleti fœderis. Cæsari non majorem pecuniæ copiam, quam fœderatis. Hospitia indies fieri contractiora. Tractum a Rheinfelda Philipsburgum usque plane evastatum. Suecos & Franconicos immensum quiritari. Quibus adhuc opum nonnihil sit, repugnaturos, ac Bavaro, & Saxoni sese adjuncturos. Quod Elector copias suas ad Mosam mittere velit, se generosum ejus animum, & pro publico studium agnoscere, nec ab eodem plus desiderari posse. Contra dolendum esse, Monasteriensem auxilia sua revocare, Luneburgicos conditiones, quæ præstari nequeant, postulare; nec ullo modo eosdem in unum compingi posse. Etsi revera ipsi Cæsarei eam conjunctionem impedirent, dum postulabant, ut penes Cæsareum ducem imperii vis, penes Osnabrugensem inane vocabulum foret; quam conditionem Luneburgici adspernabantur. Nec minus, ut qui exercitui ad Inferiorem Rhenum præesset, a duce primarii exercitus Cæsarei penderet: denique ut Ordines circuli Westphalici eum exercitum alerent. Contra Osnabrugensis declarabat; *se quidem imperium in exercitum fœderatorum suscepturum; sed id prius per fœderatos a se requirendum. Tum noscendum sibi, unde annona, machina, ac bellicus paratus sumendus sit. Cæsareum ducem facile se tolerare posse, ut Consiliarii bellici vices apud se obeat, non ut ipse eidem obnoxius agat.* Cellensis quoque Dux offerebat, *se cum septem millibus inter Moguntiam, & Confluentes seorsim rem gesturum.* Quod Cæsarei interpretabantur ideo fieri, ut opimis eo tractu hibernis frueretur, qui belli calamitates haut senserat. Accedebat Cæsarei exercitus indies in deterius ruentis conditio; qui tamen nullo anno numerosior in campum eductus dicebatur, & in quem triplo plus pecuniæ erogatum fuerit, quam cum Montecuculus ei præesset. Cujus rei culpa in Lotharingiæ Ducem conferebatur, hoc vicissim Montecuculum insimulante, velut ob æmulationem clam machinaretur, ut exercitus non possit non male habere. Etsi Cæsar nollet in consilio aliquid Lotharingo adversum dici. Eo magis Neoburgicus pacem cum plena Suecorum restitutione urgebat, confirmans, Suecos post factam pacem omnibus fœderibus cum Gallia renuntiaturos, ac sese Imperio contra omnes ejus hostes innexuros: cujus rei ipse sponsor futurus sit. Addebat palam, nec sine animi commotione; ob Boreales fœderatos se in bello manere, ac provincias suas vastationi exponere nolle. Quin & Suecos, si maxime Germania penitus expellantur, in integrum restituendos. Equidem sese Electori qualicunque emolumenta haut invidere; sed ut is Pomerania potiatur, nolle Juliacensem provinciam evastari. Nullo modo in præsens Gallo resisti posse. Eum vel cum totius Imperii eversione Sueci restitutionem pervicturum. Omnes quæ ad resistendum vires proponantur, longe infra esse. Igitur in præsens pacem ineundam; inde arma in Imperio paranda, & cum Suecis fœdera nectenda. Eos invitos in arma pertractos, quod nossent, quid Danus, & Elector in ipsos strueret. Eos, ubi securitati suæ cautum sit. Imperii partes constanter amplexuros. Frustra sperari, Hanoveranum sese fœderatis sociaturum. Eum prudentia pollere, ac se, qui

1678. qui non parum apud eundem possit, id impediturum. Consilia ab initio in Germania haut rite digesta fuisse. Tertias partes debuisse formari, ac prohiberi, ne Imperium bello implicaretur. Boreales fœderatos sibi solis opes struere, ac inde toti Imperio insultare velle. Ubi quæ affectent adquisiverint, unicam curam fore ista tutari, si maxime Germania sursum deorsum vertenda sit. Denique Electorem ab omnibus exorandum, ut pro magnitudine animi sui seipsum vincat, ac ob bonum publicum Suecos restituat. Antea se effecturum fuisse, ut is Stetino, & Odera flumine potiretur; sed eundem omnia retinere voluisse. Nunc inanem bello excessurum, forte quibusdam insuper amissis. Quæ autem istius Principis super Electoris fortuna mens esset, sat quidem importune is prodiderat, dum misso per hunc nobili cubiculario, qui de expugnata Stralsunda, totaque adeo Pomerania nuntiaret, respondit: admodum sibi lætum, Electorem antiquo jure debitas sibi terras per Suecum hucusque interceptas victribus armis recuperasse; sed simul spem esse, eundem quoque sibi super Clivicis terris, quas Elector, ejusque parens hactenus per injuriam detinuerit, sibi satisfacturum. Qua tam rara occulti pectoris voce erumpente Elector gratias Deo agendas censebat, quod opera quondam circa conciliandam Neoburgico Polonicam coronam effectu caruerit, cum ea res domui suæ admodum noxia futura fuisset.

Cæsareorum consilia fluctuant. §. 84. Inter hæc Cæsarei multa de sua constantia jactabant, ut tamen semper necessitatem exciperent, quæ ex ipsorum mente jam extabat. Nam post defectionem Hispanorum, & Belgarum fundamentum, ac vinculum fœderum esse sublatum. Tum quæ Cæsari cum quibusdam Ordinibus fœdera intercedant, ex legibus Imperii interpretanda, & ne autoritas, quæ ipsi tanquam capiti competat, imminuatur. Sane Cæsarem nunquam deinceps ejusmodi sibi vincula injici passurum. Mox rebus in deterius ruentibus multum consternationis ostendebant, ac oblata ab Electore, atque Luneburgicis acceptare nolebant, quoad adpareret, quem successum separati sui cum Gallo tractatus sortituri essent. Quin judicabant, fœderatis jam necessum esse Cæsarem ambire, quod huic nulla amplius spes sit hoc bello aliquid lucrandi, idemque pace citra jacturam potiri possit; ipsi autem absque Cæsaris ope bello quæsita tueri nequeant; cui obtinendæ necessum fore, ut summum belli regimen, ac hospitiorum dispositionem Cæsaris arbitrio committant. Sed & Hungaricæ turbæ speciosum prætextum præbebant bellum Gallicum deserendi; quo finito omnes vires in Hungariam vertere animus erat etiam cum Turcici belli periculo. Monasteriensis mors, quæ circa id tempus contigerat, iisdem parum luctuosa erat, velut cui nunquam satis confisi fuerant, & qui etiam inter extrema tractatus cum Gallo agitaverat. Quod tamen Luneburgici post ejus mortem, quæ idem in Bremensi & Ferdensi provincia possederat, subito invasissent, Viennæ admodum ægre ferebant. 1678. Color a Ducibus dicebatur, quod veriti sint, ne Daniæ Rex, & Elector ipsos prævenirent; hoc admodum indignante, istos invidiam ejus facti hoc commento in se devolvere conatos. Etsi Duces ista paulo post successori restituerent. Allato dehinc nuntio de capta Stralsunda aula Cæsarea non parum lætitiæ præ se ferebat; sed Neoburgico ea victoria parum grata accidebat, velut pacem remoratura. Elector tunc denuo Crocovium exquirere jubebat, num Cæsar ipsum in possessione Pomeraniæ tuiturus sit? Ad quod promtam declarationem exposceret, moram repulsæ in vicem accepturus. Quod si iste nolit, vitio sibi dari non posse, si alia consilia capessat commodis suis tutandis. Ista Cæsarei languide accipiebant, nec dissimulabant, in Borealium fœderatorum gratiam bellum sese haut persecuturos. Et cum antea infensos valde Suecis sese tulissent, quamdiu horum in Cæsaris ditiones irruptio metuebatur, jam hisce per victricia Electoris arma contusis haut satis æmulationem adversus Electorem premebant. Ac sane post captam Stralsundam cupido pacis gliscebat, quam ne ista impediret metus erat, & ne Suecis necessitas adferretur penitus sese Gallis innectendi. Ac gravis error habebatur ut Sueci Germania expellerentur concessisse; quorum spoliis ditandus sit longe istis formidabilior. Nec minus Electori evictionem bello partorum præstare plane abnuebant. Equidem se ista eidem non invidere. Sed nec ad perpetuum bellum, nec ad negotium supra vires suas positum obstringi posse. Securitatem bello quæsitorum non in eo solum consistere, ut Sueci Germania expellantur, sed & ut Gallus eo redigatur, ne Imperio leges præscribere possit. Equidem Cæsarei in futurum annum supra XL M bellatorum parabant ad superiorem Rhenum mittenda, modo fœderati quoque validum exercitum ad Inferiorem Rhenum sisterent. Iste tamen paratus in speciem duntaxat fiebat, ut Gallis eo tractabilioribus uterentur. Nam Cæsarem per hospitiorum negotium, & quia fœderati super exercitu ad Inferiorem Rhenum inter se convenire non possint, utique ad pacem compelli. Et quia fœderati defensionem Rheni deserant, istum ferre non posse quatuor Electores ad Rhenum, ac multos eo tractu Ordines plane opprimi, ac hæreditarias provincias periculo exponi, simul bellum intestinum excitari, quod constet, complures potentes Ordines fœdus agitare super conjungendis viribus ad extorquendam pacem. Igitur ni fœderati majore studio rem gerant, pacem sibi amplectendam, cui includendi sint, qui velint, solis Borealibus fœderatis in bello mansuris.

Consultatio super præsenti rerum statu. §. 85. Postquam igitur pars fœderatorum jam defecisset, nec de reliquis meliora sperentur, Elector denuo consiliariis suis expendendum tradebat, quid hac rerum facie suscipiendum esset. Ubi Suerinus senior, ac

Fri- 13. Nov.

1678. Fridericus Jena censebant; dari quidem posse causas, ob quas a fœdere discedere nefas haut sit. Enimvero Belgas atque Hispanos tantis adhuc in promtu viribus, nec capitali clade accepta usque adeo sui, ac sociorum oblivionem subiisse, ut etiam debita ex fœdere auxilia negarint, contra hosti integrum reliquerint in hos pro libidine grassari; id nullo modo excusari posse, nec facile inter Christianos historiam ejusmodi exemplum suppeditaturam. Ac si talia probentur, deinceps fraudem, & perjurium inter honesta remedia fore sua se obligatione exuendi. Eo facto plerorumque fœderatorum animos immutatos compertum. Aulam Cæsaream, quæ alios in officio continere debeat, & cui id, si candida consilia sequi placeret, in proclivi erat, statim intepuisse, ac propositis conditionibus, quas fœderati non poterant non recusare, satis ostendisse, aliud ipsi quam strenuam belli persecutionem cordi esse. Unde istam clam per Bavarum, ac Palatinum in Gallia inducias ambiisse, Bavarique, ac Saxonis interpositionem apud Gallum quæsivisse. Ratisponæ talia proposita, per quæ Ordinibus haut quidquam animus ad fortiter sustinendum hostem animus additus, sed potius metus incussus sit. Neomagi Cæsareos denuntiasse, sibi separatim tractandum. Pro Electore neminem fœderatorum quid facere. Monasteriensem eo ipso tempore, quo Hafniæ fœdus inibat, clam cum Gallo super reconciliatione sua egisse. Luneburgicos per Hanoveranum separatam transactionem affectasse, quam tamen intermiserint non amore sociorum, sed quia desideria sua obtinere non poterant. Ita socios non communem causam, sed privatum emolumentum respexisse; ac salutem suam non in fœderibus, sed in eo collocasse, ut eadem ante reliquos abrumperent, & hos prærepto aliquo commodo prævenirent. Cæterum in dies periculum gliscere. Bavarum, Saxonem, Neoburgicum, Hanoveranum pro Suecorum restitutione conniti, ac palam jactare, se in alterius gratiam Germaniam bello inquietari nolle. Imperium nil terrarum amisisse. Suecos satis castigatos. Cæsareos Ratisponæ nil aliud dicere, quam Suecos nonnihil remittere debere. Viennæ jactari; penes Cæsarem esse super bello partis disponere. Fautores Electoris nil proficere posse; pacem ab omnibus expeti; quo ipso Suecorum pervicacia obfirmetur. Equidem nonnullis persuaderi, si Elector cum Dano, ac Luneburgicis arctius se jungat, Gallis, & Suecis adhuc resisti posse. Enimvero cum ab universis operæ pretium fieri non potuerit, quid nunc post separationem sperandum? Dano sat negotii fore in Scania, Electori in Borussia, Ducibus in propria ditione. Nec hos tamen, ut res huc deducatur, passuros; qui & Hafniæ nil cupiditatis ad arctius fœdus, ac mutuam evictionem ostenderint. Et ut maxime voluntas sit, vires deesse. Etsi autem nihil sit, quod belli continuationem suadeat; non tamen arma abjicienda, sed qua detur connitendum. Et quia communis pacis spes amissa sit, peculiarem pacem occupandam, ac quamprimum legatum in Galliam mittendum; id quod dudum fieri debuerit.

§. 86. Elector inde habita cum Daniæ Rege Dobrani consultatione super præsenti rerum statu, in hunc sensum literas ad Cæsarem dabat. Jam ab aliquo tempore famam tulisse, Cæsareos ministros super peculiari pace cum Gallis, & Suecis satagere exclusis, qui contra hos rem gesserunt. Ei famæ a se hactenus fidem adhiberi non potuisse, quod ista Cæsareis decretis, SCtis Ratisponensibus, aliisque Imperii legibus, tum expressis fœderum verbis, verisque Cæsaris, ac Germaniæ rationibus repugnent; nec verosimile visum, Cæsarem eas in se exprobrationes provocaturum, quas ipse, ac nemo non summo jure Belgis ingesserit. Ast postquam ipse e scripto die XIX. Novembris a legatione Cæsarea Neomagi sequestribus tradito perspexerit, ejusmodi conditiones iis, qui in Suecos bellum gesserunt, proponi, quibus duriores ne a Gallis quidem, ipsisque Suecis ferri potuerint; quemlibet facile judicare posse, quando ob id dolore ipse perculsus fuerit; quem quo minus late deducat, respectu, pro Cæsarem prosequatur, prohiberi. Id tantum rogare, ut quid fœdera anno 1673. & 1675. inita disponant, in memoriam sibi Cæsar revocet; & ut ipse, postquam cum Gallo jam honesta ratione transegisset, Cæsaris maxime hortatu iterum pro hoc & Imperio arma contra istum arripuerit; quantos in eam expeditionem sumtus fecerit: uti solam hanc ob causam Suecorum armis oppressus fuerit; uti hoc non obstante ipse immotus Cæsari, ac Imperio adhæserit: ut omnes conditiones ad separatam compositionem repudiaverit: quantum periculi subierit; uti non solum civium suorum opes, ac sanguinem non sine horum gemitu pro Cæsare, ac Imperio immolaverit, sed & primogenitum filium amiserit; uti denique officium fidelis patriæ Electoris plenius, quam ab ipso poterit requiri, impleverit. Nunc postquam Deus eo usque justis suis armis adspiraverit, ut hostem per quinquaginta annos terrorem, ac vastatorem Germaniæ, quam sæpe qua patet populatus sit, signis, atque tumultu usque ad pontem Viennæ illato, Germaniæ solo, atque ea provincia expulerit, ex qua sæpe istam velut diluvio obruerit, Imperio, ac Cæsareis provinciis ab eo latere in perpetuam securitatem repositis: merito sperare potuisse, stabilita communi pace eo respiciendum, ut patria tanto pretio parta quiete, ac ipse fructu tantorum laborum pro publico exhaustorum constanter fruatur. Eo majore cum animi perturbatione nunc intellexisse, per conceptam Neomagi formulam se, Imperium, Cæsarisque ditiones iterum in priorem statum intutum, atque inquietum conjici, hostemque intra viscera Imperii pertrahi; tum sibi longe duriorem quam antea conditionem conciliari. Nam si implicabilis iste hostis in Pomerania sibi denuo ad latus collocetur, adversus eum sibi perpetuo velut in excubiis agendum: quo ipso plane inutilis futurus sit ad aliquam operam exigente necessitate Cæsari, ac Imperio navandam. Hoc modo longe feliciores fore, qui vel arma in Cæsarem gesserunt, vel per affectatum medium statum hostibus velificati sunt. Spem tamen esse, Cæsarem his probe expensis a fidis fœderatis sese haut disjuncturum, ac omissa peculiari pace ad communem, eamque honestam, ac stabilem constituendam

Electoris ad Cæsarem litera. 24. Nov.

1678. *tuendam incubiturum, per quam & sibi, aliisque fœderatis ex æquo satisfiat. Secus si agatur, id Deo, ac tempori committendum; ac confidere, Deum, cujus tam præsens auxilium hactenus senserit, sibi quoque viam ostensurum, qua ex hoc negotio non inglorius, nec præmio cassus emergat.*

5. Dec. Antequam hæ literæ Viennam adferrentur, Crocovius jam super ista Cæsareorum declaratione questus fuerat, quod & iniquissimas conditiones complecteretur, nec antea iis quorum interera, communicata foret. Enimvero jam ab initio Cæsareorum mens fuerat, ut non fœderati cum hoste, sed ipsi horum vice tractarent. Ipsi disserebant; tempora ita comparata esse, ut ad agendi modum haut valde respiciendum sit, ubi summæ rerum fraus non fiat. Ista declaratione omnia in integro manere. Gallos toto orbe vulgare, a Cæsare pacem impediri. Igitur huic aliqua fuisse progrediendum, quo eam accusationem a se in istos devolveret. Cuique jus suum in salvo esse per eam clausulam; ut pax Westphalica instauretur, *præterquam si quid in ea mutetur.* Non esse expressum, adversus quem remedia promovendæ paci adhibenda sint. Omnia ambigue posita, ut favor orbis retineatur, ac tempus extrahatur, quo vires conjungi queant ad bellum eo acrius persequendum, quoad honesta pax obtineatur. Sed & præsentem Germaniæ faciem considerandam. Solum Cæsaris exercitum toti Galliæ moli haut parem esse. Ordines belli pertæsos frænum mordere. Ecclesiasticos Electores cum Bavaro, & Palatino junctim ad Cæsarem scribere, ac pacem enixe commendare. Contra fœderatos nil rerum contra Gallum gerere. Tanto temporis spatio eos inter se non potuisse, aut voluisse convenire. Statim atque Galli se moveant, istos Rheno deserto hospitia invadere qua velint, nulla disciplina, aut ordine. Eos clam, ac sibi quemque pacem captare, præsertim Luneburgicos, ac Monasteriensem. Hoc rerum statu Cæsari quovis modo de pace cogitandum, nisi totum Imperium, propriumque exercitum, ac cum eo diadema periculo exponere velit. Adhuc rem esse integram, sed quæ nullam amplius moram ferat. Si Cæsari exercitus triginta millibus bellatoribus constans ad Inferiorem Rhenum ostendatur, cui tuto confidere queat, pacem hautquidquam fore. Sed eum brevi repræsentandum. Alias Cæsarem toti orbi excusatum fore, si id faciat, quod indeclinabilis necessitas subigit. Spem fuisse, colloquio Dani, & Electoris Cellensem quoque Ducem interfuturum fuisse. Sed quia id factum non sit, ac de consiliis ejus aulæ sinistra referantur, spem exercitus ad Inferiorem Rhenum e communi placito parandi eo magis imminui, quod constet, Danum ipsum auxilio indigere, ac Electori copias in Borussiam mittendas, citra quas bellum geri non possit. Ast Luneburgicos, qui peculiari bello non distrahantur, ac latis hospitiis fruantur, pro publico nil moliri, ac potius cum hostibus secretos tractatus agitare. Qui & gravem suspicionem excitarant, quod Brema se cessuros ostendissent, si Hildesiensis, & Osnabrugensis præsulatus perpetuo jure ipsorum Domui attribuatur. Quod postulatum Cæsar magna cum offensa acceperat, ac Nuntius super eodem ingentes tumultus moverat. Cæterum Cæsarei novissimam Galli declarationem valde absurdam censebant. Equidem super Friburgo facile se conventuros. Sed Cæsarem nunquam consensurum, ut Gallus decem oppida Alsatiæ pleno jure retineat, ac præcipue ut Gallis transitus per Imperium concedatur, Borealibus fœderatis ad restituenda Suecis ablata cogendis. Per quæ postulata uti Cæsaream autoritatem, nationis Teutonicæ gloriam, Domus Austriacæ fastigium, ejusque præsentem, ac futuram securitatem immensum lædi satis agnoscebant; ita his omnibus necessitatem prævalere excusabant. Porro redditis ab Electore literis Cæsar huic de exercitu ad Inferiorem Rhenum parando scribebat; sed cui istæ leges dicebantur, ut ejus directio a primario suo exercitu penderet, ac ut quilibet copias suas aleret, remque machinariam prospiceret, ut tamen annonam liceret petere e locis, ubi res gerenda sit. Enimvero iste exercitus irritus erat, quod Electori in Borussiam abeundum foret. Etsi enim is haut eo secius XVIII M in Westphaliam contra Gallos se missurum promitteret; tamen quia Luneburgici, ac Monasteriensis parem promtitudinem non ostendebant, ista sola non sufficiebant. Id igitur obtinuit Elector, ut totus orbis agnosceret, ipsum nil eorum, quæ penes se fuerint, omisisse. Ac Cæsarei generosum ejus animum magnis laudibus ferebant, nec ab eodem plus desiderari posse agnoscebant. Equidem Elector a se oblatis hanc conditionem addiderat, ut Cæsar evictionem Pomeraniæ ipsi præstaret. Sed quia eam conditionem a se in præsens præstari Viennæ negabant, ea levi brachio urgebatur, ac satis habebatur, si Cæsar iterum cum Gallo committi posset. Equidem & Luneburgici VIII M militum offerebant, sed ea lege, ut omnia quæ cupiant hospitia nanciscerentur; utque adeo præter ea, quæ jure ipsis competebant, illa quoque haberent, quæ Moguntino, Trevirensi, Neoburgico, & ex parte Electori assignata fuerant. Quæ cum iniqua forent, nec præstari possent, ista conditio in vim negationis accipiebatur. Ac suspecta valde erat Castillonia Christiani Ludovici Ducis Meclenburgici uxor, tunc Luneburgicorum aulas pervagata; id quod conciliandæ pacis gratia fieri credebatur; etsi isti vulgarent, compositionem dissidii inter ipsam & maritum quæri. Denique Monasterienses qua libido impellebat, hospitia capiebant, Ordinibus Imperii asperrime habitis, inter alia Comitatum Waldeccæ septingentis mensibus Romanis emungentes, cum Cæsarei tantum CXX exigerent. Cæterum ad extremum Cæsareis omnem dubitationem eximebat Electoris in Borussiam iter, cujus necessitatem ipsi

Cæsarei ista sua recusant.

1678. ipsi agnoscebant. Et quanquam Elector confirmaret, non solum octo legiones; quæ in Westphalia jam agebant, ibi mansuras, sed & plures e Pomerania eodem ituras, modo Cæsar firmus persttet: tamen istis Cæsarei parum movebantur, qui tam promtum, ac felicem Borussicæ expeditionis successum animo præcipere haut poterant. Ac jam tecte admodum fœderatorum ministris, quæ Neomagi agerentur, habebant, pacis brevi secuturæ haut fallacem prænuntium.

Cum Luneburgicis acta. §. 87. Cæterum colloquio inter Regem Daniæ, & Electorem Dobrani de præsenti pacis, ac belli facie deliberatum fuerat, ac præcipue qua ratione impediri queat, ne Cæsar, ac Luneburgici separatam pacem amplectantur; qui gravissimus casus communi causæ accidere posse judicabatur. Ubi tamen placuerat, si maxime Cæsar in pacem ipsis exclusis inclinare videatur, haut ideo animum despondendum, aut in turpem pacem consentiendum, restitutis tam caro partis. Unde negotiationem quidem cum Gallo continuandam; ita tamen res disponendas, ne ad erubescendas leges compelli possint. Eum in *26. Nov.* finem Regis nomine Goschius Bucwaldus, Electoris Ledeburius Cellas mittebantur, e Duce exquisituri; cum Cæsar ad peculiarem pacem properet Borealibus fœderatis destitutis, quæ Duci sententia, & quid consilii eidem videatur capessendum? Inde enim hostem plenæ Suecorum restitutioni insistere, per quam non solum tantum sanguinis & opum frustra perire, sed & implacabilem hostem lateri admoveri, qui ultionem opportuno sibi tempore sumturus sit, nullis sponsionibus præcavendam. Hinc vero se a potentissimis fœderatorum, Cæsare, Imperio, Hispanis, Belgis destitutos; Ab Anglo intestinis turbis agitato nil opis expectandum. Unde non solum difficile ac periculosum sibi fore bellum ulterius persequi; sed & metuendum, ne Cæsar ac potentissimi Ordinum Gallo amoliendo leges ipsis præscribant, in quas pax ineunda sit. Contra indecorum sibi fore animum despondere, armisque abjectis erubescendam pacem amplecti, restitutis omnibus tam care partis. Unde sibi videri negotiationem cum Gallo continuandam, nec eo minus omnibus viribus conniti, ne turpes leges ex aliena libidine sibi obtrudi queant. Quibus positis dispiciendum, quæ ratio ei scopo obtinendo ineunda sit. Quod si Dux laxiore, & ambigua declaratione utatur, & quæ arguat, rumorem super peculiaribus tractatibus ab ipso agitatis haut vanum esse, itidem laxioribus verbis uterentur. Ast si eundem in constantiam obfirmatum videant, exquirerent, quid copiarum ad Rhenum mittere velit. Electori jam octo legiones ibi esse; partem copiarum in Borussiam abiisse; reliquis paululum quietis indulgeri. Ubi periculum in Borussia depulsum sit, eum universis cum copiis ad Rhenum iturum. Ad ista Cellensis laxioribus verbis: Sibi utique 1678. decretum bonis partibus firmiter adhærere. In præsens autem ita liquido declarare non posse, an bellum utique persequendum, ni prius expeditum sit, quo modo id effectui dandum; quantum copiarum singuli repræsentare velint; unde annona, unde pecunia, & machinæ; penes quem imperium futurum, quæ omnia prius sigillatim discuti oporteat. Instituto cum delegatis colloquio ad quæstionem, num Cæsare cum Gallis transigente firmi persistere velint; nec pure negabant, nec liquidi quid declarabant, aut novam obligationem induere volebant; sed prius de modo proponebant, circa quem multas difficultates movebant; tum de hospitiis, partitione Bremensis provinciæ, & aliis ingerebant, negotio intricando, & eludendæ conclusioni. Ac aperte dicebant, ni omnia ista prius ad liquidum deducta sint, vix certi quid statui posse. Unde manifestum erat, eos omnia sibi integra retinere velle, pro successu rerum consilia capturos privatis rationibus attemperata. Mox ad nuntium de Borussiæ periculo non parum consternationis ostendebant. Hac irruptione negotium valde anceps reddi. Nunc caput exercitui ad Rhenum firmando deesse: nullam alicubi penum: fœderatis modicas vires: Electoris octo legiones vix IV M capitum conficere: Danum omnibus suis viribus contra Suecum opus habere. Movebant quoque, ab Electore secretos tractatus agitari, queis Pomeraniam ad Penam usque stipulari sibi velit. Ad quæ Ledeburius: Electorem octo illis legionibus, quæ V M bellatorum constent, adhuc M equites II M octingentos pedites additurum. Post profligatos in Borussia Suecos plures missurum. Imperium in copias a Cellensi, aut Osnabrugensi suscipiendum. Machinarum sat in Electoris urbibus Westphalicis esse. Quod de secretis tractatibus tetigerint; Electorem super medio statu Liviæ egisse; de Pena flumine forte obiter jactum; de quo tamen post captam Rugiam non amplius cogitatum sit. Enimvero nulla spes erat, heic aliquid profectum iri, pellucente ubique male consulta ejus Domus in Electorem æmulatione, per quam eum subinde vellicabant, iniquitate temporum dissimulandi necessitatem eidem imponente. Interea tempus extrahebant, quid Cæsar, & Monasteriensis facturi essent respectantes; etsi de hoc parum spei esset, qui jam machinas suas Ferda abduci curabat. Sed & aliud tunc interveniebat, non parum fraudis Electori adferens. Huic a Cæsare Hamburgensis civitas assignata fuerat, ut hibernorum loco eidem L M uncialium numeraret. Eorum solutionem ista omiserat, Luneburgicorum patrocinio freta. Qua super re Elector Viennæ graves querimonias movebat. Suam actionem Cæsaris, ac Imperii decreto niti. Brunsuicensium autem ausa eo tendere, ut Cæsaris communi Ordinum concluso superstructa placita irrita red-

1678. redderentur, ac civitati confidentia addatur ad ista impune spernenda, & autoritatem Cæsaream, legesque publicas, ac bonum patriæ impune insultandum. Ac pessimi rem exempli esse, Ducem sibi tantum non cognitionem in Cæsaris actiones, atque Electoris jura arrogare. Unde Elector insuper habitis, quæ Cellis movebantur, per excursores suos maritimos aliquot Hamburgensium naves intercipi jubebat. Et cum Dux ostenderet; sese urbi adversus ista hospitia evictionem præstitisse; Elector reponebat: Hospitia sibi legitime assignata; ac uti Dux sibi ipse exsecutionem adversus contumaces fecerit; ita nec deteriore se jure uti.

atirpo- e super re acta. Nov. §. 88. Multo minus Electori ab universis Ordinibus ad scopum suum obtinendum solidi quid expectare licebat; quin contra major horum pars ejusdem desideriis obnitebatur. Cupiebant Austriaci Ordinum Ratisponæ sententiam super coditionibus a Gallo propositis exquirere, ac præcipue qua istæ Boreales fœderatos spectabant; quam tamen, quo minus solenni modo exponeretur, ministri Electorales, Luneburgici, ac Danici impediebant. Bavarus, Saxo, & Palatinus censebant, inter Electorem, & Suecos ita transigendum, ut penes illum aliqua pars Pomeraniæ armis nunc subactæ maneat, reliqua his restituantur. Ac tutius Electori fore, aliquid amica ratione, ac certo nancisci, quam grave bellum incerto exitu persequi, quæ & Neoburgici sententia erat. Ast Elector contra demonstrari jubebat; universorum Ordinum quam maxime interesse, parta commoda retineri, ac tandem aliquando Germaniam servitute perpetuorum delectuum, transituum, hospitiorum, ac motorum subinde bellorum liberari, quibus Ordines, quamdiu Sueci Pomeraniam, & Bremam insederunt, semper obnoxii egerint. Quia autem non eo minus verendum erat, ne ob varios, ac discrepantes respectus, aut multorum inconsultos in qualemcunque pacem impetus plerique Ordines in transversum abirent; Jena sententiis suis dignitatem Imperii, & communis salutis ac securitatis rationes diligenter ingerebat, & uti Suecorum restitutio hisce omnibus repugnet, quos & ob arma tam injusta Ordinum numero expungi ad exemplum intersit. Peculiariter autem Austriacis demonstrabat; hanc domum, & Hispanicam Monarchiam tamdiu florenti statu gavisam, Galliæque formidatam, donec Sueci Germaniam ingressi Austriacorum vires distraxerint, in ipsas eorundem provincias infusi; quo facto summa rerum per Europam insignem mutationem subierit. Istis per Electorem Germania pulsis cum Gallo egregium fulcrum sit subtractum, Cæsarem pessime sibi consulturum, si eosdem iterum in Germania pedem figere patiatur. Enimvero ista nemo non vera agnoscebat, tum partem saltem Pomeraniæ in præmium belli Electori deberi fatebatur; sed qui opis quid ad eam obtinendam conferre vellet nemo reperiebatur. 1678.

Neomagi super induciis frustra agitur. §. 89. Inter ista Neomagi post absolutam pacem Belgæ Blaspielo proponebant, uti Nuntius suggerentibus Hispanis inducias Cæsarem inter Imperium, Principesque fœderatos excepto Dano, tum Gallos, Suecosque suaserit, quo interea communis pax adornari posset. Ab iis Gallos haut alienos esse: sed nosse prius velle, num Electori quoque eas acceptare placeat. *7. Aug.* Nam de Cæsare, & aliis Imperii Principibus eos non dubitare; ac postulare, ut Belgæ sponsores sint; Gallum pro Sueco fidem daturum. Tum pro Electore officium sese interposituros. Ad quæ Blaspielus: mirum sibi videri Hispanos talia Nuntio injunxisse, re secum haut communicata, quæ tantopere Electorem tangat, & Angli officio neglecto: ac sibi prius cum Cæsareis, ac Dano consultandum. Cæsarei censebant, hanc propositionem neque rejiciendam, nec pure acceptandam videri; sed tempus extrahendum, num forte felix armorum ad Montes Hannoniæ successus aliquam mutationem in Anglia, & Belgio producturus sit: quo casu fœderati, Gallis jam pares, inducias recusare possint. Sed Hispanis, ac Belgis deficientibus Gallo vix obsisti posse, quo minus in Germaniam penetret; ubi utilissimum fuerit inducias quamprimum amplecti. In quas noster negabat se consentire posse citra peculiare mandatum Electoris, qui hactenus inducias semper declinarit. Sed Cæsarei rogabant, ne is apud Belgas inducias abrupte rejiceret, ac tempori extrahendo earum conditiones sibi communicari peteret, velut eas secum expensurus. Ita Blaspielus re quoque cum Dano communicata Belgis respondebat; sibi quidem in eam rem nulla mandata esse; sed ubi leges induciarum sibi exhibeantur, in fœderatorum gratiam omnia, quæ ratio suadeat, accepturum. Ast si qua sint altioris indaginis, tantum temporis sibi petere, quod sufficiat exquirendæ Principis sententiæ. Revera autem ea propositio non ab Hispanis, quibus eadem non ex asse probabatur, sed a Kinskio promanaverat. Cæterum Hispanis, ac Belgis spes erat, se per has inducias ad communem pacem perventuros, simul turpem conditionem, quæ alias subeunda erat, declinaturos, de neutro statu adversus fœderatos deinceps observando. Belgæ porro, *21. Aug.* queis induciæ cordi erant, ne sequestrium munus invadere viderentur, Jenkinum, ut de iis proponeret, rogabant. Sed is causabatur, se eo nomine ad Regem scripsisse, sed nil responsi obtinuisse. Cæsarei disserebant: se absque fœderatis nihil statuere posse. Alias constare sibi, frustra sperari, arma ab Anglo Gallis illatum iri; eoque aliam viam ineundam periculo sese eripiendi. Sibi videri vel bellum alacrius quam hucusque persequendum, vel inducias arripiendas, ad tolerabilem magis pacem obti-

1671. obtinendam. Nam inter has fœderatos arctius se innectere, ac inter se convenire posse, quid copiarum contrahi queat, unde hæ alendæ, ubi maximo cum fructu res ab iisdem gerenda. Nam hactenus, dum singuli peculiaribus respectibus trahuntur, Gallum eousque invaluisse, ut jam omnibus leges præscribere ausus fuerit. Contra si Gallo unitis probe viribus obviam eatur, hunc ad æquiora descensurum. Alias metum esse, ni induciæ occupentur, ne Gallus validis præsidiis, quæ mox urbibus Hispanicis & Belgicis deducenda sint, firmatus in Germaniam irrumpat, eamque hibernis premat; non adparente, qui obsistere possit, ac sine dubio omnibus certatim se dedituris, ipsaque Colonia claves portarum obviam latura. Eadem & Arausionensis sententia erat. Fœderatis placebat e Jenkino prius sciscitari; num certo confidi queat, Anglos in bellum contra Gallum erupturos. Qui respondebat: *Angliæ Regem per Hydium jam Hagæ ita liberaliter declarasse, ut plus desiderari non possit: sed penes Belgas esse super propositis statuere. Ubi tamen hi tractatum cum Gallo initum ratum habuerint, indicio esse, eos bellum inter Angliam, & Galliam non optare. Ast ubi ratihabitionem omiserint, de Angliæ armis dubitandum non esse.* Addebat; *etsi Rex nil aliud quam communem pacem optet, quam & sequestris munus, & omnia ejus consilia hactenus spectaverint*: tamen nunc post Hagæ ab Hydio proposita haut decorum fore ipsius nomine inducias, bello utique repugnantes, proponi, utut alias Rex eas haut aversetur. Quibus & acceptandis Luneburgi, ac Monasteriensis pronos sese declaraverant.

27. Aug. Paulo post Jenkinus fœderatis significabat; sibi a Rege suo injunctum, si de induciis jam agi cœptum sit, eas omni studio promovere; alias easdem suo nomine fœderatis offerre, ac diligentissime commendare, quo in sex menses ab omnibus admittantur, communi paci interim perficiundæ, circa quam ipse omnem operam navaturus sit. Super ea re Danus, ac Blaspielus cum Cæsareis consultabant. Hi eas utique proficuas judicabant, sed absque fœderatorum consensu mentem suam haut declaraturos. Noster, & Danus dicebant; sibi quidem mandata in contrarium esse. Se tamen rationes, quæ inducias suadere possint, ad Principes suos perscripsisse, ac responsum expectare. Cæsarei reponebant; se libenter circa moram hancce ipsis gratificaturos. Sed metuere, ne, ubi Hispani pacem absolverint, id quod intra triduum futurum sit, Galli deinceps spretis induciis, in quas nunc se proclives ostendant, arma in Germaniam proferant. Cujus mali culpa penes eos hæsura sit, qui inducias rejecerint. Ac Arausionensem eas valde suadere; quæ & summopere necessariæ videantur, pax, seu belli continuatio placeat. Igitur Danus quoque, & noster statuebant inducias cum Gallo non abnuere: sed de induciis cum Sueco decernere nil posse, quoad mandata acceperint. Ita Jenkino omnium fœderatorum nomine responsum: se cum Gallo inducias inituros, si super conditionibus convenire queant. Cum Suecis autem non magis super induciis quam pace agi posse, antequam hi procuratorium suum exhibuerint, atque permutaverint. 1671. Sed antequam hæc declaratio Jenkino traderetur, Belgæ Haga repetita mandata accipiebant, ut fœderatos ad acceptandas inducias hortentur, velut unicum remedium sistendis Galli progressibus, atque communi paci adsequendæ. Ac se omnem operam tam circa inducias, quam pacem ex voto obtinendam impensuros. Pacem se subigente necessitate amplexos. Ideo tamen haut omissuros omnia facere, quæ socios, & amicos deceat. Igitur fœderati a Belgis requirebant; e Jenkino cognoscerent, quæ adversæ partis super induciis mens sit. Quibus Jenkinus respondebat: *Gallos declarasse, inducias sibi placere, si fœderatis suis idem videatur; sed Suecos ad colloquium cum Gallis rem rejecisse: velut qui res suas horum arbitrio plane commiserint. Quia enim Gallus gloriæ studium ubique jactet, ac videri velit iis, qui destinatis suis instrumenta se præbeant, sancte fidem servare, Suecos hac submissione eum obstringere velle, ut ad omnia ipsis restituenda summa ope connitatur.* Revera tamen Sueci eventum expeditionis in Rugiam speculabantur, qua capta inducias sibi haut proficuas judicabant, copiis suis intra Stralsundæ, ac Grypswaldæ mœnia includendis. Mox tamen hi in sesquimestres inducias consentiebant: de semestribus ad Regem se relaturos. 30. Aug. Quod cum serio ab iis agi haut crederetur, placebat, penitius explorandæ eorum menti a Jenkino conditiones induciarum concipi. Is partium sententiam prius exploraturus e Gallis intellexit, Suecos non nisi sesquimestres velle. Unde ante omnia de termino conveniendum esse. Cæsarei in id tempus consentiebant, quod alias impediri nequeat, quo minus Galli Argentoratum, & Coloniam intercipiant, ac Electoris ditiones ad Visurgim usque inundent. Sed Danus, & noster censebant: quia Jenkinus de semestribus proposuerit, Galli quoque in quadrimestres consenserint, merito fœderatos semestribus inhærere. Ac Cæsarei judicabant, inducias quantum possint porrigendas. 3. Sept. Demum tamen omnibus placebat Jenkino denuntiandum; fœderatos quadrimestre spatium a Gallis propositum admissuros ea lege, ut tempus id a promulgatione induciarum cedere incipiat. Interim ab Electore mandatum veniebat, ut Blaspielus in Gallicas inducias, non in Suecicas consentiret; quod Suecis jam ad incitas redactis respirandi spatium non sit indulgendum; nec sibi per inducias facultas suppetat deficientibus subsidiis, ac hospitiis exercitum sustendandi. Enimvero ipsi Sueci ansam præbebant inducias eludendi, dum Jenkino denuntiant; se in duos duntaxat menses consentire, sed his legibus, ut hoc tempus cedere incipiat a die quarta Septembris, qua hæc declaratio facta sit; utque induciæ non ad loca trans mare sita, sed

1678. sed ad Germaniam duntaxat porrigantur: ut eædem intra octiduum perficiantur, quod sibi non expediat in incerto agere: ut denique omnia in eum statum reponantur, qui ante mensem abhinc fuerat, cum apud Gallos super sesquimestribus induciis mentem suam exponerent, si quid forte interim mutatum sit. Ea postulata Belgæ improbabant velut iniqua, & ad separandum Daniæ Regem, & Electorem spectantia; & ad alia se consilia Suecos permoturos pollicebantur. Electori quoque eadem admodum absurda videbantur, quod præter flagitium destituendi Dani ea sit induciarum indoles, ut omnia in eo statu maneant, qui tempore subscriptionis fuerit: ac vix tales leges victorem victo ferre.
7. Sept. Belgis itaque hortantibus Sueci cursorem ad Regem super induciis mittebant; interea temporis conditiones adornari posse. Ea mora Cæsareos non parum anxios habebat, ne Galli post conclusam Hispanicam pacem Coloniam, & Treviros interciperent; ac censebant inducias nomine Imperii esse anticipandas. Etsi cum iidem apud Gallos tentarent, annon interim inducias secum ante Suecici cursoris reditum absolvere vellent, hi abnuebant. Ac Blaspielus, quo invidiam in Suecos derivaret, declarabat; etsi in contrarium mandata super induciis cum Sueco habeat; Electorem tamen a reliquis se fœderatis haut disjuncturum, nec ei, quod promovendæ communi paci inserviat, reluctaturum. Cum itaque Belgæ, ac Jenkinus culpam irritarum
13. Sept. induciarum ac retardatæ pacis solis Suecis impingerent, hi cursore inhibito declarabant; inducias ad omnes posse porrigi ea lege, ut eædem a Kalendis Septembris initium capiant, & quæ interim facta sint, ac fieri queant, in eum statum, qui dicto die fuerint, reponantur. Quam declarationem Jenkinus admitti posse negabat. Cæsarei inde Danum, & Blaspielum hortabantur, ut communes inducias admittant, a subscriptionis tempore initium capturas, quod interim Rugia utique occupanda sit. Ac si Sueci tergiversari pergant, spem esse Gallos id non curaturos. Hi declarabant, non nisi sub spe rati id facere fas sibi esse, a mandato destitutis, & ea lege, ut induciæ demum a die ratihabitionis cedere incipiant. Ast Jenkinus denuo fœderatis inducias commendare, quas a die subscriptionis initium capere par sit. Nam Suecorum postulatum iniquum esse; earum autem effectum ad ratihabitionem differre, serum: simul formulam induciarum exhibebat. Sed Sueci haut eo secius sententiæ suæ insistere, ac initium a die subscriptionis rejicere; non obscuro indicio, Gallos a quorum nutu Sueci pendebant, inducias aversari, ac alia animo agitare. Eas moras Cæsarei ægre admodum ferebant, veriti ne Galli irruptione in Electoris ditiones facta omnes a se propositas conditiones pervincerent. Ac difficultates a Suecis motas per Gallos suggestas, qui istis persuaserint, hoc modo Rugiam servari posse. Unde optabant Electorem post occupatam Rugiam versus Rhenum movere ad periculum Germania avertendum, ac conditionem suam meliorem reddendam. Iidem dehinc Dano, 1678.
& nostro denuntiabant; necessitate se ad inducias admittendas compelli. Unde nosse ex 24. Sept.
ipsis cupere, quomodo procedendum sit, ut conjunctio, & amicitia illæsa persistat. Ad quæ isti: si periculum aliter declinari nequeat, id sibi tolerandum esse; nec servandæ conjunctioni aliud proponere nosse, quam ut Principibus suis integrum sit inducias ubi velint acceptare, ac ne reliqui facultatem sibi adimi patiantur istis adsistendi, uti Hispani, ac Belgæ fecerint. Isti omnia se facturos pollicebantur, quæ fides socios deceat, & quæ intra vires suas sint. Elector demum declarabat: si Cæsar, & reliqui fœderati utique inducias velint, ac Sueci iniquas conditiones remittant, eas quoque se acceptaturum, quod sibi haut consultum sit Galli vires in se solum avertere. Sed quamdiu Sueci iniqua postulare haut desistant, penes se irritarum induciarum culpam non esse. Cæterum uti Elector inducias cupiebat extrahi, quoad Sueci plane Pomerania exturbati forent: ita hi vicissim tergiversabantur, quo Gallicus exercitus Electoris Westphalicis provinciis immitteretur. Galli autem eo duntaxat fine illas urgebant, ut quod Suecis in Pomerania restabat, servaretur. Colbertus Heugio dixerat: Suecos utique postulatis suis, cumprimis restitutioni Rugiæ haut instituros. Satis eos jam intelligere, post rem tam male in Rugia gestam inducias non minus sibi, quam Cæsari necessarias, ni penitus Germania expelli velint. Ac ubi isti rationem adspernentur, Gallorum esse eos ad id compellere; velut qui nunquam permittere possint fœderatos suos, qui in ipsorum gratiam bellum orsi sint, tam egregiarum provinciarum jacturam facere, quibus ut satisfiat se promisisse. Unde Suecos utique in Germania retinendos, ac si maxime inde expellantur, Gallos tamdiu bellum persecutoros, quoad eo restituti sint; nec alia lege inducias, aut pacem sperandam. Jenkinus inde, ac Cæsarei ulterius inducias urgere pergebant, quas & Galli haut defugere videri volebant, ut tamen nimium eas affectare haut decorum ducerent, tanta potentia succinctis. Ac Sueci earum formulam proponebant, sed multa iniqua, & absurda continentem. Ast eo ipso tempore Cæsarei Dano, ac Blaspielo denuntiabant: se ita formare inducias tentasse, ut Daniæ Regi, atque Electori eas acceptare integrum foret, ubi placuerit. Fuisse quoque spem id evinci posse. Sed nunc Gallos id adspernari, ac contendere, inducias utique a Dano, & Electore simul admittendas. Nam si hisce spes sit aliquid Suecis eripiendi, eandem sibi spem circa Germaniam esse. Si igitur Gallo quiescendum sit, fœderatis idem faciendum: & quod is de induciis cogitet, id unice fieri reliquiis Pomeraniæ per eas servandis. Igitur respicerent Gallicas copias in Germaniam moventes, ac tanta mala patriæ inde oritura averterent; queis & omnia hoc bello adqui-

1678. acquisita in ancipiti collocanda sint; eoque inducias ne impedirent. Anceps erat heic Dano, atque nostro consultatio. Nam hinc obstabat mandati defectus: inde movebat periculum Germaniæ, cujus culpa, & invidia in ipsos redundatura erat. Ac forte Cæsarei ansam captabant separatim cum Gallo transigendi, quod & hic aucupabatur, præsertim cum inter ipsos de solo Friburgo controversia restaret; cui expediendæ aliqui proponebant, id oppidum tamdiu Gallis relinquendum, quoad his cum consensu Imperii æquivalens e civitatibus Alsatiæ detur. Demum tamen censebat Heugius; cum periculum in mora sit, ac ipsi sua tergiversatione non publico solum, sed & Principibus suis nocere queant, qui facile summis inde difficultatibus intricari queant; necessitati cedendum, ac declarandum, sed ad communes inducias æquis legibus amplectendas paratos, & ad exhibitam a Suecis formulam monita tradituros. Quæ & Blaspielus probabat, semper tamen testatus, sibi in eam rem mandata non esse, ut Elector, si videretur, eo commodius conventa abnuere posset.
3. Oct. Et mox ab Electore jussa adferebantur, de communibus induciis admittendis. Sed si Sueci iniquis postulatis insistant, protestationem interponendam; per se non stetisse, quo minus induciæ fierent; ac sperare Gallos istorum pervicaciæ haut velificaturos. Simul Cæsareis denuntiabat; quia ipse ob bonum publicum certam spem Stralsundæ, & Grypswaldæ expugnandæ dimittat, par esse circa hiberna liberalius sibi prospici. Contra Sueci per inducias Stralsundam, Grypswaldam, Damgartum & Tribsesam retinere postulabant; & si maxime ea loca interim occupata sint, ut eadem sibi restituantur. Etsi de Stralsunda plane securi erant, quam natura, & operibus munitissimam ac duobus militum, octo armatorum civium millibus insessam Electori cum VII M expugnare longe abfuturum sit. Galli quoque inter alia postulabant, ut qui nunc inducias non amplectantur, deinceps quoque ad eas non admittantur. Nec eum articulum ferre volebant; ne unus alterius rebellibus per inducias aliquid opis ferat. Tum ne id quidem permittebant, ut Cæsaris nomen primo loco poneretur; sed Imperii vocabulum post Gallum collocandum. Dum ejusmodi cavillationibus Galli tempus terunt, interim eorum exercitus totam fere Juliacensem provinciam cum Aquisgrano in potestatem redegerat.

De pace inter Cæsareos & Gallos agitur. §. 90. Postquam multum temporis inani circa inducias tractatione consumtum foret, ac Cæsarei jam ita se declarassent, ut res confecta crederetur; Galli causabantur; hosce inducias desiderare non ob promovendam pacem, sed lucrando tempori, ut imminens periculum declinare, ac interim cum fœderatis arma instruere possint. Ast si pax cordi sit, super alternativa circa Philipsburgum, & Friburgum, ad quam solam pax hæreat, sententiam exponendam; ac tunc brevi inducias ad liquidum deducendas. Ad quæ Cæsarei se utique alterutrum membrum alternativæ acceptaturos, ac inde pacis tractatum, quantum 1678. hæc Cæsarem spectet, persecuturos, statim atque super induciis convenerit. Atque hoc ipso testari, penes se moram non esse. Blaspielus rogabat, ne isthæc declaratio ulterius quam ad perficiendas inducias extendatur; neu inde ansa separatis tractatibus arripiatur. Cæsarei sancte testabantur, eam a se mentem abesse, ac si ad tractandam pacem accedendum sit, omnia communi consensu a se actum iri. Porro ad Cæsareorum declarationem Galli reponebant; Regem equidem proposita alternativa non amplius teneri, quod ea præfixo 13. Oct. tempore acceptata non fuerit. Testando tamen in pacem studio faciliorem adhuc viam proponere, ut Philipsburgo munitiones detrahantur, id quod a multis Principibus optari intellexerit, & Galliæ regio circa Friburgum in unum milliare addicatur, una cum via a Brisaco ad id oppidum. Hoc modo pacem citius quam inducias confici posse. De cætero omnes se conditiones pro fœderatis suis impleri velle, ac ut Cæsarei operam sibi socient ad communem in Germania, & inter Boreales pacem promovendam. Ast Cæsarei cense- 19. Oct. bant; alternativa semel probata standum, postquam in pace Belgica convenerit, ut fœderatis integrum sit intra sesquimestre tempus ab ejus pacis ratihabitione propositas conditiones acceptare. Ac iniquum esse, Cæsarem simul Philipsburgum, & patrimonialem urbem Friburgum amittere. Sed Gallo alia ratione pro Friburgo satisfactum iri, de quo tractationem suscepturi sint. Interim inducias necessarias videri. Galli contra: ex hoc responso adparere, Cæsarem, atque Imperium in eo cum Gallo consentire, ut pax Westphalica ex asse instauretur. Opus tamen esse magis perspicua declaratione, ut etiam Gottorpiensis Dux tanquam Sueciæ fœderatus, tum Furstenbergii fratres plene restituendi intelligantur. Quod si Cæsar Philipsburgum retinere velit, Gallo totam Brisgoviam cum Friburgo cedendam, quod ejus provinciæ regimen in eo sedem habuerit, eoque inde velut metropoli naturali ratione pendeat: cum in cessionibus locorum semper, quæ ab his dependeant, comprehendantur. Cæterum quod induciæ perfectæ non fuerint, non se, sed Danum, & Electorem in culpa fuisse, variis objectis obstaculis. Quo nomine Electorem falso argui Blaspielus prolixo scripto deducebat. Cæsarei inde Gallis per Nuntium significabant: sibi hautquidquam in animo esse in aliquid consentire, quod fœderatis fraudi sit: eoque articulum de instauranda pace Westphalica in eorum præjudicium extendi non posse; quæ utique valitura sit, sed exceptis iis, quæ futuro tractatu mutabuntur. A Friburgo non nisi tres vicos pendere. Peculiari tractu in usum viæ inter Brisacum, & Friburgum opus non esse, cum innoxius transitus pateat, ac iter duarum aut trium horarum spatio confici possit. Se quoque una cum Gallis operam daturos, ut inter Boreales fœderatos, ac Sueciam pax æquis conditionibus perficiatur. Articulum

1678. lum de hostibus utrinque auxilio non sublevandis, se non abnuere, si ita concipiatur, ut dignitati, officio, & securitati paciscentium non repugnet. Restitutionem Argentoratensis Præsulis, ejusque familiæ Cæsarem decrevisse, si debito modo ipsi se submiserit. De induciis absolvendis repetebatur. Ea in declaratione quia Pacis Westphalicæ mentio fiebat, Nuntius protestationem interponebat; quod mandata sua non permittant Protestantium negotiis sese miscere, multo minus pacem Monasteriensem adprobare. Si itaque forte mentio de rebus Protestantium, aut pace Monasteriensi injecta sit in scriptis, sibi velut sequestri traditis, ad quæ ipse responsum reportarit; ea se nunquam aliter considerasse, quam qua Catholicos Principes spectant, ac per eadem istam pacem probare hautquidquam animum fuisse. Nec minus idem legatos Cæsareos, Hispanos, ac Gallos scripto monebat, ne præsulatus Hildesiensis, & Osnabrugensis jure perpetuo certis Principibus in perpetuum attribuatur. Nam Osnabrugensis hunc præsulatum in sua familia continuari optabat, sublata alternatione; cui Anglus, ac Belgæ favebant. Inter hæc allatus de Electoris victoria nuntius Gallos circa negotium Suecicum paulo tractabiliores reddere videbatur. Et Avauxius Hagæ non obscure innuebat, Suecos vix omnia amissa recepturos. Sed quia haut deceat a Gallis talia istis proponi, Belgarum esse circa eam rem operam navare. Qui & Neomagi una cum Cæsareis, & Anglo Suecos ad nonnihil remittendum permovere nitebantur; cum inficiari nequeant, quin ut Electori satisfiat æquum sit. Sed Suecis pertinaciam addebat, quod confiderent, salva existimatione a Gallo se destitui non posse, in cujus gratiam id calamitatis sibi conciliaverint, magna virium Germaniæ parte in se aversa. Inter hæc Hispanica ratihabitio nondum adparebat, quod Hispani, uti ipsi ferebant, conditionem de fœderatis auxilio destituendis admittere nollent. Sed verosimilius erat, eos hac tergiversatione pacem inter Cæsarem, & Gallum faciliorem reddere voluisse; nec dubitabatur, quin ratihabitio ventura sit; cum interim a provinciis Hispanicis in diurnam Gallicarum copiarum sustentationem C M florenorum expendenda essent. Inter ista Neoburgicus Belgica pace comprehendi cupiebat. Moguntinus quoque, & Trevirensis pacem Germaniæ in propositas a Gallo conditiones acceptari a se profitebantur. Simul Bavarus quam maxime Westphalicam pacem instaurari urgebat. Nec minus Lotharingus Belgica pace comprehendi optabat, ac alterutram partem alternativæ acceptabat, petito, ut Rex eidem additas exceptiones remittere, eumque in ditiones suas integras restituere velit. Sed Galli serum id esse respondebant.

imus. ulla. im. lesa. § 91. Cæsarei inde ex aula mandatum accipiebant, ut Philipsburgum Cæsari optarent, Friburgum cum suo districtu tribus vicis constante Gallis relinquerent. Galli contra pertendebant, Friburgum cum suo territorio Comitatum in Brisgovia constituere, qui sibi una cum via a Brisaco ad eam urbem concedendus sit. Cæsarei reponebant; de Comitatu isto nunquam sibi auditum. Transitum innoxium inter duo oppida semper ipsis patere, ut non opus sit plus terrarum Brisgoviæ decerpere; ac iter facile duabus horis confici posse. 1678. Præter ista Galli postulabant, ne Cæsar Borealibus fœderatis, si bellum ab iis contra Suecos continuari contingat, quid auxilii vel obliqua ratione ferat: si quæ apud istos copiæ suæ sint, eas revocet, nec iisdem hospitia in Imperio indulgeat. Contra Cæsarei eandem circa fœderatos suos libertatem sibi deposcebant, quam Galli stipulari velint, qui liberum sibi transitum petebant ad invadendos Suecorum hostes. Simul inducias urgebant, quas Gallis parum cordi esse adparebat, velut qui circa copias augendas satagebant, ac totum Ducatum Juliacensem, excepto oppido Juliaco, subegerant. Nec minus Oxenstierna apud Stratemannum jactaverat; Gallum non alia lege pacem cum Cæsare initurum, quam ut ipsi auxilia Suecis ferre integrum sit, Cæsare medium statum servante. Alias se omnibus viribus paci obstiturum. Idem quoque contendebat, per leges Imperii Gallis innoxium transitum ubique concedendum ad hostes Sueciæ invadendos. Quæ Stratemannus & legibus Imperii, & sanæ rationi adversari ostendebat. Ac si Galli hac via aliquid sibi conveniens adquisituri sint, id Suecorum in gratiam haut reddituros; quod negotiatione cum Hispanis satis ostenderint. Sed si quid perdiderint, id per tractatus magis sibi, quam Suecis recuperaturos. Igitur Suecos sibi consulturos, si cum hostibus suis quamprimum transigant. Oxenstierna contra: Sat cautum sibi esse, Sueciam a Gallo hautquaquam deserendam. Ac Livonicum exercitum propediem in Borussia fore; tum & Polonum in arma erupturum, ac Electori sat negotii facessiturum. Gratum tamen Regi suo fore, si honesta ratione bello excedere possit. De Pomerania nullum verbum. Mox & legati Suecici le- 31. Octob.
ges pacis exhibuerunt hoc sensu: ut Suecia in conditionem Pacis VVestphalicæ restituta Cæsari, Imperioque plene reconcilietur. Ei conditioni si quis Ordinum reluctari audeat, Cæsar, & Imperium eum ad istam admittendam compellat; aut si hoc durius videatur, saltem eidem nil auxilii præstet, ac innoxium transitum iis concedat, qui ad auxilium Sueciæ ferendum sese moverint. Quibus postulatis Blaspielus prolixum scriptum opponebat, quo demonstrabat, Suecos ausis suis beneficio pacis VVestphalicæ indignos sese reddidisse. Contra Electori fas esse Pomeraniam retinere in vicem satisfactionis ab Imperio ipsi promissæ, ac resarciendis sumtibus in hoc bellum impensis. Cæsareos quoque in Westphalicæ Pacis instaurationem non aliter consensisse, quam sub exceptione, ut Electori satisfiat. Nec ejusdem pacis firmitati magis derogari Pomerania citeriore Electori attributa, quam quod Gallis Friburgum ceditur: cum ea pax magis publicum Imperii statum, quam singulorum possessiones sanciat. Simul notabatur, cum olim Succi magna asseveratione jactassent, peculiarem ob controversiam arma abs se in Electorem sumta, nunc citra dissimulationem agnoscant, id in Galli gratiam factum. Nec minus Luneburgicus minister ei propositioni contradicebat: quam vicissim Palatinus ex asse probabat. Ast Galli adhuc districtum circa Fribur- 5. Nov.
gum in unum milliare patentem exposcere, ac ut Cæsar & Imperium medium se gerat, Gallicisque copiis

1678. copiis liberum transitum concedat suis, foederatorumque suorum hostibus ubicunque commodum fuerit, invadendis. Iidem & petentibus Belgis permutationem Hispanicæ ratihabitionis ad diem X. Novembris proferebant. Tum & unum atque alterum locum ad Rhenum capessebant nemine obsistente: simul Juliaco obsidium cominus circumponebant, ac Sonsbecam in Clivia invadebant.

10/20. Nov.

Contra Cæsarei legati circa pacem obtinendam extremis viribus niti jubebantur, ut tamen foederatis nil fraudis inferatur. Ac iidem adhuc confirmabant, se a foederibus haut discessuros, nec unquam foederatos separata pace facta deserturos. Quo fine & iidem paci Belgicæ includi cupiebant, ut si Galli Imperium ulterius invaderent, eo ipso quoque Belgicam pacem violarent. Et cum Galli huic sese inclusioni opponerent, quod sibi tunc facultas adimenda foret foederatis suis adsistendi; Harenus jussu Reip. ipsis significabat: animum sibi haut fuisse pace cum Gallis inita a foederatis suis se disjungere, eoque horum inclusionem articulo XIX. suæ pacis expresse sibi stipulatam. Gallos quoque tunc declarasse, se pacem cum omnibus illis conclusuros, qui eam deinceps acceptaturi sint. Unde Remp. fas sibi judicare, Cæsarem, Lotharingum, Moguntinum, Trevirensem, Palatinum, Neoburgicum, qui pacem cum Gallo in conditiones ab hoc propositas acceptare se profiteantur, & includi desiderent, sua pace comprehendere. Harenus quoque Suecis denuntiabat; ut postquam penes eos solos pax hæreat, aliquando propius ad rem accedere velint; ac Remp. suam multum jam incommodi ex ipsorum tergiversatione percepisse, & plura adhuc percepturam. Quo facto Sueci apud Cæsareos, Gallos, & Anglum querebantur, justo asperius secum agi. Contra Harenus eorum pervicaciam arguebat, plenæ suæ restitutioni ita obnixe insistentium; qui cum agnoscant Electori satisfactionem deberi, negent tamen sibi de parte provinciæ cedenda quid mandatum, sed de summa tantum pecuniæ jacere. Cæsarei inde per Nuntium Gallis declarabant: post pacem inter Cæsarem, Imperiumque cum Gallo, & Sueco perfectam istum, atque Imperii Ordines ea pace comprehensos per quadrimestre enixam operam daturos, ut Boreale bellum ad normam pacis Westphalicæ, nisi quatenus ea mutuo consensu mutanda videbitur, componatur; cui rei melius perficiundæ per quadrimestre illud inducias fore. Ast si hoc spatio sua officia locum non inveniant, Cæsarem, Imperiique Ordines hac pace comprehensos cum Gallo conventuros, qua ratione ea quoque pax conciliari possit. Ea propositio Gallis probabatur: sed Sueci nolebant concedere, ut cum Cæsare & Imperio pax prius iniretur, quam super sua restitutione sibi satis cautum foret. Ita Cæsarei id agebant, ut arbitrium pacis Borealis penes se foret, quo eam ad rationes suas formare possent. Quem agendi modum Arausionensis, Belgæque, ac legatus Anglicus Templius Electori haut proficuum judicabant. Sed & Cæsarei non sine anxietate pacem quærebant, Gallis frigide rem agentibus.

Formula pacis inter

§. 92. Accedebatur jam ad concipiendam pacis inter Cæsarem, & Gallum formulam; cujus articulo XXIII Galli posuerunt; quia bellum inter Boreales geratur, Cæsar & Imperium promitterent, foederatis suis nulla ratione auxilium ferre; Gallo autem integrum sit foederatis suis pro lubitu adsistere. Et Gallica quidem formula in aula conficta fuerat, in qua legatis nil mutare licebat.

1678. Cæsareos & Gallos adquantur. 14. Nov.

Ad quos & ejusmodi protestatio missa erat, ut, si Cæsar, & Imperium intra ultimum Decembris diem pacem in eas leges non admiserit, Rex quoque his amplius teneri nolit, nomine expensarum plura postulaturus. A Suecis tradita formula cum Gallica conspirabat. In Cæsarea formula articulus tertius Electori noxius erat, quod decreta Imperii per eum tollerentur; id quod ipso inscio fieri non debuerat. Contra Suecis articulus IV. displicebat, quod Cæsar, Hispani, Belgæque una cum Gallo conniti debeant ad componendam inter Boreales pacem; quod eo admisso Gallus obligatione Sueci restitutionem præstandi exuere se posset; & a reliquis velut Electori foederatis nil æqui sibi sperandum. Promittebant quoque Cæsarei, se circa instaurandam Westphalicam pacem hanc exceptionem addituros; *nisi quantum hac pace mutatum sit.*

13. Nov.

Interim cum Galli atrociter in Clivia grassari inciperent, Blaspielus legatis Gallicis per Espenczæum significabat; spem fuisse, postquam Rex declararit, sibi haut ingratum fore Svecos per Belgas, aut alios ad idoneam Electori transactionem adduci, Regem quoque id negotium promoturum. Ast nunc Gallos contra promissa, & cum horum quæstoribus factam conventionem infensos in Clivia agere; ac Avauxium Hagæ instare, ut Suecis plene satisfiat, ac Pax Westphalica ex asse instauretur. Ex quo adpareat, Gallo cordi non esse amicitiam cum Electore renovare, dum Suecicum ei negotium fundamenti loco substernere cupit. Igitur nosse velle, num Regi serio placeat, ut Belgæ Suecos ad transigendum cum Electore permoveant, adhibitis ejusmodi remediis, quæ apud istos pondus habitura sint; eoque fine socia Angli opera utantur. Addebat rationes, quare non par sit, Gallum hoc modo Suecorum causam agere. Duritiem Suecorum non pacem Europæ, sed novum, ac periculosum bellum producturam. Belgas pace sua eo duntaxat fine in medium statum consensisse, quod confiderent, hoc modo pacem reliquorum fœderatorum facilius successuram. Nunquam autem iisdem animum fuisse suæ obligationi renuntiare, ac ita a fœderatis suis se disjungere, ut vinculum amicitiæ, quo isti Electori addicti sunt, inde abruptum intelligatur; cum iidem non laxiore vinculo fœderatis suis, quam Gallus Sueco obstringatur. Multo minus eosdem communes cum Electore rationes voluisse prodere, e quibus securitas sui status pendeat: eoque ipsos invasionem Cliviæ ferre non posse, nisi provincias suas manifesto periculo exponere velint. Et quia Rex iis munitum in Flandria limitem indulserit, æquum esse parem securitatem ex altero quoque latere præstari. Equidem in proclivi esse Gallis, Electoris exercitu in Borussia absente, Cliviam opprimere. Sed quia id non minus Belgas, quam Electorem tangat, eam hautquidquam viam esse huic ad parta bello restituenda cogendo, sed ad novum bellum excitandum, tum propinquam

1678. cum Caesare, & Imperio pacem impediendam. Et si maxime Gallus Cliviam occuparit, in lubrico tamen semper ejus possessionem, custodiamque longe sumtuosiorem fore, quam pro captu redituum. Nec minus auxilia a Gallo Suecis praestanda magnis incommodis subjecta fore, quod hisce nil amplius in Germania restet, etiam concesso per Imperium transitu, quod tamen per leges publicas, & fœdera haud licitum sit. Classem quoque in Mare Balticum mittere anceps fore. Nec submissa pecunia collapsas Suecorum res restitui posse; a quibus deinceps quoque meliores successus expectari non debeant, quin extracto bello omnia in deterius itura. Porro id semper inter gentes usu receptum, ut victor a victo præmium belli reportarit pro ratione successuum per arma obtentorum. Unde & Belgas a Gallo reparationem tantorum damnorum, ac tot millionum bello impensorum haut accepisse; ac Hispanum tam egregias ditiones Galliae cessisse, longe pluris æstimandas, quam quæ Sueci hoc bello amiserint. Antea quoque Suecos favente fortuna tot provincias ab Imperio, Dano, & Polonis adquisivisse. Neminem fœderato suo ad præstandam belli calamitatem teneri. Ac notorium esse, Suecos propria culpa hæc sibi mala conciliasse, non defectu promissi a Gallo auxilii. Igitur melius sibi consulturos Suecos, si Galli subsidia magis ad futuras necessitates, quam continuando bello impendant. Ad ista Avauxius respondit; Quid in Clivia acciderit sibi non constare, ac de eo ad Regem scripsisse, ac sperare remedium allatum iri. Alias cupere Regem, ut Electori cum Sueco quamprimum conveniat. Et quia Rex ipse ob fœdus cum Sueco transactionem adornare non possit, optare eum, ut id a Belgis fiat; qui sine dubio rem eo deducere possint, ut hisce non opus sit Anglo se innectere. Ac si Blaspielus per Fagelium rem urgeat, se ita acturum, ut Elector bonam Regis voluntatem ubertim sit sensurus. Ad ista Fagelius censebat; si res serio a Gallo agatur, eam probe successuram. Belgas hactenus tractatum cum Sueco Electoris in gratiam extraxisse, ea tamen cum circumspectione, ne Gallo ansa porrigatur de ipsis querendi. Ac se Suecis demonstraturum, ipsorum actiones Reip. displicere, ac ni meliorem vitam ineant, ab hac alia consilia capessenda. Cæterum de tota Pomerania obtinenda spem nullam esse, ac Electori adquiescendum, si Stetino, ac Wolgasto cum insulis Wollino, ac Usedomo potiatur. Ac legatis Belgicis in Galliam missis injunctum, ut pro iis, quæ cis Penam sita sunt, contendant. Rationem & usum ferre, ut pacem cupientes non omnia retineant, sed partem restituere soleant. Quod si Elector Livoniam quoque occuparit, hac reddita totam Pomeraniam exigi posse; quod & ipsum difficile futurum sit, nisi id agatur, ut Sueci tota Germania exterminentur; quod Sueci amissa Pomerania a Brema quoque dividantur. Blaspielus reponebat: Electori totam Pomeraniam deberi ob satisfactionem, & ut ditiones ipsius in tutum reponantur. Sed si utique aliquid reddendum sit, posse non minus Sueco æquivalentem ditionem, aut pecuniam dari, quam Elector pace Westphalica coactus fuit Stetinum, & Citeriorem Pomeraniam accepto æquivalente Suecis cedere. Tum & hos Gothoburgo in Albim & Visurgim pervenire posse, ac per Wismariam communicationem cum Brema patere. Sed Fagelius in ea sententia persistebat, Suecos ad totam Pomeraniam cedendam compelli non posse: tum nosse volebat, quid Elector æquivalentis loco offerre velit. Nam quoad is mentem suam pressius declararit, Gallo parum curæ fore, quicquid rationum ingeratur. Suecis autem Belgæ demonstrabant; ipsis a pertinacia hactenus adhibita circa exigendam plenam restitutionem esse discedendum, nec tranquillitatem orbis Christiani amplius turbandam, cum clades suas propriæ imprudentiæ debeant; ac æquum esse, ut & ipsi non minus, quam Hispani nonnulla communi saluti immolent. Sed Sueci negabant sibi vel hilum cedere in animo esse. Et jactabat Oxenstierna, Suecos nunquam Stetinum amissuros, ob tam illustre fidei specimen exhibitum non minus quam Holmiam æstimatum. Cæterum cum Belgici legati Lutetiæ de medio statu Cliviæ indulgendo moverent, Pomponius ostendebat, Regem ægre in eundem consensurum; quod hoc modo via præcludatur Electori constringendo ad erepta Suecis reddenda; quod tamen constituendæ communi paci necessarium sit. Nec ingressum Gallicarum copiarum in Cliviam Belgis suspicionem excitare debere; sed potius id hisce pignoris loco esse debere a Rege instauratam cum ipsis amicitiam sancte cultum iri, cum videant eum tam solicitum esse circa promissa Suecis præstanda. Belgæ etsi suis legatis, ut ulterius instarent, injungebant; tamen petente Blaspielo in loca Cliviæ trans Rhenum, inhibendis Gallorum incendiis, ac barbaris grassationibus aliquas copias immittere abnuebant. 1678.

Hispanica pax ratihabetur.

§. 93. Demum Hispanica ratihabitio adferebatur, quam Galli ulterius extrahi cupiebant, ut ipsi interim exercitum ex Hispanicis provinciis alere possent. Hispani tamen adhuc unum & alterum scrupulum movebant. Nam neque Messanenses, ac Neapolitanos rebelles amnestia comprehendi volebant, etsi peculiari pacto iis caveri queat: ac medios se deinceps adversus foederatos gerere adspernabantur; tum si quæ super limitibus controversia oriatur, Anglum arbitrum deposcebant. Sed Galli, etsi haut ægre ferebant Hispanos tricari, negabant ab his novas propositiones posse moveri, quod post perfectam pacem eorum mandata expirarint. Quanquam iidem mox posita tergiversatione Cæsareis legatis scribebant: sat perspectas ipsis causas, queis ad separatam pacem compulsi sint, cum nil magis in votis fuerit, quam junctim cum aliis foederatis, ac præcipue Cæsare arma ponere. Sed cum id obtineri non posset, Hispaniæ Regem tamen ratihabitionem hucusque extraxisse, quod speraret, Cæsareos quoque interim pacem suam perfecturos. Sed cum jam vel ratihabitio permutanda, vel Belgii reliquiæ amittendæ sint, prout & Villa Hermosa eo nomine protestationem interposuerit; se nosse cupere, quam cito Cæsarei pacem suam absolvere possint. Nam paucos dies ratihabitionem inhibere sibi integrum esse. Sed si id negotium adhuc in longum promineat, se haut quidquam posse culpam amissi Belgii in se attrahere; *3. Dec.*

 here;

1678. here; eoque ratificationem permutaturos. Ad quæ Cæsarei laxioribus verbis: penes se pacis moram non fuisse. Inde Hispani Borealibus foederatis significabant; uti suo Regi maximopere cordi fuerit ipsis firmiter adhærescere, ac uti summo dolori sit ob improvisos casus, ac præcipue Messanensium rebellionem subsidia repræsentari non potuisse; quæ tamen utique exsolvenda sint. Regi necessitatem allatam cum Gallo pacem ineundi, ac tam insignes ditiones cedendi. Conclusionem quantum fieri potuerit maximo cum suo damno dilatam, quo & reliqui sua negotia expedire possent; & eandem ob causam ratihabitionem tamdiu in Hispania detentam. Sed nunc eo rem rediisse, ut vel ratificatio permutanda, vel Belgium amittendum sit. Prius ut fiat Anglum, & Belgas enixe instare: nec e reliquis quempiam dubitaturum, quin communis causæ intersit reliquias Belgii conservari, & conventas urbes Gallico præsidio liberari. Nec ullo se modo declinare potuisse, quo minus in medium statum consentirent. Quo ipso tamen foederatos haut ingentem jacturam facturos, quod penes Hispaniam nil amplius sit in eorum usum præstare, quam reliqua subsidiorum solvere. De cætero Regem foederibus inhærere; ac spem esse rerum mutatione breui secutura plus officiorum invicem præstari posse: modo arcta conjunctio perstet. Ad quæ foederati: a se jam antea rationes adductas, quare Hispanis separata pax ineunda non sit; eam sententiam adhuc perstare; nec sibi injunctum istam pacem probare. Ac dolere sibi Hispanos ad extrema isthæc compulsos. Gratum tamen esse, eos foederibus stare, ac residua subsidia, & deinceps cessura solvere velle, quoad & ipsi pacem suam obtinuerint; quæ ut promoverent, petebant. Sed Hispani præter reliqua nil promittebant. Dum ratificationes permutantur, Colbertus monebat, Regem ratihabitionis formam vix probaturum, velut chartæ duntaxat inscriptam, & cui sigillum Hispani non ceræ, sed *oblatæ* impresserant.

4. Dec.

5. Dec.

Contra formulam pacis a Cæsareis exhibitam protestatio. 9. Dec.

§ 94. Ast vulgata pacis formula per Cæsareos exhibita Nuncius primo super Electore, ac Ducibus Brunsuicensibus monebat; *cum iste ob cessam Pomeraniam aliquot præsulatus, hi alternam possessionem præsulatus Osnabrugensis nacti sint; & vero iste quondam cessa, hi amplius adhuc recuperarint; igitur par esse, ut ea bona Ecclesiastica ad pristinam conditionem redeant, cum causa, ob quam ad secularem conditionem redacta sint, nunc cesset. Ad quod præstandum Cæsar teneatur, tanquam Ecclesiæ advocatus, & successor ejus, qui in eorum alienationem consensit: præsertim cum eisdem in proclivi sit istos Principes huc compellere, per Gallica arma pressos, quibus iidem absque auxilio Cæsaris resistere nequeant. Cæsarem ingens sibi meritum apud Deum, hominesque comparaturum facto tam plausibili ad rationes Ecclesiæ, atque Imperii. Conducere quoque Cæsareæ autoritati, provincias istas in plures potius dividi, quam paucis adcrescere, quorum gliscens potentia libertati Imperii, ac religioni Catholicæ admodum periculosa sit.* Ast Blaspielus prolixo scripto querebatur, *eam formulam nulla prævia communicatione exhibitam, ac de pace inter Cæsarem, Imperiumque & Suecos satagi, exclusis Borealibus fœderatis, qui prope soli bellum in Suecos gesserint. Sane a ratione abhorrere, pacem inter eos componi, queis bellum haut primario fuit, præteritis illis, qui alteram bellantium partem constituerunt: & cum Cæsar Suecum hucusque non aliter consideravit, quam unum ex Ordinibus Imperii violatæ pacis publicæ reum, nunc cum eo tractari, ut cum hoste Imperii, qualis Gallus est. Nam violata a Suecis pace per irruptionem in Electoris ditionem petentibus Imperii Ordinibus a Cæsare mandata pœnalia, avocatoria, inhibitoria in istos, eorumque præfectos, & milites emissa; aulamque Cæsaream vocabulo hostis Imperii studio abstinuisse, nec cum Regno Sueciæ pacem abrumpere voluisse: eoque Cæsarem, atque Imperium Sueco nunquam bellum tanquam extero Principi denuntiasse, nec unquam publicum Imperii exercitum adversus eundem ductum. Sed prout idem inter Ordines Imperii censebatur, contra eum ex* Constitutione executionis *ob fractam pacem publicam processum fuisse. Igitur haut esse e dignitate Cæsaris, & Imperii, si nunc seposita suprema jurisdictione in civem Imperii condigna pœna notatum, pacem cum hoc inire velit, qualis in illos tantum cadat, qui pares sint, ac jus belli invicem habeant, id quod nulli Statui, ac civi Imperii adversus Cæsarem, & Imperium competere possit. Sed & si maxime detur, Cæsarem & Imperium cum Suecis bellum gessisse; eoque & pacem cum his facere penes eosdem esse; eam tamen hoc modo, uti in formula Cæsarea proposita sit, sine fraude Borealium fœderatorum, ac præcipue Electoris fieri non debuisse. Nam articulo II inter Cæsarem, Imperiumque, & Suecos amnestiam intra & extra Germaniam sanciri, cui nihil præteritorum actorum obstare debeat. Articulo III Westphalicam pacem, a Suecis tam notorie violatam fundamentum hujus pacificationis poni, abolitis omnibus decretis & mandatis hoc bello contra istos emissis. Cum autem Sueci jus suum ad eam pacem, & per eam quæsita beneficia amiserint, ac justissimis Electoris armis Germania expulsi sint, quomodo amnestia iis prodesse adversus Electorem possit? Quod si autem hæc ad Cæsarem duntaxat pertineat, clarius id exprimendum fuisse, ne hostibus ansa præbeatur, eam in suum commodum, ac Electoris fraudem interpretandi. Sane Suecos dominium suarum quondam provinciarum non amplius habere, quippe vi legum publicarum, & decretorum Imperii ob violatam pacem ademtum,*

1678. 11. Dec.

7. Jul. 1674.

98. *tum, possessione insuper armis extorta. Contra Electorem, qui contra Suecum non solum ut membrum Imperii, sed & ut extraneum Regem justo cum exercitu terra, marique hactenus bellum gesserit, idque adhuc extra Germaniam in Borussia persequatur, Suecorum quondam provincias una cum aliis fœderatis justissimi belli titulo possidere. Unde Suecis in Imperio, ubi nihil amplius possident, amnestiam promitti non potuisse. Quod porro dicatur, omnia antehac ei amnestiæ in contrarium inita pacta non obstare debere, ambiguum esse; velut per eandem inita quoque inter Cæsarem, & Electorem pacta, & fœdera cum promissis, & obligationibus tollantur, & huic præstatio debitæ satisfactionis adimatur. Id quod cum sine manifesta injuria fieri nequeat, ea verba emendanda, atque ita formanda esse, ut nullo modo in fraudem Electoris porrigi queant. Porro Westphalicam pacem fundamentum pacificationis cum Gallo substerni posse, quicum Cæsari, & Imperio publicum bellum est. Sed eandem pacem Suecis nil amplius prodesse posse, quondam Imperii membris, qui ob eam violatam beneficiis inde partis exciderint, & nil amplius commune cum Imperio habeant. Ac si id agatur, ut isti in eam pacem reponantur summo cum prajudicio Borealium fœderatorum, ac inprimis Electoris; se non posse non adversus eandem protestationem interponere. Equidem addi; post conclusam inter Cæsarem, Suecosque pacem inter fœderatos, & Suecos extantes controversias per officia ibi nominatorum componendas ad normam tractatus Westphalici, nisi qua eadem amore pacis immutanda sit; & eam compositionem hac pace comprehensum iri. Sed haut eo minus acerbissimum fore Electori, si præter meritum a Cæsare, aliisque fœderatis desertus,*
Nov. *alieno arbitrio invitus subjiciatur. Denique nuper adhuc Cæsaream legationem Electorali legato Ratispona significasse, causam Suecicam præcipue Boreales fœderatos spectare, queis rationes sua cura sint futura; ac Cæsarem operam navaturum, ut inter hos, atque Suecos pax quamprimum componatur. Id quod cum formula pacis heic a Cæsareis edita haut quadret. Unde sibi expresse postulandum; Quia Suecus, abrupto quod ei cum Electore intercedebat fœdere, hunc præter meritum improviso cum exercitu aggressus est; ut Elector circa omnia: quæ bellum Suecicum tangunt, velut primaria pars consideretur, nec ipso inscio aut invito deinceps quid suscipiatur, ac statuatur. Deinde cum formula pacis non Cæsaris solum, sed & Imperii nomine concepta, & exhibita est, quam ob causam Electori, tam eminenti Imperii membro, qui legatos Viennæ, ac Ratispona habeat, de eadem nil communicatum fuerit? Nec enim huic facile persuaderi posse, Imperium adversus ipsum tot speciminibus generosi animi, ac fidei in patriam editis eum procedendi modum permittere voluisse, qui & huic, & toti Reip. exemplo admodum noxius futurus sit. Denique Cæsarem fœdere cum Electore anno 1674 inito, quod adhuc subsistat, promisisse, si hic abs quopiam hostili modo invadatur, eique in Clivia damni quid inferatur; se pacem non initurum, nisi ipsi satisfactum sit, nec citra eundem ad tractatus descensurum. Igitur par esse legationem Cæsaream horum memorem ista effectui dare, nec cum Suecis deinceps, non adhibito Electore, a quo ipse plenis cum mandatis huc missus sit, quidquam tractare, sed quæ agenda sunt, cum ipso, aliisque quorum interest expendere, eorumque sententiam audire, nec iisdem invitis aliquid decernere.* Ipsi quoque Cæsari Elector demonstrari jubebat; haut debere talia se inconsulto fieri, velut qui hortante Cæsare in id bellum descenderit, & cui ab hoc, & Imperio indemnitas promissa sit. Addito, uti ipse omnes suas fortunas pro patria periculo exposuerit, ita & æquum se semper honestæ paci amplectendæ præbuisse. 1678.

§. 95. Ast nec Sueci, utut ea formula his admodum faveret, eadem adquiescebant. Hi enim articulo IV neutrum statum Cæsaris, & Imperii postulabant; tum articulo V stipulari cupiebant, ut Cæsar, & Imperium pacem non admittentes per efficacia remedia ad id permoveat, ac omne iisdem auxilium subtrahat. Ut autem sibi integrum sit, eosdem ad amplectendam pacem jam designatam compellere. Sed Cæsarei de neutro statu abnuebant, ac quadrimestres inducias proponebant, per quas pax inter Boreales reliquorum amica opera sit promovenda. Quæ Suecis haut sufficiebant. Cæsarei quoque articulo IV posuerant; Cæsarem una cum Rege Angliæ enixam operam navaturum curandæ paci Boreali. Cui Jenkinus contradicebat, quod de ea nil sibi injunctum sit. Cæsarei inde alternativæ optionem mutabant, ac nunc Gallis Philipsburgum relinquere volebant, Friburgo sibi servato. Sed Galli, cum antea dixissent, Philipsburgum Regi suo quadruplo pluris quam Friburgum æstimari, nunc desistere nolebant, causati, semel placitis standum. Philipsburgum Regi nulli esse usui, quam ut plus terrarum in Germania adquirere possit; id quod ab ejusdem destinatis abhorreat: ac Friburgum commodiore ad Alsatiam tegendam situ esse. Causa hujus mutationis erat, ut Cæsar Ordines, inprimis qui demolitionem Philipsburgi urgebant, eo facilius permoveret ad æquivalens ipsi pro Friburgo dandum, quod post Gallo cessurus erat Friburgo retento. Contra Galli Ordinibus velificari, eosque in Cæsarem instigare studebant, dum non solum in Philipsburgum renuntiant, sed & ipsi instant, ut ejus munitiones dejiciantur. Sed Cæsareis ad pacem permovendis, quibus prospere fluentes in Hungaria res animos addiderant, Arausionensis monebat, Gallos ad Coloniam, & Treviros animum adjecisse, qui conatus maturata pace antevertendi sint. Contra Elector Belgis denunciabat; a se Vesaliam deserendam, quam

Super Cæsareorum formula disputatio.

9. Dec.

13. Dec.

1678. quam contra Gallorum vim tutari nequeat. Et quia Cæsareos res suas seorsim agere perspiciebat, Blaspielo, & Romswinckelio injungebat, ut & ipsi cum Gallis, & Suecis sine arbitris tractarent. Ast hi longe duriores quam antea se exhibebant, Gallo animos addente, qui & paucos ante dies cursorem ad Regem Sueciæ miserat huic confirmaturum, non solum ex fœdere se teneri ad enitendum, ut is amissa recuperet; sed & denuo fidem, existimationem, ac gloriam pignori exponere, omnia eum recepturum, simul idonea satisfactione potiturum. Unde Heugius, & Blaspielus e Colberto quærebant; quomodo isthæc cum iis conspirent, quæ ipse sibi nomine Regis declararit? Ad quæ Colbertus; Oxenstiernam morosi ingenii virum esse, qui sæpe loquatur quicquid in buccam venerit, cujus ratio haberi non debeat. Nec eo magis instantibus licet Belgarum in Gallia legatis de medio Cliviæ statu quid obtinebatur. Ast Cæsarei ideo se de Philipsburgo Gallis reddendo injecisse ferebant, ut illi, quos id oppidum propius tangit, & qui, intellecto Cæsarem id sibi retinere velle, cum Gallis secretos tractatus agitarunt, ad saniora consilia adducerentur. Nam Cæsari fixum sedere, Friburgum potius amittere, quam Philipsburgum velut Germaniæ clavem Gallo restituere.

20. Dec. Ac mox iidem declarabant, sese Gallis Friburgum relicturos, ac sibi Philipsburgum retenturos; simul Gallorum colloquium expetebant. Eo cognito Danus, ac Blaspielus Cæsareis denuntiabant, sese huic colloquio interesse velle. Hi contra; rem, de qua agendum sit, solum Cæsarem spectare, ac omnia sequestre interveniente tractanda. Se tamen omnia agenda communicaturos. Sed isti hautquidquam colloquio sese excludi volebant, præsertim quia & Sueci in curia futuri erant, quibuscum sibi plurimum negotii sit. Ac ita in Cæsareorum conclave adscendebant, quo & Lotharingicus invitantibus Cæsareis venerat. Ibi orta disceptatione Cæsarei variis rationibus pervincere conabantur, sibi hoc colloquium citra istos habendum. Sed nostri inter alia allegabant: sibi ut intersint competere, quod & Sueci apud Gallos adsint. Cæsarei: liberas sibi, ac sine arbitris consultationes suas relinquendas; nec postulari posse, ut alii, quæ inter se ipsi loquantur, ac circa Cæsarea mandata, ac rescripta disputent, audiant. Tum se omnia hactenus communicasse, & id deinceps facturos. Nostri: communicationem non uti par fuerit factam. Nec jam communicatione, sed consultatione opus esse, cui, qua res Principes suos spectet, utique interesse debeant. Et conclave ita amplum esse, ut facile nemine audiente inter se colloqui possint. Sed istis nil proficiebatur, ac Cæsarei valde exaggerabant, Meindersium Hagæ & Neomagi se insciis, nec communicatione post facta erga Gallos declarasse, Electorem parte Pomeraniæ usque ad Penam contentum fore: id quod ab hostibus intellexerint. Igitur Jenkino seorsim ducto sententiam suam super articulis exponebant; qui Gallos, & Suecos accedens horum sententiam omnibus referebat; Cæsareis iterum ad hanc seorsim respondentibus. Ad extremum cum Danus, & noster excludi se nollent, per Jenkinum id temperamenti inveniebatur, ut hi proximo conclavi juxta Cæsareos essent, sicuti & Sueci separato a Gallis conclavi agebant, ubi statim congredi possent. Jenkinus suadebat, ut Blaspielus itidem formulam pacis conciperet. Id quod huic eo magis necessarium videbatur, quod Cæsarei censerent; soli Cæsari ac nemini Electorum, & Principum jus competere, suo nomine cum Gallo, & Sueco pacem faciendi. Quæ persuasio hisce eo modo adimebatur; nec minus falsum esse ostendebatur, Danum, & Electorem paci obsistere. Sane Galli, cum interrogarentur, num istos colloquiis interesse velint, responderant; id tanto gratius sibi futurum, ut perspicere possint, num vere Danus, & Elector arguantur, velut omnibus modis pacem remorari studeant. Ea facies tractatuum Neomagensium sub finem anni erat. 1678.

§. 96. Eo anno tamen operæ pretium in Cæsarea aula factum est, obtenta a Cæsare confirmatione pacti hæreditarii super Juliacensibus ditionibus, aliquot ante annos inter Electorem & Neoburgicum initi; circa quam hic pro autoritate, qua ibi valebat, utilem operam navarat. Ea causa cum in judicio aulico proponeretur, unanimi consensu Collegii nemine contradicente decretum, investituram de Juliacensibus ditionibus, Electori, ac Neoburgico negari non posse. Id quod Collegium relatione ad Cæsarem invictis rationibus demonstrabat. Sed re, uti solet, in secretiore consilio ad rationes status expensa, haut expedire videbatur Domum Saxonicam protelare: eoque investitura, titulus, ac sessio earum provinciarum nomine suspendebatur. Quam nec Electori tunc temporis enixe quærere placebat; ac suadebant prudentes, potius transactionem cum Saxonibus quærendam. Sane jam Ferdinandus II. promiserat, se hisce alia data expectativa satisfacturum. Post obtentam confirmationem literæ a Cæsare ad Electorem, Neoburgicum, Monasteriensem, ac Spirensem Cameram super directorio Circuli Westphalici dabantur, in quibus ambigua, & discrepans clausula reperiebatur. Nam in literis ad Electorem, & Neoburgicum positum erat, id directorium iis *per modum provisionis extraordinariæ delatum* fuisse: cum tamen hoc muneris a Cæsare deferri nequeat, quippe ditionibus adhærens. Sed in literis ad Monasteriensem ea verba extabant: Cæsarem ab Electore, & Neoburgico id directoris munus *velut jus alias ditionibus adhærens per modum provisionis extraordinariæ exerceri velle.* Cæsarei excusabant, eam clausulam possessoribus hautquidquam fraudi esse; sed tantum positam ad Saxones utcunque placandos. Quibus & alias nulla quærendi causa erat, quod confirmatio salvo jure, si quod esset, tertii facta foret. Adversus eam tamen confirmationem non Saxonica tantum Domus, sed & Coloniensis Elector Ratisponæ protestationem interponebat. Et huic quidem prætextum allegabatur, quod priores possessores Juliacensium ditionum diversos Comitatus, dynastias, & vicos vel hypothecæ titulo obtinuerint, vel nullo jure invaserint. Multa etiam feudi nomine agnovisse, quorum dominium utile novissimi Ducis Juliacensis morte

Confirmatio pacti hæreditarii circa Juliacenses ditiones a Cæsare obtinetur.

4. Dec. 13. Oct.

1678. morte cum directo consolidatum sit. Sicuti & anno 1613. per literas ad Cæsarem Præsulatui omnia jura reservata sint. Quod & in præsens fiat. Sed Elector legatos suos cum istis in disceptationem descendere vetabat; ac tantum ut paucis verbis tuendo suo juri necessaria reservarent jubebat; addito se ac Neoburgicum decretis in Pacis Westphalicæ Instrumento inhærere, cui sua conventio non contradicat. Et dummodo ipsi in possessione ditionum maneant, facile se ferre posse, ut reliqui in possessione contradictionis persistant,

[F]œdus [a]rctius [cu]m Bel[g]is perfi[c]itur.

§. 97. Denique etsi Belgæ hoc anno sat maligne de Electore meriti essent; tamen quia hunc insolubiles rationes cum ea Rep. jungebant, quali modo nexorum amicitia aliquando refrigerari potest, abrumpi penitus non potest; placuit diu agitatum fœdus arctius demum perficere. Id Elector in perpetuum porrigi voluerat. Sed Tochtius censebat, melius esse id certos ad annos adstringi, ac iis elapsis subinde renovari. Nam lapsu temporum haut prævisas mutationes contingere posse, ad quas vetusta fœdera haut quadrent; quæ inter renovandum ad nova tempora aptari queant. Præcipua cura erat veteres controversias tamdiu vexatas, quæ inter Electorem, & Remp. versabantur, uno ictu abolere. Inter quas erat debitum Husiserianum sub Joanne Sigismundo contractum, mutuo acceptis CM uncialibus; sed quod tractu temporum per anatocismum, & alias fœneratorum artes ad duodecim milliones & LXM florenorum intumuisse supputabatur. Ac tanti debitum id Curia Mechliniensis taxaverat, in quam utrinque compromissum fuerat; sed cujus sententiam Elector rejecerat, quod eadem compromissi limites excessisset. Fuerat quoque vetus lis inter Duces Cliviæ, & Geldriæ super parte ditionis limitaneæ, quæ ante CL annos in compromissum deducta nondum componi poterat. Eam & nunc Elector expediri cupiebat, ni privati quidam obstitissent, quos ea res peculiariter tangebat; qui ut actione sua cederent, a Rep. cogi non poterant. Ad ea, quæ compromissum isthoc Geldricum complectebatur, etiam famosum istud castellum Schenckianum pertinebat. Quod num Belgis valde cupientibus tradendum foret, Geldrica lite nondum plane composita, Somnicii, ac Blaspieli discrepantes sententiæ erant. Iste quippe censebat; cum id castellum inter litigiosa loca sit, Electoris causam valde vulnerandam, si præcipua pars cedatur, tota lite haut decisa. Ac Belgas per id castellum compelli posse ad omnem controversiam semel abolendam. Blaspielus contra: Geldricum compromissum tanti non esse, ut ideo tam necessarium fœdus differatur. Nec in præsens id castellum tanti momenti esse, uti antea, postquam Vahalis juxta, ac Rheni ostium arenis fere impletum sit, sublata aquæ profunditate sub castello, quæ præcipuam ei firmitatem dederat. Sed & superficiem ac solum duntaxat Electoris esse, non superstructam munitionem; eoque nil amplius exigi posse, quam ejusdem demolitionem, etiam ubi in Geldrica lite solum Electori adjudicetur. (Etsi contra hoc regeri posset, Gallum belli jure id castellum acquisitum Electori donasse.) Quod si & Elector castellum retineat, id tamen ei nil prodesse, ac multum nocere. Nam per id nuspiam Electoris ditionem tegi, ac orto inter Electorem, ac Belgas bello utriusque terras utrinque incursari posse, nullo ad castellum id respectu. Quod si Electori navigationem Rheni occludere placeat, id etiam citra castellum inter Rurortam, & Emmercium fieri posse. Damno autem id castellum fore ob impensas in præsidium, ac præcipue in ædificia aquatica facienda, totius Cliviæ reditus longe superaturas. Quod si ostia fluminum obstruantur, aut Rhenus alium sibi alveum faciat, idem in alium locum transferendum. Belgas autem ideo id castellum tantopere affectare, quod omnia a Gallo erepta recuperare velint; ac Arausionensem in eo existimationem suam verti judicare, ne fines Reip. se gubernatore imminuantur. Unde & Gallum demulcendis Belgis statim Trajectum ad Mosam obtulisse. Sed & Belgæ ob commerciorum commoditatem Rheno infra castellum, & Isalæ plus aquarum immittere agitabant; quo fine fauces ejus fluvii in potestate habere cupiebant. Alias satis præcaveri posse, ne castelli cessio Geldricæ liti præjudicet; ac ne per eam litem amicitia turbetur: cum exigua controversia manere possit salva amicitia; quod & inter fratres non infrequens sit. 1678.

Fœderis cum Belgis argumentum. 26. Febr.

§. 98. Ejus fœderis scopus ferebatur amicitiæ utrinque tam proficuæ confirmatio, & propagatio. Capita hæc erant. *Prius fœdus super hoc bello initum illæsum persistat. Finito hoc bello inter Electorem & Belgarum Remp. semper sit, maneatque constans conjunctio, & amicitia, cujus vi fœderati ad mutua commoda promovenda, mala averruncanda teneantur. Si Elector in quibuscunque ditionibus, ac portubus suis hostili modo impetatur, Belga IV M D pedites, M D equites propriis sumtibus ei submittant, quousque ipsi quies parta, & de damno a lædente satisfactum sit. Vicissim ubi Belga intra suas ditiones invadantur, Elector III M peditum, M equites suis sumtibus subministrabit: idemque præstabit, si Belga mari invadantur: quo casu miles auxiliariis urbium præsidiis, aut extra unitas provincias contra hostem adhibebitur. Quod si & alio quocunque loco Elector aut Belga etiam extra Europam invadantur, alter requisitus operam junctim impendat, ut illata injuria cesset, damnumque reparetur. Ubi intra quadrimestre id extra Europam effectui dare nequeat, ac læso necessarium videatur contra lædentem, arma intra Europam arripere, alter fœderatus læso idem auxilium præstabit, ac si invasio intra Europam facta sit. Auxilium post factam requisitionem minimum intra sesquimestre spatium fiet. Quod si conventus auxilii modus avertendæ oppressioni non sufficiat, is pro ratione periculi & virium hostilium augeatur, prævia tamen super conditionibus conventione. Auxilia, quæ ex hoc fœdere præstantur, auxiliantem ad bellum ei, contra quem mittuntur, indicendum non obstringant. Sed si is, contra quem auxilia mittuntur, hostilia eo nomine reponat, assistens iisdem in bellum adversus eundem erumpat. Huic fœderi uti nil adversum cum quopiam Principe conclusum; ita nec deinceps ejusmodi quid concludatur.*

Transi-

1678. *Transitus atque hospitia militaria unus in alterius ditione sine ejus consensu ne sumat. Sed si transitus declinari nequeat, domino regionis mature id significetur, transitus quantum possit acceleretur accurata disciplina servata, ac omnia præsenti pecunia solvantur. Unus alterius subjectis, eorumque bonis ac mercibus non majora onera quam propriis civibus imponat, aut quam iis exteris, qui minimum onerantur, siquidem ab his exteris minus, quam ab indigenis solvatur: nec adversus eos represalia adhibeantur, sed justitia non minus quam indigenis promte administretur. Commercia inter utriusque cives nullo impedimento exerceantur: utriusque partis navibus in alterius portus introire & exire, ac ibi quiescere liceat. Utriusque subditi a jure detractus utrinque durante hoc fœdere eximantur, seu quis in alterius ditiones migret, seu ex alterius ditione hæreditatem petat. Hosti, & aggressori in alterius ditione militem terrestrem, aut maritimum conscribere, aut transitu, alioque commodo ibi frui ne liceat. Contra fœderatis integrum sit utrinque in alterius ditionibus milites conducere, naves emere & armare, paratumque bellicum, quo ad sui defensionem opus habeat, comparare, nisi alter proprios ad usus eo carere nequeat. Si ob latum auxilium is qui fert bello quoque implicetur, uterque junctis consiliis rem in hostem agat, ac neuter eo casu inducias nisi communi consensu ineat. Tractatio de pace, aut induciis ab uno non suscipiatur sine communicatione cum altero, & ut huic quoque eodem tempore securitas & facultas curetur ministros suos ad locum tractatuum mittendi. Uterque alteri subinde de iis, quæ agentur communicet. Denique neuter fœderatorum ad conclusionem pacis aut induciarum descendat, nisi incluso fœderato, ac, si id petat, restituto in ditiones & jura, queis ante bellum gavisus est, ac ut huic eadem quæ sibi jura ac privilegia stipuletur, nisi inter fœderatos aliter convenerit. Fœdus hoc per decennium durabit ab exitu præsentis belli, quod partes quantum potest perpetuum reddere studebunt, ac annum ante ejus finem de eodem prorogando agent. Ratihabitio utrinque intra duos menses a subscriptione fiat.*

Articuli separati. §. 99. Peculiari pacto placebat aboleri, quicquid controversiarum hactenus utrinque agitatum fuerat. Eo fine Elector Belgis castellum Schenckianum una cum solo, cui superstructum est, pleno dominii jure tradebat, in quod ipse cum posteris omni juri renunciabat. Ejus castelli traditio, post fines rite constitutos, demum triennio post facta. *die 10. Augusti anno 1681* Nam initio quidem Elector durante adhuc cum Gallis bello id castellum in Belgas quamprimum transferre optabat, ne id forte a Gallis interceptum causam suam difficiliorem redderet. Sed eo periculo depulso non prius id tradere volebat, quam omnibus, quæ præcedere debebant, negotiis confectis. Idem quoque omnibus actionibus cedebat, quæ ipsi e prima Mechliniæ pronuntiata sententia super debito Husseriano competant, & si quid ulterius ea actione ad finem perducta expectare queat. 1678. Nec minus idem remittebat, quicquid subsidiorum ab anno 1672. ad sequentem usque tractatum a Rep. prætenderet. Idem & actioni renuntiabat ex fœdere anno 1666. inito, quod Cliviæ urbes tam segnirer a Belgis munitæ, ac Gallis deditæ fuerint. Vicissim Belgæ suo quoque nomine omnes actiones e debito Husseriano, & circa id Mechliniæ acta abolebant, cœpto processu plane sublato, ac chirographis restitutis atque inductis. Circa mutuas prætensiones Ducum Cliviæ, ac Geldriæ, olim ad compromissum deductis, Belgæ operam dabunt, ut iste amica via componantur. Id si fieri nequeat, Belgæ nullam vim adversus Electorem adhibebunt, quamdiu ea controversia jure decisa non fuerit. Et si maxime decisio secuta sit, inter Electorem tamen, & Ordines Generales ita agetur, uti veteres vicinos, amicos, ac fœderatos decet, & non aliter, quam ut amicitia, ac fida vicinia semper illæsa perstet.

§. 100. Ejus fœderis ratihabitio ultra conventum tempus ab Electore extrahebatur, offenso ob separatam a Belgis tunc initam pacem, & quia dubitabatur, num hi magis Electoris causam suscepturi essent ratihabito fœdere, quam eodem adhuc in suspenso hærente. *Ratihabitio fœderis aliquamdiu differtur.* Sed cum Belgæ ratihabitionem urgerent, Elector Suerini senioris sententiam exquirebat: qui censebat; *utut Belgæ in Electorem crasse admodum deliquerint,* 3. Oct. *haut tamen amicitiam cum iis plane abrumpendam, sed quantum detur conservandam. Electorem dum ipse rerum potitur, imperterritis & masculis demonstrationibus Belgas ad æquiora permovisse, cum hi sub ejus parente Clivicas ditiones tantum non velut proprias usurparint, & quod maxime intolerandum erat, Ordines sibi adjunxerint, ut huic omnis fere autoritas subtraheretur, & istorum querelæ Hagæ velut suo jure admitterentur. Quæ omnia Elector, forti animo exadversum ostenso ita emendarit, ut hucusque fida amicitia cum Belgis exerceri potuerit. Cum itaque Tochtius inter tractandum subinde iniqua postulata in medium afferret, ac indecentia dicta jactaret, se judicasse, Electorem optime scopo suo potiturum, si non ita facilem quibusvis istorum desideriis se exhiberet. Sed quia legatus Belgicus id tunc interpretatus fuerit, velut ipse amicitiæ tam necessariæ obsistere velit, omissis monitis id tantum optare, ut Belgæ fidum Electoris in se animum rite æstimare velint. Equidem dubitari posse, an nunc fœdus cum iisdem denuo ineundum sit, quando ipsi ab Electore tam sancte, ac tantis impensis cultum fœdus inaudito exemplo violarint. Verum ista jam satis iisdem exprobrata, ac in futurum occasiones emergere posse, quibus talia usui esse queant. Contra si ratihabitionum permutatio abnuatur, id ansam istis præbere posse, ut in tractatu cum Suecis Electori noceant.* Ita circa ratihabitionem nulla amplius mora erat.

SAMUE-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI VVILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

SVeci in Borussiam irrumpunt. 2. Electoris contra adparatus. 3. Suecorum in Borussia progressus. 4. Elector ipse in Borussiam se confert. 5. Hornius in pedes se conjicit. Idem vapulat. 6. Elector perculsis hostibus instat. Nostrorum cum Suecis conflictus. 7. Post eam victoriam machinationes in Polonia abortiunt. 8. Elector rixæ ansam cum Polonis declinat. 9. Ad Moscum missio. 10. Elector de legatione Cæsaris Neomagensi queritur. 11. Cum Cæsareis ministris Viennæ disceptata. 12. A Cæsareis Dano proposita. 13. Cæsarei adhuc de pace dubitare videntur. 14. Neomagi circa pacem Cæsaream acta. 15. Galli, & Sueci insolentes se ostendunt. 16. Super articulo XXVI. pacis Cæsareo-Gallicæ disceptata. 17. Cæsareorum ad ista declaratio. 18. Gallorum notæ ad istam declarationem. 19. Danus, & Electoralis legatus de Cæsareis queritur. 20. Circa acceptandam pacem Cæsaream pergitur. 21. Dani, & nostri monita de pace non præcipitanda. 22. Protestatio eorundem contra eam pacem. 23. Pax subscribitur. Cautio super X. oppidis Alsatiæ, aliisque. 24. Pax Cæsareo-Gallica. 25. Quædam circa eam pacem notata. 26. Peculiaris contra usurpationem legationis Cæsareæ protestatio. 27. Luneburgicorum protestatio. 28. Instrumentum pacis Cæsareo-Suecicæ. 29. Cæsareorum legatorum declaratio. 30. Protestatio contra hanc pacem. 31. Protestatio Nuntii Pontificii. 32. Consultatio super præsenti rerum statu. 33. Super ea pace Viennæ expostulationes. 34. Elector ratihabitionem pacis impedire nititur. 35. Is conatus frustra est. 36. Elector ulterius apud Cæsarem instat. 37. Fœderis inter Bavarum, & Saxonem formula. 38. Cæsaris declaratio. 39. Ordines pacem Ratisponæ probant. 40. Luneburgicorum sententia exquiritur. 41. Ad Osnabrugensem Præsulem missio. 42. Alia ad Cellensem Ducem missio. 43. Ab Hispania nihil subsidii expectandum. 44. Anglus ad communem causam nihil confert. 45. Neomagi post Cæsaream pacem acta. 46. Galli Daniæ Regem, & Electorem ad pacem urgent. Blaspieli ad istam declarationem responsum. 47. Gallorum replica. Blaspieli duplica. 48. Blaspielus fœderatos indemnitatem poscit. Belgarum responsum. Cæsareorum responsum. 49. Pacis ratihabitio inter Cæsareos, & Gallos permutatur. 50. Catalogus a Gallo restituendorum. 51. Conventio super exsecutione pacis. 52. Sequester tacite Neomago discedit. Cerimonia. 53. Super judiciis frustra movetur. 54. Galli in Cliviam irrumpunt. Induciæ ineuntur. 55. Cum Monasteriensi pax concluditur. 56. Elector Belgas officii frustra admonet. 57. Neomagi nil amplius ad pacem proficitur. 58. Galli scripta, & rationes nihil curant. De inani prætensione Coloniensis in Lipstadium. 59. Blaspieli cum Colberto congressus. 60 Electori durum consilium est capiendum. Pactum super prorogandis induciis. 61. Galli Electorem summa vi urgent. 62. Electoris in Belgas cogitata. 66. Meindersius in Galliam mittitur. 67. Gallorum Neomagi declaratio. 68. Haga disputata. 69. Meindersius in Gallia incassum nititur. Regis responsum. 70. Cum Pomponio disceptata. 71. Extrema a Meindersio incassum tentantur. 72. Meindersius altera vice in Galliam mittitur. 73. Neomagi disputata. 74. Lutetiæ eadem cantilena occinitur. 75. Regis declaratio. 76. Elector necessitati cedit. Consultatio, num Stetino sit cedendum. 77. Electoris temperamenta rejiciuntur. 78. Pax concipitur. 79. Tractatus perficitur. 80. Pax San-Germanica. 81. Sequestris mentio ea pace non fit. 82. Super ratihabitione ejus pacis acta. 83. Circa exsecutionem pacis cum Gallis acta. 84. Circa Suecicam ratificationem acta. 85. Danus de pace adhuc dubitat. 86. Elector de suis destinatis Dano significat. 87. Daniæ Regi ista parum probantur. 88. Danica pax tardius succedit. 89. Daniæ Rex de Electoris pace queritur. 90. Danica demum pax perficitur. 91. Gottorpiensium turbarum præludia. 92. Regis Daniæ in Hamburgensem civitatem conatus. 93. Dani eo nomine ad Electorem missio. 94. Gallorum circa id negotium sententia. 95. Luneburgicorum ad Electorem missio. 96. Elector sequestrem se offert. 97. Hamburgense negotium componitur. 98. Tartarica legatio.

1679. *Sueci in Borussiam irrumpunt.* Sequitur annus belli extremus, quo tot partis decoribus insignem adoream Elector adjecit; sed quæ nec ipsa efficere valuit, ut is dignum tantis laboribus, ac victoriis fructum assequeretur. Equidem si post Suecos Pomerania exterminatos toto cum exercitu ad Rhenum vertere licuisset, egregium adhuc operæ pretium fieri posse videbatur ad retinendos in partibus Cæsarem, aliosque socios, ac ut Gallus & ipse belli jam pertæsus, validis copiis oppositis minus pertinaciter pro restituendis Suecis contenderet. Enimvero potior cura erat servandæ Borussiæ provinciarum nobilissimæ, quam e Livonia Sueci cum exercitu jam irruperant: queis si tempus indulgeretur ad pedem ibi firmandum, metus erat, ne & Polonus in hostilia erumperet, qui eum in finem copias in Regia Borussia argento Gallico conduci dissimulaverat, ex eventu consilia capturus, ac si Suecorum destinata successissent, alieni laboris fructum in se pertracturus irriti cœpti ludibrio in solos Suecos redundaturo. Cæterum istam expeditionem Sueci dudum agitaverant, per quam res suas in Pomerania restitutum ibant; & hac licet amissa haut eo minus eam persequi nitebantur, velut qua gravissimam se noxam Electori illaturos sperabant. Quæ spes & ipsorum legatis Neomagi ingentem ferociam addebat, magnifice de ejusdem successu ominantibus. Isti expeditioni exsequendæ initio destinatus fuerat Fabianus Fersenius egregius dux, ac defensa Malmogia non modicam laudem adeptus. Quo defuncto idem negotium suscepit Benedictus Hornius, modico belli usu, qui dum senior magis circa adparandum intempestive hymenæum, quam Martem satagit, tota æstate incassum consumta demum sub finem anni septuagesimi septimi in Livoniam pervenit, ubi mors eum Regis offensæ ob tam segniter administratam rem subtraxit. Ita demum defectu meliorum ducum ista expeditio delata fuit Henrico Hornio, amissam Bremensem provinciam, ac navalis prælii dedecus terrestri quoque clade cumulaturo. Is igitur præcipitante demum autumno e Livonia in Curlandiam movere cœpit, magna de suo adventu fama passim edita, si forte Electorem Stralsunda avertere posset.

Electoris contra adparatus. §. 2. Ast Elector, etsi tam diuturnus rumor, cujus effectus non adparebat, fidem prope consumsisset: tamen ne quid per securitatem negligeretur, & Stralsundæ oppugnationem maturavit, & Gœrtzkium cum tribus bellatorum millibus tutandæ Borussiæ præmisit. Tum & in Borussia duas legiones conscribi, ac totidem, quæ ibi agebant, suppleri jussit. Simul Ordines Borussiæ, & Regiomontanos literis ad constantiam excitat, pollicitus, ubi hostis ingruat, seipsum toto cum exercitu venturum. Gœrtzkio injunctum, primo de Vistulæ transitu sibi cavere: inde raptim Regiummontem se conferre, ac si hostis nondum Memelam fluvium transierit, ad hujus citeriorem ripam castra ponere, assumtisque provincialium selectis Suecos ejusdem transitu arcere. Sed si Sueci jam id flumen superarint, Regiummontem ad Electoris usque adventum tegeret, ac hosti quantum posset noxam inferret. Sed vix ingressus erat iter Gœrtzkius, cum nuntius adfertur, Hornium, e Curlandia partem Samogitiæ emensum, etsi tardius quam speraverat ob viarum difficultates, districtui Memelensi sese infudisse. Is ubique sparserat, exercitum suum viginti bellatorum millibus componi, (sedecim millia revera erant;) tum a Bethunio Gallico legato conductas copias circa Gedanum hospitantes, quas post Poloniæ Rex sacramento suo adegerat, Electorales transitu Vistulæ prohibituros, inde sibi jungendas. Idem Borussiam ingressus primo ante Memelam oppidum se ostendebat, quam Dœnhofius Comes summus vigiliarum præfectus curabat. Adversus quem locum ab hoste nil tentatum, nisi quod præcursores cum dimachis oppido egressis velitationem susciperent. Ubi incertum fortuito casu, an hostili jaculatione suburbium flammam concepit, quam validus ventus in ipsum oppidum pertulit, ut major ejus pars in cineres subsideret. Sed quia ignis munitiones non læserat, hostis Kukernesam, & Tilsitum iter intendebat, tentaturus num ibi Memelam fluvium superare posset. Sed quia Croyæ Dux Borussiæ Gubernator Hohendorfium, & Canitzium tribunos cum tribus militum millibus cis flumen disposuerat, hosti trans flumen in vasta regione absque pabulo, & annona consistendum erat. Unde mox fames, & contagiosi morbi invasere, qui multos homines absumsere, ac quamdiu in Borussia egit, istum infestavere. Pacius Lithuanicæ militiæ supremus dux Suecis transitum per Samogitiam, in quam Resp. non consenserat, abnegaverat. Sed quia propere non nisi pauca militum millia contrahere potuerat, ad vi eosdem sistendos haut suffecerat. Haut eo secius semper ad latus iis incedens prohibuerat, ne per provinciam excurrere possent, sed semper juncto agmine progredi cogerentur, intercepta quæ subvehebatur annona. Elector intellectis quæ apud Memelam contigerant, tres adhuc legiones versus Borussiam viam inire jussit; reliquis ad tempus per hospitia sese reficere permisit.

1679. *18. No. 78.*

Suecorum in Borussia progressus. §. 3. Ast Hornius, ubi de Gœrtzkii adventu inaudisset, ac ob inopiam annonæ trans flumen diutius subsistere non posset, ejus transitum occupare instituit. Infra Tilsitum oppidum Memela fluvius in duo brachia dividitur, quorum dextro Russæ, sinistro Gilgæ vocabulum est. Utrumque, antequam Lacui Curonico illabatur, modicam insulam facit, quæ præfecturam Kukernesam constituit. Hohendorfius tribunus Tilsiti qua hostis semper se perrupturum minatus fuerat, stationem ceperat. Kukernesæ, qui locus tribus milliaribus inde abest, aliquot centuriæ armatorum provincialium consistebant, qui secundum Russam exiguam fossam excavaverant. Huc a Tilsito hostis repente conversus aliquot machinas trans flumen collocabat, quod ob insuetatam præteritæ æstatis siccitatem tenui alveo labebatur. Istarum fragore territi provinciales talium insueti relicta statione aufugiebant,

1679. bant, antequam Hohendorfius auxilio iis venire posset. Unde & huic a Memela fluvio in provinciæ interiora recedendum erat, ne receptus sibi præcluderetur. Ita hostis modico negotio transitum fluminis obtinuit; qui protinus dimacharum legionem ad Tilsiti arcem expugnandam misit. Eam insidebat centurio cum provincialium manu, qui imperata deditione per stoliditatem ipse arce prodibat ad deditionis leges concipiendas. Unde is statim captivi loco habitus: præsidiarii hostis sese arbitrio permisere. Eadem legio dein ad Ragnitam arcem accessit paulo munitiorem, duobus centurionibus cum provincialium manu insessam: quæ machinis admotis mox & ipsa in hostium potestatem concessit. Ita hostis paucos intra dies duobus præfecturis Borussiæ pulcerrimis, & maximis potitus est, quæ magnam annonæ copiam famelico militi præbuere. Ista omnia fiebant, antequam Gœrtzkius ob longinquitatem, ac difficultatem viarum Regiummontem attingere posset.

Elector ipse in Borussiam se confert.

§. 4. Elector istis hostium progressibus auditis, protinus ad tutandam suam provinciam eo se conferre constituit. Quanquam enim anceps videbatur tam longe a Clivia sese removere, cui & ipsi præsentissimum a Gallis periculum imminebat: tamen Borussiæ succurrere potius videbatur, quod ut Clivia salva persisteret, omnium vicinorum interesset; cum contra Borussiæ cura neminem tangeret, cui & Polonus ultro inhiabat. Prævalebat quoque studium sua servandi incommodam valetudinem, quæ tunc Electorem exercebant, ingruente simul sævissimo gelu, quale multis ab annis non fuerat. Tum exercitus totam æstatem, autumnumque, ac partem hiemis in campo exegerat, cui quietis jam quam maxime indigenti iter ea anni tempestate centum amplius milliarium Germanicorum ingrediendum erat. Sed nimirum ni mature subveniretur, tota Borussia periclitabatur; ubi si hostis occupato Regiomonte pedem fixisset, non solum magno labore opus futurum erat ad eum inde iterum expellendum; sed & eidem facile fuerat cum exercitu in Germaniam penetrare, invidis animos inde sumturis ad infesta sua destinata, quæ dudum agitaverant, exsequenda. Ea cum sententia staret, decernebatur, ut quæ in Westphalia erant legiones ibi manerent; tum munita Pomeraniæ, aliarumque provinciarum loca validis præsidiis firmarentur. Sed e copiis, quæ in Pomerania rem gesserant, quicquid erat equitum & dimacharum, tum e singulis pedestribus legionibus sexageni selecti duplo præfectorum numero sub Dœrflingio, Gœtzio, Promnicio Comite, & Schœningio ducibus iter versus Borussiam ingredi jubentur, adjunctis XXXIV machinis, apud fines Pomerelliæ se conjuncturi. Qui omnes asperrima licet hieme læto animo eam expeditionem suscipiebant; Electore tantisper Berolini morante, quoad omnes copiæ ad condictum locum pervenissent. Interim Gœrtzkius paucos post dies, quam Sueci Memelam transierant, Regiummontem pervenerat, ubi plerumque provincialem militem fugæ intentum reperit. Quem quantum dabatur compositum cum iis, quæ submissæ fuerant, legionibus in hostem ducebat. Cui invadendo cum par non esset apud Welaviam idoneo loco considebat, tegendo Regiomonti, ac sistendis hostium progressibus, quoad Elector advenisset. Interim idem continuo emissis catervis hostem exercebat, ut nullam noctem quietam transigere posset. Ast hic commoditate frigoris viam ubique sternentis usus Ragnito Insterburgum verterat, pinguissimam provinciæ partem; sed cujus ubertas ejusdem exitio non parum contulit, dum miles post longam inediam cibos, ac præcipue suillam, ac mel avidius ingurgitat; unde nimia repletio multos ad mortem deduxerat. Inde Tapiaviam, & Welaviam accessit, ubi Gœrtzkius constiterat; qui ne ante Electoris adventum ad prælium compelleretur, inde digressus prope Regiummontem consederat. Ast Elector Berolino movens comitante conjuge, 30. Dec. ac Friderico filio per Custrinum, & Mariævvaldam 78. sexto die Novum Stetinum attigit, ad Poloniæ fines situm oppidum. Inde Polonicam ditionem 5. Jan. ingressus Tauchelam, mox superato Vistula Ma- 79. riævverderam primum suæ ditionis in Borussia 10. Jan. locum pervenit, cum eo die duodecim milliaria Germanica, prioribus diebus sena, septenaque emensus esset. Mariævverderæ biduum is substitit, quo peditatus cum machinis præmitti, tum de statu hostis certo cognosci posset. Ubi initio narrabatur, eum Fridlandiam, & Allenburgum usque processisse; ex quo spes concipiebatur, eum, uti jactaverat, firmato pede prælii copiam facturum, id quod Electorales miro ardore cupiebant. Habebat secum Elector quatuor equitum, tria peditum millia additis quingentis, mille quingentos dimachas, selectum, ac vincere suetum militem. Gœrtzkio aderant ultra VII M militum, qui jussus erat pedite intra Regiummontem relicto cum equitibus, & dimachis per Lacum Dulcem Hollandiam se conferre, ubi intra biduum Elector adfuturus erat.

Hornius in pedes se conjicit.

§. 5. Enimvero ea ipsa nocte, qua Elector Mariævverdera moturus erat, a Gœrtzkio missi nuntiabant, hostem intellecto Electoris in Borussiam adventu protinus magna cum trepidatione retrocedere cœpisse. Unde & Gœrtzkius sine mora cum IV M. equitibus & dimachis, ac M. peditibus, quos equis imposuerat, hostem insequi, & extremum agmen carpere, iterque ejus morari instituit; cui mille sexcenti equites, MCC dimachæ submittuntur. Elector autem, qui octodecim adhuc milliaribus ab hoste aberat, quo promtius recedentem assequi posset, tota circum regione trahas conquiri jubebat, queis pedites veherentur. Tum Mariævverdera 13. Jan. Preuschmarcam, mox Hollandiam properato a- 14. Jan. gmine pervenit, militibus valde indignantibus, post tantum viæ emensum virtutis exserendæ occasionem fuga hostium sibi subtrahi. Interim Gœrtzkius hostem, qui Insterburgum versus se recipiebat, immissis subinde catervis ita fatigaverat, ut ejus equitibus vix unquam equis descendere liceret, ac singulis noctibus signum tumultus dandum foret. Captivi, & transfugæ magno numero adducebantur, qui uno ore asseverabant; hostilis exercitus miseram

1679. ram esse conditionem, cui vix VIII M bellatorum supersint; duo amplius millia morbis debilitari. Ab agrestibus, quicquid in eorum manus inciderent, trucidari. Turmam quoque Polonorum eo deserto in Lithuaniam secessisse, animis ægram ob tantas miserias exhaustas; cujus *Ribbinski.* ductor Ribbinscius Regiummonteni se contulerat, Electoris militiam affectans. Elector porro, *15. Jan.* dum Hollandia Carbam tendit, in itinere intelli- *Carlson.* git, Gustavum Carlsonium Comitem ab exercitu Suecico Gedanum ad Lilliehœckium abiturum a nostris interceptum; apud quem literæ repertæ, e quibus de hostium destinatis intellectum, ac uti hæc irruptio in Borussiam cum aliis de compacto instituta fuerit. Postero die Elector Carba *16. Jan.* Regiummontem septem milliaria per Lacum Dulcem pervenit, omni peditatu trahis pervecto. Heic intellectum hostem Insterburgo Tilsitum versus iter intendere. Igitur Elector denuo quantum poterat equorum, & traharum con- *17. Jan.* quiri jussit: tum exercitu Labiaviam versus *18. Jan.* præmisso, ipse sequenti die eodem pervenit. Heic exploratores nuntiabant, Suecos non procul Tilsito abesse, ac jactare, se intra id oppidum, ac Ragnitum Electorem firmato pede expectaturos; qui locus novem milliaribus Labiavia distabat. Igitur Elector consilio habito Gœrtzkium, & Treffenfeldium, cum valida utrumque manu emittit, hostis agmen moraturos: illi quater mille trecenti equites, dimachæque, huic mille attributi. Ipse cum peditatu, machinisque, ac reliquo equitatu tria milliaria per Lacum Curonicum incedit. Iste lacus in latitudinem alicubi sex milliaria, in longitudinem quindecim patet, a mari jugo tantum montium discretus, qui nunc exercitum cum machinis glacie transmittebat. Sub vesperam Elector Gilgam pervenit, vicum ad cognominem fluvium, qua is lacui Curonico infunditur. Eadem die Sueci quoque *19. Jan.* Tilsitum pervenerant, quo oppido satis diffuso peditatus hospitia ceperat, equitatu per vicinos vicos distributo. Quo intellecto Elector summo *20. Jan.* mane per intensissimum frigus Kukernesam, quæ tribus milliaribus Tilsito distat, accessit. Ubi dum fessi equi pabulo, rigentes gelu homines igne refocillantur, a Treffenfeldio veniunt, qui nuntiarent, eum sex dimacharum cohortes in vico Splittera dimidio a Tilsito milliari, tum legionem, quæ his auxilio accurrebat, profligasse, plerisque cæsis, reliquis captis; quo conflictu & idem octo signis dimacharum, duobus equitum cum duobus tympanis æneis, ac omnibus impedimentis potitus sit, ac nulla jactura in tutum se receperit. Ei facto remunerando Elector Treffenfeldium summum vigiliarum præfectum declarabat, ac protinus cum M equitibus iterum hostibus immittebat. Ea clades magnam apud Suecos consternationem effecit, ut multi pretiosas suas res sacerdotibus, & aliis Tilsiti incolis asservandas commendarent. Qui & statim obortis tenebris Tilsito movebant, omni annona ibi relicta, ac totam per noctem superato Memela Coadjutam versus tendebant. Electori mature de hostium motu nuntiabatur. Sed quia nesciebat, utram in partem isti se vertissent, & ipse aliquandiu hærebat, quam viam ingredi deberet, ut eosdem, qui jam quinque mil- *1679.* liarium iter præceperant, fatigato cum equitatu assequeretur. Nam duæ in Livoniam viæ iis patebant; una brevissima, & commodissima juxta Memelam oppidum in Curlandiam, qua Samogitia exiguo duntaxat tractu tangitur: altera per mediam Samogitiam, & Lithuaniam longo circuitu, ac ob multas angustias, montes, ac sylvas valde difficilis. Quia igitur verosimile erat, hosti rectissimam, & commodissimam viam arripiendam, ubi & annonæ facultas, nec tantum a Samogitis periculum, qui transitum ipsorum ingratis sumtum vix toleraturi erant; Elector isthac parte eos prævertere instituit. Unde postquam denuo Gœrtzkio injunxisset, ut cum sua manu hostium agmen carperet, ipse Kukernesa ante lucem digressus *21. Jan.* Heidecrugam tendit, qua hosti, si recta via placeret, prætereundum erat. Ac constat Hornio decretum fuisse istam viam ingredi, qui & eo die Tilsito recta versus Electorem tendebat, ac non nisi unum milliare ab hujus agmine abfuerat. Sed quia Gœrtzkius extremum agmen irruperat, de Electoris instituto innotuerat, iste id consilium mutaverat. Dum *Hornius* enim hostis Tilsito Coadjutam tendit, Gœrtz- *vapulat.* kius extremum ejus agmen irrumpebat, quæ ipse Hornius curabat, idque post acrem conflictum profligabat, cæsis mille ducentis, captis ducentis, inter quos aliquot præfecti erant; tum plerisque impedimentis, ac instrumento bellico potiebatur. Hornium equus globo trajectus in terram effudit, cui a nostris haut agnito proxima arbusta latibulum præbuere. Reliquus exercitus apud vicum quendam consistebat, ac concæde facta machinis nostros arcebat; queis cum vicissim nil machinarum esset, nec hostem opportuno loco invadendi facultas daretur, illæsis magna cum præda ad Electorem reverti placuit. Omnes captivi fatebantur, Suecicum exercitum in miserrimo esse statu, ac vix tria millia bellatorum restare, qui pugnam capessere queant; reliquos omnes morbis debilitari eousque acribus, ut multi ex equis moribundi in terram defluant. Eodem die Treffenfeldius Tilsitum versus excurrens præfectum turmæ cum centum gregariis intercepit. Sed & alii subinde captivi attrahebantur, inter quos Hornii scriba secretorum conscius. Hornius igitur iterata clade perculsus, & intellecto Electorem apud Heidecrugam ipsum præstolari, nulla quiete interposita iter mutabat, ac versus dextram ab Electore in Samogitiæ interiora digrediebatur, quinque milliarium itinere per eam noctem præcepto. Accelerando receptui quod reliquum erat impedimentorum, ac minores machinæ trahis imponebantur, combustis vehiculis.

§. 6. Spes fuerat Hornio, se averso itinere *Elector* periculum ab armis Electoris imminens effugisse, *persequi* sed quo in non levius incommodum præcipitabat. *hostibus* Nam nunc quadraginta amplius milliaria per Sa- *instat,* mogitiam, Lithuaniam, & Curlandiam erant facienda, antequam in Livoniam perveniret. In itinere nil annonæ, nec amici quid ab iis expectandum, quorum terras venia haut impetrata transibat.

1679. Jan. transibat. Elector, ubi de mutato hostium itinere cognovisset, multa adhuc nocte Heidecruga movens tota ea die ad mediam usque noctem in Samogitiam progrediebatur, sed ob viarum angustias vix tria milliaria absolvere poterat. Apud vicum quendam Samogitiæ consistenti intellectum fuit, hostem fugæ simile iter festinare, nullibi fere quiete capta. Heic ipse considerabat, equites suos, equosque centum fere milliarium itinere continuato penitus defatigatos, nec trabas cum peditatu amplius procedere posse. Tum exercitum intensissimo frigore, quale vix aliqui meminerant, sub diu pernoctasse, quo aliqui extincti, plures pedibus adusti fuerant. Nec in Samogitia annonæ, aut pabuli copiam, nec ob intercapedinem locorum e Borussia quid subvehi posse. Ac jam voto suo potitus erat hostibus ditione sua exturbatis. Igitur constituit cum exercitu non ulterius sequi, ne in eandem cum hoste calamitatem rueret, ac isto inter Borussiæ fines retracto, emissis catervis eidem in Livoniam usque instare. Jan. Ita Elector Kukernesam revertit, exercitu interim per Memelensem, ac Tilsensem districtum disposito. Ast Treffenfeldius cum mille equitibus ad persequendum hostem emissus prope Woinutum iterum extremo ejus agmini ingruebat, non modica cæde facta, uno ligno erepto. Qui, cum equi præ lassitudine progredi amplius non possent regressus narrabat, hostem tam incommodo loco stare, ut vix quo se vertere debeat norit. Unde ab Electore Schœningius cum M equitibus, D dimachis ad eundem persequendum missus. Jan. Qui tamen, quod miles dispersus per vicos tenderet, non nisi sequenti die iter ingredi potuit, sic ut Sueci non parum viæ præriperent. Jan. vingi. Congregatis tamen Coadjutæ copiis ea adhuc die Zvvingam pervenit, ubi tres machinas majoris formæ, & mortarium ab hostibus relictas invenit; quibus stationem dimacharum adposuit; quas & mox Elector monitus ad se advehi curavit. Jan. lscb. Inde tria milliaria Ballcham progressus est Schœningius, ubi duæ Husarorum turmæ consistentes initio paulo ferocius se jactabant, sed mox sumto amico vultu confirmabant, Lithuanicas copias ad arma vocatas observando Suecorum itineri. Ibi cum intellexisset, Suecos vargam. jam Tvvargam transisse, ipse multa adhuc nocte eo tendit ita intenso frigore, ut homines vix in equis hærere possent. Cæterum ea via miserandum spectaculum occurrebat; qua Sueci incesserant plurima cadavera, aut ægroti ab agrestibus Samogitis vestibus spoliati, sic ut indice opus non esset ad iter investigandum, ac singulis diebus ad trecentos numerarentur. Nam & morbi, quos isti Borussiæ intulerant, grassari non cessabant; & qui per aliquot dies panem non habuerant, nec tectum subierant, fami demum, ac frigori succumbebant. Tvvargæ cognitum, hostem adventu nostrorum audito raptim noctu diuque iter festinare; eoque fine quicquid possit equis imponere vehiculis combustis. Qua trepidatione duas machinas minoris formæ, ac triginta currus paratu bellico onustos Tvvargæ apud Podcomorzium reliquerat. Huic ut ab hoste relicta sibi concederet Schœningius persuadere conabatur; sed qui varia causatus, etsi sat modeste, id declinabat; dimachis tamen quantum vellent globorum, pulveris, ac funium concedebat. Pacius post suis imperabat, ut ista a nostris avehi dissimularent. Sed tunc Schœningius, ne disputando tempus tereret, & quia equi in promtu non erant curribus abstrahendis, istos haut moratus eo adhuc die duo milliaria Surenam usque procedebat, quam propter multas viæ angustias media demum nocte attingebat. Heic præmissi exploratores retulere, hostem jam ultra Telsam processisse, ac nulla quiete interposita noctes diesque iter persequi. Cum itaque & nostrorum equi plane essent fatigati, & vero Schœningius non immerito vereretur, ne hostis, qui passim ægrotos, & impedimenta relinquebat, elaberetur, Devvicium subtribunum cum trecentis, queis validissimi equi, præmittebat, jussum tamdiu progredi, quoad hostem assecutus esset, ac tunc de eo sibi protinus significare, nil tamen, nisi necessitas adferatur, sine novis mandatis tentare. Devvic. Ita Devvicius noctu cum caterva sua præcedebat, Schœningio cum reliquis quantum poterat insequente. 18. Jan. Qui cum dimidium milliare ulra Telsam progressus esset, obvium a Devvicio nuntium habuit, se prope hostem consistere, ac quid ulterius agendum sit mandatum expectare. Eum Schœningius monebat, cum hoste manum conserere caveret, quoad ipse ad eum pervenisset. Is suos inde gradum accelerare jussit, ac dum hi angustias viæ silatim transeunt, ad præmissam catervam se confert, quam pugnæ cupidine ad trecentos passus ab hoste progressam invenit periculoso ausu, cum, si hostis in eam vertisset, a reliquis subveniri eidem non potuisset. Consultum tamen videbatur loco non moveri, nec ullum indicium receptus edere, ne hostis ad impressionem faciendam ansam arriperet, aut nostri animis minuerentur. Ita dum ea caterva immota consistit, reliqui gradum accelerare jubentur, ac secundum sylvam a sinistris loco depresso incedere, ne hosti de eorum numero judicare liceret. Non procul a nostris octodecim Lithuanorum turmæ consistebant, qui Suecos a se e latere invadendos pollicebantur; sed qui commisso conflictu e colle otiosi alienam pugnam spectabant. Hostis interim ad nostrorum usque adventum in monte, loco sibi commodo consistebat, sed qui, ubi istos propinquare animadverteret, paulum retrocedebat. Schœningius inde cum paucis in montem provectus statum Suecorum recognoscendo, observabat, istos coarctatis ordinibus versus vicinum vicum retrocedere, præter turmas nonnullas trecentorum capitum. Ex quo judicabat, istis hautquidquam in animo esse ipsum lacessere, ni ultro invadantur. Heic anceps admodum videbatur hostiles copias tria bellatorum millia amplius explentes, quibus plurimi præfecti, tum pedites, & machinæ erant, cum duodecim centuriis equitum & dimacharum invadere, quod multi ob fatigatos equos substiterant, aut alibi per stationes dispositi erant. Contra ni hostis nunc impeteretur, labor tam aspero itinere exhaustus frustra erat, contracta simul apud hostes, atque amicos timoris opinione. Ac ob inopiam pabuli, annonæque eandem

1679. dem viam relegere difficillimum futurum erat. Igitur ne decus Brandenburgicæ militiæ immineret, hoste citra pugnam deserto, manus utique conserere statuit. Ita pro captu angustioris loci turmæ duplicato ordine disponuntur; dimachæ in arbustis, ad utrumque montis latus procurrentibus, dimissis equis disponuntur; medio spatio primæ turmæ extremum hostium agmen invasuræ erant, ut quid hi suscepturi essent, perspiceretur. *Nostrorum cum Suecis conflictus.* Inde circa horam quartam pomeridianam Devvicius cum primis turmis in extremas hostium eo successu impetum dedit, ut earum nonnullas prorueret. Unde Schœningius reliquas quoque turmas procurrere, ac dimachas e sylva hostium latera longioribus tubis impetere jussit. Ab utrisque res strenue gesta, ut hosti semper cessim eundum foret, clade præcipue in præfectos incumbente, quorum deni fere ante singulas alas constiterant. Primus hic conflictus per horam amplius commissus fuit, meliore nostrorum successu, qui & longius inter pugnandum pedem intulerant. Inde per dimidiam horam velut mutuo consensu consistitur viribus recolligendis. Eo spatio nostris per minores hostium machinas nonnihil damni illatum; cum contra nostri dimachæ hostiles equites ita infestarent, ut phalangem peditum in auxilium sibi evocarent, quam propius subeuntem tanto globorum grandine nostri exceperunt, ut pedem ulterius inferre non auderet. Hostis inde in turmas equitum, quæ apud dimachas in arbustis consistebant, sese incitabat, ut illis pulsis hos interciperet. Unde denuo pugna incalescebat per dimidiam horam continuata, qua & equites nostri, ac dimachæ locum suum egregie tutabantur. Cum itaque post duarum horarum pugnam tenebræ ingruerent, ac hostis densatis ordinibus consisteret, Schœningius dimachas iterum equos conscendere jussit, ac cum his equitibus denuo in hostes summa vi impetum dedit. Sed tenebris prospectum adimentibus pugnæ finis imponendus erat; ac nostri juxta hostesque servatis ordinibus loco pugnæ decedebant. Ac nostri quidem ea nocte apud propinquum vicum subsistebant. Sed Sueci sylvam ingressi totam noctem iter persequebantur, multis mortuis ac sauciis relictis. Conflictus iste asperior quam pro modico copiarum numero fuit. Nam hostis velut desperatione incitatus pugnabat, qui & numero, loco, machinis, ac peditatu nostris prævalebat; quæ nostrorum virtute, ac ducis dexteritate pensabantur. Toto conflictu utrinque de captivis faciendis cogitatum non fuit, nisi quod nostri Anrepium tribunum capite saucium, & ab equo suo tractum, cum vicario turmæ, & signifero ceperunt. *Anrep.* *Dalchov.* E nostris subtribunus Dalchovius cecidit, præfectus vigilum Reckius sequenti die e vulneribus decessit. *Reck.* Præterea viginti sex gregarii cæsi, triginta amplius sauciati. Apud hostes flos ipse præfectorum cæsus, aut sauciatus fuit. *29. Jan.* Sequenti die consilio habito omnibus placuit, ob defatigatos equos, & pabuli inopiam hosti non ulterius instandum; qua die & militi quies indulta. Sed quia exploratores referebant, hostem quoque eandem diem ad quietem sibi sumsisse, *1679.* Schœningius mutato consilio denuo hostem persequi instituit, in Curlandiæ vicum Lipcalim progressus, *31. Jan.* ubi complures hostium vulneribus debiles comprehensi. *1. Feb.* Postero die Essernam perventum, unde emissæ catervæ Suecis Bucsenam usque octo a Riga milliaribus insistebant. Sed cum istos amplius assequi non daretur, nostri verso ad mare itinere Memelam reverterunt. E Suecico exercitu qui in Livoniam redibant, vix duo millia quingentos faciebant, quos inter vix mille integra valetudine; ac reversorum magnam partem morbi post absumebant, omnibus præfectis pravam Henrici Hornii administrationem increpantibus. Iste tam miserabilis exercitus Suecici reditus toti Livonia, ac inprimis Rigæ magnam consternationem dedit, velut Electoris exercitu subsecuturo, ac Riga idem cum Stralsunda fatum subitura, præsertim cum ibi angustæ plateæ, ac domus cannabi, & lino repletæ sint. Unde & per aliquot dies portæ clausæ tenebantur, ac suburbia jam dirui cœperant, provincialibus magno numero ad urbem ruentibus; ubi ad vallum aqua perfundendum, ac perrumpendam Dunæ fluminis glaciem ne fœminarum quidem operæ parcebatur.

§. 7. Ejus victoriæ præcipuus fructus fuit Borussiam servasse, & agitatas ab hostibus in Polonia machinationes elisisse, quæ, si res secius cecidisset, ingenti istius provinciæ malo erupturæ fuerant. *Post eam victoriam machinationes a Polonis aborunt.* Quas tamen ipse Rex magno studio dissimulabat, ex eventu consilia capturus. Unde eum Elector per Hoverbequium auxilia contra Suecos e pactis exposceret, is affatim blandorum verborum reponebat; sed de auxiliis ad Ordines rejiciebat. Addebantur querimoniæ, uti ipse hactenus injusta suspicione fœderis cum Sueco initi laborarit, quod nunc ipsa res refutet. Cui Hoverbequius reponebat; id non ab Electore vulgatum, sed Gallos, & Suecos palam de eodem Neomagi jactasse. Ac sane istum interceptæ literæ satis arguebant. Et captus a nostris scriba fœdus inter Suecum, & Polonum a se lectum fatebatur eo argumento; a Polono sex militum millia Sueco in auxilium mittenda ea lege, ut Sueci omnia loca per Borussiam occupanda Polono tradant, excepta Memela, quam isti ad finem usque belli retenturi sint. Ac iis copiis auxiliaribus Suecos quoque uti posse, si ulterius in Germaniam progrediantur. Et quam absurdum erat de oblata sibi a Suecis Borussia apud Ordines proposuisse; cum talia ne audiri quidem debuerint, nedum ut consultatio sit instituenda, utrum acceptanda sint, an minus? Et quid Polonus dicturus fuerat, si Elector partem Poloniæ alteri cuipiam obtulisset? Meliore prætexto Hoverbequius Polonis pro expetito auxilio Livoniam ostentabat, exemplo liberalitatis circa aliena a Suecis cœpto. Cæterum eludendo Electoris petito movebatur de conventu super querimoniis, & actionibus hinc inde prius habendo, per quem Polono spes erat, se Electori cum necessitate conflictanti, quæ hic in Poloniam prætendebat, extorsurum. Nec dubitabat palam jactare: nemini vitio dari opportunitatem temporum in usus suos convertisse. I-

dem

dem quoque de Suecorum in Borussiam irruptione apud Ordines proposuerat, sed admodum ambigue, ac ut facile pateret, id in speciem fieri. Nam quæsierat, in quam partem id accipiendum sit; cum istud anquiri debuerit, quibus remediis huic auso occurrendum sit. Nec vero deerant, ex Ordinibus Gallico auro mancipati, qui oblata a Suecis acceptanda differebant. Sed boni cives non minus fervide in Suecos invehebantur, quam ipse Hoverbequius, eminente præcipue Majorum Polonorum studio, velut in quos belli calamitas quam maxime incubitura erat, si in hostilia erumperetur. Qui & post expulsum Hornium rogabant, ne Elector exercitum e Borussia abducere festinaret, antequam de Comitiorum eventu constaret. Rex autem, postquam Hornium profligatum constabat, copias a Bethunio conductas, cum nullus jam earum usus esset, dissimulandis istis destinatis suo sacramento adigebat.

§. 8. Cæterum ne quam querendi ansam interancipitia ista Polonis præberet Elector, a Pacio transitum per Samogitiam in Suecos, simul annonam petebat. Ad ea quid responderet Pacius dubitabat, quo suspicionem studii in partes declinaret. Unde ita scribere placebat: uti Suecis transitum negaverit, ita nec Electori eundem annuere posse. Hoverbequius tamen Electori confirmaret, ea in speciem scribi, nec esse, quod eorum ratio habeatur. Ast Hoverbequio hautquidquam arridebat, ab eo, quem boni cives maxime respiciant, Electoris jus etiam in speciem in dubium vocari. Equidem excipiebat Pacius; jus transitus Electori competens ad Regiam duntaxat Borussiam, ac Majorem Poloniam restringi, quod articulo XV Brombergensium pactorum Poloniæ tantum, & Borussiæ mentio fiat. Sed reponebatur; vocabulum ad totam Rempublicam, omnesque ad Poloniam, & Lithuaniam pertinentes provincias porrigi. Nec rationem adduci posse, quare transitus magis per unam quam alteram provinciam prohiberi debeat; præsertim cum eodem articulo de omnibus, & singulis utriusque partis portubus nullo discrimine aut exceptione disponatur. Quod & ipsum circa annonam, paratumque bellicum, ac liberam militum conductionem convenerit, quæ liberum transitum conjunctum habent. Præterea omnium gentium jure licitum esse aggressorem in suas ditiones persequi. Nec id insuper habendum, quod Elector non instituat hosti quid eripere aut vastare, in quod Reip. ullum jus, aut spes successionis competat, uti Sueci fecerint; sed ex quo ipse eximium emolumentum Reip. conciliaturus sit, siquidem debita ex pacto auxilia eidem præstentur. Ita demum cum Pacio convenit; quia Elector jus transitus e pactis sibi vindicare possit, Pacius tantum de annona responderet, addito, spem esse Electorem uti pacta jubeant acturum. Alias Pacius verbo promittebat, se non solum Electoris copiis transitum non negaturum; sed & Tartaris Lithuanicis injuncturum, ut Suecorum agmen carpant, & quantum possint noxæ iisdem inferant. Sed & summus Polonicæ militiæ Dux Wiesnovicius Hoverbequio declarabat; a faustis Electoris successibus non solum felicem horum Comitiorum conclusionem, sed & Reip. salutem pendere. 1679.
Elector tamen, etsi suo jure hostem toto cum exercitu per Polonicas terras persequi posset; tamen non amplius quam unius diei iter in Samogitiam progressus est; & quæ fugientium tergo immittebatur manus, omnia quæ præbebantur parata pecunia, etiam fœnum & ligna redimebat, sparso quoque, se ideo hostem sequi, ne is in receptu Polonicæ ditioni noxæ quid inferret. Sed & quia Poloni relictas a Suecis in Samogitia machinas Electori concedere initio dubitaverant, Hoverbequius Pacio demonstrare jubebatur: eas machinas ideo tantum relictas, quod ob insequentes nostros Sueci eadem avehere non potuerint. Nec ad rem facere, quod eædem in solo Polonico substiterint; cum Electori non tantum ex jure gentium, sed & per pacta cum Rep. hostem ubique persequi, eique noxam inferre licitum sit. Ut tamen testetur, quanti ipsius amicitiam æstimet, vel summam pecuniæ vel alias machinas Electoralia insignia præferentes in memoriam datum iri, optione penes ipsum relicta. Ac ni Elector eas machinas abducere properet, sine dubio Regem sibi easdem vindicaturum, aut Suecis concessurum, Pacio prædæ experte. Qui & circa istas libenter se dissimulaturum ostendebat. Porro vulgata Electoris victoria jam ultro in Hornium invehebantur, quasi nemini commercii quidquam cum eo fuisset. Ipse Rex ferebat; eam expeditionem id tantum spectasse, ut Elector ab obsidio Stralsundæ diverteretur, qua amissa ista quoque supersederi debuisse. Sed revera aula istis progressibus Electoris admodum turbata, nec minus exacerbata erat. Sed quia ultionem in Electorem expromere haut dabatur, in Pacium conversa acriter contendebat, ut is copias suas protinus exautoraret, quo malevoli cum exarmato pro libidine agere possent. Sed cum vicissim Cæsar, & Elector clam pecunia sublevabant. Is judicabat, si Elector recta Livoniam invadat, circa Rigam parum difficultatis fore; ac se isti omnem operam navaturum. Quod ut fieret omnes boni optabant; cui & vitio verti non possit, si transitum per ditiones Polonicas sumat, qui hosti contra pacta indultus sit. Ac deleto Suecico exercitu libertatem suam adversus aulæ machinationes in tuto collocari. Nam multi tunc in Polonia eo rem rediisse fremebant, ut in ipsos caderet, quod Poloni de Moscorum regimine cavillari solebant: *Consultate, & sententiam dicite, Bajari; Czar jam decrevit, quod vult.* Inter ista Hoverbequius semel atque iterum a Rege privatim audiri petierat; sed Rex obtentu negotiorum comitialium id declinabat. Unde is postea universos apud Ordines quæ jussus erat proponebat, de auxiliis ex fœdere præstandis, de negando hostibus transitu, simul Livoniam Reip. offerebat. Sed statim atque is perorasset, de compacto tres a Lilliehœckio missæ epistolæ prælegebantur, quarum una denuo Polonis Borussiam Electoralem pro-

1679. promittebat non sine omnium irrisu; cum eam paucos ante dies Sueci tam turpi fuga deseruissent, & quod tam enervi ratione Remp. cum Electore committere vellet. Altera epistola idem Regis Sueciæ nomine machinas, & paratum bellicum in Samogitia relictum Polonis donabat; cum omnibus constaret, eum interea temporis a Rege nil mandatorum accipere potuisse. Adducebat rationem; uti merces naufragorum, & fractæ naves in litus expulsæ dominio litoris cedant; ita & machinas, & paratum bellicum merito ad istum spectare, in cujus solo eadem relicta sint. Sed Hoverbequius regerebat; ingens discrimen esse inter ea, quæ tempestate in litus expellantur, & quæ fugiens hostis ex necessitate relinquat. Omnium gentium jure licere persequi hostem; uti & feras in meo vulneratas ex alieno solo auferre mihi integrum sit. Ac frustra discrimen fingi inter id, quod hosti in ipso conflictu ereptum sit, & id, quod quis ultro etiam inscio hoste velut in disposito reliquerit, Nam & isthoc ridicule ad præsentem casum adplicari. Quanquam & tertia epistola Lilliehœckius negaret Hornii recessum fugæ vocabulo notandum; cum is Regis jussu sit susceptus. Contra Hoverbequius demonstrabat, fugam illam summo cum terrore ac dedecore decretam fuisse non solum quod Hornius non auderet Electori frontem obvertere, sed & quia Regis mandata diversum injungebant. Sed & irridebat Lilliehœckium Hoverbequius, quod iste scripsisset; Electorem jura viciniæ violasse, quod hostem absque permissu Regis, & Reip. Polonicæ per Samogitiam persecutus esset; cum tamen Sueci non dubitassent citra veniam per Samogitiam in ejus terras irrumpere, qui Reip. æterno amicitiæ, ac fœderis vinculo innexus sit. Cæterum Resp. neque Suecorum oblatum de Borussia, nec Electoris de Livonia acceptabat. Ut prætextum foret auxilia declinandi, veteres querimoniæ totiens refutatæ recoquebantur. Rex magnam vim verborum reponebat, re inanium; a quo uti palam nil infesti metuendum videbatur delecto Suecico exercitu: ita si extracto bello Suecorum vires resurgerent, cautum non erat, quo minus saltem connivendo, iste Electoris hostibus velificaturus foret.

Ad Moscum missio. §. 9. Sub finem superioris anni Elector Hermannum Dietericum Hessum in Moscoviam miserat, nuntiaturum, Suecos tota Pomerania ejectos; num forte eam nationem ad invadendam Livoniam impellere posset. Quo fine & paulo post de Suecico exercitu e Borussia exturbato significabat. Is reperit Suecos terribilia se successibus suis in Borussia, ac inter alia de expugnata Pillavia sparsisse. Sed a Moscis quidem nil infesti contra Suecos expectandum erat, queis bellum adversus Turcas sat negotii dabat. Venit post mense Augusto a Mosco legatus, qui in Dania quoque fuerat, a Czare Theodoro Alexii filio missus; sed qui præter amica verba nihil adferebat.

Elector de legatione Cæsaris Neomagensi queritur. §. 10. Enimvero majorem Borussica victoria fructum Electori, ac communi causæ parere apta erat, ni Cæsar interim, ac Luneburgici separatam pacem nulla necessitate præcipitassent. Eam ut Elector impediret, per Crocovium Viennæ omnem lapidem movebat; cui & intolerandum videbatur, per formulam pacis a Cæsareis legatis Neomagi exhibitam grave præjudicium Imperio, ac fœderatis Borealibus illatum. Istos quippe nullis ab Imperio mandatis, eoque inconsulto super ejusdem negotiis transigere ausos; ac articulo III, ac VII Gallici projecti jura fœderum obliqua ratione Ordinibus detractum ivisse. Articulum quoque VII, qui in Suecica formula sextus est, ad verbum expressum e secreto fœdere, quod Gremonvillius anno 1671. Viennæ fabricatus fuerat. Id caput tunc tanti momenti fuisse visum, ut Cæsar vice versa velut reciprocum promiserit, sociis triplicis fœderis contra Gallum auxilia non laturum. Super quo autem tunc per secreta pacta conventum, id nunc publice per pacem stabilitum iri, cui & consensus, atque evictio universorum Ordinum accessura sit. Altius quoque penetrare videbatur, quod de abducendis Gallicis, sed non de Cæsareis copiis mentio fieret, sine dubio quod hæ Ordinibus quantum placeret incumbere vellent. Nec sine mysterio erat, quod Cæsar Philipsburgum optasset, quod utique haut inserviebat tegendis ejusdem hæreditariis provinciis, ac ob alendum præsidium oneri erat. Per articulum VI formulæ pacis Cæsareis licebat quævis destinata in Imperio pervincere. Nam eo modo Cæsar omnes sententias a Judicio Aulico pronuntiatas citra impedimentum exsecutioni dare poterat. Adversus istas igitur formulas Crocovius non sine asperis exprobrationibus demonstrabat; Electoris rationes per eas gravissime læsas: ac uti leges Imperii, decreta Ordinum, fœdera istius merita, utilitas, dignitas, & securitas Germaniæ diversa omnia requirant, & quantum noxæ inde oriturum sit, si in has leges pax ineatur. Sed isti reponebant: Necessitate se ad tractatus compelli. Boreales fœderatos a se haut destituendos. Si pax utique perficiatur, eam conditionem addendam, ut & Boreales fœderati cum Suecis transigant. Id ut fiat, an minus penes istos esse; ac si inter eosdem pax non coëat, pacem quoque cum Cæsare subsistere non posse. Interim Boreales fœderatos in possessione bello partorum manere, ac eorum securitati per inducias caveri. Ac Cæsari ostendendum fuisse, a se pacem non repudiari. Ast si fœderatis adhuc placeat rem serio agere, id quod conventu Francofurtensi adpariturum sit, Cæsarem firmiter in partibus mansurum. Is conventus in mensem Februarium indictus erat, instituendæ inter omnes fœderatos consultationi super belli, ac pacis negotiis. Etsi de ejus successu Hocherus jejune ominabatur, ac omnia ibi proponenda bello continuando haut suffectura. Sicuti & semper exceptio summæ necessitatis addebatur. Omen quoque secuturæ cum Gallis pacis habebatur, quod transactio cum seditiosis Hungaris hæreret. Quanquam enim Cæsarei causarentur, ab Hungaris serio rem non agi, qui plane a Galli nutu pendeant, cui arcte nimium innexi sint; præsumendum tamen non erat, Cæsarem adversus utrosque bellum simul gesturum. Unde sicuti antea indicium fuerat belli a Cæsare in Gallum continuandi, quod cum Hungaris tractatio susciperetur;

1679. tur; ita hac abrupta ob emolumenta sacerdotum, & quia Hungarorum libertatem premere placebat; signum erat, Cæsarem de pace cum Gallis ineunda, ac Hungaris in ordinem redigendis meditari, præsertim si articulus de non sublevandis utriusque rebellibus subsistat. Nec bellum Turcicum, quod inde secuturum prævidebatur, metuebatur, quod spes esset, omnes Principes, queis copiæ in promtu forent, eas ad id bellum libenter præbituros.

Cum Cæsareis ministris Viennæ disceptata, 2. Jan. §. 11. Contra Cæsarei monebant, e re fore, ut Elector mentem suam super conditionibus pacis pressius exponat. Nunquam usu venisse, ut victor omnia retineat, sed pacem fieri aliquo dato, aliquo retento. Quamdiu Elector omnia retinere, Sueci omnia recuperare velint, nullam pacis spem esse. Sed jam propius ad rem accedendum. Semper tamen testabantur, in votis sibi esse, ut Elector parta servet, & Sueci Germania exsint, si fieri queat. Aliquando tamen invidiam erga gliscentem Electoris potentiam dissimulare non poterant, ut Hocherus incalescente cum Dano disceptatione in hæc verba erumperet: *Cæsarem non teneri ad bellum continuandum augendis aliorum opibus.* *5. Jan.* Idem Hocherus habito congressu proponebat: Si fœdera intra, & extra Germaniam rite expleta fuissent, res in isthanc confusionem haut fuisse prolapsuras. Enimvero Belgas, quorum gratia in bellum descensum sit, inauspicatum separationis initium fecisse, subsidia abnuisse; quin pactos, se fœderatis suis nil auxilii laturos, ut tamen Gallo facultas foret socio suo pro lubitu adsistendi. Hispanis quantumvis invitis Belgarum impulsu hoc exemplum fuisse imitandum. Quid Monasteriensis animo agitet non constare, nisi quod hospitia desideret; sed famam esse, eum positis armis Wilzhusa contentum fore. Nec de Luneburgicorum constantia Cæsari cautum esse. Osnabrugensem parum posse, a quo si quid opis expetatur, eum pecunia sublevandum. Cellensem, & Guelferbytanum nil nisi de hospitiis ingerere; & auxilium quidem polliceri, sed legibus, quæ præstari nequeant. Nec tamen eorum vires ad summam rerum valere. Electorem plurimum ad rem conferre potuisse, præsertim post Suecos Germania pulsos, ni eum irruptio in Borussiam distraxisset. Ejus vicem Cæsarem quam maxime dolere, qui & improbare nequeat, quod idem ad sua tutanda eo verterit. Interim Inferiorem Rhenum defensione nudatum. Copias, quas Elector ibi habeat, Clivicorum locorum præsidiis haut sufficere. Ita Gallum fœderatis longe prævalere, qui cum LM ad Inferiorem Rhenum rem possit gerere, accedente milite urbibus Hispanicis deducto; simul sat copiarum habeat, quas Cæsareis ad Superiorem Rhenum opponat. Consultationes fœderatorum lente procedere, nulla ad extremum exsecutione, queis Cæsar per triennium frustra hortatibus stimulos addiderit. Si tandem in hostes moveant, annonam deesse. Cæsarem satis habere proprias copias aluisse. Ordines nec posse nec velle aliquid conferre. Cæsarem cupere Francofurti conventum fœderatorum haberi; sed qui tarde successurus sit, & antequam ibi super necessariis transactum fuerit, magnam Germaniæ partem periisse. Quin cum fœderati non nisi de privato commodo cogitent neglecto publico, incertum esse, num quid ibi concordibus sententiis concludendum sit. Quis igitur Cæsarem arguat, si hac rerum facie avertendo exitio pacem cogitet; cum nil ostendatur, unde ipsius aut fœderatorum exercitus alatur; cum omnes Electores, excepto Brandenburgico, ita enixe pacem urgeant, fœderatis insuper discordibus, Monasteriensi vacillante, Brunsuicensibus animi sensa prementibus, gliscente periculo, remediis decrescentibus. Eam ob causam Cæsarem tractatus pacis persecutum, facultate tamen fœderatis reservata eosdem simul subeundi. Et quia Cæsar facile judicare posit, fœderatos armis parta gratis restituere nolle, de induciis proposuisse, ut perspiciat, num interim per tractatus satisfactionis quid pro Borealibus fœderatis obtineri queat. Optandum esse Suecos Germania eliminari, si fieri queat. Sed nondum Cæsari viam demonstratam, qua Gallo resisti posit. Ordines belli onera ferre amplius non posse. Coloniensem queri, ab Electoris milite Ducatum Westphaliæ, & Reclingshusam, alendo præsidio Bonnæ destinatum, insideri. Eousque rem rediisse, ut multi primariæ classis Ordines deliberent, an non præstet ultro se Galli patrocinio submittere, quam remedia adversus hujus vim adhibere, malo quod declinatum itur nocentiora. Istis Cæsarem permotum fuisse ad audiendas pacis conditiones, ne omnia pessum eant. Quid profuturum Borealibus fœderatis, si Gallus Argentoratum, Moguntiam, aut Coloniam intercipiat, ac in meditullium Germaniæ penetret? Longe duriores conditiones tunc subeundas. Quod si tamen Cæsari solida eorum malorum remedia ostendantur, pro re nata consilia capturum. Unde a fœderatorum ablegatis nosse cupere, quid virium bello contra Gallum persequendo offerant. Ista eo altius penetrabant, quod innui videretur, omnia jam conclamata, & a conventu Francofurtensi nil sperandum; ac Cæsareos culpam præcipitatæ pacis a se in fœderatos devolutum ire. Igitur Crocovius contra: Periculum Germaniæ, & belli difficultates in aprico esse. Sed num ideo id periculum tali pace superandum, qua hostibus integræ provinciæ tanto labore extortæ iterum restituantur, ac iisdem janua in Germaniæ viscera pandatur? Quæ ejusmodi exemplum statuat, ut deinceps haut temere quis ad bonum publicum connixurus sit. Quod Belgæ, ac Hispani a fœderibus defecerint, modicæ ipsis laudi, in futurum exiguo lucro cessurum. Reliquis fœderatis adhuc superesse vires bello sustinendo. Electorem fœderibus niti, ac confidere, Cæsarem quoque, & reliquos iis constanter adhæsuros. Cæsarei heic Crocovium interrumpentes reponebant: non Cæsarem solum, sed & Belgas, atque Hispanos fidem suam obstrinxisse. Post horum defectionem reliquos fœdere non amplius teneri, nec bello persequendo sufficere. Crocovius: haut eo minus expendendum, annon reliquis fœderatis vires suppetant cœpto negotio persequendo. Id quod autem non ex Electore, sed e Cæsare sit quærendum, qui summam rerum per Germaniam, ac præcipue hospitia moderetur.

Ppp ppp Dolen-

1679. Dolendum quoque, conventum Francofurtensem non prius indictum, nec de proponendis negotiis constare. De his Cæsarei Daniæ Regi, atque Electori significatum iri pollicebantur. Addebantur querelæ; pacis incertos sese agere, ac dubitare, num ea Gallo cordi sit. Tum exercitum Cæsareum ita male habitum, ut ante mensem Majum in campum prodire nequeat. Ad incommoda circa formulam pacis nil præter necessitatem regerebatur. Cæsarem tamen laboraturum, ut sibi quoque integrum sit fœderatis auxilium ferre; & valde dubium esse, num Gallus id concedere velit. Cæterum adparebat Viennæ metum eo magis gliscere, quod præmatura Gallorum expeditio metueretur, ac ne fœderati, dum auxilia offerunt, evictionem locorum Suecis ereptorum sibi stipulari vellent; quam a se nullo modo præstari posse censebant. Quos & Meindersii in Galliam iter magna suspicione perstringebat.

A Cæsareis Dano proposita. §. 12. Gemina Hocherus ablegato Danico Lilliecronæ occinebat. Omnia fœdera id spectasse, ut hostium insolentia junctis viribus coërceatur, ac is per arma ad æquam pacem compellatur. Ad eum scopum si omnes pari studio cum Cæsare, ac Daniæ Rege connixi forent, res sine dubio melius se fuisse habituras. Enimvero fœderatos, paucis exceptis, privatas magis quam publicas rationes præ oculis habuisse. Cæsari magno cum dolore spectandum fuisse, uti fœderati hospitiis, queis in horum gratiam fidos sibi Ordines onerare coactus sit, non solum non contenti fuerint, sed & eos ipsos Ordines gravissime oppresserint. Eosdem, ubi super ipsorum injuriis querelæ motæ fuerint, Cæsaris cognitionem defugisse, ac pares sibi libertate Ordines ad subjectorum instar habuisse. Belgarum pace perrupta fœdera, & Hispanis ad imitandum exemplum necessitatem allatam. Hoc rerum statu quid faciendum optime judicari posse, si hostium, ac fœderatorum vires invicem comparentur. Gallo in promtu esse ad LXX M bellatorum in campum educere, præsertim post deducta Hispanicis urbibus præsidia. Ast Dano sat negotii cum Suecis esse, cui & de suo bellum sit gerendum, cum Gallus istos pecunia fulciat. Unde nec Cæsarem ab eodem copiarum quid contra Gallum expetere posse; præsertim cum Monasteriensis in pacem pronus legiones suas e Dania evocaturus sit. Electorem Brandenburgicum post tot parta decora, & Suecos Germania pulsos in Borussia distrahi. Pacium cessim ire, ac Regiummontem periclitari. Ad propria tutanda quemlibet ante omnia teneri. De Luneburgicorum constantia non cautum; nec octo millia, quæ hi præbituri sint, ad summam rerum proficere. Cæsarem summo studio connixum pervincere non potuisse, ut exercitus ad Inferiorem Rhenum formaretur, ac ei negotio præteritum annum consumtum. Nam quemlibet sua ex libidine agere, ac supremam Cæsaris directionem defugere. Cum Osnabrugensi supremum imperium in eum exercitum offerretur, huic Vicarium Cæsareum admittere grave visum. Nec quem copiarum modum quilibet sistere debuerit, conveniri potuisse. Sed & alia deesse tanto exercitui sustentando. Neminem quoque de suo sumtus facere, sed omnia in Cæsarem, aliosque Ordines devolvere velle. Denique circa hospitia postulari, quæ præstari nequeant. Contra Rheno adsitos Electores clamare, se belli malis opprimi, ut fœderati novas ditiones adquirant. Magis suam sibi conservationem, quam aliorum privata emolumenta respicienda. Equidem eam rem communes quoque Imperii rationes tangere. Sed remedia morbis graviora esse, ac humanius se ab hoste, quam ejusdem Reip. sociis haberi. Perinde sibi esse, ab hostibus, an ab amicis devorentur. Ab his Cæsarem quotidianis precibus obtundi non sine exprobratione, ab eo plus fœderatos, quam reliquos Ordines respici. Porro ad instruendum, & alendum Cæsaris exercitum compluribus millionibus opus esse, quod e Suevia, & Franconia vix duorum mensium alimenta petantur. Tantis expensis Cæsarem nil sibi lucrari. Ac si maxime is ditiones suas plane exhauriat; tamen si hostis in Imperium irruperit, his tuendis eum exercitum haut suffecturum, qui & pessime habitus sit, nec e præsidiis oppidorum suppleri queat. Cæsarem solum tanto oneri ferendo non esse, quem & nemo sublevare velit. Quin Luneburgicos ne Cæsareorum quidem hospitiis parcere, quæ proprio ausu in Franconia invaserint. Tum fœderatos nunquam Cæsaris placitis obtemperare. Ubi res gerenda fuerit, varia postulata movisse, quæ ni mox annuerentur, communi causæ se subtraxisse: interim otiosos desedisse, ac hostem pro lubitu ad Rhenum usque penetrare sivisse. Hoc rerum statu quis Cæsarem reprehenderit, si urgente maxima Ordinum parte tolerabili pace defungi laboret? Cæsarem pro fœderatis quantum licuerit connixum, nec eos pace excludere voluisse, modo ipsi temperatis conditionibus eidem se pronos ostendant. Id cum haut fecerint, Cæsarem quadrimestres inducias proposuisse, eorum quoque paci interim adornandæ. Nam Cæsari necessum esse, ut per pacem ingruentem ab Oriente & Occidente hostem avertat. Quod si tamem fœderati facultatem ostendant bello persequendo, gratum id fore. Sin minus, arma ponenda esse. Nec ideo Cæsarem ob fœdera non servata argui posse, si per necessitatem, & ob virium defectum pax amplectenda sit. Nam per alios fœdera jam abrupta, nec Cæsarem ad illa supplenda teneri, quæ alii qui defecerunt præstare debuerant. Nec a Cæsare exigi posse, ut magis alios quam seipsum amet, ac ut ob augendam fœderatorum potentiam seipsum periculo exponat. Denique aut pacem Cæsari amplectendam, aut hostem in viscera Imperii pertrahendum, non sine præsentis exitii periculo. Ad ista Daniæ Rex respondendum censebat; Si Cæsar eo studio vires suas exserere velit, uti ipse & Elector fecerit, facile exercitum L M bellatoribus constantem in campum educi posse. Tum si idem insuper habitis Jesuitarum suggestionibus cum Hungaris cœptam tractationem persequatur, ejus Regni turbas mox sedandas, & quæ ibi destinentur copias contra Gallum adhiberi posse. Denique si Cæsar fortia consilia capiat, ac seposita peculiaris pacis mentione omnes

1679. mnes vires ad defensionem Imperii impendat, Ordines ad Rhenum querelarum desituros, ac Hanoveranum partibus accessurum. Alias idem Rex judicabat, Cæsarem id agere, ut dissimulatis omnibus incommodis pacem quocunque modo cum Gallo absolvat; præsertim cum Neoburgicus ubique jactaret; satius esse Gallis octo oppida ad Rhenum, & Mosam ad tempus insidenda concedere, quam periculo omnia amittendi sese exponere.

Cæsarei adhuc de pace dubitare videntur. *23. Jan.* §. 13. Haut ideo tamen Cæsarei Viennæ super pace certi quid decrevisse videri volebant; sed potius extrema omnia tentaturi, quam pacem in propositas a Gallo leges acceptare. Ut tamen omnia ad eventum Congressus Francofurtani referrentur; quo si validus ad Inferiorem Rhenum exercitus non sisteretur, Cæsarem bello haut sufficere. Ei conventui obeundo Grana Marchio mittebatur. Luneburgici quoque Viennæ magnopere de sua constantia testabantur. Simul Hanoveranus de copiis suis in usum patriæ commodandis tractabat, quod per aliquot menses nihil pecuniarum a Gallo accepisset. Cæterum quia Cæsarei palam ferebant, per defectionem Belgarum, atque Hispanorum vinculum fœderum abruptum esse; Crocovius quærebat, an non expediat novum fœdus pro captu præsentium temporum inire, quo mutua obligatio persistat, & ut constet, quid uni ab altero expectandum sit. Id etsi Cæsarei non plane rejicerent, negabant tamen, de eo Francofurti agi posse, ubi nunc unice tractandum sit super præsenti rerum statu, ac futura expeditione suscipiendis, & ne quis absque altero pacem amplectatur, aut copias suas revocet. Sed nec cavere volebant loca bello capta penes fœderatos mansura; quod solida istorum evictio in eo sit quærenda, ut Gallus in ordinem redigatur. Cæsarem nil tale promittere posse, ob incertos bellorum eventus, ac ne reliquis Imperii Ordinibus suspicionem injiciat. Alias eum nemini sua incrementa invidere. Si quid tamen super his concludendum sit, id Viennæ fieri debere. Cæterum anceps admodum deliberatio fuerat, acceptanda pax foret, an minus. Qui pacem talibus conditionibus dissvaserant, scrupulum sibi præcipue injici ferebant e Meindersii itinere, omnibus fœderatis suspecto. Etsi Crocovius ostenderet; non esse quod istud metuatur, cum Gallus nihil plane de postulatis suis remittere velit; ac si Elector perspiciat, Cæsari bellum placere, eam negotiationem protinus abruptum iri. Unde & iidem Crocovium rogabant, ne Elector quid præcipitet: nec eum in Gallia reperturum, quod quærat. Ac brevi perspecturum quo studio Cæsar rem aggressurus sit. Etsi contra omnes, qui a Neoburgico pendebant,

30. Jan. qualemcunque pacem ingererent. Ita in genuina aulæ ejus sensa penetrare nondum licebat. Equidem palam improbabatur Neomagensium legatorum festinatio, qui in unum, & alterum præter mandatum consensisse arguebantur. Ac masculum consilium captum ferebatur, legatisque mandatum missum, ut articulum de negotio Boreali non aliter admitteret, quam prout iste Viennæ formatus sit; cujus tamen copiam fœderatorum legatis utut valde rogantibus facere abnuebant. Kœnigsekius tamen confirmabat eum ita conceptum, ut Galli eundem nunquam admissuri sint: Cæsareis autem injunctum haut cedere. Ast eo ipso tempore cursor Neomago veniebat, qui legatorum ibi declarationem Gallis factam adferebat, qua in omnia Gallorum postulata consensum fuerat, de transitu, de neutro statu, ac oppidis vicem cautionis subituris; ita ut penes Gallos esset, num ista admittere vellent, Cæsareis nulla retractandi facultate relicta. Cum itaque Crocovius quæreret, si ad eum modum pax absolvatur, num Cæsar ea staturus, an vero acta legatorum improbaturus sit; respondebatur, multas vias patere declarata eludendi. Quid tamen utique facturi sint, dissimulabant. Interim multum pecuniæ, & supplementorum ad exercitum mittebatur; simul tractatio cum Hungaris resumebatur, qua Cæsar circa civilia multum remissurus erat. Sed ista ad negotium sacrorum hærebat, & quia Hungaris diffidentia eximi non poterat, conventa servatum haut iri. Montecuculus quoque cum Lotharingo in gratiam redibat, ac declarabat Dux, se istius imperium libenter agniturum, velut quem bellandi magistrum agnoscat. Contra Montecuculus pari modestia ostendebat, se majorem exercitum Duci concessurum, secundario contentum, & de compacto cum eo rem gesturum. Tum & Crocovium stimulabant, ut is nomine Electoris proponeret, de imperio exercitus ad Inferiorem Rhenum in Montecuculum conferendo, si Elector id suscipere impediatur. Nam id se ipsos proponere non audere, ne fœderatis suspicionem incutiant. Ista igitur belli continuationem polliceri videbantur, quam & Augusta Vidua, legatus Hispanicus, Montecuculus, Kœnigseckius, Pater Emmericus, ac multi alii suadebant. Cum contra Neoburgicus & omnes ab eo dependentes, ac præcipue Jesuitæ enixissime pro pace contenderent, in quam & legati Neomagenses ruebant. Ita utra sententia prævalitura esset, *2. Febr* nondum adparebat. Quanquam enim agnosceret, legatos Neomagi circa negotium Borealium fœderatorum justo longius progressos, quibus & injunctum sit, ut ni Galli protinus in omnia consentiant, quæ Cæsar desideret, ad nil reliquorum se teneri velle profiterentur; tamen si Crocovius interrogabat, num legatorum acta inficiari velint, ubi secus conclusum sit, præsertim Lotharingica causa idoneam ansam præbente; liquido mentem suam declarare abnuebant. Tum vicissim postulabant, præstaret Crocovius, fœderatos Francofurti quæ res exigat decreturos, & exercitum ad Inferiorem Rhenum formaturos, circa ejus imperium, & sustentationem probatis, quæ Cæsar desideret; denique Meindersium nil peculiaris tractatus initurum. Eidem de legatis querenti, quod omnia nomine Imperii tractent, nec quæ agantur communicent, reponebatur; circa prius recte eos egisse, ac fœderum heic rationem non haberi, sed fœderatos tanquam Imperii Ordines considerari; ac arbitrium rerum Imperii utique penes Cæsarem esse. Communicationem non abnui, sed post factum demum, non autem ut super negotiis in antecessum cum fœderatis convenire velint. Denique idem de articulo vicesimo

1679. cesimo sexto graviter querebatur; haut sibi persuaderi, Cæsari animum esse Ordines Imperii tam arcto fœdere ipsi innexos oblivioni dare, & quantum in se libidini hostium exponere. Non adparere delictum, quo Elector tale quid meritus sit, qui tantis speciminibus patriæ fidem suam probarit, ac pro bono publico tam multa tulerit, feceritque. Posse quoque alia tempora emergere, quæ aliter cum ipso agi suadeant: ac ipsius Cæsaris interesse ejus affectum mutuis officiis stringi, quo voluntas juxta, ac facultas persistat paria deinceps præstandi. Adversus quæ nil præter iniquitatem temporum occinebatur. Cæterum quicquid Viennæ dissimularent, revera legati Cæsarei ante pacem subscriptam mandatum a Cæsare in hunc sensum acceperant: Etsi Cæsar eas conditiones, quas legati proprio ausu annuerint, (puta ut Gallis octo oppida in cautionem tantisper tradenda sint, ut transitus innoxius per Imperii terras ad auxilium Suecis ferendum concedatur, & alia plura,) ratihabere non teneatur; istum tamen easdem probare, sed sub expressis conditionibus tam in Cæsarea declaratione ad articulum XXVI contentis, quam hisce sequentibus. Nempe ne Cæsar teneatur Fœderatos Boreales ad acceptandam Suecicæ pacis formulam compellere. Ut pax extendatur ad totum Imperium, ac universos Ordines, præter eos qui expresse excipiuntur. Ne Galli ulli ex Ordinibus Imperii, ne octo quidem concessis oppidis, durante hoc bello quidquam oneris imponant; uti & Cæsar foederatos ad idem permoturus sit, ut tamen heic nil sibi præscribi velit. Ut nulli ex Ordinibus permissum sit hoc bello Suecis adsistere. Ut Cæsar non teneatur exercitum suum in provincias suas hæreditarias retrahere. Ut transitus Gallorum plane sit innoxius, ac nullis ambagibus, aut alibi quam per Westphaliam permissus. Ut denique Gallus, & Suecus se obstringant, utcunque arma succedant, se ultra pacis Westphalicæ restitutionem postulata, & arma sua haut porrecturos. Cæterum quod Cæsarei istis tractatibus tantum præjudicium Ordinibus inferrent, in causa erat horum discordia, & inter se æmulatio. Ac Galli, Suecique ut foederatos separarent, ac Cæsarem eo citius ad peculiarem pacem permoverent, huic velificabantur, ac super foederatorum negotiis cum eodem decidebant, facilius circa ista velut aliena remissuro.

Neomagi circa pacem Cæsaream acta.

§. 14. Ast Neomagi trepida Cæsareorum legatorum in pacem festinatio in dies magis pellucobat. Equidem Stratemannus disserebat; ut ut pax Germaniæ necessaria sit, Viennensem tamen aulam belli continuationem malle, quam tolerare, ut tam turpis, periculosa, & instabilis pax sibi obtrudatur. Sed maximam difficultatem in eo verti, quomodo bellum meliore successu quam hactenus geri possit. Totum quippe onus in Cæsarem devolvi, qui solus repellendis Galliæ viribus non sufficiat. Quatuor Electores ad Rhenum, ac Bavarum pacem quovis pretio velle, qui & in causam communem nihil conferant. Danum, & Brandenburgicum Suecico bello implicitos. Brunsuicenses dudum eodem bello expeditos magnum operæ pretium facere potuisse; sed qui miro agendi modo omnia turbarint, ac 1679. communi causæ gravem noxam intulerint. Ab iisdem confusionem circa hospitia ortam, gravium offensarum, & querelarum materiam. Ei negotio in meliorem formam redigendo a Cæsare omnem operam frustra consumtam, qui ultro ignominiose habitus sit. Ac videri Gallum per Gallicas foeminas, &, qui eas stipent exteros homines ejus Domus consilia moderari, ac impedire, ne egregia consilia capi potuerint. Hanoverano subinde lautas conditiones clam oblatas, ad eundem in bonas partes pertrahendum, nullo fructu. Cellensem initio concedere noluisse, ut suæ copiæ fratris Osnabrugensis imperio subessent. Sed cum hic magno labore permotus esset, ut in id consentiret, Osnabrugensem varias conditiones duras admodum, aut quæ plane concedi non potuerint, postulasse. Unde Viennæ de ista domo nihil spei esse. Quod si Daniæ Rex, & Elector eos Principes permovere possint, ut quantum valeant ad rem conferre velint, fortasse adhuc operæ pretium posse fieri. Sed heic maturato opus esse. Nam metum esse, ne statim atque Galli Rhenum transierint, Monasteriensis, atque Luneburgici cum istis transigant, viamque ad latius grassandum aperiant. Igitur si bellum persequi placeat, valido exercitu *Inferiorem* Rhenum tuendum; id quod fieri non possit, ni Monasteriensis, atque Luneburgici omnes suas vires bona fide exserant. Id nisi fiat, nullam rationem esse Germaniæ servandæ, quam qualemcunque pacem amplecti, sed quæ nemini durior, quam Dano, & Electori futura sit. Cæterum Cæsarei cum ante Danum, & nostrum ad congressum admittere noluissent, mox accepto Vienna cursore communicationi promtos se ostendebant, ac plurimum humanitatis præ se ferebant.

Galli & Sueci insolentes se ostendunt.

§. 15. Quo plus autem timoris Cæsarei ostendebant, eo magis adversæ partis ferocia gliscebat; qui nec facultatem Dano, atque nostro præbere volebant, ut suos quoque tractatus junctim cum Cæsareis persequi possent. Equidem Blaspielus cum Strada in loco tertio congrediebatur, super conditionibus Electoris collaturus. Cui Gallus reponebat; juxta formulam die XV. Aprilis a Rege suo promulgatam primam pacis conditionem esse Sueciæ restitutionem, a qua Rex salva existimatione discedere non possit. Eundem Electori summa pecuniæ satisfacturum. Plura ab eo exigi non posse. Si Sueci remittere quid velint, eum non repugnaturum. Sed Suecis id persuadere, multo minus necessitatem adferre eundem non posse. Sic & eundem Hispanicas urbes non prius restituisse, quam a Suecis rogatum. Sed & Blaspielus formulam pacis cum Suecia Jenkino tradiderat, qua eam Pomeraniæ partem, quam Elector quondam bono publico sacrificarit, sed nunc armorum sorte recuperarit, huic deposcebat in pensationem damnorum, ac sumtuum, ac ob securitatem in posterum; ac si hæc tanti non æstimetur, Electorem operam daturum, ut Suecis super eo quod excedit ex æquo satisfiat; salva de cætero pace Westphalica. Ast quia Sueci cum Dano, & Blaspielo in tractationem descendere nolebant, antequam cursoribus suis liber transitus per Daniam con-

1679. concedatur, ea formula a Suecis haut acceptabatur. Qui & in antecessum annui contendebant, omnia sibi restituenda esse. Tum & nisi junctim cum Gallis tractare nolebant. Quanquam revera id postulatum de cursoribus eludendæ negotiationi inventum erat; cum jam ante biennium istis concessum foret, ut literas suas tuto sub Anglici ablegati involucro mittere possent. Qui & antea ab Electore libera literarum commercia Gedanum, & in Livoniam postularant, de quo præliminari pacto nihil conventum fuerat. Etsi non obscurum erat, a Cæsareis profectum, quod Electori nulla cum Suecis tractandi facultas concederetur; qui ab initio istius negotium agere voluerant. Qui etiam, ut omnes Ordines a subscriptione pacis suæ excluderent, extremo articulo addebant; ut nullæ contradictiones, aut protestationes a directoriis Imperii contra solitariam Cæsareorum, & Gallicorum legatorum subscriptionem validæ sint. Enimvero Elector uti inter primarias partes belligerantes fuerat; ita & peculiari tractatu pacem suam adornari cupiebat. Porro Galli & id jactabant, Borealibus fœderatis non amplius hospitia in Imperio concedenda esse, ni Gallico militi eadem indulgeantur: nec Cæsari permittendum, ut istis auxilii quid ferat. A se autem fœderatos istos considerari non ut hostes socii sibi Regis Sueciæ, sed ut hostis Galliæ; eoque Regem cum istis bellum gesturum non velut auxiliarem Sueci, sed proprio nomine. Nec prius copias suas e Germania deducturum, quam pax cum Suecis quoque facta sit. Tum sibi integrum fore omnia loca occupare, quæ ad suos, & Suecorum hostes spectent. Quod si tamen pax inter Cæsarem, Gallum, & Suecum perfecta fuerit, se ad Borealem quoque pacem promovendam incubituros, ac Suecos serio ad æquas conditiones admittendas hortaturos. Interim certa sibi Germaniæ loca tradenda viæ ad ferenda Suecis auxilia muniendæ. Et cum Cæsarei id postulatum novum esse quererentur, Galli reponebant; id tacite postulato de restituenda Suecia comprehendi, quippe cum citra hoc scopo suo potiri nequeant. Ac illi Principes, ad quos ea loca spectabant, minus malum habebant eadem a Gallis tantisper insideri, quam bellum extrahi. Ut autem Cæsareos magis urgerent Galli, disserebant; se optare, ut ante diem V. XV. Januarii pax perfecta sit, ne conditiones deinceps intendantur. Jenkinus quoque nomine Gallorum Dano denunciabat; ni pax inter Daniam, & Sueciam ante finem mensis Januarii conclusa sit, Gallum non amplius iis conditionibus staturum, in quas alias cum Daniæ Rege conventurus fuerat. Sed & Cæsareis Galli significabant; Belgarum intercessione terminum acceptandæ pacis se a die V. XV. Januarii ad extremum ejus mensis diem prorogasse, intra quem ni Cæsarei pacem occupent, se præter Friburgum etiam demolitionem Philipsburgi exacturos. Sed si totum mensem Februarium elabi patiantur, totam insuper Brisgoviam reparandis expensis postulaturos. Blaspielus contra, & Heugius postulabant a Gallo conditiones ita temperari, quo super iis tractatio suscipi queat; ad quam ipsi parati sint. Suecis autem denunciabant: incongruum esse, tractationem e commerciis literarum suspendi, quæ sat commode ab istis exerceri queant. Nec opus esse ab ipsis moneri, ut simul cum Gallis agatur. Ad hoc enim dudum se paratos fuisse, ni a Suecis id impeditum fuisset. Sed & iidem Gallis insinuabant, Suecos clam sese Cæsari vendicare, & post hoc bellum hujus partibus accessuros. Igitur non expedire Galliæ, eorum res in Germania restitui. Ad quæ respondebant Galli; id satis se nosse; sed haut eo minus Regi promissa sua esse præstanda, ac semel factam propositionem tuendam. Sed ut Sueci aliquid remittant, id non apud Gallum, sed ipsum Sueciæ Regem quærendum; id quod a Dano commode fieri queat. Ac sane Galli nunquam ita fervide, quam nunc, pro Suecis locuti fuerant; ac discessuros se minabantur, ni Cæsarei negotiationi colophonem imponere properent. Ac jam Gallicæ legiones in Alsatia, & ad Inferiorem Rhenum invadendæ Germaniæ contrahebantur. Cum Lotharingo autem durissime omnium agebatur. Is initio alterum alternativæ membrum optaverat; Quod *Dux in omnes suas ditiones restituendus sit*, addita quadam exceptione. Post Galli eam restrictionem addebant; *quibus patruus ipsius Dux Carolus anno 1670. gavisus fuerit:* quo tempore Gallus tertiam fere Lotharingiæ partem possidebat. Ac insuper nomine viarum, quas Gallus prætendebat, L milliaria Lotharingica, (quorum tria unum Germanicum faciunt,) decessura erant. Et cum Canon jam priorem partem optare vellet, Galli abnuebant, minati, ni Dux his legibus adquiescat, eam a Rege uti Boreales fœderatos considerandum; ac se a Cæsareis easdem, quas contra istos, conditiones stipulaturos. Ast Luneburgicus, ac Monasteriensis in isto negotiationis fervore raro in publico comparebant. Porro cum Blaspielus Cæsareos moneret, ut si Gallus facultatem Suecis adsistendi sibi stipuletur, isti pro Cæsare eandem reservarent; tum ne Gallis liber transitus per Germaniam concedatur; Cæsarei contra demonstrabant; *quanto in periculo Germania versetur, & uti ipsi undique urgeantur ad pacem perficiendam, antequam omnia pessum eant. Sibi ubique pacis moram impingi. Bavarum, Saxonem, Palatinum Ratispona non nisi pacem ingeminare. Istam anxietatem Gallos dextre in usus suos vertere, ac ubique spargere; se ad subscribendam pacem paratos; sed Cæsareos ad idem adduci non posse. Ni pax occupetur, tractum ad Inferiorem Rhenum periturum, ac ei adsitos Ordines Gallis sese dedituros declinandæ vastationi. Unde sibi omnia facienda promovendæ paci, non quod credant eam Gallis cordi esse, sed ut acta sua Cæsari adprobare queant, nec mala inde proventura sibi tribuantur. Blaspieli postulata æquissima esse, ac se ad eadem obtinenda omnem operam navaturos. Sed ne Gallis cavillandi ansa præbeatur, se decrevisse de induciis proponere, simul officium suum iis labentibus bello inter Boreales componendo offerre: modo temperamenta ei paci pervincendæ in medium afferantur.*

$\frac{2}{12}$ Jan.

§. 16. Cæterum præcipua difficultas erat super articulo vicesimo sexto pacis Cæsareæ, quo de *Super articulo*

1679. XXVI. pacis Caesareo-Gallicae disceptata.

de fœderatis Borealibus disponitur, quem Galli ita concipi volebant. *Et uti ad tranquillitatem publicam interest, ut controversia inter Regem & Regnum Sueciæ ex una parte, & Regem Daniæ, Electorem Brandenburgicum, Episcopum Monasteriensem, & Principes Domus Luneburgicæ ex altera parte quam primum componantur, atque finiantur; conventum est inter Cæsarem, & Regem Christianissimum pro studio, quo uterque in quietem publicam fertur, conjunctim, & quantum fieri potest efficacissime laborare circa promte conciliandam pacem inter dictas partes ad normam Tractatus Westphalici. Sua Majestas Cæsarea etiam promittit tam pro se, quam suis fœderatis, atque adhærentibus, in Imperio hac pace comprehensis, nec se, nec hosce dictis hostibus Galliæ, ac Sueciæ nempe Regi Daniæ, Electori Brandenburgico, Præsuli Monasteriensi, ac Principibus Domus Luneburgicæ ullum auxilium præstituros, durante præsenti bello, militem, arma, instrumentum bellicum, naves, socios navales, aut quidquam aliud bello inserviens, directe aut indirecte, publice aut privatim; nec ipsis aut eorum copiis præbituros biberna, aut stativa, nec ulla hospitia, nec transitum per terras Imperii; nec ullo modo impedituros, ne Galliæ Rex libere, & prout optimum ei videbitur, bellum gerere contra dictos suos hostes usque ad integram instaurationem pacis Westphalicæ possit, & quo minus idem retineat loca Imperii, quæ ad hunc finem necessaria judicata sunt, & de quibus separato articulo conventum est, donec communi consensu idonea remedia inventa fuerint quamprimum ac sine mora in omnibus suis partibus dictam pacem Westphalicam restabiliendi.* Loca autem quæ Galli retinere cupiebant, quoad pax quoque inter Suecos & Boreales fœderatos confecta foret, hæc erant. Huyum ad Mosam, Chastelletum non procul Leodio, Vervierum prope Limburgum, Aquisgranum, Linnichum ad Ruram, & Durena in Juliacensi provincia, Novesium, & Ordinga in Coloniensi præsulatu.

Cæsareorum ad ista declaratio.

§. 17. Contra Cæsarei eum articulum ita formandum censebant. *Cum publicæ tranquillitatis intersit, controversias, quæ Regi Regnoque Sueciæ cum Rege Daniæ, Electore Brandenburgico, Episcopo Monasteriensi, & Principibus Domus Luneburgicæ, Episcopo Osnabrugensi, & Ducibus Cellensi, & Guelferbytano adhuc intercedunt, quantocyus etiam componi, inter S. Cæsaream Majestatem, & Regiam Majestatem, pro utriusque in quietem, tranquillitatemque publicam studio convenisse officia sua efficacissime conjungere, ut inter prædictas partes pax etiam quantocyus coalescat, eique fini eadem in armistitium quadrimestre statim consentiant. Quod si vero præter expectationem officia hæc locum non inveniant, uti Sua Regia Majestas se obligat inimicis præsentibus S. Cæs. Majestatis, aut Imperii nullo modo milite, armis, mutationibus, navibus, nautis, ullisve rebus bellicis, pecuniave ad belli subsidia, aut etiam stativis, hibernis, hospitationibus, directe vel indirecte, publico sive privato nomine assistere, aut ullum in bello impedimentum adferre; ita vicissim S. Cæs. Majestatem & Imperium (utpote cujus Electores, Principes, & Status, prænominatis solum exceptis, omnes hac pace comprehensi sint,) se obligare supradictis Galliæ, Sueciæque hostibus, quamdiu præsens bellum durabit, nullo præmemorato modo ullum auxilium præstare, vel Galliæ, Sueciæque in hoc bello gerendo impedimentum afferre, neque permittere, ut prædictorum hostium copiæ hiberna extra ipsorum territoria in Imperio capiant, liberumque maneat Suæ Regiæ Majestati Christianissimæ ad prædictum solummodo finem in sequentibus in Imperio locis retinere præsidium, scilicet N. N. eatenus tantum, donec inter prædictas partes etiam pace sancita, aut ad eam restabiliendam aptiora inventa fuerint media hisce conditionibus. Nova munimenta non extruantur. Iura jurisdictionalia, dominica, reditus, & quicunque proventus dominis dictorum locorum statim a subscripto hoc tractatu plene restituantur, nec in eorum exercitio, & respective perceptione turbentur. Præsidia, & copiæ transitura subditis oneri non sint in aut extra hæc loca, sed omnia in pretio currente pecunia parata solvant, sublatis penitus cujuscunque generis contributionibus, aut exactionibus. Evacuentur loca dictis præsidiis statim, ut pax inter Septentrionales in Imperio sancita fuerit, aut de aliis aptioribus ad eam restabiliendam mediis convenerit. Commercia nullis impositionibus in dictis locis per præsidia graventur. Integrum tamen Cæsari & Imperio manere debere conjungere cum Rege Christianissimo, aliisque consilia, officia, & operam, ut bellum illud etiam quantocyus sopiatur. Opus quoque fore declaratione Gallica, & Suecica, quod sub nullo prætextu, ut arma cedant, ultra restitutionem pacis Osnabrugensis prætensiones, aut bellum extendant. Quod contributiones, exactiones, stativa, hiberna, hospitationes, aut aliud quodcunque ab Electoribus, Principibus, & Statibus hac pace comprehensis non poscent: neque transitum nisi in summa, & indispensabili necessitate prætendent, & tunc quidem non nisi plane innoxium juxta constitutiones Imperii erga paratam solutionem in pretio currenti, monitis tempestive & requisitis dominis territoriorum, per quæ transeundum est, ut Commissarios mittere, & transeuntes copias per territorium deducere possint.* 1679.

§. 18.

…rum ad di- tio-

§. 18. Ad hancce declarationem Galli notas quasdam formaverant, hoc ſenſu. Clare exprimendum, quinam ſint inimici Galliæ, & Sueciæ. Sed eo poſito id exordium haut quadrare, quod rationi haut congruum ſit dicere; Regem Galliæ ſua officia apud hoſtes ſuos interpoſiturum iis ad pacem permovendis. Unde articulum iſtum ita ordiendum: *Quoniam poſt concluſionem hujus pacis nullus hoſtis Galliæ & Sueciæ reſtabit præter Regem Daniæ, Electorem Brandenburgicum, Principes Luneburgicos, & Præſulem Monaſterienſem; Cæſar officia ſua apud dictos Principes interponet iis ad acceptandam pacem permovendis, ac viciſſim* Galliæ *Rex promittit ſe officia ſua apud* Regem *Sueciæ adhibiturum et diſponendo, ut ad parem facilitatem adferat; quo fine placere armiſtitium paci conſequendæ accommodatum.* Cum vocabulum *præſentibus* a Suecis ambiguum habeatur, ſubſtituendum, *iis qui pace facta Cæſareæ Majeſtatis, aut ſuorum in Imperio confœderatorum hac pace comprehenſorum inimici remanebunt.* His non adſiſtere, ac Cæſari libertatem relinquere bellum iisdem faciendi, non alia conditione conceditur, quam ut Cæſarei in omnia alia capita conſentiant, quæ in favorem Sueciæ poſtulantur. Producendam quoque a Cæſareis facultatem ſtipulandi pro toto Imperio. Id ſi fieri nequeat, eam clauſulam eſſe reſtringendam ad fœderatos Cæſaris in Imperio. Pro vocabulo *præſtare* ponendum *præſtituros*, ac eundem modum auxilii ferendi heic repetendum, qui reſpectu hoſtium Cæſaris expreſſus eſt. Pro *afferre* ponendum *allaturos*. Loco vocabuli *permittere*, quod non ſufficiat, ſubſtituendum *paſſuros*. Pro *liberumque maneat*, ponendum, *quin etiam liberum erit*. Verba, *ad prædictum ſolummodo finem* delenda tanquam ſuperflua, cum in ſequentibus Cæſareis ſatis caveatur. Pro *retinere* ſubſtituendum *habere*. Poſt *aptiora* inſerendum *communi conſenſu*. Poſt *quantocyus* addendum *juxta pacificationem Weſtphalicam*, aut ſaltem juxta *primum hujus, & tertium Suecici tractatus articulos*. Circa conditiones, quibus octo loca Gallis tantiſper inſidenda concedebantur, Galli monebant, ea inutilia fore, ni Regis copiæ ibi tuto agere poſſint. Reditus dominis locorum a die permutatarum rathabitionum reſtituendos. Copias, & præſidia Regis quantum poſſit minimo oneri oppidanis fore, ac modeſte, & exacta diſciplina victuras. Id omne eſſe, quod poſſit promitti, nec ad peculiarium enumerationem procedendum, quæ anſam paci huic turbandæ præbere poſſit. Quod idem & porrigebatur ad poſtulatum de commerciis eorum locorum non onerandis. Statim atque rathabitiones pacis Borealis hinc inde ſint traditæ, ea loca præſidiis evacuanda. Ad conditiones a Cæſareis expetitas Galli reponebant: Regem ſatis declaraſſe, ſe a Cæſare, & Imperio nil amplius deſiderare, quam inſtaurationem tractatuum Weſtphalicorum. Sed haut contentum fore, ſi Principibus in bello perſiſtentibus integrum ſit id producere, quousque lubitum ſit, nec ab iisdem reparationem damni, expenſarum, & quæ alia ſalva æquitate prætendi poſſent, exigere liceat. Si tamen intra tempus conceſſarum induciarum pacem amplectantur, Regem legibus pacis Weſtphalicæ adquieturum. Onerum nihil Statibus Imperii hac pace comprehenſis imponendum, *niſi hoſtes id prius fecerint*. Quæ de tranſitu adjecta fuerant, Galli plane deleri cupiebant. Ad extremum admittebant, ut pro verbis *in ſumma & indiſpenſabili neceſſitate* ſubſtitueretur, *niſi opus fuerit*. Aſt Principes, ad quos octo loca Gallis interim relinquenda ſpectabant, circa conditiones id monuerant. Utut haut credatur opus fore ea loca munitionibus firmari; tamen quo Gallicis præſidiis ſecuritas conſtet, ferri poſſe, Gallos ſuis ſumtibus absque eorum locorum, & vicinarum ditionum moleſtia ſecuritati ſuæ proſpicere, & eadem nulla expenſarum repetitione facta in termino evacuationis dominis loci reſtituant, aut ſuis ſumtibus a ſe ſtructa demoliantur. Cum legati Gallici quindecim tantum dies ad ceſſationem hoſtilium deſideraverint, quibus nec opus ſit ad ſignificationem de pace Ducibus faciendam; non eſſe cauſam, quare proventuum reſtitutio in iſtis oppidis ad ratificationem usque pacis rejiciatur. De modeſtia militis Gallici ita verba concipi poſſe: *Miles Gallicus ſubditis oneri non ſit in aut extra hæc loca usque ad finem.* Quo ipſo & commerciis caveri. Denique optandum, ut ea loca ſtatim atque Borealis pax ſubſcripta fuerit, reddantur; ſed ſi forte ad hoc pax adhæſura ſit, ſatius fore ratificationem ejus pacis expectare. 1679.

§. 19. Cum itaque Cæſarea pax citato gradu procederet, ac Dano, & Blaſpielo ſuper articulo XXVI nil communicaretur; eo magis hisce viſum fuit ſuper eo negotio queri, quod Galli in aulam ſuam ſcripſiſſent, ſibi cum Cæſareis brevi ſuper Boreali negotio conventurum. Igitur ſcriptum iſtis exhibebant, hoc ſenſu. *Pridie ſibi a Cæſarea legatione ſignificatum, cum diſcutienda pacis formula ad quintum articulum de Gallicis copiis Germania deducendis perveniſſent, nec ſuper eo convenire potuiſſent, Gallos petiiſſe, ut ſi modo articulum viceſimum ſextum Boreales fœderatos ſpectantem adornaſſent, quintum inde facile ſe daturum. Ubi Cæſarei legati ſancte ſibi confirmarint, plura circa articulum iſtum haut acta fuiſſe. Eo magis inopinum ſibi acciſſe, cum aliunde intelligerent, eodem tempore loco quinti iſtius articuli alium maximo ſibi præjudicio cedentem in medium allatum, quem Galli poſt viceſimum ſextum formulæ pacis inſeri voluerint. De quo nil ſibi, quorum tantopere interſit, communicatum fuerit; cum tamen ipſe Cæſar Danicis & Brandenburgicis Viennæ miniſtris caverit, his tractatibus omnia communicatis conſiliis, & ad normam fœderum actum iri. Haut eo ſecius Cæſareos heri poſt meridiem, poſtquam aliquot horas cum Gallis collocuti eſſent, ſibi denuo ſignificaſſe, nil amplius actum eſſe. Mox cum a ſexta horæ ad undecimam nocturnam interveniente Jenkino cum Gallis egiſſent, nulla ſibi, qui quatuor horas eos expectaverant, communicatione facta, quo loco negotium foret; demum per Secretarium legationis ſibi ſignificatum, totum tempus circa articulum XXVI conſumtum, & rem adhuc ad notam ſibi difficultatem hærere. Ita ne nunc quidem ſibi de novo iſto articulo, aut aliis eo congreſſu actis copiam factam, cum tamen ea res Principes ſuos, ac plures alios præcipue tangeret. Is agendi modus quam inopinus Regi Daniæ, atque Electori futurus ſit, & quam parum pollicitis Viennæ factis conveniat, Cæſaream legationem pro ſua prudentia ſatis perſpecturam. Unde ſe enixiſſime rogare, ut iſta in hoc inſtituto*

Dani & Electoralis legatus de Cæſareis queritur.

12. Jan.

1679. *instituto circa sinceram actorum communicationem ita se gerat, uti fœdera peculiaria, & vinculi inter caput, & membra Imperii sanctimonia, & communes rationes requirunt. Nec minus ut super omnibus negotiis, quæ Regem Daniæ & Electorem, tanquam fœderatos, aut Imperii membra spectant, cum ipsis prius consultetur, suaque monita audiantur, antequam cum hostibus super iisdem disceptetur, aut formula circa eadem admittantur, aut dentur. Et quia Cæsar ad diem X Februarii conventum fœderatorum Francofurtum indixerit, ubi de pace, aut hac irrita de bello consultandum sit; se petere, ut eousque res integra relinquatur, nec quid suscipiatur, fœderatis præjudicio cessurum. Sed nec sibi constare, nec persuaderi, Ratispona decretum conditum, quo Cæsareæ legationi autoritas circumponatur, priora SCta ab universis Ordinibus facta, ac legibus Imperii superstructa tali modo irrita declarandi, aut alias talia suscipiendi, e quibus Ordinum Imperii jura magnam partem dependeant; unde & Imperii convulsio, ac ruina consequi possit, & de quibus absque peculiari mandato Imperii, & inconsultis Ordinibus heic cum hostibus agi, aut concludi nequeat; quæ etiam nomine suorum Principum dissimulare sibi nefas sit. Igitur petere se, ut de istis plene edoceantur, quo ipsi Principibus diligentiam suam adprobare possint; nec quid amplius suscipiatur, multo minus concludatur, quod Principum suorum, aut aliorum Imperii Ordinum juribus præjudicio cedere, aut fœderibus adversari queat. Sibi quidem nil magis in votis esse, quam ut pax quam primum perficiatur. Eadem si Cæsareæ legationis mens sit, postulare se, ut pax ad normam fœderum, ac rationis, hostiumque exemplum conjunctim fiat, ne hisce separata negotiatione plus emolumentorum concilietur. Non posse quoque dissimulare, a fide dignis sibi relatum, legatis a Cæsare injunctum, pacem in propositas a Gallo conditiones utcunque concludere, ac Gallis de hoc Vienna, & aliunde constare. Quod cum non possit non Gallorum ferociam obfirmare non sine communis causæ maximo damno; se rogare, ut id quamprimum Cæsari demonstretur, ac interim negotiatio heic uti par continuetur; sed in arduis negotiis, quæ vel Imperium in universum, vel quædam ejus membra spectent, nil statuatur, sed ea vel Ratisponam, vel saltem ad conventum Francofurtanum remittantur.* Id scriptum Cæsarei ægre ferebant, velut existimationi suæ grave, & præcipue quod exprobratum sibi foret, quasi facultate destituerentur de Imperii negotiis tractandi. Quibus isti reponebant: eam ipsam præcipuam scripti causam fuisse; ac denuo rogabant, si utique super quibusdam Imperii negotiis agendum sit, ut id saltem citra suorum Principum præjudicium fieret. Memorabant inde Cæsarei, Gallos postulasse, ut Cæsar Borealibus fœderatis necessitatem adferret ad Suecos in integrum restituendos. Quod a se rejectum sit, ac se ne officia quidem eo nomine adhibenda polliceri voluisse. Eosdem quoque decem Alsatiæ oppida sibi exegisse, ac ut Cæsar juxta, ac Gallus copias suas solo Imperii deducat: sed utrumque a se repudiatum. Ista erant, quæ tunc Dano, & nostro a Cæsareis super negotio pacis communicabantur; quos tamen revera multo longius progressos in aprico erat.

Circa adaptan- §. 20. Eo proclivius autem Gallis erat omnia quæ cupiebant pervincere, quod Cæsarei Vienna mandatum accepisse dicerentur, ut Gallorum placito quantum daretur sese attemperarent, ac negotio quamprimum colophonem imponerent. Id quod hi dextre in usus suos vertere norant. Qui & cum antea ultro Suecorum duritiem improbassent, ac hi novissimis literis jussi essent aliquid remittere; nunc eosdem, ut postulatis suis immoti insisterent, obfirmabant. Cum igitur Sueci nullo modo flecti possent, Cæsarei Blaspielum quid consilii exposcebant. Hic respondebat; haut gravius Germaniæ præjudicium inferri posse, quam si beneficium pacis Westphalicæ iis indulgeatur, qui hanc tam enormiter violarint; si contra eosdem facta SCta aboleantur. Ac esse rem pessimi exempli, si pacis publicæ infractores debitam ultionem effugiant. Mirum quoque esse, hostes semper de restabilienda pace Westphalica crepare, quam, utique non Elector, sed Sueci temeraverint. De cætero Electorem fœderibus niti, quæ servari ipsius Cæsaris intersit. Qui & paratus sit junctim cum Cæsare pacem æquis conditionibus amplecti, aut bellum persequi. Ast haut propiorem viam fore Austriacæ Domui evertendæ, quam si pax in eas conditiones ineatur, ut Gallis pro lubitu per Germaniam grassari liceat. Ac vix durioribus conditionibus pacem fieri posse, si vel dimidiam Germaniæ partem hostis occuparit. De cætero Electorem a Cæsare non officia, sed auxilia expectare. Interim dum pacis formula adornatur, Galli ejus exordio Bavari mentionem fieri volebant, velut qui multum ad pacem contulerit. Et cum Cæsarei id abnuerent, volebant inter pace comprehendendos ita ejus mentionem faciendam; *qui cum aliis Electoribus, & Principibus Imperii officia sua ad restabiliendam in Imperio pacem laudabiliter impendit.* Quod & ipsum haut admissum. Quo loco *Imperii* vocabulum ponendum esset, etiam dubitabatur. Nam Galli id ante Galliam collocari nolebant; sed ita ponendum contendebant; *inter Suam Cæsaream Majestatem, & Regiam Majestatem Christianissimam, uti & totum Imperium:* idque ea duntaxat lege, si Cæsarei ejusmodi decretum Imperii producturi sint, cujus vi facultas ipsis collata sit hujus nomine tractandi. Ac provocabant Galli ad Instrumentum pacis Monasteriensis, ubi Imperium post Galliam collocetur. Sed Cæsarei regerebant; tunc Imperium divisum fuisse ejusque partem Gallis, Suecisque adhæsisse. Unde censebant, vocabulum Imperii plane omittendum, ac pro eo substituendum, *utriusque Regna, & ditiones.* Id quod Gallis displicebat, quod Cæsarei Hungariam innuerent. Nam ei Regno caveri supervacuum esse, cum pace inter Cæsarem, & Gallum perfecta Hungaricæ quoque turbæ expiraturæ sint. Cum inde Cæsarei per aliquot dies frustra cum Suecis egissent, ne ita rigide postulato suo circa instaurandam ex asse pacem Westphalicam insisterent, cum Gallis tractationem iterum persequebantur. Sed qui ita duros sese exhibebant, ut ipsi juxta, & Jenkinus de pace desperarent; eoque ad Cæsarem scriberent, arma utique paranda esse. Et circa Lotharingum quidem Galli declaraverant; ni hic ante finem Januarii pacem in conditiones alternativæ a se acceptatæ subscriberet, Regem non amplius teneri velle cessione Tulli oppidi in pensationem

1679. *dam pa... tem Cæs... nem pegun.*

Nan-

1679. Nanceij, nec æquivalente ditione pro cessa Longuica. Circa Boreale autem negotium Galli denuo hunc in modum declarabant; Regem nil magis optasse ab initio tractatuum, & postquam pax inter Galliam, Hispaniam, & Belgas feliciter confecta sit, quam ut pax Westphalica per omnia restabiliatur, ac præcipue quantum ea Sueciam spectet. Hujus satisfactionem primam fuisse inter conditiones mense Aprili superiori anno propositas, & super hoc fundamento circa pacem Imperii hactenus Neomagi fuisse tractatum. Quanquam autem Principes, qui Sueciam provinciis per pacem Westphalicam partis exuerunt, adhuc parum se pronos transactioni ostenderint; spem tamen esse promtæ pacis inter Galliam, Sueciamque cum Cæsare, ejusque in Imperio fœderatis. Sed eo tempore, quo Rex per reliquam Germaniam non sine gaudio pacem constitutam viderit, eum sibi reservare facultatem bellum in gratiam Sueciæ faciendi ea lege, ne Cæsar, ejusque fœderati, qui cum Gallia transegere, directe aut obliqua ratione hostibus Sueciæ adsistere possint. Eo fine se concepisse articulum, quem sequestribus tradiderint, ut tractatui insereretur. Hunc duas continere clausulas, utramque justitia subnixam. Unam ut Cæsar promittat, se non toleraturum, ut hostes Sueciæ hospitia in Imperio habeant extra proprias ditiones, sive eadem ultro ipsis concessa, sive vi occupata sint. Nam istud auxilii genus pacis legibus directe contrarium; hoc autem violentiam fore, cui mederi Cæsar teneatur, velut caput Imperii, & qui præstare debeat tractatu promissa, quod ipse, ac ejus fœderati impedire debeant, ne hostes Sueciæ ullum auxilium quocunque modo ab Imperio recipiant. Et per utramque harum rationum recusare Cæsarem non posse, quo minus promittat, se non toleraturum, ut hostes Galliæ, ac Sueciæ per vicinorum ditiones copias suas diffundant. Istam autem facultatem Sueciæ satisfactionem per arma procurandi in se continere transitum usque ad Rhenum; quod illa inutilis foret, nisi hoc concesso. Nam terras Imperii inter Galliam, & hostes Sueciæ interjectas solas sufficere ad hosce tutos ab armis Gallicis præstandos, ni permissum foret eas transire. Unde Regem conveniens judicasse bonæ fidei, qua omnia agere suevit, de hoc ante conclusionem tractatuum liquido declarare antevertendis querimoniis, quæ sine dubio movendæ forent, si post pacem cum Imperio conclusam suæ copiæ versus Rhenum progrederentur; quo tamen supersederi non potuerit, si Sueciæ restitutio præstanda sit. Quo fine mature declararit de locis, quæ utique ad iter suarum copiarum necessaria sint. Ac ea non alium in usum peti indicio esse, quod parum munita sint; cum si aliud spectasset, majoris momenti urbes, Juliacum, Leodium, & Coloniam postulare potuisset, isti itineri quoque cumprimis idoneas. Nam nil magis eum optare, quam ut hac necessitate quam primum defungi queat: ac ut post obtentam Sueciæ satisfactionem pace per totam Europam stabilita ipse omnes suas copias intra Regnum suum revocare possit.

Dani, & nostri monita de pace non præcipitanda.

§. 21. Quanquam autem inter Cæsareos, Gallosque Jenkino sequestre sedulo circa pacem satagebatur; confirmabant tamen Cæsarei, se in articulo Danum, & Electorem spectante nil conclusuros, antequam cum ipsis communicarint, prout fidos fœderatos agere par sit. Sed nec super primariis articulis adhuc convenisse. Ast Dani, & Blaspielus istis testationibus parum confisi aliud scriptum Cæsareis exhibebant, hoc sensu. 1679. *24. Jan. 22. Jan.* *Omnia quæ videant, atque audiant plus scrupulorum indies, ac solicitudinis injicere circa secretam istorum cum communi hoste negotiationem: nec injuria metum subire, ne prius se ab istis libidini Gallorum expositos conspiciant, quam moneantur de iis, quæ contra rationes Principum suorum irreparabili cum horum damno agitantur. Ei malo quantum datur sibi occurrendum, dum adhuc tempus est: ac isthoc scriptum interpretis vicem subiturum suæ sententiæ: postquam in præsens sibi adire non liceat legatos in loco ubi agunt; nec tamen fas sit officio suo deesse, & quiete, ac tacite adspicere, citra sui participationem de negotiis tractari, quæ Principes suos tantopere spectent. Quæ acta sint sigillatim se enumerare nolle, nec repetere sæpius ingesta nullo fructu, nullo responso. Silentio a se involvi altius penetrantia, quæ isti celarint, sed adversa pars vulgarit, in quorum notitiam ipsi forte fortuna paucos ante dies inciderint: sed quæ ipsi dissimularint, spe deinceps majore candore secum actum iri. In præsens id præcipue sibi monendum, solennia fœdera occasione harum turbarum cum Daniæ Rege, atque Electore inita utrique parti interdicere, ne una absque altera cum hostibus communibus tractet, aut pacem separatam ineat, simul æqualiter utrosque obligare, ut pro fœderatis suis eadem emolumenta, quæ pro se stipulentur. Nec ignotum, quæ vis decretorum Imperii sit legitime conditorum, quibus citra parta solennia nihil derogari possit in fraudem eorum, quorum interest. Perspicua, ac toties iterata suis Principibus Viennæ facta istis quoque notissima, velut qui sæpius sibi confirmarint, eadem exacte a se observatum iri, quod & ipsis mandato injunctum sit. Istos quoque sæpius asseverasse, in sui præjudicium nil susceptum iri. Primum legatum hoc mane adhuc e loco congressus descendentem confirmasse, ipsos nobiscum uti fidos fœderatos decet acturos. Ista omnia ut repræsententur, se jam suo jure exigere. His positis sibi declarandum; si isti Cæsaris nomine Principibus ipsorum exclusis pacem cum Gallo, aut Sueco, aut utroque ineant, ut nec sibi eodem tempore pacem suam absolvere liceat, nec isti pro ipsorum Principibus eandem securitatem contra arma, & invasiones hostium, quæ pro Cæsare, aliisque Principibus hac pace comprehendendis, stipulentur; sibi gravissimam fore causam velut fœderibus manifeste, atque enormiter violatis querendi. Nec minus si isti decreta Imperii, queis Sueci provin-*

1679. *provinciis pace Westphalica partis excidisse, hostesque publici declarati sint, concessa eorundem restitutione aboleverint, antequam Principibus suis rite sit satisfactum; insigniter eorum jus, ac prærogativam læsum iri, velut quorum consensus, & suffragium, ut & cæterorum quorum interera, utique præcedere debebat. Quod si & per istorum præcipitantiam circa arripiendam peculiarem pacem tam noxiam sui Principes fructu totiens iteratorum a Cæsare promissorum excidant; magnam eosdem gloriam communibus hostibus concedere, queis fidei data sanctimonia tam ambitiose venditatur. Si denique isti proprias testationes destituant, id eo magis inopinum sibi fore, quo plus fiducia in eorundem candore, & bona fide collocarint, quæ talia de iis expectari vetuerit. Cum itaque pax ejusmodi separata adversa fronte mutuæ obligationi fœderum, promissis Cæsaris, legatorumque repugnet; se denuo quantum possint enixissime rogare per sanctimoniam fidei publicæ, per gloriam Cæsaris, per majestatem Imperii, per propriam eorum existimationem, ne quid in præsens suscipiant, aut concludant, quod ipsorum juribus, expectationi, aut spei quocunque modo derogare queat: tum præcipue, ne legati quid ad ipsorum Principes spectans condonent, nec eosdem arbitrio hostium exponant; neu permittant, ut sedes belli sub vocabulo inanis pacis in ea Imperii loca transferatur, quo hostium vis hucusque penetrare haut valuit; ne denique hostibus via muniatur ad impune insultandum eos, qui ne tota Germania opprimeretur, seipsos, suasque fortunas, & cives manifesto periculo exponere non dubitarunt. Istihac legatos, prout rei magnitudo requirit, pro sapientia, ac æquitate sua consideraturos spem sibi esse. Ast si præter expectationem contrarium acciderit, non se posse quin istis denuntient; si iisdem visum fuerit Principes in necessitatem conjicere omnia amittendi, eosque libidini hostium immolent, vitio iisdem datum non iri, si calamitate sua ita utantur, ut inde satisfactionem sibi quantum possint contra hujus autores quærant, nec commodis divinitus concessis se alia lege expolient, quam ut sibi alia commoda stipulentur adversus eos, qui tam liberaliter ipsos sacrificare voluerunt; penes quos & culpa residebit omnium malorum, quæ inde secutura sunt. Cæterum ne in ipsorum Principibus quid desideretur, quod jure ab his exigi possit, se eorundem nomine tanquam plena facultate instructos offerre, vel pacem cum hostibus in justas & æquas leges junctim cum Cæsareis conclusuros; vel si ejusmodi pax ab adversæ partis duritia extundi nequeat, eosdem consilia, opesque cum Cæsare ad strenue propulsandos hostes, mutuamque defensionem conjuncturos.* Ad ist hoc scriptum Cæsarei denuo Daniis, ac nostro confirmabant, sese in negotiis Daniæ Regem, atque Electorem spectantibus citra præviam cum ipsis communicationem nihil conclusuros. Quin adhuc omnia incerta esse. Enimvero mox compertum, paucas intra horas omnia fuisse transacta. Qua super re cum iidem graviter cum Cæsareis expostularent, hi excusabant: Hoc tractatu ipsorum Principibus parum præjudicii adferri. Cæsarem hac via tempus tantum lucrari, & intentatum a Gallo ictum exire voluisse. Nec eidem vitio dari posse, si, cum nullum remedium adpareat Gallorum irruptioni, & progressibus sistendis, seipsum, ac Imperium per peculiarem pacem manifesto periculo eripiat; cum Borealis pax ita brevi sperari nequeat. Præsertim cum utique Elector dudum in peculiares cum Gallo tractatus inclinarit, quo fine & Meindersius in Galliam profectus sit. 1679.

§. 22. Ita ergo nil supererat, quam ut Danici legati, ac Blaspielus adversus eam pacem protestationem scripto interponerent, his conceptis verbis *Legationes Danica, & Brandenburgica certiores factæ, Cæsaream legationem pacem cum Dominis legatis Gallicis pepigisse, & conclusisse particularem, exclusis non modo Regia sua Majestate Danica, & Serenitate sua Electorali Brandenburgica, sed & datis, acceptisque ejusmodi pacis conditionibus, & legibus, quæ in ipsarum præjudicium manifeste tendunt; suarum esse partium duxerunt Cæsareæ legationi hisce ob oculos ponere quantopere illa pax particularis & fœderum religioni, & toties data, toties repetita fidei, imo æquitati, ipsique justitiæ adversetur, ac repugnet. Exigunt enim fœdera, primo, ut nemo fœderatorum absque alterius participatione negotiationem pacis, vel armistitii aggrediatur, & quæ circa dictam negotiationem occurrunt, unus alteri invicem communicet. Secundo, ut nemo horum pacem cum hostibus communibus ineat particularem, sed tertio, ut alter alteri eadem jura, immunitates, executiones, prærogativas, & securitatem ab hostibus, eorumque adhærentibus, & fœderatis paciscatur, quae pro semetipso stipulatus, & adeptus est. Nullam autem harum fœderis legum a Cæsarea legatione observatam, sed contra multa in præjudicium suæ Regiæ Majestatis Danicæ, & suæ Serenitatis Electoralis Brandenburgicae ab ipsa acta, & peracta esse, in comperto est. Itaque prædictae legationes conqueruntur, primo pacem initam esse particularem, cum tamen ipsae simul illam etiam æquis, minimeque duris conditionibus facere, uti semper hactenus, ita hoc maxime tempore promtas, paratasque se esse ostenderint. Deinde plurimas & quidem maximi momenti res, quæ ad suos Serenissimos Dominos potissimum spectabant, ipsis insciis peractas. Fœderatorum porro Interesse, ac securitatem plane neglectam, & postbabitam; quin potius apertam hosti*

Protestatio Dani & nostri contra eam pacem. 24. Jan.

1679. *hosti viam, & occasionem relictam, datamque esse iis bellum inferendi, quos defendere oportebat. Denique quod omnium minime ferendum, legationem Caesaream praesentium legationum Danica, & Brandenburgica sese immiscuisse negotiis, inauditoque plane exemplo in prajudicium Regum, & Principum, ut & jurium, & libertatis omnium Imperii Statuum de iis tractasse, imo Imperii decreta, sententiasque pro defensione, & satisfactione quorundam ejus Statuum latas rescindere voluisse, quod ne ipse judex quidem partibus insciis, nec citatis, nec auditis facere potest, & eo minus a legatione Casarea fieri debuisset, cum nulla ab Imperio potestate ad hoc instructa sit, neque instrui potuerit, cumque ei Principes, ad quos hac res maxime spectat, nunquam in eam consenserint. Cum igitur hac procedendi ratione Sua Regia Majestas Daniae, & Sua Serenitas Electoris Brandenburgica graviter laedantur, non possunt non ipsarum legationes quam solennissime contra pacem istam particularem protestari; ac ea omnia repetere, qua antebac Casarea legationi in hac causa partim oretenus, partim scriptis proposuerunt. Contradicunt itaque paci huic particulari, & dissentiunt in omnibus & singulis, qua quidem contra religiose sancita fœdera, promissa, obligationes, jura, & securitatem Sua Regia Maj. Dania, & Sua Serenitatis Elect. Brandenb. in ipsarum prajudicium cum inimicis jam conclusa sunt, & declarant, quod pacta illa sint, debeantque esse invalida, irrita, & nulla: postremo reservant Sua Regia Maj. Danica, & Suae Serenitati Elect. Brandenb. qaecunque vigore fœderum, promissorum, constitutionum, decretorumque Imperii, vel ullo alio jure tituloque ipsis competunt & debentur.* Quæsierat Danus, & noster e Luneburgico, & Monasteriensi, num & ipsi huic protestationi subscribere vellent. Qui responderant, id seorsim se facturos. Cæterum mirum erat, cum Viennæ separata hæc pax tam anxie haut dissimularetur; legatos tamen Neomagi secreto eam tractare, ac Danum, nostrumque ad extremam usque horam illudere, subinde asseverantes, nil adhuc cum Gallis conclusum; quin & nullam aut saltem exiguam spem esse paci perficiendæ.

Pax subscribitur, 26. Jan. 5. Febr.

Cautio super decem oppidis Alsatiæ, aliisque.

§. 23. Enimvero Cæsarei protestationum securi ad absolvendam pacem descendere haut omittebant Qui tamen biduo ante scripto sibi caverant, quod articulus octavus in suo projecto positus in ipso Instrumento pacis Gallicæ omissus foret. *Postquam & rei aquitas, & varia Christianissimi Regis antebac facta contestationes non ita pridem a Serenissimo Electore Bavaria in publicis Imperii Comitiis repetita promittebant, controversias, qua Sacro Rom. Imperio cum Sua Regia Maj. Christianissima ratione decem civitatum unitarum & immediata Nobilitatis Alsatia, Vasallorum trium Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virodunensis, Episcopi & Diœcesis Basiliensis, Abbatiarum Murbacensis, & Luderensis, civitatis Argentinensis, aliorumque intercedunt, si de iis in hoc pacis congressu conveniri non posset, ad placitum antebac arbitrium remissum iri; non dubitaverat legatio Casarea, quin Excell. Dni. Gallia legati id admissuri fuissent. Cum vero eo induci non potuerint, praferentes se de iis controversiis nihil scire, aut informatos esse, maluit quidem legatio Casarea articulum, quem projecto suo pacis Casareo-Gallica inseruerat, omittere, quam paci ardentissimis omnium votis exoptata ulteriores moras poni; prius tamen ad protocollum Excell. Dnn. legatorum mediatorum coram ipsis Ser. Regis Gallia legatis solennissime protestata, per hanc omissionem nihil Imperii juribus prajudicari, sed ea potius uti in pace Monasteriensi, qua hoc tractatu, quem cum pramemoratis Excell. Dnn. Gallia legatis conclusum it, per omnia confirmata, fundata tunc sunt, sarta tecta servari. Quam interpositam protestationem legatio Casarea ante subscriptionem pacis hisce repetere, & Dnn. legatos mediatores simul enixe rogare voluit, ut eandem in futuram rei memoriam ad mediationis, & relationum suarum commentarios referre non graventur.* 1679.

Subscriptio porro pacis hoc ritu peracta est. Sub horam nonam vespertinam legati Cæsarei in curiam urbis se contulerunt, utrique in solitum sibi conclave. Ubi statim atque Galli intellexerunt Cæsareos adesse, Nobilem ad eos salutandos miserunt; quibus Cæsarei pari honore responderunt: simul indicantes per eundem quem miserunt Nobilem, se in conclave sequestris accessuros, statim atque norint legatos Gallos præsto esse. Gallis eo ingressis Cæsarei mox aderant, quos Galli aliquot a mensa passibus exceperunt. Ubi consedissent, Stratemannus exemplum Gallicum, Colbertus Cæsareum prælectum inter se contulerunt; illo incipiente, hoc sequente, alternatione laborem sublevante. Absoluta lectione ambo exemplaria Episcopo Gurcensi porrecta sunt, qui in prima columna nomen suum primo loco, inde sub eo Kinskius, demum Stratemannus adposuit. In secunda columna ex opposito Strada, sub hoc Colbertus subscripsit. Idem ordo servatus in subscribendo exemplari per Gallos confecto. Inde per Secretarios insignia legatorum sub cujusque nominibus ceræ impressa sunt. Eo peracto Cæsarei primi discessere, Gallis in eo conclavi relictis, qui & paulo post abiere. Eodem modo, & eadem hora pax postera die inter Cæsareos, & Suecos fuit subscripta, hoc tamen discrimine, quod post subscriptionem legati invicem verbis honoris defuncti sunt, datis dextris. Haut eo minus etiam Suecico Instrumento dies V. Februarii

1679. bruarii st. n. fuit adpositus, quod in tractatu Gallico mentio fieret tractatus eodem die signati inter Cæsarem & Suecum. Cæterum etsi subscriptio in conclavi Anglorum sequestrium fieret, ipsi tamen non aderant, nec subscribebant, utut a Rege suo id jussi essent, ac id facere decrevissent. Cujus rei causa erat, quod Angli prima columna subscribere vellent; id quod Cæsarei abnuebant. In id quoque conclave tunc nemini prohibitum introire, si quem curiositas ista videndi cepisset. Galli post dicebant; cum Belgis se artificiosam pacem fecisse; cum Hispanis artificiosam, & utilem; cum Cæsare artificiosam, utilem, & valde gloriosam; ultro insultantes, quos illuserant. Et constat, cum de absoluta hac pace in aulam Gallicam nuntiaretur, admirationem subiisse, quod creditum non fuerat, Cæsarem in omnia Galliæ postulata consensurum.

Pax Cæsareo-Gallica. §. 24. Pax autem inter Cæsarem & Gallum tunc conclusa hoc modo concepta erat.

In Nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis. *Notum sit omnibus & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest; postquam ab initio hujus belli aliquot abhinc annis moti inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Germaniae, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regem, Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, superioris & inferioris Silesiæ, Wurtembergæ & Teckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi, & Goritiæ, Marchionem S. Rom. Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ Slavonicae, Portus Naonis, & Salinarum, &c. ex una, & Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Ludovicum XIV. Franciæ & Navarrae Regem Christianissimum ex altera parte, Sacra Cæsarea Majestas, & Sacra Regia Majestas Christianissima nihil prius magisque in votis habuissent, quam per restitutionem pacis nunquam interrumpendæ tot provinciarum desolationem, & effusionem sangvinis Christiani sistere, tandem Divina bonitate factum esse, ut annitente Serenissimo & Potentissimo Principe ac Domino, Domino Carolo II, Magnæ Britanniæ Rege, qui difficillimis hisce Christiani Orbis temporibus Mediator universim receptus, cum immortali sua gloria, indefesso studio, pro tranquillitate publica & pace generali, consilia, & officia sua impendit, Sacra Cæsarea Majestas, & Sacra Regia Majestas Christianissima consenserint, ut congressus ad tractandam pacem hic Neomagi Geldrorum institueretur; comparentes igitur dicto loco utrinque legitime constituti legati extraordinarii, & Plenipotentiarii, a parte quidem Imperatoris Reverendissimus, Illustrissimi, & Excellentissimi Domini, Dominus Joannes, Episcopus Gurcensis, S. Rom. Imperii Princeps, atque Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius; nec non Dominus Franciscus Udalricus S. Rom. Imperii Comes Chinsky a Chinitz & Tettau, Dominus in Klumetz, Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius intimus, Camerarius Regius locum tenens, Provincialis Curiæ Regiæ Assessor, Appellationum Præses, aulaeque Regiæ in Regno Bohemiæ Præfectus; & Dominus Theodorus Althetus Henricus a Stratman Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius Imperii Aulicus; a parte vero Regis Christianissimi, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Dominus Godofridus Comes a Destrades, Franciæ Mareschallus, Regiorum Ordinum Eques Torquatus, Sacræ Reg. Maj. Christianissimæ in America Prorex, urbis & fortalitii Dunkerkii, omniumque locorum ab ea præfectura dependentium Gubernator; Dominus Carolus Colbert, Eques, Marchio in Croissy, Regi Christianissimo ab utrisque Consiliis Ordinarius; & Dominus Joannes Antonius de Mesmes, Eques, Comes in Avaux, Sacræ etiam Reg. Maj. Christianissimæ a sanctioribus consiliis; post invocatum Divini Numinis auxilium, mutuasque plenipotentiarum tabulas rite commutatas, interventu & opera Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum, Domini Laurentii Hyde, Armigeri; Domini Guilielmi Temple, Baronetti; & Domini Leolini Jenkins, Equitis Aurati, legatorum Extraordinariorum & plenipotentiariorum Sacræ Reg. Maj. Magnæ Britanniæ, qui munere Mediatoris pro concilianda tranquillitate publica ab anno 1675. huc usque, procul a partium studio, sedulo prudenterque perfuncti sunt, ad Divini Numinis gloriam, & Christianae Reipublicae salutem, in mutuas pacis & amicitiae leges convenerint tenore sequenti.* 1679.

I. Pax sit Christiana, universalis, & perpetua, veraque, & sincera amicitia inter Sacram Caes. Maj. & Sacram Reg. Maj. Christianissimam, earumque haeredes & successores, Regna & provincias, nec non inter omnes & singulos dictae Majestatis Caesareae fœderatos, praecipue Electores, Principes, & Status Imperii hac pace comprehensos, eorumque haeredes & successores ex una; & omnes & singulos fœderatos dictae Majestatis Christianissimae hac pace comprehensos, eorumque haeredes, & successores ex altera partibus;

1679. *partibus; eaque ita sincere servetur, & colatur, ut utraque pars alterius honorem, utilitatem, & commodum promoveat; sitque perpetua utrinque oblivio, & amnestia omnium eorum, quae ab initio horum motuum ultro citroque hostiliter facta sunt, ita nec eorum, nec ullius alterius rei causa vel praetextu alter alteri posthac quidquam molestiae directe vel indirecte, specie juris aut via facti, in Imperio aut uspiam extra illud, non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus, inferat, vel inferri faciat, aut patiatur; sed omnes & singulae hinc inde verbis, scriptis aut factis illatae injuriae, violentiae, hostilitates, damna & expensa, absque omni personarum, rerumve respectu ita penitus abolitae sint, ut quicquid eo nomine alter adversus alterum praetendere possit, perpetua sit oblivione sepultum. II. Et cum pax Monasterii Westphalorum 24. Octobris anno 1648. conclusa solidissimum hujus mutuae amicitiae, tranquillitatisque publicae fundamentum factura sit, restituetur illa in omnibus & singulis suo pristino vigori, manebitque imposterum sarta tecta, tanquam si hic ejusdem pacis Instrumentum de verbo ad verbum insertum legeretur, nisi quatenus eidem hoc tractatu expresse derogatum est. III. Cum vero vigore dictae Pacis Monasteriensis Sacrae Reg. Mag. Christianissimae perpetuum jus praesidii in fortalitio Philipsburgensi cum jure protectionis acquisitum, & dictum fortalitium armis Caesareis, Castrum vero & oppidum Friburgense armis Gallicis hoc bello occupatum sit, de hisce locis inter Sacram Caesaream, & Regiam Christianissimam Majestates convenit modo sequenti. IV. S. R. Maj. Christianissima tam pro se quam pro haeredibus & successoribus suis renuntiat, ceditque in perpetuum Sacr. Caes. Majestati, ejusque haeredibus & successoribus omne jus protectionis, perpetui praesidii, quicquid sibi virtute pacis Monasteriensis in castrum Philipsburgi competiit, nihil in dictum castrum, & in munimenta ei juncta, vel cis & trans Rhenum extructa, juris aut praetensionis, sibi suisque haeredibus ac successoribus, Regnove Galliae sub quocunque titulo vel praetextu reservans, non obstantibus quibuscunque legibus, constitutionibus, statutis, aut aliis in contrarium facientibus, utpote quibus omnibus & singulis hoc tractatu expresse derogatum sit. V. Vicissim S. C. M. tam pro se, quam haeredibus & successoribus suis, totaque Domo Austriaca renunciat, ceditque in perpetuum S. R. Maj. Christianissimae, ejusque haeredibus & successoribus castrum & oppidum Friburgense, cum tribus ad illud spectantibus pagis Lehn, Merzhausen, & Kirchzart, cum eorum bannis prout ad communitatem dicti oppidi Friburgensis pertinent, una cum omni proprietate, superioritate, jure patronatus, supremo dominio aliisque generaliter, quae sibi in dictum Friburgum competierint nihil sibi, haeredibus, & successoribus suis, aut Sacro Imperio juris, aut praetensionis sub quocunque titulo, aut praetextu in iis reservans, non obstantibus quibuscunque legibus, constitutionibus, statutis, aut aliis in contrarium facientibus, utpote quibus omnibus & singulis hoc tractatu expresse derogatum sit: salvis tamen ejus civitatis privilegiis, & immunitatibus antehac a Domo Austriaca impetratis, reservatis etiam Episcopo, & Ecclesiae Constantiensi jure dioecesano, reditibus, aliisque juribus. VI. Pateat Sacr. R. Maj. Christianissimae Brisaco Friburgum per territorium S. C. M. & Imperii ordinaria via (vulgo Landstraß) liber, sed innoxius transitus ad inducendos illuc milites, commeatum, & caetera ad praesidium Friburgense necessaria, quibus & quoties opus fuerit, sine impedimento aut obstaculo cujuscunque. VII. Nec fas sit commeatum militarem ad praesidium Friburgense necessarium in dicta via, & transitu Brisaco Friburgum, ullis exactionibus, vectigalibus, pedagiis aut passagiis sive novis sive antiquis onerare, & impedire. Placuit etiam annonam ad victum tam praesidii quam inhabitantium necessariam, quae ex quocunque Brisgoviae loco Friburgum inferetur, uti hactenus ita in posterum nullis, alias autem merces & res quascunque non gravioribus vectigalibus, aut impositionibus onerari, quam si in alia Caes. Majestatis subdita loca transferrentur, aut ab ipsismet ejusdem Caes. Majestatis subditis solverentur. VIII. Commissarii ab utraque parte nominandi intra annum a ratihabita pace statuant, quaenam debita legitime contracta dicto Friburgensi oppido solvenda incumbunt. IX. Curabit S R. M. Christianissima bona fide absque ulla mora & retardatione S. C. Mti restitui omnia & singula literaria documenta cujuscunque illa generis sint, quae in oppido & castro, Cancellaria Regiminis & Camerae, aut in aedibus & custodia Consiliariorum, aliorumque officialium, aut alibi tempore occupationis Friburgi reperta sunt; quod si talia documenta sint publica, quae dictum oppidum Friburgum, eoque spectantes tres pagos simul concernunt, de his inter praedictos Commissarios conveniet, quo in loco servari debeant, ita tamen, ut exempla authentica, quotiescunque requisita fuerint, edantur. X. Liberum sit non tantum Capitulo Basileensi, uti & omnibus & singulis Austriaci Regiminis, & Universitatis Friburgensis membris, verum etiam civibus, & incolis cujuscunque conditionis sint, qui emigrare voluerint, Friburgo domicilium alio, quocunque libuerit una cum mobilibus* 1679.

1679. *bus bonis sine ullo impedimento, detractione aut exactione intra annum a ratihabita pace transferre, immobilia vero aut vendere, aut retinere, & per se vel per alium administrare. Eadem quoque facultas retinendi & administrandi, aut alienandi omnibus aliis maneat, qui bona reditus vel jura in dicta civitate Friburgensi, sive tribus appertinentibus pagis habent. XI. Consentit tamen S. M. Christianissima dictum castrum & oppidum Friburgense una cum tribus appertinentibus pagis S. C. Mti restituere, si de aequivalente ad satisfactionem dictæ R. M. Christianissimæ conveniri possit. XII. Cum Dominus Dux Lotharingiæ hoc in bello cum S. C. Majestate conjunctus sit, & praesenti tractatu comprehendi voluerit, restituetur pro se, haeredibus, & successoribus suis in liberam & plenariam possessionem eorum statuum, locorum, & bonorum, quæ patruus ejus Dux Carolus anno 1670. (cum a Christianissimi Regis armis occupata fuerunt,) possidebat, exceptis tamen mutationibus articulis sequentibus explanandis. XIII. Urbs Nancei cum suo banno, (vulgo Finage) maneat perpetuum Coronæ Galliae unita & incorporata, ita ut illam S. R. M. Christianissima, ejusque haeredes & successores possideant cum omnibus superioritatis, supremi dominii, & proprietatis juribus: eique fini dictus Dux Lotharingiae tam pro se, quam pro suis haeredibus & successoribus renunciat, cedit, & transfert in perpetuum in alte memoratum Regem Christianissimum, ejusque haeredes & successores, omnia sine ulla retentione aut reservatione jura proprietatis aut supremi dominii, prærogativas omnes & praeminentias, quae Domino Duci in praedictam Nancei competierunt, aut competere debuerunt: non obstantibus ullis legibus, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, aut conventionibus in contrarium sancitis, quibus ut & clausulis derogationum cessatoriis per præsentem tractatum derogatum est. XIV. Et ut eo liberior inter supradictam urbem Nancei, ditionesque Coronæ Galliae subditas sit communicatio, faciliorque militi Gallico transitus, per Commissarios a Rege Christianissimo & prædicto Duce nominandos, viae dimidiatam Lotharingiæ leucam in latum complectentes designabuntur: prima qua S. Desiderii fano Nanceum; alia, qua Nanceo in Alsatiam; tertia, qua ab ipsamet Nancei urbe Vesovium in Comitatum Burgundiæ; quarta demum, qua Nanceo ad urbem Metensem conducant; ita tamen, ut prædictarum viarum designatio non aliter fiat, quam in designatione viæ anno 1661 Regi Christianissimo a quondam Duce Carolo cessa observatum fuit. XV. Omnia generaliter, uti supra dictum est, designanda loca, pagi, villæ, terræ cum suis dependentiis, quæ in his dimidiata leuca latitudinis viis jacent, cum omnibus tam superioritatis & supremi dominii, quam proprietatis juribus, quibus ante hunc tractatum prædictus Dux, & ejus prædecessores gavisi sunt, ad S. R. M. Christianissimam pertinebunt, ita tamen ut si dictorum locorum banna aut dependentiæ ultra hanc dimidiata leuca latitudinem se porrigant, quod trans illud spatium, limitesque a Commissariis appositos excurret, prædicto Duci ejusque hæredibus & successoribus, ut antea cum omni superioritate, supremo dominio, & proprietate remanebit. XVI. Urbs & præfectura Longvicensis una cum suis pertinentiis & dependentiis, cum omni superioritate, supremo dominio & proprietate maneat in perpetuum penes alte memoratum Dominum Regem Christianissimum, ejusque heredes & successores; nihilque juris imposterum in iis prætendere possit supradictus Dux, ejusque heredes & successores; sed in prædictæ urbis & præfecturæ permutationem S. R. M. Christianissima aliam dicto Duci cedet, in uno ex tribus Episcopatibus ejusdem amplitudinis & valoris præfecturam, de qua bona fide inter eosdem Commissarios conveniet; eaque sic cessa & in dictum Ducem a Rege Christianissimo translata, tam ipse Dux, quam ipsius heredes & successores fruentur in perpetuum cum omnimodis superioritatis, supremi dominii, & proprietatis, juribus. XVII. Vicissim etiam S. R. M. Christianissima pro se & Corona Galliæ cedit in compensationem dictæ urbis Nancei, transfertque in prædictum Ducem, ejusque hæredes & successores superioritatem, supremum dominium & proprietatem urbis Tullensis, & ejusdem suburbium cum aliis omnibus juribus, speciatim patronatus prærogativis & praeminentiis, quæ Coronæ Galliae in dicta urbe Tullensi, ejusque suburbiis & banno (vulgo Finage) competebant, aut competere debebant, ita ut praenominatus Dux, ejusque haeredes & successores iis omnibus sine ulla retentione aut reservatione plenarie fruatur; non obstantibus quibuscunque legibus, consuetudinibus, statutis, constitutionibus, aut conventionibus in contrarium sancitis, quibus ut & clausulis derogationum cassatoriis Rex Christianissimus expresse hoc praesenti Instrumento derogavit. XVIII. Si tamen bannum urbis Tullensis minoris amplitudinis aut valoris esset, quam bannum urbis Nanceanae, illud Domino Duci compensabitur, ita ut utriusque urbis banna aequalis amplitudinis sint, & pretii. XIX. Rex Christianissimus renunciabit, uti & praesenti tractatu renunciat in perpetuum pro se, haeredibus & successoribus suis ad manus summi Pontificis juri nominandi sive praesentandi Episcopum Tullensem, sibi a summo Pontifice Clemente IX. indulto, ita ut liberum sit prædicto Duci pro eo obtinendo ad sedem* 1679.

1679. dem Apostolicam recurrere. XX. Insuper conventum fuit, ut memorato Domino Duci ullam mutationem provisionibus beneficiorum, quae a S. R. M. Christianissima ad diem usque praesentis tractatus collata sunt, inferre nullatenus fas sit, illique qui iis provisi sunt, in tranquilla dictorum beneficiorum possessione maneant, adeo ut memoratus Dux eos nullo modo turbare, aut impedire, neque possessione exuere queat. XXI. Sancitum praeterea fuit, ut omnes processus, sententiae, atque decreta lata per Consilium, Judices, aut alios R. M. Christianissimae officiales in controversiis & actionibus ad finem perductis, tam inter subditos dicti Ducatus Lotharingiae & Barri, quam alios, tempore quo mentionati Status sub dominio alte memorati Domini Regis Christianissimi erant, locum habebunt, atque plenum integrumque suum sortientur effectum, non secus ac si Rex Christianissimus Dominus & possessor mentionatarum regionum mansisset, neque dictas sententias & decreta in dubium vocare, annullare, aut executionem illorum retardare aut impedire integrum erit. Erit quidem partibus licitum juxta ordinem & dispositionem legum atque constitutionum confugere ad revisionem actorum, interim tamen sententiae suo in robore & vigore maneant. XXII. Restituentur statim Domino Duci archiva & documenta literaria, quae in gazophylacio Nanceano & Barrensi, atque in utraque camera computorum sive alibi locorum habebantur, & ablata fuerunt. XXIII. S. C. M. consentit, ut Princeps Franciscus Egon Episcopus Argentinensis, ejusque frater Princeps Wilhelmus Egon in Furstenberg, cum eorum ex fratre nepote Principe Antonio Egone in Furstenberg, eorumque officialibus & ministris plene restituantur in eum statum, famam, dignitates, jura, vota, sessiones, beneficia & officia, bona feudalia, subfeudalia & allodialia, una cum fructibus sequestratis, & in omnia generaliter bona, quibus ante destitutionem occasione hujus belli factam gavisi sunt, aut jure gaudere potuerunt, non obstantibus, & cassatis quibuscunque in contrarium actis, pactis & decretis. Praedictus etiam Princeps Wilhelmus Egon statim a pace utrinque ratihabita in integram libertatem restituetur. Quicquid autem a Capitulo Argentinensi, aliisque, qui beneficia, & bona ad praedictos Episcopum & Principes spectantia administrarunt, & ab iisdem nominatis officialibus contra illos dictum, factum, aut scriptum est, perpetuae oblivioni mandetur, nec liceat eos desuper ulla ratione compellare, aut iis molestiam sub quocunque praetextu afferre. XXIV. Restituantur omnes utriusque partis Vasalli & subditi Ecclesiastici & seculares honoribus, dignitatibus & beneficiis, quibus ante

bellum exortum gaudebant, uti & in universa bona mobilia & immobilia, reditus mobiles, & qui redimi possunt, occasione belli confiscata, & occupata, una cum juribus, actionibus, & successionibus, quae ipsis durante etiam bello evenerint, ita tamen, ut nihil ratione fructuum & redituum post confiscationem & occupationem perceptorum ex bonis mobilibus, reditibus & beneficiis ad diem usque ratihabitae pacis peti possit; similiter neque debita, effecta, merces, & mobilia ante memoratum diem fisco addicta, adeo ut neque creditores privatorum debitorum, nec depositarii talium effectorum & mercium, eorumque haeredes, aut causam ab iis habentes ea persequi, aut restitutionem seu satisfactionem praetendere unquam queant: quae restitutiones juxta praedictam formam etiam ad eos extendentur, qui partes contrarias secuti fuerint; atque proinde per hunc tractatum in gratiam sui Principis redibunt, uti & in sua bona, qualia tempore conclusionis, & subscriptionis hujus tractatus fuerint: haecque ita executioni mandentur, non obstantibus ullis donationibus, concessionibus, declarationibus, confiscationibus, commissis, sententiis interlocutoriis & definitivis, & ex contumacia, partibus absentibus & non auditis, latis; quae sententiae & res judicatae nulla erunt, & perinde habebuntur, ac si judicatae & pronunciatae non essent, plena libertate & integra manente dictis partibus in patriam redeundi, ex qua antehac excesserunt, utque vel ipsi dictis bonis, mobilibus, censibus, & reditibus frui, aut alibi ubicunque ipsis visum fuerit, domicilium figere possint, prout elegerint, omni violentia penitus exclusa. Si vero alibi morari voluerint, ipsis fas sit per procuratores non suspectos bona & reditus administrare, iisque frui, exceptis tamen beneficiis residentiam requirentibus, quae personaliter administrari, & obire debebunt. XXV. Ea de quibus inter S. C. M. & Imperium, & Regem, Regnumque Sueciae tam pro se, quam pro Duce Gottorpiensi hodie convenit, hoc tractatu comprehensa intelligantur, ita ut tam praesens, quam praedictus tractatus Caesareo-Suecicus unus idemque censeatur, & ejusdem virtutis ac valoris sit, ac si huic Instrumento de verbo ad verbum insertus esset. XXVI. Et cum publicae tranquillitatis intersit, bellum, quod S. R. M. Christianissima, Regique & Regno Sueciae cum Rege Daniae, Electore Brandenburgico, Episcopo Monasteriensi, & Principibus Domus Luneburgicae, Episcopo Osnabrugensi, & Ducibus Zellensi, & Guelferbytano adhuc intercedit, quantocyus etiam componi, S. C. M. non minus apud praedictos Principes, quam S. R. M. Christianissima apud Regem Sueciae officia sua efficacissime interponet, ut pax inter prememoratas Potentias quamprimum etiam coalescat, 1679.

1679. *sciat, eique fini Eadem in Armistitium paci conciliandæ accommodatum statim consentiant. Quod si vero præter expectationem officia hæc optatum finem non assequantur, Cæsarea Majestas, & Status Imperii hac pace comprehensi promittunt, se elapso armistitii tempore prædictos Galliæ, Sueciæque hostes nullo modo, aut sub quocunque prætextu directe vel indirecte juvaturos, aut ullum in hoc bello gerendo Galliæ, Sueciæque impedimentum allaturos, nec passuros, ut prædictorum Galliæ, Sueciæque hostium copiæ hiberna vel stativa extra ipsorum territoria in Imperio capiant. Manebit etiam liberum S. R. M. Christianissimæ ad prædictum solummodo finem in sequentibus in Imperio locis tenere præsidium, dominis tamen locorum, eorumque subditis innoxium, & sumtibus Regis Christianissimi sustentandum, scilicet in oppidis & urbibus Chasselet, Huy, Verviers, Aquisgrano, Duren, Linnik, Nuys, & Zons, in quibus nova munimenta extrui non poterunt, nisi in quantum dictorum præsidiorum securitati necessaria erunt, & justam suspicionis causam præbere non possint; nec fas erit Regi Christianissimo ea loca ratione expensarum inibi factarum, aut quocunque alio prætextu retinere, sed ea evacuabit, & restituet iis, a quibus occupavit, statim atque pax inter prædictas partes quoad provincias in Imperio sitas conclusa & ratihabita fuerit, aut ad eam restabiliendam aptiora communi consensu inventa fuerint media. Et vicissim S. R. M. Christianissima promittit, se præsentes Cæsaris aut Imperii hostes nullo modo sub quocunque prætextu directe vel indirecte juvaturam: sit etiam liberum Cæsari & Imperio conjungere cum Rege Christianissimo officia, consilia & operam, ut bellum illud communi etiam consensu quantocyus sopiatur. XXVII. Juxta pacem Monasteriensem articulo secundo in omnibus confirmatam reciproce restituantur, & restituenda loca evacuentur bona fide. In quem finem Commissarii eodem tempore, quo tractatus hic utrinque ratihabebitur, nominentur, ut prædicta evacuatio & restitutio intra spatium mensis a ratihabita pace absque ulteriori dilatione absolvatur, iis locis hic interim non comprehensis, de quibus præcedenti articulo ad tempus aliter dispositum est. XXVIII. Cum ab antiquo controversia sit de castro & Ducatu Bullionensi inter Episcopum & Principem Leodiensem, & Duces ejus nominis, conventum est, ut Duce Bullionensi in ea in qua nunc est possessione manente, controversia illa amicabili via, vel per arbitros a partibus intra trimestre a ratihabita pace nominandos terminetur, via facti penitus exclusa. XXIX. Simul atque Instrumentum pacis hujus a Dominis legatis extraordinariis & plenipotentiariis subscriptum & signatum fuerit, cesset omnis hostilitas. Si quid autem post quatuordecim dies a subscripta pace attentatum fuerit, id quamprimum reparari, & in pristinum statum restitui debeat XXX. Contributionum vero exactio ab una vel altera parte iis provinciis, ditionibus & locis impositarum, quæ dictis contributionibus ante subscriptionem hujus tractatus se submiserunt, continuabitur usque ad præsentis tractatus ratificationem, & quod tum temporis residuum debebitur, intra quatuor mensium spatium a dicta ratihabitione pendetur: ita tamen ut earum solutio post communicatas reciprocas ratificationes via facti ab iis communitatibus exigi non possit, quæ per idoneos fidejussores cavebunt, se debitam quantitatem in ea urbe, de qua conveniet, numeraturos. XXXI. Licet satis declaratum sit art. 2. hujus tractatus, Instrumentum Pacis Monasteriensis in omnibus & singulis confirmari; expresse tamen placuit, ut omnia, quæ in causa Montisferrati dicto Instrumento Pacis Monasteriensis cauta sunt, & deinceps suum obtineant robur & vigorem, inter quæ & ea specialiter firma manebunt, quæ pro Domino Duce Sabaudiæ ibidem provisa reperiuntur. XXXII. Et cum S. C. M. & S. R. M. Christianissima officia & studia Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, quæ conciliandæ paci universali, & tranquillitati publicæ indesinenter impendit, grato animo agnoscant, utrinque placuit eum una cum Regnis suis præsenti hoc tractatu omni meliore modo nominatim comprehendi. XXXIII. Comprehendantur etiam hac pace illi, qui ante permutationem ratificationis, vel intra sex menses postea ab una vel altera parte ex communi consensu nominabuntur. XXXIV. Imperator, & Rex Christianissimus consentiunt, ut omnes Reges, Principes, & Resp. super executione & observantia tam omnium quam singulorum, quæ præsenti tractatu continentur, alte memoratis S. C. M. & S. R. M. Christianissimæ guarantiam præstent. XXXV. Pacem hoc modo conclusam promittunt utriusque partis legati Extraordinarii & Plenipotentiarii respective ab Imperatore & Imperio, & Rege Christianissimo ad formam hic mutuo placitam ratihabitum iri, seque infallibiliter præstituros, ut solennia ratihabitionum instrumenta intra spatium octo septimanarum a die subscriptionis computandum, vel citius, si fieri poterit, hic reciproce riteque commutentur. XXXVI. Et cum S. C. M. ab Electoribus, Principibus & Statibus Imperii vigore conclusi die 31. Maji anno 1677. legatis Gallicis sub sigillo Cancellariæ Moguntinæ extraditi, decenter requisita fuerit, ut dictorum Electorum, Principum & Statuum Imperii interesse per suam Cæsaream legationem*

in

1679. *in hoc congressu agi cœperet, tam Cæsarei quam Regii legati nominibus supradictis præsens pacis Instrumentum in omnium & singulorum eo contentorum fidem, majusque robur subscriptionibus, sigillisque propriis munierunt, & competentes ratificationes formula conventa, termino supra constituto, sese extradituros polliciti sunt, nec ulla a Directorio Imperii Romani contra subscriptionem hujus tractatus recipiatur, aut valeat vel protestatio, vel contradictio. Acta hæc sunt Neomagi die 5. Februarii Anno Domini MDCLXXIX.*

Quædam circa eam pacem nota. §. 25. Circa eam pacem animadversum, articulo 26. quæ de iuduciis tradebantur ambigue posita fuisse, quæ ita explicari poterant, quod si Boreales fœderati inducias inire nollent: id quod in eorum arbitrio positum erat, eas quoque non desituras; eoque Cæsarem, & Imperium non posse obstringi, quo minus fœderatis auxilium ferant, aut quo minus impediant, ne iidem a Gallis, Suecisque bello petantur. Unde Galli circa ea verba ejusmodi explicationem Cæsareos poscebant, ut obligatio Cæsaris, & Imperii ab induciis haut pendeat, sed ut is sensus sit: si officia, quæ conciliandæ Boreali paci impendere animus sit, non sufficiant, Borealibus fœderatis omne auxilium denegandum, contra Gallis, & Suecis nullum impedimentum adferendum, quo minus armis adversus istos utantur. Sed Cæsarei isthanc interpretationem defugiebant, causati, se jam avtographum tractatus Viennam misisse; nec sibi fas quidquam circa id mutare. Unde spem conceperat Blaspielus, istud data opera ambigue positum, ut prætextum foret ratihabitionem pacis abnuendi. Sed Elector eam spem inanem judicabat. Nam postquam pacem insuper habita omni obligatione præcipitarant, haut verosimile erat ob tam levem causam eos pacem bello commutaturos. Id quoque circa eam pacem notabatur, quod cum Cæsarei formulæ suæ pacis Gallicæ articulo primo reparationem damnorum a Gallo Ordinibus datorum stipulati essent, id eos postea in subscripto tractatu omisisse, eoque in contradictorio de ea destitisse. Quo ipso Ordinibus plus præjudicii allatum erat, quam si nunquam de damnorum reparatione tetigissent. In protestatione quoque paci præmissa Ordinibus eo nomine competentem actionem non reservarant, uti circa alia eodem Instrumento omissa fecerant. Cum etiam Cæsar accolis Superioris Rheni demolitionem Philipsburgi promisisset, Cæsarea legatio id festinatione sua eluserat, ne Gallus post elapsum præfixum diem eam demolitionem velut conditionem pacis exigeret. Denique & altius penetrabat, quod cum Cæsar conventum fœderatorum Francofurtum indixisset ad deliberandum de pace & bello, legati interim pacem deproperarint. Unde credebatur ea indictione fœderatis fucum factum, ejusque expectatione istos in securitatem datos, ne quis ipsorum pacem præverteret.

Peculiaris contra usurpationem le- §. 26. Non insuper quoque habendum, Cæsaream legationem haut aliud documentum exhibuisse, quo autoritatem sibi assumeret de Imperii negotiis tractandi, quam SCtum Ratisponense die 31 Maij anno 1677. conditum; cujus hic erat sensus. *E decretis Cæsareæ Majestatis ad primarium ipsius Commissarium Marquardum Aichstadiensem Episcopum missis circa negotiationem pacis Neomagi instituendam, & Ordinum eodem legationem Electores, Principes, ac Status Cæsarem super eo negotio declarationem perspexisse. Ea re per tria Imperii Collegia in consultationem deducta placuisse; Cæsari pro singulari in promovendam pacem studio gratias agendas, eumque rogandum, ut necessarium hoc, & salutare negotium tranquillando Imperio ulterius quoque cordi habeat. Tum ut juxta dictatum pacis Westphalicæ articulo 8. de omnibus, quæ circa idem agentur mature communicet, quo ab universis Ordinibus ista pro re nata maturæ deliberationi subjici, ac pro more sua sententia eidem exponi queat. Sperare quoque Cæsarem legatis ibi suis injuncturum, ut eorum Ordinum legatis, qui ibi comparituri sint, circa pervincenda sua desideria sedulam operam navent.* *gationis Cæsareæ protestatio.* Id SCtum Cæsar isthoc rescripto confirmarat. *Uti ipse de paterna circa salutem Imperii cura, & quod nihil eorum, quæ ad tutam, stabilem, & honestam pacem faciunt, in se desiderari passurus sit, Ordinibus subinde confirmarit, ac eorum, quæ hucusque Neomagi acta sint, subinde copiam iis fecerit, singulorum quoque ibi insinuatis desideriis quantum detur velificaturus: ita se deinceps quoque huic congressui de omnibus, quæ Neomagi agenda sint, exacte communicaturum, & ipsis inconsultis nihil ad summam rei spectans conclusurum: nec minus suæ legationi injuncturum, ut Ordinum ibi legatos circa æqua sua desideria obtinenda pro virili fulciant.* *6. Jul. 1677.* Ast cum legatio Cæsarea nihil minus quam ad normam istius SCti Neomagi processisset, Blaspielo e re visum adversus agendi modum ab ista adhibitum protestationem in hunc sensum interponere. *Meminisse Cæsaream legationem, se in protestationibus adversus separatam Cæsaris cum Gallo & Sueco pacem inter alia questum, eam nomine universorum Imperii Ordinum complura negotia, quæ absque horum prævia notitia & consensu a Cæsare expediri non possint, ea pace definire aggressam. Eum conatum cum legati e SCto die 31 Maij anno 1677. adstruere instituerint, nulla tamen ejusdem, uti petitum fuerit, communicatione facta, quam ipse post aliunde obtinuerit; ex eo statim se perspexisse, eam rem aliter, atque jactatum sit, se habere, ac id SCtum haut quidquam facere ad adstruendam autoritatem, quam ipsi sibi arrogarint, sed potius tacitam contradictionem, & Protestationem adversus ejusmodi tractatus pacis legitima forma destitutos continere. Nam eo SCto Cæsarem ab Ordinibus fuisse requisitum, ut postquam is de studio circa pacem promovendam testatus sit, id tam necessarium & salutare Imperio negotium deinceps quoque cordi habeat. Tum ut ad normam Pacis Westphalicæ, & ultronea promissa de omnibus, quæ subinde inter tractatus pacis agantur, mature communicet, quo Ordines pro re nata istis in deliberationem deductis Cæsari sententiam exponere queant. Denique ut Cæsar legationi suæ injungat, quo eorum Ordinum legatis ibi compariturus ad obtinenda sua desideria enixam operam navent. Hic Ordinum petitis Cæsarem rescripto suo per omnia annuisse, addito, se circa primarium negotium inconsultis Ordinibus nil conclusurum. Ast quam parum Cæsarea legatio huc respexerit & quam parum ejusdem ausa ex hoc SCto adstrui queant.* *2. Febr.*

1679. *ant, facile adparere, si ista cum hoc comparentur. Nam nunquam Cæsarem ab Ordinibus requisitum fuisse, ut Electorum, Principum, & Statuum Imperii interesse per suam Cæsaream legationem in hoc congressu agi curet, uti eadem heic asseruit; sed tantum ut Cæsar negotium pacis, prout ultro obtulit, deinceps quoque ad salutem, & quietem Imperii cordi habeat. Ordines quoque id non ita simpliciter, & sine exceptione petiisse, multo minus suo jure cessisse, sed prius eorum quæ agantur communicationem postulasse. Unde gravem hisce querendi causam esse, per legationem Cæsaream de summa rerum ad extremum conclusa conventui Ratisponensi ad deliberationem, ac legato Brandenburgico heic præsenti rite, aut justo tempore haut fuisse communicatum, sed obiter, ac per partes, ac fere post rem transactam. Ordines quoque SCto voluisse communicata deliberationi subjicere, ac super iis Cæsari sententiam suam exponere. Ast uti a Cæsare debitam communicationem haut factam, ita nec Ordines ante absolutos tractatus de iis consultare, nec sententiam suam Cæsari exponere potuisse. Quin Cæsaream legationem insciis, & non consentientibus Ordinibus circa summam rerum, & maximi momenti negotia propria autoritate transegisse, non sine gravissimo istorum præjudicio, eorundemque juribus magnopere læsis. Denique tantum abesse, ut Cæsarei Ordinum legatis Neomagi agentibus circa obtinenda sua desideria operam navarint, ut potius hisce insciis atque invitis, quæ iisdem commissa fuerant negotiis sese ingessisse, ac inter alia in fraudem Electoris Brandenburgici circa complura cum hostibus transegisse. Cum itaque legatio Cæsarea directe adversus commune Ordinum decretum egerit, ac suscepta proprio ausu negotiatione libertatem, & jura omnium Ordinum, ac peculiariter Electoris Brandenburgici enormiter violarit, ac insuper in majorem imminutionem istorum jurium in fine pacis Gallicæ addiderit protestationes, & contradictiones, quæ forte nomine Imperii contra subscriptionem separatæ hujus pacis interponendæ sint, non recipiendas, nec valituras; omnia autem, hoc modo adversus Auream Bullam, Cæsaream Capitulationem, Constitutiones Imperii, ac contra pacis Westphalicæ articulum octavum a Cæsarea legatione admissa ipso jure invalida, & irrita sint: se non posse quin denuo super usurpatis, ac turbatis a Cæsarea legatione omnium Ordinum, ac peculiariter Electoris Brandenburgici juribus quam solennissime protestetur, ac ejusdem acta ipso jure nulla pro talibus quoque agnoscat. Tum Electori Brandenburgico omnia ex Aurea Bulla, Capitulatione Cæsarea, legibus Imperii, & Pace Westphalica competentia jura reservare. Denique circa reliqua præjudicia a Caesarea legatione adversus fœdera & alia jura Electori Brandenburgico per separatum illum agendi modum, & tractatum intentata, se ad varias antea factas demonstrationes, monita, contradictiones, & protestationes provocare, quas heic repetere velit; ac confidere Cæsarem de hac re rite informatum, quin & Galliæ Regem, qui ad stabilienda Ordinum jura, ob quorum infractionem tantum sanguinis profusum fuerat, tantum laboris Pace Westphalica impendit, eaque se tuiturum subinde adhuc testatur, agnituros, ista pacta velut ipso jure nulla rejecturos, nec ut ea rata habeantur unquam concessuros.* Isthanc protestationem legati Cæsarei perlectam Blaspielo redhibuerunt.

§. 27. Nec minus ablegati Luneburgici, ut ut isti Duces eodem cum Cæsareis die separatam pacem inivissent, Cæsareorum paci isthanc protestationem opposuerunt. *Serenissimorum Principum Domini Ernesti Augusti, Domini Georgii Wilhelmi, & Domini Rudolfi Augusti, respective Episcopi Osnabrugensis, & Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium ministri Plenipotentiarii intelligentes Exc. Cæs. legationem cum Gallica particularem iniisse pacem, & in eo esse, ut idem cum Suecica quantocyus peragat, officii sui esse existimarunt, dictæ legationi Cæsareæ exponere, quanta cum consternatione & ægritudine perceperint, Exc. Dnn. Legatos non solum posthabitis Serenissimis Ducibus separatam composuisse pacem, quod tamen & ipsum fœderi, quod cum Sacra Cæs. Maj. Serenitatibus suis intercedit, & cujus tenore non aliter quam conjunctim, & pari cum ipsis passu inchoanda illa, multo magis constituenda erat, contrariatur; sed & ejusmodi in ea conditionibus adstipulatos esse, quæ dicto fœderi æque, quam legibus & constitutionibus Imperii manifesto reclamant, quæque & ab Augustissimi Imperatoris officio aliena sunt, & sacrum, quo Status Imperii continetur, vinculum solvunt. Etenim cum Serenissimi Duces, quorum merita erga Imperium satis innotuerunt, quique non aliam ob causam, quam quod pro eo certarunt, Reges Galliæ, Sueciæque hostes habent, in hostium Coronæ Galliæ numerum referuntur, simul omne ab Imperio ipsis detrahitur auxilium, armis quoque exponuntur, contra quæ concives suos pro viribus defenderunt. Cum vero hac ratione maximum accipiant detrimentum, ac præsentissimo periculo onerentur, & supra memorati Domini legati Cæsarei ne quidem eo usque dictæ pacis conclusionem extrahere voluerint, quo infra scripti ministri tractatibus hujus loci accedere, & ut adversa pars mandatis ad id necessariis sese instrueret, obtinere potuerint; infra scripti ministri omittere non possunt, quin contra hanc a Cæsarea legatione initam particularem pacem quam solennissime, & optima qua fieri potest forma, protestentur, reservantes Serenissimis Ducibus, Dominis suis clementissimis omnia & singula jura, quæ ipsis vigore fœderis, Constitutionum Imperii, & usu gentium ullo modo competunt, & in conspectu hujus orbis concilii declarantes, excusatos illos fore ab omnibus istis malis, quæ per separatam hanc pacem Sacrum Romanum Imperium poterunt manere.* Adversus articulum 28. duntaxat protestationem interponebat Elector Coloniensis tanquam Episcopus Leodiensis, & Capitulum Leodiense, quæ circa Ducatum Bullionensem ibi disposita sint, citra ullum ipsorum mandatum, aut consensum inserta fuisse, neque inseri debuisse; quod notorium sit, eum Ducatum ab Imperio separatum, & independentem esse; eoque sperare integrum jus Ecclesiæ Leodiensi fore, quæ nullas in præsenti bello partes habuerit. 1679. Luneburgica protestatio, 25. Jan.

§. 28. Pacis inter Cæsareos, Suecosque initæ ingressus iisdem verbis, quibus Gallicæ, constabat, nisi quod loco Gallicorum legatorum Suecici Benedictus Oxenstierna, & Joannes Paulin Olivecranz substituti essent. Articuli tales erant. *I. Sit pax Christiana, inviolabilis, ac perpetua, veraque, & sincera amicitia inter Sac. Cæs. Majesta-* Instrumentum Pacis Cæsareo-Suecicæ.

1679. *Majestatem, Romanum Imperium, eorumque omnes & singulos fœderatos hac pace comprehensos, & singulorum hæredes & successores ab una: atque Sac. R. Majestatem, Regnumque Sueciæ, & ejusdem fœderatos hac pace comprehensos, atque singulorum hæredes ac successores ab altera parte; ideoque statim cessent omnes cujuscunque generis hostilitatum actus per omnia, & quævis utriusque partis Regna, Status, ditiones, ac provincias ubicunque sitas, inter omnes & singulos eorundem subditos & incolas, cujuscunque fuerint conditionis, ita ut altera pars alteri nihil posthac inimicitiæ aut damni, clam aut palam, directe vel indirecte, per suos vel per alios inferri faciat, sed potius utraque pars alterius utilitatem, honorem, & commodum promoveat, atque sic utrinque fida vicinitas, atque reciproca studiorum & officiorum pacis & amicitiæ necessitudo restituta maneat, & perennet. II. Et quo accuratius huic rei caveatur, placita est utrinque perpetua oblivio & amnestia omnium eorum, quæ a primordio horum motuum quocunque loco modove ab una vel altera parte ultro citroque inimice, aut hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri quidquam hostilitatis, molestiæ, vel impedimenti quoad personas, res, jura, vel securitatem per se vel per alios, clam aut palam, directe vel indirecte, specie juris aut via facti, in Imperio aut uspiam extra illud (non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus,) inferat, vel inferri faciat, vel patiatur; sed omnes & singula hinc inde tam ante bellum quam in bello, verbis, scriptis aut factis illata injuria, violentiae, hostilitates, præjudicia, damna, expensæ, absque omni personarum respectu ita penitus abolita sint, ut quicquid eo nomine una pars adversus alteram prætendere possit, perpetua sit oblivione sepultum. Gaudeantque pariter hac eadem amnestia, ejusque beneficiis & effectu omnes & singuli utriusque partis Vasalli ac subditi, ita ut nemini noxæ, damnoque sit, aut præjudicio has vel illas partes secutum esse, quo minus pristino, in quo ante bellum immediate fuit, status quoad honores, & bona plene restituatur. III. Juxta hoc universalis ac illimitatæ amnestiæ fundamentum, & ut præsentis pacis, ac amicitiæ eo certior regula inter partes paciscentes constituatur, mutuo consensu conventum est, ut pax Westphalica, Osnabrugis die 24. Octobris anno 1648. sancita, sit firma basis, ac omnimoda norma hujus pacificationis, ita ut pristino suo vigori restituta imposterum sarta tecta sit, maneatque, æque ac ante hos præsentes belli motus, pragmatica Imperii sanctio, & lex fundamentalis, qua iterum partes paciscentes mutuo obligatæ, & obstrictæ sint invicem, non obstantibus, sed annullatis quibuscunque actis, decretis, mandatis vel mutationibus per hos belli motus in contrarium factis. IV. In majus autem amicitiæ, & arctioris conjunctionis robur neuter paciscentium ulla fœdera huic paci contraria habeat, neque posthac ulli tractatui, vel negotiationi in alterius damnum vel præjudicium tendenti consensum suum det, sed potius talibus adversetur, neque hostibus alterius, sive his, qui præsenti tempore hostes sunt, sive iis, qui posthac existere poterunt, ullam omnino auxilium milite, armis, munitionibus, navibus, nautis, ullisve rebus bellicis, pecuniave ac belli subsidia, sive directe sive indirecte, sive privato sive publico nomine præstet, nec eosdem ullis stativis vel hibernis in Imperii, vel Regni Sueciæ ditionibus juvet, aut juvari faciat, salvo guarantiae articulo infra descripto. V. Cum tranquillitatis publicæ intersit, bellum quod S. R. Majestati Regnoque Sueciæ ejusdemque fœderatis cum Rege Daniæ, Domino Electore Brandenburgico, Episcopo Monasteriensi, & Ducibus Brunsuigo-Luneburgicis, Osnabrugensi, Zellensi, & Guelferbytano adhuc intercedit, quantocyus etiam Sac. Cæs. M. & Imperium tam per se, quam juncta opera cum aliis officia sua ad pacem conciliandam efficacissime interponent, salva semper inter Cæsarem & Imperium, atque Regem, Regnumque Sueciæ de hostibus mutuo non juvandis anteriori articulo sancita reciproca obligatione. Quamdiu autem pax inter prædictas partes non coaluerit, nullum omnino afferetur S. R. Majestati Sueciæ in bello contra prædictos suos hostes gerendo obstaculum vel impedimentum; pace vero facta ea hoc tractatu ita comprehensa intelligatur, quasi hic specifice inserta esset. VI. Redeant utrinque libera negotiandi commercia terra marique, sintque, & maneant subditis S. Cæs. Majestatis & Imperii, inprimis civitatibus Hanseaticis in Regno, provinciis, ditionibus, & portubus Sueciæ, & vicissim subditis Sueciæ in Imperio eadem libertas, immunitas, jura, privilegia, & emolumenta, quibus ante hos belli motus mutuo gavisi sunt. VII. S. C. M. pro munere Cæsareo Domino Christiano Alberto, Slesvici, & Holsatiæ Duci Gottorpiensi, non minus quam reliquis Imperii Statibus juxta leges constitutionesque Imperii protectionem suam impertietur, ut eidem ditiones in Imperio sita, & competentia jura sarta tecta sint, interponetque officia, ut reliqua etiam controversia inter Regem Daniæ, & prædictum Ducem componantur. VIII. Imperator & Rex Sueciæ consentiunt, ut Rex Magnæ Britanniæ, tanquam Mediator, ut & omnes Reges, Principes, & Respublicæ super executione, & observantia tam omnium quam singulorum, quæ præsenti tractatu continentur, alte memoratis Sac. C. M. & S. R. Majestati Sueciæ guarantiam præstent. IX. Et cum Sacra C. M. & S R. M. Sueciae officia & studia Serenissimi Magnae Britanniae Regis, quae conciliandae paci universali, & tranquillitati publicae indesinenter impendit, grato animo agnoscant, utrinque placuit, eum cum Regnis suis praesenti hoc tractatu omni meliori modo nominatim comprehendi. X. Comprehendantur praeterea hac pace illi, qui ante permutationem ratificationis, vel intra sex menses postea ab una vel altera parte de communi consensu nominabuntur. Ea quoque de quibus inter Sacram Cæs. Maj. ac Imperium, & Regem Christianissimum convenit, hoc tractatu comprehensa intelligantur, eodem plane loco habenda, ac si huic verbotenus inserta essent. XI. Pacem hoc modo conclusam promittunt legati extraordinarii & plenipotentiarii supradicti ab Imperatore & Imperio ex una, & Rege Sueciae ex altera partibus, ad formam hic mutuo placitam ratihabitum iri, seque infallibiliter praestituros, ut solemnia ratihabitionum instrumenta intra spatium octo septimanarum, a die subscriptionis computandum, aut citius, si fieri possit, hic reciproce, riteque commutentur. XII. Et cum Sacra Cæs. M.* 1679.

 ab

1679. *ab Electoribus, Principibus & Statibus Imperii vigore conclusi die 31. Maji anno 1677. legatis Suecicis sub sigillo Cancellariæ Moguntinæ extraditi decenter requisita fuerit, ut dictorum Electorum, Principum ac Statuum Imperii interesse per suam Cæsaream legationem in hoc congressu agi curaret; tam Cæsarei, quam Regii legati nominibus supradictis præsens Pacis Instrumentum in omnium & singulorum eo contentorum fidem, majusque robur subscriptionibus, sigillisque propriis munierunt, & competentes ratificationes formula conventa, termino supra constituto, sese extradituros polliciti sunt; nec ulla a directorio S. Rom. Imperii contra subscriptionem hujus tractatus recipiatur, aut valeat vel protestatio, vel contradictio. Acta hæc sunt Noviomagi die V. Febr. anno MDCLXXIX.*

Cæsareorum legatorum declaratio. §. 29. Huic Instrumento legati Cæsarei isthanc declarationem addebant. *Cum de articulo tertio tractatus Cæsareo-Suecici multum difficultatis fuerit, cui tollendæ Excell. Dnn. legati Suecici palam contestati sint, dispositionem istius articuli eo extendi non posse, ut a Sacra C. M. & Imperio Principes in bello manentes, articulo V. nominati ad restitutionem Pacis Westphalicæ Osnabrugensis obligari debeant, sed virtute articuli V. hanc rem ad particulares Tractatus remitti; se tamen hanc suam declarationem in tractatu, cui subscripturi sint, admittere non posse, legatio Cæsarea operæ pretium duxit, Excell. Dominos Mediatores ante tractatus Cæsareo-Suecici subscriptionem enixe rogare, ut prædictam Dnn. legatorum Sueciæ declarationem, a nobis acceptam, congruo loco ad mediationis & relationum suarum commentarios referre non graventur: & simul meminisse, quod articulus projecti Cæsareo-Suecici de telonio Warnemundensi, & juribus Dnn. Ducum Meclenburgensium, uti & civitatis Bremensis in ipso tractatu ideo tantum omissus sit, quod Domini legati Suecici constanter negarint, se de his ab aula sua ob impeditam correspondentiam necdum informatos, & instructos esse, Cæsarea vero legatio eam ob rem ulteriores moras paci poni noluerit, cum etiam absque ejusmodi stipulatione jura clara sint, & Cæsaris & Imperii protectione tuta.*

Protestatio contra hanc pacem. 25. Jan. §. 30. Pridie quam hæc pax subscriberetur, Danica & Electoris legatio ejusmodi protestationem contra eam interposuit. *Legationes Danica & Brandenburgica intelligentes Cæsaream legationem cum Suecicis Dnn. legatis in id incumbere, ut pax quoque inter suam Caf. Majest. & suam Reg. Maj. Sueciæ propediem componatur, sibi persuadent, Cæsaream legationem cum Dnn. Legatis Suecicis saltem pacem haut pacturam esse particularem, exclusis iis, quibus præcipue bellum cum Suecia est. A qua quidem injuria eam eo alieniorem fore confidunt. Primo, quod jam inde ab initio tractatuum Serenissimi ipsorum Domini magna cupiditate pacem cum Suecia æquis conditionibus faciendi flagrarint, eorumque legationes nihil quidquam, quod eidem promovendæ inservire potuit, omiserint. Deinde, quod eo fine prædictæ legationes jam aliquot abhinc hebdomatibus Domino Mediatori Anglico projecta pacis tradiderint, reddenda Dominis legatis Suecicis, statim ac ex sua quoque parte aliqua exhibuerint. Præterea, quod concedendo Suecicis legatis liberum literarum commercium omnem prætextum refugiendi pacis negotiationem subtraxerint. Denique quod causa Regis Sueciæ a causa Regis Galliæ multum differat. Cum hoc namque Cæsarea Sua Majestas & Imperium bellum gessere solenne; contra illum vero, qua Statum Imperii, & fractæ pacis publicæ reum, & condemnatum, judicis officio defuncti fuere, non nisi mandatis pœnalibus contra eandem decretis & publicatis. Quocunque autem modo Sua Cæs. Maj. cum Sua R. Majestate Sueciæ reconciliabitur, prædictæ legationes a Cæsarea contendunt, ut ne quid contra leges, constitutiones, fidejussionem, decretaque Imperii, & contra religiose sancita fœdera, promissa, obligationes, & alia quæcunque jura in Serenissimorum Dominorum suorum præjudicium agere, facere, aut omittere velit. Quod si vero Cæsarea legatio præter omnem spem, neglecta hac multiplici obligatione in præjudicium eorum quidquam fecerit, aut omiserit, hoc casu prædictæ legationes non possunt, quin de injuria, damnisque Serenissimis suis Dominis hac ratione illatis quam solennissime protestentur. Repetentes quæcunque contra Cæsareo-Gallicam pacem declararunt, Serenissimisque Dominis suis reservarunt.* 1679.

Protestatio Nuntii Pontificii. §. 31. *Haut abs re quoque fuerit protestationem Nuntii Pontificii heic inserere, sedis Romanæ in Rempublicam Germanicam affectum exprimentem, cujus stabilem concordiam illa a multis retro seculis rationibus suis adversam duxit. Aloysius Dei & Apostolicæ sedis gratia Patriarcha Alexandrinus S. D. N. Innocentii divina providentia Papæ XI. Nuntius extraordinarius. Acerbissimis discordiis ardente Christiana Rep. cum Beatissimus Innocentius XI. ad Apostolici muneris onus esset evocatus, nihil majus in votis habuit, quam quod vehementissime adhuc Cardinalis concupierat, ut conciliatis Catholicorum Principum animis, exoptata tandem tranquillitas tot afflictis diuturno bello, iisque florentissimis provinciis restitueretur. Nullus ideo nec precibus apud Deum, nec officiis, & hortationibus apud Principes huic paternæ suæ sollicitudini defuit: donec ad tractatus generales*

1679. *rales pacis in hac urbe institutos me immerentem, ac tanto muneri imparem Charitatis suæ interpretem delegit, omnibus iis consiliis posthabitis, quæ in contrarium suadere videbantur. Cum igitur me huc contulissem, omni studio ac contentione, sicuti omnibus notum est, pro virium mearum tenuitate curavi, ut superatis iis difficultatibus, quæ gravissimum bellum protrahebant, concordia tandem coalesceret, ea tamen semper mente, & fiducia, ne quid injuriæ, ac detrimenti in ipsa pacis sanctione orthodoxæ religioni, atque Sedis Apostolicæ, & Ecclesiarum juribus inferretur. Sed quotidie magis divina misericordia operante rebus ad compositionem tendentibus, maximo animi mei angore percepi inter Principes belligerantes concordiam ita parari, ut pacificatio Westphalica pro illius norma, basi & fundamento constitueretur. Quapropter non solum præsentiam meam a postremis hisce tractatibus subduxi, ac pacis subscriptioni interesse nolui, ne exinde aliquid roboris, aut assensus præsenti pacificationis Westphalicæ confirmationi adjicere viderer, verum etiam ne ullo unquam tempore silentium meum pro acquiescentia interpretari possit, nec non obviam iturus quibusdam aliis præjudiciis, inhærendo tum speciali ejusdem S.D.N. Papæ mandato, de quo ex literis in forma Brevis sub die 14. Maji 1678. ad me datis plene constat, tum protestationi per Episcopum Nerithonensem Nuntium Apostolicum die 26. Octobris anni 1648. interposita adversus præjudicia per pacem Westphalicam Catholicæ religioni, & S. Sedis, ac Ecclesiarum Germanicarum juribus illata, atque subsecutæ præfatorum præjudiciorum revocationi & irritationi per felicis memoriae Innocentium X: sub dato Romæ 26. Novembris ejusdem anni 1648. Cum demum inhærendo declarationibus, ac protestatio per me ore & scripto factis, & repetitis ab Excell. D. D. Legatis Imperialibus, & Gallicis, ejusmodi pericula tempestive præveniendo, sub diebus 30. & 31. Octobris anni proxime elapsi exhibitis, solemniter declaro, & protestor omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma, quibus pro officii mei ratione possum, & debeo, me quamvis tractatibus pacis generalis in hac urbe sanciendæ præsentem nullatenus consensisse, vel etiam consentire confirmationi dictæ pacis Westphalicæ, aut cuicunque alteri, vel minimo Religionis Catholicæ, Sedis Apostolicæ, ac quarumcunque Ecclesiarum præjudicio, ac detrimento; imo prædictam pacem ea qua fungor autoritate rursus reprobo, & impugno, juraque tam S. Sedis, quam quarumcunque Ecclesiarum salva & illæsa, non obstantibus verum annullatis omnibus, & quibuscunque actibus, pactionibus, ac tractatibus in contrarium facientibus, fore & esse omni meliori modo, ut supra declaro, & protestor, ita ut nullo unquam tempore mea, ut supra, acquiescentia, aut consensus allegari valeat Ad quorum omnium & singulorum ampliorem, diuturnioremque notitiam, atque evidentiam apud absentes quoque & posteros adstruendam, has præsentes literas manu mea subscriptas, ac majori meo sigillo munitas extare volui. Datum Neomagi septimo Februarii. 1679. A. Bevilaqua. Patr. Alexand. Augustinus Pinchiavius Nuntiaturæ Apost. Auditor.* Non omittendum quoque fuerit, in ea pace mentionem Pontificis velut sequestris ideo haut factam, quod in mandato Nuntii positum esset, eum emissum *ad utrumque Regem,* non expresso ad Galliæ, & Hispaniæ Regem, quasi Pontifex non agnosceret prærogativam Galli, quam hic contra Hispanum sibi asserebat. 1679.

Consultatio super præsenti rerum statu. 21. Febr.

§. 32. Ast Elector, postquam Cæsarei in pacem ruissent, quid hac rerum facie facto opus foret, ad Consiliarios referebat. Ubi omnes satis agnoscebant, quam sinistre aula Cæsarea cum Electore egisset; quam turpes conditiones pacis pro Cæsare & Imperio obtentæ forent, quam noxiæ pro fœderatis, quam indecores ad posteritatis memoriam. Haut eo minus ex omnibus indiciis colligi, ratihabitionem utique secuturam. Non posse tamen non Electorem omnia remedia tentare huic inhibendæ, ac bello continuando, num honestior pax obtineri queat. Et quia Cæsarea aula duo potissimum requiret, si bellum sibi persequendum sit; ut fœderati exercitus suos ipsi alant; nec evictionem bello partorum a Cæsare stipulentur: utut difficile sit futurum exercitum absque hospitiis, & subsidiis sustentare, tamen si & hæc conditio probetur, mox adpariturum, num bellum aulæ Cæsareæ cordi sit. Ac haut eo minus, ubi denuo Cæsar in bellum descenderit, curam pro servando Electoris exercitu eidem suscipiendam. Ast ubi aula Cæsarea quæ offerantur plane adspernetur, eo magis seipsam injuriæ damnaturam, ac Electori tanto plus juris adquisitum iri eo nomine apud Cæsarem querendi, ac de acceptis damnis satisfactionem postulandi. Deinde quanquam Electori svadendum non sit bellum continuare, ni spes Pomeraniam obtinendi sit: id tamen non a Cæsaris sponsione, sed a successu armorum contra Gallos proventurum. Unde si nova pacta cum Cæsare sint ineunda, istum articulum sicco pede prætereundem, ac nude priori fœderi insistendum, ubi Electori satisfactio laxis verbis promissa sit. Ast si Cæsar, uti verosimile videtur, pacem firmaverit, duro rem loco fore, quod tunc Elector solo cum Dano destituendus sit. Nec enim certius quid fore, quam eo casu Monasteriensem quoque, ac Luneburgicos sibi solis res suas habituros. Quod si igitur Gallus qualibuscunque conditionibus oblatis permoveri nequeat, ut totam Pomeraniam Electori concedat, aut saltem Sueci tutelam ne suscipiat; eum solum Galliæ potentiæ sustinendæ haut parem futurum; eoque præstare quantacunque Pomeraniæ parte adquiescere. Nam si maxime Bavarus,

1679. ius, & Saxo officium tractatui cum Suecis conciliando offerant; haut tamen credendum iisdem cordi fore, Electorem tota Pomerania potiri; ac præcipue Saxonem duras conditiones propositurum, puta ut Magdeburgica ditio adhuc unius hominis ætatem penes Saxonicam domum maneat. Porro firmata Cæsaris pace, ac Electore solo in armis persistente, hospitiorum nullam amplius copiam fore; omnes eidem adversaturos, velut per quem Germaniæ quiete frui haut liceat; tum transitum nostro militi negaturos, hostibus contra velificaturos. Westphalicas quoque ditiones hosti in prædam cessuras, exercitum attenuandum. Nec eo magis plenam a Suecis securitatem adquirendam, his in Bremensem provinciam restitutis, ubi Germaniam inquietandi occasio defutura non sit. Enimvero haut ideo ad desperata consilia descendendum. Nam uti nunc Elector favente Numine ab istorum oppressione summa cum gloria sese liberavit; ita nec in posterum compescendis Suecis remedia defore.

Super ea pace Viennæ expostulationes.

3. Febr.

§. 33. Ast Viennæ, cum nuper tam magna spes fœderatis facta esset, adparatu belli non parum fervente, nuntius de perfecta pace omnia evertebat. Eam Cæsar admodum sibi displicere ostendebat, ac tota aula detestabatur; quam & Crocovius non segniter exagitabat. E Cæsareis ministris, qui paci contradixerant, legatos mandata transgressos clamabant. Qui pacem ingesserant, haut eo minus eam noxiam, inhonestam, intutam agnoscebant; ei tamen utcunque excusandæ veteres, ac novæ querelæ occinebantur. Fœderatos haut uti par erat cum Cæsare egisse. Omnia sibi adquirere, nil ut Cæsari adcrescat voluisse. Huic non satis auxilii adversus Gallos præbitum. Fœderatos in tertium usque annum circa exercitum ad Inferiorem Rhenum parandum sategisse, nullo effectu. Nunquam Cæsari obtemperatum fuisse, neque circa suscipiendas bellicas actiones, esse in hospitiorum negotio. Nec spem esse Francofurti solidi quid peractum iri. Valde quoque exaggerabatur, quod Spanius jactasse diceretur, se nulli Cæsareo duci pariturum, qui non sublimiori militiæ gradu, atque ipse foret. Nam Viennæ fixum sedebat, Cæsareo duci in Electoralem, aut Principalem pari dignatione nulla vetustatis prærogativa imperium deberi, ubi junctim rem agant, idque semper ita usu fuisse receptum. Addebatur periculum Rhenani tractus, & quam jejune hinc arma adversus ingruentem tantam molem parentur. Ni pax prævertisset, a Gallo Coloniam, Treviros, Bonnam fuisse opprimendam. Totam Germaniam anxie pacem exposcere, Denique ab omnibus fœderatis separatos cum Gallo tractatus agitari, ac inprimis Meindersii in Galliam iter ingentem suspicionem injecisse. Hanc cum Blaspielus Cæsareis legatis eximere studuisset, hi magna cum dissimulatione testati fuerant, ejus profectionis rationes sibi probari, nec ex ea sinistri quid metuere. Ast nunc acta sua potissimum ejus itineris prætexto excusabant, qui & literas suas ad Cæsarem ita ordiebantur: *Cæsarem sine dubio miraturum, tantopere a se fuisse festinatum, ac pacem in eas leges admissam. Sed se judicasse,* 1679. *ipsum temporis articulum urgere, nec sibi expectandum, quoad Meindersius Lutetiam advenerit, ibique cum Gallis transegerit, ac Brunsuicenses Duces, Monasteriensisque tractatus suos fere adornatos absolverint. Sane constare sibi Meindersii negotiationem longe provectam, eique jamjam supremam manum imponendam. Ac facile judicari posse, si is Suecos a Gallia disjungere aggrediatur, majora emolumenta Galliæ esse promittenda, quam a Suecis præstari potuerint; quæ non nisi in fraudem Domus Austriacæ & Imperii tendere queant.* Quem colorem fingi manifestum erat, cum legati Cæsarei satis nossent, eo tempore Electori adhuc fixum sedisse, ne unum quidem Pomeraniæ vicum restituere, Suecis ad assem amissa omnia repetentibus. Sed nec tunc iisdem constare poterat, Meindersium Lutetiam pervenisse, multo minus ibi quid tractasse. Quin iidem post istius Neomago discessum Blaspielo confirmarant, se Gallorum conditiones haut admissuros, nec absque prævia communicatione quid conclusuros. Ac ut maxime Meindersius negotiationem suam in Gallia auspicatus fuisset, haut ideo tam trepida istorum festinatio excusabatur, cum ex conditiones, quæ nunc arripiebantur, semper patuissent, ac ob eam festinationem Galli ne hilum remisissent. Quid quod initium peculiaris tractationis non ab Electore, sed a Cæsareis profectum esset; qui dudum cum hoste non super Cæsaris solum, sed & fœderatorum negotiis egerant, nulla cum his communicatione. Quin constabat, eam pacem ob solam in Boreales fœderatos invidiam fuisse præcipitatam. Debuisse quoque exitum Francofurtensis conventus expectari; aut si in antecessum constabat, eum inanem fore; quare fœderatos eo invitatos, ac de expeditione futuri anni tantum strepitum excitatum? Ad quæ Cæsarei nil aliud quod reponerent habebant, quam, si cursor, qui ante duas septimanas hinc dimissus sit, ante conclusionem Neomagum pervenisset, pacem haut perficiendam fuisse. Cum demum e Crocovio quæreretur, quid ad extremum desideret? hic respondebat; quia Cæsar fateatur, legatos præter mandata egisse, extra dubium a se haberi, eum pacem haut probaturum. Quis enim credat, eidem respectum trium virorum propriæ existimationi, & securitati, patriæque, & tot fœderatorum saluti antehabiturum? Ad quæ isti; Cæsarem super hoc deliberaturum. Simul interrogabant, num ipse præstare velit, reliquos fœderatos audito hoc de pace nuntio non jam & ipsos conclusisse? Enimvero non sperandum erat pacem haut ratihabitum iri. Nam dudum Viennæ asseverarant, legatis Neomagensibus injunctum nil nisi sub spe rati concludere. Qui haut eo secius velut vi mandatorum pacem citra exceptionem absolverant, ac Cæsarem peculiari articulo ad ratihabendum obstrinxerant. Nec minus tamen quæ ad instruendum exercitum faciunt non aliter properabantur, ac si hoc anno expeditio utique suscipienda

scipienda foret; id quod bono fœderatorum fieri dicebatur, ut Gallis in Cæsareum exercitum respiciendum sit, ne ita longe in Germaniam penetrent, ac circa Boreale negotium faciliores sese exhibeant. Ac Cæsarem intra tempus ratihabitioni præfixum laboraturum, ut fœderatis ex æquo satisfiat, modo postulata sua moderari velint, ac iis desistere, quæ in præsens præstari nequeant. Nam optabat iste, id negotium brevi absolvi, ne iterum bello implicaretur, si fœderati Boreales sese obfirmarent; simul quia metuebat, ne hi ad ultionem sumendam Gallo se innectant. Interim jactabatur; modo Cæsari cautum sit, fœderatis constantiam duraturam, eum conventa haut ratihabiturum. Sed metuendum esse, ne post Cæsaream pacem fœderati quoque utcunque decidere properent. Cum fœderatorum tamen ministris consilia conferenda, sed secretissime, ne id Gallis ante tempus innotescat. Unde & congressu Francofurtensi supersedendum ne isti suspicione perstringantur. Ac optandum esse, fœderatorum legatis mandata inpromtu esse, ut omnia heic sine strepitu expediri queant.

Elector ratihabitionem pacis impedire nititur.

§. 34. Ast Elector ea pace cognita ad Crocovium literas eum in sensum dabat: *Quod tamdiu timuerit, & quod aula Caesarea in Belgis tam asperis verbis detestata fuerit, id jam Neomagi ab ipsis Caesareis patratum, separata cum Gallis pace perfecta Imperio noxia, & ignominiosa, fœderatis summae fraudi cedente. Sibi quidem suo loco relinquendum, Viennae tam exiguam eorum rationem habitam, quae ipse pro Caesare, & Imperio indefesso studio, magno cum fructu, maximis sumtibus exhibuerit. Sane neminem majore fide, constantia, periculo rem gerere potuisse. Nunc non posse non sese maximo dolore perstringi, postquam videat, sua tam egregia, ac insitata acta secundante Divino Numine hoc bello patrata, articulo XXVI, quem ipse Strätemannus* funestum *vocet, tam fœde oblivioni data. Sane fœderatorum res non adeo conclamatas, ut hostis potentia tantopere formidanda sit, ac ut ideo tam turpes, & periculosae conditiones subeundae sint. Quod hostis hucusque praevaluerit, quosdam fœderatorum praecipue in causa fuisse, qui distorta agendi ratione Imperium Gallis pro horum libidine insultandum prostituerint. Bellum ab Imperio contra exteros hostes decretum, ad id tandem aliquando ab horum injuriis liberandum, ad Ordines in tutum collocandos, ac ut iidem turbandis nostris negotiis excludantur. Qui huic decreto non sine fortunarum periculo satisfecerint, torvum adspici; in eorum fraudem cum hostibus iisdem insciis pacta iniri, quasi in patriam atrociter deliquerint. Unde Ordinibus necessitatem allatum iri, ut deinceps exteris se illigent. Et sic quod per bellum evitatum ibatur, per pacem jam plane stabiliri.* Ista omnia Crocovius Cæsari, ejusque ministris modeste ob oculos ponere jubebatur, simul rogare, ut non obstante Neomagensi pacto, ejusque articulo XXVI. ipsius causam commendatam habeant, nec sua merita toti orbi cognita ejusmodi exitu maculari patiantur: quin potius pari generositate sibi respondeant, & ad amplius deinceps de ipso merendum animum addant. Tum inprimis expendant, ni Marchia, & sua victoria Cæsareas ditiones in tuto collocasset, gravissimum easdem periculum fuisse mansurum. Denique operam daret, ut ratihabitionem plane impedire, aut extrahere possit.

Is conatus frustra est. 13. Febr.

§. 35. Vocabatur inde Crocovius una cum Danico, & Luneburgico ministro ad colloquium; sed quo nullum operæ pretium fiebat. Judicia quoque aulæ super hac pace in diversum abibant. Ipse Cæsar ob eandem singulari dolore perfusus fuerat; ac omnibus, qui de ista ipsi gratulabantur, silentio, aut aspero obtutu respondebat. Idem in consilio dicebat, nunquam se tanto terrore perculsum, quam cum Comitem Rosenbergium conspiceret; qui Neomagi moratus fuerat, ut Pacis Instrumentum adferret. Hunc Kœnigseckius hisce verbis exceperat: *dolere sibi, ipsum hoc facto orbi innotescere, quod Cæsari tam turpem pacem adferat.* Plerique in legatos invehebantur, qui inter tractatus quinquies nova mandata petierint, & nunquam tamen ea expectarint, sed semper suo arbitrio rem deciderint, antequam mandata adferri possent. Quod & nunc contigerit. Unde Viennæ credi non potuisse eos conclusuros; quod non solum interdictum ipsis fuerit, etsi tunc literæ nondum Neomagum allatæ forent, sed & antehac mandata non habuerint ad ejusmodi leges admittendas. Qua in re multum Neoburgico tribuebatur, cujus sententiæ legati magis se attemperarint, quam per Cæsaris mandata fas fuerit. Haut eo magis spes erat eam pacem irritam fore. Unde, & Cæsarei in colloquio ambigue differere, ac truncatis verbis insinuare, forte rem adhuc restitui posse; sed simul valde cavebant, ne Gallis suspicandi ansam præberent, velut ratihabitionem recusaturi essent. Nam si fœderati arma ponerent, Cæsar tunc solus destituendus erat. Cæsar quoque confirmabat, si ante dictum ratihabitioni diem certo sibi constet, Electorem, & Luneburgicos seorsim haut transegisse, sed bellum in Gallos persequi decrevisse, ratihabitionem suam haut secuturam. Enimvero sibi non verba, sed rem ipsam repræsentandam; tum exacte noscendum, quo tempore Elector e Borussia movere, ac ad Rhenum esse velit. Sed & super conditionibus, ac præcipue super evictione nil difficultatis movendum. Nam tutissimam evictionem in hoc consistere, ut Gallus in ordinem redigatur. Atque id peculiaribus cursoribus ad Electorem, & Duces referri postulabat. Cæterum Viennæ de Electore quidem nullo modo, sed de Luneburgicis valde dubitabant; citra quos Cæsarem, & Electorem bello haut sufficere arbitrabantur. Cæsar quoque ad extrahendum permutandæ ratihabitionis diem id negotium Ratisponam remittere volebat. Sed contradicebant Crocovius, Danus, & Lu-

1679. & Luneburgicus, quod ibi sine dubio qualiscunque pax probanda sit; eoque Cæsari prætextum nasciturum fœderatis sese excusandi. Cum etiam Crocovius extrema verba pacis Gallicæ argueret, velut adversa fronte juribus Ordinum repugnantia; eadem quoque in consilio Cæsaris improbabantur, ac legati male fecisse judicabantur. Ac Cæsarem Ratisponæ publice declaraturum, ea verba se inscio & invito tractatui inserta, quæ ipse nulla, & irrita declaret: ita ut cuivis Ordinum integrum sit futurum contradictionem interponere. Kœnigseckius quoque dicebat; Cæsarem Ordinibus ratihabitionem haut suasurum, nec ullo verbo eam sibi gratam fore indicaturum, sed libertatem suffragiorum illibatam iis relicturum. Et si maxime ratihabitio sequatur, inducias tamen inde incipere, per quas Cæsar omnem operam impensurus sit, ut fœderatis satisfiat. Quin si Cæsar quocunque tempore occasionem perspecturus sit bellum cum spe successus continuandi, nec voluntatem, nec prætextum ipsi defore, velut qui nunquam magis quam nunc in Gallos irritatus fuerit. Articulum quoque vicesimum sextum ambiguum, & cui multa litis materia insit. Quid enim per *præsentes Imperii hostes*, & per *bellum istud* intelligatur, se non capere. Denique persistentibus in bello Borealibus fœderatis pacem hanc durare non posse.

Elector ulterius apud Cæsarem instat. *27. Febr.*

§. 36. Elector porro ne quid intentatum relinqueret, non tantum Ledeburium ad conventum Francofurtanum ablegarat, sed & denuo per Crocovium Viennæ demonstrari jubebat noxam, & ignominiam Imperio e Neomagensi pace proventuram; ac inprimis quantopere ipsa reip. fundamenta labefactanda sint, si evulgetur, illorum duntaxat res bene habere, qui a Gallo pendeant, utpote qui solus fœderatis suis cavere, & ab adversa parte quicquid cupiat extorquere norit. Quod si itaque Cæsari placeat bellum eousque persequi, quoad communis, eaque honesta pax obtineatur, se quamprimum anni tempestas ferat, cum proprio exercitu XX M bellatorum constante ad Rhenum iturum, ac deinceps omni ope pro communi causa connixurum; modo caveatur, aliter deinceps secum, quam nunc Neomagi, actum iri, ac ut sibi liquido de Cæ-

4. Mart. saris mente constet. Enimvero Viennæ fructus ejus pacis satis prospiciebant, ac ultro differebant; Gallum jam Cæsari auxilia Imperii, & fœderatorum ademisse. Nunc eum Domum Austriacam in Italia invasurum, quo Cæsari copiæ sint mittendæ. Ex altera parte per Turcas, & rebelles Hungaros eandem distracturum, quibus compescendis Imperium, & fœderatos ne unum militem auxilio missuros. Cæsari ■ solis suis provinciis bellum gerendum, ac multo duriore conditione eum fore, quam si præsens bellum continuasset. Ejusdem autoritatem, & affectum in Imperio plane extingvendum. Gallos omnibus se negotiis ingesturos, ac per emissarios suos omnium aularum consilia temperaturos; ac si cui Ordinum auxilio opus sit, Gallum magis quam Cæsarem respiciendum. Ast Cellensis pax iis, qui fortiter adhuc loquebantur, quicquid supererat animorum ademerat, 1679.
cujus Domus ab aliquo tempore actiones satis portenderant, quid ab ipsa sperandum foret. Ac Neomagenses a se acta præcipue obtentu ejus pacis tuebantur. Et quia Cæsarei consilia sua circa persequendum bellum a constantia ejus Domus velut a conditione suspenderant, nil amplius Vienna expectandum erat. Ad eam perturbationem, quam Luneburgica pax pariebat, accedebat indies gliscens erga Joannem Austriacum diffidentia. Equidem dissoluta connubii spes inter Regem Hispaniæ, & Cæsaris filiam excusari poterat rationibus domus, disparitate ætatis, & quod Regi expediret matrimonium maturari. Sed jam credebantur isti peculiaria commercia cum Gallo intercedere; cujus favore idem Infantem Portugalliæ ducturus sit, & alia fabricaturus, queis amicitia inter Viennam, & Madritum plane dissolvenda sit. Sed & tres Ecclesiastici Electores junctim, nec minus tres Seculares, aliique primarii Ordines Cæsari de pace gratulati erant, ejusque ratihabitionem, atque executionem suadebant, acta legatorum laudibus ferentes. Sed de præjudicio per eum tractatum juribus Ordinum illato, nullum verbum; nec ejus emendatio quærebatur, sed cæco impetu pax urgebatur omnibus aliis respectibus insuper habitis, ipsa Cæsarea aula mirante. Unde & Viennæ jam præcipue ad Hungariam respiciebatur, ubi damna alibi accepta reparandi spes erat, si maxime bellum Turcicum surrecturum esset; quod parum metuebatur. Electori autem, qui bene cupiebant, ut quibuscunque conditionibus decideret, suadebant, neu rem ad extrema deduceret; quod in præcipuis Germaniæ aulis magna adversus ipsum æmulatio glisceret. Ac inter Bavarum & Saxonem super fœdere actum fuisse, quo Cæsarem & fœderatos ad pacem compulsuri erant; cui plurimi Ordinum, ac post suam pacem Luneburgici quoque nomina daturi sint.

§. 37. Ejus fœderis formulam, seu *projectum*, uti vocant, cum ad illustrationem hujus negotii non parum faciat, heic inserere non abs re fuerit. *Fœderis inter Bavarum & Saxonem formula.*

Fœdus publicum.

Notum sit omnibus, quorum interest, quod inter Serenissimum Principem ac Dominum, D. Ferdinandum Mariam Electorem Bavariæ &c. nec non Serenissimum Principem ac Dominum D. Joannem Georgium Electorem Saxoniæ &c. pro reducenda pace inprimis in S. R. Imperio, & pro defensione utriusque ditionum, ac subditorum, ut & pro avertendis cujuscunque generis exactionibus perniciosis transitibus militaribus, & hibernis sequentes confœderationis articuli conclusi sine. I. Obstringunt se mutuo ambo Domini Electores ad sinceram, & perfectam amicitiam inter se colendam, ita ut alter alterius commoda, ac salutem omni studio promoveat, suosque ad Imperii, & alios conventus missos ministros eo instruat, quo de omnibus rebus fideliter invicem communicent, consiliaque sua

1679. *totaliter conjungant ac uniant, ut in omnibus ad deliberandum propositis materiis, inprimis quæ negotium pacis concernunt, ex uno velut ore loquantur, votaque sibi invicem omnino conformia proferant. II. Et quoniam durante bello hocce permissæ enormes exactiones, onera, desolationes, & exitium multarum ditionum, ac subditorum opere ipso satis indicent, quam male in eo factum sit, dum propter alia negotia Imperium fuerit involutum, Ser. is Dnn. Electoribus consultum visum est tam apud Suam Cæs. Maj. quam præsentem Imperii conventum Ratisponensem, nec non ubicunque locorum id utile ac proficuum erit, serias adhortationes instituere, ut tandem res, ac commoda Imperii a peregrinis litibus separentur, & carissimæ nostræ patriæ Germaniæ pristina quies, & tranquillitas restituatur. III. Et cum maxime res in eo versetur, ut pax Westphalica salva inviolataque maneat, ambo Dnn. Electores omni studio, solicitudine, ac zelo in hoc incumbent, ac operabuntur, ut quod contra eandem hactenus admissum est, iterum mutetur, ac restabiliatur. IV. Cum etiam dictæ paci Westphalicæ, ordinationi executionis, multisque aliis Imperii constitutionibus, ac legibus omnino contrarium sit, liberum aliquem Imperii Statum transitibus, hibernis, contributionibus, aliisque bellicis exactionibus, impostis, ac oneribus quocunque tandem nomine venire possint, propria autoritate premi, ac vexari, mutuo se obligant, ac obstringunt laudati Dni. Electores, quod ejusmodi pressuras, ac incommoditates neque a quopiam suorum Constatuum in Imperio, nec ab ullo alio, quisquis is esse possit, ullo modo tolerare, sed ab omnibus istis unita, ac valida manu, in quantum vires eorundem permittunt resistere, & si opus fuerit, secundum omnium gentium jura vim vi repellere, seque in suis ditionibus, ac juribus conservare, ac manutenere velint. V. Ad quem finem ambo Electores XX M. equitum & peditum ita in parato habebunt, ut ad omnem requisitionem pro necessaria mutua defensione quantocyus colligi, & in campum educi possint. VI. Quemadmodum etiam in eum casum, si uni dictorum Dominorum Electorum in suis ditionibus vis aliqua inferatur, & uti jam indigitatum est, contra Instrumentum pacis Westphalicæ, aliasque Imperii leges ac constitutiones noxii transitus, biberna, aliaque exactiones intententur, alter obligabitur vim passo dimidia parte copiarum supra nominatarum sine mora suppetias ferre, easque copias post factam requisitionem spatio trium, aut si aliter fieri nequeat, quatuor septimanarum infallibiliter sistet, & tamdiu operari sinet, donec vis vi repulsa, & pro illatis damnis debita compensatio facta fuerit. VII. Ille qui auxilium tulerit, copiis suis stipendium militare, ut par est persolvet, regimen vero penes requirentem erit, qui præterea* 1679. *ad nihil aliud tenebitur, quam ut necessarium commeatum, & avenam æquo pretio advehi ac vendi, fœnum vero gratis dari curet; ab utraque vero parte disciplina militaris exactissime observabitur. VIII. Tormenta campestria, & quicquid ad eorum usum necessarium est, ab illo suppeditabitur, qui auxilium requirit, & in cujus ditionibus operationes bellicæ fient. Quantum vero ad ipsas operationes attinet, de iis semper fidelissime, prout amicos ac confœderatos decet, communicatio instituatur, & amicabiliter invicem conveniatur. IX. Et cum fœdus hoc in nullius offensionem, sed tantummodo ad utriusque partis ditionum ac subditorum conservationem, ad recuperandam ab omnibus tantopere desideratam pacem ac tranquillitatem, ac uti supra dictum est, ad avertendas molestissimas, & intolerabiles exactiones bellicas initum sit, liberum relinquunt ambo Dnn. Electores vicinis suis Constatibus ac Circulis, an huic confœderationi accedere velint; quo indicato de ipsorum accessu, & numero copiarum sistendarum ex æquo & secundum proportionem tractabitur. Interim DD. Electores spondent, ac offerunt ad confœderationem hanc accedentibus facta requisitione secundum tenorem hujus Instrumenti valido auxilio adesse. X. Quod si ingens adeo periculum ingrueret, ut ad aliud evitandum major copiarum numerus requireretur, pollicentur DD. Electores sese mutuo juvare non solum supra dictis X M sed etiam omnibus viribus sibi invicem suppetias ferre, & Constatibus & Circulis vicinis suis, qui ad hanc confœderationem accedent, iisdem viribus auxilium præstare, in quantum quidem id propria ditionum securitas permittit. In quorum fidem &c.*

Articuli Secreti.

I. Præter illa, quæ inter Serenissimos DD. Electores Bavariæ & Saxoniæ in peculiari fœderis Instrumento hodie confecto continentur, se invicem obligant ambo Electores ulterius, quod si pax tantopere desiderata in Imperio per omnem istam solicitudinem, laborem & operam obtineri nequeat, arma sua si opus fuerit conjungere, eosque qui se opponere voluerint, unitis viribus ad pacem secundum dictum Instrumentum pacis Westphalicæ adigere. II. Ambo Electores eum in finem post completas copias, de quibus in ipso principali tractatu, & in subsequentibus articulis secretis mentio habetur, ante omnia apud S. Cæs. Maj. efficaciter instabunt, ut non tantum cum Christianissimo Rege, qui ad hoc se paratum & promtum exhibet, & semper exhibuit, pacem redintegrare, sed &

eam

1679. *eam inter coronam Sueciæ; & illius hoſtes in Imperio ad tenorem dictæ pacificationis Weſtphalicæ promovere velit, hac addita declaratione, quod ambo DD. Electores ſuæ Caſ. M.ti contra illam partem, quæ pacem admittere nolit, ſi opus fuerit, exercitu XX M auxilio adeſſe, aut in eum finem ex ſe ipſis agere, ac operari velint. III. Et quoniam principalis hujus confœderationis, & unionis ſcopus eſt reductio pacis & tranquillitatis in Imperio Romano, ambo DD. Electores miniſtris illis, qui ab extraneis poteſtatibus ad eos in hoc negotio ablegabuntur, non ſolum liberum acceſſum ad aulas ſuas non denegabunt, quin potius in ſuis terris debitam protectionem præſtabunt, illosque contra quævis injuſta attentata manutenebunt.*

Ulterior articulus ſecretus.

Poſtquam ſub dato hodierno inter Ser.os Electores Bavariæ, & Saxoniæ in ordine ad recuperandam pacem in Imperio, & defendendas amborum DD. Electorum provincias, & ſubditos & eorum conſtatuum, qui ad hoc fœdus accedere voluerint, certa confœderatio taliter concluſa fuit, ut qualibet pars determinatum peditum & equitum numerum in parato habere debeat, atque tam conſcriptio quam ſuſtentatio dictorum militum inſignes expenſas requirant; hinc allegata hæc confœderatio ex parte D. Electoris Saxoniæ expreſſe eo conditionata eſt, ut ſibi reciproce a Chriſtianiſſimo Rege in ſubſidium quantocyus XXX M talerorum, ac deinde per ſingulos menſes - - - tali modo ſolvantur, ut Sua Ser. Electoralis dictam pecuniæ ſummam ad ſingulos menſes per anticipationem accipere poſſit: prout etiam Sua Ser. Electoralis Bavariæ in ſe recipit, omnia poſſibilia, bona, & utilia officia impendere, ut D. Electori Saxoniæ debita ſatisfactio hac in re fiat. Cæterum ſpondet Ser. Elector Saxoniæ, ſatisfactione accepta, ſe tam illas, quas vigore concluſorum Imperii pro contingenti præſtitit copias, quam alias ab exercitu Cæſareo, & ejus confœderatorum avocaturum, nec ullas alias, non obſtantibus Imperialis Diætæ concluſis, impoſterum miſſurum. Ultimo denique utraque Sua Ser. Electoralis omnem operam impendet, ſuas copias juxta tenorem tractatus principalis ita in parato habere, ut a tempore ſatisfactionis ſupradictæ Electori Saxoniæ præſtitâ intra duos menſes pro luſtratione in loco, qui utrique Suæ Serenitati pro conjunctione, ſi neceſſaria fuerit, commodiſſimus eſſe videbitur, colligi, & in campo ſiſti poſſint. In quorum fidem &c.

Cæſaris declaratio. 24. Mart. §. 38. Demum Cæſar ad propoſita a Crocovio declarabat: *Se etiam poſt Belgarum, ac Hiſpanorum pacem bellum ad ſuperiorem Rhenum perſecutum, ac ſperaſſe, fœderatis quoque inter ſe conventurum ſuper exercitu ad Inferiorem Rhenum ſiſtendo. Id poſtquam factum non ſit, ac nudato Inferiore Rheno Germania evidenti periculo expoſita fuerit, de pace ſibi cogitandum fuiſſe. Legatos autem ob id periculum præfixum a Gallo diem elabi haut paſſos, ac pacem absque ſufficientibus mandatis præter ſuam opinionem concluſiſſe. Quam invitus ipſe huc deſcenderit, omnibus notum eſſe. Officii tamen ſui duxiſſe id negotium Ratiſponam remittere, ſed lente ſatis, ac ut idem ſibi diſplicere non diſſimularet; ſuisque quoque ibi injunxiſſe, ne negotium præcipitarent, quo fœderatis tempus foret ante ratihabitionem decretoriam ſententiam exponendi, ut & ſibi conſilia ſua ordinare liceret. Sed ejus loco de Cellenſi pace allatum, qua in conditiones conſenſum ſit, ſuæ autoritati, ac Imperii legibus adverſas, ac reip. ſummopere noxias, a ſe nunquam probandas. Hoc tractatu ſe permotum juſſiſſe concluſum Ratiſponæ ſerio promoveri, ne elapſo ratihabitionis die Gallus prætextum arripiat duriores conditiones præſcribendi, aut bellum continuandi: ſimul quantumvis reluctanti animo ratihabitionem expedire curaſſe. Pro induciis tamen, ac ut Electori ſatisfiat, enixa officia interpoſiturum. Suadere quoque, ut Elector Ratiſponæ inſtet, quo & Ordines ad eundem finem operam conferant. Bavarum dudum declaraſſe, ſi Elector Stetino contentus ſit, ſe operam navaturum, ut iſte eo potiatur. Saxonem quoque aliquando in eadem ſententia fuiſſe, ſed per miniſtrum iſti haut æquum immutatum. Nec minus ſuadere, ne Elector ad extrema rem deduci patiatur, quod nulla ratio adpareat ipſius ditionibus Weſtphalicis ſervandis. Præter hoſtes Reges eidem multos in Imperio invidos eſſe. Præcipuam cauſam occupatæ a Luneburgicis pacis fuiſſe, quod ſatis adpareret, Electorem imperio in omnes copias ad Inferiorem Rhenum potiturum, tantisque viribus ſuccinctum in ipſorum vicinia conſtiturum. Id quod eo minus iſti concedere voluerint, quod ſemper æmulationem erga ejusdem potentiam oſtenderint. Unde iſtos non ſolum Suecis erepta reddituros, ſed & ſi opus ſit copias hiſce ſuas conceſſuros. Poloniam quoque Electori parum amici minari. Regem ibi velle militem ſibi circumponere, ab ſe ſolo pendentem; ac benevolos Polonos monere, eas copias contra Electorem quæri. Regem omnia damna computari juſſiſſe, quæ hujus miles finibus Poloniæ intulerit. Sed in Suecos, qui in culpa fuerint, nihil actionis movere. Igitur bene ſibi conſulturum Electorem, ſi poſtulata ſua moderetur. Forte tamen aliquid intervenire poſſe. Imperium ſibi conſervationem decem oppidorum Alſatiæ commendaſſe. Contra a Gallo munitiones Sletſtadio circumponi non ſine manifeſta recentis pacis infractione. Sed & Lotharingum pacem amplecti nolle, ac negare, ſe Vaſallum Imperii eſſe, nec alios de ipſius rebus tranſigere potuiſſe. Unde ſuis legatis, dum ratihabitiones permutantur, injunctum teſtari; ſe quidem pacem prout concluſa ſit, ratam habuiſſe; ad præſtationem tamen eorum, quæ circa Lotharingum convenerint, adſtringere ſe non poſſe, quod Dux eas conditiones adſpernetur, nec ſibi de hujus juribus diſponere integrum ſit. Interea aliquid futurum, ac ſe tamdiu exercitum in Imperio relicturum, non exiguum curaturum promovendis Electoris cum Gallo tractatibus.* Cæterum num Lotharingo pax amplectenda eſſet, prudentes diſſentiebant. Aliqui cenſebant, cum is hac pace nec munitum locum, nec facultatem quid armorum ſibi circumponendi, ſed modicos duntaxat reditus accipiat, infra C M uncialium, quos & vetera nomina a Gallo eruta abſorptura ſint, eoque ipſe acceptata pace in exitium ſuum conſenſurus, ac Gallo juſtum titulum præbiturus ſit: ſatius fore jus ſuum propter exiguum id emolumentum haut projicere. Sed alii contra cenſebant; ſumendum, quantum accipi poſſit: titulum & prætextum non defore, ſi nunc extorta recuperandi vires, & occaſio adſint. Ac præſtare, poſſeſſionem provinciæ retinere, ac civium ſpem alere, quam iis plane deſtitutis neceſſitatem adferre Gallico ſe jugo paulatim adſuefaciendi,

1679. di, obliterata legitimi Principis memoria. Ac forte per amica officia meliores ipsi conditiones procurari posse; quo fine Cæsar post ratihabitam pacem peculiarem legationem in Galliam sit missurus. Sed quicquid ejus foret, saltem inanis spes erat, quam aliqui conceperant, Lotharingum Borealibus fœderatis adhæsurum. Nam is cautionem exigebat, ditionem suam utique recuperatum iri, ac ut copiæ suæ per fœderatos sustentarentur. Quid porro fructus Electori a Cæsaris officiis sperandum foret, inde conjectura fieri poterat, quod invasionem Gallorum in Cliviam omnes iniquam, & paci repugnantem agnoscerent. Sed cum Crocovius quid remedii quæreret, nil nisi humeros trahebant. Denique cum Cæsar supplicationes pro eo pace indiceret, dicebat: *Deo non solum pro felicibus eventibus, sed & pro calamitosis gratias agendas.*

dines cum ipo- pro- t. tas. §. 39. Cæterum relatione ad Ordines super pace firmanda Ratisponæ facta, is eventus, quem dudum animo præceperat Elector, secutus est. Equidem ibi sub initium anni Bavarus, & Saxo pro sententia dixerant; par esse, Electori data aliqua ditione satisfieri, eumque in finem operam suam offerebant: ac præcipue Stetinum Electori relinquendum, reliqua Suecis restituenda. Nec minus iidem interim una cum Palatino acriter urgebant, a Cæsare pacem non expectato Boreali negotio ineundam. Ac inprimis Palatinus ingerebat; non posse qui periculo proximi sedeant hosti se devorandos exponere, ut *Febr.* alii novas ditiones adquirant. Post tamen Bavarus Ratisponæ significabat; quia perceperit alios officium paci Boreali conciliandæ suscepisse id se hisce relicturum. Quod inane prætextum habebatur, quia intellexerat, nullum sese operæ pretium facturum; an quia alia consilia cum Saxone agitabat. Mox Jena jubebatur paci contradicere, modeste tamen, & verbis nil contumeliæ habentibus; ac Electori gratum esse, se in nullam ejusmodi pacis partem venisse; etsi semper paratus fuerit, & adhuc sit honestæ, ac tutæ paci amplectendæ. Quam contradictionem Cæsarei frustra impedire satagebant. Querebatur etiam Jena, Electorem a Cæsareis in pa- *Mart.* ce *hostem Galliae* vocari, cum tamen is non nisi instante Cæsare arma in Gallum strinxerit. Communicabant inde Cæsarei Ordinibus pacem, addita excusatione, ob iniquitatem temporum eam inconsultis Ordinibus fuisse absolvendam; ac Cæsarem eo facto capitulationi, juribusque Ordinum pace Westphalica firmatis præjudicium adferre nolle, nec id in exemplum trahendum. Qua modestia quosdam Ordinum ei auso indignantium demulcere studebant. Etsi plerique pro ea pace Cæsari gratias agebant, ac modum agendi Neomagi adhibitum probabant. Quia tamen adhuc Ordines aliquam curam communis pacis ostendebant, Elector Jenæ scripto hisce demonstrare injungebat; uti ipse ex decreto universorum Ordinum bellum in Suecos susceperit, idque cum periculo vitæ, ac omnium suarum ditionum gesserit; tum favente Numine Suecorum destinata in meditullium Germaniæ penetrandi impedierit, ac demum eosdem plane solo Germanico ejecerit, vindicata Imperii majestate. Eo ipso natam occasionem securitatem 1679. Germaniæ a Suecis toties violatam ea parte in perpetuum stabiliendi, si omnes quorum interest serio rem aggrediantur. Quia autem facile conjici possit, quanti sibi hoc bellum constiterit, spem esse ab Imperio operam datum iri, ut ipse æqua satisfactione, ac securitate potiatur. Contra Austriaci non sine vehementia ratihabitionem *13. Mart.* urgebant, anxie ingerentes, Gallum nil dilationis indulturum, & occasionem captare pacem abrumpendi; nec vires eidem resistendi adesse. Et cum multi reponerent, irrita fore, quæ agantur, si ipsi citra mandatum consentiant; nil aliud rationis reponebatur, quam fore ut Austriaca legatio excandescat. Ita quicquid contra niteretur Jena, ratihabitio pacis probabatur; *21. Mart.* ac tantum Cæsar rogabatur curam agere, ut induciæ acceptentur, & controversiæ eorum, qui in bello maneant, amice componantur, quo plena ubique tranquillitas restituatur. Id decretum Electori valde inopinum accidebat; qui potius crediderat, merita sua in Imperium, & contumeliam, ac damna sibi a Suecis illata non usque adeo insuper habenda, nec pacem, quæ tanto periculo Germaniam exponat, adprobandam. Ac agnoscere se durum patriæ fatum, ac fortasse istos aliquando fructus tantæ præcipitantiæ censuros. Bavarus quoque & Saxo jam aperte in Suecos inclinabant; quocum is censebat, hosce plane ad normam Westphalicæ Pacis restituendos; hic addebat, quantum fieri possit. Quorum officium præterquam quod pondere caritturum erat, ideo ita pure acceptari non poterat, ne Elector obligationem remittere videretur, quæ universis Ordinibus ad curandam ipsi satisfactionem incumbebat. Et si maxime eorundem opera adhiberetur; tamen antequam iidem legationem molirentur, Electoris ditiones jam perierant. Ordines tamen protestabantur, quicquid juribus Ordinum, ac legibus pacis Westphalicæ hoc tractatu adversum factum sit, in posterum præjudicio non futurum. Cæsarei quoque declarabant; articulos de Lotharingo pro non insertis habendos. Cum inde super deducendo Cæsaris exercitu e terris Ordinum Ratisponæ ageretur, Elector Jenam pro sententia dicere jubebat: utile sane esse, eum paratum stare, ut pax exsecutioni detur, & Borealis compositio promoveatur. Sed si idem otiosus Gallos per Electoris ditiones grassantes spectare, ac non nisi Ordines comedere velit, æquum esse, ut hi isthoc onere leventur. Sane Circulus Suecicus antehac XXV milliones in exercitum Cæsareum impenderat, & nunc hospitia singulis septimanis C M florenorum constabant; ac Noribergensis civitas in singulos dies præter alia M unciales præbebat; ut illud bellum saltem Cæsareis ducibus admodum lucrosum fuerit. Cæsarei inde ab Imperio in pensationem Friburgi Uberlingam, & Offenburgum, aut Offenburgum, Gengenbacum, & Cellas ad Hammersbacum postulabant; Electore contradicente, quoad & sibi satisfactum foret; quo nomine is Northusam & Tremoniam proponebat. Luneburgicis quoque pacem suam paci Imperii inseri cupientibus, Elector Jenam contra-

1679. contraniti jubebat. Sed & mox adparebat, quam parum Gallo pax Neomagensis fieret, dum decem Alsatiæ oppida in sua verba adigit. Quo super auso cum Cæsar Electoris consilium expeteret, hic reponebat: *eos fructus esse Neomagensis pacis. Jussurum tamen, ut sui Ratisbonæ non minus verborum, quam alii faciant; præter quæ cum alii pro publico nihil præstent, sibi quoque haut consultum plura conferre.*

Luneburgicorum sententia exquiritur. *17. Febr.*

§. 40. Haut eo minus, si maxime Cæsar bello sese subduxisset, aliqua adhuc spes æquioris pacis supererat, si domus Luneburgica in partibus persisteret. Igitur Elector audita Cæsarea pace, cum de Cellensi nondum constaret, Gerhardum Ledeburium Cellas miserat exquirendæ Ducis sententiæ, quid consilii fœderatis post tam noxiam pacem a Cæsareis Neomagi initam sit capessendum. In qua nonnulla admissa, quæ non nisi communi omnium Ordinum consensu fieri potuerint; de quibus Ratisponæ actum sibi non constare, nisi quod paucos dies ante absolutam Neomagi negotiationem nonnihil ibi super jam transactis communicatum fuerit. Unde Ducis sententiam nosse cupere, quid Ratisponæ agendum, ne tantum vulnus Imperii majestati infligatur, & medendo præjudicio Ordinum juribus illato. Inprimis ea pace fœderatos enormiter læsos. Fœdera, promissa, alia vincula sanctissima insuper habita. In fidissimos fœderatos, qui pro communi causa extremis viribus connixi fuerint, tantum non cum hostibus conspiratum istis ad horum libidinem compellendis. Enimvero fœderatos haudquidquam eo redactos, ut ipsis omnia toleranda sint, quæ a deficientibus sociis in eorundem fraudem nulla juris specie agantur. Nam omnes fœderatorum calamitates, omnes hostis progressus non tam ab hujus potentia, vigilantia, & aliis egregiis artibus, quam a quorundam fœderatorum sinistro agendi modo, & inconstantia provenisse, & quod per communis causæ neglectum domesticis malis medicinam quæsierint. Sane Electorem judicare, reliquis fœderatis haut ideo animum despondendum, sed saluti suæ expediendæ omnes vires exserendas. Sane Electorem summa vi eum in finem connixurum, ac propediem toto cum exercitu heic adfuturum. Tempori lucrando inducias acceptandas, ac interim haut eo minus tractatus persequendos. Enimvero antequam Ledeburius Cellas pervenisset, jam pax perfecta ibi fuerat. Super ea pace Rebenacius diu Cellis sategerat; ubi unica difficultas erat, quod Duces particulas quasdam ditionis Bremensis affectarent positu sibi commodas, ac ut perpetuum ex hoc bello fructum caperent, cum Gallus summa pecuniæ iisdem satisfacere vellet. Ea super re cum conveniri inter ipsos non posset, Rebenacius Esaiam Pufendorfium Hamburgo ad vicinum Cellis locum invitabat, ut cum eo super hoc negotio consilia conferret. Qui etsi nil mandatorum eam in rem haberet; tamen privato nomine cum fœ-

16. Nov. 1678. derati Regis legato colloqui fas duxit. Ei Rebenacius id quidem confirmabat, Regem Galliæ examussim servaturum, quæ circa plenam Sueciæ restitutionem promiserit, quantocunque id constiturum, aut quicquid inde evasurum sit. Sed dubitare, an cum scitis prudentiæ conveniat, a Suecis idem ab ipso exigi, ac ut hi omnibus incommodis & casibus, qui bello extracto intervenire possint, sese exponere velint. Galliæ enim Regem non minus quam alios homines morti obnoxium, ac si repente humanitus quid ei contingat, haut constare, num Delphino idem in Sueciam studium sit futurum. Quod si Galli in Germania infelici prælio certent, totam belli scenam mutatum iri. Eundem casum de Livonico exercitu metuendum. Nec adhuc Hispanicæ pacis ratihabitionem certam: nec quæ Anglorum circa Sueciæ satisfactionem mens sit; præsertim cum nuper Thesaurarius Angliæ Barillonum legatum Gallicum interrogaverit, quid Suecia nunc pro bono pacis facere decreverit? quo non obscure innuerit, aliquid cedendum esse. Quod si Angliæ consiliorum mutatio contingat, auxilia maritima e Gallia plane intercipienda, tum Arausionensem, eique addictos nova destinata machinaturos, utrique Regno molestiam datura. Sed & illud considerandum, unius æstatis expeditionem Regi quinquaginta circiter millionibus constare; eoque durum esse eundem ad ejusmodi sumtus faciendos compellere, si res modica jactura perfici possit. Igitur declinare non posse Suecos, quo minus modico dispendio pacem redimant. Ad ista Pufendorfius: Ista omnia Suecos dudum secum exegisse. Sed Gallis vicissim considerandum, Sueciam nil habere, quo commode carere possit. Sane Ducatum Bremensem, quo ista Galliæ proxime jungatur ita arctis limitibus inclusum, ut sine magno præjudicio nil ei decerpi queat. Sed nec rationem adparere, quomodo tot hostes cessione ditionum pacari queant; cum indubium sit, statim atque uni quid cedatur, reliquos jure idem postulaturos, quolibet fautores suos habituro. Ita magna ditionum parte Sueciam exutum iri. Contra negotium haut ita difficile esse, uti jactetur. Nam in Galli manu esse paucis sumtibus eo rem deducere, ut duo Electores, Saxo & Bavarus pro plena restitutione pacis Westphalicæ arma arripiant. In Anglia duos aut tres milliones magnum effectum habituros, ac ut facile connivendo indulgendum sit classem in Mare Balticum mitti; præsertim cum Anglus censeat, arbitrium Oresundæ non penes solam Daniam esse debere, eoque ab hac Helsingburgum & Landscronam utique restituendam. Non deesse quoque viam, qua Gallus non adeo magnis sumtibus efficere queat, ut Sueci iterum insignem exercitum in Germania nancisci queant. Res porro Angliæ ita domi constitutas, ut aula haut temere in externum bellum descendere possit. Hispaniam opibus plane exhaustam, & quæ nil suscipere possit, ni Belgæ denuo arma stringant; id quod præsenti horum statu præsumendum non sit. Unde nec a Cæsare bellum continuatum iri; præsertim cum ejus fœderati satis ostenderint, sese istum in prædæ partem haut admissuros. Ditiones porro fœderatorum ita sitas, ut si Gallus serio rem agere instituat, ac Rhenum transeat, nec Monasteriensis, nec Luneburgici ista extrema expectaturi, nec eo casu in ratione cassam pertinaciam sese obfirmaturi sint; quin Mona-

1679. Monasteriensem protinus manus daturum, Luneburgicis quoque secum tractis. Unde Brandenburgico soli destituto vel desperata consilia ineunda, vel aliorum exemplum sequendum. Denique Dunquerca paucis navibus quatuor aut amplius millia facili negotio in Holsatiam trajici posse; quæ ita Danum distrahere queant, ut nullum eidem remedium superfuturum sit, quam pacem occupare. Ista, & quæ plura adferebantur, Rebenacius cum patientia audiebat; ac ultro agnoscebat, Sueciam nec Ducatu Bremensi, nec Stetino, Stralsunda, ac Wismaria, nec trans mare Landscrona, ac Marstrandia carere posse. Inde Cellas regressus cum Duces postulato suo circa particulas quasdam ditionis Bremensis nullo modo dimoveri possent, Rebenacius iterum Pufendorfio significabat; eo rem rediisse, ut aut tractatus abrumpendi, aut Ducum postulata annuenda sint. Ubi hic protestabatur, sibi in eam rem nulla mandata esse, nec in alterutram partem autorem esse velle, stipulatus quoque, ut Rebenacius de dissensu ipsius publice testetur. Si tamen privatam sententiam exponere integrum sit, sibi satius videri tantilla jactura viam ad pacem, & reliqua recuperanda sterni, quam abruptis tractatibus, quid incerta belli alea latura sit expectari. Ita Rebenacius pacem cum Ducibus perfecit, ac Suecorum querelis a se amoliendis sparsit; Pufendorfium in eas conditiones consensisse; qui tamen publico nomine nil locutus fuerat. Ac facile adparebat, Gallum Ducibus tantopere cupientibus de alieno gratificari etiam ingratiis Suecorum voluisse; cum post pari modo cum Brandenburgico Electore egerit, huc jam redacto, ut qualescunque conditiones eidem extorqueri possent. Cæterum Ledeburius in transitu Episcopum Monasteriensem convenerat; qui tantopere festinatæ transactioni admodum indignabatur. Et quia nemo non in separatam pacem ruat, sibi quoque de ponendis armis cogitandum, modo id salva existimatione fieri queat.
Mart. Idem Cellas veniebat eo ipso die, quo Rebenacius allata ratihabitione solenniter audiebatur. Ad ea, quæ is in mandatis habebat, Dux suo, & Guelferbytani nomine respondebat: Par esse, ut Ratisponæ, qua separata ista pax jura Ordinum lædat, medicina adhibeatur. Sed postquam ipsi Vienna intellexerint, de Cæsarea pace dubitandum non amplius esse, ac inde Monasteriensem partes deserturum, Meindersium quoque Lutetiæ pacis conditiones proposuisse; sibi pariter, ne extremi forent, pro captu cum Gallo transigendum fuisse. Se semper palam professos, nec primos se, nec postremos fore. Uti autem non nisi cum Cæsare, Hispano, ac Belgis fœdere nexi fuerint, quorum unus post alterum defecerit; ita se, in quos Gallica potentia primo loco ruitura fuerat, non potuisse non honesta ratione periculo se subducere. Per id porro nemini fraudem factam, & Electori quoque suam transactionem curæ fore. Ad ea Ledeburius: Electori, cum ipsum huc proficisci juberet, nondum de hac pace constitisse. Se quoque cum non ita pridem Duci valediceret, Electori Ducum verbis confirmasse, hos firmiter in partibus mansuros. Unde isti pacem hanc valde inopinam visum iri. Sed Duces reponebant: Cæsarem in culpa esse. Si omnes in partibus perstitissent, se quoque haut discessuros fuisse. Electorem id eo minus vitio sibi daturum, quod Meindersius nulla cum fœderatis communicatione in Galliam profectus magna ipsos suspicione perstrinxerit. Sed negabat Ledeburius, id iter citra denunciationem susceptum, ac seipsum Ducibus ejus causam exposuisse, quibus ipsi tunc adquieverint. Dux contra: Meindersium plura proposuisse, ac peculiariter permutationem Cliviæ cum Pomerania, & alia, quæ nominare vereatur. Nec dubium esse, quin Electori cum Gallo conventurum sit. Addebant; multorum conjunctionem haut durabilem; idque experientiam ostendisse; unde se non amplius ejusmodi fœderibus illigari velle. Quæ ipsi promiserint, bona fide præstitisse; nec Electorem id inficiaturum; etsi intelligant, cum auxiliis in Pomeraniam missis non satis contentum esse, cum revera plura præstiterint, quam debuerint. Electorem quoque actione in Hamburgenses hospitiorum nomine desistere nolle, cum tamen norit ei civitati a sua Domo evictionem præstandam, eoque existimationem suam in eo verti. Per talia se ad consilia compelli de quibus antea cogitatum non fuerit. Cum Ledeburius pactum sibi communicari peteret, id abnuebant, causati, Rebenacio promissum, absque ipsius consensu nemini ejus copiam faciendam. Si a Gallo id obtineri queat, se non repugnaturos. Sed eo ipso die tractatus iste Neomago typis impressus adferebatur, ob inane secretum illis paulum erubescentibus. Emolumentum tamen ex ea pace perceptum elevabant, ac optabant Electorem lautioribus conditionibus potiri, modo id sibi damno non sit. Quemlibet suo lucro invigilare par esse. Præcipuum quod obtinuerint esse annuos reditus, qui e sua provincia ædi cathedrali Bremæ exsolvendi fuerint, qui octo millia uncialium annua conficiant. Tum angulum inter Visurgim & Alleram, alias litigiosum, ac Tedingshusanam præfecturam. Accedere CCC M uncialium, & pensionem annuam XX M uncialium. Cum Ledeburius ostenderet; Suecos eum tractatum vix probaturos, Dux dicebat: id a se optari. Gallum Suecis satis ostensurum, quid ipsis facto opus sit. Nam Gallus receperat, se Sueciæ Regis ratihabitionem curaturum, ac Ducem tantisper in Bremensis provinciæ possessione tuiturum. Alias Cellensis aula isthac pace multum lætitiæ præ se ferebat. Sed & Christiani Ludovici Meclenburgici Ducis conjugi, quæ parariam ejus pacis se gesserat, Rex Galliæ pro navata opera per literas gratias agebat. Post mandato Ducis Bernsdorfius Ledeburio denuntiabat; quia tractatu hoc conventum sit, ne cui transitus per Ducum terras concedatur, Elector declinatis horum terris per Hassiam iter in Cliviam sumeret. Et quia Gallus pariter tunc transitum postulaturus foret, Electoris provincias eo magis tutas fore. Suaserat Hammersteinius, ne ista pax festinaretur, sed ut expectaretur, quoad Cæsar pacem Neomagi factam ratam habuerit. Sed reliqui pervicerant, quod Cæsarei tantum in speciem circa ratihabitionem

1677. nem dubitare viderentur; cui & solus Montecuculus & Hocherus adversetur. Valedicenti Ledeburio Duces dicebant; *Electorem haut in sinistram partem accepturum, quod sibi securitas sua respicienda fuerit. Pacem suam non nisi medii status indolem habere, quem subiisse post fœderatorum defectionem turpe sibi non sit. Cæsarem quoque significasse, per se integrum ipsis esse, prout res ferat transigere. Transitum utrique parti negare per leges medii status licere. Alias officia sua Electori non defore; quem sperent acceptata pace Germaniæ quieti consulturum.* Ast Neomagi Schutzius initio eam pacem inficiabatur, etsi sat languide. Ac quem Ducibus vitio daturum, si rationibus suis prospexerint, postquam Meindersius in Gallia tractet, ac Cæsar pacem jam suam seorsim fecerit; Sed cum jamjam isti paci suprema manus imponenda foret, a Cellensi Duce Ratisponam literæ mittebantur, quæ atrocibus verbis invehebantur, non sine gravibus minis in eos, qni Cellis super pace agi dixissent aut scripsissent. Quæ tamen paucos post dies conclusa publice innotescebat. Gallus porro eum tractatum statim firmabat, suisque legatis injungebat, ut Suecos ad eandem probandam permoverent. Nam hi in præsens magna cum indignatione expostulabant, secum velut cum pupillis agi, ac de rebus suis se insciis transigi. Monasteriensis itidem, qui pacem suam per Nuntium adornare satagebat, valde tumultuabatur, per Duces Tedingshusam, quam is spe jam devoraverat, sibi fuisse præreptam. Osnabrugensis quoque ablegatus Platenus apud Blaspielum testabatur, Ducem Ernestum Augustum in nullam ejus pacis partem venisse, nec ante subscriptionem de ea rescivisse; sed demum post transacta omnia ejus copiam ipsi factam. Eam pacem Principi suo non admodum arridere; ac facile sibi persuadere, eandem Electori & aliis displicituram. Sed Electorem id ipsi haut imputaturum, ac de ejusdem animo ex actis judicaturum. Cæterum Ducem sperasse, id se hoc bello meritum, ut Osnabrugensis præsulatus posteritati suæ perpetuo jure conferatur, sublata alternatione. Sed omnes Catholicos contradixisse; ac Cæsareos amoliendis precibus asserere, Cæsarem voto se obstrinxisse; nunquam se quid bonorum Ecclesiasticorum in secularem conditionem redacturum, aut alienaturum. Unde Ducem abdicato hoc postulato id tantum desiderasse, ut unus suorum filiorum post sua fata eum Præsulatum quoad vivat obtineret. Inde duos Catholicos ordine successuros, quoad is præsulatus ad Luneburgicam Domum rediret. Quo nomine & scriptum apud Cæsareos legatos exhibebat, Dano quoque & Blaspielo operam suam interponentibus; nullo fructu, cum nisi summa necessitate de Ecclesiæ Romanæ emolumentis quid remitti soleat, tunc quoque protestatione interposita velut data occasione repetendis.

Ad Osnabrugensem Præsulem missio.

§. 41. Ad eum Præsulem ab Electore mittebatur Clamor Buschius super Cæsaris pace, & Borealium fœderatorum rebus sententiam ejusdem percepturus. Is respondit; se non posse non magnopere improbare legationis Cæsareæ acta; nec ea dissimulanda, sed de iisdem Ratisponæ graviter querendum, atque curandum, ut majestas Imperii, & Ordinum jura salva persistant. *1677. 6. Mart. Buschi.* Porro utut Cæsar secessionem fecerit, Borealibus tamen fœderatis arma adhuc summa vi paranda, ut hostis ad æquas conditiones permoveatur. Enimvero si operæ pretium faciendum sit, inter superstites fœderatos majorem animorum conjunctionem, ac enixius procommuni salute studium posthabitis privatis commodis optandum esse. Armorum paratum justa mole haut factum, nullibi congestam annonam, nec super imperio in exercitum conventum. Monasteriensem quoque decrevisse, quæ a Suecis obtineat loca pro summa pecuniæ restituere. Nec sibi constare, quid Cellis, & Guelferbyti agitetur; de quorum destinatis ambigue disseratur. Suum quoque Præsulatum periculo proximum esse. Unde se non posse non Electori candide significare, securitati suæ obtinendæ necessum esse, ut Cæsarea pace comprehendi se curet. quod alias fortunæ suæ facile subruendæ sint, sede belli in provinciam suam translata. Nec vires suas ad summam rerum quid facturas. De cætero magno sibi dolori esse, fœderatos non majori studio pro satisfactione Electoris, futuraque Imperii securitate, ac stabili quiete conniti. Idem rogabat, ut Elector operam apud Cæsarem navet, quo Osnabrugensis Præsulatus uni suorum filiorum post sua fata relinquatur ea lege, ut deinceps duo Catholici eodem potiri queant. Eam rem Elector Viennæ singulari studio commendabat. Ast heic etsi ejus Principis actiones probarent, ac ejusdem studium pro Cæsare, & Imperio laudibus ferrent; tamen enormi ejus aulæ in ritus Romanos affectu id petitum frigide accipiebatur. Ratisponam de eo negotio referendum, quod solus Cæsar super eodem nil disponere queat, nec officium tamen Cæsaris in eum finem polliciti.

Alia ad Cellensem Ducem missio. 22. Mart.

§. 42. Quanquam autem Ledeburius Cellis nihil profecerat; visum tamen Electori denuo Paulum Fuchsium eodem mittere, ut de suo in eum Ducem, agnatumque Guelferbytanum studio testaretur. Ac licet forte ex una aut altera parte nonnihil offensæ intervenisse videatur; se tamen nihil magis cupere, quam ut ab antiquissimis temporibus inter utramque Domum radicata amicitia exacte conservetur, modo Duces paria amicitiæ argumenta reponant, nec per alios, qui ex ipsorum dissidio lucrum captent, in transversum se rapi patiantur; cum in isthac mutua amicitia genuinæ utriusque Domus rationes consistant. Eam ob causam spem sibi fuisse, Duces, quod pacta, ac totiens iterata promissa requirebant, pacem suam separatim haut inituros fuisse. Sed cum id jam infectum non amplius fieri possit, haut eo minus sperare, Duces fidam operam navaturos, ut ipse æqua satisfactione, ac honesta pace potiatur, quo communis patriæ quies restituatur. Suecos contra omnem rationem pertinaciter æquas conditiones respuere. Ni isti per efficacia eorum officia, quos quies Westphaliæ & Inferioris Saxoniæ tangit, ad molliora permoveantur.

1679. moveantur, sibi necessitatem allatam iri extrema tentandi, vastum incendium paritura. Tum transitum petebat pro tribus legionibus Mindæ, ac Lipstadii præsidio firmando. Nec tam exiguam manum tractatibus cum Gallo obesse posse; ac Ducum interesse ea oppida servari. Ad ista nil præter inania verborum reponebatur; 5. April. ipsa res abnuebatur. Ac paulo post Duces per Klenck. Wilhelmum Klenckium Electori significabant, ne per ipsorum ditiones copias suas duceret, quod ipsi ex pacto cum Gallo eum transitum prohibere teneantur. Ad quæ Elector respondebat: Se quidem confisum fuisse, Duces pro utriusque Domus conjunctione haut sese obstricturos ad id prohibendum, quod jus naturæ & gentium, leges Imperii, Instrumentum Pacis, ac peculiaria fœdera permittant. Sed quia Ducibus aliter visum fuerit, se jam mutato legionum itinere ostendisse, haut sibi placere intempestivis querelis, ac rixis ansam præbere. Deinceps quoque potius circuitu usurum, utut nemo mortalium vitio sibi daturus sit, si qua proximum est oppressis civibus auxilia submittat. Nec cum tempore occasionem defore juri suo vindicando. Nec minus post Duces junctim literas ad Electorem dabant, ne Hamburgenses pecuniam ob assignata a Cæsare hospitia poscerent. Per quas cum adpareret rixæ ansam captari, nil respondere visum, declinandæ animorum irritationi. Colorem Duces dicebant, quod per Cæsarem ejus urbis protectio sibi commissa sit. Sed Elector judicabat, id protectorium hautquidquam eo porrigi posse, ut non nisi Cellensibus ex ea civitate emolumentum capere liceret, nec eadem præterea ad communes patriæ necessitates quid conferret. Unde & Cæsar per ministros suos Hamburgensibus, ac Lubecensibus denuntiabat; ne curarent Cellensi tractatu contenta, sed ex sua dispositione Electori satisfaciant. Simul Cæsarei, cum Luneburgici suam quoque pacem Cæsareæ pacis Instrumento inseri cuperent, id abnuebant, causati, se expectaturos, quoad Sueci eam pacem ratam habuerint; inde amplius deliberaturos. Nam si maxime per temporum iniquitatem ad istam pacem connivendum sit, eandem tamen actu ita solenni haut adprobandam.

'bHispa-a nil bsidii pectan-um. §. 41. Porro spes ab Hispanis levamenti quid obtinendi dudum decollaverat; qui ad extremum usque eadem chorda oberrabant, ut verborum, excusationum, spei affatim effunderent, rei nil præstarent. Quin aliquando ubi incalescerent, jactare non dubitabant; se non teneri ad erogandas pecunias, ut fœderati bello parta tutari queant. Tum & offensa in Joannem Austriacum indies gliscere; qui cum omnia negotia solus expedire vellet, maxima, minima, non poterat non in administratione oriri tarditas, confusio & multorum oblivio. Sept. Ac ipse paulo post laboribus fatiscens extinguebatur; cujus dissecti cerebrum in liquorem extabuisse compertum est, e continua uti creditur animi contentione. De ejus adhuc juvenis ingenio Cardenas judicaverat, *id forpici simile, quo barba radi possit, panis scindi non possit.* Cæterum Hispani uti sua pace non parum doluerant, ita Cæsarea pace magis adhuc consternabantur, velut plane desperatis Austriacis rebus. 1678. Cum Rucquius Austriacæ Domus periculum demonstraret, quæ utique citra fœderatos consistere non possit; cui se tamen nemo temere sit innexurus, si meminerit, quomodo in præsens cum fœderatis sit actum; reponebatur: vere ista dici; sed quid remedii adversus ista mala? Sibi consilia sua non proprio e judicio, aut rationibus reipublicæ, sed ex necessitate fuisse sumenda. Galli fortunam ad suprema provectam, quæ non possit non brevi retro verti; quasi jam humanis auxiliis desperatis clavum e manibus amitterent. Addebatur, ab Anglo omnia corrupta, qui si rectam viam incessit, res eo confusionis haut fuisse prolapsuras. Ad extremum classis Americana adveniebat; sed cum jam Rucquius solutioni instaret, occinebatur: Regi omne argentum, quod ista in ipsius usum advexerit, sumtibus nuptiarum impendendum, qui tribus millionibus taxabantur. Cum iste Madrito discederet, jussu Electoris Hispanicis ministris denuntiabat; hunc post tot ludibria tolerata cogitaturum, ut solutionem sibi ipse curet. 19. Nov.

§. 44. In Anglia quoque bellum velut alienum, & quod eam non tangeret, adspiciebatur. Nec dubium habebatur, quin post Hispanicam pacem Cæsari quoque pax amplectenda foret: quæ & Leuningii sententia erat. Ipse Rex querebatur, se CC M librarum Sterlinensium sequestris officio obeundo impendisse, sed parum gratiæ, aut gloriæ inde reportasse, quod unus post alterum absque sua opera peculiarem sibi pacem fecerit. *Anglus ad communem causam nihil confert.* Interim intestinæ turbæ gliscebant, ac Eboracensis declinando populi odio cum conjuge in Hollandiam facessebat. Etsi Rex statim in ejus favorem declarabat, se nulli fœminæ præterquam Reginæ conjugalem fidem dedisse: ne Monomuthensis Ducis prætensio firmaretur, qui matrem suam Regi justis sponsalibus junctam fuisse asserebat. Adversus Pontificiorum sacerdotum machinationes, qui spretis severissimis legibus in Angliam irripere non omittebant, Buckingamiæ Dux in Superiore Domo proposuerat, ut supplicium laquei per leges istis dictatum in castrationem verteretur, majori terriculamento istis futuram. Super defensione Cliviæ Rex dicebat; si Belgæ rem serio agere velint, se quoque operam sociaturum. Post cum Danicus legatus solenni allo- 17. Jan. quio Regem ad inferendum Gallo bellum hortaretur, hic respondebat: mirum sibi videri talia proponi; cum notum sit, qua conditione ipse agat.

§. 45. Interim Neomagi Cæsarei post pacem suam cum Gallis absolutam Dano, & Blaspielo proposuerant: E subinde facta communicatione notum ipsis fore, Cæsarem inter alias conditiones stipulatum, ut officium sibi apud Boreales fœderatos interponere integrum sit conciliandis induciis. *Neomagi post Cæsaream pacem acta.* 31. Jan. Unde nosse velle, an, & quouscunque istæ admitti queant? Ad quæ illi:

1679.

illi: circa communicationem sibi minime omnium satisfactum; ac de perfecta cum Suecis pace non nisi e communi fama percepisse. Super oblato officio commode se respondere posse, quod Sueci nuper simili casu Gallis reposuerant; Sueciæ Regem socii officia in bello, non sequestris a Gallo expectare. Sed quia Cæsarei præter spem ita raptim separatam pacem occuparint, sua mandata jam expirasse, quæ ad conjunctam tantum negotiationem cum fœderatis spectarint; eoque nova sibi mandata petenda. Sed Kinskius dicebat; properato opus esse, quod Gallus inducias non longius, quam ad finem Aprilis concessurus sit. Cum Cæsarei quærerent, num id responsum Gallis communicare debeant, Blaspielus reponebat; non esse quod ipsi vel minimum circa sua responsa adversæ parti referenda satagant. Nam si quid huic proponendum sit, non minus accessum sibi ad eandem, quam Suecis, patere; nec se ipsorum officium admittere posse, antequam ab Electore in eam rem mandata acceperit. Anglus quoque cum requisitus esset de his induciis Dano, ac Blaspielo proponere id abnuerat. Haut eo minus Cæsarei Blaspieli responsum ad Gallos retulerant. Unde quia Cæsarei, uti sæpe alias, Electori invidiam facere volebant, Danus & Blaspielus a Jenkino petebant, ut quid

11. Febr.

actum sit Gallis significet; ac se ab induciis non abhorrere, si de iis ab hostibus, aut a sequestre proponatur. Nam cum Cæsareis nil sibi negotii esse velle.

Galli Daniæ Regem & Electorem ad pacem urgent.

§. 46. Ast Galli, postquam Cæsareos ita faciles ad omnia sua postulata comperissent, in proclivi jam sibi rebantur reliquis fœderatis conditiones, quas libido ferret, impingere. Ne autem Cæsar forte ratificationem abnueret, Strada & Colbertus tamdiu Neomagi manere jubentur, quoad & Borealis pax confecta foret; simul pacis cum Cæsare ratihabitio promte eo mitteretur. Tum Gallicus miles Juliacensi & Coloniensi provincia deducitur, ac ut præsidia octo oppidorum Regiis sumtibus viverent disponitur, quo novam pacem commendarent. Rex quoque per literas Coloniensem civitatem de amicitia sua securam esse jubebat; quæ late Gallis, ut pro lubitu intro-

14. Febr.

irent, ac necessaria emerent, permittebat. Mox Galli Jenkino declarationem exhibebant; quam antea typis exscribendam tradiderant, ut omnibus innotesceret. Ejus sensus erat: *Quia propositio superiore anno die XV Aprilis facta tanta æquitate & ratione subnixa fuerit, ut pacem in majore Europæ parte produxerit, spem fuisse Regi Daniæ, & Electori Brandenburgico magis cordi fuisse eandem qua ipsos spectat acceptare, quam diutius plenam publicæ quietis restitutionem remorari per injustas prætensiones, queis tractatus, paci fundamentum daturi, convelluntur. Sed quia illi Principes hactenus non declararint, se istas conditiones acceptare, ac vero iniquum foret, ingentes sumtus, qui Regi faciendi sunt ad plenam Sueco satisfactionem curandam, pacemque toti orbi Christiano restituendam, eidem detrimento cedere; ejusdem legatos Jenkino velut sequestri declarare: ne per totum mensem Martium Daniæ Rex, & Elector ad normam pacis VVestphalicæ, atque Hafniensis Sueciæ satisfaciant, Regi tunc liberum fore novas conditiones deposcere; nempe ut Lipstadium Coloniensi Electori attribuatur, ac ut Danus, & Elector Regi ad solvendas belli expensas teneantur.* Ad eam declarationem Blaspielus id scriptum reponebat: *1679.*

Blaspieli ad ipsam declarationem responsum. 14. Febr.

Legatus Extraordinarius & Plenipotentiarius Serenissimi Electoris Brandenburgici accepta & perspecta declaratione, quam DD. legati extraord: & Plenipot: Regis Christianissimi 14. Februarii ipsi intimari curarunt, statim ex rubrica ejus, tum ex declaratione ipsa collegit, eam instinctu DD. legatorum Suecicorum editam esse, misitque eam S. Ser. Electorali, ut quid ad eandem responderi velit, sibi in mandatis det. Interea cum silentium suum rebus Seren: Domini sui obesse magis magisque animadvertat, non potest quin in antecessum significet, Suam Ser. Elect. valde miraturam, DD. legatos Suecicos ipsi imputare velle, quod æquas pacis conditiones detrectaverit: cum tamen ipsi nunquam ejusmodi oblatæ fuerint, nec DD. legati Suecici ad exemplum supra nominati legati Brandenburgici, qui pacis promovendæ studio jam ante duos menses, & quod excurrit, Excellentissimæ mediationi Anglicæ projectum pacis tradidit, reddendum DD. legatis Suecicis, simul ac de pace agere in animum induxissent, projectum pacis reciprocum exhibuerint. Non parum quoque Suam Ser. Elect. movebit, quod DD. legati Suecici retardatæ pacis culpam in ipsam conjicere, querique velint, quod ipsa pacem Westphalicam attentare voluerit; cum tamen notorium sit, eam jam inde ab initio hujus conventus nil ardentius, quam æquam ac promtam pacem exoptasse, nihilque quo ea promoveri potuit, omisisse; neque ipsam, sed Sueciam, pacem Westphalicam tantopere transgressam esse, ut Imperium non potuerit, quin injuriam agnosceret, & vindicaret, Suumque Ser. Elect. ad arma pro conservatione dictæ pacis Westphalicæ contra Sueciam capienda invitaret. Neque Sua Ser. El. in animum inducere poterit, ut credat, DD. legatos Gallicos per dictam Suecorum causa & instinctu a se editam declarationem hoc evincere velle, quod Sua Ser. Elect. justam, debitam, promissamque postulando satisfactionem contra pacem Westph. aliquid attentare velit, aut quod provinciæ, quas Suecia in Imperio tenuit, & culpa sua amisit, pacis Westphalicæ causa alienari non possint. Cum extra dubium sit, ditiones omnes in Imperio indiscriminatim ab uno Statu Imperii vel possessore ad alium tam ante quam post factam illam pacem Westphalicam transferri potuisse, & adhuc dum salva illa pace transferri posse; quod quidem ipsius Regis Christianissimi comprobatur exemplo, utpote qui absque hoc fundamento tam insignem Circuli Burgundici partem, quam Hispaniæ Rex ipsi vi pacis novissime inter illos conclusæ cessit, bello hoc novissime gesto non adquirere, neque pacem haut ita pridem cum Serenissima Domo Brunsuicensi ejusmodi conditione (qualem etiam, sed majori jure Seren. Sua Elect. postulat,) nimirum relicta ipsi quadam Ducatus Bremensis & Verdensis, quos Suecia integros possedit, parte, pangere nunquam potuisset. Qua ratione cum pacem Westph. attentatam, temeratamque esse DD. legati Suecici jure affirmare non possint, quomodo in pari, & æquiori adhuc causa Sua Ser. Elect. dispar judicium ferre queant, percipi non potest; præsertim cum iidem DD. legati Suecici eo, quo pacem cum Cæsarea legatione faciebant, die consenserint, ne

Cæsaris

1679. *Cæsaris fœderati Septentrionales per Imperatorem & ad omnium, quas Suecia in Imperio tenuit, & reddi sibi postulavit, ditionum restitutionem cogerentur, sed ut cum ipsis hac de re ageretur, & transigeretur, id quod Sua Ser. Elect. summopere desiderat. Quod autem a Sua Ser. Electorali, si hoc mense Martio Sueciæ omnes, quas bello ipsi ademit, ditiones non restituerit, sumtuum quos Gallia in bellum contra S. S. Electoralem impenderit solutio, & urbs Lipstad, cujus regalium & jurium territorialium dimidia pars ad Comitem de Lippe pertinet, exiguntur, prædictaque urbs Serenissimo Electori Coloniæ, cui nullus titulus, nullumque jus ad eam vel in ea est, neglecta omni in Imperio observandi juris via & ordine, de facto attribuitur, id non solum æquitati, sed & juribus, ac libertati Statuum Imperii, ejusque constitutionibus, quibus pax Westphalica innititur, adeo adversum contrariumque foret, ut nihil supra. Nemo denique intelligere potest, quo jure DD. legati Suecici, postquam pacti & polliciti sunt, se cum Cæsaris fœderatis Septentrionalibus de pace acturos, eoque fine armistitium trium mensium cum iis inituros esse; quo jure unquam, vel juris saltem prætextu a Rege Christianissimo contendere possint, ut non tantum contra S. S. Electoralem, sed & contra Comitem de Lippe, cui sane nihil negotii cum Suecia intercedit, omnem exerceat rigorem, eosque hac urbe prius privet, quam declaratio sæpe dicta ad S. S. Electoralem perferri, ejusque super ea responsum referri possit, ad quod hic mensis non sufficit, cum S. S. Electoralis jam longe abhinc in Prussia pro defensione subditorum suorum etiamnum commoretur.* His, & *multis aliis rationibus supranominatus legatus Brandenburgicus adductus fuit, hoc suum in antecessum scriptum responsum Excellentissimæ Mediationi Anglicæ communicare, non solum ut de justitia causæ Ser. El. Brandenburgici certior fit, sed ut quoque ad ipsius hac in re notitiam provocet, confidens, eam libentissime testaturam, quod Sua S. El. pacem & armistitium indesinenter desideraverit, & hoc tum quoque inire parata fuerit, cum rebus suis minime conveniret, imo adversum esset; quod denique supra dictus legatus, uti jam inde ab initio tractatuum, ita & adhuc promtus, paratusque sit pacem, & armistitium conditionibus æquis, & quam facillime concludere.*

Gallorum replica. 4. Mart. §. 47. Ad ista Galli, quo Electorem retardatæ pacis reum facerent, reponebant: *Uti Galliæ Rex testando circa instaurandam Westphalicam pacem studio stipulatus sit, ut eum in finem utrinque efficax opera poneretur; Quo fine ipse apud Sueciæ Regem officium sit interpositurus, Cæsare quoque suos fœderatos hortaturo, ut in armistitium paci consequendæ accommodatum consentiant. Et Suecos quidem protinus consensisse, ut tractatibus etiam tempus induciarum destineretur, etsi a legatis Cæsareis id repudiatum sit. Contra legatos Danicos, & Brandenburgicum, haut contentos iis, quæ in ipsorum gratiam convenerant, contra tractatum protestatos, antequam perficeretur, & post, nil omittentes, quantum penes ipsos foret, ut Imperium permoverent, confirmationi tractatus quietem ipsius stabilienti præponere continuationem belli, cum maxima jactura, & desolatione ejusdem conjuncti, tantum ut ab Electore hoc bello parta perviciterent. Unde revera legatos Danicos, & Brandenburgicum inducias noluisse, velut qui non solum admittere recusarint operam legationis Cæsareæ, quam hæc impensuram se promiserat, sed & protestationem interposuerint, & contra facultatem ejus legationis, & contra omne id, quod eadem stipulata sit in favorem Cæsaris, & omnium Imperii Ordinum. Unde permotum Galliæ Regem ad alia consilia magis efficacia capessenda, quo promte reducatur pax tantopere desiderata a tot populis sub belli onere gementibus; eoque nuperam declarationem editum, tanto justiorem, quo æquius, & rationi convenientius est, eos, qui plus onerum sentiunt, eo plus etiam emolumentum sentire. Adeoque cum ditiones Electoris Coloniensis tantopere exposita sint transitibus copiarum, & aliis incommodis belli, quod per Electoris Brandenburgici pertinaciam in Imperio aliter; par quoque esse, ut idem lucretur oppidum, unde tanta ipsi damna proveniunt. Et cum Rex e successibus armorum suorum lucrum capere nolit, saltem par esse, ut inde possit gratificari illi ex Ordinibus, qui plurimum hoc bello patitur. Sed Electori facile esse istud declinare, si nil mutationis velit adferre paci Westphalicæ, & consentire, ut Germania ipsa una cum plena ejus pacis restitutione perpetuam tranquillitatem debeat, qua ista tantopere indiget. At solam acceptationem harum conditionum esse, quam audire penes legatos Gallicos sit, antequam mensis elabatur: nec eosdem posse a legato Brandenburgico admittere ullam propositionem sermone aut scripto factam, quæ plenam tractatus Westphalici instaurationem pro fundamento non habeat.*

Blaspieli duplica. 4. Mart. Ad ista Blaspielus respondebat hoc modo. *Intellexit Sua Serenitatis Elect. Brandenburgica legatus Extraord. & Plenipot. ex illo, quod DD. legati Gallici 14. Martii Excellentissimæ Mediationi Anglicæ tradiderunt, memoriali sibi communicato, quibus causis adducti credant, DD. legatos Danicum, & Brandenburgicum armistitium noluisse, & quod imposterum non possunt aliam, quam ad perfectam pacis Westphalicæ restaurationem collimantem a legato Brandenburgico sive ore sive scripto editam accipere declarationem. Duxit præterea suarum esse partium, omni amputata mora Exc. legationi Anglicæ denuo significare, Ser. Sua El. Brand. utpote quæ pacis Westphalicæ tuendæ, redintegrandæque causa ad bellum vix aliquatenus sopitum accessit, ejus restaurationem adeo cordi esse, ut omnes eo facientes conditiones ambabus amplectatur manibus, sancteque promittat, se ejus uti antehac ita imposterum fore observantissimam, omnemque daturam esse operam, ut ea pristinum in omnibus & singulis punctis & clausulis obtineat, retineatque vigorem. Et cum eadem pace cautum, sancitumque sit, ut qui eam violaverit, damnumque alteri dederit, parti læsæ satisfaciat, & ut quæ judicis sententia definita fuerint, exsecutioni mandentur, prout Imperii leges de exsequendis sententiis constituunt: quid æquius, & rationi magis consentaneum esse poterit, quam ut iis, quæ Cæsar, & Imperium vigore hujus pacis VVestphalicæ inter partes judicarunt, satisfiat, & pax hoc modo in pristinum restituatur statum? Proinde Ser. Sua El. sibi persuadet, DD. legatos Gallicos*

licos

1679. *licos non aliud per pacis Westphalicæ redintegrationem postulare, quam ut dictæ Suæ Ser. El. li quod suum est juxta tabulas hujus pacis tribuatur. Quod vero legatus Danicus, & Brandenburgicus, laudabili cura & studio solius Excell: Mediationis Anglicæ contenti, absque mandato Serenissimorum Dominorum suorum officia legationis Cæsareæ non æque, ac DD. legati Suecici Dominorum legatorum Gallicorum admiserint, evidentissima adest ratio, & maxima disparitas inter ipsos, & prædictos DD. legatos Suecicos, cum per pacem tam Cæsareo-Gallicam, quam Cæsareo-Suecicam fœdus inter suam R. M. Christ. & Regem Sueciæ observatum, & abunde adimpletum sit; idem vero de fœderibus inter Cæsarem, & Regem Daniæ, Serenissimumque Electorem Brandenburgicum initis dici nequeat. Ita ut exinde nullo modo argui possit, legatum Brandenburgicum armistitium noluisse, utpote qui contrarium semper est testatus, eumque in finem per Excell. Mediationem Anglicam DD. legatis Gallicis & Suecicis in tempore significari curavit, se armistitium non rejecisse, sed æquis conditionibus id ipsum inire promtum, paratumque esse. Multo minus argui ex eo poterit armistitii rejectio, quod dictus legatus ea, quæ contra fœdus & libertatem, juraque Statuum Imperii a Cæsare gesta credidit, vi officii sui non approbaverit, quodque Seren. Domino suo jura sua solitis eo in casu protestationibus integra, ac illibata conservare non omiserit, quibus protestationibus nihil omnino commune fuit, nec adhuc est cum armistitio. Cæterum obstinatus non est, qui quod sibi debetur postulat, sed qui illud negat.*

Blaspielus fœderatos indemnitatem poscit. *16. Febr.*

§. 8. Porro Blaspielus, accepta tam minaci Gallorum declaratione Hispanos scripto monebat; hos esse fructus separatorum tractatuum, sub conditione medii status initorum, qui Electorem in eum statum conjecerint, ut talia jam ab ipso exigantur, nullo habito respectu ad justitiam causæ, ad necessitatem suorum armorum, ad successus divinitus donatos, ad exhausta ab ipso pericula, labores & immensos sumtus impensos. In præsens tamen silentio transiri; num fœderati tam inevitabili necessitate ad ejusmodi tractatus fuerint compulsi: ac tantum alias obligationes tangi ex fœdere inter Regem Catholicum & Electorem anno 1674. inito ortas, qui cum allegata necessitate nil commune habent, ac omni casu impleri possunt & debent. Sane articulo 14. & 24. ejus fœderis Hispaniæ Regem obstringi ad procurandam Electori quietem, pacem & satisfactionem, simul indemnitatem omnium damnorum, quæ is in Clivia perpessurus sit. Unde post istam Gallorum declarationem Electorem nosse oportere, quomodo Rex suæ obligationi velit satisfacere, aut quomodo avertere queat, ne isti necessitas adferatur Sueco restituendi, quæ per justa arma huic erepta sunt; tum ne Lipstadio exuatur, neu a Gallo ad solvendas belli expensas compellatur. Super quo sententiam Regis Catholici ex ipsis cognoscere quamprimum cupere, ut ea ad Electorem a se referri queat, ac is decernere possit, quid ad eam declarationem sit respondendum, & quid consilii tam circa bonum publicum, quam privatas rationes sit capiendum. In eundem sensum Cæsareis quoque, ac Belgis scriptum exhibitum. Ad quod Hispani quidem ad Regem sibi referendum excusabant. Beverningius autem jussu Belgarum demonstrabat: *Sibi non constare aliquid contra fœdus cum Electore admissum. Se gravibus suorum civium incommodis, qui diuturnitate belli fortunis plane evertebantur, compulsos ad pacem cum Gallo ineundam. Post omnia, quæ penes se fuerint fecisse, ut & fœderati pace quantum fieri potuerit optima potiri possent. Eo durante bello id felicitatis sibi obtigisse, ut Elector ne latum quidem pedem terræ amiserit, eoque haut necessum fuisse hujus nomine aliquam restitutionem stipulari. Quin potius cum Gallus & Suecus insisteret, per Electorem hoc bello occupata esse restituenda, ipsum Suecum non obscure insinuasse, se proclivem esse ad Electori satisfaciendum pro damnis, quæ hic tolerdverit. Sed tam ante quam post conclusionem ejus pacis, cum ipsi certum temporis spatium stipulati essent, intra quod sui fœderati eam pacem amplecti possent, Electorem judicasse, haut e re sua esse istam pacem in propositas conditiones acceptare. Unde sibi juxta triste fuisse, quod nec mitigationem earum conditionum obtinere possent, & quod Electori satius videretur bellum persequi, quam istas acceptare. Et quia ista a se emendari non potuerint, non posse se teneri ad præstandos eventus, qui secuturi non fuerant, si Elector dictam pacem acceptare voluisset: eoque animo capere se non posse, quid Elector eo nomine ex eo fœdere exigere queat, quod ipsis oneri sit. Se nihilominus enixam operam navaturos, ut Electori quantum possit satisfiat.* Ast e Cæsareis Gurcensis ad Blaspielum accedens dicebat: *Se circa negotium pacis fœderum semper memores fuisse, eoque fine, ut Electori satisfiat officia interponere cœpisse: sed deprehendisse, ea ipsi parum grata esse. Tum Hispanos quoque & Belgas, non solum Cæsarem eo fœdere teneri. Interim se rem ad Cæsarem retulisse, ac sibi expectandum, quid ille mandaturus sit.* Contra Blaspielus; *se plane sentire non potuisse, Cæsareis fœdera curæ fuisse, utut ipse sæpius eos monuerit, ac demum eam ob causam protestationem interposuerit. A Cæsare quoque officia fœderati in bello, non sequestris desiderari; nec præstationes fœderibus promissas per ejusmodi officia, quæ meris verbis constant, suppleri. Ac si maxime Hispanus & Belga debitum non expleverint, Cæsarem ideo obligatione sua hautquidquam exsolvi; ac Electori contra singulos fœderatos actionem in solidum competere.*

1679. *Belgarum responsio.* *Cæsareorum responsio. 21. Febr.*

Ideo

1679. Ideo autem Cæsarei tam solicite officia sua offerebant, ut id negotium pro lubitu temperare possent; cum jam vererentur, ne Elector cum Gallis seorsim transigeret, ac per fœdera iisdem se innecteret. Blaspielus quoque Electoris jussu Cæsareis denuntiabat; etiamsi ipse peculiari ista pace in periculosum statum conjectus sit; sperare tamen se non plane destitutum, aut ad iniquas conditiones compulsum iri. Alias vitio sibi haut vertendum, si ad sui conservationem consilia arripiat, aliis forte olim pœnitenda, quibus libenter supersedere velit. Sed quia legati Cæsarei literis passim ad Imperii Ordines datis hos ad pacem adprobandam hortati erant, ac inter causas ejusdem properatæ Meindersii iter in Galliam præcipue allegaverant, Blaspielus iis significabat: Electori mirum videri, ipsos malignæ paci eam missionem prætexere; cum tamen dudum Viennæ Crocovio denuntiatum fuerit; sibi qualemcunque pacem amplectendam; ac ipse de ejus missionis causa omnibus fœderatis significarit. Cæsareos quoque negotiationem suam valde secretam tenuisse, nec unquam candide de ea communicasse, nec prius, quam omnia transacta fuerint. Multas quoque septimanas ante, quam Meindersius proficisceretur, Cellis, præsentibus Gallicis, ac Suecicis ministris, tractatum fuisse, de qua re Electori nil significatum sit. Electorem sane tali modo non egisse, ac si isthæc a fœderatis expectare potuisset, non defuisse occasionem eos prævertendi. Quia etiam Gurcensis objecerat, Electorem anno 1673 a fœdere discessisse, Blaspielus reponebat; Electori tunc ejusmodi fœdus cum Cæsare uti in præsens haut fuisse, sed tantum super bellicis actionibus, ad quas tamen nunquam perveniri potuerit; nonnulla Protocollo inserta. Electorem quoque sua cum Gallo transactione Cæsarem & Imperium disertis verbis excepisse; & cum Gallus post Imperium invasisset, ea transactione non obstante auxilio patriæ sese accinxisse, confisum Cæsaris munere, ac fœderum sanctimonia, quæ nunc perrupta sint nulla ab Electore causa præbita.

cis ratihabitio er Cæsareos & llos muta. §. 49. Ast Galli cum dubitarent, ne forte Cæsar ratihabitionem omitteret, legatis urgendis declarabant, ni conventa die ratihabitio pure permutata sit, se postulaturos, ut Philipsburgi munitiones dejiciantur, ac tota Brisgovia Gallo addicatur. Mox tamen non obstantibus istis minis diem ratihabitionum hinc inde tradendarum ad

April. Mart. diem X. XX. Aprilis ultro prorogabant. Cujus rei causa erat, quod Rhenus tunc vernis aquis ita intumuisset, ut copias suas in citeriorem ripam trajicere non possent. Allata tamen ante eum diem Cæsarea ratihabitione legati Cæsarei multis verbis testabantur; Cæsarem ex fœdere, cui se adhuc uti antea obstrictum judicet, Electoris causam summa fide suscepturum, ac quidquid ad promovendam ejus satisfactionem facere possit præstitu-

Mart. rum. Sed satis adparebat omne id officium intra verba substiturum. Circa ipsarum porro ratificationum permutationem nil singulare contigit, nisi quod cum legati Gallici declarassent, ni Lotharingiæ Dux ante finem Aprilis mensis pacem ratam habuerit, Regem Galliæ quoque condition-

April. bus eidem concessis teneri nolle; Cæsarei vicissim ostendebant: cum Cæsar & Imperium iis conditionibus nullo jure obligati censeri possint, quibus Galliæ Rex mutuo obligari non vult, necessum esse, ut si conditiones illæ tales non reddantur, ut Dux eas acceptas habeat, illas vel ex tractatu expungendas, vel pro non scriptis & perinde habendas, ac si de iis nullo modo actum tractatumve esset, eoque Duci jus suum salvum maneat, causa ipsius ad alios tractatus remissa. De cætero paratos se ferebant ad commutanda hinc inde ratificationis exemplaria. Ad quæ Galli vicissim per Nuntium significabant, dudum se Regis ratihabitionem puram ac simplicem in manibus habuisse, ac paratas esse quavis hora illam cum Cæsarea & ea, quæ ab Imperio data sit, sine omni conditione permutare: Formula ratificationis hæc erat 1679. 3. April.

NOS LEOPOLDUS &c.

Notum facimus omnibus & singulis præsentes literas inspecturis, lecturis, vel legi audituris, aut quomodocunque infra scriptorum notitia ad ipsos pervenire poterit. Postquam ad restinguendum, quod ante annos aliquot exarsit grave bellum, congressus Neomagi Geldrorum institutus fuerit, Divina favente clementia factum esse, ut post multos & laboriosos tractatus per nostros ab utraque parte ad id destinatos legatos extraordinarios & plenipotentiarios pax & amicitia tandem conclusa, & ad ratificationem nostram perfecta sit; forma, modo & tenore sequenti. (Sequitur tenor Instrumenti Pacis.) *Cum igitur hæc omnia & singula per nostros legatos & plenipotentiarios supra memoratos nostro præscripto, jussu & mandato hunc ad modum, prout hic verbotenus inserta & descripta leguntur, gesta, peracta & conventa sunt, nos eadem omnia & singula, prahabita matura & diligenti consideratione, & certa nostra scientia approbamus, ratificamus & confirmamus, rataque & firma esse & fore virtute præsentium declaramus, simulque verbo Imperiali promittimus pro nobis, nostrisque successoribus & Imperio Romano, cujus Status Ratisponæ modo per deputatos congregati memoratam pacem in omnibus & singulis articulis vigore conclusi 23. mensis hujus facti, & ad manus nostras transmissi approbarunt & ratificarunt, nos omnes & singulos supra descriptos articulos, & quicquid tota hac pacis conventione continetur, firmiter, constanter & inviolabiliter servaturos, atque executioni mandaturos, nullaque ratione, ut vel per nos, vel per alios contraveniatur, passuros, quomodocunque id fieri possit, omni dolo & fraude exclusis. In horum omnium testimonium & fidem sigillum nostrum Cæsareum majus huic diplomati manu nostra subscripto appendi fecimus. Datum in civitate nostra Vienna die 29. mensis Martii anno Domini 1679. Regnorum nostrorum Romani 21. Hungarici 24. Boëmiæ vero 23.* Ad eundem modum formata ratificatio Gallica ad

1679. ad D. Germani Fanum die 26. Februarii: Suecica autem in castris Liungby die 3. Martii scripta erat. Sed SCti Ratisponensis, quo utraque
13. Mart. pax ab Ordinibus firmabatur, hic erat sensus. *Ex relatione per Marquardum Aichstadiensem Præsulem Ordines de pace a Cæsare cum Gallo, Suecoque intellexisse, simul quod utrique Instrumento sub finem adjecta clausula capitulationi, ac legibus pacis Westphalicæ hautquaquam præjudicium adferre debeant, sed quæ præsentium temporum conditio extorserit in exemplum haut trahenda. Re igitur per tria collegia in consultationem deducta placuisse, Cæsaream cautionem hac vice, atque ea conditione acceptandam, ut quod circa directionem tractatuum pacis tam circa communicationem actorum, quam alias contra Instrumentum Pacis durante hoc bello admissum fuerit, id neque nunc, nec deinceps Ordinibus præjudicio cedat. De cætero Ordines Cæsari pro cura circa constituendam pacem gratias agere. Et quanquam optarint, latiores Cæsari, atque Ordinibus, magisque proficuas conditiones obtineri potuisse; quia tamen tempora id non tulerint, avertendis majoribus malis utrumque Instrumentum a se firmari. Tum ut Cæsar operam navet, quo inter eos, qui adhuc in bello persistunt, induciæ ineantur, eorumque controversiæ quamprimum pace finiantur. Nec minus a se probari, quæ per legationem Cæsaream super decem oppidis Alsatiæ, aliisque in ea provincia sitis Imperii Statibus, tum super Metensibus, Tullensibus & Virodunensibus Vasallis, Episcopo & diœcesi Basileensi, Abbatia Murbacensi & Luderensi, simul civitate Argentoratensi, & immediato ordine Equestri, ut & vectigali Warnemundano, juribus Ducum Meclenburgensium, ac civitatis Bremensis, aliisque nondum decisis negotiis reservata, atque declarata sunt. Simul rogare, ut Cæsar ulterius super iis negotiis ubi opus sit instet, operamque det, ut dicti Ordines Imperii in immediato ac libero suo statu per pacem Westphalicam confirmato conserventur, ac præcipue, ut nihil articulo 27. pacis Monasteriensis inter Cæsarem & Gallum derogetur. Denique ut libertas & immunitas commerciorum, & a diversis Imperii, aliisque civitatibus obtenta, renovetur*
20. April. *& confirmetur.* Ast Lotharingiæ Ducis ablegatus Canon protestationem suam repetebat contra omnia, quæ ab articulo 12 ad 22 conventa fuerint, ut id Principi suo nocere, aut juribus ejus præjudicium adferre nequeant.

Catalogus a Gallis restituendorum. 12. Jun. §. 50. Exhibebant post Cæsarei legato Gallico hancce locorum a Gallia restituendorum designationem. *Reparanda sunt ea, quæ in Imperio post quatuordecim dies a subscripta pace attentata, aut via facti immutata sunt. Item restituendæ sunt contributiones qualescunque, quæ ab iis provinciis & locis, quæ contributionibus sese submiserunt, post commutata ratificationum diplomata, aut alias indebite exacta sunt. Restituenda & evacuanda sunt regiones & loca Imperii omnia, quæ a Gallia occupata, nec pace hac Galliæ cessa sunt, aut de quibus ad tempus aliter dispositum fuit. Speciatim restituenda est Domus Austriaca in totam Brisgoviam, & quicquid illi virtute pacis Westphalicæ competit, exceptis solum urbe & castro Friburgensi, & tribus pagis Lehn, Metzenhausen & Kirchzardt Galliæ cessis. Domus Durlaco-Badensis in castrum Friedlingen, aliaque castra & loca ad eam spectantia a Gallia detenta. Dux Wurtenbergicus Mompelgardensis in Horburg & Mumpelgard cum omnibus appertinentiis, & dependentiis. Abbatia Murbach & Luders in Gebweiler, Luders, Waltweiler & Sanctum Amarinum, cum omnibus aliis harum Abbatiarum appertinentiis & dependentiis. Episcopatus Argentoratensis in Ruffack, Saltz, Egisheim, una cum eorum vicis & præfecturis, in urbem item Marckolsheim, & præfecturam inde dependentem, nec non in urbes, præfecturas & castra Benfelden, Dambach, Molsheim, Dachstein, Mutzig, Berg-bietenheim, Tabernas Alsatiæ una cum omni jurisdictione, pagis & subditis. Capitulum Argentoratense in præfecturam Zellenberg, una cum Vogteia, item Benweiler, uti etiam in Berg Gaffenheim, Ebrenstein, Kestenholtz, Geyspitzheim cum omnibus appertinentiis & dependentiis. Simili modo etiam restituendi sunt Episcopus Bambergensis, aliique Imperii Status in omnia feuda, quæ familia Comitum de Rappolstein a dicto Episcopatu, aliisque Statibus tenuit, & morte ultimi Comitis aperta sunt, nunc autem sub protectione Gallica Princeps Palatinus in Birckenfeld detinet. Comes Palatinus Veldentiæ in castrum, oppidum & Ducatum Lutzelstein. Princeps Salmensis in Principatum Salmensem cum omnibus appertinentiis & dependentiis. Abbatissa in Andlau in Abbatiam suam immediatam & omnes appertinentias & dependentias. Princeps Lixheimensis in Principatum Lixheimensem cum appertinentiis. Comites Hanovienses in castrum & urbes Lichtenberg, Buweiler, Ingweiler, Pfaffenhoven & Sleuweiler, una cum præfecturis, pagis, villis, aliisque. Comites in Leiningen in castrum & Comitatum Daxburg, oppidum & comitatum Oberbrunn & Westenburg cum appertinentiis & dependentiis. Item Colmaria, Monasterium in Valle S. Georgii, Keisersberg, Turckheim, Slettstadt, Oberehenheim, Rosheim & Hagenau &c. Restituenda insuper & evacuanda omnia loca, quæ ad Nobilitatem immediatam Imperii in Alsatia Inferiori pertinent: nomina-*

1679. *nominatim Baro de Wangen in castrum Wangenburg, item Wilvisheim, & appertinentias & dependentias. Praterea restituenda sunt omnia loca, ad & circa fluvium Saram & in districtu VVesterich & Hunsruck sita & a Gallia occupata, ad diversos Imperii Status spectantia, interque ea nominatim, qua ad Comitem Palatinum Bipontinum, Domum Nassovicam & Reingravios pertinent. Omnia loca Archiepiscopatus Trevirensis, Archiepiscopatus Coloniensis, Episcopatus Leodiensis, Ducatus Juliacensis, & universa alia Imperii loca a Gallia possessa, exceptis solum octo locis, qua articulo 26. pacis Casareo-Gallica nominata, & certis sub conditionibus, quibus etiam a Gallia satisfieri debet, illi ad tempus relicta sunt. Restituendi proinde etiam in hisce octo locis sunt Domini, magistratus, subditi & incola in omnia jura, dominia, possessiones & reditus, quibus ante occupationem gavisi sunt, speciatim etiam officiales posta Imperialis in functiones pristinas. Balivia Ordinis Teutonici in Alsatia in suis juribus & bonis conservetur, neque istbac in alios usus convertantur. Eadem quoque locum habeant in aliis juribus & bonis ad Ordinem Teutonicum, uti & ad Ordinem S. Joannis Hierosolimitani, quatenus magno illius Magistro subest, aliosque Imperii Status spectantibus. Civitas item Argentinensis ob dirutum a prasidio Casareo altero a subscripta pace die castrum Schaffelsheim a nemine impetatur. Omnia autem loca occupata restituenda sunt in eo statu, quo tempore conclusa pacis fuerunt una cum archivis & documentis literariis, aliisque mobilibus, ut & tormentis bellicis, qua in dictis locis tempore occupationis reperta sunt, & tempore subscripta pacis adhuc ibi extiterunt. Fiat etiam restitutio ex capite amnestia juxta articulum 24. pacis Casareo Gallica plenissime, cum reservatione ulterioris designationis, & ne alicujus rei specialis omissio damnum ullum afferre, aut talis res pro omissa censeri possit, sed ut potius sub generali regula rerum a Gallia occupatarum, juxta pacem VVestphalicam restituendarum, comprehensa intelligatur.*

Conventio super exsecutione pacis. 17. Julii. §. 51. Inita dehinc conventio fuit super ejus pacis exsecutione, hunc in modum:

In Nomine Sanctissima & Individua Trinitatis. Notum sit universis, quorum interest aut interesse potest, quum articulo 27. pacis 5. Februarii nuper hic conclusa contineatur, ut Commissarii ab utraque parte nominentur, qui de restitutione & evacuatione locorum restituendorum juxta pacem Westphalicam conveniant, simulque S. Cas. Majestas ab Imperii Electoribus Principibus & Statibus decenter requisita sit, ut copias suas ex Imperio in Regna & ditiones hareditarias educere velit, atque eo nomine S. sua C. M. Reverendissimum, Illustrissimos & Excellentissimos Dominos D. Joannem Episcopum Gurcensem S. R. Imperii Principem, atque Sacra Cas. M. Consiliarium, & D. Theodorum Althetum Henricum a Strattman, S. C. Majestatis Consiliarium Imperii Aulicum; S. R. M. Christianissima vero Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Carolum Colbert Equitem, Marchionem de Croissy, Sacra Reg. Majestati Christianissima ab utrisque consiliis ordinarium, omnes legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios, qui dicta paci concludenda & perficienda incubuerunt, necessariis mandatis instruxerint; inter eosdem S. sua C. Maj. & S. sua M. Christ. Commissarios de prafata restitutione & evacuatione locorum, atque abductione copiarum convenisse tenore sequenti. I. Imperator exercitus suos & copias quantocyus deduci curabit ex omnibus Imperii ditionibus ad Domum Austriacam jure hareditario non spectantibus, & nominatim ex Circulis Suevia & Franconia, uti & ex Circulis Rhenano Electorali & Rheni superioris, urbibusque & fortalitiis in iis sitis, Bonna, Argentina, Offenburgo, Hochberg, Landavio, Cronweissenburgo, nec non generaliter ex quibuscunque aliis locis, neque pace Monasteriensi, neque Neomagensi Sacra Cas. M. competentibus, ita ut pradicta copia in Bohemiam, aliosque Status patrimoniales ante decimam Augusti sine ulteriori mora perveniant. II. Rex Christianissimus exercitus suos & copias quantocyus etiam revocabit bona fide ex omnibus Imperii ditionibus, & nominatim ex Archiepiscopatibus Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, Palatinatu Rheni, Episcopatu Leodiensi, urbibusque & fortalitiis in iis sitis, uti & ex tota Brisgovia, omnibusque locis, qua Domui Austriaca virtute pacis Westphalica competunt, excepto solo castro & oppido Friburgensi, & tribus pagis Lehn, Metzenhausen & Kirchzart, Gallia cessis, nec non generaliter ex quibuscunque aliis, neque vigore tractatus Monasteriensis, nec pace Neomagensi S. R. M. Christianissima competentibus, ita ut sine ulteriori mora pradicta copia ante decimam mensis Augusti in Regnum Gallia perveniant. De octo vero locis articulo 26. Instrumenti pacis nominatis observabuntur bona fide, qua in pradicto articulo de iis conventa sunt. III. Restituantur etiam intra pradictum terminum juxta articulum 24. pacis conclusa, quicunque restituendi ex capite amnestia nondum restituti sunt. IV. Porro in prasenti tractatu omnia loca & jura comprehensa intelligantur, qua restitutioni obnoxia sunt, ubicunque sita reperiantur; & si aliqua elapso termino adhuc restituta, aut evacuata non essent, statim ad instantiam partis interessata bona fide evacuentur & restituantur, qualia tempore conclusionis & subscriptionis pacis, aut decimo quinto 1679.

 die

1679. *die a dicta subscriptione fuerunt, una cum archivis, documentis literariis, aliisque mobilibus, uti & tormentis bellicis, quæ in iis tempore occupationis & subscriptionis, aut decimo quinto die a dicta subscriptione pacis extiterunt. V. Quantum ad ditiones, communitates & loca, quæ se ante subscriptam pacem contributionibus submiserunt, & adhuc residuas debent, convenit, ut desuper inter Intendentes, vel Commissarios ex una & deputatos Principis, vel Statuum & locorum ex altera, ante decimum diem Augusti ex æquo liquidatio fiat, & quod ditiones, & communitates illæ, quæ contributiones non debent, vel quæ juxta articulum 30. Instrumenti pacis hic conclusæ datis idoneis fidejussoribus pro residuis caverint, vel obsides partibus gratos dederint, ad solvendum adigi non possint pro iis communitatibus, quæ adhuc debitrices & morosæ extiterint, licet ejusdem ditionis sint, nisi quatenus in solidum teneantur. Illi vero ditiones, communitates & loca, quæ prædictæ obligationi non satisfecerint, ad solutionem ex condicto, in quantum fieri poterit, cum debitricis ditionis regimine, executione militari compelli queant, ita tamen, ut morosæ tantum communitates, aut in solidum obligatæ ditiones pœnam sentiant sine cujuscunque alterius gravamine, & ille tantum militum numerus adhibeatur, qui absolute necessarius erit, statimque a facta solutione, aut præstita per fidejussores, vel obsides cautione revocetur. VI. Nominabuntur quamprimum ab utraque parte Commissarii, qui ea exsequantur, quæ de debitis & repertis in oppido Friburgo Archivis, aliisque documentis literariis articulo 8. & 9. Instrumenti pacis convenerunt. Hanc de pacis executione conventionem promittunt utriusque partis Commissarii, respective ab Imperatore, Imperio & Rege Christianissimo inviolabiliter observatum iri, prædictorumque articulorum exsecutionem, quæ intra prædictum tempus ex mandatis tam Cæsareæ, quam Christianissimæ Majestatum sequentur, pro utriusque partis ratihabitione valituram, ita ut ad perfectum pacis adimplementum nulla alia ratihabitionum commutatione opus sit. In quorum omnium fidem, majusque robur Cæsarei, & Regius Commissarii præsens Instrumentum subscriptionibus, sigillisque propriis muniverunt. Acta hæc sunt Neomagi 17. Julii anno 1679.* Enimvero quam parum Gallis cordi fuerit eam pacem servare, vel inde colligi potest, quod cum inter Anglum & Belgas super fœdere guarantico tractari inciperet, Gallus hisce denuntiarit; id omitterent, aut se ejusmodi fœdus in vicem abruptæ pacis accepturum. Lutetiæ quoque jactabant, perinde sibi esse, num Cæsareæ copiæ terris Imperii excedere velint, an minus; quod & Gallicus miles interim ibidem hæsurus esset. Si tamen Regi non amplius commodum sit futurum ob Cæsareum militem suas copias in Germania relinquere, eundem decretum Ratisponense exsecuturum, & Cæsareos intra Bohemiæ fines compulsurum. De X. oppidis Alsatiæ disserebant: per Instrumentum pacis Regi protectionem istorum competere. Hanc istum bona fide præstiturum, ac provisurum, ne eadem in alienas manus incidant, sic ut nec Imperium, nec alium quempiam eorum cura amplius inquietatura sit.

Sequester tacite Neomago di-

§. 52. Paulo post perfectam pacem Jenkinus Neomago discesserat, nemine salutato, nisi quod Heugio & Blaspielo per Secretarium indicium faceret atque excusaret; cum urgentibus mandatis a Rege suo eodem die acceptis propere Hagam abeundum fuerit, valedicere ipsis, uti facere jussus sit & voluerit, impeditum fuisse. Reliquorum legatorum nemini id honoris exhibuit; quod Belgæ ac Hispani pacem suam citra Angli officium fecissent; Cæsarei, Galli & Sueci ad subscriptionem pacis suæ eum non admisissent. Quod & Angliæ Rex Wallensteinio Cæsareo ablegato exprobraverat, significato, se inde permotum sequestris munus plane abdicare decrevisse. *1679. scedit. 16. Febr.* Postquam non amplius sequester adesset, ac Sueci innuerent, se Blaspielum visitaturos, hic super cerimoniis sibi deferendis sciscitabatur. *Cerimoniis.* Qui declarabant; si Blaspielus ipsis denuo de adventu suo significet, primam se solemnem visitationem apud eum obituros dato Excellentiæ titulo, tum visitationem reponenti honoratiorem in ædibus suis locum concessuros. Sed Blaspielus, quid sibi agendum foret sciscitabatur, quod nunc solus ipse adesset, sublato primi & secundi discrimine, ac jam ante Suecis de suo adventu notificatio facta sit. Cui Elector injungebat, absque cerimoniis, ac velut privatim cum istis congrederetur, quod jam tempestivum non sit, super inanibus litigare. Sed & alius scrupulus surgebat, quod Blaspielus non sat commode Suecos publice, aut privatim invisere posset, antequam lis super cerimoniis cum Gallis composita foret, velut quibus notificatio prius quam Suecis facta esset, qui & prius quam Sueci horam obeundæ visitationi petierant atque obtinuerant. Qui & non obstante ordine, quo ipsi visitationes dederant, reciprocam visitationem ab omnibus legatis proximo post Cæsareos loco exigebant. Unde hos ægre laturos, si ipse a Suecis prius solennem, aut privatam visitationem admiserit, aut reddiderit, quam Galli eam ipsi dederint, aut a se receperint. Eam ob causam satius visum cum Suecis convenire, ut in loco tertio, aut fortuito occursu inter se colloquerentur.

Super induciis fracta movetur. 22. Febr.

§. 53. Porro super induciis, quas Cæsarei sua pace stipulati fuerant, hi statim post absolutam pacem movere cœperant, quo in sequestrium officium irreperent. Quod cum Heugius & Blaspielus declinassent, iidem per Anglicæ legationis Secretarium, a Jenkino Neomagi relictum laxis verbis conceptam declarationem Gallis & Suecis facere constituebant, qua se ad agendum super induciis Anglo sequestre paratos ostendebant. Quæ si rejiceretur, Gallos injuriæ argui, & cum Cæsareis committi; sed si admitteretur, ejus conditionibus adornandis tempus extrahi posse. Ast Sueci non uno prætexto eam tractationem de induciis recusabant, quæ nunc mutata rerum facie conciliandæ paci nec tempestivum, nec accommodatum amplius remedium sint; ac satius fore de pace agere, prout Gallica legatio declaraverit. Nam si quidem, quæ super ineundis induciis pace inter Cæsareos & Gallos inita convenerint probasse. Sed Danum & Brandenburgicum mandati defectum excusasse, ac per integrum jam mensem hanc tractationem moratos; cum paci per repetitas protestationes contradixisse, ac ea, quæ in ipsorum favorem convenerant, irrita red-

1679. reddidisse. Sed nec sibi ad ullos tractatus cum legatione Danica accedere integrum esse, quamdiu literarum commercia cum Rege suo libera sibi non relinquantur, nec intercepti Bornholmiæ naufragi præfecti, militesque cum rebus restituantur. 6. Febr. Ast Galli sermone declaraverant; facile quidem sibi persuaderi, Electorem post tam felices armorum in Borussia successus inducias non recusaturum. Enimvero terminum, intra quem earum copia facta erat, prætermissum, nec deinceps sibi de induciis agere licitum; & æque promte pacem, quam inducias perfici posse. Et quietem Germaniæ non ab induciis pendere, sed ut Elector occupatis ejusdem in Westphalia ditionibus ad Suecos in integrum restituendos compellatur. Tunc enim bello in Germania finem imponi; ac Danum inde brevi in ordinem redigendum. .. Febr. Adversus, quæ Danus, ac noster testabantur, nec ante pacem factam, nec post per se stetisse, quo minus super induciis ageretur; eoque Gallos obligatione sua, qua ad hasce ineundas per Cæsaream pacem tenentur, citra consensum eorum, quorum interest liberare se non posse. Nec minus Suecis reponebatur; a se nunquam idoneas inducias fuisse repudiatas. Quod de iis statim post perfectam pacem Cæsaream agi non potuerit, causam fuisse, quod per fœderatorum secessionem res suæ in difficiliorem statum fuerint conjectæ, ut a Principibus suis nova sibi mandata fuerint petenda. Unde ob anni tempestatem & locorum distantiam inique sibi unius mensis moram objici. Cur paci peculiari, fœderibus suis adversanti, contradixerint, graves sibi rationes fuisse; cui rei tertius, quem omnes pro communi hoste habuerint, immiscere se non debeat. De cursoribus quoque & literis, nec non Bornholmensibus naufragis ideo tantum moveri, quo prætextum sit induciias juxta & pacem sufflaminandi. Neque a conclusa cum Cæsareis pace talem rerum mutationem extitisse, quæ ad inhibendam de induciis tractationem justam rationem suppeditare possit.

§. 54. Enimvero Galli rationum, quæ adducebantur securi, extorquendæ paci occidentalem Cliviæ partem milite inundabant; id quod adversabatur non tantum pactis, quæ ordines provinciales cum Gallicis quæstoribus iniverant, sed & nupera Gallicis legatis factæ declarationi, qua totum mensem Martium Electori ad deliberandum concesserant. Cum Blaspielus Cæsareos, & Belgas, ut ei malo remedium adferrent, hortaretur, Galli eorum rogatu declaraverunt, se ad initium usque Martii hostilia inhibituros; sed hospitationes induciis non repugnare, quæ tantum ob moram circa tributorum solutionem factæ sint. Hæc si exacte repræsententur, Gallicum militem iis contentum fore, ac modeste acturum. Quæ illusio erat; cum per hospitia provinciales ita exhaurirentur, ut contributionibus solvendis pares non essent. Mox & orientali parti Cliviæ tributa imperabant, quæ per inducias quoque extorquere animus erat, quicquid rationum occineretur. Belgis autem Galli non sine irrisu responderant: id negotium ad suam functionem haut spectare. Avauxium Hagæ esse, quicum loqui possint. Legatis quoque Belgicis Lutetiæ agentibus ad ipsum Regem de eodem referendi facultatem esse. Sed postquam Galli jam occasionem habebant Cliviam pro lubitu emungendi, ostendebant, se inducias concessuros ad finem usque mensis Aprilis, quibus durantibus omnia in præsenti statu sint relinquenda; modo legatus Danicus, & Brandenburgicus sine mora, & conditione eas acceptet. Simul quibus conditionibus induciæ sint ineundæ, formulam promulgant. E quibus satis adparebat, hospitia per Cliviam sumta Electori ad restituendam Pomeraniam cogendo. Id quod & Gallici præfecti palam jactabant, ac ultro provinciales hortabantur, ut de insultationibus suis querimonias ad Electorem deferant, quo is eo citius ad propositas pacis conditiones permoveatur. Ac solum Electorem in causa esse, quod isti ita opprimantur; quia magis recens parta Pomerania, quam Clivia eidem cordi sit. Sed statim atque is postulanda Pomerania desistat, omnium malorum finem fore. Ad Gallorum declarationem Blaspielus respondebat; Inducias a se nunquam rogatas, in quas tamen statim, atque a sequestre fuerint propositæ, consenserit. Sed nec eas a se unquam recusatas, ac per se non stetisse, quo minus eædem dudum conclusæ sint. Nec protestationem suam contra pacem istis obstaculo fuisse, quod hæc nihil connexionis cum istis habuerit, & eadem non obstante, Cæsarei apud se, & Danum egerint, ut in inducias consentiat. Sed quicquid eorum sit, se paratum has amplecti. Simul earum conditiones exhibebat. In eundem fere sensum a legato Danico respondebatur; qui & ipse induciarum conditiones conceperat. Demum post permutatum hinc inde unum & alterum scriptum in has induciarum leges convenit. *I. Ut a primo proximi mensis Aprilis die usque ad primum Maij insequentem, inter Regem Daniæ, & Electorem Brandenburgicum ab una, & Regem Galliarum Christianissimum, ac Regem Sueciæ ab altera parte omnes qualicunque hostilitatu actus terra cessent, tam respectu urbium locorumve, quam præliorum campestrium. II. Ut a præfato die 1. Aprilis, aut minimum quam cito duces bellici superiores de præsentibus induciis certiores fieri poterunt, unius cujusque partis exercitus & milites istis maneant in terris, & regionibus, quæ a singulis partibus jam nunc possidentur, nec fas ipsis sit in alterius terris pabulari. III. Ab eodem quoque primo Aprilis die non amplius irroganda hinc inde erunt nova extraordinaria contributiones pro pecoribus, fossoribus, curribusque coërcendis usitata; nec sit liberum cuipiam ejusmodi irrogationes facere, si forte necessitas id postulat, nisi in terris, quarum in præsens qualibet pars est in possessione. Præterea neque partium una ab exigenda contributionum jam debitarum solutione alterum ullo modo impediet. IV. Quod si præter spem & votum aliqua super observatione pacti hujus vel in toto, vel in parte intercedit difficultas, illa amicabili via sive per exercituum præfectos, sive ad hunc actum utrinque potestatem habentes Commissarios sopiuntur, nec fas esto eam ob causam ab hisce induciis resilire, aut arma denuo capessere. V. Supra dicti legati & Plenipotentiarii mittent e vestigio harum tabularum descriptum exemplar ad Regis, Electorisque dominorum respective suorum tam exercituum quam urbium præfectos, atque adeo se obstrin-*

Margin notes (right column): 1679. — 18. Mart. — 17. Mart. — Induciæ ineuntur. — 21/31 Mart.

Margin notes (left column, partly cut off): ...li in ...iam ...m- ... Mart.

1679. *obstringunt, vigore plenipotentiarum suarum, quod modo dicti præfecti præsentes articulos exsequendos curabunt, ex quo die quisque horum ejus rei nuntium acceperit.*

Cum Monasteriensi pax concluditur. 29. Mart.

§. 55. Induciarum formula proposita Gurcensis Monasteriensem ablegatum interrogaverat, num is quoque inducias acceptare velit; quod constet, Gallum legatis suis injunxisse, adornandæ Borealium paci acriter insistere, & reliquos adhuc fœderatos per separatas negotiationes penitus disjungere, eoque fine cum Monasteriensi pacem sine mora absolvere. Cum itaque Monasteriensis acceptandis induciis paratum se declararet, Colbertus eo nomine hunc non segniter increpabat, quod negotio pacis jam ad umbilicum deducto ipse induciis inhiet. Simul peculiaria cum Suecis commercia exprobrabantur, & quod Præsul his magis quam Galliæ confidere videretur. Quo sermone Monasteriensis ita perterrebatur, urgente etiam Andrea Ulckeno Gottorpiensi ablegato, qui eam negotiationem valde promoverat, ut eadem adhuc die pacem subscriberet. Ejus capita hæc erant; *Episcopus ab hac die desistet omnibus fœderibus ab antecessore contra Regem Galliæ, & Sueciæ initis, ac medium durante hoc bello deinceps se geret, nec auxilii quid Galliæ, & Sueciæ hostibus, qui restant, præbebit. Copias quoque ab antecessore suo Regi Daniæ, & Electori concessas revocabit. Idem paci cum Cæsare initæ adstringetur, ejusdem vicissim beneficio fruiturus. Qui hoc ipso die inter Regem Sueciæ & Episcopum tractatus conclusus est, perinde habebitur, ac si huic de verbo insertus esset. In signum amicitiæ Rex Præsuli L M uncialium Amstelodami, aut Hamburgi solvi curabit. Rex quoque, si arma trans Rhenum ferre necessum sit, transitu militum Monasteriensi, & Paderbornensi Præsulatui parcet, nisi indeclinabilis necessitas exigat, quo casu transituri omnia necessaria præsenti pecunia solvant, nec eædem provinciæ hospitiis, aut tributis onerabuntur. Si Præsuli ob hunc tractatum molestia facessatur, Rex eum armis suis proteget, nulla eo nomine sumtuum reparatione exigenda. Fructu hujus tractatus etiam gaudebunt Abbatia Corveiensis, Comites Bentheimenses, Teclenburgenses, Ritbergensis, cum Dynastia Rheda. Denique & Rex operam dabit, ut Sueciæ Rex sacra Catholica relinquat in eo statu, quo inventa fuerint, quando Præsul loca occupata isti restituet, aut qui anno 1624 fuerit. Tractatus hic intra tres septimanas, aut citius si fieri possit, ratus habebitur.* Subscripserant Strada Mareschallus, Colbertus, & Wernerus Zurmühlen. Ejusdem Episcopi cum Sueciæ Rege pace peculiariter cavebatur, ut ille huic quicquid locorum in Bremensi ac Verdensi Ducatu insideret restituat; vicissim tamen Rex Episcopo C M uncialium numeret, ac interim huic præfecturam Wildshausen in hypothecam concedat, eodem modo, quo corona Sueciæ eam hactenus obtinuit antichreseos jure possidendam, & fruendam.

Elector Belgas officii frustra admonet. 28. Mart.

§. 56. Ast Elector Clivia per Gallos inundata Belgas, ut ejus curam susciperent, admonebat, datis literis hoc sensu. *Statim atque intellexerit, Gallicas copias e Juliacensi provincia in occidentalem Cliviæ partem irrupisse, quo tempore ipse longe aberat Borussia ab hostibus liberanda, quibuscum unica sibi bellandi causa fuerit, Remp. Belgicam inter extrema laborant subvenisse: firmam sibi fiduciam fuisse, Belgas tam proprias ob rationes, quam ob fœdera, & promissa etiam post separatam pacem facta haut omissuros eam irruptionem pro viribus, queis abunde instructi erant, avertere.* *1679.* *Enimvero se non sine summa animi perturbatione e novissimo ipsorum decreto perspexisse, eorum nullam plane rationem habitam.* *18. Mar.* *Et quamquam ipse Reip. Belgicæ calamitatem suam quoque duxerit, ad eamque depellendam cum periculo omnium suarum fortunarum summo studio, pari fide incubuerit; nunc tamen omni se auxilio destitui, insuper habitu suis petitis; ut jejunius responsum ne illi quidem dari potuerit, quicum nil plane conjunctionis Reip. fuerit. Equidem quas causas pacis cum Gallis initæ ipsi allegent, suo loco relinqui. Ni tamen omnia divina, & humana jura proculcare velint, per fœdera secum inita ipsos obstrictos fuisse, ne absque prævia communicatione in maximam sui fraudem pacem inirent. Quam & adversus se allegare, ejusque obtentu debitum sibi auxilium negare haut potuerint. Saltem actionem de præstando damno ex ejus auxilii negatione ortam adimi sibi non posse. Olim cum ipse a Suecis ob suppetias Reip. latas invaderetur, libenter eorum rationes admisisse, quare X M militum, in eum casum sibi auxilio promissa, ob incumbentes ipsis Gallos mittere non possint. Quin eo promtius proprias vires exseruisse, ac ultro de suis copiis per singulos annos non modicas suppetias præbuisse. Nunc numerosum eorum exercitum per præsidia sparsum otiosum desidere, quicum nullo suo incommodo, nec ærarii onere suæ juxta provinciæ subveniri, simul Reip. securitati consuli possit. Igitur ad animum revocarent ipsius juxta, ac propriæ Reip. periculum, simul nunc & in futurum oritura inde irreparabilia damna, & quod limitem non minus in Flandria, & Brabantia, quam ad Rhenum munitum esse expediat; ac inter has suas difficultates ita se exhiberent, uti fœderum ac promissorum religio, ac Reip. existimatio in præsens, ac apud posteritatem requirat. Sane & Magnæ Britanniæ Regem Cliviæ tutandæ pronum se declarare, modo Belgæ sociam cum ipso operam serio conjungere velint. Id beneficium se, posterosque suos grato semper animo agnituros, & quavis occasione Reip. rationes summo studio amplexuros. Ast si nunc auxilio cassus destituatur, ac libidini communium hostium, cum nullos ipse nisi propter Belgas habeat, exponatur; id Divinæ Nemesi a se committi, quæ fidei violatores inultos non patitur. Nec minus eo casu sibi, posterisque omne jus, omnemque actionem reservare, ac de omni jam tolerato, ac deinceps nascituro damno quam solennissime protestari. Confidere tamen Belgas petitum ipsius summa æquitate nixum expensuros, nec exitium veteris, fidique fœderati, atque vicini otiosos spectaturos, nec inaudito exemplo divinam vindictam in Remp. suam attracturos, sed potius promto auxilio suam amicitiam, studiumque in æternum Reip. pigneraturos.* Germana his Romswinckelius sermone addebat. Sed ad ista boni cives humeros trahebant, ac inanes lacrymas volvebant. Solidi auxilii nil obtinebatur, utut nuper adhuc Angliæ Rex obtulisset, se Cliviæ servandæ tantundem collaturum, quantum Belgæ facturi sint. Sed nimirum Belgæ sua pace omnia corruperant, ac Gallum eo in statu collocarant, ut ad nutus istius trepidandum ipsis esset. Ad extremum nil aliud postulabatur, quam ut Belgæ copiarum aliquid Vesaliæ immittere vellent. Quod & ipsum cum negaretur, haut mirum erat ab Ele-

Ctore

1679. ctore demum ad ejusmodi consilia descendi, quæ demum istorum Reip. summo periculo cedere poterant.

Neomagi nil ampli- u ad pa- cem pro- ficitur. 8. Mart. §. 57. Ast Neomagi deinceps ad pacem nihil proficiebatur, utut Jenkinus Haga eodem reverteret, hac causa adducta; quia Danica, & Electoralis legatio officio suo insignem semper honorem detulerit, a Rege jussum se huc redire, ac istis operam navare. Is igitur apud Gallos sciscitabatur, annon demum ad pacem perveniri queat? Cui hi reponebant; quamdiu Elector Stetino insistat, nullo modo sibi cum eo convenire posse. Si tamen cum Suecis transigere queat, id non ingratum sibi fore. Ast Suecis etiam post cladem in Borussia acceptam pervicacia gliscebat; & cum Joannes Silbercrona, quo tempore hi Stralsundam adhuc, & Rugiam obtinebant, Fagelio dixisset, ab iisdem Electori Stetinum, Usedomum, & Wollinum concedendum, si eo pretio pax redimi possit; jam omnia abrupte respuebantur. Ac postulabat Oxenstierna, antequam de pace agi inciperet, ut literæ, quas ad Regem scribat, per Electoris ditiones tuto perferri possint; ut naufragi ad Bornholmiam restituantur; ac ut formula pacis a Gallis superiore anno proposita acceptetur. Ad quæ Blaspielus: Oxenstiernæ prius demonstrandum esse, suas literas utique per Electoris ditionem mittendas, idque citra hujus fraudem fieri posse. Bornholmense negotium Daniæ Regem spectare; nec Electori factum tertii præstandum impingi posse. Nam Electorem pacto deditæ Stralsundæ nil amplius promisisse, quam quod Suecicas naves in mari contra omnes suorum fœderatorum assultus tutas præstare velit. Id quod ad casum naufragii, & quæ a terrestri milite istis inferri queant, porrigendum non sit. Denique declarationem super primario negotio exigere ante cœptos tractatus, absurdum haberi. Sed nimirum per ista ludibria tempus extrahebatur, quo induciæ absque fructu cederent. Ac ut Daniæ Rex & Elector, qui soli adhuc in societate perstabant, divellerentur, Galli Blaspielum hortabantur, ut pacem exemplo aliorum occupare festinaret; quod & ipsum Dano ingerebat. Interim Galli de partibus Transoderanis Electori in satisfactionem dandis movebant. Se quidem Electori Stetinum, ac plura non invidere. Sed Suecis eam urbem usque adeo cordi esse, quasi summa Regni sui in eadem vertatur: Blaspielo regerenti; si e Suecorum arbitrio res pendeat, Electori nil plane datum iri. Cæterum constabat, Pomponium Suecis admodum favere: sed Luvoisium, & alios averso ab iis animo esse, & eorundem agendi modum improbare, ac tædium concepisse pecunias ulterius in eos profundendi. Inde jussu Electoris Blaspielus Suecis pro citeriore Pomerania Transrhenanam Cliviæ partem offerebat. Quam permutationem Gallis gratam facere nitebatur, quod tunc æmulatio inter Electorem & Suecos tollenda sit, nunquam alias cessatura, quamdiu Sueci in Pomerania hæreant. Ac ita deinceps Gallum Sueci simul, ac Electoris amicitia frui posse, quibus alias semper in diversas partes discedendum sit. Sed Colbertus usque adeo eam rem adspernabatur, ut demum Blaspielus diceret, se injussum eandem tentandi causa jecisse. Colbertus inde Blaspielo per Jenkinum significabat: sibi a Rege suo injunctum heic manere pa- 1679.
ci cum Electore promovendæ, quod satis adpa- 15. April.
reat, tractatione cum Suecis suscepta operam ludi velut flecti nescii. Unde cum Electore pari modo atque cum Luneburgicis agendum. Ac si inter Galliæ Regem & Electorem convenerit, Suecis inter hos transacta vel ingratiis adprobanda fore. Quod tamen non eo trahendum sit, quasi Rex Suecos deserturus, aut a data eisdem fide discessurus sit. Citeriorem Pomeraniam cum Stetino penes Suecos manere oportere, quod isti Odera fluvio carere nequeant, citra quem reliqua Pomerania ipsis inutilis sit. Electorem jam aliquot naves armare cœpisse, ac sine dubio circa justam classem parandam laboraturum. Ast hoc modo Suecorum commercia in Mari Baltico ingens detrimentum captura, quin demum plane ruitura, si Elector Dano contra Suecos societur. Sed quæ Elector per Stetinense pactum amiserit, restitutum iri, addita pecuniæ summa. Sueci quoque Jenkino denuntiabant; se quidem ob literarum missionem, & Bornholmense negotium cum Electore tractationem, secus atque cum Dano, haut omissuros: (id quod disjungendo Dano ab Electore fiebat;) sed plenam restitutionem sibi utique habendam. Sed cum Jenkinus demonstraret, hanc viam ad pacem non esse, id eo restringebant; reddenda esse, quæ per pacem Osnabrugensem sine controversia sibi competant: sed de iis, quæ pacto Stetinensi acceperint, tractari posse. Cum inde Jenkinus Gallos hortaretur, ut Suecos ad æquiora permoverent, nil aliud rationis quod reponerent habebant, quam gloriam Regis sui non permittere a propositis semel conditionibus resilire. Et cum Jenkinus objiceret, Gallos utique circa Luneburgicos a pace Westphalica discessisse; respondebant Galli; Suecos eo nomine graviter questos; nec Duces id emolumentum obtenturos fuisse, ni primi e Borealibus fœderatis arma posuissent. Si Elector tractationem occupasset, multo lautioribus conditionibus potiri potuisse. Porro Galli sparserant, Rebenacium Berolinum ivisse absolvendæ ibi paci. Id quod confictum fuerat protelando Jenkino, qui dixerat; se hortante præcipue Arausionensi Neomagum revertisse, ut Dano & Electori circa pacem operam navet. Etsi hic declarabat; pacem Borealem a se optari, ubicunque & a quocunque ista concilietur. Sperare tamen studium suum ab Electore æstimatum iri, nec quid existimationi Regis sui adversum admittendum. Idem dicebat; sibi injunctum, concipiendis pacis conditionibus haut operari, quod id sine utriusque, aut alterutrius partis offensa vix fieri queat. Ast nec Galli pressiores pacis leges proponere volebant, sed si tales concipi possint aut debeant, id ab alio proficisci debere. Eum in finem a Ienkino Andreas Ulckenus proponebatur, ut pacis formulam, neutri parti præjudicio cedentem conciperet. Sed quem Blaspielus repudiabat, velut Suecico favore penitus imbutum & Electori iniquiorem.

§. 58. Interim nil reliqui faciebat Blaspielus, Galli scri-
ut Gallos ad æquiora flecteret, ac quæ hi agendi pta & ra-

1697. tiones nihil curant, 21. Mart.

modo a se adhibito prætexebant, scripto refellere nitebatur. Protestationem paci Cæsareæ oppositam hautquidquam arguere animum Electoris paci aversum. Eam enim non ideo factam, ut communis pax, cujus conficiendæ gratia hic conventus sit institutus, impediretur, sed potius, ut ea promoveretur. Quod non solum Cæsar, Hispanus ac Belgæ pacem non nisi junctim cum Electore facere tenerentur, sed & Angliæ Regis officium ab omnibus admissum ad pacem universos complexam pertineret. Unde Electori jus fuisse peculiaribus tractatibus contradicendi, donec & ipse pacem obtinuerit. Electori quoque de pacis conditionibus a Galliæ Rege die XV. Aprilis propositis nihil certi constare, quippe quæ nec ipsi, nec ejus legationi rite insinuatæ fuerint, nec ejusdem in iis mentio fiat: cum tamen Gallica juxta, ac Suecica legatio peculiaria mandata super pace cum eodem tractanda exhibuerint. Unde non fuisse causam, ut ipse iis conditionibus animum adverteret; sed merito expectasse, ut ex usu moratiorum gentium adaptatæ ad ipsius causam formulæ exhiberentur, super quibus tractari posset. Præterea cum Sueci rupto sine idonea causa fœdere Electori bellum, simul gravissima damna intulerint, quos hic secundante Numine armis profligaverit, recuperato patrimonio sibi quondam ab istis vi extorto, non sine immenso labore, ingentibus sumtibus; ex more inter omnes gentes recepto velut victorem damni reparationem, ac æquam satisfactionem postulasse: præsertim cum non nisi hortante Cæsare & Imperio, & satisfactione atque indemnitate sibi ab iis promissa ad bellum accesserit. Unde nulla juris specie eidem conditiones a Gallis propositas obtrudi posse, quibus non solum omnis satisfactio adimitur, sed & de Lipstadio in Coloniensem Electorem transferendo tangitur: cum si huic actionis quid in Electorem competeret, non Neomagi per Gallos, sed in Imperio justo loco decidendum foret. Addebatur de Coloniensis in Lipstadium inani prætensione, quæ inde ortum traxerit, quod Theodorus Archiepiscopus Coloniensis anno 1494 super isto oppido Ducibus Cliviæ actionem movere voluerit prætexto sumto, quod antecessores sui anno 1366 Engelberto Comiti Marcano eam urbem pro summa ter mille aureorum cesserint. Atqui constare istam ab omni tempore ad Comites Lippiæ, non ad Archiepiscopos Colonienses spectasse; ac istos Comites ante aliquot sedula dimidiam ejus partem Comitibus Marcæ cessisse, a quibus eadem in Duces Cliviæ derivata sit. Quin & id compertum, eodem tempore, quo iste Archiepiscopus Theodorus sustinere voluit, suos antecessores id oppidum Comitibus Marcæ oppignerasse, idem pleno dominii jure ad Simonem Lippiæ Comitem spectaverit, qui id supra dicto Engelberto Marcæ Comiti pro VIII M argenti marcis pignori dederit. Post anno 1445 Ioannem Ducem Cliviæ, & Comitem Marcæ alium contractum cum Comitibus Lippiæ fecisse, cujus vi Dux summæ isti VIII M marcarum renuntiavit, ac vicissim Comites Lippiæ isti dimidiam Lipstadii partem cum omnibus pertinentibus & dependentibus pleno jure dominii & proprietatis cesserunt.

De inani prætensione Coloniensis in Lipstadium.

Ex quo tempore Dux, ejusque successores in præsens usque tempus istius dimidiæ partis proprietatem sine interruptione possederunt, altera dimidia parte semper penes Lippiæ Comites permanente. Unde & cum hi tituli a Ducibus Cliviæ anno 1494 allegati & oppositi essent Archiepiscopis Coloniensibus prætensionem instituentibus, hos adquievisse, nulla ulteriore persecutione centum annorum spatio facta; ita ut si maxime eorum prætensio aliquo jure subnixa fuisset, eadem per præscriptionem temporis memoriam excedentis extincta foret. Sed & prolixo scripto Blaspielus deducebat, Gallis longe plus rationum esse, quare Electori ampliorem satisfactionem procurare debeant, quam Luneburgicæ Domui istorum favore contigit. Nam Electorem bello a Suecis lacessitum jure naturæ ac gentium, & publico Imperii Germanici vim vi repulisse; Duces Luneburgicos non nisi mandato ab Imperatore, consensu Imperii auxilium contra vim Suecicam non sibi, sed Electori illatam ferentes, ad bellum hoc accessisse. Electoris ditiones ab hostibus inundatas, ac misere habitas fuisse: in Ducum provincias hostes hoc bello ne pedem intulisse. Unde Electorem damna aliquot millionibus uncialium vix pensanda in suis provinciis accepisse. Luneburgicis regionibus plane intactis. Isti quoque in hoc bellum maximos sumtus fuisse impendendos; Duces autem bello contra Suecos intra breve tempus confecto & pecunia fœderatorum, & hibernis a Cæsare assignatis, aut propria autoritate occupatis admodum sublevatos fuisse. Quæ porro armis Elector occuparit, aviti patrimonii partes fuisse: a Ducibus capta nunquam ad horum Domum spectasse. Electori, antequam a Suecis invaderetur, ab Imperio contra quoscunque aggressores evictionem promissam, & postquam ab istis impetitus esset, satisfactionem adjudicatam: Ducibus contra nil nisi exsecutionem ejus sententiæ a Cæsare, consentiente Imperio, demandatam. Eas igitur ob rationes Electori merito totam Pomeraniam cedendam, quæ proportione obtentæ a Luneburgicis satisfactioni non respondeat, & cujus reditus vix dimidiam partem usurarum æquent ejus sortis, quæ in id bellum ab Electore impendenda fuit. Inprimis autem ad publicam Germaniæ tranquillitatem, simul servandæ inter Suecorum, & Electoris fœderatos concordiæ facere, si Pomerania penes solum Electorem sit; quod Suecis in hujus partem redeuntibus diffidentia facile novis motibus fomitem suppeditatura sit, memoria præteritorum animos magis asperatura. Quam ob causam etiam utrinque ob mutuam diffidentiam, metumque improvisæ oppressionis numerosa urbium præsidia, copiasque alendas fore, reditus Pomeraniæ longe excedentes. Vicissim tamen Sueciæ satisfieri posse, constituta in universam Pomeraniam post extinctam Electoris lineam successione, ac interea tantis reditibus eidem aliunde attributis, quantos ante bellum ex ea Pomeraniæ parte percepit, aut percipere potuit; ad quos Rex Galliæ, Imperium, quod Electori satisfactionem promisit, hujusque fœderati, qui itidem hunc

1679. hunc indemnem præstare tenentur, conferre possint. Nec minus fas fore ipsam Sueciam aliquid tranquillitati orbis Christiani condonare. Enimvero Galli per summam insolentiam ista ne audire quidem dignabantur; ac Luneburgici, qui eo scripto perstrictos se censebant, opposito scripto Blaspieli rationes impugnabant; quibus & his respondere non omisit; debiliore pugnæ genere, quam quod ad tantam violentiam sistendam quidquam facere posset.

[Bl]aspieli [cum] Col[ber]to [con]gres[sus]. §. 59. Haut eo minus Blaspielus tentandum censebat, num instituto colloquio forte propius ad rem accedi posset; eoque Colberto offerebat, si lite super cerimoniis seposita ipsum primo loco visitaturum, si eum honorem ab eodem dein recepturus sit. Colbertus id sibi gratum fore ostendebat; sed quia Strada adhuc adsit, cum eo sibi super ea re consultandum fore. Qui cum intra paucos dies profecturus sit, in præsens satius fore se tertio loco congredi; deinceps propositum modum a se observandum. Ac Blaspielus Stradam, antequam hic Neomago discederet, solenni ritu visitabat, eodem mox honore recepto. *April.* Cæterum privato isto colloquio Colbertus multa jactabat super Regis desiderio circa pacem in universum, & ut ea præcipue cum Electore redintegretur. Sed ad hanc nullam aliam esse viam, quam ut Sueci ad normam pacis Westphalicæ in integrum restituantur. Sed quæ isti per peculiaria pacta ab Electore quæsiverint, huic concedi posse, addita a Rege suo insigni pecuniæ summa. Equidem duras esse has conditiones, ac se Electori vel totam Pomeraniam optare. Sed considerandum, si is toti Pomeraniæ insistere pergat, omnes Galliæ vires in se tracturum, quibus omnes fœderati adhuc juncti sustinendis non suffecerint. Regem porro ad curandam Suecis amissorum restitutionem teneri, si maxime omnia eo nomine aleæ sint exponenda. Hanc indispensabilem legem ipsi per gloriam suam dictari. Suecos eidem occinere, cum tot potentes ipse hostes superarit, ac tam gloriosam pacem obtinuerit, cur nunc majore quam unquam antea potentia succinctus Sueciam destituere velit, tot calamitatibus ob arma in ejusdem gratiam arrepta obrutam? Blaspielus contra quantum poterat mollissime, quod Colbertus facile irritaretur: Electori gratissimum fore cum Rege amicitiam instaurare, arridente jam cumprimis occasione, postquam isti a fœderatis destituto integrum sit de rebus suis pro lubitu disponere. Si itaque Regi animus sit Electorem, ejusque Domum sibi pignerare, se conditiones pacis in Regis arbitrium collaturum. Enimvero Electorem etiam in ejusmodi statum reponendum, ut Gallo utilem operam navare possit; nec iterum malefidum vicinum ad latus eidem collocandum, adversus quem semper in armis consistendum, ni oppressio, qualis nuper contigit, expectanda sit. Regis gloriæ nil decessurum, si Suecis alibi satisfiat, quem in finem Elector summa ope sit connixurus. Non a se postulari, ut Rex Suecos destituat. Posse utrosque Galliæ amicos esse, modo amoveantur, quæ a tempore Westphalicæ pacis diffidentiam inter istos excitarint, Pomerania nempe & Stetinum. Parum gloriosum Regi fore, omnes vires suas vertisse in Principem 1679. potentia inferiorem, amicitiæ ejus cupidum; cui nil aliud quæratur, quam securitas, & quod jure sibi competit. Equidem vix dubium esse, quin Rex Electorem ad pacem, qualem ipse velit, compellere possit. Ast gloriosius fore Regi, ac forte utilius, si adhibita moderatione istum magis sibi obstringat. Colbertus contra de æstimatione & affectu, quo Rex Electorem prosequatur, prolixe, quem reipsa exserere cupiat: sed per Sueciæ restitutionem viam utique muniendam. Quicquid dein Elector a Rege desideraverit, id eum expectare posse. Nec ingratum Regi fore, si Elector ab ipsis Suecis plura obtinere queat. Sed Suecos ad id compellere Regi fas non esse; ac his novissima mandata missa, ut ne pedem quidem terræ cedant. Et cum Blaspielus reponeret: Suecos antea, cum res eorum non eousque redactæ forent, Stetinum cedere voluisse: Colbertus regerebat; Galliam tunc nondum in eo statu fuisse, & non Sueciam, sed istam, ejusdemque promissa Electori respicienda. His sine exceptione standum; ac Electori promte consilium capiendum, ni duriores subire conditiones velit. Nec diuturnum bellum a Rege in istum gerendum, sed mox tota vi opprimendum, ac omnibus fortunis evertendum, ni victoris gratiam occupet. Verbo, quamdiu Elector totam Pomeraniam affectet, non modo pacem non sperandam, sed & eundem summam rerum suarum extremo periculo exponere.

§. 60. In has angustias redacto Electori consiliendum capiendum erat durum sane, ac satis anceps, num forte Belgas, quorum culpa in hæc mala præcipitarat, ad causam suam amplectendam excitare, ac extracto tempore suis rebus melius consulere posset. *Electori durum consilium est capiendum.* Redierat Cellis Fuchsius allata repulsa super legionum transitu, qui, si maxime vi perrumpere placeret, vi impediendus erat. Et cum Belgæ nonnihil copiarum Vesaliæ immittere abnuissent, metuendum erat, ne id oppidum una cum milite præsidiario, machinis, paratu bellico, & annona in Gallorum potestatem redigeretur, civibus quoque horum libidini exponendis. Igitur satius visum, e duobus malis minus eligere, ac in duras licet conditiones cum hoste convenire; quam amicis & fœderatis otiose spectantibus gratis perire. Igitur Elector Blaspielo injungebat, ut Colberto denuntiaret: quanquam Galliæ Rex plenæ restitutioni Pomeraniæ institerit, iis tamen verbis erga Meindersium usum, ut ipse integram fiduciam in generoso ejus animo reponere decreverit. Vnde & se paria cum eodem facturum, ac speciminis loco Vesaliam cum castello Schenckiano ad pacem usque ei asservandum traditurum, ut tamen suas sibi copias annonam, machinas, aliumque paratum inde deducere liceat. Ac brevi aliquem plenis cum mandatis missurum, qui uberius ipsius mentem sit expositurus. Ne tamen Belgicis legatis, aut cuipiam alteri indicium faceret; ac Gallum rogaret, ne eam rem cuipiam prodat. Quod si Gallus Lipstadium insuper peteret, id quoque annueret ea lege, ut ne in alterius manus id pervenire patiatur, ac post factam pacem sibi restituat. Eo mandato accepto Blaspielus Jenkinum

1679. de prorogandis induciis inſtare petebat; ac ne id extrahendo tempori fieri crederetur, Colberto inſinuabat, Electorem Regi unum atque alterum locum cautionis in vicem ad pacem usque traditurum. Iſthoc oblatum etſi a Gallo cupide arri- *20. April.* peretur, haut eo minus Gallorum V M equitum X M peditum, nondum licet elapſo induciarum tempore, Rhenum tranſire, ſimul hoſtilia per Cliviam exercere cœperunt. De qua re cum Blaſpielus quereretur, Galli declarabant; ſi Regi Veſalia tradatur, inducias in decem dies prorogandas; ſi Lipſtadium accedat, quinque inſuper dies addendas ea lege, ut interim pax utique concludatur in conditiones ſupra dictas; ut nempe penes Electorem maneant, quæ per pactum Stetinenſe amiſerit, reliqua Suecis reddantur. Caſtellum Schenckianum a Rege non deſiderari declinandæ Belgarum ſuſpicioni. Blaſpielus contra; ſe paratum ſuper prorogandis induciis agere, ſed quæ ad pacem usque porrigendæ ſint; ac ut ſerio rem ab Electore agi adpareat, Veſaliam & Lipſtadium cautionis in vicem Gallo tantiſper tradendum. Gallus reponebat; Alexandrum Spanium, qui & ipſe ea de re Gallis proponere juſſus erat, in tres duntaxat ſeptimanas inducias prorogari pe- *22. April.* tiiſſe. Ita viſum Colberto, valde licet repugnantibus Suecis, ut ipſe, ac Blaſpielus una cum Calvo & Spanio Santenam ſe conferrent. Ubi in iſthæc capita conventum fuit. *I. In ſpecimen bonæ fidei, qua Elector cum Rege Galliæ agere vult, Alexander Spanius Veſaliam & Lipſtadium in manus Regis Galliæ, prout ab Electore oblatum fuit, tradet, ab ejus præfecto & milite cuſtodiendum, quoad pax inter Regem & Electorem perfecta, atque ratihabita fuerit. II. Præſidium Electorale Veſaliæ, & adſito caſtella die nona hujus menſis exibit, quo die præſidium Gallicum a Calvo mittendum intrabit ad IV M tam peditum quam equitum, idque ibi morabitur, quoad ratihabitiones tractatus pacis cum Electore incundi permutatæ fuerint. III. Spanius etiam per quæſtorem duo millia militum Gallicorum Lipſtadium conduci curabit, qui præſidium ibi agitabunt. Quæ manus die IX hujus menſis Ordinga movens intra diem XI hujus menſis Lipſtadii aderit; ubi Spanius eam recipi, ac per hoſpitia diſtribui curabit, Electorali milite inde deducto. IV. Spanio liberum erit, quicquid neceſſarium ei erit, iis locis deducere; circa reliqua inventarium fiet, quicquid adparatus bellici & annonæ, aliarumque rerum ad Electorem ſpectantium ibi reliquerit, ut eadem quantitas una cum machinis a Rege poſt pacem reddatur ei, quem Elector voluerit. V. Liberum quoque erit eorum locorum incolis ibi commorari, quo caſu omni ſecuritate fruentur, aut inde excedere cum omnibus rebus ad ipſos ſpectantibus. VI. Quia prorogatio induciarum, quam legatus Electoralis inſtanter petiit ad tractandam pacem pro Electore juxta & Daniæ Rege, Galliæ Regi longior judicata fuit, quam neceſſarium ſit ad eam concludendam, quin per eam morum magis incertum reddi poſſit bonum Europæ tam deſideratum: igitur convenit, ut induciæ d. 31. Martii ſubſcriptæ adbuc quindecim dies durent iisdem cum conditionibus, quæ erat die 4. hujus menſis initium capient. VII. Miles, quem Rex Veſaliæ & Lipſtadio immittet, oneri non erit incolis & ſubditis Electoris; nec regioni Trans-Rhenanæ ulla contributio, pabulum, aut annona imperabitur. VIII. Præfecti, quæſtoresque Gallici haut ſe miſcebunt negotiis juſtitiæ, politiæ & redituum, aut ſacrorum ejus regionis, ſed iſta in præſenti ſtatu relinquent. Commercium aquis & terris liberum erit, nullaque nova impoſitione quocunque prætexto onerandum.* Subſcripſerant Mareſchallus d'Eſtrades, Colbertus & Blaſpielus. Ea induciarum productio eam pro Daniæ Rege a legato Danico Heugio acceptabatur. Aſt Avauxius, ut Gallicam fidem Belgis venditaret, ſimul hos in Electorem irritaret, exhibito libello Belgis imputabat, caſtellum Schenckianum ab Electore oblatum, ſed a Rege ſuo acceptatum non fuiſſe. Eum tractatum ſat jejunum Elector quidem probabat, ſed ſimul Blaſpielum ejusdem productionem quærere jubebat, obtentu ſumto, quod ob locorum intervalla ab Electore mandata ita cito obtineri non potuerint; & quod utique Gallo jam ſatis cautum ſit. Aſt Gallus & ipſe id pactum probabat; ſed *1/11. Maji.* ſimul denuntiabat, ſe inducias haut ulterius prorogaturum. Ac jubebantur duces ſtatim poſt elapſas inducias hoſtilia exſerere: tum & Crequius adventabat, ſummum in Gallicas copias imperium geſturus. Cæterum ut eo com- *6. Maji.* modius inter legatos negotiatio ſuſcipi poſſet, Blaſpielus Colbertum publice viſitare inſtituit. Venientem Nobilis ad currum excipiebat. Ad januam anterioris conclavis ipſe Colbertus exceptum & in conclave deductum ſub uraniſco ſuperiore loco aſſidere faciebat, Excellentiæ titulo dato, ac dicebat, a ſe Cæſareos & alios non aliter accipi; nec ab ipſo aliter tractari velle; uti & poſtea factum eſt. Quod ſi tamen ipſe plenas cerimonias deſideret, ſe usque ad currum eundem comitaturum. Sed malebat Blaſpielus non aliter ſecum atque cum cæteris agi, ac ut ſolennes viſitationes in præſens omitterentur.

Pactum ſuper prorogandis induciis. 23. April. / 3. Maji.

§. 61. Aſt Electorem ſua ſpes longe fefellerat, dum crediderat, Gallos liberali iſto agendi modo ad molliora permotum iri. Nam non minus quam antea præfracte contendebant, Suecis Pomeraniam utique reſtituendam. Ac elapſo induciarum termino omnem prorogationem adſpernati ſtatim longius progredi & hoſtilia exercere incipiebant. Quæſtores ne quidem eum diem expectabant, quin protinus incendiarium tributum Cliviæ Cisrhenanæ imperarent. Nec diſſimulabant id a ſe quæri, ut jactare poſſint, tantum terrarum a ſe Electori reſtitui, quod pretio Pomeraniam æquet. Cum etiam Blaſpielus Colberto diceret, Saxonem officium ſuum offerre, ac eo fine ad Regem ſcripſiſſe, ut induciæ prorogarentur; hic reſpondebat; a Rege ſibi interdictum ſuper ea prorogatione amplius mentionem facere. Nam Regem protinus pacem velle; nec alias conditiones ſperandas, quam quæ jam ſæpius expreſſæ ſint. Nec curabatur, quod Elector ad extremum offerret, ſe poſtulato ſuo circa totam Pomeraniam deſtiturum, ac ſuper conditionibus a Gallo propoſitis tractaturum, modo

Galli Electorem ſummis urgent.

interim

interim ab armis cesſetur. Scripſerat quoque Elector ad Regem Galliæ literas ſenſu ad generoſum animum movendum admodum compoſito. *Fieri non poſſe, quin Rex pro ſublimi mentis perſpicacia non facile comprehendat moderationem, & juſtitiam ſuorum poſtulatorum; eoque vim inferat connata generoſitati, ac magnanimitati, dum ipſum cogere inſtituat ad conditiones pacis iniquas juxta & contumelioſas. Deum juſti amantem juſtitia cauſe perſpecta armorum ſorte totam ſibi Pomeraniam adjudicaſſe. In honorem Regis ſe meliorem ejus partem in ipſius manum reſignare ad ſervandas reliquias, modicum redhoſtimentum ſui ſanguinis & opum, quas cives ſui in hoc bellum effuderint. Sane juſtum eſſe, poſtquam Rex ipſum adſtrinxerit ad reſtituendas hoſtibus tam egregias urbes, ac tantum terrarum, ut etiam Suecos obliget ad reliqua ſibi concedenda: ac ſi iis tam enixe cauſam eorum egerit, qui jure nil exigere poterant, illi quoque faveat, qui jure optimo omnia retinere poterat, ſed qui maximam partem ſolo Regis reſpectu remittit. Satis ſibi auditum, miniſtros ſibi gloriam Regis opponere; nec latere, quantum pondus hæc magnas apud animas habeat. Sed meminiſſe quoque Regem, juſtitiam, & natales, & normam præbere gloriæ; & cum iſta plane a ſuis partibus ſtet, ſolidioris gloriæ nanciſcendæ campum eſſe, ſi juſta, & moderata prætenſio fulciatur, quam ſi illis faveatur, quibus nihil minus eſt; & ſi Rex ſententiam totius Europæ intelligere poſſit, exceptis iis, quos propria utilitas hoſtibus ipſius adjungat, eum ſine mora pro ſe calculum laturum, ac poſteritatis nullo favore imbutæ judicium anticipaturum. De cætero facile ſe perſpicere, vires ſuas regiis hautquidquam eſſe comparandas, ac facile ſe opprimi poſſe ab eo, qui ſolus belli molem contra potentiſſimos Europæ Principes ſuſtinuit, & qui tanta cum gloria, ac fortuna iſto ſe extricavit. Sed quod lucrum Regi fore ruina involviſſe Principem, qui extremo deſiderio eidem inſerviendi flagrat, & qui, ſi conſervetur, in Regis uſum plus quam ſolam voluntatem adferre poſſit? Sane Regem, ſi ipſum deſtruat, primo omnium pœnitentiam ſubiturum, cum vix uſpiam toto orbe reperturus ſit, qui ſincero magis affectu Regi ſit addictus.* Non exigua laude ferebat eas literas Colbertus; ſed haut eo minus repetebatur vetus cantilena; Regem ſalva exiſtimatione plus facere non poſſe, quam ut Electori omnia jura, vectigalia & domania, quæ Suecis de Ulteriore Pomerania pace Weſtphalica expreſſis verbis haut tributa ſint, addicat; quod & ipſum tamen Suecorum ingratiis futurum ſit. Nam cum Colbertus apud Oxenſtiernam ſuper iſtis rebus Electori cedendis jeciſſet, hic valde id adſpernatus fuerat, differens; ſi Gallis hoc bello res improſpere ſucceſſiſſent, Suecos, quæ pro his periculo expoſuerint, haut fuiſſe recuperaturos. Igitur poſtquam Galli fortuna tam propitia uſi ſint, par eſſe, ut Suecia indemnis præſtetur. Colbertus quoque narrabat, Suecos, belli continuationem acriter urgere, quod ſpes ſit conſumtam nationis exiſtimationem recuperandi. Sed Gallo haut placere, in gratiam eorum, qui tam ſiniſtre omnia geſſerint, ac jam ipſi ſoli onus impingere velint, plus ſumtuum, ac moleſtiarum ſuſcipere: nec obſcurum eſſe, eoſdem ideo bellum extrahi cupere, ut opimis ſubſidiis diutius fruantur. Sed & Angli, ac Belgarum legati Lutetiæ pro Electore officia interpoſuerant, nullo fructu. Ac dicebat Colbertus; non eſſe, quod Elector in Anglo fiduciæ quid collocet, prout aliqui tunc nonnihil ſpei 1679.
de eo conceperant. Nam Anglum ſemper in Gallum reſpexiſſe, ac id deinceps magis facturum, quod nulla alia ratio ei ſuperſit regiam autoritatem utcunque tuendi, quæ plane pedibus conculcetur. Demum etſi Blaſpielus Colberto 14. Jun.
confirmaſſet, Electorem Meinderſio ejusmodi mandata miſiſſe, ad quæ pax certo ſecutura ſit; is tamen ducibus Gallicis injungere nolebat, ut hoſtilibus ſuperſederent; quod Colberto non perſuaderetur rem ab Electore ſerio agi, ſed cum non niſi tempus extractum ire. Ita Galli nulla intermiſſione Mindam verſus progrediebantur, catervis ſubinde inter ſe colliſis. Ac demum Electoris equitatus ita includebatur, hinc Gallis, inde Luneburgicis imminentibus, ut vel a pabuli penuria, vel ferro pereundum eſſet, ni protinus pax interveniret.

§. 62. Iſta provinciarum ſuarum calamitas tanto dolore Electoris animum perfudit, ut denuo ad Belgas, tantorum malorum autores, literas hoc ſenſu daret. *Electoris ad Belgas litera. 1. Jul.* *Miſerandam hanc Weſtphalicarum provinciarum Belgis vicinarum faciem dubium ſe relinquere, utrum plus cauſæ ſibi ſit de iis querendi, qui affectata hoſtilitate tali modo in ſuas ditiones graſſentur, an vero de iis, quorum cauſa ſibi iſta omnia accidant. Sane majore odio dignos eſſe, qui inſuper habitis ſanctiſſimis fœderibus, atque promiſſis inter extrema luctantes amicos deſtituunt. Qui eo ipſo tempore, quo alios ad perſequendum bellum ſummopere hortantur, ac de conſtantia ſua magnifice pollicentur, per ſeparatam pacem bello ſeſe ſubducunt, ac communem cauſam produnt. Aſt ſe maximum benevolentiæ, ac fidei ſuæ in Remp. pœnas dare, dum demum omne onus belli in ſe devolvitur, quod alias ſe non tangebat, niſi propriis emolumentis, quæ maxima quieſcenti offerebantur, amicos exitio eripuiſſe decentius viſum fuiſſet. Nunc præmii in vicem compreſſis in ſinu manibus ſe obrutum adſpici ab iis, ad quos liberandos ipſe omni ope connixus ſit. Cliviam, Marcam, Ravensbergam, Mindam ante oculos tam validi Belgarum exercitus miſerrime vaſtari; ac talia a Belgis ſine cura haberi, velut ipſos plane non tangerent. Qui ad literas ſuas, hortatusque miniſtrorum, ut ad mala, quibus ipſi cauſam dederant, avertenda & ipſi connitantur, vel nil reſponderi, vel ita frigide, ut ſuam iſtis calamitatem plane cordi non eſſe adpareat. Atqui longe aliter a ſe cum eorum Rep. actum. Imminens adhuc tempeſtas, ut averteretur, ſumma ſe ope connixum. Cum ea jam erumperet, primum auxilio accurriſſe, alios excitaſſe, omnia ſua periculo expoſuiſſe, omnes, quæ offerebantur conditiones ante ſalutem Reip. habuiſſe. Unde nunquam dubitare ſe potuiſſe, quin paria ſibi ab ea Rep. fuerint præſtanda. Nec flagitii notam elevari, ſi culpa in paucos conferatur, qui privatos per reſpectus, aut male fundatis perſuaſionibus ſeipſos, inde alios ab officii ſemita abduxerint. Nam haut eo ſecius neglectæ fidei dedecus in totam Remp. redundare. Cæterum nec Belgas, quia officium non fecerint, ideo obligationem ſuam exuiſſe; nec ſe, quia injuriam paſſus ſit, jure ſuo excidiſſe. Eoque a ſe poſtulari non poſſe, ut ipſe damna hac æſtimationem ſuperantia, quæ Reip. cauſa toleret, & quæ avertere eadem poterat & debebat, nulla reparatione obtenta ſibi*

1679. *sibi habeat; sed ista utique sibi a Rep. esse præstanda. Quo fine se literas ad eos dare, ne forte credant, se ex fœdere quæsitum jus, exque ejusdem violatione natas sibi actiones abdicasse. Eoque hisce quam efficacissime testari, quod uti ipse hactenus nihil neglexerit eorum, quæ ad implenda sua promissa requiri potuerint, quin plus præstiterit, quam quantum a se jure exigi potuerit; ita se quoque omnem mutuam præstationem, & qua hæc deficit, reparationem incommodorum eam ob causam sibi provenientium expectare, ac sibi, suisque posteris omnia huc spectantia jura reservare. Ad extremum Deum precari, ut ab ea Rep., quæ suis rationibus tam arcte innexa sit, omnem calamitatem, & hostilem invasionem averruncet, ne aliquando maximo cum suo damno sentiat, quam male sibi in futurum consulant, qui fidos amicos deseruerunt.*

Belgarum responsum. $\frac{8}{18}$. *Aug.*

§. 63. Isthanc Electoris indignationem Belgæ post hisce literis mollire conabantur. *Maximo cum dolore se perspexisse Electoris consternationem super suarum provinciarum præsenti statu. Sibi quidem magno solatio, quin singulari gaudio cessurum fuisse, si sua opera Elector pacem in leges, quas ipse optarit, obtinere potuisset. Ac tanto fervore eam se rem apud Galliæ Regem egisse, ut hic non mediocrem indignationem eo nomine adversus ipsos ostenderit; & Suecicos legatos id velut infractionem pacis arguisse. Sane nunquam oblivionem sibi subituram eorum, quæ Elector novissimo bello Reip. præstiterit, ac uti illustri suo exemplo alios ad amplectendam ipsorum & communem causam excitarit. Sperare tamen, nec se opibus civium suorum, nec sanguini ducum ac militum pepercisse ad faustum bello finem imponendum. Sed Electori judicandum relinquere, num hic conatus ab universis fœderatis eo quo par fuerit studio ac uti ipsi expectarint, sat fultus sit; ac meminisse, ab Electore subinde reliquos fœderatos stimulatos, ut pervincenda communi causa acrius conniti velint. Sese inficias haut ituros, postquam Belgium Hispanicum in eam conditionem delapsum viderent, ut miraculi loco ab omnibus judicaretur, si non penitus Gallicis armis opprimeretur; supra suas vires fuisse, istud, aut semetipsos diutius tutari. Cives interceptis commerciis, damnisque toleratis, ac immensis tributis per aliquod annos erogatis ita exhaustos, ut Reip. omnes vires decesserint oneribus belli diutius ferendis. Unde sibi remedia fuisse circumspicienda vel bello persequendo, vel obtinenda paci. Ast vires continuando bello apud eos, unde ea quam maxime expectari par erat, ita tenues ac incertas fuisse, ut Hispanis pacem bello præferre necessum fuerit, etiam cum jactura præstantissimarum urbium, quin integrarum provinciarum; id quod emendare sibi maxime in votis fuerit, si auxilia, quibus tuto inniti liceret, in promtu fuissent. Eam ob causam ad ejusmodi pacem sibi descendendum fuisse, alias magnopere a se rejiciendam, ac finem bello imponendum, cujus dilatio evidens Reip. exitium secum trahebat. Equidem se nosse Electorem libenter omnes suas vires repellendo hosti collaturum, fœderatosque ad idem excitaturum fuisse. Sed eidem quoque constitisse, sumtibus belli fœderatorum opes valde exhaustas, eorumque arma sine subsidiis sustineri non posse; sed quibus exsolvendis Resp. sua non amplius suffecerit, ne alendo quidem solito militum numero par, cum contra hostium vires novis victoriis in dies glliscerent. Ingentem sibi labem fuisse contrahendam, si non optassent, fœderatos quoque suos eodem tempore pace, qua declinando exitio occupanda fuerit, simul potiri. Sed omnes fœderatos, solo excepto Hispaniæ Rege, judicasse, belli continuatione minus molestas, quam a Gallo proposita fuerant, conditiones obtineri posse. Quibus cum contraniti nec potuerint, nec voluerint, quantum in se Regem Galliæ permovere conatos fuisse, ut conditiones pacis, præsertim quæ Electorem spectent, mitigaret. Interim causam magis desperatam factam, quod quilibet fœderatorum suis rebus seorsim consultum iret. Unde sibi hautquidquam id flagitium impingi posse, se immemores meritorum Electoris de sui duntaxat conservatione solicitos fuisse, securos, quid fœderatis fieret. Nam sua pace haut meliores se conditiones a Gallo obtinuisse, quam antea sæpius oblatæ fuerant; nec eas repudiare desituros fuisse, quoad Gallus declararet, se cum fœderatis quoque æquis conditionibus decisurum, ac bello ubique colophonem impositurum. Sed nimirum extremam necessitatem, postquam sæpius de impotentia sua testati fuerant, nec spes meliorum successuum allubesceret, sibi isthanc viam inire imperasse. Sed nec ditionum Electoralium suis provinciis innexarum oblitos fuisse. Quantumlibet tamen connixos neque dum pax perficitur, nec deinceps, ut medio statu gauderent, obtinere potuisse. Spem tamen sibi esse, per calamitatem, quæ Remp. suam oppresserit, cultam semper cum Electore amicitiam haut extinctum iri, quam summo candore deinceps excolere parati sint, ad quam sacrorum, ac vicinitatis vinculo adstringantur; ac summo sibi dolori fore, si quid parum amici sibi cum Electore intercedere debeat, quicum veterem amicitiam omni studio propagare cupiant.*

§. 64. Istæ literæ, etsi multum modestiæ præferentes, quia tamen primarium negotium haut tangebant, Electori minime satisfaciebant. Unde denuo ad Belgas scribere visum hoc sensu. *Ad æquissima sua postulata, ne verbo quidem sibi*

Aliæ Electoris ad Belgas literæ. 14. *Aug.*

sibi responsum fuisse, cum tamen non dubitet, si adducta prioribus literis rationes probe expensa fuissent, ipsos studium suum circa continuandam cum Rep. amicitiam perspecturos, sed & simul aequum judicaturos fuisse, sibi immensorum damnorum, qua ipsorum causa toleraverit, nomine satisfaciendum esse. Nec dubitare ipsis pro aequanimitate sua cura fore, ut obligationem, quam per fœdus sibi imposuerint, rite impleant. Enimvero literas ipsorum non sine magno suo dolore, ac admiratione, nil prater excusationem necessitatis, qua ad pacem compulsi sint, continere. Super ea disceptationem cum ipsis suscipere sibi haut placere. Ac satis ipsis constare, se nunquam pacem, ob quam unice arma a se arrepta sint, aversatum; quin ab ipsis ad extremum usque ad bellum persequendum instigatum fuisse. Enimvero Reipublica necessitatem, suarum ditionum conditioni haut comparandam, nunquam tantam fuisse, ut fidus amicus & fœderatus, qui in solam ipsorum gratiam exitiabili huic bello sese immerserit, nulla causa ab ea pace excluderetur, rejecto suo postulato super pace simul perficienda. Multo minus id ullo necessitatis pratexto excusari posse, quod cum ipsis jam super conditionibus pacis cum Gallo convenisset, non modo de hoc sibi haut significatum, nec ad pacem simul ineundam aditus paratus fuerit, sed & denunciatum, ipsos expeditionem parare, rogatumque, ut a se major copiarum modus ad Rhenum mittatur. Nec obtendi posse, Gallum simul cum ipso tractare noluisse: nam non obstante hostilitate, in quam ipse cum eo inciderit, multoties testatum; cordi ipsi esse veterem amicitiam instaurare; cum prasertim nunquam controversia quid sibi cum Gallia fuerit. Nec vero conditiones a se pratensas conjunctam tractationem impedire potuisse, cum nunquam inquirere cura fuerit, cui postulato ipse ad extremum insistere decreverit; ac tunc ipse lautioribus conditionibus potiri potuerit, ni in gratiam Reip. ac ne eam deseret, eos tractatus repudiasset. Qua isti de Hispanis querantur, ad se non spectare. In aprico tamen esse, non Hispanos, sed Belgas primum arma posuisse, istis acerbe querentibus, quibus & Gallicus miles immensis sumtibus intra ditiones suas diu alendus fuerit, quoad pacem ratihabuerint. Qua omnia cum ita sint, & cum fœdere secum inito promittant, nostram satisfactionem sibi cura fore, simul agnoscant, auxilia sua Reip. non fuisse inutilia, suasque provincias ideo misere vastatas; spem sibi esse, eos istorum pensationem ita curaturos, ut deinceps quoque salus ejus Reip. sibi cordi esse queat. Et quia id negotium per literas haut commode expediri queat, in eorum placitum conferre, annon expediat congressum inter utriusque ministros eo nomine institui; ubi spes sit & istos ad omnia aqua paratos fore; ac se postulata sua ita moderaturum, ut nil amplius quam justam indemnitatem quarat, quo & deinceps vires suppetant ad solida eorum Reip. specimina amicitia rapresentanda.

1679.

Electoris in Belgas cogitata.

§. 65. Inter istas doloris, iræque nondum digestæ ductus Electorem aliquando impetus subibat de exercitu ad Isalam adducendo, num eo modo a Belgis reparationem damni obtinere possit. Igitur Meindersius explorare jubebatur, num Gallus eos conatus dissimulaturus sit. Etsi Suerinus senior eam rem valde dissvadebat. Nam Gallum nunc de bello audire nolle, & ante omnia de instaurando ærario cogitare. Quod si autem Gallus ausa ista non fulciat, Electorem grave sibi periculum conciliare posse. Nam Belgas non solum validis copiis succinctos, quas brevi contrahere queant, sed & ab Electoris invidis affatim auxiliorum obtenturos. Cum Suecis quoque nondum omnia ad liquidum perducta, qui magnum ex his turbis emolumentum capturi sint. Et quia Arausionensi jam subolcat talia ab Electore agitari, ac Belgis sine dubio ista e Gallia prodenda erant, forte hos milite in finibus disposito intentata præventuros, ita ut res utique ad manus perventura sit. Quanquam & nudam hospitationem in ditione sua Belgæ in vicem hostilitatis accepturi, eique vim oppposituri sint. Equidem Belgas nondum solidi quid officii Electori præstitisse: eorum tamen amicitiam non levem autoritatem ipsi addere. Unde non posse non id noxium eidem esse, si cum istis in hostilia erumpatur; inprimis si Gallus arma simul suscipere nolit, quod & ipsum pravos effectus producturum sit. Belgas antiquos Brandenburgicæ domus amicos esse; igitur omnia prius tentanda, quam ad arma deveniatur, quæ remediorum extremum sint. Ac nondum eos omnem satisfactionem abnuisse. Equidem Electori animum non esse, bellum ordiri, sed tantum ostentato in finibus exercitu eos terrere. Sed ubi res hucusque processerit, non amplius in nostra manu fore pacem retinere; sed invitis eo sequendum fore, quo altera pars duxerit. Cæterum Gallus ob residua subsidiorum operam suam pollicebatur: sed eam ob causam novo se bello implicare nolebat; tum Electori talia summopere dissvadebat hac præsertim tempestate, cum vix belli flamma immenso labore extincta fuerit. Ac monebat insuper Luvoisius; etsi Hispani tuto contemni possint, ac nisi vi compulsi debitum expleturi non sint; tamen vel ideo stativa Electoris ad Isalam, & limitem Geldriæ ferri haut posse, quamdiu Gallicæ copiæ eo tractu agant. Nam modico numero nihil profectum iri, qui & periculo exponendus sit. Sed magnum exercitum a Rege in vicinia tolerari non posse, nisi majorem eidem ad latus adjungat. Ita ea res intra cogitationem stetit.

Meindersius in Galliam mittitur.

§. 66. Cæterum postquam Elector dudum animadvertisset, Cæsarem juxta, atque Luneburgicos separatam pacem meditari, sibi quoque tentandum duxit, num imminenti se tempestati subtrahere posset. Et quia summa negotii ab arbitrio Galli pendebat, periculum facere instituit, num majus

1679. majus operæ pretium in Gallia, quam Neomagi fieri possit. Eo fine Meindersius in Galliam his cum mandatis mittitur. Neomagi apud Gallicos legatos verbis Electoris testaretur, quam gratum sibi fuerit a Galliæ Rege declarationem super desiderio veterem amicitiam renovandi benevole acceptam, idemque ab hoc experi. Rogare, ut Rex componendæ inter Boreales paci operam navare, ac præcipue justitiam suorum armorum in Suecos æstimare velit, quo ipse in perpetuum tam periculoso vicino careat, quem ipse jam amolitus sit. Alias sibi, suæque posteritati nunquam stabilem quietem sperandam. Equidem notum esse, quid fœderis Regi cum Suecia sit, & quod studium is circa pacta sancte servanda ostentet. Enimvero Regem plura quam debuerit præstitisse; ac neminem improbare posse, si Suecorum in gratiam orbem Christianum non diutius inter belli mala luctari patiatur. Quam sinistre Sueci rem gesserint, ac uti Gallia subsidiis abusi sint, nemini obscurum esse; qui & soli Galliæ debeant, quod non plane pessum iverint. Quem ipse desideret vastatum terræ tractum esse, suæ tantum securitati inservientem, quæ per nulla pacta satis stabiliri queat; ac si maxime Gallus sponsionem interponat, se tamen e vicinia citius a Suecis opprimi posse, quam auxilia e tam longe dissito loco moliantur. A se plura documenta solidæ amicitiæ Gallo exhiberi posse, quam is a Suecis sperare queat. A se omnia offerri, quæ Rex salva ratione desiderare queat, & quæ conscientiæ, ac officio suo erga Cæsarem & Imperium non repugnent. Vicissim se amicitiæ instaurationem cupere, ac ut Pomeraniam sibi retinere detur. Quod si Gallus neget, se a Suecico fœdere discedere posse, declararet; se contentum fore, ut is promissam pecuniam Sueco præstet, ac se solum cum Sueco certare permittat; nec cupere, ut Rex sibi contra Suecos quid auxilii præstet. Tum aliquot centena uncialium millia Suecis in satisfactionem daturum, quorum pars e subsidiis Hispanicis sumi queat. Et retinere Suecos stationem in Germania, Brema recuperata. Denique sibi suffecturum pro se ac posteris suis Citeriorem Pomeraniam retinuisse, Suecis interim titulum, & insignia gesturis, ac nostra stirpe extincta eam recuperaturis. Elevandæ Suecorum apud Gallos fidei Meindersius panderet de secretis inter Cæsarem, & Suecos commerciis parario Neoburgico, & de novo fœdere, quod inter hos agitetur; in quod & seipsum antea pertrahere magno studio laborarint. Unde & Neoburgicum enixius circa plenam Suecorum restitutionem, quam ipsos Gallos satagere. Sed quia metus erat, ne hæc missio fœderatis sinistram suspicionem injiciat, horum legatis demonstrare jubebatur; Electori hautquidquam in animo esse ab ipsis se disjungere, sed id tantum quæri, ut Gallia a Suecia separetur, eaque ratione fœderati Suecis erepta retinere queant. Præsertim cum si Sueci vel latum pedem in Pomerania retineant, ipsi ac sui posteri nunquam solidam securitatem sperare possint, quam quidem ipse aliis quoque fœderatis cum quantiscunque emolumentis optet. Enimvero se ante omnes hac tempestate in periculosissimo statu agere. Suecis inde Borussiæ ingruentibus, cui servandæ sibi cum maxima exercitus parte accurrendum sit; inde Gallis ad Rhenum imminentibus. Igitur omnem lapidem movendum, ut ea tempestas avertatur. Nec minus reliquorum fœderatorum ob ditiones in Westphalia, & Saxonia sitas interesse, quibus tam tenui ad resistendum adparatu eadem sors maneat. Ac Arausionensem, Belgasque hanc missionem suasisse, pollicitosque, per legatos suos id se negotium promoturos. Nec se omissurum de omnibus communicare, ac publicum bonum, fœderatorumque commoda pro virili respicere; quibus & integrum sit parem negotiationem tentare. Cæsareis autem peculiariter demonstraret, uti ipsi in formula pacis Suecicæ justo longius processerint, ac nulla secum, & cum aliis Imperii Ordinibus communicatione talia indulserint, quæ non solum fœderi cum Cæsare, sed & decretis contra Suecos conditis, & comitiali autoritate confirmatis directe repugnent. Dano confirmaret, se firmiter ipsius Regi adhæsurum, & sociato consilio processurum; tum laboraturum, ut & is bonis conditionibus potiatur, idemque, & reliqui fœderati sua pace comprehendantur. Neomago Hagam se conferret, ac eadem Avauxio ingereret; tum apud Arausionensem, & benevolos procerum instaret, ut nostram causam Avauxio & Neomagensibus legatis commendent, nec cum Suecis pacem, aut ulteriorem tractationem suscipiant, quoad ipse satisfactione & securitate potitus sit. Ut quoque Belgicis legatis Lutetiæ suum negotium commendetur; inprimis, ut Westphalicæ suæ ditiones hostilitati eximantur, quæ res ipsos quoque Belgas tangat; tum induciæ promoveantur ea lege, ut Sueci Borussia facessant. Apud Gallum quoque instaret, ut Polonum ad colendam cum ipso sinceram amicitiam hortetur, ac ne Bethunio integrum sit cum Suecis infesta in ipsum machinari. Denique, ut Galli cum provincialibus in Clivia humaniter agant, in quos Sueci istos incitabant.

12. Dec. 1678.

§. 67. Neomagi ad proposita a Meindersio Galli reponebant. *Regi equidem cordi esse Electori reconciliari, eique documenta affectus sui, & quanti eum faciat exhibere, quæ magis ex ejusdem usu futura sint, quam belli quantocunque cum successu continuationem. Enimvero Regi nihil cum ipso contrahere integrum esse ante dissolutum Suecici fœderis vinculum, quod ut quamprimum fiat, Regi gratissimum fore, quippe huic non parum molestum. Regem quo pacis cupidine ducatur satis significasse, dum medio in cursu victoriarum, & propinqua spe toto Belgio Hispanico potiundi hostibus tam egregia loca restituit. Sed cum cessante his oris bello plenam facultatem nactum sociis suis succurrendi. Id quod & omnibus viribus facturus sit, nec id salva existimatione omittere queat, si vel omnia hoc bello parta emolumenta amittenda, aut ipsum diadema periculo exponendum sit. Regi satis constare, quem fructum ex Electoris amicitia capere possit. Sed cum quantumcunque haut valere permovendo eidem, ut circa impletionem fœderis Suecici quidquam in se desiderari patiatur. Id Regi fixum sedere. Quod si autem Sueci vel totam Pomeraniam concedere velint, id gratum ipsi fore, ac si eo nomine conventio conclusa sit, eam protinus subscripturum, ac istorum fœdere tunc solutum arctissimo se vinculo Electori nexurum. Sed antequam id fiat, cum non solum Sue-* 1679. Galli Neomagi declaratio. 3 Jan.

cis

1679. *eos non deserturum, sed & omni vi rem in eorum hostes gesturum, quoad iisdem satisfactum sit.* Ad ista Meindersius: Uti Gallus pacis amore successibus suis modum imposuerit, ac insignia loca antiquis dominis reddiderit: ita æquum esse, ut Sueci, qui sua ob rem prave gestam amiserunt, ad quietem orbi Christiano restituendam aliquid sacrificent. Quod & facturi sint, modo Gallus id iis suadeat proprio exemplo ob oculos posito. Quo jure Suecos postulare posse, ut omnia a se errata per alios reparentur? aut ut inter continuas clades ipsi immunes abeant, omnibus amissis recuperatis? Quin eosdem a brevi abhinc tempore ferocius se jactare, quam antea cum eorum res meliore loco essent, ac nil nisi plenam satisfactionem crepare, nec se casam, aut latum pedem terræ amissuros. Atqui ad ejusmodi pervicaciam ratione destitutam, ob quam orbi Christiano sub malis belli diutius ingemiscendum sit, Gallum nullo fœdere obstringi. Electorem præterita æstate initio expeditionis moderatas conditiones proposuisse; quas quod Sueci ita abrupte rejecerint, ac inde Rugiam & Stralsundam amiserint, sibi imputent. Ac forte majorem calamitatem istos manere; ac plura postulanda, ubi Borussia exturbati fuerint. Ista Suecorum consilia Gallum haut probaturum, velut per quæ magis, magisque a scopo pacis depellatur. Galli contra: *Electori sane fas esse successus suos quantum possit persequi. Sed quæ contra Suecos querelæ moveantur, eas Gallum quoque tangere. Et quamdiu inter Electorem & Suecos hostilitas persistat, Regem non posse non actiones, e quibus aliquem se capere fructum judicet, adprobare, ac fulcire, sane sinistre admodum rem a Suecis gestam: sed & eosdem insignem Galliæ operam navasse. Et quicquid ejus sit, fœdera sancte servanda esse, e quibus Rex teneatur operam dare, ut omnia sua ipsis restituantur, ni ultro quid remittere velint. Sed ut Rex eos ad cedendum quid cogat, aut persuadendo inducat, id nunquam futurum. Si tamen Belgæ in eum finem efficere quid possint, id Regi gratum fore. Ast nec Suecos aliam hactenus declarationem edere potuisse, quod & Elector non nisi de retinendis omnibus jactarit. Sane reliquos fœderatos longe moderatiores sese ostendere, ac citius quam credatur cum Luneburgicis, Monasteriensi, ipsoque Dano æquis conditionibus transactum iri. Regem tamen, qui Electorem, ejusque amicitiam præ cæteris æstimet, hos parum respexisse. Sed & inconveniens esse, quod cum Elector antea Pena limite contentum se fore declaraverit, nunc totam Pomeraniam deposcat nullo temperamento admisso. Nam inter Christianos transigi solere aliquo dato, aliquo retento. Nec ea postulata a quopiam probatum iri; quin eum hac durstia suorum fœderatorum emolumenta & pacem promoturum. Unde postulata esse moderanda. Ubi Rex Suecico fœdere solutus Electori sese innexuerit, non defore occasiones commodis ejus promovendis, quæ longe pluris futura sint, quam quæ idem hoc bello occuparit.* Contra Meindersius: Si Sueci vel pedem terræ adhuc in Pomerania retineant, Electorem nunquam tutum, eoque inutilem fore ad officia Galliæ præstanda. Suecis ab Electore nil infesti metuendum, sed huic tanquam debiliori vicino de securitate sua semper cogitandum, quam Galli sponsio ob distantiam locorum præstare non possit. Denique Gallum eorum, quæ anno 60 & 66, ac nunc Hispanis eripuerit, nullam aliam rationem habere, quam jus belli; cur idem nunc non etiam pro Electore militet? Ast Galli, cum rationibus vincerentur, ad exaggerandam Regis sui potentiam convertebantur, *cujus parum interesse, si Sueci Cæsari se innectant. Electorem contra ab omnibus desertum esse. Hispanos enerves. Anglum cum intestinis turbis conflictari, qui jam militem suum e Belgio revocet, mox plane exautorandum. Belgas legiones contrahere, ac plerasque dimittere, frustra renitente Arausionensi, sic ut non amplius VI M in campum educere valituri sint. Cæsarem quoque & Imperium a Gallo parum curari. Istius exercitum male habitum. In aula Cæsarea multos esse morbos sibi satis cognitos. Omnes Imperii Ordines pacem cum suspiriis & clamoribus exposcere. Cum Monasteriensi & Luneburgicis brevi sibi conventurum. Electoris provincias Westphalicas defensione nudatas. Ni rerum interim mutatio obveniat, Regem mense Martio tres exercitus ad Rhenum ducturum, quarto in proximis urbibus in subsidiis collocato. CC M militum ab eodem facile in expeditionem educi posse. Multos milliones in promtu jacere bello continuando. Coloniam paucos intra dies subigi posse. Igitur caveret Elector rem ad extrema deducere.* Noster ad hæc: Regis potentiam plus satis notam. Sed eundem & generosum, & pacis amantem, & Christiani officii memorem se ferre; eoque alienum ab eo fore bellum semper ob aliena commoda gerere, ac orbem Christianum turbis districtum tenere. Si maxime Gallus Rhenum, & plura subigat, quid Suecis inde accessurum? Ancipitem quoque belli aleam; simul spem esse Electorem a Cæsare & Imperio haut desertum iri, utpote cui quam maxime injuria a Suecis sit illata, ac decreta sua sint tuenda. Cæterum quoque fœderatorum rationes exigere, ut immoti in partibus persistant. Si Regi quies orbis cordi sit, nec is tam vasta destinata, ubi spargatur, agitet, tam salutare opus haut facilius promoveri posse, quam si idem justæ Electoris satisfactioni sese haut opponat. Enimvero cum his omnibus nihil apud Gallos proficeretur, nec Meindersio placebat ad singularia, quæ in mandatis habebat, descendere. Præter ista Schutzius de Brunsuicensium Ducum constantia, & in bonum publicum studio prolixe confirmabat. Sed Beverningius referebat, Duces jam declarasse, Bremam se reddituros, ac Ferda cum CC M uncialium contentos fore. Sed a Gallis istos parum curari, ac malle hos viam cum Electore transigendi invenire; quod & Belgæ propriam ob securitatem optent. Dolebat simul scæva eorum consilia, qui tam intempestive susceptam militiæ imminutionem contra Arausionensis sententiam pervicerint. Ast Cæsarei Meindersio ostendebant; admodum se turbari, quod omnes fere Electores, ac Principes ita enixe pacem properari urgeant, ac præcipue Rheno vicini oneribus belli maxime obnoxii extrema minentur, ac sibi demum Galli protectionem subeundam. Cui quæ pares vires opponi queant, nullibi adpareant. Et tamen a nemine probari posse pacem in leges, quas Galli & Sueci velint. Gallis maxime animos accedere e turbis Anglicis, & quod factio Arausi- 1679.

1679. onensi adversa pervicerit militiam Belgicam contrahi, utut ostensum fuerit, unde eam sine onere Reip. sustentari possit.

Hagæ disputata. 7. Jan. §. 68. Hagam digresso Meindersio Arausionensis dicebat; res heic sinistre, & confuse geri, ac plerisque genuinas propriæ Reipublicæ, ac fidorum amicorum, atque vicinorum rationes parum cordi esse; inprimis questus super tuenda Clivia non mascula magis consilia fuisse capta, ac Remp. exautoratione militum plane enervem reddi: cujus rei culpa penes Amstelodamenses sit, a quibus vires ærarii pendeant. Verbis & rationibus apud Gallos parum profici. Suecos insolenter se jactare. Gallum indies gloria magis inflari, ac Sueciam plene restitui velle. Contra Electori affatim rationum esse, ut toti Pomeraniæ insistat; sed grandia obstacula se ostendere, ac inprimis Westphalicas ejus provincias Gallorum libidini expositas esse. Avauxius ad eundem modum, uti Neomagenses Galli, disserebat. Alias is de Suecorum actis parum honorifice sentiebat; ac Regi in votis esse molesto vinculo se exuere, ut integrum sibi sit veterem cum Electore amicitiam instaurare. Falso quoque ab istis spargi, a Gallo se obfirmari, ne vel minimum cedant; id quod alii interpretentur, velut hic bellum in infinitum extrahere meditetur. Fagelius debilem Belgii Uniti statum dolebat, cujus culpa penes Arausionensem, ac se hautquidquam sit. Maximam infelicitatis causam ab impotentia Hispaniæ & Angliæ turbis esse, quæ Gallo ortum suum debeant. Omnibus constare, quantum Belgii intersit Cliviam servari. Si Galli Vesaliam in potestatem redigant, sero Belgas agnituros, quantum errorem admiserint, quod medium statum ejus provinciæ sua pace stipulati non sint. In præsens nil vegeti consilii a Rep. expectandum. Verba non defore, sed inefficacia. Totam Pomeraniam se malle penes Electorem, quam Suecos esse. Enimvero graves difficultates obstare, inprimis quod Elector olim declararit, se Pena limite contentum fore. Ac antea rem a se huc deductam, ut circa Stetinum & Wolgastum nil difficultatis restaret, si id acceptatum foret. Post quoque de Pena sibi spem factam. Nunc irruptionem in Borussiam novum obstaculum objicere. Ad quod reponebatur; Suecos conditionem de Pena flumine non admisisse, & ex eo tempore Electori plurimum molestiæ in Borussia dedisse, quam & Polonis jam in prædam assignaverint. Meindersius tamen, num forte Belgas excitare posset, scrupulum iis injiciebat, velut Elector de Clivia in Neoburgicum, quin plane in Gallum transferenda agitaret.

Meindersius in Gallia incassum nititur. 20. Jan. §. 69. In Galliam ubi pervenisset Meindersius, deprehendebat Luvoisium operam sociante Montespania pellice regia, omnia ex sua libidine agere; qui pro immanitate ingenii omnia vi pervincere gaudebat. Belgarum in ea aula tunc exiguus respectus, in quorum gratiam Gallus ne hilum facturus, aut omissurus erat. Isti exautorato milite vires sibi ultro detraxerant, tum sinistre actis existimationem decoxerant. Borellus non minus contemtim, quam alii, habebatur, utut Amstelodamenses sibi persuaserant, eximio se honore, & affectu a Gallis mactandos, quia fallacibus horum blanditiis in fraudem se induci passi fuerant; cum eam ipsam ob causam insolentius spernerentur, quod decipiendos se præbuissent. Cæterum Meindersio eadem, quæ Neomagi cantilena occinebatur: gratam Regi Electoris amicitiam; sed Suecos ex fœdere prius in integrum restituendos. Si Sueci ultro quid remittere velint, id Regem facile concessurum. Ac disserebat Pomponius: In ipso negotii cardine Meindersium a se dissentire, quod Suecos semper seorsim consideret; cum Suecia & Gallia inseparabili vinculo nectantur. Electoris postulata non iniqua esse, si sola Suecia præ oculis sit. Sed hujus causam Regem suam facere. Vnde Electori sua postulata utique temperanda. Ac eo altiora spirabant Galli, quod tunc nuntius de pace Cæsarea advolaret: quod exemplum Luneburgici, ac Monasteriensis mox secuturi sint. Vnde & parum curabatur Hornius Borussia inglorius facessans, de quo omnes quidem præsumserant Electoris adventum non expectaturum. Etsi id præter spem fuerat, quod is ita trepido recessu tantam maculam Suecicis armis esset inusturus. Ab ipso autem Rege ostendebatur: *Admodum sibi jucundum esse, Electorem iterum amicitiæ ipsius* *Regis responsum. 7. Febr.* *accedere, ac tam grata pignora affectus sui offerre. Se non omissurum ista grato animo quavis occasione agnoscere; utut Elector nulla a se causa prebita olim in diversa secesserit, quæ ipse oblivioni traditurus sit. Ex animo ei se amicum esse, ipsumque magni æstimare, velut qui per arma & consilia gestis perfectam gloriam adquisiverit. Pacem se sine mora cum ipso inire paratum iis conditionibus, e quibus idem singularem suum affectum deprehensurus sit. Sed nullo se modo per fœdus Suecos destituere posse; ac satis nosse, Electorem quoque id improbaturum. Eis se auxilium promisisse, & quod absque iis pacem haut facere, iisdemque ut satisfiat curare velit; qui utique se requirente in bellum descenderint, ac in tantam calamitatem inciderint. Si Sueci remittere quid velint, id & sibi placiturum: & tunc rem confectam fore.* Ad quæ Meindersius: Electori satis constare, quam exacte Rex datam fidem implere sueverit; nec eum quid desiderare, quod ipsius gloriæ repugnet. Sed Regem pro generositate sua haut probaturum, Suecos tam incongrua postulare. Potius rationi conveniens judicaturum, Electorem inter successus divinitus datos, & gloriam tanto labore, sumtuque partam etiam de præmio aliquo, & securitate in posterum solicitum esse. Suecos præter omnem rationem ferocire, ac insolenter se jactare, ac non obstantibus suis cladibus victori leges pacis præscribere, suique in gratiam orbem Christianum infinito bello agitari velle; cum tamen e communi omnium tractatuum usu pacis conditiones pro successibus armorum temperentur. Verbo tantum opus esse Regi, aut nutu, ut res transigatur. In omnibus fœderibus par esse, ut utraque pars officium faciat, nec una in solam alteram onus devolvere instituat; quod nunc Suecia Regi impingere non vereatur. Multo minus unum fœderatorum ab altero exigere posse, ut hic ipsius errata, aut fatales calamitates præstet. A Rege fœdus Suecicum plus satis impletum. Ab

1679. Ab eodem laudabile studium circa pacem orbi restituendam declaratum, quod ob iniqua Suecorum postulata mutaturus non sit. Si ipse talia Suecis denuntiare indecens putet, alia id via posse fieri, modo istis voluntas Regis innotescat. Rex contra: *inter omnes hasce demonstrationes, quantumvis sat solida ratione subnixas, se perspicere non posse, quomodo fidem suam liberare possit. Hanc amico & fœderato præstandam non secundis tantum, sed & adversis ejus rebus, quin tunc demum sinceræ amicitiæ effectus cognosci. Electori tantum gloria hoc bello partum esse, quod labores & sumtus ubertim penset. Securitatem utique eidem præstandam, ac ejus se sponsorem offerre. Sperare, Electorem moderatiora consilia capturum, ut nova collisio declinetur. Nam ea se, ac molestiis inde orituris supersedere, ac quamprimum ad veterem cum ipso amicitiam redire velle.* Meindersius ad hæc: Ab Electore utique gloriæ rationem haberi. Sed eum plus expensarum fecisse, plus laborum exhausisse, quam ut ista sola adquiescere possit. Regem haut sinistre accepturum, si Elector ipsius tanquam sapientissimi, ac maximi in orbe Christiano monarchæ exemplum imitetur. Eum sine dubio tantum sibi gloriæ peperisse, quantum ullus unquam Princeps. Quæ tamen non obstiterit, quo minus insignes provincias opportunitate situs regno suo blandientes, armis occupatas retinuerit. Regis cautionem ab Electore maximi fieri, ac ipsi sat virium, ac bonæ voluntatis esse ad pondus ei addendum. Sed eam esse locorum distantiam, ut Suecis exercitum Berolino prius admovere in proclivi sit, quam Regi de eo significari possit. His consideratis a Rege id negotium non ut ab hoste, sed ut a sequestre tractandum. Nam Electorem tantam fiduciam in Regis generositate collocasse, ut justitiam causæ suæ ejus arbitrio committere non dubitet. Quibus dictis Rex Meindersium dimittebat, addito, si plura habeat, Pomponio, aut sibi exponi posse. Extremum id Meindersius jecerat, cum alias sequester adsumi non possit, qui inter partes est, quod Rex dixisset; se ancipitem hæsurum, si tale quid a se postuletur; ac forte id ad differendam, aut mitigandam hostilitatem facturum sperabatur.

...um ...ompo- ...o desce- ...ata. ...Febr. §. 70. Mox colloquio habito Pomponius differebat. *A Rege Suecos destitui non posse, sed bellum tamdiu persequendum, quoad hi vel restituti sint, vel sibi alias satisfactum declarent. Ad hoc Regem per fœdus teneri, ac sat facultatis habere ei repræsentando. Non deesse pecuniam, non militem, non naves, ac in casum irritæ pacis omnia parari persequendo bello, & quasdam copias jam iter ingredi jussas. Alias Regem dudum optasse, cum Electore, quem ante omnes Germaniæ Principes æstimet, quamprimum in gratiam redire; sed ob enormia postulata id fieri non potuisse. Initio Stetinum cum tractu ad Penam, post totam Pomeraniam postulatam, cui adhuc insistatur. Super pecunia summa Regem disponere posse, de socii terris non posse.* Meindersius ad hæc: per pecuniam damna, labores, & expensas Electoris reparari non posse, nec ei securitatis quid inesse. Pomponius: *Sueciam ita viribus exhaustam, ac talia hoc bello expertam, ut non temere in Germaniam quid tentare ausura sit. Et utcunque ista sint, fidem servandam esse.* Meindersius: Electorem non postulare, ut Rex fidem infringat. Eum jam ultra debitum in Suecos contulisse. Omnibus fœderibus reciprocam inesse obligationem, qua uterque suum præstare teneatur. Ast Suecos & hactenus non nisi oneri Galliæ fuisse, & nunc totum bellum huic soli impingere velle. Ac factam recens cum Imperio pacem consistere non posse, si Rex exercitum Westphaliæ immittere instituat. Cum etiam hæc pax duas conditiones habeat; ut pro reducenda communi pace officia summo studio adhibeantur, utque induciæ paci conciliandæ protinus ineantur; Cæsarem & Imperium non prius obligatione de non juvandis Galliæ & Sueciæ hostibus stringendum, quam elapso induciarum tempore. Et hucusque Electorem Cæsaris & Imperii auxilio gavisurum; Regem a scopo communis pacis aberraturum. Tum incertam belli aleam. Quæ Danus Suecis eripuerit longe dissita, & quo Gallis pertingere haut facile sit. Westphalicas Electoris provincias facile subigi posse; sed iis comesis Gallico exercitui defore, unde vivat; ac inde non Gallos magis, quam Suecos fructum capturos. Nec ob Cliviam Electorem Pomerania cessurum, ac forte aliam Cliviam in Livonia invenire posse. Denique Regem Clivicas ditiones corpori Galliæ inserere, aut diu eas possidere haut posse. Pomponius: *haut ita facile Electori fore Cliviæ jacturam digerere. Porro quicquid decretorum Ratisponæ conditum sit, plerosque tamen, & præcipuos Ordinum Westphalicæ pacis instaurationem cupere. Ac si vel universi Ordines, vel eorum aliqui Electori velint assistere, id suo periculo facere posse, ac Regem eosdem non minus hostium loco habiturum. Sed eam spem inanem esse; quin Ordines certatim exclamaturos; haut par esse, ut Electoris opes gliscant, se perire; eoque pacem quantum possit occupandam. Inducias quoque adhuc incertas, quas Rex non ultra duos menses sit indulturus. In Danum facile rem geri posse. Classem paratam stare, per quam Regi in Holsatiam, Scaniam, ipsam Selandiam exercitum immittere liceat. Gallos etiam frigidi cœli tolerantes, ac hibernis bellis adsuetos. Denique e tergiversatione ingens bellum exoriturum; & haut eo secius Electori, Danoque ad restituenda bello parta descendendum, velut omni auxilio destitutis; cum contra Regi terra marique via nullo impediente pateat. Ac jam copias versus Cliviam & Marcam iter ingredi, mox Rhenum transituras, ac brevi Electoris ditiones ad Visurgim usque subigendas. Denique si Elector Stetino insistat, omnem operam incassum sumi. Ac ut maxime Elector promittat, se omnibus Regis desideriis velificaturum; tamen inverti rerum ordinem, cum pax & Sueciæ restitutio præcedere debeat.* Cum Meindersius objiceret, Luneburgicis utique data provinciæ portione satisfactum, quibus tamen cum Suecis nil negotii fuerit, nisi quod ex Electoris causa provenerit, & quidem concurrentibus ministris Suecicis. Ad ea Pomponius: *interfuisse ei tractatui, etsi nulla tractandi facultate, Pufendorfium; cui tanti visum fuerit litigiosa provinciæ parte cedere, ut divellendis Borealibus fœderatis initium fiat; idemque Regis sui judicium fuisse, qui & sese obstrinxerit ad Sueci ratihabitionem eundam. Suecos quoque infelici quantumvis expeditione in Borussiam* 1679.

1679. *russiam Galliæ insignem operam præstitisse, quod Elector post expugnatam Stralsundam ad Rhenum vertere haut potuerit. Unde Regis gloriæ adversari, ideo illos deserere, quia in ipsius utique gratiam cladem acceperunt. Ac frustra Meindersium satagere, si nil aliud in mandatis habeat: ac optimum fore hinc discedere, quod Suecici ministri importune instent, ut is amoveatur. Sane Regem invitum ob alienas rationes ad extrema cum Electore descendere. Sed quæ gloriam ipsius tangant, exceptionem non pati. Ne tamen plane in Borussiam abeat, sed Neomagum, aut in vicinum se locum conferat. Forte enim temporibus mutatis Electori placiturum moderatis cum mandatis ipsum denuo huc mittere.*

Extrema a Meindersio incassum tentantur. 14. Febr.

§. 71. Altero inde colloquio petito Meindersius secretas conditiones, de quibus in mandatis habebat, expromebat. Cui Rex: se Electori summopere obstringi pro singulari fiducia, quam in ipsum testetur; ac sibi curæ fore quavis occasione grati sui animi documenta repræsentare. Valde sibi dolere, plenam libertatem sibi deesse super rebus communes rationes spectantibus cum ipso communicandi. Solum Electorem eo vinculo ipsum exsolvere posse, si circa restitutionem Sueciæ flectat. Nec ei pœnitendum fore heic aliquid remisisse, idemque partæ gloriæ haut parum additurum. Ad ista Meindersius; extracto bello forte aliquam rerum conversionem metuendam: saltem nil lucri inde expectandum. Westphalicas Electoris ditiones jam exhaustas bellum diu alere non posse. Inde manus ad vicinos porrigendas, novarum turbarum materiam. Unde Regi immensam pecuniæ vim in bellum impendendam. Ad gloriam Regis abunde sufficere, quæ jam Suecis præstita sint, qui ne unico quidem articulo sui fœderis cum Rege satisfecerint. Eos omnes clades, quas perpessi sint, sibimetipsis debere. Quin Regi ignavum iri visum, si Elector Suecis omnia restituat, quos altera jam vice ditionibus suis ejecit. Equidem Electorem suas vires Gallicis haut æquiparare; sed confidere, Regem non minus æquum & generosum, quam potentem & victorem esse. Et quanquam Elector Westphalicas provincias exitio liberare nequeat; Gallicum tamen exercitum inde molestiam quoque sensurum; nec ideo Electorem Pomerania decessurum, ac Westphalicas provincias utique serius ocyus restituendas. Demum Meindersius tempus rogabat, cursori ad Electorem mittendo; ac ut Rex meminisse velit articuli 26 pacis Cæsareæ, quo is promiserit, se officia quam efficacissime apud Suecos interpositurum ad æquam pacem promovendam. Quæ officia non alio tendere possint, quam ut Sueci ad remittendum nonnihil permoveantur, ac ut Electori ex æquo satisfaciant. Nam ad ejusmodi pacem, qualem Sueci exposcunt, officiis haut opus esse. Sed & Regem inducias promisisse conciliandæ paci, super quibus nondum conventum sit; & tamen copias Gallicas jam iter ingressas dici. Adversus, quæ cum Rex nihil reponere nosset, ad gloriam suam, ac fidem Suecis datam revolvebatur. Alias jubebat Electori confirmare, se ipsum maximi facere, & amicitiam cum eodem instaurare admodum cupere; sperare quoque, obstacula, quæ id impediant, e medio removeri posse. Ita incassum tunc opera sumebatur, quod Pomponius Suecis faveret, Luvoisio autem rigida omnia, & abrupta placerent. Huic cum Meindersius moderata ingereret, is respondebat: *Bellum geri vel ad plane perdendum hostem, vel ut in ejus ditione miles alatur.* Sed nunc priori modo rem gerendam ac remedienda, quæ quondam in Alsatia gesta sint. Lipstadium primo subigendum: nec Mindam diu moram facturam. Mox Halberstadium & Magdeburgum, inde Berolinum eundum, nec Suecico modo bellum gerendum. Ad extrema ista redigendum tam egregium Principem, & quod Meindersio tam stricta mandata sint, dolendum sibi esse. Cum hic Luvoisio incommoda, quæ continuationem belli in Germania præcipue trans Visurgim comitatura sint, demonstraret, hic reponebat: jam de horum remediis agitari; nec socios belli defore, qui in partem prædæ venire ardeant. A Coloniensi in Lipstadium actionem moveri. Magdeburgo, Halberstadio, Minda unum atque alterum devinciri posse, qui iisdem valde inhiet, & cui ea loca opportunitate situs mirum quantum blandiantur. Ac aderat ab Administratore Magdeburgico missus Marschalcus, qui sedulo cum Suecis concursabat. *Marschalck.* Denique nil Electori posse dari, præter ea, quæ quondam pacto Stetinensi extorta fuerint, & summam pecuniæ. Discedenti confirmabat Pomponius, *22. Febr.* & Luvoisius, postremam ejus propositionem Regi admodum arrisisse; ac sperare hunc, Electorem mutata circa Pomeraniam sententia eidem ansam præbiturum gratum animum, ac quanti ipsum æstimet, reipsa exhibendi; etsi in præsens Rex de talibus non cogitet. Ita Meindersio re infecta discedendum erat, idque valde propere, & ut cursorem ad Electorem mittere haut indulgeretur. Persuaserant sibi Galli, eum pressiora mandata habere, quæ expromere tergiversetur, ac brevi rediturum.

Meindersius denuo in Galliam mittitur. 19. April.

§. 72. Cum interim reliqui fœderati, excepto Daniæ Rege, bello se subduxissent, Elector Meindersium denuo Neomagum se conferre jubet promovendæ cum Gallis paci. Nam cum Suecis ipsis haut placebat tractationem suscipere, flecti nesciis, qui & Gallos usque adeo obfirmarant, alias Electori consultum esse optantes. Is jam antea declaraverat, utut jus sibi sit e caussis toti orbi notis, atque probatis toti Pomeraniæ sine conditione insistere; amore tamen pacis occidentalem Cliviæ partem cum omnibus inde pendentibus, ac juribus Sueciæ concessurum. Tum ut Gallus perspiciat, serio a se rem agi, unum & alterum locum huic cautionis in vicem traditurum. Neomagi Meindersius cum legatis Gallicis familiariter conversari jubebatur; tum Dano confirmare, Electorem ei Regi firmiter adhæsurum, nec per peculiares tractatus ab eo separandum. Et quia Daniæ Rex legatum in Galliam missurus fuerit, Electori quoque visum tentare, num ibi honesta pax æquis conditionibus obtineri queat, de

1697.] de qua cum ipso diligenter sit communicaturus. De causis quoque hujus itinerit Anglo, Belgis, ac Cæsareis significaret; tum & operam daret, ut induciæ prorogentur, quo spatium foret exercitui e Borussia adducendo. Conversationem cum Suecis non quidem plane declinaret, sed nec affectaret; ac super ea Gallorum & Angli consilium exquireret. Quod si pax Neomagi expediri nequeat, Lutetiam abiret, ibique juxta priora mandata rem tractaret. Quod si Sueci partem Cliviæ pro Pomerania acceptare nolint, tentaret, num Belgæ per Gallos permoveri possint, ut ipsi eas terras recipiant, & quotannis Sueco certam pecuniæ summam, super qua conveniri possit, eo nomine numerent, quamdiu mascula Electoris linea duret; qua extincta ad Sueciam Pomerania, ad reliquos istius hæredes Clivia reditura sit. Quo casu Elector Belgis nonnulla vectigalia, & unam atque alteram præfecturam in Orientali parte provinciæ daturus sit. Si nec hoc succedat, tentaret, an non Danus Sueco Oldenburgicum & Delmenhorstanum Comitatum cessurus sit; cui is vicissim Stralsundam, ac tractum circa Bartam, aliaque daturus sit, opportuno Rugiæ situ, quam is Rex tenebat; quem Elector vicinum, quam Suecos malebat. Præter ista Elector Suecis quoque oblaturus erat, ut nomine Citerioris Pomeraniæ in Comitii suffragium ferre possent, aut ut in cautionem provinciales quavis imperantium mutatione Sueciæ sacramentum in eum eventum dicerent, adjecta insuper expectativa in Suerinensem Meclenburgicæ partem. Si horum nihil pervinci posset, Suecis Anclamum & Demminum detractis munitionibus redditurus erat cum districtu usque ad Uckeram fluvium; ipse retenturus Stetinum cum subjecto agro usque ad Uckeram, ac Torgeloa, tum quicquid trans Oderam situm est, una cum Usedomo, Wollino, ac Wolgasto. Ad extremum Stetino & Odera flumine contentus futurus erat.

[Neo]magi [...]utata. [M]aji. §. 73. Cum Meindersius Neomagi, quæ jussus fuerat Colberto exposuisset, hic quidem affatim amicorum verborum reponebat; sed addebatur; *stari adhuc responso ipsi antea in Gallia dato, ac omnia ad normam Westphalicæ pacis reparanda; a qua sententia Rex salva gloria, existimatione, & conscientia discedere non possit. Se quidem optare, ut Sueci aliquid remittant. Sed eos esse inflexibiles & postulare, ut Gallus Electorem, si ultro nolit, armis cogat ad omnia ipsis restituenda; ad quos is fœdere teneatur. Equidem triste Regi arma in Principem stringere, quem tanti faciat, & cujus amicitiam mutopere desideret, qui & bello tot insignibus & communem captum superantibus factis eximiam sibi gloriam pepererit. Esse quoque id bellum ipsi molestum & sumtuosum. Haut eo secius Regi fidem suam liberandam, si vel omnia periculo exponenda sint.* Meindersius contra: Partes nimium inæquales esse, quam ut Elector cum Rege armis certare velit. Enimvero Regem actiones suas non sola potentia, sed & æquitate, ac solida gloria metiri. Unde haut dignum se facinus judicaturum plane opprimere, & ad desperationem adigere Principem, qui tanto studio ipsius amicitiam affectet; qui & forte deinceps minore impensa, majore candore, 1679. quam Sueci, utilem operam eidem navare possit. Causam Electoris toti orbi probari, qui & nil postulet Regis honori adversum. Regem plura Suecis præstitisse, quam hi jure exigere potuerint; qui nec ulli capiti fœderis satisfecerint, ac jam ipsis Gallis fatentibus sint intractabiles, insolentes, omnem rationem adspernantes. Ad quæ Gallica pecunia ansam ipsis præbeat; & qui pace facta ista sit cessatura, eos perpetuum bellum optare; quod ex omnibus suis ditionibus post detractas necessarias impensas tantum illis non supersit, quantum Gallus numerat. Ast si hic rivos claudat, mox modestiam subituram. Colbertus; *vere ista dici; sed Regem per fœdus subsidia inhibere non posse. Regi quoque de sincera Electoris intentione satis persuasum, ac in ejus specimen oppidorum traditionem accipere. Et si Sueci cavillentur eam ideo factam, quod Elector ista loca contra Gallos tutari nequiverit; qua & tot machinas, tantumque paratus bellici & annonæ, simul numerosum militem servarit, qui nunc ad Visurgim contrahatur ei fluvio, Mindaque defendenda. Igitur omissa tergiversatione extrema mandata depromere satius esse.* Et cum Meindersius negaret plus sibi mandatum, Colbertus valde perturbatum se ostendebat, quod pars copiarum Gallicarum Rhenum jam transierit, reliquis statim secuturis; ac duces nullo respectu hostilia ordiri jussi sint, si ante diem XIX Maji pax conclusa non fuerit. Cum Meindersius ostenderet, se Lutetiam abiturum, is frustra id fore dicebat, *nec plus ibi quam heic profectum iri. Nam decretum esse Electori ea dare, quæ Sueci per Stetinense pactum extorserint. Regem libenter Stetinum ei concessurum: sed Suecos nolle, quorum voluntati resistere non possit. Cogitaret Elector debilitatem suarum partium, quas omnes deseruerint, excepto Dano, cui domi satis negotii sit; qui & ipse agnita pacis necessitate legatum in Galliam miserit. Westphalicas provincias brevi subigendas. Lunburgicos interjectos Electoris copiis transitum non concessuros; nec vi perrumpi posse, ni bellum cum ea domo suscipere velit. Inde Gallos Albim versus progressuros, ubi plus favoris & auxilii reperturi sint, quam Elector credat. Vix quoque Luneburgicos medios fore, sed in unam, aut alteram partem concessuros; certe autem Electoris partes haut optaturos. E Borussia Electori exercitum evocare haut integrum esse, ni novam e Livonia invasionem meliore sub duce expectare velit. Forte & Electori a Polonis non satis cautum, ac Regem omni loco, ac modo bellum persecuturum, ubi semel in extrema proruptum fuerit. Nunc Electorem summa cum gloria posse arma ponere; sed ubi cladis quid acceptum fuerit, præter damnum istam quoque valde minuendam. Non minus gloriosum majori potentiæ, cui par non sis, prudenter cedere, quam inter arma incomparabilem vigorem exseruisse. Equidem quæ offerantur modica esse; sed Electorem e renovata Regis amicitia tanto plus emolumenti capturum. Addendam quoque summam pecuniæ, & adversus Suecos securitatem præstandam, quos & sua debilitas parum formidandos reddiderit. Totam Germaniam Electoris moderationi adplausuram; cui contra valde acerbum sit futurum, si ut ille novas ditiones adquirat, quas omnes eidem invideant, ei diutius belli mala toleranda sint.* Cum etiam eo tempore

1679. pore de morte Regis Sueciæ spargeretur, Colbertus negabat, eam summæ rerum quid mutationis allaturam, quod fœdus sibi etiam cum Regno Sueciæ sit. Iste Rex, cum extrema imminere viderentur, suos hortatus dicebatur, ut Principem aliquem Germanum ætate plena, ac rerum usu spectatum sibi successorem eligerent: quo nomine præcipue in Ernestum Augustum Luneburgicum, & Christianum Albertum Gottorpiensem Ducem respexerat. Cum Meindersius objiceret, transactione cum Luneburgicis a pacis Monasteriensis legibus fuisse discessum, Colbertus sæpius dicta repetebat: Ministris Suecicis tanti visum Borealium fœderatorum vinculum eo pretio abrumpere, cum nondum constaret, num pax Cæsarea successura foret. Et quæ Elector accepturus sit, longe pluris esse, quam Luneburgicis concessa. Plura a Colberto extundi non poterant. Cæsarei dicebant: Vienna sibi injunctum Borealium pacem omni studio promovere, ac ut Electori quantum possit satisfiat; addito, si Elector quondam Stetino se contentum fore declarasset, id se citra dubium sua pace stipulari potuisse. Jenkinus quoque testabatur, omni studio se connixum; sed Suecos Stetino cedere nolle. Unde vix Electori quid superesse, quam tractum trans Oderam, & pecuniæ summam. Hunc tamen gloriæ suæ nil detracturum, quin eam aucturum, si tranquillando Christiano orbi temporibus sese

6. Maji. accommodet. Tenuitatem conditionum armorum fama pensandam. Valedicenti Meindersio Colbertus testabatur, Regem non plus Electori de bello partis relinquere posse, quam quondam pacto Stetinensi subtracta, quod nullam viam repererit fide Suecis data sese exsolvendi. Ast pace facta eum cum nemine arctius jungi cupere, quam cum Electore, quem præ omnibus orbis Christiani Principibus æstimet. Ea conjunctione Electorem suæ domui longe melius consulturum, quam belli continuatione, ac in ea solidam securitatem inventurum.

Lutetiæ eadem cantilena occinitur, 19. Maji.

§. 74. Lutetiam cum pervenisset Meindersius, nil aliud audiebat, quam Dano nil præter Hafniensem pacem, Electori nil præter Monasteriensem indulgeri posse. Luvoisius Electoris vicem dolebat, quod bello continuato non fortunas solum suas, sed & partam gloriam evidenti sit periculo expositurus. Nam Regem nunquam id flagitii admissurum, ut tantæ dignationis fœderatum deserat, qui suorum quidem ministrorum erratis in Galliæ tamen usum in eam calamitatem inciderit: ac in causa sit, hunc insignem aliquem locum amittere. Pomponius dicebat: Regem denuo, quæ ipse Neomagi Colberto proposuerit, expendisse. Sed immotam ei stare sententiam; quanticunque sumtus in bellum sint faciendi, ex quo nil emolumenti, sed fidei duntaxat expletæ gloriam quærat; non prius tamen arma positurum, quam Suecos in statum, qui ante bellum fuit, reposuerit. Tum exquirebat, num quæ pressiora mandata habeat, quod periculum in mora sit, ac singuli dies Electoris subditis multis uncialium millibus constent. Meindersius inde latus occidentale Cliviæ, aut si id gratum non sit, partem Pomeraniæ offerebat. Pomponius: de Clivia Suecos audire nolle, quæ 1679.
& nulli usui iisdem sit. Stetino eos non magis carere velle, quam Holmia. Meindersius contra Stralsundam extollebat, quam Sueci recuperent; ac istos jam antea Stetino cedere voluisse. Pomponius: tempora mutata esse, post fœderatorum ab Electore defectionem; ac Regem eam causam suam facere. Si maxime a Suecis fœderi satisfactum non sit, culpam non penes Sueciæ Regem, sed penes ministros ac duces esse. Regis sui animum autem longe sublimiorem esse, quam ut id innocenti, ac juveni Sueciæ Regi tribuere velit, aut inde ansam arripere promissa sua destituendi. Cum Meindersius demonstraret, haut ita in proclivi fore Electorem evertere, qui Westphalicas ditiones ad tempus pro derelictis habere decreverit: Pomponius reponebat; Regem omnes eas difficultates secum exegisse; sed fidem iis omnibus prævalere. Westphalicas provincias parum moræ facturas. Si pecunia sit, satis annonæ fore. In Ordinibus Imperii nil fiduciæ Electori collocandum; de quo & ipse jam sat documentorum ceperit. Si quis in partem belli venire velit, id Gallis parum curæ fore. Circa transitum per Brunsuicenses ditiones minus difficultatum fore, quam Elector credat. In Oldenburgicam iter per Monasteriensem agrum patere. Dano tædium belli brevi subiturum; ac si is vires suas versus Albim ac Visurgim vertat, reliquas ejus ditiones Sueco exponi. Præterea neminem ex Imperii Ordinibus Pomeraniam & Stetinum Electori non invidere, cujus gliscens potentia ab istis limis oculis adspiciatur; ac plures eidem inimicos esse, quam credat, idque bello extracto cum summo status sui periculo experturum. Circa parandum quoque novum exercitum in Livonia summo studio laborari, qui mense Julio in Borussia futurus sit duce Kœnigsmarckio, in quo Elector hautquidquam Henricum Hornium inventurus sit. Ista omnia Elector pro sua prudentia avertere studeret, cujus insigne documentum edendi nunc occasio sit. Offerebatur inde summa pecuniæ, & tractus trans Oderam, cujus diserta mentio pace Westphalica facta non sit; circa quem tamen cedendum adhuc Sueci tergiversentur, Regemque ad bellum continuandum stimulent, magnifice jactantes, uti Electorem in ordinem redigere velint. Tutam pacem, Regis amicitiam mille emolumenta parituram, tum gloriam Electoris tam alte evectam periculo, quod e continuatione belli secuturum sit, longe anteferendam.

§. 75. Ipse Rex, cum Meindersius eum alloqueretur, de singulari æstimatione, qua Electorem, ejusque acta prosequatur, memorabat, ac *Regis de-clamatio.*
ut desideret veterem cum eo amicitiam instaurare. Dolere sibi, non sat mandatorum ipsi esse; & calamitatem ditionibus Electoris mox incubiturum, quod non amplius in prorogandas inducias consentire sibi integrum sit. Omnia se probe trutinasse, ac satis nosse, quantum molestia belli continuatio sibi damno sit. Sed præponderare honorem & fidem suam, quæ plura sibi offerre haut permittat. Forte & brevi longe duriores pacis conditiones fore. Quamdiu Elector Stetino insistat, nil ei officii a se præstari

1679. *stari posse. Et quia ipse idoneis mandatis instructus non sit, molestum sibi esse, iter hoc frustra ab eo sumtum; eoque primum hoc alloquium valedictionis quoque vicem subiturum; ac ita ipsum res suas disponere posse, ut intra quatriduum viam relegat.* Adversus ista quicquid regereretur, frustra erat. Nec ferre volebat Rex, ut Espencæus ad Electorem excurreret. Nam quod natione Gallus, & illustri loco natus esset, Suecos suspecturos, peculiari quid cum Electore in ipsorum fraudem tractari. Demum tamen Rex, postquam cum Pomponio locutus esset, consensit, ut Meindersius per tres septimanas Lutetiæ morari posset, Electori de actis misso cursore relaturus. Interim continuando bello ingentes paratus fiebant. Angli, Belgarumque officium, quod pro Electore interponebatur, nauci fiebat. Literæ, quas ad Regem Elector dederat, ipsi valde placebant, & ab omnibus Gallis laudabantur; sed ideo circa semel placita nihil remittebatur. Ingentes quoque pecuniarum summæ in Borussiam trajiciebantur, ibi ab Akakia ulterius in Suecorum usus dispensandæ. Christianus quoque Meclenburgicus Dux Regi Dœmitzam transitum Albis firmaturam obtulerat. Cum itaque ab Electore Pomerania utique restituenda videretur, aliqui suadebant, munitiones oppidorum dejiciendas, ac machinas abducendas, quod inter tractatus plerumque conveniatur, ut loca in præsenti statu restituantur. Sed uti Elector circa machinas id consilium sequebatur; ita munitiones urbium destruere haut placebat, ne Gallus magis irritaretur, & quia Vesaliæ, & Lipstadio paria reponi poterant. Querebatur etiam Meindersius de barbara militis Gallici in Electoris subditos immanitate, qui inter alia eorum, qui penatibus profugerant, prata aratro proscindebant, multos provincialium trucidabant, libidine in fœminas grassabantur. Ad quæ Pomponius: *ista fieri jure belli, & per militarem licentiam, ad quam leges Christianæ humanitatis sese haut porrigant.*

[E]lector [ne]cessita[te c]edit. Jun.

§. 76. Elector immobili Gallorum duritie intellecta satis perspiciebat, istam sibi calamitatem a fœderatorum defectione provenire. Et ab initio belli nil aliud spectatum fuerat, quam instauratio honestæ, ac firmæ pacis. Ne qua ergo in se mora esset, demum Citeriorem Pomeraniam Suecis restituere decrevit. Sed summa difficultas circa Stetinum vertebatur, quod non tam lucri, quam securitatis causa desiderabat. Ejus urbis causa num bellum persequendum foret, in consultationem deducebatur. Qui eam quantocunque precio retinendam suadebant, haut leves rationes adferebant. In expugnandam eam urbem ingentes sumtus factos. Eam opportuno cumprimis situ esse non ob commercia solum, sed & tegendæ Marchiæ, & Ulteriori Pomeraniæ; tum bello justissimo adquisitam. Etiam a Gallis, & Suecis agnosci æquum esse, ut Electori satisfiat. Idem multis Imperii decretis probari. Insigne moderationis specimen esse, quod cum Elector totam Pomeraniam, antiquum Domus suæ patrimonium sibi ante extortum, recuperarit, solo Stetino contentus esse velit. Esse Cæsari adhuc exercitum in Imperio, qui ex fœdere, ac decretis Ratisponensibus indemnem ipsum præstare teneatur. Difficile fore Gallis bellum usque ad Albim promovere. Alia eis obstacula ex transverso intervenire posse; & langvidius pro alienis certaturos. Dano superesse vires terra marique, qui ob locorum intercapedinem Gallum non metuat. Sueciam viribus exhaustam, cui & quam maxime pace opus sit. Contra disserebatur: Electorem solum sustinendis Galli viribus imparem; cui & in præsens nullus sit hostis, qui eum distrahere possit. In ejus manu jam egregias Electoris urbes, ac provincias esse, nec reliqua Westphaliæ moram factura. Periculum esse, ne bello extracto insignes ditiones Brandenburgicæ domui adquisitæ iis in prædam cedant, qui dudum istis inhiarunt. Sane constabat, a Saxone apud Gallum agi, ut pro Juliacensi prætensione Magdeburgica sibi ditio concedatur. Facile quoque Gallo fore argento hostes Electori excitare, quibus prætextum nunquam defuturum sit. Novam quoque invasionem e Livonia Borussiæ intentari; quæ Sueco eo facilior futura sit, quod in Scania nil amplius ipsi metuendum sit, plerisque Dani copiis in Holsatiam translatis. Parum quoque Polono, & pactis cum ea Rep. confidi posse. Et quia Borussia tanti sit, maximam ibi exercitus partem relinquendam, invalido provinciali milite; & antequam is huc perveniat, Mindam, & Magdeburgum periisse. Bello quoque continuato quod copiarum Electori in Westphalia est, in angustias redactum iri, imminente inde Crequio, hinc Brunsuicensibus transitum negaturis. Electorem ab omnibus desertum, excepto Dano, cui domi sat negotii: nusquam supplementa, hospitia, pecuniam. Omnes pacem suadere, ac judicare, inter omnes fœderatos ab Electore honestissime arma poni. Equidem tenues videri conditiones, si considerentur, quæ ab Electore restituenda sunt. Ast continuato bello forte durioribus adquiescendum. Jam Electorem aliquid recipere, super quo olim acriter disceptatum fuerit; ditiones suas e Gallorum manibus liberare; Borussiam conservare; a reliquis provinciis exitium averruncare; gloriam bello partam conservare. Bello continuato Galliam arctius Sueciæ illigari, quam nunc ab hac divelli posse spes sit. Internam quoque status nostri debilitatem considerandam. Omnes provincias exhaustas; pecuniam deficere; Belgas, & Hispanos nihil dare; quæ mutuo sumantur haut longe pertingere. Militiam in singulos menses ducentena uncialium millia requirere, præter reliquas erogationes. Ast collapsa militia armis parta ultro corruere. Denique quanticunque taxetur Stetinum; num tamen propter id summam rerum aleæ exponendam? Et adhuc de lucro adquirendo agi. Inter eas rationes prudentibus quantivis videbatur, Suecos Gallorum amicitia dimovisse, qui Gallicis subsidiis exuti haut facile vires recollecturi sint. Ita demum quamvis ægerrime Elector Stetino cedere decrevit, ut tamen manum calamo admovens non sine gemitu literas se nescire optaret. Meindersius simul conniti jubebatur, ut summa pecunia augeatur ad millionem uncialium; ut Dammum, & Golnoa sibi detur, & exigua insula Cristoa ante Camminum 1679.

[I]nsula- ..., num ... nino cedem. ...m.

1679. minum sita: ut Wollinum sibi relinquatur, quod Electrici a se donatum sit, ac sumtus in Stetinum facti sarciantur. Denique ut absoluto tractatu Gallicus miles protinus cum modestia suis ditionibus excedat; utque Vesalia & Lipstadium in eo statu reddantur, qui fuerat, cum Gallis traderentur. Contra se omnes machinas e Pomeraniæ oppidis abducturum, quod & Galli Belgicis in urbibus fecerint. Ac satis habituros Suecos, si urbes integris munitionibus, ac portubus non obstructis accipiant. Addebatur, ut Meindersius pariter cum Dano pacem concludat. Sed si ablegatus Danicus Meiercrona in eam rem mandatis non sit instructus, non quidem pacem suam adornare omittat, Dano tamen facultatem stipuletur suam quoque pacem perficiundi, nec nisi junctim cum ipso subscribat. Ubi id obtineri nequeat, saltem spatium ratihabitioni permutandæ eo porrigat, quo interim & Danica pax absolvi queat. Commodum Lutetiam adferebantur

6. Jun. hæc mandata in fine termini a Gallo præfixi, non parum ingravescente negotiatione, quod jam duo milliones in expeditionem contra Electorem expensi essent. Ac mirabatur Pomponius, tamdiu deliberationibus extractum, quod declinari non posse cernebatur, cum singuli dies Electoris civibus multis uncialium millibus constent. Ac Suecos quotidie Regem obtundere; ne cum Electoris provinciis aliter agatur, quam ipse in Pomerania egerit; utque tractatio plane abrumpatur. Ac ubique talia consilia agitari, quæ non possint non Electoris exitium erumpere.

Electoris temperamenta a Gallo rejiciuntur. 18 Jun.

§. 77. Meindersius tamen, ne quid intentatum relinqueret, scripto temperamenta, per quæ Suecis pro Stetino satisfieri posset, proponebat. Sed ei responsum: talibus tempus incassum teri. Regem quæ sibi sententia tam circa Suecorum restitutionem in universum, quam circa Stetinum sedeat, aliquoties declarasse. Ex ejusmodi propositis nil aliud colligi, quam temporis tantum extractionem quæri, cujus si unquam, nunc maximum pretium sit, ut ne per horam quidem tanti negotii conclusio differri debeat. Ac utrinque multis millionibus æstimandum fuisse, si maturius, ac justo tempore negotium absolutum fuisset. Regem tunc pecuniis, quæ aliis datæ sint, magnisque expensis in Westphalia, & Livonia parcere potuisse. Nunc plerisque licet sumtibus jam factis Regem ex animi magnitudine oblatis conditionibus stare, sed ea expressa lege, ut negotium nunc citra moram absolvendum sit. Ferri ejusmodi licitationes posse, hieme, aut expeditionis initio, & antequam una pars alteri extremam sententiam declaraverit. Sed præsenti rerum statu omnes moras amputandas, nec aliud remedium superesse armorum violentiæ sistendæ, quam promtam pacem. In Borussia Electoris res tanto in periculo versari, ut antea nunquam. Ei tutandæ dum exercitus ibi moratur, ditiones ad Oderam usque nudari, queis & ipsis majus periculum immineat, quam credi queat. Res ibidem ita dispositas, ut non possint non effectum, quem intendunt assequi; ac non nisi subscriptione, & exsecutione pactorum opus esse, quæ non in hiemem differenda, sed protinus suscipienda sit. Igitur sententiam in alterutram partem e vestigio declarandam. Moram pro ruptura acceptum iri. Cum ergo nil aliud superesset, Meindersius negotium de Stetino in Regis arbitrium conferebat, id quod huic valde placebat. Addiderat Meindersius nonnulla postulata, circa quæ cum Pomponio disceptabatur. Ad quæ Pomponius: mirum sibi videri, quare hæc negotiatio tamdiu extrahatur, eoque difficilior, ac fere ingrata reddatur. Se jam acriter a Suecis urgeri, ne Electori vel latus pes terræ, vel teruncius detur; quod res jam ita disposita sit, ut non sperent se amissa armis recuperaturos, sed & damni reparationem obtenturos. Cessionem tractus trans Oderam utrique Regi contumeliosam, sibi valde noxiam, velut qui tribus millionibus æstimetur; ac sibi per expressa mandata solenniter contradicendum. Haut eo minus Regem media via incessurum, ac temporibus licet valde mutatis, ac per Electoris tergiversationem multorum myriadum damno ipsi facto, promissa sua generose impleturum. Sed plura non petenda, ac pacem Westphalicam fundamenti loco ponendum, sicuti apud cæteros factum sit. 1679.

Pax concipitur.

§. 78. Ita demum ad concipiendam pacis formulam accedebatur. Ubi primo de loco tractatuum disserebatur. Pomponius censebat, brevissimum fore, ut cum Galliæ Rege heic tractetur; quæ Suecos spectent, Neomagi posse expediri; ac Regem sponsorem fore, conventa utrinque impletum iri. De induciis non prius agi posse, quam pax absoluta fuerit. Ad capita scripti a Meindersio exhibiti Pomponius declarabat, Regem Electori adversus omnes insultus cauturum. Wollinum insulam, quam Electoris conjux tunc possidebat, per Instrumentum Pacis concedi non posse, ac Regem huic alibi gratificaturum: nec congruere, ut penes Electorem ejus insulæ dominium utile, penes Suecos jus territoriale sit. Circa pecuniæ summam Regem facturum quantum possit; ac decuplo plus facturum fuisse, si Elector mature oblata acceptasset. Demminum abnuebatur, velut exterius Stetini propugnaculum. Super Golnoa demum idem temperamentum placebat, quod circa Wilzhusam cum Monasteriensi adhibitum fuerat; nam id pignus nunquam reluendum. Nolebat tamen Meindersius totum tractum Trans-Oderanum jure hypothecæ, quod Pomponius volebat, admittere. Christoam insulam tanti non esse, ut de ea litigetur. Ut fluvius Odera ad Suecos, & Electorem pariter pertineat, & penes hunc ripa orientalis sit, leges pacis Westphalicæ non permittere. De participatione vectigalis maritimi in Ulteriore Pomerania Gallis nil constabat; nec qui Lutetiæ tunc erant Suecici ministri de eo informati erant; id quod Meindersio haut incommode accidebat. De Cammino oppido Pomponius censebat hoc tractatu nil exprimendum, ne Sueci importune contradicant, qui alias hanc tractationem abrumpi cupiebant; sed satius fore laxis verbis poni, ad Electorem omnia illa reditura, quæ pace Westphalica expressa non sint. Pacto Stetinensi hac pace derogari in partibus antea nominatis. Ejusmodi autem tractatus ita simpliciter abrogari more haut receptum; ac forte Electori quoque aliqua jura ex eo

eo quæsita. Ac parum interesse abrogare pactum, an ei derogare; præsertim ubi primaria ejus parte abolita, quæ supersunt, non expresse iterum confirmentur. Quæ oppidis Pomeraniæ ab Electore illata sint, iterum auferri posse: sed quæ ad Suecos antea spectaverint, ibi relinquenda. De *meliorationibus* prædiorum, & sumtibus in ædificia tam solennibus tractatibus tangi non solere; ac Electorem decuplo plus damni dedisse. Voluerat quoque Meindersius Electori prætensiones suas contra fœderatos reservare, ex abruptis fœderibus natas. Sed Pomponius ostendebat; Regi in animo non esse, Electoris juribus ullo modo derogare, sed ea utique illibata persistere, utut hoc tractatu non reserventur. Id quod etiam non congruat, quod ea jura ex fœderibus contra Galliam initis orta sint, quorum impletionem urgere, aut ex iis natas obligationes Rex agnoscere non possit. Polonum ad pacem cum Electore colendam hortandum. Jusserat Elector, ut pax cum Dano eodem tempore perficeretur; quo fine Meiercrona hunc tractatum extrahi cupiebat. Sed cum præsens rerum conditio, & quæ ipsi in oculos, auresque incurrebant. demonstrarentur, nil habebat, quod reponeret, Ac in Gallia tunc omnia pro imperio, ac prout libido ferret, agebantur, insuper habitis rationibus quantumvis gravissimis, quibus omnibus nil aliud opponebatur, quam Regi aliter placere. Ac melius facturi fuerant Dani, si tractatus suos in Gallia, aut Neomagi perfecissent, quam quod eos in Scaniam pertraxerint non sine variis moris atque confusionibus. Ac ipsi Galli mirabantur, quare Dani eo se induci passi fuerint, cum satis difficile Suecorum ingenium nossent. Ac revera summum in mora periculum erat, quod non solum irrita nunc pace omnia prius oblata retractanda forent, sed & nisi perfecta pace cessatio ab hostilibus obtineri non posset; ac interim Mindam perituram, ac Electoris copias ad Visurgim summum periculum incursuras. Porro in sua formula Pomponius posuerat, ut Elector actiones suas contra Meclenburgicum, Lauenburgicum, Præsulem, & civitatem Lubecensem, Comites Lippiæ, & Hamburgenses non vi, sed juris via persequeretur. Id quod instinctu Luneburgicorum factum erat, postqvam Elector aliqvot Hamburgensium navibus manus injecisset. Qvo de negotio Colbertus Neomagi judicaverat, facile Regem dissimulaturum, ut Elector e captis navibus solutionem suam qværat: sed non facile Cellensi in pace aliqvid emendatum iri. Ast Meindersius ostendebat; eam causam huc non spectare, velut qvæ jus tertii tangat; ac Cæsaris & Imperii cognitionem esse. Rebenacio indolem negotii haut satis fuisse perspectam, & eundem a Luneburgicis seductum de isto paci Cellensi ut insereretur passum. Sane Duces qvæ ipsi fecerint, in aliis improbare non posse; qvi prætensiones suas contra Francofurtum ad Mœnum & alias civitates Imperiales sat rigide exegerint; & Osnabrugensem adhuc qvosdam cives Colonienses in custodia detinere, qvod ea civitas a Cæsare assignata exsolvere abnuat. Ac æqve absurdum esse, eos Duces plus sibi juris in eam urbem arrogare, quam ipsum Cæsarem, dum hujus decreta irrita reddere nituntur; quam eandem oneribus Imperii sese subtractum ire, cum tamen hujus libertate gaudere velit, ac opes Germaniæ per commercia ad se trahat. Sed Pomponius in eo negotio moderationem adhibendam suadebat; ac id ejusmodi verbis exprimi posse, quibus parum ponderis insit; nec Regem circa id valde laboraturum. Ac commodissimum fore abreptis navibus solutionem quærere; facta haut rescissum iri. Addebat Pomponius, ut omnia privatorum bona ac jura salva sint, prout & Rex in maximo flore suæ fortunæ cum Hispanis nunquam aliter tractarit, quam salvis privatorum juribus, ac in novissimis tractatibus circa restitutiones eo modo conventum. Sed quæ jura coronа Sueciæ in locis cessis habuerit, ea plenissime, ac sine ulla exceptione in Electorem devolvenda.

§. 79. Tandem ad absolvendum tractatum accedebatur, quem Meindersius magnam partem in Pomponii conclavi perficiebat. Ubi hic primum interrogabat, num ipsi utique animus sit negotio colophonem imponere? Id enim aut nunc perfici, aut plane abrumpi oportere; ac se jam vereri tam sæpe ad Regem de eo referre, quod indies molestius ac difficilius reddatur propter Suecorum contradictionem, & quia isti aulæ tunc non solitum multa cauponari. Cum inde ad rem accederetur, Pomponius articulo IV, quo Westphalica pax confirmatur, Neomagensis quoque pacis mentionem fieri cupiebat. Sed Meindersius id delendum monebat, quod Elector protestatione contra eam interposita omnia sibi jura contra Cæsarem & Imperium reservarit. Circa Golnoam demum Meindersii temperamentum admittebatur; ac declarabat Rex, quia non possit Electori circa Wollinum gratificari, id oppidum in pignoris vicem penes eum mansurum. Super Camminensibus præbendis Meindersius nil amplius movere consultum ducebat, quod cessio locorum trans Oderam positorum ejusmodi verbis concepta sit, ut Suecia nullum jus quocunque nomine in ullum istorum retineat; modo præbendæ illæ trans Oderam sitæ sint. Super participatione vectigalis in portubus Ulterioris Pomeraniæ major difficultas surgebat, quod neque Galli, nec ministri Suecici de eo informati forent, nisi quod isti satis caperent, durum atque absurdum esse ullo jure vectigalium alieno in territorio frui. Ac dubitabat Meindersius rationem, quam Sueci ex Instrumento pacis allegare solent, suggerere. Quanquam enim ad istam satis responderi possit, tamen plus difficultatum movendum erat, si Sueci istas pacis Tabulas allegare scivissent. Ad extremum cum Meindersius confirmaret, ex eo vectigali non ultra V M uncialium annua redigi, Rex in id consentiebat. Sed quia Pomponius metuebat, ne Sueci eo nomine graviter tumultuarentur, ante perfecta omnia iis de hoc nihil significare volebat. Exercitum Gallicum Pomponius in Electoris ditionibus Westphalicis tamdiu subsistere cupiebat, quoad pax isthæc plene executioni data fuisset, causatus, forte controversiæ quid circa redditionem locorum Pomeraniæ surrecturum: cum autem Rex Suecis isthæc præstare teneatur, maximis sumtibus exercitum iterum eo adducendum. Demum hactenus

1679.

Tractatus perficitur.

19. Jun. 29

1679. ctenus cedebat Gallus, ut post traditam hinc inde ratihabitionem maxima exercitus pars abduceretur, reliqua in iis provinciis persisteret; id quod Meindersius impense deprecabatur. Potentiorem cautione non opus habere adversus debiliorem; ac Electorem bona fide conventa impleturum. Post longam disceptationem demum convenit, ut Vesalia, & Lipstadium ad permutationem usque ratihabitionum Gallico milite insideantur, insuper in omnibus provinciis non nisi mille equites manerent, quibus nil præter tectum, pabulum, panis, & cerevisia præbenda sint. Contra Electoris copiis in Pomerania nec modus, nec vivendi ratio præscribebatur. Ratificationi cum Suecis tres menses præfigebantur; in quam si Elector consentiret, ista quoque hospitia militaria cessatura erant. Et quia Danica pace nondum perfecta Sueci copias mari in Pomeraniam trajicere non poterant, Galli petebant, ut his iter e Livonia per Electoris terras concederetur, omnibus quæ præbeantur præsenti pecunia solvendis. De quo ad Electorem Meindersius relaturus erat. Super machinis quoque controversia erat. Nam initio Gallus censebat, Electori e munitis locis auferre fas esse, quæ intulerit: sed quod machinarum tempore occupationis ibidem fuerit, Suecis restituendum. Sed noster reponebat; Gallum etiam ex Hispanicis urbibus omnes machinas abstulisse. Demum placuit, ut ibi manerent, quæ nunc ibi inveniantur. Circa Hamburgense negotium impediri non poterat, quo minus insereretur, quod Cellensi pace de eo conventum foret. Verba tamen ita aptabantur, ut Electori nil præjudicii metuendum foret. Ut Danica quoque pax perficeretur, Meindersius moram aliquam interponi cupiebat. Sed id nullo modo obtineri poterat, & jam cursor in procinctu stabat, Crequio mandata persequendis hostibus allaturus, ni eo momento pax concludatur. Igitur præsentissimo malo declinando tractatui colophon erat imponendus. Quo facto ad Crequium mandata mittebantur, ut hostilibus supersedeat, quamprimum hanc significationem acceperit. Negotio perfecto Luvoisius dicebat; non aliter se credidisse, quam Regem ob tot tergiversationes, ac totiens ingesta postulata demum consumta patientia tractatus abrupturum. Pomponius valde se Suecorum expostulationes metuere ferebat; unde per triduum in eorum conspectum non venturum. Qui & post cum iis super ea pace verba haut faciebat, nec exemplum communicabat, sed id per cursorem in Sueciam ad Feuquierium mittebat. Ut porro Gallicus miles eo citius Electoris ditione excederet, instabat Meindersius, ut ratihabitio protinus ad Crequium mittatur, quo Electoris quoque ratihabitio ad eundem missa ibi protinus permutari posset. Ut pecuniæ summa augeretur Meindersius multis demonstrabat, quæ Electoris Westphalicæ ditiones tolerent; Luneburgicis plus datum; Espencæo majorem spem factam. Sed reponebatur: damna, quæ Rex e novissima dilatione sentiat, & sumtus, qui in Borussia, Livonia, & alibi faciendi fuerint, longe pluris, quam Electoris damna esse; quæ & Elector non Galliæ Regi, cujus res non agatur, sed propriis tergiversationibus in acceptis ferre debeat. Luneburgicos Duces Electori a Rege haut æquiparari sed iis ideo tantum pecuniæ datum, quod primi e Boralibus fœderatis pacem amplexi sint, ac abrupto semel vinculo reliquis sequendi necessitatem attulerint. Promissa Espencæo tunc facta, cum Cæsar, & alii adhuc in bello persisterent; ac Regem optasse ista ab Electore acceptata, quo tempore lautioribus potiturus fuerat. Sed cum oblata respuerentur, & enormia postularentur, in molestas conditiones cum Luneburgicis transigendum fuisse. Inde tempora insigniter mutata. 1679.

§. 80. Ejus pacis Instrumentum tale erat. Pax San Germanica.

In Nomine Dei Creatoris, & Sanctissimæ Trinitatis. Notum sit universis. Cum Celsissimus, Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus LUDOVICUS XIV Dei gratia Rex Franciæ & Navarræ, nihil magis in votis habeat, quam cernere, ut tranquillitas generalis post tam diuturnas & cruentas divisiones, quibus Europa agitata fuit, restituatur, Majestas sua cum tædio deprehendit, quod ultimi tractatus Noviomagi, in specie cum Imperatore & Imperio subsignati, flagrantem in Septentrione belli ignem extinguere nequiverint, & quod necesse habuerit arma sua adhuc contra Electorem Brandenburgensem circumferre. Quandoquidem vero in ipso medio ultimarum turbarum ipsa tantam æstimationem, in qua apud eandem erat, Principi huic, inclinationemque sinceram recipiendi eundem in pristinum fœdus, quando & quoties sese illud redintegrandi animum accommodaret, huic conservarat; Ipsam magno cum gaudio signa per Dominum Meinders, Consiliarium suum, & Ministrum status, atque legatum extraordinarium suum ad Majestatem suam data extremi desiderii, quo tenetur, eodem apud illum in loco, quem antea in numero fœderatorum suorum obtinuit, mediante pace esse, & eandem obstringere cum ipso in posterum eandem exercendi amicitiam, cujus tanta signa ex ipsa edidit. Quemadmodumque Majestati suæ nihil intererat cum Serenitate Celsitudinis suæ Electoralis Brandenburgensis rem habere, si non ob causam communem cum Celsissimo, Serenissimo, & Potentissimo Principe CAROLO, Dei gratia, Rege Sueciæ, atque Celsitudo sua Serenissima jam dicta Ipsi testatum fecisset, quod propositum sibi sit, sancire sinceram, & solidam cum altissime memorato Rege, ita Majestatem suam lubenti animo tam ratione sui ipsius quam Regis Sueciæ descendere ad discussionem præsentis tractatus pacis voluisse, & ob id ipsum commisisse Domino Arnauld, Equiti Torquato, Domino de Pomponne, Consiliario suo in omnibus consiliis, & Secretario status, & mandatorum Majestatis suæ, ut cum Domino Meinders tractaret, & conveniret. Hosque ipsos post plenipotentiarum

suarum

1679. *suarum permutationem in articulos concordasse sequentes. I. Sit in posterum pax, & amicitia quædam bona, firma, & durabilis inter Regem Christianissimum, Regem Sueciæ, & Electorem Brandenburgensem, suos successores, Regna, ditiones, Status & subditos, cum mutua quadam, & omnimoda libertate commerciorum tam terra, quam mari, & aliis in aquis. II. Sit similiter amnestia, & perpetua oblivio omnium ab una, altera parte occasione belli perpetratorum, idque etiam apud subditos, qui partes adversas secuti fuerunt. III. Ab omnibus hostilitatibus cessent partes intra decendium quam longissime post subsignationem præsentis tractatus, aut etiam citius, si de hoc interea Generales exercitibus unius alteriusve partium præfecti certiores reddi poterunt, ut tamen dicti exercitus non teneantur ditionibus, quas occuparunt, excedere, sic ut in iis vivere, & subsistere ad commutationem usque ratificationum præsentis tractatus ipsis integrum sit. IV. Et quemadmodum tractatus Westphalici semper tanquam solidius, & tutius fundamentum pacis, tranquillitatis in Imperio ante oculos habendi erunt, & Majestas sua Christianissima declaravit perpetuo durante ipso decursu belli intentionem suam esse, omnibus viribus illos sustentare, & tueri, & Rex Sueciæ eodem modo se explicavit, atque Elector Brandenburgensis testetur, in eo opinionem suam cum iis concordare, ita expresse per hunc articulum stipulatum fuit, quod dicti tractatus Monasteriensis & Osnaburgensis anno 1648. conclusi robur, & vigorem obtineant, & repetiti censeantur in præsenti tractatu, non secus ac si de verbo ad verbum huic inserti fuissent, exceptis solum mutationibus, quæ iisdem in sequentibus articulis allatæ forte erunt. V. Elector Brandenburgensis promittit mediante præsenti tractatu iterum in manus Regis Sueciæ tradere armis suis in Pomerania occupata, nominatim civitatem Stralsundensem, & Stetinum, & generaliter omnia ea, quæ nunc possidet, territoria & Status in Imperio, Coronæ Sueciæ in tractatu Westphalico cessa, sic ut eorum nihil servet, & retineat. VI. Sed cum censebatur necessarium fore ad vicinitatem bonam conservanaam, & impediendas, in posterum controversias quæ communiter inter Principes ob nimiam commixtionem territoriorum, & Statuum suorum nasci solent, ut novi limites Pomeraniæ quæ dominationi suæ Celsitudinis Electoralis Brandenburgensis subjecta est, ponantur, desuper ratio ineatur, prout sequitur. VII. Omnes ditiones a Corona Sueciæ possessa, sive eidem per tractatus Westphalicos cessa fuissent, aut adjudicatæ per Recessum aut tractatum Stetinensem anno 1653 erant, pertinebunt posthac ad Electorem Brandenburgensem cum superioritate omnimoda; exceptis solummodo civitatibus Dam, & Golnau, & eorundem dependentiis, quæ in dictis tractatibus Westphalicis nominatim expressæ sunt.* 1679.

VIII. Verum urbs Golnau cum suis dependentiis, ditionibus, quæ penes Electorem Brandenburgensem manent, quasi inserta reperiatur, quare etiam ille contendit, ut ea ipsi cedatur cum parte reliqua ditionum ultra Oderam, conventum & concordatum fuit, quod dicta civitas Golnau cum suis dependentiis ipsi pignoris loco a Rege & Corona Sueciæ pro pretio & summa L M imperialium, ad placitum Regis Sueciæ luendum relinquatur sub expressa hac conditione, ut si quando Rex Sueciæ statuet dictam summam L M imperialium exsolvere, teneatur, & obstrictus memoratus Elector sit restituere dictam civitatem Golnau, & dependentias suas; ut tamen toto tempore, quo contractus ille pignoratitius durabit, illa utatur fruatur eodem modo, quo omnibus aliis ipsi per præsentes tractatus cessis. IX. Et sicuti vi supra mentionati tractatus sive Recessus Stetinensis in anno 1653 Elector Brandenburgensis adstrictus fuit ad divisionem jurium & vectigalium, quæ in portu Colbergensi, & aliis portubus, & oris Pomeraniæ ultra Oderam recipiuntur, & sub potestate Celsitudinis suæ Electoralis Brandenburgensis manent, cum Rege & Corona Sueciæ faciendam, concordatum fuit, quod Rex & Corona Sueciæ renuntiet per præsentem tractatum omni juri divisionis vectigalium, quæ communia cum Electore Brandenburgensi habere poterit juxta Recessum sive tractatum Stetinensem in portubus aut oris ejus partis Pomeraniæ, quæ secundum tractatus Westphalicos penes memoratum Electorem manent. X. Vigore præcedentium articulorum Rex Sueciæ tam pro se, quam suis heredibus, successoribus, & quos id concernit, renunciando cedit, relinquit & transfert semper & in perpetuum vi præsentium pacis tractatuum in Electorem Brandenburgensem, suos heredes, successores, & quos id concernit, omnia iura, reditus, obventiones, jurisdictiones & prærogativas, cujus nominis, & naturæ ea esse queant, quæ sibi competebant, aut quæ prætendere tam vigore tractatuum Westphalicorum, quam conventionum, transactionum & cessionum, in specie tractatus sive Recessus Stetinensis in a. 1653 potuit, ratione locorum, civitatum, territoriorum, sylvarum, & dominiorum ultra fluvium Oderam sitarum, & divisionis jurium vectigalium in portubus, & oris Pomeraniæ Electoralis, exceptis solummodo civitate Dam, suisque dependentiis, & Golnau cum suis dependentiis; juxta dispositionem tamen desuper in articulo VIII præsentis tractatus factam, sine reservatione, exceptione, restrictione, aut retentione ulla; & non obstantibus legibus, contractibus, conventionibus, transactionibus, cessioni-

1679. ceſſionibus, & inveſtituris præcedentibus, & futuris, conſuetudinibus, & conſtitutionibus in contrarium quibuscunque, utpote quibus, ut & clauſulis derogatoriis expreſſe vi præſentis tractatus derogatum eſto, excluſis in perpetuum omnibus exceptionibus, quocunque jure, titulo, clauſulis, & prætextibus ea fundatæ eſſe poterunt. XI. Conſentit quoque Rex Sueciæ, ut omnes homines, vaſalli, & ſubditi dictorum locorum, urbium, & ditionum, per præſentem tractatum alte memorato Electori Brandenburgenſi ceſſorum ex nunc & in perpetuum immunes, & abſoluti ſint, maneantque a fide, & homagio, ſervitiis, & juramento fidelitatis, quod ipſi præſtitiſſe potuerunt, maneantque dicti ſubditi, & vaſalli in poſterum ſupremo dominio Electoris Brandenburgenſis in proprietate vera, & poſſeſſione bonorum, tam illorum, quæ ipſis donata, vendita, aut in eos alienata per Regem & Coronam Sueciæ ante denuntiationem præſentis belli fuerunt, quam illorum, quæ acquiſiverunt, aut ad ipſos pertinebant quoad proprietatem, tam mobilium, quam immobilium, redituum vitalitiorum, & redimibilium, confiſcatorum, & occupatorum tam occaſione belli, quam propterea quod partes adverſas ſecuti fuerunt, & in genere omnium ſuorum jurium, actionum, & ſucceſſionum ad eos devolutarum ab exordio ipſius belli, ut tamen ratione fructuum, redituum præſentium, ab eo tempore, quo confiſcata ſunt, dictorum bonorum, ad diem usque commutatæ ratificationis Regis Sueciæ, prout nec debitorum, effectuum & mobilium, quæ in fiſcum redacta ſunt ante dictam diem ob præſens bellum, nil quicquam exigere aut prætendere valeant, in tantum, ut nulli creditorum ejusmodi debitorum, nec ulli depoſitario, proprietario, & ipſorum hæredibus, aut quos id concernet, fas ſit perſequi, aut reſtitutionem, recuperationem, aut pretium æquivalens poſtulare. XII. Odera fluvius vi diſpoſitionis in tractatibus Weſtphalicis ſemper ſub ſupremo dominio Regis & Coronæ Sueciæ permaneat, nec integrum eſto mentionato Electori Brandenburgenſi extruere aliquod munimentum, aut locum aliquem in diſtrictu regionum per præſentem tractatum ipſi ceſſarum, propugnaculis firmare. XIII. Statim poſt commutationem ratificationum a Chriſtianiſſima ſua Majeſtate cum Electore Brandenburgenſi factam, Majeſtas Sua efficiet ut copiæ ſuæ militares abſcedant ex ditionibus & locis Ducatus Clivenſis, Principatu Mindano, Comitatu Marcæ & Ravensbergæ, & aliis omnibus territoriis dicti Electoris, quæ ipſa occuparunt, excepto tamen exercitu M equitum, quem ipſa ſervabit in præfatis ditionibus & locis Veſaliæ & Lipſtat, quæ ipſa retinebit usque ad plenariam præſentis tractatus cum Rege Sueciæ exſecutionem. Poſt illam vero, & ſi quando memoratus Rex reſtitutus in regiones & loca, quæ ipſi reſtituentur, erit, ipſa in univerſum omnes ſuas copias e locis & ditionibus Electoris Brandenburgenſis abducet. Quamdiu vero ea illic permanebunt, incolæ urbium Veſaliæ, & Lipſtat pergent præſidio militari ea ipſa domicilia & utenſilia commodare, de quibus in tractatu Santenſi convenit, incolæque locorum, apud quos mille equitibus metata deſignabuntur, ipſis eadem utenſilia & palulum ſuppeditabunt. XIV. Verum cum Rex Sueciæ nunc temporis nullas copias militares in Imperio exiſtentes habeat, nec forte in termino commutationi ratificationum præſentis tractatus definito eo deducere poſſit, quæ ſuo nomine poſſeſſionem locorum & ditionum, quæ ipſi ab Electore Brandenburgenſi reſtituentur, capient, conventum fuit, & ſtipulatum, quod ſtatim poſt dictam commutationem inter Regem Sueciæ, & Electorem Brandenburgenſem alte memoratus Elector copias ſuas militares e campis & regionibus, quæ mediante hoc tractatu ad Regem Sueciæ pervenient, abducet; ſed præſidiarios milites neceſſarios in locis, quæ ipſi cedentur, videlicet duo hominum millia, aut plures Stralſundi, & mille usque ad mille ducentos homines Stetini, & ſic ſecundum proportionem in aliis locis, quibus illa contra quoscunque, qui ea invadere poterunt, defendet, usque dum Rex Sueciæ copias militares miſerit, quæ dictorum locorum poſſeſſionem capient, quæ tunc ab Electoralibus copiis, quæ in ditiones ipſius abſcedent, ipſis relinquentur. XV. Integrum nihilominus memorato Electori Brandenburgenſi eſto antea ex dictis locis omnia tormenta bellica & apparatum militarem, quæ in ea intulit, a tempore inde, quo ea in poteſtatem ſuam redegit, avehere, dummodo illic rem tormentariam & apparatum bellicum antehac ad Coronam Sueciæ pertinentem, & quæ die ſubſignationis præſentis tractatus pacis illic reperitur, relinquat. XVI. Quemadmodum Celſitudo Sua Electoris Brandenburgenſis cupidius inſtitit, ut Majeſtas Chriſtianiſſima bellum, quod ipſam inter & Regem Daniæ, cum quo Celſitudo Sua Electoralis arctiſſimo fœderis vinculo colligata eſt, eodem tempore terminare velit, atque dictus Rex Daniæ jam deſiderium ſuum, quo tenetur redintegrandi priſtinam amicitiam & fœdus, quod antehac coluit cum Gallia, expoſuiſſet: ita Majeſtas ſua declarat, quod Ipſi gratum erit, ſi pax illa quantocyus ſub juſtis & æquis conditionibus, ad bonum & univerſam orbis Chriſtiani quietem, reduci queat, dummodo illa eodem tempore cum Suecia ineatur, absque quo Rex non deprehendit ſe in ſtatu eo eſſe, quod 1679.

eam

1679. *eam concludere potis sit. Interim tamen memoratus Elector fidem suam interponit, quod nullum auxilium directe aut indirecte Regi Daniæ submittet, si adhuc bello cum Gallia & Suecia implicatus remanserit & promittit, quod copias suas militares avocabit, si quasdam a servitiis dicti Regis Daniæ habuerit. XVII. Majestas Sua Christianissima se obligat ad procurandum consensum a Rege Sueciæ in præsentem tractatum & omnia in eo contenta, & ad obtinendam ratificationem Regis Sueciæ in optima & debita forma intra tempus trimestre, a die subsignationis computandum, aut citius, si fieri poterit; sic ut usque dum ratificatio illa in manus Suæ Celsitudinis Electoralis tradita non erit, ipsa nullatenus teneatur Suecicam Pomeraniam reddere, pro quo & omnibus iis, quæ Celsitudini Suæ Electorali vigore præsentis tractatus concessa fuere, altissime memorata Sua Majestas Christianissima fidejussor manet. XVIII. Ratificationes Majestatis Suæ Christianissimæ cum Celsitudine Electorali Brandenburgensi commutentur intra mensem unum, aut citius si fieri poterit, & Regis Sueciæ Sua cum Celsitudine Electorali commutentur intra terminum trium mensium, aut citius si fieri poterit. In fidem horum nos subsignati vigore plenipotentiarum nostrarum respective præsentes hosce subscripsimus, & signa armorum nostrorum iis apponi curavimus. Actum in St. Germani ad Layam d. 29. Junii 1679.*

L. S. Arnaud. L. S. F. Meinders.

Articulus separatus.

Præter articulos in tractatu hodie ex partibus Majestatis suæ Christianissimæ, ut & Celsitudinis suæ Electoralis Brandenburgensis concluso & subsignato contentos, conventum quoque est, ut sequitur: Sicuti intentio Majestatis suæ Christianissimæ est curare, ut omnes controversiæ, quæ locum & occasionem novis alienationibus animorum, & bello inter Principes Imperii dare & suppeditare poterunt, in universum cessent, atque Majestas Sua Christianissima semet adstrinxerit vi tractatus Cellis die V. Februarii anni præsentis cum Principibus Domus Brunsuicensis & Luneburgensis initi & subsignati, quod ipsis adesse velit, quoad guarantiam stipulatam Ducibus Megapolitanis, & Saxo-Lauenburgico, Episcopo Lubecensi, Comitibus Lippiensibus & Schwartzenburgicis, Civitatibusve Hamburgensi & Lubecensi, ob prætensiones, quas habet aut habere queat ad dictos Principes & Status Elector Brandenburgensis, sub prætextu quarundam obtentarum durante bello assignationum certarum; Majestas Sua, dictæ obligationi nihil derogando, sed sciens, quod intentio Electoris Brandenburgensis sit controversiam hanc amice sopire, curas suas & studia eo impendet, quo ea inter partes per omnia legitima & æqua media componatur. Separatus hic articulus idem robur, & vigorem eundem obtineat, ac si medio dicti tractatus hodie confecti insertus esset, & ratificatio ejusdem eodem ipso tempore expedietur. Actum &c. 1679.

Alter Articulus separatus.

Quo testimonium specialius edatur desiderii, quo Majestas sua tenetur, pacem aliquam, quæ conferret ad restaurationem Regis cujuspiam fœderati in statibus suis faciliorem reddendam, & quo Elector Brandenburgensis cognoscat gaudium suum ex eo conceptum, cum videat, ipsum pristinum suum fœdus cum ipsa redintegrare, Majestas sua ex puro effectu propensionis suæ optimæ in bonum pacis promittere vult, quod curet, ut alte memorato Domino Electori intra terminum biennii summa CCC M coronatorum, in compensationem damnorum, & certo modo sumtuum & expensarum, quas durante cursu hujus belli pertulit, solvatur: quæ trecenta millia coronatorum pendentur in terminis æqualibus de tribus mensibus in tres menses, usque dum integra solutio sub finem dicti biennii præstita fuerit; incipietque prima solutio tres menses post commutationem ratificationum. Actum ut supra.

§. 81. Porro hac pace non placebat sequestris mentionem fieri, ac confirmabat Pomponius, Angliæ Regi nil gratius fore, quam si partibus utcunque inter se conveniat. Quanquam & revera Angli officio parum ponderis futurum erat. Ezechiel Spanhemius eo nomine apud Angliæ Regem verbis honoris defungebatur, ac pro navata opera gratias agebat, excusans, quod Electoris pax in Gallia perficienda fuerit. Qui plane sibi satisfactum ostendebat, addito, se ac totum orbem agnoscere, eam pacem ab Electore declinari nullo modo potuisse. In universum quoque aulæ Anglicanæ gratum erat, eam pacem coaluisse, quo Parlamento prætextum subtraheretur bellum ingerendi. Ac judicabat, Electorem nulla suæ gloriæ jactura pacem fecisse, secus atque alii fœderati. Nam & in eo laudem esse, necessitati se attemperare, & contra torrentem non niti. Rex quoque mirabatur, Suecicos ministros Lutetiæ questos, eam pacem a Gallo ipsis inconsultis factam; cum tamen eadem Sueciæ valde proficua fuerit, quæ & unice Galliæ debeat, quicquid suarum provinciarum receperit. Ipse quoque Elector ad eum Regem literas dabat hoc sensu; Periculoso hoc rerum statu justam suam causam Deo, ac tempori fuisse committendam, ac Gallo, uti in aliis, ita & in eo fuisse obtemperandum, ut pax in Gallia, & in leges, quas iste voluerit, concluderetur. Unde sibi fructu benevolentiæ ipsius gaudere concessum haut fuisse. Non eo minus tamen ab ipso declaratum affectum, bonamque voluntatem grato animo agnoscere, eoque nomine haut laxius obstringi velle, quam si ejusdem pondus re ipsa sensisset. Ad Jenkinum quoque literæ dabantur, queis pro opera ab ipso navata gratiæ agebantur. Quibus redditis Blaspielus addebat; declinari non potuisse, quo minus pax in Gallia perficeretur, quia Gallo ita visum fuerit: id quod

Sequestris mentio e pace non fit.

1679. quod ab ipso in sinistram partem haut accepturum iri spes sit. Jenkinus reponebat, modo pax Europæ affulgeat, perinde esse, ubicunque, & cujus opera ea confecta sit. Sed Colbertus ægre ferebat, eandem Neomagi non absolutam, cum ejus solius causa ibi non sine molestia sua permansisset; & quia aliquem e cognatis suis cum Instrumento pacis Luteriam mittere cupierat, qualibus nuntiis Rex III M librarum cum aliis gratiæ speciminibus dare sueverat. Ac forte Pomponius id negotium a Colberto perfici noluerat, æmulatione in hunc, & quia eundem Suecis iniquiorem norat. Hic quippe non sine vehementia Suecis demonstraverat, æquum esse, ut ipsi minimum quadringenta uncialium millia Electori in satisfactionem dent, Stetino interim in hujus manibus relicto, quoad ea summa exsoluta fuerit. Sueci contra postulabant, ne Gallicæ copiæ prius Electoris ditione excedant, quoad ipsi oppida Pomeraniæ suo milite iterum insedissent. Simul ægre ferebant, Gallos se inconsultis pacem fecisse, quasi nullo numero ipsos haberent. Etsi qualecunque solatium erat eam non ante ora eorum confectam. Galli contra differebant, Suecos nimis rigidos datæ fidei exactores esse; & cum ipsi semper rem male gesserint, inique postulare, ut bellum deinceps solo Galliæ sumtu, & periculo in istorum gratiam geratur. Ea super pace Viennæ verbis quidem lætitiam testabantur, quod per eam quies Germaniæ promoveretur. Non obscure tamen innuebant, sese Electoris consiliis diffidere, quod satis intelligerent, separatione sua causam se justæ ultioni dedisse. Qui & ibi omnia, quæ a Meindersio Lutetiæ tractabantur, per Bavarum rescifcebant.

Super ratihabitione ejus pacis acta. §. 82. Pacem istam Elector protinus ratam habebat, ac Instrumentum Crequio mittebat, qui haut minus atrociter per Mindensem ditionem grassabatur, ac enormibus pecuniæ summis extorquendis omne genus insolentiæ exercebat, ipsis ædificiis dirutis. *30. Jun.* Schedæ quoque a quæstoribus Gallicis scribebantur, queis Elector non nisi *Domini de Brandenburgo* vocabulo nuncupabatur. *Monsieur de Brandebourg.* Petebat tamen Elector super aliquot capitibus declarationem dari; nempe ut ubi de Suecorum renuntiatione in vectigalia Ulterioris Pomeraniæ agatur, id ita intelligatur, ut ea pars, quam Sueci cedunt, Electori adcrescat: ut in renuntiatione non solius Regis, sed & Coronæ Sueciæ mentio fiat: ut sub restitutione bonorum ad privatos spectantium ea non intelligantur, quæ ad patrimonium Principis pertinent: ut Electori liberum sit Golnoam munitionibus amplecti. Tum ne Gallo causa foret milite suo ipsius ditionibus incumbendi, Elector protinus Pomeraniæ oppidis præsidia deducere volebat, excepta Stralsunda, & Stetino. Sed ut Sueci milites suos terrestri itinere e Livonia in Pomeraniam mittere velint, id a se concedi non posse. Nam cum Polonicum territorium duobus locis transeundum foret, Rege licet consentiente Ordines id nunquam permissuri erant. Et si maxime per Samogitiam iter concederetur, Majoribus tamen Polonis, per quorum terras sextidui via futura erat, abnuentibus, in Electoris terris hærere istos oportebat. 1679. Voluerat quoque Elector expressis verbis caveri, ne Sueci intra trimestre ratihabitioni præfixum in Borussiam hostilia susciperent. Cui & articulus separatus Luneburgicam domum spectans displicebat, quod per eum tacite tractatus Cellensis probari videretur, tot res sibi præjudicio cedentes continens. Saltem Luneburgicos interpretationem eo porrecturos, usurpationibus suis, quibus quotidie molesti ipsi sint, asserendis. Nam & Duces prætensiones suas decreto Circuli Inferioris Saxoniæ superstruxisse, cui tamen Cæsar, Daniæ Rex, Elector, aliique contradixerant. Mentionem quoque fieri Comitum Lippiensium, qui Electoris Vasalli, ac per certa pacta Cliviæ innexi sint. Igitur Elector eum articulum aliter formari volebat, aut saltem dum ratihabitio permutatur, in acta referendum, ne Luneburgicis eum adversus ipsum allegare liceret. Enimvero ut articulus iste corrigeretur geri non poterat, quod tractatus jam vulgatus esset. *19. Jul.* Confirmabat tamen Pomponius, nil eorum incommodorum, de quibus Elector movebat, metuendum. Pactum Cellense esse rem inter alios actam; nec eo nomine ab Electore quid postulatum iri. Circa residua subsidiorum Electori pro lubitu agere integrum esse, quibus Rex sese adversus ipsum haut ingesturus sit. Officium autem circa eadem interponere in præsens non decere; quod ea actio e tractatu contra Regem directo promanet. Porro instrumentum ratihabitum a Crequio Neomagum Colberto mittebatur; qui circa ejus permutationem tergiversabatur, quod Elector separatum istum articulum, priusquam hinc inde traderetur, corrigi cupere; interim primarium tractatum permutari posse. Id quod Colbertus abnuebat diffidentia erga Electorem, & quia Galli, quamdiu ullum prætextum foret, provincias istius comedere gaudebant, artificio Luvoisii Gallicum militem alienis sumtibus alendi. Libenter quoque morarum causa arripiebatur, quod Crequius VI M militum in Oldenburgicum Comitatum dimiserat, quos solos absque periculo ibi relinquere non poterat, nec pluribus alendis ea ditio sufficiebat, nec ante Danicam pacem eosdem inde revocare tutum erat. *11/21 Jul.* Blaspielus igitur, eo prætexto Gallis adimendo apud Jenkinum protestationem scriptam actis adponebat, hac ratihabitione Cellensem tractatum non adprobari, sed eidem contradici, quantum is Imperii, atque Electoris rationes concernit; ac huic omnia jura integra reservabat. Quod scriptum Jenkini mensæ imponebat, uti moris erat, ac Cæsarei pari casu fecerant. Eo peracto Colbertus Neomago discedebat, prius tamen reconciliatione inter suam, & Benedicti Oxenstiernæ uxorem facta, inter quas litigium super cerimoniis, circa quas jure gentium inter legatorum uxores aliquid certi constitutum nondum fuit, amicitiam refrigeraverat. Qua in controversia eousque prævalebat Galla, ut a Sueca ipsi prior visitatio daretur. Inde solidandæ gratiæ splendidum

didum epulum ab Oxenſtierna inſtituebatur, quo Blaſpielus quoque invitatus ſepoſita ſuper cerimoniis controverſia accedebat. Ibi ingens blandorum verborum profuſio, ac teſtabatur Oxenſtierna in votis ſibi eſſe, ut amicitia inter Regem Sueciæ, & Electorem renovetur, quod experientia conſtet, ambos, dum juncti perſtiterunt, bene ſe habuiſſe; disjunctionem utrique, aut alterutri ſaltem noxam attuliſſe; ac ſe eam Regi ſuo diligenter commendaſſe. Ut res antea inter eos in bellum erumperet, nullam penes ſe culpam fuiſſe; idque ſibi valde moleſtum accidiſſe. Poſt concluſam inter Hiſpanos ac Suecos pacem Jenkinus Neomago diſcedebat; & quia is Suecorum ac noſtrorum procuratoria ſecum habuerat, quæ non permutabantur, utriſque ſuum reddebat. Eidem Galliæ Rex imaginem ſuam adamantibus ornatam IV M uncialibus taxatam donabat, quam niſi conſulto prius Rege ſuo acceptare detrectabat. Templio itidem ejusmodi imago donabatur, V M uncialibus æſtimata. Nuntio crux adamantibus conſerta donum erat, IV M piſtoletorum pretio; ejus Auditori duo torques D piſtoletis taxati. Electori ſterilem, & obnoxiam adverſæ parti operam præmio mactare haud placebat.

§. 83. Enimvero permutatis licet ratihabitionibus, & Gallica aula verborum blandimentis luxuriante, exactiones in Weſtphalia non minore aſperitate, quam medio bello continuabantur. Unde ab Electore Eſpencæus mittebatur, ut apud Crequium inſtaret ſuper abducendis copiis, ac ut iſtis oppreſſionibus ſuperſedeatur. Inde in Galliam profectus eandem urgere jubebatur, cum præſertim ipſe in mora non ſit, quo minus Suecica ratihabitio permutetur, ac Pomerania protinus reſtituatur. Enimvero iſtis injuriis nullum remedium erat, quod exercitus non uti ante ſtipendium accurate ex ærario acciperet, ſed e locis, ubi conſiſtebat, ſuſtentaretur. Unde quæſtoribus mille artes ſuppetebant paganis argento emungendis; quas aula diſſimulabat. Simul præfectorum avaritiam ipſe belli finis brevi imminens accendebat. Et quia commorationis iſtius cauſa proponebatur, quod ob bellum Danicum Sueci copias in Pomeraniam trajicere non poſſent, Elector proponebat, ſe omnibus Pomeraniæ oppidis militem deducturum, cauturumque eadem a Dano non occupanda; quin ſe tamdiu præſidium Stralſundæ & Stetini ſuis ſumtibus aliturum, modo Galli Clivia faceſſant. Nam quod Galli de terreſtri Suecicarum copiarum itinere Suecorum inſtinctu inſiſterent, id facile ab his fieri adparebat, quo Elector cum Polonis committeretur, qui jam ultro minabantur, ſi Elector eum tranſitum permitteret. Et hoc licet indulto copiæ vix intra trimeſtre in Pomerania adeſſe poterant. Interim Galli ſingulis menſibus e Clivia L M uncialium extorquebant, cum Pomerania vix viginti octo millia conferret. Sed demum ea difficultas expirabat, per Danicam pacem libero jam maritimo itinere; poſt quam Galli Suecis protinus ſubſidia renuntiabant. Et conſentiebant Galli, ut ad ſublevandas Electoris ditiones Gallicum præſidium educeretur, Veſalia tantum infeſſa, quoad Sueci Pomeraniam recepiſſent. Lipſtadio excedens præfectus Gallicus machinas abducebat, pulveri ante oppidum ignem injecturus: tum quæſtores avidius quam medio bello graſſabantur; maligno amicitiæ renovatæ ſpecimine, tam ambitioſe a Gallis jactatæ. Eadem Veſaliæ tentabantur, inprimis circa machinas, quas Galli antea ibi reliquerant, cum eam ante ſexennium Electori traderent, quas tunc ingentis beneficii loco huic imputaverant. Sed nunc cauſabantur, eas Electori non donatas, ſed depoſito relictas: & non decere, ut Elector armamentaria ſua machinis Gallicis velut tropæis exornet. Et producebatur catalogus earum a Spanio ſubſcriptus, velut in teſtimonium depoſiti. Demum ita convenit, ut e ſexaginta novem machinis, quæ Veſaliæ erant, Gallus triginta aveheret, reliquæ penes Electorem manerent. Cum haut eo minus tranſacta omnia Galli moras necterent, Elector acriter cum Rebenacio ſuper ea re expoſtulabat. Ita tandem menſe Februario anni ſequentis Galli Veſalia, ac tota Clivia exceſſerunt.

1679.

13. Oct.

§. 84. Circa ratihabitionem pacis in Gallia concluſæ Sueci quidem ſcrupuli nonnihil movebant, quod tamen facili negotio ſuperabatur. Ac initio iſti formulam ſuæ ratihabitionis in Galliam miſerant, qua novum *Receſſum limitaneum* meditari videbantur. Nam poſt adprobatum tractatum hæc verba addebantur: *ſalvam tamen nobis reſervantes facultatem, ac nullatenus hac conventione derogatam poteſtatem noſtros denominandi ac conſtituendi Deputatos, qui cum iis, quibus alte memoratus Elector in mandatis dederit, ſuper meliori modo ac ratione præfatum tractatum, inque eo contentos ad nos pertinentes articulos, noſtroque nomine inſertas conditiones exequendi, & effectui dandi agere, & convenire poſſint.* Præterquam quod iſti ratihabitioni tractatus ipſe inſertus non eſſet. Id quod Elector plane adſpernabatur; præſertim cum novus iſte congreſſus multum temporis requireret, Gallis interim ipſius provinciæ incubituris. Unde Elector apud Gallum querebatur, ſolos Suecos in mora eſſe, quo minus ratihabitiones dudum ſint permutatæ; ac iniquum eſſe ſuas provincias diutius tanto ſub onere gemere. Simul petebat, a Gallo miniſtrum mitti, qui tractatui de modo exſequendi adſit, ac de ſua æquanimitate teſtari queat. Enimvero ratificationes prius abſque conditione permutandas, ac formulam uti par ſit adornandam. Iſtæ ambages a Suecis quæſitæ Gallo valde diſplicebant, cum in magna felicitatis parte habendum ipſis eſſet, ditiones ſuas utcunque recuperaſſe. Sed & cum in tractatu poſitum eſſet, ut quicquid trans Oderam ſitum eſt, in poſterum ad Electorem ſpectet, excepto Dammo, Sueci id ad Lacum Dulcem uſque tantum pertinere volebant, ubi Odera nomen amittit. Quam inanem cavillationem Galli judicabant, ac ſeſe conventa Electori ſatis præſtituros. Nam quicquid trans aquas Oderæ ad mare uſque jaceat, quocunque nomine iſtæ vocentur, in tractatu Electori deſtinatum. Clauſulam autem in extrema ratificatione poſitam Galli eo tantum ſpectare judicabant, quod Sueci

Circa Suecicam ratificationem dicta.

1679. ci agere cuperent, ut loca cessa penes Electorem non jure perpetui dominii, sed hypothecæ tantum forent. Id quod huic fraudi esse nequeat, cum cuivis liceat aliquid petere, facultate negandi penes alterum manente. Cum itaque ratihabitio jam rite adornata esset; & Elector contenderet, prius utique ratum habendum tractatum, antequam de eo exsecutioni dando agi possit; demum placuit, ut Pasewalci ratihabitiones hinc inde traderentur, per Joachimum Rutgerum Oustinum, & Laurentium Christophorum Crocovium. De modo exsecutionis, velut militari negotio dilatum, quoad copiæ Sueciæ per oppida distribuendæ adpulissent. Haut eo secius Pomeraniæ rectores Cammino oppido per literas diem festum indicebant paci celebrandæ, ac ut denuo in Regis Sueciæ verba juraret; quod vetante Electore intermissum. Quin omnia quæ pace cesserant, sibi iterum vindicaturi videbantur, irrito conatu, & Gallis improbato, præsertim postquam Pomponius rebus in Gallia tractandis amotus esset, suffecto in ejus locum Colberto Croissio, qui odium in Suecos e negotiatione Neomagensi conceperat.

Oustin.

Danus de pace adhuc dubius.

§. 85. Cæterum uti toto hoc bello inter Daniæ Regem & Electorem summa conjunctio fuerat; ita & hic maxime optabat, ut utriusque pax simul perfici posset. Sub extremum tamen tempus nonnihil dissensionis in consiliis subortum est, salva amicitia. Nam cum Elector de causis missi in Galliam Meindersii Regi significaret, hic non eo minus ingentem exinde suspicionem conceperat, nec obscure innuebat, ea missione Electorem rebus suis multum nocuisse, ac nutantes fœderatos Monasteriensem, & Cellensem ob eandem ad festinandam pacem fuisse permotos. Sane sibi decretum fuisse Suecos duntaxat arcere, ac XX M militum ad Rhenum mittere. Neque enim animum despondendum, ac forte Gallum tanta cum molestia conjunctam Suecorum causam deserturum. Et quia propositæ a Gallis conditiones semper pateant, honestius esse vi extorqueri prædam, quam ultro restitui. Contra Elector demonstrabat, post reliquorum defectionem bellum ipsis solis incumbens longe formidabilius fieri. A Luneburgicis plus adversi, quam favoris expectandum. Monasteriensem ob detentas suas a Rege legiones valde exasperatum, ac ni amice ea res componatur, forte consilia capturum utrique noxia. Quid Bavarus, & Saxo meditetur, suspectum valde esse. Sibi non Germaniam tantum, sed & Borussiam respiciendam, ubi continuato bello nova irruptio metuenda sit. Suecos Cellensi tractatu pedem iterum in Germania figere, ubi Gallica pecunia facile novus exercitus parari possit. Igitur probe expendendum, num ambo hosti ubique, qua is ingruere possit, pares sint, & quæ eam in rem vires suppetant: unde hiberna, unde supplementa, annona, pecunia? Num liber transitus ubique pateat? ac si is negetur, an vi perrumpendum, & plures hostes irritandos? Mox tamen Rex significabat, sibi quoque decretum Meiercronam in Galliam mittere junctim cum Meindersio rem acturum, ac ne Gallus in

4. Febr.

contemtum sui accipiat, si solus ipse eum adire dedignetur, cujus amicitiam omnes anxie jactabant. Saltem tentaturum, ut quæ Galli genuina circa pacem sit sententia exploret, & num hic ab imperioso isto agendi modo abduci possit. Enimvero ut Danum, & Electorem quoque divellerent, Galli ac Sueci super tractatibus inter Boreales Reges in Scania suscipiendis comminiscebantur, Fequierio sequestre; quos & Danus ob oblatos haut ægre admisit. Contra Brandii fratres scripto petebant, ne Rex in eos consentiret, quoad Electoris sententiam super iis intellexerit, aut ut hujus quoque nomine legatus cum mandatis adsit. Nam Dobrani convenisse, ut Rex, & Elector super adornandis pacis conditionibus cum Gallo agere, ac de postulatis suis remittere pro lubitu possint, modo ne alter absque altero tractatus suos absolvat. Tum ut quovis modo super reconciliando Gallo, quicum alias sibi nil controversiæ sit, satagant. Sed quod Rex nunc cum Suecis seorsim agere instituat, id altioris indaginis videri. Mox & Elector ad Regem literas dabat hoc sensu. *Institutum in Scania congressum non posse non sibi scrupulum injicere; præsertim cum Rex primarios ministrorum eo mittat, quod sine spe certi successus fieri non soleat. Se tamen Regis constantiæ confidere, se inscio nil transactum iri; quod utriusque rationes in eo consistant, ut indivisi maneant; nec singulari pace tantum lucri adquiri possit, quantum jactura per separationem faciendum. Satis manifestum esse, a Gallis, & Suecis omnes artes tentari, ut ipsos dividant, aut saltem diffidentiam serant. Unde apud utrosque ab iis spargi, alterius peculiarem pacem jam perfectam. Sed ista de se fingi, ac in præsens adhuc sibi fixum sedere, quamdiu Stetinum, & Odera sibi denegetur, extrema se potius expectaturum. Daniam quoque nondum tantæ necessitate premi, ut pax præcipitanda sit. Sane quanquam dimidia suarum ditionum parte vastata animis se nondum cecidisse; ac jam ad Visurgim X M militum habere, quibus e Borussia XIV M sint accessura. His si Rex XVI M jungat, forte Gallum pro imperio agere desiturum. Quicquid denique evenerit, solatio sibi esse, nil a se omissum fuisse.* Ista uti Regi valde probabantur, ita is censebat; si Gallus, & Sueci tam iniqui esse perrexerint, sese portum Wismariensem obturaturum, disjectis urbis munitionibus. Simul ut Elector Stralsundæ idem faciat suadebat; aut si ipse id facere dubitet, id se per naves suas facturum, connivente Electore. Super quo Elector declarabat; si id ante duos menses susceptum fuisset, id se non improbaturum fuisse. Sed pace tam propinqua sibi haut consultum videri animos asperare, ac negotium difficilius reddere; ac forte Gallum instigantibus Suecis damni reparationem exacturum.

13. Maji.

31. Maji.

§. 86. Mox tamen cum gravissimæ rationes Electorem ad pacem compellerent, de eo per literas Regi Daniæ significabat. *Cum nuper Regi confirmarit, se extrema expectare malle, quam iniquas a Gallo, & Sueco conditiones admittere, spem sibi fuisse, vel nuper Meindersium æquiora obtentum iri, vel tempus fore copiis e Borussia evocandis, ac rebus suis melius disponendis. Sed postquam nil apud Gallum obtineri potuerit, ac Gallicus exercitus Crequio duce*

Elector de sua destinatione Dano significat.

1679. *duce tota vi ad Visurgim verterit, ubi suis legionibus maximum periculum imminebat; ac Gallis Albim superare in proclivi fuerit, antequam copiæ suæ e Borussia accedere possent; e duobus malis minus eligendum, pacemque amplectendam fuisse. Ejus consilii præcipuas se causas habuisse, quod re semel ad manus deducta, Gallus de gloria jam sua agi jactaturus sit, omnes potius vires exserturus, quam vel minimum concedat. Ac utique aliquando ad pacem accedendum, quæ post cladem acceptam difficilior, ac majore cum damno, ac ignominia conjuncta sit futura. Cum nunc honestius sit integris viribus, & salva existimatione, etsi minore cum lucro, arma ponere. Hostem porro jam tres præstantissimas ipsius provincias insidere, quartæ imminere, e quibus diu exercitum alere possit. Bello extracto viribus se plane exhauriendum, exercitu quoque pessum ituro. Malevolis se vicinis circumdari; a nemine quid auxilii expectare. Quin contra metuendum, ne Gallus iterum Borussiam turbet, qui nuper DC M florenorum Gedanum collybo trajecerit. Cui & per pecuniam apud invidos vicinos talia struere in proclivi sit, per quæ summa rerum ipsius periculum incurrat. Ea rerum facie cum nulla tempus extrahendi facultas superesset, e Dania quoque usu se judicasse, integris potius viribus, quam post acceptam calamitatem pacem facere. Sed quia nunquam sibi in mentem venerit a fœdere discedere, se Meindersio injunxisse, ut pariter cum Danico ablegato pacem absolvat, aut saltem locum ipsi ad eandem concludendam reservet. Ac sperare Regem ei hunc in finem idonea mandata daturum, quo communis pax brevi sequatur, quod Gallicus miles ante eam perfectam ipsius ditionibus excedere nolit, per moram plane evastandis. Ast si Meiercronæ facultas ad concludendum non sit, sed successus Scanici congressus expectetur, se Regis judicio exponere, quid molesto hoc rerum statu sibi faciendum. Sane pro candore sui in Regem affectus diffiteri non posse, per Scanicam illam negotiationem se valde perturbatum fuisse, & non parum eam contulisse, ut a se ad hoc consilii descenderetur. Nam in aprico esse, eo fine tractationem Neomago & Lutetia, ubi utrimque legati erant, in Scaniam translatam, ut ipsi in conclusione pacis separarentur. Ac utile, simul fœderi congruum fuisse, congressum in Scania non prius admitti, quoad & sui ministri invitati, ac idoneis diplomatibus instructi fuerint. Nam post ista sero quærenda; ac hostem, cujus rationibus id repugnabat, non sine ignominia eadem abnegaturum fuisse. Haut eo minus tamen se Regi indivulsum adhæsurum, quod utrimque securitas, & conservatio amicitiam inter ipsos insolubili vinculo adstringat. Quod si pax eodem tempore & loco perfici nequeat, a Meindersio diem ratificationi permutandæ tam longe porrigendum, ut Regi interim tempus sit suam quoque pacem absolvendi. Quod idem ipse roget, si in Scania res prius conficiatur. Utcunque ista cedant, id utrique solatio esse, se communem hostem hoc bello ita attrivisse, ut multos intra annos nocendi facultatem habiturus non sit.*

Dania Regi ista parum probantur.

§. 87. Enimvero id consilii ab Electore captum Daniæ Regem non parum turbabat, qui Helsingburgum & Landscronam retinere miro cupiebat, præsertim cum inter Boreales is fere bellorum eventus fuerit, ut quod quisque occuparet, id retineret. Inprimis Regem mordebat, quod inter causas ejus consilii congressus in Scania adduceretur; quam ansam Hahnius, ejusque factio arripiebant Regis & Electoris amicitiam refrigerandi, ne forte isti per hunc pravæ suæ artes innotescerent; qui & antea malitiosis scurrilitatibus Plœnensem Ducem ab abdicandam Danicam militiam compulerat. Unde ad Electoris literas hunc in modum a Rege respondebatur. *Se quidem adductas rationes maximi momenti ducere, dissimulare tamen non posse, hoc ita repente capto consilio se haut parum perturbatum, quod Elector paucos ante dies diversa plane sibi confirmarit. Sane quæ adducta sint difficultates, dudum prævisas. Ac si exercitus maturius e Borussia movisset, nec cessis Vesalia & Lipstadio hosti ad ulteriores progressus janua aperta foret, spem fuisse junctis viribus eidem resisti potuisse, quoad pariter ad æquam pacem perveniretur. Quod si tamen Electori pacem accelerare necessarium judicabatur, optandum fuisse, id pro arctissima inter ipsos conjunctione sibi significatum, quo utrinque super ratione honestam pacem obtinendi cogitari potuisset. Tum & sumtibus in armandam classem, & copias in Holsatiam trajiciendas, quod crebris Electoris monitis factum, supersedere licuisse. De congressu in Scania protinus sese Electori significasse, num & is aliquem eo destinare velit; in eamque rem ministro suo præliminaria adornaturo mandata dedisse. Sed quia intellexerit, ab Electore ejus congressus rationes quidem probari, ut tamen in ejus partem venire nolit, se confirmasse, ejusdem se rationes non minus atque proprias observaturum, ac sine ipso nil conclusurum. Ita se omnes partes fidi socii implevisse; inprimis cum Elector dudum prima Meindersii in Galliam missione separatis tractatibus initium dederit. Sed quia haut placeat odiosa eorum repetitione, quæ infecta fieri nequeant, ipsi molestiam exhibere, spem esse, quia ob iniqua hostium postulata pax ita brevi coire nequeat, se ab Electore haut deserendum, ubi a Gallo invadatur, simul omnia, quæ circa pacem agantur communicatum iri, quo & ipse consilia sua pro captu rerum temperare possit.* Sed & mox idem Rex Joannem Georgium Schulenburgium ad Electorem mittebat, hortaturum; quia fama sit Crequium cis Visurgim & Albim iturum, ut Elector legiones e Borussia quantum possit iter festinare jubeat, ac ad Visurgim consistentes mature retrahat; ac stativa ita ponat, ut conjunctio cum Danicis copiis commode fieri possit. Tum ut super struenda penu consilia conferat, & quid circa Luneburgicos agendum sit. Cui Elector: sese paucos ante dies rationes omni exceptione majores exposuisse, quæ se ad pacem haut amplius differendam compulerint; nec dubitare, quin & Rex consilia eum in finem ceperit. Nunc se quid Meindersius effecturus sit, expectare. Si Gallus a pace abhorreat, se utique cum Rege copias juncturum; ac legiones e Borussia jam iter ingressas. Interim se Regi valde suadere, ut ipse quoque pacem pro captu temporum faciat. Nam & sibi maximo dolori esse, tot egregia a se loca restituenda, ad quod declinatio majoris mali subigat. Enimvero Gallum cum L M amplius Westphaliæ ingruere; Saxones & Luneburgicos in Gallica aula ipsi infesta admodum agitare, ac bello

1679.

17. Jun.

23. Jun.

1679. bello continuato in Galli partes transituros. Haut eo minus nil indecorum a se admissum iri; ac si tale quid a se postuletur, copias suas Lentzenæ, Werbenæ & Magdeburgi stationem capessituras, ut sese Danicis, qua opus fuerit, conjungere possint. Cæterum palmariam causam, quare in præsens ad pacem properandum sit, esse, ut arcta illa conjunctio inter Galliam & Sueciam dirimatur, utque uterque ipsorum Gallo sese innectat propriæ securitatis causa, ac ut vindictam sumendi facultas sit de iis, qui tam turpiter ipsos destituerint. Ac demum extracto bello magis intolerabiles conditiones, non meliores expectandas. Præter ista Brandii quoque Hafniæ demonstrabant; Electorem utique extrema expectasse, ac præsentissimo periculo impulsum ad pacem confugisse. Et cum Gallus ne horam quidem ad deliberandum indulgere vellet, Crequio quoque atrociter grassante; non potuisse incertum Scanicæ negotiationis exitum expectare, ubi Sueci adhuc circa præliminaria cavillabantur. Ac cordatissimus quisque agnoscebat, nulla ratione Electorem defugere posse, quo minus pacem occupet. Hahnius autem odiosius occinens, Regem ab Electore desertum, fortius retundebatur. Facilis quoque responsio erat ad reliqua, quæ a Danis arguebantur. Nam quod Vesalia & Lipstadium Gallis traderetur, Luneburgicos in causa fuisse, negato transitu. Unde cum istis urbibus, ac Mindæ non sat præsidii inesset, nec plus immitti posset, periculum fuisse, ne eadem cum omnibus, quæ inerant amitterentur, aut Galli præterita Vesalia recta Mindam irent, intra paucos dies expugnandam. Legiones e Borussia non prius movere potuisse, quam graminis copia foret. Quod autem Dani metuere se dicerent, ut a Suecis pax in Gallia conclusa probetur, id Electori optandum, qui amotis Gallis Suecos haut formidet. Nam Joannes Gyldenstierna Londini dixerat; pacem cum Electore & Luneburgicis a Sueciæ Rege non firmandam, si cum Dano prius transigi possit.

Danica pax tardius succedit.

§. 88. Quanquam autem Daniæ Regem audito Electoris consilio impetus caperet suam quoque pacem accelerandi, quo fine Meiercronæ pressiora mandata mittebantur: nondum tamen secum statuerat, quousque remittere vellet, quod Scaniæ desiderium digerere non posset. Et quanquam plerique ministri pacem, qualiscunque haberi posset, suaderent: nondum tamen periculum longius adhuc remotum bellandi ardorem vincere poterat. Vnde animus erat, ubi res exigat, cum XXV M ad Albim considere, quibus VI M classi demta accessura erant; tum parcendis præsidiis Wismariæ, Helsingburgo & Landscronæ oppido munitiones detrahere, solo hujus castello insesso. Dubitabat quoque, an non abruptis tractatibus in Scania, negotium pacis plane in Galliam transferret, quod satis e Suecorum postulatis, & protractionibus adpareret, ab his rem haut serio agi, eumque congressum non solum non absque Electore suscipiendum, sed & plane intermittendum fuisse. Mox tamen placebat eum utcunque protrahi, num forte Sueci propius ad rem accedere vellent, si classi eorum cladis quid inferri potuisset. Sed ea spes, quam Dani sibi conceperant, fallebat, culpa uti credebatur Nicolai Juli, qui signum dederat, ut navium quælibet in assignatum locum se conferret, cum plenis velis hostem insequerentur. Vbi dum quælibet navis inhibito cursu in locum suum se confert, Suecis spatium fuerat periculo se subducendi. Ita una duntaxat Suecica navis intercepta; reliquæ in Calmariense fretum se receperunt, cœcis rupibus infestum, ubi anceps erat eas invadere. Etsi Rex diceret; si utique pax iniqua sit subeunda, parum referre, si una & altera navis amittatur. Ast si conatus succedat, ut Suecica classis penitus destrui possit, mare se cum XX navibus tueri posse, cum nunc quinquaginta opus sit. Inde cum XXX M apud Oldesloam castra positurum, ac visurum, quid Crequius suscepturus sit. Oldenburgicæ jacturam a Gottorpiensi luendam. Et jam Comitatus iste tantum non pro derelicto habebatur, machinis Glucstadium avectis. Sed classe nil proficiebatur, incendiaria navi, quam Dani Suecorum classi immissum ibant, depressa. Et quæ medio freto a Danis mergebatur ingens navis, nullo fructu erat. 11. Jul. Mox & Regi fiducia gliscebat, postquam Cellensis Dux promiserat, se Gallis transitum Albis per suas ditiones haut concessurum, vi opposita, si vim moliantur: sperare contra Regem toto cum exercitu copiis ipsius jungendum. Sed Brandii ostendebant, hæc promissa merito suspecta habenda, velut quæ cum hactenus ab eo Duce actis disconveniant. Ac intellectum fuerat, eum Ducem valde consternatum fuisse, cum Galli Joyeusa duce per Luneburgicam præfecturam Herbstedam in Oldenburgicam iter sumsissent. Ac judicabant prudentes, Ducem per ea promissa impedire voluisse, ne succedente Danica pace Sueci tractatum Cellensem ratihabere adspernerentur. Demum tamen suasu Friderici Alefeldii Comitis Rex pacem suam in Galli arbitrium conferebat, modo Suecis deinceps necessum foret vectigal in Oresunda solvere, ac pactum Rendesburgi cum Gottorpiensi Duce initum firmum subsisteret.

Danis Rex de Electoris pace queritur.

§. 89. Mox nuntiata Electoris pace Daniæ Rex querebatur, eam se excluso factam, ac per eandem auxilio ipsius se privatum, non paulo duriore reddita sua conditione, summaque rerum periculo exposita. Cum tamen, si paucos per dies conclusio extracta fuisset, allata sua declaratione pax utriusque junctim perfici potuerit. Rogabat tamen, ut Elector ratihabitionem tantisper inhibeat, quoad & ipse suam pacem perfecerit; ac ut Meindersius ipsius ministro Lutetiæ adsistat. Ad ista Elector respondebat: 9. Jul. *Postquam ipse Regi consilium, non sine summo animi dolore a se capiendum, protinus significaris, nunquam credidisse, a Rege sibi pacem improviso factam, aut ipsum a se desertum exprobratum iri. Toti orbi notum, in quem statum ipse redactus fuerit, cum in pacem consentiret. Sine omni dubio extrema se expectasse. Iis declinandis, ac spe tempus lucrandi duas urbes Gallo traditas; nec eo magis longiores induci-*

as

1679. *ut impetrari potuisse. Quatuor suarum provinciarum in hostis potestate fuisse, qui longius semper progrediebatur cum exercitu, quem pro lubitu augere poterat. Borussia novam invasionem a Livonia intentatam: Cum vicinis suis Lutetiæ pacta jam ad subscriptionem usque fuisse adornata circa ditiones suas in alios transferendas; nec ullibi spem levamenti adparuisse. Nam conjunctione licet ad Albim cum Regis exercitu facta, dimidiam tamen provinciarum suarum partem hostium libidini fuisse expositam, reliquam bello sustentando haut sufficisse. Ac si Saxones, & Luneburgici hosti se sociassent, uti certo futurum fuerat, nil sibi ad salutem restitisse præter turpem pacem, insigni ditionum parte admutilata. His malis prævertendis nil præter pacem superfuisse, etsi ipse nunquam ad aliquod consilium majore cum aversione accesserit; de quo Regi protinus significarit, additis precibus ad eandem viam ineundam, quo pax eodem tempore perficeretur. Id si factum foret, hac expostulatione opus non fuisse. Sed postquam Suecorum petito, quorum intentio satis cognita est, in congressum Scanensem consensum fuit, ac Rex ministro suo Lutetiæ injunxit tractationem ibi inhibere, a se cum ratione desiderari non potuisse, ut res suas per incertas moras subverteat. Ac Meindersio in os dictum fuisse, ni eo die pacem absolveret, omnem tractationem hoc ipso abruptam, & Gallum non amplius oblatis conditionibus teneri velle. Regi tutum fuisse moras aliquantisper nectere, ab hostibus adhuc longius remoto. Ast se nec Deo, nec posteritati adprobare potuisse, si omnem spem transactionis abrupisset; nec Daniæ interfuisse, ut ipse subvertendum se præberet. Cum itaque necessitas legibus soluta sit, jure exprobrari sibi haut posse, quasi neglecto fœdere a Rege se disjunxerit. Non ob lucrum, sed declinando majori malo ad pacem se compulsum. Invitissimum Pomeraniam, ac præcipue Stetinum restituisse.* Tam solida erant ista, ut Rex fateretur, in Electoris actis circa pacem nil se desiderare posse. Ac revera prudentes in Dania dudum judicarant, Electori utique pacem occupandam, ac Daniæ parum interesse, paulo serius, aut citius pacem suam faciat.

Danica demum ex perficitur. §. 90. Ast in Gallia modus agendi a Danis adhibitus haut probabatur. Per Avauxium Hagæ Meiercronæ fuisse significatum, integrum ipsi esse Lutetiam venire, si in leges tractatus Westphalici, atque Hafniensis pacem inire velit. Quod cum iste abnueret, post insinuatum, ut citra hanc conditionem in Galliam accederet. Ubi in Dania merito decernendum fuerit, qua sententia standum foret. Venisse inde ablegatum, sed cujus negotiatio statim in limine adhæserit ob mutationem parum tempestive circa titulos factam. Quod etsi mox emendatum sit literis justa forma exhibitis; eo ipso tamen duas septimanas periisse. Interim ob nuntiatum Meindersii adventum, negotiationem cum Dano haut festinatam. Isti cum tres septimanæ petendæ forent novis mandatis adferendis, Dano commodam occasionem fuisse negotium suum absolvendi. Sed tunc valde quidem intempestive congressum in Scania intervenisse. Demum in Scania agi potuisse, & haut eo minus tentari, quid in Gallia profici queat. Sed Meiercronæ injunctum, in tractatibus longius haut progredi. Quod ipsum negotiationi cum Electore facilitatem attulerit. Cæterum Danica pax præcipue ad Ducis Gottorpiensis restitutionem hærebat, quem Dani inter Galliæ fœderatos censendum negabant. Etsi eam litem domesticam, quæ Regem Daniæ, ejusque familiam unice tangat, & quæ diu ante præsens bellum extiterit; quam & Rex Daniæ post perfectam pacem arbitrio Galli submissurus sit. Galli contra regerebant; Maximum emolumentum, quod Danus ex hoc bello sperare possit, in ea causa consistere, Regem tanquam sponsorem Hafniensis pacis curam gerere, ut Dux iste restituatur; atque id declaratione anno superiore promulgata expressum, quæ non minus Danicæ pacis, quam aliorum norma sit futura. Quin ipsi Regi super domesticis negotiis, puta super Condæo Principe, cum Hispanis fuisse transigendum. Circa Rendesburgense pactum talia intervenisse, ut ejus ratio habenda non sit. Haut eo minus Luvoisius de duritie Suecorum querebatur, non obscure innuens, statim post finitum hoc bellum, ubi Rex honeste obligatione sua adversus istos sese exuerit, hunc alia sibi fœdera circumspecturum. Qui & cum a Gallo reparationem ejus, quod Electori, Luneburgicis, & Monasteriensi cedendum fuerat postularent, non sine irrisu rejiciebantur. Sed & suspectum videbatur, quod Suecorum in Gallia ministri tanta cum ferocia pacem Danicam impedire studerent, cum tamen Sueci in Scania multo modestius loquerentur. Unde cum Gallos earum tergiversationum tædium cepisset, demum totum Augustum mensem Danis dabant ad deliberandum super Gottorpiensis restitutione; minati, se isto mense elapso Suecis Oldenburgicum, Monasteriensi Delmenhorstanum Comitatum addicturos. Ita Galli Danicam pacem ad libidinem suam apud Fontem Blaudi pervicere; quam mox transactio inter ipsos Reges Boreales Lundini in Scania sequebatur. Ejus subscriptio per triduum a Sueciæ Rege extracta fuit, quod Dani de connubio cum Ulrica Eleonora eidem inseri cuperent; id quod iste velut indecorum adspernabatur, ne ad id invitus compelli videretur. Statim tamen cum Dani omisso eo articulo pacem subscripsissent, Rex eodem adhuc die ultro id consummari expetivit, quod proprio ex judicio & affectu proficisci quam maxime decet. Ubi Gallis inopinum accidebat, quod isti Reges ita repente ex tam acerba hostilitate in tam arctam amicitiam coaluissent, brevi spatio triplici tractatu absoluto, de exsecutione pacis, de matrimonio Regis cum Principe Daniæ, ac de fœdere mutuæ defensionis. Etsi palam nil suspicionis ostendebant, quod judicarent, aut saltem aliis persuadere vellent, Galliam istis omnibus esse superiorem. Sed & fœdus istud inter Reges Boreales initum Electori nonnihil scrupuli injiciebat, nulla secum communicatione, factum. Sed Daniæ Rex ejus causas hasce adferebat. Nulla decori specie id se fœdus a Suecis oblatum declinare potuisse, cum eo ipso tempore super consummando cum sorore Ulrica Eleonora matrimonio ageretur, quod isto abnegato forte irritum reddi potuerit. Ac ejus fœderis hunc saltem

1679. 22. Jul.

1679. saltem usum esse, ut eo melius Suecorum consilia explorentur. Anglos quoque, & Belgas admodum imperiose in rebus Oresundam, & Mare Balticum spectantibus agere, ac omnia ad suum placitum, ac lucrum dirigere velle, at Borealium Regum discordiam dextre in usus suos vertere nosse. Istorum importunitati temperandæ sibi necessum fuisse Sueco innecti. Denique id præcipue lucri inde obtinuisse, quod Suecus promiserit, Gottorpiensi, & Hamburgensi negotio sese haut miscere. Nam quantum alias fiduciæ in Suecis sibi ponendum sit, haut ignorare. Cum itaque hoc modo Galliæ Rex majori parti orbis Christiani ad placitum suum pacem dedisset, (quod Wilhelmus Furstenbergius Meindersio confirmabat,) jurejurando sese adstrinxerat, postquam semel gladium tanta cum gloria vagina abdidisset, eum se, nisi summa necessitate urgente, nunquam iterum extracturum.

Gottorpiensium turbarum præludia. §. 91. Cæterum uti ista pax nemini præter Gallum admodum læta erat: ita & quis fructus Gottorpiensi Duci inde expectandus esset, conjicere haut in arduo erat. Mittebat is Hafniam Gunterrodium verbis honoris perfuncturum, ac uti desideraret in veterem cum Rege amicitiam reverti. *12. Oct.* Cui Rex; valde sibi gratum esse, Ducem ad officium redire. Sed quæ nunc tot per ambages obtinuerit, dudum citra molestiam patuisse. Volebant porro Dani ditionem quidem Duci reddere, sed opibus ita accisis, ut non facile deinceps tollere caput posset. Nam residua tributorum ad CCC M uncialium ad teruncium exigebant. Rex quoque solus tributum bellicum indicturus erat, velut cui soli defensio provinciæ incumbat. Nec pace Hafniensi de iis tributis mentionem factam. Ita cum Sueci tractatu Lundinensi promisissent, se Ducis causam non suscepturos, tanquam Danus domesticam, nec Danus Tœnningam instaurari vellet, quod Galli Ducis restitutionem in præsenti statu duntaxat stipulati essent, exigua spes erat eum res suas iterum firmaturum. Quo modo Danus in Holsatia plus lucratus erat, quam si totam Scaniam obtinuisset. Quid autem consiliorum apud Ducem agitaretur, per Hopfnerum Cancellarium, munere suo Gottorpii exutum, Dani intellexerunt. Is ab initio Duci suaserat, ut omni ope constantem sibi Daniæ Regis amicitiam pigneraret: nec minus cum Suecia amicitiam quantum detur coleret, ut tamen hujus rationibus penitus sese haut innecteret, nec ejus consilia sequeretur. Etsi enim Sueci ejus causam in calamitate, in quam is propter istos se præcipitaverat, susceperint, Gallumque ad idem faciendum excitarint; id tamen non sincero ex affectu fieri, sed proprium ob emolumentum, ut per eum Daniam distractam debilitent. Ast si Dux ista consilia a Kielmanno inspirata sequatur, nunquam tuto acturum, nunquam e grandi ære alieno eluctaturum, nunquam florenti statu gavisurum. Et si maxime Suecorum res potiores, Danorum debiliores futuræ sint, Ducis tamen ditionibus ob earum situm maximum onus incubiturum. Iis rationibus iste apud Ducem effecerat, ut hic Pinnebergam ad Regem proficisci statueret, æternæ amicitiæ fundamenta præteritorum abolita memoria jacturus. Talia cum Suecis e frigore Ducis erga ipsos subolerent, misso Wangelino effecerunt, ut is Cancellarius munere suo dimoveretur, qui Hafniam digressus omnia Ducis secreta revelabat. Per eundem & Sueci Duci proposuerant, ut hic Esaiam Pufendorfium sibi Cancellarium adsciseeret, quo ipsi semper Ducis consiliis confidere possent. Ea occasione Brandii Regi Daniæ demonstrabant, cum Danici ministri tantopere gloriati sint, quod Sueci Ludinensi fœdere promiserint, se Ducis causam haut suscepturos, quantum fiduciæ ipsi eo in fœdere collocandum sit, postquam isti ita aperte cum Duce colludant.

§. 92. Vix tanti belli flamma utcunque consederat, cum in Saxonia novum incendium videbatur surrecturum, tentato per Regem Daniæ Hamburgo. *Regis Daniæ in Hamburgenses circuitus conatus.* Ei conatui ansam dedisse videbatur, quod hic, cum in Scania operæ pretium fieri non posset, plerasque copias in Holsatiam transportasset ad Gallorum impetum si forte ingruerent sistendum. Sed postquam pax cum istis succedebat, obiter tentare instituit, num hoc rerum articulo eam urbem in ordinem redigere posset. Dum circa eandem Danicæ copiæ stativa agitant, ipse Rex cum Hahnio, & Gustavo Wilhelmo Wedelio ad portam Altenoënsem accesserat, tunc ob convocationem civium clausam, & interrogaverat, num intromitti posset. Quod cum abnueretur, in cingulo fossæ ad alteram usque portam circumequitaverat perlustrandis munitionibus, nemine inclamante, aut sistente. Unde suspicio nascebatur, aliquid in eam urbem agitari. Ac constabat, Regem a Wedelio stimulari, ut saltem speciem indueret urbem impugnaturi; qui huic offensus erat, quod ejusdem magistratus dono centum duntaxat aureorum eum mactasset. Post factum cum Gallis, ac *26. Sept.* Suecis pacem Rex palam Brandio significabat, se decrevisse justum obsidium Hamburgo circumponere, ac paratus in eam rem jam factos. Sperare tamen urbem haut passuram rem ad extrema deduci, sed officii memorem haut recusaturam homagium præstare a duobus jam seculis solitum. Hautquidquam tamen sibi animum esse eam opprimere, aut ejusdem commerciis vel minimum nocere; ac nil amplius desiderare, quam reverentiam & fidem, ne hostibus ipsius, uti hactenus receptaculum præbeat. Nec enim sibi ignotum, Holsatiam & Jutiam maximum detrimentum capturas eo destructo emporio. Potius se ejusdem privilegia in Dania, ac Norvegia, ac circa navigationem ad oram Grœnlandiæ aucturum. Sperare Electorem auxilio sibi futurum, ac Luneburgicis haut permissurum, ut urbem obfirment, quo minus ipse legitima sua prætensione potiatur. Ac si isti tale quid audeant, se tota vi eosdem invasurum. Quo ipso Electori occasio nascitura sit Ducibus pro tam male meritis paria reponendi. Isthæc porro in Hamburgum destinata Hahnius, & id farinæ homines suggesserant, lucri quid inde captantes, Alefeldio Cancellario dissuadente. Enimvero eorum conatuum gloriosum exitum

Bran-

Brandius haut ominabatur. Equidem de Electore sat male meriti erant Hamburgenses, dum ipsius hostes fovent, & assignatam a Cæsare pecuniam abnuunt Luneburgicis confisi, velut horum patrocinio freti impune Cæsarem & Electorem negligere possent. Sed sæpe nostra interesse, ut etiam male de nobis meriti ne pereant. Cellensis quoque aperte urbis causam suscipiebat. Et cum Dano non nisi XIV M peditum VI M equitum ac dimacharum essent, non adparebat, quomodo duobus tam dissitis locis urbs hoc numero oppugnari posset, ante portam Altenoënsem, & eam, cui a lapidibus vocabulum est. Et quanquam Suecus & Anglus in præsens urbi subvenire non possent; vix tamen sperandum erat, Gallum ista dissimulaturum.

§. 93. Super eo negotio Rex Hermannum Meierum ad Electorem mittebat, qui una cum Detlevo Alefeldio de sinistris Hamburgensium actionibus & consiliis, ac retractario ingenio quererentur, simul Electoris sententiam exquirerent, an non consultum videatur temporis opportunitatem in usus suos vertere, ac sociatis viribus eam urbem in ordinem redigere. Nam post pacem cum Gallo, & Sueco Regi, atque Electori egregias superesse copias, ac solorum Luneburgicorum oppositionem metuendam. Cæsari quoque urbis acta haut probari; cui & molestum, quin supra vires futurum sit, copias suas media hieme ad subveniendum urbi huc deducere; præsertim cum ipsi varios ob respectus, & suspiciones merito de propria securitate cogitandum sit. Gallum jam declarasse, post hospitiorum negotium ad amicos tractatus rejectum, reliquis cum Hamburgo controversiis sese haut ingesturum, ac Dano potius circa ea omnia fauturum. Belgas quoque, & Anglos eam urbem parum amare, nec eorum domi res eo in statu esse, ut huic se negotio ingerere possint. Quod si tamen Elector in præsens dubitet aperte in eam causam descendere, Rex petebat, ut si non toto cum exercitu, saltem cum IV M peditibus, II M equitibus sibi adsistat, reliquos idoneo loco disponat, si quis e vicinia vim opponere instituat. Quia autem ruente in hiemem anno res moram non ferat, & cunctando occasio corrumpi possit, brevi Electoris sententiam cognoscere avebat, consiliis suis ordinandis. Addebatur asseveratio, Regi haut esse in animo urbem sub jugum redigere, statumque ejus, & parta privilegia evertere; sed eo contentum fore, quod majoribus suis præstitum fuerit. Ad ista Elector: Se satis agnoscere justam Regis prætensionem, ac ut ei satisfiat optare; nec omissurum facere, quod in se sit. Nec memoria excidisse, quam sinistre se hactenus ea civitas gesserit, ac quantum sibi molestiæ exhibuerit nulla adhuc pœnitentia, sic ut sat causæ sibi suppetat vindictam de ea sumendi. Enimvero ante omnia circumspecte heic incedendum, ne quid suscipiatur, quod perfici nequeat, & unde Regis gloria detrimenti quid capere possit. Inprimis respiciendum, num Gallus id dissimulaturus sit. Nam si is ullo modo urbis causam suscipere instituat, irritum cœptum cum dedecore abrumpendum; quem non solum propria potentia arbitrum rerum in Europa faciat, sed & Cæsar, Imperiique Ordines, ac præcipue Luneburgici, qui omnes urbi favent, instigaturi sint. Galli declarationem, ad quam Rex provocet, laxam nimis, & ambiguam esse, nec de violenta exsecutione interpretandam. Unde sibi videri, ista destinata Gallo candide aperienda, ejusque liquidum responsum exposcendum. Ac se jam ad Meindersium scripsisse, quid apud Gallum proponere debeat. Si ex voto respondeatur, omnia se facturum, quæ Rex desideret, ac non fœderati solum fidem, sed & singularis amici, & cognati affectum ostensurum. Ast Gallo abnuente sibi haut videri rem aggrediendam. Ac tanti esse eam moram interponere, cum & aliquod tempus requiratur parandis necessariis, & antequam suæ legiones e Borussia, & Ulteriore Pomerania evocentur. Interim ea destinata silentio premenda. Ubi res ad manus pervenerit, plerasque copias se secundum Albim collocaturum fulciendis Danicis. Quod si Gallus conniveat, & Rex abs quopiam invadatur, quem ipse prius non lacessierit, se ei contra aggressorem ex fœdere summo studio auxilia laturum. Inter aggressores tamen haberi non posse, qui aliquid copiarum urbi immittant. Maxime omnium tamen cavendum, ne quid præcipitetur, cum pax nondum exsecutioni data sit, quam Gallus tantopere urgeat. Id quippe aliis Principibus ingentem suspicionem injecturum, novisque fœderibus pro servanda urbe ansam præbiturum. Et quia Sueci optarint bellum sibi cum Dania manere, eam occasionem ipsis gratam fore destinatis suis obtinendis. Non posse autem non ingentem confusionem oriri, si novum bellum surgat, altero nondum plane composito. *1679.*

§. 94. Eo de negotio cum Danus apud Gallos proposuisset, hi metuebant, ne inde incendium istas partes late correpturum surgat, quod omnium vicinorum intersit eam urbem servari; nec Suecos, Electorem, ac Luneburgicos unquam concedere posse, eam urbem destrui, aut sub Dani ditionem redigi. Ingratum quoque Gallis erat, ob eam urbem Danum, & Luneburgicos collidi, quorum hi eam causam fervide in Gallia agebant. Pomponius ostendebat; vulgatum fuisse, inter Danum, & Electorem super hac urbe invadenda convenisse, & hunc copias præbiturum lautioribus conditionibus ab ea extorquendis. Sed sibi nunquam persuasum, Electorem pro sua prudentia ad opprimendam tam celebrem urbem concursurum, quam servari non minus ipsius, atque Luneburgicorum intersit. Equidem reponebat Meindersius; Dano animum non esse urbem opprimere, sed tantum jura vindicare; ac spem esse eam ultro officium facturam. Sed Pomponius respondebat: destinata Dani satis colligi e valido exercitu, numeroque machinarum, & navium urbi propinquantium. Ac non posse non ingens bellum inde surgere, ubi vicini sese immisceant, quod propter rationes suas utique facturi sint. Id quod Rex nullo modo probare possit, communi Europæ pace tanto cum labore constituta, quin Danica

Gallorum circa id negotium sententia. 4. Octob.

1679. nica pace nondum ratihabita. Ac sperare, Electorem non aliter, quam per amicam interpositionem negotium susceptum, quod & non modicæ ipsi gloriæ cessurum sit. Urbem quoque circa negotium hospitiorum Electori satisfacturam. A Meiercrona exhibitum scriptum, quo
6. Octob. Daniæ Regis jura deducebantur, Gallis non satisfaciebat; qui judicabant, eo nil solidi præter caput de homagio contineri. Mox ab ipso Rege Meindersio ejusmodi declaratio dabatur. *Sibi non propositum esse, juribus Regis Daniæ in Hamburgum quid detrahere, ac peculiariter circa homagium, quod ab urbe præstari par sit, si ad id teneatur. Sed se magnopere cupere, ne novo bello ansa præbeatur, quod omnium intersit eam urbem servari, ac se misso Rebenacio Daniæ Regi moderationem ingesturum; nec minus urbem moniturum, ut quæ debet præstet.* De cætero Rex Electoris consilium laudabat, ac ut id continuaret rogabat, utraque parte ad amicos tractatus permota, ac ut armis abstineatur, non nisi viciniæ molestiam, ac forte ruinam urbi cum horum omnium irreparabili damno daturis. Luvoisius quoque valde probabat, quod Elector, utut graviter offensus, & prona vindicta, veras suas rationes ante affectus habuerit.

Luneburgicorum ad Electorem missio. §. 95. Super eodem negotio a Luneburgicis missus Augustus Grotius Electori proponebat; Hautquidquam Dano animum esse urbem officii duntaxat admonere, sed penitus sub
6. Octob. Grote. jugum mittere. Nam isti fini paucas naves bellicas suffecisse, nec septuaginta machinis, triginta grandibus mortariis, ac tanto exercitu opus fuisse. Suspicionem quoque augere, quod ea destinata ita solicite vicinorum notitiæ subtracta fuerint, detentis quoque tabellariis. Ac id fine dubio jam effectui dandum fuisse, ni adversus ventus naves attinuisset. Interesse autem omnium vicinorum, quin totius Germaniæ, id emporium servari, unde hujus commercia magnam
22. Sept. partem dependeant. Sane per Alefeldium Cancellarium Ducum ablegato denuntiatum, Regi decretum urbem ad præstandum officium compellere; quam ubi semel oppugnare cœperit, non abstiturum, nisi fracta ejusdem pertinacia; nec gavisuros, qui urbis defensionem ausi fuerint. His permotum Cellensem Ducem subigente necessitate, ac vi delegationis Cæsareæ militum manum urbi immisisse, ne hæc forte subito opprimatur. Sed Duces non parum perturbatos, postquam sparsum sit, inter Regem, & Electorem de compacto rem geri, & hunc istius destinata omni vi fulturum. Cui famæ etsi apud Duces fidem ademerint Electoris prudentia, ditionumque ipsius notoriæ rationes; fiduciam tamen id asseverantium non levem istis scrupulum injecisse. Sed quia mox intellexerint, Electorem in ejus negotii partem non venire; Duces jussisse ipsi eo nomine maximas gratias agi; qui & sperent, Electorem ad avertenda ista mala simul incubiturum, ac Ducum officium apud Daniæ Regem fulturum, ut amota vi res amice
8. Octob. componatur. Ad ista Elector: Satis se gravitatem negotii agnoscere, facile periculosas turbas pariturum; ac maxime dolendum fore, speratam quietem inter ipsa primordia intercipi. Sibi nil magis cordi esse, quam pacem, in vicinia præ- 1679.
sertim conservari, ac eum in finem enixam operam navaturum, modo ne ipsa urbs hucusque exertam pertinaciam juri & officio præferat. Ducum studio circa amice componendam litem libenter se velificaturum, nec in ejus partem venturum, nisi ea forte ita tractetur, ut casus fœderis inter se, ac Regem Daniæ extet. Itaque se expectare, ut sibi suggeratur, quid ipse ulterius ad amicam compositionem conferre possit; quod a primariis partibus nondum quid ad se relatum sit. Etsi nec alias omissurus sit in medium conferre, quod par sit. Querebatur inde Elector, Duces in Belgio, & apud Gallum præpropere sparsisse, quasi ipse Hamburgum simul oppugnaturus sit: lætum tamen esse, quod eventus aliud demonstrarit. Contra monebat Grotius de legionibus Electoris in Meclenburgica stativa habentibus. Ad quod Elector: quamprimum Hamburgensis negotii felix exitus adpareat, nec aliquid hostile in Saxonia Inferiore metuendum restet, ita se acturum, ne Duci querendi causa sit futura. De istis Electoris legionibus in Meclenburgica hospitantibus, Cellensis quoque apud Daniæ Regem questus fuerat; velut per eas sua existimatio lædatur, quod ipse Meclenburgico Duci eo nomine caverit. Cui Rex respondebat; Non minus sibi, atque Electori, quam Cellensi Duci licere stativa ibi capessere. Quod si Dux ideo præceps qvid, ac turbis ansam daturum suscipiat, se non posse non in partem venire; nec diutius tolerandum, Ducem obtentu præfecturæ Circularis militiæ plus sibi autoritatis arrogatum ire, quam ipsum Cæsarem. Quia porro Luneburgici legiones suas sub Harburgo contraxerant, non aliud causati, quam quod Electori non fiderent, hic continuis vellicationibus irritatus Dano suadebat, ut tantisper Hamburgense negotium seponeret, idque sequestribus extra partium studia positis committeret, quo id Luneburgicorum manibus eripiatur aperte cum urbe colludentium. Ac parum Regi profuturum, si maxime urbs homagium præstet; cum omnes dicturi sint, eum urbis oppugnationem non ausum. Vnde commodissimam fore viam hoc negotio honeste sese extricandi, si omissa urbe in Cellensem ruatur. Sed Regi satius videbatur tractatus cum urbe persequi; ac Danici ministri parum curare videbantur, negotium tanto cum strepitu cœptum utcunque finiri. Unde & Electori impetus coërcendus erat. Ac jam Luneburgici nomine urbis tractatus auspicabantur, quod hujus delegati metuerent, ne sibi a Rege manus injicerentur. Ac brevissima via videbatur, præsenti rerum statu relicto, ab urbe aliquam submissionis speciem, ac pecuniæ summam præbere. Nec parum ad accelerandam negotiationem faciebat, quod Elector copias suas ad Albim, & in Meclenburgicam usque progredi jussisset, simul officium suum offerret, quo Luneburgicis non levis stimulus ad festinandam transactionem addebatur.

§. 96. Nam Elector, ne soli Luneburgici id negotium ex usu suo temperarent, & ipse *Elector sequestri officii*

1679. *Item se offert.* 13. *Octob.* officium suum interponere instituit. Quo fine Crocovius mittebatur, una cum Brandiis fratribus ei tractatui invigilaturus. Iis injunctum omni modo curare, ut Rex salva existimatione hanc litem finiat; tum utique providere, ne res ad manus perveniat. Postquam Daniæ Rex officium acceptasset, Crocovius Hamburgensibus proponeret: Etsi eorum civitas hac tempestate plurimum aversionis erga Electorem ostenderit, ac pertinaciter abnuerit, quæ aliæ primariæ Imperii civitates haut recusarint, sic ut hac occasione merito uti possit isti ad debitam satisfactionem, ac damni dati reparationem compellendæ: non sine commiseratione tamen periculorum ejusdem statum respexisse, curamque suam intendisse, ut per æquas conditiones reconciliato Daniæ Rege imminentia mala averruncentur. Eoque suadere, ut placato Rege urbs conservetur, nec ad extrema res deducatur fiducia situs, munitionum, ac civium multitudinis. Nam & ista multis potentibus urbibus haut profuisse, & hanc semel orta confusione, quam nemo præstare possit, plus noxæ quam roboris afferre suevisse. Tum ne aliorum auxiliis nimium confidat, qui fere suum lucrum aucupentur. Ubi civitas ipsius officium admiserit, Cellas profectus Duci exponeret; Electori gratum esse, quod ipsi conservatio pacis recens factæ, & aversio turbarum cordi sit quo fine & is operam navaturus sit. Bene facturum Ducem, si curet, ut negotium illæsa Regis autoritate, nec sine ejus emolumento componatur; ac si idem civitatem moneat, ne per inanem pertinaciam sui satisfactionem recusare pergat. Circa leges transactionis Electori haut iniquum videri, si civitas Regi jurejurando se obstringat, uti Christiano IV factum. Si tamen id obtineri nequeat, cavendum, ne abruptis tractatibus res ad arma perveniat, sed temperamento potius adhibito ad aliud tempus differatur. Daniæ autem Regi Crocovius una cum Brandiis fratribus dicere jubebatur: Electori admodum probari, a Rege hanc rem non ad extrema deductam, sed amicam compositionem admissam. Nam utut ipse Regi quævis incrementa optet, metuendum tamen, ne ubi ad vim descensum fuerit, obsidio tantæ urbis difficillime procedat ob situs, & munitionum indolem, & quia tot Principum rationes eidem innectuntur; eoque gloriam armorum Regiorum hac præsertim anni tempestate in ancipiti fore. Igitur optime sibi consulturum Regem, si honestam transactionem molestæ, atque incertæ belli aleæ præferat. Hamburgenses quoque per literas Electoris auxilium
18. *Octob.* expetebant. Queis responsum: Eos talia actis suis hucusque non meritos: subigente tamen boni publici cura ultro Crocovium isti negotio componendo missum.

Hamburgense negotium componitur. §. 97. Crocovius cum Pinnebergam pervenisset, ubi Daniæ Rex nunc agebat, negotium jam profligatum, & conclusionem mox imminere intelligebat. Nam super homagio ad futuram decisionem judicialem, aut amicam compositionem rejectum fuerat, temporaria conventione interposita, qua utriusque partis jura reservabantur. Hamburgenses quoque per delegatos Regi Pinnebergæ submissionem aliquam absque tamen solennitate testaturi erant, cujus formula tunc adornabatur. In satisfactionis vicem civitas Regi jam CL M uncialium obtulerat; Rex de D M quos initio postulaverat, ad CCCL M remiserat. Postulato, ne civitas deinceps Regis hostibus opis quid præstaret, hic tacite desiterat. Ac obtentu privati negotii Antonius Altenburgicus Comes, & Kœrbicius in urbem se contulerant, absolvendo negotio. Nec opus erat hortatibus, omnibus ultro in transactionem inclinantibus. Cæterum Rex testabatur, initio sibi propositum fuisse, urbem ad debitum sacramentum, simul reparationem damnorum, & expensarum ostentatione duntaxat armorum compellere, ac ut cautionem de non sublevandis in posterum ipsius hostibus præstaret. Sed interim Luneburgicos se ingessisse, ac obfirmata civitatis pertinacia rem eo deduxisse, ut ipse jam destinatis suis citra vim armorum potiturus haut videatur. Cum autem ipse extrema tentare nolit, temporariam conventionem placuisse; ac sperare, brevi omnia confectum iri. Si negotium hæreat, Electoris operam sibi gratissimam fore. Ut Luneburgicos sequestres repudiaret, sat causarum sibi fuisse, velut qui non obscure in adversas partes concesserint, numeroso milite in urbem immisso. Sed declinandæ collisioni id se dissimulandum duxisse. A Gallo, Anglo, & Belgis oblatum officium se declinasse, nisi quod Rebenacius excludi non potuerit, qui tamen pronum se valde urbis partes ostendat. Interim literæ a Cæsare Hamburgum adferebantur: quibus acceptis civitas aliquot dierum dilationem petebat, sic ut tractatus vado videretur adhæsurus. Crocovius inde apud Hamburgenses quæ jussus erat exponebat. Ubi circa pecuniam duntaxat aliquid difficultatis supererat, quod sequestres Regi plus obtulissent, quam in mandatis a civitate habebant, quæ eorum pollicita præstare nolebat. Sed Crocovius demonstrabat; ab urbe Luneburgicas copias alendas; multas civium naves in Dani manibus esse, commerciis interim quiescentibus. Igitur satius esse amoliendis ocyus istis incommodis aliquid pecuniæ prodigere. Quod & factum. Hamburgenses Luneburgicis in tres menses sexagena uncialium millia promiserant. Sed postremam pensionem Duces remittebant, cessante jam periculo, pignerando in futurum sibi civitatis affectui, & ut eo libentius quovis casu eorum auxilio uterentur. Negotio absoluto Crocovius supervacuum censebat Cellas proficisci. Ea occasione Crocovius controversiam cum Hamburgensibus super hospitiis expediebat, Rebenacio licet jactante; eam Regis sui causam esse, qui in offensæ vicem accepturus sit, ni civitas ultra C M uncialium det. Sed Crocovius reponebat; Hamburgenses ultro ei summæ quid addituros ob navatam in præsenti causa

Right margin: 1679. *Kœrbitz.*

1679. causa operam. Ita hi CXXV M uncialium dedere; in quam summam quoque imputabantur pretia navium & mercium, quas Electoris excursores maritimi Hamburgensibus interceptas Hafniæ distraxerant. Ea transactione absoluta Dani suadebant, ut Elector legiones suas e Meclenburgica retraheret; quod ipsi utique pacem velint, & cum Luneburgicis hac tempestate collidi aversentur.

Tartarica legatio. §. 98. Sub finem ejus anni Berolinum veniebat a novo Tartarorum Hano Muradino Kieraio missus legatus Assem Aga; qui de suscepto ab hoc regimine significabat, simul gratulatione defuncturus, quod eidem de illustribus Electoris gestis auditum fuerit. Addebatur de valetudine Electoris inquisitio, ac Tartaricæ amicitiæ oblatio, & quæ alia istius nationis legatis recitare mos est, ubi magis munerum captandorum, quam negotii cujuspiam expediendi causa veniunt. Is Tartaricum equum sat strigosum dono offerebat; cui vicissim argentea vasa, ac splendidæ vestes non modici pretii dabantur. Is legatus gravem violentiam in Nova Marchia exercuerat, sic ut agrestes Cartzigii signo dato convocandi essent, qui ferocientes armis exuerent. Qua super re iste Berolini querimoniam movebat velut jure gentium violato. Post tamen idem ultro intercedebat, ne qui manus ejus comitibus injecissent, capite pœnam darent; quæ decreta non fuerat. Aulæ ridendi materiam præbebat interpres Tartaricus, cui ligneus nasus, nullæ aures erant.

SAMVE-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI VVILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

Cur Electori amicitia Gallica affectanda fuerit? 2. Circa fœdus Gallicum considerationes. 3. Elector ad fœdus ab Anglo invitatur. 4. Electoris ad eam invitationem declaratio. 5. Cæsar Electorem ad conventum invitat. 6. Cæsar denuo Electorem solicitat. 7. Galli in diversa tendunt. 8. Elector satisfactionem ab Imperio hautquidquam impetrat. 9. Electoris circa Daniæ Regem considerationes. 10. Elector in Hispanos offensam exserit. 11. Super abrepta Hispanica nave disceptata. 12. Elector Ducatus Magdeburgici possessionem capit. 13. De reunionibus Gallicis Monasterii circa Gallicam satisfactionem acta. 14. Gallus reuniones suscipit. 15. Super istis reunionibus disceptata. 16. Ordines Imperii super his ad Gallum scribunt. 17. Palatinus armis sublevari petit. 18. Galli responsum. 19. Cæsarei a Gallo asserta falsi arguunt. 20. Galli rationes ulterius discutiuntur. 21. Gallus Argentoratum intercipit. 22. Arausionensis frustra Anglum excitare conatur. 23. De tractatu Associationis. 24. Cum Daniæ Rege acta. 25. Fœdus cum Hanoverano Duce. 26. Cum Saxone acta. 27. De nuptiis Marchionis Ludovici cum Radzevilia. 28. Super eo connubio acta. 29. Gallorum officium hoc in negotio inane est. 30. Super jure indigenatus in Polonia considerationes. 31. Elector protectionem Ordinum Frisiæ Orientalis suscipit. 32. De navigatione societatis Africanæ Brandenburgicæ in Guineam. 33. Conventus Francofurtanus super reunionibus Gallicis. 34. Electoris missio ad Moguntinum. 35. Sententia Moguntini: 36. Palatini: 37. Trevirensis: 38. Coloniensis: 39. Bavari: Saxonis: 40. Hanoverani: 41. Monasteriensis: 42. Cassellani. 43. Cum Daniæ Rege acta. 44. Cum Gallo acta. 45. Francofurti acta. Gallica propositio. 46. Inania litigiorum. 47. Responsum ad propositionem Gallicam. 48. De lingua contentiones. 49. Electoris ad conventum Francofurtanum missio. 50. Cum Rosenbergio Comite disceptata. 51. Francofurti opera luditur. 52. Ratisponæ acta. 53. Sententia Magdeburgica. 54. Sententia Austriaca huic opposita. 55. Electoris contra hanc sententiam vindiciæ. 56. Electoris ad Cæsarem missio. 57. Elector a se acta defendit. 58. Super Laxenburgico fœdere querelæ. 59. Viennæ a Crocovio acta. 60. Neoburgici sententia. 61. Cæsareorum responsum. 62. Periculum a Turca ingravescit. 63. Electori Cæsaris responsum haut satisfacit. 64. Super fœdere Laxenburgico disceptata. 65. Elector Moguntiam & Francofurtum mittit. 66. Gallorum replica. 67. Ulterius Francofurti acta. 68. Cæsareorum Deductio. 69. Conventus Francofurtensis abrumpitur. Gallorum secreta destinata. 70. Fœdus cum Dano renovatur. Rex & Elector Itzehoæ conveniunt. 71. Circa negotium Gottorpiense considerationes. 72. Monasteriensis in fœdus suscipitur. 73. Cum Belgis & Arausionensi acta. 74. Cum Gallo acta. 75. Legatio in Sueciam. 76. Collisio legati Gallici in Suecia super cerimoniis. 77. Responsum Brandio in Suecia datum. 78. Elector cum Saxone consilia confert. 79. Saxonis circa hæc sententia. 80. Cæsar de bello Turcico significat. 81. Electoris ad Cæsarem missio. Apud Saxonem proposita. 82. Mandata ad Cæsarem. 83. Viennæ disputata. 84. Cæsareorum declaratio. 85. Responsum scripto datum. 86. Electoris in Poloniam legatio. 87. Polonus auxilia ab Electore contra Turcam petit. 88. Ratisponæ cum Gallis acta. 89. Ordinum declaratio. 90. Circa Suecum considerationes. 91. Electoris ad Luneburgicos missio. 92. Galli consilia. 93. Cum Belgis acta. 94. Viennæ obsidium. 95. Princeps Anhaltinus ad Cæsarem mittitur. 96. Tractatio cum Cæsare fit irrita. 97. Elector inter Boreales pacem servare studet. 98. Daniæ Regi quies persuadetur. 99. Gallus Danum in arma stimulat. 100. Circa fœdus cum Luneburgicis acta. 101. Saxonis ad Electorem missio. 102. Electoris circa avertendum Gallicum bellum cura. 103. Ratisponæ acta. 104. Galli destinata ab Electore eluduntur. 105. Elector apud Cæsarem de pace urget. 106. Elector Luneburgicos ad pacem permovere studet. 107. Electoris circa Arausionensem causam studium. 108. Cæsaris ad Electorem legatio. 109. Electoris declaratio. 110. Ulterior Cæsarei legati propositio. 111. Viennensis aula nondum in

induciaſ

1680. *inducias inclinat. 112. Cum Hanoverano acta. 113. Ad Coloniensem mandata. 114. Coloniensis declaratio. 115. Fœdus cum Coloniensi. 116. Fuchsii ad Belgas mandata. 117. De profugis Anglis. 118. Amstelodami acta. 119. Arausionensis sententia. 120. Elector bellum a Belgis avertit. 121. Cum Luneburgicis acta. 122. Circa eosdem compescendos agitata. 123. Luneburgici adhuc tergiversantur. 124. Elector moderatiora suadet. 125. Cum Coloniensi acta. 126. Cum Gallo acta. 127. Pactum Galli cum Meclenburgico super Dœmitza. 128. Cum Belgis acta. 129. Belgæ demum in inducias inclinant. 130. Ratisponæ super induciis acta. 131. Bavarus in inducias est pronus. 132. Ratisponæ jam propius ad rem acceditur. 133. Circa adornandas inducias satagitur. 134. Instrumentum induciarum. 135. Cum Luneburgicis fœdus ab Electore initur. 136. Circa Suecos cura. 137. Polonus ab Electore auxilium contra Turcam petit. 138. Elector titulum Zolleranum assumit.* 1680.

Cur Electori amicitia Gallica affectanda fuerit?

DEfunctus erat gravissimo bello Elector, quo, virtutem secundante fortuna, immortalem sibi gloriam pepererat, pulsis tota Germania Suecis, qui huic, atque vicinis regnis diu terrorem incusserant, & expugnatis Pomeraniæ urbibus, quas opinio hactenus invictas tulerat. Sed quo minus præmium caperet tantis victoriis simul exhausto labore, ac sumtu dignum, defectio fœderatorum, ac invidia effecerat, gliscentem ejus potentiam limis uti solet oculis adspicientium, ac pro egregiis meritis cœca odia reddentium. Sane nota est Pauli Hocheri vox, negantis Pomeraniam Electori relinquendam, *quod ipsi nolint Regem Vandalorum habere.* Quia autem tanto bello ditiones ipsius misere vastatæ erant, non modico quoque ære alieno contracto, nec inter infensos, aut invidos armis sese exuere tutum videbatur; circumspiciendus erat fœderatus, qui saltem securitatem præstaret, quoad per pacem vires instauratæ essent. Et cum, qui hactenus fœdere juncti fuerant, fidem fere apud ipsum consumsissent, nemo præter Gallum supererat, cujus autoritate, ac potentia ista obtinenda videbatur. Sed & quantivis erat, ut Sueci aliquando fœdere Gallico avellerentur, cujus effectus tum universæ Germaniæ, tum præcipue Electoris ditionibus periculosissimus erat, velut quæ primo loco ad invasionem eorum patebant, si quando eos propria, aut Galli libido in arma pertraxisset. Quæ occasio antehac frustra captata nunc opportunam sese offerebat, postquam Suecorum duces rebus sinistre gestis veterem armorum gloriam haut parum imminuerant, simul retentus e pristina fortuna ferox agendi modus tædium sui apud Gallos excitaverat. Cæterum arctius sese innexurus fuerat Gallo Elector, si permoveri is potuisset, ut Pomeraniam ipsi concederet, cujus retinendæ immensum desiderium eundem tenebat. Sane multis ingerebatur; Electoris, Danique conjunctionem Gallo longe uberiorem fructum parituram, quam fœdus cum Suecis, tanta impensa hucusque emtum. Simul ostentabatur Electoris opera, quam is aliquando Gallo præstare posset circa negotium, quod ipsi semper quam maxime cordi fuerat. Quod etsi Galli ambitionem quam maxime titillaret; quia idem tamen in longum prominebat, nec a solo Electore pendebat, ac lapsu temporum multa accidere poterant, quæ id destinatum irritum redderent; Gallo ambiguam spem isto pretio emere tanti non videbatur. Unde quibusvis conditionibus prævalebat gloria non destituti infelicis fœderati, ac ut documentum in futurum extaret, Galliæ socios etiam contra fortunæ iniquitatem per hujus opes tutos præstari posse.

§. 2. Pace facta cum super fœdere ageretur, Elector id præcipue optabat, ut a Gallo insignis pecunia annua solveretur, qua ipse non terrestrem solum militem augere atque alere, sed & modicam classem instruere posset. Ex quo quid utilitatis in Galliam redundaturum sit multis demonstrabatur. Sed Galli ista frigidius accipere. Regem non nisi de pace cogitare, eoque tam oneroso fœdere opus ei non esse. Bellum tot per annos gestum Galliæ tantum molestiæ dedisse, ut saltem ad tempus de stabili quiete cogitandum sit. Regem multum æris alieni contraxisse. Cives valde exhaustos, quos fructibus pacis, & aliquo levamento gaudere par sit. Pace ubique stabilita XX M equitum, plura peditum exautoratum iri. Esse quoque statum Galliæ & Electoris tam variis rationibus obnoxium, ut requirente provinciarum situ modo huic, modo alteri sese innectere necessum habeant, nec usque adeo stricte uni se amico addicere queant. Denique esse quidem multas arctioris conjunctionis inter Galliam & Electorem rationes. Sed quia post pacem Vossemensem iterum in arma eruptum sit, haut decere ab hostilibus protinus ad tam arctam conjunctionem descendi; ac prius molestam præteritorum memoriam plane obliterandam; inde facto gradu pro re nata ad strictiorem unionem progrediendum. Ea Galli parsimonia animadversa Elector sibi quoque circumspectius agendum judicavit, nec ita arcte cum Gallo vinculum adstringendum, ut aliorum amicitiam, quibuscum gravissimis status rationibus jungebatur, abdicare necessum haberet. Nec obscurum erat, quanto periculo ipsum, Domumque suam intempestiva cum Gallo conjunctio implicare posset. Ac si fœdus, quod ad alterius offensam pertineret, evulgaretur, contrariis fœderibus ansam præberi, plus incommodi daturis, quam e Gallica amicitia sperabatur. Neque vero contrahi aliquid poterat, quod Cæsari atque Imperio, tum Belgarum Reipublicæ fraudi cederet. Et cum non magis Electoris, quam quorumvis aliorum Principum interesset, Galli potentiam gliscere; haut

Circa fœdus Gallicum conditiones.

1680. haut committendum erat, aliquid a se admitti, quo isti aliquid accederet, modo ulla ratio adpareret id absque majore jactura impediendi. Contra morosam nimis cauponationem haut permittebat cura ministrorum Suecicorum, omni ope id fœdus impedire laborantium. Et quia æmul anxie amicitiam Galli aucupabantur, sufficere visum, amputatis moris vetus mutuæ defensionis fœdus instaurare, idque ad præsentia tempora pressius adaptare. Super expromendis liberalius pecuniis instanti Meindersio Pomponius superius memorata reponebat. Regem post toleratas per aliquot annos belli curas quietis cupidum esse; ac velle, ut tenuati opibus cives fructibus pacis recreentur. Interim nemini hostilia suspicandi ansam præbiturum, nec a quopiam infensa ultro intentatum iri sperare. Ita tamen res suas dispositurum, ut, si quis in ipsum, aut fœderatos suos hostilia meditetur, in promtu vires sint, quæ opponi queant. Eo fine CXX M peditum, XV M equitum, V M dimacharum sub signis retenturum, quibus selectissimos ductores præfecturus sit: reliquas copias exautoraturum. Quia tamen etiam pacis tempore de amicis cogitandum sit, inter tot omni ex parte oblata fœdera Electoris potissimum elegisse, quem præ omnibus ob res tanta cum virtute, ac prudentia gestas æstimet. In præsens tamen Regi superfluum videri, ab Electore numerosum exercitum ali. Nam sua se autoritate plenam ipsi securitatem præstiturum: ac si necessitas suadeat, super pluribus copiis instruendis facile consilia capessi posse. Superfluis sumtibus in præsens parcendum. Classem ut Elector in Mari Baltico instruat Galliæ inutile; in Oceano & Mari Mediterraneo affatim sibi navium esse. Dandum tamen aliquid magis in symbolum amicitiæ ac æstimationis, qua Electorem prosequatur, quam ut subsidiorum vocabulum mereatur; ac arrham id fore ejus, quod deinceps secuturum sit, prout conditio temporum requirat intendendum. Proposuerat quædam Meindersius circa commercia publico nomine exercenda. Sed Gallo sufficiebat eorum libertatem ubique stabilire. Nam privatis mercatoribus maximam circa talia solertiam esse; ac Regem, proceresque aliquoties sese commerciis miscere voluisse, sed mox destitisse, cum lucrum multis partibus a sumtibus superari animadverteretur.

lector l fœdus i Anglo vitatur. 680. mb. ll. April. §. 3. Porro quia nemini non constabat, quantum momenti rebus Europæ adferre posset Elector, prout in hanc aut illam partem se converteret, æmuli quoque, aut infensi Gallo ejusdem fœdus expetebant. Eo fine a Rege Angliæ missus venit Robertus Southvvellus, qui literas ab eo scriptas hoc sensu tradebat: *Nil magis sibi cordi, quam stabilimentum pacis in Europa, cujus status ea quam maxime opus habeat. Et quia noverit, eandem Electori mentem esse, optandum sibi, communia in eam rem capi consilia posse. Interim rogare, ne Elector alienis sese fœderibus innectat.* Mox sermone, postquam multa de sincero Regis sui animo in Electorem præmisisset, proponebat: *Abnegari equidem non posse, quin is aliquot ab annis Gallo arcta conjunctione innexus fuerit; præsertim cum hic ipsi confirmarit, nil aliud sibi destinatum, quam posito quamprimum bello stabilem deinceps pacem colere. Ea de causa Regem per quosdam suorum ministrorum persuaderi se passum, ut ei se bello non per arma, sed suscepto duntaxat sequestris officio miscuerit, ac pacem pro virili promoverit, certa spe ductus, eam ab utraqre parte sancte servatum iri. Ast post præter opinionem intellexisse, cum Haga super novissima pacis evictione inter ipsum, Hispaniaque Regem & Belgas agitari inciperet, Avauxium acerrime se opposuisse; cum tamen eadem non solum Neomagensem pacem fundamenti loco haberet, sed & ea ipsa pax isti conventioni ansam praberet. Unde & Belgas Regi super eo tractatu ineundo sese excusasse, declinanda Galli offensa; præserim cum fœdus mutua defensionis inter Angliam & Belgas anno 1678 Londini factum eundem scopum spectaret. Ac si maxime nullum inter ipsos fœdus extaret; Belgas tamen certo sibi polliceri posse, ab Anglia se ob proprias ejus Regni rationes urgente necessitate desertum haut iri. Inter Angliam quoque & Hispaniam fœdus laxis verbis conceptum esse, quod facile ad præsentem casum adplicari queat. Gallo haut suffecisse, novum istum tractatum firmanda paci institutum impedire; sed & insuper Belgas ad fœdus defensivum invitasse, non sine inusitato in eam rem studio. Sed Anglum demonstrata ejus negotii indole perviciße, ut Belga id fœdus cum Gallo excusarent; ex quo inter alia propter notam litem de submissione velorum multa noxia provenire potuerint; quod omnibus navarchis Anglicis in mandatis detur, quasvis in freto Britannico sibi occurrentes naves ad submittenda suppara compellere. Sed cum Gallicis navarchis vetitum sit id honoris Anglicis exhibere, Gallo in proclivi fore aggressionis culpam Anglis impingere, eoque Belgas ex fœdere auxilium poscere. Quia igitur Angliæ Rex nil magis quam pacis conservationem cordi habeat, ac eo fine cum Belgis ac Arausionensi, velut qui legitimam, & unicam Magna Britannia haredem connubio sibi junxerit, secreto consilia contulerit; eundem nil magis optare, quam ut & alii Principes, quibus idem studium, eadem rationes sint, ad tam salutarem scopum obtinendum operam conjungere velint. Eo fine Regem, etsi cum Dano, Suecoque, tum Monasteriensi, Cassellano, ac Luneburgicis per legatos agere instituerit, ante omnes legationem ad Electorem maturasse, quem vetustissimum atque optimum amicorum astimet, & qui tam longo regimine, ac pracipue novissimo bello tantum sibi gloria peperit, ut Rex speret, si quid turbarum deinceps oriatur, eum ducem se bonarum partium laturum. Suadere id non solum pacis studium, sed & Protestantium sacra, qua & ipse Rex profiteatur, & quibus ad mortem usque inhasurus sit. Utrumque etiam Arausionensi arctissima cognatione conjunctum. Et si maxime in futurum haut temere bellum sit metuendum; utriusque rationibus tamen convenire, si vetus amicitia, ac novissimum fœdus, quod paucos ante annos expiravit, instauretur, & ad præsentium faciem temporum adaptetur.* Addebat, sibi haut in animo esse diu cauponari, sed mandata sua mox expositurum; ac petebat, ut negotium acceleretur, quo Elector aliis ad paria consilia amplectenda exemplo præire queat. De Gallo nil peculiariter movere velle; etsi notum sit, quantos armorum paratus iste faciat. Sed quæ priori tractatui jam renovando addi velit 1680.

1680. lit hæc eſſe. Orto bello una pars alteri mutuum auxilium præſtabit; cujus auxilii modus ſeparato tractatu definiri queat. Rex id auxilium fœderato ſuo protinus ſubmittet, ubi invaſio ab aggreſſore facta, ac ipſe requiſitus fuerit. Et quanquam eo caſu aggreſſor obtendat, Regem id auxilium mittere non poſſe, ni ſimul cum ipſo in bellum erumpat: Rex tamen eo inſuper habito bellum ſuo quoque nomine in aggreſſorem ſumet, ac eidem terra, marique arma inferet, ſuper quorum modo ante rupturam conventum fuerit. Poſt rupturam pax, aut induciæ haut fient, niſi mutuo partium conſenſu, & poſt obtentam reparationem & ſatisfactionem. Articulis ſeparatis modum auxilii definiri poſſe, ut Elector Regi, ubi hic invadatur VI M militum auxilio mittat, aut eorum in vicem VI M librarum Sterlinenſium menſtrua: Rex viciſſim eundem militum numerum repræſentet, aut eandem pecuniæ ſummam Hamburgi, aut Amſtelodami numerandam. Inſuper Rex octo naves bellicas trecentis viginti machinis, ac reliquo paratu inſtructas, aut plures minores eodem machinarum numero armatas in Oceanum Septentrionalem, aut Mare Balticum Electori auxilio mittat. Si Elector terreſtrem militem haut deſideret, Rex duplum navium & machinarum numerum exhibeat.

Electoris ad eam invitationem declaratio.

§. 4. Ad iſta Elector reponebat: *Sibi hanc miſſionem, & ad fœdus invitationem, tanquam luculentum regii in ipſum affectus documentum, longe gratiſſimam eſſe. Se quidem, qui redditis tot egregiis ac tanto ſumtu partis ditionibus ſatis declararit, quantopere communem quietem propriis emolumentis præferat, omnia, quæ penes ſe ſint, collaturum ſervandæ Europæ tranquillitati; eoque fine cum Anglo candide conſilia communicaturum. Spem quoque eſſe, Europam fructu pacis tanto labore quæſitæ gaviſuram, quod non ſolum Angliæ Rex tam laudabilem curam circa firmandam opera ſua conciliatam pacem teſtetur; ſ. d & quia omnes Chriſtiani Principes idem ſtudium profiteantur. Et quia credi par ſit, ea ſpe neminem eorum, quorum intereſt pacem ſervari, adhuc e re judicaſſe, aliquam obligationem ab hoc ſcopo abeuntem induere; verendum ſibi eſſe, ne ſi ipſe primus ejusmodi fœdus ineat, id ſuſpicionibus, ac adverſis fœderibus anſam præbeat, eoque contrarium plane effectum ab eo, quem Rex ſpectet, ac ipſe optet, pariat. Cæterum uti ipſe ob vinculum communium ſacrorum, ac ob reſpectum in Arauſionenſem, quem ſingulari affectu amplectatur, Regi ſemper ſit addictiſſimus, in cujus amicitia quantum reponat, noviſſimo hocce bello ſatis teſtatus ſit: ita nunquam ſe quid omiſſurum, quod ad amicitiam Regis ſibi tam honorificam conſervandam faciat; nec magis quid exoptare, quam occaſionem per ſolida id documenta Regi demonſtrandi.* Eo reſponſo Soutvvellus haut contentus cenſebat, Electorem non dubitaturum ſaltem prius fœdus renovare, quod ante novem annos expiraverit, quo nil contineatur cuipiam offenſæ cauſam præbere aptum. Si iniquarum ſuſpicionum ratio habeatur, nunquam integrum fore fœdera pangere, aut arma parare. Principes quoque Germaniæ hac tergiverſatione plane animis collapſu-

29. April, ros. Ad quæ noſtri: Electori nil ſcrupuli eſſe circa renovationem antiqui fœderis, quam toties in Anglia ſolicitaverit; ac honori ſibi ducere, 1680. quod a Rege ad novum fœdus invitetur. Enimvero judicare, nondum adhuc tempeſtivum eſſe de ejusmodi fœderibus cogitare, magis variis ſuſpicionibus ac motibus quam paci firmandæ inſervituris. Sane & Belgas oblatum fœdus eo prætexto excuſaſſe, ne Gallo per id ſuſpicio injiciatur. Quin & ipſum Angliæ Regem, cum Elector quondam per Suerinum fœderis renovationem quæreret, eo obtentu id abnuiſſe, ne Gallus ſuſpicione perſtringatur. Ad quæ ablegatus nil quod reponeret habebat, quam eo tempore Regem Angliæ arcto fœdere innexum fuiſſe. Sed eundem nunc clarius perſpicere, quid tam proprii Regni, quam communes Chriſtiani orbis rationes requirant. Et in hunc ſenſum eidem reſponſum ſcripto datum, addito multo verborum honore. Qui cum deinceps aliquot menſes in aula Electoris egiſſet, prætexto adverſæ valetudinis domum revocabatur. 21. Maji.

27 Octob.

Cæſar Electorem ad conventum invitat. 8. Maji.

§. 5. Nec minus Cæſar per Joannem Philippum Lambergium Comitem de Electore in novum fœdus pertrahendo agebat. Is ſcripto proponebat: *Ex actis a Gallo manifeſte patere, eum id unice ſpectare, ut potentia ſua formidinem omni ex parte diffundat, ac præcipue proculcata Weſtphalica pace Germaniæ multa decerpat, quam & demum plane ſub jugum mittere meditetur. Eundem circa deſtinata ſua magis obfirmatum iri, ubi videat, eos quorum intereſt ad ipſius conatus connivere, nec hisce omni jure permiſſa remedia opponere, velut ſua ipſi modeſtia modum præſcriptura ſit. Unde Cæſari neceſſarium viſum, ad proximum menſem Julium Ratiſponæ cum præcipuis Electorum, atque Principum congreſſu habito ſuper defenſionis modo convenire, ut toti orbi conſtet, in ſe nil deſiderari, quod ad ſecuritatem publicam faciat. Super ea re Electoris ſententiam noſſe cupere, & num is Ratiſponam ſe conferre velit, ac quos Principes potiſſimum eodem invitandos judicet? Atque hoc eo magis ab Electore expectari, quod is anno 1672 per Joannem Georgium Anhaltinum Principem ultro Cæſari ingeſſerit, quam neceſſarium ſit citra moram gliſcenti Galli potentiæ obſiſtere. Id quod in præſens eo magis locum habeat, quod vires Galliæ in dies augeantur, non obſcuro amplius de invadenda Europæ monarchia deſtinato; ac Rheni accolas jam eo redactos, ut ſuper tentatis injuriis queri non audeant. Cæterum obtentu ſuſpicionis, quam Gallus inde concepturus ſit, eo conventu haut abſtinendum, ni coram toto orbe fateri velimus, penes Gallum jam arbitrium Germaniæ eſſe, ejusque libertatem conclamatam, Cæſare non amplius de republica conſultare audente. Hoc congreſſu quoque ſcrupulum, qui pleroſque urget, amotum iri, quod nemo temere ſententiam ſuam primo loco expromere audeat; quod decretum ibi ab univerſis capiendum ſit. Nec eſſe, quod expectetur, num quod operæ pretium miſſus in Galliam a Cæſare Comes Mansfeldius facturus ſit. Illum ſane præter inania verba nil relaturum, queis in ſoporem dari eorum non ſit, qui Gallos tot e documentis norunt. Adverſa valetudine Electorem ne ab expeditionibus quidem abſterritum, quibus præſentia ipſius tantum pondus addiderit. Eo congreſſu veteri amicitiæ inter Cæſarem, atque Electorem plurimum acceſſurum, ſimul occaſionem inventum iri multis partibus huic ſatisfaciendi.* Ad iſta Elector: Cæſa- 13. Maji.

ris

1680. ris studium summopere laudandum circa curandas Imperii res, cujus conditio nunc longe periculosior sit, quam durante adhuc bello. Eoque consultationes plus circumspectionis requirere, quod præcipua Imperii membra, armis insigniter instructa, nondum urgente hoste per pacem Neomagensem distracta sint, ut nunc exteris in proclivi sit unum post alterum opprimere. Id quod metuendum non fuerat, si vires, & consilia unita perstitissent. Ac optare se, ut Cæsar, quæ heic occurrant, difficultates superare, cum vicinis pacem retinere, ac Imperii majestatem conservare queat. Se quidem libenter pro incumbente officio consilium subministraturum circa omnia, quæ ad salutem patriæ faciant. Sed si in mentem veniat, quam malignum exitum res sortitæ sint, cum Germania unita, ac tam egregie armis instructa foret; vix sibi constare, quid dicendum sit, postquam dissolutis viribus Ordines jam ultro impotentiam suam querelis differant, ac pluribus ob tam insperatam mutationem alia consilia capessenda fuerint. Præsertim cum Gallus ingentes adhuc vires in promtu habeat, quarum pars in limite Germaniæ parata stet, pecunia, & commeatu instructissima. An igitur hæc omnia, ac alia, quorum ratio utique habenda est, hoc congressu superari queant, ex eventu adpariturum. Equidem Gallum huic conventui haut intercessurum videri, quamdiu de salute, & quiete Imperii consultetur; qui & jactet, ad ea, quæ jam suscipiat, per pacem jus sibi quæsitum. Unde ante omnia necessum fore, quæ inter novissimos tractatus acta sint discuti, ac justam pactorum interpretationem erui. Quod si igitur Cæsari, & aliis Electoribus ejusmodi congressus Ratisponæ, aut alibi placeat, se reliquorum sententiæ facile accessurum. Sed ut ipse eo se conferat, valetudinem non permittere. Cæterum ab Imperio rationes se suas haut dissociaturum. Ac sperare, si res idoneo modo proponatur, Gallum ita declaraturum, prout gloria, ac generoso ejus animo dignum sit, ac prout idem ita frequenter de studio suo circa tuendam Christiani orbis quietem testatus sit.

Cæsar denuo Electorem solicitat. 11. Jun.

§. 6. Sed & Hermannus Marchio Badensis ex itinere apud Electorem divertebat, literis fiduciariis a Cæsare instructus: qui exponebat; *Cæsaris mentem hac rerum facie esse, ut totum Imperium de perpetuo armorum paratu inter se conveniat, per quem Cæsari facultas sit ejus securitatem, atque majestatem tuendi, ac si qui hostes ingruant, iis protinus quantum res exigat occurrendi: tum ne vicini, ac fœderati, si in fraudem Germaniæ impetantur, opprimi queant. Quæ tamen nullius offensam spectent, sed unice ut necessaria patriæ defensio adversus exterorum invasiones præstetur; inprimis ut pax Westphalica conservetur, ac Turcis idonea vires opponi queant, quibus cum inita vicennales induciæ anno 1683 finem attingant. Isthæc qua ratione quam commodissime effici queant, Electoris mentem nosse cupere. Circa quod negotium Cæsari cumprimis curæ fore, ut libertas Ordinum, legesque Imperii sarta tecta præstentur, sic ut nemini plus oneris imponatur, quam quantum necessitas boni publici, & æquitas cujusque opibus attemperata requirat, salvis etiam cujusque sacris ad pacis Westphalicæ normam. Equidem ejusmodi negotium sine magnis oneribus, ac sumtibus perfici non posse. Enimvero quia Imperium a prima ejus origine nunquam tanto in periculo versatum fuerit, necessitatem exigere, ut dura quantumvis toleretur, declinando externo servitio. Præsertim cum longius dilata hacce defensione remedio deinceps locus haut fore videatur. Quod si maxime unus, & alter Ordinum per imprudentiam, aut pervicaciam in hos armorum paratus consentire nolit, ejus rationem non habendam, sed haut eo secius iis, queis salus Reip. cordi est, decernendum, quod ex usu patriæ sit.* 1680. Ad isthæc Elector regerebat, quæ non ita pridem Lamberto Comiti responderat; ac in arbitrium Cæsaris referebat, quem is modum huic scopo obtinendo eligere velit. Se quidem ad ea, quæ communi consensu decernenda sint, libenter ratam partem collaturum; ac esse sibi in promtu egregium militem, tum consilia unice ad pacem dirigi. Ad quod responsum Marchio nihil reponebat. Nec Electori e re videbatur, valde licet instante Lambergio, ad peculiaria descendere; quod neque ex usu patriæ, nec propriis e rationibus judicaret, eo se pertrahendum præbere, quo isti tendebant.

Galli in diversa tendunt.

§. 7. Ast Rebenacius ablegatus Gallicus ejusmodi fœdera, quæ a Cæsare, Angloque ostententur, procul habenda suadebat, velut quæ unice adversus Galliam quærantur, haut timide fremens, si Rex suus animadvertat talia pangi, eum suæ quoque securitati prospecturum, ac non expectato, quoad in effectum erumpant, inimicorum conatus præventurum. Quanquam enim prima fronte innoxia videantur; semel tamen coalitam factionem longius progressuram. Id constare, Cæsarem, & Anglum ingenti invidia, cœcisque odiis adversus Galli gloriam æstuare, ac nil præter occasionem aucupari exserendis hostilibus. Electorem quoque sat documentorum percepisse, quantum Cæsaris amicitia confidere debeat, ac quam æquis oculis hic incrementa ipsius adspiciat. Cæsarem, & Anglum fœdus proponere, unum ex ambitione, alterum e nativa invidia, cui multos esse accessuros jactent. Obtentui sumi actus nonnullos, queis pacem infractam arguant. Cum tamen omnia ista jam Neomagi in disceptationem adducta sint, quibus Cæsarei tunc destiterint. Reliqua inania esse. Nec credendum, multos ei fœderi accessuros; saltem Bavarum, & Saxonem id non facturos. Nil aliud ab istis quæri, quam ut amicitia inter Galliæ Regem, atque Electorem imminuatur. Responderet modo Elector; sibi nullam necessitatem adparere fœderis, quod non alium scopum habeat, quam conservationem pacis; cum nemo sit, qui hanc temerare cupiat; ac famam ejusmodi fœderis magis accelerando bello facturam. Electori tutissimum fore Belgarum exemplum imitari; qui ne Gallo suspicionem injicerent, Anglo se per fœdus illigare noluerint.

Elector satisfactionem ab Imperio hautquidquam impetrat.

§. 8. Enimvero ista, quæ a Gallo differebantur, parum ponderis habitura erant, ni longe graviora Electorem retraxissent, quo minus se ut antea primo loco periculis objiceret, ac protinus omnes fortunas periculo exponeret, nullo nisi invidiæ præmio. Superiore bello antequam Elector arma in Suecos moveret, quibuscum sat tolerabilibus conditionibus decidere dabatur, si proprias magis quam patriæ rationes respicere placuisset, Imperium ei indemnitatem, atque satisfactionem

1680. ctionem promiserat. Sed postquam per arma ab hoste sibimet parta satisfactio per separatam pacem ab Imperio ratihabitam erepta foret; par judicabat, pro sumtibus, ac damnis toleratis reparationem sibi ab iis fieri, quorum autoritate bellum susceperat, & qui istam promiserant. Unde super ea satisfactione Ratisponæ proponebat tali tamen cum moderatione, ut per eandem reliquis Ordinibus nil oneris conciliaretur, utque adeo ipse de suo sibi solvere posset. Ast mox adparuit, quam tenuis gratia a reliquis speranda sit, ubi quis proprias opes pro publico effuderit. Equidem si quis in prima quasi acie adversus communem hostem sese collocet, id omnes magno adplausu prosequi. Ast ubi de præmio agitur, altum apud omnes silentium, aut blanda verba nullo effectu. Nam præter solitum isti conventui lentorem, ac infinita dilationum, atque excusationum ludibria, aliorum itidem satisfieri sibi postulantium concursus Electoris desideria elidebat. Ac ut Cæsar quidem aliquot superioris Sueviæ oppida deposceret, sat plausibilem colorem habebat, quod is Friburgum vetus patrimonium Gallis cedere necessum habuisset. Ast id mirum videbatur, quod

28. Maji. Luneburgica quoque Domus sufficientem, & rationi congruam satisfactionem, ac reparationem ingentium sumtuum postularet, quos novissimo bello publico contra Gallos, ac Suecos pro Rep. impenderit magna cum civium suorum molestia, & oppressione. Quæ in fraudem Electoris moveri præter notam eorum Ducum in hunc æmulationem id quoque indicio erat, quod palam profiterentur, ansam sibi ad talia petenda præbitam, quia fœderati quondam sui eadem postulare decreverint. Atqui præterquam quod nemo hostium pedem in eorum Ducum ditione posuisset, cum plures Electoris provinciæ ab istis miserrime fuissent habitæ, constabat; Cellensi, ac Gvelferbytano quos fecerant sumtus ubertim ex assignatis, aut ultro vindicatis hospitiis pensatos, magna quoque Ducatus Bremensis parte per aliquot annos eorundem usibus exposito. Et quam isti ex eo Ducatu nacti erant portionem, sat lautum navatæ operæ præmium habebatur. Hanoveranus vero hostili fœdere implicitus, ut operam suam patriæ subtraheret, ab hoste pecuniam acceperat; ac insuper opimis in Imperio hospitiis gavisus erat, solo Hildesiensi præsulatu per eos annos sexcentis uncialium millibus emuncto. Quam e calamitate patriæ cauponationem per miseriam temporum inultam esse in lucro habendum erat. Ast omnibus indignationem moverat, quod Monasteriensis quoque Præsul pro sumtibus ab antecessore suo factis satisfieri sibi postularet, velut adhuc præmio mactandus foret, qui inter exitiabilis belli incentores non postremus fuerat, ac avaritiæ suæ egregie litaverat, qua maxima lucri spes affulgeret studia transferens, ac publica mala in commercium non sui ordinis vertere callidus. In commune autem, quos cœca invidia in Brandenburgicam Domum urebat, disserebant; Electoris postulatum tanti esse momenti, ut si alii, queis par prætensio, gemina exigere instituant, vix tota Germania suffectura sit, eo nomine inter istos partienda. Electorem sæpius testatum, se nil petiturum, quod Imperio, aut cuipiam Ordinum fraudi esse queat.

Per Senatusconsultum anno 1675 promissam indemnitatem eo duntaxat porrigendam, ut satisfactio ex hostico per commune Ordinum auxilium quærenda sit. Eam obligationem per peculiares tractatus ab Electore cum hostibus Imperii susceptos exolevisse. Multo minus Imperium in se eventus belli recepisse, aut quod evictionem velit præstare eorum, quæ Elector auxilio Imperii hostibus erepta post sorte belli subigente derelinquere necessum habuerit. Denique haut spernenda esse, quæ Elector novissima pace adquisiverit. Ad propositos a nostris modos, quibus Electori sine impensa Imperii satisfieri posse censebant, regerebatur. Expectativam in Frisiam Orientalem continere votum captandæ mortis, eoque merito odiosissimam habendam, ac Cæsaream capitulationem ejusmodi vacantia feuda publicis usibus adplicari jubere. Ac ut maxime Capitulatio Leopoldi talia feuda a Cæsare cum consensu Electorum in alios transferri permittat; eam tamen concessionem ad casum mortis, aut ubi feudum a possessore commissum fuerit, restringi. Qui casus circa Frisiam non extet, ubi juvenis Princeps sit cum spe prolis: ac insuper alii successores e veteri linea Comitum Riedbergensium superstites agant. Tres civitates Imperiales Mulhusam, Northusam, & Tremoniam quod spectat, haut fas esse uni Ordinum super alterius statu disponere; ac Electorem potius velut directorem Inferioris Saxoniæ & Westphaliæ ad istarum libertatem tuendam teneri. Saxonem quoque certa jura in Mulhusam & Northusam prætendere. Nunquam Collegium civitatum in id consensurum, quod alias satis attenuatum sit: nec Cæsarem, cujus ærario plurimum emolumenti e civitatibus proveniat. Denique canonicatus extinguere per Instrumentum Pacis integrum non esse, a quo ne latum unguem discedendum, ni Resp. iterum in pristinam confusionem præcipitanda sit. Ad ista a nostris reponebatur. Ab Electore aliorum novissimo bello merita haut elevari; inter suam tamen & aliorum actionem manifestissimum discrimen esse. Cum enim initio belli, quando Trevirensis & Palatinus a Gallo invadebantur, Elector in pace ageret, ac certo modo huic juxta, ac Sueco fœdere junctus foret, hortante tamen Cæsare, cum rata portione præstita defungi licuisset, totis viribus expeditionem in Alsatiam suscepisse. Quo obtentu Suecos post ipsius ditiones invasisse: adversus quos Imperium ex SCto auxilium, guarantiam & satisfactionem promiserit. Qua ratione nemini, præterquam Trevirensi, cautum esse. 7. Jul. 1675. Et cum favente fortuna sibi datum fuerit hostes Germania ejicere; separata tamen pace inter Imperium & Reges sese exclusum, subducta ab Imperio promissa ope; eoque se coactum justissimo bello parta reddere. Inique porro vim SCti jejuna interpretatione elusum iri. Sane nunquam promissa auxilia & satisfactionem ab Imperio præstitam. Equidem a Cæsare nonnihil copiarum ad priorem expeditionem in Pomeraniam submissum, sed e peculiaribus pactis. Luneburgicis quoque pro navata opera exactam refusionem factam. Præter hos neque Imperium, neque ullum Ordinum vel uno milite sibi subvenisse, se licet enixe, ac sæpe instante, ac promittente,

1680. te, se cum XX M & amplius post liberatam ab hoste Borussiam contra Gallos ad Rhenum versurum. Quin usque adeo a Circulo Superioris Saxoniæ quadringentos milites custodiendo Berolino negatos. Suam porro actionem eo magis confirmari, quod ipse separata pace exclusus non omni solum auxilio destitutus, sed & propria defensio negato innoxio transitu ademta fuerit, sic ut hostium libidini exponeretur ab iis, qui ad tutandum ipsum tenebantur. Usque adeo absurde jactari, vim promissæ ab Imperio satisfactionis ideo exolevisse, quod sibi ab omnibus deserto demum per duram pacem fortunæ suæ exitio subducendæ fuerint. Quod autem ipse ad extremum in Westphalia Gallorum armis cedere coactus fuerit, id non tam aleæ belli adscribentum, quam quod ipse tam potenti Regi per pacem Neomagensem prædæ expositus fuerit, via quoque ad suas ditiones invadendas munita. Modicum id, quod ab utroque Rege per tractatus obtentum sit, nulla ex parte Imperio deberi, quod ne tantillum quidem officii interposuerit; sic ut per hoc nullo modo isthoc sua se obligatione exuere potuerit. Quin quod istud ne minimam quidem partem comparari queat cum damno & sumtibus, quos ipse toto bello toleraverit, & cum eo, quod per pacem restituendum fuerit. Quin Clivicas provincias per octo menses post pacem Neomagensem longe plus pecuniæ Gallis in tributum erogasse, quam quanti fuerint, quæ sibi a Gallis numerata sint. Nec vero a se proposita tantis difficultatibus, uti jactatur, laborare. Expectativis in Germania nil frequentius, quæ & nil invidiosum habeant. Veteribus Capitulationibus haut vetitum vacantia feuda in bene meritos denuo conferre; ac in eam rem non unum exemplum extare. Per Capitulationem Leopoldi æque vacantia feuda, quam expectativas cum consensu Electorum concedi posse. Frisiam tantum exempli causa propositam; ac cum ejusmodi spes successionis non nisi post extinctam possessionis stirpem effectum sortiatur, familiæ Frisicæ perinde esse posse, quis post ipsius fata in Principatu succedat. Esse quoque sibi spem successionis in aliorum ditiones, esse eandem aliis in suas; nec tamen quempiam in alterius gratiam ocyus, aut serius mori. Ac se facile ferre posse, eam expectativam ita circumscribi, ut si alia ratio magis idonea, qua sibi satisfieri queat, inveniatur, eadem iterum aboleatur. Civitates Imperiales etiam majoris momenti aliis Ordinibus, aut ipsis exteris expresso, aut tacito consensu concedi, aut relinqui, non insolitum. Nec juri gentium, ac vinculo rerumpublicarum, & humanæ societatis magis quid congruum, quam totum corpus jactura unius vel alterius membri servari. Equidem singulis Ordinibus de aliis disponere haut integrum esse. Sed quid juris toti corpori in singula membra sit, præsertim ubi publica salus id exigat, nemini ignotum esse. Denique per tres eas civitates Imperio nil decessurum, cum ipse ab istis Imperio, aut Circulis debita in se sit suscepturus; nec Collegio civitatum novum inde onus adcrescat. Quin earum conditionem in melius ituram; quod modicæ urbes plerumque armatis vicinis in hospitia assignentur, aut eorum libidini exponantur; qualia sub potentioris protectione agentibus metuenda non sint. Ista licet subinde moverentur, nec plerique postulatorum æquitatem abnuerent; nunquam tamen ab Electore quid, dum vixit, obtineri potuit. 1680.

§. 9. Sed & alia causa Electorem ad amplectendam Galli amicitiam subigebat, quod post novissimam pacem haut satis sibi de Dani amicitia cautum videretur. Hic enim de fœdere Suecico nil plane ipsi in antecessum significarat, ac id jam conclusum communicare abnuerat, simul fœdus cum ipso renovare pure abnuerat. Unde & Elector Christophorum Brandium Cancellarium e Danica aula revocabat, jussum tamen asperis verbis, & exprobrationibus abstinere, ac Regi de sua amicitia confirmare. Ei Hafnia digredienti Joannes Gyldenstierna legatus Suecicus dixerat: Suecos intempestive, ac nullo justo paratu in bellum descendisse, cui persequendo hautquidquam pares fuerint, statu totius Regni confuso, Rege juvene, ac rerum inexperto, ac multis hostibus imminentibus. Tum sequestris munus, non solum autoritatem, sed & insigne emolumentum daturum, temere abjectum; idque omne Magni Gardii pravis consiliis factum. Ea res cum Sueciæ tam improspere cesserit, Regem deinceps subsidiis Gallicis valedicturum, quorum singula centena millia trium millionum jactura pensata sint. Interim intrinsecum Regni statum in melius formaturum, ac res suas ita dispositurum, ut externa pecunia opus non sit habiturus. Nec minus commercia exculturum, ac ut quies Germaniæ, pax Westphalica, ac libertas Imperii sarta tecta perstet, curaturum. Cæterum id fœdus inter Danum, & Suecum ea factio in aula Danica, quæ Electori parum studebat, conciliaverat. Jam olim quippe Brandii fratres Regi Daniæ demonstraverant, uti Grifenfeldius, optatissima quantumvis occasione arridente, congressum ipsius cum Electore Gadebuschi dissvaserit, quod metueret, ne Rex bellandi cupidine imbutus bellicos duces sibi præferret, imminuta in se gratia. Quæ demonstratio tantum effecerat, ut Rex anno 1675 tres literas propria manu ad Electorem scriberet ignaro Grifenfeldio. Sed & novissimus congressus Dobrani invito Hahnio susceptus erat, qui & ipse una cum Antonio Altenburgensi Comite laborabat Regem ab Electore separare, ne forte huic occasio foret ipsos gratia Regis depellendi. Unde per fœdus Suecicum Regem adstringere conabantur, ne vel propriam inclinationem ad bellum sequeretur, vel ab Electore ad id induceretur, quo arctioris conjunctionis occasio inter utrumque ne esset. Isti duo cum Regi fœdus Suecicum persvaderent, Janum Julum in partes pertraxerant, qui seipsum obsidem ferebat, Sueco sincerum in Daniam studium esse; Alefeldio Comite contra cavillante, sponsionem a triginta millibus armatis interpositam plus ponderis habituram; qui & istud fœdus Daniæ parum proficuum censebat. Quin & ipse Gyldenstierna per temulentiam jecerat, amicitiam inter Sueciam, & Daniam haut fore diuturnam. Etsi secreta quædam, & altius penetrantia tunc a Gyldenstierna cum Dania agitata constat; unde, & qui ejus secreti

Electoris circa Daniæ Regem consilentiones.

1680. creti conscii erant, post istius mortem non parum perturbationis ostendebant. Cæterum nuptiæ demum inter Regem Sueciæ, & Vlricam Eleonoram Daniæ Regis sororem succedebant; circa quam id a prudentibus valde commendabatur, velut generosæ castimoniæ specimen, quod nullo modo fiduciariam matrimonialis contractus perfectionem cum legato, uti alias inter id fastigii sponsos moris est, admittere vellet. Quæ & maximam spem insitatæ in futuros cives benignitatis Sueciæ inferebat, memorabili cura circa eos exserta, qui e Bornholmensi naufragio superstites Hafniæ captivi tenebantur; in quos miseria & morbis fere confectos quicquid pecuniæ corradere poterat impendebat, ad extremum gemmis quoque suis pignore expositis. Vicissim species insultationis, actui, qui firmandæ amicitiæ inservire debebat, parum quadrans habebatur, quod e sex navibus bellicis, quæ dum sponsa regia per Oresundam celoce transvehitur, festivis displosionibus perstrepebant, quinque essent Suecis novissimo bello ereptæ, Mars, Julius Cæsar, Draco, Amaranthis, & Leo Suecicus. Iis nuptiis ne collisio inter legatos Danicos, & Feuquierium Gallum existeret, Rex Sueciæ huic persuaserat, cerimonias nuptiales Halmstadii peractum iri. Ea opinione imbutus Feuquierius Halmstadii persistebat, dum Rex interim, velut obviam sponsæ processurus, Scattorpii, nobili prætorio, nuptias perficit. Vnde & Heugius legatus in Galliam mittebatur splendidissimo cum comitatu, qui Galli amicitiam ingentibus pollicitis occuparet: eo majore successus spe, quod ista inter Galliam, & Sueciam in dies magis frigeret. Quæ res ut Dano succederet Electori quoque valde cordi erat; quod perstante inter Boreales Reges conjunctione non sat sibi securitatis in amicitia Gallica inveniri judicaret. Idque eo magis, quod Gyldenstierna Hafniæ exquisiverat, num Dani quietem acturi essent, si Sueci Electorem, de quo aliquando ultionem sumere existimationis recuperandæ necessitas subigeret, aggrediantur; simul Danos omni modo in Electorem irritare laborabat.

Elector in Hispanos offensam exserit

§ 10. Cæterum Elector etsi a reliquis fœderatis illatas injurias nondum digesserat; tamen in Hispanos præcipue dolor, iraque adhuc æstuabat, qui tam indignis modis ipsi illuserant; cum tamen ipse in eorum gratiam potissimum Pomeraniam amittere coactus fuisset, quo isti oppida sua per ignaviam amissa recipere possent. Et quia exigua spes erat a tam malis nominibus aliquid extundendi, saltem illata iisdem contumelia dolorem suum utcunque mulcere instituebat. Ac jam Melchiorem Rucquium, re infecta ex Hispania discedentem, denuntiare istis jusserat: quia per tot annorum solicitationes nil effectum sit, sibi demum aliam viam paulo efficaciorem dispiciendam, ut debita satisfactione potiatur: ac se excusatum fore de omnibus incommodis inde proventuris. Eadem Elector per Spanium Villæ Hermosæ significabat. Sane & Galli eandem viam exigendis contributionum residuis institerant. Ac Belgæ ante aliquot annos ob debita Arausionensi ab Hispano represalias decreverant. Igitur cum Elector octo naves bellicas mediocris formæ, queis per bellum rem in Mari Baltico gesserat, in Guineam mittere constituisset, commerciis ibi stabiliendis, iisdem injunxit Hispanicis navibus manum injicere represaliarum jure ob octies decies centena uncialium millia, quæ Hispani ex fœdere debebant. 1680. Prius tamen a Gallo stipulabatur, ut si Hispani eo nomine in Cliviam quid tentarent, is auxilio sibi veniret. 15. Maj. Qui & recenti præsertim amicitia eo proniorem se petitis ostendebat, quod & ipse per arma in possessionem sese immittere fuerat eorum quæ sibi deberi crediderat, si maxime adversa pars jus agnoscere nollet; cum heic Hispani debitum haut inficiarentur. A Daniæ autem Rege liberum transitum per Oresundam iis navibus petebat, sciscitatus simul, num is in ejus expeditionis partem venire velit. Cui idem respondebat: sibi quidem ab Hispanis tres milliones deberi; sed in præsens ad id consilii descendere non posse, quod instructus non sit. Alias Electoris navibus liberum fore e Danicis fretis excurrere; ut tamen in eam rem scripti quid mandati præfecto arcis Cronoburgensis dare nollet. Contra Sueci audita earum navium armatura non parum inde æmulationis ostendebant, ne forte res navalis Electoris in Mari Baltico glisceret in fraudem Borealium Regum, qui sibi solis dominium ejus maris ab aliquo tempore asseruerant. Simul Danis factum Christiani IV Regis ostentabant, qui anno 1639 Uladislai IV Regis Poloniæ naves bellicas ab ora Gedanensi abripuerat. Ac monebat Alefeldius Cancellarius, esse quod Elector sibi prospiciat. Equidem super tantillo numero navium minoris formæ nil controversiæ motum iri. Ast si is majores naves, quinquaginta, aut sexaginta machinis instructas, ædificare instituat, forte contradictionem non defore. Simul judicabat, ubi in freto Britannico quid tentetur, Anglum eo nomine offensam testaturum, velut qui istius dominium sibi asserat. Sed Elector isti confirmari jubebat; sibi haut in animo esse classem instruere, quæ Daniæ suspicionem injicere possit; ac sibi huc fuisse descendendum, quod Hispani debitum explere abnuant, nec judex sit, qui morosos debitores ad solvendum compellat. Ast Electoris naves e Mari Baltico in Oceanum transgressæ, cum paulisper sub Zelandia in anchoris stetissent, demum grandem navem bellicam Hispanicam, cui Caroli II. vocabulum, pretiosis mercibus onustam ad littus Ostendæ abripiunt; quæ post per Oresundam in Borussiam deducta fuit, mercibus Regiomonte distractis.

Super abrepta Hispanica navi strepunt.

§. 11. Eo super facto Hispani protinus atroces clamores tollebant. Ac Hafniæ quidem Hispanicus minister petebat, ut Daniæ Rex Electoris naves, & quas is Hispano eripuisset, in Oresunda sisteret. Vnde Alefeldius satius esse ducebat, eas naves vel noctu Oresundam transire, vel per Majorem Baltem reditum sumere. Post Hispano responsum: Electoris naves clam evasisse. Ast Hagæ Hispanicus ablegatus Fuen-Major calido libello Belgas stimulabat: nec qui Londini erat segnius tumultuabatur. Ac Anglus quidem statim aliquot naves bellicas mari immisit, ne forte nostri Parmensem Ducem, qui ex Hispania Belgium versus in itinere erat interciperent. Sed mox cum

1680. cum Electorales ministri demonstrarent, quibus rationibus Elector ad violentam istam executionem permotus foret, sedato impetu non nisi amica officia interponebant, rogantes tantum, ne longius procedatur. Ac Elector ipse literis ad Regem Hispaniæ datis, quæ in eam rem dici poterant, cordate ingerebat: Se omnia, quæ ex fœdere debuerit, bona fide præstitisse; contra ab Hispano post tot annorum solicitationes nil extundi potuisse. Cum igitur sibi totiens illuso nullum aliud tribunal patuerit, ad represalias fuisse descendendum, quoad solutum sit, quod sibi debeatur. Extra id nil hostile in Hispaniam agitare. Eæ literæ ad Marchionem Granæ legatum Madriti Cæsareum transmittebantur, ut eas Regi redderet; sed qui eas remittebat, causatus, plus ad exasperandam, quam leniendam offensam facturas fuisse, præsertim cum jam earum literarum exempla complura in Hispania extiterint: ac reddito avtographo responsum fuisse secuturum, animos utrinque magis irritaturum. Hispani contra scriptum edebant, parum a libelli famosi indole discedens, falsis narratis juxta, ac sententiis refertum. Regem pro captu temporum omnia præstitisse, quæ fieri potuerint. Eum haut obligatum fuisse bellum eousque tolerare, quoad Electori satisfactum fuerit. Huic curam magis fuisse Suecos Pomerania exturbare, quam in Gallos ad Rhenum pugnare; nec istis licet Borussia ejectis huc vertisse. Pacem ab eodem mature fuisse occupandam, nec per incertarum rerum spem tantum malorum propria culpa arcessendum. Belgas quoque suo exemplo Hispanis separatæ pacis necessitatem imposuisse. Porro si quid debebatur, Hispano velut Circuli Burgundici possessori apud Cæsarem actionem fuisse intentandam, aut alia juris remedia adhibenda in Imperio usu recepta. Si maxime debitum una vice exsolvi haut potuerit, non ideo ad extrema ruendum; præsertim cum Hispanus istud non inficietur. Non in solius Hispani gratiam Electorem arma gessisse, sed pro communi causa, pro patria, pro reliquis fœderatis; pro quibus opes ac sanguinem profundere pulcrum sit Principi, qui servator, ac defensor patriæ audire gaudeat. Ea via immortale nomen adquiri; solum lucrum respicere mercatorum esse. Ancipitem esse belli aleam, quæ aliquando emolumentum, sæpius damnum pariat. In bellum descensuro adquiescendum esse eo, quod sors tulerit. Si Elector satisfieri sibi cupiat, ab eodem quoque illis Ordinibus satisfaciendum, quibus maxima damna suo milite dederit. In lucro ei habendum, omnes ditiones suas servasse, ac subinde eundem non spernendas summas pecuniæ subsidiariæ obtinuisse; præter tractum terræ trans Oderam non modici pretii. Si plura affectet, indicare, non sibi patriæ libertatem, sed proprias opes cordi fuisse. Igitur gloriosius fore abreptas merces restituere, quæ non Regis, sed privatorum fuerint, qui Electorem nunquam offenderint. Hispano curæ fore, ut ipsi satisfiat. Quæ uti ad rem nihil faciebant; ita cum Anglus, Belgæque officium offerrent, ac ipse Cæsar peteret, ne Elector ulterius tendat, ac se quoque ab Hispano obtenturum, ne hic vim contra moveat, ea lis intra verba stetit. Arausionensis 1680. quoque, qui tunc Berolini erat, amicam compositionem commendabat. Cui Elector declarabat; se statim naves suas revocaturum, ac cum Hispanis transacturum, si debiti dimidiam partem in præsens, reliqua ad certas dies solvere velint, sequestribus spondentibus. Belgis Elector per Romsvvinckelium demonstrari jubebat; suspiciones, quas legatus Hispanicus apud ipsos excitare satagat, inanes esse. Sibi hautquidquam propositum commercia turbare, eoque frustra esse, ipsos armandis navibus sumtus, operamque prodigere. Iisdem, cum merces quasdam in Hispanica navi repertas reclamarent, velut ad cives suos spectantes, Elector reponi jussit: Inter pervulgata mercatorum artificia esse ejusmodi reclamationes. Ac edictis Reip. adversari, merces bellicis navibus imponere. Tum longe majoribus debitis Remp. sibi obstringi, circa quas si sibi satisfiat, a se quoque mercatoribus istis, quod jus exigat, denegatum non iri. Porro Electoris naves in Americam transibant, ubi duas naves modici pretii Hispanis eripiebant, Anglo indignante, quod gubernator Jamaicæ forum iis præbuisset. Post in Europam regressæ ad promontorium S. Vincentii mare percurrebant, si unam atque alteram navem classis Hispanicæ argento onustæ intercipere possent. Qua re intellecta Hispani duodecim naves in Gallecia armabant istis eo mari expellendis; quæ & hisce deprehensis pugnam conserere cœperunt. Sed nostræ post duarum horarum certamen viribus longe impares vento secundo in portum Lusitaniæ *Lagos* exiguo damno accepto se subduxerunt. Mox ea lis silentio involuta est, ac Dux Parmensis Belgii gubernator, cum apud omnes Electores de Galli usurpationibus quereretur, ad Brandenburgicum quoque Baronem Hostellum eo *d'Hostel.* nomine mittebat; satis eo ipso testatus, quæ contigerant non pro hostili facto, sed pro represaliis haberi. Tanto minus rationi congruere videbatur Mauritii Wellingii ministri Suecici intemperies, qui Hafniæ magna cum vehementia in Electoris naves declamabat, contendens, ne Daniæ Rex eas iterum Oresundam transire permitteret. Inter alia exaggerans, easdem aplustre præfectis classis solitum *Pavillon.* gestasse; id quod nemini competat, qui dominium maris non habeat; quo auso Elector partem dominii in Mare Balticum sibi arrogatum eat. Cujus importunitatem Dani eludebant: se non potuisse Electoris conatus adversus Hispanos impedire, cum ipsi in eadem causa sint. Nec tanti esse, ut ob pauculas naves mediocris formæ tumultus excitetur. Ac revera gratum erat Danis, Electorem armatas naves in Mari Baltico habere. Enimvero Elector per Fridericum Brandium reponi jubebat; armaturam navium suarum nil aliud spectare, quam ut ab Hispanis debita extorqueat. Nunquam in mentem sibi venisse, Daniæ ac Sueciæ quid præjudicii adferre. Alias sibi commercium in locis liberis, ac ut mercatorias naves armatis conducat non minus, quam aliis patere. Nec a suis navibus insigne præ-

1680. fectis classis solitum geri, cuipiam fraudi esse, quod nec Angli, nec Galli, nec Belgæ impugnaverint, qui libenter navibus suis in ipsorum portus accessum indulserint. Quin vel minimam Rempublicam, cui portus & armatæ naves sint, jus habere ejusmodi navium insignia gerendi. Alias mirum non esse, Suecos ista ægris oculis adspicere, utpote qui norint, ob inseparabiles Electoris cum Dania rationes Brandenburgicas naves hujus ministeriis paratas fore. Qua declaratione Daniæ Rex adquiescebat atque agnoscebat, ubi classis sit, insigne præfecto solitum geri posse. Cujus & usum Angli nemini in controversiam vocent, modo ipsorum navibus armatis receptus honor exhibeatur in maribus, quorum dominium sibi vindicant. Ac ista a Suecis mota non alio fine, quam ut suspicio inter se, & Electorem excitetur. Nec necessarium apud se fuisse testari, ab hoc partem dominii in Mare Balticum haut queri, nisi ut Suecico ministro importune perstrepenti silentium imponatur.

Elector Ducatus Magdeburgici possessionem capit. du Plessis Gouret.

§. 12. Is annus nonnihil solatii ob redditam Pomeraniam Electori attulit, ditione Magdeburgica per mortem Administratoris Augusti Saxoniæ Ducis in ipsum devoluta. De ejus sontico morbo cum innotuisset, iste Plesseo Gureto tribuno, Magdeburgici præsidii præfecto, in mandatis dederat, ut protinus audita Ducis morte Hallam cum Mauritioburgo, aliaque loca, ubi Administrator militem habebat, in ditionem redigeret, ac una cum Gustavo Adolfo Schulenburgico possessionem regiminis Hallensis capesseret. Qui &, cum Dux fato functus esset,

4. Jun. *6. Jun.* *5. Jun.*

biduo post cum quadringentis militibus Hallam ingressus claves urbis a Senatu sibi tradi jubebat. Etsi Ordines provinciales statim postridie mortem Ducis eam Electori significabant, testati se paratos esse homagio in hunc eventum præstito satisfacere. Idem Guretus mox possessionem arcis Mansfeldensis capiebat. Venere post ab Electore missi Bodo Gladebecius, & Thomas Knesebecius, qui actus imperii tota provincia exercebant, ac insignia Electoris passim affigebant, civibus data dextra fidem suam obstringentibus. A nemine scrupuli quid motum fuit, nisi quod circa tradendum sigillum a Cancellario addubitatum fuit, quod is jurejurando Administratori dicto ex veteri formula promisisset, sede vacante Capituli se autoritatem secuturum. Cui repositum; eam clausulam vim obtinuisse, quando Præsulatus per electionem Capituli conferri solebat. Nunc eundem pace Westphalica in perpetuum feudum seculare immutatum. Ordinibus ad dicendum Electori sacramentum dies XII Octobris dictus erat. Sed cum is ob grassantem iis locis pestilentiam obiri non posset, ea solemnia sequenti anno splendidissima cum pompa celebrata sunt. Cæterum Ratisponæ Palatinus ac Neoburgicus repugnabant, ne Elector Magdeburgici Ducatus nomine proximum a Bavaro locum in scamno seculari capesseret, ac malebant, eum tantisper in transverso scamno considere. Sed Jena eum locum solenniter occupabat, nemini

5. April. 1650. *9. Jun.* *4. Jun. 1681.* *2. Aug.*

præter Palatinum contradicente; nec minus directorium inter Protestantes in Senatu Principum exercebat. 1680.

De unionibus Gallicis.

§. 13. Inter hæc Neomagensis pax funestos fructus proferre cœperat. Postquam enim Gallus separatis tractatibus fœderatos solitis sibi artibus, nec sine horum culpa disjunxisset, eosque maxima invicem diffidentia, atque offensa imbuisset, jam tutum sibi putavit diu cupita exserere, ac magnam partem transrhenani tractus inanibus titulis sibi vindicare. Ea res cum maximi sit momenti, & quæ nondum, dum hæc scribimus, ad liquidum deducta est, operæ pretium videbimus facturi, si quæ ad eandem illustrandam faciunt, ex authenticis negotiationis Monasteriensis monumentis, unde ea controversia promanavit, huc inseruerimus. Ubi quo liquidius lectori judicium sit, ipsa verba concepta haut interpolata etiam Gallico idiomate adponemus, prout tunc res inter partes disceptata fuit. Cum igitur Galli primariam super pace propositionem Monasterii ederent, de sua satisfactione initio non nisi laxis verbis mentionem faciebant articulo 13: *Que pour cet effect outre les precautions generales, qui seront apportées pour la ditte seureté, la satisfaction, qui est deue aux deux Couronnes pour les fatigues, pertes & depenses, qu' elles ont souffertes en cette guerre, sera accordée en sorte, qu' elle puisse contribuer tant à la seureté particuliere des dites deux Couronnes, qu' à celle de leurs Alliez & adherents dans l' Empire.* Ad quæ Cæsarei suo responso reponebant: Cæsaream Majestatem haut teneri ad ullam satisfactionem Coronæ Galliæ præstandam. Hinc Galli replica sua in satisfactionem sibi deposcebant Superiorem & Inferiorem Alsatiam, una cum Urbibus Sylvestribus, Brisgovia & Suntgovia, & iis, quæ antehac Domus Austriaca in Alsatia possedit; & quidem ut Galliæ Rex ista ab Imperio tanquam ejus Status cum voto & sessione in comitiis titulo Landgravii Alsatiæ recognoscat. Quibus accedere debeat Philipsburgum cum pertinentibus, & vicinis locis, quantum opus sit ad ejus præsidium alendum, una cum linea communicationis cum Gallia. Ast postquam Trautmanstorfius Monasterium accessisset, is per sequestres Gallis in satisfactionem offerebat Metim, Tullum, & Virodunum cum Moyenvico & Imperii juribus in Pignerolum; Gallis cavillantibus, id perinde esse, ac si Cæsareis offeratur, ut Austriam retineant. Sed spem esse, hoc oblatum non extremum fore, & propius ad rem accedendum esse. Post ipsi Galli postulata sua his verbis concipiebant. *Pro ulteriore securitate Coronarum & Principum Imperii fœderatorum, nec non pro debita Galliæ satisfactione rationi consentaneum esse, præter oblationes ipsi factas, [trium Præsulatuum,] (quamvis rerum jam ab antiquo ad Coronam pertinentium) ut cedant Galliæ Alsatia Superior & Inferior, inclusis Suntgovia, Brisaco, & Brisgovia, civitatibus sylvestribus cum omni causa, omnive jure, quo ante præsens bellum possidebatur a Principibus Domus Austriacæ. Item maneant in possessione Philipsbergi cum suo territorio, ac dependentiis, locisque necessariis ad liberam & securam cum Regno Galliæ communicationem. Si tamen*

Monasterii circa Gallicam satisfactionem acta. 1645. *Novemb. 1645.* *7. Jan. 1646.*

Imperator

1680. *Imperator & Imperium e re sua judicaverint, ut dicta utraque Alsatia cum Philipsburgo, & suis adherentiis recognoscantur ab Imperio, Gallia non recusabit, modo sessionem habeat & suffragium in diatis, sicut alii Principes & Status Imperii.* Ad hæc Electorale Collegium Monasterii conspirantibus omnium suffragiis censebat: Gallum nullo jure quidquam satisfactionis Imperium poscere, sed huic potius a Gallo satisfactionem deberi. Pacis tamen causa se ferre posse, ut Gallia accipiat, & ab Imperio feudi jure recognoscat Pignerolum & Moyenvicum cum Præsulatibus Meti, Tullo & Viroduno; salvo tamen jure vasallagii Imperii, & aliorum quorum interest. Eadem Principum sententia erat. Inter quos Austriacus pro sententia dicebat:
1. Mart. *Cum igitur ex his omnibus satis adpareat, neque Cæsaream Majestatem, neque Romanum Imperium Galliæ ullam satisfactionem ex contractu vel quasi debere, & tamen ex abundanti, & ad instaurandam inter Imperium, & istud Regnum stabilem amicitiam, simul præscindendis omnibus causis, quæ huic impedimentum deinceps adferre queant, Cæsarei Plenipotentiarii ea jura, quæ Cæsar & Imperium in præsulatus Metim, Tullum & Virodunum, simul Moyenvicum & Pignerolum habeant, & in eorum possessione vel quasi ad hoc usque tempus permanserunt, Galliæ renuntiaturos se obtulerint, (reservatis tamen Electorum, Principum & Ordinum necessario circa ista requisito consensu, conditionibus & exceptionibus;) haut adparet, quomodo salvo jure, & a quo ulterius in Alsatiam & Brugoviam, aliaque loca in solo Imperii prætendi quid, aut postulari possit. Addito, Germaniam semper sibi supremum in eos præsulatus imperium reservasse; eoque falsum esse, quod Galli jactent, istos ab antiquo ad Coronam Galliæ pertinuisse. Cum itaque S. Cæsarea Majestas e congenita animi mansuetudine ac amore pacis tres istos præsulatus cum Pignerolo, & Moyenvico præter debitum cum juribus, quæ Imperio in eosdem competunt, cedere constituerit, id negotium perficiendum Cæsareis Plenipotentiariis relinquendum, salvo tamen aliorum Principum & Ordinum circa eosdem competentibus juribus, quibus ea cessione nihil adimi debeat.* In concluso quoque Collegii Principum diserte additur: *Secuturam negotiationem Principibus & Ordinibus referendam, quo & ipsi ulterius sententiam suam dicere, ac si videatur ratihabitionem addere queant.* Inde Cæsarei peculiari projecto super Gallica satisfactione post multas præmissas conditiones ita declarabant. *Primo, præter tres Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, civitatemque Imperialem Metim, Pignerolum & Moyenvicum, de quorum cessione in Instrumento Pacis specifice disponitur, dicto Regi Christianissimo permanere debebit oppidum Brisacum, &c.* Id quod Galli ita acceptabant. *Les Plenipotentiaires de France entendent, que pour eviter toute sorte de contestations à l' avenir, outre la cession, qui se fera en bonne forme de tous les droits & pretensions de l' Empereur, & de l' Empire dans toute l' estendue des villes & Evechez de Metz, Toul & Verdun, avec la place de Moyenvic, & sur la ville & chasteau de Pignerol, avec tout ce, que depend contenu en l' acquisition, qui en a esté faite de la maison de Savoye, la ville & forteresse de Brisac demeurera au Roy, &c.* Quare autem Cæsar Alsatiam, & reliquas partes Gallis jure allodii concedere mallet, Trautmansdorfius legatis Suecicis hanc rationem reddebat; ut Gallum a consiliis Imperii dimovere queant, quicum alias sat negotii habeant, ac præstare istum velut familiaritate rerum Germanicarum arceri. Forte & commodius a Domo Austriaca has partes recuperari posse, si Gallus easdem seorsim possideat, quam ubi adhuc ab Imperio dependeant. Circa id tempus Franciscus Lotharingiæ Dux, idemque Episcopus Virodunensis protestationem scripto conceptam interponebat; qua inter alia ostendebat, hac oblatione præsulatus Metensis ita crude accepta lædi insignia Romani Imperii membra, ac Status, qui non inviti solum, sed & inauditi hostium Germaniæ infensissimorum potestati dedantur. Nam præter Duces Lotharingiæ esse Bipontinum & Birckenfeldensem, esse Comites de Nassau, Hanau, Eberstein, Sarvverden, Leiningen, Rappolstein, Salm, Rheingravios, & alios. Quo animo hosce laturos injuriam, ut e liberis Statibus Coronæ Gallicæ addictissimi subditi fiant? Igitur a Cæsareis articulus iste de tribus Præsulatibus ita concipiebatur. *Primo, quod jura superioritatis in Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, urbemque Metim, eo modo, quo hactenus ad R. Imperium spectabat, reservatis tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensem pertinente; omnium insuper Ducum, Comitum, Baronum, Nobiliumque feudis, jure clientelari, cæterisque rebus, quæ cuilibet in his Episcopatibus competere possunt. In quibus omnibus per Regem Christianissimum nullatenus molestari, sed omnes & singuli in eo, quo sunt statu immediatæ subjectionis erga R. Imperium relinqui debebunt.* Ast Galli eum articulum ita concipiebant. *Primo, quod supremum dominium, jura superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, urbesque cognomines, horumque Episcopatuum districtus, & nominatim Moyenvicum eo modo, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, in posterum ad Coronam Galliæ spectare debeant, servato tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensem pertinente.* Atque hisce inter alia hanc quoque clausulam permiserant: *Ut hoc quicquid est rei circa mutuam satisfactionem ab Ordinibus Imperii confirmetur & ratihabeatur, cum obligatione præstandi eventum conventionis hujus, ut & cæterarum, quæ ad communem Imperii causam spectant.* Ast cum sequenti anno Cæsarei totum Instrumentum Pacis Gallis exhiberent, in articulo præcipue de Gallica satisfactione quædam mutata reperiebantur, præter id, de quo antea conventum fuerat. Id quod haut invitis Gallis accidebat, quo & sibi ansa foret aliquid mutandi, quod dudum pœnituisset eum articulum ita propere a se conclusum. Ita autem Cæsarei eum articulum conceperant. *Octavo, quo magis autem pax & amicitia inter Imperatorem, S. R. Imperium, Domumque Austriacam & Regem Christianissimum, Regnumque Galliarum stabiliri, conservari & assecurari possit, conventum est, quod supremum dominium, jura superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, urbesque cognomines, horum Episcopatuum districtus, & nominatim Moyenvicum eo modo, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium,*

Jun. 1647.

1640. *perium, in posterum ad Coronam Galliæ spectare debeant; reservato tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatus Trevirensis usum antiquum pertinente, salvo etiam jure sedis Apostolicæ, omnium insuper Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium feudis, jure etiam clientelari, cæterisque rebus, quæ cuilibet eorum in his Episcopatibus competere possint. In quibus omnibus per Regem Christianissimum nullatenus molestari, sed omnes & singuli in eo, quo sunt statu immediatæ subjectionis erga R. Imperium relinqui debebunt. Quemadmodum pariter Rex Christianissimus antiquas istorum Episcopatuum, Ecclesiarumque Collegialium, præpositurarum, prælaturarum, abbatiarum, præbendarumque fundationes juxta eorundem Episcopatuum diœceses nullatenus immutare, commendatariis, aut aliis insititatis oneribus gravare, sed his omnibus proprium eligendi, postulandi, aut conferendi facultatem, fundationibus, privilegiis, moribus, aut institutis competentem salvam, atque illæsam permittere tenebitur. Nec non restituatur in possessionem Episcopatus Virodunensis Dominus Franciscus Lotharingiæ Dux, &c.* Contra Galli suo Instrumento multa dura inseruerant; inter quæ erat, ut immediati R. Imperii Ordines in Metensi, Tullensi, ac Virodunensi, simul Alsatica ditione Galliæ cedenda siti, deinceps velut mediati per omnia Galliæ Regno subditi; tum ut omnes, qui feuda a dictis Episcopatibus obtineant, Coronæ Galliæ subjecti esse debeant. Quod postulatum quia Ordines Imperii magnopere protelabat, Osnabrugis in

7. Aug. 1647. Senatu Principum ita decernebatur. *Quod spectat illos Imperii Ordines, qui feuda à tribus præsulatibus, Meti, Tullo, Viroduno recognoscunt, siquidem corona Galliæ sæpe testata est, se bellum in fraudem Ordinum Imperii, & imminutionem eorundem jurium haut gessisse: simul mens ac intentio prima delineatione Gallicæ satisfactionis fuit, ut Coronæ Galliæ illa tantum jura, quæ R. Imperium in dictos tres præsulatus habuit, cedantur; prædicti etiam Ordines Imperii, inter quos insignes Principum, atque Comitum Domus inveniuntur, non obstante nexu suo feudali erga sæpius dictos præsulatus ob possessa feuda non eorum Ordines provinciales, sed Cæsari, & Romano Imperio semper immediate subjecti fuerunt, ac feudorum istorum non minus quam aliarum ditionum suarum nomine debita Imperio præstiterunt; sicuti & alii Electores, ac Principes insignes urbes ac ditiones ab aliis Ordinibus in feudum recognoscant, qui haut eo minus inter Ordines Imperii censeantur. Cum itaque non adpareat, qua ratione à Corona Galliæ vel mediata vel immediata subjectio in dictos Imperii Ordines adstrui queat, isthanc rei conditionem legatis Gallicis per Cæsareos, aliosque idoneis modis insinuandam; ac spem esse istos, ubi genuinam rei indolem, ac Imperii consuetudinem perceperint, ea prætensione*

1. Aug. 47. *ultro destituros.* In eundem sensum Collegium Civitatum concluserat, hac tamen addita clausula. *Quod si autem ambo superiora Collegia, ac inprimis illi Ordines, quos ea res peculiariter tangit, aliter decernant, ut iis casibus, ubi à dictis Episcopatibus pendentia feuda in alieno, ac speciatim S. R. Imperii solo sita sint; vasallagium quidem Coronæ Galliæ competere debeat; supremum autem dominium & jurisdictio penes R. Imperium maneat; tum ne in istorum Episcopatuum territorio sita bona feudalia homines ligios repugnante feudi natum faciant, sed respectu reliquorum ab Imperio in feudum concessorum bonorum iisdem vasallis immediatus suus sub Imperio status & libertas relinquatur, se hautquidquam intercessuros.* Circa hanc controversiam Salvius lite- 1640.

ris Monasterio scriptis ad Reginam Sueciæ ita referebat: Cæsareos juxta, ac Gallos demum ad Protocolla, & sequestrium testimonia provocasse; quæ utraque, prout Volmarus confirmarit, Cæsareorum intentioni faverint. Ac aliis post 23. Sept. 1647.

literis idem judicat; Gallis demum cum Cæsareis videri conventurum, si maxime isti eo debeant adquiescere, quod superiore anno mense Septembri conclusum fuit; prout illud sibi a Gallis velut extremum dictum sit. Projectum porro Gallicum ita habebat. *Primo, quod supremum dominium, juris superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virodunensem, urbesque cognomines, horumque Episcopatuum districtus, & diœceses cum omnibus Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumque feudis, jure clientelari, cæterisque rebus, quæ intra dictos fines ad Romanum Imperium hactenus spectabant, & nominatim Moyenvicum ad Coronam Galliæ eodem modo deinceps spectare, eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, citra ullam vel juris, vel rei cujuscunque exceptionem; Reservato tantum jure Metropolitano ad Archiepiscopum Trevirensem spectante.* Sed cum Cæsarei isthæc adspernarentur, demum in eam formulam consensum utrinque est, quæ Instrumento publico inserta conspicitur; quam & Josephus Boulanger Secretarius legationis subscripsit, abdicata facultate addendi, demendi, aut mutandi. Ita complures menses super eo negotio nil amplius motum fuit, do- 1. Nov. 1647.

nec sequenti anno delegati Superioris Circuli 14. Jun. 1648.

Rhenani legatos Suecicos accedunt, demonstrantes, uti Trautmanstorfius, & Collegæ, inconsultis Imperii Ordinibus superiore anno Gallis tam insignem satisfactionem annuerint. Quia autem ea alicubi laxioribus verbis concepta sit; Ordinum, inprimis decem Alsatiæ civitatum admodum interesse, ista clarius exprimi. Quanquam autem facile judicari queat, Austriacam Domum circa ea, quæ Galliæ ceduntur, non plus potuisse transferre, quam jus quod ipsa antea iis locis habuit; ac spes sit, adversam partem id in fraudem tertii extendere nolle: tutissimum tamen fore, ut in tempore præveniantur, quæ deinceps litigandi ansam præbere queant. Inde notas quasdam super Gallica satisfactione tradebant, rogantes, Servientum permoverent, ut in eam emendationem consentiat, ac si opus sit, suis postulatis suffragentur. Sane Gallos semper declarasse, se nolle quid controversiæ cum Ordinibus habere. Ad quæ Sueci respondebant: si Servientus Osnabrugas redeat, se facturos, quod sibi conveniat. Sed Servientum sæpe ipsis confirmasse, se simpliciter conceptis jam verbis circa satisfactionem inhæsurum, ac sine ulla additione negotium conclusurum. Notas autem illas quod attinet, pro vocabulo *districtus* poni volebant *pertinentias prout ad illos hactenus spectabant.* Pro reservato *tantum*

1680. *tum* substitui volebant *tamen*. Post *jure metropolitano*, addi cupiebant, *quoad Catholicos, & eorum terras*. Sed in fine paragraphi hanc clausulam annecti petebant. *Atque horum Episcopatuum translatio, sive cessio in Christianissimum Regem, Coronamque Galliæ in reliquis illorum conditionem non reddat deteriorem, sed tam ipsis, quam Capitulis, Equestri item, aliisque Ordinibus, & subditis ipsorum Episcopatuum unicuique sua respective regalia, jura, privilegia, libertates ad eum modum, quo sub Imperio & prioribus Episcopis gavisi sunt, aut jure gaudere potuerunt, ipsis etiam sub Corona Galliæ maneant sarta atque intacta. Multo minus vicinis, aut aliis cujuscunque conditionis Statibus Imperii, ejusdemque Nobilitati immediatæ, sive quoad personas, eorumque subditos, sive quoad bona tam allodialia quam feudalia, intra vel extra territoria, aut etiam districtus illorum Episcopatuum sita, sive ab Imperio, sive ab Episcopatibus hactenus recognita, ac alia omnia in illis locis quocunque titulo habita, possessa, aut exercita jura, utpote in hac translatione, sive concessione neutiquam comprehensa, quidquam præjudicii creet, sed omnes & singuli, interque illos cumprimis Duces, Comites atque Barones de Lutzelburg, Lothringen, Zweibruck, Veldentz, Saarbruck, Saarwerden, Hanau-Busweiler, Vinstingen, Leiningen-Dachsburg, & Rixingen, Krichingen, & alii omnes nullo excepto cum Nobilibus Immediatis in sua, qua antehac erga R. Imperium gavisi sunt, immedietate atque superioritate cum inde dependentibus, ac aliis juribus sine Parlamenti Metensis, aut omni alia, quam dicti Imperii jurisdictione & subjectione, sive quoad Ecclesiastica, sive quoad politica, etiam in bonis feudalibus, quiete & absque ulla turbatione sui juris diœcesani, aut quocunque alio prætextu permaneant. Ita tamen, ut feuda, quæ ab horum Episcopatuum uno vel altero recognita fuerint, requisita hactenus vel non requisita, ab illis ipsis Episcopatibus, sive dominis directis etiam in posterum sine tamen subjectione, iisdem modis & qualitate, nec majore obligatione, quam antea recognoscere vasalli; & domini directi vicissim ipsis eadem omnia & singula, non attentis translationibus, durantibus husce motibus quacunque ratione factis, secundum tenorem veterum investiturarum, & antiquam observantiam concedere teneantur. Sed quæ etiam adversus supradicta temporum & bellorum injuria, aut occasione usque in hodiernum diem innovata, mutata, aut attentata quovis modo, sive etiam sub justitia, sententia lata, decreti, arresti titulo, aut quocunque alio prætextu fuerint, in pristinum statum reponantur, ut in cujusquam præjudicium qualibet facta contraria cedere, aut allegari non possint, sed penitus annullata maneant.* Addebatur brevior formula. *Status autem R. Imperii, atque Nobiles Immediati ratione feudorum, quæ a dictis Episcopatibus tenent, cujuscunque naturæ, aut quocunque loco sita, requisita item hactenus aut non requisita fuerint, ab his ipsis Episcopatibus sive dominis directis eadem quidem in posterum recognoscere, iis denique omnia ea, ad quæ prioribus Episcopis ex veteribus investituris, aut observantia pro cujusque feudi natura obligati fuerunt, fideliter præstare; ipsi vero directi domini vicissim illa feuda sine contradictione secundum tenorem veterum investiturarum, & antiquam observantiam ipsis concedere teneantur. De cætero autem nullam omnino jurisdictionem vel Rex, Regnumque Galliæ, vel Episcopi in ipsorum personas, subditos, bona, aut hactenus feudi ab Imperio, aut Episcopis, vel alio quocunque titulo habita, possessa, & exercita jura prætendant, exerceant, aut quidquam præjudicii illis creent, sed iis, quæ domino directo ex natura cujusque feudi tenore investiturarum, & antiqua observantia competunt, contenti, omnes & singulos in sua, qua antehac erga R. Imperium gavisi sunt, immedietate cum inde dependentibus quiete, & absque ulla molestatione liberos relinquant, atque bellorum sive temporum injuria, aut occasione quovis modo turbati in pristinum libertatis, atque immedietatis statum, atque ante hos motus obtenta bona ac jura, vigore hujus conventionis restituti, & omnia contraria etiam sub prætextu justitiæ, aut sententia facta penitus annullata sint.* Mox & universi Ordines circa scrupulos adhuc in Gallico Instrumento occurrentes ita declarabant. *Status Imperii libenter consentient in satisfactionem Gallicanam, modo ea observentur, quæ Dni. Plenipotentiarii circa hunc articulum promiserunt. Promissum autem est I. per cessionem Episcopatuum Metensis, Tullensis, Verdunensis ea tantum intelligi cessa, quæ de territorio districtus ipsorum sint, ac propterea cum communi rumore diceretur, Coronam Galliæ interpretari hanc cessionem de omnibus, quæ olim sub diœcesi dictorum Episcopatuum fuerint, declararunt Dni. Plenipotentiarii, sibi maximam fieri injuriam, nec se de tali interpretatione unquam cogitasse. II. Promissum est, illos Status, qui feuda à dictis Episcopatibus recognoscunt, non fore deterioris conditionis, quam antea fuerint, nec ullum immedietati ipsorum præjudicium allatum iri: id quod maximam habet æquitatem. Notum enim est, & usitatissimum in Imperio R. simul esse Statum, & alterius vasallum. Nihil enim jus feudalitatis habet commune cum subjectione. Hinc Bambergensis Episcopus, & multi alii Principes tam seculares, quam Ecclesiastici in R. Imperio aliis Electoribus, Principibus, & Statibus feuda conferunt, nec ullam hoc nomine jurisdictionem in ipsos exercent: sed ea ipsa feuda sunt & manent immediata, & domini feudi hoc commodi inde habent, quod ab ipsis non solum investitura petatur, sed & decedente vasallo absque successore feudali feudum ad investientem redeat.* Ob majorem autem cautionem Ordines isthæc verba articulo de satisfactione Gallica subnecti cupiebant. *Nihil autem nomine Episcopatuum supradictorum, nisi quæ* in seculari *ipsorum territorii districtu continentur, &* de illorum territorio sunt *eo modo & qualitate, quibus qualiterque ante hos motus possessa fuerint, nec in Alsatia, Suntgovia, vel præfectura provincialis Hagenoensis titulo quidquam aliud cessum, & in Regem Christianissimum translatum censeatur, quam quod antea jure hæreditario ad Domum Austriacam spectavit. Ac proinde Status R. Imperii atque Nobiles Immediati feuda, quæ a dictis Episcopatibus tenent,* etiam hactenus non requisita, *omnino ab iisdem quidem in posterum secundum observantiam veterum investiturarum recognoscant, verum ut etiam quicunque* in præmemoratis Episcopatibus, 1680.

 Alsatia

1680. *Alsatia & Suntgovia possessionem vel quasi immedietatis habuerunt*, iidem, *ut & praefecturae*, omniaque alia *loca & jura ibi sita, sed ad Status Imperii* non solum in §. Teneatur Rex Christianissimus, nominatim expressos, sed & reliquos omnes & singulos, *vel immediatam Nobilitatem pertinentia, in eadem libertate & immedietate, qua gavisi sunt, aut gaudere potuerunt erga R. Imperium permaneant, nec feudalitatis, nec* territorii aut districtus, *nec praefecturae provincialis, aut ullo alio praetextu jurisdictio*, multo minus superioritas regia *contra ipsos exerceatur. Quoad ea loca, quae Christianissimus Rex restituere tenetur, restituantur Austriacae Domui. Quae vero in Sylva Nigra, Ortenavia, vel alibi ad alios Status, vel etiam Nobilitatem immediatam, aut quemvis mediatum pertinent, suum cuivis reddatur. Sed & ipsi subditi cessarum ditionum libertatem suam, jura, privilegia, usum & exercitium tam in Ecclesiasticis, & ipsa religione juxta hanc pacificationem, quam in politicis retineant.* Et hoc sensu etiam cessiones Christianissimo Regi atque Coronae Galliae desuper extraditae, vel extradendae intelligantur. Enimvero Servientus per omnia sacra jurabat, sibi haut integrum esse eam clausulam absoluto jam Instrumento subnectere. Super eo negotio Salvius Reginam Sueciae per literas ita edocuit.

14. Aug. 1648. - *Controversia super declaratione Gallicae satisfactionis adhuc durat. Quae Caesar Galliae in satisfactionem dedit, vim non habent, ni Ordines Imperii consentiant. Jam Ordines quidem consentire volunt, etsi antea neque a Caesareis, neque a Gallis requisiti fuerint. Sed quia iste articulus de satisfactione valde obscure conceptus est, sic ut multi Ordines magnopere de Caesareis querantur; inde tam hi, quos ea res peculiariter tangit, quam universi Ordines nullo alio modo, quam sub certa declaratione consentire volunt. Caesarei legati & Ordines acriter contendunt, Gallo in Alsatia non plus fuisse datum, quam quod Domus Austriaca antea habuit; nec plus in tribus praesulatibus cessum, quam quod Gallia per integrum jam seculum possedit; ac Imperium in praesens duntaxat omni praetensioni in dictos Episcopatus renuntiare, ac Gallia summo cum imperio eosdem tradere. Sed quia in Alsatia multi Status Imperii sunt, uti etiam Immediata Nobilitas, quorum pars quidem a translatione exclusa, pars autem nominetenus expressa non est; Servientus vult unius inclusionem pro alterius exclusione habendam, ac non nominatos Galliae subjectos esse. Sed quia immane discrimen est inter Statum Imperii immediatum, ac civem Gallicum; ii quorum interest hautquidquam e liberis Statibus sub servitium se conjicere volunt. Multi quoque sunt, qui feuda tam a Landgraviis Alsatiae, quam tribus Episcopatibus obtinent, in quos Gallia supremum imperium praetendit. Sed quia in Germania lex est, quod feudalitas non faciat subditos; neque Ordines Imperii, nec ii, quorum peculiariter interest, in id consentire volunt. Habent quoque in Germania Praesulatus jurisdictionem Ecclesiasticam extra sua territoria in aliorum quorundam Statuum ditiones, horum jure superioritatis in temporalibus salvo. Eandem jurisdictionem tres isti praesulatus in diversa loca Burgundiae, ac Rhenani Circuli obtinent. Eousque igitur Servientus jus superioritatis Gallicae extendere cupit, quousque jurisdictio Ecclesiastica sese porrigit, eoque magno numero Ordines sub Gallicam satisfactionem pertrahere vult; cui instituto triginta amplius Status contradicunt. Denique in cessione Catholicis quidem sacris prospectum est, sed Evangelicorum nulla mentio facta. Qua super re Evangelici summopere queruntur, ne forte Gallus aliquando jus reformandi sacra in ipsos praetendat. Caeterum sibi videri articulum istum de satisfactione data opera obscure positum, quod Caesar animum Alsatiam aliquando recuperandi retineat; quam ob causam etiam titulo cedere non vult; eoque semina disceptationum in futurum sparsa; utut alias Caesarei legati, ac Ordinum deputati super dicta declaratione consentiant. Enimvero Ordines, quibus stabilis pax cordi est, quo semina futurorum motuum quantum potest intercipiantur, me bis solenni missione rogarunt, ut officium meum circa se, & Servientum interponerem, adornando articulo de Gallica satisfactione, praesertim quia ipsi cum hoc aliquoties egerint. Et quia ipse Servientus consilium, & opem meam requisivit, id negotium a me susceptum; etsi Ordinibus praedixerim, Servientum ipsorum declarationem haut admissurum.* Ac revera hic iis, quae antea excusaverat, obnixe inhaerebat. Articulum istum jam ante biennium inter Caesaream, & Gallicam legationem conclusum, a Secretariis legationum utrinque subscriptum, ac in manus sequestrium depositum. Ex hoc tempore eundem a nemine in dubium vocatum. Eundem jam ad Regem transmissum, & ab hoc approbatum. Contrahentes utrinque clausulae, *salvo jure addendi, demendi, mutandi*, renuntiasse. Unde penes se non esse aliquid mutare. Et quia Caesar velut hostis ejusmodi satisfactionem Galliae dederit, se sperare, Status tanquam amicos eam huic non invisuros. Si id quod Ordines metuunt, disertis verbis expressum non sit, quid opus esse, ut ipsi super eo scrupulum moveant? Sed si id expresse ibi contineatur, apud Caesarem aequivalentem refusionem quaererent. Venditionem rei alienae jure esse licitam; sed venditorem domino-

no ad æstimationem, & id quod intereft teneri. Quod ipfe cum Collegis fuis femel obtinuerit, id fe folum condonare non poffe. Sibi multos in aula æmulos effe, qui facile anfam ipfum fubvertendi inde arripere queant. Si Ordines aliquid circa id declarare velint, inter fe facere posfe; quod neque jubere, nec prohibere penes fe fit. Sibi declarationem aliquam facere, aut admittere nefas effe. Petrus Chanutus autem Regis Galliæ legatus Holmiæ favorem Reginæ hoc in negotio quæfierat, ut Status immediati, qui in tribus Epifcopatibus habitent, Gallici fubditi fierent, ac fub jure diœcefano R. Imperio fubtraherentur, hanc præcipue caufam allegans, quod fi R. Imperio obnoxii maneant, Galliæ femper metuendum fit, eos fuo lubitu munitiones extructuros, aut alias fecuritati Galliæ fraudem allaturos: de cætero Regem iftorum libertati circa facra cauturum. Enimvero Ofnabrugis, cum nec Ordines, nec Servientus fententia fua decederent, Salvio nil aliud fupererat, quam ut citra mutationem antehac conventa retinere fuaderet. Ordinibus tamen, quo fibi amplius caverent, placuit ad ipfum Regem literas dare his conceptis verbis.

Sereniffime, Potentiffime, & Chriftianiffime Rex. Diuturno, ac falutari pacificationis opere divina favente clementia eo perducto, ut quantum Cæfaream, & Regiam Succiæ Majeftates concernit, omnibus fuis numeris fit abfolutum, colophonem ei Gallicorum negotiorum perfectione imponere, atque publicis calamitatibus, quibuscum Germania tam mifere hucusque conflictata eft, finem facere contendentibuss obftitit nobis præter fpem & expectationem fatisfactionis Gallicæ ante annum circiter Monafterii inter Cæfarea, & Regiæ Veftræ Majeftatis Plenipotentiarios inita conventio. Quis fcopus, aut quæ intentio armorum Gallicorum ab initio horum motuum fuerit, publica literarum, nec unquam intermoritura loquuntur monumenta. Nimirum nihil aliud, quam ut Statibus R. Imperii fua jura, dominia, atque libertates, in quibus illa fecuritatis tam Imperii, quam vicinorum præfidii non parum collocavit, reftituantur, atque eo modo farta tecta manerent, quo ante hos motus conftitere. Nec tamen renuimus, quin præter tres illos Epifcopatus, Metenfem, Tullenfem, & Virodunenfem, quatenus illi cum territoriis, aut diftrictibus eorum ante hos motus poffeffi fuerunt, etiam quantum in nobiliffima Germaniæ provincia Alfatiæ Domus Auftriacæ hactenus hæreditario jure posfedit, fatisfactionis loco cedat. Ut tamen omnibus, & quovis tempore conftare de hac noftra voluntate queat, fcripto eam comprehendimus, atque eam R. M.is Vræ Plenipo. Ill.mo Comiti de Servient per manus Exc.mi Dni. Salvii tradi fecimus. Verum ut juxta tenorem adjunctæ copiæ ipfi fatisfactionis contextu generalius loquenti declarationem hanc noftram, & confenfum adderet, impetrare ab ipfo defectum mandati jugiter allegante non potuimus. Dehinc non exigua remora negotio pacificationis injecta rem omnem ad R. V. Majeftatem perferre neceffarium effe duximus, nulli dubitantes, quin confenfum hunc noftrum æquitati confentaneum, atque ita comprehenfum fit, ut defiderari a nobis in hac parte nihil queat. Sane quemadmodum Dni. Cæfareani fefe plus juris, quam Domui Auftriacæ in Alfatia hactenus competiit, & olim Epifcopi in prædictis Epifcopatibus poffederunt, in Coronam Galliæ transferre neque voluiffe, neque potuiffe ferio affirmant, eoque nomine ad fidem Protocollorum provocant: ita nec in noftra fitum eft poteftate ulli Conftatuum Imperii præripere, quæ neque nobis accepta ferunt, neque precario, fed fuo jure poffident. Idque prout fperamus R. M. V.ra tanto minus a nobis exiget, quo magis compertum, exploratumque habemus, eandem fumfiffe arma non ad infringendum, fed recuperandum, & refervandum jura Imperii, & Statuum ceu amicorum, & ex parte confœderatorum Coronæ Galliæ. Ut igitur tractatus pacis eo citius ad optatum perduci finem, & patria noftra ex diuturnis bellorum tempeftatibus venire queat, pro ea qua boni publici gratia urgemur fide, & folicitudine, communi omnium Imperii Ordinum, & Statuum nomine certo confidimus, & rogamus, ut R. V. M. as inmutabili huic noftræ declarationi, utpote legibus Imperii, juribus Statuum, intentioni Dnn. Cæfareorum, expromisfionibus Regiis per literas fæpisfime iteratis omnimode conformi locum relinquat, nec contra illam fupra memoratam conventionem ullo modo extendi patiatur; atque ita, quod fubinde palam profeffa eft, reipfa comprobet, nihil fibi tranquillitate Orbis Chriftiani prius effe, nihil antiquius. Nos nihil intermittemus eorum, quæ a nobis conferri illuc poterunt, omniaque faufta, ac falutaria infimul toto pectore adprecantes quavis inter manus nafcente occafione teftatum reddere cupimus, quam fimus Regiæ V. M.ti humillimi & ad officia paratisfimi S. R. Imperii Electorum, Principum & Statuum ad hosce generales pacis tractatus Deputati Confiliarii & legati. Monafterii $\frac{19}{29}$ Sept. 1648. Hifce literis adjuncta erat eiusmodi Ordinum declaratio.

I. Electorum, Principum, & Statuum S. R. Imperii legati confentiunt, ut articulus de fatisfactione Gallicana Inftrumento Pacis iisdem verbis inferatur, quibus die $\frac{11}{21}$ Novembris anno 1647. Monafterii cum S. Cæf. Majeftatis confenfu firmatus eft, & eatenus affecurationem promittunt, fi modo, ut declaravit Dn. Plenipotentiarius Gallicus, Rex & Regnum Galliæ Alfatiam, cum Suntgovia, & præfectura provinciali Hagenoënfi fupremo ejus dominio apud Imperium permanente eadem forma, qua hactenus Archiduces Auftriæ eam poffederunt, ab Imperatore, & Imperio R. tanquam

1680. *tanquam feudum perpetuum, & immediatum Landgraviatus titulo recognoscat, & Dn. Episcopo Basileensi circa Comitatum Ferretanum satisfiat. Fruatur autem in eo Christianissimus Rex, ejusque successores superioritatis, & territorii jure, omnibusque prærogativis, exemtionibus, & privilegiis, quibus Archiduces Austriæ, cum possiderent dictum Landgraviatum, sunt gavisi, & ad Comitia Imperii R. titulo Landgraviorum Alsatiæ vocentur, atque votum & sessionem habeant eo loco, de quo, ut & cui Circulo Imperii R. in posterum accenseri debeant, proximis comitiis convenietur. II. Cum præterea in articulo de satisfactione Gallica, & cessionum formulis, quæ eo nomine exhiberi debent, nonnulla obscurius posita sint, Regii vero Plenipotentiarii mentem Christianissimi Regis semper ita explicaverint, quod nullum prorsus Statibus R. Imperii per conventam Gallicam satisfactionem præjudicium fieri debeat; idcirco Electorum, Principum, & Statuum legati declarant, neque alia intentione, atque sensu in supra dictam satisfactionem, & insertionem consentiunt, quam ut primo Christianissimus Rex, Regnumque Galliæ habeat, & retineat quidem supremum dominium Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virodunensis; verum illud, ut & Regia jurisdictio exerceatur eatenus, quatenus exercita fuit ante hos motus, nec juris diœcesani, aut feudalitatis, sive ullo alio prætextu extendatur ultra ipsorum proprium territorium, in ea feuda, quæ Status R. Imperii, & immediata Imperii Nobilitas a dictis Episcopatibus recognoverunt, vel adhuc habent recognoscenda. Secundo, quoties fit mentio in articulo satisfactionis, vel cessionum literis Superioris & Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ, & provincialis præfecturæ Hagenoënsis, nil aliud eo nomine translatum, & cessum intelligitur, quam quæ ad Domum Austriacam spectaverunt, atque ab eadem cedi potuerunt. Nec cessio hæc ullum præjudicium afferet ulli Statuum, vel etiam immediatæ Nobilitati in sua libertate, & immedietatis erga R. Imperium possessione, vel juribus, & bonis ubicunque sitis. III. Ipsi Status provinciales, Landsassii, & subditi cessarum ditionum sua jura, privilegia, & possessiones, usum etiam & exercitium tam in Ecclesiasticis, & ipsa religione, quam in politicis juxta hanc pacificationem retineant.* Huic declarationi illustrandæ facit Extractus ex notationibus Cæsareorum circa articulum satisfactionis Gallicæ Dnn. Mediatoribus exhibitus Monasterii d. $\frac{15}{25}$ Julii 1647. Ad §. Primo quod supremum. *Non autem repugnant Cæsareani, ut jura infeudandi, ac directi dominii ad hos Episcopatus pertinentia sint in dominio Regis Christianissimi. Sed cum ejusmodi Duces, & Comites, aliique non obstante feudorum nexu fuerint antehac liberi Status, vel ad Imperium immediate pertinentes, ac nulla ratione dominio temporali Episcopatuum suppositi; nunquam fuit mens Cæsareanorum horum libertati, aut immedietati præjudicare,* Ad §. Dictarum ditionum. *Nam de Vasallis, qui alias per se liberi, & immediati Status Imperii, nec ullo unquam tempore his Episcopatibus subjecti fuerunt, in satisfactionem ut darentur, nunquam actum, hacque ratione Dux Lotharingiæ, Ducatus Lutzenburgensis, aliique Comites, Barones, Nobiles Galliæ subjicerentur.* Ad §. Teneatur Rex Christianissimus. *Omissi sunt Comites de Leinningen, Rixingen, & Westerburg, quibus addi debet Dachsburg. Nam hæ tres familiæ Comitum de Leiningen appellatione gaudent, suntque immediate Imperio subjectæ. Item est omissa clausula;* tum alios, qui in isto tractu possessionem vel quasi immedietatis erga R. Imperium habent. Huc accedit Extractus e communi Electorum, Principum, & Ordinum placito Cæsareis mense Septembri anno 1647. exhibito. *Quod igitur spectat secundam quæstionem, an nempe per cessionem Episcopatuum Metensis, Tullensis, ac Virodunensis etiam feuda, quæ immediati Principes, Ordines, & Membra R. Imperii ab istis recognoscunt, ita sub iis intelligantur, ut eadem sub Corona Galliæ una cum principalibus præsulatibus, imo juxta projectum Instrumenti pacis Gallici etiam omnes Imperii Ordines, qui sub eorum Episcopatuum districtu diœcesano siti sunt, sub suprema jurisdictione, & tribunali Coronæ Galliæ contineri debeant: ibi equidem Electoribus, Principibus, & Statibus accurate non constat, quid inter Dnn. Cæsareos, & Gallicos legatos eo nomine actum fuerit. Judicare autem hautquaquam possunt, quod feuda, quæ intra vel extra territoria dictorum Præsulatuum jacent, & ab immediatis Ordinibus & membris Imperii, qui Episcopatuum Landsassii non sunt, recognoscuntur, multo minus ullæ ditiones aut terræ, sub nudo districtu diœcesano sitæ, sub cessione dictorum Episcopatuum intellecta, aut comprehensa fuerint. Præsertim cum multi insignes Imperii Principes, prælati, Comites, Barones, & Nobiles, ac nominatim Lutzenburgum, Lotharingia, Domus Bipontina, Veldentiana, Sarapontana, Hanoviensis, & plures alii maxime hoc modo lædendos se profiteantur. Ac sibi molestum, ac inexcusabile fore in ejusmodi traditionem suorum Constatuum, & subjectionem sub alienum dominatum ullo modo consensu, aut reipsa quid conferre, ut hi in juribus suis turbentur, ac inauditi, & inviti ab Imperio R. divellantur, non sine gravi hujus laceratione. Præsertim cum Electoribus, Principibus, atque Ordinibus in hunc usque diem ob multiplices variationes*

riationes nondum constare potuerit, quo Corona Galliæ in hoc negotio cogitationes proprie tendant, & quousque illa postulata sua porrigat, & quosnam Principes Imperii, Prælatos, Comites, Barones, & Nobiles huc pertrahere velit. Præterquam quod supra memorati Ordines de hoc negotio nunquam auditi sint, & communis in Imperio consuetudo sit, quod nuda feudalitas non tribuat supremum jus territoriale. Sicuti & cessi Episcopatus in feuda extra ipsorum territorium sita superioritatem territorialem haut habuerunt. Unde Cæsarea Majestas, & Imperium, quod ad istos non pertinuit, Galliæ cedere non potuerunt. Magis autem informe, & in Imperio inauditum est, cessionem ad jurisdictionem diœcesanam, & quæ ditiones sub hac continentur, extendenda sit: quæ res non minus insignes Principes atque Ordines tangat. Cum itaque dicto modo satisfactio justo latius, & præter atque contra intentionem, & consensum Dnn. Cæsareorum legatorum extendatur; simul plurimis immediatis Imperii Principibus & Statibus, ac speciatim Ducatibus Lotharingiæ & Lutzenburgi præjudicium intendatur, cum Lutzenburgi magna pars, Lotharingia autem tota sub diœcesin Episcopatuum Metensis & Virodunensis spectet, ac alias pars harum provinciarum ab his feudi nomine pendeat; non temere metuendum est, ne Corona Galliæ eum Ducatum, si non alia, saltem hac via sibi subjicere audeat, eumque obliqua via ab Imperio avellat. Eoque Electores, Principes atque Ordines re mature expensa comprehendere non possunt, quomodo in hoc Coronæ Galliæ valde inexpectatum postulatum in fraudem Imperii, ac tot Ordinum, quos id tangit, consentiri possit ac debeat. Unde decenter petunt, ut Cæsarea legatio hanc Electorum, Principum & Ordinum sententiam, & gravissimas rationes per sequestres Gallicis Plenipotentiariis serio ad animum revocet, eosque omni studio ab ejusmodi alte penetrantibus & noxiis prætensionibus divertat, ac de eo, quod non solum olim Heilbrunnæ, & alibi per legatos & literas, sed & durantibus hisce tractatibus sæpenumero verbis declararunt, (quod ab Imperio nihil cupiant, sed id spectent, quomodo Ordinum ejus libertas firmiter conservetur,) diligenter moneant, expresse denuntiantes, neque Cæsaream Majestatem, nec Imperii Rom. Electores, Principes atque Ordines universos ac singulos nunquam in ejusmodi nocentissimam lacerationem, præsertim invitis iis, quorum peculiariter interest, nunquam consensuros.
Post conclusam pacem Servientus circa exhibendam ratihabitionem aliquamdiu tergiversabatur, inter alia eo prætexto, quod supra memoratam Ordinum declarationem abolere cuperet. Quo nomine plerique Protestantes a legatis Suecicis petierunt, Serviento demonstrarent, istam declarationem solicitare omitteret, quam nunquam retractaturi sint. Se cives suos alieno servitio addicere non posse; & quæ Gallus postulet, non solum omnibus fœderibus repugnare, quæ Galliæ cum Suecia & Ordinibus intercesserunt; sed & contra Galliæ propositiones, ipsamque hanc pacis conclusionem. Adversus, quæ Servientus reponebat: verba pactorum esse perspicua. Ordines cum Cæsareis agerent, qui ita cum Gallia convenerunt, ut isti huic æquivalens dispiciant. Quæ Gallia hoc modo in satisfactionem obtinuit, non magis fœderibus ac propositionibus, & huic conclusioni adversari, quam quæ Suecis, & aliis hac pace tribuuntur. Sueciæ quoque interesse, ne adducta ab Ordinibus ratio valeat, quod uni Ordinum haut jus sit, quæ ad alterum spectat condonare. Nam eandem rationem aliquando in istam quoque torqueri posse. Ad quæ Sueci regerebant: Quæ ipsi acceperint, & alii æquivalentium loco, de iis cum notitia, consilio, & consensu tam Cæsaris quam Ordinum perspicuis verbis, ac rebus sigillatim expressis transactum. Sed Ordines queri, de Gallica satisfactione sibi haut communicatum, nec antequam ea annueretur, secum consultatum fuisse. Contra Servientus: Ordines in Cæsareorum arbitrium contulisse super satisfactione cum legatione Gallica tractare: atque eosdem saltem tacite consensisse; tum hactenus, ex quo omnia transacta sunt, ac publice innotuerunt, haut contradixisse. Quæ contra notoriam actorum publicorum fidem dici in aprico erat Mox tamen surgentibus in Gallia intestinis turbis Servientus ultro ratificationum permutationem non sine anxietate urgebat, nulla amplius de abolenda Ordinum declaratione facta mentione; ac ista peracta protinus Monasterio discedebat. Post quoque exsecutio pacis ad mentem Ordinum peracta, & quorum libertas tunc tentata fuit, ea illibata isti per triginta amplius annos Gallo haut contradicente gavisi sunt. Et cum super jurejurando a decem civitatibus Alsatiæ Gallo nomine præfecturæ provincialis Hagenoënsis præstando controversia incidisset, ea cum consensu Galli ad arbitros rejecta fuit.

1680. 23. Dec. 1648.

§. 14. Ast tanti post temporis silentium, quod etiam ad probe fundatam actionem extinguendam sufficere poterat, Gallus olim conceptam libidinem tractum Germaniæ transrhenanum absorbendi expromere tutum putavit, postquam Germaniam novissima pace eo redegisse videretur, ut ea sibi non amplius formidanda esset. Ac ne ausis color deesset, fingere instituit, supremum sibi dominium in utramque Alsatiam, nec minus in Vasallos trium Præsulatuum competere; unde jus sibi esse non minus hos, quam quicquid ullo modo ad Alsatiam utramque pertineat, sub ditionem Galliæ revocandi. Tum ne citra causæ cognitionem sola vi grassari videretur, Brisaci, & Meti quædam judiciorum simulacra instituebat, ubi ad petitum actoris Regii haut anxia sane causæ discussione Galliæ addicebatur, quicquid huic cupe-

Gallus reuniones suscipit.

1680. re in mentem venisset. Atque id commentum de Vasallis Metensibus, cui prætensioni Gallus plane renuntiasse videbatur restitutioni eidem plane contraria e tractatu Noribergico facta, denuo motum fuit a quodam Rolando *Ravaulx* Consiliario Parlamenti Metensis, qui tamen initio velut mentis parum compos rejectus fuit. Sed cum apud Luvoisium clamare non desineret, se viam inventurum, ut Rex ne uno quidem gladio stricto nancisceretur, quidquid cis Rhenum Galliam versus situm est; id qualecunque prætextum injustis usurpationibus obtendere placuit viro, omnium violentorum consiliorum autori, postquam per vicinorum conditionem talia impune tentari posse viderentur. Ac initio quidem Metensis, Tullensis, ac Virodunensis Præsules apud Gallum querelam deferebant, Vasallos suorum Præsulatuum fere intra seculum feudorum suorum renovationes haut quæsivisse; quo ipso eadem in commissum cecidisse. Ad quod petitum protinus designati, qui super iis causis cognoscerent. Nec minus Brisaci constituebantur inquisituri in ea, quæ ad Alsatiam utramque, & præfecturam Hagenoënsem, aliaque loca Regi tradita pertinere, ac ab aliis nullo idoneo titulo possideri arguebantur. In quos citra ambages sententiæ pronuntiabantur inauditos: si qui defensionem per Procuratores tentabant, insolenter rejecti. Velandæ violentiæ vocabulum *reunionum* fingebatur. Quem quidem procedendi modum cordati acerbissimi instar ludibrii injuriæ additi judicabant; cum alias toto orbe inauditum sit, Principem in controversia, quam cum extranea Republica habet, cognitionem, ac decisionem deferre suis civibus, queis, ubi contra libidinem domini vel hiscere auderent, exilium, carcer, aut triremes metuendi erant. Nec dubium habebatur, quin his judicibus Gallo totus terrarum orbis addicendus foret. Ac honestius cum Hispanis agi censebatur, queis nullo judicii ludibrio Gallus quæ placebat vi extortum ibat. Hoc modo cum recentem pacem violari manifestum esset, Cæsar

14. April. Vitri. eo nomine Vitrium legatum Gallicum Viennæ compellari jussit; qui de his sibi constare inficiatus, ad Verjum Ratisponam id negotium rejecit. Unde Cæsar Henricum Franciscum Mansfeldium Comitem in Galliam mittere constituit. Quo & Palatinus Eckium Baronem ablegaverat, cui Gallus Germersheimum, & multa alia loca ademerat, velut ab Alsatia dependentia; quæ tamen ab immemoriali tempore ad Palatinatum spectaverant, & quæ ut Elector recuperaret, ipse Gallus pace Westphalica operam navarat. Huic querimonias ordienti initio respondebatur: Regem non aliud tribunal agnoscere posse, quam quod Brisaci erectum sit, cui de ipsius patrimonio judicandi facultas competat. Id adeundum, si quis læsum se arbitretur. Interpositionem Cæsaris aut Imperii admitti non posse. Præscriptionem etiam longissimi temporis locum non habere in rebus summi imperii jura spectantibus. Hoc bello documenta fuisse reperta, e quibus probari possit, loca de quibus agatur olim a præfectura Hagenoënsi pendisse. Id quod Palatinus forte non abnuendum ferebat, si ad tempora Dagoberti Regis adscendatur. Ast id constare, Palatinos per aliquot secula in possessione fuisse, quæ per Westphalicam & Neomagensem pacem confirmata sit. Et cum idem Bavari interventionem offerret, Rex respondebat; se nullus officium admissurum; nec credere, ulli se ad reddendam de suis actionibus rationem teneri. Ezechieli Spanhemio Electoris jussu pro Palatino loquenti nil aliud repositum, quam Regem de jure suo remittere nil posse; nec omissurum sese in possessionem immittere eorum, quæ sibi competant. Demum tamen utile dominium ereptorum locorum Palatino offerebatur, sed sub onere fœderis, per quod hic ad nutus Galliæ citra exceptionem sese componere teneretur; haut declarato, quousque prætensiones suas in Palatinum Rex porrigere vellet. Sed Mansfeldio Comiti paulo modestius Rex respondebat: Cæsaris se amicum esse; sed hujus amicitia haut dignum habendum, si tueri nequeat, quæ jure ad se spectent. Cæterum contra disputantibus palmaria ratio opponebatur gloria Regis, quæ non permittat circa bona Coronæ quid remittere. Quod & Suecico ablegato, qui ob interceptum Ducatum Bipontinum querebatur, occinebatur. Circa Mumpelgardensem Comitatum respondebatur; quasdam præfecturas ad supremum Alsatiæ dominium spectare, eoque ipso Gallicæ ditionis esse. Ipsum Mumpelgardense oppidum cum arce feudum esse Burgundiæ; ac Parlamentum Vesontinum jus ac titulum reperisse. Quod si alio tempore in Gallia aliter judicatum sit, id contigisse, quando bellum huic cum Hispanis gerebatur. Et ad hunc gustum omnibus, qui sua sibi erepta dolebant, respondebatur. Quid autem in posterum sperandum foret, e responso adparebat per Luvoisium cuipiam dato, qui ex ejusmodi reunionibus bellum exiturum dicebat: Eam curam inanem esse. Iis, qui bonis suis exuti sint, non invidendum, ut queritentur. Reliquorum neminem ob pauca oppida bellum moturum. Sed & ab Argentoratensibus Gallus postulabat, ut vinculo, quo Imperio teneantur sese exsolvant, ac ipsius protectioni se submittant. Si vel unicum militem conducant, aut a Cæsare submissum recipiant, protinus obsidium urbi circumponendum.

§. 15. Cæterum increbescentibus Lutetiæ, ac Ratisponæ spoliatorum querimoniis, Croissius ac Verjus disserebant; Regem nil aliud sibi deposcere, quam quod per pacem Monasteriensem & Neomagensem ipsi cessum sit. Quod si igitur Cæsar, ejusque legati Ordinibus Imperii quid condonaverint, quod factum fuisse facile adpareat, id ab istis repetendum. Cessionem Alsatiæ, & ab hac pendentium e præcipuis fuisse, quibus pax superstructa sit. Et quia Cæsarea legatio aliquoties adversus eam excipere voluerit, parum abfuisse, quin tota tractatio abrumperetur; ac sex amplius septimanas eam rem agitatam, quoad tandem convenerit, ut tota Alsatia cum omnibus juribus & dependentibus Galliæ cessa fuerit. Adfuisse singulorum Principum & Ordinum Imperii legatos, qui de eo testimonium dicere

Super iis reunionibus disceptatio.

1680. dicere queant; quorum nemo adversus eam cessionem quid moverit. Enimvero eam cessionem falso jactari, qui Imperii causam agebant, facile sibi demonstrare posse videbantur. Scilicet Neomagi pacis fundamentum positos fuisse tractatus Monasterienses. Igitur e Neomagensi pace Gallum plura prætendere non posse, quam quæ Monasterii expresse sibi stipulatus sit. Neque vero qualemcunque territoriorum cessionem, præter eam, quæ Monasterii facta sit, nullo publico documento demonstrari posse. Gallum sæpissime testatum, nil magis sibi cordi esse, quam ut Ordinibus Imperii sua libertas, ac immedietatis jura, ac dominia inconcussa serventur. Gruillardum ministrum Gallicum Osnabrugis dixisse; Argentoratum, decemque præfecturæ provincialis civitates sui juris facere Regi ne per somnium quidem in mentem venisse. Gravellium Ratisponæ testatum, Galli mentem nunquam fuisse, contra dispositionem Instrumenti Pacis aliquid suscipere, aut decem urbes Alsatiæ in statu suo immediato turbare. Eundem pronuntiasse: Instrumentum Pacis pro fundamento habendum; agnitam in hoc civitatibus immedietatem intactam relinquendam, multoties jam repetitum, & extra controversiam esse. Landgraviatus cessione totam Alsatiam hautquidquam cessam, nec de tam enormi re cuipiam paciscentium in mentem venisse ex ipsis pacificationis verbis manifestum esse. Ad quid enim opus fuisse decem Imperiales Alsatiæ civitates post pacem Westphalicam in integrum restituisse, ac præsidium Gallicum deduxisse? Ad quid de libero Gallicarum copiarum transitu, de Tabernarum neutro statu, de Benfelda demolienda, ac similibus in gratiam Galli nominatim stipulari, si huic utraque Alsatia cessa fuerat? Ad quid de dictorum Statuum restitutione adeo solicite transigere, si talia, quæ nunc aguntur, licerent? Ac si maxime ante complura secula, de quo non constat, ista cum locis Galliæ cessis conjuncta fuerint; respiciendum tamen esse tempus conclusæ pacis, qua nil in Galliam translatum, nisi quod ante initium ejus belli penes Austriacam Domum fuerit. Neque sub qualicunque vocabulo *dependentiarum* Status Imperii immedietas intelligi, multo minus ita obiter transferri posse; cum Status Imperii ita ab aliis Statibus minime dependeant, sed singuli per se subsistant. Idque eo magis valere, quod circa exsecutionem pacis Pyrenææ Hispani in contradictorio obtinuissent, loca munitionibus firmata inter *dependentias*, & annexa Castellaniarum haut numeranda. Sic & pace Monasteriensi præter tres Episcopatus, eorumque districtus nil cessum, neque aliam paciscentium mentem fuisse, quam ut in Gallum translatum supremum dominium, ac omnimoda jurisdictio eatenus duntaxat exerceatur, quatenus ea quondam intra districtus eorum Episcopatuum obtinuit, atque exercita fuit. Neque sub illius juris diœcesani, nunquam cessi, aut alio quocunque prætexto ultra dictos districtus, propriumque ipsorum territorium eam cessionem in feuda, quæ Status Imperii ante motus Germaniæ, aut antequam isti superiore seculo a Gallo usurparentur, ab iisdem præsulatibus recognoverunt, porrigendam. Longe iniquius esse, Status immemoriali, quin plurium seculorum possessione nixos ad editionem suorum titulorum contra omnia jura cogere. Hoc enim modo omnes totius orbis possessiones, & dominia incerta redditum iri. Accedere, quod omnia illa loca ac territoria, quæ non tam in utraque Alsatia, quam ab Electore Palatino, & Episcopo Spirensi sub prætexto *Weissenburgensium dependentiarum* prætendantur, imo ne ipsa quidem Præpositura Weissenburgensis in Alsatia sita, nec velut ejus pars unquam habita fuerit. Sane in §. *Teneatur Rex Christianissimus* potiora utriusque Alsatiæ membra tanquam Status Imperii a Landgraviatus cessione non modo nominatim distingvi, Palatinatus, & Weissenburgensis Præpositura territoriis tanquam ad Alsatiam non spectantibus, plane omissis; sed & Instrumentum Pacis testari, longe aliud tam de Palatinatus, quam Spirensis Episcopatus territoriis, ac juribus restituendis transactum fuisse. (*Vid. §. Deinde ut Inferior* n. 14. *De reliquis Palatinis vid. Pacis Osnaburgensis* §. 20. 21. 22. *Pacis Gallicæ §. Teneatur Rex*, n. 77.) Huic conventioni Gallicos ministros nunquam contradixisse, quin eam ultra triginta annos bona fide agnovisse; nec præter insolitum jusjurandum a decem civitatibus Alsatiae quid exegisse; cujus decisio tamen ad arbitros rejecta fuerit. Gallos quoque, dum juxta Pactum Noribergense ea loca restituunt, abunde declarasse, nil tale, quod jam exigatur, se in spoliatos imperii Ordines praetendisse. Ast nunc Metense, & Brisacense judicium pronuntiasse; omnia, quæ a multis retro seculis a tribus Episcopatibus, & Præpositura Weissenburgensi dependerint, Galliæ cessa esse. Sed tam impudentis sententiæ nullam adferre probationem, & tabulas pacis alia omnia statuere. Non deerant tamen, qui ipsum Regem excusarent, velut qui a ministris suis, ambitione ejus quocunque modo velificantibus, persuasus fuerit, sibi Neomagi jus quæsitum ad ista, quæ tunc suscipiebantur.

Ordines Imperii super his ad Gallum scribunt.

§. 16. Circa hasce pacis infractiones Ratisponæ plerique censebant; non esse Gallum excitatis suspicionibus irritandum, ac ad ista gravamina abolenda placidis remediis utendum. Nam præsentem rerum faciem, & dissociatos Ordinum animos tempore opus habere ad necessitates patriæ digerendas. Sane hanc melius quam nunc instructam fuisse, quo tempore Cæsar, & Ordines Neomagensem pacem necessariam judicarint. Ac Gallum cum delectus a Cæsare institui audisset, dixisse; se non teneri ad quiescendum, quoad Cæsar exercitum comparasset. Fuit etiam tunc magni nominis Princeps, cujus memoriæ parcimus, qui Verjo Ratisponæ proposuit, se officium conciliandæ inter Cæsarem, & Gallum amicitiæ adhibiturum. Et quia Angliæ Rex Romanis sacris clam sit addictus, ejus causam tota vi amplectendam, ne is amplius Parlamenti tyrannidi obnoxius agat. Inde Belgas in ordinem redigendos, ac utrinque, simul per Germaniam catholicos ritus restituendos. Quod consilium a Verjo Regi propositum, sed ab hoc tunc repudiatum fuit. Cæterum Ratisponæ decretum, imbelle armorum genus, literas Galli ausis opponere, ac ad hunc juxta, & Angliæ Regem tanquam pacis sequestrem scribere. Ast

1680. Ast Electori haut placebat eas literas per legatum suum subscribi, quod nil sibi negotii cum Neomagensi pace esse vellet. Sed quæ Westphalicam pacem spectent, pro ea servanda operam suam libenter accommodaturum. Idque eo magis licitum sibi judicabat, quod Bavarus publico Imperii bello, si literæ Gallum tangentes publice scriberentur, sigillum adponere abnuerit, utut inter ordinarios deputatos esset. Super his literis adornandis cum diu laboratum esset, Austriaci sigillum adponere detrectabant; quod par esse contenderent, ut Ordines querimonias ad Cæsarem deferant, qui eas ulterius apud Gallum persecuturus sit. Saltem in literis exprimendum, eas cum consensu Cæsaris scriptas. Id quod non sine indignatione omnium acceptum, velut Ordinibus jus publice ad exteros scribendi subtractum eatur, cum iisdem jus legatos mittendi competat. Post longam tamen disceptationem pervicere intentionem suam Ordines, ac literæ per Moguntinum ad Gallum curatæ sunt.

Palatinus armis sublevari petit. 16. Jul. §. 17. Ast Palatinus copias Circulares sibi auxilio submitti petierat, quo Galli conatus arcere posset. Quod cum Collegium Electorale raptim adprobasset, Godofredus Jena demonstrabat sibi hoc super negotio nil mandatum. Simul suadebat, rem haut præcipitandam, velut e qua multa mala provenire possint. A Circulis copias sero, nec quantas res exigat missum iri. Unde Gallus cui arma in promtu, ansam arrepturus sit, unum & alterum locum subito opprimendi, accessuris auxilio copiis facile repulsis. Aliud dicendum esse, si sexaginta bellatorum millia protinus in expeditionem educi possint. Ab imparatis Gallo arma movendi prætextum suppeditari imprudens esse; præsertim cum Cæsaris copiæ ob pestilentiam in unum locum contrahi nequeant, invalescentibus quoque per Hungariam rebellibus. *10. Aug.* Super hac Jenæ sententia cum Palatinus apud Electorem quereretur, hic respondebat: Palatinum acerrime Neomagensis pacis conclusionem solicitasse, & quæ in contrarium demonstrata fuerint, velut e privatis respectibus profecta rejecisse. Sed nunc reipsa deprehendere, quo fonte omnia ista mala promanent; ac postquam Imperium exarmatum, Ordines divisi, ac ipse cumprimis præcipitata pace destitutus, hostique in prædam expositus fuerit, rem in longe deteriorem locum, quam durante bello fuerit, redactam. Sed tamen officium apud Gallum interponere haut omissurum. Quo tamen parum proficiebatur. Et cum Ordines apud Verjum quererentur, Protestantes nuper reunitos in sacris suis turbari; is ejusmodi monitis indignari ac negare, sibi integrum esse talia ad Regem referre. Etsi Verjus Jenæ verbis confirmaret, a Rege mandata emitti, ne Protestantes in exercitio sacrorum suorum turbentur. Idemque certam spem faceret, Metense & Brisacense tribunal haut ulterius progressurum, & jam acta denuo discutienda.

Galli responsum. 10. Octob. §. 18. Ast Gallus responso ad Ordinum literas pervincere conabatur, ea loca, quorum nunc possessionem capessat, a Cæsareis Neomagi sibi fuisse cessa. *Vestri plenipotentiarii*, inquit, *conventu Neomagensi duas petitiones sermone & scripto fecerunt, quæ eo tendebant, ut in nihilum redigerentur præcipua emolumenta per Monasteriensem pacem nobis quæsita, ac solidissima ad eandem tuendam remedia. In una denominabant omnia oppida & loca, quæ supremo nostro imperio subtrahere conabantur. In altera propositionem de arbitrio renovabant, eo magis inutilem, quod nunc id maxime ageretur, ut per pacem lites finirentur, quæ eam turbare possent. Haut eo minus isti firmiter duobus hisce insistere, ac per sex fere septimanas cum nostris legatis disceptare; ubi a neutra parte quid omissum eorum, quæ pro justis nostris postulatis, & contra eadem adduci possent. At aluissent nova ista difficultates a plenipotentiariis vestris nullo fundamento mota bellum, quantocunque studio nos id finire cuperemus, ni ablegati Principum, queis mala belli maxime incumbebant, demum obtinuissent ab iis, quibus vos tantum negotium commiseratis, ut disceptatione desisteretur tam parum rationibus subnixa, & quam diutius sustinere non poterant, quin periculo sese exponerent longe plura amittendi, quam quanti illud erat, quod requirente justitia Corona nostra relinquere tenebantur. Igitur nemo inficiari potest, quin dum Cæsarei contendere omiserunt, conclusio pacis inde provenerit, qua nunc totum Imperium gaudet. Igitur silentium imponerent iis, qui denuo motis litibus jam compositis amicitiam inter nos, & Imperium imminutum eant; quod ejusmodi querimoniæ hautquidquam conveniant cum bona fide, qua ipsi omnia Neomagi acta adprobarint. Si quid tamen præter jus ereptum arguatur, revisionem a nobis dandam.* Quare autem Rex tot annos post Monasteriensem pacem de his prætensionibus siluerit, nullo verbo tangebatur.

§. 19. His literis acceptis Ordines Vienna informari expetebant, quid revera Neomagi circa id negotium actum foret. *Cæsari a Gallo offerta falsa argum.* Ad ea Stratemannus respondebat; *Croissium Regi suo de hoc negotio falsa retulisse. Equidem Cæsaream legationem projecto suo articulum formasse de renovando compromisso super rebus in Alsatia controversis, ac Metensibus vasallis; id quod Gallus antea probarit, ac Bavarus durante Neomagensi tractatu confirmarit, Regi adhuc eam mentem persistere. Nec consultum esse indecisam relinquere materiam, novas turbas parere idoneam. Sed Gallos excusasse, se de isto compromisso haut informatos; ac idem per interveniens bellum interruptum, nec se Regem invitum ad id obstringere posse. Sed & commodissimam viam controversiis inter Principes componendis esse disceptationem inter utriusque ministros. Iisdem tamen hoc conventu expediendis temporis spatium nimis angustum esse, quod Rex legatis suis præscripserit absolvendæ paci, quam tantopere orbis Christianus desideret. Gallos quoque ad projecti Cæsarei articulum de instaurando compromisso Jenkino respondisse; Galliam non prætendere novum aliquod jus ad ea loca, sed adquiescere jure per Westphalicos tractatus quæsito. Ita Cæsareos articulum istum omisisse; sed protestatione sibi cavisse verbis apud Gallos, scripto apud sequestres biduo ante subscriptionem interposita. Quin ipsum Croissium, cum animadverteret, Cæsaream legationem super ejus articuli omissione scrupulum sibi formare, ultro suggessisse, huncce tolli posse interposita protestatione. Quid quod* *29. Octob.* *30. Dec. 1678.*

nullo

1680. *nullo verbo de cessione tot Statuum mentio facta sit, cum de Friburgo oppido tot articuli impleti sint, tribus quoque miseris vicis ab eo pendentibus nominatim expressis. Ac in universum juris esse, ut in tractatibus nil habeat vim obligandi, quod expressum non sit. Ac alias Croisfius hautquidquam tantopere Imperii placitum expediturus erat, si Cæsarei eam cessionem fecissent; quippe cum id placitum expresse ad dictam protestationem provocet, Cæsaremque roget, operam det, ut Ordinibus Imperii, de quibus quæstio est, sua libertas illibata constet, ac ut præcipue articulus 27. pacis Neomagensis probe observetur. Sed nec idem Cæsaris ratihabitionem acceptasset, velut quæ ad Imperii placitum provocat. Et quo colore Cæsarei ea loca in catalogum restituendorum referri potuissent, si eadem Gallo cessissent? Quanquam enim non omnia ibi loca exprimantur, ac Croisfius causatus sit, se de omnibus haut plene edoctum; tamen Cæsareos eo catalogo non destitisse; testimonium perhibente Bevilaqua; ac expresse fuisse conventum, ut Gallus omnibus locis præsidium deducat, quæ per Monasteriensem pacem ad eum non spectent. Dum quoque Croisfius articulo I. Exsecutionis stipulatur, ut Cæsar copias suas e locis Imperii abducat, & inter hæc Landaviam, & Weissenburgum nominet; eo ipso agnoscere, eas civitates Imperiales esse. Unde & tribunal Brisacense non ad Croisfii commenta, sed simpliciter ad pacem Westphalicam provocare. Atqui præterquam quod id tribunal, cum inter partes censeatur, absurde judicem se ferat in aliena Reip. membra, ejus decreta tam Monasteriensi, quam Noribergensi tractatu plane destrui. Falso quondam a Gravello Volmari dictum jactatum; qui viribus præpolleat, optimum interpretem pacis Westphalicæ fore. Qui & studio articulum de Gallica satisfactione, cum reliqui sat perspicue concepti sint, ita ambigue expresserit, quod speravit, Gallum eas provincias haut diu retenturum, aut velut longius dissitas neglecturum. Ac si Austriaci eas recuperarint, posse hos tunc Instrumentum Pacis in commodum suum vertere, causatos, se istas jam eodem quo Gallum jure possidere. Ex quo sinistro artificio nunc Imperio tanta incommoda proveniant. Quæ inania esse cuivis pateat. Cæterum vi Recessus Noribergensis iis locis a Gallo militem deductum, quæ idem nunc occuparit. Et quia hic ad instaurationem pacis Westphalicæ provocat, nisi quæ Neomagensi tractatu mutata sit; in Alsatiam nil amplius prætendi posse, quam quod perspicue Monasteriensi Instrumento expressum est. Croisfium porro peritiorem rerum esse, quam ut nesciat, ea, quibus jura per pacem reciproca stipulatione composita quæsita mensurantur, non esse, quæ in antecessum super formandis articulis hinc inde jactantur, sed ea duntaxat, super quibus post consumtam disceptationem ad extremum inter partes convenit. Omnia, quæ inter tractandum differuntur evanescere, ac sine effectu manere, nisi tractatui utrinque suscripto inserta sint. Præter ista, nil esse, quod obligationem Principum constituere possit. Cum igitur rejectæ propositiones partem tractatus Neomagensis non constituant, easdem nemini jus dare, aut detrahere posse. Cæterum ex omisso isto articulo VIII projecti Cæsarei id quidem colligi possit, Gallum non amplius ad compromissum teneri: hautquidquam autem Cæsareos de jure Imperii atque Ordinum, quorum interetat quid remisisse, multo minus totam Alsatiam cessisse.* Porro cum & Lutetiæ Mansfeldius Comes Croissio objiceret; quare post pactum Noribergense jam in controversiam adductis locis, ac inter ea Landavio militem deduxissent? nil aliud quod responderet habebat, quam eo tempore ob turbas intestinas alibi se milite suo opus habuisse. Quasi post eas turbas sedatas militem eodem iterum immittere non potuissent saltem juri suo testando. Cum etiam superioribus annis Trevirorum urbe expugnata fuisset, Gravelli scriptum inter alia repertum fuerat, quo super Alsatico compromisso agnoscebat: Gallicas rationes admodum debiles esse, ac si res jure metienda sit, haut suffecturas. 1680.

§. 20. Ast Ordines Imperii Ratisponæ Galli responso haut contenti Verjo demonstrabant: Tantum abesse, ut quidquam eorum Galliæ, quæ ea nunc in Imperio occupat, pace Westphalica cessum sit; ut pleraque in Instrumento Pacis ab iis, quæ Galliæ ibi cessa leguntur, nominatim excepta; multa dominis, quibus ea nunc eripiuntur per eam pacem Gallo tunc inprimis annitente restituta; multa per Recessum Noribergensem Imperio reddita; omnia usque ad extremos motus sarta tecta conservata sint. Eosdem Status, in quos Gallus nunc supremum imperium sibi arroget, triginta amplius a Westphalica pace annos interrupta nunquam possessione ad Comitia Imperii vocatos, in iis præsente, & non contradicente legato Gallico jure sessionis, & suffragii semper gavisos, ad collectas Imperii contribuisse, in contentiosis nulla præterquam Imperii dicasteria agnovisse. Imo Galliæ Regem cum iisdem tanquam immediatis Imperii Statibus hactenus semper egisse, fœdera inivisse: in ipso pacis Westphalicæ Instrumento liberum militis sui per Alsatiam transitum, Benfeldæ demolitionem, Tabernarum medium statum stipulatum. Cum anno 1661 tanto post Westphalicam pacem spatio decem Alsatiæ civitatibus, ne tunc quidem de statu *immedietatis*, sed de sola jurisjurandi forma ob præfecturam Hagenoënsem præstanda, inde anno sequenti a curia Metensi vasallis trium Episcopatuum Imperio immediate subjectis controversia moveretur: eam non tantum interveniente Cæsare & Imperio ad arbitros ex ipsomet Imperio utrinque delectos remissam, & ex parte jam decisam; sed & Regem per Robertum Gravellum heic Ratisponæ in ipso limine compromissi testatum; non eam esse intentionem suam, ut juramentum fidelitatis, quod vigore cessæ sibi præfecturæ Hagenoensis ab istis civitatibus exigat, ita explicetur, ut immedietati, quæ in tractatu Monasteriensi illis expresse reservata sit ullo modo præjudicet. Neomagi quoque unicam conditionem instaurandæ cum Imperio pacis restitutionem pacis Westphalicæ postulatam, sola Friburgi cum Philipsburgo commutatione excepta. Equidem e legatis Cæsareis juxta, ac Gallicis hinc inde plures articulos propositos, quam post Instrumento inserti sint. Sed eam omissionem usque adeo neutri parti renuntiationis instar visam, ut Gallus eorum aliquos a suis legatis propositos, licet tabulis

Galli rationes ulterius discutiuntur.

13. Sept. 1667.

1681. bulis pacis exclusos, ipsa executioni dari fecerit. Legationem quoque Cæsaream articulum VIII formulæ suæ de litibus ibi nominatis ad placitum antehac arbitrium remittendis non ante, nec aliter omisisse, quam postquam legati Gallici, qui hactenus testati fuerant, se de isto arbitrio nec edoctos, nec instructos esse, tandem per sequestrem Anglum expresse declarassent; a Gallo nil novi, aut aliud juris in Status, & loca dicto articulo nominata prætendi, quam quod ipsi Westphalica pace quæsitum sit. Quæ cum paci Neomagensi velut fundamentum substernatur, eum articulum omitti posse. Ac ne locus esset ex ista omissione renuntiationem, aut qualemcunque desistentiam arguendi, legationem Cæsaream ante subscriptam pacem coram sequestribus, & legatis Gallicis verbo, & scripto, ex superabundanti interposita protestatione cavisse; statimque post pacem hinc inde ratihabitam inter alia etiam ea ipsa loca dicto articulo nominata a legatis Gallicis nomine Imperii inter restituenda, & evacuanda repetiisse. Unde haut adparere, quo fundamento ex ejus articuli omissione tam enormis tot Statuum cessio evincatur, cujus in ipso pacis Instrumento nullum vestigium extet. Sane juris gentium esse, ea, quæ ante transactionem, & re adhuc integra inter paciscentes dicuntur, pro non dictis, acta pro non actis haberi; eoque non ex antecedentium congressuum disceptationibus, sed e solo Instrumento secutæ pacis, quid ea transactum sit, doceri oportere; ad illud unum recurrendum esse. Nec enim aliud quam pacis tabulas a Cæsare & Imperio, Galloque ratihabitas; quæ & solæ contrahentes obligent. Quin cum ipse Episcopus Argentoratensis, cujus ditio non modicam Alsatiæ partem constituit, tractatu Neomagensi a Gallo inter fœderatos habitus, ac eo urgente in pristinum statum, jura, sessiones, & alia, quibus ante destitutionem gavisus fuerat, restitutus sit; consequens esse, Regi a ministris de ejusmodi cessione, utrique paci incognita, falso fuisse insinuatum. Denique Imperium ratihabitione sua Cæsareorum legatorum protestationem repetiisse. Quod autem Rex revisionem eorum, quæ a judicibus suis contra læsos Imperii Status acta sint, offerat, id ab Ordinibus Imperii hautquidquam eo sensu acceptari posse, velut isti jus sit Ordines Imperii ad sua tribunalia, quorum in hos jurisdictio nulla est, iterum trahere, & sumtis actoris simul, ac judicis partibus interpretationem Westphalicæ pacis exclusis cæteris ejus consortibus sibi soli arrogare. Sed oblatum admitti eo quo par est sensu, & qui justitiæ Regis congruit; ut nimirum controversiæ, prout Regi antea placuit, ad probatos utrinque arbitros remittantur, læsis Statibus interim in possessionem immedietatis, libertatis, ac jurium, qua per vim exuti sunt, ante omnia restitutis. Id quod ut fiat, a Rege petere, cum pax sublatis fundamentis diu subsistere non possit, nec ab Imperio tot membra sine totius corporis convulsione decerpi nequeant. Ad ista Verjus, ne plane obmutesceret, cavillabatur: Regis prætensiones pace Monasteriensi liquido fundari, qua ipsi istæ regiones cum omnimoda jurisdictione, superioritate, & supremo dominio, quæ non solum Domus Austriaca, sed & Cæsar atque Imperium in eas habuerit, operosis verborum cautelis cedantur. Tum circa easdem Cæsarem atque Ordines, omnibus Imperii constitutionibus, capitulationi, ac juramentis renuntiasse, ac ut eæ provinciæ, & loca catalogo Statuum Imperii expungerentur, consensisse. Instrumentum autem Pacis excepisse duntaxat nonnulla sat tenuia, puta jus Metropolitanum in tres Episcopatus pro Trevirensi; ut Rex catholica sacra tueatur; ut præsidium Philipsburgense nimis numerosum ne sit; ut Brisaco sua privilegia salva sint. Equidem *paragraphum Teneatur Rex* Instrumento pacis insertum, sed cujus nullus effectus sit, quod eidem annexa clausula Gallo antehac cessa jura satis conservet: *ita tamen ut præsenti hac declaratione nihil detractum intelligatur de omni supremi imperii jure, quod supra concessum est.* Regem quoque censuisse, sat sibi juris esse ad ea, quæ nunc prætendat, eoque in arbitros consensisse. Sed postquam bellum erupit, ac Cæsarei negotium id Neomagi moverint, Gallicos legatos non aliter pacem concludere voluisse, aut subscribere, quoad Cæsarei eo articulo destiterint. Velle tamen Regem in eas querelas penitus inquiri, ac omnia amice componi. Sed cum contra ostenderetur Landgraviatum Alsatiæ hautquidquam complecti omnia, quæ in eo tractu, qui Alsatiæ vocabulo venit, sita sunt; satis agnoscebat, ad Tabulas pacis frustra a Gallo provocari. 1681.

30. Dec. 1678.

§. 21. Cæterum Gallus, postquam tot sibi ditiones media pace rapuisset, nec tamen protinus ad arma rem deducere vellet, modestiæ aliquid tantisper simulare ex usu ducebat. Unde cum Mansfeldius Comes Lutetiæ proponeret, ut omnia post pacem novata in integrum restituerentur, id quidem Gallus abnuebat. Sed cum idem instaret, ut saltem grassationes Cameræ Metensis, ac Brisacensis sistantur, ac per delegatos tam in anteacta, quam in reliquas prætensiones inquiratur, quod Cæsar eam solam rationem superesse judicaret servando Argentorato; Gallus laxis verbis eum delegatorum congressum annuere, quem recusare probabile prætextum haut suppetebat: quem tamen eludere in proclivi erat, prout res in Anglia, ac Belgio se darent. Unde & per Verjum Ratisponæ offerebat, se congressu delegatorum instituto querimonias, & reliquas prætensiones compositurum: qui tamen Spiræ, Wormatiæ aut Francofurti ad Mœnum, non autem Argentorati habendus sit; quod magis e dignitate Imperii videatur, si iste intra hujus limites celebretur. Id quod ab Ordinibus avide arreptum, modo ut Gallus interim reunionibus supersederet. Sed quia facile adparebat, hoc congressu parum æqui pro Imperio obtentum iri, Elector utut inter ordinarios Deputatos esset, ea commissione ut eximeretur laborabat. Enimvero dum Ratisponæ, quæ ad eum conventum obeundum requirebantur, per solitas ambages lente procedunt, Galli interim Argentoratum, nobilissimum Germaniæ propugnaculum, interceperant. Cæsarei ministri per semestre amplius cum ea civita-

Gallus Argentoratum intercipit.

civitate egerant, ut ea quasdam Cæsareas copias præsidio reciperet. Sed civitas censebat, Imperio, ac sibi hoc modo non consuli, sed potius noceri; ac demum effecerat, ut Cæsarei rationibus ipsius probatis admissionem copiarum non amplius urgerent. Ac sperabat eadem, hac tempestate non aliter servari se posse, quam si vela ad ventum obliquet, ac mollibus remediis exitium declinet. Sane pacem Neomagensem Germaniam, quin totam Europam in eam conditionem redegisse, tantamque animorum, & consiliorum distractionem produxisse, ut nullum remedium adpareat res protinus restituendi, sed a tempore mutationem aliquam expectandam, interim dissimulando, tolerando, ac per dextra consilia salutem quærendam, quoad exulceratis animis medicina adferatur, ac arma rite instruantur. Nam nunc in bellum ruentes certissimum exitium manebat. Ast Gallus cum destinata sua in eam urbem jam exsecutioni daturus esset, per Croissium Mansfeldio ultro denuntiabat; sibi propositum Argentoratenses in verba sua adigere, quod per pacem Monasteriensem supremum Alsatiæ imperium sibi collatum sit. Adversus quæ a Comite regesta flocci fiebant. Erat jam conventio de tradenda urbe per paucos quosdam e magistratu Lutetiæ adornata, Gunzero civitatis Secretario singularem operam navante; in quam proditionem disponendam a Gallo trecenta uncialium millia impensa fuerant. Ne cives se opponere auderent, Rex minabatur; ubi reluctari instituant, singulos dies centenis uncialium millibus a civitate luendos; ac XL. M bellatorum in procinctu stare iis in ordinem redigendis. Ac proditores jam ante disposuerant, ne qua in urbe resistendi facultas foret. Non nisi quingenti milites præsidio ibi erant, reliquis ante sex septimanas exauctoratis. Armatorum civium vix tria millia in urbe restabant, reliquis ad mercatum Francofurtensem, & alio digressis.
Sept. Ita vesperi per tenebras Galli modica manu ad castellum Rheno adsitum, ubi vectigal exigi solet,
Sept. accessit. E quibus cum sequenti mane causa accessus quæreretur, hi respondebant: Cæsareas copias in itinere esse ad isthæc Rheni claustra occupanda. Ex interceptis quoque a se Cæsaris literis adparere, hunc omni studio circa prorogandam cum Turca pacem satagere. Quo obtento bellum in Galliam jam decretum esse. Igitur ista destinata sibi fuisse prævertenda. Cæterum urbi nil noxæ inferendum, ac eam potius adversus o-
Sept. mnem molestiam tegendam. Sed & Monclasius
Monclas. Gunzero Secretario ex urbe evocato denuntiabat; Regis voluntatem esse, ut urbs se dedat; ac se missum ad ea jussa vi exsequenda, ni ultro pareatur.
Sept. Postera die Luvoisius Ilkircham veniebat, ad quem delegati ex urbe accedebant causam invasionis cognituri. Is solita cum ferocia proponebat, Regem velle, quæ sibi pace Westphalica, & Neomagensi cessa sint, penitus exsequi. Et quia tota Alsatia eidem attributa sit, solum jam Argentoratum superesse, cui nunc deditio facienda sit. Igitur adhuc ea vespera hora quinta liquido responderent, num Regis se arbitrio citra exceptionem dedere
Sept. velint. Demum magno labore obtentum, ut responsum ad subsequentis diei horam septimam matutinam differretur. Addebat, Regem cum ipsis velut civibus suis agere: si renitantur, rebel- 1681.
lium loco fore. Equidem alias qui strenue repugnent, honestioribus deditionis legibus potiri. Sed cum ipsis aliter actum iri, ac quamprimum vel unum telum emittatur, a civitate exsolvendum, quantum XXXV M militum, & res tormentaria durante obsidio constiterit. Ita deditio fiebat, ac Rex urbi quas petebat conditiones concedebat, nisi quod iste cathedralem ædem velut a majoribus suis extructam, simul portas, & armamentarium sibi deposceret. In hoc repertæ machinæ, & armorum adparatus septem millionibus taxabatur. Ipse Rex urbem ingres- 13. Octob.
sus ædem cathedralem Romano ritu imbui curabat, Episcopo Furstenbergio inter alloquium hæc quoque verba adhibente: *se jam cum Simeone libenter in pace ad superos discessurum, postquam oculi sui tam salutare opus viderint.* Avauxius per 8. Octob.
libellum Belgis de causis interceptæ a Rege urbis memorabat, necessitatem antevertendi Cæsaris conatus, quo pax servetur. Ac ut Rex testetur, se arma longius proferre nolle, eum consensurum, ut Friburgum destructis munitionibus Cæsari reddatur, si & Philipsburgum munitionibus pariter exutum Spirensi Episcopo restituatur.

§. 22. Post tanti momenti ditiones nullo labore raptas Gallo placebat subdolam per quietem, variasque artes adversæ partis conatus eludere, ac male concinnam Reip. Germanicæ molem in soporem dare, captorum possessione interim quantum posset firmata. Equidem Arausionensis passim Gallica potentia attonitos excitatum ibat, ut imminenti se servitio mascule opponerent. Qui & suscepto in Angliam itinere avunculum Regem, ut tandem aliquando Galli se conatibus serio objiceret, stimulabat. Unde & hic Gallo per legatum proposuit; se de statu Europæ valde solicitum esse, ac inprimis de iis, quæ ab ipso contra Germaniam & Belgium Hispanicum tententur. Qui agendi modus plane inauditus sit; ac se judicare, controversias super limitibus, ac aliis pacis articulis ad sponsorum decisionem spectare. Cui a Gallo responsum: *cuilibet Regi peculiarem agendi modum esse: sibi suo modo agendum videri. Ac satius fore, ut Anglus de statu Regni sui solicitus sit.* Quanquam autem Anglus Hispano declararat; si Gallus cœptos per Lutzenburgum conatus persequi instituat, fœderatis sese triginta naves bellicas auxilio missurum, ac intra trimestre Gallo bellum indicturum: tamen anteacta omnem fortibus dictis fidem detraxerant. Nec arduum Gallo erat solitas per artes ejus Regis ignaviam Europæ tam exitiosam alere. Ac ne Arausionensis apud Belgas suos quid proficere posset, Amstelodamensium dissensio imperliebat. Gallus autem, ut Arausionensi vicissim ægre faceret, hunc Metim citabat, ut Comitatus Viandæ nomine sacramento se Galliæ obstringeret. Et cum is misso scripto id postulatum excusaret, ejusdem bona in Lutzenburgensi ditione sita, Vianda, D. Viti Fanum, & Jageburgum Mareschallo Humierio, qui actionem in eadem moverat, addicebantur.

Arausionensi frustra Anglum excitare conatur.

§. 23. Ma-

1680. *De tractatu associationis.* §. 23. Majus momentum ad sistendas Galli grassationes allatura credebatur conjunctio inter Suecos, & Belgas ad tuendam pacem Westphalicam, & Neomagensem. De ea primum a Sueciæ Rege motum fuerat, qui post bellum infeliciter gestum, in quod per Gallos pertractus erat, adversus hoc acerrimum odium conceperat; quo non minore flagrabat Benedictus Oxenstierna, cui Rex externarum rerum curam commiserat. Accedebat, quod Gallus nullo respectu veteris amici ac fœderati, e cujus Regno tantam utilitatem ceperat, & quod plurimum ad id fastigium contulerat, e quo nunc iste Europam terrebat, Ducatum Bipontinum avitum Regis Caroli patrimonium tam frivolo titulo subtraxisset; ac ut eo nomine tanquam Galliæ vasallus jurejurando se illigaret, postulasset. Circa eam porro conjunctionem prima cura erat, ne Gallus, si præmature de ea innotuisset, eandem inter initia disturbaret. Unde in Suecia clam cum Belgarum ministro conveniebatur, quomodo Gallorum animi tantisper alio averterentur. Eo fine Nicolao Bielkio simulata mandata missa, ut cum Gallo tractationem susciperet; jusso tamen eam studio extrahere, quoad Nicolaus Gyllenstolpius negotiationem suam Hagæ absolvisset. De quo cum Electori innotuisset, per Spanhemium, & Fridericum Wilhelmum Diestium Gallicis ministris insinuabat, quo Gallum Sueco redderet irreconciliabilem. Lillierothus contra minister Suecicus Hagam transiens Avauxio dixerat: Sueciæ aliquot annorum quiete opus esse ad recolligendas vires: dehinc ipsam Gallo contra quosvis adstituram. Ac idem Lutetiam delatus Gallo Suecicum fœdus offerebat; ac cum interrogaretur, num tractatui *associationis* renuntiare vellet, id quidem negabat; sed ejusmodi se interpretationem daturum, qua Gallus adquiescere possit. Sed Croissius respondebat; isthæc oblata non congruere cum illis, quæ a Suecis Viennæ, Hagæ & Londini agantur. Idque eo magis suspectum erat, quod Sueci eodem tempore Hafniæ triplex fœdus offerebant, inter se, Daniæ Regem & Electorem. Color dicebatur, quod recenti adhuc animorum aversione ipsi nollent Electori de eo proponere, sed id per Danum fieri decentius ducant. Scopus autem ferebatur, ut non solum immensum gliscens potentia Gallica sisteretur, sed & Belgarum ardor, quem pro bono publico testentur, fulciatur; qui & publica hac paupertate ad ingentia subsidia adigendi non sint, ne plane ad desperata consilia delapsi Gallicam protectionem subeant. Ex isto tamen agendi modo tam parum sibi constante prudentes suspicabantur, Suecos utrique se parti venditare, ac pretium sui accendere velle. Cæterum architectis ejus fœderis, cui *associationis* vocabulum indebant, persuasum fuerat, alios certatim eidem nomina daturos; Angliæ ante omnia Regem, tum Electores & omnes Germaniæ Principes, simul Cæsarem, Hispanum, Danum, quos solenniter invitare placebat, uti & Italiæ Principes, qui & ipsi Neomagensi pace comprehendantur. Eo fœdere non Germaniæ solum ac Belgii, sed & totius Europæ securitatem stabiliri, Gallique vastis destinatis limites poni. Et jam olim ejusmodi fœdus regnante Henrico IV a Sullio Duce deformatum adversus prægravem tunc Hispanorum potentiam. Enimvero adparebat, autores de ejus fœderis effectu ampla nimis spe sibi fuisse blanditos. Nam inter provincias Belgicas Frisia, & Grœninga id ratihabere abnuebant, quoad certum foret, Electorem quoque eidem accessurum. Amstelodamenses quoque, atque Dordraceni pecunias conferre nolebant, negantes, ob alienas utilitates in novum se bellum descensuros. Belgis ad id fœdus invitantibus Anglus respondebat verbis laxis, & ambiguo sensu: si Cæsar, Danus & alii primarii Germaniæ Principes (non expresso, quos designaret) eidem se illigaverint, se quoque Parlamentum eum in finem convocaturum. Cæsareus tamen minister Camprichtus eum se tractatum citra tergiversationem subscripturum declarabat; uti & Bavarus, ac Genuates. Ast Avauxius isthoc instituto quam maxime se offensum profitebatur, nec Regem id aliter considerare posse, quam adversus se directum: ac qui primus ei nomen dederit, acerrimi hostis loco habiturum. Idem quoque multis in callidas Suecorum artes invehebatur; qui revera nil aliud quærant, quam ut per aliquot annorum quietem vires recipiant, quo deinceps iterum vicinis terrori esse possint. Idem eo nomine Belgis libellum exhibebat, atrocibus minis refertum. *8. Nov.* Cui Belgæ modestis verbis respondebant: id fœdus nullius offensam, sed innoxiam duntaxat defensionem spectare. Croissius dicebat: Regem sibi persuadere non potuisse, Suecos primos fore, qui ejusmodi fœdus contra ipsum cusuri sint. Cæterum se quidem expectasse, ministerium Oxenstiernæ, quem Neomagi ipse penitus cognoverit, aliquid novi, & inusitati productu- *quelque chose de nouveau, & de bizarre.* rum. Suspicio Croissium subierat, Electorem quoque in partem ejus negotii venire. Cui ille per Spanhemium reponebat: sibi quidem acta Cameræ Metensis, & Brisacensis, dum quæ contra Reformatos in Gallia suscipiantur, valde displicere: de cætero cum Gallo bona fide staturum.

Cum Dania Rege acta. §. 24. Ast quo magis eo fœdere a Galli amicitia se disjungebant, tanto enixius studebat Elector, ut Danum conjunctione cum Sueco divulsum sibi, Galloque innecteret, ne novum sibi e Suecia periculum crearetur. Equidem Gallus antea junctim sibi Boreales Reges sociare optaverat, quod fœdus cum alterutro eorum inutile fere esset, altero protinus in adversas partes digrediente. Contra si de utriusque Regis, & Electoris amicitia cautum sibi sit, res Germaniæ se pro lubitu temperare posse. Ast postquam Sueci a Gallo se averterant, hic eludendo associationis tractatui Danum in suas partes pertrahere studebat, simul de Pomerania Suecis eripienda, & in Electorem transferenda insinuabat. Cæterum inter Boreales Reges Lundini in Scania convenerat, ut non nisi junctim fœderi cum aliis se innecterent. Idque hactenus obstiterat, quo minus fœdus inter Gallum, Danum & Electorem coire posset, quod Danus Suecum quoque eidem adscribi vellet; id quod Electori haut placebat. Sed postquam Suecus associationis fœdus inierat, inscio Dano, uti hic arguebat,

bat, eoque Lundensem conventionem abruperat, Danus inde ansam arripiebat Gallo, atque Electori arctius sese innectendi. Electori tamen prius constare oportebat, num Danus associationis tractatum subscribere vellet. Simul censebat, primo loco fœdus ineundum super servanda pace, nulla mentione facta de adquirendis bello quibusdam terris. Ast ubi res in arma eruperit, pro captu rerum de talibus agi posse. Danus porro censebat, se prius, atque Electorem cum Domo Luneburgica, & Monasteriensi fœdere nectendos. Tunc enim magnam sibi unitis autoritatem accessuram, ac majore ambitu suam amicitiam quæsitum iri. Idem quoque confirmabat, nil sibi cum Sueco fœderis esse in Electoris fraudem. Ac se per naturales rationes ad æternam cum Brandenburgica Domo amicitiam trahi, cujus & quantacunque incrementa læto animo adspecturus sit; cum contra Saxones, ac Luneburgici maxima æmulatione adversus ejusdem opes flagrent, ac ne vicum quidem eidem accrescere æquo animo ferant. Satis quoque se perspicere, si ipse Sueco junctus maneat, parum fructus e fœdere Gallico se percepturum; nec regni sui rationes diu cum Suecia conspirare posse. Tum amplissimis verbis de studio suo in Electorem testari, ac uti pedetentim Suecorum se conjunctione exuere instituat, qui ipsum illudere, ac ab Electoris amicitia disjungere velint. Sane fœdus mutuæ defensionis non sine artificio præter nativam Regnorum indolem consarcinatum Alefeldius Comes semper dissuaserat: sed in gratiam Reginæ viduæ Antonius Altenburgius Comes, & Janus Julus succinente Hahnio id pervicerat, promovendo Ulricæ Eleonoræ connubio. Ac Hahnius quidem semper Regem ab Electoris amicitia abstrahere studuerat. Julus privatum commodum captaverat, ac ut offensam Sueci ob incendia novissimo bello in Oelandia, & aliis Sueciæ locis patrata aboleret. Altenburgio spes erat, se favore Suecorum bona sua in Oldenburgico Comitatu tuiturum. Cæterum ejus fœderis scopum fuisse nuptias sororis regiæ & commercia, circa quas Belgis limites ponere animus fuerit. Sed quia illæ quidem consummatæ sint, hoc autem frustra fuerit, amicitiam cum Suecis brevi expiraturam; qui quotannis ultra centum uncialium millia vectigal in Oresunda defraudent, ac cum Belgis fœdus commerciorum inierint Daniæ admodum noxium. De quo tamen Hafniæ declaraverant, id fœdus Daniæ fraudi non fore, cujus in articulis Lundensi tractatui adversantibus nulla vis esse debeat; Alefeldio Cancellario pronuntiante; se nescire, utrum Sueci Danis, an Belgis illudere cupiant. Ac Electori quoque fœdera cum Suecis fuisse, sed per quæ radicata cum Dano amicitia hautquidquam sublata fuerit. Ad quæ Elector vicissim declarabat: se utique mutuæ inter ipsos amicitiæ necessitatem agnoscere, eoque statim post pacem fœdus cum Rege ad ductum conventionis Dobrani quondam initæ facere cupiisse; sed quod in Dania variis prætextis elusum sit. Simul novum cum Sueco pactum initum, quod hactenus communicatum non sit, quo omnibus fœderibus contra Sueciam, eoque & fœderi cum ipso renuntiatum dicatur. Se tamen postquam Rex de fœdere junctim cum Gallo ineundo movisset, ad id statim paratum fuisse. Sed circa id anceps sibi visum, quod is Suecum in idem recipere voluerit; qui tamen de hoc nil sibi significaris, & cujus conjunctionem alia nunc dissuadeant. Simul communicationem fœderis cum Sueco expetebat, abunde de cætero repositis verbis affectum testantibus. Ac fatebantur Dani, suas rationes per fœdus Suecicum turbari, quod sibi ob matrimonium sororis regiæ extortum sit, & per quod Sueci Danum Principibus Germaniæ suspectum reddete voluerint. Post tamen Electori ejus fœderis copia per Goschium Bucvvaldum facta; qui excusabat, id ob Belgas, quos idem potissimum tangeret, secretum fuisse habendum, tum quod in eo extaret; ut neuter Borealium Regum inscio & invito altero in Germania bellum gerat. Quo ipso Danum Sueco velut vinculum injicere voluisse, ne tale quid tentaret. Alias enim Dano tantam vecordiam non esse, ut Suecis junctus Germaniam invadere velit, qui alias a Suecis omni parte cinctus sit, ut quasi in faucibus eorum hæreat. Sed nec fœdere Suecico iis fœderibus, quæ Dano cum Electore, & aliis intercedant, expresse renunciatum; sed tantum in fine tractatus id, quod tempore belli alterutri Regi in præjudicium actum sit, abolitum, id quod apud omnes paciscentes usu receptum sit. Sic & inter utrumque Regem convenisse, ut omnia bona fide communicentur. Danum tamen hautquaquam eousque se obstrinxisse, ut cum Sueco omnia prius in antecessum ipsi consultanda, ac dirigenda sint. Cæterum eo tempore Dano in ancipiti erat, utri partium fœdere sese illigaret. Nam ut ipse Sueco junctus defensivo fœdere Gallo jungeretur per Lillierothum propositum fuerat. Id quod Dano suspectum videbatur, nota Sueci in Gallum aversione, quam valde auxerat nuper erepta ditio Bipontina, & quia Gallus cum fine belli subsidia subtraxerat, quæ Suecus ad finem usque fœderis prætendebat. Ac Oxenstierna suadere dicebatur, ne Rex fœderi bellum parituro se innectat, sed successus rerum per Europam speculetur, ac ante omnia domesticas res probe disponat. Unde Danus super hoc fœdere proponi a Sueco judicabat tantum, ut ipsius mentem expiscaretur, simul ejusdem cum Gallo conjunctionem difficilem redderet. Sed & Suecus in formula communis fœderis id quoque stipulari volebat, ut Gottorpiensis Dux in pristinum statum reponeretur. Id quod Dano minime omnium arridebat. Qui & valde repugnabat, ne Dux iste Lundæ ad Eidoram novam munitionem extrueret, magni momenti futuram, ubi perfecta fuisset; neve idem Toenningam instauraret, quam destructam Rex præcipuum fere novissimi belli fructum ducebat; quod prætextum videretur habere Duci partem tributi bellici abnegandi, si huic nulla munitio superesset. Cum ergo has ob causas Borealium Regum junctum foedus cum Gallo haut succederet, Dano visum seorsim cum Gallo foedus ferire. Super quo iste Electori

1681. 15. Mart. ctori ita declarabat: *Sibi hautquidquam in animo esse, gradum Gallo struere ad invadendam Europæ monarchiam; judicare tamen securitati sua facturum fœdus mutuæ defensionis cum Gallo laxis duntaxat verbis inire, ne Suecis emolumentum Gallici subsidii relinquatur. Nam satis se animadvertere, Suecos plus nunc cupidinis quam antehac ostendere, quod suspicentur, vel Electorem solum, vel sibi junctum brevi cum Gallo fœdus conclusurum. Iis autem fixum sedere diversas a Dania, & Electore partes sequi; qui & nondum desiderium Borussiæ digesserint. Igitur sibi decretum gemina cum Electore consilia capessere; ita tamen, ut quemadmodum ipsi e novissimo bello, cujus fructus invidia sociorum intercéperit, saltem egregiam apud posteros memoriam sperent, pro bono publico ad extremum contendisse; ita fœdus cum Gallia ineundum non impediat, quo minus enormibus Galli destinatis obviam eatur, ubi is justo longius grassari instituat. Apud Gallum tamen haut professurum, Sueci conjunctionem sibi ingratam esse, ne huic, aut Gallus suspicionem injiciat.*

22. Maji. Mox tamen cum super foedere inter Danum & Gallum serio agi inciperet, Galli modica subsidia offerebant, vicissim ardua sibi stipulaturi, quæ promovendis vastis ipsorum destinatis facerent. Contra Dano in ancipitia descendere haut placebat, cui communis quies, & securitas spectabatur, ut si Gallus quid in eam tentare velit, plausibile prætextum foret eum monendi, ac a sinistris destinatis retrahendi. Utque adeo foedus certis limitibus circumscribatur, quo, ubi iste in transversum abeat, pes honeste retrahi possit. De cætero tutius sibi, atque Electori videri, ambiguis hisce temporibus Gallo sociari, quam priores partes, quas tanto suo cum dispendio secuti fuerint, iterum amplecti. Nam in Anglia nil certæ fiduciæ collocari posse. Apud reliquos nil solidi adparatus reperiri. Galli viribus par. Haut eo minus hærebat Danus, quem interceptum Argentoratum graviter commovebat, & quia Cæsar quoque foedus offerebat, ex quo hospitia sperabantur, ac ut interim frui integrum esset menstruis CL M uncialium, quæ Gottorpiensis Ducis provinciæ imperabantur; qui a Cæsare destitutus forte ad abdicanda pacis Hafniensis commoda compelli posset, occluso simul Suecis in Holsatiam accessu. Contra legatus Gallicus Hafniæ urgebat; jam maxime opportunum tempus esse Daniæ ad occupandum locum, quem Sueci hactenus in amicitia Galliæ tenuerint, qui per tractatus cum Belgis ab hac se disjunxerint. Notum esse, qua fide Gallus foedera colat, qua constantia sociis adsistat, quantum securitatis, atque emolumenti eadem præstent. Simul insinuabatur, Gallum operam daturum, ut Danus Scaniam & Bremam recuperet. Cui tamen responsum; novissima pace satis deprehensum, Gallo haut placere Daniæ vires gliscere, aut amissa ab eadem recuperari. Nec in obscuro erat, a Gallo id maxime agi, ne Danus *associationi* accederet, utque Boreales Reges disjungerentur. Igitur haut placebat Dano super foedere Gallico certi quid statuere, donec Lilliecrona de rebus Cæsareis liquidiora retulisset; Mart. qui eam ob causam Viennam missus fuerat.

§. 25. Elector porro, ut inter ancipitia temporum securitati suæ prospiceret, cum aliis quoque vicinis amicitiam instaurare instituit. Ac sub finem quidem superioris anni Ernestus Augustus Brunsuicensis Dux Franciscum Ernestum Platenum ad Electorem miserat, super præsenti rerum statu consilia collaturum, ac de foedere inter ipsos propositurum. Quod cum Electori probaretur, ei adornando congressus Garlebiæ inter Meindersium & Platenum condictus est. Meindersio in mandatis datum: si Platenus aliquid circa Gallorum grassationes foederi inserere velit, id declinaret, causatus, id negotium Ratisponam spectare, de quo & legatus Cæsareus in Gallia agat. Alias Electorem nullo modo Galli acta probare, ac singulari commiseratione eos prosequi, quos iste fortunis exuerit, ac optare idonea ratione iisdem consuli posse. Quæ communi Imperii nomine circa id negotium decernenda sint, Electorem cum aliis semper promoturum. Cæterum primam scaturiginem horum malorum satis notam esse, ac unice præcipitatæ Neomagensi paci adscribendam. Eadem super Galli actis Plateni sententia erat; nec de iis hoc foedere tangendum; præsertim cum Gallus dicatur locum congressus super hac lite probasse, ac Metensi, & Brisacensi cameræ injunxisse, ut reunionibus deinceps supersedeat. Nam eorum, quæ jam occupata sunt, parum, aut nihil a Gallo videri restituendum. Alias nec sibi aulæ Cæsareæ consilia probari; nec adparere in præsens vires, Galli conatibus retundendis pares, quamdiu res Angliæ in præsenti statu sint. Foedus inde conclusum *tuendæ Paci Westphalicæ, ac novissime cum* 21. Jun. *Gallo initæ, juribusque inde quæsitis. Id ad omnes Electoris provincias in tribus Circulis sitas porrigi; cui non obstare debeant lites super limitibus inter utrumque Principem, quæ amica ratione componendæ sint. Ab Electore Duci auxilio submittenda III M peditum, M equites; ab hoc isti dimidium numerum. Si dimachæ desiderentur, binos horum ternis peditibus æquandos. Ubi is numerus præsenti necessitati haut sufficiat, eundem duplo aut triplo augeri posse, dicta proportione utrinque servata. Copiæ auxiliares ad requisitionem intra sex septimanas in requirentis ditione sistentur; ut tamen requisitus non teneatur cum aggressore in bellum erumpere, eique integrum sit officium bello componendo impendere. Id auxilium continuandum, quoad læso plane satisfactum fuerit. Imperium in auxiliares copias penes supremum eorum præfectum sit; sed in universum exercitum penes requirentem, qui & graviores machinas exhibeat. Requisitus copiis suis stipendia præstet; requirens forum præbeat. Utrinque reservabuntur pacta familiæ, & fœdera cum aliis, quæ quidem præstationibus ex hoc fœdere non obstent. Neuter quoque deinceps fœdera ineat, huic adversantia. Duret fœdus in triennium; sed si interim fœderati bello implicentur, id vim obtineat, quoad bellum cessaverit. Huic fœderi & aliis accedere integrum sit, utrimque partis consensu, & prævia cum accessuro conventione.* Separato articulo decla-

Margin: Fœdus cum Hanoverano Duce.

declaratum, id auxilium non deberi, si alteruter foederatorum tertium quempiam absque alterius foederati communicatione, & consensu vi aggressus fuerit. Dux quoque post excipiebat, se ad auxilium nolle teneri, si ob negotium, cum Hispano res ad arma perveniat, nec id casum fœderis fore. Id quod & Electori probabatur. Mox & cum eodem Duce conventio inita super mutuo transitu copiarum per utriusque ditiones, quo Elector frequenter opus habebat, præfinito certo modo, ne litium inde ansa præberi posset.

§. 26. Ad Saxonem Meindersius Dresdam mittebatur de arctiore ambarum domuum conjunctione hac tempestate propositurus, ac uti de præsenti Germaniæ statu demonstraret. Hanc per fœdam pacem Neomagi properatam in summam confusionem conjectam, per quam hostis tantis commodis potitus sit, quanta nunquam armis obtinere licuisset. Germaniam armis exutam, ac in se divisam: consensionem inter Cæsarem, ac plerosque Ordines abruptam; diffidentiam invaluisse. Et cum olim legibus fundamentalibus, data fide, ac fœderibus Principes niti sueverint, nunc sanctissima humanæ societatis vincula inter instrumenta fallendi adhiberi, quibus ad subeundum periculum induci simplex habeatur. Hanc tristem rerum faciem merito patriæ amantibus cordi esse, oppressis jam tot Ordinibus ad Rhenum, ubi Gallus ad pacis leges, & Cæsareorum legatorum cessionem provocet, citra quam pax non fuerit secutura. Id quod etsi Cæsarei inficientur, Gallum tamen haut secus destinata exsequi. Id manifestum, Gallum Palatino detractum ire, quæ hic ope istius per Westphalicam pacem recuperarit. Ab Imperio hucusque nil actum, nisi quod Cæsar Mansfeldium Comitem in Galliam miserit, & Ordines Ratispona ad Regem literas dederint. Equidem causæ justitiam in eo verti, quis genuinus Instrumenti Pacis sit sensus, cui declarando omnes pacis centes requiri. Sed Gallum huc descendere nolle, ac pacem ex suo sensu exsequi, ac armis confisum rationes floccifacere, ac nunc occupare etiam quæ ipse olim ex pace Westphalica restituerit. Quod si Gallus ita grassari pergat, oppressi autem Cæsaris ac Imperii opem implorent, Cæsarem sane per leges ad eam ferendam teneri. Ast si recens elapsa tempora, statusque Germaniæ probe expendantur, insuperabiles difficultates emersuras, quæ majora mala parituræ videantur. Interim Electorem Ratisponæ suffragio suo fulsisse, quæcunque ad salutem patriæ facere videantur, nec deinceps ab hac sese disjuncturum. Enimvero talia hautquidquam suasurum, quæ cum tanto periculo conjuncta sunt, & quibus exsequendis nulla facultas adpareat, ac ubi metus sit, uti novissimo bello factum, ne quidam necessitatem causati fœderatis progressus invideant, seque excluso pacem ineant. Iis autem, quæ totum Imperium ad sui securitatem, & salutem decreverit, nunquam sese subtracturum. Addebatur de satisfactione Electori e novissimo bello ab Imperio debita. Ad ista colloquio habito Nicolaus Gerstorfius reponebat: defunctum Joannem Georgium II semper judicasse, Brandenburgico satisfactionis loco saltem Stetinum deberi. Se, atque alios Consiliarios ignorare, quid Lutetiæ actum, nec in archivo quid reperiri. Nec ignotum, e cujus cerebro ista missio, ac ejus temporis consilia promanarint. Super propositis in utramque partem disceptabatur, nulla certa conclusione. Post iidem Finsterwaldæ congressi fœdus mutuæ defensionis inter ambos Electores perficiebant. Ei a parte Saxonis includebantur veteres & novæ ditiones hæreditariæ, præsulatus Naumburgensis, Cicensis, ac Martisburgensis, cum utraque Lusatia; tum præfecturæ Querfurtum, Juterbocum, Dammum, & Burgum, ac præsulatus Quedlinburgensis cum pertinentibus: ex Electoris parte duntaxat ditiones in utraque Saxonia sitæ. Modus auxilii a Saxone præstandi erat II M pedites, sexcenti sex equites, ab Electore III M pedites, M equites. Reliquæ conditiones eædem, quæ in Hanoverano foedere. Addebatur quoque conventio super copiarum transitu per utriusque ditiones. *1681.* *8. April.*

§. 27. Eodem anno ab Electoris filio Ludovico nuptiæ inibantur cum Ludovica Charlotta Radzivilia, unica filia, & hærede Bogislai Radzivilii; queis non modicum incrementum Domui suæ accessurum sperabat Elector, si ex eo connubio prolem provenire contigisset. Ei tamen graves se difficultates objiciebant multos ob procos e Polonia, & quia ipse Rex metuebat, ne aliquando potens competitor filio suo adponeretur; simul Poloni jus indigenatus Electoris familiæ competens in dubium revocabant. Cæterum quo id matrimonium absque strepitu perfici posset, jam ante triennium de ista Virgine Regiomonte, ubi educabatur, Berolinum transferenda actum fuerat. Super quo negotio multis rationibus in utramque partem certabatur. Translatio tamen omissa, dissuadente cumprimis Joanne Hoverbequio, qui & ipse inter tutores erat; quod facile inde periculum pupillæ bonis, ac triginta amplius Protestantium templis nasci posset. Sed si Elector eam utique filio jungere velit, tutissimum fore, ejus Regiomonte commoratione agnatos bonis inhiantes in soporem dari. Sed proximo vere, absolutis statis Comitiis, quibus alias si Berolinum migraverit, multa noxia decerni possint, Marchionem in Borussiam accedere, ac consummato matrimonio bonorum dotalium possessionem capessere posse. Eo facto omnibus, quæ metuantur incommodis occurri posse; præsertim cum intra biennium vix alia comitia habenda sint. Sed quia tota Polonia rumor dicebatur, ab Electore Samuelem Chwalcovium missum, qui solenniter virginis nuptias pro Ludovico Marchione ambiret, ac agnati jam manus istius bonis injicere gestirent; Hoverbequius mutata sententia suadebat, ut Elector ante comitia filium Regiomontem mitteret consummando matrimonio; quod constaret, iis comitiis de condenda constitutione agendum, ne Princeps illa Virgo extraneo nuberet. Ac jam Palatinus Cracoviensis Regi D M florenorum obtulerat, si efficere possit, ut filius suus ea virgine potiatur. Idem suadebat Christophorus Grzymultovius Palatinus Posnaniensis, ut properatis nuptiis noxia constitutio declinetur. Alias Radziviliæ nil objici posse, quod consensus defuncti parentis, ac Electoris tanquam supremi tutoris præcesserit. Ac jus

De nuptiis Ludovici Marchionis cum Radzivilia. *28. Jul. 1680.* *Chwalcovski.* *15. Aug.* *Grzymultowski.*

1681. jus indigenatus Electoralis familiæ fundatum esse per investituram primi Ducis Borussiæ; unde & Electorem, & ejus antecessores ab omnibus Regibus, qui ab eo tempore electi fuerint, de suffragio 29. Octob. suo dando rogatos fuisse. Id consilium Elector 1680. secutus, quo omnia rite peragerentur scripto Rad- 23. Nov.] ziviliæ nuptias, jam decimum quartum ætatis annum agentis, pro filio Ludovico ambit; quæ & decenti valde modo consensum suum declarat. Ludovicus inde nullo strepitu velut aliud agendo 7. Jan. 81. Regiummontem profectus solennia nuptiarum perficit, dilato extremo complemento, quod tamen accessisse vulgabatur. Eo super connubio multi Polonorum fremebant; Radziviliam ditiones suas possidere haut posse, quod extraneo nupsisset: cum tamen nulla lege id vetaretur, ac multa extarent exempla illustrium in Polonia, & Lithuania foeminarum, quæ exteris nupserint, nec ideo bona sua hæreditaria amiserint. Addebatur, Radziviliam nupsisse absque consensu Regis velut supremi tutoris in Regno Poloniæ. Sed reponebatur; Reges utique vocari supremos tutores ob protectionem pupillis præstandam. Ast tutoribus peculiariter constitutis curam personarum & bonorum competere. Quanquam autem non omnes tutores consenserint, sufficere tamen id ab aliquibus factum. Inane quoque esse quod jactetur, non permissum pecunias e Polonia efferri; nunc autem tantos reditus extra Regnum consumendos. Nam eam legem spectare tantum mercatores, ac Judæos, quibus alias intra Regni limites merces suas distrahere liceat. De cætero eam rem ad nobiles non perrigendam, quorum plerique reditus quotannis peregrinas in merces impendantur, per quas utique pecuniæ extra Regnum trahantur. Inprimis jactabatur statutum Lithuaniæ: *Statuimus quoque, ut si puella patre matreque orbata post fata parentum, antequam nubiles annos attigerit, aut vero etiam nubilis nupserit cuipiam sine scitu & consensu fratrum, aut patruorum suorum, aut in defectu fratrum, aut patruorum absque consensu reliquorum cognatorum, vel tutorum, sive illi sint legitimi, sive constituti: ejusmodi filia eo ipso excidet dote, bonisque omnibus paternis & maternis, etiam iis, quæ ipsi aliunde contigerint, aut contingere possint.* Inprimis autem Rex in id connubium graviter invehebatur, has præcipue rationes obtendens, quod Marchio ingentes pecuniæ summas e Radziviliæ reditibus extra Poloniam tracturus; pro lubitu Reformatis templa extructurus; Birsas, & Sluzam, magni momenti munitiones occupaturus, ac cum Mosco secreta commercia aliturus sit, postquam tanta ditione in Lithuania potitus fuerit. Revera autem eam sponsam filio suo Jacobo destinaverat, ac nunc metuebat, ne ejusdem maritus aliquando coronam Poloniæ ambiret. Unde non ipse solum huic causæ admodum infensum se ostendebat, sed & Ordines incitabat, e quibus alias potentissimi quidam id factum oderant, velut quo emolumenta, quæ propera spe devoraverant, sibi subtraherentur.

Super eo connubio acta. 16. Jan. §. 28. Ast Elector ad instantia comitia Hoverbequium adlegabat, adjuncto Joachimo Sculteto. Ei injunctum captandæ benevolentiæ in eventum auxilia contra Turcam offerre, quæ jam in Borussia eo fine præsto sint. Tum præcipue impedire, ne Radziviliæ præjudicium inferatur. 1681. Si statutum Lithuanicum objiciatur, reponeret; incertum, an id ad personas tam eminentis conditionis extendendum sit; ac idem exceptionem admittere. Ejus rationem esse, ne minorennes puellæ ad indecoras nuptias seducantur. Tum ab agnatis graves dissensus sui rationes adducendas esse. Heic vero de voluntate parentis constare, quæ consensu tutorum, ac patruorum longe potior sit. Simul tentare jubebatur, num negotium de indignenatu ad liquidum deduci possit, quod post isthoc connubium stabiliri Electoralis familiæ maxime intererat. Sane Electori antehac bona in Polonia fuerant, ea cum spe vendita, ut in eorum locum commodiora emerentur. Ac ab ipso Lauenburgum & Butoviam possideri sine dubio ad Poloniam spectantia. Id porro negotium Hover- 8. Feb. bequius cum legatis Gallicis Vitrio, ac Episcopo Bellovacensi communicare jubebatur, quod Rex Galliæ studium suum circa idem promisisset. Qui initio prolixe pollicebantur, etsi censerent, operæ pretium haut faciendum, ni Rex Poloniæ deliniatur data pecuniæ summa, & cautione, filio suo futura electione nil obstaculi ponendum. Post suadebant, primum Regis, atque Ordinum impetum dissimulandum. Sed demum cum in rem præsentem veniendum esset, fatebantur; sibi a Rege eo nomine nil mandatum, & quæ hactenus recte egerint, ultro egisse, quod de Electoris cum Rege suo amicitia sibi constet. Cùm tamen Bethunius per literas confirmasset, sibi a Rege injunctum quantum possit pro Electore conniti. Cæterum id Polono præcipue jubebatur Hoverbequius demonstrare: Nullam legem in Polonia, & Lithuania connubia cum exteris prohibere; quin illustria extare exempla, nobilissimas, ac ditissimas foeminas extraneis, quibus tamen Ludovicus Marchio accensendus non sit, nupsisse, quæ haut eo secius bona sua retinuerint. Electorem fuisse supremum tutorem, cui educatio Radziviliæ ante omnes incubuerit. Ejus patrem primo omnium decrevisse, ac de eo sæpe sibi significasse; cujus testamento Evangelicis sacris addictus sponsus reliquis omnibus, etiam e sua domo præferatur. Id matrimonium quoque Regiæ domui, ac Reip. peculiariter profuturum, quod Marchio Regi obsidis loco futurus sit de Electoris in ipsum studio; qui & belli tempore Reip. suppetias laturus, & quavis occasione Regiæ domui studium suum sit adprobaturus. Nec esse, quod Rex istum aliquando filio suo competitorem metuat. Sane nec Electorem eam coronam ambire voluisse, quo tempore nemo in Polonia princeps regiæ prosapiæ erat; in quem ante omnes respici soleat, nullo exemplo ejusmodi Principis plane exclusi extante. Ordines quoque vetera sua statuta eo porrexisse, ne Romanis ritibus haut addictus corona potiri queat. Sed quia rationes parum profuturæ erant, ni ab argento pondus accederet. Hoverbequius ad XL M uncialium Regi offerre jubebatur, sed nihil terrarum, quod id salvis legibus ac citra offensam Reip. fieri non posset. Cum Hoverbequius primo allo- 15. Febr. quio de nuptiis Ludovici Marchionis injiceret, Rex in contemtum sui accipiebat, de iis in antecessum sibi haut significatum; cum ea res tanti fuerit, ut vel magnæ dignationis legatum eo nomine mitti

1681. mitti decuerit. Nam literæ de iis significantes eodem die, quo solennia nuptiarum celebrata fuerant, datas fuisse.

Gallorum officium hoc in negotio inane est. §. 29. Cæterum Electorem spes de Gallorum in hoc negotium studio concepta fefellerat. Cum enim Hoverbequius apud Regem jecisset, Gallicos quoque legatos huic causæ favere; hi apud istum querebantur, velut de foedere Electoris cum Rege jactasset, non sine minis, hunc ulturum, si Polonus Electori adversetur. Quæ a se dicta Hoverbequius inficiabatur, quod talia nec Elector a Gallo petiturus, nec hic promissurus fuerit. Nec ab Electore Galli officium quæsitum contra Regem Poloniæ, sed contra malevolos, si qui infensa moliantur. Sed Galli negabant, sibi in eam rem a Rege mandata esse; ac non obscure id connubium improbabant, ac Polono ad exemplum Galli, & aliorum Regum jus competere, ne illustribus foeminis in suo Regno absque ipsius consensu nubere integrum sit. Sed revera Sapieharum, & Radziviliorum familias huic causæ advertas offendere nolebant, semper Gallicis partibus addictas. Ita negotium id initio sat periculosum videbatur, Rege adversante, ac multis, quorum alias nil intererat, ut Regi placerent, importune perstrepentibus; quorum nonnulli eo impudentiæ procedebant, ut jactarent, Regem plus in Borussia, quam adversus Turcas lucrari posse. Post tamen legati Gallici ferebant, sibi injunctum eam causam fulcire. Sed sibi videri, eam tecte potius, quam palam agendam: ac præcipue pecunia opus esse; ac primo omnium impediendum, ne qua noxia constitutio in Comitiis fiat; inde Regem deliniendum, qui alios facile sedaturus sit. Etsi revera tunc Gallorum in Polonia exigua autoritas erat, exoso apud Rempublicam Gallico nomine, ac Regina in Cæsaris partes propendente, cui spes dicebatur de filio suo cum Cæsaris filia maritando. Iidem suggerente Pontificis Nuntio proponebant, ut Rex omnia bona Radziviliana emat; ita omnes difficultates uno velut ictu tolli. Ast hoc ipso triginta amplius Protestantium ædes sacræ peribant; nec de solutione satis cautum erat, agnatis quoque, queis successionis spes, nunquam consensuris. Igitur Hoverbequius omisso Gallorum officio, per *Radziejowski.* Radziejovium Warmiensem Præsulem Regis cognatum huic summam pecuniæ offerebat, quæ non rejiciebatur. Simul, quod Regi ac Reginæ maxime cordi erat, Electorem paratum esse ostendebat cavere, Ludovicum Regis filio competitorem non fore, nec eos sibi adjuncturum, qui Regi offensos se ferebant. Ac demum, cum Rex satis animadverteret, Ordines haut consensuros, ut infesti quid in Electorem decernatur, per Warmiensem declarabat; se omnia circa Ludovici matrimonium oblivioni daturum, ac eo nomine nil actionis in Electorem moturum; sed omnia in ejusdem placitum collaturum; simul operam daturum, ut condita constitutione Radziviliæ bonis caveatur. Ac mox abruptis comitiis difficultates, quas Elector verebatur, ultro evanescebant. Tabellario, quem Hoverbequius post soluta comitia miserat, fasciculi erepti resignabantur, quod Rex nosse cuperet, num forte Electoris instinctu ea ruptura facta esset. 1681. Sed cum nil tale in literis repertum esset, Rex ultro eam suspicionem purgabat. Ac revera Electoris amici proprio e judicio Comitia solverant, quo istum juxta, ac suam libertatem in tuto collocarent; quod nollent Regem armis instructum esse nondum certo cum Turcis bello. Irritis igitur Comitiis, in quibus Rex ac Radziviliæ agnati magnam spem collocaverant, non hi solum cum Hoverbequio transigebant super actionibus, quas adversus istam meditabantur; sed & Rex misso Niemericio multa verborum humanitate Electorem demulcebat, ac mala, quæ inferre prohibitus fuerat, in beneficii locum imputabat. Hoverbequius quoque scriptam cautionem concipiebat, qua Rex Radziviliæ bonis prospiciebat; quam hic sua subscriptione firmabat.

Super jure indigenatus in Polonia consiclerationes. Olznowski. §. 30. Jus indigenatus Electori competens malevoli, ac inprimis nuper defunctus Archiepiscopus Olznovius in dubium revocaverant. Id jus cum in republica, ubi omnia per majorem suffragiorum partem concluduntur, modici habeatur pretii, in Polonia maximi momenti est, ubi unius dissensio reliquis omnibus placita reddere irrita valet. Circa idem primus Borussiæ Dux Albertus erratum admiserat, quod per legatos suos primis Comitiis, ut suffragium in electione haberet, petiisset, velut ipse de jure suo dubitaret. Ast nunc multi Electori faventes id se Ludovico Marchioni iterum obtenturos offerebant. Enimvero prudentiores dissuadebant, ne de eo proponeretur, quod vel unus subvertere possit. Ac in præsens duæ præcipue rationes apud Regem, ac Remp. obstituræ erant, quo minus in id jus consensuri essent. Nam & Rex filiis suis potentem metuebat competitorem, & cui omnes Protestantes adhæsuri sint; ac Catholici, præcipue Clerici, nunquam concessuri erant, partes dissidentium tam potentis Principis accessione firmari. Unde magis idoneum tempus isti juri exercendo quærendum, quod interim velut extra controversiam positum habendum sit; cujus utique firmissima fundamenta extent. Sane Magistros Ordinis ex pacto semper Senatores Regni Poloniæ fuisse, ac in Comitiis, aliisque conventibus primum locum præ omnibus Senatoribus ad sinistram Regis obtinuisse. Id jus Alberto primo Borussiæ Duci expressis verbis reservatum, & quia is familia Electorali oriundus, ac Sigismundi e sorore nepos, eousque in melius provectum, ut ipsi ac successoribus Ducibus Borussiæ *pace perpetua* primus & proximus a Rege locus in omnibus Regni conventibus tribueretur. 1525. In pactis anno 1611 post decessum priorum Ducum Electoris avo Joanni Sigismundo Ducatum Borussiæ cum omnibus juribus, prærogativis, atque eminentiis nulla excepta in feudum collatum: cujus vi etiam Equestria bona, ex quibus omnia jura pendent, in Magno Ducatu Lithuaniæ nullo contradicente possedit, quod extra jus indigenatus ne Regum quidem filiis unquam concessum fuerit. Sic cum Constantia Regina prædium Zivviecum ad fines Silesiæ

1681. Silesiæ emisset, Ordines in omnibus Comitiis non prius adquievisse, quam Rex in constitutionem consenserit, qua ipse, posterique ejus semper istis bonis cedere teneantur, si Polonus nobilis pretium emtionis offerat; quæ bona & post per Magnum Poloniæ Cancellarium Wielopolscium redemta sint. Regem Sigismundum III Niporentum, & Joannem Casimirum Bialalencam possedisse, non suo tamen, sed aliorum Nobilium nomine, qui dominos eorum se tulerint. Ast Joannem Sigismundum prædium Tawerogum in Lithuania proprio nomine possedisse, quod venditum quidem sit, sed reservato jure reluitionis, ac eo animo, ut in ejus locum alia bona emerentur. Quanquam & alias jus indigenatus non amittatur, venditis bonis, cum infiniti in Polonia indigenæ sint, qui bona immobilia non possideant. Præterea anno 1550. Petricoviæ habitis comitiis, cum Evangelici in Polonia reciperentur, Romanis ritibus addictum clerum inter alia id quoque istis objecisse, quod apud exteros Principes, ac inprimis apud Borussiæ Duces protectionem quæsierint. Ad quæ Mareschallus Nuntiorum Terrestrium respondit: Verum esse, eos ad Ducem Borussiæ scripsisse; sed se eum non pro extero Principe, sed pro indigena habere, quod ei primum in Senatu suffragium competat. Quo responso tunc Episcopos adquievisse, nulla exceptione reposita. Quod autem Vasalli conditio in Borussia in supremum imperium mutata sit, eo ipso jus Electoris non in deterius, sed in melius mutatum, cui & isto actu nihil derogatum sit. Sed nec Borussiam a corpore Reipublicæ Poloniæ separatam, sed perpetuo fœdere non minus atque ejusdem possessores eidem innexam, quam & Poloniæ Ordines ob jus successionis pro patrimonio, & fundo Reip. habeant. Cæterum subsequenti tempore ob connubium istud inter Regem Poloniæ, ac Electorem ejusmodi conventio inita

14. Maij. 1683. est. *Significamus præsentibus, exortas fuisse inter nos, & Electorem Brandenburgicum varias prætensiones, inprimis occasione matrimonii inter Ludovicum Marchionem. & Principem Radziviliam, quæ facile in dissidium erumpere potuissent, nisi illi dissidiorum fomiti, alieno magis quam suo laboranti impulsu, præponderaret amica interpretatio, officiosa Electoris contestatione toties comprobata, quæ intacta amicitiæ & bonæ vicinitatis nostræ vincula sancit, & conservat. Horum proinde intuitu verbis Regio & Electorali spondemus, neutrum in alterius Regnum & provincias quidquam tentaturum; sed alterum alterius gloriam, utilitatem, & securitatem modis omnibus promoturum. Nos vero in specie reassumentes erga Principem Radziviliam, nostram antehac pupillam, regiam protectionem, promittimus Principem Ludovicum & ejus conjugem in protectionem regiam suscepturos, quatenus bonis suis in Polonia & Lithuania sitis quiete, & pacifice citra cujusquam præpeditionem utantur fruantur. Promittimus etiam nos operam daturos, ut lis, quæ vidua Michaëlis Casimiri Radzivilii Vice-Cancellarii, & Campiductoris Lithuaniæ nomine tutorio ratione filiarum ejusdem cum Marchionissa intercedunt, quantocyus æquis componantur modis.*

§. 31. Hoc anno petentibus Ordinibus Frisiæ Orientalis a Cæsare Electori, simul Monasteriensi, & Neoburgico tanquam directoribus Circuli Westphalici *Conservatorum* pro iisdem Ordinibus delatum fuit, ne ista provincia exterorum sese protectioni innecteret. Fuit Frisia Orientalis ab aliquot seculis penes immediatam Nobilitatem, qualis in Franconia, & Suevia est, quoad unus ex ejus numero cum autoritate magistratus receptus, ac a Friderico III confirmatus, ac Comitis dignatione mactus fuit, a quo præsentis Principis prosapia descendit. Atque iste *Comitem* se *in Ostfrisia*, non Comitem Ostfrisiæ nuncupavit. Idem tamen per eam electionem, & confirmationem hautquidquam plena Principatus jura adeptus fuerat, sed pleraque Ordinibus provincialibus reservata sunt, qui & ante, & post ea tempora soli jus tributa indicendi, & alia immediatis Ordinibus competentia nullo turbante exercuerunt. Ad quæ Ordinum jura servanda Comites suscepto regimine sese obstringunt. Sed cum pravi consultores pacta inter Comites, & Ordines provinciales vi aut per artes evertere conarentur, his implorantibus Cæsar protectores jurium, ac libertatis directores Circuli Westphalici constituit. De quo cum Elector Principi viduæ significaret, postulans, ut omnia in præsenti statu relinquantur, nec quispiam civium præter leges provinciæ oneretur; hæc parum id gratum sibi esse ostendebat, ac diploma Cæsareum per obreptionem obtentum arguebat. Eo nomine tres isti Principes directores Westphalici Circuli Belgas per literas monebant, ne rebus Ostfrisiæ se ingerant, quæ provincia ad Imperium spectet. Quibus hi responderunt: *Sibi haut animum esse omnibus se controversiis miscere, quæ inter Principem & Ordines ejus provinciæ agitentur, sed iis duntaxat, quæ ad se delatæ sint ex conventione inter Principem & Ordines inita, quam præstandam in se susceperint. Alias se Cæsaream jurisdictionem turbare nolle. Ast uti jure gentium licitum sit litigantibus non solum inter se transigere, sed & in tertium compromittere, cujus sententia litem finitum sit, nullo ordinarii judicis præjudicio: ita & sibi propositum lites, circa quas in se compromissum sit, dirimere, ni partes amice inter se transigant. Neque novam hanc causam esse, sed per octoginta annos apud Rempublicam suam receptum, rebus Ostfrisiæ sese miscere, Cæsare haut repugnante, aut jurisdictionem suam invadi querente. Aut si aliquando is contradictionem interposuerit, ea tamen mox destitisse: Unde sibi jus quæsitum, quod hactenus magnis sumtibus tuiti sint.* Ast Cæsar ea exceptione insuper habita per decretum irrita declarabat, quæcunque Belgæ circa eam provinciam constituerant. Eidem quoque instituto repugnabat Ernestus Augustus Dux Brunsuicensis, velut tutor pupilli Principis. Sed eo non obstante Elector fas sibi ducebat Cæsaris, ac propriam autoritatem tutari. Et cum iste connivente Dano copias aliquas provinciæ immittere vellet, Elector, & Monasteriensis id impediebant, quod haut ferendum ducerent, Luneburgicorum in Westphalia autoritatem invalescere. Cæterum

1681. *Elector protectionem Ordinum Frisiæ Orientalis suscipit.*

1681. Elector initio per Diestium Principi sequestrem sese offerebat inter ipsum & Ordines, ac ut rem inter se amice componerent, impense hortabatur. Sed cum Princeps magis exteros respiceret, ac multa longius tendentia spectaret, Elector sequenti anno Embdæ conventionem cum Ordinibus ejus provinciæ inibat; qua is promittebat, se amicam cum Principe negotiationem persecuturum; & ubi hæc locum non inveniat, Ordines adversus vim, & oppressionem tuiturum. Ac ut ea promissa repræsentari possent, placebat Grietsielam duabus peditum cohortibus ab Electore insideri; quam tamen hic petentibus Ordinibus post plenam transactionem soli Principi, deducto præsidio redditurus sit: ut tamen interim absque consensu Ordinum miles iste ne revocetur. Vicissim promittebant Ordines, se super negotiis suis cum Electore communicaturos, eo inscio cum nemine alio pactum inituros, tum misso militi auxilio futuros, ac eidem sustentando mille ducentos quinquaginta unciales menstruos exsoluturos. Ei pacto exsequendo Elector consentiente Daniæ Rege trecentos pedites, queis Wilhelmus Brandius subtribunus præerat, Glucstadii navibus imponebat, qui repente Grietsielam arcem, ac portum Frisiæ Orientalis occupabant. Ad avertendam suspicionem spargebatur, eas copias Dano ex fœdere submitti, ac plures mox legiones secuturas. Post Elector publice declarabat, eum locum a se ex conservatorio Cæsareo cum consensu Neoburgici, ac Monasteriensis, circa directorium Westphalicæ Collegis, occupatum. Se quidem initio amica officia inter Principem viduam, & Ordines tentasse. Sed postquam animadverterit, Luneburgicos ibi nidulari velle, ad isthoc remedii fuisse descendendum. Ast Belgæ literas satis quidem importunas ad Electorem scribebant. *Se quidem Cæsaris jurisdictionem haut involaturos; sibi tamen jus quæsitum circa Ostfrisiam ex pacto cum Principe, & Ordinibus, circa quod se quoque a Cæsare haut turbatum iri confidant. Nam uti jure gentium litigantibus integrum sit inter se transigere, aut in tertium compromittere, ut competenti judici circa eam litem laborare haut opus sit; ita sibi utique decretum esse, causas, circa quas in ipsos compromissum sit decidere.* Ad eas literas Elector Belgis demonstrari curabat; *eas literas sibi valde inopinas accidisse, velut in quibus id genus insolentium verborum reperiatur, quod neque Cæsar, nec quispiam Principum adversus se adhibere unquam ausus sit. Ad eas nil se responsurum evitandis indecoris verborum litigiis. Nec talia ab ipsis expectare potuisse, ac iisdem deinceps parci velle. Quæ pacta Belgis cum Ordinibus Ostfrisiæ intercedant, se ignorare. Ast id nosse, Frisiam inter membra Imperii, & Westphalici Circuli censeri; ac se una cum reliquis directoribus haut omissurum exsecutioni dare, quæ Cæsar tanquam caput Imperii injunxerit. Quod si Belgæ ulterius Imperii & Circuli negotiis se ingerere aggrediantur, Directoribus Circuli necessitatem impositum iri copias Frisiæ immittendi tuendo suo juri: quo tamen pro captu præsentium temporum supersedere malint.* Id negotium Arausionensis apud Belgas sat calide proposuerat. Et erant, qui Amstelodamensibus persuadere vellent, e portu Grietsiela navigationem inter insulas Frisiæ prætextas, & continentem intercipi posse. Sed nemo ex Ordinibus Generalibus judicaverat, operæ pretium esse eam ob causam turbas movere. Ast ipse quoque Cæsar id factum velut altius penetrans suspectabat, eoque literas ad Electorem dabat: se credidisse, ipsum destinata sua cum reliquis queis conservatio Frisiæ commissa, aut secum saltem fuisse communicaturum, antequam militem ei provinciæ immitteret. Sed quia declararit, se dispositioni Cæsareæ morem gesturum, sibi videri omnes molestias commodissime declinari posse, si ipsius copiæ iterum ea provincia educantur. Ad quæ Elector respondebat: Se libenter placito Cæsaris obtemperaturum, nec heic privati quid emolumenti captare. Enimvero Cæsaris autoritatem, suam existimationem, ac provinciæ libertatem periclitaturam, si ipse protinus ad male fundatas querimonias, & illicita petita eorum, qui huic negotio se miscere non debent, aut quorum privatum commodum agitur, militem Grietsiela abducere necessum habeat. Nam quicquid hoc nomine a se susceptum sit, ad conservandam autoritatem Cæsaream, ac jura Ordinum spectare. Quin potius nunc, si amica negotiatio suscipiatur, haut ægre scopum Cæsarei diplomatis obtineri posse, ut exterorum arbitria hinc excludantur, Ordinum jura salva sint, ac lites inter Principem & hosce componantur, ubi in promtu sint, qui negotio pondus addere queant. Quod si eo res redacta sit, ut Ordinibus nulla meruendi causa supersit, se quoque militem inde abducturum. Addebatur, ne Cæsar iis fidem adhibeat, qui persuadere ipsi conentur, a se id agi, ut eum locum viribus exterorum tueatur. Circa eam causam post multa incassum agitata sunt; sed quia eadem nunquam ad liquidum deducta fuit, Electoralis miles eam stationem deinceps insidere perrexit.

Margin notes: 5. Nov. 1682. — 1681. — 9. Dec. 1681. — 29. Dec. 1681.

§ 32. Ea porro Electoris cum Ordinibus Orientalis Frisiæ conjunctio non parum commoditatis adferebat stabiliendæ societati, quæ paulo post sub ejus auspiciis ad litora Guineæ commercia suscipiebat, cujus sedes, & rationarium Embdæ constituebatur. Eam navigationem Elector in usum civium suorum aggressus est jure gentium, quo quibuslibet liberis populis marium accolis cum aliis populis liberis per patulum mare commercia excolere integrum est. Sed idem institutum protinus Societas Indiæ Occidentalis apud Belgas limis oculis adspiciebat; quæ & per Amerongium Electori privilegium a Republica sibi concessum insinuabat super navigatione in Guineam, quæ consortes tolerare nesciat. Cui ab Electore responsum; *posse Belgas suis civibus privilegia dare, apud alios suos cives valitura, sed quæ alios Principes, ac eorum subjectos haut obligent. Ac societatem Belgicam iis tantum locis commercia exclusis reliquis prætendere, quæ ipsa suo imperio armis subjecerit, aut ab indigenis emerit; aut ubi cum indigenis pacta ex-*

Margin note: *De navigatione Societatis Africanæ Brandenburgicæ in Guineam.*

tem

1682. *tent super commercio cum ipsa sola exercendo. Atqui non pauca loca superesse eo tractu, ubi neutrum horum obtineat.* Cæterum uti novis initiis fieri suevit, nova societas ab uno & altero molestiæ quid sensit. Ac Galli quidem unam navem e fluvio Gambia abripuerant; cujus pretium post longam solicitationem restitutum fuit. A Belgis quoque una & altera navis abrepta, aliaque damna data sunt quorum reparationem cum Elector diu expostulasset, demum in arbitros compromissum examinandæ, ac taxandæ nostræ prætensioni. Qua in disceptatione a nostris extra controversiam ponebatur jus in universum, quod Electori æque ac aliis Principibus, & liberis populis circa commercia maritima cum aliis exercenda competit. Sane ipsi Belgæ eam navigationis, atque commerciorum libertatem, cui & ejus Reipublicæ salus innititur, acerrime adversus alios asseruerant: qui nunc diversum statuere salva ratione non poterant, cum nil æquius sit, quam ut quis eo jure, quod in alios statuit, ipse utatur. Inprimis recentia exempla ad rem faciebant, quod *12. Mart. 1661.* cum navarchus Anglicus Holmes edita declaratione prætendisset, jus navigandi, & commercia exercendi ad litora Africæ a promontorio Viridi, ad id, cui a Bona Spe vocabulum est, soli Angliæ Regi competere, omnibus aliis nationibus exclusis; *28. Jul. 61.* Belgæ literis ad eum Regem datis adversus eam prætensionem non solum ad possessionem, quam in eo litore habeant, provocarunt, sed & ad libertatem commerciorum, & quod Deus, natura, & jus gentium ipsis concedat sua commercia ubivis locorum, qua commode possint, stabilire. Unde ejusmodi prætensionem juri communi gentium consensu recepto repugnare. Cum quoque post, *Jun. 1663.* director Societatis Indiæ Occidentalis Valckenburgius prætendisset, totum litus Guineæ, quod & Aureum vocari solet, & ad idem commercia ad eam societatem spectare, exclusis aliis nationibus, ac peculiariter Anglis, Suecis, atque Danis; Ordines Generales id non solum excusarunt condi- *8. Octob. 1664.* to decreto; sed & articulo IX pacis Bredanæ inter Anglos, & Belgas facta conventum est, utrinque *26. Jul. 1662.* emissa scripta, declarationes, & protestationes nulla & inania esse debere, velut libertati navigationis, & commerciorum repugnantia. Denique in litore Guineæ non solum societatem Belgicam, sed & alias nationes castella, atque domicilia posside re. Earum porro regionum indigenæ non solum cum Societate Brandenburgica libenter commercia exercebant, sed & hoc nomine pacta cum eadem iniverant. Ac missus fuerat ab Electore cum duabus navibus bellicis, quarum uni vocabulum *Principis Electoralis*, alteri *Æthiopis*, Otto Fridericus Græbenus, stabiliendis ad litora Guineæ commerciis. Qui & cum consensu indigenarum, loci dominorum, in solo ab his emto castellum, cui vocabulum Magnum Fridericiburgum inditum, in monte *Manfort* excitavit, uno milliari versus occidentem a promontorio *Cabo tres puntas* dicto; quod iste ipsis Kalendis Januarii anno 1683 festivis displosionibus, ac solenni adparatu, quantum præsens res ferret, inauguravit. Cum ejusdem accolis quoque pactum initum, quo hi promittunt, se omni vi ad defendendum id castellum incubituros, ejus præfecto operam navaturos, nec cum aliis navibus, quam Brandenburgicis, & cum *1683.* isto castello commercia exercituros; nec passuros, ut aliæ nationes juxta Electoris subditos eo loco considеant. Qui & ei pacto firmando sequenti anno aliquem suorum ad Electorem Berolinum misere. Accesserunt dehinc indigenæ, quos *Cabusseres* vocant, locorum *Accada*, & *Taccarary*; qui isdem conditionibus Electori se subjectos fore professi sunt pacto inito in dicto castello. Sequen- *12. Maji, 1684.* ti anno itidem Electori fidem ac subjectionem suam addixere incolæ regionis *Anta*, causati, se ho- *4. Febr. 1685.* stium suorum metu ad Electoris castellum confugisse, ab Hollandis juxta, & Anglis destitutos, quibuscum & deinceps nil amplius sibi negotii esse velint. Ac post tractatu inter Electorem, & Belgas articulo V. ita dispositum est: *Nec etiam deinceps occasione navigationis oram Africæ, & Guineæ inter Electoris, & Belgarum privilegiatas utrinque Societates ullæ amplius collisiones, & controversiæ existant; utrimque conventum est, ut Elector quamprimum suo Hagæ ministro mandet cum Belgarum delegatis conventionem inire, per quam utriusque Societatis possessiones, & jura manuteneantur, ac omnibus diffidiis inter eas deinceps obviam eatur.* Ac post articulo III. fœderis inter Electorem, & Belgas ita convenit. *Si contingat* *8. Mart. 1685.* *Electorem, aut Ordines Generales deinceps invadi, aut ullo modo turbari in possessione & usu suorum statuum, urbium, locorum, provinciarum, libertate navigationis, commerciis & aliis quibuscunque, mari terrаque ubi Elector, & Ordines Generales eas possident, aut iis fruuntur, etiam extra Europam, & qua parte orbis terrarum id esse possit, ex communi jure, aut per tractatus jam factos, aut deinceps faciendos: Elector, & Ordines Generales moniti, & requisiti invicem juncta manu omnem operam navabunt, ut turbationes & infestationes cessent, & vis atque injuria, quæ alterutri fœderatorum illata sit, reparetur.*

§. 33. Sed ut ad acta a Gallo revertamur, is *Conventus Francofurtanus super reunionibus Gallicis.* cum insignes jam ditiones sibimet addixisset, quo consultationes super Imperii securitate Ratisponæ agitatas in langvorem daret, tractatum se super interpretatione pacis offerebat, qui Spiræ, Wormatiæ, aut Francofurti sit suscipiendus. Interim omnia in præsenti statu mansura. Ista propositio a Cæsare & Imperio acceptata, ac in Francofurtum consensum. Huic conventui obeundo a Cæsare destinatus Wolfgangus Andreas Rosenbergius Comes, & Stratemannus: e Collegio Electorali Moguntinus & Saxo; e Principibus Austriacus, Bambergensis, Bavarus, Lauterensis, Vinariensis, & Brunsuicensis; e civitatibus Ratispona, & Colonia. Enimvero circa eum conventum adornandum tot difficultates movebantur, ut parum fructuosi ex eo augurari daretur. Inter alia id videbantur agere Cæsarei Commissarii, ut ipsi soli cum Gallis tractarent, Ordinum delegati otiosi spectatores forent. Et quanquam Elector Ratisponæ acriter contenderet, jura Statuum non imminuenda, nec ferendum, ut hi a tractatibus excludantur, ostentato recenti exemplo Neomagensi: in procuratorio tamen istorum exprimebatur, ut non solum Cæsaris, sed & Imperii nomine tractarent atque concluderent. Ac ipse Croissius eam Cæsareorum prætensionem improbabat, quod hi Ordinum delegatos Francofurti ad

1681. ad tractandum admittere nollent; qui eandem agendi viam Neomagi institerint, ubi Ordines celarint, quid super Alsatia, & tribus Episcopatibus actum sit; quæ ipse toto coram Imperio declarari optet. Sed & super sessione certabatur, Electoralibus peculiari mensa, Principalibus eadem cum istis sedere, ac penitus iisdem exæquari cupientibus, eminente circa hoc Brunsuicensium fervore. Cæterum Gallus Mansfeldio Comiti verbis fidem dederat, ab initio congressus Francofurtani a se nil ulterius susceptum iri. Sed Gallici legati San-Romanus, & Harlæus Hœchstæ moras nectebant, postulantes, ut Cæsarei primo loco Francofurtum ingrederentur, quo ipsi tanquam posterius venientes ab his primam visitationem acciperent. Id quod Cæsarei abnuebant. Interea temporis Galli Argentoratum interceperant, ex ea mora prætextum arripientes, a se nil contra datam fidem actum fuisse. 27. Oct. Demum tamen Galli primi urbem ingrediebantur absque pompa; quos mox Cæsarei sequebantur. Ab utrisque protinus litigiorum semina spargebantur, quo negotiatio, prout ex usu foret, extrahi posset. Ac Galli quidem Antonium Schottum Consiliarium Saxonicum legatum agnoscere nolebant, quod is Colmariæ natus, eoque Gallicus subditus esset. *Schott.* Quo ipso primariæ causæ ingens præjudicium adferebatur; cum ea palmaria quæstio esset, num supremum Alsatiæ imperium Gallo competat. Ea tamen prætensione Galli post desistebant; præsertim cum idem Schottus antehac circa negotium compromissi operam navasset Gallis haut contradicentibus, ac dudum Colmaria domicilium alio transtulisset; nec unquam Germani adscriptitiorum glebæ classe censeri se voluissent. Sed & Cæsarei tricabantur, ac Electoralibus neque priorem in suis ædibus locum, neque Excellentiæ titulum concedere volebant, ac visitatione eorum carere malebant. Color dicebatur, quod isti Ratisponæ diu pro Ambasiatoribus sese haut gesserint, modico adparatu usi; ac Verjo digniorem locum concesserint, utut hic legatus primi gradus haut foret. Iidem quoque legationis suæ fidem apud Moguntinum facere abnuebant. Sed & Galli secundo legato Moguntino parem cum primo honorem exhibere abnuebant. Primo autem digniorem quidem in domo sua locum, & Excellentiæ vocabulum dare volebant; ut tamen scripto sibi caveatur, Cæsareos idem facturos, ac ni hoc fiat, eos horum accessu plane abstenturos. Post nonnihil temporis inter inania ista consumtum Galli demum Cæsareis sermone proponebant: 3. Nov. *Et si suus Rex tam cis, quam trans Rhenum plura habeat, quæ jure prætendere possit: iis tamen, quæ jam occuparit, contentum esse velle, nec amplius quid ab Imperio, quocunque nomine veniat, postulaturum; sed deinceps bona fide pacem & quietem servaturum. Eundem quoque Friburgum detractis munitionibus Cæsari redditurum, si hic Philipsburgum itidem munitionibus exutum Spirensi Præsuli restituat. Ista conditiones si placeant, scriptam conventionem concinnandam.* Ad ista Cæsarei: *Quia tota rerum facies contra factas a Gallo testationes mutata sit, sese ulterius nil declarare posse; ac ut scripto sibi proposita tradantur petere.* Galli ad hæc: *Esse quidem statum rerum ex sua parte nonnihil mutatum. Sed Regem ad id permotum delectibus passim per Germaniam institutis, ac per fœdera inter complures Principes icta, quorum utraque sine dubio contra ipsum dirigantur.* 1681. Post tamen Galli scriptum in eundem cum dictis sensum exhibebant. 26. Dec.

§. 34. Ast Elector de maligno patriæ statu admodum solicitus, cum Collegis sibi consultandum ducebat, quid consilii in præsens si non tollendis, saltem temperandis malis capessendum. *Electoris missio ad Moguntinum.* Eo fine Melchiorem Rucquium ad Electores Rheni accolas circummittit; 21. Dec. cui injunctum demonstrare, in quem confusum statum res Germaniæ per Neomagensem pacem prolapsæ sint. Gallum Francofurti proposuisse, ex quibus vel bona pax & vicinitas cum ipso constitui queat, vel novum bellum expectandum sit. Et Gallum urgere, ut Imperium ante finem mensis Januarii sententiam suam liquido declaret; alias viribus suis paratis se usurum. Quod si igitur Germaniæ sua compages, atque concordia, viresque rite dispositæ constarent, nec per Neomagensem pacem omnia corrupta essent, longa consultatione haut opus fore; sed amorem ac debitum patriæ, gloriamque nationis cuilibet facile dictaturum, quid ad talia proposita reponendum sit. Ast uti nunc Germaniæ arma, & consilia se habeant, vires tam potenti, ac instructissimo Principi opponendas longe infra esse, easque insuper distractione debilitari, deficientibus insignibus ducibus, atque exercitibus bene compositis; quæ omnia apud Gallum in promtu sint. Tum inter Ordines diffidentiam ad summum invaluisse. Nullam aut exiguam in exterorum auxiliis fiduciam; quæ & quanti patriæ constiterint, in recenti adhuc memoria sit; ac merito omnem occasionem avertendam, qua exteri sese iterum Germaniæ negotiis ingerere possint. Metum insuper esse, ut ob turbas Hungaricas multum auxilii a Cæsare sperandum sit. Quæ omnia surgente bello jejunos successus ominentur. Unde mentem suam dubia cogitatione distrahi; num posteritati adprobari possit, hac rerum facie omnia aleæ exponere, ac litem ad anceps bellum deducere. Equidem se non minus quam alios speculari posse, quo se res daturæ sint, ac forte minore cum periculo otiosum desidere, quam illos, qui imminenti irruptione proximi agant. Sed quia maturatio oblatorum tractatuum urgetur, ac post neglectam occasionem res non ita facile restitui potest, quin plus periculi ex mora expectandum sit, quam si promtum ac tempestivum consilium capiatur: se Collegarum sententiam cognoscere voluisse, quid præsenti Germaniæ statu ad proposita a Gallo declarandum sit, ne occasione bellum declinandi elapsa summa rerum periclitetur, ac vix incendio erepta patria fatali combustione corripiatur. Cui status Germaniæ, ac totius negotii perspectus est, ei de tribus potissimum cogitandum. Num præsenti tempestate certa spes concipi queat, in Galli ditionem redacta loca eidem iterum vi extorqueri posse? Num spes amissa recuperandi certior, ac tutior sit, quam periculum plura amitten-

 di,

1681. di, quod Germaniæ imminet? Denique an non potius de iis, quæ Imperio superſunt, atque hujus ſtatu conſervando quovis modo cogitandum, quam omnia incertæ armorum aleæ exponere? quæ ubi ſecus ceciderit, immenſam calamitatem, ac forte plenam ſtatus publici in Imperio diſſolutionem, ac in primis Collegii Electoralis everſionem productura ſit? Equidem ſe velut fidum Imperii Electorem omnia pro virili collaturum, quæ ſervandæ ejus majeſtati requiri queant. Se quoque, cum periculum, cui nunc patria inhæret, probe proſpiceret, hortatibus, ac monitis non pepercisse, eique avertendo omnes vires impendiſſe. Quomodo autem ipſe deſertus fuerit, & quam ideo jacturam fecerit, orbi notum eſſe; eoque maturiori diſcuſſione exponendum, utrum ſalus reipublicæ pro captu præſentium temporum melius armis, quam conſilio ſervanda ſit? Apud Palatinum, qui periculo proximus agebat, Rucquius peculiariter demonſtrare jubebatur; quantopere ipſius interſit prohibere, ne res cum Gallo in bellum erumpat. Equidem gravem jacturam ipſum feciſſe, ac cauſam habere, ut de amiſſis recuperandis cogitet. Sed num id per bellum obtineri queat, & an non ex hoc amiſſio reliquarum ditionum conſequi poſſit, ipſius judicio relinqui; præſertim cum aliqua adhuc ſpes ſuperſit. Gallum inter tractatus ad erepta loca reſtituenda permoveri poſſe, ac ut jam ſatis deſolatæ provinciæ deinceps quietem, & inſtaurationem ne invideat. Sed qui maxima difficultas in eo vertatur, qua ratione cavendum ſit, conventa cum Gallo ſervatum iri, aliorum ſententiam de hoc cognoſceret. Alias hanc negotiationem ſecreto gereret, ac prætexeret, miſſionem ſuſceptam ſervando Electorum faſtigio, quod iterum Francofurtenſi conventu ſolicitetur. Tum quid circa Cæſaris procuratorium obſervandum ſit, quod in eo Cæſaris duntaxat, ac non uti debebat, ac Galli deſiderant, Ordinum Imperii mentio fiat. Denique nullibi ſcripti quid exhibeat.

Sententia Moguntini: 2. Jan. 1682. §. 35. Ad iſta Anſelmus Franciſcus Elector Moguntinus reſpondebat. *Se propoſita dudum ſecum exegiſſe. Res eo prolapſas, ut magis quid neceſſitas, quam libera conſultatio ſuggerat, ſequendum ſit. Hac rerum facie nunquam ſe ſuadere poſſe, ut ad extrema deſcendatur. In exercitu Imperii nil fiducia reponendum; ac metuendum, ſi vel minimus motus copiarum in Imperio ſuſcipiatur, ne Gallus ingentibus viribus, quæ parata ad limitem conſiſtant, totum Rheni tractum dicto citius inundet. Exterorum auxilium ſumtuoſum juxta, & anceps. Quantum noxa Cæſarei exercitus Imperio intulerint, in recenti memoria eſſe. Se talia ad Cæſareos miniſtros ſcripſiſſe, ſed qui ea vix citra offenſam acceperint. Sibi quidem videri, quovis modo ſuper Gallicis propoſitionibus decidendum. Forte inter negotiandum nonnulla adhuc ſervari poſſe. Saltem præſtare hoc modo reliquis cavere, quam omnia ſorti armorum exponere; quæ ubi ſecus cadat, quod conditio rerum vix aliter promittat, plura, ſi non omnia amiſſum iri. Eadem ſententia ſi Brandenburgico, velut potentiſſimo Collegarum, & cui plurimus rerum uſus, ac ſpectata bello virtus ſedeat, penes eundem fore toti negotio momentum addere. Saxonem martios ſpiritus dici habere: ſed eum ab Electore monendum, ut tempori, ac neceſſitati ſe accommodet.* Cum Rucquius ſuper cautela conventorum moveret, Moguntinus reſpondebat: ſe nullam aliam noſſe, quam Galli verba, ac fidem. De eadem re ſe cum Gallico legato locutum; ac uti hautquidquam ſervata ſint ita ſancte conventa eoque Imperio haut conſtet, qua ratione ſibi in futurum cavendum ſit. Sed eum nil aliud habuiſſe quod reſponderet, quam Regi animum eſſe pacem ſervare; ac quam accuratiſſimis clauſulis tractatum circumſcribendum, quem ab Imperio formatum Rex adprobare haut dubitaturus ſit. Eadem Gallos ſuis legatis Francofurti declaraſſe. Idem cenſebat, ſi aula Cæſarea Hiſpanorum, & Lotharingi inſtinctu in diverſa ſententia perſtiterit, Imperio, & Collegio Electorali ſeorſim cum Gallo tranſigendum. Nam aliam ſervandæ Germaniæ viam haut ſuppetere, ac ſi Electori eadem mens ſit, reliquos Ordines facile conſenſuros. 1682.

Palatin. 6. Jan. §. 36. Carolus Elector Palatinus ex aſſe noſtri ſententiam probabat. Seu propriis viribus, ſeu exterorum ope, de qua nondum cautum ſit, Germania nitatur, omnia tamen ad Rhenum primo impetu ſubverſum iri, ſumma rerum extremo periculo expoſita. A vi, & neceſſitate jam conſilia dictari. Addebat Gallos inſinuaſſe, forte haut difficulter circa ipſum temperamenta reperiri poſſe. Unde ſe poſtulaſſe, ut iſti prius ablata reſtituant, tunc ſe inſtaurandæ amicitiæ paratum fore. Sed Gallos excuſaſſe: alios Ordines, quibus ereptum quid ſit, ad id exemplum provocaturos, ac ita negotiationem difficiliorem fore. Modo prius per fœdus Galliæ ſe rationibus innecteret, intra unum & alterum annum facile viam inventum iri, qua ipſius deſideriis ſatisfiat.

Trevirenſis: 12. Jan. §. 37. Aſt Joannes Hugo Trevirenſis Præſul ita reſpondebat: *Satis ob oculos ſibi verſari imminens periculum, quod indies diſſidio animorum in Imperio gliſcat. Quod ſi tamen ſolida conjunctio fiat, non ideo omnia pro deſperatis habenda. Si maxime Gallus ad Rhenum, aut trans eundem penetret; ſat tamen virium in Germania ſupereſſe non ſolum ad vim repellendam, ſed & reponendam, modo eadem recte adhibeantur. Equidem qui periculo proximi ſedeant, inter quos ipſe in prima velut acie expoſitus ſit, primo impetu proſternendos; poſt tamen omnia reparari poſſe. Fortunam hactenus Galli acta inuſitato favore proſecutam. Hunc autem non minus viciſſitudini obnoxium, quam omnes res humanas; ac ſat naturalium remediorum eſſe, per quæ id effici poſſit. Aſt ſi Deus citra exceptionem aliter diſpoſuerit, omnia humana conſilia, omnemque induſtriam fruſtra fore. Cum Gallo tam noxiam pacem initam, ac poſt eam ſub futili prætexto dependentiarum, ac reunionum plura amiſſa, quam vel infeliciſſimo bello fieri potuerit. Graſſari in infinitum Galli prætenſiones, qui inſuper habitis Francofurti facta propoſitione reuniones ſuas perſequatur. Hoc ipſo die nuntium ſe accepiſſe, Abbatiam Prumiam ſibi ademtam, e qua centum amplius feuda dependeant, & inter alia Reinfelſa. Et ſi maxime in præſens ſuper Galli poſtulatis tranſigatur, in futurum tamen eadem, quæ nunc ſentiuntur, metuenda. Interim pro captu præſentium re-*

rum

1682. *rum Electoris sententiam solidissimis rationibus fubnixam; eoque ab Imperio super propositione a Gallo facta serio deliberandum, ac super aquis conditionibus quamprimum conveniendum; siquidem Gallo tractatus cordi sit, ac is non forte tempus trahat aliis adhuc destinatis exsequendis. Cujus specimen nuper ediderit, congressu Francofurtano per inania dilato, quoad Argentoratum oppressisset. Quovis modo cum Gallo transigere durum admodum esse; prasertim cum non constet, quamdiu beneficio ejus transactionis pace fruendum sit. Attamen se rebus sic stantibus pacem, si ullo modo conservari queat, optimam ducere, eoque in Electoris velut potentissimi Germania Principum sententiam discessurum.* Addebat, Gallos jam dimidiam partem Spirensis præsulatus absorpsisse, ac in Trevirensi dependentias ad unum usque milliare a Confluentibus extendere. Cautionem pacis optimam fore perpetuum militem alere, & qua necessarium sit munitiones in limite extruere; ac legatos Gallicos Francofurti jactasse, ista Regi hautquidquam suspicionem injectura. Idem quoque de maledicentia hominum querebatur, qui ipsum arguant, velut de quibusdam locis Gallo tradendis agitet. Sane si Gallus per vim quædam eripere velit, id se prohibere non posse; ultro nil cessurum. Se tempore tractatuum Neomagensium sibi persuadere haut potuisse, conjunctionem inter Cæsarem, & Electorem tam laxe cohærere. Se vires suas obtulisse, aliosque monuisse de valido exercitu ad Rhenum alendo; sed nil proficere potuisse. Igitur nunc nihil superesse præter pœnitentiam, & serio jam agnosci errorem immedicabilem. Cæterum Electoris sententiæ se accedere, qui causæ pondus addere possit; ac si is bellum non suadeat, neminem reliquorum Ordinum id optaturum, aut exsequi valiturum.

Coloniensis: 16. Jan. §. 38. Coloniæ Wilhelmus Furstenbergius Argentoratensis præsul disserebat: Tempus sane esse, a Gallo reunionibus, & dependentiis finem imponi. Heri se impressum decretum accepisse, quo Stabloënsis præsulatus inter dependentias referatur; cum tamen demonstrari queat, eum ante sexcentos annos Archiepiscopatui Coloniensi annexum, eoque R. Imperii membrum fuisse. Ad ejus fundationem quidem Comitem quempiam, qui Regis Dagoberti vasallus fuerit aliquid contribuisse. Sed si omnia ad prima principia revocanda sint, ipsum Galliæ Regnum Romano Imperio subjiciendum. A se postulari, ut nomine Stabloæ homagium Galliæ præstet. Sed se Imperio jurasse, nec perjurio se adstringere velle; eoque multis eam rem Regi demonstrasse; qui & spem fecerit; sed effectum non sequi. Interim vix aliud in præsens remedium adparere, quam super facta Francofurti propositione transigere, ac post in Imperio eos armorum paratus facere, ut Gallus mutuo metu in officio contineatur, utut is haut æquis oculis adspecturus sit in Germania arma parari. Ac credendum esse, si nunc cum isto transigatur, conventa utique servatum iri. Quanquam sat malignum specimen sit, quod insuper habitis Francofurtana propositione factis promissis reuniones indies continuentur. Sed in Anglia nil fiduciæ reponi posse. Belgarum agendi modum satis notum, nec ex usu Germaniæ esse exteris arbitrium belli ac pacis committi, uti olim factum. Ipse Coloniensis gemina disserebat; merito cavendum, ne inter ægram hancce Germaniæ conditionem novum cum Gallo bellum suscipiatur. Ordinibus haut esse necessaria bello inchoando, nedum persequendo: & quibus adhuc opum quid supersit, per Gallum magis debilitari. Unde Electoris se sententiam ex asse probare, quam extrema necessitas dictitet. Cautionis loco fore, si Germania perpetuum militem adornet, nec futuris Galli bellis sese misceat, ac ut pro Belgio Hispanico medium statum in perpetuum stipuletur. Verbo, pacem cum Gallo quantum possit servandam. Nam in Imperio omnia confusionis plena; Gallum contra instructissimum, ac LX M bellatorum in finibus parata stare. 1682.

Bavari: Febr. §. 39. Monachium ad Bavarum Godofredus Jena mittebatur, eadem, quæ Rucquius Rheno adsitis propositurus. Ei Bavarus nil liquidi responsi dedit; sed se nil aliud optare, quam quietem ac salutem patriæ, ad quam ubique locorum pro virili operam collaturus sit; ac se prosperos successus tractatuum Francofurtensium sperare. Eadem Saxoni Meindersius Dresdam missus proponebat.

Saxonis: 18. Jan. Cui is respondit: *negotium id, & rationes ab Electore adductas sane maximi momenti esse. Sperare tamen, modo Elector velit, pracipuas difficultates ejus autoritate, potentia, ac singulari experientia, superari posse. Sane justitiam causa penes Imperium stare, ac Gallos eas, quas nunc moveant, pratensiones antehac ipsos condemnasse. Sibi itaque videri, succinctam demonstrationem Gallica propositioni opponendam, jura Imperii deducenda, arbitrium offerendum; ac si Galli abnuant, hisce culpam abrupta in ipso limine negotiationis impingendam, titulum juris Imperio reservandum, adversus ulteriores usurpationes protestandum, ad Comitia rem referendam, & tractatus suspendendos; denique Anglum, & Suecum velut sponsores pacis circa ejus interpretationem, & ad opem adversus ejusdem violatores ferendam requirendum. Sane Gallum idem fecisse, cum Elector quondam in Alsatiam moveret, & eo pratexto Suecos in Marchiam irrupisse.* Ad ea Meindersius: Justitiam causæ sat manifestam. Sed id tantum quæri, num in præsens res Germaniæ ita sint constitutæ, ut bellum cum spe ultro haut redditurum, nec arbitris sese submissurum. Protestationes interponere esse miserabilium remedia fructu cassa. Gallum quoque reuniones haut suspensurum, ac demum omnia trans Rhenum absorpturum. Quid ex Anglia, & Suecia sperandum, & quo in statu ambo Regna sint, notum esse. Gallum horum interpretamenta, & auxilia nil curaturum; ac prius totam Germaniam pessum ituram, quam ab istis servetur. Haut eo minus Saxo censebat; modo arma defensioni faciendæ parentur, Gallo libidinem decessuram in arma ruendi, eumque molliores conditiones admissurum. Spem quoque esse, turbis Hungaricis compositis universas Cæsaris vires in Gallum verti posse. Ni mascula consilia capiantur, totius Europæ libertatem Gallo prostitui. Cui sententiæ cum Saxo immotus inhæreret, Meindersius discessit, prius tamen testatus, Electorem sese hautquidquam ab Imperio

usti. rio disjunсturum, aut cum Gallo consilia capturum libertati Germanicæ adversa. Nam istius maxime interesse, ne Imperii status alteretur.

Hanoverani: §. 40. Cum Hanoverano Duce ipse Elector super hoc negotio præsens communicaverat. Ubi uterque in eo consenserat: *Si bellum gerendum sit, vires in promtu esse oportere eidem persequendo. Atqui jam res ita comparatas, ut ex una parte omnia deficiant, ex altera nihil. Intra Germaniam Cæsarem, & quicquid est Ordinum; extra idem Hispanos, Suecos, Belgas imparatos esse. Ex Anglia nil certi expectandum. Danum eadem cum Electore sentire. Inprimus Suecos, quod attinet, eos bellum, & turbidas res in Imperio optare, qui & scopus sit tractatus associationis. Quem tamen in Gallia excusent, quo subsidia ibi & satisfactionem de Bipontino Ducatu obtineant. Eosdem quoque Hafniæ triplex fœdus cum Dano & Electore proponere; ac eodem tempore Lundense fœdus per tractatum associationis violare. Revera autem id agere videri, ut fidem & autoritatem suam in Germania instaurent, ac hospitiorum quid ibi capiant; id quod vicinis quam maxime periculosum sit. Nec minus Hispanis, ac Belgis optandum duci Germaniam bello involvi, quo Galliæ impetus ab ipsis divertatur. Unde non dubium esse, quin calida consilia manifestissimum Imperii periculum, & exitiabilem convulsionem, inprimis Electoralis Collegii, simul maximam accessionem jam plus satis formidandæ potentiæ Gallicæ post se tractura sint. Ac ni ista nunc antevertantur, post medicinæ locum non fore. Equidem justitiam causæ manifestam esse; sed eam juxta scitam prudentiam tractandam. Non si nunc securitas, ac libertas Imperii vacillet, & olim sic fore. Quin sperandum esse, Deum aliquando commodiore tempore reparandis patriæ damnis daturum. Interim hoc modo rebus optime consuli, si apertum cum Gallo bellum impediatur, ac omnes ulteriores reuniones sistantur, ac peculiariter Colonia, ac Frankenthalia caveatur. Tum ut potentissimi Statuum arma probe instruant, atque inter se amicitiam alant, & consilia communicent. Denique, ut Viennensis aula moneatur, quid circa ejusdem agendi modum desideretur. Ita vigilantibus expectandum, quid tempus mutationum in Gallia, & alibi allaturum sit.*

Monasteriensis: §. 41. Ad Ferdinandum Paderbornensem, & Monasteriensem Episcopum ab Electore Clamor Buschius super eodem negotio mittebatur. Is censebat; si bellum surgat, ac male succedat, pacem forte, uti ante datis aliquot præsulatibus redimendam, nec ideo tamen a Gallo quid recuperatum iri. Unde in præsens pacem quibuscunque conditionibus bello præferendam, inprimis si adhuc memoria subeat, tam turpem Neomagi pacem factam Electore, ac se exclusis; utut Galli Cæsareis satis significassent, quo sua destinata *circa dependentias* pace Monasteriensi tactas spectarent. Igitur cum ea loca nondum occcupata essent, & adhuc arma manibus tenerentur, cautius agendum, nec pacem tam laxis verbis ineundam fuisse. Idem ostendebat, se fœderi cum Electore ineundo paratum, & ubi bellum erumpat neutras partes secuturum, ac defensioni suarum ditionum invigilaturum, & a Gallo pecunias, ac militem si opus sit auxilo stipulaturum. Eo fine quoque præsulatum Coloniensem, & urbem cognominem in fœdus recipiendum. De Dani conjunctione dubium sibi esse, qui id præcipue spectare videatur, ut Sueciæ aliquid decerpat, ac novissimo bello non optime secum egerit. Ac magis operam daturum, ut Cellensem, ac Guelferbytanum sibi innectat.

Cassellani. *5. Maji.* §. 42. Idem Buschius quoque ad Carolum Hassiæ Landgravium Cassellas mittebatur, ut huic consilium Electoris de pace tuenda adprobaret. Equidem utrique pacem in ore esse, ac invidiam belli tam exitiabilis moti declinari. Sed si quæ Ratisponæ & Francofurti agantur, expendas, facile adpariturum, utra pars serio pacem desideret. Sane Gallum super æterna pace, qualia nunquam antea, proponere. Equidem quantum ejus verbis videndum sit, in medio relinqui. Si tamen deinceps fidem fallat, eum non tantum in conspectu orbis seipsum injuriæ damnaturum, sed & Germaniam communi consensu arma oppositurum; id quod præsenti statu fieri nequeat, dum totus Circulus Suevicus, quatuor Electores ad Rhenum, ac plurimi alii pacem quovis modo cupiant, bellum aversentur. Notum quoque esse, eos qui in bellum inclinent, privatis rationibus duci, ac extranea negotia rebus Imperii miscere, aut per oppressionem aliorum Ordinum opes suas augere velle. Maximam autem curam sibi injicere, quod secuto bello, utcunque id succedat, Imperii ruinam, & Ordinum oppressionem animo prospiciat. Nam si consideretur Galli potentia, prudens agendi modus, autoritas, rerum bello necessariarum abundantia, e tot partis victoriis gloria; contra Imperii in præsens impotentia, defectus egregiorum ducum, militum, pecuniæ, diversitas studiorum & utilitatum, & orta inde diffidentia: non nisi sinistrum ominari eventum licere; ac tunc saltem de toto Rheno actum fore. Sed si maxime Gallis prævaleamus, id magis adhuc, quam adversos successus metuendum. Nam tunc qui armis potiores sint oppressis reliquis jugum imposituros. Ac initia belli Germanici, & quid post annum vicesimum quartum actum sit, in recenti memoria esse. Ast Landgravius censebat, nunquam posteritati probari posse, in Galli postulata ita simpliciter consentire. Sibi quidem stare, decreta Imperii sequi, & quantum possit pro Germaniæ libertate, atque a majoribus tradita gloria conniti. Tum credere, ni Gallo, dum Germania adhuc satis armis instructa est, sine mora vis opponatur, id post serum fore. Ac eundem post pacem tam lautis sibi conditionibus conclusam, ac exarmatos Ordines, pro lubitu paululum omissa repetiturum, ac demum totam Germaniam nemine resistente subacturum. Summam rerum ad Electorem redire, qui solus causæ momentum possit addere; ac ubi is manus admovere velit, Imperio haut necessum fore tam fœdam pacem amplecti. Haut placuit Electori generosi animi

1682. mi Principem pluribus urgere, sed tantum testabatur; hautquidquam sibi in animo esse ab Imperio disjungi; multo minus tale quid ab eo postulare. Sed uti ipse fidem suam erga patriam tot illustribus documentis demonstrarit; ita & nunc curas suas unice ad ejusdem salutem dirigi.

Cum Dania Rege acta. 25. Dec. 1681. §. 43. Apud Daniæ Regem Paulus Fuchsius exponere jubebatur, uti præsens tempestas gravia pericula minetur, ac atrox bellum brevi immineat, ni ei avertendo idonea remedia adhibeantur. Se quidem non minus atque alios gliscentem Galli potentiam horrere, ac in medio relinquere; an, & quousque Galli promissis innitendum sit. In aprico tamen esse ægrum Germaniæ, Hispaniæ, Belgii statum. Inter membra Imperii parum concordiæ. Ratisponæ decretum armorum paratum lente, ac sinistre procedere. In Hungaria periculosam rerum faciem, qua Cæsaris vires valde distrahantur. In Germania deesse pecuniam, annonam, duces bello spectatos, militum sufficientem numerum: Contra Gallo omnia in promtu, ut is subita irruptione totum transrhenanum tractum subigere prius possit, quam in Germania super contrahendis, quæ jam extant copiis, aut novis conscribendis decerni queat. Quæ omnia exiguam spem præbeant, aliquid locorum a Gallo occupatorum per vim recuperari posse. Quin si posthabitis amicis remediis ad extrema descendatur, Gallo denuo ansam præberi fines longe proferendi. Circa tractatum associationis Electori videri circumspecte incedendum. Equidem scopum ejusdem hactenus rejiciendum non esse, quod per eum conservatio pacis quæratur, quæ & sibi Regique cordi sit. Scrupulum tamen injicere, quod ille primum a Suecis designatus ac propositus fuerit, qui forte longe aliud, quam conservationem pacis spectent. Quod a Gallo non aliter consideretur, quam fœdus adversus ipsum directum. Quod in eo pax Neomagensis firmetur, Regi, sibique tam noxia, nulla mentione facta pacis, quæ utrique separatim cum Gallo inita fuerit. Sed nec constare, num Anglus accessurus sit; quem potius verosimile sit de compacto rem cum Gallo agere. Mirum autem esse a Suecis ejusmodi tractatum profectum eo ipso tempore, quo cum Gallis super instaurando pristino fœdere satagebant, & nunc tam solicite eundem excusent, velut eo nihil actum sit rationibus Galliæ adversum. Quia autem Sueci salvo Lundensi fœdere insciis, & non consentientibus Danis ejusmodi conventionem cum Belgis inire non potuerint, Fuchsius, quomodo ea res gesta foret, exacte explorare jubebatur, simul quo animo inter se Boreales reges sint; quia Elector non parum perturbatus fuerit, quod Petcumus Hagæ jactaverit, Daniæ quoque Regem associationis tractatui nomen daturum, ac junctim cum Sueco Cæsaris se fœderi innexurum. Denique operam daret, ut Danum a Sueci rationibus disjungeret. Ad ista Rex testabatur; eandem sibi cum
10. Jan. Electore sententiam, ac se cum ipso consilia, & operam sociaturum. In præsens bellum sese haut consultum ducere, ac si maxime universi Ordines Imperii bellum decernant, & Hispanos, Belgasque fœdere sibi illigent; unionem tamen haut diu duraturam, ac eundem qui novissimo bello eventum, ac forte adhuc deteriorem fore. Associationis tractatum nunquam sibi cordi fuisse, circa quem multa sibi suspecta occurrant. Suecos eum proposuisse duas potissimum ob causas; ut a Gallo ultionem sumerent ob abreptum Ducatum Bipontinum, ac non soluta subsidiorum residua; ac ut iterum exercitum in Germania parare, & in turbido piscari possent. Eosdem ingentem sibi gloriam inde sperasse, velut autores fœderis, cui universus orbis adversus Gallos accessurus sit. Sed cum nunc ea spe falsos se perspiciant, prudentissimos eorum non parum perturbatos esse. Nicolaum quoque Bielkium Lutetiæ dixisse, eum tractatum sibi haut arridere, ac Gullenstolpium præcipitanter nimis processisse, dum pervicax Benedicti Oxenstiernæ in Gallos odium sequitur, simul nomini suo splendorem facto aliquo tractatu conciliatum it. Suecorum blandimentis haut confidendum, quæ non alio fonte promanent, quam quod metuant, ne Gallus ipsum, atque Electorem Sueciæ immittat. Cupere eos exercitum in Germania habere; sed deesse nummos, qui e tractatu associationis haut expectandi sint; ac ut Cæsar iis hospitia in Germania indulgeat, Luneburgicos haut permissuros. Cæterum sibi circa fœdus cum Gallo cum unicum scrupulum esse, ne id adversus Imperium initum videatur, sibique, atque Electori magnam in Germania invidiam attrahat. Sed ei contra demonstrabatur; hautquidquam Electoris mentem esse contra Imperium alicui se fœderi innectere, aut ad augendam Galli potentiam operæ quid conferre; sed unice quietem, & securitatem Imperii stabilire; per quæ consilia gratiam sese magis, quam odium meriturum speret, eademque omnes a pravis affectibus vacuos probaturos. Demum Rex plane in Electoris sententiam concedebat; satis se perspicere, quam fragilis *Associationi* compages sit, ac e præteritis futura augurari. Cum enim antea meliore fœderatorum, quam nunc, statu, & tam præstabili opera patriæ ab Electore navata, tam turpis pax Neomagensis facta sit, ipsis destitutis; quid nunc futurum esse? Eoque haut melius in præsens remedium dispici posse, quieti & securitati Germaniæ procurandæ, quam tractationem a Gallo oblatam persequi. Cum itaque Danus Galli societatem, utique amplexurus videretur, ac junctum fœdus varia incommoda secum tracturum esset, ac Dano æque atque Electori peculiares quædam rationes essent; satius videbatur, utrumque seorsim cum Gallo concludere. Cæterum Gallico sese fœderi Hafniæ enixe opponebant Cæsarei, Suecici ac Belgici ministri, ingerentes, quam periculosum sit per temporaria commoda, queis nil solidi subsit, seduci, ac Gallorum blanditiis, & speciosis promissis inescandum se præbere. Qui id duntaxat spectent, ut multitudinem hostium, quam metuunt, amoliantur, aliosque inter se committant, ac suas tantum opes augere queant, sociis evanido quopiam emolumento delinitis.

1682. niris. Peculiariter Sueci offerebant, se Gottorpiensem & Hamburgensem causam abdicaturos, si Danus Bremam destituat. Ac Lillierothus Lutetiæ cum Meiercrona ablegato Danico jam de dividendis bello adquirendis inter Succiam, & Daniam disserebat. Sed Dano Gallicum in præsens fœdus magis ex usu videbatur. Ubi tamen cum hic postularet, ut Gallus sese obstringeret ad operam navandam, quo ipse Hamburgo & vectigali in Albi potiretur; Gallus non nisi laxa intra verba consistere volebat, ne isto promisso totam Inferiorem Saxoniam, ipsumque Electorem a se averteret. Cupiebat quoque Danus, ut Gallus expresse se obstringeret ad auxilium ipsi ferendum, si ob Gottorpiensem causam invaderetur. Sed Gallus itidem laxis verbis inhærebat; se ipsi adstiturum contra quosvis aggressores. Denique & Gallus Dano auxilia promittebat, si hic ab Hispanis reliqua subsidiorum extorquere velit, non tamen si talia in Belgas moliri instituat. Fœdere absoluto Rex Bercæ Comiti legato Cæsareo ejus causam hanc exponebat; quod videat, eos, quos Gallorum acta, quam maxime tangant, manibus in sinum compressis sedere. Hautquidquam tamen ita arcte se vinculo stringi, quin eo se iterum exuere possit, si Gallus pacem infringere, ac latius grassari instituat. Et cum Berca Cæsaris beneficia ingereret, Daniæ quondam rebus angustis præstita; Rex vicissim, uti ipse, ac Elector novissimo bello destitutus fuerit, occinebat.

Berka.

§. 41. Ast quo Gallus Electori fœdus suum persuaderet, per Rebenacium subinde demonstrabat, uti Cæsar in Germania, & extra varia fœdera contra Gallum cudat, ac ut amicos ab hac avertat, invidos, ac hostes quacunque detur eidem immittat. Sic & tractatum associationis verbo studium servandæ pacis Neomagensis præ se ferre, reipsa novum bellum inflammatum ire. Unde sibi cum amicis operam navandam, ne is tractatus perniciosos fructus producat. A Rege nil aliud quæri, quam ut pacem tum ubique, tum præcipue in Germania servet. Ac ut is omnibus Principibus, qui huic fœderi accessuri sint, solicitudinem eximat, quam super prætensionibus, quæ ipsi ulterius competant, concipere queant; eum quam efficacissime fidem daturum, suas se prætensiones restricturum, ac circumscripturum iis locis, quorum possessionem ceperit, antequam legati sui Francofurtum ingrederentur. Ast si Cæsar, & Imperium utique bellum velint, Regem ita res suas dispositurum, ut non solum vim quæ intentetur propulsare, sed & plura adquirere possit. Ad ista liquidum responsum exposcere, quo mature consilia sua disponere queat, Electoris eam esse autoritatem, ut Rex ante omnes ejus amicitiam ambiat; eoque gloriæ id ejusdem accessurum, novum bellum non nisi damno Germaniæ cessurum avertisse. Denique si maxime id non fiat, neminem tamen fore, qui Regi Argentoratum vi erepturus sit. Tum Suecos quantovis pretio in partes pertrahendos, ac ita instruendos. ut veterem gloriam recuperandi facultas sit. Esse quoque Regi satis cautum de Cellensi, & Guelferbytano, ac tentaturum, ut Hanoveranum quoque adsciscat. Nam prospiciendum, ne ea Domus uti nuper in ambas se partes dividat, & utrinque lucrum aucupetur, nec eo minus utriusque partis destinata infringat, ac suspicionibus agitet. Spem quoque esse de Bavaro in partes pertrahendo. Nam de Coloniensi dubium non esse. Addebat, si res in bellum erupérit, ac Rex inter progressus armorum aliqua Imperii loca occuparit, nil tamen eorum retenturum, sed facta pace omnia redditurum præter ea, quæ Francofurtana propositione contineantur. Elector etsi satis perspiciebat, quid ad ista reponi posset; tamen cum & patriæ, & proprium, & vicinorum statum rite libraret; haut aptius præsentibus rebus ac avertendis imminentibus malis remedium judicabat, quam tempus lucrari, ac a futura rerum conversione præsentium patriæ damnorum reparationem expectare. Cum nemo prudens eo tempore injuriarum suarum persecutionem suscipiat, quo nulla boni successus spes, contra manifestum periculum plurium damnorum adparet. Ita demum Berolini novum cum Gallo fœdus initum, cujus summa eo redibat, ut Elector quidem operam navare teneretur, quo pax inter Imperium, & Gallum conservaretur, ac præsentes controversiæ amice componerentur: Gallus contra reunionibus supersederet ac quamdiu ulla amicæ compositionis spes superesset, armis abstineret. Eo fœdere concluso Elector Spanhemio, ut Gallo exponeret, injungebat: Uti ab hoc acta ab omnibus fere paci adversa habeantur, quibus ut se opponant multos arma parare. Circa quæ omnes non parum in ipsum respiciant, ac multi exemplum suum sequi velint. Haut eo minus eam se consiliorum viam iniisse, quæ Gallo molestiam haut creet, ac omnia a Cæsare, aliisque oblata, si sententiam mutare placeat, repudiasse. Cæsarem quoque, Anglum & Belgas ipsum ad tractatum associationis invitasse, ostentatis præsentibus emolumentis; quibus omnibus ipse fœdus Regis prætulerit. Unde sperare huic quoque vicissim curæ fore, ut quia ipse sibi, suæque Domui hac conjunctione magnam apud multos invidiam contraxerit, is sibi in omnem eventum auxilio adsistat. Tum ut Rex, prout contestatus est, cum Imperio bonam, ac stabilem pacem colat; prout & se velut primarium Imperii membrum non aliud deceat, quam quavis occasione coniti circa omnia, quæ ad ejus salutem, Ordinum libertatem, ac præcipue ad tuenda Collegii Electoralis jura facere queant. Quia etiam Cæsar, & Suecus ob repudiatum horum fœdus gravem offensam in ipsum conceperint; ac vero ubi ipse ab his invadatur, Gallica auxilia ægre huc penetrare queant: Gallo operam dandam, ut Danum, cujus auxilio præsentissimo ipse frui possit, adversa parte abstrahat, quæ istum enixe solicitet. Ut quoque Rex Cæsari insigne auxilium contra Turcam præstet, ingentem gratiam ei conciliaturum, ac antegressas offensas non parum temperaturum. Tum ut reunionibus in posterum supersedeat, ac quæ post iter legatorum occuparit, restituat, simul circa occupata jam loca moderationem inprimis erga eminentes Status adhibeat, ac in reunitis locis sacra in pristino statu relinquat. Peculiariter autem Palatinam

12. Jan.

31. Jan.

1682. nam Domum commendatam habeat, cujus restitutionem Rex ipse promoverit, & cujus opes jam pace Westphalica satis accisæ sint. Quia etjam sui liberi e priore matrimonio Arausionensis *præsumtivi* hæredes sint, ne Rex permittat, ut ejus Principis in Gallico territorio sita bona distrahantur, ac in alios transferantur. Vt denique idem ipsius negotia Hagæ, & in Polonia amplectatur.

Francofurti acta. Gallica propositio 26. Dec. 81 §. 45. Interim Gallici legati Francofurti scriptum exhibuerunt, San-Germani die XV. Decembris datum lingua Gallica hoc sensu. *Regem nil omittere velle ad testandam Cæsari, Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii desiderium, quo ipse teneatur conservandi pacem, & semper colendi cum istis bonam & perfectam amicitiam. Eo intuitu voluisse post discessum suorum legatorum omnes reuniones suspendere, ad quas virtute tractatus Monasteriensis, & Neomagensis jus ipsi fuerit. Et quanquam in proclivi sit justitiam suarum prætensionum in plura loca, & terras demonstrare, quæ ipsi competant tam virtute dictorum tractatuum, quam eorum omnium, quæ super hac materia inter negotiationem Neomagi acta sunt; ea tamen libenter certo limite circumscribere velle per transactionem, quæ nullam amplius materiam mutuæ diffidentiæ, aut dubiam tractatibus interpretationem relinquat, qui primarium ejus fundamentum constituunt. Eo fine se consentire, ut amore pacis omnes suæ prætensiones reducantur ad Argentoratum, & ad loca & terras, in quarum possessionem ipse se misit, antequam sui legati iter Francofurtum ingrederentur. Cui fini & cupere, ut dehinc inter suos, & Cæsaris atque Imperii legatos declaratio fiat super omnibus locis, qui limitis usum inter Galliam, & Imperium præstare debeant; ac ut quidquid titulorum in posterum utrinque inveniendum sit asserendo, aut destruendo suo juri, id nullam mutationem adferre queat positioni limitis, quæ facta fuerit ad normam nunc propositam possessionis per se captæ ante discessum suorum legatorum, & redactum in ditionem Argentoratum. Ac ad majus documentum sinceræ suæ intentionis, ac ut Imperio eo clarius ostendat, quantopere ipse absit a voluntate unquam aliquid cis Rhenum adquirere,* (cum ea propositio Francofurti fieri ponatur, insinuari videbatur, Regem adquisitionibus ad occidentalem Rheni ripam nolle renuntiare.) *consentire velle, siquidem Cæsar & Imperium id ob suam securitatem desideraverit, ut munitiones urbis & arcis Friburgensis, quem locum ipse immensis sumtibus maxime inexpugnabilem reddiderit omnium, quæ suæ sub ditione sint, plane destruantur, ac urbs Cæsari reddatur, modo hic itidem Philipsburgi munitiones dejici curet, atque id oppidum, & quæ inde pendent, Spirensi Episcopo restituat. Si hæc oblata nunc accipientur, ea restabilitum perfectam in Imperio tranquillitatem, eamque in perpetuum conservatura, prout id sibi in votis sit, ac ut nullus locus relinquatur metui, eam unquam turbari posse.*

Inania litigiorum. §. 46. Antequam ad responsum accederetur, tempus inter inania litigiorum frustra terebatur. Ac Cæsarei quidem debitas Electoralibus legatis cerimonias abnuebant, causati, id Monasterii factum non esse. Et qui Brandenburgicis Neomagi honos sit exhibitus, certas conditiones, caussasque habuisse. Galli tamen promtos dando ei honori se offerebant, si Electorales scripto sibi caverent, ni Cæsarei paria exhiberent, ipsos eorum visitationem omissuros. Quod cum Electorales fecissent, Galli hosce iisdem cum cerimoniis, quibuscum Cæsareos, invisebant. Inter Cæsareos quoque, & Moguntinum super exhibendis procuratoris ad fidem legationi faciendam disceptatum fuerat. Is actus demum ita expeditus est, ut secundus legatus Moguntinus secundo Cæsareo Stratemanno procuratorii sui autographum traderet; hic non nisi apographum exhiberet, quod Moguntinus protinus cum autographo conferebat. *18. Jan.* Ita jam ad negotiationem accedi poterat, ni Hanoveranus legatus novas lites movisset, dum non contentus delineatione sessionis Ratisponæ facta pertendit, ut omnes eadem mensa sedeant ad imminuendam prærogativam Electorum, quam tamen ab ipsius Principe summo studio affectari constabat. Et antequam ea lis composita foret, Austriacus, Bambergensis, & Hanoveranus procuratoria sua edere nolebant. Demum id temperamentum proponebatur, ut omnes ad rotundam mensam sederent, insigni tamen inter Electorales, & Principales intervallo. Quo etsi Hanoveranus nondum contentum se ferret, a Principalibus tamen procuratoria demum post moram non exiguam exhibita sunt.

Responsum ad propositionem Gallicam. 20. April. §. 47. Ad Gallorum propositionem a Cæsare, ac Imperio delegati id responsi reponebant. *Sacræ Cæs. Majestati, & Imperio ex Excell. Dnn. Gallicorum legatorum propositione scripto nuper extradita intellectu fuit gratissimum, Christianissimæ R. Mtis Galliæ expressum desiderium, studiumque continuandæ pacis. Cujus sicut ipsis sacrosancta sunt jura ita secundum Monasteriensis, Noribergensis, & Neomagensis tractatuum, quibus innituntur, tabulas, semper hactenus religiose ab iis observata sunt, & in posterum observanda erunt, nec omittetur porro ex illorum parte quidquam, quo juxta eosdem tractatus prædicta pax, atque cum ea, vera, sinceraque amicitia, & tuta vicinitas inter utramque inclytam nationem stabiliatur, ac firma permaneat. Quem in finem prout ad præstandum id optima fide sese offerunt, quicquid vigore modo nominatorum tractatuum, discusso, comprobatoque in hoc congressu eorum genuino sensu, Christianissimo Regi, & Coronæ Galliæ competere dignoscetur, hi vicissim jure merito expectant, Suam Reg. Majestatem Christianissimam ab Imperio, ejusque Statibus nihil, quod dictis tractatibus adversetur, prætensurum, nec illorum explicationem exclusa altera parte compatiscente contra eorum tenorem sibi soli vindicare, aut in propria causa sibimet jus dicere, atque exsequi velle, sed ea, quæ sibi virtute prædictorum pacis tractatuum deberi prætendit, semota violentia in hoc congressu propositurum, & deducturum, simul pro regia sua, justissimaque declaratione tribunalibus & officialibus suis, quæ civilibus, quæ militaribus ulteriores omnes reuniones, ut vocant, aliasque occupationes, uti & extructiones fortalitiorum, & quascunque generaliter innovationes in terris Imperii penitus, serioque inhibiturum, atque ejusmodi occupata, & innovata, si non statim omnia, saltem ea, quæ post Dnn. legatorum*

1682. *gatorum Franciæ Lutetia discessum in Imperio quocunque modo occupata sunt, pro regia sua sinceratione ante omnia in integrum, & Imperium, ejusque vel prorsus destitutos, vel quomodocunque gravatos Status, & membra in priorem statum, & possessionem immedietatis, libertatis, & jurium tam in Ecclesiasticis, quam politicis, (qua antehac gavisi sunt) cum omni causa quantocyus restituturam, & ea demum facta restitutione de cateris gravaminibus, prout & reliquis in pradicta propositione Gallica contentis cum Casare & Imperio juxta tenorem sæpe memoratorum tractatuum, ut illi a S. Cæs. Mte, & Imperio rati sunt habiti, discusso prius per amica colloquia in hoc ad illum inprimis finem instituto congressu eorum vero, & genuino sensu, ita tractaturam, ut Casari, & Imperio, gravatisque ejusdem Statibus, & membris secundum leges sæpe dicta Pacis Westphalica, & Neomagensis satisfiat, aboleantur gravamina, stetque in omnibus, & singulis jam dicta pax inviolata, & inconcussa. Quod si postea ex utriusque partis, & publica re videbitur, id, quod de Friburgo & Philipsburgo propositioni Dnn. legatorum Franciæ annexum est, ulteriori colloquio, & tractatui committere, facile erit de eo convenire. Quæ omnia cum rationi justitiæ, & dictis tractatibus pacis omnino, & partim ipsiusmet R. a Mtis Christ: ma declarationibus, & sincerationibus conformia sint, Cæsar, & Imperium non immerito ab æquanimitate Sua R. Mtis expectant, & per ea scopum stabiliendæ, firmandæque pacis, & amicitiæ, quæ utrinque intenditur, Deo duce attigendum fore sibi pollicentur. Francofurti ad Mœnum d. 20. Aprilis 1682.*

De lingva contentiones. §. 4. Hoc responso tradito Galli monebantur, ut & ipsi deinceps Latina lingva uterentur, prout hactenus inter Imperium, & Galliam usu receptum fuerit, ac uti ex Instrumentis Monasterii, & Neomagi factis adpareat. Ast Galli crepabant; se inter tractandum non alia lingva uti teneri, quam sua vernacula. Galliæ Regem sublimiore genere imperii uti, quam Cæsarem; nec ei quid præscribi posse. Quod nonnulla exempla adducantur, ubi Galli cum Cæsare Latina lingva tractarint, id forte inde esse, quod Cæsarei Gallice non calluerint; eoque rem liberi arbitrii fuisse; per quales actus Imperio nullum jus adquiri. Communis moris esse, quamlibet nationem sua negotia vernaculo idiomate expedire. Quæ uti nihil ad rhombum faciebant; ita imprudentes judicabant, si Galli in tertiam lingvam consentire nolint, Germanis vicissim jus fore sua scripta Teutonica lingva concipere. Nam si Galli forte arbitrentur, in lingva sua, quæ ex Latina per mixturam Teutonici idiomatis in eam, quæ nunc est formam degenerando demum pervenit, plus elegantiæ, aut dignitatis inesse, eam ineptam ac imperitam esse persuasionem. Sed nimirum Germanos merito pœnas suæ stultitiæ luere, quod dum tanto ardore ad discendam lingvam Gallicam incumbunt, eamque etiam in media sua patria nulla necessitate adversus populares suos ambitiose garriant, Gallos ea superbia inflaverint, velut horum lingvæ peculiaris quid pulcritudinis, & prærogativæ insit. Quasi quævis res æque dextre Teutonico quam Gallico idiomate exprimi queat. Aut quasi Germanis major sit necessitas addiscendi Gallice, quam Gallis Germanice. Quin & non paucis triste omen habitum fuit, magnam Europæ partem illecebris tam idiomatis, quam moris Gallici velut fascinari; quod & ratio, & exempla arguant, quod qui alterius nationis lingvam, moresque propriis præferant, viam velut ad sui subjugationem munire videantur. Unde nec mirum esse, Gallos tanto fastu intumuisse, velut persuasos, penes se summam rerum per Europam fore, postquam linguam suam effœminatam, formasque vestium, ac ab aliis tantopere æstimari perspiciant. Quibus & solitum sit velut singularem prærogativam natalium suorum jactare, quod id honoris sibi contigerit, ut nati Galli, & Regis maximi subditi sint; cum nulla natio tota Europa ni forte Moscos excipias, domi addictius serviat. Sed Galli cum neque usu lingvæ suæ desistere vellent, ac Deputati Latinam linguam exposcerent, *Replicam* suam latine concipiebant, *rubrica* tamen gallice suam perscripta: cui tamen nec dies, nec nomina legatorum Gallicorum addita erant: & quam non Cæsareis legatis, sed Bavarico tradiderant. Unde Cæsarei id scriptum rejiciebant. Aliud inde Galli scriptum formabant, omissa inscriptione; cujus loco ponebant *Translatum*, & in fine *pro Translato*, adpositis suis nominibus. Quod & ipsum Cæsarei redhibebant, eaque vocabula dispungi volebant, ac ut verum autographum traspungi volebant. Saltem ne ad hasce tricas negotiatio adhærescat, addendum esse, *in forma authentica*; tum deinceps non nisi latina lingva uterentur. Id quod Galli adspernabantur, negantes quoque, se apographum suæ replicæ amplius pro suo agnoscere. Mox & nova difficultas surgebat, quod, cum Moguntinus nomine Deputationis ad conventum Ratisponensem super actis referre vellet, Austriacus, Bambergensis, & Hanoveranus tolerare nollent, ut eo scripto Electoralibus Excellentiæ vocabulum tribueretur; eoque adversus eam relationem protestabantur, ac eidem sigilla sua adponere abnuebant. Quæ res effecit, ut Deputationi nova mandata Ratispona transmitti non possent; ipsis Gallis inania ista e medio amoveri postulantibus, si serii quid agere cordi sit, quod alias sua Francofurti præsentia inutilis sit. Nec eo minus inter litigia ista tota æstas in Septembrem usque nullo fructu elabebatur. Cæterum circa Gallorum propositionem Elector in Gallia monuerat, quia Cæsarei tanta cum invidia eam differant, quod dictatorio modo leges Imperio præscribantur; ut Rex mitigandæ isti declarationi operam daret, talia se ob securitatem Germaniæ proposuisse, ac ut in antecessum declararet, quænam loca se, ac ut in antecessum declararet, quænam loca redditurus sit. Sed Croissius respondebat: de his locis nil sibi constare; ac par esse, ut ejusmodi designatio ab iis fiat, qui injuriam sibi factam

1682. ctam querantur. Modum quoque a Rege circa propositionem adhibitum esse brevissimum, ac nullis cavillationibus obnoxium.

Electoris ad conventum Francofurtensem missio. 11. April. §. 49. Ad eum conventum ab Electore hortatu Collegarum mittebatur Melchior Rucquius, penitius inspiciundis, quæ ibi agerentur. Huic Galli post Deputatorum ad ipsorum propositionem responsum dicebant: *Regem ad restituenda post discessum suum occupata non teneri, nisi Imperium factam propositionem acceptet. Si Monasteriensis, Noribergensis, & Neomagensis tractatus fundamentum, & norma hujus congressus constituatur, at ad istam omnia examussim decidenda sint, disceptationem intra dimidium seculum absolvi haut posse. Se quidem immensum istud pelagus hautquidquam descensuros. Quæ Rex occuparit, & alias adquisiverit, jure belli, & factæ cessionis possidere. Quod omnes reuniones non prius factæ sint, culpam iniquitati temporum, ac negligentiæ regiorum ministrorum, præcipue Ducis Mazarini, Alsatiæ tunc gubernatoris, tribuendum. Esse Regi in promtu LXXX M bellatorum, qui protinus, atque ipsi in mentem venerit, quo placuerit movere se possint. Eidem quoque integrum esse, si aperto bello initium facere nolit,* reuniones, ac dependentias *continuare. Denique meliores conditiones, quam propositione contineantur, non sperandas; duriores facile fieri posse, quod mora Regi admodum damnosa sit. Unde nil aliud superesse, quam ut, si pax placeat, propositio sine exceptione admittatur. Exhibitum responsum sine dubio gravi bello ansam daturum.* Super lingva Galli excusabant; se Neomagi scripta sua gallice exhibuisse; ac licet Cæsar, & Ordines Imperii ad Regem semper Latine scribant, hunc tamen semper Gallice respondere. Ac se heic primam propositionem gallice exhibuisse, quæ a Cæsareis acceptata sit. Sed Cæsarei reponebant: præterquam quod antiquus usus in aprico sit, Monasterii utique Latinam lingvam adhibitam. Neomagi Gurcensem eandem exegisse. Sed Stradam ejus linguæ ignorantiam excusasse: Colbertum; sibi usum eam linguam promte loquendi non esse, etsi alias eam calleat. Qui tamen agnoverit, more inter Cæsarem, & Gallum recepto in publicis negotiis non alia quam latina lingua utendum. Ac Neomagi extra Imperium, & coram sequestribus fuisse tractatum, ubi quilibet lingva, quam præcipue calleat, uti possit. Gallicam propositionem esse velut scriptum extrajudiciale, quod ante cœptos congressus traditum sit. Sed præsentem replicam se quidem in congressu haut inspectam acceptasse, ac demum post Gallorum discessum vidisse, eam gallice conscriptam; eandemque ad Moguntinum misisse, non ut eam dictando pro more communicaret, sed ut super idiomate in consultationem deduceret.

Cum Ro- §. 50. Ast Rosenbergius Comes disserebat: *Imperii Ordines suo dissidio ipsos exitii causam sibi esse, nec unquam posteritati suæ excusandos, quod ipsi jugum in cervices suas attrabant. Falso unum, & alterum sibi blandiri, se inter turbida ista privato emolumento litaturum; qui sinistre admodum indolem rerum & temporum æstiment, non aliud præmium destituta in præsens reip. laturi, quam ut inter postremos perituri sint. Pudore obrui Teutonicam nationem toto coram orbe, quod tantam injuriam, & insolentiam, qua nunc Galli eandem insultant, tam deformi cum patientia toleret, ac tam contumeliosas pacis conditiones, quales Gallus impingit, acceptandas judicet, tanquam bello subacta, & Gallis victoribus vitam precario debitura. Gallorum summum jus, ac validissimam rationem in eo verti, ut quid opportunitate, & commoditate ipsis blandiatur. Per præterita satis nos edoceri, quid circa futura sperandum. Si maxime, posthabitis omnibus respectibus denuo cum Gallo ad ejus libidinem transigamus, quem præstiturum, meliore eundem fide quam hactenus conventa servaturum, ni par isti exercitus semper in finibus præsto sit? Atqui cum insatiabilem Galli aliena rapiendi aviditatem non nisi armis compescere liceat; quanto melius fore ad tuendam Imperii majestatem, Germanicæ nationis libertatem, at tutelam patriæ jam nunc, ubi tantæ vires in promtu sint, extrema tentare, quam paucos post annos omnia a Gallo subverti conspicere. Esse ei non minus incommodorum, atque onerum, quam aliis Principibus. Germaniæ statum nondum ita deploratum, uti a nonnullis jactatur; qui id nunquam Deo, ac orbis judicio adprobaturi sint. Ista per historiam ad omnis posteritatis memoriam propaganda, ac Electoris gloriæ tot incomparabilibus factis comparatæ non parum decessurum, quod in præsens instaurator patriæ, & liberator Imperii audire nolit. Gallo nil aliud propositum, quam tractatus ducere, quo interim distractionem animorum Ratispona, & passim per Germaniam alat.* Et cum Rucquius Neomagi acta objiceret, Rosenbergius reponebat; Ista quidem semper exprobrari. Sed si omnia, quæ ibi occurrerint sine odio, aut studio exigantur, soli Cæsari culpam impingi non posse. Sane Electorem eodem tempore super peculiari pace clam in Gallia egisse; ac eo jam rem rediisse, ut ni Cæsar alios prævertisset, tota belli colluvies in eum solum ruitura fuerit. Idem super controversia, quæ Electoralibus legatis moveatur, dicebat; seipsum suggessisse, ut Collegii nomine literæ ad Cæsarem darentur. Sed huic circumspecte procedendum, ne potentes Principes Brunsuicenses, Bambergensem alios hac tempestate protelet. Alias ingens discrimen inter Electores, & Principes esse. Ac utut gradus dignationis inter Cæsarem, & Electores notorius sit, Cæsarem tamen intuitu Brandenburgicæ Domus facturum, quæ 1682. senbergio disceptatio. 22. Maji.

 forte

1682. forte aliis ægre indulturus ſit. Nec ſibi probari, Auſtriacos & Calenbergicum adverſus titulum Excellentiæ proteſtatos. Cui reponebatur: mirum videri a Cæſare permitti, ut Electoribus injuria fiat, ne Brunſuicenſes offendantur, quibus iſti debitum honorem non detrahant, nec ut Cæſar eorum rationem ſine aliorum injuria habeat, invideant. Nec minus incongruum, Cæſarem pro Electoribus ſentire, Auſtriacum iſtos impugnare. Ad iſta ferocius a Roſenbergio jactata Elector regeri jubebat: *Sibi hautquidquam animum eſſe, patriam externo ſervitio ſubjicere, ſed eam ab exitiabili colliſione, ac diſſolutione, quæ immineant, ſervare, ejusdemque publicum ſtatum tutari. Quo fine ipſe aliquot per annos graviſſimos labores exhauſerit, nec ulli ſuarum rerum pepercerit. Sed quem ipſe fructum inde ceperit, & uti hoſtium libidini expoſitus fuerit, in recentiori adhuc memoria eſſe, quam ut iſta oblivioni dari queant. Exiguo quoque ſolatio ſibi eſſe, quod non ſoli Cæſari culpa impingi queat. Iſto tempore a ſe ſuper peculiari pace actum fuiſſe, falſo dici, a Cæſareis legatis diverſum conſtare, ac ipſum eventum aliud oſtendiſſe. Quod autem ipſe ſuaſerit Gallicam propoſitionem amplecti, & hac rerum facie pacem bello præferre etiam cum Argentorati jactura; id factum, quia pacis commoda incommodis præponderent. Nam Gallum ultro declaraſſe, ſe omnia poſt legatos ſuos Lutetia digreſſos occupata redditurum, nec ulterius quid occupaturum; quod ex eo tempore impune facere potuerit: cum Imperio ſtabilem, æternamque pacem initurum, eoque fine omnibus prætenſionibus in perpetuum renuntiaturum; certumque limitem ducturum, prævertendis in poſterum litibus. Quæ omnia Argentorato potiora ſint, præſertim cum id jam a Gallo teneatur, non ſine multo ſanguine recuperandum. Unde rationem non permittere, certa quæ ſuperſunt alea exponere, & tutam, quæ offeratur, pacem ancipiti, atque cruento bello præferre. Præſertim cum metus ſit, ni oblata acceptentur, ne Gallus eiſdem retractatis protinus in arma ruat.*

16. Jun. Iſta cum Roſenbergio inos ingererentur, is valde teſtabatur, ſe nil ſiniſtri de Electore, ejusque actis ſenſiſſe, aut dixiſſe. Addebat tamen; Imperium nil contra pacem, Gallum plurima enormiter egiſſe; qui & iſtud intolerabili cum contemtu inſultet. Ejus dependentias demum ad mare glaciale porrigendas, cum utique unus locus alteri ſemper vicinus ſit. Equidem juſtitiam cauſæ non unicum eſſe, quod rectoribus rerumpublicarum reſpiciendum ſit; nec eandem tamen inter inania habendam. Auſtriacam Domum ſæpe divinitus gravibus e periculis eluctatam, qua minima ſpes fuerit. Aſt ſi Deus pulcerrimi Imperii diſſolutionem decreverit, eam haut inhibendam, quicquid ſubmiſſionis adverſus Gallorum inſolentiam, ac violentiam oſtendatur. Sed quamdiu ſpes ſit, Germaniam a DEO ad tam duram ſortem haut damnatam, rationis eſſe per maſcula conſilia intentato ſervitio ſeſe opponere. Gemina Stratemannus diſſerebat: *Mirum videri, quomodo ulli mortalium in mentem venire poſſit, a Gallo tutam & ſtabilem pacem ſperare. Ea ipſa hora, qua Neomagenſis pax ſubſcripta fuerit, Gallum jam decreviſſe eam non ſervare. Salvo legis Salicæ commento, ac reunionum fundamento nullum Galliæ Regem vel minimæ prætenſioni, quæ iſti coronæ quo jure qua injuria tribuitur, renuntiare poſſe, inani Regum eo nomine dejeratione. Si cautum eſſe queat, a Gallo conventa ſervatum iri, ſe quoque autorem fore, ut pacis cauſa non ſolum ea, quæ Gallus per injuriam ac violentiam occuparit, cedantur, ſed & ſuperpondii quid addatur. Enimvero Pyrenæam pacem a duobus Regibus jurejurando firmatam eodem momento a Gallo infractam, Aquisgranenſem præter jusjurandum triplicis fœderis ſponſione fuiſſe munitam. Gallum tamen non omiſiſſe omnes artes adhibere, quoad id fœdus diſſueret. Neomagenſem ad placitum Galli factam, & ab Imperio exſecutioni datam non ſine ſua ignominia. Idem injuſtiſſimas ejus violationes diſſimulaſſe, idque ipſum magno ſuo cum dedecore. Num meliora ſperanda, ſi maxime nunc novi tractatus Francofurti fiant? Potius e præteritorum memoria metuendum eſſe, ſtatim atque Germaniæ arma exuerit, novas prætenſiones in lucem prorepturas; nec Gallis cavillationes, & ſubtilia prætexta unquam defore. Nec eſſe, quod idonea magis tempora expectentur. Si Gallo ea, quæ jam occupavit, octavam fere Imperii partem facientia, relinquantur; in ipſius poteſtate fore de reliquis ad Albim usque, & Danubium pro lubitu diſponere. Unde in Germania per alacrem conjunctionem adverſus talia mature ſe muniat, nil aliud ſuperfore, quam ut Electores, & Principes Gallo Romanam Coronam deformi cum ſubmiſſione offerant. Ac tunc mox adpariturum, quo loco Electorum ac Principum faſtigium ſit futurum. Et Gallum, ubi ſcopo ſuo potitus fuerit, non minus invido oculo Brandenburgica Domus opes adſpecturum, quam alii eo nomine arguuntur. Et quemcunque vultum nunc Gallus adverſus Sueciam oſtendat, mox ad veteres artes rediturum, eandemque Electori a tergo immiſſurum. Quicunque tamen eventus ſequatur, Cæſarem quantum penes ſe feciſſe.*

§. 51. Interim Francofurti utraque pars data opera id agebat, ut nil ibi perficeretur. Nam Galli negotium Ratisponam pertrahi malebant, ubi plus adplauſus ſibi ſperabant, quod Francofurti Auſtriaci prævalerent. His quippe ſtudebat Saxo, Bambergenſis, Vinarienſis, Callenbergicus; cum ſolus Moguntinus, & Lauterenſis in Gallos proni eſſent. Ut tamen Galli Germaniam terrore afflarent, copias ſuas verſus limitem procedere jubebant, mandato ducibus dato, ne quem offenderent, nec extra Gallicum territorium progrederentur. Sed ſi quis Electorum, ac Principum pacis cupidorum opem eorum adverſus aliorum vim imploret, eam promte ferrent. Contra & Cæſarei tempus extrahebant, quod ſpes foret inducias cum Turca prorogari poſſe. Unde & lis ſuper cerimoniis in ſuſpenſo manebat; ac jactabant Cæſarei; ſe ab initio Electoralibus ſuggeſſiſſe, ut ſua poſtulata Viennæ urgeant. Id quod hi non fecerint,

Francofurti opera ludi-tur.

17. Jun.

1682. rint, ac contra Gallos primo loco inviserint. Tum isthanc Deputationem merito considerandam juxta cerimonias Ratisponæ receptas; ubi Electorales quidem initio a primario Cæsaris Commissario dextram manum, & titulum Excellentiæ prætenderint, sed eo postulato destiterint, quo honore nec in hunc diem potiantur. Et quod majus sit ipsos Verjo, cui legati dignatio non sit, tam intra proprias ædes, quam extra eas loco cedere. Alias a Cæsare semper debitam Electoribus prærogativam defensum iri; ac Luneburgicos æqualitatem urgentes repulsos fuisse. Nec Austriacos cum reliquis Principibus causam communem facturos, velut qui multis prærogativis tam intra quam extra Imperium gaudeant. Austriacam legationem id duntaxat declarasse: e recepto usu probari non posse, Austriacos Electoralibus ad tribuendum Excellentiæ titulum teneri. Ad ista Rucquius: *Excellentiæ vocabulum primum ex Hispania in Italiam, & Galliam inde in aulam Cæsaream, ac demum ad tractatus Monasterienses delatum, cum antea in Imperio ignotum foret. Unde nullo jure ab Electoribus exigi, ut stabiliendæ suæ prætensioni antiquum usum probent. Super cerimoniis indies novos casus emergere, qui e paritate rationum decidantur; & quæ nunc nova habeantur, olim inter exempla fore. In ipsa aula Cæsarea, si res ad unguem exigatur, multa casura, si omnia exemplis antiquis deducenda sint. Primam visitationem Gallo delatam non in fraudem reverentiæ Cæsari debitæ; sed quia Cæsarei antehac concessa abnuerint. Deputationem hanc a conventu Ratisponensi haut dependere; ac pacis negotium certis Electoribus, ac Principibus commissum, qui ministros suos debito charactere insignitos huc miserint; eoque haut necessum esse Ratisponenses cerimonias ex asse imitari.* Inter quæ Cæsarei palam Moguntinum illegitimi in Gallum studii arguebant, indies magis minuente spe, aliquod operæ pretium Francofurti faciendum. Unde & Elector recte suadebat, ut eo conventu dextre soluto negotium Ratisponam remitteretur; præsertim cum in hac Deputatione suffragia viritim, non curiatim considerarentur. Id quod Electorali Collegio non modicum præjudicium adferebat, quod civitatum delegati tantundem valituri essent, atque Electorales, ac Cæsari semper de majori parte cautum foret. Galli autem cum perspicerent, heic se destinata sua non obtenturos, gaudebant, Deputatos inter se diffidere, ut, si conventus re infecta solveretur, apud Anglos, & Belgas a culpa se immunes jactare possent. Etsi iidem haut inficiarentur, hucusque progressum negotii se sufflaminasse, quod satis constaret, Cæsareos a se proposita non acceptaturos, antequam res Hungariæ in alium statum pervenerint. Unde ne postulata sua palam rejicerentur, ac sibi culpa abruptæ hujus tractationis impingeretur, e re judicaverant, a Moguntino conclusum suspendi; super quo tantus strepitus excitatus fuerat.

Ratisponæ acta. §. 52. Sed nec Ratisponæ aliquod operæ pretium ad summam rerum fiebat. Equidem Verjus procuratorium acceperat ad publice cum Ordinibus tractandum; simul his factam Francofurti propositionem communicabat, multis verbis Regis sui in pacem studium extollens. Idem

31. Mart. quoque postulabat, ut super scripto suo consultatio institueretur, ac laxis duntaxat verbis decretum fieret. Ordines pacem non aversari, sed omni idonea ratione desiderare. Plura se in præsens non postulare; ac reliqua Francofurti perfici posse. Ac ut Gallus specimen ederet, quantopere sibi salus orbis Christiani cordi esset, statim atque Vienna, & Constantinopoli certo intellexisset, Turcas utique pacem cum Cæsare abrupturos, laxius obsidium Lutzenburgo circumpositum solvebat, ac Anglo arbitrium omnium controversiarum, quæ sibi cum Hispano intercedant, deferebat; ne, queis arma Turcæ opponere necessitas imperet, exprobrare possent, per Gallum sibi non integrum esse omnes vires contra istum vertere. Sane & Croissius disserebat: *occasionem jam Regi favere postulatis suis pervincendis. Sed eundem indignum gloria sua ducere, e Turcis emolumentum aliquod captare, quibuscum nunquam vinculis aliquid contexere voluerit. Ac Cæsarem si sapiat ansam inde arripere posse hoc negotium finiendi, ac insignia sibi a Rege auxilia contra Turcas stipulandi.* Quæ honesta sane oratio ab imperitis magno plausu ferebatur, velut generosi admodum animi specimen. Sed rerum periti facile ludibrium agnoscebant. Nam revera id fiebat, quia Anglus denuntiaverat, si Gallus obsidium continuet, aut vim cominus admoveat, sibi Parlamentum convocandi necessitatem imponi, ubi Eboracensis causa circa successionem ad regnum valde periclitatura sit. Cæterum quia fama erat, Gallum morarum pertæsum copiis suis injunxisse, ut Rhenum versus progrederentur, Elector legatos suos Ratisponæ cum iis consilia conferre jubebat, qui pacem optabant, ac summa vi conniti, ne res in bellum erumperet, denuntiato, se damni, quod inde sibi provenerit, reparationem ab iis exacturum, qui pacem impediissent. Contra Saxo censebat, prius in genuinum sensum Westphalicæ, & Neomagensis pacis inquirendum, ut constet, quid revera Gallo juris competat, & quid minus. Quod uti in se iniquum non erat; ita hæc tempora istas moras non patiebantur. Sed & Cæsarei negotium pacis non nisi Francofurti tractari volebant, quod nossent Electorem Ratisponæ prævalere, ubi & in Collegio Electorali quinque sententiæ conspirabant. Ac causabantur isti, Cæsari per legem regiam nefas in ejusmodi lacerationem Imperii, qualem Gallus velit, consentire. Enimvero cum partes eorum, qui pacem servari studebant, glisceret, quibus e Principum Senatu totus Circulus Suevicus, Cellensis, Durlacenus, Hildesiensis, Monasteriensis adstipulabantur, Bavaro quoque sat moderatum se exhibente; & tamen plerique mussitarent: Jena sub spe rati nomine Ducatus Magdeburgici pro sententia dicebat, quæ præsenti tempori quadrarent. Quam sententiam post Elector probabat, vulgarique jubebat. *28. April.*

Sententia Magdeburgica. §. 53. Eam sententiam, quia vario rumore dilata est, prout cuique in partes studium fuit, integram adponere placuit. Jena igitur, de necessitate præfatus, quæ mentem suam de republica exponere sine mora jubeat, disse-

1682. disserebat; *in eo omnes conspirare, ut pax servetur, ac duratura securitas in Imperio stabiliatur. Super modo forte sententias discrepare, sed quæ facile conciliari queant. Electorem diuturno, ac laborioso regimine omnem curam eo præcipue retulisse, ut corpus Imperii, ac recepta Reip. forma conservaretur, e qua & singulorum Ordinum salus pendeat: tum ne ejusdem quies intus, & per exteros turbaretur, aut quæ concussa fuerit, solide instauraretur. Si anno LXXI, & sequenti, neglecto quod amplum offerebatur privato lucro, heic, & alibi publice, ac privatim connixum, ut ea, qua tunc Germania gaudebat, pax salva perstaret, bellum proculhaberetur. Ast uti antea bellum, ita anno septuagesimo octavo separatam, quæ tunc agitabatur, pacem dissvasisse; & cum hanc, atque fœderatorum disjunctionem inhibere non valeret, saltem in ejus partem venire noluisse; præsertim cum pro sua prudentia istius fructus, qui nunc adparent, ominaretur; idque sermone, & scripto passim testatum. Quibus de causis anno 72 bellum in Germania excitatum, & quos ob respectus anno 79 pax, ejusque ratihabitio accelerata sit, in vulgus notum esse; nec minus quantum damni Electoris civibus, ac terris illatum fuerit. Quæ in præsens silentio transire præstiterit, quod multa odiosa dictu intervenerint, nec facta infecta reddi queant. Ista eo duntaxat fine adduci, ut adpareat, Electorem semper privata commoda post publicum bonum habuisse, ac sepositis affectibus veras reip. rationes secutum, ac de eventu rerum ita in antecessum judicasse, ut per hunc ejusdem consilia, monita atque præsagia comprobata fuerint, etsi irreparabili cum Reip. ac multorum Ordinum damno. Unde spem esse, quemlibet patriæ amantem præsentia Electoris ac futura consilia, velut ad singulorum, & totius reip. salutem tendentia, citra affectus liquida cum ratione expensurum, eisque plus quam antea loci daturum. Uti igitur is anno 79 invictis rationibus demonstratum ivit, bellum tunc juncta vi tamdiu continuandum, quoad æqua, tuta, & communis pax obtenta foret: ita nunc censere, novum bellum Germaniæ periculosum, noxium, supra ejus vires positum, eoque omni modo declinandum. Ac si præter spes res eo eruperit, Electorem non magis in ejusdem belli, quam pacis Neomagensis partem unquam venturum. Id quod nemo, qui præterita rite expenderit, ipsi vitio versurus sit. Atque hanc sententiam eum non nuper, sed statim post Neomagensem pacem deliberato animo concepisse, ac judicasse, pacem utique cum Gallia colendam. Equidem nil optatius ipsi fore, quam ut Imperium in pristinum statum, atque autoritatem reponi possit, qua ante aliquod secula floruit. Nil eidem luctuosius, quam idem imminui. Enimvero consilia capturis proprias vires, opes, paratus, ejusque, qui cum negotium sit, probe noscendos ac inter se librandos. Electorem injurias caritati patriæ condonaturum, ac oblivione sepulturum fœdam istam, & noxiam pacem Neomagensem, ejusque ratihabitionem, insuper habitis ejus monitis, & protestationibus properatam; se quam maxime circa contundendos patriæ hostes satagentem destitutum, ac libidini Gallorum expositum, occlusa ad propriarum ditionum defensionem via, contra eadem traditis tot oppidis ad ipsum invadendum munita. Si itaque virium affatim foret, citra operosam consultationem caritas, ac obligatio erga patriam cuivis suggestura erat, quid facto opus sit. Ast quem non perspicere, cui præsentis temporis arma, & consilia in Germania cognita sunt, hautquidquam adesse idoneas vires, quæ tam potenti, ac probe instructo Regi opponi queant. Robur Imperii distractum, nullibi veteranos. ac probe digestos exercitus, paucos spectatos duces: quæ omnia apud Gallum abunde sint. Insuper exitiabilem inter membra ejusdem reip. diffidentiam gliscere. Quanti exterorum auxilia Germaniæ constiterint, & quis inde fructus promanarit, in recenti memoria esse, sic ut merito istis occasio præcludenda sit, per quam se rebus Imperii ingerere queant. Et quod maximum sit, ob turbas Hungaricas, & imminens a Turca bellum parum auxilii a Cæsare expectandum videri. His, aliisque rationibus Electorem permotum credere, posteritati hautquidquam adprobandum, si hac rerum facie quod superest fortunarum periculo exponatur, ac res ad anceps bellum deducatur. Equidem posse eum non minus quam aliorum quempiam spectare, quo res evasura sit; ac forte minore cum periculo, quam eos, qui imminenti irruptioni proximi agunt, otiosum desidere. Sed quia acceleratio tractatuum ac liquida declaratio urgeatur, ac elapsa semel temporis opportunitas revocari nequeat, ac mora plus periculi paritura videatur, eundem officii sui duxisse monere, ut citra dilationem ad Galli propositionem declaratio fiat, qua bellum declinari possit, ne patria novis flammis corripiatur, extremum exitium allaturis. Unde tanta cum solicitudo urgeat, facile agniturum, cui status Germaniæ, ac totius negotii indoles perspecta sit. Id nunc in quæstione esse, num hac tempestate certa spes concipi queat a Gallo in potestatem redacta loca recuperandi? Num spes amissa recuperandi liquidior sit, quam periculum plura amittendi? An non potius cogitandum sit, ut quæ supersunt Imperio, ejusque status conservetur, quam ut omnia Martis alea exponantur, quæ* 1682.

ubi

1682. ubi secus ceciderit, ruinam patriæ, ac dissolutionem status publici paritura sit? Quid ad ista respondendum, præsentem rerum conditionem facile suggerere. Sane longe melius Imperium, ac multos Ordinum armis instructos fuisse, quando acceleratio qualiscunque pacis unicum quod superstit remedium servandæ patriæ jactabatur, idque neglectis quæ contra movebantur rationibus non sine impetu arripiebatur: contra bellum continuare supra vires Imperii, & ejus ruinam post se tracturum habebatur; quod & fidissimis, ac fortissimis fœderatorum destitutis deserebatur. Atqui tunc egregios duces fuisse; exercitum bene compositum, ac vincere suetum; integras provincias, ac invictas antea urbes vi subactas; præcipua flumina, quæ ex Germania mari infunduntur, in nostram potestatem redacta una cum ostiis, ac portubus, nunquam vi manibus nostris iterum extorquendis. Cur ista omnia gratis condonata? Cur non saltem Alsatia, & alia dubia eo pretio redemta? Equidem tunc invidiam intervenisse, a se non asseri: licitum tamen esse, quæ verbis dissimulentur, cogitare. E diversa parte tunc Argentoratum, e quo Alsatia, Burgundia, Lotharingia infestari poterant a X M militum, præter armatos cives insessum, ac omnibus necessariis instructum fuisse. Juxta adstitisse Cæsareum exercitum, veterano milite ac egregiis ducibus spectabilem. Fœderatos potentes, atque continuis belli laboribus indefessos. Imperium magis quam unquam cum Cæsare, & inter se unitum. Et tamen tunc omnes terrore afflatos clamasse, nullam in armis salutem; ac utcunque pacem occupandam, arreptis quæ dictabantur conditionibus. Nunc maximi momenti fœdera dissoluta. Præstantissimos fœderatorum, & qui ad extremum perstiterant, Galli amicitiæ innexos. Magnam partem fortissimorum militum exautoratam Gallico sacramento accessisse. Argentoratum, tanti in utramque partem momenti locum, Gallicæ ditionis esse, validioribus quam antea munimentis. Germaniam nunc debiliorem, Galliam valentiorem accessione Burgundiæ, ac tot in tractu Rhenano, ac Belgii locorum. Hujus fines validissimis munimentis firmari. Num eas provincias, ac tot munitas urbes pari facilitate recuperandas, quæ amissæ sint? Esse porro Gallo exercitus ad iter ingrediendum paratos; esse annonæ, ac instrumenti bellici vim hinc inde digestam; esse pecuniam, cui in negotiis humanis tanta vis; esse fidos, & cordatos ministros, promta consilia, impigram exsecutionem. Et quanti ipsum Regem esse? Si ad bellum res deducatur, brevi, & antequam vires opponi queant, plus amissum iri, quam intra seculum recipi queat; de quo Circulus Suevicus non injuria metuit. Carolum V, & sequentes Cæsares Metim, ac aperta oppida Tullum, & Virodunum recuperare non potuisse, etsi ex eo tempore Gallia sæpius duris rebus, ac intestinis turbis conflictata sit. Num tam validas urbes hoc Rege expugnabimus, cujus laudibus dicendis ejus nationis ingenia fatiscunt? Ac ut forte vires Germaniæ non desint; deesse tamen unanimia consilia, & studia, mutuam confidentiam, ac necessariam conjunctionem. Per pacem animos immensum distractos, & suspicionibus efferatos, postquam plus satis innotuit, quo intuitu Neomagensis pax, ejusque ratihabitio tantopere festinata fuerit. Unde nemini non scrupulum injectum, ut sibi caveat, nec verborum blandimentis confidat. Sed & raram inter tam multos constantiam. Aliquos tributorum, aliorumque belli incommodorum tædio capi; quibusdam vires eadem diutius tolerandi decedere: nonnullos obtentu necessitatis neutrum statum, aut pacem aucupari. Alios de hostibus juxta, & amicis queri, aut de aliis Statibus, per quos hibernis, stativis, aut tributis onerantur, ac inter arma leges examussim servari velle. Quis porro successus circa ærarium militare Imperii, totumque exercitus publici paratum fuerit, acta publica loqui. Ac in universum, ubi multa mediocres potentiæ adversus unam validiorem sociata bellum gerant, id vinculum vix ad diuturnitatem valere. Fœderatos Smalcaldenses cum CXXX M militum adversus Carolum V. in expeditionem prodiisse. Sed quam brevi tempore tantam molem divisam, aut victam evanuisse? Decantatam illam Unionem plus noxæ, quam præsidii sociis attulisse. Scilicet multos ejusdem conditionis facile consiliis discrepare, scrupulos movere, suspicari, lentis consultationibus agendi tempora terere, unum alteri obstare, ipsa multitudine in confusionem prona, ni superioris autoritate contineatur. Sic e multis composita fœdera, ubi uni vel alteri fortuna insigniter faveat, per invidiam, aut si cui clades incubuerit, per metum dissolvi. Unde experientia monente caute procedendum, & quid conditio reip. ferat, debite expendendum, nec temere in pericula ruendum. Germanicam remp. paci quam bello aptiorem, quæ ultra hominum memoriam ne vicum quidem adquisiverit, sed integras provincias, & insignes urbes amiserit. Sed tædiosis magis quam jucundis monitis finem imponendum; quæ tamen ob patriæ salutem dissimulanda non fuerint, ac sine metu dici potuerint, velut jam toti orbi nota. Fidum Senatorem candide oportere monere, quæ noxia videntur, quamdiu ista adhuc declinandi tempus sit. Adulando, silendo, inani spe aut affe- 1682.

1682. *ctibus indulgendo publicis malis medicinam haut fieri. A Gallo oblata in se dura quidem, sed si præsentem Germaniæ habitum consideres, haut repudianda. Sane Imperio consultius aliquid, quod Gallo jam in manibus est, relinquere, quam totum corpus exitiabili bello involvere, plenam dissolutionem, ac mutationem præsentis status minitanti. Ac in eadem sententia plerosque Electores & Principes esse, etiam illos quorum maxime interest. Sane temporibus sese accommodare sapientum haberi, postquam ista ad nostrum se placitum componere adspernantur. Flectendum, si frangi nolis. Generosos magis, quam utiles spiritus aliquando comprimendos. Ut corpus servetur, immedicabiles artus rescindi; quæ jactura non impedit, quo minus ejusmodi homo ingenio, existimatione, & opibus gliscat. Civitatum decus, & robur non sola finium latitudine mensurari. Denique e duobus malis imminentibus minus eligendum; & si quæ cupimus obtinere nequeamus, cupienda, quæ obtineri possunt. Ultra vires, qui nisi contendunt, rumpi. Etiam cura & labore, quin & fortuna opus esse ad exsequendam causam, cui sat paratum, ac sufficientem sese quis crediderat. Ac si nunc male, non semper ita fore, & serius ocyus mutationem expectandam. Nationes, regna crescere, decrescere, ac omnium rerum quendam orbem esse. Igitur quia bellum pace Neomagensi finitum est, ea standum, ac Imperio quietem, securitatem, & usum suorum jurium, civibus respirationem a malis, ac virium refectionem non invidendam. Per pacem Ordinibus autoritatem, honorem, fortunas, usum suorum jurium, ac redituum constare. Ubi bellum ingruat, multa horum, quandoque omnia deficere, ac in eorum locum diversa omnia succedere. Verbo, in præsens pacem optimam Germaniæ rerum esse. Atque isthæc probe deliberato animo, ac bona fide suadere Electorem, qui per quadraginta amplius annos imperium tractavit, & cum quatuor fortitudinis laude insignibus Regibus, tribus bellicosis nationibus bellum gessit, ac apud amicos juxta, & hostes toto orbe famam, decus, laudemque immortalem sibi peperit: quique non e vagis relationibus, aut alieno consilio pendet, nec metui, invidiæ, aut aliis affectibus obnoxius agit. Cui & debita Cæsari reverentia constat, quem & antequam hoc eo fastigio potiretur, fœderatum habuit: quem denique indefessa reip. cura exercet, cui fortunæ suæ sane haut modice sunt innoxæ.*

Sententia Austriaca huic opposita. 29. Sept. §. 54. Isthæc tanta cum libertate prolata multi laudibus ferebant. Sed quibus ea displicebant, diu mussitabant, donec aliquot post menses Austriacus eandem publice non leviter, perstringeret. Eam tendere ad deprimendum Imperium extollendum Gallum, ejusque opes, ac ut septima fere Germaniæ pars cum Argentorato, claustrisque Rheni eidem concedatur. Francofurtensem congressum institutum discutiendis querelis, ac fundamentis prætensionum ex Instrumento Pacis: nunc Gallo faveri, præter omnem rationem erepta retinere cupienti. Falso causam ac invidiam præteriti belli in Cæsarem devolvi, cum Elector quam maxime hunc stimularit ad arma contra Gallum arripienda. Pacem Neomagensem hautquidquam præcipitatam; sed postquam Belgæ, ac Hispani a fœdere discesserant, ac ipse Elector nulla prævia communicatione Meindersium in Galliam miserat, peculiarem pacem oblaturum, Cæsarem instantibus sex reliquis Electoribus, ac plerisque Ordinum eandem defugere amplius non potuisse. Eidem fas non fuisse, tutandis ab uno & altero per bellum adquisitis, ad quod nullo tractatu se obstrinxerat, oblatam a Gallo instaurationem Westphalicæ pacis, & quietem Imperii repudiare. Sat facultatis Electori, ac Daniæ Regi præbitum fuisse pariter cum Cæsareis tractandi. Eo fine Cæsarem Gallo Friburgum cessisse, quo Elector lautiores sibi conditiones pacisci posset. Eam pacem ab Imperio probatam; nec animo concipi posse, quomodo isthoc per istam in ejusmodi confusionem conjectum sit, ut ad vim propulsandam non amplius sufficiat. Inde deducebantur, Gallicam propositionem utriusque Pacis Instrumento, ac omnibus antegressis testationibus adversam, Imperio noxiam, Cæsari intolerabilem, posteritati detestabilem, toti nationi Germanicæ contumeliosam. Et si maxime in eam consentiatur, nil securitatis præstare; quod Gallis semper inolitum fuerit aliena invadere; ac cumprimis præsentis regiminis unicum scopum esse fines proferre. Eandem propositionem profiteri, Gallo plures cis & trans Rhenum prætensiones esse, non expresso, num ex utraque pace, an ex fictitio jure Caroli Magni, Dagoberti, aut aliorum promanent. Et si maxime præsens Rex quam solennissime additis sexcentis juramentis, atque exsecrationibus renuntiet; provocari tamen ad legem quampiam a ratione alienam, ac cum summa exterorum injuria conjunctam; bona Coronæ esse inalienabilia. Eoque inania esse, quæcunque cum Gallis super ejusmodi rebus tractentur. Gallis libidinem ad aliena invadenda gliscere, quo magis alios viderint in juriis tolerandis paratos. Tanta accessione vires Galliæ augeri, Germaniæ imminui; ac huic deinceps unice ab istius placito pendendum. Sed nec fas esse uni Statuum alterum tali modo in victimæ piacularis vicem adhibere, ac in externum servitium conjicere. Quin ne volentibus quidem Ordinibus licitum esse seipsos alteri in ditionem tradere. Cæsarem lege regia teneri non solum nihil cedere, sed & erepta Imperio recuperare; quo fine Ordines opem conferre teneantur. Gallum in destinatis suis obfirmari, si jactetur, ista membra pro toto corpore immolanda; nec eam communem Imperii causam faciendam. Nam si unus Ordinum alterius defensionem suscipere non teneatur, eo ipso Im-

1682. perii compagem dissolvi. Frustra dici, hoc modo Germaniæ perpetuam pacem parari posse. Ubi enim cautionem esse? Manum, verba, sigilla, jusjurandum, limitum positionem inania esse, & invalida contra eum, qui ambitioni suæ limitem ponere nescit. Nullam renuntiationem validam esse, ubi semel Coronæ Gallicæ persuasum sit, qualecunque sibi jus quæsitum esse. Aliorum Principum interpositas sponsiones lubricas esse, & in alieno arbitrio positas. Ne unum quidem tractatum pacis adduci posse, qui hoc Rege imperante servatus sit. Neomagi inter Hispanos, & Gallos firmando limiti continuam seriem munitarum urbium constitutam; omnibus Principibus permissum pro ea pace sponsionem interponere; & tamen eodem fere anno, quo pax concludebatur, omnia subversa fuisse. Frustra a Gallis jactari, pacem nunc magis perspicuam, & controversiæ expertem reddi posse. Atqui hactenus nil repertum, ubi fraudi color juris, & illecebræ quæri non potuerint. Quid clarius, quam quod pace Monasteriensi super Landgraviatu Alsatiæ dispositum est, ubi decem urbes disertis verbis a Gallica ditione excipiuntur; ac Gravellum suscepto Ratisponæ compromisso solennissime declarasse, in earum immediatum statum nil prætendi posse. Et tamen Gallum istas, ac plura alia nullo alio titulo sibi subjecisse, quam quia ita placet. Libenter agnosci, Imperii constitutionem magis paci, quam bello idoneam. Libenter quoque Gallo concessum iri, quæ jure prætendere possit. Ast absque causæ discussione, nullo pactorum, & justitiæ fundamento tantam, ac tam nobilem Imperii partem cum tot fidis Ordinibus in servitium conjicere; id vero leges, dignitatem existimationem, securitatem, libertatem Teutonicæ nationis haut permittere. Omnia potius viris fortibus, quam servitutem, & turpitudinem ferendam. Esse quoque cumprimis cavendum, ne cum Gallo sæpius tractatus suscipiantur, velut qui semper jacturæ ansam præbeant. Ac eandem ob causam Cæsarem a Westphalica pace discedere nolle, ac novam cum damno ac dedecore Imperii inire. Nam ubi hæc via semel ineatur, tractatuum nunquam finem fore, donec subinde imminuata Germania demum miserando servitio absorbeatur, aut minore quam nunc paratu ad arripienda arma compellatur. Gallum ubique testari, se a Monasteriensi, ac Neomagensi pace non discessurum. Nec dubitandum, si Elector, & pauci alii, qui peculiares ob respectus cum Gallo conspirant, eumque in asserendis pacis violationibus obfirmant, cum Cæsare, ac reliquo Imperio consilia, viresque conjungant, ac eam operam uniendis Ordinibus, quam iisdem distrahendis, ac persuadendæ tam fœdæ pacis acceptationi impendant; Imperium protinus in unanimem sententiam circa communis salutis, ac libertatis defensionem coaliturum. Et quia super communibus Imperii armis jam conventum sit, sub clypeo absque ulteriore jactura pacem cum Gallo ad normam priorum tractatuum stabiliendam. Eam unicam esse cautionem servandæ cum Gallo pacis; ac ut hic tandem aliquando agnoscat, Cæsari atque Imperio cordi quidem esse factam pacem bona fide servare; sed nolle singulis annis novam sibi pacem extorqueri, aut quasvis Galli injurias tolerare. 1682.

§. 55. Huic sententiæ, quæ multis acerbis, atque altius penetrantibus, ac partim male fundatis, partem ad rem nihil facientibus sententiis scatebat, Jena protinus contradicebat; ac Elector haut parum eadem offensus deduci jubebat: *Satis se nosse, quid reverentiæ Cæsari debeatur; ac uti ipse ad istius dignitatem, quod & idem agnoscat, plurimum contulerit, ita se nunquam officium, quo eidem teneatur, oblivioni traditurum. Nec minus juratam Imperii obligationem sibi perspectam. Esse se inter Cæsaris, & Imperii intimos Consiliarios, nec unquam Deo, & patriæ adprobaturum, si tam periculoso hujus statu, in quam per pacem Neomagensem, ac alia sinistra fata præcipitavit, suam sententiam in publico, Ordinum consessu candide haut exponat. Cæsarem id a privatis suis Consiliariis tolerare; & in Comitiis vel infimo Ordinum integrum esse sententiam, prout ex usu reip. judicat, publice dicere. Cur idem sibi vitio vertatur? Quod tenues publicorum armorum paratus ac consiliorum Imperii debilitatem exposuerit, optare, eo se potuisse supersedere; nec minus omnia ita instructa, ut nec ab Oriente, nec Occidente quid adversi metuendum sit. Enimvero toti se orbi ludibrium debiturum, ni tales sententias dicat, ac quæ in oculos omnium incurrunt, aliter quam revera sint, proponat. Sublimi Cæsaris personæ, ac debito honori nil detractum. De Galli potentia, & armis hautquidquam in majus auctum. Futuris, incertisque casibus consilia superstrui non posse, sed ea pro captu rerum & temporum, prout hæc divinitus dispensantur, moderanda. Quæ de Galli destinatis, ac lubrica fide otiose adducuntur, in medio se relinquere, nec opus habere istius apologiam scribere. Quis ad augendam Gallicam potentiam plurimum contulerit, ipsam rem, & acta publica testari. Inprimis se non posse absque singulari animi dolore in memoriam sibi revocare, quod ante, quam Gallus Belgis arma inferret, Vienna cum Gremonvillio fœdus initum fuerit, quo convenerat, Gallo contra fidem dante, se durante hoc fœdere decem Alsatiæ oppida haut invasurum. Ex eo factum, ut cum Cæsar post cum ipso ad avertendum imminens Imperio periculum fœdus iniisset, eique exsequendo copias secum junxisset: Montecuculus ex secreto isto fœdere ita strictis mandatis circumscriberetur, ut ne minimum quidem adversus Gallos, eorumque socios Coloniensem & Monasteriensem suscipere integrum sibi esset. Quo ipso necessitatem sibi allatam, ni res suas præsenti exitio exponere*

Electoris contra hanc sententiam vindiciæ.

ponere

1682. *ponere vellet, ingratiis cum Gallo qualemcunque pacem occupare. Falso quoque objici, Meindersium inscio Cæsare, ac nulla pravia communicatione in Galliam missum. Atqui non posse non legatos Cæsareos Neomagi tunc agentes aliter hac de re testari. Istum, ac Blaspielum cum hisce amice conversatos, Meindersium annum fere ibi egisse, antequam iter ingrederetur, & quidem diu post initam a Belgis, & Hispanis pacem, iisque mandata sua communicasse; quorum summa huc redibat, ut ipse satisfactione, quam totus orbis, ipsique hostes Sueci, Gallique æquam judicabant, eo melius potiretur, ut legatis Gallicis eo nomine idonea mandata darentur; nequaquam autem quod sibi in animo esset fœdera, uti ab aliis factum, negligere, sociosque destituere. Eventum quoque istud ita clare ob oculos posuisse, ut nemini dubium superesse queat. Imo cum Cæsarei, & reliqui fœderati, qui partes Imperii tunc amplectebantur, inita separata pace, ipsum non solum hostibus destituissent, sed & his viam ad se invadendum munivissent, præclusa sibi defensionis facultate; se tamen, Daniaque Regem bonam causam eousque sustinuisse, quoad nulla salutis spe extrema intentarentur, nec ad enixissimas demonstrationes Viennæ, aut Hagæ responsi quid daretur. Ita demum sibi necessitatem impositam, pacem, qualiscunque haberi posset, amplectendi. Injuria quoque sibi impingi, velut ipse citra necessitatem suffragio suo alios Ordines Imperio avellere instituat. Enimvero id minime sibi voluptati esse, ac optare, gemina quondam sibi haut fuisse toleranda, cum invito citerior sibi Pomerania extorta pacis causa exteræ Coronæ cederetur; nec in præsens geminam necessitatem incumbere declinando majori malo paria Gallo indulgendi.* Quæ omnia Elector latius deduci, ac typis impressa publicari jussit, postquam & Austriaci sententiam suam eo modo vulgassent; cum non minor Duci Magdeburgico, quam Archiduci Austriæ in Senatu Principum dicendi libertas foret.

Electoris ad Cæsarem missio. §. 56. Cum itaque hoc modo negotiatio tam Francofurti, quam Ratisponæ nullo fructu extraheretur, ac periculum Germaniæ imminens, ingruente quoque jam bello Turcico, immensum gliscere, Elector Crocovium Viennam mittendum duxit. *30. Jun.* Ei injunctum Cæsari exponere, in quam periculoso statu Germania versetur, ambigua belli, pacisque spe. Cæsari constare, qua fide, quo candore adversus ipsum, ex quo tempore rerum potitus sit, se gesserit, omnibus viribus impensis, ac fortunis periculo expositis; & quo studio ad servandam atque promovendam patriæ gloriam & salutem incubuerit. Sed uti res demum non tam viribus hostium, quam amicorum culpa successerit, ac ipse a florentibus adhuc partibus neglectim habitus fuerit, nemini incognitum esse. Haut eo secius fidem sibi in patriam constitisse; nec radicato suo studio ejus commoda promovendi, ac mala averruncandi quidquam decessisse; de quo & hac legatione testari velit. Gallum prætextoNeomagensis pacis insignes partes, quæ a multis seculis citra controversiam ad Imperium spectarint, ad se pertraxisse, Argentorato quoque in potestatem redacto. Unde conventum Francofurti placuisse amice componendis inter Imperium, & Gallum subortis controversiis. 1682. Enimvero hucusque nihil ad summam rerum profectum, ac tempus inter inania litigia circa evertenda antehac usu recepta extractum; nec aliud agi videri, quam ut Electorum prærogativis, usu & per leges fundatis, quid decerpatur. Cæterum summam rei in eo verti; num Imperium Gallo ea, quæ ante profectionem suorum legatorum occuparit, una cum Argentorato relinquere, an vero eadem armis repetere debeat? Si uti justitia sine dubio ab Imperio stat, ita quoque omnia tali bello non tantum ordiendo, sed & persequendo in promtu forent, neminem non judicaturum, Imperio omnes vires exserendas ad amissa recuperanda, ac ut ipsius integritas omni modo conservetur: quo casu & ipse lubenter in eam sententiam concessurus sit. Sibi quoque persuasum, Germaniam non usque adeo viribus exhaustam, quin obfirmatis in constantiam omnium Ordinum animis, hosti frontem obvertere possit. Sed si ipse mature expendat genuinum Germaniæ ac vicinorum statum, tum præteritorum temporum eventus, & quam parum fiduciæ in aliis collocandum; quorum omnium ratio consilia capturis habenda sit; sibi quidem discordiam, ac debilem patriæ conditionem magno dolori esse, ac meliora votis expetere. Sed quia ista ita repente emendari non possunt, ac fidus, prudensque consiliarius non modo quæ appetet, sed & molestias, pericula, & calamitates, quas negotium aliquod minatur, ob oculos habere debet: aliter se judicare non posse, quam ad patriæ securitatem, & salutem facturum, in præsens pacem bello præferre, ac potius quarundam partium jacturam facere, quam reliqua omnia cum ipsa Imperii compage armorum aleæ exponere; postquam in diversum tendentia consilia & studia, vacillantes multorum animi, ac necessariarum bello rerum penuria in aprico sint. Se tamen hautquidquam censere, omnia citra negotiationem derelinquenda; sed potius quantum datur connitendum, ut Galli postulata ad moderationem deducantur. Ast ubi id nulla ratione obtinere detur, potius jam amissa derelinquenda, quam tanto cum periculo anceps bellum eligendum. Hanc sententiam suam se Cæsari sincera mente pandere, proprio instinctu tanquam Electorem Imperii, quem officium, & caritas patriæ una cum aliis ad curam pro ejus salute obstringat; ac ne, utcunque res ceciderit, ipse insimulari queat aliquid omisisse, quod fieri debuerit. Nec dubitare, quin Cæsar in consilio suo agnoverit ista ita se habere; ac in præsens pacem extremis præferendam. De cætero de constanti sua adversus Cæsarem devotione testari, ac uti ipse nemini fide, ac studio in patriam cessurus sit. Ista quidem Crocovius primo alloquio Cæsari exponere jubebatur.

§. 57. Ast congressu cum Cæsareis ministris Electoris nomine exponere injunctum; uti per summam ipse injuriam a quibusdam arguatur, velut ab Imperio se disjungat, aut exteris in fraudem Imperii emolumenta quædam conciliatum eat. Sane cum toto regiminis sui tempore, tum

1682. tum præcipue novissimo bello omnia pro patria exposuisse, nec vitæ suæ, opibusque pepercisse. Ad paria præstanda semper se paratum, si deprehendat, per bellum patriæ consuli. Enimvero præsenti rerum facie perspicere haut posse, quomodo Imperium tam atrox bellum propriis viribus exsequi possit. Quam parum enim exterorum auxiliis fidendum, præterita tempora manifeste ostendere. Sed nec in Germania, nec inter exteros fœderatos ejusmodi unionem reperiri, aut sperari posse, quæ meliores rerum successus, quam novissimo bello, promittat. Anglum, qui plurimum si velit conferre queat, pacem ingerere, cui & secreta cum Gallo commercia intercedant, ut huic ab isto nil metuendum sit. Validissimam Fœderati Belgii partem, quatuor Electores ad Rhenum, quorum maxime intersit, Daniæ Regem itidem pacem suadere. Fœderatis ubique deesse pecuniam, paratum bellicum, ac præcipue eam, quæ magnis ausis requiritur, animorum conjunctionem. Cæsaris ditiones a rebellibus, & Turcis periculo expositas, Quibus addi possint rationes Cæsareis ante triennium allatæ, quare pax tunc ita necessaria, bellum continuare supra vires foret. Si objiciatur de securitate in futurum, ac uti nulli renuntiationi fidendum; & quæ in præsens cedantur, non nisi ansam præbitura plura involandi: responderet, id præcaveri posse perspicuis pactis, & queis ambiguus sensus, uti Monasteriensi, & Neomagensi Instrumento non sit: tum egregio armorum domi paratu, internaque concordia, atque exterorum fœderibus. Verosimile quoque esse, Gallum, si expetita ipsi pax ineatur, quieturum, ac partam gloriam non amplius aleæ expositurum. Quod si tamen is præter spem longius grassetur, ac tam lucrosam sibi pacem infringat, non dubium esse, quin ii quoque Principes, qui in præsens pacem suadent, ubi viderint, eam per fidei sanctimoniam obtineri non posse, arma arrepturi, & communem securitatem junctis viribus ruituri sint. Ac ubi semel pax inita sit, se paratum esse arctissimum cum Cæsare fœdus inire, quo securitati utriusque ditionum, ipsiusque Imperii caveatur; in quod & alii Electores, ac Principes una cum Daniæ Rege pertrahi possint; idque æque contra Turcas ac rebelles, quam Gallum dirigi posse. Cogitandum quoque tunc de milite perpetuo in Germania instituendo. Ea pace quoque certum modum recens obortas controversias componendi esse definiendum, ne ex quacunque lite ad arma procurratur. Interim præsenti tempestate pacem conservandam, ne quod eminus metuitur malum, præmature provocetur. Ubi de Magdeburgica sententia moveatur, velut in qua Galliæ vires nimis exaggeratæ, Imperii extenuatæ sint, reponeret; Electorem in comitiis, ubi intimum Consiliarium Cæsaris & Imperii agat, in causa, e qua salus, aut exitium Imperii dependet, genuinam rerum faciem e dictato conscientiæ bona fide exponere teneri. Ac reip. parum consultum iri, si hostem contemnat, ac sibimet ipsi blandiatur. Et eo minus id sibi vitio dari posse, quod ante triennium aula Viennensis iisdem rationibus ad excusandam se, paratam pacem tam apud Imperii Ordines, quam extraneos fœderatos usa sit. Post alia quoque causa suadendæ pacis nascebatur, quod jam constaret Gallum cum Turca transegisse; ex quo Gallo ingens commodum, Cæsari autem non modicam difficultatem in Hungaria proventuram. Sane jam animadverti, Gallos superbius ac ferocius, quam ab aliquo tempore, loqui, eoque metuendum esse, ne iidem duriores adhuc conditiones obtrudant, nec prius oblatis amplius teneri velint. Igitur tempus occupandum, nec eousque expectandum, quoad bellum inter Cæsarem & Turcam eruperit. Præter ista Crocovius movere jubebatur de satisfactione Electori ob novissimum bellum debita, circa quam hic ejusmodi rationem propositurus sit, qua Imperio nihil sit decessurum. Tum ut quereretur, Electorale fastigium variis modis oppugnari per ipsam quoque Austriacam Francofurti legationem; ut Cæsar istud tueri velit, quo discrimen inter Electorales, atque Principales circa cerimonias maneat. Moneret quoque, ut in diplomate infeudationis, quod Suecis dandum erat, per novissimos tractatus facta mutatio observetur. Denique apud legatum Hispanicum proponeret, ut Electori pro residuis subsidiorum insula S. Trinitatis in America detur. 1682. 27. Aug.

§. 58. Eodem quoque tempore inter Cæsarem, & quosdam Ordines superiorum Germaniæ Circulorum peculiare fœdus Laxenburgi, satagente Georgio Friderico Waldeccæ Principe, initum fuerat. Quod cum Electori parum probaretur, super eo cum quatuor Electoribus ad Rhenum, aliisque consilia conferebat. Sane id fœdus non alio spectare, quam ut bellum, haut expectato Imperii decreto, acceleretur. Equidem se nunquam Gallicas reuniones probasse, aut Pacis Instrumento congruas duxisse. Sed quia super genuino pacis Monasteriensis sensu a multis jam annis inter Imperium & Galliam lites exortæ sint, queis componendis utrinque in arbitros compromissum; optandum fuisse, Cæsareos Neomagi id compromissum instaurasse, aut dubia perspicue expediisse. Ast eam occasionem irreparabili cum patriæ damno neglectam: ac Cæsaream legationem incertam, lubricam, & noxiam pacem præter necessitatem adversus sua, & omnium recte sentientium monita, adversus Imperii decreta, adversus fœdera deproperare, quam ad adquirendam honestam, ac tutam pacem, & expediendæ liti tantas turbas daturæ bellum paulisper continuare maluisse. Sed ut nunc per id genus nova fœdera a priore adhuc calamitate ingemiscens patria contra tot Electorum, ac Principum monita denuo tam exitiabili bello implicetur, id a se nullo modo probari posse. Toto isto fœdere de amicis remediis nullum verbum reperiri; omnia ad bellum dirigi; & quod maxime intolerandum sit, totum tractum Rhenanum in tres partes dividi, ac Cæsarei, & fœderatorum exercitus dispositioni exponi, nulla cum Ordinibus quorum interest communicatione facta. Clivicas ditiones, limitem Imperii ad Inferiorem Rhenum facientes, Saxonis, & Lune- *Super Laxenburgico fœdere querela. 18. Jun.*

1682. Luneburgicorum hospitiis destinari. Ne de aliis longius tendentibus memoretur; præcipue quod pauci quidam arbitrium belli & pacis sibi arrogare, ac de summa rerum disponere audeant, ditionibus Ordinum Rheno adsitorum in theatrum belli designatis. Super eodem fœdere Elector quoque Ratisponæ, & alibi questus fuerat. Ad quas querelas directores Circuli Franconici Petrus Philippus Bambergensis, & Wurtzburgensis Episcopus, ac Christianus Ernestus Marchio Culmbacensis respondebant. *Id fœdus unice securitatem suam spectare, propriis sumtibus, nullo aliorum onere constare, per quod & sibi facultas accedat, ut Imperio eo melius præsto esse queant. Haut sibi persuaderi, a Gallo e conjunctione tam innoxia & legitima ansam arreptum iri Germaniam invadendi; cujus ubique factæ testationes nil nisi conservationem Pacis Westphalicæ, ac Neomagensis resonent; quæ ejusmodi armorum paratus, naturali quoque juri ac legibus Imperii congruens probetur. Ac ipsum Electorem fateri, e tam obsoletis prætextis, ac fere per Gallicos adparitores ita contumeliose factas reuniones, ac Argentorati oppressionem utrique paci repugnare; cujus violatæ culpam silendo in se derivare nolint. Nec unquam posteritati adprobari posse, tot illustres, ac fidos Ordines cum gemitu opem Imperii implorantes Gallorum libidini circa sacra, & civilia non ad tempus connivendo relinqui, sed ultro in perpetuum tradi. Quo ipso legem Regiam, quæ ad diversa omnia obligat, ac mutua Ordinum officia plane dissolvi. Metum majoris mali, qui obtenditur, Germanicæ nationi haut sufficere posse ad contumeliosam submissionem. Germaniæ non vires, sed justam conjunctionem deesse: ac in Ordinum manu situm sepositis privatis respectibus, ac inde ortis turbis atque dissidiis in formidabile corpus coalescere. Nemini quoque causam esse, ut de republica desperet, aut civibus & exteris insinuet, quasi Germania non propriis viribus subsistere, aut exterorum vim a se propulsare valeat. Sane eam opinionem debile fundamentum fore futuræ securitatis; ac eo ipso Imperium de se desperans libidini Gallorum magis adhuc expositum iri, postquam cessis ditionibus, quæ prope regnum adæquent, viribus & autoritate decreverit, contemtu auctum sit. Esse quoque Galli propositionem insidiosam, dum de tot ipsius ad Imperium prætensionibus, quæ adhuc supersint, insinuat; quas Imperium eo ipso agniturum sit, si istius renunciationem acceptet, cum interim palam a Gallis jactato commento, Coronæ Gallicæ bona esse inalienabilia, nullus modus statuatur.*

15. Dec. Ad eas literas Rex respondebat: *Cuilibet Ordinum quidem permissum ad sui defensionem fœdera cum Cæsare, cum exteris, aut aliis Ordinibus inire. Sed uni, aut paucis haut competere, ut circa ea disponant, quæ totum Imperium spectant, uti Laxenburgico fœdere factum; quippe, quo statuatur, quid actionum bellicarum toto Rheni tractu in alienis territoriis suscipiendum sit. Tum isthæc arma in vicem communium Imperii armorum, si hæc non succedant, surroganda, ac per eadem Imperii defensionem ita suscipiendam, ut non solum violationes pacis aboleantur, sed & eo nomine Imperio satisfiat. Id quoque limites peculiaris defensionis excedere, quod de exercitu XX M bellatoribus constante ad Inferiorem Rhenum formando disponitur, quem Saxo & Hanoveranus componere debeat; quo tractu suæ ditiones sitæ sint.* 1682. *Sed nec verbo de amica compositione mentionem fieri, quæ utique prius tentanda sit, quam ad arma provocetur. De cætero se optare, a Gallo inde ansam bello non arripi, ac statum Germaniæ ita comparatum esse, ut Gallus ad moderatiora permoveri possit. Sed quia eo nomine adhibita opera frustra fuerit, ac necessaria inter omnes Ordines conjunctio sperari haut possit, ingruente insuper ex Hungaria periculo; sibi hanc fixam sedere sententiam, totum jactum partis conservandum; id quod & antea factum sit. Equidem se facile agnoscere, acceptata Galli propositione, ac renunciatione plenam securitatem haut obtentum iri, aut Gallum securius ocyus novas prætensiones non moturum. Sed num ideo semper indictum cum Gallo bellum gerendum; nec tentandum, ut lites interposita fide publica componantur? Cæterum officio se suo defunctum sententia sua publice exposita, cui liquidissimam approbationem eventu, & posteritas daturа sit.*

§. 59. Ex itinere Crocovius obiter Dresdæ cum Nicolao Gerstorfio locutus, hunc sat magnifice de Laxenburgico fœdere sentientem inveniebat; & quod a Waldeccio variæ viæ designentur, effectu haut valde arduæ, queis Gallo noxa inferri queat. Sed Crocovius regerebat: etiam novissimo bello Waldeccium speciosa consilia agitasse, nullo successu. Cæterum si Gallus Imperii copias iter ingredi videat, raptim quicquid trans Rhenum situm est, ipsamque Moguntiam occupaturum, inde tota Europa testaturum, si propositio sua acceptetur. Atque id facere ipsi in proclivi fore, ac eodem agendi modo eundem hactenus usum: Et hoc Germaniæ statu nulla humana potentia, aut prudentia præcaveri id posse. Atque tunc in parte felicitatis habitum iri tali pace potiri, qualis nunc repudiatur: ac neminem præstare posse, tales tunc conditiones obtentum iri. Ast Viennam delatus Crocovius intelligebat, Turcas nolle inducias prorogare, nisi durissimis conditionibus: ut Cæsar Turcæ cedat omnia trans Tibiscum sita, inter quæ Zathmaria, Calloa, Cassovia, & Toccaya: ut omnia inter Tibiscum, & Wagam fluvios sita una cum montanis civitatibus Turcæ homagium præstent: ut Leopoldistadium munitionibus exuatur: denique ut rebellibus publicata bona restituantur. Quæ conditiones si aliquo modo tolerabiles fuissent, Cæsar lubenter cum Turca transegisset, ut tota vi in Gallum vertere posset. Sane & ipse Cæsar animis in Gallos ardebat, ac Neoburgicus, & Augusta frigidam suffundebant ministris bellum Gallicum suadentibus. Causa istius fervoris erat, quod Gallus Romanam Coronam affectare credebatur; ac si iste casus emergeret, rebus in præsenti statu manentibus, Electoribus ad Rhenum haut libera suffragia, majoremque Collegii partem pro Gallo fore. Unde & Moguntinus, aliique ad Rhenum Electores suspectabantur, velut Gallo studentes, ac Trevirensem necessitate compulsum consensurum. Ac ferebatur Moguntinus palam jactasse; Austriacam Domum non amplius suffi-

Vienna a Crocovio adita. 13. Jul.

22. Jul.

cere

cère Imperio tuendo; ac de alio Romanorum Rege cogitandum esse; quæ dignitas tacite Delphino, aut Bavaro destinabatur. Nam etsi hic in Cæsarem pronum se testaretur, non tamen satis ei fidebatur, tanquam pleno generosorum spirituum, & qui oblata forte recusaturus non sit. Simul in animo erat, futuro Romanorum Regi Bohemiæ Regnum Austriacis detractum addere. Sed & Viennæ credebatur, Gallum obtenta hac pace protinus vel Helvetios, vel quod magis metuebatur, Mediolanum, aut Genuam invasurum. Quo ipso non solum reliqua Italia in istius potestatem perventura, sed & Austriaca Domus, ac Hispania letalem plagam acceptura erat, Gallo arbitrium Europæ invasuro. Atque isthæc consideratio magis quam antea cordi erat, quod Cæsari jam duo filii essent; ac observabatur, post natum posteriorem consilia ibi novum velut vigorem induisse. Nam quia Hispano exigua prolis spes, hic diademate Hispanico potiturus sperabatur; sic ut isti rationes Hispaniæ non minus quam propriæ cordi forent. Stimulabat & alia cura aulam Viennensem, quod Gallus credebatur subacta Sabaudia viam sibi in Italiam muniturus. Maxime autem ad asperandos animos faciebat, quod Gallus summo opere conniteretur Turcam Cæsari immittere, & usque adeo cum ipso convenire vellet super modo bellum gerendi, & quousque utrinque arma proferenda forent. Unde Cæsarei negabant, pericula quæ ostententur sibi nunc respicienda. Nam maximum periculum, quod Domui Austriacæ obvenire possit, esse quiescere: ac si eidem una adhuc plaga inferatur, remedio locum non amplius fore. Si Helvetia, aut Mediolanum, & Genua, aut Belgium Hispanicum amissum fuerit, omnia conclamata esse; eoque extremis malis extrema remedia adhibenda, ac pacem cum Turca, qualibuscunque conditionibus faciendam. Enimvero quia hæ considerationes ad duo capita redibant; quomodo Electoribus ad Rhenum, ac libertati electionis cavendum, simul rationes Domus Austriacæ, & Hispaniæ in Italia servandæ forent: ad prius Crocovius regerebat; si maxime omnes post Neomagensem pacem factæ reuniones ipso cum Argentorato recuperentur, omnia tamen ista loca Gallum impedire non posse, quo minus Electores ad Rhenum opprimat, nisi hi valido exercitu ex Imperio fulciantur. Igitur sane præter alias securitatis cautelas de perpetuo milite, ac proba rei militaris in Imperio dispositione cogitandum. Sed nunc, antequam id factum sit, quatuor istis Electoribus eminus minantem tempestatem haut accelerandam, nec Imperium adhuc imparatum in extremam confusionem præcipitandum. Sed num Gallus quid in Italiam tentaturus sit, incertum esse. Italos prioribus bellis haut ostendisse, suas rationes adeo arcte cum Germania conjunctas esse. Igitur haut videri consultum, ut isthæc ob metum, quem Itali sibi concipiunt, bellum his detractum in se devolvat. Italiam sibimetipsi tutandæ sufficere, diuturna pace opibus florentem, quæ & semper cœmiterium Gallorum fuerit. Sed Cæsarei reponebant, non sibi de Italia, sed de ipso Imperio agi. Cæterum judicabant, Cæsareas partes Gallicis haut inferiores esse. Simul ea sibi persuasione blandiebantur, Gallo argentum deesse; ejus ministros discordes, populum exhaustum, ac præsentium pertæsum. Eundem nunc ob Hungaricas turbas tantos spiritus ostendere; his compositis mox cristas submissurum. Alias pacis se cupidos esse; sed super Gallica propositione ad tractandum descendere non posse. Si Cæsar vel minimum offerat, Gallum plura postulaturum. Nec ferri posse, ab eo leges velut pro imperio dictari. Sed si is modestiæ quid adhibere velit, non spernenda emolumenta eidem indultum iri, ut salva existimatione hoc negotio extricare se possit. Id maxime spectandum, ut pax universos complectatur. Nam a Cæsare Helvetios, Belgium Hispanicum, Mediolanum, & Italiam deseri non posse. Super Sueci fœdere Cæsarei differebant; id nondum perfectum, nec multum ei confidi. Idem ad mutuam duntaxat defensionem porrigi; & cum Suecus ultro se obtulerit, repudiari eum non potuisse. Saltem hunc inde fructum fore, ne iste noceat. Equidem super sex millibus auxilio mittendis actum. Sed si maxime ea manus in Germaniam veniat aut Belgis societur, nemini suspicionem inde nasci posse. Suecum nil pecuniæ, aut hospitiorum postulare, ac nil quoque accepturum; nec eidem conditiones indultum iri, quæ Electori scrupulum injicere queant. In lucro habendum Boreales Reges quiescere. Ast in Hungaria Cæsaris res male se habebant, spes tamen erat, tolerabiles conditiones a Turca obtentum iri, quod ipse Sultanus, ac plerique proceres bellum aversarentur; sed solus purpuratorum princeps urgebat, cui multi in aula inimici erant, eoque in exercitu tutiorem se rebatur. Palam tamen Viennæ jactabatur; ni tuta pax a Gallo obtineri queat, Turcæ ex voto satisfactum iri, quo arma contra istum verti possint. Nam contra Turcam de paucis locis exigui momenti agi, e quibus alias parum fructus proveniat: sed ex altera parte integras provincias, & regna amitti. Atque hanc sententiam fovebant novi Cæsaris fœderati, inprimis Hanoveranus, tum Belgæ, & ante omnes Hispani. Ac palam fremebat legatus Hispanicus: si Cæsar pacem cum Gallo in propositas ab hoc conditiones exclusa Hispania ineat, Hispanos alia consilia capessituros, ac Teutonicæ lineæ rationes plane abdicaturos, & ab hac sese disjuncturos. Contra Jesuitæ acriter pacem cum Gallo, bellum in Turcam urgebant, quo per Hungariam in fiscum redacta, ac sibi donata bona pristino statu reposito ne amitterent, aut forte alias arcanas ob causas; quod animadversum sit, eam societatem Hispaniæ unice fuisse addictam, quamdiu huic spes super obtinendo Europæ arbitrio superfuerit. Sed hac decollante studium in Galliam transtulisse, pleno gradu ad monarchiam Europæ tendenti, ad quam via non pateat nisi per oppressos Protestantes;

1682. quos subruere istis hominibus summa votorum, ac laborum est, nullius e publico servitio molestiæ, aut detrimenti metu.

Neoburgici sententia.

§. 60. Ast Neoburgicus ante reliquos Galli rapinas sub reunionum vocabulo exercitas, ac interceptum Argentoratum exaggerabat, quo Gallis via in Sueviam & Franconiam aperta, & quatuor Electores velut indagine cincti sint, ut futura electione iis suffragia ad istorum libidinem ferenda sint. Unde hosce a Cæsare in priorem libertatem restituendos, ni hic postremus suæ domus Imperatorium diadema gestare velit. Consistere autem securitatem pacis in eo, ut Argentoratum recuperetur, utque ea omnes complectatur, omnesque ad eandem præstandam sese obstringant. Alias Gallum Helvetios, aut Italiam invasurum. Ac inprimis Italiæ prospiciendum, quod alias Gallus Romam iturus, ac Pontificem coacturus sit, ut ipsi Romanam coronam imponat. Etsi Neoburgicus non simpliciter bellum urgeret, sed ut Imperium arma instrueret, ac sub clypeo tractaret, utique tamen Argentoratum vindicaret. Ac si Gallus unionem in Imperio perspiciat, æquas conditiones admissurum. Sed Lotharingus pure bellum contra Gallum ingerebat. Contra Elector Neoburgicum hortabatur, ut potius paci promovendæ incumbat; quod metuendum sit, ne Gallus in ipsius ditiones eo atrocius sæviat, quod sine dubio crediturus sit, ipsius autoritatem plurimum ad bellum contulisse. Simul bellum potius in Turcam suadebat, quod cessione plurium locorum præsertim in Hungaria Superiore via in penetralia Poloniæ ac Silesiæ pandenda sit; ac in præsens plus spei esse aliquid Turcæ, quam Gallo eripi posse Per bellum quoque Turcicum Germaniam, ac reliquam Europam non dividi, sed potius ad unionem adduci, omnibus ad illud libenter opis quid collaturis. Porro legatus Hispanicus Burgomagnus multa verborum humanitate utebatur. Abductam navim parum motus daturam; ac reliquis subsidiorum viam inventum iri. Sed de insula S. Trinitatis parum spei faciebat, quod ea Hispano valde nocitura, Electori parum profutura sit.

Cæsareorum responsum, 10. Aug.

§. 61. Porro colloquio cum Cæsareis ministris habito, Crocovio jussa exponenti Hocherus velut privato nomine respondebat: Allatas rationes magni ponderis esse, nisi necessitas defensionem imperaret. Gallum fidem decoxisse, postquam omnes tractatus infregerit Monasteriensem pacem circa Argentoratum perspicuam esse, & per triginta amplius annos a Gallo ita intellectam. Quo magis ejus potentia gliscat, eo minus pactorum religionem eidem cordi fore. Haut expedire publice exponi, Germaniæ vires, & animum deesse ad illatam vim propulsandam; ac statim omnia quæ hostis cupiat, concedenda; quo ipso libido huic accendatur plura postulandi. Nondum omnia deplorata esse, nec animum despondendum. Si tamen ratio æquæ paci inveniendæ proponi queat, eam Cæsari gratissimam fore, qui hautquidquam bellandi desiderio teneatur. Quod si autem omnes Ordines, ac præcipue Elector Cæsari se adjunxerit, tutam & æquam pacem haut ægre obtentum iri. 1682. Concesso Argentorato Galli ambitionem irritandam, non satiandam. Gallum prætensiones suas superstruere non solum paci Monasteriensi, sed etiam legi Salicæ, ac juribus Caroli Magni, uti e negotio Weissenburgico adpareat. Cæsari ex officio incumbere amissa recuperare, aut saltem prohibere, ne plura amittantur. Si Elector Cæsari accedere velit, reliquos Ordines facile exemplum secuturos. Sententias Electorum ad Rhenum a metu profectas: si isti valido auxilio fulciantur, aliter locuturos. Sed ipse Cæsar ad proposita ab Electore ita respondebat. *Nil optatius sibi fore, quam pacem in orbe Christiano servare, modo securitas ei constare possit.* 3. Sept. *Sed quia e Galli actis satis pateat, eum nulla pactorum, ac jurisjurandi religione stringi, verbis ejus fidem haberi non posse, sed solidiore cautione opus esse. Proposita quoque a Gallo ita crude admitti non posse, sed tractatus accedere oportere, quibus mutua securitas stabiliri queat. Ast Gallum leges pro imperio obtrudere velle. Si Elector aliquam rationem securitatis in medium adferre possit, sibi gratissimum fore, ac eum de patria eximie meriturum. Securitatem in eo præcipue quærendam, ut pax omnes complectatur, ad eamque præstandam omnes se obstringant; ac inprimis, ut Hispania includatur. Nec se feuda Imperii in Italia destituere posse, quæ non minus istius membra sint, quam cis Alpes sita. De cætero solum se circa pacem decernere non posse; sed id negotium Francofurtum, aut communes tractatus spectare.* Id responsum Cæsar non scripto, sed referente Comite Kœnigseckió dabat. Color dicebatur, ne scripto unum aut alterum verbum insereretur, quod fœderatis ansam divisionis daret. Addebat Comes; periculum belli manifestum esse; quod & a se probe consideretur, si id a nostra electione pendeat. Sed nunc istud meræ necessitatis esse. Res in eo statu versari, ut inde ruina Domus Austriacæ sit inevitabilis, si Gallus retineat, quæ rapuit, simul facultatem nanciscatur Italiam subjugandi; Equidem belli exitum semper esse ancipitem. Præstare tamen incertum periculum, quam certum exitium subire. Justitiam causæ, ac publicæ libertatis rationes pro Cæsare militare, ac spem esse, amicos ei non defore. Cæsari satis constare de Galli destinatis circa Monarchiam Europæ struendam, ad quam proximus gradus sit ruina Domus Austriacæ. Eum id agitare, ut non solum Cæsareum diadema ea Domo avellat, sed & hujus ditiones hæreditarias inter alios dispertiat. Huic scopo obtinendo adhiberi infractiones pacis, & proditiones, quæ pacis tempore in munitionibus Cæsareis struantur. Eundem excitare, ac fovere seditionem in Hungaria, ac Turcam in arma stimulare. Tekelium magnopere de Gallo queri, quod is ex promisso nondum in bellum eruperit. Quæ indicio sint, bellum inevitabile esse. Jam vero inde aliquot Hungariæ Comitatus, hinc diadema periclitari. Unde Cæsari vitio haut vertendum, si malit in Hungaria aliquid amittere a majoribus suis non possessum, quam ex altera parte omnium jacturam facere. Cæsarem

rem ita irritatum esse, ut ministris magna cum circumspectione de pace loquendum sit, ne suspicionem incurrant; ac jam tertia vice pronuntiasse, saltem se gloriose perire velle. Sed optandum esse, ut Elector, ac fœderati meliores conditiones curare possint, quo bellum declinetur. Eas conditiones esse, ut pax, ejusque evictio omnes complectatur, ut castellum apud Kehlam destruatur, nunquam instaurandum, utque Gallus pro Argentorato Brisacum reddat.

§. 62. Quanquam autem interim Turca in apertum bellum erupisset, ac Cæsareas munitiones justo exercitu, ac machinis oppugnaret; Cæsar tamen id periculum Ordinibus, qui eodem non ita prope tangebantur, haut exponebat, nec eorum auxilium expetebat, quod spes adhuc esset cum Turca transigendi, nec istos absterrere vellet, quo minus consilia contra Gallum dirigerent. Unde credebat, summa se pecuniæ, ac portione superioris Hungariæ decidere posse. Enimvero Turca præter multa alia tredecim Comitatus in Hungaria pro Tekelio, ac pro se Jaurinum, & Filleccam, ac alium in Croatia locum deposcebat: quæ annui nullo modo poterant. Nam per Fileccam iste oppidis montanis potiebatur, e quibus Cæsari annui CCCC M unciales redeunt; ac amisso Jaurino Vienna urbs limitanea fiebat. Cæterum Hungariæ satis consuli potuisset, si res Cæsaris debita fide administratæ fuissent. Sed cum in tot legiones stipendia ex ærario expenderentur, vix tamen XII M bellatorum corradi poterant. Ast mox cum Fillecca rebellione Hungarici præsidii in hostium manus concessisset, Cæsar periculo propius admoto eam rem Ratisponæ proponebat, quid consilii secuto cum Turcis bello capiendum? E Cæsaris consilio Schvvartzenbergius censebat, hac rerum facie pacem cum Gallo velut minus malum eligendum. sed qui suam sententiam contra diffidentes pervincere non poterat. Hocherus eodem fere inclinabat; sed morbo affectus in consilium haut veniebat. Kœnigseckius satis perspiciebat, ad bellum contra Gallos gerendum vires deficere, ac rogabat, ut Elector una cum Angliæ, & Daniæ Regibus arbitrium rerum suscipiat; ac formulam pacis adornet, ut si non omnia a Gallo restituantur, conditiones tamen utcunque tolerabiles fierent. Sed ei a Crocovio reponebatur: id fieri non posse. Nam Gallum nil aliud agere, quam quæ sua libido suggerat. Daniæ Regem, & Electorem apud hunc enixe super moderandis conditionibus institisse; sed nil aliud impetrare potuisse, quam ut reuniones spe securæ pacis suspenderentur. Ea si frustra sit, Gallum sine dubio istas resumturum. Nunc eo minus spei esse post infaustos Cæsaris in Hungaria successus, & postquam Gallus, positis mutuis offensis ob denegatum legato Gallico honorem, & vim a navarcho Gallico Quesnio in Chiensi portu exercitam, cum Turca arctiorem conjunctionem contraxerat. Cujus conditiones inter alias Viennæ istæ circumferebantur; ut inter Gallum, & Turcam fœdus offensivum sit; Turca totam Hungariam, & Austriam habeat; Bohemia cum adjunctis provinciis penes Romanam Coronam maneat, de qua Gallus dispositurus sit, Croatiam Turcæ cedi non posse, tegendæ Venetorum ditioni. Sed & interceptis Tekelii literis commercia hujus cum Gallo patuerant. Sane postquam haut verosimile, tot Principes, queis Gallus a pace facta insultaverat, omnes injurias ignavam per patientiam digesturos; in Consilio Galliæ a Luvoisio velut efficacissimum remedium fuisse propositum Turcam Cæsari immittere. Ita enim ancipiti malo distractos Germanos a Gallo usurpata facile cessuros, aut forte Turca invalescente istius patrocinium subituros. Nam qui Regis conscientiam eo nomine vellicare poterant scrupuli, Chæzii dexteritas facile tollebat; quo suggerente & Viennenses Jesuitæ Cæsarem stimulabant, ut acrius quam ante Protestantes Hungariæ persequeretur, iisdem in rebellionem impellendis, ne ejus regni turbæ ex æquo componerentur. Reliqui omnes Cæsaris consiliarii clamabant; agi de salute, aut exitio Domus Austriacæ, & extremis malis extrema remedia opponenda. Ubi Italia perierit, medicinæ locum non amplius fore. Alias in consilio Cæsaris summa tunc confusio; ac Hermannus Marchio Badensis, Emmericus Episcopus Viennensis, & Albertus Sintzendorfius publico odio laborabant, velut penes quos culpa hæreret, quod res Cæsaris ita prave dispositæ essent.

Electori Cæsaris responsum haut satisfacit. 14. Sept.

§. 63. Ast Electori valde mirum videbatur, ad Crocovii propositionem obiter duntaxat, nec scripto responsum. Igitur huic injungebat, ut haut expetito alio colloquio domum reverteret. Sed inter sermocinandum jaceret; Electorem non remissius, quam ullum alium optare, ut communis pax fiat, ac satis perspicere, si uno loco oppressa flamma alio iterum erumpat, facile incendium quacunque diffundi posse. Nec minus in votis sibi esse, conditiones a Gallo latas mitigari. Sed id nunc in quæstione esse, ubi id in præsens obtineri nequeat, num potius patria periculo exitii exponenda, quam jam amissa, & quibus recuperandis nulla spes adparet, derelinquenda sint, ut reliqua serventur: an vero ad præcavendum futurum malum, & quod successu temporis per salutaria consilia, ac dextram rerum dispositionem averti possit, protinus in certum & inevitabile malum sit præcipitandum? Sane si Gallus ea occasione, dum res Hngariæ male se habent, in Germaniam irrumpat, id quod sine dubio facere possit, quo remedio prohibendum, ne is Rhenum, ac vicinas regiones subigat? Aut num eo facto Austriacæ Domui plus securitatis, atque emolumenti nasciturum, aut Hispaniam, & Italiam melius tunc conservari posse? Sed & considerandum, si Gallus prætensionibus in Imperium renuntiet, uti propositio ejus ferat, an non feuda quoque Italiæ comprehendantur? Se velut fidum Electorem Imperii, quod integrum servari sua non minus quam aliorum intersit, quæ e republica visa fuerint, bona fide demonstrasse. Id ubi nil proficiat, se rem Deo, ac tempori committere? ac rationem reddere penes illos fore, qui patriam præter necessitatem in exitium conje-

1683. conjecerint. Quod ubi ingruat, uti in naufragio fieri solet, quemlibet circa seipsum servandum, qua possit solicitum fore.

Super foedere Laxenburgico disceptat. 17. Sept. §. 64. Super foedere Laxenburgico Crocovius querebatur, quod aliqui Ordines non a potentissimis arbitrium sibi pacis, bellique arrogent, toti Imperio competens, & eo quidem tempore, quo universi Ordines Ratisponæ conventum agitent, ac per legitimos Deputatos Francofurti tractetur. Totum quoque foedus unice ad bellum dirigi, cui & ejusmodi scopus sit præfixus, qui non per tractatus pacis, sed per bellum duntaxat obtineri queat. Sed nec Gallum, nec quenquam alium crediturum, serio pacem quæri; quia jam decretum sit, & per pactum solennis obligatio contracta, ut non tantum plena ablatorum restitutio, sed & damni reparatio per arma sit quærenda. Tum quod pauci isti Ordines ausi sint in potentiorum Ordinum ditiones his insciis, nullo Imperii concluso, sedem belli pertrahere, ac hospitia sibi per easdem assignare. Inprimis quod exercitus inferior dictus sub Hanoverani imperio ditiones ad Inferiorem Rhenum, quæ magnam partem ad Electorem spectant, insidere jubeatur. Denique per hoc foedus Gallo ansam porrigi tractatus abrumpendi, ac istorum conatus subita invasione præveniendi. Ad ea Cæsarei reponebant: jus foederum omnibus Ordinibus competere; eoque nemini vitio verti posse, Cæsari se pro defensione, & securitate Imperii per pacta innectere. Ad quæ Crocovius: Foedera quidem Ordinibus inire integrum, sed ad propriam defensionem, non super rebus totum Imperium spectantibus. Tum foedera defensiva ad futuros casus adaptari; hoc autem præsentia respicere, eoque defensionis modum excedere, dum omnium ablatorum restitutionem & damnorum reparationem procurandam suscipit. Sed Cæsarei reponebant: moris esse defensiva foedera semper ad eam formam concipi. Novissimo bello eadem cum Belgis convenisse. Sed ubi ad tractatus perventum fuerit, procedi quousque possit. Alias nunquam sibi in mentem venisse, vel vicum, qui ad Electorem spectat, hospitiis onerare. Discedenti Crocovio Cæsar dicebat: penes se paci *1. Octob.* moram non esse, nec fuisse; ac fatebatur, in præsens extremis, ac omnibus, quæ alias jure fieri possent, haut insistendum. Scriptum responsum in hunc sensum dabatur: Cæsarem omnia, quæ penes se sint, ad pacem cum Gallo firmandam collaturum. Tum rogare, ut Elector operam det, quo Gallus tractationem Francofurti continuet, ac ut communis pax con- *5. Octob.* stituatur. Paulo ante digressus Vienna Neoburgicus Cæsarem enixis precibus rogaverat, ne Sacerdotum consilia ita addicte amplecteretur, si proprias rationes, ac futuram parvulorum filiorum fortunam, simul ditionum suarum salu- *16. Nov.* tem amaret. Post quoque a Tekelio missi Vienna discedebant satis alacres, ac recipiebant, sese Turcam ad pacem inducturos. Sed valde dubium erat, num serio rem agerent, aut num penes ipsos sit futurum Turcæ quietem 1683. persuadere. Sane mense Aprili ingens pecuniæ vis e Gallia Gedanum trajecta fuerat, quæ inde Varsaviam ad Vitrium legatum Gallicum, ab hoc in Hungariam ad Tekelium transmissa fuit. Etsi plurimi contra pacem cum Turca spe jam præceperant, ac bellum in Gallum meditabantur. Sed quod maxime dolendum erat, quo propius periculum a Turca ingrueret, eo segnius armorum paratus apud Cæsareos procedebant.

§. 65. Interim Elector, si qua posset *Elector Moguntino & Francofurtum mittit. 28. Sept.* transactionem cum Gallo impellere, Canicium ad Moguntinum mittit, huic denuntiaturum; uti ipse optet, Francofurtanam negotiationem melius, quam hucusque, succedere, ac tandem aliquando pacem Imperio tam necessariam firmari. Cui fine assequendo ipse cum aliis incassum insudaverit; nec ideo tamen animum despondendum, sed eo acrius connitendum, quo inevitabilior videatur ruina totius Imperii, si nunc bellum cum Gallo erumpat. Se quidem præsenti facie rerum expensa statim initio, antequam Hungaricæ turbæ invalescerent, a bello abhorruisse, quod probe observarit, etiam felici ejus successu de libertate, ac plerisque juribus Ordinum actum fore. Quomodo nunc quempiam cordatum, patriæque amantem bellandi libido subire possit? Gallum tractatus conclusionem intra exitum Novembris exigere, angusto sane spatio. Sed postquam tempus inter inania consumtum sit, palam quoque jactatis belli minis; haut mirum, si Gallus nunc temporum suorum opportunitate utatur. Nec præsumendum, eum hac rerum facie de propositis quid remissurum, cum nunc Cæsar tantopere ex altera parte distrahatur. Argentoratum Imperio avulsum merito dolendum; sed haut ideo reliqua velut pro derelictis habenda. Priori seculo cum potentia Imperii longe major, Galliæ fines tenuiores, quam in præsens forent, Meti, Tullo, Viroduno relictis pacem initam. Quo magis nunc id faciendum, ubi non solum nulla spes amissa recuperandi, sed & certus metus reliqua omnia amittendi. Non diu nunc cauponandum. Gallum elapsa præfixa die, ni dilatio obtineatur, utique in arma erupturum: & tunc, quantum humana ratio suggerat, de Germania actum fore. A Cæsare nil auxilii expectandum, cui plus satis negotii in Hungaria sit: & si maxime intra id tempus pax cum Turca, & rebellibus ineatur, cujus tamen nulla spes adpareat, Gallo tractum ad Rhenum subigere in proclivi fore, antequam Cæsaris exercitus ex Hungaria movere possit. Arma Circuli Franconici, & Superioris Rhenani, modica esse, tirone milite, necdum satis digesto, exiguum adversus tantam molem momentum. Aliis Ordinibus in præsens vix tantum copiarum esse, quantum præsidiis suarum ditionum sufficiat. Ab exteris nil opis sperandum, inprimis postquam Anglus nuper declararit, quovis modo pacem faciendam. His si accedat discordia in Imperio, ac deficiens omnium rerum paratus, facile rationem subduci posse, quis exorto

1682. exorto bello eventus ſperandus. Quia tamen non deſint, qui privatas rationes, & affectus publico præferant, bellumque ferociter crepent, jam tempus eſſe, ut fidi cives fortiter loquantur; id quod præcipue Collegio Electorali incumbat. Plurimos Ordinum, ac eminentiſſimos, præcipue omnes Rheni accolas, quorum maxime interſit, pacem cupere. Qui bellum agitent, alienis reſpectibus duci, ruinam Imperio parituris. Quid confuſionis, diffidentiæ, atque diſcordiæ ſit in Cæſareo conſilio, orbi notum eſſe. Qui hucuſque ibi prævaleant, deſperata conſilia fovere, aut exterorum rationes, Italorum, Hiſpanorum, ante ſalutem Germaniæ habere. Saxonem, & Luneburgicos ac initio a periculo remotiores de copiis ſuis per hoſpitia, & tributa aliena augendis cogitare. Franconicos, & Rhenanos fœderatos a Waldeccio, qui plane ab Arauſionenſi pendeat, inductos magnitudinem periculi non ſatis animo comprehendere, ac nil ad ſummam rerum efficere poſſe. Suecos iterum exercitum in Germania parare cupere, ut cum oppreſſione vicinorum vires ſuas augeant. Ac ſi maxime quis amicorum in ignem præcipitare velit, num ideo reliquis ſequendi neceſſitatem eſſe? Se quidem, & omnes patriæ amantes nunquam Deo, patriæque, ac poſteritati adprobaturos, niſi nunc maſcule loquantur, & agant. Sibi quidem ita decretum, ac idem a Moguntino ſperare; eoque cenſere, intra dictam diem tractatus concludendos, aut ſi id ob anguſtiam temporis fieri nequeat, liquido declarandum, pacem ſe amplexuros, ac intra certum tempus, ſuper quo conveniendum ſit, tractationem abſoluturos. Et quia id Francofurti fieri nequeat, quod delegatorum mandata non ſufficiant, alia Ratiſponæ formanda, aut negotium plane huc pertrahendum. Tum ut pacis amantes junctim diverſa ſentientes moneant, addita proteſtatione, ac in omnem eventum certa conſilia capeſſant.

Gallorum replica. 28. Sept. §. 66. Interim poſtquam tractatus diu quieviſſent, Galli demum hanc replicam edebant. *Legati Extraordinarii, & Plenipotentiarii Regis Chriſtianiſſimi ad congreſſum hunc Francofurtenſem ex mandato Suæ Regiæ Majeſtatis notum facere debent omnibus tam legatis, quam aliis Imperii miniſtris, quod cum Rex Chriſtianiſſimus in votis habuerit, ut inter Suam R. M. Chriſtianiſſimam, & Imperium mutua ſervaretur amicitia, honeſtiora exquiſivit media, quibus ab ultimorum tractatuum exſecutione orta quæſtiones quamprimum in hunc finem componerentur, ſtatimque a tempore, quo legati Galliæ huc advenerunt, nil magis exoptandum fuiſſet Regi Chriſtianiſſimo, aut juri ſuo utilius, quam ut Suæ Mtis legati cum Imperii miniſtris omnes tam Regias, quam Imperii prætenſiones diſceptandas, ac diſcutiendas absque mora ſuſcepiſſent, ſicque de omnibus juribus legitime ad Suam Regiam Majeſtatem competentibus jampridem amicabiliter convenire potuiſſent. Sed cum tanto tempore fruſtra nuper elapſo in agitandis difficultatibus inter ipſomet Imperii Statuum Deputatos, minimeque ad Regiorum legatorum mandata pertinentibus, ipſius nunc maximum mora damnum ſit, cumque ſatis in conventu Neomagenſi diſceptata quæſtiones rurſus diſcutiendæ potius ad lites tendant, quam ad pacem bona fide confirmandam; Rex Chriſtianiſſimus nihil pro ſuo pacis ſtabiliendæ conſtanti deſiderio promtius eſſe duxit, quam per conditiones firmandæ pacis ſtatim offerendas tantum ſuo Regio juri detrahere, ut nec aliquid ſimile a Sua Majeſtate juſte peti, nec in quovis longiore congreſſu etiam poſt diu metu belli fatigatam Europam obtineri unquam potuiſſet. Quod ſi publicæ tantum tranquillitatis conſervandæ cauſa Rex Chriſtianiſſimus ſic ultro ac ſponte ſecundum oblatas a legatis ſuis conditiones legitimo regio juri ſuo tam multa, quæ potuiſſet perſequi, detraxerit, viciſſim a Principibus ac Imperii Statibus ſperandum videbatur, ut etiam pro bono pacis eo ſe promtiores oſtenderent ad concedendum, vel potius relinquendum Suæ Sacræ Regiæ Majeſtati Chriſtianiſſimæ poſſeſſionem tam civitatis Argentinæ, cum fortalitio Keblenſi, aliisque propugnaculis a dicta civitate dependentibus, quam aliarum civitatum, ac ditionum, quas a primo die menſis Auguſti jam ab anno præterito poſſidet Rex Chriſtianiſſimus vi Monaſterienſis, & Neomagenſis ultimorum tractatuum. Hic certe tractandi modus, quo nihil aut ad concludendum expeditius, aut decentius, tam dignitati Suæ Sacræ Regiæ Majeſtatis quam Imperii niſi ab iis, qui temere ex bello, & publica calamitate privatam utilitatem ſperant, ulterius rejici nunquam poteſt. Sed cum jam Rex Chriſtianiſſimus ingentes fecerit ſumtus ad parandos exercitus, quibus & jura ſua Regia protegeret, & ſecum publicæ tranquillitatis conſervandæ ſtudioſos Principes contra inimicos pacis defenderet, maxime nunc intereſt Suæ Sacræ Regiæ Majeſtatis, quæ ſit ea de re mens Imperii quamprimum intelligere, aut ad finiendos illos nimios ſumtus, quibus adhuc tenetur pro victu & ſtipendio tantorum exercituum, ſi pacis placeant oblatæ conditiones, aut ut eo magis ad omnem eventum ſe componant, ſi ad conſervandam tranquillitatem in Imperio parum jam pro pace prolata valeant vota tam multorum, ac etiam optimorum Imperii Principum. Idcirco ex ſupra dicto mandato tenentur legati Gallici notum facere ac declarare tam legatis, quam aliis hujus congreſſus miniſtris ac plenipotentiariis, quod Sua Sacra Regia Majeſtas Chriſtianiſſima adhuc quidem velit ſtare conditionibus nuper oblatis, ſed tantum uſque ad menſis Novembris proxime futuri diem ultimum, & ita ut illis intra illud tempus non acceptatis amplius etiam non teneatur Rex Chriſtianiſſimus, ac expreſſe abhinc reſervet omnia ſua regia jura, quantumvis extendi, & valere queant, omni meliore modo, quo libuerit, perſequi poſſe. Francofurti die 28. Septemb. 1682.* 1682.

Poſt addebatur iſthæc declaratio. *Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Regis Chriſtianiſſimi ea denuo confirmantes, quæ in ſua d. 28. præteriti menſis declaratione expoſita ſunt, tenentur addere, quod quia longior commoratio Francofurti poſt ultimum Novembris omnino inutilis foret, ſi oblatæ a Sua Sacra Regia Majeſtate Chriſtianiſſima conditiones tunc acceptæ non eſſent, ideo cogerentur abhinc recedere,* *4. Octob.*

poſtquam

1682. *postquam per annum integrum satis ostenderunt, se nullis pepercisse officiis, ut pristina, quæ fuit Suam Sacram Regiam Majestatem inter, & Imperium amicitia denuo plene, & perfecte stabiliretur æqua, & amicabili compositione, cui Sua Sacra Regia Majestas omnes hactenus facilitates attulit, quæ a Principe optime erga pacem affecto expectari potemus. Is tamen legatorum discessus non impediet, quin si in posterum vel diæta Ratisponensi in communi, vel quidam ex deputatis eorum Principum, qui magis ex animo pacis confirmationem desiderant, visum fuerit aliquid pro bono publico proponere, id possint explicare ministro Suæ Sacræ Regiæ Majestatis, qui Ratisponæ est, ita tamen, ut post ultimum Novembris nullo amplius modo jam oblatis conditionibus, sicuti antea dictum est, Sua Sacra Regia Majestas Christianissima teneri intelligatur.*

Ulterius Francofurti acta. §. 67. De istis scriptis Delegati Ratisponam referebant, ulteriora inde mandata petituri, Gallis insinuantes, ubique in fundamenta postulatorum inquirendum. Sed Galli censebant, quia heic res ita lente succedat, ac tam multæ difficultates emergant, negotium Ratisponam remittendum. *30. Octob.* Contra Cæsarei domonstrabant, nec majestatem, nec leges Imperii permittere intra tam angustum tempus tractatum deproperare; sed negotiationi liberum cursum concederent Galli, ac certo crederent, Cæsarem nil magis desiderare, quam cum Galliæ Rege amicitiam colere. Galli contra; se ista ad Regem relaturos, qui deliberationem Comitiorum super sua propositione expectaturus, eique habendæ diem prorogaturus sit. Alias se nolle heic sibi illudi, quod satis norint, nil magis optari, quam ut pace cum Turcis facta Gallia bello peti possit. Cæterum Moguntinus ad proposita a Canicio ostendebat: Electoris a se sententiam ex asse probari. Deputatos in universum quidem pacis desiderium testari, sed paucos serio rem agere, ac postulare, ut Galli præfixa die plane desistant: id quod sperari non possit, cum ab Imperio tam longo tempore Gallis nil vicissim oblatum sit. Equidem Austriacos jam mollius loqui videri; sed quamdiu insistant, ut Galli prætensiones discutiantur, modicum negotii successum sperandum. Sane consilia temporibus accommodanda, nec in rebus humanis omnia ad normam justitiæ exigi. Hungaricos motus ita contemtim hactenus habitos, ut demum in tantam flammam eruperint, cui solus Cæsar vix par sit futurus. Et nunc Franconicas, ac Rhenanas copias metum scilicet Gallo incussuras. Aliquos inani spe sibi blanditos, Anglum sua interventione Gallum ad æquas conditiones permoturum, aut in Germaniæ gratiam huic bellum illaturum. Sed nimirum duos milliones e Gallia in Angliam trajectos, eludendis conatibus Hispanorum, ac Belgarum, eum Regem ad associationem pertrahere nitentium. Denique ob pravam reipublicæ apud Hispanos administrationem, ac privatum Lotharingi commodum Germaniam hautquidquam tanto periculo exponendam. Ast Galli Canicio ostendebant; modo Electorale Collegium declaret, a se conditiones acceptari, a Rege diem facile prorogandam. Sed ad discussionem causæ accedi non posse, quod eo diverticulo nil nisi tempus extractum eatur. *1682.* Ast Rosenbergius disserebat: in Electore plurimum momenti esse ad æquam, & stabilem pacem obtinendam, si Gallum vel amica persuasione, vel sociatis cum Cæsare armis permoveat, ut male fundatis prætensionibus desistat. Si potissima membra cum capite conspirent, Gallum non solum modestius locuturum, sed & periculum a Turca longe facilius propulsatum iri. Par esse, ut Elector fortitudine, ac felicitate inclutus ob commune periculum e nimium gliscente Galliæ potentia patriæ imminens alia consilia capessat, ac dolorem e Neomagi actis conceptum gloriæ, ac libertati Germanicæ nationis tutandæ immolet. Cæterum a Cæsare pacem desiderari, qui & recuperando Argentorato bellum non sit moturus. Consensum tamen declarare non posse, quod Legi Regiæ, in quam is juravit, repugnet, tam insignes Germaniæ partes ultro cedere. Si Gallus utique post elapsam dictam diem in arma erumpere velit, id tolerandum. Sed cum Canicius, ac minister Danicus junctim Cæsareos ad *4. Nov.* pacem amplectendam hortarentur, hi demum respondebant: Cæsari satis perspectam pacis hoc tempore necessitatem, gliscente per Imperium diffidentia, quæ conjunctionem virium sperare vetet. Se quidem ad eum finem omnia collaturos, ac Electoris e patriæ caritate profecta consilio amplexuros. Nec dubium, quin conventus Ratisponensis negotium persecuturus sit. Pariter tamen optandum esse, a Gallo quoque moderationem adhiberi, ac Germaniam considerari velut rempublicam nemini obnoxiam, cui insolitas leges, ac decretorium diem amplectendis jussis præscribi intolerandum sit. Si demonstrare possit, quæ occuparit ipsi ex Instrumento Pacis competere, se paratos esse omnia cedere. Sed si ratio invadendi ea loca fuit, quia situs opportunitate Gallo arridebant, hunc æquivalens recusare non posse, quod ipsi amore pacis sat remisso pretio taxaturi sint. Ac jaciebant de Argentorato concedendo, si Gallus Friburgum reddat, & Lotharingum ad modum Neomagi conventum restituat. Etsi post ea oblata retractabant, privatam eam sententiam fuisse causati citra mandatum prolatam.

Cæsareorum Deductio. 16/26 Nov. §. 68. Ad extremum Cæsarei legati nomine Cæsaris & Imperii hoc scripti Gallis exhibebant. *Versantur adhuc in omnium memoria querimoniæ a S. R. Imperio ad Christianissimum Franciæ Regem pluribus abhinc annis de Suæ Regiæ Majestatis officialium tam civilium, quam militarium contra unitas decem civitates Imperii in Alsatia sitas; nec non prætensos Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virodunensis vasallos, diversis tunc attentatis palam quæ literis quæ verbis delata. Quibus sine strepitu componendis ex lege Westphalicæ pacis arbitrium tunc utrinque placitum est, & variæ ab eo declarationes, productis hinc inde probationibus rite ponderatis pronuntiatæ sunt. Promittebat sibi merito Imperium, iis in posterum acquiescendum esse, uti par erat. Postquam autem*

1682. tem citra omnem expectationem nuper præcipue post pacem Neomagi conclusam (tametsi constet per eam hac in re nihil innovatum, sed tractatus Westphalicos plane confirmatos esse:) non solum eædem contra prænominatas Civitates, & sic dictos vasallos controversiæ resuscitatæ, verum etiam alia, quæ nemini ab Westphalica pace hactenus in mentem venere, iis immensum cumulata sint, ut jam certum, prout antea in prædictas civitates ex præfectura Hagenoënsi, jura, & nexus feudalis a vasallis, sed omnimoda regia superioritas in civitates, earumque & omnium prætensorum vasallorum territoria, (licet nullo etiam feudalitatis vinculo prædictis Episcopatibus adstricta,) imo simul in omnes in tota superiori, & inferiori Alsatia sitos principatus, comitatus, dynastias, addita immediata Imperii nobilitate, nec non in plures alios Imperii Status, & Ordines, tametsi neque sub Alsatia, neque feudalitate Episcopatuum comprehensos, sub inaudito hactenus Reunionum, & Dependentiarum prætextu non tam palam prætensa quam asserta, ita ut omnes sine discrimine ad institutas illum in finem Metis, & Brisaci Reunionum ut vocant Cameras, indicta, notorie quoad ipsos incompetentia, extra Imperium evocati, & mox ab his assumtis simul actoris, testis, judicis, & executoris partibus, nulla admissa exceptione, condemnati ad præstationem homagii & subjectionis uno quasi ictu de facto adacti fuerint, ipsis possessionem, jura, & leges pacis frustra reclamantibus, usque dum ad implorationem tot gravatorum Imperii Statuum, & Ordinum non minus a Sua Cæsarea Majestate per expressam ablegationem, quam ab Imperio repetitis literis ipsimet Christianissimo Regi indignitate rei ante oculos posita placuit, datis a Sua Regia Majestate decima Octobris 1680 Ratisponam ad Status Imperii responsoriis, acta tribunalium Metensis, & Brisacensis amico colloquio in revisionem trahi, eumque in finem paulo post mutuo de hoc solenni congressu convenit ea lege, ut relicta in posterum reunionum, & facti via, e sensu tabularum pacis (uti ratio postulabat,) componerentur omnia, & abolitis gravaminibus staret inter Sacrum Rom. Imperium, & Coronam Galliæ pro bono utriusque inclytæ nationis, & totius Christianæ orbis inconcussa pax. Uti Sacra Cæsarea Majestati, & Imperio nihil antiquius est studio excolendæ cum vicinis omnibus, & inprimis cum Corona Galliæ initæ pacis; ita ex sua parte certe nihil omisit, quod eo ducebat. Postquam autem ex parte Galliæ, hisce iterum non attentis, in ipso statim limine hujus congressus libera Imperii civitas Argentina milite & armis Regis ad deditionem coacta, fortalitium Arenbergense, aliaque castra Imperii occupata, reuniones continuatæ, & demum hic, (loco omnis congressus, & colloquii de controversiis ex vero sensu tabularum pacis componendis, & abolendis simul Statuum, membrorumque Imperii gravaminibus instituti,) a Dominis legatis Franciæ vix non statim post eorum in hac urbem ingressum propositum, postulatumque fuit, ut omnia, quæ usque ad eorum Parisiis discessum ab officialibus Gallicis tam civilibus quam militaribus in Imperio occupata sunt, una cum civitate Argentinensi sine ulla tabularum pacis, aut justitia examine cederentur Galliæ; ex parte Cæsareæ Majestatis, & Imperii continuo responsum est, relinquenda sine controversia Coronæ Franciæ omnia, quæ vigore tractatuum pacis eidem competere dignoscentur, neque credibile esse, a Regia Christianissima Majestate quidquam aliud prætendi, multo minus ab Imperii Deputatis exigi, quod in illorum potestate non est, nimirum ut Constatus suos, & commembra absque ullo examine, aut fundamento justitiae, aut pacis tractatuum ab Imperio avellant, & cæco quasi impetu in exteram potestatem transmittant. Hunc præcipue huic congressui, ad Imperii, ejusque Statuum querelas, & gravamina instituto, propositum esse scopum, ut in eo omnia juxta tractatus pacis examinentur, & aboleantur; eo mandata tam Cæsareæ legationis, & Imperii Deputationis, quam Dominorum legatorum Gallicorum verbis expressis directa esse; & merito, cum constet etiam ex tabulis Monasteriensis pacis Neomagi confirmatis, oportere, ut si quis contra eas a quocunque violari contigerit, laesus laedendem inprimis a via facti, (prout Cæsar, & Imperium amice, fideliterque fecit,) dehortetur, causa vero ipsa amicabili compositioni vel juris dispositioni submittatur. Huic conformem esse Suae Regiæ Majestatis Christianissimae declarationem, qua omnia occupata, & innovata post ejusdem legatorum Lutetia discessum ante omnia in integrum restituenda veniant; de reliquis vero hic conferendum sit, adeoque praetactam propositionem Dominorum legatorum Galliae eorum Regis laudatae declarationi non minus, quam eorum hic exhibito mandato, uti & tractatibus pacis, & usitato inter supremas potentias tractandi modo directe adversari, & simul una objectum, scopumque hujus congressus omnino intervertere. Cum autem omnes ejusmodi, pluresque aliae & scripto, & verbis saepius repetitae demonstrationes apud Dominos legatos Galliæ hactenus locum non inveniant, irritaque sint, abunde patet, cuinam mora hujus conferentiæ, de qua certe Imperium uti unice gravatum vel maxime queritur, adscribenda sit. Inprimis sane eo magis in votis est, ut Rex Christianissimus de re ipsa accurate edoceatur, quod sibi de ejusdem aquanimitate, & justitia tanto certiora promittit, quanto crebrius, sanctiusque Sua Regia Christianissima Majestas tam ipsamet, quam per ministros suos ubique contestata est singulare studium observandæ cum Sua Cæsarea Majestate & Imperio pacis, cujus hoc præcipuum merito specimen esse oportet, ut & contra Cæsarem & Imperium, ejusque Status, & membra nihil via facti attentetur; sed si quid dubii, controversiaque incidit id juxta tenorem Instrumenti pacis Westphalicæ supra allegato loco amicabili compositioni, vel juris dispositioni submittatur, nullatenus vero sibimet jus dicatur, quod & ipsa ratio, & naturalia jura prohibent. Deinde ut Statibus Rom. Imperii sua jura, dominia, atque libertates, in quibus ministri Gallici plurimum securitatis tam Imperii quam vicinorum collocare hactenus semper contestati sunt, ex regula tabularum pacis restituantur, atque eo modo sarta tecta maneant. Jam vero & adjuncta hic Statuum Imperii, qui anno 1648 Monasterii Westphaliæ tractatibus pacis adfuere, declaratio solennis una cum transmissis ad Regem Christianissi- 1682.

1682. *stianissimum literis satis demonstrat, de ea, quæ nunc prætenditur, enormi cessione nullam tunc illis vel mentem, vel potestatem fuisse. Et ipse Rex Christianissimus in istiusmet pacis Westphalicæ executione, testante Recessu Noribergico, clare testatus est, tantum abesse, ut aliud sibi pacis tabulis præter trium Episcopatum districtum, & ditiones a S.ma Domo Austriaca in Alsatia possessa sibi vendicaret, ut etiam ex ipsismet decem unitis civitatibus Imperii in Alsatia sitis duas, & sic dictorum Vasallorum trium Episcopatuum non paucos, quos nunc ab Imperio avellit, Imperio restituerit. Imo Sua Regia Majestas Christianissima in ipso statim limine supradicti arbitrii d. 23. Sept. 1667, & passim in actis per Plenipotentiarium suum D. Robertum de Gravel solennissime declaravit, suam intentionem non esse præjudicandi præmemoratis Imperii civitatibus in libertate, & immedietate erga Imperium, quæ ipsis in Instrumento pacis Monasteriensis expresse reservata sit. Ut prætereatur, quod eadem a pace Westphaliæ non minus quam antea quotannis semper (præsenti turbatione excepta) Sacræ Cæsareæ Majestati homagium renovarint ipsæ, & alii Imperii Status a Gallia noviter occupati, non minus quam reliqui nunquam interrupta possessione in diætis Imperii, & circularibus, (ministris Galliæ præsentibus nec contradicentibus,) sessione, & suffragio quiete gavisi sint, juxta Imperii matriculam ad Imperii, & Circulorum onera, & collectas semper contribuerint, in contentiosis nulla, quam Imperii dicasteria agnoverint, imo ab ipsomet Rege Christianissimo non minus post pacem Monasteriensem quam antea decretis ad ipsos legationibus, ictis cum illis fœderibus, aliisque in omnibus, uti independentes ab eo, & plane liberi Imperii Status habiti, agnitique sint. Tantum enim abest, ut tabulis Westphalicæ pacis ab Imperio Landgraviatus, uti eum Serenissima Domus Austriaca possedit cum Brisaco, Sundgovia, & præfectura Hagenoënsi, Instrumenti pacis Monasteriensis* §. Tertio Imperator *73. nominatim & expressus: Quinimo per subsequentem* §. Teneatur Rex Christianissimus *omnes alii siti in Alsatia superiori & inferiori Status, comprehensa immediata nobilitate a cessione nominatim excepti sint, obligataque sit Gallia nullam in eos prætendere regiam superioritatem, sed iis juribus contenta esse, quibus Serenissima Domus Austriaca gavisa fuerat cum eo tamen discrimine, ut quæ Domus Austriaca ab Imperio recognoverat, ea possideret Galliæ jure supremi dominii priori §. ab Imperio cessi, qui unus finis est clausulæ* ita tamen, *in fine prædicti* §. Teneatur *adjecta. Et certe tam parum de cessione totius* 1682. *provinciæ Alsaticæ cogitavit in tractatibus Westphalicis Gallia, ut etiam iis demolitionem Benfeldæ, neutralitatem Tabernarum, liberum transitum in Philipsburg, & plura hujuscemodi pro beneficiis particularibus expresse pacta sit, Argentoratensi etiam urbe pro se ac reliquis Imperii civitatibus ceu compaciscentibus ad eorundem tractatuum subscriptionem, completionemque præter cæteros Imperii deputatos admissa. Et quid illæ in* §. Item Rex Christianissimus *89. contentæ voces* partium cessarum *aliud indicant, quam quod in præfatis tractatibus non tota Alsatia, sed ejus pars, quæ ad Serenissimam Domum Austriacam spectabat, Galliæ cessa, reliqua Imperio reservata sit? Quod ipsum etiam Regia Majestas Christianissima in constitutione primi præfecti sui Hagenoënsis D. Comitis de Harcourt datis d. 27. Septembris 1651. ad prædictas decem unitas Civitates in Alsatia literis expresse agnovit. Evidentia profecto irrefragabilis, quæ perpensis his & aliis antehac fusius alibi deductis evincit, ex Alsatia nihil aliud, quam quod ex ea ad Domum Austriacam pertinuit, cum prætacta tamen differentia in Coronam Galliæ transmissum, reliquum vero totum non tantum non cessum, sed per* §. Teneatur *Imperio Romano nominatim reservatum, & nec ab ipsamet Gallia sub cessione (præsenti turbatione excepta) comprehensum, aut unquam intellectum esse. Nec minus ex ipso pacis Monasteriensis Instrumento elucet, nihil extra tres Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, eorumque districtus ab Imperio Coronæ Galliæ cessum esse. Ut enim nemo diffitetur* §. 70. *prædicti Instrumenti pacis in hos, eorumque districtus supremum dominium ab Imperio in Coronam Galliæ translatum esse; ita omnibus palam est, limitatam ad eos, eorumque districtus cessionem extra illos nullo jure extendi posse. Tametsi enim aliqua Imperii territoria extra horum Episcopatuum districtus nexu feudali iis adstricta fuissent, haberentque adhuc illa ab ipsis recognoscenda; non posset tamen in illa exinde regia superioritas ullo jure prætendi, cum nulli non notum sit discrimen inter feudalem nexum, & omnimodam subjectionem, inter vasallagii & supremi dominii jura; eoque Status Imperii ante subscriptionem tractatuum pacis Monasterii solenniter declararunt, contestatique sunt, se in cessionem prædictorum trium Episcopatuum non aliter consentire velle, nec posse, quam ut Corona Galliæ habeat, retineatque supremum eorum dominium, & exerceatur regia in iis jurisdictio eatenus, quatenus*

1681. *tenus ante eos motus exercita fuerat; verum nullo modo, ut ea juris diœcesani, feudalitatis, aut ullo alio prætextu extendatur ultra ipsorum proprium territorium, aut in ea feuda, quæ Status Imperii Romani comprehensa immediata Imperii nobilitate a dictis Episcopatibus recognoverunt, aut adhuc habent recognoscenda. Multo minus hæc cessio novo dependentiarum prætextu ad ea Statuum Imperii territoria ullo jure trahi potest, quæ neque sub Episcopatuum districtu, neque feudalitatis nexu comprehensa sunt, sed notorie ab Imperio dependent; cum de ejusmodi cessione in tabulis Monasteriensis pacis nullum vestigium sit, quin potius ex iis contrarium eluceat. Nam ut in §. sæpedicti Instrumenti pacis:* Juxta hoc universalis *5. vigore universalis amnestiæ universi & singuli Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status, (comprehensa immediata Imperii nobilitate,) eorumque vasalli (tribus iis Episcopatibus exceptis,) in omnes ditiones, bona, dignitates, immunitatesque plene restituti sint: ita a* §. Juxta hoc universalis. *5. usque ad §. Dux de Croy 35. inclusive, & in Instrumento pacis Osnabrugensis a* §. Comites in Leiningen *86. usque ad* §. Joachimus Ernestus *89. inclusive clare conventum est, nominatos istic, & nunc maxime gravatos Imperii Status annitente, & urgente inprimis Gallia omnes in pristinam, debitamque erga Imperium immedietatem, atque universa jura tam in Ecclesiasticis, quam politicis plenarie restitui, inque istis absque ulla turbatione relinqui debere, usque adeo, ut non modo ipsamet Gallia eorum plurimos tunc restituerit, & hactenus pro immediatis Imperii Statibus legationibus, ictisque cum ipsis fœderibus agnoverit, verum etiam dicti Status ad omnia Imperii onera contribuerint, Cæsareæ Majestati homagium continuo præstiterint, Imperii dicasteria in contentiosis adierint, in Comitiis Imperii votum & sessionem habuerint, & indubiam suam immedietatem & libertatem in Ecclesiasticis ac politicis apud Imperium sartam tectamque semper retinuerint; quæ adeo Gallia non permisisset, neque tot amplissimorum principatuum, comitatuum, & ditionum specialem cessionem in tractatibus pacis neglexisset, cum eidem etiam curæ fuerit nominatim in illis Moyenvicum quantumvis notorie in districtu Metensi situm sæpe allegato §. 70. inter cessa exprimere. Sed & eo etiam casu, quo memorati Imperii Principes, Comites, ac Dynastæ a dictis Episcopatibus certa quædam feuda extra Episcopatuum districtus sita agnoscerent, non posset hæc recognitio ultra feudales fundos, nequaquam vero ad reliquas eorum ditiones, territoria, ac subditos extendi, multo minus ob nudam unius aut alterius castri, pagique feudalem recognitionem in omnia sine discrimine supremum, & omnimoda superioritas prætendi, possessoribus ex statu suo immedietatis, & libertatis de facto, & propria autoritate dimotis. Quin potius postularet ratio, ut cum Imperatore & Imperio, quorum evidenter interest, ante omnia ageretur, & gravati Status audirentur, an & quænam ab Episcopatibus dependentia feuda possideant, ut ea a reliquis suis bonis, & territoriis separata ab Ecclesiasticis feudalibus Episcopatuum curiis recognoscant, salva uti par est per omnia eorum immedietate, libertate, & in Ecclesiasticis, & politicis, ex legibus Instrumenti pacis Westphalicæ jure territoriali. Quæ uti ex dictamine rationis, & inprimis tractatus Westphalici clara sunt, ita in iis per subsecutam nuper pacificationem Neomagensem adeo nihil innovatum, immutatumve est, ut ipsi Domini legati Gallici ibi exhibitis primum ab ipsis articulis, & per mediatores expresse declararint, nihil a Gallia præter confirmationem pacis Monasteriensis postulari, uti & in subsecuto tractatu ea sola adeo pro basi, & omni fundamento posita est, ut tota Neomagensis tractatio pro mera confirmatione Monasteriensis censenda sit, nisi in quantum (sunt formalia,) expresse aliquid mutatum inveniatur. Quibus cum accedat laudatissima Suæ Regiæ Majestatis Christianissimæ declaratio Domini Comiti de Mansfeld, & alias data, quod uti rationi per se, & tractatibus pacis conforme erat, a placito hoc congressu omnibus ulterioribus reunionibus, & via facti quacunque supersederetur, Sua Cæsarea Majestas & Imperium jure merito expectant, ut avulsa ab Imperio Imperii civitas Argentinensis inprimis, nec minus reliqua post Dominorum Galliæ legatorum Parisiis discessum occupata cum omni causa Imperio ante omnia restituantur. Et sicut de cætero Cæsarea Majestas, & Imperium sibi persuasissimum habeat, Christianissimam Majestatem Regiam comperta hac rei veritate contra fas & æquum, & clarissimam dispositionem sæpe allegatorum pacis tractatuum nil prætensuram, multo minus via facti, & propria autoritate sibi asserturam; ita & colloquium componendis ex tenore tractatuum pacis controversiis hic institutum, omnemque in eo facilitatem, uti ab initio, ita iterum iterumque se exhibet, cum illa ulteriore oblatione, ut si etiam præter dispositionem tractatuum pacis aliquid ex mutua utriusque partis conventientia a Corona Galliæ in medium proferatur, nec amicam super eo tractationem, nec quæcunque tractatibus pacis conformia, usitataque inter potentias Christianas media ad stabiliendam denique inter* 1681.

Hhh hhh h 2 *utram-*

1682. *utramque inclytam nationem ex voto totius Christiani orbis tranquillitatem recusabunt.*

Galli scriptum opponunt.

§ 69. Ast Galli isthoc scriptum redhibebant, alioque clam vulgato culpam irritæ negotiationis a se amoliebantur. *Inique certe, ne dicam improbe, qui Galliæ legatos invidia onerare quæsiverunt, quod jurium, quæ super loca, de quibus Galliam & Imperium inter lis est, Regi suo competunt, solennis hactenus discussio facta non sit. In hunc solum finem illos missos fuisse, potestatis suæ actus omnibus exhibitus satis testatur. Fatebuntur enim omnes ministri, quibuscum ipsis familiaritas intercessit, eos per annum integrum, ex quo hic sunt, se in omnibus privatis colloquiis semper paratos exhibuisse, & verum tractatuum sensum inquirere, & omnibus notum facere, quod propositio, quæ postea a Rege suo intervenit, non minus moderationis habet, quam jura sua, quæ in tractatibus Monasteriensi, & Neomagensi firmiter fundata longe ulterius extenduntur, soliditatis. Ipsi quoque Cæsarei non possunt inficias ire, quin quoties cum legatis Galliæ fuerunt, aut de hac re tractandi se aliqua occasio obtulit, id non sit factum, nisi cum exacta omnium illarum quæstionum scrutatione, quæ materia celeberrimæ, & solennissimæ disquisitionis esse potuissent. Ad hoc nemo ignorat, quod dissidia, quæ hic inter Imperii Deputatos enata sunt, in causa fuerint, cur legati Galliæ nullum solenne colloquium inire potuerint, nec cum corpore integro Deputationis, nec cum ullo ex membris tanquam istius cœtus Deputato. Palam est, quanto cum labore de schemate sessionis inter eos conventum; & ut nulla habita ratione nec illius, quod primum a diæta præscriptum, junctumque instructioni, nec illius, quod postea ab Imperatore insinuatum fuerat, oportuit novam schematis speciem fingi, quæ nec dum omnibus placuit, nec fuit acceptata, nisi post mutuas ab omni parte reservationes & protestationes. Istorum tamen dissidiorum causæ tanti non erant, si cum illis conferantur, quæ deinceps impedimento fuerunt, quo minus Regii, & Cæsarei legati in uno solenni, & publico cœtu simul cum Deputatis Imperii convenire possent; præcipue vero ex quo Cæsarei, denegato Electoralibus illo honore, quem ipsi Monasterii & Neomagi tribuerant, eo res adegerunt, ut Electoralibus impossibile sit, in ullo locorum ipsis adesse. Ad hoc nova prætensio quorundam Principum, qui proprie istius repulsæ partus est, facit etiam, ut istorum Principum legati nullibi cum legatis Galliæ præsentes esse possint. Hæc sunt nempe vera obstacula, quibus Francofurti discussio illa solennis impossibilis reddita est; non vero, ut quidam temere dicunt, vel quod Galli ipsam rejiciant, vel quod rationibus, per quas Regis sui jura tam firmiter asseruntur, non fidant satis. Hæc eadem obstacula Christianissimæ Majestati statim prævisa, & quæ deinde aliis insuperabilia visa sunt, ipsam impulere, ut contra suam propriam mentem, & primum istius cœtus intentum aliam viam statim ab initio proponeret, qua negotia amicabiliter terminarentur, idque eo tempore, quo ab omnibus impossibile credebatur fieri unquam posse, ut tanta illa difficultates præliminares, in quibus legati Galliæ nunquam sane partem habebant, finem haberent. Hæc est vera ratio, cur sua Christianissima Majestas jam a mense Novembri anni 1681. illam propositionem, de qua nunc hodie agitur, ore fieri jussit, quam etiam initio Januarii sequentis scripto voluit vulgari. Tandem sex mensium intervallo dissidia, quæ super schemate particulari sessionis inter legatos intercedebant, sopita magis quam terminata sunt. Sed quis adeo rerum Imperii ignarus est, ut non viderit, alia longe graviora & difficiliora reservari, quibus impediretur, ne unquam de corpore Deputationis Imperii conveniri possit. Durant etiam nunc hodie in integro illa obstacula, & tam insuperabilia, quam unquam fuerint. Ut enim verbo dicam, discussio illa solennis, & qualis optanda esset, non potest nisi duobus modis fieri, vel in pleno congressu, & in corpore in ipso Deputationis cœtu, vel in colloquiis privatis inter Regios & Cæsareos legatos, adhibitis aliquibus Deputationis membris expresse ab illa in hoc electis. Utrumque autem omnino impossibile reddit ab Imperialibus Electorum ministris denegatus honor, quem ipsi postulant. Cum enim is qualiacunque colloquia inter utrosque dirimat, sequitur, ut per hoc ab omnibus Colloquiis & Deputationibus particularibus excludantur Moguntinus & Saxo, qui tamen jure muneris sui cum debeant necessario ad omnes Imperii deputationes tam privatas quam publicas admitti, nunquam certe se ab illis excludi paterentur, ubi præcipua, & vera hujus colloquii materia tractanda esset. Suspicantur aliqui, nec forsan injuria, quod Cæsareæ legationis scopus in his difficultatibus, quas a se ipsa motas etiam nunc tam sedulo alit, nihil sit aliud, quam Deputationem Imperii adigere, ut sibi jura Imperii tuenda, & discutienda credat. Sed facile judicabitur, quod Deputatio vix unquam in hoc consentiat, utpote quæ hunc consensum a se ipsa præstare non possit. Quamvis autem Diæta Ratisponensis, penes quam talium rerum jus est, ad hoc inclinare videretur, nunquam certe patientur Galliæ legati, ut rationes illæ, quæ Regis sui prætensionibus pro fundamento sunt, ad Imperium pervenire non possint, nisi medianti-* 1682.

bus

1682. *bus & referentibus Cæsareis; idque eo solummodo, quo illas explicare, vel juxta suas opiniones, vel secundum, quod ipsorum interest, ipsis habitum fuerit. Post hæc omnia, quæ satis per se patent iis, qui vel minimum negotiorum, quæ hic tractantur, notitiam habent, videre facile est, quod, si legati Gallici minus sinceri fuissent, aut si inclinati ad captanda potius per obscuras calliditates privata commoda, quam ad promovendam veris, & solidis mediis pacis confirmationem, potuissent toties factam discussionem propositionum acceptare, quamvis etiam ipsis tam formidanda visa fuisset, quam e contra optandum credant, idque absque periculi umbra, quippe qui sciebant illius propositionis executionem omnino impossibilem esse: sed audacter possunt asseverare, quod ex quo in hac civitate versantur, nihil egerunt, aut cogitarunt, quod non ab ejusmodi calliditatibus summe alienum fuerit. Si quis autem adeo sit injustus, ut hoc ipso utatur ad calumniandos, tanquam bona fide non agant, vel juri suo fidant parum, ii sane nullam impressionem facere possunt, nisi in illorum animis, qui nullam hujus rei status notitiam habent, quique ignorant, quod illæ omnes turbæ in nullum alium finem concitæ fuerint, nisi ut prætextus iis supponerent qui nihil aliud intendunt, quam ut omne negotiationis genus longe removeant, cum optime noverint, quod ista toties petita discussio non solum ipsis inutilis esset, in quocunque loco posset fieri, sed maxime Francofurti impossibilis in eo statu, quo negotia per denegatum Electoralibus a Cæsareis honorem redacta sunt.*

Conventus Francofurtensis abrumpitur. 1. Dec.

§. 69. Ita Galli jussu Regis discedebant, significato, Ratisponæ Verjo injunctum ad finem usque Februarii audire, quid sibi nomine Imperii proponendum sit. Cæsarei tamen Gallorum discessum haut ægre ferebant, quod minimum tres menses lucrarentur; simul jactabant, a Gallis proposita Ratisponæ nunquam communi consensu receptum iri. Esse in Imperio adhuc L M bellatorum, qui cum Cæsare sentiant. Cum Turca brevi transigendum videri; ac tunc adpariturum, num necessitas sibi sit infames Galli conditiones admittendi. Cæterum quæ Gallus tunc animo agitaverit, ex iis colligi potest, quæ Argentoratensis Præsul apud Trevirensem proponebat. Si Imperium Gallo reuniones hactenus factas una cum Argentorato relinquere velit, eum reliquis omnibus prætensionibus in perpetuum renuntiaturum, ac æternum limitem ducturum, fœdere quoque contra Turcam inito L M militum in hunc missurum, ea tamen lege ne Imperium unquam negotiis se misceat, quæ ipsi cum aliis Principibus intercedere possint. In Hispanico quoque Belgio eundem in reliqua omnia renuntiaturum, nec quid amplius decerpturum ea

23. Nov. Gallorum secreta destinata.

lege, ut istud in perpetuum neutrum statum observet, ac orto bello Galliæ nil molestiæ creet. Istæ leges si ab Imperio rejiciantur, LX M militum parata stare, quæ protinus occidentalem Rheni ripam in potestatem redactura sint. 1682.

Fœdus cum Dano renovatur. 31. Jan.

§. 70. Inter ancipitia ista temporum cumprimis Electori curæ erat amicitiam cum Daniæ Rege arctius stringere. Igitur cum Goschio Bucwaldo, quem Rex eo fine miserat, priora fœdera præsentibus temporibus aptabantur. Is tractatus mutuam defensionem, amicam communicationem, ac studium circa conservationem pacis spectabat. Si Electorem invadi contingeret, Rex IV M peditum, aut pro millenis peditibus quadringentos equites, finito anno supplendos; totidem Elector vicissim promittebat. Requisitus non teneatur cum alterius invasore suo quoque nomine in bellum descendere. Requisitus utique tractatibus de pace aut induciis includatur. Præstiti auxilii nomine nulla pensatio exigatur. Quod requirens armis adquisiverit, id ipsius sit. Circa exigenda residua subsidiorum apud Hispanos unus alteri operam navet. Rex tamen in partem controversiæ haut veniet, quæ Electori cum Hispanis est ob ereptas quasdam naves. Denique dabit operam Elector, ut Regi circa desideria sua ab Imperio satisfiat. Post Elector ad Regem Daniæ Itzehoam accedebat; ubi super præsenti rerum facie consultabatur, & quomodo pax conservari, eoque fine plures, præter eos qui jam erant, in partes trahi possent. Ad quatuor Electores Rheno adsitos uterque jam miserat. Inter alios Monasteriensis præcipue respiciebatur, qui pronum se paci declaraverat, & cui ditionis suæ situs, viresque autoritatem addebant. Optabatur quoque Hanoveranum in societatem adscisci posse; præsertim cum auditum esset, spem subsidiorum, quam sibi conceperat evanuisse. Tractatus inter Cæsarem, Bavarum, Saxonem, & Hanoveranum spe hospitiorum innitebatur, quod hisce opes non essent bello propriis sumtibus gerendo. Unde videndum, quomodo ea hospitia, ac militis transitus impediri possint. Belgas ad quiescendum disponere, maxime necessarium habebatur, quod Arausionensis valde in Gallos irritatus esset, ac cum Suecis consilia misceret. Ast ubi res in bellum eruperit, Rex censebat, satius esse Suecum pro aperto hoste, quam pro medio habere. Circa Cellensem quoque dubitabatur, qui hactenus quidem Gallo declaraverat, se neutras partes secuturum: sed num his pollicitis tuto fidi posset, haut constabat. Circa quem etiam cavendum sit, ne is titulo præfecti militiæ Circularis viribus instruatur. Porro Rex propositionem a Gallo factam paci producendæ haut idoneam censebat, quod altera pars non solum de asperitate conditionum, sed & de agendi modo queratur. Unde Gallo demonstrandum; si pax ei cordi sit, eam propositionem temperandam esse. Nam parum pro pace, non satis pro bello eum facere.

Rex & Elector Itzehoæ conveniunt. 5. Jun.

1682. 9. Jun. Alias verendum, ne pars adversa tam plausibili prætexto multos ad se trahat. Demum placuit peculiarem conventionem ibi inire; cujus capita erant: junctim officia adhibere, ut inter Cæsarem, Imperiumque & Gallum agitatæ controversiæ amica ratione componantur, utque plures Ordines concilientur, qui ad eundem scopum operam navent. Se quidem id officium continuaturos, peculiaribus legatis ad Cæsarem, Suecum, Luneburgicum, ac Belgas missis. In omnem autem eventum arma parare placebat ad vim, si qua intentetur, propulsandam. Eo fine Rex X M militum in Holsatia, Elector totidem in Marchia contracturus, ac ita dispositurus erat, ut sicubi opus foret statim jungi possent. Ubi res in bellum erumpat, ulterius se conventuros, præsertim quomodo tergum tutum sit præstandum, ac ut Belgæ avertantur, ne ipsorum hostibus auxilia ferant. De cætero consiliis, actuque juncti persistere, nec alter in alterius fraudem quid contrahere decreverant.

Circa negotium Gottorpiense considerationes.

§. 71. Cum porro Daniæ Rex in Holsatia exercitum, prout convenerat, formaturus Ducis Gottorpiensis ditiones tributis onerare instituisset, Elector monebat; circa eam rem caute procedendum, ne Suecus, & Luneburgici irritentur. Mortangius quoque legatus Gallicus eandem ob causam id institutum dissuadebat; & quia per idem tractatus cum Monasteriensi impediendus sit, quod iste Præsul a bello abhorreat. Cæsaris quoque partibus addictos exclamaturos; Gallum multa testari, uti pacem in Germania desideret; interim per fœderatos bellum in Saxonia struere. Quo ipso multos, qui in pacem inclinent, in diversas partes propulsum iri. Ad quæ Rex; Slesuicensem Ducatum ad Imperium, & Saxoniam Inferiorem haut spectare, eoque Luneburgicorum nullas heic partes esse. Sed si maxime ipsius domesticis rebus ingerere se velint, jam maxime opportunum esse eos invadere, dum Cæsar, & Imperium bello Turcico distringitur. Suecum Lundensi tractatu promisisse, Gottorpiensi negotio sese haut ingerere. Et cum sibi soli provinciæ defensio incumbat, soli quoque tributa bellica competere. Cæterum Luneburgici initio non sine ferocia jactabant, se Ducis causam suscepturos. Sed cum res Sueciæ non ferrent aliquid movere, ad placidiora revolvebantur. Gallus quoque, cum antea negasset, se in partem Gottorpiensis negotii venturum, mox eam causam Dani domesticam agnoscebat, circa quam hunce impedire nolit. Electori non aliud consilium erat, quod in præsens Duci suppeditaret, quam ut missis extraneis fœderibus Daniæ Regi velut capiti familiæ adhæreat.

Monasteriensis in fœdus suscipitur. 4. Sept. Breitenau.

§. 72. Ex conventione porro Itzehoensi Ferdinandus Monasteriensis præsul in Regis Daniæ, & Electoris fœdus recipiebatur. Ei adornando Christianus Breitenavius, Clamor Buschius, Matthias Korfius Smisingius, & Fridericus Christianus Plettenbergius Neuhausii convenerant. Eidem scopus erat omnem vim propulsare, ac onera hospitiorum, transituum, & similia ubi intententur arcere; tum juncta opera conniti ad controversias cum Gallo amice componendas. Ubi res in bellum eruperit, ac quis fœderatorum ob isthæc pacifica consilia, aut alio prætexto invadatur, aut molestia afficiatur, reliqui causam ejus suscipient, & conventa auxilia præstabunt. Si bellum inter paucos Ordines, & Gallum oriatur, fœderati ad neutram partem collaturi quid erant: si bellum ab Imperio decernatur, ratam duntaxat copiarum partem missuri. Hoc fœdere comprehendebantur Dani nomine Holsatia, & Comitatus Oldenburgicus ac Delmenhorstanus: Electoris omnes ditiones cis Albim sitæ. Excipiebat tamen Monasteriensis, se nolle teneri ad mittenda Dano auxilia in Holsatiam, sed tantum in Comitatus. Modus auxiliorum erat; Dano CCCL equites, M L pedites; Electori DC equites; MDCCC pedites; Monasteriensi CCC equites, DCCCC pedites. Ubi is numerus non sufficiat duplum, aut triplum præstandum, & quidem intra sex septimanas a die requisitionis: ut tamen qui auxilia submittit, non teneatur suo nomine bellum cum invadente gerere, sed ut ei integrum sit officium conciliandæ paci præstare. Id fœdus in triennium conclusum. 17. Febr. 1683. Sequenti anno in hoc fœdus Coloniensis quoque receptus est, conventu legatorum Susati habito. 1684. Idemque post Ferdinando Episcopo defuncto suffectus id fœdus nomine Episcopatus Monasteriensis suscepit; cui & novus Episcopus Paderbornensis Hermannus Wernerus nomen dedit.

Cum Belgis & Arausionensi acta.

§. 73. Cæterum quia Elector pacem quovis modo servare decreverat, frustra autem inter Imperium, & Gallum transigebatur, ni & cum Hispanis in Belgio lites componerentur; exhibito per Diestium scripto Belgas hortabatur, ut & ipsi ad eum finem operam navarent. Id scriptum Arausionensis, & alii supprimere conabantur ne vulgatum a belli cogitationibus populum averteret. Ac Princeps quidem disserebat; se utique pacem quærere, nec Hispanos minus eandem, quam quispiam alius possit, exoptare; sed non ejusmodi pacem, quæ velut victis pro imperio impingatur. Ac in præsens quæstionem esse, num omnibus necessitas incumbat Galli jussis citra contradictionem se subjicere. Ejusmodi pacis, qualis Neomagi facta sit, exemplum nunquam auditum fuisse. Si Electori animus foret manum rei admovere, stabilem pacem æquis conditionibus obtinere opportunum nunc fuisset. Denique Electoris haut interesse, transactionem circa lites Belgii Hispanici urgere. Ad quæ Diestius: Electorem novissimo bello maximo cum suo damno expertum, quam anceps sit multis cum fœderatis in potentem hostem bellum gerere, & quam parum ob discrepantes rationes ipsorum constantiæ fidendum. Quod Neomagi primum exemplum introductum sit conditiones ad Galli præscriptum admittendi, in id Electorem nunquam consensisse, ac nemini id tristius quam isti accidisse. Quod si status fœderatorum, qui tunc erat, & eorum, qui nunc sese offerant, inter se comparetur, perspici non posse, quare in præsens Viennæ, in

Hispa-

1682. Hispania, ac in Belgio major bellandi cupido ferveat, quam tunc, cum Germania in se concors, apud Belgas plus fidei, & virium, Electori victor exercitus esset, post Suecos Germania expulsos gloria mactus. Ac si Elector tantum momentum ad rem conferre judicetur, mirum esse, quare ejus amicitia non diligentius colatur, ac justis ejusdem desideriis Viennæ, Madriti & Hagæ haut satisfiat. Denique ob Cliviam rationes eidem cum Hispanicis provinciis conjunctas esse; ac ubicunque incendium oriatur, id facile diffundi posse. Ad proposita Rectores Belgii in hunc sensum respondebant: *Se Electori pro studio in ipsorum Rempublicam, & cura circa communem salutem gratias agere, sperasse & optasse, ut ipsi placuerit conventioni cum Suecis nomen dare, quæ maximam laudem mereatur. Imminutos suos reditus in causa fuisse, quare ipsi, ac Dano subsidia exsolvere non potuerint. Alias fœdera se sua religiose servaturos. Non dubitare, quin Anglus ejusmodi temperamenta inventurus sit, queis lites inter Galliam & Hispaniam terminari queant. Se quidem Cæsarem permovere conaturos, ut hostilia in Gallum ne suscipiat, sed res ad pacem dirigat. Controversiis tamen inter Imperium, & Galliam post Neomagensem pacem ortis se misceri nolle. Rogare Electorem, apud Gallum operam impendat, ut his sua consilia ad pacem, & Europæ quietem referat. Quam & sibi quavis occasione promovere cordi sit futurum; nec minus pro vetere amicitia consilia cum Electore communicaturos.* Cæterum ei responso passim adspersa erant dicta pungentia, nonnulla etiam falsa, & ad rem non facientia; quæ Electori non parum bilem excibant. Sed Croissius censebat; talia contemtu ulciscenda, ne a verborum certaminibus ad extrema procedatur. Ac posse Diestium velut suo nomine monere, quæ in eo responso desiderari queant. Super eodem quoque Alefeldius Daniæ Cancellarius judicabat: in præsens, dum Gallus omni modo pacem quærit, id dissimulandum, nec Belgarum animos vindicta, aut acri opposito scripto amplius asperandos. Etsi meriti fuerint, ut acriter retunderentur. Daniæ quoque Rex censebat; quia Gallus pervincendis suis destinatis Belgas omni modo demulceat, nec verbis, nec re ultionem sumendam. Nam scriptis Belgas adhuc magis irritari, ac ab omnibus pacis cogitationibus averti. Ubi re quid tentetur, Gallum offensum omne auxilium subtracturum, ac Electori soli id negotium exsequendum relicturum. Addebat Rex: sibi, atque Electori necessum esse rebus suis invigilare, nec in omnibus ad Galli placita se componere, quod hic tantum occasiones aucupetur emolumentis suis obtinendis; ex quo facile ejus fœderati molestiam sibi attrahere queant. Nam Elector instinctu Galli id scriptum Belgis exhibuerat. Apud Arausionensem denuo Diestius tentabat, num ad consilia pacis, ac ut temporibus sese accommodet, eum permovere posset. Sed is talia immotus adspernabatur: *Regia se via incedere. Honesta sibi destinata esse, quæ persequi oporteat; ac nondum desperare, quin Deus Electorem, & alios,* 1682. *qui adhuc tergiversantur, demum suis rationibus adjuncturus sit. Se in omnibus, quæ a Gallo offerantur, nil securitatis reperire. Se quidem præsentem occasionem commodiorem, quam ullam antea judicare. Nam ni Gallus intestinam debilitatem sentiret, non adeo solicite pacem quæsiturum, quo spatium sit recolligendis viribus.* Conatus fuerat Gallus post finitum bellum Principem per blanda sibi innectere. Quo fine per Avauxium Fagelio duos milliones præmium promiserat, si istum ad speciosas quasdam conditiones acceptandas permovere possit; quarum summa huc redibat, quod ipsi conferendus sit titulus Comitis Hollandiæ, & supremi ducis, seu *Generalissimi* in exercitus regios, adjectis compluribus millionibus. Sed Fagelius responderat: Rempublicam, cui ipse inserviat, sat potentem ac generosam esse pensandæ operæ & curæ, quam ipse in exercendo commisso sibi munere suscipiat. Sed nec fidem, quam Deo, & patriæ jurarit, permittere talia proponere Principi generoso, & magnanimo, qui non minus quam ipsius majores gloriam e virtute, non ex opibus affectatus sit. Ita cum Galli utrumque corruptionibus impenetrabilem perspicerent, omnibus modis Principi ægre facere studebant. Unde hunc animo ab istis averso esse mirum haut erat, quem præter publicos respectus immensum mordebant indignitates, queis illi hinc inde intercepto patrimonio eundem insultabant. Ac jam jactabant, Longuevillii jus ad Principatum Arausionensem clarioribus in dies probationibus exsplendescere. Si tamen Princeps ejus possessione exuatur, Gallum libenter eam ditionem Electori fiduciario jure collaturum. Quas sordes Elector ne auditu quidem dignas censebat. Ac mox Gallus, ut Principi ægre faceret, urbem & arcem Arausionensem occupabat, ejusque Parlamenti sententiam decreto aulæ irritam declarabat. Mox tamen bellandi ardorem in Belgio refrigerabant tristes ex Hungaria nuntii; ac ipse Princeps dicebat; ni isti intervenissent, bellum jam ante tres menses ordiendum fuisse. Non tamen plane decollasse spem cum Turca transigendi; ac tunc certo bellum his oris surrecturum. Sed Belgæ jam conventum desiderabant, quo omnes controversiæ simul componi possent, ut tandem aliquando liquida pax constitueretur, ne in perpetuum tam numerosum militem alere, ac in ancipiti agere necessum sit. Præsertim postquam Anglus ad veterem ignaviam revolveretur; ac spes ipsos falleret, quam conceperant, & hunc & alios certatim tractatui associationis nomina daturos. Ita ut Electoris consilia mox ipso eventu probarentur.

§. 74. Vicissim tamen Elector una cum Daniæ Rege Gallum enixe monebat, ut reunionibus in Germania supersedeat, ac ita rem moderetur, ut Cæsar, & Imperium salva dignitate cum ipso agere possint. Nec Cum Gallis alia.

esse

1682. eſſe quod Rex inani metu ad præcipiendam vim impellatur, cum nemo exiſtat, qui occupata ipſi iterum erepturus ſit. Cæterum quia iſta, quæ tunc circa ſervandam pacem conſilia agitabat Elector, ingentem ipſi invidiam apud diverſa ſentientes conflabant, idem Gallo demonſtrabat: ſecuritatem ſuam vacillare, ni validiores ſibi copias circumponat; quam in rem a Rege pecunias ſuppeditari par ſit. De quo ipſo & Danus movebat. Enimvero ad iſta poſtulata Gallus obſurduerat; ac cauſabatur Croiſſius: intempeſtivo armorum paratu anſam abrumpendæ paci haut præbendam. Nam ſibi conſtare, Germanos in pacem inclinare, ac bellum Turcicum utique fore; ac Tekelium Cæſari haut fidere, iſtiusque res melius ſe bello quam pace habere. Ac ſi maxime ad manus veniatur, arma non contra Electorem, ſed contra Galliam verſum iri; ſic ut Electori haut opus ſit extra ordinem ſumtuum quid facere Eum a Rege ſat mature monitum iri, quando tempeſtivum ſit arma arripere. Sed & jam parſimoniam Regi cordi eſſe, nec ærarium in præſens ita compoſitum, ut bellum ſuſcipi queat, cum Rex non ita pridem plus quam quinquaginta milliones æris alieni diſſolverit. Enimvero iſta ratio nec Dano, nec Electori ſufficiebat, quod haut par foret ſuam ſecuritatem unice a Gallo pendere, nec eam ſe ſibi quocunque eventu præſtare poſſe. Ac ſatis adparebat, Galli artificium eſſe fœderatorum ſuorum vires ita temperare, ut ipſi ſoli obnoxiis agere, ejusque commodis unice velificari neceſſum foret, ſuis autem rationibus proprio ex judicio proſpicere haut liceret. Sed & Elector hactenus præter ſpem perſpexerat, omnes demonſtrationes, quas tam circa communem cauſam, quam propria deſideria, ac ſecuritatem fieri curaverat, tam parum ponderis in Gallia habuiſſe; irrita præſertim interceſſione pro Arauſionenſibus, quorum jam & mœnia, nil ſane ſuſpicionis injicere apta, ad ſolum dejecta fuerant. Ac tamen ſtatum ſuum magno in periculo verſari patebat, parum amica minantibus Cæſare, Sueco, Polono, Saxone, Luneburgicis, queis undique cingebatur, & apud quos ſuſpicionem incurrerat enormis in Gallum ſtudii. Sic ut ſi negotiationem pacis abrumpi, ac bellum ſurgere contingat, ingens ſibi tempeſtas incubitura videretur. A ſe quoque apud omnes fere Europæ Principes, ac præcipue in Germania multum operæ impenſum, quo res ad pacem perducatur, quam ſibi tantopere cordi eſſe Gallus ferat. Viciſſim ſe apud Gallum nil monuiſſe, nec ab eo quid deſideraſſe, niſi quod ſua ſecuritas neceſſario requirat, nullo alias emolumento; quæ omnia tamen frigide accepta ſint. Hoc aulæ Gallicæ genio vix conſtare, quid ab ea ſibi expectandum, & quid demum conſilii ſibi capeſſendum ſit. Sane ut ipſe Galli in gratiam totius orbis invidiæ ſeſe exponere, ejusque cauſam ubique agere debeat, nec tutum ſibi, nec conſultum amplius eſſe. Igitur Spanhemius jubebatur Gallis quidem nullam ſuſpicandi anſam præbere, ſed tamen negotia ibi citra anxietatem agere, nec reſponſa, 1682. quæ hactenus tam jejuna fuerant, urgere; interim accurate, quæ ibi ſuſciperentur obſervare. Sed & Hafniæ legato Gallico exprobrabatur; cum Oxenſtierna Feuquierium de fœdere proponentem ſesquimillionem uncialium poſceret, hunc ſtatim prima licitatione nongenta millia obtuliſſe; quare tanta parſimonia adverſus Danum & Electorem adhibeatur, qui ſinguli vicena militum millia præſtare poſſint? Ad quæ legatus primo excuſabat, Oxenſtiernam juſto liberalius locutum. Inde cum urgeretur, Gallo cauſam eſſe, quare ipſos inſigni pecuniæ ſumma ſublevet, reſpondebat; Regi magnas eſſe expenſas, ac circumacto anno nil redituum reliquum eſſe. Sed Dani reponebant, inter maxime neceſſarias expenſas ponendum, Daniæ Regem & Electorem ita inſtrui, ut Galli cauſa in metu verſari non debeant. Se omnium odio expoſitos ob fœdus Gallicum, ac omnes arma parare, ac fœdera ſtruere ſaltem oblique ipſos petentia. Unde Graves ſibi cauſas eſſe, ut rebus ſuis proſpiciant, ac æquum eſſe, ut a Gallo fulciantur. Legatus; iſta ſe jam ad Regem retuliſſe. Interim ſuadere, ne talia ſuſcipiantur, quæ ipſos præmature bello involvant. Ad quæ Dani: id ſe quidem ultro omiſſuros, ac nullum bellum metuere, niſi ob Galli amicitiam invadantur. Aſt ni Gallo ipſorum ſecuritas magis cordi ſit, quam hucusque factum, facile ſe in eam conditionem redactum iri, ut alia ſibi conſilia capeſſenda ſint.

§. 75. Inter præcipua autem, quæ Itzehoæ Daniæ Regi, ac Electori placuerant, erat, ut tentaretur, num Sueciæ Rex in partes trahi poſſit. Eo fine in Sueciam mittebatur Chriſtophorus Brandius; cui injunctum Regi gratulari de recuperata valetudine a fracto crure, ac nato filio Carolo. Tum ut ei mentem Electoris ſuper pace proponeret. Non ſe dubitare, quin Regi nota ſit confuſa, ac formidoloſa rerum in Germania facies. Conventum Francofurti quidem inſtitutum, controverſiis inter imperium, & Galliam obortis componendis. Quosdam Ordinum pacem optare ac urgere, ut ad propoſita a Gallo Francofurti tractatio ſuſcipiatur, ac potius Argentorato, & aliis jam amiſſis cedatur, quam in exitiabile bellum deſcendatur. Alios melius, tutius, ac glorioſius ducere arma arripere, quam injuſte a Gallo abrepta ita patienter derelinquere; ſimul ejusmodi ſcrupulos formare, ac Francofurti, & Ratiſponæ ſententias dicere, per quas totum negotium velut vado adhæreſcat, ac Francofurtenſis congreſſus inanis fore videatur. Unde metuendum, ne Gallus tempus in uſus ſuos convertat, ac dicto citius plura loca invadat. Equidem merita cauſæ in medio ſe relinquere, quæ actorum publicorum peritis in obſcuro eſſe non poſſint. Sane optandum res ita comparatas eſſe, ut Imperio decerpta armis recuperari queant, ac ſine dubio gravem Germaniæ jacturam eſſe, ſi Argentorato cedendum ſit. Se quoque credere, conſilia eorum, qui bellum ſuadent, ex

Legatio in Sueciam. 14. Jul.

animo

1681. animo patriæ studioso, ac spectata omnibus seculis Germanica fortitudine promanare. Enimvero periculum, quod Germania per bellum incursura sit, in aprico esse, ac rempublicam ita constitutam, ut quicunque belli successus fuerit, & vincat Gallus, an succumbat, Imperii eversio metuenda sit. Gallum intra concatenatas, ac validissimas munitiones, ac fines probe firmatos invadere temerarium esse. Contra Gallum e commodis sibi locis tuto excurrere, ac Germaniam sine suo periculo infestare posse. Unanime decretum inter Germaniæ Ordines haut sperandum; quin potius inevitabiles ac funestas collisiones metuendas, ubi bellum eruperit, jamtum animis in diversa distractis. Exterorum rationes callide cum Germanicis implicari. Hispanos & Italos, quo Gallicas vires suis finibus averruncent, Germaniam belli arenam esse cupere. Belli flammam ibi exortam haut facile restinguendam, multis proprias ob utilitates oleum affusuris. Quo casu animorum exacerbationem inter eos, qui pacem aut bellum suadent, ita invalituram, ut omni communicatione inter hos sublata malo remedium non amplius futurum sit. Pestilentiam quoque gliscere, cui si & bellum accedat, copias hinc inde proficiscentes eam late diffusuras, magna cum mortalium strage, ac interclusis commerciis. Bello quoque strenue persequendo deesse pecuniam, instrumentum bellicum, annonam. Hospitia priore bello exesa. Ita Regem judicaturum, conservationem pacis unicum esse remedium avertendo Germaniæ exitio; ac sperare eum ad hunc serum scopum connixurum. Sane Cæsarem maximum causæ momentum addere posse; sed eum per Turcas & Tekelium distrahi. Si Suecus his rationibus haut moveatur, Brandius haut ulterius urgeret, nec ista Electori displicitura significaret. Sed si Rex ea consilia probet, lætum id isti fore testaretur. Si de copiis in Germaniam trajiciendis jactetur, in neutram partem quid diceret. Ubi Sueci de Electoris militia exquirant, responderet; Electorem post bellum paucos exautorasse; ac si res exigat, statim XX M in campum educere posse. Jussisse quoque aliquot legiones suppleri, ac brevi aliquot millia conscripturum. Expiscari quoque conaretur secretos articulos fœderis Suecici cum Cæsare, ac Belgis. Si mentio Neomagensis pacis fiat, & ea a Suecis fundamentum præsentium rerum habeatur, diceret; Electorem eam nunquam probasse, nec ejusdem rationem habere posse. Denique statum militiæ, aulæque exquireret, ac num revocatis antea per donationes alienatis Coronæ bonis, ac per adstrictam parsimoniam, quæ in vicem prioris luxus subierit, ærarium uti jactetur tantopere locupletatum sit. Scripti quid ne exhiberet. Cum Hafniam transiens Brandius mandata communicaret, Dani monebant, ut in Suecia dextre insinuaret, Daniæ Regi, ac Electori hautquidquam gratum fore, ac suspicionem utique injecturum si Sueci copias in Pomeraniam trajiciant. Nam si de hoc nihil moveatur, Suecos sibi persuasuros quasi metuantur.

§. 76. Brandius ubi in Sueciam pervenisset, Regem novo facto in Gallos irritatum reperit. Qui recens e Gallia legatus venerat Bazinus postulaverat, ut per duos Senatores ad primum Regis alloquium deduceretur, & quidem ut uterque in curru facie sibi obversa sederet. Sed Rex non nisi per unum Senatorem istum adduci volebat, ad latus legato sedentem. Nam in Gallia legatos Suecicos uno Mareschallo, qui Dux & Par Franciæ sit, recipi; & hoc modo jam legatum Danicum in aulam adductum. Ast Bazinus, allegatis *Petri Chanuti memoriis*, excipiebat; ejusmodi dispositionem ab aliis quidem Regibus, sed non a Gallo agnosci posse. Et quam inter Reges æqualitatem Gustavus Adolfus Rex quondam introducere voluerit, subsistere non posse; cum veteribus Conciliis super ordine Regum orbis Christiani aliter dispositum sit. Demum consentiebat Rex, ut qui Bazinum deducturus esset Senator, huic exadversum sederet. Eam Regis extremam sententiam cum Benedictus Oxenstierna Bazino exponeret, hic regerebat; ingens discrimen esse inter Ducem & Parem Franciæ, & inter Senatorem Sueciæ; ac ideo prioribus temporibus conventum, ut uni Duci & Pari duo Senatores æquarentur. Eo dicto Oxenstierna ita excanduit, ut abrupte surgeret, ac nullo honoris indicio legati ædibus facesseret, Regi referens, eum de Suecicis dignitatibus valde contemtim locutum. Et credebatur ab Oxenstierna hanc occasionem arreptam, ut communicationem cum Gallia plane abrumperet. Ac legatus iste, cum a Rege suo jussus esset, ni postulatis cerimoniis potiatur, discedere, Rege non viso e Suecia abibat. Sane id factum velut insigne dexteritatis suæ specimen Oxenstierna ostentabat, Gallicos ministros omnium corruptelarum autores Holmia amovisse. Idem Brandio disserebat: *Regem salvo cum Cæsare fœdere cum Gallo amicitiam colere non posse; ac ultro abhorrere pro summa pecuniæ Galli se libidini addicere, quod & ejusdem rebus haut consultum sit. A Gustavi Adolfi temporibus ad novissimum usque bellum infinitis documentis constare, Gallum fœderatorum suorum opera ad proprias duntaxat utilitates, ac perniciosa destinata uti; ex affectu in hosce, aut grati animi impulsu ne hilum facere, ac demum eorum simplicitatem illudere. Gallicam pecuniam habere instar pennarum aquilinarum, quæ & juste parta secum consumant. Tres milliones, quos Rex novissimo bello a Gallo acceperit, quinquaginta millionibus Suecia constitisse, fama insuper armorum Suecicorum imminuta. Et tamen Gallum ob exhibitam promte operam, ac tolerata damna, nec facta pace, nec deinceps vel minimum redhostimentum exhibuisse. Destructam classem immensis sumtibus reparandam, & contractum æs alienum dissolvendum. Gallum ista adspicere velut ipsum non tangant; at Feuquierium ante aliquot menses absque circuitione proposuisse, si Rex XV M militum in Germaniam transferre, ac in Galli gratiam ibi alere velit, hunc certam pecuniam annuam præbiturum ea lege, ut copiæ istæ in Pomerania & Bremæ quiescant, ac in Galliam quid movere cupientibus*

Collisio legati Gallici in Suecia super cerimoniis.

682. *metum incutiant. Quasi Suecis expediat provincias suas excedere, ac manibus in sinum compressis alienæ fabulæ otiosos spectatores agere. Insuper tamen habitis iis, quæ circa Bazinum contigerint, paratos esse Gallos Regi sesquimillionem uncialium numerare, si hic illa XV M militum ad Galli placitum in Germaniam transportare velit. Sed Regi hautquidquam cordi esse vasta Galli destinata fulcire, quæ brevi ipsam Pomeraniam ac Bremam periculo expositura sint.* Addebat, se quondam suasisse, ut omissa in Electoris terras irruptione sequestris officium continuaretur; sed adversarios suos prævaluisse. Alias suæ nationi nil gratius esse, quam si Regi suo cum Electore conveniat. Cæterum quare Rex iste tantopere Gallos adversaretur, ejus variæ causæ ferebantur. A puero eum Gallos, & quicquid ab his profectum, odisse, quod nactus foret educatores nil Gallici moris æstimantes. Gallos quoque Bipontinam ditionem, avitum Regis patrimonium, ita contumelioso modo eripuisse, oblata post pro ista pecuniæ summa, quasi Regi ditio, ex qua spes successionis Palatinæ, & Bavaricæ pendebat, pecunia venalis esse queat. Sed & non poterat non Regem male habere, Gallicos ministros ita contemtim de Suecia loqui; Regnum esse pauper, famelicum, Reges mercenarios regulos. Ac Barillonus Gallicus legatus nuper inter alia Anglo dixerat: Gallum non pluris æstimare Sueciam, quam minimam provinciarum Franciæ, ac Reges Sueciæ semper conditione mercenariorum agere, qui absque argento Gallico subsistere nequeant. Sed & nondum Rex digerere poterat, a Gallo Electori, Cellensi, ac Monasteriensi aliquas particulas Suecicarum provinciarum concessas; cum tamen ei in proclivi foret, istos compellere, ut non solum erepta ad assem restituerent, sed & insuper satisfactionem præstarent. Denique Axelius Oxenstierna suasisse ferebatur, ut postquam Gallica destinata in apricum eruperint, Suecia compescendæ Gallorum ambitioni, Cæsari ac Imperio sese innecteret.

Responsum Brandio in Suecia datum. 28. Sept.

§. 77. Cæterum mandata sua prolixe exponenti Brandio Oxenstierna laxis verbis reponebat; Regem in eo cum Electore consentire, Germaniæ nil utilius, quam pacem servare; ac eum huic fini consilium, & operam collaturum. Quæstionem duntaxat esse, qua via pax conservari queat. Regis sententia in hunc sensum referebatur: studium Electoris circa pacem servandam laude dignum, ac eandem sibi mentem esse. Sed qua ratione pax servanda sit, nondum se judicare posse, quod adpareat, quo deliberationes Ratisponæ, & tractatio Francofurti evasura sint. Cum Brandius moveret; relicto Argentorato jam Friburgum recuperari posse, Sueviæ tegendæ idoneum; Oxenstierna id silentio transmittebat. Alias idem addebat; Fœdus cum Cæsare, ac Belgis innoxium esse, ac non nisi tuendæ paci Westphalicæ, ac Neomagensi susceptum. Tractatum cum Cæsare adhuc hærere circa subsidia ab Hispanis numeranda, & viginti naves auxilio Sueciæ a Belgis submittendas. Cæsarem quoque non supra X aut XII M Suecorum in Germania habere velle. Sed Regem justum exercitum trajicere cupere, cui ipse tuto, & cum honore imperare queat. Quæ in speciem dici adparebat. Discedenti *13. Octob.* Brandio Rex inter alia amica dicebat; se sperare, Electorem non amplius eorum, quæ antea inter ipsos acta sint, meminisse, asseverans, penes se culpam non fuisse; ac si ipse ea tunc ætate res uti nunc judicare potuisset, longe aliter agendum fuisse. Simul de Electore singulari cum honore loquebatur. Ad quæ Brandius: Electorem anteactorum memoriam, & sensum exuisse. Simul repetebat, quæ ipse discedens anno 1674 Regi prædixerit; ac si tunc irruptio in Marchiam omissa fuisset, non opus nunc fore super Argentorato disceptare, ac exitiabile bellum metuere. Rex id verum esse agnoscebat; sed facta infecta reddi non posse. Relatum tunc Brandio fuit, Regi, cum fractam tibiam gangræna invasura videretur, in animo fuisse Electorem per testamentum tutorem filiæ Hedvvigi Sophiæ constituere. Cæterum ista blandimenta hautquidquam plenam sinceri affectus fidem assequebantur; ac verosimile videbatur, amicos adeo vultus sumi, vel ut Elector conniveret, Rege copias in Germaniam trajiciente; vel quia oppidis Pomeraniæ admodum maligne prospectum erat.

Elector cum Saxone confilia confert. 24. Nov. Haugvvitz.

§ 78. Inter hæc rebus Germaniæ in deterius euntibus Elector Saxonem invitabat, ut aliquem suorum Cotbusium mittere placeat, qui cum Meindersio super præsenti rerum statu communicet. Ubi a Saxone veniens Haugvvicius testabatur, Viennæ non magis Saxonis, quam Brandenburgici consilia probari, ac tantum non ipsos ibi ignorare quid velint; ac revera Cæsarem haut optima ministrorum opera uti. Præcipuum horum laborem in eo verti, ut factionem suam firment, adversam subruant. Plerosque Argentorati jactura sat languide tangi, inficeto prætexto, quia hæretica civitas sit. Sed quæ præcipua congressus causa erat, Saxoni a Crocovio Viennæ acta communicabantur. Ibi Cæsareos isthæc præcipue movisse: Ante omnia interpretationem tabularum pacis Monasteriensis & Neomagensis suscipiendam: dictatorium Galli modum leges Imperio præscribendi tolerari non posse: conditiones ab eo latas enormes esse: iisdem nil solidi subesse, ac Gallum, ubi in mentem venerit, protinus nova postulata in medium allaturum, paci abrumpendæ prætextum: denique eundem cum Imperio duntaxat tractare, non autem res Italicas & Hispanicas simul componere velle, per quas deinceps pax Germaniæ turbari queat. Circa hæc Electoris sententiam esse: Optandum fore, a Cæsareis pacem fuisse formatam interpretationis haut indignam. Uti autem pacem Neomagensem reipsa imperfectam, Imperio noxiam, & contumeliosam; ita & formulam ejusdem sinistre conceptam. Cur non clarius

1682. rius scriptum? Cur compromissum, quod ante bellum placuerat, non instauratum, ac Ordinibus Imperii præsentem statum reservatum? Cur antehac cum ipso Gallo certa pacta inita, ut decem Alsatiæ civitates certis, ac novis conditionibus ab omni Gallorum impetitione immunes forent, si credebatur, iisdem per Monasteriensem pacem satis cautum fuisse? Ac si maxime diu super sensu Instrumenti disceptetur, quem judicem fore utrius interpretatio genuina sit? Ad postulata porro Galli reciproca postulata formanda, aut aliquid offerendum. Ut meliores conditiones obtineantur, se maximopere optare, ac in eam rem officia adhibiturum; sed eventum præstare non posse. Super cautione futuri tractatus sententiam suam Viennæ exposuisse: ea adhuc se stare. Si securitas in imminutione Gallicæ potentiæ quæratur, alia remedia adhibenda fore, ac diuturnum bellum gerendum, cujus exitus forte Imperio nocentior, quam isthæc transactio futura sit. Denique in votis esse, ut universalis pax constitui queat. Sed jam præcipue agi de pacanda Germania, ad quam lites Italicæ, & Hispanicæ directo non spectent. Iis locis bellum fuisse gestum, & pacem factam inconsultis Germanis. In Germania quoque bellum gestum, cujus nulla cura Hispanos, & Italos tetigerit. Igitur curam patriæ ante omnia habendam. Post isthæc obstacula amota sibi tres palmarias rationes occurrere, quare declinatis extremis pax suadenda sit: intestinum Germaniæ statum, Galli opes, ac belli Turcici metum. Ac fateri Cæsareos Viennæ, se bello cum Gallis, ac Turcis simul gerendo haut sufficere. Inde movebatur super Electorali fastigio quod jam ab ipso Cæsare, ac Luneburgicis impugnetur, eique velut controversia status moveatur. Si Cæsar eam dignitatem Electoribus detracturus sit, qui post Deum diadema suum istis solis debeat; qui per legem Regiam velut sub conditione tutandæ dignationis Electoralis Cæsar dictus sit; qui eam se defensuram jurejurando promiserit; qui velut Rex Bohemiæ collega ipsorum sit; qui nunc in dubium vocatam prærogativam in oculis totius Europæ antea detulerit: quid alios Reges aut populos liberos facturos? Altius penetrare, quod nunc Austriaca Domus circa hanc Electorum eminentiam, & affectatam Principum cum his exæquationem cum quibusdam eorum conspiret. De qua Domo Electores plus, quam alius quispiam mortalium meriti sint; quæ ab aliquot jam seculis beneficio Electorum summa in orbe Christiano dignitate floruerit. Discrimen, quod Cæsar responso suo adduxerit inter congressus, qui in Imperio, & extra hoc agantur, nihil ad rem facere. Sane Monasterii, quod utique intra Imperium situm est, Electores ea prærogativa gavisos. Francofurti etiam cum extero Rege negotium esse. Viennæ Italis Principibus, & Rebuspublicis eas cerimonias haut negari; & tamen Cæsarem lege Regia teneri Electores istis præferre. Florentino eas cerimonias hac conditione concessas, ne id Electoribus præjudicio sit. Ipsum Cæsarem Electoralibus legatis dignationem regiorum legatorum primi gradus concedere, ut tecto ipsum capite alloquantur: & nunc Cæsareos legatos debitum iis titulum, locumque detractum ire? Quo ipso omnem cum iis communicationem abrumpi. Addebantur questus super Laxenburgico fœdere, quo de ejusmodi rebus disponatur, quæ Imperii ruinam provocare queant, imo quæ, uti ipsum fœdus fatetur, ad Comitia quidem pertineant, & ibi tractentur; sed quia tarde ibidem procedant, ac velut vado adhærescant, eam labem hoc fœdere supplendam. Equidem cuilibet Ordinum integrum esse tutandæ suæ ditioni fœdera inire, ac sibi illatarum injuriarum reparationem quærere; ast non super aliorum, qui id non desiderent negotiis pacisci. Minime omnium istis competere Rhenum in certos districtus dividere, stativa & hospitia assignare, & quinque Electorum Rheno adsitorum terras partim propriis, partim Saxonicis, & Hanoveranis copiis assignare. Præsertim cum hi duo Principes testentur, sibi de hisce rebus nihil constare, nec Waldeccio quid eo nomine in mandatis dedisse, nec unquam sibi in mentem venisse talia postulare, aut exsecutioni dare. 1682.

§. 79. Ad ista Saxo Melchiori Rucquio, qui aliam ob causam Dresdam missus fuerat respondebat: *Ejusmodi pacem, qualem Gallus offerat, certissimam Germaniæ ruinam post se tracturam. Equidem acta aula Cæsarea sibi haut probari: certo tamen statuendum, hac tempestate a conservatione Austriacæ Domus Imperii quoque salutem pendere, ac utriusque rationes inseparabiles esse, nec Electorum, ac Ordinum statum absque ea Domo consistere posse. Nam Gallum non prius cessaturum, quam diadema Cæsareum in se traxerit; quo obtento Germaniæ Ordinibus idem jugum subeundum, sub quo Galli gemunt. Germanorum culpa Gallum antea adversus Imperium invaluisse, ac in præsens hujus discordia ad novos progressus uti. Igitur extrema potius omnia tentanda, quam admissis ejusmodi fœdis, ac noxiis legibus servitium ultro arcessere. In eadem sententia Bavarum quoque esse. Ejusmodi conditiones non nisi plane victis impingi, quales & Imperio nemo antea proponere ausus est; nec Gallum eas perversurum, nisi Deo decretum sit novam Monarchiam formare. Interim utique satius esse pro dignitate, ac libertate arma arripere, quam ultro cervices Gallico jugo submittere. Quin ipsi hosti gloriosius esse, si utique Deus rerum conversionem, quod non speratur, statuerit, ut victus inter arma ad extremum connixus, quam præter necessitatem externo se imperio sponte submittat. Ac si maxime omnia Galli armis succumbant, quod sine multa sanguinis effusione futurum non sit; libertatem tamen patriæ, & Teutonicæ nationis gloriam majus periculum incurrere non posse, quam in quod ea Gallicis conditionibus acceptatis certo ruitura sit. Id quod statim erupturum sit, atque Germania iterum armis se exuerit. Quod jactetur oblatas conditiones acceptandas, si meliores obtineri nequeant, perinde esse, ac si eas pure acceptandas dicatur. Nam si Gallus norit, eam Imperio sententiam esse, nunquam aliquid remissurum. Cæterum justitiam causæ Imperio manifeste favere. Neomagi circa Alsatiam nil cessum, sed omnia in pristino statu relicta. Nec vero Cæsareæ legationi facultatem quid condonandi fuisse, quæ & ex abundanti eo nomine protestationem interposuerit,* Saxonis circa hac sententia.

1682. rit. A ratihabitione demum tractatibus firmitatem provenire, quæ & ab Imperio requisita sit. Ea autem expresse caveri, ut negotium Alsaticum in præsenti statu relinquatur. Eam ratihabitionem Gallum admisisse, eoque eandem plenam obligandi vim accepisse: ut Gallus acta sua e Neomagensi pace nec adstruere, nec excusare possit. Ex fœdere anno 1671. Viennæ inito haut consequi, Cæsarem Alsaticas urbes cedere potuisse aut voluisse: sed id duntaxat ibi conventum, ut orto forte dissidio controversia illa citra vim amice componatur. Ex actis compromissi adparere, Gallis tunc talia ne per somnium in mentem venisse; quin ipsos velut illegitimam prætensionem declarasse, quæ nunc Imperio tanquam justa, & æqua agnoscenda obtruditur. Quanquam etiam inter supremas potestates judex non existat; jure gentium tamen receptum, ut si inter istas controversiæ surgant, ea per arbitros, aut sequestres componantur, ac ut pactorum instrumenta, æquitas, & sana ratio inter fundamenta decidendi habeantur, antequam ad extrema procurratur; non autem, ut in ipso limine ejusmodi postulata ab una parte alteri pro imperio injungantur. Hic agendi modus, si inter gentes recipiatur, non opus fore congressu ad negotiationem, sed talia jussa per tubicinem alteri transmitti posse. Postulata hinc inde proponenda, ut demum in uno tertio conveniatur; cui inveniendo inspectio Instrumentorum subserviat, quæ unice eo fine conficiuntur, ut vincula societatis inter gentes sint. Quem usum, si non amplius habeant, inter viles chartas censenda. Nil quoque securitatis subesse Gallicis conditionibus, unice a Galli libidine pendentibus; ac Germaniæ exarmatæ adpariturum, quanti eidem fidei, ac jurisjurandi religio habeatur. Unde solidam securitatem unice e conjunctione petendam, ad quam Elector maximum momentum adferre possit. Quanquam autem communis pax difficilius, quam peculiaris cum Imperio obtineri queat; potentiam tamen Gallicam eousque provectam, ut toti Europæ suspecta sit; nec obscurum esse, Galli destinata non magis ad subigendam Italiam, quam Germaniam dirigi. Indicio esse, quod is ita operose laboret, ut per peculiares tractatus communes rationes divellat, ac cum omnibus bellum, cum omnibus pacem simul defugiat. Contra Germanis summam consiliorum eo redire, ut commune periculum junctis viribus propulsent, ac pacem communi opera conservent. Præsertim cum Gallus jam cœperit cum Germanis velut pro imperio agere, postulatis suis citra exceptionem obtrusis. Cum tamen nullo colore Gallus in eas leges pacem inire prætendat, ubi nullum bellum antecesserit, nec per Imperium vel minima bello causa præbita sit; cum iste contra pro lubitu grassari gloriosum ducat. Quod autem ob enormem Galli potentiam bellum cum ipso declinandum sit, id maxime locum habiturum, si quæstio sit, num Imperium Galliæ arma ultro inferre debeat. Ast armis injuriam propulsare, cujus necessitas Imperio adversus violentam oppressionem, & avertendo servitio imponatur, non adeo anceps esse, uti fertur, ut ideo omnia ad placitum Galli concedenda sint. Posse vires Germaniæ Gallis præponderare, ubi hi pluribus locis distrahantur. Venetos Madriti fœdus mutuæ defensionis obtulisse. In Catalonia, versus Italiam, in Flandria L M militum Gallo opus esse meræ adversus Hispanos defensioni. Quid contra Belgas requiri? Ista omnia cum Gallus norit, universale bellum tantopere formidare, cui se parem non fore satis norit. Affectatam Germaniæ debilitatem Galli potentiam terribiliorem reddere. Porro quemcunque vultum Anglus jam inducat, tamen ubi in arma eruptum fuerit, quamvis ingratiis ad alia consilia compulsum iri. Ut inter Ordines Imperii concordia existat, Electorem plurimum conferre posse, ac reliquos dissentientes mox ejus exemplum secuturos. Ac si idem cum Bavaro & Saxone conspiret, brevi honestam pacem, aut gloriosum bellum expectandum. Cum contra acceptatis nunc a Gallo propositis conditionibus bellum brevi erupturum sit, post opes Imperii tantopere debilitatas, post abrupta, quæ in præsens capta sunt, omnia consilia, ac post prostitutum Germanicæ nationis decus. Et tunc tamen non minus, quam in præsens anceps fore, cui sors armorum fautura sit. Difficillimum, quod objicitur, esse bellum Turcicum. Sed unanimi conjunctione Turcæ juxta, ac Gallo resisti posse. Ac valde verosimile videri, ni status Germaniæ Turcis per alios proditus esset, aut ni isti alieno instinctu stimulentur, hos eo tempore, quo totus orbis Christianus armis instructus agat, induciarum prorogationem haut fuisse recusaturos; cum hucusque ipsis semper mos fuerit Christianos armatos haut lacessere. Ast præsumendum non esse, ni Cæsarem virium suarum conscientia animaret, eum rem ad extrema deduci passurum fuisse. Ei destinatum LXXX M militum armare: eundem Polonis ac Moscis amicis uti, ex Italia ingentes pecuniarum summas accipere. Cum tamen certum sit Austriacis infelici bello succumbentibus reliquos vicinos Turcis pares haut fore; eo majorem necessitatem incumbere maturam conjunctionem ineundi fulciendo Cæsari. Denique Gallo rerum potiunte Protestantium sacra succubitura, quod tunc omnium Principum rationibus turbatis, Gallus haut omissurus sit super bonis Ecclesiasticis actionem movere. Has ob causas sibi ad

tutam

1682. *tutam pacem juxta, & honestum bellum summe necessariam videri consiliorum, & virium conjunctionem, tanquam unicum remedium praevertendae, quae imminere videtur, dissolutioni, ac ruinae Imperii. Equidem nonnullos haec consilia velut desperata differre. Se tamen nondum omnia conclamata habere, ac difficultates, quae objiciantur, adhuc superabiles esse. Quicquid demum sit, praestare utique rem ad extrema deducere, quam in durissimas leges, lubricam, turpem, atque exitiabilem pacem concludere, ac extraneum jugum citra necessitatem subire; cum libertas ac autoritas Principum Germaniae cum Gallici status indole consistere nequeat.* Addebat Saxo: *sibi certo constare, bellum demum super fatris oriturum, ac Jesuitas, qui in praesens Galliae rationibus innexi sint, apud Pontificem impedire conari, ne Caesari suppetiae adversus Turcam submittantur, ea ratione adducta, quod Gallus promiserit, si autoritatem suam in Germania eo, quo spes sit, provehere queat, ita se res temperaturum, ut per pacem Westphalicam detracti Romanae Ecclesiae sedecim praesulatus, ac omnia reliqua bona sacra eidem restituantur. Unde si maxime in Hungaria sedi Romanae per Turcarum progressus quid detrahatur, id tamen decuplo in Germania pensatum iri.*

Caesar de bello Turcico significat. 6. Dec.

§. 80. Eodem tempore Caesar misso Joanne Philippo Lambergio Comite de imminente a Turca periculo significabat: uti hic, cum induciis adhuc biennium restet, Hungaricis turbis eousque se ingesserit, ut rebellibus hoc anno ad expugnandas aut avertendas complures in Superiore Hungaria munitiones validas copias auxilio miserit: tum sequenti vere Asiaticas, & Europaeas vires Belgradum evocet, justum bellum sibi illaturus, ipsique Viennae obsidium minitans. Huic hosti, ut resistatur, eo magis Caesari necessum esse totius Germaniae auxilia excire, quod ab Occidente quoque tempestas immineat. Et quia Electores primariae Imperii columnae, ac intimi Caesaris consiliarii sint, in tam arduo negotio eorum consilium exquirere velle, si futuro mense Februario Ratisponam modico cum Comitatu iisdem accedere placeat. Quod iter Elector quoque susceptiturus speretur, cum Bavarus & Saxo jam condixerint. Quatuor Electorum ad Rhenum praesentiam eo certius expectari, quod ingruens a Turca periculum Gallo omnem suspicionem eximere possit. Praesertim cum Gallus sublato nuper Lutzenburgi obsidio declararit, id eo respectu factum, ne orbis Christianus a communi contra Turcam defensione impediatur. Ac inter conventum eo fine habitum istorum Electorum ditiones non majus periculum manere; quod inter suspiciones licet domi haerentibus haut ideo plus virium ad resistendum in promtu futurum sit. Quid quod nondum eousque libertas Imperii redacta sit, ut Electores cum Caesare ob respectum extranei Regis congressum agitare non audeant. Ad ista Elector scripto respondebat: Iter Ratisponam per valetudinem hiberno praesertim coelo suscipere supra suas vires esse. Quae sententia sua sit, peculiari Viennam legatione, ac per ministros suos Ratisponae, ac Francofurti candide exposuisse. Se quidem haut praesumere, Gallum ex conventu Caesaris, & Electorum suspicionem concepturum; aut hos metu, & respectu extranei Regis eum congressum declinaturos. Optimum autem, & efficacissimum remedium tranquillando Orbi Christiano, subducendae in tutum patriae, servandae Hungariae, ac provinciis Caesareis hac tempestate non aliud adparere, quam quod ipse hactenus tam enixe, & candide commendaverit. Et quia Germania impar sit Gallicae ac Turcicae potentiae eodem tempore propulsandae, se magnopere optare, ut stabilita domi concordia, & amice compositis cum Gallia controversiis, quae supersint Germaniae vires haut spernendae ad repellendum Christiani nominis hostem, ac retundenda ejusdem cruenta consilia impendantur. Quo casu spem esse, Gallum ad tam egregia destinata, si requiratur, insigni auxilio concursurum. Se quidem, ut studiosum boni publici, patriaeque animum Caesari, totique orbi adprobet, nihil omissurum. Eadem Caesar per Emmericum Fridericum Waldendorffium Moguntino proposuit, qui & in eundem sensum respondit, addito: se lubenter Caesari praesto fore, quo ipsum evocare placeat, modo prius per pacem cum Gallo adsitae Rheno provinciae in tuto collocentur; nec exteri hospites metuendi sint, ubi ipse vacuam domum reliquerit. Unde sibi necessarium videri, tranquillandae Germaniae proposita a Gallo acceptari; idque se fido in patriam animo suadere. Equidem nosse, Viennae se Galliae addictum haberi; sed solatio esse conscientiam, quae incorruptum sibi testimonium dicat sinceri in patriam studii. Cum Moguntinus objiceret, Gallum ex eo conventu suspicionem concepturum, novasque Germaniae turbas daturum; Caesareus ablegatus e Gallico ministro, qui Moguntiae agebat, sciscitari petebat; an non Gallus potius spem inde concepturus sit, pacem cum ipso firmatum iri? Ast hic non sine ferocia declarabat; Regem utique gravi suspicione perstrictum iri, cui plane persuasum sit, Caesari nil magis in votis, quam bellum cum Gallo esse; ac facile colligi posse, omnia consilia non tam contra Turcam, quam Gallum directum iri. Gemina cum Moguntino Palatinus quoque, & Trevirensis, atque Coloniensis responderunt. Quorum & hic exprobravit: cum legatio Caesarea Francofurti Electorales Principalibus legatis exaequare voluerit, Electores aegre in congressum cum Caesare consentire posse, antequam ipsis eo nomine satisfactum fuerit.

1682. 8. Dec.

Electoris ad Caesarem missio.

§. 81. Vicissim Elector Ottonem Suerinum ad Caesarem mittebat; qui ex itinere Dresdae nonnulla circa responsum nuper Rucquio datum monere jubebatur. In eo quippe multa erant, quae

1683. Apud Saxonem proposita. Elector haut agnoscebat, de quibus Saxo aliter edocendus erat. *Sane se nunquam proposuisse, ut Galli conditiones pure acceptentur; multo minus, ut Germania ultro cervices Gallo submittat. Sed nec dispicere posse, Germaniam, si maxime in Gallicas conditiones pax ineatur, ideo in extremum periculum, aut servitium conjici. Se quoque manifestis e causis nil fructus dispicere posse, si Angli, Sueci, ac Veneti velut sponsores Westphalicæ pacis implorentur. Contra non defore rationem justa cautela firmandi pacem, quæ in oblatas a Gallo conditiones concludenda sit. Se quidem universalem pacem summopere optare, ac maxime abominari Italiam a Gallo subjugari. Ast in præsens ante omnia pacem, ac securitatem Germaniæ respiciendam. Se porro judicare non posse, Gallum per factas de pace propositiones cum Germania pro Imperio, velut Principem cum subjectis agere. Num bellum non ita periculosum sit, sicuti ipse ostenderit, eventum minus sero edocturum. Non constare quoque sibi de affectata aliqua Germaniæ debilitate, qua Galli vires in majus extollantur. Num ab Anglo quantumvis invito alia mox consilia capessenda sint, sibi valde dubium videri; uti & quæ de mutatione consiliorum in Dania, ac fortibus in Belgio fœderato destinatis innuantur. Germaniam sufficere bello simul contra Turcam, ac Gallum gerendo, animo se comprehendere non posse, aut Cæsaris militiam ad tot millia adscensuram. Nec magis capere se, qua ratione utilius Germaniæ sit rem ad extrema deducere, quam in notas conditiones pacem inire. Denique Saxonis sententiam circa Laxenburgicum fœdus sibi haut probari, ac rem esse maximi momenti, circa quam rationes quinque Electorum ad Rhenum versentur.* Ad ista Haugwicius: Perinde esse, utrum quis dicat, Galli conditiones pure acceptandas, an vero publice dictis sententiis declaret, acceptare nos eas velle, ni Gallus remittere quid velit. Nam illum ultro nihil remissurum; ac jam intima animi sensa apertius fuisse denudata, quam ut a Gallo moderatio sit speranda. Et quia per acceptationem pacis securitati Imperii haut consulatur, satius esse nunc bellum ordiri, quam quando armorum paratus, ac concordia Germaniæ in deterius abiit. Frustra conversionem rerum in melius expectari, quod singulis annis quantum Galliæ vires gliscant, tantum Germaniæ opes minuantur. Successu quoque temporum multas illustres domus ob inevitabilem divisionem potentia, qua nunc conspicuæ sint, evolatum iri. Sed Suerinus regerebat: in meditullio Germaniæ sitis facile esse fortiter loqui. Sed Electoris terras Galliæ propinquas, nec a Turcico periculo nimium remotas. 19. Jan. Demum fatebantur Saxones, se jam fœdus cum Cæsare absolvisse, eoque frustra ratiocinia consumi. Addebant, Electorem sibi non optime consuluisse, quod dum se subtraxit, Cæsari necessitatem attulerit auxilia apud Suecum, & Polonum quærendi; & cum alias idem imperium in Cæsaris exercitum obtinere potuisset, ansam dederit, ut in Luneburgicos devolveretur. Sibi quidem animum non esse Gallum aggredi, & Argentoratum vi recuperare; quod vix successurum sit. Expectare tamen, quid Gallus ulterius suscepturus sit, ac si reunionibus grassari pergat, se vim ejus propulsaturos. Nam etsi Argentoratum tunc quoque periturum sit, minus deforme tamen esse aliquid amittere, quam condonare. Nam quamdiu id per tractatus non sit cessum, jus integrum manere; ac si res militaris in Germania melius digeratur, occasionem nasci posse amissa vindicandi. Quibus Suerinus opponebat: hoc modo ad Rhenum positos a defensoribus proculcandos; quod Elector nunquam sit concessurus. Contra Gerstorfius; Electorem olim prætexto defendendi Imperii nulla prægressa requisitione, aut conventione tractum Rhenanum exercitu suo inundasse, ac ea fecisse, quæ nunc quoque sine gravi necessitate suscipienda non sint. Non videri tamen rem huc redituram. Goltzius supremus militiæ Saxonicæ præfectus dicebat; Cæsarem, Suecum, Polonum, & Hanoveranum acriter apud Saxonem institisse super offensivo fœdere adversus Electorem; sed se acerrime obluctatum.

§. 82. Ast apud Cæsarem Suerinus excusare jubebatur Electoris valetudinem, quo minus designatum conventum obire potuerit. Sed sententiam suam hac legatione declarare velle. (Mandata ad Cæsarem.) Sane cum non adpareat, qua ratione ingruenti a Turca, & Gallo periculo pariter occurri queat, suscipiendos cum Gallo tractatus quantum potest; quod hic jam paratus adstet rapiendo, quicquid trans Rhenum jacet. Non minus sibi quam aliis dolori esse, Imperio tot egregia membra, ac inprimis Argentoratum decerpi. Enimvero necessitati cedere sapientum esse, & jactura unius vel alterius membri totius corporis conservationem quærendam. Ubi semel constans cum Gallo pax conclusa fuerit, se super ejus evictione cum Cæsare, & aliis arctissimam obligationem contracturum, ac ejusmodi consilia capturum, ut ex ea parte nil amplius metuendum sit, aut ut pacem infracturis idoneæ vires opponi queant. Esse regnis, ac rebuspublicis suas periodos; ac forte deinceps mitiora tempora Germaniæ exoritura, quibus erepta recipi queant. Pace quoque constituta sibi facultatem fore insignia auxilia contra Turcam submittendi, ad quæ & prolixa sibi voluntas sit: ac e Cæsare nosse velle, quo modo studium suum repræsentare possit. Præter ista jubebatur Suerinus monere de tuendo Electorali fastigio: tum de Laxenburgico fœdere, per quod Electori grave præjudicium inferatur. Nec minus de actione in Carnoviam, ac in vacantes non ita pridem Ducatus Lignicensem, Briegensem, Wolaviensem: circa quos tamen ipse Cæsari duris hisce temporibus molestus esse noli-

lit;

lit; ut tamen ratio ineatur, quomodo his in melius euntibus sibi satisfiat. Nam superiore seculo pactum mutuæ successionis inter Brandenburgicam Domum, & Duces Ligniciæ, & Briegæ initum fuerat, quod Regum Bohemiæ concessione nitebatur, qua iis Ducibus libera dispositio circa dictas ditiones indulta fuerat. Injunctum quoque Suerino suadere, ne Cæsar ob negotium Gottorpiense Daniæ Regem nimis urgeat, ne idem in nervum erumpat; sed ut potius ea lis amica tractatione, & opera sequestrium componatur.

§. 83. Viennæ Suerinus reperiebat aulam Cæsaream negotium pacis extractum ire, ac indubium habere, Gallum, quicquid ferociæ præ se ferat, contra Germaniam nil tentaturum. Quin malebant id ab eo fieri, quo pax in Italia, & Belgio Hispanico servaretur ubi auxilia Imperii sperari non poterant. Nam ubi Germania serio invadatur, non defore, qui vires oppositurí sint. Ad proposita a Suerino regerebatur: Gallum Germaniæ haut diutius pacem indulturum, quam quoad limitem suum ex voto firmaverit. Interim alia adquisiturum, quæ Germaniæ fraudi, sibi robori cedant. Eundem quidem Electori imputaturum, quod ob hujus officia tractatui liberum spatium indulgeat, ac reunionibus, aliisque infestis abstineat. Revera tamen commodiorem in arma erumpendi occasionem captare, ubi Turca Cæsarem invaserit. Alias se abrumpendis tractatibus ansam non præbituros: pacem tamen omnes complexam optare. Contra Gallum nec pacem, nec bellum cum omnibus velle. Si a pace Flandria, Italia, & alia loca excipiantur, fœdera, quæ cum Hispano, Sueco, Bavaro, & aliis inita sint, nulli usui fore. Cæsari fiduciam esse propriis viribus Turcam propulsandi. Gallo fœderatos opponi posse. Nec dubium esse, quin si Gallus Germaniam serio invadat, quicquid est Ordinum, ipsumque Electorem auxilio se accincturos, nec patriam opprimi passuros. Ita cum initio Suerini adventus in magna fuisset expectatione, post audita ipsius propositione frigide excipiebatur. Ast legatus Hispanicus Burgomagnus, penes quem tunc consiliorum Viennæ regimen erat, apud Suerinum multa jactabat de sua in Electorem veneratione, quem magis respiciat, quam Suecum, Polonum, Brunsuicenses, & alios. Circa negotium abreptæ navis nil magis querebatur, quam quod Elector forte ab iis, qui hoc consilium suggesserint, persuasus fuerit, Hispanos ejus facti ultionem haut omissuros; eoque istum diffidentia erga hosce adversa iisdem consilia capturum. Enimvero privatis solitum ejusmodi injurias exsequi. Principes, queis ratio status, & bonum publicum norma actionum sit, ob talia regiam viam haut relinquere. Sat causæ Electori ad stomachandum infinitis dilationibus præbitum. Se magnopere connixum, ut Electori residua solverentur. Sed statum Hispaniæ ita languere, ut aliqua patientia opus sit. Sit alias ejusdem haut interesse, ut Gallus Austriacam domum, & Hispaniam subvertat; cui nil aliud spectetur, quam ut inter se divisos unum post alterum opprimat. Eam ob causam istum a pace universali abhorrere, quam Cæsar maxime cupiat. Nam uti Gallus Ratisponæ negotium Hispanicum separare studeat; ita eundem cum Hispanis excluso Imperio transigere velle. Brandenburgicæ Domus rationes cum Austriaca ita innexas, ut Electori ferendum non sit, postquam hujus magnitudo non amplius formidinem incutiat, eam amplius debilitari, aut plane opprimi ab eo, qui non obscure ad imperium Europæ adspirat, & a quo non nisi incertum commodum, indeclinabile damnum expectandum. Nam si Gallo res ex libidine succedant, Electorem quoque communi ruina involvendum; ac unum vel alterum Imperii membrum facile spernendum, ubi maxima pars subacta fuerit. Ast ubi Gallo fortuna reflaverit, Gallica tunc auxilia, & ipsa incerta Electorem imminenti exitio haut erepturа. Nec dubium, quin Polonus, Suecus, Brunsuicenses Cæsaris fœderati plausibile prætextum arrepturi sint ex Electoris calamitate lucrum captandi. Et quemadmodum Carolus Gustavus Sueciæ Rex inter ultima mandata hoc quoque posteritati suæ injunxisse feratur, ut provincias in Germania partas inseparabili cum hac conjunctione servent: ita plus adhuc causarum esse Electori, ut per salutem Imperii propriam stabiliat, & adversus invidos vicinos muniat. Ad quæ Suerinus prolixa demonstrabat; Electorem semper Imperii conservationem quæsivisse, & adhuc quærere: sed remedia salutis pro captu temporum eligenda, & adplicanda. Porro Cæsarei ministri in eo conspirabant, Cæsarem magis in pacem, quam arma propendere, velut cui animus sit placidus, & a turbis abhorrens: qui & ancipitem Martis aleam probe consideret. Quod autem Elector hoc turbido rerum statu salutem patriæ per duram pacem, quam anceps bellum promovere malit, id ei hautquidquam vitio verti, quod ejusdem magnopere intersit pacem persistere. Enimvero in aprico esse, Gallum ad Europæ monarchiam adspirare, ac Cæsareum diadema procari; nec de ea particula Germaniæ, quam in præsens quærit, eidem agi, sed ut viam universæ subigendæ sternat, si maxime nepotes demum sui eum scopum assecuturi sint. Id Gallos scriptis publicis haut ita pridem editis sat aperte insinuare, & quod tantopere ab universali pace abhorreant, quæ forte metam continuis adquisitionibus fixura sit; & quod non amplius religioni eidem sit fidem publicam, & jusjurandum inter fallendi instrumenta adhibere. Tum quicquid de renuntiationibus jactatur, inane esse ob absurdissimum legis Salicæ commentum, per quod in æternum nil, quod semel quo jure, qua injuria ad Coronam Galliæ spectavit, cedi queat; cum Galli contra qualicunque usurpatione, ac invasione in aliena jus sibi quæri contendere non erubescant. Sane quorundam scriptorum Gallicorum impudentiam eo usque excedere, ut in evolvendis Galliæ prætensionibus primo loco po- 1683.

nant

1683. nant prætenſionem in univerſum terrarum orbem. Igitur non prius ſtabilem pacem ſperandam, quam ejusmodi limes conſtituatur, qui non minus Germaniam a Gallorum, quam Galliam a Germanorum irruptionibus tutam præſtet: ac eo fine perpetuum militem Gallo opponendum. Cæſaris copias ad LXXX M bellatorum aſſurgere. Accedere potentes fœderatos, nec reliquos, qui nunc diſſentiunt, defuturos. Si præſens occaſio negligatur, ac alias enervis Hiſpania ab amicis deſtituta ad deſperationem compellatur, Gallum interim fines ſuos firmaturum; tum Cæſarem ſociis nudandum, & Hiſpanica ſucceſſione excludendum. Turcicum bellum ſibi curam haut injicere. Nam pacem utut cum damno conjunctam in manu ſua eſſe, ſed quæ pro re nata iterum abrumpi queat; cum flagitium non haberi poſſit cum barbaris ita agere, ſicut cum Chriſtianis Chriſtianiſſimo Regi agere moris eſt. Utcunque res cadat, bellum Turcicum non ultra unius æſtatis expeditionem duraturum; & quæ heic metui queat jacturam hautquidquam comparari poſſe cum diademate, & libertate, quæ ex altera parte periclitetur. Ac ſi reliqua omnia fallant, pacem ſe cum Gallo quoque habere poſſe; qui ſemper in propoſitas conditiones conſenſurus ſit, velut per quas fundamentum vaſtis ejusdem deſtinatis ponatur. Huc accedere agendi modum nimis quam contumelioſum, ut Cæſar cum univerſis Ordinibus tanquam ſupplex Ratisponæ coram miniſtro Gallico, cui ne legati quidem dignatio ſit, ſupercilioſo, ac inſolente homine, compareat, eique declarat, ſe citra exceptionem Galli placitum amplecti, ac ab ejus gratia pendere velle. Nam ſaltem ad molliendum pudorem facere, ſi ea, ad quæ neceſſitas deſcendere ſubigit, per alium proponantur. Enimvero etſi Cæſarei miniſtri ſat magnifice loquerentur, ac ipſi Cæſari ſubinde in ore eſſet; *ſi pereundum, glorioſe pereundum*: conſtabat tamen, eos utique pacem cupere, ſi tres difficultates ſuperari poſſent; nempe qua ratione Cæſaris ac Imperii declaratio ſuper acceptandis a Gallo latis conditionibus proponenda, ut iſtius majeſtas ſalva ſit: uti iſthæc acceptatio fœderatis, ac præcipue Hiſpanis adprobanda ſit: denique quomodo publicæ ſecuritati in poſterum ita proſpici queat, ut incendium in Germania extinctum non protinus alibi locorum erumpat, iſtam iterum involuturum. Sed periculo a Turcis incumbente majus malum eos reſpectus facile ſuperaturum erat. Laxenburgicum fœdus neceſſitate excuſabatur. Circa eminentiam Electorum aliqui dicebant: Cæſari rationem conſtare, quare Principibus faveat, velut qui magis in ipſum propendeant.

Cæſareorum declaratio. 8. Mart. §. 84. Inde congreſſu habito id reſponſi Suerino Cæſaris nomine dabatur: Se etiam malignam pacem ancipiti bello anteferre, velut cui minima lucri ſpes ex hoc bello ſit. Nam ſi maxime quid recuperetur, id non ad ſe, ſed ad Ordines redire. Eoque non magis ſpe emolumenti, quam animi inclinatione impelli, ut tranquillum ſtatum cum turbido permutare, ac præter periculum a Turca aliud quoque provocare velit. Unde gratiſſimum ſibi fore, ſi idonea via huic periculo declinando inveniatur. Eoque ſe non recuſare, etſi tale quid Imperio nunquam contigerit, ac non modico probro eidem cedat, quo minus cœpti tractatus continuentur; ac ſe talia Ratisponæ propoſiturum, quæ Gallum ſatis de ſuo in pacem ſtudio convictura ſint. Ad omnes quoque fœderatos ſerio ſcripturum, ita ſententias dicerent, ut omnium in pacem propenſio inde manifeſta evadat. Aſt de gemino Galli in pacem ſtudio valde dubitari. Qua fide hic Monaſterienſem, Neomagenſem, aliosque tractatus ſervarit, in aprico eſſe; & ex eo in futurum auguria capi poſſe; ni pax ita temperetur, ut eidem tutandæ alii quoque præter ſolum Imperium innectantur. Ac vel eo ſolo, quod Gallus Turcam in arma ſtimulet, iſtum omnem fidem conſumſiſſe; quod flagitium Nemeſis divina haut ſit inultum paſſura; nec id ullum, qui Chriſtiani nominis ſanctimoniam æſtimat, adprobaturum. Quia etiam Gallus univerſalem pacem inire abnuat, ac eos, quibus eædem rationes, idem communis tranquillitatis ſcopus ſit, ſeparare ſtudeat: id ſane ab eo agi, ut unam portam claudat, alteram apertam relinquat. Unde ſibi ante omnia ſtabilitatem, & ſecuritatem pacis reſpiciendam, ne in vicem pacis arena duntaxat belli mutetur; cui malo non aliter quam per pacem ad omnes porrectam obviam iri queat. Aſt ſi ejusmodi pax a Gallo rejiciatur, & ſcena belli alio loco ſtruatur; non modo fœdera jam icta abdicari non poſſe, ſed omnibus neceſſitatem incubituram commune periculum ſociata opera averruncandi. Præſertim cum, quorum incluſio in pacem, & conſervatio quæratur, Circuli Burgundici, & feudorum Imperii in Italia, rationes Imperio haut alienæ cenſendæ ſint, ad quæ ipſe lege Regia tutanda etiam inconſultis Ordinibus teneatur. Nam horum conſenſum duntaxat requiri, ſi ipſe bello alterum petere inſtituat. Defenſionem, quæ & juris naturalis ſit, ſibi ex officio incumbere. Igitur ſe non dubitare, quin Elector tam honeſtum ipſius inſtitutum ſit probaturus, eique fulciendo operam collaturus, magnum rebus momentum allaturam. Simul apud Gallum inſtitutum, ut is communis pacis tractationem ſuſcipiat, eique commodum locum nuncupet, ac Pontificem, Polonum, & Venetos ſequeſtres admittat. Hiſpanos paci admodum faciles fore. Quia etiam periculum a Turca ingruat, quem princeps purpuratorum privatas ob rationes & per ambitionem in bellum trahat, ſe ſperare, Electorem quæ tam generoſe obtulerit repræſentaturum, ac aliquot millia militum auxilio miſſurum. Quod ſuper tribus Ducatibus in Sileſia nunc prætenſio moveatur, mirum videri, quod Elector nullum jus ad eos docere poſſit, poſtquam olim inter Domum Brandenburgicam, & Lignicenſem facta unio per regiam ſententiam irrita declarata, ac intra ſeculum ejus mentio facta non ſit. Suerino regerente; cum adverſus eam ſententiam caſſatoriam Electoris majores proteſtati ſint, eam huic inaudito nocere non poſſe. Sed cum Cæſarei ſuper auxilio contra Turcam ſubmittendo inſtarent, Suerinus reponebat: ſi pax 1683.

1683. si pax cum Gallo non succedat. Electori haut tutum esse copias suas dividere; quod ipsi ostenderint, Cæsari cum Polono, Sueco, Saxone, Brunsuicensibus fœdus esse, ad quos isti respiciendum sit. Circa Electorales legatos facile concedi posse, ut extra statos Imperii conventus etiam in ipsa Germania, ubi exteri Principes concurrant, sicuti nuper Francofurti, iis desideratæ cerimoniæ concedantur.

Responsum scripto datum.

§. 85. Demum & Suerino responsum scripto dabatur, quo Cæsar de sua in pacem inclinatione prolixe testabatur, modo a Gallo par studium expectari possit. *Sed ad futura pacis securitatem opus esse, ut ea universos comprehendat; ut si Gallus conventa violare conetur, ab omnibus bellum sibi metuendum norit. In perspicuis futuri instrumenti verbis cautela nihil esse. Nam quid Westphalica pace, ad quam Neomagensis provocat, clarius exprimi potuisse quam ut decem Alsatica civitates, & Vasalli trium Episcopatuum, eorumque ditiones penes Imperium manere debeant? Quomodo eum sensum Gallos ipso facto clarius agnoscere, atque interpretari potuisse, quam quod ea omnia loca juxta Noribergensem conventionem Imperio restituerint, & quemlibet eorum Ordinum immediato statu gaudere permiserint. Eosdem deinceps uti antea in comitiis, præsentibus nec contradicentibus legatis Gallicis sententias dixisse, ritum partem ad Imperii, & Circulorum erogationes contulisse, in contentiosis nulla alia præter Imperii judicia agnovisse. Ab ipso Gallo ad eosdem velut liberos Status legatos missos; fœdera cum iisdem icta. Quin etiam in limine compromissi, ac pluribus vicibus declaratum, Regis mentem non esse, immediatum earum civitatum statum, pace Westphalica firmatum, in controversiam vocare. Eodem Instrumento pacis præsulatum, & civitatem Argentoratensem clarissimis verbis exceptam. Eandem civitatem cum aliis ab Imperio delegatis velut inter paciscentes pacem subscripsisse. Liquidissime constare, trium Præsulatuum usurpatos vasallos sub horum districtibus Gallia nunquam cessos, nec traditos. Ast tam clarum dispositionem nihil profuisse, quo minus statim post ratihabitam Neomagensem pacem a Gallo non solum memorati Ordines, sed & alii complures Præsulatus, Principatus, Comitatus, ac ditiones Imperii etiam citra prætextum abriperentur, ac sub Gallicum imperium redigerentur. Cum etiam Gallus uti Neomagi cœpit, Francofurti, ac Ratispona non ad indolem justorum tractatuum agat, sed abrupte leges pro suo placito, & usu dictitet: quid spei de duratione peculiaris ejusmodi pacis concipi posse, ubi Cæsar fœderibus jam initis, ac armorum adparatu exutus fuerit? Haut tamen sibi in animo esse captos Ratispona tractatus abrumpere, aut exterorum negotia hisce immiscere. Neque enim ditiones Imperii in Italia, Circulum Burgundicum, Lotharingiam, & alia, qua salva esse Germania quam maxime interfit, inter externa censeri posse; qua & negligi nequeant absque manifesta Imperii mutilatione, ac periculo, ne ex iis locis eadem intra propria viscera deinceps infestetur. Sed omnes separatas pacificationes inanes, illusorias, ac obligatione cassas fore, quod translationem magis, quam cessationem belli in Imperio productura sint. Cum itaque Gallus ipse de inclinatione sua in pacem universos complexam testetur, Cæsarem confidere, Electorem pro studio suo in salutem patria officia apud istum continuaturum, quo idem Ratispona, aut alio idoneo loco etiam super communi quiete transigat. Nec Cæsarem insuper habiturum fœderatos suos hortari, ut faciles se circa perficiundum tam necessarium negotium exhibeant. Interim Electorem, oblata contra Turcam auxilia repræsentare haut omissurum.* Addebatur 1683. pollicitatio de tuendo Electorali fastigio, ac promovenda satisfactione, quam Elector e novissimo bello Imperium poscat. Circa Carnoviam oblata antehac pecuniæ summa repetebatur, laudata Electoris moderatione, quod hoc tempore Cæsari molestus esse nolit. Circa reliquos tres Ducatus nullum Electoris jus agnoscebatur, velut quod ante seculum jam fuerit abolitum. Hoc 21. Mart. accepto responso Suerinus discedebat, ne longiore mora Gallo suspicionem injiceret. Nam Seppevillius ablegatus Viennæ Gallicus Lutetiam scripserat, Electorem consilia sua mutasse, ac Cæsari se innectere velle. Post publicam valedictionem Kœnigsekius nomine Cæsaris eidem dicebat; hunc in nemine plus fiduciæ, quam in Electore collocare, & qui & deinceps fida sua consilia ipsi communicare haut sit omissurus. Obsecrabat quoque ne Elector credat, quasi Cæsar Gallum armis invadere ardeat, aut Hispani pacem nolint. Non adeo obtuso se ingenio Viennæ esse, quin agnoscant, etiam cum solo Turca sat negotii sibi fore, alio licet bello non distractis. Enimvero Cæsarem perspicere, Gallo non de exigua quadam parte, sed de toto agi; ac frustra stabilem quietem sperari, quamdiu huic uno tantum loco, non ubique prospiciatur. Electorem id jam anno 1672 agnovisse, nec consilio, ac opera sua reipublicæ defuisse. Ejusdem amorem in patriam pro ratione gliscentis periculi auctum magis, quam imminutum iri, ac tam illustri occasione tot gloriosis gestis cumulum additurum: inprimis cum ipsius declaratio grande negotio momentum dare possit, post eam Gallo rationem sine dubio admissuro. Si Electori Suecus sit suspectus, Cæsarem ipsi sat cautionis ab hoc præstiturum. Sane Gallo cordi esse Electorem cum isto committere, magis ut Sueci vires divertat, quam ut Electorem auxilio sublevet. Hispanos paces modica jactura redimere non dubitaturos. Sed Angli arbitrium a Cæsare probari non posse, velut eo redacti, ut alii merito ejus tutelam suscipere debeant. Super fœdere Laxenburgico testabatur, secreto articulo cautum, ut ante omnia Electoris ditiones intactæ maneant. Circa Gottorpiensem denique causam operam daret Elector, ne ibi res in nervum erumpat. Nec quid a Judicio Aulico decernatur adeo anxie respiciendum; nec Cellensem ad mandata ipsi transmissa quid tentaturum. Et antea quidem Hispanicum legatum id negotium acriter egisse; sed eum nunc ad moderatiora devolutum.

Seppevillе.

Electoris in Poloniam legatio.

§. 86. Ne autem inter lubrica ista temporum Electori e Polonia quid periculi crearetur, Laurentius Georgius Crocovius legatus adjuncto Joachimo Sculteto ad instantia comitia mittebatur. Ei injunctum, apud Regem super 17. Jan.

1683. continuanda amicitia testari: sed præcipue observare, quid ibi circa fœdus cum Cæsare, & Sueco agatur, ne quid per id in fraudem suam, aut fœderatorum statuatur: inprimis, ut fœdus cum Sueco omni modo impediatur. Demonstraret quoque, nullum efficacius remedium esse repellendo Turcæ, quam si pax cum Gallo ineatur; cum ne Hercules quidem adversus duos sit; ac ut Polonus eundem in finem connitatur, quo barbaris tota vi occurratur. Si forte a Sueciæ Rege Lilliehœckius missus adsit, ejus conversatione abstineret, quod & Cæsar suo legato injunxerat; adversus reliquam legationem Suecicam amica omnia testaretur. Denique in universum si quid occurrat, Electoris rationes tangens, id observaret. 10. Febr. In Poloniam delatus Crocovius de fœdere quidem Suecico nil audiebat. Sed circa id, de quo cum Cæsare contra Turcam tractabatur, multi verebantur, ne Rex eo prætexto ab Ordinibus accepta pecunia exercitum augeret, quo dein ad pervincenda peculiaria sua instituta uteretur. Super eo fœdere legatus Gallicus Vitrius interrogabatur, num id gratum Galliæ Regi futurum sit? Qui reponebat, id Regi suo non posse displicere. Sed cum ex eodem quæreretur; num Gallus Poloniæ auxilia missurus sit, si hæc ob id fœdus a Turca impetatur? respondebat; Regem vires suas dividere non posse, quamdiu metus sit, ne cum Cæsare armis collidatur. Quanquam autem revera id fœdus Gallo valde ingratum esset; tamen nec Vitrio sat pecuniæ erat, qua istud impediret; & Galli, postquam tot per lustra Poloniam machinationibus suis mire exercuissent, demum circa id tempus fidem in Polonia plane decoxerant. Ipse Rex hanc causam, quare a Galliæ rationibus se disjungeret, publice ferebat, quod Gallus tanto cum supercilio fœderatos suos tractet, ac cum Sueco, & Arausionensi post tot exhibita officia tam indigne egisset, avitis principatibus ereptis. Sed præcipua causa erat, quod Rex Andreæ Morsteinii Thesaurarii literas intercepisset, quibus hic in Galliam scripserat, Regis valetudinem in deterius ire, ejus filium diadematis haut capacem: unde alium candidatum e Gallia dispiciendum. Addebatur, quo modo id apud Polonos, & exteros pervinci possit. Ejus viri literas magno numero Rex Gedani resignari, & post descriptum earum exemplum autographa ad destinata loca perferri fecerat. Idem autem calluerat literis ita dextre aperiendis, ut sentiri non posset, ac per sesquiannum a Lisola Viennam, & hinc ad eundem scriptas literas resignaverat, idque secretum Regem docuerat; quod nunc contra ipsum vertebat. Ex interceptis istis literis una prælegebatur, qua iste Gallo promiserat, se turbando cum Austriacis fœderi comitia abruptурum. Eo magis adspernabatur Polonus ampla a Gallo per literas promissa, si is Tekelio adsistere, & Gallica ibi locorum destinata promovere velit. Ita fœdus istud, quod a Cæsare tanquam Hungariæ & Bohemiæ duntaxat Rege fiebat, absolutum est, offensivum quidem ad finem usque præsentis belli Turcici, sed defensivum in perpetuum. Cum a Cæsare exigeretur, ut fœdus jurejurando firmaret, legatus id abnuebat, quod 1683. Cæsari nunquam ejusmodi casu jusjurandum solitum sit. Unde id demum temperamenti placuit, ut pro utraque parte Cardinales Pius & Barbarinus in animam contrahentium jurarent. Cæsar quoque tunc redhibebat diploma electionis, quod Poloni quondam tempore belli Suecici ipsi dederant. Poloni sponsores hujus fœderis Saxonem, & Brandenburgicum Electores deposcebant; sed Cæsareus legatus Pontificem proponebat. Securitati vicinorum a Rep. cavebatur decreto facto, ut concessus Regi exercitus tantum contra Turcas, ac nullum alium Principem adhiberetur; utque protinus pace cum Turcis facta exautoretur, & quidem ad limitem Turcicum, non ut prius in Regni partes inferiores deducatur. Ita Comitia feliciter finita, ac Rex circa fœderis cum Cæsare exsecutionem enixo studio satagebat. Cæterum initio comitiorum Crocovius ingens odium Regis in Electorem sentiebat; qui & ut hunc Reip. exosum redderet, spargebat; Crocovium missum disturbandis Comitiis. Ast non obstante isto odio res Poloniæ ita comparatæ non erant, ut Electori inde periculum foret metuendum. Ac post Rex multa verborum humanitate de affectu suo in Electorem testabatur; ac diffidentiam a Morsteinio profectam excusabat, qui Rebenacio scripserit, Regem de invadendo Electore meditari. Ac ipse Rex post fatebatur, a Crocovio nil plane circa dissolutionem Comitiorum motum fuisse. Supererat tamen suspicio, Electorem iis Senatoribus favere, qui Regem velut publicæ libertati insidiantem oderant; ac Crocovio insinuabat, si Elector ipsi soli adhæreat, eum omnia, quæ desideret obtenturum. Ad hæc Comitia aderant quoque ab Emmerico Tekelio missi, qui ostendebant; optari quam maxime a se, ut Cæsari reconcilientur, modo cautum sibi sit, pacta circa sacra, & civilia servatum iri. Sed quod vix sperare permittant immania Sacerdotum odia, ac inprimis Jesuitarum, quos & insuper inexplebilis avaritia in ipsorum exitium stimulet, ut bona sua a nimium indulgente Cæsare emendicent. Unde si ipsos servandæ vitæ necessitas ad desperata consilia rapiat, solis istis omnia mala inde promanantia tribui par esse. Cæterum Poloniæ Rex, & Senatus ad Gallum scripserat super legati Vitrii contra istum machinationibus, & uti is diadema in alium transferre laborarit; eoque eundem revocari petierant. Unde & is a suo Rege e Polonia discedere jussus, cum Regi valediceret, querebatur; se contra jus moratiorum gentium male tractatum; suas literas resignatas; suos comites in publico spoliatos, sauciatos, quosdam & occisos. Quæ sibi objiciantur, falsa esse; ac nemini præterquam suo Regi de suis actionibus rationem reddere teneri. Ac ista se ad Regem suum retulisse, ac jam venisse ejusdem jussu, ut citra plures ambages valedicat. Ei repositum: quod novissimis comitiis cum Cæsare contra Turcam initum fœdus orbi Christiano admodum salutare opus sit, neminem inficiari posse. Ac tamen legatum Regis Christianissimi occultis id artificiis,

1683. ficiis, ac adhibitis in eam rem noxiis instrumentis sufflaminare, atque inhibere sedulo laborasse. *In gratiam tamen, & respectum Serenissimi Regis Galliæ nunc Illustrimus vestra grate dimittitur.* Idem Reginæ, in quam Galli maxime irritati erant, velut a qua hæc mutatio profecta sit, nec filio Regis valedicebat. Causa offensæ Reginæ ferebatur, quod Gallus promissos quatuor milliones solvere abnuisset. Ejus ædibus post a quibusdam ebriis e famulitio Tiescevitii insultabatur, instinctu, uti credebatur Reginæ, quod is valedicere ipsi dedignatus esset; sed quo facto Rex graviter irascebatur. Aulici excusabant; A Lithunis istis rixam inter se commissam ante ædes legati, ignaris, quod iste ibi habitaret, ac in se invicem tubos displosisse. Rege id factum apud Vitrium purgante, hic respondebat, se ultionem Regi suo commissurum. Polonus tamen Tiescevitium, ejusque famulos judicio sisti curabat, quo juri legationis satisfactum censebant. Et quia herus præsens non fuerat, cum insultatio a famulitio fieret, damnatus est, ut Warsaviæ unam septimanam, Bresciæ in Lithuania annum & quinque septimanas in custodia sederet, quod familiam debita disciplina haut continuisset. Sed qui facinus admiserant, quia judicio se non sistebant, infames & capite plectendi declarati sunt. Tiescevitius custodiæ locum sibi in arce Warsaviensi eligebat, ubi a fœminis aulicis subinde invisebatur.

…ieske-…itz.

…olonus auxilia ab …lectore …ntra …urcam …etit. …, Jul. …aluski.

§. 87. Ingruente mox a Turca bello Polonus per literas, inde & misso Andrea Zaluscio Kioviensi Episcopo ab Electore auxilia petit. Cui Elector, ne diu cauponando officii gratiam delibaret, promte annuit. conventione in hunc sensum inita. *Etsi stricto jure ad auxilia nunc mittenda haut teneatur, quod a Cæsare major copiarum vis petatur, ac pacta Bydgostiensia eo duntaxat casu auxilia requirant, quotiens novum bellum ortum sit, quo Respublica jam non infestetur: tamen vel ultra pacta Electorem declarando studio in Regem & Rempublicam missurum M pedites CC dimachas, per semestre stipendiis de suo præbitis: id quod tamen in exemplum non sit trahendum. Semestri elapso Rex, quoad copiæ ad fines Borussiæ redierint, menstrua sena uncialium millia præbebit. Reliquos bis mille septuaginta quinque unciales, qui menstruo tot militum stipendio adhuc desint, Electorem de suo suppleturum. Ubi pecuniæ copia non sit, a provincialibus præbita alimenta in pecuniæ vicem imputabuntur; ligno tamen, stramine, & similibus gratis præbitis. Eas copias Electori revocare, quando placuerit integrum fore, ut eo nomine rationem reddere haut teneatur, præsertim ubi de sustentatione iis haut probe sit prospectum, ac inopia peritura videantur. Jurisdictionem in easdem penes præfectum ab Electore fore; qui & a nemine imperium accipere debeat, nisi a Rege, aut supremo exercitus duce. Earum locum in agmine, & expeditionibus fore nullo interjecto post prætoriam Regis cohortem; ac ductoribus primum locum inter omnes sui gradus. Copias non dividendas, nec extra Poloniæ limites deducendas, nisi & regius exercitus progrediatur. Post obitam expeditionem idonea hiberna assignanda, ubi supplendorum numerorum copia sit. In permutatione captivorum earum non inter postremos rationem habendam. Redituras ad fines Borussiæ deducendas, & ubique forum iisdem præbendum. Diurnum iter non fore ultra tria milliaria, tertio quoque, aut quarto die ad quietem interposito.* Iis copiis Wolfgangus Christophorus Truchsesius, & Joannes Albertus Barfusius præerant. Iste Zaluscius Regi per cursorem significarat, Electorem magnam exercitus sui partem Cæsari auxilio missurum. Qui nuntius non parum momenti attulit, ut Rex ita promte cum equitatu suo Viennam properaret, quod adjunctas Brandenburgicas legiones grande pondus rebus allaturas consideret. Sed cum post profectio exercitus Brandenburgici sisteretur, Rex non parum turbatus Electorem hortabatur, ut & ipse in partem tam gloriosæ expeditionis venire velit. Cui Elector respondit: penes se moram non esse. Sed e formula fœderis Anhaltino Principi data judicare, a Cæsare suas copias non serio expeti. Esse quoque sibi justum metum, ne ancipiti cum Gallo statu, ac gliscente inter vicinos dissidio, dum flos suæ militiæ in Austria abest, ditiones suæ ad Rhenum, & Albim periclitentur, se ingratiis in alienas lites pertracto. Cæterum nec copiis Polono submissis, ut ad liberandam Viennam adesse possent, contigit, quod tanto longius ipsis e Borussia pedestre iter emetiendum foret, quam Polonico equitatui circa Cracoviam tendenti. Non tamen plane expertes gloriæ fuerunt, quod egregiam operam in expugnando Strigonio navassent, quam Poloniæ Rex scriptis ad Electorem literis insigniter extollebat. Nec minus fortes sese exhibuerunt in expugnatione arcis Schezeiniæ, ubi machina inventa est Brandenburgicis insignibus notata; quæ petente Truchsesio Electori donata fuit.

1683. *5. Aug.* *13. Aug.* *21. Oct.*

Ratisbona cum Gallis acta. …. Jan.

§. 88. Ast Ratisponæ, ingruente licet a Turca periculo, haut eo magis ad pacem cum Gallo proficiebatur. Equidem decretum fuerat abruptos Francofurti tractatus ibi continuare. Ac testabantur Cæsarei prolixe de suo in pacem studio; quam tamen revera impediebant. Et credebatur Austriaca legatio secreta mandata habere, discrepantia ab illis, quæ primario Commissario data fuerant. Ac satis patebat, istis fœdera magis, & pacem cum Turca cordi esse. Sed & optabant, ut soli cum Gallis agere possent, exclusis Ordinibus. Demum tamen negotium serio videbatur suscipi, ac censebat Senatus Principum, causam prius discutiendam, & ad Instrumentum pacis examinandam: sed a quo Gallus plane abhorrebat. Cæsar quoque postulabat, ut tractatio justo ordine susciperetur, nec Gallus tam imperiose velut cum subjectis, aut victis ageret. Simul cupiebat Hispanos, & Lotharingum comprehendere, quo pax per universam Europam stabiliretur. Sed Collegio Electorali satis videbatur Germaniæ quieti consuli, ac externa ne admisceri. Saxo insuper censebat, Gallo offerenda, quæ is apud

1683. pud compromissum prætenderat. Wurtenbergicus suadebat, Gallo totam Alsatiam cum decem civitatibus, Argentorato, & Equestri ordine cedendum, ut iste vicissim Friburgum & Mumpelgardam restituat; tum circa tres Episcopatus nil amplius prætendat, quam ut extra eorum territoria siti vasalli feuda a Gallo recognoscant, salvo immediato statu. Plerique tamen e Senatu Principum censebant; de jure Imperii nil cedendum, sed rem in præsenti statu relinquendam, ac tantisper pacem recte declinandam, interim arma strenue adparanda.
20. Jan. Ast Elector Jenæ injungebat, ut publice ac privatim ingereret, brevissima, & recta via in hoc negotio procedendum, & cum ex Oriente, & Occidente periculum ingruat, quantum possit ex una parte securitati Imperii prospiciendum, quo ex altero latere ejusdem, ac orbis Christiani incolumitas tanto efficacius curari queat.
2. Febr. Contra Gallus declarabat: se quidem ferre posse tractatus a Verjo continuari. Quia tamen præfixa dies jam præterlapsa sit, se nolle oblatis ante conditionibus teneri: ac integrum sibi esse velle jura sua per reuniones, aut nomine factarum impensarum persequi. Præsertim cum videat alios quoque Principes in Imperio rerum suarum satagere, ac fœderibus se firmare. Vicissim Elector Gallo exponebat; quia ipse Ratisponæ magno labore obtinuerit, ut tractatio pacis reassumatur, de cujus successu eo minus dubitandum, quod præcipuæ difficultates superatæ sint; ut de securitate publica post pacem differatur, ut sola Germaniæ negotia Ratisponæ tractentur, ut merita causæ in præsens haut discutiantur; se sperare, Regem isthanc negotiationem tam brevi spatio haut circumscripturum, nec hostile quid suscepturum, aut reuniones continuaturum. Rebenacius gravitatem, & æquitatem rei agnoscebat, modo Cæsar Regis sui moderatione abuti non velit ad extrahendum tempus, utpote cui arma sua admodum sumtuosa accidant. Cui Elector reponebat: sua quoque arma sibi maximis impensis constare, eoque se haut omissurum omni studio id negotium urgere.
9. Febr. Sed & per Spanhemium Elector Croissium monebat, ut reunionibus supersedeatur. Id quod hic liquido promittere abnuebat, questus, Cæsari pacem cordi non esse, ac tantum transactionem cum Turca captari; cum contra Regi suo ingentes sumtus sint faciendi. Sed regerebatur: Gallum utique promisisse, sese circa hæc de Electoris sententia acturum, nec durante metu belli Turcici vim Germaniæ illaturum. Demum iste declarabat; Regis sententiam in præsens esse, quod oblatis a se conditionibus teneri amplius nolit ob affectatam alterius partis moram. Non tamen aliquid vi tentaturum, nisi prævio consensu Daniæ Regis, & Electoris. Præsertim cum jam decreto Collegii Electoralis duo obstacula remota sint, quæ Francofurtanam tractationem irritam reddiderint; quod nempe non amplius Hispanicæ controversiæ cum Germanicis connectantur, ac discussio Gallicarum prætensionum seponatur.

Ordinum §. 89. Interim Ratisponæ formula pacis cudebatur, Gallo tradenda; qua demonstrabatur; per Galli usurpationes Circulo Electorali Rhenano, Westphalico, Suevico, & Burgundico insignes portiones, sed majorem fere partem Superiori Rhenano decerptam, manifesta Instrumenti pacis violatione. 1683. declaratio. 26. Febr. Sane Monasterii Ordines solenni declaratione, & literis ad Regem testatos, se ditiones, & loca, quæ hic nunc proprio ausu abripuerit, nec cedere voluisse, nec cedendi facultatem habuisse. Gallum quoque ex Noribergensi pacto Landaviæ, & Hagenoæ Gallica præsidia deduxisse; alios Ordines, ac trium præsulatuum vasallos immediato suo statui restituisse. Qui deinceps nullo intercedente in Comitiis sententias dixerint; ad quos Gallus tanquam Status liberos, legatosque miserit, fœderaque cum iisdem iniverit. Instrumento quoque pacis Gallo non totam Alsatiam cessam, sed eam duntaxat partem, quam Austriaci possederant, Landgraviatum Alsatiæ, cum Brisaco, Suntgovia, & præfectura provinciali Hagenoica. Reliqua omnia pristino statui relicta. Ac si tota Alsatia cessa foret, qua ratione Gallos sibi velut peculiare beneficium stipulari potuisse Benfeldæ demolitionem, medium Tabernarum statum, liberum transitum Philipsburgum usque, & id genus alia, de quibus cui territorium competit, suo jure disponere potest. Et quomodo civitas Argentoratensis tanquam pacti socia eam pacem subscribere potuisset, si ea Gallo cessa foret? Circa vasallos quoque trium Præsulatuum nihil cessum, nisi quod intra eorum districtus jacet: eos per amnestiam omnibus suis ditionibus, bonis, dignitati, ac libertati plene restitutos, ac a Gallo non deinceps minus quam antea Imperii Ordines agnitos. Moyenvicum in districtu Metensi situm ita solicite exprimi; de aliis extra districtus Præsulatuum tanti momenti ditionibus, ne verbo mentionem fieri. Imo a Camera Metensi, & Brisacensi Imperio avulsa, quæ nec ad Alsatiam spectent, nec feudi titulo a tribus Episcopatibus dependeant: sed ubi repertum fuerit, a quibusdam unum & alterum castrum, aut vicum, vel fundum in feudum recognitum, eo obtentu istos toto immediato suo statu ejectos, ac sub Gallicam ditionem pertractos. Neomagensi quoque pace usque adeo nil amplius, quam pace Monasteriensi cessum, ut etiam Argentoratensis præsul in sessionem, & jus dicendæ sententiæ restitutus fuerit. In pacto quoque super exsecutione ab ipso Gallo Hagenoam, & Landaviam velut civitates Imperii agnitas, ac in statu pacis Westphalicæ relictas. Igitur, id quod fides publica requirat, omnium horum ablatorum restitutionem postulari; super reliquis facile conventurum. Enimvero etsi ista in se æquissima erant; tamen in præsens non tam videndum erat, qua justitia causæ, quam qua arma pertendere possent. Ac major Electorum pars pacem impense urgebat, scriptis quoque Collegii nomine ad Cæsarem literis, maturandos cum Gallo tractatus suadentibus. Ad quas Cæsar respondit; a se fieri quantum possit, modo Gallus aliquid æquitatis ostendat.

1683. Sed Kœnigseckius dixerat; eas literas a Bavaro, & Saxone non subscriptas, nec sigillatas, qui & contra eas protestati sint; ac earum argumentum e sententia Magdeburgica desumtum. Nullo modo omnia ex Galli præscripto annui posse, ni seipsos huic mancipio addicere velint. Saltem circa pacem omnes complexam laborandum, e qua sola stabilis quies sit speranda. In omnem eventum se confidere, pares Gallo vires opponi posse, nec de pace cum Turca dubitandum. Ac in hanc sententiam Austriaci majorem partem e Senatu Principum pertraxerant; ita ut concors Ordinum voluntas sperari non posset, ni Austriacis necessitas adferretur. In eo quoque Electores a Principibus dissentiebant, quod isti Gallo aliquid in perpetuum cedere volebant: hi autem satius ducebant, rem in præsenti statu relinquere, ac saltem jus Imperii integrum servare. Interim & Pontifex Cæsaris, & Hispani instinctu Gallum per literas hortatus fuerat, ne prætensiones suas ingruente nunc bello Turcico armis persequatur. Et mox Verjus novum procuratorium accipiebat, ad certum tempus haut restrictum. 22. Febr. Cum tamen Cæsarei gliscente, quamvis a Turca periculo longius a pacis cogitationibus discedere viderentur, ac Hagæ super extendendo associationis tractatu satagerent; Elector Ratisponæ protestabatur, se extra culpam esse velle omnium malorum, quæ ex affectatis hisce moris oriri queant; ac in omnem eventum sibi cum suis fœderatis ad propriam salutem tutandam consilia capienda. Cum itaque tractatus hoc modo hærerent, aliqui proponebant; an non, qui in pacem inclinabant, Ordines separatim cum Gallo tractare debeant? Id quod Electori velut nimis abruptum haut probabatur. Principum quoque Senatus censebat, discrepantes superiorum Collegiorum sententias ad Cæsarem referendas, ejusque decisioni submittendas. Sed id Electoribus displicebat, quod Cæsar utique pro Principibus calculum positurus esset. Sane Cæsar, cominus licet jam ingruente Turca nondum auxilia Ordinum implorabat; quin legiones quasdam Rhenum versus destinabat spe ductus, pace cum Turca se 29. Jan. potiturum, aut brevi bello defuncturum. Ac demum ejusdem declaratio Ratisponam adferebatur, qua rejecta peculiari transactione postulabatur, ut per universalem tractatum pax totius orbis Christiani stabiliatur. Tum & omnia a tempore pacis Neomagensis occupata repetebantur cum omni causa, ac dati damni pensatione, non sine belli minis. Quæ ferocia multis mira videbatur, cum propria Cæsaris arma repellendo Turcæ haut sufficerent: nondum autem stabilita cum Gallo pace copias Rheno abducere periculosissimum foret.

Circa Suecum considerationes. §. 90. Inter communia ista patriæ pericula peculiaris cura Electorem solicitabat, ne Suecus obtentu auxilii Imperio ferendi exercitum in Germaniam trajiceret, & clades ab ipso acceptas ulcisci institueret. Ac toto isto tempore de trajectione Suecicarum copiarum constans fama erat; cui & fidem adstruxerat superiore anno e Suecia redux Brandius, qui magnifica de studio Regis circa formandam militiam terrestrem, maritimamque retulerat; ac uti is grandem pecuniæ vim e revocatis Coronæ bonis, ac inquisitionibus in administratores ærarii redegisset. Eamque causam esse, quare tanta cum ferocia pecuniæ Gallicæ repudientur, cupidissime quondam Suecis captatæ. Igitur cum amicis consilia conferre cœpit, quomodo isto periculo occurrendum, saltem ut constaret, quid a quolibet sibi expectandum foret. Ac sane habebat Elector, quare sibi caveret, ne idem nunc quod ante novem annos experiretur: quod Sueco per fœdus cum Cæsare transitus, hospitia, & similia promissa essent. Sane jam Wilhelmus Julius Coyetus, Suecicus Hafniæ ablegatus Regi Daniæ solenniter denuntiabat, a Rege suo XV M militum proximo vere in Germaniam trajectum iri; ad quod per existimationem, & rationes sui status compellatur. Et cum Danus classem magno studio pararet, ei trajectui impediendo, Sueci jactabant, sese e Livonia per Lithuaniam in Borussiam penetraturos. Simul apud Polonum super eo transitu permittendo instabant, prætexto usi, velut istæ copiæ Cæsari auxilio ituræ sint. Cæterum Danus quidem summa vi bellum terra marique parabat; ac jam maxime opportunum censebat Suecos invadere, dum Germania inde a Turca, hinc a Gallo destinetur. Ac optabat, ut Elector totam Pomeraniam, Luneburgici maximam partem Bremensis provinciæ accipiant, modo sibi modicus tractus ad communicationem cum Oldenburgica ditione relinquatur. Tum & Gallum solicitabat, ut ad eundem scopum opem conferat. Etsi alias nollet ejus negotii moderamen penes Gallum, sed penes se, atque Electorem esse. Ac initio quidem Gallus ingens studium in eam rem ostendere, ac spem facere suppeditandæ pecuniæ instruendis armis; quod Danus tantos sumtus tolerare non posset ad alendas tot copias in gratiam Galli, & classem quotannis armandam. Simul declarabat, sese omnes hostium loco habituros, qui Suecicarum copiarum trajectum promovere velint. Quo fine & Dano, atque Electori suggerebatur, ut Luneburgicos Suecis divulsos sibi per fœdus illigare studerent facta spe, eos magna parte Bremensis ditionis potituros. Unde & Daniæ Rex Conradum Ehrenschildium ad Duces miserat, quo eos in Suecum irritaret. Sed qui causabantur; tali conatu Gallos in Germaniam allici, ac inde dissolutioni Imperii ansam præberi. Ac major spes erat, se per societatem cum Cæsare Osnabrugensi ditione in perpetuum, forte & Hildesia potiri posse. Ac jamdudum a prudentibus observatum, Luneburgicis decretum Suecos in Germania retinere, eoque Boreales leges librare, & unum eorum alteri opponere, eo melius autoritati suæ per Inferiorem Saxoniam stabiliendæ. Eoque haut tutum erat tale quid tractatuum cum iis suscipere, quod ab istis Suecus omnia rescisceret, quæ ipsi e Dano & Electore intellexerant.

1683. Electoris ad Luneburgicos missio, 2. Maji.

§. 91. Luneburgicorum tamen menti penitius explorandæ Meindersius mittebatur, num iis forte placeat Suecicas provincias invadere, quo non imminens solum copiarum trajectio impediatur, sed & in perpetuum Germaniæ caveatur, ne per Suecos a tergo distrahi amplius possit. Id quod facile effectui dari queat, si inter Daniæ Regem, Electorem & Duces eum in finem fœdus ineatur, prævia tamen conventione cum Gallo, ne hic interea longius grassetur. Alias enim Electoris officium non permittere ad Galli ausa ulterius connivere, qui sat jam invidiæ contraxerit, quod ob præsentem Reipublicæ necessitatem ante rapta hoc tempore armis haut vindicanda censuerit. Sane quicquid malorum jam Germaniæ obtigerit, & quod Gallus tam late fines protulerit, ac potentia eousque excreverit, a Suecis originem ducere, & quod hi Electoris ditiones invaserint, quando maxima spes erat, istum in ordinem redactum iri. Præterea Daniæ Regi decretum esse Bremensem provinciam irrumpere, quem solum circa hanc disponere Ducibus consultum haut sit. Unde satius fore, ipsos in antecessum cum Rege convenire. Sed nec tam numerosum ab iisdem militem diutius absque oppressione propriorum civium ali posse. Pacem quoque ipsorum nuper cum Suecis initam nec a Cæsare, nec ab Imperio firmatam, solo Gallo sponsore stare. Denique Suecos esse bellicosam nationem, cui semper miles in promtu sit, qui in Germaniam trajici queat; quos & facile libido subire possit bellum in Germania excitandi ad reparandam fere consumtam gloriam, ac ut domesticam inopiam sublevent; præsertim cum provinciæ ipsorum Germanicæ jam evastatæ sint, ac nobilibus in Suecia post revocatas donationes nullum remedium sit vitæ tolerandæ, nisi a bello. Unde non aliam rationem videri utramque Saxoniam, & Westphaliam in tutum collocandi, quam Suecis plane Germanico solo depulsis. Enimvero Hanoveranus ista multis de causis improbabat. Gallum æque ac Cæsarem sacris Protestantium infestum, quorum status non possit non convelli, ipsis inter se collisis. Ubi his oris turbæ oriantur, Gallum reuniones continuaturum, ac totam demum Germaniam sub jugum missurum. Ac si maxime cum eo pactum ineatur de omittendis interim reunionibus, & ne citra fœderatorum consensum ulterius in Germaniam penetret; utque si idem ad auxilium fœderatis ubi lacessantur ferendum in Germaniam moveat, ac quædam loca occupet, ea per secuturam pacem restituat: quam parum tamen ejusmodi pacto fidendum, superiore bello specimen captum, ubi itidem Galli frequenter, & ultro testati fuerant, sibi hautquidquam in animo esse Germaniæ quidquam detrahere. Igitur longe satius fore, cum L M bellatoribus ad Rhenum progredi, ac negotiationem pacis cum Gallo prosequi. Haut quoque fas tot Imperii membra Gallo destituere. Pacem quoque cum Gallo frustra esse, nisi inclusa Italia & Hispania. Quod si ipse ad propositum institutum quid conferat, se insimulatum iri, velut e calamitate publica cum damno patriæ, aut tertii cujuspiam privatum emolumentum captet. Alias sibi persuaderi, Daniæ Regem absque Electoris consensu nil moturum, eoque penes hunc fore bellum aut pacem Germaniæ dare. Cæterum sibi eundem cum Electore finem propositum, sed via ad eum promovendum discrepare. Suecicas provincias occupare in proclivi fore ob afflictas ejus Regni vires. Sed eam ipsam ob causam a Suecis nihil metuendum. Dux Rudolfus Augustus dicebat; Electoris quidem, sed non Luneburgicæ Domus interesse Svecos Germania dimoveri. Nam hujus securitatem & commodum in eo verti, ut duos potius æmulos Reges vicinos habeat, quam solum Danum, cujus destinata, ac violenta consilia nota sint, & qui in Oldenburgica, & Holsatia cominus ipsi immineat. Contra Suecum in Bremensi provincia formidabiles vires alere haut posse. *1683.*

Galli consilia.

§. 92. Ast quæ Gallo circa hoc institutum mens foret, satis liquido perspicere non dabatur. Equidem e Rebenacio super invadendis Suecis proponebatur. Sed cui demonstratum fuerat; tale quid suscipi non posse, nisi his conditionibus, ut Gallus exercitum ad Visurgim omittat contra Luneburgicos, ne hi Suecis adsistere audeant: ut idem Belgis non sine minis denuntiet, ne huic negotio sese ingerant, aut saltem ad utrosque terrendos exercitum versus Inferiorem Rhenum procedere jubeat, ut tamen solum Imperii ne tangat; ut denique declaret, seu reunionibus deinceps abstenturum, nec, dum manus cum Suecis conseruntur, contra Germaniam quid tentaturum; præsertim cum is sæpius testatus sit, se iis quæ jam occuparit contentum fore. Quas conditiones Rebenacius probaverat, gravi Regis sui offensa non in Suecos solum, sed & in Luneburgicos ostensa, nisi hi partibus ipsius accedere velint. Enimvero paulo post dissona istis disserebat Croissius: Nil tentandum, quod aleam habeat, ac ni de successu cautum sit. Gallum sane fœderatis terra marique adfuturum, si res exigat, quem in finem affatim copiarum in promtu sit. Ast Regem generoso suo animo, gloriæ, & conscientiæ haut congruum ducere Germaniam invadere eo tempore, quo Cæsari tam validus hostis incumbat. Etsi publice id declarare haut consultum ducat, quod id pertinaciam adversæ partis accensurum sit. Electorem tamen de eo certum esse posse, velut qui sine dubio in Cæsaris partes transgressurus sit, si Rex tale quid suscipiat. Quanquam autem Regi propositum sedeat, Germaniam imminente a Turca periculo, non invadere ac reunionibus abstinere; nolle tamen eum solenni declaratione manus sibi ligare. Sed & ut Sueci invadantur consentire nolebat, nisi prius, dum copias trajicere conantur, navale prælium sit commissum. Contra Hanoveranum opprimendum, ejusque copias dissipandas, cui graviter irascatur Rex, quod is oblatas a se conditiones repudiaverit. Nam eo subverso Cæsarem facilius ad pacem compellendum;

1683. dum, simul Dani, & Electoris securitati caveri, ac Suecorum trajectionem, Saxonisque arma irrita fore. Ac si Cellensis ei suppetias ferat, pariter subvertendum. Ipse tamen Gallus ad isthoc institutum armis concurrere nolebat, nec exercitum versus Visurgim mittere, satis habiturus cum XL M bellatorum ad Superiorem Rhenum consistere. Sed nec Belgis minari eidem placebat, ne hi ad amplectenda Arausionensis consilia compellerentur. Ac adversus hos Dano, atque Electori auxilia laturus non erat, nisi horum ditiones ab istis invadantur. Eoque si Belgæ Sueco auxilia terra marique submitterent, Gallus id insuper habiturus erat Denique de pecunia ad hoc institutum conferenda, aut præstanda adquisitorum evictione nullum verbum. E quibus omnibus colligebatur, Gallum in præsens ideo se movere nolle, ne Cæsar quovis modo cum Turca decideret, Galliamque invaderet. Sed si Daniæ Rex, & Elector proprio periculo, & sumtu quid turbare vellent, id gratissimum ipsi fore, idemque in usus suos ipsum conversurum. Quæ consilia cum plane a mente Electoris abhorrerent, ei videbatur de invadendis Suecis haut cogitandum, si maxime hi quid copiarum in Germaniam trajiciant; & fœdere quidem Gallico stare, ut tamen cum eo circumspecte agatur. Interim placebat arctissima cum Dano conjunctione retenta speculari, quo res se daturæ essent. Nec facile fore, qui ipsos invadere sit ausurus; nec vires deesse talia conanti repellendo. Minime omnium autem tam ancipiti patriæ statu invidiam turbarum motarum in se trahendam. Igitur Elector Dano in bellum prono suadebat, ne de invadendis Luneburgicis cogitaret, qui ita armis instructi sint, ut raptim subverti nequeant, quin & Suecus interim arma arrepturus sit. Nec consultum Protestantes mutuo se atterere, ac Gallo gratum spectaculum præbere, vastis ejusdem destinatis admodum velificaturum. Ac utcunque res cadat, Daniam nil Luneburgicæ ditionis retenturam. Suecum quoque invadere haut tutum, Luneburgicis tam probe armatis a tergo relictis. Nec Belgas orto bello quieturos. Et quæ a Gallo expectari queant, in ambiguo esse. Unde satius fore Luneburgicos fœdere illigare, ac certa cum iis consilia inire tam circa pacem cum Gallo, quam securitatem e Suecia; ut tamen res ita tractaretur, ne anxio ambitu eorum Principum ferocia augeatur. Cæterum Dano id peculiariter suspectum erat, quod Gallus præstare nollet, si ipse Sueco quid in Scania eripuisset; quanquam & ipsi Electori durum videbatur, ex ea conditione futuram pacem suspendi. Causa autem, quare Gallus ita lubrice ageret, ac quod is Dano & Electori stimulos ad movenda arma subderet, ad quæ tamen ipse nil conferre vellet, plerisque ea videbatur; ut idem Borealibus Regibus, ac vicinis inter se collisis pro lubitu ad Rhenum grassari posset. Aliqui ad parsimoniam id referebant, quod ampliora subsidia solvenda essent, ubi res in arma eripuisset Ac dicebat Croissius, Danum semper propriis opibus Sueco, a pecunia haut instructo, parem esse posse. Alii censebant, Gallo constitisse, a Sueco nil copiarum trajectum iri, cujus & domesticæ res non ferebant externis se negotiis iterum immergere. Ac data opera eum de ista trajectione sparsisse, ut dum vicini ad istam impediendam se præparant, Cæsari ac Belgis excusare possit, quod a se nil præstaretur eorum, de quibus spem ipsis fecerat. Alii judicabant, Gallum, quæ ipse moverat, post impediisse, quod vellet bellum contra Turcam exardescere; eoque inter Boreales pacem turbari nollet saltem ante mensem Augustum, & quoad Cæsar in Hungaria litem velut contestatus esset. Rebenacius autem hanc mutationis causam ferebat, quod valetudo Regis Hispaniæ in deterius iret, cujus mortem Gallus jam spe præceperit. Unde vires suas distrahere nolle, quo sese in partem hæreditatis titulo Reginæ immittere possit. Inter hæc ambigua Elector Spanhemio injungebat ista haut tangere; ac si Galli ultro moveant, totam rem in Danum rejicere. Haut eo secius defensivo se fœderi inhærere, ac amicitiam cum Gallo culturum. Nam quæ de mutatis suis consiliis fama ferat, inania esse. Ac perstare sibi studium promovendæ pacis, eoque noluisse in bellum haut rite prius digestum descendere. Nec se immemorem esse posse obligationis, qua Imperio teneatur, & quis ditionum suarum situs sit, quas adversæ parti addicti Cæsar, Suecus, Polonus, Saxo, Belgæ, Luneburgici undique cingant. Ad quæ Croissius nil solidi quod reponeret habebat. Sed quia Danus haut eo minus in arma erumpere gestiebat, Elector demonstrabat: hac tam tristi orbis Christiani facie haut par esse novis turbis ansam præbere, per quas Imperio facultas adimenda sit resistendi tam cruento hosti, & non modicis progressibus inflato. Unde Regem pii ac generosi animi specimen editurum, si offensas quantumvis justissimas, & quicquid emolumentorum speretur saluti Germaniæ condonet, quam servari istius tantopere intersit. Elector quoque per Spanhemium Gallum rogabat, ut eadem Dano suadeat, postquam Rebenacius jam testetur, ipsi quoque non amplius placere turbarum quid in præsens moveri, maximam orbi Christiano confusionem pariturum, ac impediturum, ne justæ vires ingruenti Turcæ opponi queant. Caute tamen id negotium tractare jubebatur, ne Danicus ibi minister suspicionis quid, in quam alias pronus erat, suscipiat; quod alias ipse Daniæ Regi conjunctissimus manere velit. Porro istam Gallorum mutationem Danus ægerrime ferebat: Eorum instinctu se hucusque descendisse, tantosque sumtus in exercitum, & classem fecisse. Nunc quando in rem præsentem veniendum sit, istos tergiversari. Sane videri sibi, eas nolle Suecum Germania pelli: forte & pecuniæ parcere, aut alibi emolumenta sua aucupari, Borealibus Principibus inter se commissis, ne destinata ipsius temperare queant. Haut eo minus censebat, Gallicam amicitiam retinendam, nec in præsens de aliis fœderibus cogitandum; ac interim quiescendum, & arma in promtu habenda, consiliis pro re nata captis. Nam non defore, qui probe armatorum amicitiam sint capturi. 1683.

20. Jul.

§. 93. E

1683. *Cum Belgis acta.* §. 93. E re quoque Elector judicabat esse Belgis per Diestium insinuare; non esse quod amplius metuant, aliquid adversus Sueciam susceptum iri. Nam ea cogitata plane evanuisse, ac sibi circa fulciendum publicum bonum omnia integra esse. Ac petere, ut & ipsi pacem Viennæ promoveant. Idem jubebatur Hagæ deinceps ita agere, ut cum Avauxio quidem amicam communicationem aleret; cum Cæsareis tamen, & aliorum Principum ministris ita conversaretur, ut his nil suspicionis sinistræ oboriri possit. Arausionensi quoque confirmaret; se uti hactenus ita & deinceps non alia consilia capturum, quam quæ ad pacem spectent. Ac per officia sua non parum contulisse, ne Gallus reuniones persecutus sit. Belgæ ad ista: gratissimum sibi fore publicam quietem stabiliri. Sed id sibi non arrogare, ut pacem fœderatis obtrudant, ac Cæsari & Imperio præscribant, in quas conditiones eam admittere debeant; quos de suis rebus proprio e judicio decernere par sit. Ast Arausionensis reponebat; se quoque ad pacem tendere, sed diversa via. Hanc si Elector secum ingredi voluisset, rem dudum confectam fuisse. Sed Elector Principis impetus egregios quidem, sed præsenti tempori parum accommodos censebat; queis tamen facile ignoscebat, quod Galli quovis modo eidem ægre facere laborarent. Ac jam Galli opera nuptiæ inter Georgium Daniæ Principem, & Annam Eboracensis filiam conciliatæ fuerant, ut Arausionensi spes successionis in Regno Angliæ eminus interverteretur. Ac vocabat id matrimonium Croissius *opus Regis Franciæ ad Principem acerbo doloris sensu perfundendum, ac Belgas sub freno habendos.* *pour mortifier.*

Viennæ obsidium. §. 94. Inter hæc res Cæsaris repente summo periculo admovebantur. Cujus mali ea causa habebatur, quod Turcica potentia nimis contemtim haberetur, ut etiam aliquot legiones in Bohemia, & Suevia relictæ forent, cum fœderatis sese adversus Gallum juncturæ, quasi Cæsar sufficeret bello versus orientem, & occidentem simul gerendo. Alias enim sat mature de Turcarum destinatis innotuerat, quod mense Martio hi Schuttam insulam, ac tractum ad Rabam fluvium postulassent; quam cum cedere Cæsar abnueret, jam solenniter a Turca bellum decernebatur. *Rabau.* Multi quoque non minimam confusionis causam in dissidium Lotharingiæ Ducis, & Hermanni Marchionis Badensis, qui collegio militari præsidebat, conferebant. In receptu quoque a Wago flumine a V M Tartarorum ingens damnum illatum erat, interceptis quoque Cæsarei exercitus impedimentis. Cujus cladis maxima culpa Montecuculo tribuno tribuebatur; qui cum Tartaros ingruentes cerneret, exclamarat, universas Turcarum copias adesse; tum protinus in fugam abierat tota legione veterana sequente. Qui deinde Lotharingo id flagitium exprobranti nil aliud excusationis proferre norat, quam se Principem Imperii esse. Unde Tartaris repente ad vicina Viennæ prorumpentibus tanta consternatio in urbe orta est, ut ipse Cæsar ea raptim deserta Lincium, inde Passavium se conferret, terrore usque adeo diffuso, ut multi Ratisponæ quoque jam fugam circumspicerent. 1683. Suaserat legatus Hispanicus, ut Cæsar Viennæ maneret, ac pacem a Turca toto Hungariæ Regno cesso redimeret. Sed quod consilium merito rejectum est. In urbe centum amplius milliones auri, argentique relicti erant, ita præcipiti procerum fuga, ut spatium non esset pretiosa secum auferendi. Qui abibant non minus, quam qui in urbe manebant Jesuitas exsecrabantur, velut horum malorum autores. Cæterum id a Turca periculum Electorem jamdudum solicitum tenuerat; 21. Jun. qui & Lambergium Comitem hortabatur, ut de hac cura Cæsari referret, eumque rogaret, ut idonea remedia dispiciat declinando bello cum duobus tam potentibus hostibus, quod suo judicio sine extremo Germaniæ, ac totius orbis Christiani periculo pariter geri nequeat. Sed certas conditiones proponere sibi haut decorum, ne munus sequestris sibi arrogare videatur, quas neutra pars detulerit. Equidem Rebenacium disseruisse, Gallum æquissimum sese exhibiturum, nec difficilem fore circa unum, & alterum locum, quem jam in Imperio possideat, restituendum, modo de Argentorato verbum non fiat. Mox quoque venienti ab exercitu Cæsareo Duci Lauenburgico, ac Electori gliscens periculum demonstranti hic respondebat: utique cum Gallo transigendum, quo totis viribus Turcæ occurri possit. Vicissim Elector Gallo significabat; id fiduciæ se de generoso Regis animo concepisse, eum hoc rerum statu Germaniam in majorem confusionem, ac desolationem haut præcipitaturum. Enimvero quanquam 13. Jul. Croissius multa de magnanimitate, gloria, atque conscientia Regis creparet, qui hac occasione ad invadendam Germaniam abusurus non sit; cui & Jesuita Chaizius id consilium valde invidiosum dissvasisse credebatur, Germaniam junctim cum Turca impetendi, quod plausibili magis ratione destinatis suis potiri possit: tamen cum Rebenacius intelligeret, Electorem Cæsari copias auxilio mittere velle, id sibi displicere haut dissimulabat; ac si id succedat, se non aliter judicare posse, quam Electori in animo esse a Gallico fœdere discedere; idque a se Regi per cursorem significandum. Cui responsum; ea auxilia Gallico fœderi non repugnare, utpote in quo expressis verbis fas patriæ exceptum fuerit; nec aliud quid se promisisse, quam officia promovendæ in tolerabiles conditiones paci, quæ sententia sibi adhuc stet. Quo responso tamen iste haut adquiescebat. Circa idem tempus Gallo a Turca ingens 4. Jun. literarum fasciculus allatus fuerat, cujus argumentum Gallici ministri vulgabant; eum de ingentibus viribus significasse, quibus Cæsarem invadere, & quæ sibi competant, in ditionem redigere constituerit; ac sperare, neminem se nationis Gallicæ inter Cæsareas copias reperturum. Sed quin plura iis literis contenta fuissent, nemo dubitabat.

§. 95. Ast Elector statim, ubi de Turcarum irruptione audierat, Joannem Georgium Anhaltinum Principem ad Cæsarem mittebat testaturum, quantopere sibi cordi sit præsens conditio rerum intra & extra Germaniam, ac inprimis facta in Cæsareas ditiones per Turcam irruptio, quæ *Princeps Anhaltinus ad Cæsarem mittitur.* 13. Jul.

1683. quæ tanto majori dolore animum suum perstringat, quo sincerior suus in Cæsarem, ac patriam affectus sit. Sperare tamen adhuc sat virium superesse repellendis barbaris. Ac si valetudo permittat, ipsum venturum: fidem tamen, ac studium pro Cæsare, & Imperio missis egregiis legionibus demonstraturum. Cæterum etsi sat militum in Germania sit repellendo Turcæ; tamen quia lubrica Gallo pax tergum tam formidandæ potentiæ nudum exponere non permittat; se non posse non pro fide, qua Cæsari & Imperio obstringatur, monere, quomodo cavendum sit, ne Gallus luctuosa hac tempestate in Germaniam perrumpat. Id enim si fiat, a Gallo Rhenum subigendum, antequam copiæ, quæ quibusdam in promtu sunt, ad defensionem educi queant. Istud a se proponi, non ut Gallo emolumentum inde concilietur, aut ut Cæsar majori dolore cumuletur, sed e sincero in patriam studio; cum sua maxime intersit, Imperium, & Rhenum salvum esse. Equidem e optare, ut Gallus hac occasione ne abutatur. Sed quia salus reipublicæ incertæ spei superstrui non debeat, ac simul metuendum sit, ne Gallus nupera declaratione Ratisponæ facta irritetur, eaque in prætextum invasionis utatur, suam solicitudinem non parum intendi. Quid quod metus sit, ne Danus Suecum, ipsosque Luneburgicos Galli instinctu armis petat? Cui quidem se talia dissuasisse, ac testatum, se in nullam ejusmodi conatus partem venturum. Sed quia vereatur, ne Gallus obliqua via per Danum Germaniam infestare paret, facile judicari posse, si hinc Sueci, & Luneburgici, inde Rhenus invadatur, quæ patriæ facies emersura sit. Igitur ne summa rerum periclitetur, prospiciendum esse. Se quidem semper pro Cæsare & Imperio facturum, quæ fidum Electorem decent. Ac in ejus documentum offerre VI M D pedites, M equites, D dimachas suis sumtibus alendos, tantum ut Cæsar iis forum præbeat, ac in itinere gratis panem, ac pabulum sufficiat. Si & alius hostis Imperium invasurus sit, se una cum aliis Ordinibus facturum, quæ isti servandæ, ac avertendo periculo faciant. Quin & si majorem militum numerum Cæsar desideret, æquis conditionibus transacturum. Super hisce Principi mandatum conventionem concipere, quam, ubi arrideat, ipse ratihabiturus sit, copiis statim iter ingressuris. Ac jam ad legiones mandata emittebantur, ut intra tres septimanas octodecim millia apud Crosnam metari possent. Jubebat quoque Elector moneri de omittenda per Silesiam persecutione. Sane horrendum esse, rabiosos quosdam sacrificulos crepare; melius esse Hungariam, & plura Turcæ relinqui, imo Cæsarem albo cum baculo e ditionibus suis excedere, quam ut aliqui Protestantes in Cæsareis provinciis tolerentur. Et quo animo Protestantes ad servandas Cæsaris ditiones, omnesque fortunas sangvinem, & opes profusuros, si in præmii vicem sacrorum socii immanium hominum furori im-
7. Jul. molentur? Ad proposita Cæsar respondebat: Se quidem haut credere, Gallum hac occasione abusurum; quod de isto velut Christiano Rege melius præsumi par sit. Quia tamen is nulla præbita causa statim post factam pacem contra fidei religionem tam insignem partem Imperio detraxerit, nec deinceps minis, ac violentis actibus abstinuerit; in eo se cum Electoris sententia conspirare, salutare, ac necessarium fore a Gallo cavere, ne hac occasione Germaniam apud Rhenum, aut junctim cum Dano in Westphalia, & Saxonia invadat. Ac Electorem opus laude dignum fecisse, quod Dano talia dissuaserit, nec de ejusmodi conatibus participare velit. Sed quo modo securitas a Gallo stabilienda sit difficile fore, quod tam frequentibus speciminibus constet, quantum fiduciæ in istius promissis reponendum. Se quidem semper paratum fuisse, & adhuc esse, ad stabilem, tutam, & universalem cum Gallo pacem ineundam; id quod commodissime obtineri possit, si Elector, qui maximum causæ momentum adferre possit, reliquis fœderatis accedat, ac si omnium nomine Gallo denuntietur, nil præter duraturam pacem optari. Cæterum oblato Electoris auxilio valde se lætari testabatur. Colloquio cum Cæsareis ministris Princeps dicebat: Lambergium quidem Comitem tantum de VI M auxiliarium institisse. Id quod Elector quidem annuerit. Sed quia is numerus ipsi vel ut veterano duci nimis exiguus videatur, quod ejusmodi tenues copiæ modicum operæ pretium faciant, ac fere ad exitium trahantur, eum consultum judicasse XII M militum mittere. Propositas ab Anhaltino conditiones Cæsarei graves nimis ducebant. Sed legatus Hispanicus Principi dicebat: Electoris prætensiones summa æquitate niti, ac se Cæsari suasisse, ut eas annuat, quod VII M militum Brandenburgicorum veteranorum, ac vincere suetorum pluris sint, quam duplex numerus aliorum recens conscriptorum. Se quidem Electoris causam summo studio promoturum, cui undecunque satisfaciendum sit. Alias iste legatus paci cum Gallo non repugnabat, modo ea omnes complecteretur nemine fœderatorum excluso. Pollicebatur quoque Electori ab Hispanis satisfactum iri. Ita spes erat rem propediem conficiendam; ac annuebat Cæsar CCC M uncialium; simul jam in Silesia ad Electoris copias annona instruendas omnia disponebantur.

§. 96. Ast Rebenacius, cum impedire non potuisset, quo minus Anhaltinus ad Cæsarem mitteretur, eo profecto insistere non omittebat, ut saltem auxilia huic non mitterentur, nisi post pacem cum Gallo perfectam: nimirum ut interim Vienna periret. Etsi Croissius, cum Elector de auxilio Cæsari submittendo significasset, responderet: Regi suo gratum fore auxilia contra Turcam mitti. Eum duntaxat scrupulum esse, ne interim res inter Danum ac Luneburgicos ad manus deveniat. Ubi Electori haut tutum sit futurum copias alio ablegasse; ac per turbida ista eidem insultum posse fieri, antequam Gallus auxilio venire queat. Sed cum Rebenacius nihil proficeret, literas ad Hayum, Gallicum Monachii ministrum scripsit, quibus commentus fuit, Electorem missis copiis non in animo habere Cæsari subvenire; sed ut ea occasione, dum istæ Silesiam transeunt, in possessionem trium Principatuum sese immittat. Nam se pervicisse, ne Elector Cæsari opem ferat nisi post pacem, aut inducias

Tractatio cum Cæsare fit irrita.

1683. Leidel. cum Gallo initas. Quæ literæ ab Hayo ad Bavaricum ministrum Leidelium Passavium missæ apud Cæsareos fidem invenerunt. Cum tamen Gallicas fraudes animadvertere debuissent, queis collusiones Galli cum Turca usque adeo ignotæ non erant, ut Tekelii Secretarius Viennæ detexerit, inter Gallum, Turcam, atque Tekelium convenisse, ut hi duo omnes Cæsareas provincias ipsa cum Vienna haberent; excepto Regno Bohemiæ cum Moravia & Silesia, quod Romanorum Regi, quam dignitatem Gallus Delphino destinarat, reservandum sit. Ulterius nec Turcam, nec Gallum arma Germaniæ illaturum. Etsi Galli dudum sibi persuaserant, suo Regi, ubi semel æmulam Austriacorum potentiam oppresserit, semper facultatem fore Turcis iterum eripiendi, quæ hi interea Christianis extorsissent. Nec deerant adulatores Sacerdotes, qui nullo pudore ganniebant, bono Catholicæ religionis, ac Christiani orbis adversus Turcas utile fore, si Galli potentia per Europam eousque gliscat, ut reliquis Principibus Christianis leges dare, eoque hæreticos extirpare, ac Turcas in ordinem redigere queat. Quo fine multa super debilitate Imperii Turcici disserebant. Addiderat iste Secretarius de consiliis, quæ inter Gallum, Vezierum & Tekelium agitata fuerint super iis, qui maxime ipsorum destinatis obstent, veneno tollendis. Ac ambitioni suæ litantem Regem nullo religionis sensu tangi indicio erat, quod, dum proprio in Regno a ritibus Romanis dissidentes, fidissimos alias civium, acerrime persequitur, alibi Protestantem Tekelium pecunia sublevaret ad arma Principi suo inferenda, ac nunc ipsummet Turcam orbi Christiano immitteret. Scrupulum haut eo secius nimium credulis injecerunt Rebenacii literæ, præsertim quia plus copiarum offerebatur, quam ipsi expetierant. Unde Cæsari placuit, insuper habito Electoris auxilio, cum reliquis, qui ad XC M bellatorum adscendebant, liberandæ Viennæ fortunam tentare. Ne tamen diffidentiam apricarentur Cæsarei, formulam pacti adornabant, sed cui ejusmodi conditiones inserebantur, quas Anhaltinus ab Electore haut admissum iri satis prædixerat. Ac sane cum huic multa in ea formula displiceret, Principi scribebat: Ob præsentem Cæsaris ac Imperii conditionem, ac proprii status, & securitatis rationes, aliosque respectus nullo modo istam a se acceptari posse. Ubi in præsens imminens a Gallo periculum per transactionem amotum fuerit, se paratum esse cum Cæsare contra futuras invasiones, atque insultationes arctissimo fœdere jungi. Sed in præsens eo descendere, quo formula invitat, nil aliud effecturum, quam ut ignis, quem ipse hactenus magno labore, atque cura, nec sine successu intra cineres coërcuerit, eo citius erumpat, cui præter reliquam Germaniam suæ præcipue ad Rhenum ditiones exponendæ sint. Alias perstare sibi sententiam, primo omnium Imperio consulendum, uti id substantiam suam retineat. Tunc demum externa negotia justo vigore suscipi posse, ac magnæ fortunæ loco fore, si Gallus hac nocendi occasione non abutatur, dum omnes Germaniæ vires in Austriam tendunt. Nec se solum ei continendo suffecturum; præsertim cum ipse Danum, & Luneburgicos a collisione cohibere valeat. Unde Princeps Cæsari nomine Electoris significare jubebatur, in eam se formulam consenuire non posse; nec prolixis monitis Cæsari molestiam dare velle. Quod si Cæsari tractationem continuare placeat, per Lambergium eam Berolini absolvi posse. Se hac rerum facie, ac gliscente inter Danum, & Luneburgicos dissidio, & quia metus sit, ne Gallus post elapsam, quam ipse præfixerit, diem in arma erumpat, copiis alio missis ditiones suas nudare, ac armatorum vicinorum arbitrio exponere non posse. Nam se hac spe auxilia obtulisse, quod Germaniæ ab aliis hostibus quies concilianda sit. Sed postquam e formula pacti adpareat, rem ad bellum cum Gallo deduci, ac alias turbæ inter Danum, & Luneburgicos erupturæ videantur; officium, quo patriæ ac civibus suis teneatur, haut permittere, ut utrisque periculum ultro attrahat. Tum a se postulari, ut ipse se obliget ad tuendam pacem Westphalicam, tum præstandas rationes Hispani, Lotharingi, Italiæ, ac ad procurandam pacem omnes complexam; cum vicissim nil emolumenti sibi ostentetur. Quanquam autem alia dein formula concinnabatur conditionibus paulo lenioribus; ea tamen huc spectabat, ut Elector cum Cæsare arma sociaret ad tuendas rationes Domus Austriacæ & Hispaniæ, & ad tranquillandum orbem Christianum, ac nominatim Principes Boreales; tum ut omnes turbationes in posterum prohibeantur. Ad eam formulam Elector reponebat: *Se grato animo agnoscere honorem, quod Cæsar ipsum ad fœdus invitaverit. Id se cupide fuisse amplexurum, ni liquido persuasus sit, præsenti rerum intra & extra Germaniam conditione, ejusmodi fœdus, quale heic delineetur, Cæsari ac Imperio, & cumprimis sibi, suisque ditionibus exitiosum esse. Etsi enim id laude dignum scopum habeat, nempe defensionem, & conservationem Imperii, ac vicinorum, ac cumprimis Hispaniæ; tum ut recuperentur, quæ Imperio, & vicinis per injuriam post Monasteriensem pacem subtracta sunt; prius tamen, acceptata a Gallo oblata pace, aut induciis, citra periculum obtineri posse. Sed ad posterius quæ in formula proponantur, & alias requirantur, vires usque adeo non sufficientes videri, ut potius contrarios effectus productura sint, pluribus insuper Imperio subtrahendis. Sane Gallum nisi coactum nunquam in eam restitutionem consensurum; id quod adpareat e delectibus, quos suscipit, ex iis, quæ in Belgio egit, & e declaratione iterum Ratispona facta, qua oblatas a se conditiones ad finem hujus anni restringit. Jam autem sanam rationem dictare, imminente bello expendendum, num vires in promtu sint, queis hosti resisti, ac opera pretium fieri possit. Quas non adesse, sole meridiano clarius adparere. Cæsarem, ejusque vicinos bello Turcico distrahi. Reliquos Germaniæ Principes armis instructos inter se diffidere, ac vicinos suspectare, & concordes licet Gallo pares non esse. Ac si incendium inter Boreales erumpat, utramque Saxoniam, & Westphaliam contra Gallum nil conferre valiturum. Exterorum auxiliis nil confidendum. Quosdam sibimet ipsis defendendis non sufficere; alios inter se diffidere; quosdam non præstare, quæ ab ipsis expectentur; omnibus*

1683. *bus proprium utilitatem cordi esse. Equidem quosdam hac sibi spe blandiri, Gallum uti hactenus intra solas minas substiturum, nec reipsa quid tentaturum. Interim pacem cum Turca sequi posse; ac tunc sat virium fore repellendo Gallo, & recuperandis amissis. Enimvero a Principe rationum suarum callentissimo, & cui solitum aliorum destinata antevertere, talia expectare frustra esse. Se indubiis ex indiciis judicare posse, Gallum eousque haut quieturum; & hoc ipsum fœdus instrumentum fore eidem ad tentanda extrema compellendo. Eum enim hactenus non parum respexisse Ordines, qui pacem suaserunt. Ac se demonstrare posse, si non omnia, saltem multum se contulisse, quod Imperium ab ulteriore violentia liberum præstitum fuerit; & eo ipso tempore, quo malevoli studium suum in Gallum invidiose distulerint, sibi quam maxime salutem, ac tranquillitatem patriæ cordi fuisse. Quod si igitur Gallus perspiciat, a se quoque consilia capta, e quibus non possit non bellum provenire, eum hautquidquam primum ictum expectaturum. Quo casu ditiones suas maximo periculo exponi. Nam uti tunc acerbissimo in ipsum odio exarsurus sit; ita eandem isti viam, qua antea in Westphaliam penetrarit, nunc quoque patere. Unde tunc sibi auxilia? Cæsarem ei obligationi seipsum subtrahere durante bello Turcico. Quid opis sibi ab aliis expectandum sit, ac inprimis ab Hispanis, notum esse Non dubium igitur, quin magis pax, aut induciæ arripiendæ, quam patriam tam manifesto periculo exponendam. Præsertim cum Gallus jam communem pacem, aut inducias offerat, eodem tempore cum Imperio, & Hispanis concludendas. Ast si Cæsar utique rem ad extrema deducere velit, id solatio sibi fore, in nullam ejus se consilii partem venisse, nec monita sua defuisse. Cæterum obligationi, qua Cæsari ac Imperio teneatur, nunquam se subtracturum, cui quod adversetur fœdus nunquam inivérit, nec de eo ineundo in mentem sibi venerit. Ac ubi quieti Germaniæ versus Galliam perspectum fuerit, Cæsari quam arcto fœdere is cupiat, illigari velle, tum ad conservandam pacem factam, quam adversus Turcam. Sed & se citra vanitatem gloriari, ac Luneburgicos testes excitare posse, se solum impedisse, quo minus exitiabile inter Boreales bellum exortum sit; ac ad eundem finem deinceps quoque connixurum, non sine spe boni successus, modo contra Gallum in bellum non erumpatur. Nam eo casu se aliter judicare non posse, quam non Germaniam solum, sed & Borealia Regna atroci incendio conflagratura.* His igitur de causis factum est, ut Elector in partem liberatæ Viennæ non venerit, etsi voluntas ei non defuerit. Qui tamen dum initio ita promtum se auxilio Cæsari mittendo declarat, Regi Poloniæ non parum alacritatis addiderat, ut ad eam urbem servandam cum equitatu suo accelerarет, in ipso tempore veniens, cum urbs ultra octo dies defendi non amplius posset. Qui ea expeditione magnam gloriam assecutus est non solum strenua in hostem pugna, qua primus in Turcarum castra irrupit, eoque maxima præda quatuor millionibus taxata potitus est; sed etiam quia per occultos nuntios cum Tartarorum Hano convenerat, ut is triduo ante quam Christianorum exercitus Turcis ad Viennam ingrueret, cum popularibus suis se subduceret, sic ut nemo Tartarorum pugnæ ad Viennam interesset. In castris Turcarum inter Vezieri scripta repertæ quoque fuerunt literæ Galliæ Regis ad Vezierum, quibus huic obsidium Viennæ suadebat, ac rationem demonstrabat, qua brevi ea urbe potiri posset, promittens, se brevi eidem LX M aureorum missurum. Isto obsidio ac prælio Ottomannorum potentia sonticam plagam accepit; ac Vezierus, cum res perditas perspiceret, lacrymis profusis duos filios amplexus, se jam uno ictu periisse pronuntiabat. Joanni Reichardo Starenbergio Comiti ob defensam tam strenue urbem Cæsar supremi ducis dignationem, aureumque vellus, tum C M uncialium dono contulit, omni quoque ejus ære alieno exsoluto. Cæsari autem præter servatam tanti momenti urbem id quoque prædæ obtigit, quod Neostadiensis præsul Collonitschius, qui antea offensam Cæsaris incurrerat, recuperandæ gratiæ huic Viennam regresso prodidit, quo loco Hungarici Magnates pecunias suas, duos amplius milliones, asservarent: quæ statim in fiscum redactæ sunt. Cæterum nuntio liberatæ Viennæ in Galliam allato Croissius quidem dicebat: bonum esse, a Turca tanti momenti urbem haut captam. Sed revera adeo ingratus iste nuntius in Gallia fuerat, ut ministri de eo Regi non nisi obliqua via insinuare auderent. Qui & per triduum in publicum non prodiit, febriles accessus causatus, vel ficte, vel quia tam votis contraria animum juxta ac corpus alteraverant. Saltem iste maluerat obsidium adhuc extrahi, ac obsessores inopia potius, aut alia de causa, quam per tam nobilem pugnam pulsos. Nam quia hac fortuna Cæsari, ac Hispanis animi accesserant, paratus armorum augendi erant. Tum & idem jam nova consilia cum Dano, & Electore meditabatur, subvertendis Luneburgicis, antequam Cæsar, aut alii eisdem subvenire possent. 1683.

§. 97. Non minus tamen operæ pretium Elector, dum alii in Turcam pugnant, fecit, servata in diversa parte Germaniæ pace, ac prohibito, ne inter Daniæ Regem, ac Luneburgicos ad manus veniretur. Ac a Ducibus quidem Hoimburgius, & Obergius proponebant: magno sibi dolori esse statum Germaniæ, cui præter periculum ab Oriente & Occidente etiam turbæ a Septentrionibus imminere videantur, quibus forte & Elector implicandus sit. Eas tanto magis declinandas, quod bellum semel cœptum semper latius grassetur; ac si in ipsa Germania motus oriantur, exteros sine dubio iisdem sese ingesturos. Catholicis semper id studium esse Protestantes inter se committere, quo hi vires mutuo atterant. Si maxime Suecis quid eripiatur, id tamen retineri non posse, ni ad Gallum Germaniæ arbitrium redeat, qui armis quæsita evincat. Sed & pulsis Suecis Westphalicam pacem magna ex parte tolli, omniumque Ordinum jura circa sacra & civilia, & quæ Electori, aliisque in satisfactionem data sint, in dubium revocatum iri. Cum itaque Elector semper bonum publicum ante privatum habuerit, nunc quoque patriæ calamitatem averruncare haut omissurum, ac Danum a calidis consiliis dehortaturum, tum conservationem Bremæ, Lubecæ, *Elector inter Boreales pacem servare studet.* *7. Jun.*

1683. & Hamburgi sibi commendatam habiturum. Duces vicissim omnia, quæ ad securitatem Electoris faciant, libenter collaturos. Quibus cum Elector reponeret, se trajectionem copiarum Suecicarum in Germaniam metuere, legati respondebant: spem esse, Suecum in præsens nil turbarum in Germania meditari. Censere tamen eum jure prohiberi non posse, quo minus modicam manum firmandis suis præsidiis, ac exhibendæ ratæ parti Imperio & Circulis debitæ, in Germaniam trajiciat. Ac si Elector circa numerum copiarum præcautione opus judicet, Duces libenter operam navaturos. Duces quoque vereri, ne Gallus iterum Sueco se innectere quærat. Eo magis in lubrico fore, quæ forte istis eripiantur. Ad hæc Elector pollicebatur, se apud Daniæ Regem pro servanda pace officia interpositurum, ac trium urbium incolumitatem curæ sibi fore. Simul ad oblatam a Ducibus amicitiam paria reponebat.

Daniæ Regi quies persuadetur.

§. 98. Inter ista ex improviso Gallica classis viginti quatuor navium in Oresunda adpellebat, instigando Dano, ut in bellum erumperet; cujus præfectus injunctum sibi ferebat, citra exceptionem Dani jussa sequi. De ejus classis profectione cum Gallus Anglo significasset, hic apud omnes suos portus imperabat, si opus foret iis accessum, & omnia necessaria præbere. Fama quoque erat, Belgicam classem in Mare Balticum accessuram; id quod Elector in Hollandia impedire summopere studebat. Tanto enixius Daniæ Regem monebat Elector ne fiducia Gallici auxilii arma moveat, Germaniæ exitium, Gallo arbitria rerum per Europam paritura. Equidem perpetuo se amicitiæ nexu Regi devinctum fore: sed ut in bellum erumpatur, id nunquam se probare posse. Ac esse omnibus Christianis Principibus gravissimam causam, ut Turcæ se opponant. Sane & se ipsum auxilia Cæsari obtulisse, statim atque pax cum Gallo stabilita fuerit; quam ipse subinde Cæsari ingerat. Sed Danus suæ inhærebat sententiæ; jam commodissimam arridere occasionem Suecos Germania expellendi, in præsens debiles, sed quibus, si spatium indulgeatur, vires recolligendi, ac domi res suas disponendi, post iterum formidabiles futuros. Nec minus nunc tempestivum esse Luneburgicos ulcisci, eorumque spiritus castigare. Esse sibi in promtu egregias copias terra marique, ingenti sumtu paratas, quas otiosas desidere dolendum sit. Etsi Alefeldius Cancellarius testabatur, a se id consilii haut profectum, quod prima specie lætum, tractatu arduum, exitu triste sit futurum. Sed Elector ingerere haut omittebat: subdola esse Galli auxilia; ac nefas Christiano Principi præsenti a Turca periculo incendii in Germania excitati infamiam in se derivare. Quin in præsens omnes privatos respectus seponendos, ac unice in id incumbendum, ut pax inter Imperium, & Gallum promoveatur, ac inde dirus hostis nominis Christiani in ordinem redigatur. Satis a se intima Galli sensa inspecta, nec in ullam conventionem ab hoc pellici se passurum, per quam ipse, ac Danus in fraudem inducatur eodem eventu, quem Sueci novissimo bello sensere. Nam si Suecus invadatur, Luneburgicos haut quieturos, cui & Belgæ classem auxilio sint missuri. Sed & nunquam se concedere posse, ut Gallus exercitum ad Inferiorem Rhenum mittat. Ac se antehac nunquam credidisse, Gallo ita parum curæ esse, quid ipsius fœderatorum commoda, ac rationes requirant. Id postquam ipse observarit, merito aliam viam rebus suis consulendi ineundam. De cætero ipsi firmiter se adhæsurum, modo se inconsulto nil moveat. Mox cum nuntii de obsidio Viennæ adferrent, Rex haut parum perturbatus censebat pacem cum Gallo urgendam; inde junctis viribus in Turcam eundum. Sed quia per Luneburgicos solidi quid suscipi nequeat, eos prius in ordinem redigendos. Esse eos superbos & inquietos, qui sine dubio cum Suecis fœdera contra se, & Electorem cudant. Vnde præsentem occasionem haut negligendam, quo isti desinant arbitria rerum sibi arrogare. Inprimis altius penetrare, quod Suecus per Belgicam classem copias Gothoburgo in Bremensem provinciam trajicere paret, quæ Luneburgicis junctæ se, atque Electorem magno incommodo afficere queant. Ac non recte Electorem sibi consulere, quod florem exercitus sui jam contra Turcam mittere velit. Enimvero Electori longe alia mens erat, qui insistere non omittebat, ne quid a Rege in Luneburgicos tentaretur. Et quia eodem tempore hi nonnihil copiarum in ditionem Hamburgensium, cis Albim miserant, Elector Meindersium Hamburgum mittebat sciscitatum, num id conscia, & consentiente civitate factum foret, simul moniturum, ne quam Daniæ Regi offensæ ansam præbeant. Ejus facti rationem Ducum ablegati hanc reddebant, ut Lubecæ ab imminente periculo caveretur, testati alias de animo suo in concordiam prono. Ast Elector censebat, eas copias trans Albim revocandas, quoad earum ibi commoratio non possit non Dano suspicionem injicere, ipsique ansam præbere vi easdem expellendi. Unde & Duces eam manum trans Albim iterum revocabant, accedentibus quoque Hamburgensium precibus, qui eandem se insciis, & invitis hæc penetrasse testabantur. Cæterum Regi Elector per Meindersium prolixe demonstrabat, quare haut consultum sit in præsens quid movere; ac se nullo modo in ejusmodi ausi partem venire posse. Nam præter alia obstacula bellum a Turca intervenisse. Patriam in summum, quod unquam fuerit, periculum incidisse; ac nunquam Deo, conscientiæ, ac honestæ orbi adprobari posse, si Imperii status excitatis quoque intestinis turbis plane desperatus reddatur. Ac si maxime ab una parte molestus vicinus citra solidum emolumentum ad tempus compescatur: ex altera tamen parte crudelissimi hostis immania destinata promoveri, ac viam eidem muniri in Germaniæ viscera penetrandi, ac plane ad nostros limites pedem figendi. Igitur se sperare, Regem justum quantumvis dolorem bono Germaniæ, & Christiani nominis condonaturum, aut saltem ei exsequendo commodius tempus expectaturum. Quod si Rex sibi significare velit, quid a Ducibus desideret, se operam daturum, ut ipsi satisfiat. Regis querimonia eo fere redibat, quod Duces obtentu 1683.

1683. tentu vel præfecturæ in militiam Circularem, vel protectionis, vel peculiaris pacti pro lubitu per Inferiorem Saxoniam dominari velint, suisque destinatis ubique se objecerint. Demum tamen declarabat, se ad extrema non processurum; id tamen saltem laborandum, ut is dominatus, qualem Duces sibi hactenus in Saxonia arrogarint, non amplius toleretur. Nam Imperii legibus cautum, ut præfectus Circuli copiis Circularibus non in propria, sed in communi Ordinum causa, & in quem finem a Circulo concessæ sint, utatur. Tum ut idem ad auxilium Circuli nomine Imperio præstandum non proprium, sed Circuli militem adhibeat. Ac Georgium Wilhelmum Ducem anno 1671 scripto ad eas leges servandas sese adstrinxisse. Duces contra testabantur, se contractis suis copiis, ac manu cis Albim missa nil aliud spectare, quam securitatem Saxoniæ, ac ut Lubecæ succurrere possint, quam a Dano impetitum iri rumor sit, qui & eo fine ad Oldesloam castra ponere decreverit. Contra Danus negabat, sibi prætensionem, aut conatum in Lubecam esse; ac facile judicari posse, se hautquidquam nulla causa Imperialem civitatem invasurum; præsertim cum Lubecenses nuper quicquid actionum sibi in ipsos fuerit, viginti millibus uncialium redemerint. Sed se tolerare nolle, ut Luneburgici militem ei urbi immittant. Ita facile ex ejusmodi disceptationibus irritati animi in hostilia erumpere poterant, ni Electoris officium intervenisset. Sed hortante Electore Danus tunc
2. Aug. destinata in Suecos, & Luneburgicos plane exuebat, ne turbæ surgerent Turcis bono cessuræ; testatus, iis se causam non præbuisse, ac falsa esse, quæ de invadenda Lubeca spargantur. Ac cuilibet sano homini facile fore judicare, hautquidquam e re sua esse Germaniam irritare. Copias Oldesloam ire jussus, quod Lubecenses de recipiendo Luneburgico milite agitarint; cum sibi tolerandum non sit, Duces tanti momenti urbem, in suo limite positam, in potestate habere, præter duo loca in Hamburgensium territorio sita, Holsatiæ vicina. Quo ipso se intra Holsatiam claudi, cum ipsis in hanc accessus pro lubitu pateat. Sed quia Duces Electore hortante eas copias trans Albim revocarint, sibi aliquo modo satisfactum, ac visurum, quid Duces ulterius suscepturi sint. Alias hautquidquam eam sibi infamiam contracturum, ut tam intempestive turbas moveat; ac Electoris autoritatem per omnia secuturum, offensis suis reipublicæ condonatis. Et quia jam per Turcicum bellum totius Europæ facies mutata sit, se quoque ad componendas Imperii cum Gallo controversias incubiturum, quo Turcæ tota vi resistatur. Quia tamen classis Belgica Gothoburgo copias Suecicas Bremam trajectura credatur, simul Suecica classis Carolicorona Calmariam navigarit, legionibus uti fertur in Pomeraniam trajiciendis, nec penes se sit, trajectionem istam ambobus locis impedire: igitur petere, ut Elector missione copiarum contra Turcam tantisper supersedeat, ne earum discessu Luneburgici insolentia aucti plures occasiones turbis struant.

Gallus §. 99. Cæterum legatus Gallicus Rensburgi Meindersio dixerat, suo Regi Electoris actiones probari, ac eum nil aliud spectare, quam ut inter Boreales bellum declinetur. Equidem eum Luneburgicis offensum optare, ut hi paulisper castigentur. Sed quia ejusdem cum Dano fœdera non nisi mutuam defensionem spectent, se Danos semper monuisse, ne quid præcipitanter agerent, neu invidiam aggressionis contrahant, per quam Gallo integrum non sit futurum ipsi subvenire. Paulo post tamen cursor e Gallia Hafniam perveniebat, adserens; Gallo gratum fore, si Daniæ Rex, & Elector Luneburgicis bellum movere velint; quo fine pecunia ostentabatur. Nec deerant in Dania, qui eam acceptandam, & cœco impetu in arma ruendum suadebant, ni Electoris prudentia, ac moderatio calorem temperasset. Sane jactabatur, Cæsaris victoriam tanti non esse, ac plus satis eundem in Hungaria habere quod agat; sic ut ei vacaturum non sit in has oras copiarum quid mittere. Unde tempestivum fore istos aggredi, antequam Cæsar res suas eo provexerit, ut aliena respicere queat. Ac eo magis quidam talibus adplaudebant, quod spes esset, Suecum per Moscos distrahendum. Daniæ quoque tolerabilius fore periculosum bellum suscipere, quam tantam classem, & tam numerosum exercitum alere. Nam hunc exautorare dignitatem, ac securitatem Regis haut ferre; ac dum Duces validis copiis succincti stant, ac Suecus vires reparat, manibus in sinum demissis sedere, indecorum juxta, ac intutum esse. Sed demonstrabat Elector; non solum reipublicæ, sed & Dano, ac sibi utilissimum esse posthabito privato emolumento, ac vindicta, junctim ingruens Germaniæ periculum avertere, ac in omnem casum arma in promtu habere. Quem in sensum gravissimæ literæ ad Regem dabantur. Quibus permotus Rex omissis ancipitibus copias suas in hospitia dimittebat. Sed & idem Regi suadebat, ut cum Gottorpiensi mitius ageret. Sed respondebatur: eum Ducem fortunæ suæ fabrum esse, qui undique hostes ipsi immittere nitatur. In gratiam tamen Electoris se tributum bellicum Ducis ministris remissurum. Etsi constabat, quæstores Danicos in Ducis ditione latius grassari, quam ipse Rex nosset.

1683. Danum in arma stimulat. *24. Sept.*

§. 100. Porro cum Elector perspiceret, Luneburgicos Duces ad pacem, quæ ipsi tantopere cordi erat, non modicum momentum adferre posse; initio quidem tentabat, num eos Gallo, Danoque pariter innectere posset. Sed quia Duces stipulari volebant, ut Gallus sine exceptione omnibus reunionibus renuntiaret, id negotium effectu caruit. Igitur dein opera dabatur, ut excluso Gallo Duces cum Daniæ Rege, atque Electore in fœdus coalescerent, id quod tam lubrico rerum statu summe necessarium videbatur. Nam si præter spem bellum erumperet, tres isti inter se juncti magnum pondus rebus adferre poterant. Ac eo casu Electori haut placebat otium agere, ac prædam se victori exponere. Cæterum videbatur Electori id fœdus, omissa anteactorum mentione, ad futura duntaxat dirigendum; si Imperium, aut fœde-

Circa fœdus cum Luneburgicis acta.

1683. ratorum quispiam ab extero invadatur. Id enim Gallo non displiciturum legatus istius declaraverat. Et ejusmodi fœdere Duces Suecis divellebantur, simul cavebatur, ne hi militem in Germaniam trajicerent, vel ulli fœderatorum nocere possent. Sed & Rebenacius Electori propo- 5. Sept. suerat; si ei haut consultum videatur hac tempestate quid his in oris movere, Gallum non repugnaturum; modo Duces sibi non persuadeant, eorum rationem magnopere ab ipso haberi aut eorundem amicitiam valde affectari. Ast si Dano & Electori arma in Duces stringere placeat, Regem quantum opus sit ad isthoc institutum collaturum. De qua propositione Elector Ducibus significabat, ac in sua manu esse, quæ ipsis intententur accelerare, aut averruncare. Quod si Duces fœdus amplecti velint, se ubique ipsorum rebus fauturum, securitatique quantum possit prospecturum. Ast si viam, quam hactenus ingressi sint, porro insistant, ac incendio communis belli ansam præbeant, suo id periculo facturos. Se quidem fecisse, quod amicum & vicinum deceat. Sane si res in bellum erumpat se vel invitum in ejus partem venturum, & quid sibi expediat cogitaturum. Alias sibi hautquidquam in animo esse in turbido piscari, sed junctim cum Daniæ Rege, ac Ducibus utriusque Saxoniæ, & Westphaliæ securitati prospicere, ac ea conjunctione id sibi autoritatis circumponere, ut omnibus in ipsos respicere necessum sit. Maximam difficultatem a Dano se metuere; sed sperare tamen, eum solida speciosis antehabiturum, præsertim si matura Alefeldii consilia prævaleant. Ac revera Dani propositum fœdus frigide accipiebant, causati, id fœdus Ducibus cordi non esse. Sed Elector per Meindersium demonstrabat; Gallum hucusque in hoc negotio ambigue egisse, ut quid serio velit, liquido judicari nequeat. Saltem id certum esse, eum ex aliorum inter se collisione lucrum captare. Et quicquid ejus sit, non tam minutum emolumentum, quod forte in præsens inter turbida venari liceat, quam in futurum respiciendum. Verendum quoque, uti & antea factum, ne ipsi ambo laborem, & sumtus faciant, alii lucrum reportent. Cæterum non magis sibi, quam Regi Ducum acta probari. Sed ob publicum bonum fas esse etiam justissimas offensas digerere. Dissidium Regis cum ea Domo neutri emolumentum, utrique grave damnum adferre posse. Utique autem in Turcam, & turbas Flandricas respiciendum, nec novos motus excitandos, priusquam internus Germaniæ status firmatus fuerit. Gallum hac conjunctione ad æqua adductum, ac intra limites retentum iri. Ei fœderatos suos parum cordi esse, ac eorum rationes, & utilitates languide ab eodem respici. Ast ea conjunctione majorem suam apud istum autoritatem fore. Nec istam Gallo improbari posse, qui & ipse verbis desiderium pacis testetur, qui unicus ejus conjunctionis scopus sit. Quæ Alefeldio quidem probabantur, cum Reventlovius, & Ehrenschildius in bellum propenderent. Vicissim autem Elector Duces per Ottonem Grotium hortabatur, ut aliter se gerant, quam nuper Ratisponæ factum, quando de acceptanda pace, aut 1683. induciis sententiæ dicendæ essent: ubi istorum legati defectum mandati excusaverant, cum integrum mensem habuissent ad id domo petendum. Jam ipsum eventum testari, quem fructum inania consilia hactenus agitata producant; ac verendum esse, ne, quod ipse dudum ominatus sit, eveniat, ut Germania inde Turcæ, hinc Gallo prædæ cedat. Æmulationem inter Danum, & eam Domum impediisse, ne ipse Cæsari, Imperio, & orbi Christiano debitum officium præstare, ac ad liberandam Viennam quid conferre potuerit. Contra utrinque magnos exercitus ali, nulli usui, nisi quod proprias ditiones exedant. Enimvero nec apud Duces quid proficiebatur, & Dano nondum aversio contra istos decesserat, Gallo quoque Danum in eosdem stimulante. Unde Elector gravi epistola 6. Octob. Regem ab extremis dehortabatur. Collisionem cum Ducibus nullum ipsi emolumentum, sed grave damnum adferre posse. Nam ne ancipitia fortunæ, & transversim inter currentes casus memorentur, etiam ubi res probe succedant, nil spei esse ad aliquid adquirendum: nec Gallicam pecuniam, quæ & ipsa in paratus armorum eroganda sit, cum incommodis, & periculosis mutationibus, quæ circa tam arduum negotium metuendæ sint, ullo modo comparari: contra ex amicitia ejus Domus insignem fructum capi posse. Minime omnium autem sibi consultum in ejus belli partem venire, per quod ob situm suarum ditionum per varias hinc inde distractiones graves molestiæ sibi inferri queant. Et alias sibi solitum bella suo ductu gerere; quod nunc ætas, & valetudo prohibeat. Ast in præsens Duces non amplius sollicitare placebat, quod numeroso milite seipsos consumerent, expensis longe ipsorum reditus superantibus; ac ipsi fatebantur, iis tolerandis ultra semestre se non sufficere.

§. 101. Adverterat quoque ista Dani adversus Suecos, & Luneburgicos æmulatio Saxonis curam, ut misso Bosio Electorem hortaretur ad operam dandam, ne ea in bellum hac tempestate erumpat. Nam Suecis Germania ejectis pacem Westphalicam facile everti, ac Imperii compagem dissolvi posse Sed & e collisione Principum consanguineorum, & eadem sacra profitentium id consecuturum, ut Gallus, qui communi libertati imminet, omnibus leges præscribat. Igitur Electorem optime de patria meriturum, si Danum a bello dehortetur, ac ne Domui Luneburgicæ, cui ipse arcto fœdere junctus sit, justam metus causam præbeat. Ad quæ Elector: *Negari non posse, Dania Regem justum metum hausisse ex fœdere inter Cæsarem, & Suecum inito inprimis ex articulo de Gottorpiensi causa. Forte & illum adversus id præsidium apud alios sibi quæsivisse. Et quia ipse arctissimo vinculo Daniæ Regi sit innexus, simul Suecos molestos vicinos sit expertus, sese isti, ubi bellum erupisset, defuturum non fuisse. Enimvero se hactenus, quicquid emolumentorum ostentaretur, pacem, ac publicum bonum privato antetulisse, ac omni studio præcavisse, ne in arma erumperetur; idque deinceps quoque*

Saxonis ad Electorem missio. 6. Jun. Bosi.

factu-

1683. *facturum. Ast vicissim Dano, sibique non in præsens tantum, sed & in futurum securitatem a Suecis procurandam, queis non tam voluntas, quam occasio nocendi deesse videatur. Tum & Saxo operam daret, ne Suecus ob negotium Gottorpiense vim adhibeat. Se quoque libenter cum Luneburgica Domo amicitiam culturum. Equidem controversiarum quid esse super finibus, sed quæ exigui sint momenti. Sed duo esse, quæ & Saxonem tangant, valde sibi acerba videri; quod ea Domus omnes Principes in Collegium Electorale stimulet, ac hujus fastigium, multorum secularum usu & Aurea Bulla stabilitum, subruere, eidemque ex asse se æquiparare laboret. Tum quod in Saxonia Inferiore tantum non dictatorio modo agat.* Quarum rerum discussionem in aliud tempus rejicere Saxo suadebat.

leEtoris ca a- vten- m Gal- um bel- n cura. Jul. §. 102. Cæterum quo magis patriæ periculum gliscebat, eo impensius Elector connitebatur, ne bellum quoque a Gallo accederet, latentem alibi sub cineribus ignem quoque excitaturum. Idque eo magis, quod ipso instante Gallus cavere nollet, sese Germaniam armis haut invasurum, causatus, Cæsarem ne per Turcicum quidem bellum ad pacem cum ipso ineundam permoveri. Neque vero ejusmodi declaratione viam ad pacem muniri, sed potius Cæsaris pertinaciam obfirmari. Equidem in præsens sibi non esse animum arma in Imperium movere, de quo & sæpius Electori verbis confirmarit. Quod si tamen nec præsens rerum in Hungaria status, nec Electoris hortatus pacem producere queant, alia consilia ad eum finem assequendum esse ineunda. Ad
, Jul. ea Elector Croissio declarari jubebat: Isthoc quidem responsum non usque adeo se improbare posse; idque cum prævideret, apud Cæsarem, Saxonem, aliosque enixe institisse, ut negotium ad finem perducatur; cum sibi nil magis in votis sit, quam ut ambiguus hicce status in bonam, eamque duraturam pacem desinat. Sed quia ipse metuat, ne queis super hoc negotio decernendum est, infinita sua dubitatione extremis ansam præbeant, aut saltem eousque tempus extrahant, quoad post vulneratam causam amicæ compositioni locus non amplius supersit: se in Regis arbitrium conferre, an non e re videatur, per Verjum denuo certam diem præfigere, quo sibi ansa præbeatur negotium tanto enixius urgendi. Id quod tamen Spanhemius alios celare jubebatur. Quanquam enim suus in patriam affectus candidissimus sit, nec ipse aliam viam ejusdem exitio avertendo dispiciat: id tamen a malevolis in finistrum sensum trahi posse. Etsi Croissius ostenderet; quia Cæsar pacem defugiat, a Rege diem ægre prolatum iri.

atispona 3a. §. 103. Sed & Ratisponæ admotum jam propius a Turca periculum Ordines permovebat, ut omnia Collegia in eo consentirent, cum Gallo transigendum esse, quo Turcæ omnibus viribus resisti possit. Qua in re spes sit Gallum ita acturum, uti generoso suo animo, gloriæque cupido dignum sit. Ad quæ Verjus: in Rege moram non fuisse; sed cupiditatem bello eundem petendi effecisse, ut legiones in Germania hæserint, nec mature in Hungariam transierint. Ac nunc nomine Regis declarabat; intuitu 1683.
belli Turcici se non solum renuntiare indemnitati, quam alias jure exigere possit ob expensas, 16. Jul.
ad quas faciendas fœdera instinctu Austriacorum formata necessitatem sibi attulerint; ac conditionibus antea oblatis adquiescere. Ac ne Ordinibus Imperii solicitudinis materiam relinquat, paratum esse super Induciis in triginta annos convenire in easdem conditiones, quæ a se ad plenam litium compositionem sint propositæ. Intra quod spatium utrinque ad istam amica via perveniri posse. Enimvero ni hæc conditio intra finem mensis Augusti acceptetur, ea se deinceps teneri nolle. Quæ propositio plerisque magis quam prior de pace placebat, quod per hanc scrupulus amovebatur, a Cæsareis subinde motus; Cæsarem salvo officio nil cedere posse. Nam nunc Imperio actiones, & jura sua salva manebant, vindicanda, ubi meliora tempora Germaniæ arriderent. Intra triginta quoque annos magnam rerum conversionem fieri posse. Cæterum constabat, si Galli tunc irruptionem tentassent, Suecos haut tentata defensione Galli protectionem fuisse subituros. Ea propositio au- 15. Jul.
lam Cæsaream non parum irritabat, jactantem; prius eventum Viennensis obsidii expectandum, quam cum Gallo transigatur, ac forte Turcas brevi ancipitia fortunæ experturos, fractis ad Viennam viribus, & per coëuntia undique auxilia plane proterendos. Quin & Galli bellum a se haut formidari. Saltem non nisi in sexennium inducias annui posse. Ast Elector eadem propositione cognita valde metuebat, ne illi, qui impedita hactenus cum Gallo transactione effecerant, ut omnia ea mala Cæsari ingruerent, Turcæque jam ad portas Viennæ starent, pro more suo rem extraherent, quoad & cum Gallo bellum exardesceret, ruinam Imperio allaturum. Unde per Anhaltinum Principem Cæsari demonstrabat: res Germaniæ per sinistra consilia eo deductas, ut tam nobilis respublica in præcipitio stet. Sed quidem per ejusmodi otiosa dolorem Cæsaris irritare nolle: pro fide tamen, qua ipsi teneatur, non posse non indicare; si ea, quæ nunc ex necessitate facienda sint, ante aliquot menses ultro facta forent, Turcæ cum centum bellatorum millibus obviam iri, eundemque a Cæsareis provinciis repulsum in proprio impugnari potuisse. Nunc præterita non aliter reparari, ac reliquias patriæ servari posse, quam ut ista documenti in vicem ad præsentia tempora accommodentur. Quemlibet patriæ bene cupientem agniturum, ne deliberatione quidem opus esse, num oblatæ a Gallo conditiones agnoscendæ sint. Nam in aprico esse, si nunc, dum Turca in visceribus provinciarum Cæsarearum hæret, Gallus quoque per fatalem pertinaciam in Imperium pertrahatur, id uno ictu ruiturum ejus compage soluta, ac parte hinc Turcæ, inde Gallo subjicienda. Sane Gallo in proclivi fore, non Mosellam solum, & Rhenum in potestatem redigere, sed & ad Danubium pedem proferre. Ac non paucos Ordinum nulla Cæsare & Imperio adversus Turcam tutela, Galli patrocinium subire, quam isti-

us

1683. us se immanitati exponere malle. Igitur pacem cum Gallo ineundam, ac omnes vires in Turcam vertendas. Sibi perinde esse, pax, an induciæ Cæsari placeant. Id si fiat, se octodecim militum millia missurum, ac si valetudo permittat, in expeditionem iturum, & quod restet senilis sanguinis pro Cæsare, ac patria effusurum. Sed si præter spem, qui Cæsaris & Imperii exitium quærunt, magis quam amantes patriæ cives audiantur, ac repudiatis a Gallo oblatis conditionibus hujus quoque arma in Germaniam pertrahantur, necessitatem sibi allatum iri flebile remedium naufragis solitum arripere, quo quilibet in ejusmodi fatali calamitate se, suaque utcunque servatum it. Electoris quoque hortatibus Saxo permovebatur, ut & ipse apud Cæsarem pacem

4. Aug. urgeret. Ac jam in Collegio Electorali decernebatur, in conditiones a Gallo propositas sine mora transigendum. Sed Moguntinus, Coloniensis, ac Bavarus, ac plurimi e Principum Senatu inducias, quam pacem malebant; ac peculiariter Austriacus, Suecus, & Burgundus Hispanos quoque, Succiam, & Belgas in-

24. Aug. cludendos pertendebant. Demum tria Imperii Collegia decernebant, inducias amplectendas. Sed simul a Verjo petebant, ut idoneum sibi tempus indulgeatur, quo circa nonnulla cum Cæsare convenire possint. Ad quæ Verjus: forte decem dies addi posse, modo interim negotio colophon imponatur. Quia tamen Ordines de induciis duntaxat decreverint, non quomodo, & quamdiu? Regi suo integrum fore facere, quæ sibi expedire videantur. Id quod Electori summam solicitudinem injiciebat, quod super legibus, ac tempore induciarum ejusmodi difficultates moveri possent, quæ rem plane irritam redderent. Idque eo magis, quod licet multi Ratisponæ jam fremerent, si Cæsar nolit, seorsim se cum Gallo transacturos; Cæsarei tamen sibi adhuc ea spe blandiebantur, se per valida auxilia, quæ undique adproperabant, non modo Viennam liberaturos, sed & Turcæ vires fracturos: ac tunc Gallum tractabiliorem fore. Quem & confidebant, post elapsam præfixam diem in arma haut erupturum. Aut si maxime is interim Sueviam, Franconiam, aut Bavariam persultet; id tamen damnum tanti haut fore, ac si fœderati sui destituantur.

Galli destinata ab Electore eluduntur. 24. Sept. §. 104. Enimvero Gallis Ratisponense decretum haut satisfaciebat, velut in longum prominens, ac aversionem aulæ Cæsareæ a pace ab Hermanno Marchione Badensi, Emmerico Episcopo Viennensi, ac Stratemanno oriri judicabant. Et quia tunc palam in arma prorumpere aliquis pudor erat, Danum, & Electorem Luneburgicis immittere cupiebant oblatis opimis conditionibus. Nam nunc obsidium Viennæ, quod Elector hactenus præcipue obtenderat, cessare; idque non sine gravissima ratione respiciendum fuisse. Sed nunc alia consilia capessenda esse, quibus Coloniensis, & Argentoratensis parati sint. Prius tamen Electoris sententiam audiendam. Ac persuaserant sibi Galli, cladem Turcarum tantam non esse, ac Polonum a Cæsareis offensum brevi ad Gallicam amicitiam reversurum. Enimvero Elector Spanhemio injungebat, ut omnia, quæ turbis se implicare possint, summo studio declinaret. Ac inprimis circa Luneburgicos demonstraret, in tale quid nunquam se consensurum. Nam & hos summa vi restituros spe fretos, post victoriam contra Turcam auxilia sibi non defore: ac Polonum quoque sibi respiciendum, qui se alibi locorum distento in Borussia una cum Suecis negotium facessere queat. Ac satius fore amico tractatu eam Domum adjungere; id quod non parum facturum sit paci in orbe Christiano servandæ, cujus mirum desiderium Gallus verbis hactenus præ se tulerit. Ac sperare, Gallo ab Imperio satisfactum iri, modo ad arma ne procurratur. Nec verosimile esse, victorias contra Turcam Cæsari, aut Hispano id ferociæ addituros, ut ultro aliud bellum provocaturi sint. Nam Cæsaris exercitum, inprimis peditatum valde imminutum. Plerasque ditiones hæreditarias vastatas, aut exhaustas. Maximam Ordinum partem bellum detestari. Igitur se rogare, ne Rex in Germania, aut Belgio rem ad arma deducat. Croissius, etsi super invadendis Luneburgicis urgere non desineret, ostendebat tamen; in gratiam Electoris diem antea præfixam prorogari posse. Ac demum Gallus ad finem usque anni *5. Nov.* spatium indulgebat transactioni cum Hispanis, & acceptationi induciarum cum Imperio in annos triginta, viginti quinque, aut viginti, quarum sponsores omnes Principes Christiani esse possint; additis minis, ni conditiones intra id spatium acceptentur, se non solum his teneri amplius nolle, sed & indemnitatem suam quæsiturum. Interim in omnem eventum armis se instructum fore. Si pax in Imperio succedat, eam soli Electori in acceptis referendam. Sed cum Elector instaret, ut Rex declararet, se intra annum vertentem Germaniam non invasurum; hic præfracte id abnuebat, velut scopo suo adversum. Nam Cæsarem interim refectis viribus, ac facta cum Turcis pace Galliam invasurum. Nec eo minus Rebenacius instabat, ut Elector cum aliis hostilia in Luneburgicos sumeret, simul consentiat, ubi intra finem anni pax inter Imperium, & Galliam perfecta non fuerit, Gallo integrum sit ejusmodi viam paci promovendæ inire, quæ ipsi e re videatur, eique sese haut opponat. Quæ postulata Elector valde respuebat. Sane fas patriæ, quod ipse semper in fœdere Gallico exceperit, ac propriæ domus rationes, saluti Imperii implicitas, non permittere, ut ipse ulteriorem ejus lacerationem, aut ejusmodi actiones, ex quibus illa non possit non consequi, adprobet. Unde per Spanhemium enixe apud Gallum insistebat, quo ejusmodi ausis supersedeatur.

Elector §. 105. Ex altera parte Elector Cæsarem per literas impense ad pacem hortabatur. *Hactenus apud Cæsarem ipsum causatum, ni pax universos complectatur, ignem, farem* [illegible] *qui inter Imperium & Galliam restinguatur, alibi inter pace* [illegible] *Gallum, & Hispanos erupturum, ac Germaniam denuo get.* *24. Nov.* *correpturum; nec quid cautela circa pacem, aut inducias reperiri. Atqui Gallum jam Haga declarasse, eodem se tempore cum Imperio, & Hispanis tractaturum: tum induciarum tempori non parum detraxisse, ac Hispanis sic satis tolerabiles conditiones proposuisse. Simul declarare, se ferre posse, ut omnes Europæ Principes, ac Respublicæ pro induciis cautionem interponant.*

Id

1683. *Id ni satis habeatur, æternum bellum geri necessum fore. Contra hanc sibi constantem sententiam esse, meliora deinceps tempora exitura, queis Gallo, si inducias non servet, justa vi occurri queat. Præsenti autem tempore nil incommodius, aut periculosius dari posse bello in Gallum suscipiendo, aut ut lites in suspenso relinquantur. Quanquam enim Cæsar egregia contra Turcas victoria sit mactus; hautquidquam tamen bellum patratum, nec Turcarum vires ita fractas, quin iterum resurgere posint. Eo durante autem Cæsaris, ac fœderatorum maximas vires istis opponendas. Quin si maxime Cæsar pace, aut induciis cum Turca potiatur; tempore tamen opus fore etiam ad victorem exercitum supplendum. Interim recenti hosti in proclivi fore ingentem tractum obruere, quem recuperare arduum sit futurum. Accedere discordiam, ac debilitatem tam in Germania, quam apud quosdam exterorum fœderatorum; & quam parum fœderibus ob discrepantes utilitates sit fidendum. Igitur quæ se offerat occasionem arripiendam, qua junctis viribus Turca compesci possit. Ostendere Deum tempora, qualia multis seculis haut adparuerunt, reducendis sub Christianorum ditionem terris, quo tamdiu sub barbarorum jugo gemuerunt. Ex iis Cæsari maximam gloriæ segetem, tum incrementa virium expectanda; ac limitem eousque proferri posse, ut non facile similis novissimæ irruptio sit metuenda.* Enimvero exacerbatio contra Gallos Viennæ indies gliscebat, inprimis postquam Galli nuper in Belgio Cortracum, & Dixmudam invasissent: ac omnes ea sibi spe blandiebantur, uti Turcæ ita & Galli insolentiam contusum iri. Equidem aliqui suadebant, ut in præsens Cæsar cum Gallo pacem inire non dubitaret, quam, ubi a Turca cautum sit, pro lubitu infringere, ac injurias suas Galliæ cum fœnore remetiri queat. Nec enim iniquum, Galli exempla in ipsum recedere; ac simplex esse fidem ei servare, cui eam violare ludus, jocusque habetur. Enimvero Cæsaris animus ab his sordibus abhorrebat, cui sancte servare propositum, quicquid promissurus erat. Cæterum Cæsareis ministris sententia stabat, inducias haut festinandas. nec curandum, quas dies absolvendo negotio Gallus præfigat. Nil Germaniæ a Gallo in præsens metuendum, qui consilia sua alio direxerit. A Cæsare tutam, & omnes complexam pacem expeti. Hispanos expectaturos, quid sors ferat, ac potius armis ad extremum connixos, quam ignominiosa transactione Belgium amissuros. Modo Elector Cæsaris partibus accedere velit, Gallum ad moderatiora versum iri. Ac maluerat Cæsar quamprimum pacem, aut inducias cum Turca inire, ni Pontifex impense obstitisset, quod spes foret, jam ditiones Christianorum dilatari posse. Ac mox Cæsareorum ardorem non parum refrigerabat, quod Amstelodamenses ad novos delectus nil pecuniæ conferre vellent, ac quod Belgica classis Gothoburgi nil copiarum Suecicarum recepisset, ac in reditu ante ostium Texelense gravi tempestate quassata fuisset. Sub finem quoque anni Collegium Electorale per literas Cæsarem hortabatur, ut tandem aliquando tractationem serio suscipere velit.

Elector Luneburgicos ad pacem permovere studet. §. 106. Quia etiam hucusque Luneburgici Duces paci non parum obstiterant, Elector eos per literas enixe hortabatur, ut & ipsi ad istam promovendam incumbere velint, quod in præsens bellum cum Gallo Germaniæ, ac vicinis non possit non exitiabile esse. Cruento cum Turcis bello Cæsaris, ac præcipuorum fœderatorum arma distineri. Cæsaris, ac Poloni exercitus hac 10. Nov. expeditione admodum attritos, nec minus auxiliares Ordinum copias pessime habitas. Secuta cum Gallo ruptura discordiam in Imperio intestinum quoque bellum parituram. Impotentiam Hispanorum nuper direptione oppidi Veræ Crucis in America a piratis facta auctam. Diffidere inter se Belgas Fœderatos; eorum classem Gothoburgo reducem male multatam. Nec dubium, quin orto semel bello exteri periculosa sua destinata exsecuturi sint. Nec Gallum post biennium inter tergiversationes consumtum diutius quieturum. Ac jam præcipua obstacula remota esse, cum perinde sit, uno an duobus locis pax fiat. Et quia res eo deducta sit, ut mox aut bellum, aut pacem sequi necessum sit; in Ducum placitum reponi, an non eum in finem cum Daniæ Rege, ac secum tractationem Rensburgi antea cœptam resumere atque absolvere velint. Unde ab his Otto Grotius Berolinum missus pro- 19. Dec. ponebat; cum Cæsar a Gallo latas conditiones duras nimium, & ignominiosas habeat, an non Gallus ad moderatiora permoveri queat, saltem ut Argentoratum penes Imperium maneat. Tum ut Elector componendo Gottorpiensi negotio operam navet, ac ne Danus veteres super tributo actiones in Meclenburgicam, & Lauenburgicam vi persequatur. De cætero Duces paratos tractatui inter se, Danum, atque Electorem instaurando. Cui responsum: Quia Cæsar tamdiu moras nexuerit, hac rerum facie a Gallo ægre moderationis quid obtentum iri. Uti tamen ipse hactenus impedierit, ne summa imis per Germaniam verterentur, ita adhuc tentaturum, num quid obtineri possit. Ad quæ Duces censebant: Quia Gallus Superiorem Rhenum limitem affectet, Argentoratum ei relinqui posse, sed ut is contra Brisacum munitionibus exutum, simul Friburgum restituat, castellumque ad Kehlam solo æquet. Ut quoque reunitis saltem dominium utile relinquat, nec minus cum Hispano transigat, ac renuntiationem in futurum exactis cautelis circumscribat. Sed Elector judicabat: de Brisaco non cogitandum: de Friburgo, & Kehlensi castello tentandum. Ita in eo consentiebant, quod pax, aut induciæ hac tempestate necessariæ judicarentur. Sed Elector a Gallo proposita citra licitationem acceptanda, Duces moderationem quærendam censebant. Unde conciliandis sententiis Paulus Fuchsius Hanoveram mittebatur; qui tamen tunc rem nondum ad liquidum deducere poterat.

Electoris circa Arausionensem causam studium. §. 107. Nec minus Elector exacerbationem animorum inter Gallum, & Arausionensem, non leve pacis obstaculum, minuere laborabat; quorum hic cum omni modo connitere tur, ne Gallus pro lubitu grassari, & quæcunque in mentem venirent, vicinis eripere, omni fidei religione insuper habita, posset; Gallus contra qua poterat Principi ægre faciebat, obfirmata apud Bel-

 gas

1683. gas factione eidem adversa, ac interverso ejusdem patrimonio. Eandem quoque causam Daniæ Rex impense apud Gallum commendabat, quod non possit non Elector ejusmodi insultationibus refrigerari. Nam Rex mœnia Arausionis recens extructa dejici curaverat, ac immisso milite civibus graves molestias dederat. Ea de re cum Spanhemius Electoris jussu quereretur, Croissius respondebat: Regem nil fecisse, nisi quod juri, ac rationi quadret. Arausionem Principi novissimo tractatu restitutam ea lege, ut in eo statu, qui tunc erat, maneret, non ut novis mœnibus circumdaretur, quod Princeps ausus sit. Nec hujus adversus Regem acta id mereri, nec rationes status id permittere. Aliquot legiones Arausionem iri jussas, dejiciendis mœnibus, quæ mox inde revocatæ sint, redditis quas civibus extorserant pecuniis. Ea moderatione Principem haut contentum apud Belgas id factum importune exagitasse; qui & eo nomine legatum ad Regem mittere velint, sed cujus adventus parum gratus sit futurus. Regis gloriam, & utilitatem requirere, ut id asseratur, quod factum est, & quod faciendi jus iste habuit; ac plus fuisse facturum, ni Electoris ratio haberetur, quem ea res nomine filiorum tangat. Alias ad Principem nec supremum imperium, nec utile dominium Arausionis spectare. Illud semper penes Comites Provinciæ fuisse; hoc ad alios præter Nassovios pertinere. Id tamen Principis majoribus a gratia Regis relictum, cui continuandæ hic Princeps locum haut relinquat. Nec ipsum Electorem toleraturum, ut ejusmodi indolis oppidum in medio suarum ditinum positum munitionibus firmetur. Attamen hactenus super mœnibus duntaxat quæstionem fuisse. Sed se præstare nolle, ni Princeps alium animum induat, rem perpetuo in eo statu permansuram. Ac sane non diu post Arausionensis Principatus Longuevillanæ Domui per sententiam Magni Consilii adducebatur. Vbi Galli quidem jactabant, id Electoris filiis Friderico, ac Ludovico fraudi non fore; ac Regi semper facultatem esse, si maxime Princeps ea possessione ejiciatur, filios Electoris iterum in eam ditionem restituendi. Enimvero ista Electori hautquidquam satisfaciebant; cui haut decorum, in fraudem Principis super ea ditione in favorem suorum filiorum pacisci, aut causam suam a Principe disjungere. Et si maxime idem quid deliquerit, suis tamen filiis id nocere non posse, velut qui ex pacto, & providentia majorum succedant. Quanquam etiam Princeps altiorem vindictam animo agitans eam causam parum curare videatur, sibi tamen saltem pro jure filiorum suorum vigilandum esse. Vnde & Elector Angliæ Regi eam causam commendabat, saltem ne liberis suis præjudicium fieret, si Princeps circa eam laborare dedignaretur. Sed Anglus excusabat, invito beneficium non dari, ac Principem nimis ferocem esse. Post cum Spanhemius super ea causa Regem alloqueretur, hic *27. Nov.* respondebat; quantum ipse norit, causam nondum esse decisam. Longuevillios semper in eam ditionem actionem movisse, sed quæ ob merita Nassoviorum hactenus suspensa fuerit. Sed postquam hic Princeps ita refractarium se gerat, justitiam non amplius sisti posse. Attamen si quæstio futura sit de jure filiorum Electoris, eorum rationem uti par sit habitum iri. Quod responsum Electori minime omnium satisfaciebat. Nam si Principi per sententiam Arausionensis ditio abjudicata foret, id non poterat non ejusdem filiis præjudicio esse, velut qui non alio jure in eam ditionem succedere queant, quam quod Princeps habuerit. Post quoque Rex declarabat; Electoris filios in casum vacantis successionis non solum jure Principis Arausionensis, sed & omni gratia Nassovicæ domui heic indulta perinde frituros, ac si nil adversi pronuntiatum esset, ac in possessionem Principatus reponendos. Atqui plane a ratione abhorrebat, jus Nassoviorum per sententiam judiciariam extinguere, ac idem tamen in filios Electoris e Nassovia matre natos iterum transferre velle. Vnde ejusmodi oblata accipere Elector nefas ducebat; præsertim cum, si in hac causa a Principe se disjunxisset, decuplo plus amissurus, quam lucraturus esset. Vnde Elector Spanhemio injungebat, ne de eo negotio amplius moveret. Sed si Croissius ultro mentionem injiceret, diceret: postquam Elector viderit, tam exiguam eorum, quæ a se demonstrata sint, rationem haberi, vetuisse eo nomine Regi amplius molestiam fieri.

§. 108. Ast Cæsar novissimis Electoris literis motus, misso Lambergio Comite de insigni suo in pacem studio exponebat; quo impulsus Mansfeldium Comitem in Galliam miserit; inde conventui Francofurtano ansam dederit, ac magis promovendo negotio Windischgræcium Comitem Ratisponam ablegarit. Sed ista omnia a Gallo elusa. Cum Mansfeldio tractationem eos suscipere noluisse. Francofurti per injecta super cerimoniis litigia negotio remoram injecisse, inde plane congressum abrupisse. Ratisponæ quoque varias dissensiones seminasse, atque aluisse, eo tantum fine, ut discussionem ausorum suorum, propriæ conscientiæ judicio damnatorum, declinarent, ac Imperium ad noxias juxta, fœdasque conditiones compellerent. Quanquam etiam Gallus demum in universales tractatus consenserit, addito, unam conventionem non valituram, nisi & cum altera parte transactum sit; non tamen nisi diversis locis tractare velle, ut eum, qui posterius concluserit, (id quod sine dubio Imperium facturum sit,) ad iniquas conditiones, uti Neomagi factum, adigat. Haut eo minus Cæsarem, ne quid omitteret ex quo ulla pacis spes affulgeat, nuper cum fœderatis suis in universorum conventum Hagæ celebrandum consensisse, ubi super ratione pacem obtinendi consultandum sit. Ac sperare, Electorem id negotium consilio, ac opera promoturum, nec eidem se subtracturum. Nec dubitare

Cæsaris ad Electorem legatio. 7. Jan. 1684.

1684. bitare Cæsarem, quo minus suas, & Imperii rationes Electoris fidei concredere velit. Ast si Elector eousque Gallo se illigaverit, ut ne amica quidem officia eidem interponere integrum sit; Cæsari vitio verti haut posse, si una cum fœderatis suis securitati patriæ prospiciat, ac sua consilia eo dirigat, ne utique necessum sit superbis exteri Regis dictatis cœco obsequio se submittere. Debiles Germaniæ vires, ac ortam inde resistendi impotentiam frustra occini, cum ea nunquam validioribus armis instructa fuerit. Si Elector, Coloniensis, ac Luneburgici Duces quindena singuli millia reliquis adjungant, Gallo sat pares se fore. A Dano Cæsarem nil distractionis a tergo metuere; quod constet, Electori neque cum hoc, neque cum Gallo offensiva fœdera esse; eoque Electorem haut teneri, si quid a Dano intra fines Germaniæ moveatur, ei se miscere. Soli autem Dano haut fore audaciam Cæsaris fœderatos in Saxonia Inferiore invadere. De cætero Cæsarem omnes circa pacem demonstrationes ab Electore libenter admissurum; nec repudiaturum, si præter Monasterii, & Neomagi conventa unum & alterum, quod utrique parti commodum sit, a Gallo in medium adferatur; quod ipse libenter auditurus, ac super æquivalente ex æquo transacturus sit; modo Imperii dignitati, atque communi securitati caveatur.

Electoris declaratio. 14. Jan. §. 109. Ad ista Elector; *Latum sibi, a Cæsare monita sua super pace in bonam partem accepta. Supervacuum esse morarum causas multis recensere. In præsens a Cæsare circa promotionem pacis, aut induciarum hoc potissimum respici, ut ea omnes complectantur; ut tractatio uno loco, & quidem Hagæ suscipiatur; ut conditiones a Gallo propositæ temperentur; ut constans in Germania conjunctio constituatur eorum cumprimis Ordinum, queis arma in promtu sunt. Circa hæc ita sibi videri. Ut pax, aut induciæ universos complectantur, a se maxime optari. Gallum quoque id offerre, scripto nuper Hagæ in eum sensum exhibito. Ac nunc unice rem penes Hispanos hærere, num ii oblatas conditiones admittere velint; ad quod Cæsar, Anglus, ac Belga facile eos permovere possint. Ast si Hispani omnia in medium allata temperamenta rejicere perrexerint, ac non nisi desperatis consiliis locum dederint, officio Germani Principis repugnare, patriæ salutem, aut exitium ab Hispanorum pervicacia suspendere, ac rationes Germaniæ Hispanicis ita innectere, ut uni cum altera necessario standum, cadendumve sit. Necessitatem pacis, siquidem patria imminenti exitio eripienda, ac Cæsari inde auxilium contra Turcas habendum sit, apud omnes in confesso esse; ad quam quilibet bonus civis externis respectibus sepositis conniti debeat. Ast si Hispani omnes pacis, aut induciarum conditiones, quæ offeruntur, pertinaciter eludere studeant, ac bellum Gallis indictum persequi velint, nimirum ipsi quantum possint, rerum suarum satagant. Sane Burgundicum Circulum ante aliquot secula cum diversis Principibus bello implicitum fuisse. Contra Germaniam, ejusque Ordines, ac se cumprimis rebus angustiis e Circulo Burgundico parum, aut nil solatii hausisse. Unde nil causæ adparere, quare nunc Hispaniæ utilitates Germanicis ita arcte combinandæ sint, ut Imperio plane ab Hispanicis consiliis pendendum sit. Porro eam adhuc sibi sententiam sedere, de negotiis, ac fatis Germaniæ nullibi commodius, ac tutius, simul decentius agi quam in conventu Ordinum, ac præsentibus omnibus, quorum interest. Quantum enim damni Germania senserit, ubi ejus negotia a paucis extra ejusdem fines tractata fuerint, inauspicatam pacem Neomagensem recens exemplum præbere; quod vulnus se nunc refricare nolle. Id tamen documento sibi esse, ac alios ordines solicite moniturum, ne ad eundem scopulum denuo naufragium faciant. Contra Hispanica negotia nullibi commodius, quam Hagæ expediri posse, ubi omnium Principum quorum interest legati agant; ac rem ibi facile absolvendam, si serio suscipiatur. Se quidem omnem operam collaturum, ac pro conventorum firmitate sponsionem interpositurum; eoque nomine cum Cæsare, aliisque fœdus initurum. Ut autem de conditionibus a Gallo propositis aliquid remittatur, nullam spem esse. A Monasteriensi pace vel minimum discedere nunquam sibi animum fuisse, circa cujus explicationem summa horum tractatuum verti videatur, ut unus & alter articulus ibi ambiguus, aut obscurus ita perspicue concipiatur, ne litigandi in posterum materia supersit. Prolixas discussiones de justitia causæ præsentia tempora non ferre; quæ tamen futura circa pacem tractatione suscipi possint; super cujus loco, tempore, ac modo statim post inducias Ratispone conveniendum sit. Nec ibi sua officia defore. Nunquam enim ejusmodi se vinculum induisse, quod se aliena Corona arbitrio, aut rationibus in fraudem patriæ cæco modo implicare, aut ab obligatione Imperio debita avertere queat. Sed num hoc interno, & externo Germaniæ statu super publico exercitu constitui queat, Cæsaris & omnium belli peritorum judicio a se relinqui; aut quod operæ pretium fieri possit, imminente adhuc a Turca periculo, ac Ordinibus per dissonas, ac repugnantes invicem utilitates distractis. De Dano haut credere in animo ei esse Germaniam hostili modo invadere, qui & superiore bello egregiam operam navarit. Esse quidem nonnihil controversiarum inter eum Regem, & Luneburgicos Duces. Sed Regem ita moderate egisse, ut nil turbarum inde metuendum sit; modo Duces quoque rationem, & æquitatem sequantur, ac tam circa munia Circuli, quam alia intra limites legum publicarum maneant, nec plus autoritatis, quam hæ tribuunt, sibi arrogent.*

§. 110. Petebat inde scriptis literis Cæsar ab Electore pecuniarium subsidium, centum triginta menses Romanos; quod ob inducias nondum perfectas de copiis mittendis certam spem concipere non possit. Ad quas Elector respondebat; modo per inducias cum Gallo, & composita Borealium dissidia patria ac ipse in tuto collocetur, se vel pluribus Cæsari subventurum ad Turcas ita contundendos, ut haut temere deinceps eos libido subitura Germaniam invadendi. Id nisi fiat, non magis pecunia, quam copiis Cæsari opem se ferre posse. Ad ista Lambergius ulterius proponebat: quia Elector responsum suum conditioni pacis, aut induciarum cum Gallo superstruxerit, se posse cupere, quæ inter bellum Turcicum, & Gallicas turbas connexio sit. Tum si utrumque bellum *Ulterior Cæsarei legati propositio. 30. Jan. 28. Febr.*

1684. lum sit inevitabile, num Elector ideo in neutrius belli partem venire, nec illis rationibus locum dare velit, per quas alii Ordines credant fieri posse, ut utrique hosti resistatur? Eoque num ad patriæ, ac propriam conservationem, ac non minus Gallico dominatui, quam Turcico jugo declinando vires suas expromere velit? Porro etsi Cæsar haut omissurus sit exteros Principes ad amplectendas inducias impellere; si tamen hæ non succedant, ac Cæsar præter inclinationem suam in bellum contra Gallum pro defensione sui, ac Imperii pertrahatur; num Elector in oblatum antea a Cæsare fœdus descendere, ac cum aliis Ordinibus ad avertendum patriæ periculum incumbere velit: an vero id non prius amplecti queat, quam controversiis omni ex parte compositis? Præterea si omnis opera ab Electore navata frustra sit, an non ei placeat ad defensionem patriæ, ac propriarum ditionum *Associationis* tractatui se adjungere, ac mutuam defensionem stipulari? Denique num viennales induciæ, quas aliqui Imperio etiam cum exclusione Hispaniæ, Circuli Burgundici, & Lotharingiæ suadent, ea lege ineundæ sint, ut eo vicennio nullo casu, nisi quando Germania invaditur, arma arripere fas sit? Ad ea Elector:

2. Mart. *Auxilium contra Turcam petito uberius se jam annuisse, modo Cæsari placeat inducias inter Imperium, & Gallum quamprimum perficere. Ante has enim non magis militem, quam pecuniam conferre se posse. Unde haut obscurum esse, quæ inter bellum Turcicum, & negotium Gallicum sit connexio. Quod Turcicum bellum futura æstate omni vi gerendum iterum sit, ipsi Cæsari persuasum esse, ac Poloniæ Regem id sibi significasse. Quod si igitur Gallica quoque turba in apertum erumpant, nil aliud sibi obversari, quam ruinam patriæ, ac dissolutionem status publici in Imperio. Nam se haut arbitrari fieri posse, ut utrique justa vi simul resistatur; nec sibi constare, quinam Ordinum diversam sententiam foveant. Unde se non aliud remedium dispicere ancipiti periculo declinando, quam properum cum Gallo pacem aut inducias. Confidere quoque, Cæsarem opus tam necessarium non diutius moraturum; quod alias cuique Ordinum etsi summo cum incommodo, ac irreparabili patriæ damno de propria conservatione utcunque datur cogitandum sit. Unde & arctiorem cum Cæsare conjunctionem eousque differendam, nec interim consultum sibi videri Associationi nomen dare. An & quousque Cæsari post inducias uni vel alteri extra limites Germaniæ ortis turbis adsistere, integrum sit futurum, id e legibus induciarum judicandum. Ex quibus etiam dependebit, an, & quousque Hispani, aliique iisdem comprehendi velint; præsertim cum Hispani hactenus nil inclinationis ad istas ostenderint, sed potius omnia fecerint, quæ a pace abducant, & eam in longum differant.* Adversus quæ etsi Lambergius multa subtiliter magis quam solide dissereret; Elector tamen semel declaratis inhærebat.

Viennensis aula nondum in indu- §. III. Ast Vienna nondum vetera consilia exoleverant. Equidem Cæsar subinde de ingenti pacis cum Gallo cupidine testabatur, sed quæ utique omnes complecti debeat. Enimvero Gallum solitis artibus insistere fœderatos separandi. Nam si serio pacem cupiat, quare *cias insi-* permittere nolit tractatus uno loco suscipi, quo *stat.* fœderati sociato consilio, ac tuto negotium agere queant? Præter hæc Kœnigseckius; Electorem literis suis ad Collegas inter alia posuisse, sibi constare a Gallo universalem pacem expeti. De hoc quomodo Elector certus esse queat, se non perspicere, præsertim de Rege, cujus verbis tam parum fidendum sit; & qui impatiens quietis ætatem inter perpetua bella exigere gaudeat. Nulla fidei vincula, nullas cautelas, aut renuntiationes a Gallo fieri posse, quæ obtentu legis Salicæ eludi non possint. In aliorum sponsionibus nil fiduciæ collocandum. Eas hodie censeri inter inania vocabula, nullo effectu. Ubi uni, aut alteri partium spes peculiaris emolumenti allubescat, totum negotium mutari. Cæterum sibi non persuaderi, Gallum ulterius hostilia in Germaniam suscepturum, ac tentantem forte idem fatum manere, quod Turcas ad Viennam. Si is Ulmam, Coloniam, aut Francofurtum invadat, neminem Ordinum id laturum, ac tandem aliquando soporem iis excussum iri. Quin Electorem tunc inter primos in expeditionem iturum. Cæterum rationem capere non posse, quare Hispani Gallo jam bellum ultro indixerint, cui nec ipse, nec fœderati parati sint. Nisi forte Belgium pro desperato habeant, idque amittendi honestam occasionem quærant. An cum norint, quanti vicinorum intersit id servari, aliis necessitatem adferre velle vel ingratiis ad id sustinendum adcurrendi? Quod si id perierit, non solum periturum; ac nil certius, quam tunc Gallum tota Germania potiturum. Ac tunc sat ultionis ipsos cepisse se judicaturos, quod a Germanis inter angustas res deserti fuerint. Sane salutem, & libertatem Germaniæ in eo verti, ne reliquiæ Belgii pereant. Cæterum pacem jam inter Gallum, & Hispanos longe faciliorem esse, quam inter istum, & Imperium. Ibi enim agi duntaxat de cessione Cortraci & Dixmudæ; heic de tota Alsatia, Burgundia, Lotharingia, ditionibus aliis, quæ vel regnum æquent. Emmericus Viennensis Episcopus ita disserebat: Omnibus utique confitendum, in præsens arbitrium belli & pacis penes Electorem esse. Facile quoque judicari posse, præsens ejus emolumentum suadere, ut quam ingressus est consiliorum viam, insistat. Ast si idem posteritatem respicere velit, ac indeclinabile damnum, quod Imperio, ipsiusque Domui olim proventurum sit, dum Galli potentiam studio suo tam insigniter promovet, alia certe consilia capturum, ac opibus, prudentia, ac parta gloria in salutem patriæ usurum. Eo fatis functo Gallos cum successore aliter acturos, ac forte sortem cum usuris repetituros. Blandiri eum sibi spe meliorum temporum; sed ea in deterius ire posse, quoad Gallus totam Germaniam suæ ditionis fecerit. Cæsarem non e pertinacia universalem pacem urgere, sed ex necessitate, ac summa prudentia. Nam ni futura tempora, ac posteritatis suæ salutem respiceret, facile tot curis, & molestiis eum supersedere posse. Burgomagnus declarabat: Hispanos decrevisse, quamdiu super communi pace cautum non sit, omnia, ac imprimis

1684. primis Belgii reliquias aleæ exponere. Id quidem ipsis ingenti damno cedere; sed multo majori vicinis, amicis juxta atque inimicis. His enim serius ocyus necessitatem fore Belgio subveniendi, si vel maxime non nisi pauca ejus loca restent. Munitissimis urbibus ibi sic prospectum, ut Gallum biennio adhuc districtum tenere possint: ac interea aliquid futurum. Ac si ad hæc extrema res redierit, bonos Angliæ cives Regem ipsum coacturos, ut communem causam suscipiat. Stratemannus disserebat: Cæsari fixum sedere, inducias neque ad id tempus, neque ad eum modum, quem Gallus proponat, acceptare, aut in tam turpe pactum consentire, quicquid demum inde eventurum sit, confisum Dei auxilio, & justitia causæ. Cæsarem per conscientiam, ac salva lege regia Ordinum ditiones ita condonare non posse. Electorem si non se vivente, saltem in posteris grave damnum sensurum, quod gliscenti Galli potentiæ, cum posset, sese haut opposuerit; ac permiserit, ut hic subacto Belgio vicinus Cliviæ fiat. Fortunam belli ancipitem esse. Joannem Casimirum Poloniæ, Fridericum III. Daniæ Regem ad extrema redactos, tamen eluctatos. Ast utique Cæsarem nondum ad incitas redactum. Hunc nil facturum majestate, & officio suo indignum; nec Hispaniam velut proprium bonum deserturum. Sed nec penes eundem esse, Hispanos invitos ad transigendum cum Gallo compellere. Ei regerebatur: optandum esse, ejusmodi generosa consilia justo tempore capta, ac eadem ingerentibus obtemperatum fuisse, cum res longe melius quam nunc haberent; nec pacem Neomagensem tantopere festinatam. Sed nunc postquam irrevocabilis occasio elapsa fuerit, rationem dictare, ut patienter consilia temporibus accommodentur, dum ab oriente, & occidente, simul a Borea periculum immineat. Salutem Germaniæ a negotiis Italiæ & Hispaniæ hautquidquam suspendendam. Sed & ut ingratiis ad inducias descendatur, necessitatem fore e dissidio Arausionensis, & Amstelodamensium indies invalescente, per quod ea respublica inutilis reddatur. Sane Hispano nupera clarigatione certo sibi persuasisse, omnes fœderatos certatim auxilio accursuros, quasi quemlibet vicinum suæ rationes contra Gallum pertracturæ essent. Sed nunc irrita ista spe, cum omnia in Galli commoda conspirent, pertinaciam iis facile decessuram. Post Cæsareæ legationi Ratisponam mandata mittebantur, ut tractatio ibi suscipiatur. Sed cum ea re in Senatu Principum mota Austriaci negarent sibi mandata esse, Elector Viennæ monebat, ut omissis ludibriis tandem serio res agatur. Jam quoque Bavarus, gloriam bello contra Turcas adquirere cupidus, Viennæ acriter inducias urgebat, quod alias tutum sibi non sit tam longe a ditione sua discedere, nisi a Gallo cautum sit. Sed Viennensis Præsul ejus monita eluserat, quod autoritatem suam citra Hispanorum favorem tuiturum se diffideret. Sed quo consilio nil aliud effectum, quam ut Lutzenburgum amitteretur; quod servari poterat, si imminentem necessitatem sponte prævenire placuisset.

Cum Hanoverano acta. §. 112. Cum itaque pertinacia aulæ Viennensis, quam Hispanica consilia temperabant, nondum expugnari posset; Elector alibi locorum circa curandam Germaniæ securitatem laborabat. Quo fine Paulum Fuchsium Coloniam & Hagam mittere constituit. Cui injunctum ex itinere Hanoverano ac Cellensi Duci exponere, uti jam incumbens a Turca bellum moneat cum Gallo transigere; eoque Duces aulam Cæsaream ad eas promovendas persuadere laborent. Sane Hispanorum actiones ab ipso Cæsare improbari. Quo jure postulari posse, ut Elector, aut Duces in earum partem veniant? Sed quod Cæsar tractatus Hagæ suscipiendos arbitretur, Electorem contra censere, de fatis Imperii nullibi commodius quam Ratisponæ in conventu omnium Ordinum agi. Nam ut Imperii negotia in Cæsareorum ministrorum manus tradantur, iisque facultas conferatur extra Germaniam, uti Neomagi factum, circa ea disponendi; id neque Electorem, nec ullum Ordinum reipublicæ amantem unquam suasurum. Quod si Cæsar fatali pertinaciæ inhæreat, id ferendum esse. Ast eo casu non aliud remedium dari tranquillitati per Saxoniam & Westphaliam servandæ, quam ut Daniæ Rex, Coloniensis, Brandenburgicus, ac Luneburgici Duces bona fide se socient. Circa quam rem matura Ducum declaratione opus esse, velut e qua magnam partem conservatio pacis, aut novarum turbarum exortus pendeat. Hanoveræ uterque Dux ingens pacis desiderium ostendebat. Hanoverano is præcipue scrupulus erat, quomodo salva existimatione ob fœdus inter se, ac Cæsarem initum ipse pacem nunc suadere possit? Cui Fuchsius reponebat: Electorem Cæsari, & Imperio adversari, sed utriusque salutem summo studio quærere. Quod si Duces in eo conveniant, Imperio in præsens necessum esse cum Gallo transigere, reliqua ultro consequi. Ac eos veros atque candidos Cæsaris amicos habendos. qui pacem suadeant; non illos, qui adulando Cæsareæ aulæ affectus, & male consultam pertinaciam alant, ac istum in præcipitia impellant. Id quod uterque Dux agnoscebat, ac a se pacem tam Viennæ quam Hagæ ingeri. De securitate conventorum monentibus respondebatur: si vel per plura lustra bellum geratur, non aliam haberi posse, quam quæ consistat in mutua sponsione omnium quorum intersit. Colloquio instituto ministri fatebantur, Duces ipsos jam agnoscere, per compositionem cum Gallo in præsens optime Germaniæ, quin toti Orbi Christiano consuli, quam & ubique commendaturi sint. Nec se eandem a moderatione conditionum per Gallum oblatarum suspensuros; sed non contradicturos, si & citra mitigationem postulatorum pax, aut induciæ concludantur. Sed ut ipsi Cæsarem, & alios Ordines, quorum intersit ad ista impellant, & velut cogant, a se postulari non posse. Sed cum quæreretur; quid facto opus, si haut eo minus bellum surgat, & annon declarare velint, se una cum Electore, ejusque fœderatis ei se haut misturos, sed ad conservationem Imperii communia consilia capturos? Ducales censebant, rem ad bellum deductum non iri, quod Cæsari, Ordinibusque haut vires sint ad id Gallo inferendum.

Margin notes (right): 1684. novembri acta. — 18. Jan. — 23. Jan.

1684. dum. Ast si Gallus bellum moveat, summæ injustitiæ specimen editurum, quod raptis non contentus Imperium plane subvertere instituat. Eo casu se salva conscientia & existimatione per ejusmodi declarationem sibi haut adimere posse facultatem una cum aliis Ordinibus illatam patriæ vim arcendi. Intra tres tamen septimanas pressius mentem suam expo-situros. Nam sibi speculandum, quid præsens Hagæ conventus pariturus sit, ac interim cum Danico & Gallico ministro acturos, num quid emolumenti a Gallo stipulari queant, ac ut Hanoveranus eo commodius fœdere se Cæsaris exsolvere possit. Aulam quippe Cæsaream, cum hic de pace proposuisset ita consternatam fuisse, ut valde rogaret, ne Dux obligationis quid contraheret, antequam adpareat, quo res Hagæ successuræ sint. Nam Cæsarem ministros ibi suos mandatis super pace instruere velle. Id quod Dux promiserit, eoque tempus id expectandum fidei suæ liberandæ. Mox Fuchsio responsum scripto in hunc sensum dabatur: *Ob bellum Turcicum, dissidia inter Ordines, ac enormem Galli potentiam pacem utique necessariam videri; ac si Cæsar, & Imperium eam in leges a Gallo propositas admittere velit, se haut dissuasuros. Ast eos cohibere, qui non armis, sed amicis officiis circa Gallum ad mitiores conditiones disponendum laborant, ac ut dignitas Imperii aliquo modo servetur, simul caveatur, ne id deinceps exteri Regis arbitrio obnoxium agat: esse rem, quæ conscientiam, & officium erga patriam spectet, cujus ratio cuilibet constare debeat. Ac verendum esse, ne aliquando Deus, & alii homines ita de se ac sua posteritate disponant, si ipsi tali modo de aliorum fortunis statuere aggrediantur. Sed & uno ictu existimationem se suam consumturos, si ita raptim placita hactenus consilia, & fœdera abrumpant, ac ab uno extremo in aliud transeant. Facile quoque fieri posse, si ipsi hoc modo compositionem cum Gallo urgeant, ut pravus inde effectus sequatur, ac Cæsar pacem cum Turca præcipitet; quo ipso spes magnorum adversus istum progressum inanis futura sit. Igitur se eos, qui super moderandis induciarum conditionibus satagant, haut impedituros, ac facile concessuros, ut alii suo e judicio agant. Interim moderata consilia secuturos. Cæterum bellum se nec ominari, nec ei ansam præbituros. Sed eo casu ita raptim in alterutram partem declarare se non posse. Non tamen eousque ab Electoris sententia discrepare, quo minus ad eundem cum ipso scopum conniti queant; ac ubique pro pace operam navaturos. Sperare quoque Haga rationem amica compositionis iniri posse. Id ubi non successerit, ulterius cum Electore consulturos: ac paucarum septimanarum moram tanti non esse.*

Ad Coloniensem mandata. §. 113. Post ista apud Duces expedita Fuchsius ex itinere Hermannum Wernerum Paderbornensem Præsulem adibat; cui itidem negotium pacis commendabat, simul suscitatus, num fœdus cum ipsius antecessore initium renovare placeat. Qui promittebat, se citra exceptionem Electoris sententiam secuturum, cujus merita erga patriam maximis laudibus ferebat. Cæterum quia Coloniensis paulo ante Felicem Egonem Administratorem Murbacensem ad Electorem miserat, super præsenti rerum statu consilia collaturum, ei officio continuando hic Fuchsium ad istum remisit, testaturum; gratum sibi esse, Coloniensem eadem secum sentire circa tractatus inter Imperium, & Gallum, qui jam maxime cordi sibi sint. Id negotium ad hæc capita redire: Quomodo aula Cæsarea, quæ hucusque diversa plane consilia agitavit, ad aliam mentem permoveri queat? Quomodo Luneburgici Duces ad paria cum fœderatis consilia adduci possint? An, & quid apud Gallum super propositione ab ipso facta monendum; & num aliquod moderamen pro Imperio, & Ordinibus per reuniones læsis sperandum? Quid consilii, ubi irrita amica transactione res in arma eruperit, capiendum, quo Imperii compages salva sit, nec id per ulteriores reuniones, aut alia via laceretur? Quid denique eo casu fœderatis, ac inprimis Coloniensi, & Electori ad conservationem & securitatem suarum ditionum faciendum? Circa quæ Electori ita videri: Spem esse Cæsarem demum demonstrationibus Collegii Electoralis, & aliorum Ordinum aurem præbiturum; cum præsertim Hispanorum sinistra, ac præcipitia consilia in aprico sint, quibus is facile maximo cum suo suæque domus damno implicari queat. Sed quia hactenus aula Viennensis magnam fiduciam in Luneburgicorum auxiliis collocarit, quorum & non modica autoritas apud Hispanos, & Arausionensem sit, paci hactenus adversos: sibi multum videri facturum ad pacem, si isti Duces in eandem secum sententiam adducantur. Nam alia adhuc istos animo agitare e responso dato satis adparere. Porro optare se quidem moderatiores conditiones, sed quæ vix obtineri posse videantur, per inducias præsertim, quarum fere lex sit, *uti possidetis.* Unde ubi melioribus conditionibus potiri non licet, in propositas a Gallo transigendum. Enimvero omni modo lacerationem Imperii præcavendam, & ne tot per secula stabilita reipublicæ forma convellatur, e qua omnium Ordinum, ac cumprimis Electorum dignitas ac salus dependeat. Quod si Gallus in arma descendat, se non dubitare, quin is recte sentientibus Electoribus & Principibus molestiæ nil sit daturus, incommodis belli in eos solos devolutis, qui hisce extremis causam dederunt. Ut etiam Gallus, quæ forte bello orto occupaturus sit, non corpori Galliæ inserat, sed facta pace Imperio reddat, quod & antea declararit; ac eo nomine fidem ab eo dandam. De cætero in eum casum consilia digerenda, ac præcipue quomodo cum Luneburgicis agendum, ni per tractatus de amicitia sua cavere velint. Interim non minus sibi quam Coloniensi curæ esse, ut calida Dani consilia temperentur, quæ magis impediendæ, quam promovendæ paci faciant. Circa fœdus a Murbacensi inter se, & Coloniensem propositum demonstraret: sibi offensivum fœdus haut placere, ac se iis, quæ in præsens habeat, ac futuris fœderibus intra limites defensionis mansurum, & hucusque juncto con- 1684.

1684. filio cum Coloniensi acturum. Cæterum haut consultum ducere, presse ad neutrum statum se adstringere, sed successus rerum speculari, & pro captu earum consilia temperare. Addebantur minutiora, de Trevirensi in hoc fœdus adsciscendo: ut Coloniensis arce Ritbergensi, & Rheda præsidium deducat. Tum quia munitiones Rheinbergæ ruinam trahant, ut Coloniensis eas reparet, aut plane demoliatur. Ac num consultum sit Unionem Electoralem renovare, ac diætam collegialem celebrare?

Coloniensis declaratio. 6. Febr.

§. 114. Coloniam delato Fuchsio Argentoratensis disserebat: Satis sibi constare Electorem quondam credidisse, nimis se Gallo in fraudem patriæ addictum. Sed sperare istum nunc diversa omnia experturum. Equidem a Gallo multis se beneficiis mactum, queis ad grati animi officium obstringatur: sed semper sibi perstitisse affectum in patriam; & quia hæc servari nequeat, nisi Gallo amico utatur, pacemque retineat, se quoque sua consilia ad eum scopum direxisse. Equidem a Cæsare, Arausionensi, & Grana Gallicum se ministrum haberi. Ast utiliorem se operam Germaniæ navare, quam omnes per affectus in transversum raptos, qui bellum cum Gallo velint. Certo se nosse, Gallum pacem, aut inducias cum Imperio cupere; quibus obtentis nil amplius cogitare de isto ulterius inquietando, aut quopiam eidem decerpendo. Ast ubi bellum cum Gallo erumpat, se non aliud quam Imperii ruinam animo prospicere. In præsens Gallum adhuc sisti, ac Germaniam per pacem servari posse. Ast ni hæc occasio pacis occupetur, Gallum longius grassaturum, ac quæ possit abrepturum, nec oblatis conditionibus ultra staturum; idque citius facturum quam credatur, aut quam defensio parari possit. Danum justo longius progredi, ac minus pacem desiderare. Contra Electoris circumspectionem cum Coloniensi plane conspirare. Gallum in scriptam declarationem, quod in casum belli Imperio nil amplius decerpturus sit, consentire nolle, quod adversa pars, ubi de ea intellexerit, eadem abuti queat. Sed verbis se internuntio Regem Coloniensi cavisse: quod & Berolini per Rebenacium factum sit. Nunc videndum, ut ea fides utrique junctim detur, velut plus obligationis habitura. Id quod haut ægre obtinendum sit eo casu, si Regi necessitas adferatur, paci aut induciis repugnantes armis ad eas amplectendas compellendi. Ast si quis ex Imperio Regem, ejusque fœderatos armis ultro petat, Regem ad ejusmodi declarationem vix descensurum; quod omni jure licitum sit aggressori suo quantum possit nocere. Pro Trevirensi se non fine labore demum obtinuisse, ut Rex permittat, ejus munita loca Coloniensi, ac Brandenburgico milite insideri. Ast ipse Coloniensis respondebat: *Se non fine admiratione prudentem Electoris agendi rationem observasse; ac nescire, an eum plus gloria e magnis victoriis, quam e præsentibus consiliis, per qua hactenus exitium Germaniæ averterit, mansurum sit. Quin ejus inimicos, & adversa consilia foventes non posse non ejus actiones laudare. Id sincerum in patriam studium esse, quod ad præsentium temporum conditionem quadret. Reliquos nimium, aut parum facere; ac consilia sua talibus superstruere, quæ fieri nequeant.* Contra idem aulæ Cæsareæ consilia improbabat, quæ legatus Hispanicus pro libidine moderetur. 1684.

Fœdus cum Coloniensi.

§. 115. Ambiguo itaque tractatuum cum Gallo successu, rationis erat Electorem, quo ditionum suarum securitati prospiceret, cum iis quorum pariter intererat certa consilia capessere. Quo fine cum Daniæ Rege, & Coloniensi fœdus inibatur; simul ut hujus consilia plus justo in Gallum vergentia eo vinculo moderaretur. Nuper quippe Gallus Coloniæ proposuerat, ut si Belgæ bellum sibi inferrent, quod Hispani valde cupiebant, Coloniensis unam e tribus his conditionibus amplecteretur: vel ut Gallicis copiis transitum per ditiones suas ad Belgas Fœderatos concederet, eoque fine unum & alterum locum in cautionem, simul struendo penui ad finem usque belli traderet: vel ut Coloniensis suo milite in Belgas bellum susciperet, eosque distraheret, ut Rex diversa in parte eo validius rem gerere possit: vel denique ut idem Galliæ se hostem declararet. Nam neutrum statum Rheni accolis concedi non posse. Huc ne Coloniensis descenderet, Fuchsius enixe dissuadebat; neu ejusmodi sese vinculo indueret. Nam alias eandem fabulam, quæ anno 1672 acta sit, repetendam; ac non posse non Electoris ditionem in Belgium penetraturis tangi. Ad quæ Coloniensis testabatur, se citra Electoris consilium nihil heic facturum. Isthæc porro Galli postulata Electori valde suspecta, ac summo studio declinanda videbantur. Nam uti sibi constet, Gallum a Belgis haut ultro armis petitum iri: ita præmaturum esse in eum casum mentem suam declarare. Et quanquam Belgæ aliquot ab annis parum amice adversus ipsum egerint: tamen & sua, & Coloniensis, & omnium vicinorum summopere interesse, eam rempublicam salvam persistere, nec a Gallo subigi. Sed & sibi cum istis fœdus mutuæ defensionis intercedere. Præterquam quod ob Arausionensem successionem sibi necessum sit iis amicis uti. Unde se nunquam in fœdus contra eam Rempublicam consensurum; ac judicare, Daniæ Regis eandem mentem esse. Eo magis autem Fuchsius properabat id fœdus perficere, ut Coloniensem impediret, quo minus hic contra Belgas obligationis quid contraheret; in quod alias ejus ministros sat proclives esse adparebat; tum ut Danum stringeret, ne quid infensi in Luneburgicos proprio consilio exprimeret. Sed & ob alias rationes fœdus accelerandum erat; quod quatuor casus imminere viderentur, quorum nullus fœderatis tolerandus erat. Nam & credebatur, Cassellanum, Vinariensem, & Gothanum VII M militum in Belgium missuros: tum Luneburgicos Hildesiam milite insessuros; ac Huxteram oppugnaturos; si Coloniensis ei oppido præsidium imponat; denique Arausionensem in Frisia Orientali legionem conscripturum. Is porro foederis tunc Coloniæ conclusi scopus exprimebatur, ne

1684. *ne res inter Imperium, & Gallum in arma erumpat; postquam fœderati intellexerint, suam operam pro pace hactenus parum profecisse, inter Gallum & Hispanum jam bellum apertum exardescere, negotium pacis Ratispona languide tractari, & ab exterorum rationibus suspendi; quin usque adeo id agi, ut tractatus in extranea loca in fraudem legum Imperii, nec sine contumelia Germanica nationis Ratispona Hagam transferatur. Ad quem congressum complures Imperii Principes, quin integros Circulos legatos misisse; ubi & negotia ita secreto tractentur, ut qua ibi concludenda sint, eorum notitia, quorum maxime res agitur subtrahi debeant. Qua non alio, quam ad excitandum bellum spectare videantur. Igitur Dania Regem, Coloniensem, & Brandenburgicum Electores prævertendis patria calamitatibus, ac in securitatem Inferioris Saxonia & Westphalia arctius se conjunxisse, ac Susatense pactum ad præsentia tempora accommodasse.* Capita foederis haec erant: *Tres fœderati controversiis inter Gallum, & Hispanum sese haut miscebunt, quamdiu per vicinorum tentata in bellum non pertrahantur. Ac si quis alius in Imperio ad arma progredi, turbasque dare velit, ei non adsistent, sed potius quantum possunt id dissuadebunt, & avertent: ac si bellum sequatur, in ejus partem non venient, sed circa instaurandam pacem laborabunt, ac ne qua mutatio circa publicum Imperii statum contingat, cavebunt. Peculiariter autem, si deinceps aliquis Status in duobus hisce Circulis ab alio quocunque in Imperio, & Circulo, aut extra eum, qui hoc fœdere non continetur, transitibus, delectibus, hospitiis, contributionibus, ac similibus belli molestiis oneretur, vel etiam ubi cum consensu unius aut alterius Status horum Circulorum tale quid suscipiatur, ex quo turba in iisdem exsurgere possint, aut si id suscipiendum esse certo constet; fœderati junctim primo monitis turbatorem ab istis retrahent, ac ubi id non proficiat, junctis viribus inhibebunt, ac cum eo velut turbatore pacis publica agent; ac alias omnia facient, ut quies in iis Circulis servetur, ac omnis belli ansa declinetur. Unde si qua turba erumpant, fœderatorum ministri in loco, qui periculo proximus, convenient, & super suscipiendis actionibus in commune consulent. Eo fine Dania Rex in ditionibus, quas in præsens cis Visurgim possidet, quamdiu hoc fœdus duraverit, II M D pedites, M equites, D dimachas: Coloniensis cis Visurgim VII M peditum, III M equitum, & M dimachas: Brandenburgicus itidem cis Visurgim III M peditum, MCC equites, & DC dimachas habebit. Sed in Circulo Inferiore Saxonico Danus habebit VII M peditum, III M equitum M dimachas: Coloniensis III M peditum, MCC equites, DC dimachas: Elector VII M peditum,* 1684. *III M equitum, & M dimachas. Si qui alii huic fœderi accedere velint, id communi fœderatorum consensu fiat. Id fœdus durabit, quoad pax, aut induciæ a Cæsare, Imperio, & Hispanis cum Gallo initæ, ac omnes quæ metuuntur turbæ e medio remotæ fuerint. Extra hæc Susatensi tractatu stabitur. Neuter fœderatorum absque altero pacem concludat. Inter tractandum unus alterius utilitatem quærat.* Separatis articulis numerus copiarum ad modum ditionum, quas quilibet in utroque Circulo possidet, aptabatur, salvo tamen copiarum numero in universum. *Quia etiam periculum propinquum videatur, protinus de modo rem gerendi Coloniæ Agrippinæ, ac Berolini deliberari incipiet. Id fœdus quoque porrigetur ad casus, si a Borea bellum surgat, aut metuendum sit. Unde si Suecus eo fine copias in Germaniam trajiciat, ut litibus, quæ jam inter Cæsarem, Imperium, Gallum, & Hispanum fervent, sese ingerat, ac ejus vicinis aliquid inde turbarum metuatur; eo casu omnia, quæ contra turbatores in duobus Circulis decreta sunt, etiam contra Suecum valebunt, & effectui dabuntur. Uti autem Coloniensis in hoc consentit in gratiam Dani, & Electoris; ita & his cura erit, si Belgæ adversus Gallum in arma erumpant, ut Coloniensi a Belgis securitas præstetur.* Secreti articuli erant. *Quia hoc fœdus id spectat, ut non fœderatorum duntaxat, sed & aliorum Ordinum in utroque Circulo ditiones in pace serventur; & vero æquum sit, ut debiliores Ordines, qui tanto beneficio per armatos fruuntur, aliquid ad sustentandas eas copias conferant: igitur casu emergente decernendum, quantum quilibet eorum contribuere debeat. Quod si & præter spem evenerit, ut Belgæ cum Gallis in hostilia erumpant, ac in partem jam surgentis inter Gallum, & Hispanum belli veniant, aut id periculum immineat; quo ipso utriusque Electoris ditiones involutum iri metuendum sit: placuit, ut eo casu fœderatorum ministri congressu habito consultent, quid facto opus sit, & quantum fieri possit uniformia consilia capiant.* Cæterum id fœdus Elector Belgis, Suecis, ac Luneburgicis conceptis verbis haut communicandum censebat, quod de ignotis amplius quid præsumi soleat. Sed Gallo id utique communicandum declinandæ suspicioni.

§. 116. Post res Coloniæ expeditas in Hollandiam abibat Fuchsius, ubi Arausionensi proponere jubebatur, in quanto, & quam manifesto periculo Belgium versetur ob clarigationem nuper Gallo per Granam Marchionem factam: nec minus quam lubricus Germaniæ status sit ob extranectam cum Gallo pacis negotiationem, & a Turca periculum. In aula Cæsarea fidelibus quantumvis monitis locum haut dari. In Hispania non plus virium, opumve, quam consilii, ac prudentiæ adesse videri ad indictum temere bellum justo *Fuchsii ad Belgas mandata.*

sto cum vigore persequendum. Electorem quidem Ratisponæ, ac Viennæ subinde ingerere; ubi ad extrema res deducta fuerit, nil aliud quam dissolutionem status publici in Imperio, ac omnium Ordinum subversionem expectandam. Cæsari quoque futura æstate bellum contra Turcam soli fere ac propriis sumtibus gerendum, quod Hispanus pecuniæ nil suppeditare possit, sibi ipsi defendendo impar. Ex Italia quoque pecuniarium subsidium ob metum Gallici belli vix secuturum. Gliscere etiam indies dissidium inter Cæsarem, & Polonum, & hunc nil copiarum amplius in Hungariam missurum. Saxonem offensa irritatum. Bavarum pacem suadere. Reliquos potentiores Ordines ob metum Gallicarum turbarum a mittendis auxiliis impediri. Suspiciones inter Danum, & Luneburgicos augeri magis quam imminui; ac ni brevi cum Gallo transigatur, Ducesve consilia sua mutent, metum esse, ne res inter eos ad manus perveniat. E Suecia notas ob rationes nil auxilii expectandum. Hollandiam opibus exhaustam, ac bello continuato in extremum periculum delapsuram, præsertim ubi commercia, quæ anima ejus reipublicæ sint, vim passura videantur. Belgium Hispanicum perire, aut a Galli libidine pendere, nulla alicunde auxilii spe. Suevicum & Franconicum Circulum petitas copias abnegasse. Anglum pristinis consiliis de qualicunque pace retinenda inhærere. In Belgio Fœderato sententiis discrepari, ac validissima Hollandiæ membra pacem suadere. E quibus Electori inevitabilis necessitas adpareat, ut consilia temporibus accommodentur, & per maturam pacem, qualis pro eorum captu optima haberi possit, summam rerum periculo subducendam. Quam ad rem Arausionensis plurimum momenti adferre possit; & maximam partem in ejus manibus situm esse, ut totus orbis Christianus contra Turcam uniatur: id quod immortali gloriæ ipsi sit cessurum. Sed & eo ipso proprium patrimonium ab imminente desolatione liberandum. Unde Electorem impense rogare, ne Princeps hanc occasionem de publico bono merendi amittat. Gemina Fuchsius Waldeccio Principi, & Fagelio ingerere jubebatur. Insuper Belgas, Hispanosque moneret, ut circa reliqua subsidiorum ipsi satisfaciant. Amstelodami cum Beuningio loqueretur, ejusque civitatis consilia probaret, eamque ad constantiam hortaretur.

profugi Angli. §. 117. Fuchsio Cliviam transeunti Graius, & Armstrongius Anglia profugi, tunc ibi hærentes dicebant; se nullam aliam ob causam ex Anglia cessisse, quam quia Eboracensis & Pontificia factio, quæ jam in aula prævaleat, Protestantes opibus & autoritate eminentes omni modo e medio tollere quærat; & omnia, quæ de conspiratione spargantur, ficta esse. Monomuthensem quoque præsentibus diffisum ex Anglia se subduxisse. Simul sciscitabantur, num Elector ejus Ducis, aliorumque Anglorum opera, qui patriam deserere velint, in re militari uti velit. Ad quæ Elector declarabat: gratum sibi fore, si isti, & plures Angli in sua ditione sedem figere velint; ac Monomuthensi liberum fore ad ipsum se conferre. Ast mox Anglus querelas movebat, quod Elector Graio, & Armstrongio in Clivica receptum dedisset, non obscure innuens quasi iste conscius fuisset conspirationis ab illis hominibus agitatæ. Id quod Elector ægerrime ferebat, ac per Joannem Besserum Regi demonstrari jubebat; *istos exiguo tempore Clivia egisse, ac suo ære victitasse. Jura, ac mores gentium eam hospitalitatem commendare, ac barbarum semper cultiores inter nationes habitum, exteris & exulibus usum elementorum negare. Nec fœdera inter se & Anglum extare, quæ naturalem hanc libertatem restringant. Quin etsi Hispanis cum Anglo arcta amicitia, ac fœdus intercedat, Monomuthensem tamen palam in Belgio Hispanico agere, ac protectione ibi frui. Equidem jus gentium discrimen facere inter eos subditos, qui læsa majestatis crimine se obstrinxerint, & alios patria migrantes. Enimvero sibi de istorum delicto nil constare, nec de eo quid ad se relatum: ac si qui alicujus facinoris convicti fuerint, eos se nunquam in protectionem recepisse. Multo minus unquam illicita agitantes secum in consilium ivisse.*

Amstelodami acta. §. 118. Amstelodami adventus Fuchsii admotum gratus erat; ac ea civitas magnum sibi præsidium in Electore positum testabatur, cui & fixum erat, in conscriptionem XVI M militum aut alia ad bellum ducentia nunquam consentire. Beuningius disserebat: magno solatio civitati cedere, quod Elector ipsius consilia probet, ac auxilium promittat. Arausionensem valde in eam irritatum nulla idonea de causa. Nam civitatem, cum vidisset Principem suis consiliis se, ac Rempublicam perditum ire, vel invitum istum servare voluisse. Eundem ab omni parte decipi. Hispanos ipsi tres milliones debere. In hanc summam eos aliquid numerasse: reliqua se soluturos promisisse. Huic pollicito eum confidere; cum tamen Hispanorum inopia nemini ignota sit. E Gallia quotidie per Hispanos conficta ipsi referri: Regis opes exhaustas, eum a bello abhorrere, ac Principem metuere. Modo ferocia ostentetur, omnia obtentum iri. Quin se credere, ab ipso Gallo ejusmodi fabularum scriptores subornari. Nec adulatores deesse, qui ipsi ingerant; ejusdem genium solum capacem esse vastis Galli destinatis interrumpendis. Ipsum Principem plus ambitionis, plus pertinaciæ, plus opinionis de seipso habere, quam expediat. Nam alias tam longe ab Electoris, quem parentis loco habere debeat, consiliis haut discessurum. Huc accere, quod is se totum Granæ Marchioni, ac Burgomagno dediderit. Ast Granam turbulento ingenio, hunc judicio non valde exacto esse; utrumque autorem tragœdiæ, quæ jam agatur. Granam sperasse, se onus, quod miseris provinciis Hispanicis imposuerit, in humeros Germaniæ, ac Fœderati Belgii devoluturum. Burgomagnum sibi certo persuasisse, se Anglum vel invitum in bellum contra Galliam pertracturum.

1684. His fundamentis tam ridiculam belli indictionem, quam Hispani Gallis fecerint, superstruxisse. Alias Amstelodamenses hautquidquam tam scævo esse ingenio, ut Galli potentiam augere, ac sibimetipsis compedes fabricari velint. Nam nil magis invicem contrarium esse, quam Galliæ, & Reip. Belgicæ rationes. Sed nunc moris esse, eos Gallico favore, aut corruptionibus infectos arguere, qui in bellum intempestivum & exitiabile ruere nolunt. Ad quæ Fuchsius: Electorem quoque ea sorte uti, cum tamen nil magis quam incrementa potentiæ Gallicæ abominetur; quibus sistendis in præsens nullum aliud remedium dispiciat, quam per pacem, aut inducias materiam progressuum eidem subtrahere. De præsenti Hagæ conventu Beuningius disserebat; esse maxime mirandum, paucos quosdam, ac præter Bavarum, & Luneburgicos exiguarum fere opum Principes non vereri de fatis Germaniæ disponere, & conditiones proponere, atque audire; qui tamen a pluribus, ac potentioribus nil mandatorum habeant. Maxime omnium autem mirandum, ullum ad *Associatos* respectum haberi; cum tamen nemo eorum pro Republica Belgica vel unum equum instraturus sit. Alias lites inter Gallum, & Hispanum commode Hagæ posse expediri: sed Germanica negotia Ratisponam remittenda. Inter alia Hagæ has conditiones propositas, ut Argentorato munitiones detrahantur: Brisacum, Friburgum, & Kehlense castellum restituantur, aut sequestro deponantur ac induciæ in octo annos ineantur. Id quod ridiculum sit, nec unquam a Gallo concedendum. Jactari quoque, Bavarum, Franconicum, & Rhenanum Circulos, tum Gothanum, & Vinariensem triginta octo bellatorum millia in promtu habere expeditioni in Gallum suscipiendæ, præter Cæsareas, ac Luneburgicas legiones. Ac ejusmodi chimæris istorum consilia inniti.

Arausionensis sententia. 8. Mart.

§. 119. Ast Hagæ ad proposita a Fuchsio Arausionensis respondebat: *Summam nunc rerum confusionem maximo sibi dolori esse; ac ni Deus miseri hujus populi, ac vicinorum tutelam suscipiat, omnia brevi in ruinam itura. Satis nosse, ista sibi præcipue attribui tanquam bellandi cupido; sed summam sibi injuriam fieri. Hispanicas provincias non posse ab hac Republica destitui, quæ huic propugnaculi vice sint, quibus amissis Gallo semper pronum fore in penetralia Uniti Belgii irrumpere, idque sub jugum mittere, velut commerciis exercendis, quam bello gerendo aptius. Conditiones a Gallo propositas ita comparatas, ut in ejus placito semper futurum sit Belgicas provincias absorbere, quando libido subierit. Hanc ideo tantum utcunque premi, quod hinc inde arma in promtu sint. Ast ubi sub specie subdolæ pacis, aut induciarum eadem deposita fuerint, idem eventurum, quod post Neomagensem pacem, post quam Gallus plus terrarum, quam durante bello, deglutierit. Præcipue concedi non posse, a Gallo Lutzenburgum subigi; qui solus locus lineam communicationis inter Superiorem Germaniam, & Belgium servet. Ut tamen ostendatur a pace se hautquidquam abhorrere, formulam transactionis æquissimis conditionibus conceptam: Sed penes solum fere Electorem esse negotium ad optatum finem perducere. Nam Galli duritiem nunc magis Dani, atque Electoris favore, quam propria potentia inniti. Satis autem constare, Danum, absque Electoris consensu nihil suscepturum. Igitur si Elector facultate quam habeat recte utatur, pacem se absque mora habituros, cujus gloria penes ipsum solum futura sit. Idem quoque suadere propriam Electoris utilitatem. Quid ipsi eventurum amisso Belgio Hispanico? Neque vero Electorem rationibus suis magis per Gallicam amicitiam consulturum, quam Suecos, Bavarum, & Hanoveranum, qui antea longe arctius, quam Elector esse possit, Gallo innexi fuerint. Coloniensem semper Gallo addictum fuisse. Et tamen quomodo ejus ditiones ab hoc habitas? Tres Electores ad Rhenum jam servitio Gallico obnoxios ne verbum quidem facere audere, quod Gallo displiceat. Trevirensem quantacunque submissione utatur, quotidie effectus odii, quo Lu voisius in ipsum flagret, sentire. Ad omnia, quæ Gallus post Neomagensem pacem rapuerit, nil juris ipsi competere; ac cæcum esse oportere, qui non perspiciat, ad monarchiam Europæ eum adspirare, aut ut saltem ejus res pro lubitu temperare queat. Equidem quæ Gallicæ potentiæ opponi queant vires, cum hac nullo modo comparari posse. Ac si e communi rerum humanarum cursu res æstimetur, Reipublicæ Belgarum, ejusque fœderatis nil nisi damna, & clades expectandas. Sed uti ipse justa causa, & sincera conscientia nitatur; ita cum patientia, & constantia expectandum, quid Deus decreverit. Si utique fatalis rerum conversio immineat, honestius ditiones amitti arma in manu tenentibus, quam ad dependentiarum, & reunionum ludibria conniventibus; ac demum gloriosam mortem ignava vita potiorem. Se quidem inter adversa natum, atque educatum, Numinis tamen favore in functiones majorum ingratiis inimicorum repositum. Sperare quoque, Deum non permissurum, ut ipse in miseria moriatur. Si tamen eidem aliter visum, se quoque in ipsius voluntate adquieturum. Unum maximo sibi dolori esse, quod cum Elector ipsum ab incunabilis ad filii instar dilexerit, quem & ipse parentis loco veneretur; jam is videatur magis in Amstelodamenses inclinare, qui gloriæ sibi ducant omnibus consiliis a se profectis obsistere. Quem finem intestinæ hæ turbæ sint sortituræ, incertum esse. Sed si maxime Amstelodamensis civitas in rectam viam redeat, nunquam tamen sibi cum Beuningio* 1684.

1684. *ningio quid negotii fore, a quo atrociter læsus sit.* Ad quæ Fuchsius: Electorem satis perspicere, quid periculi omnibus immineat, si Galli potentia augeatur. Omnia, quæ iste faciat, eo spectare, ut hujus incrementa sufflaminentur. Igitur non circa scopum, sed circa rationem cum obtinendi dissentiri. Electori, cui per quadraginta quinque annorum experientiam haut superfunctoria rerum civilium notitia parta sit, non aliter judicare posse, quam arma, in quæ *Associati* propendere videntur, orbi Christiano fatalia fore; eaque non alio fundamento niti, quam desperatione, quæ omnia salutaria consilia excludat. Cæsari necessum esse quicquam habeat virium contra Turcam vertere. Germaniam inter se divisam, ac partim modicis viribus instructam. Hispaniam enervem. Membra Reipublicæ Belgicæ inter se divisa. Anglum a bello abhorrere. Contra Gallum ita ab armis instructum, ut Rhenum pariter, ac Belgas invadere possit. Quid spei superesse amissa recuperandi, cui non metus plura amittendi longe præponderet? Ea extrema per pacem, aut inducias declinari posse; quod solum remedium in nostra facultate sit; nec per desperationem summam rerum aleæ exponendam. Sæpe corpus jactura membri jam emortui servandum. Cum non omnia fieri possint, quæ debebant, facienda, quæ fieri possint. Et ex hoc fundamento procedere omnes cessiones, queis sæpe pax redimenda est. Frustra auxilium e Germania sperari, ubi præcipui Ordinum cum Electore sentiant; non esse in præsens aliud remedium servando Imperio, quam pacem cum Gallo. Equidem objici, nil securitatis inesse tractatibus cum Gallo factis. An igitur æternum cum eo bellum gerendum? Sane Electorem, Angliæ Regem, aliosque pacis cupidos arctissimo se fœdere ad evictionem præstandam obstricturos; ac Gallum, si pacta violet, sociatis omnium viribus in ordinem redigendum. Enimvero Arausionensis suæ sententiæ immotus inhærebat. Avauxius dicebat; non aliud se responsum ab isto expectasse. Fagelium quoque istam Principis ferociam alere. Judicabat tamen, Regem in præsens haut longius progressurum. Nam si plura in Belgio loca occupet, Amstelodamensibus, Frisiis, & Groninganis necessitatem imponi cum reliquis sese jungendi; nec Anglum ista toleraturum; ac tunc rectoribus Amstelodamensis civitatis rem in angusto fore. Igitur consultum videri, rem aliquandiu in præsenti statu relinquere; præsertim cum nondum spes pacis inter Cæsarem & Turcam affulgeat. Porro gemina cum Arausionensi disserebant Waldeccius, Fagelius, Camprichtus, &, quanquam paulo moderatius, minister Luneburgicus Hieronymus Witzendorfius. Fagelius non sine commotione velut concionabundus loquebatur: Rempublicam equidem in summo periculo, & confusione versari. Sed priori seculo, cum Harlemum amissum, Leida, & Alcmaria per miraculum servatæ essent, pejus adhuc rem habuisse. Eundem Deum adhuc vivere. Justam sibi causam esse; & si maxime res male succedat, malle se tamen mori recta, Deoque probata sectantem, quam a cacodæmone suggesta fulcientem. Ac satius esse Gallo ad Bruxellas & Antvverpiam, quam ad Bredam, aut Dordracum occurrere. Calamitatem, quam 1684. Galli Belgio Fœderato intulerint, in recenti memoria esse; ac præstare millies mori, quam violentiæ Luvoisii mortalium immanissimi, aut quæstoris cujuspiam a pedisequi functione recentis exponi. Majores suos pro libertate mortem oppetiisse immortali post se gloria relicta; quorum exemplum sequi placeat. Alias se non parum præsidii in Electore collocasse ob communes sacrorum, atque libertatis rationes. Sed nunc Avauxium jactare, eundem cum Dano & Coloniensi convenisse super eo invadendo, qui huic Reipublicæ auxilia latum veniat. Saltem spem fuisse, Electorem neutras partes secuturum. Sed postquam & iste in Reip. exitium conspiravit, in solo Deo spem sibi reponendam. Satis operæ a se sumi ut Hispanos a desperatis consiliis retrahant, Belgio utcunque exuere se meditantium; qui mediterraneas urbes Lutzenburgum, Namurcum, Superiorem Geldriam, & Brabantiæ partem Gallo cedere velint, æquivalente regione in Catalonia recepta. Reliqua mare versus sita loca, Ostendam, Neoportum, Gandavum, Brugas, Antwerpiam, & reliqua Flandriæ Anglicanam protectionem subitura. Inprimis mirum esse, Electorem nunc Amstelodamensibus blandiri, qui præcipui autores Neomagensis fuerint, ac alias semper istius utilitatibus obstiterint. Ad quæ Fuchsius: ista desperatorum hominum consilia esse, & qui utcunque mori cupiant, ad quæ recurrere nondum necessitas subigat, ac molliora remedia superesse. Cordatum gubernatorem hautquidquam clavum e manibus amittere, quamdiu ulla spes sit navem servandi; ac si rectum cursum tenere non liceat, obliquatis velis hinc inde viam secandam. Quæ ab Avauxio jactentur, inania esse. Quod Elector Amstelodamensium amicitiam colat, id Reipublicæ bono facere, ut intestina concordia instauretur: ac priores offensas bono publico condonare præclarum esse. Etsi post Fagelius de fervore isto multum remittebat; ac mox quoque Transisalani, Geldri, & Ultrajectini plus inclinationis in pacem ostendebant.

§. 120. Eo major Electori cura erat prohibere, ne inter istam animorum exacerbationem belli flamma alicubi erumperet. Præsertim postquam Gallus Præsuli Argentoratensi scripsisset; se vel exercitum in Coloniensem missurum, vel Coloniensis copiis aliquot millia additurum, quo Belgis metus incutiatur, ac si bellum sequatur, res in eos geri possit. Id cum Præsul Fuchsio e Batavis Coloniam regresso exposuisset, & quid consilii capiendum exquisivisset, iste demonstrabat; ex ejusmodi negotio nil boni consequi posse. Electorem hactenus omni ope connixum, ut Galli arma a Germania averruncaret; eumque præcipuum fuisse scopum omnium tractatuum cum Gallo initorum, quod spes esset, hoc modo pacem servari posse. Ast ubi hocce Galli consilium effectui detur, oleum & operam periisse; ac adversam partem non omissuram clamare; jam pacem aperte abrumpi: tum Electores ad Rhenum animis collapsuros. Gallum quoque per fœdus teneri ad ejusmodi consilia non procedere, nisi prius cum Electore super iisdem convenerit. Apud Belgas quoque id contrarios effectus productu- *Elector bellum a Belgis avertit.* *11. Mart.*

1684. rum. Nam tunc Amstelodamensibus, Frisiis, & Groninganis necessitatem allatum iri, id quod in faciem sibi dixerint, in reliquorum sententiam concedendi. Ast aliud esse remedium, ut non sit opus ad abrupta ista descendere. Scilicet ex nupero tractatu Dano, Coloniensi, & Electori L M militum in promtu habenda. His maximum pondus fore ad producendam pacem. Tanto exercitu succinctos tres fœderatos pacis, ac belli arbitrium habituros, quod prout res exigat frænum adducere, aut laxare possint. Contra rem longe secius succedere posse, si extero rerum moderamina intra Imperii limites committantur. Coloniensem jam superiore bello expertum, quid ejusmodi exteri hospites secum trahant; nec eos ita cito amoveri posse, uti venerint. Quas rationes cum Præsul satis caperet, Gallo impense scribebat, ne quid copiarum mitteret. Etsi idem, a quo revera ista omnia promanabant, juraret, nec se, neque Coloniensem bellum contra Belgas meditari. Sed ubi res in arma eruperit, malle seipsum bellum in Belgas suscipere, ac in partem rerum gerendarum venire, quam concedere, ut Gallus e Coloniensi ditione maximo ipsorum cum damno Belgis arma inferat. A se nil aliud spectari, quam ut provinciæ secius sentientes Hispanicis rationibus abstrahantur; ac Hispanis necessitas adferatur, ne ob paucula loca totam Europam novo bello implicent. Equidem Gallum rogante Coloniensi V M, quæ in hujus provinciam mittere decreverat, subsistere jussisse, sed ad exiguum duntaxat tempus: quod is contendat, utique utile esse, eas copias ad fines Belgarum Unitorum, suum vero exercitum ad limitem Hispanicarum provinciarum consistere ad terrorem belli cupidis incutiendum. Nec se Gallis, si venire velint, accessum prohibere posse. Addebat tamen Coloniensis, se absque Electoris adprobatione nil summam rerum spectans suscepturum, ac citra exceptionem ejus sententiam secuturum. Nam in ipsorum consensu jam summam rerum verti videri. Ac fœdus suum cum Gallo ulterius porrigi, quam si initium abrumpendæ pacis a Belgis proficiscatur. Etsi Grana jactabat, Coloniensem Gallo arctius illigatum, quam ipse norit. Nam non prima vice Wilhelmum Furstenbergium isti Præsuli tractatum non visum subscribendum obtrusisse.

Cum Luneburgicis acta.

§. 121. Nec minus id solicite agebatur, ut Luneburgici ad promovendam pacem adducerentur, nec tamen præter necessitatem res ad arma deduceretur. Eorum consilia hactenus non parum suspecta fuerant, quod quibuscunque rationibus ab Electore ingestis non nisi tempus extractum irent; ut fortioribus remediis opus videretur ad eos in rectam viam reducendos. Sane nuper Canitio, quem Elector Coloniam miserat, Hanoveranus dixerat; se circa pacem serio laborare, ac ejus necessitatem perspicere. Sed paulisper expectandum, quis eventus congressus Hagensis futurus sit. Non videri sibi a Gallo periculum in mora esse; magis a Dano metuere. Ac mox Hanoveranus Hagæ declaraverat, nil se copiarum in Belgium missurum, Associatis non parum perturbatis, qui dolebant, Witzendorfium ad secretas consultationes admissum. Nec tamen ideo sinceri in pacem studii fidem assequebatur. Sane & Daniæ Rex judicabat, Duces non nisi tempus extrahere. 1684. Sibi autem haut consultum tantis armis succincto diutius in incerto agere; eoque cominus ostentata vi Duces ad audiendam rationem compellendos. Et quia Duces Fuchsio non ex voto responderint, Coloniæ negotium eo acrius urgendum, copias trium fœderatorum contrahendas, ac propius istorum finibus admovendas. Atque isthoc Rex per Fridericum Gabelium Electori proposuerat; cui & ipsi haut placebat diutius inani spe lactari. Id tamen haut e re videbatur, statim copias istorum finibus admovere, sed ulterius amica via eos attrahendos. Etsi magno labore opus foret ad Dani ardorem temperandum, plerisque in Dania bellum magis, quam amicam compositionem optantibus. De quibus Alefeldius, cui constans in pacem studium, valde querebatur, eos ancipitia specioso colore adornare, ac Regem ad varia periculosa impulsum ire. Eos hactenus sibi persuasisse, Coloniensem quoque in extrema inclinare; eoque & Electorem sepositis pacificis cogitationibus e bello lucrum capturum. Unde & Murbacensis adventum avide expectasse, velut classicum canturi, sed qui valde moderata proposuerit. Non dubitare tamen, quin Electoris prudentia, atque autoritate calida consilia inhiberi possint. Ac si Regem inter, & Electorem arcta uti hactenus amicitia perstiterit, Regem ejusdem consilia secuturum. Alias prævalituros, qui speciosa, sed ancipitia ingerant. Eo magis Elector instabat, ne Rex cum Ducibus ob peculiares inter ipsos controversias collideretur; quod spes sit Hanoveranum in ipsorum partes transiturum; qui queratur, se per Cæsareum fœdus in magnas difficultates incidisse, quo ut exuere se quamprimum possit, magnopere desiderare. Contra Danus censebat, amica ratione apud Duces nil profici, ac eos nil aliud quam tempus extrahere. Equidem Duces Viennæ, Ratisponæ & Hagæ pacem in speciem commendare, sed tecte eam eludere. Unde & Regi parum placebat, fœdere Coloniensi Luneburgicorum mentionem haut factam, nec in eos consilia digesta. Id quod a Gallo provenerit, qui nil aliud quærat, quam ut Coloniensis viribus contra Belgas utatur, eoque ipsum, & Electorem sperato ab eo Præsule auxilio privet. Qua ratione ipsi a fœderatis suis disjuncti inter tot infensos soli destituantur. Sed & valde sibi displicere ostendebat Danus, Coloniensi tractatu id a Gallo quæsitum, ut ipse cum Belgis committeretur. Sane ad tale quid fœdus suum cum Gallo haut porrigi: nec rationibus suis convenire cum Belgis bello collidi ob maritimas vires ejus Reipublicæ, & quia plus quam dimidia pars Danici commercii in Hollandia hæreat.

Circa eadem compescendos agitata. 15. Mart. de Roy.

§. 122. Interim Daniæ Rex quingentos equites Meclenburgicæ, atque Lauenburgicæ immisit ad residua tributorum exigenda, simul ut specimen caperet, num Duces sese commoturi sint. Ac Royus Comes in Holsatiam mittebatur, istorum actionibus speculandis; Alefeldio querente, talia, quæ facile rem ad manus deducere possint, se absente suscepta. Et quia Duces liquidum responsum semper declinabant, Danus proponebat, ut inter se, & utrumque Electorem conventio ineatur, per quam statim atque anni tempestas ferat, fœde-

1684. fœderatorum copiæ ad fines Luneburgicorum adducantur, liquida declaratione expostulata, num fœderatorum sententiæ circa pacem, aut inducias accedere velint, abdicatis omnibus in contrarium obligationibus? Num fœderatis circa suas prætensiones satisfacere, nec ullo prætexto ipsorum domesticis se negotiis miscere, adversariis ipsorum nil opis ferre, & quæ gerant, Circuli munia ultra leges Imperii haut extendere? Si recusent, junctim in eorum ditionem progrediendum, eosque cogendos, ut hisce postulatis annuant, aut copias exautorent, simul fœderatorum securitati caveant. Nam blandimentis eorum nil serii subesse, ac forte ex improviso adversa consilia capturos, communem tranquillitatem in longum elusura. Præcipue metum esse, ne hæc quoque æstas inter inanem negotiationem elabatur, regno suo interim sub tam numerosa militia terrestri, & maritima fatiscente. Quantum tamen fiduciæ circa hoc negotium in Coloniensi reponendum foret dubitabatur. Is enim per Murbacensem Hafniæ testatus fuerat, utique pacem se desiderare, ac isti promovendæ omnem operam navaturum. Quod si tamen bellum erumpat, ita se rem disponi cupere, ut amicitia quidem cum Gallo perstet, ac de ejus auxilio cautum sit; interim suæ tamen, ac fœderatorum copiæ intra Imperii fines semper validissimæ sint, & si quæ forte auxiliares copiæ adjungantur, ipsis obnoxiæ agant. Sed eo fine ante omnia a Luneburgicis cautum esse opertere, ne Hispanis auxilia submittant; quo his necessitas adferatur pacem amplectendi. Eoque mense Aprili fœderatorum copias ad eum limitem deducendas; simul tentandum, ut Hildesiæ præsidium immittatur. Id si Duces prohibere conentur, eos invadi posse velut autores rixæ. Huic Coloniensis declarationi Rex, ac plerique ministri plurimum tribuebant: sed Alefeldius Cancellarius alia omnia censebat. Nam Gallum impense contendere, ut Coloniensis vires contra Belgium adhibeantur; nec eum permissurum, ut hic rem in Duces gerat, quod forte hoc facto plus temporis, quam nunc credatur, impendendum sit, aliis interim destinatis hærentibus. Coloniensis quoque ditiones ita ab adversa parte cingi, ut non tutum ei sit futurum multas copias alio educere. Inde enim Belgas, & Hispanos, hinc Franconicum Circulum, & Hassos ipsis cum Luneburgicis imminere. Sed nec ei Præsuli in præsens ultra VIII M militum esse. Contra Duces egregiis copiis instructos, quos & Saxo, atque Cassellanus deserturus non sit. Esse quoque Coloniensi ministrum flagranti gratia, qui plane a Bavaro dependeat; qui gavisurus quidem sit, quamdiu nil periculi adpareat, Præsulem Gallicis subsidiis frui. Sed si ad arma descendendum sit, forte alia consilia suggesturum. Ac sane Coloniensem nunquam vigoris quid ostendisse, eoque eundem ex fœdere cum Daniæ Rege, atque Electore magis suam securitatem quærere, quam ut cordi sit hisce quid auxilii præstare. Gallum autem sub istis suum emolumentum, non sociorum securitatem quærere, ac bello heic exardescente alibi destinata sua persecuturum, Rege, ac Electore inter turbas solis destitutis. Et constabat id consilium ab Argentoratensi profectum, quo Danum, & Electorem cum Ducibus committeret. Ast Elector circumspectius agens per literas Hildesiensem civitatem monebat, ne Ducum præsidium admitterent; Duces autem ne id civitati obtrusum irent. Simul ut Luneburgicis scrupulus injiceretur, nec Danus justo longius progrederetur, unam & alteram legionem in Meclenburgicam progredi jubebat, copiis quoque e Borussia evocatis. 1684.

§. 123. Inter hæc Otto Grotius majorem indies spem faciebat, Duces in consilia pacis cum Electore conspiraturos. Unde Elector laborabat, ut Coloniensis militem suum Huxtera educeret, ac ne Daniæ Rex quid in Saxonia moveret; qui scrupuli adhuc Duces urgebant. Ac circa Huxteram quidem Coloniensis annuebat, sed non prius, quam de Ducum amicitia cautum foret. Mox & Grotius formulam exhibebat fœderis inter Electorem, & Duces ineundi. Sed quia eadem Electori minime omnium satisfaciebat, non leviter cum isto expostulabat, quod jam annum amplius incassum laborarit Duces ad consilia pacis flectere; de quo hi subinde multum spei ostenderint. Se quoque promovendo huic negotio tantum studium erga Duces ostendisse, ut fœderati sui non sine suspicione id sæpe exprobrarint. Nunc formulam exhibitam conceptæ spei plane non respondere, nec eo spectare, ut Duces consilia sua ipsi conforment; sed potius ut ipse fœderatis suis avulsus periculosis negotiis implicetur. Quem fructum iste agendi modus producturus sit, suo loco relinqui; ac utcunque res cadat, solatio sibi fore, semper salutaria Imperio consilia fovisse. An eadem Ducibus mens fuerit dubium videri, postquam per Marchionem Arcium Gallo obtulerint; si hic ipsorum prætensionibus super hospitiis Inferioris Saxoniæ, & aliis inde manantibus cavere velit, se Gallicas propositiones probaturos, ac Ratisponæ, alibique operam navaturos, ut induciæ ad ipsius mentem incantur. Id quod eo magis mirum sibi visum, quod Duces Viennæ, Ratisponæ, Hagæ, Berolini, ac passim jactarint, omnia sua consilia contra Gallum ac vasta ejus destinata tendere. Sane nunc non amplius obscurum esse, quæ ab istis apud Gallum, & alios de Imperii majestate, & integritate, ac de liberandis oppressis disputantur, unice ad privatum emolumentum referri, ut Inferiorem Saxoniam pro lubitu moderari queant; ipso Gallo dedignante ita profunde domesticis sese Imperii negotiis ingerere. Sed & Daniæ Regi ea formula displicebat, quod Duces non nisi verbo de promovenda pace cavebant, ac exorto bello medii esse volebant; cum id sibi ferendum non sit, Duces armatos, & medios tunc consistere, quibus in causa Gottorpiensi haut fidebat. Inprimis autem Rex haut digerebat, quod Elector separatim cum Ducibus pacisci vellet. Alefeldius tamen moderatorum semper consiliorum autor censebat, fœdere inter Electorem, & Duces absoluto facile viam inventum iri litibus inter Regem, & Duces componendis, iisque in commune fœdus pertrahendis, ad Suecicarum copiarum in Germaniam trajectionem impediendam, & Galli conatus librandos. Ac multum præstitisse Electorem, quod Duces propius jam ad scopum accedere cœperint, qui sine dubio longius progressuri sint. Ast Rex utique

Luneburgici adhuc tergiversantur.

d'Arcy.

1684. utique pertendebat, ne Duces negotio hospitationum sese ingererent; ac se salva existimatione copias non prius Meclenburgica, & Lauenburgica ditione educere posse, quam sibi satisfactum sit; nec minis Ducum ejici se passurum, quicquid inde eventurum sit. Ac Gallum VIII M militum offerre, cum Coloniensibus jungenda, quibus ipse pro lubitu uti queat. Ac eundem suadere, ut miles Hildesiæ immittatur, ac bello initium fiat. Quo tamen ipse haut libenter descendat, ni Ducum iniquitas subigat.

Elector moderationem suadet. §. 124. Magnam ea res solicitudinem Electori injiciebat, ac inprimis, quod Daniæ Rex in sinistram partem, quæ ipse cum Ducibus agitabat, accipere videretur. Unde per Fridericum Brandium Alefeldio demonstrabat; se ad fata usque amicitiam cum Dano servaturum, nec quid rationibus ejus adversum suscepturum. Se plus causarum habere Ducibus indignandi, quam Regem, velut qui summo studio ad deprimendum Electorale fastigium incumbant, quod tueri sibi semper maxime cordi fuerit. Enimvero in omnibus fœderibus a se respici conservationem pacis, ac status publici in Germania, quæ sibi ante omnia privata emolumenta sit, non semel oblata, & quæ ex surgentibus turbis forte sperari queant. Sed & eum finem spectasse omnia consilia, quæ hactenus circa Duces cum Gallo, Dano, & aliis agitata fuerint, ut isti amica via ad pacem promovendam adducerentur. Id ubi non succedat, quo modo ad id compelli possint. Jam annum amplius cum Ducibus se tractasse; ac cum non ita pridem judicaret, sibi tantum ab istis illudi, alia se remedia efficaciora dispexisse, eoque fine fœdus Coloniæ conclusisse: tum a Dano in Meclenburgicam, & Lauenburgicam, a Coloniensi in Huxteram tentata probasse, ac fulsisse. Cum itaque his permoti Duces serio jam de transactione cogitare visi essent, velut qui declararint, se in Belgium copias haut missuros, ac in XX annorum inducias consentire, de cætero omnia probaturos, quæ Cæsari, & Imperio placitura sint; se priora duo acceptasse tertium autem rejecisse, quod Cæsarem ab induciis abhorrere constet. Et cum crederet, fœderatos priori adhuc sententiæ inhærere de Ducibus amica ratione in nostram sententiam pertrahendis, aliam se formulam conventionis Ducibus exhibuisse, qua non solum uniformia consilia circa pacem,& inducias, sed quæ Regi expediant,quantum in antecessum opus fuerit, stipulatus sit; eaque omnia huic bona fide communicasse. Nec adhuc demonstratum fuisse,quid noxii ea formula contineatur,cum ei non solum a Dano transmissa postulata, sed & contenta fœderis Coloniensis inserta sint. Sed quod Gallus jam ac Danus a priore desiderio amicæ transactionis tam longe discedant, ac bellum in Duces eligere malint, Galli quidem rationes sat manifestas esse; sed quæ se non stringant, nec ab antehac semper placitis avertere queant. Ast si Duces compositionem plane rejiciant, se utique arma in promtu habiturum, nec istorum se ludibrio præbiturum. De oblatis a Gallo VIII M militum nil sibi ab hoc communicatum, uti par fuerat; ac eum sibi nunc diversa plane proponere. 1684. Sane ex eo negotio, si succedat, pestilentissimos effectus consecuturos. Forte id inserviturum vindictæ a Ducibus sumendæ: sed inde provenire posse Regi, ejusque posteritati valde pœnitenda. Satis patuisse anno 1679, quid exercitus Gallicus ad Visurgim profecerit. Nec meliora speranda, si is nunc denuo eodem alliciatur. Ast sibi fixum sedere, ubi de salute totius Reipublicæ agatur, omnes irritati animi impetus cessare debere; nec se in ejusmodi ancipitia consilia unquam consensurum, etsi quæ ex fœderibus teneatur, bona fide præstiturus sit. Igitur præsentibus temporibus amicam transactionem, uti obtineri possit, extremis anteferendam; idque & Dano utilissimum judicare, ne Duces plane Suecis sese addicant, ac ne dum ipsi inter se circa modica colliduntur, cura summæ rerum abdicetur. Quamprimum sibi cum Ducibus convenerit, omni ope se connixurum ut amicitia inter Danum, & istos instauretur; quod sibi successurum speret. Ut tamen Ducibus adpareat, aliquando moras sibi abrumpendas, & liquido declarandum quid velint, legiones suas e Borussia jam in Pomeraniam pervenisse, reliquas Albim versus progredi. Et quia Hanoveranus cum aliquot millibus ad Visurgim stativa capiebat, facili cum Cassellano conjunctione; suis in Westphalia legionibus imperasse, ut & ipsæ paratæ sint; simul cum Coloniensi agi, ut Rhenus, ac Visurgis in potestate habeantur. Ac jam Lipstadii, Mindæ, & ad Albim annonam congeri, machinasque paratas stare. Quanquam autem Villarsius legatus Gallicus *Villars.* Dano pecuniam in antecessum offerret, ac ipse Rex tractatus ab Electore abrumpi, ac utique copias finibus Luneburgicorum admoveri cuperet; qui & ipse apud exercitum in Holsatia agens negabat, ab armato vicino, qui neutrarum se partium fore verbo duntaxat confirmet, satis cautum sibi esse: Alefeldius tamen demum rem eo deduxit, ut Rex omnia prudentiæ Electoris moderanda committeret. Qui & ad ista per literas declarabat: *3. Maj.* Se utique agnoscere, ab Electore cum Ducibus nil actum fraudi sibi cedens; & hoc tractatu initium factum Ducibus ad paria secum consilia adducendis. Posse quoque hac tempestate, indies gliscente Galli potentia conjunctionem cum Ducibus utilem, ac plane necessariam esse. Electorem omnia fecisse, ad pacis, ac status publici in Imperio conservationem. Errasse se, quod crediderit, Electorem in diversa abire velle. Satis quoque perspicere, quam anceps sit futurum, si Gallus Coloniensi junctus Duces invadat. Huc quoque non aliter se respexisse, quam ubi necessitas subigat. Sed postquam sibi de Electoris constantia cautum sit, ad ancipitia ista nunquam descensurum, aliosque eo ruentes impediturum. Alias Rex censebat, omni modo prohibendum esse, ne Duces Sueco plane se innectant, eoque cominus arma iis ostentanda, ut animum serio ad pacem adplicent. Sibi quippe persuasum, eos exercitus hactenus artes continuaturos, ac Electorem inanibus blandimentis lactaturos, donec aliqua rerum conversio emergat, aut æstas inani negotiatione elabatur. Id quod irreparabili damno sibi futurum, quod tantæ multitudini

1684. copiarum alendæ non amplius sufficiat, quam nunc honeste, ac tuto exautorare non possit. Esse enim sibi in Dania, Holsatia, & Oldenburgica XXXVI M. in Norvegia XXII M. militum præter socios navales; eoque negotium in alterutram partem brevi ad finem deducendum. Unde & Elector formulam nuper a Ducum legato exhibitam reddi jubebat, denunciato, talia se non amplius accepturum. Qui vigor, simul motæ legiones plus, quam adhibita hactenus humanitas, proficiebant.

Cum Coloniensi acta. §. 125. Nec minus curæ erat impedire, ne forte Coloniensis intempestive erumperet, qui de præsidio Hildesiæ immittendo instabat, ansam collisionis cum Luneburgicis præbituro. Id quod multis cum difficultatibus conjunctum Elector ostendebat, præsertim si civitas militem admittere abnueret. Sane hæc plane negaverat, se cum Ducibus super recipiendo eorum præsidio convenisse. Neque vero præsumi posse, eam Dani, aut Coloniensis copias ultro admissuram, nec his in proclivi futurum vi eandem cogere, quo & accessus non pateat nisi per Ducum territorium; ac si quis vim adhibeat, urbem protinus Luneburgicos recepturam. Ita conatus cum ignominia omittendos, aut apertum bellum ordiendum, circa quod declinandum hactenus laboratum sit. Contra Argentoratensis censebat, copias absque strepitu urbi admovendas, quæ ita propere ad resistendum se componere nequeat. Sine hac urbe de Luneburgicis cautum non esse. Si Sueci quoque exercitum trajiciant, hos duos fœderatis leges præscripturos, quæ nunc istis dictari possint. Coloniensis consilia semper eo spectasse, ut Galli quidem amicitia serveetur, non tamen concedatur, eundem rerum in ipsius ditione, nedum in Germania potiri. Ast si Duces tempus extrahendo id lucrentur, ut Electoris auxilia præcludere queant, Coloniensem miserrimum Principum fore, cui necessum sit citra exceptionem Gallo se addicere; quod Austriaca factio, si maxime tunc eam amplecti velit, eidem illusura sit, omnibus quoque ubique exosum insultaturis; quæ & societas alias cum maximo ipsius damno, conjuncta foret. Sed & id moliebatur Coloniensis, ut cognominem urbem in potestate haberet, de qua intercipienda etiam Waldeccius agitare dicebatur. Sane cum ea civitas Cæsari significasset, se a Gallicis copiis, quæ Præsuli auxilio destinatæ sint, sibi metuere, Cæsar ad vicinos Principes scripserat; & jam Cassellanæ, ac Luneburgicæ copiæ iter Coloniam versus ingressæ erant. Sed Elector civitatem monebat, ut has copias recipere caveret, quas Gallus toleraturus non sit, eoque ansam præbituras invadendæ urbi. Quo effectum est, ut civitas decerneret, se non alium quam Circuli militem admissuram, ac ubi bellum emergat neutras partes amplexuram. Post tamen Coloniensis de milite Hildesiæ immittendo conticescebat, quod Duces propius ad scopum accedere viderentur; ac satis adparebat, eam rem a Coloniensi nunquam serio actam, quod eandem tam multis conditionibus circumscriberet. Eoque nil aliud ab Argentoratensi actum videbatur, quam ut Danum, & Electorem cum Luneburgicis committeret, quo isti invidiam moti belli in se derivarent, a Gallo in usus suos vertendi.

1684. *Cum Gallo acta.* §. 126. Ut autem Galli arma Germania averteret, perpetuus Electori labor erat. Unde ab isto stipulari cupiebat, eundem nil amplius Imperio decerpturum, nec ejus statum publicum convulsurum; quo ipse eo fidentius illis se opponere possit, qui bellum cupiant; ac Regem in eam rem jam antea sibi fidem dedisse. Sed Croissius id frigide accipiebat, causatus ejusmodi declarationem præmaturam esse, ac Regem alias cum Electore consilia collaturum, antequam in bellum descendat. Cum inde Gallus per Coloniensem Belgis terrorem incutere vellet, Elector id magnopere dissuadebat, & ne Gallicus miles in Coloniensem ditionem mitteretur; quod admotus forinsecus terror Belgis concordiam domi imperaturus sit. Nec consultum esse Amstelodamenses urgere, ut ad consilia hactenus capta continuanda expressis verbis se adstringant, uti Gallus volebat. Id enim contrarium effectum producere posse, ac ut inde compellantur cum reliquis se conjungere. Nolebat quoque Gallus, Coloniensem adversus Luneburgicos se movere, sed tantum contra Belgas. Nam istis Danum, & Electorem sufficere. Et cum ipse ingentem exercitum ad Saram fluvium habeat, ejus intuitu neminem se pro Ducibus movere ausurum. Enimvero destinata super terrendis Belgis Elector valde dissuadebat, quod facile inde in bellum prorumpi posset, multa incommoda pariturum, queis deinceps moderandis pares futuri non sint. Ac ea ratione bellum in Westphaliam pertractum iri magna cum invidia fœderatorum, quod sine necessitate, quando maxime super pace satagebatur, Gallorum exercitum intra fines Imperii adduxerint. Ad istas demonstrationes Gallus censebat, destinata contra Belgas tantisper differenda; contra Luneburgicos negotium absolvendum, antequam Sueci copias trajiciant. Alias se non amplius ab Amstelodamensibus declarationem exacturum, nec cum Belgis citra necessitatem in arma erupturum. Ac animadvertere, Belgas jam terrore in pacem inclinare, adversus quos alias Coloniensis opera uti voluerit. Cum itaque de Belgarum in pacem studio Regi constaret, jam Duces in ordinem redigi cupiebat. Unde apud Electorem demonstrabat: certis ex rationibus sibi persuasum, Ducibus haut cordi esse partes, queis sese illigarint, deserere, aut in Dani, atque Electoris sententiam concedere. Igitur efficacissimam viam esse obtinendæ paci, si coitione inter Daniæ Regem, & ambos Electores facta istorum pertinacia frangatur; quo fine ipse pecunia, aliaque ope istis succurrere velit. Cæterum cum hactenus Gallus Dani cupidinem bellandi temperare visus esset, aut potius id egisset, ut iste arma proprio instinctu, non ipso autore movisse videretur: jam in apertam vim erumpebat, ac magno cum exercitu Flandriæ infundebatur, simul Luxenburgum oppugnabat, data Anglo fide, se post eam urbem captam longius haut progressurum, nisi Belgæ utique in arma ruant, insuper Danum jam in Luneburgicos stimulabat, ut hos juxta, atque Hispanos ad pacem flecteret. Quo obtento Dani juxta, atque Electoris rationes insuper habiturus erat. Indicio erat, quod nil pecuniæ suppeditare prius volebat, quam Danus in arma erupisset,

1684. pisset, cum is interim maximos sumtus in parandum exercitum fecisset. Eo magis cavebat Elector, ne quid temere susciperetur, quod Gallus unice in usus conversurus erat.

Pactum Galli cum Meclenburgico super Dœmitza. 24. Maji.

§. 127. Eo magis autem Galli mens elucebat, postquam cum Christiano Ludovico Meclenburgico Duce pactum inivisset, ut hic Dœmitzam Daniæ Regi insidendam traderet. Qua de re Elector graviter apud Gallum querebatur; id pactum se inscio initum, cum tamen ipse ita candide cum Rege egerit, ac eo nomine tantum invidiæ sibi contraxerit. Sane sua maxime interesse, quod ea munitio non solum aditum in partem suæ ditionis pandat, sed & commercia Albis valde turbare possit. Præterea hoc facto utriusque Regis consilia in Germania magis, magisque suspecta reddi, ac Luneburgicos inde ansam arrepturos Cæsareæ aulæ persuadendi, Dano, dum Meclenburgicæ militem immittit, non agi de exigendis tributorum residuis, sed eundem alia longius tendentia meditari. Qua in re maxima sibi circumspectione utendum. Etsi enim ipse hactenus cum Dano arctissimam amicitiam coluerit, ac perpetuo colere paratus sit; eam tamen esse legem amicitiæ inter Principes, ne quid ab uno fiat, quod alterius rationibus adversetur, quæ & cum tempore subinde mutentur. Ac si Danus semel Dœmitzæ pedem fixerit, forte non semper facultatem fore limites ei præscribendi, quousque obtento per id commodo contra unum & alterum uti debeat; ac verendum esse, ut prius excedere velit, quam in vectigal Gluctadiense consensum fuerit. Igitur postulabat Elector, ut ejus pacti exsecutio differretur, quod spes sit, Duces ad amicam transactionem descensuros. Aut si utique pactum implendum sit, ut sibi dimidiam præsidii partem ibi habere concedatur. Ad ista nil aliud Gallus reponebat, quam sibi haut propositum fuisse aliquid in fraudem Electoris facere. Ast Meclenburgicus eo ipso die, quo id pactum Lutetiæ perfecerat, Cellensi per cursorem de eo significarat. Unde hic ea destinata præverterat, ducentis militibus protinus missis, qui in adsito oppido considebant, ac persuaso castelli præfecto, ut jusso Meclenburgici parere abnueret. In præmium ludibrii Dux Vincennas in custodiam abducebatur, quoad implevisset, ad quæ ultro se obligarat. Etsi post idem Dano, & Electore intercedente custodia liberabatur. Ejus uxor mariti calamitatem in usus suos vertere, ejusque scrinia expilare decreverat. Sed is conatus prævertebatur, his sigillo Regis adposito. Eadem quoque rogaverat, ut ad regendam tantisper mariti provinciam dimitteretur. Quod petitum cum irrisu rejectum. Super eo quoque pacto apud Danum Elector querebatur, velut magnam Regi suspicionem parituro; ac postulabat, ut id omittatur; aut si utique idem succedere debeat, se dimidiam præsidii partem impositurum. Si Rex abnuat, Brandius protestationem interponere jubebatur. Ad quæ Danus testabatur: Gallum hoc pactum cum Meclenburgico se inscio fecisse; quod & statim atque ejus copia facta sit, Electori communicarit. Alias nunquam sibi in animo fuisse aliquid in Saxonia adquirere, aut ad Albim pedem firmare; sed eo loco uti duntaxat voluisse ad transitum fluminis, & struendo penu. Libenter quoque dimidiam præsidii partem Electori concessurum fuisse. 1684.

Cum Belgis alla. 24. April.

§. 128. Ast apud Belgas eo impensius Elector super pace nitebatur, quo majus ea Respublica momentum in utramque partem adferre potest. Itaque per Diestium eis demonstrabat, quanto sibi dolori sit ob immotum in eam Rempublicam affectum, & communes rationes, iisdem tam manifestum periculum ab exteris inter gliscentia domi dissidia imminere. Eo jam rem reduisse, ut per pacem aut inducias orta jam in provinciis Hispanicis flamma restinguenda, aut communi bello ansa præbenda sit. Ast si ipse conditionem Reipublicæ, verasque utilitates consideret, persuadere sibi non posse, ipsos bellum paci prælaturos. Ast si pax cordi sit, sine mora manum rei admovendam. Præsentia tempora non ferre scrupulosam super conditionibus cauponationem. Gallum paratum stare, ut in bellum erumpat. Nullibi vires adparere, quæ opponi queant. Quid ergo aliud expectandum, quam ut Belgium utrumque opinione citius opprimatur. Frustra moderatiores conditiones a Gallo sperari. Nemini sano adprobari posse, per desperationem omnia exitio exponi; cum pleraque adhuc servari queant: reliquis medicina a conversione rerum, ac tempore speranda sit. Melius esse unius membri, quam totius corporis jacturam facere. Se hactenus omnia fecisse, ne belli flamma erumperet: nunc quicquid in se opis consumtum. Fuisse sibi sinceram intentionem, ac plane aliam, quam malevoli affingant. Sed quia adpareat, aliquos ultro in exitium se præcipitare, ac quod in futurum metuitur jugum, in præsens sibi attractum ire; non posse non imminentem Reip. calamitatem dolere; ac denuo rogare, patriæ suæ salutem cogitent, ac promta acceptatione conditionum a Gallo propositarum, eam in tutum subducant. Se quidem ad eum finem, simul componendis intestinis dissensionibus enixam operam navaturum. Addebat Diestius; falli eos, qui credant, erumpente bello Electorem protinus contra Gallum arma sociaturum. Nam ei haut solitum, stolido consilio, quod ipso dissuadente susceptum sit, persequendo operam conferre. Eadem Coloniensis, sed non sine minis ingerebat, ni monitis aurem præbeant, consilia, a se ipsis haut placitura captum iri. Contra Hispani, & *Associati* in diversa tendebant; ac isti quidem minabantur, si hoc modo destituantur, Regem pecuniis, & mercibus Belgarum in Hispania manum injecturum. Fœderati e Germania peculiariter monebant, ne communem causam præcipitent, ac velut impetu ruant; nec fidos socios, qui ad liberandum Lutzenburgum jam iter ingressi sint, deserant. Ac exhibebat Campricthus catalogum copiarum e Franconia, Bavaria, & tractu Rhenano ad XLIII M bellatorum adscendentem, qui cum Belgicis copiis ad servandum Lutzenburgum se juncturi sint. Bavarum quoque ipsum ad Rhenum accessurum, quod jactura ejus urbis magis in Germania, quam Belgio metuatur. Sed Fagelius dicebat; Gallo perinde esse, dissentientibus, an volentibus Belgis Lutzenburgum accipiat. Ast suæ Reipublicæ honestius esse id per vim subigi, quam interveniente

1684. ente ipsorum pacto. Anglus quoque Reip. caverat, post expugnatum Lutzenburgum a Gallo nil amplius contra Belgium suscipiendum, ac se ad impediendum omni vi connixurum. Gallus contra Belgarum declarationem remissius urgebat, quod acres Avauxii libelli, & Coloniensis monita apud Fœderatos opinionem excitaverant, quasi is ob conscientiam intestinæ debilitatis pacem desideret. Ast Diestius præter superius memorata id quoque ingerebat, ut ante captum Lutzenburgum rem absolvant. Nam quia persuasum ipsis sit, ne solennibus quidem Galli pactis fidei quid habendum; multo minus pollicito ejus fidendum, quasi post expugnatum Lutzenburgum non ulterius sit progressurus. Sed & sigillatim demonstrabat, nil auxilii e Germania expectandum. Nam Bavarum nunquam Argentorato, & exercitu a tergo relicto ad Lutzenburgum liberandum accursurum. Franconicos decrevisse, Belgicis negotiis sese haut miscere. Idem Saxones, & Cassellanum Electori confirmasse. Waldeccii, & peculiares quorundam copias non sufficere. Luneburgicos consilia sua ad pacem referre & si quid audere velint, jam res ita dispositas, ut facile intra limites coërceri possint. Ad ista Belgæ non nisi laxis verbis quid fieri debuisset, & cujus faciendi tempus jam elapsum sit, disserebant. Quibus reponebatur: in capiendis consiliis non respiciendum quid fieri potuisset, aut debuisset, aut quid re adhuc integra fieri queat; sed res prout in præsens se habeant, considerandas. Arausionensi Elector demonstrabat; Austriacorum actiones non posse non suspectas esse, qui jam nunc Principes in ipsorum consilia haut proclives minis territare instituant. Quid futurum, si isti scopo suo potiantur? Manifestum quoque esse, qua acerbitate in Protestantium sacra per Hungariam & Silesiam sæviant. Sibi autem nil aliud respici, quam ut sacra, & libertas tam in Germania, quam apud Belgas salva sint. Sed Princeps paucis respondebat; se nil amplius ad negotium conferre posse, nec a semel capto consilio discessurum. Si calamitas sibi cum aliis subeunda sit, illos sera pœnitentia tactum iri, qui nunc otiosi spectant, quæ prohibere poterant. Ast Fagelius commotior: se nunquam operæ quid collaturum, ut Hispani ad cedendum Lutzenburgum compellantur. Ex ea urbe magnam partem Germaniæ, ac Belgii fata pendere: ac perinde esse, si non manus, sed caput abscindatur servando corpori. Ejus urbis jactura quatuor Electores ad Rhenum Galli tributarios fieri. Arausionensem, qui nunquam homagium Gallo præstiturus sit, sexaginta amplius florenorum millia annui reditus in ea provincia amissurum. Ad quæ Diestius; optime sibi consulturos fuisse Hispanos, si conditiones mature acceptassent. Tunc enim Lutzenburgum servari potuisse. Nunc id perire, non accepta a Gallo cautione, nil ulterius ab eo prætensum iri. Idem nunc contingere, quod de libris Sibyllinis traditur; quorum reliquiæ eodem pretio, quo integri haberi poterant, emtæ fuerunt. Fagelius contra: Se quidem satis perspicere, si pax, aut induciæ hoc modo per improbas artes malorum civium conficiantur, id Arausionensis autoritati apud exteros non parum detracturum. 1684. Apud prudentes tamen ejusdem gloriam per consilia sibi semper constantia magis illustrandam, ac cives, ubi sana mens redierit, sero questuros, quod per falsa blandimenta, aut intempestivam parsimoniam a veris suis rationibus abduci se passi fuerint. Unde quicquid occineretur, iste huic sententiæ obnixe inhærebat; se nunquam suasurum, ut Hispani deserantur, utcunque res cadat. Sæpissime Belgas pœnitentiam Neomagensis pacis subiisse; ac si nunc altera vice fœdifragi fiant, neminem deinceps in hac Republica fiduciæ quid reponere posse. Contra Diestius testabatur; e Principibus Germaniæ Electoris maxime interesse, Belgium Hispanicum servari; ad quem finem etiam quantum in se opis sit collaturus, & quæ eo nomine convenienda sint, eorum evictionem cum aliis præstiturum. Id tamen non perspicere, rationes Germaniæ utique cum iis provinciis combinandas, ac ob male sanam Hispanorum pertinaciam Imperium tanto periculo exponendum, simul inducias Germaniæ ex iis, quæ nunc in Belgio ineundæ sint, suspendendas. Sed his omnibus reluctabantur Hispani, qui Arausionensi subinde inculcabant, facta pace hæc tria certo secutura: scilicet militiam numeris imminuendam, ac præcipue eas legiones exautorandas, quæ maxime ipsi obnoxiæ sint. Tum & rationes exactum iri tributorum superiore bello sub ejusdem directione exactorum. Denique & censuræ subjectum iri, quæ ipse in Geldria, Transisalania, & apud Ultrajectinos disposuerit, omnibus ad priorem statum revocatis. Id quod ipsi majori damno sit futurum, quam omnia adversa, quæ ex bello metuenda sint. Amstelodamenses contra querebantur, quod cum exitium patriæ ante oculos versetur, membra tamen suæ Reipublicæ permoveri non valeant, ut imminentia mala per acceptatas Galli conditiones avertant. Anglum, si maxime velit, non esse in eo statu, ut ista impedire possit. Ita salutem suam unice placito, ac magnanimitate Galli inniti, fragili sane fundamento, quod regia laus credatur de alienis certare, ac aviditas ipso successu irritetur.

§. 129. Inter diversa isthæc studia tamen indies magis prævalebant, qui inducias volebant, non paucis quoque Electoris autoritate motis. Ac in eo jam negotium maxime hærebat, quod aliqui res Boreales, ac Arausionensis peculiaria commoda isto tractatu comprehendi vellent. Sed de istis Amstelodamenses censebant; suam Rempublicam non teneri litem Gottorpiensem suam facere. Sed Arausionensis res Gallus tractatui inseri nolebat; etsi Avauxius confirmaret, Regem Electoris commendationi locum daturum, ac ejus intuitu plura facturum, quam ad quæ per tractatus obligare se velit. Ast in consessu Ordinum Hollandiæ acriter primo inter Amstelodamenses, & Fagelium disceptabatur, utrum per unanimia suffragia, an per majorem partem concludendum sit? Ubi cum posterior sententia pervicisset, sedecim suffragiis decernebatur, oblatas a Gallo conditiones acceptandas; *Belgæ demum in inducias inclinant.* *6. Jun.*

1684. das: sed tres contradicebant, Equester ordo, Roderodamum & Medenblica. Et cum Avauxius post captum Lutzenburgum declararet, Regem non obstante hac victoria prætensiones non ulterius porrecturum; spes gliscebat tam Belgas, quam Hispanos mox manus daturos. Igitur ea animorum inclinatione usus Elector circa Borealia negotia demonstrari jubebat; tranquilla adhuc eo tractu omnia, ac Gallum utique Borealium nomine circa ipsorum negotia iisdem insciis, & non consentientibus nil promittere, aut ad quid obligare se posse. Si per ista intelligantur controversiæ, quæ inter quosdam eorum peculiariter versentur, super istis prius inter eos, quorum interfit conveniendum; ad quod non parum temporis requiratur. Unde quæ super Borealibus negotiis moveantur, non alio spectare, quam ut induciæ extrahantur, aut plane eludantur. 10. Jun. Sed & Gallus Gottorpiensi causæ se miscere nolebat. Ita demum in consessu Ordinum Generalium decernebatur, ut Hispani ad acceptandam Gallicam propositionem permoveantur; & ab *Associatis* postulandum, ut idem faciant. Anglus quoque impense ad transactionem hortabatur, non sine minis, ac sponsionem suam offerebat. Et cum Hispanicus minister Castello-Moncayus recalcitrare non desineret, in Consessu Ordinum statuebatur; Rempublicam per oppositionem fœderatorum, ac ob eorum emolumenta impediri non posse, quo minus in conditiones ab Avauxio propositas transigat. Adesse quoque sufficientes rationes, queis Hispanis demonstrari queat, eas conditiones pro captu temporum recusari non posse. Quin si Hispani præter spem ad transactionem permoveri non possint, Reipublicæ fas esse super propria securitate cum Gallo convenire. Quo cuneo quam maxime Hispanorum pertinacia frangebatur. Inter istam negotiationem Arausionensis in Brabantia aberat, quod nullam ejus partem tangere vellet. Fagelius quoque a provincia Hollandia veniam impetrarat, ut eidem se negotio subtrahere integrum foret. Ac dicebat idem; Electorem utique non postulaturum, ut Princeps coram Gallo in genua se submittat. Eum jam ante diem XX Maji circa privatas suas res omnia ex placito obtinere potuisse citra Electoris, aut cujuspiam alterius operam, si tantum ignaviæ animo concipere valuisset. Ei liberos non esse, in quos alias circa talia forte plus respecturus sit. Circa reditus suos, quos e bonis in Lutzenburgica sitis perceperit, nec minus circa bona in Burgundia, sexcentis millibus florenorum taxata, quæ eidem erepta Isenguiano Principi Galli addixerint, hæredibus suis curæ futurum, qui Electoris filii fore præsumantur: titulum & prætensionem neminem ipsi adimere posse. 27. Jun. Demum tractatus absolvebatur; ac Gallus sex septimanarum spatium concedebat, intra quod Imperium, & Hispani conditiones acceptare possent. Interim nil hostilitatis in Belgio exercendum: Gallicas tamen copias non prius provinciis Hispanicis deducendas, quam Hispani inducias acceptarint. Dicebant Belgæ; se in hoc negotio ad Anglum & Electorem plurimum respexisse. Conditiones paulo meliores potuisse obtineri, ni *Associati* negotio se abstinuissent, ac adducto in austeritatem vultu operæ pretium se facturos credidissent. 1684. Inprimis Grana verborum asperitate indignationem testabatur, ac infamem conventionem increpabat. Tum ab Arausionensi postulabat, ut Hollandicas copias e Brabantia abducat; quod hæ non sufficiant ad rem ex debito, & dignitate gerendam, eoque haut necessum sit, ab istis reliquias exhaustarum provinciarum comedi. Ast contra disserebatur: parcius bilem Granæ evomendam, velut qui omnium harum calamitatum autor sit: qui inter alia sinistre acta non nisi quindecim centuriarum præsidium Lutzenburgo imposuerit, quod minimum quatuor millibus firmari debuerat; ac vicissim Namurcum, & alia loca milite stipaverat, quæ Gallus velut limite Belgico per pacem Neomagensem sancito comprehensa invadere ausurus non fuerat. Et vix bonis artibus quæsiti credebantur quatuor aut quinque milliones, quos paucos intra annos gubernationis Belgicæ corraserat. Aliqui etiam cavillabantur, quod cum antea tantum vigoris ostenderit, nunc ducta formosa uxore animo ac corpore langueat.

§. 130. Initio transigendi a Belgis facto reliquis tantum non necessitas sequendi imponebatur. *Ratisbonæ super induciis acta.* Sane Ratisponæ hactenus id negotium frigide tractatum fuerat, donec demum procuratoria inter Cæsareos Commissarios, & Gallum permutata forent. *9. Febr.* Inde a Verjo scriptum hoc sensu exhibitum. *3. Mart.* *Etsi Galliæ Rex e suorum exercituum numero & fortitudine, e munimentorum dispositione ac firmitate, e fœderatorum suorum constantia, ac viribus, & ex omnis paratus bellici copia & ordine nil non sperare possit ac debeat: cum tamen oblatis armistitii ad viginti, aut amplius annos cum Imperio stabiliendi conditionibus non modo non recedere, sed & Hispanis inducias ad idem tempus indulgere velle pro omnibus ditionibus, quas ubicunque terrarum possident, aut si in eo bello quod indixerunt, utique persistere velint, saltem pro Belgicis eorum provinciis, ut omnis tumultus bellicus longe ab Imperio absit, ejusque fines armorum strepitu minime turbentur. Eundem tamen sibi omnia sua jura, eaque persequendi plenam facultatem usque ad conclusionem tractatuum reservare.* Huic propositioni quam maxime adversabantur Hispani, qui tamen nuper orbi ludibrium debuerant inani clarigatione, cum nec propriis viribus valerent, nec de fœderatorum auxiliis cautum foret. Ac ea sibi spe blandiri fuerant, ob injurias sibi illatas non posse non ab universis arma in Gallos arripi. Ast postquam in rem præsentem veniendum erat, nemo *Associatorum* erumpendi initium facere velle, sed unus alium circumspectare, promissa sua conditionibus circumscribere, aut interpretari, pecunias aucupari, periculum in alios devolvere. Ac illi ipsi *Associati*, & quæ ab his agitabantur media consilia, fere intra verborum atrocitatem consistentia, in causa erant, quod Hispanorum res vado adhærescerent; qui ante periculum magnifice crepaverant: post ubi manus rei admovenda esset, tergiversabantur. 14. Mart. Cæterum postquam Electorale Collegium decrevisset,

1684. ſet, oblatas in viginti annos inducias acceptandas, de guarantia Circuli Burgundici moveri cœpit. De qua iſthæc Electoris erat ſententia: ob Clivicas ditiones ſua plus, quam cujusvis alterius intereſſe, eum Circulum ſervari; eoque optare, iſta quoque parte Imperium integrum perſiſtere. Nondum tamen quempiam e primariis Ordinibus cenſuiſſe, ideo novum in bellum cum Gallo deſcendendum. Nam Germaniæ ob nondum ceſſans a Turca periculum, ac inteſtinam diſcordiam non modo vires deeſſe tutando tam prave inſtructo Belgio; ſed & orto bello reliquos Ordines, qui Imperio arctius innexi ſint, in evidens periculum præcipitari. Hiſpanos quoque nulla cum Imperio communicatione in Belgio Gallis bellum indixiſſe, ſic ut illud haut teneatur ſtolida illorum conſilia ſequi, & in par cum iſtis exitium ruere. Potius ab Imperio Hiſpanis ingerendum, ne prave conſulto agendi modo eum Circulum aleæ exponant, ſed potius, cum in præſens armis nequeant, acceptatis induciis ejus reliquias in tuto collocent. Equidem optandum eſſe, non ſolum poſt Neomagenſem pacem ablata, ſed & alia omnia Germaniæ, & Belgio decerpta recuperari poſſe. Vix tamen ſperandum, hac tempeſtate alia lege, quam communi induciarum, *uti poſſidetis*, concluſum iri. Unde ferendum, quod in præſens corrigi nequeat, & a mutatione temporum medicinam expectandam.

Bavarus in inducias eſt pronus. §. 131. Inter iſta præſentium rerum conſideratio Bavarum quoque permoverat, ut inducias utique amplectendas cenſeret. Quo nomine is literas ad Electorem dabat hoc argumento.
1. April. *Quanquam Turca hoc anno omnes ſuas copias contracturus ſit; ſat tamen virium eſſe eidem repellendo; ac ſe ipſum in Hungariam iturum, modo pax inter Chriſtianos conſtituta ſit. Sed quia merito cuique ante omnia de rebus ſuis domi in tuto collocandis curandum ſit, antequam ad aliena pericula averruncanda ſe accingere queat, ſeſe apud Cæſarem enixe inſtitiſſe, ut quamprimum ad pacem, aut inducias procedatur. Cæſarem ſatis periculum perſpicere, ac non ſolum ipſum proclivem eſſe ad amicitiam cum* Gallo *colendam, ſed & apud alios operam circa pacem navaturum. In præſens autem negotium in eo adhæreſcere, ut defectus in ablegati Gallici procuratorio emendentur, & pro more in Imperio recepto per ſolenne SCtum ad Cæſarem referantur, quibus legibus, & quamdiu induciæ ſint ineundæ. Ad quod Cæſar pro captu decretum ſit formaturus; & confidat, Imperium ultro de ſua dignitate, & ſecuritate ſolicitum fore. Quia tamen negotium* Ratiſponæ *tarde procedat, conſultum ſibi viſum ad conventum Hagam mittere, non ut aliquid ibi nomine Imperii ſtatuatur, ſed ut res duntaxat ibi præparetur. Aſt ſe judicare, ad ſummam rerum plurimum facturum, ſi cautela in poſterum adornari, ac velut conditio tractatuum ſtabiliri poſſit, ut plus fiducia in his, quam hucusque initis pactis collocari queat; ne qui amore boni publici præter obligationem jacturam patienter tolerarunt, deinceps cujusvis invaſioni obnoxii maneant. Unde ſibi videri, protinus publicam in Imperio militiam LX M bellatorum conſtantem parandam, quo nunc concludendi tractatus ſolide defendi queant.* Nec id Gallo adverſari *poſſe, qui declararit, Imperio integrum eſſe evictionem adornare, utcunque velit. Eoque decreto Imperii cavendum, ut qui durantibus induciis communem tranquillitatem quocunque prætexto turbare audeat, eo ipſo hoſtis Imperii habendus ſit. Quia etiam duraturam quies ſperari nequeat, niſi induciæ ad omnes porrigantur: igitur ſe rogare Electorem, ut circa utrumque operam navet. Nam ſi Gallo injuſte occupata utique relinquenda ſint; ſaltem Germaniæ ſolidam inde ſecuritatem præſtandam; quo Turcæ ſontica plaga inferri queat; cujus egregia occaſio allubeſcere videatur, ac circa quam ipſe omnes vires exſerturus ſit.* 1684.
Ad iſta Elector: *Generoſa, ac ſolida Bavari conſilia magna ſibi voluptati eſſe.* 26. April. *Se quidem hactenus ſuſpicionibus immerito oneratum, quibus neque officia Cæſari ac patriæ præſtita, nec perſpectum in ſalutem reipublicæ ſtudium liberare ipſum potuerint. Sed ſincero ſe animo, ac corde confirmare poſſe, nemini ſe honeſta intentione cedere, nec ullam obligationem, ullosve reſpectus habere, qui patriæ ſaluti, ac libertati vel minimum officere queant. Sane e conſervatione Imperii ſuæ quoque domus, ac ditionis incolumitatem pendere, & cum iſta ſtare, aut cadere. Huic fundamento omnia ſua conſilia, omnia acta inniti; quæ ipſe ita digerere ſtudeat, prout præſens rerum ſtatus in Germania, & apud vicinos ferat: non autem uti alio tempore, ſi intus concordia, extra pax foret, eſſe queat. Se quippe experiundo didiciſſe, rempublicam non per deſperata conſilia, etſi prima fronte ſpecioſa, ſed per tuta, rationi congrua, ac temporibus accommoda remedia ſervandam. Cæterum a ſe probari, totis viribus rem in Turcam agendam: ac Bavari generoſa deſtinata ſummam laudem mereri; ac optandum ſibi eſſe, ſi canos ſuos pro ſalute orbis Chriſtiani immolare queat. Enimvero recte judicare Bavarum, cum alterutro hoſtium utique tranſigendum, cum utique eodem tempore pares non ſimus. Spem ſibi eſſe Cæſarem ſalutaribus Bavari conſiliis aurem daturum, & ſtabilita inter Chriſtianos populos quiete glorioſa, & victricia arma Turcæ illaturum, ac tam egregias ditiones, ſub hujus jugo gementes, eidem iterum ſubtracturum; ad quod a multis retro ſeculis haut ſolidior ſpes, quam in præſens, affulſerit. Obſtacula, quæ moventur, tanti non eſſe ad opus tam neceſſarium remorandum. Defectus procuratorii facile corrigi poſſe. Solenne Senatusconſultum præſenti Ratiſponæ ſtatu vix intra vertentem annum ſperandum. Stare nunc Germaniam in præcipitio exitii ſui; & cum de pace, ac bello, in quibus ejus ſalus vertitur, noctes, dieſque conſultandum ſit, tanto tempore deliberationes in Senatu Principum data opera inhibitas fuiſſe. Jam quoque Collegii Electoralis præcipua jura ſolicitari, quaſi nunc tantum ab externo periculo otium ſit, ut primarias Imperii columnas ſubvertere, & ruinam patriæ a ſupremis membris auſpicari conveniat. Quæ Hagæ cuſa fuerit, formulam ſatius eſſe æterno ſilentio ſepeliri. Sane quamdiu Imperium ſteterit, non auditum, de graviſſimis ejus negotiis, nullis ab hoc mandatis, quin plurimis Ordinibus contradicentibus, ejusdem tamen nomine tractari. Talia ſi tolerentur, de juribus Ordinum, ac fundamentis ſtatus publici actum eſſe. Evictioni præſtandæ ſe paratum, ac eam utique neceſſariam judicare. Operam quoque, ut de perpetua militia expediri poſſit, antequam induciæ concludantur. Sed in præſens id ſuo*

1684. *judicio fieri non posse, ac merito timere, ne hoc prætexto incendium per Germaniam, & passim erumpat. Eo de negotio aliquot per annos Ratispona nullo fructu disputatum; ac si maxime reliqua omnia expediantur; quando ad liquidum deducendum, penes quem supremum imperium in publicum istum exercitum esse debeat, quod Cæsar sibi deposcit, reliquis facile capientibus, quantum per id e libertate petatur? Gallum quoque magno fervore rem gerere, cujus progressibus sistendis ne momentum quidem negligendum sit. Iste si senserit Imperium inducias non probare, nisi paratis armis, eos conatus præventurum, magno cum malo Rheni accolarum. Alias se quoque censere negotium de securitate publica quantum possit absolvendum; hautquidquam tamen ex ea conditione pacem, aut inducias suspendendas. Gallum quoque offerre, se cum Hispanis transacturum; nec aliud restare, quam ut hi conditiones accepent, circa quas stolide tergiversentur, cum nulla facultas sit meliores nanciscendi. Unde rogare se, ut Bavarus patriæ subvenire velit per ea remedia, quæ sola supersunt.* Testem sese excitare Deum falli nescium se nullas externas utilitates, se unice salutem Imperii præ oculis habere; nec aliam se viam servandi patriam durante adhuc bello Turcico nosse, quam inducias occupare. Ac utcunque res cadat, saltem se pectus patriæ fidum, cujus per quadraginta quatuor annorum regimen luculenta specimina dederit, illibatum sepulcro illaturum.

Ratispona jam propius ad rem acceditur. §. 132. Enimvero exitiabiles moras demum abrumpebat obsidium a Gallis Lutzenburgo circumpositum. Eam urbem a Gallo peti Hispanis dudum constabat, ac sibi idoneas vires ei liberandæ haut suppetere. Nec tamen placebat ejus expugnationem acceptatis induciis prævertere, inani spe sibi illudentibus, non posse non ab universis Europæ populis ad arma in Gallum vertenda concurri. Austriaci quoque, cum deliberationes in Senatu Principum ultra semestre inhibuissent, nunc subigente periculo tam insignis urbis incassum trepidabant. *29. Maji.* Ac Cæsar Electorem per literas hortabatur, ut ei urbi liberandæ cum aliis subvenire velit. *1. Jun.* Cui ab hoc responsum: satis sibi compertum, quanti momenti iste locus sit. Unde se mense Martio, cum Gallus optionem inter Lutzenburgum, & Cortracum, atque Dixmudam Hagæ proposuisset, enixe suasisse, ut horum oppidorum, quæ jam in Galli manibus erant, jactura Lutzenburgum redimeretur; præsertim cum Avauxius tunc Diestio confirmaret, Regem æquas conditiones admissurum, per quas ei loco deinceps cautum esse possit. Enimvero hoc ipso tempore, quo Cæsaris literæ adferantur, nuntios deditam eam urbem ferre, ut ne spatium quidem ad deliberandum fuerit. De cætero propemodum se erubescere totiens ingesta repetere. Tamen non modico sibi dolori esse, fidam suam pro patria curam ita sinistræ interpretationi obnoxiam, quasi ipse Gallo contra Imperium studeat. Ast quanta sibi injuria fiat, rem ipsam nunc clare nimis docere; ac metuere, ne suam solicitudinem funestior eventus comprobet, ac induciis dilatis totus Rhenus cum Mosella idem fatum cum Lutzenburgo subeat. Nec minus Bavarus, quem & ipsum Cæsar ad succurrendum Lutzenburgo excitaverat, tanto cum pondere præsentem rerum conditionem demonstraverat, ut Cæsar non solum suo, & Imperii nomine declararet leges induciarum a Gallo propositas pure acceptatum iri, sed & se Hispanos ad eas amplectendas permoturum, modo induciæ ad omnes porrigantur. 1684. Igitur Bavarus ab Electore petebat, apud Gallum officium interponat, ut is juxta totiens repetitas promissiones inducias universales faciat; utque Elector sponsionem suam addat, eas servatum iri. Elector responso suo Bavari operam apud Cæsarem navatam laudabat; ac optandum fuisse, prius id factum, ac Lutzenburgum servatum. Forte & tunc Genuam a globis ignivomis tempestatem haut fuisse sensuram. Ac eo magis omnes moras amputandas, quod Gallus jam postulet, exteriores munitiones Trevirorum urbi dejici, fossasque impleri, aut se missurum, qui id faciant; idemque Coloniæ & Confluentibus minetur. Ast ista in Treviros tentata, ut omitteret Gallus, Elector serio admodum ad ipsum scribebat. Alias eundem adversæ parti ansam daturum dicendi, ipsius promissis nil fidei adhiberi posse. Sibi quoque per conscientiam fas non esse ad ista ausa tacere.

Circa adornandas inducias satagitur. §. 133. Cæsar porro, ut de studio suo in inducias fidem faceret, literis de eo apud Electorem testabatur, idque ut in Gallia commendaret petebat, ac ut præfixæ Hagensi tractatu sex septimanæ aliquantum prorogentur, *19. Jun.* quod per indolem Reip. Germanicæ tanti momenti negotium tantillo tempore adornari non possit; aut si intra id spatium istud absolvi non potuerit, ne Rex statim in hostilia erumpat. Qui eas literas attulerat Caspar Florens Consbruckius proponebat; *Consbruck.* ut Elector operam impenderet, quo Lutzenburgum, (quod tanti momenti sit ad libertatem Cæsareæ electionis,) pro Cortraco & Dixmuda reddatur, aut munitionibus exuatur. Tum ut induciæ universales sint, ac complectantur omnes Cæsaris ditiones, decem Imperii Circulos, omnes Imperii vasallos & subditos, omnia Hispani Regna ac ditiones, & quæ inde pendent, Cæsaris juxta, & Galli fœderatos, Borealia Regna & Italiam. Quod alias bellum contra Turcam tota vi geri non possit, si nil aliud quam arena belli mutetur. Denique ut Elector evictionem induciarum peculiariter suscipiat. Ad quæ Elector: *Sibi haut spem esse demolitionem Lutzenburgi obtinendi, postquam Belgæ cum Gallo transegerint, addito promisso, se Hispanos ad acceptandas eo tractatu expressas conditiones pro virili permoturos. Unde inducias ex ea conditione haut suspendendas, quod metus sit, ne Gallus omni vi in Germaniam versa Rhenum occupet, antequam subveniri possit. Ut induciæ ad universos porrigantur se optare. Sed utique necessum esse, ut Hispani inducias prius amplectantur. Evictionem se suscepturum, in quascunque leges Cæsar velit. Cupere quoque, ut securitas Imperii non sexaginta millibus militum duntaxat, sed universis ejusdem viribus firmetur. Sed non necessarium esse, ut induciæ differantur, quoad id negotium absolutum fuerit. Illas præcedere debere, hoc statim sequi. Circa Treviros nil aliud remedii esse, quam inducias accelerare.*

Alias

1684. *Alias tantum abesse, ut ipse suis consiliis Galli potentiam augere quaesierit, quam ipse si quisquam mortalium horreat, ut unice id spectaverit, & adhuc spectet, quo incrementa istius potentiae per tractatus sistantur, cum per vim id obtineri posse per malignitatem temporum sperandum non fuerit. Enimvero tandem aliquando serio rem aggrediendam, aut tractatus abrumpendos, quod frustra sit circa conditiones, quae obtineri non possunt, se fatigare.* Ac sane Gallo haut placebat dictam diem prorogare, sed fortioribus remediis uti conclusioni accelerandae, jussis legionibus limitem versus progredi. Sed & displicebant, quae Ratisponae jactabantur de publica Imperii militia post conclusas inducias constituenda. Ac dicebat Croissius; Regem quidem Imperio nil praescribere posse. Sed si perpetuus in Germania miles formetur, Regi necessum fore, ut & ipse armatus stet: cum contra id beneficium per inducias speraverit, ut magnam partem suarum copiarum exautorare liceret. Ac facile ad manus perveniri posse, si utrinque tantae copiae sub signis sint. Demum & Hispani in inducias consentiebant, id quod huc usque Dux Medinae Coeli impedierat; qui & Regi omnes sinistros successus, ac amissum Lutzenburgum celaverat: quem demum duae Reginae sua statione dejecerunt.

4. Jul. Ratisponae quoque Principes cum Electoribus in eandem sententiam conspirabant, inducias in viginti annos conditionibus a Gallo propositis admittendas. Multi e Principibus Gottorpiensem causam induciis comprehendi volebant, ac ut Suecia, ac Italia nominatim iis exprimeretur. Sed Gallus negabat opus esse easdem ad Borealia Regna extendi, quod ipse Gottorpiensi se causae miscere nolit. Ac plerique censebant, satis esse Suecorum provincias Teutonicas includi; quod Borealia Regna inter se bellum gerere, ac pacem

21. Jul. facere soleant inconsulto Imperio. Quanquam autem demum communi trium Collegiorum SCto de acceptandis induciis decretum esset: undique tamen graves stimuli adhibebantur, ne id negotium ulterius protraheretur. Ac Pontifex quoque, ut id perficeretur, impense instabat, quod bellum contra Turcam continuari cuperet. Simul Bavarus ad instans Budae obsidium copias in Hungariam tuto ducere se posse negabat, nisi factis induciis. Tum vero Verjus denuntiare; Regem uti-

1. Aug. que Augusto mense colophonem tractatibus imponi velle, cui grave sit per incerta tantos exercitus alere. Alias eum copias ad Rhenum adducturum, & belli cupidos investigaturum, quod infinitarum dilationum taedium eundem ceperit. Ac ni intra octiduum ad rem accedatur, se jussum non amplius ad Regem scribere, sed ad Schombergium Mareschallum, qui cum XXX M equitum in Alsatia in procinctu stabat. Quae & res Electorem vehementer perturbabat, quod id conventis cum Gallo repugnaret, qui promiserat nil se susceptu rum, nisi consilio prius cum ipso collato; eoque impense rogabat, ne ad infensa rueret. Ita de-

5. 15. Aug. mum formulae induciarum concinnandae manus serio admovebatur, quae brevi ante mediam noctem, cum tempus a Gallo praefixum jam jam elapsurum esset, absolvebatur ad exordium usque, &

7. 17. Aug. subscriptionem, quae biduo post addita, difficultatibus super cerimoniis ad finem negotii usque gliscentibus. Ne inter extrema adhaeresceret negotiatio, Comitis Amadei Windischgraecii industria multum conferebat. Circa verba induciarum, queis pax Westphalica stabiliri dicebatur, Elector monebat, ea fraudi non esse debere iis, quae pace San-Germanica immutata erant circa litus Orientale Oderae, ac vectigalia Ulterioris Pomeraniae. Ratihabitiones 8. Sept.

quoque hinc inde traditae, & a Gallo quidem peculiare quoque instrumentum ratihabitionis pro Imperio exhibebatur. Id quod Caesarei admodum aegre ferebant, causati; Caesarem suo & Imperii nomine tractasse, eoque peculiari ratihabitione pro Ordinibus opus non esse. Quod tamen Ordinibus secus videbatur; & quod factum erat, infectum non fiebat. Sane quia inter alia obstacula tractatuum Ratisponae fuerat, quod Caesarei concedere nollent, eos nomine Caesaris & Imperii simul peragi; eo ipso autem Electorum praerogativa, ac jura Ordinum imminuebantur, recenti quoque exemplo pacis Neomagensis, ubi Caesarei itidem nulla cum Ordinibus communicatione concluserant: igitur Elector Collegas, ac reliquos Ordines monuerat, ut jura sua obnixe tuerentur. Iis induciis Belgae non exprimebantur, qui & id non desideraverant. Ast Boreales Reges, cum Anglia, ac Polonia nominari Electori haut displicebat; quod ejusmodi inclusio fere honoris gratia fiat, modico, aut nullo effectu; & quo Imperium haut stringebatur orituris apud istos litibus se miscere. Ejus pacti evictionem Gallus apud Moguntinum, & alios peculiariter quaerebat. E- 4. Nov.

lector quoque ad eandem praestandam Gallo se obligabat; hoc vicissim per solenne instrumentum promittente, se hunc tractatum per omnia citra ullam contraventionem quocunque modo factam servaturum. Qui & peculiari instrumento Electori cavebat, se ipsum & alios, qui ad promovendos eos tractatus operam navarint, indemnes praestituros, si eo nomine iisdem molestiae quid intentetur. Ast Elector Germaniae solidissimam cautelam judicabat, si validi exercitus in promtu sint. Quo fine monebat, par esse, ut quia inermes Ordines publica quiete fruantur, ipsi ad alendas armatorum Ordinum copias aliquid conferant. Simul offerebat, se firmandis induciis numerosum exercitum paratum habiturum, modo Caesar inermibus Ordinibus cis Albim sitis imperet, ut ad eum alendum aliquid contribuant. Circa quod postulatum Caesarei multos scrupulos movebant. Eos Ordines omni modo se opposituros, nec tributariam conditionem induciarum praesenti tempore subituros. Nec Caesarem invitos cogere posse. Luneburgicos quoque id non toleraturos. Et quia Electori numerosior, quam pro pacis tempore, miles sit, praestare, ut ejus partem exautoret. Ita suspicionem, & alias difficultates ultro expiraturas. Demum eam rem ad comitia, & conventus Circulorum rejiciebant, ac ut Elector ipse Ordines ad aliquid conferendum persuaderet. Etsi plerique eo ingenio erant, ut subdola quiete frui pro solatio haberent, futurorum securi. Caeterum subinde querebantur Caesarei, sese ad inducias fuisse coactos, Gallo tam lucrosas, qui tamen eas non

 diutius

1684. diutius servaturus sit, quam sibi expedire judicaverit. Verius contra statim post ratihabitas inducias Ratisponæ urgebat, ut delegati regundis finibus designarentur, tum & qui plenam pacem tractaturi sint; de qua Gallus quamprimum Ratisponæ agi cupiebat. Scilicet quod judicaret, Cæsarem & Imperium per eandem temporum iniquitatem, quæ in inducias consentire subegerat, compelli quoque posse, ut per pacem in perpetuum cederent a Gallo post Neomagensem pacem intercepta. Cum contra Cæsarei tanta festinatione haut opus censerent. Eam ipsam enim ob causam inducias magis, quam pacem placuisse, ne Imperio necessum foret in abdicationem tam insignium ditionum, nullo jure a Gallo raptarum consentire; utque isti tantisper jus suum integrum permaneret, forte per conversionem temporum vindicandum. Atque hæc ipsa ratio occinebatur iis, qui absurdum, ac tantum non ridiculum cavillabantur, post pacem inducias fieri: cum alias vice versa ab induciis ad pacem procedi soleat: quin pactum plane induciarum vocabulo venire non posse, quod nullum bellum id præcesserit. Enimvero reponebatur: id non necessarium, ut induciæ pacem præcedant, cum sæpe a bello ad pacem, nullis intermediis induciis perveniatur. Revera autem pacem fuisse abruptam intercepto Argentorato, & tot regionibus, inani licet juris prætexto raptis. Cui injuriæ cum arma opponere tempora Germaniæ tunc non tulerint, nec in ista loca jus cedere placuerit: sistendis utcunque istis grassationibus ad istud pactum fuisse descensum, per quod conventum fuerit, ut per viginti annos res in præsenti statu relinqueretur, salvo tantisper Imperii jure; quæ peculiaris induciarum indoles est.

Instrumentum induciarum.

§. 134. Ita autem Instrumentum Induciarum habet. *In nomine & ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti. Notum sit universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest. Dum pro complanandis differentiis, quæ circa executionem pacis Noviomagi Geldrorum d. V. Februarii anno 1679. inter Serenissimum, atque Potentissimum Principem, ac Dominum Dominum LEOPOLDUM primum Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum (t. t.) Sacrumque Rom. Imperium ex una, & Ser. atque Pot. Principem ac Dominum Dominum LUDOVICUM XIV Franciæ, & Navarræ Regem Christianissimum ex altera parte, conclusa intercesserunt, stabiliendaque tam dicta Noviomagensi, quam anteriore Westphalica pace amicabilis ulterior tractatus Francofurti ad Mœnum institutus quidem fuerit, sed ad exitum perduci non potuerit. E re autem communi esse visum fuerit, eundem nunc Ratisponæ resumere, quo tranquillitati, & securitati non tantum S. Rom. Imperii, sed etiam totius Christianitatis maxime nunc periclitantis, vel per pacem vel armistitium consulatur. Quod ad hunc tam salutarem finem obtinendum alte memoratæ S. Cæs. Majestatis ad Imperii Comitia Commissarii veluti plenipotentiarii constituti, & electi fuerint, ut juxta conclusum comitiale d. 13. mensis Januarii anni proximi præterlapsi S. Cæs. Maj.te adprobante, factum, S. Cæs. Maj. ac S. R. Imperii nomine tractent, concludantque. Ex parte vero alte memorata Sacra Christianissima sua Maj. ad hoc negotium tractandum, & terminandum deputatus sit infra nominatus plenipotentiarius regius. Hi ergo utrinque constituti plenipotentiarii convento tempore & loco comparentes in mutuas armistitii, sive induciarum leges consenserunt tenore sequente. I. Sacra Cæs. Maj. & Imperium consentiunt in armistitium XX annorum a die ratihabitionis computandorum, idque amplectuntur iis ipsis induciarum conditionibus, ex parte S. Christianissimæ Maj. per ejusdem plenipotentiarium apud Imperii comitia existentem hoc in loco antehac oblatis eo modo, quo in subsequentibus articulis plenius declarantur. II. Cum hujus armistitii basis, & fundamentum sint pacis Westphalicæ, & Neomagensis instrumenta, eadem in suo vigore remanent eum in modum, ac si hisce pactorum tabulis inserta essent. III. Juxta hoc ita receptum armistitium sit vera sinceraque amicitia, mutua, bonaque correspondentia inter Cæs. Maj. & totum Imperium ex una, & S. Christianissimam Maj. ex altera partibus, adeo ut ex nunc nulla specie juris, aut via facti nullis hostilitatibus, reunionibus, vindicationibusque, nullo etiam recuperandorum jurium prætextu, nulliusque alterius rei causa directe vel indirecte turbari queant. IV. Ideo durante hoc XX annorum armistitio S. Christianissima Maj. permaneat in libera, quietaque possessione civitatis Argentinensis cum fortalitio Kehl, aliisque munimentis inter urbem, dictumque fortalitium sitis, & constitutis, Rhenoque adjacentibus, ut & omnium quarumcunque ditionum & locorum, quæ usque ad d. 1. Augusti 1681. vigore sententiarum tribunalium Metensis, Brisacensis, & Vesontini in Imperio occupata sunt. V. Exerceat quoque S. Christianissima Maj. in iis locis ita retentis libere, & absque ullius contradictione jura superioritatis, supremique dominii, neque licitum sit cuiquam alte dictam S. Maj. Christianissimam in isto jurium suorum exercitio ullo modo turbare. VI. Restituet vero S. Christianissima Maj. Imperio omnia illa loca, quorum possessionem post d. 1. Augusti 1681. sibi vindicaverit; idque absque ulla reservatione, adeo ut nihil quidquam in iis locis ita restitutis durantibus induciis sive retinere, sive ulla ratione prætendere possit aut debeat, exceptis tamen semper urbe Argentinensi, & omnibus fortalitiis ad istam spectantibus, de quibus art. IV. præce-*

1684. præcedenti conventum est. Si quid vero sine autoritate dictorum tribunalium Metensis, & Brisacensis, ut & Vesontini, quod ad Imperium spectaret, & quod aliunde ad Regem Christianissimum non pertineret, ante d. 1. Augusti 1681. tantum nuda & simplici via facti occupatum esset, id quoque S. Christianissima Maj. restituet. VII. Si quid etiam in unius vel alterius partis territorio ad alteram partem, vel ejusdem subditos pertinens per modum repressaliorum arrestatum fuerit, utrinque relaxabitur. VIII. Rex Christianissimus relinquit dominos proprietarios, eorumque hæredes successores, ac quoslibet, qui eidem juramentum fidelitatis sive per se, sive per alium nempe procuratorem præstiterunt, in suo statu, & plenaria perceptione fructuum ad loca reunita proprie, & non ad superioritatem spectantium, ut & exercitio in Ecclesiasticis, & Politicis; prout Instrumentis pacis Monasteriensis, & Neomagensis dispositum est. Restituet non minus supra dicto modo eos, qui adhuc juramentum fidelitatis præstabunt, sive in contumacia hactenus fuerunt, sive non, & si quæ hactenus in contrarium facta fuere, in pristinum statum non minus reponantur, ac ipsis, & quibuscunque locorum reunitorum incolis ubicunque morantibus liberum sit sua bona pro lubitu vel per se, vel per alios administrare, aut alienare. IX. Concedit quoque S. Christianissima Maj. omnium locorum reunitorum sive vindicatorum incolis tam Catholicam fidem profitentibus, quam Confessioni Augustanæ aut Reformatæ uti vocatur religioni addictis liberum religionis exercitium, liberrimamque fruitionem atque dispositionem omnium bonorum, decimarum, redituumque omnis generis, tam eorum, quæ ad sustentandos Ecclesiarum rectores, præceptores, ac administratores, quam ad ipsa eorum templa, scholas, ædesque pertinent, cunctorumque aliorum quocunque nomine veniant, nullis exceptis. X. Et quo induciæ istæ eo magis servari possint, neque ullis casibus obnoxiæ sint, statim post hunc tractatum ratihabitum utrinque nominabuntur, instituenturque Commissarii ad limites Imperium inter & Galliam juxta supra denotatam possessionem designandos, ponendosque ubi necesse fuerit finium terminos, ita ut exinde nulla oriri queat controversia in detrimentum armistitii hoc tractatu conclusi; qui Commissarii inter se in id quoque allaborabunt, ut si quid ex altera parte desit vel promissæ restitutioni, vel alias executioni præsentis conventionis plenum effectum sortiatur. XI. Pacis tractatus (quibus finitis hoc armistitium cum omnibus suis hic positis conditionibus cesset) confestim inchoentur, & tempus, atque locus hic determinetur. XII. S. Christianissima Maj. renuntiat ad tempus harum induciarum omnibus, & quibuscunque prætensionibus in Imperium, ejusque Status, membra, & in specie cunctis appertinentiis, dependentiis, connexis protectionibus ita dictis reunionibus, & qui prætextus quocunque modo excogitari poterunt. Renuntiant vicissim ad idem tempus induciarum Imperator, & Imperium supremo dominio, omnique jure superioritatis & protectionis, vel alteri cuicunque, quæ ipsis in regiones, urbes, aliaque loca reunita alias competebant, aut competere poterant. XIII. Durante hoc armistitio libera sint commercia inter utriusque partis subditos, ita ut mercatorum, aliorumque alterutrius nationis peregrinantium tam personis quam rebus apud alterum reciproce plena securitas, & ubi opus sit favor, & auxilium concedatur, neque unquam justitia, & protectio denegetur. XIV. Quod disceptationes civiles, sive processus judiciarios attinet, si inter subditos ejusdem supremi dominii orta lis est, aut in posterum oritur, coram tribunalibus ab eodem domino aut constitutis, aut approbatis, se invicem convenient. Si vero inter subditos diversorum supremorum dominorum contentio nascitur, aut jam existat jus commune observetur, aut actor sequatur forum rei. XV. In hoc armistitii tractatu præter partes hic transigentes Imperatorem, & Imperium ab una, & Regem Christianissimum ab altera parte, adeoque Sacra Cæs. Maj. is regna & provincias hæreditarias omnes quas possidet, ut & omnes Imperii Electoratus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Ducatus, Principatus, Marchionatus, Landgraviatus, Ballivias, Commendas, Comitatus, Baronatus, Dynastias, civitates liberas, Nobilitatem immediatam, vasallos, & appertinentes, in quacunque regione etiam extra Germaniam siti sint, nullo excepto; omnes & singulos Imperii Status, regiones, provincias, territoria, dominia ubicunque sita sint, comprehendantur pacis Westphalicæ consortes, & etiam Rex Catholicus cum omnibus suis regnis & ditionibus. XVI. Super exsecutione, & observatione hujus armistitii contra quamcunque turbationem sive directam sive indirectam omnis, & qualiscunque generalis guarantia inter partes transigentes reciproce & mutuo præstabitur, etiam promittitur, ad eamque aliæ quoque exteræ Christianæ potentiæ omnes generaliter & recipientur, & invitari poterunt. XVII. Præstabunt similiter hanc reciprocam, & communem guarantiam Sacra Cæsarea Majestas & Imperium super illo armistitio quod juxta conditiones a Sua Majestate Christianissima propositus, & a Sua Cæsarea Majestate nomine Regis Catholici acceptatas conclusum, simul atque dicti armistitii tractatus ratificationes permutatæ fuerint, & in eum finem, majoremque efficaciam censebitur dictus tractatus cum Catholico Rege tanquam in hunc Imperii tractatum de verbo ad verbum insertus esset. 1684.

XVIII.

1684. *XVIII. Reservat sibi utraque pars intra tres ab hujus tractatus ratificatione subsequentes menses suos ulteriores includentes ex communi consensu nominare. XIX. Denique dubia & disceptationes super hoc armistitii recessu, aut alias deinceps forsitan oriunda non via facti, aut armorum directe vel indirecte, nec per se, nec per alios, sed amicabiliter secundum Instrumenti pacis Westphalicæ tenorem componantur & tollantur. XX. Inducias hasce hoc modo factas promittit utraque pars in forma debita, solitaque ratihabitum, solenniaque desuper ratihabitionum instrumenta intra spatium unius mensis a die subscriptionis computandum reciproce, riteque commutatum iri. In quorum fidem roburque præsentes manu nostra subscripsimus, ac sigilla nostra apposuimus. Actum Ratisponæ die 15. mensis Augusti 1684.*

Marquardus Episcopus & Princeps Eychstadiensis.

Ludovicus Verjus.

Franciscus Matthias Maij.

Comes de Crecy.

Cum Luneburgicis fœdus ab Electore initur. §. 135. Cæterum postquam Belgæ in inducias consenserant, Luneburgici quoque Duces demum ad eadem cum Electore consilia flectebantur; circa quod hactenus magnopere ab hoc laboratum fuerat. Qui & erga Danum ita se declaraverant, ut is omnes infensas cogitationes contra eosdem deponeret. Unde cum nil Coloniæ superesset quod ageretur, Elector Canitium inde revocabat. Cui valedicenti Argentoratensis testabatur: sibi stare sententiam in futurum a negotiis plane se removeri. Tum Electoris consilia ad patriæ salutem spectantia magnis laudibus extollebat, cui in præsens Germania sui conservationem magna ex parte debeat; & quæ eo tendant, ne Gallus ab Imperio intempestive irritetur, nec ad ordiendum novum bellum moveatur. Ut quoque vicissim res in Imperio ita disponantur, ut Gallus intra limites officii manere necessum habeat. Sibi sane persuasum, in quod Deum & conscientiam testem excitare possit, hac ratione patriæ optime consuli. Eundem quoque semper scopum consiliorum suorum fuisse, utut sinistra judicia eorum sibi toleranda fuerint, qui forte privatas ob rationes Germaniam cum Gallo committere voluerint eo tempore, quo ob bellum Turcicum, & alias notas causas non nisi gravissima calamitas inde sequi potuerit. Honesta sane oratio, si facta fidem addidissent. Interim Berolini inter Electorem, & Luneburgicos Duces fœdus absolutum fuerat, operam accommodantibus inde Francisco Meindersio, & Paulo Fuchsio, hinc Ottone Grotio, & Bodone Obergio. Eo tractatus cum Ernesto Augusto Duce d. 21. Januarii anno 1681 factus renovabatur, ac totam ad Domum porrigebatur. Scopus ferebatur conservatio quietis in Imperio, ac propriarum ditionum tutela. Idem hisce capitibus constabat. *Sint huic fœderi pro fundamento leges Imperii, idque nullius offensam spectet, sed tantum conservationem utriusque jurium, & ditionum, etiam novissima cum Gallo pace quæsiturum adversus quasvis ab aliis intentatas impetiones. Operam utrique dent, ut perfectis induciis tractatus pacis perpetuæ inter Imperium, & Gallum maturetur; inprimis ut super loco, & modo tractatuum protinus conveniatur. Interim a se operam dandam, ut induciarum legibus inseratur, ut Gallus post Kalendas Augusti anno 1681 reunitos Status, & occupata loca, excepto Argentorato, & munitione Kehlana in priorem statum reponat; reunitis quoque Ordinibus suos reditus, & sacra ad normam Westphalicæ pacis relinquat. Induciis perfectis utrique ad guarantiam Imperii concurrant, & contra eum, qui istas violare ausus fuerit, consilia, ac vires socient; alios quoque Ordines Imperii, & exteros Principes, quorum interest pacem servari, pro re nata eodem pertracturi, ac pro viribus enixuri, ut induciarum violator omnia in integrum restituat, ac de damno dato satisfaciat.* Addebatur de mutua defensione utrinque ditionum, ac jurium; *& ut controversia circa limites, & alia huic conjunctioni ne obsint, sed amica ratione, non vi expediantur, congressu consiliariorum instituendo ad consulendum, qua via eadem commodissime componi queant. Sed circa lites, quæ utrisque cum aliis intercedunt, amica duntaxat officia interponant, nisi alteruter vi invadatur, & casus fœderis extet. In negotiis Imperii, & Circuli amice communicent, ac si fieri possit, communia consilia capiant. Hoc fœdere ex parte Electoris non comprehendantur, quæ trans Oderam sita sunt hactenus, ut Duces copias suas eo mittere teneantur. Si tamen eæ ditiones invadantur, Ducum copiæ adhibeantur defendendis terris Electoralibus inter Rhenum, & Oderam sitis. Modus auxilii in præsens definiebatur a parte Electoris II M equitum, IV M peditum, a parte Ducum dimidia pars. Ít numerus ubi non sufficiat, auxilia ad dimidium, aut duplum augeantur. Ea intra sex septimanas a die requisitionis in ditione requirentis sistantur; ut tamen requisitus non teneatur aggressori bellum indicere, sed operam conciliandæ paci navare possit salva auxilii præstatione. Definiebantur inde, quæ ad auxiliorum usum spectabant. Si post inducias turbæ existant, utrique de iis sopiendis consilia conferant. Ubi porro utrique declaraverunt, sibi nulla cum aliis fœdera esse, quæ huic conjunctioni repugnent ita deinceps nulla cum aliis pacta ineant, quæ impletioni hujus fœderis obstare queant. Id in quinquennium duret, ac intra tres septimanas firmetur.* Addebantur articuli secreti. *Hæc rerum faciem omnia, quæ in vicinia aguntur, solicite observent, ac invicem communicent, ac super iis consilia capessant. Etsi propinqua sit spes induciarum, si tamen earum tractationem abrumpi, aut in longum extrahi contingat, ac inde turbarum quid in Imperio existat, utrique capto communi consilio operam, viresque socient, ut Imperii compages servetur, ejusque fines non ulterius imminuantur, inprimis ut Rhenus defendatur, omnesque oppressiones oppositavi avertantur. Curam quoque habeant Bremæ, Lubecæ, & Hamburgi, ac si eas urbes abs quopiam impeti contingat, primo amica officia interponant, quæ ubi nil proficiant, omni vi ad eas servandas incumbant. Elector quoque operam impendat, ut Coloniensis Huxtera militem educat; ac si demum res ad vim perveniat, idem huic negotio non ulterius, quam per amica officia se misceat. Denique & operam navet Elector, ut Daniæ Rex, quod adhuc militum in Meclenburgica restat, inde abducat.*

7. Aug. (margin note beside "addidissent")

Circa Suecos cautum. §. 136. Supererat adhuc cura, ne a Suecis quid turbaretur, qui Ratisponæ induciis impense restiterant, nostris mascule eosdem retundentibus. Qui & congressu utrinque delegatorum circa controversias

1684. troversias quasdam Pomeraniam spectantes Dammi, & Colbacii habito duros admodum, & iniquos sese exhibuerant, ut non modicam suspicionem excitarent, infensi quid ab istis agitari. Unde & Elector delegatos suos e Pomerania revocabat, testatus, se possessionem, & exercitium suorum jurium omnibus licitis modis tuiturum; de cætero amicam vicinitatem cum Rege culturum. Cum contra Suecici post Electoralium discessum asperas, & altius penetrantes literas non sine minis scripsissent. Unde non abs re videbatur in omnem eventum cum Daniæ Rege, ac Luneburgicis consilia conferre. Ac superiore quidem anno a Gallo primum de fœdere adversus Suecos motum fuerat; id quod Elector eluserat, inter alia eam ob causam, quod id effectui dari nequeat, nisi Luneburgica Domo in partes tracta. Sed cum id jam obtentum esset, a Dano ea res iterum movebatur. Quo nomine & Ehrenschildius Berolinum veniebat, qui fervide id negotium urgebat. Ita Electori placuit Meindersium ad Regem Daniæ mittere, ut quæ aliorum mens foret specularetur, non ut novo bello suffragaretur, quod iste maxime refugiebat, nisi summa necessitas eo descendere subigeret, aut Sueci ultro infesta inferrent. Id negotium cum Itzehoæ disceptari cœpisset, facile adparebat, nullum ejus exitum fore. Et Gallus quidem animum sibi haut esse ostendebat infensi quid in Suecos tentandi, nisi ubi induciæ cum Imperio haut succedant. Nam ante omnia de his certum esse velle, nec expectaturum, quoad cum Turcis transactum fuerit. Eo irrito Danum, & Electorem Suecis immittere cupiebat. Ac dixerat Meiercronæ Croissius; Regem eo tempore, quo ipse bello implicetur, facile consensurum, ut Suecus invadatur. Ast perfectis induciis aggressionis invidiam declinari non posse. Nam Regem hactenus universalem pacem meditatum, circa quam & Elector enixam operam dederit; cujus spes cum tam propinqua affulgeat, ejusmodi fœdus huic plane adversari, velut sine dubio commune bellum pariturum. Ac si reliquis id propositum fixum sedeat, se id secretum in Sueciam significaturum, ut ibi adversa consilia opponi queant. Saltem eo casu se quoque in prædæ partem venturum. A quo quidem Elector magnopere abhorrebat; ac Lutetiæ haut obscure insinuabat, nunquam se concessurum, ut ea occasione Gallus Imperio aliquid decerpat. Ac satis adparebat, quia Gallus pacis tempore Dani, Electoris, ac Ducum opera non indigebat, eum nil quoque emolumenti iisdem adcrescere velle, ni ipse longe majus inde perciperet. Danus autem, quanquam sat sibi causarum contra Suecos esse assereret, qui duodecim articulos sui fœderis violarint; nec induciæ his destinatis obesse possent, quod Borealia negotia iis comprehensa non sint: tamen nunc haut parum frigoris circa id negotium ostendebat, ac malebat, ut Elector, & Duces eam rem suscipiant, cui se aperte misturus non sit, clam tamen opem laturus. Ac metuebat, ne Belgæ Suecis classe subveniant; præsertim cum Gallus negasset, se Belgas impediturum, quo minus ei se negotio ingerant. Unde se in Norvvegia, ac Selandia periclitaturum; nec classem suam adhuc satis armatam esse. Ast Duces Dano super Gottorpiensi negotio cavere nolebant, veriti, ne is tanta accessione firmatus longius grassaretur. Tum & raptim ad exsecutionem hujus consilii progrediendum, aut id plane omittendum; quod supra facultates suas sit tam numerosas copias diutius alere. Inprimis metuebant, ut secretum servari possit, ne præmature evulgatum ad contrarias partes formandas ansam præbeat, magnamque ipsis invidiam conciliet. Opus quoque sibi fore, ut cum Dano perfecte reconciliati sint, ac cum Gallo fœdus ineant. Sed Danus censebat, Duces haut serio rem agere, ac arcte nimis Cæsari illigatos; ac plerasque copias Cæsari, ac Venetis missuros, ut paucas domi habituri sint. Ac uti Duces concedere nolebant, a Dano Gottorpiensem absorberi; ita Danus judicabat, se jam hunc ita constrinxisse, ut non opus sibi sit permittere, Duces tantis incrementis mactari. Ast Elector demonstrari jubebat; etsi quantivis videatur molestos vicinos amoliri, nec ei rei perficiundæ vires desint: maximam tamen difficultatem esse, quod induciæ certo successuræ sperentur, quibus Teutonicæ Suecorum provinciæ includendæ sint. Ac esse iis non paucos in Germania amicos, & ipsos armis instructos, qui forte eorum causam suscepturi sint. Ac forte inducias per communem guarantiam firmandas. Hactenus quoque se, ac Daniæ Regem tantum studii pro pace ostendisse, quod cum hisce destinatis conciliari non possit. Et quicquid in causam belli allegetur, invidiam aggressionis penes fœderatos fore. Nec Belgas solum respiciendos Sueco arcte innexos, sed & victricia Cæsaris arma, ne is facta repente cum Turcis pace, uti novissimo bello contigit, totum exercitum in aggressores Sueci sibi fœderati effundat. Sed & Gallum non nisi duplici sub conditione spem auxilii facere; si induciæ cum Imperio non succedant, aut Suecus eas acceptare abnuat, eoque ejusdem provinciæ Teutonicæ his non comprehendantur. Sed & Gallum nonnulla sibi emolumenta stipulari velle, quæ nondum expresserit. Id quod valde sibi suspectum; nec tolerandum, amplius quid Imperio decerpi. Ac pluris sibi esse, ne a Gallo pars tractus Rhenani absorbeatur, quam tota Pomerania potiri. Unde sine dubio potiores esse rationes, quæ tale institutum dissuadebant, quam quæ id commendent. Ac facilius pervincebat Elector, quod Alefeldii gratia tunc glisceret, cui semper moderata consilia cordi fuerant. Et quia Danus possessionem Slesvicensis Ducatus jam ceperat, sperabat sese eam etiam citra tam anceps ausum tuiturum. Duces autem, cum a Dano scrupuli moverentur, id negotium deponendum, ac silentio obruendum censebant. Ac firmatis mox induciis idem ultro expirabat. Anglus quoque de istis constans ita pronunciabat: Gallum nullo modo tolerare posse, ut fœderati sui, de quibus, (uti omnia humana mutationi obnoxia sint,) in æternum sibi cautum esse nequeat, nimis potentes reddantur; aut ut Suecus opprimatur, per quem præsentes fœderatos, si in diversa abire velint, semper distrahere possit. Etsi alias sua nil intersit, num Sueci in Germania quid terrarum habeant, an minus.

 §. 137. Hoc

1684. Polonus ab Electore auxilium contra Turcas petit. 6. Mart. Breza.

§. 137. Hoc anno Poloniæ Rex Albertum Constantinum de Gorai Brezam, Castellanum Posnaniensem ad Electorem super auxiliis contra Turcam mittebat. Elector varias rationes, ex ipsis fœderum tabulis promanantes, allegare poterat, quibus hæc auxilia declinare licebat. Nam pacta Bydgostiensia non de offensivo, sed de eo duntaxat bello loqui, quod ab aliis Reipublicæ infertur: hoc autem bellum Polonos ultro, ac vi fœderis cum Cæsare initi sibi contraxisse. Sed & quos superiore anno miserit milites tertia amplius parte imminutos rediisse, In præsens tamen non apices fœderis, sed studium in Regem & Rempublicam Poloniæ, ac universam rem Christianam secuturus II M peditum, sub quibus duæ cohortes dimacharum continebantur, in proximæ æstatis expeditionem annuebat. Super his copiis ejusmodi pactum inibatur. *In Polonia se ista ad Kalendas Junii sistent, quas Elector per tres menses, postquam in Poloniam venerint, suo ære alet. Sed quia Rex promiserat, se iis de alimentis prospecturum, quoad Leopolim pervenerint; ii tres menses tunc demum cedere debebant, quando ista ad castra Polonorum sub Leopolim aut alibi pervenerint. Elector insuper stipulabatur, ne indebita istbæc juvandi promtitudo pactorum legibus deroget, nec sibi, ac successoribus necessitas sit paria auxilia, aut pari conditione unquam præstandi; sed ut salva persistant, quæ in tabulis fœderum super auxiliis convenerint. Post elapsum trimestre Rex, & Respublica iis stipendia solvat, quoad ad Borussiæ fines pervenerint, in singulos menses duodena uncialium millia. Addebantur variæ cautelæ ad conservationem copiarum, quod Poloniæ haut insolitum sit exterorum auxilia per inopiam perdere. Iisdem proximus a coborte Regis & Reginæ prætoria locus in agmine, & acie erit: earum præfectus Polonicos duces ejusdem gradus antecedet: eædem non dividentur; de machinis, captivis, & reliqua præda partem habebunt: commodis hibernis fruentur. Finito bello, vel ubi Electori eas revocare placuerit, ad fines Borussiæ, aut Pomeraniæ deducentur: uno die ultra tria milliaria non conficient, tertio quoque die ad quietem interposito. Stipulabatur quoque Elector, ut Rex Cæsari pacem, aut inducias cum Gallo commendaret. Eo minus enim necessum fore de noxia, aut ignominiosa pace cogitare. Denique ut Rex Cæsari suaderet, libertatem Protestantium sacrorum per Hungariam permittere.* Ad quod Breza reponebat: A Polonis semper hactenus exercitas persecutiones in Hungaria improbatas, præsertim cum utrumque Regnum Poloniæ, atque Hungariæ iisdem fere juribus, ac privilegiis utatur; ac sibi male temperatum zelum Jesuitarum summopere displicere. Pacem cum Gallo fere per Hispanos, quibus maxima in aula Cæsaris autoritas sit, impediri, quibuscum Reipublicæ nulla commercia intercedant. Alias Viennæ majorem exacerbationem contra Gallos, quam Turcas esse, Regem tamen, & Rempublicam in eum finem enixam operam navaturum. Iis copiis iterum præerat Wolfgangus Christophorus Truchsesius, quem comitabantur Carolus Aemylius Dona Comes, & Alexander Curlandiæ Princeps. Itineris multum ex copiæ faciebant sub Caminiecam Podoliæ usque progressæ, quam non ita validam perspiciebant, uti vulgo habetur. Virtutis exserendæ non nisi unica occasio fuit, dum ab ea urbe recedentes Poloni in aciem explicati consistunt; ubi Tartari in dextrum cornu, quo Electorales stabant, irruentes strenue repellebantur. Ac in reditu non nisi semel atque iterum cum turmis hostium velitatum. Ita hac expeditione pauci istorum ferro, sed plurimi inopia, aut morbis periere. Discedentibus Rex literis ad Electorem id testimonium dabat. *Vidimus eas nec sine ingenti solatio nostro, quotiescunque vel levis periculi, vel velitationum obtulit se occasio, adeo strenue, fortiter, & ordinate contra hostes processisse impetus, ut facile primas conferemus, ex quibus optima militia, solidi ordinis, ac imitationis exempla sumerentur. Ad victorias & triumphos participandos unica defuit occasio, si Deus plenam explicare concessisset aciem.* *28. Oct.*

Elector titulum Zolleranum assumit.

§. 138. Denique hoc anno Elector titulum Hohenzolleranum assumsit, prout ipse ac majores insignia originariæ istius Domus gesserant; eumque literis investituræ, quæ Viennæ conficiebantur, inseri curabat, ac ut idem sibi a Cæsare e Cancellaria daretur, firmando successionis in eam ditionem jure. Id quod facile a Cæsare annuebatur, nisi quod is scrupulus esset, Principem se, an Comitem Zolleranum nuncupare vellet Elector. Nam hic e Comitum familia prosapiam deducebat; Principum dignatio recens erat, ac ad primogenitum duntaxat restricta: quo titulo si uti placuisset, solita eo nomine præmia Cæsareæ Cancellariæ numeranda erant. Sed Elector malebat antiquus Comes Zolleranus, quam recens creatus Princeps audire; eoque titulum istum primo inter Comitatus loco ponebat.

SAMVE-

SAMUELIS PUFENDORFII DE REBUS GESTIS FRIDERICI VVILHELMI MAGNI ELECTORIS BRANDENBURGICI COMMENTARIORUM

LIBER DECIMUS NONUS.

EPITOME.

Missio ad Cæsarem. 2. Cæsar auxilium contra Turcam quærit. 3. Carolus Angliæ Rex moritur successore fratre Jacobo. 4. Electoris apud novum Regem officium. 5. Electoris ad Belgas legatio. 6. Fœdus inter Electorem, & Belgas renovatur. 7. Dani ex eo fœdere suspiciones. 8. Cum Gallis super eo fœdere disceptata. 9. Electoris ulterior declaratio. 10. Elector declarationem, qualem Gallus vult, recusat. 11. Electoris literæ ad Gallum. 12. Gallus multa contra inducias facit. 13. Ob successionem Palatinam lites. 14. Veldentius super Palatinatu controversiam movet. 15. Electoris circa successionem Palatinam opera. 16. Persecutio Reformatorum in Gallia. 17. Electoris edictum in favorem Reformatorum e Gallia profugorum. 18. Eo nomine cum Gallo expostulationes. 19. De sacris legatorum. De famulis legatorum. 20. Cum Sueco amicitia instauratur. 21. Turbæ Hamburgenses. 22. Apud Cellensem Ducem acta. 23. Apud Cæsarem in Hamburgensi causa acta. 24. Elector denuo Cellas mittit. 25. Electoris cum Cæsare fœdus. 26. Expeditio copiarum Electoralium ad expugnandam Budam. 27. Fœdus cum Sueciæ Rege. 28. Articuli secreti. 29. Gallus multifariam contra inducias agit. 30. Galli nolunt ab Imperio arma parari. 31. De fœdere Augustano. 32. Galli de hoc fœdere querelæ. 33. Gallus per literas ab Imperio moneri non vult. 34. Circa Palatinam causam acta. 35. De statua Regia. 36. Elector Regi Daniæ moderata ingerit. 37. Istius conatus in Hamburgum erumpunt. 38. Electoris ad Regem Daniæ missio. 39. A Knesebecio acta. 40. Elector negotiationem persequitur. 41. Alia ab Electore missio. 42. Negotium Hamburgense componitur. 43. Motus animorum super turbis Hamburgensibus. 44. Electori Gottorpiensem causam Hamburgensi misceri non placet. 45. Gallus de induciis in pacem mutandis proponit. 46. Electoris de hac re sententia. 47. Ab Electore super hoc negotio disceptata. 48. Apud Cæsarem super ea declaratione acta. 49. Mutua Cæsaris, & Galli declaratio. 50. Judicium de hac declaratione. 51. Ratisponæ super eo negotio acta. 52. Inter Gallum, & Electorem expostulationes. 53. Transactio super quatuor præfecturis Magdeburgicis. 54. Legatio Moscica. 55. Super edicto Belgarum circa religionem disceptata. 56. De munitione ad Trarbacum. 57. Ratisponæ super ea munitione disceptata. 58. Galli literæ ad Ordines Imperii. 59. De electione Wilhelmi Furstenbergii in Coadjutorem Coloniensem. 60. Post Furstenbergii electionem disceptata. 61. Legatio in Poloniam. 62. Origo controversiæ Gottorpiensis. 63. Danus a se acta defendit. 64. Danus Cæsaris cognitionem rejicit. 65. Elector officium interponit. 66. Danus Ducem Slesvicensi ditione ejicit. 67. Elector moderatiora ingerit. 68. Danus Cæsaream Commissionem respuit. 69. Causa ista ad sequestres devolvitur. 70. Negotium paulisper adhuc extractum demum suscipitur. 71. Tractatuum ingressus. 72. Ducalium propositio. 73. Danorum ad hanc prævia declaratio. 74. Elector Dano molliora suadet. 75. Danorum ad Ducalium propositionem responsum. 76. Circa hoc responsum considerationes. 77. Super Danorum responso disputata. 78. Ducalium replica. 79. Danorum duplica. 80. Dani a se oblata frustra commendant. 81. Danus sententiæ suæ immotus inhæret. 82. Temperamentum ab Electore propositum. 83. Super æquivalente ex Holsatia agitur. 84. Anglicorum motuum origo. 85. Jacobi II. initia. Infelices Monomuthensis conatus. 86. Conatus Jacobi super introducendis in Angliam Romanis ritibus sese exserunt. 87. Parlamento Regis conatus non probantur. 88. Plura subinde a Rege tentantur. 89. Novum tribunal Ecclesiasticum instituitur. 90. In Scotia circa religionem tentata. 91. Plura indies in Anglia novantur. 92. De permittenda quarumvis religionum libertate. 93. Super eadem apud Anglos acta. 94. Libertas conscientiæ in Anglia promulgatur. 95. Circa novum Parlamentum agitata. 96. Arausionensis sententia super Regis destinatis. 97. De graviditate Reginæ opinio nascitur. 98. Offensa Regis in Arausionensem, & Belgas gliscit. 99. Arausionensis super hoc negotio consilia confert. 100. Electoris obitus. 101. Ejusdem stemma: 102. Educatio: 103. Matrimonium & liberi: 104. Corporis, animique dotes. 105. Ejusdem felicitas.

 Postquam

1685. *Missio ad Cæsarem.* Postquam Elector quieti patriæ per inducias, circa quas tanto cum studio laboraverat, consuluisse visus esset, alia, quæ peculiariter Domum suam tangebant, ad liquidum perducere instituit, ut si Deus è mortali statione ipsum evocaret, nil confusionis,
27. Jan. aut intricati negotii successori relinqueret. Eo fine Otto Suerinus Viennam mittebatur, ut investituram nomine Ducatus Magdeburgici acciperet; nec minus literas investituræ pro omnibus provinciis in Pomeraniæ vicem datis expediri curaret. Tum instaret, ut tandem aliquando Cæsar prætensionibus ipsius in diversa Silesiæ loca, Carnoviam, Beutenam, Ligniciam, Briegam, & Wolaviam satisfaceret. Nec minus, ut super quatuor præfecturis, Juterboco, Querfurto, Dammo & Burgo, per Pragensem pacem Magdeburgico Præsulatui detractis sibi satisfiat, in quas saltem directum dominium sibi competat. Jubebatur etiam intercedere, ut persecutiones in Evangelicos per Cæsareas ditiones omittantur; præsertim cum quam maxime e Cæsaris re sit, tali acerbitate Protestantium Principum animos haut alienari, qui sanguine & opibus pro istius salute, atque incrementis non parcant. Si de auxilio contra Turcas moveatur, responderet, Electorem ad ea mittenda proclivem esse, qui & per biennium non spernendam manum Polonis non sine sumtu suo exhibuerit. Enimvero expectare, ut Cæsar ad postulata sua, quod æquum sit declaret. Cæterum molestissimum esse, quod quæ conservando militi requirantur, apud Cæsareum exercitum tam segniter curentur; ac Cæsarem conscientiæ suæ adprobare non posse, tam egregios bellatores per socordiam, aut avaritiam quæstorum fame, & miseria extabescere. Expectaturum tamen, quid Cæsar per ablegatum suum propositurus sit. Apud legatum Hispanicum quoque super residuis subsidiorum moveret. Denique & Elector privilegium optabat de non appellando in omnes reliquas provincias, quale jam in Marchiam obtinebat. Suerino Viennam delato variæ moræ super literis investituræ nectebantur. Unde Elector injungebat eas quam instantissime urgere, simul expressis verbis testari, si diutius negotium extrahatur, sibi discedendum esse. Nec enim Electorem Cæsareis ministris diu supplicaturum
23. Maji. circa ea, quæ jure suo exigat. Ita istæ ex voto expeditæ, simul ritus Magdeburgicæ investituræ peractus. Circa reliqua nullum operæ pretium fiebat. Circa prætensiones in loca Silesiæ respondebatur; Carnoviam abunde pensari summa pecuniæ, sæpius a Cæsare oblata, e qua & vix annua octena florenorum millia redeant. In reliqua Electori nil juris competere, ac hujus patrem ea prætensione jam dudum cessisse. Ast Kinskius, & alii, qui Electori juxta, ac religioni male cupiebant, ferocius fremere: ad extrema potius rem deducendam, quam ut sacris, circa quæ penitus eradicanda ipsi hactenus tanto studio laboraverint, fixa ac tuta sedes in meditullio Cæsarearum provinciarum detur. Ac continuis dilationibus Electoris petita eludenda, quoad is e vivis excesserit, cujus successori magis abrupte negari possit. Circa privilegium de non adpellando regerebatur; Electorem novissimo bello plus lucratum, quam Cæsarem, cui & de suo jactura fuerit facienda. Hoc quoque exemplo alios Principes idem petituros, quibus ob præsentia in Cæsarem merita id denegari non possit. Sed & per ejusmodi privilegia Cæsaream autoritatem paulatim ita imminutam, ut ejusdem vix umbra adhuc supersit. Ac si maxime Cæsar velit, Ordines provinciales repugnaturos, idemque *Recessui* Imperii anno 1654. repugnare videri. Suadebant tamen, qui Electori favebant; satius esse ab eo Ordines provinciales persuaderi, ut ultro isti beneficio renuntient. Ac si Elector incorrupte jus dici curet, eos satius habituros domi lites suas componere, quam Viennam, aut Spiram, magnis cum sumtibus proficisci. Intercessiones pro Evangelicis surda aure transmittebantur.

§. 2. Contra Cæsar misso Francisco Henrico Freitagio Barone de auxilio contra Turcam apud Electorem agebat, quod Cæsareus exercitus irrito Budæ obsidio valde attritus esset, ubi res confuse admodum inter æmulorum ducum dissidia administrata fuerat. Ac jam superiore anno per Hippolytum monachum Cæsar de eo auxilio moverat, adducta in exemplum Bavari promtitudine. Cui Elector declarabat: studium suum Cæsari non defore: sperare tamen nil supra vires positum a se postulatum iri, sed ejusmodi conditiones concedendas, per quas rebus suis consulatur. Bavaricis copiis facillimum in Hungariam iter, quibus & secundo Danubio annona submitti queat. Ac peculiari vinculo Bavarum Cæsari innecti, ea lege generum adscitum, ut si Hispaniæ Regi proles non nascatur, ac Cæsari unicus tantum filius extet, ex isto, & Maria Antonia Cæsaris filia geniti in regno Hispaniæ succedant. Ast nunc Freitagius de promotis induciis nomine Cæsaris gratias agebat, testatus isti constans propositum esse eas exacte observandi. Circa auxilium multas rationes ingerebat. Ingens periculum, idque evidens toti orbi Christiano, ac inprimis Germaniæ imminere, ad quod avertendum omnes Germaniæ Principes e fiduciario vinculo, quo Imperio teneantur, obligari. Omnium quoque, & eorum præcipue, qui contiguas Cæsaris provincias possident, interesse, ne Turca limites proferat. Nunquam bellum contra Turcam extitisse, quin Ordines Imperii, & cumprimis Electoris majores Cæsari auxilia submiserint. Id quoque requirere fiduciarium nexum, quo Elector & Imperio, & ob insignes terras Regno Bohemiæ teneatur. Ac jam existere casum literis investituræ expressum; quod dominus directus injusto bello petatur, ac summo in periculo versetur. Ratisponæ quoque toto ab Imperio auxilia Cæsari decreta. Electorem aliquoties ea Cæsari promisisse, ubi induciæ cum Gallo initæ fuerint. Magnum hoc ipso cumulum accessurum gloriæ Electori per arma partæ. Esse eidem egregias copias, ac rem tormentariam optime compositam, quas dolendum sit tanta rei bene gerendæ materia

1685. *Cæsar auxilium contra Turcas quærit.* *9. Nov. 1684.*

1685. teria otiose domi desidere. Ejus provincias onere alendi militem non parum levari posse. Per duos continuos annos auxilia in Poloniam missa extra pacta; cum Poloni conventas conditiones haut impleverint, ac selectum militem fere inopia perire passi sint. Posse Electorali Domui grande præjudicium in futurum nasci, non impleto vasalli officio. Nec obscure insinuabat, aliquando ad privationem Bohemicorum feudorum procedi posse. Cæsarem tamen ea auxilia non nisi pro futuro anno expetere. Contra Elector: auxilio se paratum. Sed tandem aliquando prætensionibus suis in Carnoviam, & alia Silesiæ loca satisfaciendum, circa quas ex æquo transacturus sit. Ast Freitagius; istas prætensiones haut satis liquidas, ac via juris, aut per compromissum decidi posse. Ac Cæsarem insuper facturum, quæ grati animi lex requirat. Sed cum per talia Electoris scopus haut obtineretur, ea negotiatio aliquandiu interquievit. Veneti quoque per legatos suos Viennæ, & Lutetiæ Electoris militem auxiliarium expetebant. Sed hic respondebat: suo se milite carere non posse; quem & longinquitate viæ, ac cœli insolentia perdendum exponere nolit. Ac cum non ita pridem Elector ab iisdem per navarchum quendam naves aliquot certis oblatis conditionibus petiisset, is absque responso dimissus fuerat.

Carolus Angliæ Rex moritur successore fratre Jacobo. 16. Febr.

§. 3. Hoc anno mors Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis Europæ rebus non levem mutationem portendere videbatur, quod successorem reliquisset fratrem Jacobum Eboracensem Ducem, magnæ populi parti exosum ob sacra Romana, quæ palam profitebatur; quæ in Anglia, genio ejus religionis fines suos semper proferre ardentis, una cum Imperio legibus soluto introducturus metuebatur. Unde etiam, quanquam is alias per communes Regni leges a successione excludi videbatur; tamen ut idem peculiari quoque Parlamenti decreto sanciretur, qui receptis sacris, & publicæ libertati sub tali Rege metuebant, non parum hactenus laboraverant: sed quorum conatus Caroli Regis in fratrem indulgentia elusit. Iste tamen cum huic inter extrema clavem secretioris conclavis tradidisset, monebat; ne alicubi impingeret. Scilicet quia antehac aliquoties pronuntiaverat, eum a pueritia gavisum fuisse destinata sua præcipitiis superstruere. Ei Regi, utut verbis Protestantium religionem professo, Lutetiæ in quibusdam templis funebria ritu Romano facta fuerunt, velut is Catholicus mortuus esset. Cæterum ipse Jacobus primo ad Consilium Secretum alloquio testabatur, præter multa alia id quoque falso sibi impingi, a se solutum legibus imperium affectari. Ast sibi propositum vestigia fratris, cui maximus in populum amor, legere, ac regimen status, atque Ecclesiæ, prout hucusque legibus constitutum fuerit, conservare. Nam scita Ecclesiæ Anglicanæ monarchico regimini favere, eique addictos fidem suam Regibus adprobasse. Leges quoque Regni ita temperatas esse, ut per eas Rex ad maximam, quæ votis expeti queat, autoritatem adspirare possit. Unde sicut ipse nunquam jura, ac prærogativas Coronæ neglecturus sit: ita nec aliis sua jura erepturum, ac vitam, quam antea sæpe pro hac natione periculo exposuerit, deinceps quoque conservandis ejus juribus impensurum. Memorabile est, Petrum Ronquillum legatum Hispanicum inter prima officia veniam ab ipso petiisse, ut consilium aliquod suggerere liceat; & cum Rex annuisset, dixisse: *Valde se suadere, ne is Sacerdotibus aut aliis aurem præbeat, qui ad mutationem circa sacra suscipiendam ipsum impellere conentur.* Et cum Rex subridens responderet; num idem in Hispania observatum fuerit, aut adhuc observetur? Ronquillum regessisse; *ideo nostras res tam male se habere.* Camprichtus quoque Cæsareus Hagæ minister dicebat: *optandum esse, ne Jacobus Rex Apostolum, & conversorem gentis agere velit.* Nam, uti Skeltonus ablegatus Hagæ Anglicus pronuntiabat, æque impossibile esse, ut Romani ritus in Anglia obtineant, quam se Muhammedana sacra suscepturum. Ac dudum a prudentibus observatum, longe difficillimum, imo plane impossibile esse in Angliam id genus regiminis, & sacrorum, quod in Gallia obtinet, introducere, quod ab utroque in universum genius nationis abhorreat; ac forte plurimi, quem alias circa sacra teporem præ se ferant, eum exuturos, ubi consideraverint, ad sacrorum mutationem exercitu opus fuisse, ac eandem potestatem, quæ Regi arbitria religionis dederit, eidem parem facultatem in libertatem, ac bona civium daturam. In Gallia non nisi Nobilitatem, & Clerum aliquo numero esse; quos ubi Rex in suas partes pertraxerit, plebem facile contemni posse, quæ non majus momentum in republica habeat, quam fœminæ & infantes. Contra primarium robur Angliæ in oppidanis & agrestibus consistere, non minus elato spiritu ob abundantiam & commoditatem, qua gaudent, quam Gallica plebs per labores & miseriam humo affixa est. Reges Galliæ potentes esse ob magnitudinem patrimonii regalis, ac multitudinem munerum civilium, & Ecclesiasticorum, circa quæ absoluta ipsis disponendi facultas. Cum contra Angliæ Rex pauca munia conferre possit; & quia veteribus Regum possessionibus renuntiavit, parare aut alere exercitum, nec vicinis bellum inferre queat citra auxilium Parlamenti. Et si maxime exercitum ex Anglis compositum habeat, is nunquam ad id efficiendum operam navaturus sit, quod populo exosum, aut meticulosum esse queat. Et cum Catholici in Anglia ne centesimam nationis partem constituant, a ratione abhorrere, uno cum homine nonaginta novem opinionum, ac ingenii diversos regere aggredi. Sed extraneus miles si modico sit numero inutilis fuerit, ac potius odium, & offensam populi irritaverit. Magnum autem numerum exteri militis in Angliam introducere, ibique alere difficile: quin subjugandæ libertati, ac domandæ ferociæ nationis Anglicanæ minimum LX M. bellatorum opus fore: cum Romani quondam duodecim legiones, Normanni LXII M. & Cromvellus extremo tempore fere LXXX M. habuerit.

C'est pour cela, que nos affaires vont si mal.

Electoris apud novum Angliæ Regem officium.

§. 4. Apud novum Regem, ut officio tali occasione solito perfungeretur, Elector Spanhemium Lutetia in Angliam se conferre jubebat; simul ut testaretur, Electori non displicere fœdus anno 1661. cum Carolo Rege initum renovare,

1685. vare, & ad præsentia tempora aptare. Tum ut statum Angliæ nosceret, & quantas ibi partes Monomuthensis habeat; quicum alias sibi nil commercii sit. Nam nuper se eidem, ac Argy*lo.* Argatheliæ Comiti receptum in sua ditione negasse, Graio quoque jusso Clivia excedere. Insuper inter sermocinandum insinuaret, magno sibi dolori fore, si ipso imperante in Britannicis Regnis per publicas leges stabilitæ religioni aliquid molestiæ patiendum sit; simul data occasione ei religioni addictis confirmaret; se, qui nunc supremum caput Reformatæ Religionis in Europa sit, quantum possit curæ pro ipsis gesturum. Spanhemio jussa exponenti Rex multam verborum humanitatem reponebat.
4. April. De fœdere excusabat, non prius cum exteris rationes contrahi posse, quoad proximo Parlamento domesticæ res probe dispositæ sint. Cæterum novus Rex eam se agendi rationem adhibiturum ferebat, ut nihil dissimulanter, aut timide faceret, sed recta via progrederetur, ac quicquid facere decrevisset, confidenter susciperet. Unde & statim ab initio sententiam suam circa sacra aperte profitebatur; ac credebat, solam suspicionem de inclinatione in ritus Romanos parenti, ac fratri suo plus nocuisse, quam si eos palam præ se
22. Maji, tulissent. Idem prima Parlamenti allocutione verbo Regio confirmabat, se Ecclesiam juxta, ac Regnum in eo statu conservaturum, quo nunc juxta leges Anglicanas reperiatur. Satis constare sibi, quantam fidem Anglicana Ecclesia suo avo, patri, fratri, ac sibimetipsi præstiterit, sic ut nil causæ sibi sit, quare eam religionem impugnet. Quibus pollicitis delinitum Parlamentum omnia, quæ is cupiebat, annuebat. Prudentes porro judicabant, non esse, quare Jacobus Rex in Galliam proclivis sit, de ejus familia pessime meritam, & e qua omnis calamitas in Angliam promanarit: ac Carolum I ob conjunctionem cum ista demum caput amisisse. Carolum II. perpetuo discordem Parlamento egisse. Quin Cromvellum a Gallo ante cæteros supremum Principem agnitum. Gallum
Danby, quoque anno 1678 secretum fœdus opera Danbii Thesaurarii factum, quo Anglus promiserat, se cum XXX M militum in usum Hispanici Belgii conscriptis contra Gallos rem haut gesturum, Parlamento ostendisse. Vicissim, ut Regem in Parlamentum irritaret; isti itidem pactum cum Parlamento monstrasse, quo hocce Gallo aliquot loca Flandriæ promiserit, si hic isti contra Regem adsistere velit. Sed & Jacobi haut intererat, siquidem Regem se Magnæ Britanniæ cogitare vellet, Galli potentiam gliscere; quem & amicitia cum Gallo non poterat non populo suo suspectum reddere, velut qui nil magis quam bellum cum Gallia ardebat. Eam nationis suæ inclinationem quo minus Carolus II sequeretur, Galli artibus effectum fuerat. Cum Parlamentum ante aliquot annos Regi duos milliones librarum Sterlinensium offerret, ut cum L M militum, C navibus bellum Gallo inferret; hic Anglo persuadere norat, Parlamentum eo duntaxat fine ipsum cum fidissimo amicorum committere velle, ut interim turbidis occasio nasceretur in seditionem erumpendi, subtracta quoque Regi pecunia. Ac finxerant Galli epistolam quasi ab Arausionensi scriptam, velut 1685. ipse ex compacto cum Anglis præsentia aversantibus Regem externo bello implicare studuerit, quo iis occasio nasceretur turbas domi movendi, Anglicis copiis trans mare agentibus, & Gallo per Hispanicum bellum distracto, quo minus isti succurrere posset. Quam & rationem ipse Rex adducebat, quare Hispanis auxilium negaret. Ita Jacobo in proclivi erat judicare, quam sincero animo Gallus cum Angliæ Regibus agat, & cui fini is horum amicitiam affectet. Cæterum post Angli mortem Croissius ostendebat; placere Gallo, ut in eventum pactum ineatur de ejiciendis Germania Suecis, quorum spolia inter Danum, Electorem, & Luneburgicos sint partienda; atque istud data occasione exsecutioni dari posse. Ast Danus censebat, Gallo hautquidquam cordi esse ipsos a Suecis aliquid adquirere: sed eum tam potentibus fœderatis blandiri, eosque in præsens sibi innexos retinere velle, quod nondum constet, quomodo res in Anglia successuræ sint. Luneburgicis autem haut placebat eo nomine vel cum Gallo, vel cum Dano quid contrahere. Elector quoque id utique declinandum censebat non solum, quod Luneburgicis parum cum Gallo, ac Dano conveniret: sed & quia ejusmodi negotiatio præmature suscepta malum certo, sed non bonum effectum producere apta sit. Nam sine dubio talia ante tempus emanatura, ac fœderatis magnam invidiam apud plerosque Principes excitatura. Adversam quoque partem contrariis se fœderibus munituram, ac forte data occasione id in prætextum belli arrepturam. Et quia tam inopina rerum in Anglia mutatione res Protestantium tam funestam plagam accepisse videantur, qualem a tempore reformationis non senserint; merito declinandum, quidquid Protestantes Principes inter se collidere queat; aut quod saltem ipsos districturum sit, quo minus gravioribus negotiis, quæ emergere possint, ex usu suo vacare queant.

§. 5. Isthæc apud Anglos mutatio præcipua *Elector ad Belgas legat. 28. April.* causa erat, quare Electori necessarium videretur Paulum Fuchsium in Batavos ablegare, ut quid Arausionensi, ac Belgis circa eam videretur cognosceret; simul tentaret, annon aliquando suæ cum ea Republica controversiæ funditus componi possent. Nam quia præcipuus nexus, quo Elector huic jungatur, in sacrorum conformitate consistat, quæ nunc magis, quam unquam antea premantur, & quibus passim exitium intentetur; per Christianæ humanitatis legem se defugere non posse, quo minus cum Belgis consultet, qua ratione oppressis subveniri queat. Præterea eidem injunctum operam dare, ut quod frigus hactenus inter Electorem, & Arausionensem e diversitate consiliorum intervenerat, penitus tollatur, ac pristinæ amicitiæ sinceritas instauretur. Nec minus, ut interna ejus Reipublicæ concordia reparetur. Quia etiam Feuquierius Madriti, ac Avauxius Hagæ exhibitis libellis Galli prætensionem in universam Hispanorum monarchiam palam professi erant in eum casum, si Regem Hispaniæ improlem oppetere contingeret; Arausionensis, ac Belgarum super eo negotio sententiam cognosceret, cante

cautetamen, ne Gallo præmatura suspicio injiciatur. Additum erat; quia nonnulli Arausionensem successionem tam liquido jure fundatam clam solicitare non dubitabant; videret, ut Princeps filiis suis super ea caveret, ne tamen votum captandæ hæreditatis inde colligatur. Eo in itinere Fuchsius Coloniam transiens Beilsteinio Consuli de auxilio Electoris confirmabat inter turbas, queis tunc civitas cum Præsule implicita erat: ac ita conveniebat, ut si opus sit, quingenti milites protinus Vesalia urbi immitterentur. Consul vicissim testabatur, civitatem plus fiduciæ in Electore, utut sacrorum diverso, quam in ullo Catholicorum collocare. Cum apud Arausionensem Fuchsius jussa exposuisset, is a se in Gallum acta defendebat. Galli odium in ipsum exarsisse, quod fœdæ paci Neomagensi se opposuerit, & Gallos post eam jam conclusam apud Montes Hannoniæ pulsaverit. Post pacem talia se sensisse, quæ Gallum reuniones agitantem parum decuerint. Sed sui officii fuisse, circa se, ac fœderatos suos tutandos curam ponere; quod nemini cordato improbetur. Post inducias fere consultationibus publicis abstinuisse, nec cuiquam negotio, quod Gallum tetigerit, sese opposuisse. Contra Gallum dimidiæ fere parti sui patrimonii in Gallica ditione siti manum injecisse, atque ita hanc administrandam curare, velut ad se non amplius spectet Et tamen cum ad Lotharingi modum secum agatur, a Gallo ultro querimonias cieri. Et cum omnia sibi erepta sint, insuper a se exigi, ut pro acceptis injuriis gratias agat, ac veniam petat. Sed nunquam sibi significatum, quid demum a se desideretur. Et cumprimis anceps esse sibi, inscia Republica cum Gallo tractationem suscipere; quo ipso apud Belgas suspicione oneratus, consumta fide quod restet fortunarum perditurus sit. Alias ultro testabatur, pacto quod Princeps cum Nassovio Frisiæ Gubernatore fecerit, nil contineri in fraudem filiorum Electoris, uti fama tulerit, nec id unquam in mentem venisse; ac si Princeps iste tale quid proposuisset, aspere a se repellendum fuisse: ac nunquam se Electoris Domui injuriam illaturum; nec unquam de testamento in fraudem ejus Domus condendo cogitasse. Contra Avauxius disserebat: per sententiam judiciariam contra Arausionensem latam bonis ejus manus injectas; cui tamen facile fuisset eam molestiam declinare, si voluisset. Ast Beuningius Galli opes, Cæsaris, ac Hispani impotentiam, intestina per Germaniam, & Belgium dissidia, ancipitem Angliæ statum ita desperatum depingebat, quasi nullus remedio locus superesset. Idem super Arausionensi disserebat: constare quidem eum de forma Reipublicæ mutanda non cogitare, quod & supra vires ipsius positum sit. Sed modum, quo negotia tractentur, non convenire cum fundamentis Reipublicæ, quæ omnem violentiam adspernentur Amstelodamenses usque adeo de isto deprimendo non cogitare, ut potius persuasi sint, si in præsens istum deficere contingat, Reipublicæ ruinam certo secuturam. Equidem potentiam, & autoritatem, qua ampliore quam majores sui gaudeat, belli tempore, & inter maximas Reip. turbas collatam: sed quæ imminui absque exitio Reip. non possit. Cæterum uti Galli varia per artificia divisionem in Rep. hactenus alere studuerant: ita Fuchsius ei tollendæ enixam operam navabat; quæ & ob curam rerum Anglicarum insigniter minuebat, quibus magna mutatio ab irruptione Monomuthensis impendere videbatur. Huic vulgus quidem Belgarum ob sacra favebant: sed proceres ad Regem fulciendum proni erant, ne hic alio quam Protestantium auxilio superaret. Si enim idem apud Catholicos, ac peculiariter apud Gallum suppetias quærere necessum haberet, de sacris Protestantium in Anglia actum videbatur. Enimvero Monomuthensis male digestis ausis excidebat, de quo & Avauxius pronuntiaverat; *longe aliud Arausionensi caput, quam isti esse.* Idem Amstelodami Argathelio, & Graio promiserat, ubi in Angliam adpulerit, non Regem se, sed tantum defensorem religionis, & libertatis velle proclamari. Ast is statim atque in terram exscendisset, Regem se declarari jusserat; id quod rebus ejusdem plurimum nocuit. Circa residua subsidiorum magna difficultas erat, quod Belgæ hoc exemplo aliis quoque ansam præbere nollent paria exigendi. Pervicit tamen Fuchsius sua dexteritate, etsi maximo cum labore, ut nomine pensandi damni, ne aliis subsidiorum reliqua exigentibus ad hoc exemplum provocare liceret, Electorem quadringenta quadraginta uncialium millia darentur. *1685.*

§. 6. Ejus fœderis tunc per Fuchsium confecti summa capita hæc erant. *Renuntiat Elector prætensioni in Belgica subsidia, ac eorum revocationem a Belgis anno 1676 factam comprobat, quo hi cæteris residua exigentibus negare possint. Sed ob damna, quæ Elector in Clivia, & Westphalia, & ab irruptione Suecorum in Marchia passus est, tum ob alias minutas prætensiones, ac ob navem a societate Indiæ Occidentalis ad litus Africæ societati Brandenburgicæ abreptam, Belgæ per aversionem solvunt CCCCXL M unciales, & quidem CL M intra mensem a ratihabitione; reliqua decem sequentibus annis, in singulos annos XXIX M. Quo ipso omnes istæ prætensiones abolentur. Fœdus anno 1678 initum porrigitur usque ad diem 8. Martii anno MDCC. Quod si iterum turbæ exsurgant, aut imminere metuantur, partes mature consilia conferent, quid facto opus sit iis avertendis, & tuendæ utriusque saluti. Denique ne quid amplius collisionis existat inter societatem Electoris Guineensem, & Belgicam Indiæ Occidentalis, placet per utrinque delegatos conventionem inire, qua utriusque societatis possessiones firmantur.* Is tractatus quo minus perficeretur, Avauxius complures dies Amstelodami egerat, nullo successu. *Fœdus inter Electorem & Belgas renovatur. 13.23. Aug.*

§. 7. Ex hac porro negotiatione Daniæ Rex non modicam suspicionem concipiebat, cujus hasce rationes adducebat; quod Gallus sibi persuasurus sit, Electorem ad alia consilia verti, partibus plane desertis; præsertim cum Fuchsius Arausionensis favore usus sit ad negotium pervincendum; cujus autoritas ex eo augenda sit, adversis partibus demum plane collapsuris. Quia etiam Magnus Poloniæ Cancellarius in Galliam proficiscatur, instaurandæ, uti fama sit, veteri inter Gallum & Polonum amicitiæ, posse Ele- *Dani ex eo fœdere suspiciones. 26. Aug.*

ctori

1685. ctori per Polonos auro Gallico corruptos negotium facessi. Suspectum quoque sibi esse, quod Gallus Picquetierum hominem astutum Holmiam miserit; *la Picquetiere,* & quod Belgæ statim absoluta cum Fuchsio tractatione arctum fœdus cum Sueco inire decreverint. Unde metum esse, ne ipse solus fœdere Gallico innexus destituatur, reliquis omnibus in diversas partes transeuntibus. Ast Elector Regi declarabat; nil se novi fœderis cum Belgis conclusisse, sed tantum diu agitatas actiones ad liquidum deduxisse; ac se subinde Danico ministro de Fuchsii negotiatione communicasse. Fœdus mutuæ defensionis ad finem hujus seculi porrectum esse vetus negotium, nullius offensam spectans; quod & obstare non possit, quo minus ipse cum Daniæ Rege, aliisque inita fœdera servet. *5. Sept.* Ad quæ Dani reponebant: Sibi nil plane diffidentiæ de Electoris sinceritate esse. Etsi optarint, de eo sibi juxta pacta communicatum, ac tractatum commerciorum a se cum Belgis conclusum, prius ratihabitum fuisse, circa quem hi nunc tergiversentur. Cæterum dolere sibi a Gallo suspicionem ex hoc fœdere concipi, velut per quod fœdus anno 1678. contra ipsum directum renovatum fuerit, ac Electorem paulatim in partes Cæsaris vergere. Nam metum esse, ne Gallus alia consilia ineat, ac per pecuniam & artes alia fœdera affectet: quin plane Sueciæ se iterum innectat, quæ pauper, ac pecuniæ avida sit: ac Benedictum Oxenstiernam palam jactare, Regi suo integra omnia esse, ac posse eum licitantibus sat caro sese addicere.

Cum Gallis super eo fœdere disceptatio, *28. Aug.* §. 8. Ast Galli aperte indignationem super eodem fœdere apricari. Quibus Elector per Spanhemium demonstrari jubebat: nunquam sibi in mentem venisse a fœderibus cum Gallo, & Dano initis discedere, aut ad aliquid se obstringere, quod istis adversari, aut se impedire queat, quo minus promissa implere valeat. Gallum invidere non posse, a se cum Belgis super prætensionibus transactam, præsertim cum iste harum præstationem certo modo promiserit, eoque ad eas pervincendas obligatus fuerit. In ipso quoque tractatu ne verbum quidem esse, e quo sinistri quid extorqueri possit. Nec novi quid conventum, sed antiquum duntaxat cum ea Republica fœdus continuatum: quod uti hactenus conjunctionem cum fœderatis non impedierit, *4. Sept.* ita nec id deinceps futurum. Ad istas demonstrationes Croissius initio sat æquum se ostendebat, ac articulum quartum, (quo conveniebatur, ut ortis novis turbis inter se consultent,) in Galliæ quoque favorem explicari posse. Sed post Avauxius retulerat, longius processum fuisse, ac fœdus cum Belgis anno 1678 initum confirmatum, quo tempore Elector adhuc Galliæ hostis fuerit. Unde id simul subsistere non posse cum fœdere, quod Electori cum Gallia intercedat. Nam Belgico tractatu caveri, ut Elector & Belgæ sibi invicem terra, marique adsistant contra omnes, qui alterutros invasuri sint. Ex quo consequatur, ut si bellum inter Galliam & Belgas surgat, Elector quoque eidem per Belgas contra Galliam implicandus sit; quod facile sit prætextum invenire, ut quis invadi se queratur, si maxime ab ipso aggressio cœperit. Sed si inter *1685.* Gallum & Hispanum turbæ oriantur, in quarum partem Belgæ veniant, Electori quoque in Belgarum partes concedendum, vi tractatus, qui recentior sit eo, quem Elector cum Gallo habeat. Esse autem Hispanos per naturam Galliæ hostes, eoque cum utrisque simul fœdus stare non posse. Ac num Electori placiturum fuerit, si Gallus ipso inscio fœdus cum Suecis renovarit? Atqui quod Electori Suecos, id Gallo Belgas esse; præcipue ob Arausionensem, qui acerbissimo in Galliam odio flagret, eique qua possit nocere quærat. Denique cum Belgæ pecunias numerent, qui nil gratis dare soleant, sine dubio secretos articulos subesse. Vnde Regem nosse velle, quid ab Electore sibi expectandum sit, quo mature consilia sua digerere possit. Sane haut obscure pellucere scopum foederis, ut cum aliis Principibus conjunctio fiat impediendis Galliæ incrementis. Sed & de tractatu in antecessum cum aliis foederatis haut communicatum. Ad ista repositum: Eum tractatum plane innocentem esse, ac per inducias utique necessarium fuisse cum vicina Republica, quicum tot sibi communes rationes sint, fœdera renovare. Eo ipso tractatu inducias firmari Galliæ tam lucrosas. Fœdus anno 1678 initum, quo tempore jam pax inter Gallum, & Belgas fuerit, quo & expresse cautum sit, ne idem prius vim suam exserat, quam post pacem cum Gallo conclusam. Belgas nullo modo ut hostes Galliæ considerari posse, ac a se hactenus acta Gallo sat cautionis de constantia sua præbere. Nil quoque frequentius esse, quam fœdera mutuæ defensionis cum pluribus habere. Cum anno 1666 mense Februario Monasteriensis cum Belgis tractaret, hos inter alias eam quoque conditionem stipulari voluisse, ne Præsul in futurum ipsis ignaris, & non consentientibus fœdus iisdem ingratum inire possit. Ast Colbertum, qui ei tractatui intererat, in eam conditionem consentire noluisse, tanquam libertati Principum Germaniæ repugnantem. Atqui nunc Gallum a se exigere velle, quod antea a Præsule exigi injustum duxerit. De missione, ac negotiatione Fuchsii subinde Gallicis, ac Danicis ministris communicatum. Denique Belgas nil pecuniarum prius solvere voluisse, quam constaret, amicus an hostis ipse velit esse: unde renovationem fœderis cum iisdem declinari haut potuisse.

§. 9. Ast his non contentus Gallus per Rebenacium pressiorem declarationem super eo fœdere expetebat, ac ne Elector id ratihabitione firmaret, repetitis supra adductis rationibus. Ad quæ Elector: *Eo magis id postulatum inopinum sibi videri, quod nil ejusmodi meritum se noverit. Quin contra toto orbe teste se non solum fœdus cum Gallo implevisse, sed & ultra debitum fecisse, ac non parum offensa, atque invidiæ apud multos contraxisse. Novissimo cum Belgis tractatu nil admissum fœderi Gallico adversum. Nam tractatum anno 1678 initum eo tempore, quo Belgæ jam peculiarem cum Gallo pacem agitabant, quæ tunc pro perfecta habebatur. Ratihabitionem quoque permutatam,* *Electori ulterior declaratio.* *28. Sep.*

quando

1685. quando negotiationi inter Gallum, & Belgas jamjam summa manus imponenda foret. Eodem expresse cautum, ne id prius valeat, quam post bellum finitum. Quam ob exceptionem sibi quoque a Belgis nil auxilii latum, utut integrum adhuc annum cum Gallis in bello persisteret. Esse porro id fœdus mere defensivum, quale majores sui a plurimis retro annis cum ea Republica coluerint in nullius fraudem, aut offensam: nec ullum verbum isto contineri, quod in eum sensum trahi queat, ni violentis interpretationibus indulgere velimus. Istud non impediisse, quo minus Elector cum Gallo unum & alterum tractatum fecerit, ac sine querela servarit; nec contra idem unquam exceptionis quid oppositum. Eundem per triennium adhuc fuisse duraturum, si maxime nunc renovatum non fuisset. Unde frustra dici, novi quid factum, aut statum rerum immutatum. Equidem occini articulum V. fœderis anno 1681 initi, cui Galli ejusmodi sensum tribuant, quasi Elector ex eo citra exceptionem teneatur partem capere in omnibus litibus, queis Rex implicari queat, eique in omnibus bellis etiam ubi idem aggressor sit, auxilia præstare; eoque ipsum non potuisse Belgis auxilia permittere, ubi hi a Gallo invadantur. Enimvero sibi, neque dum id fœdus Gallicum formatur, nec deinceps de ejusmodi laxa interpretatione in mentem venisse. Quin e tenore totius tractatus adparere, eundem a se brevi post interceptum Argentoratum initum, ac unicum sibi scopum fuisse Gallum permovere, ne ulterius in Germaniam irrumperet, neu ad tutanda recens rapta eam bello invaderet, sed potius amica tractationi locum concederet: idque eo magis obtineri poterat, si Gallo suspicio adimeretur, velut & ipse partes huic adversas sumere vellet. Atqui si iste tractatui tam lata interpretatio, quam Galli velint, detur, id absurdi inde consecuturum, eundem tractatum offensivum esse; se æque ac Regem renuntiasse facultati ulla fœdera defensiva ineundi; imo a se Imperio, ac aliis fœderatis, & cognatis suis, si a Gallo invadantur, nil opis ferre posse. Esse quoque id fœdus reciprocum, ac in eo Gallum tantundem Electori, quantum hic isti promittere. Atqui cum de invadendo Sueco ageretur, Gallum non solum directe contra istum auxilia ferre abnuisse, sed ne quidem si ob illata Sueco arma Elector a Cæsare, Polono, aut Belgis impeteretur. Unde tunc ne Gallis quidem de eo sensu istius articuli in mentem venisse, quem nunc comminiscantur. Se quoque interea temporis complura fœdera feriisse non solum cum Dano, Coloniensi, Monasteriensi, sed & aliis fœdere Austriaco innexis, Saxone, Hanoverano, totaque Brunsuicensi domo, quæ a Gallo communicata sint, nil contra obmoventi. Quin se fœdere Gallico sibi reservasse facultatem Imperio assistendi, si invadatur; id quod fieri nequeat, si articulus iste ita laxe porrigendus sit. Unde sibi per fœdus Gallicum utique integrum fuisse, fœdera innoxia ad sui securitatem in nullius offensam, & fraudem concludere. De triplici fœdere cum Anglo, aliisque nil sibi constare, eaque inania commenta esse. Injuria quoque Gallum ob non factam communicationem queri. Fuchsium sane antequam Haga discederet, Avauxio de eo significasse. Quin cum haut moris sit tractatus communicari ante ratibabitionem, ante quam vim obligandi non habeant: se tamen statim atque tractatum Belgicum acceperit, eum a capite ad calcem Gallico, & Danico legato prælegendum curasse, ubi ratibabitus fuerit scripto exemplo tradendo. Cæterum post novissimam pacem Gallo cum Belgis parum convenire, sibi ignotum; ac universo orbi adparuisse, istum cum his bonam pacem, atque amicitiam excolere. Eam quoque Rempublicam ex genio sui status, ac notam domi constitutionem ab inferendis Galliæ armis longissime abesse. Quo minus dubium sibi fuerit, fœdus defensivum, quod sibi cum eadem fuerat, instaurasse: præsertim cum inter suam Domum, & istam ob situm ditionum, ac plures alias rationes naturalis conjunctio sit, ac ab initio ejus Reipublicæ octoginta amplius annos constanter culta sit. Quam & deinceps non possit non alere, nisi proprias in rationes impingere velis. Arausionensem Gallo parum amico uti, & quibus de causis toto orbi notum: ac se confidere, Regem pro æquanimitate sua haut improbaturum, si cum Principe tam conjuncto ipse amicitiam colat, cujus hæredes præsumtivi filii sui existant. Unde & se adversus detentionem terrarum, ac bonorum ejus Principis semper protestari, ac liberorum suorum jus salvum conservare necessarium duxisse. Quemadmodum igitur ipse hactenus fœdera cum Gallo non exacte solum servarit, sed & plus quam ea requirant, præstiterit, ipso Rege non semel testante; ita deinceps quoque bona fide præstiturum, ad quæ ex istis teneatur. Se Galli amicitiam merito magni æstimare, quam & conservare sibi cordi fore. Eo majori sibi dolori esse Regi de innoxio fœdere tam sinistram opinionem per male fundatas Avauxii relationes inditam. Quæ causa istum ad talia impulerint, in medio se relinquere. Saltem ex inanibus ista suspicionibus provenisse; ac quæ de secretis jactentur, manifesto falsa esse. Sperare igitur, Regem pro sua prudentia inania a solidis discreturum, hisque rationibus fidem adhibiturum, ac sinistra opinione exuta ex sua quoque parte conventa servaturum. Istbæc si locum non inveniant, aliter se judicare non posse, quam querimoniarum ansam arripi, ac fictis criminationibus in suspicionem se trahi. 1685.

1685. *Sane ejus rei specimen nuper a legato Gallico Hafniæ datum, qui sparserit, a se Rucquium Viennam missum ad fœdus cum Cæsare contra Galliam concludendum, nullo alio commenti fundamento, quam quia iste olim in Hispania fuerit, eoque Gallis parum faveat. Cum tamen notum sit, eum unice ob litem, qua Martisburgensi cum Saxone intercedat, Viennæ esse. Contra esse sibi justam querendi causam, quod a Gallis multa suscipiantur fœderi inter ipsos repugnantia. Sic navem nostram Aethiopis vocabulo in flumine Gambia a Gallis abreptam, super cujus restitutione tot difficultates moveantur. Sic adversus inducias, pro quibus ipse sponsionem suam interposuerit, multa a Gallis patrata audiri, ac inprimis circa sacra non pauca mutari, ac nominatim Germersheimi, & in Bipontina ditione; cum tamen promissum sit, omnia circa sacra, & civilia in statu per pacem Westphalicam definito relictum iri, quibus a Rege remedium allatum iri spes sit. Denique ratihabitionem tractatus Belgici non amplius inhiberi posse, qua jam facta sit; & cum nemini injuriam faciat, qui jure suo utitur, Gallum haut ægre laturum, quod ipse fecerit, quæ facere integrum erat, nec ultra id a se quidquam desideraturum.* Ista Spanhemius quæsito peculiariter alloquio Regi exponebat; quæ hic æquo animo accipere visus est, addito; se confidere, Electorem haut recusaturum scriptam declarationem dare, qualem Rebenacius propositurus sit. Croissius autem etsi solidi quid ad ista quod reponeret non habebat; haut eo minus arguebat, eo fœdere Belgarum consilia fuisse alterata, præcipue Amstelodamensium, quibus hucusque decretum fuerit, uti Gallicum fœdus abnuerint, ita & aliorum Principum foederibus abstinere declinandæ suspicioni. Ast post renovatum cum Electore foedus decrevisse cum Anglo quoque tractatum instaurare. Ac certum esse, per Electorem non stare, quo minus triplex foedus inter ipsum, Anglum, & Belgas ineatur; ac vulgo credi, istud foedus hujus principium fore; ac Electorem mutatis partibus alias rationes cum Cæsare & Hispanis initurum, quibus & Belgæ illigandi sint. Præsertim cum Arausionensis nil magis quærat, quam ut Gallo hostes excitet, ac rem ad bellum deducat. Cæterum Fagelius dicebat; ab Electore honestius, ac generosum magis responsum dari non potuisse. Et ex iis, quæ a Gallo moveantur, non obscure colligi, quo hicce tendat, & quid Belgis sperandum, aut timendum sit.

Elector declarationem qualem Gallus vult, recusat.
5. Octob.

§. 20. Porro a Rebenacio Electori ejusmodi formula declarationis, quam Rex ab eo exigeret, proponebatur. *Suam Serenitatem Electoralem non sine animi perturbatione intellexisse, certos homines privatis emolumentis ductos, ut amicitiam inter Suam Majestatem Christianissimam, & Istam stabilitam interrumpant, laborasse istam suspectam reddere, dum in sinistram partem quasdam actiones interpretentur, ac per violentos, & corruptos sensus inde sequelas trahunt, ejusdem intentioni, simul utilitatibus dictæ Majestatis contrarias. Cum autem S. Ser. Electoralis singulari studio desideret honorem regiæ benevolentiæ, atque amicitiæ servare, ac prævenire omnia illa, quæ alterare possint fiduciam, quam S. Majestati in eadem collocare placuit; igitur Illa declarat hoc scripto, quod sua intentio semper fuerit, & adhuc sit, sancte ac sine exceptione observare omnes obligationes, quas e fœderibus cum Sua Majestate Christianissima contraxit, non obstantibus quibusvis obligationibus, quibus Ea se cum aliis Potentiis sive per novos tractatus, sive per renovationem veterum induit. Eadem quoque declarat, ac se obstringit, quod in posterum cum nemine, quicunque is sit, ullas rationes inire velit, qua vim tractatuum ab Ipsa cum Sua Majestate conclusorum debilitare queant, aut istis directe vel indirecte adversentur, non facta prius communicatione, ac obtento dictæ Suæ Majestatis consensu.* 1685. Addebat Rebenacius, si Elector eam declarationem abnuat, Regem non solum subsidia inhibiturum, sed & alia consilia capturum. Ac sibi mandatum ad Luneburgicos proficisci, & arctiores cum istis tractatus suscipere. Non poterat non Electorem isthoc postulatum gravissime protelare, cui si obnixe insistat Gallus, videbatur ipsius se fœdere exsolvere velle, ac rixæ ansam quærere. Sane ejusmodi declarationem sibi noxiam juxta, ac ignominiosam, velut qua juri tam illustri fœderum renuntiaturus erat, ad clientelarem Galliæ conditionem redactus. Ac toti orbi ludibrium debiturum, ac tam feliciter partam gloriam, quam hucusque magis quam vitam conservare studuerit, maculaturum, si quod præsidio assumtum fuerat, fœdus in servitium verti pateretur. Equidem non deerant rationes, ob quas ejusmodi declaratio haut recusanda videri poterat. Satisfieri hoc modo Regi, ac omnes suspiciones hac tempestate inutiles tolli. Electorem per eam nil novi promittere, sed tantum, quæ jam verbis, & scripto obtulerit. Si declaratio his verbis, quæ Regi jam exposita sint, fiat, Electori incircumscriptam facultatem permanere rationes suas, & officium erga Imperium, & in alios amicos, ac fœderatos pro captu temporum observandi, ac inprimis inducias præstandi. Per eandem varia destinata Electori noxia, ac peculiariter quæ cum Brunsuicensibus agitentur, sufflaminari. Forte & Cæsarem Electori circa postulata sua uberius satisfacturum, quam si evulgetur, amicitiam ipsius cum Gallo refrixisse. Quod & circa eam satisfactionem valeat, quam Elector ab Imperio, & Hispanis prætendat. Ast majoris ponderis habebantur rationes, quæ in contrariam partem adferebantur. Electorem haut agnoscere ullo modo a se fædus cum Gallo violatum, ac non solum omnia objecta solide diluisse, sed & per ministros jam declarasse, se fœdus constanter continuaturum, nec quid contra facturum. Unde nulla ulterius declaratione opus esse. Quia porro Gallus testatione verbis facta haut adquiescit, sed utique scripti quid desiderat; videri hoc ostenso fœderatos suos confirmare velle, prout & Coloniensis eam valde urget. Id quod evulgatum Electori multis modis nocere possit. Et quanquam Rebenacius secretum promiserit, tutissimum tamen fore nil scripto edere, quod fraudi esse queat; cum istud ab ejus libidine pendeat, qui scriptum in manibus tenet. Uti porro Elector hac declaratione plane ad Galli se placitum compositurus fuerit; ita eandem adversæ parti, ubi innotuerit, non posse non magnopere displicere. Atqui res humanas vicissitudini obnoxias, & quia adhuc dubium, cui parti Anglus sese addicturus sit, qui ad æquilibrium

1685. quilibrium Europæ plurimum collaturus videtur, jam circa tractatus circumspecte admodum procedendum. Sane Viennæ victoriam ejus adversus Monomuthensem magna cum lætitia exceptam, quod sperent, eum ubi res domi composuerit, ingens momentum communi causæ contra Gallum additurum. Inesse quoque huic declarationi gravem obligationem, prout ea a Gallo capiatur, ademta libera facultate fœdera ineundi, quæ præcipua pars supremi imperii habetur. Electorem sese obstringere potentissimo Regi, qui interpretationem pro lubitu facere possit. Si Elector deinceps vel minimum quid suscipiat, quod Gallo displiceat, eam declarationem pestilentissimum fore instrumentum adversus eundem adhibendum, ubi in infensa erumpere placeat. Si fœdus ad placitum Galli explicandum sit, in offensivum id abiisse. Et quia obligatio reciproca sit, Gallum non minus sibi quam Electori facultatem ademisse cum ullo vicinorum fœdus mutuæ defensionis inire, aut continuare. Id quod citra absurditatem dici nequeat.

Electoris literæ ad Gallum. 16. Octob. §. 11. Quia tamen tunc non expediebat in apertum dissidium cum Gallo erumpere, Electori placuit literas ad istum dare hoc sensu. *Post tam solicitam curam circa exacte implendum fœdus cum Rege a se adhibitam nil acerbius sibi accidisse, quam quod nunc perspiciat, diversum sibi impingi; & cum eo nomine gratiam expectaris, quam & Rex hucusque subinde promiserit, nunc male fundatis suspicionibus sese onerari. A pluribus retro annis multas se querelas, atque exprobrationes tolerasse, quasi nimio studio pro emolumentis Galliæ certarit, ac ipsos fœderis limites migrarit. Nec dubitare se ad ipsius Regis judicium provocare, semper sibi bonam, ac justam intentionem fuisse. Et tamen hominibus maleferiatis, aut malevolis plus facultatis fuisse ad destruendam confidentiam, quam de bona sua fide haberi par fuerit; quam tot illustribus documentis, quæ in oculos totius orbis incurrerint, ad eandem conservandam. Conniti certos homines Regi persuadere, tractatum, quem ipse nuper fecerit, aut potius renovarit cum Belgis, adversa continere fœderi, quod sibi cum Rege sit. Id falsum esse, solidis se rationibus Regi, ejusque ministris demonstrasse, ac vim inferri verbis, atque argumento ejus tractatus, ac magis adhuc suæ menti, cui nunquam alius scopus fuit, quam existimationem bonæ fidei illibatam servare. Ex eo sperare se potuisse plenam extinctionem suspicionum, quæ ipsum delatores onerare sustinuerint. Et tamen nunc a se exigi declarationem, verbis ita duris, & indecentibus conceptam, ut ipse illæso suo honore eam dare non possit, quem multo exactiore cura, quam vitam hactenus conservare laborarit; ac ut non sibimet adimat nobilissimam supremi imperii partem, seque ipsum damnet fœdissimi flagitii, quod in generosam animam cadere possit, fidem, ac verba sua non implevisse. Unde spem sibi esse, Regem pro justitia sua fidem adhibiturum iis, quæ ipse per suos ministros debito modo heic, & alibi demonstrari curarit, & quorum summam nunc repetere non dubitet; nempe nunquam sibi in animo fuisse aliquid facere adversus fœdus cum Rege initum, ac in nuper cum Belgis renovato, merum defensionem spectante, tale quid haut magis reperiri, quam in aliis defensivis fœderibus, quæ plura post fœdus Gallicum ipse inierit. Ac denique se haut omissurum, quamdiu Regi placeat, amicitiam cum ipso pari sanctimonia, & exquisita cum cura uti hactenus colere. Ea omnia esse, quæ bona fides dicere queat, quam ipse profiteatur, & quæ pluris sit, quam omnes declarationes, quæ a se exigi queant.* Eas literas cum Spanhemius Croissio redderet, hic dicebat, eas Regi quidem, ac sibi satisfacere posse. 1685. 31. Octob. Opus tamen esse declaratione, quo aliis aulis opinio eximi queat, quam e tractatu Electoris cum Belgis hauserint. Ac si formula a Rebenacio exhibita dura nimis videatur, aliam concipi posse verbis simplicibus, & dignitatem Electoris non lædentibus quod fœdus cum Belgis ipsum obstricturum non sit, quo minus deinceps uti hactenus fœdus cum Gallo observet. Addebat, jus defensiva foedera ineundi haut longe nimis porrigendum. Nam tot eorum cum aliis fieri posse, ut ejus, quod cum Rege initum sit, effectus elidatur. Et quomodo Electori placiturum, si Rex cum Suecis foedus renovet; quibus Elector non magis fidat, quam Rex Arausionensi? Enimvero Electori valde mirum videbatur, tot testationibus verbo, ac scripto factis Gallum non adquiescere, sed utique scriptam declarationem exigere, quæ aliis ostendi 14. Nov. possit. Eoque Spanhemio injungebat, ut e Gallicis ministris exquireret: num tam multiplicibus a se factis declarationibus adquiescere, ac vicissim quæ foedus exigat, præstare velint? Nam sibi utique constare oportere, quid a Gallo expectandum sit, quo consilia sua pro captu disponere queat, quod inter incerta agere sibi haut expediat. Mox tamen Gallus literis fiduciariis ad Rebenacium missis eum testari jubebat de æ- 22. Nov. stimatione, qua ipse Electorem prosequatur, ac uti cum hoc amicitiam continuare cupiat. Ad quas Elector decore respondebat, denuo repe- 25. Nov. tens, se per foedus Belgicum, quod cum initio hujus seculi coeperit, nil infensi Gallo moliri, ac factum cum ipso foedus sancte observaturum. Ita cum Elector reipsa satis declarasset, quæ Gallus postulaverat, sed ad ejusmodi formulam adstringi nollet; demum Rex Electori scribebat: se ipsius literis adquiescere, amplis 14. Dec. verbis de continuanda cum eodem amicitia testatus. Solicite laboraverat Daniæ Rex, ut amicitia inter Gallum, & Electorem persisteret. Ac suadebat iste Electori, ut isthoc dissidium molli ratione componat, nec in superfluam collisionem erumpat; præsertim cum ipsi de altera parte nondum cautum sit, ac altioris indaginis quæstio emergat, an Cæsar, qui tantos progressus in Hungaria faciat, adhuc potentior reddendus, an vero potius æquilibrium inter Cæsarem, & Galliam tenendum? Alias se quidem imperiosum agendi modum a Gallo adhibitum probare non posse, sed eum plane a ratione alienum judicare. Sperare tamen Electorem pro consummata sua prudentia ad extrema haut processurum, sed idonea temperamenta inventurum salva existimatione id factum emolliendi. Nam subitas mutationes esse periculosas, ac amicitiam Gallicam non parum ipsis ambobus autoritatis circumponere. Revera Danus metuebat, ne Elector in diversas partes transiret, quod ipse in Gottorpiensi causa solo Galli, & Electoris favore niteretur, ac Cæsari, Belgisque, & aliis diffideret. Præsertim cum Samuel Rachelius

1685. Ducis ablegatus Ratisponæ Verjo proposuisset, ut Gallus abdicato Dani, atque Electoris foedere, Sueco iterum se innecteret, ac Ducem restitueret; quo facto hunc XM militum suis sumtibus in usum Galli sustentaturum. Quæ oblata Verjus rejecerat obtentu fidei a Rege datæ; quam inviolabiliter huic servare cordi sit.

Gallus multa contra inducias facit.

§. 12. Enimvero subinde graviora a Gallo movebantur, quæ Germaniæ Princeps, cui patriæ, ac propria conservatio curæ foret, dissimulare haut poterat. Nam non contentus tantis emolumentis per inducias partis, longius semper ad gangrenæ instar grassabatur. Inter alia quæstor Gallicus Lutzenburgi literis ad decuriones Trevirenses scriptis eos quadringentos aureos annuos poscebat, quos ea urbs protectionis nomine Regi tanquam Duci Lutzenburgico debeat, adjunctis minis de violenta exsecutione. Id postulatum Electorem valde irritabat, utpote quod fidei a Rege sibi datæ repugnabat; ac Rebenacio citra ambages declarabat; si Rex hoc modo latius grassari instituat, se primum fore, qui vim oppositurus sit. Trevirensis quoque eam protectionem a Rege Hispaniæ velut Lutzenburgensi Duci nunquam recognoverat, multo minus vel teruncium eo nomine solverat. Ac per sententiam Rudolfi II. Cæsaris, qua Trevirorum civitas abjudicato statu immediato provincialis declarata fuerat, omnes in fraudem Archiepiscopi tanquam domini territorii susceptæ actiones abolitæ fuerant. Eo nomine cum Elector in Gallia quereretur, Croissius excusabat, ex errore admissum, ac quæstorem proprio ausu id fecisse. Sed & Galli in locis reunitis multa circa civilia, ac sacra navabant. Magister quoque Ordinis Teutonici querebatur, Gallum aliquot Commendas in Alsatia ad Teutonicorum Equitum ordinem spectantes Hospitali Divi Lazari Lutetiæ adplicuisse. Quæ ut emendarentur, Elector apud Gallum instabat. Ast hic etsi post mortem Regis Angliæ per unum & alterum annum quiescere decrevisset, quoad novum Regem rationibus suis penitus illigasset: tamen ne in omnem eventum prætextum infensis machinationibus deesset, ultro suspiciones, & metus fingebat, quod negotium de regundis finibus, & guarantia induciarum Ratisponæ lente procederet, nec de ordiendis super æterna pace tractatibus moveretur; velut Cæsar quantum possit pacem cum Turcis properet, tota inde vi Galliam petiturus. Sed & legatus Gallicus Chivernius Viennæ questus fuerat, de Belgio Hispanico in Bavarum transferendo agitatum fuisse, cujus sponsa cum multis prætensionibus in favorem Archiducis renuntiasset, Bavaro eas provincias destinatas, ut is atque Imperium æterno cum Gallia bello implicaretur. Sed quia Hispanus fidem super Belgio in Bavarum transferendo datam liberare non possit, jam de hoc in Regem Romanorum eligendo agitari. Quæ machinationes, uti & continuationem foederis Laxenburgici, quod Arausionensis, Waldeccius, & Burgomagnus legatus Hispanicus cuderit, testentur, hoc anno post finitum bellum Turcicum istos Galliæ arma illaturos. Gallum contra, qui de his omnibus exacte edoctus sit, sua quoque consilia pro re nata disponere. Interim inducias sancte servaturum; & quia Elector ad eas tantum contulerit, Regi persuasum esse, eum pro sua autoritate violentis consiliis sese oppositurum.

Chiverny. 10. Maji.

Ob successionem Palatinam litet. 24. Maji.

§. 13. Sed & plurimum ad refrigerandam cum Gallo amicitiam faciebat mors Caroli Electoris Palatini, super cujus hæreditate per Elisabetham Charlottam, defuncti sororem, Philippo Aurelianensi Duci nuptam controversia movebatur. De istius morte nuntius aulam Viennensem non parum consternaverat. Etsi enim Cæsarei alias incrementis religionis Catholicæ, ac Neoburgicæ Domus lætarentur; metuebant tamen, ne Galli sororis prætensionem circa allodialia justo longius porrigerent; ac maluissent istum ad finem usque belli Turcici vitam produxisse. Sane circumspectus alias vir Chivernius non poterat sibi imperare, quin Suerino diceret; jam Protestantium partes conclamatas esse. Cui sane hic annus fatalis videbatur morte hujus Electoris, Eboracensis in Regno Angliæ successione, & Reformatorum in Gallia persecutione. Nec vero Cæsareos suus metus fefellit. Equidem quin Neoburgico dignitas Electoralis, ac ditio ad hanc proprie spectans competeret, Galli in dubium non vocabant. Sed & Elisabetha Charlotta cum sponso Aurelianensi connubialibus pactis omni juri successivo in omnia bona feudalia paterna, ac materna, in Germania sita renuntiarat, ac tantum jus in feuda extra Imperium, & allodialia sibi reservarat. Ac nunc ista ex intestato petebat non solum omnia mobilia, sub quibus machinas quoque bellicas comprehendebat, sed & oppignerationes, quas Electores Palatini post conditam Auream Bullam adquisiverant, ac nominetenus Oppenheimum, tum Ducatum Lauterensem & Simmerensem, ac partem Comitatus Spanheimensis; quæ ditiones penes Palatinos fuerint partim tanquam feuda promiscua, partim tanquam recens adquisita; quod legibus Galliæ a patre recens adquisita in filias quoque transeant; adducto inter alia exemplo Juliacensis successionis. Neque vero defuncto Electori testamentum condere licuisse, quod & alias ad normam legum Romanarum non quadret. Quod testamentum Electori custodiendum traditum fuerat, exsecutione eidem, atque Hanoverano, & Cassellensi commissa. Ac mox Verjus Ratisponæ contra possessionem earum ditionum a recenti Electore Palatino Philippo Wilhelmo adprehensam protestabatur, simul postulabat, ut Aurelianensi nomine Lauterensis, ac Simmerensis Ducatus, ac Spanheimensis Comitatus sessio, & suffragium in Comitiis concedatur. Etsi de cætero confirmaret, omnia per viam juris quæsitum, & deductum iri, salva pace, ac tranquillitate publica. Mittebatur quoque Heidelbergam Abbas Morellus, qui pacta familiæ, literas investiturarum, & alia documenta autographa inspicere cupiebat. Id quod novus Elector abnuebat; quod nemo teneatur arma adversus se subministrare, ac petitorem debere documentis instructum venire. (Ac revera Palatino haut consultum erat integra documenta edere, non solum ne hoc modo ad probationem sui juris

A Dieu præsentem le parti Protestant.

13. Jul.

perra-

1685. pertraheretur; sed & ne secreta domus vulgarentur, Gallo forte ansam arrepturo novas inde reuniones & dependentias comminiscendi.) Sed is reponebat; Aurelianensis uxori non opus esse aliud demonstrare, quam se esse defuncti Electoris sororem; ac præsumtionem pro allodiali qualitate ditionum, quæ extra Electoratum sunt, militare. Unde Palatinum teneri earum pretium nomine investiturarum literas exhibere.

Veldentinus super Palatinatu controversiam movet. 20. Jul. §. 14. Super successione quoque ad Electoratum Palatinum controversiam movebat Leopoldus Ludovicus Palatinus Veldentinus, qui literis ad Electorem scriptis ostendere conabatur, non Neoburgico, sed sibi eam hæreditatem competere. Etsi enim successionem linealem, & jus primogenituræ suo loco relinquat, si Electoris defuncti filius, aut frater, aut descendentes adsint; quia tamen in Electoris Caroli descendenti, & collaterali linea nemo superfit, eoque casu Aurea, & Palatina peculiaris Bulla Imperatoris Sigismundi anno 1414 & 1434 data, uti & Palatinæ Domus conventiones simpliciter propiorem gradum absque respectu ordinis genituræ, aut linearum ad successionem vocent; ultro adparere, cum ipse postremo defunctum uno gradu propius quam Neoburgicus agnatione tangat, successionem sibi competere. Sed cui Elector respondit; Neoburgicum ad Auream Bullam, & Westphalicæ pacis dispositionem provocare, eundemque citra contradictionem ab universis Ordinibus, uti & ab exteris Electorem agnosci. Unde Veldentinam prætensionem vix locum inventuram. Cæterum jam antea, cum linea Simmerensis, quæ in Carolo extincta est, ad Electoratum perveniret, Veldentina eandem quæstionem moverat; sed cujus ratio habita non est, quod Simmerensis familia tunc defuncto Electori juxta lineam propior quam Veldentina foret; eoque Simmerensis Veldentino licet gradu propiori juxta Auream Bullam prælatus est. Ex eo tempore nulla protestatio a Veldentinis facta dicitur, nisi quod appenagium nomine hujus successionis, & partem allodialis hæreditatis prætenderunt. Qui processus ex eo tempore Spiræ pependit, & postquam diu interquievisset, brevi ante Caroli obitum iterum motus est. Sed qua actione Veldentini maximum sibi ipsis præjudicium attulerunt, quod non nisi postgeniti a primario hærede appenagium petere soleant.

Electoris circa successionem Palatinam opera. §. 15. Porro circa id negotium Elector enixe apud Gallum operam navabat, ut jura Imperii, & Electorum salva forent, ac omnes turbæ, quibus idem ansam dare poterat, averterentur. Aurelianensi autem denuntiabat: ne ipsa hæredem ab intestato se gereret, quod testamentum adsit, cujus apertura expectari debeat. Equidem Carolum Ludovicum ex Instrumento pacis Lauteram, & Spanheimensis Comitatus partem adquisiuisse. Sed valde dubium esse, num ideo hæ ditiones, quod ad tempus ab aliis Palatinis appenagiatis possessæ fuerint, ejusmodi indolem induerint, ut allodiales hæredes in iis succedere possint; aut num receptum in Gallia jus novarum adquisitionum huc adplicari possit, quod in Germania locum non inveniat. Sane eæ ditiones semper feuda Imperii, & quidem masculina habita fuisse. 1685. Juliacensium ditionum aliam plane conditionem, quæ ab initio feuda promiscua fuerint, per connubia ab una familia in aliam translata; nec eo tempore, quo ad natos e foeminis devolutæ sint, ullum e linea masculina ejus prosapiæ superfuisse. Unde si maxime Simmera feudum promiscuum foret, non posse tamen eam in foeminas devolvi, quamdiu masculi agnati superfint. Ante omnia autem Aurelianensi Germaniæ leges, & processum observandum; sicuti si Gallica foemina in Germania nuberet, legibus Gallicis eidem standum foret, ubi hæreditatem in Gallia cernere debeat. Sane in Germania foeminas etiam in feudis promiscuis non admitti, sed ab agnatis masculis excludi, quocunque tempore illa adquisita sint. Aurelianensem quoque istis expresse renuntiasse. Frustra a Gallis objici, circa octavum Electoratum pace Westphalica mutationem in Aurea Bulla contigisse. Nam hanc mutationem se non extendere ad indolem Electoratus, & bonorum independentium. Falso quoque jactari, Westphalica pace Neoburgico dignationem duntaxat Electoralem addici. Nam & simul mentionem fieri pactorum gentilitiorum, quæ non solum de dignitate Electorali, sed & de bonis disponant. Sed & post obitum Ottonis Henrici Electoris, cum Electoratus ad Fridericum III. e Simmerensi linea perveniret, utut allodiales tunc hæredes existerent, tamen dictas ditiones Lauteram, Simmeram, Spanheimum penes Electoratum mansisse, super quibus investitura sæpius accepta fuerit. Cæterum in procuratorio, quod Morellus Abbas Heidelbergæ exhibebat, ea verba extabant: Quod *Aurelianensis uxori jus competat in universam successionem defuncti fratris Electoris Palatini secundum jus naturæ, velut unica hujus sorori, & unica filia Electoris Caroli Ludovici;* (autori ejus scripti de lege Salica in mentem non venerat, quæ juri naturæ repugnans hoc modo arguebatur;) *eoque jus ipsi fuisse in possessionem totius hæreditatis sese immittendi, ejusque fructus percipiendi, quod Neoburgicus per singulas partes ea feuda masculina esse demonstrarit, & quo titulo adquisita fuerint, quod utique Palatinatus non sit provincia, quæ semper unita, sed quæ e multis particulis composita fuerit.* Idem utique integra documenta inspicere volebat ut inquirere posset, num quid in favorem Aurelianensis ibi contineretur. Inanem esse cautelam, quod non integræ literæ investiturarum sibi exhibeantur. Sane e re Palatini esse, ne is ob talia periculum belli incurrat. Se quidem immunem fore a culpa malorum, quæ ex ea tergiversatione provenire queant. Talia tolerari posse, si Palatino negotium cum Darmstadiensi, Wurtenbergico, aut Durlaceno sit. Sed nunc cum potentissimo orbis terrarum monarcha rem esse. Unde ei ostendebatur constitutio Stephani, a quo omnes qui nunc sunt Palatini sangvinem trahunt, anno 1444 condita, per quam omnes filiæ ab hæreditate ditionum excluduntur; quæ & vim legis perpetuæ & fundamentalis in Palatina familia semper habuit. Addebatur ingens numerus filiarum Palatinarum, quæ omnes uti Aurelianensis renuntiarant. Quia tamen Elector censebat, circa communicationem docu-

1665. documentorum haut tergiversandum, ut eo facilius Galli injuriæ convincantur, etiam exempla locorum ad rem facientium tradebantur, quæ Morellus ipse cum autographis conferre possit; præmissa tamen protestatione, Palatinum haut ideo ad probationem sui juris descendere. Cæterum omnes, queis juris aliqua notitia, Morelli propositionem multis modis absurdam agnoscebant. Sane in feuda Imperii Aurelianensis uxori actionis nil competere, a quibus communia jura feudalia fœminas excludant, in quæ & ista ex superfluo renuntiarit. Ex intestato eandem allodialia prætendere non posse, cum testamentum adsit. Ac si maxime poneretur, successionem ab intestato locum habere, Aurelianensem tamen non ideo unicam hæredem esse, quia unica sit filia, & soror; quod feudalia ad fœminas non spectent, circa allodialia autem Aurelianensis a patre jam dotata fuerit, a fratre autem testamentum conditum sit, mater quoque adhuc superstes agat, cui & ipsa pars allodialium competat. Denique inauditum esse, Aurelianensi facultatem fuisse seipsam in possessionem mittendi; cum successor in territorio jure communi in casu mortis possessionem arripere soleat, apud quem successores in allodia sibi debita

6. Sept. quærunt. Porro Cæsar Ratisponæ declarabat, se decisionem ejus causæ ex jure Principum ad se pertracturum. Verjus contra disserebat; Regem intuitu belli Turcici, & ne quis ab auxiliis eo mittendis avertatur, in hac causa quædam dissimulasse, ac ad tempus adhuc spectatorem acturum. Demum tamen satisfactionem quæsiturum, quantum jus & æquum requirat. Cum post Galli eam causam arbitrio Pontificis submittere vellent. Elector id ferendum haut censebat, quod etiam florente quam maxime Pontificio dominatu inter gravamina Imperii habitum fuerit, tales causas ad Pontificem pertrahi. Ac ideo magis nunc considerandum, quod Protestantium rationes heic admixtæ sint. Ast Cæsar, cum de hoc arbitrio Pontifex ad ipsum referret, liquidum responsum declinabat; ex vi legis Regiæ ad universos Ordines hanc causam referendam causatus. Scilicet quod Pontificem offendere nollet, cujus pecunia ad bellum Turcicum opus habebat. Aula Cæsarea judicabat, a Gallo hanc prætensionem extractum iri, ne prætextum desit, ubi in arma erumpere placeat. Sane sub finem anni Morellus ex improviso Heidelberga discedebat, nullo alio colore dicto, quam quod Rex eam causam arbitrio Pontificis commiserit; (quod tamen se admissurum nec Cæsar, nec Palatinus declararat.) Unde nullum se operæ pretium ibi facere; haut obscure questus, nulla in re sibi a Palatino satisfactum. Cæterum cum Gallus expostularet; Electorem tanto studio Palatini causam agere, ac passim adversus propositum Pontificis arbitrium opponere, quæ cum emolumentis Galliæ haut congruant: hic regerebat; ad isthoc se teneri ex officio, quod Imperio, ac Electorali Collegio debeat; idque se disertis verbis in fœderibus cum ipso semper excepisse. Quod Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, arbitrio Pontificis sese haut opponant, id fieri e causis nemini obscuris. Sed seculares quoque Electores ac Principes in id consensuros, valde se dubitare. Ne prioribus quidem seculis, cum Papæ autoritas ubique floreret, tale quid ab hoc susceptum. Ac si is in Gallia tanti momenti causam decidere audeat, num id a Rege concessum iri? Multo minus Protestantibus ferendum Pontificem heic se ingerere, quod istæ ditiones Protestantium sacra amplectantur. Non ideo autem violati se fœderis argui posse, quod circa Palatinam causam diversa a Rege sentiat. Nam per fœdus Gallicum se hautquidquam desinere Electorem Imperii esse, aut de fide sua in patriam inde quid decedere. Ac uti nobilissima opera, quæ Imperio navari possit, & ad quam omnes Ordines adstringantur, in eo consistat, ut ejus compages integra servetur: ita non licitum duntaxat, sed & necessarium fuisse in causa, qua duo Ducatus Electorali Domui subtractum ibantur, suam sententiam locis convenientibus exponere. Ejusmodi dissensiones etiam inter conjunctissimos fœderatos haut insolitas esse; ac si extra casum fœderis, uti heic, sint, per eas conjunctionem hautquidquam violari. 1665.

§. 16. Cumprimis autem animum Electoris a Gallo averterunt, quæ hoc anno in Reformatos per id Regnum patrata sunt. Ea religio sub Francisci I, & Henrici II regimine tacitis incrementis late per Galliam se diffuderat, etsi subinde ab istis Regibus in eandem professos atrocibus suppliciis sæviretur. Sed post cum per debilitatem Regum ambitio procerum licentius erumperet, eadem in fluctus bellorum civilium pertracta fuit; quod iidem, qui summam rerum invadere parabant, ea quoque sacra exitiabili odio prosequerentur; quorum immanitatem, inani regiæ autoritatis prætexto grassantem Reformati a jugulis suis avertere fas plumque ducebant. Cum demum adversa factio jam citra dissimulationem id ageret, ut Borbonia stirps diademate Galliæ arceretur; Reformati nec opibus, nec sanguini pepercerunt, ut Henrico IV, qui tunc eorum dogmatibus adhærebat, aditus ad Coronam pateret. Sed cum hic judicaret, tuendo solio se imparem, ni ad Romanos ritus transiret, Reformatis tam præclare de se meritis cavere instituit edicto Nannetensi, ac concessis quibusdam munitis oppidis velut securitatis ipsorum pignoribus. Istam tamen cautelam hautquidquam ad diuturnitatem fore prudentes dudum animadverterunt, quod ea religio partem reipublicæ non constitueret, uti in Regnis, ubi Ordinum aliqua est potestas, atque autoritas, ac diversis sacris addicti inter Ordines quoque locum sortiuntur. In Gallia autem post extinctam Ordinum autoritatem omnia ad placitum Regis, nullis legibus circumscripti, referuntur; qui & solennissime a majoribus, quin & a se ipso sancita immutandi facultatem sibi arrogat, nulla alia ratione adducta, quam quia ita placet. Accedunt immania odia Sacerdotum Romana sacra professorum, queis nullus pudor est etiam soli humanitati debita jura abnegare diversam a se colendi Numinis viam secta-

Persecutio Reformatorum in Gallia.

1685. sectantibus; quasi sanctissimum humani generis vinculum circa hosce locum non haberet, datam fidem servare. Unde & post Cardinalis Richelius, cum omnia dominatui obstantia e medio removere aggrederetur, oppida Reformatis in cautionem data munimentis exuit, ut hisce non nisi e sola Regis libidine salus expectanda foret. Sane Reformati ex eo tempore omni studio connixi sunt, ut summa fide, ac promtissimo obsequio gratiam Regis mererentur, turbis præsertim Condæanis, quando jam ipsius Regis natales solicitabantur, cum lautissimis conditionibus in istas partes solicitarentur. Quo nomine & Rex plausibilem valde declarationem istis dederat, his inter alia verbis: *Subjecti nostri Reformatæ religionis certa documenta sui affectus, ac fidelitatis erga nos dederunt, & peculiariter præsenti occasione; quibus valde contenti sumus.* Haut eo minus, postquam Pyrenæa pace Galliæ quies ab exteris hostibus data esset, Clerus & penes quos conscientiæ regiæ moderamen erat, stimulos subdere non omittebant, ut ea sacra plane Regno exterminarentur. Cumprimis eam rem acerrimo studio egisse arguebatur Harlæus Archiepiscopus Parisiensis enormi cupidine galerum Cardinalitium obtinendi. Ad quem conferendum antea Papam metu inducere conatus fuerat, dum non solum in conventu Præsulum anno 1682. habito præsidem egit, sed & ex Anglia informationem petiit, quo modo Henricus VIII. usus esset, quando religionem eo in regno mutarit. Sed cum Pontifex ista nihil curat, Præsul diversam viam ingressus acerrimum se Protestantibus hostem tulit. Quo tamen ipso tantopere affectatam purpuram assequi haut valuit apud Pontificem tam scævæ ambitioni infensum. Sed nec dubium erat, quin haut postremas in hac tragœdia partes egerint Jesuitæ, queis quantivis habebatur Reformatos amoliri velut curiosos nimis observatores pravorum dogmatum circa mores, & quæ ipsis contra sanctimoniam legis Christianæ patrantur. Ac initio variæ constitutiones editæ, ut emolumentis ac beneficiis subtractis, Reformati per inopiam, aut infinitas alias molestias, ad abjuranda sua sacra permoventur; quod expulsa tanta civium multitudine, uti Hispani fecerant, Regnum debilitare nollent. Sed cum ea via tardiores, ac speratis minores progressus fecissent, ad violenta remedia procedebatur, immissis dimachis, qui hospites omni petulantiæ genere inaudito inter Christianos exemplo ad Romanos ritus adducerent. Cujus conversionis specimen primo in Bearnia captum est; quæ provincia brevi tempore ad exuenda Reformata dogmata compellebatur, paucis exceptis familiis. Id cum tam promte successisset, eadem via novam fidem animis insinuandi apud vicinas provincias, & urbes adhibita est; quas inter Monsalbanus, quondam tolerata fortiter obsidione celebris, præter omnium opinionem haut expectatis extremis publico decreto religionem mutavit. Quod exemplum tota fere Aquitania, Delphinatus, & major Languedociæ pars, cum Montepessulano, Nemauso, & aliis vicinis urbibus imitata est, & haut expectatis dimacharum hospitiis hortante Noallio Duce Regis libidini se submiserunt, sic ut brevi tempore CCL M hominum ritibus Romanis nomina darent, non quod priorem fidem intus exuissent, sed quia nullus fugæ locus, aut intolerabiles insultationes declinandi via patebat. Nam nemini præterquam concionatoribus extra Regnum migrare permissum, queis uxores tantum, & liberos, non item alios domesticos secum ducere licuit, nec supellectilis quid præter libros. Etsi inter hæc insignia constantiæ exempla magno numero conspiciebantur, & illustrium virorum, fœminarumque, & plebejorum, qui bonis omnibus relictis solum verterunt, non sine periculo incurrendi pœnas a Rege dictatas. Multi etiam diuturnos carceres, aliaque mala fortissime tolerarunt. Tot provinciis ac urbibus subactis aulæ spes surgebat, quod per tot annos meditata fuerat, absolvendi, ut per totam Galliam non nisi Romani ritus essent, quæcunque de horum sanctimonia persuasio iis hæreret, queis ea sola ratio superfuerat atrocia mala effugiendi. Rupellani dimacharum adventum expectabant, sed quorum constantiam intra viginti quatuor horas plusquam barbari militis importunitas expugnavit. Lugdunenses, ac Gratianopolitani communionem sub utraque, & quarundam superstitionum abolitionem sibi stipulari volebant, inani cautione, ubi pro ratione sola voluntas habetur. Inde omnibus procuratoribus regiis in aulam evocatis Nannetense edictum abolетur, prætexto conversionis totum Regnum pervagatæ, ob quam nullus amplius ejusdem usus sit. Concionatores intra quindecim dies Gallia migrare jussi, ni ad triremes dari velint. Jactabant Galli, eam religionem superiore seculo per vim introductam; igitur pari nunc modo eam expelli haut nefas esse; quasi ulli unquam mortalium vis illata foret, ut Reformata dogmata amplecterentur, inter quæ id vel præcipuum est, per vim externam, aut ostentatis emolumentis genuinam circa divina persuasionem animis inseri haut posse. Aliqui ad exempla veterum Cæsarum provocabant, qui sub finem seculi quarti in Donatistas vi egerint; quasi quælibet quorumlibet exempla vim legum haberent. Ast prudentes, ac moderati viri isthoc agendi modo non tantum genio religionis Christianæ, ac imperio, quod sibi Deus in hominum conscientias reservavit, grande præjudicium illatum judicabant; sed & Regem utilitatibus suis plurimum detraxisse, tanta civium multitudine ad vicinos profuga, qui Gallorum solertiam circa varii generis artes illaturi sint; ut exteris dein haut necessum sit futurum tantum pecuniarum Galliæ mercibus inde petendis importare. Reliquis autem, queis in Gallia manendum fuit, inauditam animorum aversionem inditam, data occasione summo cum Regni periculo expromendam. Et cum Reformatis dudum nocendi facultas ademta foret, a sola Regis gratia pendentibus, demens fuisse, tantam multitudinem fidissimorum civium amittere aut alienare, magno præsidio futuram, si quæ factio 1685.

1685. factio forte per Pontificios in Regem exsurgeret. Sed nimirum tam noxiam violentiam animo Regis indidere Sacerdotes, queis inter arcana dominatus sui est homines liquida, ac solida agendorum notitia arcere, quo ipsi obnoxias sibi mentes ex placito, ac usu suo flectere possint. Illi suggessere, haut nobiliore piamento aboleri posse, quæ Rex plurima sciens volensque contra Christianam legem admiserat, quam tanto hominum numero ad Ecclesiam Romanam pertracto; cujus emolumentis, ac finibus augendis quicquid inservire potest, quantumvis alias divinis, humanisque legibus adversum, eo ipso sanctum, piumque ab istis habetur. Iidem quoque succinente adulatorum turba, Regi persuaserant, gloriosissimum facinus fore, uniformes ritus in regno suo introduxisse: immemores, ex eadem persuasione immensas calamitates & illam, qua nunc Hispani laborant, virium imbecillitatem promanasse. Fuerant & qui eidem persuaderent, Reformatos ex sola animi pervicacia, nulla ratione subnixa, ritus Romanos adspernari. Unde indignum homunciones istos voluntati Regis resistere, qui toti Europæ leges det. Sane etsi Innocentius XI. Pontifex *brevi* ut vocant epistola abolitionem edicti Nannetensis laudaret: tamen nec ipse, nec cordatissimus quisque Romæ eum agendi modum probabat, per quem tot simulatores, & qui tremenda sacra profano usu temerarent, facti forent, immensa simul invidia religioni Romanæ contracta, velut ea homines omnia humanitatis jura exuere doceret. Ac Episcopus Gratianopolitanus Camus in universum omnes Sacerdotes diris illigaverat, qui recens conversos contra voluntatem ad accipiendam coenam mysticam compulsuri essent. Quem virum tamen Pontifex proprio motu, ac nemine commendante Cardinalem creavit. Etsi Pontifex ut a Rege actis adplauderet eo minus causæ habebat, quod triennio ante in Conventu Cleri Gal-
19. Mart. 1682. licani quatuor propositiones stabilitæ essent, jugulum autoritatis Pontificiæ petentes. *I. Quod nec Papa, nec Ecclesia ullum jus in temporalia Regum habeant, nec eorum subditi juramento fidelitatis exsolvi possint quocunque prætexto. II. Quod Generale Concilium sit super Papam. III. Quod potestas Papæ debeat limitari per Canones, & quod is nihil possit decidere & statuere, quod contrarium sit antiquis Canonibus, ac libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. IV. Quod Papa non sit infallibilis nec in facto, nec in jure, nisi præsideat in Concilio Oecumenico, quod decidit, & reddit Papam infallibilem, citra quod idem talis non esset.* Quibus propositionibus accedebat edictum Regis, quo isthæc doctrina in omnibus Collegiis atque Universitatibus tradi jubebatur, vetito, ne quid abs quopiam sibi subjecto isti contrarium doceatur. Ast Regem credidisse, ea se persecutione non mediocriter de Ecclesia meritum inter alia e responso adparet, quod is Cancellario Polo-
16. Nov. niæ auxilium contra Turcam quærenti dedit: Se id auxilium nec ex usu orbis Christiani, nec e peculiaribus Galliæ rationibus ducere. Nam omnes Christianos in Oriente, omnes Monachos, & sacerdotes Catholicos, qui magno numero ibi agant, non nisi sub protectione Franciæ tolerari; quos 1685.
magna calamitas maneat, ubi ipse arma in Ottomannos strinxerit; præterquam quod suis civibus magna iis locis commercia agitentur. Sed nec auxilio suo opus esse ob victricia Cæsaris, & Venetorum arma, & ingentem apud Turcas consternationem. Ac satis se mereri de re Christiana per diligentiam circa reducendos ad Catholicam Ecclesiam suos cives, qui hucusque ab eadem alienati egerint: quam in rem magnæ sibi expensæ sint faciendæ.

§. 17. Ista calamitas innocentibus hominibus eam tantum ob causam illata, quod religionem, de cujus falsitate in conscientia convicti erant, ob humanos respectus amplecti nollent, Electoris animum vehementer affecit; non solum ob communem humanitatis affectum, & peculiare in communia sacra studium; sed & quia Gallus abolitione Nannetensis edicti posuerat, se induciarum quiete ad extingvenda Reformatorum sacra uti voluisse; cum tamen ipse circa has perficiendas tam enixam operam navasset. Igitur cum antea interposita apud Gallum pro istis intercessione nil profutura operam perdere noluisset, aliis qua poterat beneficiis miseros solari instituit. Quo fine edictum Potstami condit, quod passim vulgabatur, hoc sensu. *Postquam aspera persecutio, quæ hactenus communem fidem professis in Gallia incubuit, multas familias relicta patria alibi sedem fortunarum quærere subegerit; se justa commiseratione fidei consortibus debita motum hoc edicto tutum iis intra suas ditiones receptum benigne offerre, simul quæ privilegia iisdem indulgere decreverit, significare, ut pro virili tanta calamitate, qua Deo tam insignem partem purioris Ecclesiæ castigare placuit, obrutos solari queat. Ut igitur qui in provinciis nostris sedem figere decreverint, eo commodius huc pervenire queant, ablegato Diestio Hagæ, & Commissario Romswinckelio Amstelodami injunctum id sortis Gallis Protestantibus, qui apud ipsos nomina sua profitebuntur, naves, & alia necessaria curare, quo cum suis Hamburgum pervenire queant. Ubi Otto Gerica ulterius iter eorum promoturus sit ad eum locum ditionum Electoralium, quem novis suis sedibus elegerint. Sed qui per Sedanum e Campania, Lotharingia, Burgundia, & Australioribus Galliæ provinciis per Helveticos haut tacto Belgio venerint, iis viam Francofurtum, aut Coloniam dirigendam, ubi Matthæo Meriano, & Lelio naves, ac pecuniam iis suppeditare mandatum, ut secundo Rheno in Cliviam descendere queant; ubi regimen provinciæ curam habebit, ut vel ibi, aut in Marcana provincia, sedem figant, aut si ulterius penetrare placeat, necessariis rebus instruantur. Cum porro provinciæ nostræ non solum rebus servandæ vitæ necessariis, sed & exercendis artibus manuariis, & commerciis terra*

Electoris edictum in favorem Reformatorum e Gallia profugorum. 29. Oct.

& aquis

1685. *& aquis valde idoneæ sint; iis quibus domicilium in his constituere placuerit, liberum fore eligere, quem locum sibi in provincia Clivia, Marca, Ravensberga, Minda, Halberstadii, Magdeburgi, Marchia, Pomerania, & Borussia suo vitæ generi commodissimum duxerint. Et quia ipse judicet, in Marchia Stendaliam, Werbenam, Ratenaviam Brandeburgum, & Francofurtum; in Ducatu Magdeburgico Magdeburgum, Halam, & Calbam; in Borussia Regiummontem ob annonæ abundantiam, ac moderatum pretium, ac opportunitatem commercia exercendi iis commodissimas fore; igitur se disposuisse, ut eo venientes humaniter excipiantur, iisque omnia, ipsorum stabilimento inservientia pro captu suppeditentur. Etsi & in aliis locis nostræ ditionis, ubicunque placuerit, sedem eligere integrum iis sit. Si supellectilem, aut merces secum adferant, eas ab omni vectigali, ac quocunque onere liberas fore. Si in oppidis, ac vicis, ubi refugi isti domicilium statuere velint, ædes desertæ, aut ruinosæ inveniantur, quarum dominis facultas non sit eas reparandi, has Gallis Reformatis perpetuo proprietatis jure addicendas, ac dominis pro iis satisfaciendum, easque ab omnibus oneribus, hypothecis, tributorum residuis, ac similibus debitis, quibus obnoxiæ fuerint, plane liberandas. Materiam quoque iis reparandis gratis præbendam, indulta in sexennium a quibusvis oneribus immunitate, tantum ut accisias in ea quæ consumuntur impositas solvant. Ast ubi vacua area inveniantur, eas cum adjunctis hortis, pratis, agris, & pascuis hæreditario jure istis tradendas, ab omnibus inhærentibus oneribus liberas; simul materiam extruendis ædibus gratis suppeditandam, ac recens extructas domos ab omnibus oneribus, præter accisias, immunes præstandas. Magistratibus quoque provinciarum injunctum in singulis oppidis certas domus conducere, quibus advenæ Galli recipiantur, mercede conductionis pro istis, eorumque familiis exsoluta, ut tamen interim assignatis areis ædificia extruere studeant. Statim ubi aliquo loco domicilium fixerint, iis recepta ibi jura civitatis, & opificiorum gratis concedenda cum usu beneficiorum ac jurium, quorum alii ejus loci incolæ, ac nati cives capaces sint. Eosdem quoque jure Aubinii, ac similibus oneribus, quibus exteri aliis in Regnis ac Rebuspublicis obnoxii agunt, eximendos, ac pari jure cum indigenis habendos. Artes manuarias quascunque exercituris non solum omnia, quæ desiderabunt privilegia, & beneficia indulgenda, sed & pecunia, aliisque ad persequendum ipsorum institutum necessariis pro virili sublevandos. Qui ruri sedem figere, & agricultura vitam tolerare velint, certas agri portiones assignandas, ac omnia, queis initio ad instruendum eum cultum opus fuerit, suppeditanda. Circa jurisdictionem, ac controversias, quæ inter Gallicas familias surgere possint, liberum iis fore in oppidis, ubi plures Gallicæ familiæ habitant, aliquem e suo numero eligere, cui facultas sit ejusmodi lites absque ambagibus processus amice dirimendi. Ast ubi lis sit inter Germanos & Gallos, magistratum loci, & quem Gallica natio sibi arbitrum elegerit, junctim in causam inquisiturus, eamque de plano decisuros. Id quod & fieri debeat, si inter solos Gallos exortæ lites amica via componi nequeant. In quovis oppido Gallis Reformatis concionatorem publicis sumtibus habendum, assignato quoque idoneo loco, ubi cultus religionis Reformatæ lingua Gallica iisdem ritibus, qui hactenus in Ecclesiis Reformatis Gallicis in usu fuerint, exercendus. Sicuti qui e Gallica Nobilitate, qui hucusque protectionem, & ministeria nostra subierunt, eadem dignitate, honore, ac prærogativa, quibus alii nobis subjecti Nobiles gaudent, quorum & complures ad dignitates, & insignia munera aulica, & militaria admoti sunt: ita eandem gratiam, & promotionem iis Nobilibus Gallis exhibendam, qui deinceps in nostris provinciis sedem ponent, qui & ad omnia munia & dignitates, queis idonei reperientur, admittendi sint; ac si, qui feuda & alia nobilia prædia comparare sibi voluerint, iisdem quibus indigenæ juribus gavisuros. Omnia heic expressa privilegia, & jura non solum iis, qui deinceps in nostris ditionibus adpellent, sed & iis profutura, qui ante publicatum hoc edictum ob persecutiones religionis e Gallia profugi in nostras provincias se contulerint. Ast eadem nullo sibi modo arrogare posse, qui Romanis ritibus sunt addicti. Denique in omnibus nostris provinciis certos viros delegandos, qui Gallicis advenis consilio & ope adsistent. Sicuti & omnibus nostris magistratibus injunctum est, ut Gallos Reformatos, quotquot in nostras ditiones accesserint, omnes & singulos in singularem suam protectionem recipiant, ac ut hisce privilegiis fruantur operam dent, omnes ab iis molestias, & injurias averruncent, ac omni humanitate, dilectione & officio iisdem adsistant.* 1685.

§. 18. Peculiari autem dolore Electorem afficiebant, quæ a Gallo in Arausionenses patrata fuerant, quorum ædes sacras is destruxerat, plane interdicto publico cultu. Ista pollicitis regiis repugnare, ac per eadem irreparabile præjudicium suis liberis illatum, jure supremi imperii infracto. Sane non ita pridem Gallum gravem declarationem edidisse, cum spargeretur, Hispanos de Belgio in Bavarum transferendo agitare, *Eo nomine cum Gallo expostulationes.*

 gitare,

1685. gitare. Atqui suis liberis liquidum jus in Arausionem competere, quale Hispani in Delphino hautquidquam agnoscant. Equidem id Deo, ac tempori tantisper committendum. Se tamen nunquam tanti momenti, ac tam liquido juri renuntiaturum; nec talia unquam a fœderato, qui de affectu, atque amicitia sua tam prolixe testatus sit, expectasse. Ad quæ Croissius regerebat: Arausionensi debile admodum jus ad eum Principatum esse; qui & sinistre erga Galliam se gerat. Regi gravissimas esse rationes hoc rerum statu, ne in medio Regni sui toleret cultum, qui tota Gallia proscriptus sit. Si filios Electoris ad successionem vocari contingat, in quem solum casum Rex obligatus sit, semper facultatem fore iis satisfaciendi. In præsens id negotium solum Principem spectare, qui ut Rex in ipsius gratiam jure suo desistat, haut meritus sit. Sed & ultro querimoniæ movebantur, quod Elector edicto suo *persecutionis* vocabulo usus esset. Quo & id actum sit, ut cives a Rege avertantur, iisque viam, qua se e Gallia subducere possint, ostensam: quorum protectorem Elector se in conspectu totius Europæ ferat; cum tamen Rex nunquam se ingerere voluerit negotiis, quæ Catholicos in Electoris ditionibus habitantes spectent. Quæ ne toleranda quidem sint in Principe, qui medium duntaxat se gerat, nedum in fœderato. Unde cum ex aliquo tempore Elector gloriam ex eo captasse videatur, quod Regis sese utilitatibus opposuerit; hunc quoque non amplius præstare posse, quæ fœdus vicissim requirat. Electori mox pœnitentiam subituram, si Austriacorum sese amicitiæ innectere velit; nec dubitare, si novum adhuc ejus specimen ceperit, arctius deinceps quam hactenus Galliæ amicitiam amplexurum. Ad ista, & quæ de subsidiis non amplius solvendis Galli minabantur, Elector reponi jubebat, Gallum eadem haut gratis dedisse, ac longe majora stipulatum, quam quanti ea sint, quæ & bona fide a se impleta fuerint. Cæterum sibi hautquidquam in animo esse honorem, existimationem, ac rationes sui status pro quantacunque pecuniæ summa alteri addicere. Sed quod *persecutionis* vocabulum spectet, sane se haut perspicere, quo alio nomine notari possint liberorum e parentum sinu raptus, immanissimorum dimacharum hospitia, triremes, carceres, cædes, effossiones sepulcrorum, abolitionem edicti Nannetensis ab ipso Rege confirmati, & alia etiam inter Ethnicorum Cæsarum furores inaudita; ac ne exilium quidem talibus declinandis permissum. Et quare sibi minus liceat id genus acta persecutionem nuncupare, quam a Gallo Protestantium religio etiam publicis scriptis hæresis vocitatur, vulgato jam passim horribili dogmate, ejus religionis consortibus fidem non esse servandam; quo ipse, aliique Protestantes deterioris conditionis quam Ethnici, & Turcæ habeantur, qui citra controversiam juris e pactis quæsiti capaces censentur. Quo scito sanctissimum humanæ societatis vinculum abrumpatur. Alias edictum suum non spectare ad cives Galliæ a debito obsequio abstrahendos; nec iis, qui adhuc in Gallia agunt, quidquam a se oblatum. Sed eos duntaxat, qui jam finibus Regni excesserint, invitatos, ut in sua ditione si velint sedem figant. Ac Regi perinde esse, apud se an alibi asylum isti inveniant. Semper quoque fas piumque habitum, immerito odio, inprimis ob religionis diversitatem oppressos, alio refugos recipere. Ac plurimos Cæsareis ditionibus ob sacra pulsos in suis provinciis domicilium collocasse; quo nomine Cæsar nunquam questus sit. In Belgicis quoque persecutionibus migrationem nunquam fuisse interdictam. Ac si Gallus gloriosum sibi ducat, fervens circa sua sacra studium ostentare; sibi quoque vitio verti non posse, si miserorum calamitate tangatur, ac ob conscientiam solum vertentes recipiat, eaque adversus istos exerceat, quæ citra violationem officii Christianis commendati omitti non poterant. Denique modum persecutionis in Gallia adhibitum adeo insolitum esse, ut ejus similis ab omni seculorum memoria, quamdiu diversitas Religionum extitit, apud nullum Ethnicum, & Turcam, nedum inter Christianos Principes, conspectus sit. Equidem Protestantes per Cæsaris ditiones, & alibi variis modis ad amplectendos Romanos ritus compulsos, & adhuc compelli. Eos tamen, qui flebile emigrationis beneficium arripere voluerint, hautquidquam detentos; sed iisdem integrum fuisse quo vellent abire, nec unquam revocatos; quos a se, aliisque Imperii Ordinibus receptos, ac variis beneficiis mactos nemo unquam questus sit. Equidem dici, Gallum non impedire, quo minus cum nostris civibus, quæ videantur, agamus. Pari modo & se egisse, ac licet ipse, antequam talia erumperent, infinities rogatus sit, ut per literas apud Regem pro sacrorum consortibus intercederet, id tamen se recusasse, ne ullo modo intestinis Galliæ negotiis sese videretur miscere, & quia satis norat eas sine fructu fore. Ac si Catholicos in sua ditione agentes pari modo, uti in Gallia fit, tractare sibi in mentem venire possit, non improbaturum, si Rex iis receptum præbeat. Etsi tantum absit, ut ipse paria unquam suscepturus sit, ut potius singulari sibi curæ fuerit cives suos Romanis ritibus addictos non minus quam Protestantes tueri, iisque tranquillitatem, ac libertatem conscientiæ præstare; qui & non solum ad collegia opificum, & alia munia oppidana, sed ad sublimiores quoque dignitates admittantur. Ista igitur Gallis ingerere Spanhemius jubebatur; quæ ubi his non suffecerint, non aliter judicari poterat, quam prætextum quæri debitas ex foedere præstationes abnuendi. 1685.

De sacris legatorum. §. 19. Questus quoque fuerat Rebenacius, usum suorum sacrorum Berolini circumscriptum sibi fuisse. Ad quod Elector reponi jubebat; non plus isti denuntiatum, quam quod Spanhemio, & aliis legatis Lutetiæ nomine Regis significatum sit. Et esse tamen adhuc discrimen, quod Spanhemio non permittatur in sacris aliud idioma adhibere, quam quod in Electoris ditione vernaculum sit. Cum Rebenacius ab aliquot annis fere Teutonicis sacrificulis usus sit, ac nunc quoque in domo sua conciones Teutonica lingva haberi sinat. De quo ipse nunquam questus sit, utut Romana sacra hoc loco nunquam permissa, Reformata autem per publicas leges a Regibus Galliæ firmata fuerint. Rebenacium quoque eo minus querendi causam habere, quod Cæsareo legato eadem denuntiata sint, cui plusculum licentiæ varias ob rationes facile

1687. cile indulgeri poterat. Falsum quoque esse a se interdictum, ne peregrini, & qui heic domicilium non fixerunt, istius sacris intersint; sed civibus tantum hujus urbis id fuisse vetitum. Sic ut non aliud a se circa sacra legatorum constitutum fuerit, quam quod Lutetiæ observatur. Sequenti anno Rex legatis exterorum Lutetiæ denuntiabat, ne Gallos Reformatam religionem professos in ministerio suo haberent; ac se legatis suis imperaturum, ut idem in aliorum Principum aulis observent. Id quod Elector juri gentium adversari censebat; cum comites legatorum a jurisdictione Principis, ubi agunt, exemtos agere par sit; nec sufficere, quod Gallus suos legatos ad paria adstringere velit. Quin contra dici posse, quia alii Principes legatis exterorum permittunt indigenas locorum ubi degunt inter domesticos suos recipere, Gallo quoque idem faciendum. Nec si Princeps quispiam dispositioni, ac beneficio juris gentium renuntiare velit, ideo aliis imitandi necessitatem esse, qui id sibi expedire haut judicent. Posse quoque legatum ægre domesticam rem exteris locis instruere absque opera indigenarum: ac durum fore, si legato ab exteri Principis dispositione pendendum sit, quorum hominum ministerio uti debeat. Quod si legati Protestantes ministros in Gallia invenire nequeant, necessum fore, ut Catholicis informationem liberorum, ac secretas scriptiones committant, quibus præter multa alia incommoda ubi ægrotaverint, Sacerdotes non sine pompa quem e pane confecerunt Deum in ædes delaturi sint.

De famulis legatorum.

Nov. 1687. Juvigny. Cæterum post biennium Stutgardiæ quoque cum ablegato Gallico Juvignio super sacris legatorum lis orta est; ubi subtribuni cujusdam apud Ducem stipendia merentis uxor Romanis ritibus innutrita in oppidani cujusdam ædibus sontico morbo decumbebat. Ea cum pronam se in Protestantium religionem ostendisset, ac e cujusdam ibi ministri concionibus, quas frequentare sueverat, multum ad pietatem se profecisse testaretur, extremis imminentibus hunc ad se evocavit, preces secum sociaturum, rogans ne ad mortem usque ipsam desereret. Id cum ablegati Gallici Sacerdos intellexisset, ultro, ac non rogatus, nec venia a Duce petita in eam domum accessit, operamque suam circa excipiendam confessionem, & exhibendum sacrum viaticum obtulit, aut si ægrota mallet Capucinum eo fine missurus, hac ostendente neutrum sibi placere, & cum Evangelico ministro preces continuante, Dux intellecto sacrifici Galli auso ablegatum misso consiliario rogabat, ut istum, limites officii excedentem cohibeat, cui haut jus sit Romana sacra in domo civis, ac in personam ipsius jurisdictioni subjectam exercendi. Ast Ablegatus: id se Sacerdoti suo injunxisse; ac plenum sibi jus competere per hunc sacra officia apud omnes Catholicos heic loci obeundi, etiam in civium ædibus habitantes. Ad quæ Dux petitum suum repetere; ut ablegatus sacrificum suum inde revocet, nec cultus suos extra domum ablegati exercere tentet; quod ea res omnium Ordinum Protestantium in Germania juribus fraudi cedat. Contra Gallus; se Sacerdoti simul Secretario suo imperasse, ut ab ægrota ne discedant, donec animam efflarit, aut convaluerit, præsertim cum ea jam ritu Romano confessa fuerit. (id quod factum non erat.) 1687. Postquam repetita monita apud ablegatum frustra fuissent, Dux prætori urbis injungebat, ut sacrificum, ni mox ædibus facessat, inde educat. De quo mandato cum sacrificus inaudisset, negabat se injussu ablegati exiturum. Igitur Dux tertia vice consiliarium prius postulata iteraturum misit, qui ablegatum in ægrotæ cubiculo, quo hic interim se contulerat invenit, ac quæ jussus erat exposuit; addito, Prætori jam injunctum sacerdotem hinc dimovere. Ad quæ Gallus fremere: *Caveret Dux arduum sibi negotium attrahere. Esse ipsi rem cum magno Rege, qui jam tot potentibus Principibus leges dederit. Sibi decretum, Sacerdotem suum hinc non avocare, sed se ipsum potius in cubiculo expectaturum ac visurum, quis istum educturus sit. Disertis verbis sibi a Rege injunctum in protectionem recipere omnes hujus loci Catholicos, tam in temporalibus, quam spiritualibus.* Quale mandatum Ablegato esse consiliarius negabat se credere. Properabat mox ablegatus in aulam Ducis colloquium exposcens. Sed qui denuntiari jubebat; sibi haut commodum post talia jactata ipsum videre. Haut eo minus antequam prætor ad domum ægrotæ accederet, sacrificus abierat; qui ne regredi posset, statio ad fores adponebatur. Idem ablegatus Teutonica quoque lingua conciones in ædibus suis haberi curabat magno cum concursu Pontificiorum ex urbe, & vicinia, quibus alias ritus suos in proximo vico exercere solitum erat. Id ut omitteret, cum Dux ablegatum moneret, hic respondebat; dignationem legati jus sibi dare quacunque velit lingua conciones habendi. Ac ultro querebatur, Italicas conciones apud se inhibitas, mulcta indicta Sabaudis Stutgardiæ agentibus, ne in ablegati sacellum accedant. Qui contra hosce, ut fidenter venirent invitabat, pollicitus se mulctam, si qua eo nomine exigatur, iis redditurum. Isthæc igitur Ducatus Wurtenbergici Administrator Carolus Fridericus ad Galliæ Regem referebat, petens, ut ablegatum ejusmodi ausis desistere jubeat. Qui Duci re- *28. Nov.* spondit: factum a suo ablegato aliter, quam a Duce referri. Ei a se injunctum, ut ea libertate, iisque privilegiis contentus sit, quibus sui legati apud alios Protestantes, præcipue in Dania & Hollandia fruantur. Cæterum ablegatus ita factum narraverat; Sacerdotem suum mysticam cœnam administrare voluisse fœminæ catholicæ id desideranti, & quæ semper sacra in ædibus ablegati frequentarit. Eo super negotio cum Dux Electoris sententiam exquireret, hic reponebat: *Protestantes Germaniæ Principes non teneri ad sequendum id, quod e peculiaribus forte respectibus in Dania, & apud Fœderatos Belgas Gallicis legatis indulgetur. Ac hisce merito adquiescendum eo libertatis modo, quem jura ac mores gentium circa isthæc exposcunt. Sane sibi persuasum, Gallicos legatos haut plus sibi arrogare debere, quam ut sacra Romana pro se, ac familia in ædibus exerceant, concionesque lingua sibi vernacula habeant. Et quia id citra præjudicium fiat, hucusque dissimulasse, ut pere-*

1685. *grini ad breve tempus heic commorantes, & viatores iis sacris interesse queant, id quod & Spanhemio Lutetia indulgeatur; id quod heic domicilium habentibus, & nostra jurisdictioni subjectis non concedatur. Id quippe hautquidquam requiri ad decoram & commodam vitæ rationem legatis debitam, e qua totum hoc negotium sit metiendum. Præsertim cum circa Gallum id peculiariter considerandum sit, quod iste initio proximæ persecutionis legatis Principum Protestantium Lutetiæ denuntiaverit; se iis pro sua familia, & peregrinis sacra permittere, & quidem non alia, quam ipsorum Principibus vernacula lingua, ut tamen subditis Gallicis ad eadem accedere ne liceat. Igitur quod jus iste in alias statuit, eodem ipsum uti par esse.* Cæterum Hafniæ in legati Gallici ædibus conciones Gallica, & Teutonica lingua habebantur magno cum concursu militum, & aliorum urbis incolarum; ejusque duo Jesuitæ per privatorum ædes ægrotis adsistebant. In Hollandia autem complura Ordinum edicta extabant, ut Catholicorum Principum legati pro se duntaxat, & familia sua exercitium suorum sacrorum haberent, & quidem non nisi suorum Principum lingua; sed quæ nunquam servata fuerant; ac Hagæ quilibet Catholicus aperte, legatorum ædes, horum Sacerdotes privatorum domus accedebant. Apud Gallicum legatum conciones Gallice, apud Hispanum Belgice, apud Anglum Anglice & Belgice magno cum confluxu hominum habebantur. Sed quæ exempla cæteris legem haut dabant.

Cum Sueco amicitia instauratur. *Falaiseau.*

§. 20. Porro quia Galli jactarant, ni examussim sibi ab Electore satisfiat, alia se consilia capessituros, ne isti forte Suecorum amicitiam sibi conciliarent, Electori e re visum abolendæ præteritorum memoriæ enixius studere, ac Sueciæ Regem propius sibi innectere. Unde Petrum Falæsium in Sueciam mittere placuit, præsertim cum Everhardus Grafenthalius a Rege diu Berolini egisset, ac sæpius de hujus desiderio circa amicitiam cum Electore colendam testatus esset. Qui & conventionem cum hoc inierat, quis titulus huic a Rege tribuendus sit, ac ut ejusdem legati pari honore cum Regis in Suecia haberentur. Ac eo magis Protestantium Principum concordia opus videbatur, quod præsens tempestas horum rebus parum prospera minaretur. Iste igitur in Sueciam delatus initio laxis de amicitia testationibus utebatur, quoad Regis inclinationem penitius inspexisset. Unde & aliquandiu super fœdere movere omittebat, quoad demum id non amplius differre consultum judicaret, cum animadverteret Eduardum Ehrensteinium, & Ericum Lindeschildium Regi Gallicam amicitiam suadere, qui ne hujus animum labefactarent, Benedictus Oxenstierna metuebat. Unde cum Falæsius de præsenti rerum facie sermonibus jecisset, Oxenstiera agnoscebat, temporibus Ferdinandi II. necessarium fuisse Austriacorum potentiam sistere. Sed nunc a Cæsare in præsens nil amplius metuendum, ac id potius connitendum, ne Gallus dominatum Europæ invadat, Protestantium sacra, statumque simul oppressurus. Postquam ita Falæsius aliquandiu vel ut suo e judicio disseruisset, jam Electoris nomine de hujus inclinatione proponebat arctius sese Regi innectendi ad publicum bonum, ac utriusque securitatem. In qua Rex pronum se valde ostendebat, ac suam cum Electore conjunctionem utrique id autoritatis circumpositurum, ut nemo ipsos invadere sit ausurus. Falæsius quoque Oxenstiernæ scrupulum injecerat, indicato, Croissium pronuntiasse, in Suecia Gallum operæ pretium haut facturum, quamdiu Oxenstiernæ quid autoritatis sit. Ac sane magni res momenti erat, quod Regi ingens militum numerus foret, sed pecunia, quæ his in expeditionem educendis requirebatur, deficeret, quam solus Gallus suppeditare poterat. Ac Picquetierus opera Lindeschildii Regis animum expugnare satagebat, ac Holmiæ de Electore loquebatur, velut qui plane amicitiam cum Gallo abrupisset.

Turbæ Hamburgenses.

§. 21. Hoc anno curam Electoris exercuerunt quoque turbæ Hamburgenses; quibus præcipuam ansam præbuisse credebatur Meurerus consul, valida in Senatu factione, ac Cellensi aulæ innexus, in quam quotannis octodecim uncialium millia erogabantur. Qui & autor civitati fuerat, ut durante adhuc novissimo bello ædem cathedralem, & quæ ab ista pendent, Bremensi Ducatui annexam, a Cellensi Duce magna pecuniæ summa emeret, stolido admodum contractu, cum nondum constaret, cuinam pace facta ædes ista addicenda foret. Quæ & post per pacem Suecis reddenda erat, penes civitatem inconsultæ emtionis pœnitentia relicta. Ei consuli in ordinem redigendo, simul reparando ærario factio inter cives invaluerat, quæ, uti solet inter homines mediocri prudentia, vehementi impetu, mala publica medendi importunitate asperaverat, ac dum sibi fulcra quærit, statum civitatis summo periculo admoverat. Cæterum Meureri causam foventibus, qui e discordia opulentæ civitatis lucrum captabant, ex aula Cæsarea in favorem istius rescripta obtenta fuerunt, quorum exsecutio Cellensi Duci delata fuit. Cui cum civitas parere nollet, is mercibus Hamburgensium per provinciam suam transeuntibus manum injicit, occupata quoque una & altera insula in Albi, per quam navigatio ejus fluminis impediri poterat. Quam rem ægerrime quoque ferebat Daniæ Rex, & quod Dux per Meurerum civitatis moderamen in se traheret. Eoque optabat ab Electore amicam compositionem earum turbarum suscipi: simul Cellensi ablegato Wackerbartio denuntiabat; ni Dux placidis consiliis aurem præbeat, sibi necessitatem imponi civitatis causam vi fulciendi. Igitur Elector sequestrem se inter Cellensem Ducem, ac Hamburgum offerebat, quod ex iis turbis nemini emolumentum, omnibus damnum oriturum sit; nec eam rem tanti esse, ut ita tumultuose agatur: quod idem & Hanoverano, ac Guelferbytanis Ducibus videbatur. Omnium vicinorum interesse, eam urbem servari; unde & par esse Cellensem æquitati animum advertere. Plebem Hamburgensem magnam sibi licentiam arrogare, nec semper penes magistratum esse eandem moderari. Ac se per literas civitatem hortatum, ut debitam modestiam ergaDucem adhibeant. Ostendebat quoque Elector, par fuisse ob fœdus, quod sibi cum Duce intercedat, & quia sua plurimum intersit, prius secum communicari, quam in violenta erumperetur. Ita enim suarum

Wackerbart. *15. Jan.*

1685. suarum ditionum rationes ei urbi implicitas, ut ipse nunquam pati queat eandem subverti, aut ad desperata consilia compelli. Ac ipsum Ducem, utut Dano arctissime junctum, antea tolerare non potuisse, ut hic eidem noxam daret. Tum hortabatur, erepta civitati loca restitueret, ac vi abstineret, ne civitas protectionem circumspiceret utrique ipsorum displicituram. Esse quoque rem pessimi exempli, si protinus ad infensa contra urbem procurratur, ubi quid ingrati ab ea admissum sit. Ita enim alii vicino viam muniri, cui nunquam prætextum desit, ut pari modo procedat, Albim in potestatem redigat; unde non possit non urbi, ac toti Inferiori Saxoniæ exitium provenire. Aegre quoque ferebat Elector Hamburgensium literas veredario in Hollandiam eunti in Cellensi ditione ademtas; ac castellum in insula *Marwerder* situm operibus firmari. Eoque Cellensi denuntiabat, utut sibi amicitiam cum ipso colere maxime cordi sit, se tamen non posse, quin urbi opem ferat, si ea ulterius urgeatur. Tum ne Dux detentas Hamburgensium merces distrahat, ut ratio iniri queat, qua is salva existimatione hoc negotium deponere possit. Dux contra, ut Cæsarem sibi faventem retineret, interminabatur, se promissas adversus Turcam copias haut missurum: Dano interim utrique se parti venditante, qui incalescente dissidio in turbido se piscaturum sperabat.

Apud Cellensem Ducem acta. §. 22. Ea mandata cum Canitius apud Ducem Cellis exponeret, hic respondebat; A Cæsare sibi injunctum civitatem in ordinem redigere, quoad constitutæ ab eo Commissioni se submittat, ac debitum eidem obsequium deferat. *8. Febr.* Tum Hamburgensium importunitatem exaggerare, & quomodo hi in urbem missos subdelegatos contumeliose habuerint. Plebem quidem manifeste furere, ac a se id agi, ne urbs in alienas manus incidat, ejusque status iterum rite disponatur. Insulam *Marwerder* suæ ditionis esse, nec sibi propositum commercium Albis sufflaminare; quod aliis quoque locis sibi in proclivi foret, ea si libido esset. Sed revera Cellensibus parum gratum erat, ab Electore ita propere aliquem missum, quod mallent citra istum cum civitate depacisci. Ac summa pecuniæ captabatur expeditioni in Hungariam impendenda, quod a Cæsare numerata in alios usus versa fuisset. Cæterum Dux rogabat, Elector urbi denuntiaret, sibi ejus petulantiam haut placere, ac ut Duci ex æquo satisfaciat. Detentas merces reddere haut ex usu esse, plebe istam facilitatem irrisura. Inficiabatur quoque castellum in insula *Marwerder* a se muniri jussum, ac cœpta opera se imperante dejici. Id cumprimis desiderabat, ut Hieronymus Snitquerus & Conradus Jastramus, factiosorum capita, custodiæ dentur, inque eos inquiratur; ut si comperiantur in venerationem Cæsari debitam deliquisse, pœnas dent. Nam quamdiu e duobus istis civitas pendeat, periculum esse, ne ea in alienam ditionem perveniat. Addebatur, ut civitas sumtus in Commissionem factos refundat, ac aliqua honoris indicia sibi exhibeat. *14. Febr.* Eo facto se adquieturum. Ad hæc Elector: circa posteriora postulata facile conventurum. Sed legibus adversum ab exsecutione incipere; ac plebem, quæ plane a duobus istis viris pendeat, oblata uberrime ab exteris auxilia potius amplexuram, quam eosdem desertura sit. 1685. Haut semper rationem habendam a Judicio Aulico decretorum, cui status civitatis parum cognitus sit, & quod vicinorum emolumenta parum consideret. Nec iniqua esse, quæ magistratus offerat; se velut competentes judices justitiam incorrupte administraturos. His ubi nil apud Ducem proficiatur, Canitius denuntiare Electoris nomine jubebatur: sibi per rationes suas curæ fore urbem ab interna confusione, & externo periculo tueri, ac libertatem commerciorum præstare. Non modicos tumultus Ducem quondam dedisse, cum ipse Hamburgensibus assignatam a Cæsare pecuniam solvere abnuentibus, naves quasdam eripuisset. Ac jam paratos stare, qui urbi suppetias laturi sint. Unde valde suadere, ut omnia in integrum restituantur. Ad ista Dux nil habebat, quod reponeret; quam existimationi suæ indecorum cedere. Ac postulabat, ut civitas missis delegatis, ac summa pecuniæ ipsius indignationem redimat; alias se ad distractionem mercium processurum. Elector contra eam satisfactionem iniquam judicabat; *3. Mart.* ejusque duritiem neque aula Cæsarea, nec quisquam vicinorum Principum probabant; ac jam alii manum ei negotio immisissent, ni Electoris prudentia id avertisset. Gallus quoque id sibi displicere significabat, monito, ne res ad extrema deducatur; Dano contra turbas gliscere lætante, qui & per Liliecronam cum factiosis in urbe tractabat, ac ne ablegati ad Ducem mitterentur suadebat. Post cum Dux ad Electoris placitum se declararet. *5. April.* hic vicissim civitatem hortabatur, ut & ipsa æquam se præbeat. Igitur hæc vicissim ostendebat, se edictum contra Luneburgensium bona abolituram, si & Dux homines, ac merces detentas relaxet, ac Mœrburgum restituat. Eo facto se delegatos ad Ducem missuram. Has conditiones ut Dux citra scrupulum acceptaret, Elector suadebat. Ast Dux volebat, ut civitatis delegati prius accedant, quam ipse merces liberas dimittat. Electore contra censente, civitatem æqua postulare, quod hæc Duci causam ejus detentionis non præbuerit; nec de ea sibi quid demonstratum. Ac si is procedendi modus recipiatur, cuilibet vicino libidinem subituram urbem insultandi. Eoque proponebat, ut Dux homines, & merces prius dimittat; post Hamburgensium legationem Mœrburgum restitui posse. Simul suadebat, ne omnia ad apices honoris, quos sibi quisque sæpe præter rationem fingat, exigantur. Tum ne Dani pollicitis nimium fidat, qui interim plebi ingentia commoda obtulerit. Ac tempus non sine damno edocturum, a Duce in hac causa non sat solida consilia fuisse capta. Post multas hinc inde tergiversationes Elector demum *12. Maji.* proponebat, ut restitutio mercium, & ablegatorum ex urbe missio pari passu fieret. *21. Maji.* Cum itaque jam res in portu videretur, Dux Cæsareum *conservatorium* pro Meurero Consule, mense Octobri superiore anno scriptum, asperis cum literis in urbem mittebat. Quæ res negotiationem impediebat, Electore indignante, Ducem id se incon-

1685. inconsulto fecisse postquam ipse tantum laboris impenderat, ut Dux salva existimatione e sinistre cœpto negotio exiret. Nam metuebat civitas, si maxime in præsens lis componatur, post tamen per Meurerum circa internum ipsius statum novationes susceptum iri. Id quod Elector Duci demonstrari jubebat: nec ullam necessitatem fuisse delatam licet a Cæsare Commissionem suscipiendi; cum is parem utique Commissionem a Cæsare in Gottorpiensi negotio declinet. Istis ubi nil proficiatur Canitius discedere jubebatur, testatus, per se non stetisse, quo minus ea lis amice componeretur, nec penes se culpam fore omnium malorum, quæ inde provenire queant. Ita cum Elector urbem permovisset, ut in temperamenta a se proposita consentiret, Dux jam cessim ibat, ac non solum cavere nolebat, se ex alio prætexto civitati deinceps molestum esse nolle; sed &, quæ sui ministri jam annuerant, ut delegatorum missio, & mercium restitutio pari passu fieret. Id quod Elector ægerrime ferebat, officii sui tam exiguam Cellis rationem habitam, ac pro gratia, quam meruerit, id sibi impingi, quasi civitatis pertinaciam obfirmet: cum tamen ipse huic serio moderata ingesserit, etsi ubi ad manus res devenerit, eidem quantum cuperet copiarum offerret. Sane se civitatis consilia, & decreta pro arbitrio moderari non posse; ac in ejusmodi reipublicæ forma multa ad normam haut quadrantia dissimulanda, ni totum urbis statum evertere velis. Demum Canitio impense instanti Dux declarabat; circa restitutionem mercium certæ se dici adstringi nolle. Sed si civitas in ablegatorum missionem consentiat, intuitu Electoris circa eas merces ita acturum, ut ea merito contenta esse debeat. Circa Meurerum nil difficultatis fore, modo civitas nil molestiæ facessat, ac bona ejusdem dimittat Nam eidem decretum a regimine civitatis penitus se removere. Ita negotium ad hæc duo hærebat, quod Dux nec Meureri protectioni renuntiare, nec liquido promittere vellet, missionem ablegatorum, ac mercium restitutionem pari passu faciendam. Quod cum civitas adspernaretur, a Duce tractatio abrumpebatur, & Canitius Cellis discedebat; testatus, utcunque res cadat, Electorem urbi haut defore, nec ruinam ejus otiose spectaturum, sed ejus defensionem pro viribus, quod & Cellensis antea fecerit, suscepturum. Ei responsum: Electoris officium haut parvi fieri; sed Ducem salva existimatione plura concedere non posse. Interim Daniæ Rex, cui nulla ejus urbis potiundæ spes, ni ipsa in sui exitium operam navet, Cellensi blandiebatur, nec minus factiosos Hamburgi obfirmabat, protectione sua liberaliter oblata.

31. Maji. (margin)

9. Jun. (margin)

Apud Cæsarem in Hamburgensi causa acta. §. 23. Inter hæc Hamburgi dissidia gliscebant; ac dum certi homines Snitquerum extra urbem curru vectum in Luneburgicam rapere tentant, deprehensi novem numero capite plexi plebis animos immensum efferaverunt. Quod facinus a Rundeccio, Cæsareo Hamburgi ministro profectum Kœnigseckius Viennæ fatebatur, sed qui nullo ex aula mandato id susceperit. Ac plerique Viennæ infensa in Hamburgenses odia spirabant. Sed Elector hisce demonstrari jubebat; ne sua asperitate efficerent, ut tanti momenti urbs alienas in manus incideret. Quibus monitis parum proficiebatur, nonnullis conscientiam Cæsaris stimulantibus, quasi ferendum non sit, tot homines ob tentata in Snitquerum supplicio sublatos. Plerique etiam sibi blandiebantur, si maxime ad extrema descendatur, Electorem urbis tutelam haut omissurum; ac ea occasione arctissimam conjunctionem inter Daniæ Regem, & Electorem abruptum iri. Unde quicquid Elector ibi ingereret, fixum sedebat, Meurerum quocunque pretio & periculo tueri. Vicissim Elector Hamburgenses hortabatur, ut Cæsari scripto causas recusatæ Cellensis Commissionis demonstrarent, refutatis, quæ de contemtim habita Cæsaris autoritate objiciantur; simul rogarent, privilegium primæ instantiæ sibi illibatum relinqui. Idem quoque Viennæ ulterius ostendebat: se Hamburgi omnem operam impendisse, ut Cæsaris autoritas salva sit; quam in rem etiam civitas pronam se ostendat. Ast huic tranquillandæ idoneum remedium esse, Cellensis delegationem sine exceptione admitti, ac Meurerum in integrum restitui, de hoc se valde dubitare; ac metuere, si eam rem intentata demum proscriptione pervincere instituant, ingentes turbas surrecturas non sine prostitutione Cæsareæ autoritatis. Equidem se decretam a Cæsare Commissionem suo loco relinquere. Ast quandoque non nefas esse etiam ordinarium judicem deprecari. Ac in eo fundatam esse civitatis intentionem, quod per Commissionem Cæsaream jus primæ instantiæ in cive suum sibi eripi nolit. Cellensem quoque studii in alteram partem manifestum esse, qui nil aliud quærat, quam ut per Meurerum civitatem in potestate habere, ac pro lubitu pecunia emungere queat; id quod hautquidquam ex usu Cæsaris sit. Equidem Hamburgi patrata, quæ probari nullo modo queant. Id tamen non toti civitati, sed plebi tribuendum, quæ nunc ibi prævaleat, ac videndum, ne medicina morbo fiat nocentior, neu ob putridum membrum totum corpus pereat Sane Cellensem limites mandati migrasse, ac pro cognitore hostem se civitatis tulisse. Ita demum Elector obtinuit, ut Cæsar concederet, ablegatos ab Hamburgensibus Viennam mitti; qui causam recusatæ Commissionis exponerent; quos Elector Cæsari, ut benigne exciperentur, impense commendabat. Belgas quoque, ut Hamburgensium causam amplecterentur, Elector hortabatur. Sed qui parum studii in eam civitatem ostendebant, cumprimis questi, justitiam ibi non nisi per sordes administrari. Ast Hafniæ ministri Danici probabant, ab Hamburgensibus Cæsaream Commissionem repudiatam, quæ non aliud spectet, quam ad regimen ibi alterandum, ac ut summa rerum penes Cæsari ac Luneburgicis obnoxios sit; cum libertati commerciorum nil utilius habeatur, quam civitatem in medio statu servari, ac ne cui plus ibi autoritatis quam alteri sit. Ac eo ipso tamen tempore ablegatus Danicus Cellis diversa omnia disserebat.

1685. (margin)

11. Jul. (margin)

§. 24. Cum

1685. ...ctor ...uo ...llas ...tit. Sept. Oct.

§. 24. Cum ita per studia in diversum tendentia negotium indies intricatius redderetur, Elector denuo Canitium Cellas mittebat, tentandæ amicæ compositioni. Quo instante Dux demum detenta Hamburgensium navigia relaxabat; eoque obtento Electorem adquieturum sperabat, qui hactenus pro libertate commerciorum tantopere contenderat. Sed circa reliqua ad tractationem descendere nolebat, quoad Meurerus in bona sua reponeretur. Is jurejurando se obstrinxerat, simul quinquaginta millibus uncialium caverat, se urbe non excessurum. Quo insuper habito idem Cellas se contulerat, absolutione a jurejurando Viennæ obtenta. Quo facto etsi plebs valde irritata esset; Elector tamen moderata suadebat, ac ut satis haberent munere eum dimovisse; circa pecunias, quo vellet transferendas, ne intercederent. Civitas contra Meurero nil præter incorruptam justitiam promittebat. Cellensi autem Elector insinuabat, uti civitatis delegati apud Daniæ Regem Glucstadii benigne admodum excepti fuerint, quibus is auxilium promte annuerit, libero quoque commercio Bergis Norvegiæ indulto. Inprimis eundem cum Snitquero, & Jastramo valde familiariter locutum. Ista quo tendant non obscurum esse; ac si urbs pereat, non solum id Luneburgicæ Domui maximo damno fore, sed & ab omnibus culpam mali Cellensi tributum iri. Enimvero Dani blanditiis suis ita Cellensium animos fascinaverant, ut istorum acta his parum suspicionis moverent. Unde Canitius Cellis parum proficiebat, Duce in antecessum cavere abnuente, dimissis Meureri bonis omnia transacta fore; quin ut omnia ex ipsius placito penderent, contendebat. Simul cum Mœrburgo velut loco ad se spectante agebat; cum tamen nil actionis in urbem haberet, nisi e mandato Cæsareo, quod hautquidquam ei facultatem tribuebat bona civitatis invadendi. Nec majus operæ pretium Elector Viennæ faciebat, ubi Hamburgensium ablegati aspere habebantur, negato Cæsaris alloquio; ac postulabatur, ut tanquam rei, & convicti se submitterent, ac omnia ad gratiam Cæsaris vel potius Comitis Oetingani, qui Judicii Aulici præses erat, referrent. Ac fremebatur; par esse, ut Cæsar Majestatem suam quocunque pretio erga refractariam urbem stabiliat, ac turbidam multitudinem in ordinem redigat, capitibus factionis e modo sublatis, quæ & post iter Glucstadiense fidem apud cives decoxerint, conspirationis cum Dano suspecta. Unde nil nisi de submissione, deprecatione, ac satisfactione crepabatur; Electore contra ingerente, ut Hamburgenses delegati a Cæsare audiantur, ac Cellensi injungatur infensa adversus urbem omittere. Ita si tanti momenti urbs tunc alienum jugum subiisset, non adparebat, quomodo aula Viennensis ac Cellensis culpam ejus mali a se avertere posset.

...ctoris ...m Cæ... ...re fœ... ...s.

§. 25. Interim Elector superbiam amicitiæ Gallicæ pertæsus, ac nil fidum in pactis cum eo Rege perspiciens, quæ perrumpere, quotiescunque fines dilatandi libido subiret, nullus pudor, nulla religio erat, vinculum cum Cæsare arctius stringere instituit. Itaque primum cum hoc convenit super mittendis in auxilium VIII M militum, quorum maximam partem pedites facerent, quibus Elector in sex menses de stipendiis prospecturus sit. Idem quoque Cæsari CCC M uncialium e residuis Hispanicis subsidiis in usum hujus belli cedebat. Vicissim Cæsar ad levandos sumtus Electori CL M uncialium numerabat. Circa eas copias conventum, ut mense Majo iter ingrediantur: nullius præter Cæsaris ac Lotharingi imperium agnoscant: ne dividantur; earum dux consilio bellico semper adhibeatur; iisdem publicus sacrorum suorum cultus concedatur; præter alias cautelas ad earum conservationem proficuas. Post quoque super prætensionibus, quæ Electori in Cæsarem erant, transigebatur, simul fœdus mutuæ defensionis sanciebatur. *Ejus ingressu memorabatur, quantum damni Imperium ab aliquo tempore ob interna dissidia, ac præcipue ab exteris hostibus per apertam vim, insidias, ac periculosas machinationes grassantibus pertulerit; ac uti eidem adhuc infensa, cumprimis occasione Palatinæ successionis intententur; ita ut ni gliscenti indies malo idonea remedia opponantur, exinde eversio status publici proventura videatur. Igitur in salutem Imperii firmam amicitiam, & conjunctionem inter Cæsarem, & Electorem constitui. Neutri integrum sit fœdus cum alio Principe inire, quod alteri parti directe, aut oblique fraudi esse, aut dissensionem inter ipsos excitare, aut impedire queat, quo minus hoc fœdere conventa impleri possint. Si quod fœdus deinceps sit faciendum, id ante conclusionem bona fide invicem communicetur. Circa fœdera, quæ utrinque jam extant, utraque pars declarat, ex iis nullum esse, quod huc adversetur; ac si maxime tale quid extet, quod tamen non est, id quatenus adversam huic interpretationem admittere potest, invalidum, ac plane abolitum censeatur, eidemque hoc ipso renuntiatum sit. Id fœdus initur pro publico bono, & ad conservationem, ac defensionem Imperii, ac utriusque ditionum; cui fundamentum est pax Westphalica, ac nuper inita Ratispone cum Gallo induciæ; qui uterque tractatus ut exacte servetur, uterque fœderatorum operam dabit. Si Imperium, aut quispiam ejus Statuum ab ulla externa potentia vi bellove invadatur, aut sub titulo reunionum, dependentiarum, aliove prætexto circa ditiones, ac jura sua lædatur; Cæsar, atque Elector super ea re consilia conferent, atque convenient, qua ratione per idonea, & efficacia remedia perfici queat, ut ea vis externa avertatur, Imperio sua integritas, & compages conservetur, nec ei quid amplius detrahatur, nec ejusdem fines imminuantur; sed ut cuilibet Ordinum sua jura salva sint, ac læsis debita satisfactio fiat. Quia etiam Aurelianensis Dux nomine conjugis in aliquas partes Palatinarum ditionum actionem movet, Elector promittit, siquidem Palatinus in Palatinatu, aut Juliacensi provincia bello petatur, aut in jure suo, ac legitima possessione quocunque prætexto, aut titulo, ac peculiariter obtentu reunionum, dependentiarum, aut quocunque vocabulo veniant, omissa ordinaria juris via per vim turbetur, id Elector pro casu fœderis habebit, ac Palatino copiis infra expressis adsistet, non secus, ac si ipsi paciscentes impetiti forent; ea tamen*

1685. 25. Dec.

8. April. 1686.

1686. *tamen lege, ut Cæsar tunc idem auxilium alio loco, eoque duplicatum exigat. Si alteruter a quocunque in ditionibus ac juribus suis turbetur, aut in provinciis suis per transitus militum, stativa, delectus tributa, aliaque onera molestia afficiatur, aut id futurum certa indicia adsint: tunc alter turbatorem serio dehortabitur, ac si id non proficiat, læso adsistet, ac infra expressa auxilia intra duos menses a die requisitionis præstabit; eaque tamdiu continuabit, quoad offensa pars in statum, qui ante turbationem, vel invasionem fuit, plene restituatur, damni quoque, ac injuriæ reparatione obtenta; nisi forte requisitus copiis suis ad propriam defensionem opus habeat. Hoc fœdere comprehendantur omnes utriusque ditiones præsentes, ac deinceps adquirendæ. Si Hispaniæ Rex improlis moriatur, eo casu Elector Cæsari ad obtinendum, quod legitime in eum devolvetur, promissum auxilium præstabit. Sed quia eo casu universalis per Europam rerum conversio metuenda est, inter utrumque de modo, & conditionibus, & quid alias suscipiendum sit, peculiariter tractabitur. Modus auxiliorum iste sit. Cæsar Electori III M equitibus, M dimachis, VIII M peditibus; Elector Cæsari MCC equitibus octingentis dimachis, VI M peditibus adsistet; quos uterque suis sumtibus sustentabit. Is numerus si non sufficiat, super augmento copiarum in dimidium, aut duplum convenietur, auxilio ad modum periculi temperato. Circa jurisdictionem, & imperium in copias, rem machinariam, bellicumque instrumentum, annonam, & alia observabuntur, quæ communiter solent; de quibus peculiari conventione statuetur. Durabit hoc fœdus ad annos viginti, ante quorum finem de prorogatione agetur. Sed si in fine ejus temporis partes in præsenti periculo. ac bello deprehendantur, fœdere definita continuabuntur, quoad periculum, vel bellum cessaverit. Quia Electori ad præstanda hoc fœdere promissa semper numerosus miles sustentandus est, Cæsar in sumtuum levationem annuatim tempore pacis C M florenorum Rhenanorum, belli tempore C M uncialium numerabit. Ut quoque omnia, quæ hanc amicitiam turbare possint, amoveantur, ac omnes prætensiones, ac controversiæ hinc inde uno velut ictu aboleantur, ita porro conventum est. Quia Elector non solum a tempore motuum Bohemicorum in Carnoviam velut domui suæ avulsam, sed & post mortem ultimi Ducis in tres Ducatus Ligniciam, Briegam, & Wolaviam cum Dynastia Bentena, & aliis partibus, ut & sumtuum nomine in novam fossam factorum actionem movet; ideo Cæsar his prætensionibus extinguendis Electori cedit in Silesia districtum Swibussiensem tanquam feudum masculinum cum superioritate territoriali, ac omnibus inde pendentibus juribus; ut tamen Electori haut integrum sit in eo munitiones extruere; tum ut idem tam Catholica, quam Augustana sacra in eo statu, quo nunc sunt, inturbata relinquat, ac clericorum ibi, & provincialium Ordinum jura ac privilegia tueatur. Cedit quoque Cæsar Electori Lichtensteinianum creditum in Frisia Orientali cum omni causa, in cujus cautionem Essena, & Wismonda exposita sunt. Vicissim Elector omni actione in Carnoviam, Ligniciam, Briegam, & Wolaviam, ut & Benthenam, ac alias partes in perpetuum renuntiat. Promittit quoque pro se & successoribus suffragium suum Archiduci Josepho ad Coronam Cæsaream, aut Regiam Romanam, ubi id expetatur. Navabit quoque Elector operam ad conservationem Belgii Hispanici, ubi id bello impetatur, acceptis certis subsidiis. Cæsar quoque operam dabit, ut Electori super reliquis Hispanicorum subsidiorum satisfiat. Si Cæsarem, ac Imperium cum Gallo bello collidi contigerit, Elector operam conferet, ut Lotharingus restituatur, aut eidem alias satisfiat. Bello exorto neuter absque altero pacem, aut inducias faciet, sed id utique communi consensu fiet. Quia ob hospitia ingens confusio in Imperio surgere solet, uterque operam sociabit, ut assignatio hospitiorum pro conditione operationum bellicarum, ac temporum semper cum consensu Cæsaris instituatur; circa quæ Cæsar Electoralium copiarum non secus ac propriarum rationem habebit. Circa Poloniam quoque invicem communicabunt, ut Reipublicæ libera electio, & alia jura sarta tecta sint. Ratihabitio intra mensem fiet.* 1686.

Is tractatus Berolini opera Francisci Henrici Freitagii, ac Pauli Fuchsii conficiebatur. Idem tunc secretus habebatur: sed alius in speciem adornabatur, qui communicari posset, de cessione Swibussi & Lichtensteiniani crediti, ac renuntiatione Electoris in Ducatus Silesiæ, additis quibusdam articulis super mutua defensione; sed cui nulla vis obligandi inerat. Cæterum ditio Swibussiensis a Cæsareis delegatis Christophoro Wenceslao Nostitio Comite, & Francisco Slegenbergio Barone ad diem XII Augusti Electoralibus delegatis Christophoro Brandio, Joanni Friderico Retzio, Ludovico Brandio & Joachimo Sculteto tradita fuit.

Expeditio copiarum Electoralium ad expugnandam Budam.

§. 26. Cæterum vi jam adductæ conventionis Elector octo militum millia in Hungariam misit sub ductu Joannis Adami Schœningii, qui ideo delectus est, quod tunc animo a Gallis averso esset; ubi oppugnatio Budæ a Cæsareis suscipienda erat. Constabant eæ copiæ duabus equitum, una dimacharum legionibus, ac decem peditum phalangibus, selecto, ac armis, vestibusque optime instructo milite; quas duodecim campestres machinæ, ac duo mortaria, aliæque duæ machinæ patulo ore sequebantur. His ut apud Crosnam convenirent injunctum; ubi Elector in aciem explicatas circumequitans perlustrabat, inde valedicens ad concordiam, & fortitudinem, ac ut gloriam Brandenburgicorum armorum augere studerent, hortabatur. 17. Apr. Inde copiæ triplici agmine per Silesiam iter Jabluncam perrexerunt. Eas angustias ut tuto transirent, præmittebantur, qui vias munirent; tum valida manu agmen claudebatur arcendis latronum incursibus. 17. Maj. Superatis montium claustris Syllanum attingitur, tum Wagus fluvius ratibus trajicitur. 29. Maj. Trenschinum delatis a Starenbergio literæ adferuntur ad accelerandum iter hortantes, ac ut Schœningius quamprimum ad Lotharingum se conferret, super obsidio Budæ dirigendo consilia collaturus. 4. Jun. Qui & copiis quantum possent subsequi jussis Budam ad eum Ducem præcurrit, obsidentium opera, & quo loco Brandenburgicis oppugnatio suscipienda foret, inspiciens. 20. Jun. Postera die ad copias regressus, eas demum ad dimidium a Buda milliare adduxit, ubi a Lotharingiæ Duce conspectæ sunt. 21. Jun. Sub vesperam ejus diei Cunradus Hildebrandus Marwicius summus excubiarum præfectus, 23. Jun.

fectus, ac Joannes Georgius Bellingius tribunus cum duodecim centuriis mittuntur capessendæ ante urbem stationi; qui & prima nocte ad L passus a mœnibus progrediebantur, sic ut Brandenburgicorum linea Cæsareæ responderet. Dum suggestus octo grandioribus machinis extruitur, Carolus Dœrflingius, qui inter volones agebat, occumbit. Postridie linea communicationis cum Cæsareis operibus perficitur, nostrorum operibus Cæsarea jam plane æquantibus, quibus struendis tamen hi tres jam septimanas impenderant. Hostes inde post incensum cuniculum validam eruptionem faciebant, ac in Cæsareorum juxta, nostrorumque lineam insilientes militum stationes turbabant, nonnullis cæsis; mox tamen repellebantur, nostris aliquot istorum capita referentibus. Kalendis Julii e nostrorum suggestibus mœnia verberari cœpta. Triduo post Cæsarei in ruina mœnium a se facta locum capessere conantes post duarum horarum pugnam repulsi sunt. Et quia primarii volones simul assultaverant, ex iis Dux Vechæ e proceribus Hispaniæ, Princeps Veldentinus, ac multi alii ciciderunt. E nostris Carolus Aemylius Dona Comes in fronte lineæ globo trajectus occubuit. Eum inter assultum Turcæ eruptionem faciebant, sed qui a Marwicio, & Alexandro Curlandiæ Principe strenue repellebantur Cum inde nuntii adferrent, L XX M Turcarum cum XL machinis ad liberandos obsessos accedere, ac quosdam jam pontem ad Essecum transisse, Lotharingus comitante Schœningio montes circa urbem lustrabat, qua commodissime miles, ingruente hoste collocari possit: simul ante ejus adventum assultum tentare placuit: sed qui irritus fuit, quod exoriente luce duo cuniculi qua Cæsarei oppugnabant incensi retro impetu multos obsidentium occiderent, aut sauciarent. Turcæ quoque in Bavarorum opera erumpentes centum amplius, plerosque Saxones ceciderunt, quos inter Lœbius tribunus, simul tres machinas clauis confixerunt. Eodem die globus ignivomus in urbem injectus mille quingenta vasa pulveris pyrii incendit, cujus vi ædificia circum horribili cum fragore in aërem elisa, ac ingens mœnium ruina Danubium versus edita, qua duæ phalanges extensa fronte ingredi potuissent. Sed quia ad eum locum obsessoribus accessus non patebat, assultus dari non potuit. Perfecto dehinc cuniculo sub rotunda munitione Lotharingus obsessis deditionem imperabat; sed qui ferociter respondebant: e facta defensione satis adparuisse, fortes se viros esse. Et quia certi sint a Propheta suo se haut deserendos, decretum sibi ad extremum usque resistere. Ita cuniculus XL vasis pulveris plenus incensus est; sed qui retro vertens centum quinquaginta Cæsareorum, viginti nostrorum necavit, illæsis mœnibus. Cum itaque cuniculi tam sinistre succederent, Lotharingus continuo ex omnibus suggestibus in mœnia fulminare, ut si idonea ruina edita foret, ante hostium adventum assultus tentaretur. Quanquam autem ruinæ, qua parte nostri rem gerebant, nondum satis depressæ forent; tamen quia Lotharingus oppugnationem valde cupiebat, noster dux quoque non recusabat, ut tamen nostros Cæsareis non misceri, sed seorsim ad sinistram rotundæ munitionis assultare vellet. Hostes interim tribus locis magna vi erumpebant; sed qui nostros invadebant, aliquoties ad portam usque repellebantur. 1686.
Ea pugna subtribunus Fridericus Otto Lœschebrandius cum tribus aliis præfectis, dum fervidius in hostem ruunt, cæduntur. Hostium plurimi in loco pugnæ jacebant, Lotharingo nostrorum virtutem magnis laudibus ferente. Biduo post inclinante in vesperam die ter mille selecti assultum fecerunt, Hungaris quoque ad flumen tumultum excitantibus distrahendo hosti. E Cæsareis, Bavaricis, ac nostris singula millia erant. Cæsarei ob complures cuniculos hinc inde incensos, ac resistentes fortiter hostes ter repellebantur, antequam in ruina pedem figere possent. Sed nostri citato gradu in ruinam enixi palorum ordines statim perrumpebant, ac firmo pede captum locum tuebantur, utut Turcis acriter resistentibus multi caderent, aut sauciarentur. Et cum in horum locum recentes submitterentur, nostri Turcis quantumvis acriter reluctantibus ita se immuniebant, ut Cæsareis simul incumbentibus isti exteriora mœnia relinquere, ac post interiora se recipere cogerentur. Per noctem Wilhelmus Brandius tribunus captum locum lorica amplectebatur. Hoc assultu insignem operam navarunt Marvvicius, & Joannes Albertus Barfusius, summi vigilum præfecti, quorum hic inter pugnandum in ruinas enixus est. Ceciderunt tunc Alexander Princeps Curlandiæ, & Dietericus Dona Comes, tum subtribunus Balthasar Fridericus Bornstedius, & præfectus vigilum Elsnitius. Bellingius tribunus globo trajectus est. Ac revera, admodum cruenta erat ea pugna, qua nostrorum quadraginta ductores superiorum, triginta sex inferiorum graduum cum quadringentis decem gregariis occisi, aut vulnerati sunt. Post capta loca munitionibus firmata in interiora aliquid ruinæ per machinas in exterioribus collocatas fiebat. Sed quia interjecta fossa ita profunda erat, ut difficillimus in eam descensus, & ex altera parte adscensus foret, ad pedem mœnium aditus in fossam excavabatur. Incendi dehinc cuniculum Lotharingus jussit, nullo effectu; ac, dissuadente licet Schœningio, mille selectos assultare jussit, quorum quartam partem nostri addiderant. Sed qui non modica cum strage repulsi sunt; nostris undecim ductores superiorum, octo inferiorum graduum cum CLV gregariis desiderantibus. Sed inter id certamen Barfusius, qui ad sinistram operum Brandenburgicorum curabat, modicam munitionem rotundam occupaverat, qua totum latus mœnium nudabatur, unde nostris hactenus multum damni datum fuerat. Quia porro ab aliquot diebus de adventu Turcarum certi nuntii retulerant, Lotharingus castra mutare, ac operibus amplecti instituit: id quod paucos intra dies perfectum est, legionibus interim ante opera stationem agitantibus. Ac mox hostis dimidio a castris milliari in monte LXM numero se ostendebat, ac ibi metabatur; unde quotidie aliquot centuriæ ad Bavaricas munitiones descendentes cum Hussaris, ac volonibus velitabantur, exiguo utrinque damno. Ast Shœningius probante Lotharingo ad sinistram suorum castrorum per vallem lineam ducebat, ad montem usque porrectam, in quo stelliforme castellum excitabatur, milite ac machinis instructum, tegendis eo latere castris.

17. Jul.
18. Jul.
24. Jul.
28. Jul.
29. Jul.
1. Aug.

1686. stris. Consilio dehinc habito decretum tres cuniculos incendere, ac denuo assultum tentare; cui obeundo M pedites, totidem equites destinati erant, quorum quarta pars nostris constabat. Sed quia cuniculi sine fructu dissiluerant, oppugnatio
2. Aug. omissa. Sequenti die placuit accessibus valido milite insessis, exercitum in hostem ducere. Sed quia compertum, eum in monte opportuno loco meta-
3. Aug. ri, legiones intra munitiones reductæ sunt. Postero die exercitus extra munitiones in aciem explicatus stetit; nil tamen actum, nisi quod sparsi quidam hostium cum Hussaris velitarentur. Et quia Turcæ dicebantur postera luce liberationem urbis ten-
4. Aug. taturi, exercitus eam noctem in armis egit. Orta luce hostis monte digressus in acie consistere cernebatur. Ast Lotharingo haut placuit ei obviam procedere, sed firmato pede eundem expectare. Circa horam sextam matutinam valida Spahiorum, & Janizarorum manus, reliquo exercitui disjuncta, ad dextram montes versus progredi conspecta. Sed in aliam manum, quæ propius nostrorum opera præteribat, globus ignivomus emissus, qui in medios prolapsus ita eos conterruit, ut dissipati longius facesserent. Postquam inde Dunevvaldus procurrentes Turcarum turmas profligasset, Lotharingus sinistrum cornu, in quo nostri consistebant, extra munitiones progredi jubebat, ac toto cum exercitu in hostem tendebat; sed qui propius subire non audebat, nisi quod bis aliquot millia equitum in dextrum cornu impetum facerent; sed quos repulsos machinarum globi eminus proruebant. Contra nostras legiones ingens caterva equitum constiterat, qui per spatium inter nostros & Cæsareos interjectum, mille amplius passuum patens, Cæsareis justo longius dextram versus protensis, irrupturos se minabantur. Sed cum Schœningius eo animadverso turmas e secunda acie id spatium implere juberet, hostis omisso perrumpendi conatu in montem se subducere cœpit. Lotharingus quoque ingruente vespera exercitum intra munitiones reduxit, qui tota nocte in armis
6. Aug. consistebat. Interim hostis ad nostrorum accessus cuniculum duxerat, qui incensus duarum perticarum spatio palorum ordinem, quo accessus tegebantur abripuit; inde miles ex urbe ad eum locum erupit: sed is feliciter repulsus, palique pro-
7. Aug. tinus reparati sunt. Postera die cuniculus hostium nostris adversus est detectus, unde nostri hostiles fossores ejecerunt, abreptis instru-
8. Aug. mentis. Mox cuniculus a Cæsareis sine effectu incensus, eoque & qui destinabatur assultus o-
9. Aug. missus est. Tentatum inde media nocte, num statio in muro interiore capessi posset. Sed cum qui primi incedebant L. milites repulsi essent, is
10. Aug. conatus omissus. Ast postridie primo mane ingens hostium globus munimentis nostrorum ingruebat, in quem cum ducentos passus adhuc remotum, tres octilibrium globorum machinæ disploderentur, is ad sinistram aversus Ladronii equestrem legionem non procul a nostris consistentem perrupit, ac per vallem ad urbem ruit; in quam tamen vix ducenti penetrarunt: reliqui ad sexcentos ab hinc inde adstantibus cæsi. Per complures inde noctes exercitus instructus stetit ad hostem, qui quotidie irruptionem in urbem minabatur, excipiendum, operibus interim ad occupandum interiorem murum pro- 1686.
motis. Sed demum cum exercitus tota nocte in armis constitisset, summo mane Turcæ cum Cæsarea statione ad dextram secundum Danubii ripam simul ruebant. Eos quanquam inde e flumine aliquot armata navigia, inde pedites rotundam munitionem insidentes eminus globis peterent; tum Cæsarea phalanx secundum munitiones disposita, tum septem turmæ sub Heuslero, novem sub Mercio consistentes acriter exciperent; aliqui tamen perrumpentes in urbem se penetraturos sperabant. Sed cum milite insessos reductus superare non possent, versus nostrorum castra ruebant. Ast Schœningius, ne hostis nostrorum tergo ingrueret, cum duabus equitum, totidem dimacharum turmis obviam iis tendebat, ac commodum in Lotharingum non nisi sex equitibus stipatum, nec modico in periculo versantem incidebat; qui ejus occursu lætus pariter cum nostris lateri hostium invectus eos profligabat. Qui interius perrumpere conati fuerant, ad unum cædebantur. Quo nomine Dux toto coram exercitu Schœningio gratias agebat, nostrorumque virtutem, ac dexteritatem extollebat. Eodem tempore obsessi quoque eruptione facta adventantibus suis, si qua possent, accessum pandere conabantur, sed qui quadraginta desideratis repulsi sunt. Excitatus inde ad dextram magni propugnaculi rotundi suggestus, e quo sex grandioribus machinis nova ruina edita, unde, si assultus fieret, hostis latera infestari possent. Eodem die Scherfenbergius e Transsylvania cum X M militum veniebat. Unde habito consilio decretum omni ex 1. Sept.
parte urbem assultare. Paratis omnibus hora 2. Sept.
quarta pomeridiana impetus fit, ac Turcis licet acerrime resistentibus selecti in urbem irrumpunt. Irruentes ad dextram Dux Crojanus, ad sinistram Barfusius, in medio Schœningius valida manu succincti fulciebant. Captam urbem ferrum, ac ignis vastavere. Qui cædi superfuerant Turcæ in arcem refugi postera se die Bavari arbitrio dedi- 3. Sept.
derunt. Inventa est in urbe machina globos viginti libras jaculans, Brandenburgicis insignibus notata, quam Cæsar Electori cum alia Turcica triginta sex librarum globos evibrante in tropæi vicem donabat. Ita inane fuit Rebenacii augurium, qui non modicis sponsionibus certaverat, Electorem hac expeditione operæ pretium non facturum; cum nostrorum virtus Viennæ ante omnes reliquos auxiliarios celebraretur. Post expugnatam Budam Lotharingus Turcis sese recipientibus complures per dies insistebat. Sed cum mandatum Vienna veniret, ut fœderatorum copiæ in provincias suas reverterent, Schœningius quoque per alteram Danubii ripam nostros reducebat. Nam super hibernis eorum inter Cæsarem & Electorem convenire non poterat, quod Cæsar hæcce istis in Silesia, uti Elector cupiebat, nullo modo permittere vellet. Ita Cæsari, quanquam conventum tempus elapsum nondum esset, tam bene meritum militem, ac numeris haut parum imminutum mature domum remittere placuit, ne hiberno quoque itinere attereretur. In reditu Schœningius Viennam excurrens non modicis laudibus nostrorum virtutem ferri audiebat. Non levi tamen

offensa

1686. offensa contracta inde discessit, quod a Cæsare oblatum ter mille aureorum donum inferius suis meritis duceret, idque non sine contemtu remitteret. Eum & antea arguerant itineris per Silesiam data opera lente extracti, cum singulis diebus provinciæ sena uncialium millia in nostras copias insumenda essent; quin aliqui id iter provinciæ septingentis uncialium millibus constitisse ferrent. Ac jam, Kinskius, aliique malevoli ansam arripuerant, ipsum Electorem sinistris suspicionibus onerandi. Sed Schœningius ostenderat, ipsos Cæsareos in causa fuisse, qui adeo segniter itineri necessaria curassent. Cæsar postea isti Berolinum reverso gladium donabat adamantibus ornatum, qui duodecies mille uncialium pretio taxabatur. Quo tamen viri animum hautquidquam satiatum fuisse sequentia tempora ostenderunt.

Fœdus cum Suecia Rege. 9. Febr. §. 27. Eodem anno Electori cum Sueciæ Rege isthoc fœdus ferire placuit. *Cum sancita olim inter Sueciæ Regem ac Electorem fœdera, ac conciliata iisdem arctior amicitia exortis novissimis bellis aliquantum fuerit interrupta, neque hactenus temporum ratio siverit, pace quidem redintegrata, per novi fœderis nexum intimioris confidentiæ cultum denuo stabiliri; summe memorata vero Sua Regia Majestas æque, ac Ser. S. Electoralis pro ea, qua pollent prudentia reputarint secum atque perpenderint, quam pene nusquam non terrarum turbulenti gliscant motus, adeoque atrocia quævis minentur, ut vix aliud quam graves rerum vicissitudines, ac pene universalis status publici convulsio metuenda sit; prætereaque facile intelligi possit, diffidentiæ semina, quæ ab aliis hactenus magna cum industria impedienda confidentiori amicitiæ inter S. Reg. Majestatem, ac Seren. Electoralem evalitura jacta, sparsaque sunt, bono publico, atque utriusque ditionibus summum allatura esse præjudicium, atque detrimentum; proindeque non publicæ tantum rei profuturum, sed & utriusque status securitati, atque emolumento magnopere consultum iri, si pristina tantos inter vicinos intimioris benevolentiæ, ac strictioris amicitiæ cultura novi fœderis vinculo firmata reflorescat. Quocirca pro assequendo tam præclaro, tamque salutari scopo visum utrique fuit Consiliariis suis atque ministris id negotium perficiendum committere; ita quidem, ut S. Reg. Majestas Sueciæ ablegato suo Eberhardo a Grafenthal plenis ad id mandatis instructo, Ser. autem Sua Electoralis Consiliario Status sui intimo Paulo a Fuchs, itidem plena potestate ad id munito, id muneris injunxerunt. Illi igitur institutis congressibus, & commutatis invicem plenipotentiis ad calcem tractatus hujus adjectis, sequentes fœderis defensivi leges, atque articulos concinnarunt, concluserunt & sanxerunt. I. Sit inter S. Reg. Majestatem Sueciæ, ejusque successores ab una, & Seren. Suam Elect. Brandenburgicam, ejusque successores ab altera parte sincera, firmaque amicitia, ac fida vicinitas vi hujus defensivi fœderis constituta ac stabilita, ab utraque parte sancte ac intemerata colenda, adeo ut confœderatorum alter alterius commoda, atque emolumenta procuret, damna vero, atque præjudicia omni modo amoliatur, atque avertat; eoque si parti uni compertum quidquam fuerit, quod tendat in alterius præjudicium atque noxam, id ei bona fide communicare ne intermittat. II. Neutri confœderatorum fas sit pacta inire, aut fœdera cum aliis Statibus, quæ alteri parti quocunque modo sive directe sive indirecte præjudicii quidquam, aut damni afferant, aut dissensioni alicui inter ipsos, diffidentiaque materiam, ansamque præbere queant, aut denique iis, quæ hoc fœdere promissa, ac sancita sunt, impedimento esse possint; prout utraque pars hoc ipso profitetur ac declarat, nulla sibi esse fœdera, quæ præsenti conventioni adversentur, ac si forte una vel altera pars fœdus aliquod pangere e re sua duxerit, id ante conclusionem alteri parti sincere communicare tenebitur. III. Quemadmodum hoc fœdus defensivum in nullius offensionem, seu læsionem tendit, sed potius pro bono publico, & inprimis ad conservationem, ac tutelam utriusque respective Regni, atque Electectoratus nec non utriusque ditionum, provinciarum, ac subditorum initum est; ita eidem pro fundamento erit conservatio pacis Westphalicæ, nec non pacificationis postmodum anno 1679. ad S. Germanum conclusæ, atque ab utraque paciscentium parte ratihabitæ; dabiturque a confœderatis opera, ut dicti tractatus absque contraventione secundum genuinum eorundem sensum serventur inviolabiliter. Quoad armistitium Ratispona novissime inter S. Cæs. Majestatem, & Imperium Romano-Germanicum ab una, & Coronam Galliæ altera a parte conclusum, confœderati junctis cum Cæsare, & Imperio consiliis prospicient, quibus modis illi suus vigor constare possit. IV. Quandoquidem etiam confœderati utriusque summopere interest, Imperium Romano-Germanicum sartum tectum, illæsumque permanere, nec quidquam ab ejus compage, atque corpore imminui, decerpi, aut avelli; itaque se mutuo hoc fœdere obstringunt, si Imperium Romano-Germanicum, vel etiam unus alterve ex ejusdem Statibus ab aliqua externa potestate vi aliqua, aut bello impetatur, aut infestetur, illos illico de eo inter se confidenter acturos & deliberaturos, quemadmodum efficaciter, ac per media adæquata vis illa externa arceri atque averti, Romanum Imperium suos intra limites, ac fines inconcussum manere, juraque illius illibata retineri*

1686. *retineri, ac unusquisque Imperii Status fidelis juribus, immunitatibus, ac praeminentiis suis absque perturbatione frui possit. V. Pari ratione cum pars magna ditionum, utriusque fœderati sita sit in duobus Circulis Saxonicis, Superiori ac Inferiori, promittunt itidem utrinque eo curam suam conferre velle, ut pax, atque tranquillitas utroque in Circulo Saxonico, ut & in Circulo Westphalico conservetur, removeaturque omne id, quod interturbare eandem, aut destruere valeat. Quem in finem utrique animus est, Ducalem Domum Brunsvico - Luneburgicam, utpote ad cujus rationes res eadem magnopere pertinet, queque eundem habet sibi præfixum scopum, in confœderationis hujus societatem invitare & adsciscere. VI. Porro quemadmodum dissidia inter Regem Daniæ, & Ducem Slesvici atque Holsatiæ lineæ Gottorpiensis, nunc quam maxime ferventia, ejus sint indolis, ut turbæ inde, bellique aliquod incendium in Circulo Inferioris Saxoniæ, ejusque vicinia facile oriri possit; pollicetur atque spondet Ser. S. Electoralis officia sua, studiaque, ubicunque locorum id fieri utiliter poterit, serio, omnique conatu impensurum, atque eo collaturum, ut dissidia illa quantocyus sopiri, amicabiliterque componi possint. VII. Inprimis vero se mutuo obstringunt confœderati vi hujus fœderis, si alterutri ab alio quocunque in eorum respective Regno, & Electoratu, nec non eorundem ditionibus ac terris, vel denique quoad jura sua vis, vel injuria, vel turbatio fiat ac inferatur, aut ditiones eorundem, ac terræ hospitationibus, transitu, stativis, militum collectionibus, & conquisitionibus, contributionibus, exactionibus commeatuum, aliarumque rerum ad adparatum bellicum pertinentium, vel aliis oneribus, atque postulatis divexatæ, atque afflictæ fuerint, aut talia adversus eosdem parari certo constiterit, in eum casum alteri incumbet turbatorem seriis admonitionibus, & ab ejusmodi molitionibus dehortari, & si irritum id fuerit, gravato opem ferre atque suppetias hoc fœdere sancitas atque promissas, & quidem intra duos menses a die requisitionis factæ, ita ut ad id tempus illæ re ipsa ac in effectu præstentur. VIII. Quo vero enatæ inter confœderatos, nec dum complanatæ controversiæ circa limites, & alia quædam negotia hujus fœderis destinato scopo nihil obicis atque remoræ ponant, conventum est, ut de iisdem porro amicabiliter agatur, ac utraque ex parte expediendis iis quæcunque fieri potest facilitas afferatur, quo per amicabilem compositionem vel inter ipsosmet, aut per arbitros ad id denominatos dirimantur, nihil vero interea cuiquam via facti durante hoc fœdere sub quocunque prætextu tractare liceat. IX. Includuntur & comprehenduntur hoc fœdere confœderatorum respective Regnum & Electoratus, nec non utriusque ditiones & provinciæ ubicunque locorum sitæ, ita ut quocunque in loco aggressio, aut turbatio facta fuerit, ad mutuam sibi opem ferendam teneantur. Cæterum quoad modum auxiliorum ita placitum conventumque est, ut quamvis alterutrius confœderatorum ditiones extra Romanum Imperium jacentes hostili turbatione & invasione infestari contigerit, auxilia tamen a confœderato altero mittenda atque præstanda ad operationes bellicas non extra Imperii limites trahantur, aut transferantur, sed ab utraque parte ad earum saltem ditionum securitatem atque defensionem adhibeantur, quæ intra complexum Imperii Romano-Germanici continentur, & qua inde hosti maxima clades inferri possit. X. Jam quod ipsas attinet copias, inter confœderatos conventum est, ut S. R. Majestas Serenitati S. El. V M peditum, M equitibus, & M dimachis, vulgo dragones; vicissim Sua Seren. Electoralis Suæ R. Majestati IV Millibus peditum, M D equitibus, & D dimachis, vulgo dragones, auxiliari vel subvenire velint. XI. Quod si tamen expressæ superiori articulo suppetiæ ad propulsanda pericula læsæ parti illata atque intentata haut sufficere censeantur, cum in casum confœderati de augmento copiarum ad dimidium vel duplum usque inter se paciscentur, auxiliumque ad proportionem periculi determinabunt ac metientur, eritque penes requirentem optio, utrum promissum auxilium sive totum sive ex parte velit exigere. XII. Uterque confœderatorum tenebitur stipulatas suppetias duos intra menses a die requisitionis factæ in requirentis terras vel ditiones, quem in locum id desiderabitur, salva tamen distinctione nono articulo circa utriusque provincias extra Imperium sitas, commemorata, effective & nulla absque exceptione, contradictione, aut cunctatione, sed quocunque prætextu id fieri possit, submittere atque exhibere, citra tamen necessitatem cum invasore rumpendi, nisi forte in posterum aliter de hoc statutum atque conventum fuerit. Tenebitur tamen requisitus efficacia quævis interponere officia ad obtinendam parti læsæ æquam satisfactionem. Et sive officia illa futura sint frugifera, sive irrita, nihilominus requisitus adstrictus erit ad auxilia ex pactorum formula submittenda, & ad eadem eousque continuanda, donec pars læsa priori statui, in quo ante turbationem vel invasionem fuerat, plenarie restituatur, damnumque sarcitum, atque injuria illata debite reparata sit. Si vero requisitus, vel auxiliator ipse invasione, vel violentia aliqua obruatur, adeoque auxiliaribus copiis ad propriam suam defensionem, atque incolumitatem tuendam sive in totum sive ad partem egeurit, ad mittendas suppetias haut* 1686.

1686. *haut obligabitur. XIII. Quæ durante hoc fœdere observanda erunt circa imperium militare, jurisdictionem, rem tormentariam, & apparatum bellicum, alimentationem, atque commeatum, & similia, de iis per speciales mox articulos mutua inibitur conventio, quamprimum hoc fœdus ad conclusionem & subscriptionem fuerit perductum, & quidem conditionibus, quibus communiter fœderati hisce de rebus convenire solent. XIV. Durabit hoc fœdus primum decem annis, atque intra eorum decursum, si id e re visum fuerit, ulterius agetur, & tractabitur. Sin autem evenerit, ut elabente, & ad finem properante dicto temporis spatio præsenti periculo, aut bellicis operationibus confœderati jam sint impliciti, continuabuntur ea, quæ ex fœderis hujus legibus præstanda sunt, nec omittentur, donec periculum, aut operatio bellica cessaverit. XV. Instrumentum ratificationis super hoc tractatu tam nomine S. Reg. Majestatis, quam Serenitatis S. Elect. manu subscriptum & solenni forma utrinque expeditum intra spatium sex hebdomadum, aut citius, si fieri poterit, a subscriptione hujus tractatus utrinque rite commutabitur. In horum fidem & securitatem majorem duo tractatus hujus exemplaria pari tenore confecta, nominum utrorumque nostrorum subscriptione, & sigillorum impressione firmavimus. Actum Berolini die X. Februarii anno 1686.*

Articuli secreti. §. 28. Huic fœderi adjungebantur hi articuli secreti. *I. Cum majorem in modum dolendum, & ad altiorem animi sensum haut injuria revocandum sit, quod non ita pridem nonnullibi locorum inopinatis prorsus, atque atrocibus casibus res Evangelica vehementissime affligi, atque alterari cœperit, ingravescente indies malo, & ad ulteriora velut torrente quodam sese diffundente, quocirca S. Reg. Majestas Sueciæ, atque Seren. S. Elect. Brandenburgica apud se reputantes, quantis calamitatibus, ac turbis fores pandi facile possent, si malum latius serpat, ipsumque tandem Imperium Romano-Germanicum quacunque ratione involvat, communi opera, atque studio illud prævenire, atque omnino avertere summopere exoptant. Proindeque vigore hujus articuli statuunt, atque promittunt, velle se cum S. Cæs. Majestate, Imperiique Statibus, ex quibus etiam religioni Romano-Catholicæ addictos a tam funestis cœptis, atque ausis prorsus abhorrere minime ambigunt, eas inire rationes, per quas ejusmodi perniciosis, atque periculosis machinationibus, atque attentatis mature obex ponatur; inprimis vero Imperii Romano-Germanici Statibus, atque membris singulis, atque universis ea religionis atque conscientiarum servetur atque præstetur libertas, profanaque aque ac religiosæ pacis securitas, quæ illis ex pacis Westphalicæ luculenta dispositione, aliisque Imperii pragmaticis sanctionibus competit & debetur. II. Et quoniam amborum quoque confœderatorum plurimum interest in vicinia, præsertim vero in Polonia tranquillitatem, pacemque manere inconcussam, eidem conservanda atque tuenda communem, sedulamque operam impendent, prospecturi, quæ fieri poterit, ut Regno, Reique publicæ Poloniæ, quocunque eveniente casu jura, atque privilegia relinquantur integra, atque illibata. III. Quod in fœderis articulo nono statutum, conventumque est, nimirum auxilia ab alterutra parte præstanda, extra Romani Imperii limites non trahenda, aut transferenda esse, id etiam de Livonia atque Borussia in specie intelligi debet, scilicet si alteruter fœderatorum in iisdem provinciis hostilem aliquam turbationem atque invasionem patiatur, & de auxiliis mittendis confœderatorum requisiverit, illa auxilia in provincia in Imperio sita, quam requirens indicaverit, sisti ac mitti debeant, nisi tunc temporis, cum casus existet, aliter inter confœderatos conveniat. IV. Non tantum articuli hi secreti, sed etiam fœdus ipsum adhucdum secreto habebitur, nec nisi utraque parte consentiente communicabitur. V. Instrumentum ratificationis super his secretis articulis intra tempus in fœdere expressum, & conventum utrinque commutabitur.* Eo foedere perfecto Rex declarabat, se fidum, ac constantem socium Electoris fore, ac sperare, isthoc foedus huic non exiguo usui fore. Cæterum Oxenstierna idem secreto habendum censebat, quod ejusmodi pacta si præmature vulgentur, facile oppositis foederibus elidi queant, uti circa triplex foedus, & Tractatum Associationis contigerat. Sed & Electori peculiares rationes erant, quod Gallus hucusque rixæ ansam cum ipso quæsierat, super renovatione foederis cum Belgis, & quia ipse peculiari articulo foederi inter Cæsarem, Suecum, & Belgas inclusus erat; ne hoc accedente forte infesti quid in Clivicas ditiones susciperet. Unde istud foedus non nisi Cæsari, Hanoverano, Arausionensi, & Fagelio sub silentii fide communicabatur.

Gallus multifariam contra inducias agit. § 29. Eo magis autem Electori necessarium videbatur adversis Gallo partibus arctius se innectere, quo minus huic curæ erat leges servare, per quas iste quieti patriæ longum ad tempus consultum fore speraverat. Nam & prolixum catalogum contra inducias patratorum Palatinus Ratisponæ exhibebat; ac Protestantium in Sarvverdensi, ac Sarbruccensi Comitatu querimoniæ late resonabant. Adversus quæ Elector apud Gallum enixe instabat, ut talibus supersedeatur. Ista enim eo acerbiora sibi accidere, quod ipse tantum laboris exhauserit conciliandis induciis, per quas sperarit dissidia inter Imperium & Galliam, si non plane sublatum iri, saltem ad vicennium sopienda. Cum contra nunc Imperio justior querendi causa præbea-

 tur,

1686. tur, quod ante inducias patratis qualiscunque color ex ambiguo priorum tractatuum sensu circumponeretur; cum quæ nunc suscipiantur, manifestis induciarum verbis repugnent. Ac non posse non per talia Regis existimationi totum apud orbem maculam inuri, quod usque adeo nulla ipsi religio sit etiam recens conclusa pacta violare. Sibi autem eo magis obligationem, qua Imperio teneatur, observandam, quod requirente Gallo peculiariter evictionem pactorum in se susceperit, nec per suas rationes, ac officium ad talia connivere queat. Ad quæ Croissius parum, quod ad rem faceret, regerebat. Comitatus Sarvverdam, & Sarbruccam a Lotharingia pendere: id quod ita se non habebat. Pleraque injussu Regis per ministros patrata; quæ tamem haut eo magis corrigebantur. Demum ut eas querelas plane declinaret; eam causam Ratisponæ agendam, nec in Gallia super ea disceptandi locum esse. Quin non dissimulabatur offensa, quod Elector semper velut in fronte se collocaret eorum, qui Regis actionibus haut contenti forent. Contra Elector ostendebat; nil mollius a se fieri posse, quam ubi ejusmodi querelæ ad se referantur, Regem placide monere, ut intra limites induciarum maneat; utque ita adversus Imperium se gerat, quo sibi cum ipso ami i iam continuare integrum sit. Nam si Gallus Imperium insultare, ac novas subinde partes ei decerpere non omittat, statumque ejusdem circa sacra, ac civilia paulatim subruere instituat; haut sibi consultum salutem suam, quæ in conservatione patriæ vertatur, usque adeo negligere, ut per suam cum Gallo amicitiam ullo modo in tam perniciosis ausis hunc obfirmet. Igitur si amicitia sibi cum Rege perstare debeat, necessum esse, ut is Germaniæ nil molestiæ inferat. Ast Galli, quicquid officium Electori dictaret securi, circa exsolvenda subsidia tergiversari, velut quæ in Gallos refugos, qui non nisi desertores haberi possint, impendantur; ac offensam, ob edictum Potstamense apricari; ac Electorem refugis plus beneficiorum exhibere, quam alium quemvis fœdere Galliæ haut junctum, quibus & pecunia ad limitem usque Germaniæ obviam mittatur; cum reliqui iis duntaxat benefacere satis habeant, qui intra suos fines ingressi fuerint. Addebantur exaggerationes, quantum bonum sit in Regno non nisi unam religionem esse; cui obtinendo occasionem fuisse occupandam, ac supra spem allubescentibus progressibus colophonem imponendum. Quasi respublicæ non dentur, quarum flos, ac felicitas inde promanarit, quod libertas diversis ibi religionibus indulgeatur. Aut quasi contra non reperiantur, quæ ob nimium circa sacra rigorem viribus, ac vigore exhaustæ tantum non extabuerint. Denique Regi nunquam curæ fuisse, quomodo Elector cum civibus suis agat. Ad quæ regerebatur: Electorem, utut sæpe rogaretur, haut se miscere iis voluisse, quæ Rex domi suæ ageret. Sed postquam is optimos suorum civium, vi conscientiis illata, in quas ipsi imperium non sit, ultro pepulerit, perinde ipsi esse posse, abs quo profugi recipiantur. Ac mirum esse, quod Gallus Anglos, ac Belgas jus civitatis in Gallia adeptos instantibus horum legatis dimittere nolit; cum ideo, quia quis in Gallia nativitatis locum sortitus sit, velut glebæ adscriptitius considerari debeat. Sed & alias querelas Galli cumulabant; Electorem tractatui inter Suecum, & Belgas comprehendi se passum: eum tractatus sibi valde suspectos cum Cæsare agitare: ejusdem instinctu fœderi inter Cæsarem, ac Suecum articulum de causa Palatina insertum: denique ab isto tam parum ubique studii pro emolumentis Galliæ ostendi. Sed & Verjus Ratisponæ oblato scripto ultro querebatur, tam multa a Rege contra inducias patrata spargi; cum tamen quædam, super quibus nunc querelæ moveantur, inter induciarum tractatus proposita, sed rejecta sint. Circa aliqua incertum esse, num revera ita se habeant. Quædam jure facta, quædam in majus aucta, reliqua memoratu indigna esse. Culpam autem omnem in eo hærere, quod nondum exsecutio induciarum, ac rectio finium peracta sit. Alias Regem de studio inducias servandi satis declarasse, quod in Palatina causa SCto trium Collegiorum adquieverit, quo caveatur, Aurelianensi annuam Palatini possessionem fraudi non fore, usque ad amicam controversiæ compositionem; cum tamen hic interim in possessione maneat, ac fructus percipiat. Idem studium circa agendam quietem a Rege ostendi, quod patienti animo videat, toleretque tot molimina ad labefactandas inducias excogitata, & injectas exsecutioni remoras. Nec dubium, quin Noribergæ, ac nunc Augustæ infesta in Galliam decernantur, cum si honesta, ac licita agitentur, ista Ratisponæ in consessu omnium Ordinum expediri par sit. Nec minus induciis repugnare, quod de pacis tractatibus altum adhuc sit silentium, qui tamen protinus post absolutas inducias suscipiendi sint. Tum quod nondum de regundis finibus actum, nec circa evictionem ab Ordinibus quidquam adhuc susceptum. Circa turbata autem a Rege Protestantium sacra Verjus respondebat: quæ in pace Westphalica disponantur, ad reunitos non spectare, qui jam nullo aliunde vinculo a Gallia dependeant. Iis quidem exercitium sacrorum suorum per inducias promissum, sed Regi haut interdictum Romanos ritus ubique introducere, ac recens conversos præmiis mactare, aliis ad horum exemplum invitandis.

1686.

13. Jul.

§ 30. Cæterum eousque Gallorum tunc importunitas excesserat, ut inde quoque offensam conciperent, quod Elector Ratisponæ per suos urgeret, negotium securitatis publicæ tandem aliquando absolvi; quod & plerisque Ordinibus probabatur. Sane versabatur Imperium in re licita, & innoxia; ac nemini salva ratione vitio dari poterat, adversus aliorum insultus suam salutem in tuto collocare; quod & officium prudentis, ac industrii Principis requirebat. Ac inprimis eam suspicionem præmaturam esse, quod publica Imperii militia tantis adhuc difficultatibus laboret, abs qua & nondum oppressis aliquod levamen provenerit. Et cum ob rem tam innoxiam suspiciones concipiantur, non aliud colligi posse, quam Gallum nil amici animo agitare, ac insuper cupere, ut Germani hautquidquam renitentes jugum subeant. Sane omnibus, queis Reipublicæ Germanicæ indoles perspecta sit, constare, uti Ordines, si Cæsar, aut Imperium ab aliis invadatur, defensioni suscipiendæ opem negaturi non sint: ita si Cæsar

Galli ni- hut ab Imperio arma parari. 24. Maj.

6. sar ultro alium bello petere aggrediatur, plerosque non modo nil collaturos, sed & armis sese oppositures, e quibus in alios emolumenta, in se onera redundent. Eoque vicinis e Germania nil infesti metuendum, si isti quiescant, nec eam ultro injuriis lacessant. Jubebatur itaque Jena eam sententiam urgere, sed debita cum prudentia, ne Gallo minari, aut classicum bello canere videretur. Nam suam & omnium Ordinum sententiam unice conservationem tanta cum jactura per inducias partæ quietis, non novas turbas, spectare. Enimvero cum Germaniæ fines hinc inde non modice accisi sint, par sane esse ejus res ita disponi, ne deinceps vicinorum libidini exposita agat, sed in promtu vires habeat suis defendendis; præsertim cum omnes vicini armis instructi sint, inter quos eam solam inermem agere miserum fuerit. Ac peculiariter sua interesse, quod pars suarum provinciarum in limite posita primum impetum exceptura sit. Se quoque dum Ratisponæ de induciis tractatur, declarasse, his perfectis securitatem publicam quam maxime sibi cordi fore. Et quare Germaniæ vitio vertatur, quod inter præcipua reipublicæ rectorum officia est? Ac si uni Principi jus sit, ut ipsi soli semper armato agere liceat, aliis ad ejus invasiones inermibus expositis, eo ipso summam rerum ipsi deferri; id quod salva fronte postulari nequeat. Præsertim cum in Germania, ubi ob multitudinem capitum res tam lente procedunt, serum sit futurum, si tunc demum super defensione sit consultandum, quando hostis jam infesta orditur. Porro uti Elector tractatum executionis quamprimum suscipi suadebat ob gliscentes indies Galli usurpationes: ita contra Cæsar num id expediret dubitabat, quod Gallus, si is tractatus ex ejus usu non succederet, ad pacem procedi postulaturus sit. Hanc si in præsens festinari e re Germaniæ non judicetur, Gallum id interpretaturum, velut bellum quæratur. Unde satius videri id negotium intactum relinquere, quam Gallo occasionem præbere tam insignes ditiones, quas per inducias possidebat, in perpetuum ab Imperio avellendi. Præsertim cum cautum non sit, quin Gallus eo obtento ulterius grassaturus sit. Et mox, cum negotium publicæ securitatis Ratisponæ aliquandiu fervide actum esset, id mox ob Augustanum fœdus refrigerabatur. Cæterum quia Rebenacius Berolini subinde in aspera dicta non sine minis erumpebat, non is solum uti par erat retundebatur, sed & Elector per Spanhemium in Gallia demonstrari jubebat; se utique omnibus tractatibus cum Gallo excepisse obligationem, qua Imperio teneatur. Num manus in sinum recondendas, & exterorum insultus servili patientia excipiendos? Sane sibi in præsens circa securitatem publicam non alia esse consilia, quam quæ semper foverit, & ad quæ ipsum salus ac rationes Imperii, ac fas patriæ adstringant. Unde vix aliter se credere posse, quam a Gallo suam amicitiam deinceps supervacuam haberi, postquam per inducias tanto ipsius labore conciliatas scopo suo potitus sit, tanti momenti provinciis atque urbibus Imperio avulsis, ac prætextum quæri novis turbis excitandis. Sane Gallos post inducias inultas querimonias adversus se movisse: cum tamen par fuerit, & ipsos ex fœdere debita explere.

Sed nec per fœdera cum Gallo unquam se sibi facultatem ademisse cum veteribus amicis pari modo amicitiam excolendi, & pristina cum iisdem 1686.
fœdera renovandi, quibuscum naturali vinculo, & per communes rationes jungatur. Præsertim cum hæc ipsa conjunctio fœderi cum Rege haut adversetur, ac sensu innoxio ad conservationem pacis, ac induciarum, simul mutuam defensionem utrinque ditionum directa sit. Nec vero sibi unquam in mentem venisse per fœdera Gallica officio se erga Cæsarem, Imperium, ac patriam exuere, aut vel minimum huic detrahere. Hac quoque expressa cum conditione, ac certa spe, Gallum pariter leges induciarum adversus Imperii Ordines servaturum, harum se evictionem suscepisse. Securitatem publicam non esse novam materiam, & quæ Gallo suspicionem movere debeat, sed de qua longo tempore antehac actum sit; ac nil magis naturale esse, quam ut quælibet Respublica de sui defensione cogitet. Ac per eam id quæri, ut res cum Gallo ad bellum deducatur, contra omnem rationem esse, nec ulla ejus rei indicia adparere. Quod autem aula Cæsarea id spectet, eoque fine pacem cum Turca accelerare velit, se ignorare, nec idem verosimile sibi videri. Denique super abolendis gravaminibus, quibus plures Imperii Ordines circa sacra & civilia contra leges induciarum oppressi fuerint, a se nil aliud moneri, urgeri, pro sententia dici, quam quod induciarum pactis, ac sæpius iteratis Galli promissis congruum sit, & ad quod per interpositam a se sponsionem teneatur. Hac declaratione si Galli contenti esse nolint, se quidem ejusmodi nexum tam ab omni ratione, ac prudentia abhorrentem agnoscere haut posse. Sane sibi quoad vita superfit dignationem liberi Principis tueri cordi fore. Sed & Galli ingentem suspicionem ostendebant super itinere, quod Elector ea æstate in Cliviam suscipiebat, velut consilia cum Arausionensi collatum iret, quem infensissimum Galliæ hostem rebantur, & qui huic hostes toto orbe excitare niteretur. Ast Elector uti Spanhemium verbis honoris super hoc itinere apud Regem defungi jubebat; ita ultro nil affectatæ, ac superfluæ excusationis eo nomine proferri volebat, quod tacitæ accusationis instar habere possit. Sed si Galli ultro querelam moverent, diceret; nil ibi actum, ob quod Regi causa foret sinistra suspicandi. Nec se obstrictum credere ad rationem cuipam reddendam, quare in hanc aut illam provinciam sibi subjectam iter suscipiat, cum quarumvis suarum ditionum cura se tangat. Minime omnium autem se præsumere, conjunctionem suam cum Gallo abs quovis tam arctis limitibus circumscribi, ut sibi non sit integrum cum Arausionensi tam arctis sibi rationibus innexo e tam propinquo loco colloqui. His si adquiescere nolint, suo sibi loco relinquendum, quod major in Gallia fides adhibeatur iis, qui per malignitatem animi, ac præconceptis opinionibus sua consilia suspecta reddere quærant, quam suis in diversum factis restationibus. Insuper subsidia exigere jubebatur, velut unicum emolumentum tam odiosi fœderis. Circa quæ unice perspicuam dispositionem tractatus urgeret; humilibus precibus velut ea sibi tantopere cordi sint, aut iis deficientibus statu-

1686. tus suus molestiam sit sensurus, abstineret; ac iis verborum formulis & agendi modo uteretur, qui magnitudini sui animi, ac totum apud orbem partæ existimationi conveniat.

De fœdere Augustano. §. 31. Quia autem Gallorum insolentia eousque provecta erat, ut injuriæ instar haberent ad repellendam vim se comparare, non mirum erat, fœdus, quod eo anno Augustæ Vindelicorum cudebatur, istis novam querendi materiam præbere. *Hohenlohe. 5. Mart.* Ei conciliando Ludovicus Gustavus Comes Hohenloicus a Cæsare per superiorem Germaniam circummittebatur, qui Jenæ proponebat; Augustæ fœdus ineundum, quod Bavarus valde desideret, in quo id omittendum, quod Electori in fœdere Laxenburgico displicuerit. Unde spem esse, hunc quoque eidem nomen daturum, quod utique unanimis in Imperio conjunctio ejus conservationi quam maxime necessaria sit; ac Electoris exemplum omnes secuturos. Ratisponæ varias ob causas de eo ita commode agi non posse, uti in singulis Circulis. Id porro unice defensionem spectare; nec Cæsarem per id aliud quærere, quam quod officium requirit, nempe conservationem Imperii, quod hactenus per oppressionem multorum Ordinum valde imminutum sit. Unde nunc unione & mutuis auxiliis, si unquam, opus esse. Qui distractionem inter Cæsarem & Ordines, & horum inter se efficiant, Imperii exitium quærere. Vetus esse artificium eorum, qui aliis sua eripere cupiunt, plurium conjunctionem impedire, ac ut unum duntaxat hostem habeant, conniti, & quamdiu cum hoc armis decertant, alios blanditiis, promissis, ac amicitiæ imitamentis illudere, quoad & hos opprimendi occasio nascatur. Electori tamen haut placebat ei se fœderi illigare, ne Gallus eo obtentu in bellum erumperet. Etsi de cætero judicaret, nemini causam esse id fœdus suspectandi, quod & legibus Imperii quadret, nisi quis fœderum jus Ordinibus competens in dubium revocare, aut eos ad ejusmodi conditionem damnare velit, ut tuendæ suæ libertati remedia comparare, aut in commune consilia conferre ipsis integrum non sit. Cæterum Augustani fœderis hæ causæ ferebantur, quod ob durans adhuc bellum Turcicum circa tuendam Germaniæ tranquillitatem cura suscipienda sit, postquam negotium securitatis publicæ adhuc imperfectum hæreat, quod antequam absolvatur, Ordinibus multa adversa accidere possint. Ejus foederis capita hæc erant. *Conjunctio sit, & communicatio inter Cæsarem, totamque Domum Austriacam, Hispanum nomine Burgundici Circuli, Sueciam ob Teutonicas provincias, Bavariæ Electorem & cognominem Circulum, Franconicum Circulum, Ducalem Saxoniæ Domum, Circulum Superiorem Rhenanum, quantum ejus cis Rhenum jacet; quibus & Sylvam Occidentalem incolentes Ordines accessuri erant. Fœderi huic propositum tueri pacem Westphalicam, Neomagensem, ac vicennales inducias, idque ad normam publicarum Imperii legum, simul libertatem Germaniæ, Ordinesque Imperii, ac præcipue hoc fœdere contentos, aut qui ei deinceps accessuri sunt. Eo fine locus deligatur, ubi fœderati moderante Cæsare de iis, quæ ad assequendum fœderis scopum necessaria fuerint, deliberare ac constituere queant. Tum munitionibus limitaneis probe prospiciatur; fœderatique diligenter consilia conferant, ac in negotiis rempublicam spectantibus sociatis sententiis agant. Modus copiarum hic designabatur. Cæsar XVI M, Circulus Burgundicus VI M, aut earum loco pecunia. Suecus summam non expresserat. Bavarus pro se VIII M, pro Circulo cognomine II M, Franconicus Circulus IV M. Domus Ducalis Saxonica II M, Superiores Rhenani IV M. Hæ copiæ singulis annis contractæ aliquod tempus in campo agant ac lustrentur. Earum duces sint Bavarus, Georgius Fridericus Waldeccius Princeps, Christianus Ernestus Marchio Bayruthensis, & Joannes Carolus Thungius. Disponebatur quoque de machinis, de ærario militari, quod Francofurti ad Mœnum esse debeat, de annona, ut operationes bellicæ per Cæsarem dirigantur de consilio tamen ducum, de observandis circa itinera, de Imperio in copias, ubi omnes conjunctæ fuerint. Si quis e fœderatis invadatur, ei liceat natum suam propriæ defensioni retinere. Pateat quoque aliis accessus in hoc fœdus cum consensu Cæsaris, communicatione tamen cum reliquis fœderatis facta, cui & exteros in societatem adsciscere integrum sit. Durabit id fœdus per triennium, quo spatio spes sit de securitate publica ad liquidum deductum iri. Controversiæ inter socios ad hoc fœdus non pertinebantur, sed ad amicam compositionem, aut viam juris remissæ sint, via facti exclusa. Nemo fœderatorum cum declarato hoste, dum fœdus durat, separatam tractationem super medio statu, induciis aut pace suscipiat. Disciplina militaris peculiaribus statutis sanciatur. Quilibet fœderatorum conventas copias in promtu habeat, ut socio, ubi opus sit, auxilium ferre, idque ab eo recipere possit.* 1686. *von Thüngen.*

Galli de hoc fœdere querela. §. 32. Eo minus autem conveniebat Gallos de hoc foedere tantos clamores tollere; cum ipsi jam munitionem in solo Marchionis Badensis proprio ausu, invito domino struerent ad tegendum pontem, quo Rhenum apud Huningam straverant: tum ingentes copias in limite haberent, ac limitanea loca numeroso milite insiderent, novis quoque munitionibus vasta mole excitatis. Haut eo secius disserebat: Ex actis hoc bello Turcico satis adparere, Regem cum Germania bellum nolle. Et tamen foedera in Imperio fieri manifeste contra Galliam directa, cui tantum non aperte bellum indicatur. Ac interim dum Gallus Cæsari otium indulget integro Regno occupando, consilia ad istum opprimendum digeri, ubi pax cum Turca facta sit. Unde quid animo Cæsar agitet, satis adparere. Ac ni Regi tanta moderatio foret, parum abfuisse, quin is XL M bellatorum in Flandriam, totidem in Germaniam effuderit. Famam quoque esse, a Cæsare legiones in Sueviam mittendas, id quod non nisi contra Gallum spectare queat. Eo casu haut par esse a Rege primum ictum excipi, sed prudentis fore noxam molientes occupare. Porro cum Lobcovicius Comes Cæsareus in Gallia legatus apud Croissium de munitione ista contra Huningam extructa quereretur, hic initio ambigue respondere: sibi de eo facto non constare; mox Marchionem Badensem, in cujus solo structura fiat, nil querimoniæ movere. Demum ultro expostulare: Cæsarem suas querelas proti-nus

1686. nus Ratisponam detulisse, ac nil aliud quærere, quam ut Galliæ hostes excitet; utut Rex tanta moderatione utatur, ac Cæsarem progressus suos contra Turcam persequi sinat. Denique foedus Augustanum sat causæ Regi præbere, quo minus castello ad Huningam decedat. Sane Cæsareos ministros multas querelarum, ac suspicionum causas præbere, dum hinc inde Regis acta malignis sermonibus differunt, ac palam jactant, se facta cum Turcis pace bellum Gallo illaturos. Ad quæ Lobcovicius: de ejusmodi Cæsareorum ministrorum sermonibus sibi haut constare; ac causam esse, quare credat, de istis fingi. Aut nominarentur eorum autores; in quos Cæsar re comperta graviter animadversurus sit. Augustanum foedus esse innoxium, non nisi mutuam defensionem spectans, ac ut pax VVestphalica cum induciis sarta tecta servetur: ut inde novo operi, quale est castellum Huningæ oppositum, prætextum præberi non possit. Croissius contra id factum elevare: ac *sibi persuasum, ubicunque Rex munitiones ad fluvios habeat, jus ei esse pontes ibi extruendi; ac omnes insulas in Rheno eo tractu notorie Regis esse. Castellum in adversa ripa pro necessaria pontis appendice habendum, idemque esse exigui momenti, ac modicum terræ spatium amplecti: ac in omnem eventum Regem soli pretium domino soluturum, qui hactenus de eo questus non sit. Regem, quamvis tota Europa de fœderibus, & adparatu contra ipsum resonet, nec consultum isti sit expectare, donec ea destinata exsecutioni dentur; in ea tamen sententia immotum persistere, inducias servare, & amicitiam cum Imperio colere, quamdiu res in eo statu permaneat, ut id facere sibi integrum sit. Testari de eo acta in Palatina causa, quam ad arbitros, aut sequestres deduci velit. Denique omnia gravamina, circa quæ tanti clamores tollantur, revocari ad exilium quorundam concionatorum Protestantium, qui in Regem declamaverint, ac religionem Catholicam convitiis laceraverint.* Idem Croissius, cum Lobcovicius super restituendo Lotharingo jecisset, nil aliud responderat, quam salutem populi supremam legem esse; velut nulla amplius lege muniatur, quo minus ab altero eripi possit, quod ipsi convenire judicatur. Cæterum ipse Lobcovicius fatebatur, se nunquam institutum fœderis Augustani probasse, quod non alio inserviat, quam intempestive irritandum Gallum, ac ut is forte præmature inter bellum Turcicum, & copiis foederatorum in Hungaria districtis, in arma erumpat. Nec se perspicere in præsens e re Cæsaris esse cum Circulis, sed potius cum potentissimis Electorum, ac Principum tractare. Sed unicum Palatinum per vetus consilium ab ipso semper ingestum de perpetuo milite in Germania alendo ei ansam dedisse, ac ad isthoc promovendum induxisse Stratemannum veterem clientem, cui & Koenigseckius assensus sit ob privatam utilitatem, quod ipse terras in Suevia habeat. Porro cum Spanhemius quoque de isto castello Huningæ opposito moveret, Croissius multa verba *de Regis moderatione* faciebat, *quod Cæsarem non impedierit progressus suos contra Turcam persequi: cum contra Cæsarei ministri post captam Budam minentur, & alta crepent. Equidem ejus castelli extructionem non usque adeo tractatibus Westphalicis conformem esse. Enimvero quia Rex sine controversia jus habeat munitionem Hunigæ extruendi, consequens quoque esse, ut ex adverso castellum ædificare possit tegendo ponti, quod merum defensionem, nullius offensam spectet; ad quod eum Cæsaris acta impulerint. Quo desistere nequeat, ne Cæsareorum minas timere videatur, ac ut ostendat, se ejusmodi consilia inire posse, ut istorum iras contemnere sibi facile sit.* Croissius quoque tunc valde excandescebat, quod Belgarum in Anglia legatus Citterus in Belgium scripsisset; se ex Angliæ Rege intellexisse, fœdus inter Gallum, & Turcam esse. Quæ quidem fœda calumnia sit, & quo nomine in Citterum animadverti debeat. Repetebatur declamatio in fœdus Augustanum: ejus scopum satis intelligi. Si Imperium arma in Turcam paret, non habere Regem quod queratur. Sed quia ista non nisi ad terrorem huic incutiendum spectent, ac ut de pace sub clypeo agatur; non esse e dignitate, ac usu Regis tolerare, ut ea destinata justam maturitatem attingant. Ac eo casu Regi necessum fore tantos exercitus in finibus habere, ut difficile sit futurum res in præsenti statu manere. Etsi in præsens animus Regi sit inducias servare. 1686. Citters.

§. 33. Cæterum super istis contra inducias susceptis Ratisponæ decretum erat nomine Imperii literas ad Gallum dare. Quarum formula ad se transmissa dicebat Gallus; reperiri in eis dictiones, quæ sibi haut arrideant; ac minabatur, si easdem mittere audeant, se Verjum Ratispona avocaturum. Super ea re Elector censebat: utut Imperio justissima querendi causa sit, vocabula tamen ita temperanda, ne Gallo prætextum præbeatur in arma erumpendi, Germania nondum satis parata. Nam ad potentiorem & armatum scripturo, quod offensam præbere possit, vires præsto esse debere scripto sustinendo. Alias magnifica verba, queis pondus ab armis desit, ludibrium debere ac infensiora attrahere. Cum itaque scribendo nil proficiendum sit, acceptam potius injuriam mussitandam, quoad in eum statum respublica pervenerit, ut non libere modo loqui, sed & quæ res exigit facere in promtu sit. Sic nullo modo structuram castelli Huningani excusari posse velut præcautionem adversus Augustanum fœdus, quod nemo, nisi cui alios aggredi animus est, e re naturali jure licita suspicionem concipere possit. Contra apertam esse pacis violationem cum aliquot millibus militum in alienum territorium irrumpere, ac his protegentibus castellum ibi extruere. Quanquam autem Imperio omni jure licitum sit eos conatus vi inhibere, ac modica spes sit amica via istos reparatum iri: prudentiam tamen requirere, citra quam ne justissimis quidem de causis bellum suscipiendum est, ut omni studio declinetur, ne eam ob causam res ad arma deducatur durante adhuc bello Hungarico, ne patria ancipiti bello distrahatur. Ac revera improbum esse, cum Gallus tot munitiones in solo Imperii extruat, eum protinus expostulare, si in Imperio de foederibus & armorum paratu sermo fiat. De iis literis Nuntius Pontificis judicaverat, non magis eas tempestivas esse, quam foedus Augustanum durante bello Turcico. De iisdem literis Croissius apud Spanhemium ultro mentionem fecerat: inane esse, quod Ordines asserere velint, Gallo non

Gallus per literas ab Imperio moneri non vult. *Nov.*

1686. non plura supremi imperii jura in reunitis locis exercenda, quam Cæsar habuerit. Tum quod in dubium revocare velint possessionem locorum, quæ sine controversia ad Regem pertineant, aut partem reunionum faciant. Ad eas literas non modo nil responsum iri, sed & Verjum revocandum, abolitis simul mandatis, quæ is dudum habuerit ad tractandum super iis, quæ ad exsecutionem induciarum faciant. Vicissim Elector Croissio communicari jubebat, quæ ipse legatis suis Ratisponam mandata dederat, ut literæ mollissimis verbis concipiantur, ac omnia omittantur, quæ Regem offendere possint. Croissio tamen simul significabat; quia in Gallia tam delicatas aures habeant, ac de patratis contra Imperium verba fieri ac scribi nolint; optandum quoque esse, ut circa rem ipsam parem aversionem ostendant, nec quid suscipiant, quod materiam querendi suppeditet. Tunc enim omnibus ejusmodi molestiis supersederi posse, florente inter Imperium & Galliam amicitia; ac multos inde salutares fructus in bonum orbis Christiani proventuros. Contra si nullo juris colore, quæ libido fert agantur, uti circa castellum ad Huningam factum, ac in offensæ materiam accipiatur, si reparatio injuriæ quæratur; eum agendi modum ad diuturnitatem haut valiturum. Aliæ mox querelæ adferebantur de Galli novationibus circa Capitulum Argentoratense. De quibus Elector in Gallia monebat; se quidem ejusmodi rebus Regi non libenter molestiam facessere: obligationem tamen suam adversus Imperium haut permittere, ut ad talia sileat, sed necessum sibi esse dissensum super iis testari eo majore cum libertate, quod sibi plene persuasum sit, Galliæ rationibus per id genus ausa haut consuli. Tanta potentia & autoritate succinctum Regem per ejusmodi minutias parum aut nihil lucrari. Contra odium multorum insignium in Germania Statuum contrahi; hostibus autem, atque æmulis quotidie novam materiam suppeditari, jam ante sat formidabilem Galli potentiam magis exosam & suspectam reddendi, velut quæ exuta omni juris ac fidei religione, insatiabili fame omnia deglutiendi agitetur. Sane in Germania rem eo rediisse, ut Galliæ amici jam vereantur inter tot injurias Imperio subinde illatas aliquid affectus adhuc erga istam ostendere. Galli majores alium plane cum Germania agendi modum tenuisse, rebus suis oppido quam proficuum. Ac optandum esse Regem in se descendere; & cum Gallia antea præsidium & asylum oppressorum, ac de libertate periclitantium Ordinum fuerit, ne iidem nunc regiorum ministrorum importunitate plane ad desperationem redigantur, ut malint omnes fortunas potius periculo exponere, quam insultationes hominum sæpe vilissimorum diutius tolerare. Enimvero Gallorum insolentia eo usque jam excesserat, ut istam sapientiam velut dudum exoletam, ac suo fastigio longe inferiorem adspernarentur. Ac dissimulatis istis monitis Croissius differebat: se quidem non dubitare, quin Cæsar sequenti quoque anno bellum Turcicum continuaturus sit. Sed posthac non obscuras minas jaci, Galliam omnibus viribus Cæsaris, ac fœderatorum obruendam. 1686. Haut æquum esse, favorem, quo Rex ingentes Cæsaris progressus prosequitur, ad extremum in fraudem Galliæ cedere, & ut huic deinceps a Cæsare leges dictentur. Igitur non posse Regem defugere, non tamen animo inducias abrumpendi, quin arma iterum paret, ac limitem firmet, avertendis infensis in se destinatis. Tum & Regis interesse, tantopere gliscente Cæsaris potentia mature nosse, pax, an bellum sibi expectandum sit. Et quia per inducias istius securitati parum caveatur, quæ bellum cupientibus prætextum suggerere possint; placere Regi, per bonam ac tutam pacem rebus suis consulere. Cui obtinendæ Pontificis officio eum usurum, cui Viennæ magna autoritas sit.

§. 34. Palatina tamen causa Gallus nonnihil æquitatis ostendebat, quod per annum unum & alterum rebus suis quietem adhuc conducere judicaret, nondum absolutis vastis munitionibus, quas in limine struere cœperat, ac ut interim Angliæ Regem rationibus suis illaquearet. *Circa Palatinam causam acta.* Inde cum sub initium anni Aurelianensis aliquot equitum millia a Rege sibi commodari petiisset, capessendæ possessioni Lauterensis, ac Simmerensis ditionis, Rex id abnuebat, dicto colore, ne cursum Cæsareorum armorum contra Turcam interrumpere velle videretur. Ac Elector eam possessionis invasionem valde dissuadebat, nil nisi bellum parituram, quæ & plane supervacua sit. Nam Gallicano jure ad petitorium remitti, qui intra annum vertentem actus possessorios non exercuerit; id quod jure Teutonico secus sit. Ac alio modo juri Aurelianensis, si quod habeat, consuli posse. Quin contra, si quis seipsum in possessionem per vim immittere aggrediatur, suo jure excidere. Unde Ratisponæ ab universis Ordinibus Aurelianensi cautio dabatur, eam moram ipsi fraudi haut fore. Quam cautionem indulgeri Elector utilem judicabat collisioni declinandæ, etsi alias Aurelianensis actio debili talo niteretur. Ita Gallus declarabat, sibi decretum servandæ paci prætensum Aurelianensis jus per tractatus persequi, vi omissa. Nec jam amplius arbitrium Pontificis urgebat, sed tantum officio ejus velut sequestris se usurum ostendebat. Id quod nec Cæsari, nec Palatino displicebat, quod Pontificis officium ita temperari posset, ut Imperio nil præjudicii inde crearetur. Ac hortabatur Elector Palatinum, ut tractatus aleret, nec ad abrumpendam pacem ansam præberet. Aurelianensis tamen in possessionis vicem jam antea in procuratorio, quod Morello ad Palatinum misso dederat, titulum sibi Ducis Lauteræ, ac Simmeræ, & Comitis Sponheimi arrogaverat; sed quod procuratorium Palatinus admittere noluerat. Ast hoc anno schedæ jam impressæ erant, *Sept.* quæ hinc inde in Palatinatu Aurelianensis nomine affigendæ erant: id quod tamen post expugnatam Budam omissum.

§. 35. Eodem anno multis sermonibus ansam præbuit superba statua, quam in honorem *De Statua Regia.* Regis Feüilladæ Dux Lutetiæ erexerat. Ea solenni ritu velut sacrum quid dedicabatur, præ- *28. Mart.* sente

sente Delphino, Aurelianensi, ejusque conjuge, ac infinitis aliis Proceribus. Magistratus urbis præeunte mercatorum præposito equis in pompa advehebantur. Sed cum legio Regis prætoria festivis displosionibus perstreperet; non pauci ex istis per consternatos equos in terram effundebantur. Ipse Feuillade prolixam orationem in laudem Regis evolvebat, defixis in statuam oculis, velut audientem, ac responsum daturam. Inde musicis instrumentis, tum bellico tympanorum ac tubarum concentu ingens gaudium ostendebatur. Multis locis fontes vinum fundebant, ac plateæ magna vi ignium relucebant. Circa eam statuam sapientes mirabantur, Regem privato homini exigua prudentiæ opinione permisisse, ut adulationem suam tanto ambitu, ac sumtu expromeret, per quam nil ad solidam Regis gloriam accedere poterat. Nec digerebant, quid in inscriptione vocabulum *Viri Immortalis* sibi vellet. Nam immortalem quidem famam plurimos assecutos. Cum autem iste talia Regi attribuere voluisse videatur, quæ in alios non cadunt, aliquid humana sorte majus hoc titulo exprimi conjectura erat, quod quale foret, cogitatione assequi non licebat. Nam a mortalitatis sorte eum exemtum non fore, satis convincere poterant chirurgorum sectiones, quæ tunc locis præfandis adhibebantur. Sed Principum animos præcipue adverterat, quod ad basin statuæ quatuor mancipia exprimerentur vinctorum habitu, quibus Cæsar, Hispanus, Elector, ac Respublica Belgica designari credebatur. Triplex quoque fœdus per figuram tricipitis Cerberi innuebatur. De ista statua Lobcovicius obiter jecerat, Cæsari relatum fuisse, qua ratione sua, ac Imperii dignitas violata fuerit per repræsentationes statuæ a Feuillada erectæ, dum ipse per unum e quatuor mancipiis ad pedem statuæ innui censeatur, satis id arguente bicipitis aquilæ insigni. Equidem majorem Cæsari animum esse, quam ut ejusmodi ineptiis moveatur. Se quoque non aliter pronuntiare posse, quam nec Cæsarem nec Imperium a Gallo victum, aut victum fuisse, nisi in cerebro male temperato Feuilladæ. Ad quæ Croissius: sibi non constare Cæsarem & Imperium sub mancipiorum figura repræsentari. Solitum quoque talibus operibus mancipia exprimere, quæ & in statua Henrici IV conspiciantur; de quibus nunquam querela mota fuerit. Ad quæ Lobcovicius: ejusmodi tamen insignia adposita, ut facile intelligere liceat, quid innuatur. Sed Viennæ talia rideri. Elector quoque per Spanhemium demonstrari jubebat: quæ alios tangant, suo se loco relinquere. Sed quod Cæsarem & Imperium spectet, sane Gallis una & altera vice novissimo bello cum Germanis felicem conflictum fuisse. Contra Germanorum arma diversis locis Gallis prævaluisse, ac unam & alteram insignem munitionem ante horum ora expugnatam: ut dubium sit, utri majorem fortitudinis laudem ex hoc bello retulerint. Quæ circa Argentoratum & alia reunita loca post pacem contigerint, magis apologia, quam tropæo indigere. Saltem Germaniam nondum huc redactam, ut causa sit, eam in Gallia velut per triumphum duci, & sub mancipii effigie ad basin statuæ regiæ catenis alligari. Ac testari victorias contra Turcam, & quotannis in expeditionem prodeuntes validissimos exercitus, sat virium adhuc Germaniæ esse, queis favente Deo etiam a potentissimo orbis terrarum intentatum servitium avertere valeat. Romanos quondam, & alios munimentis suis Regum, & Principum effigies expressisse, quos plane sub jugum redegerant, ac ditionibus exutos ceperant, aut occiderant. Id quod in Germaniam adplicari non possit. Sane nullum Principem novissimo bello sese Gallo dedidisse: sed se, aliosque Imperii Ordines eo modo, uti inter supremos utrinque Principes solet, pacem fecisse; nec ex eo tempore velut subjugatos, sed uti antea liberos Principes ab ipso, ac toto orbe habitos: & quod hinc inde restitutum sit; id vi tractatuum factum. Regi multo gloriosius, ac generoso, quam hactenus præ se tulit, animo dignius fore, si aliis non obnoxiis judicium de suis actionibus relinquat, & quod meritus sit decus a posteritate expectet; quam per ejusmodi tropæa se dum vivit in os laudari, alios insultari patiatur; cum talia cuivis struere in proclivi sit, qui pecuniam prodigere velit. Gallum quoque valde questum, si aliis locis quid contra ipsius honorem scriptum, aut impressum fuerit. Saltem tale quid a Rege se haut expectasse, ut ipse, ac patria sua, cujus dignitas sibi omni studio vindicanda sit, tam contumelioso modo repræsentetur, aut ut iste apud posteros ejusmodi monumento gloriolam aucupari gaudeat. Ad quæ Croissius mollius: Regem non permissurum quid exprimi, quod fœderatorum suorum personis contumeliæ sit. Suecico ministro eadem de re querenti Croissius se respondisse narrabat: Regem impedire non posse, quo minus cives sui faciant, quæ ad ipsius gloriam facere judicent; etsi sæpe in eorum elogiis, operibus, ac monumentis modus excedi possit. Sibi curæ non esse, quid Holmiæ fiat, nec in sinistram partem accipere, quæ ibi in honorem Sueciæ Regis monumenta erigantur. Sed cui repositum; Gallum utique impedire posse, ne sui cives tali modo ineptiant, postquam decenter ea de re monitus fuerit; cum minus iste non in privato, sed indicto velut publice die festo præsente Regia Domo, aula, ac tota Lutetia actus sit. Daniæ quoque Rex valde irritabatur verbis, queis ipse, & Elector perstricti fuerant; *& arva reddere jussit.* Judicabat autem Gallum per talia plus sibimetipsi damni dare, quam iis, queis per statuam insultetur. Per ista enim universo orbi tumentem inanibus animum, ac immoderatam ambitionem prostitui, hostes juxta, & amicos invidia, ac odio immensum irritaturam.

§. 36. Ast non parum solicitudinis Electori injiciebant, quæ a Daniæ Rege hoc anno in Hamburgum tentabantur. Eum Regem antea Elector ad moderata consilia in Gottorpiensi negotio permovere studuerat; quod suæ rationes non ferrent, Statum Imperii, qui nullam sibi ansam

Elector Daniæ Regi moderata ingerit.

1686. ansam suspicandi dare poterat, everti, ejusque opes extero Regi adcrescere, vicinis deinceps prægravi futuro. Inter alia quoque ingerebatur, ne nimium Gallico fœderi confideret. Nam Principum rationes sæpe mutari, nec ullum fœdus ita durabile esse posse, quin aliquando finem attingat, aut alias labem contrahat. Unde prout cursus rerum per Europam se vertat, facile fieri posse, ut Dano, qui nunc arctissime sibi Gallo innexus videtur, alii amici circumspiciendi sint. Ast id pro Gottorpiensi studium eo minus locum inveniebat, quod Fridericus Alefeldius Cancellarius fontico morbo decumbebat, moderatorum semper consiliorum autor; cum nunc Regis aures soli obsiderent, qui e Slesvicensibus præfecturis ad tempus sibi concessis lucrum capiebant; queis subinde in ore erat; Regi non minus enixe Slesvicum, quam Hafniam tutandam. Interim quo prætextum foret armis terra, marique movendis, rumor dicebatur, Suecos exercitum in Germaniam trajecturos, eoque fine naves ab his instrui. Unde Danus propere classem suam armare, simul auxiliarias naves e Gallia excire. Elector contra Dani suspicionem, ac impetum molliebat. Sed & Suecum monebat, ne Dano ansam in arma erumpendi præberet. Nam summam se calamitatem, quæ in præsens orbi Christiano accidere possit, ducere, si Boreales Reges bello collidantur. Contra Dani causabantur, Suecicum in Germania exercitum, ac inter Protestantes unionem Catholicos impulsuram ad contrarium foedus cudendum, quod Anglo in partes pertracto istis longe prævaliturum sit. Enimvero Dano inter ista animus erat Hamburgum subita invasione opprimere, aut si id non succedat, globos ignivomos jacere; ubi Danica factio, magnam partem e dissoluta, ac rapinæ cupida plebe constans, orto incendio in potestatem redactura erat; quo fine & Danici præfecti militares magno numero in urbem confluebant, singulari cum Jastramo & Snitquero, factiosorum capitibus, familiaritate contracta. De quo cum in aula Danica agentes ministri Senatum civitatis monerent, hic defensionem adornat, simul decernit, statim atque vis a Dano admoveatur, duobus istis proditoribus manus injicere. Circa idem tempus quoque una porta cum transversaria trabe totam per noctem patuerat, plusquam dimidia præsidii parte inscio gubernatore per triginta viros contra Luneburgicas copias extra urbem emissa; quo intellecto cum Senatus emissos revocaret, triginta viri contraria his mandata injungebant. Ea res Luneburgicos, qui sua in urbem asperitate hisce causam dederant, valde perturbabat, qui & quatuor legiones versus Albim progredi jubent. Et jam Daniæ Rex XVII M militum contraxerat, in planitie apud Croppam metantes specie armorum exercendorum, ac ut Principem Saxoniæ delectaret. Enimvero serii quid subesse satis animadvertebatur, ac nuper a triginta viris ad Regem missus blande admodum exceptus fuerat. Ac legiones paulatim Hamburgum versus movebant, Danis interim varios rumores spargentibus ad animos hominum alio avertendos. Hi conatus Gallum & Anglum celabantur, quibus & iidem parum probabantur. Wackerbartius ablegatus Luneburgicus urbem periisse judicabat, ni Elector eam servaret, ac legiones suas in Meclenburgica consistentes propius suggredi juberet, quo ex ea parte aditus ad eandem pateret. Nam Cellensem ei periculo sustinendo solum non sufficere, ac civitati omnia suspecta fore, quæ ab hoc offerenda sint. Post dato in custodiam Snitquero, ac Jastramo tota conspirationis scena detecta fuit, ex qua urbs ad diem XXV Augusti Dano tradenda fuerat, cum non nisi pridie ejus diei Cellenses copiæ in hanc pervenissent. 1686.

§. 37. Cum itaque effectui dare destinata aggrederetur Danus, literis Gottorpio ad Electorem scriptis querebatur, Hamburgenses homagium, quod Pinnebergica conventione dilatum fuerat, se licet sæpius monente, pertinaciter abnuisse, ac aliis variis modis in se deliquisse. Unde sibi decretum vi ipsos ad officium compellere; ac sperare, ubi serio rem agi viderint, ultro debita facturos indignationi suæ declinandæ. Cæterum sibi haut animum esse urbem subigere, aut ab ea quid extorquere, quod ulli vicinorum, aut aliorum Principum, aut commerciis Albis, urbisque privilegiis, ac civium fortunis fraudi esse queat: quin se potius florentem ejus statum, e qua salus Holsatiæ magnam partem pendeat, omni modo promoturum. Neminem tamen sibi vitio versurum, si ad asserendum a majoribus in se transmissum jus exempla aliorum Electorum ac Principum in Imperio imitetur. Inprimis Electorem, pro æquanimitate ac amicitia, quæ sibi a necessitate injungantur haut improbaturum, sed potius jura sua favore prosecuturum: ac si urbs refractaria manere persistat, sibique ad superbiam ejus castigandam ignivomorum globorum vis immittenda sit, aut si alii urbis defensionem suscipere instituant, sibi ex foedere, quo ad tuenda utrinque jura mutuo teneantur, auxilia præstiturum. Adjiciebantur tredecim capita, quibus Rex a civitate se læsum arguebat. Contra & civitas literis datis Electoris opem implorabat; qui & protinus ad Micrandrum & Devvitzium, aliosque præfectos mandata mittebat, ut itineri se paratos tenerent. Ac eam ob causam reditum e Clivia licet valetudine sat tenui accelerabat; quam provinciam, ac præcipue Vesaliam Arausionensi commendabat, quod metus subesset, ne conscio Gallo id negotium susceptum foret, incendio latius excitando. In itinere quoque cum Hanoverano, ac Cellensi Ducibus valde quidem tempestive colloquio habito consilia capiuntur. Ac Cellensis facile permovebatur, ut offensa in urbem posita protinus M pedites in Moervverdera agentes urbi immitteret, hortantibus quoque id Cæsareis ministris. Tum & plures utrinque legiones contrahuntur urbi auxilio ituræ. Cæsar quoque Electori hoc negotium committebat suo nomine curandum, simul directoribus utriusque Saxoniæ & Westphaliæ urbis tutelam commendabat. In urbe protinus potestas triginta viris abrogata, ac Senatui, ac sexaginta viris ad veterem regiminis formam conferebatus. Cæterum non una causa Electori erat, quare hos Dani conatus improbarat, quod

Ipsius conatus in Hamburgum erumpunt, 15. Aug.

1686. quod ii suscepti essent, dum flos exercitus sui in Hungaria abest, se quoque longe in Clivia agente, ac ne minima quidem communicatione antea facta. Nec ulla ratio a Rege habita fuerat foederis a se ita sancte culti, ac peculiarium respectuum, ob quos id negotium a se nullo modo deseri poterat.

Electoris ad Regem Daniæ missio. 20. Aug. §. 38. Dum e Clivia redux Veterem Marchiam transit Elector, statim qui ad manum erat Thomam Knesebecium ad Regem Daniæ mittit, significaturum: se non sine animi perturbatione e Regis literis destinata circa Hamburgum ab ipso capta perspexisse. Quæ sibi eo majori sint dolori, quod nunquam credere potuerit, Regem hoc tempore, quo Cæsar & Imperium bello Turcico plus satis distringatur, talia suscepturum, per quæ intestinæ tranquillitati Germaniæ, ac præcipue Inferioris Saxoniæ letalis plaga inferenda sit. Equidem se Regis jura hautquidquam in dubium revocaturum. Verbo duntaxat tangere, ab ipso Rege fundamenti loco adduci conventionem Pinnebergensem, anno 1679 initam, qua lis super homagio plane ad amicam compositionem, aut judicialem decisionem seponitur, omnia via facti præclusa. Num civitas oblatam amicam negotiationem recusarit, a se in medio relinqui. Id saltem notorium esse, eam ab isto tempore semper intestinis turbis agitatam talia suscipere non potuisse. Ac si eadem maxime amicam compositionem recusarit, viam tamen juris semper patuisse. Eandem sinistre se erga Regem gessisse, sibi hactenus non auditum. Id potius constare, eam turbis cum Cellensi Duce auxilium Regis præcipue respexisse, nec Danicos ministros unquam plus autoritatis, ac affectus in urbe, quam ex hoc tempore invenisse. Quod Regi de fœdere cum ipso in mentem veniat, sibi gratum; quod & ipse semper sancte servarit, ac sæpe ob regis amicitiam insignia emolumenta alibi ostentata recusarit. Se tamen sperasse, Regem super negotio tam arduo, e quo salus Inferioris Saxoniæ pendeat, re integra secum fuisse communicaturum; id quod foedus ambobus intercedens disertis verbis requirat. Quoniam autem, si Rex destinata persequatur, ac vim urbi admoveat, cruentum bellum & convulsio status publici præsertim per Inferiorem Saxoniam immineat; atque ea res Cæsarem, Imperium, Domum Luneburgicam, quicum in reditu ipse consilia contulerit, ac præcipue sesipsum ita tangat, ut fere perinde sibi sit, Hamburgum, an Berolinum oppugnetur: se non posse non Regem enixissime rogare, ut Germaniæ quietem ne invideat, nec urbi vim admoveat, sed amicæ compositioni, aut judiciali disceptationi locum relinquat, nec hostile quid suscipiat. Ista monita, si locum non inveniant, Regem pro sua prudentia facile perspecturum, quid inde consecuturum sit. Id certum esse, Cæsarem & Imperium urbis causam suscepturum; se quoque ac Luneburgicos Duces, quæ suæ rationes suggerant, haut neglecturos. Ac si maxime Regi ab initio omnia ex voto succedant, ac is urbem sub jugum redigat; periculosiora tamen inde consequi posse, quam nunc forte cogitentur. Eidem quoque injunctum, si cum quibusdam bonis civibus ex urbe loquendi occasio foret, ad constantiam eos hortari, ac de suo auxilio confirmare. 1686.

§. 39. Knesebecius quæ jussus erat Regi in castris ante urbem exponebat. Ubi observatum adstantes expallescere, cum pronuntiaret, Electori perinde fore Hamburgum, an Berolinum oppugnetur. Rex verbis laxioribus respondebat; Eam sibi intentionem non esse, qualis forte ad Electorem relata sit. Sibi haut ignotum, quousque Elector, Saxonicus Circulus, ac Luneburgici causam urbis ad se spectare judicent. Se quoque nullius rationibus præjudicium allaturum. Sed postquam tantopere ab urbe offensus sit, quæ & ipsa hostilia cœperit; vitio sibi datum non iri, si istam hoc nomine paulum castiget. Se protinus Reventlovium ad Electorem missurum, qui ei sine dubio satisfacturus sit. Porro Rex per Joannem Hugonem Lentium Electori significarat; se non nisi homagium ab urbe exacturum, majoribus suis præstitum, haut imposito præsidio, tum privilegia eidem sarta tecta servaturum; & commercia promovere magis quam sufflaminare velle. Ast civitatem eo nomine cum Rege tractationem suscipere abnuisse, ac una cum Luneburgicis initium hostilitatis, displosis in subeuntes machinis, & eruptionibus fecisse. Cum itaque civitas hoc modo aggressionis se crimine adstrinxerit, eoque casus fœderis extet, se requirere, ut Elector ex fœdere in Duces, & urbem hostilia umat, aut saltem sequestrem se gerat. Eadem Reventlovius mox adveniens proponebat. Sed cui Elector respondebat: *Ni Rex hostilibus supersedeat, se non posse non cum aliis conventa executioni dare, ac intolerandis sibi destinatis quantum detur vim opponere. Igitur petere, ut omissis hostilibus ejusmodi ratio ineatur, quæ legibus Imperii congrua sit, quibus Rex tanquam Holsatiæ Dux obnoxius agat.* Ad extremum Reventlovius innuebat; si civitas submissis literis, aut per delegatos apud Regem hostilia deprecetur, ac ipsa talibus desistat, eum petita haut recusaturum. Ex quibus facile adparebat, Regem coepti negotii pœnitentia tangi, nec rem ad extrema deduci passurum. Unde Elector civitati suadebat, ne eas conditiones temere respueret, quo res ad inducias deducatur, tempusque extrahatur ad litem interim componendam, aut defensionem melius adornandam. Nec dedecori eidem fore, quod negotium cum potente, ac armato Rege sit, per modicam submissionem, libertati suæ haut nocituram, imminentem tempestatem avertisse. Cæterum instante Knesebecio, ut vis omitteretur, Rex promittebat, se in Electoris gratiam jaciendis globis ignivomis abstenturum, operibus interim promotis; nec repugnare, quo minus ex urbe in subeuntes tela emittantur. Ac satis animadvertebatur, Danis poenitentiam coepti negotii subire, postquam Elector tanto studio causam urbis amplectebatur; ac jam erratum suum agnoscebant, quod tanti momenti rem ipso inconsulto suscepissent. In urbe quoque summa concordia, postquam turbarum autores in carcerem dati fuerant. Sed & non pauci Danorum, dum castellum stelliforme ante urbem oppugnant, oppetierunt; in quo antea præsidiarios panicus terror invaserat, ut omnes inde in urbem se properent, præter duos qui machinas tractabant; qui conti-

A Knesebecio acta. 24. Aug.

26. Aug. Lentz.

1686. continuo hisce fulminabant, ne obsessores eam consternationem sentirent. Ac per dimidiam horam castellum defensoribus vacuum stabat, quoad præfecti collectos qui profugerant eodem iterum reducerent. Eruptio tamen ex urbe facta minus ex voto successit, multis utrinque cadentibus. Sequenti nocte duo ignivomi globi in urbem jacti, sed qui, antequam terram attingerent, nullo effectu dissilierunt, magno tamen terrore civibus incusso. De eo facto cum Knesebecius quereretur, Rex causabatur, urbem hostilia persecutam, ac Altonæ ignem immisisse. Demum isto instante Rex declarabat, se per viginti quatuor horas laborem intermissurum: interim ipse, ac Ducum legati oppidanos permoverent, ut jaculationibus, & eruptionibus supersedeant, quoad Reventlovius ab Electore redierit. Id quod Knesebecius in se recipiebat, tempus extrahere studens, quoad Electoris legiones urbem introiissent; quæ 29. Aug. & mox sub Georgio Adolfo Micrandro, & Joachimo Balthasare Devvicio tribunis in eam penetrarunt. Reversi in castra Knesebecius, & Wackerbartius modicam adhuc dilationem petebant, quo civitas responsum adornare possit: Dani non sine ferocia jactabant, civitatis insolentiam utique castigatione coërcendam; quibus a Knesebecio masculeresponsum. Interim & legati Gallici Rebenacius, ac Chivernius accesserant; qui postquam cum Rege locuti essent, hic respondebat: se inducias ad meridiem usque diei vicesimi octavi Augusti prorogaturum. Simul literas tuti itineris pro delegatis civitatis dabat, qui audiendæ ipsius propositioni accedere debeant. Cum civitas eas literas pressius concipi cuperet; Dani initio recusare, ac expostulare, Regis verbo fidem non haberi. Demum tamen literas ad expetitam formam dabant, ac hostilia ad diem XXX usque Augusti se omissuros promittebant.

Elector negotiationem persequitur. Schmettau.

§. 40. Sed quia Knesebecio alia negotia expedienda incumbebant, Elector eo revocato Wolfgangum Schmettavium in ejus locum substituit. Ei injunctum Regi demonstrare; nondum sibi solicitudinem decessisse, non solum ob turbas, quæ ex hoc negotio in Germania orituræ sint, sed & quod Rex se suumque Regnum ingens in periculum præcipitaturus sit. Sane quietem, quæ hucusque his locis arriserit, hoc auso penitus turbari, eoque culpam omnium malorum in Regem redundaturam. Fœdus suum cum Rege meram defensionem spectare, nec ad hunc casum trahi posse. Frustra Duces & Hamburgenses velut aggressores argui. Nam Regem utique per literas denuntiasse, sibi propositum urbem ad officium jactis ignibus compellere; ad quod excavatis accessibus, & extractis suggestibus initium factum sit. Ac quis civitatem reprehenderit, quod eousque defensionem non distulerit, quoad perfectis operibus culter jugulo admoveretur; Se insuper esse Imperii Electorem, ac Inferioris Saxoniæ directorem, cujus officium requirat, ortas ibi turbas pro virili inhibere. Unde sibi cum Luneburgicis, qui communes hoc in negotio rationes secum habeant, sociatis consiliis de securitate Circuli cogitandum fuisse; præsertim cum Rex de isto nil sibi communicarit, quin contrarium per ministros confirmarit. Sibi nil magis cordi esse, quam patriæ 1686. ac præcipue Inferioris Saxoniæ quietem. Ad hunc scopum omnia sua consilia circa hanc litem tendere; ac se insignia emolumenta repudiasse, quæ obtinere licuerit, si diversam viam inire placuisset. Regis jura merito integra manere; sed modum, quo ea nunc asseruntur, probari non posse. Quæstionem de præstando homagio adhuc indecisam esse, ac Spiræ in foro competenti pendere. Ast lite pendente vim adhiberi non posse, nec congruere, ut Rex in propria causa judex & exsecutor sit. Regem homagium exigere tanquam Holsatiæ Ducem; sed eo intuitu eundem Cæsari & Imperio fiduciario vinculo obnoxium, cui hujus litis decisio competat. Et tamen isto prohibente, ac renitente ad vim procurri; unde Regi periculum nasci queat totum Ducatum amittendi. Igitur supersederet Rex oppugnatione, ac amoto exercitu rem ad amicam tractationem deduceret, circa quam ipse fidam operam sit navaturus. Adhuc rem integram esse. Ast ubi alii proprias ob utilitates se ingesserint, blandis remediis non amplius locum fore. Addebatur; admodum sibi displicere quorundam regiorum ministrorum sermones; non animum esse urbem occupare, sed tantum effusis globorum fulminibus castigare. Hoc enim velut meram nocendi libidinem præ se ferens isto detestabilius haberi. Contra civitati confirmare jubebatur Schmettavius, Electorem non minore studio hujus causam suscepturum, quam si de propria ditione agatur, ac quicquid habeat copiarum auxilio missurum. Quo fine cum Luneburgicis consilia ceperit; ac jam VI M apud Lenzenam consistere, cum istorum copiis, ubi res exigat jungenda. Addebantur hortatus ad concordiam & constantiam, ac ut officium erga Cæsarem & Imperium observarent, suæque libertatis curam agerent. Ante Schmettavii adventum, cum Hamburgensium delegati in castra venirent, Rex responderi jusserat; mirum sibi videri, ipsos nil habere quod proponant, cum tamen quid ipse circa homagium postulet satis norint. Unde ad diem tertium usque Septembris deliberandi spatium istis dabat. Alias Danici ministri satis ostendebant, valde se desiderare, ut honeste hinc discedere detur, & quanquam aliquando ferocius loquerentur, animus tamen dictis haut conspirabat. Sed & nuntius expugnatæ Budæ Danos non parum turbabat, utut ad istud dissimulandum in castris ter festivis displosionibus omnium machinarum perstreperent. Ad proposita a Schmettavio Rex respon- 4. Sept. debat: *Sibi nunquam animum fuisse urbem obsidere; alias rem aliter dispositurum, occupato Bergsdorfo, ac impedito, ne auxilia in urbem penetrare possent. Offensam duntaxat ipsi ostendere, ac terrore ad officium faciendum compellere voluisse. Circa homagium nil aliud exigere, quam quod majoribus suis præstitum sit. Civitatem ob pervicaciam, ac oblatam sæpius amicam compositionem repudiatam meruisse, ut castigaretur. Se tamen intuitu Electoris infensis supersedisse; nec ulterius amicam viam recusaturum, quantum salvo suo honore ac jure fieri possit. Hortaretur quoque Elector urbem, ut ipsa officium suum melius*

melius impleat. Alias se Electori haut posse vitio vertere; quod istius curam susceperit, ac militem ei immiserit; ac optare, ut hic solus in urbe agat. Nam ab Electore nil sibi suspicionis esse, uti a Luneburgicis, quorum miles hostilia patrarit. Unde & se hosce ad tractatum admittere noluisse. De retrahendo exercitu se civitatis responsum expectaturum; at tunc par fore, ut alienus miles pari passu ex urbe deducatur. Interim gratum sibi fore, ut Elector duas adhuc peditum legiones urbi immittat, quo saltem ejus milites Luneburgicos numero ibi aequent. Alias sperare, civitatem propius ad rem accessuram, ne sibi necessitas imponatur fulminationem instituere, cui omnia parata sint, & quam solus Electoris respectus distulerit. Duobus globis immissis haut animum fuisse orbi nocere, sed machinarios tantum specimen capere voluisse, quam longe projici queant; nec fomitem istos habuisse, ut ignem concipere possent. Gyldenlœvvius excusabat, eos suo injussu jactos.

§.41. Ast cura ejus negotii componendi Electorem permovebat, ut Paulum Fuchsium quoque ad Regem mitteret. Apud eum, cum in castra pervenisset, Rex homagium levem rem ostendebat, & quod Hamburgensibus praestare facile sit; cum non jurejurando, sed data dextra constare debeat. Nec se jus praesidii postulare; nec oneris quid urbi impositurum, sed tantum debito se honore ab hac affici velle. Retineret quoque urbs omnia sua privilegia, ac si cum vicinis bellum surgat, neutrarum partium esset. Enimvero quia talia a potentibus fere longius porrigi solent, Fuchsius haut consultum ducebat in praesens de jure Regis disceptare, sed ut amice res ad normam tractatus Pinnebergici reduceretur. Nec magis placebat a Luneburgicis se disjungere; id quod Dani quaerebant, diffidentiam erga hosce serere conantes. His enim valde irascebantur Dani, quod raptim immisso suo milite, dum Brandenburgici adhuc absunt, ipsorum conatus irritos reddidissent; cum alias urbs primo impetu per structas intus machinationes, & compactum cum parte triginta virorum certo opprimenda videretur. Sed Fuchsio satis habebatur inducias in aliquot dies obtinuisse, ut urbs praesenti periculo eriperetur. Unde & de Gottorpiensi causa nil tangere visum; quod ministri Gallici jam jactaverant; etsi Dani institutum a se haut probetur, Gallum tamen huic auxilio non defore, si ulterius quam Hamburgense negotium pertingit, urgeatur. Sed magis ad rem judicabat Regi demonstrasse, quae mandata a Caesare ad Electorem missa sint, unde certissimae molestiae Regi immineant, quas ut declinare prudenter velit Electorem magnopere suadere. Sane jam Lenzenae VI M Electoralium militum parata stare, pro re nata protinus Luneburgicis jungenda. Unde Regem optime honori suo consulturum, si hac rerum facie proprio motu generosam declarationem edat, quam lentis tractatibus negotium intricatius reddat, ac ad extremum tamen necessitatis pudorem subeat. Igitur Rex hisce motus velut ultro declarabat, se in gratiam Electoris hostilia amoturum, ac machinas navibus impositurum. Simul Fuchsio confirmabat, nil hostile amplius se tentaturum. A ministris non nisi in speciem nonnihil difficultatum movebatur, tuendo Regis decori, ac ut tentarent, num Hamburgenses aliqua pecuniae summa emungi possent. Eo peracto Fuchsius iterum discedebat, postquam vim, & ignes urbi avertisset. 1686. 10. Sept.
Exercitus Danicus primo milliare unum ab urbe recedebat, mox plane solutus in hiberna abibat. 14. Sept.
Regem Gottorpium se conferentem sequestres comitabantur Schmettavius, ac Luneburgici Witzendorfius, & Münhusius, cum Baumbachio Cassellano. Sed civitas delegatos suos eo mittere nolebat tum alias ob causas, tum quod Gottorpium extra fines Imperii situm foret, quo absque consensu Caesaris accedere sibi integrum non sit. Eoque Schmettavio, ac Luneburgicis negotium suum quam optimis possent conditionibus expediendum committebant. Difficillimum erat restitutio navium, & mercium, quibus Dani manum injecerant; quae num per solas persuasiones obtinenda foret Luneburgici dubitabant; quod Danis fere nil facere moris sit, nisi metu majoris mali, & quod necessitas urgeat. Et constabat, ministris Danicis, qui Regi ad eam expeditionem pecunias crediderant, Hamburgensium naves, ac merces in solutum assignatas. Contra civitas minabatur, ni Rex in harum restitutionem consentiat, se vicinae Holsatiae tributa imperaturam: id quod Schmettavius vehementer dissuadebat. Huic porro Elector injungebat, ut hujus negotii conclusionem urgeret, ac inprimis ut commerciis libertas restitueretur, ne Galli, qui progressibus Caesaris in Hungaria invidebant, occasionem arriperent incendio ibi excitato istum distrahendi. Regi autem de sua amicitia confirmaret, cujus nullum aliud in praesens specimem exhibere possit, quam si transactionem accelerari suadeat; quod sibi insignia emolumenta ostententur, si admixta Gottorpiensi causa res ad ulteriores turbas perducatur. Unde restitutionem detentarum navium e conditione solvendae ab urbe pecuniae ne suspenderet. Nam civitatem ad dandam pecuniam haut permotum iri; qua in re & alios assentientes habeat, cum eadem nil fecerit offensa Regis dignum; & hoc modo exemplum stabilitum iri, quo ista semper pecunia emungi possit. Quin eandem DC M uncialium damni accepti nomine praetendere. Tum ne Rex Gallum aut Anglum sequestres admisceat, quod hoc negotium Imperio domesticum sit; in quos & civitas inconsulto Caesare consentire nequeat. Quod si amicae persuasiones nil proficiant, ostenderet; ubi sibi haut integrum futurum sit Caesaream Commissionem supprimere, id quod hucusque unice in gratiam Regis fecerit. Ast ubi ipse ulterius Caesareis mandatis super avocatoriorum, & inhibitoriorum promulgatione urgeatur, ac civitas de eo, uti jam coepit, instare pergat, sibi quantumvis invito huc descendendum. Inimicos quoq; Regis ansam inde arrepturos destinata, quae ipse semper inhibuerit, persequendi. Civitati contra idem demonstrare jubebatur, par esse, ut Regi venerationis indicia exhibeat, per quae juribus suis nil decedat. Tum ne de reparatione damni quid moveat, quod in se quidem iniqum non sit; sed ad eam compelli non posse Principes, nisi plane victos. Ac raro rem eo deduci, ut aggressor laeso satisfaciat. Nec Regi hanc expeditionem lucrosam fuisse. Ac si hic 18. Sept.

1686. hic petitam pecuniam remittat, civitatis prætensionem velut compensatione tolli posse. Suaderet, quoque, ne Altonæ, ac aliis regiis locis vis inferatur. Conspirabat quoque Cæsaris sententia, rem quantum possit amputatis ambagibus ad amicam compositionem deducendam, nec alia, inprimis Gottorpiensem causam, admiscenda.

Negotium Hamburgense componitur. §. 42. Ast Gottorpii præcipue super satisfactione certabatur, quam Rex civitatem poscebat, eamque illæso hujus honore remitti non posse ministri jactabant. Etsi Gallicus, & Anglicus legatus valde improbarent, istos privatum ob emolumentum Regis existimationem, ac ejusdem rationes status periculo exponere. Nam iidem, ut creditas Regi pecunias reciperent, præfracte negabant, Hamburgensium bona citra satisfactionem restitui posse. Si quis eo nomine vim inferre audeat, Regem, accedente fœderatorum auxilio isti retundendo sat parem fore. A Sueco nil metuendum, cui Danus mari prævaleat, trajectionem copiarum in Germaniam facile impediturus. Cui & haut expediat bello se immergere ob internum Regni habitum, ac multitudinem eorum, qui præsentem statum aversantur; & quia Rex parum idoneo
27. Sept. consilio utatur. Ast Elector Schmettavio injungebat denuo Regem hortari, ut rationi locum det. Quod si autem is infecto tractatu Hafniam discedat, protestaretur, penes se nullam culpam fore malorum, quæ inde proventura sint, ac vale Regi dicto Hamburgum discederet, ni Rex ministrum plenis cum mandatis relinquat. Regi porro ingereret; quæ ipse suadeat, e sincero affectu proficisci: ac quo diutius Rex conclusionem tractatus extrahat, eo gravius præjudicium genuinis ipsius rationibus, & existimationi inferri. Ac jam diversis locis motus fieri Daniæ haut insuper habendos. Nec obscurum, quid consiliorum Holmiæ, ac Viennæ agitetur. Quin Belgas, etsi alias urbi sat iniquos, aliquot bellicas naves Albi immittere decrevisse. Multos quoque id tempus opportunum ducere Gottorpiensi negotio expediundo; ac in eam rem sibi a Cæsare mandata esse. Ista a se adduci, non ut Regi timorem incutiat, cujus imperterritus animus sibi satis perspectus sit. Esse quoque ei arma in promtu, ac validos fœderatos. Enimvero ex altera parte periculum manifestum esse, cui Rex se, suamque familiam, ac statum exponat. Ac nunquam scitis religionis Christianæ, ac sanæ rationis adprobari posse, ob tantillam pecuniam Christianum exitioso bello involvi, Protestantes Principes inter se committi, eorumque communem rem tam enormiter lædi, quæ alias passim tan-
30. Sept. ta damna patiatur. His rationibus victi Dani manus dabant, ac sequestribus ultro suggerebant, ut formulam transactionis conciperent. Contra Dani aliam formulam exhibebant ab ista valde discrepantem: circa quam tamen demum Schmettavio valde instante temperamenta admittebant, quibuscum is Hamburgum proficiscebatur. Sed cum res ne sic quidem succederet, demum Dano placuit scriptam declarationem dare, qua promittebat, se omnia in priorem statum, qui ante has turbas fuerat, ad normam pacti Pinnebergici repositurum. Quod perinde habebatur, ac si justa conventio inita foret. Ac placebat Danis subinde aliqua tergiversatione uti, ut non uno impetu, sed 1686.
gradatim a prioribus consiliis viderentur discedere. Ejus declarationis hic erit sensus: *Quia sequestres nomine suorum Principum rogaverint, ut Rex regia e clementia indignationem suam erga civitatem Hamburgensem deponat, Hamburgensium civium naves, merces, ac nomina relaxet, liberum commerciorum cursum ubique locorum iterum aperiat, ac de reliquo Pinnebergensi pacto stet: id quod etiam civitas a Rege petierit: igitur Regem sese ad hæc omnia proclivem declarare, ita tamen ut civitas vicissim regiorum subditorum bona, & commercia in priorem statum restituat, auxiliares copias dimittat, ac per submissas literas ad isthæc se adstringat.* 8. Oct.
Ita istæ turbæ tunc compositæ sunt.

§. 43. Porro is Dani conatus totius Europæ oculos in se averterat, præsertim cum omnes crederent, Gallo conscio, & instigante talia fieri, quo prætextum in arma erumpendi ipsi foret. Sed Croissius testabatur, id institutum a Rege ignoratum, ac postquam intellexerit, improbari, ac intempestivum haberi, quod & haut successurum verosimile sit. Ac esse vicinis causam quare se opponant. *Motus animorum super turbis Hamburgensibus.* Ac Regem per legatos suos Dano compositionem suasisse, qui & ideo globos ignivomos jacere omiserit. Addebat, si Alefeldius Cancellarius vixisset, ista haut fuisse suscipienda. Sed & ab Electore adhibitum agendi modum haut improbabat, ac ut res ita ducatur, ut Danus honeste negotio extricare se queat, nec tamen propria in ditione invadatur, quæ Hanoverani videbatur sententia. Eo enim casu Gallum ad auxilia isti ferenda teneri. Porro negotium ita sinistre dispositum, ut liquida spes successus non adpareret. Ast si cum Gallo consilia digesta fuissent, eam viam fuisse ineundam, per quam scopus utique obtinendus fuerit. Sed cum idem significaret, gratum Regi fore, si Danus pecuniæ quid ab Hamburgensibus extorqueat; Elector demonstrari jubebat; unicam sibi curam fuisse incendium intra primordia restinguere, ne latius grassaretur. Id quod ita feliciter successerit, ut Rex protinus omissis hostilibus exercitum in hiberna dimiserit. Inde rem ad tractatus deductam, Electore, Luneburgicis & Cassellano sequestribus. Plures adsciscere haut visum, forte rem magis intricaturos, ac Danum Coloniensis officium declinasse. Igitur homagium, quod Danus in prætextum horum conatuum adhibuerit, ad alios tractatus sepositum; ac nunc id agi, ut omnia in priorem statum reponantur. Sed ut Danus aliquo emolumento potiatur, id fieri non posse, quod civitas contra Pinnebergense pactum se oppugnatam queratur, ac ultro sibi satisfieri de damnis illatis postulet, quæ supra millionem taxentur. Equidem vicinos Gottorpiensem quoque hac occasione restitui velle. Sed quia ipse facile perspiciat, ingens inde bellum oriturum; non solum se id constanter recusasse, sed & alios se non consentiente nil aggressuros. Anglus Gallum huic negotio misceri crediderat, quod alias Danus absque hoc successum sperare non potuerit. Ac revera id improbabat, ac mature incendium opprimendum censebat, quod totam Europam involvere queat. Unde & in favorem urbis literas ad

ad Danum dabat, quod mercatores Londinenses demonstrassent, se in præsens Hamburgi merces quadringenties mille librarum Sterlinensium pretio taxatas habere præter lucrum, quod ex iis expectent. Danicus Londini Ablegatus initio ferociter jactarat, Hamburgenses rebelles esse, qui ad homagium compellendi sint, etiam cum excidio urbis. Mox tamen idem Anglo significabat, Danum desiderio promtæ transactionis machinas ab urbe amovisse. Cui Rex respondebat: se satis prævidisse, Danum molliorem viam ingressurum. Belgæ Hamburgensium opes imminui haut ægre laturi erant, ruinam tamen urbis detestabantur; etsi facile agnoscerent, inter hæc duo medium teneri vix posse. Ast in Suecia Christianus Stocflietus ablegatus Danicus Regi de heri sui instituto significabat, testatus nil aliud huic propositum, quam homagium debitum exigere; idque fas esse, exempla Erfordiæ, Brunsuigæ, Monasterii, ac Bremæ ostendere. Ei a Rege responsum: sibi non constare, quid controversiæ Dano cum Hamburgensibus sit. Eo magis inopinam sibi hanc denuntiationem accidisse. Sperare, eum nil facturum, quod pacem Germaniæ turbare queat; ac ita se gesturum, ne vicinis causa suspicandi præbeatur. Sane sibi tolerandum haut esse, ejus civitatis statum mutari. Ast uti ipse Regi Daniæ defuturus non sit, si hic legitimas prætensiones persequatur: ita necessum sibi fore hoc rerum statu facere, quo alias libenter supersedere velit, siquidem Danus capta ulterius urgeat. Cæterum Rex isthoc cœptum non Germaniæ solum, sed & Sueciæ summopere noxium judicabat; nec dubitabat, si Dano conatus in Hamburgum succedat, eum Lubecæ quoque paria intentaturum; tum novum castellum ad ostium Albis in potestatem redacturum, Albi juxta, ac Visurgi frænando. Elector Regem per Falæsium hortatus fuerat, ut Hamburgensium causam suscipiat Dani vires distrahendo. Nam alias Bremensem provinciam in lubrico fore, si Danus Hamburgo potiatur. Ne tamen in arma erumperet, quamdiu amicæ transactionis spes sit. Consultum interim fore in omnem eventum legiones in Scania contrahere. Ad hæc Rex testabatur, sese hoc in negotio Electoris consilia secuturum. Ac protinus ad gubernatores Teutonicarum provinciarum scribebatur, ut urbi quovis modo succurrant; tum & de contrahendis in Scania legionibus, ac de armanda classe mandata emittebantur.

§ 44. Cæterum Sueciæ Rex non parum gaudebat a Dano eas turbas fuisse motas, quod ea occasione Gottorpiensem restitui posse speraret. Ac Aschenbergius, & alii militares bellum valde suadebant, præsertim postquam Buda expugnata sit. Ast Elector demonstrabat, duas palmarias causas esse, quare id in præsens non expediat. Nam ubi bellum eruperit, præcipuos Protestantium inter se collidendos, non sine luctuoso exitu, ac ruina eadem sacra professorum. Tum tractis huc Germaniæ viribus parum superfore tuendo Rheno. Unde Gallum hautquidquam occasionem amissurum ei tractui subigendo, cui ea natio tamdiu inhiavit. Quo perdito plusquam dimidiam Germaniæ partem perituram, Belgis quoque ingens periculum incursuris. Nec dubium esse, quin Gallus Dani pertinaciam circa causam Gottorpiensem obfirmet, quo semper occasio in promtu sit Protestantium potissimos inter se committendi. Ac Gallum jam aperte denuntiare, si Danus intra suos fines impetatur, se cum triginta millibus militum eidem adstiturum. Ast tunc demum tempus fore Gottorpiensi restituendo, si patrato bello Turcico arma adversus Gallum parata fuerint. Si tamen Danus præter rationem se obfirmarit, cum Rege Sueciæ ac Luneburgicis se conventurum, quid facto opus sit. Interim quamdiu spes compositionis superet, moderate procedendum. Atque eadem quoque Cæsaris sententia erat, qui etsi cuperet, ab Electore enixam operam impendi componendæ causæ Gottorpiensi, quod ea indecisa iis oris solida quies consistere non possit; cavendum tamen censebat, ne hoc rerum Germaniæ statu res ad arma deducatur. Sed & Luneburgici optabant, Gottorpiense quoque negotium simul expediri, Danumque eo redigi, ut non amplius talia ab ipso expectanda sint. Ac proponebat Fuchsio Otto Grotius; Duces censere, hac occasione non præsentes solum turbas componendas, sed & de futura quiete & securitate Hamburgi, ac totius Circuli cogitandum: ad quam cumprimis factum sit Gottorpiensis restitutio, quo is priorem velut limitem Daniam versus firmet. Alias enim urbem semper ejusmodi tempestatibus expositam fore, quod Rex pauculas intra horas Glucstadio machinas jaciendis ignibus advehere possit: non semper autem Electoris, ac Ducum copias ita in promtu fore, ut tam tempestive sicut nunc succurrere queant. Atque id consilium effectu facile fore. Esse Ducibus parata XI M, Electori VII M bellatorum. Urbem quoque militem, ac ingens rebus momentum dare posse. Si ipsi junctis copiis apud Hamburgum consideant, Danicum exercitum brevi ad incitas redigendum. Istum militem jam non modico numero deserere; ac stativa autumnali cœlo multos morbos generare. Equitatui pabulum deesse. Vnde ipsis ingruentibus Dano cessim eundum. Qui & alias copias junctas tenere, ac insulas milite vacuas relinquere non possit, a Sueco, ubi hoc institutum intellexerit, mox invadendas. Ita nostros nemine resistente Holsatiam, & Slesvicensem Ducatum ingressuros, ac opimis ibi hospitiis fruituros; ac mox Regi necessitatem incubituram Ducem in sua restituendi. Eadem Cæsareus, Suecicusque ac Ducis minister Joachimus Alefeldius ingerebat, quorum hic totam Ducis ditionem fœderatis in usum hospitiorum offerebat. Nec modice id Hamburgenses optabant. Ac Fuchsius reponebat: Isthæc sibi improvisa esse, de quibus, cum suo discessu cogitatum non sit, nil quoque mandatorum eo fine datum: sed id duntaxat injunctum, ut præsentes turbæ quamprimum componantur, quo Regi Daniæ suus honos, civitati libertas persistat. Cæterum, uti Elector Danorum cum Duce agendi modum semper improbarit, ita eum ex animo hujus restitutionem optare, ac libenter operam suam eo fine collaturum: & hucusque, ut ista per amicam negotiationem fiat, elaborasse. Ast si in præsens ad vim

1686

4. Sept.

vim descendatur, nec Hamburgense negotium nisi restituto Duce absolvatur, certum bellum surrecturum, quod Danus ad tuendam tam pinguem possessionem extrema tentaturus sit. Ast se valde dubitare, num Elector probaturus sit Danum ad extrema urgeri, cui ipse semper arctis vinculis illigatus fuerit. Quin credere, si pauci, qui restant Protestantes bello inter se collisi vires mutuo atterant, de ipsorum quoque sacris actum iri. Electoris quoque vires distractas, ac partem legionum in Hungaria, partem in Borussia abesse, ut justa vi res geri non possit. Sed quod palmarium sit, si reliquæ Imperii vires heic loci bello implicentur, cum jam maxima pars contra Turcam occupetur, Gallum ea occasione usurum opprimendo ad Rhenum tractui; id quod nullo negotio facturus videatur, cum nullibi adpareat, quod tantæ moli opponi queat. Ast Electori persuasum, amisso Rheno Germaniam periisse. Ac forte a Gallo classem milite onustam in Mare Balticum mittendam, quæ ibi negotium det. Ast ubi pax cum Turcis facta, & exercitus suppleti fuerint, aut Gallo ad Rhenum LXM bellatorum opponi queant, Dano ab auxiliis destituto conditiones, quæ proponantur subeundas fore. Igitur in præsens non nisi de servanda urbe agendum, cujus, uti & totius Saxoniæ incolumitas in concordia, & conjunctione Electoris & Ducum consistat; cujus nunc effectus miraculo similis conspectus sit, universo orbe agnoscente, absque istis si fuisset, urbem periisse. In quam sententiam omnes rationum pondere pertracti sunt. Cæsar quoque per literas Electori significarat, conditiones a Dano Hamburgensibus propositas iniquas, ac sibi & Imperio damno ac fraudi esse: Sibi tamen gratum fore, si negotium ad amicam compositionem deducatur: ac optare, ut prætensio Holsatica in Hamburgum data pecuniæ summa plane aboleatur. Sed ut alia lege cum Dano transigatur nolle, nec ut Gallus & Anglus sequestres adsciscantur, nec res ad arbitros rejiciatur. Locum tractatuum Lubecæ sumi posse. Si hoc modo res componi nequeat, causam ad decisionem Spirensis judicii, ubi revisorium pendebat, rejiciendam. Et quia ipse nullum aliud temperamentum dispicere aut admittere queat, se civitati injunxisse, ne alio modo cum Dano tractet, nec alios sequestres admittat, multo minus causam extra Imperium ad arbitros deduci patiatur, neu Dano postulatam summam ter centies mille uncialium solvat. Ac ut durante tractatu, quæ nunc in urbe sint copiæ Circulares ibi relinquantur. Sed isti ab Electore responsum: optandum fuisse, ut negotium ad mentem Cæsaris radicitus componi potuerit. Sed quia ipse perspexerit, diuturnos hoc modo tractatus orituros, inter quos dilata detentarum navium restitutione, ac intercepto commercio urbs gravissimis damnis involvenda sit; de omnium ministrorum etiam Cæsareorum sententia in id consensum, ut ante omnia per præviam conventionem detentorum restitutio, commerciique reparatio, ac alia ad securitatem urbis facientia obtineantur, ac omnia in eum statum, qui ante turbas fuerat, reponantur. Quo fine & Cæsareum mandatum sibi in hac causa delatum, nec minus literas Cæsaris ad Regem inhibitorias & avocatorias se tantisper suppressisse, quoad spes amicæ compositionis superfit; quod istis nisi inter extrema opus non fit. Sequenti anno missus a Gottorpiensi Duce Andreas Ulckenius Cancellarius proponebat; Suecum velle Electori Stetinum tradere, ac in ejus vicem Dano Nidrosiam eripere, si Elector Dano bellum inferre velit Duci restituendo. Ast id Elector rejiciebat, quod si maxime res successisset Suecia Daniæ tunc longe prævalitura fuerit; cum tamen omnium vicinorum intersit, ea Regna in æquilibrio persistere. Præterquam quod Belgæ, Angli, Gallique huic instituto reluctaturi erant; ac demum maximum damnum Electorem manebat, si Sueciæ vires nimium glifcerent. 1686.

§. 45. Ita magno Germaniæ bono surgens apud Hamburgenses incendium Electoris præcipue cura, ac prudentia extinctum est, antequam latius se diffunderet. Quo sine dubio Gallus usurus fuerat exsequendis, quæ insatiabilis aliena invadendi libido suggerebat. Qui novam rixæ materiam nunc in medium adferebat, postulato, ut induciæ protinus in perpetuam pacem convertantur. Ea de re Nuntius Pontificis Viennæ Galli nomine proposuerat: *Quia Rex de periculosis destinatis, a Cæsare & Imperio adversus ipsum agitatis plene edoctus sit, nec ei per inducias satis caveatur, sed eidem utique constare debeat, cui fundamento securitas sua innitatur: igitur desiderare, ut pax cum ipso ineatur in has leges, ut sibi omnia quæ jam possideat loca, ac inprimis munitionibus a se firmata, pleno jure a toto Imperio cedantur, & quidem ante finem proximi mensis Martii; quod alias sibi necessum sit futurum alia consilia capessere.* Id postulatum eo importunius videbatur, quod ob angustiam temporis pax interim cum Turca comprehensis simul Polonis, & Venetis concludi non posset; ac alias tali modo agi non soleat, nisi cum iis, qui plane debellati, ac ad quarumvis insultationum patientiam redacti habentur. Huic propositioni ansam dederat Ranuccius in Gallia Nuntius, qui jactaverat; satis sibi constare, Cæsarem ad inducias quamprimum in æternam pacem mutandas pronum esse. Id quod statim a Gallo arreptum, ac Romam ad Cardinalem, & Ducem Estræum relatum; qui per Cardinalem Cibum Pontifici significarunt; Regem quidem non recusare, quo minus æterna pax concludatur, sed per eam necessum esse, ut omnia, quæ nunc possidet retineat, nec de gravaminibus mentio fiat, ac ut negotio ante finem Martii colophon imponatur. Alias eidem alia consilia ineunda, postquam Cæsar periculosa Galliæ distinata agitet, ac varia fœdera Augustæ, & alibi cudat, Regis quoque fœderatis in suas partes solicitatis. In quem sensum Estræus Pontifici duos libellos exhibuerat. Enimvero Cæsari ea postulata tanto iniquiora videbantur, quod Gallus sibi ipsis repugnantia misceret. Nam initio dicebatur, se pacis cum Gallo cupidum esse; & mox tamen subnectebatur, se de bello Galliæ inferendo meditari. Sed nec alio se modo cum Gallo tra-

Gallus de induciis in pacem mutandis proponit. 1687.

25. Jan.

Ranucci

d'Estræi. Cibo.

1687. lo tractationem suscepturum, quam qui inter supremos Principes invicem receptus est. Nec tolerandum esse, Gallum sibi interdicere audere, ne per inducias ad nudam defensionem spectantia fœdera ineat; multo minus sibi fatales terminos, quales judex partibus solet, tam fœdis conditionibus acceptandis præfigi. Ac scribebat ad Pontificem Cæsar: sibi hautquidquam in animo esse inducias infringere. Nec repugnare, quo minus induciæ in pacem mutentur. Sed id negotium solennem tractationem requirere, qualis supremos Principes deceat. Nec tolerandum conditiones sibi ac Imperio, quales bello victis solent, impingi. Ea quoque de re Cæsar ad Electorem referebat; quem sibi assensurum haut dubitet, & cujus velut potentis Electoris plusquam alterius intersit, Imperii majestatem sartam tectam servari.

Electoris de hac re sententia.

§. 46. Ad ista Elector Cæsari per Canicium declarabat: *Sibi firmam stare sententiam, hoc, & in futurum emersuris casibus tanquam fidum Electorem, ac Principem Imperii Cæsari ac patriæ inconcussa constantia adhærere, & quæ ad ejus dignitatem, emolumentum ac securitatem faciant omnibus viribus promovere. Magno quoque sibi solatio esse, Cæsarem hoc rerum articulo tam egregie sentire; ac inde quidem desiderium solidæ pacis toto eorum orbe testari; hunc vero ad nil induci velle, quod Imperii splendorem, finesque imminuere queat. Ac si omnes Ordines ad eum scopum bona fide, ac unitis animis connitantur, spem esse, imminentem tempestatem averti, ac Germaniam tam ignominiosa in perpetuum laceratione liberari posse, ac finita tristium fatorum periodo pristinam eidem autoritatem rediturum. Porro conditiones pacis ab Estræo Romæ propositas non parum absurdas sibi visas; & se utique Cæsari assentiri, ut si ad tractatus accedendum sit, ii more inter supremos Principes semper recepto instituantur, nullo ad concludendum præfixo fatali termino, nec in antecessum dictatis conditionibus. Nam e tractatibus, quales Neomagi, ac nuper Ratisbonæ ad Galli placitum facti sint, Germaniæ non plus securitatis, quam honoris sperandum esse. Quod autem Gallus gravamina silentio involvi postulet videri quidem id præcipue sacra spectare, ac Protestantibus fraudi fore. Sed præterquam quod etiam de magno terrarum tractu agatur, inter Ordines nullo sacrorum discrimine reciprocam esse evictionem, eosque inter se obligatos mutuo auxilio sua jura circa sacra, & civilia contra quemcunque tueri. Ac si Protestantes in tam justa causa a Catholicis destituantur, iis forte necessitatem allatum iri separata consilia ineundi; unde distractione inter istos orta Gallo pronam viam muniri utrisque subvertendis. Id quod Cæsar pro sua prudentia omnibus viribus impediturus sit. Quia etiam fama sit, Gallum proximo mense Martio in Alsatiam venturum, forte ut propositionem apud Pontificem factam vi pervincat, Cæsari mature considerandum, quomodo id impediri, aut vi reprimi queat. Nam haut expedire, eam consultationem ad extremam horam differri, qua res gerenda sit.* Paria Elector Ratisponæ quoque declarabat, inprimis Collegas hortatus, ut eam rem serio amplectantur, ac apud Gallum operam navent, ut hic Germaniæ per inducias tanto dispendio partam quietem ne invideat, nec novas conditiones, ad quas postulandas durantibus induciis nullum ipsi jus sit, eidem obtrudat. Idque tanto æquius esse, 1687. quod Cæsar jam in tractatum super finibus regundis consenserit, quo negotia moram non patientia expediri queant.

§. 47. Enimvero non solum absurdum, ac sibi repugnans erat, inducias ad certos annos facere, ac nunc certum diem definire velle, intra quem pax concludenda sit; sed & nil periculosius erat Imperio, quam in præsens de pace cum Gallo agere. Nam sine dubio idem eventus, qui circa inducias, secuturus erat, ubi conditiones, ac tempus dictatorio modo præscripta fuerant, imminente exercitu, qui ad has acceptandas compelleret. Igitur Elector Spanhemio injungebat, ut ubi de ista mutatione induciarum in pacem moveatur, omni modo eam avertere niteretur, inter alias hac quoque ratione adducta, quod ipse Gallus renitente Cæsare tempus XX annorum stipulatus sit, intra quos de pace agendum sit, e quibus nondum tres elapsi sint. Neque vero Cæsarem, aut Imperium vel minimum leges induciarum violasse; unde utrique conventum tempus indulgendum; nec ante id elapsum ad arma procurri posse. Quod si durante adhuc bello Turcico pax urgeatur, Imperium id non nisi in repetitæ violentiæ vicem accipere posse; ac certe inde secuturum, quod Gallus nunc citra rationem metuere videtur, cruentissimum bellum; dum Cæsari necessitas imponitur, pace cum Turcis utcunque præcipitata, totam Germaniam ex causa tam justa, ac plausibili in Gallum excitare. Alias Wilhelmus Furstenbergius cum superiore æstate Electorem Vesaliæ inviseret, de fœdere, quale quondam Susatense fuerat, paci promovendæ jecerat. Quod quia præsenti tempore noxium valde futurum erat, Elector, si de eodem moveretur, id eludere jubebat, sed dextre, ac circumspecte, ne is intempestivam suspicionem conciperet. Cæterum quod Galli tam multa crepent, Cæsarem posito cum Turcis bello Galliam invasurum, id inane esse. Sane Cæsareum legatum Lobcovicium testari, si nominari possint Cæsarei ministri, qui tale quid insinuaverint, graves pœnas daturos. Ac habitum reipublicæ Germanicæ ita comparatum, ut ni hæc enormiter lacessatur, nulli vicino ab eadem offensæ quid metuendum sit, minime omnium autem Galliæ, cujus vires, & arma toti orbi nota sint. Et quanquam Cæsar in Hungaria fines suos sat late protulerit, eum tamen non modicam veterani militis jacturam fecisse, ac provincias suas valde exhausisse, sic ut haut temere ausurus sit post patratum bellum Turcicum hostem recentem, & longa quiete firmatum ultro lacessere. Sed & Gallo tot munitiones ad limitem Germaniæ esse, ut nulla amplius cautione opus habeat. Cum etiam Gallus causam suspicionis in Cæsarem alleget debilitatem Imperii Ottomannici; potius par esse, hac ipsum quoque aliorum Principum Christianorum exemplo uti ad propagandam Christianam religionem. Minime omnium autem Deo, orbique adprobari posse, si is alios in tam sancto instituto impediat. Ad ista Croissius confuse respondebat: Bonvisium Cardinalem Nuntium Viennæ intellexisse, Cæsarem proclivem in pacem cum Gallo esse. Id cum Romæ fuisset propositum, Regem non

Ab Electore cum Gallo super hoc negotio disceptata.

1687. non potuisse non itidem paci se pronum declarare. Sed scripta Romæ ab Estræo citra mandatum exhibita. Alias se abnuere non posse, castellum Huningæ oppositum induciis repugnare. Sed fœdus Augustanum ac consiliorum contra Galliam designationes, minasque unicam istius extructi causam esse. Denique Regi vel pro induciis pacem habendam, vel ampliorem cautionem. Et cum rogaretur, quid cautionis Rex desideret? respondebat, eum contentum fore, scripta Cæsaris ac Imperii declaratione: firmum sibi esse propositum inducias etiam post finitum bellum Turcicum servandi. Tum ut gravamina Ratisponæ exagitata ad amicam disceptationem remittantur, ac de cætero induciæ utrinque observentur. Ejus mutationis causa habebatur, quod Pontifex istam propositionem, ac tam angustum spatium acceptandæ paci præfixum velut iniquum valde improbaret, nec id negotium ullo modo tangere vellet: præsertim cum fundamentum futura esset pax Monasteriensis, contra quam sedes Romana protestationem interposuerat. Ut igitur Galli honeste ex intempestive cœpto negotio extricare se possent, ad isthanc declarationem delabebantur, circa quam quidem nulla difficultas

6. Febr. futura erat. Ast Elector censebat; si testationes, quas Gallus de studio in pacem faciat, seriæ sint, eisque fides ab Imperio haberi debeat, easdem non nudis verbis constare debere, sed & reipsa exprimendas; nec inter istas aliter agendum, quam uti rationi, & æquitati, juri gentium, ac mori summos inter Principes recepto consentaneum sit Nec enim Imperio constantem fiduciam de servanda ab isto in posterum pace nasci posse, ni pax Westphalica, ac induciæ Ratisponenses bona fide impleantur. Unde nil æquius esse, quam ut contra utrasque circa sacra, & civilia a Gallo notorie patrata emendentur, ac tractatus finium regundorum quamprimum expediatur. Eo facto Imperium haut recusaturum ad pacis quoque tractationem descendere. Sed quia articulo XI. induciarum convenit, ut istius locus & tempus Ratisponæ definiatur, necessum esse, ut super his decenter agatur, & conveniatur. De Gallo quoque merito tot Ordinibus idoneum tempus concedendum ad tanti momenti negotium, e quo ipsorum fortunæ pendent, mature expendendum. Nam intra mensem Martium vix omnibus quorum interest, id significari posse. Sed & terminos negotiationis jam ipsis induciis designatos, ac his contentas conditiones non nisi post elapsos viginti annos, aut quoad tractatus de pace absoluti sint, expirare. Merito quoque utrique parti plenam libertatem a natura concessam relinquendam; non autem uni parti ab altera conditiones pacis velut pro imperio impingendas, quæ per amicam disceptationem utriusque partis consensu adornandæ sint. Porro non posse non Protestantes gravi suspicione perstringi, quod scripto Romæ exhibito iisdem omnis spes adimitur, querelis suis circa sacra unquam satisfactum iri. Esse quoque iniquum, quod Gallus concedere non velit, aut saltem varias suspiciones ostendat, Ordines cum Cæsare, aut inter se fœdera mutuæ defensionis inire ad normam legum Imperii, pacisque Westphalicæ & induciarum. Sane Gallum inter Monasterienses tractatus magno studio super jure fœderum Ordinibus competente contendisse. Reges quoque exteros cum Ordinibus Imperii tota die ejusmodi fœdera pangere. Quanto minus id Cæsari ac Ordinibus inter se vitio dari posse? Sed nec rem militarem Imperii ita comparatam, ut ex ea ulli vicino, nedum Gallo quid offensionis metuendum sit. Imperium quoque Gallo, aut ulli vicinorum haut præscribere, quæ, aut quibuscum fœdera inire, aut quos armorum paratus facere debeat, etsi Gallica militia modum pacifici temporis longe supergressa isti non possit non justissimum metum excitare. Denique Gallum hucusque nil querelæ contra Cæsarem & Imperium movisse, velut hi contra pacem & inducias aliquid fecerint. Quid ergo juri naturali & gentium magis consentaneum, quam ut idem a Gallo exigant, siquidem huic stabilem pacem, & sinceram amicitiam colere cordi sit? Ista cum jussu Electoris a Spanhemio ministris Gallicis ingererentur, hi solidi nil quod reponerent habebant. Haut eo minus, etsi Croissius paulo 28. Febr.
ante ostendisset, Regem danda a Cæsare declaratione contentum fore, mox iterum ad priora revolvebatur: haut commodius remedium esse omnibus suspicionibus tollendis, quam inducias in pacem mutare. Id Anglum, Danum ac Electores Ecclesiasticos probare. Causam diffidentiæ erga Cæsarem esse, quod is tractatum anno 1671 factum non servarit, quo promiserit, se Belgis nil auxilii laturum; id quod tamen sequenti anno fecerit. Tum & Regi plurimas prætensiones in Imperium esse, quibus renuntiaturus sit, si per pacem ipsi omnia relinquantur, quæ nunc possidet. Idem quoque agnoscebat, castellum apud Huningam contra jus extructum; nec tamen Regis gloriam permittere, ut eo cedatur. Nec obscure insinuabat; si ad discussionem reunionum & gravaminum accedatur, Gallis difficile fore earum justitiam adstruere. Igitur satius fore per aversionem transigere. Denique Regem tolerare non posse, ut Regni sui securitas post bellum Turcicum a libidine Cæsaris dependeat. Quod si Cæsar & Imperium Regi in perpetuum relinquere velint, quæ per inducias habeat, facile fore ea per pacem cedere. Sed si alia mens sedeat, causam esse huic, ut rebus suis prospiciat. Quod si Ordines Ratispona epistolam super gravaminibus mittant, Regem clarigationis loco eam habiturum. Ipse Rex Nuntio dixerat: conversionem induciarum in pacem unicum remedium esse, quod quidem ipse perspiciat, sibi cavendi, & quo velit ac possit adquiescere. Nam alias satis prospicere, in se aliquando fabam cudendam. Cæterum revera ea propositio tam iniqua & invidiosa de induciis in pacem mutandis a Luvoisio profecta erat, omnium violentorum consiliorum autore ac promotore. Quæ cum successura non videretur, color dicebatur, eam Viennæ motam, ac Estræum absque mandato Romæ scriptum exhibuisse. Ac fatebatur Lobcovicius, non parum scrupuli Gallis injectum, quod Elector ita cordate sententiam suam hisce ingessisset. Qui & intellecta Galli vacillatione circa

acce-

acceptandam Cæsaris declarationem ulterius demonstrari jubebat: si Regi ulla sit intentio pacem servandi, nullum prætextum, aut idoneam causam esse, quare a semel ostensa sententia discedere queat. Nam extra controversiam esse, Galliæ ab Imperio nil infesti metuendum. Et quanquam Cæsar fines suos late protulerit, ditiones tamen ejus hoc bello valde exhaustas non modico tempore opus habituras ad recolligendas vires, & recens adquisita in tuto collocanda. Præsidia quoque occupatorum in Hungaria locorum multum militum requirere, ut Cæsarem haut temere libido subitura sit, potentem ac probe instructum hostem ultro lacessendi. Cæsarem quoque erga Pontificem, & ipsum Regem ita declarasse, ut si ulla fides adhuc in orbe supersit, de ejus sinceritate dubium esse nequeat. (Posuerat hic in literis ad Pontificem: *si sanctius quid inveniri possit, quam Cæsarea sua, ac Regia fides, id se cautela in vicem expositurum.*) Quod si Gallus hoc non contentus rem ad arma deducat, eum adversus suas totiens iteratas testationes facturum non sine totius orbis Christiani detestatione. Ac Imperii Ordines, quia de summa rerum, ac fatis Imperii agatur, junctis animis viribusque reluctaturos, sic ut Gallo haut ita in proclivi futurum sit statum Europæ evertere. Nec in notoria causæ justitia de divino auxilio desperandum; ac fiduciam bonæ causæ Germanis animos addituram. Ista Spanhemius graviter sine tamen minis exponere jubebatur; ac si eadem probe expendantur, velut candida amici monita plus ponderis in animo Regis habitura spes erat, quam prave consultorum ambitiosas adulationes.

§. 48. Ast Elector, cum non sine admiratione repentinam mutationem percepisset, qua Gallus pro induciis in pacem vertendis declarationem de servandis induciis desideraverat, Cæsarem per Canitium hortabatur, ne hanc dare dubitaret. Sic enim ipsum liberam facultatem nancisci bello Turcico persequendo, ac finibus ea parte pro lubitu proferendis. Nec Ordines metu belli Gallici distrahendos, quo minus eidem militem subministrent. Imperio permansuram suam compagem, quietem, & securitatem, recolligendis post tot convulsiones viribus, ac intestino statui rite digerendo. Quod postuletur nec existimationem, nec securitatem Imperii lædere. Nam id tantum agi, ut quod semel solenni tractatu conventum est, porro persistat. Equidem non deesse, quæ objici queant. Gallum quæ post inducias invaserit retenturum. Inducias ab eo multifariam violatas, sic ut Imperium non amplius iis stringatur. Eundem uti tantillo tempore, ex quo induciæ factæ sint, totiens istis contravenerit; ita idem deinceps continuaturum. Denique eundem jam debilem, viris, opibusque imminutum tanta hominum multitudine ob sacra Regno expulsa; cuique adeo spatium non sit indulgendum instaurandis viribus. Enimvero ex adverso considerandum, Gallum offerre, se post inducias acta ad discussionem deducturum. Id si fiat, ac reparatio eorum, quæ contra inducias patrata sunt, obtineatur, id Germaniæ lucro fore: sin minus, integrum huic manere post elapsas inducias alio modo reparationem quærere. Nec in tempore heic aliquam jacturam esse, quod durante bello Turcico Germania armis haut ita instructa sit, ut Gallum ad reddenda ablata compellere queat. Sane Imperium non amplius induciis teneri, totiens a Gallo infractis; quod nec hic inficietur. Ast in præsens Cæsaris arma bello Turcico distineri, quæ restant Imperio vires tantæ moli non sufficere; ut fere in lucro habendum sit plura non amittere. Quod si Gallus recentia promissa non magis quam priora servet, Imperium denuo obligationi exsolvi, ac ubi occasio faveat, recentium juxta, ac veterum injuriarum ultionem exigere posse. Interim tempus, in quo tantum momenti positum sit, extrahi. Quanquam autem Galliæ expulsis Reformatis non parum decesserit: esse tamen Gallo in Alsatia, & ad Rhenum plusquam sufficientes vires, tam tenui contra Germanorum ad hunc fluvium paratu, ut facile eum totum in potestatem redigere queat. Saltem eundem sufficere suis tutandis, tot munimentis succinctum. Ac si maxime bellum Turcicum mature definat, ac multum adhuc temporis ad finem induciarum supersit: tamen quiete opus fore ad reparandas vires bello Turcico consumptas, ac parta per Hungariam firmanda, simul domesticis Germaniæ rebus rite disponendis. Saltem tranquillas res tantundem emolumenti nobis, atque Gallo daturas. Igitur e re videri circa declarationem nil scrupuli movere, ne Gallo inde suspicio nascatur, quasi Cæsar infesta agitet, eoque iste fonticam plagam Germaniæ inferre properet: præsertim cum in consilio Gallico sint, qui impense bellum suadeant. Ad ista Cæsar declarabat; suam sententiam Electori plane conspirare, & si reliqui Electores, ad quos de hoc negotio retulerit, paria suadeant, se non dubitaturum petitam cautionem dare, præviis tamen duabus conditionibus; ut Gallus structura novarum munitionum, aliisque usurpationibus supersedeat; idemque vicissim declaret, se inducias servaturum. Alias sibi valde cordi esse bellum Turcicum citra impedimentum persequi. Cæterum Viennæ plurimum securitatis adparebat, velut cautum foret, Gallum in arma haut erupturum. Sane Starenbergius Comes Philipsburgi præfectus apud Cæsarem enixe rogaverat, ut tam ancipiti tempestate ei loco de rebus ad defensionem necesseriis promte prospiciatur: alias se non parem fore eidem ultra octiduum contra vim obtinendo. Ad quæ post decem demum dies responsum; a Gallo nil infensi metuendum. Unde verosimile videbatur, Cæsari persuasum fuisse, Gallum in præsens unice Anglo vacaturum, Romanos ritus suis civibus obtrudere agitanti. Sane hic non ita pridem colloquium inter binos theologos Protestantes, & Catholicos apud Rochestriæ Comitem haberi curaverat; in quo etsi Catholicis aqua hæsisset, ac ipse Rex pronunciaret, unum eorum stolide ratiocinatum, alterum extra oleas vagatum, ac Protestantes causam suam ingeniosius adornare nosse: haut eo minus ab eo Comite, ut & a Cancellario postulabat, ut Romanos ritus induerent: quod uterque recusabat. Idem a Georgio Daniæ Principe, ac sua filia Anna huic nupta non

1687. 13. Febr.

1687. non fine minis exigebatur. Sed cui Princeps mascule respondebat: Sibi non ignotum ubi degat, & penes quem heic sit jubendi potestas; sed & nosse unde venerit, ac malle eodem reverti, quam tolerare heic vim suæ conscientiæ inferri. Ac sane, cum Rex a proceribus palam sacrorum mutationem postularet, plerique plus constantiæ ostendebant, quam de iis speratum fuerat. Eum agendi modum haut mirabantur, qui Regis ingenium norant, semper in præcipitia ruere gaudens. Quid in Anglia inde secuturum esset, adhuc in obscuro erat. Equidem multi censebant, hac agendi ratione Anglum sibi facultatem detrahere cum Belgis bellum ordiendi; Gallum autem solum id haut suscepturum; eoque hoc anno nil turbarum metuendum. Contra altius penetrabant in utroque Regno ingentes rei navalis paratus, ac secreta inter eos Reges commercia, & quod Jesuitæ apud Anglum moderamen consiliorum invaserant, quorum machinationes ad subvertendos Protestantes numquam quiescunt. Ac e Gallia referebatur, Wilhelmum Furstenbergium Episcopum Ultrajectinum designatum. Unde dubium non habebatur, quin summa consiliorum inter ambos Reges tunc in eo verteretur, Belgium subruere, ac successionem in Anglia ad Catholicos transferre. Etsi Pontifex Innocentius XI. Anglo suaserat, ne per laudabilem zelum, quem pro Catholica religione gerat, in calamitatem se præcipitet, eoque huic maximum damnum inferat. Nam satis se edoctum, ipsius destinata succedere non posse.

Mutua Cæsaris & Galli declaratio. *20. Febr.* §. 49. Ita Cæsar per literas Gallo confirmabat, se etiam post finitum bellum Turcicum inducias sancte observaturum: nec a se, ac Imperio ex iis, quæ hactenus contra eas patrata sint, prætextum abrumpendis iisdem arreptum iri; ac remedium gravaminibus non aliunde, quam ab ipsius tanquam Christianissimi Regis justitia & æquitate expectaturum. Quæ Lobcovicius, dum peculiari alloquio literas Regi tradit, verbis repetebat. Qua declaratione Rex adquiescebat; ac Luvoisius Lobcovicio confirmabat, Regem bellum nolle. Nam id si voluisset, proniores adhuc ei ordiendo fuisse occasiones. Vicissim Rex scripto conceptam declarationem Lobcovicio tradebat hoc sensu:

6. Mart. *Rex eo majore cum satisfactione recepit assecurationes, quas Comes Lobcovicius verbis, & scripto nomine Imperatoris ei dedit, de sincero desiderio, quo is tenetur, observandi inducias durationis suæ tempore. Nec Majestati suæ aliquid magis cordi est, quam cum Majestate sua Cæsarea, & Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii bonam correspondentiam alere. Sua Majestas etiam crediderat se non posse certius documentum bonæ suæ intentionis dare, quam si declararet, uti fecit, quod lubenter consentire velit in conversionem induciarum in tractatum pacis, velut remedium non solum maxime idoneum tollendis utrinque omnibus suspicionum causis, eoque communi bono Christiani orbis convenientius, sed etiam Cæsari, toti Imperio, ac Regi Hispaniæ utilius quam ipsi Galliæ. Et cum ea pax nullam discussionem reciprocarum prætensionum requisivisset, istam potuisse ea promtitudine adornari, quam stabilimentum tranquillitatis publicæ desiderat. Sua Majestati haut grave est meminisse causarum, queis permota fuit ad consentiendum in tractatum induciarum, factum & conclusum die XV. Augusti 1684. Noverat illa justissimas rationes, ex quibus prætendere poterat, ut Cæsar, & Imperium sibi tractatu irrevocabili cederent omnia loca ex virtute præcedentium tractatuum ad suam Coronam reunita. Eadem satis perspiciebat, quod pactum induciarum aliquando materiam præbere posset illis, qui amicitiam inter Ipsam, & Imperium turbare vellent. Sed quia justæ suæ prætensiones Principes, ac Status Germaniæ avertere potuissent a ferendo auxilio, quo Cæsar contra Turcas opus habeat; Sua Majestas maluit instinctum generosi sui animi, ac pietatis sequi, quam per longam negotiationem Suæ Majestati Cæsareæ ullam solicitudinem adferre; & quia communem utilitatem orbis Christiani rationibus suæ Coronæ præferret, contenta fuit ad tempus obtinuisse, quod perpetuo jure postulare poterat. Quilibet etiam novit, quod post conclusionem hujus tractatus Eadem nihil omisit eorum, quæ penes se fuerint, ut super iis, quæ exsecutionem spectant, amice conveniretur; quo a fine plenipotentiarius suus Ratisponæ semper agendi facultate fuerit instructus. Ac se judicium ministris Electorum, Principum, & Statuum Imperii, quin ipsi Cæsari relinquere, ruinam culpa harum morarum attribui debeat; ac ut illi ipsi testimonium exhibeant, quem agendi modum suæ Majestatis ministri, & quem Cæsarei tenuerint. Sua Majestas quoque non e re judicat omnes rationes exponere, quare diffisa fuerit ministrorum Cæsareorum destinatis, quæ nullius notitiam fugiant. Sed quantamcunque fiduciam Ea in assecurationibus a Cæsare in præsens ipsi datis reponat: difficile tamen Ei est hoc rerum articulo istis plenam fidem adhibere. Quamvis enim arctissima fuerit obligatio, quam Cæsar anno 1671. contraxit de non submittendo ullo auxilio hostibus Regis eo tractatu expresse nominatis; nihilominus Cæsaris ministri judicabant ex hujus re esse magnis progressibus armorum Suæ Majestatis se opponere. Eoque multis rationibus fides sibi fit, postquam ministri Domus Austriacæ pluribus locis ostenderunt, protinus atque bellum in Hungaria finitum sit, Cæsarem arma ad Rhenum versura; tractatum induciarum, contra quem plures prætextus contraventionum habent, quam contra eum, qui anno 1671. initus est, haut sufffecturum sistendis eorum destinatis, qui novas* 1687.

vas turbas excitare cœperint. Idque eo magis, quod eo ipso scripto Comitis Lobcovicii, quo Suæ Majestati de bona intentione Cæsaris confirmat, reservatum sit infallibile prætextum pacta induciarum evertendi; dum obtentu omnia in statum, qui anno 1681. fuit, restituendi tacite postulatur, ut opera, quæ Suæ Majestati necessario struenda fuerunt, & quibus perficiendis in præsens labor sumitur ad securitatem limitis Gallici, in statum, quo antea fuerant, reponantur. Id quod sinere Suæ Majestati non permittit protectio quam subjectis suis debet, ac ditionum suarum conservatio. Sed & hanc ab causam eo tanto magis probata fuit propositio de tractatu pacis ad normam pacti induciarum adornando, quod ea ratione pax Europæ in perpetuum stabilienda, & Galliæ sublata adversus Cæsarem, & Imperium diffidentia eo majorem voluptatem e partis sibi capturæ fuerit, ab Ea non nisi ad incrementum religionis Christianæ impendendis, & ne unquam præjudicium adferri posset Statibus qui eam profitentur. Cæsarem quoque plus adhuc emolumenti in isto tractatu reperturum fuisse, quam quemvis alium Europæ Principem, per certam adquisitionem totius Regni Hungariæ, cum contra ad Rhenum ne digitum quidem terræ amissurus fuerit. Status quoque Imperii, ac præcipue Galliæ vicini firmamentum suæ quietis inventuros fuisse, nullo alio dispendio, quam male fundatarum prætensionum in res, quas eo difficilius ipsis futurum sit e manibus Suæ Majestatis extorquere, quo majore cum justitia illa eas possidet. Cui & id emolumentum accedat e renuntiationibus Suæ Majestatis in justas prætensiones, quibus sua potentia post elapsas inducias pondus addere queat. Hispaniam quoque non minus commodi nacturam fuisse finibus suis in perpetuum contra Galliæ vires in tuto collocandis. Demum omnes potentias contra Turcam confœderatas tam favente occasione gavisuras fuisse ad hunc tota Europa expellendum. Hæ sunt genuinæ rationes quæ Suæ Majestati persuadent, non esse promtiorem, faciliorem, ac magis necessariam viam ad stabiliendam concordiam inter omnes Principes, & Respublicas Christianas, quam pacem ad normam induciarum factam, sepositis controversiis tam crebro disceptatis, & quæ non amplius urgeri possunt, quin novas exacerbationes excitent. Nihilominus quia Cæsar credit, ad conclusionem hujus tractatus ita promte, uti necessarium videatur, perveniri non posse, Sua Majestas, quæ nil aliud quam conservationem tranquillitatis publicæ respicit, cujus & semper certa documenta dedit, illam adhuc præsenti rerum statu confirmare cupit, ac plenam fiduciam in factis a Cæsare assecurationibus reponit. Sua Majestas sibi persuadet, eas sinceras esse, ac sine ulla exceptione, aut subterfugio, quibus Sua Cæsarea Majestas promittit, se inviolabiliter inducias observaturam toto tempore, quod earum durationi est definitum, ita ut nec gravamina ad conventum Ratisponensem delata, nec opera ad pontem Hunningæ, & insulam Giesenheimum cœpta, quæ Sua Majestas ad securitatem sui limitis absolvere decrevit, causam, aut prætextum suppeditare possint abrumpendis induciis. Et hoc posito fundamento Sua Majestas itidem declarat, se bona fide e sua quoque parte executuram omnia, quæ eo tractatu in stipulationem deducta sunt; ac amicitiam colere continuaturam cum Cæsare, & Imperio non solum durante induciarum tempore, sed & quamdiu his bonæ intentioni Suæ Majestatis e sua parte respondere placeat. Datum Versaliæ d. 6. Martii 1687. Ea tradita declaratione Croissius obscure innuebat, Regem ad hanc quidquam reponi nolle. 1687.

§. 50. Id scriptum Viennam delatum multis aliquid obscuritatis habere videbatur. Plerisque tamen ea satisfaciebat, quod iste sensus satis perspicue expressus foret; etsi Rex de ministris Cæsareis optime sperare haut potuerit, ac utilius judicarit inducias pace mutari; tamen se Cæsaris declarationi fidem adhibiturum, ac inducias non solum per conventos viginti annos, sed & post eos elapsos tamdiu servaturum, quamdiu a Cæsare & Imperio causa bello haut præbeatur; ut tamen cœptas jam munitiones perficere ipsi integrum sit. Etsi alias sanæ rationi repugnare videretur, in locis, quorum possessio per inducias ad certum tempus relictum sit, munitiones extruere, ac omnia ita disponere, quasi animus foret ista nunquam restituere. Quanquam etiam de Hispanis, & causa Palatina mentio facta non esset; satis tamen habebatur Hispanos induciis Germanicis comprehendi. Ita credebatur res a Gallo serio acta; quem & haut temere post finitum bellum Turcicum quid moturum credebatur, si occasionem rupturæ tam commodam elabi passus esset. Cæsar itaque per Lobcovicium significabat: Regis declarationem sibi gratam esse; ac se quoque bona fide inducias servaturum toto convento tempore, nec gravamina causam, aut prætextum armis arripiendis præbitura. Ac sperare, Gallum quoque legibus induciarum staturum, nec deinceps contra eas quid suscepturum. Ad quæ Croissius respondebat: Non habere Regem, quod addat iis, quæ nuper declarata sint; quibus is insistere velit. Circa id negotium Cæsarei agnoscebant, si Germania hac vice novas turbas declinaret, id magnam partem Electori in acceptis referendum; qui per egregia consilia, & masculas demonstrationes Gallo factas hujus destinata stiterit. Cum alias, ni Elector tam laudabili exemplo præivisset, pleraque suffragia Ratisponæ pro acceptanda turpi pace ferenda fuisse videantur. Legatus Hispanicus Burgomagnus dicebat: Statim atque Gallica propositio

Judicium de hac declaratione.

17. Mart.

1687. sitio evulgata fuerit, suo se Regi scripsisse; summam rerum ad Electorem rediturum, qui cum Germaniæ statum optime norit, & ut hic salvus persistat ejus maxime intersit, sine dubio cordatas sententias dicturus, & maximam Ordinum partem in easdem pertracturus sit. Addebat, sese Electori vitio vertere non posse, quod ab aliquo tempore ob tolerata Neomagensi pace damna offensæ nonnihil ostenderit; ac se paucos ante dies Cæsari ac Bavaro dixisse; Electorem, ut sibi illudatur haut pati, & cum eo candide, ac
11. Jan. uti par sit agendum. Post tamen Cæsar, quo magis sibi adversus Gallum caveret, ab Anglo requisivit, ut hic induciarum evictionem in se susciperet. Eam Anglus Gallo offerebat, si ita ipsi videretur. Gallus ostendebat; sibi gratum fore ab Anglo cautionem super induciis, ac peculiariter quoque super declarationibus nuper utrinque factis suscipi; ea tamen conditione, ut Cæsar, Imperium & Hispanus, eorumque fœderati inducias ne abrumpant, neu Galliam invadant ex prætexto quorumcunque anteactorum, ac querelarum a concionatoribus Protestantibus motarum, quas ipse nulla idonea causa niti comperit; tum nominatim ob structuram ad Huningam, & alias munitiones, quas ipse ex jure supremi imperii in ea loca sibi cessi ad securitatem locorum reunitorum cœperit, aut in posterum e re sua extruere judicaturus sit. Quod si igitur Cæsar & Imperium inducias servent, se quoque idem facturum, ac ea lege se Angli sponsionem acceptare. Enimvero Elector optabat, ea de re apud Anglum haut fuisse motum. Nam priorem Galli declarationem ad duo duntaxat loca, quæ munienda sint, restringi videri. Sed nunc Gallum sine modo sibi arrogare facultatem, quicquid placeat locorum reunitorum munitionibus firmandi; id quod ab Imperio probari nequeat. Unde & Cæsar, omisso tractatu cum Anglo super evictione, ministrum ex Anglia re infecta revocavit.

Ratisbona super isto negotio acta. §. 51. Cæterum vulgata Galli de pace propositione Elector Ratisponæ legatos suos impense conniti jusserat, ut Ordines id negotium unanimi studio cordi habeant, ac ejusmodi consilia capiant, ne, quæ instare videatur, nova pacis negotiatio eundem cum Neomagensi exitum sortiatur; sed ut potius, quod tunc magna cum ignominia, pari damno Imperii peccatum est, in præsens reparetur. Si certus dies absolvendo negotio præfigatur, non tractatum esse, sed edictum, velut si judex subjectis peremtorium terminum dictitet. Igitur ante omnia providendum, ut Ordinibus indivulsa concordia constet, ne in communi causa per pacta ad medium statum, aut otium reliquis pugnantibus obligantia distrahantur. Sed cum mox Gallus omisso pacis tractatu declarationem duntaxat exigeret, Elector, ut Cæsar quidem eam daret haut inutile rebatur. Sed ut peculiaris declaratio, & scripto quidem Imperii nomine daretur, id superfluum censebat. Nam hactenus Imperium nil contra inducias fecisse arguebatur. Unde tali declaratione Imperium præter necessitatem novam obligationem erat contracturum; cum Gallo interim integrum futurum sit leges induciarum pro lubitu transgredi nullo ab Imperii Ordinibus metu. Haut eo minus Godofredus Jena in Senatu Electorali sategerat circa ejusmodi declarationis formulam adornandam; ubi & per Moguntinum propositum fuerat, ut Gallo aliquot urbes ab Imperio insidendæ darentur in cautionem inducias servatum iri; cujus consilii Jena autor, aut saltem suffragator arguebatur. Peculiariter autem improbabatur, quod is sententiam dixisset absque Electoris mandato in negotio, totius Imperii tranquillitatem spectante; tum quod in formula ab ipso concepta positum esset, pure Gallo cavendum, tractatus pacis sine mora suscipiendos; ac interim Imperio haut integrum fore obtentu gravaminum hostilia suscipere, omissa reciproca obligatione, a Gallo vicissim leges induciarum servatum iri, & quod gravamina ad amicam discussionem non remissa forent. Quanquam autem Jena de urbibus Gallo tradendis a se profectum negaret, ac reliqua ita purgaret, ut Elector ejus excusatione adquiesceret; utique tamen placuit eum Ratispona discedere, Cæsareis de nimio in Gallos studio suspectum; & quia plurimum de opinione candoris Electori detracturum erat, si ista ab hoc profecta crederentur.

§. 52. Super ista Jenæ avocatione Galli non sine calore expostulabant; eam formulam non a Jena, sed a tribus Electoribus Ecclesiasticis profectam, ac Schefferum Moguntinum legatum de ea primum movisse. Ipsum Bavaricum, cujus herus parum cum Gallia conjunctionis habeat, censuisse, Regi heic aliquatenus satisfaciendum. Addebatur; Regi parum fiduciæ in Electoris amicitia esse posse, si is principem se ferre videatur adversæ parti, ac uti ab aliquo tempore fecerit, commodis Galliæ ubique se opponat. Nec acerbiore modo Electorem declarare potuisse, quo in Galliam animo sit. Quin satius fore, si aperte hostem se declaret, quam quod amici specie, ubicunque occasio ferat, infensissimum se Galliæ hostem ostendat, ac præ omnibus, quæ contra inducias facta arguantur, exaggeret. In quo & Austriaci ministri maxime confidant. Ac videri eum primum nomen bello contra Galliam daturum, ac in prima acie adpariturum. Ad ista Elector per Spanhemium demonstrari jubebat: *Se quidem Gallo exprobare nolle emolumenta, quæ hic e sua amicitia perceperit. Sane Regem antea sæpius testatum, ob acta circa inducias se de ipso eximie meritum; ac sæpe sibi audiendum fuisse, absque sua opera nunquam Imperium, ac Hispanum tam insignes ditiones ad viginti annos cessurum fuisse. Unde mirum esse, cum circa tanti momenti negotium acta sua probentur, Jenæ avocationem tam odiose exaggerari, quasi per eam summa injuria Gallo illata fuerit. Atqui non minus sibi, quam aliis Principibus liberum esse circa suos ministros, prout e sua re videatur, disponere; ac suis negotiis ejusmodi homines adhibere, qui non tam ab aliis, quam a se æstimentur. Ac non posse non sibi valde suspectum videri, quod Galli tanto fervore pro Jenæ causam dicant, ac eousque procedant, quasi eo avocati*

Interc… Jenæ & Electoris expostulatio. *4. Mar.* *14. Mar.*

1687. *vocato amicitia inter ipsos sublata sit. Quo haut obscure innuatur, Regem plus ab isto, quam aliis ipsius ministris sperasse: id quod nulli Principi, qui fide ministerio uti cupit, tolerandum sit. Sed & nemini se teneri ad reddendam rationem de eo, quod ipse circa Jenam disposuerit. Parum quoque ad rem facere, a quo formula ista in Electorali Senatu provenerit, aut num alii quidem eam adprobarint. Sed delictum ejus in eo verti, quod circa rem sategerit sua sententia adversam, & ex qua ea opinio evalescere possit, quasi ipse diversis locis diversas de negotiis Imperii sententias proponat, ac consilia sibi haut constantia foveat. Unde tuenda sua existimationi utique necessarium fuisse, publice ostensa indignatione eam a se opinionem avertere. Non posse quoque non sibi dolori esse, non solum leges sibi præscribi, quibus ministris uti debeat, & quomque eorum secus acta improbare debeat; sed & tam leves ob causas tam sinistre de suis consiliis ferri. Quod ipse propositionem Romæ factam, ac tam multa contra inducias patrata probare nequierit, id obligationem, qua Imperio teneatur, requirere, & quia Ratisbonæ ob sententias alio tempore dictas nunc fortius sibi, quam aliis loquendum sit; & quia sua magis, quam aliorum intersit, Imperii compagem subsistere. Amicitiam quoque cum Rege sibi plus, quam aliis occasionis præbere circa talia mentem suam exponendi; id quod semper a se modeste factum, ac circa talia, quæ manifeste induciis, ac paci Westphalicæ repugnarint. Pacem cum Turcis nunquam se suasisse, nisi in casum belli a Gallia moti; id quod naturali rationi conveniat. Sed quod Galli subsidiis velut freno, uti velint, ac prout acta sua ipsis probentur, ea numerare aut inhiberi; id valde indecorum sibi videri. Sane uti ipse hactenus in amicitia cum Gallo hautquidquam ad tam modicas pecunias respexerit, aut eas aliquod momentum habere passus fuerit contra ea, quæ sua conscientia, dignitas, fama ac patriæ salus requirat: ita facillimam istius jacturam sibi fore. Ac valde falli, qui credunt, tantillæ pecuniæ vim inesse, ut ideo aliquid existimationi suæ toto orbe partæ, ac ubique ostensæ animi magnitudini detrahere, ac officio patriæ deesse, aut libertatem consiliorum sibi circumscribere velit.* Ad ista Galli nil quod reponerent habebant, nisi quod Croissius diceret; id cumprimis Regi acerbum, quod istæ pecuniæ magnam partem in profugos Gallos impendantur; ac quod ministri Cæsarei avocato Jena tantum lætitiæ ostenderint. Ut autem Electorem æmulatione accenderent, cum Luneburgicis super fœdere satagebant. Ac declarabat Rebenacius nomine Regis: eam negotiationem eousque progressam, ut statim perfici queat. Regem autem eam non conclusurum, quamdiu Electoris amicitia niti possit, quod Duces longe minoris, quam hic apud ipsum habeantur. Ad quæ Elector; hactenus se Gallo nullam querendi, aut quid exprobrandi causam dedisse. Nam ut ipse primariam & antiquissimam obligationem, qua Imperio ac patriæ teneatur, negligat, ad id neque Gallico se fœdere adstringi, nec per quodvis emolumentum toto orbe adduci posse. Eo absurdius sibi videri tam multa de tractatu cum Luneburgicis crepari hoc præsertim tempore, quo Domus ista multis modis jura ipsius turbet. 1687. Unde quamdiu Domus ista eam viam insistat, sibi declarandum, fœdus inter eandem, ac Gallum cum suo fœdere consistere non posse. Id quod Galli ita accipiebant quasi Elector amicitiam ipsis renuntiaret: simul idem tanquam infensi in Duces animi signum exaggerabant, ut hoc eo citius permoverent. Ac sane quia post, re cum Electore haut communicata, fœdus cum Hanoverano concludebant, id indicio erat, ab istis amicitiam Electoris pro derelicta haberi; quod Gallus antea declarasset, se nulla alia fœdera in Germania affectaturum, quamdiu sibi de amicitia Electoris cautum foret. Etsi Croissius diceret; fœdus cum Hanoverano Electori haut præjudicio cedere, quod Rex expresse sibi reservarit facultatem Dano & Electori auxilium ferendi.

§. 53. Inter hæc haut spernendum operæ pretium ab Electore factum, inita cum Joanne Adolfo Saxoniæ Duce transactione super quatuor præfecturis ditioni Magdeburgicæ quondam avulsis, Querfurto, Juterboco, Dammo & Burgo. Eæ Pragensi quondam pace, inde Westphalica in Saxonem translatæ fuerant, non expresso, num superioritas quoque territorialis eidem concessa foret. Et cum in ejusmodi actis non expressa pro non translatis habeantur, Elector tanquam Magdeburgi Dux istam sibi competere censebat. Sed demum interventu Cæsaris transactio facta fuit, per quam Elector omni prætensioni ac peculiariter dominio directo in Querfurtum, Juterbocum & Dammum renuntiabat, ac ut ea loca non amplius a Magdeburgico Ducatu recognoscenda sint. Daturus quoque erat operam Elector, ut Saxo nomine Querfurtensis ditionis sessionem in Comitiis acciperet, eaque loca Inferioris Saxoniæ Circulo exemta Superiori adscriberentur. Contra Saxo Electori oppidum & præfecturam Burgum cum omnibus pertinentibus pleno proprietatis jure cedebat; non contradicturus, quo minus Elector in Querfurtum, Juterbocum & Damnum expectativam obtineret. Addebat Elector triginta quatuor uncialium millia, ac Ducis filiis duas majores præbendas, unam Magdeburgi, Halberstadii alteram.

Transactio super quatuor præfecturis Magdeburgicis. 14. Jun.

§. 54. Eodem anno a Moscorum Principibus Joanne & Petro ablegatus aderat, qui de æterna pace inter Moscos & Polonos facta significabat, simul Electorem ad fœdus contra Turcas ac Tartaros invitabat. Quod Elector modestis verbis declinabat: se præteritis annis egregiam operam adversus Turcas navasse, & adhuc navare. Iste ablegatus sordibus ac inficeta ambitione ridendum se exponebat, dum paratas a nostris epulas adspernatur obtentu jejunii, cui accommodos cibos secum advexerat, eosque cubiculo inclusus solus liguriebat, sane nostratibus salivam haut moventes. Nec minus idem pro istis pretium exigebat, quo lautissimæ epulæ parari poterant, non sine ablatorum nummorum fastidio. Idem & importune circa cerimonias tricabatur, quod præter omnem morem dextram suam Electoris dextræ jungere vellet;

Legatio Moscica. Maji.

1687. let; & quia Elector tunc graviter Potstami decumbebat, nec tanti videretur Moscum tamdiu detinere, quoad is e morbo se recreasset, proponebatur, ut Elector in lecto decumbens ipsum audiret. Quod Moscus non alia conditione admittere volebat, quam ut & sibi lectus juxta sterneretur, in quo ipse mitratus & ocreatus jacens mandata expositurus sit. Solvit tamen hunc nodum vindice dignum remittens Electoris morbus, ut plus satis scrupulosum hominem sedens audire posset.

Super edicto Belgarum circa religionem disceptatum. §. 55. Circa idem tempus Belgæ Uniti missionarios monachos, Jesuitas, Dominicanos, Franciscanos, ac id farinæ alios ditione sua exesse jusserant. De quo Camprichtus minister Cæsareus graves querelas moverat, eoque nomine ad Moguntinum scripserat, de periculo religionis Catholicæ multis perstrepens. Hucusque rectores Belgii a Gallo contra Reformatos acta has ob rationes improbarant. Libertatem Reformatorum sacrorum Nannetensi edicto stabilitam, quod ipse Ludovicus XIV Rex confirmarit. Eam persecutionem, ac modum sacra mutandi doctrinæ Christi, ac Apostolorum praxi repugnare. Grave damnum Galliæ esse tot honestos homines, ac bonos cives expulisse; quo consumtio rerum victui, & amictui inservientium, tum commercia, & artes manuariæ imminuantur, quæ aliis adcrescant. Regem sero intellecturum, hac reformatione non id obtentum, de quo sacrifici ipsi persuaserint. Eidem aliquando pœnitentiam subituram, quod hoc specimine potentiam suam ostentare, & conscientias quoque civium ad libidinem suam flectere instituerit. Deum aliquando permittere, ut fortuna semper secunda ebrii potentiam suam in propriam perniciem vertant, ac multos innocentes opprimant. Se quoque dominos terrarum suarum esse, ac Romanis ritibus addictos itidem expellere posse. Sed se nolle cum aliena crudelitate paria facere; ac Deum rogare, ut sacrorum socios calamitate pressos soletur, Regisque animum mitiget: simul specimen daturos, quam felix sit moderato sub imperio vivere, conscientiis vim haut inferente. Post tamen impulsu concionatorum præcipue in Zelandia & Frisia, complura satis dura in Catholicos statuta fuerant; ac demum omnes monachi expellebantur, ac vetera edicta contra Pontificios strictius observari jubebantur, hactenus fere dissimulari solita. Catholicorum Principum ministris, qui talia improbabant, respondebatur: *Compertum sibi, missionarios, ac peculiari voto obstrictos Jesuitas ac Monachos exteros esse, nullo in hanc Rempublicam affectu; a suis cœnobiis & superioribus dependere, quibus annuatim ingentes pecuniæ summas in fraudem harum provinciarum mittunt; qui & ad res novas proclives sint.* Idque *citra ultionis studium ac persecutionem, nec in talionis vicem fieri, quod Catholici in Belgio laicis sacerdotibus indigenis uti queant, eoque monachis, ac voto obstrictis opus non habeant. Quin ipsos sacerdotes catholicos indigenas petere, ut Jesuitæ & alii amoveantur.* Ad quæ Camprichtus multa regerebat, addito: num Gallo ratio fuerit Nannetense edictum abolendi, se nunc disquirere nolle. Id certum esse, paria a Rectoribus Belgii admitti, 1687. qui Catholicis per pacta publica tam sancte promissa haut servent. Quod olim Reges Galliæ Hugenottis velut sibi subjectis promiserint, aliam habere indolem, quam si paris conditionis homines inter se paciscantur. Sane olim Reformatos cum Catholicis in Belgio tractasse, ubi penes Catholicos ab antiquo summa rerum erat, qui demum a novam religionem professis in propria patria oppressi sint, & adhuc sub jugo gemant. Nec odia heic subsistere, sed nunc eosdem plane ejici. Id quod pravos effectus producturum, ac demum bello sacro ansam daturum sit. Ast Electori mirum videbatur, Camprichtum male temperatum circa religionem fervorem ita importune apricari, ac Belgarum factum, exteros monachos, ac nil proprii possidentes exesse jubentium, cum Galli persecutionibus comparare. Quarum crudelitati nil addi posse videbatur, nisi quod novæ immanitatis exemplo omnem barbariem superaret nuperum Arausione edictum; quo recens conversi ante fores ædium suarum consistere jubebantur, si corpus alicujus, qui non acceptis sacramentis decesserat, ad locum bestiarum morticiniis destinatum pertrahebatur, & acclamatione, aliisque signis id factum velut eximium justitiæ specimen magnis laudibus ferre, gravi pœna in id negligentes statuta. Unde Elector suos legatos Ratisponæ Protestantibus, ipsisque Austriacis demonstrare jubebat; uti altius sibi penetrare videatur, quod Cæsarei ministri patronos se, & advocatos Gallicarum persecutionum ferant; ac circa scita ad opprimendam Evangelicam religionem tendentia cum Gallis tam amice conspirent. Rationibus Cæsaris valde noxium fore, si Protestantibus persuadeatur, inter Cæsarem, & Gallum compactum adversus ipsorum sacra existere: cum tamen Cæsar nuper longe aliud sibi confirmarit. Nam Elector Viennæ Cæsari demonstraverat: uti ipse præclaris ejus in Hungaria progressibus ex animo faveat, ac ad hos ulterius proferendos pro virili operam sit collaturus: ita non modico sibi dolori esse, gliscentibus victoriis persecutiones Evangelicorum ibi locorum exasperari. Id quod Protestantes Principes non possit non magnopere afficere, quod cum opes, ac sangvinem ad dilatandos Cæsaris fines, ac tot victorias alacri animo impenderint, id nulli alii usui inservire videatur, quam ut innocentes suorum sacrorum consortes asperius opprimantur; ita ut sub barbarorum jugo, ubi saltem conscientiis libertas constat, quam sub placido alias Austriacorum regimine vivere malint. Unde id saltem istis relinquendum, quod Turca non eripuit. Ejus persecutionis præcipuus autor habebatur Collonitschius, acerbissimus Protestantium hostis. Quo & non parum conferebant pecuniariæ rationes, quod Caraffa promisisset e publicatis Protestantium bonis legiones se suppleturum. Porro & Viennæ non modica indignatio erga Belgas ostendebatur, ac inprimis quod in Frisia per sententiam judiciariam nonnullus Missarum adparatus combustus esset. Ac confirmabatur, apud complures Catholicos Principes eam ob causam consilia agitari, eminente inter alios Angli fervore. Accedebat, quod eo tempore Neussæ in Sile-

Silesia liber in lucem prodiisset, inter multa tetrica Gallorum persecutiones magna cum impudentia adprobans, ac ad plenam Evangelicorum extirpationem consilia suggerens. Id quod eo indignius erat, quod ne Galli quidem ista facinora per publica scripta probare ausi essent, sed ea vel dissimulare, vel plane inficiari instituerint. Non abs re fuerit unum locum effrontis scriptoris heic adducere. *In Gallia ante annum unicus dimacha plus demonstrare potens, quam quidquid in Bibliis extat. Et quanquam violentæ conversiones nunquam laudandæ sunt, unde nec eo quoslibet agendi modos defendere, aut ornare nolo: tamen ea res intimo in pectore ita arrisit, ut id verbis exprimere nequeam. Nam omnes blanditiæ adversus hæreticos incassum consumuntur; plerisque inde ferocia accedit. Unde haut absurdum est istis subsannatoribus ridendo, & per dimachas rationes fidei imprimere. Duro nodo durum cuneum adhibendum. Si isti homines hoc modo ad salutem non perducuntur, malitiæ tamen, & illusioni eorum obex ponitur, quæ Catholicis hactenus tam ægre fecerunt. Sane mihi fiducia est facile adstruere, Principem Catholicum non quidem ut alios convertat, sed ut malitiam, maledicentiam, & hæresin puniat, quamlibet doctrinam acatholicam quocunque modo jure persequi, & extirpare posse, ut ob ineffabiles cavillationes adversæ partis quis vix limites modestiæ excedere possit, nedum ut sibi rationem eo nomine apud tribunal divinum reddendam metuere debeat.* Ast Elector per Nicolaum Danckelmannum ablegatum Cæsareis exponebat; sibi haut videri Belgarum edictum ullius injustitiæ argui posse. Nam cuivis summo imperanti jus esse etiam in dominante, ac legibus publicis introducta religione curam sacrorum indigenis potius quam exteris committere; id quod in omnibus regnis, ac rebuspublicis etiam apud Catholicos usu receptum sit. Eoque & Protestantibus integrum esse oportere suo ex judicio ejusmodi statuta condere; inprimis si, uti præsenti casu, religio, circa quam magistratus exteros sacerdotes tolerare nolit, in republica per sanctiones pragmaticas penitus interdicta per conniventiam duntaxat toleratur. Eo magis se mirari, Camprichtum literis ad Moguntinum tam periculosam circa hoc negotium sententiam præ se ferre, ac non solum Gallicam persecutionem inaudito rigore exercitam, ac multis cordatis Catholicis, ipsique Pontifici improbatam defendere, sed & profiteri non dubitare, Gallo plus juris fuisse ad abolendum edictum Nannetense, quam Belgis ad extraneos sacerdotes ejiciendos. Tum Belgium Unitum esse terram Catholicorum propriam, eosque a recenti religioni addictis oppressos, iisque per publicos tractatus promissa haut servata fuisse. Cum tamen nemini de ejusmodi pacto circa religionem in Belgio constet. Igitur uti ipse haut credat Camprichtum ista Cæsaris jussu scripsisse; ita facile intelligi, quantum suspicionum ac diffidentiæ id apud Protestantes pariturum sit, a Cæsareo ministro crudelem, ac inauditam in Gallia persecutionem tam odiose propugnari, contra Protestantium circa sacra in suis ditionibus jus in dubium vocari, ac plane de bello sacro minas jactari. Ex quo Protestantibus suspicio nasci queat, Cæsarem data occasione circa religionem gemina cum Gallo consilia capessere posse. Qualia de isto credi ejusdem rebus admodum noxium sit. Unde par esse, ut Camprichto suum delictum exprobretur. Et mox Cæsar per Freitagium Electori significabat, ejus viri intempestivum zelum sibi haut probari, nec talia se disserere, aut scribere istum jussisse. 1687.

§. 56. Cæterum quanquam nuper admodum facta a Gallo declaratio spem fecisset, eum paulisper usurpationibus abstenturum; imperare tamen sibi non poterat fræni nescia ambitio, quin novam querelarum materiam præberet cœpta apud Trarbacum munitione, quæ Mosellæ, ac late circum ditioni capistrum injiceret. Ea de re cum Electori auditum esset, is statim in Gallia, ut talibus desistatur, agere cœpit. Sed ad quæ Croissius reponebat: *Regem id suo jure facere, quod in formula induciarum positus articulus de non struendis munitionibus in locis reunitis, ipso in tractatu omissus fuerit. Regi integrum esse in locis reunitis omnia facere, quæ ad sui securitatem spectent; ac Cæsari & Ordinibus utique licere munitiones quoque in suis ditionibus extruere. Necessum ipsi esse Regno suo prospicere adversus destinata, quæ aliquando ad id invadendum concipi possint. Denique simplex esse credere, animum Regi esse, aut unquam fuisse, reunita loca elapsis induciis restituere.* Ea de munitione Cæsar per literas sententiam Electoris exquirebat. Cui ab hoc responsum; habere Cæsarem, quod metuat, ex hac structura multum malorum proventurum. Se quidem curam Cæsaris prævenisse, & statim atque de eo intellexerit, de iniquitate ejus ausi Lutetiæ demonstrasse. Certissimum quoque esse, si circa justitiam duntaxat agatur, Imperio gravissimas rationes haut defore. Sed quia experientia hucusque plus satis compertum sit, ejusmodi demonstrationes quantumvis solidis fundamentis subnixas apud Gallum nil ponderis habere; ita quæ ipse circa hoc negotium monuerit, nullo fructu fuisse. Unde Cæsarem pro sua sapientia judicaturum, in præsens ejusmodi remedia adhibenda, quæ si illatum præjudicium non corrigant, saltem reipublicæ periculum non accelerent. Præsertim cum Cæsar, & magna pars Ordinum armis instructorum adhuc bello Turcico implicentur, ac robur Germaniæ in locis longe remotis agat, ut si Gallus in præsens arma arripiat, Imperio facile irreparabile damnum inferri queat. Interim ista ausa per silentium haut dissimulanda, sed ut ea omittantur, simul de regundis finibus ac exsecutione urgendum. De cætero utique adversus repentinos casus vigilandum, ac arma in promtu habenda. Quo fine ipse omnia sit collaturus, quæ ad salutem Imperii faciant. Porro ad ea, quæ Lobcovicius super Trarbacensi structura monebat, Croissius regerebat: Regem inducias utique servaturum, quibus ædificatio illa haut repugnet. Equidem se non inficias ivisse, castellum Huningæ oppositum ad induciarum leges haut quadrare. Sed in locis reunitis Regi jus supremi imperii competere, cujus pars sit munitiones extruere. Alias istud caput expresse in tractatibus fuisse excipiendum, quo casu Regem in inducias haut fuisse consensurum.

De munitione ad Trarbacum.

Montroyal.

16. Jul.

27. Jul.

rum. Ipsis usufructuariis jus esse hoc titulo concessis rebus quantum possunt utendi fruendi. Satis apud se istam causam discussam, ac compertum ei nil solidi opponi posse. Mirum videri, dum Cæsari facultas relinquitur integra regna adquirendi, eum suspicione perstringi ob paucula loca, quæ Rex firmando limiti munire e re ducat. Regi alias rationem fuisse hoc rerum statu melius sibi cavendi conversis in pacem induciis. Sed rationes status bono rei Christianæ cessisse. Constare tamen de querelis, quas Cæsarei ministri Londini super his munitionibus moveant; quas Anglus improbare nequeat. Per talia Regi necessitatem imponi magis adhuc securitati suæ prospiciendi. Interim Regem satis demonstrasse sincerum desiderium pacis in Imperio servandæ, dum occasionibus, quas justitia ac rerum facies suggerebat, ad eam turbandam abuti noluit. Sane potuisse a Rege Aurelianensem in possessionem totius Palatinatus mittere, reddito post, quod huic jure non competebat. Ac tamen eum quievisse, utut Palatini acta secus mererentur. Eandem adhuc mentem Regi persistere, eumque staturum declarationibus circa servandas inducias factis; ac mandata ad suos emisisse, ut in locis reunitis res ad normam induciarum relinquerentur; etsi vocabulum *in politicis* non de extruendis munitionibus, sed de regimine magistratuum iis locis intelligendum sit. Querelas Protestantium inanes fuisse. Ad quæ Lobcovicius regerebat: Regem justitiæ, generositatis, ac sapientiæ specimen edidisse induciis non abruptis, unde ingens malorum seges oritura fuerit, armis Turcarum insigniter promotis. Eum in obligatione, quæ ex induciis resultet, sat securitatis inventurum. Supremum imperium in locis reunitis eidem non pure, ac sine exceptione cessum, sed ad tempus duntaxat; intra quod licitum non sit aliquid facere, quod indolem & statum eorum locorum mutet. Sed ista surda aure transmittebantur.

§. 57. Cæsar super ea munitione Ratisponæ proponebat; uti Gallus apud Anglum declaraverit, integrum sibi fore non hanc solum, sed & alias in locis reunitis pro lubitu extruere. Id quod non solum induciarum indoli in universum, sed & disertis pacti verbis repugnet. Scilicet Gallum non plus quam Kalendis Augusti per sententias tribunalium Metensis, Brisacensis, ac Vesontini occupavit, Argentorato addito, sibi attribuere posse, ac certo modo ad tempus cessos Ordines in suo statu tam circa sacra, quam civilia relinquere, eoque nil innovare debere. Atque ejusmodi munitionibus extructis causam possessionis plane mutari, ac Imperium, locaque cessa in longe duriorem conditionem reponi; id quod citra expressam conventionem fieri non potuerit, cum ejusmodi conventiones stricti juris sint, & quod ibi expressum non sit, pro non concesso habeatur. Equidem Verjum inter tractatus testatum fuisse, Regem circa extructionem munimentorum sibi legem dici nolle. Ast vicissim Cæsarem, & Imperium a Verjo nullam sibi legem præscribi passos, nec circa hoc negotium quidquam annuisse, ac utramque partem intra terminos contradictionis constitisse, eoque heic locum habere tritum illud: multa tractari, quæ non perficiantur. Unde si maxime Gallus interdictum de munitionibus tractatui inseri haut voluerit, haut ideo tamen licitum ipsi esse omnia occupata loca operibus firmare. Quin potius quia de extruendis munitionibus tractatu nihil continetur, Gallum etiam istas suscipere non debere, sed ad normam juris gentium durantibus induciis omnia in eo statu relinquere, quo tempore harum initarum fuerunt. Quo accedat, quod in sententia anno 1681 die 12 Aprilis Meti contra Veldentinum pronuntiata de Comitatu Spanheimensi, in quo Trarbacum, & tractus circum situs est, nulla mentio fiat, uti e libro de arrestis Lutetiæ edito adparet; nec a Gallo aliquid authentici eo nomine prolatum, sed nil aliud dictum, quam a Luvoisio ejusmodi documentum fuisse repertum. Sed & Gallum declaratione Lobcovicio facta agnovisse, sibi non competere jus novas munitiones extruendi, dum expresse stipulatur, ut integrum sibi sit duas munitones cœptas absolvere. Ergo deliberarent Ordines, qua ratione hæc res Gallo placide demonstrari possit. Circa isthoc Coloniensis literis ad Electorem datis censebat; Gallo rationem constare, quod articulus de non struendis novis munitionibus inter tractatus ab isto repudiatus sit; & Anglus ejusdem acta non improbet. Cujus judicio tamen nemo hanc causam submiserat. Contra Palatinus, & Bremensis censebant, paratus armorum in Germania faciendos. Sed Elector judicabat, utique necessarium esse, Germaniam quantum possit ita sese armis instruere, ut vicinorum infensa destinata metuenda ipsi non sint. Uti tamen hactenus consultationibus super securitate Imperii parum profectum, ita & nunc, si id negotium denuo deliberandum sumatur, nullum operæ pretium fore. Igitur optimum esse, si singuli Ordinum quantum possint arma parent, uti ipse fecerit, ac suo exemplo alii. Sed & negotium de publicis armis ita secreto tractari non posse, quin Gallus inde suspicionem concipiat: quæ tamen omni modo durante bello Turcico cavenda sit. Interim providendum, ut jura Imperii ne condonentur, & cum Gallo pax constet, quoad bello Turcico finis impositus sit.

§. 58. Ast Ratisponæ Verjus a Gallo scriptum ad ordines Imperii exhibebat die 23. Octobr. Fonte Blaudi datum, hoc sensu. *Postquam Rex edoctus sit de querelis, quas Austriaci ministri tota Germania spargant de operibus jussu suo apud Trarbacum cœptis, per quæ pacta mense Augusto anno 1684. violari arguant, eum Crequio Comiti, ablegato suo extraordinario, ac plenipotentiario ad conventum Ratisponensem injunxisse, ut ministris Electorum, Principum, atque Ordinum Imperii ibi congregatis significet, quam tenui fundamento ista querela nitantur; & quam justam causam eadem prabeant omnibus, queis publicam quietem tueri cordi est, suspicandi, istarum autores eo prætexto ad hanc turbandam uti velle. Sane pactum anno 1684. Ratisponæ initum induciarum vocabulo nuncupari non posse.*

posse. Has enim conventione constare, per quam subsistente adhuc bello ad certum tempus hostilibus actionibus sit abstinendum. Igitur cum eo tempore bellum inter Galliam, & Imperium non extaret, id pactum non nisi reciprocum promissum fuisse de amicitia per viginti annos colenda. Eo intuitu Cæsarem & Imperium ad idem tempus renuntiasse omnibus juribus, quæ ipsi competebant in loca ad Coronam Franciæ reunita ante Kalendas Augusti anno 1681. Vicissim Regem se obstrinxisse, intra id tempus se non persecuturum ullam aliam prætensionem, quam in Imperium habeat. Has esse primarias conditiones per quas utraque pars de longa continuatione amicitiæ sibi invicem cavit, & quæ Cæsareis exercitibus facultatem præbuerunt totam Hungariam subigendi, ac res suas eo provehendi, ut bellum in Imperio ordiri queant, quod sumtibus, ac forte cum exitio Electorum, Principum, & Ordinum, qui plurimum ad id contulerunt, gerendum sit. Sed ut clare perspiciatur, quam inane sit prætextum a Cæsareis jactatum, non aliud opus esse, quam ut omnes articuli ejus tractatus percurrantur. Qui, si maxime velut pura induciæ consideretur, eo fine conclusus sit, ut Imperii tranquillitas firmetur, ac facultas ei præbeatur omnes suas vires in communem hostem vertendi: sane non posse dici, ademtam Regi facultatem muniendi loca, quorum possessionem cum consensu Imperii tractatu isto expressam nactus est cum pleno, & integro supremi imperii jure. Nec minus id perspectum iri, si omnia induciarum pacta antehac inita percurrantur, in quibus partes expresse de intermittendis munitionibus stipulatæ sunt, uti super iis quid statuere placuit. Tractatu induciarum Bonvisii anno 1537. inito expressum; eo tractatu ac suspensione armorum pendente, quæ non nisi ad Belgium porrigitur, Rex Franciscus non immittet militem, nec munitionem excitabit in Comitatu Sancti Pauli. Quam exceptionem innuere, quocunque alio loco Regi libertatem esse sua loca durantibus induciis muniendi; ac necessum fuisse eum articulum tractatui inseri ad eam libertatem in Comitatu Sancti Pauli Galliæ adimendam. Tractatum induciarum generalium Nicææ anno 1538. factum eundem articulum de dicto Comitatu confirmare, nec paciscentibus Principibus libertatem adimere quævis sua loca muniendi. Inducias Vaucellis anno 1555. factas nil stipulationis eo nomine continere. Cum Hispani & Belgæ Uniti anno 1609. tractatu induciarum sibi per articulum vicesimum nonum adimere vellent facultatem novas munitiones in Belgio excitandi, eum articulum his verbis concepisse; ut neutra pars in Belgio ullam novam munitionem construat. Cum Monasterii de pace inter Gallos, & Hispanos ageretur, e præcipuis obstaculis conclusionem impedientibus fuisse, quod Hispani non possent in animum inducere, ut juri in Cataloniam, quæ ipsorum imperium excusserat, renuntiarent. Unde convenisse, ut induciæ ad XXX annos circa eam provinciam fierent, per quas uterque Rex retineret quæ tunc possideret. Sed supervenisse aliam difficultatem, quod Hispani concedere nollent, Cataloniæ loca a Gallis per inducias muniri. In quod Galli consentire noluisse, demonstrantes, id postulatum rationi repugnare, ac munitionem esse actum defensionis, non aggressionis; ac demum pervicisse, ut utrinque esset libertas durantibus induciis loca muniendi, rejecto temperamento, quod Belgarum legati circa hoc negotium in medium afferebant. Atque idem contigisse circa tractatum, de quo in præsens quæstio. Nam cum interdictum de muniendo per ministros Cæsareos articulo IV, & per Imperium articulo X projecti esset propositum, prout hoc publice Ratisponæ per dictaturam communicatum est, id a Gallis rejectum, ac post a Cæsareis ministris desertum, velut ad reliqua pacti capita non quadrans, ac præcipue ad id, quod Imperium Regi plenum & integrum supremum imperium in loco reunita relinquat: in quod Rex nunquam consensurus fuerit, si vel minima exceptio, aut restrictio ei fuisset addita. Nec verosimile videri, Cæsareos ministros ullum fundamentum suarum querelarum ex articulis VIII & IX petere posse; quod prior non respiciat nisi restitutionem proprietariorum earum terrarum, quarum supremum dominium Regi concessum est, & qui præstituto tempore juramento fidelitatis se offerant. Per alterum Regem duntaxat obligari ad religionis exercitium incolis relinquendum. Alias reunionem Trarbaci sine controversia demonstratam esse per sententiam Cameræ Regiæ Metensis mense Aprili anno 1681 latam. Usque adeo difficile esse animo comprehendere, quod prætextum ministri Cæsarei adducere possint Regem de violato hoc tractatu arguendi; cum tamen hic quotidie illustria documenta edat, quam exacte, ac sancte eum servet, suaque moderatione Cæsareorum armorum progressus contra infideles promoveat. Sane per ejusmodi querelas augeri suspiciones de instituto, quod aula Viennensis semper ostendit, quodque ejus ministri aperte declararunt; Se nolle inducias diutius servare, quam quod commoda occasio eas abrumpendi non sit. Interim uti hæ induciæ toti orbi Christiano felicem, qua nunc gaudet tranquillitatem pepererunt, simul Ordinibus Imperii facultatem præbuerunt, ut per submissa continuo auxilia in Ottomannos revolvere possent mala, quæ isti provinciis Cæsareis mina- 1687.

1687. *minabantur: ita eidem tractatui Cæsarem sui status incolumitatem, & omnes victorias debere ab infidelibus reportatas. Eo injustius istius ministros queri, quod Rex suo jure utatur circa muniendas limitis sui partes; qua opus sit. Sane Principem, qui per munitiones in limite extructas quietem, ac felicitatem suorum civium in tuto collocat, eo ipso non magis cupidinem vicinorum terras invadendi, ac bellum movendi ostendere, quam privatus animum aliena involandi apricatur, si sua conservare cordi ipsi est. Quæ cum ita sint, Regem sibi de prudentia Ordinum Imperii promittere, eos serio expensuros justissimas suspiciones, quas male fundata Cæsareorum ministrorum querela ipsi excitare possint; ac per idonea consilia impedituros, ne amicitia, quam ipse semper cum Imperio colere cupit, turbari queat.* His literis Verjus quoque scriptum addiderat, quo inter alia contendebat; ni Gallo liberum sit reunitis locis pro lubitu munitiones extruere, Imperio quoque in nonnullis locis, puta in quatuor urbibus Sylvestribus idem integrum non fore; quod Rex nondum declararit, quas prætensiones in Germaniam habeat, quibus ad tempus duntaxat harum induciarum per articulum XII. renuntiarit. Ac ni verba ejus articuli, *renuntiat vicissim Imperator & Imperium supremo dominio &c.* sensui, ac valori suo relinquantur, initium ejusdem, *Renuntiat Sua Christianissima Majestas*, itidem obligatione carere. Undecum adpareat, Cæsarem, & Imperium a conventis per inducias resilire velle, Regi quoque ad idonea hoc casu consilia, ac ut priores prætensiones persequatur, ansam præberi posse. Saltem hanc causam, Cæsaris ac Imperii dijudicationi subjici non posse. Porro quanquam libellus hic statim per dictaturam publicaretur, Verjus tamen ipse non postulabat, ut de eo consultaretur; quod crederet silentio Ordinum eundem probari. Idem quoque impediebat, ne ob Trarbacensem munitionem literæ ad Regem nomine Imperii darentur. Eas enim non posse non huic displicere, quod per eas idem induciarum violatarum arguatur, quas tamen is ad amussim servet. Nec eas literas aliud effecturas, quam ut iisdem permotus Rex melius sibi caveat, ac plures munitiones excitet. Satis quoque perspici, aulam Cæsaream per ejusmodi querelas prætextum sibi reservare inducias post finem belli Turcici, quamprimum id commodum sit, abrumpendi. Cui responsum: nil frequentius, nec magis innoxium, quam si controversia super sensu alicujus tractatus nascatur, modeste eum disceptare, ac utramque partem sententiæ suæ fulcra adferre. Id fieri etiam inter pacifcentes potentia, ac dignitate plane dispares. Imperio tanto minus vitio dari posse, quod jura sua tueatur, ac amicam discussionem quærat super dubiis circa inducias motis; atque id ipsum tractatui induciarum congruere. Ac ipsum Verjum ansam disquirendi præbere novissimo libello, quo contendat, Regi in omnibus locis cessis jus esse munitiones extruendi. Ac doctores juris gentium, ad quos Verjus provocet, id quoque tradere; ubi induciæ alteri partium prosint, eas non debere interim ejus, qui dedit, causam duriorem facere. In præsens autem non solum quæstionem esse de Trarbaco, sed de omnibus munitionibus, quas Gallo in locis reunitis extruere ulterius in mentem venire queat. 1687. Enimvero Electori in præsens consultissimum videbatur super munitionibus istis parum movere, ac omnes odiosas disceptationes, quæ super iis exsurgere possint, declinare, ea tamen præcautione, ne Gallus inde evincere queat, Verji libello contenta tacite probari, aut adversus ea nil reponi posse. Sed si Verjus ipse urgeat, eum libellum modeste refutandum, potius tamen sermone ad Verjum, quam literis ad Regem missis.

§ 59. Ad extremum quid animo meditaretur Gallus in apricum proferebatur, dum Wilhelmum Furstenbergium Electori, Coloniensi Coadjutorem surrogari curat; quo Germaniæ juxta ac Belgio mortalis plaga intentabatur. Coloniensis ut hunc sibi succenturiaret, electionem velut ex improviso Capitulo indixerat, cui & Wilhelmum expresse commendabat, quod agnatum Clementem Bavarum tenera ætas inhabilem redderet. Nec dubium habebatur, quin iste creandus esset, quod plerique Canonici cognati, aut clientes ipsius, aut per dona, & pollicita emti forent. Equidem Gravellus ablegatus Gallicus negabat, a Rege suo vel teruncium eo nomine cuipiam donatum. Revera tamen is Canonicis caverat, si quid eam ob causam damni patiantur, a Rege sextuplum ipsis pen- *De electione Wilhelmi Fürstenbergi in Coadjutorem Coloniensem.*
satum iri. Hujus electioni Cæsar, Bavarus, & Pa-
latinus acriter sese opponebant. Cæsar Caunitz- *Caunitz.*
um Comitem miserat, sed qui tardius adveniebat.
A Bavaro missus Carrigius extremis viribus pro *Carrig.*
Clemente nitebatur. Joannes Wilhelmus Palati-
ni primogenitus Coloniensis colloquium expete-
bat, sed qui obtentu valetudinis id declinabat. Is
declarabat, ipsius fratrem inter candidatos haut fo-
re, si Bavarus aliquem [e] sua domo proponere vel-
let. Ipse quoque Pontifex tecte contranitebatur,
ne Furstenbergius ea dignatione potiretur. Tanto
magis Gallo res cordi erat, præsertim postquam
Bavarus, & Palatinus ambirent, & Cæsar Wilhel-
mo se opponeret: ac maxima isti ipso in Colonien-
si spes erat, qui obnixe huic favebat, quicquid Cæ-
sar contra demonstrari curaret. Elector quoque *17. Nov.*
Arnoldum Wachtendoneium Coloniam mittebat, *VVachtendon.*
ut Præsuli, atque Capitulo istius electionem dis-
suaderet. Hæc enim si succedat, quemlibet sana
ratione utentem, facile judicare posse, de Germa-
nia tunc, & præcipue de Inferiore Rheno actum es-
se, & perinde fore, ac si præsulatus Coloniensis, &
quicquid ab eo pendet, quin & vicinia ultro in Gal-
li manus tradatur. Nam toto orbe notum, uti is
ex esse Gallo mancipatus sit non solum ob præsu-
latum Argentoratensem, sic ut eo nomine inter
Galliæ Episcopos sit censendus; sed & quia Rex
nuper tanto cum strepitu Cardinalitiam dignita-
tem ei conciliarit. Ac ineptum erat, quod is sub-
inde jactaret, sibi Germanum pectus esse; sed in
quo mancipata Gallo anima hospitabatur. Nec
verosimile erat, si sanæ rationi locus relinqueretur,
ullum e Capitulo, aut toto præsulatu præter neces-
sitatem se suosque, ac totam provinciam Gallico
servitio addicere velle. Wachtendoneio, cum quæ
jussus erat exposuisset, Coloniensis respondebat;
ante tres septimanas Coadjutorem se a Capitulo *21. Dec.*
petiisse, id quod huic placuerit, ac electioni diem
septimum Januarii instantis anni dictum. Ita eam
rem

rem non amplius penes se, sed penes Capitulum esse, ac sibi haut decorum eidem remoram injicere. Ei responso immotus inhærebat, quicquid de incommodis ex hac electione proventuris ingereretur. Ac referebat Wachtendoneio ablegatus Bavaricus: sibi persuasum, Furstenbergium jam electionis certum esse. Bavarum quondam de publico magis quam privato Domus suæ commodo solicitum, apud Coloniensem de filio suo egisse; sed eum semper Coadjutoris electionem velut feralem avem aversatum fuisse. Unde Bavarum offensæ agnati declinandæ siluisse; sperasse tamen, istum domus suæ affectum ante omnia habiturum. Ast nunc præter opinionem hanc electionem ita improviso moveri. Cæsaris ac Bavari legatos, uti videatur, sero venisse. Capitulum a Pontifice per literas monitum, ne tam arduum negotium ita angusto spatio arctaret. Sed incertum, num iis pondus futurum sit. Ac si Pontifex confirmationem abnuat, schisma metuendum. Coloniensem nuper Bavaro scripsisse; quia Princeps Electoralis Palatinus tam enixe institerit, sibi demum necessitatem allatam comitia eligendo successori indicere. Quo nomine Bavarus Palatini consilium valde improbarit; ac intempestivis hujus precibus tribuendum, si nunc electio Cardinalem maximo cum reipublicæ præjudicio tangat. Cæsareus legatus Furstenbergio offerebat, Cæsarem effecturum, ut is Coadjutor Leodiensis eligatur, si Clementi ad præsulatum Coloniensem nanciscendum operam navare velit. Tum ipsius ac Lœvvensteinianæ familiæ, in quam soror ejusdem denupta erat, gratiam Cæsaris pronam fore, eundemque hoc facto iterum Germaniæ favorem sibi conciliare posse. Sed Wilhelmus ad ista obsurduerat, ac ipse Coloniensis eousque huic addictus erat, ut Cæsaris ac Bavari legatis abrupte abnueret de Clemente Capitulo commendando, causatus Clementem puerum esse, sibi autem viro rebus gerendis apto successore opus esse. Inprimis quia Gallo chirographum sit aliquot centena unialium millia continens in Archipræsulatum, quæ exsolvi non possint; Caunitio regerente, miram oportere obligationem esse, quæ dilui nequeat; & Bavaro sat pecuniæ in eam rem esse. Nec animo comprehendi posse, unde isthoc debitum contractum sit, quod utique Galli eo tempore Præsulatui plus damni, quam utilitatis attulerint. Ad quæ Præsul nil quod reponeret habebat, nisi serum jam esse consilium mutare. Ac semel se Coadjutorem petiisse, ac eo fine Cardinalem commendasse: unde nunc id negotium a Capituli arbitrio pendere. Isti tamen præsentissimum adminiculum rei promovendæ domi obliti fuerant, pecuniam; ac sero Caunitius Bruxellas mittebat collybis inde petendis, sed ubi nulla argenti copia erat. Cum ita plerique Clementem aversarentur, Episcopus Wratislaviensis spem conceperat. Simul acre scriptum Capitulo insinuari curabat, quo isthoc simoniæ insimulabatur ob acceptas a Gallo pecunias. Quo Capitularium animi valde exacerbabantur, ac spes istius frustra erat, quod Furstenbergio non nisi tria suffragia deessent. Unde nil remedii supererat, quam ut Pontifex per Nuntium Coloniæ residentem intercederet. Ac sane veniebat mox a Pontifice mandatum dehortatorium, quod Nuntius Coloniensi atque Capitulo insinuabat. Simul valvis templi cathedralis mandatum Papæ affigebatur, quo omnibus Capitularibus sub pœna excommunicationis, & bis mille aureorum interdicebatur electionem Coadjutoris persequi. Tum citabantur ad causam Romæ dicendam, quod electioni diem dixissent haut facta omnibus Collegiis communicatione: quod jus Canonicum statuat, si vel unicus Capitularis ad electionem invitatus non sit, eam irritam fore. Sed Elector talibus haut motus Capitulum hortabatur, ut eo scripto insuper habito ad electionem progrederentur, excluso Clemente. Idem & antea parum curaverat, a Pontifice confirmationem Episcopatus Monasteriensis sibi negatam fuisse. Etsi nec Nuntius debito fervore rem agebat, incertum metu, an alia de causa. Cum enim rescriptum Pontificis pleno Consistorio exhibere debuisset, Syndicum tantum, ac duos delegatos e Capitulo ad se evocabat. Caunitii acris oratio in Capitulo contra Furstenbergii electionem surdis auribus transmissa: cui repositum; quia Elector electionem suscipi velit, eam se defugere non posse. Factam se Pontifici denuntiaturos, penes quem sit, eam confirmare velit, an minus. Arausionensis pecuniam offerebat, si electio impediri possit; sed angustia temporis negotiationem impediebat. Ita is octodecim suffragiis, quod sex absentes essent Coadjutor dictus fuit ingratiis Cæsaris, ac totius Germaniæ. Contra eam electionem protestabantur Franciscus Ludovicus Episcopus Wratislaviensis, Marchio Badensis, & Kœnigseckius Comes, ac ad Nuntium Apostolicum provocabant. *7. Jan.*

§. 60. Fürstenbergius cum de Coadjutoris dignitate in se collata Cæsari significare vellet, ejus delegato literæ fiduciariæ redhibebantur; quod Cæsar decrevisset Pontificis confirmationem expectare. Electori ad literas eadem de re denuntiantes nil respondere placuit. Inde nova Gallis querendi materia. Croissius Spanhemio dicebat: Cardinalem Palatino debere, quod Coadjutor factus sit. Ni enim hic tanta cum anxietate pro filio suo prensasset, quem Coloniensis semper aversatus fuerit, hunc nunquam electionem fuisse permissurum. Palatinum omnia in suam domum pertrahere velle; cum sibi haut videatur Electoris interesse ad ejus vicini opes augendas operam conferre. Palatinum secreto id affectare, ut vel Coloniensem Electoratum filio suo comparet; vel si Bavaricus Princeps eo potiatur, successionem suæ domus ad Bavariam promoveat: id quod Coloniensi non parum scrupuli injecerit. Sed quod Elector Cardinali ad literas suas non responderit, id non aliunde provenire posse, quam quod Cæsari, ac Palatino hanc electionem aversantibus placere velit. Id quod publicæ Imperii tranquillitati noxam inferre queat. Sane quantumcunque is Cardinalis Galliæ innexus sit, se tamen nunquam hominem novisse, cui magis cordi fuerit amicitiam inter Galliam, & Imperium servare; cui salutari instituto ea dignitate auctum utiliorem

Post Furstenbergii electionem dissipatum.

1688. orem operam navare posse. Unde par fuisse Regis fœderatos eo minus scrupuli movere circa electionem per unanimia fere suffragia factam a Capitulo, cui jus electionis sit, & quod requirente Præsule ad electionem processerit. Eoque Electorem saltem in gratiam Regis gratulatione defuncturum; præsertim cum aliud sit electionem promovere, aliud jam factæ non contradicere. Ast Spanhemius reponebat: Electori mirum videri, Regem eo facto offendi; quasi sibi non integrum sit circa talia facere, aut omittere quæ placeant, aut eo nomine ad rationem cuiquam reddendam teneatur. Ac posse sibi ejus rei causas esse, quas haut cuivis ingerere teneatur. Sibi potius querendi causam esse, quod Rex super hoc negotio querelas moveat. Principibus nullam rem majori cura tuendam, quam independens suum jus, ac plenam libertatem eodem utendi, prout e re jam esse videatur. Id quoque negotium ad solum Imperium, & Collegium Electorale spectare. Et quare Rex de eo nil communicaverit, si vellet, ut in ipsius gratiam aliquid fieret? Cardinalem quoque suis literis ad Saxonem posuisse; nondum sibi decretum oblatam electionem acceptare; sed eo nomine Papæ dispositione staturum. (etsi ea verba in literis ad Electorem non extabant) Et quare ipse alios ancipiti officio præverteret? Repetebantur tamen querelæ, addito; Electorem Hagæ per Spanium fœdus inivisse, quo promiserit, se IX M militum ad Rhenum missurum, qui Juliacensibus copiis juncti Cardinalis admissionem ad præsulatum impediant, & Capitulum ad alium eligendum cogant. Talia sane Regem a fœderato haut expectasse. Eundem ad hanc electionem nihil contulisse. Sed si Capitulo vis inferatur electioni rite factæ subvertendæ, idque prætexto oppositionis, quæ Romæ instinctu Cæsaris circa confirmationem fiat; Regem Capitulo ad jus liberæ electionis asserendum omni ope adstiturum. Ad quæ Elector demonstrari jubebat: *Uti quæ ipse circa hoc negotium egerit, cum fœdere inter se, ac Regem nil commune habeant; ita merito sibi libertatem constare debere, in causa quæ solum Imperium, ac Electorale Collegium spectet, suo e judicio atque usu procedendi; nec ullam violationem fœderis, aut justam querendi causam inde evinci posse. Sane nullum fœdus ita strictum adornari posse, ut eo juncti non quandoque in uno aut altero negotio diversas sententias foveant. Sed & graves causas, nec Regi improbandas intervenisse omissi responsi. Per aliquot septimanas dextra sibi usum ademtum. Cardinalem literis ad Saxonem posuisse; se hanc electionem nondum acceptasse, aut rejecisse, sed Pontificis placitum circa eam expectaturum. Unde se id negotium velut imperfectum respexisse. De fœdere contra Capitulum Coloniense putidum commentum esse.* Ad ista Croissius: Solas Palatini machinationes causam huic electioni dedisse. Alias enim Coloniensem a Coadjutore abhorruisse, Capitulum autem hanc occasionem avide arripuisse, ut Comitibus iterum aditus ad Electoratum pandetetur, qui tanto tempore penes Bavaricam domum manserit. Regem ne teruncium quidem huc contulisse, cui religioni sit per sordes Cardinalem promovere. Non posse tamen quin ea electione gaudeat; præsertim quia hæc paci in Imperio firmandæ inservire possit. Eo magis mirari Regem, ab Electore ad Cardinalis literas haut responsum; cum id a Bavaro decoris admodum verbis factum sit. Circa clausulam in literis ad Saxonem positam ita rem habere. Circa electionem Archiepiscopi, & Electoris per leges ac usum Imperii non opus esse ad Pontificis dispositionem provocare, num eam acceptare, & Electoris functionem obire fas sit. Sed ad postulationem Coadjutoris per leges ab omnibus Catholicis receptas confirmationem Pontificis necessariam esse, de qua Cardinalis non potuerit non mentionem injicere. Sed Elector præter priora regerebat; Cæsari utique, & Electorali Collegio jus competere dispiciendi, quinam viri, & quo modo ipsis ad latera jungantur. Et quid ad Gallum electio Episcoporum Germaniæ? Num Cæsari curæ esse, quem iste Rhemis, aut Lutetiæ Episcopum faciat? Exprobraverat quoque Croissius fœdera cum Belgis, Cæsare, ac Sueco. Ad quæ Elector; a se optime factum, quod dum vita superfit veteres controversias cum Belgis circa subsidia, cum Cæsare super Carnovia expedierit, ne ad successorem eam molestiam transmitteret. Gravissimam quoque sibi fuisse causam cum omnibus vicinis quantum possit amicitiam instaurare, ne successori cum quopiam lis, aut suspicio, ac dissidium supersit. Et solam hanc fuisse causam, quare quæsierit, ut sibi cum Sueco bene conveniret; præsertim cum ejus Regis consilia ad conservationem pacis in Europa tendant; quam & sibi magnopere cordi esse Gallus semper testatus sit. 1688.

§. 61. Verbo quoque tangendum fuerit, sub initium anni ab Electore ad Comitia Polonica Grodnam missos fuisse Alexandrum Donam Comitem, & Joachimum Sultetum, observaturos ne quid contra ipsius rationes fieret. Inprimis injunctum, quia fama erat, Daniæ Regem id agere, ut recte filium suum secundo genitum Candidatum Coronæ Polonicæ commendaret, ut istis destinatis clam sese opponerent, ac cum Cæsareis & Suecicis ministris eam rem de compacto agerent, quod nullius e tribus istis interesset id succedere. Sed & Elector per Paulum Fuchsium ministris Danicis demonstrari jubebat, in id negotium magnam pecuniæ vim a Rege profusum iri incerto exitu; qui idem Regi parum cordi esse testabantur. Sed nec iis Comitiis quidquam proficiebatur, quod ea incassum abrumperentur. Causa erat, quod Rex filium Jacobum juxta se in throno considere cupiebat, ad quod probandum, ut aliqui adhuc proceres permoverentur opera ponebatur. Unde ab aula tempus trahebatur, & cum ea res succedere nollet, studio Comitia diffluere patiebatur, quod Nuntii Terrestres jam isti sessioni contradicere pararent, simul nosse cupiebant, quam ob causam ante biennium Magnus Cancellarius in Galliam missus foret. Ac ne Princeps Jacobus ignominiam repulsæ ferret, obtentu spectandæ urbis Rigensis, & Lucem Curlandiæ invisendi Grodna discedebat. Bethunius dicebat, rem nimis fervide actam, muliebri consilio, eoque aulam sibimet ipsi obstitisse; ac in Jacobo talia adparere, quæ ipsum Coronæ parum commendent. *Legati in Poloniam.*

§. 62. Su-

§. 62. Supereſt ut heic junctim annectamus, quæ complures per annos ab Electore circa componendam inter Daniæ Regem, & Gottorpienſem Ducem controverſiam acta ſunt, de qua jam ſupra ſemel atque iterum tactum eſt. Etſi ejusdem finem vivendo attingere Electori haut datum. Duces igitur Gottorpienſes e Regia Daniæ ſtirpe oriundi præcipuam Slesvicenſis Ducatus partem fiduciario jure a Regno Daniæ ſeculum amplius poſſederant, certis pactis Daniæ Regibus agnatis juncti, iisque ſat concordes, donec Carolus Guſtavus Sueciæ Rex e Gottorpienſi domo conjugem ſibi adſcivit. E quo tempore Dux iſte Danis nimium in Suecorum partes inclinare viſus eſt, qui & dum hiſce Poloniam perſultantibus bellum intentant, Ducem nullius culpæ compertum duriter admodum habuerant. Unde mox Suecus victor ſocerum iſtis oppreſſionibus in poſterum liberaturus pace Roſchildenſi nexu Daniæ eripere cupidus, ſupremum huic imperium in Slesvicenſem ditionem ſtipulatus eſt, aliis quibusdam emolumentis adjectis. Sed quam idem tunc quærebat, communis regiminis abolitio per Danos eluſa, perſiſtentibus quoque veteribus unionibus, cavillandi deinceps materiam præbituris. Iſthæc domus Gottorpienſis emolumenta uti Sueciæ favore parta erant, ita per eandem ſibi tuenda Dux judicans Suecicam amicitiam magno ſtudio excoluit. Quæ cum Dano admodum ſuſpecta haberetur, bello poſt in Suecum decreto primum erat Ducem Chriſtianum Albertum in poteſtatem redigere; quem Rensburgum amicitiæ ſpecie allectum Rex in cuſtodiam datum compulit, ut munitisſimum oppidum Tœnningam ſibi dederet, ſimul commodis e pace borealı partis renuntiaret, Daniæ deinceps obnoxius acturus. Quanquam autem Dux deinceps pace apud Fontem Blaudi facta in integrum reſtitutus eſſet; tamen poſtquam Danus amicitia Galliæ ſubnixus tuto ſe Suecum negligere poſſe judicaret ordinandis domi rebus diſtrictum, nec e reliquo Europæ habitu quid ſibi metuendum adpareret, Ducem denuo ad Rensburgenſis pacti conditionem redigere inſtituit, ex eo ſupplere meditatus, quod ſpei recuperandæ Scaniæ deceſſerat. Eo fine Rex non ſolum dimidiam *contributionis* partem a communibus Prælatis, & Equeſtri Ordine conferri ſolitæ Duci ſubtractam ſibi vindicabat; ſed & idem tributi penus a peculiaribus Ducis oppidis, atque præfecturis exigebat. Color dicebatur, quod iſtud tributum ad communis provinciæ defenſionem ſit inſtitutum, ſed quod Dux in alios uſus vertat, cum Regi ſoli onus alendæ militiæ incumbat, quæ & Ducis ditionem tutam præſtet. Et quæ extent omnes munitiones in Regis territorio ſitas eſſe. Quam ob cauſam etiam Rex concedere noluerat, ut Tœnninga a Duce inſtauraretur, aut alius locus operibus firmaretur. Nec ex eo tributo Duci amplius quid concedere volebat, quam quod alendæ centuriæ equitum, cuſtodum corporis, ac præſidio arcis Gottorpienſis requiratur. Inſuper & Rex nongenta uncialium millia e reliquis tributorum belli tempore imperatorum exigebat, Duce incasſum ad Gallicam pacem provocante, ac Sueciæ Regis interventionem petente. Adverſus cujus officium Danus excipiebat; eam domeſticam eſſe
cauſam, quæ exteros non tangat, ac Lundis in Sca- 1682.
nia peculiari articulo cautum, ne uterque Borealium Regum alterius ſe domeſticis negotiis ingerat. Nec Cellenſis Ducis minæ curabantur, cum Rex permittere nollet, ut Dux dimidiam contributionis partem in Holſatia exigeret, velut ad defenſionem Imperii, & Circuli adhibendam. Duci 8. Sept.
hanc querimoniam ad Electorem deferenti hic 1682.
ſuadebat, ut cum Rege amice tranſigat, & extraneis nexibus abſtineat, Regique velut capiti familiæ adhæreat; id quod & veteres uniones requirant. Ad 23. Oct.
quæ Dux reponebat: *Sibi nil magis in votis eſſe, quam* 1682.
cum Daniæ Rege inconcuſſam amicitiam excolere. Enimvero non minore ſtudio ſibi quoque dignitatem ſuam, & avita jura ſervanda; quibus Rex jus tributa indicendi, armorum, & munitiones habendi detractum eat, quum dignationem Principis Imperii in dubium revocet, tantum non inter provinciales Ordines ipſum redacturus. Unde ſe non poſſe, quin Cæſaris, & aliorum pacis ſponſorum opem imploret. Vetera pacta ſupremo imperio ſibi competenti nihil adimere. Iſthoc, atque inde pendentia jura ſi Rex intacta relinquat, haut devotum magis quam ſe amicum habiturum. Quam in rem ut Elector apud Regem officium in-
terponat rogare. Ad eas literas Elector reſpon- 3. Nov.
dit: *Ducem dum exterorum ſe fœderibus innectit,* 1682.
multam de ſe ſuſpicionem excitaſſe, cum alias iſthoc negotium tanquam domeſticum inter Regem & ipſum ſine ſtrepitu componi potuiſſet. Nunc dubium, num officio ſuo apud Danum effici quid poſſit. Sane Regem actis ſuis haut invalidas rationes prætexere videri. Nam utique ab antiquis temporibus tributum bellicum per Holſatiam in commune ærarium redactum; nec Regem prohibuiſſe, quo minus Dux in Imperium & Circulum eroganda ex eo deſumeret, tum ut munitiones, & militia, ad communis provinciæ uſum ſpectans, communi utriusque Principis conſenſu diſponatur. Partam non ita pridem ſupremi imperii dignationem vetera familiæ pacta hautquidquam abolere. Regem quoque tributum Ducis defenſioni expenſurum, modo hic fidam cum ipſo amicitiam excolere perſiſtat, externis vinculis exſolutus. Sibi quam maxime curæ eſſe quietem Germaniæ, & ſingulorum ejus membrorum tueri. Eo tamen prætexto haut fas ſibi eſſe privatis negotiis miſceri, plus diviſionis in Germania pariturus. Et quia hucusque ea lis circa interpretationem pactorum verſari viſa ſit, Imperio, quamdiu iſta intra hos limites verſetur, nil præjudicii inde enaſci poſſe, quod Slesvicenſis Ducatus ad idem haut ſpectet. Igitur Dux ab extraneis ſe fœderibus removeret, ac diſſidii fontem e medio tolleret. Tunc officio ſe ipſi non defore. Ad iſta Dux: 13. Nov.
Majores ſuos ſeculum amplius in quieta poſſesſione fu- 1682.
iſſe dimidiæ partis tributi a Prælatis & Equeſtri Ordine collati, in conventu Ordinum prius decreti, quod in commune ærarium redactum poſt æquis portionibus diviſum fuerit. Sed poſt anno 1663. die V. Maji inter Fridericum IV Daniæ Regem, & Fridericum Ducem pactum Gottorpii initum, & a Rege pro ſe & poſteris firmatum, ut deinceps Rex æque ac Dux e ſuis quisque præfecturis atque oppidis tributum provinciæ per ſuos miniſtros exigat, nec id amplius in commune ærarium conferat: ſed quod ab indiviſis Prælatis ac Nobilibus confertur,

 in

1682. *in commune ærarium redigendum, & æqualibus portionibus dividendum. Equidem id tributi genus ad defensionem provinciæ impendendum; ut tamen sibi æque ac Regi potestas competat de sua parte disponendi, nec uni in fraudem alterius idem adhibere fas sit. Sane in præsens Regem plures habere munitiones, se nullam. Sed istas non ad defensionem hujus provinciæ, nec utriusque Principis consensu extructas, nec ideo se a defensione provinciæ excludi debere. Nec ita numeroso milite Regi opus fore, si cum vicinis pacem colere cordi sit; qui & non ad suæ ditionis defensionem, sed eidem opprimendæ adhibeatur, intra semestre quingentis uncialium millibus Ducali ditione extortis; sic ut nil amplius sibi suppetat, quod usibus Imperii & Circuli eroget. Modo Rex jura sua non intercipiat, se facile præstiturum, ne provinciæ sua defensio isti oneri sit. Commodis per pacem Roschildensem atque Hafniensem suæ domui attributis hautquidquam damna eo bello tolerata fuisse pensata. Daniam, tunc electitium Regnum, supremo in Slesvicum imperio nil juri repugnans fecisse, Electorem facile similem ob causam probaturum. Per id imperium equidem vetera pacta non plane sublata. Sed quia obtento in Slesvicum supremo imperio præter Deum, & sanam rationem superiorem non agnoscat, nec dignatio Principis Imperii, æque sibi atque Regi competens per ulla pacta tolli aut alterari potuerit in fraudem Imperii & Circuli: igitur supremum istud imperium, & potestatem Principi Imperii competentem non e pactis, sed hæc ex illis restringenda esse. Sed ne apicem quidem in pactis reperiri de iis, quæ Rex nunc sibi obtrudere conetur. Quin ex iisdem manifeste adparere, suam se portionem iisdem cum juribus & conditionibus, quibus Rex suam, possidere. Quæ cum ita sint, ea quæ Rex in se plena pace, nullo exemplo patrarit, nullum juris colorem admittere, dum intentatis minis munitionum reparationem prohibet, Ducales subditos intolerandis tributis proprio ausu onerat, quanta ne medio quidem bello extorta sunt. Quo ipso omnia pacta, ac pacificationum leges abrumpi, atque id agi, ut ipse ad id redigatur, quod in servitio extremum est. Cum itaque preces suæ per triennium Hafniæ insumtæ nil profecerint, sibi utique Cæsarem, & sponsores pacis fuisse implorandos. Circulum quoque Inferioris Saxoniæ jura sibi sua præstanda recepisse. Ac spem esse Cæsarem atque Imperium haut silentio spectaturum, se ita opprimi; præsertim cum non adpareat, ea quæ Rex Ducalibus subditis extorqueat, bono Imperii impendi. Hisce igitur, si Rex ultro desistat, libenter se exterorum fœderibus renunciaturum, quæ in nullius offensam subierit; ac deinceps securitatem suam in Regis amicitia quæsiturum.*

Danus a se acta defendit, §. 63. Dani contra differebant: ex quo tempore Gottorpiensis domus Sueciæ adhæserit, in speciem quidem nonnihil lucrari visam, sed re ipsa longe plus incommodorum sensisse; ac Ducem plane in exitium ruere videri, postquam insuper Luneburgicis sese innectat, Daniæ infensissimis. Cum etiam Sueciæ Rex per ablegatum Wilhelmum Julium Cojetum super imperatis Ducis provinciæ tributis quereretur, Alefeldius Cancellarius respondebat: negotium tributorum cum supremo Ducis imperio conjunctionis nihil habere, sed e pactis provenire obtenta *soverainitate* longe antiquioribus, nec per pacem Hafniensem sublatis, sed potius confirmatis. Et in hac lite inter Regem & Ducem præter Deum & ensem judicem non existere. Et quia Rex suo milite Ducis terras protegat, par esse ab hujus civibus ad istum alendum tributa conferri; prout & omnes munitiones in Holsatia cum Gottorpiensis consensu extructæ sint. Hafniæ quoque jactabatur; Gottorpiensem superiore bello, cum Dania a Suecis tantopere premeretur, ac post varias per artes, quin proditione regiorum ministrorum multa documenta ex archivo Hafniensi nactum, e quibus clare demonstrari potuerit, Reges Daniæ semper tanquam caput familiæ fuisse consideratos, eoque circa tributa disponendi facultatem habuisse. Isthanc instrumentorum subtractionem, ac Sueciæ amicitiam tantum audaciæ Duci addidisse, ut plane contra receptum usum Regi se æquare, ac pariter cum hoc tributa indicere instituerit. Ast postmodum novissimo bello omnia ista documenta in tabulario Gottorpiensi a se iterum reperta, e quibus liquido adpareat, Regi fas esse Ducis subditis tributa imperare; nec huic integrum esse munitiones extruere, ac provinciæ defensioni sese ingerere. Eamque instrumentorum recuperationem in causa fuisse, quare Dux Rensburgi in custodiam datus fuerit. Sed & Dani valde querebantur, Cæsarem tam enorme studium in Ducem declarare, ac in fœdere cum Suecis ejusdem protectionem in se recepisse. Cujus fœderis cum Suecus Dano copiam faceret, hic eo nomine graviter irritabatur.

§. 64. Cum itaque Cæsar Duce petente edicta super hoc in integrum restituendo, nec amplius turbando ederet, simul delegatos judices constitueret causæ cognoscendæ, ac decidendæ, Danus & ista, & hos rejiciebat. Rationes adferebantur, quod Commissio etiam ad Slesvicensem Ducatum sit porrecta, qui tamen extra Romanum Imperium situs sit. Ducatum quoque Holsatiæ æterno vinculo Slesvicensi innexum, eoque non magis Holsaticas causas ad Cæsarem, ejusque judicium Aulicum deferri posse, quam Slesvicenses. Sed Cæsar per literas ad Regem datas ostendebat: Rationes ab ipso adductas tanti ponderis non esse, ut is ideo Cæsareæ cognitioni sese subtrahere possit. Etsi enim ipse per modum supremæ jurisdictionis Commissarios in causis Slesvicensibus constituere nequeat, ad curam tamen suam, & officium pertinere, ne Gottorpiensis Dux vel Slesvicensis, vel Holsaticæ ditionis nomine inique opprimatur. Ducatum quoque Slesvicensem non minus quam Holsatiam guarantia pacis Westphalicæ comprehendi, quæ pax norma & basis Neomagensis sit. Unde & se Neomagensi pace officium ad Slesvicenses quoque lites componendas promisisse. Legatos quoque suos Neomagi professos, posse Cæsarem Principum Imperii patrocinium suscipere, etiam ubi extra Imperium lædantur. Nam protectionem Cæsaream Duci Holsatiæ promissam cogitatione qui-

Danus Cæsaris cognitionem rejicit.

20. Nov.

23. Jan. 1683.

1683. quidem, sed non reipsa a protectione Ducis Gottorpiensis separari posse. Se quoque Sueco peculiari fœdere ad præstandam pacem Roschildensem, atque Hafniensem obstringi. Frustra quoque ad unionem inter Slesvicensem, & Holsatiæ Ducatum provocari. Quanquam enim isthæc unio perpetua esse debeat: tamen cum Danus nullatenus eidem se adstringi patiatur, sed infinitis factis pro lubitu ab eadem recedat, pridem hanc ab isto abruptam in aprico esse. Quanquam etiam Ducatus Slesvicensis, & Holsatiæ quædam ex pacto communia habeat, non tamen inde consequi, Ducatum Slesvicensem omnes quoque causas Holsaticas ad se pertrahere, Cæsarisque, & Judicii Aulici cognitioni, ac decisioni subducere. Neque enim per unionem aut communionem jura cuique Ducatui propria confundi, aut tolli, multo minus Imperii Status fœdere, aut pacto suo Cæsaris autoritatem in provinciam quandam Imperii delibare, aut auferre posse. Et hoc ipso Daniam sua destinata prodere, se ubi Slesvicensem Ducatum deglutire detur, Holsatiam quoque obtentu unionis ad se pertracturam, ejusque tam Regiam, quam Ducalem partem Cæsaris, & Imperii supremæ potestati plane subtracturam. Unde & Cæsar mox arctius dehortatorium ad Danum, simul excitatorium ad domum Brunsuicensem emittebat, quo Gottorpiensi assistant: simul Guelferbytanum, & Lauenburgicum cognitores in hoc negotio constituebat. Dano excipiente, Slesvicum ad Imperium non pertinere, & quia fœdere Suecico suspectum se, atque alterutri partium addictum declararit. Tum ab Electore petebat, operam Viennæ, & Ratisponæ navet, ne Cæsar talibus ulterius ipsum urgeat. Id quod & Elector Cæsari suadebat, ob præsentium temporum conditionem alias sat periculi minantium, ac ubi novarum turbarum materia declinanda sit, ac ut ea lis potius ipsas inter partes, aut aliorum interpositione amice componatur, quod ea magnam partem a pactorum familiæ interpretatione pendere videatur.

Elector officium interponit. *28. April.*

§. 65. Vicissim tamen Danus Cæsari insinuabat, libenter se Saxonis ac Brandenburgici Electorum officia admissurum. Unde Cæsar ab hisce requirebat, ut componendæ ei liti amicam operam adhibeant. Id quod Elector bona se fide facturum recipiebat; simul Duci significabat, se quidem pronum ei operæ, sed metuere, ne eadem inanis sit, quod Dux Regem tam gravibus querimoniis ubique differat. Dux contra Electoris officium sibi gratum fore declarabat, modo Rex tam graves exactiones prius inhibeat, ac extortas pecunias restituat, tum Cæsaris cognitionem admittat. Ast Elector fieri non posse judicabat, ut hæ conditiones in antecessum obtineantur. Ac ne animi utrinque magis exacerbentur, quamprimum amicam compositionem tentandam. Dux contra censebat; utique
1. Jun. æquum esse, ut Rex ejusmodi exactionibus supersedeat, præsertim quia jusserit, a se imperata tributa statis Ducis reditibus præferantur; quo ipso subtrahatur, unde se, suosque sustentare debeat. Elector inde hæc subinde amicam transactionem ingerere, ac uti anceps Duci sit aliam viam tentare, atque exteris se innectere. Dux, ne quid intentatum relinqueret, literis ad movendos animos valde idoneis Regem orabat, ut istis oppressionibus desistat. Nec minus Elector per Fridericum Brandium *13. Nov.*
demonstrabat; valde durum esse Duci etiam subtrahi, unde se pro dignitate sustentare queat; id quod ad diuturnitatem valiturum non sit, idemque in Germania, & extra variis sermonibus causam præbere, generoso Regis animo parum decoris. Ad quæ Alefeldius Cancellarius Brandio id responsi a Rege deferebat: Regem nullius opera libentius circa componendam hanc causam, quam Electoris usurum, usu inter se ac Ducem receptum, cum inter ipsos non nisi domestica agitentur, ut quæ forte oriantur controversiæ, juxta pacta familiæ inter ipsos componantur: ac Ducem ex pactis teneri, semper eo loco tractationem suscipere, ubi Rex præsens sit; idque perpetuo usu observatum. Alias negari non posse, Ducis ditiones sat graviter premi. Sed Regem id nunquam in animo habuisse, velut qui non nisi tributum bellicum solito modo exigere decreverit. Ast Ducem sibimet ipsi hanc calamitatem attraxisse, ubique erga Regem tam importuno agendi modo usus, ut hunc invitum ad extrema ista compulerit. Unde Regi expectandum, num Duci aliam mentem induere, ac operam dare placiturum sit, quo præsens status emendetur; id quod unice in Ducis manu situm sit; penes quem & omnis culpa hæreat, cum Rex omnia, quæ egerit, suo jure egerit. Ista dehinc Ehrenschildius latius deducebat: Ducem plane a Rege se avertisse, ac noxia Daniæ fœdera affectasse; tum istius acta passim diffamasse. Eundem Saxonis atque Electoris officium declinasse; in Suecia omnem salutis suæ spem reposuisse, & ut inde copiæ in Germaniam trajiciantur, quæsivisse. Nuper quoque literas ad Regem dedisse, aculeatis dictis refertas. Demum is suadebat, ut Dux aliquem suorum Hafniam mittat, ac uti moris sit negotium amice componat. Nam Regem nullo modo toleraturum, ut Luneburgici huic se negotio misceant. Plures inde literæ inter Regem & Ducem hinc inde scribebantur, nullo fructu, nec ullo Ducis levamento.

Danus Ducem Slesuicensi ditione exuit. *Maji. 8.* *22. April.*

§. 66. Post cum Luneburgici ad Dani amicitiam flecti viderentur, eorum consilia in Dania prævalebant, qui contenderant, ut Rex Gottorpiensem partem Ducatus Slesvicensis sibi attribueret, ac ad eandem retinendam extrema omnia tentaret. Huc antequam Rex procederet, Duci prius has conditiones per literas proposuerat. *Ut Dux omnibus nexibus cum extraneis renunciet, velut qui cum veteribus unionibus consistere non possint. Cum Regis hostibus & adversariis nil commerciorum alat, sed ipsi juxta pacta Rensburgensia contra quosvis assistat. In conventibus Imperii & Circuli cum Rege de compacto agat. Investituram Ducatus Slesvicensis deinceps uti olim apud ipsum quærat, & quæ pace inter Boreales Reges adquisivit,*

1684. *vit, iterum edat. Quia Regi per adversas hucusque Ducis actiones necessitas allata fuit ingentes armorum paratus faciendi, ac multos milliones erogandi, ut Regi eo nomine reparatio fiat. Ut contributiones provinciæ soli Regi relinquantur. Ut Dux in conventibus plane Regis sententiæ sese attemperet, nec separatim consilia agitet. Ut nullam ulterius munitionem struat velut inutilem, & provinciæ intolerabilem; & securitate, quam veteres uniones & pacta Rensburgensia dant, adquiescat. Eoque nil copiarum paret, alatque, quam quod præsidio arcis Gottorpiensis, ac satellitio necessarium est. Ut deinceps edicta & constitutiones per provinciam promulgandæ uniformes sint, & utrinque in usum deducantur. Ut Dux citra præviam cum Rege communicationem vilioris sortis monetam ne cudat. Ut annuatim alternans regimen constituatur, utrinque pari consiliariorum numero compositum: sed ut heic & in conventibus, ac judiciis provincialibus penes Regem tanquam caput familiæ directio sit. Commune quoque archivum in eum locum, ubi communis regiminis Cancellaria stabilienda est, transferatur. Quia insula Heiligenland etsi pars Ducatus Slesvicensis a solis Ducibus præter jus hucusque possessa fuit, ut eadem Regi ob competentem dimidiam partem tamdiu tradatur, quamdiu a Duce detenta fuit, ac post utrinque communiter possideatur. Quia Dux ab aliquo tempore sibi successionem in præsulatu Lubecensi velut propriam arrogavit, ut Ducis cum eo Capitulo inita pacta aboleantur, ac e filiis Regis aliquis Subcoadjutor cum spe futurae successionis eligatur. Ut de caetero veteribus unionibus stetur, & si quae gravamina sint, intra sex septimanas componantur.* In has leges, ut Dux amicitiam cum ipso instauraret Rex cupiebat, super quibus ejus declarationem intra mensem expectare velit. Intra id tempus, ubi istas admittere nolit, se iisdem non amplius teneri velle, ac alia consilia securitati inservientia initurum. Ad ista Dux reponebat: Hæc omnia pacto Roschildensi inniti, sed quod per pacem apud Fontem Blaudi factam plane sit abolitum; ac per ejusmodi conditiones supremum imperium ea pace firmatum plane destrui. Unde ne talia sibi impingantur deprecabatur. Ast Rex Slesvicensem ditionem a Duce commissam declarabat, eamque sibi attribuebat, Ducis quoque conjuge, Regis sorore, Gottorpio migrare jussa. Simul subditos fide Duci data exsolvebat, ac in sua verba adigebat. Bonis quoque ministrorum Ducis manus injiciebat. Quos inter Joachimo Alefeldio Consilii Ducalis præsidi bona centum triginta uncialium millibus taxata in fiscum redigebantur, quod tanquam Regis subditus periculosa regiæ domui consilia Duci suggessisset. Decretum quoque in Dania fuerat, militem non prius imminuere, quam Dux placito Regis sese accommodet; ac Slesvicensem ditionem tenere, quousque per vim majorem extorqueatur. Trittovia quoque præfectura a Rege occupata in Plœnensem Ducem transferebatur. Tum per Holsatiam Ducalem contributiones extorquebantur. Capitulo Lubecensi non sine minis denuntiatum, ut unum e filiis Regis Coadjutorem designaret. Et cum

16. Maji. Fontainebleau.

ad hujus querelam Cæsar mandatum misisset super libera istius electione asserenda, Lilliecrona Capitulo palam dixerat: Regi suo sat militum esse ad isthoc adversus chartas Vienna nullo pondere advolantes tuendum. 1684.

§. 67. Enimvero Elector, cui satis constabat tam violenta consilia ab iis proficisci, qui privatum inde lucrum sibi captabant, Regi candide exponebat; se ipsi, ac familiæ Regiæ haut consultum ducere, ut possessionem totius Ducatus Slesvicensis, cujus duæ tertiæ partes ad Gottorpiensem spectent, per arma tueri instituat, longe pluris constitura, quam hujus proventus pertingant. Præterquam quod lapsus temporum multas vicissitudines adferre soleat. Ac sibi juxta, Regique recenti, eoque domestico documento constare, quam difficile sit armis parta tueri, quæ tam multi invideant. Ducem passim graves querimonias movere, ac non parum assensus invenire; ut forte non pauci ejus causæ fauturi sint. Unde valde se optare eam litem amice componi; quo fine officium suum offerre. Etsi contra Anglus, qui Roschildensem pacem tanquam Cronvello sequestre improbabat, declarasset; Danum circa Ducem nil aliud fecisse, quam quod justum sit ac se non minus, quam fratrem Eboracensem Dani causam quantum in se fulturum. Esse quoque se in eo statu, ut in tractu Boreali pacem dare, ac servare possit. Elector quoque suis Ratisponam legatis scribebat: Se quidem Dano amicitia junctum; sed ita dura in Ducem admissa non magis quam alios probare posse. Nec unquam ad præstandam Regi talium evictionem sese obligasse: sed spinosam istam causam amice componi cupere; in quem finem ipse jam operam impendat, ac deinceps impensurus sit. Igitur ubi super eo negotio referatur, sententiis suis amicam transactionem ingererent, calidis, ac violentis consiliis reniterentur, ne in Boreali tractu incendium exsurgat, neu Dano necessitas creetur Gallo arctius sese innectendi. Atque ibi quidem Senatus Principum Ducis causam amplectebatur, Cæsarisque, & Imperii patrocinium etiam ad Slesvicensem ditionem extendendum censebat. Sed Danus contradicebat, quod iste Ducatus extra Imperium positus sit. Ac frustra obmoveri, quod idem Westphalicæ paci inclusus sit. Id enim non petente Duce, qui tunc Daniæ vasallus fuerit, sed Rege Christiano IV factum; eamque inclusionem non ulterius, quam adversus exteros, & qui in istius belli partem venerant, nullo modo autem ad domesticas lites, forte inter se ac Ducem orituras, extendi posse. Ac absurdum cogitatu fore, obtentu inclusionis in eam pacem Imperium in omnes privatas lites eorum, qui includuntur, ingerere se teneri. Ipsi autem Regi Elector suadebat, ut potius generoso animi motu aliquid de suis prætensionibus remittat, ac rem ad amicam transactionem deducat, quod eadem ipsi successu temporis periculosas turbas parere queat. Sane Suecum, & alios parum amicos plausibile prætextum inde arrepturos ipsum iniquo sibi tempore invadendi. Equidem se

Elector mediationem ingerit.

30. Sept.

24. Oct.

se Regi quævis incrementa haut invidere: judicare tamen veras ejusdem rationes in eo verti, ne ad extrema eam rem deducat. Sed nec per omnia Ducis acta probare velle: facile tamen oppresso ignosci, si ubicunque possit auxilium excitet. Quem ab alienis fœderibus revocandi expeditissima via sit, æquis legibus in amicitiam recipere.

§. 68. Post initas cum Gallo inducias Cæsar acrius id negotium urgendum ratus denuo delegatos judices decernit Saxonem & Brandenburgicum Electores, tum Cellensem, atque Guelferbytanum Duces; ut litem amice componere tentarent, ac si hoc modo nihil proficiant ad se referrent. Sed Elector judicabat, plus profectum iri amica tractatione, quam imperioso isto agendi modo: nam Dano minæ de pœna fractæ pacis intentabantur. Nec enim temporum conditionem eum rigorem ferre, ac Ducem ægre hac via sua recuperaturum. Sane cum Elector Regi super delata sibi a Cæsare functione significaret, is declarabat: *Cæsaream se Commissionem admittere non posse, quod Cæsar adversa sibi fœdera cum Sueco inierit, simul acria mandata ad Circulum Inferioris Saxoniæ, aliosque, tum ad conventum Ratisponensem emiserit, quibus se inaudito sua causa damnata sit. Decreto quoque Circuli Inferioris Saxoniæ aliquid in sui fraudem insertum, quo & plus satis animorum Luneburgici in se exseruerint. Esse porro hoc negotium domesticum, quod e pactis familiæ, & pace ad Fontem Blandi initæ dijudicandum sit. Et quia Dux extremis pertinaciter inhæreat, eoque causa utique ad judicium auliсum sit devolvenda, malignam inde sibi decisionem exspectandam. Quia autem Slesvicum ad Cæsarem, & Imperium non spectat, ac in Holsatia de contributionibus duntaxat controvertitur; se circa has quidem Saxonis, & Electoris interpositionem admissurum: Commissione ut supersedeatur postulare.* Contra Dux ad Regis exceptionem reponebat: Guarantiam pacis Westphalicæ suo quoque patri, ac sibi bono cedere. Slesvicensem Ducatum, & Holsatiam ob situm terrarum, & alios respectus ita combinari, ut ea causa invicem separari nequeat; ac ubi incendium in Slesvicensi ditione exsurgat, id non posse non Holsatiam quoque, & Saxoniam Inferiorem corripi. Prætextum negotii domestici totiens explosum frustra occini. Non enim quia ipse eodem sanguine cum Rege satus sit, ideo huic fas esse ipsum opprimere; cum contra jura sanguinis requirant, ut Regi non minus Gottorpiensis domus, quam propriæ cordi sit. Et cum ipse Slesvicum supremi imperii jure possideat, quomodo domesticum negotium esse queat, si Danus idem sibi eripere aggrediatur? Cum itaque Rex tractationem nisi super tributis in Holsatia se admissurum neget, de Slesvici restitutione silentio transeat; & vero in Principum Senatu Ratisponæ decretum sit, ut nomine Imperii sua causa suscipiatur, se ab Electore petere, ut hic in Electorali quoque Senatu suæ causæ faveat. Addebat, se omnem cum reliquis negotiationem abdicaturum, si Elector, quod post Deum in ipsius manu situm sit, plenam sibi restitutionem curare, in eamque rem fidem sibi dare velit. Postquam ergo Rex Cæsaream Commissionem plane rejiciebat, Luneburgicorum quoque operam velut suspectam adspernatus, Saxonis autem, atque Electoris operam se admissurum innuebat non velut cognitorum, sed sequestrium; qua ratione hi quoque Slesvicense negotium extra Imperii jurisdictionem positum suscipere poterant, e quo primaria lis promanarat: igitur Elector e Rege sciscitabatur: Quia is Cæsaream cognitionem repudiet, an non liquidius mentem suam exponere placeat, num ipse atque Saxo cum fructu officium in hac causa interponere queant. Ad hæc a Rege responsum: *Se proclivem esse acceptando ipsius, ac Saxonis officio, ac suscipiendis cum Duce tractatibus. Sed quia hic fundamenti loco plenam restitutionem ponat, se non perspicere, cui usui negotiatio sit, quod ipse Slesvicensi ditione nunquam cessurus, sed eam non minore studio quam ipsam Daniam gladio asserturus sit. Alias remota hacce conditione impossibili sat æquum se Duci praebiturum.* Ita nulla Duci spes erat, Danum ultro eam provinciam redditurum, quod illi, qui opimas ibi præfecturas sortiti fuerant, ac Regis aures obsidebant, omni modo reniterentur, securi, quid damni, aut contumeliæ Regi deinceps proventurum foret. Quorum & impulsu Rex potius belli aleam subire decreverat, quam semel arrepta tam opima regione cedere. Ea Regis sententia cognita Elector Duci scribebat: *Ægre ipsum postulata sua super plena restitutione perventurum; quod non sufficiat de jure suo plene persuasum esse, sed & valida vires requirantur fulciendæ justitiæ. Jam autem habitum præsentium temporum ita comparatum, ut ni scena Europæ aliam plane faciem induat, Danus haut videatur vi ad restitutionem compelli posse. Qui & propriis, & sociorum viribus ita sit instructus, ut Duci diu in hoc statu hærendum sit, antequam quispiam hoc negotium solida vi aggredi ausurus sit. Et hoc ipso casu eventum adhuc dubium esse; qui ea via suscepta ipsius causam æque facile deteriorem, quam meliorem fieri posse.* Igitur ipsius judicio relinquebat, an non satius sit temporibus cedere, atque conditiones, quæ optimæ obtineri possint, cum Rege decidere, quam incerta spe ductum extremis incassum inhærere. Ad ista Dux in eum sensum respondebat: *Sibi quidem complura exempla ob oculos versari, quod & justissima causa ab armis non suffulta aliquandiu premi soleat. Non sperare tamen, in orbe Christiano eum morem introductum iri, ut inter ejusdem reipublicæ consortes omne jus in armis reponendum sit. Alias quippe cæteris quoque Principibus, quorum nemo propriis viribus adversus externam vim subsistere valeat, brevi idem fatum, quod se nunc premat, incubiturum. Nec minus sperare, nullum Principem Christianis dogmatibus imbutum in se patrata probaturum. Nondum spem sibi decollasse, ac si demum amica tractatione sua recuperare nequeat, Deo exitum commissurum; nec ullum periculum, aut calamitatem in eam se desperationem conjecturum, ut avitum patrimonium cum exitio domus suæ Dano cessurus sit. Se quidem hunc debito honore prosequi; ast ditionem suam pari jure cum isto tenere, cirea*

1685. 21. Apr. 5. Maji. 3. Jun. 19. Sept.

1685. *circa quam neminem nisi Deum superiorem agnoscat, se haut concessurum; Multo minus se domus sua fortunas adquirendo istius favori sacrificaturum. Igitur Elector operam daret, ut ea causa ad aquam compositionem deducatur.*

Causa ista ad sequestres devolvitur. §. 69. Interim Elector suis Ratisponæ legatis injunxerat, ut si denuo de hac causa ad Ordines referretur, in eum sensum sententiam dicerent: etsi ipse adhibitum a Dano rigorem minime omnium probet; haut consultum tamen ducere ab Imperio decreta formari, Dano haut curanda, sed quibus aliquando forte ad movendas turbas abusurus sit. Igitur optimum fore eam causam ad amicam compositionem deduci, cui suscipiendæ ipse dudum paratus fuerit, ni Saxonis, & Ducis peregrinatio obstitisset. Ac sane re ibi proposita Principales sat acriter decreverant. Sed Electorales ad molliora inclinabant; ac inprimis nostri enitebantur, ne quid SCto insereretur, quod aliquando ad movendas turbas prætextum dare posset; quod Electori tranquillitas Imperii suprema lex foret. Cum itaque Ratisponæ amica compositio decreta esset, Dux jam instabat, ut Cæsar sequestris officium susciperet. Ubi Stratemanuus id a solo Cæsare obiri cupiebat, non adjunctis aliis ex Ordinum numero, velut id fastigio Cæsareo parum conveniret. Enimvero Danus utique Saxonem, & Electorem in partem negotii venire volebat, quorum & officium sibi gratum fore dudum significarat. Nec Duci minus e re videbatur, hosce operam cum Cæsare sociare. Cæterum Elector Viennæ monebat, ut Cæsar non nisi sequestris officium exercere institueret, nec quid admisceret, quod speciem judicialis cognitionis haberet. Nec Luneburgicos in partem operæ pertrahere laboraret, Dano valde suspectos; id quod & Saxo dissuadebat. Post cum Hamburgenses turbæ deflagrarent, Dux valde instabat, ut sua causa pariter cum Hamburgensi expediretur. In quod & aula Cæsarea primo calore proclivis erat. Quo fine a Cæsare literæ ad Saxonem, Electorem, & Luneburgicos dabantur, ut hac occasione etiam Gottorpiense negotium componere tentarent. Sed Elector Cæsari suadebat, ne ambas causas invicem misceret, quod una alteram difficiliorem reddituta sit, ac ante omnia Hamburgense negotium componendum. Quod & mox Cæsari probatum, quod tempora non suaderent eo tractu turbas ali. Ita post Hamburgenses turbas sedatas Gottorpiensi quoque liti serio manus admovebatur. Ac Danus quidem ostendebat, utriusque Electoris officium sibi gratum fore; nec circa Cæsarem se scrupulum moturum, modo is se sequestrem duntaxat agere velit, quod ipse in domesticis, & Slesvicensibus rebus ad Imperium haut spectantibus Cæsareos cognitores agnoscere nequeat. Super Holsatia nil controversiæ esse, cujus proventibus Dux plene fruatur. Ast in Slesuici restitutionem nunquam se consensurum, quod securitas Chersonesi Cimbricæ requirat, ut ipse solus ibi rerum potiatur; id quod præterita tempora satis docuerint. Alia tamen temperamenta inventum iri, ut Duci satisfiat. Contra Dux instabat, ut quamprimum ad rem accedatur, adhibitis simul Luneburgicis.

2. Aug.

21. Oct.

7. Maji. 1686.

29. Sept.

15. Oct.

27. Oct.

Locum tractatuum Lubecam proponebat, aut si Rex malit, Altonam. Cæterum si Rex Slesuicum retinere velit, tractationem inanem fore, quod sibi oblato æquivalente haut quidquam consulatur. Ita Elector Regi officium componendæ liti Gottorpicæ per literas solenniter offerebat, ac ut Regi locum, & tempus ordiendo congressui designare placeat; tum ut Luneburgicos in partem officii admittat. Equidem Dux omnes sequestres junctim communibus literis interpositionem suam offerre maluerat. Sed Saxo melius judicarat, id a singulis fieri. Ad eas literas Rex declarabat; se Saxonis, & Electoris officium admissurum, sed non Luneburgicorum, qui suis se rationibus semper opposuerint, & de quibus nil fiduciæ concipere queat; qui & in hac causa nimium in Ducem favorem apricari sint. Tum ipsa sequestrium multitudine causam intricationem reddi. Quanquam autem sibi de Galli auxilio satis cautum sit, se malle tamen Electorum fida sibi amicitia junctorum opera rem confici, quo susceptis hisce tractatibus consilia inter Suecum, & Luneburgicos agitata interrumpantur. Cæterum Elector censebat, Dano haut consultum, hanc litem incerto statu pendere ac eum sola armorum vi niti. Eoque a fidis amicis haut utiliorem isti operam navari posse, quam ut idem honestis conditionibus ancipiti hoc negotio primum extrahatur. *Et quia Danus plurimum fiduciæ in Gallo collocarat*, Elector per Spanhemium huncce monebat, ut serio Danum hortaretur, quo hic inter tractatus æquum, ac facilem se præbeat. Cujus & legatus Chivernius Hafniæ Dano moderationem commendabat, simul tamen confirmabat; se ubi opus fuerit, ac inprimis si quis in hac causa infesti quid in ipsum tentaturus sit, promissa in fœdere auxilia promte repræsentaturum. Id quod & aliis in aulis denuntiarit. Super Cæsare porro Danus declarabat; se ipsius interpositionem admissurum, si is per literas eam sibi offerat, uti ambo Electores fecerint. Et quia haut deceat, a se ipso Cæsarem de eadem offerenda moneri, petebat, ut Elector de hoc apud istum agat. Ast Luneburgicis officium suum offerentibus, ad quod SCtum Ratisponense ansam sibi præbuerit, Rex respondebat; quia Cæsaris, Saxonis, ac Brandenburgici operam in hac causa acceptarit, sibi necessarium videri tribus hisce adquiescere, quod & alii intra Germaniam & extra officium obtulerint, sed quibus eum laborem imponere noluerit. Ast si Cæsaris, & duorum Electorum opera negotium componi nequeat, cum Ducibus se ulterius consilia collaturum. Quanquam autem Elector denuo apud Danum modeste instaret, ut Duces ne rejiceret, qui Ratisponæ quoque inter sequestres nominati, ac repulsam in contumeliæ vicem accepturi sint; Danus tamen nullo modo eos ferre volebat. Cæsar porro etsi judicis partes in hac causa agere maluisset, demum tamen sequestris munere adquiescendum erat. Et cum idem per literas officium haut libenter offerre veller, Danus satis habebat, ut id sermone per Gœdenum, Cæsareum Hamburgi ministrum, aut Danico Viennæ legato offerretur. Nam ejusmodi oblatione haut facta, judicialem cognitionem suscipi visum iri. Cupiebat quoque Cæsar, ut

1686.

29. Nov.

14. Dec.

1. Jan.

1687. ut pariter cum Gottorpica lite primaria quoque Hamburgensis controversia expediretur. Sed Danus nullo modo ista conjungi volebat, partim quod Duci ob communem in Hamburgum prætensionem occasionem nollet præbere interveniendi; partim quia verebatur, ne si in una causa quid indulgeatur, in altera ut ipse quid remitteret postularetur. Ast Sueciæ Rex, apud quem Luneburgici testati fuerant, suæ securitati cautum non esse, quamdiu Gottorpiensis restitutus non sit, hos utique inter sequestres adsciscí cupiebat, quod Saxo non obscure jecisset, se restitutioni Ducis favere non posse, nisi contra proprias rationes agere velit, quod sibi par fere controversia cum Martisburgensi, qualis Dano cum Gottorpiensi intercedat. *15. Mart.* Dux quoque magnopere Luneburgicos admittendos contendebat, velut Ratisponensi SCto nominatos; & quia Danus duos Electores proposuerit, a se quoque unum & alterum optari par esse. *17. Mart.* Contra Elector Viennæ monebat, ut Cæsar tam Luneburgicos, quam Gottorpiensem avertat, ne huic postulato mordicus insistant, a quo Danus magnopere abhorreat, & cui invito sequester obtrudi nequeat. Ubi Kœnigseckius quidem opponebat: quia Saxo affinitate, Elector fœdere Dano innexus sit, sequestrium studium magis in æquilibrio fore adjunctis Luneburgicis. Sed cum reponeretur; affinitatem hucusque se haut porrigere, nec Electoris fœdus, id quod satis in Hamburgensi negotio adparuerit, ac Ducem male sibi consulturum, si eam ob causam tractatus impediat: is demum dicebat; si Dux litem amice componi velit, necessum esse, ut eo postulato desistat. *26. Mart.* Sed & Elector Duci suadebat, ne quid suscipiat, per quod ab amica tractatione ad vim abstrahatur; eoque Luneburgicorum admissioni ne insistat, ne ad eum scopulum tractatus adhærescat. Simul suadebat, ut super plena restitutione, satisfactione, & cautione ad tractatum differat, quod frequens sit initio proponi adversa fronte pugnantia, quæ post tractando ad moderata deducantur. Ac ipsum utique ad nil admittendum coactum iri. *1. April.* Veniebant mox a Cæsare ad Danum literæ, quibus officium suum offerebat, quibus & is Luneburgicorum admissionem urgebat verbis Regi parum arridentibus. *Hortamur te tanquam Ducem Holsatiæ, ut Ducum interpositionem ad insignem horum tractatuum promotionem ne recuses.* Sed & positum erat: Cæsarem ideo interpositionem suam obtulisse, quod Rex semper erga Electorem testatus sit, se eam valde desiderare; cum tamen Danus negaret, se eam unquam affectasse; ac ni in Electoris gratiam decretum fuisset, se non repugnaturum, quo minus Cæsarea Hamburgi legatio concurrat, ultro nunquam de eo se cogitaturum fuisse. Cæterum Luneburgicos plane admittere nolle, & circa quod Electori negarit, Cæsari gratificari non posse. Declarabat tamen, Cæsaris se officium acceptare; simul in Electoris gratiam in Altonam consentiebat, cum antea Itzehoam maluisset, quo Suecos ac Luneburgicos tractatu arceret. Porro non Elector solum, sed Cæsarei suadebant, ut Dux postulato circa Luneburgicos desisteret, quod etiam citra hos negotium confici queat; ac si isti existimationem suam læsam judicent, a Dano satisfieri sibi curarent, quod Dux quantum in se contenderit, qui sane nullo modo Regem ad eos probandos cogere possit; cum contra ipsius magnopere intersit, ne tractatus ad hoc vadum adhærescat. Eadem & Regis Sueciæ sententia erat, qui & Luneburgicis suadebat, ne amplius operam suam invito Dano obtrusum irent. Nec minus Elector prolixe Gottorpiensi scribebat, ne ei postulato amplius insistat. *20. April.* Ipsi quam maxime noxium fore, si eam ob causam ad arma veniatur, quod tunc Galliæ auxilia Dano in promtu sint futura. Quia etiam Cæsar omissa Commissione negotium ad simplicem interpositionem deduxerit, manifestum sane esse, Dano invito sequestrem obtrudi non posse; nec rarum esse parum gratos sequestres repudiari. Ac nunc penes Ducem stare, num omnis tot per annos opera incassum impensa sit, an minus. *10. Maji.* Ad ista Gottorpiensis: a Rege Luneburgicos ideo tantum sequestres repudiari, ut a se vel Electoris vel Ducum offensa contrahatur; quos tamen hautquidquam e re sua sit alienari. Igitur ostenderet Elector, quod amotis Ducibus sibi decedat, ac num ipse id supplere velit. Demum tamen Dux tractatuum persecutionem in Cæsaris & Electoris arbitrium conferebat, & quid circa Ducum admissionem, aut exclusionem ipsis placiturum sit. Nam se ab iis postulare non posse, ut eo negotio absistant. Ac Viennæ quidem Ducis ablegatus Greiffencrantzius sequestrium denominationem in Cæsaris placitum referebat. Id quod cum Cæsareis haut arrideret, quod hoc modo invidia ob exclusos Duces in Cæsarem devolvenda videretur; demum is declarabat, Gottorpiensem plane istorum officio renuntiare. Id quod Dux iisdem facile excusabat, quod necessitas ipsum subegerit, tractatus non diutius in suspenso relinquere, sed eorum tandem aliquando initium fieri. Ita Elector Hafniæ significabat, Ducem Luneburgicorum officio destitisse. *25. Jun.* Igitur Rex ulterius negotium promoveret, & quantum detur facilitatis adferret eidem componendo. Ad quæ Rex: se circa reliqua omnia æquis, ac moderatis conditionibus locum daturum, nisi quod de Slesvici restitutione cogitandum non sit. Si Dux huic non insistat, brevi omnia confectum iri.

Negotium paulisper ad hue tractum demum suscipitur.

§. 70. Sublata quantumvis circa Luneburgicos difficultate haut eo minus negotium Viennæ trahebatur. Quod aliqui inde provenire judicabant, quia multis e Judicio Aulico isthæc compositio velut rebus Protestantium usui cedens parum grata foret, qui maluerint Boreales Reges, & totam circa viciniam ea lite distineri. Aliis ideo properandum haut videbatur, quod satis adpareat, Danum non nisi circa extrahendum tempus satagere, cui amotis licet Luneburgicis alia diverticula defutura non sint. Qui & expresse dixerit, se nolle tractatus hoc anno succedere. Et quantopere Danis cordi foret eam ditionem retinere, indicio erat, quod Rex Cæsari X M militum obtulerat suis sumtibus alenda, quamdiu bellum Turcicum duret, tum præ-

1687. ter centum menses Romanos Ratisponæ decretos, alios insuper centum, si possessionem Slesvici præstare ipsi velit. Sed & Suecus, qui hactenus circa hujus litis compositionem fervidum studium ostenderat, jam frigide rem gerere videbatur. Et quia partium postulata toto cœlo differebant, nec dubium erat, quin Luneburgici ulciscendæ contumeliæ occasionem quæsituri sint, e dissolutis tractatibus ingentes turbæ metuebantur. Eoque Cæsarei ex istis parum proficui sperabant; quin verebantur, ne quæ per eos declinatum ibatur tempestas, acceleraretur. Unde & in præsens Elector negotium urgere paulisper omittebat, ac in Cæsaris, & Ducis judicium referebat, quid facto opus censerent. Post tamen Elector Dano scribebat, an non placeat tempus congressus circa finem proximi Octobris designare. Ad quæ is declarabat, se eo tempore ministros plenis mandatis instructos ad tractatus missurum. Cui fini ab eo destinabantur Conradus Biermann ab Ehrenschild, & Christophorus Jentsch a Breitenau, quorum moderatum ac tractabilem, hic difficilem semper ac morosum tota negotiatione gerebat, ac intinitas cavillationes movere gaudentem. Cæsaris nomine eam operam obiturus erat Haro Burchardus Freitagius Baro *a Gœdens*, frustra renitente Sueco, velut is studio in Danum inclinaret. Cui adjungebatur Christianus Ernestus Reichenbachius; quod Elector Berkam Comitem adhiberi dissuasisset, in Dania valde exosum, ac in actionibus suis non semper sibi constantem. A Saxone Albertus Dietericus Hunica veniebat. Electori Paulus Fuchsius ei officio obeundo maxime idoneus visus. Ducis causam agebant Joachimus Alefeldius, & Andreas Ulckenus Vice-Cancellarius, sed qui paulo post cœptos tractatus fato functus est magno cum Ducis dolore, qui & honorifico admodum testimonio eundem prosecutus est; domum Gottorpicam nunquam habuisse ministrum magis incorrupta fide ejus rationibus addictum. Cujus mortem & Ehrenschildius sibi dolere testabatur, tanquam viri moderati, ac pacis, & justitiæ amantis. Cæterum summa mandatorum, quæ Fuchsio dabantur, huc redibat; *Ut idonea, & si fieri possit, utrique parti probata compositionis via inveniatur, omnes inutiles disceptationes animos magis exulceratura vitentur, æqua, & rationi conveniens transactio quamprimum ineatur. Quo fine is utrasque partes serio moneret, ne ad arma rem deducant. Dano autem præcipue demonstraret; Regem, ejusque posteros nunquam de plena securitate sui status, nec de quieta Slesuici possessione certos esse posse, quamdiu isthæc lis per certa pacta non sit composita. Nam etsi Dux propriis viribus causam suam pervincere non valeat; esse tamen ei potentes amicos, qui ejus partes magno studio amplectantur, ac eo fine fœderibus se invicem innectant. Cujus & causa passim adprobetur, præsertim in Suecia, & Germania; ac ideo Regi semper validum exercitum esse habendum, sic ut e Slesvicensi ditione parum lucri capiat, ac sua insuper nullo fructu erogare cogatur, magna insuper invidia, ac suspicione, præsertim in Saxonia inferiore laborans.* Duci contra idem ingereret: *Ipsum cum familia hucusque tantum non in exilio vixisse, cujus molestiis exuendis, ac ut ad tranquillum regimen suarum ditionum iterum perveniat, merito facilem se præbere debeat. Equidem ejus causam ubique satis adplausus invenire; ex quo tamen idem hucusque exiguos fructus senserit. Ac neminem præstare posse, quin præsens rerum facies diu adhuc perstitura sit, per quam qui bene ipsi cupiant, exiguum operæ pretium facturi videantur. Ipsum Electorem in propria causa documentum cepisse, quam lubricum sit alieno auxilio niti. Nam neminem non proprias rationes præ oculis habere, nec amici commodis ulterius tangi, quam hæc istis congruere judicaverit. Ac si maxime unus, & alter demum arma pro ipso stringat, ejusdem tamen ditiones arenam belli fore, quibus atrox vastatio incubitura sit. Amicos quoque lata auxilia tanti imputaturos, ut Duci longe lucrosius futurum sit tolerabilibus legibus decidere. De cætero se gereret, ut neutri partium suspectus fiat, nec enormis studii in alterutram partem argui possit.*

13. Aug.

23. Jan. 1688.

§. 71. Initio congressus nec sequestres, nec Danici ministri ullo legationis charactere insigniebantur; mox tamen extraordinariorum ab legatorum dignationem assumebant ob alios legatos, qui tunc Hamburgi agebant. Ubi scrupulus surgebat, quomodo cum Bremero, ac Bidalio, illo Suecico, hoc Gallico ministro agendum. qui in aula Ducis Gottorpiensis extraordinariorum dignationem, sed in urbe non nisi Residentium gerebant. Circa quos Electori videbatur; si cum iis in aula Ducis concurratur, velut ablegatos, in urbe non nisi ut Residentes considerandos. Prima difficultas circa diplomata tuti itineris pro ministris Ducis surgebat, quæ Dani initio abnuerant tanquam superflua, quod cum Duce bellum sibi non sit, & cujus ministri pro lubitu per provinciam nemine infestante faciant. Electore tamen instante in hujus gratiam se ista datura declarabant. Cum post eadem Hoverbequio Hafniæ traderentur, formam fere salvi conductus, qui criminis reo securitatis causa indulgetur, habebant; quæ & merito a Ducalibus rejiciebantur. Qui vicissim hanc clausulam inseri cupiebant: *Quod si & præter spem cœpti tractatus irriti dissolvantur, tamen commoratis Ducalibus ministris deinceps eorum nomine, quæ apud tractatus, aut alias acta sint; a Rege nihil molestiæ ubicunque locorum inferetur.* Adversus quæ Ehrenschildius: istud per se manifestum esse: sed quia hæc clausula inusitata sit, Regem in eam consentire nolle, ne bonam suam fidem ipse videatur in dubium vocare. Ac agnoscebant Ducales, eam clausulam usu haut frequentatam: sed & quæ a Danis in Ducum ministros patrata sint, insolita esse, adversus quæ sibi providendum sit. Quam in rem Alefeldius inter alia proprium exemplum adducebat, cui actio perduellionis ab advocato fisci intentata fuerit, quod Principi suo fidelem operam navaret. Fuchsius tamen Ducales permovebat, ut hac clausula desisterent; ac a Danis postulabat, ut verbo in eam rem fidem ipsi darent, quam dein Ducalibus sua manu scriptam traditurus sit. Ast Dani verbo quidem non sine exsecrationibus declarabant, se nil astutiæ heic fovere, ac bona fide agere, quod id utique juris gentium sit, & etiam non expressum legatis debeatur; nil tamen actis inserendum dictare volebant. Sed nec

Tractatum ingressus.

nec Dani primam propositionem facere volebant, quod Rex tractatibus causam non præbuerit; sed cognituros, quid altera pars in medium allatura sit, præsertim cum Dux petitoris partes sustineat. Ita Ducales declarabant, se primam propositionem facturos; addebant tamen, sibi constare Danos æquivalens pro Slesvico oblaturos; quod quanquam, ut abrupte rejiciant causa sit, se tamen, ubi proponatur, ostendendæ Ducis æquanimitati id audituros. Primo Altonæ congressu Ducales non aderant, ne primo intuitu effervescente bile in molestas utrinque disceptationes erumperetur, & quia diplomata eorum nondum expedita erant. Cum procuratoria partium exhibita essent, Dani in Gottorpio desiderabant; quod Joachimus Alefeldius sibi titulum præfecti Trittoviensis, tum prædii *Beckhagen* tribuisset, cum tamen præfectura ista a Rege Duci Plœnensi oppignerata, prædium autem in Slesvicensi Ducatu situm in fiscum redactum, & a Rege nobili cubiculario Knutio donatum esset. Unde ut Alefeldius his titulis abstineret postulabant. Id quod Ducales absurdum judicabant, cum hoc ipso Dux confiscationes Danicas in Slesvicensi ditione factas adprobasset, Regemque ibi dominum agnovisset. Sed & sequestres ostendebant, per jus pignoris Ducis dominium non tolli, ac soluta sorte præfecturam pleno jure ipsius esse. Trittoviam quoque Imperio subesse, ac si Gottorpiensi nullum amplius in eam jus sit, id a dicasteriis Imperii decidendum. Nobilem autem prohibere velle, ne aviti prædii nomen gerat, inauditum esse, quod ipsi ob solum immotæ in Principem fidei crimen ademtum sit. Vbi res ad quæstionem summi præjudicii reditura sit, num Slesvicum, & ibi publicata bona ita consideranda sint, ut hac tractatione ne mentio quidem eorum facienda, deque iis agendum sit. Id enim si pertendant Dani, nil fore quod heic tractetur. Sed si super Slesuico utique agendum sit, titulos neutri partium præjudicii quid adferre. Ita Gallum tempore Neomagensis pacificationis in possessione Lotharingiæ fuisse, ac haut eo minus Duci ejus provinciæ titulum dedisse. Quin & Regem in procuratorio Duci titulum Slesuici tribuisse. Ita post multam tergiversationem Dani annitente Fuchsio demum cedebant; quibus & sequestres scripto cavebant, titulos neutri partium juris quid daturos, aut detracturos. Cæterum toto hoc tractatu præ cæteris enixo studio Fuchsius rem gerebat; sicuti & Cæsar pronuntiaverat, exiguam sibi spem esse ejus negotii amice componendi, nisi ab Electore operæ pretium fiat. Ac studii sui causam Fuchsius Danis facile adprobabat, quod Electoris magis intersit, ne res in bellum erumpat, quam vel Cæsaris, vel Saxonis tanquam remotiorum; & quia Elector, cui conservatio Dani magnopere cordi sit, jam commodissimum tempus judicet litem eam componendi, antequam bellum Turcicum finiatur, aut Suecus res domesticas digesserit. Sane Suecum ubique testari, Ducis causam suam esse, & quia huic tantum mali in sui odium inferatur, sibi per conscientiam, & existimationem ejusdem causam summo studio amplectendam. Vnde & eodem tempore ablegatus Suecicus Leionclavius fat acri libello Ducis restitutionem Hafniæ exposcebat, velut a qua conservatio Borealis pacis dependeat, & cujus evictionem ipse Duci præstare teneatur. Cui a Dano repositum: *Eam causam non e pace Roschildensi, & Hafniensi, sed e pactis Rensburgensibus, & hisce superstructa pace apud Fontem Blandi facta velut posterioribus dijudicandam. At legatos Suecicos tractatu Lundensi in Scania omnia Gottorpiensem Ducem spectantia in Galliam rejici passos, velut ubi citra participationem Sueci, & Ducis inter se, & Gallum super istis, & quidem non primaria conventione, sed separato articulo agatur. Quin & Suecos legatos, cum Lundis super fœdere inter Boreales Reges tractaretur, (id quod Danici legati in acta retulerint, quorum fidem jurejurando adstruere parati sint,) expressis verbis declarasse, Sueciæ Regem ortis inter Danum & Ducem controversiis, aut deinceps orituris sese haut ingesturum velut negotio domestico.* 1687. Sed Suecus ad ista excipiebat: *Sibi de ejusmodi declaratione Lundis sermone facta haut constare; nec acta Danica fidem sibi facere, cum ejus contrarium e suorum legatorum protocollis, ac relationibus adpareat. Nam quotiescunque Dani aliquid tractatui inserere conati sint in fraudem Gottorpiensis, Suecos id semper e formulis delevisse. Sed & pacem in Gallia factam plane pro Duce esse, cujus vi hic in omnes diciones, omniaque jura restitui debuerit.* Enimvero quanquam Mauritius Wellingius a Sueciæ Rege in mandatis haberet, non minore studio pro Duce, quam propria pro causa conniti: revera tamen in Suecia judicabant, præsens tempus huic negotio non admodum favere, nec internas Regni res adhuc in eo statu esse, ut tutum sit bellum ordiri. De quo cum Danis satis constaret, Suecorum dicta parum curabantur. Sed & ad librandam Sueci apud hos tractatus autoritatem Dani instinctu Gallus Bidaño literas fiduciarias ad Ducem dederat. Cujus rei causa ab Ehrenschildio hæc ferebatur, quod cum Dux semper ad Gallicam pacem provocet, iste partes circa eam liquido edocere possit. Sane a Duce jactari pace apud Fontem Blaudi facta tractatum Roschildensem, & Hafniensem qua Ducem spectent firmari; eoque posterius pactum Rensburgense, qua istis adversetur, aboleri. Ast Gallica pace Duci supremum imperium restitutum, per Rensburgense pactum ademtum. Hoc ipso tamen multa contineri, de quibus Roschildensi, atque Hafniensi pace mentio facta non sit; puta de contributionibus, hospitiis, copiarum transitu, defensione provinciæ, ærario, aliis. Igitur isthæc saltem per Gallicam pacem firma perstare. Alii cavillabantur; tunc demum Slesuicum restituendum, quando Gallus Lotharingiam reddiderit. Contra Elector per Spanhemium Gallo significabat; tractatus Altonæ jam incipi, rogabatque, Danum moneret, ne arcum nimium intendat, sed æquas conditiones ferat, admittatve, præsertim cum is sponsor sit pacis ad Fontem Blaudi factæ, per quam Dux in priorem statum repositus sit. Nam Dani jactaverant; si Dux Comitatus offerendos acceptare abnuat, se protinus omissis tractatibus Hafniam reversuros. Qui & sparserant, Electorem pronuntiasse, Ducem recusare non posse, quo minus Comitatus æquivalentis in vicem acceptet: id quod tamen isti in mentem non venerat. Ad

1687. quæ Croissius reponebat: gratum Regi suo fore, eam litem ad compositionem venire, quam & is Dano suaserit. Nam ubi res in bellum erumpat, ob distantiam locorum huic se commode auxilium ferre haut posse. Quanquam & ipsi vicissim parum sibi de Dani auxiliis polliceantur. Gallum tamen judicare, Dano Slesuicum abnui non posse, qui tamen pro eo Comitatus, & alia daturus sit. Sed & Dani sibi persuaserant, Angli officium apud Suecos, & Ducem multum valiturum: qui & ut Coloniensis favorem captarent, Furstenbergio de Coadjutoris dignitate gratulati fuerant. Ac declaraverat quidem Anglus, se apud Suecum officium interpositurum, ut is vim abstineat; simul Ducem hortaturum, ut æquis conditionibus locum det, nec periculosis motibus ansam præbeat. Qui idem tamen suadebat, ut Danus in hoc negotio plus facilitatis & æquitatis adhibeat, nec tantum cavillationum adhibere pergat, uti huc-usque factum sit. Nam hoc modo eum injuriæ sibi opinionem circumpositurum, ac totum orbem judicaturum, eidem haut cordi esse eam litem ex æquo componere.

Ducalium propositio. 2. Dec. §. 72. Ita Ducalium propositio exhibebatur, viginti articulis constans. *I. Ut omnium anteactorum oblivio sit. II. Ut tractatus quondam Roschildiæ, Hafniæ, ad Fontem Blaudi, ac Lundis initi fundamenti loco huic negotiationi substernantur: III. contra Rensburgense pactum plane abolitum sit. IV. Ut Slesvicensis Ducatus, & omnia ablata pleno cum jure restituantur, prout Dux istum ab anno 1660 ad annum 1675 possedit. V. Ut Rex prætensionem ob residua contributionum ad trecenta millia uncialium taxata aboleat, ac insulam Femeram eo nomine ab hypotheca liberet. VI. Nec minus præfecturas Tremsbuttelam & Steinhorstam ab hypotheca, quæ in L M uncialium Principi Georgio assignata sunt, liberet. VII. Ut Rex nondum exactas contributiones in Slesvicensi ditione & Holsatia remittat. VIII. Ut commune regimen plane aboleatur, & Prælati, atque Equester ordo inter Regem, ac Ducem æquis portionibus dividantur. IX. Ut Unio inter Daniæ Regem, ac Ducem anno 1533 facta, & anno 1623 extensa abrogetur. X. Ut Rex omnes prætensiones in Chilonium, & cognominem sinum aboleat. XI. Ut Fridericiudda plane solo æquetur, nec unquam restituatur. XII. Ne Rex deinceps circa supremum Slesvici imperium, ac superioritatem territorialem in Holsatia, ac omnia ab his promanantia jura quid præjudicii inferat. XIII. Ut Rex salvum relinquat pactum, quod Gottorpiensis Domus cum Capitulo Lubecensi die VI. Julii anno 1674 iniit. XIV. Ut moneta Gottorpiensis per Regis ditiones valeat. XV. Ut Rex in credita, debita, ac cameralia Ducis negotia sese haut ingerat. XVI. Ut Duci satisfiat ob omnia, quæ Rex præter jus e Ducis ditionibus ab anno 75 ad 80, & ab anno 82 ad hoc usque tempus exegit, quæ 10814740 uncialibus taxabantur. XVII. Ut omnes Ducis ministri in sua bona & jura cum omni causa restituantur. XVIII. Ut reliqua gravamina secundum pactum Hafniense aboleantur. XIX. Ut Cæsar, omnes Reges, Electores & Principes, quibus id placeat, hunc tractatum sponsione sua firment. XX. Ut executio tractatuum, & abductio copiarum regiarum e Slesvico, & Holsatia intra diem decimum quartum ab ratihabitione hinc inde tradita fiat.* Ubi & circa articulum IX & X Ducales verbo monebant, super abolitione communis regiminis Roschildensi & Hafniensi pace jam cautum. Regem quoque sæpius declarasse, veteribus se unionibus nolle teneri, eoque nec Ducem iis amplius stringi.

Danorum ad hæc prævia declaratio. §. 73. Ad isthæc Ducis postulata Dani in antecessum declarabant: Super Slesvici restitutione neque pura, neque conditionibus circumscripta mentionem faciendam: ac se in mandatis habere *pensationem* duntaxat, non *æquivalens* offerre. Sed sequestres Breitenavio ostendebant; hoc modo tractationem plane abrumpi, quod Dux nunquam propositionem admissurus sit, per quam juri suo in Slesvicum renuntiare videatur, antequam de idoneo æquivalente cautum sit. Istam igitur, si Dux rejiciat, alterutrum necessario consecuturum, ut vel ipsis ab hac propositione recedendum, nec super non restitutione in antecessum stipulandum sit, id quod ut causa nondum vulnerata fiat melius esse; vel ut tota negotiatio inter initia abrumpatur, id quod ipsi ex usu Daniæ haut judicent. Nam Duci nil amplius eripi posse, per quod cogi queat: & quæ is in Holsatia possideat, ab Imperio pendere, quod eidem ista satis præstiturum sit. Contra Regi semper numerosum exercitum maximis sumtibus alendum, simul prima occasione grave bellum expectandum. Sed & exceptionem illam ad modum duntaxat tractandi pertinere; cum alias circa conditiones restitutionis tot difficultates emergere possint, quæ rem ultro ad æquivalens deducturæ sint. Tum & crudum valde esse, quod ne æquivalentis quidem vocabulum tolerare velint, non addito, quidnam pensationis loco oblaturi sint. Igitur se rogare, ut hisce missis responsum ita forment, quo tractatio subsistere queat, ne orbis Christianus, qui in hunc congressum oculos defixerit, spe sua de ejus successu concepta frustretur. Ad quæ Breitenavius nil aliud, quam ita sibi in mandatis esse. Sed Ehrenschildius immotus jactare; a Rege Slesvicum nunquam restitui posse. Summam rerum in eo verti, ne anguem, a quo tam sæpe morsus sit, iterum in sinum recipiat. Eam sententiam stare; ac in cassum de restitutione verba fieri. Ducem infidelitate sua, & cum Sueco initis fœderibus per pacem Borealem, & Gallicam partis emolumentis excidisse, eoque in veterem vasallagii

gii statum revolutum. Unde Regem eidem summo jure Slesuicum ademisse, pro quo ne teruncium quidem ei solvere teneatur. E generosi tamen animi impulsu sat lautas conditiones offerre. Sane Henrico IV tam magno Regi necessum fuisse Sabaudiæ Duci Marchionatum Saluzzarum relinquere, alia terræ parte pro eo accepta. Sed reponebatur, eam permutationem utrique commodam fuisse, & utriusque consensu factam. Id tamen effecerunt sequestrium monita, ut Dani responsum suum in aulam mitterent, ac nova inde mandata peterent. Circa idem tempus Suecicus minister Hafniæ alium adhuc libellum exhibuit, quo Slesuici restitutio exigebatur. Ad quem Danus reponebat; Nolle se scripto cum Sueco certare. Mirum videri, cum ipse negotiis Sueciæ se haut misceat, quare Suecus domesticis Daniæ rebus sese ingerat. Serio se cupere omnia dissidia cum Duce per amicam compositionem abolere. Id si turbare velit Suecus, sibi expectandum esse, quid ulterius inde secuturum sit. Ast Electori Sueciæ Rex testabatur; se in hoc negotio maxime candida ipsius intentione niti, ac optare, ut causa amice componatur. Cæterum se salva conscientia, & existimatione Ducem deserere non posse, cui præcipue fœdus secum initum objiciatur; quod initio mere defensivum fuerit, sed post Duce expulso forte plura accessisse; cum fas utique miseris sit, quacunque liceat calamitate se ereptum ire. Isthanc igitur Dani duritiem, ut Elector expugnaret, Gallo demonstrari jubebat; Ducem ægre in cessionem Slesvici velut antiqui patrimonii, ac domicilii consensurum, ac in ejus vicem Comitatus sibi obtrudi passurum, qui cum Slesvico nullo modo comparari queant. Igitur ipse Danum ab eo postulato deduceret. Nam post finitum bellum Turcicum acriora remedia adhibitum iri; ac Gallo tunc necessum fore vel Danum deserere, vel contra propria promissa, pace ad Fontem Blaudi facta, agere. Ast Croissius nil amplius obligationis ex ea pace agnoscere volebat tum ob sinistre a Duce acta, tum ob fœdus, quod interim Rex cum Dano inierit, quo is huic se adstiturum promiserit, si abs quopiam hanc ob causam invadatur. Cæterum si ipse Dani minister foret, se huic suasurum, ut idem Duci restitutionem Slesvici ejusmodi conditionibus circumscriptam, in quibus securitatem suam reperire possit, vel æquivalens offerat, relicta Duci optione. Sed satis sibi constare, multos ministros Danicos, qui e spoliis Ducis lucrum capiant, Regem obfirmare. Quanquam & sint, ac inter hos Gyldenlevvium, qui eam litem amice componi optent. Alias Gallum sat proclivem esse ad amicam transactionem Dano suadendam, sed ita, ut ne hic suspicionem inde concipiat, ac ut gradatim procedatur, conditionata Slesvici restitutione oblata, inde æquivalente, ubi super conditionibus conveniri nequeat. Idem quoque testabatur, longissime a Regis sui mente, ac rationibus abesse, eo loco fomitem alere excitando incendio. Nam Daniam nimis remotam a Gallia, quam ut exigente necessitate terra marique auxilium invicem ferri queat. Agnoscebat quoque Comitatus nullo modo Slesvicensi ditioni comparari posse: ac satis fore, ut Rex Duci ex Holsatia, ubi regia pars longe potior erat, refusionem faceret. Ita jussu Galli Chivernius Hafniæ amicam compositionem Danis ingerebat, ac ut tractatus utique subsisterent. Nam si maxime unum temperamentum non succedat, secundum & tertium in medium adduci posse. Ast tractatibus semel abruptis necessario bellum secuturum, quo Danus plus damni passurus sit, quam per cavillationes lucraturum se speret. Ad quæ ministri Danici respondebant; se paratos esse omnem facilitatem adferre. Sed super Slesvici restitutione agi non posse, quod ab ea provincia securitas totius sui status dependeat; nec quenquam ipsorum Regi id suadere audere. Ast ubi sequestres de pensatione in medium adferant, ac super eadem adornanda operam navare velint, Regem omnia facturum, quæ salva ratione ab eo postulari queant, & quæ securitas sui status requirat. 1687.

§. 74. Ipsi autem Daniæ Regi Elector scribebat; *se responso per ipsius ministros Hamburgi dato valde perturbatum fuisse, quod ex eo nil certius prævideat, quam negotiationem tam diu exoptatam, in quam totus orbis Christianus oculos conjecerit, inter initia abruptum iri. Se semper præcavisse, ne prævia conditionis in vicem poneretur, Slesvicum restitutum haut iri; Nam etiam hac conditione non præsupposita Regi facere aut omittere integrum esse, quæ velit. Sed & Ducem valde protelandum, quod ne æquivalentis quidem vocabulum admittatur. Nec exprimi id, quod Rex daturus sit, sic ut quamdiu lexis ejusmodi inhæreatur tractatus non possit non abrumpi, quod Dux in ejusmodi propositionem, quæ talitam in Slesvicum renuntiationem involvat, nunquam consensurus sit, antequam de idoneo æquivalente cautum sit. Id quod orbi Christiano sat sinistre de Rege judicandi ansam præbiturum sit. At Regis maxime interesse rem componi, cum Dux nil amplius habeat, quod amittat: Regem autem serius ocyus grave bellum maneat. Igitur audiret Rex fidi amici monita, ac rem ad compositionem deduceret, omissaque protestatione de non restituendo Slesvico plausibiliores conditiones ferat. Sane bellum anceps esse, ac non Suecum solum, sed alios hostes Daniæ incubituros. Rebus quoque Protestantium maxime noxium fore, si hac occasione præcipua ejus membra vires mutuo atterant.* Elector Dano molliora suadet. 17. Dec.

Ad eas literas Rex respondit. *Quam gravibus causis ipse motus fuerit, ut Ducis præfecturas in Slesvicensi Ducatu cum suis consolidaverit, Electori satis notum esse. Eas causas adhuc subsistere, at uti Dux non solum unicus fere autor fuerit calamitatum, quæ Daniam superiore bello obruerint, sed & eundem deinceps non aliter quam irreconciliabilem hostem sibi considerandum; quo restituto non statum* 9. Jan. 1688.

 solum

1688. solum, ac posteritatem suam pari periculo ex-
ponendam, sed & existimationem suam, quæ
omnibus Principibus pari cum salute pretio a.
stimatur, ingens detrimentum capturam. Un-
de se ministris suis Altonæ nil aliud in manda-
tis dare potuisse; ac se non alia lege amicæ
tractationi locum dedisse, quam ut missa Slesvi-
ci restitutione alia æqua temperamenta in me-
dium adferrentur, idque sequentibus denunti-
asse, qui & in eam conditionem officium susce-
perint. Quod autem sui ministri in præsens
non expresserint, quid pensationis Duci dare
velit, nec vocabulo æquivalentis uti voluerint;
id factum, quia sine dubio quicquid a se pro-
ponendum fuerit, Dux instinctu Suecorum, com-
positionem omni modo impedire laborantium,
protinus rejecturus sit. Ast si conditiones a se-
questribus proficiscantur, quorum & officium
id ferat, Ducem recusare non posse, quo minus
super iis tractationem suscipiat. Vocabulum æ-
quivalentis etsi ad rem ipsam nihil faciat; Du-
cem tamen inde facile ansam accipere posse tam
enormia atque iniqua postulandi, quæ sibi non
magis quam restitutio conveniant. Sed nec spe-
rare, sequestres a se ejusmodi pensationem ex-
acturos, quæ per omnia partem Ducis in Slesvi-
censi ditione exæquet. Præsertim cum Dux me-
re gratia acceptum ferre debeat, quod cum is
sinistris suis actionibus, ac variis veterum uni-
onum, ac novissime pacis violationibus omnia,
quæ hactenus eidem obvenerunt, sibi attraxe-
rit, ac Slesvicensem portionem commiserit; si-
mul ipse per inducias, quibus ab utraque par-
te nominetenus inclusus sit, in quieta possessio-
ne Slesvicensis ditionis constituatur; haut eo
minus pensationem præstare decreverit; cum
tamen etiam majores Principes quandoque plu-
ra ob communem quietem sacrificare coacti sint,
ac ipse juxta & Elector id priore bello summo
cum suo damno senserit. Declarare igitur, se
Duci Comitatus daturum, per quos non modo
par, quod in Slesvicensi amisit, recuperet,
sed & insuper lucraturus sit. Præterquam
quod & hoc modo clausum territorium nan-
ciscatur, quod is hactenus tantopere deside-
ravit, ac in tranquillum plane statum col-
locetur. Cum itaque ipse nullatenus super
Slesvico tractare queat, æquam tamen pen-
sationem Duci dare paratus sit; spem esse,
Electorem sibi hoc in negotio fauturum. Ast
ubi Dux his conditionibus repudiatis per Sue-
corum, & aliorum malevolorum suggestiones
rem ad extrema deducat, sibi quidem expe-
ctandum, quid inde eventurum sit. Consi-
dere tamen, quia Dux ad omnia, quæ fa-
cta sunt sat causarum dederit, ac ipse nil
fecerit, nisi quod jus naturale & gentium
dictet, ac quod nemo Principum, si suo loco
positus foret, omissurus fuerit, ac insuper

Duci tam æquas conditiones obtulerit; hinc 1689.
forte orituras turbas, & quod detrimenti
Protestantium rebus inde provenire queat,
non sibi, sed ex asse adversæ parti attribu-
tum iri, eoque sibi nec Dei, nec fœderato-
rum, ac præcipue Electoris auxilium defutu-
rum adversus omnes, qui eo nomine mole-
stiam sibi facessere, & publicam per induci-
as firmatam quietem turbare ausuri sint.
Addebatur designatio redituum cameralium e
Comitatibus, qui CLM DC uncialibus taxa-
bantur; cum contra certi & incerti proventus
Ducalis partis in Slesvicensi Ducatu duntaxat
ad CXXIVM DXXXVI unciales adsurgant.
Etsi Dux contra censeret. Oldenburgicos re-
ditus quinquaginta uncialium millia non ex-
cedere; qui modico ibi præsidio alendo non
sufficiant.

§. 75. Paulo post Dani ad Ducis propositi- Danorum
onem ejusmodi declarationem scripto exhibe- ad Duci
bant, præmissa protestatione se deinceps ad pro- propositio-
lixas disceptationes scripto conceptas haut de- nem re-
scensuros. I. Ubi inter Regem, & Ducem pri- sponsum.
maria lis composita sit, anteactorum oblivio- 6. Jan.
nem ultro consequi. II. Memoratos pacis tra-
ctatus in præsenti causa fundamenti vicem sub-
ire non posse, quod status rerum ex eo tempore
mutatus sit, aut deinceps alia pacta intervene-
rint; Dux quoque per manifestas contraventi-
ones fructu eorum sese privarit. III. Mirum,
a Duce pactum Rensburgense excludi, non mi-
nus quam reliqua omnia solennissime perfectum,
atque ratihabitum. Sed quia post Slesuici reu-
nionem res aliam plane faciem induerit, super-
vacum esse, super ejus validitate disceptationem
suscipere: præsertim cum Dux per apertas vio-
lationes eorum articulorum, qui pace Gallica in
ejus gratiam convenerunt, omnium inde proma-
nantium beneficiorum jacturam fecerit; sic ut
cum eo agi fas fuerit eo modo, quem omnia ju-
ra in pari casu suggerunt. IV. Quid Regem
permoverit ad Ducem parte Slesuicensis ditio-
nis privandum, eamque sibi adplicandam, orbi
per adductas gravissimas rationes dudum esse
cognitum; simul sermone, ac scriptis demon-
stratum; quare Rex in ejus restitutionem nullo
modo consentire queat. Igitur si Duci cordi sit
litem amice cum Rege componere, ac amicitiam
instaurare, necessum esse eundem adquiescere
eo, quod Rex alibi ex æquo ipsi dare decreve-
rit. Femeram solenni pacto interventu Galli diu
ante reunionem reliqui Slesvici Regi oppignera-
tam, inde Georgio Principi in solutum cessam,
sic ut in eam Duci nil actionis supersit. Got-
tesgaðam in Arroa insula non esse prædium no-
bile, sed antiquum feudum Slesuicensis Ducatus,
quod non ad portionem quondam Gottorpien-
sem, sed ad tertium agnatum spectarit, ac ob
neglectum debitum feudale in fiscum sit reda-
ctum. In insulam Heiligenland Duci nil ju-
ris

ris competere, priusquam ea quæstio ad liquidum sit perducta: num ea sub veterem hæreditatis divisionem venerit, an vero, (id quod Rex demonstret,) a Gottorpiensi tanquam pars Ducatus Slesuicensis clandestino modo detenta sit. Sic ut ea ad præsentem tractatum haut spectet. Trittoviam a Duce Regi in hypothecam assignatam cum permissione ejus possessionem propria autoritate capessendi; eoque non opus esse ea re sequestres fatigare. V & VI. Quia ista prætensiones e transactione maturo consilio facta promanarunt, ac Rex easdem in Georgium fratrem transtulerit, adeoque non amplius in potestate sua habeat; frustra heic earum mentionem fieri. VII. De contributionibus Slesuicensibus frustra moveri. Holsatiam pariter cum aliis Regis ditionibus debitum subsidium ad tutelam sui conferre teneri. Unde etsi Rex e clementia horum tributorum exsecutione, ad quam ex abundanti per pactum quoque Rensburgense ipsi jus sit, supersederi jusserit; de jure tamen suo nil condonare, & competentia sibi omnia reservare. VIII. & IX. Super Slesuicensi regimine Regem ultro dispositurum, prout ex usu provinciæ fuerit. Sed circa formam regiminis in Holsatia Duci veteribus unionibus hæreditariis, recepto usui, ac recentibus pactis adquiescendum. Ac eo minore jure a Duce abolitionem veterum unionum affectari, quod earum intuitu Christianus III fratres suos certo modo ad divisionem admisit. Unde istis abrogatis aut neglectis superstructam quondam iisdem fraternam divisionem corruere necessum esse, Ducis linea ab omni earum fructu deinceps exclusa. X. Id negotium e privata lite inter nobilem quempiam, & oppidum Chilonium oriri, ac per ordinariam juris viam decidi posse, modo oppidum non plus sibi arroget, quam cum Regis jure in sinum Chilonicum consistere possit. XI. Eum locum in Slesuicensi Ducatu situm, circa quem Regi leges præscribi nequeant; eumque non jure solum, sed & cum consensu Ducis, & ad tutelam ejusdem ditionis extructum. Quod per eundem Gottorpiensi provinciæ damnum datum sit, id ignorari, ac si quid factum sit, æquam emendationem non defore. XII. Circa Slesuicum sæpius dictis inhæreri. Sed quod in Holsatia vi veterum unionum, constitutionum provincialium, & novissimorum pactorum regalium ac jurium competit, id Regem, salvo tamen proprio jure, conservare potius, quam imminuere velle. XIII. Pacta Gottorpiensis domus cum Capitulo Lubecensi esse rem inter alios actam, quæ Regis, ejusque lineæ juri nil derogare possint; præsertim cum ipse Cæsar aliquot decretis ista pacta invalida declararit. Sed & isthoc negotium cum præsenti tractatu nil habere connexionis. XIV. Circa monetam in Slesvicensi ditione non esse, quod Ducem ulla solicitudo exerceat. Intuitu Holsatiæ Ducis postulatum esse iniquum. Quia enim Duci minera argenti non sint, eoque argentum caro emendum, fieri non posse, ut grandioris sortis nummi intrinsecam regiorum bonitatem æquent. Unde necessum esse, ut grandiorum nummorum intrinsecum pretium imminuatur, aut ingens vis minoris formæ nummorum cudatur magno cum onere regiorum subditorum & commercii. Denique emolumentum, quod e moneta Princeps in suo territorio sperare possit, quem sibi potius retinere, nec alios in ejus partem admittere teneri. XV. Si Dux circa debita & credita civibus regiis, & quorum causam alias Regi suscipere fas est, & æquum præstet, ipsi nil plane ab hoc eo nomine metuendum. XVI. Hasce prætensiones a Rege hautquidquam agnosci. Quæ usque ad annum 1679 exactæ sint pecuniæ, earum nomine actionem per pacem Gallicam eo anno factam abolitam. Ad sequentes exactiones Regi gravissimas causas fuisse. Summas quoque ultra modum taxatas. Ast vicissim id quoque considerandum, a Rege ab annis aliquam multis sustentandæ Ducis conjugi insignes summas expensas; simul avertendis per præsentia dissidia excitatis periculis in arma terra marique paranda multos milliones ab eodem fuisse erogandos. XVII. Ubi primaria lis fuerit composita, circa hoc facile transigendum. XVIII. Summa rerum adornata, circa minores querelas parum difficultatis fore. XIX. Ubi sequestrium opera transactio obtineatur, super modo cautionis facile conventum iri. XX. De hisce superfluum esse monere, quo hic articulus ab eventu primarii negotii dependeat. Addebatur, quia Rex juxta articulum quartum Duci ex æquo alibi quid conferre decreverit, sequestribus hisce significari, Regem per Comitatus id effecturum; qua super re, ubi opus fuerit, pluribus mentem suam sit expositurus.

§. 76. Circa hoc responsum observabatur, Danos clausulam, se super Slesvici restitutione verba fieri haut passuros, Fuchsio potissimum connitente, omisisse, quo adhuc locus tractationi foret. Haut eo minus Ducales declarare non poterant, se super æquivalente acturos. Alias enim Dani id arrepturi fuerant velut Slesvico cederent, quo facto sibimet viam ad ejusdem restitutionem petendam clausuri fuerant. Quia igitur Danus ad restitutionem descensurus non videbatur, nisi metu majoris mali compulsus ac ante omnia, ne in bellum erumperetur, declinandum erat, sequestribus placebat, post Ducis responsum super æquivalente proponere. Nam si utraque pars extremis inhæreret, tractationi locus non erat. Sed ubi æquivalens in medium proponatur, Regi facilius persuaderi posse, ut meliores conditiones offerat. Cæterum quia Elector observabat, Danos inter alia *Circa hoc responsum considerationes.*

1681. jactare, possessionem suam in Slesvicensi provincia arreptam per inducias firmatam, qua saltem per viginti annos quiete frui possint; in Gallia demonstrari curabat; inducias nullo modo ad Gottorpiam causam porrigi posse, eoque per eas Dano nullum possidendi jus quæsitum. Eas enim inter Imperium duntaxat, & Gallum initas, in cujus partem Rex Daniæ, ut talis, haut veniat, qui non ulterius, quam alii Germaniæ Ordines iisdem comprehendatur. Eoque per istas Ducis tanquam paris hactenus cum Rege conditionis querelas non magis inhiberi, aut tolli posse, quam sibi aut aliis suæ actiones contra alia Imperii membra per easdem adimantur. Nec de aliis rebus per inducias disponi, quam de locis a Gallo reunionum prætexto Germaniæ subtractis; ad quæ cum Slesvicum non pertineat, nullo modo super hoc tanquam re aliena inter Imperium & Gallum conveniri potuisse. Inducias porro Westphalicæ paci superstructas, quibuscum nullo modo congruat, Ducem avita ditione expelli. Et quod maximum est, si induciæ heic valere debeant, Ducem in ditionem suam reponendum; quod iis cautum sit, ut possessio in futurum ad Kalendas Augusti anno 1681 exigatur, cum Dux longe post ejectus sit. Sed & a Gallis, cum in hoc negotio Ratisponæ pro Duce decerneretur, nil fuisse obmotum; quod sine dubio factum fuisset, si ea causa ad inducias spectaret, ac ibi ad vicennale tempus decisa esset. Igitur petebat, ut Gallus Dano persuaderet, ne hic a fundamento tam ruinoso pertinaciam ob-
8. Jan. firmaret. Quanquam etiam Electoris literæ apud Danum parum ponderis habuerant; haut eo secius is Hoverbequio injungebat, ut apud Regem instare pergeret, ne longius a veris suis rationibus aberraret, ac se, domumque suam regiam malo involveret, quod suo judicio declinari nequeat, si tam ducis postulatis inhæreatur. Ac præcipue mirum sibi visum, Regem ab hominibus proprio lucro inhiantibus, aut rerum ignaris persuaderi sibi passum, quasi Ratisponenses possessionem Slesvici ipsi firment. Ne sibi falsis ejusmodi opinionibus blandiretur, sed solidis niteretur. Alias ad extremum male habiturum. Vicissim & apud Suecum Elector enixam operam navabat, ut bellum declinaretur, & amici tractatus alerentur. Qui & declarabat; exitum se hujus negotiationis expectaturum, modo ne longe nimis extrahatur. Ast Ehrenschildius querebatur, Regem ab Electore acrius, quam Ducem urgeri Cui Fuchsius reponebat: Electorem cum Rege ad legem solidæ, atque infucatæ amicitiæ agere, ac hujus rationes non minus quam proprias cordi habere; quod perspiciat, gravissima mala ex hoc negotio enasci posse. Ac ideo eum loqui tanquam amicum, qui mala amico impendentia averti optet. Sed nec apud Ducem monitis instari posse, qui sua jure repetat, quam-
9. Jan. diu nil idonei ejus loco offeratur. Ast Ulckenius Fuchsio significabat: Ducem quidem Slesvici restitutioni institurum; id quod & Sueciæ Rex velit, pacem Borealem integram servare cupidus. Super æquivalente tamen audire non recusaturum, ne in limite tractatus abrumpantur. 1681. Porro circa æquivalens Comitatus Duci nullo modo arridere. Quæ Rex in Holsatia possideat, Slesvicum haut æquare, si maxime Pinnebergicus Comitatus accedat, quo tamen Rex carere nolit, quod ex eo prætensio in Hamburgum promanet. Qui nec tractu ad Albim, ubi Glucstadium, Crempa, & palustris regio sit, nec Itzehoa, ob claustra viarum cessurus sit. Ita in Holsatia nil superesse præter Segebergam, & alia quædam loca exigui pretii, quæ ne decimam Slesuici partem æquent. Ad extremum tamen Ducem Regi Tonderam relinquere posse cum duabus aliis præfecturis Apenrada, & Lugunensi Cœnobio, si gratum æquivalens in Holsatia recipiat. Ast præfecturis Gottorpiensi, Schwabstediensi, Husumensi, Slesuicensi, & tractu ad Eidoram Ducem nunquam cessurum. Ita res eo videbatur deduci posse, ut Dux partem suam Slesuici cum Rege divideret. Enimvero quo minus Danus quid remitteret, fiducia in Gallo reposita obstabat. Nam Croissius disserebat; a suo Rege quidem transactionem optari, sed quam Dux enormibus postulatis impediat, circa quæ per Cæsarem, & Suecum obfirmetur, qui modicam patientiam suadeant, quoad tempora ipsi magis fautura sint, *nimirum quoad pax cum Turcis coaluerit, quæ non longe absit*; ubi in proclivi fore Danum in ordinem redigere. Interim Duci graviora passo unius & alterius anni molestiam adhuc devorandam. Ast Gallo non posse mirum videri, si Danus leges sibi præscribi, aut super ejusmodi conditionibus tractare nolit; cui & molestum sit a sequestribus suam causam palam damnari. Enimvero a Gallo fœderatum deseri non posse, nec rebus sic stantibus urgeri, ut faciliorem se præbeat. Ad extremum tamen idem judicabat, rationis esse, ut Danus in restitutionem certis conditionibus circumscriptam consentiat, per quas suæ securitati cavere possit, ac æquivalens e Comitatibus simul & Holsatia offerat.

§. 77. Id porro Danorum responsum sequestres Ducalibus exhibebant una cum scripto, quod Dani adjunxerant, quo ex omnibus unionibus demonstratum ibant, fœdera ab aliquo tempore a Duce cum Sueco inita istis adversa fronte repugnare. Eo perlecto Ducales plane se consternatos ostendebant, ac spem æquæ transactionis pro deplorata habebant Id quod & omnes extra studia partium positi judicabant. cum pro tam nobili ditione ne integri quidem Comitatus oblati forent. Sed reponebat Ehrenschildius; non potuisse aliter quam per gradus procedi; ac Ducis quoque postulata non minus dura fuisse. Regem de Slesvicensi provincia ne rusticum quidem prædium redditurum, si maxime omnia sursum deorsum sint vertenda. Cum reunio Slesvici fieret, Regem in consilio pronuntiasse, eam in perpetuum fieri, ac totum suum statum in ea verti, ac nolle se, utut quis Consiliariorum unquam de restituendo Duce mentionem faciat. Nec quapiam Holsatiæ parte Regem carere posse; ac si per Comitatus res confici nequeat, satius esse extre-

Super Danorum responsi disputatio. *13. Jan.*

ma

1688. ma parare, quam Slesvici restitutionem cogitare. Contra Dux a Comitatibus magnopere abhorrebat, per duo magna flumina, & interjecta aliena territoria Holsatia divisis; quem & omnes vicini, Sueci, Luneburgici, Hanseatici, Cæsar obfirmabant; quod quamdiu Rex totum Slesvicum retineat, Germania, & cumprimis Interior Saxonia nunquam ab invasione tuta futura sit, ut superioribus annis satis adparuit. Elector igitur partium sententiis perspecta haut luculentius sese specimen sinceræ amicitiæ edere posse judicabat, quam si Regi genuina animi sui sensa citra fucum exponeret, ac ne præsens tempus ipsi favens negligeret, quod non constet, quousque id duraturum sit, & quam
15. Jan. facile scena Europæ mutari possit. Itaque denuo graves literas ad eum dabat hoc argumento. *Se quidem quævis incrementa Regi optare. Sed valde dubitare, Ducem ditione Slesuicensi a se & majoribus seculum amplius possessa etiam æquivalente dato unquam, nedum in ipso limine tractatus cessurum. Unde alias utique compositionis conditiones in medium adferendas. Regi securitatem status sui cordi esse, a nemine improbari posse. Ast huic alia quoque ratione prospici posse, si maxime Dux ipsi vicinus maneat, uti a seculo abhinc fuit. Unde non posse non pro officio infucati amici Regi denuntiare; cum præsenti statu continuato securitatem haut reperturum; quin varias, easque periculosas mutationes, casusque tam regiæ suæ familiæ, quam orbi Christiano imminentes ipsi metuendos esse. Nam quod Rex arbitretur, se per inducias inter Imperium, & Galliam initas in quieta Slesuici possessione confirmatum, id inane esse; quod illæ duntaxat circa loca Germaniæ a Gallo reunita disponant, nec iis quidquam, nisi regiones ad Imperium, & Hispanum spectantes inclusa sint. Daniæ autem, & Slesuici ne verbo quidem mentionem fieri, ac ipsum Danum Slesuicum Imperii provinciam negare. Quin & eas ipsas inducias Dano adversari, quod in iis Kalendæ Augusti anni 1681 terminus constituantur, ex quo omnia citra mutationem relinquenda sint, prout tunc fuerint. Atqui eo tempore Ducem quieta possessione Slesuici gavisum. Equidem si Dux oblatum æquivalens acceptare velit, causam brevi absolvi posse. Sed Ducem in id consensurum sibi haut persuaderi. Igitur se rogare, ne Rex extremis insistat, utque Duci æquiorem se præbeat. Sane partis adversæ magnas vires esse. In Gallo fiduciam haut collocandam longe remoto, & cui multa alia respicienda sint; qui & testetur, sibi haut gratum fore rem ad bellum deduci, sed ut ea potius amice componatur. Nec ideo se a Rege studii in Ducem argui posse. Nam a se tuta, solida ac duratura suaderi. Nec minus Duci a se moderata ingeri. Sed quia hic præter sua nil repetat, nec idoneum æquivalens offeratur, non sibi constare, quo prætexto hic ulterius urgeri queat.* Et quia Rex palmariam causam abnegatæ restitutionis securitatem sui status allegabat, Elector ipsi demonstrari jubebat; si Rex ita pure restitutionem abnuat, certo summum in periculum præcipitaturum. Contra si ex æquo transigat, longe facilius eam securitatem obtentum iri. Ac ubi Dux semel ad gratam transactionem, & quietem pervenerit, memoriam exhaustarum calamitatum efficacissimæ rationis instar habituram, ut deinceps haut suspecta Daniæ consilia sequatur. Quia 1688.
porro Gallus judicabat, Danum ab Electore justo acrius urgeri, de quo & iste questus fuerat, ac potius Ducem serio hortandum ad oblatas conditiones acceptandas, Danoque de auxilio suo confirmandum, prout ipse fecerit: Elector, ne videretur nimium in Ducis partes propendere, hunc itidem ad æquam transactionem admittendam per literas incitabat. Rationes adducebantur, quod facta permutatione Dux prævalido vicino, & communione perpetuis litigiis materiam præbenti liberetur, cum contra ubi in priorem statum repositus fuerit, molestiæ, quas nunc sentiat, semper metuendæ sint. Sed & bellum utique secuturum, quamdiu utraque pars extremis insistat, cujus eventus semper dubius sit: & hoc licet arridente Ducem vastatam provinciam recuperaturum. Et cum is propriis civibus restitutionem suam comparare nequeat, cogitandum, qua conditione agant, quibus alieno auxilio nitendum est. Ad quæ Dux abrupte declarabat; nunquam se tota Slesvicensi ditione cessurum, nec avitum patrimonium posteris suis subtrahi passurum, quæcunque demum sibi perferenda sint. Et quomodo Comitatus acceptare possit, quos viginti milliaria alieni territorii, & duo ingentes fluvii ab Holsatia separent. Ita facile adparebat, spem amicæ compositionis non esse, nisi revolutio aliqua rerum in Europa intervenerit.

§. 78. Ad Danorum responsum, qua opus videbatur Ducales reponebant. *II. Adductos pacis tractatus, utique velut fundamentum præsenti negotiationi substernendos; nec statum rerum ex eo tempore usque adeo mutatum, ut ideo tam solennia pacta servanda non sint. Ac mirum rem fore, si potentior statum rerum proprio ausu mutare, eoque fœdo publica perfectas pacis tractatus subvertere instituat. Juri haut congruum, per pacta deinceps intervenientia pacificationibus derogari posse. Non agnosci a Duce quid contra leges pacis actum; nisi forte id contraventionis loco habeatur, quod Dux apud Cæsarem tanquam pacis sponsorem, ac Circulum Inferioris Saxoniæ conservationem jure sibi competentium quæsierit. Fœdera cum Sueco veteribus unionibus non repugnare, cum hæc unice conservationem Borealis pacis, ac in Ducis commodum ibi conventorum spectent, & expressis verbis omnem amicitiam cum Dano reservent. Qualia fœdera inire, utique Principi supremo imperio gaudenti jus sit. Nil quoque a Duce contra pacem apud Fontem Blaudi factam admissum; quam ille violarit, qui alterum sua ditione vi ejecit, eamque in hunc usque diem detinet. III. Pactum Rensburgense huic tractationi velut fundamentum substerni non posse, quod perspicuis verbis pace Gallica abolitum sit; ubi exprimatur, ne ulli tractatus paci Roschildensi, Hafniensi & Westphalicæ fraudi sint; ac ubi ea tantum pacta confirmata sint, quæ tempore facta pacis Roschildensis & Hafniensis extiterint, nullo respectu ad Rensburgense pactum, cujus & validitatem circa id consarcinandum adhibita solennitates parum commendent. Reunioni quoque Ducatus Slesvicensis, velut vocabulo & negotio in his oris inusitato contradici, cui & nullus effectus juris tribuatur. Nec de jure aliquo constare, ex quo Regi*

Ducalium replica. 27. Jan.

sui

1688. *fas supremum Principem, & Imperii Romani Statum tali modo juribus ac ditionibus suis exuere. Ac si maxime ponamus, Rensburgense pactum validum esse; Regem tamen eodem excidisse, post isthoc initum Tœnninga destructa. IV. Ducem restitutioni Slesvici inhærere, in quod Rex juris nil allegare queat, nisi quod ea ditio opportunitate situs ipsi valde blandiatur. Nec breviorem viam esse componendæ controversiæ, quam ablata restituere. Femeram equidem interventu Galli Dano hypothecæ loco assignatam. Sed quia id debitum e contributionibus superioris belli pace Gallica haut firmatis promanarint, anno 1680. conventum, ut trecenta uncialium millia, in quæ Dux consenserit, per proximum sexennium æquis portionibus e parte tributorum Duci competente solverentur. Sed quia biennio post Rex contra omnia pacta, nullo more media pace in singula aratra per Ducis ditionem quinquagenos quaternos unciales imperarit, quæ summa ultra trecenta quinque uncialium millia exsurgat, easque exactiones in annos continuet, ac demum Slesvicum plane abripuerit: ideo Ducem Georgio Principi scripsisse, ne eam summam sibi delegari patiatur, quod Rex extorsionibus suis jam plus satis solutionem sibi fecerit, nec a se amplius Regis actio agnoscatur. Circa prædium Gottesgabam Ducis jus multis deducebatur. E Trittoviensi præfectura plus redituum perceptum, quam quanti eidem inhærens debitum sit. Gemina ad articulum V, & VI respondebantur. VII. Ei postulato inhæreri, ac Ducem ipsum suæ provinciæ tutelam suscepturum, ad quod ab antiquis temporibus jus ipsi competat. Rensburgensi pacto nullum valorem. Nec a Duce Regis aliquod jus heic agnosci. VIII. & IX. Fundamentum abolitarum veterum unionum pace Hafniensi contineri. Nec Ducem iis obstrictum se judicare posse, quod istæ non solum ad sui oppressionem contra diserta earum verba extendantur, sed & quia Dux, quando easdem pro se allegare voluit, non aliud responsum a Rege retulit, quam istas nunquam in usum deductas. Sed & uniones, ubi communio regiminis aboleatur, ultro corruere. A Christiano III. intuitu & fundamento unionum fratres Joannem, & Adolfum ad divisionem provinciæ certo modo admissos, ei asserto contradici, quod in ea hæreditatis divisione unionum mentio non fiat. Et vero Domum Gottorpiensem ditiones suas non beneficio Christiani III, sed e vero ac legitimo jure hæreditario obtinere, quod hautquidquam e fœdere unionis promanet; sed jam inter Regem Joannem, & Fridericum Ducem anno 1490. divisionem hæreditatis factam, quo tempore unio hæreditaria incognita erat. Demum post quadraginta tres annos primum unionis fœdus initum, ac biennio post, nempe anno 1544. divisionem cum Christiano III susceptam, nulla tunc confirmatione unionis anno 1535. initæ facta. Recentibus pactis contradici. X. Chiloniense negotium utique per ordinariam juris viam debuisse expediri, nec Regi fas fuisse citra cognitionem causæ abrepta nave Chiloniensi ab executione initium facere. Prætenso Regis juri regali in sinum Chiloniensem contradici. XI. Eam ipsam ob causam, quia Friderixudda in Slesvicensi saltem communi territorio, si non in peculiari Ducis, & oppidi Chiloniensis fundo sita est, Ducem fuisse permotum ad ejus munitionis destructionem postulandam; & quia præstita non fuerunt, quæ Duci Recessu Glucstadiensi anno 1667, ac Chilonio, dum ea munitio extruitur, promissa sunt. Ducem tamen in gratiam Regis tolerare posse, ut is locus in præsenti statu permaneat, modo privilegiis Chiloniensium, & aliorum detrimentum non inferatur. XIV. Nil postulari, nisi quod per aliquot secula in usu fuerit. Nec ideo, quia Duci argenti mineræ non sunt, eum jure cudendæ monetæ non gaudere. Id enim in alios quoque Electores, & Principes cadere. Et eodem jure Ducem Regis quoque monetam in sua ditione prohibere posse, ex quo tamen summa confusio oritura sit, utrisque ditionibus mutuo innexis. XV. Ducem sese debitis Regis haut ingerere; ideo nec Regem Ducis se debitis miscere par esse. XVI. Regem Ducis reditus nec jure belli, nec ullo alio probabili titulo exegisse. Nec Duci constare, prætensionem usque ad annum 1679. pace Gallica abolitam. Ac si maxime ponantur, eas abolitas; id tamen ex eodem fundamento, quod Regii ex apertissimis contraventionibus articulo II adduxerant, Duci præjudicare non posse. Calculum haut falso subductum. Id tamen ducem detrahi sibi passurum, quod liquido demonstrari non possit, nec minus, quod in Ducis conjugem, Regis sororem, erogatum sit. Etsi Dux maluerit ipse eam sustentare, si sui reditus sibi relicti forent. Quod Rex tot milliones armis terra, marique impenderit ob provinciæ periculum, sibi imputaret; ac Duci optandum fuisse, Regem iis sumtibus supersedisse, modo sua sibi fuissent relicta.* Circa reliqua prioribus insistebatur. Ad extremum declarabat Dux, multas ob causas se nec integros Comitatus, nec eorum partem pro tota ditione Slesvicensi aut ejus parte acceptare posse. Non nisi sua se repetere. Ne infimæ quidem sortis hominem cogi posse, ut fundum suum alterius fundo invitus permutet. Ducem facile tolerare posse, Comitatuum reditus longe altius adsurgere, quam Slesvici. Nil eum lucrari cupere: suis contentum acturum.

§. 79. Interjecto aliquo tempore Dani ad ist- Demum

hoc

1688. duplica. 8. Mart. hoc scriptum reponebant. *II. Rensburgensi pacto vim constare etiam post pacem Gallicam in omnibus, quæ hac non expresse mutentur; eoque id circa Holsatiam fundamenti loco substernendum. Sed ad Slesuicensem ditionem non amplius adplicari posse, quod Ducalis pars eam ipsam ob causam consolidata sit, quia Dux idem in articulis paci Hafniensi non adversis, & per Gallicam pacem haut mutatis haut impleverit, sed idem notorie violaverit; cujus exemplum sint fœdera contra uniones familiæ cum exteris inita. Potuisse demum Ducem apud Cæsarem, & pacis sponsores auxilium expetere, si injuria ipsi illata foret. Sed nunc eum Regi injuriam fecisse, cui pervincendæ aliorum Principum auxilia excitet. Interpretationem fœderum a Duce anno 1661, & 1674. factorum expressis eorum verbis repugnare; e quibus adpareat, Duci destinatum fuisse, primum exorto bello junctis viribus Daniæ ruinam promovere, quod regia familia succumbente hujus partem in Slesuicensi Ducatu, si non amplius captaverit. Frustra Ducem excipere, sese eo fœdere omnem sibi amicitiam cum Daniæ Rege reservasse. Nam in contextu fœderis verba* omnis amicitiæ *non reperiri, sed tantum de* correspondentia vicinali *tangi: scilicet ut durante adhuc pace, & quoad occasio destinata expromendi venerit, istam quantum Ducis incolumitas requirat, alere integrum sit. Igitur istis verbis nil subesse, nisi reservationem propriæ utilitatis tempore pacis, pravis contra Daniam destinatis tantisper occultatis. Dignationem supremi, aut Romani Imperii Principis ad talia molienda autoritatem dare non posse, præsertim cum ista non obstante Dux veteribus unionibus obstrictus manserit. Falso quoque dici, Ducem post Gallicam pacem nullum fœdus iniisse. Nam literis ad fratrem Episcopum Lubecensem eum fassum; decretum sibi esse fœdera anno 1661, & 1674 cum Sueco continuare. Sane nec Suecum, si ejusmodi fœdus non extet, ita fervide Ducis causam haut acturum. Denique in aprico esse, quantopere Dux ab anno 1681. in Conventibus Imperii, & Circuli, ac in plerisque Europæ aulis connixus sit circa bellum Regi attrahendum ideo tantum, quod hic contributiones ad defensionem provinciæ, cui destinatæ sunt, impendere voluerit. Qua rerum conditione haut debuisse Regem qui intentabatur ictum excipere, sed per jus naturale, & gentium fas ipsi fuisse imminens periculum per idonea remedia prævertere, ac consolidatione Slesuicensis ditionis sui securitati cavere. Si quid molestiæ Dux eo ipso perceperit, sibi imputaret. III. Rensburgense pactum per contrariam conventionem non abolitum; quin potius Ducem eandem ex post facto re, & verbis, idque iteratis vicibus denovo ratihabuisse, atque confirmasse. Ejusmodi quoque abolitionem in pace Gallica non reperiri, ubi quidem sequentia verba extent:* Dux Slesuici Holsatiæ restituatur in suas provincias in eo quo nunc statu inveniuntur, uti & in souverænitatem, quæ ipsi vigore tractatuum Roschildensis, & Hafniensis competit, ita ut quicquid postmodum actum, quive tractatus initi fuerint, nullum illis (dictis duobus tractatibus!) afferant præjudicium. *Enimvero ex hisce ad oculum patere, Rensburgensi pacto non ulterius, quam circa restitutionem terrarum Ducalium & supremum imperium, citra quæ duo istud cum hisce tractatibus pacis consistere non potuit, derogatum fuisse: in reliquis id pleno vigori relictum. Sane si Rensburgense pactum per pacem Gallicam abolitum fuisset, id eidem conceptis verbis, uti Dux Neomagi postularit, inserendum fuisse, extraditione quoque instrumenti sine dubio in stipulationem deducta. Quod cum factum non sit, & Rex pacti autographum adhuc manibus teneat, id validissimum indicium contra Ducis erroneam sententiam præbere. Quem enim ita simplicem esse, ubi a cujuspiam pacti vinculo absolvatur, ut vel manum suam non repetat, aut aboleat, aut saltem cautionem exposcat, eam deinceps nullius valoris fore? Nec obstare, quod in Gallica pace pacta, & uniones hæreditariæ, quæ tempore pacis Hafniensis & Roschildensis inter Regiam & Ducalem domum fuerunt, confirmentur, contra de Rensburgensi conventione expressa mentio non fiat. Unius enim pacti certo in articulo majoris cautelæ ergo factam renovationem aliorum pactorum validitatem in aliis separatis causis non infringere. Ubi enim quid ad majorem securitatem fiat, uno incluso alterum non statim exclusum intelligi. Idem & inter alia adparere e mandato Ducis ablegato in Sueciam anno 1679. die 26 Septembris dato; ubi iste valde queritur, se per pacem Gallicam ne dimidiam quidem partem eorum, quæ quæsierit, obtinuisse, sed cum Dano in pristinis controversiis hærere; scilicet quod probe nosset, Rensburgense pactum haut penitus sublatum, ac articulos pace ista non expressos plenam vim retinuisse. Quod solennia circa id pactum ineundum aculeatis verbis perstringantur; sane haut constare, quæ solennia requirantur, ubi cum hoste, hostisque socio agatur, in quos utique omnia liceant. Quo in statu Dux tunc fuerit, declarato Imperii hosti offensivo ac defensivo fœdere innexus, armisque instructus, & qui crebras per minas, variaque indicia satis indicarit, quid destinatorum animo foveret, non aliud nisi occasionem erumpendi captans. Cum igitur Rex urgeretur in usum Romani Imperii suis tunc fœderatis auxilio venire, & extra Holsatiam cum exercitu rem gerere; nimirum ei haut consultum fuisse eductis extra regnum viribus tantum non publice declaratum hostem retro tam opportunis locis inhærentem relinquere. Quæ cautela Regi eo magis observanda fuerit, quod illi talia tunc vehementer sua-* 1688.

1688. *suaderent, qui forte post, cum Neomagensis pax omnium fere Principum rationes mutaret, id oblivioni dedisse videantur, ac nunc diversa omnia præ se ferunt. Quæri itidem posse, quænam solennia circa eum tractatum fuerint adhibita, qui Regi Friderico anno 1658 in favorem Ducis Gottorpiensis inaudito a vasallis exemplo per apertam vim hostilem nulla præbita offensa extortus fuit. Titulum Suverainitatis aliquando, idque proprie notare Principem absoluta, & incircumscripta potestate præditum; aliquando minus proprie Principem omnia superioritatis jura obtinentem, utut vasallagii nomine ab alio dependeat. Aliquando id vocabuli per abusum ei tribui, qui nomine duntaxat vasallagii superiorem non habet, ac a feudali obligatione liber agit, licet in reliquis secundum pacta conventa, & receptum usum limitata duntaxat imperandi potestate gaudeat. Ac in postremo hoc sensu vocabulum suveranitatis in casu præsenti anno 1658. fuisse adhibitum. Nam regium diploma super ista traditum, ac insecutum multorum annorum usum testari, Ducem sub titulo suveranitatis hautquidquam plus jurium adquisivisse, quam quod a pristino nexu & oneri vasallagii liberatus fuerit. Nam circa reliqua jura regiminis, successionis, unionis, communionis, & alia eum notorie in pristino statu permansisse cum in diplomate regio isthæc jura confirmentur. Pari modo rem sese habere circa dignationem Principis Imperii. Posse aliquem hac gaudere, & tamen circa jura regiminis multis partibus circumscriptam potestatem habere per pacta, usumque receptum cum agnatis, aut vicinis, aut ipsis subditis. Eoque Ducem posse Principem esse Imperii, etsi vi unionum hæreditariarum, & communionis fœdera scorsim cum exteris inire nequeat. Vocabulum reunionis in hisce oris non ita insolens esse, cum jam superioribus seculis de reunione Ducatus Slesvicensis cum Regno Sueciæ actum fuerit. Si Princeps id, quod majoribus suis vel injuria subtractum, vel alia ratione suæ ditioni decerptum fuerit, ab ingrato, aut hoste recuperet, & cum sua ditione iterum jungat, cur id reunio non vocetur? Mirumvero nulla jura in orbe dari, quæ adversus Suveranum, & Imperii Principem eo modo, uti in præsenti casu factum est, procedere permittant. Nam utique jure gentium omnia in hostem licere, nec idem jus præcipere, ut primus ictus excipiatur, sed ut potius periculum prævertatur. Denique & falso tradi, destructa Tænninga Regem Rensburgensis pacti beneficio excidisse. Nam hunc eodem sese ad ejus restitutionem verbis expressis non obligasse: multo minus eo contineri; si maxime Dux conventa violare, promissa sua retractare, ac novos motus excitare ausurus sit, Regi tamen ad suam securitatem, & parcendis sumtibus eam munitionem demoliri haut licitum fore. Gallica quoque pace cautum, Duci provinciam suam in præsenti statu, id est, citra munitiones restituendam. IV. Quod Rex ad Slesvici restitutionem descendere nequeat, non esse causam situs opportunitatem, sed merum necessitatem & justitiam. Et quamdiu Dux contrariæ sententiæ inhæret, ac æqua temperamenta admittere abnuit, non aliter judicari posse, quam ei non de instauranda amicitia agi, sed ut occasionem nanciscatur, invitante ejus provinciæ situ Regi novas molestias, ac pericula excitandi. Quod Femeram spectet, nec in conventione, nec in Ducis obligatione reperiri, solutionem e contributionibus fieri debere; eoque a Rege ad communis provinciæ defensionem veteri usu exactas contributiones huic in solutum imputari non posse. Præsertim cum Rex multos ante annos, quam ea exactio fieret, non amplius dominus ejus nominis fuerit, sed idem Principi Georgio cesserit, Duce probante. Prædium Gottesgabam per errorem, aut alio casu inter nobilia prædia relatum. Circa insulam Heiligenland præscriptionem Regi non nocere, quod in divisione hæreditatis anno 1544. per pactum adjectum super ea debita præcautio facta sit, super ejus insulæ divisione deinceps conventum iri. VIII & IX Abolitionem communis regiminis Hafniensi tractatu anno 1658. haut fundatam, quin potius tanquam rem altioris indaginis sepositam. Veteres quoque uniones & pacta hæreditaria, quibus communio regiminis fundatur, subinde renovata, sic ut ab iis nunc discedere nefas sit. Quod Dux objiciat, ea pacta a Rege nunquam observata fuisse; sane indissolubile amicitiæ, ac mutuæ defensionis vinculum semper mansisse; nec Ducis majores unquam questos, hæc pacta sibi oppressione cessisse; quin fassos, se, suasque ditiones sub iisdem bene habuisse, eoque ista libenter renovasse. Ast quod Austregas, seu judices conventionales attinet, ubi inter unitos Principes controversia oriatur, de quibus iis pactis disponitur; fortasse Ducem in causis eo non pertinentibus ad eos provocasse, ac responsum accepisse, unionem ad hos vel illos casus non porrigi: id quod ad rem præsentem non faciat. Quod in Recessu divisionis hæreditariæ anno 1544. unionum mentio non fiat, id nullius momenti esse. Nam haut eo minus Regem Christianum III istas fundamentum fraternæ divisionis habuisse, inde adparere, quod assignatæ fratribus portiones separatum territorium haut formarint, sed eas necessum habuerint in communione regiminis relinquere, & eo adquiescere, quod Rex e gratia de ista hæreditate iis concedere voluerit; cum stricto jure juxta constitutionem Friderici I. anno 1524. factam, ac jurejurando sancitam, & a Christiano III. confirmatam, utrumque Ducatum indivisum retinere potuisset, fratribus plane exclusis. XVI. Quæ Rex e Ducis ditionibus exegerit, jure exegisse, eoque Duci eo nomine nil deberi; qui & eam summam octo millionibus cum dimidio justo largius taxarit, ad invidiam Regi faciendam, quasi aureos montes ex ea ditione perceperit.* 1688.

Circa reliquos articulos prius dictis insistebatur.
Ad extremum addebatur: etsi ex his adpareat,
quam fragili fundamento Ducis postulata nitantur,
ac uti Regi fas sit primæ declaratione insistere:
in gratiam tamen sequestrium, ac ut cupidinem suam
ostendat litem hanc amice componendi, Duci
Comitatus Oldenburgicum, & Delmenhorstanum
daturos, in quos, etsi Holsatia paululum divisos,
facilis transitus sit. Ubi Dux separatum, & conclusum
territorium nanciscatur, ubi omni *superioritatis* jura proprio e placito nullo a condominio
impedimento exercere queat; quod is hucusque
tantopere desiderarit, ac in Slesuicensi provincia
nunquam sperare potuerit. Invenire quoque
eum ibidem commodos vicinos, quo exigua molestia
distantiæ ab Holsatia abunde pensetur. Alios
quoque Imperii Principes disjunctas habere
ditiones, ac peculiariter Brandenburgicum, &
Palatinum. Norvegiam quoque Dania divisam.
Damnum ab inundationibus datum reparatum
esse. Defunctum Comitem etiam ab
aquis damnum passum; nec ideo eam provinciam

ciam vilem, aut desparatam habuisse; cujus & aula multorum Principum Imperii paratus splendore superaverit. Jam quoque reditus ejus provinciæ longe melius digestos, quam cum Dux simul in ejus possessione esset, qui & multis accessionibus aucti sint. Ac Jevera licet, & Altenburgici Comitis portione subtracta insignem ditionem restare. Præcipuas circa eam lites jam abolitas, aut facile aboleri posse: circa reliquas Regem Duci evictionem præstiturum. Addebantur C Muncialium extruendæ ad inhabitandum arci. Tum Trittoviam, cum Trembuttela, & Steinhorsta sublata hypotheca Duci restituendam. Regem quoque permissurum, ut præfecturæ Ducis Holsaticæ ab omnibus contributionibus in perpetuum immunes sint. Denique Regem consensurum, ut unus filiorum Ducis in præsens Coadjutor Lubecensis postuletur, modo post ejus obitum, aut resignationem unus e Regis filiis a Capitulo Subcoadjutor isti succedat. Subnectebatur hæc conditio, ne Dux amplius quid in Slesvicensem Ducatum actionis moveat. Hæc oblata si Dux abnuat, Regem quoque iis non amplius teneri velle, nec ulterius in disceptationem scripto conceptam descensurum.

§. 80. Inter ista Ehrenschildius apud Fuchsium oblatos Comitatus admodum exaggerare. Ducis reditibus nihil decedere. Cæsari facile esse eis Ducatus titulum conferre. Ducem quoque votum & sessionem nomine Holsatiæ inter Principes Imperii retinere. Supremum ejus imperium a Rege non agnosci, quod ob varias contraventiones idem commiserit. Nec unquam duraturam quietem sperandam, si Dux Slesvicum recuperet, qui hostibus Daniæ sese innectere haut sit omissurus. Igitur Elector Duci declararet, se oblatum æquivalens sufficiens judicare, uti Gallus faciat. Ad quæ Fuchsius: Si Rex voto suo cum consensu Ducis potiri queat, lubente id Electore fore. Enimvero coactionis quid adhibere, aut ejusmodi monita jactare, quales Danus cupiat, Electori haut decorum. Gallicos ministros apud utramque partem non paria disserere. Nam eo ipso tempore, quo Bidalius Hamburgi Ducem ad acceptanda oblata hortatus fuerit, significato, Danum a Rege suo desertum haut iri: Chivernium Hafniæ declarasse, Gallo haut placere, rem ad manus deduci, ac eum utique cupere, ut res amice per præsentes sequestres componatur. Gallum quoque unice juxta suas ac suorum fœderatorum rationes loqui, nec curare, num alii eum affectu in alterutram partem vergere arguant. Sed Electorem velut sequestrem id hautquidquam decere, qui hoc ipso officium suum apud Ducem inutile redditurus sit. Jam vero Ducem obnixe testari, nullo modo se Slesvici cessurum. Quod si Dux feloniæ argui queat, per quam Ducatum commiserit, rem expeditam fore, ac magni beneficii loco eum habiturum, si qualemcunque pensationem pro isto recipiat. Ast Ducem etiam publicis scriptis id constantissime negare. Quam quæstionem decidere cum penes sequestres non sit, eosdem quoque non competere Ducem hortari, ut Comitatus acceptet. Addebat Ehrenschildius: satis se nosse, a vicinis, ac præcipue Luneburgicis spargi, huic tractui quietem, & securitatem haut constituram, ni Danus totum Slesvicum restituat. Enimvero Regem super Hamburgo, & Lubeca, ac omittenda Oldesloæ munitione quicquid desideretur cautionis præstiturum. Idem quoque induciis Ratisponensibus non parum confidere videbatur. Iis Danum non solum uti Principem Imperii, sed & tanquam Daniæ Regem, & Galliæ fœderatum comprehendi; idque eum hoc duntaxat fine desiderasse, ut per viginti illos annos Slesvicum eo quietius possidere queat. Equidem Kalendis Augusti istum hanc ditionem nondum possedisse, sed post adquisitam possessionem induciis inclusum fuisse. Cæsarem, & Imperium initio proposuisse, ut Anglia, Dania, Svecia, Polonia, Veneti, & Helvetii induciis comprehenderentur; & cum Gallus id ea conditione probaret, siquidem ista Regna, & Respublicæ hoc desiderent, & ad observationem omnium legum, & articulorum induciis conventorum ita se adstringant, ut durantibus viginti annis nemini eorum permissum sit jus, aut actionem suam vi, armisque persequi, nec ullis se alienis negotiis miscere, per quæ communis quies turbari possit: Daniæ Regem per libellum Conventui Ratisponensi pro inclusione gratias egisse, ac propositis a Gallo conditionibus pronum se declarasse. Unde non dubitare, quin per inducias securitati possessionis suæ cautum sit. Ast Elector ad ista demonstrari jubebat: Ratisponæ quidem super unius & alterius Regis nominibil motum fuisse; sed in actis Imperii haut reperiri id negotium ad liquidum perductum, ac solenne inclusionis instrumentum, uti in ejusmodi casibus mos est, ab utraque parte adornatum, ratihabitum, ac hinc inde traditum fuisse. Quæ Danus alleget, non esse nisi libellos memoriales, sententias, & alia præparatoria. Quid quod ejusmodi inclusiones, quibus peculiaris stipulatio evictionis addita non sit, magis honoris gratia adponi, quam quod effectum quempiam producant. Ac tunc incluso necessum fore legibus tractatus satisfacere, si hujus emolumento frui cupiat. Ita res in statum, qui Kalendis Augusti anno 1681 erat, restituendum fuisse. Ast Imperio haut animum fuisse Dano per inducias possessionem Gottorpiensi ereptorum præstare, e scripto a Commissione Cæsarea Ratisponæ anno 1684 die 16 Decembris exhibito adparere, quo declararent, Duci durantibus induciis Slesvicensem ditionem salvam præstandam. Quam declarationem Cæsar, & Imperium non mutarint, sed potius, quandocunque Gottorpiensis causa in deliberationem deducta est, omnium sententias in eo conspirasse; Duci adsistendum, eumque ab oppressione liberandum. Unde si maxime Rex per libellum Imperio pro inclusione gratias egerit, ex eo tamen ejusmodi inclusionem non probari, multo minus inde consequi, ab eadem effectum, quem Danus prætendit, utique producendum. Quin eo libello nullam Slesvici mentionem, sed tantum contributionum in Holsatia fieri. Quod negotium Rex hautquidquam tunc pro expedito habuit, dum fatetur, se circa id componendum Sa-

 xonis,

1681. xonis, & Brandenburgici officium admisisse. Igitur valde suadere Electorem, ne Rex ob duritiem conditionum tractatus abrumpi patiatur. Ast Ehrenschildius priora semper ingerere; addito, a se Suecum non metui, cujus quidem res ad proprii regni defensionem probe sint dispositæ; sed exterius eum ob pecuniæ defectum nil moliri posse. In Norvegia quoque Dano egregium exercitum, & classem Suecica valentiorem. Enimvero Elector valde mirabatur, monita sua tam parum apud Danum profecisse, & hunc ita obnixe Slesvico insistere; cum tamen nunc salva existimatione, nec sine emolumento litem componere licuisset. Nec aliud solatium erat, quam quod sinceri, ac fidelis amici officium explevisset, de cætero Deo, & tempori committens, quem eventum hoc negotium sortiturum sit. Quod autem Ehrenschildius postularet, ut ipse Ducem velut constringeret ad Comitatus acceptandos, ac minis urgeret, quo is avito, ac tot Regum sponsionibus munito patrimonio depelleretur, ejusque calamitas augeatur: id non tantum ab officio sequestrium, sed & a conscientia sua Christianis scitis imbuta abhorrere. Quod autem Ehrenschildius putet, acrius a se ad Regem, quam ad Ducem scriptum; id ideo factum, quod ipse certo perspiciat, si Rex mordicus huic sententiæ inhæreat, ne rusticum quidem prædium de Slesvico a se reddendum, hunc tractatum irritum fore. Unde sibi utique urgendum, ut Rex de his extremis nonnihil remittat, quo æqua temperamenta subsistente tractatu proponi queant. Quo facto haut se omissurum Duci paria suadere. Nunc cum Dux respondeat; quia ipse nil nisi avitum patrimonium repetat, quod cuivis privato licitum sit, culpam sibi tribui non posse malorum, quæ ex abruptis tractatibus oriri queant; nec salva se existimatione posteritati suæ quid condonare posse, quicquid etiam inde eventurum sit: id quomodo improbari queat, se non perspicere.

Danus sententia sua immotus inhæret. 11. Febr.

§. 81. Enimvero nec literis, nec hortatibus per ministros Elector apud Danum quid proficiebat, qui ad istius literas respondebat: *Se extrema omnia potius expectaturum, quam in Ducis restitutionem, quibuscunque etiam conditionibus ea circumscribatur, consensurum, ac regiam suam domum priori periculo iterum expositurum. Electori notum esse, quam irreparabilia damna parenti suo, sibique per Ducis, ejusque patris machinationes, & commercia cum hoste illata sint; atque istum nec congenitis rationibus, & vinculis communis familiæ, & regiminis, nec juncto vasallagii nexu, nec pactis hæreditariis ab exterorum fœderibus averti potuisse. Unde ab eodem restituto nil sibi securitatis expectandum. Et quanquam Elector judicet, se præsente statu continuato nil securitatis inventurum; tamen quia ipse nullum lucrum, aut accessiones ditionum affectet, & pro Slesvico antiquum familiæ patrimonium offerat, statis reditibus isti par, regalibus superius: igitur spem sibi esse, neminem pro Ducis restitutione arma arrepturum. Ac si eo prætexto quis turbas moveat, se a fœderatis, ac præcipue ab Electore desertum haut iri. Sed & inclusionem in inducias utique sibi prodesse; quod cum a Cæsareis Commissariis idem pro Duce circa Slesvicum postulatum foret, nec Imperium, nec Gallus id admittere voluerit, sed istis necessum fuerit traditum Gallico legato scriptum repetere.* (Quæ res ita se habebat, quod Verjus Ratisponæ in mandatis habuerit, si Cæsar, & Imperium Slesvicense negotium induciis comprehendere vellent eo animo, ut Danus per XX annos in possessione manere debeat, sibi quoque idem probatum iri. Ast ubi ea inclusio sibi fraudi cessura, ac alienis se negotiis immixtura sit, in id se consentire non posse. Contra cum Cæsarei Verjo peculiare instrumentum super Ducis Gottorpiensis, & quorundam Italorum Principum inclusione exhiberent, id post repetierunt.) *Terminum quoque Kalendarum Augusti anni 1681 primarias duntaxat partes respicere, & inclusos non ulterius obligare, quam ut induciarum tempore prætensiones suas vi aut armis persequi non debeant. Id quod legatus Gallicus in libello Ratispona anno 1685 die 25 Martii diu post consolidatum Slesvicum tradito, quo ab Imperio facta includendorum nominatio confirmatur, ita explicarit, ac Imperii nomine hucusque isti nunquam contradictum fuerit. Et quia ipse die 27 Martii anno 1685 per libellum memorialem Conventui Ratisponensi exhibitum ad omnium istorum observantiam sine exceptione se obstrinxerit, ac in eum sensum ab utraque pacificentium parte factam inclusionem admiserit: ex eo consequi, se per inducias in possessione Slesvicensis ditionis confirmatum, eoque in hac citra istarum violationem turbari non posse. Unde singularis in gratia locum a Duce habendum, quod cum sibi ad finem usque induciarum quieta Slesvici possessione gaudere licuerit, isti tamen tam lautas, & æquas conditiones offerat. Eoque si tractatus abrumpi contingat, omnium malorum culpam in eundem redundaturum. Unde par esse, Electorem, uti Gallus fecerit, Duci denuntiare, eo casu Regem a se auxilio vacuum haut iri destitutum.* Sed & cum Fuchsius paululum Hamburgo Berolinum excurrens omnem suadæ vim expromeret utrique parti ad compositionem promovendæ; rem ita desperatam, uti vix antea reperit. Ac Ehrenschildius abrupte negabat, Regem nunquam vel hilum de Slesvico redditurum, vel de sua Holsatiæ parte in æquivalentis vicem cessurum. Ac minister Gallicus Bidalius Ducem sat aspere, nec sine minis monebat, ut oblatis adquiesceret. Qui & nolebat ab Electore declarari, se Dano auxilia non submissurum, ubi hanc ob causam in arma erumpatur, & hunc casum fœderis haut esse. Hoc ipso enim Duci, ac Sueco pertinaciam accedere. Nostro reponente, hoc modo Danum plane intractabilem reddi. Cum itaque Elector perspiceret, monita sua sinistre accipi, per Hoverbequium Hafniæ ostendi jubebat; dolere sibi, istis plus ponderis non fuisse. Se pro arctissima amicitia, qua ipsi jungatur, necessitatem sibi impositam judicasse Regi candide exponere, quid veris hujus rationibus dictante sua conscientia congruum reperiat. Sed postquam candida sua mens secus accepta fuerit, id sibi tolerandum, quoad tempus sinceritatem consilii sui adprobarit. Unde sibi decretum, similibus monitis Regi non amplius molestiam facessere. Quanquam id sibi pro sinceræ amicitiæ lege difficile sit futurum, ac ipse valde metuat, ne Rex sero agnoscat, utrum melius fuerit adulatorum adplausibus aurem præbere, quam eorum monitis, qui ob oritura inde incommoda mitiora ac tutiora ingesserint.

1683. rint. Quod ipse arguatur acrius Regem quam Ducem monitis urgere, id sane rem ipsam requirere. Nam Ducem ditione sua exutum agere, ac unice penes Regem esse, quid ipsi reddere velit, siquidem res amice componi debeat. Unde se non potuisse Regem quantum detur hortari, ut ejusmodi conditiones proponat, quæ spem bonæ transactionis præbeant. Sed postquam Rex hactenus declaratis obnixe insistat, nullam spem compositionis adparere, ac sibi potius infinitum damnum Regi, ac universæ Protestantium causæ inde proventurum ob oculos versari. Forte metum suum fallere, ac negotium opinione sua melius succedere posse; id quod & ipse optet. Sed in rebus arduis neminem prudentem sua consilia superstruere debere. Pro præsenti autem rerum facie fidelius se Regi consilium, quam hactenus fecerit, dare haut potuisse. Sed & cum Croissius ostenderet, Gallo displicere, quod Elector declararit, se Duci non teneri ad ferendum auxilium, si ob causam Gottorpicam armis petatur: iste reponi jubebat; id se tantum apud Rebenacium, & Lentium fecisse, non apud Ducem ubi idem Dano nocere possit. Atque isthoc necessarium fuisse, ne Danus consilia sua falsæ spei superstrueret, ac velut tacite sibi ejus negotii præstationem impingeret; præsertim cum is literis suis sæpius ostenderit, se in hac causa nostro præcipue auxilio confidere. Ac revera istum casum fœderis non esse, cum hoc directum fuerit ad ditiones tunc Regi possessas; cum Slesuicum post occupatum sit. Hautquidquam autem e re sua esse, omnia, quæ Dano occupare placeat præstare, aut in partem omnium ab eodem motorum venire.

Temperamentum ab Electore propositum. §. 82. Cum itaque Elector monitis suis vix aliud effecisset, quam ut Dano se suspectum redderet, nec adhuc adpareret, hunc Slesuicum restituturum, aut extra Comitatus in Holsatia æquivalens daturum; nil certius erat, quam tractatus irritos fore, nec Duci aliam restitutionis spem, quam in armis superesse. Enimvero hanc viam Elector non publico solum, sed & ipsi Duci noxiam judicabat. Nam bellum hac tempestate inter Boreales nil aliud effecturum erat, quam ut Catholicis viam muniat opprimendis Protestantibus. Ac si modicæ vires, quæ adhuc inter Boreales, & in Saxonia supersunt, mutuo se atterant, Gallum nullo negotio scopum suum obtenturum, Rheno in potestatem redacto. Ipse Dux etsi de Sueci auxilio satis cautum sit, incertum tamen, num præterea alius quispiam arma pro ipso stricturus sit. Sane Cæsari haut in animo esse ob fœdus cum Sueco bellum Dano inferre; de quo & quamdiu bellum Turcicum duret, cogitari non posit. Ac eo licet bello finito maximas adhuc controversias inter Cæsarem, Imperium, & Gallum superesse, nec unquam Cæsarem Gottorpiensis rationes Lotharingico prælaturum. Nec Viennæ dissimulari, se non in eo statu esse, ut ob Ducem sibi bellum suscipere vacet; eoque Duci æquivalens haut repudiandum. Ita facile fieri posse, ut Cæsar obligatione e Suecico fœdere se exsolvat, prætexto arrepto, quod Dux accepto æquivalente ad amicam compositionem pervenire potuerit. Qui & excipere posit, quia Slesuicum ad Imperium non spectet, sibi absque consensu Imperii in bellum descendere integrum haut esse. Luneburgicos quoque armis pro Duce nil acturos, postquam Gallico sese fœderi innexuerint. Ac Gallum palam declarasse, si Danus eam ob causam armis invadatur, se ipsum auxilio vacuum haut relicturum. Igitur prout Martis alea semper est dubia, bello orto Ducem non tantum Slesuicum non recuperare, sed & insuper æquivalentis jacturam facere posse. Igitur considerandum, an non Duci expediat Comitatus saltem in partem satisfactionis acceptare, quibus Danus præfecturam Gottorpiensem adjicere debeat. Idque temperamentum Falæsius Regi Sueciæ proponere jubebatur, num Duci id persuadere velit. Sed & Fuchsius, qui iterum Hamburgum accedebat, omni ope conniti jubebatur, num Danos ad id annuendum adducere posit; quod Dux nunquam avita sede cariturus sit, qua & desistere primarius ejusdem minister Alefeldius nunquam suasurus erat, cujus prædia in ea præfectura sita erant. Sed & apud Gallos agebatur, ut Danum ad isthanc præfecturam prioribus oblatis addendam permovere velint. Contra Saxo, qui eis diebus Hamburgi erat, aliud temperamentum proponebat; quia Rex Slesuico carere, Dux Comitatus acceptare nolit, ut Rex Plœnensis Ducis, aliorumque terras redimat, hasque Gottorpiensi det, ac istis e Comitatibus satisfaciat; & quod Gottorpiensi desit, e Slesuicensi Ducatu, aut Holsatia suppleat. Enimvero Dux declarabat, se Comitatus neque integros, neque ex parte pro Slesuico accepturum. Equidem cum is antea dimidiam eorum Comitatuum partem possedisset, Kielmannus Cancellarius suaserat, ut data Tondera alteram istorum partem redimeret; idque ob privatam utilitatem, quod gubernationem Comitatuum hæreditario jure familiæ suæ adquirere cuperet. Id quod cum Dux sensisset, ipse suggesserat, ut Suecico fœderi insereretur, ne inscio Sueco pars Slesuicensis Ducatus cum Comitatibus permutaretur. Unde & Suecus de æquivalente plane repudiabat, ac Ducem utique in leges pacis Gottorpiensis restituendum contendebat. Etsi haut præsumendum erat, Suecum hac rerum facie bellum Dano moturum. Id quod cum Danus satis nosset, Slesuico adhuc aliquot per annos frui cupiebat; cum deterrimum, quod sibi accidere queat, restituendi necessitas sit. Unde quanquam Cæsar Dano serio scripsisset, ut declaratione de nunquam restituendo Slesuico desisteret, & æquas circa hujus redditionem admitteret, multis in eam rem rationibus adductis; atque paria Fuchsius ingereret: Ehrenschildius tamen veterem cantilenam ingeminabat; Regi non de lucro, sed de securitate agi. Unde Ducem potius ad acceptanda oblata urgendum. Contra Alefeldius testabatur, Ducem malle ad instar privati Nobilis vivere, quam posteritatis suæ exsecrationem mereri. Nam e Slesuico salutem suæ familiæ pendere. E comitatibus vix salaria ministris exsolvi posse. In Holsatia, nullam ipsi munitionem, nil securitatis esse, cujus & reditus tolerandis Principe dignis sumtibus haut sufficiant. Ut satius sit istam plane aliis vendere, & alibi terras iterum emere. Id quod an ex usu Imperii, Saxoniæ, & urbis Hamburgensis, atque Lubecensis sit, suo se loco relinquere. Vnde & Comitatus ne addita quidem Gottorpiensi præfectura admittere nolle,

1683.

13. Mart.

1688. nolle. Quod si tamen in Holsatia idoneum æquivalens demonstretur, se id amore pacis haut recusaturum, & quanti hoc sit, tantundem Regi in Slesuicensi ditione cessurum. Ac censebat Breitenavius; Regem non simpliciter Comitatibus insistere, sed forte consensurum, ut cum Plœnensi, & aliis de permutatione suarum terrarum in Holsatia cum æquivalente in Oldenburgica agatur; & quoad id perfectum sit, præsentem negotiationem suspendi posse. Prout & Cæsar scripserat; quia tractatus tam lente succedant, an non consultum sit eas ad tempus interquiescere.

Super æquivalente ex Holsatia agitur,

§. 83. Jam itaque tentabatur, num lis data Duci ex Holsatia pensatione componi posset. Quam tamen propositionem Cæsarei facere abnuebant, quod Cæsar Sueco in fœdere promisisset, se operam daturum, ut Dux Slesuicum recuperet. Ita placuit eam a Fuchsio fieri, omissis quæ scripto fiant disceptationibus. Is igitur apud Danos disserebat: Cum Rex Slesuico decedere, Dux Comitatus acceptare nolit, quo tractatus subsistant, sequestribus alia temperamenta in medium adferenda; ut nempe Rex Duci det, quæ appenagiati Principes Plœnenses, Gluxburgenses, & Norburgenses, tum quæ Comites Gyldenlevvius, Ranzovius, & Alefeldius possideant, & hisce e Comitatibus satisfiat; quod Regi perinde sit, quisnam Comitatus istos possideat. Ac si Regi id temperamentum placeat, ad quod autem, ut cum iis quorum interest agatur, aliquo tempore opus sit, an non Regi placeat tractationem in aliquot menses suspendere; ut tamen interim nil novetur, nec proprio ausu, ac per vim quid suscipiatur. Regem tamen generose facturum, si Duci commodorum quid interim indulgeat. Ad ista Dani initio reponebant: Hucusque nil aliud sibi mandatum, quam super Comitatibus agere; ac Ducem melius facturum, si eos acceptet, quod circa appenagiata loca in Holsatia nonnihil difficultatis oriturum sit. Neque vero Regi perinde esse, quisnam Comitatus obtineat. Nam Regem malle istos a Duce possideri, ne hujus vires in Holsatia denuo gliscant, isque facultatem nanciscatur Regis hostibus sese sociandi. In suspensionem tractatuum Regem facile consensurum, sed super commodo aliquo Duci indulgendo vix sperandum, quod hic in mora sit. Si enim idem a Rege oblata admisisset, negotium jam confectum fuisse. Interim judicabant, Regem ab hoc temperamento haut ita alienum fore, si Dux sola Plœnensi ditione contentus esse velit, nec de Slesvicensibus, aliisque Regiis in Holsatia præfecturis moturus sit. Ad quæ Fuchsius: a Danis reditus Comitatuum centum octoginta millibus uncialium taxatos. Plœnensis terræ reditus non multum quinquaginta uncialium millia excedere, Principali aulæ haut idoneam summam. Igitur utique e Slesvico & Holsatia supplementum addendum. Hanoveranus quoque in aula Gallica commendaverat, ut Duci in Holsatia æquivalens detur, quo Danum a Luneburgico territorio longius removeret. Sed Galli ab ea re abhorrebant ac judicabant, id Dano no-

10. April. centius fore, quam si Slesvicum restituat. Post Rex ad proposita declarabat, se in gratiam sequestrium cum Plœnensi Duce super permutatione suæ ditionis acturum, sed a qua eximendum sit, quod ipse ante aliquot annos isti per peculiare pactum e Segebergensi præfectura cesserit, ad duodecim millia annui reditus. Tum ut Dux declaret, se nullum aliud æquivalens affectaturum; ac si Plœnensis ditio non sufficiat, supplementum e Comitatibus dandum. Sed e Slesvico & Holsatia, ut Duci quid concedat, securitatis suæ rationes non permittere. Addebat; Elector exemplo Galli Duci denuntiaret, ni oblata admittat, ac inde bellum oriatur, se tunc Daniæ auxilia laturum. Ita enim Ducem non amplius tergiversaturum; nec Suecum eo nomine bellum movere ausurum. Sed reponebatur: Electoris conscientiam Christiana sanctimonia imbutam haut tolerare, ut afflicto afflictio ab ipso addatur; nec tale quid sequestris officio congruere. Gallum, qui sequester non sit, pro lubitu loqui posse. Sed nec adhuc casum invasionis existere, ac prius videndum, quem exitum præsens negotiatio sortitura sit. A Rege quoque hanc conditionem additam, ut Dux Plœnensi terra adquiescat, & quæ ulterius prætendat, e Comitatibus expectet: de reliquis terris propositis silentio transiri. Plœnensem quoque denuntiasse; si Rex ipse partem Comitatuum retinere, aut Duci concedere velit, se missa permutatione terras suas retinere malle. Addita quoque erat clausula; ut sequestres præstarent Ducem nunc oblatis plane contentum fore. Id quod cum penes ipsos non foret, absurde petebatur. Ea in sententia ut Dani aliquid mitigarent, sequestres incassum rogabant. Suecus censebat; Ducem utique restituendum; sed eo facto cum Rege super unius aut alterius loci permutatione agi posse. Ast Ducales circa Plœnensem ditionem reponebant; eam ne dimidiam quidem Slesuici partem æquare. Multo iniquius esse, a Rege Segebergicam portionem excipi. Nec Plœnensem ullo modo tolerare velle, ut alius quoque partem in Comitatibus possideat. Igitur Ducem prioribus postulatis insistere, alias Regi libenter gratificaturum circa omnia, quæ salva domus suæ incolumitate postulari queant. Rogabat quoque, ne sequestres ejusmodi temperamenta parum idonea in medium adferant, per quæ non nisi tempus frustra trahatur. Ut tractatus suspenderetur, Rex haut necessarium judicabat. Sed Dux id plane aversabatur. Sed & Chivernius Hafniæ solicite instabat, ne tractatio ista re infecta solvatur, ac ut Danus facilem se præbeat, quo eadem brevi ad compositionem deducatur. Ita cum id negotium nondum maturum videretur, tractatio quidem non suspendebatur; digresso tamen Gœdeno, Hunico & Fuchsio, & mox interveniente Electoris morte ea paulisper interquievit; cujus confectæ gloria post hujus successori filio reservabatur.

Anglorum motuum origo.

§. 84. Denique & apud Anglos jam ab aliquot annis ingentium motuum materia jam fumabat, levi momento in terribile incendium eruptura. De quo ut altius repetamus, operæ pretium videtur. Angliæ igitur regnum ut situs opportunitate, ac ob domesticas, & per commercia quæsitas opes, nationisque egregiam virtutem, ac præcipue maritimas vires inter primarias Europæ Status locum sibi vindicat: ita cum tertio abhinc seculo Gallis semper prævaluisset, sed post intestinis turbis

1685. turbis exterarum curam avertentibus pulcerrimis in Gallia provinciis exutum fuisset, id sibi deinceps negotium datum credidit, æmulos populos, Hispanos, Gallosque æquilibrio temperare. Quo nomine superiore seculo insignem gloriam quæsivere Henricus VIII, & Elisabetha regina, eoque ipso bellicosæ nationi campum præbuere exserendæ virtuti, simul otium ferre nescios alienis armis exercendos objecere, ne domi res turbandi occasio foret. Atque hæc quidem Hispanorum tunc enormes vires accidit, simul protectricem sese tulit Reformatæ religionis, ac omnium Protestantium asylum, queis alibi persecutio incumbebat. Ab isthoc instituto quatuor e Stuartorum familia Reges dum discesserunt, hoc ipso gravissimorum suo populo motuum materiam, vicinis servitii periculum struxerunt. Et Jacobus I. quidem segnitia ingenii per languidam pacem exacto regimine insuper habuit, Galliam per oppressos Hugenottos ad formidandam vicinis potentiam sibi viam munire. Cumprimis autem is familiæ suæ, nationique infinitam calamitatum segetem paravit, dum filio Carolo Henriettam Mariam Ludovici XIII Franciæ Regis sororem connubio junxit; inter plurima hujus seculi exemplo, uti nescio quo fato, an genio nationis infinita mala velut dotalia exterorum domibus illata sint, quibus Gallicæ fœminæ innupserunt. Sicuti vicissim Hispanicæ ac Palatinæ familiæ magno constitit, filias suas Gallis nuptum dedisse. Istius porro pacto inter alia cavebatur, ut ex ea nascituri filii ad decimum tertium usque annum sub matris directione educarentur; quo ætatis spatio non poterat non teneris animis Romani ritus amor instillari. Simul sub Reginæ patrocinio ingens sacerdotum numerus in Angliam pertrahebatur, queis sacra sua quovis modo propagare, ac diversa subvertere indefessum studium est. Ejus connubii tristis fructus paulo post adparuit, dum ostentato inanis auxilii ex Anglia ludibrio prodita Rupella Galliam velut compede exsolutam ad insultandos vicinos validam reddidit. Et ipse Carolus, dum uxoris ab exteris sacerdotibus pendentis instinctum magis, quam regni sui rationes sequitur, cum populo demum suo armis collisus infelicitatis sese exemplum ad omnem posteritatem effecit. Ab usurpatore Cromwello vix sana consilia exegeris; cui satis habebatur violentam possessionem dum viveret tueri, nulla eandem ad posteros transmittendi spe. Qui & per importunum cum Belgis bellum, & dum Gallos sublevat, haut parum ad alterandam Europæarum virium temperiem contulit. Ast Carolus II, quem diuturnum exilium, & triste patris exemplum sapientiorem reddere debuerat; cum Protestantium extra regnum rationes fulcire, & æquilibrium Europæ per Pyrenæam pacem constitutam tenere officium fuisset, Gallicis illecebris dementatus plus fere ad incrementa Galliæ contulit, quam absque eo hujus arma & pecuniæ potuissent. Is primum superfluo cum Belgis bello collisus opes, famamque non parum imminuit. Inde cum fraudes Galliæ tanto specimine sensisset, velut ad bonam mentem rediturus fœdere cum Suecis, Belgisque inito Gallorum libidini frænum injicere velle visus est. Sed quibus haut in arduo fuit imbellem animum blanditiis, largitionibus ac muliebribus illecebris expugnare, ut secreto fœdere, cui a Caroli sorore Henrietta Aurelianensis Ducis conjuge anno 1670. Duveræ designato post Portsmuthia scortum regium supremam manum imposuit, cum Gallo super subigendo Belgio Unito conveniret: ac ut in Angliam Romani ritus introducerentur, sublataque Parlamenti ac legum autoritate omnia ad libidinem regis referrentur. Post id bellum injuste susceptum, inglorie gestum iste sequest. partes non minus sinistre egit, & cum satis prohibere posset, permisit, ut Gallus tam exitiabili Europæ pace Neomagi potiretur, qua mox prote... ve infracta maximi momenti loca inani prætext... usurpavit. Cum interim ipse domi populum suum suspectans, idemque populo suspectus inglorium regimen exegit. Is verbis quidem Protestantium religionem professus clam Romanis dogmatibus addictus fuit. Quam in rem confessio propria manu consignata post mortem in scriniis ejus reperta, & a successore fratre typis exscribi, mox supprimi jussa est. Cui ab hoc annua justa ritu Romano in sacello regio facta sunt. Idem cum fœdam inter simulationem orbi illusisset, morti vicinus dum coronam Jacobo fratri tradit, dixerat: *cave, ne facias, ut ea in proprium tuum caput ruat.* 1685.

§. 85. Huic extincto Jacobus frater successit, antea Eboracensis Ducis vocabulo dudum populo invisus ob Romana scita, quæ palam profitebatur, & quia semper Gallo cupita enixo studio propugnabat. Quo conciliante & uxorem accepit Mutinensem Mariam Eleonoram, quæ liberalius a Gallo habita fuit, soluta quoque maxima dotis parte, si non tota, quam ut id simplici amicitiæ, aut cognationi datum credi possit. In eo cum Papistæ dudum omnem felicitatis suæ spem reposuissent, velut præsumtivo Coronæ hærede, ejusdem clandestino patrocinio in Caroli II. Consilium sese insinuare cœperunt, qui singulari indulgentia fratrem prosequebatur. Sed quia hujus regnum ipsorum votis haut commodum reperiebatur, velut qui ritus Romanos clam probatos palam præ se ferre non audebat; aliam viam investigabant, ut amoto Carolo Eboracensi locum facerent, quo regnante Ecclesiam suam triumphantem sese conspecturos augurabantur. Sed rumor de Papistarum conspiratione ita nationem excitaverat, ut vivo adhuc fratre *Inferior Domus* nemine contradicente eum coronæ incapacem condito decreto declararet. Super quo ad *Superiorem Domum* relato cum præsente Rege sententiæ perrogarentur, illi, qui decretum rejiciebant, non nisi sex suffragiis cæteros id adprobantes excedebant; inter quos priores plerique Episcopi erant, sic ut his deberet Eboracensis, quod tunc publica lege a corona exclusus non esset. Is tamen uti initio Imperii de sacris, ac legibus Angliæ in præsenti statu servandis prolixe asseverabat: ita vix ullus Regum, qua memoria ejus regni porrigitur, Parlamentum ita facile, ac promtum in omnia, quæ expetebat, reperit. Nec minus fortunam inter primordia expertus est faventissimam. Nam Argatheliæ Comes in Scotia tumultum movens levi negotio oppressus est. De quo motu (cum Jacobus

Jacobi II initia.

Argyle.

1685. Jacobus Rex Arausionensi, & Belgis per literas significaret, hi protinus legiones ex Anglis, & Scotis compositas, quæ apud ipsos stipendia merebant, in Angliam trajecerunt. Mox cum Jacobus Monomuthensis Dux e Belgio modica cum manu in Angliam exscendisset, regnum sibi vindicaturus, quasi mater sua Carolo Regi justo matrimonio juncta fuisset; simul edito scripto hunc a fratre Jacobo veneno sublatum argueret: Parlamentum magno studio ad tutandum Regem incubuit, ac statim Monomuthensem rebellem, ac procuratorem declaravit, V M librarum in ejus caput constitutis, promte quoque pecuniis in Regis usum decretis. Hujus destinatis multum obfuisse credebatur, quod protinus atque in terram exscendisset, Regem se proclamari curasset; cum si initio non nisi defensorem se religionis, ac libertatis tulisset, magnus hominum confluxus ad eum futurus fuisse crederetur. Idem cum per aliquot dies impeditis locis se tenuisset, ubi commodo se dilatare non poterat, ac annona mox defectura esset, fortunam tentare, ac multa adhuc nocte castris progressus Fevershamum copiarum regiarum ducem imparatum opprimere instituit. Etsi cum difficiliores viæ incedentes morarentur, regiis spatium fuit sese in ordines digerendi. Et a peditatu quidem Monomuthensis acerrime pugnatum est. Sed equitatus, cui Grayus præerat, protinus in fugam abiit, quod equi ab agrestibus raptim contracti strepitu tuborum, & emicantibus ignibus ordines solvissent. Ac dicebat post cladem Monomuthensis: *modo mille equos bellatores habuisset, victoriam penes se fuisse futuram.* Aliqui tamen Grayi proditionem suspicabantur, qui captus non diu post libertati, ac gratiæ Regis restituebatur. Rex quoque pronuntiabat: *hac occasione se didicisse, quid veteranus miles contra turbam recens contractam valeat. Nam sibi fuisse duntaxat MDCCC pedites, DCC equites, qui rem confecerint. Sic & quondam Turennium ope VII M militum Regi Galliæ diadema conservasse.* Pro numero copiarum magna cædes facta est, quia fossæ, queis campus interscindebatur, fugam impedirent. Ac post missi a Rege ad loca, qua Monomuthensis egerat, in participes tumultus aspere sævierunt. Ipse Monomuthensis in fossa, ubi se occultaverat, inventus, captusque est die vicesima septima, postquam in Angliam adpulisset. Ut vitam servaret, supplicibus literis, verbisque a Rege veniam petiit; tum scripto declaravit, se coactum Regis titulum assumere, ac proclamationem se invito factam: Carolum quoque Regem sibi dixisse, matrem suam ipsi connubio haut fuisse junctam. Ast degeneres preces incassum consumtæ ac is ante Turrim Londinensem securi percussus est, ad extremum usque inficiatus, sese rebellionis crimine teneri. Pro more Romanæ religionis ea victoria non soli Deo in acceptis relata fuit; sed Regis confessionarius Capucinus, dum in sacello Windesorensi in laudem Beatæ Virginis declamat, inter alia ad Regem conversus dicebat: *eum nunquam melius quid fecisse, quam dum se, ac regna sua sub ejus protectionem commendavit, cujus fructus nuper tam luculentus sit conspectus.* Ea victoria Jacobi res quam maxime firmasse visa est, quod ejus tumultus occasione egregium militem contraheret, quem post restituta quiete retinuit, ac ad XXIV M auxit. Ut porro cum Belgis, qui tam promte auxilia submiserant, paria faceret, fœdus cum ipsis renovabat, legato Gallico frustra renitente. Cujus ratihabitio cum hinc inde traderetur, legatis Belgarum dicebat; *Primum hunc esse tractatum, quem regno potitus fecerit; eundemque a se optima fide signatum, id quod & a Belgis pari candore futurum speret. Olim quidem ambos populos alieno instinctu multa fecisse vesaniæ proxima, ac armis gravia mutuo damno intulisse. Sed par esse, ut deinceps sapientiores sint.* Cum etiam legatus Gallicus de actione Aurelianensis in Palatinatum moveret, Rex respondebat: *Sibi non constare, utrius causa justa sit, ac sua nil interesse, uter ea regione potiatur. Id tantum declarare, semper se aggressori, quisquis iste fuerit, adversum fore.* Addebat; *primum fructum fœderis sui cum Belgis fuisse, quod Gallus decisionem litis Palatinæ in Pontificis arbitrium contulerit.* Etsi idem Belgicis legatis discedentibus levi brachio exprobraret; plerosque e magistratu Amstelodamensi conscios fuisse navis, quæ Monomuthensem ex eo portu in Angliam transvexerit; quos inter consulem Witzenium nominabat. Sed & e Gallia ob religionem profugi humaniter ab isto excepti, & populus edicto monitus, ut eos collatis pecuniis sublevet. Etsi legatus Gallicus præfracte negaret, in Gallia cuipiam vim ob religionem inferri, productis a Curtino scriptis literis, queis jactabatur; *LXXV M Hugenottorum in Langvedocia ex bono instinctu, & divina inspiratione Catholicam religionem amplexos.* 1685.

Mon-mouth.

Infelices Monomuthensis conatus.

Gray.

6. Jul.

15. Jul.

§. 86. Postquam igitur Rex suas res egregie stabiliisse sibi visus fuit, aperte jam Romanos ritus publice in Angliam introducendos enixum studium exponere cœpit; ac eidem addicti confidenter in publico adparebant. Medicus regius magna cum pompa adhibitis Romanæ Ecclesiæ ceremoniis sepeliebatur, Rege sumtus funeris præbente. Windesoræ monachus Augustinianus habitu sui ordinis concionabatur. Romam legatus testandæ erga Pontificem venerationi destinabatur Castelmainus Clevelandiæ maritus, quæ Carolo Regi corpus prostituerat. Vicissim Roma in Angliam veniebat Dada Comes, Nuntii functionem apud Regis aulam obiturus; qui initio privati, ac secularis habitu agebat. Sed demum urgente Rege, ut legati dignationem assumeret, biennio post solenni ingressu habito publice personam suam egit. Eum cum Somersetiæ Dux ad primum Regis alloquium deducere juberetur, idque recusaret, omnibus muneribus quæ gerebat exutus est. Albemarlæ autem Dux, ne eadem sibi functio injungeretur, per biduum sese occultabat. Inprimis autem id agebatur, ut leges, quæ compescendis Pontificiæ religioni addictis in Anglia obtinent, abolerentur. Ibi quippe constitutum est, ut quicunque munus aliquod publicum suscipit, intra trimestre jusjurandum præstet, quod ipsi ab initiali vocabulo Teste vocant, hoc sensu. *Ego N. N. testor & declaro solenniter & sincere in præsentia Dei, quod credam, in Sacramento Cœnæ Dominicæ non esse transsubstantiationem elementorum panis & vini in corpus & sanguinem JEsu Christi, nec post consecrationem horum elementorum per quemcunque factam: ac invocationem atque adorati-*

Conatus Jacobi super introducendis in Angliam Romanis ritibus se exserens.

1685. *adorationem Virginis Mariæ, aut cujuscunque alterius Sancti, & ſacrificium Miſſæ, prout hæc nunc in uſu ſunt Eccleſiæ Romanæ, eſſe puram ſuperſtitionem, atque idololatriam. Ego quoque teſtor & declaro ſolenniter in præſentia Dei, quod faciam hanc declarationem, & quamlibet ejus partem in ſenſu claro & ordinario verborum, quæ mihi ſunt prælecta, & quomodo communiter intelliguntur ab Anglis Proteſtantibus, ſine ullo ſubterfugio, æquivocatione, aut reſervatione mentali, qualiscunque ſit, ac ſine ulla diſpenſatione, quæ mihi hoc nomine indulta ſit per Papam, aut per quamlibet aliam autoritatem, & perſonam quamcunque, & ſine ulla ſpe, ejusmodi diſpenſationis concedendæ per quamcunque perſonam, aut autoritatem; & ut non credam, quod ſim aut poſſim eſſe liber coram Deo aut hominibus, aut abſolvi ab hac declaratione, aut ulla ejus parte, ſi maxime Papa, aut quivis alius, vel alii, aut qualiscunque poteſtas me circa eam diſpenſaverit, aut hanc declarationem annullaverit, aut declaraverit, eam nullam eſſe ab initio ad finem.* Erant & pœnæ per leges conſtitutæ in eos, qui diverſam ab Anglicana religionem profitentur; puta, ut teſtamenti factionem non haberent; ut ob debita alios non poſſent in jus vocare; ut quotiescunque ipſi in jus vocarentur quamcunque ob cauſam, D libras Sterlinenſes exſolvere cogerentur, & plura id genus. Cum autem magna pars præfectorum militarium Romanæ ſectæ eſſent addicti, quibus Rex præcipue confidebat, id primo agebatur, ut hi neceſſitate jam dicti jurisjurandi exſolverentur; id quod recenti documento fidei in Regem meriti ſint, eoque munera ſua continuare poſſent.

Parlamento Regis conatus non probantur.
12. Nov.

§. 87. A Parlamento igitur Rex duo petebat; ut pecuniæ alendo exercitui, quem ſub ſignis habeat, conferantur, ac ne Catholici præfecti, qui in exercitu erant ad ſeptuaginta ſuperiorum fere ordinum, legibus pœnalibus, & ſolenni jurijurando forent obnoxii. Eam Regis orationem nullus plane a Parlamento adplauſus ſequebatur, quod ea cum ſermone, quem is primo Parlamenti ingreſſu habuerat, haut conſpiraret. Tunc enim pronuntiarat, ſeſe vitam pro emolumento nationis expoſiturum, ac religionem Eccleſiæ Anglicanæ protecturum. Sed nunc ambigue dicebat, ſeſe *veras nationis rationes* tuiturum, nulla religionis facta mentione. Quo ſuper negotio cum in Parlamento multum in utramque partem diſceptatum fuiſſet, demum placuit ſcripto a Rege præfectorum Catholicorum exautorationem petere, quo omnis materia metus ac ſuſpicionis tollatur: ut tamen impenſæ quas fecerint iis refundantur, ac iidem pœnis eximantur, quas alias incurrerant, quod intra trimeſtre jusjurandum ſolenne non præſtiterint. Id ſcriptum cum Regi offerretur, is voce ac vultu ad ſeveritatem compoſito reſpondit: *tale ſcriptum ſe haut expectaſſe. A ſe hucusque acta ipſis demonſtrare debuiſſe, promiſſis ſuis confidi poſſe; nec ſe credere, iſta metui, aut ſuſpicioni locum dediſſe. Se tamen operam daturum, ut ipſis ſatisfaciat, ac omnibus orationibus ad Parlamentum habitis ſtaturum.* Etſi autem plerique ex iis, qui ſcriptum obtulerant, ſolito ſtrepitu Regis ſermoni adplauderent; prudentioribus tamen is hautquidquam placebat, quod fieri non poſſet, ut Rex omnia orationibus ſuis promiſſa præſtaret, cum poſteriores prioribus contradicerent. Nec obſcure inſinuabatur, Regi voluntatem pro ratione futuram. Cum itaque Rex perſpiceret, Parlamentum nolle ad ipſius placitum ſeſe componere, ad diem X Februarii proximi anni id comperendinabat. Nam volebat quidem Parlamentum eos præfectos pœnis, quas incurrerant eximere, ſed qua exceptione lex in reliquis caſibus firmabatur, quam tamen Rex plane ſubvertere cupiebat. Aſt in Superiore Domo Henricus Epiſcopus Londinenſis, Devoniæ Comes, Halifaxius Marchio, Mordantius Vicecomes ei præfectorum Catholicorum executioni graviter contradixerant, ac inter alia Epiſcopus diſſeruerat: *leges has comparatas eſſe, uti aggeres Hollandiæ; in quibus, ſi aqua exiguum foramen inveniat, brevi totam regionem inundari, patentiore ſemper hiatu; ac ni mox remedium adferatur, terris plane exitium intentari. Eodem modo rem ſeſe cum Catholica religione in Anglia habere. Nam ſi præfecti iſti munia ſua retineant, brevi omnia munia eo hominum genere impletum iri. Quo ipſo mutuam confidentiam inter Regem & Parlamentum tolli.* Evocabat inde Rex Witehalam Judices Angliæ, qui in Superiore Domo ſedent, non quidem cum jure ſuffragii, ſed ut Parlamentum, ſi ſuper jure quæſtiones incidant, informent; quos interrogabat: *An non Rex circa ſolenne jusjurandum diſpenſare poſſit;* Qui id negabant: *eum tamen poſſe, qui jusjurandum non præſtitiſſent, pœnis per leges dictatis eximere.* Unde ſtatim diplomata pro ſeptuaginta tribus præfectis expediebantur iis pœna legum exſolvendis. Id quod ſpecimen habebatur legis penitus convellendæ. Etſi enim ſummis imperantibus facile concedatur, ut, ubi graves id rationes ſuaſerint, uni & alteri pœnarum per leges decretarum gratiam facere poſſint: ſi tamen ea exemtio promiſcue indulgeatur, ſublato legis vigore hæc deinceps inane ludibrium erit: præſertim ubi non a placito Regis pendet leges ferre & abrogare, ſed ubi legiſlatoria poteſtas non niſi cum conſenſu populi exerceri poteſt. Rex autem, ut indignationem ſuam apricaretur, eos, qui in Parlamento contra ipſius placitum ſententias dixerant, muneribus, quæ a ſe obtinebant, exuebat; quo ipſo tamen hi non minus Parlamenti membra manebant, ac ea injuria magis obfirmabantur. Epiſcopus quoque Londinenſis privato Regis Conſilio dimovebatur, ademto inſuper munere Decani in ſacello Regio Witehalæ; quæ functio in Durhamenſem Præſulem ſtudii in Romanos ritus manifeſtum conferebatur.

17. Nov.

Plura ſubinde Rege te[ntantur].
25. Fe[b.] 1686.

§. 88. Poſtulabat inde Rex a Cantuarienſi & Eboracenſi Archiepiſcopis, ut conciones diebus dominicis a meridie haberi ſolitæ intermittantur, quibus elementa doctrinæ Chriſtianæ explicantur; quod in iis controverſiæ ſuper religione tractari ſoleant, quæ non poſſint non animos civium opinionibus diſſidentium irritare. Poſt aliquam deliberationem Præſules reſponderunt: *id fieri non poſſe, quod ea præcipua pars liturgiæ ſit. Se tamen ad univerſum clerum mandata emiſiſſe, ut in iis concionibus verborum modeſtia adhibeatur, ac mordacibus dictis abſtineatur.* Sane Miniſtri acrius inde controverſa dogmata diſceptabant; unde arguebantur, velut diſſidii origo ab ipſis profecta foret. Darthmuthus Comes offenſam Regis incurrebat,

1686. quod dixisset: *Reginam esse Italam & sacerdotibus obnoxiam, quæ Regem pro lubitu temperet.* Ut autem cultus publicus Romani ritus paulatim introduceretur, Stamfordus quidam natione, titulum Residentis Palatini gerens, ingentem Londini domum conducebat, in sacelli formam inde adaptatam; in qua sex Sacellanos alebat concionibus Anglica lingua habendis. Multis cavillantibus, melius facturum Palatinum, si pecunias firmandæ suæ militiæ adhiberet, quam easdem vana pietatis ostentatione introducendæ in alieno regno Missæ prodigeret. Id exemplum reliqui Catholicorum Principum ministri sequebantur; Rege severis edictis sanciente, ne quis nova ista sacella violare audeat.

Novum tribunal Ecclesiasticum instituitur. 16. Jul. §. 89. Novum dehinc a Rege tribunal instituitur exercendæ supremæ circa sacra jurisdictioni; quod tribus Præsulibus, Camtuariensi, Durhamensi, & Rochestiensi, quatuor secularibus, Cancellario, Thesaurario, Præside consilii privati, & summo Capite Justitiæ componebatur. Ejus tribunalis jurisdictio in omnes Ecclesiasticos, ac doctores Academiarum toto regno porrigebatur, cum potestate immorigeros ab officio suspendendi, nulla ad Episcopos provocatione permissa. Sigillo isthæc verba exprimebantur: *Sigillum Commissariorum Regis ad causas Ecclesiasticas.* Eidem jus visitare Academias, omnes Ecclesias cathedrales, & collegiatas, scholas, & xenodochia; mederi omnis generis abusibus; in cujusvis generis delicta ecclesiasticis pœnis obnoxia animadvertere interdictione, suspensione, & excommunicatione; nova statuta condere, non obstantibus quibusvis privilegiis, & exemtionibus. Prima ejus Consilii sessione Archiepiscopus aberat, valetudinem excusans; etsi deinceps quoque nunquam eo accessit. Unde præsidis vices sustinebat Cancellarius Jeffreisius, acerrimo in Protestantium sacra odio flagrans. *Jeffreis.* Id tribunal ut initio autoritatis suæ terrorem diffunderet, ab illustri specimine initium fieri placebat, citato Episcopo Londinensi, quod mandato Regis ab officio suspendere omisisset Doctorem Scarpium, qui acerbe nimis in Romana sacra invectus arguebatur. Is cum super jurisdictione novi hujus tribunalis scrupulos movisset, post aliquot dilationes demum ob inobedientiam erga Regem functione Episcopali exercendæ prohibitus fuit, salvis reditibus. Scilicet severitati aliquid moderationis miscebatur, velut relicto muneris proventu eum ad pœnitentiam invitarent. Galli quoque, ut paulatim dissidium inter Anglum, & Arausionensem sererent, isti persuaserant, ut Carlingsfortium Comitem, Hibernum natione, in Hollandiam mitteret, legionibus Anglicis apud Belgas merentibus præfuturum; quem ibi admissum haut iri satis prævidebant. Sicuti & Arausionensis abrupte eum recusabat, Rege non parum offenso.

In Scotia circa religionem tentamen. Test. §. 90. Interim Rex in Scotia super abolendo solenni jurejurando ad Parlamentum proposuerat. Sed id non ulterius consensit, quam quod Papistarum vitæ, & corporibus vis non sit inferenda, si cultus suos domi suæ exerceant, salvis de cætero quibusvis legibus. Ea declaratione haut contentus Rex ad Consilium Privatum Scotiæ literas dabat, quarum ingressu insinuabat: *Jus sibi fuisse legum contra Catholicos severitatem corrigere. Voluisse tamen de eo ad Parlamentum referre, quo huic occasio foret obsequium suum erga ipsum testandi. Negabat inde Catholicos ejusmodi homines esse, quales istis legibus arguantur, qui ab externa potentia jurejurando fidelitatis exsolvantur. Quin eosdem patri, fratrique suo, sibique egregie fidem adprobasse in tumultibus per Protestantes excitatis. Cum itaque ipse Protestantibus protectionem præstet, idem se Catholicis facturum. Et quia Parlamentum crediderit, se per solenne jusjurandum prohiberi, quo minus in Regis voluntatem consentiat, se nunc declarare; nunquam mentem suam fuisse per istud quenquam excludere a facultate suffragium ferendi in Parlamento, ubi proponantur, quæ ad utilitatem regni, & tranquillitatem ac levamen civium faciant. Idque jusjurandum non alio sensu accipiendum, cum in universum in juramentis is sensus valeat, quem is qui defert habet, non is qui jurat. Unde sibi animum non esse quenquam impedire, quo minus consensum suum declaret circa quamcunque mutationem, quæ diserte dogmatibus religionis Protestantium non repugnet.* Inde haut obstantibus legibus libertas indulgebatur Catholicis ritus suos intra privatos parietes exercendi. Tum ut sacellum sacris Romanis in regio palatio Edinburgi extruatur. Concionatoribus interdictum, ne populo insinuent, quasi Rex violentam mutationem moliatur in negotiis conscientias spectantibus, nisi autoritati regiæ repugnent, aut tranquillitati regni obstent. Haut minus sese Episcopos, & reliquum Clerum Protestantem circa liberum suorum sacrorum exercitium contra Fanaticorum conatus tuiturum. Præterea cujusque jura defensurum, ac milites accurata disciplina habiturum. Ad extremum mutua caritas commendabatur, quæ tantopere ejusdem reipublicæ cives & Christianos deceat. Quæ jussa se exsecuturum Consilium respondebat. *1686. 21. Aug.*

§. 91. Ast in Anglia res Pontificia indies latius serpebat. A Tribunali Ecclesiastico plurimi concionatores citabantur, qui finistre in Romanam religionem locuti arguebantur. Rex edicto vetabat, ne festivi ignes pro more accenderentur eo die, quo conjuratio *pulveraria* detecta fuerat. Jesuitæ in loco, cui Sabaudia vocabulum est, domum conducebant habendis scholis, & quidem gratis pro cujusque religionis pueris in Latina, Græcaque lingua, Poësi & Rhetorica; in quibus nec magistri, nec discipuli de religione verba facere debeant, ac ut ea qualiscunque sit nemini exprobretur: ac ut quo tempore Missa ac preces fiunt, & catechismus docetur, Protestantibus integrum sit secedere, si velint. Addebantur promissa, sese pueros intra biennium plus edocturos, quam juxta vulgarem in Anglia informandi viam intra quinquennium profecturi sint. Ad hos prima septimana ducenti discipuli accesserunt, magnam partem Protestantes, numero indies gliscente. Qui confluxus aliquot Episcopos, alios viros pios & locupletes movebat, ut & ipsi gratuitas scholas instituerent, ne pauperes parentes prætextum haberent filios suos ad Jesuitas mittendi. Vicissim Rex Catholicis licentiam dabat scholas aperiendi, quibus-

Plura indies in Anglia novantur.

a la Savoye.

quibuscunque regni locis placeret. *Miſſionarii* magno numero paſſim diffundebantur, qui plebem oſtentatis pecuniis ad Miſſam invitabant. In publicis muneribus magna utique mutatio fiebat, quibus Papiſtæ hinc inde intrudebantur; etſi Rex jactaret; id non fieri intuitu religionis, ſed a ſe munia promiſcue conferri in eos, quos ipſe maxime idoneos judicet. Nec minus membra Parlamenti ſolicitabantur, ut proximo conſeſſu Regis ſeſe voluntati attemperarent. Iis proponebatur: *Regi animum eſſe iis duntaxat legibus derogare, quæ factioſis temporibus condita, & contra ipſum directa ſint; nec quid amplius optare, quam ut Catholici eo in ſtatu relinquantur, qui fuerat, quando frater ſuus in regnum reponebatur.* Ad quæ cum pauci certum quid promitterent, qui ex reliquis munia publica gerebant his exuebantur, ſurrogatis Papiſtis, quorum numerus non amplius ſufficiebat ſupplendis locis vacantibus. Unde Cancellarius cenſebat; Regis inſtitutum facilius pervinci poſſe per prærogativam regiam, quam per conſenſum Parlamenti; ac ut iſti exercendæ prætextum foret, *Judices Pacis*, qui plerique Catholici erant, inſtigandos ad ſupplicandum Regi, ut moleſtas ipſis leges abroget; quo id cum conſenſu populi factum videretur.

§. 92. Mox tamen plauſibilior, ac pronior via abolendis, qui Papiſmo obſtabant, legibus viſum fuit, libertatem quibusvis legibus concedere. Cujus ſpecimen ut caperetur, literæ a Rege ad Conſilium privatum Scotiæ mittebantur, quibus injunctum, ejusmodi *Proclamationem* promulgare, ac typis excudendam curare. Cujus exordio Rex exponebat, *uti conſiderarit magna incommoda, quæ ab aliquot annis regno ſuo Scotiæ obvenerint e diſcrepantibus circa Chriſtianam religionem opinionibus, & ex ingentibus odiis eorum, qui has profiteantur. Unde provenisse ruinam commerciorum, vaſtitatem agrorum, caritatis extinctionem, ac regiæ poteſtatis contemtum; ac in vicem veræ religionis, ac pietatis ſubiiſſe odia, injurias, factiones, & aliquando ſacrilegia, & proditiones. Itaque ſibi decretum, animos ſuorum civium unire cum Deo per religionem, cum regia majeſtate per fidelitatem, ac inter ſe invicem per Chriſtianam caritatem. Eo fine pro ſuprema ſua autoritate, regiaque prærogativa, & abſoluta poteſtate, cui omnes cives citra exceptionem obtemperare oporteat, tolerantiam indulgere omnibꝰ, qui Chriſtianam religionem profitentur, his legibus, ut moderati Presbyteriani ſacra ſua intra domos ſuas exerceant, ut tamen nil agant, aut loquantur in fraudem Regis, aut regni, ac ne templa extruant. Contra omnes conventus in apertis campis graviſſima ſub pœna interdicti ſint. Tremulis quoque ſuos conventus agitare liceat. Præterea ſe conſideraſſe crudeles leges ſub avi ſui Jacobi minore ætate absque conſenſu, & contra officium bonorum civium latas per rectores regni, & alios inimicos Reginæ Mariæ, per quas leges ſub prætexto religionis deterrimas proditiones, factiones, atque uſurpationes exercuerint; quas leges illi tulerint, non velut contra inimicos Dei, ſed velut contra ipſorum adverſarios: quæ hactenus in ſpeciem retentæ ſint haut eo animo, ut ulla earum exſecutioni detur, ſed ad incutiendum terrorem, quod aliis perſvadere vellent. Papiſtas velut extranea potentia ſuffultos obedientiam ac fidem legitimis ſuis Principibus præſtare non poſſe. Aſt ſe per longam experientiam certo edoctum, uti ſumma doctrinæ catholicæ eo tendit, ut homines reddat bonos Chriſtianos; ita non minus eandem obedientiam, & fidem erga Principes civibus ingerere; quam & Catholici ſibi, ac ſuis antecesſoribus quavis occaſione adprobarunt, quo eorum defenſione bonis, ac vita periculo expoſitis, utut iſti diverſæ religioni eſſent addicti, & quos prodere, ac vi opprimere nitebantur, qui maxime ſeveras iſtas leges fovebant. Igitur ſe cum conſenſu privati Conſilii, & ex ſuprema autoritate, prærogativa regia, & abſoluta poteſtate ſuſpendere, ſiſtere, atque omni modo abolere omnes leges, & acta Parlamenti, omnes conſvetudines, & conſtitutiones antehac factas, & exſecutioni datas contra cives ſuos Catholicos; tum omnes prohibitiones, quarum ibi fit mentio; omnesque pœnas & mulctas per easdem dictatas. Sic ut iſtis omni modo non minus, quam civibus ſuis Proteſtantibus non ſolum liberum ſit ſacra ſua exercere, ſed & munia quævis gerere a ſe ipſis collata, aut deinceps conferenda. Ut tamen cultum ſuum intra domos, ac ſacella ſua exerceant, proceſſionibus per plateas publicas haut inſtitutis. Idque a ſe decerni, quia ſui cives per fidem ſibi datam, & ex vi ſupremi imperii ſibi morem gerere teneantur; & quia nulla lex, conſuetudo, conſtitutio, nullum diſcrimen religionis, aut aliud quid ipſos congenita erga Coronam obligatione exſolvere, aut ſe prohibere queat, quo minus iſtos protegat, ac ſuo ex placito muneribus admoveat. Unde & a ſe irrita declarari juramenta, per quæ muneribus in hoc regno gerendis excluſi fuerint, ſimul vetari, ne eadem amplius præſtentur; in quorum vicem ſubſtituatur aliud jusjurandum ſimplici admodum forma,* (cujus formula addebatur.) *Tum a ſe aboleri omnes pœnas, quas alias incurrerint, qui hactenus eas in leges impegerunt. Hautquidquam tamen ſe ullius conſcientiæ vim illaturum, aut ulli moleſtiam faceſſiturum ob Proteſtantium religionem; ſed hanc, & Epiſcopos, atque Clerum circa exercitium ſuorum ſacrorum, ac bona, reditusque ſuos defenſurum. Tum nullo religionis diſcrimine ſubditis ſuis munia pro cujusque merito collaturum, quamdiu iis concordiam, atque caritatem cordi eſſe adparuerit. Eos, qui odia in cives ſuos exſeruerint, gravem ſuam indignationem incurſuros.* Ad eas literas Conſilium Scotiæ magna cum devoti animi ſignificatione reſpondebat; ſe omnia exſecutioni daturum, ac in Regis voluntate adquieſcere; ac ſperare, promiſſis Regis maximam cautionem ineſſe.

1687.

§. 93. Aſt in Anglia poſt aliquoties iteratas Parlamenti prorogationes, cum jam quadrageſimus dies adpropinquaret, quo idem vel comperendinandum, vel ejus conſeſſus permittendus erat, in privato Conſilio acriter diſceptabatur, quid agendum foret. Aliqui enim cenſebant, conſeſſum Parlamenti permittendum, ſed initio nil præter præliminaria proponenda, e quorum ſucceſſu adpariturum, quid de primario negotio expectandum ſit. Ac tunc diſcerni poſſe, quinam revera Regi ſtudeant, ac num fidem in eam rem ſervent, qui eam dederunt. Alii contra diſſerebant; conſeſſum Parlamenti Regis deſtinatis haut conducere, ni de ducentis ſuffragiis cautum ſit; quod ejusdem diſſolutio multis rumoribus, ac malis cauſam præbere queat. Ac potius in hoc negotio jure prærogativarum regiarum utendum. Ita demum Rex decrevit Parlamentum ad Novembrem usque menſem differre, ac interim libertatem

Super eadem apud Anglos acta

11. Mart.

18. Mart.

 bertatem

1687. bertatem religionis, uti in Scotia factum erat, promulgare. Hujus rei Rex in Consilio istas rationes proponebat. *Sibi observatum, etsi quatuor sui antecessores magno studio sacrorum uniformitatem stabilire tentarint, istique conatus per eorum temporum Parlamenta suffulti sint; eosdem tamen successu caruisse. Coactionem adversus dissidentes adhibitam iis ad unionem adducendis nationi Anglicanæ magno detrimento cessisse; id quod ex horribili seditione adparuerit, quæ sub Parente suo desævierit. Ingentem quoque numerum legum pœnalium sub prioribus Regibus, ac præcipue Fratre suo regnante factarum dissidentium multitudinem auxisse magis, quam imminuisse. Ad pacem & tranquillitatem hujus regni nil magis facere posse, quam libertatem conscientiæ, per quam & multitudo hominum, & commercia, & cum his opes glisçant: e quibus magnitudo alicujus Principis magis, quam e latitudine finium metienda sit. Suam sententiam, quæ & cum scitis doctrinæ Christianæ maxime conveniat, semper fuisse; ob religionem neminem persequendum, nec conscientiis vim inferendam; idque ut a se tentetur, rationes Regis Anglicani nunquam suadere posse.* Scilicet initio Pontificii Ecclesiæ Anglicanæ addictis per blanditias adrepserant, ut eas in casses pertraherent ad labefactandas leges. Quod cum non succederet, *Non-conformistis* blandiebantur, quos antea tanquam fecem vulgi, ac desperatæ malitiæ homines increpaverant. Enimvero Episcopus Bathensis multa cum libertate contra disserebat: *Nil magis rationibus Regis repugnare, quam eas leges, de quibus proponatur, abrogare. Per solenne jusjurandum unice ei facultatem præberi, ut fidem Parlamento, & Ecclesiæ Anglicanæ servare possit. Hoc vinculo semel abrupto Pontificios sacerdotes effecturos, ut Rex semper novi quid aggrediatur.* Ast Rex hoc monito insuper habito edictum emittebat de non amplius persequendis *Non-conformistis*, utque jam accusati liberentur, & mulctæ iisdem restituantur, nisi jam erogatæ sint. Sed quia in Scotia Presbyteriani novum jusjurandum præstare abnuerant, quod in *Proclamatione* super libertate religionis extabat, similis formula *Proclamationi* Anglicanæ haut inserebatur. Ac dicebat Rex Ronquillo legato Hispanico, cum magna hominum multitudo ob persecutionem e Gallia in Angliam profugeret: *Satis se nosse, quanto talis religionem propagandi modus Hispaniæ constiterit. Unde se id exemplum haut secuturum, nec cujuspiam conscientiæ vim illaturum.* Cum tamen Rex eam proclamationem in Consilio prælegi juberet, unus duntaxat surgebat, qui eam laudaret; reliqui tacebant. Ast Presbyteriani ea proclamatione haut lætabantur; quin metus Papismi validius eos compellebat, ut Anglicanæ Ecclesiæ sese associarent, quam quicquid hucusque Episcopi eo fine moliti fuerant. Vicissim multi libelli nullo autore disseminabantur super injustitia legum pœnalium, & solennis jurisjurandi. Inter quos etiam unus prorepebat Tremulorum antesignano Wilhelmo Penno conditus, (qui sub larva Jesuita credebatur,) qui Clero Anglicano exprobrabat, eum unice in causa esse, quare tam asperæ leges latæ, & hucusque exercitæ sint, e quibus omnes turbæ in hoc regno promanarint. Quo ipso Presbyterianos in Episcopales irritare studebat. Sed isti ab ea re plane abhorrebant, ac in novissima eorum congregatione quidam maxime ingenio pollens disseruerat: *Necessum esse, ut ipsi sese considerent sicut pegma aliquod extruendo ædificio adhibitum, quod initio humile, inde gradatim ad parem cum ipso ædificio altitudinem extollitur, ast perfecto ædificio penitus amovetur.*

Pen.

§. 94. Jam itaque promulgabatur edictum Regis super libertate conscientiæ hoc sensu: *Sibi nil magis in votis esse, quam regimen suum ejusmodi fundamento superstruere, per quod cives sui felices reddi, atque secum non minus amore, quam officio uniri queant. Cui fini ipse optimum judicarit liberum religionis exercitium omnibus suis civibus indulgere, conjunctum cum perfecta fruitione bonorum, ac jurium cuique competentium. Equidem optare se, ut omnes sui populi ritibus Romanis addicti sint. Grates se tamen Deo debere, quod semper ea sibi sententia sederit, religioni, & conscientiis vim adhibendam non esse. Quod & idem contra rationes reipublicæ sit; cum ejusmodi coactio commercia interrumpat, frequentiam hominum imminuat; exterosque, quo minus accedant, absterreat, ac nunquam finem, cui adhibetur, assequatur. Id quod etiam ex iis, quæ sub quatuor prioribus regnis circa religionem acta sint, constet. Nam postquam tam sæpe, ac tam enixe laboratum fuerit ut isthoc in regno uniformis religio constitueretur; successum hautquidquam conatui respondisse, ac insuperabiles sese difficultates istis votis objecisse. Sese igitur cura, & affectu erga suos cives ductum, quibus vitam jucundam & tranquillam conciliare, simul commercia augere, & exteris animum huc migrandi addere cupiat; consultum duxisse, hanc indulgentiæ declarationem vi prærogativæ suæ regiæ edere; nec dubitare, quin Parlamentum secum sit consensurum, ubi id convocare sibi placuerit. Sic itaque primo sese tuiturum Archiepiscopos, Episcopos, & alios suos cives Ecclesiæ Anglicanæ addictos circa liberum suæ religionis exercitium, & plenam & pacificam suorum bonorum fruitionem. Simul tamen declarare, in posterum suspensam fore executionem omnium legum pœnalium circa res Ecclesiasticas, sed ne ea libertas regimini suo fraudi sit. Tum velle jubere, ut in conventibus sacrorum causa nil doceatur, quod ullo modo tendat ad animos civium ab ipso alienandos; ut in iis concordia & modestia regnet; ut iidem aperte ac publice fiant, ac omnis sortis hominibus ad eosdem aditus pateat, ac gravi pœna in eos animadvertatur, qui ullo modo eos turbare ausi fuerint. Et quia naturali lege inseparabile jus sit regiæ suæ personæ annexum, ut sibi integrum sit quosvis bonos & idoneos cives suis ministeriis adhibere, neve illi ad hæcce obeunda incapaces reddantur, aut absterreantur per quædam juramenta tali occasione præstari solita; se velle, ut ne recepta hucusque juramenta posthac amplius exigantur, & ut in quos munia collata sunt, iisdem legibus ac pœnis per eas sacrorum nomine intentatis exsolvantur.* His conatibus ut Regem dimoveret, Arausionensis Dyckveldium in Angliam miserat, simul ut iste officium interponeret, quo sibi Arausio, & alia bona in Burgundia, & Luxenburgico Ducatu restituantur. Sed Rex circa hæc responderat: a se in præsens nil conferri posse, ut Princeps suo jure a Gallo potiatur. Sed ejusdem hortatus, ut Rex leges, & religionem illibatas fineret, tum temperamenta, quæ super Catholicorum securitate proponi fuerat, extremo alloquio asseverans; utique se velle, ut solenne jusjurandum remittatur, aut Parlamentum

Libertas conscientiæ in Anglia promulgatur. 5. April.

lamentum dissolvatur. Nam paucos ante dies aliqui e primariis Parlamenti membris dixerant: nullam plane viam adparere cum hujus consensu id jusjurandum abrogandi. Cæterum ea promulgatione facta Papistæ quidem eo nomine gratias Regi agebant; nec minus Anabaptistæ, & Tremuli, & hi quidem præter morem suum detecto capite; ut & nonnulli Presbyteriani. Episcopi quoque Durhamensis, & Chestriensis nomine Cleri sui Regi grates persolvebant ob promissam Ecclesiæ Anglicanæ protectionem. Lincolniensis, & Oxoniensis circummissis literis diœcesi suæ subjectos invitabant, ut idem facerent. Sed isti abnuebant, ne eo ipso agnoscere viderentur, securitatem suæ Ecclesiæ a libidine Regis pendere, ad superstitionem usque Romanis ritibus addicti, cujus & privati sermones fere circa religionem versabantur. Inter id genus scripta pro concessa libertate gratias agentia adulationis improbitate eximium visum fuit, a Collegio Jureconsultorum exhibitum; qui multis verbis extollebant *prærogativas regias, quæ vim legibus dent, quarum studio ipsi operentur; quæ prærogativæ immediate a Deo proveniant, quasque adeo nulla potestas in his terris imminuere queat, Et uti ipsi tempus, operamque suam addixerint addiscendis hisce prærogativis: ita sibi sententiam stare vel cum dispendio vitæ, ac bonorum suorum defendere divinum hocce scitum; a Deo Rex, a Rege Lex.* Eos cordati arguebant fœdum valde specimen jurisprudentiæ edidisse, quod uno velut ictu abolitum irent omnia, super quibus liberi populi cum Regibus suis convenire solent, quando isti in hos imperium ultro conferunt. Quæ cum vera, ac legitima pacta sint, nullam rationem admittere, ut eadem ex mera unius paciscentium partis libidine tollantur. Inter quæ pacta cum etiam conveniri soleat, quod in Anglia factum, ut leges nec ferantur, nec abrogentur absque consensu populi, quem Parlamentum repræsentat; absurdum esse Regi potestatem leges pro lubitu abrogandi, aut de iis dispensandi tribuere. Ac ruinosam admodum fore scientiam legum, si istæ a libidine Regis pendeant. Glocestriensis quoque civitas Regi pro facta proclamatione gratias egerat ac promiserat, se futuro Parlamento electuram, qui ad istam confirmandam connixuri sint.

§. 95. Enimvero quia Rex palam præ se ferebat, id agi, ut libertas religioni a se indulta, quæ commodissima videbatur via Romanis ritibus introducendis, redderetur immutabilis; & vero deprehenderat, vetus Parlamentum totiens prorogatum in suam sententiam pertrahi non posse; id demum dissolvebat, ac de novo convocando agitabat, componendo ex hominibus ad ipsius sese nutum attemperaturis. Unde per totum regnum circa ejusmodi magistratus constituendos satagebatur, qui e placito Regis membra Parlamenti electuri essent, tum prohibituri, ne crearentur, qui a Rege muneribus suis exuti fuerant. Ipse Rex per complures Regni provincias circumibat, ac ubique epulis se excipi curabat, quo occasio foret animis provincialium futuræ membrorum Parlamenti electioni præparandis. Etsi successus sperato minor fuit, plerisque, quos eo nomine Rex alloquebatur, frigide respondentibus. Scilicet maxima difficultas erat, quomodo tot membra Domus Inferioris parari possent, quot opus erat pervincendis Regis destinatis. Nam Superior Domus facilius ad placita Regis pertrahi posse videbatur creatis novis proceribus, aut alio ablegatis, qui huic instituto adversabantur. Cum itaque cujusque provinciæ Nobilitati jus sit, binos nominandi ejus provinciæ nomine Parlamento interfuturos; in singulis provinciis Nobilitas per gubernatores convocabatur, qui a singulis postulabant, ut si electio ipsos tangat, suffragium ferant abolendis legibus pœnalibus, & solenni jurijurando. Aut ubi ipsi non eligantur, operam dent tales eligi, queis placitum Regis exsequi cordi sit. Addebantur monita, ut placide cum vicinis suis agant, indigenæ, seu peregrini sint. Quo insinuabatur, ut amice admitterentur *Missionarii*, qui magno numero per provincias diffundebantur, pertrahendis ad scita Romana hominibus. Ex his Gubernatoribus plerique negotium id alacriter perficiebant, eandem cum Rege sententiam foventes. Pauci, quæ injungebantur suscipiebant reluctanti animo, & ut ipsi negaturi essent, si suam sententiam rogarentur. Sed qui eam operam plane recusabant, muneribus exuebantur. Ast tam enixo studio parum profectum, ac sicubi in magno Nobilium numero bini aut terni reperiebantur, qui promte ad Gubernatoris propositionem respondebant, ii fere e *Dissentientibus* erant, & e pressa religione. Circa urbes majoris momenti res videbatur, quod quæ jus ad Parlamentum delegatos mittendi habent, provincias numero longe excedant. Igitur Collegia magistratuum per urbes vel plane mutabantur, vel quantum poterat Papistarum inferciebatur. Extremum subsidium in electione Prætorum erat, qui omnes fere Romanis ritibus addicti constituebantur. Per hos quippe diplomata delegatis ad Parlamentum expediuntur, quibus in proclivi est unius nomen pro altero substituere. Id quoque meditabatur Rex, ut a præfectis exercitus libellus subscriberetur, quo solennis jurisjurandi abolitio peteretur. Ac multi credebant, eum præfectos istos militares Parlamento inserere conaturum, ejectis, qui sibi cupitis suffragari nollent: uti quondam Cromvellus egerat. De quo facto cum hic ipse Rex, tunc Eboracensis Dux, in exilio audisset, dixerat: *eam actionem fere regiam fuisse*; multis tunc Anglis id mirantibus.

§. 96. Cæterum Rex cum satis intelligeret, quantum momenti obtinendo suo scopo habiturum esset, si Arausionensis eum probaret, quem ingentibus promissis demulcebat, & eo minus de ejus assensu dubitabat, quod is in republica viveret, cujus primaria ratio habetur, ut cuivis libera quicquid arrideat credendi libertas sit; multoties Fagelium, ut eam sibi perscriberet, stimulaverat. Is cum diu dubitasset, quod & assentando grave præjudicium Anglicanæ Ecclesiæ creaturus esset, & animi sensa candide exponendo Regis offensam prævideret; demum urgente Jacobo Stevvardo advocato honestissimum ratus Principis sententiam non amplius dissimulare, literas hoc sensu ad istum scripsit. *Dolet mihi adversam valetudinem tamdiu obstitisse, quo minus ad tuas literas respondere potuerim, quibus tam enixe desideras cognoscere, quænam Arausionensis, ejusque Conjugis sententia sit super abolitione legum pœnalium. & solennis jurisjurandi, quo Romana scita abrogantur. Id igitur tibi*

1687. *Dissenters.* *Corporations.* *Sheriffs.* *Arausionensis sententia super Regis destinatis.* 4. Nov.

1687. *tibi persuadeas velim, me candide tecum, ac citra dissimulationem acturum, quod profiteris, literas tuas conscio & adprobante Rege scriptas esse. Unde certo credas, utrumque Principem sæpius, ac inprimis Albivillio Marchioni Regis ablegato declarasse, sua sententia non posse Christiano ob conscientiam suam persecutionem intentari, aut eidem ideo molestiam facessi, quod a publica, & per leges firmata religione discedat. Eoque ipsos facile consentire posse, ut Papistis in Anglia, Scotia & Hibernia religionem suam continuare permittatur eadem cum libertate, qui ipsi in his quoque provinciis indulgetur, ubi iidem sane plena conscientiæ libertate gaudent. Circa eos autem, quos* Dissentientes *vocant, non consentire solum, sed & admodum probare eos plena libertate circa exercendum cultum divinum nullo impediente frui, ac ut nemini facultas sit eos turbandi. Ac si Rex id desideret, Principes testandæ animi in eam rem promtitudini operam suam offerre, ut ea libertas stabiliatur, parati quoque pro viribus eam tutari, ac sponsionem suam interponere. Quod si & Rex insuper cupiat ipsos ad abrogationem legum pœnalium concurrere, ad id quoque promtos se offerre, hac duntaxat cum conditione, ut leges, per quas Catholico-Romani ex utraque Parlamenti Domo, omnibusque publicis tam ecclesiasticis, quam civilibus, & militaribus muneribus excluduntur, in pleno vigore persistant, non minus quam omnes reliquæ leges, quæ Protestantium religionem confirmant, eamque contra omnes Pontificiorum machinationes in tuto collocant. Tum ut solenne jusjurandum, quod* Test *nuncupant, utique in usu maneat. In harum abrogationem nullo modo eos consentire posse, quod per easdem nil præjudicii, aut damni Pontificiis inferatur, quam quod Parlamenti, & publicis muneribus arceantur, & quod Protestantium religio per eas adversus omnes Pontificiorum molitiones protegitur, & communis securitas stabilitur. Neque dici posse, solenne jusjurandum, aliasque leges rigoris quid, aut violentiæ in Pontificiorum conscientias continere. Esse enim eas duntaxat cautelas, quibus Parlamenti membra huic functioni obeundæ idonea redduntur; dum coram Deo, & hominibus testari necessum habent, Protestantium religioni se revera addictos. Quod non ulterius porrigitur, quam ut Protestantium sacris adversus omnem noxam, quam hac a Pontificiis capere possint, prospiciatur. Persuasisse sibi Principes, & adhuc persuadere, nil amplius a se desiderari atque expectari posse; quod hoc remedio Papistæ, eorumque posteri in perpetuum adversus quamvis læsionem, sibi suisque bonis inferendam, in tuto collocandi sint, salvo quoque sacrorum suorum exercitio. Atque ea libertate Romano-Catholicos adquiescere par esse, nec regnum turbis involvere ideo tantum, quia ad Parlamentum, & alia munia publica non admittuntur; aut quia leges, quibus præcipue religionis Protestantium securitas innititur, non abrogantur; quo ipso hi in ejusmodi statum reponantur, ut facile ab istis opprimi queant. Nec minus Principes judicare,* Dissentientes *plane contentos fore, si in perpetuum ab omni periculo ipsis caveatur, ne quovis prætexto in libero sui cultu turbentur, aut eo nomine pœnarum quid luant. Cum igitur Principes mentem suam circa hoc negotium ita perspicue declararint, sane adparere tantum abesse, ut ullum impedimentum adferre velint, quo minus* Dissentientes *a rigore legum pœnalium eximantur, ut etiam parati sint operam ei libertati firmandæ accommodare. Nec Pontificiis exercitium rituum suorum adimi velle, modo id privatim, & citra pompam, ac splendorem fiat. Ast quod seipsum concernat, se ab iis semper dissensisse, & adhuc dissentire, qui Christianum hominem ideo persequi instituunt, quod a religione publice firmata discedat. Quia enim lumen, quo cultus divinus mentes nostras perfundit, quantum ipse concipere possit, utique effectus divinæ erga nos misericordiæ sit: suo judicio par esse Deo grates quantum possumus maximas exsolvendas pro exhibita nobis bonitate; tum nos commiseratione eorum, qui adhuc in errore versantur, tangi, sicut Deus nostri misertus est: simul precibus Deum exorare, ut a via veritatis aberrantes in hanc reducere velit; iisque corrigendis lenia, & amica remedia adhibere. Enimvero id se nunquam animo potuisse concipere, quomodo quispiam Christianum se ferens, cui liberum est suæ religioni citra impedimentum operari, licitum sibi esse arbitrari queat quietem reipublicæ turbare, ac summa imis vertere, eo duntaxat fine, ut ipse ad publica munia admittatur, ac ut leges, queis securitas publice firmatæ religionis constat, subvertantur. Sane Reformatam religionem favente divina gratia, & legibus publicis per decreta Regum, ac Parlamenti in tribus regnis stabilitam. Legibus cautum, ne quis ad sessionem in Parlamento, aut ullam functionem publicam admittatur, præter eos, qui publice declarant, Protestantium se religioni, non Romano-Catholicæ addictos esse. Nec minus per leges provisum, ut Protestantium religio adversus omnes Pontificiorum molitiones tuta sit. E quibus omnibus nil sane asperitatis adparere contra eos, qui jusjurandum Pontificiæ religioni repugnans præstare nequeunt. Omnem molestiam, quæ istis inde provenit, huc redire, ut salvis personis, bonisque, ac salvo cultus sui exercitio in partem regiminis, aut munia alicujus momenti admitti nequeant, quamdiu conscientia ipsorum non* 1687.

permittit

permittit solenne jusjurandum præstare; ac ut integrum iisdem non sit aliquid in fraudem Reformatæ religionis moliri. Cum itaque Principes parati sint cum Rege operam sociare circa abolendas leges pœnales, per quas homines pecuniariis, aliisque mulctis subjiciuntur; id unicum restat, quod aliqui contendunt, Papistas quoque obeundis quibusvis muneribus publicis idoneos declarandos, eoque omnes leges revocandas, per quas Protestantium sacra adversus istorum machinationes in tuto collocantur: quas tamen Protestantes non minore studio salvas servare nituntur, velut quarum inviolabili sanctimonia securitas publice stabilita religionis innitatur. Atqui nullum dari regnum, nullam rempublicam, aut societatem, cujus securitas certis legibus haut muniatur; ubi non adversus consilia communem quietem turbantia prospiciatur; ubi non certæ conditiones requirantur in iis, qui munia publica gesturi sunt. Nec quempiam queri posse injuriam sibi fieri, quod ad munera publica non admittatur, quamdiu requisitas conditiones haut impleverit. Sed nec negari posse, ingens discrimen animadverti, si consideretur, qua ratione Reformati, ac Pontificii mutuo agant. Hos quippe haut contentos Reformatis omnem aditum ad proficuas functiones præclusisse, ad exercitium religionis plane supprimendum conniti, omnes eam professos acerrime persequi; idque omnibus locis facere, ubi tuto, ac citra periculum istam asperitatem exserere possunt. Ac maximo se dolore perstringi, ubi hoc tempore tot tristia exempla diversis locis patrari adspiciat. Quæ ergo rationes adferri queant, quæ aliquem Protestantem, cui pietas, & sua religio cordi est, permovere queant, ut in abolitionem legum autoritate Regis, & Parlamenti conditarum consentiat? Quæ non alio spectant, quam ut Reformata religio in tuto collocetur, ac Papistis facultas eam subvertendi adimatur. Eas sane nullam mulctam pecuniariam, aliamque pœnam irrogare, sed Catholicos duntaxat a parte regiminis excludere; qui ubi ad ullum munus admittantur, necessitatem sibi impositam credant partes suas firmandi, ac potentiam, autoritatemque suam augendi. Quod quanto periculo, ac damno religionis Reformatæ cessurum sit, ex iis, quæ quotidie in oculos nostros incurrant, colligi posse. Sane ubique terrarum, qui publicis in muneribus versantur, a natura proclives esse, ut ei religioni, cui ipsi sunt addicti, plus minusve faveant. Cui ergo in mentem venire possit, Principes, quos Deus honore patrocinii in suam Ecclesiam dignatus est, inducere, ut tam noxia Reformatæ religioni, ac publicæ securitati probent? Sed nec ab ullo sibi persuaderi posse, ista in fraudem Reformatæ religionis haut tendere. Equidem jactari, numerum Catholicorum in Anglia & Scotia valde exiguum esse, paucisque adeo niti; id quod tamen in Hibernia secus est. Atqui iniquum, in tam paucorum gratiam statum, & quietem publicam turbare. Sane præsenti rerum facie probabile est Catholicos haut valde cupere publicis muneribus fungi, aut infesta Reformatis sacris moliri, tum qui leges obstant, tum quia multas molestias talia conantes in se pertrahere queant. Ast semel soluto legum vinculo eas præcipuas reipublicæ dignitates occupaturos, numero quoque & opibus indies augendis. Ac Regi, quantumcunque constantiæ polliceatur, difficile fore istis circa hæc resistere importune solicitaturis, ac velut is per conscientiam ipsis favere teneatur ingesturis. Istis autem ad publicas functiones admissis, quid Protestantibus restabit præsidio legum orbatis? Aut quid ab ejusmodi magistratibus solatii eisdem expectandum? Ast quid emolumenti Papistis eo facto accessurum sit omni fræno exsolutis, clarius esse, quam ut eo demonstrando tempus prodigi debeat. Equidem se sinceram Regis intentionem in dubium revocare nolle, quem facile credas nil aliud quærere, quam ut cives sui per omnia iisdem privilegiis, ac eodem libertatis gradu fruantur. Enimvero & manifestis rationibus & experientia satis constare, fieri non posse, ut Romano-Catholici & Protestantes, ubi publicis muneribus mixti agant, inter se pacifice vivere, ac sinceram amicitiam colere queant; sed semper inter eosdem suspiciones, atque æmulationes gliscere. Nam primaria harum religionum scita ita invicem repugnare, ut animo concipi nequeat, quomodo penes ullum Regem aut Principem esse queat prohibere, ne ulla occasione suspiciones ac diffidia inter eos oriri queant. Equidem occini; frustra fore Papistas legibus pœnalibus in ipsos latis eximere velle, ni simul solenne jusjurandum aboleatur; id quod nimis quam durum sit. Ast ejus rei culpa penes ipsos solos est, quod malunt se, suosque posteros jugo legum pœnalium premi, ac odio totius nationis exponi, quam ita constringi, ut nil contra quietem & securitatem religionis Protestantium moliri queant, & exiguo cum damno a parte regiminis, ac muneribus publicis exclusi agere debeant; cum tamen toto orbe religio legibus confirmata prærogativa quid obtineat. Sane Papistarum consilia eo magis suspecta Protestantibus esse debere, iisque in tempore obsisti par esse, quod iidem rigori adhuc legum pœnalium obnoxii persuadere Regi nitantur, ut hic istos nolentes volentes compellat ad cautelas suæ religionis destruendas, ac ipsis viam ad munia publica grassandi muniat. Quo facto Protestantibus nil aliud præsidii reliquum

1687. *reliquum fuerit, quam quod a regimine Romanæ Ecclesiæ sciis addicto expectari potest. Unde modestiam plane decoxisse oportere, qui Principibus incommoda, quæ ex hoc negotio provenire queant, tribuere velint; qui tamen ita candide mentem suam in Pontificiorum favorem declaraverint. In uno illo rem hærere, quod Principes consentire nequeant in talia, quæ legibus adversa fronte repugnant, ac præsens periculum, atque exitium sacris Protestantium secum trahunt: quale est, Papistas in partem regiminis, & magni momenti functiones admittere, ac leges tollere, queis Protestantium sacris adversus istorum machinationes cavetur. In Belgio quoque eosdem ab omnibus partibus administrandæ Reip. excludi; etsi lege aliqua publica militaribus præfecturis haut arceantur, quod iidem prima reipublicæ fundatione egregiam operam cum reliquis ad communem libertatem asserendam navarint. Nec inde suæ Reipublicæ securitatem periclitari, quod numerus eorum, qui stipendia apud ipsos mereant, modicus sit; ac Respublica omnibus incommodis inde provenire aptis facile occurrere queat; id quod non ita in promtu foret, si Catholici in partem munerum, quæ summam Reipublicæ, ac justitiam spectant, veniant. Cæterum Principes nil magis optare, quam ut Rex feliciter, ac de civium amore certus regnare possit, ac ut cives, ubi paternum Regis in se animum senserint, ac debitum obsequium extremis viribus eidem exhibendum parati sint. Enimvero eosdem in conscientia convictos, sacra Protestantium, & nationis securitatem certo periculo objici, solenni jurejurando, & legibus pœnalibus abrogatis, eoque circa hæc Regis voluntati sese attemperare non posse; quod nunquam Deo adprobaturi sint, si præsentis emolumenti respectu inducti talia probent, & promoveant, quæ suo judicio non periculum modo, sed certum exitium religioni protestantium creatura sint. Equidem Principes Regi semper decentem venerationem exhibituros, ad quam divino ac naturali lege tenentur. Sed quia in præsens non id agitur, ut novæ leges condantur, sed ut jam a Rege, & Parlamento latæ abrogentur, ab iis postulari non posse, ut in id consentiant: quod legibus ac moribus omnium Statuum Christianorum, tam Romanæ quam Protestantium sacra professorum receptum sit, in partem regiminis non admittere, qui non publice probatam ac firmatam religionem profitentur.* Cæterum in Anglia paulo ante publicatæ fuerant literæ velut ab Albivillio scriptæ, queis fingebatur, Arausionensem, ejusque conjugem in abolitionem solennis jurisjurandi consentire; unde non modica animorum alteratio in eo regno oriebatur. Igitur bonæ causæ addicti consultum ducebant ad errorem vulgo eximendum Fagelii literas publici juris facere; idque hic eo minus vitio sibi verti posse ducebat, quod Rex tam sæpe institisset, ut sententiam suam super hoc negotio perscriberet. Ast Rex eam literarum editionem ægerrime ferebat, magnopere in Gilbertum Burnetum irritatus, quem earum autorem credebat; eumque ad dicendam causam in Scotiam evocabat. Sed quem Belgæ dedere abnuebant, quod is cum consensu Regis patria excessisset, ac jus civitatis Amstelodami adquisivisset, eoque indigena Hollandiæ haberetur. Offerebant tamen, si quam de eo querendi causam Rex habeat, sese promte justitiam administraturos; Rege vicissim fremente, id omnibus tractatibus repugnare, quæ Angliæ regno, cum Belgarum republica intercedant, & hanc vel solam bello idoneam esse causam, si id movere libido foret. 1687.

§. 97. Cum igitur satis pateret, quantum præsidium religioni ac libertati in Arausionensi, ejusque conjuge Maria positum esset, in quos & affectus, & spes populi Anglicani indies gliscebat; Pontificiis contra fiducia nascebatur Protestantium vota elidendi per fertilitatem Reginæ, quam prægnantem esse circa id tempus vulgabatur; quæ & raro jam solito cœnaculo prandebat, ac omnes præcautiones prægnantibus solitas observabat. Etsi aliqui protinus scrupulum movebant, quo primo gestationis tempore vena bis ipsi secta fuisset; ac alias ambigua graviditatis signa præ se ferre suevisset, aliquando mensibus integro trimestri cessantibus. Sed cum jam duodecima septimana a conceptione cedere diceretur, in Consilio gratiæ eo nomine Deo agendæ, votaque pro felici partu decernebantur. Ac mox domestici Reginæ vulgabant motum fœtus pridie Kalendas Januarias deprehensum fuisse. Jam quoque nutrix designabatur, ac legati Hispanici Comitis Bedmari alloquium per quatriduum differebatur velut ob molestias gravidis solitas. Londini publice preces pro partu Reginæ fieri cœperunt die Dominica, ut frequentia populi eo major esset. Sed per urbem nulla publica lætitiæ signa edebantur, nisi quod sub solenni Missa e Turri machinis perstreperetur. Pater Petrus Jesuita alta voce velut vaticinabundus pronuntiabat: *brevi tempore longe majorem publici gaudii materiam fore e nativitate Principis Walliæ.* Jam quoque a Papistis Londini strenue in hujus sanitatem bibebatur; ac erant, qui depositis pecuniis certare auderent, filium e Regina nasciturum. Publicis precibus non solum de partu Reginæ mentio fiebat, sed & non obscure de præsenti Catholicorum oppressione, eorumque futura liberatione insinuabatur. Hagæ tamen cum Albivillius preces pro partu Reginæ introduceret, plurimi statim id figmentum censebant, muniendæ ad suppositionem viæ. Ast Rex indies ferocius cœpta urgens, cum hucusque jactatum fuisset, mutationem eorum, qui munia gerebant, clam, aut alio prætexto factam; jam nulla ambage fatebatur talia fieri, ut promulgata conscientiæ libertas defendatur, ac in perpetuam legem evalescat. Eo fine consultum judicasse ad perficiendum opus tam sanctum, & salutare, ut recensionem instituat gubernatorum per provincias, & *Judicum pacis*; quo in statione sua serventur, qui ei rei perficiundæ operam navare cupiant; in reliquorum locum surrogatis, de quorum studio constet. Edebat quoque Oxoniensis Episcopus librum, quo persuadere conabatur membris Parlamenti, ne solitum hactenus jusjurandum præstent, quod & merito in universum aboleri debeat. Qui liber tamen non parum ad id conferebat, ut convocatio Parlamenti differretur, quod Ecclesiastici dicerent, eum juxta leges meritum, ut munere dejiciatur. Seculares autem proceres differebant; *convocato Parlamento primum a Superiore Domo suscipiendum fore,*

De graviditate Reginæ opinio nascitur.

31. Dec. 1687. st. v.

15. Jan. 1688.

fore, ut a Rege petatur justitiam administrari contra aliquem e suo numero, qui de toto corpore haut loquatur, uti par sit. Ast Rex quo parcius destinata sua probari animadvertebat, eo magis ista per violentiam pervincere conabatur. Cum Dorsetiæ Comes de abolendis legibus pœnalibus in provincia sua Sussexia proponere jussisset, atque is regereret; *difficile sibi fore aliis rem persvadere, de cujus necessitate ipse persvasus non sit;* protinus Rex eum Gubernatoris munere exuebat, idque in Povvisium conferebat. Mox & Academiæ a tribunali Ecclesiastico invadebantur. Et Cantabrigienses quidem sat acriter castigati sunt, quod cuipiam Pontificio scholasticos honores conferre abnuissent. Oxoniæ autem *Socii* Collegii Magdalenæ, quod præsidem a Rege propositum Romanis ritibus addictum recipere abnuissent, beneficio expellebantur, surrogatis in eorum locum decem Pontificiis. Simul ad Episcopos rescribebatur, ne quid sacri muneris in istos conferretur. Ac ut populus paulatim adsvesceret monachos in publico conspicere, Corkerus Residens Coloniensis habitu monachi Benedictini, multis aliis cucullatis comitantibus, ad alloquium Regis deducebatur.

§. 98. Nec minus Rex ferociter Belgas insultare, & ex horum navibus socios navales Anglicæ nationis eximere. Qua super re querenti Arnoldo Cittero legato Belgico responsum: *veterem esse in Anglia constitutionem, ut indigenæ nautæ, qui in exterorum navibus reperiantur, inde abstrahantur.* Præterea idem sex legiones Anglis, & Scotis constantes, quæ apud Belgas stipendia merebant, revocabat, haut significato, qua necessitate, aut quo fine id fieret: cum is militum numerus nimius foret, si in Anglia subsistendum eidem sit; præsertim cum Rex eodem tempore tres legiones ex Hibernia evocasset, a Papistis fere Hibernicis compositas. Nec adparebat, adversus quem vicinorum istæ adhibendæ forent. Ast Belgæ eas legiones dimittere abnuebant, ad id se haut teneri excusantes. *Militiam suam fere externis constare. Si omnes Principes apud se natos avocent, brevi parum sibi militum superfore. Præfectos tamen, & quos Rex peculiariter desideret, exauctorari a se posse, si contractum a se æs alienum prius dissolverint. Gregarios Reipublica pecunia conductos, armisque ac vestibus instructos, & huc trajectos; quibus Respublica in præsens carere nequeat. Neque vero conventionem super restitutione harum legionum exstare.* Quanquam enim produceretur pactum ab Arausionensi anno 1678 cum Osserio Comite super remittendis in patriam iis legionibus: iste tamen ostendebat, eam conventionem haut porrectam fuisse ad legiones, quæ diu apud Rempublicam stipendia fecerint; nec eam ab Ordinibus Generalibus unquam ratihabitam. Ea Belgarum negatione Rex admodum indignabatur, jactans, sat sibi causæ præbitum, si bellandi libido sibi foret. Sed res domesticas bellum externum haut suadere. Isthæc legionum avocatio Arausionensi haut improvisa acciderat. Quia enim Rex earum præfectos nominare sueverat, Princeps Albivillio denuntiabat; se nullum religioni Romanæ addictum admissurum. Ad quæ Albivillius statim de avocatione legionum jecerat. Scilicet Rex, ejusque Consilium a Jesuitis pendens consideraverat, Arausionensem exclusis Catholicis præfectis valido Anglicano milite succingi, quo in omnem casum confidere queat, si quid in Angliam tentare placeat. Post cum Rex in Consilio convocationem Parlamenti urgeret, prudentiores judicabant, ob aversos civium animos eum destinatis suis haut potiturum. Et cum iste regereret; Cromvellum utique usurpatorem potuisse Parlamentum ad placitum suum compellere: respondebatur; ei XX M militum fuisse, quibus Parlamentum circumsederit. Ad quæ Rex; sibi quoque totidem milites esse, quibus legiones ex Hollandia adjungere velit. Cum opponeretur; Cromvellum omnibus & singulis militibus potuisse confidere; Rex reponebat; id se quoque effecturum. Ita Rex omnia præcipitare gaudens, tempore quam maxime suis destinatis importuno Arausionensem, & Belgas in se irritabat. Qui statim classem armare incipiebant plausibili prætexto; providendum sibi, ne imparati opprimantur; præsertim cum & multus rumor de Gallica classe esset. Ac Amstelodamenses statim decernebant, legiones non esse dimittendas, quod satis adpareat, oppressionem religionis quæri. Quin universo in Belgio populus valde in Jacobum irritatus magnam Arausionensis destinatis facilitatem adferebat. Unde cum Rex legionum revocationem iteraret, Belgæ eam denuo abrupte negabant. Etsi non prohibebant, quo minus quadraginta amplius præfecti abdicata ipsorum militia in Angliam se conferrent. Ita Rex ad acriora conversus edicto omnes indigenas revocabat, qui terra, marive apud Belgas stipendia mererent, ac præfectos quidem ad certum diem, gregarios autem, quando commode venire possint. Ad quod edictum cum multi præfecti in Angliam reverterent, Rex tres adhuc legiones conscribere decrevit, ut hisce stationes procuraret. Ast Belgæ eam revocationem renovatis tractatibus repugnare querebantur, per quos utriusque subjectis permissum sit in alterius ditione agere, & commercia atque negotia sua tractare. Per leges quoque Angliæ quovis ejus nationis homines liberos haberi, ac nemini necessum esse permissionem obtinere ad mare transmittendum, præterquam proceribus, qui omnes peculiari vinculo stringantur. Id Edictum quoque socios navales in Anglia valde irritaverat, quod plerique istorum itineribus in Hispaniam, & Italiam coram inspectos ritus Romanos aversabantur, indignati quoque a Rege sibi libertatem adimi apud exteros merendi. Sic ut hoc facto Rex classiariorum animos a se valde alienaret. Postulabat quoque Rex, ut Belgæ duos libellos in Belgio impressos per carnificem comburerent, quorum titulus erat: *Continuatio Oraculi*, & *Triumphus Libertatis*. Sed reponebatur: in Hollandia moris non esse libros comburere; ac prius nosse se velle, quomodo Rex ipsis satisfacere velit ob librum, cui titulus *Parlamentum Pacificum*, in quo sua Respublica contumeliose habita fuerit. Quanquam autem Gallus istam Jacobi vehementiam in plerisque haut probaret, hoc vicissim querente, a Gallo suos conatus segniter fulciri; non minus tamen & hic Arausionensem lacessebat, dum omnibus bonis Clericorum, & Nobilium Hispaniæ subditorum, per loca Flandriæ recens adquisita sitis, manus injicit ob

Margin notes: 1688. — 9. Feb. — 8. April. — *La Suite d' Oracle.* *Le Triomphe de la Liberté.*

1688. ob sententiam a Bruxellensi Curia latam in causa, quam Comes Sorlæ Principi ob bona quædam intentaverat; omnibus mirantibus, Gallum odio in Arausionensem usque adeo in transversum rapi, ut judices per vim cogere instituerat ad sententiam contra conscientiam, & manifestas probationes pronuntiandam. Qui & post ei judicio triginta adhuc dies præfigebat ad decretoriam in ea causa sententiam dicendam, minatus; alias se ipsum Comiti ut satisfiat curaturum. Sed & vitæ Arausionensis insidiæ struebantur per duos Hibernos, qui Amstelodami Germanum quendam pecunia corrumpere conati fuerant, ut veneno istum necaret; quod cum hic recusaret, iidem in Hagensibus encœniis cædis occasionem quæsierant. Super isthac ergo rerum facie legatus Hispanicus Regem alloquebatur; se metuere, ne dissidium isthoc inter ipsum, & Belgas demum in bellum erumpat. Ast Rex censebat, nil periculi subesse; nam se ad pacem in orbe Christiano servandam pronum esse. Nec inter Gallum, & Belgas turbarum quid nasciturum. Si tamen motus aliquis surrecturus sit, id sibi fore videri ob actionem, quam Aurelianensis conjux in Palatinatum moveat. Veniebat quoque a Furstenbergio missus Londinum, qui clam cum Rege agebat, ad quem a legato Gallico introductus fuerat. Is inter alia querebatur, Belgas CCC M uncialium largiri voluisse, ne ipse Coadjutor fieret.

Arausionensis super hoc negotio consilia confert.

§. 99. Ista Regis destinata quo demum evasura essent, tum Electori non parum curarum injecerant, tum præcipue Arausionensem dudum adverterant, cujus privatum intererat ista non succedere. Unde & super iisdem retundendis jam Cliviæ anno 1686 cum Electore consilia contulerat, adducto simul Friderico Schombergio qui ad fortiter audendum stimulas subdebat. Ubi placuit, omni modo impediendum, ne Jacobus votis suis in Anglia potiatur, communi Protestantium rei exitium allaturis, ac idoneam erumpendi occasionem captandam. Interim Schombergius tantisper Electoris ministerio se addiceret; post ubi negotium maturuisse visum fuerit, Principi exsequendis in Angliam conatibus adstiturus. Is dum e Lusitania in Belgium trajicit, non solum portuum Anglicorum conditionem inspexerat, sed & cum quibusdam proceribus in eam rem sermones miscuerat, inde in Hollandia Principi fortia consilia, in quæ is ultro ferebatur, ingesserat; quem & subinde ex Anglia venientes proceres incitabant, opera, & pecunia sua largiter oblata. Accedebat dehinc sub finem Ianuarii hujus anni ad Electorem missus e proceribus Scotiæ Levvius, qui ostendebat, ut Angliæ proceres liberationem suam accelerari urgeant, ac jam tempus monere judicent, ut manus rei admoveatur. Idem & jussu Arausionensis Friderico Principi Electorali, ac soli Eberhardo Danckelmanno id secretum communicabant; in cujus conscientiam nemo tota aula tunc admissus fuit. Quod Elector, velut ad servandam Europæ libertatem, ac Protestantium religionem maxime necessarium, summopere probabat.

Electoris obitus.

§. 100. Ita ergo non in Anglia solum, sed & Boreales inter periculosi ignes doloso cineri suppositi gliscebant. Ast longe atrocius incendium a Galli ambitione, & aliena rapiendi libidine, modum finemque nesciente, Germaniæ imminebat; quod & Electorem ob privatas, publicasque rationes impliciturum erat, animis peculiariter exulceratum, quod spes ipsum fefellisset, per inducias quieti patriæ longum ad tempus consuli posse. Enimvero antequam is turbo erumperet, Deo placuit, istum rebus humanis eximere, diuturna invaletudine, ac senio eo redactum, ut ardorem animi corpus non amplius subsequi posset. Et exorto bello acerbissimum ipsi futurum erat suo exercitu non posse imperare; id quod semper eidem solitum fuerat. Jam a pluribus annis arthritici dolores ipsi usum pedum, ac subinde & manuum interceperant: tum & alii morbi incurrentes vires ita afflixerant, ut dies fere sedendo, aut jacendo exigendi forent, nec nisi gestatoriæ sellæ ope locum mutare daretur. Ad extremum pedes tumore corripi cœpti; unde paulatim ad superiora serpens aqua intercus corpus implere, simul vires plane imminuere. Adversus id mali cum adhibita efficacissima remedia nil proficerent, Elector qui hactenus plus vigoris, quam revera erat, præ se tulerat, ne conjugi ante tempus dolorem crearet, sine strepitu disponere instituit, quæ bonum Principem, patrem, atque Christianum hinc excessurum curare par est. Quæ accuratius exponere haut leve operæ pretium fuerit, quod extremum istum vitæ actum bene absolvisse non minoris sit, quam præclaris certasse; qui sane ita speciosus eidem divinitus contigit, ut merito aliis in exemplum proponi debeat. Iam Potstami decumbenti dies XXVII 27. Apr. Aprilis illuxerat, quam quæ antegressa erat noctem per insomniam molestissime exegerat; mane hora septima lecto se levari, ac vestibus indui, simul Consilium convocari jubet, cujus habendi dies Veneris stata erat. Et cum Consiliarii paulo tardius accedere viderentur, semel atque iterum ad eos circummittebat, ut venire maturarent. Postquam omnes consedissent, ac nemo tale quid animo præcepisset, is ad Fridericum filium ita fari incipiebat: *Sibi persuasum esse, extremum nunc vitæ Consilium a se habitum iri, ac parum sibi vitæ superesse. Sese divina favente gratia longum ac felix, sed & laboriosum valde regimen multa inter bella, turbasque exegisse, quæ sibi plurimum molestiæ, & curarum, ditionibus suis non parum calamitatum pepererint. Quo in statu ipse provincias suas post Parentis sui obitum repererit, & quantopere omnia bello exhausta, atque evastata fuerint, nemini ignotum esse. Sed qua facie easdem jam Dei beneficio relinquat, id in omnium oculos incurrere. Ejusdem ope adspirante eo se res suas provexisse, ut hostibus terrori fuerit, ab amicis amari, atque honorari meruerit. Nunc sese ei regimen tradere, simul hortari, ut eandem viam, qua ipse imperando incesserit, insistat. In tanta rerum mole tractanda debitam circumspectionem adhiberet; arma e manibus haud amitteret, per quæ provinciarum securitas, ac partum Domui decus conservandum sit; cives suos amaret; fidorum suorum Consiliariorum opera uteretur; nec unquam inde vis se abduci pateretur, sed utique operam daret, ut quam a se gloria hæreditatem cernat, illibatam servet, atque augeat. Se nonnulla*

1688. *nonnulla monita circa gerendum imperium scripto concepisse*, (quod simul ei tradebat,) *ac sperare, ista utilem ipsi instructionem prabitura.* Inde ad Consiliarios conversus gratias iis agebat pro exhibita fideli, & egregia opera, quam & filio, ac successori suo ipsos continuaturos speret. Magnopere sibi in votis fuisse, ante obitum cives suos ab incumbentibus oneribus aliquo levamento solari; sed ob iniquitatem temporum id effectui dare non potuisse. Ad ista Princeps filius primo, quæ pietas erga tam indulgentem, ac bene meritum Parentem suggerebat, non sine lacrymis respondebat. Inde Fridericus Schombergius, antea Franciæ Mareschallus velut primus Consilii: Magno sibi dolori esse, quod cum ipse novissimus in hoc Consilium adscitus fuerit, ad tam tristem propositionem primus respondere debeat. Se quidem, quoad Deus vitam indulserit, Ipsi, Principique successori, totique domui Electorali fidem, ac quicquid a se proficisci possit ministeriorum, summo studio adprobaturum. Ad quæ Elector; sibi ipsius honestum animum satis cognitum. Inde reliqui Consiliarii pro se quisque devotum ipsi, domuique animum testari, quantum immensus dolor, ac erumpens lacrymarum vis permittebat. Et quia tam tenera mutui affectus testatio Electoris animum non mediocriter perstrinxerat, ac suborta virium defectio tam tristem sermonem persequi vetabat, singulis blando vultu annuebat, ab iis dicta sibi quam gratissima fuisse. Inde ipso exigente nonnulla adhuc negotia proponebantur, circa quæ ita tranquillo animo decernebat, ac si integra valetudo persisteret. Finito consilio in cubiculum se reportari jussit, quo solum Principem Electoralem evocavit. Quem denuo hortatus est, ut a se e paterno, ac fidissimo adfectu dictis obtemperet, si divini Numinis juxta, ac paterna benedictione gaudere velit. Et cum inde Princeps in genua se submitteret, Elector alacri animo gravibus admodum, ac penetrantibus verbis paterna istum benedictione impertiebat; simul ingenti numisinate aureo velut extremo amoris monumento donabat. A meridie circa domus suæ res disponebat citra strepitum, ne conjux, quæ semper fere in cubiculo aderat, labentes vires animadverteret. Tum illos, qui in cubiculo ipsi ministraverant, insigni liberalitate prosequebatur. Et cum ad extremum conjugem quoque egregio munere mactaret, & hæc eo facto in lacrymas diffluere inciperet, obfirmato animo ei dicebat: Semel utique ipsos separandos, ac alterutri prægrediundum. Se quidem satis sibi vixisse, ac plurimis a Deo beneficiis cumulatum. Quid convenientius esse, quam ut spiritum ei reddat, abs quo acceperit? Sane se paratum mortalem hanc vitam, prout Deo visum fuerit finire. Se quidem huc non reversurum: ipsos tamen in æternitate iterum junctum iri. Dehinc concionatores aulicos Joannem Bergium, & Christianum Kochium advocari jussit, quibus accedentibus dictum Apostoli pronuntiabat: *Certamen bonum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quod superest repofita est mihi justitia corona, quam reddet mihi Dominus in illo die.* Cum ad hæc concionatores reponerent: præclarum esse, si quis ingruentibus extremis cum Hiskia Rege dicere queat: *Memento Domine, quomodo coram te ambulaverim in veritate, cum perfecto corde, ac feci, quod tibi placuit:* Elector regerebat; se fragilitatis humanæ, ac variorum peccatorum probe meminisse. Sed id quoque nosse, eadem sanguine Jesu Christi, in cujus merito unice spem suam reposuerit, expiata, atque emundata esse. Mox ab istis dicta sacrarum literarum, piis inter extrema solatium suggerere apta proponebantur: quæ Elector ab iisdem cœpta ad finem persequebatur, ac ipse alia ultro memorabat, eaque animo suo firmando adplicabat. Demum a concionatoribus in genua provolutis preces habebantur. Cum inde Elector moneretur, liberos ipsius, ac inter eos Principis conjugem Sophiam Charlottam tunc gravidam, Berolino venisse, omnes ad se in cubiculum accedere jussos hortabatur, ut Deum semper sibi ante oculos habeant, ac sincero corde coram eo ambulent, & in semel agnita veritate ad extremum usque perseverent. Et cum omnes in genua demissi manus ejus exosculati essent, istis benedictionem verbis ita penetrantibus impertiebat, ut ab omnibus qui aderant, magna vis lacrymarum profunderetur. Mox concionatores preces concipiebant, ut Deus dicta suo nutu firmaret; quas ipse Elector solito fiduciæ vocabulo *amen* claudebat. Sequens nox itidem per insomniam exacta; etsi molestia sic satis dissimulabatur ob conjugem, quæ ab eo discedere nolebat, sed amorem, & sedulitatem, inter tot itinera & expeditiones exhibitam per extrema quoque haut interrumpere pertendebat; quo nomine ii subinde gratias ipsi agebat. Reliquum tempus inter meditationes sacras extractum. Luce exorta cum aulici concionatores vocati introiissent, Elector a verbis Psalmi auspicabatur: *Domine, si modo te habeam, nil curo cœlum & terram. Si corpus & anima defecerit, tu Deus semper es cordis mei solatium, & mea sors.* 28. Ap. Addebat: se jam plena cum fiducia fundamento fidei, in qua vixerit, inniti posse, ac divinam gratiam in se sentire. Post peractas preces verba repetebantur, quæ ante quatriduum succincta concione explicata fuerant: *Magnum est lucrum pietas cum animo sua sorte contento.* Ad quæ iste addebat: *semper florebo prospiciente Deo.* Ingruebat post ingens deliquium; quo cessante liberos suos denuo videre, ac benedictionem iisdem repetere cupiebat. Quod iterum magno animorum motu apud omnes adstantes peractum. Nam ministros queis adsueverat, libenter circa se ferebat, velut in eorum conspectu mori gauderet. Cum liberi cubiculo iterum excedere vellent, Ludovici filii viduam intensiore voce compellabat. *Filia Marggravia*, inquit, *nosti quid parens tuus testamento quondam tibi injunxerit, ne sacris Romanis unquam accedas, & quæ ego paterna fide non semel monuerim. Quod si ultimam parentis voluntatem, & mea monita insuper habueris, maledictio a te, & domo tua non discedet. Ast ubi iisdem morem gesseris, divina benedictio te prosequetur. Propono tibi benedictionem, & maledictionem; dic mihi utram eligere velis?* 1688.

1688. Et cum illa responderet; se paternæ voluntati, ac Electoris monitis obtemperaturam, hic regerebat; tunc quoque benedictionem penes ipsam futuram. Post meridiem iterum tanta eum virium defectio opprimebat, ut diu se recolligere non posset; qua superata de rebus divinis sermones habebantur. Inter quæ cumprimis Evangelicos fidei consortes hinc inde persecutionibus oppressos, tum & mutuam tolerantiam ipsos inter Evangelicos magnopere sibi cordi esse ostendebat; simul Principi refugos ob sacra Gallos impense commendabat. Brevis inde sopor fessum amplectebatur. E quo cum evigilasset, ac interrogaretur, num inde quid recreationis percepisset, nil aliud respondebat, quam *Christus est meus, & ego sum ipsius.* Ex aliquo jam tempore in adverso pariete tabula pependerat, quo inter alia Tempus cum clepsydra elapsam horam exprimente depicta erat. Eam cum diu defixis oculis intueretur, ac Conjux quæreret, quid adspiceret, respondit; clepsydra ad finem decurrit. Inde ut vespertinæ preces fierent, ac ut concionatores præsto forent jubebat. Nescio an id quoque memorari mereatur, eum ista nocte præfecto militis prætoriani tesseram dedisse Amstelodamum, sicuti priore nocte Londinum dederat, velut præsagiret, eas urbes brevi maximum rebus Europæ momentum allaturas. Eam noctem solus manebat Elector, ac animam
29. April. devotis precibus firmabat, donec fatalis dies illucesceret; cujus ingressu exquisitis verbis conceptas preces ad Deum fundebat, queis domum & familiam suam ei commendabat, simul placidam, ac beatam exsolutionem animæ e vinculis ruentis jam terreni domicilii petebat; quod graves inter extrema cruciatus vereretur. Et cum mox concionatores arcessi juberet, quærebat, an non, quod dies dominica foret, concio habenda esset. Nam solenne ipsi erat, nunquam cultum divinum negligere. Ubi inter alia respondebatur; hunc diem esse, quem antiqui *Misericordias Domini* vocarint; quam misericordiam quoque Deus præsenti necessitate exhibiturus, ac animam ipsius divino vigore ac solatio repleturus sit. Dehinc liberos extrema vice evocabat, & cum isti flentes lectum circumstarent, dicebat: sibi jam animo obversari imaginem Iacobi patriarchæ, filiis suis benedicentis. Quod & ipse denuo tenerrimo cum affectu faciebat. Inter quæ cum circumstantium quispiam epistolam perlegeret, interrogabat, quid scripti id foret? Cui respondebatur; eam esse a filio minimo natu Christiano Ludovico, quem morbus Berolino discedere non permiserit; sed qui itidem velut impense dilectus Benjamin paternam benedictionem expetat. Igitur quia non amplius vires supererant, uni ex adstantibus concionatoribus ipsius nomine benedictionem pronuntiare jubebat. Id quod hic tum pro isto, cum pro absente filia Maria Amelia Duci Meclenburgico nupta peragebat. Quæ vota Elector soluto inter preces vocabulo *amen* firmabat. Interroganti inde conjugi, num & benedictionem pro ipsa habeat? respondit; utique tu in æternum benedicta eris. Paulatim inde extrema ingruebant, inter quæ clara voce exclamabat; *Veni Domine Jesu, ah veni Domine Jesu, ego paratus sum.* Tum & ista Jobi verba pronunciabat: *Scio, quod redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum.* Post quæ dicta brevi circa horam nonam matutinam placide citra ullam vultus mutationem, cum ipse inclinato capite oculos sibi clausisset, expiravit. Ita finiit Magnus Elector, postquam LXVIII annos, II menses, ac XXIII dies in his terris exegisset. 1688.

§. 101. Genus duxit Fridericus Wilhelmus e duabus nobilissimis & antiquissimis Germaniæ familiis, Brandenburgica & Palatina; quæ per aliquot secula Electoralem dignationem obtinuerunt, ac omnibus fere Christiani orbis Principibus cognatione innexæ sunt. Id stemma heic repræsentabimus. *Electoris Stemma.*

FRIDERICUS WILHELMUS

- Georg. Wilhelmus Elect. Brandenburgicus. †1640.
  - Joannes Sigismundus El. Brandenb. †1619.
    - Joachimus Frideric. Elect. Brandenb. †1608.
      - Joh. Georg. El. Brand. †1598.
        - Joachimus II. El. Brandenb. †1571.
          - Joachimus I. El. Brandenburgicus, †1535.
          - Elisabetha f. Johannis Regis Daniæ †1555.
        - Magdalena Saxonica. †1534.
          - Georgius Dux Saxoniæ. †1539.
          - Barbara filia Casimiri R. Pol. †1534.
      - Sophia Lignicia. †1546.
        - Fridericus II. D. de Ligniz. †1547.
          - Fridericus I. Dux Lignicii. †1488.
          - Ludomilla f. Georgii Podiebrad, R. Boh. †1502.
        - Sophia Brandenburgica. †1537.
          - Fridericus M. Brandenb. in Anspach. †1536.
          - Sophia f. Casimiri II. R. Pol. †1513.
    - Catharina Brandenburgica. †1602.
      - Joannes M. Brandenb. †1571.
        - Joachimus I. Elect. Brandenb. †1535.
          - Joannes El. Brandenburgic. †1499.
          - Margaretha f. Wilhelmi Duc. Saxon. †1511.
        - Elisabetha Danica. †1555.
          - Joannes Daniæ, Suec. & Norveg. Rex †1513.
          - Christina f. Ernest. El. Saxon. †1521.
      - Catharina Brunsuicens. †1574.
        - Henricus Junior D. Brunsv. †1568.
          - Henricus D. Brunsuicensis †1514.
          - Catharina f. Erici II. D. Pomeraniæ. †1526.
        - Maria Wirtenbergica. †1541.
          - Henricus C. Wirtenbergicus. †1519.
          - Eva f. Joannis C. Salmens. †1521.
  - Anna Brandenburgica. †1625.
    - Alb. Frideric. M. Brandenb. D. Pruss. †1618.
      - Albertus M. Brandenb. D. Pruss. †1568.
        - Fridericus M. Brandenburg. †1536.
          - Albertus Elect. Brandenburg. †1486.
          - Anna f. Frider. II. El. Saxon. †1512.
        - Sophia Polonica. †1513.
          - Casimirus II. R. Poloniæ. †1492.
          - Elisabetha Austriaca f. Albert. II. Imper. Rom. †1505.
      - Anna Maria Brunsv. †1568.
        - Ericus Dux Brunsuicens. †1540.
          - Wilhelmus D. Brunsuicens. †1495.
          - Elisabetha filia Botonis. C. Stolberg. †1499.
        - Elisabetha Brandenb. †1558.
          - Joachimus I. Elect. Brandenburg. †1535.
          - Elisabetha f. Joann. Reg. Dan. Suec. & Norv. †1555.
    - Maria Eleonora Juliacens. †1608.
      - Wilhelm. D. Jul. Cl. & Mont. †1592.
        - Johannes III. D. Cliviæ. †1539.
          - Joannes II. Dux Cliviæ. †1521.
          - Mechtildis f. Henr. Landg. Hassiæ. †1505.
        - Maria Juliacensis. †.
          - Wilhelmus D. Juliac. & Montium †1511.
          - Sybilla f. Alberti El. Brandenburg. †1510.
      - Maria Austriaca. †1584.
        - Ferdinand. I. Imp. Rom. †1564.
          - Philippus I. R. Hispan. Arch. Austr. †1506.
          - Joanna f. Ferdin. Cathol. R. Hispan. †1555.
        - Anna Hungarica. †1547.
          - Uladislaus Rex Hungar. & Bohem. †1516.
          - Anna f. Joannis Foxii C. Candalæ, †1506.

- Elisabetha Carola Palatina. †1660.
  - Fridericus IV. El. C. Pal. Rhen. †1610.
    - Ludovicus El. Com. Pal. Rh. †1585.
      - Fridericus III. C. Palat. Rhen. El. †1576.
        - Ioan. II. C. Pal. Rh. in Simmern. †1557.
          - Joannes Com. Palat. Rhen. in Simmern. †1509.
          - Joanna f. Joannis C. Nassovii in Sarbr. †1503.
        - Beatrix Badensis. †1535.
          - Christophorus M. Badensis. †1527.
          - Otilia f. Philippi C. de Cazenelenbogen. †1517.
      - Maria Brandenburgica. †1567.
        - Casimirus M. Brandenburg. †1527.
          - Fridericus M. Brandenburg. in Anspach. †1536.
          - Sophia fil. Casimiri Reg. Pol. †15[illegible]
        - Susanna Bavarica. †1543.
          - Albertus D. Bavariæ. †1508
          - Cunigunda Austriac. f. Friderici III. Imp. R. †1520.
    - Elisabetha Hassiaca. †1582.
      - Philipp. Landgr. Hassiæ. †1567.
        - Wilhelm. Landgr. Hassiæ. †1509.
          - Ludovicus Landgr. Hassiæ. †1471.
          - Mechtildis f. Ludov. C. Wurtenbergici. †1495.
        - Anna Megapolitana. †1525.
          - Magnus II. D. Megapolitanus, †1503.
          - Sophia filia Erici D. Pomeraniæ †1504.
      - Christina Saxonica. †1549.
        - Georgius D. Saxoniæ. †1539.
          - Albertus D. Saxoniæ. †1500.
          - Zedena f. Sidonia f. Georgii R. Bohemiæ. †1510.
        - Barbara Polonica. †1534.
          - Casimirus R. Poloniæ. †1492.
          - Elisabetha Austr. f. Alberti II. Imp. R. †1505.
  - Luisa Juliana Nassov. †1644.
    - Wilh. Nassov. Princ. Arausionens. †1584.
      - Wilh. Sen. C. Nassov. †1559.
        - Joannes C. Nassov. in Dillenburg. †1516.
          - Joannes C. Nassov. in Dillenburg. †1475.
          - Maria f. Joannis C. Lænæ & Heinsbergæ. †
        - Elisabetha Hassiaca. †.
          - Henricus Landgravius Hassiæ †1480.
          - Anna f. Philippi C. Cazenelenbog.
      - Juliana Stolbergica. †1580.
        - Boto C. Stolbergæ. †1538.
          - Henricus C. Stolbergæ. †1508.
          - Mechtildis f. Volradi C. Mansfeld.
        - Anna Epistenia. †1538.
          - Philippus C. Konigstenii & Epstenii. †.
          - Luisa f. Ludovici de Marca Dn. de Rochefort. †.
    - Carola Borbonia. †1582.
      - Lud. Borb. D. Montpenserii. †1582.
        - Ludov. Borb. Pr. de Rochesurion. †1520.
          - Joannes Borbonius C. Vendosm. †1477.
          - Isabella f. Ludovici Dn. de Beauvau. †
        - Luisa Borbonia. †1561.
          - Gilbertus Borbonius, C. Montpenserii. †1496.
          - Clara f. Friderici Gonzagæ M. Mantuæ. †1503.
      - Jacobe Longviana. †1561.
        - Joann. de Longvy. Dn. de Giury. †.
          - Philippus de Longvy, Dn. de Paign
          - Joanna f. Petri de Beaufremont, C. de Charny. †.
        - Joanna Engolismensis. †.
          - Carolus Aurelianus, D. Engolismæ †1496.
          - . . . de Polignac, en Engoumois

§ 102. Natus idem fuit Coloniæ ad Spream die VI. Februarii anno 1620. inter horam tertiam & quartam pomeridianam, parente Georgio Wilhelmo Electore tunc in Borussia absente. Sacri baptismatis Christiano ritu initiatus fuit die XXX. Julii ejusdem anni; cui actui testes pro more adstiterunt avia paterna Joannis Sigismundi vidua, Anna Borussica; tum duæ amitæ virgines Maria Eleonora & Catharina. Præterea Adamus Gans Baro a Putlitz, Locumtenens in Marchia; ac Nobilitas, & civitates cis & ultra Oderam, ea lege, ne ulla munera natalitia offerrent. Quinto ætatis anno additus ei fuit rector juventutis Joannes *von der Borch*, qui & patris Georgii Wilhelmi juventam rexerat. Sed cum is supremus Satrapa Comitatus Ravensbergensis constitutus esset, in ejus locum suffectus est Joannes Fridericus Kalkhun, dictus Leuchtmar. Informatio Jacobo Mullero a secretis epistolis commissa. Et quia post Cæsarei milites pro lubitu Marchiam persultabant, visum parenti unicum filium aliquot per annos Custrini agere Ubi statim in puero elucescebat proclivitas in pietatem, acre ingenium, quarumvis bonarum artium capax; tum corpus aptum addiscendis exercitiis, quæ nobilem decent. Inter eam Custrini commorationem is Wolgastum ad amitam suam Reginam Sueciæ Mariam Eleonoram excurrit, ac apud eandem per menses aliquot egit. Post reditum rogante Bogislao Pomeraniæ Duce, & quia in Marchia contagiosi morbi grassabantur, aliquandiu Stetini egit, singularem Ducis affectum expertus, ubi & singularem inclinationem in eam urbem concepit. Biennio post cum utroque parente Wolgastum accessit, quando Gustavi Adolfi corpus in Sueciam abducebatur. Post Custrinum reversus denuo Stetinum adiit, ibique in sequentis anni Februarium mensem hæsit. Ast postquam annum ætatis decimum quintum attigisset, Parenti placuit in Belgium eum mittere, quo e conversatione illustrium toga, sagoque virorum solidiorem ingenii cultum caperet, ac judicium moresque poliret. Igitur mense Junio iter ingressus, per Hamburgum, Oldenburgum, inde Groningam, Suollam, & Ultrajectum, Leidam pervenit, ubi sedem aliquandiu figere decreverat. Præcipuum ibi studium antiquitates, & historiam cognoscere, eam cumprimis, quæ ad ipsius ditiones, & vicina Regna & Respublicas spectaret. Tum & quotidie ad eum invisebant egregii viri, quos insignis humanitas, suavesque mores alliciebant. Sed cum adulto autumno pestilentia Leidæ, Hagæ, ac Delphis grassari cœpisset, Rhenam se ad Elisabetham Reginam Bohemiæ conferebat, ubi ad finem usque anni agebat. Sequenti anno etsi contagium Hagæ desiisset, Leuchtmaro tamen haut visum huc sedem transferre, quod multa ibi juventus illustris ageret, nil nisi voluptatibus, & tempori per inania fallendo operata, ne Princeps istorum conversatione ad paria pertraheretur. Igitur maluit Arnheimium Geldriæ urbem concedere, Cliviæ vicinam ubi modica aula instruebatur, ac inter alia equestribus exercitiis vacabatur. Quo tempore & cum Arausionensis Princeps Henricus Fridericus Schenckianam munitionem, paulo ante ab Hispanis interceptam, obsidione cinxisset, noster subinde in vicinis castris versabatur, obsidentium artes, atque opera speculaturus. Arnheimii quoque frequens ei conversatio cum Wilhelmo, & Joanne Mauritio Nassoviis fratribus, & Comite Henrico *a Berg*, ut & aliis viris militaribus; e quorum colloquiis multum ad prudentiam militarem proficiebat; præsertim cum mos ipsi esset, de omnibus, quæ audierat & viderat ad patrem exactissime referre. Sed cum adulta æstate pestilentia Arnheimium quoque infecisset, Princeps in arcem Dorewertam secessit, ubi in sequentem usque annum egit. Post Hagæ aliquandiu moratus est, ubi quotidie ab exterorum legatis, ac Belgarum proceribus, tum & subinde ab Arausionensi invisebatur, apud quos ita acceptum sese reddidit, ut Clivicæ provinciæ non modicum inde fructum perciperent. Longius ad exteros iter pergere temporum tunc conditio non ferebat, omnibus undique bello ardentibus; nec tutum habebatur unicum filium, tantarum ditionum hæredem periculis, quæ peregrinantes comitari sueverunt, objicere. Post triennium in Belgio consumtum parenti subibat eum ad se revocare. Sed cum ei haut arrideret domum reverti, excusabatur iter terrestre ob pestilentiam hinc inde grassantem, ac militum excursiones intutum: tum se a mari abhorrere, quod & ipsum Dunquercani infestum reddebant. Sed & Ordines Generales Belgii, & Clivenses apud Electorem intercedebant, ut diutius adhuc tam grata Principis præsentia frui liceat. Simul Wernerus Schulenburgius mittebatur, qui Parenti causas dilati reditus adprobaret. Ita is per alterum adhuc annum in Belgio mansit, quo & obsidio Bredæ interfuit, ubi ipso Arausionensi demonstrante labores, & opera obsidentium haut indocilis spectator perlustravit. Ast sequenti anno Parens utique eum domum reverti volebat, quo fine & Ottonem Marwicium ad ipsum misit, confirmans sese invito conjugem haut obtrusurum: sperare tamen, eundem citra paternum consensum connubio sese haut illigaturum. Nam Electori persuaserant, eum e Palatina domo conjugem sibi delecturum, simul Clivicarum ditionum regimen vel ipsius ingratiis arrepturum, id quod & Ordines Cliviæ impense cupiant. Atque id ipsum Schwartzenbergius a Leslæo Comite sibi perscriptum asserebat, uti Cæsari relatum sit, Principem e Palatina domo conjugem sibi assumturum, sede apud Clivenses fixa, quasi sub Belgarum, & Arausionensis protectione. Id quod Cæsar ægerrime laturus sit; qui probe perspiciat, quid inde consecuturum, & in quas partes Princeps concessurus sit. Ac Cæsari gratum fore, si iste in aula Viennensi agere velit; & si sumtus

Margin dates: 1636. (beside "stilentia Arnheimium"), 1637. (beside "Ita is per alterum"), 1638. (beside "Ast sequenti anno")

sumtus deficiant, Cæsarem eosdem suppleturum. Quæ egregia futura occasio pignerandæ Cæsaris amicitiæ, qua nulla potior Germaniæ Principibus habenda sit. Sed quia Principis mater, atque avia id nunquam permissuræ sint, Schvvarzenbergius censebat, Clivicarum ditionum regimen Principi permittendum, ea saltem lege, ut is utique extra Palatinam domum conjugem sibi quærat. Id quod consilium nonnihil suspicionis generabat, velut hoc modo Marchia istius viri cœcis machinationibus exponeretur. Unde Principi satius visum relicto Belgio ad parentem regredi.

1638. 3. April. 1. Maji. 16. Maji. 18. Jun. Ita postquam Hagæ Reginæ Bohemiæ, Arausionensi, ac rectoribus Belgii valedixisset, a quibus exquisitis honoribus affectus fuit, Amstelodamo Belgicis navibus Hamburgum provectus; inde a Parente Spandoæ quam amantissime exceptus fuit. Sed brevi post adventum gravissimus eum morbus corripuit, ita ut de vita ejus desperaretur, rubentibus passim maculis e corpore erumpentibus. Unde medici variolarum morbum vulgaverunt: cæterum ipse semper toxicum sibi propinatum credidit, non obscura in præpotentem ministrum suspicione, qui improbas spes ad ipsum usque Electoratum porrexisse arguebatur. Quicquid tamen id mali erat, temperamenti bonitas, ac juvenilis vigor vicit, tum vis medicamentorum, quæ Martinus Weisius artis suæ callentissimus miscuerat. Septembri mense is, una cum Parente in Borussiam concessit; ubi uterque ardenti febre correptus fuit; quam quidem Princeps superavit, etsi toto sequenti anno tristior solito adpareret.

1639. Pater tamen ex eo morbo nunquam plenam valetudinem recepit, donec attritis paulatim viribus extinctus filio

20. Nov. 1640. ad suscipiendum regimen locum aperuit.

Matrimonium & liberi.

§. 103. Duplex Friderico Wilhelmo matrimonium fuit; prius cum Luisa Arausionensi, Henrici Friderici Arausionensis Principis filia; cujus mores, cum in Belgio ageret, jam ipsi probati fuerant. Ex ea suscepit sex filios, & unam filiam: Wilhelmum Henricum, qui die 14. Octobris 1649. Vesaliæ obiit; Carolum Aemilium, quem in expeditione Alsatica ardens febris Argentorati anno 1674 abstulit; Fridericum successorem; Henricum, & Ameliam gemellos, quorum ille die 16. Novembris 1664. hæc die 12. Januarii 1665. decessit; & Ludovicum, qui anno 1678. Potstami obiit. Cum ea conjuge postquam fere annos viginti & unum exegisset, eadem anno 1667. rebus humanis erepta fuit. Sequenti anno secundas

1668. 14. Jun. nuptias Groningæ in ditione Halberstadiensi cum Dorothea, Philippi Ducis Holsatiæ filia celebravit; e qua filios quatuor, tres filias genuit: Philippum Wilhelmum, Mariam Ameliam, Albertum Fridericum, Carolum Philippum, Elisabetham Sophiam, Dorotheam, & Christianum Ludovicum, quos omnes superstites reliquit præter Dorotheam, quæ Kalendis Decembris anno 1676. defuncta est. Cum utraque conjuge vixit mira concordia, ac nullo nisi mutuo amoris certamine, quod palmarium probe constitutæ domus habetur. Ipse quoque & cœlibatum per castimoniam exegit, ac matrimonii leges sancte coluit, nec per conditionis suæ fastigium aliquid sibi contra sanctimoniam Christiani moris indulgere ausus est, civibus, aliisque luculentum ad parta exemplum.

§. 104. Denique & tanti Principis formam corporis, animique, quantum calamo adsequi datur, posteritati tradere, operæ pretium fuerit. *Corporis animique dotes.* Ex ejus igitur vultu primo statim intuitu aliquid relucebat, unde statim heroëm agnosceres. Majestas venerationem provocare apta, sed quam luculentæ bonitatis stricturæ temperabant, ut non minus amoris conciperes. Unde & quantumvis sæpe velut exuta magnitudine admodum familiariter suis sese dispensaret; his tamen modestia semper salva persistebat, ne ejus humanitate abuterentur. Corpus torosum, agile, tractandis armis, ac tolerandis belli laboribus validum. Tum & id militare, quod delicatis cibis non delectaretur, sed solidis, simplicibus, ac domesticis gauderet. Vinum copiosius ferre magis poterat, quam affectabat; nec largiorem invitationem admittebat, nisi ubi illa ex moribus seculi, & nationis inter officia esset. A natura sortitus fuerat ingenium alacre, capacissimum, judicium rectum, magnam memoriæ vim. Cultura juvenilibus annis non adeo felix contigerat ob turbulentiam temporum, & quia non deerant qui optarent, tam vividum animum inter ignorantiam obtundi. Pepererat sibi tamen proprio magis quam alieno instinctu Latinæ Linguæ notitiam, ut intelligeret. Gallicæ, ac Belgicæ linguæ frequens usus erat. *Historiæ recentioris* cumprimis multa cognitio; *architectonicæ* civilis, ac militaris, bonorum & exquisitorum librorum, numismatum, picturarum, sculpturarum exquisitus intellectus. Plurimarum præterea rerum notitia e colloquiis cum variæ sortis hominibus collecta. Nam mira isti erat affabilitas, per quam undequaque adventantes ad disserendum provocabat de rebus, quæ ad cujusque captum erant. Præcipue ditionum suarum conditionem, & quid quovis loco proveniret, exacte callebat; quod moris ipsi esset, ubi quis e quacunque provincia accessisset, tum & quacunque transiret, aut diversaretur, de omnibus ad eum locum spectantibus exquirere. Sic ut nihil eorum, queis proventus regionum constat, quæque adeo ad rem œconomicam faciunt, ipsum fugeret. Unde & non solos militares viros, sed & pacis artibus, & quacunque utili, ac egregia facultate pollentes æstimabat. Omnia porro, quæ ad ipsum referebantur, cognoscere curæ erat, ne quid injuste, aut imprudenter decerneret: nec unquam multitudine rerum, quam tantæ molis administratio pariebat, protelari, aut expedienda in longum rejicere solebat. In universum autem tanta cupidine cuncta penitius cognoscendi flagrabat, ut quoties ipsi literæ adferebantur, id quod quotidie fiebat, earum prælectioni sæpe ultra tres, quatuorve horas continuas vacaret, nec ullis recreationum, Principibus solitarum illecebris, nec acerrimis morbi articularis doloribus, quibus ingravescente ætate sæpius infestabatur, inde avelli posset. Cum exteris agenti solidæ prudentiæ miram gratiam adspergebat digna Principe eloquentia. Ante omnia sincera in Deum pietas cum exacta publici cultus observantia. Circa tuendam Protestantium religionem solicita cura, quam etiam apud alios quacunque poterat, protegere ac fovere studebat. Inter ipsos autem Protestantes,

tes quæ agitantur dissidia uti convenienti ac placido modo componi quam maxime in votis erat: ita cum plerosque cives sortitus esset, a quibus ipse circa quædam fidei capita dissentiebat, haut eo secius omnes pari amore prosequebatur, ac fovebat, ac nullo discrimine ministeriis suis admovebat, prout quisque quam maxime idoneus erat. Quin nec iis, qui Romanos ritus sequuntur, iniquior erat, quos nec ipse ulla molestia afficiebat, nec ab aliis affici patiebatur, eosque bonis ac juribus suis liberrime gaudere permittebat. Ac uti ipse ab omni ratione abhorrere judicabat, ob diversam religionem aliquem odisse, aut minoris æstimare, quam plerique non propria electione, sed per ipsos natales sortimur; ita nefas ducebat ob humanos respectus eam mutare, ac multo magis per vim, aut illecebras religioni Christianæ ignoratas ad idem aliquem compellere. Et quia ad propagandam pietatem, animique culturam scholæ cumprimis faciunt, earum in sua ditione insignem curam habuit, ac Francofurtanam Academiam, & eam quæ Regiomonte est, præclaro redituum augmento mactavit: simul Duisburgi ad Rhenum novam instituit, dotavitque, quam olim Wilhelmus Cliviæ Dux molitus fuerat, sed ob ingruens bellum Belgicum omiserat. Præterea consummata diuturno regimine prudentia, & exactissimum judicium; ac si quando ancipiti negotio Consilium in diversas sententias discedebat, ipse velut virgula divina ductus eligebat, quam optimam fuisse eventus postea comprobavit. Nec tamen ideo omnia suo ex arbitrio agere, aut quæ semel in mentem venerant, iis pervicaciter inhærere; sed & aliorum sententias libenter audire, & qua rationibus prævalebant sequi. Justitiæ incorruptum studium, & uti innocentes ab oppressione vindicasse cordi erat ita in noxios debita severitas, nil e crudelitate trahens, aut velut e suppliciis voluptas quæreretur. Fortitudinem memorare superfluum fuerit, quam tot expeditionibus toti orbi adprobavit. Nec tamen inconsulta in periculum ruendi libido; & qua vi pervincere haut dabatur, necessitati cedere haut indecorum habebatur. Insignis quoque animi magnitudo, quæ per totum regiminis actum eluxit; ac uti inanis fastus, procul aberat, ita debitam dignitatem adseruisse enixum studium sedebat, quod nec metus, nec segnior quis respectus unquam inflexit. Sane nemo sui ordinis Electorale fastigium diligentius unquam vindicavit. In vivendi paratu splendor citra luxum, nec ultra redituum modum; ac præpostera magnificentia habebatur, quam oppressio civium, aut æs alienum consequeretur. Nec minus egregia munificentia, ac ut ministeria sibi exhibita quantum dabatur liberalissime remuneraret, ac ut neminem pœniteret præclare fecisse: ut tamen in profusionem haut aberraretur. Faciles præterea accessus etiam inferioris sortis hominibus, ac obvia humanitas, ut vix quispiam tristis ab ejus sermone discederet. Inter tot eminentes virtutes facile venia dari poterat subitæ bilis effervescentiæ, in quam per temperamentum proclivior erat; sed quæ ultra asperiora verba haut procedebat, ac mox ita detumebat, ut nullum in animo vestigium reliquisse reperiretur. Non defuerunt, qui parum constantem, ac desultoriis fere consiliis gaudentem arguerunt. Sed qua criminatione facile eum absolvunt, qui tempora, quibus vixit, ac provinciarum, queis imperavit positum curatius considerant. Unicus illi, isque perpetuus omnium consiliorum, & actionum scopus fuit salus tum propriæ Domus, & ditionis, tum communis patriæ; quarum utrique cum a variis varia pericula crearentur, pro indole cujusque consilia fuere opponenda. Et cui tam late diffusæ provinciæ tot vicinis, æmulis fere, aut infestis cinctæ possidentur, ei non magis integrum est uniformem semper agendi viam sectari, quam directum semper cursum secare gubernatori, qui scopulis obsitum pelagus inter instabiles ventos navigatur. Id quod facile agnoscent, qui singularum mutationum, quæ in istius actis occurrunt, occasiones, atque causas rite trutinaverint.

§. 105. Tantis virtutibus exserendis latissimum campum præbuit regimen per dimidium fere seculum porrectum, ac magna rerum moles, quæ in id spatium incidit. Unde isti ea gestorum fama, ac in Imperio juxta, & apud exteros autoritas parta est, qualis nemini ex Electorum ordine prioribus contigit. Virtutem comitata est insignis felicitas, dum non solum inter tanta bella versanti nil notabilis cladis accidit; cum ipse hostes, qui antea toti Germaniæ, aliisque vicinis terrori fuerant, in ordinem redigeret: sed & ditiones suas longe auctiores, quam ipse a majoribus acceperat, ad posteros transmisit. Ipso enim rerum potiente Brandenburgicæ Domui accessit Pomerania Ulterior cum Præsulatu Camminensi, ac duobus feudis a Polonia pendentibus Lauenburgo, & Butovia, ac Draheimensis Satrapia pignoris titulo. Tum in Borussia Ducali supremi, ac independentis imperii fastigium, sublata multarum molestiarum materia, quæ e fiduciario Poloniæ vinculo antea proveniebant. In pensationem Citerioris Pomeraniæ Suecis cedendæ Magdeburgicus, Halberstadiensis, ac Mindensis Præsulatus ad secularem conditionem redactus, attributus, cum quorum priore avulsa antea insignis præfectura Burgum iterum consolidata est. In vicem quoque Carnovianæ prætensionis Schvvibussensis in Silesia districtus accessit. Sed & Clivicarum ditionum possessio per transactionem cum Neoburgica domo firmata. Denique ad oram Guineæ unus & alter locus partus, exercendis ibi commerciis. Eas porro ditiones, quantum iniquitas temporum tulit, in meliorem statum reponere summo studio connixus est, introductis variis institutis, quæ civibus exercendæ industriæ, & quærendæ rei materiam præbere possent. Et cum diuturno bello, quo Germania per triginta annos quassata fuit, Marchiæ provinciæ data opera a Suecis evastatæ essent, ut Pomerania per vicinam solitudinem muniretur; istas ut a calamitatibus belli recrearet, ac pristinum ad florem revocaret,

Ejusd. felicita

ret, nil sibi reliqui fecit. Quo fine & modus tributorum ita temperatus, oneribus in ea, quæ consumuntur impositis, cum antea ea ex censu imperarentur; ut & quam minimo cum civium sensu erogarentur, & æquabili distributione ab omnibus pariter citra invidiam, aut querelam tolerarentur. Quam moderationem is successus consecutus est, ut statim post introductas accisias passim veterum ruinarum vestigia novo cultu obliterata conspicerentur; ac inter alias urbes Magdeburgum quoque e diuturnis ruderibus ad veterem frequentiam exsurgere inciperet. Inter ea, per quæ Marchiæ egregia commoditas, utilitasque accessit, referenda quoque est nova fossa, per quem Odera cum Sprea conjungitur, communicandis inter Silesiam, & Hamburgum commerciis. Eam fossam longa abhinc tempore Electoris majores moliti fuerant, inani conatu. Sed hic melioribus auspiciis opus su-
1662. scepit, ac feliciter absolvit, moderatore Philippo *de Chiese*. Fossa hæc lata est quinque perticas Rheinlandicas, in longitudinem porrigitur ultra tria milliaria Germanica, quæ expeditus viator vix spatio sex horarum absolverit. Et quia Spreæ alveus Viadro quinquaginta pedibus altior est, sistendæ aquarum declivitati undecim claustra sumtuoso opere extruenda fuerunt. Sed quia, prout vitæ humanæ nunc indoles est, omnium rerumpublicarum felicitas in lubrico posita, ab aliena fere libidine pendet, ni ab armis probe instructæ sint; & vero Electoris majores pacis tempore militem alere haut suevissent; ei maxima cura fuit perpetuum exercitum, eumque sat numerosum instruere, tuendis provinciis late diffusis, ac servandæ inter vicinos autoritati; qui & hucusque gloriam Brandenburgici nominis feliciter sustinuit; isque ut citra oppressionem civium, & quam minimo cum oneris sensu aleretur; sapienter effectum est. Eidem fini passim armamentaria & quæ instruendo exercitui faciunt parata; veteres munitiones reparatæ, novæ idoneis locis exstructæ. Inter alia etiam Electoralis sedes Berolinum novis munitionibus magno sumtu circumdatum, quæ & Fridericiwerderam, antehac extra mœnia positam, amplectuntur. Et cum incolarum numerus gliscerer, novum quoque oppidum adjunctum, a Dorothea secunda conjuge nuncupatum, quod seni filiarum in quincuncem digestarum ordines exornant. Ac sane Berolinum eo imperante novis, atque ornatissimis ædibus ita exsplendescere cœpit, ut vetere facie paulatim obliterata, idem inter pulcerrimas Germaniæ urbes haut postremum sibi locum vindicet. Per quæ omnia iste assecutus est, ut FRIDERICI WILHELMI memoriam nulla unquam vetustas abolitura sit, cui & MAGNI cognomentum maxima ob merita tributum omnis posteritas agnoscet.

F I N I S.

INDEX
OMNIUM PERSONARUM, QVARUM IN HOC OPERE MENTIO FIT.

A.

ABassius Transsylvaniæ Princeps. XII, 69.70.74.
Abela Cæsar: Secret: XII,9.
Achemus (Lucas) X, 19.
Achtienhovius. XII,34.
Adolphus Cliviæ Comes & postea Dux. IV, 1. 2.
Adolfus Joannes Palatinus. VI, 37. 38. VIII, 36. XIV,46.
Æmylia Juliacensis. IV, 1.
Akakia. VIII, 48. 49. IX, 42. XIII, 59. 60. XIV,10. XVI,65. XVII,75.
Albemarla Dux. XIX, 86.
Albertus Austriæ Archidux. II. 22. IV,8. 17. 20. 21.
Albertus Fridericus Elect. Brand. filius. XIX.103.
Albertus Moguntinus Elector & Magdeburgensis Archipræsul. IV, 10.
Albertus Onolzbacensis Marchio. III, 16.
Albertus Saxoniæ Dux. IV, 1. 5. 10.
Albertus Senior, Borussiæ Dux. V, 17. VI,31. IX, 13. XVIII, 30.
Albivillius Marchio. Angl: Ableg: XIX,96.97.98.
Alefeldius (Benedictus) XIII, 42.
Alefeldius (Cajus) Danic: Minist: VII, 57.71.
Alefeldius Daniæ Cancellarius. XIV,58. XVII, 92.95. XVIII, 10.11.24.73.98.100.121. 122.123.124.136. XIX, 36.43.63.65.
Alefeldius (Detlevus) Dan: Min: VII, 11.15.57. 71. VIII,24.65. IX,33. X,26. XVII,93.
Alefeldius (Fridericus) Dan: Min: VII, 71.72. VIII,24. IX,80.
- - - Comes (Fridericus) Dan: Min: XIII, 31.46.47. XIV,22.35.38. XVII,88.
Alefeldius (Joachimus) Gottorp: Minist: XIX, 44.66.70.71.82.83.
Alexander Curlandiæ Princeps. XVIII, 137. *XIX*,16.
Alexius Czar. *XIV*,12.
Almerius. IX, 10.44.
Altenburgicus Comes (Antonius) Dan: Leg: XV, 36. *XVI* 4.27 *XVII*,97 *XVIII*,9.24.
Altenus (Bodo) Brunsvic: Ableg: VII, 56.
Althanius Comes (Wenceslaus) Cæsar: Minist: XVI, 68.
Althovius Neoburg: Cancellar: IV, 34.
Alvenslebius Augusti Sax. Duc. & Administr. Magdeb. Min. XIII, 3.
Amelia. Brand. Elect. filia. *XIX*, 103.
Amelia Elisabetha Hassiæ Landgravia. I,47.
van Amerongen (Borre) Belg: Minist: IV, 21.
Amerongius (Godertus Adrianus Rhedius) Belg: Leg: X,36. XI, 32.47.58. 67.69.81. XIV,33. XV, 5. XVIII,32.
Andersonius. VIII, 36.
Anetanus. Trevirens: Cancell: VII, 40.
Anethanus (Joannes) Cæsar: Minist: IV,34.
Anglesefa Comes (Arthurus) Angl: Consil: IX,27.
Anjaviensis Marchio (d'Anjeau) XI,62.64.
Anna Borussiæ Ducissa, Friderici Wilh. El. avia paterna. V.17. *XIX*,102.
Anna Eboracensis Ducis filia. *XIV*, 22. *XVI*,4. *XVIII*, 93. *XIX*, 48.
Anna Jagellonica. XII, 70.
Anna Juliacensis. IV,1.2.3.9.15.
Anna Sophia Brand: Elect: filia. IV, 16.
Anrepius. Tribunus. *XVII*, 6.
Anselmus Franciscus Mogunt. Elect. *XVIII*,35.
Antonius Ulricus. Brunsv: & Luneb: Dux. III.12. *XIII*, 18.
Appelbomius. Svec: Minist: V,21. VII,60. VIII,47.
Arcius Comes (d'Arcy) XVIII,123.
Arenstorfius (Carolus) Dan: Leg: *XII*,21. *XIII*, 30. *XIV*, 45. *XV*, 17. *XVI*, 58.
Argathelia Comes. (Argyle) *XIX*,4.5.85.
Arlingtonus. Angl: Secret: *X*,22.47. *XI*,1.3.18. 56.75. *XII*,10.36.63.64. *XV*, 32.61.
Armfeldius. VIII,36.
Armstrongius. *XVIII*, 117.
Arnheimius (Joannes Georgius) I, 11. 14.
Arpajovius Comes. *X*,72.
Aschenbergius (Rutgerus) Svec: Minist: VII,70. *XV*, 17. *XIX*,44.
Ashamus. Angl: Leg: VI, 11.
Ashley Baro (Antonius) Angl: Consil. *IX*, 27.
Asseburgius (Ludovicus) Gottorp: Duc: Min: VII, 69.
Assem Aga. Tartar: Legatus. *XVII*, 98.
Avaugurius. Gall: Leg: I, 24. V, 26. VI, 36.49. VII, 4. 29. *X*,50.
Avauxius Comes. (Claudius de Mesmes) Legat. Gall. Monaster. I, 12.21.49. II,12.17.20.21. 22.29.47. III, 3.4.5.6.7.8.9.13.15.21.41. 43.49.51. VIII, 40.

Avauxius Comes (Joannes Antonius Memmius de Mesmes) Leg. Gall. Neomag. XIII, 68. XIV, 66.67.70. XVI, 73.77.90.92. *XVII*, 24. - - - - - Leg. Gall. Hag. Comit. *XVII*, 54. 60.66.68.90. *XVIII*. 3.21.23.73.93.119. 128.129.132. XIX, 5.6.8.9.
Auberius. X, 34.
Averius. (Josephus) Britannicus Prolegatus. *I*, 25.
Averus (Joannes) Brandenb. Minist. *VI*, 49.
Augusta Curland, Ducis filia. X, 66.
Augustus. Anhalt. Princeps. *IV*, 35.
Augustus Brunsv. Dux. III, 60. *IV*, 28.35. *VII*, 66. IX, 65.80. X, 9.
Augustus Holsatiæ Dux. IX, 77.78. XII, 4.9. XIII, 24. XIV, 48. XV, 18.
Augustus Palatinus. *IV*, 22.
Augustus Saxoniæ Dux & Administrator Magdeburgensis. II, 35. III, 2.11.16. *VII*, 66. IX, 83. XI, 84. XVIII, 12.
Augustus Saxoniæ Elector. *IV*, 10.
Aurspergius Comes, post *Princeps*, [Joannes Weickardus]. Cæsar. Legatus. II. 16. Supremus aulæ Cæsar. Præfect. III, 63. *V*, 33.35. *VI*, 40. *VII*. 42. *VIII*, 32. X, 29.46. XII, 51.
Auxius Baro. Hispan. Minister. X, 72.

B.

B*adensis Marchio* [Hermannus] IX, 10. X, 30. 31.32.58. XI, 35. XII, 46. XVIII, 6.62. 94.104.
Bakovius [Bakovvski] Pomerelliæ Palatinus. *VIII*, 82.83.85. XII, 68.81. XIII, 33.58. XIV, 3.7. XV, 12. XVI, 66.
Balbasius Marchio [de los Balbases] Hispan. Leg. XI, 49. XII, 29. XIII, 14. XIV, 64. XV, 33. XVI, 5.9.29.35.46.73.77.
Ballicumius [Gerhardus]. IX, 35.
Bancrius [Gustavus]. *III*, 35.
Bancrius [Joannes] *I*, 6.11.14.20.
Barbarinus Cardinalis. XVIII, 86.
Barfusius [Fridericus] Brandenb. Tribunus. *VIII*, 11.30.
Barfusius [Joannes Albertus] Brandenb. Milit. Præfectus. XVIII, 87. XIX, 26.
Barillonus. Gall. Leg. XII, 3. XVI, 3. XVII, 40. XVIII, 76.
Basserodius. XI, 33.35.39.
Baß [Dietericus] Belg. Leg. *IV*, 21.
Battevillius. Hispan. Leg. IX, 25. X, 2.52.
Batz [Henricus]. X, 17.
Baudisius [Gustavus Adolfus]. XIII, 43.44.45. 49.50.
Baumbachius, Cassellanus Minister. XIX, 41.
Baumgartius. XI, 104.
Bazinus. Gall. Minist. XVIII, 76.
Beckerus. Cæsareus Archiater. XIV, 22.
Beckius. [Philippus Caspar]. VII, 56.
Bedlovius. XVI, 78.
Bedmarus Comes. Hisp. Leg. XIX, 97.
Beeckius (van der Beecke) [Joannes]. IV, 32.
Beierus [Joannes]. IX, 82.
Beilsteinius. Coloniens. Consul. XIX, 5.
Belentanus [Alexander] Mutinens. Leg. XII, 79.
Bellasius Comes. IX, 23.
Bellefondius. XII, 32.
Bellefortius (Beaufort). X, 28. XI, 1.
Bellilocius (Beaulieu). Elbingensis Præsidii Præfectus. IX, 7.
Bellingius (Joannes Georgius) Brand. Tribun. XIX, 26.
Bellocampius Lotharing. Ableg. XII, 78.
Belloregardius (Beauregard). IX, 21.
Benckendorfius. II, 48.49.52.
Benedicta. X, 90.
Bequius (Beck) Brandenb. Minist. IX, 36.56.
Berclajus (Joannes) Angl. Leg. XIII, 69. XIV, 70.72. XV, 43.44.
Bergaignius (Josephus) Cameracensis Archiepiscopus. II, 24.
Bergeitkius Baro. Hispan. Leg. X, 55.59. XIII 62. XV, 60.
à Berg Comes (Henricus) XIX, 102.
Bergius (Joannes) Professor Francof. II, 31. it. Brand. Conc. Aul. XIX, 100.
Bergmannus (Petrus). I, 21.
Berka Comes. Cæsar. Leg. XVIII, 43. XIX, 70.
Berlepsius (Otto Wilhelmus). IX, 83. X, 34.
Bernhardus Vinariensis Dux. II, 61.
Bernsavius, Brandenb. Leg. III, 24.
Bernsdorfius, Mecklenb. Ducis Minister. XVII, 40.
Bertramus (Constantinus) Mogunt. Leg. XI, 5. XIV, 25.
Besserus (Joannes). XVIII, 117.
Bethunius. XII, 30. XIII, 59. XIV, 9.10. XV, 9. 30. XVI, 59.65.66.68.69. XVII, 2.7.66. XVIII, 28.
Beverningius (Hieronymus) Belg. Leg. X, 12. 13.16.17.27. XII, 4. XIV, 66. XV, 31.32. 44.46.51.57.59. XVI, 7.18.19.20.22.25. 26.28.32.35.36.38.45.46.48.52.71.72. 76.77. XVII, 48.67.
Bevilaqua (Aloisius) Nuntius Pontificis. XV, 39. XVII, 31. XVIII, 19.
Beuningius (Conradus) Belg. Leg. VI, 53.64. X, 28.53.54.55. XI, 1.6.12. XIII, 41.63.65. 66.70. XIV, 60.66.69. XV, 32.60.61. XVI, 9.10.11.17.18.22.40.72.78. XVII, 44. XVIII, 116.118.119. XIX, 5.
Bewerwertius. IX, 23.
Bibovius. XV, 17.
Bidalius, Gallic. Min. XIII, 42. XIX, 71.76.81.
Bielkius (Henricus) Danicæ classis Præfectus. VIII, 12.
Bielkius (Nicolaus). XVIII, 23.43.
Bielkius (Steno) Svec. Leg. V, 25.27.28. VI, 13. 26.63. IX, 17.20. X, 57. XI, 26.33.36.38. XII, 61.
Biermannus (Conradus) Dan. Deleg. XIV, 35. 38.
Biernclovius (Matthias) Svec. Leg. II, 48. III, 9. 55.59.60.61.62.65. IV, 27.30. V, 39. VI, 44.45. VII, 29.43.44.51. VIII, 51.64. IX, 32. X, 52.56.57. XI, 26.33.
Blaspielus (Wernerus Wilhelmus) Brandenb. Leg. IX, 71.72.74. X, 8.10.13.17.18.23. 30.37.39.40.41.48. XI, 14.16.18.20.21. 65.72. XII, 22.26.34.45.64. XIII, 7.21. 49.50.51. XIV, 29.66.67.70.71.72. XV 31.35. XVI, 5.6.7.13.20.24.25.30.32.33 35.36

35.36.46.47.52.54.77.89.90.91.92.94. 95.97. *XVII*, 15. 19.20.21.22.25.26.33. 40.45.46.47.48. 52.53.54.57.58.59.60. 61.81 82. XVIII, 55.
Blixius (Andreas Dubislaus). XIII, 56. XIV, 45.
Blondellus, Gall. Leg. VII, 40.53.54.67. VIII, 41.42.
Blumenthalius Baro (Christophorus Casparus) Brandenb. Consil. *IX*, 2.3.4.21.52.56.57. 58.59.60.63.64.67. *X*, 25.26.36.46.58.59. 80.81.86. *XI*, 1.4.40.41.42.62.63.71. *XII*, 14.
Blumenthalius Baro (Joachimus Fridericus) Brandenb. Min. I, 17. II, 46. III, 22.64. IV, 28. 29.30.32.37.39.42.43.
Blumius (Henricus Julius) VII, 56.
Blumius (Reinoldus) Svec. Leg. XI, 69.79.80.
Boccomus Polon. Vigil. Supremus Præfectus. *XI*, 103.
Bockius, Daniæ Regis Cubicularius. VII, 57.
Bæningshusius (Benjamin). IV, 21.
Bættigerus. VI, 37.
Bogislaus XIV. Pomeraniæ Dux. III, 58.
Bogislaus Radzivilius Princeps. VI, 66.71.
Bohlius (Fridericus) Svec. Minist. III, 65.
Boineburgius Baro (Joannes Christianus) Mogunt. Minist. VII, 37. X, 79.84.87.
Bolsæus (Bolsey) [Simon] Tribunus, *XIII*, 49. 50.
Boleslaus Chrobri. XIV, 3.
Bomstorfius, Tribunus. XI, 82.
Boninus (Georgius) Brandenb. Leg. V, 30.32. 33.34. VI, 5.8. IX, 86.
Bonvisius, Cardinalis & Nuntius Apostolicus. XIX, 47.
Bonzius (Petrus) Biterrensis Episcopus. IX, 80. X, 80.81.82.83.85.86.88.90. XV, 31.
Boothius (Hermannus). I, 14. IV, 36. V, 20.
Borckius (Adolfus). X, 15.
von der *Borch* (Joannes). XIX, 102.
Bordeaux Gallus quidam. IX, 32.
Borelius (Petrus) Amstelod. Consul. XVI, 45. 46 77. XVII, 96.
Borellus (Jacobus) XVI, 16.29.
Borgius (Allartus Philippus) Brandenb. Minist. I, 72.
Borgstorfius (Conradus) Custrini Præfectus. I, 3.5.30.42.44. II, 72. III, 32. IV, 24.37. IX, 92. XIV, 72.
Borgstorfius (Georgius Ehrenreich) Brandenb. Minist. I, 45. III, 39.
Bornius (Joannes Georgius) Novæ Marchiæ Cancellarius. I, 27.33. III, 49.52.
Bornonvillius. XI, 82.83.84. XII, 45.46.47.49. 51. XIII, 1. XIV, 21.
Bornstedius (Balthasar Fridericus) Brandenb. Subtribunus. XIX, 26.
Bornstedius (Wolffgangus Erasmus). VI, 77.
Borntinus (Fridericus Joachimus) Brandenb. Leg. VII, 6.
Bosius Saxon. Minister. XVIII, 101.
Bottonus (Franciscus Hannibal) Cæsar. Leg. XIII, 61.
Boulangerus (Josephus) Cæsar. Legat. Secretar. XVIII, 13.
Brabecius (Jodocus Edmondus), X, 15.
Brabaus (Nicolaus) Svec. Leg. VII, 41. IX, 25. 28.68. XI, 36. XII, 57.61. XIII, 24.27.28.31.43.
Brabæus (Petrus) I, 40. II, 48. III, 32. XI, 33. 34. XII, 61. XIV, 46.
Brandius (Christophorus) VII, 53.54.67. VIII, 39.40.41. IX, 23.26. X, 2.3.4.6.7.20.21.22. 23.28.45.47. XI, 32.33.34.36.38.53.84. 103.104. XII, 39.40.41.42.43.44.53.54. 55.56. XIII, 12.26.42.43.44. XIV, 34.38. XVIII, 9.75.76.77.90. XIX, 25.
Brandius (Eusebius) XI, 101.103.104.105. 108.
Brandius (Fridericus) Brand. Leg. XIII, 23.26. 30.31. XIV, 38. XVIII, 11.124.127. XIX, 65.
Brandius (Ludovicus) Brandenb. Minister. XIX, 25.
Brandius (Wilhelmus) Brandenburg. Subtribunus, XVIII, 31. XIX, 26.
Brasserus, Belgicus Ableg. XI, 71.
Braunius. VIII, 28.
Bregyus Vice-Comes (Bregy) Gall. Leg. II, 45. III, 43. X, 72.
Breitenavius (Christianus). XVIII, 72.
Breitenauius (Christophorus Jentsch) Danic. Plenipotent. XIX, 70.73.82.
Bremerus, Subtribunus. XIV, 47.
Bremerus, Svec. Minister. XIX, 71.
Brethel à Gremonville (Jacobus). XI, 51.
Breza (Albertus Constantinus de Gorai) Posnaniensis Castellanus. XVIII, 137.
Briennius. II, 22.
Brocdorfius (Detlevus) Brandenb. Tribunus. XIII, 42.
Bræmserus Baro. II, 25.
Bruninxius, Belgar. Leg. XI, 51. 84.
Brunus (Antonius) Hisp. Leg. II, 20.71.
Buchius (Joannes Fridericus). III, 49.52.
Buckingamius Dux. X, 28. XI, 3.12.18.56.
Bucwaldus (Goschius) Leg. Dan. XIV, 23. XV, 59. XVI, 87. XVIII, 24.70.
Bucwaldus, Summus Vigil. Præfectus Stralsund. XVI, 62.
Butendachius (Joannes) Procancell. Halberst. XIII, 17. XV, 3.
Buissonus, Abbas. XI, 35.
Bullionius, Cardinalis. XI, 54.
Bulovius (Bulov) Svec. vigil. summus præfectus. VI, 37.
Burckersrodius (Joannes Fridericus) Saxon. El. Leg. VIII, 61. XI, 51.
Burgomagnus Marchio (Burgomanero) Hisp. Leg. XV, 60.61. XVI, 3.9.10.11.13.21.22. XVIII, 60.83.111.118. XIX, 12.50.
Burnetus (Gilbertus). XIX, 96.
Buschius (Clamor) Brandenb. Minist. XVII, 41. XVIII, 41.42.72.
Buschmannus (Petrus) Coloniens. Minist. IV, 31. X, 17. XI, 5.20.
Byaus (de Bye) (Nicolaus). V, 4.5.8.10.15.

C.

Calixtus (Georgius) Theol. Helmstad. II, 31.
Calovius (Fabianus). IX, 55.
Calvinus. II, 52.

Calvus. XVII,60.
Camprichtus (Joannes) Cæsar. Min. XI,51. XII,52. XIII,8.41. XVIII,23.119.128. XIX,3.55.
Camus Gratianopolitanus Episcopus. XIX,16.
Canasilius. V,8.
Canicius, Brandenb. Minist. XVIII,65.67.121.135. XIX,22.24.46.48.
Canitzius, Tribunus. XVII,2.
Cannebergius (Christophorus) Mindæ Gubernat. VI,37.39. VIII,27. X,39.
Cannius, (Christianus Ernestus) Elect. Colleg. Leg. VII,56.
Cannius, Subtribunus. XIII,34.
Canoffcius. (Canofski). XI,34.35.
Canon (Franciscus) Lothar. Duc. Leg. XV,34.35.58. XVI,24.30.35. XVII,15.49.
Cansteinius. (Rabanus) Brand. Leg. VII,22.23.26.27.29.32.35.37.38.39.44. XI,85. XII,15.22.
Cantensteinius (Laurentius). V,56.
Canutus. XI,33.
Caprara. Trib. Cæsar. IX,78. XI,82. XII,46.51. XVI,20.
Caraffa. XIX,55.
Cardenas. XVII,43.
Carlingfortius Comes. X,15. XIX,89.
Carlsonius Comes (Gustavus). XVII,5.
Carolus Æmilius, Friderici Wilhelmi El. Fil. XII,65.68.69.70.73.74.76.78.79.80. XIII,31. XIX,103.
Carolus I. Angliæ Rex. I,25. XIV,10. XIX,4.84.
Carolus II. Angliæ Rex. IX,5.27. XI,76. XVI,4. XVII,24. XIX,3.4.84.85.
Carolus, Austriæ Archidux. VIII,44.
Carolus, Cardinalis. IV,8.
Carolus Caspar. Trevirensis Elect. IX,65.
Carolus Ferdinandus, Polon. Reg. frater. XII,70.
Carolus Fridericus, Juliacensis Dux. IV,1.
Carolus Fridericus, Wurtenbergici Ducatus Administrator. XIX,19.
Carolus Gonzaga, Nivernensis Dux. IV,1.6.
Carolus Gustavus, Palatinus; postea *Sveciæ Rex*. I,34. II,35.48.49.55.64. III,23.32.33.47.60. IV,4. V,1.18.20.28.56.64. VI,1.8.10.23.39.40.45.49.59.62.74. VII,15.16.43.44.55.56. VIII,16.21.61.66.73.74. IX,65.69. XI,34. XIII,41. XIV,46. XV,12. XVIII,83. XIX,62.
Carolus Gustavus, Palatinus, Sveciæ Rex, Bremens. & Verdens. Dux. IX,65.69. XIII,42.
Carolus, Hassiæ Landgravius. XVIII,42.
Carolus Hiacynthus, Jun. Lothar. Dux. X,58.59.65.76.90. XIV,60. XVII,15.24.
Carolus II. Hispaniæ Rex. XIV,43.
Carolus Josephus, Austriæ Archidux. IX,10.20.
Carolus IV. Lothar. Dux, Senior. IV,31. XI,12. XIII,38.
Carolus Ludovicus, Palatinus Elector. XI,64. XII,46. XIX,15.
Carolus Magnus, Durlacensis Marchio. VI,37.
Carolus M. Rom. Imperat. III,12. IV,43. XI,1. XVIII,54.
Carolus, Palatinus Elector. XVIII,36. XIX,13.14.
Carolus Philippus, Brand. Elect. filius. XIX,103.
Carolus, Polon. Reg. frater. III,27.
Carolus IV. Rom. Imp. IV,1. XII,1.
Carolus V. Rom. Imp. II,45.46.58.69. III,23. IV,3.4.10.20. V,6. VI,11. VII,21.34. IX,19.91. XV,4.
Carolus Sveciæ Regis filius. XVIII,75.
Carolus IX. Sveciæ Rex. II,52. XV,30.
Carolus XI. Sveciæ Rex. VIII,75. XII,19.58. XIII,31. XIV,22. XV,27. XVII,80. XVIII,23.
Carrigius, (Carrig.) Bavaricus Legatus. XIX,59.
Carteret (Georgius). Angl. Regis Vice-Camerarius. IX,27.
Casimirus, Poloniæ Rex. V,17.
Caspari, Neoburg. Ableg. XVI,52.
Castello-Moncayus, Hispanicus Minister. XVIII,129.
Castelmainus. XIX,86.
Castello-Rodericus, Belgii Hisp. Gubern. III,63. V,33. VII,30. IX,92. X,15.28.30.31.32.37.40.41.55. XI,35.
Castillonia, Christiani Ludovici, Ducis Mecklenburgici uxor. XVI,86.
Catharina. XIX,102.
Catharina, Lusit. Regis filia. IX,25.
Cave (Petrus de la). IX,55.
Caunitius Comes (Caunitz) Cæsar. Minist. XIX,59.
Chamillius. XI,60.
Chanutus (Petrus) Gall. Leg. IV,36. XIV,72. XVIII,13.76.
Charlotta Amalia, Daniæ Regis uxor. X,36.
Chassanus, Gall. Leg. XI,46.
Chastreus, Galliæ Mareschallus. IV,14.
Chaunius Dux, Gall. Leg. XII,3.4.8.9.
Chesburius (Chesbury). XVI,78.
Chiaramannus, Florentinus Ablegatus. XIV,64.
de *Chiese* (Philippus). XIX,105.
Chivernius (Chiverny), Gallicus Legatus. XIX,12.13.39.69.73.80.83.
Chmielnicius (Chmielnizki) Cosaccorum Dux. V,42.
Chodscinzius (Chodzinski) [Joannes]. XII,81.
Chowanscius (Chovvanski). XIII,61.
Christianus Albertus, Gottorpiensis Dux. VII,69. VIII,77. X,17. XIV,40. XVII,28.73. XIX,62.
Christianus, Anhaltinus Princeps. IV,15.20.
Christianus, Brandenburgensis Marchio. IV,15.
Christianus, Brunsvicensis Dux. II,61. III,12.
Christianus, Culmbacensis Marchio. III,16.
Christianus III. Dan. Rex. XIX,78.79.
Christianus IV. Daniæ Rex. IX,28. XVII,96. XVIII,10. XIX,67.
Christianus V. Daniæ Rex. XI,40.
Christianus Ernestus, Culmbacensis Marchio. XVIII,58. XIX,31.
Christianus Ludovicus, Brand. Elect. filius. XIX,100.103.
Christianus Ludovicus, Brunsv. & Luneb. Dux. I,47. VI,66. IX,65.79. X,15.
Christianus Ludovicus, Mecklenb. Dux. VIII,16. XV,8. XVI,86. XVII,40. XVIII,127.
Christianus, Mecklenburgicus Dux. XVII,75.
Christianus I. Saxoniæ Elector. IV,10.15.

Christianus Wilhelmus Brandenb. Marchio. III, 16.
Christianaus, Hispan. Leg. XV, 33.
Christina, Sveciæ Regina. I, 34.36.40. II, 49.52.72. IV, 36.38. V, 1.9.15.26.38. VIII, 21.61.
Christophorus Bernhardus Galenus, Monaster. Præsul. IX, 65. X, 9.
Chrobri (Boleslaus). XIV, 3.
Chwalcovius (Chvvalcovvski) [Samuel] Brandenb. Minister. XVIII, 27.
Cibus (Cibo) Cardinalis. XIX, 45.
Citterus (Citters) Belgicus Legatus. XIX, 32. 98.
Clantius (Clant) Belg. Leg. II, 42. III, 3.
Clarsteinius (Arnoldus) Cæsar. Min. X, 72.
Claudia Felicitas. XI, 85. XIV, 21.
Clemens, Bavariæ Dux. XIX, 59.
Clericus (Clerc) [Joannes]. XV, 17.
Clevelandia. XIX, 86.
Cnutius. XIV, 35.
Cobius. XII, 64. XIII, 34. XIV, 13.51. XV, 9.
Cæppenius (Joannes). XII, 17.
Cojetus (Wilhelmus Julius) Svec. Ableg. XIX, 63.
Colbertus, vid. Croissius.
Colignius. IX, 78.
Collaltus Comes (Claudius). IX, 77.85.
Collonitschius Neostadiensis Episcopus. XV, 9. XVIII, 96. XIX, 55.
Colmannus, Eboracensis Ducis Secretarius. XVI, 78.
Colobratus, (Franciscus Carolus), Cæsar. Leg. VIII, 58.
Colonna Connestabilis. XI, 1.
Colonna (Petrus) Secretarius Status. XV, 10.11.
Condaus Princeps. V, 7. VI, 41. VII, 54. VIII, 49. 85. IX, 4.10.20.44.91. X, 29.42.43.44.49. 50.51.55.58.59.61.62.67.76.77.80.86. 90. XI, 1.20.27.51.63.64.67.82.87. *XII*, 8. 44.51.55.57.68.70.72.73.74.78. *XVII*, 90.
Conradus, Basileensis Præsul. *IX*, 65.
Conspruckius (Caspar Florens), Cæsar. Minist. *XVIII*, 133.
Constantia, Poloniæ Regina. *XVIII*, 30.
Contarenus (Aloysius) Venetus Leg. II, 56.63. III, 32.
Contius, Princeps. *XII*, 74.78.
Contrera (Hisp. Secretar.) *IX*, 4.
Copesius (Joannes) Brandenb. Minist. IV, 31. V, 21. VII, 60. *X*, 15.
Copesius (Otto). *IX*, 21.
Corkerus, Coloniensis Residens in Anglia. *XIX*, 97.
Cornburgius. *X*, 57.
Cosbotus (Joannes) Brand. Min. I, 21. *IX*, 37.
Cossus (Joannes), Palatinus. V, 57.
Coventrius (Henricus) Angl. Leg. *IX*, 68. *XI*, 33.75. *XII*, 36. *XIII*, 63. *XV*, 32. *XVI*, 11.
Coyetus (Petrus Julius) Svecicus Leg. VIII, 35. *IX*, 70.
Coyetus (Wilhelmus Julius) Svecicus Ablegatus. *XVIII*, 90.
Cracbtius, Berolini Præfectus. I, 5.
Cracovius (Matthias) Leg. Polon. II, 45.57.63. III, 54.59.60.61.62.65. IV, 36. *XIV*, 2.
Cranius (Joannes) Cæs. Ableg. II, 16.36.50.69. III, 59.61. VI, 41. *XIV*, 57.
Cravellus, Gallicus Legatus. VII, 30.37. *IX*, 82. *XI*, 69.79.80. *XVIII*, 15.19.20.54.68.
Crequius. *X*, 29. *XII*, 47. *XIII*, 38. *XVII*, 60.76. 79.82.83.86.87. *XIX*, 57.
Creutzius (Laurentius) Præfectus classis Svec. *XIV*, 46.
Crocovius (Joachimus Ernestus). I, 55. II, 45.
Crocovius (Laurentius Christophorus). *XVII*, 84.96.
Crocovius (Laurentius Georgius), Leg. Brand. *IX*, 66.67.68.69.82. *X*, 56.57. *XI*, 7.8.9.10. 11.13.15.26.31.60.74.75.76.81.84.85. 97. *XII*, 26.28.29.30.33.37.52.71.77. *XIII*, 2.11.13.14.19.39.43.57. *XIV*, 10.13. 14.15.19.21.31.49.57.64. *XV*, 2.4.9.20. 29.42.45. *XVI*, 8.68.79.80.82.84.86. *XVII*, 10.11.33.34.35.36.38.48. *XVIII*, 56. 57.59.61.62.63.64.78.86.
Croja Dux, Borussiæ Gubernator. *XII*, 81. *XIV*, 5. *XVII*, 2.
Croissius (Carolus Colbertus Marchio de Croissy) Leg. Gall. Neomag. post Suprem. in Gall. Consil. Moderat. VIII, 42.64. *X*, 16. 71.25.55. *XI*, 1.3.10.18.31. *XIV*, 66.70. *XV*, 30. *XVI*, 36.38.44.46.77.89.93.95. *XVII*, 23.24.46.51.55.57.59.60.61.73.74. 78.81.82.84. *XVIII*, 15.19.21.23.33.48. 52.73.74.88.92.93.94.95.96.102.104. 107.126.133.136. *XIX*, 4.8.9.11.12.18. 20.29.32.33.35.43.47.49.50.52.56.
Cromwellus (Olivarius) Angl. Protector. V, 3. 21.26. VI, 9.10.11.50.64.70.73. VII, 31.39. 55.63.68. *X*, 5.21.28. *XIV*, 2. *XIX*, 3.4.84. 95.98.
Cromwellus (Richardus) Olivarii Fil. VII, 68. VIII, 4.8. *IX*, 24.28.
Crummensens (Otto Fridericus). *XII*, 65.
Curtinius, Gall. Leg. *XI*, 34.38. *XII*, 3. *XIV*, 65.
Cutierius (de la Coutiere). VIII, 28.
Curtius Comes (Ferdinandus). I, 17. III, 59.60. 61. IV, 42. VII, 64.
Curtius (Maximilianus) Bavari Legatus. IV, 43.
Czarnecius Junior. *IX*, 48.
Czarnecius (Stephanus). VI, 14.25.30.33.77. VII, 3.10.11.15.62.70. VIII, 11.30.64.69. *IX*, 20.45.46. *XIV*, 9.

D.

Dada Comes, Nuntius Apostolicus. *XIX*, 86.
Dagobertus Rex. *XVIII*, 14.38.54.
Dalchovius (Dalchou) Subtribunus. *XVII*, 6.
Dalwigius, Summus vigiliar. Præfectus. *XIII*, 36.
Danbyaus (Danby), Angliæ Thesaurarius. *XV*, 61. *XIX*, 4.
Danckelmannus (Eberhardus) Brand. Minist. *XIX*, 99.
Danckelmannus (Nicolaus) Brandenb. Minist. *XIX*, 55.
Danckelmannus (Thomas Ernestus). *XIV*, 31.

INDEX PERSONARUM.

Calvus. XVII,60.
Camprichtus (Joannes) Cæsar. Min. XI,51. XII, 52. XIII,8.41. XVIII,23.119.128. XIX,3.55.
Camus Gratianopolitanus Episcopus. XIX,16.
Canafilius. V,8.
Canicius, Brandenb. Minist. XVIII,65.67.121. 135. XIX,22.24.46.48.
Canitzius, Tribunus. XVII,2.
Cannebergius (Christophorus) Mindæ Gubernat. VI,37.39. VIII,27. X,39.
Cannius, (Christianus Ernestus) Elect. Colleg. Leg. VII,56.
Cannius, Subtribunus. XIII,34.
Canoffcius. (Canofski). XI,34.35.
Canon (Francifcus) Lothar. Duc. Leg. XV,34. 35. 58. XVI,24.30.35. XVII,15.49.
Cansteinius. (Rabanus) Brand. Leg. VII,22.23. 26.27.29.32.35.37.38.39.44. XI,85. XII, 15.22.
Cantensteinius (Laurentius). V,56.
Canutus. XI,33.
Caprara. Trib. Cæsar. IX,78. XI,82. XII, 46. 51. XVI, 20.
Caraffa. XIX,55.
Cardenas. XVII,43.
Carlingfortius Comes. X,15. XIX,89.
Carlsonius Comes (Gustavus). XVII,5.
Carolus Æmilius, Friderici Wilhelmi El. Fil. XII, 65.68.69.70.73.74.76.78.79.80. XIII,31. XIX,103.
Carolus I. Angliæ Rex. I,25. XIV,10. XIX,4.84.
Carolus II. Angliæ Rex. IX,5.27. XI,76. XVI,1. XVII,24. XIX,3.4.84.85.
Carolus, Austriæ Archidux. VIII,44.
Carolus, Cardinalis. IV,8.
Carolus Caspar. Trevirensis Elect. IX,65.
Carolus Ferdinandus, Polon. Reg. frater. XII, 70.
Carolus Fridericus, Juliacensis Dux. IV,1.
Carolus Fridericus, Wurtenbergici Ducatus Administrator. XIX,19.
Carolus Gonzaga, Nivernensis Dux. IV,1.6.
Carolus Gustavus, Palatinus; postea *Suecia Rex*. I,34. II,35.48.49.55.64. III,23.32.33.47. 60. IV,4. V,1.18.20.28.56.64. VI,1.8.10. 23.39.40.45.49.59.62.74. VII,15.16.43. 44.55.56. VIII,16.21.61.66.73.74. IX,65. 69. XI,34. XIII,41. XIV,46. XV,12. XVIII,83. XIX,62.
Carolus Gustavus, Palatinus, Sveciæ Rex, Bremens. & Verdens. Dux. IX,65.69. XIII,42.
Carolus, Hassiæ Landgravius. XVIII,42.
Carolus Hiacynthus, Jun. Lothar. Dux, X,58.59. 65.76.90. XIV,60. XVII,15.24.
Carolus II. Hispaniæ Rex. XIV,43.
Carolus Josephus, Austriæ Archidux. IX,10.20.
Carolus IV. Lothar. Dux, Senior. IV,31. XI,12. XIII,38.
Carolus Ludovicus, Palatinus Elector. XI,64. XII, 46. XIX,15.
Carolus Magnus, Durlacensis Marchio. VI,37.
Carolus M. Rom. Imperat. III,12. IV,43. XI,1. XVIII,54.
Carolus, Palatinus Elector. XVIII,36. XIX,13. 14.
Carolus Philippus, Brand. Elect. filius. XIX,103.
Carolus, Polon. Reg. frater. III,27.
Carolus IV. Rom. Imp. IV,1. XII,1.
Carolus V. Rom. Imp. II,45.46.58.69. III,23. IV,3.4.10.20. V,6. VI,11. VII,21.34. IX,19. 91. XV,4.
Carolus Sveciæ Regis filius. XVIII,75.
Carolus IX. Sveciæ Rex. II,52. XV,30.
Carolus XI. Sveciæ Rex. VIII,75. XII,19.58. XIII,31. XIV,22. XV,27. XVII,80. XVIII,23.
Carrigius, (Carrig.) Bavaricus Legatus. XIX, 59.
Carteret (Georgius). Angl. Regis Vice-Camerarius. IX,27.
Casimirus, Poloniæ Rex. V,17.
Caspari, Neoburg. Ableg. XVI,52.
Castello-Moncayus, Hispanicus Minister. XVIII, 129.
Castelmainus. XIX,86.
Castello-Rodericus, Belgii Hisp. Gubern. III,63. V,38. VII,30. IX,92. X,15.28.30.31.32. 37.40.41.55. XI,35.
Castillonia, Christiani Ludovici, Ducis Mecklenburgici uxor. XVI,86.
Catharina. XIX,102.
Catharina, Lusit. Regis filia. IX,25.
Cave (Petrus de la). IX,55.
Caunitius Comes (Caunitz) Cæsar. Minist. XIX, 59.
Chamillius. XI,60.
Chanutus (Petrus) Gall. Leg. IV,36. XIV,72. XVIII,13.76.
Charlotta Amalia, Daniæ Regis uxor. X,36.
Chassanus, Gall. Leg. XI,46.
Chastreus, Galliæ Marefchallus. IV,14.
Chaunius Dux, Gall. Leg. XII,3.4.8.9.
Chesburius (Chesbury). XVI,78.
Chiaramannus, Florentinus Ablegatus. XIV,64.
de *Chiese* (Philippus). XIX,105.
Chivernius (Chiverny), Gallicus Legatus. XIX, 12.13.39.69.73.80.83.
Chmielnicius (Chmielnizki) Cofaccorum Dux. V,42.
Chodscinzius (Chodzinski) [Joannes]. XII,81.
Chowanscius (Chowanski). XIII,61.
Christianus Albertus, Gottorpiensis Dux. VII, 69. VIII,77. X,17. XIV,40. XVII,28.73. XIX,62.
Christianus, Anhaltinus Princeps. IV,15.20.
Christianus, Brandenburgensis Marchio. IV, 45.
Christianus, Brunsvicensis Dux. II,61. III,12.
Christianus, Culmbacensis Marchio. III,16.
Christianus III. Dan. Rex. XIX,78.79.
Christianus IV. Daniæ Rex. IX,28. XVII,96. XVIII,10. XIX,67.
Christianus V. Daniæ Rex. XI,40.
Christianus Ernestus, Culmbacensis Marchio. XVIII,58. XIX,31.
Christianus Ludovicus, Brand. Elect. filius. XIX, 100.103.
Christianus Ludovicus, Brunsv. & Luneb. Dux. I,47. VI,66. IX,65.79. X,15.
Christianus Ludovicus, Mecklenb. Dux. VIII,16. XV,8. XVI,86. XVII,40. XVIII,127.
Christianus, Mecklenburgicus Dux. XVII,75.
Christianus I, Saxoniæ Elector. IV,10.15.

Christia-

Christianus Wilhelmus Brandenb. Marchio. III, 16.
Christianaus, Hispan. Leg. XV, 33.
Christina, Sveciæ Regina. I, 34. 36. 40. II, 49. 52. 72. IV, 36. 38. V, 1. 9. 15. 26. 38. VIII, 21. 61.
Christophorus Bernhardus Galenus, Monaster. Præsul. IX, 65. X, 9.
Chrobri (Boleslaus). XIV, 3.
Chwalcovius (Chvvalcovvski) [Samuel] Brandenb. Minister. XVIII, 27.
Cibus (Cibo) Cardinalis. XIX, 45.
Citterus (Citters) Belgicus Legatus. XIX, 32. 98.
Clantius (Clant) Belg. Leg. II, 42. III, 3.
Clarsteinius (Arnoldus) Cæsar. Min. X, 72.
Claudia Felicitas. XI, 85. XIV, 21.
Clemens, Bavariæ Dux. XIX, 59.
Clericus (Clerc) [Joannes]. XV, 17.
Clevelandia. XIX, 86.
Cnutius. XIV, 35.
Cobius. XII, 64. XIII, 34. XIV, 13. 51. XV, 9.
Cæppenius (Joannes). XII, 17.
Cojetus (Wilhelmus Julius) Svec. Ableg. XIX, 63.
Colbertus, vid. Croissius.
Colignius. IX, 78.
Collaltus Comes (Claudius). IX, 77. 85.
Collonitschius Neostadiensis Episcopus. XV, 9. XVIII, 96. XIX, 55.
Colmannus, Eboracensis Ducis Secretarius. XVI, 78.
Colobratus, (Franciscus Carolus), Cæsar. Leg. VIII, 58.
Colonna Connestabilis. XI, 1.
Colonna (Petrus) Secretarius Status. XV, 10. 11.
Condaus Princeps. V, 7. VI, 41. VII, 54. VIII, 49. 85. IX, 4. 10. 20. 44. 91. X, 29. 42. 43. 44. 49. 50. 51. 55. 58. 59. 61. 62. 67. 76. 77. 80. 86. 90. XI, 1. 20. 27. 51. 63. 64. 67. 82. 87. *XII*, 8. 44. 51. 55. 57. 68. 70. 72. 73. 74. 78. *XVII*, 90.
Conradus, Basileensis Præsul. *IX*, 65.
Consbruckius (Caspar Florens), Cæsar. Minist. *XVIII*, 133.
Constantia, Poloniæ Regina. *XVIII*, 30.
Contarenus (Aloysius) Venetus Leg. II, 56. 63. III, 32.
Contius, Princeps. *XII*, 74. 78.
Contrera (Hisp. Secretar.) *IX*, 4.
Copesius (Joannes) Brandenb. Minist. IV, 31. V, 21. VII, 60. *X*, 15.
Copesius (Otto). *IX*, 21.
Corkerus, Coloniensis Residens in Anglia. *XIX*, 97.
Cornburgius. *X*, 57.
Cosbotus (Joannes) Brand. Min. I, 21. *IX*, 37.
Cossus (Joannes), Palatinus. V, 57.
Coventrius (Henricus) Angl. Leg. *IX*, 68. *XI*, 33. 75. *XII*, 36. *XIII*, 63. *XV*, 32. *XVI*, 11.
Coyetus (Petrus Julius) Svecicus Leg. VIII, 35. *IX*, 70.
Coyetus (Wilhelmus Julius) Svecicus Ablegatus. *XVIII*, 90.
Crachtius, Berolini Præfectus. I, 5.
Cracovius (Matthias) Leg. Polon. II, 45. 57. 63. III, 54. 59. 60. 61. 62. 65. IV, 36. *XIV*, 2.
Cranius (Joannes) Cæs. Ableg. II, 16. 36. 50. 69. III, 59. 61. VI, 41. *XIV*, 57.
Cravellus, Gallicus Legatus. VII, 30. 37. *IX*, 82. *XI*, 69. 79. 80. *XVIII*, 15. 19. 20. 54. 68.
Crequius. *X*, 29. *XII*, 47. *XIII*, 38. *XVII*, 60. 76. 79. 82. 83. 86. 87. *XIX*, 57.
Creutzius (Laurentius) Præfectus classis Svec. *XIV*, 46.
Crocovius (Joachimus Ernestus). I, 55. II, 45.
Crocovius (Laurentius Christophorus). *XVII*, 84. 96.
Crocovius (Laurentius Georgius), Leg. Brand. *IX*, 66. 67. 68. 69. 82. *X*, 56. 57. *XI*, 7. 8. 9. 10. 11. 13. 15. 26. 31. 60. 74. 75. 76. 81. 84. 85. 97. *XII*, 26. 28. 29. 30. 33. 37. 52. 71. 77. *XIII*, 2. 11. 13. 14. 19. 39. 43. 57. *XIV*, 10. 13. 14. 15. 19. 21. 31. 49. 57. 64. *XV*, 2. 4. 9. 20. 29. 42. 45. *XVI*, 8. 68. 79. 80. 82. 84. 86. *XVII*, 10. 11. 33. 34. 35. 36. 38. 48. *XVIII*, 56. 57. 59. 61. 62. 63. 64. 78. 86.
Croja Dux, Borussiæ Gubernator. *XII*, 81. *XIV*, 5. *XVII*, 2.
Croissius (Carolus Colbertus Marchio de Croissy) Leg. Gall. Neomag. post Suprem. in Gall. Consil. Moderat. VIII, 42. 64. *X*, 16. 71. 25. 55. *XI*, 1. 3. 10. 18. 31. *XIV*, 66. 70. *XV*, 30. *XVI*, 36. 38. 44. 46. 77. 89. 93. 95. *XVII*, 23. 24. 46. 51. 55. 57. 59. 60. 61. 73. 74. 78. 81. 82. 84. *XVIII*, 15. 19. 21. 23. 33. 48. 52. 73. 74. 88. 92. 93. 94. 95. 96. 102. 104. 107. 126. 133. 136. *XIX*, 4. 8. 9. 11. 12. 18. 20. 29. 32. 33. 35. 43. 47. 49. 50. 52. 56.
Cromwellus (Olivarius) Angl. Protector. V, 3. 21. 26. VI, 9. 10. 11. 50. 64. 70. 73. VII, 31. 39. 55. 63. 68. *X*, 5. 21. 28. *XIV*, 2. *XIX*, 3. 4. 84. 95. 98.
Cromwellus (Richardus) Olivarii Fil. VII, 68. VIII, 4. 8. *IX*, 24. 28.
Crummenseus (Otto Fridericus). *XII*, 65.
Curtinius, Gall. Leg. *XI*, 34. 38. *XII*, 3. *XIV*, 65.
Cutierius (de la Coutiere). VIII, 28.
Curtius Comes (Ferdinandus). I, 17. III, 59. 60. 61. IV, 42. VII, 64.
Curtius (Maximilianus) Bavari Legatus. IV, 43.
Czarnecius Junior. *IX*, 48.
Czarnecius (Stephanus). VI, 14. 25. 30. 33. 77. VII, 3. 10. 11. 15. 62. 70. VIII, 11. 30. 64. 69. *IX*, 20. 45. 46. *XIV*, 9.

D.

Dadus Comes, Nuntius Apostolicus. *XIX*, 86.
Dagobertus Rex. *XVIII*, 14. 38. 54.
Dalchovius (Dalchou) Subtribunus. *XVII*, 6.
Dalwigius, Summus vigiliar. Præfectus. *XIII*, 36.
Danbyaus (Danby), Angliæ Thesaurarius. *XV*, 61. *XIX*, 4.
Danckelmannus (Eberhardus) Brand. Minist. *XIX*, 99.
Danckelmannus (Nicolaus) Brandenb. Minist. *XIX*, 55.
Danckelmannus (Thomas Ernestus). *XIV*, 31.

Daniel Abbas, Cosacorum Legatus. VI,62.
Dartmuthus Comes. XIX,88.
Demetrius Wiesnovicius. XI,103.
Derenthalius. III,32.
Derschovius [Reinholdus] Leg. Brand. IV, 36.
Destrades Comes [Godofridus] Franciæ Mareschallus. *XVII*,24.
Devoniæ Comes. XIX,87.
Dewicius [Devvitz] Joachimus Balthas.] Brand. Subtribunus. *XVII*,6.
Dichelsonius [Joannes] Angl. Leg. IV,21. *XIX*, 37.
Diestius [Fridericus Wilhelmus]. Brandenb. Minist. IV,31. *XVIII*,23.31.73.93.128. 132. XIX,17.
Dnialinscius, Polonicus Secretarius. I,24.
Dobrzenius [Joann. Ulricus] Brand. Leg. V,2. 4.5.6.7.8.36.38.39.40.41.54.56.63.64. 66.69.71. VI,13.25.26.40.62.67. VII,4. VIII,41. *IX*,16.41.54.
Dœnhofius Comes [Fridericus] Brand. summus vig. Præf. XI,107. XII,46.68. XIII,34. XIV,5. XVII,2.
Dœnhofius Comes [Gerhardus] Polon. Legat. *I*, 24.41.
Dœrflingius [Georgius] Supr. Brand. Milit. Dux. VII,69. XII,34.47.57.65. XIII,34. XIV,45. XVI,60.62. XVII,4.
Dœrflingius [Carolus]. XIX,26.
Dona Comes [Alexander] Brandenb. Legatus. XIX,61.
Dona Comes [Carolus Æmylius]. XVIII, 137. XIX,26.
Dona Comes [Christianus Albertus]. VIII, 16. 25.29. XI,82.
Dona Comes [Christophorus Delphicus], Leg. Sved. IX,32. X,47.
Dona Comes [Dietericus]. XIX,26.
Dona Comes [Fabianus]. II,22. V,58.59.
Dona Comes [Fridericus]. IX,21. XI,73.107.
Donia Belg. Leg. II,42.
Dorellanus. XI,50.
Dorothea, Brandenb. Elect. altera conjux. XIX, 103.
Dorothea, Brand. Elect. filia. XIX,103.
Dorsetiæ Comes. XIX,97.
Downingius [Georgius] Angl. Leg. VII,55. VIII, 3.8. X,3.8.10. XI,75.76. XVI,21.
Dreierus [Christianus]. IX,40.
Duckerus, Colon. Consiliarius. XIII,67.
Duglassius [Robertus]. VI,37. VIII,35.
Dunewaldius, Cæsar. Milit. Dux. XII,51. XIX, 26.
Durassius. XI,82.87. XV,61. XVI,3.21.72.
Durellius, Svec. Minist. VI,53.55.57.58.59. 60.61.
Dusselius [Thomas] Colon. Minist. IV,34.
Duvalius [Duvval]. I,55.
Dyckveldius, Arausionens. Ableg. XVI, 70. XIX,94.

E.

Ebelbachius [Petrus Jacobus]. VII,61.
Eberhardus, Wurtenbergicus Dux. IX,65.
Eberfleinius Comes [Caspar] Hass. Mil. Dux. I,47.
Eberfleinius Comes [Ernestus Albertus]. VII,57.
Eckius Baro, Palatinus Ablegatus. XVIII,14.
Ecstedius, Pomer. Deleg. II,32.
Eduardus Palatinus. IX,10.
Efferanus Baro [von Effern]. I,44.
Eguia [Hieronymus] Hispan. Secretar. XV,10.
Ehrenschildius [Conradus] Danicus Legatus. XVIII,90.100.136. XIX,65.70.71.73.76. 77.80.81.82.
Ehrensteinius [Eduardus] Svec. Leg. VII,57. IX,70. XI,78. XII,3.62.63. XIII,6.7.8.10. 60. XIX,20.
Ehrmannus (Tilemannus). X,57.
Eleonora Magdalena Theresia, Neoburg. Ducis filia. XIV,21.
Elisabetha Angliæ Regina. II,64. VI,11. IX,25. XI,27. XIX,84.
Elisabetha, Bohemiæ Regina. XIX,102.
Elisabetha Charlotta, Friderici Wilhelmi Elect. Brand. Mater. I,37. VI,69.
Elisabetha Charlotta, Palatini Electoris Caroli Soror. XIX,13.
Elisabetha Juliacensis. IV,1.
Elisabetha, Palatina Princeps. XI,76.
Elisabetha Sophia, Brand. Elect. filia. XIX,103.
Ellerus, Sparenbergæ Præfectus. III,19.
Ellerus, Wolffgangus Ernestus. XI,82. XIII,21. 49.50.52.
Elrichshusius, Magister Ordinis. XII,71.
Elsnitius, Brandenb. vigil. Præfectus. *XIX*,26.
Eltzius (Fridericus Casimirus). IX,80.
Emmericus Pater [Viennens. Episcopus. XI,49. 50.51. XIV,22. XVII,13. XVIII.62.104.111.
Enckefortius. III,63.
Endius (von Ende) Rudolfus. XIV,32. XV, 8.18. XVI,62.
Enguianus Dux. IX,10.15.20.36.84.90.91. X, 42.50.56.58.60.62.70.77.90. XI,4. XII,70.
Eppius (Philippus). XI, 87.
Ernestus Augustus, Brunsv. & Lun. Dux. III,11. 12. *IX*,80. *X*,17.27. *XI*,83. *XIII*,18.38. *XVII*,27.40.73. *XVIII*,25.31.135.
Ernestus Bogislaus Croyæ Dux. III,14.42.45.55.
Ernestus, Coloniensis Elector. IV,20.
Ernestus Marchio. I,5.14.18.25.26.28.30.35. IV,18.
Erskeinus (Alexander). I,15. III,34. V,56.
Espencæus (d'Espence) *Comes. XI*,63.82. *XVI*, 76.92. *XVII*,75.79.83.
Estræus Dux (d'Estrée) Cardinalis. *XIX*,45.46. 47.
Eulenburgius Baro (Jonas Casimirus). Brand. Minist. VI,31.32. VIII,38. *IX*,39.
Eyckius, Belg. Legatus. *XI*,55.56.

F.

Fagelius (Caspar) Belg. Minist. *XI*,75. *XII*, 24.25.63. *XIII*,7.27.41.43.66. *XIV*, 41.60.66. *XV*,17.57.60. *XVI*,5.16.17. 18.28.39.48.50.71.73.77.92. *XVII*,57. 68. *XVIII*,73.116.119.128.129. *XIX*, 9.28.96.
Falesius (Falaiseau) (Petrus) Brandenb. Minist. *XIX*,20.43.82.
Fantomius Abbas. VIII,21. *IX*,44.

Felix

Felix Ego Murbacensis Administrator. XVIII, 113.
Ferdinandus, Bavariæ Dux. IX, 10.
Ferdinandus Maria, Bavariæ Elector. XVII, 37.
Ferdinandus I. Rom. Imp. IV, 1.
Ferdinandus II. Rom. Imp. II, 17.23.30.69. III, 16. VII, 5.26. XII, 37. XV, 4. XVI, 96. XIX, 20.
Ferdinandus III. Rom. Imp. II, 30. IV, 37. *VI*, 63. *VII*, 21.26.
Ferdinandus IV. Rom. Rex. VII, 25.26.34.
Fernamontius Baro [Joannes Franciscus Barvicius]. Cæsar. Minist. VII, 52.
Fersenus [Fabianus]. XV, 17. XVII, 1.
Fevillada Dux. IX, 78. XIX, 35.
Feuqvierius, Gall. Leg. XII, 44.53.54.55.56.57. 60.61.64. XIII, 4. XIV, 35. XVII, 79.85. XVIII, 9.74.76. XIX, 5.
Fickius (Henricus). *VIII*, 30
Fischerus (Joannes) Cæsar. Legat. XII, 9. XIII, 21. XIV, 57.
Fitinghofius (Fridericus). *VI*, 49.
Flemingius (Heino Henricus). XIV, 3.
Fœdorovicius ['Fœdorovvitz Michael] Mosc. Czar. V, 62.
Fonseca (Emanuel). XV, 60.
Fontanus Comes, Hispan. Orat. VII, 42. VIII, 74. IX, 4.92. X, 28.29.37. XV, 36.
Forbusius (Arvidus). III, 58.
Forgatschius Comes. IX, 51.
de las *Forres*, Medinæ Dux. XV, 11.
Franciscus Albertus, Lauenburgicus Dux. I, 11. 20.
Franciscus I. Galliæ Rex. II, 34. V, 6. IX, 19. XI, 1. XIX, 16.58.
Franciscus Lotharingiæ Dux. XVIII, 13.
Franciscus Ludovicus, Wratislaviens. Episcop. XIX, 59.
Franciscus Wilhelmus Osnabrug. Episc. III, 8.13. 32.
Fredro, Castellanus Leopolensis. IX, 46. X, 63. 82.
Freietagius Baro (Franciscus Henricus) Cæsareus Minister. XIX, 2.25.55.
Fresno Marchio de. XII, 9.10.
Fridericus Augustus Eutinensis Episcop. XII, 61.
Fridericus Brandenburg. Marchio. V, 17.
Fridericus Brunsv. Dux. III, 12.
Fridericus Daniæ Princeps. Christiani V. Fil. XI, 40.
Fridericus III. Daniæ Rex. I, 37. II, 12. XI, 40. VI, 53. VII. 57.72. VIII, 15.24.25. IX, 6.33. 66. *XVIII*, 111. *XIX*, 79.62.
Fridericus Gottorpinus Dux. VII, 69. *XIX*, 62.
Fridericus Hasso-Homburg. Landgravius. *XIII*, 34.36.56. *XIV*, 47.
Fridericus Henricus Arausionensis Princ. II, 72.
Fridericus Holsatiæ Dux. III, 12. V, 10. VI, 31.
Fridericus Ludovicus Palatinus Bipontinus. *IX*, 65.76.
Fridericus V. Palatinus Elector. I, 2. V, 28. *XV*, 4.
Fridericus III. Palatinus Elector. II, 69. *XIX*, 15.
Fridericus II. Rom. Imp. *IX*, 39.
Fridericus III. Rom. Imper. II, 23. IV, 1.5. *XIII*, 42.
Fridericus Ulricus. Brunf. Dux. IV, 16.
Fridericus Wilhelmus, (Brandenb. Elector, ubi nominatim ejus fit mentio.) I, 1.2.3.24. II, 52. III, 16. IV, 1.23.24. V, 1. VI, 12.45.78.80. 81.82.83. VII, 17.18. VIII, 75. *IX*, 27.62.63. *XI*, 51.76. *XII*, 19.58. *XV*, 25. *XIX*, 102.105.
Fridericus III. Brandenb. Dignitat. Heres nunc Elector. *I*, 1. VI, 66. VII, 5. *XIV*, 19. *XVII*, 4. *XVIII*, 107. *XIX*, 99.103.
Fridlandus Dux. *XVI*, 62.
Friquetius. VIII, 2. *IX*, 16.71. *X*, 10.15.58.
Frischmannus (Joannes). VIII, 41.
Frisius Baro (Henricus) Saxon. Min. III, 64. VII, 40. *XIV*, 55.56. *XV*, 20.
- - - *Baro* (Carolus) Saxon. Minist. *XI*, 46.
Fritzius (Petrus) I, 17. II, 17.19.
Frobenius (Emanuel) Stabuli Præfect. *XIII*, 36.
Fromboltus (Joannes) Brandenb. Leg. II, 17. III, 58.17.19.32.65.
Fuchsius (Paulus) Brandenb. Minist. *XVII*, 42. 60. *XVIII*, 43.106.112.113.114.115.116. 117.118.119.120.121.135. *XIX*, 5.6.7.8. 9.25.27.41.44.61.70.71.76.80.81.82.83.
Fuen Major, Hisp. Ableg. *XV*, 5. *XVIII*, 11.
Fuggerus Comes. *III*, 63.
Fuotius. *X*, 29.
Furbinus, Massiliensium Episcopus. *XII*, 78.
Furstenavius (Antonius). III, 19.
Furstenbergius (Antonius Ego). *XVII*, 24.
Furstenbergius (Franciscus Eggo) Argent. Præsul. VII, 27. VIII, 42. *IX*, 92. *XI*, 4.20.44.93. *XII*, 4.9.50. *XIII*, 67. *XIV*, 59. *XVII*, 24. *XVIII*, 21.
Furstenbergius (Ferdinandus), Paderbornensis Præsul. *XIII*, 21. *XIV*, 32. *XVI*, 57. *XVIII*, 41.
Furstenbergius (Fridericus) Coloniens. Min. III, 22. IV, 34.
Furstenbergius Hermannus.) XI, 70. *XII*, 52.
Furstenbergius (Joann. Adolphus) Baro. *X*, 17.
Furstenbergius Leopoldi Archiducis Ablegatus. IV, 14.
Furstenbergius (Wilhelmus). IV, 27.29. VII, 27. *IX*, 56. *X*, 29.37.51.58. *XI*, 4.5.6.7.8.9.10. 11.16.20.21.26.28.93. *XII*, 6.9.33.36.37. 38.79. *XIII*, 11.20.64.67. *XIV*, 59.69. *XV*, 32.40.57. *XVI*, 15. *XVII*, 24.90. (Argentin. Præsul. *XVIII*, 38.120. *XIX*, 46.48.59.60. 71.98.

G.

GAbelius (Fridericus) Dan. Leg. *X*, 55. *XIV*, 12. *XV*, 15. *XVIII*, 121.
Gabriel Betlemus. *IX*, 78.
Gerzkius (Joachimus Ernestus). *XI*, 103. *XII*, 47. *XIII*, 34.54. *XIV*, 50. *XVI*, 69. *XVII*, 2.3.4.5.
Gallasius. I, 50.51.52. II, 14.
Gambiccius (Gambikki) (Joannes) Culmensis Episcopus. V, 57.
Gambrotius (Stephanus). *IX*, 58.59.68.
Gardius (Magnus Gabriel) Svec. Min. II, 49. 56.64. III, 46. V, 63. VI, 32.
- - - - (Magnus de la Gardie, Svec. Cancellarius. VIII, 74. *IX*, 15.32.67. *X*, 52.56.57. *XI*, 26.33.34.35.36.38.98. *XII*, 44.53.55. 56.57.60.61. *XIII*, 20.26.31.61. *XIV*, 46. *XVIII*, 9.

Gar-

Gateckius. XIV, 4.
Gaumontius Gall. Leg. X,34.51.90.
Gebbardus (Justus) Cæsar. Minister. I, 30. III, 60.61. V,28. VI,40.
Gembiccius,(Gembicki) CujaviæEpisc.XII,78.
Gentius (Bartholdus) Belg. Leg. XI, 55.
Gentius (Joannes) Belg.Leg. III,3.6.IV,32.33. VIII, 3.
Georgius Brunsv. Dux. III,13.
Georgius Daniæ Princeps. XII,70.73.74.77. XIII,42. XVIII,93. XIX,48.75.78.79.
Georgius Fridericus WaldeccæPrinceps.XVIII, 58.59.65.78.116.119.125. XIX, 12.31.
Georgius Hassiæ Landgravius. IX,65.
Georgius Marchio Brand. IV, 44.
Georgius Saxoniæ Dux. IV,10.
Georgius Wilhelmus. Brandenb. Elector. I,2.3. 14.22. IV, 1.22. IX,31. XI,102. XV,31. XIX, 102.
Georgius Wilhelmus. Brunsv. & Luneb. Dux. III, 12.IX,65.79.80.82. X.17.27. XI,41. XII, 46.48.49. XIII, 18.38.52. XIV. 32. XVIII, 98.
Gerica (Otto.) XIX, 17.
Gerstorfius (Joachimus) Dan. Minist. VI,53. 61. VII, 9.
Gerstorfius Baro (Nicolaus) Saxon. Minist. & Legat. VII,56. VIII.66. IX, 92. XIII,41. XVIII, 26.59.81.
Ghisius (Fabius.) II, 20. XIV, 64.
Gisius (Bernhardus,) XII, 76.78.
Gisius (Franciscus.) IX, 74. X,17.48.51.66. 69.79. XI,20. XII,73.74.
Gladebecius (Bodo) Brandenb. Minister. XIV, 23. XV, 8. XVIII,12.
Glandorfius (Rudolfus.) XIII,21.51.
Gleenius. I, 20.53.
Gloxinus. XV,32.
Gninscius (Gninski) (Joannes) Culmensis. Palatinus. X, 61. XI,103. XIV, 5.
Gochius (Joannes) Belg. Leg. IV, 21. X,3.4. 28.
Godolfinus. XI,10. XVI,9.
Gœdenus. (Haro Burchardus Freitagius,) Baro *à Gœdens* Cæsar. Minist. *XIX*, 69.70.83.
Gœrtzkius (Joachimus Ernestus.) VI, 48.66.
Gœsius Baro (Joannes) Cæsar. Min. VI, 61. VII,15. VIII,33.66. IX,83. X,15.17.32.43. 58.59.84.85. XI, 49.51. XII, 22.34.52. 77.
- - - - Gurcensis Præsul. XIV, 13. XV, 45. XVI, 35.
Gœtzius, (Fridericus). III, 39.
Gœtzius (Sigismundus). I, 14.34.42.46.
- - - - Tribunus. VIII, 11. XIII,34. XVI,60. XVII, 4.
Goeus, Dan. Leg. X, 55. XIII,61. XV, 32. XVI, 57.
Goldackerus (Hartmannus) Subtribunus. I, 9.
Goldackerus (Hermannus) Peizæ Præfectus. *I*, 5.
Goldsteinius (Henricus Theobaldus) Neob. Leg. XII, 23.76.
Goldsteinius, Tribunus. I, 55.
Goltzius, Cæsareus Dux. *I*,17.18.
Goltzius (von der Goltze) Joachimus Rutgerus] ex Brandenb. & Dan. Milit. Ducib. ac postea Saxon. Milit. Supremus Præfectus. *VI*,37.48. *VII*,50.69. *VIII*, 11. *IX*,51. *XII*, 47. *XV*,17. *XVIII*, 81.
Gonzaga (Hannibal). VII, 47. VIII, 32.64.
Goraiscius. Pol. Leg. V,18.
Gorgasius. *XIII*, 33.
Gosievius (Gosievski) Vincentius Corvinus] Lithuanorum Dux. VI, 30.36.48.49.68.70. 71.76.78. VII, 1.3.4.10 49.
Grafenthalius (Everhardus) Svec. Minist. *XIX*, 20.27.
Grajus. *XVIII*, 117. *XIX*, 4.5.85.
Gramondus (Antonius). VII, 29.30.35.
Grana Marchio (Otto Henrich) *XI*,20. *XII*,4. *XIII*,14. *XIV*,13.18. *XVII*,13. *XVIII*,11. 114.116.118.120.129.
Grabenus (Joannes Ludovicus) *X*,42.
Grabenus (Otto Fridericus) Minist. Brandenb. *XVIII*, 32.
Gratta, Polonic. Veredariorum Magister *IX*,8.
Greiffencrantzius, Gottorp. Duc. Ableg. *XIX*,69.
Gremonvillius (Jacobus Brethel) *XI*,35.50.51. 84.85.97.100. *XII*,51. *XVII*.10. *XVIII*,55.
Griffenfeldius (Petrus) Dan. Min. *XI*, 40.41. *XII*,61. *XIII*,4.24.25.26.29.31.32.42.43. 44.56. *XIV*, 35. *XVIII*,9.
Grœbenus. *XIII*, 55.
Grothusius, Supremus vigil. Præfectus. *XVI*,62.
Grotius (Augustus) Luneb. Min. *XVII*, 95.
Grotius (Otto) Luneb. Minist. *X*,17. *XIII*, 21. 47. *XVIII*,100.106.123.135. *XIX*, 44.
Grotius (Petrus) Belg. Leg. *XI*,15.26.27.30.55.
Grubbenhielmius (Svec. Præfectus) *XIII*, 55.
Gruillardus, Gallicus Minister. *XVIII*, 15.
Grumtovius (Joachimus Ernestus). *XIII*, 54.
Grzymultovius (Grzymultovvski) Posnaniensis Castellanus. *IX*,46.89. *XV*,14. *XVIII*,27.
Guasconus. *XI*, 51.
Gudenus (Christophorus) Mogunt. Legat. *X*,17.
Gunterrodius, Gottorp. Duc. Minist. *XVII*,91.
Gunzerus, Argentorat. civitat. Secret. *XVIII*,11.
Guretus (Plesseus) Tribunus & Magdeb. præsidii Præfectus. *XVIII*, 12.
Gurnetus (Israel Plessius) Tribunus (de Plessis Gournet). *XI*,73.
Gursinius (Gursinski) Polon. Tribunus. *XV*, 23.24.25.30.
Gustavus Adolfus, Mecklenburg. Dux. VII.69.
Gustavus Adolfus, Svec. Rex. I, 2.29.34.43. II, 33.37.39.41.45.49.52.53.54.57.61.66.68. III, 26.29.41. V, 2.20.38.42.67. VI, 51. VII, 44. *XI*,102. *XV*. 18. *XVIII*,76. *XIX*,102.
Gustavus, Gustavi filius. III, 13.
Gustavus, Sveciæ Rex. II, 55.
Gyldenclovius (Andreas) Svec. Min. I,36. VII,5.
Gyldenhielmius (Carolus) II, 48.
Gyldenlœwius, Minister Danicus. *XI*, 40.41.42. *XIV*, 35. *XV*,17. XVI,58. XIX,40.73.83.
Gyldensparrius. XIII, 44.
Gyldenstierna (Joannes) Svec. Minister. X,56. XI,33.36.38. XII,54.57.61. XV,28. XVII, 87. XVIII, 9.
Gyldenstierna (Sigismundus). V,57.59.
Gyldenstolpius (Nicolaus) Svec. Minist. XVIII, 23.43.

H. Heb-

INDEX PERSONARUM.

H.

Habbaus (Christianus) VII,57. X,16. XI,40. XIII,24.
Habermannus. II,38. ad marg.
Hackebergius (Julius). IX,90.
Hackius (Michael). XIV,5.
Hagius (Dubislavus Christophorus). XII,65.
Hahnius (Vincentius Joachimus) Danicæ Militiæ Dux. XV,17. XVI,57.59. XVII,87.92. XVIII,9.24.
Halifaxius Marchio. XIX,87.
Hallartus. XIV,43. XVI,60.
Hammersteinius. XVII,40.
Harcourtius Comes, Hagenoensis Præfectus. XVIII,68.
Hardenbergius. VIII,27.
Hardenfeldius (Stephanus) Clivic. Nobil. I,45. IV,1.9.
Harenus (Wilhelmus Belg. Leg. VIII,12. XI,33. 34.36. XII,4. XIII,10. XV,56. XVI,24.46.70. 91.
Harlæus, Gallicus Legatus. XVIII,33. XIX,16.
Haro (Ludovicus). IX,4.
Harsolte (Sveder van) Belg. Min. IV,21.
Hartmannus Lichtensteinius Princeps. X,9.
Hatzfeldius (Melchior) Cæs. Minist. III,63. IV, 30.34.35. V,32. VI,70. VII,4.10.11.12.14.
Haugwicius, Saxon. Minist. XI,41 XVIII,78.81.
Haymburgius (Fridericus) Brunsv. Ableg. VII, 56.
Hayus, Gallic. Minist. XVIII,96.
Hebdonus (Hebdon) Angl. Leg. XV,15.
Hedwigis Sophia, Hassiæ Landgravia. IX,65.
Hemskerkius Belg. Leg. XII,45.
Heidebecius. XIV,47.
Heidenus (von der Heiden) [Fridericus]. II,17. 20.
Heidius, Angl. Cancell. IX,25.26.28. XIV,65.
Heimburgius (Fridericus) Gvelferbytanus Minister. X,17. XII,34. XVI,55.57. XVIII,97.
Heissius. XI,44.
Heisterus. IX,78.
Helmes (Paulus). II,48.
Helmfeldius. XII,55.
Hempelius, Svec. Minist. III,32.
Henricus VIII. Angliæ Rex. IV,1. VI,11. XIX, 16.84.
Henricus, Frid. Wilh. M. F. XIX,103.
Henricus Fridericus, Arausionensis Princeps. XIX, 102.103.
Henricus II. Galliæ Rex. XIX,16.
Henricus IV. Galliæ Rex. IV,14. IX,56. XI,59. XVIII,23. XIX,16.35.73.
Henricus, Lundinensis Episcopus. XIX,87.
Henricus, Saxoniæ Dux. IV,10.
Henrietta, Aurelianensis Ducis conjux. XI,10.12.
Henrietta Maria, Caroli I. Angliæ Regis uxor. XIX,84.
Hermannus Wernerus, Paderbornensis Episcopus. XVIII,72.113.
Hessius (Hermannus Dietericus) Brand. Leg. XV,15. XVII,9.
Heugius (Justus). XIII,31. XIV,70. XVI, 24.35. 46.52.70.89.95. XVII,15.52.53.70. XVIII,9.
Heuslerus, Cæsar. Milit. Dux. XIX,26.
Heusnerus (Sigismundus). I,50.
Hillius, Brand. Tribunus. IX,49. XIV,48.
Hippolytus, Monachus. XIX,2.
Hirschenstierna (Stephanus Gambrotius) X,57.
Hocherus (Joann Paulus) *Baro*, Cæsaris Consiliarius intimus & Cancellar. XI,51.84.85. XII, 9.33.52.64.
- - - - (Paulus). XIII,11.14.40.41. XIV,10. 13.14.15.22. XV,19.20. XVII,10.11.12.40. XVIII,1.61.62.
Hochkirchius, Neoburgicus Ableg. XVI,52.
Hœnartus, Leg. Belg. VIII,53.56.57.
Hofkirchius. XII,51.
Hogbusius (Henricus). XII,57.
Hohendorfius (Caspar) Tribunus. XII,81. XIII, 55. XVI,68. XVII,23.
Hohenloicus Comes (Ludovicus Gustavus) Cæsar. Minist. XIX,31.
Hohenzolleranus Comes (Joannes Georgius) Cæs. Min. IV,13.
Hollisius (Denziles) Angl. Leg. IX,21.27.64.
Holmius, Angl. Navarchus. IX,28. XVIII,32.
Holstius, Architecturæ Militaris peritus. V,17.
Hoeus (Matthias) Theol. Sax. II,30.
Hooftius, Amstelod. Consul. XVI,3.28.34.
Hopfnerus, Gottorpiensis Cancell. XVII,91.
Hornius (Benedictus). XVII,1.
Hornius Comes (Philippus) Brand. Leg. III,24. 57.62. XIV,72.
Hornius (Gustavus) Livon. Gubern. I,40. V,39.
Hornius (Henricus) Svec. Milit. Dux. VI,37.38. VIII,34. XIII,49. XV,17. XVI,68.69. XVII, 1.3.5.6.7.8.69.74.
Hostellus Baro (d'Hostel) Ducis Parmensis Belgii Gubernatoris Ablegatus. XVIII,11.
Hoverbequius (Joannes) Brand. Minist. I,21. II, 45. III,26.27. IV,36. VI,15.77. VII,5.11.14. 17.46.47. VIII,16.20.45.47.48.78.79.80. 81.82. IX,7.9.12.13.14.15.16.39.42.47. 51.52.86.88.89.90.92. X,60.62.63.64.67. 68.70.71.72.78.85.87.100.101.102.105. 106. XII,67.70.71.75.78.79.80.81. XIV,1. 2.3.4.5.6.8.11.12. XV,12.13.14.21.22. 30. XVI,65.66.67.69. XVII,7.8. XVIII,27. 28.29.
Hugo (Ludolphus). X,17.
Hulsemannus (Joannes) Theol. Sax. II,31.
Humierius, Galliæ Mareschallus. XVIII,22.
Hunika (Albertus Dietericus) Sax. Elect. Min. XIX,70.83.
- - - - (Hünike) Hanov. Minist. XV,34.
Hunoldsteinius. VII,47.
Hydius (Laurentius). XVI, 13.16.17.72.89. XVII,24.

I.

Jablonovius (Jablonovvski) Inferior Poloniçæ Militiæ Dux. XVI,65.
Jacobus I. Angl. Rex. IX,28. X,28. XIX,84.92.
Jacobus Curlandiæ Dux. VI,66.
Jacobus, Eboracensis Dux, postea Angliæ Rex. X,75. XI,85. XV,61. XIX,3.4.84.85.98.99.
Jacobus Poloniæ Princeps. XVIII,27. XIX,61.
Jarnetus Comes. IX,23.
Jastramus (Conradus). XIX,22.24.36.

b *Idemus*

Idenus (Petrus). IX,83.
Jeffreisius, Angliæ Cancellarius. XIX,89.
Jena (Fridericus) Brand. Min. V,58. VI,5.18. 44.45. VII,26.27.28.29.32.42.63.64. VIII, 18. IX,50.53.79.80.83. X.16.26.44.83.85. XI,16.20.21. XII,19.22.26. XVI,85.
Jena (Godofredus) Brand. Min. IX,64.65.92. XIII,15.16.39. XIV,46. XVI,54.88. XVII,39. XVIII,12.17.39.52.53.55.88. XIX,30.51.52.
Jenkinus (Lionellus) Angl. Leg. XIII,69.70. XIV,66.70.72. XV,31.36.42.59. XVI,5.15. 18.19.46.52.89.95. XVII,15.19.20.21.24. 45.46.52.53.57.60.73.81.82. XVIII,19.
Jepsonus (Wilhelmus) Angl. Min. VII,55.
Innocentius X. Pontifex. XIV,64. XVII,31.
Innocentius XI. Pontifex. XVII,31. XIX,16.48.
Joachimi (Albertus) Belg. Leg. IV,21.
Joachimus I. Brand. Elect. IV,10.
Joachimus II. Brand. Elect. IV,10.
Joachimus Ernestus, Brandenb. Marchio. IV,15.
Joachimus Fridericus, Brand. Elect. IV,10.44. IX,69.79.83.
Joachimus Sigismundus, Brandenb. Marchio. IV,22.
Joannes Adolfus, Plœnensis Dux. XII,46. XIV,35.
Joannes Adolfus, Saxon. Dux. XIX,53.
Joannes Austriacus. X,55. XI,1. XII,70. XIV,43. XV,10.11. XVI,8.25.74.80. XVII,36.43.
Joannes Basilides, Magnus Moscoviæ Dux. VI, 31.
Joannes, Bipontinus Dux. IV,8.
Joannes, Brandenb. Marchio. II,9.
Joannes Casimirus, Polon. Rex. I,21.25. III,26. 27. IV,36. V,5.8.9.14.17.18.19.20.27.28. 29.31.32.38.39.43.45.47.59.61.64.67.70. VI,8.9.19.20.21.22.23.24.25.30.33.34. 36.39.40.41.48.49.60.63.68.69.70.71. 73.74.75.77.78.82.83. VII,1.3.5.6.11.46. 47.50.67. VIII,16.17.24.36.49.50.52.57. 72.73.74.79. IX,7.10.15.20.43.49.78.91. X,44.48.50.51.52.56.57.58.59.62.63.64. 66.68.69.70.72.79.80.81.82.89.90. XI,10, 101.104.105.106. XII,69.70.80. XIV,2.4. XV,24. XVI,68. XVIII,30.111.
Joannes Casimirus, Sax. Dux. IV,15.
Joannes, Cliviæ Dux. IX,75. XVII,58.
Joannes II. Cliviæ Dux. IV,1.
Joannes III. Cliviæ Dux. IV,1.
Joannes Ernestus, Sax. Dux. IV,15.
Joannes Fridericus, Brunsv. & Hanover. Dux. IX,65.79.80.82. X,55. XI,4.46.71. XII,34. 55.70. XIII,9.18. XVI,52.
Joannes Fridericus, Saxoniæ Elector. IV, 1.5. XV,4.
Joannes Georgius, Anhaltinus Princeps. VII,57. 69. VIII,10. XI,49.50.51.82. XII,65. XVIII,5. 95.
Joannes Georgius, Brandenb. Marchio. I,5. III,18. IV, 8.44.
Joannes Georgius I. Sax. Elect. IV,15. VI,48.
Joannes Georgius II. Sax. Elect. VI,66. XVII,37. XVIII,26.
Joannes, Gurcensis Episcopus. XVII,24.51.
Joannes Hugo, Trevirensis Præsul. XVIII,37.
Joannes, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux. XII,1.
Joannes Mauritius, Nassovius Princeps. IV,32. 34. VI,41. VII,26.29. IX,4.22.27. XV,32.
Joannes, Moscorum Princeps. XIX,54.
Joannes Philippus Schœnbornius, Moguntinus Elector. III,22. IX,65. X,79.
Joannes Sobiescius, Poloniæ Rex. XI,108. XI,80. XIII,61. XV,14. vid. *Sobiescius*.
Joannes Sigismundus, Brand. Elect. I,2.21.30. II, 17. IV,1.9.10.15. V,17. IX,48. X,1. XVIII,30.
Joannes Wilhelmus, Cliviæ Dux. IV,1.3.4.6.7, 8.9.11.23.
Joannes Wilhelmus, Palatini Primogenitus. XII, 59.
Jodocus. X,34.
Josephus, Cæsaris filius. XIX,25.
Joyeusa, Gall. Milit. Dux. XVII,88.
Isbrantius, Belgicus Leg. VII,50.62. VIII,35.
Isingius (Adamus) Brand. Minist. IV, 34.
Julus (Janus) Dan. Leg. VIII,47.65. XII,56.57. XVI,60. XVIII,9.24.
Julus (Nicolaus) Dan. Navarch. XIV,46. XV, 17. XVI,57. XVII,88.
Juvignius (Juvigny) Gallicus Ableg. XIX,19.

K.

Kalcsteinius (Albertus). IX,12.37.38.40.
Kalcsteinius (Christianus Ludovicus). XI, 103.104.105.106.108. XII,81. XVI,65.
Kaltschmidius (Joannes) Cæsar. Min. I,11.
Karbathus, Jesuita, Pol. Reg. Confession. VII, 50.
Keiserfteinius. XI,82.93.
Kempendorfius. I,9.
Ketler (Caspar Philippus). X,17.
Kielmannus Junior, Gottorpiensis Minister. X, 36. XIII,42.
- - - - Cancellarius Gottorp. XIX,82.
Kielmanseccius (Kielmanseck) Cæsar. Legat. XIII,19.
Kinskius Comes (Franciscus Udalricus) Consil. Cæsar. intim. & Leg. ad pac. Neomag. IX,88. XV,31.32.33.35.39.41.42.45.46.47.57. XVI,8.46.47.89. XVII,23.24.45. XIX,1. 26.
Kittelmannus (Lazarus) Brand. Minister. V,62. VII,71.
Kleistius (Evvaldus) Brandenb. Leg. II,48.49. 51. III,20.21.22.23.34.35.37.41.42.43.44. 45.46.47.48.49.51.52.54. VI,44.52.53. 54.55.56.57.59.60.61.71.72.
Klenckius (Wilhelmus) Cellens. Min. XVII,42.
Klengelius, Saxon. Min. XVI,82.
Kleyus (Svederus Dietericus) Svec. Min. & ad aul. Cæs. Residens. V,34. VII,57. IX,30.31. 80.82.
Klingenbergius. XIII,24.25.27.
Knaustius, Svecicus Tribunus. VII,70.
Knesebecius (Thomas) Brandenb. Min. & Leg. XII,48. XIII,24.44.51. XIV,55.56. XVIII, 12. XIX,38.39.
Knigius, Dux Cæsar. IX,78. XIV,46.
Knuitius, Belg. Leg. III,3.
Knutius, Daniæ Regis Cubicularius Nobilis. XIX,71.
Kobienski (Stephanus). VI,30.

Kochius [Christianus] Brandenb: aulæ Concionator. XIX, 100.
Kœnigseckius [Kœnigseck] Bernhardus] Ernesti March. Brand. in Investit. Borussi. Mandatarius. I, 25.
Kœnigseckius Comes [Leopoldus Wilhelmus] Consil. intim. Cæsar. & S. R. I. Procancellarius. IX, 81. XIV, 22. XVI, 8. XVII, 13. 35. XVIII, 61. 62. 85. 89. 111. XIX, 23. 32. 59. 69.
Kœnigsmarckius [Joannes Christophorus] Svec. Milit Dux. I, 55. II, 12. III, 19. 22. 32. 35.
Kœnigsmarckius Comes [Conradus Christophorus] VIII, 10. 34, 74.
Kœnigsmarckius [Otto Wilhelmus] XI, 33. XIV, 47. XV, 17. XVI, 56. 57. 59. 60. 61. 62. 64. XVII, 74.
Kœnigsveldius Baro. Neob. Min. IV, 34.
Kœrbicius [Kœrbitz] Joannes Christophorus, Dan: Delegatus. XIV, 38. XVII, 97.
Kosbothus, Borussiæ Cancellarius. IX, 55.
Kragius [Otto] Dan. Minist. VII, 9.
Krasinius [Krasinski] XI, 103.
Kreitzius [Andreas] I, 24.
Kreitzius [Wolfgangus] Brand. Leg. I, 21. 28. III, 27. IX, 37.
Krinscius [Krinski] Neoburg. Legat. X, 65.
Kritzkius, Nuntius Terrestris Poloniæ. XIV, 4.
Kroseggius [Ludolfus Laurentius] Brandenb: Minister XI, 64. 65. 79. 80. 98. XII, 13.
Kruscius [Kruski] Summus rei tormentariæ in Polon. Præfectus XV, 14.
Kurckii [Canutus & Gustavus] inter Svec: Procer. XI, 33.
Kussovius. XII, 49.

L.

LAderdaliæ Dux. *XVI, 21. 22.*
Ladronius. *XIX, 26.*
Lambergius Comes [Joannes Maximilianus Comes à Lamberg] Consil: & Camerar: Cæsar. Legatus item ad Pac. Osnabrug. II, 19. 50. 69. IX, 92.
----- Cæsareæ aulæ Supr. Præfect. XIV, 22.
Lambergius Comes [Joannes Philippus] Cæsar. Legat. ad Elect. Brand. XVIII, 5. 80. 94. 95. 96. 108. 110.
Lamboius. III, 19. 22. VII, 47.
Lampadius [Jacobus] II, 19. 26. 54.
Landscoronius. V, 61. IX, 10.
Landseus Baro [Joannes Franciscus] Leg. Cæs. XIV, 17. 33.
Langenbeckius, Brunsv. Leg. II, 7. 8. III, 2.
Ledeburius [Gerhardus Janus] Brand. Leg. IX, 32, 83. X, 39. XIII, 17. 18. 20. 51. XIV, 27. 31. 33. XV, 6. XVI, 56. 87. XVII, 36. 40. 42.
Lehndorffius [Fridericus Wilhelmus] Subtribunus. XI, 103.
Leidelius, Bavaricus Minister. XVIII, 96.
Leiningenses Comites. XVIII, 13. 68.
Leionclavius, Svecicus Ablegatus. XIX, 71.
Lelius, XIX, 17.
Lentius [Lente] Conradus Wilhelmus) Brand. Leg. XIII, 19. 20. 46. 47. XIV, 32.
Lentius [Joannes Hugo] Danicus Minister. XIX, 39. 81.
Leopoldus Archidux, Passav. & Argent. Præsul. IV, 12. 13. 14.
Leopoldus, Hungariæ Rex & *Romanorum Imperator*. VI, 61. 63. 66. 70. 71. 78. VII, 5. 10. 12. 14. 15. 17. 18. 20. 21. 22. 25. 27. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 39. 40. 41. 42. 43. 46. 47. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 58. VIII, 40. IX, 2. X, 26. XI, 51. XIV, 21. 57. XVII, 24. 49. XVIII, 134.
Leopoldus Ludovicus, Veldentinus Palatinus. XIX, 14.
Leopoldus Wilhelmus Archidux. I. 11. 28. II, 8. III. 8. 12. 16. 21. 28. 32. IV. 12. 30. 42. VI, 18. 40. VII, 12. 21. 22. 27. 29. 31. IX, 31. XI, 20. 46.
Leradus Baro. IX, 10. 71. 72. X, 58. 81. 86. 90. XI, 20.
Lescewangius, Leg. Polon. II, 72.
Leslaus [Gualterus] I, 20.
---- *Comes*, Cæsar. Minist. V, 35. XIX, 102.
Lesno Comes [Wenceslaus] Warmiensis Episcopus. VI, 30. 78.
Lessinius [Lessinsky] Joannes) Posnaniensis Palatinus. VI. 57. VII, 15. 20. VIII, 74. IX, 11.
----- Procancellarius & Magnus Cancell. Polon. XI, 47. 51. 55. X, 57. 62. 64. 67. 82. XII, 68. 69. 74. XIII, 58. 60. XIV, 7. XV, 22. 24.
Lessinius [Wenceslaus] Joannis Lessinii Frater) Gniesnensis Archiepiscopus. IX, 49.
Leuberus [Joannes] Saxon. Legatus. II, 5.
Leuchtmarus [Gerhardus Romilianus Kalchun] Brand. Leg. I, 12. 13. 14. 15. 16. 19. 27. 28. 29. 32. 33. 34. 35. 42. 43. 45. II, 52.
Leuchtmarus [Joannes Fridericus Kalchun] XIX, 102.
Lewius. Quidam ex Scotiæ Proceribus XIX, 99.
Lewius [van Levven] Simon) Leg. Belg. in Angl. XVI, 16. 21. 39.
Lichtensteinius Princeps. III, 63. IV, 42.
Lilliecrona, Dan. Leg. XIV, 22. XVII, 12. XVIII, 24. XIX, 66.
Lilliecrona [Gustavus] Svecicus Ableg. XIV, 35.
Lilliebœckius [Andreas] Svec. Leg. IX, 90. 92. X, 62. XII, 81. XIII, 58. 59. 60. XIV, 1. 3. 6. 7. 11. 12. XV, 12. 25. 26. 27. 28. 29. 30. XVI, 65. 66. XVII, 5. 8.
Lilliebœckius [Joannes] Orientalis Pomeran. Præses. I, 12. 13. 33.
Lillierothus, Svecicus Min. XVIII, 23. 24.
Lilliestrœmius [Joannes Nicodemi] Svec. Min. I, 9. 18. 28. 45. II, 48. III, 32. 41. 42. 43. 45. 46. 49. 50. 52. 53. 54. 55. 58. 60. 65. V, 40. 44. 45. 50.
Lillius [Axelius] Axel Lilie) Svec: Milit: Dux. I, 6. 12. 13.
Lindanus. VIII, 80.
Lindenovius [Christophorus] Dan. Ablegatus. XVI, 4. 27.
Lindeschildius [Ericus] Svecicus Min. XIX, 20.
Lionnæus [Hugo] inter Suprem. in Gall. Consilior. Moderat. VII, 29. 30. 35. VIII, 40. IX, 35. 36. 57. 58. 59. 60. X, 37. 50. 52. 53. 54. 55. 79. 81. 86. 90. XI, 1. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 15.
Lippia Comes [Simon] XVII, 58.
Lira [Emmanuel] Hisp. Leg. XI, 55. 58. 72. XII, 3. XIII, 65. XVI, 5. 45.

Lisola.

Lisola [Franciscus] Cæsar. Min. VI, 63.71.73.75.76.78. VII, 11.12.13.14.15.17.47.50. VIII, 50.73.74.79.80. IX, 7.10.14.16.20.52.58.64.71.77. X, 22.45.58.59.68. XI, 35.58. XII, 4.9. XIII, 14. XVIII, 86.
Lobcovictus, Comes, Cæsareus Legatus. XIX, 32.35.47.49.50.56.57.
Lobcovicius Princeps. XI, 31.35.39.49.51.67.82.84.85.97. XII, 51. XIII, 14.
Loccartus [Gvilielmus] Angl. Reg. Leg. XI, 30.74.75.76.
Lœbius Baro [Joannes Fridericus] Brand. Min. & Leg. I, 17.25.30 37 46.50.53. II, 17.19.46.59. III, 64. V, 25 27.28.29.30.32.33. VI, 40. VII, 12.13 21.24. IX, 29.31. XIV, 57.
Lœbius [Tribunus] XIX, 26.
Læschebrandius [Fridericus Otto] Brandenb. Subtribunus. XIX, 26.
Longuezillius Dux [Henricus d'Orleans] ad Pac. Monaster. Legat. II, 22.34.36.40.47.57 68. III, 2.4.9.15.20.21. VIII, 48. IX, 21.
Lonscius Tribunus. XI, 103.
Lotharius, Rom. Imperat. II, 37.
Lobomirscius [Georgius] VIII, 36.48.70. XI, 12.13.14.20.42.44 45.46.84.85.88.89.90.91. X, 48.62.63.90. XIV, 10.
Lucanus Poeta. I, 61.
Lucianus [Sebastianus] VIII, 74.
Ludeca, inter majorum graduum Brand. Duces ad Fehrberl. XIII, 34.
Ludovica [Luisa] Auriaca Friderici Henrici Principis Arausionensis Filia Primog. Friderici Wilhel. M. Conjux prior. II, 72. XIX, 103.
Ludovica Charlotta Radzivilla, Ludovic Brand. March. Frid. Wilh. Fil. Conj. XI. X, 27.28.29.30.
Ludovica, Friderici Wilhelmi Elect: Brand. Soror, Ducis Curlandiæ Jacobi Uxor. VI, 66.
Ludovica Juliana Nassovia. II, 72.
Ludovica Maria, Pol. Regina. XII, 81.
Ludovicus Bavarus, Rom: Imp: IV, 1.
Ludovicus, Brandenburgicus Marchio. XIIX, 27.28.29.30.107. XIX, 103.
Ludovicus, Hass. Darmstadiensis Landgravius. IX, 65. XI, 64.
Ludovicus XIII, Galliæ Rex. II, 4.
Ludovicus XIV, Gall: Rex. VI, 66. VIII, 75. IX, 61. XI, 1.51. XVII, 24.80. XVIII, 134. XIX, 55.
Ludovicus Hassiæ Landgravius. IV, 15.
Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex. VII, 34.
Ludovicus [Petrus Ernestus] Brand: Delegatus XIV, 7.
Lumbranus [Lumbres] Antonius] Gall: Leg: VI, 12.36.39.40.44.48.56. VII, 44. VIII, 41.48 49.62.67.71.73.74.76.79.80. IX, 7.10.20 42.44.56.61.80.
Lutherus [Martinus] II, 30.
Lutzovius [Conradus] I, 17.
Luvoisius [Franc. Michel Marqvis de Louvois] Pr mar. Minist: Stat ap. Ludov. XIV. X, 55. XI, 1.26 55.94. XII, 30. XVI, 3.40. XVII, 57.65.69.71.74.79.82.90.94. XVIII, 14.21.61.119. XIX, 47.49.57.
Luxenburgius Dux. XV, 19. XVI, 29.37.70.
Lyclama [Marcus] Belg: Min: IV, 21.

M.

Mevius [David] Svec. Deleg. VII, 57.
Magdalena Bavarica. IV, 17.
Magdalena Clivica. IV, 1.
Maidelius [Theodorus Maidel] Supremus Polon æ Venator. VI, 30.
Majus, Cassellanus Minister. VII, 56.57.
Manderscheidius Comes [Ernestus] IV, 16. IX, 76.
Mansfeldius Comes [Henricus Franciscus] Cæs. Legatus XVIII, 14.19.21.26.33.108.
Mansfeldia Comes [Wolfgangus] Sax. Leg. IV, 13.
Manteufelius. XIII, 55.
Maqvelierus [Petrus] Tribunus. XVI, 62.
Marcanus Comes [Engelbertus] IV, 1.6. XVII, 58.
Marcanus Comes [Ernestus] IV, 1.
Mardefeldus [Conradus] Svec. Leg. XII, 8.13.19.65. XIII, 4. XV, 45.
Marenholzius [Conradus Ascanius] Brand: Min: IX, 6.64.65.81. XI, 44.45.68. XII, 5. XIII, 12. XVI, 54.
Marescottus, Nuntius Pontificis. X, 87.
Margaretha Maria, Hispanica Augusta, prima Conj: Leopoldi Imp: X, 58. XI, 85.
Maria Amelia, Frid. Wilhelmi M. Filia. XIX, 103.
Maria, Poloniæ Regina. XII, 80.
Maria Antonia Josepha, Leopoldi Cæsaris filia, Maximil: Eman: Bavar: Elect: Conjux prior. XIX, 2.
Maria, Arausionensis Princeps. IX, 22.23.
Maria Austriaca, Ferdinandi I. Cæs. Filia, Wilhelmi Jul: Duc. Ux. IV, 1.
Maria. Jacobi II. Filia, Guilielmi Arausionensis nunc Angl. Regis Conjux XV, 61. XIX, 97.
Maria Eleonora, Jacobi II. Angl: Reg: Uxor. XIX, 85.
Maria Eleonora Clivica. IV, 1.2.3.8.
Maria Eleonora, Sveciæ Regina. I, 34. XIX, 102.
Maria Ferdinandi III. Imp. Uxor. I, 11.
Maria Juliacensis. IV, 1.
Maria Ludovica, Polon. Reg. VI, 69. VII, 50. XIV, 9.
Maria Teresia, Phil. IV. Hisp. Reg. Filia, Ludov. XIV, Conjux. X, 28.
Marinus, Svec: Leg: II, 51.
Marqvardus, Aichstadiensis Præsul. XIV, 57. XVII, 26 49. XVIII, 134.
Marschalcus [Marschalk] Administratoris Magdeb. Minister. XVI, 71.
Marselius, Moscic: Leg: IX, 69.
Martinitzius Comes [Georgius Adamus Borzita] Cæsareus Minister. I, 11.17.18.
Martitzius [Joannes] IX, 21.
Marwicius [Cunradus Hildebrandus] Summus ap. Brandenburg: excubiarum præfectus. XIX, 26.
Marwicius [Ditericus] VIII, 15.24.33.54.65.66.
Marwicius [Otto] XIX, 102.
Marwicius [Sigismundus Christophorus] Præfect. Vigil: IX, 78.
Massenbachius [Fabianus] IX, 55.
Mathia [Joannes Fridericus] IX, 8.
Mathias, Magni Herr. Ducis frater. IX, 10.
Mathias, Rom. Imp. II, 30. IV, 21, VI, 40.
Maurerius [Maurier] Benjamin. Legat: IV, 20.21.

Mauritius,

Mauritius, Hassiæ Landgravius. IV, 9. 15. 20.
Mauritius Nassovius, IV, 20. 21.
Mauritius, Saxoniæ Elector. XV, 4.
Maximilianus, Elect: Bavar: XI, 51. XIV, 67.
----- Bavar: Dux, Ferdinand: Elect. frater. IX, 10. X, 58.
Maximilianus Henricus, Colon: Elect: IX, 65.
Maximilianus I. Rom: Imperat: II, 23. IV, 1.
Maximilianus II. Rom: Imp: IV, 1.
Mazarinus [Julius] Cardinalis, Supr. in Gallia Consil. Arbiter. II, 22. 45. III, 13. 26. V, 26. VII, 27. 42. 53. 54. 67. VIII, 39. 40. 42. 63. 64. IX, 2. 3. 10. 21. 44. 72. X, 28. 65. 90. XI, 1. 10. XII, 73.
Medina Dux. [de las Forres] Neapol: Pro-Rex. XV, 11.
Meelius [Sebastianus Wilhelmus Meel] Mogunt: Leg: IV, 39. 42.
Megelinus. XI, 103.
Meiercrona, Danicus Ablegatus. XVII, 76. 78. 85. 86. 88. 90. 94. XVIII, 43. 136.
Meiersbergius Baro, Cæsaris Ablegatus. X, 70. XII, 68. XIV, 22.
Meierus [Hermannus] Dan. Minist. XVII, 98.
Meinders [Conradus] Paderbornens. Deleg. X, 17.
Meinders [Franciscus] Brand. Min. Status, in pac. San-Germana Legatus. IX, 74. X, 48. 51. XI, 6. 47. 92. 93. 94. 95. XII, 16. 22. XIII, 17. XIV, 50. 51. 52. 56. XV, 8. 20. XVI, 51. 75. 76. 77. 95. XVII, 11. 13. 33. 40. 48. 60. 61. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 85. 86. 87. 89. 90. 93. 94. XIIX, 2. 25. 26. 39. 54. 55. 78. 91. 98. 99. 100. 135. 136.
Meindersius [Joannes] Brandenb: Ableg: XIII, 21.
Melander, Cæsareus Dux. *II*, 46. *III*, 20. 22.
Menesius [Paulus] Mosc. Leg. *XI*, 109.
Mercius, Cæsar. Milit: Dux. XIX, 26.
Merianus [Matthæus] XIX, 17.
Merodius [Merode] Philippus. IV, 13.
Metternichius XIV, 45.
Meurerus, Hamburgensis Consul. XIX, 21. 22. 23. 24.
Michael, Poloniæ Rex. *X*, 88. *XI*, 13. 32. 50. 103. *XII*, 67. 69. 78. 81. *XIV*, 5. 8. XV, 14. 24. 31.
Micrander, [Georgius Adolfus] Brand: Milit: Præfectus. XII, 65. *XIX*, 37. 39.
Milletus, Leg. Gall; *X*, 29. 42. 44. 45. 51. 56. 65. 81. 90.
Minskowski [Andreas] Polonicus Legatus. VI, 40.
Mitzlafius. *II*, 45.
Mœrmannus, Belg. Leg. *XI*, 56.
Mærnerus, Brand. Tribunus. *XIII*, 36.
Molanus [des Meules] VI, 60.
Moltkius [Levinus Nicolaus] Gottorp: Min: VII, 69.
Molzanus [Albertus Joachimus] Citer. Pomer. Ablegatus. *XII*, 41.
Molzanus, Subtribunus. *XIII*, 33. 36.
Mombrunius [Mombrun] IX, 21.
Mompenseria, Virgo Gall: X, 45.
Monclasius [Monclas] XVIII, 21.
Mongommerius [Mongommeri] turmæ Præfectus. *XI*, 103. 104.
Monomuthensis Dux. XVIII, 117. XIX, 4. 5. 85.
Montacutius, Angl. classis Præfectus. VIII, 7. 33. XV, 61. XVI, 3. 17. 42.
Montalbanus, Summus vigiliarum Gallic. Præfectus. *XII*, 49. *XIX*, 16.
Montecuculus Comes [Raimundus] *VII*, 11. 13. 14. 15. 17. 39. 43. 47. 62. 63. 69. *VIII*, 11. 16. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 29. 30. 31. 41. *XI*, 50. 51. 60. 61. 67. 68. 82. 84. *XII*, 29. 51. 64. *XIII*, 11. 38. 57. *XVI*, 80. 83. *XVII*, 13. 40.
Montecuculus, Cæsareus Tribunus. *XVIII*, 94.
Monteregius [Monterey] Belgii Gubernator. *XI*, 41. 51. 56. 58. 72. *XII*, 8. 35. 36. 45. 51. 64.
Montespania [Pellex Luduvici XIV,] XVII, 69.
Mordantius Vice-Comes. *XIX*, 87.
Morellus Abbas. XIX, 13. 15. 34.
Mortangius, Gallicus Legatus. XVIII, 71.
Morsteinius [Morstin] Andreas) Pol: Reg: Thesaur: V, 7. 8. 18. VI, 41. X, 56. 60. 67. 90. XI, 103. XVIII, 86.
Morsteinius [Joannes Andreas] Pol. Leg. VII, 49. IX, 91.
Morstinius [Felix] Pol. Leg. XI, 100. 107. XII, 69. 76.
Morstinius [Tobias] Polon: Leg: VI, 57.
Morvice [Gvilielmus] Angl. Secr. IX, 27.
Mullerus [Burchardus] *VIII*, 28. 30.
Mullerus [Jacobus] Brand: à secretis epistolis. XIX, 102.
Mullerus [Laurentius] Luneb. Ableg: IX, 79. XV, 34. XVI. 52.
Mullerus, Pater. XI, 50.
Mullerus, Svec. Subtribunus. XIV, 47.
Münchhusius, Luneburg: Minist. XIX, 41.
Muradinus Kierajus, Tartarorum Hanus; XVII, 98.

N.

Nadastus, XII, 79.
Nanius [Franciscu.] Venetus Leg. XIV, 64.
Nassokinus (à Mosco Livoniæ Præfectus. VIII, 38. X, 74. XIV, 11.
Nassovius Comes [Joannes] Cæsar. Leg. II, 16. 36.
Nassovius Comes [Ludovicus Henricus] IV, 35.
Nassovius Princeps [Joannes Mauritius] IV, 32. 34. XIX, 102.
Neoportius [Nieuport] Belgar. Leg. VI, 10.
Nestelradius, Dusseldorpii Præfectus. IV, 12.
Nettelhorstius. XIII, 55.
Neumannus [Andreas] IX, 29.
Nickelius, Subtribunus. XIII, 33.
Nicolartius [Henricus Franciscus] Colon. Leg. XI, 17.
Nicolas [Eduardus] Angl. Secret. IX, 27.
Niemericius Comes. XVI, 67. XVIII, 29.
Nithardus, Jesuita & Cardinalis. *X*, 28. *XII*, 70.
Noallius Dux [Noailles] *XIX*, 16.
Norpradius [Joannes] Brand. Min. I, 48. 49.
Nostitius Comes [Christophorus Wenceslaus] Cæsar. Delegatus. *XIX*, 25.
Nothaftius Comes, Cæsar. Leg. *VII*, 65.
Nothius [von der Noth] *XIV*, 48. *XV*. 18.
Noyerius. *X*, 70.
Nunnesius Comes [Nunniez] Hisp. Leg. XI, 35. 39. *XII*, 33. 54. 64.

O.

Obergius [Bodo] Luneburgicus Miniſter. XVIII, 97. 135.
Ottinganus Comes, Cæſareus Miniſter. V, 33.
Odyckius, Belg Leg. XI, 55. XV, 61.
Oeſnerus, Hanov. Leg. XIII, 19.
Oelſchnitzius [Carolus Fridericus] Brand. Leg. III, 27.
Oernſtedius [Franciſcus] Min. Svec. XII, 57. XV, 27.
Oetinganus Comes, Judicii Aulici Viennæ Præſes. XIX, 24.
Oexelius [Oexel] XVI, 54.
Oldenburgicus Comes [Antonius Guntherus] X, 17.
Olivecrantzius [Joannes Paulinus] Svec. Leg. XIV, 66.70.72. XV, 17. *XVI*, 4.13.41. *XVII*, 28.
Olskowski [Andreas] Poloniæ Procancellarius. *XI*, 101.
Olznovius [Olznovvski] Archiepiſcopus. *XIIX*. 30.
Opackius [Albertus] Warſavienſis Succammerarius. *XI*, 104. 106. *XII*, 78. 81.
Opalinius [Opalinski] Chriſtophorus) Poſnanienſis Palatinus. *V*, 16. *IX*, 46.
Opdamus, Belg. Claſſ. Præfectus. *VII*, 72. *VIII*, 2. 8. 11. 12, 33. *X*, 3.
Oppelius. *III*, 64.
Oppenus, Venat. Præf. ap. Brand. *VI*, 48.
Ormundiæ Marchio [Richardus] *IX*, 23.
Ornſted [Franciſcus Joel] *X*, 56. 57. *XV*, 27.
Oſmannus, Turc: Imper. *XI*, 102.
Oſſalinius [Oſſalinski] Poloniæ Cancellarius. I, 41. II, 31. III, 27.
Oſſerius [Oſſery] *Comes*. *XVI*, 70. *XIX*, 98.
Oſtavius [Oſtau] Brand. Miniſt. I, 46.
- - - - - [Albertus] *XI*, 100.
- - - - - [Andreas] *VIII*, 45.
Oſtenus [von Oſten] Svec. Tribunus. *VII*, 69.
Otto Henricus, Palatinus Elector. *XIX*, 15.
Otto I. Rom: Imperator. *III*, 16.
Ouſtinus [Joachimus Rutgerus] *XVII*, 84.
Owerckerckius. *XVI*, 70.
Oxenſtierna [Axelius] Cancellarius Sveciæ. *I*, 14. 35. 40. *II*, 32.40.48. 49. 52.54. *III*, 43. 47.60. V, 9. VIII, 40. *XVIII*, 76.
Oxenſtierna [Benedictus] Regni Sveciæ Sen. poſt Cancellar. ad pac. Noviom. Leg. *III*, 62. 63.65. *V*, 40.41.42.43.44.45.47.48.50. *VI*, 67. *VIII*, 45. *XII*, 57.64. *XIII*, 6.11.14.60. *XIV*, 70.72. *XV*, 31.32.33. *XVI*, 15.32.45. 77.91.92.95 *XVII*, 28.57.61.82. *XVIII*, 23. 24.43.76.77. *XIX*, 7.20.28.
Oxenſtierna [Ericus] Axelii Filius Svec. Reg. Senator, poſt Cancellarius & Boruſſiæ regaliâ Svec. occupatæ Præfectus. II, 40. 48. 49. V, 8.31.65.66.68.69.71. VI, 13.14.15. 20.21.23.25.26.44.
Oxenſtierna [Gabriel] Theſaurarius Regni Sveciæ. I, 40.
Oxenſtierna [Guſtavus] Svec. Tribunus. VI, 37.
Oxenſtierna [Guſtavus] Svec. Legat. XIII, 29. XIV, 2.
Oxenſtierna [Joannes] Axelii Fil. Regni Svec. Senat. & Conſiliarius Cancellariæ, ad pac. Oſnabrug. Leg. I, 27. 28. 29.30.31.32.33. 38.39.42.43.44.45. II, 19. 25.29.32.33.35. 38. 39. 43. 44. 51. 55.57.58.62.63.64.65. 66.69. III, 5.7.9.10.12.13.20.29.32.35.43 49.50.52.53. VIII, 40.
Oxenſtierna [Thuro] Thuronis F. Tribunus, XIV, 45.
Oxius [Oxe] Axelius] Svec. Reg. Min. I, 37.

P.

Pacius [Patz] Magnus Lithuaniæ Cancellarius & Procancellarius ac Theſaurarius Poloniæ. VIII, 48. 78. IX, 7.42.46.90. XI, 105. XII, 74.
- - - - [Michael] Lithuaniæ Archiſtrategus. XI, 104. XIV, 78. XV, 12.22.30. XVI, 65. 67.68. XVII, 2.6.7.12.
Pacii XII, 73.
Palbitzkius [Matthias] IX, 82.83.
Palenus [Franciſcus] III, 49. 52.
Pallantius [Adolfus Wernerus Pallant.] Brand: Min: II, 72. IV, 13.
Parmentierus [Antonius Carolus] IV, 32.
Pasbergius, Danicus Ablegatus. VIII, 52. 56.65. 66. 67.72.
Pawius [Adrianus] Pavv) Belg: Leg: II, 42.
Pegneranda. II, 24. VII, 32.36.39.42.51. *X*, 37. *XI*, 35.
Pennus [Wilhelmus Pen] Tremulorum Anteſignanus. XIX, 93.
Petcumus [Simon] Dan: Leg: XI, 33. XV, 33. XVI, 24.
Petrus, Luſitaniæ Adminiſtrator & Princeps. XIV, 64. XV, 38.
Petrus Moſcorum Princeps. XIX, 54.
Petrus Pater, Jeſuita. XIX, 97.
Petrus Philippus, Bambergenſis Epiſcopus. XVIII, 58.
Pfulius [Georgius Adamus] Brand: Milit: Dux. VII, 69.
Philippus, Aurelianenſium Dux. XIX, 13.
Philippus Erneſtus, Holſatiæ Dux è Sonderburgica Domo. XV, 18.
Philippus Haſſiæ Landgravius. II, 30.
Philippus Ludovicus, Neoburgico-Pal. IV, 1.
Philippus II, Hiſp. Rex. VI, 11. IX, 25. 28.
Philippus III, Hiſp. Rex. XV, 11.
Philippus IV, Hiſp. Rex. IX, 4. 80. X, 28. XI, 1. XII, 70. XV, 11.
Philippus Palatinus Sulzbacenſis, VI, 37. VII, 56. VIII, 34. XIII, 20.
Philippus Wilhelmus, Auriacus Princeps. IV, 29.
Philippus Wilhelmus, Friderici Wilhelmi M. F. XIX, 103.
Philippus Wilhelmus, Neoburgicus Palatinus, poſt Elector. IV, 24.33.44. IX, 63.65. X, 76. XIX, 13.
Piaſtus. XII, 68. 77. 78. 79. 80.
Piccolominius. I, 18. 20. III, 59. V, 32.
Picqvetierus. [la Picqvetiere] Gallicus Miniſter. XIX, 7.
Pikarſcius [Pikarski] Sacerdos aulicus Regis Poloniæ. XIV, 3.
Pimentellus [Antonius] Pimentel] Hiſp. Leg: IV. 38.
Pinoccius, Polonicus Ablegatus. VIII, 47.

Pithanus[Fridericus]. IV,14.18.
Pius Cardinalis. XVIII,86.
Platenus Baro [Franciscus Ernestus] Osnabr. Præsulis Ablegat. XI,83. XV,34.39. XVI, 52.54. XVII,40. XVIII,25.
Platenus [Nicolaus Ernestus] Brand. Min. III, 54.65. IV,39. VI,20.26. VII,72. IX,83.
Plettenbergius [Frider. Christianus]. XVIII, 72.
Plettenbergius [Georgius] Cæsar. Minist. II,67. 68. III,2.3 4.5.7.8. IV,4. V,47.
Podcomorzius [Podcomorzi]. XVII,6.
Podlodovius[Podlodovvski](Nicolaus). VI,30.
Podolofius [Podolovvski] (Nicolaus). Radomensis Capitaneus. IX,91.
Pœlnicius [Pœlnitz] [Gerhardus Bernhardus]. Brandenb. Leg. VII,41. IX,5. XI,58.82.87. 96. XII,57.
Pœttingius Comes. Cæsar. Minist. V, 29. 33. XIV,46.
Pomponius [Arnauld] [Seigneur de Pompone] Gallic. Minist. Stat. X,56.57.62. XI,1.3.26. 30.33.34.55.94.95. XVI,45.57.69.92. XVII,57.69.70.71.74.75.76.77.78.79.80. 81.82.85.94. XVIII,2.
Pollentius [Pollentz] Brandenb. Tribunus. VII, 74. VIII,37.
Porcia, Cæsar. Aul. supremus Præfectus. VII,29. 39. IX,31.92. X,79.
Portmannus [Joannes] Brandenb. Leg. II,17. 20. III,24.65. IV,34.39. V,28.33. VII,21.32.
PortsmuthiaDucissa. XI,10.12. XV,60. XVI,9.
Pocius [Stephanus] Kioviens. Palatinus. V,61. VIII,74. IX,13.91. *X*,64. *XII*,74. *XIV*,9.
Potuliccius Comes [Joannes] [Potulikki]. V,58.
Powisius. *XIX*,97.
Prazmovius [Prazmovvski] Magn. Pol. Cancell. VIII,47. *IX*,42.46.
Promnicius Comes. *XVII*,4.
Pudewelsius [Christianus Ernestus] V,63.64.
Pudewelsius [Georg. Wilhelmus]. *IX*,83.
Pufendorfius [Esaias] Svecic Minist. *IX*,67. *XI*, 1.25.35. *XII*,9. *XIII*,12.19. *XIV*,64. *XVII*, 40.70.91.
Pulobinscius, Lithuaniæ Magnus Mareschallus. *XVI*,67.
Putcammerus, Brand. Min. *V*,66.
Putcammerus, Curlandicus Legatus. *XVI*, 68.
Putliczius. III,64. VII,26.
à *Putlitz Baro* [Adamus Gans] Locum tenens in Marchia. *XIX*,102.

Q.

QVastius [Albertus Christophorus] Brand. Milit. Dux. VII,69. VIII,25.34.65.
Quesnius, Gallicus Navarchus. *XVIII*,62.
Quilovius, Brandenb. Minist. II,17.19.

R.

RAbenhauptius [Rabenhaupt] [Carolus] Hass. Tribunus. I,47.49.
Rachelius [Samuel] Gottorpini Ducis Ablegatus. *XIX*,11.
Radzicioviuss [Radziciovvski] (Hieronymus). VIII,70.
Radziejovius (Radziejovvski) Warmiensis Præsul. *XVIII*,29.
Radzivilius (Bogislaus) VI,48.78. VII, 6. 50. 75. VIII,36.37.38.45.82. *IX*,15.19.37.48. *X*,77. *XVIII*,27.
Radzivilius (Radzivil) [Janus]. V,14. VI,30.
Radzivilius (MichaelCasimirus) Vice-Cancellarius & Campiductor Lithuan. *XVIII*,30.
Ragozius. II,14. III,27. VI,10.15.21.25.50.52. 57.59.62.65.66.70. VII, 2.3.4.68. *IX*,44. 77.78. *XI*,84.
Rammingius (Paulus). *XI*,64.
Ranftius, Summus Præfectus excubiarum inter Cæsareos. VIII,11.
Ranuccius (Ranucci) in Gallia Nuntius Apostol. *XIX*,45.
Ranzovius Comes, (Christianus). IV,37.
Ranzovius (Henricus). VII,72.
Ravaulx (Rolandus) Consiliarius Parlamenti Metensis. *XVIII*,14.
Rautenfelsius (Bartholdus) Pol. Leg. *V*,19.20.
Rautenstein (Joann Ernestus) Palatini Neoburg. Leg. *VIII*,51. *IX*,71.
Rebenacius, Gall. Leg. *XVII*,40.57.78.83.94. 98. *XVIII*,7.44.86.88.92.94.95.100.104. 114. *XIX*, 9.10. 11. 12.19. 26. 30. 39.52. 81.
Reckius (Reck) Præfectus vigilum. *XVII*,6.
Reenschildius (Gerhardus). I,28.
Refugius, Legatus Gallic. Extraordinarius. *IV*, 21.
Reichelius (Fridericus) Professor Francofurt. II,31.
Reichenbachius (Christianus Ernestus) Cæsar. Min. *XIX*,70.
Reiffenbergius Baro. *IX*,87. *X*,79.
Rejus (Uladislaus). *VIII*,78.80.81.82.83.85. *IX*,7.16.17.19.52.58. *X*,90.
Renaldus, Mutinensis Dux. *XII*,79.
Retzius (Joannes Fridericus) Brandenb. Minister. *XIX*,25.
Retzius (Retz) (Petrus) Dan. Minist. *VII*,9.
Reventlovius, Danicus Minister. *XVIII*,100. *XIX*,39.
Reuschenbergius, Supremus Neob. Milit. Præfectus. *IV*,34.
Rhasetus (Joannes Ruissenburgius). *IV*,14.
Rhodius (Hieronymus) Præses Scabinorum Regiomont. *IX*,39.40.47.48.49.
Rhodius (Junior). *IX*,89. *XI*,103 106.
Ribbinscius (Ribbinski) Polonicæ Turmæ Dux. *XVII*,5.
Ribencurtius Baro, Leopoldi Wilhelmi Archiducis & Belg. Gubern. Deleg. III,21. *IV*,31.
Richardotus. *IV*,12.
Richelius Cardinalis, Supr. in Gall. Consilior. Arbiter. *X*,28. *XI*,1.10. *XIX*,16.
Richemondius Dux, Angl. Leg. *XI*,42.
Rickius (von Ricken) (Philippus Casp.). *VII*,21.
Ridberga Comes (Joannes). *IV*,14.
Ridderhielmius (Israel) Supr. Vigil. Svec. Præfectus. *VI*,48.
Ripperda, Belg. Leg. II,71. III, 3.
Rochas, Hispan. Episcopus. *XIV*,19.20.
Rochefortius, Gall. Dux Bell. *XII*,30.
Rochestria Comes. *XIX*,48.

Rochius (La Roche) Tribunus. XIII,34.35.
Rochovius (à Rochou) [Augustus Mauritius] Spandoæ Præfectus. I,5.
Rodomius (Rodomski). VI, 22.
Rolambius (Claudius). XI,33.
Rollingerus Baro. XII,5.
Romswinckelius (Romsvvinkel) [Matthias] Brandenb.Minist. X,13. XI,14.83.87. XII, 24.27. XIV, 29.58.60.65. XVI, 5.16.28. 48.95. XVII,56. XVIII,11. XIX,17.
Roncalius, Pol.Leg. II,45.57.
Ronqvillus (Petrus) Hisp. Leg. XII,70.80. XIII, 41. XIV,71. XV,32.33.43.46. XVI,20. XIX,3.93.
Rortéus (Rorté) Gallicus Ablegatus. I,38.
Rosenbergius Comes (Wolfgangus Andreas) Cæsar. Min. XVII,35. XVIII,33.50.67.
Rosenhanius (Scheringius). III,15. VI,23.26.
Rosenwingius (Henricus Wilhelmsonius) Dan. Leg. VI,55.58.71.
Royus Comes (de Roy) Daniæ Minist. XVIII,122.
Rucqvius (Melchior) Leg.Brand. XIII,37.45. XIV,43. XV,6.10.11. XVI,74. XVII,43. XVIII,9.34.35.49.50.51.79.81. XIX,9.
Rudolphus Augustus Brunsv. & Luneb. Dux. XI, 46. XIV,32. XVII,27. XVIII,91.
Rudolfus II. Rom. Imp. II,30. III,18. IV,1. VI, 40. IX,30. *XIX*,12.
Rumorius (Cajus) Summus Vigil. Præfectus. *XV*,17. *XVI*,57.
Rundeccius, Cæsareus Minister. *XIX*,23.
Rungius (Fridericus) Pomeraniæ Deputatus. II, 32. III,9.49.52.
Rupertus Palatinus. X,21. *XI*,75.76. *XII*,36. *XIII*,22.37. *XV*,32.61. *XVI*,11.17.
Ruvignius Gall.Leg. X,45.47. *XII*,36. *XIII*,22. 65. *XVI*,22.
Ruyterus (Mich.) Belg.Class.Præf. VIII,8.34.35.

S.

SAavedra, Hispan. Leg. II,20.
Sackius (Evvaldus) Poloniæ Regis Cubicularius III,27.
Sadlerus (Philippus). I,15.
Salinas (Bernhardus) Hisp. Ableg. *XV*,60.
Salviatus, Florentinus Leg. *IX*,23.
Salvius (Joannes Adler) Svec. Min. & ad pac. Osnabrug. Leg. I,12.13.14.17.18. II,7.30. 32.33.35.37.42.45.48.49.51.52.55.58.62. 63.64.66.67.69. III,5.8.9.13.14.15.17.26. 29.30.40.45.46.47.60.61. VIII,40. *XVIII*,13.
Sandes, Osnabr. Ableg. *XVI*,78.
San-Geranius (San Geran.) Gall. Leg. *XI*, 28. 29.31.32.
Sanitzius (Sanitz) Anclamens. Urbis Præfectus. *XIV*,47.
Sanottus, Venetus Legat. *XIV*, 64.
San-Romanus, Gallic. Legat. II,57.64.68. III,3.7. *XI*,73. *XVIII*,33.
Santinellus Comes. VIII,21.
Sapicha (Paulus). VI,66.68.
Scapius, Secretarius Amstelod. *XVI*,45.
Scarpius, Angl. Doctor. *XIX*,89.
Schackius (Joannes) Dan. VIII,34. *XI*,42. *XIII*, 30.
Schafgotschius (Christophor. Leopoldus) Cæs. Leg. *X*,82.84.85.87.88. *XII*,71.78.80.
Schafgotschius (Joannes Ulricus). V,59.
Schapius (Schaep.) Belg. Leg. *XII*,54.
Schaumburgius, Monachus fugitivus. *XV*,23.
Schefferus. II,69.
Schefferus, Moguntinens. Legatus. *XIX*,52.
Schelius (Christianus) Dan. Legatus. VIII,24.
Schellenbergius. IV,44.
Scherfenbergius. *XIX*,26.
Schetnofski (Henricus Sereta) Minist. Brand. VI,49.
Schletzerus (Joann Fridericus) Brandenb. Minister. II,72. III,20. V,26. VI, 9.10.11.64. VII,7.68. VIII,3.
Schmettavius (Schmettau) [Wolfgangus] Brandenb. Minist. *XIX*,40.41.42.
Schœnaichius (Christophorus Albertus) Brand. Leg. III,32.
- - - - Tribunus Brandenb. III,38.
Schœnbornius Baro (Melchior Fridericus) Joannis Phil. El. Mog. ex frat. Nepos. supr. Aul. Mog. Mareschal. *X*,17.55.79. *XI*,5.31.44.45.
Schœnbornius (Joannes Philippus) Moguntinus Elector. III, 22.
Schœningius (Joannes Adamus) *X*,15. *XIV*,45. *XV*,18. *XVI*,60.62. *XVII*,4.6. *XIX*,26.
Schombergius [Fridericus] Franciæ Mareschallus. *XIX*,99.100. *XVI*,42.59. *XVIII*,133.
Schœrrius, Summus Præfectus vigilum. *XIII*,45.
Schottus [Antonius] Sax. Leg. *XIV*,25. VIII,33.
Schwerinus v. Sverinus.
Schulenburgius [Fridericus Achatius] Luneb. Ableg. *XIII*,52.
Schulenburgius [Gustavus Adolfus] Brandenb. Minist. *XVIII*,12.
Schulenburgius [Joannes Georgius] Danicus Minister. *XVII*,87.
Schulenburgius [Wernerus] Brand. Minist. I,3. 39.45.54.55. *XIX*,102.
Schutzius [Joannes Helvicus Sinoldus] Leopoldi post Augusti Imp. Leg. VII,41.
Schutzius Aichstadiensis Cancellarius. *XIV*,30. 34.57. *XV*,2.
Schutzius [Salentinus] Cellens. Consil. XV,34. *XVI*,52.55.57. *XVII*,40.67.
Schutzius Supremus Vigil. Præfectus. *XII*,49.
Schwalbachius, Mogunt. Leg. II,11.12.13.
Schwalenbergius [Henricus] Svec. Minist. III,32. 52.53.58.
Schwartzenbergius [Adam] *Comes*, Brandenb. Minist. I,3.4.5.6.7.9.10.14.17.19. IV,22. 23. *XIX*,102.
Schwartzenbergius [Joannes Adolphus] Adami Filius, *Comes*, post Princeps Judicii Imperial. Aul. Præses & Consil. Sanct. in Aul. Cæs. I,30.33.35. II,7. VII,39. *IX*,31. *XIV*, 13.22. *XV*,33. *XVIII*,62.
Scorazevius [Skorazovvski] [Uladislaus]. *XII*, 81. *XIV*,5.12.
Scultetus [Joachimus] Brandenburg. Min. *IX*, 52. *XI*,109. *XII*, 69. *XIII*,58.60.61. *XIV*, 12. *XV*,22.23. *XVI*,68. *XVIII*,28.86. *XIX*, 25.61.
Schottendorfius. II,5.
Seidelius [Erasmus] Brand. Minist. IV, 34.

Seppe-

Seppevillius. Gallicus Legatus. XVIII, 85.
Serenocampius [Seraincamp] Franciscus) Lotharingi Plenipotent. XV, 35.
Sergevicius [Artemon] Moschicus M: XI, 109. XIII, 61.
Serini. XI, 10. XII, 79.
Servientus [Abel] Comes de la Roche ad pac. Monasteriensem Gallic: Legat: II, 20.21. 42.47.50.57. III, 21.28. VII, 42.54. VIII, 40. XVIII, 13.
Sestedius Dan. Minist. VI, 63. XII, 73.74.78. 79.
Sianovius [Sianovvski] XIV, 10.
Siburgius. VIII, 11.
Sibylla Burgaviensis. IX, 76.
Sibylla Clivica. IV, 1.5.
Sidovius [Sidovv] Brandenb. Subtribunus, XII, 47. XIII, 36.
Sierovius [Sierovvski] XVI, 66.
Sigismundus Archidux Oenipontanus. IX, 10.
Sigismundus III. Polon. Rex. II, 45. III, 26. V, 11.14.19.20. X, 57.72. XI, 102. XV, 30. XIIX, 30.
Sigismundus. Rom: Impr. IV, 1. XI, 1. XIX, 14.
Silbercrona [Joannes] Svec. Leg. XIII, 8. XVII, 57.
Silbonus, VIII, 40.
Sillerius [Sillery] IV, 2.
Sinclerus. Svecicus. Tribunus VI, 39.
Sintzendorfius [Albertus] XIV, 12. XIIX, 62.
Sintzendorfius Comes [Ludovicus] Cæs: Min: III, 63.
----Cameræ Cæsar. Præf. [Georg. Ludov:] XIV, 22.
Sintzendorfius [Rudolphus] *Comes* IX, 82.
Sirius [Victrinus] *Abbas*. XI, 35.
Sekeltonus Anglicus Ablegatus. XIX, 3.
Slangius [Ericus] I, 20.
Slegenbergius Baro [Franciscus] Cæsareus Delegatus XIX, 25.
Slibius [Bodo] XII, 81. XIII, 55.60.
Slippenbachius Comes [Christophorus Carolus] Svec. Leg. V, 2.3.5.6.7.8.15.31.37.38.39. 41.42.44.49.50.52.54.66.67. VI. 44.45. 61.66.67.72.74.75. VII, 1.2.3.4.5.11.16. 44.53.56.57.59. VIII, 72.73.74.79.80 IX, 7.20.32.
Slonsčius [Slonski] Cracoviensis Canonicus & Secretarius Regius, IX. 55.
Slotarenca. Cosacorum Dux. VI, 22.
Smidius Bavar. Cancellarius. XIV, 25.
Smisingius [Caspar] XIII, 21.
Smisingius [Mathias Korsius] Præsulis Monast. Ablegatus. X, 16. XI, 11.20 XIII, 21.46.47. 50. XVIII, 73.
---- [Caspar] Brand. Ableg. XI, 20.
Snellius [Henricus] IX, 74. X, 48.
Snitqverus [Hieronymus] Hamburg. XIX, 22. 23.24.36.
Sobiescius [Sobieski] Joannes Magnus Pol. Maresch. post Pol. Rex. IX, 89.91. X, 75. 79.80.81.88.90. XI, 13.50 XII, 33.68.69. 70.72.73.74.76.77.79.80. XIV, 8.
Solmensis Comes [Joannes Albertus] IV, 21.
Sommerfeldius. XIII, 33.
Somersetia Dux. XIX, 86.
Somnicius [Bogislaus] VIII, 21.24.
Somnicius [Laurentius Christophorus] Brand. Minist. V, 64.66.69. VI, 15.19.76.78. VII, 17.72. VIII, 45.48. XII, 14.19.27.34.76. XIV, 67.71.72. XV, 42. XVI, 7.97.
Sophia Charlotta. Friderici III. Conjux, XIX, 100.
Sophia Palatina, Ernesti Augusti Duc: Hanoverani Conjux. IV, 66.
Sophia Jagellonica. V, 17.
Sorla Comes. XIX, 98.
Southwellus [Robertus] Angl. Leg: XIIX, 3.4.
Span. [Alexander] Supremus Vigil. Præfectus. IX, 33. XI, 69.82.93. XII, 32. XIII, 49.50. XIV, 32. XVI, 70. XVII, 33.60.83. XIX, 60.
Spanhemius [Ezechiel] Palatini Leg. XV, 48. XVI, 78. XVII, 81. XVIII, 14.23
---- Brand: Minist: & Leg. XIIX, 44.74.88. 92.102.104.107. XIX, 4.8.9.11.18.19.30. 32.33.35.47.52.60.69.71.
Sparrius [Ericus] Svec. Leg. III, 26. IV, 36.
Sparrius [Otto Christophorus] Brand. El. supr. Milit: Præfect: IV, 25.34. V, 67. VI, 37.39.49.68. VII, 46.63.69. VIII, 30. IX, 77. 83. X, 14.
Sparrius [Petrus] Laurent: F. Svec: Minist. I, 36. XI, 78. XII, 3.36.57.62.64. XIII, 22.
Speckhanus Svecicus Consiliarius. IX, 82.
Spinola [Ambrosius] IV, 20.21.
Spinola [Ludovicus] *Marchio*. IX, 4.
Spiringius. III, 4. VII, 60.
Sporckius [Joannes] VII, 69. VIII, 25.30.
Stalhanschius [Torso] Svec. Mil. Dux. I, 6.11. 13.17.18.26.32.35.
Starenbergius Comes [Henricus Wilhelmus] Cæsar. supremus Mareschallus. VII, 29. IX, 92.
Starenbergius Comes [Joannes Reichardus] Eqves Aurei. Veller. & supr. Dux bell. V, 28.29.30. VIII, 28. XVIII, 96. XIX, 26.
Starenbergius Comes [Maximilianus Laurentius Philipsburgi Præfectus. XIX, 48.
Steinbergius [Jacobus] I, 36.
Steincallenfelsius. XII, 30.
Steinius [Carolus] Culmbac. Cancellar. X, 34.
Stenbockius [Gustavus Otto] III, 32.35. V, 57. VI, 48. VII, 4. VIII, 34.
Stephani [Daniel] IX, 33.
Stephanus Battorius. Pol. R. X, 90. XII, 73.
Stephanus Palatinus, XIX, 15.
Sternbergius Ludovic. Hung. & Boh. Reg. Cancellarius. VII, 34.
Sternbergius Comes [Adolphus Vratislaus] Cæs. Leg. XII, 45. XIV, 17.18.23.
Stewardus [Jacobus] Angl. Advocatus XIX, 96.
Stockflietus [Stockfliet Christianus] Danicus Ablegatus. XIX, 43.
Strada Marchio [Godefridus Comes d' Estrades] Franciæ Mareschallus & ad Pac. Neom. &c. Leg. IX, 25.30. X, 10.11.21.38. XI, 54. 55.60.69. XII, 38. XIV, 66.67.70. XVI, 45.52. XVII, 15.23.46.55.59.60. XVIII, 49.
Strassius [Von der Strassen] Christophorus Brand. Leg. II, 23.
Straussius [Joannes Christophorus] Subtribunus Brand. XIII, 35.36.

Stratemannus [Dietericus] [Theodorus] [Alethetus Henricus] Neob. Min. X,51. XI,20.22.88.92.94. XII,76.79.
- - - - Cæſ. Miniſt. & ad Pac. Neomag. Leg. XVI,8.52.91. XVII,14.23.24.34.51. XVIII,19.33.46.50.104. XIX,69.
Strauchius [Ægidius] Theol. Dantiſcan. IX,92. XIII,59. XIV,3.5.6. XV,12.23.24. XVI,66.
Strauchius [Ægidius] Sax. Min. VII,24.
Streithorſtius. VIII,10.
Strozza [Petrus] Cæſar. Tribunus. VIII,11.63.
Stumius Baro (Stum) Cæſar. Leg. XII,68.
Stuppa. XI,73.
Suchius (Suches) [Ludovicus Radvicus] *Comes*. VIII,24.25.26.27.28.29.42.44.50. IX,14.78. XII,45.51. XIII,14.
Sverinus (Bogislaus) Inter Brand. Milit. Duc. XIII,55. XIV,45.46.47.48. XV,18.
Sverinus Baro (Otto) L. B. de Schvverin Senior, Conſil. Brand. Intim. & Conſilii præſes. I,13.26. III,24.28. IV,31. V,42.44.54.71. VI,42.44.45.51.71.78. VII,16.17.44.56.57.72. IX,33.37.38.39.74. X,13.17.44.48.79.81. XI,3.6.28.39.47.64.67. XIV,21. XVI,85.100. XVII,65.
Sverinus (Otto) *Junior*. Brand. Leg. X,50. XI,71. XII,1.2.3.7.8.10.19.22.26.34.36. XIII,22.65.69.70. XIV,64.66.69. XV,16.31.32.61. XVI,4.5.27.31.40.71.72.76.78. XVIII.81.82.83.84.85. XIX,1.13.
Sullius Dux (in Gall. ſub Henr. IV.) XVIII,23.
Suramontius (Suramonte) Cæſar. Romæ Reſidens. VIII,21.
Sylvius [Gabriel] Angl. Leg. XI,3.74.
Sylvius Procurat. General. Arauſionenſis. IX,21.
Szumowski, Curiæ Regiæ Theſaurarius Polon. XV,14.

T.

Taffius Comes, Lotharing. Leg. XII,79.
Tekelius (Emmericus). XVIII,61.62.64.74.75.86.96.
Tellierius, Gall. Miniſt. VII,54. XI,27.
Templius (Wilhelmus) Angl. Leg. ad Pac. Neomag. XII,62. XIII,7.9.38.64.65.69.70. XIV,58.65.66.67.70. XV,31.35.61. XVI,39.41.45.46.48.70.71.91. XVII,24.82.
Terlonus (Hugo) Gall. Leg. VIII,33.40.41. IX,6.59. X,36. XI,40.42. *XII*,61. *XIII*,24.28. XIV,35.
Termoelius (Ter Mœlen) Monaſter. Procancellariuo. *XIII* 49. XIV,28.33.
Tettavius (Daniel). XI,102.105. XV,13.14.
- - - - Centurio. XI,54.
Tettavius (Joannes Dietericus) [Tettau] Conſil. Provinc. Boruſſ. IX,55.
- - - - Joannes Eberhardus. I,23.
Tettenbachius [Joannes Eraſmus.] VII,64. XI,46.
Teveſtus Comes, Tingitani oppidi Gubern. X,4.
Thannius (von der Thanne) Adamus Henricus. XIV,31.32.
Theodorus, Colonienſis Archiepiſc. XVII,58.
Theodorus [Fœdor] Alexii Czaris Moſc. Fil. & Succeſſor. XIV,12. XVII,9.
Tholibovius [Tholbofski] Polonus qvidam. I,24.
Thomas, *Sabaudiæ* Dux. XII,78.79.
Thuanus [Jacobus Auguſtus] de Thou: Gall. Leg. VIII,3.4.
Thuillerius, Gall. Leg. III,21.
Thungius [von Thungen] Joannes Carolus Copiar. fœderat. Dux. XIX,31.
Thurlous. VII,8.
Tieſcevitius [Tieskevvit.] Polonus qvidam. XVIII,86.
Tilemannus. I,11.
Tillius. II,11. VII,7.
Tochtius [van der Tocht.] (Jacobus) Belg. Leg. XIV,27.29.38.41.42. XV,57. XVI,97.
Tonſcius (Joannes) Pol. Leg. V,18.39.61.
Tottius Comes. XV,31.
Tottius (Claudius) Svec. Milit. Dux. VI,37. II,18.36. X,56.87. XI,26.33.35.38.78.98. XII,3.4.6.
Torſtenſonius (Leonardus) Svec. Milit. Dux. I,26.32.33.35.42.43.45.55. II,12.16.19.27.55.
Trampius. VIII,21.
Tranſaus (Joachimus) Svec. Min. I,15.36.
Trautmanſtorfius. I,17. II,20.36.38.40.42.45.46.49.51.53.58.62.65.69.71. III,3.6.8.10.12.13.14.22. XVIII,13.
Trautſonius, Cæſar. Legat. XV,6.
Treffenfeldius [Henningus] Subtribun. XIII,35.36. XVII,5.6.
Trevorius, Angl. Leg. X,55.
Trompius [Cornelius] Dan. è Belg. Thalaſſ. X,3. XIV,46.47. XV,17. XVI,57.60.
Trotta, Tribunus. I,18.
Trottius, Summus Vigil. Præfectus. XIII,33.
Truchſeſius [Wolfgangus Chriſtophorus] Brandenburg. Militiæ Præfect. XVIII,87.137.
Trzebicki [Andreas] Præſul Cracovienſ. XIV,8.
Turennius. IX,56.57.58. X,55.90. XI,1.31.51.60.61.62.63.64.65.67.69.71.72.75.81.82.83.87.92.93.97. XII,2.4.7.11.30.44.45.46.47.49.57. XIII,1.2.38. XIX,85.

V.

Valckenburgius, Director Societ. Indiæ Occid. in Belg. XVIII,32.
Valckenierius, Amſtelod. Conſul. XVI,3.72.
Vanius [Walterus]. X,15.19.21.
Vaubrunius [Vaubrun] Gall. Leg. XI,5.63.
- - - XII,30.
Vaudemontius. X,78.
Vaugvionus (Vaugion) *Comes*, Gall. Leg. X,52.53.68.
Vautortius, Gall. Leg. IV,37.
Ucedo (Sebaſtianus.) IX,58.64.
Uckermannus. XIII,34.
Vecha Dux (Duc de Vecha.) (Hiſpanus.) XIX,26.
Veldburgius, Neoburg. Leg. X,56.
Veldentinus Princeps. XIX,26.
Verjus [Ludovicus] Gall. Legat. Speciatim ad armiſtit. Vicennale. XI,18.20.28. XII,5.9.32.38.39.56.59. XIII,4.19.42. XVIII,14.15.16.17.20.

17.20.21.33.51.52.69.88.89.102.103.
130.133.134. XIX,11.12.13.29.53.57.58.
81.
Ugla, Svedicæ Classis Præfectus. XIV,46.
Vidonius Cardinalis. IX,44.
Villaregius [Villeroy]. IV,12.
Villarsius [Villars] Gallicus Leg. XVIII,124.
Villa Hermosa Dux, Belg. Hisp. Gubern. XIII,10.
69. XIV,43. XV,8.18.38.60. XVI,5.7.9.10.
11.20.22.24.25.29.35.37.46.52.70.74.
80.93. XVIII,9.
Villa Nova Vicecomes, [De Villeneufve] Pseudonymus qvidam. XI,83.
Viqvefortius [Abrahamus] Gall. Leg. III,20.
---- Brand. in Gall. Resid. V,26. VII,54. IX,
34.
Virsetus Baro (Virset.) XIV,23.
Vitrius Dux, Gall. Leg. XI,62. XII,57.60. XIII,33.
68. XVIII,14.28.64.86.
Viturkius Canonicus. VI,69.
Uladislaus Poloniæ Rex. I,11.21.41. II,31.72.
III,26. V,9.14. VI,1. VIII,45. XI,105. XII,70.
80. XIV,12. XV,31.
Uladislaus IV. Poloniæ Rex. IX,14. X,57. XIV,2.
XVIII,10.
Ulckenus [Andreas] Gottorp. Ducis Ablegatus.
XVI,15. XVII,55.57. XIX,44.70.76.
Ulfeldius (Cornificius). IX,6.33.
Ulm (Levinus ab Ulm) Imperii Vicecancellarius. IV,10.
Ulrica Eleonora, Danica, Christiani V. Soror,
Caroli XI. Svec. Reg. Conj. XIII,25.27.31.
XIV,22. XV,4. XVII,90. XVIII,9.
Vogelsangius [Vogelsang] Leg. Belg. VIII,12.33.
Volmarus [Isaacus] Cæs. Leg. II,16.20.40.69.
71. III,3.5.8.9.11.12.15.19.35.40.61.62.
VI,41. VII,37.39. VIII,40. XVIII,13.19.
Vulteius [Joannes] Cassellan. Leg. II,69.
Uzaimus Bassa. XII,70.

W.

WAchmannus (Joannes) Bremensis Syndicus. IX,82.
Wachmeisterus (Adamus) Sved. Tribunus. XIII,
36.
Wachtendoncius (Arnoldus) Brandenb. Ableg.
XIX,59.
Wackerbartius, Cellensis Ablegatus. XIX,21.
36.39.
Waldavius (Waldau) Bernhardus. I,37.
Waldavius (Joannes.) VIII,12. XIII,17.
Waldecca Comes (Georgius Fridericus.) V,11.
42.44.48.67.69. VI,15.19.20.23.25.26.37.
IX,32. X,9.17.38.59. XIII,14. v. sup. in G.
Waldecca Comes (Josias.) VI,37. VIII,34. IX 4.
Waldendorfius [Emmericus Fridericus] Cæsar.
Minist. XVIII,80.
Waldius qvidam rebell. XI,105.
Wallenrodius (Joannes Ernestus) Brand. Min.
IV,36. IX,37.
Wallenrodius, Tribunus. VI,49.
Wallensteinius (Carolus) Cæsar. in Anglia Legat. XV,20.43. XVI,17. XVII,52.
Walterus [Joannulus] Hansgen Walter. XIII,42.
Wangelinus [Bernhardus Christianus] Svec. XI,
79.83.98. XII,5.13.19.22.32.37.39.40.41.
42.43.44.53.55.56.58.59.65. XIII,6.13.
34.37. XIV,45.46. XVII,91.
Wangenheimius, Præfectus turmæ in Brand. exerc. XVI,62.
Wassenarius [Jacobus] Belg. Leg. IV,32.
Webbenumius [Webbenum] Tribunus. XI,66.
de *Wee*, Belg. Leg. XI,56.
Wedderkopffius [Magnus] Gottorp. Ducis Ablegatus. XVI,15.
Wedelius [Hasso Adamus] Brandenb. Min. X,
64. XII,65. XIV,7. XV,24.
Wedelius [Gustavus Wilhelmus] Monast. Milit. Præfectus. XIII,49.50.
Wedius. XVI,29.
Weilerus [Ernestus Weiler] Rei machinariæ
sub Frid. Wilh. M. Præfect. XIII,54. XV,18.
XVI,62.
Weierus (Jacobus) Palatinus Mariæburg. V,57.
59.61. VI,30.
Weierus (Ludovicus). V,57.
Wellerus (Jacobus) Theol. Dresdens. II,69.
Wellingius (Mauritius) Svecicus Minist. XVIII,
11. XIX,71.
Weimannus (Daniel) Brand. Min. IV,31. V,53.
VI,4.8.19.34.64. VII,7.56. VIII,3.4.12.
14.47. IX,21.22.27. XV,32.
Weingartius (Philippus Christophorus Franciscus) Colleg. Electoral. Leg. VII,61.
Weissenfelsius. XIII,4.
Weisius (Martinus) Brand. Archiat. XIX,102.
Wesenbecius [Matthæus] Brand. Leg. I,17. II,1.
3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.17.35.
44.70. III,33.34.35.36.37.38.40.59. V,1.
Westerholzius [Burchardus.] XV,7.
Wichartus (Christophorus) Brandenb. in Polon. Residens. XV,21.
Widzga (Stephanus) Warmiensis Præsul. IX,
47.53.
Wiedenburgius (Bernhardus) Monaster. Ableg.
X,16.
Wielopolscius, Magnus Poloniæ Cancellarius.
XVIII,30.
Wierzbowski (Stephanus de Majori Chrzastovvo) Abbas Cœnobii Paradisiensis. VI,69.
Wiesnovicius (Demetrius) Archistrategus in
Polon. X,63.64.79.88. XVI,65. XVII,8.
---- (Michael Thomas) Coributus Piastus,
post Polon. Rex. X,88.
Wiezbowski, Posnaniensis Præsul. XIV,8.
Wilhelmus I. Arausionensis Princeps. II,72.
Wilhelmus II. Arausion. Princeps. II,72. IX,21.
Wilhelmus Fridericus, Nassov. Princeps. VI,66.
Wilhelmus, Hassiæ Landgravius. IX,65.
Wilhelmus Henricus, Arausionensis Princeps. IX,
21. XIII,31.
Wilhelmus Henricus, Friderici Wilhelmi M. Fil.
XIX,103.
Wilhelmus Dux Cliviæ. III,19.
Wilhelmi Juliaci ac Montium Duces. IV,1.3.7.
8.10. IX,75.
Wilhelmus Nassovius Princeps. V,21.
Williamsonus, Secretar. Stat. in Angl. XIV,62.
XV,31.32.61. XVI,31.78.
Winckelhusen (Joann Henricus) *Baro*. IX,74.
X,48. XII,6.

Windifchgratz [Amadeus] *Comes*, Cæſ. Min. & Legat. XI,12.35.51. XII,70. XIII,20.57. XIV, 14.16.33. XV,5.6. XVIII,108.133.
Winniebergius Baro (Philippus) Imperial. Confil. Aulici Præſes. IV,4.
Winnenbalius Baro. IV,45. V,21.
Winterfeldius [Georgius.] *I*,42.
- - - - - [Samuel.] *I*,12.13.21.
Winterus, Tribunus. XIV,3.
Wiovius [Wiovvski.] *VIII*,55.
Wiricus, Brand. Leg. III,24.
Wiſpenningius Baro, Neoburg. Miniſt. IV, 34.
Witgenſteinius Comes [Chriſtianus Ludovicus.] VIII,15.
Witgenſteinius Comes [Joannes] Haſſic. Min. *I*, 48. Brandenb. Leg. II,17.19.20.25.30.33. 34.35.36.38.40.43.48.49 51.59.63.64.66. III,1.4 5.8.9.10.15.17.32. VI,48.
Witoroski [Stanislaus]. VI,30.
Wittenbergius [Godfridus] Campi Mareſchallus Svec. *II*,49.51. *III*,3. V,23.39.40.41.44. 48.67. *VIII*,75.
Wittius [Joannes de Witt] Eqveſtris Ordinis in Holland Syndicus. V, 23. VI, 64.73. VIII,3. 4.7.8.9.14.33.35. IX,24. X,1.3.4.7.8.12. 15.18.19.21.22.23.29.38.40.41.47. XI,1. 3.6.14.57. XIV,58.
Wittius [Cornelius] Dordracenus Conſul. XI, 12.57.
Wittii fratres Cornelius & Joannes. XI,57.
Wittius, Leg. Duc. Hannoveran. XII,8.
Wittorſius, Cellenſ. Ableg. *XIV*,36. *XVI*,57.
Witzendorſius [Henricus.] XIII,47.
- - - - [Hieronymus] Luneburg. Miniſt. *XVIII*,119.121. *XIX*,41.
Witzenius, Amſtelod. Conſul. *XIX*,85.
Wolckenſteinius Comes, Cæſ. Min. *III*,60. VI,41.
Wolfgangus Wilhelmus, Palatino-Neoburgicus Dux. IV,1.9.16.22.24.44. *IX*,79.
Wolfradus [Hermannus.] *XI*,32.37.39.
Wolframsdorſius [Hermannus.] VII,61. VIII,28.
Wolfsbergius [Bartholomæus] Svecicus Min. V,7.19.37.38.40.67. VI,23.45. *VII*,56.
Wolzogenius [Wolzog] (Ludovicus) Pol. Leg. V,16.
Wottonus [Henricus] Angliæ Legat. IV,20.21.
Wrangelius [Carolus Guſtavus] Archiſtrategus Svec. *III*,39. VI,37.39. *VII*,7. *VIII*,29.30. 35.73. *IX*,32.77.82.83. *X*,29.42. *XI*,1. *XII*, 57.60.61.62.64.65.81. *XIII*,3.4.5.8.17.19. 27.33.35.42. *XIV*,3.5.64.
Wrangelius [Woldemarus] Caroli Guſtavi Wr. frater. *XIII*,33.
Wreckius [Chriſtianus Sigismundus] Nobilis Cubicul. Brandenburg. *VI*,68. *VII*,9. *VIII*, 31.32.
Wulfius [Jacob. Joannes] Præf. urbis Stet. *XV*, 18.
Wurtzius [Paulus] Stetini Præfectus. *VI*,77. *VIII*,16.17.19.29.36. *XI*,4.

Z.

Zabelticius [Zabeltitz.] XIII,35.
Zaluſcius [Zaluski] (Andreas) Kiovienſis Epiſcopus. XVIII,87.
Zamoiſcius, Cancellarius Polon. *XV*,30.
Zaſtrovius, Tribunus. *VI*,48.
Zawadskius [Uladislaus] Leg. Brand. V,15.16. 20.
Zawadskius [Zavvadzki] Capitaneus. *XIV*,3.7.
Zitzewicius [Georgius]. *III*,49.
Zizevicius [Zitzevvitz] (Nicolaus) Monaſter. Ableg. *XVI*,57.
Zochowski [Adrianus â Kraſovvo]. *XI*,106.
Zolleranus Comes. *IV*,43.
Zurmuhlen [Wernerus.] *XVII*,55.
Zwinglius. *II*,30.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

A*Bdicatio* Joannis Casimiri qvomodo peracta. X,73.
Achtienhovius Berolinum venit. XII, 34.
Actio contra Hispanum apud Cæsarem qvare intentanda? XVIII,11.
Adolfus Joannes Palatinus Cæsari pacem offert nomine Sveci. XIV,46. Habetur tanqvam extraneus in illo Regno. ibid.
Æmulatio inter Danum & Luneburgicam Domum est periculosa. XVIII,100.101.
Super *Æqvivalens* pro cessis à Brand. Pomeraniæ partibus difficultates. III, 10.11.12.13. 14.
Affinitatem non tollere odia & dissidia comprobatur exemplo & argumentis. XIII,31.
Afflictio afflicto non est addenda. XIX,83.
Agnati Friderici Wilh. M. Ernestus Christianus Wilhelmus & Albertus per Mandatarios accipiunt Investituram. I.25. *Radzivilia Agnati* cum Hoverbeqvio transigunt. XVIII, 29.
Albertus Borussiæ Dux circa Indigenatus Jus in Polon. erratum committit. XVIII,30. Proximum à Rege locum in omnibus Regni Polon. Conventibus pro se & successoribus Borussiæ Ducibus obtinet. ibid.
Albertus Saxoniæ Dux spem ad Ducatum Juliaci & Montium obtinuit à Friderico III. Imp. renovatam à Maximiliano I. IV,1.
Albivillius falsa de Arausionense & ejus Conjuge fingit. XIX,96.
Alburgensis portus. *VIII*,14.
Alefeldii [Joachimi] Consil. Ducal. Gottorpini Præsidis bona in fiscum rediguntur à Rege Daniæ. XIX,66.
Alefeldius Daniæ Cancellarius super armatura navali Brandenburgicos admonet. *XVIII*,10. Horum naves noctu Oresundam transmitti curat. 11. Regis sui consilia contra Svecos improbat. 98. Ut & contra Luneburgicos. 121. Ejus judicium de Coloniensi,& Ducibus Luneburgicis. 122. Moderatorum consiliorum autor est. 123.136. Danum ad Brandenburgici sententiam permovet. 124. De Gottorpini cum Danis controversia Brandio Brand. Leg. respondet. XIX,65.
Alefeldius [Detlevus] ad Brandenburgicum cum mandatis mittitur. VII,11. Ut & ad Polonum. ibid. Berolinum venit. 15. VIII,65. ab eo ibi gesta. ibid.
Alexius Moscoviæ Czar moritur. XIV,12. ejus gesta vid. in v. *Moscus*.
Alfonsus, Portugalliæ Rex, Gallorum artibus solio dejicitur. XI,1.
Allodialia Palatini bona petit Elisabetha Charlotta. XIX,13.
Alsatia à Cæsare Gallis conceditur. II,46. De hujus decem oppidis cautio adhibetur. XVII,23. Gallus ea in sua verba adigit. 39.52. In SCto Ratisbonensi de his cavetur. 49. Alsatiam omnem cum Philipsburgo in satisfactionem sibi deposcunt Galli. XVIII,13. Qvare hanc & reliqvas partes allodii jure Gallis concedere malit Cæsar, qvam clientelæ nexu? ibid. Supremum in utramqve Alsatiam dominium & Vasallos trium Præsulatuum, ut colorem habeat, fingit Gallus. 14.15. Cui prætensioni respondent Ordines. 19. 20. Deductionem de hac edunt Cæsarei. 68. Ea omnia ad fructus infaustæ Neomag. pacis referuntur, qvorum longa series. 78.
Alsia Insula occupatur à Brandenb. VII,70.
Altona ad componendam controversiam Danum inter & Gottorpinum eligitur. XIX,69. Qvæ paulisper extracta demum suscipitur. 70. Præliminaria prioris congressus. 71. Gottorpiensium propositio. 72. Danorum ad hanc declaratio. 73. Brandenburgici Dano molliora svadent & hic illis iterum respondet. 74. Alia Danorum ad Gottorpiensium propositionem responsio. 75. Considerationes & judicia circa illam. 76. Danus & Gottorpinus Dux ut amicam transactionem non negligant ab Electore monentur. 77. Gottorpiensium ad Danorum Responsionem Replica exhibetur. 78. Danorum Duplica ad illam. 79. Eorum oblata circa satisfactionem Gottorpiensi facta. ibid. Qvæ Duci qvanqvam frustra commendant. 80. Immoti sententiæ suæ inhærent Dani. 81. Temperamenta qvædam à Saxone, Brandenburgico, aliisqve proponuntur. 82. 83. Post mortem Friderici Wilhelmi M. demum hæc controversia componitur. ibid.
Ambasciatores qvinam dicantur? XIV, 58. XV, 32.
America, qvare ibi Angli cum Hispanis bella gerant. VI,11. Ex Lege Hispaniæ eo proficisci nemini permissum, nisi in Castilia natis & qvorum majores triginta per annos ibi habitarint. XIV,43. Brandenburgici ibi Hispanis duas naves eripiunt. XVIII,11.
Americana Hispanorum classis nuptiarum regiar. sumptibus impensa. XVII,43.
Amerongius Fœderatis iter in Westphaliam dissvadet. XI,67.

Amicitia Gallorum est temporaria & ex utilitate temperata. XI, 1. Principum qvalis esse debeat? XVIII, 127.

Amnestia Ratisbonæ 1641. concinnata, qvomodo in Marchia promulgata. I, 20.

Amstelodamenses Danos urgent, ut in arma contra Svecos erumpant. VI, 60. Gallorum pactioni se opponunt. XI, 55. Pacem etiam invito Anglo petunt. XVI, 9. 33. Sunt causæ præcipitatæ Belgarum cum Gallo pacis. 50. Tractatu Neomagensi sunt contenti. 71. Ab his vires ærarii in Belgio fœderato dependent. XVII, 68. Ad pacem cum Gallo inclinant. XVIII, 118. 128. Gottorpinam litem suam facere nolunt. 129. Legiones Anglicas à Jacobo II. revocatas mandatis, dimittere nolunt. XIX, 98.

Anclamum à Brandenburgicis obsidetur & capitur. XIV, 47.

Angermunda à Brandenburgicis occupatur. IV, 25.

Angerortum, ibi in aperto campo Elector & Neoburgicus conveniunt. IV, 33.

Anglia. Qvale connubium Regi suo optet? IX, 25. Conducit ipsi externa gerere bella. IX, 26. Qvalis ibi status. X, 28. XI, 75. Est fons præcipitatæ Belgarum cum Gallo pacis. XVI, 48. Inter aliena bella universa ferme commercia in se traxit. 78. Conjuratio ibi detegitur. ibid. Intestinæ turbæ ibi gliscunt. XVII, 44. Ejus status. XIX. à §. 84. usque 100. Inter primarios Europæ status situs opportunitate, commerciis, opibus, nationibus, virtute, primarium sibi locum vindicat. XIX, 84. Potentiam reliqvorum Europæ regum librare potest. ibid. & *XIX*, 10. Est Reformatæ religionis ac omnium Protestantium asylum. ibid. Alio longe regiminis ac institutorum genere utitur & regi potest ac Gallia. *XIX*, 3.

Angliæ Episcoporum & Archiepiscoporum dicta atqve responsa circa acta Jacobi II. in Religionum libertate promiscua inducenda. *XIX*, 87. 88. 93. 95.

Angliæ Gubernatores pleriqve Jacobi II. sententiam fovent circa libertatem religionum promiscuam. *XIX*, 95.

Angliæ Proceres operam atque pecuniam Schombergio offerunt, ut libertatem Angliæ juvet. *XIX*, 99.

Angliæ Reges Stuarti qvi in Ritus Romanos inclinarint? *XIX*, 84.

Anglica Aula sub Carolo II. alia intendit ac Anglica Natio. *XV*, 61. Parlamento persvadere conatur, Pace Galliam debilitari. *XVI*, 9. Artibus certat contra Parlamentum. 11.

Angliæ Regina Jacobi II. ux. prægnans esse dicitur. *XIX*, 97.

Anglica Natio summo in Gallos ardet odio. *XV*, 61. *XVI*, 3. 22.

Anglica Academia à Tribunali Ecclesiastico invaditur Jacobi II. auspicio. *XIX*, 97.

Anglicorum motuum origo à Jacobo I. descendit ad Carolum I. & II. *XIX*, 84. Hos motus continuat Jacobus II. vid. à §. 85. usque 100.

ex *Anglia profugis* ab Electore receptus conceditur, qvod male habet Regem. XVIII, 117.

Anglorum in America contra Hispanos belli causæ justificatio. VI, 11. Angli pacem Electoris cum Polonis minus æqvo animo percipiunt. VII, 8. Cur ab Austriacis partibus abhorreant? 63. Offensam erga Electorem manifestant 68. Naves Electoris detinent. X, 6. Eorum qverelæ de eo 21. Horum societatem cum Gallo multi mirantur. XI, 27. Regis consilia contra Belgas detestantur 74. Pecuniam postulant. XII, 4. Pacem cum Belgis faciunt. 10. Adversus Danos invidiam ostendunt. XIV, 44. Neomagi frustra tempus terunt. XV, 58. Difficultates inter hos & Hispanos oriuntur. XVI, 9. Fœdus cum Belgis ineunt. 41. Jacobum Eboracensem Ducem Coronæ incapacem condito in inferiori domo decreto vivo fratre, etiam in superiori domo fere pleriqve declarant. XIX, 85.

Anglus Electori gratulatur de suscepto Regimine. I, 25. Per Legatum Juliacense dissidium inhibere studet. IV, 20. (conf. v. *Juliacensis Ducatus.*) Daniam subverti pati non debet. VIII, 5. Baltico mari adsitos Status in æqvilibrio tenet. IX, 22. Ejus res domesticas subvertere Galli consilium est. X, 28. *In* ejus manu Europæ pax sita. *XV*, 60. vid. *Carolus II. Angl. Rex.* it. *Jacobus II.*

Aplustre [Pavillon] certi generis gestare in mari qvibus competat? XVIII, 11.

Appellatio. Privilegium de non appellando in omnes reliqvas provincias petit Elector. XIX, 1.

Aqvila Imperii signum à Coloniensi & Alberto Austriæ Archiduce Aqvisgranum urbem proscriptione ab Imperatore notatam tendentibus præfertur. IV, 20.

Aqvisgranum proscriptionis sententia à Cæsare notatum à Spinola occupatur. IV, 20. Ibi Tractatio inter Gallum & Hispanum instituitur. X, 55. Inter inducias à Gallo occupatur. XVI, 89.

Arausionensis Princeps [Wilhelmus] compositionem inter Electorem & Neoburgicum tentat. IV, 23.

Arausionensis Princeps [Guilielmus Henricus] Ejus fortunas conservare Electori curæ cordiqve est. IX, 21. 22. Circa tutelam ejus convenitur inter Anglum & Brandenburgicum. IX, 24. Ejus gratia bellum inter Anglos Belgasqve conflatur. X, 1. 5. Wittii eum opprimere student. XI, 55. Intrepida ejus sententia Belgis data. 55. item Anglis. 56 Et Gallis. In Majorum suorum munia reponitur. 57. Ex Angli voto in similis exitii cum Wittiis est periculo. 75. Inducias cum Gallo ei svadet Elector. 87. Suchio non multum fidit. XII, 51. Ipsius sententia super partienda Brema. XIV, 26. Obsidium Trajecti solvit. XIV, 41. Ejus sententia de modo belli gerendi. XV, 19. Propositio in conventu Neomagensi. 43. 46. In Angliam proficiscitur; Nuptiæ ejus cum Maria. 61. Secretissimam cum Anglo deliberationem circa Pacis negotium habet. ibid. Præsentem

tem rerum atqve Belgii conditionem, qvoad pacta cum Anglo, Electori refert. XVI, 13. Ejus de Pacis negotio sententia. 25. 33. 38. Judicium ejus de Pace. 51. Gallos ad Montes Hannoniæ acri prælio profligat; Ingens periculum incurrit; Inducias facit. 70. In publicatione pacis cum Gallo Haga abest. 73. Amicam compositionem Hispanum inter & Electorem commendat. XVIII, 11. Frustra Anglum contra Gallum excitare studet. 22. Ad pacem cum Gallo qvare non inclinet? 73. 93. 107. Qvali ergaGallum ingenio, consiliisqve utatur. 118. Immotus suæ sententiæ inhæret. 119. 128. Induciarum negotiationi cum Gallo non interest. 129. Qvare Gallus ipsi ita infensus sit? XIX, 5. Ipsius pactum successionis non præjudicat Brandenburgici liberis. ibid. Inter hunc & Anglum à Gallis dissidia seruntur. 89. Anglum à conatibus circa Religionis libertatem amovere studet. 94. Et scriptis sententiam suam aperit. 96. Contra Anglum se armat. 98. Ejus bonis à Gallo manus injiciuntur, ac vitæ ipsius insidiæ struuntur. ibid. CumElectore de Jacobi II. destinatis consilia confert. 99.

Arausionensis ditio, ibi turbæ oriuntur. IX, 21. Qvas sopire studetElector. 21. 22. Ne à Gallo distrahatur, idem petit. XVIII, 44.

Arausio urbs cum arce à Gallo occupatur ut Principi ægre fiat. XVIII, 78. Illi imperium atqve dominium utile in Arausionem à Gallo denegatur. 107. Qvod tamen Liberis Electoris offert. ibid. Arausionis urbis mœnia dejiciuntur à Gallis ibid.

Ardenburgum strenue se defendit contra Gallos. XI, 55.

Arensdorfius Danicæ Militiæ Dux duos gravissimos errores committit. XVI, 58.

Argentoratenses ut se ab Imperii vinculo exsolvant, postulat Gallus. XVIII, 14.

Argentoratensis Præsulatus, circa hunc oriuntur turbæ. IV, 8.

Argentoratensis Præsul Galli destinata in Coloniensem Fuchsio exponit. XVIII, 120. Danum & Electorem cum Luneburgicis committere audet. 122. 125. Hildesiæ præsidium immitti svadet. 125. Ejus de inducis inter Cæsarem & Gallum sententia. 135.

Argentoratum à Gallo occupatur. XVIII, 21. 33. Cæsareas copias admittere recusat. 21. Ut Imperio vindicetur ac recuperetur Neoburgicus hortatur. 60. Deductionem de hoc proponunt Cæsarei 68. Qvid in induciarum vicennalium Instrumento de hoc cautum. 134. Ejus jactura saltem langvide multos Viennæ tetigit. XVIII, 78. prælium ibi. XII, 46.

Arlingtoni sententia de Triplici Fœdere. X, 47.

Arma non facile apprehendenda. II, 61. Eorum exitus anceps est. VI, 20. Ut ab imparatis sumantur, periculosum. XVIII, 17. His injuriam propulsare licitum. 79.

Armistitium vicennale inter Cæsarem & Gallum. XVIII, 134.

Arnheimius Svecis infensus moritur. I, 11. Ejus consilia. ibid.

Ascanienfis Præfectura Brahæo ad certos annos fruenda petitur. III, 32.

Aschenbergius cum suis, Danis se subducit. XV, 17.

Associati Belgium non curant. XVIII, 118. Eorum arma Orbi Christiano fatalia futura videntur. 119. Super Hanoverani declaratione perturbantur. 121. Belgis bellum cum Gallo svadent. 128. A Belgii Ordinibus ad Gallicam propositionem acceptandam permoventur 129. Valde in objiciendis armis tergiversantur. 130.

Associationis fœdus qvodnam ita dicatur? XVIII, 23.

Associationis tractatus qvis dicatur? XVIII, 23. Hoc fœdere totius Europæ securitas stabilienda intenditur. ibid. Circumspecte tamen in eo agendum monet Elector. 40. 43. Rebenacii de hoc judicium. 44. Ad hunc Brandenburgicum invitat Lambergius. 110.

Asyla, qvibus prosint? XI, 104.

Avaugurius privato nomine Polonis pacem persvadere tentat. VI, 36.

Avauxius [Claudius Memmius] svadet ne Brand. Elector ipse feudum à Polono accipiat. I, 21. Circa Cerimonias & Titulos Brandenburgicis litem movet; ad pacem tamen pronus est. II, 17. 21. 22. De Reformatis disserit. 29. Electorem laudibus evehit. 47. Ipsius dictum de intercessione Galli pro Electore. III, 3. Propter Svecorum tergiversationem offensam præ se fert. 4. Electoris declarationem scriptam Svecis tradit. 6. 7. 8 9. Hujus fideli opera Pomeranicum negotium in certam formulam redigitur. 9. Eo svadente Salvio 20000. uncialium ab Electore offeruntur. 13. Prudentia hujus Sveci se circumventos esse qveruntur. 15. Belgas in Electorem irritat. XVII, 60. De Svecorum actis parum honorifice sentit. 68. Contra Associationis fœdus se offensum ostendit. XVIII, 23. Fagelium pecunia corrumpere studet. 73. Gallum non plura Belgii loca occupaturum esse judicat. 119. ab Electore fœdus cum Belgis renovatum, improbat. XIX, 8.

Avauxius [Jo. Antonius] Paci Neomag: Legatus interfuit. XVII, 24.

Auberius edit Librum de Galliæ Regis jure in totum Imperium. X, 34. idem eo nomine conjectus in Bastiliam sed in speciem duntaxat. *ibid.*

Audenarda obsidium fœda cum trepidatione solvit Suchius. XII, 51.

Audomari Fanum à Gallis ad deditionem cogitur. XV, 19.

Augustana Confessio. v. *Confessio Augustana*.

Augustano fœdere securitatis publicæ negotium Ratisponæ refrigescit. XIX, 30.

Augusta Vindelicorum destinatur locus ad eligendum Ferdinandum Bohemiæ Regem. IV, 39. Fœdus ibi conficitur. XIX, 31. 32.

Augustus Administrator Magdeburgicus moritur. XVIII, 12.

Augustus Holsatiæ Dux, propter navatam in Hungaria egregie operam laudatur. IX, 78.

In

In Daniam ablegatur. XIII, 24.

Augustus Saxoniæ Elector laudatur à prudentia & divitiis. IV, 10.

Avocatoria Edicta, vid. *Edicta*.

Aurea Bulla qvid de Imperatoris Electione statuat? VII, 33. *Aurea Bulla Brabantina*, qvæ? XII, 1. cur abolenda? ibid.

Aurelianensis Dux Divi Audomari Fanum ad deditionem cogit. XV, 19. In Palatini Electoris hereditatem prætendit. XIX, 13. Qvid ei ab Electore hac de re denuntiatum? 15. Qvid fœdere inter Cæsarem & Electorem eo nomine cautum? 25. Vi & titulis illam prætensionem exeqvi tentat. 34.

Aurspergius primum Cæsareæ Aulæ locum tenet. V, 35. Cuncta gubernat, ibid. Ipsius sententia de Polonorum clade ad Warsaviam. VI, 40. It: de Electione Cæsaris. VII, 42. Brandenburgici fidem in dubium vocat. VIII, 32. A statione sua dejicitur. X, 29. Cum Lobcovicio comparatur. XII, 51.

Austriaca Domus æmulam potentiam in alia Germanica domo haud facile ferre videtur. IV, 10. ad arma contra Gallos arripienda validissimis stimulis & rationibus urgetur. XVIII, 59. 61. Status controversiam videtur movere voluisse Electoribus. 78.

Austriæ Archiducis dignitas separatas habet ab Imperatorio fastigio rationes. XI, 51.

Austriaci digniorem præ Electoribus locum affectant. II, 25. Eorum considerationes circa Domum Brandenburgicam. IV, 10. Prætendunt in Borussiam. V, 14. Bello Polonico se immiscent. VI, 63. Brandenburgicum à Svecorum partibus abstrahere nituntur. ibid. 66. 67. Pacem inter Svecos & Polonos differre videntur. VII, 5. Auxiliis suis tergiversantur. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Legatos Berolinum mittunt. 15. An ex illis novus Cæsar eligendus disceptatur. 21. 22. 27. 28. 31. 33. 35. Galli eos ab Imperiali fastigio dejicere student. 31. 35. Sed hi contra nituntur. 36. 39. Eorum auxilia tarda aliqvando visa & sumptuosa 46. in Pomeraniam expeditionem Polonis & Electori svadent. 47. Polonis & Brandenburgicis sunt suspecti. ib. Poloniæ coronam affectant. ibid. Qvare ab eorum partibus abhorruerint Angli atqve Belgæ? 63. Magis qvam Sveci formidandi videbantur. VIII, 40. Eorum destinatis repugnat Palatinus Neoburg. 53. Ex his optatur Candidatus Coronæ Polonicæ. IX, 10. Qvid de Lubomirscio sentiant. 14. Sunt diverso ingenio à Polonis. 20. XII, 68. Polonis valde sunt suspecti. VIII, 50. IX, 69. Ante Svecorum in Germaniam ingressum formidandi magis fuerunt. XVI, 88. Ratihabitionem Neomagensis pacis urgent. 39. Bellum pro pace contra Gallum svadent. XVIII, 54. v. *Cæsarei, Cæsar.*

Aychstadii Decretum Cæsareum de Svecis pro hostibus Imperii habendis perscriptum XIII, 39.

B.

B*Adensis Marchio* [Hermannus] inter Candidatos Coronæ Polonicæ privato à nonnullis favore jactatur. IX, 10. nomine Hispanorum auxilia petit ab Electore. X, 30. 32. Datur ei formula de conducendis militibus. 32. Lobcovicium proditorem appellat, non tam ob privatas utilitates, qvam qvod falsis sententiis imburus. XI, 35. Ad Electorem jussu Cæsaris divertit. XVIII, 6. In eum à Lotharingo dissidentem conjicitur causa non evitati tempestive imminentis à Turca periculi. XVIII, 94. Cæsarem à pace cum Gallo avertisse arguitur à Gallis. 104.

Bakovius Polonum contra Electorem incitare studet. XV, 12.

Balbasarus Marchio describitur ab ingenio & moribus? XIII, 14. Inter hunc & Burgomagnum utrumq; Hispaniæ Ministrum dispar agendi modus observatur. XVI, 9. Ad exemplum Belgarum, separatæ, nomine Hispan. cum Gallis paci subscribit. 73.

Balticum mare. Hujus dominium sibi vindicare student Sveci. II, 42. VI, 35. Curæ est multis. ibid. In eo commercia sua a Svecis intercipi, nec Belgæ, nec Angli patiuntur. V, 9. nec ut illi sibi hujus plenum imperium asserant, Galliæ expedit ibid. VI, 35. *Illius ratione* Belgæ cum Electore fœdus ineunt. 21. 22. Ad qvem ex sententia Sveci spectet? 48. Dani item & Galli. 60. Penes possessores servari interest. VIII, 5. Quasi commerciorum mater perhibetur. IX, 22. ejus cura commendatur Electori ab Arausionense. *ibid.* Boreales Reges sibi solis dominium ejus & Jus Ammiralitatis in eo sibi vindicant, unde de eo lis movetur Electori. 69.

Banerius ex intemperantibus haustibus vini Hungarici mortuus fertur. I, 20.

Baranova à Turcis deseritur. IX, 78.

Barfusius [Joannes Alb.] præest copiis ab Electore contra Turcas Polonis auxilio missis XVIII, 87. strenue se gerit in Budæ expugnatione. XIX, 26.

Barrensis Ducatus. qvot oppida & vicos contineat? Deposcitur à Gallo. XVI, 35.

Bartensteini Brandenburgicus Sveciæ Regem convenit. V, 73.

Barthensem præfecturam petunt Sveci. II, 37. 41.

Batevilius Hispan. Legat. in ingressu Londin. vi sibi præ Gall. Legato locum vindicat. IX, 25. Angliæ Regi militiæ qvam legationi aptior habetur, ibid.

Bavarus ob auxilia Cæsari lata ferro ac flammis perseqvendus Engviano committitur. I, 53. Tres Circulos sub suam directionem in conventu Francofurtano trahere agitat. II, 4. Religionis negotium exteris non committendum differit. 5. Bona Ecclesiastica non præscribi posse putat. 7. Negotium super cedenda Pomerania absqve Brandenburgici consensu expediendum judicat. III, 2. In Vicariatu usurpato admodum imperiose agere arguitur à Palatino. VII, 21.

Ca-

Cæfareæ dignitatis non eſt cupidus. 23. Electoris legatum ob non expreſſum in titulo literarum fiducialium Vicariatus elogium ne qvidem ad alloqvium admittit. ibid. Brandenburgico per æmulationem obſiſtit. XI, 51. Auxilia contra Gallos fœderatis aſpere negat. 70. Officium ſuum Svecum inter & Brandenburgicum offert qvidem, ſed ejus Legati aperte Svecis & Gallis favere haud deſinunt. XII,64. Fruſtra à Fœderatis ad Imperii ſocietatem tentatur. 25. In conventu Neomagenſi per Legatos Cæſari admittendus non videtur? XIV,63. Cum Saxone fœdus init. XVII, 37. In Svecos inclinat. 39. De Gallorum reunionibus Legatis Electoris nil liqvidi indicat. XVIII,39. Inducias cum Gallo ſvadet. 111. Editis in hanc rem ad Brandenb. literis. 131. Cæſarem qvoqve ad eas hortatur. 132. Pro Clemente Fratre, in Coadjutorem Colonienſem eligendo nititur. XIX,59.

Bazinus Leg. Gallicus Ceremoniarum gratia colliſione exorta Svecia diſcedit. XVIII,76.

Bearnia ſubito ad exeunda Reformata dogmata compellitur. XIX,16.

Beckerus Archiater Cæſareus ad ſpectandas Principes Virgines circummittitur. XIV,22.

Belga priorem præ Electoribus locum affectant. I,55. XIV,58. Ut Pomerania Svecis reſtituatur concedere nolunt. II,42. Legatos proinde mittunt Oſnabrugam.ibid. Verbis multum ſtudii erga Brandenburgicum oſtendunt. 56.72. Sed bello novo ſe implicare nolunt.ibid. Qvare Cliviæ oppida præſidiis evacuare nolint? III,24. Concordiam circa Juliacenſe diſſidium inſtaurare ſatagunt. IV, 19. (conf. *Juliacenſis Ducatus.*) Sacerdotes Pontificios in cuſtodia detinent. 24.25. Seqveſtres ſe offerunt inter Brandenburgicos & Neoburgicos. 31.32. Qvare fœdus cum Electore recuſaverint? V,21. Partem Præſidii Pillavienſis ſibi depoſcunt. ibid. 23. Eorum inſolentia. ibid. Fœdus tandem conficiunt, cujus uſus tamen valde exiguus eſt. 21.22.23. Conſilia eorum. 24. Tranſactione Brandenburgici cum Sveco valdè commoventur. VI,2. Plebis de hac judicium. ibid. Pactum tranſactionis ut inſpicere poſſint, deſiderant. 4. Qvo conceſſo acqvieſcunt. 8. Ex iis ſvadent nonnulli, ut cum Svecis contra Polonos arma ſociet Elector. 11. Electoris conjunctionem cum Svecis primo improbant, poſt comprobant. 35. Svecorum potentiam in Mari Baltico timent. ibid. Moſcum irritare nolunt, nec tamen Electori omnem opem denegant. 42. Pillaviam iterum deſiderant. ibid. Ad conciliandam inter Svecos & Polonos pacem ſunt ſolliciti. 43. Tranſactione Brandenburgici cum Svecis lætantur. 47. Separatam Electori cum Polonis tranſactionem ſvadent. 49. Ejus tamen cum Svecis conjunctio ipſis ſuſpecta. 55. 56. Odium eorum, qvo in Svecos flagrant in Electorem qvoqve redundat. 64. Eorum diverſa judicia de tractando pacis negotio inter Polonos & Brandenburgicum. 73. Ut Elector contra Svecos & Polonos firmetur, utile judicant. ibid. Acta ejus cum Polonis his valde probantur & auxilia ſua ipſi pollicentur. VII,7. Dano ſubſidio venire conſtituunt. 62. Cur ab Auſtriacis partibus abhorreant? 63. Ab Electore ad rem in Svecos acrius gerendam incitantur, monenturqve ne ſeparatam inter Boreales Reges pacem faciant. VIII,2. 5. Nihilo tamen minus Hagæ cum Gallis & Anglis in eam rem ſeparatim agunt. 3. Pactum Hagenſe excuſant. 4. Gloriam ſuam qværere in ruina Fœderatorum à Weimanno graviter arguuntur. 5. De pacto Hagenſi demulcere ſtudent Electorem. 6. Fatali qvadam ſocordia laborare eos, objicitur ab Electore & graviter demonſtratur. 9. Conſilia eorum impediunt Electorem, ut nil digni in Dania contra Svecos efficere poſſit. 10. Nil hoſtile in Svecos ſuſcipere volunt. 12. In Svecum etiam poſt pactum Hagenſe incitantur. 33. Bellum in Fionia deſtinant. 34. Svecos nimium debilitari nolunt. 35. Conſilia eorum de excludendo Cæſare à Tractatibus. 43. Danum ad pacem urgent. 66. Olivæ pro Dania inanem operam ſumunt. 67. Cum Anglis acerrime colliduntur. IX,1. X,1. Anglorum Regis amicitia ipſis neceſſaria, ex proverbio, ſi vel diabolus ibi regnet. 26. Obtentu debiti cujuſdam obſoleti Clivicas urbes in ſolutum, aut ſaltem pignoris loco detinere laborant. X,1. Monaſterienſis Epiſcopus contra eos operam ſuam præſtat Anglo. 9. Electorem Brand. ad fœdus ſecum ineundum invitant. 10. Acta ſuper eo. 12. Fœdus cum Electore. 13. 14. Pacem offerunt Monaſterienſi Epiſcopo. 15.16.17. Belgæ qvadruplex fœdus ineunt. 27. Conventionem item cum Anglis & Svecis. 47. Electorem ad Fœdus Hagenſe invitant. 53. Omnes Germaniæ Principes aſpere ſubinde tractarunt. XI, 1. Brandenburgicum ad Triplex fœdus invitant. 2. Lotharingi ejectione valde turbantur. 12. Se iſto etiam bello peti, difficulter credunt. 14. Grotium in Galliam mittunt ad declinandum bellum. 15. Segnius bellum apparant. 26. Gallus ipſis omnem pacis ſpem adimit. 27. De Dano minus ſunt ſolliciti. 42. Electoris implorant auxilium. 47. Fœdus eorum cum Electore. 48. A Cæſare nil ſolidi expectant. 51. Eorum ſtatus periculoſiſſimus eſt. 54. Super fœda pactione agunt. 55. Arauſionenſem in Majorum munia reponunt. 57. De Electoris cum exercitu ſumto itinere qverimonias inſtituunt. 65.66. In eos à Bavaro confertur cauſa, qvod Colonienſis atqve Monaſterienſis Galli Regis amicitiam ſibi qvæſiverint. 70. Apud eos ſuper pecunia altum eſt ſilentium. 71. XIII,23. Cum Anglo, ſed non cum Gallo pacem facere deſiderant. 75. Qverelas movent Brandenburgico. 81. Propulſando

sando bello non sunt idonei. 84. 85. Inducias ipsis svadet Elector. 86. Multis partibus fidem suam Electori non impleverunt. 87. Pax Vossemensis ipsis indicatur; Bino navali prælio Anglicam & Gallicam classem profligant. 96. Angli illis & Galli exitium minantur. XII, 3. Gallo qvædam offerunt. 2. Spiritus recipiunt. 7. Quare in pacem cum Gallo consentire non possint. 8. Separatam cum Anglis pacem captant. 10. Nil actionis in Cliviæ oppida se moturos Electori pollicentur, ejusqve amicitiam & fœdus affectant. 24. 25. Acta eorum super hoc fœdere. 34. Fœdus eorum cum Cæsare, Hispano & Brandenburgico. 35. Ope Suchii non multum proficiunt. 51. Sveci apud eos Electorem accusant. 62. Hi eum defendunt. 63. Svecorum in Marchiam irruptionem male habent. XIII, 6. Et ad ferendum Brandenburgico auxilium sat proni sunt. 7. Svecis bellum indicunt. 10. Dani cunctatio ad inferendum Sveco bellum, eis est molesta. 43. Mercuriali præditi sunt ingenio. 58. Eorum responsum Anglo datum super liberatione Furstenbergii. 64. Anxietas circa pacem ipsis parum proficua. 65. Acta in conventu Neomagensi. 66. 67. 68. 69. 70. Legatum de partienda Bremensi provincia mittunt. XIV, 27. Commerciorum fœdus cum Svecis Brandenburgico approbare student. 41. Et super fœdere perpetuo cum eo agunt. 42. Sunt in re navali multo peritiores Svecis. 46. Cur cum Legatis Electoralibus super loco contendant? 58. Legatos Neomagum mittunt; Pacem optant. 66. Propter Cæsareorum cunctationes multum indignationis ostendunt. 71. Eorum classis sero transmittitur Danis. XV, 17. Propositiones in conventu Neomagensi. 43. Pacis formulam cum Gallis concipiunt, & valde properant. 56. Svasu Electoris alia consilia capiunt super Legibus pacis inter Gallum & Hispanum. 57. Fœdus cum Anglo faciunt. XVI, 2. Id propter se excusant. 5. 6. Eorum Delegati Galli propositiones de Pace detestantur, propter belli onera tamen non negligendas urgent. 16. Pacem unice desiderant. 17. Neomagi prorogationem termini à Gallo præfixi petunt. 18. Super Induciis proponunt. 19. Eas porro urgent variis de causis. 20. 21. 22. 25. A Gallo ad pacem invitantur. 23. Legatos ad eum mittunt. 24. Hispanos simul ad pacem invitant. 29. Hagæ Fœderatis ad pacem se compelli necessitate exponunt, ut & Neomagi. 34. 35. Includendam paci Cliviam Gallo frustra commendant. 36. Literæ eorum ad Gallum. 37. Urbium restitutionem urgent aut bellum perseqvi volunt. 38. Super Gallorum tergiversatione consultant. 39. Fœdus cum Anglis novum ineunt. 41. Declaratio eorum ad Gallorum tergiversationes. 43. Tandem in pacem cum Gallo ruunt. 46. 48. Induciæ mutuo inter exercitus. 70. Qvid Gallo promiserint? 71. Pax eorum cum Gallis concluditur. 73. Neomagi de induciis Cæsarem inter Imperium, Principesqve fœderatos proponunt. 89. Ac pro Electore officium se interpositurus promittunt. ibid. Fœderatos sua pace cum Gallo comprehendere volunt. 91. Cliviæ invasionem à Gallo factam ferre nolunt. 92. Super Schenkiano castello cum ipsis agitata? 97. 98. Fœdus decennale cum Brandenburgico ineunt. 98. 99. 100. Controversias Clivicas peculiari pacto abolent. 99. Tuendæ Cliviæ causa Electori nil auxilii mittere volunt. XVII, 56. Brandenburgici scriptam indignationem, scripto responso mollire student. 62. In Gallia nullus eorum respectus. 69. Cum Svecis fœdus inire laborant ad tuendam pacem Monaster. & Neomagens. contra Gallorum destinata. XVIII, 23. Rebus Ost-Frisiæ sese immiscent. 31. Ac literas satis importunas ea de re ad Electorem scribunt. ibid. Navigationem qvoqve illius prohibere tentant. 32. Pactum ea de re cum eo conficiunt. ibid. Bellum ab his avertere studet Elector. 120. Cum Gallo ad pacem ab his ad bellum ab aliis incitantur. 128. Tandem in inducias cum Electore inclinant. 129. Cum eodem fœdus renovant ac subsidia solvunt. XIX, 6. *Hamburgensium* turbas non curant. 23. Monachos atqve Jesuitas expellunt. 55. Inter Jacobum II. Angliæ Regem & eos una cum Arausionensi offensa gliscit. 98. Legiones ab ipso sine necessitate revocatas dimittere recusant. ibid.

Belgii Ordines in causa Juliacensi auxilia sua offerunt. vid. *Juliacensis Ducatus*. Hispanos ad Gallicas inducias adhortantur. XVIII, 129.

Belgii Rectores pungentibus dictis permistum responsum dant Electori. XVIII, 73.

Belgici Legati, inter hos & reliqvos controversia oritur. II, 71. Electoris causam curæ sibi fore promittunt. III, 3. Acta Osnabrugæ, Brandenburgicis referunt. 4. Essenæ in causa Brandenburgici & Neoburgici conveniunt. IV, 34. Tractatus inter Svecos & Danos disturbant. VI, 55. Ex Lege Regia nunquam præferri debent Electoralibus. X, 85.

Belgii Gubernator à qvibus constituatur? XI, 57. Arausionensis id munus qvibus auspiciis capessiverit. ibid.

Belgium, qvæ ejus Reip. circa fœdera & auxilia sit indoles? V, 21. de hoc invadendo Gallus agitat consilia. X, 28. Belgium negligere svadet Pegneranda, ut Lusitania recuperetur. 36. hujus urbes Gallo non diu resistere possunt. 55. Hoc everso communis Principum libertas perit. XI, 41. XVIII, 115. Opus habet illustri qvodam capite, 57. Ejus conservatio toti Europæ prodest. 84. XVI, 74. Ab Hispanis defendi non potest propter nervi defectum. XV, 10. Hujus invasio multa incommoda parit. XVIII, 126.

Bellum non nisi summa urgente necessitate suscipi-

cipiendum. V,42. Sæpe è pravis libidinibus oritur. VI,10. Brevia bella Galliæ magis conducunt, qvam diuturna. XI,1. Qvomodo gerendum? XVII,71. Jus belli ex mente Pomponii describitur. 75. Ejus fortuna anceps. XVIII,111.

Bellum inter Electorem & Neoburgicum ex controversia Juliacensi oritur. IV,25. Motus animorum super eo. 27. Publica Electoris declaratio. 26. Componitur Essenæ. 34. 35.

- - - - *Svecicum* cum controversiis super Pomerania cedenda qvomodo compositum? *leg. Lib. III.*

Belli Sveco-Polonici origo & progressus explicatur *Lib. V, 1. seq.* cujus occasione ortum dissidium inter Regem Sveciæ & Electorem componitur. 71. sq. Elector Svecis se jungit. VI,26.27.28. sq. Prælium ad Warsaviam committitur. 38.39.40. Poloni nostris cladem inferunt, qvibus ultio reponitur. 49. Ejus occasione *bellum Danicum* oritur. 52. sq. 61. Elector res suas paulum à Svecis disjungit. 68. Cum Polonis transigit & paciscitur. 68. 69. sq. 75. 77. Fœdus coit in Svecos. 79. jurejurando firmatum. 83. Unde *bello* involvitur *cum Svecis*, cujus acta Lib. VII. & VIII. *Pax Danica* succedit. VIII,67. itemqve *cum Electore*. 75. seqvitur *Pax Olivensis*. 76.

Bellum prope Civile ex turbis Borussiæ super firmando supremo ibi imperio, ortum explicatur. IX,37. seq.

Bellum inter Anglos & Belgas qvomodo exarsit. X,4. Elector prope in ejus partem tractus. 6. Fœdus cum Belgis pangit. 14. *Bellum Monasteriense* simul gliscit. 15. sq. componitur ad tempus. 17. De pace Bredæ agitur. 22. 23. 24. sq.

Bellum Flandricum, circa id considerationes Electoris. X,31. seq.

Bellum in Belgas decernitur à Gallis, sed differtur. XI,10. hi bellum declinare student. 15. segnius interim bellum adparant. 26. illorum periculosissimus est in eo status. 55. & super fœda pactione apud eos agitur. 56. Elector illorum partes suscipit. 48. 49. 59. 61. sq. Cæsar etiam 51. & fiunt fœdera leqq. Helvetii frustra ad societatem sollicitantur. 74. Per Westphaliam gesta. 83. Pax Vossemensis inter Regem Galliæ & Electorem coit. 95. Inter Anglos & Belgas pax fit. XII, 10. De prælio inter fœderatos & Gallos prope Argentoratum 47. per Alsatiam gesta. 48. Turennius ingruit 50. Suchius male rem gerit in Belgio. 51.

Bello huic intervenit, *Svecorum in Marchiam irruptio*. 61. qvæ significatur Electori, 67. unde Electori Alsatia excedendum XIII,2. Belgarum auxilium imploratur. 7. hi proni sunt. 8. & Svecis bellum indicunt. 11. Elector apud Danum auxilia poscit. 25. Sveci in Marchia pro lubitu grassantur. 34. Ratenaviæ opprimuntur. 35. ad Fehrberlinum profligantur. 37. Cæsarei Gallos trans Rhenum pellunt, & Luneburgici victoriam reportant. 39. Sveci hostes Imperii judicantur. 40. Elector in Pomeraniam irrumpit. 55. seq. in Pomeraniam expeditionem suscipit. XIV,46. sq. Danorum gesta Electorem haut leviter sublevant. XV,18. Stetini obsidium. 19. Belgæ separatam à fœderatis pacem cum Gallo decernunt. 35. in pacem ruunt. 47. Pax concluditur. 49. Arma Danorum parum succedunt. 59. Electoris progressus majores in Pomerania. 61. sq. Hispanos inter & Gallos de pace satagitur. 74. 75. ea ratihabetur. 94. Sveci in Borussiam irrumpunt. XVII,1. Elector cum iis confligit. 6.7. Pax *Cæsareo-Gallica Neomagi* subscribitur. 23.24. ratihabetur utrinqve. 50. Galli in Cliviam irrumpunt. 55. Electorem ad dura consilia redigunt. 61. sq. ut necessitati tandem cedendum sit. 77. Pax concipitur *San-Germanica*. 79. perficiturqve. 80. Danica pax qvoqve perficitur. 91.

Bellum Turcicum imminere incipit gravius. XVIII,63. de eo Cæsar significat. 81. seq. Seqvitur Viennæ obsidium. 95. Cæsar auxilium contra Turcam qværit. XIX,3. Buda expugnatur. 26.

Bellum Gallicum in primis incendiis gliscit, reunionibus cœptis. XVIII,14. seq. Cura circa illud avertendum Electoris. 103. Ratisbonæ de eo acta. 104. Elector apud Cæsarem de pace urget. 106. Viennensis aula ad inducias nondum inclinat. 112. De induciis agitur. 129. 130. 131. 132. 133. Instrumentum induciarum. 135. contra qvas Gallus multa facit. XIX,13. nec tamen vult ab Imperio arma parari. 31. unde de fœdere Augustano qveritur. 33. Inducias in pacem mutari protinus cupit. 46.

Bellum Poloniæ cum Moscis & Cosacis continuatur. IX,1.

Bellum Bremense ortum. XIII, 48. seqq.

Berchemum occupat Spinola. IV,20.

Berclajus ratione Visitationis litem movet Oxenstiernæ. XIV,70.

Bergeickius à Monteregio ad Brandenburgicum ablegatur. XXI,59.

Bernenses fœdus defensivum cum Gallo habent. XI,73.

Berolinum ibi Austriaci, Danici & Polonici legati circa fœdus conficiendum conveniunt. VII,15. Ibi cum Gallo fœdus init Elector. XVIII,44. Item cum Luneburgicis. 135. Cum Cæsare. XIX,25. Cum Sveco. 27. Amplificatur & munitionibus circumdatur. 105.

Bethunius Palatinatum invadit, ejus ingenium ac dicta. XII,30. Multa munera Poloniæ Reginæ offert. XIV,9. A Gallis Regno Hungariæ destinatur. 10. Multa insignia Ordinis S. Spiritus in Poloniam affert. 12. Regis Hungariæ titulo in conviviis salutatur. XV,9. In Borussiam properat. XVI,68. De Jacobi Poloniæ Principis electione ejus sententia. XIX,61.

Beverningius ob fidem spectatam ad Galliæ Regem mittitur. XVI,25.26.

Beuningius Belg. præcipuus turbarum incentor

tor. VI, 64. Fœderatis pariter ac suæ Reipubl. consiliis ex arbitrio susceptis gravis & exitiosus describitur, qvod ei palam objectum. XVI, 17. 21. 22. De Hagensi conventu & præcipuè de Arausionensi haud præclarè sentit, & in hunc odium prodit. XVIII, 118. XIX, 5.

Bielkius Legatus Svecicus, qvæ Dresdæ jactaverit? V, 27.

Bielkius (Nicolaus) associationis tractatum Parisiis improbasse dicitur. XVIII, 43.

Bilefelda Conventus Circuli Westphalici indicitur. XI, 16. 17. Agitur ibi inter Directores Circuli super fœdere defensivo. ibid.

Bipontina domus in Juliacensem Ducatum jus prætendit. III, 23. IV, 1. 4. (Conf. v. *Carolus Gustavus*.)

Bipontinus Ducatus Sveco subtrahitur â Gallo. XVIII, 23. Hinc iste ad associationis tractatum promovendum inducitur. 43.

Biterrensis Episcopus (de Bezieres) Petrus Bonzius à Gallo post abdicationem Jo. Casimiri in Poloniam missus Condæo commendando, Neoburgico clam per artes & techinas spe submovendo, qvomodo judicio Regis, munus expleverit. X, 81. IX, 80. X, 82. sq.

Blaspielus res Electoris apud Belgas curat. X, 8. sqq. Cum Hispano præter mandatum concludit, qvod pactum Elector improbat, & nullo modo ratihabere vult. X, 41. Ejus in pace Neomagensi Electoris nomine prospiciendi publicæ saluti studium, & variæ disceptationes. XVII, 19. 21. 22. Contra SCtum Ratisbonense protestationem interponit. 26. Gallis, Electorem retardatæ pacis arguentibus respondet. 46. 47. ab Hispanis indemnitatem & satisfactionem petit. 48. Cellensi tractatui protestando contradicit exhibito scripto. XVII, 82.

Blesheimi Fœderati castra metantur. XII, 47.

Blumenthalius (Christophorus Caspar) in Galliam mittitur. IX, 2. 3. Mazarino exponit, qvæ in mandatis habet. ibid. In Hispaniam proficiscitur. 4. Judicium Reginæ Poloniæ super ejus Legatione in Galliam. 52. Iterum in Galliam ablegatur. 56. 57. 58. 59. 60. 63. 64. Qvod factum à Svecis ad alendum dissensum arguitur. 67. Qvæ Colbertus ei insinuaverit? X, 25. Fœdus cum Daniæ Rege subscribit. 26. In Daniam mittitur. 36. Item ad aulam Cæsaream. 46. 58. 59. Iterum in Galliam. 80. 86. Cum Lionnæo disserit. XI, 1. In Daniam se confert. 40. 41. 42. Ad Trevirensem mittitur. 62. Item Moguntinum. 63. Et Cellensem Ducem. 71. Ejus sententia super Svecico fœdere in Consilio sanctiori exposita. XII, 14.

Blumenthalius (Joachimus Fridericus) A Cæsare ad Brandenburgicum mittitur. III, 22. Viennam mittitur. IV, 28. 29. 30. Ut & Augustam Vind. ad eligendum Ferdinandum Bohemiæ Regem 39. Frustra ut Electori satisfiat, à Cæsare urget. 42. In Electione Ferdinandi Regis Electoris personam repræsentat & à Cæsareis ita excipitur. 43.

Boineburgius Baro, cur munere exutus, in custodiam datus? X, 79. Ornatâ oratione Neoburgicum Poloniæ Ordinibus commendat. 87.

Boleslaus Chrobri in Sala Flum. limitem regni Columnâ ferreâ erexit. XIV, 3.

Bona Ecclesiastica. vid. *Ecclesiastica Bona*.

Bona privatorum in Regum atqve Principum tractibus judice Pomponio Gall. Minist. salva semper esse debent. XVII, 78. 80. Bona summi Imperii s. Domanialia ne qvidem præscribi longissimo tempore ab ullo posse Galli sub auspicio reunionum jactant. XVIII, 41.

Boninus ad Cæsarem mittitur. V, 30. 31. 32. 33. 34. Ad Belgas super excusando fœdere cum Sveco. VI, 5. 6. 7. 8. Item Warsaviam. 86.

Bonna â Cæsareis occupatur. XII, 8. 9.

Boothius in Livoniam irrumpit. I, 14.

Borckeloa Dominium. X, 17.

Borck Præfectura in ditione Electoris Saxoniæ relinqvitur. III, 16. Ejus nomine satisfieri sibi petit Elector. XIX, 1.

Boreales Reges, ut pax inter eos servetur, laborat Elector. XVIII, 97. 98. Eorum negotia inducias cum Gallo extrahunt. 129. Honoris gratia in illis nominantur. 133. Ut bello collidantur, Germaniæ calamitosum. XIX, 36.

Boreas ut divisus maneat, interest Germaniæ Principibus. VII, 7.

Borgstorfius (Geor. Ehr.) ad Torstensonium mittitur. I, 45. Super Pomerania restituenda ad Palatinum aliosqve mittitur. III, 39.

Borgstorfius (Conradus) Matrimonii ambiendi gratiâ ab Electore ad Arausionensem Principem ablegatur. II, 72.

Bornholmense negotium circa naufragos à Svecis Neomagi objicitur Electori, qvi tamen id à se amovet. XVII, 57.

Bornonvillius cum Gallis confligere se paratum jactat. XI, 82. Qvâ fide cum Fœderatis prope Argentoratum egerit? XII, 46. Omnibus bonis Consiliis se opponit. 47. Invito Electore una cum Luneburgicis copiis se recipit. 49. ejus societatem detestatur Elector. ibid. Lobcovicii Consiliis cum Suchio implicitus fuisse creditur. 51.

Borntinus ab Electore ad Czarem mittitur. VII, 6.

Borussia ibi Conventus Ordinum instituitur. I, 22. Hujus nomine investituram conseqvitur Elector. 25. Illius portus affectat Svecus. V, 2. Elector his conanibus obsistit. 3. 4. 6. Qvæ sit hujus ratio? 6. 38. Hujus securitati prospicit Elector. 9. In eam prætendunt jus Austrii & Imperium. 14. De hujus defensione agit Elector. 57. 58. 59. 60. Ejus summum imperium â Polono ei offertur. 61. Hanc Sveciæ feudum esse, prætendunt Sveci. 68. Et Elector cedens Tempori eam jure feudi â Svecis accipit pactis feudalibus initis. 71. 72. 73. Ex mente Svecorum Poloniæ appendix est atqve cum illa sibi vindicanda. VI, 10. Pacta feudalia respectu Borussiæ denuo magis illu-

stran-

ftrantur. 29. Succeffio ibi qvomodo fieri debeat. ibid. Pactis Labiavienſibus Electori *Souverainitas* in hanc conceditur reſciſſis pactis feudalibus Regiomontanis & Mariæburgicis. 45. 46. Miſere eſt vaſtata. 50. Regiæ cum Ducali permutationem Svecus offert. 66. De ſupremo hujus imperio â Polonis per Pacem obtinendo agitat Elector. 71. 73. Qvod & obtinet. 77. vid. *Pactum Welavienſe*. Boruſſia Ducalis â Rege Poloniæ jurejurando exſolvitur. VII,50. Illius Ordines ſuper hâc re ſcrupulos movent, qvi tamen ſopiuntur. ibid. Acta ibi bellica Svecos inter & Polonos. 74. Svecorum res ibi in deterius ruunt. VIII,36. Ordines ejus excluduntur à Tractatibus. 45. Imperium Electori addictum, â Polonis retractari videtur. IX,7. Ex illa multi Pecuniam Poloniæ Reginæ promiſiſſe feruntur, ſi Electoris imperio liberari poſſent. 19. 52. In eâ multæ difficultates gliſcunt Electori. 37. 38. 39. Qvæ paulatim reſtingvuntur. 40. Homagium præſtat Elect. Brand. 55. Hanc non obſtante ſupremo Elect. Brand. dominio qverelas ſuas Warſaviam deferre poſſe putant Poloni. 86. Se excuſat apud Electorem propter factionem Kaloſteinianam. XI, 103. Mortuo Michaele Poloniæ Rege campanis non dat ſignum luctus. XII,67. Ad illius Ordines *à Lillihækio* inſidioſæ ſcribuntur literæ. XIII, 60. In hanc irrumpunt Sveci. XVII,1. 3. 5. 6. Non habetur ſeparata penitus à Polonia ob ceſſum ſummum Imperium, ſed perpetuo fœdere ei innexa. XVIII, 30.

Boruſſiæ Portus. vid. *Portus Boruſſiæ*.

Brabeus (Nicolaus) Svec. Leg. gravem offenſam contrahit, dum navem regiam in Thameſi prætervectus ſolennia ſalutationis omittit. IX, 28. Qvod factum paſſim improbatur. ibid.

Brandenburgica Domus Jus in Juliacenſes ditiones. IV,2. Ejus incrementa Auſtriacis ſuſpecta. IV,10. Intereſſe reſpectu Sveciæ. V,12. VI,74. Reſpectu Poloniæ, V, 12. 13. 14. Jus in Lithuaniam. V,17. 43.

Brandenburgici Conſiliarii ſuper conjunctione armorum cum Svecicis valde ſententiis diſcrepant. VI,15. 16. 17. 18. 19. 20.

Brandenburgici Milites à Rege Poloniæ inſigni teſtimonio fortitudinis remittuntur. XVIII, 137. Ob virtutem in Budæ obſidione monſtratam Viennæ non modicis laudibus feruntur. XIX,26.

Brandenburgici Miniſtri ex parte mutantur. I,35.

Brandii fratres Dano demonſtrant Griffenfeldii artes contra Electorem. XVIII,9.

Brandius (Chriſtophorus) â Mazarino ad Electorem & ab hoc ad illum iterum remittitur. VII, 53. 54. Publicam perſonam Lutetiæ ſuſcipit. ibid. Super expeditione Electoris in Svecos cum Gallis communicat. 67. In Angliam ablegatur. X, 2. Belgis & Anglis qvæ habet in mandatis imprimis de Huſiſeriano debito proponit, 3. 5. 6. 7. Denuo in Angliam abit. 20. 21. 22. Ut & Bredam. 23. 24. In Sveciam. XI,32. 33. 34. Ad Cæſarem. 84. E Svedia diſcedit. XII,61. Hafniam mittitur. XIV,34. Qvare inde iterum fuerit revocatus? XVIII,9. Iterum in Sveciam mittitur. 75. 76. 77. Ejus relatio de Sveciâ. 90.

Brandius (Euſebius) Brand. in Pol. Leg. Chriſtian. Ludov. Kalcſteinium perjurum & perduellem in aula Polon. Electori admodum gravem, cum non dederetur, per inſidias Warſaviæ captum in Boruſſiam duci curat. XI,103. Unde verſatur in periculo ne injiciatur ipſe in vincula frementibus Polonis. ibid. ac Warſaviâ nemine ſentiente diſcedit. ibid. poſtulatur per literas, dedendus. 104. Sed defenditur ab Electore. ibid. & regi reconciliatur. 108.

Brandius (Fridericus) armaturam navium Electoris excuſat. XVIII,11.

Braunsberga munitiones dirui debent. V,73. Eam ut ſibi permutatione acqvirat Elector Pontificis Conſenſu opus eſſe Poloni ajunt. VI,75. Hanc ſibi dari poſtulat Elector. IX, 7. 19. Pignoris loco eam idem retinet. ibid.

Breda, ibi de pace inter Anglos & Belgas tractatur. X,22. Acta ibi. 23. 24.

Bredenbenda Leopoldo Archiduci proditur. IV,13.

Brema, cum Svecis in turbas incidit. V, 1. 3. Ut componantur Elector dat Cæſare petente operam. ibid. 5. 33. Inter hanc & Svecos novæ oriuntur turbæ. IX,82. Qvæ ſtudio Electoris cum temperamento componuntur. IX,82. Qvadruplex Fœdus, Hagæ initum, has turbas tantum ſpatio velut dato nondum plenè compoſitas reſpicit. X, 27. Ibi legati Electoris de conſervanda inter Fœderatos concordia ſedulo laborant. XIII, 51. A vinculo, qvo Svecis obſtringitur, prorſus liberari ſtudet. XIII, §. 53. *Seqq*. De componendo bello Bremenſi ibi agitur, & qvomodo ſingulis Fœderatorum ſatisfieri qveat. XIV,14. 15. Sed tempus per ludibria trahitur. 30. Conventus ibi diſſolvitur. XV,5. & Pactum temporarium conficitur. ibid. Illius Conſervatio juxta Lubecam & Hamburg. Electori ex fœdere cum Luneburgicis 1684. inito curæ eſſe debet. XVIII, 97. 135. 136.

Bremenſis provincia â multis Fœderatorum deſideratur. XIII, 48. Monaſterienſis cum Electore in illam irrumpit. 49. De ea partienda habetur Conventus. 51. Arauſionenſis deſuper ſententia. XIV, 26. Incaſſum de eâ partitione diſceptatur. 27. Monaſterienſis eâ de re ad Electorem miſſio. 28. Nihil agitur. 30. Cæſar hujus negotii ergo Landſeum & Windiſchgræcium mittit. 33. Danus cum Cellenſi non poteſt convenire ſuper eâ diviſione. 34. 36. Ut penes Brunſvicenſes maneat, clam laborat Cellenſis Dux. XV,2. Acta ſuper hac cum Robenacjo. XVII, 40. ſq.

Breſqveſanda Dynaſtia Neoburgico relinqvitur. IX,75.

Bre-

Breza nomine Poloni auxilia ab Electore petit. XVIII,137. Ejus sententia de persecutione Reformatorum in Hungariâ. ibid.

Briegensis, cum aliis, Ducatus loco, *Swibussiensem districtum* accipit Elector. XIX,25.

Brisacum, ibi Tribunal instituit Gallus reunionibus colorandis. XVIII, 14. 15. conf. *Tribunal.*

Bromberga ratihabitio Pactorum Welaviensium fit. VI, 80. Inter Polonum, Electorem & Hatzfeldium Cæsareum Ducem super rebus in futurum gerendis, convenitur. VII, 10.

Brunsvicenses & Luneburgici Duces qvid bello lucrati fuerint? III, 10. Protestationem interponunt adversus translationem Præsulatus Magdeburgensis & Halberstadiensis. 12. Prætendunt jus in Reinsteinensem Comitatum. ibid. Item in Mindam. 13. VII, 64. Rogantur monenturqve ne auxilium ferant Svecis. VIII,27. Neutri partium se studere velle pollicentur. 27. Cum Electore & Monasteriensi paciscuntur. XIV, 32. Cum iis acta super bello contra Gallos continuando. XVI, 52. 53. 54. 55. sq. Legatos suos Electoralibus exæqvari cupiunt. 52. qua de re ultro citroqve disceptatur. ibid. 54. 55.

Brunsvicensis & Luneburg. Domus statuto utitur, ut si inter aliqvos ex eadem dissidium oriatur, ceteri se interponant. IX,80. Circa componenda in domo Luneburgica dissidia Elector satagit missis legatis. IX,79. 80. Dissidium transactione componitur. 80. v. *Georgius Wilhelmus.* Luneburgica Domus nonum Electoratum parturit judicio Monasteriensis Præsulis. XV,56. Adversus Pacem Cæsareo-Gallicam protestantur. XVII, 27. *v. Luneburgici.*

Brunsviga Conventus Inferioris Saxoniæ instituitur. XV,3. Qvid ibi decisum? ibid.

Bruxellensis Curia à Gallo cogitur sententiam contra Arausionensem dicere. XIX,98.

Bruxellis ab Hispanis bellum indicitur Svecis. XIII,10.

Bukingamiæ Dux supplicia in Pontificios exasperanda svadet. XVII,44.

Budæ obsidium prius cur irritum? XIX,2. Obsidium posterius, qvo urbs per vim capta. 26.

Bulla Aurea v. lit. A.

Bullionius Dux prætendit in Ducatum Juliacensem. IV, 1. 6.

Burgomagnus, inter hunc & Balbasium ministros Hispanicos dispar ingenium. XVI, 9. Electorem veneratur. XVIII, 83. XIX,50. & ad Cæsaris partes contra Gallum trahere studet. ibid. Ejus sententia de pace cum Gallo ineunda. 111.

Burgum Brandenburgicis & Monasteriensibus à Svecis traditur. XIII,49. Relinqvitur Electori. XIX,53.

Burgundiæ Comitatus. Circa eum turbæ gliscunt & circa Belgium Hispanicum. X, 28. Totus intra XI. dies â Gallo subigitur. X, 52.

Burgundicus Circulus, de hujus gvarantia in induciis vicennalibus agitur. XVIII,130.

Buschius ad Osnabrugensem Præsulem mittitur. XVII,41. Ut & Monasteriensem ac Hassiæ Landgravium. XVIII,41. 42.

Butoviæ & Lauenburgi titulus denegatur Electori â Polono. X, 64. 89. Investituræ causa Elector Legatum mittit Warsaviam. XI,100. Renovationem ejus urget à Joanne Poloniæ Rege. XII, 80.

Bydgostiana Pacta a Loco confirmationis ita, *Welaviensia* eadem a Loco ubi conclusa dicuntur. VI,77. Illorum instrumentum. 78. de quo bello ratione auxilii intelligenda sint? XVIII,137.

Bytoviensis Præfectura Electori conceditur. VI, 80.

C.

CAbussieres qvi sint? XVIII,32.

Cæsar Marchiam armis inundat, I,2. Causam demolitionis Werbensis castelli scire desiderat. 10. Coram eo super Marchiæ miseriis inanes sunt querelæ. 17. Electori rerum potito haud fidit. 18. Propter interceptas literas valde commovetur. 18. Investituram concedit Electori. 25. Pro Schvvarzenbergio juniore intercedit. 30. Huic Elector acta sua approbare studet. 50. Ejus Declaratio circa Gallasii Qvæstoris importunitatem. 53. Electorem nimium invalescere haud vult. ibid. Decretum circa qverelas super religione promulgat. II, 15. De Comitiis indicendis laborat. 28. Ejus circa Pomeraniam cedendam varia sententia. 38. sq. 60. An ei competat jus ditiones adimendi dandiqve differit Oxenstierna & multa in eam rem super cedenda Pomerania disputatur. 63. Hammum Electori restituit. III, 22. Sveciæ Reginam ad Comitia invitat. 56. In Causa Electoris frigidè rem gerit. 60. Qvare Sveciæ reginam ad Comitia invitaverit? 61. Filium Regem Romanorum creari cupit. ibid. Magis in Electorem inclinare incipit. 62. Pragam Electorem humanissimis verbis ad se vocat. 65. venientem haud secus excipit, qvi ritus describ. ibid. Juliaci titulum dat Carolo Gustavo. IV,4. Vim armorum inter Electorem & Neoburgicum inhibet. 27. & pacem svadet. 28. 29. 30. de Filio Ferdinando eligendo in Romanorum regem agitat. 38. 39. 42. & ideò satisfactionem postulatis Electoris impertiendam differt. 42. de novo tamen iterum qvædam pollicetur. ibid. post electionem tergiversatur. 44. benevolum se ei tamen contra conatus Neoburgici, Cliviæ ordines aliosqve præbet. 45. apud eum pro Evangelicis Cæsareæ ditionis frustra interceditur. 46. Polonos Gallo literis commendat. V,26. ad eum mittitur legatus. 28. Cæsaris declaratio langvet. 29. seqvestrem se offert Paci inter Svecos & Polonos conciliandæ. 29. Starenbergium ad Electorem mittit. 30. ad ejus petita

petita ratione Polonorum cunctatur. 32. 33. 34. 35. Ei de Conjunctione cum Svecis significat Elector. VI, 33. Adversa valetudine laborat. 35. Bello Polonico implicari non vult, qvicqvid offerant Poloni. VI, 40. Cur arma paret? ibid. Fœdus cum Polonis init. 63. 64. & Electorem qvoqve Svecorum partibus abstrahere nititur. ibid. *Leopoldus*, circa ejus Electionem acta, & undiqve disceptata. VII, 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. Viennam mittitur Fridericus Jena. 63. cujus ibi acta. 64. Rhenano fœderi enervando incumbit. 65. Gallis, Anglis, Belgis & Danis suspectus. VIII, 1. De invadenda Pomerania proponit. 16. 22. 23. 24. Invito Electore expeditionem hanc suscipit. 25. 28. Saxoni rescribit de qverela Regiminis Pomeranici. 27. Damnum expugnat. 28. Brandenburgico Legato respondet. 32. A Belgis Tractatibus excluditur. 43. Literas Hispanici Oratoris super Pace Borealium Regnorum communicat Electori. 63. Gonzagam tractatuum gratiâ ad Electorem ablegat. 64. Svecis simultaneam Investituram de Orientali Pomeraniâ & Cammino denegat. IX, 31. Communicatur ipsi Exemplar Fœderis Gallici ab Electore. 64. Transactionem inter Electorem, Neoburgicum & Bipontinum confirmat. 76. Electori Brandenb. supremum Imperatoris munus in bello Turcico offert. 77. Ibi rem bene gerunt copiæ ab Electore missæ. 78. Diploma conservatorium Bremæ urbis gratiâ mittit Electori & eidem ut super ista controversia cognoscat, defert. 82. Congressus super Pace inter Gallum & Hispanos ipsi est ingratus. X, 46. Vivo Poloniæ Rege de successore loqvi non cupit, qvamqvam Lotharingum revera respicit. 58. 59. Abdicationem Joannis Casimiri impedire studet. 70. 71. In Comitiis Polonicis cum ad Electionem ventum Legati ejus Neoburgici causam plane non agunt. 84. Per Comitem de Windischgrætz Gallum atqve Lotharingum reconciliare studet, sed frustra. XI, 12. penes ejus aulam est culpa fœderis Gallo-Svecici. 35. Ab Electore in societatem expeditionis invitatur. 49. 50. Fœdus cum Electore facit. 51. Secretum fœdus cum Gallo. 51. Fœdus ejus cum Electore ad defensionem imperii spectat. 71. Electorem in bello retinere studet. 85. Absqve Fœderatis, Belgis imprimis tractare non vult. 97. de Pace Vossemensi ei significatur. 98. Acta Galli ipsi fiunt suspecta. XII, 4. 5. Abductio Furstenbergii ab eo defenditur. 9. Pacem cum Monasteriensi facit. 10. Trevirensi cum exercitu auxilio venit. 12. Electoris societatem ambit, & de apparatu contra Gallos consultat. 29. Galli Electorem in diversa trahere conantur. 31. 32. Cum Electore super fœdere tractat. 33. Fœdus ejus cum Hispano, Brandenburgico & Belgis. 35. Electori supremum belli moderamen committit. 45. Inter hunc & Ordines ut perpetuum alatur dissidium Galli student. 61. Michaelem Poloniæ Regem cohibet ne pacem cum Turcis faciat. 69. Lotharingum Poloniæ Regem fieri optat. 77. Sobiescii electio eum turbat. 80. In Franconia hiberna capere studet. XIII, 2. Ejus auxilium contra Svecos exposcit Elector. XIII, 14. sed Aula cunctatur. 15. Electoris victoriam magni facit. 37. Svecos hostes imperii declarat. 39. Super Satisfactione petitâ, Electori scripto respondet. 40. 41. Dani cunctatio ei est molesta. 43. Qvid ipsius Legato â Czare fuerit responsum. 61. Ex Jesuitarum & sacerdotum consiliis de Religionis Reformatione in Hungaria nil præter invidiam, damna & pericula sentit. XIV, 10. Super pacto mutuæ successionis cum Domo Brandenburgica tentatum respondet. 19. Post obitum Augustæ Tres ipsi offeruntur Principes virgines. 22. Circa id connubium ambitus. 23. Circa componendum Bremense Negotium Legatos Bremam mittit. 33. Pacem â Sveco oblatam recusat. 46. Elector ad eum mittit, & de satisfactione ejus ibi acta. 51. 53. 54. Ejus legatis in ceremoniis an qvædam prærogativa præ Electoribus debeatur. 57. Propter Lillichœckii invectivam in Electorem ad Polonum scribit. XV, 29. Electori confirmat Pactum hæreditarium circa Juliacenses ditiones. XVI, 96. An per Legationem, Electorum, Principum & Statuum Imperii interesse agere possit, si non sit reqvisitus & non communicatis sententiis; qvo nomine protestatio Neomagi interposita. XVII, 26. Ob Pacem Neomagensem dolore perfunditur. 35. Declaratio ipsius Electori data. 38. Dictum ipsius de indicendis supplicationibus pro pace Neomagensi. ibid. Electoris consilium super hac expetit. 39. Ratificatio ejus super Neomagensi pace. 49. Brandenburgicum ad Conventum ac novum fœdus invitat. XVIII, 5. 6. An teneatur ad præstandam Coronæ Gallicæ satisfactionem Monasterii disceptatur. 13. Dano fœdus offert. 24. Orientalis Frisiæ gratia ad Electorem scribit. 31. Singulari erga Gallum odio fervet. 59. Hispaniam maxime respicit. ibid. Electorem contra Gallum excitare studet. 61. De bello Turcico significat. 80. Animo est placido. 83. Qvare pacem cum Gallo detrectet? ibid. Declaratio ipsius Electori eâ de re data. 84. 85. Ut & super Prætensione Lignicensis Ducatus, Carnoviæ, ibid. Cum Polono fœdus conficit. 86. Viennâ desertâ Passaviam se confert terrore Tartarorum. 94. ipsius tractatio cum Electore de submittendis Turcicis auxiliis fit irrita. 96. Promissa sanctè servat. 105. Pacem aut inducias cum Turca inire vult. ibid. Ad Electorem Galli causa legatum mittit. 108. 110. Electorem hortatur ut Lutzenburgo urbi subsidio veniat. 132. Ad Inducias cum Gallo accedit. 133. Inter eum & Gallum instrumentum

tum de his conficitur. 134. Auxilium contra Turcas ab Electore qværit & obtinet. XIX,2. Inter utrosqve vicennale fœdus initur. 25. de Augustano Fœdere per Legatos proponit. 31. Hamburgicum negotium Electori committit. 37.41.42. Ejus sententia de componendis cum Dano turbis Hamburgensibus. 44. Item de mutandis cum Gallo induciis in pacem. 45. Inducias cum Gallo sancte servaturum se declarat. 49.50. Super munitione reunitorum à Gallo locorum Ratisbonæ qveritur. 57. Furstenbergium ne in Coadjutorem Coloniensem eligatur, prohibere connititur. 59.60. Gottorpiensis Ducis causam contra Danum urget. 63.64.65. Ac delegatos judices in ea causa decernit. 68. Mox ipse officium suum offert. 69.70. Conf. v. *Leopoldus*.

Cæsarea Aula. Hujus considerationes circa Juliacensem controversiam scripto proponit Ulmius Vicecancellarius. IV, 10. Juliacis provinciis Leopoldum Archiducem seqvestrem immittit. 12. qvi iterum expellitur. 14. ut cum Brandenburgico & Neoburgico Saxones qvoqve in possessionem admittantur laborat. 15. Neoburgico contra Electorem auxilia ferenda censet. 29. Moscum Polonis conciliare studet. V,14. Ejus facies. 35. VIII,67. XVIII,62. negotium pacis cum Gallo extrahit. XVIII,53. Super induciis propositis cum Gallo tractare recusat, & in bellum propendet. 103.104.111.112. & acta desuper per Ordinum Legatos. ibid. Ejus consilia moderatur Hispanicus Legatus. 83.112.114. Morte Palatini consternatur. XIX,13. Aurelianensis prætensionem in Palatinatum ad causam belli comparatam à Gallis judicat. 15. Meureri causam Hamburgi fovet. 21.22.23.24. Ejus mos est, demum ubi extrema eruperint, evigilare. XIV,10. Acta ibi super satisfactione Electoris ex bello Svecico. 13. Et id agebatur, ut negoti qvæ communia sunt, sui arbitrii faciat, saltem tentabatur, exemplo. XV,42. in composit. Neomagi parum favoris promittit Electori. XV,45. rebus paulo prosperius fluentibus qvid ei moris fuerit. XVI,8. Ob ejectas Belgio Jesuitas & Monachos indignationem concipit. XIX,55.

Cæsarei de induciis Electoris cum Svecis Ratisbonæ consentire nolunt. I,17. Banerii receptus eos facit animosiores. 20. Multum immanitatis in Electorem exercent. 26.52. De conventu Francofurtensi parum spei sibi pollicentur. II,5. Causam Palatinam ante pacis negotia expediri cupiunt. ibid. De conferenda pecunia Ordinibus proponunt. 11. Gallicorum Legatorum literis valde commoventur. 13. Prælio ad Lipsiam contusis Cæsaris viribus, tergiversatione abjecta tractatus pacis serio obeunt. 16. Electoralibus Legatis concessum ipsis honorem annuunt. 19. Primariis tantum Legatis Excellentiæ titulum concedere volunt non secundariis nisi eminentiori nobilitatis gradu fulgeant. 25. Omnibus Ordinibus Imperii jus suffragii concedere nolunt, ac Protestantibus clam obsistunt. 3.4.7.26. Eorum acta cum Brandenburgicis Osnabrugæ super Pomerania. 36. Item Monasterii. ibid. Primum nostros adversus Svecorum postulata obfirmant. Mox de Pomerania cedenda ingerunt. 49. Citeriorem Pomeraniam Svecis promittunt de qvo disputata cum nostris. 46. Imo totam Pomeraniam certis tamen conditionibus. 50.51. Ægre ferunt, qvod Brandenburgici Ordinum interventionem qværant. 54. Cessionem Pomeraniæ pro dimidia parte urgent. 58. Citericrem denuo Svecis offerunt. 62. Svecis dicuntur promisisse se negotium Pomeranicum suo periculo decisuros, nec necessarium esse Svecos cum Electore agere. 63. duplicem viam de concedenda Sveco Pomerania proponunt. 64.68. Ultimo Electoris mentem re jam confecta urgent. III,2. Osnabrugam se conferunt. 3. Disceptationes eorum cum Svecis super Pomerania. 8. Negotium tandem componere juvant. 9. Permutationem Pomeraniæ cum Præsulatibus non processuram censent. 30. Super restituenda Pomeraniæ parte laborant. 36. Electorem ut circumspecte agat monent. In Electorem magis inclinare incipiunt ac in partem vectigalium ut admittatur, laborant. 62. Eorum acta in Tractatione Essenensi. IV,35. Monita circa Capitulationem Cæsaream. 40. Clade Polonorum ad Warsaviam valde consternantur. VI,40. Dano arctum fœdus offerunt. 61. Gottorpiensem arcem sibi tradi urgent. VII,69. Invito Electore in Pomeraniam expeditionem aggrediuntur. VIII,24. De pace Polonica sua proponunt: 57. Abdicationem Joannis Casimiri impedire studens. X,71. Legati cum nostris colliduntur. 85. In Gallos rem gerere nolunt. XI,83. Cur Rhenum non transierint. 87. Fœderatorm cum Gallo prælium otiose spectant. XII,46. Electoris consilia aspernantur. 47. XII. Vexilla ipsis à Gallo eripiuntur. 49. Qvare Electori minus faverint, qvam Monasteriensi. 52. Svecos Germania exturbari cupiunt. 64. Cunctantius tamen in Svecos commoventur. XIII,11.13.14. Gallos duce Montecuculo trans Rhenum pellunt. 38. Cur non majores progressus fecerint. ibid. Bremense negotium amplecti velle videntur, ubi de satisfactione agitur. 14.15.16.17.18. Fœdus Dani cum Electore ipsis non arridet. 40. Hospitia inæqvaliter Militibus assignant. XV,2. Circa satisfactionem super Pomerania nil certi promittunt. 4. In Bremensi conventu postulant ut fœderati ad Alsatiam & Lotharingiam recuperandam se obstringant. 5. Et conventionem adornant, qva Bremæ libertati caveatur. ibid. Hungarorum motus etiam moniti negligunt, nec causas subtrahunt. 9. Propositiones eorum in negotio Neomagensi. 43. in Pomeraniæ partem ve-

nire

nire volunt, ac eo nomine Electori sunt molesti. 45.47. Super modo tractandi cum nostris disceptant. 47. nec non de Responso ad Hostium propositiones. 50. Responsum ad Galli & Sveci propositiones. 52.53. Scriptis Belgarum festinationem in opere pacis cum Gallo sistere laborant. XVI,30. in subscriptione pacis Gallorum cum Hispanis, qvæ sibi reservaverint? 73. Cum illis disceptata Viennæ ad Pomeraniam retinendam. 80.81.83.84. De peculiari cum Gallis ac Svecis pace ineunda erga Electorem se excusant.86. Super induciis Neomag. disputant. 89. Inter hos & Gallos de pace agitur. 90.91.92. Contra eorum formulam pacis intercedit Elector. 94. ut & Sveci.95. In præjudicium Imperii ac fœderatorum Borealium pacem separatam præcipitant.XVII, 10. Erga Electorem & Danos se excusant propterea & officia offerunt. 11.12. Adhuc de pace dubitare videntur. 13.14. Qvibus conditionibus acta suorum Legatorum Viennæ probent. ibid. Qvare pacem tam anxie affectent? 15. Super artic. 26. pac. Cæs. Gall. cum Gallis disceptant. 16. Ad eorum declarationem notæ à Gallis formantur. 17.18.25. Danicorum & Brandenburgicorum scriptum super non communicato articulo 26. ægre ferunt. 19. de pace etiam rogati dissimulant. 21. paci cum Gallis subscribunt. 23.24. Pacem cum Svecis ineunt. 28. Eorum declaratio ad hanc pacem. 29. Ipsi pacem Gall. Viennæ detestantur, & hujus causam in fœderatos aliosqve conjiciunt, nec minus tamen pax rata habetur. 33.35.36. Sentiunt statim fructus infaustæ pacis, dum Gallus X. Alsatiæ oppida in verba sua adigit. 39. Asserta Gallorum de actis & sententia actorum in pace Neomagensi, falsi arguunt. XVIII,19. In conventu Francofurtensi Commissarii Cæsarei iterum soli cum Gallis tractare velle videntur, Ordinum Legatis spectatorum loco habitis. 33. Danum & Brandenb. à Gallico fœdere dehortantur. 43. Super sententia Magdeburgica cum iis disputata. 53.54.55.56.57. Super fœdere Laxenburgico cum iis per varios Legatos disceptata. 59.61.62.63 64. Deductionem Francofurti contra Gallos exhibent. XVIII,68. Ac Galli scriptum opponunt. 69. Ratisbonæ de studio in pacem testantur, sed qvorsum inclinent serio. 88. longius à pacis cogitationibus discedunt. 89. super induciis cum Gallo ab iis proposita. 103.105. in qvas non inclinant. 111. sq. XIX,48.

Cæsarei Delegati Gallorum propositioni Francofurti respondent. XVIII,47. Latinam Lingvam exposcunt. 48. Leges imperio præscribunt. ibid. Tempus extrahere student. 51. Alia eorum acta vid. sub tit. *Reuniones.*

Cæsarei exercitus cura male solet administrari. XIX, 1.

Cæsarei Legati missis ad Cæsarem literis, Neomagensis pacis festinationem excusant. XVII,33. In eos culpa omnis rejicitur. 35.

Calcaria ab Hassis opprimitur. I,47. eam sibi servari petit Landgravia Hass. 48. Electori redditur. 49.

Calistensis Palatinatus Electori ceditur, VI,28. conf. *Pacta Labiaviensia.* 46.

Cameracum expugnatur. XV,19.

Cammer-Aemter, qvid pactis Labiav. de iis cautum? VI,45.

Camminensis Episcopatus Electori conceditur. III,16. Ejus Canonicatus ærario suo applicari petit Elector. XIII,40.

Camminum retinere vult Croyæ Dux. III,14.

Camprichtius Cæs. Min. de Jacobo Eborac. qvæ ominatus sit? XIX,3. De ejectis è Belgio Jesuitis & Monachis qveritur. 55.

Camus Gratianopolitanus Episcopus Cardinalis creatur. XIX,16. Ejus viri studia. ibid.

Cancellaria Imperii & Austriaca, qvomodo differant? XI,51.

Candia, eò auxilia mittit Gallus. XI,1.

Candidati Coronæ Polonicæ qvales esse debeant? X,58.& 74. Qvi & qvales fuerint interregno post Jo. Casim. abdicationem. 74. judicium de singulis, ibid. & 75.76.77.78. Ut multi eorum se offerant Polonorum interest, ac lucri refert. 75. Eorum artes. 82. Per Legatos qvisqve suos solennibus verbis Poloniæ Ordinibus commendatur. 87. Post mortem Michaelis interregno serius se sistunt, qvod ægre ferunt Poloni. XII,70. Qvi tum jactati fuerint in Candidatorum numero. ibid. Sobiescii artes. ibid. & §. 72.74. Candidatorum ambitus. 73. prope confusam interregni faciem efficiunt. 78. Omnes exteri Candidati electo Sobiescio tunc pariter operam ludunt. 80.

Cannebergius ad Warsaviam vulneratur. VI, 39.

Canicius Francofurtum mittitur. XVIII,65.67. Item Cellas Hamburgensium turbarum gratia. XIX,22.24.

Canonicatus extingvere per Instrumentum pacis non licet. XVIII,8. Reditus Magdeburgi Halberstadi Mindæ & Camini Canonicatuum ærario suo applicari petit à Cæsare Elector. XIII,40.

Cansteinius Francofurtum mittitur. VII,26.27. 29.32.35.37.38.39.

Capitulatio Cæsarea, circa eam in electione Ferdinandi IV. monita. IV,40.41. eam soli Electores conficiunt, nullis ordinum monitis attentis. ibid. Multa circa eam per Legatos Electoris monita dissensu majoris partis rejiciuntur. 40.42. Circa admittendos ad Capitulationes Ordines denuo disputata in electione Leopoldi. VII,22.26. Alia qvoqve monita & nova capita inserenda. ibid. & 32.33.36.37.40.41. Ea formatur. 40. Circa ejus articul. XIV. agitata. ib. & 40.41. qvi tandem perficitur. ibid. de Clausula Commissoria Capitulationi adjicienda considerationes. VII,26. Circa aperta feuda ejus dispositio an spectet ad terras per arma qvæsitas. XIV,14. de Feudis qvid disponat. XVIII,8.

Caprara, qvid de prælio inter Fœderatos & Gallos propè Argentoratum dixerit? XII, 46.

Caraffa è Protestantium in Hungaria proscriptorum bonis Legiones se suppleturum promittit. XIX,55.

Carnoviensis Ducatus ut restituatur, frustra laborat Elector. III,18. IV,44. Ejus actione cedere vult, si Regensteinensis Comitatus sibi à Cæsare tradatur. VII,63.64. sed restitutionem impediunt Sacerdotes. ibid. Hunc Cæsari vult cedere Elector. XIII,40. Ejus gratia ad Cæsarem mittit Legatum. XIX, 1. Et satisfactionem ejus nomine petit. 2. Ac illius loco Svvibussiensem tractum accipit. 25.

Carolus Æmilius, Friderici Wilh. M. F. Princeps Electoralis: M. de ejus obitu Wrangelio significatur. XII,65. v. XIX,103. inter Polonici regni Candidatos jactatur. 68.70. religio obsistit. 73.74.78. Coronam non ambit nec affectat propterea pro eo Elector. 75.76. cum Sobiescio desuper sermones collati. 79.

Caroloregium occupant Galli. X,28. Obsidio ejus ab Arausionense cur sublata? XV,19.

Carolus Gustavus Palatinus in ejus gratiam Sveci instant, ut Bipontina domus inter partes litigantes super Juliacensi causa exprimatur. XII, 23. Considerationes desuper ortæ. ibid. Ad eum supremum militiæ Svecicæ Ducem super traditione Pomeraniæ, Halberstadii, & Mindæ mittit El. de qvibus respondet. 32. Ei pacis Executio commissa, unde apud eum agit Elector. 33. 34. sq. 38. 39. cum Electore colloqvium declinat. 47. Ad regnum provectus Poloniam invadere decernit. V,1. Qvibus causis svasoriis inductus. ibid. & V,9. Slippenbachium ad Electorem mittit. 2. Qvi de Bremensibus turbis exponit. 3. & alia secretiora. 4. Electori verbis cavet super destinatis in Polonia. 36. 37. Non potest adduci, ut animum pacis cupidum liqvido testetur. 39.40. Poloniam invadit. 40. Legatos Stetinum mittit cum Electore pacturos. 42. sq. Wolgast. appellit. 47. Fœdus Belgicum ferre haut vult. ibid. & 48. Subacta Gracovia Borussiam versus descendit. 63. ibi hostilia orditur. 64. 65. 66. ubi & acta desuper utrinqve. Omnem culpam in Electorem rejicit. 67. Cum Electore transigit. 70.71.72.73. Pacta Feudalia init. 72. it. Circa Warmiensem Præsulatum. 73. Qvævis Poloniæ jura sibi vindicat. VI,8. A Mosco offenditur. 22. Ab Electore desiderat ut vel arma secum jungat, vel in Poloni partes concedat, ac de bello Polonico qvasi denuo inchoando proponit. 23. unde fœdus Mariæburgicum coit. VI,26. Pacem cum Mosco colere cupit. 31. Prælium contra Polonos auxilio Electoris felicissimi committit. 36. 37. 38. Ejus sententia super abolendo pacto Regiomontano. 44. Pacta Labiaviensia cum Electore celebrat. 45.46. Pacem cum Polonis ab Electore propositam, recusat. 51.52.61. Brandenburgicum, Ragozium, & Cosacos ad dividendum Poloniæ Regnum frustra invitat. 62. Ab Electore singularibus argumentis ad pacem cum Polonis invitatur. 65. Sed hic eum in partibus retinere studet. 66.67. Literas ab Electore Polonis reconciliato, missas haud resignatas remittit. VII,1. Mox autem alias ad eum dat. 2.4. In qvibus omnem culpam in eum rejicit. ibid. Slippenbachium acturum de pace frustra Berolinum mittit. 5. Danum ad duram pacem compellit. 20. Danicas insulas media hieme invadit. 43. De amplectenda cum Polonis pace Electori rescribit. 44. Hujus Legatos admittere non vult, qvod ab Electore *communis hostis* vocabulo fit notatus. 57. Hinc scriptis utrinqve certatur. 58. 59. 60. Iterum in Daniam irrumpit. 62. De invadenda Marchia cogitat. VIII, 16. Moritur. 66. Ejus ingenium à Gallis describitur. VIII,40. Conf. v. *Suecus, Sveci*.

Carolus I. Angliæ R. qvo ingenio & regiminis instituto fuerit usus. XIX,84.

Carolus II. M. Britanniæ Rex Legatos in Daniam mittit componendo Boreali bello. VIII, 8. In exilio agens, multa beneficia ab Electore accipit. IX,24. De connubio deliberat. 25. Lites inter Electorem & Neoburgicum componi svadet. 24. Fœdus cum Electore facit. 26.27. Brahæi factum indigne fert. 28. Dunqvercam Gallo vendit. ibid. Husiseriani debiti gratia Electori operam suam promittit. X, 3. Hunc in belli societatem pertrahere conatur. 5. Ejusdem cum Belgis Fœdus ægre fert, cui respondetur. 15. 18. 19. In Arausionensem viduam multum stomachatur. 19. Londini coortum incendium eum vehementer afficit. 20. De pace cum Belgis agitat. 22. Cum Belgis & Svecis conventionem init. 47. Electorem ad Triplex fœdus invitat. XI,3. Cum sorore Henrietta congreditur Douveræ, qvæ eum prorsus in partes Gallorum flectit. 10. de isto congressu ferebantur digna æterna oblivione. ibid. Pellicem è Gallia adductam asciscit irretiendo animo maxime idoneam. ibid. Sensim à triplici fœdere recedere se factis ostendit, etsi verbis neget, fœdere cum Gallo inito. 10. 12. 16. Electorem ad societatem cum Gallo invitat. 30. Cæsari & Imperio offert se cauturum, Gallum nil contra Imperium agitare. 51. à Galli societate etsi contra rationes proprii regni ac Europæ suscepta, abstrahi neqvit. 74.75. Electori literas mittit. 76. Vossemensem pacem firmat. 95. Inter hunc & Gallum diffidentiæ sat causæ oritur. 96. Urgente Parlamento cum Belgis subito pax coalescit, qvæ haut probatur Gallis. XII,10. Responsum Sverino datum. XII,36. Invasionem Electoris terrarum à Sveco factam, sibi displicere scribit. 64. Ejus victoriam laudibus extollit. XIII,37. Judicium de Svecorum clade. ibid. De Cæsareorum victoria contra Gallos. 38. Seqvestrem ad Pacis negotium

se

se offert. 62. Acta illius in eo. 63.64.65.66. 67.68.69.70. Inhibitionem navigationis in Pomeraniam & Sveciam renuit. XIV, 44. Jenkinum Neomagum mittit. 66. Propter prohibitam in Pomeraniam navigationem qveritur apud Electorem. XV,16. Propositiones Neomagenses ei offeruntur. 43.44. In hujus manu situm erat Europæ pacem dare. 60. Communes Europæ & peculiares regni sui rationes insuper habet. XVI, 1. Qvali fuerit ingenio? ibid. & XVI,9. Fœdus cum Belgis init, super Legibus pacis inter Gallum & Hispanum. XVI, 2. Gallum ad has conditiones permovere studet. 3. Inter hunc & Gallum spes de bello exspirat. 9. Inter eum & Hispanos difficultates. 10. Serio bellum in Gallos se agitare simulat, qva de re considerationes Parlamentum movet. 10. Gallorum progressibus in Belgio Hisp. parum movetur. 11. Invitus bellum contra Gallos minatur. 11. Parlamento illudit. 12. Gallo valde est obnoxius. XV,60. 61. cum Arausionensi circa pacem deliberationem instituit. ibid. Qvare tam strenue bellum apparet? 17. Inducias admittere recusat. 19. Belli & fœderis negotium contra Gallos lente nec serio tractat. 21.22.23. Causam omissi belli transfert in Belgas. 27. Responsio ejus circa pacem cum Gallo. 31. Denuo bellum contra hos movere videtur. 40. Qvod ipsi tamen cordi non est. 45. Dano & Electori parum favet. 48. Ejus officium à Gallo in pacis negotio rejicitur. 71. Cur bellum ipsius contra Gallum frustra fuerit? 72.78. Eo mediante Neomagi pax inter Cæsarem & Gallum conficitur. XVII, 24. Ut & Cæsarem & Svecum. 28. Soli Reginæ conjugalem fidem se dedisse declarat ad excludendum Monumethensem. 44. Ejus autoritatem Gallo niti Colbertus gloriatur. 61. Judicium de San-Germanica pace. 81. Electori fœdus offert. XVIII,3.4. Aliqvot naves bellicas contra eum mari immittit, qvi impetus statim sedatur. 11. Ipsius ignavia Europæ exitiosa. 22. Frustra Gallum de pace monet, ac aspero responso rejicitur. ibid. Associationis fœderi illigari non vult. 23. De receptis ab Electore profugis Armstrongio & Grajo qveritur. 117. Cavet, expugnato Lutzenburgo, nil à Gallo contra Belgium amplius motum iri. 128. Moritur. XIX,3. Qvali Regimine & Religione usus fuerit? 84.

Carolus IV. Lotharingiæ Dux à Gallo ditione sua ejicitur. XI,12. Moritur. XIII,38. Qvalis Princeps fuerit? ibid. conf. voc. *Lotharingus*.

Carolus V. Pomeraniæ Ducem proscribit. II,45. Ejus dictum de Wilhelmo, Juliaci Duce. IV, 10.

Carolus IX. Rex Sveciæ propter Religionem regno ferme ejicitur. II,52.

Carolus XI. Rex Svec. Ulrica Eleonora ei desponsatur. XIII,31. Gallicis subsidiis valedicit. XVIII,9. Nuptias cum Ulrica Eleonora celebrat. ibid. in bellum cum Electore & Imperio culpa suorum incidit. XIV,46. cum Belgis fœdus init ad Westphalicam pacem tuendam 23. Danum & Electorem à Gallico fœdere abstrahere studet. 43. Gallorum destinata fugit. 76. qvare? ibid. Electori enixe se cupere ostendit & priora detestatur. 77. Magnam vim pecuniæ & copias parat. 90. In Electoris amicitiam se maxime pronum ostendit. XIX,20. Fœdus cum eo pangit. 27.28. Ejus sententia de Hamburgensibus cum Dano turbis. 43.44. Gottorpino Duci favet. 62. Visus est dein frigidius rem gerere. 70.71. Mox tamen Ducem se non deserturum Dano indignanti prope demonstrari curat. 73.82. Huc vid. plura sub v. *Svecus*.

Carolus Hiacynthus Lotharingiæ Dux, in eum inclinat Cæsarea Aula ut ad regnum Polon. provehatur. X,58.59.65.66. qvibus elogiis eum Fautores in Polonia extulerint? X,78. Ei favet Augusta. 74.84. Spe excidit electo Michaele. 88. Eum Tractatibus Coloniensibus includere student Belgæ. XII, 8. Novo iterum interregno inter Candidatos Polonicæ Coronæ est. 68.70. Sed ut omnibus. ibid. sic huic qvoqve gravis est Sobiescius. 72.79. ab Hoverbeqvio jussu Electoris Polonis commendatur cum Neoburgico. 75.76.77. spe excidit. 78. qvo nomine Lotharingica factio protestationem deponit in judicium aulicum. XII,80. Bellum contra Gallos svadet. XVIII,60. in ejus dissidium cum Hermanno Badensi, multi confusionis, qvæ in militia & consiliis Cæsaris fuit ingruente Turcico bello, causam referunt. XVIII, 94. Obsidioni Budensi præest. XIX,26. conf. v. *Lotharingus*.

Carolus Ludovicus Palat. Elect. moritur. XIX,13.

Cassellis cum Landgravia super reddendis oppidis Clivicis transigitur. I,49.

Cassellani temperamentum circa religionem afferunt. II,69.

Castello-Rodericus Legatus Hispan. super cerimoniis offensam testatur. III,63. Ejus judicium de aulâ Cæsareâ. V,33. Aurspergio est invisus. 35. Electori Gallorum irruptionem significat ejusqve auxilium exposcit. X,30.

Casteram Spinola occupat. IV,20.

Castillonia Mecklenburgici uxor Luneburgicorum aulas pervagatur. XVI,86.

Castimonia generosæ specimen in Ulrica Eleonora Sveciæ Reg. XVIII,9.

Catharina Joannis IV. Regis Lusitani filia inter futuras Caroli II. sponsas à forma describitur. IX,25.

Catholici, eorum artes ad distrahendos Protestantium animos. II,26.28. v. *Pontificii*.

Cautio ab Electore exhibetur Polono. I,20.74. An potentior adversus debiliorem hâc opus habeat? XVII,79. Hanc super induciis reqvirit Gallus ab Imperio. XIX,47.

Cellensis Dux non nisi pecuniâ Belgis subvenire vult. XI, 71. Danum Bremensi partitione vult excludere. XIV,34.36. Hospitiorum nomine prope colliditur cum Electore.

ctore. XV, 2. Clandestina cum Hostibus consilia agitare putatur. ibid. Certis conditionibus Electori auxilia promittit. 8. Ad Electorem consilii capiendi causâ contra Gallum & Svecum Legatum mittit. XVI, 53. 55. cum eo & Luneburgicis acta super Gallorum atqve Svecorum armis. 87. Neomagensem transactionem erga Electorem excusat. XVII, 40. De Electoris Legionibus in Mecklenburgica ditione hospitantibus qveritur. 95. Pacis cum Gallo desiderium ostendit Electoris Legatis. XVIII, 112. Destinata Danorum super Dœmitza prævertit. 127. Hamburgensis urbis moderamen per Meurerum, in se trahit & istis turbis acta. XIX, 21. 22. 23. Consulis restitutionem urget. 24. Offensam erga urbem deponit, ac contra Danum auxilia promittit. 37. Delegatus judex à Cæsare Danum inter & Gottorpiensem eligitur cum aliis. 68. Super illius & Guelferbytani in ea causa officio disceptatur, à qvo tandem Dano refragante desistunt. 69.

Cerimoniæ in investiturâ Friderici Wilhelmi M, I, 25. In visitationibus Legatorum. IV, 36. 37. II, 17. 19. 20. 21. 24. 71. Hagæ in consessu Ordinum Generalium, cum Elector adesset. 72. Qvoad visitationem inter Regios & Electoris Legatos. III, 21. In Investiturâ Borussiæ. 27. In congressu Cæsaris & Electoris. 63. Moguntini, Lichtensteinii. ibid. Hispanici Legati qverelæ super his. ibid. In receptione in Unionem Electoralem qvæ? 64. Mensæ Cæsareæ adsistentium. IV, 37. Aliæqve. ibid. In Electione Ferdinandi Bohemiæ Regis. 43. Qvas Eulenburgius Baro in Moscoviam missus, observare debeat? VI, 31. 32. Francofurti in electione novi Cæsaris, qvæ observandæ legatis Brandenburgicis? VII, 29. Et Saxonicis? 33. Super his controversia oritur inter Hoverbeqvium & Polonos. VIII, 78. Qvales Legato Brandenburg decernantur? IX, 5. Qvales in Angliâ Legatis tribuantur? 23. In Investiturâ Sveci ac Brandenburgici Electoris super Pomeraniâ. 31. Disputatio super ceremoniis. 64. Qvæ Legatis Electoris sint observandæ? 92. Controversia de his in Daniâ oritur. XI, 40. 41. Qvæ Kroseggio in Svediâ observandæ? 79. In confirmatione Pactorum Polonos inter & Brandenburgicum, ceremoniæ omittuntur. 106. Qvæ Sverino sint observandæ? XII, 1. Qvæ in conventu Coloniensi? 3. Alia Ceremonialia. 71. Hispani circa ceremonias sunt difficiles. XIV, 43. Qvales Brandenburgicis in Neomagensi tractatu sint observandæ? XIV. 57. 58. Circa visitationem Legatorum? 66. 70. 72. In Renovatione Pactorum Polonum inter & Electorem? XV, 14. In continuatione tractatuum Neomagensium inter Anglos & Brandenburgicos? 31. 32. Alia adhuc circa ceremonias & titulos in visitationibus Legatorum. 33. 34. 35. XVI, 4. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. Circa sigilla. 93. In subscriptione Pacis Neomagensis qvæ observatæ? XVII, 23. Alia ibi. 52. 59. 60. Harum gratia litigia oriuntur inter Legatorum uxores. 82. Alia circa ceremonias in conventu Francofurtensi. XVIII, 33. 46. 51. Collisio Legati Gallici in Sveciâ super his. 76. De iis invicem qveruntur Saxo & Brandenburgicus. 78. Ut & Coloniensis. 80. Circa eas importunè & insulse tricatur Moscicus Legatus. XIX, 54.

Ceremoniale Pontificis Electores aliis Principibus digniores habet. II, 23.

Chaizius Jesuita Gallum monet, ne simul cum Turca imperium adoriatur odii communis vitandi causa. XVIII, 94.

Chivernius de Belgio Hispanico in Bavarum transferendo qveritur. XIX, 12. protestantibus male ominatur mortuo Carolo Pal. Electore. 13. Circumspectus vir ibid. ab eo acta. 39. 69. 73. 80. 83.

Chmielnicius Cosaccorum Dux Turcæ se subjicit. V, 42.

Cholmninscius Palatinus Electoris fidem in dubium vocat. XII, 81.

Christianis fidei confessio qvando non declinanda. II, 31.

Christianus Ernestus Marchio Bayruthensis copiarum ex Augustano fœdere contrahendarum cum aliis Dux constituitur. XIX, 31.

Christianus Ludovicus Dux Br. & Lun. absqve masculâ prole obit. IX, 79. v. *Luneburgicus*.

Christianus Ludovicus Dux Mecklenburgicus, ipsius uxor pararia est Neomagensis Pacis. XVII, 40. Pactum cum Gallo super Dœmitza init. XVIII, 127. In custodiam abducitur; Ejus uxoris destinata. ibid.

Christina Regina Sveciæ Leuchtmaro dat responsum. I, 16. Cur ad perlustrandas provincias ablegata fuerit. 40. Illius nuptiæ à multis ambiuntur. II, 35. Qvare Electori non multum fidat? ibid. Cælibem vitam exigere decrevit. 44. Qva causâ hoc sit factum? 49. 51. Carolum Gustavum in Principem hæreditarium assumit. ibid. De desponsatione cum Electore laborat ipsius Pater. 52. Pomeraniæ Ordinum remedium literis eludit. 65. 66. Acta ejus cum Electore circa Pomeraniam. III, 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. Qvare ad Imperii comitia fuerit invitata? 61. Literas qverelarum plenas ad Cæsarem dat. 62. Electori moram Pomeranici negotii imputat. 65. Qvare Regno se abdicaverit? V, 1. Illius Donationes revocantur. V, 9. De Religionis mutatione significat Gallo. 26. Illius impetus de invadenda Pomeraniâ. VIII, 21. In qvo tamen statim consilium mutat.

Christophorus Bernhardus Galenus Præsul Monasteriensis, qvali ingenio fuerit? X, 9. Anglis contra Belgas se addicit. 9. Fœdus contra eum initur. 14. à Belgis offenditur 15. 16. 17. Ut à Gallo distrahatur, laborat Elector. 39. In conventu Bileveldensi Præfecturam copiarum circularium deposcit. XI, 20. In Grœningano obsidio exiguum specimen Ecclesiæ, sacerdotalis professio-

nis

nis dedit. 57. Morosi ingenii homo. 93. Ægre fert, qvod inconsulto se transegerit Gallus cum Brandenburgico. 94. Pacem cum Cæsare facit. XII, 10. Conf. *Monasteriensis.*

Civitates Liberæ in conventu Francofurtensi à jure suffragii excluduntur. II,3.

Clausula Commissoria num Capitulationi addenda? VII,26.36.37.

Clivia ab Hassis valde incommodatur. I, 47. Belgarum opem implorat. IV, 31. Electori assignatur. IX,75. Illius urbes à Belgis detinentur. X,1.2.3. Earum ab Electore restitutio urgetur. 10. A Gallis devastatur. XI,53. Electori restitutum iri, Anglus promittit. 75. Ne Sveci in illius possessionem immittantur, sollicitus est Elector. 83. Ejus oppida à Gallo Electori redduntur. XII,32. Hanc servari multum interest. XVI, 28. Et ne Gallus illam eripiat. 32. Hanc se subacturos minantur Galli. 36. & atrociter in eâ grassantur. 92. De novo ejus partem invadunt, qvo Elector Pomeraniam restituat Svecis. XVII,54.61. Partem illius Elector frustra offert Svecis.74. Galli eâ iterum excedunt. 82.

Cliviæ Duces. Inter hos & Geldriæ Duces super parte ditionis limitanea vetus lis fuit. XVI,96.

Cliviæ Ordines Electorem calumniis onerant. II, 72. Pactum circa Hujus & Neoburgici successionem improbant. IV,22. Conatus eorum adversus Electorem sunt inanes. 45. Qverelæ à Belgis comprimuntur. V, 21.

Cliviis Tractatus cum Monasteriensi perficitur. X,17. Hæc urbs Anglis ominosa. 22.

Cobius crudelibus suppliciis Hungaros facit efferaciores. XV, 9.

Colberga Electori conceditur. III,16. Svecicum præsidium inde excedit. 57.

Colbertus. vid. *Croissius.*

Coldingensis arx à Polonis occupatur. VII,70.

Colignius Galliæ Regis offensam sentit. IX, 78.

Collonitschius qvalis fuerit? XV,9. Est causa Hungaricæ Rebellionis. ibid. Hungaricorum Magnatum pecunias Cæsari prodit. XVIII,96. Est hostis acerrimus Protestantium. XIX,55.

Colloqvium charitativum Thorunii cum Pontificiis instituitur, sed irrito conatu. II,31. In Anglia inter binos Theologos Reformatos & Catholicos in conclavi Jacobi. II. XIX, 48.

Colmannus, apud hunc conjurationis Literæ inveniuntur. XVI,78.

Colonia ad Spream natus Fridericus Wilhelmus M. XIX,102.

Coloniæ Congressus super Juliacensi negotio frustra instituitur. IV, 15. Electores Ecclesiastici ibi conveniunt. X,34. Qverelæ de hac urbe moventur. XI,16. Lis illius cum Coloniensi Archipræsule. 20. De pace ibi tractatur. XII, 1.3.4.5.6.7.8. Inter Cæsarem & Monasteriensem Pax constituitur. 10. Fœdus item conficitur inter Cæsarem, Hispanum, Brandenburgicum & Belgas. 35. Gallis permittit, ut necessaria sibi possint emere. XVII,46. Eam in suam ditionem redigere vult Coloniensis A Ep. XVIII,125. Turbis iterum cum Præsule implicatur. XIX, 5. Ei auxilium promittitur ab Electore. ibid.

Colonienses Canonici, Furstenbergio favent. XIX, 59.

Coloniensis Elector Juliacum in Seqvestris cujusdam manum tradi cupit. IV, 20. (*vid. Juliacensis Ducatus.*) Ejus sententia de novi Cæsaris Electione. VII, 22. Austriis circa electionem difficultates movet. 27.31.32.35. 39.40. Ejus Ablegati parum honorifice habentur à Gallo. X,55. Misso Furstenbergio instinctu Galli Electori de invadendo & dividendo Belgio proponit. XI, 5.6. Cur Galli partes amplectatur? 16. Electorem etiam in Galli societatem invitat. 17. Eum Gallo se innexuisse pala.. erumpit. 20.47. Est autor turbatæ Germaniæ. 59. Brandenburgicum coram Collegiis Electorum & Principum accusat ac Turbatorem Germaniæ vocat. 69. Ægre fert, qvod inconsulto se Gallus transegerit cum Brandenburgico. 94. Contra confirmationem pacti hereditarii super Juliacensibus ditionibus protestatur. XVI,96. Contra Art. 28. Pacis Cæsareo-Gallicæ protestationem interponit. XVII,27. In Lippstadium prætendit. 58. Ejus sententia de Gallorum reunionibus. XVIII, 38. Circa tractatus inter Imperium & Gallum cum Brandenburgico consilia confert. 113. 114. Fœdus cum Dano & Brandenburgico init. 115. Hujus ditioni exercitum immittere vult Gallus. 120. Danus huic multum fidit. 122. Ansam collisionis Luneburgicis præbet. 125. Belgis pacem svadet. 128. Pro Furstenbergio Coadjutore eligendo nititur. XIX,59.

Color sacrorum profanis sæpe rebus circumponitur. VI,10. qvod à se amoliri studet Cromvvellus differens. ibid. super bello Sveco-Polonico à Slippenbachio adhibitus. V, 2. Galli contra Hispanos ex jure devolutionis inter privatos recepto. X, 28. eorundem à gloriâ Regis, præscriptione in bonis coronæ non admittenda, defectu judicis superioris, amicitiæ Cæsareæ dignitate, qva excidere videatur, qvi viribus suis tantum non tribuat, ut jura sua tueri qveat &c. ad palliandas *reuniones.* XVIII,14. de capto Argentorato aliisqve media pace, & ubi jam Conventus de transactione denuo indictus. 21. 33.44.

Comitia: In Polonicis Comitiis variæ de tradendâ Elbingâ sententiæ. IX,17. Hæc abrumpunt qvarta vice Poloni & qvare? X, 60.70.

Commercia in Viadro Flumine sibi stipulatur Elector. III,1. Inter Hunc & Svecum conventio super his initur. 58. Ut horum Libertati prospiciatur, laborant Belgæ. VI,35. Qvid Pactis Labiavienfibus de iis cautum? 45. Ea libera esse debere urgent Dani. 53.57. 58. Qvid de his Polonos inter & Brandenburgicos statutum? vid. *Pactum Welaviense.*

Æ. Ut intercepta à Moscis restituantur, urget Elector. VII,6. Albis commercia oblato Danis hypothecæ loco Glückstadio Belgarum arbitrio obnoxia forent, cui rei cavet Elector. VIII,2. Circa Americana, Hispanis proposita ab Electore. XIV,43. De illis laboratur Neomagi. XV,46. Intercepta per Anglos Galliæ multum damni dant. XVI, 72. Hæc in se trahit Anglus. 78. in Guineam suscepta ab Electore, limis oculis à Belgis aspiciuntur, & acta apud eos desuper. XVIII, 32. Qvid induciarum Instrumento de illis cautum? 134.

Concommissarius qvali honore afficiendus? XIV, 57.

Condeus supremus Exercitus Dux designatur. X,29. Flandriam intra tres menses Gallo se subjecturum promittit. 55. Polonorum judicia de eo. 77. Gallorum pro eo studium & in commendando Neoburgico technæ. 78. 79. seq. 90. Monetam cudendam curat. 81. Mulierum in aula Polon. pro eligendo eo Rege studium. 82. Denuo pro eo studium sqq. XII,73. A Gallis Regno Siciliæ destinatur. XIV,10.

Confessio Augustana, ab ea num Reformati excludendi. II,29.30. Hujus exercitium salvum manet in Archiepiscopatu Magdeburgensi *III*,16. In Borussia ejus exercitium Elector ex pacto protegit. V,72. VI,28.

Conjuratio in Anglia detegitur. XVI,78.

Connubium. Connubia Friderici Wilh. M. *II*,72. XIX,103. Super connubio ejus cum Christina acta. *I*, 40.41. *II*, 20.35.48.49.52.64. Circa connubium Caroli *II.* Angliæ Regis conatus. X,25. Circa connubium secundum Jo. Casimiri acta. X,66. Mortuâ Felicit. Augusta, circa connubium novum Cæsaris. XIV,21.22. Circa connubium Sveciæ Regis cum Ulrica Eleonora. XIII,32. XVIII,9. Circa Ludovici Marchionis Brandenb. cum Radzivilia. 27.28.29. Arausionensis cum Maria Jacobi Eborac. Duc. fil. XV,61. Georgii Daniæ Principis, cum Anna Eborac. 93. De connubiis exterorum in Gallia & Polonia disputata. XVIII,27.28.

Consilia in dubiis rebus qvomodo capienda? XVIII, 55.

Consiliarius fidus qvomodo in dubiis rebus se gerere debeat. XVIII,53. qvæ ei noscenda XVIII,56. in capiendis consilijs qvid habendum præ oculis? 128.

Consultationes qvomodo instituendæ? II, 27. Super bello Gallo-Belgico & qvid agere per regulas prudentiæ & conscientiæ Electori conducat & eum oporteat. XI,25. Super conjunctione armorum cum Svecicis contra Pol. VI,15.16.17.18.19.20. vid. suis locis plura.

Controversia inter Lutheranos & Reformatos. II,30. Controversia Juliacensis. IV,1. sq.

Conventio super induciis. I,15.16.17. Temporaria de his. 43. Cum Svecis super Francofurt. & Crosna restituendis. 45. Inter Brandenburgicum & Hassiæ Landgravium. 49. Francofurtana. IV,7. Juterbocensis. 15. Super Lauenburgo, Bytovia & Civitate Elbingensi. VI, 80.81. Super rebus in futurum gerendis. VII,10. Et modo belli gerendi. 18. Cum Holsatiæ Duce. 69. Cum Sabaudo super Cerimoniis. IX,64. Brandenburgici cum Neoburgico super Coronâ Poloniæ. X,48.49. Cum Svecis. 56.57. Cum Hanoverano Duce. XIII,46.47. Super executione pacis Neomagensis. XVII, 51. Inter Polonum & Brandenburgicum ob connubium Radziviliæ. XVIII,30. Cum Brandenburgico & Ordinibus Ost-Frisiæ. 31. Cum Dano. 70. Inter Polonum & Electorem. 87. vid. *Pactum.*

Corvejanus Abbas in Rugiam insulam jus prætendit. II,37.

Cosaci parum fidi sunt. VI,62. VII,46. Ragozio parum fidi sunt, Regemqve Poloniæ eum ferre se nolle jactant. VI,62. Sui conservationem qværunt. 65. Electoris protectionem implorant. X,63.

Cosbotus in Poloniam mittitur ad petendam Borussiæ investituram. I,21.

Conventus instituitur in Borussiâ. I,22. Svetæ. 45. Francofurti. vid. *Francofurtum ad Mœnum.* Norimbergæ. III,33. Halæ Svevorum. IV,11. Juterboci & Coloniæ. 15. Dortmundæ. 9. Vesaliæ. 19. Neobrandenburgi. VII, 16. Hagæ. VIII,3. Thorunii. 45.46. Olivæ. 94. XI,16. Qvedlinburgi. 71. Luneburgi. XIII, Coloniæ ab Electoribus Ecclesiasticis. X,34. Bielefeldæ. 17. Bremæ. 51. vid. *Brema.* Neomagi. vid. *Neomagus.* 63. Brunsvigæ. XV,3. Francofurti. XVIII,33. Hagæ. 108. v. *Haga.*

Cothusii Saxo & Brandenburgicus per Ministros consilia sua conferunt. XVIII,78.

Crachtius in custodiam datur. I,5.

Cracovia à Sveco capitur. V,63.

Cranius Electori svadet, ne Pomeraniam cedat Svecis. II,36.

Cravellius Ratisbona excesse jubetur. XII,30.

Creqvius Gallici Exercitus Dux capitur. XIII, 38. A Gallo mandata accipit. XVII,79. Atrociter per Mindensem ditionem grassatur. 82.

Crocovius (Laurentius Christophorus) Ratihabitionem pacis tradit. XVII,84. Ad componendas Hamburgenses turbas ablegatur. 96.97.

Crocovius (Laurentius Georgius) In Sveciam ablegatur. IX,66.67.68.69.70. X,56.57. In Galliam. XI,7.8.9.10.11.13. Super bello cum Belgis declinando mandata sua exponit. 15.26.31. Qvare Lutetiâ revocatus? 60. In Angliam mittitur. 74.75.76. It. Viennam. 84. Cæsareis secretum fœdus cum Gallis objicit. 85.97. Acta ibi. XII,28.29.30.33. Contra Monasteriensem Præsulem protestationem interponere. 52. Lotharingum apud Cæsareos commendare jubetur. 77. Cæsaris auxilium implorat. XIII, 13.14. Super Hospitiis ibi qveritur. 57. Satisfactionem nomine Electoris desiderat. XIV,13.14.15. XV,4. Pactum mutuæ successionis cum Austriis tentat. 19. Circa hiberna acta. 49. XV,20. Hungaricæ rebellionis atqve reformationis causam Cæsareis in mentem revocat

Vien-

penitius reputandam. XV, 9. Lilliehœckii scriptum per carnificem ut comburatur, Viennæ rogat. 29. Iterum Viennam mittitur, XVI, 79.80.82.83.84.86. Super formula pacis â Cæsareis Neomagi exhibita qveritur. XVII, 10.11.13. Item super pace Cæsaris cum Gallis. 33.34.35.36.38. Viennam iterum ablegatur. XVIII, 56.57.59.62.63. 64. Viennæ acta Saxoni communicat. 78. Ad Comitia Polonica mittitur. 86.

Crocovius (Joachimus Ernestus) ad tractatus pacis mittitur. II, 45.

Crocovius (Matthias) Viennam mittitur, acta ejus. III, 59.60.61.62.

Croissius (Colbertus) Viennam mittitur. VIII, 42. Acta ejus Neomagi. XVII, 46.73. Conf. voc. *Neomagus*. Ægre fert pacem San-Germanam Neomagi non fuisse confectam qvod forte per Pomponium æmulatione in Colbertum effectum. 81. Circa permutationem instrumenti ejus pacis sibi transmissi tergiversatur. 82. In Pomponii locum succedit. XVIII, 84. Qvid ex pace Monasteriensi ac Neomagensi â Cæsare & Ordinibus pro Gallo postulet? XVIII, 15. Ejus afferta falsi arguit Stratemannus. 19. Multa de Regis sui erga Imperium amore jactat. 52. 92. 94. Dictum ejus de Georgii Daniæ principis matrimonio. 93. Brandenburgicum urget, ut Luneburgicos invadat. 104. Ejus sententia de armatis induciis. 133. De invadendo Sveco dissvadet Danis. 136. De ejiciendis Germaniâ Svecis pactum proponit. XIX, 4. de fœdere Electoris cum Belgis indignatur. 9.11. Facta Galli in Arausionensem commissa erga Electorem excusare conatur. 18. Dictum ejus de Oxenstierna. 20. Patrata â Gallo contra inducias excusat. 29. Huningæ etiam appositum castellum; ac de Augustano fœdere qveritur. 32. Multa de Rege suo minatur. 33. Ludovico XIV. positam statuam excusat. 35. Judicium de Hamburgensibus cum Dano turbis. 43. De induciis in pacem mutandis proponit. 47. de reunitorum locorum munitionibus disserit. 56. & super Furstenbergii Electione. 60. Ejus sententia de Gottorpiensi negotio. 73.76.

Cromvellus Electoris Legatum honorificè excipit. V, 26. Qvalis ei datus ab Electore titulus. VI, 9. Ejus studium circa pacem inter Protestantes præcipuè. 10. Ac judicium super Electoris statu. 11. Bellum contra Hispanos meditatur; & cur? ibid. contra Gallos dignitatem tuetur. VI, 11. *In fin.* & ad summam rerum parum conferre potest, metu intestinarum turbarum à distrahendis viribus prohibitus. 50. Rei numariæ inopia urgetur, ut subsidia petenti Electori promittere neqveat. 64. Svecorum amicitiam ac religionis curam Electori commendat. VII, 55. Moritur. 68. Mazarino impensius Cacodæmone reformidatus. X, 28. Qvali usus regimine fuerit? XIX, 84.98.

Cromvellus junior (Richardus) super Svecis apud Electorem per litteras qveritur. VII, 68. Super litigio cum Gottorpiensi Duce ad Electorem scribit. 69. Ejus statu everso Belgæ respirant à metu Anglorum. VIII, 4.

Crosna restituitur Electori. 45. Ibi ejus Milites lustrantur. XIX, 26.

Curlandia, hanc sibi vindicant Sveci. VI, 46. Omnia ferme ibi amittunt. VIII, 37.

Curlandiæ Duci non præjudicare Fœdus Mariæburgicum in tabulis ejus cavetur. VI, 26.

Curonicus Lacus; Per hunc Elector Svecos persequitur. XVII, 5.

Currus Legatis obviam mittendi mos. II, 24.

Cursores Negotii Neomagensis, qvâ viâ ire ac redire debeant. XIV, 61.

Curtius Bavari Legatus in Electione Bohemiæ Regis, in Imper. sui Electoris personam repræsentat. IV, 43.

Czar. vid. *Moscus*.

Czarnecius solus Johanni Casimiro adhæret. VI, 25. Cum Tartaris & Walachis in novam Marchiam irrumpit. 77. Impressioni in Pomeraniam & Holsatiam faciendæ se promptum offert. VII, 10.

D.

D*Amgarda* â Svedis deseritur. VIII, 30.

Dammum â Cæsareis invaditur & expugnatur. VIII, 28. Ejus deditio, qvomodo facta? 28. A Svecis derelinqvitur. XIV, 48.

Dammum Præfectura cui addicta pace Osnabr. III, 16. Hujus gratia inter alia per Legatum Viennæ agit Elector. XIX, 1. Transigitur super istâ cum Saxon. Duc. 53.

Dania. Hâc â Svecis subactâ omnibus ad Mare Balticum sitis jugum imminet. VII, 62.63. Et inferiori Saxoniæ nascitur periculum. 65. Hujus servandæ causâ laborat Elector. VIII, 1. Galli insimul & Angli. 2.5. Pacem separatam huic damnosam fore judicat Elector. 3. Sine Oresunda nihil nec sine Scaniâ Oresunda. 5. Hâc subjugata Belgæ incomparabile damnum sentient. 6. Pactum Hagense ipsi utile esse qvidam pertendunt. 7. Ejus facies post Caroli Gustavi mortem. IX, 1. Cum Svecia lites ei periculosæ. XI, 40.

Danicæ Insulæ mediâ hieme â Svecis invaduntur. VII, 43.

Dani Schulenburgium Electoris Legatum frigidius excipiunt. I, 54. Ad tractatus cum Svecis moras nectunt. VI, 55. Pacta Labiaviensia ipsis displicent. 56. Mira bellandi cupiditate contra Svecos flagrant. ibid. 60. 61. Eorum sententiæ de supremo Borussiæ imperio. 71. Iniqve de Electore sentiunt. VIII, 35. Separatam optant pacem. 48. Classem Svecicam fugant & Gothlandiam insulam occupant. XIV, 44.46. Contra Svecos Mari, non æqve terra, postremo bello felices. XV, 17.58. Male agunt postremo bello, qvod Tractatus suos cum Svecis in Scaniam trahunt. XVII, 78. Wellingii, Svecici Ministri importunitatem erga Electorem eludunt. XVIII, 11. Pœnitentia Hamburgensis obsidionis ipsos subit. XIX, 39.40. *vid. qvæ seqvuntur.*

Danici Ministri jactanter admodum & contemtim de Hamburgo loqvuntur. XIX, 40. Regi ad illius obsidionem pecuniam credunt. 41.

Danus causam Palatinam ad Tractatus pacis remitti à Collegio Electorali petit. II, 10. Propter Svecorum invasionem auxilia ab Electoribus petit. 12. Ad proposita à Kleistio nomine Electoris, mentem suam declarat. VI, 52.53.54.55. Qvâ ratione cum Svecis tractare velit? 56. Tractatus iterum hærere incipit. 57. Ad Electorem ea de re mittit, & eum sollicitat. 58. Elector ei bellum cum Svecis dissvadet. 59. Idqve singulari studio. 63. Svecos Germania eliminari optat. 72. Cum Electore super evictione pactorum Welaviensium cum Polonis, ut & contra Svecos, fœdus init. VII, 9. Ab Electore auxilia petit. 11. 12. Victoriam contra Svecos simul indicat. ibid. Cunctatio Austriaci auxilii ipsi valde periculosa. 13. 14. De ratihabitione per Legatum Berolini agit. 15. Fœdus Austriaco-Brandenburgicum eum imminenti calamitati subducere haut potuit. 20. premitur à Svecis graviter. ibid. circa ferenda ei auxilia frustra sunt fœderatorum consult. 43. Qva ratione ipsi subveniri possit Posnaniæ consultatur. 74. Propter iteratam Svecorum in Seelandiam irruptionem ab Electore & fœderatis auxilia petit, de qvibus consultatur. 62. 63. Super conventione Electoris cum Gottorpiensi Duce inita, qveritur. 69. Cum ejus Consiliariis temporaria conventio in Holsatia initur ab Electore. 71. Cum Electore de fœdere agit per Legatos Flensburgi. 72. 73. Æqve ac Polonus pacem desiderat. VIII, 1. Indiget pecunia. 2. Petit, ut Elector in Seelandiam trajiciat. 10. 21. Armis eum sublevare laborat Elector. 15. De invadenda Pomerania sollicitat socios. 16. 24. Declaratio ejus Legato Electoris data. 15. 21. Urget qvid Elector sit facturus in sui opem. 24. Apud eum de pace frustra satagitur. 33. Bellum in Fionia apparat & cum Svecis acriter pugnat. 34. Victoriam propter Belgas perseqvi neqvit. 35. Ut Polonicis tractatibus includatur, satagit Elector. 52. 64. Circa pacem suam satagit. 54. ad Electorem mittit. 65. Pacem arripit. 66. Tractatibus Polonicis excluditur. 67. 72. Huic ab Ordinibus regni Jus Hereditarium offertur. IX, 6. De Ulefeldii conatibus ei indicium fit. 33. Cum Electore fœdus init. XI, 26. Qvadruplici fœderi se jungit. X, 27. Cum eo consilium confert Elector. XI, 40. & eo alteram missionem adornat. 41. Belgis ex hoc fœdere se succurrere paratum ac Electoris consiliis se inhæsurum promittit. XI, 41. Magis â Germania turbas avertere velle se, qvam Belgas sublevare testatur. 42. Non nisi pro pecunia auxilia mittere vult. 71. Ob fœdus Electoris cum Sveco valde est sollicitus. XII, 21. A Gallo & Sveco frustra urgetur, ut à fœderatis discedat. 57. Ei non minor qvam Sveco in arma cupido, & qvare? 61. 64. In indicendo bello Sveco cunctatur. XIII, 14. Et qvæ hujus ratio? 23. 24. 32. Sveci eum à bello avertere pecunia & promissis laborant. 26. Legatum Svecicum inani spe lactat. 27. Inanis tractatio inter hunc & Svecos super fœdere. 28. Tacita illius circa modum Sveciæ nocendi consilia. 29. Circa ordiendum bellum tergiversatur. 30. Desponsationem sororis non esse moram bello injecturam differit ipse Rex. 31. Gottorpiensem Ducem captivum ducit ac certas ei conditiones præscribit. 42. Moras tamen indicendi contra Svecos belli adhuc nectit. 43. Qvas ut solvat, ab Electore urgetur. 44. Cum Electore præsens in congressu secretum fœdus conficit. 45. Cum Hanoverano item & Monasteriensi. 47. Occupat Wismariam. 56. Qvid ipsius Legato à Czare responsum. 61. Ab eo cum Hanoverano acta super societate. XIV, 23. 24. Ejus circa Bremensem partitionem postulata. 34. 36. Bucvvaldum Bremensis negotii causa ad Electorem mittit. 37. Cum Electore contra Svecos fœdus pangit. 38. 39. 40. Contra Svecos mari bene rem gerit. 44. 46. Præsidiariis urbis Anclami liberum trajectum in Sveciam non vult concedere. 47. *Hœgium* Neomagum mittit. 70. *Cum Electore &* Monasteriensi fœdus init. XV, 7. Moscos contra Svecos excitare frustra laborat. 15. Contra Svecos Mari qvidem, sed non terra feliciter pugnat. 17. De Lilliehœcki in Brandenburgicum invectiva judicium. 28 Propositiones Neomagi. 43. Anglo per Legatos scriptum offert de continuando cum Gallo bello. XVI, 27. Belgarum festinationem in opere pacis cum Gallo sistere studet. 30. Cum eo rege acta. 57. & fœdus cum eo. ibid. multos Svecorum ex naufragio captivos detinet. 64. Cæsari svadet, ut bellum cum Gallo continuet. XVII, 12. Svecus erga eum insolens est? 15. Ipsius Legati super non communicato articulo. 26. Pacis Cæsareo-Gallicæ apud Cæsareos qveruntur scripto. 19. De non præcipitanda cum Gallo pace Cæsareos monet. 21. Et contra Cæsareo-Gallicam, ut & Cæsareo-Svecicam pacem per Legatos protestatur. 22. 30. A Gallo ad pacem urgetur. 46. De pace adhuc dubitat. 55. Ut Wismariensis & Straalsundensis portus obturentur, monet. ibid. Electoris propositum de ineunda cum Svecis pace ipsi non probatur. 86. 87. Varia circa pacem tentat, tandem eam in Galli arbitrium confert. 88. De Electoris pace qveritur qvidem, postremo tamen illius causas approbat. 89. Pacem qvoqve cum Svecis init. 90. Qvid in Gottorpiensi causa provisum. ibid. 91. *Hamburgum* in ordinem redigere conatur. 92. Inde Electoris opem implorat. 93. vid. *Hamburgum* de Hujus amicitia non satis sibi cautum Elector existimat. XVIII, 9. relictis Svecis, Gallo & Electori se arctius innectit. 24. Cum Gallo fœdus init, contra niten-

nitentibus Cæsareis atqve Svecis. 43. Cum Electore fœdus renovat, & Itzehoæ congreditur. 70. Slesvicensem Ducatum tributis onerat. 71. Monasteriensem qvoqve in fœdus suscipit. 72. à Gallo subsidia pecuniaria frustra petit. 74. Summa vi bellum parat 90. Luneburgicos frustra contra Svecos tentat. ibid. Elector eum à turbis & motibus tristi adeo Orbis Christiani facie dehortatur ac ejus rogatu qvoqve Gallos. 92. Ægre tandem ei persvadetur qvies. 98. 99. 100. Cum Coloniensi & Electore fœdus init. 115. Vi in Luneburgicos tergiversantes uti vult. 121. 122. Formula fœderis à Luneburgicis proposita ipsi non satisfacit. 123. Moderationem Alefeldio autore approbat, & rem ejus prudentiæ permittit. 124. Propter pactum super Dœmitza, erga Electorem se excusat. 127. Infensas cogitationes omnes contra Luneburgicos deponit. 55. Cum Svecis diffidentia gliscit. 136. Ejus ex fœdere Electoris cum Belgis renovato, suspiciones. XIX, 7. De conservanda amicitia inter Gallum atque Electorem est sollicitus. 11. Ad defendendum Hamburgum contra Cellensem ducem separatum ostendit. 21. 22. 23. 24. Conatus ejus de occupanda hac urbe deteguntur cum conspiratione. 36. Conatus suos Electori aperit, qvi moderata ingerit. 37. urbem impugnat, sed svasu Electoris ad tempus hostilia intermittit. 39. Ac se erga Electorem excusat. 40. Relicto Hamburgo, cum seqvestribus Gottorpium se confert. 41. Cum Hamburgensibus paciscitur. 42. 43. Qvare ipsi cum Gottorpiensi Duce controversia sit? 62. usqve 83. vid. voc. *Altona.*

Declaratio Legationis Svecicæ & Polonicæ super Art. II. Instr. Pacis de Amnestia. VIII, 76. Ordinum Imperii super satisfactione Gallica Monasterii. XVIII, 13. vid. *plur. suis locis.*

Decretum Lengrichæ factum & super eo acta, II, 26. 27. sq. Decreta nemo nisi Cæsar ad Electores mittere potest. VII, 66. Decretum contra Svecos à Cæsare conficitur. XIII, 39.

Delmenhorstanus & Oldenburgicus Comitatus præcipua collisionis materia inter Boreales Reges. XIII, 25, 26.

Demminum à Brandenburgicis expugnatur. VIII, 30. XIV, 48.

Denholmia à Brandenburgicis occupatur. XVI, 60.

Dependentiarum vocabulo qvid intelligatur? XVIII, 15. Item Weissenburgenses Dependentiæ qvæ? ibid. conf. voc. *Reuniones.*

Deputationis Francofurtanæ acta, II, 12. sqq. 14. 15. sq. XVIII, 45. sq. 49. sq.

Deputatorum conventus. Super illis qvæsita. II, 27. An differant ab Ablegatis & Legatis. IX. 56. 64. Qva dignatione in Dania excipiantur. XI, 40.

Detectio terrarum incognitarum non apprehensa simul & servata possessione, nullum jus præbet. VI, 11.

Devolutionis Jus. X. 28.

Dewicius Svecos assequitur. XVII, 6.

Dextra manus Legato Brandenburgico à Czare per Prestavos datur. XI. 109.

Diestius Belgis Electoris mentem circa Svecos indicat. XVIII, 93. Pacem eis cum Gallo commendat. 128.

Disceptatio inter Legatos. X, 85. v. *Lites.*

Disciplina militaris Polonorum prava. VII, 70.

Dissidia post mortem Christiani Ludovici oriuntur inter Brunsvicenses & Luneburgenses Duces. IX, 79. Inter Electorem Palatinum & Rheni Principes super jure Wildfangiatus. 82. Inter Svecos & Bremam. 82. Inter Anglos & Belgas X, 1. 2. 3. 4. Inter Polonos propter novum Regem Michaelem. XI, 23. Inter Electorem & Brunsvicenses, propter Reinsteinensem Comitatum. 46. Inter Hispanos & Anglum XVI, 9. v. *Lites.*

Dixmuda cautionis in vicem Anglis traditur. XVI, 9.

Dobrani in Meclenburgico tractu fœdus inter Danum & Electorem conficitur. XIII, 45. Congressus ibi inter Danum & Electorem invito Hahnio suscipitur. XVIII, 9.

Dobrzenius in Sveciam mittitur V, 2. 3. 4. Acta ibi. 5. 6. 36. 38. 39. 40. In Svecia classem conscendere jubetur. 41. Iterum ad Svecum mittitur. 64. 65. 66. 68. 69. 70. 71. 72. 73. Cum Svecis super illustratione pactorum agit. VI, 13. Ad Cæsarem mittitur, ad excusandum prælium cum Polonis. 40. Consilium super firmando Borussiæ Imperio suppeditat. IX, 41.

Dœmitza. Hâc à Svecis expugnata, habent, qvod qværunt. I, 43. Hanc intercipere conatur Wurtzius. VIII, 16. Super hac pactum conficitur inter Gallum & Meclenburgicum XVIII, 127.

Dœrflingius propter spretam à Cæsareis bene rei gerendæ occasionem, è consilio iratus abit. XII, 47. Svecum se simulans, Svecos trucidat. XIII, 34. Mardefeldium fugat, XIV, 45. Rugiam expugnat. XVI, 60.

Dona Comes [Carolus Æmilius] globo trajicitur. XIX, 26.

Dona Comes [Christianus Albertus] prælium cum Gallis dissvadet. XI, 82.

Dona Comes [Christophorus Delphicus] honorariam missionem ad Electorem obit. IX, 32.

Dona Comes [Fabianus] ab Electore Lutetiam mittitur, II, 22. Item in Borussiam. V, 58. 59.

Dona nihil non efficere valent. III, 13. Sine his in Aula Caroli II. R. vix aliqvid dabatur efficere. X, 2.

Dordraceni Arausionensem laute excipiunt. XI, 57.

Dortmunda super Juliacensi Ducatu congressus instituitur. IV, 9. Capita illius transactionis. ibid.

Dotalitium viduæ Electoralis Brandenburgicæ qvale sit? I, 15. Belli oneribus eximitur. 16.

Downingius fervide omnia agit. VIII, 3.

Draheimensis Dynastia Electori oppigneratur. VI, 82. super ▬ cum Polonis disputata, X, 64.

Dreierus Calvini dogmata sub specie Syncretismi in Borussiam introductum ire arguitur. IX, 40.

Dræmlingensium ferociæ compescendæ Garlebia conducit. I, 45.

Duglassius Polonos repellit. VI, 37.

Duisburgum occupat Spinola IV, 20. Academiam ibi instituit & dotat Elector. XIX, 104.

Dunquerca Gallis ab Anglo V M Libris Sterlinensibus addicitur, & qvam ob causam? IX, 28.

Durasius ob Pacis negotium in Galliam mittitur. XV, 61.

Durellius cum insufficienti procuratorio in Daniam mittitur. VI, 53. 55. 56. Aliud ei mittitur. 57. Abruptis tractatibus abit, 60.

Durenum neutrarum partium se declarat. IV, 14. Mox Neoburgico traditur. ibid. Spinolæ se dat. 20.

Dusseldorpium, ibi inter Electorem & Neoburgicum pactum conficitur in causa Juliacensi, IV, 22. 23. 24.

E.

EBerstorfium, Ibi Investituræ Elect. actus celebratur. IX, 31. de qvo num ibi suscipiendus sit dubitabatur. *ibid.*

Eboracensis Dux [Jacobus] Fratris atqve Arausionensis de pace deliberationem persvasionibus eludit. XV, 61. Ipsi à fratre exercitus in Flandriam ducendi summum Imperium confertur. XVI, 11. Ejus auspiciis conflata horribilis in Anglia conspiratio super introducendis Romanis ritibus detecta eum in angusto constituit. XVI, 78. vid. *Jacobus II.*

Ecclesiastica bona an possint præscribi? II, 7. Eorum restitutio urgetur. 12.

Eclipsis Manifesti Ascaniensis scriptum Manifesto Ascaniensi oppositum. III. 12.

Edictum Elect. contra Theologos displicet Svecis, de eo responsa ab Electore. IX, 67. Cæsaris contra Svecos, qvo hostes Imperii esse judicantur. XIII, 39. Electorale de recipiendis ex Gallia Reformatis profugis. XIX, 17. Nannetense qvid in se contineat? XIX, 16. 48. aboletur. XIX, 17. Belgarum, qvibus Jesuitæ & Monachi missionarii exesse ditione sua jubentur, qvos motus animorum concitaverit? XIX, 55.

Egla [*Eglen*] *Præfectura*, in eam dominium directum prætenditur à Saxone. III, 11. Traditur pleno jure Electori. 16.

Ehrenschildius Gottorpiensi Duci Comitatus à Dano oblatos pro Slesvicensi Ducatu frustra commendat. XIX, 80.

Ehrensteinius Legatus Svecicus Electorem apud Belgas accusat. XII, 62.

Elbinga, Ibi inter Svecos & Belgas super commerciis pactum initur. VI, 42. Electori traditur. 80. Polonorum præsidio firmatur. VIII, 80. Super ea ab Electore cum Polonis acta & disceptata. VI, 81. VIII, 80. 81. 83. 84. 85. XI, 7. 14. 16. 18. 19. 86.

Elbingensis Castellanus Borussos Ducales jurejurando qvo Regi Polon: fuere obstricti, exsolvit, eosqve ad Electorem remittit. VII, 50.

Electio. Circa Electionem Ferdinandi. IV, in Regem Roman. acta. IV, 38. 39. 40. 41. 42. Cerimoniæ adhiberi solitæ, & tum adhibitæ præcipuæ. 43. Circa Electionem Leopoldi acta. VII, 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. inter Electionem exteris urbe exesse necessum est 30. Austriaci an utiqve Cæsares eligendi? VII, 25. 27. 28. Moguntini artes circa Electionem Leopoldi. VII, 31. 32. Super ea Saxo & Brandenbur. Lichtenbur. congrediuntur. 33. Super eligendo Jo. Casimiro successore Regi acta. IX, 14. 20. 42. 43. 44. 45. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. X. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. sq. qvæ procedit præter omnem opinionem. 88. 89. Mortuo Michaele circa novam Electionem acta. XII, 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. Joannes Sobiescius eligitur. 80.

Electorale Collegium per Electorem acta. II, 68. Ejus conclusum de Titulo Excellentiæ. 71. De cedenda Pomer. decrevit. III. 2. Ipsius respons. super refusione damni ob detentam Pomera. 66. Illius Legati Svecum ad pacem cum Polon. ineundam hortantur. VII, 56. Et Electorem ad promovendam pacem. 61.

Electorales Legati in Conventu Francofurt. Principales à tractatibus pacis excludere agitant. II, 3. Electoris de ea re judicium. 4. Principum Legati illis titulum *Exellentiæ* negant, qva de re disputata. 71. Super Legatis primariis & secundariis disputata. II, 25. 71. Cerimoniæ circa Legatos Elect. & de iis disputata. II, 19. 20. 21. 22. IV, 36. 37. VI, 43. VII, 29. de Præcedentia inter Legatos hos & Venetos. II, 23. vid. *Electores.*

Electoralis Unio describitur? III, 64. Qvomodo recepto in eam Electore peracta? ibid.

Electores de conferendis pecuniis consentiunt. II, 11. Serenitatis titulum eis denegat Gallus, qva de re disputata 21. & IX, 58. 59. Omnibus aliis principibus atque Rebuspublicis anteponuntur. 23. Ecclesiastici qverelas super Pontifice movent. IV, 40. Jura eorum præcipua præ cæteris Ordinibus 41. Ecclesiastici pro Bavaro, Seculares pro Austrio Cæsare eligendo nituntur. VII, 32. Qvalis honor illis à Rege Galliæ si congrediantur decretus. IX, 64. Electores Ecclesiastici conventum Coloniæ habent. X, 34. Bavarum frustra ad imperii societatem tentant. XIV, 25. Bavarus, Saxo & Palatinus Pacem svadent. XVI, 8. Et Cæsari commendant, 86. Ratisbonæ de transactione Svecum inter & Electorem proponunt. 88. Responsum eorum circa Gallicam satisfactionem Monasterii datum. XVIII, 13. Item Declaratio ad Galliæ regem. ibid. His status controversiam movere velle videtur Cæsar, qva super re considerationes. 78. Eis indicat Cæsar Bel. Turcicum. 80. Major eorum pars pa-

pacem cum Gallo urgent. 89. In Verji declarationem inclinant. 103. 130. Cæsarem ad pacem cum Gallo hortantur. 105. Circa Eorum jura & prærogativam servandam monita mutua. 133. De Præcedentia inter Electores & Venetos. I, 53. II, 17. 23. 24. IV, 36. it. Belgas. I, 55. II, 17. 71. Sunt primariæ Imperii Columnæ, & intimi Cæsaris Consiliarii. XVIII, 80.

Ellerus Hervordiam occupat. III, 19. Duas Colonienses Legiones cædit. XI, 82.

Elisabetha Charlotta Super hereditate Caroli Palatini Controversiam movet? XIX, 13. 15.

Elisabetha Charlotta Elect. Mater ad conciliandam pacem ad Poloniæ Reginam scribit. VI, 69.

Embda Elector conventionem cum Ordinibus Frisiæ orientalis init. XVIII, 31. Ibi sedes & rationarium commerciorum ad littora Gvineæ instituitur. 32.

Emmerica qvare ex hâc Præsidia deducere nolint Belgæ? III, 24. Mauritii Præsidium admittit. IV, 20.

Emmericus Pater Ejus sententia circa pacem cum Gallo. XVIII, 111.

Engvianus â Reginâ Poloniæ successor regni exoptatur. IX, 84.

Ernestus Augustus Osnabrugensis Præsul Coadjutor Magdeburgicus â Capitulo eligitur. III, 11. Neomagensi pace non contentus qvid de Præsulatu depoposcerit.? XVII, 40. 41. Cum Electore fœdus init. XVIII, 25. Ost-Frisiæ rebus se immiscere studet. 31. Fœdus cum Electore renovat. 135.

Ernestus Marchio unum atqve alterum Præfectum in ordinem redigit. I. 5. De molestiis belli in Marchiam devolutis apud Torstensonium qveritur. 26.

Espencaus privato nomine Lutetiam mittitur. XVI, 76. 77. iterum circa Pacis San-Germaniæ executionem. XVII, 83.

Essena tractatio suscipitur. IV, 34. In primis in causa Sacrorum. ibid.

Evangelici. Pro eis per Cæsareas ditiones frustra interceditur. IV, 46. Ut Evangelicis ordinibus in aula Cæsaris Religionis exercitium pro se ac ministris suis ac sepultura publica concedatur, in dornanda Capitula atine proponit Elector. VII, 26. Propter persecutionem in hos per Cæsareas ditiones intercedit frustra Elector. XIX, 1. Warsavia post Abdicationem Joann. Casimiri durante intrregno exire jubentur. X, 73. illorum non pauci Moscum Regem creari in Pol. optant. 74. Conf. voc. *Protestantes.*

Evictio de promissa Evictione Svecis â Gallo facta, si Provinciæ Germanicæ impetantur. VIII, 27. 63. 64. Electori promittitur contra Svecos â Coloniensi & Brunsvicensibus. 63. Pacis qvot modis firmari solear? 71. Tractatus Olivensis. IX, 38. Tractatus Clivensis. X, 17. De Evictione circa inducias cum Gallo initas. XVIII, 133. *vid. Guarantia.*

Eulenburgius Baro ad Moscum ablegatur. VI, 31. 32.

Europa. circa invadendum ejus dominatum Galliocorum destinatorum summa XI, 1. Ejus tota facies per Turcicum bellum mutata XVIII, 98.

Eutinensis Episcopus Fridericus Augustus Svecica militia se abdicat. XII, 61.

Expectantia In Archiepiscopatum Magdeburgensem Electori conceditur. III, 16. De Expectativa in Novam Marchiam & alia loca Svecis concedenda. 58. Ad Juliacenses ditiones. IV, 1. In Frisiam Orientalem petitur ab Electore. XVIII, 8.

Exteri qvare Electionis tempore urbe excludendi? & ad qvos exclusio extendenda. VII, 30.

F.

Factio Arausionensis & Wittiana. X, 12. 16. Gallica in Angliâ potens. XI, 75. Condæana in Polon. XII, 73. Gardiana Svec. XII, 57.

Factum prave, mature corrigendum. VIII. 5.

Fagelius Beuningio contrarius. XVI, 17. Ex febre ardenti decumbit. 28. Pacem Belgarum detestatur. 48. Ejus responsum Avauxio offerenti pecuniam, ut eum corrumperet datum. XVIII, 73. Concionabundus velut de aversandâ cum Gallis pace loqvitur. 119. Hispanos non esse deserendos, asserit constanter. 128. Induciarum negotiationi cum Gallo sesubducit. 129.

Falasius in Sveciam mittitur. XIX, 20.

Famulos Legatorum Religionis Reformatæ Lutetiæ admittere non vult Galliæ Rex; qva de re disput. XIX, 19.

ad *Febrberlinum* acri prælio profligantur Sveci. XIII, 36.

Fennoa occupatur â Brandenburgicis. VIII, 11.

Ferdinandus II. Cæsar Reformatos Imperio eliminare voluit. II, 69.

Ferdinandus III. Cæsar moritur. VII, 21. pro Filio Ferdinando eligendo in Romanum regem laborat. IV, 38. Qvæ Electio qvoqve procedit. seq.

Feuda an salvâ regiâ dignitate â Cæsare possint recognosci? V, 70. Pacta circa hæc Borussiæ causâ inter Svecum & Electorem inita. 72. Illustratio horum pactorum feudalium. VI, 29. Iterum abolentur Pactis Labiaviensibus. 45. An in his, præcipuè regalibus, Fœminæ in Germaniâ admittantur? XIX, 15.

Feuda vacantia de his disceptatio. XVIII, 8.

Fevillada perniciosa Cæsari destinata imprudens corrumpit. IX, 78. In honorem Galli Statuam erigit, circa qvam considerationes. XIX, 35.

Feuqvierius in Sveciâ Gallorum res promovere studet. XII, 44. 53. 55. 57. In Sveciâ contra Electorem uerba facit. 53. Svecis extrema omnia contra Electorem ingerit. XIII, 4.

Fides societatis vinculum est. X, 28. Gallo inane nomen, 30. 90. XI, 1.

Finstervalda fœdus mutuæ defensionis Saxonem

nem inter & Brandenburgicum conficitur, XVIII, 26.
Fionia frustrà tentatur propter Belgarum tergiversationes. VIII, 11. 13. 14. Ibi prælium commissum. 34.
Fœdera Gallo parum cordi sunt. X, 28. Secreto sunt habenda. XIX, 28. Cursu temporum mutantur. 36. Gottorpiensis cum Sveco, an veteribus reunionibus repugnent? 78. 79. Qvid in iis considerandum. XVII, 69. 70. XVIII, 124. Jus Fœderum an & qvomodo Ordinibus competat? XVIII. 58. 64.
FOEDERA cum *Anglo*. IX, 26. 27. Anglicum cum Belgis. XII, 10. Eorundem super Legibus pacis inter Gallum & Hispanum. XVI, 2. de qvo qveritur Elector. 5. inter eosdem novum fœdus concluditur. 41. Ab hoc Elector invitatur ad fœdus. XVIII, 3. Ejus declaratio ad illum. 4. Jacobi. II, cum Belgis. XIX, 85.
Fœdus Associationis qvodnam ita dicatur? XVIII, 23.
Augustanum. XIX, 31. 32.
Austriorum cum Polonis. VI, 63. *cum Austriis* contra Svecos. 79.
cum *Belgis*. V, 21. 22. id tunc ferme inane est. 23. Super eo acta. 25. 42. 46. 49. Aliud cum iisdem. X, 13. Aliud. XI, 47. 48. Super novo qvod affectant Belgæ acta. 15. 34. Horum cum *Hispanis*. *XII*, 8. & cum *Anglis*. 10. Aliud. XIII, 41. 42. Super fœdere perpetuo cum iis acta *XIV*, 42. *Horum* cum *Anglis* super Legibus pacis inter *Gallum & Hispanos*. *XVI*, 2. de qvo qveritur Elector. 5. inter eosdem novum fœdus concluditur. 41. Arctius cum his Electoris fœdus. XVI, 97. 98. 99. 100. Qvod renovatur. *XIX*, 6. disceptata circa id cum Danis & Gallis. 7. 8. 9. 10. 11. cum *Borussis Regiis*. V, 60. cujus fructus exiguus. 61.
Circa fœdus *Brunsvicense* acta. *XI*, 71.
Bernensium cum Gallo defensivum. *XI*, 73.
cum *Cæsare*. *XI*, 51. 71. Gallorum cum hoc secretum ibid. & 85. cum *Cæsare Hispanis & Belgis*. *XII*, 35. inter *Cæsarem & Polonum*. *XVIII*, 86. Vicennale cum Electore. *XIX*, 25. cum *Danis*. VII, 9. it. 72. 73. Aliud cum iisdem *X*, 26. Cum iisdem secretum fœdus. *XIII*, 38. 39. 40. 45. Cum Danis contra Svecos. *XIV*, 38. 39. 40. cum iisdem addito *Monasteriensi*. *XV*, 7. cum iisdem fœdus renovat Elector. *XVIII*, 72. *Danorum cum Gallis XVIII*, 43. inter *Danos Coloniensem & Electorem*. 115.
Super *defensivo* fœdere inter Directores Circuli Westphal. acta. *XI*, 20.
Cum *Ernesto Augusto* Duce Brunsv. *XVIII*, 25. Qvod renovatum fœdere Luneburgico. 135.
Cum *Gallo*, Regiomontanum ad conserv. pacem Westphal. VI, 12. Aliud, & super eo acta. *IX*, 57. 58. 59. 60. à Gallis offertur fœdus super qvo considerationes. *X*, 42. 43. id procedit. 44. Ad fœdus cum eo denuo invitatur El. *XI*, 11. *Svecorum* cum *Gallo*. *XI*, 35. 36. 37. 39. Hujus cum *Bernensibus* defensivum, *XI*, 73. Electoris cum eo. *XVIII*, 44.
Inter *Gustavum* & Pomeraniæ Duc. II, 55.
Cum *Hispanis* incassum super fœdere acta. X, 40. 41. 42.
Inter *Hispanos & Belgas*. XII, 8.
Super *Laxenburgico* fœdere disceptata. XVIII, 58. 64.
Cum *Leopoldo Hungariæ* Rege defensivum. VII, 17. 18. 19. 20.
Cum *Luneburgicis* circa fœdus acta. XVIII, 100. 123. 124. Qvod tandem coalescit. 135.
Cum *Monasteriensi*. XV, 7. cum eodem junctis Danis. XV, 7.
Qvadruplex. fœdus. X, 27.
Rhenanum super eo enervando agitur. VII, 65. de amplectendo eo consultationes. IX, 63. ei nomen dat Elector. 65.
Inter *Saxonem & Bavarum*. XVII, 37.
Cum *Svecis*. super fiduciario & protect. fœdere acta cum eis V, 65. VI, 7. 8. *Marieburgicum* cum iis 26. 27. 28. v. *Pactum*. Novum cum iis & super eo acta. IX, 67. 68. 69. 70. cum *Svecis & Neoburgico*. X, 57. Horum cum *Gallo* & circa id disceptata. XI, 35. 36. 37. 39. Sveci fœdus offerunt Electori. XII, 13. Super eo consultationes. 14. 15. 16. 17. Concluditur. 18. 19. 20. Super ratihabitione dubitatio. 22. ei includitur *Neoburgicus*. 23. Novum & arctius cum iisdem. XIX, 27. 28.
Triplex Fœdus. Super eo consultatio. X, 47. ad illud à Belgis invitatur Elector. XI, 2. ut & ab Anglo. 3. v. *Pactum*.
Formula Recognitionis Feud. Lauenb. & Bytov. XI, 100.
Franciscus Lotharingiæ Dux Virodunensis Episc. Monasterii protestationem interponit, XVIII, 13.
Francofurtum ad Mœnum, ibi Conventus Deputatorum habetur. II, 1. Ratione suffragiorum oriuntur dissensiones 3. 4. Ut & Religionis atqve Amnestiæ gratia. 5. 6. 7. Loci itidem & Deputationis continuandæ ergo. 8. 9. De causa Palatina & conferendis pecuniis tractatur. 10. 11. Ob bellum inter Svecos & Danos magnus ibi animorum motus, 12. Item ob Gallicorum Legatorum literas. 13. Iterum dissolvitur. 14. 15. De Juliacensi Ducatu ibi conventio inter affines Principes IV, 7. Durante conclavi Leopoldi acta. VII, 21. Super Cerimoniis in visitatione Legatorum. VII, 29. De exteris urbe Elect onis tempore excludendis. 30. Candidatis Imperii & Electionis tempore. 32. Moguntinus Consultationes publicas auspicatur. 34. Acta alia atqve disceptata super Electione & Capitulatione. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. De Germaniæ qviete. 48. Conventus ibi sub tempora Neomag: tractationis indictus. XVII, 10. Super Reunionibus Gallicis ibi in Conventu acta. XVIII, 33. 35. seqv: 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 67. 68. is conventus abrumpitur. 69. Ærario militari in fœdere Augustano locus hic designatus. XIX, 31.
Francofurtum Electori restituitur. I, 45.
Frauenburgum sibi reservat Svecus. V, 73. Ibi cum Svecicis, Brandenburgici Legati super

per conjunctione armorum tractant. VI,20.21.22.23. De præmio societatis inter socios. 25. Fœdus conficitur tandem Mariæburgi. 26. de Præfectura Frauenburg. qvid cautum in Pactis Labiaviensibus, v. in formula VI, 45.

Friburgum à Gallis expugnatur. XV, 19. Hunc locum sibi prætendunt Galli. XVI, 91. Ipsis conceditur à Cæsare in formula pacis Neomag, *XVII*, 24. art. 1.

Fridericiudda à Svecis expugnatur. VII, 11. Ejus munitiones dejiciuntur. VIII, 10.

Fridericus III. Elector nascitur. VI, 66.

Fridericus Ludovicus Palatinus Bipontinus cum Neoburgico paciscitur. *IX*, 76.

FRIDERICUS WILHELMUS ELECTOR Regimen orditur. I, 3. Suspectos Præfectos ab officiis removet. 5. Marchiæ calamitatibus subvenire studet. 6. Hostilia adversus Svecos omittit. 8. Werbense castellum diruit. 10. Minuendis Marchiæ oneribus Eqvitatum Cæsari remittit. 11. Winterfeldium ad tractatus cum Svecis Hamburgum mittit. 12. Sverinum & Leuchtmarum Stetinum. 13. Et hunc etiam in Sveciam super induciis. 14. 15. 16. Ratisbonæ per Legatos apud Cæsareos de induciis cum Svecis agit. 17. Super interceptis literis se excusat. 18. Inducias cum Svecis erga Cæsarem excusat. 19. Amnestiam & Avocatoria Cæsaris per Marchiam publicari prohibet. 20. Investituram Borussiæ à Polono per Legatos petit. 21. Qverelis Polonorum respondet. 22. Cautio ejus Polono data rejicitur. 23. Exhibet aliam & Warsaviam proficiscitur. 24. Declaratio ipsius Senatoribus Poloniæ data; *Investituram ratione Borussiæ &c.* suscipit. 25. Ut & Agnati ejus. ibid. De *induciis cum Svecis* ratificandis Legatos Mandatis instruit. 27. 28. 29. 30. Declaratio ipsius de iis. 31. 33. Legatos in Sveciam mittit ad reducendam Mariam Eleonoram è Dania. 34. 36. 37. Ut & de induciis tractandis. 35. 39. Super connubio cum Christina ab eo acta. 40. 41. 46. II, 23. 35. 40. 48. 49. 52. 64. Iterum super induciis Legatos mitt. 42. Temporariam conventionem cum Svecis init. 43. Esseranum Baronem in Sveciam mittit. 44. Literis apud Cæsarem se excusat. ibid. Legatos ad Torstensonium & Sveciæ Reginam mittit. 45. De induciis cum Svecis non amplius sollicitus est. 46. Cum Hassis circa sublevandas *Cliviæ* provincias agit. 47. Amicitiam cum illis reparat. 48. Conventio ipsius cum Hassiæ Landgravia & qverela contra Rabenhauptium. 49. Cæsari acta cum Svecis & Hassis per Lœbium probare studet. 50. 53. Declaratio ipsius contra insolens Gallasii petitum. 52. Bellum inter Svecos Danosqve componere studet. 54. 55. Wesenbecium cum Mandatis Francofurtum mitt. II, 1. 2. Judicium ejus de Religionis gravaminibus. 5. Ad Gallicorum Legatorum famosas literas nil responsi reponendum censet. 13. In conventu Francofurtensi solus per Legatos pro bono publico nititur. 15. A Cæsare ad tractatus Osnabrug. & Monast. invitatur. 16. Legatos eò cum Mandatis mittit. 17. 18. De interpretanda pace religiosa agit. 30. Ad Thoruniense Colloqvium Theologos mittit. 31. Pomeraniam Svedis cedere non vult. 32. 33. De sacrorum diversitate moderate sentit. 35. Ejus sententia ac rationes pro Pomerania retinenda. 37. 41. Belgarum operam ideo sollicitat. 42. ut & Poloniæ Regis. 45. Svecis valde invisus. 51. Per legatos suos cum Svecis super certa Pomeraniæ parte tractare instituit. 52. Consultatio ipsius an Pomerania Svecis cedenda, an armis experiendum? 60. 61. Separatim cum Svecis tractare incassum. 67. Ab omnibus de Pomerania urgetur. 68. Pro Religione reformata laborat. 69. *Matrimonium contrahit* cum Ludovica Juliana Auriaca. 72. Hagæ Ordinum Generalium consessum ingreditur, & ibi verba facit. ibid. In cedendam citeriorem Pomeraniam consentit. III, 1. 2. Negotium Pomeranicum concludit. 9. Super pensatione ei motæ difficultat. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Qvid ea pace amissum aut acqvisitum? 16. Fœdus cum Svecis inire studet, sed frustra. 17. Ac ut à Svecis loca sua sibi restituantur, & tributa remittantur. 20. Super evacuando Hammo cum Cæsareis agit. 22. Bipontinæ item Domus exclusionem à Juliacensibus ditionibus urget. 23. Ut & dimovenda præsidia Belgica ex Cliviæ oppidis. 24. In Neoburgicum repressaliis utitur. 25. circa Poloniam valde est sollicitus. 26. Ejus suffragium circa electionem Regis. 27. Hispanos amicos habere studet. 28. Ut sua sibi tradantur laborat. 29. cum Svecis de permutatione æqvivalentium agit. 30. Item de traditione Locorum & Præsulatuum. 32. Wesenbecium Noribergam mittit. 33. 34. *Halberstadiensem & Mindensem ditionem accipit.* 35. Circa Pomeraniam restituendam difficultates. 36. Declaratio ejus super hâc re. 37. Schœnaichium Noribergam ad Palatinum mittit. 38. Ut & Borgstorfium. 39. Acta super Pomeraniæ permutatione, limitibus, &c. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. Super limitibus Legatos Stetinum mittit. 49. 50. 51. 52. 53. Ut & super vectigalibus. 54. 55. 56. Ac *tandem Pomerania Ulteriori potitur.* 57. Expectativam in Novam Marchiam qvantum in se concedit Svecis. 58. Circa componendas ratione Pomeraniæ difficultates Cracovius Viennam mittitur. 59. 60. 61. 62. *Pragam* ad Cæsarem *accedit.* 63. *In Unionem Electoralem recipitur.* 64. Ratisbonam Legatos Pomeraniæ causa mittit. 65. Frustra refusionem damni ob detentam Pomeraniam qværit. 66. Inter *eum & Neoburgicum* dissidia oriuntur. IV, 1. Jus in Ducatum Juliacensem deducit contra Neoburgicum. 2. 3. Contra Bipontinam Domum. 4. Contra Saxonem. 5. Contra Comitem de Manderscheid, Duces Bullionensem & Nivernensem. 6. Considerationes circa hanc controversiam. 7. 8. Cum Neobur-

bur-

burgico ter transigit Dusseldorpi. 23. 24. *Non servata à Neob. transactione, ad arma decurritur.* 25. Declarationem suam edit, 26. Erga Cæsarem hoc factum excusat. 27. 28. Ad compositionem cum Neoburgico est proclivis. 30. Interpositionem Archiducis, Lotharingi, & aliorum declinat. 31. Belgas admittit. 32. Ipse cum Palatino colloqvitur. 33. Essenam legatos mittit. 34. Legatos Lubecam mittit super condenda inter Svecos & Polonos pace. 36. Judicium ejus de eligendo Romanorum Rege. 38. Legatos Augustam Vindelicorum mittit. 39. 40. 41. Satisfactionem à Cæsare promissam frustra urget. 42. Post electionem qvoqve parum proficit. 44. Pro Evangelicis frustra intercedit. 46. Turbis Bremensibus sedandis vacat, V, 1. Dobrzenium ad Svecum mittit Poloniamq; servare studet. 2. 3. 4. 5. 6. Svecis est suspectus. 7. 8. Consilia sua in futurum disponit. 9. 10. circa id bellum deliberationes. 11. Item Sveci an Poloni fœdus amplectendum? 12. In Borussiam ire placet. 13. De Svecorum transitu consultat. ib. Bolonos ad Pacem qværendam hortatur. 15. Responsum Majori Poloniæ datum. 16. Polono svadet, ut Svecis satisfaciat. 18. 20. Seqvestris munus simul recusat. ibid. cum Belgis fœdus init. 21, 22. Exiguo tamen fructu. 23. Per Lœbium erga Saxonem fœdus cum Belgis excusat. 25. Anglorum, Gallorumqve opem Prussiæ & Poloniæ servandæ gratia implorat. 26. Ut & Cæsaris, 27. Misso eam ob rem Læbio, ibid. 28. 29. Boninum ad Cæsarem mittit. 30. 31. sed sine effectu. 32. 33. 34. cum Svecis amicitiam servare. 36. 37. Et eos à Bello contra Polonos avertere studet. 38. sed Borussiæ Portus integros sibi cupit. ibid. A Sveco liqvidum responsum elicere neqvit. 39. Interim ei optio relinqvitur num neutras partes seqvi, an rem cum Svecis gerere contra Polonos velit? 40. Ipsius judicium hac de re. 41. Adhuc per legatos Sveciam cum Polonia reconciliare studet. 42. Ac iterum cautionem urget. ib. 43. 46. Societatem belli cum Svecis contra Polonos declinat. 56. In Borussiam cum exercitu tendit ac super illius defensione agit. 57. 58. 59. Fœdus cum Borussis init. 60. exiguus hujus fœderis fructus. 61. Ei à Polono summum Borussiæ imperium certis tamen conditionibus offertur. 61. Moscum frustra cum Polono reconciliare studet. 62. cum Sveco tractationem reassumit. 63. 64. 65. De Borussiæ invasione per literas qveritur. 66. Tempori cedere cogitur. 68. De induciis cum Svecis agit. 69. Ac tandem *cum ipsis transigit.* 70. 71. Pacta feudalia cum Sveco super Borussia inita. 72. 73. Transactionem cum Svecis Cæsari indicat. VI, 1. Ut & Belgis. 3. Pacta cum Sveco per legatum Belgis communicat ac se excusat. 5. 6. 7. 8. Cromvello periculum ex orto isto bello indicat, atqve opem ipsius implorat. 9. 10. 11. Fœdus mutuæ defensionis cum Gallo init. 12. cum Svecis super illustratione pactorum agit. 13. super conjunctione armorum cum Svecicis consultationem instituit. 15. 16. 17. 18. 19. Qvomodo & qva ratione arma sua cum Svecicis conjungere velit, per legatos ostendit. 20. 21. sq. Sententia ipsius super propositis à Rege Sveciæ. 24. Pacem potissimum cum Polonis urget. ibid. *Mariæburgi fœdus cum Svecis init.* 26. 27. 28. 29. ac Polonis respondet. 30. Mosci amicitiam servare studet ac legatum ad eum mittit. 31. 32. Cæsari atqve Polono de conjunctione cum Svecis significat. 33. ut & Belgis. 34. *In Polonis cum exercitu tendit.* 36. *Prælium ad Warsaviam* feliciter cum eis committit. 37. 38. 39. Per literas & Dobrzenium prælium hoc apud Cæsarem excusat. 40. 41. Belgas Svecis conciliare studet. 42. de eo cum Polonis reconciliando solliciti sunt Belgæ. 43. super abolendo pacto Regiomont. cum Sveco agit. 44. Idqve impetrat *Pactis Labiaviensibus* 45. 46. De ea transactione Belgis significat. 47. Reconciliationem cum Polonis frustra tentat. 48. circa pacem satagit. 49. super præsenti rerum facie consultat. 50. Et Svecum ad pacem hortatur. 51. Ad conservandam qvoqve hanc inter Svecos & Danos Kleistium in Daniam mittit. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58 59. sed frustra. 60. 61. Svecorum rebus diffidere incipit. 62. Ab Austriis, Danis ac Polonis invitatur, ut fœdus cum iis ineat. 63. Belgarum in Svecos odium etiam in hunc redundat. 64. A Svecis enim disjungitur, & qvare? 65. 66. 67. Autore Gosievio cum Polonis super pace tractare incipit. 68. Item de supremo à Polonis impetrando Borussiæ imperio. 71. considerationes ejus circa pacem inter Svecos & Danos. 72. Non nisi concesso supremo Borussiæ imperio, pacem cum Polonis inire constituit. 73. Sveci tractatus cum Polonis impedire student. 74. Qvare cum Polonis tractaverit? 75. Simulatam prius cum eis conventionem; 76. post *Welaviensia Pacta init.* 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Sveco de sua cum Polonis transactione significat. VII, 1. Ad Sveci literas respondet. 23. Mosci amicitiam conservare studet. 6. Sub juramento silentii pacta Brombergensia Belgis communicat. 7. atqve opem eorum implorat. ibid. cum Danis contra Svecos, ut & super evictione pactorum Welav. fœdus init. 9. Brombergæ consilium habet cum Polono, & Hatzfeldio. 10. Ab Austriis & Polonis auxilia contra Svecos petit. 11. Simul pacem cum his svadet. ibid. Opem Leopoldi per Læbium frustra implorat. 12. 13. 14 15. *Fœdus* cum Leopoldo Hungariæ Rege conficit. 17. 18. 19. 20. Electionis actum differre cupit. 21. An ex Austriacis novus Cæsar sit eligendus, domi consultat. 25. Legatos cum mandatis Francofurt. ad Electionem mittit. 26. Coloniensem hortatur, ne circa electionem Austriacis difficultatem moveat. 27. Palatini mentem circa electionem novi Cæsaris

explo-

explorat. 28. Super Capitulatione adornandâ, & Coloniensis sententiâ laborat, 32. Cum Saxone Lichtenburgi super electionis negotio colloqvitur. 33. De abusibus Francofurti admissis, multa monet. 38. *Suo suffragio Leopoldi electionem promovet.* 35. 41. Super ferendo Danis auxilio frustra laborat. 43. Anceps ejus propter Svecos conditio, 44. 45. Iterum hos ad pacem cum Polonis hortatur. ibid. Legatio in Poloniam. 46. Cum Austriacis ac Polonis Posnaniæ per Legatos consultat. 47. Pacis Polonicæ est studiosus. 48. Responsum ejus Polonico Legato datum. 49. Pacem porro apud Polonos urget. 50. Acta sua Imperio probare studet & Ejus qverelæ. 51. Fœdus cum Leopoldo Hung. Rege initum ratum habet. 52. Suffragium Leopoldo datum ut & transactionem cum Austriis & Polonis apud Gallum excusat. 53. 54. Responsum, Cromvelli Legato datum. 55. Svecum per Legatos ad pacem cum Polonis hortatur. 56. Sed hi inauditi dimittuntur. 57. Hinc scriptis inter eos certatur. 58. 59. 60. Responsio Legatis Electoralis Collegii data. 61. Danis subsidio venire una cum fœderatis constituit. 62. Cæsarem implorat. 63. Super enervando Fœdere Rhenano agit, ne Svecis inde qvid auxilii præstetur. 65. Ordinum Imperii auxilium frustra implorat. 66. Cum Gallis super expeditione in Svecos communicat. 67. Ad Richardum Cromvelsum scribit ac super Svecis multa qveritur. 68. *Expeditio ipsius* in Holsatiam. 69. *Pacifcitur cum Gottorpiensi* Duce ibid. Item temporarie cum Dano. 71. Fœdus cum Dano. 72. 73. Acta ejus bellica in Borussia. 74. Cum Moscis ejus Legati acta. 75. *Servanda Daniæ* gratiâ *arma adversus Svecum* arripit. VIII, 1. 15. 35. Belgas ad consilia sua flectere laborat. 2. Paci separatæ se opponit. 3. Invitatur ad Tract. Hafnienses. 3. A Fœderatis divelli non vult. 5. Pactum Hagense ipsi communicatur. Ejus Responsum super eo. 6. 7. 8. 9. A Dano sollicitatur, ut in Zelandiam trajiciat. 10. Montecuculo de indemnitate eventus bellici cavet & Fennoam occupat. 11. â Belgis nil subsidii obtinet. 12. Fioniam tentat. 11. 13. 14. Consultatio ejus de invadendâ Pomeraniâ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Cæsari invasionem hanc urgenti, respondet. 22. 23. 24. Ab istâ expeditione abhorret. 24. 25. Literas hinc inde mittit. 26. 27. 29. Fœderi Rhenano subscribere dubitat. 27. Warnemundam occupat & Tribsesam. 30. prælium in Fionia. 34. Lipstadium invadit & Præsidium Strasburgense intercipit. 36. Causæ cur in Svecos arma arripuerit? 40. A Gallo urgetur, ne auxilia in Flandriam mittat; Ejus Respons: 41. 42. Legatos in Poloniam mittit. 45. 46. 47. 49. Poloni ejus studium erga Austrios improbant. 50. Danum Polonicis Tractatibus includi cupit. 52. 67. Propositiones ejus 56. 59. 61. Cæsar ad eum mittit. 64. Polonorum festinationem in opere pacis, qvod procedit, sistere non potest. 72. 74. 75. 76. Hoverbeqvium Warsaviam mittit ad firmandam Pacem, & conciliandam Poloni amicitiam cum Mosco. 78. 79. De Elbingâ cum Polonis disceptationes. 81. 82. 83. 84. 85. Post hoc bellum tranqvilliora sunt tempora. IX, 1. Legatos hinc inde mittit. 2. 3. 4. 5. 6. 11. Elbingæ loco in subsidium Braunsbergam postulat. 7. Veredariorum Gedan: gratiâ ad Polonum scribit. 8. Multis molestiis â Polonis afficitur & qvare? 10. 12. Qvod avertere studet. 13. 14. 15. 16. Neqve remittendo qvid â Polonis impetrare potest. 17. 18. Ejus circa Arausionensem Principem studium. 21. 22. 23. Eo tempore cum Anglis acta. 24. 26. 28. Fœdus cum Angliæ Rege. 27. Investituræ causa Legatum Viennam mittit. 29. 30. 31. In Sveciam honoraria missio. 32. de Ulfeldii conatibus Dano indicium facit. 33. Conventum instituit, de supremo Borussiæ imperio & Consilium, super hoc firmando. 37. 38. 39. 40. 41. Hoverbeqvium ad Comitia Warsaviensia mittit, ubi ulterius de Borussiæ imperio & successore in regno tractatur. 42. 43. 44. 45. 46. Circumspecte cum Polonis de Borussiâ agendum judicat. 47. An absqve Ordinum Borussiæ consensu ipsi Templa exstruere ac Reformatam Religionem promovere liceat disceptatur. 48. Ipse validâ Militum manu in Borussiam venit. 49. Regiomontanos ad obseqvium reducit. 50. Jenam Heilsbergam ad Polonicos Commissarios mittit super Braunsbergâ & Elbingâ. 53. Qvod negotium absolvitur. 54. Homagium suscipit â Borussiæ Ordinibus. 55. Blumenthalium in Galliam mittit. 56. 57. 58. Reversum iterum in Galliam mittit, ubi Fœdus cum Gallo absolvitur. 59. 60. 61. 62. 63. Fœderi Rhenano se obstringit. 63. 64. Conventionem cum Sabaudo super titulis & ceremoniis init. 64. Cæsari Exemplar Fœderis Gallici communicat. 64. Crocovium in Sveciam fœderis causa mittit. 66. 67. Qvod perficitur. 69. Cum *Neoburgico transigit.* 71. 72. 73. 74. 75. 76. Cæsari auxilia in Turcam mittit, qvæ ibi rem bene gerunt. 77. 78. Jenam ad componenda Domus Luneburgicæ dissidia. 79. 80. Marenholtzium ad componendam controversiam de Wildfangiatu. 81. Ejus circa componendas Bremenses turbas studium. 82. Magdeburgum ad obseqvium redigit. 83. Polonicos motus sistere nititur & super auxiliis Lubomirscio submittendis consultat. 84. 85. 86. 87. 89. Sed nihil pro eo proficit. 88. Neoburgicum in R. asciscendum Polonis insinuat. 90. Brandium in Angliam mittit. X, 2. 3. Sed nihil impetrare ab Anglis potest. 7. Mediatoris utitur officio. 8. Studium ejus circa extingvendum *Bellum Monasteriense.* 9. Clivicas urbes sibi â Belgis tradi postulat. 10. Considerationes ejus circa societatem Belli Belgici. 11. 12. *Fœdus ejus* cum Belgis 13. Tractatus contra Episcopum Mo-

Monasteriensem. 14. Qvem ab armis revocare studet. 15. 16. Tractatus cum Monasteriensi ... 17. Pari ratione Anglos & Belg... conciliare laborat. 18. 19. 20. 21. 22. Foeder... cavet. Foedus cum Rege Daniæ 26. 27. Auxilia ab eo petunt Hispani. 30. Considerationes ejus circa bellum Flandr. 3 . 33. Declar: ipsius March: Badensi data. 32. Aliorum Electorum atq; PPum sententias super hâc re explorat. 34. Cum Saxone Zinnæ congreditur. 35. Danum â Galli amicitiâ modeste avertere studet. 36. ut & Neoburg: 37. Considerationes ejus circa Episc: Monasteriensem. 39. Rationes, qvæ eum moverint ut cum Gallo Fœdus inierit? 43. 44. Reliqvis Princip: id approbare studet. 45. 46. Consultatio ejus super Triplici Fœdere. 47. Conv: ejus cum Neoburg: super Corona Poloniæ, 48. Neoburg: causâ Legatos in Galliam mittit. 50. 51. 52. Item paci promovendæ. 54. 55. Cum Svecis agit super promovendo Neoburg: 56. 57. Etiam cum Cæsare. 58. 59. Polonis auxilia contra Turcas promittit. 61. Draheimo potitur. 64. Gallorum destinatis in Polonia obsistit. 67. Super Corona Pol. Ejus Respons: 75. Neoburg: gratiâ Blumenth: in Galliam mittit. 80. 81. Sinceræ amicitiæ fidem præstitit. 88. Belgis ad Triplex foed: eum invitantibus respondet XI, 2. A Gallo & Furstenb: tentatur, qvibus respondet. 56. Crocovium in Galliam mittit ad avertendum bellum in Belgas. 7. Gallus ejus societatem de novo petit, cui tamen renunciat. 11. Belgas ad avertendum Bellum hortatur. 14. Apud Gallum qvoque de eo avertendo movet. 15. Furstenbergius Eum denuo ad belli societatem invitat. 16. Ut & Coloniensis. 17. It. Gallus, cui respondet. 18. A Gallo & Neoburgico ad Neutralitatem invitatur. 21. 22. Sententiæ de hâc. 23. 24. 25. Pacem incassum tentat. 26. San-Geranio respondet. 28. 29. 31. Brandium ad Svecum mittit consiliorum explorandorum gratia. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Sveci Ei communicant fœdus cum Gallo. 39. Blumenthalium Hafniam mittit ad exploranda consilia. 40. 41. 42. Marenholzium ad Moguntinum. 44. 45. Cum Brunsvicensibus lis oritur super Comitatu Regensteinensi. 46. Belgæ ejus fœdus ambiunt. 47. Fœdus ipsum. 48. Cæsarem in societatem expeditionis invitat per Anhaltinum Principem. 49. 50. Fœdus Cum Cæsare. 51. Poelnicium ad Belgas mittit. 58. Expeditionem suam suscipit, hinc inde auxilia petens. 60. 61. 62. 63. 64. Omisso Rheno in Westphaliam tendit. 67. Ab aliis Imperii Ordinib: nihil auxilii accipit. 68. Ad Conventum Ratisponens: Literas mittit. 69. A Bavaro frustra auxilia petit. 70. Ut & ab aliis. 71. 72. 73. 74. 75. Angliæ Regi ad Literas respondet. 77. Kroseggium in Svediam mittit. 79. Qverelis Belgarum respondet. 81. Gesta ejus per Westphaliam. 82. Consultatio de ineundâ cum Gallo pace. 83. Viennam eâ de re & Literas & Brandium mittit. 84. 85. Belgis qvoqve svadet inducias, 86. Ut & Arausionensi Principi. 87. An separatus cum Gallo tractatus admittendus, consultat? 88. 89. 90. 91. 92. Meindersius transactionis gratia in Galliam mittitur. 93. 94. Vossemi pacem cum Gallo facit. 95. Qvam Belgis indicat. 96. Et Cæsari. 97. Sveco. 98. ac Imperii Ordinibus. 99. Hoverbeqvium Warsaviam mittit propter Lavenburgum & Butoviam. 100. Item propter Pactorum Renovationem. 101. 102. Kalcsteinius ei insidias struit. 103. Disceptationes super hoc facto. 104. 105. Pacta cum Polonis confirmantur. 106. Polonis auxilia mittit. 107. Et Sculterum in Moscoviam. 109. Pacis conciliandæ gratia Sverinum Coloniam mittit. XII, 1. Marenholzium ad Cæsarem. 105. Per Sverinum pacem commendat Belgis, sed frustra. 8. Ipsius sententia de Furstenbergii abductione. 9. Fœdus ei â Sveco offertur. 13. Consultationes super hoc. 14. 15. 16. 17. 18. Fœdus ipsum procedit. 19. 20. Dubitatio super ratihabitione fœderis oritur. 22. Belgæ ejus amicitiam & fœdus implorant. 24. 25. Deliberat circa disponenda in futurum consilia. 26. 27. Fœderis Svecici excusandi gratiâ Crocovium Viennam mittit. 28. Acta ibi. 29. 30. A Gallo per Verjum tentatur. 31. 32. Cum Cæsare tractat super conjunctione. 33. Ut & Hispano & Belgis. 34. fœdera inter nos 35. Sverinum in Angliam mittit. 36. De destinatis suis Gallo significat. 38. Ut & Sveco per Wangelinum, ut Palatinus & Trevirensis restituantur. 39. 40. 41. 42. 43. 44. Expeditioni sese accingit. 45. 46. Gesta ipsius per Alsatiam. 46. 47. 49. Knesebecium ad Helvetios mittit. 48. Rhenum iterum transit. 49. Religio ipsius Cæsareis est suspecta. 52. â Sveco contra Gallum auxilia poscit. 55. Svecus respondet ei. 58. Censuræ de his literis. 59. Apud Belgas â Svecis accusatus, se excusat. 62. Contra Svecorum conatus, opem Ordinum Imperii & aliorum exposcit. 64. 66. Marchiam ipsius invadunt Svedi. 65. Certior hâc de re factus rescribit Anhaltino 66. Michaelis Pol. Reg. mors, non modicam ipsi curam injicit. 67. Sollicitus est de Polon: Regni statu. 67. 68. 69. Mand: Hoverbeqvio circa eligendum Poloniæ Reg: data. 75. Tractatum cum Neoburg: D. conficit. 67. cum Lotharingo super eodem negotio agit. 77. 78. Alsatiâ excedit & hiberna in Francon. capit. XIII, 1. 2. Hostilia in Svec: sumi vetat. 3. 4. Auxilia â Belgis petit. 6. 7. 8. 9. Item â Cæsare. 13. 14. Ratisponæ Acta. 15. parum inde auxilii. 16. 17. Hanoveranum rogat. 18. 19. Ut Seqvestris fruatur officio. 20. Item Monasteriensem. 21. Sverinum mittit in Angliam. 22. It. Legatos in Daniam ad petenda auxilia. 24. Suspiciones circa Danorum mentem. 25. Desponsatio Ulricæ Eleonoræ eum turbat. 31. Marchia valde devastatur â Svedis. 33. In Marchiam redit ac Svecos ad Ratenav. & Febrberl. opprimit. 34. 35. 36. Singulari in eo bello prudentia usus. 57. Apud Cæsarem super satisfactione agit. 40. 41. Danum ad bel-

bellum cum Sveco denuo hortatur. 43.44. Secretum cum Dano fœdus in congressu pangit. 45. Cum Hanoverano qvoqve & Monasteriensi. 46.47. Cum Monasteriensi in Bremensem provinciam irrumpit. 49. 50. Concordiam inter fœderatos servare studet. 51. 52. 53. Una cum Cæsareis ac Danis in Pomeraniam irrumpit. 54. 55. 56. 57. Cum Polonis ambigue agitur. 58. 59. 60. Sculterum in Moscoviam mittit. 61. Causam suam Neomagi commendat Anglo 65. 70. Hoverbeqvius in Poloniam ablegatur. XIV, 1. Ut eos â Gallorum & Svecorum amicitiâ avertat. 2. 3. Et pacta confirmet cum eis. 4. 5. Poloni parum amici pollicentur. 6. Majores Polonos sibi adjungere studet. 7. 8. Polonos ad invadendam Livoniam stimulat. 11. Sculterum ad Polonos Majores mittit. 12. Cum Cæsareis super satisfactione agit. 13.14.15.16.17.18. Item super pacto mutuæ successionis, cum Domo Austriaca. 19. Et circa Cæsaris nuptias. 21.22. Hanoveranum frustra in partes suas pertrahere tentat. 23. 24. Ut & Bavarum. 25. Acta cum Monasteriensi circa Bremensem partitionem. 28. 29. 30. 31. Cum Luneburgicis & Monasteriensi conventionem init super auxiliis. 32. Brandium Hafniam mittit. 34. *Fœdus* ipsius cum Dano contra Svedos. 39. 40. cum Belgis super perpetuo fœdere agitur. 41. 42. Ruckium in Hispaniam mittit. 43. Ab Anglo inhibitionem Svecicarum navium frustra petit. 44. Arma ejus contra Svecos sunt felicia. 45. Pacem â Gallo & Sveco oblatam recusat. 46. in Pomeraniam irrumpit & Anclamo potitur. 47. Ac Demmino. 48. Hibernorum gratia difficultates ei oriuntur, Meindersium igitur mittit ad Cæsarem. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Et Knesebecium Dresdam. 55. 56. Somnicium & Blaspielum cum Mandatis Neomagum. 68. 71. Per Crocovium apud Cæsarem de Hospitiis circa reficiendum Exercitum proponit. XV, 2. Conventus Brunsvicensis ei parum favet. 3. Super satisfactione de Pomeraniâ cum Cæsareis agit. 4. Hanoveranum in Partes suas trahere frustra tentat. 6. Cum Dano & Monasteriensi *fœdus* init. 7. Gladebecium Cellas mittit ad petenda auxilia & Hospitia. 8. A Cæsareis propter Rebelles Hungaros, ab Hispanis, propter inopiam nil impetrat. 9. 10. 11. Polonorum Machinationibus per Hoverbeqvium obsistit. 12. *Pacta* cum Polonis *renovat*. 14. Moscos contra Svecos excitare frustra laborat. 15. *Stetinum* obsidet & expugnat. 18. Circa hiberna iterum ei oriuntur difficultates. 20. Ipsius Residens Polonia exire jubetur. 21. Polonus ipsi est suspectus. 22. Propter Strauchii liberationem respondet. 23. 24. Propter Liliehœckii invectivam ad Svecum scribit. 25. 26. Et ad Polonum variis de causis mittit. 30. Propositiones ejus in conventu Neomagensi. 43. 47. 50. Responsum ad Galli ac Sveci propositiones. 54. Epistola ejus ad Belgas de festinatione pacis. 57. De Belgarum cum Anglo Fœdere apud eos qveritur. XVI, 5. 6. Ejus considerationes circa istud. 7. Cæsareæ Aulæ mentem per Crocovium explorat. 8. Declaratio ipsius Arausionensi data. 14. Paci Belgarum cum Gallis apud Anglum frustra se opponit. 27. Ut & apud ipsos Belgas. 28. 30. Ipse Pacem qværit si totâ Pomeraniâ potiatur. 31. 32. 34. Belgas ad fortia consilia stimulat. 39. Sed pax procedit. 48. Epistola ad Belgas super Pace. 50. Consultatio super Petitis Brunsvicensium & Luneburgensium. 53. 54. 55. Petita Brunsvicensium & Luneburgensium cum Monasteriensi communicat. 56. Ut & Dano cum qvibus *fœdus* init. 57. Consultatio ipsius super expeditione bellicâ. 59. *Rugiam* Insulam occupat. 60. *Stralsundam* primo literis. 61. Deinde armis tentat & *expugnat*. 62. Ut & *Grypswaldam*. 63. Svecorum ê Livoniâ irruptionem in Borussiam avertere laborat. 65. *Strauchium* in gratiam Poloni ê custodiâ dimittit. 66. Conjurationem qvandam Poloniæ regi aperit per Niemericium. 67. Sculterum propter Svecorum irruptionem in Borussiam & Majorem Poloniam mittit. 68. Cum exercitu in Borussiam ire cogitat. 69. cum suis qvid deficientibus sociis agendum consultat. 75. Per Espencæum & Meindersium Galli mentem super Pomerania explorat. 76. 77. Ut & Cæsaris per Crocovium. 79. 80. 81. 82. 83. 84. Ulterior ipsius consultatio super præsenti rerum statu. 85. Ad Cæsarem scribit. 86. Cum Cellensi qvoqve Duce consilia communicat. 87. Ordines imperii ei videntur esse adversi. 88. Protestatio ipsius contra formulam pacis â Cæsareis exhibitam. 94. 95. Obtinet confirmationem pacti hæreditarii super Juliacensibus ditionibus â Cæsare. 96. Cum *Belgis* decennale fœdus init 97. 98. 99. 100. Irruptione Svecorum in Borussiam opponit vires. XVII, 2. Ipse in Borussiam se confert. 4. ac eos *fugat*. 5. 6. Auxilia â Polonis exposcit. 7. A Pacio transitum per Samogitiam. 8. Et â Polonis Tormenta Hornii. ibid. De præcipitatâ Cæsareorum atqve Luneburgicorum cum Gallo pace qverelas agit per Crocovium. 10. 11. Item super non communicato articulo. 26. pacis Cæsareo-Gallicæ. 9. De non præcipitandâ pace Cæsareos monet. 21. Contra pacem eorum cum Gallis, 22. & Svecis, 30. Ut & Usurpationem Legationis Cæsareæ protestatur. 26. Consultat qvid hoc rerum statu faciendum? 32. Ratihabitionem pacis Neom: impedire studet. 33. 34. 35. 36. Ratisbonæ paci frustra contradicit. 39. Cellens. Ducem â Neomagensi pace avertere frustra laborat. 40. 42. Ut & Osnabrugensem Præsulem 41. Ab Hispanis nil auxilii accipit. 43. Ut & Anglis. 44. Neomagi *inducias* cum Gallis init 54. Belgarum operam super tuendâ Cliviâ frustra implorat. 56. Super prorogandis induciis pactum. 60. 61. Ad Gallum scribit. ibid. Ad Belgas. 62. 64. Ad Isalam exercitum ducere intendit. 65. Meindersium duplici vice Neomagum Hagam & in Galliam ad avertendum Gallum

lum â Sveco fruſtra ablegat. â §. 66. usqve. 75. Tandem neceſſitati cedit. 76, Ut Danus qvoqve paci includatur, laborat. ibid. 80. *Pax* inter Eum & Svecos, *San-Germanica* conficitur. 80. Qvam Anglo ſignificat. 81. Ratificationem hujus Creqvio mittit. 82. Super executione pacis cum Gallis agit. 83. Et cum Svecis ſuper ratificatione. 84. Dano Meinderſii miſſionem in Galliam indicat & â Scaniæ tractatu dehortatur. 85. Eidem de ineundâ cum Svecis pace ſignificat. 86. Ac ſe excuſat. 89. Ipſius Reſponſum Dano datum ſuper invaſione Hamburgi. 93. Item Luneburgicis. 95. Seqveſtrum ſe huic rei offert. 96. 97. Qvare Galli amicitiam affectaverit? XVIII, 1. 9. Conſiderationes ejus circa fœdus cum Gallo. 2. Declaratio ad oblatum ab Anglo fœdus. 3. 4. Ut & â Cæſare. 5. 6. Ab Imperio ſatisfactionem fruſtra petit. 8. Dani amicitia ipſi eſt ſuſpecta. 9. Hiſpanicis navibus repreſſaliarum jure manus injicit. 10. Factum iſtud per ſuos excuſat. 11. *Magdeburgici Ducatus* poſſeſſionem accipit. 12. Aſſociationis fœderi ſubſcribere non vult. 23. Cum Erneſto Auguſto *fœdus* init. 25. Ut & cum *Saxoniæ Electore*. 26. *Nuptias Radzivilæ* pro filio Ludovico ambit. 27. Super eo connubio acta. 28. 29. Super Indigenatus jure cum Polono agit. 30. Or. Friſiæ Ordinum *protectionem* ſuſcipit. 31. *Navigationem in Gvineam* inſtituit. 32. Pactum cum Belgis eâ de re conficit. ibid. Super Gallorum Reunionibus Legatos mittit. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 41. 42. Cum Hanoverano præſens communicat. 40. Cum Dano qvoqve deliberat anne pax cum Gallo præ bello ſit eligenda. 43. Cum Gallo *fœdus* init atqve opem ipſius implorat. 44. Qvare paci magis cum Gallo qvam bello ſtudeat? 50. 53. 56. Auſtriorum ſententiæ qvædam opponi curat. 55. Ea de re Crocovium Viennam mittit. 56. Ut & ſuper ſatisfactione. 57. Qveritur ſuper Laxenburgico fœdere. 58. 64. 78. Neoburgicum ad pacem cum Gallo promovendam hortatur. 60. Cæſari res Hungariæ commendat. 63. Canicium ad Moguntinum mittit. 65. Cum Dano *fœdus renovat*, conventionemqve init. 70. Circa Gottorpienſe negotium eum admonet. 71. Monaſterienſem qvoqve *in fœdus* ſuſcipit. 72. Belgas ad pacem permovere ſtudet. 73. Cum Sveco agit. 75. 77. Cum Saxone conſilia confert. 78. 79. 81. Pacem cum Gallo Cæſari commendat. 80. Miſſo eam ob rem Sverino. 82. Ut & Laxenburgici fœderis atqve prætenſionis gratia in Ducatum Lignicenſem. 83. 84. 85. In Poloniam qvoqve mittit Crocovium. 86. Polono auxilia contra Turcam mittit. 87. Conſiderationes ipſius circa Svecum. 90, 91. 92. Cæſari 12000. Militum offert ad bellum Turcicum. 95. Qvare hoc propoſitum fuerit irritum? 96. Et in liberatæ Viennæ partem non venerit? ibid. Inter Boreales pacem ſervare ſtudet. 97. Dano qvietem commendat. 98. Ut & Luneburgicis, ibid. Fœdus cum his inire cupit. 100. Reſponſum ejus Saxoni datum 101. Bellum Gallicum avertere laborat. 102. Galli deſtinata eludit. 104. Apud Cæſarem de pace cum Gallo urget. 105. Luneburgicos ad pacem permovere ſtudet. 106. Apud Gallum de Arauſionenſi agit. 107. Jus ad Arauſionenſem principatum pro ipſo & liberis ſuis ſibi ſalvum cupit. ibid. Ejus Declaratio erga Cæſaris Legatum. 109. 110. Serio rem cum Gallis agi monet. 111. Germanicæ ſecuritatis reſtituendæ gratia Fuchſium ad Hanoveranum & Cellenſem mittit. 112. Item ad Colonienſem. 113. Cum qvo conſilia confert. ibid. 114. *Fœdus* cum Dano & Colonienſi init. 115. Belgas ad pacem cum Gallo & bellum contra Turcas adhortatur. 116. 118. 119. Anglos qvosdam profugos recipit. 117. Bellum â Belgis avertere ſtudet. 120. Luneburgenſes in ſui partes pertrahere Daniqve ardorem temperare. 121. 122. Formula fœderis cum Luneburg. ipſi non ſatisfacit. 123. Moderatiora tamen his & Dano ſvadet. 124. Colonienſi itidem. 125. Ac Gallo. 126. de Pacto ſuper Dœmitzâ qveritur. 127. Belgis iterum pacem cum Gallo ſvadet. 128. Sententia ipſius de Circuli Burgundici guarantiâ. 130. Reſponſum Bavaro de induciis datum. 131. Item Cæſari, de Lutzenburgi invaſione. 132. vid *Ratisbona*. Cum Luneburgenſibus *fœdus* init. 135. Ejus circa Svecos cura. 136. Polonis certis ſub conditionibus auxilia contra Turcas mittit. 137. *Hohenzolleranum titulum* aſſumit. 138. Sverinum Viennam mittit ob res Domum ſuam tangentes. XIX, 1. Reſponſum Freitagio, circa auxilia contra Turcam datum. 2. Ad novum Angliæ regem Spanhemium ablegat. 4. Propter religionem cum Belgis funditus reconciliari ſtudet. 5. *Fœdus* cum eis renovat. 6. Qvod erga Danum excuſat. 7. Ut & erga Gallos. 8. 9. 10. Scriptam tamen declarationem dare Gallo recuſat. ibid. Literis interim mentem ſuam axplicat. 11. Gallorum facta contra inducias eum valde movent. 12. Ejus opera circa Palatinam ſucceſſionem. 13. 14. 15. Perſecutio Reformatorum in Gallia eum â Gallo prorſus avertit. 16. In eorum favorem Edictum promulgat atqve eos recipit. 17. Propter facta in Arauſionenſem perpetrata, ut & Proteſtantium perſecutiones cum Gallo expoſtulat. 18. Wurtenbergico Duci ſuper Juvignii facto ſententiam ſuam indicat. 19. Cum Svecis amicitiam inſtaurat. 20. Inter Cellenſem Ducem ac Hamburgenſes exortis turbis, ſeqveſtrem ſe offert. 21. 22. Acta eâ de re apud Cæſarem. 23. Apud Cellenſem. 24. *Vicennale Fœdus* cum Cæſare init. 25. *Copias ad expugnandam Budam* mittit. 26. Cum Sveco Fœdus ferit. 27. 28. Gallum ne contra inducias agat, monet. 29. 30. Auguſtano fœderi ſe illigare recuſat. 31. Ipſius judicium de Literis nomine Imperii ad Gallum ſcriptis. 33. Laurerenſis & Simmerenſis Ducatus invaſionem diſſvadet Aurelianenſi.

34. Ju-

34. Judicium ejus de Statuâ Regiâ. 35. Danô Galli atque Hamburgi gratiâ moderata ingerit. 36. *Hamburgi defensionem* contra Danum suscipit. 37. Eum adhuc à tali conatu dehortatur. 38. 39. 40. Et Regi & urbi amicam compositionem suadet. 41. 42. Hamburgensium causam Sveco commendat. 43. 44. Ejus sententia de Galli induciis in pacem mutandis. 46. Cum Gallo super his disceptat. 47. & cum Cæsare super eis agit. 48. 50. 51. Cum Joanne Adolfo Saxoniæ Duce super. IV. Præfecturis Magdeburgicis *transigit*. 53. Moscicum legatum audit. 54. Belgarum edictum circa Monachos &c. probat. 55. Super Trarbaci munitione apud Gallum queritur, Cæsariq; mentem eâ de re aperit. 56. 57. 58. Furstenbergii electionem in Coadjutorem Coloniensem impedire studet. 59. 60. Quare Legatos in Polon. miserit? 61. Circa componendam inter Daniæ Regem & Gottorpiensem Ducem controversiam laborat. 62. 65. 67. 68. 69. 70. 74. 76. 77. 80. 81. 82. Quæ tamen post mortem ejus demum componitur. 83. v. *Altona*. Cum Arausionensi super Jacobi. II. Angl. Regis destinatis consilia confert. 99. Ejus morbus, cura extremorum, dicta & monita ad Suos; item obitus. 100. Stemma. 101. Educatio. 102. Matrimonium & Liberi. 103. Animi item atque Corporis dotes. 104. Ejusdem felicitas. 105.

Fridlandus Stralsundam frustra oppugnat. XVI. 62.

Frisia pactioni cum Gallis se opponit fortiter XI, 55.

Frisia Orientalis, ejus Ordinum protectionem Elector suscipit. XVIII, 31.

Fuchsius Cellis transitum pro Brandenburgicis legionibus impetrare neqvit. XVII, 42. Ad Danum mittitur. XVIII, 43. Hanoveram. 106. 112. Ad Coloniensem. 113. Paderbornensem Præsulum & Coloniensem. 113. 114. 115. Ad Belgas. 116. 119. Amstelodami adventus ipsius gratus. 118. Ad Arausionensem atque Belgas ablegatur. XIX, 5. Renovandi fœderis gratiâ. 6. Fœdus cum Svecis conficit. 27. Hamburgensis negotii causa ad Danum mittitur. 41. Ad componendam Gottorpiensem controversiam ablegatur. 70. 71. 72. 76. 80. 81. 83.

Fürstenbergii instigant Coloniensem, ut Domui Austriacæ difficultates circa Electionem moveat. VII, 27. 31. 35. Quare Gallo ita mancipati? XI, 20. Iterum restituuntur. XVII. 24. art. 23.

Fürstenbergius [Franciscus Egon] temperamentum coram Gallo pro fratre captivo proponit. XIII, 67. Difficultas circa diploma ejus ad conventum Neomagensem. XIV, 59. An ad negotium Neomagense sit admittendus. XV, 40. Gallum Argentorati alloqvio excipit, & Cathedrale templum ritu Romano imbuit. XVIII, 21.

Fürstenbergius [Wilhelmus Egon] Brandenburgicum ad Galli partes adversus Belgas trahere studet. XI, 5. 6. 16. Bonnam captivus ducitur. XII, 9. In Galli gratiam totam Germaniam turbis involvit. 33. Fax & tuba omnium malorum. XIII, 64. circa eum liberandum acta. *XII*, 33. *XIII*, 64. *XV*, 40. circa eum temperamentum. 67. In Neomagensi negotio de illius liberatione proponitur. *XV*, 40. *XVI*, 90. Pace Cæsareo-Gallica liberatur. *XVII*, 24. art. *XXIII*, Ipsius sententia de Gallorum reunionibus. *XVIII*, 38. Coadjutor Coloniensis artibus Gallorum eligitur, cui res contradictum ab Imperio. *XIX*, 59. 60.

Fürstenwalda cum Sveciæ Rege Brandenburgici Legati colloqvuntur. V, 54.

G.

Gadebuschi cum Dano congressus. *XIII*, 45.

Gallia aliorum maxime culpa ad id potentiæ fastigium provecta. *IX*, 1. à Polonis ratione Imperii describitur. *X*, 77. Ejus qvantum olim in Svecia studium. *XII*, 57. herili constat Imperio ibid. *XVII*, 78. *XIX*, 16. De Jacobi familia pessime merita. *XIX*, 4. cur ipsi ab Imperio nil infesti metuendum? 47. Persecutio Reformatorum ei maximopere damnosa. 55.

Gallici Scriptores prætensiones sui Regis in universum prope mundum extendunt. *X*, 34. *XVIII*, 83.

Gallica Connubia Exteris infinita mala attulerunt. *XIX*, 84.

---- *Classis* Danum ad bellum instigat. *XVIII*, 98.

---- *Corona* obtentui sumitur reunionibus. *XVIII*, 13. 14.

Gallica rationes sæpissime coloribus nituntur, *XVIII*, 19. ac nulla est tam deformis, qva non utantur ubi commodum videtur. *XVI*, 23.

Gallica Lingvæ & Vestitus amor Germaniæ mali videtur ominis. *XVIII*, 48.

Pecuniam Gallicam ex vero describit Oxenstierna. *XVIII*, 76.

---- *Prætensiones* in infinitum se extendunt. *XVIII*, 50. 54.

Gallici Legati insolentes ac famosas literas ad Cæsarem & Electorem mittunt. II, 13. circa cerimonias Francofurti scrupulos movent. II, 18. cum illis super titulo difficultates Monasterii. 21. 22. Acta eorum cum Brandenburgicis super Pomerania. 34. 36. De cedenda Sveco Pomerania suadent. 41. 47. 53. 56. Triplicem viam circa componendum de Pomerania negotium Brandenburgicis proponunt. 57. 68. Belgicorum acta improbant. III, 4. Pomeranicum negotium ad finem perducere juvant. 9. Neomagense negotium per varia diverticula eludunt. *XV*, 40. inter hos & Cæsareos de pace agitur. 90. 91. Hispanicæ pacis ratihabitionem extrahere student. 93. In pacis Neom. negotio se insolenter gerunt. *XVII*, 15. Super articulo, *XXVI*. pacis Cæsareo-Gallicæ cum Cæsareis disputant. 16. 17. Eorum notæ ad Cæsareorum declarationem. 18. 25. Omnia pro lubitu

lubitu agunt. 20. *Imperii* vocab. Galliæ regno anteponi nolunt. ibid. Pax inter eos cum Cæsare subscribitur, & dicterium de illa pace. 23. Danum & Electorem ad pacem urgent. & super ea re disputata. 46.47. Pacem ineunt cum Monasteriensi. 55. Propter profugos è Gallia receptos cum Electore expostulant XIX, 18. Offensam ob Edictum Potstamense apricantur. 29. De Augustano fœdere qveruntur. 30.32. Inter Anglum & Arausionensem dissidia serunt. 89. Connubium Radzivilæ in Polonia primo improbant, post comprobant. XVIII. 29. Qvid Francofurti super Reunionibus proposuerint? 33.45.49. A Gallicæ lingvæ usu desistere nolunt. 48.49. Reunionum negotium Ratisponam pertrahi malunt. 51. vid. *Reuniones*. Brandenburgici fœdus cum Belgis renovatum improbant. XIX, 8.9.11.

Gallicus Clerus contra Pontificis autoritatem qvasdam propositiones in conventu stabilit. XIX, 16.

---- Gubernator nomen suum supra Angliæ Regis adscribit. XVI. 40.

Gallicus Legatus Juvignius qvantum sibi ratione sacrorum Stutgardiæ arrogaverit? XIX, 19. 1678. male à Veziero Turcarum exceptus, qvod tamen Rex ægre non tulit. XVI, 23.

Galli Svecis favent. II, 34. Electorem ad arma paranda hortantur. III, 20. una cum Svecis Electorum autoritatem circumscribere meditantur. 63. Svadent ut cum Svecis contra Polonos arma societ Elector. VI, 11. Svecos contra Cæsarem incitant. 40. Pacem inter Polonos & Brandenburgicos sufflaminare laborant. 68. Germanos lacessere non desinunt qvamdiu à tergo hostis. 75. Eorum machinationes circa dejiciendos Austrios à Cæsareo fastigio. VII, 31. Eorum minæ de non eligendo Austrio non attendendæ. 33. varia qveruntur. 37. Consilia eorum super electione novi Cæsaris alium ac sperârunt sortiuntur eventum. 42. Rhenanum fœdus ipsis est ludibrio. 65. Super expeditione in Svecos cum iis disputata. 67. viam qværunt, ut Polonos atqve Austrios dissocient ibid. De eligendo ex illis Rege in Polonia considerationes. IX, 20. Eorum auxiliis non multum fidei. IX, 78. Emtioni Cliviæ Ducatus si venalis sit se offerunt. X, 16. Cur Polonis invisi. X, 60. Abdicationem Joannis Casimiri urgent. X, 66.67. Magna circumspectione agentibus cum illis opus, qvod docent artificia circa illudendum Neoburgicum in Coronæ Polon. ambitu ostensa. 90. Eorum technæ & consilia super invadendo Europæ dominatu altius repetuntur, & ab origine. XI, 1. Keisersbergam tendentes inopina strage afficiuntur. *XII*, 47.49. De perpetuo dissidio inter Cæsarem & Ordines alendo laborant. *XII*, 61. Gallis dira imprecantur qvi bene consulunt Svecis. ibid. Polonos cum Electore committere laborant. 81. *XIII*, 58.59. *XIV*, 2.4. trans Rhenum pelluntur. XIII, 38. Lunebugicorum de illis victoria. ibid. Eorum machinationes in Hungaria. XIV, 10. XV, 9. etiam hiemeres suas in Belgio gerunt. XVI, 13. Qvibus technis atqve mendaciis contra fœderatos usi sint. XVI, 36. Horum instinctu Sveci è Livonia in Borussiam irrumpunt. 68. ad Montes Hannoniæ ab Arausionensi vapulant. 70. Svecis omnia ab Electore restituenda contendunt. 77. Dum de induciis agitur Juliacensem tractum cum Aqvisgrano occupant. 89.90.91. In Clivia atrociter grassantur. 92. Cliviam invadunt. 54. Inducias cum Brandenb. ineunt. ibid. Incendiis & invasionibus Electorem ad pacem urgent. 61. Arma non prius deponere volunt qvam Svecis satisfactum. 74.75.77.78.79.80. Eorum potentia formidanda. XVIII, 5. cum Fœderatis suis qvomodo agent, & qvid ab illis expectandum sit, Oxenstierna differt. XVIII, 76. Gallos qvare aversetur tantopere Sveciæ Rex. XVIII, 76. Eorum collusiones cum Turcis. 96. Nolunt ab Imperio arma parari. XIX, 30. De Augustano fœdere qveruntur. 32. Eorum animus in Svecos. II, 50.56. VII, 53.67. XII, 44. à Trevirensibus magnam pecuniæ vim poscunt. XIX, 12. Cur Galli Polonis invisi. X, 60.

Gallus Bavarum ferro flammisqve persequi jubet, I, 53. Super titulo ipsi tribuendo Monasterii disputata. II, 14.21. Gardii petitum recusat. 56. Post mortem Juliacensis Ducis Principibus nonnullis auxilia sua offert. IV, 11.13. Auxilium mittit ad occupandum Juliacum. 14. Fœdus mutuæ defensionis cum Electore init. VI, 12. Qvare ipsius imperium declinandum? VII, 21. Propria manu ad Electorem scribit. 53. Cum eo tunc acta ibid. & 54. Sveco evictionem promisit si ejus Provinciæ Germanicæ invadantur. VIII, 27.42.63.64. Sententiam suam exponit Electori. 39.40. Pomeraniæ invasionem aculeatis verbis improbat. 42. Ejus declaratio super Art. II. pacis de Amnestia. 76. Ad eum legati mittuntur. IX, 4. Immiscet se turbis Arausionensibus. 21. Legatum mittit ad Electorem & fœdus offert. 34. ejus Postulata. 35.36. ad eum mittitur legatus. 56. acta ejus super fœdere. 57.58. Fœdus tandem absolvitur & renovatur statim. 59.60.61. Qvali honore afficiat Electores. 64. ut novus Poloniæ Rex eligatur efficere cupit. 87. Neutralitatem Belgis atqve Anglis promittit. X, 4. Ejus sententia de Tractatibus Bredanis. 25. Ejus destinata de invadendo Belgio Hispanico & artibus circa bellum inter Anglum & Belgas. 28.29. Electori illa aperit. 29. Fœdus inter qvosdam Germaniæ Principes conflare satagit. 37. Electorem ad amicitiam servandam invitat. 42.43. Fœdus ipsum. 44. Elector ei commendat Neoburgicum. 50. Cui in speciem studium promittit. 51.52. ut & ad pacem promovendam. 54. 55. Brevia bella sed crebra ad exemplum Turcarum optat. 55. Abdicationem Joannis Casi-

Casimiri urget. 66. 67. Neoburgicum commendat. 69. 79. sed in speciem. 86. Technæ & consilia super invadendo Europæ dominatu. XI, 1. De bello Belgis inferendo agitat. 4. Electorem in sui amicitiam trahere tentat. 5. 8. 11. Causæ illius belli. 9. Callidis artibus Anglum in partes suas trahit. 10. Lotharingiæ Ducem ditione sua ejicit. 12. Ejus sententia de turbis Polonicis. 13. Electorem ad Neutralitatem invitat. 21. 28. 29. 31. Ab eo jactata de supprimendis Belgarum fœderatis. 34. Cum Svecis duplex fœdus init. 35. Cæsari scribit, qvod nihil contra Imperium sit tentaturus. 50. Secretum ejus fœdus cum Cæsare. 51. Vaugvionum Comitem ad Electorem mittit. 52. 53. Fœdæ pactionis formulam Belgis præscribit. 55. Arausionensi blanditur. 57. Principibus Rheni omnia dira minatur, si ei resistant. 60. Cur hostis Ratisbonæ non judicetur. 70. Anglo maximam pecuniæ vim mittit, ne deserat partes. 74. Vossemi cum Electore tractat & paciscitur. 94. 95. Postulata ejus in negotio pacis Coloniæ instituo. XII, 4. 5. 6. 7. 8. Propter Fürstenbergii abductionem Legatos suos revocat. 10. Trevirensem bello invadit. 11. Qvod per legatos excusat. 12. Palatinatum invadit. 30. Electorem in diversum trahere tentat. 31. 32. Furstenbergii restitutionem ante pacis tractationem urget. 36. Elector de suis destinatis ipsi significat. 38. Svecos in Brandenburgicum per Feqvierium excitat. 53. Pro Condæo ad Polonicam coronam promovendo laborat. 78. Sobiescii electio ipsi haut ingrata. 80. Liberationem Furstenbergii denuo urget, anteqvam in Neomag. conventum consentiat. 64. Declaratio ejus ad temperamentum circa Fürstenbergium propositum. 68. Polonos contra Electorem solicitat, ut Borussiam ipsi adimant. XIV, 1. 4. Per Bethunium magna munera Poloniæ Reginæ offert, & Titulum Filiæ Franciæ. 9. cum Hanoverano pactum super medio statu facit & multum pecuniæ dat. 24. ubiqve pensionibus innexos habet. 35. Clam cum Electore transigere tentat. 46. Legatos Neomagum mittit. 66. Hungaros Rebelles & Turcas pecuniis fulcit & sollicitat contra Cæsarem. XV, 9. Ejus exercitus maximo apparatu mature in expeditionem prodit. XV, 19. Præsidia aliena in suo territorio ferre non vult, & circa Arausionense castellum responsa. 43. Propositio in conventu Neomagensi. 44. Ad fœderatos responsio. 55. Anglus ei valde obnoxius. 60. 61. Angli atqve Belgarum consilia lactando turbat. XVI, 3. ejus arma in Belgio sunt felicia. 11. Pacis conditiones offert, vel potius majori Europæ parti præscribit. 15. Belgas per literas ad pacem invitat. 23. Ad deliberandum Belgis mensis spatium dat. 26. Qvare tam anxie pacem cum Belgis petierit? 34. Hispanis difficultates de pace movet. 36. Belgis respondet. 37. Circa restitutionem urbium tergiversatur. 42. Ejus legati postulatis suis, obscuris tamen verbis desistunt. 45. cum Hispanis & Belgis concludit pacem. 73. Pax inter eum & Cæsarem subscribitur. Dicterium de illa pace. XVII, 23. ejus formula. 24. Non magni ab eo fit. 39. 52. Svecos ad Neomagensem pacem probandam permovere studet. 40. cum Svecis indissolubili vinculo nexum se esse contendit. 69. ac ut illis satisfiat urget. 74. 75. 78. 78. 79. 80. Eo mediatore Pax inter Svecos & Brandenburgicos conficitur. 80. Svecorum Recessus Limitaneus Regi displicet. 84. Declaratio Regis super Hamburgi invasione. 94. Hujus amicitia cur Electori affectanda fuerit? XVIII, 1. 2. Erga Electorem ad auxilium contra Hispanos, si opus sit, proniorem se ostendit. 10. Magnam partem transrhenani tractus inanibus titulis sibi vindicat, & de satisfactione sua Monasterii agit. 13. Qvali in hac re prætextu usus? 14. Brisaci & Meti peculiaria judicia instituit. ibid. Ejus prætensiones ex Reunionis titulo descendentes. ibid. 15. Ad Ordinum Imperii literas respondet. 18. Ad ipsius prætensiones replicant Cæsarei & Ordines, 19. 20. Argentoratum intercipit. 21. Arausionensem Metim citat & bona ejus Humierio addicit. 22. Bipontinum Ducatum Sveco subtrahit. 23. Offenso Sveco Danum & Electorem in suas partes pertrahere conatur. 24. Pacem ex suo sensu exseqvitur. 26. Ac se illius interpretem fert. 33. Illius vires contra Imperium. 42. 43. Per Rebenacium cum Electore fœdus init. 44. Nulla pacta atqve fœdera curat. 50. 54. coronam Romanam affectat. 59. Atqve Turcam Cæsari immittere studet. ibid. Prætensiones suas etiam Legi Salicæ & juribus Caroli M. superstruit. 61. Fœdus offensivum cum Turcis fecisse dicitur. 62. 96. Cum Tekelio commercia habet. ibid. Magnam pecuniæ vim ad eum mittit. 64. Gottorpiensi causæ se immiscere non vult. 71. Arausionensem principatum Electori offert. 73. Dano atqve Electori petentibus pecuniam per ambages respondet. 74. 92. Super ejus destinatis Saxonis considerationes. 79. Nil securitatis illius conditionibus subest. ibid. Reunionum materiam de novo urget. 88. Illius mentem explicat Croissius. 92. Nuptias inter Georgium & Annam Eboracensem conciliat, ad ægre faciendum Auriaco. 93. Liberatio Viennæ ipsi vehementer ingrata accidit, ut non nisi obliqve insinuaretur à ministris. 96. Danum frustra contra Svecum & Luneburgicos stimulat. 99. De non inferendis Germaniæ armis cavere recusat. 102. 104. Danum & Brandenburgicum Luneburgicis immittere cupit, sed frustra. ibid. Arausionensi, qvà potest, ægrè facit. 107. Jus in Arausionensem Principatum Liberis Electoris offert. ibid. Cæsaris petita eludit. 108. Kœnigseckii judicium de hoc. 111. Coloniensi tres conditiones proponit. 115. Ejusqve ditioni exercitum immittere destinat.

nat. 120. Destinata ejus super terrendis Belgis dissvadet Elector, 126. Danum adversus Luneburgicos incitat. ibid. Flandriam milite inundat. ibid. Cum Mecklenburgico pactum init super Dœmitza. 127. Induciarum diem prorogare non vult, ac super iis acta. 133. Instrumentum induciarum. 134. Magna inter hujus & Angli regimen diversitas. XIX, 3. Stuartis exitium acceleravit. 4. In universam Monarchiam Hispaniæ prætensionum argumenta in promtu habet. 5. Super fœdere Electoris cum Belgis declarationem desiderat. 8.9.10.11. Multa contra inducias facit. 12.29.30. Prætensionem circa Palatinatum movet, & eam tandem Pontificis arbitrio submittere vult, de qvo acta. 15. Reformatos immanissimis modis perseqvitur. 16. Per literas ab Imperio moneri non vult. 33. In Palatina causa nonnihil æqvitatis ostentat. 34. Statua ei erigitur superba, qvæ præbuit ansam variis considerationibus, & causam justis qverelis. 35. De Induciis protinus in pacem perpetuam mutandis proponit, de qvo disceptata. 45.47. Declarationem de servandis induciis Cæsaris accipit, & vicissim aliam ipse tradit. 49.50. Super avocatione Jenæ cum Electore expostulat. 52. Reunitorum locorum munitiones sibi licitas esse contendit, 56. scriptis inde ad Imperii Ordines literis. 58. Furstenbergii electionem in Coadjut. Colon. variis artibus promovet. 59. Super denegata Furstenbergio gratulatione ab Electore aliisqve rebus qveritur. 60. Jacobi II. nimium fervorem improbat. 98. Arausionensi maxime infensus est, ac vitæ insidias struit. ibid. Propter profugorum é Gallia receptum cum Electore expostulat. XIX, 18. 29. Non vult ab Imperio arma parari. 30. De Augustano fœdere qveritur. 32. Inter Anglum & Arausionensem dissidia serit. 89.

Gandavum expugnat Gallus. XVI, 11.

Gardius apud Gallum instat, qvo Svecis Pomeraniam concedat Elector. II, 56. Artibus Christinam à nuptiis Caroli Gustavi avertit. 64.

- - - [Magnus] Gallis maxime addictus. XI, 33. Responsio ipsius in favorem Gallorum Electoris legato data, *XII*, 44. Orationem Feqvierii confecisse dicitur. 54. Ipsius sententia de Electoris propositione contra Gallos. 56. Regi unice charus est. 61. Hujus pravis consiliis, Svecia omnia improspera debet. *XVIII*, 9. Gardiana in Svecia factio Biœrnclovianæ adversa, non minus Galliæ rebus studuit, qvam Galliæ cives. *XII*, 57.

Garlebia de fœdere agitur. *XVIII*, 25.

Gebhardus Cæsari fœdus cum Svecia svadet. III, 61.

Gedanenses sunt morosi erga Electorem. V, 57. Belgarum auxilia præcipue respiciunt. 59. Pillaviæ ostium obstruere tentant. VI, 64. circa Veredarios Gedanenses oriuntur turbæ. IX, 8. 67.

Gedanum. Hujus conservatio curæ est Danis & Belgis. VI, 53. 58. A Poloniâ distrahitur. VIII, 5. Senatum & cives illius loci inter se committere studet Lillihœckius. XIII, 59.

Geldriæ Dux, inter hunc & Cliviæ Ducem, vetus lis. XVI, 97.

Geldria occupatur. XI, 54.

Gennepa, qvare inde præsidia sua deducere nolint Belgæ? III, 24. Ejus vectigal. X, 14

Gentium jus an violetur ob negatam Legatorum admissionem? VII, 60.

Georgius Daniæ Princeps â Polonis magni æstimatur. XII, 73. Qvid obtulerit, si Rex Poloniæ fiat? 79. inter eum & Annam, Eboracensis Filiam nuptiæ per Gallum conciliatæ. XVIII, 93. Responsum ejus Anglo datum propter sacrorum mutationem. XIX, 48.

Georgius Fridericus Waldecca Comes svadet, ut Elector fiduciario Polorum nexu se exsolvat. V, 11. Stetinum mittitur ad tractandum cum Svecis. 42.43.44.45.46.48. Conjunctionem Brandenb. armorum cum Svecicis svadet. VI, 15. 19. Hinc ea de re Francenburgum ablegatur; acta ibi cum Svecis. 20.21.22.23.25. Electori de fide sua cavet. IX, 32. Principis dignitate mactatur à Cæsare. X, 59. Militiam Belgicam sumit. *X*, 9. de qvo qveritur Galenus. ibid. defenditur ab Electore. ibid. est auctor Laxenburgici fœderis. XVIII, 58.59. Copiarum in Augustano fœdere cum aliis Dux designatur. *XIX*, 31.

Georgius Wilhelmus Brand. Elector moritur. I, 3.

Georgius Wilhelmus Brunsv. & Lun. Dux, inter hunc & fratrem oriuntur dissidia. *IX*, 79. 80. Conservatio urbis Bremensis ei commendatur. 82. Svadet ne Elector Belgis sese illigare properet. *XI*, 41. conf. v. *Luneburgici.*

Germania, qvalis ibi rerum facies sub auspicium regiminis Electoris, & aliis temporibus. I, 2. *XI*, 1. *XVIII*, 42.43. Imminet ei periculum à Svecis, V, 30.31. Omni ex parte bellorum incendiis cingitur. VI, 4. Status ejus periculosissimus. VII, 21. *XVIII*, 100.105.106. 110. 116. Qvalem Cæsarem reqvirat? VII, 28. De hujus qviete Francofurti agitur. 48. De ejus qviete laborat Elector. *XII*, 33. Neomagensi pace tota est corrupta. *XVIII*, 34. Qvomodo conservanda? 35. Ejus exiguæ vires. 42.43. Exteri hanc belli arenam esse cupiunt. 75. Ejus status valde periculosus. 100.105.106.109.110.112.116.118. Ejus salutem à negotiis Italiæ & Hispaniæ non suspendendam svadet Elector ibid. 111.128. Ne parent arma, Galli prohibere volunt. *XIX*, 30. Imminet huic à Gallo atrox incendium. 100. v. *Imperium Germanicum.*

Germani Gallicæ lingvæ & moribus malo omine nimium dediti. *XVIII*, 48.

Germersheimum à Gallis occupatur. *XII*, 30.

Gilgilis [Gigeri] ibi cladem Gallorum rident Angli. *X*, 4.

Glogoviam sibi petit Elector. IV, 42.

Gluckstadiense vectigal, Dano ad qvadriennium indultum, per duodecim annos usurpatum. *III*, 12.

Glucstadium à Dano Belgis offertur pignoris vice, qva de re disceptata. VIII, 2.
Gninscius Poloniæ Legatus auxilium ab Electore contra Turcas petit. X, 61. Ejus de Strauchii liberatione negata judicium. XIV, 5.
Goertzkius (Ernestus) Polonos profligat. VI, 48. Ad Sveciæ Regem in Borussiam deducendum, mittitur. 66. Svecis in Borussiâ se opponit. XVII, 2. 4. Fugientibus Svecis instat. 5.
Gœtzius Cancellarius in Sveciam mittitur. I, 34. Stetinum, 42. 43.
Gœus Legatus Danicus Moscoviâ exesse jubetur. XIII, 61.
Gofelda Stenbockio concedenda. III, 32.
Goldackerus (Hartmannus) in Pomeraniam irrumpit. I, 9.
Goldackerus (Hermannus) Peizæ præfectus in custodiam datur. I, 5.
Golnoa; De hâc disceptata. III, 8. Qvid pace Neomagensi super hâc cautum? *XVII*, 78. Pignoris vice penes Electorem manet, 79.
Golzius Saxonis Fœderi cum Cæsare, Sveco & Polono obluctatur. *XVIII*, 81.
---- ad Polonum mittitur. *VII*, 50.
Gosievius Lithuanorum Dux Electore insalutato se iterum subducit. VI, 30. Poltosscam obsidet. 36. In Borussiam ruit. 48. Ad pacem inter Svecos, Brandenburgicos & Polonos conciliandam se offert. 49. 68. 71.
Gothi & Gotti an differant & super scribendi ratione inter Svecos & Danos disputata? *XIV*, 69.
Gotlandia Insula occupatur à Danis. *XIV*, 44.
Gottorpiensis controversiæ origo, progressus atqve finis. *XIX*, 62. 83. v. *Altona*.
Gottorpiensis Ducatus defensionem & in eo jus tribut: bellicor: prætendit Danus. *XVIII*, 71.
Gottorpiensis Dux ab Electore petit, ut ditioni suæ parcatur. *VII*, 69. Conventio ipsius cum hoc ibid. Arcto fœdere Sveciæ innexus. *XIII*, 28. A Dano capitur. 42. Ut restituatur Pace Cæsareo-Svecicâ provisum. *XVII*, 28. Qvid Danicâ pace? 90. 91 Ut in pristinum statum restituatur, Sveci postulant. *XVIII*, 24. In hujus ditione grassantur valde Danici qvæstores. 99. An induciis cum Gallo includendus? 133. Hujus salutem qværunt Luneburgenses. 136. Item Elector. *XIX*, 36. De ejus restitutione deliberatur. 44. Integra illius cum Dano controversiæ series recensetur. 62. usqve. 83. conf. voc. *Altona*.
Gottorpium Danus se cum seqvestribus confert propter Hamburgense negotium. *XIX*, 41. 42.
Grana Marchio literas Electoris iterum remittit. *XVIII*, 11. Gallo Clarigationem facit. 116. Bellum in Germaniam & Belgium fœderatum devoluere studet. 118. Inducias Gallicas increpat. 129. ducta formosa uxore Belgis male audit. ibid.
Grabenus commerciorum causâ in Gvineam mittitur. *XVIII*, 32.
Greiffenhaga à Cæsareis occupatur. *VIII*, 28. A Brandenburgicis. *XIII*, 55.
Greifswalda, Grypswalda incassum tentatur ab Electore. VIII, 30. Ab eodem expugnatur. XVI, 63.
Grevenbruca à Spinola occupatur. IV, 20.
Grietsiela ab Elect. occupatur. XVIII, 31.
Griffenfeldius Svecum invadendum svadet. XII, 61. Electori confirmat Danum ipsi auxilio fore. XIII, 25. 26. Varia contra Svedos consilia suppeditat. 29. 31. Qvare tam repente Regis gratiâ & fortunæ fastigio deturbatus fuerit. XIV, 35. Electoris colloqvium & congressum cum Dano subinde impedivit. XVIII, 9.
Grodnensia Comitia qvare interrupta? XIX, 61.
Groninga optime se defendit. XI, 54. Gallorum pactioni se opponit. 55.
Grotius (Petrus) ad Gallum ablegatur. XI, 15. Est causa qvod Belgæ segniter arma adversus Gallum sumant. 26. Cum Gallis ut tractet in mandatis habet. 55.
Grotius (Otto) de pace cum Gallo, Berolini qvædam proponit. XVIII, 106. Gottorpiensis Ducis restitutionem svadet. XIX, 44.
Grunninga Brunsvicensibus addicitur. III, 12.
Gvarantia conf. *Evictio*. qvomodo differat ab Instrumento. IX, 28. Gvarantia Elbingæ. 58. Gvarantia separati articuli Pacis Olivensis. 61. 62. 63. Inter Gallum & Svecum. XI, 36. Hanc respectu Brunsvicensium ac Luneburgensium, ut & Brandenburgici, in se suscipit Gallus. XVII, 80. Qvid de Burgundici Circuli Gvarantia censeat Elector. XVIII, 130. Eam suscipiunt Elector & Luneburgenses. 135.
Gubernator Belgii à qvibus constituatur. XI, 57. Gallicus nomen suum super Angliæ Regis nomen adscribit. XVI, 40. Hispaniæ Gubernatores ærarium expilant. XV, 11.
Gvinea. Eò navigationem instituit Elector. XVIII, 32.
Gunzerus Argentor. urb. Secretarius in prodenda urbe Gallo, singularem navat operam. XVIII, 21.
Gursinius à Polono ad Electorem mittitur Strauchii liberandi & speculandi gratiâ. XV, 23. Elector de isto legato qveritur. 24.
Gustavus Adolfus Sveciæ Rex Cæsaris arma sistit. I, 2. Qvem animum professus sit in bello auspicando. II, 37. 41. 57. Ejus dictum circa Pomeranicam causam. 61. Ejus dictum de jungenda per connubium El. cum Christina Electorali & Regia dignitate. 52.
Gutterbock Præfectura cui addicta ex Pac. Osnabr? III, 16. Hujus gratia inter alia apud Cæsarem per Legatum instat Elector. XIX, 1. Transigitur super illâ. 55.
Gyldenstierna de Svecici Regni statu differit. *XVIII*, 9.

H.

H*abermanni preces* pro pace, Osnabrugæ Sveci recitari prohibuerunt. II, 38.
Habspurgica Domus ex parvis initiis ad summum fastigium pervenit. VII, 28.

Hafnia

Hafnia de Fœdere tractatur. XVI, 57.
Haga Negotiatio propter Pomeraniam tarde procedit. II, 72. Formula fœderis cum Polonis ibi cuditur. V, 15. Conventus instituitur. VIII, 3. Compactum ibi fit, cujus primaria Capita recensentur. 4. Weimanni invectiva contra illud. 5. Significatur Electori ad qvod respondet. 6.7.8.9. Formula fœderis ibi concinnatur. XII, 34. Item Formula temporariæ transactionis circa partitionem Bremensis Provinciæ. XIV, 29. Hanc erga Electorem excusant Belgæ. 41. Propositiones Pacis à Gallo confectæ Fœderatis ibi communicantur. XVI, 16. A Gallo Literæ pacis offeruntur. 23. Meinderfius eò mittitur. XVII, 68. Conventus ibi super pacis negotio cum Gallo instituendus. XVIII, 108. 109. 112. Negotia ibi secreto tractantur. 115. Acta. ibi. 118.
Hagenoensis Præfectura qvomodo Gallo cessa? XVIII, 13. 15. 19. 20. Deductio Cæsareorum de hâc. 68.
Habnius causa cladis in Rugiâ. XVI, 57. Dani ac Electoris amicitiam dissolvere studet. XVII, 87. XVIII, 9. 24. De invadendo Hamburgo cum aliis auctor est Regi. 92.
Hala Svevorum Protestantes conventum agitant super Juliacensi causâ. IV, 11.
Halberstadiensis Episcopatus conceditur Electori. III, 16. Svecorum tricæ circa hujus traditionem. 32. ejus dit: traditur tandem Electori cum Mindensi ditione. 35. Ejus Canonicatus ærario suo assignari petit Elector. *XIII*, 40.
Halberstadium super eo mota. III, 12. 32. Electori traditur. 38.
Halla mortuo Augusto, Electori traditur. *XVIII*, 12.
Hamburgensium Ablegati Viennæ aspere habentur. *XIX*, 24.
Hamburgenses de Electore male meriti. *XVII*. 92. Auxilium ipsius expetunt. 96.
Hamburgensium plebs ferox & arrogans. XIX, 21. 22. 23.
Hamburgum Electori L M. uncialium debet. XVI, 87. In ordinem redigere vult Danus. XVII, 92. 93. 94. 95. 96. 97. Servari, omnium interest. 94. 94. Lis cum Dano componitur. 97. Ejus conservatio Electori curæ est. XVIII, 97. 135. Turbæ ibi novæ oriuntur. XIX, 21. 22. 23. 24. De tradendâ hâc urbe Dano, conspiratio detegitur. 36. Potestas 30. Virorum abrogatur ibi. 37. Elector eo nomine ad Danum mittit, ac illius defensionem suscipit & eo nomine mittit ad Daniæ regem. 37. 38. A Dano impugnatur. 39. Ei moderata ingerit, & ad constantiam ac spem hortatur Elector ac operam pollicetur. 40. Negotium continuatur. 41. Et componitur tandem. 42. 43. 44.
Hammum. Super eo evacuando cum Cæsareis acta. III, 22.
Hanoverani de Gallorum reunionibus consilium. XVIII, 40. In Svecos incitari non potest. XVIII, 91. super pace cum Gallo exponit sententiam. 121. Galli ejus fœdus crepant, ut ægre faciant Electori. XIX, 52. conf. *Joannes Fridericus Hanov. Dux.*
Hanoveranus Legatus Francofurti lites movet. *XVIII*, 46.
Hanseatici inter rationes conservationis habent, potentiorum captare favorem. II, 61.
Hardenfeldius ad Torstensonium mittitur. I, 45.
Harlæus acerrimus Protestantium hostis. *XIX*, 16.
Hassi Clivicis ditionibus graves incumbunt. I, 47. Amicitiam cum Electore reparant. 48. Conventio eorum cum illo. 49.
Hasso-Casselani Landgravii sententia circa Gallorum Reuniones ac dependentiarum commenta. *XVIII*, 42.
Havelandiam Sveci inundant. *XIII*, 33.
Haugwicius Sverino de præsenti Imperii conditione respondet. *XVIII*, 81.
Hazfeldius ad componendum dissidium inter Electorem & Neoburgicum in Westphaliam mittitur. IV, 30. Brombergæ consilio habito cum Polono & Electore super rebus in futurum gerendis consultat. VII, 10. Ab ingenio describitur ibid. in conjunctione maturanda tergiversatur. 11.
Heligen-Land Insulam qvibus argumentis prætendat Danus? *XIX*, 66. 75. 78. 79.
Heimburgius ad Electorem variis de causis mittitur. *XVI*, 53. 55.
Helvetii Burgundiam servare potuissent. X, 52. Gallis argento Corpora sua vendunt. XI, 1. Frustra ad societatem belli sollicitantur. 73. Electoris Legatum exqvisito honore excipiunt. *XII*, 48.
Henricus IV, Galliæ Rex Reformatis aditum ad regnum debuit, iisqve Edicto Nannetensi cavit. *XIX*, 16.
Henrietta Aurelianensis conjux, in Angliam proficiscitur ad fratrem. *XI*, 10. reversa subito moritur. *XI*, 10
Hervordia imperialibus Civitatibus sese inserere conatur. II, 70. Ab Electore in ordinem redigitur. III, 19.
Hessus ab Electore in Moscoviam mittitur. *XV*, 15. *XVII*, 9.
Heugius Galli amicitiam ingentibus pollicitis occupat ad eum à Dano missus. *XVIII*, 9.
Hibrrna, super his ortæ difficultates. *XIII*, 57. *XIV*, 49. 50. 52. 53. 54. 55. 56. *XV*, 10. v. *Hospitia inf.*
Hildesia præsidium immittere vult Coloniensis. *XVIII*, 125.
Hillius Hieronymum Rhodium captivum ducit. *IX*, 49.
Hispania periculosum cum Angl. bellare. *IX*, 25. 26. ad eam subjugandam destinata Galliæ. *XI*, 1. Ibi magna rei numariæ inopia & confusa facies rerum. *XV*, 11. *XVI*, 74. Ejus utilitates qvatenus cum Germaniæ rebus conjunctæ sint. *XVIII*, 109. Sacerdotum consiliis factum asserit Ronqvillius, qvod Hispaniæ res tam male se habeant. *XIX*, 3. Ibi legati, ut cum iis tractari possit, charactere debent esse instructi. *XIV*, 43.

Hispanici Gubernatores ærarium expilant. XV, 11.
Hispanicus Legatus Caesari pacem cum Turcis svadet, cesso Hungariæ regno. XVIII, 94. 95. Cauponationibus & cavillationibus molestus. XII, 33.
Hispani Juliacensibus turbis se immiscent. IX, 20. Eorum Consiliis obstat Aurspergius. V, 35. Vim conscientiis inferre apud eos in morem abiit, judice Cromvello. VI, 10. Qvare Cromvellus contra eos bellum paret. 11. Graviter offenduntur qvod Elector ratihabitionem fœderis cum Leop. Hung. R. aliqvantum differt. VII, 51. Illorum operam in pace Olivensi nemo desideravit. VIII, 74. Minorenne Rege contra Gallum auxilia petunt ab Electore. X, 30. Huic cur multum debeant? 32. Electori fidem non implent. X, 44. 46. Nimium cunctando sua perdunt. XI, 1. Cum iis super bello contra Gallos agitata. 72. Electori contra Svecum auxilia pollicentur. XII. 64. Bruxellis bellum indicunt Sveci. XIII, 10. cum iis super satisfactione acta. 13. ab iis nil pecuniæ extundi potest, & varias ludibriorum eo nomine telas texunt. XV, 10. 11. de instaurando ærario laborant. *ibid.* eorum impotentia notoria. 61. XVI, 20. Inter hos & Anglum difficultates. XVI. 9. Ad Pacem cum Gallo inclinant. 29. Certis conditionibus eam acceptant. 36. Inducias excusant. 70. cum Gallis concludunt. 73. Ratihabitio illius. 93. ab illis nil subsidii exspectandum. XVII, 43. Eorum navibus jussu Electoris ex jure repressaliarum manus injiciuntur. XVIII, 10. Qvâ super re atroces protinus clamores tollunt, ac super eo facto disputata. 11. Gallis Viennæ acriter resistunt. 59. ridiculis rationibus inducti de conditione Galli sibi blandiuntur. 118. apud Belgas paci cum Gallis resitunt. 128. Gallorum destinata in Belgium Hispanicum, ibid. In Inducias consentiunt. 133.
Hispanus legatum ad Electorem mittit. XI, 59. Fœdus cum Belgis. XII, 8. it. cum Cæsare, Elect. & Belgis init. 34. 35. ad eum mittitur ab Electore Melchior Ruckius XIV, 43. ad ejus propositionem responsio Regis. ibid. ejus aulæ facies & Joannis Austriaci ibi destinata. ibid. vid. *Joannes Austriacus*. De ejus connubio acta. XV, 11.
Hocherus (Paulus) Ejus sententia de conventu Francofurtensi. XVII, 10. Cæsaris cum Gallo inducias excusat. 11. 12. Pomeraniam Electori relinqvendam, negat. XVIII, 1.
Hohendorfius dimitti se à Rege Poloniæ petit. XII, 81.
Hohenloicus Comes Augustani fœderis gratia à Cæsare circummittitur. XIX, 31.
Hohensteinensis Comitatus conceditur Electori. Pac. Osnabr. III, 16.
Hollandia Pacem separatam cum Gallo accipit & ei præfractè inhæret. VIII, 3. Solutionem Husiseriani debiti importunè ab Elect. urget. X, 1. in Ejus interiora penetrat Gallus. XI, 34. Ibi Arausionensi adversa prævalet factio, ibid. & XVI, 17. ibi Gallus homines sibi mancipatos habet, per qvos pacem separatam promovit. 23. ab Arausionensi paulisper in suas partes flectitur. 25. sq. purè tamen acceptandam pacem etsi renitentibus qvibusdam urget. 34. sq.
Hollotæ apud Polonos qvi dicantur? VI, 39.
Holmiense Pactum offertur Reginæ Svec. I, 37.
Holsatia Belli sedes eligitur. VII, 47. A Svecis invaditur. 62. 63. Expeditionem eó suscipit Elector. 69. v. *Gottorp.*
Holsati à belli oneribus immunes esse volunt. VII, 69.
Holstius à Polonis in custodiam conjicitur. V, 17.
Homagium Electori à Borussiæ Ordinibus præstatur. IX, 55. Danus exigit ab Hamburgensibus. XVII, 94. XIX, 39. 40. 41. 43.
Hoofdius est in culpa qvod Amstelodamenses in pacem ruunt. XVI, 28. Ultrajectinis aliisqve de non præcipitanda pace monentibus qvid responderit? 34.
Hornburgum traditur Electori. III, 38.
Hornius transitum per Poloniam petit. XVI, 68. In Borussiam irrumpit. 69. XVII, 1. duabus Borussiæ præfecturis potitur. 3. A Brandenburgicis profligatur. 5. Recessu suô Svecicis armis maculam inurit. 69.
Hospitia [Hospitationes] proprio ausu sumpta, pace Westphalicâ prohibentur & super illis cum Svecis disp. XII, 65. Inæqvaliter à Cæsareis distribuuntur & circa illa difficultates. XV, 2. De iis qveritur Elector ibi. 20. induciis non repugnare Galli contendunt. XVII, 54. conf. *Hiberna.*
Hoverbeqvius Conjunctionem Brandenburgicorum armorum cum Svecicis dissvadet VI, 15. In Poloniam ablegatur. VII, 46. 47. Pomeraniam armis invadendam svadet. VIII, 20. In Poloniam iterum mittitur. 45. 46. 47. 49. 78. IX, 14. 15. Warsaviam mittitur. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 52. Iterum eò proficisci jubetur. 86. 89. Cur Neoburgici commendationem differat? X, 60. Illam insinuat Reginæ. 62. Accessus ei ad Regem denegatur. 68. Warsaviâ digreditur. 72. Ad Comitia de Eligendo Rege ablegatur. 83. 84. In interregno post Michaelem prudenter se gerit. 80. In Poloniam mittitur denuò. XIV, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 11. Cracoviæ honorifice excipitur. XIV, 3. Libelli cujusdam contumeliosi in regem autor habetur. XV, 12. Qvo nomine se purgat. ibid. Electoris nomine Pacta cum Joanne Polonorum Rege renovat. 14. Ad Comitia Grodnensia mittitur. XVI, 69. Qvid apud Ordines proposuerit? XVII, 8. Consilium ejus circa nuptias Radzivilia cum Ludovico Marchione Brandenburgico festinandas. XVIII, 27. Ad Comitia Polonica, super eo connubio ablegatur, & super Indigenatus jure. 28. 29. 30. Gottorpiensis negotii gratia Hafniæ Dano qvædam proponit. XIX, 81.
Hoya super formulâ conventionis inter Cæsar. & Luneb. Minist. colloqvium instituitur. XV, 5.

Hufsfrianum debitum qvale? X, 1. & super eo cum Belgis acta. 3 10. XI, 47. XIV, 42. XVI, 97
Humierio bona Arausionensia addicuntur à Gallo. XVIII, 22.
Hungaria. Gallorum & Polon. ibi machinationes. XIV, 10. Origo motuum ibi. ibid. & XV, 9. ibi Cæsaris res in deterius vergunt. XVIII, 59. 61. vid. *Cæsar.*
Hungari auxilium & protectionem Galli qværunt. XI, 10.
Huningam versus Castellum erigunt Galli. XIX, 32. Idqve verbis defendunt. ibid. Croissii sententia de eo. 47. de eo sibi cavet induciis Gallus. 40. 49.
Husari Polonicæ militiæ robur. VI, 38.
Huxtera super ea lites inter Monasteriensem & Guelferbytanum. XI, 15.

I.

Jablonovii consilium. XVI, 65.
Jacobus II. M. Britanniæ Rex. Magnæ populi parti exosus ob sacra. XIX, 3. Ad Consilium Secretum multa speciose differit. ibid. à Ronqvillo monetur, ne Sacerdotibus aut aliis, ad mutationem circa sacra, aurem præbeat. ibid. item ab Electore per legatos. 4. qvo nomine & Parlamento prima allocutione fidem confirmat. 4. Ex actis superiorum & sui temporum, proclive ei erat judicare, qvo animo Gallus cum Angliæ Regibus agat, & cui fini illorum amicitiam affectet. 4. Ejus successio Protestantibus fatale exitium Chivernio minari videtur. 13. Romanos ritus suis civibus obtrudere agitat. 48. Colloqvium inter binos Theologos Protest. & Cathol. haberi curat. ibit. à multis Procerum palam sacrorum mutationem postulat. ab ipso tamen Pontif. Innoc. XI. eo nomine admonetur. ibid. Dano contra Gottorpinum Ducem favet. 67. 71. Ejus regimen ad repetendos ex origine Anglicos motus plenius describitur. XIX. 85. Ejus conatus super Ritibus Romanis in Angliam introducendis se exserunt. XIX, 86. à Parlamento improbantur. 87. Plura adhuc circa inducendam Pontificiam Religionem tentat. 88. Tribunal Ecclesiasticum novum instituit. 89. Parlamento in Anglia & Scotia Pontificios commendat, ac iis indulget multa. 90. 95. Eos officiis ornat, & indies plura novat. 91. Omnium religionum libertatem concedit. 92. 93. Edictum ejus circa hanc. 94. Novo Parlamento congregato, aliisqve id probare studet. 95. Inprimis Arausionensi. 96. Imo destinata sua astu ac vi enixe perducere ad exitum conatur. 97. 98. Legiones, apud Belgas stipendia merentes, avocat, & qvo instituto, qvoqve consilio? 98. Ejus offensa in Arausionensem & Belgas glíscit. 98. v. *Eboracensis Dux.*
Jactura Præsulatus facilius digeri potest, qvam terrarum hereditariarum. II, 37.
Jastranus & Snuqverus propter conspirationem in custodiam dantur. XIX, 22. 24. 36. 39.
Jena [Fridericus] in Borussiam mittitur. V, 58. 59. Conjunctionem Brandenburgicorum armorum cum Svecicis dissvadet. VI, 15. Rationes ipsius in utramqve partem adductæ. ibid. 16. 17. 18. Francofurtum mittitur. VII, 26. 27. 29. 32. Viennam. 63. 64. Invasionem Pomeraniæ dissvadet. VIII, 18. Regiomontanos oratione ad obseqvium permovet. IX, 50. Heilsbergam super Braunsberga & Elbinga mittitur. 53. 54. Item ad componendas lites inter Brunsvicenses & Luneburgenses Duces ortas. 79. 80. Ad Monasteriensem Præsulem. X, 16. Ad Comitia Polonica 83. 84. Bilefeldam XI, 16. 20. 21.
Jena [Godofredus] Conventioni super Ceremoniis cum Sabaudo nomine Electoris cum Marenholzio interest, IX, 64. super Rhenano fœdere cum fœderatorum legatis agit. 65. Ratisbonæ de irruptione Svecorum libere loqvi jubetur. XIII, 15. ab eo oblatam visitationem Joannes Adolf. Palat. humanissime admittit. XIV. 46. Paci Neom. Ratisbonæ nomine Electoris contradicit. XVII, 39. Copias circulares Palatino statim auxilio submitti contra Gallum Ratisbonæ dissvadet. XVIII, 17. Monachium mittitur. 39. ejus sententia nomine Ducatus Magdeburgici dicta sub spe rati. 52. 53. eam jussus vindicat contra Austrios. 55. qvare Ratisbona revocatus? XIX, 51. Super ea revocatione Galli expostulant. 52.
Jenkinus ad Conventum Neomagensem mittitur. XIII, 69, 70. XIV, 66. Conclusioni peculiaris pacis interesse non vult. XVI, 46. Neomago discedit. 52. 82.
Jesuitæ inter fulcra retinendæ potentiæ Viennæ adhibiti. V, 35. illorum ars circa solvenda juramenta. VII, 50. sibi lucrum, Austriis invidiam & damnum consiliis suis conciliant. XIV, 10. Borussos ad novas res incitant. 11. eorum conjuratio in Anglia sub Carolo II. agitata. XVI, 78. enixissime pro pace Neomagi ineunda contendunt. XVII, 13. acriter pacem cum Gallo, bellum in Turcas urgent, & qvare? XVIII, 59. eorum studium eò transfertur, qvò spes super obtinendo Europæ arbitrio. ibid. sq. Cæsarem ad persequendos acrius in Hungaria Protestantes stimulant, 62. sq. Galliæ rationibus innexi impedire student, ne Cæsari auxilia mittantur. 79. in eos Tekelius culpam belli rejicit. 86. alii culpam Viennensis obsidii. 94. Persecutionem Reformatorum in Gallia adornant & promovent. XIX, 16. Jacobi II. in Anglia consilia moderantur. 48. Belgio excedere jubentur. 55. Scholas gratuitas in Anglia inchoant magno confluxu discipulorum. 91.
Illustrium titulus. XIV. 57.
Imperia injustis sæpè armis incrementa sua debent. II, 61. Suas habent conversionum periodos. XVIII, 82.
Imperii Ordines causam Electoris circa Pomeraniam frigidius tractant. II, 43. eorum discordia Germaniæ magno malo fuit. VII, 23. 28.

28. XII, *61*. Ab illis Electori nil auxilii sperandum, *66*. Cæsari de pace Neomag. gratulantur, jurium suorum negligentes. XVII, 36. Pacem eandem Ratisbonæ probant. 39. Super conventis in pace Neom. de satisfactione Gallica cum Cæsareis & Gallis agunt qvo expressa cautius concipiantur. XVIII, 13. super reunionibus cum Cæsare & Gallis agunt. 16. 18. 19. 20. De qvibusdam per alios motæ qverelæ ob fœdus Laxenburgicum. 64. Circa pacem cum Gallo dissentiunt. 75. 89. In induciis jura sua tuentur. 133.

Imperium Rom. Germ. vetustam actionem movet in Borusfiam. V, 14. super eo firmando. XI, 63. XVIII, 5. 6. *Imperii* voc. post Galliam poni prætendunt Galli. XVII, 20. Satisfactinem promittit Electori. XVIII, 8. Ejus vires intuitu Galliæ. 34. 35. 36. 42. 43. 53. 54. 79. 81. 82. 83. 105. 111. 131. Inducias cum Gallo facit. 134. ne arma paret Gallus prohibet. XIX, 30. conf. *Cæsar, Germania.*

Circa *Indigenatus* Jus in Polonia Electori competens acta. *VII*, 5. *XVIII*, 27. 28. 30.

Induciæ cum Svecis. I, 13. 14. 15. 16. 17. 19. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 35. 38. 39. 42. 43. 44. 46. it. V, 69. cum Polonis in duos menses. *VI*, 48. Super induciis inter Belgas & Gallos acta. *XVI*, 1. 14. 19. 26. inter Gallicum & Belgicum exercitum. 70. Neomagi super induciis frustra agitur. 89. *XVII*, 53. Eæ cum Gallo. 54. super iis prorogandis pactum. 60. Circa inducias inter Imperium & Gallum acta. *XVIII*, 103. 104. 105. 130. 131. 132. 133. Illarum instrumentum. 134. Ut in pacem perpetuam protinus mutentur Gallus urget. *XIX*, 45. de qva propositione sententia Cæsaris & Electoris. 46. 47. Declaratio utrinqve facta de iis sancte servandis. 49. 50. An ad Gottorpiensem Ducem porrigi possint? 76. num ad Danum spectent? 77. 80. 81.

Indultum super Pomer. negot. à Cæsare petit Biœrnclovius, de qvo acta. *III*, 61. 62.

Innocentius XI, persecutionem Reformatorum in Gallia clam improbat. *XIX*, 16. Jacobum *II*. monet destinata ne fervide nimis exseqvatur. 48.

Insignia Pomeraniæ, qvat. iis Sveci & Brandenburgici utantur *III*, 1. 16. de insigniis *Sveciæ* à Poloniæ regibus usurpatis. V, 18 19. Ordinis *S. Spiritus* insignia à Gallo transmissa, acceptare recusant Proceres Polonici. *XIV*, 12.

Insterburgum Sveciæ Reginæ Matri locus domicilii destinatur. *I*, 37.

Instrumentum Fœderis Mariæburgici cum Svecis. *VI*, 25. 26. Pactorum Labiaviensium. 45. Welaviensium s. Bydgostianorum. 78. Pacis Vossemensis. XI, 95. Pacis Cæsareo-Gallicæ Neomagensis. XVII, 24. Pacis Cæsareo-Svecicæ. 28. Pacis San-Germanæ. 80. Induciarum vicennalium cum Gallo. XVIII, 134. v. *Fœdus, Pactum, Pax.*

Interesse Brandenburgicum respectu Sveciæ. V, 12. VI, 74. respectu Poloniæ. V, 10. 12. 14.

Circa *Investituram* Borussiæ acta. I, 21. 22. 23. 24. 25. III, 27. circa Investituram Pomeraniæ contra Svecos. 60. 62. Circa Investituram Viennæ acta. IX, 29. à Svecis motæ difficultates. 30, qvibus resistitur. 31. Investitura Magdeburgici Ducatus petitur. XIX, 1.

Invidia in Electorem ob æqvivalentia. III, 10.

Interpres Tartaricus, sine auribus & naso ligneo ridendi materiam præbet. XVII, 98.

Joannes Adolfus Sax. Dux, cum Electore super IV. Præfecturis transigit. XIX, 53.

Joannes Austriacus confusioni Regiminis corrigendæ Madrito propinqvat. XIV, 43. ast impari successu, unde de ejus conatibus variè judicatum ab imperitis. XV, 10. alia ejus 11. pacem Hispanorum cum Gallis detestatur. XVI, 74. laboribus fatiscens extingvitur. XVII, 43. de ejus adhuc juvenis ingenio qvid judicaverit Cardenas. ibid.

Joannes Casimirus Pol. R. circa ejus Electionem acta. III, 27. cum eo super jure suffragii in Polonia Electori competente acta. III, 27. VII, 5. Electoris opem contra Svecos implorat. V, 18. 19. In Silesiam se recipit. 28. Fœdus Electoris cum Borussis probat. 61. Reditum suum in Poloniæ fines indicat. VI, 30. ejus votum B. Virgini factum. ibid. Electorem à Svecis avocat. 33. Spe victoriæ cum suis insolens est, & Sveco ac Electori dira minatur. 36. ad Warsaviam infeliciter pugnat. 37. 38. 39. Condæum adversus Electorem incitat. 41. Electorem sibi conciliare studet. 63. 69. 70. eo nomine ad tractandum legatos mittit. 71. sq. Simulata inter eum & Electorem conventio. 76. vera pacta. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Consilia cum Electore & Hazfeldio confert. VII, 10. 11. Morsteinium ad eum mittit. 49. Diplomata tuti itineris Svecis denegat. 50. Borussos Ducales jurejurando exsolvit. *ibid.* pacem cum Svecis optat. 56. VIII, 53. 55. 72. 73. qvæ concluditur. 74. 75. 76. De ejus successore acta & mota. IX, 14. 15. 16. 35. 42. 43. 44. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. X, 60. 62. 65. X, 74. sq. Infausto sidere se natum ait. IX, 86. Reginæ est obnoxius. 89. ad secundas nuptias transire non vult. X, 66. Super ejus abdicatione agitata. VIII, 5. X, 69. Cæsarei eam impedire student. 71. de Abdicatione sua statuit. 72. 73. Regno se abdicat. 74. ei succedit præter omnem opinionem Michael. 88. In Galliam venit. 89. ei de promissa pensione non satisfit, & apud exteros aliena misericordia vivit. XI, 105. *conf. Poloni.*

Joannes Cliviæ Dux à Carolo V. de Juliaco investitus. IV, 5.

Joannes Fridericus Hannoweranus Dux, ei cum fratre lites intercedunt. IX, 79. 80. cum aliis Conservator urbis Bremæ à Cæsare designatur. 82. nec Cæsari, nec Electori, nec fratri fidit, ac ideo fœderi Brunsvic. nomen dare renuit. XI, 71. Ejus Consilia, & qvomodo Feuqvierium eluserit. XII, 55. cum eo collisionem declinat Elector. XIII, 18. 19. Ad suscipiendum seqvestris officium invitatur ab Electore. 20. Ferdæ copias immittit, qvas mox revocat. 46. cum Dano, Electore, & Mo-

& Monasteriensi fœdus init. 47. Circa eum in partes trahendum frustra laboratur. XIV, 23. 24. ad conventum Neomagensem ei diploma à Cæsare negatum. XIV, 63. circa eum in partes trahendum iterum frustra agitur. XV, 6. Ejus postulata Neomagum scripto missa. 49. Gallo fœdere innexus, & pecunia Gallica illigatus Patriæ opem subtrahit. XVI, 52.

Joannes Georgius Anhaltinus Princeps Marchiæ Gubernator constituitur. VII, 69. prælium cum Gallis svadet. XI, 82. Wrangelii intentionem explorare jubetur. XII, 65. Wrangelio respondet. XIII, 5. Ad Cæsarem mittitur. XVIII, 95. 96. 103.

Joannes Georgius Marchio, Carnoviensi Ducatu exuitur. III, 18.

Joannes Mauritius Nassovius, Francofurtum ad Electionem novi Cæsaris mittitur. VII, 26. 29. In Angliam ablegatur. IX, 22. 23. Acta ibi. 24. 25. 26. 27.

Joannes Sobiescius Magni Mareschalli dignitate ornatur. IX, 89. ejus artes circa coronam ambiendam. XII, 69. 70. 72. 74. 79. Rex eligitur. 80. XI, 108. XII, 33. Circa renovationem pactorum ab Electore cum eo acta, & qvalis ipsi animus ingeniumqve. XIV, 12. XV, 12. Respondet humanissimis verbis Hoverbeqvio. ibid. Ab eo periculum non plane cessat. 21. Electori est suspectus. 22. De liberando Strauchio ad Electorem mittit. 23. 24. XVI, 66. Elector pro avertenda Svecorum in Borussiam irruptione apud eum agit. XVI, 65. 66. sed frustra. 67. 68. Solutum legibus imperium in eum conferri debere clamant Ecclesiastici, ut salva sit Resp. 69. copias argento Gallico conducit, consilia ex eventu capturus. XVII, 1. Cæsis in Borussia Svecis amicum se simulat Electori. 7. Radziviliam filio suo destinat. XVIII, 27. & ea occasione acta cum eo. 28 29. 30. â Galli rationibus se disjungit, & qvare? 86. Morsteinii literas intercipit, & conatus explorat. ibid. cum Cæsare tanqvam Hungariæ & Bohemiæ rege fœdus init. ibid. ab Electore auxilia contra Turcas petit. 87. 137. liberata Vienna magnam gloriam consecutus est. 69. ab Electore auxilio sibi missas copias magno elogio remittit. 137. Filium Jacobum juxta se in throno considere cupit & optat. XIX, 61. v. *Poloni.*

Joannes Sigismundus Elector Brandenb. Cliviæ possessionem adprehendit. IV, 1. 9.

Joannes Wilhelmus Neoburgicus Junior Coronæ Polonicæ commendatur ab Electore. XII, 75. 76.

Joannitici Ordinis Magister. I, 30. III, 14. 16.

Ipra à Gallo expugnatur. XVI, 11.

Itzeboa Danus atqve Elector conveniunt. XVIII, 70. Qvid ibi actum. 75. 136.

Judices pacis in Anglia constituti qvi? XIX, 91. 97.

de *Judicio Aulico* in adornanda Capitulatione considerationes. IV, 40. 42. conf. voc. *Tribunal.*

Juliacensis Ducatus, in hunc conatus Bipontinæ Domus. III, 23. Controversiæ circa hunc orgio & fundamenta. IV, 1. Jura Brandenburgicæ Domus. 2. Prætensio Neoburgica. 3. Bipontina. 4. Saxonica. 5. Comitum de Manderscheid. 6. Prævia circa hanc controversiam solicitudo. 7. Illius Ordines Electorem implorant, atqve Neoburgicum. 8. Dortmundæ super eo transactio instituitur. 9. Austriorum considerationes circa hanc controversiam 10. Gallus Principibus passim auxilia sua offert. 11. Eas ditiones Cæsar vult in Seqvestrem mitti. 12. Arma parantur. 13. Seqvester iterum expellitur. 14. Conventus Coloniæ & Juterboci ea de re instituuntur. 15. Inter Brandenburgicum & Neoburgicum frustra tentatur transactio. 16. Sed discordia inter eos magis gliscere incipit. 17. Ac in nervum erumpit. 18. Belgæ concordiam instaurare satagunt. 19. Hispani hisce turbis se immiscent & nonnulla loca occupant. Ut & Belgæ. 20. Xantensis transactio ea de re perficitur. 21. Dusseldorpii de Juliacensi, Cliviæ, Marcæ, Ravensteinæ &c. successione & divisione agitur & transigitur. 22. 23. 24. Inter Brandenburgicum tamen & Neoburgicum post ad arma decurritur. 25. Electoris declaratio. 26. 27. *Acta hac de re Viennæ.* 28. 29. 30. Elector in compositionem proclivis. 30. Belgæ & alii seqvestres se offerunt. 31. 32. Elector & Neoburgicus invicem colloqvuntur. 33. Essenæ præcipua in causa sacrorum tractatio suscipitur. 34. Cæsareorum ibi acta. Res componitur. 35. Renuntiationem actionis in Juliacenses ditiones à Svecis petit El. VI, 22. 23. Qvidam impostor Spinolæ sub nomine latens sibi mandata super Juliaco esse contendit. IX, 4. super perpetua transactione cum Neoburgico acta. 71. 72. 73. Qvæ transactio perficitur & Juliacum Neoburgico ceditur. 74. ejus summa. 75. Pactum adjectum. 76. ea à Cæsare confirmatur. 76. Inter inducias á Gallo occupatur. XVI. 89. 91. Confirmatio pacti hereditarii circa Juliacenses ditiones á Cæsare obtinetur. 96.

Julus [Nicolaus] Danicâ classe victoriam à Svecis reportat. XV, 17. Cornelio Trompio multum molestiæ dat. XVI, 57. Danorum spem contra Svecos eludit. XVII, 88.

Jureconsulti in Anglia promulgata Conscientiæ Libertate, Jacobo II. gratias agunt. XIX, 94.

Jus Devolutionis. X, 28.

Jus jurandum, formula ejus, qva Pacta Welaviensia utrinqve confirmata. VI, 83. Jesuitarum ars circa solvenda juramenta. VII, 50. jurisjurandi Polonis præstiti ab Electore in fœdere vim elevat Slippenbachius. 56. Regium, habere exceptionem ne posterius priori deroget Poloni, exemplo Gallorum, in alienato Borussiæ imperio retractando, contendunt. IX, 19. Gallo inane nomen. X, 30. de fœdere Cæsaris & Poloni jurejurando

con-

confirmando acta XVIII, 86. circa jusjurandum in Anglia motæ qvæstiones & conatus Jacobi II. XIX, 86. 87. 92. 96. conf. *Homagium*.
Justitia 61. Tanqvam imbelle telum â Svecis spernitur. II, 57. 58. 61.
Juterboci conventus super Juliacensi negotio indicitur; Acta ibi. IV, 15. v. *Gutterbock*.
Juvignius cum Wurtenbergico Duce super extensione sacrorum Legatis permissorum importune altercatur. XIX, 19.
ab Electore repellitur. XIV, 47. Brandenburgicos ex Rugiâ Insula profligat. XVI, 57. Iterum Rugiâ ejicitur & in cymbam insiliens, evadit. 60. Electori deditionem â Stralsundensibus postulanti respondet. 61.
Kreitzius ab Electore in Poloniam mittitur ad petendam Borussiæ investituram. I, 21. Ejus insolentia. 23.
Kroseggius ad Palatinum mittitur. XI, 64. In Sveciam. 79. 80. 98.

K.

Kalcsteinius (Christianus Ludovicus) â consultationibus publicis removetur. IX, 40. Ejus causæ & factionis contra Electorem origo & progressus. XI, 103. Brandii solertia captus in Borussiam deducitur. *ibid.* Super qva abductione & offensa Polonorum ultro citroqve acta. 104. 105. Capite Memelæ plectitur. 104.
Karbathus Jesuita, ad pacta cum Electore rescindenda Regem publice hortatur. VII, 50.
Kebl fortalitium, *XVIII*, 134.
Keiserswerta traditur Gallo. XI, 50.
Kempendorfius ab Electore dimittitur. I, 9.
Kielmannus Gottorpiensi Duci â Danis suspectus redditur. XIII, 42.
Kinskius Electori juxta ac religione male cupit. XIX, 1. extirpandos hereticos fremit ibid.
Kittelmannus ab Electore Vilnam ad Moscum mittitur. V, 62.
Kleistius in Hollandiam ablegatur, II, 48. 72. in aulam Cæsaram. III, 22. In Svecia jactantius & durius locutus dicitur 34. De Pomerania proponit apud Reginam. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. Irritus inde revocatur. 48. In Daniam ad conservandam inter Svecum & Danum pacem ablegatur. VI, 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. De summo Borussiæ imperio coram Dano proponit. 71. circa pacem inter Svecos & Danos alio modo agere jubetur. 72.
Kleius, Svedorum Residens. Electori difficultates movet apud Cæsarem investituræ causa. IX, 30. Cui resistitur. 31.
Klettenberg Dynastia traditur Electori. III, 16.
Knesebecius in Helvetiam ire jubetur. *XII*, 48. In Daniam. *XIII*, 24. 44. Dresdam. *XIV*, 55. Cives Magdeburgicos nomine Electoris homagio obstringit. *XVIII*, 12. Hamburgensis negotii gratia ad Danum ablegatur. *XIX*, 38. 39.
Kænigseckius [Leopoldus Wilh.] qvid de Rosenbergio judicaverit? *XVII*, 35. judicium ejus de Pace Neomagensi ibid. apud Electorem de fœdere contra Gallum instat. *XVIII*, 61. 62. Cæsaris mentem Electori aperit. 85. paci cum Gallo contrarius est.
Kænigsmarckius (Conradus Christophorus) velitationem acrem committit. *VIII*, 10. Captivus ducitur. 34.
Kænigsmarckius (Otto Wilhelmus) cum suis

L.

Laderdalia Dux ut è consiliis Regis amoveatur, Parlamentum decernit & rogat. XVI, 21. 22.
Lagoa commenda restituenda. I, 42. 44.
Lambergius Comes, super Turcico & Gallico Bello cum Electore agit. XVIII, 110.
Landseus â Cæsare Bremam mittitur. XIV, 33.
Lastadia Brandenburgico pacto deditionis subscripto â Stetinensibus traditur. XV, 18.
Lauenburgensis Præfectura Electori conceditur. VI, 80.
Lauenburgi titulus Electori â Polonis denegatur. X, 64. 89. Feudum hoc renovatur â Polono Electori. XI, 100. Idem â Joanne ut fiat, urgetur. XII, 80.
Lauterensis Ducatus prætenditur ab Elisabethâ Charlottâ. XIX, 13. 15. Illius titulo utitur Aurelianensis. 34.
Laxenburgi fœdus conficitur. XVIII, 58. De qvo qveritur Elector 64. vid. *Fœdus*.
Lebenza in Cæsaris potestatem venit. *IX*, 78.
Ledeburius ad Svecum ablegatur. *IX*, 32. Item Cellas. *XVII*, 40.
Legati, Electorales Catholici ratione titulorum Evangelicos distrahere student. 25. Pro commodis Principum contendere debent. 32. 62. Imperiosis dictis uti eos non decet. *III*, 2. Personam Principum referunt. *IV*, 37. Hostium Legati num audiendi? *VII*, 57. 60. An ob negatam eorum admissionem Gentium jus violetur inter Svecos & Electorem disputata. 57. 58. 59. Qvomodo Legatus maximam sibi parare possit gloriam? Quæstio in aula Anglica per jocum ventilata? X, 25. E Polonia discedere jubentur. X, 72. Dispari studio Neomagum accedunt. XIV, 67. An Pontificis ibi Legatus admittendus? XV, 39. An præsulis Argentoratensis? 40. Ubi & qvomodo Neomagi Eorum congressus instituendi? 41. Propositiones. 43. 44. Contradictiones. 45. 47. Scripto, an vivâ voce tractandum. 46. Gallicus â Magno Veziero male exceptus. *XVI*, 23.
Circa *cerimonias inter Legatos* disputata. Osnabrugæ & Monasterii. *II*, 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 71. in Anglia. *IX*, 23. cum Sabaudo. 64. in Polonia. 85. 92. *XII*, 71. cum Danis. *XI*, 40. in Conventu Coloniensi, *XII*, 3. Neomagi. *XIII*, 69. 70 *XIV*, 57. 58. 66. 70. 71. 72. *XV*, 31. 32. 33. 36. 41. 47. 49. *XVII*, 52. Legati Gal-

Gallici in Svecia. XVIII, 76. à Moschico Legato mota inficeta admodum, XIX, 54. inter Svecos & Anglos. XVI, 4.

Cerimonialia circa *Legatos Regios*. *III*, 21. 63. *VII*, 72.

Circa *Legatos Electorales* Cerimoniæ. *II*, 19. 20. 21. 22. 25. *IV*, 36, 37. *VI*, 43. *VII*, 29. *XIV*, 57. 58. 71. *XVI*, 52. 53. 54.

Super *Legato Gallico* (Vitrio) & ejus Comitibus, perniciosa tentantibus, mota. *XVIII*, 86.

Super *Legatorum inviolabilitate* in causa Brandii considerationes *XI*, 103. v. *Brandius* (*Eusebius*.)

Super *Legatis primariis & secundariis* lis. *II*, 25. 71. *IV*, 36. 37. *VII*, 29. super *Principalium* cum *Electoralibus* paritate. *II*, 71. *XIV*, 58. 65. *XVI*, 34. 37. 52. 53. 54.

Super *Legati Polonici* importunitate qverelæ. *XV*, 24.

Super *Procuratoriis Legatorum* disceptationes. *II*, 19. *XIII*, 69. *XIV*, 59. 60. 65. 68. 69. *XV*, 42.

Super *Legati Svecici*, Lilliehœkii in Electorem invectiva, ex jure gentium disputata. *XV*, 25. 26. 27. 28. 29 30.

de *Sacris Legatorum & famulis*. *XIX*, 19

Inter *Legatorum uxores* super ceremoniis lites. *XVII*, 82.

Leges inter arma silent. *II*, 2. Qvæ compescendis Pontificiæ religioni addictis in Angliâ obtinent, à Jacobo *II*. abolentur. *XIX*, 86. de qvibus agitata. 87. 94. 96.

Leidenses summâ cupidine in pacem feruntur. *XVI*, 33. 34.

Lengricha congressus instituitur. *II*, 27. ibi acta inter Svecos & Brandenburgicos. 55. 60. 61. 63.

Leopoldus Hungariæ Rex, inter Polon. coron. Candidatos fertur. V, 14. cum Polonis fœdus arctius adstringit. *VI*, 63. auxilia Polono promissa differt. *VII*, 13. 14. 15. cum Electore fœdus init. 17. 18. 19. 20. *Leopoldi Conclave*. *VII*, 21, 22. 23. 25. 26. 27. 28. 31. 33. 34. 36. 37. 39. mortua Margaretha Maria, ejus connubio protinus destinatur Claudia Felicitas, super qva cum Jacobo Eboracensi Duce pacta matrimonialia jam adornata erant. *XI*, 85. v. *Cæsar*.

Leopoldus Archidux Seqvester immittitur Juliacensibus ditionibus. *IV*. 12.

Leopoldus Ludovicus Palatinus Veldentinus super Palatinatu controversiam movet. *XIX*, 14.

Leopoldus Wilhelmus officium suum inter Electorem & Neoburgicum frustra interponit. *IV*, 31.

Lessanus à Gallo ad Electorem mittitur. *IX*, 34. 35. 36.

Lessinii multâ in Poloniâ auctoritate valent. *VII*, 5.

Lessinius (Joannes) Berolinum accedit. *VII*, 15. Nomine Poloni, Fœdus Austriaco-Brandenburgicum probat. 20. Electori favet. *XIII*, 58. 60.

Leuberus Sax. Leg. ab eo in conventu Francofurtensi proposita. *II*, 5.

Leuchtmarus in Sveciam mittitur. I, 14. 15. ipsi respondet Regina. 16. Stralsundæ cum Svecis de induciis tractat. 29. 30. 31. 32. Infectâ re in Borussiam discedit. 33. In Svediam mittitur. 34. Stetinum. 42. 43.

Lewius in Angliam ablegatur. XVI, 16. De bello ac fœdere contra Gallos judicat. 21.

Lex Regia vid. *Capitulatio Cæsarea*. *XIV*, 14.

Lex Salica, *XIV*, 6. *XVIII*, 83. 111,

Libelli cujusdam famosi in Polon. disseminati auctor falso creditur Hoverbeqvius, qvi se excusat. XV, 12. In Anglia tales super Religione sparguntur. XIX, 93.

Liber cui tit. Eclipsis Manifesti Ascaniensis. III, 12. de Galliæ Regis jure in totum Imperium, Auberii X, 34. Neussæ in Siles. editus ad exstirpationem Evangelicorum consilia suggerens. XIX, 55. de libris qvibusdam in Belgio & Galliâ qverelæ. XIX, 98.

Libstadium in Borussia Brandenburgicis invadentibus deditur. VIII, 36.

Libertas sententiam dicendi in senatu Principum, Principibus omnibus eadem. XVIII, 55.

Lichtenburgi Saxo & Brandenburgicus conveniunt. VII, 33.

Lichtensteinianum creditum à Cæsare ceditur Electori. XIX, 25.

Circa *Lignicensem Ducatum* cum Cæsare acta. XVIII, 82. 84. 85. Satisfactionis loco Elector accipit Svvibusiensem districtum. XIX, 25.

Lilius (Axelius) in Marchiam irrumpit. I. 6.

Lilliestramius Ab Electore dimittitur. I. 9. ab ingenio describitur & studiis III, 41. Designationem finium Pomeranicorum trasmittit. 43. Proventum Novi Stetini invadit. 46. In ædibus ipsius congressus Legatorum habetur. 50. 52.

Lillibœckius Gedani multa contra Electorem molitur. XIII, 59. Scriptum ejus contra Electorem inhibitum. XIV, 3. Multa commenta in Polonia de Electore spargit. XV, 12. Invectiva ejus in Electorem. 25. Et alia dehinc acta. 26. 27. 28. 29. 30. Ad Polonos tres mittit Epistolas. XVII, 8.

Limites, circa fines in Pomerania regundos acta, III, 29. 31. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. Stetini de his congressus instituitur; Acta ibi. 49. 50. 51. 52. Tandem super his transigitur. 53. 58. De limitibus inter Polonos & Brandenburgicos. VI, 78. Inter Polonum & Electorem super limitibus acta. IX, 13. descripti denuo Pace San-Germanica inter Svecos & Brandenb. XVII, 86. Circa hos novum *Recessum* meditantur Sveci. 84. Qvid de iis in instrumento Induciarum conventum vid, XVIII. 134.

Limburgi munitiones dejiciuntur. XV, 19.

Lingva Gallica studium Germanis omniosum. XVIII, 48. Latina Galli uti nolunt. *ibid.*

Lipsiæ conventus. XII, 41.

Lipstadium super præsidio hinc deducendo mota. IV, 45. in istam urbem Prætensiones. XVII, 58. Gallo traditur. 60. Gallico milite insidetur. 79. 80.

Lisola Electorem à Svecis avertere studet. VI, 71. Judicium ejus de Svecis. 75. Berolinum acce-

accedit. VII, 15. Fœdus ibi nomine Leopoldi conficit. 17. 18. 19. Acta ipsius Posnaniæ cum Polonis & Brandenburgicis. 47. Ejus judicium de Caroli Gustavi morte. VIII, 73. Poloniæ Reginam in Cæsaris partes trahere studet. IX, 10. Ejus ingenium. 52. Furstenbergii abducendi auctor habitus XII, 9.

Literæ super his interceptis motus oriuntur. I, 18. *VIII*, 86. Inter Electorem & Svecum super Transactione Polonicâ. VII, 2. 3. 4. In Pactum Hagense literis invehitur Elector. *VIII*, 3. 9. De avertendo Cæsaris exercitu scribit Idem. 25. 26. 27. 28. 29. Belgarum ad Gallum super avertendo Bello. XI, 27. Electoris ad Conventum Ratisbonensem de conatibus Gallorum. 69. Angli ad Electorem & vicissim. 76. 77. Ad Polonum in causa Kalcksteinii. 104. Ad Sveciæ Regem & vicissim XII, 40. 58. Ad Neoburgicum de filia ipsius cum Responsoriis. XIV, 21. Ad Stetinenses super deditione. XV, 18. Ad Sveciæ Regem cum Responsione. 26. 27. Ad Belgas super pace cum Gallo. XVI, 50. Ad Stralsundenses de deditione. 61. A Salvio ad Sveciæ Reginam ob satisfactionem Gallicam. XVIII, 13. Imperii ad Gallum. ibid. Galli responsio. 17. Galli literæ inter Vezieri scripta reperiuntur. 96. Ad potentiorem scriptæ qvales esse debeant? XIX, 33. Galli ad Imperii Ordines propter Reunitorum locorum munitiones. 58. Jacobi Stevvardi de sententia Arausionensis in Angliam. 96.

Lithuania, ad hanc competens Electori jus V, 17. 43.

Lithuani Sveciam protectionem desiderant. V, 17. Sobiescii electionem probant. XII, 80. Svecis in Borussia molesti. XVI, 68. Otiosi pugnam alienam contra datam Electori fidem spectant. XVII, 6.

Littora super his cum Svecis acta. III, 8.

Super *Livonia* acta. V, 19. VI, 46.

Lobcovicius Comes Augustanum fœdus excusat, & de opposito Huningæ castello qveritur. XIX, 31. Ejus judicium de Galli statuâ. 35. Gallo Cæsaris declarationem super induciis exhibet. 49.

Lobcovicius Princeps commercii cum Gallo arguitur. XI, 35. 51. Se purgare studet. 51. Ut primum Cæsaris gratiâ exciderit? 67. 85. Ipsius de Religione dictum. 84. Item de Gallo. 97. In Bohemiam ad prædia relegatur. XII, 51. Ejus ingenium ac instituta. 52.

Læbius (Joannes Frid:) nomine Electoris investituram â Cæsare suscipit. *I*, 25. In Daniam mittitur. 37. In Aulam Cæs. 50. 53. Osnabrugam proficiscitur, mandatis instructus. *II*, 17. 18. 19. Viennam mittitur servandæ Poloniæ Borussiæqve causâ. V, 27. 28. 29. Item ad Leopoldum Hungariæ Regem. *VII*, 12. 13. Consolationis ibi fungitur officio. 21. Viennæ pro Electore investituram petit. *IX*, 29. 30. 31. Cum Comite Schvvartzenbergio super salutatione Leopoldi Wilhelmi Archiducis disputat, qvi in aula pari cum Cæsare honore excipi volebat. 31.

Lackenitza â Svecis vi expugnatur. XIII, 33. Deditione traditur Electori. XIV, 48.

Læsebebrandius cæditur. XIX, 26.

Lobra Dynastia traditur Electori. III, 16.

Loitium expugnatur. VIII, 30.

Londinensis Episcopus de Pontificiorum religione disserit. XIX, 87. A Rege dimovetur. ibid. Ad tribunal Ecclesiasticum citatur. 89.

Londinum, incendio affligitur. X, 20. Ibi Pax inter Anglos & Belgas fit. XII, 10.

Longuevillius Electori svadet, ut Svedis Pomeraniam cedat & de æqvivalente sibi caveat. II, 34. Vel Sveciæ Reginæ matrimonium ambiat. 36. Cæsareorum mentem Brandenburgicis aperit. ibid.

- - - - Jus ad Arausionensem Principatum habere dicitur. XVIII, 73. Et is addicitur ei qvoqve â Gallo. 107.

Longvicensis Urbs & Præfectura innectitur Coronæ Gallicæ *XVII*, 24.

Lotharingus, sublevandæ Electoris causæ se promtum fert. II, 43. Illius cum Neoburgico negotio se immiscet, IV, 31. Bellum Neoburgico svadet. 33. Ejus Legatus Electoris Legatis super digniore loco litem in Polonia movet, cum contumelia repellendus, ni destitisset. *X*, 85. *XIV*, 58. Circa Diploma ei datum â Gallis in Conventu Neomagensi, difficultates. 69. Circa ejus restitutionem Neomagi gesta. *XV*, 58. *XVI*, 35. Cum Montecuculo in gratiam redit. *XVII*, 13 Galli cum eo durissime agunt in pacis negotio. 15. 20. Qvomodo restituendus cavetur in instrumento Pac. Neom. 24. Num ei conditiones amplectendæ? *XVII*, 38.

Lubeca. Ibi tractatus Svecos inter & Polonos suscipiuntur. *III*, 53. Acta Brandenburgicorum in hâc causâ. IV, 36. Hujus urbis conservatio Electori commendatur. *XVIII*, 97. ei metuitur. 98. Illius conservandæ cum aliis ratio habita, fædere inter Electorem & Hanoveranum. 135.

Lubecensi Capitulo denunciatur â Dano, ut unum è filiis Coadjutorem designet. *XIX*, 66.

Lubomirscius, magna auctoritate pollens. *VII*, 5. Super Joh. Casimiri successione aperit sententiam. *IX*, 14. Regis judicium de eo. 46. in Silesiam confugere cogitur. 84. pro eo nihil proficitur. 88. cum Rege in gratiam redit, mox tamen iterum regno excedit. 89. Electori Poloniæ statum per Secretarium aperit. 91. de eo fulciendo in Conventione inter El. & Neob. cautum. *X*, 48. Mortis ejus nuntius Polonicæ aulæ acceptus & lætus. 63.

Ludovica Charlotta Radzivilia nubit Ludovico Brandenburgico Marchioni. *XVIII*, 27. 28. 29. ad eam Electoris ultima verba *XIX*, 100.

Ludovica Juliana nubit Electori. *II*, 72.

Ludovicus Brandenburgicus Marchio circa ejus connubium cum Radzivilia acta. *XVIII*, 27. 28. 29.

Lumbranus privato nomine Polonos ad pacem hortatur. *VI*, 36. 39. De pacis Evictione disserit. *VIII*, 71.

Luna â Brandenburgicis occupatur. *XI*, 82.

Luneburgici. Fœdus Qvadruplex ineunt. *X*, 17. Pro-

Prorogationem fœderis Rhenani haud probant. 42. Cæsareis otiose spectantibus, cum Gallis pugnant. XII, 46. Gallos ad Saram fluvium insigni clade afficiunt. XIII, 38. illorum in Bremensem Proviciam prætensiones 51. 52. Cum Monasteriensi de illa ditione dividenda transigunt. 31. Cum Monasteriensi & Electore conventionem ineunt. 32. In conventu Brunsvicensi illorum postulata. XV, 3. Bremensem Provinciam soli affectare videntur, Legatum Bremâ avocant. 5. 7. Consilia sua sibi seorsim habent. XVI, 52. Legatos suos Electoralibus æqviparari volunt. ibid. Eorum missio ad Electorem. 53. 56. Fœderi inter Danos, Electorem atqve Monasteriensem accedere nolunt, nisi Legatis Excellentiæ titulus tribuatur. 57. Separatam pacem cum Gallo ineunt. XVII, 10. Cæsareorum cum Gallo paci protestationem opponunt per Legatos. 27. Propter Hamburgi invasionem ad Electorem mittunt. 95. Electoribus status controversiam movent. *XVIII*, 78. Svecis favent. 90. 91. 97. De pace inter Boreales R. servanda, Electorem implorant. 97. Dominatum in Saxonia inf. sibi arrogare à Dano arguuntur. 98. Ut cum Dano in fœdus coeant tentat Elector. 100. Ad pacem cum Gallo proni esse videntur. 106. Tempus extrahere student. 121. 122. Formulam fœderis exhibent Dano & Electori parum acceptam 123. Cum Electore fœdus ineunt. 135. In partem negotii Gottorpiensis an admittendi. *XIX*, 69. Hamburgensi negotio contra Danum se immiscent. 38. 40. 41.

Luneburgicus Dux Ravensbergicum Comitatum subjicere sibi conatur I, 47. Super componendis inter Evangelicos controversiis laborat. II, 30.

Luneburgum ibi Sveci ad Conventum admittuntur. *III*, 62.

Lusitania ut recuperetur Pegneranda svadet, & Belgicæ provinciæ pro derelictis habeantur. *X*, 37.

Lusitaniæ Princeps seqvestrem se offert in Neomagensi negotio. *XV*, 38.

Lutetiæ Carolo *II*, Angliæ Regi funebria ritu Romano fiunt. *XIX*, 3.

Lutherani, de horum à Reformatis dissensu & actis circa pacem sacram. *II*, 29. 30. 69.

Lutzenburgum qvomodo servari potuisset? *XVIII*, 111. Communicationem inter Germaniam & Belgium servat. 119. A Gallo oppugnatur. 126. Hujus jactura qvatuor Rheni Electores tributarii fiunt Gallo. 128. Ut huic subsidio veniant Bavarus & Elector, rogat Cæsar. 132.

Luvoisius continuationem belli Belgici svadet. X, 55. Averso à Svecis animo est. XVII, 57. Cum Montespaniâ omnia pro lubitu agit. 69. Rigida omnia ei placent. 71. Ejus dictum perfecta pace San-Germ. 79. Argentoratenses ad deditionem hortatur. XVIII, 21. Turcam Cæsari immittendum svadet. 62. Mortalium immanissimus, 119. Omnium violentorum consiliorum autor ac promotor. XIX, 47.

Luxenburgius tractu circa montes Hannoniæ decedere non vult. XVI, 37. Ab Arausionensi post conclusam pacem vapulat & ad interiores Montium aditus recedere cogitur. 70. de qvo stomachatur, inducias tamen facit. ibid.

M.

Machinæ an è munitis locis auferendæ, si nihil convenerit? XVII, 79. Qvid pace San-Germaniâ de his constitutum? 80. 83.

Magdeburgense Capitulum, circa hoc difficultates oriuntur. III, 11. Sacramento fidelitatis & subjectionis se statim conclusa pace Osnabrugensi, Brandenburgicæ domui in eventum obstringere debuit. 16.

In *Magdeburgensem Episcopatum* expectantia proxima conceditur Electori. III, 16.

Magdeburgum Sveci nimis remotum à se, & nil securitatis Sveciæ præstare contendunt. II, 48. Libertatem pristinam ac privilegia per pacem Osnabrug. retinet. III, 16. circa id tradendum disputata. 11. In Matricula pluris taxari, qvam utramqve Pomeraniam, objiciunt Sveci. 62. *Electori se submittit. IX*, 83. Illius Canonicatus ærario suo applicari petit Elector. XIII, 40. Ducatus possessionem accipit Elector. XVIII, 12. Ut & ejus investituram. XIX, 1.

Magisterium Sonnenburgicum Sveci in pensationem deposcunt. *III*, 30.

Magister Ordinis Pr. semper Regni Poloniæ Senator est, & primum locum post Regem obtinet. *XVIII*, 30.

Majestatis titulus Gallo dandus. *II*, 14. 17. 21.

Malmogiæ obsidium Danis admodum infelix. *XV*, 17.

Manderscheidii Comitis prætensio in Juliacensem Ducatum. *IV*, 1. 6.

Manifestum Ascaniense scriptum pro juribus Anhalt. Princ. in Halberstad, *III*, 12.

Mansfeldius Comes [Henr. Franc.] in Galliam mittitur. *XVIII*, 14.

Super *Marcano Comitatu* cum Neob. transigitur. *IX*, 75.

Marchia Brandenburgica, qvalis ibi rerum facies? I, 2. 6. 19. Hanc calamitatibus oppressam multis sublevare studet Elector. 6. 8. 9. 10. 11. Marchia vetus Cæsareis & Svecicis militibus inundatur. 26. Qvatuor potentibus regnis media interjacet. *II*, 41. Illius restitutionem cum instrumentis bellicis exposcit El. *III*, 1. De hac invadenda cogitat Carolus Gustavus. *VIII*, 16. A Wrangelio devastatur. *XII*, 65. *XIII*, 33.

Mardefeldius ad Electorem mittitur. *XII*, 13. A Dœrflingo fugatur. *XIV*, 45.

Mare Balticum, v. *Balticum Mare*.

Marenholzius [Conr. Asc.] in Daniam mittitur. *IX*, 6. Conventionem super Cerimoniis cum Sabaudo subscribit. 64. Acta ab eo super Rhenano fœdere. 65. Circa controver-

ſiam Wildfangiatus apud Cæſarem magno honore afficitur. 92. Ad Moguntinum ablegatur. XI,44.45.68.
Maria Anna Poloniæ Regina ingentem dolorem concipit ſuper electione Sobieſcii. XII, 80.
Maria Eleonora Regina Sveciæ, cur ex Svecia in Daniam ſe receperit? I, 34. De illa reducenda agitur. 36. 37.
Maria, Jacobi Eboracenſis Ducis filia, nuptias celebrat cum Guilielmo Arauſionenſi. XV, 61.
Maria Ludovica Poloniæ Regina, Polonos ad prælium fortiter ſuſcipiendum hortatur. VI, 39. Pacem inter Polonos & Electorem conciliare ſtudet. 69. Ad Electorem Berolinum venit. VII, 50.
Mariæburgum, ibi Elector cum Boruſſiæ Ordinibus agit per Legatos. V, 58.59. Fœdus ibi cum Boruſſis regiis conficitur. 60. Cujus exiguus eſt uſus. 61. Legati Brandenburgici cum Sveco ſuper conjungendis armis ibi colloqvuntur. VI,22.23.&Fœdus ibidem ineunt. 26. cujus capita recenſentur. ibid. 27.28. Pacta Feudalia, ibi inita, pactis Labiavienſibus iterum abolentur. 45.46. A Svecis devaſtatur. VII,74.
Mariæwerdera à Svecis occupatur. VIII, 36.
Marſtrandia à Gyldenlevvio capta. XV. 17.
Marwicius [Ditericus] Hafniam mittitur. VIII, 15.
Marwicius ſummus excubiarum Præfectus, [Cunr. Hild.] ſtationem ante Budam cum Jo. Georg. Bellingio capeſſit. XIX,26. Turcas erumpentes repellit. ibid.
Marwitzius [Sigiſmundus] ſtrenue ſe in Hungaria gerit. IX, 78.
Matthias Rom.Imp. Xantenſem tranſactionem auctoritate ſua impedire ſtudet. IV, 21.
Mazarinus Electorem laudat. II, 22. Per hunc acceſſus ad Regem Galliæ qværendus. V, 26. IX, 3. Electorem ab Auſtriaco fœdere dehortatur. VII. 53. Reſponſum ejus Electori datum. 54. Item declaratio ſuper expeditione in Svecos. 67. Galli amicitiam Electori ſalutarem fuiſſe judicat. VIII,39. Qvali ingenio fuerit? 40. Objicit Electori, qvod Pacem Weſtphal. lædat? 42. Condæo ejusqve filio optat Coronam Polonicam. IX, 10.
Meclenburgici novum portum Redevviſchæ ſtruere agitant. IX, 28.
Medina-Celi Dux ſiniſtros ſucceſſus Hiſpano celat. XVIII, 133.
Meiersbergius Baro Hafniam mittitur ad ſpectandum Ulricam Eleonoram Principem Danicam. XIV,22.
Meinderſius ad Galliæ Regem ablegatur. XI,92. 93.94.95. Viennam. XIV,50.51.52.53.54. Dreſdam. 56. Neomagum. XVI.76.77. item HagamComitis&LutetiamPariſiorum. XVII 66.67.68.69. Diſceptata ab eo cumPomponio. 70. Extrema cum Rege fruſtra tentat. 71. De novo eo mittitur. 72.73.74.75.76. Negotium deStetino inGalli arbitrium confert. 77. Diſceptata ejus circa pacem. 78. Pacem Sangermanicam conficit. 79.80. Garlebiæ nomine Electoris cum Erneſto Auguſto fœdus init. XVIII,25. Dreſdam mittitur. 26.39. Ad Luneburgicos. 91. Ad Danum. 136.
Melander multa vana de Svecis jactat. III, 22.
de *Meliorationibus prædiorum* in reſtitutione Pomeraniæ Svecis diſputata ante pacem Sangermanam. XVII, 78.
Melitenſis Ordinis Magiſter pro Schvvartzenbergio juniore intercedit. I, 30. Ad Electorem ſcribit. 14.
Memela, Tranſitum per hanc Svecis concedere nolunt Poloni. VII, 1. Majori ex parte in cineres redigitur. XVII, 2. ibi capite multatus Kalcſteinius. XI, 104.
Mercatores lucri cupidine omnia tentant. XIV, 44. Solum lucrum reſpiciunt. XVIII, 11.
Merces bellico uſui deſtinatæ: qvid de iis pactis Labiavienſibus cautum? VI, 45. Vetitæ qvæ? XIV, 41.
Merodius in cauſa Juliacenſi ad Electorem & Neoburgicum mittitur. IV, 13.
Meſſana à Gallis deſeritur. XVI, 17.
Metenſis Præſulatus, ejus nomine à Franciſco Lotharingo Præſule proteſtatio interponitur Monaſterii, ne ita crude offeratur Gallis. XVIII, 13. Supremum dominium in hujus, ut & Tullenſis ac Virodunenſis Vaſallos, prætendit Gallus. 14.15. Deductionem deſuper edunt Cæſarei. 68.
Metenſe Tribunal ad reuniones palliandas inſtituitur à Gallo. XVIII, 14. 15.
Meurerus Conſul, Hamburgenſibus turbis præcipuam anſam dediſſe creditur, qvarum ordo recitatur. XIX,21.22.23. Ut reſtituatur, Cellenſis poſtulat. 24.
Milites per aerem, arte magicâ, pallio inſidentes transvehi non poſſe, Sveci urgent, ut tranſitum in Poloniam exercitui ſuo Electori extorqveant. VII, 57. Veterani prævalent novitiis. XIX, 85.
Minda, circa eam diſputata. III, 13.32.35.
Mindanus Epiſcopatus Electori conceditur. III, 16. Svecorum tricæ circa ejus traditionem. 32.35. Ejus Capituli Canonicatus ſuo ærario applicari petit Elector, XIII, 40.
Minorennitas Bohemiæ Regum ex Privilegio finitur anno æt. 14. VII, 34. Minorennitatis terminus in A. B. pro Electoribus definitus, qvomodo intelligendus? ibid.
Minkowski, Joannis Caſimiri nomine, apud Cæſarem de Electore qveritur. VI, 40.
Mœrburgum affectat Cellenſis Dux. XIX, 24.
Mœrwerder Caſtellum operibus firmatur, & ſuper eo lites. XIX,21.22.
Super *Mœurſenſi Comitatu* tranſigitur. IX, 74.
Moguntinus de pace inſtauranda conventum Francofurti indicit. II, 1.2. Litem ſuper Hervordiæ libertate ad pacis publicæ qvæſtionem pertrahere laborat. III, 19. Mortem Ferdinandi III. indicat. VII, 21. rectus eſt, ac diſſimulandi ſolers. ibid. Huic Legati de ſilentio ſtipulata manu in actu electionis promittere tenentur. 26. A Leopoldo in cerimoniis viſitationis offenditur. 29. Clam

Auſtriacis, palam Gallis favet circa Electionem Leopoldi, ſuarum terrarum ſtudio. 31. Electionis tempus extrahit ac ſuper Capitulatione adornandâ proponit. 32. 35. Conſultationes publicas auſpicatur. 34. Gallorum ſatisfactioni ſtudendum ſvadet, anteqvam ad electionem Cæſaris devenіatur. 32.35.37.39.40. In Conventu Deputat. Francofurti. 1658. omnia ſuo ex arbitrio agere dicitur. 63. de fœdere inter Cæſarem Trevirenſem, Saxonem, Brandenburgicum, Culmbacenſem, Monaſterienſem &c. proponit, contra deſtinata Gallorum. XI, 44.45. Electoris conſiliis contra Gallos obſiſtit. 51. Super trajectu Rheni ſe difficilem præbet. 63. Literas â Lobcovicio ſcriptas producit, qvò Fœderatos â tranſitu Rheni prohibeat. 67. In belli partem venire recuſat. 68. Ejus ſententia ſuper Gallorum propoſitionibus. XVIII, 35. Illegitimi in Gallum ſtudii arguitur. 51. 59. Pacem cum Gallo ſvadet. 80.

Molzanus de ſeqveſtrali Sveciæ Regis officio ad excuſ. Svec. diſſerit. XII, 41.

Mompenſeria Electori conjux deſtinatur, de qva judicium Angli. X, 45.

Monachalis habitus in Anglia obſtupefactis omnibus conſpicitur. XIX, 97.

Monachi cum Jeſuitis, Dominicanis & Franciſcanis, Belgio fœderato exeſſe publico edicto jubentur. XIX, 55. qvod male habet Catholicorum Principum miniſtros, unde ſuper ea re qverelæ ad Cæſarem, qvibus rationes opponuntur ab aliis apud eundem. ibid.

Monarchia Europæ univerſalis per ruinam Auſtriacæ domus ſtruenda XVIII, 61. & oppreſſos Proteſtantes. 59. ejus invadendæ conatus Galli erumpunt clarius. XI, 1. XVIII, 83. Inprimis in Hiſpan. Monarchiam univerſam prætenſiones haut diſſimulat. XIX, 5.

Monaſterienſis Præſul, conſ. *Chriſtoph. Bernhart. Galenus*. deſcribitur. X, 9. Studet Gallo. XI, 20. ei favetur â Cæſareis præ Electore. XII, 52. Ad conſilia meliora redit. XIII, 21. Fœdus pangit cum Dano, Brandenburgico & Hanoverano. 47. Cum Electore in Bremenſem Provinciam irrumpit. 49. Importunum ſe præbet, & Bremenſem provinciam affectat. 50. 51. conſ. *Bremenſis Provincia*. Termœlium ad Electorem mittit. XIV, 28. De dividenda Bremenſi provincia cum Luneburgicis tranſigit. 31. Cum Brandenburgico Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducibus conventionem init. 32. Nullum Legatum Bremam mittit. XV, 5. Cum Dano & Electore fœdus novum init. 7. Electori ſuper petitis Brunſvicenſium & Luneburgenſium reſpondet. XVI, 56. Hujus mors Cæſareis parum luctuoſa. 84.

Monaſterienſis Præſul [Ferdinandus] ſuper feſtinata pace Neomagenſi indignatur. XVII, 40. Pacem cum Gallis init. 55. Satisfactionem ab Imperio prætendit. XVIII, 8. Ipſius ſententia circa Galli prætenſiones atqve dependentias. 41. In Electoris & Regis Daniæ fœdus recipitur. 72. Qvod in ſucceſſore Hermanno Wernero continuatur. ibid.

Monaſterium locus Conventui Legatorum præ Francoforto eligitur. II, 15. Legatorum Brandenburgicorum ibi ingreſſus. 20. Difficultates ſuper titulis oriuntur. 21. 22. Item ratione Præcedentiæ inter Electorales & Venetos. *23. 24*. Aliæ ſuper titulis. *24. 25*. Item propter jus ſuffragii. 26. Hunc Conventum Monſtrum Comitiorum vocat Bavarus. 27. Catholicorum artibus hic ſe opponunt Brandenburgici. 28. Pomeraniæ cauſa diſceptationis cum Svecis oriuntur. 32. 33. 34. 35. Acta Brandenburgicorum cum Cæſareis ſuper Pomerania. *36. 38. 39. 40*. Cum Gallicis. 41. Iterum cum Cæſareis, Gallis, Svecis. 46. 47. 48. 50. 51. Gallici Electori favent. 53. De cedenda Pomerania & æqvivalente dando agitur. 54. Varia ibi hac de re acta. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. Circa ſacra. 69. Cerimonialia reſpectu Legatorum. 71. Nova Mandata ab Electore ſuis ſuper hoc negotio, ſed prope ſero nimis de Pomerania tranſmittuntur. III, 1. 2. Contra Hervordienſes aſperum conditur Decretum. 19. Diſceptatur ibi circa Gallicam ſatisfactionem. XVIII, 13. 14. 15. 19. 20.

Moneta cuprea, *cujus valor ne qvartam qvidem* partem juſti pretii æqvabat, eſt labes Hiſpaniæ. XV, 11. Qvare Holſatiæ Duci cudenda denegatur â Dano. XIX, 75.

Mongommerius publice citatur. XI, 104.

Monomuthenſis Dux ex Anglia ſe ſubducit. XVIII, 117. Aſſumtum ſtatim Regis nomen ipſi nocuit. XIX, 5. 85. ſecuri percutitur ibid.

Montalbanus ſummus vigiliarum Gallic. Præfectus capitur. XII, 49.

Monsalbanus opp. mutat religionem. XIX, 16.

Montecuculus indemnitatem ab Electore deſiderat. VIII, 11. apud eum de Expeditione Pomeraniæ inſtat. 22. 23. 24. Legatis Danicis mentem Cæſaris indicat. 24. Qvare non recta via Belgis auxilio cum copiis profectus? XI, 61. Rhenum tranſire recuſat. 67. Ab exercitu diſcedit. 82. Gallos trans Rhenum pellit: cur victoriam non perſecutus fuerit? 38. Cum Lotharingo in gratiam redit. XVII, 13.

Montecuculus Tribunus cladis ad Wagam flumen per Tartaros acceptæ ante Viennæ obſidionem, cauſa fertur. XVIII, 94.

Montium Ducatus, in hunc prætendunt jus Saxoniæ Duces. IV, 5. conſ. voc. *Juliacenſis Ducatus*. Sparrius cum exercitu ſeſe huic immittit. 25. Relinqvitur tranſactione inita Neoburgico. IX, 75.

Morellus Abbas Heidelbergam ab Aurelianenſi miſſus pacta familiæ, literas inveſtitur & alia documenta avtographa inſpicienda â Palatino petit. XIX, 13. Ejus Procuratorii formula 15. ei petita juſtè denegantur. ibid. Heidelbergâ diſcedit. ibid.

Morſteinius [Jo. Andr.] ad El. ablegatur. VII, 49.

Morſtinius [Andreas] Leg. Pol. Francofurti ad

Mo-

Mentum invidiam Sveco atqve Electori excitat. VI, 41. Cum Gallo conspirat. XVIII, 86. Artes ipsius aperiendi literas. ibid.
Morstinius (Felix) nomine Poloni Electorem adit. XI, 100.
Morungensis arx à Svecis deditione capitur, qvam paulo post ultro deserunt. VIII, 36.
Moscicus Legatus Berolinum venit. *XIX*, 54.
---- sordibus ac inficeta ambitione ridendum se præbet *ibid.* Coram decumbente in lecto ægroto Electore non aliter, nisi in lecto mithratus & ocreatus jacens mandata exponere vult *ibid.*
Moscus ut cum Polonis reconcilietur, laborat Cæsar. V, 14. Elector item, 62. Omni hostilitate adversus Borussiam abstinet. ibid. Contra hunc non tendit Fœdus Mariæburgicum. VI, 26. Postulat, ne auxilium Svecis præstet Elector. 31. Importunum supra communem Gentis sortem Legatum ad Electorem mittit. 32. Qvi Borussiam à Mosco ut feudum recognosci postulat. ibid. 42. Irruptionem in Poloniam facit. 44. Qvare pacem cum Svecis detrectare præsumatur? 51. Utilissimas Sveciæ provincias pervastat. 62. Brandenburgicum ablegatum variis qvæstionibus exercet. VII, 6. Super Coronâ Polonicâ ad Electorem mittit. 75. Prætendit titulum Russiæ Albæ & Ucraniæ. VIII, 79. Contra hunc milites mittere recusat Elector. IX, 7. Cum Polonis inducias facit. X, 61. Pro filio Poloniæ regnum petit, 74. Titulus Magni Ducis Lithuaniæ ipsi tribuitur. 106. Irruptionis Turcarum ergo, Legatum mittit ad Electorem & ejus amicitiam magni æstimat. 109. Nuntiatâ Poloniæ Regis Michaelis morte in lacrymas effunditur. XII, 67. Multa pro filio promittit Polonis, si eum regem eligant. 70. A Dano adversus Svecos excitatur. XIII, 29. Pacem cum Svecis abrumpere non vult; Qvid Cæsareo, Danico & Brandenburgico Legatis responderit? 61. Alexius Moscoviæ Czar Moritur, XIV, 12. Hujus successor Theodorus animo & juventâ debilis, arma contra Svecos arripere non vult. XV, 15.
Mos Ecclesiæ Anglicanæ in contrahendis Matrimoniis. XV, 61.
Mottenhaga super Warmia multis certatur. V, 69.
Mulhemum occupat Spinola. IV, 20.
Mumpelgardensis Comitatus, in hunc jus prætendit Gallus XVIII, 14.
Muniendi jus in locis reunitis an Gallo competat. XIX, 56. 57. 58.
Mutinensis Dux Coronam Polonicam ambit. XII, 79.

N.

Nancejum. XVII, 24.
Nametensi Edicto cavetur Reformatis. XIX, 16. 48. Aboletur. ibid. 17.
Navigatio in Gvineam instituitur ab Electore XVIII, 32. De qva mota *ibid.*
Naumburgi conventio inter Evangelicos omnes inita & Augustana Confessio denuo renovata Cæsari transmissa. II, 69.
Neobrandenburgi Slippenbachius & Sverinus de pace cum Sveco conveniunt. VII, 16.
Neoburgicus Dux super hoc qverelas movet Elector. II, 72. Bipontinum â Juliacensi ditione excludit. III, 23. Evangelicos oneribus opprimit. 25. Inter hunc & Electorem dissidia oriuntur. IV, 1. Prætendit cum eo jus in Juliacensem Ducatum. 2. 3. Ejus possessionem apprehendit. 9. (v. *Juliacensis Ducatus.*) Super Cliviæ, Marcæ, Ravensbergæ &c. divisione & successione cum Electore agit. 22. 23. 24. Reformatos admodum duriter habet. 25. 26. 32. Cum Electore colloqvitur. 33. Essenam Legatos mittit. 34. Inanis illius in Electorem conatus. 44. Austriorum destinatis repugnat & Poloniæ Regi se commendat. VIII, 51. Coronam Polonicam affectat. IX, 10. Multa promittit. 20. An in Pacem Olivensem recipiendus? 56. 57. 58. 63. Cum Electore transigit. 71. 72. 73. 74. 75. 76. Cum Friderico Ludovico, Bipontino paciscitur. 76. Hunc regni Polonici successorem insinuat Elector. 90. Ejus conventio cum Electore super Coronâ Poloniæ. X, 48. Commendatur Gallo. 50. 51. 52. Et Sveco. 56. Fœdus inter eum, Svecum & Brandenb. conficitur. 57. Cæsari commendatur ab Electore, ut in causa Polonica ei faveat & qvas ob causas. 58. Reginæ item, X, 62. Propter numerosam prolem Polonis est ingratus. 62. Judicium de eo 76. Solus Elector fidem ei amicitiæ præstat 81. 87. Gallorum technæ in eo eludendo. 90. Gallus per Furstenbergium Eum ad bellum contra Belgas sollicitat. XI, 19. Consultat super ea re cum Electore. 19. Neutralitatem svadet Electori. 22. Officium suum conciliando Electori cum Gallo offert. 88. Includitur fœderi inter Svecum & Electorem. XII, 23. Filium suum commendat Electori. 76. Qvid obtulerit, si is Poloniæ Rex fiat? 97. Ejus Responsio ad Electorem super filia connubio Cæsaris commendanda. XIV, 21. Super Ceremoniis qvædam prætendit. XVI, 52. Electori pacem cum Svecis svadet. 81. Pactum hæreditarium inter eum & Electorem â Cæsare confirmatur. 96. Ipsius dictum de pace Cæsareo-Gallica. XVII, 12. Pacem cum Gallo svadet. 13. 35. Ipsius sententia de Gallorum reunionibus & occupato Argentorato. 60. Cæsari curam sui suorumqve enixe commendat & ne Sacerdotum consilia addictè adeò amplectatur. XVIII, 64. Electoratum accipit. XIX, 13. 14. 15.
Neomagus Locus Tractatibus designatur, XIII, 63. Præliminaria illius conventus. 65. 66. 67. 68. 69. 70. Præparamenta tractatuum. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. XV, 31. 32. 33. Postulata Principum circa Legatos. 34. 35. 36. Num ab omnibus Ordinibus eo Legati mittendi. 37. An Lusitaniæ Principis & Pontificis Legatus admittendi? 38. 39. It. Argentoratensis

Præsul? 40. de congressus Legatorum Loco. 41. Super Procuratoriis disceptata. 42. Propositiones. 43. 44. Contradictiones. 45. 47. Scripto, an vivâ voce tractandum? 46. 51. Palatini propositio. 48. Hanoverani. 49. Responsiones ad Hostium propositiones. 50. 51. 52. 53. 54. Horum Responsio. 55. Belgæ pacis formulam concipiunt. 56. Frustra tempus teritur. 58. Disceptata super Replica ad Gallorum responsum. 59. Item super formula pacis per Anglum concepta. XVI, 6. Belgæ prolationem termini à Gallo præfixi petunt. 18. Super Induciis proponitur. 19. Urgentur istæ. 20. 21. Harenus ibi Fœderatis Belgarum sententiam de pace indicat. 24. Illi Hispanos etiam eo adducunt. 29. Pax à Belgis proponitur. Fœderatorum de eâ sententiæ. 35. Galli circa urbium restitutionem tergiversantur. 42. 44. Belgarum declaratio. 43. 44. Svecorum. 44. Belgæ in pacem cum Gallo ruunt. 45. 46. Fœderatorum protestatio. 47. Alia de Pace. 48. &c. Luneburgici & Brunsvicenses Legatos suos ibi Electoralibus exæqvari cupiunt. 52. Dani & Brandenburgici Hispanos â Pace cum Gallo dehortantur. 73. De Pomeraniâ ibi agitur. 77. Inter Cæsareos & Gallos tractatur. 90. 91. 92. Ratihabitio pacis Hispanicæ. 93. *Protestationes* contra formulam pacis â Cæsareis exhibitam. *94 95*. Cæsarei & Luneburgici pacem separatam in præjudicium aliorum ineunt. XVII, 10. Stratemannus de ea Pace differit. 13. 14. Galli & Sveci insolentes se ostendunt. 15. Difficultas circa Articulum. 26. Pacis Cæsareo-Gallicæ. 16. 17. Gallorum Notæ ad Cæsareorum Declarationem. 18. 25. Danici & Brandenburgici Legati super non communicato articulo. 26. apud Cæsareos queruntur. 19. Galli â Cæsareis omnia pro lubitu postulant. 20. Danici & Brandenburgici Legati de non præcipitandâ cum Gallo pace, Cæsareos monent. 21. Contra eandem protestantur. 22. Pax subscribitur. 23. Formula & Instrumentum Pacis Cæsareo-Gallicæ. 24. Ut & Cæsareo-Sveciæ. 28. Cæsareorum Legatorum ad hanc declaratio. 29. Protestantur contra pacem Danici atque Brandenb. Legati. 30. Nuntius itidem Pontificius. 31. Est hæc pax valde noxia. 32. 40. adversus eam intercedit Elector. 39. Gallis parum curæ est. ibid. Typis imprimitur. 40. Acta ibi post pacem cum Cæsareis. 45. Gallis & Brandenburgicis 46. 47. 48. Ratificationes pacis invicem exhibentur. 49. Catalogus restituendorum. 50. Conventio item super executione pacis 51. Anglicus sequester inde discedit. 52. super induciis cum Brandenb. ibi frustra movetur. 32. Tandem ineuntur. 54. Cum Monasteriensi quoque pax concluditur. 55. Sed cum Brandenb. ad eam nihil proficitur. 57. 58. Pactum super prorogandis induciis 60. Galli Electorem incendiis & invasionibus ad pacem urgent. *61*. Meinstersii acta ratione Svecorum cum Gallis. 67. 73. Pax Neomagensis funestos statim profert fructus XVII, 39. XVIII, 13. Quid ex eâ sibi postulet Gallus? 14. 15. 19. 20.

Neoportum cautionis loc. offertur Angl. XVI, 9.

Neubusii de Fœdere Danum inter, Electorem ac Monasteriensem convenitur. XVIII, 71.

Neuheuselium in Turcarum manus venit. IX, 78.

Neusse in Silesia Liber tetricus contra Evangelicos editur. XIX, 55.

Niemericius in Poloniam mittitur. XVI, 67.

Nivernensis Ducis Prætensio in Ducatum Juliacensem. IV, 1.

Norimberga conventus indicitur. III, 33. ibi acta. 34. 38. 39. 46.

Norlingense prælium prorsus Protestantes distraxit in partes. I, 2.

Norpradius Cliviæ administrandæ præficitur. I, 48.

Notæ ad Articulum. 26. Pacis Cæsareo-Gallicæ â Gallis conficiuntur. XVII, 18. 25. Item Monasterii tales traduntur super Gallica satisfactione. XVIII, 13.

Novesium â Colon. traditur Gallo. XI, 50.

Numius Augusti Administratoris Magdeburgici. XI, 82.

Nuncius Apostolicus protestatur contra Pacem Neomagensem. XVII, 31.

De nuptiis secundis Joannis Casimiri frustra agitur. X, 66. vid: *Connubium*.

O.

Occasio per otium amissa, nunqvam redit. VIII, 14.

Circa *Oderam* cum Svecis disceptata & acta. III, 8. XVII, 78. 80.

Oldenburgicus & Delmenhorstanus Comitatus præcipua collisionis inter Danum & Svecum materia. XIII, 25. 26.

Oliva, vicinum Gedano cœnobium, designatur Locus Tractatuum inter Pol. & Svec. VIII, 49. 52. ibi acta. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. Pacis negotium ibi concluditur. 74. Ejus capita quæ Electorem spectant. 75.

Olivecrantzius in Angliam venit paci conciliandæ & ut Svedi nomine Annam Eboracensis filiam expetat. XVI, 4.

Omen ante Michaelis Wiesnovicii Electionem. X, 88. Gallicæ lingvæ & vestitus amor Germanis omini videtur. XVIII, 48.

Opdamus male rem gerit. VIII, 11.

Oppenheimium prætendit Elisabetha Carola. XIX, 13.

Oratio Weimanni contra Pactum Hagense. *VIII*, 5. Feuqvierii contra Electorem in Svedia habita. *XII*, 53. Lilliehœckii futilis & impudica oratio contra eundem. XV, 25.

Ordinibus jus suffragii circa pacem & bellum competit. *II*, 26. 27. conf. *Imperii Ordines*.

Ordinis Eqvitum Joanniticorum Magister. I, 30. *III*, 14. 30. vid. sub. Lit: *J. & M.*

Oresunda. *VIII*, 4. 5. *XII*, 54. 55. *XVIII*, 10. Ibi appellit Gallica classis. 99.

Orsoja occupatur â Spinola. *IV*, 20. Qvomodo &

do & qvâ ratione Electori tradenda? X,12. XI,47.

Osnabruga de induciis acta. I,45.46. Ingressus Brandenburgicorum Legatorum ibi; Observata tum ratione Ceremoniarum, tum Procuratoriorum II,19. Acta Brandenburgicorum Legatorum cum Cæsareis super Pomeraniâ. 36.38.39.40.44. Cum Gallicis. 41. De Pomeraniâ cedenda & æqvivalente dando agitur. 54. Super novis tractatibus. 59. Alia de eadem acta. 60.61.62.63.64.65.66.67.68. Circa Sacra. 69. Ceremonialia. 71. Nova mandata, sed sero nimis de cedenda Pomerania ab Electore mittuntur. III, 1.2. Tractatio à Legatis suscipitur. 3. Belgicorum ibi acta. 4. Brandenburgici Negotiationem suam Gallis atqve Cæsareis communicant. 5.6.7. Disceptationes super hâc. 8. Negotium tandem conficitur. 9.28. Circa æqvivalens difficultates. 10.11.12.13.14. Sveci conventa refingere conantur. 15. ex Formula Instrumenti, qvid Sveci & Brandenburgici ista pace acqvisiverint aut amiserint. 16. Super transitu in Borussiam 27. De Pomeraniæ limitibus acta. 29. Ut & Permutatione Pomeraniæ. 30. Difficultates circa pacis ratificationem. 31. Et tradenda loca. 32. conf. *Pax.*

Osnabrugensis Præsulatus sublatâ alternatione ab Ernesto Augusto petitur. XVII,40.41. v. *Ernestus Augustus.*

Ossalinius Poloniæ Cancellarius ad Electorem mittitur. I, 41. Præses Colloqvii Thoruniensis inter Polonos & Lithuanos constituitur. II,31. Ipsius judicium de Electoris suffragio. III,27.

Super *Ostenda*, inter Hispanos & Anglum acta. XVI, 9.

Osterwicum Electori traditur. III, 38.

Ottonia, Eo convolant Daniæ Ordines, de bello Svecis inferendo consultaturi. VI, 56.

Oxenstierna (Axelius) Christinæ nuptias filio suô præoptat. II,40.49. Obstat Reginæ matrimonio cum Electore. 48. De conjunctione Sveciæ cum Electoratu Brandenburgico, qvas Leges tulerit? 52. Electori semper iniqvus. III,43. Cessam Electori Pomeraniæ partem digerere non potest. 47. Ejus consilium de Portubus occupandis. V, 9.

Oxenstierna (Benedictus) ad petendam investituram Pragam proficiscitur. III, 62. Stetinum ad tractandum cum El. venit. V,42. super Literis Ejus fiduciariis dubia. 44. acta ibi ab eo 45. vid. *Stetinum.* Aulæ Cæsareæ & Legato Hispanico illudit. XIII, 11. Inter eum & Anglicum Legatum lis. XIV, 70. Neomagi par esse ut satisfiat Electori agnoscit. XVI, 77. Gallos Holmia amovere studet. XVIII, 76. Responsum ejus Brandio datum. 77. De Rege suo qvæ jactaverit? XIX, 7. de Gallorum potentia disserit. 20.

Oxenstierna (Ericus) qvid Sveci nomine ab Electore prætendat? V,65. Alias pacis conditiones offert. 69.70. Hujus opera transactio cum Rege Sveciæ conficitur. 71.72.73. vid. *Frauenburgum.*

Oxenstierna (Gustavus) contemptim in Moscoviâ habetur. XIII, 29.

Oxenstierna (Joannes) super Pomerania cum Brandenburgicis agit. I,27.32.43. II,23.33.35.51.62.63.66. III,8.9. sqq.

Oxenstiernarum familia Sveciæ felicitatem impedire à Salvio traditur. II,48.

Oxoiensis Episcopus jusjurandum solitum abolendum, peculiari libro persuadere Parlamento conatur. XIX, 97. *Oxonii* super Romanis ritibus mota. *ibid.*

P.

PAcii in Piastum eligendum consentiunt cum Radziviliis. X, 88. Czaris filium commendant. XII, 68.

Pacius Archistrategus fœdus in regem Poloniæ moliri dicitur. XVI,67. Svecis transitum per Samogitiam denegat. XVIII, 2. Cum Electore de transitu tractat. 8.

Pacius Poloniæ Procancellarius Regi svadet ut bellum inferat Electori propter abductum Kalcsteinium. XI, 104.

Pactum, Pacta. Pactorum verba probe sunt consideranda. XVIII, 13. de Pacto *Georgii Wilh. El.* cum *Cæsare* per Legatum ap. El. agit Cæsar. I, 17. Super *Induciarum pacto* frustra laboratur. 27.38. *Holmiense* super Reginæ matris negotio. 36.37. Pactorum *dotalium Borussicorum* fit mentio. IV, 1. Pactum *Dusseldorpiense primum, secundum & tertium* inter Br. & Neob. IV,22.23.24. Pacta *Feudalia* cum *Svecis* ratione Borussiæ. V,72. peculiare *super Warmiensi Præsulatu.* 73. Super *illustratione Pactorum* istorum cum Svecis agitur. VI,13.29. *Elbingense* inter Belgas & Svecos super commerciis. 42. conf. *Elbinga.* cum iisdem *super absolvendo Pacto Regiomontano* acta. 44. Pacta *Labiaviensia.* 45.46.47.56. *IX, 67. Welaviensia S. Bydgostiana.* 77.78.79.80.81.82.83. *VII, 9.* add. *VIII,70.71. IX,7.13.38.47.55-61. XI,100.102.103. XII,71.80.* Gallorum, Anglorum & Belgarum *circa separatam Pacem, Hagense.* IX, 3.4.5.6.7.8.9. *Elucidationis* 3.4.72. de Pacto *Roschildensi* tanqvam commerciorum libertati adverso qverelæ. 6.9. *Vilnensia* pacta non servari, Moscus qveritur. VIII, 38. Pacta *Stumsdorfiana* memorantur. 73. *Brombergensia.* IX 58. *55.58.67.86. X, 62.70. XIV, 4.8. XV,* 12.14. Pactum transactionis xantense IV, 20.21. *IX, 72. Transactio hereditaria* cum Neoburgico. IX, 73.74.75. *Pactum* ei *adjectum* 76. Circa *renovationem Pactorum cum Polonis* acta. *XI,* 101.102.116. *XIV,* 4.12. *XV,* 13.14. super pacto *mutuæ successionis* cum *Domo Austriaca* tentata. *XIV,* 19. *Hornburgense.* 33. *Rendesburgense.* 36. *Bremense* temporarium. *XV, 5. Stetinense. XVII,* 57.60.71.73.78.80. *Santinense* super prorogandis Induciis inter Gallos, Danos & Brandenb. 60. *Mutuæ successionis inter Brandenb. domum & Duces Lignicia & Briga. XVIII, 82. Susatense* 115. *Super*

INDEX RERUM.

Dœmitza inter *Gallum & Meclenb.* 127. *Pinnebergense XIX*, 37. 38. 41. 42. v. *Conventio, Fœdus, Transactio.*

Paderbornensis Præsul fœdus antecessoris cum Electore renovat. XVIII, 113.

Palatina causa qvo loco tractanda? II, 10. 12.

Palatinatus duo, Majoris Poloniæ se dedunt Svecis. V, 48.

Palatinatus Rheni in hunc prætensiones Galli? XVIII, 14. 15.

Palatinus Elector Electionem Cæsaris properandam judicat. VII, 21. Nec Austrium, nec Bavarum Cæsarem desiderare videtur. 78. Transitum Rheni denegat Cæsari atqve Electori. XI, 64. A Gallo invaditur. XII, 30. In Anglia illius calamitas non attenditur. 36. Ejus restitutio curæ est Electori. 38. 39. 40. 42. 43. 44. Super accelerando auxilio instat. 45. Legatum Neomagum mittit. XV, 48. Pacem urget. XVI, 8. Ratisbonæ repugnat ne Elector Magdeburgici Ducatus nomine proximum á Bavaro locum occupet. XVIII, 12. Huic utile dominium ereptorum locorum, sub onere fœderis inæqualis à Gallo offertur. 14. Contra Galli Conatus copias Circulares sibi auxilio submitti petit. 17. Mens ipsius circa Gallorum postulata. 36. Moritur. XIX, 13. Ob ejus successionem lites oriuntur ibid. 13. 14. Ejus successor Catalogum prolixum patratorum á Gallo contra inducias exhibet. 29.

Pallantus Bredenbendam arcem prodit. IV, 13.

Parlamentum Anglicum ad opprimendam ejus auctoritatem, Gallorum & Regum consilia & ejus cum Rege diffidentia. XI, 10. 12. 75. *XV, 60. XVI, 9. 10. 11. 12. 21. 22. 78. XIX, 84. 85. 86. 87. 88. 91. 92. 93. 94. 97.* Regem ad pacem cum Belgis urget. XII, 10. Postulat, ut Rex Anglos, Gallis militantes, revocet. XIII, 62. Bellum cum Gallo urget, *XV, 60. XVI, 11. 12. 21. 22.* Monumethensem perduellem declarat. XIX, 85. ei Jacobi II. conatus non probantur. 87. Circa novum Parlamentum agitata. 95.

Passavii de Edicto, de restituendis bonis ecclesiasticis, denuo promulgando, inter Cæs. Hisp. &c. proponitur. II, 12.

Pasewalci Exercitus Wrangelii contrahitur. XII, 65. Ratihabitio pacis San-Germanicæ ibi traditur. XVII, 84.

Pax, ad pacem in bello communi omnium Procerum consensu opus. II, 4. De Religione Reformatâ Paci sacræ disertis verbis includenda, acta. 29. Poloniæ Rex ad tractatus Pacis Legatos mittit. 45. *Pax Westphalica* concluditur. III, 28. de ejus securitate, violatione ac interpretatione. 29. 60. VII, 63. 64. VIII, 41. 42. XV, 42. 43. v. inf. *Monasteriensis.* Elector *Polonos* ad pacem qværendam hortatur. V, 15. Joannis Casimiri circa pacem cum Svecis mens. 19. Stetini de pace incassum movetur. 45. Elector de *Pace cum Svecis* facta Cæsari significat. VI, 1. Belgæ ob hanc valdè moventur. 2. 3. 4. 5. 6. Belgarum circa *Pacem inter Svecos & Polonos* consilia. 43. Elector circa pacem cum Polonis satagit. 49. Svecum simul ad pacem cum his hortatur. 51. 65. eamqve inter Svecum & Danum servare studet. 52. 55. Cum Polonis super pace agere incipit. 68. Poloniæ Reginæ circa hanc studium & hortatio. 69. 70. Electoris considerationes circa pacem inter Svecos & Danos. 72. Super pace inter Svecum & Polonum ab Electore incassum agitur. VII, 5. Eos iterum reconciliare studet. 44. 48. 50. Circa separatam pacem Galli, Angli atqve Belgæ pactum conficiunt. VIII, 3. Cui se opponit Elector. ibid. In *Dania* circa pacem cum Svecis frustra satagitur. 33. Elector pro communi pace nititur. 44. 45. 46. Acta circa *præliminaria pacis Thorunii.* 47. Qvare tam anxie Poloni pacem expetant? 48. 53. Acta *Warsaviæ super præliminaribus* pacis. 49. *Danus circa pacem suam* satagit. 54. Poloni pacis negotio fervide instant. 55. Propositiones de eâ, atqve disceptationes. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. Agitata cum Cæsare super conditionibus pacis 63. *Danica pax* succedit. 67. Disceptata super capitibus pacis. 68. De Ejus evictione. 71. Mors Caroli Gustavi pacem non remoratur. 73. Ad hanc citato gradu decurritur. 74. Et concluditur, ibid. *Olivensis*, ejusq; capita, qvæ Electorem tangunt. 75. Articulus alius pacis separatus recensetur. 76. Polonorum declaratio. 77. De *Gvarantiâ separati articuli Pacis Olivensis.* 61. Acta super Neoburgico Paci Olivensi includendo. 63. Elector Pacem inter Anglos & Belgas conciliare studet. X, 18. *Acta in Angliâ* circa hanc 22. Item *Bredæ.* 23. 24. Brandenburgici apud Gallum super pace instant. 54. Incassum circa pacem inter Gallum & Belgas satagit Elector. 26. Gallus Belgis omnem pacis spem adimit. 27. *Pax Vossemensis.* XI, 95. Hujus articuli separati recensentur. ibid. De hac pace Belgis, Cæsari, Sveco ac Imperii Ordinibus significatur. *96. 97. 98. 99.* Elector paci conciliandæ studet. XII, 1. Sed pacis hoc negotium difficile apparet. 3. 4. Belgæ separatam pacem cum Galli sociis captant. 9. Inter *Anglos & Belgas* Pax fit. 10. Ratisbonæ ad pacem nihil proficitur. 12. Acta *super præliminaribus pacis Neomagensis. XIII, 62. 63. 64. 65.* Beuningii anxietas circa pacem parum proficua. *66.* Alia circa hanc. *67. 68. 69. 70. XIV, 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. XV. 31.* usq; *61.* Super *Legibus pacis inter Gallum & Hispanum* fœdus initur inter *Anglum & Belgas.* XVI, 2. A Gallo pacis conditiones proponuntur. 15. Agitata circa has. 16. Gallus Belgas ad pacem per literas invitat. *23. 24. 25. 26.* Cui apud Anglum se frustra opponit Elector. *27.* Ut & apud Belgas *28.* Hispani qvoq; in hanc inclinant. *29.* Fœderatorum circa le... lam Neomagi monita. *30.* Elector etiam pa... cem qværit. *31.* Fœderati separatæ Belgarum paci renituntur. 32. Arausionensis sententia super hac. 33. Belgæ pacem decernunt. 34. Ac de instituo suo Neomagi proponunt. 35. Hispani eam certis conditionibus acceptant. 36. *Belgæ in pacem ruunt.* 46. Contra qvam protestantur Fœderati. 47. Haut tamen minus *Pax concluditur.* 48. *Querelæ super istâ.* 49. Electoris item Epistola super hac ad

Belgas

Belgis 50. Arausionensis de hàc pace judicium. 51. Circa pacem *inter Gallum & Hispanum* satagitur 73. Qvam excusant Hispani. 74. Acta Ratisbonæ super pace. 88. De hàc qvoqve inter Cæsareos & Gallos agitur. 90. 91. *Formula Pacis Neomagensis*. 92. Hispanica ratihabetur. 93. Protestatio contra formulam pacis â Cæsareis exhibitam. 94. Item Disputata super illa formulâ. 95. Cæsarei adhuc de pace dubitare videntur. XVII, 13. Acta circa Cæsarem ulterius Neomagi. 14. 15. 16. Gallorum Notæ ad hanc. 18. Circa hanc acceptandam pergitur. 20. Dani & Brandenburgici de ea non præcipitanda monita edunt. 21. Protestationes eorundem contra illam. 22. *pax* tamen *subscribitur*. 23. 24. Notata circa hanc. 25. Instrumentum *pacis Cæsareo-Svecica*. 28. Protestationes contra illam. 30. 31. Expostulationes super eâ Viennæ. 33. Ratihabitionem hujus impedire nititur Elector. 34. sed frustra. 35. 36. Ordines pacem Ratisbonæ probant. 39. Acta Neomagi post Pacem Cæsaream. 45. Galli Daniæ Regem & Electorem ad pacem urgent. 46. 47. 48. Pacis ratihabitio inter Cæsareos & Gallos permutatur. 49. Conventio super hujus executione. 51. *Cum Monasteriensi* pax concluditur. 55. Neomagi nil amplius ad pacem proficitur. 57. *Pax San-Germanica* concipitur & perficitur. *78. 79. 80.* Seqvestris mentio ea pace non fit. 81. Acta super hujus ratihabitione. 82. Item circa executionem pacis cum Gallis. 83. Ut & Svecicam ratificationem. 84. Danus de pace dubitat. 85. Danica pax tardius succedit. 88. Danus de Electoris cum Gallo pace qveritur. 89. *Danica pax* demum perficitur. 90. Inter Boreales pacem servare studet Elector. 97. Idem apud Cæsarem de pace cum Gallo urget. 105. Ac Luneburgicos ad pacem permovere studet. 106. De induciis in pacem mutandis proponit Gallus. XIX, 45. Acta de his 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52.

Pax ut in Imperio servetur maxime interest. VII, 28. 36. 37. per arma paratur. XII, 44. Integris adhuc viribus & maturè amplectenda XVII, 86. Majori orbis parti præscribitur â Gallo. 90. Illius optima cautio qvænam? XVIII, 37. 38. 83. inter Imperium & Gallum qvare difficilis. 111.

de *Pace Aqvisgranensi*. XI, 1. 7. 51. 72. 85. XII, *5. 33. 35. 43. 56.* XIII, 65. XV, 51. *Bræmsebroënsi*. XV, 43. *Cellensi*. XVII, *78. 80. 82. Clivensi*. X, *16. 17.* XI, *51. 85.* XII, *5. 33. 35. 43. Danica* ad *Fontem Blaudi & Lundinensi*. *XVII, 90. Hafniensi*. *XV, 43. 44. 51. XVII, 74. Monasteriensi. XI. 39. XII, 5. 35. XV, 31.* est fundamentum Neomagens. pacis XVII, 24. 28. ad eam tuendam Associationis fœdus initur. XVIII, 23. *Pragensi. I, 20. II, 40. XIX, 53. Pyrenæa. X, 40. XI, 1. 31. 51. 72. XII, 33. 34. 35. 36. 56. XIII, 65. XV, 60. XVI, 10. 15. Religionis. II, 30. 69. IV, 40. Roschildensi. XIV, 40. XV, 43. 44. Neomagensi* ejus infausti fructus. *XVIII, 21. 25. 34.*

Pecunia apud Helvetios. XI, 73. & in Poloniâ magnum obtinendi desiderii autoramentum. XII, 74. XVIII, 28. 29. Hâc tentatur Fagelius. 73. Gallica ex vero describitur ab Oxenstierna. 76. Sveci haut amplius ea capiuntur. 90.

Pedemontanorum trucidatio impia per qvos excitata? VI, 11.

Pegneranda, ejus judicium de extrahendâ Austriorum electione. VII, 36. Provincias Belgicas derelinqvendas svadet, ut Lusitania recuperetur. X, 37.

de *Pena* flum. limite Pomeraniæ constituendo proponitur. XVI, 77.

Pennus Presbyterianos in Anglia irritare studet. XIX, 93.

Persecutio Reformatorum in Galliâ. XIX, 16. *Persecutionis* tamen vocabulo illam describi ægre fert Gallus. 18. eo nomine cum Gallo expostulationes. ibid.

Petrus artibus Gallorum Portugalliæ Rex evadit. XI, 1. de eo ejusqve connubio qvædam ibid. p. 735.

Piccolomini erratum. I, 20.

Pignerolum super eo inter alia acta cum Gallo. XVIII, 13.

Pillavia, pro eo portu oblatam Silesiam El. Parens repudiavit. V, 6. Partem illius præsidii deposcunt Belgæ. 21. 23. VI, 42. 64. Ostium illius se obstructuros comminantur Gedanenses, si Sveci Ostium Vistulæ navigationi ineptum reddant. 64.

Pinnebergensis Conventio â Dano contra Hamburgenses allegatur. XIX, 37. 38 41. 42.

Philippus Wilhelmus fit Elector Palatinus. XIX, 13.

Philipsburgum expugnatur. XIV, 41. Huic munitiones detrahi cupit Gallus. XVI, 90. A Gallo Cæsari ceditur. 24. De eo acta Monasterii cum Gallis. XVIII, 13.

Platenus Augustam mittitur. IV, 39. It: Frauenburgum super armorum societate cum Svecis. VI, 21. 22. 23. 25.

Plettenbergius ad Electorem mittitur. II, 68. Cum declaratione Osnabrugam redit. III, 1. 3. 4.

Pœlnicius in Angliam missus, magno ibi honore excipitur. IX, 5. Ad Belgas ablegatur. XI, 58. Prælium cum Gallis dissvadet. 82.

Pollentius cum suis â Svecis repellitur. VII, 74.

Polonia. Qvalis ibi rerum facies diversis temporibus? V, 9. 10. 11. 12. 17. IX, 84. 85. XI, 105. XVII, 8. Bellum ipsi non conducit. V, 14. Acta circa hanc ab Exteris. 26. 27. 28. Germaniam tutam præstat â Barbarorum irruptionibus. 30. Illam servari omnium interest. 38. Magna istius pars Sveco se dat. 70. Qvalem Regem desideret. X, ? 74. Dissensio ibi omnium suffragia irrita reddere potest. XVIII, 30. Jus indigenatus ibi magni momenti. ibid.

Poloniæ Episcopi Colloqvium Thorunii instituunt. II, 31. Præfecturæ. XVIII, 13. 15. 19. 20.

--- *Nobiles* armatâ vi Condæanæ factioni resistunt. X, 86. Soli Michaelis Electionem promovent. 88.

Ordi-

--- *Ordines* jus suffragii denegant Electori. III, 27. Auro Gallico mancipati. XVII, 7.

--- *Regina* Polonos frustra ad victoriam incitat. VI, 39. Pacem cum Electore desiderat. 69. Illius autoritas. VII, 5. Berolinum venit. VII, 50. qvalis fuerit? IX, 87. 89. Moritur. X, 65. Mores istius atqve cogitationes. 68. A Gallo multis muneribus & Franciæ Filiæ titulo ornatur. XIV, 9. Qvare Gallis infensa? XVIII, 86.

Polonica Aula cum Gallis colludit. XVI, 69.

--- *Corona* à Mosco affectatur. VII, 75. Illius Candidati qvi & qvales? IX, 19. 20. X, 74. sq. XII, 70. sqq. Digna censetur Missâ. IX, 14. X, 75. vid. *Candidati.*

Poloni de Electore qveruntur. I, 22. 23. eorum legatio ad Elect. 24. 41. Warsaviam proficiscitur El. 24. Eorum operam ob Pomeran. frustra solicitat Elector. II, 45. Circa novum Regem eligendum in factiones sunt distracti. III, 27. Inter hos & Svecos bellum conflari videtur. ibid. IV, 36. Tractatus cum Svecis eludunt. V, 5. An Electori nocere possint? 10. Elector eos ad pacem hortatur. 15. A Svecis eos peti, magis magisqve apparet. V, 40. Cum iis acta. VI, 30. Recuperatâ Warsaviâ magna spirant. 36. in eos tendit Elector, & in fugam vertuntur. 37. 38. 39. à Cæsare auxilia petunt. 40. Inter hos & Svecos ut amicitia restauretur, solliciti sunt Belgæ. 43. Ex Moscorum irruptione in Livoniam spiritus novos sumunt. 44. 48. Brandenburgicis cladis qvid inferunt, sed mox ultio reponitur. 48. Cœptis Danorum applaudunt. 60. Cum Austriacis fœdus ineunt. 63. Cum iis super pace acta. 67. 68. 69. 70. de supremo Borussiæ imperio apud eos agitur. 71. Ac tandem tractatio absolvitur. 75. Hinc fœdera & pacta Welaviensia. 77. 78. 79. Super Lauenburgo &c. ac Elbingensi civitate. 79. 80. 81. 82. 83. Cunctatio Austriaci auxilii ipsis valde displicet. VII, 14. 15. Circa ferendum Dano auxilium frustra laborant. 43. Irruptionem in Germaniam minantur. 44. à nostris apud eos acta circa pacem. 47. 48. 49. 50. De invadenda Pomerania svadent. VIII, 16. 36. Eorum concordia difficilis. 44. anxie pacem expetunt. 48. cum Svecis super præliminaribus pacis agunt. 47. 49. Pacem urgent. 53. 56. Svecis Stetinum eripi nolunt. 69. Eorum festinatio in opere Pacis à Brandenburgicis sisti non potest. 72. 74. *Pax Olivensis* concluditur. 75. 76. 78. Super Elbinga cum iis acta. 80. 81. 82. 84. IX, 7. 8. 17. 18. 19. Qverelæ eorum de Electore. 9. Locupletem Coronæ suæ Candidatum optant. 10. Periculosa ipsis vicinitas Turcæ, Sveci & Galli. 10. Electori illa aula est infensa. 11. 12. Mox timidi, mox superbi. 17. QvalemRegem optent? 10. 20. 87. Varia eorum circa Electionem novi successoris. 44. 45. 46. 84. 86. 87. CircaBorussiæ summum imperium cum iis acta. 37. 38. 42. 43. 47. 51. 52. 53. 54. Circa se dandos ibi motus. 88. 89. Qvare Neoburgicum successorem habere nolint. X, 60. Auxilia hinc inde contra Tartaros petunt. 61. Super abdicatione Casimiri & novo successore cum iis acta eorumq; studia, & Candidatorum ambitus. 62. 63. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 82. sqq. Præter omnium opinionem eligunt Michaelem Wiesniovicium. 88. Turbæ hinc inter eos oriuntur. XI, 13. Circa pactorum renovationem tricantur. 101. 102. Kalcsteinii abductionem ægerrime ferunt. 103. 104. 105. Pacta demum Electori confirmant. 106. Auxilia ab eo accipiunt. 107. De novo Rege sunt solliciti. XII, 67. 68. 69. Judicia & consilia eorum de Candidatis. 70. 73. 74. Post Sobieścii adventum Lotharingo nulla spes reliqva. 79. Illum Regem eligunt. 80. Auxilia ab Electore contra Turcas petunt. 81. Ambiguo animo erga hunc Electorem sunt. XIII. 58. 59. XIV, 1. 2. 3. Difficiles se ei qvoqve exhibent in confirmandis pactis. 4. 6. 12. XV, 13. 14. A Gallo & Regina ad pacem cum Turca instigantur. 9. Contra Electorem incitantur. XV, 12. ab iis periculum non plane cessat. 21. Sententiæ eorum de Svecorum irruptione. 69. Post profligatos in Borussia Svecos mitiores sunt erga El. XVII, 7. 8. Super Radziviliæ connubio fremunt. XVIII, 27. 28. Super *Jure indigenatus* cum iis acta. 30. v. *Jus Indigenatus.* Super Vitrii machinationibus ad Gallum scribunt. 86. Ab Electore auxilia contra Turcas petunt. 137. Eorum disciplina militaris prava. VII, 70.

Poloni Majores Electoris auxilium implorant. V, 6. Ut ejus partes assumant, sollicitantur. XIV, 7. Huic etiam amiciores reliqvis esse videntur. 8. 12. XVII, 7.

Polonus Pacem cum Dano desiderat. VIII, 1. 24. 53. Conventum indicit super præparamentis Pacis. 45. 46. 47. Qvare tam anxie pacem petat? 48. 55. 67. 72. Cum Moscis & Cosacis bellum continuat. IX, 1. vid. *Joannes Casimirus. Joannes Sobieskius Uladislaus.*

Circa *Pomeraniam* cedendam cum Svecis acta. I, 7. 8. 9. 11. 17. II, 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. sqq. (est pomum Eridos. 61. sq.) III, 1. (Triplo pretiosior Magdeburgo fertur. 3.) 2. 3. 9. 16. circa eam etiam post pacem controversiæ manent. III, 29. 34. 36 seq. circa *Fines* in Pomerania regundos acta. IIII 42. sq. vid. *Sveci, Limites, de Vectigalibus* Pomeraniæ cum Svecis acta. III, 54. 55. 56. 58. 62. Electori traditur. III, 57. 65. De Pomerania permutatione acqvirenda agitur. III, 30. 41. 42. 43. sqq. Poloni Pomeraniæ translationem in Svecos impedire conantur. II, 45. in eam vet9 Brandenburgicis jus. II, 35. 46. in eam incendiis atqve rapinis grassantur Poloni. VI, 48. ea ut Svecis servetur, studet Gallus. VIII, 4. de Cæsaris in eam expeditione consultationes. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. ea suscipitur. 25. 26. 27. qvo successu? 28. sqq. in eam irrumpit Elector. XIII, 54. 55. 56. in eam expeditio Electoris. XIV, 46. 47. 48. XV. 18. XVI, 59. 60. 61. 62. 63. Meindersius super ea retinenda Neomagum

gum mittitur XVI,76.77. Crocovius ad Cæsarem. 79.80.81. Meindersius post in Galliam mittitur. XVII,66.69.71. altera vice.72. 73. Restituitur Svecis pace San-Germanica. 80.

Pomerani Electori favent.I,28.II,32.33.44.55. Ut jura sibi salva sint, petunt. ibid.

Pomezaniæ Episcopi titulus cui competat? XI, 101.

Pomponius Svecis admodum favet. XVII, 57. Acta ejus cum Meindersio in componenda pace San-Germanica à 69. usqve 81. Pacis negotium ne à Colberto perficiatur, impedit. 81. Rebus Galliæ tractandis dimovetur. 84. Ipsius judicium de invasione Hamburgi. 94.

Pontifex, an habeat potestatem disponendi super Regnis & Provinciis? VI, 11. Hujus favorem sibi conciliat Gallus. XI, 1. Polonos ad bellum cum Turcâ continuandum hortatur. XIV, 9. Ejus Legatus an in negotio Neomagensi admittendus? 64. XV, 39. Qvare in pace Neomagensi ejus tanqvam Seqvestris non fiat mentio. XVII, 31. Gallum à prætensionibus suis dehortatur. XVIII, 89. Bellum contra Turcam continuari cupit. 105.133. Persecutionem Reformatorum in Gallia clam improbat. XIX,16. In Gallia contra ejus autoritatem propositiones conficiuntur. ib. Ejus Nuntius de induciis cum Gallo in pacem mutandis Viennæ proponit. 45. Anglum monet, ut caute agat. 48. Furstenbergii Electionem improbat. 59.

Pontificii è morte Ludovici *XIII*, Gall. Reg. capiunt gaudium. *II*, 4. Ut & propter Svecorum in Holsatiam irruptionem. 12. Magis Lutheranæ, qvam Reformatæ religioni favent. 69. Electoris potentia ipsis suspecta. XII, 52.
Conjurationem de Angliæ statu mutando moliuntur. XVI, 78. In Angliam irrepunt. *XVII*, 44. Protestantibus sunt infesti. *XVIII*, 95.96. In Jacobo *II*. Angliæ Rege magnam spem collocant. *XIX*, 85. Et ab eo juvantur omnibus modis. *86.87.88.89.90.91.92.93.94.* 95.97. Qvid de horum receptione in Anglia sentiat Arausionensis? 96. Eorum vaticinia de nativitate Walliæ Principis. 67. Eorum Missionarii Belgio exesse jubentur. 55.

--- *Ritus* à Jacobo *II*. Angl. Rege in Angliam introducuntur. *XIX*, 86.

--- *Sacerdotes* à Belgis in custodiâ detinentur. *IV*, 24.25. Sævitia eorum in Protestantes. *VI*, 10.52. Reformatos in Gallia exstirpandos svadent. *XIX*, 16.19.

Portsmuthia Ducissa, qvædam Gallica fœmina, cui hoc nomen inditum, Carolo *II*. adducitur pellex, qvæ Regem in partes Gallicas inclinavit *XI*, 10.12. *XVI*, 9.

Portus Borussiæ, de illis cum Svecis acta. V,2.3. 4.6.38. VI,45. Acta de his inter Danum & Electorem. 52.53.54.55.

Posnaniæ Austrii, Poloni ac Brandenburgici conveniunt. VII, 47.

Potocius Draheimensis Dynastiæ possessor moritur. X, 64.

Postami Edictum in favorem Reformatorum è Gallia profugorum editur. XIX, 17. ibi decumbit ELECTOR & moritur 100.

De *Præcedentia* inter Electores & Venetos I, 53. II, 17.23.24. IV, 36. inter Electores & Belgas. I, 55. II, 17.71. cum Austriis II, 25. inter Duces belli. VI, 27.78.79. vid. sub tit. *Legatorum plura*. ad definitam inter Christianos Reges in Conciliis veterum prærogativas provocat Gallicus Legatus. XVIII, 76.

Præda Svecorum qvomodo inter Fœderatos divisa? VIII, 34.

Prælium ad Warsaviam. VI, *37.38.39.* in Fionia. VIII, *34.* ad Lebencium. IX, *78.* prope Argentorat. XII, *46.* ad Fehrberlinum. XIII, *36.* ad Montes Hannoniæ. XVI, *70.* inter Gallos, Cæsareos & Luneb. *38.* in Borussia. XVII, *3.5.* 6.7. ad Viennam. XVIII, 96. Præliorum alea ex sententia Bortionvillii qvando tentanda? XI, 82.

Præscriptio longissimi temporis an habeat locum in rebus summi imperii jura spectantibus? XVIII, 14.15.

Prætensio Corvejani Abbatis in Rugiam. II, 37. Hervordiæ. 70. In Ducatum Juliacensem. vid. *Juliacensis Ducatus*. *Brunsvicensium* in Comitatum Reinsteinensem. III, 12. Anhaltinorum in Ascaniam. ibid. Austriorum in Borussiam. V, 14. Monomuthensis Ducis. XVII, 44. Coloniensis in Lipstadium. 58. Saxonis in Mulhusam & Northusam. *XVIII*, 8. Galli, in infinitum se extendunt. 50. Electoris in Ducatum Lignicensem. 84. 85. *XIX*, 1. vide *cætera suis locis*.

Prætextus vid. *Color*.

Pragensi pace mala patriæ non sublata. *II*, 4.

Presbyteriani novum jusjurandum præstare abnuunt. *XIX*, 93.

Prestavi qvi? *XI*, 109.

Preusischmarca incassum tentatur à Svec. VIII. *36*.

Primas Regni Poloniæ, Regimen Poloniæ post abdicationem Joannis Casimiri suscipit. *X*, 73. Judicium ejus de Neoburgico & Condæo. 76.77. Ab Electore affectat titulum Primi Principis. *XII*, 71. Acriter cum Hoverbeqvio de Pactis disceptat. *XIV*, 8.

Principes Germaniæ à Gallo contemnuntur, inprimis illi qvorum ipsi operâ ad propositum non opus. *X*, 55. de Legatis eorum v. *sub tit. Legatorum*.

Privilegium in Germaniâ à qvo detur? *III*, 13.

De *Profugis* Anglis quibusdam. *XVIII*, 117. è Gallia ab Electore recipiuntur. *XIX*, 17. Item ab Anglo. 85.

Circa *Procuratoria* observanda, & disputata. I, 16.30.34. *II*, 19.63.64. *III*, 49.62. *V*, 20. *XIV*, 69. *XVIII*, 34.46.

Promissa implere gloriosum. *VIII*, 5. Gallorum sunt inania. 41.

Protectio qvid notet? *X*, 35.

Protector præ Rege digniorem locum affectat. *VIII*, 3. v. *Cromwellus*.

Protestantium causa ab Electore apud Cæsarem agitur. *II*, 63. *IV*, 46. *VII*, 63.64.65. *XVIII*, 95.

k

95.XIX,1.26. contra Neoburgicum.IV,25. cum Cromvello pro illis communicata. VI, 9.10.11. apud Polonos. VII, 50. VIII, 68. apud Angliæ. R. Jac. II, XIX, 4. de Reformatis cum Gallo. XIX,17.18. erga eos Gallis non levius odium ac Hispanis est. XI,1. Jesuitarum de his in Hungaria votum. XVIII, 95. per eos oppressos demum ad Monarchiam Europæ patet via. XVIII,95. Successione Jacobi II. & morte Palatini feralem plagam accepisse videntur. XIX, 4.13. in Gallia persecutio Reformatorum 16.17.18. eorum causam Arausionensis commendat Jacobo II,94.96. v. *Reformati*,

Proverbium, ex Lucano, *Sceptrorum vis tota perit. &c.* Gustavo Adolfo jactatum. II,61. Hispanorum de Pace colenda cum Anglis. IX, 25. Belgarum super amicitia cum iisdem. *26.* Hispanici legati de aviditate ministrorum Gallicorum. X, 2. de clade Gallorum ad Gilgilim. 4. à Mazarino cacodæ monem non impensius metui qvam Cromuellum. X, 28. Vetus Romani Imp. *Bonum militem perdidistis &c*, in Condæum Poloniæ Coronam affectantem. 77. Bakovii de Polon. Regni constitutt. XV, 12. Polonorum de Moscorum regimine. XVII, 8.

Protestatio Palatinatus Bresensis & Inocoladislaviensis rejicitur, ut & Senatorum Poloniæ. I, 24.25. Brandenburgicorum Legatorum contra Cæsareorum cessionem. II, 62.63. Eorundem contra Svecicos Legatos. IV, 43. Brunsvicensium contra translationem Præsulatus Magdeburgensis & Halberstadiensis. III, 12. Fœderatorum contra pacem cum Gallo. XVI, 47. Coloniensis super Juliacensibus ditionibus. 96. It: contra Art: 28. Pacis Cæsar: Gall: *XVII*, 27. Legatorum qvomodo fiat? 82. Brandenburgici contra formulam Pac: Cæs: Gall: *XVI*,94. It: Svecorum. 95. Lotharingi contra Gallum, ratione Metensis præsulatus. *XVIII*, 13.

Prumia Abbatia Trevirensi adempta à Gallis. *XVIII*, 37.

Q.

Q*Artianis* stipendia poscunt Sveci. V, 66. à qvo tamen postulato desistunt. 68.

Qvedlinburgi conventus. *XI*, 71.

Qverela Regiminis Pomeraniæ de Invasione Cæsaris. *VIII*, 27. Polonorum contra Electorem. *IX*, 9. *reliqva vide suis locis ad nomina Propria digesta.*

Qverfurt præfectura, de ea acta? III,16.XIX,1.53.

R.

R*Abenhauptii* insolentia. I, 47. 49.

Rachelius Gottorpiensis Ducis causam Ratisbonæ agit. *XIX*, 11.

Radzivilii optant, ut Elector Coronâ Polonica potiatur. V, 17. Cum Paciis in Piastum eligendum consentiunt. X, 88. Cum Hoverbeqvio super actionibus adversus Radzivilium transigunt. XVIII, 29.

Radzivilius (Bogislaus) à Tartaris captivus ducitur, sed mox liberatur. VI, 48. Ad Gosievium mittitur. 71. Plenarie iterum restituitur. vid. *Pactum Welaviense*. 78. Mosco ab Electore commendatur. VII, 6.

Ragozius Russis & Arrianis Poloniæ Rex optatur. III, 27. Circa ejus conatus considerationes. VI, 50.62.64. Cosaci sub ipsius imperio vivere nolunt. ibid.

Ratenavia Sveci opprimuntur. XIII,34.

Ratinga à Brandenburgicis occupatur. IV, 25.

Ratisbona ibi Elector cum Cæsareis super induciis cum Svecis agit. I, 17. Amnestia à Cæsare promulgatur. 20. acta ibi super Pomerania. III,65.66. v. *Pomerania*. Cæsar Filium commendat, ut in Regem Rom. eligatur. IV, 38. cum Fœderatis ibi super Fœdere Rhenano agitur. IX,65. Bellum Belgis illatum haud ita vehementer movet animos. XI, 68.69. Acta ibi contra Svecos. XIII, 15.16. vid. *Fridericus Wilhelmus*. Super Pace ibi acta. XVI,88. Pax Neomagensis ibi probatur. XVII, 39. de satisfactione sua ibi proponit Elector. XVIII,8. & ratione Magdeburgici Ducatus proximum à Bavaro locum ibi occupat. 12. *Galli ibi agunt de satisfactione*, qvibus respondent Ordines. 15. 19.20. Qvid ratione Reunionum ibi actum, vide sub titulo *Reuniones*. De Turcico periculo ibi proponitur à Cæsare. 62. *Verjus* scriptum de Induciis exhibet. 130. Propius ibi ad istas acceditur Lutzenburgo expugnato. 132. Absolvuntur. 133. Instrumentum de iis inter Cæsarem & Gallum conficitur. 134. Sveci Induciis resistunt. 136. Qvid ratione successionis in Palatinatum à Cæsare statutum? XIX, 15. De sparsis istarum induciarum rumoribus *Verjus* ibi scripto qveritur. 29. Nomine Imperii literæ ad Gallum dantur. 33. Aurelianensi cautio ibi datur moram ei fraudi non fore. 34 acta ibi super declaratione Galli 51. De Religione ibi acta It: Super munitione reunitorum à Gallo locorum. 55.57.58.

Ravensberga Comitatus. Hunc subjicere conatur Luneburgicus. I, 47. Electori ceditur. IX, 75. In eo barbarico modo grassatur Monasteriensis. XI, 93.

Ravensteinum Dynastia cui competat? IX, 75.

Ravaulxius Gallo consilium suppeditat Germaniæ Cis-Rhenanæ conseqvendæ. XVIII, 14.

Rautenfelsius à Polono ad Electorem Brandenburgicum mittitur. V, 19. 20.

Rautensteinius à Neoburgico in Poloniam mittitur. VIII, 51.

Rebenacius Cellis super Neomagensi pace & restitutione Svecorum cum Pufendorfio laborat. XVII, 40. Cæsareorum & Anglicum fœdus Electori oblatum dissvadet, XVIII,7. Ut & associationis tractatum; Fœdus contra cum Gallo. 44. Et Svecos invaden-

dendos svadet. 92. Ei displicet, Electoris propositum de mittendis Cæsari auxiliis 94. 96. Svadet ut Luneburgenses invadat. 104. Pressiorem declarationem ab Electore petit ob renovatum cum Belgis fœdus. XIX, 9. 10. De circumscriptis sacris qveritur. 19. Ejus augurium inane est de expeditione versus Budam. 26.

Reclingshusa ab Electore satisfactionis loco inter alia petitur. XIII, 40.

Reesa traditur Electori. XII, 32.

Reformata Sacra Pace Sacra comprehenduntur. II, 29. 30. 69. *Reformatorum* persecutio in Gallia. XIX, 16. Electoris Edictum in eorum è Gallia profugorum favorem. 17. eoqve nomine cum Gallo expostulationes 18 vid. *Protestantes. Profugi.*

Reges non eo fine nati ut unice suæ voluptati litent. XV, 60.

Regem Vandalorum exsurgere, Cæsari haud placere. Pauli Hocheri vox. XV, 21.

Regelitza claustra à Brandenburgicis occupantur. XV, 18.

Regimentum Imperio haut proficuum Saxoni uidetur. *VII*, 33.

Regiomontani sunt pertinaces. *IX*, 39. Qvare leniter tractandi? 47. Electori se submittunt. 50.

Regiomonte Tractatus Svecos inter & Brandenburgicos absolvitur. V, 70. 71. 72. 73. Sed Pactis Labiaviensibus iterum aboletur. *VI*, 45. 46.

Reiffenbergius, ejus cum Boineburgio offensæ X, 79.

in *Reinsteinensem* S. Regensteinensem Comitatum actiones Brunsvicensium, & acta super eo ab Electore apud Cæsarem. *III*, 12. *VII*, 41. 63. 64. *XI*, 46.

Reius multa de candore suo testatur. *VIII*, 82. in Electorem iniqvus. 85. Astutus & malitiosus. *IX*, 19.

Circa *Religionem* qvalem se in universum gesserit Elector dum viveret. *XIX*, 104.

de *Religione* in terris qvilibet suis qvomodo statuere possit mota, occasione Edicti Belgarum de ejiciendis Monachis. *XIX*, 55.

Religio Catholica in Polonia dominans. *XII*, 78.

de *Religionum conciliatione* conatus Colloqvio Thoruniensi *II*, 31. alibi. *XIV*, 20. qvi in conciliandis Romanensibus cum Protestantibus desudarunt, qvales pleriqve ex illis fuerint. *XIV*, 20.

Dissidentibus à Religione an jurata fides servanda, disputata. *VIII*, 73.

Religionum Libertas sub dolo instituto Angliæ obtrusa à Jacobo *II*. *XIX*, 92. 93. 94. de qva judicium Arausionensis. 96.

de *Religione mutanda* ob honores regiam dignitatem &c. considerationes. *IX*, 14. *XIV*, 22.

Religionis nomen sæpe inanis color profanis cœptis. *VI*, 10. Svecis multum auctoritatis peperit, *VII*, 63. Gallo ad deliniendum Cæsarem adhibitum. XI, 50.

de *Religione propaganda aut vi propter religionem inferenda* disputata & dicta II, 29. 30. IV, 25. VI, 10. VII, 64. IX, 71. XI, 84. XIV, 20. XVI, 78. XVIII, 95. XIX, 3. Qvali vi obviam itur fœderis Sveco-Brand. articulis secretis. XIX, 28.

pro *Religione Protestantium* Intercessio Svecorum apud Cæsareos. VIII, 67. v. *Protestantes.*

de *Religione Reformata* paci sacræ disertis verbis includenda. II, 29. 30. 69. pro ea studium Electoris. VIII, 67. IX, 22. 71.

Religionis socios tueri ac recipere fas piumqve XIX, 18. 29.

Religio Una qvantis commodis conjuncta crepant Galli. XIX. 29.

Repressalia in Neoburgicum exercitæ. III, 25. Ab Electore in Hispanum *XVIII*, 10. 11. Qvid Instrumento induciarum de his cautum? 134.

Residens Cromvelli præ legato digniorem locum apud Belgas affectat. *VIII*, 3. super Residente Electoris regno facessere jusso disputata cum Polonis ex jure gentium. *XV*, 21. conf. *VII*, 54.

Rex Romanorum. *IV*, 40.

Reunionum commentum orbi obtrusum à Gallis. *XVIII*, 14. Francofurti & alibi super his acta. 33. §. 34. sq. 43. 46. seq: 46. 47. 48. 49. 50. Opera Francofurti luditur. 51. Ratisbonæ circa illas acta. 52. 53. 54. 55. 56. 57. Galli replicam atqve Declarationem proponunt. 66. 67. Cæsarei Deductionem edunt. 68. Cui Galli scriptum opponunt. 69. Secreta horum destinata super reunionibus. 69. Ut ab his Gallus desistat Danus atqve Elector laborant. 74. Acta alia de his Ratisbonæ. 88. 89. 103. 104. Super his Electores consilia conterunt. 113. 114. Et fœdus ineunt. 115. Arausionensis sententia de his. 119. in Instrumento induciarum de iis cauta? 134. Item in fœdere inter Electorem & Ernestum Augustum inito. 135. Iidemqve inter Cæsarem & Electorem. *XIX*, 25. Cum Croissio sermones super his. 33. 47. super eo vocabulo inter Danos & Gottorpinum disputata. 78. 79.

Reunita Loca munitionibus cingit aut amplificat Gallus. *XIX*, 56. De qvibus Ratisbonæ cum Gallis disceptatur. 57. 58. de Sacris in illis acta. 29. 30.

Rhenanum fœdus vid. *Fœdus.*

Super *Rheni* Transitu ab Electore acta. *XI*, 62. 63. 64. Cur inde Rhenum non transierit? 87.

Rhodius à Consultationibus publicis removetur. *IX*, 40. 43. Ejus conatus & ut captus fuerit ac Peizam deductus, ubi vitam finiit. 47. 48. 49.

Ribenitza occupatur. *XIII*, 56.

Ridderbielmius à Tartaris capitur. VI, 48.

Richelius omnia Gallico dominatui obstantia dimovit ac Reformatos munimentis exuit. *XIX*, 16.

Riga Stralsundæ fatum timet, copiis Electoris post victoriam Borussicam in Livoniam penetrantibus. *XVII*, 6.

Risenburgi tractatio cum Svecis suscipitur V, 68.

Rochas Episcopus Hispanicus de connubio Friderici Principis Electoralis dignitatis heredis cum vidua Poloniæ regina disserit. XIV, 19. De Saxonicorum Theologorum dictis in Catholicos qveritur, & de conciliandis relig. Rom. & Protestantium movet. 20.

Rochovius Spandoæ præfectus in custodiam datur. I, 5. ejus ferocia. ibid.

De *Romanorum* actionibus præjudicii loco ratione Legatorum adductis considerata. VII, 60.

Ronqvillius hujus suppellectili creditorum petito manus injicit Magistratus Neomagensis. XVI, 20. Consilium dat Jacobo Regi Angliæ recens facto. XIX, 3.

Roschildense pactum vid. P.

Rosenbergius pacis Neomagensis instrumentum affert Cæsari. XVII, 35. Francofurti arma contra Gallum svadet. XVIII, 50. In Electore qvantum momenti in eam rem situm sit differit. 67.

Rucqvius, ejus in Hispaniam missi acta. XIV, 43. XVII, 43. Re infectâ ex Hispaniâ discedit. XVIII, 10. Ad Electores Rheni ablegatur. 34. 35. 36. 37. 38. item Francofurtum. 49. 50. 51. Dresdæ ipsi datur responsum. 79.

In *Rugenwaldam* actionem movet Polonus. II, 45.

In *Rugiam insulam* prætensio Abbatis Corvejani. II, 37. Svecis conceditur. III, 16. A Brandenburgicis occupatur. XVI, 60.

Rupertus Palatinus classi Anglicæ præficitur. XVI, 11.

Ruyterus Joannem Schackium cum Danicis copiis navibus recipit & in Fioniâ exponit. VIII, 34.

S.

SAbaudus ut inter Imperii Candidatos sese ferat Germaniæ ignominiosum visum. VII, 32. Cum Elect; conventionem init super Titulis & Cerimoniis. IX, 64. Cedit Electoribus. XIV, 58. Celsitudinis regiæ titulo mactatur. ibid. XVI, 52.

Jus circa *Sacra*. II, 30. Reformata sacra pace sacra comprehenduntur. II, 29. 30. 69. v. *suis locis alia*.

Salvius de Pomeraniæ ad Sveciam opportunitate differit. II, 33. De cedenda Pomerania ac Christinæ connubio ingerit. 48. De mittendo in Sveciam Legato consilium suggerit. 51. Reginæ Mandata ostendit Brandenburgicis. III, 8. Accepta pecunia in negotio super Minda facilior est Electoris petitis. 13. Ipsius de Sveciæ Cancellario judicium. 17. Pacis instrumento obscuritatem affectavit, ut alibi solitus fuit. 45.

Salvus conductus sanctissimum Juris Gentium caput. XII, 9.

Salutationis in Tamesi ritus exemplis describitur. IX, 28.

Samlandiæ Episcopi titulus cui competat? XI, 101. XV, 14.

San-Germanius Galli nomine Electorem ad neutralitatem inducere studet. XI, 28. 29.

San-Germani ad Layam pax initur cum Sveco. XVII, 77. 78. 79. Ejus instrumentum. 80.

San-Germani, Joannes Casimirus post abdicationem à Rege Reginaqve exceptus, Abbatiam intrat, reliqvum vitæ ibi transacturus, X, 89.

San-Gilenium à Gallis expugnatur. XV, 19.

Sanitzius Anclamum Electori opinione citius tradit. XIV, 47.

Santenæ pactum super prorogandis induciis inter Gallos & Brandenburgicos conficitur. XVII, 60.

Super *Satisfactione* Electoris acta. XVII, 45. 46. 48. 61. 67. sqq. XVIII, 8. Acta circa Gallicam satisfactionem Monasterii. 13. 15. 19. *alia qværenda sub nominibus propriis qvo spectant.*

Saxo Elector, apud eum in reditu divertens Elector Brand. in *Unionem Electoralem* recipitur. III, 14. Juliacensis controversiæ causa in Galliam & Belgium mittit leg. IV, 13. Joannes Georgius II. omnia consilia ad qvietem & favorem Austriacorum refert. VI, 48. Ejus sententia de novo Cæsare eligendo. VII, 24. cum Electore *Lichtenburgi* super negotio electionis congreditur. 33. Austriacis impense favet. ibid. cum Electore *Zinnæ* congreditur, qvi eum à fœdere Gallico avertit. X, 35. *Potsdamum* venit, cum Electore super statu rerum consultaturus. XI, 43. ad componendas lites super Regensteinensi Comitatu officium suum offert, misso Carolo Frisio Barone Werningerodam 46. Ad eum mittitur Cansteinius consilium petiturus, num induciæ Electori cum Gallo amplectendæ. 83. In conventu Lipsiam indicto Svecis favere videtur. XIII, 17. In Senatu Electorali pro Electore contra Svecos connititur. XIII, 39. Per Nicolaum Gerstorffium de pace cum Svecis Viennæ agit. 41. Erga Electorem iniqvior. 57. Super hospitiis cum eo acta. XIV, 55. 56. ibi Ministri pleriqve salutaria patriæ consilia fovent. ibid. in ejus aula Henricus Frisius utilia publico consilia fovet. XV, 20. Circa hiberna apud eum iterum acta. ibid. Cum Bavaro & Palatino super promovenda pace cum Svecis sedulo consilia confert, instinctu qvorundam ministrorum. 82. Super satisfactione Electoris ex bello Svecico cum eo acta. XVI, 8. 82. XVII, 37. 39. Fœderis cum Bavaro formula. XVII, 37. Ad eum Meindersius mittitur super arctiore ambarum domuum conjunctione. XVIII, 26. Finstervvaldæ inter eum & Electorem per Ministros Fœdus mutuæ defensionis perficitur. XVIII, 26. in arma Gallo opponenda, Meindersio, ad eum misso, se proniorem ostendit. 40. Corbusii per Ministros cum Electore consilia confert. 78. Pacem qvalem Gallus offerat, acceptandam non esse sentit. XVIII, 79. 81. Electorem misso Bosio hortatur ad pacem inter Boreales Reges servandam. 101. in causa Gottorpina cum aliis à Cæsare delegatus judex decernitur. XIX, 68. 69. 82.

Saxonica Domus Prætenſio in Juliaceuſes ditiones. IV, 1. 5. Super ea clam juvanda contra Brandenb. Levini ab Ulm ſententia. IV, 10. de ejus viribus idem differit. ibid. contra confirmationem pacti hereditarii cum Neoburg. ſuper Juliac. Provinc. proteſtatur. XVI, 69.
Cum *Saxonicis* Legatis ſuper ſacris Reformatorum paci ſacra includendis acta. II, 69.
Saxonia Inferioris Principes ad Polonum ſcribunt, ut Germaniæ Provincias incurſare deſiſtat. VI, 41.
Scattorpii nobili Prætorio Carolus XI. cum Ulrica Eleonora nuptias celebrat. XVIII, 9.
Schafgotſchius Excellentiæ titulum Electoralibus Legatis denegat. X, 85.
Schapius Legatus Belgicus ſui nominis ingenio fertur. XII, 54.
Schenkianum Caſtellum à Gallis Electori traditur, & motus animorum in Belgio ſuper eo. XII, 32. Super eo Belgis cedendo oblata. XIV, 42. Belgis pleno dominii jure traditur. XVI, 99. Super eo cui maxime opportunum ſit diſceptatur. 97.
De *Schilfelbeina* Commenda Magiſtro Ord. reſtituenda. I, 42.
Schlezerus in Angliam ad Cromvellum mittitur. VI, 9. Acta ab eo. 10. 11. Propter æs alienum præter voluntatem El. contractum contumelioſe ibi habetur. VII, 8. Re non adeo bene geſta ad Svecos ſe confert. 68.
Slippenbachius à Sveco ad Electorem mittitur, & varios ſermones jactat. V, 2. qvi & non parum diſplicent Regi. 6. 37. iterum Berolinum accedit. 44. Electorem ad bellum cum Polonis continuandum inani eloqventiæ conatu permovere ſtudet. VI, 66. 67. 74. VII, 2. 3. Super pace cum Polonis tractanda, Berolinum venit. 5. 16. Acta ejus in eo argumento. 44. 56. 57. Ob promotam pacem honorarium ipſi promittitur. VIII, 79. Electori parum amicus fuit. IX, 32. ejus molimina. ib.
Schmettavius ad Danum & Hamburgenſes mittitur. XIX. 40. 42.
Schœnbornius Elector Moguntinus recens creatus, arma in Svecos diſſvadet. III, 22.
Schœningius [Joann. Adamus] tribunus Ukermundam aſſultu expugnat. XIV, 45. Svecis è Boruſſia profligatis inſtat, eosqve notabili pugna fugat. XVII, 6. Expeditioni in Hungariam verſus Budam præficitur. XIX, 26. Ei iter longius extractum à Cæſareis objicitur. ibid. Donum Cæſari remittit. ibid. aliud accipit ab eodem Berolinum reverſus. *ibid in fi.*
Schombergius copias à finibus Cliviæ retrahit. *XVI*, 42. Electoris miniſterio ſe interim addicit. *XIX*, 99. exſeqvendis in Angliam conatibus Princip. Arauſ. adſtiturus. ibid.
Schottus Legatus Saxonicus. ſuper eo admittendo Gallorum difficultates in conventu Francof. *XVIII*, 33. qvæ ſtatim excuſſæ. ibid.
Schulenburgius [Guſtav. Adolfus] nomine El. poſſeſſionem regiminis Hallenſis capeſſit. XVIII, 12.
Schulenburgius [Wernerus] in Daniam miſſus frigidius excipitur. I, 54.
Schuttovia caſtellum ſolo æqvandum. I, 45.
Schutzius Brunſvicenſis Domus Legatis majorem dignationem qværit, in eam rem multa Cæſari offerens. XVI, 52.
Schwartzenbergius Comes [Adamus] penes eum ſumma conſiliorum in aula Georgii Wilhelmi & ejus artes ingeniumqve. I, 3. Cæſari nimium deditus. ibi nuntiata Electoris offenſa moritur. 4. Ejus filius in aulam Cæſaris profugit. 5. Ejus Conſilium circa Pomeraniam datum. 7. 8. In Juliacenſi, &c. negotio Electorem graviter læſit. IV, 23. Mandata negligit, rem ſuam magis, qvam Principis ſui curans. 42.
Schwartzenbergius Comes junior, ejus importunitas. I, 5. Pro eo intercedit Cæſar. 30. Super ejus bonis temperamentum. IV, 44. *reliqva de eo videnda locis in Indic. Perſon. indicatis.*
Schweinfurti Mœnum tranſit Elector. XII, 46.
Scotiæ Conſilium Regis voluntatem circa Religionum libertatem promiſcuam admittit. XIX, 92.
Scultetus in Moſcoviam ablegatur. XI, 109. XIII, 60. 61. Ad Majoris Poloniæ Ordines. XIV, 12. XVI, 68. in Poloniam. XIX, 61.
Selandia à Svecis invaditur. VII, 62. 63.
Senatoris fidi qvodnam in rebus dubiis munus. XVIII, 53.
Apud *Seneffam* cum Gallis cruento prælio certatum. XII, 45.
Sententiam dicendi in Senatu Principum libertas omnibus eadem. XVIII, 55.
Servientus Svecos confirmavit Monaſterium ad pacem Legatus, ut totam Pomeraniam poſtularent. *II, 50. alia ejus vide in Ind. Perſon. locis expreſſis.*
Seqveſtres Gallos & Belgas admittere recuſant Sveci. II, 54. 55. 57. *reliqva vide ſub nominibus propriis.*
Sigiſmundus Poloniæ Rex Pomeraniæ Ducis à Carolo V. proſcripti defenſionem ſuſcepit. II, 45.
------ de Brandenburgica Domo, non ſolum Boruſſia, ſed & Electorali dignitate exuenda cum Cæſare agit. V, 11.
Sigiſmundi III. ubi fiat mentio, notatum locis in Ind. Perſ.
De *Sileſia* regeſta Svecis ab Electore. II, 37. Portu Pillavienſi minoris habita Electoris Parenti. V, 6. Proteſtantium in ea religionem Cæſari commendat Elector. IV. 46. XVIII, 95.
In *Simmerenſem Ducatum* prætenſio Eliſabethæ Carolæ. XIX, 13. 15. Illius titulum aſſumit Aurelianenſis. 34.
Sinclerus Tribunus Svecicus occumbit. VI, 39.
Sinzheimi Cæſarei & Saxones acri cum Gallis conflictu ceſſim ire coacti. XII, 45
Skeltonus de Jacobi conatibus circa religionem prudenter diſſerit. *XIX*, 3.
In *Slagenam* actionem movet Polonus. II, 45.
Circa *Sleſvicenſem Ducatum* cum Danis acta. *XVIII*, 71. 136. *XIX*, 66. 68. 69. 73. 74. 77. 80.
Snitqverus & Jaſtramus. illorum conatus Hamburgi. *XIX*, 22. 23. 24. 36.

Societas Indiæ Occidentalis in Belgio Navigationem Electoris in Guineam impugnat. XVIII, 32.
Somersetiæ Dux muneribus omnibus exuitur à Jacobo II. XIX, 86.
Somnicius [Bogislaus] Pomeraniam armis invadendam suadet. VIII, 20. Hafniam mittitur. 21.
Somnicius [Laurent. Christoph.] ad Svecum super reassumendis tractatibus mittitur. V, 64. 65.66.68.69.70.71.72.73. Neomagi moritur. XVI, 7.
Sonneburgum arcem munit Stalhantschius. I, *32*.
Sonneburgicam ditionem ut liceat in usus seculares vertere, à Cæsare petit Elector. *XIII*, 40.
De *Sonneburgico Magisterio* cogitata Sveci. III, *30*.
Southwellus Angli nomine, Electori fœdus offert. *XVIII*, 3.
Spanheimensis Ducatus partem prætendit Elisabetha Carola. *XIX*, 12.13. Titulumqve assumit Aurelianensis. 34.
Spanheimius in Galliam missus, qvæ ibi egerit proposueritve? *XVIII, 44.74.88.92.102.104.* 107. Ad novum Angliæ Regem se conferre jubetur. *XIX, 4*. In Gallia qvæ ulterius super fœdere Belgico, induciis in pacem mutandis &c. egerit cum Gallis. *XIX*, 4.9.11.18. 19.30.32.33.35.47.52.60.71.
Spanius, ab eo Monasterienses semel iterumqve malè mulctati. *XI, 82*. Nulli Cæsareo Duci se pariturum jactasse dicitur. *XVII*, 33. Induciis cum Gallo prorogandis operam navat. 50.
Sparrius [Otto Christophorus] cum manu Montium Ducatui sese immittit. IV, 25. In tertiæ diei pugna ad Warsaviam singulari dexteritate usus, strenue se gessit. *VI*, 39. Magdeburgum ad obseqvium redigit. *IX*, 83.
Speckhanii Consiliarii Svecici ædes à plebe expugnatæ ac direptæ. *IX*, 82.
Spinola Aqvisgranum, Mulhemum, Berchemum & alia loca occupat. *IV*, 20. Xantensem transactionem remoratur. 21.
Stableensis Præsulatus inter dependentias à Gallo refertur. *XVIII*, 38.
Stalhantschius Marchiam invadit. I. *6*. Silesiâ expulsus per Crosnensem Ducatum hiberna capit. 26. Sonneburgum arcem munit. 32.
Stapelholmense Castellum solo æquandum. *VII*, 69.
Starenbergius [Joannes Reichardus] à Cæsare ad Electorem mittitur. V, 30.
Starenbergius Comes Viennæ strenuè defensæ præmia qvæ nactus à Cæsare. *XVIII*, 96.
Starenbergius Comes, ut ingruente periculo Philipsburgo mature prospiciatur, Cæsarem implorat. *XIX*, 48.
Stargardia sedes Pomeraniæ ulterioris collocanda. *III*, 8.
Statua Gallo erigitur superba, de hac qverelæ & judicia. XIX, 35.
Statutum in Brunsvicensi Domo, ut si in ea lites oriantur, reliqvi se interponant. IX, 80. Lithuaniæ in Radziviliæ nuptiis jactatum. XVIII, 27.28.
Steinburgense Castellum Elector ex conventione temporaria cum Danis tradendum. VII, 71.
Stemma Electoris. XIX, 101.
Stephani Palatini constitutione omnes filiæ ab hereditate ditionum excluduntur, qvæ objicitur prætensioni Aurelianensis. XIX, 15.
Sternbergii Legati Cæsarei blandis verbis concepta propositio ad demulcendum Electorem. XIV, 17. 18.
Stetinum ibi super induciis incassum agitur. I, 13. Temporaria conventio de Induciis initur. 43. Hoc à Svecis subtracto, Marchiæ commercia mari secluduntur. II, 57. Congressus regundis finibus ibi instituitur. III, 49.50.51.52. Ad finem perducitur. 58. Nova tractatio inter Svecum & Electorem suscipitur. V, *42.44*. Incassum de pace cum Svecis & Polonis agitur. 45. Super articulis fœderis disceptatur. 46.47.48. Obsidione cingitur qvæ mox solvitur. VIII, 29. Svecis multum interest, ut retineant 69. Elector ei exercitum admovet & arctius eam includit. XIV, 48. Obsidet & deditione accipit honestis conditionibus. XV, 18. De Stetino retinendo consultationes & conatus. *XIII, 40. XVI, 31*, XVII, 76. ægerrime tandem ceditur. ibid & Pace San. Germanicâ restituitur. 80.
Stetinensis Recessus limitaneus. *III*, 58.
Stetini Novi à vidua Pom. Duc. sibi relicti, ut hereditatem adeat Elector ante tractationem limitaneam absolutam, Sveci prohibent *III*, 46. In Præfecturam Novo-Stetinensem irruptionem faciunt Poloni. *VI*, 30.
Jac *Stewardus* Advocatus Arausionensis sententiam circa Religionis libertatem per literas à Fagelio urget & exqvirit, cui hic satisfacit. *XIX*, 96.
In *Stolpam* actio Poloni. *II*, 45.
Stratemannus in Poloniam mittitur. *X*, 51. Scripto Electori neutraliatem svadet. *XI*, 22. De pace cum Gallis differit Neomagi. *XVII*, 14. Gallorum asserta de actis in pace Neom. falsi arguit. *XVIII*, 19. Pacem cum Gallis infidam fore, ac ideo svaderi à se nondum posse, differit, *50*. Cæsarem à pace cum Gallo cum aliis avertere, Gallis arguitur. 104. de Galli potentia differit. 111.
Stralsunda obsidium, occupatio & elogium. *XVI*, 62. Pace San-Germanica hanc Svecis restituit Elector. *XVII*, 80.
Stralsundenses Dani protectionem frustra implorant. *XIV*, 37.
Strauchius [Ægidius] Custrinum captivus ducitur. *XIII*, 59. Gninscii de eo judicium. *XIV*, 5. Plebem Gedanensem ad turbas incitavit. 6. Jam in custodiam datus supplici libello acerbe in Electorem invehitur. *XV*, 12. Polonus pro illius liberatione laborat 23. Iterum ex custodia certis cautionibus adhibitis dimittitur. *XVI*, 66.
Streithorstius pellitur & capitur. *VIII*, 10.

Stri-

INDEX RERUM.

Strigonium, in hoc expugnando Brandenburgici strenue se gerunt. XVIII, 87.

Stutgardia inter Ducem & Legatum Gallicum super sacris Legatorum lis oritur, Legato inaudita sibi arrogante. XIX, 19.

Subscriptio nominis propria à Czare raro fit & magni imputatur. VI, 32.

Succini colligendi jus. V, 6.

Successionis spes ut Arausionensi in Anglia intervertatur conat9. XVIII, 93. XIX, 97. vid. *Pactum. & alia suis locis nominibusq; propriis not.*

Suchius cum Exercitu per Marchiam in Pomeraniam tendit. VIII, 25. Ejus successus. 27. Rem male in Belgio gerit. XII, 51.

Svecia facies sub Carolo Gustavo. V, 9. post fata Caroli Gustavi. IX, 1. XI, 1. anno. 1672. 33. post Regem sui juris factum. XII, 57. 61. anno. 1680. XVIII, 9.

Svecia ærarium exhaustum. III, 47.

Svecia bellicosam alit gentem, sed pecuniæ inopia laborat. XVIII, 76. 91.

circa *Svecia insignia* cum Polon. disputata. V, 18. 19. v. *Insignia.*

de *Svecia* sermones Gallorum. XVIII, 76.

de *Svecia viribus* ac bellis varia in consultatione super conjunctione cum Svecis. VI, 15. 16. 17. 18. 19. & cum ab iis se iterum disjungeret Elector. VI, 67.

Sveci Norlingensi prælio debilitati vires iterum colligunt. I, 2. per Marchiam grassantur. 6. Pomeraniam affectant. 7. Elector hostilibus circa eos abstineri jubet. 8. Cur Marchiam invaserint? 12. Inducias cum Electore ineunt. 15. 16. Cur pacem cum imperio admittere recusent? 19. post Banerii mortem res eorum in ancipiti stant. 20. Marchiam militibus inundant. 26. Super moderando induciarum pacto cum iis acta. 27. 28. 29. 30. 32. 33. 34. 35. 38. de reducendâ item Regina ex Dania 34 36. 37. *Bona Ordinis Joannitici* sibi deposcunt. 30. eorum circa connubium Christinæ mens exploratur, 40. Super *induciis perficiundis* iterum cum iis acta. 42. 43. Temporaria conventio. 43. Nova cum illis *conventio* super Francofurto & Crosna restituendis. 46. apud eos acta circa bellum cum Danis componendum. 54. 55. *In Holsatiam* irrumpunt. II, 12. contra *Danos* feliciter rem gerunt. 14. Super ceremoniis difficultates Osnabrugæ nectunt. 19. Pomeraniæ situs ipsis percommodus. 33. sua cupita initio dissimulant. 32. mox tamen ea apertius pandunt. 33. eis Galli favent. 34. mollius loquuntur. 35. aperte *Pomeraniam* deposcunt sibi. 38. 39. 42. Pomeraniæ Deputatos sollicitant. 44. Cæsarei eis Citeriorem Pomeraniam promittunt. 46. Illorum ingenium. 48. 51. Sermones super hoc negotio componendo. 48. duriores se præbent. 51. 52. 54. Separati cum iis tractatus frustra quæruntur. 55. 59 63. 64. 66. 67. cum iis super Pomerania tractatio ulterior III, 1. 2. 3. 6. ægrè tota Pomerania depelluntur. 7. eorum cupidini indulget Elector. 8. 9. conventa refingere conatur. 15. Quid ista *pace acquisiverint*? 16. circa fœdus cum illis frustra movetur. 17. circa *executionem pacis* cum iis acta, & *circa restitutionem ac tradionem Pomeraniæ & Præsulatuum.* 29. 30. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 45. 46. 61. Super *Limitibus* cum iis disceptatio. 45. 49. 50. 51. 52. 53. 58. super Vectigalibus. 54. 55. 56. 57. 60. Cum iis Ratisbonæ certatur. 65. 66. Inter hos & Polonos exigua concordiæ spes. IV, 36. cum eis circa Portus Borussiæ acta. V, 2. 5. 6. illis Elector est suspectus & vicissim, & utrinq; mentem explorare satagunt. 7. 8. de scopo illorum armorum. 9. 10. illorum fœdus num amplectendum? 12. de transitu illis in Poloniam concedendo. 13. cum eis Elector rem sibi integram servare studet. 36. eorum destinata magis erumpunt. 40. cum his tractatio Stetini. 42. seqq. quæ reassumitur. 63. & absolvitur. 70. 71. 72. 73. cum eis super illustratione Pactorum agitur. VI, 13. Conjunctionem cum Electore affectant. 14. cum eis tractatus suscipitur. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Fœdus Mariaburgicum.* 26. 27. 28. 29. Belgarum inter Svecos & Polonos consilia. 43. cum iis super abolendo pacto Regiomontano acta. 44. *Pacta Labiaviensia.* 45. 46. inter Hos & Danos Elector pacem servare studet. 52. 55. 56. 57. Rebus eorum diffidere incipit Elector 62. & eos ad pacem hortatur. 65. hi tamen eum in partibus retinere student. 66. *Elector res suas paulatim ab iisdem sejungit.* 67. Multorum Principum odia in se concitant. 70. in Holsatiam irrumpunt. 72. Tractatus cum Polonis impedire student. 74. Cum iis super transactione cum Polonis disputata. VII, 1. 2. 3. 4. Media hieme Daniæ insulas invadunt. 43. ad Sveciæ Regem mittit Elector. 56. Legati inauditi discedunt. 57. 58. 59. 60. eorum destinata erumpunt. 62. *Fridericiudda expelluntur. VIII,* 10. *Dammo & Wollino* ejiciuntur. 28. *Damgartam* deserunt ibid. *Stetinum & Greifswaldam* defendunt. 29. 30. sed *Demminum* amittunt. ibid. Eorum res per Daniam in deterius eunt. 33. in *Fioniâ profligantur.* 34. in Borussia sunt infelices. 36. ut & per Curlandiam. 37. super Pace *Olivensi* cum Polonis ab iis acta. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 68. 72. 73 74. 75. 76. 77. cum *Danis* 52. 65. 66. 67. Difficultates Electori circa investituram Viennæ movent. IX, 30. 31. Cum iis acta super *fœdere*, 67. 68. 69. illius Formula 70. de dominio Maris Baltici & super demissione veli disceptatio. 68. 69. illorum consilia explorare studet Elector. XI, 32. cum *Gallo Fœdus* ineunt. 35. Declarationem desuper Brandio dant. 37. eorum sententia de Electoris fœdere cum Belgis. 38. fœdus Gallicum Electori communicant. 39. Super tertiis partibus formandis in Coloniæ conventu agitant. XII, 5. 6. 7. 8. 10. 12. Furstenbergii abductione offenduntur. 9. *Fœdus* suum Electori offerunt. 13. 14. Qvod coalescit. 19. 20. 21. 22.

21. 22. 23. Electorem à Cæſare & Hiſpanis avertere ſtudent. 37. animorum inter eos habitus. 44. illorum inclinatio in Gallos magis eluceſcit, 53. 55. adhuc nutare videntur. 57. abhuc hoſtilitatem diſſimulant 60. Electorem apud Belgas accuſant. 62. de conatibus ſuis in Electorem indicant. 63. contra eos Elector auxilia circumſpicit. 64. *de illorum irruptione Electori* ſignificatur. 65 66. in eos hoſtilia ſumi vetat Elector. XIII, 4. bellum cum Belgis declinant. 8. circa bellum illis indicendum difficultates, 9. Belgæ eis bellum indicunt. 10. Cæſarei cunctantius 11. Danum à bello avertere ſtudent. 26. 27. 28. in Marchia pro lubitu graſſantur. 33. *Ratenaviæ opprimuntur.* 34. *ad Fehrberlinum profligantur.* 36. eorum machinationes Gedani & in Polonia. 58. 59. Illorum in Polonia machinationes contra Electorem. XIV, 3. 11. contra eos fœdus cum Dano. 39. 40. *Wolgaſtum* fruſtra oppugnant. 45. Demminum amittunt. 48. in eos Moſci concitari non poſſunt. XV, 15. *Stetinum* amittunt. 19. cum iis ſuper Lillihœkii importunitate acta. 25. 26. 27. 28. 29. illorum poſtulata Noviomagi, 44. quibus reſpondetur. 53. 54 ſocietatem Angli affectant. XVI, 4. eorum declaratio Noviomagi. 44. *Rugiam.* 60. *Stralſundam.* 62. & *Grypswaldam* amittunt. 63. naufragium faciunt. 64. eorum irruptionem è Livonia Elector avertere ſtudet. 65. in *Boruſſiam irrumpunt.* 68. XVII, 1. eorum ibi progreſſus. 3. *vapulant* ibi. 5. 6. 7. Noviomag. inſolentes ſe oſtendunt. 5. cum eis *Cæſarea* pax. 28. cum Electore *San-Germanica.* 80. vid. *Pax.* circa ratificationem ejus cum illis acta. 84. cum *Danis* pax ſuccedit tardius. 88. 89. 90. Veteri armorum gloria exciderunt. *XVIII,* 1. circa Electoris naves æmulationes oſtendunt. 10. cum Belgis fœdus ineunt. 23. 24. Multum pecuniæ et militum parant. 90. Circa eos Electoris cura. 136. cum illis amicitia inſtauratur. 20. fœdere icto. 27. 28. vid. *Carolus Guſtavus, Carolus. XI.* in *eos* Gallorum animus. *II.* 56. *VII.* 67. Eorum prætenſa Exſpectativa in Novam Marchiam. *III,* 56. Svecici *Legati* Oſnabrugæ diſſentiunt. *II,* 66.

Sverinus Wolgaſto de neceſſariis proſpicit abunde. *XIV.* 45. 47. Caſtellum in Uſedomo inſula expugnat. 47.

Sverinus (Otto) ad tractandum cum Svecis Stetinum mittitur. *V.* 42. 43. 44. 45. 46. it. Super abolendo Regiomontano pacto ad Svecum. *VI,* 44. Ut & ad ineundam cum Polonis pacem. 51. it. ad Goſievium. 71. iterum ad Svecum. *VII,* 56. Sed inauditus diſcedere cogitur. 57.

Sverinus junior in Angliam ire jubetur. *XII,* 36. Alterâ vice eò proficiſcitur. *XIII,* 22. Ad Cæſarem mittitur. *XVIII,* 81. 82. 83. 84. 85. *XIX.* 1.

de *Suffragii* jure Ordinibus Imperii competente circa bellum & pacem mota. *II,* 3. 17. 26. 27. 30. de Jure ſuffragii Electori in Polonia competente. *III,* 27. *VII,* 5. *XII,* 80. *XVIII,* 30. in Polonia quid in eo ſitum ſit præ aliis regnis. *ibid.*

Sveſſionenſis Princeps quæ obtulerit, ſi Poloniæ Rex fiat? XII, 79.

Sveta congreſſus Legatorum Svec. & Brandenb. I, 45.

Suntgovia, qvomodo Gallo ceſſa? XVIII, 13.

de voc. *Suverainitas & Suverainus* ſenſu diſputatum in cauſa Gottorpica cum Danis, XIX, 78. 79.

Swibuſſienſis Diſtrictus Electori conceditur. XIX, 25.

Sylvius Ablegatus Anglicus Electorem ad triplex Fœdus invitat. XI, 3.

T.

Tacere in tempore qvanti ſit, exemplo colligitur. XII, 80.

Taffius Sobieſcii Uxori C M. uncialium offert. XII, 79.

Tartari, cum illis ad Warſaviam ſecundæ diei pugna acrior conflictus. VI. 38. eorum magna pars aquâ ſuffocati, pereunt. ibid. repente ad Viennam prorumpunt. XVIII, 94. Viennenſi pugnæ ex convento non interſunt. 96. À Brandenburgicis ad Caminiecam in caſtra ingruentes repelluntur. 137.

Tartarorum Hanus conjunctionem Brandenburgicorum cum Svecis diſſvadet. VI, 30. Legatum ad El. mittit, cujus ferocia deſcribitur. VIII, 38. Omnia dira minatur Polonis, ſi Moſcum eligant Regem. X, 74. Legatum ad Electorem ablegat. XVII, 98. Cujus habitus deſcribitur. *ibid.*

Tekelii commercium cum Gallo interceptis literis patuit. XVIII, 62. Cæſari reconciliari ſe optare Polonis in comitiis teſtatur 86. Ejus Secretarius Gallorum commercium cum Turcis & Tekelio Viennæ aperit. 96.

Tellierius ab ingenio deſcribitur. VII, 54.

Tempori ſe aptare & neceſſitati cedere ſubinde oportet. II, 34. 40 41. 52. 56. III, 6.

Terlonus Leg. Gall. Sveco mancipatus falſa ſpargit Hatniæ. VIII, 33. XIII, 24.

Termælius, Monaſterienſis Procancellarius ad Elect. venit. XIV, 28. Item Bremam. 33.

Teſt Jurisjurandi formula unde ſic dicta. XIX, 86. ejus verba ibid. conf. XVI, 78. de ea abolenda conatus Jacobi 92 ſq. & ſententia Arauſionenſis per Fagelium expreſſa litteris. 96.

Tettenbachius [Joannes Eraſmus] quomodo Reinſteinenſi Comitatu exciderit? XI, 46.

Teutonici Ordinis Magiſter ſuper Gallorum reunionibus queritur. XIX, 12.

Thorunii Colloquium inſtituitur, ejusque acta. II, 31. Legati Svecici cum Brandenburgicis ſuper reaſſumendis tractatibus conveniunt. V, 65. Alius conventus ibi habetur. VIII, 45. 46.

Thungius copiarum ex Auguſtano fœdere contrahendarum cum aliis Dux deſignatur. XIX, 31.

Tituli, ſuper tit. *Excellentiæ* lites & quæſtiones II, 19. 24. 25. 71. IV, 36. VII, 20. IX, 67. X, 85. XIV, 57. 58. 72. XVI, 52, 57. XVIII, 48. 50. 51. ſuper *titulis* Diſceptata vel acta cum *Gallo.* II, 14. 17. 21. 22. III, 21. VI, 12. IX, 58. *cum Hiſpanis.* IX, 24. XIV, 43. XV, 11. cum Palatino & Ba-

varo

varo super Vicarii tit. *VII*, 21. 23. cum Lotharingo. *XIV*, 16. cum Svecis. *III*, 46. 48. V, 2. 5. *VII*, 1. Alia, *VII*, 29. *IX*, 58. 86. *X*, 17. *XV*, 32. 33. 42. *XVI*, 52. 53. 54. 57. *XVIII*, 33.
super *titulo Pomeraniæ* mota. *III*, 1. 14. 16.
Titulus *Sveciæ* Polonis maximorum malorum causa. *III*, 27. eum dimittere non vult. Pol. R. V, 19.
Titulum *Juliacensis* Cæsar dat Carolo Gustavo. *IV*, 4.
Titulus Cromvello ab Electore datus. *VI*, 9. it. Hungariæ Regi. 40.
super *Titulis* & ceremoniis cum Sabaudo conventio. *IX*, 47. vid. *Sabaudus.*
super tit. *Lauenb. & Butov.* cum Polonis. *X*, 64. 89.
Papæ & ejus *Nuntio* Neom. qvalis dandus? *XV*, 39.
Tochtius à Belgis Bremam mittitur super partiendâ Bremensi provinciâ. *XIV*, 27.
Tænninga super ea inter Danos & Gottorpinos mota. *XIII*, 42. *XIV*, 36. *XIX*, 62.
Torstensonius Belli sedem in Cæsareis ditionibus firmat. *II*, 16. ei succedit Wrangelius. 55.
Tractatus Westphalici nonnulla. *II*, 16. seqq. *Lubecensis*. *IV*, 36. v. *Pax, Pact. & suis locis cetera.*
Trajectum ad Mosam, anteqvam Sveci restituantur, reddere recusat Gallus. *XVI*, 38.
Transactio Xantensis. *IV*, 21. v. *Pactum.*
Transisalania à Gallis occupata. *XI*, 54.
Transitus militum & exercituum. V, 13. 41. 52. *VI*, 45. *VII*, 17. 18. 57. 69. *VIII*, 36. *XI*, 80. in fi. *XIX*, 26.
de munitione ad *Trarbacum*. *XIX*, 56. 57. 58.
Trautmansdorfius. super Pomeraniâ cum Svecis & Brandenb: ab eo acta. *II*, 40. 46. 50. 58. *III*, 3.
Treffenfeldius ob rem ad Fehrberlinum fortiter gestam, in ipso campo ab El. nobilitatis insignibus donatur. *XIII*, 36. ad Warsaviam remunerandæ fortitudini summus vigiliarum Præfectus declaratus. *XVII*, 5. 6.
Trevirensis transitum Rheni denegat Electori. *XI*, 62. A Gallo bello invaditur. *XII*, 11. 12. Ut restituatur iterum laborat El. 38. 39. 40. 42. 43. Ejus sententia de Gallorum Reunionibus & prætensionibus. *XVIII*, 37. Luvoisii odium qvotidie sentit. 119. Super Gallorum exactionibus qveritur. *XIX*, 12.
Trevirorum urbs à Luneburgicis expugnatur. *XIII*, 38.
Tribunal Appellationis in Borussiâ. V, 72. VI, 78. reunionum Brisaci & Met. à Gallo erigitur. *XVIII*, 14. eo omnes de jure sibi ablato qverentes ablegat Gallus, ibid. 15. vid. *Induciarum instrumentum* 134. *Ecclesiasticum* à Jacobo. *II*. in Anglia institutum. *XIX*, 89.
Trittoviensis præfectura à Dano in Plœnensem Ducem transfertur. *XIX*, 66. Disceptationes circa eam. 71. 75.
Truchsesius Copiis Brandenburgicis in Poloniam missis præest. *XVIII*, 87. 137. Tartaros repellit. ibid.
Tullensis Episcopatus vid. Pac. Neom. art. 19. *XVII*, 24.
Tullensis urbs pace Neom. destinatur Lotharingo. art. 17. XVII, 24.
Tumultus circa Veredarios Gedanenses. IX, 8. In Principatu Arausionensi. 21. *alias vide locis congruis.*
Turca & Tartari apud Czernovvitzam & Lebencium magna strage afficiuntur unde cum illis pax fit, super qva Ratisbonæ disputata. IX, 78. multa incrementa virium aduersus Christianos ab antiqvo Galliæ debent. XI, 1. Inducias cum Cæsare prorogare nolunt. XVIII, 59. Jaurinum, Fillecciam & multa alia à Cæsare poscunt. 62. 94. ad Viennam ingruunt eamq; obsidione cingunt. 95. ad Viennam profligantur. 96. Budæ liberationem frustra tentant. XIX, 26. *Fœdera* cum Turcis habere & pacisci, adversus Christianos, à tempore Francisci præjudicio per Luvoisium defenditur. XI, 1. p. 736. recentia Gallorum cum iis Fœdera detecta. XVIII, 61. 62. 94. 96. vid. *Hungaria &c.*
Turennius, Flandriam totam brevi tempore se subacturum promittit. X, 55. Fœderatis bis cunctantibus ad invadendum, Cæsareis tempestive se subducit receptu, XI, 82. XII, 47. Eum de insidiis cujusdam sicarii advertit El. qvonomine multas gratias agit. XI, 83. Palatinatum invadit. *XII*, 30. Preuscham apud Holzheimum per pontem transit & cum Luneb. &c. confligit, 46. denuo ingruit. 49. cæditur, Gallis duce Montecuculo magna cum strage trans Rhenum pulsis. *XIII*, 38.

U.

Valentiana urbs expugnatur à Gallis, *XV*, 19.
Vauguionus ad Electorem bis venit explorandæ ejus menti. *XI*, 52. 53.
Uckermunda assultu expugnatur per Schœningium Tribunum. *XIV*, 45.
Vectigal. Circa Pillaviense vectigal difficultates. *I*, 23. *III*, 48. de vectigalibus Pomeraniæ cum Svecis acta. 54. 55. 56. 57. 58. 60. 62. de Vectigali per lacum Frischhaf dictum? *VI*, 29. 45. 46. Acta de hoc cum Danis. 52. 53. 54. 55. de Vectigali in Vistulâ. *IX*, 19. Super vectigali in portubus Ulterioris Pomeraniæ mota & disposita pace San-Germana. *XVII*, 79. 80. v. *Glucstadium.*
Veldentinus super Palatinatu controversiam movet. *XIX*, 14.
de *Velis* submittendis mores & mota. *IX*, 28. 68. *XVI*, 40. *XVIII*, 3. 11.
Veneti à Gallis ad Candiam servandam auxilia accipiunt, sed exiguo cum emolumento. *XI*, 1. in Creta num adeo notabilem fecerint jacturam? idid. An in Negotio Neomagensi admittendi? *XIV*, 64. de Præcedentia

tia inter eos & Electores, Legatosqve adeo illorum, I, 53. II, 17. 23. IV, 36. 40. X, 85.
Circa *Verba* varia & clausulas disputata. II, 29. 30. 69. 70. III, 34. 49. IV, 5. XIV, 38. *Expectantiarum* verbi sensus, III, 56. *Dependentiarum*. XVIII, 15.
Verjus Galli destinata ad Electorem missus aperit. XI, 18. super destinatis Electoris contra Gallos, sibi denuntiatis, differit ac dimittitur amice. XII, 38. Acta ab eo Ratisbonæ super Reunionum negotio. XVIII, 15. 16. 19. 20. 33. 52. sqq. De induciis proponit Ratisbonæ. 103. super iis cum eo satagitur. 130. 133. 134. Aurelianensis in Palatinatum prætensiones exponit, & contra Neoburgici possessionem protestatur. *XIX*, 13. de actis à Gallo contra inducias respondet. 29. 58. 81.
Vesalia Ibi conventus frustra instituitur. IV, 19. A Spinola occupatur. 20. traditur Electori. *XII*, 32. Gallo. *VII*, 60. Gallico milite insidetur. 79. 80.
Vesontinis de exspoliato armamentario contra deditionis formulam, qverentibns, responsum datur à Lionnæo. X, 55.
per Vesontinum Parlamentum jus in Mumpelgardensem Comitatum repertum Galli regerunt. *XVIII*, 14.
Circa *Vicariatus* litem Saxo Bavaro favet. *VII*, 24. v. *Palatinus*.
Victoria non semper à parte justiore stat. *II*, 61. A Svecis reportata, *VIII*, 34. Ab iisdem Mari per Danos, *XV*, 17. à Turcis ad Lebencium & S. Gothardi Fanum, *IX*, 78. Borussica continuatur. *XVII*, 6. vid. *Prælium unde colligenda cetera*.
Vienna Pax Cæsareo-Gallica dissimulatur. *XVII*, 22. de istâ pace ibi judicia. 81. Ejus obsidium, *XVIII*. 94. Liberatio. 96. conf. *Cæsarea aula*, *Cæsar*, *Cæsarei &c.*
Villa Hermosa Dux fœdus inter Anglum & Belgas super conditionibus pacis acceptat, *XVI*, 7. 10. 29. 36. Auxilia ab Anglis petit. 11. In Inducias consentit. 22. 70. super ratihabitione pacis extracta qveritur, pacemqve separatam excusat. 93.
Villa Nova, Pseudonymus qvidam, Turennium clam ferro vel veneno se interfecturum promittit. *XI*, 83.
Vilna miserrime à Moscis vastata. V, 62.
Virodunensis Episcopatus, vid. *Metensis Præs.*
circa *Visitationes Legatorum* disceptata vid. *sub. tit. Legatorum, inter cerimonialia* & v. *cerimoniæ*.
Vistula de illo inter Svecos & Polonos agitata. *VI*, 65. de jure Ducum Borussiæ in illo. *IX*, 13. 17. 18. De vectigali ibi. 19.
Vitrius Svecis in Marchiâ omnia dira ingerit. *XIII*, 33. è Poloniâ discedere jubetur. XVIII, 86. ejus conatus & super resignatis litteris qverelæ ibid.
Vladislaus Poloniæ Rex de Borussiæ investiturâ cum El. agit. I, 21. Diem investituræ designat. 24. Investituram concedit El. 25. Sororem suam offert Electori in matrimonium, cum Christina connubium impedire studet. 41. Ad Thoruniense Colloqvium invitat Borussiæ Theologos. II, 31. Electoris causam suscipit & Legatos ad tractatus pacis mittit. 45. Absolutum Poloniæ imperium affectat. ibid. De Svecorum apparatu Electorem monet. 72. Moritur. III, 26. circa successorem ei eligendum acta. 27. sqq. v. *Joannes Casimirus*.
Ulckenus Vicecanc: Gottorpicus moritur. Ejus Elogum. XIX, 70.
Ullefeldius. ejus conatus in Daniam. IX, 6. 33.
Ulmius Vicecancellarius Austriorum considerationes circa Juliacensem controversiam scripto proponit. IV, 10.
Ulrica Eleonora inter armorum strepitus Carolo Sveciæ Regi despondetur. XIII, 31. De isto connubio Danicæ paci nil inseri Rex pati vult, ultro tamen statim id consummari petit. XVII, 90. Nuptiæ succedunt. XVIII, 9. ubi generosæ castimoniæ specimen ejus. ibid.
Ultrajectini paci cum Gallo renituntur. *XVI*, 34.
Ultrajectum cum aliis tractibus occupatur à Gallis. XI. 54.
--- *Evangelica*. V, 21.
Unna per Monasterienses occupata. XI, 82.
Volmari consilium in causa Pomer. III, 61. 62.
Vossemi pax inter Gallum & Electorem conficitur. XI, 94. 95. vid. *Pax*.
Votum Joannis Casimiri B. Virgini factum. V, 30.
Urbes modicæ potentiorum protectione indigent. XVIII, 8. v. de singulis sub nominibus suis, e. g. *Hamburgum*, *Brema* &c.
Urbici Ordines in Electorem iniqvi. III, 34. pro Hervordia laborant. ibid. & 65.
Usedomum à Wrangelio invaditur captis. 200. Brandenburgicis. VIII, 29.

W.

Walckenrietham cœnobium Brunsvicenses sibi vindicant. III, 12.
Waldavius gratiâ Electoris excidit. I, 37.
Waldecca Comes, vid. *Georgius Fridericus*.
Cum *Wangelino* disceptata. XII, 39. 41. Captivus Peizam deducitur. XIII, 34. Ejus socordiam Sveci execrantur. 37. Iterum à Brandenburgicis captivus ducitur. XIV, 46. ac denuo dimissus non redit, & ideo ad judicium militare citatur. ib.
Warmia, super hâc lites. V, 69 70. Sveci inde milites suos deducunt. 71. Pactum super Warmiensi Præsulatu. 72. 73. Hujus illustratio. VI, 29. Iterum aboletur Pactis Labiaviensibus. 45. conf. *Pacta Welaviensia*.

Warnemunda ad Rekenitzam occupatur à Brandenb. VIII, 30.
De *Warnemundensi telonio*, qvare pace Cæsareo-Svecicâ nil cautum? XVII, 29.
Ad *Warsaviam* trium dierum memorabile & acre prælium. VI, 37. 38. 39. A Polonis deseritur. 39. Convocatio super firmanda pace indicta. VIII, 78. Acta ibi. 79. de aliis Comitiis v. *sub voc. Poloni. Joannes Casimirus, &c.*
Wasselsheimum Argentoratensis ditionis arx, à Goltzio occupatur. XII, 47.
Wedelius [Hasso Adamus] Draheimum mittitur capessendæ possessionis causa. X, 64. ad Wrangelium. XII, 65. Ad Polonos Maj. XIV, 7.
Weierus in Fionia capitur. VIII, 34.
Weimannus Pacta Brombergensia Belgis indicat. VII, 7. Ad Svecum mittitur. 56. sed inauditus discedit. 57. Separatæ paci se opponit, additis ab Elect. literis. VIII, 3. Invectiva ejus contra pactum Hagense. 5. In Angliam mittitur. IX, 22. 23. Acta ibi. 24. 25. 26. 27.
Welavia super summa rerum cum Polonis transigitur. VI, 77.
Welaviensia Pacta ineuntur. VI, 77. eorum instrumentum. 78. *Bydgostiana* à loco confirmationis dicuntur. 79. Bydgostiæ enim s. Brombergæ confirmantur variis adjectis pactis. 77. 79. 80. 81. 82. 83. conf. VII, 50. v. *Pacta. it. Jo. Sobiescius.*
Wellingius [Mauritius] Minister Svecicus Hafniæ magnâ cum vehementiâ in Electoris naves declamat. XVIII, 11.
Werbense Castellum diruitur. I, 10. Circa id disputata. 15. 30. 35. 43.
Werningerode de Comitatu Reinsteinensi inter Elect: & Brunsvicenses tractatur. XI, 46.
Wesenbetius Francofurtum ad conventum mittitur. II, 1. 2. Sententiam Electoris de componendis gravaminibus exponit. 9. 15. Senatui Principum Electoris causam contra Svecos commendat. 35. Ad conventum Noribergensem mittitur. III, 33. seqq.
Westerburgum castrum Brunsvicenses Halberstad. Præsulatui decerpere student. III, 12.
Westerwycum opp. à Danis in cineres redigitur. XV, 17.
Westphalia, Acta bellica ibi. XI, 82. Exactiones Gallorum etiam pace perfecta non minori qvam antea asperitate ibi continuantur. XVII, 83.
Westphalica Pax. v. Monasterium. Osnabrug. Pax.
Wicbartus Electoris in Polon Residens inde exesse jubetur, super qvo facto agitata. XV, 21.
Wicqvefortius [Abrahamus] à Gallo in Bastiliæ custodiam inde Caletum abducitur, & cur? VII, 54.
Wierzbowski Abbas à Poloniæ Regina ad Electricem Brandenb. ablegatur. VI, 69. 70
Wiesnovicius, [Michael] Rex eligitur à Polonis. X, 88. Judicia de illâ elect. 89. Super recognitione Lauenburgi & Butoviæ Legatum ad Electorem mittit. 100. A Procancellarii Poloniæ arbitrio pendet. 105. Coronâ indignus judicatur. 106. Moritur. 108. Causa mortis. XII, 67. Ab ingenio describitur, ibid. vid. *Michael P. R. it. Poloni.*
- - - - [Demetrius] cum Electore super Draheimo transigit. X, 64.
Wildenbrucam arcem sibi poscit Elector. III, 1. Redigitur in potestatem. XIII, 55.
De *Wildfangiatu* lites. IX, 81.
Wilhelmus Juliaci Dux cum Carolo V. Imperatore bellum gerere ausus. IV, 10.
Wilhelmus Arausionensis. vid. A.
Williamsonus Electori & Protestantibus adversus, ab ingenio describitur. XV, 32. In turrim conjicitur, & qvare? XVI, 78.
Windischgratius [Amadeus] ad Gallum mittitur. *XI*, 12. Bremam ablegatur. *XIV*, 14. 33. Inducias cum Gallo sua industria promovet. *XVIII*, 133. vid. *Ind. Pers.*
Winnenthalia Dynastia Neoburgico relinqvitur transactione hereditaria. *IX*, 74.
Winsheimi Fœdus Austriaco-Brandenburgicum confirmatum. *VII*, 20.
Wismaria pulcherrimus portus. *II*, 61. Deditione capitur per Danos. *XIII*, 56.
Wittgensteinius Comes [Christ. Ludovicus] ad confirmandum Danum Hafn. mittitur. *VIII*, 15.
Wittgensteinius Comes [Joannes] Osnabrugam cum mandatis mittitur. *II*, 17. 18. 19. Ut & Monasterium. 20. Inter Lutheranos ac Reformatos temperamentum ingerit. 30. Pro Pomerania Electori retinenda laborat. 33. 34. 40. sqq. Ad Carolum Gustavum mittitur. *III*, 32. *vid. Ind. Pers.*
Wittenbergius transitu per Marchiæ partem ibi hostilem in modum grassatur. *II*, 49. 51. In majorem Poloniam tendere jussus, transitum per El. ditiones in Poloniam petit. V, 40. 41.
Wittii proditionis arguuntur. *XI*, 54. Hagæ a efferatis civibus trucidati. 57.
Wittius [Cornelius] velut de Anglia triumphantem se pingi curavit. *XI*, 12. conf. 57.
Wittius [Joannes] autor Pacti Hagensis præcipuus, illud excusat. *VIII*, 4. 7. Blandis verbis El. indignationem super pacto Hag. mulcet. 8. de eo qveritur Weimannus. 9. Arausionensis dignitati adversæ factionis caput. *X*, 1. Vires Reip. in manibus suis esse cupit. 38. Omnes Electoris actiones sinistre interpretatur. *XI*, 14. Qvam insenso in Arausionensem fuerit animo? 55.
Wittorfius Brunsvicensium Duc. Ablegatus, Brandio Leg. El. secundar. loco cedere abnuit. *XVI*, 57.
In *Wolaviam* prætensio El. exstingvitur. *XIX*, 25.
Wolfsbergius à Sveco ad Elect. missus. *V*, 37. 38.
Wolgastum; in ea urbe qvantum situm commerciis Marchiæ. *II*, 57. A Brandenburgicis

expugnatur. XIII, 56. Frustra à Svecis tentatur. XIV, 45.

Wollinum à Cæsareis occupatur vi. VIII, 28. A Brandenburgicis expugnatur. XIII, 55. De Wollino retinendo ap. Gallos acta. XVII, 76. sed frustra. 78.

Wrangelii frater tyrannicè in Marchiâ Brandenburgicâ grassatur. XII, 33.

Wrangelius [Carolus Gustavus] cum valida manu Stralsundam appellit, & Usedomum insulam invadit. VIII, 29. In prælio ad Warsaviam qvomodo se gesserit. VI, 37. 39. ejus intentio exploratur qvam frigidius insinuat. XII, 65. Vetat hostilia statim in Electorales patrari. XIII, 4. Ad Anhaltinum scribit. 5. atrocia suorum patrata ipse detestatur per literas ad fratrem. 33. Ut in bellum erumperetur in Pomerania unus omnium maximè optavit. XII, 57. cum Gardio. 61.

Wreickius ad Gosievium ablegatur. VI, 68. Hafniam fœderis sanciendi gratia. VII, 9. it. ad Cæsarem. VIII, 31. 32.

Wulfius deditionem urbis Stetin. offert. XV, 18.

Wurtenbergicus Administrator Juvignii importunitatem intuitu sacrorum Gallo atqve Electori indicat. XIX, 19.

Würtzius Dœmitzam intercipere conatur, inde in Borussiam vertit. VIII, 16. Vigilantis & strenui Ducis officio fungitur, ac Stetinum contra Cæsareos defendit. 29. In Borussiam cum copiis contractis tendit. 36.

X.

XAntenum occupat Spinola. IV, 20. Transactio ibi conficitur; illius capita. 21.

Z.

ZAwadzkius scriptum contra Electorem publicat, qvod crematur igne. XIV, 3.

Zelandia pactioni cum Gallo se opponit. XI, 55.

Zilenziga induciæ ineuntur inter Polonos & Brandenburgicos. VI, 48.

Zinna Saxo & Brandenburgensis conveniunt. X, 35.

Zolleranum titulum assumit Elector. XVIII, 138.

Zossenam arcem Schvvartzenbergius munivit. I, 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google